
[illegible]

R. P. DIDACI
DE BAEZA
COMMENTARIORVM
IN
EVANGELIA
TOMI QVATVOR.



R. P. DIDACI

DE BAEZA

PONFERRADIENSIS,
SOCIETATIS IESV
Theologi,

Commentariorum Moralium in Euangelicam hiſtoriam

PARS PRIMA.

COMPLECTENS

Tomos
- I. De D. Ioſephi, B. Mariæ, & Chriſti Domini magnaliis: de Euchariſtia, de Spiritu ſancto, & de B. Trinitate.
- II. De vocationibus, & conuerſionibus à IESV Domino peractis; inſuper de omnibus illius miraculis, & nobilioribus prophetiis adimpletis.

Cum permiſſu Superiorum.

LVGDVNI,

SVMPTIBVS
IACOBI CARDON
M.DC.XXXI.

REVERENDISSIMO PATRI

MVTIO VITELLESCHI

IESVITARVM APICI,

DIDACVS BAEZA S. & F.

VSQVE ad temeritatem me euulgata dignatione veſtra promouiſtis: fiducia paternæ charitatis extitit mater audaciæ. Scilicet honores, ætas, meritum, quod vobis, candidiſſime Præſul, facem prætulit, me in vmbram cogebat: niſi culminis veſtri imperia à iugo charitatis noſcerem non immunia. Scio conſcientiam religioſam grande æſtimare compendium, ſi præſtandi naſcatur occaſio, his maximè, quos deuotos extitiſſe meminerit. Hac re non clauda mea fides, vobis qui inter Doctorum curas grandi ditatas meſſe colloquij eſtis innutriti, tabellæ noſtræ culmos non veretur præmittere. Præcelſæ claritudinis tuæ affectione poſſeſſus, patrocinium ambiui; immo pagina noſtra tanti parentis & Doctoris expectat vultum; ne degeneri

re credas exhibere filio patrocinium. Putabam ſcientiæ dotes, rem tantùm ingeniorum eſſe, non familiæ, nec duci per ſtemmata quod labor continuus & indefeſſus adipiſcitur. Sed quantum in me apparet, ordines ſuos ſeruat ſapientia & oris pompa, quæ exundauit in veteribus, migrat ad poſteros: concordat ſcientiæ curſus & fluminum per conſuetos alueos, & dicendi vnda prælabitur. Venit ad me cum cenſu familiæ Ieſuitarum eruditio, cui hoc velim debere beneficium, ſi tuis paſtoris optimi addar curis: cuius oues, omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt inter illas. Igitur quos de Ieſu habui conceptus, tuæ limæ tutelari committo, cuius generi, doctrinæ, & meritis, nominis ſui ampliſſimam Ieſus ipſe commiſit familiam. Deus bone indulta cuſtodi: auge ſucceſſibus quod dediſti: fac circa paſtorem meum, ſeruum tuum, primum eſſe gradum, qui ſummus eſt.

EIDEM
IACOBVS CARDON
cum obſeruantia S.

CVM Theologica hæc Commentaria, quæ meritò theſauri inſtar à viris doctis habenda, ſub incudem reuocare vſus eſſet, opus id aggredi Auctore & ſciente & conſentiente libuit, eaque annectere, quæ doctiſſimus Vir in eandem materiam apprimè elaborauit, & communi vtilitati tradidit. Et vt editio tanto prodiret ornatior, in animum induxi, totum opus in duas partes diuidere, vt, qui voluerit, vnam ab altera ſepararet. Ac quamuis poſtrema volumina aliorum Illuſtrium Virorum nominibus ab Auctore primitus inſcripta; non tamen puto fraudi cuiquam futurum, ſi opus vt integrum Tibi voueam, cùm duorum eiuſdem rei dominium eſſe non poſſit. Nec ferent ægrè quibus pars operis aſſignata, quòd partem illorum vniuerſo comprehenſam Tibíque dedicatam volui, cùm & nomen tuum apud ipſos in pretio ſit. Hoc igitur vt beneuolè ſuſcipias, méque tuo fauore, ſi non meritis debito, tuæ tamen dignitati pulchro, & glorioſo, vt complectaris etiam atque etiam ſubmiſsè oro.

VALE, V. Reuerendiſſime, cui officia ſimul, & cultum defero. Lugduni ex Bibliotheca noſtra VIII. Eidus MaI, M. DC. XXXI.

AVCTOR LECTORI.

IN *feraci librorum ætate, quando ſingulæ ſacri Textus lineæ libros parturiunt integros; quando quilibet liber commentationum aggeribus in Bibliothecas exurgit; ea mihi potior cura viſa fuit ſi Bibliothecas in vnum conferrem librum, & ex pluribus non omnia quæ poſſem, ſed illuſtriora ſeligens, conuiuium pararem prorſus alienum à faſtidio. Sapiens ille Paterfamilias apud* Matth.22. *vt ad conuiuium inuitaret ſuum, hoc perſuadebat inuitatis, nimirum quòd* altilia occiſa erant; *ſemel eſurienti Petro repentia & communia oblata ſunt, poſthac non communia, ſed altilia parantur, quibus veſci gaudeant, quicumque vocantur ad ſapientiæ conuiuia. Hanc ebibit mentem Theophilus Alexand. epiſt. Paſc.1. vbi inquit,* Cernentes à ſapientia immolari tauros & altilia iuxta Euangelij parabolam, veſcamur fortioribus, pleníſque neruorum, & pinguioribus doctrinarum cibis, vt lac infantiæ deſerentes ſolidum capiamus alimentum. *Lactis humanioris ſapientiæ cupedias alij miniſtrant, alij exundantes nectareis ſuccis crateres propinent, alij de Aſſueri ambitione floridas menſas ferculorum varietate fartas exhibeant. Mihi ſanctum eſt illud à B. Ennodio dictum lib.1. epiſt.12. nimirum,* Pulchra ſunt quæ ſcribis, ſed ego amo plus fortia. Redimita ſunt floribus, ſed poma plus diligo. *Itaque dum fortiores cibos ſapientiæ quæro, de Euangelico actu, altilia ſolum aucupari feſtino, quibus lectorum fames ambitioſius adimpleam. Et dum vobis altilia aucupor, in manna incido, nec metuo quod ſapientiæ filijs de leuitate damnetur mannæ cibus. Sed quale iſtud manna? illud indigitat Petrus Dam. lib.6. epiſt.5. vbi nomen manna expendens ex cap.16. Exodi* Manhu? quid eſt hoc? *ſic ſtatim pergit ipſe.* Illi ergo manna, id eſt, Quid eſt hoc? veraciter comeditant, qui dum legunt, vel audiunt diuini verbi myſterium, ſolerter inquirunt. Qui nimirum intra literalis paleæ thecam, dulcem intelligentiæ ſpiritualis ambiunt enucleare medullam. Hic certè quid eſt hoc? veraciter veſcitur, qui in aſſidua Scripturæ ſacræ ſolerter inquiſitione verſatur. *Totus hic meus liber ſic quæque Scripturæ loca ſollicitat, vt tot ſint illius quæſtiones, quot verba, proponit ſimplicia, & dum ſtatim quid eſt hoc? inquirit, de manna parat ſuis lectoribus cibos. Religioſa fuit in manna nouitas, in diem colligebatur, ſemper enim heſternus inuentus eſt putridus. Equidem in ſapientis ore vileſcunt heſterna, à quibus ſe lætiſſimus expedit Ezechiel cap.4. inquiens:* O Domine, nunquam contaminata eſt anima mea, & morticinium aut immundum non introiuit in os meum. Sed neque caro heſterna introiuit in os meum. *Vnde ſolerter Origen. homil.5. in Leuit. ſapientes monet,* vt cum proferre ad populum ſermonem cœperit, non heſterna proferant, non vetera proloquantur, ſed per gratiam Dei noua ſemper proferant, & ſpiritualia ſemper inueniant. *Moleſtè feram quod hic manna nouitatis ſapor, hoc requiratur in libro, in quo laboraui noua, & ſpiritualia inuenire. Noua, inquam, non quia recentia, ſed quæ apud veteres obſcura noſtris commentarijs claritatem præſeferant nouitiam. Nónne doctus ſcriba de theſauro ſuo profert vetera & noua? Qualiter de theſauro noua proferantur? Theſaurus is eſt qui cuſtoditas hominum memoria antiquiores ſeruat diuitias. Et quidem non dixit noua de theſauro proferri, ſed vetera & noua, hoc eſt, illa quæ à veteribus recondita ſunt, & no-*

uitio

uitio, de Doctoris industria, splendore vestiuntur. Verissimum enim est illud à B. Ennodio dictum orat.3. nimirum: Fului nobilitatem metalli, nisi ad vnguem manus ducat artificis, maternis penè hebetatur in tenebris. Et si non magistra politione venustetur, nihil ei prodest sublimitas quam vena concesserit. *Pretiosiora sunt apud veteres Patres eloquia super aurum & topazium, quæ ne maternis tenebris hebetentur, meam aliqualem adhibui industriam. vtinam de laboriosa mea politione sic renouentur, vt quam vena concessit, eorum appareat sublimitas; quo de thesauris Patrum proferam vetera & noua simul. Ausim aurea vobis promittere, quibus dum diuites Patrum thesauros percurro, ditor. Sæpissimè quæ non ferunt magna flumina, grana aurea inueniuntur inter arenas parui, & humilis fluuij, quando hic per auri fodinas transit & currit. Testantur sanè huius operis aurea ingenij mei paruitatem, sed & meos, per diuites Sanctorum venas, quotidianos decursus. Quibus dum librum facio, vitium caui meritò reprehensum à Plinio, eorum qui vt doctrinam publicent suam, nil aliud præstant, quàm nomina Authorum, à quibus acceperunt, expungere. Nepotiani potius amaui plenam modestiæ gloriam, de quo hæc asserit D. Hieron.* Ingenuo pudore qui ornabat ætatem, quid cuius esset, simpliciter confitebatur. Atque in hunc modum eruditionis gloriam declinando, eruditissimus habebatur. Illud aiebat Tertulliani, istud Cypriani, hoc Lactantij, istud Hilarij est. *Quorum Doctorum authoritate, meam non puto obtenebrari doctrinam, sed potius & collimari, & perfici. Sic monebat Ennod. lib. 1. epist. 12.* Labora ergo circa studia, lucem in colloquiis dilige, lectioni deuotus insiste, vt fructus eloquentiæ multiplicum authorum ventilatione purgetur. *Aliquis contemnet forsan hanc innumerabilem multitudinem paragraphorum, in singulis breuitatem accusans, quod idem crediderim esse, ac si quis Auroram accuset, quòd infinitis penè roris guttulis terram impleat, vel pluuiam, quòd non instar amplissimorum stagnorum, sed linearum instar sese terræ communicet. Sapientiùs Moyses Deut. 31. hinc commendabat doctrinam, dicens:* Concrescat in pluuiam doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum. *Sua illis Rhetorum flumina relinquo, qui fontibus innutriti paradisi, nil nisi Iordanem spirant. Ego in extremis terræ dimissus, ac despectus aptor potentia Dei; qui ab extremis terræ nubes educit, vt concrescat in pluuiam doctrina mea, & minutissimis paragraphis distinctum fluat, vt ros eloquium meum. Id Orbi, optime lector, vt spero, non erit infœcundum.*

PROVINCIALIS LICENTIA.

EGo Melchior de Pedroſa Societatis IESV in Prouincia Caſtellæ Præpoſitus Prouincialis: poteſtate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre noſtro Mutio Vitelleſchi Præpoſito Generali, facultatem facio, vt Tomus inſcriptus, *Commentaria Moralia in Euangelicam hiſtoriam, Auctore Patre Didaco de Vaeza Ponferradienſi, noſtræ Societatis Theologo*, & eiuſdem Societatis grauium doctorúmque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus Salmanticæ in Regio noſtro Spiritus ſancti Collegio, die vigeſima ſexta Martij, anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſecundo.

Melchior de Pedroſa.

Judicium P.F.Gabrielis Lopez, Ordinis Minorum, & S. P. Franciſci de Paula Diffinitoris, & à ſancti Officij Inquiſitionis cenſuris Miniſtri.

SVpremo Regio mihi iubente Senato, attentè perluſtraui, & alta meditatione perpendi præclara *Commentaria Moralia in Euangelicam hiſtoriam, Auctore admodum Reuerendo Patre Didaco de Vaeza Societatis* IESV, *fauſta prole, Theologo inſigni*. Opus ſanè incredibili eruditione refertum, & improbo labore probè elaboratum, mihi viſum eſt, numeriſque abſolutiſſimum. In quo, nil mutandum, nil delendum, corrigendum, aut expoliendum nihil, & non cenſura, ſed laude dignum, omni dubio, omni aſſentatione procul iudicatur. Celſa illius, & plauſibilis doctrina, non modò ad vſum, cum magno diuini Verbi Præconum fructu, & emolumento ſufficiet, ſed in ſtuporem, in miraculum vſque procedet. Ea parte diuinæ ſcientiæ, quæ ad Scholas pertinet, adeò mirum in modum excellit Auctor, vt nec latum vnguem à Catholicæ veritatis, & pietatis via diuerſum abiiſſe conſpiciatur. In alterius Theologiæ, quæ expoſitiua eſt, peritia inſtructum, aſſiduáque lectione exercitatum, diutiúſque inſudaſſe, tot, támque maturi fructus palàm oſtendunt, quatenùs plenè ſublimiorem moralem interpretationem deſiderandam haud relinquunt. Etenim ſacro textu germanam, & ſubtilem explanationem adaptat, Tropologicum ſermonem, è ſanctorum, & priſcorum Patrum ſententiis decerptum cohærentem adducit, ita vt ſi cum antiquiorum labore, & induſtria, haſce tanti interpretis elucubrationes componas, illis ſuperioribus hunc neges inferiorem, qui veterum placita, tam concinno, & apto ordine connectit, vt vix agnoſcas, ſuis nedum alienis, & dum alienis, an ſuis verbis vtatur: ac inter præſentis ætatis Scriptores eximios, ipſum magnum fatearis. Ingenuè, & candidè dicam, quòd quoties hæc ſcripta in manus ſumpſi, non ſine admiratione depoſui. Viuat, valeat Auctor, ne in communem iacturam fiat, vt Venerem Coam, quam Apelles inchoauit, qui perficiat, inueniatur nemo. *Nimirum* (verba ſunt C.Plinij) *inuidit mors, peracta parte, nec qui ſuccederet operi, ad præſcripta lineamenta, inuentus eſt*. Hæc de operis nucleo pro dignitate pauca. De cortice pauciora. Verba ſingula, miram quandam grauitatem, & energiam præſeferunt. Abeat qui non deſiderans has cupedias, & lautias, dicat, *Vilius eſurio*. Cuius (inquam) fames, erga electiles cibos contenta ſit leuiori condimento. Satiùs ego: *Grammaticis placebunt, & ſine Grammaticis*. At ſeriùs cum D. Auguſt. id quod de ſacra pagina à ſuperno Spiritu, obſcuris velata ænigmatibus, reuelata: *Ad intellectum* (inquit) *à faſtidio reuocandum, cui facilè inueſtigata, plerumque vileſcunt*. Et alibi: *Sed hæc voluptas* (nempe quæ de eloquio Dei dulci ſuper mel capitur) *allegoricis tegminibus, inuoluta eſt, vt deſideretur ardentiùs, nudetúrque iucundiùs*. Tandem Scriba doctus noſter non tantùm de theſauro ſuo nobis profert noua, & vetera, ſed & theſauros locupletiſſimos, pleno de pectore, Marte proprio. Hi quando non abſconditi? Fodiat, qui inuenire cupiat, theſaurizabit, diteſcet multum, ditabit plurimos. Ita ſentio, cenſeo. In hoc Conuentu Deiparæ de Victoria Matritenſi, Ordinis Minorum S. P. N. Franciſci de Paula, die 15. Iunij, anno 1622.

Martialis lib. 7. epigr. 24.
Idem lib. 10. epigr. 21.
D. Auguſtin. lib. 1. de doctrin. Chriſt. cap. 6.

F. Gabriel Lopez.

PROVINCIALIS LICENTIA.

EGo Didacus de Soſſa Societatis IESV in Prouincia Caſtellæ Præpoſitus Prouincialis: poteſtate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre noſtro Mutio Vitelleſchi Præpoſito Generali, facultatem facio, vt Tomus ſecundus inſcriptus, *Commentaria Moralia in Euangelicam hiſtoriam*, Auctore Patre Didaco de Baëza, Ponferradienſi, noſtræ Societatis Theologo, & eiuſdem Societatis grauium, doctorúmque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas, dedimus Valliſoleti in noſtro D. Ambroſij Collegio, die ſeptima Februarij, anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quinto.

Didacus de Soſſa.

CENSVRA ET IVDICIVM R.P.F. LVCÆ MONTOIA,
Prædicatoris primi Conuentus Deiparæ Mariæ Victoriæ Curiæ Regis, ſacri Ordinis Minimorum S.P. Franciſci Paulæ.

COmmentariornm moralium in Euangelicam hiſtoriam, volumen ſecundum, nec à priori abſimile, profundis, nec infœcundis diſcuſſum conceptibus, ab egregio ſimul, ac pio viro Reuetendo P. Didaco Baëza Societatis IESV alumno benemerito, communi vtilitati apprimè elaboratum, Regij Senatus ſupremi iuſſu, diligenti recognitione perpendi: nihil ſanè in eo Catholicis dogmatibus diſſonum, integritatiue morum alienum offendi. Verùm vndequaque mirandum opus aureum, opere ſapphirino exornatum, re, verè, & nomine morale; opus, inquam, Doctoris eximij, vt eloquentia diſertiſſimi, eruditione integerrimi. Harum æternitati mandauit munus, depinxit miniſterium, eleganti calamo, penicillo ſubtili Chryſologus, dum his verbis, ſerm. 52. fatur: *Doctoris officium eſt, lecta differere, & myſticis obſerata ſenſibus, lucido aſtruere, & demonſtrare ſermone, ne minor intelligentia inde pernitiem generet auditori, vnde ſcientiam conferre debuit, & potuit ſalutarem.* Hæc ille. Aſt noſter author, veri docentis in ſemet ſcriptis adeò effigiem delineauit, vt ſi legas attente, nihil in elocutione inconcinnum, in ſcholaſticis apicibus debile, ſicut nec in ſacræ Scripturæ ocultioribus arcanis innotatum inuenias. Theſaurum ex viſceribus ſacrorum voluminum, ſanctorúmque Patrum enucleatum medullis profert, vt cœleſtibus locupletatum diuitiis, dapibus ſpiritualibus refertum, &, quod iucundius mihi, ab inanibus ſæcularium vertiginibus, & ſciolis criticorum alienum prorſus. Itaque Doctoritio obſequendo muneri, infinita ferè quæ percalluit in Patribus, ac è myſticis obſcurata ſenſibus ſacræ lectionis hauſit, lucido aſtruit, & demonſtrat ſermone, adeò felici genio vt nec perniciem addiſcendo timeas. nec aptiora ad venuſtandos mores pro ſuggeſtu deſideres. Hoc tanti Doctoris iudicium fecimus, cuius (faxit Optimus Deus) vlterius in dies progrediatur calamus, verùm interim præſens opus mandandum prælo, iure optimo, fore cenſeo, & ſubſcribo. Matrit. Kalendis Maij anno partus Virginei 1625.

Fr. Lucas Montoia.

FACVLTAS PROVINCIALIS.

EGo Gaſpar de Vegas Societatis IESV in Prouincia Caſtellæ Præpoſitus Prouincialis: poteſtate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre noſtro Mutio Vitelleſchi Præpoſito Generali, facultatem facio, vt Tomus tertius inſcriptus, *Commentaria moralia in Euangelicam hiſtoriam*, Authore Patre Didaco de Baëza Ponferradienſi, noſtræ Societatis Theologo, & eiuſdem Societatis grauium, doctorúmque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus Valliſoleti in noſtro Diui Ambroſij Collegio, die vigeſima prima Auguſti, anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſeptimo.

Gaſpar de Vegas Prouincialis.

APPROBATIO DOCTORIS PAVLI DE ZAMORA,
in Curia Regia Concionatoris, Rectoris S. Gyneſij, S. Officij Toletani Commiſſarij, Supremæ & ſanctæ Generalis Inquiſitionis Calificatoris.

COmmiſſione D. Licentiati D. Ioannis de Velaſco, & Azeuedo Sereniſſimi Ferdinandi Cardinalis Conſiliarij, & in Regia Curia Generalis Vicarij, vidi, perlegi Tomum tertium *Commentariorum moralium ſuper Euangelia*, Patris Didaci de Baëza Societatis IESV. Is vt video liber eſt, qui vel duorum ipſum præeuntium germana fide probetur Orbi, ſolo tempore alius, eiuſdem omnino ſyderis, & genij. Alliciant ſimul, vel nolentes, vel inuitos ad laudem ſui, adflarint credo innato ſplendore cuiuſlibet mentem, nec vlla adeò caliginoſa ſit, quæ tam luculentis pulcherrimarum rerum copiis relucetur. *Quemadmodum enim fax in illuni nocte apparens ſua ſponte oculos allicit, ſic virtus omnes homines illuminare apta nata eſt*, ſcripſit Pelufiota Epiſtolarum lib. 4. ſic inquam explicata per Doctores virtus & culta primum ſibi ipſis, & effuſa in orbem, vt colatur. Ergo quam Author dudum excolit, inſignibus affixa chartis cum ſua vndique decentiſſima laude, diuiditur virtus, blandiens animis in poſſeſſionem ſui, ita anxiè, ad viri doctrinam hiantibus viris, vt nec Typographis requies detur, nec detur requies Bibliopolis. Accenduntur face multiplici diuini Verbi Præcones ſub tanta commentariorum luce, & in æterni Numinis laudes coguntur. Nec in ſolos homines vim habet, feliciſſimè in libris hiſce affuſa varietas, & Angelos admiratione aſperſerit, moueat vel aſtra matutina, & filios Dei in Iubilum, ad libri voces ſuborta claritudo, eo penitus modo, quo excitatos in laudem ſenſit Baſilius Seleucor. 1. cùm adhuc in faſciis teneriore Orbe, non cœlum, non terra, ſed ſola lux ad vocem nata eſt, *cùm prima à Deo vox mittebatur, & lux naſcebatur.* Fœcundant libri mentes legentium, fœcundant audientium animos, fouéntque, *vt accenſi fide, perſiſtans, & operibus veritatis relucentes.* Et dum ad id lucernas ardentes habere iubemur, vt Tertull. 4. contra Marcionem, iubemur credo hiſce vacare Commentariis. Ergo vt rerum ornamentum lux eſt, dum ipſas aperit, & in proprio nitore manifeſtat, Authoris hæc præclariſſima ſcripta, quæ virtutem obiiciunt, & fidei reſerant ſacramenta, & ornamentum virtutis compellemus, & decus, plena voce. Vtque ſolem originem lucis æternum volumus, vt quotidiano ſplendore quæcumque cœlum tegit, ſuauiſſimè excitet, fouéatque velimus Authori ſæcula, vt hiſce indies lucubrationibus Eccleſiam foueat, excitet omnium ad pietatem mentes. Hoc volo, huic ſubſcribo. Matriti 15. Octobr. anno 1627.

Doctor Paulus Zamora.

LICENTIA PROVINCIALIS.

EGo Gaſpar de Vegas Societatis IESV, in Prouincia Caſtellæ Præpoſitus Prouincialis: poteſtate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre noſtro Mutio Vitelleſchi Præpoſito Generali, facultatem facio, vt Tomus quartus inſcriptus, *Commentaria moralia in Euangelicam hiſtoriam*, Authore Patre Didaco de Baëza Ponferradienſi, noſtræ Societatis Theologo, & eiuſdem Societatis grauium, doctorúmque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Valliſoleti, in noſtro D. Ignatij Collegio, die 13. Ianuarij, anno 1630.

Gaſpar de Vegas Prouincialis.

APPROBATIO.

Tomus iste quartus, cuius titolus est, *Commentaria moralia in Euangelicam historiam*, Authore Reuerendo Patre Didaco de Baeza, Societatis Iesv, de mandato supremi Senatus à me recognitus, nihil continet (quantum inuenire potui) fidei Catholicæ, aut bonis moribus aduersum: quin potiùs sicut & reliqua eiusdem authoris scripta, spirat pietatem non modicam, sapientiam, & eruditionem maximam. Vnde meritò in publicam vtilitatem lucem aspiciet. Matriti in Conuentu S.Philippi, die 4. Martij 1630.

Fr. Luisius Cabreras.

ALIA APPROBATIO.

Ex commissione Domini Licentiati Petri Ruiz del Moral, maximi Collegij S. Crucis purpurati, & apud Pintianos iuris Pontificij Antecessoris primarij, totius Diœcesis Vallisoletanæ Vicarij generalis, *Commentariorum moralium in Euangelia* Tomum quartum, elaboratum à magno concionatore, imò concionatorum magistro, Patre Didaco de Baëza Societatis Iesv, summa cum voluptate vidi, & perlegi; ea verò huiusmodi sunt, vt reliquis eiusdem authoris commentarioribus in lucem summa omnium gratulatione, & plausu editis consonent mentis acumine, solida doctrina, graui stilo, mira eruditione: in quibus quidquid vbique veteribus monumentis doctum serio studio percurrit; nec vllum indiscussum transit, nec res tantùm in indicem refert, sed & sententias, quidquid in figuris grande & vrbanum, quod pondus in sensibus, metaphoras nobiliores, verba denique singula illustriora alta mente perpendit. Calamo autem, & sapienti eloquentiæ mores, ac religio respondent, vt verè de authore pronuntiandum: *Beati, quibus concessum est scribere legenda; magis fauore scribenda; beatissimi, quibus vtrumque: vt tibi sermone pulchro vita sit pulchrior.* Dignum igitur arbitror opus, quod in publicam totius Ecclesiæ vtilitatem excudatur. In hoc maximo S.Crucis Cardinalis Hispaniæ æternaturi feliciter Domini, ac semper Domini mei Collegio, die 18. mensis Decembris, anno à partu sacro 1629.

Licentiatus Joannes Perez Delgado.

Facultas R.P. Prouincialis Societatis Iesv *in Prouincia Lugdunensi.*

Ego Stephanus Binetus Societatis Iesv, in Prouincia Lugdunensi Præpositus Prouincialis, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20 Decembris 1606 & Lvdovico XIII. nunc regnante 14. Februarij 1611. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab hominibus nostræ Societatis compositos, absque superiorum eius permissione excudant; permitto Iacobo Cardon Lugdunensi Bibliopolæ, vt opus quod inscribitur, R.P. Didaci de Baeza *Commentariorum in Euangelia* Tomi quatuor, ad sex proximos annos, excudere ac liberè diuendere possit. Datum Lugduni 29. Decembris 1630.

Stephanus Binetus.

APPROBATIO.

Ioannes Clavdivs de Ville, in sacra Theologia Magister, in Ecclesia S.Crucis Custos, & D. D. Alphonsi Lvdovici dv Plessis de Richeliev, Illustrissimi Cardinalis, ac Reuerendissimi Archiepiscopi Lugdunensis, Vicarius generalis substitutus: fidem facimus, visum à nobis opus inscriptum. R. P. Didaci de Baeza *Commentariorum in Euangelia* Tomi quatuor, nihilque in eo ab Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ fidei, sanctorúmque Patrum sana doctrina alienum contineri. Lugduni 18. Martij 1631.

DE VILLE.

CONSENSVS.

Didaci de Baeza S. I. Commentariorum in Euangelia Tomos quatuor typis mandari, & in lucem edi, sumptibus Iacobi Cardon Bibliopolæ Lugdunensis, ego Regis Consiliarius & Procurator in Lugdunensi Præfectura non impedio. Die 22. Martij 1631.

PVGET.

PERMISSIO.

Librum qui inscribitur, Didaci de Baeza S. I. Commentariorum in Euangelia Tomi quatuor, à Iacobo Cardon Bibliopola Lugdunensi in lucem edi permittimus, ac simul ne quis citra datam ei potestatem denuò excudat interdicimus. Datum Lugduni die 24. Martij 1631.

DE CHAPONAY.

INDEX

INDEX
LIBRORVM, ET CAPITVM.

LIBER PRIMVS.

De Iesu in terra parentibus.

CAP. I. IOSEPH Mariæ ſponſus. 1
2. Ioſeph peculiares virtates. 3
3. De Ioſeph vt Chriſti Domini parente. 8
4. De Mariæ Ieſu Matris conceptione. 10
5. De Mariæ Virginis natiuitate. 18
6. De B. Maria, vt trima à parentibus in templum aſportatur. 23
7. De Maria Virgine annuntiata. 27
8. De Maria Eliſabetham viſitante. 49
9. De Mariæ Deiparæ cantu apud Zachariæ domum. 55
10. De Maria prægnante, & partum expectante. 60
11. De purificatione Virginis Mariæ, eiúſque ad templum aduentu poſt partum. 63
12. De Maria iuxta crucem. 67
13. De Mariæ Virginis morte, reſurrectione, & glorioſa, & triumphali aſſumptione. 71

LIBER II.

De Christi Domini incunabulis, & pueritiæ annis.

CAP. I. De Verbi diuini in vterum virginalem deſcenſu. 77
2. De Chriſti Dom. temporali natiuitate. 78
3. De Angelis, & Paſtoribus Dei natalem celebrantibus. 85
4. De pueri diuini circunciſione. 92
5. De auguſtiſſimo nomine Ieſu in circumciſione exhibito. 95
6. De Ieſuitis, ſiue de Societate Ieſu viris. 99
7. De collectore, & fundatore Ieſuitarum B. Ignatio. 100
8. De Magorum adoratione. 107
9. De occurſu Domini, & Simeonis. 115
10. De Chriſto Dom. ad Ægyptum fugiente: déque innocentium puerorum ſtrage. 119
11. De puero Ieſu Hieroſolymis manente, inſciis parentibus, à quibus quæſitus, & inuentus eſt. 124

LIBER III.

De Christi Domini apud homines conuerſatione.

CAP. I. De Chriſto Domino à Ioanne baptizato. 130
2. De Chriſto Dom. in Eremo à Satana tentato. 135
3. De modo conuerſationis Chriſti, de eius doctrina, rebus geſtis, & miraculis in genere. 147
4. De Chriſti Dom. transfiguratione. 150
5. Triumphalis Chriſti Dom. ingreſſus in ciuitatem Hieroſolymitanam. 167
6. De Cœna vltima legali à Chriſto Dom. celebrata. 175
7. De his quæ poſt legalem cœnam, nimirum de pedum ablutione. 180
8. De Euchariſtia. 192
9. De proditoris inter epulas manifeſtatione. 211

LIBER IV.

De Dominica paſſione, ac ſepultura.

CAP. I. De horto. 216
2. De Caipha. 225
3. De Pilato Præſide Romano. 233
4. De iis quæ à Cruce exhibita. 249
5. De verbis à Chriſto Dom. factis, & aliis circa Crucem geſtis. 259
6. Lancea transfigitur, & ſepelitur Dominus. 274

LIBER V.

De glorioſæ reſurrectionis Domini myſterijs.

CAP. I. De Chriſto Domino reſurgente. 279
2. Chriſtus Dom. reſurgens Matri, & Magdalenæ apparet. 287
3. De eo quòd apparet diſcipulis euntibus in Emaus. 291
4. De apparitione facta diſcipulis congregatis ſine Thoma. 297
5. De apparitione facta diſcipulis cum Thoma. 302
6. De apparitione ad mare Tyberiadis. 305
7. De Chriſti Dom. aſcenſione mirabili. 310
8. De magnifico Ieſu dono, nimirum Spiritu ſancto. 316

9. De manifestato à Domino mysterio Trinitatis. 322

LIBER VI.

De Christi Domini miraculis.

CAP. I. Andreas, & Petrus, Ioannes & Iacobus vocantur. 331
2. Philippus, & Nathanaël vocantur. 343
3. De muliere Samaritana. 349
4. De vocatione adolescentis cuiusdam. 374
5. De Matthæo. 378
6. De Mariæ Magdalenæ conuersione. 386
7. De muliere Chananæa. 403
8. De Zachæo. 413

LIBER VII.

De dæmonibus expulsis.

CAP. I. De dæmoniaco in Synagoga curato. 420
2. De dæmonibus in porcos immissis. 426
3. De dæmonio muto. 434
4. De puero lunatico. 440

LIBER VIII.

De mortuis suscitatis.

CAP. I. De suscitata Archisynagogi filia. 448
2. De filio viduæ ad portam statim suscitato. 453
3. De Lazaro suscitato. 459

LIBER IX.

De paralyticis & leprosis curatis.

CAP. I. De paralytico per tegulas dimisso. 479
2. De paralytico ad piscinæ probaticæ ripas sanato. 486
3. De Centurionis seruo sanato. 501
4. De leproso mundato. 507
5. De decem leprosis à Christo Dom. sanatis. 510

LIBER X.

De cæcis & alijs morborum generibus.

CAP. I. De duobus cæcis illuminatis. 516
2. De cæco Betsaidita. 520
3. De cæco nato. 523
4. De cæco apud Iericho sanato. 535
5. De Reguli filio sanato. 539
6. De Petri socru sanata. 543
7. De sanata muliere à profluuio sanguine. 548
8. De manu arida sanata. 553
9. De surdo & muto sanato. 558
10. De muliere contracta. 562
11. De hydropico. 565

LIBER XI.

De potu, & victu, & alijs Iesu facinoribus.

CAP. I. De aqua in vinum conuersa. 570
2. De saturatis quinque millibus hominum. 578
3. De septem panum multiplicatione. 594
4. De piscium captura. 597
5. De sedata maris tempestate. 603
6. De Petro ambulante super vndas. 609
7. De eiectis à templo negotiatoribus. 616
8. De ficu arefacta. 625

LIBER XII.

De prædictionibus Iesu adimpletis.

CAP. I. De statere inueniendo in ore piscis. 626
2. De Magdalena prædicanda. 629
3. De suorum persecutione. 633
4. De signis euersionis Ierosolymæ. 639
5. De obsidione Ierosolymitana. 647
6. De templi Hierosolymitani prophanatione. 651
7. De Iesu morte prædicta. 656
8. De Iesu morte, & filiorum Zebedæi. 660
9. Sepultura Iesu prædicitur. 670

LOCI

LOCI COMMVNES.

Iuxta numerum paginarum, & paragraphorum.

A

Adolescens vocatur. 374,4
Adoratio Magorum. 107,8
Andreas, Petrus, Ioannes & Iacobus vocantur. 331,1
Apostoli persequuntur. 633,3
Apparitio Domini facta
- *Matri & Magdalenæ.* 287,1
- *Discipulis euntibus in Emaus.* 291,3
- *Discipulis congregatis sine Thoma.* 397,6
- *Cum Thoma.* 302,5
- *Ad mare Tyberiadis.* 305,6

Aqua in vinum conuertitur. 570,1
Archisynagogi filia suscitatur. 448,1
Ascensio Domini. 309,7

C

Cæcus
- *Apud Iericho.* 535,4
- *Bethsaidæ.* 520,2
- *Natus.* 523,3

Cæci duo vident. 516,5
Caiphas. 225,2
Centurionis seruus. 501,3
Chananæa trahitur. 403,7
Cœna vltima legalis à Christo Domino celebrata. 175,6
à Cruce exhibita. 249,4

D

Dæmon lunaticus expellitur. 440,4
Dæmones in porcos immittuntur. 326,2
Dæmonium mutum expellitur. 434,3
Dæmoniacus curatur in Synagoga. 420,1
Dæmoniaci duo curantur. 426,2

E

Eucharistia. 192,8

F

Ficus arefit. 623,8
Filius viduæ suscitatur. 453,2
Filij Zebedæi moriuntur. 660,8

H

Hortus. 216,1
Hydropicus curatur. 565,11

I

Iacobus vocatur. 331,1
Ierosolymæ euertendæ signa. 639,4
Iesuita. 99,1
Iesuitarum collector, & fundator B. Ignatius. 101,1

Iesus
- *In vterum virginalem descendit.* 77,1
- *Nascitur.* 78,2
- *Angelis, & pastoribus reuelatur.* 85,3
- *Circunciditur.* 92,4
- *A Magis adoratur.* 107,8
- *Fugit in Ægyptum.* 119,10
- *Hierosolymis manet.* 124,11
- *Baptizatur.* 130,1
- *In Eremo tentatur.* 135,2
- *Transfiguratur.* 160,4
- *Cœnat cum suis.* 175,6
- *Pedes Discipulorum lauat.* 180,7
- *Proditorem manifestat.* 111,9
- *Apud Caipham.* 225,2
- *Apud Pilatum.* 233,3
- *In Cruce.* 249,4
- *Lancea transfigitur, & sepelitur.* 274,6
- *Resurgit.* 279,1
- *Resurgens Matri, & Madalenæ apparet.* 287,2
- *Apparet Discipulis euntibus ad Emaus.* 291,3
- *Discipulis apparet sine Thoma.* 297,4
- *Apparet cum Thoma.* 302,5
- *In cælos ascendit.* 310,7
- *Mittit Spiritum sanctum.* 316,8
- *Prædicat mysterium Trinitatis.* 322,9

Iesu
- *Societas.* 99,6
- *Nomen circuncisione exhibitum.* 95,5
- *Et Simeonis occursus.* 115,6
- *Apud homines conuersatio.* 147,3
- *Doctrina, res gestæ, & miracula in genere.* ibid.
- *Triumphus Hierosolymæ.* 167,5
- *In Cruce verba.* 259,5
- *Apparitio ad mare Tyberiadis.* 305,6
- *Ascensio mirabilis.* 310,7
- *Mors.* 656,7
- *Sepultura.* 670,9

Iesu & filiorum Zebedæi mors. 600,8
B. Ignatius Societatis Iesu fundator. 100,7
Innocentium puerorum strages. 119,10
Ioannes vocatur. 331,1
Ioseph
- *Mariæ sponsus.* 1,1
- *Christi parens.* 8,3

Iosephi virtutes peculiares. 3,2

L

Lazarus suscitatur. 459,3
Leprosus curatur. 507,4
Leprosi decem mundantur. 510,5

M

Magdalena prædicanda. 629,1
Magorum adoratio. 107,8
Manifestatio proditoris inter epulas. 111,9
Manus arida. 553,8

Maria
- Concepta. 10,4
- Nata. 18,5
- In templo præsentata. 23,6
- Ab Angelo annuntiata. 27,7
- Prægnans, & expectans partum. 60,10

Maria Magdalena conuertitur. 386,6

Mariæ
- Ad Elisabeth visitatio. 49,8
- Cantus apud domum Zachariæ. 55,9
- Purificatio, & ad Templum aduentus post partum. 63,11
- Compassio iuxta Crucem. 67,12
- Mors, resurrectio, & gloria. 71,13

Matthæus vocatur. 378,5

Missio Spiritu sancti. 316,8

Mulier
- Contracta. 562,10
- Hæmorrhoissa. 548,7

Mutus, vide Surdus.

Mysterium Trinitatis prædicatum à Domino. 422,9

N

Nathanaël vocatur. 343,2

Negotiatores è templo eijciuntur. 616,7

O

Obsidio Ierosolymitana. 647,5

P

Panum multiplicatio. 594,3

Paralyticus
- In piscina sanatur. 486,2
- Per tegulas dimittitur. 479,1

Petrus
- Vocatur. 331,1
- Super vndas ambulat. 609,5

Petri socrus. 543,6

Philippus & Nathanaël vocantur. 343,2

Pilatus. 233,3

Proditor inter epulas manifestatur. 211,9

Pisces capiuntur. 597,4

Q

Quinque millia saturantur. 578,2

R

Reguli filius. 539,5

Resurrectio Domini. 279,1

S

Samaritana vocatur. 349,3

Sepultura Iesu. 670,9

Signa euertendæ Ierosolymæ. 639,4

Simeon Iesu occurrit. 115,9

Societatis Iesu
- Viri. 60,10
- Fundator B. Ignatius. 100,7

Spiritus sancti missio. 316,8

Stater inueniendus. 626,1

Surdus & mutus. 558,9

T

Tempestas sedatur. 603,5

Templi prophanatio. 651,6

Trinitatis mysterium à Christo Domino prædicatum. 322,9

V

Verba à Christo Domino facta, & alia circa Crucem gesta. 259,5

Z

Zachæus trahitur. 413,8

AD
CONCIONATORVM VSVM.

Dominica I. Aduentus.

Ex Lucæ cap. 21.

ERVNT *signa in Sole, & Luna,* &c. Creaturæ vniuersæ Deo seruiunt in peccatores. 88,11. In Sole, & Luna horrentia signa apparebunt, quia beneficia diuina de exigenda ratione sollicitant. 37,26. & metum incutiunt. 320,10. Creaturæ insensibiles nos docent satisfacere Deo. 415,6. Dolent non prodesse homini. 504,8. Dirè peccatores tractant. 470,26. Condemnant peccatores. 374,50. Futura mala solus peccator non præsentit. 649,5

Arescentibus hominibus præ timore & expectatione. Deploratus est ille, qui securè agit, cùm pro illo vniuersi timent. 179,9. Iudicij memoria & expectatio quàm efficax. 228,12. Solum extremum iudicium timendum. 443,10

Et tunc videbunt filium hominis, &c. Caro Christi Domini carnales condemnat. 157,13. Quàm timendus vt homo in iudicio. 248,40. Vox eius damnatis horrenda. ibid. Expendo adhuc illud: *Tunc videbunt*; & felices prædico illos, qui nunc eum sub miti specie vident. Hi tunc iudicij rigorem emollient. 113,17

Tunc videbitis filium hominis, &c. Christi aduentus ad iudicium timendus, & cauendus. 541,5

Tunc leuate capita vestra. Vt iusti leuantur timore iudicij ex Christo Domino. 316,15. Peccator solus caueat sibi à ministris iustitiæ. 628,6

Dominica II.

Matth. 11.

CVm *audisset Ioannes in vinculis opera Christi,* &c. Charissimi Deo ad laborum societatem admittuntur. 251,7. Labores vt tutantur iustos. 216,1. Nec minor quòd ad Ioannem vinctum operum Christi fama perueniat, quandoquidem homines afflicti, & laborantes Dei sedes sunt. 173,13. Laboribus ditantur Dei amasij. 446,12. Labores Christum halant. 460,3

Mittens duos ex Discipulis suis, ait illi: Tu es qui venturus es? Multi putant quòd Ioannes interrogauit, non de quocumque aduentu Christi, sed de aduentu per crucem. Felix igitur, qui crucem meminit Christi, is mortem ambibit. 272,35

Tu es qui venturus est, an alium expectamus. Expectatio, & sufferentia iusti duplicia bona parturit. 407,8

Cæci vident, claudi ambulant. &c. Beneficentia Iesu in homines eius diuinitatem prædicat. 498,27

Vide *Beneficentia.*

Illis autem abeuntibus, cœpit Iesus dicere ad turbas de Ioanne. Ioannes vinctus laudatur à Iesu; etenim labores, & pressuræ reddunt homines Deo conspicabiles. 167,1

Cœpit dicere de Ioanne, &c. Iesus longè superat laudatores suos laudum retributione. 505,10. Virtutes proximi pôderet Christianus, qui in defectibus cœcutiat. 424,8. Virtutes aliorum edíscendæ, vt similia adimpleas. 528,12

Hominem mollibus vestitum? Dedecent Ecclesiasticos viros vestes molles. 159,19. 240,20

Qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt. Cui non est pecuniæ copia, indecens, & suspectus ornatus. 67,12

Dominica III.

Ioann. 11.

MIserunt *Iudæi ab Hierosolymis Sacerdotes, & Leuitas ad Ioannem.* Diuinitatis iudicium dedit Ioannes hominibus contraria carnis persuadens. 111,12. Salutis suæ negotia quisque per se efficiat. 470,27. Nemini committendum. 529,14

Tu quis es? Mundus suos ignorat. 422,4. Iusti ab omnibus noti. ibid.

Quis es vt responsum demus, &c. Tot examina præmittunt, & quidem sanctitas cuiuscunque non leuiter acclamanda. 458,11

Et confessus est, & non negauit, quia non sum ego Christus, &c. Ne ames cæteris præferri. 242,23, 390,9

Quia non sum ego Christus, &c. Sanctorum excellentia est, se prædicare inferiores Iesu. 676,15

Propheta es tu? Non. Clarissimum Prophetæ nomen abiurat, non enim à titulis, & cognominibus, sed à vera virtute amat dignosci. 257,21

Ego vox clamantis in deserto: dirigite viam Domini. Quàm decet omnes, animorum saluti inuigilare. 263,9

Medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis. Iesus vt suas glorias abscondit manifestat passione. 43,42

Cuius ego non sum dignus, vt soluam eius corrigiam.

Vide *Humilitas.*

Dominica IV.

Luc. 3.

FActum *est verbum Domini ad Ioannem Zachariæ filium in deserto.* Hominum frequentiam fugiat, qui cœlesti luce perfundi cupit. 112,13. Ioannes pusio in deserto erat, quia Christi assecla in primis parentibus renuntiat. 342,27. Omnia mundi bona despicit, & cœlestibus viuit. 604,3

Procurante Pontio Pilato, &c. Miserum Ierosolymæ statum ostendit tot principibus externis numeratis, quandoquidem iudex alienigena suspectus.

Prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Pœnitentia non de leui satisfactione facienda. 275,5. Baptismi Christiani excellentia. 490,8. Pœnitentia, vt facienda, vide in Indice.

Sicut scriptum est: Vox clamantis in deserto: parate viam Domini. Suus quemque virtutis gradus decet intra sui status regulas; sicut in choro alius alta contendit voce iuxta numerum artis, sic alius habitus pœnitentem Heremitam, & alius Sacerdotem, alius coniugẽ. 319,16

Parate viam Domini, &c. Præparatio, quam necessaria, vt Deum habeas. 610,8

Omnis mons, & collis humiliabitur. Et videbit omnis caro salutare Dei. Humilitas compendium salutis. 186,14. Illuminat mentem. 191,24. Exaltat suos. 188,19

Omnis vallis implebitur, &c.

Vide *Humilitatis bonum,* &c.

Feria IV. Cinerum.

Genes. 3.

M*Emento homo quia puluis es*, &c. Mortis memoria efficax. 181,3. Habēda inter ipsas lætitias. 160,21 Mors ad peccatores festinat. 213,6. Intrepidè subeunda vt vincatur. 157,13. Vt est beneficium peccatoribus. 214,7. Vt virtutis præmium. 72,1. Post Christum ab omnibus sumitur. ibid. 2. Christi aduentu matura. 116, 3. Cognitio sui reddit hominem ad Dei maginem. 155, 9. Se inspiciat homo. 226,4. Mortis meditatio fidelissimus comes, & dux ad vitam instituēdam. 478,44. Mors qualis flenda. 4671,8. Ob oculos ponenda. 454,2. Iubemur illius recordari, quia periculum est ad illam venire ante actam pœnitentiam. 512. Gloriosum homini prædicari intra terminos suæ fragilitatis. 657,2. Eius remedium terrenam originem inspicere. 526,7. Ponitur etiam ob oculos puluis noster, vt humiliemur. Vide *Humilitas*. Ex humilitate illustrantur opera magna. 526,6. ideo ieiunis præmittitur cinis.

Ex Matth. 6. *Cum ieiunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes*, &c. De ieiunio pulchra. 136,4,5,6. In via virtutis, quàm fugiendi humani oculi. 155,10. 99,1. 43,43

Exterminant facies suas. Laborare vt à Deo deficias, quàm miserum. 262,26. In peccatorum viis crux est labor. 254,16. Pondus. 144,19

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, &c. Bona temporalia vacua. 39,32. Fugacia. 185,11. Permanentia nulla, nisi in Christo. 157,14

Item ex Matth. 9. *Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes*, &c. Ieiunium virtutum custos. 447,15. Quàm fugiendi labores, qui nullum fructum spiritualem afferunt. 406,7

Vt appareant hominibus, &c. Christi spiritus amat latebras. 549,3

Faciem tuam laua: ne videaris hominibus ieiunans, sed patri tuo. Si facies lauanda, cur aspergimur puluere? Potest ne facies puluere lauari? Equidem puluis turpat faciem respectu hominum, sed lauat respectu Dei, quandoquidem puluis humilitatis imaginem Dei, qua filii sumus, in nobis facit apparere. 656,1. & seq.

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, &c. Bona temporalia rapidissimè euanent. 488,5. Non nouerunt nobiscum esse, sed à nobis abire. 564,4

Feria V. Cinerum.

Matth. 8.

C*Vm introisset ad eum Centurio rogans*, &c. Vide lib. 9. cap. 3. per totum.

Feria VI. Cinerum.

Matth. 5.

E*Go autem dico vobis, diligite inimicos vestros.* A Christo Domino manauit amor in inimicos. 259,1. Christianus quasi ex iustitia tenetur parcere. 40,36. De inimicorum amore, vide verbum *Inimici*, verbum *Hostes*, vbi plura. Iesus est qui triumphum egit perfectissimæ charitatis dum inimicos docuit amare. 642,8

Benefacite his, qui oderunt vos. Inimicis benefaciens, eos expugnas. 102,5

Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedē habebitis? &c. Christiani supra legū præscripta debent. 332,2

Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos; vt sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est. Calumnias patienter tolerare, diuinæ virtutis est. 210,18

Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, &c. Vt latere debes in ipsa virtutum exhibitione, disce ex Iesu, qui dum facit beneficia, non patet obtutibus. 53,12. Occultanda opera bona. 517,3

Te autem faciente eleemosynam, Vide verbum, *Eleemosyna, Pauperes.*

Sabbato.

Marci 6.

E*Rat nauis in medio mari*, &c. De naui, & vita humana, & bonorum fugacitate. 597,1

Laborantes in remigando, erat enim ventus contrarius. Et circa quartam vigiliam venit ad eos ambulans super, &c. Oratio quàm firmet, & securos non reddat. 610,3. Peccatum grauat. ibid. 4. Virtus stabilis & firma, etiam super aquas, non sic vitium. 612,7

Et conturbati sunt. Quo citius finienda sunt mala, magis ingrauescunt. 611,5

Dominica I. Quadrag.

Matth. 4.

D*Vctus est Iesus in desertū à spiritu, vt tentaretur à diabolo.* Spiritus sanctus Iesum tentationibus offert, quia illas Deus strenuis hominibus propinat. 562,1

Accedens tentator, &c. Ter interrumpuntur tentationes Iesu, vt ostendat labores fidelibus diuisim, & per partes accidere, præmia non sic. 393,15. Post vocem Patris in Iordane accedit tentator, quia labor sequitur diuina beneficia. 350,2

Dic vt lapides isti, &c. Expende illud, *dic*, melius, & aptius posuisset, *fac*, filius enim Dei potius ex factis claret. 616,16

Non solum pane viuit homo, sed de omni verbo, &c. Verbo Christi homines ad ciuilem trahuntur. 479,1

Mitte te deorsum. Deorsum, non sursum aspicere suggerit, quia cœlestia nobis odiosa nititur facere. 44:,3

Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. Idololatria proxima est illis, qui creatos fauores spectant. 665,9.

Vide lib. 3. cap. 3. per totum.

Feria II. à Domin. I.

Matth. 25.

C*Vm venerit filius hominis in maiestate sua*, &c. Solum extremum iudicium timendum. 643,10. Felix, qui in se nouerit Dei iudicium præuenire. 601,11

Venite benedicti: esuriui enim, & dedistis mihi manducare. Iudicium cum misericordi non fiet. 555,5. Eleemosyna peccata iudici operit, & facilem salutem causat. 419, 15. Dei iram sedat. 552,6

Ite maledicti: esuriui enim, & non dedistis, &c. Nulla virtus, nulla religio placet Deo, quæ in humanitate, & misericordia fouetur. 555,4

In supplicium æternum, &c. Pœna venturi æui tota simul miseros diuexat. 493,16

Feria III. à Domin. I.

Matth. 21.

E*Iiciebat omnes ementes, & vendentes.* De hac historia vide lib. 11. cap. 7. per totum.

Feria IV. à Domin. I.

Matth. 12.

A*Ccesserunt ad Iesum Scribæ, & Pharisæi, dicentes: Magister, volumus à te signum videre.* Tarditas in obsequiis præstandis Principes, ac nobiles Iudæorum repellit. 91,18. Vanissimi homines petunt signa è cœlo, quæ sunt humilitatis fastidientes: Christianos autem decent signa humilitatis. 90,15. Voluntas propria semper sui ruinam petit. 161,23. Ecce hominum voluntates quàm longè à salute erant, dum signa aërea quærebant, vt vni voluntati Christi debeamus sui sanguinis effusionem. 184,10

Generatio mala, & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ. Passionis Christi efficacia

cia maxima, vt possit veram pœnitentiam persuadere. 290,9. Datur signum Ionæ submersi, hoc est, signum Iesu passi, vt persuadeatur salus vera acquirenda, non de leui diligentia, sed per ingentia mortificationis opera. 375,5. 300,9

Volumus à te signum videre. De hoc lib. 12. cap. 9. per totum.

Ecce mater tua, & fratres tui foris stant. Verbum diuinum cùm prædicatur, timeant qui abest. 223,9

Feria V. à Dom. I.

Matth. 15.

Ecce mulier Chananæa, &c. De hoc lib. 6. cap. 7. per totum.

Feria VI. à Dom. I.

Ioan. 5.

In hic iacebat multitudo magna languentium, expectantium aquæ motum. Non qui à leui aquæ aspersione, sed qui vera mortificatione carnis curari volunt, hi grati Deo. 275,5

Expectantium aquæ motum. Non festinandum tibi, vt labores excutias. 258,24. Sed Deus longanimiter expectandus. 293,7. Vide etiam verbum, *Expectatio.*

Qui prior descendebat in piscinam, sanus fiebat. Patet Angeli ministerium ex eo quòd vnus sanabatur, Deus enim citiùs pluribus, quàm vni beneficia largitur. 30,8, 212, 2. 302, 2. Vbi quàm fugienda singularitas in diuinis fauoribus procurandis.

Erat autem quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate sua.

Vide *Labores, Afflictiones.*

Hunc cùm vidisset Iesus. Laborantes oculis recreantur spectantium. 257,23

Dum venio enim ego, alius ante me descendit. Contentio, & æmulatio ad salutem præripiendam honesta. 285,18

Tolle grabatum. Bona temporalia vt grauent possessores suos. 113,18

Quis est ille homo qui dixit tibi, Tolle grabatum tuum, & ambula. Nil curant virtutes, sed eò spectant, quò aliquam speciem defectus possint prætendere. Quàm hoc malum, vide 482,6

Is autem qui sanus fuerat effectus, ne sciebat quis esset. Dominus solis amat sentiri beneficiis. 53,12

Ecce sanus factus es, iam noli peccare ne deterius tibi aliquid contingat. Peccata esse causas malorum nostrorum, cupit Deus vt sciamus. 264,11

Quia Iesus esset, qui fecit eum sanum. De hoc vide lib. 2. cap. 5. per plures paragraphos.

Est autem Ierosolymis probatica piscina. De hoc lib. 9. cap. 2. per totum.

Sabbatum.

Matth. 17.

Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius in montem excelsum, &c. Heroes Euangelici maiores vincant difficultates, montes superent. 453,1 Nunc ad montem, deinde ad Iesu gloriam, sic paulatim promouendi homines ad cœlestia. 489,8. A Iesu difficultates susceptæ amplectendæ. 465,15

Transfiguratus est ante eos. Gloriam transfigurationis suæ communicat Apostolis, quia nullum putat triumphum, nisi quando munera largitur. 446,14

Apparuerunt illis Moyses, & Elias, &c. Sanctorum excellentia ex eo, quod se summittant Iesu. 676,15

Faciamus hic tria, &c. Salutis negotia alij non committenda, sed quisque sua peragat. 470,27

Tibi vnum, Moysi vnum, &c. Salus communis pluribus, facilè obtinetur ex Deo. 608,12

Hic est filius meus, &c. Iesu omnium hominum filius habendus. 623,2

Ceciderunt in faciem, &c. Iesu bona importabilia. 246,6

Tetigit eos, & dixit eis: Surgite. Vel Iesu halitus sufficit, ad hominum vitam reparandam. 476,47

Neminem viderunt, nisi solum Iesum, &c. Iesum, qui videt, nequit immorari nequitiæ. 415,4. Omnium aliarum rerum iactura emendus. 667,16

Et descendentibus illis de monte, &c. Siue in ascensu, siue in descensu suis adest. 613,9

Vide *Cœlestis gloria, & cœlestis habitatio.*

Repete Euangelium præcedentis Sabbati.

Dominica II. Quadrag.

Vide lib. 3. cap. 4. per totum.

Feria II. à Dom. II.

Ioan. 8.

Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini. Non interrumpenda pœnitentia. 484,10. Pœnitentia sera. 490,9. Dum non inuenitur Iesus, non exuimus peccatum, quia sola fides potest pœnitentiam persuadere. 401,35

Quo ego vados, vos non potestis venire, &c. Sic quasi omnes salutis vias illis occlusas ostendit, quia propter ui in Iesu sola iræ signa habent. 674,10. A Iudæis non videtur Iesus, nisi lethalis. 623,15

Vos deorsum estis: ego de supernis sum, &c. Terreni homines Dei causam suspectam habent. 429,6

Vos de mundo, &c. Nil mundiale admittendum intra cordis affectus. 654,6

Principium, qui & loquor vobis. Et quidem is est Iesus, qui non dedignatur in colloquium admittere adeò indignos, quandoquidem nullis parcit impensis pro hominum salute. 539,1

Cùm exaltaueritis filium hominis, tunc credetis, &c. Passio Christi efficacissimum medium est, quo steriles animæ fœcundentur. 351,4

Feria III. à Dom. II.

Matth. 23.

Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi. Expende illud, *sederunt*, sunt enim, qui in officiis, & muneribus suam solam quietem, & honorem quærant, labores obligent. 336,11. Officium quodlibet ex Deo debet assumi. 374,1

Dicunt enim, & non faciunt. Magister prius in se exerceat, quod docet. 578,20

Omnia opera sua faciunt, vt videantur, &c. Opera virturis occultanda. 517,3

Amant autem primos recubitus, &c. Opera magna virtutum ex humilitate illustrantur. 457,8

Feria IV. à Dom. II.

Matth. 20.

Assumpsit duodecim Discipulos suos secretò, & ait illis: Ecce ascendimus Hierosolymam, & Filius hominis tradetur, &c. Quos publicè sustinere cupit conflictus, priùs domi in secreto meminit, vt discas secretò assuescere, tolerare mala, quæ postea in publico facilè vincas. 62,1. Malorum præmeditatio vtilissima. 143,19

Ecce ascendimus Ierosolymam, &c. De hoc vide lib. 12. cap. 8. per totum.

Et tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum: & tertia die resurget. Flagella in Iesu signa euidentissimæ charitatis. 244,18. Vbi de Iesu flagellis alia. Resurrectionis memoria facilè mors, & cruciatus vorantur. 281,6

Tunc accessit mater filiorum Zebedæi adorans, & petens, &c. Salus per mulieres etiam suspecta. 226,5. Vtrumque Dei latus malè petit, quia nemo debet sibi soli Dei bona præsumere. 108,3

Non est meum dare vobis. Non est boni Principis vni, aut duobus ditandis incumbere. 512,3. Imò Dei proprium est potiùs plurimis, quàm vni tribuere. 86,5

Et audientes decem, indignati sunt. Prælatio inter fratres odiosa. 289,9

Quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister. Minister Iesu est, qui scit humiliari, vt profit. 51,7

Vide *Humilitas*.

Feria V. à Dom. II.

Luc. 16.

HOmo quidam erat diues, &c. Etsi purpura indueretur, vocatur solum homo, non princeps; quia ille solus verus nobilitatis titulus, qui nec in morte exuendus. 501,1

Erat quidam mendicus nomine Lazarus, &c. Erat pauper ad ianuam diuitis, & non dicitur, peteret, quia non expectanda est petitio pauperis. 531,18

Sed & canes veniebant, &c. Pauperes periculosè ieiunant, vbi canes venatici saturantur. 554,3. Pauperum cura maior sit, quàm animalium. ibid. Pauperum sanguine aluntur Principes. 585,15

Vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis, &c. Mors iustorum secura. 676,13

Sepultus in inferno. Infernus quam terribilis. 431.12

Vt intingat extremum digiti sui. Et si hi, qui inferno cruciantur, leuari nequeant, tamen qui igne purgatorio torrentur, vel pusillis operibus viuentium leuantur. 403,1

Vt mittas in domum patris mei, habeo enim quinque fratres, &c. Non charitate in fratres, sed amore sui id petebat, quia diuites propinquorum accessu magis in inferno cruciantur. 597,2

Feria VI. à Dom. II.

Matth 21.

PLantauit vineam, & locauit eam agricolis, & peregrè profectus est. Deus laborem requirit nostrum, otium odit. 50,5. 305,2. In vinea & torculari passiones, & labores exprimuntur, quos reliquit Deus hominibus, vt firmissimas illorum custodias. 216,1. Ab his perfidis agricolis absentauit, & abscondit Dominus, ne citiùs in eius faciem sæuirent. 227,7. Vineam agricolis aptat Dominus, quia hominum viribus omnes labores commensurat. 570,41. Et quidem viribus attemperanda sunt negotia. 564,9

Iterum misit ad illos alios seruos plures prioribus. Vtinam ingens misisset supplicium, quia impunitas peccatorum pessima est. 183,8. Sed beneficia præstita ingratis pro summo supplicio sumuntur. 213,4

Nouissimè autem misit ad illos filium, &c. Ad reprobandos Iudæos, mittit Deus filium suum, illos sic honorans, quia nec reprobat seruum sine aliquo munere. 517,5

Eiecerunt extra vineam, & occiderunt. Iesus extra ciuitatem passus, vt suam iustitiam singularem ostenderet, quæ in parcendo consistit. 255,17

Quid faciet agricolis illis? Non exprimit eorum nomina, ne tu nominatim mordeas quos corrigere amas. 176,2

Auferetur à vobis regnum Dei. Occultissimum Dei iudicium in iustorum perditione. 215,9

Sepem circumdedit, &c. Manus diuina, vbi incipit benefacere, nescit contrahi donec in tuto nos asserat. 616,15

Cum autem tempus fructuum, &c. Intempestiuus virtutis fructus raro non reiicitur. 623,2

Verebuntur forsan, &c. Verecundia index est Christi animo inhabitantis. 416,7. Pudoris boni efficacia. 548,1. Pudoris fundamentum subuerti nequit. 432,13

Eiecerunt extra vineam, & occiderunt. Iudæi lege nutriti filium Dei occidunt, quia vbi quis in virtutis schola deficit, scelestiora audet. 621,12

Cum venerit ergo, &c. impunitas peccatorum timenda. 647,1

Malos malè perdet. Male perduntur, cum ex mille ærumnis nullam vtilitatem percipiunt. 406,7

Sabbatum à Dom. II.

Luc. 15.

HOmo quidam habet duos filios, &c. Liberum est tibi filium fieri cuiuslibet magni viri virtutum æmulatione. 506,11. Is degenerat à parentibus, qui parentum virtutibus non respondet. ibid. 12

Et congregatis omnibus, &c. *Dissipauit substantiam suam*, &c. Impios possessores fugiunt bona. 579,1

Adhæsit vni ciuium, &c. Crudelissimus tyrannus homo in homines. 634,4

Peccaui in cœlum, & coram te. Non explicat peccata, qualia fuerint, quia luxuriosa erant, & hæc minimè ob oculos ponenda. 391,11

Non sum dignus vocari filius, &c. Peccata maiora maior sequatur humilitas. 427,3

Accurrens cecidit, &c. Peccatores traxerunt Deum à cœlo in terram. 385,19. Pœnitentia oculos diuinos allicit. 347,9

Dixitque ei filius. &c. Nullum patronum, nullum aduocatum conuocat, quia vera pœnitentia non eget patrocinio apud Deum. 594,2

Afferte stolam primam. &c. Peccatum lacrymis ablutum, quasi numquam stetisset. 465,15

Adducite vitulum saginatum, &c. Totum sacri vituli epulum adduci iubet paratus pro vno homine impendere, quod pro omnibus. 358,18

Indignatus est autem, & noluit introire, &c.

Vide verbum *Inuidia*.

Dominica III.

Luc. 11.

ERat Iesus eiiciens dæmonium, & illud erat mutum. Diabolus semper studet hominibus officere, Deus prospicere. 140,12. 144,21

Vide de hac historia lib. 7. cap. 3. per totum.

Et cum eiecisset dæmonium, locutus est mutus. Confessio peccatorum necessaria. 163,10

Omne regnum in se diuisum desolabitur. Vnio quàm necessaria. 257,23

Cùm immundus spiritus, &c. Vitiorum immunditia incredibilis. 66,9

Inuenit eam scopis mundatam, & ornatam. Cultus, & ornatus corporis in pœnitente suspectus. 52,10

Feria II. à Dom. III.

Luc. 4.

QVanta audiuimus facta in Capharnaum, &c. Facilè mittit Dominus gratiam suam in subiectum aptum. 550,5

Fac & hic in patria tua. Non ex arbitratu humano, sed ex se oculatissimus est Iesus, vt videat motiua miserendi. 581,8

Nisi in Sarepta Sidoniæ ad mulierem viduam, &c. Israëlitæ viduæ relinquuntur, & assumitur vidua gentilis, quia hæc humanior; religio ipsa sine humanitate displicet Deo. 555,4

Nemo eorum mundatus est, nisi Nahaman, &c. Quia solus Nahamam per se ipsum arripit viam, & quærit salutem: etsi haberet famulos, & amicos plurimos, nulli

credit

credit negotium salutis, sed ipse perficit. 470,17.529,13. Et quidem, vbi adsit diligentia, non desperatur salus. 426,1

Et repleti sunt omnes ira, & surrexerunt, &c. Horum peccatorum summa miseria, qui in eos insurgunt, à quibus medelam possent sperare. 417,2

Feria III. à Dom. III.

Matth. 18.

Si peccauerit in te frater tuus, &c. Peccatis omnino carere non est huius temporis. 370,42

Vade, & corripe eum inter te, & ipse solum, &c. Proximorum peccata tegenda. 557,9. Et bene iubetur peccator corripi, quia virgæ subiacet, eo ipso quod peccator est. 443,7

Si autem non te audierit, adhibe tecum adhuc vnum, &c. Sic iubemur fratres peccatores persequi. Sed non est persequutio, quæ mores corrigit.

Dic Ecclesiæ. Monere iuberis, sed vbi monita non sufficiunt, & ad supplicium veniendum est, non iuberis castigare, sed ad legitimum iudicem referre. Nullo enim zeli prætextu castigabis peccata eorum, quæ sub tua potestate non sunt. 622,13

Sit tibi tanquam ethnicus, & publicanus. Peccatorum consortium fugiendum, nec enim illos Deus secum patitur. 653,4

Feria IV. à Dom. III.

Matth. 15.

Quare Discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? Proximorum errores, nec videndi, nec nuntiandi, sed virtutes. 182,6. Non probo inuidiosam accusationem de leui aquæ lotione, id tamen scio, quod in viris perfectis aliquando paruissimi defectus exitij periculum trahunt. 189,20. Proximorum virtutes videndæ, non vitia. 557,9. Peccatori nemo durior, quam alius peccator. 534,15. Zelus mordens bonos operarios suspectus. 553,5

Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Peccatores non decet alios accusare, sed sibi prospicere. Non fert Iesus, quòd sui mordeantur, vt qui sibi opprobria, & accusationes omnes præoccupauerat. 58,10

Quare & vos transgredimini, &c. Peccatorum intolerabilis error, peccata propria in se non videre, in aliis videre, & carpere. 428,5. Dum hi peccant in discipulos, peccata sua ob oculos diuinos ponunt; faciunt enim noua peccata, quod pristina in conspectu Dei renouentur. 671,4

Deus dixit: Honora patrem, & matrem. Pietas in parentes. 173,14

Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. Cor dandum Deo in primis. 189,21

Munus quodcumque est ex me, &c. Religio inhumana Deo odiosa. 555,4

Cor autem eorum longè est à me, &c. Opera à corde perfecto, vt placent Deo. 548,2. Cordis intima virtus Deo gratissima. 185,17. Cultor exterior sine interiori Deo abominabilis. 619,5

Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cœlestis, eradicabitur. In solo Deo firmitudo. 59,11. Opera ostenduntur qualia fuerint ex duratione. 632,8

Feria V. à Dom. III.

Luc. 4.

Intrauit in domum Simonis, &c. De historia socrus Petri, vide lib. 10. cap. 6. per totum.

Feria VI. à Dom. III.

Ioan. 4.

Hora erat quasi sexta. Venit mulier de Samaria haurire aquam. Quàm facilè inuenitur Deus ab his qui labori incumbunt, dum alij voluptati indulgent. 92,19

Venit Iesus in ciuitatem Samariæ, &c. De hac vide lib. 6. cap. 3. per totum.

Da mihi bibere. Post labores exantlatos, amplius Deus nostram salutem sitit, sic post fatigationem sitit Samaritanæ salutem. 269,27. Vt per potum aquæ frigidæ pauperi exhibitum sponsas suas explorat. ibid. 28

Discipuli autem abierant in ciuitatem, &c. Vt se accessibilem Deus præbet peccatoribus. 79,22

Quomodo tu Iudæus cùm sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? Ad indigentium subleuationem non distinguant Christiani inter Iudæos, & Græcos, domesticos, & extraneos. 237,11

Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. Dei guttula replet humana corda. 73,6

Vade, voca virum tuum, & veni huc. Vt pluribus proficit Christi gratia, sic libentiùs præstatur. 30,8

Domine, vt video, Propheta es tu. Patres nostri adorauerunt, &c. A Deo nihil sæculare petendum. 325,7

Ego sum qui loquor tecum. Iesus vt sese peccatoribus prodit. 396,14

Et mirabantur quia cum muliere loquebatur. Fœminarum colloquia vt cauenda. 48,56

Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abijt in ciuitatem, &c. Qui Deo implentur, amant anathema esse à Iesu pro fratribus. 111,11. Sic & mulier reliquit Christum, & abiit, &c.

Sabbatum à Dom. III.

Ioan. 8.

Et sedens docebat eos. Magistrorum disciplina parentum curas in filios superat. 441,2

Hæc mulier modo deprehensa est in adulterio. Lasciuiæ macula, quam pateat hostilibus incursibus. 432,13

Digito scribebat in terra. Ad hoc homines peccatores nihil loquens, se in terram inclinans, ostendens, quod eius verba facilius excipiantur ab insensibili creatura, quam à peccatore. 473,37

Qui sine peccato est vestrum, &c. Iudex impeccabilis sit. 558,10

Et remansit solus, & mulier, &c. Iesum qui secum habet, securus. 608,11. Iesus peccatores securos reddit. 503,4

Noli amplius peccare, &c. Reincidentia timenda. 531

Dominica IV.

Ioan. 6.

Abiit Iesus trans mare Galilææ, &c. De hoc vide lib. 11. cap. 2. per totum.

Sequebatur eum multitudo magna. Omnes hi erant è plebe: vnde ponderanda ratio, qua vulgus Iudæorum Deo fuerit acceptius. 91,18

Quia videbant signa magna quæ faciebat supra his qui infirmabantur. Miracula Domini salutaria. 149,4

Cùm subleuasset oculos Iesus, & vidisset quia multitudo maxima venit ad eum. Citiùs extorquentur diuini fauores, vbi à multis participandi sunt. 117,5. 86,5. 301,2. 312,2

Est puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces. Posset Deus sine his quinque panibus saturitatem tanti populi efficere, sed assumptis panibus his docuit quod homo faciat quod in se est, cætera Deo remittat. 142,18

Accepit ergo Iesus panes: & cùm gratias egisset, distribuit discumben

discumbentibus. Princeps non ad vnum solum, sed per omnes bona distribuat. 212,3. Sit benefactor. 178,7 Bona Dei præ manibus habentur, sed bona mundialium dominorum fugiunt è manibus. 185,11

Feria II. à Dom. IV.

Ioan. 2.

E*T inuenit in templo vendentes oues*, &c. Vide lib. 11. cap. 7. per totum.

Feria III. à Dom. IV.

Ioan. 7.

Q*Vomodo hic literas scit*, &c. Non nominant Iesum pessimi homines, quia Iesu nomen fœdas aufugit linguas. 350,15

Mea doctrina non est mea, sed eius, &c. Vbique modestissimus Iesus, & vanæ gloriæ osor. 484,11

Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, &c. Iesum percipit, qui plus amori, quam scientiæ incumbit. 421,7

Nónne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem? Quid me quæritis interficere? Quia legem Moysis non faciebant, ideò Iesum persequebantur: si enim legem facerent, Iesum amarent, vt qui lege custodiebatur. 344.2

Nolite iudicare secundum faciem. Iudicium nudam facti veritatem respiciat. 530,7

Feria IV. à Dom. IV.

Ioan. 9.

V*Idit hominem cæcum à natiuitate*, &c. Cæcitas mentis quàm damnosa. 215,10. Calamitates reddunt homines Deo conspicabiles. 167,2

De hoc vide lib. 10. cap. 3. per totum.

Neque hic peccauit, neque parentes eius, sed vt manifestentur operá Dei in illo. Homo laboribus, ærumnisque oppressus patentissima Dei sedes est. 173,13

Me oportet operari opera eius qui misit me. Nusquam destitit Dominus benefacere dum fuit in mundo, etiam sepultus. 277,9

Expuit in terram, & fecit lutum, &c. Humilitas illuminat mentem. 191,24. Per luti humilitatem Dominus deiecit regnum peccati, sed & nos etiam triumphabimus. 277,11. Lutum facit lumen oculorum, quia iusto viro etiam contraria famulantur. 178,6

Et abij, & laui, & vidi, &c. Summa Dei celeritas in præmiandis laborantibus. 115,2. Mundicies Christiana facilè obtinetur. 222,17

Scimus, quia hic est filius noster, &c. Felix filius qui sic viuit, ne damnari possit à parentibus, & maioribus suis. 163,30

Dixi vobis, & audistis: quid iterum vultis audire? Argumentis non turbāda quæ ad salutem spectant. 321,2

Si quis Dei cultor est. & voluntatem eius facit, hunc exaudit. Vt efficaciam sumit oratio ex operibus. 218,6. Benedixit, & voluntatem eius facit, quia obedientia omnes profectus dedicat. 128,12

Nisi esset hic à Deo, non posset facere quidquam. Res veræ à solo Deo. 57,7

Feria V. à Dom. IV.

Luc. 7.

I*Bat Iesus in ciuitatem, quæ vocatur Naam*, &c. De hoc vide lib. 8. cap. 2. per totum.

Feria VI. à Dom. IV.

Ioan. 11.

E*Cce quem amas, infirmatur.* Deus iustos viros accessu faciles reddit ærumnis. 100,5. In mortis tempore vnus Iesus quærendus. 295,12. Amicus Dei, eius infirmitates imitetur. 298,1, & 3

Erat quidem languens Lazarus, &c. De hoc vide lib. 8. cap. 3. per totum.

Lazarus mortuus est, & gaudeo, &c. Gaudet in amici morte, quia mors virtutis est præmium. 72,1. Et ab eius aduentu dulcis est, & matura. 116,4. Rursus vbi resurrectio speratur, totus mortis horror abiit. 184,14. Et mors ipsa fit expetibilis. 281.6. Item qui inuisibilia nouit bona, in quauis iactura lætus agit. 285,17

Sed nunc scio, quia quæcumque poposceris à Deo, dabit tibi Deus. Fiducia in Deum repulsæ nescia. 44,16

Credis hoc? Fides beneficia diuina præcedat. 304,6

Iesus ergo vt vidit eam plorantem. &c. Deus vt capitur lachrymis. 517,3

Ecce quomodo amabat eum. Amoris Christi erga homines efficacia. 182,5

Iesus ergo rursus fremens in semetipso. Iesus damnans quàm terribilis. 179,8

Tollite lapidem. Christus facilem salutem propinat. 186,14. Nulli creaturæ vim facit. 135,12

Voce magna clamauit: Lazare, veni foras & statim prodijt qui fuerat mortuus, ligatus manus, &c. Verbo Dei plenus nulla sentit ligamina. 223,19. Ad omnia audet. 131,3

Sabbatum à Dom. IV.

Ioan. 8.

Q*Vi sequitur me, non ambulat in tenebris*, &c. Sequela Dei hominis salutaris. 579,3. Peccatum nox est, & tenebræ, &c. 525,4

Ego non iudico quemquam, &c. Iesu humanitas misericordiam persuadet. 481,5

Iudicium meum verum est, quia solus non sum sed ego, & qui misit me pater, &c. Trinitas diuina veritatis aduocata. 531,17

Neque me scitis, neque patrem, &c. Cui deest Iesus, omnia bona desunt. 495,20

Dominica in Pass.

Ioan. 8.

Q*Vis ex vobis arguet me de peccato?* Iesus solus ante mortem canere potest victoriam. 251,8. Solus nullum laborem intulit Patri, quia nullum fecit peccatum. 163,29. Solus inter homines potuit viuere, absque eo quod contaminaretur labe. 123,11. 231,20. Vbi quàm solius Dei sit inter homines inculpabiliter degere.

Qui ex Deo est, verba Dei audit. Verbum Dei audiendum. 223,19

Samaritanus es. Non negat se Samaritanum, quia ipse verè custos hominum, in quo solo securi. 222,17. 276,7

Est qui quærat, & iudicet. Iudicij memoria efficax in peccatores. 218,12

Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est. Gloria vana fugienda propter Dei gloriam. 102,4

Exaltauit, vt videret diem meum: vidit, & gauisus est. Vera lætitia ex Iesu. 301,10

Tulerunt ergo lapides, &c. Cur non lapidibus, sed cruce mori voluit. 223.19

Vide verbum *Crux*, vbi de cruce plura.

Dominica V.

Ioan. 8.

Q*Vis ex vobis arguet me de peccato?* Iesu mundities summa. 508,3. Non aliud pro se adducit præconium, nisi quod careat peccato, quia vera laus in solis virtutis facinoribus consistit. 515,11

Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Meritò arguit

arguit impios, quod veritati obluctentur, quia veritas etiam inter pessimos homines solet habere patrocinium. 531,17

Samaritanus es, & daemonium habes. Contumeliosis verbis non respondere, quam salutare sit. 438,10, 606,7

Ego daemonium non habeo, &c. Imò Iesus semper daemonio exitialis. 434,1. Et valet pro vniuersis annis aduersus diabolum. 435,3. Et fugat vniuersas praesentias mali. 436,4

Numquid maior es patre nostro Abraham? Patriarchae vniuersi vilescunt ad Christi comparationem. 631,8. Virtutes humanae obscurantur in diuinarum conspectu. 587,19

Abraham exultauit, vt videret diem meum, &c. Summa sanctorum omnium altitudo, quod se Christo Domino inferiores recognoscant. 676,15

Feria II. à Dom. V.

Ioan. 7.

VT apprehenderunt Iesum, &c. Innocentia numquam non patitur mundi iras. 642,7

Adhuc modicum tempus vobiscum sum, &c. Breuissimum est tempus à Deo nobis oblatum, & incertum, nec moram admittit, qua tardemus ire ad Deum. 378, 7. Vnde periculosa est procrastinatio. 368,37. Si tamen per te non stet, Iesus in modico, & breui tempore salutem valet accusare. 529,14

Vbi ego sum vos non potestis venire. Dominus non patitur secum peccatores. 653,4

Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Nullus à Iesu discedit vacuus. 496,21. Festinissimus est in benefaciendo. 616,16

Feria III. à Dom. V.

Ioan. 4.

AMbulabat Iesus in Galilaeam, &c. Quam felices Galilaei, qui Iesum secum habebant, qui enim illum secum habent securi. 608,11

Nec fratres eius credebant in eum, &c. Quae à propinquis, & notis venit despectio, & persecutio grauissima est. 637,10

Tempus vestrum semper est paratum. Vt saluti tuae des operam, quodlibet tempus tibi tempestiuum est. 382, 11

Me autem odit, &c. Mundani homines Dei causam suspectam, & inuisam habent.

Non ascendam ad diem festum istum: quia tempus meum nondum impletum est. Solos festos dies sibi putat, in quibus hora patiendi pro hominibus est, quia labores mei causa susceptos pro quiete habet. 315,3. Et hominis salus ei festum agit. 497,15

Feria IV. in Pass.

Ioan. 10.

CIrcumierunt ergo eum Iudaei. Innocentia inter hostes secura. 242,22. Vbi multitudo est, vix error, & peccatum deficit. 412,3. Non quaeuis multitudo, sed multitudo poenitentium si adsit iuuat ad ieiunium. 430,10

Si tu es Christus, dic nobis palam. In malitiosis suis verbis ostendunt perfectum Christi asseclam, qui nil aliud optat, quam Christum videre. 541,6

Quousque animam nostram tollis? Hoc est, quousque suspensos angis, excrucias? Iesus enim semper impugnat malos. 118,7

Opera quae ego facio in nomine Patris mei, testimonium perhibent de me. Opera Christi eius diuinam filiationem manifestabant. 149,5. Filius Dei ex factis claret. 616, 16. Filij veri non tam in sanguinis propagatione, quam in aemulatione paternae virtutis. 420,16

Et cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam aeternam do eis, & non rapiet eas quisquam de manu mea. Ex eo quòd oues suas cognoscit, securitatem praedicat earum, quia oculi Dei firmitudinem conferunt in bono. 56,5. Quicumque Iesum nouerit, post eum abibit. 538,7. Nominis certa via in sequendo Deo. 579,3

Non rapiet eas quisquam de manu mea, &c. Christi dilecti nequeunt ab illo separari, & abduci. 641,9

Multa opera bona ostendi vobis ex Patre meo. Non solùm Pater coelestis, sed & pater terrenus Ioseph, Iesum ostendit vtilissimum hominibus. 9,3. Quamque vtilis, & proficuus fuerit nobis.

Vide in verbo, *Iesus Christus, Filius Dei.*

Beneficia Dei in homines ipso sole euidentiora. 331,2

Feria V. à Dom. V.

Luc. 7.

ROgabat Iesum quidam Pharisaeus. De hac historia vide lib. 7. cap. 6. per totum.

Feria VI. in Pass.

Ioan. 12.

COllegerunt Pontifices, & Pharisaei concilium aduersus Iesum. Tot impugnauit diabolus Iesum in deserto, nec ei quicquam mali inferre potuit, donec homines in illum coëgit, quia diaboli manus infirma, vbi homines non adiuuant. 224,20. Consilia impiorum non sumenda. 379,4. Consiliarij auaritia infecti cauendi. 585,14

Quid facimus; quia hic homo multa signa facit? Et signa noscunt, & dicunt hominem, vt ethnicam caecitatem ostenderent, qui ex virtutibus non praedicant Deum. 293,6. Cur potiùs non dicunt, quia Iesus multa signa facit? Sanè Iesus non tam inter signa, quàm inter profusos sanguines claret. 112,14. Vrgeo illud: *Quid facimus?* Etenim Iesus cohiberi non potest à salute causanda. 97,6

Hic homo multa signa facit, &c. Hominem vocant tantum benefactorem, prorsus caeci, qui Deum in beneficiis non vident. 514,9

Si dimittimus eum, venient Romani, & tollent locum nostrum. Signa beneficiorum, sanitates, & alia benignitatis opera contemnunt, metuentes amittere temporalia bona; sic auari homines opera benignitatis diuina minimè agnoscunt. 610,10. Christus, & lucri temporalis amor se mutuo expellunt. 602,14

Vos nescitis quicquam, &c. Merito ignorantiam vocat, quae solum spectabat conseruationem Ierosolymitanae Reipub. quia ignorantia humana nihil magnum spectare nouit. 659,7

Expedit vobis, vt vnus moriatur homo, &c. Id verum pronuntiabat Spiritus sanctus de Iesu morte, verum si mentem Cayphae spectemus falsissimum dicit, quandoquidem nulli bono viro expedit beneficium cum damno alterius. 457,9. 579,2

Et tollent nostrum locum, & gentem. Ob bonum temporale firmandum, Iesum persequuntur, rapiunt enim bona temporalia homines, à Deóque deficere faciunt. 145,23

Vnus autem ex his Cayphas nomine cùm esset Pontifex anni illius, dixit: Vos nescitis quicquam, nec cogitatis quia expedit vobis vt vnus homo moriatur, &c. In Caypha metuant peccatorum duces. 225,2. Illius fastus nota in illis; *vos nescitis quicquam*, & quidem periculosum est vni tibi scientiae claues attribuere. 321,12. De passionis Christi vtilitate, vide verbum *Passio*.

Sabbatum à Dom. V.

Ioan. 11.

Cogitauerunt Principes Sacerdotes, vt Lazarum interficerent. &c. Lazarum à Iesu suscitatum cogitant interficere hominum consilia, quæ vix sciunt non errare.

Quia multi propter illum abibunt, &c. Ideò interficere curant Lazarum, quia in causa erat, quod Iesum plures sequerentur. In quo est ponderandum inuidiæ malum. 556,7

Dominica in Ramis.

Matth. 21.

De hac Dominica agitur lib. 3. cap. 5. Similiter deinceps inuenies, quidquid ad Hebdomadam Passionis pertinet, tum de Resurrectionis, Ascensionis, Spiritus sancti, Aduentus, & B. Trinitatis mysteriis.

Dicite filiæ Sion, ecce Rex tuus. &c. Regis nomen hominibus salutaris. 348,10. Iesus Rex noster nos omnes Reges facit. 540,2

Venit tibi. Dei benignitas singulis hominibus sese communicare nititur. 332,2

Mansuetus, &c. Seueritas antiqua pari gratia in Christo compensatur. 595,5. Rigor noctem amat, benignitatis opera lucem. 332,3

Strauerunt vestimenta sua in via, &c. Iesus omnium bonorum iactura emendos. 667,16

Benedictus, qui venit in nomine Domini, &c. Iesu beneficentia in homines, eius diuinitatem prædicat. 499,29

Feria II. Hebdom. Maioris.

Ioan. 12.

Maria ergo accepit libram, &c. De hoc vide lib. 12. cap. 2. per totum.

Feria III. Hebdom. Maioris.

De lacrymis Iesu super Ierusalem habes in lib. 12. cap. 5. per totum.

Feria V. in Cœna Dom.

Ioan. 13.

Sciens Iesus, quia venit hora eius, &c. Merito horam passionis, horam suam vocat, quia id nostrum habemus, quod laboribus acquirimus. 492,14. Sic labores, & horas, & dies hominum constituunt. 595,4

Vt transeat ex hoc mundo ad Patrem, &c. Transitus ad patrem vocatur Christi mors, & non potius durissima passio, quia non censetur passio, nec tormentum, per quod pellitur peccatum.

In finem dilexit eos. Dilectionis diuinæ in nos triumphus tunc est, cum dona nobis Deus largitur. 446,14

Sciens, quia à Deo exiuit, &c. Humilitas proprium Dei facinus. 451,6. Omnia hominis decora confirmat. 526,6. Et merito tanta humilitate vtitur Iesus cum aduersus diabolum certamen init, quia humilitas detriumphat aëteas potestates. 411.17. Et nescit esse nisi contingenti diaboli ruina. ibid.

Non tantum pedes, sed & manus, &c. Obseruantia legum non dimidianda. 510,7. In paruis paramur ad magna. 549,4

Exemplum enim dedi vobis, &c.

Vide in indice *Exemplum.*

Feria VI. in Parasceue.

Passio Christi Domini efficacissimum omnium remedium est, quo steriles animæ fœcundentur 351, 4. Iesus pro vno solo homine impenderet, quod pro omnibus. 413,2. Eius passi exemplum maxime suorum leuat labores. 344.1. Nullis parcit impensis pro hominum salute. 539,1. Eum vt in mortem ire vident creaturæ se morti tradunt. 465,15. Cum frangitur dulcior. 510,1. Iesu mors potens, vt suorum animas excitet in vitam. 377,6

Dominica Resurrect.

De Christi rore omnia florent, & arentia hominum ossa conuertuntur in lingua paradisi. 487,4. Resurrectio carnis à limine Christianæ œconomiæ. 453,1. Resurrectio celerrima debetur ei, qui se conformat passioni Iesu. 66;,6. Resurrectionis memoria maximum solatium est in morte. 467,19. Resurrectio ab vno Iesu. 468,20

FINIS.

LIBER

LIBER PRIMVS,
QVI EST DE IESV IN TERRA PARENTIBVS.

MELLIFLVOS floridi Iesu dum lambo succos, vt reprobare malum, & eligere bonum sciam, quo mores componam mihi in primis accidit sugenda ipsa tanti floris radix, nimirum eiusdem terreni parentes. Etenim Iessæus hic flos Iesus, iuxta Isaiæ vaticinium, nil sibi propinquius ostendit, quam radicem; ait enim, *& flos ex radice eius ascendet*, ne roscido insistamus flori, quin radices illius exsugamus.

CAPVT I.

Ioseph Mariæ sponsus.

VERVM, sanctum, ratumque matrimonium Ioseph cum alma Virgine Maria, nemo iam potest inficiari, imo laudabit quisquis vtriusque pariles virtutes meditatur. Ambo Dauidis nobilitabantur sanguine, non gazis, paupere contenti penu, & habitu, qualis decebat fabrum. Ambo gratiosissimi Deo, summéque studiosi virtutis; virgineo flore præfulgebant ambo. Nullus in terra dignior Ioseph erat, cui crederetur virginitatis Marianæ thesaurus, quem ex oraculo Sacerdotum manibus ipse accepit, plurimísque vigiliis, obsequiis, & laboribus fuit tutatus.

Ex Matth. 1. Iacob genuit Ioseph virum Mariæ.

§. I.

Ioseph mira sublimitas ex coniugio Mariæ.

IOsephi virtutes maximas miratus Euangelista, notanter vocauit *virum Mariæ*, ne si tantum vocaret sponsum, crederetur ille non è terra ortus, sed e cælitibus fuisse dilapsus. Simile canit texens sacer Iob, cap. 1. vbi sic fatur: *Vir erat in terra Hus*, vir, inquam, erat. Et cur in primis vir vocatur? Pulchrè D. Chrysost. homil. 2. *Quoniam vitam narraturus erat nobis hominum supra modum vincentem, ne quis ad eius sublimitatem respiciens putaret, non humanam, sed peregrinam esse naturam, descripsit naturam, vt propositionem mireris, quod homo existens supra hominem viuendo conuersatus sit.* Hæc ille. Quæ maximè in rem præsentem quadrant: quandoquidem Ioseph in primis vocatur ab Euangelista Mariæ vir, ne quis ad coniugij sublimitatem respiciens putaret, Ioseph non humanam, sed peregrinam esse naturam. Sanè iam pridem purissima hæc virguncula in diuina sponsalitia seruabatur. Vnde D. Chrysol. serm. 140. hanc reddit rationem Angeli ad Mariam aduentantis, aiens, *Peruolat ad sponsam festinus interpres, vt à Dei sponsa humanæ desponsationis arceat, & suspendat affectum.* Itaque hoc erat in optatis Angelorum, vt Mariæ sponsus Deus esset; quasi tantam virginem dedeceret sponsus humanus. Hoc semper de Virgine Maria cautum est, ne inter res mundiales haberetur. Quapropter, cùm Ioannis custodiæ fuit tradita, dicitur, *& accepit eam discipulus in sua*, Ioannis cap. 19. Quæ verba eleganter premens D. Ambros. in exhort. ad Virg. inquit: *Quid est, in sua, cùm reliquerit patrem, & Christum secutus sit? Quæ sua habebat Ioannes, qui mundana, & sæcularia non habebat, quia de mundo non erat? Bonus verbi sapientiæq; possessor, bonus receptor gratiæ. Audite quæ Apostoli à Christo acceperunt; accipite, inquit, Spiritum sanctum. Neque enim mater Domini migraret, nisi ad possessionem gratiæ.* Et quidem meritò cauetur, ne tanta parens migret, nisi ad possessionem Spiritus sancti, nisi ad possessionem gratiæ, vt inde qui viderint Iosephum possessorem, & coniugem Mariæ, illum non humanæ, sed diuinæ superiorisque naturæ esse putarent; nisi ab Euangelista docerentur, qui ideò ait, *Ioseph virum Mariæ*, scribens naturam, vt propositionem mireris, quod homo existens, supra hominem conuersatus sit, & dignitatem Spiritui sancto similem accipiat. Enimuero Mater Domini Maria non migraret, nisi in possessionem gratiæ, nisi in possessorem illum, cui Spiritus sanctus insidens totam suam Deitatem inderet, & communicaret.

Iob 1. — Chrysost. — Chrysol. — Ioan. 19. — Ambros.

§. II.

Virginitas Mariana sub tanti viri potestate magis conspicua est, & illustris.

ORiebatur quondam Sol Dauidi, *tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Sed ecce à Dauide iam oritur Ioseph sponsus, tanquam Sol claritatis iubar vndequaque diffundens. Felix alter somniator Genes. 37. ait, *Vidi per somnium quasi Solem, & Lunam, & stellas adorare me.* Et vbi Sol adoraturus puerum descendit? Qua in domo Sol, Luna, & stellæ conueniunt aliquem adorare? D. Ambrosius lib. de Ioseph Patriarcha, cap. 2. *Quis est ille quem parentes, & fratres adorauerunt super terram; nisi solus Iesus, quando eum Ioseph, & Maria, & Discipuli adorauerunt? De quo solum dictum est, laudate eum Sol, & Luna, laudate eum omnes stellæ, & lumen.* Pulchrè Ambros. non inuenit in terra qui à parentibus adoretur, nisi Christus. Sed neque familiam, in qua sponsus esset Sol, Mater Luna, fratres stellæ nisi familiam, cuius inter Apostolos, & Mariam Ioseph sponsus aderat fulgentissimus.

Genes. 37. — Ambros.

Solemnissimum apud fœminas; cum marito velamen accipere; inde namque nubere dicuntur, quia velo obnubilabantur; & velari, & nubere, velatæ, & nuptæ eadem apud profanos, & sacros authores sonant, teste Tertulliano, ex quo non parua gloria aduenit diuino sponso Ioseph, qui non velum, non nubes, vt sponsam obnubilaret suis nuptiis, sed clarissimus Sol, qui eius limpidissimam vitam aperiret, & castitatem illustraret. *Arabiæ vxores*, inquit Tertullianus, lib. 6. de veland. virg. *velabantur, vt vno oculo liberato contentæ sint, dimidia potiùs frui luce, quàm totam faciem prostituere.* Felicior multò Maria, quæ inter omnes mulieres benedictionem accipiens, & hoc habuit, vt sponsum nacta tota radiantis luce Solis frueretur, & purior eius castitas appareret.

Tertull.

Fugiunt cæteræ virgines solem Daphnæo correptæ pudore; vt quæ à maritali consortio timeant virginitati suæ, ideóque sponsi conspectum non sustinent, nisi velatæ. Sic Rebecca honestissima puella Genes. 24. vers. 65. conspecto Isaac sponso, cucurrit ad velamen: *tollens citò pallium*, ait Tertullian. supra cap. 16. *Operuit se, tùm ad sponsum ignota*

Genes. 24. — Tertull.

ignota perduceretur; simul ipsum cognouit esse, & confessa est, quod senserat, id est, spiritu nupta negauit virginem velata. Siccine obscurantur puellæ vel solo sponsi conspectu? Aliter sponsus Ioseph, quem cùm duxit Maria, solem duxit adeò virtutis claritate perspicuum, & notum, vt æternæ in eius consortio consuleret virginitati, vt hoc sole genitricis Dei castus pudor & virgineus candor, magis ac magis innotesceret, canderet, ac purpurasceret. Qui carneus splendor vi solis exustus denigratur, & albentia lina, lanæque rubentes à solis radiis maiores indies glorias venantur, & pulchritudines. Nihil in Maria carnale, *byssus, & purpura indumentum eius*; cuius vterus ante filium conceptum, teste Hieronym. serm. de Assumpt. *Lana quidem candidissima; sed suo colore dealbata.* Vnde ab sponso Ioseph solaribus conuestito radiis in nouum splendorem, nouamque claritatem exsurgit Deiparæ virginitas, & manifestior apparet castitas. Sic August. serm. 14. de Natiuit. Christi. B. Ioseph placida lingua allambit. *Sic Mariæ sponsa Christi in carne sua virginitate seruata: sis autem, & tu (nempe Ioseph) pater Christi cura castitatis, & honorificentia virginitatis, vt de virgineis membris Dei genitricis sæculis Christianis nulla sit zelotypia.* Ecce ex August. Mariæ virginitas per sponsum illustrior, magnificentior, omnibusque sæculis clarior, vt vel sic imitetur candentius linum sub solis radiis. Accipit pulchrè Bernard. Ioseph nuptias cum Thomæ infidelitate componens, ne mireris coniugium lucem & splendorem perlubere almæ Deiparæ virginitati, cùm videas incredulitatem fieri aditū ad resurrectionis fidem. Accipe Bernard. verb. *Thomas dubitando, palpando constantissimus factus est, Dominicæ confessor resurrectionis; & Ioseph Mariam sibi desponsando, eiusque conuersationem tempore custodiæ studiosius comprobando, factus est pudicitiæ fidelissimus testis.* Pergat dulcis Doctor, nos sistamus, & miremur Iosephum nouum sponsum, nouumque solem non turpes illos Veneris, & Martis amplexus apud Diuos propalantem, testificantem, sed castissimæ fœminæ cum prole virgineo decori clarissimum & euidentissimum testimonium perhibentem. Ambros. lib. 2. in Lucam, cap. 1. *Locupletior testis pudoris maritus adhibetur, qui posset & dolere iniuriam, & vindicare opprobrium, si non agnosceret Sacramentum.* Pulchrum sanè coniugium, vbi marito sole sponsæ virginitas clarescit, & confirmatur.

Prou. 30. — Hieron. — August. — Bernard. — Ambros.

Non me adducere possum, vt negem nostro Ioseph celebre illud præconium, quo Moysis alterius Patriarchæ & laudes, & benedictionem decantauit. Deuteron. 33. *Benedictio illius, qui apparuit in rubo, veniat super caput Ioseph, & super verticem Nazaræi inter fratres, quasi primogeniti pulchritudo eius cornua Rhinocerotis, vel (vt Sept.) Monocerotis cornua eius.* Accipite in primis illud: *Benedictio illius, qui apparuit in rubo veniat super caput Ioseph.* Et in memoriam vocate rubum illum, & radiante flamma vestitum, & mediis flammis viridantem, smaragdinisque foliis aureum decus à flammis accipientem. Quid tunc? *rubus ardens, incombustus conseruatam agnouimus tuam virginitatem*, Ecclesia canit, vt quæ inter sponsalitium Spiritus sancti, & fœtum, Deiparam Virginem virgineæ palmæ addentem pulchritudinem, & virorem adstupet. Contemplator hic adest Bernard. rubum in flammis viridem ad Mariæ cum Verbo coniugium transferens sermo de verbis Apostoli. *Magna (ait) planè visio, rubus ardens sine combustione; magnum signum, mulier illæsa manens, amicta Sole, non est rubi natura opertum vndique flammis minimè, nihilominus incombustum, non mulieris potentiæ, vt sustineat Solis amictum; sed Spiritus sanctus, inquit, superueniet in te.* Quibus verbis id intendit Bernard. vt duobus miraculis, vnum Mariæ Christiferum coniugium reddat mirandum. In quo videas à rubo virgineæ carnis, seu fragili fœmina ardentes coniugis, & partus sustineri faces, flammantique soli virginem nubi, nec comburi, nec nigrari, sed virginitatem amplius pulchrescere inde & condecorari. Quod singulare prodigium accidit, Spiritu sancto maritante; etenim vbi sponsus spiritus noui coniugii leges æmulatur, quo diuini Spiritus stemmate Iosephus in primis insignitur, quando eius nuptiis virginitas Mariæ illustratur.

Deut. 33. — Bernard.

§. III.

Ioseph præ omnibus alijs virginei sponsi ideis correspondit.

PErgit Moses, *& super verticem Nazaræi inter fratres suos*, cùm Nazaræum inter fratres audio, puto virum insignem à multitudine segregatum, à cæteris hominibus discretum, præ omnibúsque electum. Is erat Mariæ Ioseph sponsus Nazaræus inter fratres, selectus inter homines. Huc spectat (ni fallor) illa ab sponso Cant. 5. interrogatio. *Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum, qualis est dilectus tuus ex dilecto?* Etenim cùm duo sponsi virginis innotescerent, Spiritus sanctus alter & mirabilis, alter Ioseph primi æmulator, crediderim hic Mariam interrogari de secundo sponso Ioseph, an primo correspondeat, an in ea illuminanda instar diuini Spiritus se habeat? *Qualis dilectus tuus ex dilecto?* vel aliter, & melius, & magis ad rem præsentem. Audientes cæteræ virgines Mariæ sponsum omnibus præferri, rationem prælationis cupiunt indagare sciscitantes, *Qualis dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum?* hoc est, quid habet præ aliis, quæ nos habemus, qua dote egregius? *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus.* Quicunque sponsi fuere, si cum Ioseph Mariæ sponso componantur, sunt numeri, ipse ipse vnicè sponsus Mariæ quæsitus ex pene infinita hominum multitudine selectus & segregatus, *quem*, inquit Bernard. *tanquam alterum Dauid Dominus inuenit secundum cor suum, cui totum committeret secretissimum atque sacratissimum sui cordis arcanum.* Quæ verba vt examinentur, accipite Chrysost. homil. de Dauid, & Goliath, vbi expendens illud, *Inueni Dauid filium Iesse, ait, quærendo indicari Deum primo singulos homines, ac diuersos attigisse, examinasse cunctos: plurimósque præuidisse, ex quorum numero eligeret Regem, inuenisse tandem Dauid, cuius meritum transire non potuit.* Hinc claret quanti faciat Iosephum Bernard. vtpote qui contendit illum instar Dauidis fuisse quæsitum, & inuentum à Deo. Præuidit equidem Deus cunctos homines, præuidit singulos & examinauit, quis clarum Mariam familiæ tenere posset, & recensitis omnibus ab Adam, vnius Ioseph meritum transire non potuit, vnus inter omnes Mariam sponsi ideæ diuinæ correspondit. Sic Metaphrastes. *Inuentus est itaque Ioseph, qualem quærebat ratio ex eadem tribu, ex qua erat virgo.* Expende illud, *qualem ratio quærebat.* Nam apud Cassiodorum lib. 4. epist. 2. Theodoricus Rex Gothorum præponit filios adoptiuos naturalibus, *quia*, inquit, *ignaui esse non possunt, quos iudicia pepererunt.* Quis ergo Ioseph, quem ipsa diuina ratio designauit, elegit?

Cant. 5. — Homil. 1. de B. Virg. — Chrysost. — Orat. de educ. Mariæ, & ortu Christi. — Cassiodor.

§. IV.

Ioseph salutis nostræ fontes ostendit omnibus accessibiles.

HÆret tandem Moyses in Ioseph laudibus iuxta LXX. *cornua Monocerotis cornua eius*, ne quid laudibus virginis sponsi deesse videatur. Etenim omnibus nota est illa Monocerotis natura, qua primus ad fontes accedit, & immerso cornu venena fugat, salubres aquas ostendit, quibus post illum cætera animantia implentur. Ecce vobis in Monocerotis cornu Iosephi virtutem expressam, qui sitientibus cunctis, arente terra, fontesque viuidos suspirante, primus ad vitæ riuos Mariam, & Iesum accessit, vitalique humore ibi madidus & immersus salutem halantia æquora demonstrauit, vt vel sic appareant *cornua Monocerotis cornua eius.* Quid ni? Ipse primus venenati fontis scaturiginem venenatam in se fugauit, dum peccati fomitem extinctum habuit. Quod tradit Parisiensis Cancellarius, ipse serpentem Leuiathan virginibus insidiantem, vt ab eo tolleret diuinitatis partum, & fefellit, & profligauit. *Castissimi enim Ioseph desponsatio*, ait Damascenus, *custodia virginis erat, & virgines obseruantis depulsio*; quasi dicat; vafer ille, & astutus serpens in virginea terra nouam aliam in paradisum plantandam, nouum fontem erupturum, ex tunc obseruat virgines omnes, nitens turpare cunctas, ne limpidissimus fons scaturiret: attamen affuit diuinus sponsus Ioseph Mariæ, & virgineæ telluris paradisus spirantis custos, coniugii specie, veneniferum serpentem depulit, viuentis aquæ fontes ostendit Mariam, & Christum. Quorum imbibens primus virtutes, & gratiarum dona, facilem & securum ad illas mundo reliquit aditum. Non longè abest D. Bernard. serm. 1. super *Missus est*, quin nouerit hanc in Iosepho Monocerotis naturam, dum præferens illum Iosepho Patriarchæ sic inquit, *Ille frumentum seruauit, non sibi, sed omni populo: iste panem viuum è cælo seruandum accepit tam sibi, quàm toti mundo.* Imò ideò toti mundo seruauit vitalem escam, quia

Damasc. lib. 4 c. 15. — Bernard.

quia prius ipse accepit sibi, quia primo ipse satur & expletus ostendit mundo. Vnde securè iam poterat exsaturari, omni venenati fontis metu depulso. O quam lætabatur fidus iste mysticus Monoceros, cùm à se limpidissimum diuinitatis fontem ad cunctos alios homines cernebat dimanare. Ioann. 2. Apud Cana Ioan. 2. aquam Iesu virtute in vinum commutatam, dum conuiuis propinabant ministri, quanta Maxim. id faciebant lætitia, testis est D. Maxim. serm. 1. de Epiphan. vbi sic. *Obstupuit ergo minister attonitus, quia aquas miserat, & vina sumebat, lætatusque nimium, illa se suis humeris fluenta portasse, per quæ Dei esset gloria reuelata.* Quàm lætaretur Ioseph, cùm inter brachia videret fontem illum salutis, per quem & patris gloria, & totius generis humani incolumitas sperabatur.

CAPVT II.

Ioseph peculiares virtutes.

SVNT qui ex Iosephi facto, qui Mariam dimittere volebat, non iustitiæ strictè sumptæ zelum, sed eius singulares virtutes alias enumerent. Item alij, relictis cæteris virtutibus, iustitiæ zelum in viro iusto maximè exaggerant. De singulis dum integra loca apud Maldonatum, Salmeronem, & Barradas legas, nonnulla ego in præsenti elucidabo.

Matth. 1. Ioseph autem vir eius cùm esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.

§. I.

Imperfectus timor à Ioseph abfuit.

DVm piam illorum mentem veneror, qui Iosephi reuerentiam erga Deum exaggerant, quod ignarus mysterij in vtero Mariæ Spiritus sancti virtute elaborati, ab illa voluit discedere; metuo, ne alij hunc inopinatum discessum humilitati viri iusti tribuentes, in tanto viro ingerant suspicionem abiecti animi, non equidem generat humilitas pusillanimitatem, nec perfecta reuerentia facit rusticitatem. Vtriusque nota inureretur Ioseph, si à Deiparæ obsequio, & diuino consortio se nimis humilis, & timoratus abdicaret. Humilis sanè Abraham, & adeò hu-Genes. 18. milis, vt se cinerem confiteatur. Attamen *cum sim puluis,* inquit, *& cinis loquar ad Dominum*, & si Petrus dicebat, Luc. 5. *Recede à me Domine, quia homo peccator sum*, tamen, erat *pa-*Luc. 20. *ratus & in carcerem, & in mortem ire*, illum sequuturus. Centurio exiguitatis suæ conscientiam demonstrauit, Domini magnitudinem speculatus; at non se fugæ dedit, vt poterat, nec accedente Domino ad domum ipse vel abesse, vel ostium claudere meditatur. Illhæc facerent virgines illæ fatuæ, quæ domo exulantes priuatæ præsentia sponsi, venientis æternam lacrymantur viduitatem. Sanctus ille Bernard. vir orabat Psalm. 26. *Domine, ne declines in ira à seruo tuo.* O diuinum timorem, quo Deum etiam iratum a se declina-August. re metuebat. *Quid times*, ait Augustinus, *ne declinet in ira? Si à te declinauerit in ira, non in te vindicabit; si inclinauerit in illum iratum, vindicabit in te: opta ergo potius, vt declinet à te in ira, non decedat; quid voluit enim? quid desiderat? ira eius non est nisi auersio tua.* Equidem dum adest Deus, non debet esse timori, etiam diuina ira, vnum solum timendum, & deplorandum malum ne Deus absit, nec ab eius præsentia excidamus. Hinc dæmones de tormētis silentes, de absentia Iesu miserè queruntur, flentes, Luc. 4. *Quid nobis & tibi Iesu?* Noranter dicunt, quid nobis deinde addunt, & tibi, quasi suum necessarium exilium, vastissimamque intercapedinem Tertull. à Iesu lacrymantur. Quod acutè notat Tertull. lib. 4. in Marc. vbi ait: *Non dixit, quid tibi & nobis sed, quid nobis & tibi, se deplorans, & sorti suæ exprobrans.* Nimirum sorti suæ exprobrat, cuius erat nullum cùm Iesu habere consortium, ab illóque longissimè abesse.

Vrgent aliqui, vt fugam Iosephi à timore profectam laudent, vrgent inquam, illud iam suprà allatum, nempè Petrum timentem, & se à Deo arcentem, *recede à me Domi-*Chrysol. *ne*; sed audiant D. Petrum Chrysolog. serm. 147. de hoc timore Petri ratiocinantem. *Petrus quoque ait, Dominicæ virtutis timore turbatus, Christum vt à se discederet, supplicabat, discede*, inquit, *à me, quia homo peccator sum; hoc dicebat, quia quicquid amoris & fidei erat, pondus pauoris extinxerat; sic timor, nisi fuerit amore temperatus, quamuis deuotam seruitutem efficit contumacem.* Sic Chrysol. inter aurea multa, quibus hunc timorem exsufflat à viri perfecti animis. Quis iam audeat sic meticulosum Ioseph efformare animum, vt fugiat ab illius consortio & obsequio, ad quod mille periculis fuerat euolandum? Ea est reuerentia, ea est humilitas, is bonus timor, qui obsequium sponsæ tunc maximè egenti, & ipsi nato Deo negare machinatur? Crediderim viri iusti nil tale in mentem aduenisse: quid iustus timeret vbi notat, nil peti, quàm obsequium pietatis, & omnia Dei effusa ardere charitate? Memini Iordanis ripis ex- Matth. 3. ceptum Dominum, vt baptismum acciperet à Ioanne, à cœlesti patre fuisse prædicatum. Alto intonuit cœlum clamore, perstrepunt æthera voce patris boant, stant pauidæ fluminis aquæ, conteremiscunt turbæ Iudæorum. Quid tunc Ioannes? de illo sic Chrysol. serm. 5. de Epiphan. in- Chrysol. quit: *Inter hæc tamen talia ac tanta intrepidus stat Ioannes, quia timere non potest, qui totus ad Dei amorem natus Angelico testimonio comprobatur.* Natus Ioseph totus ad Dei amorem, diuinisque totus charitatis facibus concrematus, timori succumbere non potest, imò intrepidus diuinæ adstaret maiestati.

Dices ergo, si reuerentia, si timor à tanta maiestate profectus, si humilitas non impulerunt Ioseph ad fugam meditandam, impulit necne zelotypia, inuenta vxore prægnante? Absit: egregiè auctor imperfecti, *possibilius*, ait, In Matth. *esse credebat Ioseph, mulierem sine viro non posse concipere,* cap. 1. oper. *quàm Mariam posse peccare.* Nec Deus, qui Mariano nomi- Christi. ni, & pudori consulens, teste Ambrosio, illam matrimonio ornauit, ne prægnans malè audiret apud extraneos, permitteret eius famam apud sponsum virum pudicum periclitari.

Sed age subiiciam caysam meditatæ fugæ, vt viro iusto dignam, & Patrum testimoniis inter se collatis, examinatis, expensis, magis consentanea. Admiratus Ioseph sponsæ vterum plenum, nesciens mysterij, nil de experta pudicitia & explorata voluit suspicari; hæsit suspensus animo, magnum quid expectans euenturum: sed vt erat iustus de se timens, ne continuò & quotidiano conspectu vteri in dies crescentis aliquid liceret humano affectui, & animo anxio contra famam, & intemeratam pudicitiam Mariæ id præcauens periculum, statuit se fugæ dare. Siccine sapiens timet & declinat à malo, Prouerb. 14. In dissimili periculo Prou. 14. similem notauit cautelam D. Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 62. in mundiali Principe, de quo, inquit, *Lectione didici, Regem quemdam, cùm Ephesiam Sacerdotem & tam incredibili, & singulari pulchritudine erat, conspexisset, statim ex Ephesina vrbe digressum esse: illud videlicet metuentem, ne præter voluntatem, nefarij aliquid admittere cogeretur.* Ecce tibi, vt Rex hic à pulchritudine, Iosephi Regibus clarior sibi à suspicione cauit.

§. II.

Sanctissimus Iosephi timor fuit.

DE singulare huius sanctissimi timoris exemplum in viro religione & pietate insigni Abraham; qui filium vt Domino libaret, etsi libenti & inuicto animo se deuouentem, nihilominus fortiter, cautéque ligauit. Nil no- Genes. 22. tius patri, quam filij sui alacrius, & deuota voluntas, qua se morti tradebat. Nil patentius, quam eiusdem constans, & inuictus animus: credibilius hebetandam ignis, & gladij aciem, quam Isaac animum fugiturum; & tamen filium ligat. Nec mirum. *Ratio enim ligandi* (ait Caietanus) Caietan. *non fuit timor, ne Isaac fugeret, aut ne Isaac exiliret ab altari; sed ne in voluntarij motus, vtpote naturales in actu iugulationis existerent ordinatum, compositumque situm exturbarent in non illam inde reddam sacrificij.* Sic Caietanus, & rectè. Illustrius adhuc D. Zeno. *Securus pater optimus timuit, ne* Zeno. *dolori aliquid liceret in morte.* Sæpè inuicti animi, imò & mœnia ænea medio in ariete, vel rimulas faciunt, & durus lapis crebra gutta cauatur. Securum Iosephi pectus de Mariæ pudicitia, fortè in eiusdem castitate tutanda sollicitum, & deuotum ad obsequendum pungebat, passim tumentis vteri conspectus quotidianus; & nescio quid doloris raptim infundebat. Timet sapiens & iustus Ioseph, ne affectibus inuoluntarius, ne dolori liceat aliquid in

in nonnullam indecentiam exploratæ diuinæ sponsæ castitatis, & vt sapiens timet, sic tentat à malo declinare, quo eius fides apparet admiranda. Apostolorum apex, viso Christo Domino ad littus, audet se credere fluctuanti
Matth. 14. mari, Matth. 14. E[illegible] dum paucos gradus facit, dum mergi incipit, a Domino clamat liberari. Quæ ista mutatio? Vnde tibi timor, ò bone Petre? Nónne Dominus ad lat? vbi Do-
Maxim. minus de quo times? Pulcre D. Max. in præsenti fatetur. *Vere Beat[illegible] tre, & dum trepidat mirabil[illegible] [illegible] quam [illegible] peruigentis [illegible] riculi potuit turbare [illegible] mido, clamando enim me-gitur, Domine libera me, de se diffisus est, non de Domino dubitauit.* Siccine Diui Iosephi fides dum trepidat, mirabilis? Planè eius mirabilis fides, quam non turbat peruigentis periculi conspectus, qua de se diffidens, de Maria non dubitauit.

Mirabar aliquando seruos a Iob laudatos, cap. 29. *Si quando [illegible] ad eos, non credebant mihi.* Sed longe maius mirum mihi iniecit D. Greg. hæc verba [illegible] Christi Domini ore existimans prolata. O nouum apud fideles genus laudis! nil peius, nil indignius, quam non credere Deo? & Deo ridenti, qui non credunt, serui laudantur. *Redemptori nostro,*
Gregor. ait Greg. *quasi arridenti non credimus, dum multis iam eius mo[illegible] testa[illegible]tionis, & gratiam fauoris eius accipimus, & tamen adhuc [illegible] eius iudicio de nostra infirmitate titubamus.* Is sanè Deo gratissimus seruorum est timor, qui propriæ hærens infirmitati, quæcunque de Deo testimonia, quamcunque certitudinem, quamcunque diuinæ amicitiæ exhibitionem comitatur. *Sic Paulus,* pergit Greg. *iam paradisi verba audierat, & nihilominus metebat, castigo corpus meum, ne [illegible] se rep[illegible] us effic[illegible] ar.* Tam dignam putabant sancti gloriam omni labore omni conamine & contentione animi [illegible] medijs parentibus testimoniis de habenda felicitate adhuc timidi & pauidi de sua infirmitate sabebant. Quo maximè clar[illegible] Iosephi iustissimi, & sanctissimi viri [illegible]mus hoc [illegible]ncissimo de se timore informata, & eiusdem in Dei genitricem obseruantia singularis.

§. III.

Beatus Ioseph rigorosæ iustitiæ metam obseruauit.

Esto virginea pudicitia criminis rea Iosephi obiiceretur [illegible], ipse tamen cum esset iustus noluit eam traducere & publicare, sed occul[illegible] dimittere eam. Etenim is perfect[illegible] & rigorosè iustus dicitur, qui mitiorem corrigendi modum exquirit, docetque [illegible] non ita debiti fundamento iustitiam emici, vt se [illegible]mor[illegible] tueatur, neque eam arctis cancellis inter [illegible] simul concordi vinculo & misericordiam & mansuetudinem non admittat. De iustissimo omnium iudice di[illegible] Isaia cap. 12. [illegible] *accipiet p[illegible]nam:* nil in iudice strictius quàm non accipere personam; sed mitiori quo fieri potest modo illa
Isa. 42.
curat obliterare. Primus [illegible]om[illegible] *audiuit vocem Dei am-*
Genes. 2.
Ambros. *bu[illegible] ad a[illegible] post me[illegible].* Quod attingens D. Ambr. in Psal. 38. putat, *D[illegible] ad [illegible]* *ram quando iam vmbræ longiores erant.* Vnde Procop. ait,
Procop. *Peccatum hominis [illegible] aliis Deus.* Proh immensa Dei misericordia! [illegible] Sic humanorum sceler[illegible] vindex & pœnas ab homine peccatore iustissimus exigit & nihilominus non in lucem protrahit, non publicat peccata. Hæc mihi cogitanti multa subit memoria [illegible] illius spiritus quo ardebat [illegible] cuius perpetua cura, intentio, solicitudo illa erat [illegible]catores [illegible] punire [illegible] inuentos diras illis [illegible] æstuantes imprecando. Volu[illegible] ho[illegible] eum hunc errorem depellere, & quasi in imagine ostendere, quam longo sp[illegible] à diuinæ iustitiæ norma separatur. Tr[illegible] obducitur cælum nube [illegible] fremunt ventorum [illegible] tempestas tecta prosternens, segetes proterens, [illegible] radicitus euellens. Placeat, placeat [illegible] El[illegible] qui [illegible] tuo maximè similis & cohærens, sed videt quod non in eo Dominus. Æstuat ignis vorago [illegible] crescunt flammæ, & immensum ignis flumen inde emittitur consumens quicquid viride germinarat. Ah, q[illegible] mite ista Eliæ placuere. Fuamit i[illegible], & post ignem [illegible] *ta-tenuis.* aura quædam leni[illegible] suc[illegible] flatus & placidus susurrus, *& ibi Deus.* vbi diuini lenitatem spiritus cognouit. Origenes legit [illegible] mine summo mysterio atque recondito Chaldæus dixit [illegible] *canentis [illegible]* [illegible] cuncte cognoscere quonam erga peccatores spiritu Deus habeatur, illud vnum sciant nulla ratione vociferatorem & Stentorem, vt aiunt,

culparum esse. Imò potius vocem quandam suauissimam illorum, qui in silentio vocem emittu[illegible] [illegible]latur. Sed quid sib[illegible] vult [illegible] [illegible] Videtur enim in terminis implicatio. Rem explicen[illegible] [illegible] sunt in intimis penetralibus Principis ante vltimum cubiculum, quo ille iacet, peritissimi musici, quando ille quiescit vbi nec quisquam mussitare, imò nec respirare audet, tota domus silentio immergitur, maxime contubernia regio cubiculo; in hac ergo tanta taciturnitate intendunt musici versus, voces & modos experiri, vt vbi primum expergiscatur suauissima melodia [illegible]iant. Incipiunt ergo, concinunt; quid tunc emittunt altiores voces? Apage, voce summissima rem agunt, ita vt [illegible] ab aliquo percipiatur, & quin aliquis sonet vehementius, nihilominus summa dexteritate nec minimum artis apicem prætermittunt. Et hoc est quodammodo in silentio canere, numerum nullum relinquere quamuis altissimum, suppressa nihilominus voce, & vix etiam e labiis emissa. Et hic spiritus diuinæ maxime [illegible] consentaneus, in quo Deus tanquam in proprio domicilio inhabitat. Vnde eleganter
Diuus [illegible] de Regno loquitur. Neque enim Deus Synes.
quasi in scena [illegible] ipsum ostentans aut prodigiis monstrisve eductis, *sed [illegible] quadam vna grauitate [illegible] iustè humanitas [illegible] modo Regem [illegible] omnibus bonum, neque [illegible] esse debet.* Hæc ille de iusto Rege ad Dei exemplum composito. Itaque vox sit canentium in silentio, ea scilicet dexteritate iudex polleat, vt sanctissimas leges obseruans & pertingens ipsarum apices, lenitatis & benignitatis non obli[illegible]catur. Huc spectat
Chrysol. serm. [illegible]. Iosephi in dimittenda vxore iustitiam Chrysol.
& pietatem exaggerans fatus. *Ioseph merito iustus quia pius dum pietatem cogitat, [illegible] dum [illegible] tempe[illegible] iudicium [illegible].* Ecce vt in silentio canit custodiens sanctum iudicium, & nihilominus temperans causam traducere nolens vxorem, sed occulte cupiens tantum dimittere.

§. IV.

Perfectus iudex priùs mansuetudinem, deinde rigorem exerceat.

PVlcre cum Ioseph esset iustus, noluit vxorem statim traducere, iustitiæ enim & seueritatis est mansuetudo comes necessaria. Quod in Prorege illo Ægypti meditatus Moyses fecit verba data sup. ex Deuteron. 33. & iterum in nostri Iosephi laudem examinanda. [illegible] Deut. 33.
ait, *qui ap[illegible] in rubo, veniat sup[illegible] caput Ioseph.* Non alia benedictio, non alius mos decet hominem principem, qui in benedictio illius, qui apparuit in rubo huius condolem ebibant quicumque hominum gubernatores [illegible] sunt. Ignis in rubo iudicem inter spinosos peccatores agebat. O magnam visionem! Ignis rubo adhæret, & rubus viret [illegible] igne. Iud[illegible] agit, & adhuc minimè caduc[illegible] vllus [illegible] August. quæst. [illegible] August.
veteris testam. [illegible] Legislatorum est iuri que prudentius non p[illegible]ndo sed parcendo intimum principat[illegible] au[illegible] : imo lex ipsa priùs mansuetu[illegible] fuerit, at qui d[illegible] seueritate gloriatur iustitiæ, p[illegible] man[illegible] Regi omnium creaturarum & [illegible] maximo Iesu apud Thabor duo latrones adstiterunt Moyses & Elias: [illegible] habes Matth. 17. [illegible] Matth. 17.
[illegible] quibus perf[illegible] ostentabantur insignia. Sed illud notandum, quod Moyses mansuetudine clarus ponitur primo [illegible] optimum gubernatorem, &
principem [illegible] D. Petrus [illegible]niacens. serm. de Pet. Clun.
[illegible] Duo [illegible] patres, alter mi[illegible] in Domino. Quare? quia [illegible] miserator [illegible] iustus Dominus [illegible] misericordem, iustu[illegible] [illegible] Moysem [illegible] deinde de [illegible] seueritate [illegible] iustitiæ duritiem mansuetudine [illegible] iuxta [illegible] & præstantissimi gubernatoris [illegible] dolem. [illegible] D. Cyrill. Ale- Cyrill.
xandr. [illegible] ad Theodosium [illegible] Principis animum ad Alex.
parcendum reis flectit, dum suggerit hæc: *D[illegible] supremas excellentias, vt serena sint & placido animo,* ne irarum agitentur furiis,

furiis, ſed inter furorem & ſeueritatem, manſuetudinem beneficiorum cumulatricem exhibeant. Nunquam Deus Opt.Max. ſeuerior apparuit mundo, quàm in articulo diei illius, quo vniuerſam terram cruento immerſit diluuio. O quàm dura tunc & acris diuina iuſtitia! Sed miraberis, quod iuſtitia ſæuitura in mundum expectauit veris tempora, quando campi replebantur vbertate, quando fœtæ oues ſuos magis delectabant paſtores. Quæ huius rei cauſa? Nimirum, vt terræ fructus omnes teſtarentur ſummi iudicis præmiſſam manſuetudinem, & beneficentiam, qui tunc ſolum deſæuit, cùm priùs ampliſſimum gratiarum ſinum prætenderit. Ita D.Ambroſ.lib.de Noe,c.14. *Tunc vltio terribilior tanquam dicentis Dei. Ecce omnia ſecundum diuinæ prouidentiæ gratiam diues natura generauit, omnia in vſu hominum germinauit terra fœcundior: ſegetes expectantur, tritico, & hordeo campi replentur; comæ arborum veniunt fructus flores vestiuntur, non deeſt terra obſequiis ſuis, non beſtiæ deſunt muneribus ſuis, quæ ſolennes ſoluuntur in partus, vt hominis nihil deſit.* Hæc ſunt diuinæ iuſtitiæ inſignia, hi ſummi iudicis laterones fidiſſimi, nimirum beneficia, & ingentes in homines miſericordiæ permiſſæ. Non antea cataractas cœli ſeuerus peccatorum vltor aperuit, quàm gratiarum vniuerſos fontes præmitteret, quæ iuſtiſſimum teſtarentur iudicem, qui poſt manſuetudinis exhibitionem, poſt miſericordias multas, reorum pertinaciam caſtigat. Quando, vt bene notat in Ambroſ.
Chryſol. præſenti D.Ioſephi facto D.Chryſ.ſerm.145. *Virtutes ſi ſeparatæ fuerint, dilabuntur, æquitas ſine bonitate ſæuitia eſt, & iuſtitia ſine pietate crudelitas. Ioſeph ergo merito iuſtus, quia pius, & pius, quia iuſtus.* Hæc ille.

§. V.

D.Ioſeph factus eſt Mariæ quaſi in Deum.

O Miram D.Ioſephi virtutem! ſponſam, & cognatam meditatur fugere, & dum ſponſi, & cognati declinat ſeruitium, fit quaſi Deus Mariæ. Etenim ſic Deo canit Eccleſia, *Deus, cuius proprium eſt miſereri ſemper & parcere, &c.* inſinuans, quòd ſolus Deus ſciat parcere, non creatura, non cognatus, non ſponſus, non pater amantiſſimo filio. Quis magis pater, quam Abraham Iſaaco & charo, & vnico ſenectutis filio? Hunc tamen iugulaturus gladium pater exerit; ſed perimendus a patre liberatur à Deo filius. Vbi
Zeno. pulchrè D.Zeno, ſerm.3. & notanter dixit: *Religioſus carnifex ſtringit gladium, patris erat, quod leuauit, Dei fuit, quod pepercit.* Si Iſaacum religatum ad necem viderem, cuius miniſtrum noſcerem patrem, crederem abſque dubio futurum, quòd pater parceret tanto filio. Sed nullius creaturæ eſt tantum parcendi munus, non cognati, non ſponſi, non patris, imo patris erat quòd leuauit gladium ad necem, ſed vnius Dei fuit quòd pepercit, cuius eſt miſereri ſemper & parcere, nec facile admittit creaturas in conſortium talis muneris. Nonne primus Iſraëlitarum Rex Saul malè apud Deum audiuit, ex quo ſuo arbitratui parcendi munus commiſit? Ecce vbi notatur Saulis crimen ob quod regno
1.Reg.15. exuitur 1.Reg.15. *& pepercit Saul, & populus Agag.* De quo
Ioſeph. verba faciens Ioſephus lib.6.de antiq.cap.7.inquit. *Seruare Agag decreuit, idque non ex Dei ſententia, ſed victus affectu proprio, inconceſſam miſerandi licentiam ſuo periculo ſibi vſurpant.* Vide modò ſanctiſſimi Ioſephi incredibilem virtutem, vt parcat Mariæ, refugere nititur cognati & ſponſi ſeruitium, imò hominis refugit indolem, & quaſi in Deum factus eſt ſuſpectæ virgini. Non equidem negabo, ſanctiſſime Ioſeph, te in vteri virginalis ſuſpicionem nonnullam inicidiſſe, quia inde tuas virtutes video aſcendere in ſortem
Luc.9. diuinam. Simon ille apud Lucam cap 9. vt vidit ſaluatorem inclinari miſericorditer in mulierem peccatricem aiebat intra ſe. *Hic ſi eſſet Propheta, non ſineret hanc mulierem tangere.* Cui ab ore Domini argutè ſatis reſpondet D.
Laurent. Nouar. Laur. Nouar. hom. de Pœnit. *Iuſtigium iudicas, ô Phariſæe me ſuſpicere mulierem fornicariam lacrymarum fontibus mundantem, ſed facis hoc quaſi incredulus Phariſæus dum non vis me eſſe, quod credere Deum.* Planè, non poterat culpari Chriſtum Dominum, quod fauerit peccatrici, niſi animo hæretico illius erroris pleno, quo non crederet, Chriſtum eſſe Deum. Qui illi eripere volebat diuinitatem, eius carpebat in peccatricem humanitatem, quandoquidem Dei ſolius erat, quòd parceret. Abſit à me tantum piaculum, vt hanc diuinam ſortem inuideam ſanctiſſimo Ioſepho, quem cùm video erga ſuſpectam vxorem affici, illum vltra hominem exaltari & quaſi in Deum Mariæ puto datum.

§. VI.

Chriſtianus homo quaſi ex iuſtitia tenetur parcere.

VRgeo adhuc D.Ioſephi iuſtitiam ab Euangeliſta notatam, quando vxori ſuſpectæ nititur parcere, ait enim textus, Ioſephus cum eſſet iuſtus, *& nollet eam traducere,* &c. Equidem, qui in Chriſtiana familia agebat caput, ex iuſto & æquo tenebatur iniurianti parcere, quandoquidem ex eo maximam gloriam reportaret. Ecce Iob cap.7. Iob 7.
perſonam viri iniurij agens qualiter conueniat Deum inquiens. *Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam?* Non aliter expoſtulare poſſet, ſi illi remiſſio ex iuſtitia deberetur: quod expendens D.Cyrill.Alexand. Apol. ad Theodoſium ſic ait. *Dicet ad hoc quiſquam, quid igitur, ô generoſiſſime athletarum! criminis ne loco Deo impingis, quod eius, qui deliquit, non miſeretur? culpáſne legiſlatorem, quòd peccatorum meminit? etiam,* inquit, *qui enim miſereri conſueuit, nec vulgarem ex eo gloriam habet, ob quam cauſam cum talis ſit, non & mei rationem habet?* Vbi enim Deus ex eo quod miſeretur & parcit, ingentem ſibi gloriam venatur, id iuris acquirunt in eum rei ipſi quo Deum de venia expoſtulant, & quaſi iudicio ſiſtant. Et ſimiliter Chriſtiani homines, quia tunc glorioſiores ſibi effingunt coronas, celebrioriſque nominis decus acquirunt, quùm iniuriantibus parcunt, quaſi ex iuſto & æquo tenentur veniam largiri iniurianti. Proinde iuſtus Ioſeph iuſtitiæ ſatisfaciens ſeſe ad parcendum accingebat, & etiam ſuſpectæ vxoris incolumitatem meditabatur. Neſcio, an hoc ſuboluerat D. Chryſol. qui ſerm. 71. incidit in illud Dominicæ Chryſol.
orationis, nimirum, *dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Vbi non qualemcumque à Deo miſericordiam exquirimus; ſed eam quæ humanæ miſericordiæ teneat modum. Etenim diuina miſericordia liberrima eſt, nullaque neceſſitate poteſt cogi, nulliſque debiti cancellis obſtringi: hanc adeò liberam miſericordiam iubemur deprecari & illam exquirere, quæ humanior ſit, & ſeſe ex æquo & iuſto obſtringi ſinat. Id quod exprimit illa particula, *ſicut & nos dimittimus:* quam expendens Matth.6.
præfatus Chryſol.ait. *Homo penes te eſt poteſtas veniæ, in te eſt indulgentiæ ius:* quaſi indulgentia ab homine exhibita in aliquo iure fundetur, & dari ab homine veniam iniurianti, ſit quaſi ius ſuum illi retribui.

Cyrill. Alex.

§. VII.

Iuſtitiæ culmen attingis, ſi Deum zelotypiæ præferas.

SÆpe aliàs de Ioſeph egerunt ſacri Scriptores ſine titulo, ſine honorifico eum epitheto nominantes; nunc primùm iuſtum audio, nunc primùm titulo inſignitur ſanctitatis. An quia zelotypiam nouit poſtponere pietati? Iam dicam, ſi priùs pondero illud Oſeæ 10. vbi ſic habes, Oſeæ 10.
ex diebus Gabaa peccauit Iſraël, ibi ſteterunt. Multa patrarat facinora, imò ſcelera Iſraël per omne tempus; ſed nunquam ſic peccator apparuit Deo, vt ex diebus Gabaa. Sed Iſraëlitæ in Gabaa potiùs videntur infandum ſcelus vindicaſſe. Nota enim eſt apud libros Iudicum hiſtoria, quando Gabaonitæ vxorem hoſpitis Leuites deturpàuerunt, & turpi luxuriæ mole oppreſſerunt. Quod ſcelus vt Iſraël vindicaret, de Dei Opt.Max, oraculo arma ſumpſit, & poſt conſertas manus ſemel & bis iniquo Marte tandem flagitioſam gentem vaſtauit. Cur ergo ex tunc dicitur Iſraël peccaſſe Domino, & non ex vitulo adorato, ex aliis turpiſſimis ſceleribus commiſſis? Rem attigit D. Hieron. in Hieron.
præſenti dicens: *Ex eo die, quo vxorem Leuitæ turpiter atque crudeliter interfecit Beniamin in vrbe Gabaa, peccauit mihi omnis Iſraël, non quia vltus eſt iniuriam, & ſcelus ſanguine vindicauit; ſed quia dolore maritali proſiliuit ad pugnam, & ſacrilegium in Deum ſuum noluit vindicare; eo quòd in domo Michææ Ephod, & Seraphim, quæ pro idolis adorantur, neglexerunt.* Itaque præualuit in Iſraële maritalis dolor pluſquàm religionis amor; potentior fuit zelotypia, quàm pietas, quàm religio, & ideo ex tunc Iſraëlis peccata Deo ſummo & vero diſplicuere magis. Iam inde licet colligere Ioſephi ſanctitatem, cuius virtus tunc eluxit, tunc præcipuè radiauit, tunc magis glorioſo è vertice emicuit, cùm dolore maritali compreſſo, zelotypiæ tyrannide ſuperata ſtuduit pietati. Præclarè nobili iuſti cognomine inſignitur, dum zelotypiam ſuffoca[t] dicit

totum Deo, quia quod homini diceret non habebat. Nónne Ioseph in hoc verè filius Abrahæ, cui promissio debebatur. *Genes. 12.* Equidem Abraham Genes. 12. a Deo in Ægyptum mouebatur, vbi Saræ vxoris pulchritudo periclitabatur, vrgebat hominem diuina inspiratio: sed vxoriæ pudicitiæ periculum retardabat hoc frænum, illud calcar erat, tandem zelotypiam vincens Deo obtemperauit. Quid plura? Accipite *Ambros.* D. Ambros. lib. 1. cap. 2. fantem. Magnum exemplum deuotionis Abrahæ, quòd cum vxore speciosa descendit Ægyptum. *Erat quidem iusto viro cura coniugalis pudicitiæ: sed maius erat studium maturandæ deuotionis, ne prætulisse custodiam thori mandatis videretur cælestibus.* Hæc sit præcipua cura coniugibus, qui sanctitatis, & iustitiæ appetunt culmen, qui metuunt, ne sua peccata grauiora apud Deum appareant, & incondonabilia, quòd pietatem præferant zelotypiæ, & custodiam coniugalis thori postponant mandatis diuinis.

§. VIII.

Iosephi incredibilis pudicitia commendatur.

IAm coronidem faciam de Iosephi virtutibus, si eius pudicitiam quam mireris proponam, pudicitiam, inquam, floridam apud flammantem pulchritudinem, pudicus Ioseph, & quod mireris magis, pudicus de consortio, de conuictu puellæ formosissimæ. Post Saluatoris Ascensionem *Act. 1.* reuertentes discipuli Act. 1. in cœnaculum ascenderunt, *vbi manebant Petrus & Ioannes, Iacobus, & Andreas, Philippus, & Thomas, Bartholomæus, & Matthæus, Iacobus Alphæi, & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi. Hi omnes erant perseuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria Matre Iesu.* Hic suffecisset locus vt Apostolicæ primitiuorum virtutes in immensum extollerentur, quando viri simul, & fœminæ, & pulcherrima virgo vnanimiter orationi instabant. Quando inter viros & vnanimitas, & Deo placens oratio erat de consortio fœminarum. Hoc exemplo lamentatur *Sixtus.* S. Sixtus Papa epist. de malis Doct. vicem præsentis sæculi, & primitiuorum exprimit virtutum excellentias. Ait enim, vbi est illa primordialis institutio à Christo, & ab eius Apostolis tradita? Vbi illius vnanimitatis consecrata dilectio? qua cunctis omnia communia erant, qua nemo quicquam suum iudicabat, qua nec in mentis quidem erat varietate discretio. Proh nefas! illi eodem in tempore nuper Christiani esse cœperant, & indiscretè cum suis domibus commanebant. *Væ misero mihi nondum vlla, seu virorum, seu fœminarum adhuc fuerat celebrata diuisio, & tamen illorum rudes meliores erant, quam nostri, nempè perfecti.* Sic primitiuæ Ecclesiæ extollitur laus, cuius virtus etiam de consortio virginum, & mulierum crescebat. O maximum D. Ioseph decus! non fœminarum conuictum fugit, nullum fœdus cum oculis pepigerat, ne cogitarent virginem, imò semper ob oculos habens miraculum pulchritudinis, honestissimam puellam, indiscretè & indiuise in eadem domo cohabitans, sanctissimorum virorum pudicitiam, & perfectionem longè excedebat. Is enim erat Ioseph, qui pulcherrimæ consorti munimen adderet, inexpugnabiléque propugnaculum inderet. An non Mariana vox illa de *Cant. 8.* Iosephi consortio Cantic. 8. *Ego murus, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens?* Ex quo de Iosephi conuictu gloriatur Maria, ex quo inter vtrumque vnanimitatis consecrata dilectio est, ex quo indiuisim in eadem domo manebant, par muro est Mariæ pudicitia. Mirum dictu! Sed *Synes.* accipe D. Synesium Cyrenensem epist. 4. quam dat Euoptio fratri, vbi nauigationem narrat in hæc verba. Qui vectores sumus supra quinquaginta, quorum quarta fermè pars fœminæ sunt: pleræque iuuenes & formosæ sunt: verum non est quod inuideas. *Nam cortina appensa nos secernebat, eaque munitissima temperantibus hominibus, par Semiramidis muro.* Itaque a virorum temperantia pulcherrimarum puellarum conuictus in eadem naui, de leui carbaso inuenit inexpugnabilem murum. Gloriosior Iosephi laus, cuius in vnanimi consortio non veli alicuius beneficio: sed incredibilis pudicitiæ puella formosissima non par muro, sed ipsa murus facta est, soli Deo accessibilis.

Text. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Dei apparuit in somnis ei, dicens: Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.

§. IX.

Iosephi connubium promissionem Dauidi factam iure exigebat, vtpote in quo vno ablatis cunctis maculis, omnes Dauidici generis splendores inueniebantur.

POst tot Dauidici generis successiones, meritò Ioseph filius Dauid ab Angelo nominatur, in illo enim vno totum Dauidicum splendorem nullum vitium notabat, quo nulla promissioni diuinæ poterat iam dari dilatio. Id quod perspicuis verbis tradit Diuus Chrysol. serm. 145. fatus, *Chrysol.* Ioseph fili Dauid: *Videtis fratres, in persona genus vocari, videtis in vno totam prosapiam nuncupari, videtis in Ioseph seriem Dauidici stemmatis iam citari, Ioseph fili Dauid, trigesima octaua generatione natus, quomodo filius Dauid dicitur, nisi quia fides promissionis impletur?* Cur tardaretur promissio, quando ablatis vitiorum nebulis, fulgentissimus Dauidici generis splendor in vno Ioseph conjunctim radiabat? Obsunt diuinis promissionibus peccata, degeneres mores, ob quos impleri tardant. Sed vbi obex abest, & virtutum illex est præsens, nequit iam cœlestis promissio tardare. Decretum antiquitus erat, regnum Dei hominibus aduenturum, cuius nihilominus aduentus per longissima sæcula dilatus est, vsque dum homo Deus Christus apparet in mundo. Apparuit homo diuinus, & cœlestis regni promissio ad homines aduolauit. Cur ita? Rem explicat Diuus Leo serm. 3. de Natiu. inquiens, *Leo.* *Offerenda erat pro reconciliandis hostia, quæ esset nostri generis socia, & nostræ contaminationis aliena, vt hoc propositum Dei, quo peccatum mundi in Iesu Christi placuit natiuitate ac passione delere, ad omnium generationum tempora pertineret.* Ecce Dei promittentis totum ingenium & indolem, promittit regnum homini, & tantum temporis promissionem differt, donec inueniat hominem, in quo totius generis virtus splendeat, & nulla videatur peccati fuligo. Tunc demum impletur propositum Dei de coronandis hominibus, quum Iesus apparet, in quo humani generis recapitulatur perfectio, vt cum Irenæo loquar, & nihil humani reperitur vitij. Non absimili modo promissa est Dauidi diuina progenies, sed dilata promissio ob degeneres mores prosapiæ Dauidicæ, donec Marianus coniux Ioseph apparuit in mundo, in quo vno tota prosapia nuncupatur, tota Dauidici stemmatis series fulgurat, degenere omni ablata fuligine, quo implenda erat promissionis fides. Huc refero pulchra D. Athanas. verba infrà examinanda; qui de Incarnatione Verbi agens dicit, *Athanas.* *Deipara Virgo Maria sola ex Adam deriuatur, aut cum sponso suo Ioseph ex Abraham, & Dauide stemma suum deducit.* Quibus pondero, quod Maria, vt ab Adam descenderet, omnem aliorum societatem fugit, vt quæ sola humani generis maculas vitabat: at verò, vt à Dauide progigneretur, sibi fratrem, & consortem admisit Ioseph, vt qui solus cum Maria, Dauidici generis vniuersis næuis exclusis, totam prosapiæ regiæ gloriam sustineret.

Regale Dauidis decus in Ioseph fulgentissimum.

DIxi in vno Ioseph totam Dauidici stemmatis seriem fulgurare; quod sic breuiter perstringo: etenim, vt à Regno exordiar, vbi Regius splendor gloriosior, quam in Ioseph, vel vnam tantum habens subditam Mariam? Apud Daniel. c. 3. Nabuchodonosor, vt vidit tres pueros in fornace lætos, eorum Deum summis laudibus prædicat, cuius imperium ad vniuersum Orbem dilatari testatur. *Daniel. 3.* Etenim tales putat esse eos tres pueros, vt ex illis solis Deus altissimus, excelsus, Dominúsque mundi debeat prædicari. Do huius excogitationis authorem D. Chrysost. hom. 6. ad Pop. *Chrysost.* vbi sic fatur. *Mirum, Dominum ex tribus pueris vocat, non ipsius vim totam sine vllo concludens; sed quoniam mundo opponendi pueri tres essent; propterea tot tyrannos, reges, & Principes prætermittens, vnum sibi par esse putare captiuos, & seruos, qui tyrannidem suam contempserant, admirabilius est.* Iure ergo Ioseph, quem Maria Dominum vocaret, creaturarum Dominus ex vna Maria vocaretur, quoniam vniuersis creaturis opponenda Maria esset: quapropter inter Reges, & Principes Ioseph superior omnibus, & præstantior numeratur.

Sacerdotalis splendor in Ioseph ex pudicitia.

INter regalia Dauidis stemmata non obscurum locum obtinent vittæ Sacerdotales, quarum candore Regia purpura sæpe sæpius ex coniugiis fuit condecorata, vt Ioannis

affinitas

affinitas cum Iesu testatur. Sed & Dauidem, si non genus,
1.Reg.21. tamen pudicitia Sacerdotio initiauit. Etenim 1.Reg.21. suam
suorúmque pudicitiam testans ausus est edere propositio-
Sixtus. nis panes, solis Sacerdotibus reseruatos. De quo S. Sixtus
PP. epist. de Cast. sic loquitur. *Vnde ostenditur, quod pudicitia*
Sacerdotio aliquatenus comparatur, cui edere licuit, quod tan-
tùm Sacerdotibus debebatur. Verè filius Dauid Ioseph, Daui-
dicíque æmulus Sacerdotij, quem incredibilis pudicitia
consecrauit: Sacerdos vtique Dauidicus Mariæ sponsus,
qui carnem suam hostiam viuam exhibuit, & ex se Deo li-
bauit. Nónne proprium Sacerdotum munus est hostiam
offerre? Cur ergo omnibus etiam laicis loquitur epist. ad
Ad Rom. 12. Rom. 12. *Obsecro vos, vt exhibeatis corpora vestra hostiam vi-*
uentem? &c. Si Sacerdotes non sunt, quomodo exhibebunt
hostiam? Planè, vbi hostia est pura, & pudica caro, ipsa
Isid. Pelus. per se vnumquemque Sacerdotem facit. Ita D. Isidorus Pe-
lus. lib. 3. epist. 75. fatur, *Pulcherrima res est castam mentem,*
& carnem castam habere. Eoque Paulus illud dixit, exhibete
corpora vestra hostiam viuentem, non enim ad Sacerdotes solos
scribens hæc ipsis mandabat, sed vniuersæ Ecclesiæ. Vnumquem-
que enim ipsorum hac in parte Sacerdotem esse iussit. Quod si ca-
stitas, & pudicitia subditos Sacerdotes creat, libido, ac lasciuia
sacerdotibus dignitatem abrogat. Meritò vbi libido Sacerdo-
tem exuit, castitas Sacerdotem initiat & sacrat, vt pateat,
quàm præ alijs Sacerdotibus radiet Iosephi castissimi apex.

Militari robore Ioseph insignis.

VIdes in Dauidico genere armatas parturiri phalanges:
vides bellorum fulmina ex Dauidico sanguine euola-
re, sed omnibus Ioseph pugnatior, & militari gloria ex-
Luc. 12. titit clarior. Vnde hæc? Sanè Dominus Luc. 12. vt militare
robur inderet discipulis, inquit: *Sint lumbi vestri præcincti.*
Nazianz. Quibus verbis militarem baltheum agnouit Nazianz. orat.
Basil. 2. in Pas. agnouit & cingulum castitatis, cùm Basil. August.
August. Beda. Beda, & Greg. PP. relatis à Maldonato, quasi Christianis mi-
Gregor. litibus robur, & fortitudo militaris à virtute præfulgeat
castitatis. Quòd si è castitatis norma metienda est fortitudo
Christiana, quem non superet Ioseph gloria militari? Sa-
Rupert. nè, vt videre potes apud Rup. infra cap. 5. §. 7. omnes exer-
citus illi Abrahamides, & Dauidici hoc vnum spectabant,
vt lectulum Salomonis, nimirum Mariam Virginem tuta-
rentur, & defensarent, vt possit in mundo nasci. Et quod
mirere magis, quam tot tantíque exercitus custodiebant
nascituram, vnus Ioseph custodit natam: vnúsque pro cun-
ctis exercitibus tanquam omnibus præstantior illi datur.
Nónne Virgo Maria collum Ecclesiæ est notissimum Patri-
Cantic. 4. bus? De illa ergo Cantic. 4. dicitur: *Sicut turris Dauid col-*
lum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pen-
dent ex ea. Proh fortissima turris Maria! fortissima, inquam,
ex se, fortissima ex custodia, quam habet: mille enim cly-
pei pendent ex ea, nimirum innumerabiles illam milites
Venet. custodiunt. Significantiùs Georg. Venetus in harm. Cant. 3.
tom. 7. c. 13. ex Hebræo vertit, *vnum scutum appensum super*
eam. Quasi innuat, quòd Mariam, & mille, & vnum pro
mille custodiant, & innumeri exercitus, & vnus Ioseph in-
star omnium custodiæ deputatur virginali. Vnde meritò
Isolan. Isolanus 3. part. c. 13. meditatur Cherubin illo gladio igneo
armatum ad paradisi custodiam deputari, sic argumenta-
tur, *Si hæc explorata creduntur veritati, cur non Ioseph Cheru-*
bin asseuerandus est, & virginis sanctissimæ & Christi custos à
Deo immortali positus fuit? Etenim robur Ioseph militiam su-
perat humanam, & de cœlesti exercitu speciem habet, re-
ctè nominatus Cherubin, cuius nominis etymologia est
Hieron. apud D. Hier. de nom. Hebr. Cherub, *quasi multitudo* & apud
Laurentum dicitur Cherub, *quasi pugnans*, nimirum Ioseph
verus Cherubin pro Mariana custodia extitit quasi pugnæ
multitudo. Hæc præcipua Dauidici generis stemmata cum
clarissimis virtutibus in vno Ioseph conglomeramus, à quo
omnis eiusdem generis macula abest, vt posito inter viuos
Ioseph, promissio Dauidi facta de diuina progenie non pos-
sit ampliùs dilatari.

§. X.

Subditos noscat Princeps ex nomine proprio,
& parentum.

MAgnum Diuo Ioseph extitit solatium, quando inter
mordentes curas, inter anxias sollicitudines de vxo-
ris vtero, a sūmi Imperatoris ministro nomine suo proprio,
parentísque, & ataui Dauidis se sensit appellari. Equidem
nō destitutum se animaduertit ab illo, cui nomen suum, pa-
trísq, sui in memoria erat. Hoc sit vniuersis Principibus cō-
silium, vt subditorum nomina perspecta habeāt: nullo enim
magis illos recreabunt, quam præmisso nominis proprij, pa-
rentísque, aut ataui vocabulo. Ecclesię Principem instructu-
rus in subditos Christus Dominus Io. 21. dum ouium sua- Ioann. 21.
rum pascuam illi commendat, ait: *Simon Ioannis diligis me*
plus his? Porrò alios sæpè discipulos appellat Dominus: sed
simplicis cuiusuis nominis vocabulo, vt cum dicit, *Philip-*
pe, qui videt me, videt & Patrem meum. Ioann. 14. Sed Eccle- Ioann. 14
siæ Principem non de simplici nomine solum, verùm etiam
de nomine parentis compellat, dicens: Simon Ioannis, vel
alibi, Beatus es Simon Barjona, hoc est, Simon filius Ioan-
nis. Quasi ex hoc perdocere vellet Dominus, maximè de-
cere Principes quod nomina subditorum propria, & paren-
tum noscant, quorum compellatione plurimum illos affi-
cient, & honorabunt. Hanc mihi excogitationem dedit
D. Synesius Cyrenensis lib. de regno, vbi fatur, *Admonet, vt* Synes.
præter huiusmodi appellationem, omnium nomina proprij, ad-
dito insuper parentis nomine, & à maioribus, vnumquemque
compellat, omnibúsque honorem deferat. Hinc optimi Principes
bene apud subditos audient, si singulos, & proprio, & pa-
rentum nomine compellatos honorabunt. Crediderim,
quòd Saul boni Principis habuisset saporem, cùm miratus
adolescentem Dauidem inermem aduersus Philisthæum
concurrere ait, 1. Reg. 17. *de qua stirpe descendit hic adole-* 1. Reg. 17.
scens. Non enim sufficiebat Regi Dauidis nomen nosse:
sed insuper parentum eius, & atauorum scire curabat vo-
cabula, vt vel in hoc optimi Principis ostentaret speciem.
Quapropter sacerdotum Principi iniunctum a Deo erat, vt
in lapidibus rationalis nomina duodecim tribuum scripta
portaret. Sed quid prætendebant nomina hæc inscripta ob
oculos Principis? Rectè Arnold. Carnot. tract. de 7. verbis Arnold.
fatur, *Hoc int matur, quòd qui in regimine sunt, semper affici de-*
beant pro his, qui ad eorum sollicitudinem pertinent, & quantum
possibile est, recordari eorum debent ex nomine. Nouerint Prin-
cipes nomina subditorum, nouerint & cognomina accepta
à patribus, quorum compellatione habeant, vnde sibi illo-
rum possint deuincire animos, & eosdem medijs laboribus
recreare.

§. XI.

Inter pueros agentem filium Pater diuinus recreat de
nobilium obsequio, gaudet enim Dominus
à nobilibus honorari.

ECce quem famulum parat pater filio infanti, nimirum
Ioseph Dauidis filium, regiis stemmatibus decoratum.
Saluatori enim aëreas potestates debellanti, gloriosè è se-
pulchro emergenti, de piscatorum retibus famulitia paran-
tur, & viles homunciones in testes resurrectionis asserun-
tur; at eidem vagienti inter pueros periclitanti Regius fa-
mulus datur, regales subduntur potestates. Sanè, in bella-
tore virtus ostentanda erat; in infantia saporandus gustus;
gaudet enim Deus seruientes sibi regios viros habens. Huc
respexit D. Synesius Cyrenensis lib. de regno fatus, *Nec à ra-* Synes.
tione alienum est, diuinum quoque numen religiosi Principis cul-
tu, venerantíáque gaudere. cumque arcana quadam necessitudine
sibi conciliate. Monarcha, vt exercitus instruat, liberè eligit
quos vult, & sibi sæpè commilitones asciscit e fæce vulgi;
verùm Monarchæ infanti ad gaudia solùm dantur nobilis-
simi quique, imò & hi procurantur, qui ex regia necessi-
tudine futuri sunt chari. Itaque cùm Deus Reges, & nobi-
les sibi necessitudine quadam arcana conciliatos habet,
dum filio necdum viro exercitus parat, sed adhuc infanti
procurat gaudia, nobilium, & regalium virorum illi famu-
litium asserit. Liceat Danielis 3. medijs fornacis flammis Daniel. 3.
tres pueros liberos videre, quorum medius, vt puer inter
pueros, Dei filius adstat. Etenim ait Rex Nabuchodonos.
Species quarti similis filio Dei. vbi id mihi mirabile accidit,
quòd filius Dei inter pueros agens, non passus sit videri &
publicari nisi à Rege: erat enim prope infinita hominum
multitudo circa fornacem, quorum nullus vidit cum pue-
ris filium Dei; vnus Rex omnium illum vidit, eiúsque pu-
blicauit magnalia. Quid plura? Cum Dei filius inter pue-
ros agit, vnis se credit & committit regiis manibus, quibus
gaudet. Ita S. Hippol. lib. de consum. sæculi fatur, Nabucho- Hippol.
donosorem aiens, *Cur tibi soli, & nulli præterea innotuit? Sed*
quando scriptum est, cor Regis in manu Domini. hac profectò est
manus Domini, vt cognoscens eum in camino, ipsum prædicares,

& glorificaret. Equidem sunt Reges Deo familiares, sunt illi ad manus, ideo Deo in camino, nimirum inter pueros agenti, Rex asseritur, qui eius magnalia prædicaret. Etenim filio Dei quis similior quam Rex, quando ad imaginem Dei in homine conseruandam expressius, regia dignitas homini additur? aiebat enim Dominus. (Genes. 2.) *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Faciamus, inquam, ait, quasi difficile opus aggressurus consuleos, difficilem enim rem putabat diuinam imaginem terreno pulueri imprimere, quam vt ibi firmâ stabiliret, regium decus homini dare meditatus, quasi nihil esset aptius imagini diuinæ tuendæ, quàm regnum. (Nissen.) Huc spectat Niss. orat. 1. in prædicta verba fatus, *Quanam difficultate considit, an vt bilem suo ... esse opus ... vbi ergo quærimus quod imaginem ... minimum ... qua dicit, ... ad imaginem nostram. & pasist.* Itaque regia dignitas amicissima est, & cognata Dei imagine, ne mireris, quod splendor patris & figura substantiæ eius recens natus de regiis locis gaudeat, pares enim cum paribus facillimè congregantur.

§. XII.

Præstantissimum hominis decus est, nullum magnum obsequium alteri, quam Deo præstitisse.

IDeo Ioseph permanere iubetur cum vxore, quia quod in ea natum est, de Spiritu sancto est, quasi iam dedeceret Iosephum alteri, quàm Deo præstare famulitium. Quippe homo in creaturarum imperium natus, cur fœdatur indies vili, & abiecta creaturarum seruitute? Vtinam hanc omnibus Deus mentem donasset, qua detrectarent vili insudare creaturæ; sed laborum suorum Deum haberent finem. Sapientes illi Reges stella ducti longissimi itineris fastidia suscipiunt, vt natum puerum Iudæorum Regem perquirant, (Matth. 2.) sic enim Ierosolymis aiunt Matth. *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum?* Cui a propria domo pararunt munera, aurum, thus, & myrrham: sed cur parant thus? Planè vt testatum haberent, non creaturæ; sed Deo deferre seruitium, erubescent sapientissimi homines tam longum suscepisse iter in creaturæ alicuius obsequium, vnde secum thus offerendum præmittebant, hanc gloriam sibi afferentes, quòd nec pedem mouerint, nisi ad obsequium diuinum. (Leo.) Huc respexit D. Leo serm. 4. de Epiph. dicens, *Fu... tior radius veritatis eorum corda perdocuit; ... laboris itineris inchoarent, eum sibi significari intelligerent; cui in auro regius honor, in thure diuinæ veneratio, in myrrha mortalitatis confessio deberetur.* Non aliter viam arripiunt, quàm præscientes Deum esse, cui præstaretur tantum famulitium. Is etiam erat Ioseph, cui eadem deberetur gloria, nec enim, nisi Deo seruiret, quam gloriam in alterius Ioseph vmbra (Deut. 33.) celebrauit Moyses Deuter. 33. dum illi in hæc verba benedicit, *Cornua Rhinocerotis cornua eius*, vel vt alias, *cornua Monocerotis cornua eius*; quippe Monoceros animal est viribus inexpugnabile, hominum recusans imperium, pro cuius (Basil.) proprietatis allegoria D. Bas. relatus in Cat. ad cap. 26. Iob, inquit, *Monoceros homo est ... qui Deum vnum ... eique soli fidit.* Dixisset clarius, Monoceros est Ioseph iustus, quem dedecet creaturis seruire, cuius ingens gloria in eo sita est, quòd vniuersos labores suos consecrat soli Deo. Planè cornua Monocerotis cornua eius, quando nulli creaturæ obsequium præstat, sed vni Deo eligitur seruiturus. (Iob 34.) An hunc recipiebat sensu spirituali Iob cap. 34. sic homini illudes: *Nunquid volet Rhinoceros seruire ... rabit ad præsepe tuum?* Nulla hominum vis, nulla natura traheret Ioseph ad seruitium, nulla creata potestas cogeret illum ad perilepe situm, sed qui creaturarum ... imperium, ecce ipsius Dei nutu ad præsepe mittatur vniuersaque subit curas puerperij diuini.

§. XIII.

Gratissima Deo coniugum concordia, & amor.

IOseph, noli timere accipere Mariam coniugem tuam. hoc clamat Angelus, & clamarent vniuersi Dei ministri, quandoquidem nil magis est Deo cordi, quam quod coniuges sibi accepti sint mutuo. Vidisses aliquando parentes, fratres, amicos vnanimes, vt nobis ... a Deo publicari; sic enim inquit Matth. 10. (Matth. 10.) *Veni separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum.* Nihilominus inter virum, & vxorem nihil voluit seminare dissidij, vt summa semper in illis concordia vigeret, nec haberent coniuges vnde sibi inuicem metuere præsumerent. Id quod notat Rup. lib. 5. de Oper. Spiritus sancti lib. 1. de Consil. cap. 21. (Rupert.) Vbi sic habet, *Notandum, quod cum ceteras ... dixerit, filium aduersus patrem, & filiam aduersus matrem, & nurum aduersus socrum, non dixerit virum aduersus vxorem, siue vxorem aduersus virum, ne ... delicet Euangelica puritas occasionem adulterij dare videretur.* O quàm Deo chara est coniugalis concordia! quando tam anxiè cauit nullam coniugibus dare causam dissidij, quando sic omnes suspicionis occasiones eripit illis. Sanè miratus sum non raro coniugalem obseruantiam floridam in ipsa ... coniugij, cùm recolo vxorem illam Leuitæ Bethlehemitici, de qua cap. 19. Iud. (Iud. 19.) Hæc a viro deserta, à luxuriantibus iuuenibus Gabaa rapta, & per integram noctem illusa nihil coniugalis charitatis amisit; imo deficiens viribus, ante coniugis ... n defecit, & confecta iniuriis dum ageret animam, monimentum coniugalis obseruantiæ egit insigne. Ait enim textus. *Mulier recedentibus tenebris venit ad ... in domus ... mane ... & ibi corruit.* Non illam silentia noctis integræ adulteria fecerunt obliuiscentem, vt primùm data est illi potestas, penè enecta ... vt fœdato corpore puram animam exhalaret iuxta coniugis domicilium. Cuius facinus sic D. Ambros. lib. ... Offic. cap. ... extulit, dum inquit, *... a atrocitate ... ad ... viuens ... suprema ... vitæ munere ... sui funeris marito ... aret.* (Ambros.) Etenim quando viua non potuit, saltem moriens noluit disiungi a marito. Proh perfectissimorum coniugum magist.... Planè nouerat bona vxor, quam vtile, etiam erranti fœminæ est inseparabile consortium mariti, cuius gratia mille ærumnis, mille periculis eripitur. Quod testatum reliquit infelix illa vxor Loth, sed (Gen. 19.) felix, dum nititur hærere comiti coniugi suo. Hæc in Sodomis habitans Sodomitarum voluptatibus oculo depasta est suos, non adeò, vt a marito discederet, cuius gaudens consortio a Sodomitarum supplicio libera fugit. Vtinam semper ad maritum aspiceret; sed assueta etiam videre Sodomæ delicias dum ad illas oculos conuertit, vitam miseri amisit. ... ed petis, cur peccatrix hæc fœmina, siquidem aliquando castiganda erat, non ... Sodomiticum ignem: cur non absorpta flammis fuit? cur tandiu dilata eius ruina? Equidem hoc bonæ vxoris habebat, quod gaudebat contubernio viri, à quo separari nequibat, nec eius conspectum fugere. Vnde ira Dei tandiu deseuire distulit in illam quandiu maritum ob oculos habens consortio gaudebat illius; at vbi marito a tergo relicto, reuersa est ad Sodomam, supplicium mortis incurrit. Id attigit D. August. lib. 2. de Mirab. sacr. Script. cap. 11. dicens, (August.) *Vt ... non erat ... consortio ... fugere non posset ... propter ... contubernium ... de incendio.* ... incendium illi, vbi coniugis gaudebat consortio; sed dedit pœnas criminum quando oculus auertit à marito. O sanctum coniugij firmamentum, aduersus quod non audet vllum supplicium!

CAPVT III.

De Joseph vt Christi Domini parente.

MAXIMA Ioseph laus, quod habetur pater Iesu; eas enim inde acceperunt animi & corporis dotes, quibus nihil degenerum inter Ioseph, & Iesum animaduerterint oculi mortalium. Similis erat patri, & filio in vultu decor, in gressu grauitas, in consuetudine gratia & humanitas. Filius in immensum extollebat patrem, & pater minimè dedecebat tantum filium.

Ex Luc. 3. Vt putabatur filius Ioseph.

§. I.

Ioseph æterno diuinæque patri perquam simil... filium.

FIlius Dei nasciturus ex virgine patrem quodammodo in terra quæsiuit, à quo non tempore humano, nec humano more; sed vt ab æterno parente incorruptibiliter nasceretur. Quippe æternus pater dum mente concipit ingentem

Rupert. gentem suarum perfectionum molem, inde facit pullulare filium. Qui vt a cœlesti patre per intellectus ministrationem nascitur, sic a Ioseph intellectuali modo virtutum naturalium, vt filium decet, lineamenta desumpsit. Iam meministi qualiter Iacobæ oues a virgis, quæ oculis obiiciebantur tempore conceptionis, colorum varietatem darent agniculis. Sanè Deus Opt. Max. fœcundaturus Mariana viscera diuino fi[illegible] cum sponsum prouidit, cuius sanctitas, cuius pudicitia incredibilis virgunculæ concipienti Deum obiiceretur, vt filius virg[illegible]is etiam haberet purissimo illo modo virum authorem delineationis corporeæ suæ. Crediderim huc spec[illegible] asse D. August. serm. 13. de Nat. [illegible] expendit virginem ab Angelica annunciatione turbatam, sic putat Angelo respondisse, *Quomodo [illegible]* Ecce virgini iam iam concipienti Deum in primis obiicitur Iosephi seges virtutum, ex quo per intellectus opus Ioseph [illegible] ad natiuitatem diuinj fi[illegible] dans illi delineation[illegible] virtutum exteriorum modum, & mensuram. Cui accinit D. Hieron. vbi contra Heluidium fatur, *[illegible]* Quippe vult Hieronymus virginitatem Ioseph obiectam Mariæ aliquid contulisse saltim ad delineationem exterior[illegible] puritatis filij quo Ioseph æterni patris æmulus in progi[illegible] nendo filio per intellectus opus exstitit. An hoc adumbrat lex illa Leuitica, quæ sic cauet de offerenda simila? *[illegible]* In quibus verbis scire cupis, quis sit, qui patri iure succedit? De quo pulchrè Bereng. serm. in dictum locum fatur *Ille sacerdos [illegible]* Et quidem expendendum est, quod similam calidam [illegible] sacerdos, qui patri iure succedit, hoc est, qui diuinæ naturæ æmulus est, offerre debet, nimirum panem illum vitæ Iesum adhuc calidum, adhuc recentem a Virgineo camino eductum, vnus Ioseph accipiat, vtpote qui cœlesti patri iure successit diuinam referens in se naturam, dum eius virtutibus insignitur, dum intellectu Virgineo obiectus limpidissimo concurrendi modo, pater aliquo modo est diuini filij.

Aug.

Ind. 19.

Hieron.

Ambros.

Leuit. 6.

Bereng.

Gen. 19.

Limus in manus Dei, quacunque [illegible] Et Deus venit in manus Ioseph, & ipse Ioseph venit ad Dei manus satis beatus, si solummodo contactus, verùm per plures annos, & sæpe Deum habuit in manibus, & sæpe diuini pueri manus habuit, sustinuit caput, pedes lambit. Quid plura? Toties honoratur, quoties Dei prendit manus, vt nemo eius honoris cumulum attingere valeat. Habebat Ioseph præ manibus, quod vel semel videre sanctissimi quique vehementer desiderarent. Accipite D. Paulinum de se epist. 4. fantem, *[illegible]* Quid dulcius posset, quis sibi excogitare? Et felix Ioseph hæc inter mella passim delectebat. O quoties apis instar florida pueruli labra sugebat, vel vt papilio ad solaria oculorum lumina aduolabat, vel vt passer in comarum elatis palmarum nidificabat? Quoties labia immunda [illegible] illo calculo piaret? Quoties serpeminos ausus, si quit in se manserat, de pueri calcaneo contingeret? Quoties illud insigni valoris drachma exhiberet, in totum cœlorum Regnum compararet. De alio Ioseph post hunc felici[illegible] dicitur Ioann. 19. *[illegible]* De quo sic audi D. Epiphan. orat. de Domini sepult. At quid dixerit non minus putes in Ioseph Iesu parentem quadrare. Ait enim expendens illud homo quidam diues. *[illegible]* Sanè piaculum foret quod Ioseph alicuius egeret, quod cœlestibus diuitiis non redundaret, quandoquidem l. si quis à liberis. ff. de liber. agnosc. asseritur, *[illegible] filius sit in facultatibus.* Quomodo ergo non Ioseph diues?

Paulin.

Ioann. 19.

Epiphan.

§. II.

Ioseph parentem vna diuina progenies decebat, à qua in immensum honoratur, dicatur.

Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua, vt monebat quondam [illegible] Eccles. 44. quando n[illegible] magis [illegible] parentum gloriam, quàm eorum propago. Gl[illegible] parentem filius facit, sed qui filius? qui terrenus orbis [illegible] terrarum? Absit ille gloriosum virum decet filius [illegible] cœlestes splendores candicat. Cur Deus Opt. Max. Abrahamum patris nomine decorauit Genes. 22. ait illi: *[illegible]* quasi tantum parem a Deo constitutum dedeceret filius, qui cœlesti [illegible] esset splendore clarus. Ita D. Leo serm. [illegible] de Epiphan fatur, *[illegible]* Inglorius esset tanti patei de terra progenies nous & cœlestis fuit ex cogitanda, vt patris a Deo constituti compleret dign[illegible]. Hinc bene Tychonius Reg. 4. Salomonem inter cœl[illegible] candidato constitutum, ne Dauidi parenti de[illegible] filius daretur [illegible] *[illegible] Dauid [illegible] Salomonem.* Adeò necessaria [illegible] ad gloriam, & præsidium parentum progenies, quæ de cœlesti pulchritudine gaudeat. Quo iam gloriam Ioseph decet auguratur, quem non stellaferum agmen, sed tota immensi [illegible] sphæra [illegible], non cœlestis pro[illegible], sed ipse ornat cœlorum [illegible]. Sanè, vt tam glo[illegible] virum, tamque excelsum patrem compleret [illegible] imò supra cœlum ipsum fuit [illegible], & diuina progenies [illegible] honor. Ioseph aduenerit, quis [illegible] care. Tertull. lib. de Resurr. carnis sic extollit limum, ex quo Adam fuit à Deo formatus,

Aug.

Gen. 22.

Leo.

Tychon.

Tertull.

§. III.

Quà filius Iosephi Dominus nobilis[illegible] apparet.

Non casu I[illegible] sus patrem Ioseph accepit, sed vt ex hoc patre eius ampliùs manifestarentur vtilitates in genus humanum. An non Augustinus in Ioannem sic sapientiam incarnatam angustabat? *[illegible]* Ergo si quidem patrem fabrum habet, qui fabricans fecit dum abiit, nam claret, quod ostium est, per quod liceat ad Regnum intrare. Ecce ex parente fabro Iesu ostium tibi factum euidentius patet. Quid [illegible] dum illum tanti fabri progeniem (vt putabatur) cognoscis, magnam tui reformationem incipis sperare, omnia procul dubio talis filius fabri, vt mores ad circinum componantur, vt Dei formetur imago, vt superflua secentur, vt in varios vsus animus essi[illegible]atur humanus. Vulgo de Iesu dicebant Matth. 17. *Nonne [illegible] fabri?* Vbi Theophil. Antioch. lib. [illegible] fatur *[illegible]* Adeò vtilis, & hominibus formandis, & reformandis aptus apparet, ex eo quod dicatur filius fabri. Suspecta erat fabri manus in Diis gentium, quia ex inutilia, & arida ligna etiam, diuinitati suæ carebant a otiis fabris. Accipite D. Isid. Pelus. lib. 4. ep. 107. sic autem, *[illegible]* Sanè arida ligna hanc aduersus fictam diuinitatem infamiam ex artificibus comparerent; verùm lignum vitæ Iesu, et lignum viride est, & verus Deus, ad omnesque hominum indigentias subleuandas vellet efformari, sic artificem, & fabrum Ioseph sibi

August.

Matth. 17.

Theoph. Antioch.

Isid. Pel.

sibi adhærere voluit, cuius præsentia suas vtilitates publicabat.

§. IV.

Ioseph qua pater Iesu, aptam cælo acquirit infantiam.

Matth. 18. OMnibus a Deo Opt. Max. ea lex imposita fuit, Matth. 18. *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in Regnum cælorum.* Itaque ad paruuli se formam componere debet quisquis cœlestia regna cupit hæreditare; sed ad cuius paruuli formam gratior erit congressio? D. Ambros. Psalm. 36. fatur. *Ex illo puer, qui antequam [illegible] vocare patrem aut matrem, ex in ore Damasci fortitudinem [illegible] pueri.* Itaque pueruli Iesu formam subeat quisquis regni cœlestis candida velit decorari. Quomodo Ioseph cælo dignam infantiam non ebiberet, qui diuinissimi Iesu puerorum exemplaris extitit pater? Sæpe audiui, imo & vidi à natis puerulis parentes pueros fieri. Quod argumentum tractans Ælianus lib. 12. Var. histor. cap. 15. inter alios
Ælian. præfert Agesilaum Regem cum filio infante ludentem, & vt Poeta dixit, equitare in arundine longa, si pueruli filij patentes afficiunt, vt pueri etiam fiant, ne mireris, si puerulus Iesus parentem suum Ioseph ad diuinam instituerit pueritiam. Nonne ideo antiquus dierum factus est infans hominis filius, vt veterem Adamum ad pulchram infantiam reduceret? Sic D. Leo serm. 6. de Natiuit. inquit,
Leo. *Amat Christus infantiam, quam [illegible] ad quam [illegible] reducat ætatem, & eos ad suum [illegible] exemplum, [illegible] ad regnum sublimat æternum.* Et quem tenem ad suam [illegible] duceret, cuius infantiam infans Christus, quam illum tenem, quem solum in terra patrem nominabat? Equidem diuinus Ioseph, ex quo infanti Deo vt pater filio adhæsit, fatuus erit, qui in se aliquid veteris hominis residere præsumat. Sibi do verba illa, quibus B. Zeno serm. [illegible] ad Neo-
Zeno. phytos hominis [illegible] nouitatem [illegible] insinuat, inquiens. *Ipse est, & tamen ipse non est. Vetus quidem [illegible] nus est [illegible], mutatione morum, [illegible] nobilitatem [illegible].* Tel[illegible] qui [illegible] infante non eam infantiam induceret, qua [illegible] veteris hominis pannos abiiciat, & de cœlestis regni candida [illegible]. Quomodo enim Ioseph in virum perfectum, secundum ætatem plenitudinis Christi, exurgeret, si ad eiusdem non conformaretur infantiam? Quomodo non [illegible] ex Cherubim alter [illegible] de infantili [illegible] puerasceret? Etenim, vt apud Pagninum testatur Rabbi David Cherubim, dicitur à nomine [illegible] puer [illegible] quis de Ioseph dubitet [illegible] infantia cum [illegible] rit Mariæ, & pueri excubatorem agere, & [illegible]
Isid. Pelus. que seruiendis insudare. Quando a D. Isidoro [illegible] lib. [illegible] epist. 482. *Non [illegible] pot [illegible] puerit [illegible] parasitamus, vt aut mentis perfectionem esse [illegible] [illegible].* Igitur Ioseph de [illegible] infantia apud Saluatoris cunas [illegible] diuinus operarius, vir omni perfectione decorus, fuit [illegible] secrarius. Et veriori sententia diuinum infantem [illegible] alloquens dicere posset, quod Diuus Synesius epistolis [illegible]
Synes. amicissimo sibi viro dicit in hæc verba, *[illegible] tuo perfecisti, Pater [illegible] magnifice? [illegible] [illegible]* Etenim si quis [illegible] inuenire potest [illegible] medius Angelorum concilio diuinum infantem [illegible] tractans, puerilisque verba cum tanto puero profe[illegible]

CAPVT IV.

De Mariæ Iesu Matris Conceptione.

CHristiferæ mulieris sole cadente argentea ornatur luna, æquum est; & illa luna, quæ nullum luminis defectum nouit, sed à primo sui ortus egressu fulgentes claritatis radios vndequaque iaciat. Ea est Maria [illegible] vitam in [illegible] fulgens originalis iustitiæ radiis illuminaut. Igitur de immaculata conceptione erit nobis [illegible]. Ardua [illegible] dura! Cantarunt mille vsque hodie, & passim quotidie, chorus Sanctorum circumfertur, vt eadem canent, lassine assidemus, & supersedebimus à satis repetito cantu? Imò inde non leue consurgit fundamentum, vt Mariam a Deo summo inhabitatam primo sui ortus egressu dicamus: siquidem nec vnquam deficiunt, nec lassantur cantores, dum eius a peccato munditiem extollunt cantu, sanctius enim de Maria notari possemus quod Iosephus Iudæus de tem- Ioseph.
plo Ierosolymitano confirmat, *[illegible]* lib. 7.
[illegible] Deum [illegible] [illegible] neque hymnos cantantibus [illegible] dum ad templum [illegible]. Cur non mirabitis, si constans omnium opinio de immaculata Mariæ conceptione crescat & firmetur: cum nulla neque cantantibus, neque psallentibus lassitudo [illegible], dum illam [illegible] voce, & saltibus [illegible] mus cuulgare. Accipite [illegible] de hoc mysterio cantum, non vt [illegible] rem adstabilitam, & firmatam, me aliis hoc [illegible] plures [illegible] Societate Magistri, quorum scripta apud omnes valent, sed vt [illegible] penu aliquid edicam [illegible], vt adsit [illegible] nouitate.

§. I.

Conceptioni immaculatæ Virginis opinio contraria prudentissimè in hoc æuo in concionibus non euulgatur.

HOc in primis omnibus concionatoribus sanctum, & firmum sit ex Pontificis præscripto, quod his præsertim temporibus nihil è suggestu dicant almæ virginis conceptioni contrarium. An putas verum esse, Mariam in peccato conceptam? id inficior. Sed esto, at veritas minimè ad salutem nec [illegible], & modo plurimis damnosa, nec sine rixa, & bello apud eruditos, & ineruditos, euulgatur. Sanè Diuus Gregorius Nazianz. hinc laudat prudentiam Nazianz.
Basilij, eiusque extollit sanctitatem, quod difficillimis temporibus, vbi error de cõsubstantialitate Spiritus sancti cum diuinitate, sic populares animos peruaserat, vt sine magno duello, scandalo nec audire possent consubstantialitatem [illegible]. Et quidem sanctissimus vir acerrimus erat defensor, & propugnator, & prædicator diuinitatis personarum earum, & veritas hæc [illegible] necessaria, sed dum clara illius voce decepti homines turbabantur, rixisque, & duellis [illegible] dissuluit [illegible] lius prædi[illegible] conf[illegible] pietati. Vtinam [illegible] mentem [illegible], & [illegible] videat [illegible], scandala [illegible] quod conceptioni immaculatæ contrarium prædicatione di[illegible] erant hanc prædicationem ab Angelico Doctore hanc [illegible] præsumentes [illegible] mordicus q[illegible] eius [illegible] retinent, pietatem & charitatem po[illegible] contemnant. Non otiosum erit si huc refera[illegible] Basilij Archiep. Seleuc. moni- Basil. Sel.
tum, qui orat. de V[illegible] incarn. sic fatur. *Cùm ergo ex com[illegible] nobis [illegible] [illegible] audiendis [illegible] autem opus est Christum [illegible] fidem ab inuestigatione contendimus, in [illegible]. Hæc* ille pietate, & religione plenus, quorum [illegible] maximè [illegible] viris & [illegible] religiosis, & Ch[illegible] qui [illegible] opiniones agitare [illegible] & fide [illegible] tractari, vt c[illegible] consulant, nec officiant charitati, quam à singulis Beatissima Virgo muneris loco, & expectat, & accipit.

§. II.

§. II.

Mundities concepta Virginis illustratur verbis allatis,
Ex qua natus est Iesus.

NOn solùm æternam, sed etiam temporalem Verbi generationem extollit Propheta ex munditie vteri, à *Isai.33.* quo est dilapsum. *Generationem eius quis enarrabit, qui abscissus est de terra viuentium?* Meritò id proponitur admirandum in generatione Christi, quod inuenerit terram mortali inaccessam plantæ, adeò viuidam, & vitam spirantem, vt ab illa originem Deus ipse traxerit. Lumen his verbis *Rupert.* addat Rup. lib.2. in Isai. cap.19. *Ineffabile quod de carnis generatione hic rectè dictum intelligitur, qui abscissus est de terra viuentium, de terra, inquam, non morientium, siue non mortuorum morte peccati, qua omnes in Adam mortui sunt: sed de terra viuentium, id est, de terra virginea per sanctum viuificata spiritum abscissus est.* Hæc ille, pulchrè terrenam Adami molem iam peccati morte vitiatam plenam ossibus, & cadaueribus, patenti sepulchro persimilem excludit, vt virgineam vitalémque terram, & omni mortis odore liberatam, componat, ex qua lapis ille pretiosus Dei filius sine manibus decideretur, vel eo maximè admirabilis Dei virtus, atque potentia, quod in terra Adam mortale virus spirante, nihil nisi originale funus præferente, adhuc de virginea illa felicioris quodam Adamo terra diuino flamine inspirata, & viuificata, viuidam partem inuenerit, quæ matrem pararet, vnde nasceretur. Hoc ante Rupert. mira- *Nazianz.* tus est Nazianz. carmine de virginit. *Post animam Christus suscepit, & omnia membra corporis, atque Adamum sumpsit; sed qualis in horto, cùm nondum vitij infectum pectus haberet, nec dulci alloquio dirj serpentis, & astu pellectus, fructum, stygiamque in viscera mortem misisset.* O mira Dei potentia! *generationem eius quis enarrabit?* in mortis regione spirantia vitam viscera, vt generaretur, inuenit. In Adamo deplorato, in hominum baratho sibi acquisiuit Adamum felicem iustitiam halantem, serpentini veneni penitus expertem, qualis in paradiso ante serpentem, ante casum, ante hominum pestem floridus, viuus, diuinè aspiratus, talis seruabatur nascituro Verbo; sed vbi seruatur talis, nisi in Virgine Maria, *de qua natus est Iesus?* Hæc sola est viuida terra, peccati morte, qua omnes in Adam peccauerunt, inaccessa, ex qua abscissus est filius Dei. Hæc Adam pars, sed Adam viuentis, qualis in horto ante casum, qualémque ipse Christus accepturus venerat. Totum hoc argu- *Iren.* mentum argutè cõficit quæstio illa excitata à D. Iren. lib.3. c.31. *Quare, inquit, non iterum sumpsit Deus limum, sed ex Maria operatus est plasmationem fieri?* Poterat sanè filius Dei, sicut naturam Adã ex limo finxit, sibi etiam fingere ex limo naturã; sed maluit eam à Maria acquirere, ex cuius carne sibi corpus plasmauit. Idq; ex eo solùm ait Irenæus, vt non alia ab Adam plasmatio fieret, sed eadem ipsa recapitularetur. Adamum Christus quærebat, Adami carne indui exoptabat; sed illum Adamum, qualem in horto viuidum ante ebibitam stygiam serpentis alloquio, hùncque vt acciperet, Mariam inuenit, in qua solùm talis Adam seruabatur, vt ex illa Christus nasceretur.

Tertull. Hinc accipite Tert. de resurr. carn. sic Isaiæ verba explanantem. *Audit ab Isaia: exurge, exurge, Hierusalem, indue fortitudinem brachij tui, exurge sicut in primordio diei, scilicet in illa integritate, quæ fuerat ante delictum transgressionis. Quî enim in eam Hierusalem voces huiusmodi competunt, quæ occidit Prophetas, & lapidat ad se missos, & ipsum postremo Dominum suum confixit? sed nec vlli omnino terra salus repromittitur.* Et sanè, vna illa Hierusalem, in qua, & ex qua natus homo cœlestis, vna Maria repromissione liberationis non indiguit, vt quæ primam adhuc iustitiæ originalis gratiam poteretur. Hanc vnam Hierusalem expostulat Isaias, & ab hac vna poterat contendere, quòd exurgeret sicut in primordio diei, minirum in illa integritate, quæ fuerat ante delictum transgressionis, vt in Maria talem ipsi Deus finxerat carnem inueniret, quam & indueret. Equidem sola hæc Hierosolymorum ciuis Maria surrexit sicut in primordio diei, scilicet in illa integritate, quæ fuerat ante delictum transgressionis. Hinc iam addubitari licet, cur Matthæus in recensendo Virginis genere incipit ab Abraha- *Luc.3.* mo, prorsus Adamo relicto? Papæ, Lucas cap. 3. in Mariæ proauis Adamum etiam numerat; sic genealogiam finiens: *qui fuit Adam, qui fuit Dei.* Cur ergo Matthæus Adamum prætermittit? Equidem Matthæus non solius Mariæ; sed & Mariæ, & Ioseph dum asserit genealogiam ab Abrahamo orditus, à quo procedens Maria cognationem Ioseph, & fraternitatem admittit, vt in quo generis Abrahæ non reperiebantur vitia. At ab Adamo nullius fratris consortium patitur virgo, vt quæ sola ab Adamo sine Adami næuis trahit originem. Huc respexit D. Athan. suprà datus cap.2. §.9. in hæc verba. *Deipara Maria sola ex Adam deriuatur, aut cum sponso suo Ioseph ex Abrahamo, & Dauide stemma suum deducit.* Sic ille.

§. III.

Quòd mater Iesu vocetur ante partum, eadem mundities adstruitur.

HÆreo adhuc eisdem Euangelij verbis, *de qua natus est Iesus.* In quibus, etsi nosco anticipationem frequentissimam in Scriptura; tamen hic speciali Dei halitu factum puto, quòd antequam puerperium insinuetur, iam à Maria natus Christus dicatur. Quod acutè expendit Chrysolog. *Chrysol.* serm.146. *Quomodo non ante conceptum mater, quæ post partum virgo permansit, aut genitrix quando non, quæ sæculorum generauit authorem? Maria Mater Dei vocatur. & quando no Maria mater?* Nullo sanè tempore nullo momento effœta & vacua esse potuit Iesu mater, quando omnes nudi tenebricoso abysso peccati cincti, filij conscribantur perditionis, ipsáque semel Deum erat paritura, iam sole vestita, iam circundata viro, iam mater Dei vocabatur; & quando non Maria mater? Sed præstat audire Chrysost. hom. de Interdiction. *Chrysost.* arb. ad Ad. vbi ponderans Euæ damnum, & Mariæ bonum sic ait. *Sedultio Euæ attulit mortem; consensus Mariæ peperit à sæculo saluatorem.* Expendo, *peperit saluatorem à sæculo:* non solùm florentibus suæ ætatis annis, sæuienti hyemis bruma hunc communis salutis fructum dedit; sed à sæculo omni tempore, quo apparere potuit, iam apparuit fœta saluatore. Addo acumen etiam Bernard. serm.1. de Circun- *Luc.2.* cis. vbi explicans verba illa Lucæ, *Vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in vtero conciperetur.* Eleganter illam nobis quæstionem obiecit, cur nomen Iesus ab hominibus vocatum est post ipsius puerperium, ab Angelis quidem est vocatum, antequam in vtero conciperetur; quippe inquit Bern. *Bernard.* *Angelis saluator, & hominum; sed hominum ab incarnatione, Angelis ab initio creaturæ.* Innuit namque in hac Iesu appellatione differentia salutis allatæ hominibus, & Angelis, illis tardè, & post mille casus, & ideo Iesum appellant non nisi postquam natum; his citò festinantes *ab initio creaturæ* primo suæ creationis momento, & ita quid mirum, si festini inueniantur Iesum compellantes, antequam in vtero conciperetur. Sic crediderim in Mariæ maternitate festinata philosophandum; cur ante vterum plenum iam Maria Iesu Mater? cur à sæculo peperit Saluatorem, non solùm quando illum in præsepio reclinauit? quia illi præ cæteris Iesus stetit ab initio creaturæ, à primo suæ conceptionis momento, à sæculo Saluatorem peperit.

§. IV.

Quòd mater sponsa simul nata asseritur immaculata.

EX Maria Virgine Christus natus hoc peculiare inter cæteros infantes, vt voluerit nasci expectato virginis consensu, & beneplacito. Nullus vnquam filius petiuit à matre, vt liceret ab illa generari; Imò neque Deus ipse consensum Adami quæsiuit, vt ab eius costa mulier educeretur, quin potiùs nescio illo, & dormiente Euam ædificauit; sed ex Maria nec carnem assumit, nec nascitur sine eius consensu, & beneplacito. Magnam inde Virginis excellen- *Apud Delrium.* tiam venatur Guillelmus. *Nolebat, inquiens, Omnipotens carnem sumere ex ipsa, sicut sumpsit ex dormiente Adam, vnde* *Cantic.4. sect.2.* *formauit Euam. Ad futuræ matris excellentiam, non tantum ex ipsa carnem sumere, sed etiam ab ipsa volebat.* Ego hanc excellentiam existimatom quod ex vtero matris exire volebat *tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* & sicut ab spõsa expectauit cõsensum. Hoc Christi natale ex virgine spõsalitium suboluit Epiphanio, cum inter cœli miracula hoc *Epiphan.* enumeratur ab illo, *Thalamus virginis habens filium Dei, Deum sponsum Christum* & rectè cœleste prodigium appellatur nasci, & desponsari matrem, & sponsam habere: eáque adest sponsa, quæ Prouerb.5. insinuatur, *Ceruus charissima;* cer- *Prouerb.5.* ua, inquam, vt iam inde æternet cum serpente inimicitias, vt vel ex hoc immunis, & præseruata ab antiqui serpentis dente intelligatur. *Vox Domini præparantis ceruos,* occinit

Regius

Psal. 18. Ambros. Regius vates Psalm. 18. cuius vocis conceptum eleganter declarat Ambros. Psalm. 118. serm. 10. *Qua vox, inquit, Dei, nisi iactamus hominem? qui sunt cerui isti, nisi inimici serpentibus, qui super aspidem ambulant, & venena non sentiunt? Non vile igitur, non corporale arbitror, quod præparauit Dominus.* Sic ille. quod si inter faciendum hominem prima in ædificatione Adami Deus ceruam aliquam sibi charissimam prælegit, præparauit contra venenatos serpentes, eam dicent omnes cum Ambr. fuisse Christi coniugem, & matrē, quæ ante hominem iamiam minanti, serpēti inimicitia præparabatur, vt pessundaris postmodum ceruus a colubro, eius victrix cerua steisset, vt sponsa Dei ad paradisi fundum recuperandum. Non longè diuertit Epiphan. dum ait. *Tunc*
De laudibus Virginis. *natur Virgo esse cælestis sponsa, & mater: qua donorum ante unpsalium nomine Spiritum sanctum cepit, dotem verò gratia cælum vnà cum paradiso.* Aduerte differentiam dotis, cœlum cum paradiso, quippe pro cœlo gloriam capio, pro paradiso, iustitiam originalem, eamque datam post gratiam, quæ cum serpente misceat colloquia, sed diuinæ sponsæ Mariæ,
Damasc. Orat. 1. de dorm. Deip. quæ fit vt cerua præparata ad paradisi serpentes exturbandos. Etenim vt pulchrè addit Damasc. Mariam designans, *ad hunc paradisum serpens aditum non habebit.*

§. V.

Quòd ipsius nati, & filia sit, confirmatur Mariæ puritas originalis.

CHristi Domini proauos expressurus B. Matthæus subticuit Mariæ patres, malens [illegible] eum ab imperi[illegible] filium reputari, quàm terrenos patr[illegible] minæ attribuere, quam nec suspicio infectæ g[illegible] decet, vtpote filiam primogenitam Dei. Sic de di[illegible] genea[illegible] sibi blandienti Alexandro, & inter[illegible] Philippum Macedonem patrem compellanti, sugge[illegible] sacerdos apud
Plutarch. Plutarchum, *Ne mille [illegible] mortalem [illegible] summa nobilitas [illegible].* Sic etiam apud Homerum Hecuba locuta ad sponsum de Hectore ait, *[illegible] Hec[illegible]*, sibi ea Deo fatum attribuens Hectorem [illegible] quan[illegible] unque exclusit suspicionem terreni patris, vt notauit Spōdanus Iliade 10. Delrius nondum noster [illegible] Agamemnon. Iure ergo infectæ genealogiæ notam à Virgine Matre [illegible] explodit nec nominat mortales patres, vt quæ à Deo summo [illegible]
Eccles. 24. tabatur, iuxta id Eccl. 1. 24. *[illegible] Altissimi prodiit primogenita omnium creaturarum*, quod vt audiuit . percepit Da-
Serm. de nat. Virg. masc. & de Maria exclamauit. *O [illegible] matris Eua [illegible].* Ast nobis expendendum est [illegible] *Altissimi prodiit.* fabulosos Mineruæ [illegible] ex Iouis cerebro missos facio, verissimum Adami ex Dei flatu ortum reuo-
Gen. 2. co ad examen; de quo illud *[illegible] lum vita.* Ingessit porro Deus [illegible] dami corpori animam, vt volunt communiter Doctores, iusti[illegible], & sanctitate ornatā, spiritu, & halitu diuino, vt præstantissimo instituti ad[illegible] sus dæmonem communitam: idque declarauit [illegible] criptura. *Hec quòd inspirauit in faciem eius spiraculum vita.* Quod ac[illegible] è
Leon. Ioann. 1. percalluit Leonet vbi examinat verba Ioan. 1. *De [illegible] eius omne [illegible] Adam [illegible] nominem, Spiritum sanctum.* Etenim, qui fuit inspira[illegible] stolis Dei sanctitatum plenus hali[illegible], in [illegible] minum, datus fuit Adam in prima [illegible] conditione, & illius gratiæ Adami animus sanctus immacula[illegible] ore D[illegible] procedens proponitur, & in eo statu vocatur in [illegible] [illegible], quod noster transtulit [illegible] spectans sapientia Ecclesiæ, vt Mariam [illegible] ad corpo[illegible] adnentum felicem, sanctum, impolluum [illegible] tribuit, quod dicat, ego ex ore Al[illegible] ssimi pr[illegible], alter [illegible] spiritus, alter Nessemha.

Vt mea excogitatio hæc lucem a[illegible] piat Dauidem afferre [illegible] illo cantu, vtpote Vltimo d[illegible] creatu-
Psal. 150. Venet. r[illegible] curantem ad Dei laude. Vbi [illegible] dem finit Psal. *Omnis spiritus [illegible]* Quod[illegible] expendens Georg. Venet. in Harm. cant[illegible] conceptu [illegible] animaduertit, [illegible] tum iam verbum [illegible] dicente D[illegible] *Dominum.* Quippe verbum hoc [illegible] significat ipsum tum homini procedentem ab ore Dei sanctum, immaculatum, ideóque in creatione Adam primo positū est verùm post lapsum fœdato hominum animo: fit originalis diluuij cœno & immunditia humana omnia erant plena, vt Dei columbinus spiritus non inueniret vbi requiesceret pes eius, ideóque nomen Nessemha penitus obsoleuit, nec vnquam diuinæ paginæ accessit, nisi altera solùm vice, cùm in fine Psalmorum euocatur à Dauide, Nessemha laudet Dominum. Quid ais, ô Dauid? Vnde tibi in mentem venit obsoletum illud nomen *Nessemha*? Vides ne aliquam creaturam dignam eo cognomine? Sanè, præuidet sibi filiam nasciturum Mariam, quæ aboleti generis stemma nomenque restauret, in qua vna sanctissimæ originis conseruetur cum decore suo vocabulum, vt iam inde ab origine sanctum genus mundo apparet. Nónne sacerdotale genus Aaronis in nepotibus obscuratum penitus erat? Qualis erat sacerdotij splendor in Anna, & Caipha? Tamen inter tot deg[illegible] neres sacerdotes emicuit Elizabeth Ioannis mater, quā
Luc. 1. Chrysol. vocat Luc. c. 1. *de filiabus Aaron.* Id quod expēdens D. Chrysol. ait. *Erat [illegible] ipsi omnibus eius filia Baptistæ, enim in se [illegible] [illegible] sanctitatem, quam tanti generis pia custos gloriosissime [illegible].* Etenim quia primum sacerdotij decus ad Ioannem transfundendum erat, tanti generis pia custos eligitur mater; sic quia primæui sanctitati in Christo inueniendā erat gloria, mater eius Maria eligitur, quæ sola tanti generis in alijs obsoletum in se splendescens conseruat, & custodiat vocabulum. Huc refero Bedam in
Beda. c. 1. Lucæ, sanctum. *Eadem Dei genitrix, & inde quidem beata, [illegible] [illegible] tempora, sed inde mul[illegible] [illegible] custos [illegible] æterna.* Itaquè Maria sanctissimi illius primæui generis pia, & æterna custos, nullum in se aeternæ præbuit saporem prosapiæ.

§. VI.

Infectæ generationis vestigium nullum in Maria.

PRæclarè cauit Matthæus, ne quid infectæ generationis Mariæ adscriberet, cuius puritas vel solo consensu generationis obscuratur humanæ. Illam credideri[illegible] commendatam ab Apost., dum ad Heb. c. 9. fatur. *[illegible] Pontifex [illegible] bonorum per amplius & perfectius [illegible] non manu factum, id est, non huius creationis, [illegible] semel in [illegible] æterna redemptione inuenta.* Cuius loci commentaria
Ad Heb. 9. vix longa esse sinit constructio ipsa verborum, quæ ponens differentiam inter Christum Pontificem, & tabernaculum, per quod [illegible] gressus accessit ad sancta, non ob[illegible] designat vterum virginalem, per quem transiuit Christus, tanquam per tabernaculum, tabernaculum [illegible] nquam, nouæ, & inauditę perfectionis & amplitudinis, ipsi cœlis purius & capacius: quia quem cœli capere non poterant, suo in gremio contulit. Quid pl[illegible] Tabernaculum non huius creationis, in quo nec odor generationis infectæ inuenitus est. Placet hæc explicatio C[illegible] no, non d[illegible] cet Riberæ nostro; ego
Dionys. Alexand. illam acceptam refero [illegible] Dio[illegible] Alex. in Samosatenū in solut. quæstiōni [illegible] vbi sic loquitur. *Non enim ferme habitat Dominus; [illegible] tabernaculo. non manufacto, id est non huius [illegible] Deipara.* O verè amplissimum Dei tabernaculum Maria. quando quicquid habes diuinæ correspondet arti, non generationi humanæ, quā prorsus suspe[illegible] am, & [illegible] habes! Dubitari solet, cur Mariæ salutan[illegible] [illegible] Cur non potius Propheta aliquis, [illegible] Cur [illegible] eligitur venerabilis, & sanctissimus [illegible] Ioannis pater? Sanè, offenderetur Mariæ puritas, [illegible] cognationis humanæ. Vnde elegan-
Ambros. ter D. Ambr. ait, *ne quæ de [illegible] deprauentur [illegible] ab Angelo [illegible].* Degener [illegible] erat Mariæ quicunque non erat [illegible] vt quæ instar diuini tabernaculi non hanc generationem, sed Angelicam, & omninò sanctam repræsentabat.

§. VII.

[illegible] diuinæ generationis [illegible]

ECce [illegible] Matth. œconomiam, qui per paternitatis no-
Matth. 1. [illegible] deduxit prosapiā; ait enim. *Abraham [illegible] Isaac autem genuit Iacob, Iacob [illegible] Iudas autem genuit Phares, [illegible] Salomonem ex ea qua fuit [illegible].* Per illud, genuit, nodam exprimit paternitatis, quā de patre ad patrem descendens, singulorum detegit peccata, nominum linea incestum, Dauidis adulterium. E contra Luc. 3. ait *Qui fuit E[illegible] qui fuit Mathath, qui fuit Nathan qui fuit Dauid, qui [illegible] Adam, qui fuit Dei.* Per illud,
Luc. 3. *qui fuit*, notam filiationis prætendit, qua à filio ad filium ascendit, etiam ipsum Adamum sub filij nota exprimens, & in

in singulis oppositionem cum peccato declarat: quapropter relicto Salomone adulteræ filio, profert Nathan, à cuius nominis Propheta adulterium fuit castigatum. Id *D. Thom.* notatum reliquit D.Thom.3.p. q.31.art.3. ad 5. fatus, *Matthæus à Dauid per Salomonem descendit, in cuius matre ille peccauit; Lucas verò ad ipsum Dauid per Nathan ascendit, per cuius nominis Prophetam Deus peccatum illius expiauit.* Sed age, cur id factum est? Cur Matthæus per patris notam singulos recenset, & eorum aperit peccata; & è contra Lucas de filij notione ipsum etiam exprimit Adamum, in singulis notans oppositionem cum peccato? Equidem Matthæus Iosephi attexuit lineam generationis, in qua necessario apparet peccati infectio à parentibus communicata. Verum Lucas, *D. Thom. Caietan. Soto. Suarez. Maldon. Tolet.* vt author est D.Thom. super Caiet. Soto, Suar. Maldon. Tolet. & alij plures è Societate, Marianæ generationis lineam rectam ostendit, in qua meritò nullus homo, nec Adamus ipse exprimitur pater: sed vno Deo excepto, in reliquis sola filiationis nota claret, & in singulis oppositio cum peccato, quippe Maria vnum Deum parentem habens, ab illo descendit per callem omnino oppositum peccato. Hic Marianam generationem, vt verbi geniti æmulam, sic *Psal. 109.* Psal. 109. decantat. *Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus Sanctorum, ex vtero ante luciferum genui te.* Ecce genitor loquitur suæ proli, quod ipse solus pater eius sit, quod illam genuerit ad principij quod est verbum, exemplar, quod item eius generationem duxerit in splendoribus Sanctorum, non in tenebris peccatorum, sed in opposito peccatis calle. Huic adstipulatur explicationi D. Am- *Ambros.* bros. in Psalm. 40. sic exprimens verba præfata. *Generationis meæ in te priuilegium recognosce, quam nulla potuit macula inquinare peccati.* Quibus expendo illud generationis meæ priuilegium, an quia genitus Dei filius priuilegio aliquo vtatur? Absit, ipse enim filius naturalis naturaliter, & ex propria sua natura expers omninò est peccati, in luce genitus, nec alium patrem præter Deum, siue in cœlo, siue in terris habet. Harum perfectionum priuilegium vni Mariæ fuit communicatum, vt quod filius naturaliter habet, Maria ex eius habeat priuilegio, illius existens generationis æmulatrix, quando vnicum Deum patrem habens pellucido calle, & peccatis opposito, oritur.

§. VIII.

Maria ex se sola suam prædicat munditiem originariam.

Sed adhuc mirabor Matthæi silentium, in parentibus recensendis Marianis eius sponsum cum omni sua progenie diligenter demonstrat, at quis fuerit Mariæ pater, siue homo, siue Angelus, siue Deus, omnino ipse tacet, contentus ipsam solam nobis ob oculos ponere, in qua manifestè patebit eius mundities originaria. Lumen huic ex- *Ennod.* cogitationi prætulit D. Ennodius orat. 2. in Deutericium ex pulchro, & eleganti exemplo aiens, *Quoties Amom. flosculus per deprædationem lustris pollicis, radice viduatur, & ad domum manuum humanarum nobile germen adducitur, meritum cespitis odore significat, & naturæ genium prima visione testatur. Occultari se non patitur fœtura sublimis; decor clari sanguinis non tenetur absconditus, vox mundæ originis, licet in recessu, semper auditur.* Porro, vile lignum si ab arbore scissum inueniatur, non facilè cognoscitur cuius naturæ sit, necessarium est diligens examen, & inquisitio; at Amomi flos quantumuis à radice separatus statim suæ originis testimoniū præsefert. Sic vbi ad Ioseph ventum est, non aliter eius nobilitas cognosci poterat, nisi præmisso largo auorum, atauorumque censu, quippe obscuræ, infectæque erat prosapiæ. Non sic Maria; sed vt Amomi flos, radice viduata, absque auis, & parentibus proposita ipsa per se meritum cespitis odore significat, & naturæ genium prima visione testatur. Occultari se non patitur fœtura sublimis; decor clari sanguinis non tenetur absconditus; vox mundæ originis, licèt in recessu, semper auditur. Vrgeo rem exemplo primæ mulieris à Deo fabricatæ, quam vt educeret diuinus artifex Gen. 2. immisit soporem in Adam, & inde scindens costā, ex illa mulierem occultè fabricauit. Quid plura? à somno excitatur Adam, & ecce tibi, vt primùm ad se venientem mulierem vidit, *Genes. 2.* ait: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Vndéne, ô Adam, id nouisti? Quis tibi mundissimam, & firmam fœminæ narrauit originem? A quo accepisti Euæ prosapiam? Sanè, floridus mulieris aspectus, adnatarum virtutum halitus meritum cespitis odore significat, & naturæ genium prima visione testatur, vox mundæ originis, licèt in recessibus, semper auditur. Fallor, nisi huc respiciat Catherinus in *Cather.* præsenti fatus, *Ipse quoque Adamus agnouit eam ex se ipso esse, & idcircò diligendam, quæ ad ipsum veniebat, tanquam suam recognoscens originem.* Is erat in Euæ vultu floridus decor, ea modestia, & grauitas, is virgineus pudor, ea ad Adamum accedebat gratia, quæ originis mundæ genium ipsa visione testaretur. Accedit illud Gen. 8. vbi post diluuium colum- *Genes. 8.* ba dimissa ab arca est; *at illa venit ad eum ad vesperum portans ramum oliuæ virentibus folijs.* Quæ hæc viridans oliua, an nata post diluuium? Repugnat D. Ambr. c. 19. de Noe, imo ex vi- *Ambros.* rore oliuæ colligit ortam ex arbore primitiua ante diluuiū florida, & in diluuio illæsa, quo posito, sic de Noe fatur, *Vir iustus gauisus est fructum de veteri semine aliquem reseruatum, & inde collegit misericordiæ insigne diuinæ, quòd iam diluuium remouisset, quæ fructum demonstraret, cui non potuissent nocere diluuia.* Totum hoc præferebant viridantia oliuæ folia, quorum amœnitas sola visione originem testabatur. O tu quisquis vides floridam Mariæ vitam, mirabor, si ignorare posses, quòd mundissimâ sit origine nata. Oliua est enim, quæ diuinæ in ore columbæ se ostendit de veteri iusti Adami semine reseruatam, cui non potuissent nocere diluuia. Hinc percipio acumen D. Greg. Taumat. qui de Mariæ annuncia- *Taumat.* tione fatus, ait. *Ad Mariam autem virginem iam sanctam, Gabriel Archangelus sola lumine venit. Aue gratia plena illi denunciauit.* Cur solo lumine venit? Quia vox mundæ originis, licèt in recessibus, semper auditur, & mundissimam originem suam singularis Mariæ sanctitas solâ visione testatur. Vnde Angelus non sermonales declinationes, sed solum lumen parat, vt Mariæ puritas cernatur.

§. IX.

In Maria caelitus Abrahamidum origo munditiem originalem adstruit.

Mariani generis caput meritò ponitur Abraham, cui dictum à Deo est Gen. 22. *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & velut arenam, quæ est in littore maris.* Verè tunc *Genes. 22.* multiplicatum est semen Abrahæ, sicut stellæ cœli, quando Maria in vtero matris de diuini Solis radijs splendens apparuit. Hoc Abrahami semen miratus Isaias ait: *Nisi Do-* *Isai. 1.* *minus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus,* &c. Sed quod semen relictum est, an semen sicut arena maris, aut sicut puluis terræ? Sanè non terrenæ generationis opus erat, vt omnes homines erigerentur à lapsu, cœlestis, & stellifera quærenda fuit generatio, quâ omnes possemus regenerari. Hinc Prouerb 30. dicitur, *Mulierem fortem quis* *Prou. 30.* *inueniet? procul, & de vltimis finibus pretium eius.* Quasi prophetans dixisset, quod fortis illa mulier, per quam in vitam sumus regenerati, non ex terreni limi fæce, sed ab scintillanti cœlo est expectanda. Accedat horum verborum commentator D. Bern. hom. 2. super Missus est. Vbi sic *Bernard.* ait. Si de manu fœminæ pendet nostra omnium salus, & innocentiæ restitutio, & de hoste victoria, fortis omninò necesse est, vt prouideatur, quæ ad tantum opus possit esse idonea. Sed mulierem fortem quis inueniet? Subdit prophetando. *Procul, & de vltimis finibus pretium eius, non vile, non paruum, non mediocre, non de terra, sed de cœlo, nec de cœlo proximo terræ, pretiū huius mulieris, sed à summo cœlo egressio eius,* nempe ab stellifero, & empyreo cœlo. Ecce tibi quo inuenienda est origo Mariana, non à terra, vbi est originalis infectio, nec à cœlis terræ proximis, nimirū ab his qui sunt ex qua generati, quales sunt Planetarum cœli, qui vt terræ vicini, sic in creatione suâ primæuam terræ inanitatem, & vacuitatem sunt imitati, quando incompositi, & inornati conditi sunt, motibusque contrarijs, & raptus, & trepidationis subiecti: non ergo istorum instar concepta fuit mulier fortis; sed à summo cœlo egressio eius, eo modo, quo superius stelliferum cœlum, condita est. Pro quo accipite elegans Bedæ argumentū expendens illud Gen. 1. In princi- pio creauit Deus cœlū, & terram, etenim ait, *Istum est cœli* *Beda.* *superius, quod ab omni huius mundi volubili statu secretum diuinæ gloriæ præsentia manet semper quietum. Non enim ad motus illud cœli mundi creatum est, & ornatum.* Quid vero meæ conceptionis aptius? Sanè cuncti sancti cœli sunt, & ei gloriam enarrantes, sed quia vacui concepti sunt, sic mille motibus contrarijs subiacent: nonne cœlum erat solare Paulus, dum ait: Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati. Verum Maria nō instar istius cœli terræ proximi, sed velut superius illud cœlum, ab omni volubili statu secretū, diuinæ gloriæ *Richard.* præsentia quietum, in qua, vt loquitur Richard. Vict. lib. 2. *Vict.* de

de Emanuele, omnis pugna tollitur, & pax plena reperitur. In qua item nulla peccati lex repugnans legi mentis inuenta fuit, vt sentit vniuersa Theologorum schola cum D. Thom.3.p.q.27.art.3. (D.Thom.) Vnde licet at cum Beda sic elicere, non ergo superius hoc, & stelliferum Marianum cœlum inane creatum est, ac vacuum.

§. X.

Maria libera ab omni peccati etiam originalis seruitute.

INsto stellifero Abrahami semini, in quo Marianam à peccati seruitute cognosco libertatem. Vbi è cœlis ortam fœminam, stellis coronatam Apoc.12. (Apoc.12.) vidit, D.Bern. (Bernard.) ibi ait, *Quid ergo syderium micat in generatione Mariæ? Planè quod ex regibus orta, quod ex semine Abrahæ.* Ea est hæc Abrahami filia, quæ non inter puluerulentum, & seruile Abrahami genus, sed inter syderium, & cœleste exorta, ab omni peccati seruitute, vt regiam prolem decebat, libera, & immunis existat. Erat in Abrahamo seruile peccatorum semen designatum, erat & gratia ab omni seruitute præueniens figurata; illud puluis, hanc stellæ notabant: vnde Maria stelliferum ducens genus, præuentionem gratiæ, qua nullam seruitutem peccati incurreret, vt felicior Abrahamidũ habuit. Enim verò Abraham dicitur Gen. 15. (Gen.15.) *Scito prænoscens, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subijcient eos seruituti, & affligent eos quadringentis annis. Tu autem ibis ad patres tuos in pace.* Quæ verba expendens Richard. Vict. (Richard. Victor.) de differentia sacrificij Abrahæ, & Mariæ, tractans, fatur, *Tu autem,* inquit, *ibis, tu quem præ cæteris abundantiori gratia præueni, tu quem præ cæteris illuminaui. Tu ibis ad patres tuos in pace, immunis ab omni indignæ, & duræ seruitutis oppressione.* Sic quando omnes Abrahamides seruitute premendi erant, vnus Abraham præ cæteris præuenitur ea gratia, qua regium decus ab omni seruitute immune conseruaret. Quod regale decus Abrahami stellifera proles Maria ita conseruauit, vt cum vniuersi homines, ipso conceptionis momento peccati seruituti subiaceant, Maria præ cæteris abundãtiori gratia præuenta, prodiderit in pace immunis ab omni indignæ, & duræ seruitutis oppressione. Sic vitæ caput, nimirum conceptio in singulis seruili peccati stemmate obscurum, in Maria de stellifera corona clarum, hoc est de gratia præueniente illuminatum apparet, vt ab stellis regię dignitatis præuentionem, vt felix Abrahamides Maria notaret. Huc respexit Angelus, quando Virginem salutans Luc.1. (Luc.1.) ait, *Aue Maria.* Cuius nominis vim, & significationem ponderans Chrysol. (Chrysól.) serm.142. inquit, *Maria Hebræo sermone, latinè Domina nuncupatur: vocat ergo Angelus Dominam, vt dominatoris genitricem trepidatio deserat seruitutis, quam nasci, & vocari Dominam, ipsa sui germinis fecit, & impetrauit authoritas.* Quippe æquum erat, vt tanta parens Abrahamidum gloria, abundantiori præ cæteris præueniretur gratia, qua in pace ab omni indigna seruitute immunis, prosperè procederet in regnum.

§. XI.

Maria Iacob filia originale non vidit naufragium.

ANtequam à præueniente gratia in stellis notata discedam, me vocat nobilis item stella Iacob, à vate illo nefario Balaam Num.22. optimè decantata. Nec crediderim casu factum esse, quod in Mariana prosapia, bis Iacobi nomen appareat, sed quia huius parentis pugnæ maiorem lucem dedere Marianæ victoriæ originali. Igitur de Iacob fratrem in vtero supplantante, ait Gen.25. (Gen.25.) *Et collidebantur in vtero.* Id quod explicatius teste Hier. (Hieron.) posuit Symmachus, dum legit, *In similitudinem nauis in superficiem ferebatur.* Itaque Iacob quasi nauis nauali prælio insurrexit in patrem, vt Marianam victricem ante omnes fratres præmonstraret. Quæ sola nauis facta institoris à primo suæ conditionis instanti cœlesti onusta pane huius vitæ Scyllam, & Carybdim superauit, & primogenitum peccati detriumphauit, nauísque semper integra, & incolumis euasit. Et quidem ex hoc maxime expendit D.Hieron.epist.ad Saluinam, differentiam illorum qui post peccatum salutis portum attingunt, & qui nullius sceleris rei æternam ingrediuntur felicitatem. Ait enim ad primos. *Nec nobis pœnitentiæ subsidia blandiantur, quæ sunt infelicium remedia. Aliud est enim integra naui, & saluis mercibus portum salutis intrare, aliud nudum hærere tabulæ & crebris fluctuum reuersibus ad asperrima saxa collidi.* Ecce vobis graphicè descriptus, qui peccati naufragium fecit, qui non naui, sed tabulæ inhærens, mille fluctus, mille dolores expertus, ægrè, & difficulter appellit: ideóque vniuersa Theologorum schola pœnitentiam, secundam tabulam post naufragium vocat, secundam, inquam, quia post peccati originalis naufragium, vel Baptismus, vel aliud eius remedium erat tabula prima, qua salui simus. Felices ergo, qui non tabulæ inhærentes, sed integra naue, & saluis mercibus portum intrãt salutis: at ex semine conceptis, vni Mariæ id felicitatis obtigit, sola hæc quasi nauis institoris, à longè, id est à primo conceptionis instanti portans cœlestem gratiæ panem, integra, & saluis mercibus æternam felicitatem adipiscitur. Huc spectans Damasc. (Damasc.) orat.1. de dormitione Mariæ ait, *Inuenit Maria gratiæ abyssum, qua duplicis virginitatis nauem incolumem seruauerat, animámque non minus, quàm corpus incolumem custodierat.* Etenim nunquam naufraga Maria, non tabulis hæsit, sed quasi victrix nauis in vitam soluit, inueteratúmque hominum cum Deo bellum dissoluit, atque integra, & incolumis ad portum properauit. Quid mirum? Nauis erat Maria, non pomum, sed panem viuum portans. Pulchrè apud Virgil. (Virgil.) lib.2. suorum naufragiorum radicem Æneas Didoni præsagiens, emphaticè dixit.

——— Classémque sub ipsa
Antandro, & Phrygiæ molimur montibus Idæ.

Sub ipsa, ait notanter, Antandro, molimur classem, sub ipsa, inquam, à qua omne malum aduersus Trojanos panditur. Enim verò iuxta Strabonem (Strabo.) lib.13. Antandri nomine significatur illa montis Idæ pars, vbi ob sibi negatum, imò ereptum pomum, irata Iuno in Teucros persuasit. Nullum ergo sinistrius omen Teucrorum nauibus excogitari potuit, quam quòd sub noxialis pomi arbore vela ventis dedissent. Nec Marianæ nauis felicitas aliunde clariùs affulget, quàm quod in vitam soluens, nec odorem antiqui pomi, sub quo omnes periclitamur, præsenserit ipsa.

§. XII.

Maria, vt domus Iacob, prima conceptionis fundamina gratia confirmata requirit.

NEmo non sciuit Iacobæam virginem in domum perpetuò duraturam, à Deo Opt.Max. sibi constituit: ait enim Angelus Luc.1. (Luc.1.) *Et regnabit in domo Iacob, & regni eius non erit finis.* Nec crediderim tantæ domus conditorem latuisse illud ab Hermete (Hermet.) dictitatum lib. cẽtum Aphotism. in 13. vbi sic, *Dum luna erit meridionalis descendens in scorpione, non incipias fabricare, citò enim huius fabricæ diruetur.* Non inquam hoc latuit Iacobææ domus conditorem, qui vt domum virgineam, eiúsque gloriam æternaret, sub habitu serpentis illius meridionalis minimè primùm fundamentum iecisset, vtpote qui ædificat sicut vnicornis, venenosi flatus contrarium sanctificium suum. Imò verò, sic studuit diuinus artifex tantæ domus firmitati, vt nec primas illi manus posuerit, nisi priùs ædificato inexpugnabili muro, qui & hostium incursiones arceret, & firma domui ædificandæ præberet fundamina. Accipite diuinum artificem Mariæ constructioni operam dantem Cant.8. (Cantic.8.) *Soror nostra paruula est, & vbera non habet. Quid faciemus sorori nostræ?* Et quasi iamiam se ad opus accingeret, ait, *Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea.* Quæ verba sic ex Hebræo tinniunt: *si murus est, ædificemus super eum palatiũ argenteum.* Quis artifex ad palatium ædificandum, ante primum lapidem iactũ, murum requireret? Sañe fundamenti lapides profunda in fossa iaciuntur, nõ super murum locantur, verum vbi Iacobæa domus summi regis Palatium ædificatur, non antea primus fundamẽti lapis imponitur, quàm supponatur murus à quo excluduntur incursus omnes maligni. Id quod contemplabatur Amos c.7. (Amos 7.) vbi ait: *Ecce Dominus stans super murum litum, & in manus eius trulla cæmentarij.* Et quidem super murum pinnæ eminere consueuerunt, non cæmentum, at qui Marianam construit domum, super murum trullam habet cæmentarij, iacturus tantæ domus cæmentum super murum, vt prima eius conceptio, quæ est vitæ fundamentũ, muro inexpugnabili cincta, & confirmata appareat, vnde hostiles repellat phalangas. Vel si à Septuag. lectione stare malis, pro trulla cæmentarij habet, *Et in manu eius adamas:* cuius lapis natura optimè repræsentat Mariam à conceptione deuastricem peccati. Is enim est adamas, qui à primis incunabulis, teste Plinio (Plin.), nascitur aculeatus, & ideò Hebraicè idem nomen habet, quod tribulus, siue sentes,

nempe

nempe Sam.., à radice Samar, quod est sibi cauere, ac si nomen esset *caue*, vt Hispanè sentes dicitur *abroja*, id est, *abrojo*, quasi iam tunc vulnus, & internecionem minetur contrariis si cuspidi accedant. Igitur primus domus Iacobex lapis Adamas est, quia Maria ab ipsa conceptione exijt aculeata, crucemque mortemque minitans peccato originali, si accedere audeat.

§. XIII.

Mariæ paupertas, & nuditas iustitiam originalem commendat.

POst Marianos auos, iam nobis conspicitur Ioseph, vir, siue sponsus Mariæ, Ioseph, inquam, quam pauper penu traxit in artem fabrilem. Proh! pauperis sponsi digna sponsa Maria, & ipsa paupertie sua nobilis conseruatrix primæui status, in quo nuditas illustris erat iustitiæ originalis amictus! Huius primæuæ gloriæ memoriam repetens Iob, bonis omnibus spoliatus sic animos sustulit, c.1. *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc*. Qualis hic affectus dicentis *nudus reuertar illuc*? An affectus hominis deplorantis vicem suam? absit; sed affectus est hominis triumphantis & gloriam exponentis sui triumphi, quando dicit se ad illam illustrem nuditatem peruenisse, qua gloriosi erant primæuæ possessores iustitiæ. Ita D. Chrys. ad Olympiadem fatur, *Nudus egressus sum de vtero, & nudus reuertar illuc. Sed cuius tandem vteri meminit? nempe primi illius opificy sui quæ i ter a coagmentationis, primi parentis opificium imitantis. Nudus è terra diuino munere conformatus sum, minimè fucatus, nulli re superuacanea oneratus. Ergo nudus quoque reuertar illuc, quò? nempe ad locum plasmationis meæ terram.* Ecce tibi in rerum nuditate considerat vir iustus primæui illius status gloriosam vicem, quando omnes in Adamo nudo conditi nudi fuimus, qua nuditatem diuino munere sortiti, nulla re superuacanea onerabamur, nullo egebamus amictu, nullo secreto domus. O nuditas hominum gloria! O nuditas antiquus latero originalis iustitiæ! Vnum peccatū secuti sunt amictus, vestium splendor, magnificentia palatiorum, ingentes diuitiæ, quæ omnia peccati vulneribus curandis quæsita sunt, & inuenta. Vnde pulchrè Clemens Alex. lib. 2 Pædag. c. 1.. de pretiosa veste dicit. *Nihil habet amplius quàm alia vestis, nisi solum vituperium*, quando hominis vituperium est quod sic affectus sit, vt tantis egeat externis pulchritudinibus ad tegendam infirmitatem suam. Quid plura? Quæ ad peccati vulnera concurrunt diuitiæ, splendidæ vestes, tecta picta, gloriosa tabulata, regiæ solitudines, prorsus abscedunt à Maria, vt quæ originaria illa nuditate splendēs, nullius superuacanei, & externi splendoris erat indiga. Huc respiciebat illud Apoc. 12. nimirum. *Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta Sole.* Cum audio Solis amictus in fœmina, meritò dubito, an alia significetur magis splendens fœminæ nuditas, quàm amictus. Solent Hispano sermone in hospitalia loca vocari, stellarum hospitia, scilicet *meson de la estrella*, vbi nulla alia tecta succurrunt, quam cœli stellis fulgidi. Ad eum modum crediderim in Solis amictu omnimodam nuditatem stabiliri, eamque maximè gloriosam, & primæ prorsus æmulatricem. Qua cœlestis fœmina Maria illum in se muliebrem mundum ostentet, qui in originalis iustitiæ nullius rei indigno splendore consistat. Quo, nisi fallor, spectant illa D. Chrysol. 142. verba, quibus Marianam felicitatem depingens, inquit, *Nec secretum mundana habitationis inquirit, quæ ipsam super splendoris circumspicit velamento.* Quasi dixerit, splendidas attexant vestes, magna palatia ædificent, qui peccati scaturigines & fœditates velint operire, verum Maria de fulgore pristinæ iustitiæ amicta munere diuino, respuit fucos, nec fulgentis vestis, nec domus speciem requirit.

Margin notes: Chrysost. in Cat. Iob. — Cl. Alex. — Apoc. 12. — Chrysol.

§. XIV.

Pulchritudine Mariana, originalis maculæ aufertur suspicio.

TAnto viro, nimirum Ioseph, quantæ pulchritudinis sponsam præparari existimas? Fortissimo viro Sisara moram in bello faciente maximus luctus tenebat domum eius totam, sed tunc Iud. c. 5. dicitur, quod *vna sapientior cæteris vxoribus eius, hæc socrus verba respondit. Forsitan nunc diuidit spolia, & pulcherrima fæminarum eligitur ei.* Sic de pulcherrima sponsa numerat fortem virum sapiens forma, vt ex præstantissimo virorum Ioseph liceat incredibilem auspicari Mariæ pulchritudinem, & eam pulchritudinem, quæ originalis sceleris suspicionem extinguat. Nihil ego de Tulliano flumine sitio cùm huc accedo, facturus quod Hyperides ille apud Plutarc. fecisse narratur. Hic Athenis oratione potens, cùm formosissimam puellam Phrynē frustra defenderet Euthias Orator alter, rupto orationis filo, opertæ, reorum more, puellæ exclusit velamen, & quæ latebat pulchritudo conspicua omnem facinoris suspicionem erasit, & innocentiam Phryne iudicibus persuasit. Et quidem vbi facinus euidens non est, sed dubia tantum serpit illius fama, pulchriori fauet ius Cæsareum, vt docet Bald. l. & vers. *Quæ autem C. quorum appellationes non recipiuntur.* Blanc. l. fin. C. de quæstionibus. Mascard. de probationibus, concl. 831. à n. 27. Ecce vobis, ò seuerissimi Mariæ iudices, quibus dubito, an satis sit perspecta pulchritudo Mariana, quando eam primi facinoris ream accusatis. Ecce vobis subducto velamine, pulcherrimæ puellæ scintillat facies, in qua Damas naturæ venustatem, August. formam Dei admiratur. His posterior Magnus Albertus in vna Maria recenset, quidquid floridum, quidquid venustum, quidquid gratiosum habuerunt puellæ, de quarum pulchritudine antiquitas se maximè iactat. Illi aureum Saræ os, nescio quid subridens, illi oculorum Liæ teneritudo Dei pectus emolliens, illi Rachelis splendor, sales Agibail, vitrus Iudith fulgidum spirans decorem. Ab hac vna pulchritudinum abysso, omnia decora per vniuersum orbem sparsa dimanarunt. Crispantes purpureum mare, vndas ab eius crinibus didicit commouere; ipsius æquor a fronte delineatum est. Supercilia Iridem effigiarunt, lumina ab eius oculis scintillata sunt, a genis florentes rosæ, minium a labris, sub lingua mel, & lac ebur effluxit è manibus. Altum & læue collum formam Cedris dedit, staturæ eius assimilata est Palma. Quid plura? Ignorat Mariæ pulchritudinem qui eam pomi noxialis furto damnat. Ex quo pro eius immunitate sic argumentum conficio ab impossibilitate coexistentium, quam vulgo Hispani vocant *la contrada*. Quia ipso momento, quo primi parentes noxialis pomi furto Deum offendebant, ipsum tunc pulchritudo Mariana, & pelliciebat, & recreabat. Nonne illa est Mariæ vox Cant. 1. *Indica mihi vbi pascas, vbi cubes in meridie?* Meridiem vocat, quando primum excurrerit peccatum, de quo Psaltes petebat liberari, nimirum, *ab incursu, & dæmonio meridiano*: vel, vt explicatius ex Hieronymo dixit Richardus Cenomanus, *à morsu insidiantis in meridie*. An meridies erat, cum primi parentes pomum furabantur? Ita Rabanus in c. 3. Genes. ait. *Aptè Dominus crucem meridie ascendit, vt qua hora primus homo lignum præuaricationis tetigerat, secundus homo lignum redemptionis ascenderat.* Sciens ergo Maria Deum deambulasse ad auram immediatè post hunc meridiem, cupit anxie scire vbi paulò ante stetisset; vbi hora illa meridiei erat, qua a latronibus petebatur, qua ab Adamo contemnebatur, quo tunc diuertisset. Cui statim Deus, *Si te ignoras, ò pulcherrima mulierum.* quasi diceret, vt ex tua interrogatione colligo, ò Maria, tuam prorsus incredibilem pulchritudinem ignoras, nondum tuam pulchritudinē vidisti, quando me in illo meridie ignorasti, qui ab hominibus repulsus, tuæ vnius pulchritudinis asylo me recepi, & ibi me tutatus sum. Sed præstat audire Rupert. hæc verba dantem. *O pulcherrima mulierum! O benedicta inter mulieres, cuius pulchritudo benedictio est, talis ac tanta causa tua..., vt si te ipsam non ignores, statim... illud, quod quæris: scire, & humilitas sola pulchritudo tua, & hic est locus requiei meæ.* Hæc Rupert. quibus nemo Mariam illius pomi meridionali furto iam obstringet, quandoquidem, cum furtum illud agebatur, Maria pulchritudine sua Deum ad se trahebat, & Deum secum alligabat.

Margin notes: Iud. 5. — Bald. — Blanc. — Mascard. — Cant. 1. — Psalm. 90. — Raban. — Cant. 1. — Rupert.

§. XV.

Maria in conceptionis munditie à peccatu, verbo Dei similis.

SPonso Mariæ succedit modo eiusdem filius, nimirum Iesus, optimus maternæ indemnitatis assertor. Etenim vbi filium Dei virginis visceribus ionatum Iacobus vidit epist. can. cap. 1. ait. *Suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras.* Quæ verba non de Dei loquela, sed de personali verbo, nimirum Filio Dei, virginea carne vestito, exponunt D. Anselm. serm. de Transfigur. Beda, & D. Thom. in præsenti. Quibus ego, vt assensum præbui, sic statim notaui illud *insitum verbum*, quod iuxta plantarum insitionis leges maximum negotium facessit virgini in gratia conceptæ. Quippe Columella lib. de re rustica 5. cap. 14. loquens de

Margin notes: Iacob. 1. — Anselm. — Beda. — D. Thom. — Columell.

de plantis, quæ aliis inseri fructuosè valent, dicit. *Si verò etiam similem fructum affert, & eodem tempore sine scrupulo egregiè ingeritur.* Expende similem fructum, & eodem tempore, non enim apta est insitioni arbor, quæ vacua est fructu, quo tempore ramus, qui ingeritur, fructibus impletur. Quapropter vbi Dei verbum insitum est virgineis visceribus, ne tantæ detrahamus insitioni, fateri debemus, gratiæ fructum eisdem temporibus reperiri in Maria, quibus in insito verbo: & sicut verbum nullo tempore vacat a fructu, sic Mariam fatemur, nullo tempore vacuam, sed omni tempore gratia plenam esse. Non enim fas est putare, quod verbum insitum sit à radice degener, imò potiùs, & radix, nempe Maria, & verbum Dei, quod inseritur, similes sunt, & in natura fructus, & tempore. Hanc verbi, & Mariæ similitudinem attigit Isaias c.16. in hæc verba. *Emitte Domine agnum dominatorem terræ de petra deserti.* Cur de petra deserti? Sa-

1.Cor.10. nè, Paulus ad Corinth. de Christo loquens, ait: *Bibebant autem de spirituali consequente eos petra, petra autem erat Christus.* Vbi ergo Christus petra erat, & mater eius, à qua orire-

Guarr. tur, debebat esse petra, vt sic inter radicem, & ramum nihil degeneris notæ inueniretur. Id docet Guarrius Abb. ser.2. in Annunc. fatus. *Sic ergo petra Christus, vt ait Apostolus, non degenerat à matre filius, quando & ipsa petra nomine censetur. An non rectè vocatur petra, quæ & in amorem integritatis proposito firma, affectu solida, sensu quoque ipso aduersus illecebras peccati tota insensibilis erat, & lapidea.* Quibus pondero non solù quod dicatur petra Maria aduersus peccati illecebras, sed multo magis, quod ideò talis petra sit, ne ab illa degeneret filius, sed prorsus in lapideo tigrite aduersus peccatum, sint quasi eiusdem generis mater & filius. Atqui de

Prou.30. Dei filio loquens teat. Prou.30. ait iuxta lectionē Septuag. *Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro. Viam Aquilæ in cœlo, viam colubri super petram.* Facilè enim coluber terræ, sui vestigia imprimit, at in petra frustra tentas vestigia re-

Ambros. linquere. Id quod notans D. Ambros. lib. de Salom. c.2. ait. *Sic & ipse diabolus in ipsis natalibus mundi inuenit corruptibilem terram Adam, & Euam, libenter audientem, quia eis locutus est, fecit in auribus semitam, fecit & in pedibus, fecit & in manibus, à quibus contrectata sunt poma. Venit denique ad petram, quæ est Christus, sed Christus diaboli verba contempsit, ideo serpens in petra vestigium non fecit.* Equidem Adamus, qua terra serpentis impressionem accepit, verè petra Christus, qui vt ideò à matre non degenerat, sic mater & filius petra, & petra primæui serpentis vestigia minimè receperunt.

§. XVI.

Maria Redemptionis adiutrix in conceptione Redemptori similis.

PRæclarè D. Iacobus, ex eo quod verbum insitum sit virgineis visceribus, concludit, quod saluare potest animas, hoc est, quod iam a mortis caligine regenerauit nos in vitam. Cur non regenerauit nos Cristus, quando compar illius, & adiutorium simile sibi est Maria? Notanter dixi Mariam in regenerandis hominibus adiutorium fuisse cœ-

Iren. lesti Adamo simile, adeò vt dicat D. Iren. lib.3. c.33. *Virgo obaudiens, & sibi, & vniuerso generi humano causa facta est salutis*, quod si aliquo modo causa, siue instrumentum fuit regenerationis, sanè & simillima in ipsa sui conceptione redemptori debet existere. Hinc est, quod toties diua Virgo

Cantic.2. vocetur à compare suo nomine columba; ait enim Cant.2. *Surge propera amica mea, columba mea*, & aliàs passim. Cur columba? vt ostenderet originale decus, quo Maria concepta ab eadem gratiæ vulua cum Christo, ei ex tunc similis existeret, vt renatorum examina ab illis sint, qui cœlos

Columell. impleant. Etenim fidem habeo Columellæ lib.8. de re rustica, cap.8. vbi sic de matrimonio columbarum edisserit. *Curandum est, si fieri potest, vt sic quemadmodum exclusi sunt, nunquam separentur, nam fere, si sic maritatæ sunt, plures educunt fœtus; sin aliter, certè nec alieni generis coniungantur, minus enim impares amant, nec sæpius fœtant.* Quando ergo Maria a compare suo vocatur columba, id innuitur, nimirum quod quasi eodem gratiæ enixu exclusa sit cum Christo, quod nunquam separata fuerit à tanto compare, sed simul concepta in prædestinationis gratia, incredibilem renatorum numerum cum illo eduxerit. Huc respicit oblatio illa mystica à Maria pro se, & pro puero Iesu in tem-

Luc.2. plo oblata, obtulit enim par turturum, aut duos pullos

Richard. Victor. columbarum Luc.2. de quo meritò dubitat Richard Victorinus, de differentia sacrificij Abrahæ, & Mariæ, dicens. *Illud in ijs videtur inquisitione dignum, cùm magis elegerit offerre duos pullos columbarum, quàm duos pullos turturum.* Sanè offerebatur hoc sacrificium pro matre, & filio, in quibus nullum vnquam fuerat peccatum, inter quos nulla dissimilitudo, nulla separatio, sed vt columbæ pulli simul exclusi sunt, hoc est simul ter in gratia concepti fuerunt, similiter adoleuere vsque in spirituale castissimumque coniugium, quo maritati largo renatorum examine cœlestia

fœcundarunt. Non longè abfuit Euthymius dicens: *Iussit* Euthym.
lex, vt darent duos pullos columbarum propter pueri fœcunditatem. Ecce tibi in pullis columbinis pueri Iesu fœcunditas declaratur, qua cum compare sua Maria similiter concepta, similiter nata, simul adulta, plura renatorum in Ecclesia parturiuit examina.

§. XVII.

Maria omni serpentis veneno immunis, salutem hominibus attulit.

QVi fieri potest vt Maria ab antiquo serpente infecta esset, quando ab illa natus est Iesus, hoc est, quando ab illa solus, & antidotum mundi originem traxit? Etenim D.

Bern. ser. de laudibus Mariæ, de illa ingenuè fatetur. *Salutis* Bernard.
antidotum, & viris, & mulieribus propinauit. Imo, vt explica-

tius Arator loquitur lib. 1. in Acta, hæc secunda fœmina Aratus.
restituit quæ prima tulit. Ex quo perspicua est eius sanctitas

originalis, quando Galen. comment.46. dicit: *Vt pristinum* Galen.
temperamentum corporis cuncetur, & restituatur, admouenda, & applicanda medicina, quæ illis omninò similis sit. Itaque non fieri posset, vt Maria inflicto à peccato vulneri medicaretur, nec pristinum integræ naturæ statum restitueret, nisi omni contagio ab ipsis originibus careret, primæuis parentibus perfectè similis existens. Namque Delrius noster, Disquis. Mag. lib.1. cap 5. quæst.4. conclus.2. a medicamentis arcet aurum Chimicum, quantumuis elaboratum, ac perfectè decoctum videatur, quia nunquam, ait, à noxiis qualitatibus, ab igne carbonario, & venenato hydrargyro contractis,

carere censendum. Id quod a D.Thom. 2.2. quæst.77. art.2. D.Thom.
ad 1. videtur mutuasse, vbi aurum Chimicum infectum, & insalubre censet. Ast omni hydrargyro venenatius, & igne carbonario pestilentius peccatum originale, non ergo ex hac fornace medicina hominum potuisset sperari. Vnde

elegantissimè Cellensis Abb. lib. de panibus cap.21. de Maria Cellens.
sic fatetur. *Oportuit hunc clibanum, non vili flammate, neque more consuetudinario fabricari; quasi in plenitudine temporis panis, qui dat vitam mundo, de cœlo descendens conueniens inueniret locum, vbi posset opportuno carnem assumendo decoqui.* An non officiunt potioni siue medicamento noxiæ qualitates fornacis? An salubris succus erit ex radice venenata? Apage; imò hæc Iessæa radix Maria, vt salutiferi floris radix, adeò sana est ab originibus, vt nulli res magis contrarietur, & opponatur quàm peccato originali: de quo vide pulchra cap.8. §.5.

§. XVIII.

Maria à consilijs Iesu cùm esset, hæreditarium peccatum non habuit.

VOx erat illa, qua Iesus Mariam vocabat Cantic.2. *Sur-* Cantic.2.
ge propera amica mea, columba mea. Cur amica mea a Ie-

su vocatur? Pulchrè Guillelmus apud Delrium fatur. *Amica* Guillelm.
cui iam video arcanum meum consilium dare, & operationem generis humani credidi. Prima illa fœmina tenebrarum principi à

consiliis fuit, de qua loquens Nyssen. hom. de natiu. Christi Nyssen.
ait. *Consilium serpentis amplexata est, at nescienter.* Felix Maria adeo aliena extitit ab illo serpentis virulento consilio, vt tota posita sit in illo labefactando, & in consilio reparationis promouendo; ex quo eius ab hæreditario peccati stemmate exclusio permanet manifesta. Huic exclusioni adstipulantur Cæsareæ, & Pontificiæ sanctiones, quæ vniuersim fœminas feudorum hæreditate excludunt. c. mulier. de nou. for. fid. c.1. de fot. fid. Cuius exclusionis [illegible] ratio est, quia feudatarij eo ipso à Principum consiliis sunt; & quale consilium fœminæ Principi dare possunt? hanc ratio-

nem meminit Bald. l. quoties quæ est vl. m. c. [illegible] *dic* Bald.
quod mulier [illegible] *C. de* suis & legit. Card. Alex. art. an- Cardin.
tep. in 9. [illegible] tit. qui feuda dare possint. Socin. consil.257. Alexand.
Idem reperi Bald. cap. significauit, colum.1. extra de rescri- Socin.
ptis, in hæc verba. *Ratio naturalis consentit vt fœmina regulari-*

ter

ter in feudis non succedant: quia animi consilium non reperitur apud fæminas. Feudum sanè est, & durissimum seruiturum Principi tenebrarum exhibitum, peccatum illud, quod in conceptione hæreditamus, quo tanto tyranno omnes homines mancipia initiamur. Nos in hanc feudatoriam hæreditatem fœmina induxit serpentis consiliis instruiens. Verum Maria, licet qua feudatarij filia, feudi hæres erat habenda; tamen quia nullum apud illam reperitur serpentinum consilium, imò vt illud extinguat, præelecta est redemptori à consiliis, si Baldi verbis vti volumus, & ratio naturalis, & vniuersa lex illam ab hæreditando feudo excludit. Id quod innuebat Dominus, verba illa resonando, nimirum *propterea amica mea, columba mea*, amica vt à Iesu consiliis, columba, vt serpentini consilij labefactatrix, qui-
Iren. bus consentit D. Irenæus lib. 5. c. 19. fatus, *serpentis astutia deuicta est in columbæ simplicitate.* Ecce totum serpentis consiliũ tuit, vbi Mariana columba in consiliis Saluatori copulatur. Vnde nihil inuenire est serpentinum in Maria, quæ Dei amica est, & columba est omnibus modis serpenti contra-
Tertull. ria. Quam contrarietatem ostendit Tert. lib. aduers. Valentinians, *Christum columba demonstrare solita est, serpens tentare, illa à primordio diuinæ imaginis prædo.* Proh serpentis astum! quam maturauit homines populari, veneniqne nimbos, laqueos & scutum, arcúmque, & bellum pluere in genus humanum! Ast non segnior columba immaculata Maria, sed ab ipso primordio, eo ipso more, quo Protoplastus hausit pallidum discordiæ fructum, ipsa viridantia misericordiæ folia prætendens, pacem, serpente occiso demonstrauit. Vt
Damian. meritò dicat Card. Petr. Dam. serm. de Annunc. *Cum fecerit Deus omnia sua opera valde bona, hoc meliùs fecit, consecrans in ea sibi reconciliatorium aureum, in qua post tumultus Angelorum & hominum se reclinaret, & requiem inueniret.* Cur requiem non inueniret, cùm adeò amica, & serpentinis ausibus contraria?

§. XIX.

Iesus parentem suam peccato originali obnoxiam, ab eo præseruauit.

EO Christi Domini victoria deducta est, vt iam non excandescat Propheta, quod alligato forti, vasa eius auferat Dominus; verum id maximè stupet, quod nouerit Dominus prædam a fortis manu indemnem liberare. Sic ex Hebræo apud Delrium 1. tom. Adag. 776. Isaias percun-
Isai. 49. ctatur, c. 49. *Nunquid tolletur à forti præda, aut quod ablatum fuerit à robusto saluabitur?* Vbi duo sibi obiicit difficilia, primum an eripienda sit præda? Secundum an hæc ereptio & fit, & vocari possit saluatio? Quæ duo a Theologis in B. Virginis ab originali præseruatione, & difficilia inuenta, & largis commentariis explicata sunt. Quid fortius peccato originali? Huius effugit lethales ictus nemo. Quæ proprior illius præda quam Adami filia? Ergo Maria filia Adami tolletur a forti, hoc est, originalis peccati fortitudini eripietur? & posito quod indemnis eripiatur, in hoc saluabitur? debebitne hanc præproperam liberationem Saluatori? Iam respondet idem Vates: *Equidem & captiuitas à forti tolletur, & quod ablatum fuerit à robusto, saluabitur.* Quid explicatius? Tolletur in primis hæc nobilis præda à forti: quippe omnipotens sermo tuus Domine, tanquam durus debellator, in mediam virginalem terram prosiluit, & à forti sustulit captiuitatem, hoc est, obnoxiam peccato Virginem præripuit à peccato. Vbi lego illud *à forti*, memini propositionē illam qua Samson ingens facinus suum voluit æternare, fa-
Iud. 14. tus Iudic. 14. *A forti egressa est dulcedo.* Etenim cum Samson, medius inter patrem, & matrem iter faceret versus Thamnatam Philistinorum ciuitatem, iuuenili ardore correptus, dimissis à tergo parentibus, aliquanto præcucurrit, quo fit obuius Leoni per eandem aduenientem viam. Quid tunc adolescens? declinasset à via? at procedens Leo eadem semita offendisset necessario Samsonis matrem, quam lacerasset. Id præcauens nobilis adolescens intrepidus aduolat, feram aggreditur, & inter brachia strangulat, strangulati cadauer proiicit extra viam, vt nec suspicio facinoris perueniret ad patres: idque occultauit tacens, donec ex ore Leonis fauo pastus, trophæum robori suo erexit, verbis allatis, *à forti egressa est dulcedo.* Quibus integrum claudit facinus, nimirum quod fortissimo bestiarum deuicto, semitam liberam reliquerit matri, qua vel sine mali occursus suspicione, mater pertransiit. Sed age, non gloriosum erat adolescenti, matrem a Leonis occursu liberasse? Cur ergo tanta id diligentia occultauit? Pulchrè D. Aug. ait. *Intelli-* August.
gamus gaudia hic latere mysteria. Samson fratres dilectissimi Christum significabat. Et quidem eo maximè quod matri in via occursum Leonem interfecit. Etenim Christus Dominus vna cum matre sua, via humanæ naturæ ab Abraham, & aliis descendebat; illac aduenienti Leoni originalis labis obuius factus est, matrem præcedenti Leoni occurrit, illumque extra viam iacit, aditumque vsque tunc sanguine hominum fœdatum, suæ matri expeditum, & munditie plenum reliquit. Et qui alia sua facinora maxima euulgauit, hanc matris à Leone liberationem sic occultauit, vt solum per ænigmata de illa verba faceret. Quod sibi facinus expostulabat à patre, vt credo, diuinus Samson, Psal. 21. fatus. Psalm. 21.
Erue Domine, à framea animam meam, & à manu canis vnicam meam. Carnem suam ferro petitam, resurrectionis gloria postulat radiare, dum ait: Erue a framea animam meam; verum vnicam suam, nimirum vnicè dilectam parentem à manu canis eripi contendit. Cuius canis a manu? Occurrit Cerberus Parcarum comes, & assiduus latero, a cuius graueolente halitu conspurcata humani fila deducuntur staminis. Porro hic canis, quò nihil peccato originali similius, sicut omnium hominum, ita Deiparæ primo insidiabatur stamini, eius tamen erectæ manui ad prædam erepta est Maria immaculata. Cæteri omnes non prius ab originali liberamur, quam rabido eius ore demorsi, ideóque, vt acutè notat Nyssen. tract. 2. in Psal. quam rabie pereciti habent Nyssen.
medicinam in aquis, habemus & nos in Baptismi lauacro. Vnica inter omnes Maria non ori canis, sed manui erepta est; equidem solet venaticus canis inuentam prædam manu erecta indigitare venatori, à quo percussam ore trahit: sic pestifer hic canis, dum humanus embryo intra vterum est, ipse astat erecta manu punctum conceptionis spectans, vt prædam capiat. Verum his in angustiis positam Mariam ante vulnus inflictum, ante rabidos canis dentes Dei verbum liberauit a manu canis vnicam suam. Quo acutè respexit Card. Petr. Dam. serm. de Annunc. fatus; *à Deo electam,* Damian.
& præelectam totam rapuit sibi Spiritus sanctus. Cur Spiritus sanctus rapuit? Equidem sub manu canis positam, & vulneri expositam, illam à manu canis liberam rapuit.

Hanc illustrat rapinam, illud Dauidis cantatissimum facinus; enimuerò Amalecitæ Siceleg oppidum aggressi sunt, & multa diuites præda egressi, inter alia pulcherrimas Dauidis sponsas ad seruitutem seruabant. Sed dum media in via mensis, poculi securi vacant; ecce tibi fortissimus Dauid pro sponsis astat, Amalecitas perdit, immunésque sponsas ante seruitutem recuperauit. Quam festinatissimam sponsarum recuperationē mirati Dauidis commilitones, sic eius-
dem extollebant facinus: *Hæc est præda Dauid* quasi dicant, 1. Reg. 30.
ait Carthus. *Tam præclaram prædam decuit ipsum Dauid diuina virtute acquirere.* Rapta Helena Graij insurgunt in Troiam, quam nec anni domuere decem, nec prælia mille, & post mille prælia, tandem infamem thalamo fœminam recuperant. Direptis muris viro Hierusalem Babylonem seruitura asportatur, vbi ærumnis confecta, & senio, vix rediit in patriam. Ast sub manu hostili sponsam, eamque pulcherrimam, captam, & ante labem, ante fœditatem seruitutis, ante terræ alienæ conspectum eripi, munditie donati, *hæc est præda Dauid.* Quidni hæc præda decet diuinissimum Dauidis filium, qui & matrem, & sponsam Mariam, ante labem, ab hostili præripuit manu.

§. XX.

Iesus præclarissimum Saluatorem egit, dum matrem a lapsu originali præseruauit.

ADhuc instant Isaiæ verba prolata, *An quod ablatum fue-* Isai. 49.
rit à robusto, saluabitur? Ideò filius Dei saluator dicitur, quia erexit lapsos, quæ lapsa non fuit, dicetur Saluatoris opus? Imo nullum opus Saluatori pulchrius, nullum gloriosius, quam quod ita prospiceret saluti matris, vt nec ad lapidem offenderet pedē suum. Multi egregij duces vocari consueuerunt à populo Israelito saluatores, qui, vt ait Ru- Rupert.
pert. de Vict. ver. Dei lib. 4. c. 6. *Saluatori æterno, cuius erant vicarij, similem prætulerunt in gestis suis pulchritudinem.* Expendo quod non dicantur prætulisse imaginem, sed pulchritudinem, quasi in eis, quod pulcherrimũ erat, saluatori fuerit prænotatum. Accipite modò inclytum Ducem Sangarem Iud. c. 3. de quo ibi, *Ipse quoque defendit Israel.* in originibus Iud. 3.
aptius ad mentem nostram, *Ipse quoque saluauit Israel.* Ast Sangar non captiuum obtinuit populum; quomodo ergo

August. dicitur quod saluauit? Pulchrè D.Aug.quæst.25. & nodum posuit,& solutionem,fatus. *Quomodo dictus sit saluasse Israel, potest esse quæstio? non enim inimicos superauit captiuatos; nec ingo seruitutis liberauit. Intelligendum ita dictum, saluauit, non quia non accepit aliquem hosti, sed ne permitteretur nocere: nam credendum est bello cœptis tentare, & huius victoria vtiliter depulsum.* Qui illustrius? ecce vobis pulcherrimum Saluatorem, qui hostilibus turmis incurrentibus sese opposuit, illosque vomere fugauit,& saluum reliquit populum, antequā esset captiuus, vt vel sic pulcherrimæ salutis Marianæ præferret imaginem, quando primis eius vitæ staminibus deductis in vtero Annæ,iam ibi fugaturi hostem cernebantur diuini Saluatoris commeatus. Etenim Cant.7.dicitur, *coma capitis tui purpura regis iuncta canalibus.* Quibus duo notata inuenio ex originibus, vbi loco illius verbi, *comæ*, est hoc verbum, *Dalah*. cuius significatio est paupertas, siue tenuitas, quasi dicendum foret, *paupertas capitis tui purpura*. Quæ est capitis paupertas purpurascens in Maria? Noui Philosophos non ignobiles, inter quos Antaronem, & Lactantium, qui primum formationis humanæ initium ducant à cerebro, in quo vitæ animalis fontem Medici constituunt. Quis non pauper in suæ formationis initio? ibi iam nuditas primæua apparet,& hæreditas misera à primis parentibus in nos dilapsa.Sed qui pauper est nobis vitæ introitus,in Maria purpurascit, regalesque a sanguine Saluatoris oras prætendit gatas. Ait enim D.Ambros.in Ps.118.serm.17. *Sanguis Christi purpura est, quæ inficit Sanctorum animas.* Sanctorum inficit animas post conceptionem in lauacris carnalibus,at Mariæ animam in ipsa conceptione vestit, & illustrat Saluatoris sanguis.Id amplius ostendit altera vox originalis,vbi enim dicitur *purpura Regis*. legitur in originibus *Argaman*, de qua voce agens Author ille, qui Alphabetum Salomonis aptauit Mariæ,docet illam componi ex quatuor nominibus spirituum illorum,qui apud Ezechielem, bellicū & triumphalem currum Saluatoris vectabant. Ex quo patet in prima Mariæ efformatione quam iam effulgebant vestigia Saluatoris,vbi quadrigæ illius nomina cernebantur. Nec vllo iure celebrior, & illustrior Saluatoris triumphus, quam in hac præcellenti salute matris.

Cantic 7.

Ambrof.

Gen.49. Rem conficit benedictio illa Iacob ad Iudā Gen.49. *Ad prædam fili mi ascendisti.* Quibus verbis pulcherrimam Saluatoris prædationem eiusque ad mundum aduentū expressum putant Hilar.Ambr. Aug.Theod.Orig.Gennad.Cur ergo dicitur, Christe ad prædam ascendisti. Nónne satius diceretur ad prædam descendisti? Equidem Nazianz. Saluatoris vsque ad piscatorum pedes, descensum miratus, ait. *Propter humi depressam animam se demittit, vt peccati molem deorsum vergentem secum attollat, vt præda humani generis potiretur, se inclinat.* Quid est ergo,quod dicit, ad prædam ascendisti? Sane descendit Saluator, & se exinaniuit, & humiliauit, vt de puluerulenta natura hominis prædam faceret; at de Mariana præda ante lapsum in immensum extollitur, & gloriatur. Quod si ex vocibus originalibus, & ex vulgata totum locum compagines, id ipsum sonat apud Delrium nostrum, nimirum, *à præda ascendisti ad prædam.* quasi inter duas prædas constitutus, ab vna ad quam se deiecit, exurgat ad alteram ea exaltandus.

Hilar. Ambrof. August. Theod. Orig. Nazianz.

Argutius adhuc Symmachus refert locum, nimirum, *à venatione ascendisti ad venationem.* Solent equidem duo venationis genera in primis commendari: alterum, quo alites humi cubantes, seminibúsque inhærentes, percutimus; alterum & longè præstantiùs, quo volantes libero cœlo aucupamur.Ecce tibi auceps domo,illucescente die egressus per terras seminibus graues columbis insidiatur, & quando columbæ escis inhiantes per sulcos sepeliuntur aratri, tunc ille demisso corpore, summo silentio, ære fulgurat, & diues præda, & gaudens, iam non spectat descendentes in terram columbas, sed erecto collo extollit etiam arma. & medio cœlo percutit volantes,qui summus est in venatione gradus. Sic etiā diuinissimus auceps Christus à præda ascendit ad prædam, a venatione ad venationem. Dúmque funesta peccati ales mentibus incubat hominis, cœlestiáque semina depascit, humilis, & abiectus Christus dextera fulgurat de peccato descendens vsque ad inferiores partes terræ, vt prædam capiat. Interea maiora petens,vt brachij sui potentiam,& dexteritatem commendet, dum pestifera peccati originalis ales nigricantibus pennis, fœtido ore, versus terram illam virgineam cœlesti inseminandam grano,advolaret, stat occor diuinus auceps, & sublato ære nigram auem eafossat, antequam terram virgineam fœdaret.

§. XXI.

Generalis lex non officit Marianæ puritati originali.

HIc quia leges generales obiici video aduersus puritatem Mariæ originalem,ex legis petitis notabo aliqua, quibus constet, quanto iure eximenda sit Maria a lege generali: stat in primis illud tritum assertum, nimirum, *statuta odiosa stricte interpretanda, tanquam naturam accusantia:* qood desumptum est a l.maximū vitium. C.de liberis præter.& à l.12.tabularum. C.de legitimis hæredibus. Nec inuenitur lex,aut statutum, quod matus ingerat odium,quod maiorem maculæ notam inurat naturæ, quam lex illa durissima in omnes Adæ filios statuta, de transmissione peccati. Heu quæ peperit datona! legis huius ignari Philosophi acriter in naturam inuehebant,illi attribuentes nouercalem fauorem, & insaniam. Nósque sacra imbuti doctrina, cum intestinum animi, & corporis bellum experimur, cum ægritudinum sustinemus exercitum,cum ab omni bono exilium sentimus,in authores tam duræ legis inardescimus, vt vel hinc iuste à Procopio dicatur Eua, imo & fœmineus sexus execrationi addictus. Non ergo lex adeò odiosa, & naturæ humanæ, & femineo sexui infensa, tam strictè, & rigorose intelligenda est, vt non patiatur exemptionem in Maria,per quam, vt ait Ildephon.serm.1.de Assumpt. *Omnis maledictio soluta est primorum parentum, & inclyta benedictio in toto venit mundo.* Ildeph.

Præterquam quod docet Gomezius in §. item Seruiana. Institut. de actionibus, & oblig. *Obligatione generali nunquam comprehendi res,per quas consulitur publicæ vtilitati.* quod tenet, quamuis verba obligationis sint vniuersalia,& rigorosa.Vt tradunt Ruinus, Pirr.Ant.Gabr.commn.opin.lib.6. conclus.12.n.7. Is ergo Marianam conceptionem debiti generalis obligatione obstringet qui nesciuerit, quod iuxta Andream Cret.sola Maria deseruit opifici vniuersæ naturæ, quod iuxta Damasc.in vitam prodiit, vt Orbis vniuersi salutem administram se præberet. Quid magis necessarium communi vtilitati, quàm Maria? Quid magis exemptum ab obligatione generali? Gomez.

Rursus, vt quis excludatur a quacunque obligatione, sufficit, quod verisimile sit, eum non comprehensum esse à faciente obligationem.l.obligatione. ff.de pignoribus. Cui subscribit l.5. inter eas quas vocant nostri *de la Partida*, tit.13.p.5.vbi sic. *Apenas obligando vno todos sus bienes, o cosas, y hazienda,señalando que no rian per ende obligadas* Et statim inter alia exempta à generali obligatione, hæc recenset. *Los criados, ó siervas que tuuiere señaladamente para su uso, ó guardarle, ó criarle sus fijos.* Hinc D.Ildeph.serm.1.Nat.singularem Mariæ creationem augurarur, dum ait, *Lacta Maria creatorem tuum,lacta pretium mundi. lacta eum qui te fecit.* Ecce ostendit Mariam nutricem opificis sui, vt vel hinc pateat, quàm facta fuerit exempta ab obligatione generali. Ildeph.

CAPVT V.

De Mariæ Virginis natiuitate.

AVSPICATISSIMVM Mariæ natalitium September colit,quando sterilis Annæ terra dedit fructum suum, vnde vniuersus mundus ditaretur. Tunc primùm mundus peccato naufragus vidit arcam, in qua cœleste asseruatum semen vacuas Angelorum sedes impleret.Tunc nouus apparuit Paradisus,cuius visceribus transplantatus cœlestis Adamus, exsibilato serpente, vitales fructus porrigeret generi humano. Tunc promissionis terra diues apparuit,& Moyses visus est montem ascendere,& emori,quandoquidem à tantæ terræ conspectu Iesu facinora incipiunt clarescere,& radiare.

Ex Matth. 1.Iacob genuit Ioseph virum Mariæ.

§. I.

Mariæ natiuitas rerum profuit vniuersitati.

QVod Euangelistæ de parentibus B. Virginis conticuerunt,alij & sapientia,& antiquitate notissimi viri, nobis diulgarunt. Hi sunt Nicephorus, Epiph. Damascenus,

Andreas,

Andreas Hierosolymitanus, Germanus Constantinop. Gregorius Nyss. Simeon Metaph. citati à Suarez tom. 2. in 3. par. disp. 2. sect. 1. (Suarez.) Qui omnes Ioachimi, & Annæ coniugium prædicant, nobilitate regium, vtpote ex regia tribu à Dauid originem trahens; fortunæ bonis peramplum, vt decebat honestum coniugum nobilium statum: sterilitate marcidum, obscurum, & abiectum: sanctitate adeò floridum, vt precibus assiduis sibi filiam Mariam, vniuersitati rerum reginam, hominibus remedium præsentissimum, Deo pulcherrimam parturirent matrem. Igitur sterilis Annæ vterus fœcundatus est, & Maria clarissimo parenti Ioachimo orta est filia octauo Septembris die.

Nec silendum puto, quod viuidum hoc Dei Opt. Max. tabernaculum seu templum ex Salomonis substantia coalitum, dedicatum item sit in mense Ethanim, qui est September. Etenim ideò mensis hic dicitur Ethanim, nimirum fortium, siue fortitudinum, quia in illo, vt cum Hebræis docet Pagninus, fortissima mundi sunt iacta fundamina. Verum illo mundi initio, quæ fundaminum fortitudo esse potuit, vbi quam ipse Dominus ædificauit, mulier corruit, & omnia secum ad nihilum traxit? qui nescierit hanc primò à Maria suscipi. Nihil sanè firmum, nihil decorum esse potuit, vbi omnia labebant de primo hominum casu, nec apparebat adhuc Deiparæ Mariæ felix natalis. Quippe Elias (3. Reg. 18.) 3. Reg. 18. puerum misit, vt specularetur an cœlo sereno vel minimum nobis vestigium appareret, qui omnia contemplatus, & ruminatus; ait: *Non est quicquam.* Quibus verbis pulcrè adstupet Ioannes Hierosol. (Ioan. Hierosol.) lib. de instit. Monach. cap. 32. rerum omnium vacuitatem, & inanitatem, vbi virgineæ nubeculæ Mariæ non apparebat natalis. Ait enim, *Cum ascendisset puer, & speculatus esset, ait, non est quicquam, quia nubecula illa, scilicet Maria, non fuit à puero visa nasci in illa ætate prima mundi, ideo puer dicit, non est quicquam.* Et meritò, vbi enim Maria non adest, omnia in nihilum vergunt, (Genes. 2.) omnia malis mille sublacent. Accipe illud Genes. 2. de primo homine dictum, nimirum, *Non est bonum hominem esse solum.* Itaque etiam formosissimus, & felicissimus creaturarum Adamus malis hærebat; id quod notat D. Ambros. in hæc verba, *Quando solus factus est Adam, non dictum est bonum esse, factum Adam: quando autem & mulier facta est, dictum est: Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona, Gen. 1.* Quomodo mulier, quæ peccatum seminauit, vniuersa decorat, vniuersa facit de bonitate radiare? Non equidem (Ambros.) alia id præstitit quam Deipara, sic ipse Ambros. fatur, *Etsi mulier prior peccatura erat, tamen redemptionem sibi paritura.* Itaque ex eo, quod inter creaturas apparuit femina Deo grauidanda, ex eo quod apparuit Deiparæ vestigium, omnia impleuit, omnia fecit pulcrescere, & nouis pulcritudinibus radiare. Iure inde mensis September, mensis Ethanim prædicandus, quando tantæ virginis natali, terrenorum fundamenta bonorum instaurantur. (Anselm.) Sic D. Anselm. de excel. Virg. cap. 10. *Cuncta quæ Deus bona, & vtiliter fecit, in eo statu quo condita sunt, esse desierant, & per hanc B. Virginem in statum pristinum reuocata sunt, & restituta.* Cui consonat illud Sergij Hieron. dicentis: *Maria nascitur, & vna cum ipsa mundus renascitur; & Ecclesia suo ipsius decore circumdatur, atque ornatur.* Iam ergo recognoscere potest Pagninus cum Hebræis, Septembris fortitudines non ab initio mundi, sed à Maria nata aduenire mundo renascenti, & renouato.

§. II.

Mariæ natiuitas pœnitentiam peccatoribus commendat.

Alij, quibus hæc Pagnini explicatio de Septembris fortitudine non placet, vocem originalem, *Ethanim*, in malum accipiunt pro squalore, ac asperitate, vt dicant, *Mensem asperitatum.* His ego libentiùs annuo, cùm videam Septembri mense, collectis frugibus, cœlum obduci nubibus, terram madere aquis, vt statim, ardore depulsus, semina in sinu telluris putrescant, vt fructus maneant. O pulcrum squalorem! O asperitatem omni mollitie melius suauiantem! Haud dissimilem squalorem, & asperitatem Marianus commendat natalis nobis, vel ipso inspecto nomine Mariæ: quod iuxta celebriorem Etymologiam guttulam, siue stillam maris sonans, lacrymarum imbres insinuat, quibus verbum animis insitum, & crescat, & fructum pariat. Etenim virgo hæc nascens in mense asperitatum, & squaloris, (Ignat.) *nostræ nouæ Religionis*, inquit Ignatius, *& pœnitentiæ est magistra.* Vtinam hæc didicissent, qui nimis fidi Mariano fauore, à lacrymis, & corporis maceratione abstinent. Eu quàm feliciter! Nemo ita sibi noceat, vt ex guttula maris cadente non sibi, & lacrymas, & gemitus, & asperrimam vitam addiscat. Audite D. Pacianum in (Patian.) parænesi de Pœnitentia; *Dauid*, inquit, *iacuit in cinere sordente, sacco insuper horrente deformis, cui Maria, cui ... cui flumina seruiebant, madidus lacrymis consumpsit ... qui ... gloriam Dei videat, & infelicem se, miserumque confessus pater Mariæ.* Hæc ille & pulchrè, & emphaticè dixit. Porro quò expendo illud, *pater Mariæ.* Etenim si quis peccator a lacrymis, & squalore erat arcendus: is esset, qui Mariæ pater erat, adeò strictè misericordiæ matri coniunctus; verum nec aliter veniam spectauit, quam lacrymis, quam carnis maceratione, quam gemibundus etiam ipse pater Mariæ: nec illa, quæ patrem lacrymis, & squalore duxit ad vitam, aliò peccatores ducet, in hoc maxime filij hominis perfecta imitatrix existens. Eliæ gaudens, & festiuus dicebat seruus, 3. Reg. 18. (3. Reg. 18.) *Ecce nubecula parua, quasi vestigium hominis ascendebat de mari.* A qua Marianum ortum odoratus Ioannes Hierosol. (Ioan. Hierosol.) *Ecce*, inquit, *nubecula parua, quasi vestigium hominis ascendebat. Quia Maria in hoc suo spirituali ascensu, non feminam, quam imitaretur, sed hominem habuit exemplum.* Ecce tibi feminam in paradiso deliciantem, viri gulæ inseruientem, fallacis immortalitatis regnum ab esca, & potu venantem. Ecce hominem, nimirum Adamum sub Dei iudicio trementem, qui, (vt ait Irenæus,) (Irenæus.) *...eius occasione immortalitatis, statim timore corripitur; timor autem Domini intelligentiæ, intellectus transgressionis fecit pœnitentiam, quam per succinctorium folijs ficus pungentibus contextum ostendit.* Igitur Maria non feminam sequuta, sed hominem, quasi nubecula ex mari nascens pœnitentiæ, & lacrymarum nimbos proponit peccatoribus, vt in exultatione vitæ fructus metant. Sic, inquam, imitatur hominem primum, sic item imitatur secundum hominem Christum, cuius regnum non esca, & potus, nec otio torpentibus, sed laborantibus, esurientibus & plorantibus offertur. Nec aliter à Maria speret peccator, nisi tranaturus amarissimum portum pœnitentiæ.

Quando & pœnitentiæ labores, etiam purissimam & virgineam Mariæ terram, mille fructibus valerent honestare, decorare. Innocentissimus, piissimus adolescens innocua membra asperrimis pœnitentiæ stimulis agitabat, quo in labore consumptus vitam obiit. De illo B. Ennodius lib. 2. epist. 4. sic fatur. *Iunxit ad vitam perpetuam melioris seculi, quod in ista seruauit pœnitentiam, quam egisse loqueris. Si in ipso non inueniret quod dilueret, inuenerat, quod ornaret. Quæ quoties innocentibus datur, coronam pro humilitatis affectione concilias.* Proh ingens pœnitentiæ exterioris laus! quæ etiam in candidissima Mariæ vita, non næuos imprimit, sed candores addit, vt nullus sit qui possit a pœnitentiæ gemitibus excusari.

§. III.

Mariæ natæ acclamationes, exterioresque reuerentia plausus cedit Deus, cuius laus in silentio.

Accedit tandem Vatalus, à quo verosimiliter existimatur September mensis Ethanim, hoc est fortitudinem, dictus ob festiuitates in illo celeberrimas. Vbi festum tubarum ex Leuit. 23. & tabernaculorum 34. quæ omnia hanc vnam virginei natalitij festiuitatem tinniebant. Etenim Deus Optimus Maximus suam ex silentio expectans laudem, quidquid exterioris reuerentiæ, conclamationis, & plausus est, vni Matri dicauit. Hanc mihi iniecit cogitationem S. Laurent. Iustinianus serm. de Christi natiuitate, (Laurent. Iustin.) dum ait, *Ad præsepe perge, vbi matrem cum filio, & filium genitricis vbera sugentem inuenies. Verumque postulabis, Mariam voce, infantem affectu, te namque ore tacentem, vociferantem corde penitus exaudiet Iesus.* Expendo illud, *Mariam voce, infantem affectu*, quasi voluerit sanctus vir inter matrem, & filium diuisum esse Christianorum obsequium, vt in voce, & tuba Marianæ extollantur virtutes, & Dei gloria prædicetur silentio. Cui occurrit fœmina illa prudens apud Lucam, dum laudatura Deum extollens vocem, *Beatus*, inquit, (Luc. 11.) *venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti.* Sic de D. Laurentij Iust. sententia Mariam voce, & Christum exornabat affectu. Excellens huius rei indicium patet in Zachariæ c. 4. (Zach. c. 4.) *Et educet lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ eius.* Quem locum, etsi videam à patribus Christo attributum esse, non alienum iudico Dei genitrici Mariæ, cui eleganter illum adaptauit Rab Hecados apud Gal. de arc. lib. 5. cap. 2. Vbi inquit: *Hæc est petra primaria, ex qua Messias futurus est.* Et fauet sacra pagina, dum parentes petræ comparat,

 à qua

Isa.51. à qua filij. Sic Isai.51. *Attendite ad petram, vnde excisi estis, & ad cauernam laci, de qua præcisi estis: attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram, &c.* Educet igitur, inquit Zachar. lapidem primarium, nimirum Mariam matrem: educet, inquam, istum lapidem, & exæquabit sic noster. Verum in originibus non *exæquabit* verbum, sed *clamor* nomen impositum est, vt dicat, *adducet lapidem primarium cum clamoribus.* Etenim quidquid canorum, quidquid vocale, & festiuum apparet, in laudem Mariæ matris venit decantandum.

§. IV.

Matthæi locus explicatur.

SEd age ad Matthæum veniamus, qui missos faciens sanctos Mariæ patres, illius sponsum meminit Ioseph, vt vel coniuge pateret qua tribu, quove loco a primo Israelitarum parente Abraham distaret, quippe Mariam suæ matris primogenitam, & vnigeniti tam propinquiori sibi in matrimonium traditam esse, auctor est Chrysost. Hier. Anselm. Theophyl. Euthym. & alij, imò ipse Matth. rem vulgo notam, & euidentem supponens, genus, & proauos Ioseph Mariæ communes inuestigauit: dumque Iosephum Abrahamidem recenset, similiter Mariam inter vltimos Dauidis, & Abrahami posteros enumerauit.

Eccl.24. Vacat igitur modo in dubium reuocare illud Eccl. 24. *Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam.* Quæ verba Virgini apponit Ecclesia sancta. Ast si primogenita ante omnem creaturam, cur minima inter vltimos posteros recensetur Abrahami? Item si post Isaac, Iacob, Dauid, Zerobabel, & reliquos, est Maria, cur primogenita ante omnem creaturam nominatur? Et quidem vtrumque habet, si binas eius scias Natiuitates vtrasque nobis maximè necessarias. Alter Natiuitas temporalis, qua à vulua matris processit in lucem, quam Matthæus fuit speculatus; altera æterna in diuina electione, & decretis Dei; indeque ab ore dicitur processisse, & ibi ante omnem creaturam primogenita stetit.

§. V.

Maria primogenita, quod prima omnium potiretur mammilla patris.

Ouid. AVdiui Iunonem se apud Ouidium in immensum gloriantem.

Si genus aspicitur, Saturnum prima parentem
Feci. Saturni sors ego prima fui.

Quid magnum hoc? vbi nostra Angelorum, Deorúmque Regina omnium creaturarum prima Deum Optimum
Epiphan. Maximum fecit parentem: *stupendum*. ait Epiphanius, *miraculum in cœlis mulieris filium, qui ipsius, & sæculorum pater est.* Etenim prima ipsa Deum Patrem fecit. post ipsam, & sæ-
Emiss. cula. Accedit Euseb. Emiss. hom. 1. de Natiu. Domini aiens: *Exalta mater salutis humanæ. Ecce Domini mei vniuerso mundo promissum prima inspicere meruit aduentum.* Quid tum! aliud sanè est longè diuersum, quo Maria prima acceperit brachiis filium Dei; aliud, quòd ipsa ante omnes steterit primogenita? Sed accipite in Emisseni verborum gratiam,
Herod. pulchram ab Herodoto narrationem, in Erato, & Mamertino, in Panegyrico, ad Maximianum. Aristodemus Lacedæmoniorum Rex ex Regina vxore sibi duos filios gemellos acquisiuit. At vafra vxor lætissima natalitia turbauit, nolens Regi indicare, vter filiorum esset primò natus. Tunc Rex Senatu coacto, in re ancipite, & adeo dubia, vbi primogenitus Regni ignorabatur, quid sibi faciendum inquirit, & ecce tibi concilium auditur mirabile: Constituat Rex, inquiunt Senatores, hominem, qui Reginæ tanquam aliud facturus astet, obseruétque diligenter, vter ab illa filiorum lactetur primus, vter primus ad oscula, ad nænias, ad mammillas adhibeatur. Is enim natura
1. Prad. c.6. indice primogenitus designatur. Quid plura? Deus cuius nomen Tadai, nimirum Deus mammeus, verbum suum quod vocatur, & est apud Clem. Alex. mammilla patris, vniuersisque protulit creaturis exugendum, cunctorum mentes hoc lacte, nectare rigauit. Hincque maximè inter omnes creaturas primogenita Maria deprehenditur, quod vt ait Emissenus, *Verbi vniuerso mundo promissum prima suscipere meruit aduentum*; prima ad patris mammellam eunctatur, prima verbali illo lacte rigatur, quod luculentiùs ad-
Damasc. huc ingessit Damasc. oratione prima de dormitione Deiparæ, in hæc verba. *Pater prædestinauit Mariam, spiritus præirrigauit, & filius in ea commoratus est.* Expendo illud, *spiritus præirrigauit, & filius in ea commoratus est.* Quasi Mariam specularetur vir sanctus, ante omnes creaturas, accipi ad patris mammillam, & verbali, nectareóque filij lacte rigari. Etenim obumbratio spiritus Mariæ in conceptu aduenientis, quædam quasi compressio fuit paternæ mammillæ, vt terra Mariana prima Deo rigaretur. Hinc Epiphanius Epiphan. stupens supplausit: *Exercitus Angelorum, qui sunt scabellum pedum Christi procedentes, nec videre possunt, nec contingere: hæc vero labra labris coniungens incomprehensum salutabat.* Nec dum Angelis licebat oculos in Deum conijcere, sed his dimissis, & opertis alarum velo, prætensis maiestatis fulgorem stupebant, & iam Maria paternæ mammillæ labris, labra infigens, mille dulcedinum exugebat Maria, & se primogenitam inter omnia creata demonstrabat, quod is non credat qui nescierit hanc primò a Maria suscipi mammillam patris, eiusque verbali totam madere lacte.

Et siquidem verum est, quod Maria prima Domini suscipere meruit aduentum, nil mirum, quod ante homines, quod ante cœlum, quod ante omnes Angelos primogenitorum ornetur benedictione, & principatuum; vix Deus cœlum, terrámque condiderat, quando terrenæ miserans ariditatis, *germinet*, inquit, *terra herbam*, & statim flores addidit, fructusque congerminauit, quibus diues, pulchra tellus exornabatur, & adhuc cœli sordent sine stellis, adhuc sine sole frigent. cur ita? cur terrena ante cœlestia condecorantur? Anast. Sinaita lib. 4. in Genes. *Ante Deus ornauit terram, quam cœlum, tanquam si terra ante cœlum dotata sit Christi mysterio, & aduentu. Propterea ante cœlum ornatur, quoniam ante Angelos terra, & terra genitis homines Deum per carnem vidimus, & ante cælestia exornans ille hæc inferiora ea lætificauit, & illuminauit ante Cherubim, & Seraphim magi, & publicani, & latrones, & meretrices & peccatores facie ad faciem Deum viderunt, eaque se oblectarunt, & fructi sunt. Deinde cum sic transmiserunt videndum supernis virtutibus.* Genes.1. Hæc ille, & pulchrè, ne amplius liceat dubitare Marianum in omnibus primatum. Etenim vbi prima Deo plena gaudet, prima Christum suscipit incarnatum, vagientem audit, pectus adhibet, labra figit, & osculatur prima etiam ante homines, ante cœlum, ante rerum omnium vniuersitatem creaturarum primogenitis floret condecorata.

§. VI.

Primogenium Marianum à veste speciali venamur.

SEd libet huius primogenituræ gloriam in vestitu venerari: etenim Genes. 27. non aliter Rebecca suum Iacob ad Genes.27.
primogenitum induxit subripiendum, quàm adhibitis Esau vestibus, hincque glossa Hier. Lyra, Comestor, & alij Gl. Hier.
colligunt, primogeniorum esse particulares quasdam ve- Lyra.
stes, easque pretiosas, cui assonat Tiraquellus cum magna Comest.
iuris prudentum hominum phalange in præfatio. de iure Tiraq.
primogeniorum. Imò addit vestem hanc dici in quibusdam codicibus *spiritualem, quam in sacrificiis tantum induebant.* Igitur Maria ante creaturas vniuersas nascitur primogenita, vestitu speciali, & spirituali præfulgens decorata: cuncti homines vix nati fœdam incurrimus nuditatem, haud dissimilem illi, quam post lapsum incurrerunt Protoplasti. *Sed in, ò Virgo.* inquit Rupertus, *nuditatem libidinis non incurristi.* Etenim, vt doctè, & piè meminit Car- Rupert. Card. lib.
thusianus, ea ipsa gratia, quæ Virginem in vtero sanctifica- 5. exercit.
uit, simul illi stetit quasi ignis *illuminans, & exornans & penitus non admitteas fontem concupiscentiæ. Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus in fimbriis aureis circumamicta varietate.* addit Psaltes 44. expendo illud, *ab intus*, vel aliter, *ab intimis terræ visceribus.* quasi a visceribus matris exclusa concupiscentiarum nuditate præfulgeat virgo, miris aulæis ditata peplisque induta aureis. Audite D. Gregor. Pontificem in Gregor.
lib. 6. in 1. Reg. cap. 15. *In vestitu aureo virginitas prædicatur. Sed omnis gloria intus, & in fimbriis aureis, & varietate circumamicta asseritur: vt innumeris virtutibus adiuncta integritas vsque in finem deducta sentiatur.* O quam pulchra candidata veste nascitur Maria, ea puritate decora venit, qua mille intexta virtutibus fulgores iaculantibus aureos, nunquam nudabitur! Cui libenter aptabo Ambrosij verba, quibus Magdalenam Christo appropinquantem commendat. Ea dat ille lib. de Isaac cap. 4. nimirum, *Suscipe igitur Iesu Euam iam non ficulneæ folijs adopertam, sed sanctu amictam Spiritu, & noua gratia gloriosam, quia iam non tanquam nudata*

absicon

absconditur, sed tanquam circumdata vestimenti splendore fulgentis occurrit, quia vestit eam gratia. Verùm esto, quod Marianus amictus in natiuitate hominum cæterorum prodat nuditatem, quid in his speciale Mariæ quod non veniat Angelis sub eodem puritatis amictu natis.

Pergo tamen, & Marianæ puritatis fulgorem super Angelos radiare, contemplabitur, qui eius virgineum candorem diuinæ prolis fœcunditate viderit purpurascere. *Nunc adest* inquit Athanas. *Regina à dextris suis in vestitu deaurato circumamicta, & variegata, eo quod secundum sexum fœmineum Regina, & Domina, & Mater Dei appelletur.* Perpendite
Athanas.
quæso nouam, inauditamque texturam aulæi virginalis ditescentis Regio auro, & minio purpurascentis matris: *ante hoc*, addit Hieron. *vterus Virginis, licet mundus, tamen adhuc*
Hieron.
vilitate humilitatis induitur, lana quidem candidissima, sed suo colore dealbata, ad quam cum accessit Spiritus sanctus, vt lana infecta conchylio vertitur in purpuram, versa est & ipsa in matrem Dei. Nunc nouium, & nulli vnquam creaturarum concessum vestitum miratus est Ioannes Apocal.12. cum mulierem Sole amictam stupet, mulierem inquam, quæ sub amictu Solis, nimirum sub honore matris, gaudeat vigore
Apoc.12.
virginitatis, de quo pulchrè Bern. *Non mulieris, ait, potentiæ est, vt sustineat Solis amictus, sed neque Angelicæ quidem, sublimior quædam necessaria est.* Crediderim solius Dei esse
Bernard.
potestatis cupientis Virginis primogenitum tanta veste extollere supra omnium rerum vniuersitatem.

§. VII.

Maria filia primogenita Deum belligerantem facit.

NEc præterea illud, quod singulare est omnibus primogenitis; nempe paternam fortitudinem excitare, sic Iacob fassus est, *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo*
Genes.49.
mea; acuitur sane cuique irascibilis ob filios tutandos, & promouendos: sic cecinit fulgentissimus Theologus Nazianzen. ad Nicobolum.
Nazianz.

Vnde etiam mater furibunda concipit iras
Ob vitulos, aut ob pullos, aut obque catellos,
Aspera bella gerit.

Quàm timidi, quàm pauidi effæti omnes! Abrahamo timenti sibi ab hostibus apparuit Deus, & ait, *Noli timere*
Genes.15.
Abraham, ego protector tuus sum: quasi dicat. Eia age, aude in hostes, ne timeas; confere manus, rixare. Ad hæc Abraham, *Domine Deus quid dabis mihi. Ego vadam sine liberis.* Grauis rixa, durum bellum, vbi non superest & gloriæ, & spoliorum hæres. At vbi filius adest, quid homines non audent? vel gallina exurgit in certamen. Quis igitur Deum maximum mundi machinæ conditorem, Paradisi satorem, conuertit in Mauortem? quis spiritum lenitatis ad iras traxit? Vnde, qui ad auras post meridiem ambulabat, prosilit in arenam, classicum cecinit, se Dominum exercituum compellauit, ob quam rem vexillum erexit, Duces, eósque fortissimos creauit, milites recensuit. Mariæ natalis vnica militantis Dei causa, hæc illum belligerantem fecit. Huc spectat Rupert. omnium exercituum Israelis, omnis mi-
Rupert.
litis causam referens in Mariam, sic fando, *Idcircò tempus belli tunc erat, vt defensaretur genus Abrahæ, vt defensaretur radix Iessæ, donec ita Virgo nasceretur lectulus veri Salomonis, laborabat diabolus per satellites suos, & ministros Reges Babylonios, Reges Persios, siue Medos, Reges Ægyptios, siue Assyrios, laborabat, inquam, diabolus ne esset vnde nasceretur hæc Beata Virgo.* Quapropter vbi Deus hanc sibi filiam prælegit, ò quàm exarsit aduersus hostium phalanges, quos sibi conquisiuit duces Abrahamides, Dauides, Gedeones, Samsones, Zorobabelos, Machabæos, vt inter omnea Dominus exercituum exultaret in armis, & pro filia Maria acerrimè dimicaret! Proh Deus immortalis! vbi est agnus ille, quem Isaias deprecabatur, *mitte nobis* ait, *agnum Dominatorem terræ!* Et ecce tibi Deum orbis dominatorem, Assyriorum interfectorem, Ægyptiorum, Cananæorúmque exterminatorem quid mirum? est Deo filia Virgo Maria, quæ illum belligerantem facit, quæ illum summa hostium iniuria, & maximo fidelium bono armat in certamen, vt vel mille prælis tantam filiam defensaret.

§. VIII.

Maria filia primogenita cicurat, & mansuefacit Deum.

POrrò addiderim non minus propter prolem parentes etiam mansuefieri, quàm armari. Hincque existimo ortum illud Hispaniæ concelebratum, *casaras, y amansaras*, cum vxore mansuetactionem viro producturam præsagiens. Etenim in eadem animi fortitudine, qua viri pro suis tuendæ causa se prælus, rixisque exagitant, ex eadem, inquam, fortitudine prouenit, vt qui antea iuuenili ardore correpti passim tumultuabant, hic illicque rixantes, omnibus furiosi, & graues, post nuptias, post familiam stabilitam, post prolem natam, protinùs mansuescunt, cicurantur; omnibúsque, proli consulentes, fiunt amici, & tractabiles. Vis Deum irascentem videre, ecce tibi apud Isa.1.cap. *Terra ve-* Isaia 1.
stra deserta, ciuitates vestræ succensæ igni; regionem vestram coram vobis alieni deuorant, & desolabitur, sicut in vastitate hostili, & derelinquetur filia Sion, vt vmbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario; & sicut ciuitas, quæ vastabitur. Proh dolor! vnde sic Deus irascens placabitur? peribunt vniuersi sub ira tanta. Et quidem perirent, nisi Dominus exercituum reliquisset semen, semen, inquam, nimirum promissiones, vt ait Bernard. factas ad Abraham, Isaac, & Bernard.
Iacob. Christus autem seminis huius fructus esse intelligitur. Itaque cum primum Deus lumbis Abraham deposuit semen illud Virginem, ex quo Christus nasceretur & iram simul cum Virgineo semine, cum purissima filia deponit, & miram mansuetudinem amplexatur. Pulcherrimè Tuicensis Abbas examinat eiusdem Isaiæ caput decimum, vbi Deus flammas, crucémque minitans introducitur. *Væ Assur; virga furoris mei & baculus ipse in manu eorum indignatio mea.* Sed vix ferream hanc virgam euaginarat, Isai.10.
& statim sequenti capite incipit Propheta: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius.* O felicem rerum Cap.12.
mutationem! Paulò ante Deus sub sæuienti Assur furens, districta virga furoris, & indignationis, iam sub Iesse mansuescit, virga in melius mutata. Quid mirum? egressa est dilecta Esther Maria, & irascens Rex iram, & virgam dimisit gaudens, *& quàm pulcra appositio* ait Rupert. *Supra absca-* Rupert.
debatur ille spiritualis Assur virga furoris Domini, & in manu eius baculus indignationis eius. Ecce virga autem gratiæ, virga requies Domine Maria, & in illa flos, in quo habitet, super quem requiescat omnis plenitudo diuinitatis. Quidquid iræ, quidquid indignationis exuit Dominus in genus humanũ, huic castissimæ, & filiæ, & parenti eius acceptum referamus. Per hanc, qui sæuiebant in cœlum, & in terram, mansuetus, & facilis virginea in domo requieuit, nihil amplius nisi mansuetudinem meditatus, & humanitatem. Mirabar sæpissimè ego, & apud me nesciens cogitabam, cur a Deo belligerante, a Domino exercituum, à summo Tyrannorum vindicatore electus fuerit mansuetissimus, mitissimusque Moyses, vt populum captiuum redimeret, & hostiles debellaret Tyrannos. Vnde inter bellicos tumultus, inter arma, inter plagarum apparatus, inter excogitatas neces, vastationes, submersiones, mansuetissimus vir potuit placeri, & in Principem designari? & maius mirum, quod placuit Deo tunc maximè, cum ipse Deus flammans, & ignescens viridis rubi insidebat in brachiis. Sed iam me D. Damascenus non sinit admirari; etenim oratione 2. de Assumpt. videns Moysem ad præsentiam ardentis Rubi Principem designari, ait: *per simulacrum quoddam, & similitudinem Mariæ cantus Legislator, & Princeps creatus est.* Quid mirum si flammans Deus, & in certamen ardens, recordetur mansuetudinis, & humanitatis ducis eligendi, vbi Marianum simulacrum astat! *Confitebor tibi Domine quoniam iratus es mihi; conuersus est furor tuus, & consolatus es me.* Sic Isaiæ cantu applaude- Isai.12.
bat genus humanum cap.12. applaudebat, inquam, Deum tibi quondam iratum, iam ad mansuetudinem fuisse inclinatum; quasi diceret, ait Rupert. iuste iratus es, misericorditer autem conuersus est furor tuus in gratiam; videlicet quando virga supradicta de radice Iesse egressa est: quando Maria nata: quando hæc directionum virga pullulauit: quando filia hæc, & genitrix Dei apparuit, iam Deus nescit irasci, iam facilis, & humanus apparet. Hinc teneo D. Zenonem Elizabeth, & Mariam nobis in hæc ver- Zeno.
ba indigitantem; *illa præconem portat; hæc iudicem. Exultare iam fœminæ cui adeloti voce (?).* Sic ille serm.2. in Natiuit. & mirum, quod nos iubeat exultare de venia, vbi præconem, & iudicem à Maria, & Elizabeth prædicat asportari. Si iudex aderit, quomodo exultabimus? non enim iustificabitur in conspectu eius omnis viuens. Si præco, & iudex iam adstat, quid aliud deest, nisi carnifex, nisi gladius? moriemur sanè. Absit, inquit Zeno, imò & possimus exultare: adstat iudex, sed a Maria portatus; Elizabeth præconem portat, Maria Iudicem, & ab hac nihil discet iudex, nisi mansuetudinem, & facilitatem. Hinc Hugo de S. Vict.
lib.

lib. 1. Miscell. tit. 85. *Christus in cælo ex Patre sine matre Deus. Christus in terra ex matre sine patre homo; in cælo qualis pater, talis filius; in terra qualis mater, talis filius; in cælo cum Patre æternus & immensus, in terra cum matre incorruptus & mansuetus.* Sic mater virgo ipsi Deo mansuetudinem indidit. Sanctissimus ille Iosias Rex maximè iratum Deum præsentiens 4. Reg. 22. misit *ad Holdam Prophetidem vxorem Sellum filij Thecuæ*, vt ipsa consuleret Dominum. Sed cur relictis viris Prophetis, à fœmina cupit audire oraculum? Respondit Nicolaus de Lyra, quod Iosias voluit habere à Domino responsum misericordiæ, & quia mulieres sunt clementiores viris, misit ad consulendum Dominum per mulierem. Ita Lyra. Ego autem omnes monuerim, quicumque velint à Deo responsum misericordiæ accipere, vt consulant Dominum per hanc inter omnes mulieres benedictam Mariam. Verùm pientissimam mentem à Maria, Deo desumptam,

Victor. nullus melius cogitat quam Richard. Vict. part. 2. in Can. cap. 23. Virgini dicens: *Carnalia in te Christus vbera suxit, & per*

Richard. *te nobis spiritualia fluerent. Et cum misericordia Dei sit ab æterno, amplior cœpit esse ex tempore. Et cum ex te cœpit initium, eius quoque largitas per te sumpsit augmentum. In te ergo concreuit hæc diuina misericordia, & ex te nobis profluxit. Ipsa prius repleta es, & ex te nobis descendit hæc abundantia.*

§. IX.

Primogenita genus humanum restaurat.

MAnsuetum, & facilem Deum fecit filia; quid mirum? vbi filiæ, ibi solicitudo, ibi curæ: vbi filia, & nubilis, ibi angor, ibi dotis anxietas, iactura rei familiaris: vbi filia, & primogenita, ibi dolor, ibi metus, ibi generis aui obliuio ibi ruina domus. Hæc mala filiæ parentibus afferunt mundiales: longè aliter Maria, quæ Deo summo parenti auitum genus restituit pristino decore radians, & ruituræ domui clarissimum incrementum addidit. Hoc vidit, & stupuit Irenæus lib. 5. c. 19. dum ait: *adhuc Protoplasti peccatum per correctionem primogenitæ emendationem accipiens.* A sæculo non est auditum tale, quod ruina domus, & splendor generis iam nigricans, per filiam, per correctionem primogenitæ emendationem accipiat. Quis familiæ erector? quis primogeniorum institutor non sibi cauet à successione fœminarum? Etenim vbi ad fœminam venerit fulgentissimus familiæ splendor, elanguet, antiquum decus penitus obscuratur; quo nihil magis insitum hominum animis, nil magis familiare vniuersis rationibus: & tamen verum est, quod humana familia iam iam ruitura, quod nostri generis antiquus splendor penè languidus, quod pristinum hominum ornamentum, & sordidum, & fœdatum, per correctionem Mariæ primogenitæ emendationem accepit. Hilaris quidem venis, ô Virgo primogenita, ante omnem creaturam, quæ parentum labiles imagines fulcis; nomen humanum abiectum erigis, obscuratum illuminas. Vt humanam conderet Dominus domum, dormienti Adamo costam

Genes. 2. eripuit, Gen. 2. *& ædificauit Dominus costam, quam tulerat de*

Ambros. *Adam in mulierem.* Quod expendens Ambros. *benè ædificauit*, dixit, *vbi de mulieris creatione loquebatur, quia in viro, & muliere domus videtur plena quædam esse perfectio.* Porrò hanc perfectionem domui generis humani daturus Deus, *non est bonum*, inquit, *hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile*

Apud D. *sibi.* Risit, imò irrisit hic impius Apostata, & Augustus Cæ-

Cyrill. l. 3. sar sapientiam Dei, quæ generis humani caput fœmineo ortu fœdauerit: vbi, inquit, primogenita fœmina domum stabiliuit? vbi non obscurauit? egregium sanè adiutorium generis humani sator, si primò ex illo fœmina nascatur. O quàm præclarè respondit euentus ruinæ totius generis, huic primo fœmineo natali! si ruerunt omnes in Adam per Euam, vbi adiutorium feminæ primo natæ? Hæccine est illa adiutrix, imò labefactatrix primogenita.

Tertull. Os impium eleganter obstruit acumen Tertull. lib. contra Marcionem cap. 4. *Eterum bonitas, ait, finxit hominem; eadem bonitas adiutorium ... prospexit; non est enim bonum hominem esse solum, sciebat illi ... Mariam profuturam.* Prospexit quidem Deus adiutorium hominum generi per correctionem feminæ primogenitæ, sed non per feminam, quam impij cogitarent, sed per Mariam sciebat ille profuturum sexum Mariæ, sciebat, vel ab vmbra Mariæ primogenitæ obscuratum genus illuminandum, familiam redintegran-

Serm. 1. super Missus. dam humanam in pristinamque gloriam reuocandam. Propterea inquit Bernard. *Curre Eua ad Mariam, filia pro matre respondeat, ipsa mortis opprobrium auferat, ipsa patri pro matre satisfaciat: quia Eua si vir cecidit per feminam, iam non erigitur nisi per feminam.* Crediderim post lapsum Protoplasti a natura ipsa fastiditas feminarum natiuitates; exosas omnibus venire in mundum feminas: nullius ortum vidèbis ennumeratum; cuncti patres primogenitum filium suspirabant, eóque solo lætabantur. O cassam hominum existimationem! O patrum ignorantiam! respuite primogenitos vestros, qui estis patres, etiam Abraham, Isaacum. Etenim generis humani splendor, & domus iacens *non erigitur, nisi per feminam.* Vna hæc primogenita Maria ruinam totius generis humani emendauit. *Hæc gloria lutis nostri, hæc primitiæ naturæ, hæc prima natura proximè accedens ad Deum opificem omnium generationum.* Magnus Athanasius ser. 3. contra Arrianos necessarium ducens gratiam nostræ reparationis omnium primam debere destinari, sic inquit: *Gratia illa ante præparata, designataque fuit, quàm nos efficeremur; quin potiùs ante constructionem mundi.* Quod si quæras, cur hæc antelucanæ gratiæ præparatio excogitatur? ad quid opus erat, vt prima omnium generationũ inueniretur præfixa, & constituta reparationis gratia? sic addit: *vt quamuis à serpente decepti excideremus, non tamen penitus extincti maneremus, sed habentes in nobis iam ante præparatam redemptionem, & salutem, iterum resurgentes immortales perseuceraremus; cum filius pro nobis initium viarum creatus sit, & qui primogenitus est filius, primogenitum se fratrem reddidisset.* Nihil elegantius in præsentiarum dici, excogitariue potuit. Etenim videtur mihi Athanasius sibi ante oculos proposuisse id, quod passim accidere solet. Orbantur parentibus quotidie mille puerorum examina, puerorum inquam, vix a primis vagiculis excedentium, adhuc humi reptantium, omni bonorum leuamine carentium: quid tunc lactentes puerulæ? quid elingues infantuli? Sanè si expectandum illis esset, vt quis eorum adolescat ad hoc, vt cæteri subsidium habeant, omnes prius disperirent fame. Vnde prospiciens orphanorum pater suis paruulis, eis prouidit fratrem primogenitum, grandæuam germanam, sic ante omnes natam, vt illius cura parentum defectum vix sentiant infantes. Hæc illos lauat, nutrit, alit, educat in perfectam ætatem. Ecce quantum conducat misellis infantibus habere fratrem, sororémve primogenitam, longe ante omnes natam, vt quæ primogenita est filia, primogenitam se reddat germanam, paruulos submouendo, & sustentando. Sic eodem modo in præsenti iuxta mentem Athanasij, & veritatem, Protoplastorum defectu, heu quam miseri mansimus omnes illorum paruuli! quam solo reptantes, bonis omnibus priuati, destituti, mortis pabulum & calamitatis famelici errones, nullum diuinæ tutelæ ius habentes, perituri necessario! si post tantum casum, lamentabilem ruinam, aliquis nostrûm adulturus esset, qui mederetur humanæ calamitati: desperata equidem, imò & deplorata in tanta expectatione esset omnium salus. Quapropter Deus optimus hominum procurator, à qua subleuaremur, prælegit germanam, longè ante, quam nos efficeremur, quinimo ante mundi constitutionem; vt quamuis parentum subsidio orbati, bonis destituti, non penitus corrueremus, sed habentes longè antè natam germanam in vitam aleremur immortalem; & quæ initium creaturarum creata est, & primogenita est filia, primogenitam se reddidisset erga paruulos, & grandæuam germanam, vt sic Protoplasti peccatum per correctionem primogenitæ emendationem acciperet.

§. X.

Maria inter vltimos Abrahæ posteros nata, sibi, & omnibus maioribus profuit.

DVm æternam Mariæ ex mente, & decreto Dei Natiuitatem sumus contemplati, vidimus, quàm vtiliter ante omnem naturam primogenita enascatur. Modo iam vocamur ab eiusdem Natiuitate temporali, quæ tempore præfinito, octauo Septembris die nata est bono vniuersi orbis terrarum. Iuxta quam Matthæus adest qui posteritatem Abrahami recensens, inter vltimos constituit hanc nobilem filiam Abrahæ.

Hunc Marianum descensum speculatur Ioan. Euangel. Apoc. 21. *Vidi sanctam Ciuitatem, nouam, descendentem de cælo,* Apoc. 22.
à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo. Et audiui vocem magnam de throno dicentem. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus. Quid magis nouum sub Sole? quid magis insolens? illa omnium creaturarum prima, ciuitas Regis magni, prima natura proximè accedens ad Deum opificem generationum, illa, inquam, cuius fundamenta in montibus sanctis,

sublimis

ſublimis altitudine; à tanta ſublimitate à Deo ipſo à primatu creaturarum deſcendit, & inter vltimos Abrahæ poſteros conſtituta, ibi eligitur ad nuptias Principis, & fundamentum diuini tabernaculi, *deſcendentem à Deo paratam ſponſam tabernaculum Dei cum hominibus.*

Reſumo iterum illud, *deſcendentem à Deo paratam ſponſam*, & mihi ſtatim ante oculos obuerſatur Eliezer ille ex
Geneſ.21. 21. Geneſeos, qui longo itinere laſſus viridantis ceſpitis planitie, vmbrantiſque ligni foliis delectatus, ſalientis fontis gurgitem obſeruabat; an forſan illius in aquis virgo inueniretur, quæ Iſaaci præcordia poſſet deprædari. Hæc cum riuulis murmurabat Eliezer, & ecce tibi Rebecca *puella decora nimis; virgóque pulcherrima, & incognita viro deſcenderat ad fontem, & impleuerat hydriam, & reuertebatur.* Reuertebatur inquam, non adeo feſtina; imò adeo comes, vt rogata Eliezer, & Camelis aquam propinaret, ea hilaritate, comitate, ſinceritate, vt vel hinc debita Iſaac ſponſa manſerit deſignata. O vtinam liceret modo mihi ex Ambroſio verba ſuffurari, ab Eccleſiáque in Virginem detorquere! O quam illis ſitim explicarem vniuerſi generis humani! ô quam viuum ſalientis in vitam aquæ fontem Chriſtum proponerem! ſed heu crudele neſas! per quàm luteos gradus humani generis ad hunc fontem proueniendum erat! per quot terrenos progenitores terrenarum cupiditatum macie fœdatos, idololatria obſcuros, vitiis ſordidos, in diéſque ſordeſcentes! quis purus ac lutea, & ſordida deſcenderet via? equidem puella decora nimis virgóque pulcherrima deſcenderat ad fontem, puellula pulcra, proles aurea, omnium purior, formoſiórque puellarum Maria per omnes hos luteos gradus ſordidos parentes deſcendit, nihil perfectæ ſuæ puritati detrahens, *hæc*
Ambroſ. *ſola deſcendit*, inquit Ambroſius; *hæc ſola agnouit fontem verum vitæ æternæ; idcóque habuit, quod daret ſitientibus.* O vos felices homines, qui fontem viuidum Chriſtum obſeruatis! Etenim ſuperato progeniorum luto, Virgo pulcra deſcendit ad fontem, plenáque gratiarum flumine humanam extinguit ſitim, cunctos ſatiat, & in ſponſam eligitur Deitatis. Attamen nolo, vt miremini, quod luteos deſcendat Maria gradus immaculata: hoc ego maximè mirarer, & admirarer, quod luteis ex parentibus deſcendens Maria, ſic illorum in ſe condecoraret vilitatem, puluerem condiret, ſic lutum deauraret, vt diuinis obtutibus haud ingrata
Cant.3. aſtaret. Cant.3. *Quæ iſta, quæ aſcendit per deſertum, tanquam virga fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij.* Quam Angelorum admirationem videns Rupert. cum primum puluerem & fumum audiuit, puluerulentas, & fumoſas parentum Mariæ imagines fuit recordatus, quarum puluis, & fumus in Maria eam formam adi-
Rupert. piſcentur, quæ Deo gratiſſima aderit. *Tu dicis*, ait Rupert. *ô virgo, ſum puluis cum Abraham, ſed puluis, & pigmentarius, qualem conficit Spiritus ſanctus; dicis propter humilitatem, ſum fumus cum Dauid; ſed es fumus ex aromatibus, aſcendens ex aureo thuribulo ad olfactum Dei.* Nihil Marianam Natiuitatem offendit puluerulentus deſcenſus per tot luteos fumo, tabéque plenos gradus; imò ab illis deſcendens, ſic extollit Maria patres, vt qui luteus puluis, horridus, & lacrymoſus fumus reputabantur, ſic in Maria aſcendunt, qualis puluis pretioſus mille conditus pigmentis, qualis ex aromatibus in aureo thuribulo fumus vſque in ſummi Regis cubiculum exaltatur: talia ſibi decora ex maiorum vilitate Maria comparauit, talis in puluerulento deſcenſu appa-
Ioan.Hieroſol. ruit, quod noua metaphora explicuit Ioan. Hieroſol. lib. de inſtitutione Monachorum cap. 32. vbi ponderans illud 3.
3.Reg.18. Reg.18. *Ecce nubecula parua aſcendebat de mari*; ſic in Beatam Mariam transfert. *Licet nubecula illa eſſet originaliter eiuſdem naturæ cum mari, alterius tamen fuit qualitatis, alteriúſque proprietatis: mare quippe ponderoſum eſt, & amarum. ſed nubecula illa leuis fuit, ac dulcis.* Hæc ille. Venuſtè ſatis. Etenim nubes à mari naſcitur, aqueamque maris naturam habet, imperfectionibus (vt dicunt) ablatis Mariana exurgit nubes, ſed ſine pondere, ſine amaritudine, dulciter ſœcundans & rigans orbem terrarum: ſic Maria Abrahamidis, Dauidiſque ſata hominis filia, in qua natura hominis, ſine infirmitate, ſine vilitate, & turpitudine inſigni, elegans, pellucida apparet.

§. XI.

Maria terra firma, in qua primus Chriſtiani ædificij iacitur lapis.

Apparet, inquam, in deſcenſu Maria elegans, quaſi ſponſa Diuino Iſaaco parata, *& tunc*, inquit Ioannes, *audiui vocem magnam dicentem. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus.* Quaſi fundamentum inuenerit ſummus artifex in hominum genere æternum habitaculum fabricandi. Frequentiſſimè in ſacris voluminibus Incarnatio filij Dei per ædificij maximi conſtructionem ſignificatur, quo ſpectat illud Prouerb. 8. *Sapientia ædificauit ſibi domum;* Prou.8.
& alia: quam parœmiam inſequutus S. Cyrill. lib.5. Theſaur. cap.8. ſic explicat à verbo aſſumptionem humanitatis factam, ac ſi Regiæ cuiuſdam ædificandi gratia vel tunc effectæ terræ lapis iniiceretur primarius; quaſi ait Cyrill. Cyrill.
Lapis ex ſubſtantia patris profectus in carne noſtra quaſi in terra Alex.
defoſſus eſt, tunc fundatam ſe ipſam, ait ſapientia. Ex quo perſpicuè liquet, quam nobis vtilis, imò & neceſſaria venerit Maria in hoc puluerulento deſcenſu per tot terrenos, & luteos patres: etenim quilibet artifex, priuſquam moueat lapidem ædificij, terram mouet, terraque mobili, & labili ablata in imis terræ viſceribus quærit, quod firmum eſt, quod immobile, quod ſaxeum, ibíque conſtituit lapidem primarium. Sic Deus Optimus Maximus illuſtrem Eccleſiæ domum ædificare habebat in optatis: clamabat quotidie terra; clamabant ſancti patres, vt tanti ædificij lapidem primarium, nimirum verbum diuinum terris amandaret. Proh dolor! in vniuerſo hominum genere, nil firmum, nil immobile inueniebatur, omnia erant homini mobilia, omnis homo labilis, imò lapſus. Quibus rectè proſpectis, decreuit tandem Deus, lapidem hunc inſerere Dauidis generi, & Abrahami. Verum quid in his etiam non labile? omnia illorum prima ex ruina commota, rimas agebant, & caſum minitabantur: inſtat tamen operi diuinus artifex, præterit generationes, aliam, & aliam, aggerat ſceleſtorum cumulos, Babylonem transfert; mobilia omnia diſturbat, ſeparat, donec tandem poſt mille ablatis generationibus in imis apparuit ſaxum illud Marianum robur, terra immota, nullis conceſſa ruinis peccati, cuius in carne, lapis adeò profectus quaſi in terra defoſſus eſt. Hoc perſpicuis verbis tradit Athanaſ. epiſt. ad Epictetum, ſic exponens à Athanaſ.
verbo noſtræ humanitatis aſſumptionem. *Semen Abrahæ apprehendit, vnde debuit per omnia fratribus aſſimilari, & aſſumere corpus, quod vobis eſſet ſimile, & ideò pro fundamento iſtius rei ſubijcitur Maria.* Quid illuſtrius? quid clarius? etenim vt in Abrahami parte myſticum erigeretur tabernaculum, æterni numinis conſtrueretur palatium, opus fuit in imis, & vltimis eius generationibus Mariam ſubiici, quæ firmum, & ſtabile fundamentum tantæ molis aſtet: ideò pro fundamento iſtius rei ſubiicitur Maria. Hinc iam vos felices homines compellabo; iam Io triumphe inclamato poſt amoris terrenis generationibus, in vltimis Abrahami ſatis Maria virgo ſubiecta eſt, firmum, ſolidúmque fundamentum apparuit, cui inhærebit primarius lapis. Eia agite Chriſtiani, inquit Cyrill. Alexand. *Præfundatur ante nos Chriſtus, & in* Cyrill.
ipſo nos omnes ſuperædificamur. Sed vt præfundatur Chriſtus, Alex.
pro fundamento ſubiicitur Maria, ne quis in cœlum ſurgat, qui hoc Mariano fundamento non nitatur; ideò illi ineſt lapis Chriſtus; de qua natus eſt Ieſus, vt in illo poſito, cæteri poſſimus in gloriam ſuperædificari.

CAPVT VI.

De Beata Maria, vt trima à parentibus in templum aſportatur.

Ad illud *Luc.* 11. Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ ſuxiſti, quinimò beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.

Id ſolum ſimplex fœmina ad Marianam felicitatem congeſſit, quòd Dei verbum puriſſimo conceptum aluo parturiret, aleret, educaret. Verum Dominus, quaſi veritus, ne ſimplicis feminæ iudicio, & æſtimatione maternam metiretur gloriam, non ventre Dei verbum excipientem Mariam proponit ſolum, ſed intimis illi præcordiis, totóque animo prædicat inhiantem; vt ſic illuſtriora matris facinora clareſcant, & orbem irradient. Diceretur fortaſſe Chriſtus ab hæreticis faſtidiſſe matrem, dum puerperij obſequia quaſi præteriens, id ſolùm collaudat, quod verbum Dei audiatur, cuſtodiatur. Sed abſit, inquit S. Iuſtinus quæſt. 135. ad Orthod. Iuſtin.

Non

Non ita loquutus eſt, quaſi matrem priuaret honore debito: ſed oſtendit, quæ maternitate beatior dici debeat Virgo: nam Dei ſermonem audire, & exequi virtus eſt, animæq; pura, quæ tota ad Deum ſpectet; & quia non quamlibet feminam elegit Deus, ſed omnium feminarum virtutibus excellentiſſimam: propterea Chriſtus volebat ob hanc virtutem prædicari matrem ſuam. per quam virtutem illa aſſequuta fuiſſet, vt virgo Mater fieret. Eſt igitur in Maria ante tumentia vbera, ante partum, quod maximè extollamus.

Nimirum vix tertium attigit annum, & à parentibus templi ſeruitio oblata, ſeſe ita verbo Dei tradidit, vt omnia obliuiſceretur humana in templi adytis occulta, ab Angelis alebatur, à Deóque ipſo in matrem præparabatur, eius virtutes, & excellentias Sacerdotibus mirantibus, & obſtupentibus.

§. I.

Maria trimula in templi ſeruiens adytis, ſe ipſam aliquo modo exceſſit, dum apud Bethleem obſequuta eſt diuino infanti, illumque lactauit.

GEſtit modò animus illud concinere, quod præteritis Thren. 3. ſæculis lugens Hierem. Thren. 3. eſt lamentatus; *Bonum eſt viro, qui portauerit iugum ab adoleſcentia ſua.* Hebraicè habes, *à pueritijs ſedebit ſolitarius, & tacebit, quia leuauit ſe ſupra* Nauarr. *ſe.* Quibus verbis exagitat Nauarrus illud *portauerit iugum*, inibi recognoſcens non extortam, ſed ſpontaneam quamlibet ſubiectionem, qua quis libens, & proprio motu ſe iugo ſubmittit. Is autem qui a pueritiis ſponte ſua, & motu proprio currit ad iugum, equidem leuauit ſe ſupra ſe, ſic in ſublime euolauit, vt ſeipſum, quantumuis maximum, exceſſerit. Pone virum virtutibus excellentem, nouiſque indies facinoribus, & clareſcentem, & in ſummam ſe magnitudinem extollentem: is ſi à pueritiis libens Dei obſequio ſe tradidit, iam ex tunc leuauit ſe ſupra ſe, nec tanta illi aduenit magnitudo, quam illam pretij ſeruitute non exceſſerit. Hinc apprimè claret puerulæ Mariæ præcellentia, quæ (ait S. Germanus) valde lætans, & exultans ibat in templum Dei, tanquam in thalamum, cum ætatis tertium ageret annum, vixque templi primum gradum parentes attigerant,

Mant. l. 1. *Cum ipſa retrahens prompta ſinuata miniſteria,*
Parthuſ. *Brachia debilibus plantis, animo ſe vigorem*
Addidit, & ſupra ætatem fiducia creuit,
Protulit audaces ſub ara Cyclade paſſus,
In ſublime volans Virgo, turbámque relinquens.

Quid magis præcox, & ſpontaneum? quid in infantulæ Mariæ pueritiis magis illi voluntarium, quam obſequium iſtud, quo ſeſe templi Domino libens tradidit ſeruituram? equidem ex tunc leuauit ſe ſupra ſe Maria poſteriorem, quantumuis magnitudinem longè ſuperans.

August. ſerm. 133. Sed cum hæc dicam, ne audax alicui videar, accipite Auguſt. ſic Mariana in diuino puerperio obſequia componentem cum iis, quæ præſtitit Ioſeph ab Arimath. in Dominica ſepultura. *Ego dico non minorem Ioſephi affectum fuiſſe, quàm Mariæ; ſiquidem illa vtero Dominum, hic corde concepit: illa Saluatori membrorum ſuorum ſecretum præſtitit; hic ſecretum ſui cordis non negauit; illa Dominum pannis inuoluit, cum natus eſt; hic linteis cum receſſit; illa perunxit beatum corpus oleo, hic aromatibus honorauit. Conueniunt ergo ſibi obſequia, conuenit & affectus; inde neceſſarium eſt etiam meritum conuenire, niſi quod Mariam ad obſequium Angelus admonuit: Ioſeph autem iuſtitia perſuaſit.* Nil dulcius, nil elegantius dici, excogitarive potuit; expendo namque illud, *niſi quod Mariam ad obſequium Angelus admonuit, Ioſeph autem iuſtitia perſuaſit*; vbi nititur Auguſt. Mariana obſequia erga Chriſtum aliquo modo vinci, & ſuperari a Ioſeph, quia Mariam in nati obſequium traxit Angelus, Ioſeph autem ipſe à ſe, ſibique infuſa ſanctitate in pientiſſimum officium euolauit. Ergo iuxta Aug. mentem, Mariam nô cum Ioſeph, ſed cum Maria componamus: Mariam, inquam, trimam libenter, & ſponte inhabitantis ſanctitatis, & iuſtitiæ proprio motu templi Domino adhærentem, famulantem cum Maria apud Bethleem, pueritiis inſeruientem diuinis, quippe hæc Deo inſeruit, & illa Deo; hæc Deo præbet vbera, illa mentem. Conueniunt ſibi obſequia, conuenit & affectus, inde neceſſarium eſt etiam meritum conuenire, *niſi quod Mariam in Bethleem ad obſequium Angelus admonuit, Mariam in templo perſuaſit iuſtitia.* Vt vel hinc conſtet, quàm hæc virguncula à pueritiis dicata templo, ſe ſupra ſe quodammodo leuauit.

Baſil. Sel. Huc dixerim ſpectaſſe illud à Baſilio Seleuciæ Epiſcopo excogitatum. Etenim oratione de verbi incarnat. nobis apud Bethleem Mariam proponit, ſic de exhibendis officiis puero nato addubitantem: *Quid aggrediar? téne lacte nutriam, an verò vt Deum colam? tibi ne maternum præſtabo obſequium, an ſicut ancilla cultum adorationis impendam? Téne vt filium amplexu meo fouebo, antequam Deum ſupplex inuocabo? tibi ne lac porrigam, an offeram thymiama?* Ecce tibi omnia à Virgine in templo exhibita officia, compoſita cum iis, quæ exhibenda erant recenti nato. Hinc diuinus cultus, humilis ſeruitus, ſupplex adoratio, ſuffitus thymiamatis, quæ omnia præſtita ſunt à Maria templum inhabitante, illinc puerulus recens natus, egens maternis curis, inhians lacti; & hæc inter Virgo media anceps, neſciens, an puellæ templo excubantis muneri, an parturientis Virginis prior ſatisfaciat, adeo magna, adeo ſublimia fuerant Virginis in templo officia, à quibus ceſſare extimeſceret, etiam vt tanti pueri matrem ageret. Rem totam conficit luculentiſſimè Auguſt. de ſancta August. virginitate cap. 4. vbi Marianæ virginitatis præcellentiam extollit, quod non illi præcepta fuerit, ſed ab ipſa ſuapte oblata. *Ipſa quoque virginitas Mariæ gratior, & acceptior, quia non eam conceptus Chriſtus viro violaturo, quam conſeruaret, ipſe præripuit, ſed priuſquam conciperetur, iam Deo dicatam, & de qua naſceretur, elegit.* Vide modo, quam maturauit Mariam ſuam ſacrare virginitatem, non eam viro violaturo Chriſtus præripuit, non Angelus, ſed ante monentem Angelû, ante præcipientem Chriſtum ſe ipſa ſacrauerat. Memini Chryſologi Chryſol. extollentis celeritatem, aduentantis ad Mariam deſponſatam Angeli, inquit enim ſerm. 140. *Peruolat ad ſponſam feſtinus interpres vt à Dei ſponſa humanæ deſponſationis arceat, & ſuſpendat affectum.* Verum Mariæ tardior fuit hæc Angeli feſtinatio, multo ante Angelum deſponſationis humanæ affectum ipſa à ſe arcuit, dum in templo ſuam virginitatem ſacrauit, & inde gratior extitit, ac beatior: quia ſuper Angelum, imò ſe ſuper ſe leuauit. Vnde pulchre Damaſcen. ait: Damaſc. *O ſanctiſſima, quæ principatus, & poteſtates ſefelliſti, immaculata conſeruata in Dei ſponſam.* Etenim excubabant Angeli Marianam virginitatem, hincque cum vident in poteſtate viri, peruolat Gabriel feſtinus, vt affectum terrenæ deſponſationis arceret a Virgine. Verum ſerus nimis peruenit, & tardus, ſiquidem ſupra Angelos, & ſupra ſe virginitas Mariæ ſe leuauerat.

§. II.

Maria trima in templo ſororis Domini munus adimpleuit.

S*Oror noſtra paruula eſt, & vbera non habet. quid faciemus ſorori noſtræ?* ait Dominus Cant. 5. quibus perſpicuum eſt, Cant. 5. non totam Mariæ gloriam, & felicitatem in mammis, & viſceribus oleo plenis ſitam eſſe, vt illa ſimplex mulier prædicauit. Imo effœta, & ſine vberibus ad oſtium excubans tabernaculi inter cæteras puellas oculos ſibi rapuit ſummi Patris, illamq; vnius Dei filius in ſororem cooptauit; & cur non ſoror vnici filij Dei, quæ relictis terrenis, cœleſtê euolauit ad Patrem? S. Greg. Niſſ. homil. 4. in Cantica, ſic ſororis Niſſen. diuinæ munus, & dignitatem examinat: *ſicut roſa inter ſpinas, ſic ſoror noſtra inter filias, non amplius propinqua, ſed ſoror. Poſtquam ergo facta eſt flos, nec à ſpinoſis laſſa fuit tentationibus, quo minus lilium eſſet, oblita populi, & domus patris, & matris ſuæ, aſpexit ad verum patrem, & ita vocatur ſoror Domini.* Porrò vix Marianus flos eruperat, vix è germine exceſſerat; & inter puellarum examina apud templum educata omnibus ipſa vnigeniti filij Dei ſororis præbet ſpecimen, penitus florida, nil, quod lædat, habês, primo in templi gradu ſuum ſiſtitur, terrenorum omnium parentum etiam oblita, aſpexit ad verum patrem, ad quem ocyor volauit, & ita vocatur ſoror Domini.

Solemnis apud antiquos, nuperóſque Theologos agitatur quæſtio; cur tertia in Trinitate perſona, nimirum Spiritus ſanctus non generetur, vt filius Dei, & frater Verbi? cur, inquam, doni diuini proceſſio non ſit germana filij generatio? quam quæſtionem clarè, & ingenioſe enodat Alenſis, & Maior ſequuti Richardum de S. Victore 6. de Trinitate cap. 18. 19. 20. & 21. hic namque cap. 19. Filij, & Spiritus ſancti ſimilitudinem trutinans, ſic quærit: Cur ergo eadem affinitas germanitatis vtrobique non adſcribitur alterutrius? ſed & ipſe rationem perſpicuam excogitarat, quam in re adeò ancipiti poſteris legauit: nimirum, quia paternæ naturæ proprium eſt, aliam à ſe perſonam diuinam gignere, cui naturali proprietati Patris perfectè ſimilis Filius fœcundus naſcitur ad productionem Spiritus ſancti. Verum Spiritus ſanctus habet, nec alicui perſonæ diuinæ dat: & inde in illo non adſcribitur affinitas germanitatis cû Filio. Alenſis. Maior. Richard.

Ergo

Ergo hanc germanitatis affinitatem ad Verbum, quam Spi-
ritus ſanctus non habet, puerula hæc Maria habet: ita vt
poſſit vocari ſoror Domini, atque germana: ſoror inquam,
& germana Verbi adeo ſummi parentis æmulatrix, vt ab
illo recipiat fœcunditatem, quæ diuinam perſonam gene-
Luc. 1. ret, & pariat. Id videtur attigiſſe Angelus apud Lucam c. 1.
illis verbis: *Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*, quæ explicatiùs
Magnus Athanaſ. reddit; *virtus Altiſſimi adumbrabit tibi*; ex-
pende illud *adumbrabit*; nimirum imaginabit, id eſt, quaſi
Athanaſ. ſub vmbram, & imaginem, vt ſic velut imago Patris partu-
rias diuinam prolem, Verbique ſis germana. Sterilem Saray
vocauit Deus Sara, quæ vox Auguſtino ſonat virtutem; cui
Lib. 6. de ciuitate c. 28. accinit D. Paulus dicens, *Fide & Sara virtutem accepit.* Quam
virtutem Lipomanus ait fuiſſe virtutem generandi Deum
aliquando de ſemine ſuo in Chriſto de Beata Virgine na-
Ad Hebr. 10. ſcituro. Quis hic non videat clarere verba Angeli, nimirum,
Lipom. *virtus Altiſſimi obumbrabit tibi?* quaſi dicat, tibi ô Virgo, pa-
terna virtus, & efficacia Deum generandi inierit: virtutem
habes, quâ altera Patris imago generes Deum: illa venis,
quæ virtute accepta Deum producas, ſiſque diuini Verbi
De humana Chriſti generatione. feliciſſima ſoror, ac germana, vt ſtupeat Baſilius Mariam
ſanctam, *quæ dignitati vnigeniti vnitur*, ſitque in vtriſque
Maria, & Verbo eadem affinitas germanitatis.

§. III.

Pueri Euangelici formam adepta eſt Maria in templo.

Solemniſſimum in ſacra pagina iuſtos homines puero-
rum nomine inſigniri; nec vacat ritum hunc morem in
examen vocare. In eius ratione inueſtiganda multus eſt
Cl. Alex. Clem Alex. lib. 1. pædag. c. 9. à quo illa præcipuè excogita-
tur, *Nos*, inquit, *pullos vocat, quia ab improbitate minime do-
miti ſumus, ſed ſumus ſimplices, ad ipſum ſolum patrem exi-mus*;
& quidem nil magis cuiuſcumque animantis pullis inſi-
tum. Ecce tibi pullus media recumbens in arena, videat
licet venientes aliorum turmas, frequentes ſaltus, non mo
uetur: at ſi à longè dulcem odoretur parentem, ô quam
ocyor ſalit, inſilit, & cæteris prætermiſſis, vni parenti feſti-
nus, & feſtiuus occurrit! Is eſt omnibus pueris parentum
inſitus amor, quo prætermittunt, imò deſpiciunt aliud *Iure
ergo* (pergit Clemens) *ſunt pueri, qui Deum ſolum Patrem no-
uerunt. His itaque hanc vocem annunciantis rerum, ac negotiorum
iubens curam abijcere, & ſuadens ſolum Patrem attendere pul-
los imitantes.* Quibus crediderim vna puella Maria, dum
templo adfuit, perfectè ſimilis extitit. Etenim ſola Maria
graue filiorum Adam iugum ideò non excuſſit, quia nun-
quam ſubiit, prorſus à naturæ vitijs indomita, oblata Deo,
cum primum diuini Patris odorata eſt lumen, vt rectè
Mant. Mantuanus:

Protulit audace ſublata Cycnade paſſus,
In ſublime volans Virgo. turbámque inquietam.

Mundialia omnia præteriens, carnales parentes obliui-
ſcens, ad Deum ſolum Patrem exiluit, rerum negotiorúm-
que curam abijciens, vni cœleſti parenti ſeſe chariſſima
puella dedit.

In cap. 19. Matth. Accidit prorſus Mariæ, quod B. Gregor. Nazianz. cunctis
virginibus exoptabat. Etenim, docens ſanctus vir puellas
ſplendentis generis pulchritudinis, opum principatus, &
rerum obliuiſci, in vnumque Deum ſurſum euolare, hoc
vtitur argumento, & eleganti, *Videtis in his aquarum fluxi-
bus, qui plumbeis canalibus incluſi contineantur, quod, dum nimi-
mium comprimuatur, atque conglobatæ voluuntur, adeò plerumque
aquæ naturam excedunt, vt quo retrò premuntur, ſurſum
ferantur: conſimili modo, ſi amor tuus ſtrictè, totaque Deo coniun-
cta fuerit, ſurſum tendet; nuſquam humi vel buto, nec diffluet
tota Chriſti moribus, quouſque Chriſtum quo, ne ſpo ſum videas.*
Sic compreſſi fontes exurgunt, & qui naturali motu li-
quere, humique diffundi nouerunt, concluſi plumbeis ca-
nalibus, ſtrictique vndequaque ſublimia in aſtra conuer-
tuntur. Sic Maria concluſa templo, adeò amorem ſtrinxit,
vt Deum anhelans vnum, non humi prolabatur, ſed in
Eſth. 11. ſublime volans Virgo turbam relinquit, & paruulus fons à
terra in ſolem conuerſus eſt, ſoli Deo parenti ſummo ad-
hæreſcens.

Ex his vides, quo ſale Marianus amor in Deum vocetur
in Canticis *ſignatus fons*, videlicet non quomodocumque
ſignatus, ſed vt ſignari, & concludi ſolent fontes,
vt ſurſum erumpant, & in aſtra proſiliant limpidiſſimo
Niſſen. gurgite, & idcirco ait Niſſenus. *Encomium hoc autem
ſponſa ſummam tribuere videtur: quod videlicet ipſius cogitatio
ab hoſtibus non attrectata maneat, & pura, & caſta, vitijs inta-
cta ſponſo ſeruatur ſuo.* In quem vnum conſtricta ſponte pro-
ſileat, & maneat tota Chriſti. Non iam miremur paruulum
hunc fontem Marianum à fontium omnium natura deſci-
ſcere, dum pernici curſu aſcendit, & extollitur in ſublime,
ſiquidem eius omnes affectus conglobati, compreſſique in
vnum conſignantur, concluduntur, vt ſurſum tendant, &
erumpant, fons ſignatus eſt Maria, nihil, ſi aſcendat, mi-
rum. *Audiſti* (ait Gilbertus in Geneſi) *quod fons aſcende-* Serm. 35.
bat, & irrigabat totam faciem terræ; quis dabit hortulo meo hanc apud Pug.
aquam, & areolis meis hunc fontem ſignatum? & cur ſignatum Iſa.
requirit: nimirum qui aſcendentem exoptabat. Nec eſt
fons, qui aſcendat, niſi quia ſignatus, & concluſus. Si-
gnatur, concluditur, ſtringitúrque Mariani amoris fons in
templo. O qualis aſcendit! ô quam proſiluit in vitam!
Hinc Georg. Nicomedienſis Archiepiſ. templum hortatur, Georg.
vt Mariam excipiat, *hanc introducitō, tanquam ſponſam, hor-* Nicom.
*tum concluſum, fontem tenera ſignatum, ex quo manant fluenta
puriſſima*; quippe omni expertia limo pura proſiliunt vni
ſponſo ſeruata ſuo.

§. IV.

*Maria ſeſe Virginem Deo in templo exhibuit, primámque
inuentricem virginitatis.*

Vidimus paruulum Marianum fontem, húncque ſigna-
tum, concluſúmque templo, in Deum aſcendere. Sed
modo auet animus ſcire, qua machina, quo artificio fons
humilis in Solem proſilierit? Pro quo ſtat Anſelm. de ex- Anſelm.
cellentia Virg. cap. 4. ſic aiens. *Virgo terrena, & delicata regali
ſtirpe progenita & ſpecioſiſſima totum amorem ſuum, totumque ſtu-
dium ſuum ad hoc idem dedit, vt corpus, & animam ſuam Deo Vir-
ginitate perpetua conſecraret.* Ecce machinam, ecce artificium
ab vna puella Maria inuentum, & excogitatum, vt ſe totam
Deo dicaret, nimirum perpetuam animi, corporiſque virgi-
nitatem. Cæteræ puellæ ad oſtium tabernaculi excubabāt,
donec animo, & ætate nubiles ſub viri poteſtate humilia-
bantur, vt matres fierent: hæc vna Maria inuenit modum,
quo virginitatem æternaret, & totum amorem ſuum indi-
uiſum Sponſo exhiberet immortali. Vbi legeras, *Beata Vir-* Bernard.
*go de virginibus, quia cantant canticum nouum, quod nemo alius
cantare poteſt, & ſequuntur agnum quocumque ierit?* Vbi lege-
ras, laudatos eſſe qui ſe caſtrauerunt propter regnum Dei?
Vbi legeras, *in carne enim ambulantes, non ſecundum carnem* 1. Cor. 10.
militamus? & qui matrimonio iungit virginem ſuam, bene
facit, & qui non iungit, melius facit? *Vbi audieras, volo vos* 1. Cor. 7.
*omnes eſſe, ſicut & me ipſum, & bonum eſt homini, ſi permaneat
ſecundum meum conſilium? Chriſti ergo deuouet te exhibere vir-
ginem, ex neſ tui, quod ipſi exhibere te oportet etiam matrem.*
Huc vſque Bern. hom. 3. de B. Virg. qui ſalus omnium inſipi-
dos reddit ſales, egregie namque meditatur, Mariam ſe Vir-
ginem exhibentem, & in hoc Verbi diuini ortus dedican-
tem quod ante Bern. cœlites ipſi ſtupuerant, dum aiunt, *quæ
eſt iſta quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi?* Bina ſeſe
obijciunt miracula; vna puella deſertum virginitatis cal-
cans, aſſidua meditans, miram virtutis acceſſionem facit, miro
modo ſe exaltat, ſicut virgula fumi apparet. Quidni? puel-
la à Libano puritatis aſcendens, & virginea ſub niue can-
dens, & fumigat, & fumos excitat.

Sed videamus iam viſionem hanc, & reuocate in memo-
riam rubum illum flammantem, in quo virgineum partum
adumbrari nemo ambigit. Sic enim ait Niſſenus, *Virgo pa-* Niſſen.
rit lumen & non corrumpitur Rubus in deſerto ardens, Ma-
ria Virgo eſt, dum increatum parturit flammam. Huius er-
go flammantis partus dedicationem Angeli modò in de-
ſerto mirantur; etenim in deſerto virginum ſtatu ingreſſa
Maria niueo ſe pudori æternum ſacrans, fumigat iam,
quaſi flammanti puerperio paraſa.

O qualem mihi ſtuporem iniecerunt bina diuinæ iuſtitiæ
facinora Alterum eſt cum video vnius peccati reos tot
Angelicos ſpiritus ab æterna felicitate deturbatos. Alterum
vniuerſum mundum, oſtendit clementē ſub aquis. Cur adeò
in Angelis ſeuerus Iudex, & cur in hominum tam durus
communitatem? De Angelis quærit Alcuinus in Gen. q. 4. Alcuin.
*Cur ſummi Angeli peccatum inſanabile fuit, & hominis ſanabile?
Angelus ſuo ſcelere inuentor fuit; homo vero alterius fraude ſe-
ductus.* Huic accinit Theodoretus expendens humani gene- Theodor.
ris ſubmerſionem, profectam pene ex ſimili cauſa, *Quod
cum ita hominum cogitatio intenta eſſet ad malum omni tempore,
Gen. 6 Vbi Theod. non ſimpliciter peccatum, ſed cura, & ſtudio,*

quæsitam iniquitatem reprehendit eorum, quæ subseruire faciunt affectionibus rationem, vt etiam ex [illegible] altas nequitiæ ideas. Ecce vobis nouorum [illegible]elerum [illegible]nuentorés nouo,& inusitato modo mulctatos

Accipite etiam quid præmij lucreotur nouarum virtu-
Tertull. tum patratores; sane hinc Christus Dominus videtur Tert. lib. 5. in Mar. fidem omnem Antichristi præripuisse virtutibus, quia ipse prior documentum adinuenit illarum. *aut quale e[illegible]* inquit, *[illegible] vnde se voluit probari, & intelligi recipi: ex virtutibus dico, vnde cæteros æquè noluit? sed quia prior eas venit, & prior virtutum documenta signauit; idcirco fidem occupauit, posse in quibusque præripuit,* expendo illud, *prior virtutum documenta signauit.* etenim facile est inuentis addere, sed qui prius inuenit nequit gloria frustrari.

Ne miremini si nouæ virtutis inuentricem Mariam, nouo,& inaudito modo videatis exornatam, addicti sunt statim flammis sui sceleris inuentores, lumini increato prauos excitat fumos inuentrix virginitatis. Ex templo à Deo exulant, qui nouas peccandi ideas excogitarunt: in templo paratur Deo habitaculum, sic in deserto Virginum Maria inuenitur, sicut virgula fumi iamiam paritura lumen immortale.

Linum fumigans non extinguet, dicit de Deo Isaias, nescio quo prouerbij sapore. Sed, quid linum? non lucerna, vt vult Sayrus apud Matth. Sed ellychnium ex lino, [illegible]que
Isai.62. pulchrè hic locus accidit eiusdē Vatis c.62. vbi petit, quod *Saluator tanquam lampas accendatur.* Porro vt lampas accendatur, prius linum aptatur lumini. Ecce modo linum iam fumigans in templo, nimirum Maria virginitate candens, illuminatura orbem lumini præparata etiamsi [illegible] flammat, tamen fumigat, vt sit in summo Dei templo virgineæ
Georg. Nicom. lampadis, iuxta Georg. Nicomedi[illegible]sem. *Lucidam a[illegible] intueatur nebulam, [illegible] eius [illegible] centem fontem luminis,* & virginea collucentem in lampade.

§. V.

Prudens Virgo stetit in templo Maria.

QVid Virgo in templo Dei? quid Virgo etiam cum flammāte lampade? opus est & Virgini prudentia, qua oleum prouideat lampadi: sic q[illegible]inque illæ prudentes virgines accensis lampadibus sumpserunt oleum, cum [illegible]s defectum æterno prosequuntur luctu quinque aliæ: ast quid
In Cant. hoc loco oleum? Chrysost. oleum hic vocat charitatem & eleemosynam & quodcunque circa indigentes auxilium hoc, sane sine [illegible]leemosynæ oleo, frustra Christiani huius sæculi mare vrinantur, vt velleant rubentia Christi corallia; sine hoc oleo nemo virginum portum attingit salutarem. Hoc sibi oleum Virgo pr[illegible] dentissima prouidens templum
Brigitta. ingressa, vt ait S. Brigitta reuel. [illegible]1.c.10. *sic bona facultatésque [illegible] attempsit, vt quidquid in bonis haberet, in egeno propensè causferr gauderet.* Vnde Georgius Nicomediensis sic templo Virginem excipientia gratulatur, *Accipe oleum vegiferam, per quam scaturit oleum exhilarans, & pinguescit creaturam.* Imo crediderim hanc Marianam mi[illegible]ricordiam notatam fuisse
Damasc. à Damasceno, eum orr[illegible]ione prima de Natiuit.ate; *Maria inuenit gratia al[illegible]um, quæ duplicem virginitatis nauem incolumem seruaverat.* Vt ratem moueas, seu carinam, non altum maris æquor opus est sufficiet, fluuius mediocris, vel lacus, at si ingentem nauem feras, vastissimus, altissimúsque tranandus est aquarum abyssus. Quid plura? virginitas corporis, & animi, non rates, non carioa, sed naui maximæ persimilis, quæ vt incolumes portum attingant, non qualiscumque virtutis gratiam, sed immensi propè abyssus pelagus prærequirunt, ast vbi vastum hoc & immen[illegible]um pelagus, quod virginitatis naues sustineat, in[illegible] entendum?
Chrysost. Inducitur a Chrysost. hom. de annunciat. G[illegible] Angelus dubitans, qualiter partus Vi[illegible]nis alius i[illegible]ensitatem Dei capere potest, cum sic, *Quomodo,* inquit, *[illegible] tabernaculum Abrahæ potuit co[illegible]ere? quoniam* inqui[illegible], *[illegible]lus hospitalitatis pelagus habebat.* Expendo illud h[illegible]spital tatis pelagus; quippe vbi hospitalitas, vbi in pauperes charitas, ibi pelagus, ibi abyssus, qui Deum & Dei eram virginitatem sustineat. Hoc pelagus inuenit Maria, quod virgi-
Ambrof. nitatis duplicem nauem [illegible]tuatur; de qua Ambro[illegible] lib. 2. de virginibus, sic fatur: *Vir[illegible] humilis corde, animi prudens, non in incerto divitiarum [illegible] ed in prece pauperis spem reponens.* Sic virginea nauis abyssum misericordiæ tranans huius spei anchora firma absque naufragio, salutis portum attigit, & Virgo prudens accepto oleo ardenti lampadi diuino Spon-
Damasc. so astitit. Deinde, vt cum Damasceno finiam, *in domo Dei plantata & impinguata Spiritu, velut oliua fructifera, omnis virtutis habitaculum [illegible] est, ab omni carnali concupiscentia procul mentem sequestrans & sic virginem animam cum corpore conseruans.* Vbi expendo quod prius oliua steterit fructifera, oleo misericordiæ abundans, quo exundante duplicem virginitatis nauem conseruat, quot enim immisericordes videris, tot miserè naufragos enumera.

§. VI.

Maria in templo educata facili negotio, quidquid gloria, & splendoris habebat templum sibi acquisiuit.

CVm inter sacra Mariam animam contemplor, Regium vatem recordor, qui ita concinit Psal. 67. *Si dormiatis inter medios cleros, erunt pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora in pallore auri.* Psalm. 67. Quibus verbis explicandis operam nauarunt August. Hieron. Hilarius, Paulinus, Ambrosius. Hi omnes per illud *inter medios cleros,* intelligunt duo testamenta, quorum lectioni qui accubat, miras accessiones virtuti in dies faciet. Etenim, *si dormiatis inter medios cleros,* ait Ambros. si operam, curámque naueris sacræ euoluendæ paginæ, *etsi dormias, exurgent tamen pennæ tuæ, nullo [illegible]gotia [illegible] pieté, nullo sudore, laboréque ditaberis.* Porro Virgo Maria in templo, ait Mantuanus,

August. Hieron. Hilar. Paulin. Ambrof. Psal. 118. serm. 14. Mant.

A[illegible] dum veterum studijs oracula diuum
Pe[illegible]gilique agens cura, Mosémque, piumque
Esaiam, ma[illegible]e virum, qui versibus orbem,
[illegible] P[illegible]orat;
Ca[illegible]ntica [illegible]ebat [illegible] alia poemata legis
Qu[illegible] etruscis olim fidibus cantabat ad aras.

Hi[illegible] accubabat humilis Virgincula; hæc inter sacra volumina dormiebat, & huic vacabat lectioni sedula. O pia puella *Etsi dormias, exurgent pennæ tuæ!* Tibi summam rerum obtingere non mirabor. Maximè Timotheum illum egregium ducem apud Plutarchum, inuidia hominum exagitat. Cui dormienti reti[illegible]que manu expandenti sese vrbes, & regna dare, vltrò, sponte [illegible] offerre depingebant. Et quod alij inertiæ ipse postmodum suæ tribuit dexteritati: quæ vel dormiens spontanea, & voluntaria regna trahebat. Sic trima puella in sacris educata, omnium labores superauit, vt vel dormiens mundialia & æterna regna ad se tra[illegible]erit, vt quiescenti, & ab omni sudore immuni, illi suopte, vltroque omni gloriosa, & excelsa obuenirent. Etenim vt templi [illegible]s Mariam receperunt, *statim viderunt* (verba sunt Georg. Nicom. *[illegible] sponte ad eam currere; [illegible] antem ea [illegible] pri[illegible] s [illegible]mauerebant.* Non equidem Marianus puluis, non sudor, & labor ma[illegible]imus improbúsque rapuit cœlestia regna, rapuit gloriam, sed illi templo ingredienti gloria ipsa obuiauit; sua sponte gloriosum Dei [illegible] hominum ad illam cucurrit, quidquid gloriæ, & excellentiæ templo veteri patribus adfuit [illegible]ltro & spontaneè ad Mariam transijt. Transijt, inquam, gloria templi ad Mariam sine cruenti stadij puluere, non sine contemplationis somnij merito.

Rodig. lib. 5. Antiquit. c. 37. Georg. Nicom.

§. VII.

Virgo in templo optimam excubatricem egit, vbi, quam sit inuigilandum castis.

NEmini dubium est, quin apud templum Hierosolymitanum inueniuntur virgines, *quæ excubaba[illegible] ad ostium tabernac[illegible]li.* Sic habetur Exod. 38. vbi *exc[illegible]abant,* Latinis sonat si[illegible]g[illegible]lias militares, quæ fauent amicis, & inimicorum iniu[illegible]ias præcauent. Porro nihil in Virgine vendibilius apparet, quam vigilare, excubare. Væ castitati, quæ ad horam dormitat! Chrys. hom. 40. ad Popul. *Quid Salomone beatius? sed [illegible] dit* Nil mille vigiliæ profuerunt Salomonis castitati, vbi semel accessit dormitatio Hinc lasciua illa Ægyptia Iosephi pudorem hoc vno telo petebat, nimirum [illegible] id quod expendit Nyssenus. *[illegible]* Iosepho casto, castior multo Mari[illegible] excubabat ad ostium tabernaculi, & qualis excubabat [illegible] Epiph. *[illegible] nemtaum, & multoculata [illegible] est.* Verè multocula, quæ inter Argos mille apertis oculis, & sibi, & vniuerso homi

Exod. 38. Chrysost. Gen. 39. Nyssen. Epiphan.

hominum generi, & facem castitatis prætulit, & hostes cauit. Sic Mariæ excubatrici in templo accinit Nicomediensis
Georg. Nicom. antistes Georg. *Facem, tanquam signum aliquod, tolle sublimem, & ad te dirige Orbem terræ.* Solemnissimum namque est apud milites, sublata face ardenti, imò fumanti, ab speculatoribus signum dari, quo vel fugiatur hostis, vel milites conuolent in certamen. Eia age nobilis excubatrix Maria, ab alta templi arce virginitatis facem sustolle, tanquam militare signũ, quo docemur qualiter vigilandum, qui timendus hostis, quo nobis conueniendum, quo pugnandum. Trojanorum, Græcorúmque inuito certamine, à Palladis templi alto excubabat Helena pestis illa castitatis: cum autem, ait Calep. Græci armis diffidentes, ad proditionem conuersi discursum ex composito simulassent, Helena ex arce, accensa face ad occupandam vrbem Græcos reuocauit. Exspue modò turpes Helenæ tædas, quæ nihil nisi excidium, & regnorum ruinas pariunt; & ecce Virgo pulcherrima, sublimi à templi arce vigilans facem prætulit hominibus iam iam perituris, qua in cœlestem ciuitatem, hæreditatémque æternam reuocamur. Sed scire aues, quæ sit ista fax à Maria in templo sublata, quæ in cœlestem viam reuocat orbem terrarum. Ea sane est ipsissima sanctissimæ Virginis vigilantia, qua diuinis plena muneribus nihilominus ipsa excubabat ad ostium tabernaculi, docens neminem cœleste patere aditum per somnum, sed per vigilias quotidianas. Et quidem
Matth. 25. Matth. 25. virgines illæ & prudentes & fatuæ *dormitauerunt omnes, & dormierunt*, verum media nocte, quo omnes excitarentur, *clamor factus est, ecce sponsus venit*. Sed cum intempesta nocte prudentissimæ virgines excitantur. Præclarè D. Leo serm. 1. de Epiph. ait. *Non enim dormientibus prouenit regnum cælorum, sed in mandatis Dei vigilantibus, vt si dorma illius terra non fecerimus, per eam quæ docet* [illegible] *quæ promisit.* Sic ille.

§. VIII.

Marianæ virtutes vt in templo creuerint, vbi, quam vtiliter templa frequententur.

STatuitur Maria in Dei templo, vt cœlestium virtutum plantæ infixæ animo, de diuinorum fluentum vicinitate, citius adolescerent, vberrimósque fructus darent. Ita ne illa Anna Samuelis mater, puerulum in templo educandum
1. Reg. 1. portauit 1. Reg. 1. De hoc accipite elegantem ratiocinationem D. Chrysost. Ascendit Anna præclarum illud germen
Chrysost. transplantans, & quemadmodum agricolæ primum semen in terra deponunt, deinde vbi conspexerint è semine factam arborem, non relinquunt in eadem terra, sed inde reuulsam plantulam in aliud transferunt solum, vt terra in recens gremio suo exceptam illius radicem, puram, & integram vim suam proferat ad nouam educationem. *Itidem facit hæc mulier, quæ puerum prægignens* [illegible] *maturum ex illo vtero à domo transtulit & in templum transplantauit* [illegible] *perpetua sunt fontium scaturigines & irrigationes* [illegible]. *Vt videre liceret illud propheticum, Beatus vir, qui non ambulauit in consilio impiorum, sed in lege Domini voluntas eius.* [illegible] *quam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Itaque Marianæ virtutes, & cuiusque alterius, eo magis in templo crescunt, quo ibi resident circa fluenta gratiarum. Sane irrigui horti plantæ omnes agricolæ experiuntur culturam, & maximè atque iuxta fluenta sunt, ea in primis adolescunt, deducuntque fructus ad maturitatē. Sic humanæ mentes, etsi quouis à loco Deum cultorem, & benefactorem habeant, at dum templis adsunt, tunc de diuinorum fluentorum vicinitate crescunt
Psal. 83. magis ac magis. Rectè Psaltes 83. ait. *Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* Quod premens D. Basil. c. 1. Isaiæ
Basil. fatur. *Planè enim nouit is non posse in floris eruumpere, ac ne vllum quidem germen primigenium ex* [illegible] *ad* [illegible] *rendos fructus,* [illegible] *seruit in atrijs Domini.* Equidem tunc planta florer, cum fluentis appropriat, nec aliter citius sporat florescere mens humana, nisi quando de templorum fluentis rigatur. An id nouerant Ioannis discipuli, quando Christum
Ioann. 1. conuenientes in foro sic rogant Ioan. c. 1. *Magister vbi habitas?* Cur quærunt vbi habitet Christus? Cur promptius mentem suam non aperiunt Saluatori, sed eius habitationem
Cyril. indagant? Cyril. lib. 2. in Ioan. c. 8. putat illos de fontibus Saluatoris cupiuisse rigari, quocirca meritò auent scire Domini habitaculum; nullibi enim aptius diuinis fluentis rigarentur, quam si donatricis domui adsint. Aiebat Iacob
Genes. 28. Gen. 28. *Verè Dominus est in loco isto.* De quo D. Bern. serm. 6.
Bernard. in dedic. Eccl. ait. *Testantur sacræ litteræ in Paradiso olim positum primum Adam, vt operaretur, & custodiret illum. Sic secundus Adam in Ecclesia sanctorum, in horto deliciarum (siquidē deliciæ suæ esse cum filijs hominum) ita inquam, & ipse Dominus est in loco isto, vt operetur, atque custodiat.* Nullus ergo in dubium vocet profectus eorum, qui oraturi templis instant, quando in templis & diuinus cultor adstat, & fluenta plenissima, inter quæ vel steriles plantæ adolescere licet.

§. IX.

Adolescentulæ pro religioso statu eligendo, parentum nutum sequantur.

NOlo indictum relinquere, quod in Mariana præsentatione sapienter noto, nimirum quod illius parentes virgunculam templo sacrarunt, nec Virgo abnuit, sed parentum vota, interna sua complet deuotione. Sic velim, omnes adolescentulæ sese, ad parentum nutum, circa religiosum statum eligendum, comparent. Et quidem D. Paulus nullam videtur relinquere optionem adolescentulis, de statu eligendo, sed id negotium in parentum ponit potestate. Ita 1. ad Cor. c. 7. ait. *Qui virginem suam tradit bene facit, & qui non tradit melius facit.* Ecce vobis parentibus loquitur, quod melius faciant in nō tradenda Virgine, quasi hoc deberet esse cunctis virginibus sanctum, quod circa statum religiosum parentum nutum sequantur. Id notauit D. Pascas. in Ps. 44. dicens. *Ideircò non displiceant tibi, soror, parentum vota, quæ tibi id quod melius est elegerunt. Audi Isaac quomodo* [illegible] *paternam oblationem vsque ad gladium, & vsque ad ignes tantum quantum ex voto est, etiam vsque ad mortem non refugit, non renuit, non contradixit. Occurrat tibi filia Iephte,* [illegible] *paternum votum, sic id mortem obtinuit,* [illegible] *aperuerat os suum, quæ non solum non refugit,* [illegible] *patrem, vt promissum Deo munus adim*[illegible]. Huc inspiciant Virgines vniuersæ, ne votis paternæ pietatis audeant repugnare, imo tunc existiment duplicato fœnore religionem colere, si ex parentis votis illam hæreditauerint. De fortissima illa virangine dicitur Prou. 30. quod *domestici eius vestiti sunt duplicibus*, nihil enim non duplicatum inuenitur inter dotes illius puellæ, qui a parentibus suis ebibit in obsequendo Deo deuotionem. Helias duplicem spiritum promittens Eliseo 4. Reg. 6. ait. *Si videris me quando tollar à te fiet tibi.* Quod animaduertens D. Ambr. ser. 7. sic clamat. *O hæreditas pretiosa, in qua plus haeredi* [illegible] *quæritur quam habetur, plus* [illegible] *qui acce*[illegible] *quam possideret qui largitur. Pretiosa planè hæreditas, quæ dum à patre transfertur ad filium, meritorum quodam fœnore duplicatur.* Ecce vobis vnde castissimæ puellæ dos crescat, nimirū ex eo, quod à parentibus in illam pietas transiet, quod ipsa religiosum parentum votum suscipiat, exequatur. Hoc argumentum ponderans D. Aug. lib. de bono viduitatis, sic ad viduā quæ filiam Deo sacrauerat, fatur. *Tanta mereris, vt quæ misisti esse vidua Christi, filiam quoque videres virginem Christi: dum tu eras sicut Anna, facta est illa quod Maria.* Sic duplicantur dotes puellæ, quæ parentum respondent piis optatis.

1. Cor. 7.
Pascas.
Prou. 30.
4. Reg. 6.
Ambros.
August.

CAPVT VII.

De Maria Virgine annunciata.

ANNVNCIATIONIS historiam latè scripsit D. Luc. quam demum enuclearunt P. Salmeron tom. 3. a tract. 4. Canis. de B. Virg. lib. 3o. c. 2. omnium accuratissimè Cardin. Tol. apud Luc. Post tantos Messores ego spicilegium faciam, vel enucleatum corticem elambam, si quid fortè in eis liceat asportari sapientissimorum dictis, & operi repetendo non officiam, ne ipsa repetitione legentes grauem. Quare de Deo mittente, de Misso nuncio, de Angelo Gabriele nihil amplius dicam, sed ad id quod Marianum fuerit, properabo.

Luc. 1. Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Nazareth ad Virginem.

§. I.

Angeli vt inuigilent saluti humanæ.

ANgelus ad terras aduolat, nuntium illius nosco, etenim vbi intercedit Angelus, nil priùs agitur, quam

Iob 1. humana salus. Apud Iob.c.1. dicitur. *Factum est autem quasi dies hæc, & venerunt Angeli Dei assistere coram Domino.* Quibus verbis docemur, quam in Dei memoria sit humana salus, vtpotè ad quem frequenter ingrediantur Angeli. Sic *Chrysost.* Chrysost.in Cat.fatur. *Quid tandem est, cur Angeli Deo quotidie assistentes inducantur? vt intelligamus rebus nostratibus consuli.* Etenim rebus humanis nunquam magis erit consultum, quam si Angeli ad consilium adhibeantur. Nō poterat Angelus hominum redemptionem facere, hoc enim opus dexteræ Excelsi; at in iis, quæ poterat Angelus, nullus ocyor illo, nullus prior peragebat mandata. Quando peracta à Iesu Domino redemptione, ad demoliendos carceres itum est, nónne omnium prima insonuit vox Gabrielis Angeli ex *Psalm. 23.* Ps.23.aientis. *Attollite portas principes vestras, & introibit Rex gloriæ?* Id præclarè expendit D.Epiph.orat. de Chr. sep.fa- *Epiphan.* tus. *Postquam illustris ille cœtus vnà cum Domino ad carceres vndique aditum præbentes, vndique tecta deuenit, dux exercitus Gabriel, quasi iam læta nuntia hominibus desertre assuetus, cæteros anteuertens, vocem contra aduersarias potestates edidit.* ait enim, *tollite portas,* &c. Erubesceret Gabriel Angelorum dux si quis prior hominibus nunciaret salutem, si ab alio inferorum portæ quærerentur, quando captiui homines è carcere erant eripiendi. Is enim erat Gabrielis Angeli in homines affectus, adeò Propheris, virisque sanctissimis notus, vt ex hoc Zacharias pater Ioannis Gabrielē non agnosceret, quod illum extra hominum orantium consortium videret. Quando namque Zacharias orationes intra Sancta fun- *Luc.1.* debat Luc.1. *Apparuit illi Angelus Domini* (nimirum Gabriel) *stans à dextris altaris incensi, & Zacharias turbatus est,* &c. Turbatus, inquam, est, minime, Angelum reputans, quem separatum ab hominibus videbat. Quam turbationis causam sic *Chrysost.* expressit D.Chrysost. hom.2.nat. Ioan. dum Zachariam induxit ita loquentem. *Cessa deinceps id qui me terret; si enim esses à Deo missus Angelus, ad eas quæ sane mihi ... adjum nò fuisses, & misertus esses eorum, qui foris lacrymantur; affligereris vna cum eis, qui affliguntur.* Hæc sunt Gabrielis Angeli præsentissima signa, quòd hominum preces adiuuet, quòd causas mœrentium agat, & hominibus promouendis, & consolandis inuigilet. Hinc eleganter nostræ salutis spem *August.* erigebat D.Aug. Psal.102.aiens. *Non te sanabit, cui fecit Angelos, & æquaturus est Angelis?* Adeò enim innatum est Angelis, & inditum à Deo, vt inuigilent hominum sanitati, vt nisi vellet Deus nos sanare, quasi caueret sibi à conditione Angelorum. Quam Angelorum inditam curam vrgebat illa Cant. dùm quærens Dominum ait illis. *Nunquid quem diligit anima mea vidistis?* Quæ verba expendens Richard. de sanct.Vict.in Cant.p.2.cap.4.inquit. *Quærit eos testes suæ dilectionis partter & desideratæ præsentiæ sponsi; certe enim sciit, quòd Angeli Dei visione fruantur, & miratur, & quasi indebitum arbitratur, vt Deum videant, & se expertem visionis illius relinquant.* Expende illud *indebitum arbitratur.* quasi minime officiò debito satisfaciant Angeli dum sibi vacant, & hominum commodis non student.

§. II.

Honesta fœmina frequentias agrorum caueat.

NOtanter Angelus ad ciuitatem expressè mittitur, vt honestissimam Virginem Dei filium parituram adeat, quasi iam ab Euæ casu liber fœminarū discursus per agros, per nemora minime Deo placeat. Prudens illa & Euange- *Cantic.3.* lica sponsa, vbi dilectum quæsitura paratur, ait Cant.3. *Surgam, & circumibo ciuitatem: per vicos, & plateas quæram quem diligit anima mea.* Quæ isthæc inquisitio tua, o sponsa? Nónne dilectus habitat in hortis? Nónne sponsus tuus flos campi est? Cur ergo quæsitura non peragras campos; sed ais, circumibo ciuitatem, per vicos, & plateas quæram? Non per agros, sed in ciuitatis custodia virgines habent, vnde Deo *Ambros.* placeant. Do huius mentis assertorem D.Ambr.lib.de Isaac c.5.sic præfata verba elucidantem. *Quæram, inquit, in foro in illo foro, vbi tractant iura Consulti, vbi oleum venditur, quod Euangelicæ virgines emlut, vt semper face sua lucerent.* Papæ! intra custodiam ciuitatis inueniunt virgines, vnde faces suas fieant, quibus excipiant sponsum. Hinc est, quòd Dominus Iacob œconomiam libentius suscepit, quam aliorum patrum, ait enim paulo inferiùs Angelus, *regnabit in domo Iacob.* Cur non in domo Isaac? in Isaac non facta est repromissio? Isaac non adumbrauit totum Verbi Incarnati mysterium? Nihilominus Deus præ Isaac domus Iacobeæ œconomiam sibi adamauit, etenim Isaaco vxor de agrorum frequentia quæsita est. Plane Gen.24. Abrahami seruus, vt Isaaco vxorem *Genes.24.* quæreret, extra ciuitatem ad frequentissimum puteum expectauit, existimans, inter frequentias Domino suo vxorem reseruari. At Iacob Gen.29. vt formosissimam puellam Ra- *Genes.29.* chelem vidit ad puteum expectaturam, quod pastores vniuersi venirent, & omnes simul greges adaquarent, insperatis pastoribus, puteum aperuit, & cognatæ gregem impleuit aqua, indignè ferens, quod puella in frequentissimo agro moram faceret. Id quod eleganter attigit D.Cyril.Alexan. *Cyril.* lib.11. Genes. fatus. *Cum optimis semper moribus educatus esset Iacob, insignibusque virtutibus præditus considerabat, quàm turpe est virginem nubilem ætatem gerentem pastores expectare.* O prudentissimus Iacob, qui nuptui aptam puellam non tulit inter gregales frequentias per agros errare, sed de ciuitatis domúsque custodia laudauit. Placuit hinc præ aliis Iacob Domus Deo, qui sibi sponsas diligit, non de peragratis campis, sed de ciuitate, de domo. Vt enim ait D.Chry- *Chrysost.* sost.hom.4.in epist.ad Titum. *Vxor, quæ domus curam habet, pudica quoque sit necesse est, nunquam vel circa delicias, vel circa intempestiuos improbosque processus, aut aliud aliquid huiusmodi se occupabit.* Vnde felix illa peccatrix nacta Saluatorem intra ciuitatem, in domo Simonis discumbentem, de circunstantia loci diuina sponsalitia solicitabat, inquiens *Ambros.* apud D.Ambr.lib.de Isaac, c.5.cùm teneret pedes Iesu, *vade ad patrem; sed non relinquas Euam, ne iterum labatur. Tecum eam ducito iam non errantem.* Quasi diceret, si intempestiui Euæ processus per hortósque discursus malè apud te audiere, ecce iam nouam Euam, non per agros errantem; sed intra ciuitatis mœnia, intra domus septa quærentem, quid moraris? Scio tibi illam solam placere sponsam, quæ de ciuitatis custodia commendatur. Sed age, scire cupis quam Deo suspecta est sponsa, quæ per agros vagatur, quam item amica, quæ muris custoditur ciuitatis. Recole in primis quo supplicio mulctentur Benjamitæ impudici, postquam Israelitarum bello fracti sunt, minimè permittuntur vxores accipere, nisi quas de agris rapiant. Ait enim c.21.Iud. *Præ- Iud.21.* *ceperúntque filiis Beniamin, atque dixerunt: Ite, & latitate in vineis. Cúmque videritis filias Silò ad ducendos choros ex more procedere, exite repentè ex vineis, & rapite ex eis singuli vxores singulas.* Et nescio, an impudicis hominibus conuenientius fuerit supplicium bellum illatum, an hæ vxores erraticæ. Quam aliter purissimus agnus sibi spōsam comparauit, quæ non per agros erraret: sed clausa custodiretur ciuitate! Sic Apoc.21. ait Ioan. & venit vnus de septem Angelis haben- *Apoc.21.* tibus phialas septem, & locutus est mecum, dicens. *Veni ostendam tibi sponsam vxorem agni, & sustulit me in spiritu in montem magnum, & altum, & ostendit mihi ciuitatem sanctam Hierusalem,* &c. Itaque sponsa, & vxor agni immaculati de ciuitatis custodia debet gloriari: nunquam enim sponsa agni sine ciuitate: quod perstringens D.Bernard.serm.5. in *Bernard.* Dedicat.Eccles.ait. *Dico autem, quòd eadem sponsa, quæ ciuitas est.* Sic ille.

§. III.

Casti homines maximè Deo noti, & familiares.

MIror, quàm particulariter notetur Virginis domicilium ex prouincia Galilææ, ex ciuitate Nazareth, cum videam aliorum sedes ignorari. Nónne lacrymabundus Iesus de Lazaro rogabat, Ioann.6. *Vbi posuistis eum?* an quia *Ioann.6.* ignoraret, vbi acquiesceret amicus Lazarus? Absit, sed ignorabat lasciuum hominem, à mulieribus depositum. Ita acutè notans Chrys.ser.64.ait, *Cum dicit, vbi posuistis eum, mulieres increpat, mulieres arguit.* Notissimi & probatissimi es- *Chrysol.* sent Deo homines, nisi fœminarū irretirētur laqueis, fœmina in culpa est, quod homo a Deo ignoretur, sola lasciuia abscondit homines ab oculis Saluatoris. Idcirco cū hominis sedem Saluator ignorat, mulieres increpat, mulieres arguit, quasi notans suæ ignorationis causam. Virgo esto, & nosceris à Deo ex nomine, ex ciuitate, ex patria, ex prouincia ciuitatis. Ecce enim missus Angelus a Deo in ciuitatē Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginē desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph de domo Dauid. & nomen Virginis Maria. An visitaturus Virginem clamat, Adam vbi es? aut quæritur vbi posuistis eum? Absit; notissima est Virgo Dei à genere, a patria, à viro, a nomine. Pulchrè D.Bern.ser.1.in præ- *Bernard.* senti fatur. *Nominat Virginem, sponsum quoque Virginis, amborumque genus, ciuitatem, ac regionem propriis designat nominibus; vt quid hoc?* Sic modò dubitat Bernard. & non multum

[illegible] bij solutionem, quando ita loquitur [illegible] *[illegible] omni ornata virtutum, [illegible] mentis [illegible] pro [illegible] gida. [illegible]* Expendo [illegible] in cœlestibus cognita, [illegible] ibus innuitur designari nominis & ciuitatis, & [illegible] quod notissima sit apud cœlites Virgo, maximeque sanctioris.

§. IV.

Nec sui umbram gratius credit Deus alteri, quàm Virgini, a qua difficile separatur.

AD quam mitteret Deus [illegible] ad Virginem quando Deo [illegible] virginitas [illegible] est, venec vmbr[illegible] ix alt[illegible] virginitati? Nonne aiebat M[illegible] *[illegible] ibidem* (Matth. 13.) Ec[illegible] non nisi [illegible] aptat [illegible]. Sæpe ergo miratus sum, cur medio iuuentutis flore permissus esset sanctissimus Abel occidi, præcipuè in tanta virorum raritate quantum [illegible] liberorum procrear [illegible] laudatissima for[illegible]. An non seruar[illegible] conuenientiùs vsque ad [illegible] & post mul[illegible] filiorum segetem, ipse demeti potuisset? Sed [illegible] interficitur ante nuptias, quia repr[illegible] verbi pa[illegible] magine[illegible], quæ nulli gratius, [illegible] Virgini condat[illegible] Augusl.lib.2. [illegible] mirac sacr[illegible] spiciens, ait: *[illegible] post de illum [illegible] nostri gesta [illegible] Mar[illegible]* Sanè virgo eligitur [illegible] vel de [illegible] Saluatoris [illegible] Huic similes pueri [illegible] apud Babylonios [illegible] fornac[illegible] Dan. 3. quos factos quatuor dum stupe[illegible] impius, d[illegible] *[illegible] similis [illegible] Dei.* Sed [illegible] illi e pueri hi ad se traxerun[illegible] Dei [illegible] explicat A[illegible] dum illud commentatur Cant. [illegible] diuinus [illegible] inter lilia. Et[illegible] ait, *[illegible] inter [illegible] quasi [illegible] Dom[illegible] semper [illegible] in cordibus diligentibus cast[illegible].* Q[illegible] quis [illegible] erat, vel Deus, vel [illegible] de castitate puerorum delectat[illegible], sese illis iungit, n[illegible] facile est Deum [illegible] & separari a Virgine. [illegible] Ioseph castissimus [illegible] patri & parentibus & [illegible] & in carcerem mitt[illegible] ibi a Deo ob insignem [illegible] separari non voluit. [illegible] dicat [illegible] Cyprian. *Pudicus [illegible] quia [illegible] non [illegible] sed [illegible] nam [illegible] cum Ioseph Deus.* Nec id [illegible] sciam [illegible] Deum virginitatis [illegible] cul[illegible] mam sibi [illegible] rendo vim a Virgin[illegible] rit ex[illegible]. Quo[illegible] ex D[illegible] subg[illegible] ferm.[illegible] his. *[illegible] virginitas. Cuius [illegible] amo [illegible]* Sed adh[illegible] argutius id ponderat Nazianz. [illegible] in P[illegible] reddit, cur agnus Paschalis petebatur [illegible] lus [illegible] *nibil [illegible] ebre, nibil molle, & [illegible] ex [illegible] & maternis [illegible] erupe[illegible]* Sic enim Virginis [illegible] mitissimus agniculus, vt tantum p[illegible] potestate sua fili v[illegible] lentiam inferret, nunquam inde c[illegible].

Matth. 13. — August. — Daniel. 3. — Appon. — Cyprian. — Ambros. — Naziauz.

§. V.

Suspectam habet Dominus impudicitiam.

PVlchre Virginitatem Marianam [illegible] Andreas Cretensis *Dei [illegible] ad [illegible]*, quando Deus male audit apud impudicos. [illegible] apud Sapient. cap. 2. sic fantur. *[illegible] credit [illegible] tanquam [illegible] sequam [illegible]* id tunc [illegible] d hi [illegible] animi in Deum [illegible] Accipit [illegible] dicentes *[illegible] eum.* Hoc stupens [illegible] inquit, [illegible], quæ timentur in sceleratis [illegible] insurgant. Iam dudum dicebant: fruamur bo[illegible] quantis signa lætitiæ, nullum si p[illegible] quod non [illegible] luxuria nostra: nunc dicun[illegible] iustum. *[illegible] talibus ligatus, [illegible] inter [illegible] si D[illegible] [illegible] res [illegible] de [illegible] tam du[illegible] præm[illegible]* quidem [illegible] Deus hæc

Sapient. 2. — August.

sibi præcaue[illegible] potuit, cuius p[illegible] naso adeo [illegible] fuere [illegible] fines, adeo [illegible] impudicitia, vt ab illa fu[illegible] incolumit[illegible] sibi [illegible] Hinc quòd Dani[illegible] pudicitiæ [illegible] Susannæ ait. *[illegible]* (Daniel. 13.) Quæ verba perpendens Aug[illegible]. ait *[illegible] nam Daniel [illegible].* Ecce quam sit eadem Dei [illegible] pudicitiæ causa, [illegible] & impudicitia comes est erroris, & [illegible] latrix insiparabilis. Enimuero vbi accusatores Susannæ turpitudinis locum ostendunt, sub Lentisco fuisse affirmant: nec non & Iacob apud [illegible] sub Lentisco [illegible] idola. Quod meditatus D. Ambros. lib[illegible] cap[illegible] ait. *[illegible] Presbyteri veræ confessionis [illegible] castitatem, vbi gentium [illegible]* errorum sectas vniuersas comitatur impudicitia; vt dicat D. Saluianus lib. 8. de Gub. Dei, ponderans ab ethnicis Romanis permissam esse simplicem fornicatio[illegible]. *Timuerant [illegible] ne [illegible] homine[illegible] si ab omni eos impuritate probi[illegible]* Sic Ethnicis suspecta est pudicitia, sic vero Deo amica.

Ambros. — Saluian.

Text. Desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph de domo Dauid.

§. VI.

Casti viri nimij famæ zelatores sunto.

AD d[illegible] m deique accessit Dei filius de bono [illegible] nomi[illegible] solicitus, maluit enim propriæ gloriæ aliquid [illegible] putatur Ioseph filius, quàm quod ma[illegible] nos audiret. Etenim suspectus est Virg[illegible] grauce[illegible]. Vnde D. Ber. ser. 2. *[illegible] quam de [illegible]* Hæc si honestorum hominum cura, hoc anxium studium, omnibus periculis [illegible] modis aliis aditum prorsus intercludere su[illegible] officiat. [illegible] mod[illegible] Ruth 3. [illegible] cubi[illegible] fœminam, etsi [illegible] antequam homines se [illegible] posset mutuo, & dixit [illegible], caue ne quis no[illegible] quod ac propinquum puella [illegible] ad [illegible] in modestum, & iustum [illegible] qui [illegible] depend[illegible] Ioseph [illegible] & pr[illegible] Non enim hone[illegible] maculat con[illegible] adeo debent famæ inuigilare, vt omnibus incommodis[illegible] rumor[illegible] contrarios. Grauiter D. Athanas. exhortat. ad Monac. admonebat sanctissimarum etiam fœminarum frequentias d[illegible] sic [illegible] *Non [illegible] Dei [illegible] omne, quod [illegible] tamen nobis sid[illegible]* Adeo cauti esse debent q[illegible] vt emendaci[illegible] tollant possibilitatem: amat enim [illegible] famam adeo, vt vix inueniri q[illegible] in bonæ famæ penet[illegible]. Hinc est, quod Nazareth [illegible] inpararet, Nazareth, [illegible] fines senat, quasi nullus illi [illegible] odore fragret. Ac[illegible] Bern. serm. [illegible] annunciat. famem. *Amat florem [illegible] inter lilia pascitur flos [illegible] virginitas Deus [illegible]* Dominus re[illegible] conuersationis dec[illegible] rem & [illegible] bonæ [illegible] quarum altera si defi[illegible] Deo [illegible] D. Pasch. lib. 2. in Matth. hinc Mariam [illegible] tioni ita scribentem. Cur Maria [illegible] *[illegible] excusationi [illegible] quod [illegible]* [illegible] castis mentibus fugienda est etiam falsa infamia.

Daniel. 13. — Ambrof. — Saluian. — Bernard. — Ruth 3. — Ioseph. — Athanas. — Bernard. — Pasch.

§. VII.

Vt Maria humana, [illegible]

Athanas. P[illegible] S. Athana[illegible] epist. ad E[illegible] am [illegible] t[illegible] Maria [illegible] red[illegible] [illegible] ra [illegible] nim [illegible] *sim*[illegible] *ro, vt* [illegible] *em* [illegible] ho[illegible] tu [illegible] gu[illegible] q[illegible] nes beabat [illegible] ill Theo[illegible] ca & [illegible] m v dili[illegible] De[illegible] [illegible] *rum.* [illegible] Theolog[illegible] thto[illegible] No[illegible] quam ea [illegible] visione Ma[illegible] Non [illegible] vid[illegible] Deum [illegible] & hoc Theologus [illegible] audi[illegible] Etenim pl[illegible] Theologiæ [illegible] beat[illegible] bus diui[illegible] substantiam [illegible] ab alus, [illegible] cern[illegible] ipsum [illegible] Deum [illegible] ndum trad[illegible] v[illegible] erant supremæ [illegible] Deum [illegible] buique [illegible] m ex- priment [illegible], maxim[illegible] qui has [illegible] hæc ra[illegible] D[illegible] deant [illegible] p[illegible] eont ꝑ Dei [illegible]; [illegible] me [illegible] lab[illegible] beat[illegible] ne Ma[illegible] lumi[illegible] mæ, vt [illegible] haud [illegible] staret. Huc [illegible] inquit [illegible] [illegible] salutat[illegible] & a[illegible] Maria [illegible] rubicum [illegible] tatis Cheru[illegible] explicando, quà [illegible] pa[illegible] rub[illegible] n[illegible] Carbu[illegible] *rans.* [illegible] supe[illegible] rubim, [illegible] halant[illegible] rad[illegible] qu[illegible] qui & Cyp[illegible] & Dio[illegible] & [illegible] gloriæ exist[illegible]

Epistol. ad Paul. A. p.3.

In ser. en- comiastice.

De cœlesti Hierarc. cap. 7. ibi art. 3.

§. VIII.

Desponsata annunci[illegible] cœles[illegible]

V[illegible] clamat Sap[illegible] & me[illegible] rum author [illegible] non pro[illegible]. Siquidem est communicatio Sancto[illegible] ut hominu[illegible] c[illegible] m sit Ch[illegible] nihil [illegible] brum ab al[illegible] separ[illegible] & diuisum [illegible] S char[illegible] lassi[illegible] ue[illegible] aqua coll[illegible] propinat [illegible] e[illegible] exorantem in ciuitat[illegible] Ioan. 6. [illegible] a[illegible] Christum redire iuncti[illegible] C[illegible] *[illegible]* fuerat benefac[illegible] d[illegible] eligitur pro[illegible] diuina [illegible] am sol[illegible] accipiat: [illegible] gene[illegible] de Nat. Virg. [illegible] A [illegible] creat[illegible] creati[illegible] m d[illegible] di[illegible] horum nulli [illegible] num [illegible] quæ [illegible] omnib[illegible] cam cap[illegible] hæc [illegible] patre postulat [illegible] erant patri duo [illegible] & vt peten[illegible]

Ioann 6.

Chrysost.

Damasc.

Luc. 19.

[illegible] non vn[illegible] f[illegible] [illegible] petente [illegible] dem [illegible]. Et qui- [illegible] Dei [illegible] [illegible] ab [illegible] m s, [illegible] t. 2 qui [illegible] et, & [illegible] na [illegible] v[illegible] ab [illegible] no [illegible] pertinet [illegible] rebuit [illegible] Dei [illegible] publ[illegible] Cur [illegible] Mo[illegible] sperare [illegible]

Ser. 8. circa hoc.

Athanas.

August.

Bernard Serm. 3. in Cant.

Text. Et nomen Virginis, Maria.

§. IX.

[illegible] Maria [illegible] coronatur.

R[illegible] Ba[illegible] Dei [illegible] nat[illegible] nomen Dei [illegible]

Apoc 14.

Daniel. 5.

Theodor.

du[illegible]do p[illegible] Mat[illegible] non d[illegible] Diu[illegible] de Domino[illegible] di[illegible]tur [illegible] id e[illegible] in Virgine quid ma[illegible] [illegible] mirum, quòd in illa ipsa Diuinitati[illegible] habitat, illam corona[illegible] magis d[illegible] qu[illegible] de nomine [illegible]ta Domina [illegible] solemne fuit apud veteres, quod [illegible] ipsum nomen [illegible] gestarent [illegible] Dominus verus & æternus Pontifex [illegible] de nomine [illegible] d[illegible] nomine [illegible] ratur, etenim sic in [illegible] apud [illegible] batur [illegible] ad victima & [illegible] & a[illegible] Diuinitatis

Origen. ipsius [illegible] glori[illegible] Matr[illegible] *[illegible]* *effici.* Quo[illegible] Diuinitas [illegible] ha-bent [illegible] nomine [illegible] nomen [illegible] Domina decor[illegible]. Sic dixerim al[illegible] modo cum Virgine Deipara [illegible] sanct[illegible] [illegible]sent a D[illegible] no[illegible] nomine [illegible]

Bernard. [illegible] data [illegible] Vir[illegible] [illegible]ad. mu[illegible] am Ap[illegible] Deipara ap[illegible]ans [illegible] *[illegible]* [illegible] confusionem [illegible] & pulcher[illegible] con-fi[illegible] hæc definit verba, [illegible] *eam.* [illegible] Ecce [illegible] Dei[illegible] [illegible] dignit[illegible] quæ [illegible] effect[illegible] & [illegible] æmula, ex hac

Bernard. Diuinitat[illegible] ne gaudeat [illegible] ferm[illegible] *[illegible]*

§. X.

Quod nulli magis congruat dominari, quam [illegible].

Maria sonat Dominam [illegible] & [illegible] plurimis [illegible] Imperium

Cyprian. exprim[illegible] putauit [illegible] fructum [illegible] sph scribens [illegible] *domini* [illegible] pende[illegible] pudicitiæ [illegible]

Genes 39. ipse, quum [illegible] *te, quæ vxor eius.* [illegible] [illegible] Domina [illegible]

Ambros. t[illegible] Ambrosius [illegible] Equidem [illegible] q[illegible]

Genes 40. peranda [illegible] non [illegible] quod viderit [illegible] adorari. [illegible] Dominum [illegible] castitatis [illegible] festi[illegible]

Isid. Pelus. D. Isidor. Pelus. lib. 4. epist. 79. fatus, [illegible]

[illegible] coronam [illegible] [illegible] corona-

Cant. 7. tur opus, vt po[illegible] regium [illegible] vt [illegible] purpura Cant. 7 [illegible] [illegible] a Dalila [illegible] Samsonis [illegible] comas

Isid. Pelus. Iud 16. C[illegible] epist[illegible] monet nos, vt fugiamus [illegible] *[illegible]* Coma ergo [illegible] casta cogitatio [illegible] purpuræ est, regiique sple[illegible] & stemmate Domi[illegible] aureum dep[illegible]

Apoc. 14. [illegible] vas [illegible] *[illegible]* [illegible] *O* [illegible] domi[illegible] agni [illegible] gi[illegible] & pa[illegible] galem [illegible]

Arnold. [illegible]

Chrysol. pit C[illegible] quæ [illegible] [illegible] *[illegible]* [illegible] synonime [illegible] qui dominatori [illegible] nomen eius, & [illegible] hoc est, regia orbes [illegible] degenerant, gentis condigni [illegible] socio[illegible] agni regum pul-[illegible] Gregor. Pontifex, vbi agnis [illegible] dominatori agni [illegible] candica-bant [illegible] expugnaturus

1. Reg. 15. [illegible] Quid cum militibus hiſ [illegible] agni [illegible]

Gregor. [illegible] *[illegible]* [illegible] virginibus [illegible] omnia regia de-[illegible] in cœlo regnantes & [illegible] spectantur [illegible] agni [illegible] pudicitia [illegible] agni

Psalm. 44. [illegible]

Ambros. [illegible] *[illegible]* Namque, [illegible] amantis non exipit [illegible] facilè supera-[illegible] Domina, & Maria ab omnibus celebratur.

§. XI.

[illegible] proprium in austeritatis [illegible] vitam ducere, [illegible] ab oculis conspicuum.

R[illegible] Mariæ [illegible] amaro [illegible] mare [illegible] [illegible] Verum cre[illegible] [illegible] Hoc vno [illegible]

Cant. 5. [illegible]

Nazianz. [illegible] *[illegible]* [illegible] & amarus pulus. Hinc [illegible] ne

 put[illegible]

Nissen. putrescat ne vaneat. [illegible] in Cant [illegible] *habitans*, qualis [illegible] ginitatis quo venatae [illegible] nimirum succis [illegible].

Hæc prima [illegible] fulgeat [illegible] Psalm. 44. in divini sponsi oculis [illegible]. Ecce David [illegible] canentem, [illegible] domus eburneæ [illegible] virginea corpora [illegible] igitur in primis virginem [illegible] gratia [illegible] non enim [illegible] speret virgo [illegible] primis cara non est myrrha [illegible] *habitantium eadem domus* [illegible] *gratia* [illegible]. Obstant divinæ sponsæ profana gaudia: quippe Laban [illegible] lebatur de clandestino [illegible] Genes. 31. rum discessu, dicens Gen. 31. [illegible] Philo. [illegible] Philo [illegible] *Mariam* [illegible] Male profecto [illegible] apud [illegible] & [illegible] Laban [illegible] dor torpere [illegible] culatur? Nonne [illegible] dit. Quæ virgo [illegible] queunt superare [illegible] trina [illegible] gaudia [illegible] sponsi [illegible] gaudia [illegible] norum humanum [illegible] tudo [illegible] Chrysost. Id pulsat [illegible] lasciviæ [illegible] eburnea [illegible] abundantia [illegible]

Epiphan. [illegible] Christe! O quam [illegible] admiranda [illegible] tiquitus, quod [illegible] hinc inde [illegible] rebant [illegible] ad cœlum [illegible] pennas [illegible] tes Aquilarum volatus cupiebat Psaltes [illegible] pennas non ambis hac? [illegible] felle olarum [illegible] felle ad astra vol [illegible] dum pelagus [illegible] a Mariæ [illegible] lanti. Sed age, institimus adhuc [illegible] [illegible] nimirum mortua [illegible] pulta, quasi non sufficeret [illegible] gaudiis moriatur; sed [illegible] cludi [illegible] omnium [illegible] sepulcro virgo ad [illegible]

Genes. 15. fuit Genes. 15. [illegible] an non sufficeret [illegible] magis dictum est [illegible] non satis est [illegible] ut nec videatur [illegible]

Richard. [illegible] pulcrum clau[illegible] tres tuos sepultus. [illegible]

[illegible] *sapientia* [illegible] *a mundanis infestis*

[illegible] Iam ergo virgo [illegible] ad patres suos cœlestes volare [illegible] ac sic carnali [illegible] attin- [illegible] Maria [illegible] medicinam [illegible] Luc. 2. [illegible] Leo. de Nat. Leo. [illegible] quando moriens [illegible] in gaudia [illegible]

§. XII.

Virginitas mentem illuminat, vt Deum videat, indeque Maria sibi & nobis lumen acquirit.

T[illegible] & Mariæ idem [illegible] & valde appositi: Virgini [illegible] puro cordi innatum [illegible] ad Deum videndum acuere [illegible]. Sic apud Matth [illegible] Hilar. [illegible] pendens Hilar. ait, *Nihil* [illegible] [illegible] His luminibus claruit [illegible] Ioseph [illegible] fruebatur [illegible] pudicitiæ lumen [illegible] Vnde Aug. [illegible] Augúst. [illegible] est pudicitia [illegible] cupidinis [illegible] *Maria* [illegible] Bernard. [illegible] Bernard. lucid [illegible] expendit in [illegible] Et sane quam [illegible] Exod. 19. [illegible] Sinam, sic [illegible] Sixtus PP. [illegible] rans D. Sixtus [illegible] Lyncei [illegible] valeant. [illegible] Maria [illegible] calleat cœl [illegible] Apoc. 12. [illegible] Sol [illegible] Chrysost. [illegible] Proh Deus immortalis! quam hæc vita non [illegible] periculis [illegible] quot [illegible] Maria [illegible] quisque viator [illegible] potest. Væ autem viatori, qui sine [illegible] lunæ radiis viam aggreditur [illegible] Psalm. 10. [illegible] cordi [illegible] sollicitat [illegible] [illegible] illum, hoc est, si vitam ducant sine Maria illu- [illegible]

Textus. Et ingressus Angelus ad eam.

§. XIII

§. XIII.

An non audet Angelus malus in Virginem.

NOn cuiusuis Angeli accessum felicem esse, testificatur Ægyptus, quæ Angelum exterminatorem vna nocte suscepit, & omnes primogenitos suos interfectos luxit. Item Assyriorum exercitus Angeli cuiusdam incursu contriti sunt: & quod maximum timorem incutit, ipse Doctor gentium, vas electionis de se dixit: *datus est mihi Angelus Sathanæ qui me colaphizet.* Qualis igitur Angelus accessit ad Virginem? explicuisset proculdubio Euangelista; nisi res ipsa id satis explicatum relinqueret, ad eam quippe Virginem purissimam, ideóque & sociam agni, & eius singulariter dealbatam sanguine, ingreditur Angelus, eo solum felix, & beatus monstratus, quòd ingreditur ad illam Virginem. Huius commentarium cogitationis præstat à magno Pontifice Leone audire, qui serm. 4. de Pass. sic extollit corporis, & animi pudicitiam. *Et quia nil est omnium virtutum dignitate praestantius, quàm pietas misericordiæ, & puritas castitatis, nos pr[...] specialius instruimus, vt charitatis opere, & nitore pudicitiæ, tanquam duabus leuati alis, de terrenis mereamur esse cælestes. quis deside[...] quisquis gra[...] Dei adiuuatur impletur; hatus limina vastator Angelus sanguine agni, & signo crucis prænotata non intrat.* Equidem virginea limina agni sanguine, vt est in Apoc. albicant & exterminatores Angelos omnino fugant: quisquis ad Virginem Angelus intrepide accedit, bonus est, & veneris boni [...]uncius. Quod pulcherrime confirmat Chrysost. de Annunc. inquiens, *Tunc Angelus iussa facessens Virginem adit, & [...], Aue,* inquit, *gratia plena, Dominus tecum, non est amplius [...] contra te.* Expende illud, *non est amplius diabolus [...] te.* quasi dicat, nullus Sathan, nullus malus Angelus ex tunc virgineæ premet limina, ex quo, agno, diuina fuit consignata virginitas in Maria.

Apud Lipom.

§. XIV.

Virginem decus clausura, & solitudo.

INgressus ad Virginem Angelus est, non enim illam in hominum frequentia inuenit; sed solam intra cubiculum ostio clauso reuisit. O quàm sibi debet cauer pudicitia! *Margaritam [...]* non dubium est illimo. Pudicior, & pretiosior cunctis margaritis virginitas, seu pudicitia: væ illi si frequens hominibus sit, si pateat omnibus prospicienda, vilescet prorsus vsu, pessum ibit. Nonne virginali hominum splendore, cassa que naturæ humanæ decore longè eleganttior, & firmior est splendor naturæ diuinæ? Quis non demens hoc neget? Accipite igitur D. Iren. lib. 4. contr. Gent. cap. 37. vbi luculenter expendit, quàm sit necessaria, & quam periculosa Dei inter homines apparitio, *[...] non appareret, periret cunctis pasto[...] contemptibilis. Quid plura? Id[...] factus homo est, & ita inuisibilitas in quidem Patris custodit, ne quando homo fieret contemptor Dei: visibilis [...] autem sursus esse dit Deum, ne [...] deficiens homo cessaret esse. vita enim hominis visio Dei.* Ruminare illud, *inuisibilitatem Patris [...] contemptor Dei.* [...] hæc Theologis detectit? [...] numinum facies illa diuina, quæ in patria vniuersos Beat spiritus, quæ omnium ad se oculo conuertit, rap't affectus, hæc sibi cauet ab hominum in viatorum statu manentium conspectu, ne contemnatur, ne pessunderet ab illis. Hæc Irenæus, & Theologus, & piennissimus affirmat de increata pulcritudine, *[...] homo fieret contemptor illius.* Quod igitur sibi Deus timet, non timebit carnea pudicitia se ab hominum oculis seqüestrans, ne fortè vilescat, & contemnatur ab illis. Diuinissimum sanè est frequentias fugere, humanis eripi obtutibus, ne vilis fiat. Desicum est, immò que D[...] proprium longa hominum deuitare colloquia, & di[...] solitudines. *Ecce [...] Dominus [...]* Moysi Exod. 1. Quod eleganter enodat Rupert. lib. 1. his verbis, *Tu Deus [...] orationem [...] populi [...] ego cum principe tenebrarum [...] talibus filijs [...]* Nil elegantius, nihil pulcrius excogitari potuit, vt doceantur qui æmulatores sunt perfectionis diuinæ, qui agnum sequuntur quocumque ierit, quali ter se mortalibus oculis negare debent, qualiter sibi timerc

Irenæus.

Exod. 1. Rupert.

ab hominum frequentia, quàm suspecta debet habere humana colloquia, quàm illi grata extitura solitudo exemplo Dei, qui tenebrarum Principis colloquia, & hominum conspectus deuitat, fugit. O quam Dei æmulatrix Virgo Maria! cui ait Bernard. *[...] erat hominum fugere [...] quentiam, virtute colloquia, ne continentis castitas [...].* Clauserat itaque etiam illa hora (oempe qua ab Angelo salutatur) suum super se habitaculum Virgo prudentissima; sed hominibus, non Angelis, & quidem iuxta Ambr. sola erat in penetralibus, quam nemo virorum videret, solus Angelus reperiret, sola sine comite, sola sine teste, ne frequens hominibus vilesceret, eiusque puritatis splendor inglorius iret.

Homil. de D. Virg.

Text. Dixit, Aue gratia plena; Dominus tecum.

§. XV.

Summa Virginis in Deum deuotio pluribus debuit salutationibus interrumpi, vt aduerteret.

MIraberis fortasse ab Angelo ter Mariam salutatam, tribus vtitatissimis salutationibus præmissis: Primum dixit *Aue*, mox, *gratia plena*, tertio *Dominus tecum*, nec frequentior apud Hebræos salutandi fit mutuò forma inueniebatur, quàm *[...]* Cur ergo salutaturus Mariam non vnica salutatione vsus est quin potiùs, nullo expectato responso, omnium salutationum genera protelauit? Rusticus sanè haberetur ille apud homines, qui salutaturus accedens simul omnes salutationes congereret, & euomeret impræsentiarum. Rusticusne Angelus? Absit! tunc temporis Maria lectioni sacræ, seu orationi vacabat, inquam, orationi ea mentis attentione, quam requisiuit à puero Elisæo 4. Reg. 4. inquiens, *Si occurrerit tibi homo non salutes eum, & si [...] auerit te quispiam, non respondeas illi.* Quibus indicauit ministro, iuxta Abulensis, & Caietani expositionem, vt debitè absque distractione mentis properaret ad executionem mandati. Planè Maria, quæ cæteros attentione vincebat, sic orationi vacabat, sic diuinis legibus meditabunda inhærebat, vt communes salutationes non enararet. quate opus fuit Angelo nouam, & peregrinam salutationem texere, imò salutationes congeminare, vt ab opere exhibito Mariam sibi attentam reuocaret. Hanc mihi iniecit cogitationem sanct. Ambros lib. 1. de Abraham c. 8. à quo fidelis euex depingitur sacrificaturus Isaacum iam rotata securi, vt amantissimum filium trucidaret, & ecce tibi Angelum à tergo vociferantem, Abraham, Abraham. Cur hæc Abrahami nominis congeminatio? Si semel tantum vocaret, patentem à nece amantissimi filij proculdubio reuocare; tamen non semel vocauit, inquit Ambros. *Ne aut non [...] audiret, aut festinans esse [...] putaret, repetitus [...] verbis [...] præcipitatur studio de votionis [...] non possent.* & vt Chrysost. addit, *[...] superaretur impetu.* Sic & sacrificijs dedunt [...], sic attendunt quid faciant, vt nec Angelorum vocibus capiantur, nisi moltiplicatis. Sic omnium sanctissima Virgo orationi vacabat tanta mentis deuotione, & attentione, vt opus fuerit Angelo voces, & salutationes geminare, veritus ne impetus orantis reuocare non posset.

4. Reg. 4.

Abulens. Caietan.

Ambros.

Genes. 22.

Chrysost.

§. XVI.

Gratia Mariana plenitudo omnibus profecit, etiam Angelis, etiam Deo.

ABomihor plenitudinem illam bonorum mūdiali auaritiæ familiarem, qua pleni homines petire malunt, quàm aliem prodesse. Huius modi erat ille apud Luc. cap. 12. qui plena horrea destruere cogitabat, & maiora ædificare, neque superesset pauperi, *[...] tam ait, destruam horrea [...] maiora [...] illuc [...] omnia quæ nata [...]* O secam omnis auaritiam, inquit D. Basil. & *horrea [...] non [...] extra [...] paupertant, exinanientur, profunt [...]* Longè aliter Maria impleta erat cœlesti gratia, cuius plenitudo largo Spiritus sancti imbre vniuersas creaturas irri[...]bat, Vidisti è pleno fonte nouos sca[...]ire radios aquarum, quibus vicina omnia continuo irrorantur. Sic Maria plena gratiarum scaturit, irrorat, vt nullus adsit

Luc. 12.

Basil.

Laurent. Iustin. adsit non madidus. Hinc S. Laurent. Iust. serm de Annunc. ait, *Gratiæ plenitudinem quæ in Maria erat præsensit ... cognatæ, mane, Haurit, dixit, Aue gratia plena.* Vbi pondero illud *præsensit*, instat eius, qui vicinam fontis plenitudinem præsentit, quum accedens madet, siue irroratur. Sic Angelus Mariæ accedens, sic se gratia perfundi sensit, quasi scaturienti fonti appropinquaret. Egregiè D. Bernard. Bernard. serm. 2. de Paruis, commemorans formosissimam puellam Rebeccam viuo fonte adaquantem Eliezer, eiusque iumenta, sub cuius historiæ cortice ita in præsenti fatur, *Quærit Angelus puellam, quam parauit Dominus filio Domini sui, orbis ipse de hydria tua, & ... cognata sibi ... deliciosa ... [illegible] ... dulcibus ... Hæc illa.* [illegible] ... Hæc ille, egregie ter expendens plenitudinem Marianam, ex quo lacteo candore pudicitiæ potantur Angeli, humo tantis decus imbibunt homines, gaudet diuino Pater sibi socio splendore fœcunditatis, vt sic eadem fit & diffunditur, vel è creatis, qui de Mariæ plenitudine non capiat.

§. XVII.

Plene gratia Mariæ Deus per seipsum prouidet, & adiuuat.

SVfficiat cuiuis alteri, quod Deus Angelis [illegible] mandauerit de te. At Mariam non Angelis [illegible] ... Dominus custodiuit, parauit: quod innuit Gabriel [illegible] dixit, Dominus tecum. hoc est, non mihi adeo Virgo commendata, [illegible] ... tibi adesse [illegible] ... putanda est. Maria non habuit custodes, imò & [illegible] Angelos habuit sane [illegible] ... extitit Angelum in Domino [illegible] ... ipsum. Regis ... sta hoc gratia [illegible] ... Christianis quod Deum seruire creaturam facit [illegible] ... Deus, ait, apud gentes effingitur ab [illegible] ... Numinum prouidentiæ rel [illegible] ... sanctus Cyrill. [illegible] ... summam ab ira Dei [illegible] ... hominum perniciem, vbi

Exod. 33. Exod. cap. 33. dic Moysi, [illegible] ... *Ange ... [illegible]* ... Tum sic Cyrill.

Cyrill. [illegible] ... Angelo [illegible] ... & detrimento sint hominibus, [illegible] ... quibusdam sint, vel gentium principibus, etiamsi boni quidem sint, sanctique, & summo Deo subditi. Huius denum timorem Mariæ præcauet Angelus primo sui ingressu præueniens, ne tanta Virgo Angelis putaretur demandata, illorumque prouidentiæ relicta; quin potius à summo rerum Domino assumpta, ab illoque immediatè electa, & præmunita. Hoc mihi sæpe accidit [illegible] quod Angelus Mariam, tanquam Dominum venerat [illegible] partum, nouas curas indicens, nonquam [illegible] seruiturum, nunquam Angelicum promisit obsequium. Cur ita? erant Mariana [illegible] Angelorum demandata, ab illoque diligenter [illegible] Angeli. Hoc debeo [illegible] illa Angeli ad sanctum Ioseph Matth. 2. [illegible]

Matth. 2. *& Mariam matrem eius* [illegible] commentatur, *Non grabris ... magnum habereme ...*

Euthym. [illegible] Dominus adest, friget [illegible] ab Angelis. Mariæ adest Dominus, non opus [illegible] Angeli, quibus, etsi perniciosa sunt, præuenit Dominus, vt Mariam susciperet, & comitaretur. Quod pulcrè ponderauit Hieron. Hieron. ferm. de Assumpt. Vbi audiens Angelum dicentem Mariæ [illegible] addit [illegible] ... *qui ad Virginem mittebat Angelum ... Dominum.* Ergo accedens Angelus [illegible] in Mariano obsequio præuentum à Domino [illegible] nec aliorum curam promisit Mariæ, qui ex hoc [illegible] maximam prædicat felicitatem, quod præ Angelis Dominus illi adsit.

§. XVIII.

Quidquid a Deo venit humana pectora replet.

MIraberis, quod Angelus Mariæ gratiæ plenitudinem annunciet. O bone! desine iam mirari, quando hoc certissimum est, quod quicquid à Deo hominibus venit, potens est eorum corda repellere. Dominum Isaias vidit Isaia 6. cap. 6. sedentem in solio maiestatis, & inde eius magnalia notans, ait, *& ea quæ sub ipso erant, replebant templum.* Vbi expendo, quòd non solùm Dei maiestas per se, sed quæuis ea quæ sub ipso sunt, & mittuntur à Deo, dicuntur replere templum. Id quod eleganter attigit D. Gregor. PP. hom. 15. Gregor. in Ezechiel. fatus in rem nostram. *Implebant templum, quoniam etsi Angelus apparet, ... mentis desiderio satis-fa ...* Adeo diues est Deus in misericordia, vt vel minimus è ministris eius bonis repleat, & satiet animam inanem, vt vel mica ab illius mensa dilapsa famelicos impleat, & saturet. Sapiens illa Cananæa vel vnam micam requirebat è diuinis manibus, ait enim, Marc. 7. *& catelli sub mensa come-* Marc. 7. *dunt de micis.* Qualis ista mulieris petitio? Tota egens erat, & vnam tantum à Deo petit micam panis? Sanè nouerat, quod à Dei manibus vel mica integram boni plenitudinem affert. Ita Victor Antiochen. ibi ait, *Minimam virtutis illius* Vict. Ant. *partem, hoc enim mica nomine figurabatur, ... filiæ ...* Sed age, recolamus animo tres illos Orientis Magos apud Regiam Herodis regalibus deliciis madidos, hi vt ab Ierosolymis abscedunt, stam vident stellam medio ab aëre radiare. Matth. 2. *& gauisi sunt gaudio* Matth. 2. *magno valde.* Ecce vobis vna cœlestis lux illos replet gaudio, qui inanes à mundiali regia, à Regis Herodis consortio discedunt; vt vel vnam stellam Dei ministram offendunt, summo replentur, & perfunduntur gaudio. Ibi D. Chrysost. Chrysost. ait, *Per ... stellam ... agebant ... nouiam ... excedebat mensuram omnium ...* Quippe qui à toto Herodis exercitu, medius Regis gazis adhuc præseferebant inanitatem, sic per hanc Dei ministram replebantur, vt superflueret mensura gaudij, diuinissime aiebat Psalm. 35. [illegible] ... *de petra melle saturauit eos.* Psalm. 35. [illegible] Mirabar, quod Dei Angelus, quod Dei stella, quòd Dei [illegible] afferat hominibus saturitatem, & plenitudinem: sed vide, quod mirer magis, de petra melle saturauit eos, quam in nullis mundialibus bonis [illegible] penes vel in diuinæ domus petra plenitudinem inuenies. Quo spectat Richard. Richard. Victor. Victor. ferm. de Spiritu sancto fatus, [illegible] ... *quasi ... plena ... non satiat ...* Quasi dicat, vbi vel domus Dei petra instillatam guttam non ebibis, nullam inuenies plenitudinem, & saturitatem.

Pulchrè Cant. 3. notatur. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, &c.* Vbi Nissen. homil. 6. & Richard. [illegible] cœlestem quietem intelligunt, in qua qui labore improbo sese defatigabant, deliciis pleni, & saturi requiescunt. Sed aues scire, quam sit immensa hæc requies, quæ [illegible] exsatiare valet. Eo, inquit, lectulum, non enim magnum stratum, non ingens lectisternium, sed vel lectulus minimus Dei ingestes creaturarum animos saturat. Id [illegible] Richard. part. 2. c. 10. *Quia minimum ... quod ... [illegible]* lane minima quæ sub ipso sunt, replent amplissima spatia pectoris humani.

Textus. Turbata est in sermone eius.

§. XIX.

Caueat honesta sponsa, nisi marito verba excipere, vel Angeli.

O[illegible] ... sponsarum, vt [illegible] ... Angeli excipit auribus, [illegible] ... quod responsum [illegible] ... Antipatrum orat. Antipatr. [illegible] ... quam sit nonnum [illegible] ... colloquia obseruare, & in Maria [illegible] præbere nisi mariti con- [illegible] Non fari [illegible] mater quicquid ab Angelo excipit, protinus marito renciat, Iudic. 13. quod Iudic. 13. ponderans D. Ambros. epist. 60. [illegible] *insinuauit marito visum* Ambros. *sibi*

sibi hominem Dei præclara specie, futuræ sobolis ferentem oracula, nec passa sine viro stare vel diuinitatis secretum. Hine in vna
Psalm.44. sponsa salubriter vniuersas monebat Psal.44. dicens, *Audi filia, & vide:* quippe omnes ferè Græci, dum expendunt illud *vide*, putant contineri ibi monitum vxoribus salutare, nimirum, quod nunquam oculos à coniuge arceant, quòd semper illum ob oculos habeant. Quò etiam crediderim
Rom.7. spectasse verba illa Pauli ad Rom.7. *Quæ sub viro est mulier,*
Tertull. *viuente viro, alligata est lege.* Vbi Tertull. lib.de Monogamia cap.13. aptius transtulit, *viuenti viro alligata est lege.* Sic enim se componere debet vxor, ac si viro esset alligata, vt nullibi sit, nec conuersatur sine viro. Huius coniugium lauda-
Psal.125. bile in filiis reddit Psal.125. *Sagittæ potentis acutæ, ita filij excussorum.* Aliter apud D.Chrysost. nimirum, *ita filij alligatorum*, quasi bonorum filiorum mater illa sit, quæ viro alligata, nil sine viro audiat, neminem alloquatur sine viro. Prima mulier nil curans virum, serpenti alloquenti statim
Lyppom. respõsum dedit, vnde ebibit virus. Id quod meditans Lyppomanus ait, *Tacere debuerat mulier, & indicasse prius marito: Periculosum est confabulari veteratoribus. Discant hinc insolentiores fœminæ, & ad exemplum matris primæ multiloquium cum exteris,* &c. Imò honestæ vxores ad exemplum Mariæ sine viro, etiam Angelorum sermonem habeant suspectum.

§. XX.

In quouis sanctitatis culmine timeat virgo castitati suæ.

SAnctissima Virgo post tot virtutum innatarum examina, post Dei in se prouidentiam, & summum amorem à primo conceptionis instanti expertum, post Angelorum obsequia, audita Gabrielis voce de concipiendo Deo, statim turbatur, & suæ timet castitati. O dignam tanta Virgine cautelam! Nulla, mihi credite, virtus tanta est, quæ non debeat timere castitati. Amos cap.7. Deum Opt.Max. nobis repræsentat super murum stantem, cui in manu erat
Septuag. adamas: sic enim habent Septuag. *in manu eius adamas*: & quidem perfectus quisque vbi ad tãtam peruenit gratiam, qua Dei manibus hæreat, firmatus adamas est, adamas, inquam, ferro ignéque potentior. à quo namque vincetur adamas? & adamas in manu Domini timebitne ignem? timebit ferrum? Nullo modo; sed vnum habet, quo mollescit adamas, nimirum hœdi sanguinem. Papæ! etsi factus adamas in manu Dei fueris, etsi omnia difficilia superaueris; vnum adhuc habes, quod timeas, nimirum animalem libidinẽ & petulantiam. Ab hac tibi timendum est, etiamsi in manu Domini adamantino virtutum robore videaris
Hieron. firmatus. Ab hac stat sententia D.Hieron. in præsenti lib.3. cap.8. fatus, *Habet in manu adamantem, qui in tantum robustus est, vt dicatur ad eum, si transieris per ignem flamma non comburet te, quantóque magis tentationibus cæditur, tanto fortior fit, & pro nomine Saluatoris inter flagella lætatur. Cumque à nullo superari queat, solo mortiferæ libidinis calore dissoluitur. Hæc enim sanguinis hircorum dicitur esse natura, vt sit ad libidinem calidissimus, & quod ignis domare nequeat, solus illius dissoluat cruor.* Itaque post mille victorias partas, post rebelles domatas naturas, etiamsi virtutibus clarus, manibus sustentareris diuinis, etiamsi adamas fias, cauendum tibi est à libidine, hanc semper inimicam, & contrariam puta, quam in ipsa securitate timeas. Non possum non mirari sanctissimi Iob hac de re cautelam: is enim sic filiorum inuigilabat pudicitiæ, vt cùm audiret filios, & filias simul discumbentes, ruina domus oppressos fuisse, hæc illum prima subijt cura, ne masculorum cadauera coniuncta cecidissent fœmininis.
Chrysost. Accipite D. Chrysost. homil.1. in Iob sancrem, *Sedit itaque Iob verus, fortis, ne adamas, beatus Iob dissecans liberorum suorum membra, cauénsque ne fortè in masculinis membris fœminea coniungat.* Proh verus adamas Chaldæorum ferrum de cœlo ignem immissum pertransis inuictus, & in membris sanctissimorum filiorum cum iam vita carerent, times scintillam libidinis? ideóque caues, ne masculos fratres fœminis sororibus, & defunctis coniungas? Quis non metuat libidinem in quacumque viræ sanctitate constitutus, quando adamas in manu Dei eam timet? quando Iob ex collisione cadauerum fratrum, metuit eius scintillas? quando Maria electa, & prælecta à Deo turbata ex colloquio Angeli suæ castitati timet? Dicit Genes.6. *Videntes filij Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi vxores.* Id
Basil. quod ponderans D. Basil. de vera Virg. ait, *Sufficit quippe vel modice nudata pulcritudo, Dei quoque filios ad voluptatem emollire, & quasi homines eius causa morientes, mortales ostendere.* Nullo ergo in culmine sanctitatis, & perfectionis securam se putet castitas, & ab incursu, & decursu liberam. Psal.44. *Astitit Regina à dextris tuis.* Quis locus aptior, & securior Virgini, quàm dexteræ Dei, vbi agni locantur post pericula? Sed ibi statim, *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam.* Adhuc in dextera Dei constituta monetur, quia adhuc habet quod timeat. Rectè D. Pascas. ibi: *Statuitur in* Pascas.
dextris, vbi beatorum est locus, & monetur à patre, quoniam vt dixi, adhuc bellandi est tempus.

§. XXI.

In castitatis duello per fugam vincitur.

HEu Mariæ trepidatio! credebat inuenisse mulierem fontem, quæ aereas detriumpharet potestates, & ecce vno Angeli verbo tota Mariæ fortitudo turbatur, tota trepidat. Quæ isthæc fortitudo mulieris in trepidatione? Sanè nunquam fortior Maria, nunquam bellicosior, quam dum audito de conceptu sermone, & trepidat, & fugam meditatur. Enimuero castitatis victoria non in congressu, sed in fuga sita est. Strenuus ille, & veteranus miles Iob post manus sæpe cum hoste consertas, vbi ad castitatis accedit duellum, ait cap. 31. *pepigi fœdus cum oculis meis, ne cogitarem quidem de Virgine.* Id quod nunquam satis miratus D. Iob 31.
Chrysost.homil.de conr.Ioseph, ait: *Quis non admiretur videns virum hunc cum Diabolo viriliter certare, & omnes maligni machinas vincere, virginis autem faciem fugere, & à formosæ puellæ aspectu oculos subducere? Diabolum accedentem non fugit; sed mansit sicut Leo viribus fidens, virgine autem visa non stetit, neque moratus in contuenda pulchritudine; sed statim secessit. Perseuat nimirum in prælio contra Dæmones virili & audaci animo opus, incontinentiæ autem præparationę victoriam concedi, non ex virginis consuetudine, sed secessu.* O quisquis in mundi huius arenam præliaturus descendis, edisce pugnandi modos, cadunt sanè Dæmonum phalanges vbi strenuè inuadentem militem experiuntur, excidunt vniuersa vitia, vbi audax miles primis conatibus obsistit intrepidus, at lasciua manus tunc vincitur, cùm fugitur, cùm timetur. Ecce qualiter castitas armatur aduersus hostes Chrysost.
Luc.12. *sint lumbi vestri præcincti.* Quid hic lumborum præcinctus innuit? Præcinguntúrne lumbi militum, vt expeditiùs hostem aggrediantur, an vt hostem fugiant? Pulcrè D. Luc.12.
Fulgent. serm.in Euang.ait, *Omnis Christianus præcinctos habeat lumbos, vt fugiat libidinem.* Papæ! cæteræ virtutes suos præparant milites ad congressus; at castitas quos victores expetit sic præparat, vt illis non congressum, sed fugam suggerat. Vidisses exercitum Israelis Iud. 20. semel & bis arma corripuisse aduersus adulterij architectos Benjamitas; sed quoties Israel aggreditur delere luxuriosam tribum, toties ipse male cadit percussus. Tandem quod audaci congressu non potuerunt, id perficiunt artificiosa fuga, ait enim, *qui fugam arte simulantes inierunt consilium, vt abstraherent eos de ciuitate,* &c. Ecce vbi aggrediuntur libidinosos hostes, ipsi prosternuntur, tunc vincunt, quum artificiose simulant fugam, nunquam enim ex libidine victoria venit nisi per fugam. Fulgent.

§. XXII.

Quam est fugiendus puellis sermo blandus.

TVrbatur Maria in sermone Angeli, & in eo sermone, quo maximè extollebatur, quo summè pellicienda erat. Quis vnquam ornatiùs? quis luculentius? quis blandius puellam commendauit, quam Angelus Mariam commendat? Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Verba sanè tot illicibus plena, quot litteris, nec magis suauia, nec magis allectoria, nec magis compta excogitari possent, & turbata est hoc in sermone? imò ideo turbata est, & expauit castitas, quia sermonis excepérat blanditias. Heu quàm funesta est pudicitiæ ruina mellitis, & compositis ad ingeseandum sermonibus? His se contulit Iudith cap. 9. vt Holophernum detriumpharet, inquiens, *agrue eis eum ex labijs charitatis meæ.* Prouerbialiter dixit labia charitatis, nimirum se mones compositos, amatorios, simillimos fistulæ aucupis, qua dulce canit, vt volucres capiat. His ergo sermonibus totam Holophernis perniciem credidit sapiens fœmina, & quod robur illis non mollescit, & labat? Post mille numeratas puellas Apollinis carminibus prostitutas, nimirum Steropes, Arethusas,

thusas, Narpissas, Zeuxippes, sic finit D. Clem. Alexand. in adhortat. *Effugit enim sola Daphne, & vatem, & vitium.* E tot vna ægre & difficulter poesis effugit luxurians virus, vt verissimè dicat Hieron. ad Demetriadem, *quod perditæ mentis homines vno frequenter verbo, leuique sermone tentant claustra pudicitiæ.* Suspecti igitur sint virgini blandi sermones, suspecta charitatis labia, & verba, quæ præseferunt suspicionem libidinis, non sine horrore, & turbatione audiat, quantumuis ab Angelo sint dicta. Sic apud Nazianz. Trag. de Christo patiente, docet ipsa Deipara.

Hieron. Nazianz.

Libidinis auersor, vt nec verbulo
Audire, nec pictas eas feram aspicere,
Spernendo siquidem hæc, virgineam animam
——possideo.

Quis deinceps sibi de virginitate, & munditia cordis blanditur inter impura carmina, inter choreas, luxuriamque exhalantes sermones, cum fortissima omnium Virgo Maria non aliter virgineum animum possidere dicatur, nisi hæc spernendo; nisi à verbulis, à picturis fugiendo? Sed ais, quid officit verbulum, siue sermunculus, aliaque lenidensia, vbi integer animus, & infractus consistit? Heu periculosam securitatem! ne tibi [illegible] deatur animus liber, vbi verba mollia, vel ore profers, [illegible] excipis aure. Sanè apud Luc. cap. 11. dicitur *Cùm immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca [illegible]*. Quid est, cum immundus spiritus ab homine abscedit? Curandet extrà hominem esse vel à quo homine securus discedit immundus spiritus? quidem ab illo securus abit, qui immundis verbulis ora præbet, & aures. Rem explicat eleganti exemplo D. Basil. libro de vera Virg. fatus. Sicut miles [illegible] domum sibi per gyrum circumiens quærit occupato primo ingressu, facile ad interiora penetrat quidpiam ex armis suis, lanceam scilicet, aut galeam, clypeumve illic deponit: ac licet sociorum gratia egressus foris interim videatur, potestate tamen intus est, ob id quod ex armis suis intus posuit, propriam suique iuris, aut sociorum, quos secum introducturus est, fecit domum. *Ita & voluptatis miles [illegible] domum per circuitum quærens, anticipans per [illegible] ad intima [illegible], aliquid armorum suorum, id est, vel aspectum lasciuum, vel [illegible], scilicet sermonem voluptatis opificem, [illegible] in anima virginum ponit, [illegible] perpetratione nondum corpore inquinato, potestate [illegible] est pessima vbi deposita vitiauit mentem.* Itaque vt in militaribus rapinis domus stat militi absenti per leue chirothecæ, seu galeæ signum, adeò, vt quantumuis liberam, integramque videas domum, tamen de leui signo eam sub potestate æstimas inimici. Sic vbi in virgine voluptatis opifices sermones, & alia huiusmodi lenidensia vi [illegible] ruinam inde auspicare pudoris, quamuis longissimè videatur abesse hostis. Id nouerat castissima Susanna Dan. 13. quæ vt non poterat reuelare senum in se facinus quin castissimo ore verba impudicitiæ tractaret, elegit silens mori quam eiusmodi facere sermones. Ita D. Ambr. in Ps. 37. ait, *[illegible] ducebatur ad mortem, & [illegible] ne [illegible] pudorem.* Quando excusationis verba impudicitiam senum sonarent, ab illis abstinuit mortem negligens mortem, & metuens pudori.

Luc. 11. Basil. Ambros.

§. XXIII.

Etiam ab Angelorum colloquijs cauendum præ silentio ei, qui Deum diligit; perniciosa enim colloquia castis.

O Quàm Virgo Maria in Deum [illegible] Angelicos horret, & expauet [illegible]. Sanctissima illa Christi Domini amasia Mag[illegible] cadauer exquirens, Angelos offendit [illegible]. Angelos non vides Magdale[illegible] eius nomine respondet Orig. *Nolo Angelos [illegible] multa narrare, & si voluer[illegible] amorem meum magis impedi[illegible] expediant.* Adeo amatoribus præcauenda sunt [illegible] Angelica! Malach. cap. 3. inquit, *Locuti sunt timentes Dominum, vnusquisque cum proximo suo: attendit Dominus, [illegible] scriptus est liber monumenti coram Deo.* Ecce timentibus Deum tot accidunt linguæ lapsus, qui lib[illegible]m repleant. Quid mirum etiam Deum amantes sibi timent [illegible] colloquijs Angelicis. Nihil diuinis amatoribus præstat, quàm silentium: pro quo vnus adest Guarricus Abb. ser. 2. de Annunt. vbi sic, *In [illegible] verbi [illegible] loquens, vobis clamat, vobis vtique disciplinam silentij commendat: sicut namque puer ille conceptus in vtero ad maturitatem partus sub alto, & diuturno proficit silentio: sic spiritum hominis disciplina silentij nutrit, format, & roborat, & quanto occultius, tanto tutius, & salubrius incrementum præstat.* Ne miremur, quod prudentissima Dei dilectrix Maria expaueat Angelicos sermones, quæ à silentio maximos in dies captabat profectus: nullum enim est colloquium, quod non debeat timeri à perfectionis studiosis mentibus. Quocirca & pulcra, & efficacia verba dabo sancti Isaaci Presbyteri de contemptu mundi sic dicentis, *Sicut vehemens glacies subitò incidens summitatibus plantarum, desiccat eas; ita colloquia hominum, quamuis omnino breuia sint, & putentur ad bonum prolata, desiccant tamen flores virtutum, quæ de nouo floruerunt ex temperantia solitudinis.* Hæc ille etiam de honestis colloquijs sanctorum hominum dicebat. Vbi autem de colloquijs mundanorum agit, tunc sic pergit, *Sicut nobilis homo, cum inebriatus, obliuiscitur suæ nobilitatis, & status eius exhonoratur, & irridetur pretiositas eius propter alienas cogitationes, quæ superuenerunt eidem vini virtute: ita & castitas animi turbatur ab incauta locutione, & eradicatur ab ista omne sustentaculum laudabilis status sui.* Expende quæso, quam exitialis existat incauta loquutio animis castis, quorum stabilis fortitudo sub verbulo labat, & eradicatur ab ista omne sustentaculum laudabilis status sui. Quid plura? D. August. serm. 114. sic ponderat D. Petri lapsum, *Petrus labia puellæ non [illegible]; sed [illegible] locuta est, ille turbatur: processit sermo puellæ, & immobilis columna concussa est.* Quæ castitas non timeat colloquia, ad sonumque sermonis non expaueat? De prima peccatrice Eua ita Tertul. lib. de patient. fatur, *Quid! quod non [illegible] [illegible] apud Adam nondùm maritum impatiens [illegible] tacendi.* Ecce principium lapsus, quod virgo cum homine collocuta fuerit. Id enim significat, dum ait, quod apud [illegible] dam nondum maritum impatiens extiterit tacendi.

Origen. Malach. 3. Guarric. Isaac Pr. August. Tertul.

Text. Quæ cùm audisset, turbata est in sermone eius.

§. XXIV.

Mariæ turbatio humanæ saluti dedit spem.

VIdere mihi videor in hac Mariana turbatione adimpletum id, quod apud Oseam, cap. 2. promisit Deus: *Dabo eis vallem Achor ad aperiendam spem,* siue cum Symmacho, ad *ostium spei.* Quibus vò Achor, nec nomen proprium, nec cognomen est, sed substantiuum quoddam vocabulum turbationem significans; quasi dicat, dabo eis vallem turbationis ad ostium spei. Ecquæ potior vallis, quam fructifer Mariæ venter [illegible]? Turbatur sanè, imò contremiscit floridus pudicitiæ Marianæ vallis, cùm iussus est fructum effundere. Hæc [illegible]na, & tota turbationis causa apud eruditissimum Card. Toletum legitur, nimirum proposita Mariæ & [illegible] virginitas, quæ vel nomine prolis audito contremuit, expauit, turbata est. Sic Cant. 5. ipsa fatur Virgo, *Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit* siue cum Septuag. *& venter meus conturbatus est super eum.* Quod pulcherrimè expendit Guillielmus apud Delrium, dum inquit, *Maluit manum mittere per foramen, [illegible] Virginis sono prædicationis Angelicæ illabi in mentem [illegible], quæ diuino mysterio cooperaretur, fidem, ad manus [illegible] contactum memoria Virginis obstupuit, & expauit pro cautela votiui propositi sui.* Quid tunc conturbata virginitas? *Surrexi*, loquit, *vt aperirem dilecto meo: sic sacra Virgo*, vt commentatur Honorius, *ostium [illegible], per quod Christus in mundum introiuit.* Sic floridus virgineusque vallis conturbatus voce Angeli ostium nobis aperuit salutis. Hoc considerans [illegible] vallis, quasi stagnatam video [illegible] illam Bethsaidam Ioan. 5. quæ ab Angelo perturbata primo occupanti [illegible] facta est salutis. Sed absit à Mariæ turbatione tam angustus salutis fons: etenim cùm accedente Angelo Mariam turbari videris, vniuerso hominũ generi maximam auspicare salutem. Id mysterij prænouit D. Damasc. Orat. 1. de Virg. nat. in eo quòd domus virginea fuerit apud Bethsaidam fundata, ex quo sic præsenti mysterio accinit, *Fausta tibi [illegible] omnia ò Probatica [illegible] domicilium, fausta tibi sint omnia o [illegible], [illegible] vetus fanum, nunc autem ouili [illegible] cælum imitans, atque olim semel quotannis Angelum Dei [illegible] aquam turbantem, [illegible] restituentem.* Verùm modò recepti Angeli sermone turbata Maria, turbata, inquam, semel vniuersitatem hominum reddidit sanitati.

Tolet. Cant. 5. Guillelm. Honor. Ioan. 5.

Memini

Cassiodor. Memini Cassiod. lib. 8. epistol. 32. Arethusæ fontem extollere ad miraculum, cuius miram, inauditámque proprietatem ideò prædicat. *Nam cum ibi tacitus homo, & studiosè silentiosus aduenerit, aquas fontis irriguas ceperit sic quietas, vt in morem stagni non tam currere, quàm stare videantur. Ast vbi concrepens tussis emissa fuerit, aut sermo clarior fortasse sonuerit, nescio qua vi statim aquæ ibidem concitatæ prosiliunt, vt illum gurgitem ebullire videas grauiter excitatum: silentis hominis tacita loquentis strepitu, & fragore respondent vt obstupescas sic subitò perturbatum, quam nullus tactus exagitat. Nouæ vis, inaudita proprietas, aquas voce hominis commoueri, & quasi appellatæ respondeant, ita hominum sermonibus prouocata, nescio quid immurmurat, credas ibi aliquod animal prostratum somno quiescere, quod excitatum magno strepitu tibi respondeat.* Hæc Cassiodorus, pulchrè admirans, fontem silentio quiescentem sermone perturbari: quod forsan miraculum in viuido salutis fonte Maria intuitus est D. Zeno (Zeno.) serm. 3. de natiuitat. dum ait. *Maria superbus emicat venter non munere coniugali, sed fide: verbo, non semine.* Ecce tibi signatus ille fons, virginalis vterus intremuit, turbatus est, vt supra dicebamus, turbatus, inquam, est non tactu virili, non semine accepto humano, sed verbo, sono prædicationis Angelicæ in mentem eius illapso. *Turbata,* inquit Lucas, *est in sermone eius.* Aderant proculdubio Mariæ frequentissimi Angeli, adfuit illi extemplo Gabriel familiaris, nec tunc legitur Maria turbata accessu Angeli. Quid mirum? aderant Angeli taciti; nil prius de concipiendo verbo, de omnipotenti sermone egerant, sic silentibus Angelis de verbo, tacita, & quieta respondebat Mariæ puritas virginalis. Ast vbi Angelico sermone eius signati fontis pudicitia huc vsque instagnata, ebullire cœpit, vt obstupescas sic subitò perturbatam, quam nullus tactus exagitat, sic ebullire, sic efferuescere, non *munere coniugali, sed fide: verbo, non semine.* Pulchra sanè illa Cassiodori excogitatio est, vt sermone perturbari fontis rationem adderet, nimirum *credas ibi aliquod animal prostratum somno requiescere, quod excitatum respondeat.* Nec crediderim falli, qui ex Mariana turbatione a verbo Angeli causata, numen inibi quiescens dixerit excitatum. An non Psaltes 76. clamat, *excita potentiam tuam, & veni, vt saluos facias nos?* Sanè consopita erat potentia, quæ posci-
Damasc. tur excitari. Sed audi Petrum Dam. serm. de Annunciat. qui sic apud Mariam potentiam Dei prædicat accubantem: *Cum fecerit Deus omnia sua opera valdè bona, hoc melius fecit, nempe Mariam, consecrans in ea filio reconciliatorium aureum, in quo se post tumultus Angelorum & hominum inclinaret, & requiem inueniret.* Mariano in pectore quiescebat diuina potentia, ibi quasi cubabat consopita, donec sermo Angelicus intonuit; tunc enim virgineus conturbatus venter, non tactu, sed verbo, potentiam Dei excitari præmonstrat, & magnum humanæ salutis ostium aperiri; equidem fecit potentiam in brachio suo, & exaltauit humiles.

§. XXV.

In sermone Angeli suas laudes Maria timuit.

PRæcellentis Gabrielis salutatione nulli vnquam creaturarum tributa, turbatur Maria, quia, vt eleganter
Gregor. Gregor. dixit, *Iustus dum laudatur in facie, flagellatur in mente.* Timet prudentissima Virgo laudes suas, notúmque, ac gloriosum expauet panegyricum, vel tunc maximè patens digna diuino filio, qui gloriosè à Dæmone compel-
Luc 4. latus Luc. 4. silentium Dæmoni indicit, *obmutesce*, in-
Epiphan. quiens. Cuius imperij facinus sic expendit D. Epiphan. tractans de malo linguæ. *Seipsum sponte morti obtulit Saluator, & sermonibus mendosis aurem nequaquam præbuit, os suum aperiens acetum felle gustauit, qui scelesta verba auribus excipere recusauit: os proditori osculandum exhibuit, & deceptori responsum dare noluit: sic & tuum os maledicis osculandum præbeto, res verò minimè nam si eum illis ne præbueris, osculum illo condonabit; sin aures illis accommodaueris, iam te verborum gestus occidet.* Hæc ille occasione Christi Domini fugientis laudes explicuit, quibus pondero illud, *si aures illis accommodaueris, iam te verborum gestus occidet.* Sanè efficacissima venena vel ventriculo decoqui, vel mandi debent, vt perniciem infundant. At laudum virus omnia venena superat, verborum solus gustus occidit. Sic esurienti in deserto Christo nociturus Saranas, illúmque exterminare cupiens, non venenatas dapes proponit, non vina virulenta propinat; sed laudes parat, quæ vel gustatæ possint occide-
re. Sic Chrysost. hom. 13. in Matth. *Non dixit, si esuris, sed si filius Dei es, videlicet existimans posse se aliquid per laudum blandimenta furari.* Vide qua se peste liberent, qui laudes suas ab hominibus non exquirunt, præterquam quod vanissimum, imò stultissimum est alienis testimoniis fidere. Pulchrè Bernard. serm. in natiuit. Ioann. Baptist. *Audi quid dicat Scriptura; sapiens permanet vt Sol; stultus autem vt Luna mutatur; mutuatum siquidem lumen nunquam in eodem statu permanet; sed crescit, deficit, extenuatur, nubilatur, & penitus non comparet: sic qui conscientias suas in alienis labijs posuerunt, modò magni, modò parui sunt, modo nulli, secundum quod adulantium linguis, vel vituperare placuerit, vel laudare.* Has lunares decretiones sustinent, qui ab aliis expectant & auent laudari; è contra prudentissima Virgo in hoc maximè electa vt Sol, quæ nec lumen emendicat, imò horret, & turbatur laudata.

Chrysost.

Bernard.

§. XXVI.

Diuina dona rationis exigenda metum afferunt.

VEnerat, inquit Chrysol. *Angelus blandus in specie, fortis in bello, mitis in habitu, in sermone terribilis, humana proferens, diuina repromittens.* Sanè accommodatè dixit *diuina repromittens*, magna enim, & diuinissima Virgini Angelici sermones instillabant, & Virgo tunc diuinissimis oppignorata muneribus, ditata orbis terrarum pretio, cœlesti ciue visitata, de sermone hæc sibi offerente turbatur. Quæ tanto in munere turbationis ratio? Illam eleganter Chrysol. tradit. *Quid plura? mox sensit in se supernum suscipi iudicem, vbi antè iam cœlestem vidit, & contemplata est mediatorem.* Et verè vbi cœlestia sibi donari vidit, mox in se supernum præsensit iudicem, cui reddenda erat exacta doni ratio. Huc spectat Chrysost. hom in Acta, expendens causam, cur Spiritus S. venerit in Apostolos mediis linguis igneis. *Postquam, inquit, adepti sumus donum, iam instat iudicij, & examinis tempus;* quasi nullum sit interuallum medium inter donum, & iudicium, inter benefactorem, & iudicem. Etenim, vt scite docuit S. Iacobus epist. 1. *Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum.* Nullū in nos proficiscatur donum, nisi à patre luminum, vt flammantis iudicij metu afficiamur, cùm donum suscipimus. Id effigiatum memini apud Heliopolim, vbi erat Apollinis statua, cuius dextera spicarum manipulum, simul & fulmen dicitur ostentasse, ne quis spicas sumeret, qui etiam igniti fulminis non sustineret examen. Sic compositus erat Eccles. cap. 2. quùm de acceptis à Deo donis in immensum gloriatur. *Quis item deuorabit, ait, & delicijs affluet, vt ego?* Quæ verba sic expendit Chaldæus, vt pristinam Salomonis pietatem commendaret. *Ecquis, quæso, vel in sententia legis vigilantior, vel circa futuri illius venturi iudicis diem solicitus magis quàm ego.* Vbi inter accepta bona venturi iudicis solicitudo regium animum pulsabat, conturbabat; cur etiam Marianum animum hæc solicitudo non pulsaret, vbi tanto filio ditabatur? Et quidem vbi Deus triumphali illo curru vectus, sese Ezechieli obiecit, vt hac visione, iuxta explicationem Iustini martyris quæst. orthodox. 44. consolatio daretur Hebræis prægraui seruitute Babyloniorum pressis, inter currum vehentia animalia igniti crebrò carbones fulgurabant: *in quorum situ*, ait Tert. lib. de Trinit. *carbonum medius est ignis, quoniam ad diem igneum iudicij mundus ille festinat,* quasi nollet Deus, vel minimam consolationis speciem hominibus prætendere, quin simul de illo igneo tempore rationis reddendæ commonefaceret ipsos. Hoc enim habent omnia diuina beneficia, quòd intra se nutriant examinis, & supplicij ex ingratis sumendi ignem. Quod meditatus D. Zeno serm. 2. in Exod. vbi recolit beneficia à Deo in ingratissimum populum profecta per nubis, & ignis columnas, fatur. *Verum Iudæe quid monumentis tui criminis gratularis? Columna nubis te per diem, vt te ostenderet cæcum; ignis columna per noctem vt moneret crematum.* Ecce qualiter inter ipsa beneficia propinabantur cæcitatis & ruinæ supplicia populo ingratissimo. O felix, qui diuinis beneficiis non sic afficitur, vt ignoret latentem ibi ignem vastaturi examinis! Oculatissimus Abraham Genes. 18. hoc pro magno habuit beneficio, quod Deus eius tabernaculum intraret; sed quid tunc vir iustus? Pulchrè D. Clem. Rom. lib 5. Const c. 21. fatur. *Dei filium Abraham à septum hospitio iudicem, & suum Dominum confessus est.* Sic de benefico hospite gaudens, de iudice expauit.

Serm. 140.

Chrysol.

Chrysost.

Iacob. 1.

Eccles. 2.

Iustin.

Tertull.

Zeno.

Genes. 18.

Cl. Rom.

Text. Et cogitabat qualis esset ista salutatio.

§. XXVII.

Nil non præmeditandum, antequam faciendum.

PRudentissima sanè hæc Mariæ in respondendo cunctatio fuit, namque vt aiebat ille, Ennius. *Vnus homo nobis cunctando restituit rem*; dixissem ego, vna fœmina Maria cunctando rem hominibus restituit. Etenim dum Eua festinauit serpenti credere, omnia nobis cœlestia bona eripuit, vna Maria ad Angelicum sermonem cunctata, verbaque eius meditata, rem nobis restituit integram. Id quod ponderans Baeceph. Moyses Baecepha lib. de Par. c. 58. inquit, *Hic mihi Mariã apud tuum animum contendito paulisper cum Eua, atque illius quidem fortitudinem, huius verò socordiam animi aduertito: Maria enim, quæ sæpissimè audierãt, promissum esse à Deo patribus nasciturum Christum, cùm eius nuntij gratia ad eam venisset Angelus, dixissetque, Concipies, & paries, nequaquam subitò fidem illius verbis adhibuit, eo quòd inauditum esset Virginem peperisse; sed cum ipso disceptando rem expendere accepit*, &c. Nil subitum, non suspectum, non plenum periculis, inde quæ Deo plena erat virguncula, hoc primum didicit, nimirum à subitis obsequiis metuere sibi: nec alio magis Christum Marcionis Tertullianum contundit, quam ex eo quod subitus proponatur credendus, ait enim lib. 3. *Subitò filius, subitò missus, subitò Christus; atqui nihil potest à Deo subitum, quia nihil à Deo non dispositum*; imò nunquam Deo placere potuit obsequium subitum. Nónne ea erat vox Petri constantissima Luc. 22. Luc. 22. *Domine tecum paratus sum & in carcerem, & in mortem ire?* Et tamen ex hoc malè audit apud Aug. tract. in Ioann. c. 23. sic fantem de morte Petri. *Hunc inuenit exitum Petrus, vt pro eius nomine perfecta dilectione moreretur, cum quo se moriturum peruerso festinatione promiserat.* Ideò peruersus affectus Petri, quia festinus, quia subitus, ex nulla præmeditatione, aut consideratione natus. O nimis grata Deo Maria, quæ cogitabat, qualis esset salutatio, affectum subitum prudentissimè Bernard. suspectum habens! Vnde D. Bern. hom. 3. fatur. *Solêt Virgines, quæ verè virgines sunt, semper pauidæ, & nunquam esse securæ. Ac proinde quicquid nouum, quicquid subitum fuerit ortum, suspectas habent insidias, totum contra se æstimant machinari.* Vtinam hanc virginum proprietatem vniuersi ebiberemus, qua in subitis obsequiis hostis insidias caueremus, nihilque non præmeditatum nobis esset in optatis. Mendax illa à primordio Eua de vitæ ligno fata, ait, sibi à Deo fuisse impeca-Genes. 2. tũ, *non manducabitis ex eo, neque tangetis ex eo.* Profectò egregiè mentita est, cùm ait sibi dictum, neque tangetis ex eo, imò licuisset tangere prius, & meditari multis, quid damni, quidve vtilitatis cibus ille posset afferre. Ecce enim vnde Ioan. Cant. æstimat Ioann. Apostolicam œconomiam 1. Cant. c. 1. nimi-tic. 1. c. 1. rum. *Quod erat ab initio, quod audiuimus, quod vidimus, oculis nostris perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ.* Itaque vt vitalem arborem nacti sunt, non subitò, non sine præmeditatione; sed mentis manibus tractantes, & contrectantes illam, affectum præbuere. Id quod expendens Ambros. Ambros. lib. de Parad. c. 12. inquit. *Vides, quòd antè velut manibus quibusdam perscrutatus sit Dei verbum, & postea annunciauerit? Et ideo nihil Adæ, & Euæ fortasse nocuisset verbum, si pertractantibus diligenter quibusdam mentis manibus antè tetigissent.* Hinc omnis ruina, quod sine mentis consultatione ruitur in optata, hinc omnis hominum victoria, quòd rem prius mente tractent, mentísque manibus attrectent de verbo vitæ, antequam in opera saliant. Huc respiciebat Dominus, quando hominum mentes, cogitationésque internas præceptis suis ligabat. Cur enim iubemur non concupiscere? Cur minatur Dominus supplicium iis, qui corde mœchantur? Sanè vt doceamur mentalibus exerceri, & mentibus conflictis edocti, in arenam positi, præsentes illecebrarum Isid. Pel. phalanges deuincamus. Ita D. Isid. Pel. lib. 2. ep. 107. fatur. *Ob eam causam salutaris sermo eum qui impudico oculo aliquem perspiciat, supplicio affecturum se comminatus est; cùm alij legum latores facinus duntaxat puniant, ne difficile, ac nimis arduum bellum sit, verum facile & procliue.* Et sanè magna petis quicumque hostes in arena superare cupis, cùm nunquam vllum prælium mente fueris præmeditatus.

§. XXVIII.

Examinandi sunt maximè spiritus, quibus agimur.

PLaceat Euthymius, qui Mariam cogitabũdam proponit in sermone Angeli, vt examinaret, an dolus aliquis subesset salutationi tantæ. Porro nulla in re Mariana prudens virginitas, crediderim magis imitata Angelicam puritatem, quam vel in hoc critico naso. Iubemur apud Lucam vigi- Luc. 12. lare Christiani eo genere vigiliarum quibus similes simus *hominibus expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptijs, vt cum venerit pulsauerit ostium, confestim aperiant ei.* Quæ dum expendo, vix reperio in mundo homines, qui Dominum à nuptiis reuertentem clauso expectent ostio, quod minimè aperiant, nisi prius nuptiali comitatu cinctus Dominus pulsauerit. Sanè nuptiarum tempore patent ianuæ, nemini domus intercluditur aditus, seruis eo sunt intenti, vt aduentanti Domino parata domus affulgeat, ardeant facibus valuæ, seseque ardentibus facibus dent obuios famuli, ne Dominus necesse habeat pulsare præueniens seruorum vigilantia. Quin potiùs ridiculum mundo spectaculum accideret, si sponsus à nuptiis veniens fulgenti stipatus sponsa, magnóque amicorum comitatu, clausas suæ domus inueniret ianuas, adeò, vt opus fuerit, stare omnes, pulsare, conclamare, communésque seruorum responsiones, examinationes sustinere, nimirum illud ab interiori domus parte vbique gentium barbarum, *quis est?* Hoc nuptiarum tempore nulli hominum in mundo accidit, verum accidit in cœlo Angelis, qui Domino à nuptiis reuertenti sponsa Ecclesia, nuptialique decore fulgenti, non aliter cœleste ostium aperiunt, quin prius ipse pulset, clamet, *aperite portas, principes, vestras, & introibit Rex gloriæ*, & ipse semel, & bis examinet, *quis est iste Rex gloriæ?* Huc refert Nissen. hom. 15. in Cant. Lucæ dictam parabolam his verbis. Nissen. *Comparat nos Dominus cum Angelis, siquidem vigilanter Deo pareamus, & vos, ait, similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptijs, vt cùm venerit, & pulsauerit, aperiant ei, felices facti nuptijs, & in thalamum mysteriorum admissa iam sponsa expectabunt Angeli reditum Regis Ecclesiæ ad naturalem beatitudinem, & gloriam.* Expectabant, inquam, sed minimè aperturi ianuas, nisi præmisso rigoroso examine; nisi pulsante Domino, adhuc præcauerent sibi, & semel, & bis examinarent, *Quis est iste Rex gloriæ?* Hoc in nuptiis examen, hæc seruorum in aperiendis valuis etiam cum Domino suo cautela minimè inter homines reperitur, propria, & singularis est Angelis videntibus Dei faciem. Quod voluit significare Psaltes, cùm præmisit. *Hæc est generatio quæ-* Psal. 23. *rentium Deum, quærentium faciem Dei Iacob.* & statim subiungens quasi notam Angelorum posuit hunc dialogum plenum naso, *aperite portas, principes, vestras, & introibit Rex gloriæ; quis est iste Rex gloriæ?* Quasi dicat hanc Angelorum mentem æmuletur quærentium Deũ natio, hunc sibi effingat criticum nasum, vt nulli nec Domino cor suum aperiat sine rigoroso examine: sic Maria Angelorum imitatrix, imò Angelicis virtutibus auctior, Angelico pulsata sermone cogitabat, examinabat, secum conferens qualis esset ista salutatio. Nec à tanta Virgine abfuit prudentia illa Magdalenæ ab Orig. celebrata, quæ Dominum in sepulcro deflens, Dominum offendit hortulani sub habitu, à quo sic confestim interrogat. *Domine, si tu sustulisti eũ.* O mira fœminæ prudentia! hanc, quicunque Deum quæris, imitare. *Et si forte*, ait Orig. *aliquis tibi apparuerit, & desiderio tuo se repræsentauerit,* Origen. *noli à te præsumere tanquam tu eum noscas; sed interroga illum, & ora, vt indicet tibi se ipsum.* Sic crediderim Marianam istam cogitationem de Angelo salutante fuisse quandam mentis orationem, qua in corde suo meditans Deum, deprecabatur, vt seseipsum indicaret, & manifestaret.

Text. Ait illi Angelus, ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum.

§. XXIX.

Proprij nominis appellatio securitatem in primis attulit Virgini.

O Quàm iustè timeret peccator, expressit textus sacer Genes. 3. Vbi suppresso nomine Adam, sic de illo post peccatum loquitur. *Qui ait: audiui vocem tuam, & timui*, & Gen. 3. meritò, qui sub peccati mole nec indignus censetur nominari. Sic Lippomanus ruminatur impræsentiarum. *Adam inquit, coram Deo peccator sine expresso hoc nomine scribitur.* Lippom. Timẽdam ergo luti nostri sortem in peccatoris Adami suppresso nomine exhibitam eliminat Angelus, cùm Virgini fatur, ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deũ. Etenim nullo alio Adami filia Deo exprimeretur gratior, amãtiórque, quam si proprio suo nomine à cælitibus exprimatur.

Id

Beda. Id quod Beda insinuans, in præsenti inquit. *Quasi familiarem notam vocat ex nomine, nec timere debeat iubet.* Nónne Luc.10. iubentur discipuli gaudere, quod cuiusque nomen scriptum in cœlis obseruetur. Et cur gauderent; nisi ea hoc maximam sui felicitatem auspicarentur, Deúmque sibi gratum, & pacatum præsagirent? Equidem gaudeat Maria meritò, quæ cœlestium ore suum nomen perceperit expressum, & ex hoc æstimet quanto sit in amore cœlestium Regi. Iam pridem ostêderat Deus nimium erga Protoplastum amorem, quùm fugientem à facie Domini insequitur, & proprio nomine compellat, Adam vbi es? Quod Deo hominem adhuc amanti tribuit Chrysost. hom.7. ad Antioch. his verbis. *Saul non dixit, vbi est Dauid: sed, vbi est filius Isai.* **4. Reg. 20.** *Iudæi quoque, quoniam aduersabantur, & oderant, non dixerunt, vbi est Iesus? sed vbi est ille? Sed Deus, & in hoc demonstrare volens, quod nec peccatum amorem extinxit, ait; Adam vbi es?* **Ioann. 5.** Porro, Maria cœlestem afficit amore patrem, quando ex proprio nomine a cœlitibus euocatur: quid igitur timendum illi, quæ Deo est amabilis, & grata? quid timeat illa, cuius nomen in cœlitum ore versatur.

§. XXX.

Vbi Dei operatur gratia, omnia cooperantur in bonum.

NEscit gratiosa Dei manus souere timores, imò quæcunque mala horribilia, etsi maxima a Dei tractantur manu gratiosa, statim admirabili bonitate perfunduntur. Quæ maiora mala, quam ea, quæ in rebellem Prophetam Ionam parabantur? Fremunt fluctus feri maris: sæuit dira tempestas. immanis bellua hominem voratura paratur; sed vnum inter tot mala felicitatis indicium erat, quod hæc à **Iona 2.** Dei manu tractabantur, ait enim Ionæ c.2. *Præparauit Dominus* **Hieron.** *piscem grandem, vt deglutiret Ionam.* Ibi D. Hier. expendit illud quod ait, *præparauit Dominus piscem*; ad quid manus Domini piscem præpararet? *Vt pro morte præberet habitaculum, vt qui in mari iratum senserat Deum, in morte propitium sentiret.* Sic mala ipsa, vt Dei tractantur gloriosa manu, gratia perfunduntur, & in bonum vertuntur. Idcircò Angelus, vt penitus radicem timoris euelleret a Maria, eam præfert rationem, quod eius virginitati ille Deus gratiosus adsit, qui malis ipsis in bonum abutitur, à cuius manu ipsa mala be- **Guarr.** nefacere discunt. Vnde Guar. Abb. Angeli verba expendens hom.2. inquit. *Secura igitur, ò Virgo intemerata, ò porta sanctuarij perenniter clausa, securè aperi Domino Deo Israël, qui tibi iam dudum clamat; Aperi mihi soror mea, amica mea non est quod timeas integritati tuæ. Deus non nouit integra violare, sed violata consolidare.* Hoc proprium esse solet gratiæ, & fauoris humani, quod noceant dum fauent. Sic de pulcherrima **Ezech. 27.** Tyri naui Ezech. c.27. lamentatur. *Ventus Auster contriuit te in corde maris.* Non sæuus Aquilo, non præceps Boreas; sed lenis Auster, & suauis contriuit tantam nauim, quippe ipse humanus fauor, & gratia nociuus est, & maximè exitialis, id quod ponderat Tatianus orat. contra Græcos, dum eorum deridet fabulas, quibus fingebant, Hiacynthum à Zephyro fuisse interfectum, ait enim. *Dicat mihi nunc iaculator Apollo, quomodo Hiacynthus à Zephyro sit necatus: victus cum Zephyrus, & cum iaculis Poetis ducat. Aura Deorum pretiosissimum vehiculum ipse ob exiguæ vicinus auræ perdidit suos amores.* Heu suaues humani fauoris auræ, quot naues mundiale pelagus feliciter nauigantes contriuit? quos amores fœdati? Felix qui non apud homines, sed apud Deum inuenit gratiam, qua sola incolumis seruabitur. Hinc ponderat Damasc. felicitatem Marianam, quod inuenerit gratiæ abyssum, *quæ duplicis virginitatis nauim incolumem seruaret.* Vbi enim Auster fauoris humani conterit nauim castitatis, eandem seruat, & custodit diuina gratia.

§. XXXI.

Qui Dei munitur gratia, nil timet.

IVre Maria timorem omnem exsibilauit, quæ gratiæ plenitudine confirmata, nil quod timeat habet, imo terrori est vniuersis, qui timentur ab aliis. Exemplum esto id quod **Genes. 21.** pulchrè animaduertit Chrysost. de fortitudine ad c.21. Gen. *Quicumque, ait, gratia Dei in solitudine degit, securior ac potentior est iis, qui sine illa in medijs ciuitatibus versantur ingenti hominum multitudine stipati.* O ingentem fortitudinem gratiæ! Sed vnde has illius vires colligemus maximas? quibus adducemur rationibus, vt tantam messe gratiæ virtutem credamus? éstne aliquis, in quo emineat hoc robur gratiæ? est sanè, ait Chrysost. *Dauid de loco in locum transiens, errabundus, ac vagus manu superna munitus fuit: Saul in medijs ciuitatibus cùm esset, & tantum secum duceret exercitum, & quotidie timebat, & tremebat inimicorum insidias: ille quidem solus erat, & non indigebat humano præsidio; hic verò coronatus, & purpura indutus illius auxilio indigebat, & Regi opus erat pastoris opera.* **Chrysost.** Quid pulcrius? Quid gratiæ fortitudinis explicatius? Argutior adhuc est Theodor. qui Saulem in Dauid irruentem meditatus, postquam Rex ipse tribus millibus hominum Dauid inuestigaturus perrexit, postquam illum inuenit, hæc à Saule Dauidi inimico inuento dicta miratur. **1. Reg. 36.** *Iura mihi in Domino, ne deleas semen meum post me, ne auferas nomen meum de domo patris mei.* Hæc penè inermi Dauidi dicebat Rex maximo exercitu armatus. Quocirca Theod. ait. *Est imbecillitas vitij, vt qui erat dux & Imperator tam multorum militum, rogabat fugitiuum, & qui erat cum multitudine militum, rogabat eum, qui aufugiebat, vt ipsum impertiret benignitate ac clementia, vt nomen suum patrium non expungeret.* Meritò namque Saul expers diuinæ gratiæ sibi, nominique suo timebat, Dauidem contemplatus; fugitiuum quidem, sed Deo gratum. Eas ingerit in creatis mentibus vires diuina gratia vt timendis ipsis, & horrendis sint Deo grati, timore, & honore! Vnde Andr. Cretens. Angeli notans ingenium ait. *Quem enim subiecit inuentio gratiam apud Deum, commodè omnem excussit Virginis metum.*

§. XXXII.

Quicunque Deo gratiosus accidit, non timeat suis bonis, omnia bona habet.

HOrret natura vacuum, vt philosophicè loquar, quod ne detur, mille propriæ naturæ dissonos, contrariósque motus sustinent res creatæ: felix Maria, quæ cum Deo gratiosa adsis, nullam extimescas vacuitatem, hiccine gratiæ Dei fructus, vacuitates, & inanitates ab humana natura eliminare, miraque illam plenitudine, & bonorum cumulo ditare. Sic D. Iren. argumentatur ex Deut.26. Moyses **Iren. Deut. 26. lib. 4. c. 31.** ait, *& nunc Israel, quid Dominus tuus postulat a te, nisi timere Dominum Deum tuum, ambulare in omnibus vijs eius, & diligere eum, & seruire Domino Deo tuo ex tota anima tua? Hæc quidem gloriosum faciebant hominem, id quod deerat ei implentia, id est amicitiam Dei.* Pulchrè, & accommodatè Iren. vniuersam naturæ plenitudinem vocat amicitiam Dei, qua sola, etsi cætera desint bona mundialia, felix es, gloriosus es, plenus es. Audite plectrum Græcanicum sic tinniens Latio.

Seruus Epictetus fuerat, & corpore mancus,
Paupertate Irus, Dijs sed amicus erat.

Sanè qui Deo gratus, qui Dei amicus, felicissimus, mediis inanitatibus plenus, & abundans, vt rectè iubeatur Maria nullam sibi inanitatem timere, quæ gratiam inuenit apud Deum. Auet adhuc animus reuocare in examen illud Irenæi, nimirum, *hæc quidem gloriosum faciebant hominem, id quod ei deerat implentia, id est amicitiam Dei.* Quibus pulcherrimè sugillat inanitatem humanorum bonorum, & gloriarum, quicquid lucidum, quicquid in humanis splendidum non impler, quod est deest homini, cum omnibus his gloriolis, & humanis bonis nunquam impletur, imò mille patitur defectus homo. Defleuit hanc inanitatem naturæ Seuer. **Boëtius.** Boetius lib.2. de consolatione, prosa 7. *Quis est tam composita felicitatis, vt non aliqua ex parte cum status sui qualitate rixetur: anxia enim est humanorum conditio bonorũ, & quæ vel nunquam tota proueniat, vel nunquam perpetuò subsistat. Hunc census exuperat: sed est pudori degener sanguis. Hunc nobilitas notum facit; sed angustia rei familiaris inclusus esse mallet ignotus; ille vtroque circumfluens vitam cælibem deflet; ille nuptus felix, orbus liberis alieno censum nutrit hæredi; alius prole lætus filii, filiæue delictis mœstus illacrymat.* Idcircò nemo facilè cum fortunæ suæ conditione concordat, sub defectuum metu gemunt cuncti mortales, quantascunque sibi conglomerent felicitates. Vide apud Dan. c.2. omnia mundi regna aurea, argentea, ærea congesta, vt compleant vel vnam hominis statuam. Nec complent tandem, nec omnibus his integratur natura humana; nisi suppleat e puluere defectum metallis. Quid plura? Vide in Thabor Christum Dominum radiantem, summasque Paradisi glorias propter ... tem Apostolis, tunc quærit Abulensis, an claritas illa Christi fuerit vna ex dotibus gloriæ, quæ naturam exsatiant huma- **Abulens.** nam? & sic definit. *Ad veram corporis gloriam non sufficiebat*

claritas, cùm manere possunt cum illa multi defectus corporu. Ecce omnia humana decora, diuites gazæ, pulchritudo, splendor generis hominem inglorium faciunt, nimirum, quia inter hæc semper deest homini aliquid de sola gratia Dei: verè, & iustè Irenæus fatur, quòd hæc gloriosum faciebant hominem, id quod ei deerat implentia, id est amicitiam Dei, quæ sola perficit, adimplet hominem, illumque omni parte integrum, & omni defectus metu liberum facit. Id quod crediderim a D.Chrys. expectatum cum de Paulo ait,

1.Cor.9. *Omnem hominem Paulus exhibebat Deo*, nimirum integrum, plenum, non deficientem, sed omni ex parte constantem, qualem decebat esse illum, qui Deo habebatur gratus. Hinc licet iam ponderare Marianas gazas, quàm plena, quam superabundans, quàm omnis defectus, omnis metus expers, quæ apud Deum inuenerant amicitiam, & gratiam!

Andr.Hierosol. *Gratiam*, inquit Andreas Hierosl. *quam non accepit Sara, quam non sensit Rebecca, quam nec Rachel cognouit: inuenisti gratiam, qua non est digna habita nobilis illa Anna, nec Phenenna hinc è regione posita: quoniam hæ quidem matres ex sterilibus factæ sunt, amittentes vna cum virginitate orbitatem; tu autem, vt etiam mater sis, virginitate tamen fructus semper illæsa.* Hæc Andreas, vbi expende illud, *hæ matres factæ sunt amittentes vnà cum virginitate orbitatem; tu autem vt etiam mater sis, virginitate fueris semper illæsa.* quasi diceret, quòd cæteræ omnes non adeptæ sunt bonum prolis sine defectu saltem virginitatis, sola inter omnes Maria Dei amica, & grata etiam prolem potuit expectare absque metu alicuius defectus, sed potiùs gaudens omni plenitudine integritatis.

§. XXXIII.

Gratiæ pudicitia confirmatæ omnis metus abest.

SAnè æquè tritum, ac verum illud Profani, *Res est solicitì plena timoris amor*, nec Mars ipse limina Veneris tangit, cui non sit maximo in timore Vulcanus. Vnde pulchrè

Cyprian. Cyprian. de pudicitia fatur. *Quæ cupiditates tollit, & metus sustulit.* Nam ex cupiditatibus metus veniunt. Argutius ad-

Athanas. huc Athanas. orat. de Pass. & Cruce, de iis, qui Fidei Christianæ nomen dederunt, inquit. *Voluptatem, quas in idololatria sua metuebant, in Christo nunc aspernantur.* Etenim nullus nisi in timore indulget voluptati, & quidem cum Maria gratiam virginitatis perfectissimè inuenerit, timoris occasionem exclusit: timor enim impudicitiæ comes, spes autem

1.Cor.3.. socia virginitatis est. Vnde vbi D. Paul. 1. ad Corinth. 3. fatur. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem*: id expli-

Hieron. cans D.Hieron. in Ionam c.1. ait. *Quando dicitur hoc, corpus ostenditur, hoc, in quo nascimur, hoc, in quo morimur, hoc, quod virginitas expectat ad præmium, adulterium formidat ad pœnam.* Ecce tibi virginitas vt spe nititur, verum adulterij impuritas sub formidine premitur. Sed quid timeret virginitas, quæ pugnacem Dominum sibi lateronem habet? Enimuerò Ægyptiæ lasciuiam aduersus Iosephum pudicitiæ exem-

Isid.Pelus. plar armatam videns D.Isid.Pel.lib.4.epist.77. inquit, *Cum illa castitatis hostis, cum isto autem eiusdem legislator faciebat, & certaminis socium se coniungebat.* Nulli succumbit timori quæ de tanto laterone gloriatur; quæ sibi socium belligerantem Dominum acquirit, omnis erit expers timoris. Hinc

And.Cret. meritò Mariam virginem ornamentum loquitur And.Cret. hom. in hoc Euang. aiens, *Benedicta tu in mulieribus quæ cælestem thesaurum, in quo alij omnes sapientiæ, & cognitionis thesauri sunt reconditi, in tuto virginitatis tuæ complexa es.* Expendo illud *in tuto virginitatis*, quasi virginitas Mariana omnes timores ableget. Equidem meritò dicebat in præ-

Chrysol. senti D.Chrysol.serm.144. *Quid timeat, cui iudex causa est assertor, integritas testis innocentiæ?*

§. XXXIV.

Vbi Iesus adest, munimentum est pudicitiæ.

MEritò iubebatur Maria non timere virginitati suæ, etiam in partu, quando paritura erat Iesum: ait enim Angelus; ne timeas Maria concipies enim, & paries filium, & vocabis illum Iesum. Nec alio efficacius de perdendo pudore timor eradicari poterat, quam dum Iesus pariendus annunciatur, qui vbi est, inexpugnabile adest munimentum

Ezech.24. castitatis. De Marianæ virginitatis claustris locutus Ezech. c.44. ait, quod porta erit clausa perpetuo. Quæ verba dum expendit Guarr.Abb.ser.2.in præsentia fatur. *Sic vero Dei apta es, tum demum non modò clausa, sed & signata es. Pone me*, inquit, *vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum. Iesus quippe impressus corde, expressus opere sigillum planè, & munimentum est castitatis sponsæ suæ, & eo ipso quod se imprimit imitationis formam, imponit etiam incorruptionis custodiam.* Planè non euertenda erat castitatis arx à Iesu, de cuius nomine flexuris conspicua conseruatur incolumis integritas Ecclesiæ sanctæ. Sic D.Athanas.lib.3. contra Ari- Athanas.
rianos, integritatem Ecclesiæ ponderans, ait: *Omnia in omnibus erit Christus, vbi porro Christus, quod genus ibi metus aut periculi fuerit?* Et paucis interiectis, nominis Iesu custodiam pro Ecclesiæ integritate seruanda hoc apposito explicat exemplo, dicens, *Quemadmodum si quis Regis filius, patre eius volente ædificare ciuitatem, in singulis operibus præscribat nomen suum tutelæ causa, quo simul & inuiolata permaneant titulo, reuerentiáque nominis simul, vt ex ea inscriptione in memoriam veniant ipsius, & patris sui, & ab eo rebus iam ex sententia confectis, percunctetur quis de ciuitate quomodo eam condiderit, isque tum respondeat se bene eam ædificasse, nam secundum patris voluntatem suam imaginem singulis operibus impressam esse, eo quod nomen suum vbique sit insitum & quasi inædificatum.* O pulchrum ciuitatis munimentum de nomine Iesu comparatum! Hoc sanè robur Iesus habet maximum, vt vbicumque eius inditum, & veluti innatum fuerit nomen, nulla ruina timeatur, sed noua tutela, & integritatis custodia asseratur. Vnde Cant.2. *Dilectus meus mihi, & ego illi qui pascitur inter lilia.* Non ait, quod liliis castitatis pascatur; sed potiùs quod inter lilia moratus pastorem, & custodem agat. Cantic.2.
Ita D.Bern.serm.in Nat.Virg.fatur, *Non cibus, sed consortio pascitur liliorum, nec liliis vescitur, sed inter lilia versatur.* Qui Bernard.
vescitur consumit lilia; sed dilectus noster Iesus minimè liliis puritatis vescitur, minimè consumit flores castitatis; sed vt pastor, & custos inter illa versatur.

Text. Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur.

§. XXXV.

Mariæ, & filij Dei magnitudo maximè ab hac conceptione claruit.

ACcommodatè filius Dei dicitur magnus, & in altitudine patrissare, cùm concipitur vtero virginali, quasi ex tunc maximè eius magnitudo & altitudo innotesceret, necnon Virgo mater creaturarum altissima monstratur, quæ magnum filium cum altissimo communè habuit. Hinc pulchrè S.Epiphan.hæresi 78. explicans illud Matth.1.quòd Epiphan.
Ioseph non cognouit Mariam, donec peperit, sic inquit singularis. *Non nouerat, quod tali gloria honorandus esset aliqua in terra, maximè mulier; non igitur cognouit ipsam donec vidit miraculum, nec cognouit miraculum ipsius, donec vidit genitum ex ipsa.* Et quidem Ioseph magnum quiddam de Maria cogitarat, maximam & fidelem de Deo opinionem habuerat; sed sic excessit æstimationem iusti viri Deus ex Virgine conceptus & natus, Virgo Deum concipiens & pariens, vt tunc primum dicatur vterque à Ioseph cognitus, illíque vtriusque magnitudo declarata non cognouit miraculum ipsius, puta filium, donec vidit genitum ex ipsa. Accinit ex parte Imperfectus apud Chrysost.hom.1.in Matth.sub fine, Imperf.
Vere enim non cognouit eam ante cuius fuerat dignitatis, quæ vnigeniti Dei facta fuerat mater; sed postquam peperit, tũc cognouit, quod speciosior, & dignior facta fuerat, quam totus non capere poterat, nec merebatur accipere, quasi in augustum cubiculum vteri sui sola suscepit.

§. XXXVI.

Mariæ magnitudo expenditur, quod Deum conceperit, & vtero libenter detinuerit.

DE Mariana magnitudine explicanda certant inter alios Gregor. Papa, & Hieron. Ille ad cap. 1. Reg. sic ait, *Maria vt ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum virtutem supra omnes Angelorum choros vsque ad solium Deitatis erexit.* Hic serm. de Assumpt. maiori verborum maiestate eandem amplificat magnitudinem Marianam, *Celsis*, ait, *sublimior fastigijs, gloriosior præ natiuis meritorum, ita vt nullus iam nisi sui ipsa, ac fimus manu expanda esse diuinis.* Vtrumque longe superauit D. Zeno serm. de Natiuitat. Mariæ, *Superbus* Zeno.
emicat venter Verbo: non contentus nisi ad excessum gloriæ

gloriæ magnitudinem componeret Marianam, superbus emicat Mariæ venter, dicit Zenon, quasi a conceptu Verbi Maria nullum finem, nullum modum magnitudinis cogitaret; sed supra modum, & mensuram, quod proprium superbientium est, euolaret. Crediderim hic sanctum Antistitem meminisse illius Isaiæ vaticinij nunc maximè Virgini aptādi: *ponat te in superbiam sæculorum, gaudium in generationem, & generationem.* Quomodo in superbiam? Pagninus legit, *ponam te in gloriam æternam*, & satis aptè, vt exsuperantem Mariæ gloriam indigitaret, Mariam conceptu, & Maria sæculum orbemque superbientem facit.

Isai. 60.

Sed age, duobus a capitibus colligamus hanc Mariæ excellentiam maximam a conceptu Verbi manifestatam: sane illam manifestauit Angelus cum dixit: *concipies in vtero, & paries filium.* quibus indixit partum non inopi natum, non fantasticum, non abortiuum, non præcocem, sed maturum, sed temporaneum fœtui, vtpotè qui ante conceptus non quasi fluuius per eandem; sed tanquam pluuia in vellere consisteret, in vteróque inueniretur commorari, quod maximè extollit gloriam vteri virginalis, qui exultātem illum gigantem ad currendam viam in primo cursus impetu sistere fecit. Lego præcursorem Ioannem in materno vtero exultantem, nimirum in officium exilire conantem. De quo eleganter Chrysost. hom. . *Exilijt Ioannes in matre non [illegible] tarditatem labefacto*, inquit, *vincula naturæ, propero prædicare.* Eo namque puer ardebat desiderio fungendi suo munere, vt non sustineret natiuam vteri tarditatem, quem mora impatiens disrumpere conabatur. Ex hoc Ioannis facto maius quid in Dei filio augurabar, vtpotè qui desiderio desiderabat hominibus communicari, quorum ardentissimo desiderio sic flagrabat, vt a regalibus sedibus descenderet, fieretque extra cœlestia palatia; quidni extra cœlestia? extra ipsum est factus. Me audaciæ nota liberat D. Dion. Areop. c. 4. de diuinis nominib. *Audebimus*, inquiens, *& [illegible] pro veritate loqui, quod ipse quoque author omnium pro amatoria bonitatis magnitudine extra se fit.* Id sanè est hominum desiderium in Deo, quo extra cœlestia decora, quo extra ipsum trahitur, quæ res illum extra cœlum, extra se factum poterit detinere? quæ illum morabitur? quam Ioanne superior vbi ad maternum vterum peruenerit, vterum pessum dabit, vt egrediatur? quàm Ioanne festinior properabit ab vtero in officium, & moræ mensium impatiens disrumpet vteri carcerem? Sed ô virginalis vteri præstantia! O Mariæ gloria inenarrabilis! quem nec cœlestia omnia detinuerunt ad homines properantem, nec ipse se detinuit extra cœlum, & extra se factum detinuit libentissimum pulchritudo vteri virginalis. Sic de filio Dei ad homines currente D. Zen fatur, *Requiescit libens, florentissimo [illegible] domicilio castitatis, & in [illegible] facta [illegible] campauit sibi corpus suo [illegible] constituit.* Ecce tibi quam ex hoc clareat Mariani vteri pulcritudo maxima: in Elizabeth vtero non quiescebat Ioannes moræ impatiens, & filius Dei Ioanne longè festinior, prout ardentiori impetu ferebatur, postquam extra cœlestia, & extra se prosilit, hominum desiderio tractus requiescit libens vtero virginali clausus, nec ibi desiderio exeundi agitur, qui flores Mariano in vtero, vbi adeo libens quiescit cœlestis apis, quæ ibi carmina, quibus voluntaria mora rapidissimo in cursu sistitur princeps nautarum? quod pulchritudinum emporium vbi properans ad nundinas tam diu moratur diuinus mercator?

Chrysost.

Dionys.

De Natiu. serm. 3.

Pergo aliò, & miror Marianum vterum tam floridum apparere, imò florentissimum sub tanti luminis radiis perter resecit Ierusalem Dominus, Sophon. 1. in c. fatus, *Scrutabor te in lucernis*, nec vnius sustinebat ciuitas sancta scrutinium facis: ast Mariana puritas immensi Solis fulgentissimos sustinet radios, & tunc eius apparet magnitudo puritatis: etenim tunc maxime conspicua est puritas crystalli, quando sub Solis radiis sine næuo, & sine macula claret. Hinc D. Chrysost. in D. Thom. Caten. *Siquidem enorme quibusdam videtur Deum habitare in [illegible]: sed tunc Sol cuius est corpus sensibile, quocunque radios mittit, non læditur in propria puritate? Multo ergo magis iustitiæ Sol vtero virginali mundissimum corpus assumens, non tantum contaminatus non est, imò etiam ipsam Matrem sanctiorem ostendit.* Hæc Chrys. quibus ego expendo, quod Sol iustitiæ ingrediens Marianum vterum, *ipsam matrem sanctiorem ostendit*: vtpotè quæ sub tanti Solis radiis in nullo nigrizans, vndique pura, & illustris apparuit. Quod mirabere magis, dum apud Isai. 6. Seraphim diuinum iubar expauescentes facies suas pedibus & alis velabant, ne videantur & ipsi, vt ait Forerius: quónam enim pacto nudi apparent coram eo, cuius splendores ipsi sustinere nō pos-

Soph. 1.

Chrysost.

sunt? aut quid in se ipsis dignum admiratione, atque inspectione intelligent, qui maiestatem illam intuentur? at Maria immenso Deitatis lumini proxima, nihil quod vellet habet, nec coram increata sanctitate propriæ timuit sanctitati; imò tunc conspicabilior, gratior, sanctiorque apparuit. Iuuat modo exclamare illud Antipatri orat. de Ioann. Nat. *Quis dicat ab ea, quæ fuerat olim condemnata, iam in ventre hausum fuisse iudicem: quinque audiuit, in doloribus paries filios tuos, tam venisse, post autem illum, qui nobis annunciauit doloris solutionem.* Hęc ille miratus, quod femineus sexus olim reus, olim damnatus ea in Maria fulgeat innocentia, qua possit iudici adesse, cum illóque metu posito conuersari.

Antipat.

§. XXXVII.

Maria nil defuit magnitudinis, quæ decebat solium magni Dei.

SVpra omnes Hierarchias meritorum verticem vsque ad solium Deitatis Virgo mater erexit, quod vt gloriosum, ita & maximum de Maria prædicauit Gregor. Magn. Cæterum inde gloria maior Regio Vati apparet, quòd in Sole constitutum sit Marianum tabernaculum, *In sole posuit tabernaculum suum.* Etenim non tenebras, sed lucem amat opus, cui nihil deest, quod omnes mensuras attingit perfectissimæ artis. Seraphim illa ab Isaia conspecta maiestatis magnitudinem ipsa cōspicata, obductis alis, vt vidimus, sese obnubilabant. Quæ tunc causa? Pulchrè D. Chrysost. *Quia inexplicabilem erga conditorem reuerentiam exhibere studebant ipsa habitu, & voce, aspectu, statione: quoniam igitur id, quod desiderant, quodque conueniebat, non assequuntur declarant, eò quod vndique velantur, nam ita defectum circumtegunt, & quod deest affectu obtegunt.* Quid Marianæ gloriæ magis accommodatum? quæ sic explicuit omnes perfectæ erga Deum reuerentiæ numeros, sic in se omnia decora clausit, quæ solium Deitatis decebant, sic omnes mēsuras magni, & summi Dei tabernaculi tenuit, vt tenebras, & velamen fastidita clarissimos Solis radios adamarit. Huc spectant anxiæ illius voces Cant. *indica mihi vbi pascis, vbi cubes in meridie, ne efficiar sicut velata*: quasi diceret, velantur illa, quæ nequeunt assequi quod increatæ conuenit maiestati, quibus deest par muneri sufficientia: sic Seraphim apud Isaiam velabantur; nolo inter hæc numerari quæ supremæ magnitudinis tabernaculi Dei *tenui*, cui nihil deest, quod deceat magni Dei matrem, ideoque velum spuo, lucem appeto meridianam, qua absolutissima perfectio mea clareat. Sic Maria iuxta Cyril. Alex. loco Solis in circumscriptę iustitiæ Solem complexa est, non in tenebris, non sub velamine; sed meridiana luce patentior maternum vterum conditori suo parauit, vtpote cui nihil deerat ex omnibus ad summum Deum excipiendum procurandis. Quod eleganter meminit D. Dion. Alex. dum ait, *Hæc est quam Isaac prævidens dicebat, Iacob det tibi Deus benedictionem terræ habentis omnia, quæ enim de cælo descendit vnigenitus Dei verbum gestatum est in vtero virginali, & genitum ex Paradiso virginali habente omnia.*

Chrysost.

Cant. 1. sic leg. ex Sap.

Origen. Hieron. Ambros. August. De recta Christ. fid. lib. 2.

Ep. aduersus Paul. Samosat. q. 10.

§. XXXVIII.

Vterus virginalis Mariæ dedit Verbo diuino & nominis magnitudinem, & celebritatem apud omnes.

HÆreo adhuc Angelicis verbis supra relatis, *concipies*, inquit, *& paries filium, & vocabis [illegible] eum. Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur.* Hæc protulit Angelus, quasi Deus a conceptu, & partu virginali adepturus esset magnitudinem, & nominis celebritatem. Tantum id non intonuit Proclus, dum hom. de Chr. Nat. ait, *Mariæ [illegible] inter se naturarum officina, hæc salutaris reconciliationis panegyris.* Et quidem iure panegyris nostræ reconciliationis vocatur: etenim illi quidquid laudabile in nostra reconciliatione Verbum facit, acceptum tradit. Vide apud Psal. 44. quam se Christi nomen in vnguenta diffundat per vniuersum orbem terrarum, *myrrha, & gutta, & casia à vestimentis suis*, hoc est, vt Theodoreto placet, nihil odoratius, quam Verbum vestitum carne, nil celebrius, vnguentum effusum nomen eius, cuius suauitate repletur mundialis hæc machina: verum omnis iste vnguentorum effusio, omnis ista nominis celebritas suam originem traxit *a domibus eburneis* ab eburnea virginalis vtero domo egreditur Verbum apud omnes creaturas nominis sui, rerumque gestarum diffusurum

Proclus.

Psal. 44.

Cyril. fragrantiam. Sic magna orationis grauitate retulit D. Cyrill. Alex. Exegesi de incarn. Verbi, hæc verba faciens, *Quia per nos ac vnus è nobis ortum ex muliere sortitus est, sic, vt iure meritoque nomen quod est supra omne nomen, accepisse perhibeatur, omne que genu cœlestium, terrestrium, & infernorum ipsi incuruetur, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster Iesus Christus in gloria est Dei Patris.* Ecce tibi nomen magnum, & celebritatem Christi vtero adscriptam femineo, à quo originem traxit.

Alcuin. Vnde meritò Alcuinus serm. de Nat. Virg. memorans Rebeccæ, cuius astucia filius Iacob obtinuit a patre benedictionem, sic de Maria fatur, *Rebecca futurorum præscia magnificandi filij manibus pelliculas hædorum circumdedit, & colli nuda protexit.* Quasi diceret, ô noua Rebecca à qua genitus patri, habitu inuentus vt homo, similitudinem carnis peccati accepit, qua patris benedictionem venatus miro modo sese magnificauit, vt meritò sit & vocetur magnus Filius Athanas. Altissimi Patris. Hinc pulchrè D. Athan. sic Mariam alloquitur, *Benedictionibus te celebrat prima acies, quæ ex Thronis Cherubinis, & Seraphinis constat, qui magni Regis Dei cognitores appellantur.* Et cur magni Dei cognitores Mariam celebrant? Sanè, vt magni Regis Dei excellentias speculentur, necessariò in laudes virginei vteri exsurgunt, quasi in aliqualem Christiferæ magnitudinis causam. Cui videtur subscripsisse Guarr. Guarr. Abb. serm. 1. in annunc. vbi fatur, *Maria singularem præ omnibus electis inuenit gratiam apud Deum, vt videlicet Dei conciperet, & pareret filium, atque ex ebore corporis eius thronum sibi virtus Altissimi manibus exsculperet gloriosum. Gloriosus prorsus ille thronus ac mirabilis de quo Scriptura perhibetur, quòd non est factum tale opus in vniuersis regnis, quod facile testimonijs probaretur Angelorum, qui semper, & insatiabiliter in gloriam & decorem Dominici corporis prospicere concupiscunt.* Sic de Mariæ ebore virgineo rutilat Dei thronus sublimis, & eleuatus; sic de Maria exorta Christi caro, afficit decoris magnitudine ipsos Angelos.

§. XXXIX.

Vterus virginalis Mariæ non deiecit, sed extulit Deitatem.

Procul. VAna relinquo vanis, qui Deum Mariano in vtero conspurcandum metuebant, in illos telum contorsit Proculus felici dexteritate, *Nullam*, inquit, *Deus contrahit labem, quod intra viscera, quæ citra omnem dedecoris notam condideras, inhabitas.* Aduersus hæreticos hoc dedisse satis; verùm fide- August. libus August. gratior existit, qui Natiuitatem Verbi humilem, & excelsam prædicauit lib. 1. de Symbol. ad Catech. *Vnde humilis? quia homo natus est hominibus: vnde excelsa? quia ex Virgine.* Et sanè ab vtero virgineo omnia gloriosa, & ex- Nissen. celsa Deo canunt Angeli. Vnde B. Greg. Niss. magnum quid, & excelsum meditatus, quo immensa Dei maiestas à cœlo in terram migraret, hoc vnum præ omnibus inuenit, nempe almam Virginitatem, sic ait: *Non nauigio, aut curru aliquo, sed incorrupta virginitate in vitam humanam traiecit.* Videtur acutus Doctor coniecisse oculos ad nauigia illa auro flammantia, quibus nupturi Reges adnauigant, siue ad currus triumphis, gloriáque plenos, quibus Imperatores vrbem honestabant, hisque despectis, ita fari. Non Deo nupturo triumphatori aureas classes pares, humanum vt mare tranet, non splendidos currus: habet, quo se exaltet maiestas, habet, quo triumphet maximè sublimis Saluator, non nauigio, non curru, sed incorrupta virginitate in vitam traiicit humanam. Nullo sublimius efferretur Verbum, quam dum conscendit in almam materni vteri virginitatem. Hæc est illa Aquilæ volantis in cœlum via, quæ tam Prou. 30. difficilis, & accliuis apparuit Sapienti Prouerb. 30. sed audi Ambros. qualiter ab Ambr. lib. de Sal. 12. complanatur, *Quis cognoscere potest quemadmodum Verbum in Virginem venerit, vt tam felicem fœtum partus virginalis effunderet, id est, quod ait vestigia Aquilæ volantis, id est, Christi Domini aduenientis.* Etenim nil magis nobis Verbi ad Virginem ingressus prætendit, quàm præpetes, & sublimes aquilarum volatus. Vidisti Aquilam pansis alis nubes perterebrare, arduis, sublimibúsque verticibus subsidere, cœlorum altitudinem appetere, id est vestigium Christi Domini ad virginem aduenientis. Non se deprimit regia Verbi maiestas, vt virgineum vterum teneat, imò tunc maximè Aquilæ celsitudinem sublimémque volatum ostendit. Etenim à virginitate nihil non sublime exeundum erat, nihil non diuinum, & maximum. Chrysol. Id quod notat Chrysolog. serm. 142. in eo quod Angelus ait, *Concipies, & paries filium*, eleganter subinferens ille, *non dixit filium tibi, non dixit tuum: monita ergo per Angelum Virgo, ne præsumas hunc vocare filium tuum; sed mox vt genueris, inuoca Saluatorem, quia virginitas non sibi parit filium, sed pignus authoris, & integritas suum gestat Dominum, non alumnum.* Ita Chrysol. quo nemo dignius virginitatis partum elucidabit: etenim qui à Virgine oritur, eam præ se ferì magnitudinis exuberantiâ, vt ipsa ab origine superior, & præstantior non tam filius, quàm Dominus appareat, non tam hominis factura, quam hominum omnium vindex, & Saluator videatur.

Hinc D. Ildeph. serm. 8. de Assumpt. Virg. *Virgo*, ait, *credidit, admonita quod audiuit, meruit sanctificata quod credidit. Denique tantum se ad cœli fastigium subleuauit, vt verbum in principio apud Deum, id est, Dei filium de summa arce susciperet.* Ildeph. Itaque non descendit Verbum, dum Mariæ adest, sed tota sua altitudine conseruata illum pertingit sublimitas Mariæ, illíque nouum dedit decorem, nouámque sublimitatem. Rem conficit vnus Gillibert. serm. 21. in Cant. fatus, *Femina circundabit virum, quomodo circumdat corona caput, caput enim Ecclesiæ Christus, gloriosus planè in illo splendore gloriæ, & paternæ figura substantiæ, sed superaddito nostræ quodam velut fuco naturæ, & colore inducto, dum sublucet, plus placet, nec illis tantum qui fucus ferre non possent, sed in ijs etiam, quibus purè se splendor ille refundit.* Gillibert. Itaque & Angelis, & hominibus exoritur Sol iustitiæ mirificè exaltatus condecoratus ab vtero virginali.

Text. Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris sui, & regnabit in domo Iacob.

§. XL.

Virginis Matris amore, & æstimatione tenetur Verbum diuinum.

SApientissimi Athenarum lege cauerunt, ne filij à matribus cognomen acciperent: quæ lex ita vniuersos homines peruasit, vt nihil sanctius habeatur apud humanas familias, quam materna, & feminea decora obnubilare. Hinc natum est Prouerbium, quo Spiritus diuinus c. 4. istam Prouerb. 4. hominum stultitiam expungit, *Stultus*, inquit, *homo despicit matrem suam.* Gratiores suis matribus Lycij, qui teste Alexandro ab Alexandro, eo in honore, & æstimatione habent matres, vt omissis patribus, nomen solum efferant, atque decus maternum. Quid mirum? habent hi quem imitentur filium Dei, summi Patris principatum dissimulans, matris gentilitate gloriatur immensè. Ecce tibi accipiet sedem Dauid, & regnabit in domo Iacob. Pulchre ad hæc Bern. Bernard. *Quid magnum promittitur ei, qui sedet super Cherubim, quem Propheta vidit sedentem super thronum excelsum, & eleuatum in throno Dauid?* Sanè diuino Verbo, quia per matrem, Dauid sedem habet, Iacobea domus, Dauidicum regnum, gentilitia sunt materna, adeò inde Verbo grata, adeò pretiosa, vt paterna stemmata, & amplissima, & diuina obliuiscens, his solum maternis gentilitijs se maximè iactet immenseque glorietur. Quod rectè calluerat, quisquis cecinit id Cantic. 3. *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate quo coronauit illum mater sua.* Cantic. 3. Hæccine sunt diademata, quibus se conspiciendum offert diuinus Salomon, diademata, quæ ex matre habet: etenim diadema, regnúmque paternum in sinu Patris luce inaccessibili candet, immensæ Deitatis abyssus superandi sunt, vt quod à Patre accipit ornamentum appareat, quo exterius eminet, quo exultat, quo gloriatur, quo vellet conspici, maternum est, & maximè gratum. Sic ingeniosus Guillelm. expendit, Guillelm. *Diadema, quo coronauit eum mater sua, nempe regem nobilitatem assumptæ humanitatis, qua eum coronauit, eo quod illum de sanguine suo regio secundum carnem concepit, vnde Gabriel paranymphus Ecce concipies, & paries filium, & dabit illi Dominus Deus sedem Dauid, & regnabit in domo Iacob.* Sic ille, vt gratius Verbi ornamentum, quo vellet dignosci, indigitaret, nimirum quod ex Regia matris familia hereditauit, tanto erga matrem amore, & æstimatione afficiebatur Verbum. Quid plura? mediis ipsis passionis nubibus, quando candor ille lucis æternæ velabatur, quando potestas tenebrarum in Deum dabat iura, quando diuina omnia abscondebantur, & se Pater ipse abscondebat vsque in filij querelam, tunc Verbum diuinum diuinæ originis dissimulationem, & obnubilationem passus, hoc vnum habuit maximè in optatis, vt gentilitia matris elucesceret, vnde sub titulo Iudæorum

Regis voluit excarnificari, vltimúmque profundere sanguinem. Vide, ô Virgo, quantum debeas Filio, inquit D. Ildeph. serm. 8. in Assumpt. *vt se veram Matrem ostenderet, verum se hominem patiendo tormenta monstrauit.* Etenim maluit se Matris filium ostendere sub titulo Regis Iudæorum in cruce perseuerando, quam & titulum, & crucem deserendo se filium Dei ostentare Iudæis postulantibus. Acutè hunc erga Matrem affectum in Christo Domino Tertull. aduertit lib. 4. in Marcion. etenim vociferantem cæcum, Iesu fili Dauid miserere mei, Iesus statim illuminauit, filius Dauid, qui hoc se & cognouit, & cognosci voluit, fidem hominis, etsi minus oculatam, etsi veri luminis compotem exteriori quoque visione donauit, vt & nos regulam, simúlque mercedem fidei disceremus, *qui vult videre Iesum Dauid filium, credat per Virginis censum.* Ecce tibi quo Iesum tibi maxime obligabis, si illius materna decora, maternos suos in mente, & ore habeas. Ildephons. Tertull.

§. XLI.

Virgo statim à Verbi conceptu classicum aduersus Dæmones cecinit.

EXpendo adhuc cui regno, cui sedi succedat Verbum incarnatum. Dauid regnum plenum bellis, sanguine hostium madidum, vt ex eo solum à templi maximi constructione arceatur. Iacob ab vtero supplantauit fratrem: quid magis faceret ipse Mauors, quàm ipso in vtero matris arenam effingere, & inimicum bello deuastare? Horum ergo regnum, & sedem accepit Dominus, hoc est iuxta Theophylactum, his sese regnando accommodauit, gladium, ignémque, & crucem inimicis minitando, nec distulit bellum, sed potius Iacobea proles ab vtero Matris perterrefecit aëreas potestates. Memini Galen. in lib. *an animal sit id quod in vtero est*, talibus indiciis Heroum conceptus augurari, quod ab vtero iam sui experimentum præferant, sicque inter alios ait, *Alcmena Herculem procreans terrorem aduersarijs, diffidentiam inimicis incutiebat, cum adhuc infantem vtero gereret.* Alcmena longo præstantior Maria, quæ Verbum concipiens adhuc infantem vtero gestabat, etiam terribilis hostibus videbatur, terribilis, inquam, vt castrorum acies ordinata; *& quidem*, ait Guillelmus, *ex quo Dei filium peperit, terribilis Dæmonibus fuit, cùm enim viderent eam integritate simul & prole gaudentem, vehemens illis suspicio incidit, ne forte illa genuisset tot prophetiers vocibus olim pronunciatum Messiam, per quem eorum imperium rueret, itaque virginitate illius puerperæ nil eis tunc terribilius.* Iam iam Mariæ virginea aluus terrorem aduersariis incutiebat, cum adhuc infantem in vtero gereret. Quod pulcherrimè excogitauit Athanas. dum illud Angelicum expendit, nimirum, *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Enimuerò, *vt in Apostolos virtus ista adeò descendit, vt contra omnem aduersariam virtutem vigerent, ideoque Spiritus superuenit essentialiter, ita quoque Spiritus sanctus in Virginem descendit.* Sic ille: vbi pondero energiam comparationis Mariæ de Spiritu sancto habentis, cum Apostolis eodem flammanti correptis spiritu, vt contra omnem aduersariam potestatem vigerent. Etenim latet in hac ipsa comparatione quædam contrapositio non inelegans, quatenus Apostoli, sublato in cœlos Domino, igneum Spiritum ebibentes, terribiles aduersariis extiterunt: at Maria à primo Verbi in mundum ingressu, cùm primum vtero habuit infantilia membra, ô quàm terribilis, ô quam aduersariis formidabilis erat! adhuc virgineus vterus calefaciebat pueruli artus; & quasi ignientis tela, quasi hostilia elaborantis arma officina formæ horrebat. Vnde meritò exclamauit de Christi Natiuit. *O vtere, in quo arma aduersus mortem fabrefacta sunt!* Cuius sententiæ pondus vt exprimatur, consule priùs Virgilianum specus, vbi Vulcania domus, vbi tela omnia fiunt, vbi Guillelm. Athanas. Virgil.

Vulnifi, usque chalybs vasta fornace liquescit,
——Et Cyclopum exesa caminis
Antra AEtnea tonant, validi que incudibus ictus
Auditi referunt gemitum, striduntque cauernis
Strictura chalybum, & fornacibus ignis anhelat.
His informatum manibus, iam parte polita,
Fulmen erat.
Parte alia Marti currúmque, rotásque volucres
Instabant, quibus ille viros, quibus excitat vrbes,
AEgidáque horrifi, am turbatæ Palladis arma:
Fulgores nunc terrificos, sonitúmque metúmque
Miscebant operi, flammísque sequacibus iras.

Tolle gemitus, & omnis huius terrificæ officinæ finge tibi Mariam in vtero æmulatricem, vbi cum infantilibus membris credes fabrefieri ignea tela, gladium ancipitem, rapidum fulmen, fulgores terrificos, sonitumque, metúmque, flammísque sequacibus iras: quæ omnia aduersus mundiales, aëreásque potestates vtero virginali fabrefiunt. *Quid enim non horruerunt principes tenebrarum, quando viderunt præter morem instructam omni armatura fortium contra se procedere feminam?* Hæc pulchrè serm. de Natiuit. Virg. Alcuin. intulit, memorans virgineum vterum à verbo concepto, armorum, terrorúmque officinam: nec mirum quòd nigras Dæmonum phalanges perterrefaciat, quæ lucidissimis cœlorum exercitibus est terrori, vt Epiphan. existimat his verbis. *Obstupuerunt omnes Angeli, & vniuersus Angelorum exercitus timore, tremoréque graui detenti, quia cernebant illum, qui habitat in cœlis, per eam versari in terra, & exhorrescebant Virginem, & formidabant dum conspicerent eum, qui principio caret descendentem à throno Cherubico, in vtero virgineo sedere.* Alcuin. Epiphan.

§. XLII.

Maturet certamina, qui Regnum Christi velit comparare.

REgnat equidem Christus in domo Iacob, in domo nempe illius, qui prius nouit certamina, quàm lucem; qui vt sensit inimicum, non tempus nascendi expectauit; *sed ab vtero supplantauit fratrem.* Nihil enim magis pauendum Dei hostibus, quàm forte, & intrepidum initium pugnandi. Nonne Ægyptij plures sustinere plagas? sed quàm vident primogenita occisa, tunc Israëli potestatem exeundi faciunt. Quod meditatus Nazianz. in nat. 2. Pasch. dicit. *Neque enim eam plagam AEgyptij perferre potuerunt, sed tunc Israëlitis discedendi potestatem faciunt: eodem modo Dæmonibus quoque animarum nostrarum persecutoribus grauissima hæc pœna videtur, quando in animo ab omni ostentatione alieno primogenita peccati, hoc est, prima vitij origo, at principium à nobis extinguitur.* O quàm promouetur Dei regnum, & peccati regnum cadit, vbi miles primis incursibus strenuè obstat, & primis ausibus ostenditur clarus! Irruerat Satanas in Iobum, & vbi prima sua tela inania vidit, sic vxoris per vocem clamat. *Quousque sustines?* Quibus commotus Orig. lib. 2. ait. *Non dicit Iob, qui torquebatur, quousque sustineam? quousque torquear? Diabolus verò, qui non sustinebat dolores, sed confusionem, dicebat ad patientem, quousque sustines? Iob, qui sustinebat, non succumbebat. Diabolus, qui non sustinebat, deficiebat.* Sanè grauissima hæc pœna videtur Diabolo, quando fortiter in principio reiicitur, quando primi eius expugnantur conatus, id prorsus intolerabile ducit. Felix ille, qui sic audet à principio: dicunt vulgò, *dimidium facti, qui bene cœpit, habet*; at ego Christianorum regnum in primis ausibus crediderim constitutum. Ecce vobis Abraham iugulaturus filium, cùm primùm gladium stringit, ante vllam sanguinis effusionem coronam obtinet triumphi. Do Isid. Pelus. lib. 4. ep. 154. dicentem. *Erat cernere naturam quidem cum suis armis, atque copiis omnibus humi prostratam, ipsum verò stantem, & manum extendentem non corona præditam, sed gladio quauis corona illustrius fulgente armatam.* Quibus pondero, quod omnes aduersantes phalanges humi iaceant prostratæ ad primam militis eductionem gladij, & quòd corona non in capite post facinus impletum, sed in ipso effulgeat gladio. Equidem ea virtute eduxit vir strenuus gladium, nihil moratus, vt vel à primo eductionis nixu victoriam, & coronam reportauerit. Sic de ipso Iob c. 1. post hostis primos conflictus dicitur. *Tunc surrexit Iob, & scidit vestimenta sua, tonsoque capite corruens in terram adorauit.* Cur sese in terram prosternit? Pulchrè Orig. lib. 1. *Primum surrexit, & ita demum se prostrauit: surrexit ad prælium, prostrauit se ad pacem; surrexit ad victoriæ perfectionem, prostrauit se ad coronæ susceptionem*, vt vel ipso in certaminis capite se dignum corona ostentaret. Osea 12. Nazianz. Iob 1. Origen. Genes. 22. Isid. Pelus. Origen.

§. XLIII.

Christus Dominus omnibus suas passiones manifestauit, abscondit suas glorias.

MIraberis Iacobum in vtero animosè aduersum fratrem insurrexisse, cuius certaminis gloria vtero matris fuit clausa: verùm vbi in lucem editus est, nunquam

Genes. 32. non timuit fratrem, sic enim Genes. 32. ad Deum clamat. *Erue me de manu Esau fratris mei, quia valdè eum timeo.* Insuper magna cinctus famil a in conspectu omnium cum ad fratrem appropinquaret cap. 33. *adorauit pronus in terram septies.* Sic victorias, & animositatem veteri tenebris conclusit, metus autem, & infirmitates coram omnibus propalauit. Sanè hinc dicitur Iesus in domo Iacob regnasse, quando de Iacobi more ipse Iesus totus erat in manifestandis passionibus, & gloriis obnubilandis. De his audio Isai. 6. Isaiam dicentem cap. 6. *Vidi Dominum sedentem super solium* Isai. 53. *excelsum, & eleuatum.* De passionibus autem agens cap. 53. inquit, *vidimus eum, & non erat aspectus.* Quibus id statim venit ponderandum, nimirum quod ad videndas gloriosas sedes, & thronos vnus, & solus Isaias admittatur, ait enim *vidi*; verùm vt ad passiones ventum est, iam non solus, sed cum multis accedit, fatus *vidimus.* Id quod eleganter atti- Bernard. git Bernard. serm. 5. in Isaiæ locum dicens, *Communis visio verbo pluralis numeri designatur; hæc autem tam singularis est, quàm sublimis. Ibi tanquam vnus e multis vidimus*, ait, *hic tanquam solus, & solitarius leuaui se supra se, vidi*, inquit, *Dominum sedentem.* Is enim est Iesus, qui glorias suas ab oculis mortalium studiosè arcet, verum passionum suarum infirmitates, contumelias præsentissimas omnium oculis ve- Exod. 40. lit esse. Dicitur Exod. 40. *Pones altare aureum, in quo adoleatur incensum coram arca testimonii. Tentorium introitus tabernaculi pones, & ante illud altare holocausti.* Ecce tibi virumque altare Christum significabat; sed quod aureum est velo contegitur; alterum, nempe holocausti, palam omni- Cyrill. bus patet. Cur hoc? D. Cyrill. Alexand. lib. 4. Ioan. cap. 28. ait, *Celabatur primum, quia occultata atque recondita est gloria Christi; alterum autem vulgo patebat, quia mors eius omnibus patet.* Siccine qui de regno Christi velint gloriari, patefactis infirmitatibus, virtutes curent celare, & abscondere. Id quod pulcherrime ostendebant sorores illæ Lazari, quæ eius infirmitatem verbis, & literis manifestarunt; at vbi eum mundo mortuum viderunt, sic recondunt, & abscon- Bernard. dunt, vt nec amicissimorum oculis pateat. Sic D. Bernard. serm. 3. de Assumpt. expendens illud Domini apud Ioann. *Vbi posuistis eum? Sorores*, inquit, *alloquor, quæ sepelierunt fratrem prædicatione, & ministerio, vbi ergo posuistis eum? ibi conditus est fossa humo, non facilè inuenitur.* Et rectè docetur abscondi fossa humo, qui mortuus mundo Christo renascitur.

§. XLIV.

Generis nobilitas magni ponderis est in Prælatis.

NOn casu vbi de regno Iesu agit Angelus ad domum Iacob præ cæteris cucurrit, quasi ad fontem totius Israëliticæ nobilitatis. Equidem nulla domus est in toto Israël, in qua degenerum aliquid non inueniatur. In Abrahæ domo Ismaël ancillæ filius: in Isaac domo quis magis degener quam Esau? & sic in aliis: vna Iacob domus nihil degenerum passa est; sed tota populi nobilitas ab illa pullulauit. Iam meritò futurus orbis Rex de antiquo nobilitatis fonte commendatior, nihil enim sic premit ingenuos subditos, quam à fæce populi sustinere duros Prælatos. Ac- Synes. cipite quid sanctissimus ille Episcopus Ptolemaides Synesius in quodam Andronico Præfecto sibi infenso notarit epist. 67. fatus, *Meministis cuius modi erga me extiterit? qui vt nihil aliud, certè ab illis maioribus ortum duxeram (ab Erustine enim qui Dorienses in Spartam deduxit, ad meum vsque parentem generis successiones publicis tabulis inscriptæ sunt) is qui ne aui quidem nomen edere posset, imò nec parentis, vt aiunt, nisi quantum coniectura assequi potest, porrò à piscatu ad Præfecti currum sit euectus.* Hac solum vir egregius suas ærumnas ponderabat, nec aliud dolorum pondus inueniri posset maius, quàm quod ingenui subditi vile sustineant sibi durum Præpositum, & prælatum: præterquam quòd mille alia incommoda prosiliunt statim ab iis, qui à sentina Ennod. præsumunt clauum. Ea eleganter notauit D. Ennodius in paneg. Theodorici Regis de quodam tyranno aiens. *Metuebat parentes exercitus, quem meminisse originis suæ admonebat honor alienus, nam ire ad nutum suum legiones, & remeare, pauore algidus imperabat, suspecta enim est obedientia, quæ famulatur indignis, & quoties Prælatos conuenit conscientia stirpis vltimæ, & illud metuunt, quòd timentur.* Et sanè mens vilibus assueta malè semper audit in sceptris, illi continuus comes metus, & suspicio se sperni, ac contemni, dominandi disciplinam nec nouit, vt quæ innutrita fuit ser- Prou. 30. uis. Ideirco inter felicitates fortis illius fœminæ Prou. 30. hæc non postrema censetur, quòd *nobilis in portis vir eius.* Cum enim maritus dominus sit vxoris, non poterat subditæ plena felicitas intelligi, si dominum sortiretur, quem innata nobilitas non offerret. Hinc iam non miror id quod sæpissime obstupescere solebam de imperio Israëlitarum, quo nullum noui miserius, tot cladibus refertum, tot a Deo vero defectionibus plenum, in quo vix vnus inter mille bonus princeps extitit. Ecce Dauidem, Ezechiam, & Iosiam, aut vnum alium, & reliqui omnes Reges mali fuere idololatræ, in Deum rebelles, populo damnosi. Quæ huius rei ratio? nempe seruilis, & abiecta conditio, quam gentes illæ apud Ægyptios captiuatæ ebiberunt. Hanc reddidit Anastas. Nic. quæst. 45. vbi tractans intolerabile Anastas. Nic. damnum Prouerb. 25. notatum, nimirum; *seruus cum regnauerit* ita loquitur, *id est, si seruus regnauerit, nempe Israel, qui* Prou. 25. *fuit seruus in Ægypto, & insipiens repletus fuerit cibis, & qui terram in promptu acceperit & comederit, & repletus recalcitrauerit.* O vtinam ille ad prælaturas eligatur, cui generositas, cui ingenuitas, cui iubere innatum sit! Fallor, si hoc non tradebat D. Chrysost. homil. 7. ad pop. dum ex 1. Genes. ait. Chrysost. Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram: quid est ad imaginem nostram? principatus imaginem dixit, vt quemadmodum nullus in cœlo est Deo superior, sic super terram nullus sit homini superior: vno enim hoc, & primò honorauit, quod ad imaginem suam eum fecit; secundò, quod non laborum præmium imperium nobis præbuit.* Etenim hoc maxime notandum, quod a Deo imperium non datum est laborum præmium; sed naturæ ipsi inseminatum humanæ, quasi velit eos in præfecturas assumi, quibus innatum est imperare, & iubere. Vix equidem est aliquis labor, qui imperio munerari debeat, vbi natura minimè suffragatur. Vnus Deus ad omnipotentiam suam ostentandam ignobiles, & rudes piscatores, in Ecclesiæ principes elegit, at ipsi statim vbi pro Iuda duodecimus Apostolus eligendus erat, an elegerunt piscatorem, & rudem hominem? Absit, imò, vt bene notauit D. Antoninus apud Lorinum, elegerunt Matthiam, virum Anton. mira eruditione, & doctrina præclarum. Ille enim solus, qui de lapidibus potest facere filios Abrahæ, potest de vilibus, & seruis bonos suscitare Prælatos.

Textus. Dixit autem Maria ad Angelum, quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?

§. XLV.

Maria experta Domini præsentiam supra naturam audet.

CRedidit Maria Angelo, credidit, inquam, se parituram Deum; & tamen votum conceptum de virginitate æternùm seruanda humiliter, & submissè exponit. Sic Patrum authoritate fultus tradit Toletus, sic verba ipsa attendenti facile persuadent. Mihi vnum accidit admirandum, siquidem Virgo Angelico credidit sermoni de prole diuina à se parturienda, cur modum exquisiuit? Cur prætendit votum, & propositum castitatis? An in Deo obliuionem sui propositi machinatur? Crediderim sane Mariam non tam conatam esse emissum exhibere votum virginitatis, quàm illo exhibito adducere Deum, vt ex virgine incorrupta nascatur. Annuit quidem partui; sed partus mundialis leges fastidiens virginitati adhæret, & a Deo expostulat modum, quo virgo pariat. De Ioanne adhuc in visceribus matris agente, sic Antipater meditatur. *Cum ex ma-* Antipat. *trice in matre Christum Ioannes aspexisset, præsidens, exiliens, naturæ terminos conatus est transire. Video enim Dominum, dicebat apud se, qui imponit naturæ terminos, non expecto tempus, quo solet fœtus gestari in vtero.* Sic supra naturam conatus exilire infans eo solum quod se Domini præsentia ditari videat. Sic Maria Ioanne animosior secum Dominum Angelico testimonio præsentiens, se in maximam Dei gratiam euectam conspiciens, mediocria ista pertæsa, magna audet, & cum sibi Deiferum partum videt offerri, naturæ terminos transcendit, nouum, & inauditum virginis partum expostulat, soli Deo remittens excogitandum modum quo pariat virgo florida. Hoc ipsum feminco sexui consulebat Chrysol. in hæc Mariæ verba inquiens. *Quomodo fiet istud,* Chrysol. *quoniam virum non cognosco? Mulier, quem virum quæris, quem tu in Paradiso perdidisti? Redde virum mulier, redde depositam Deo, redde ex te quem perdidisti per te, prætermitte naturæ ordinem, recognosce ordinem Creatoris.* Nil dulcius ad exprimendam excellentiam Mariæ, quæ feminarum agens personam

corrigere

corrigere nititur damna primæ nobili antipathia. Etenim illa Angelico suasa sermone fructus dulcedinem noluit gustare sine viro, quem perdidit gustu fructus. Hæc ab Angelo salutata, vt fructum ventris perciperet benedictum, noluit comitem habere virum; sed ipsa sola respuens omnes perditos viros ex se sola, suisque visceribus Dominicum audet sperare fructum, præsentiensque secum gratiam Creatoris, vt ait Chrysol. audacter ordinem prætermittit naturæ. Ad hæc acuta est Anastasij Sinaitæ ponderatio, etenim Matth. 21. dicitur. *Intrauit Iesus in templum Dei, & eyciebat omnes ementes, & vendentes in templo, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit, & accesserunt ad eum cæci, & claudi in templo, & sanauit eos.* Et quidem cæcos, & claudos à se templi claustra arcebant: vnde

Anast.Sin. Matth.21. ergo modo isti ad templũ accedere sanandi audent? Anast. Sinaita lib. 4. de rectis fid. dogm. inquit. *Claudos, & cæcos longiùs arcet lex ab ingressu templi, designato admirabili hoc prodigio. nimirum exclusis templo negociatoribus, qui viderant, & audierant secum reputantes, id operis humana esse fragilitate superius, ausi sunt ingredi.* O quàm audere possunt supra omnem vim ij, qui præsentem Deum augurantur! Miraberis, quòd

Marc.10. Marc. 10. petat Iesus à ficu fructus, cum non esset tempus ficorum; cur hoc Dominus faciebat? An, vt doceret homines præsente Domino supra omnem audere naturam? Ita

Origen. Origen. in Matth. tom. 16. fatus. *Vult enim Christus fideles suos meliores esse humana omni natura, & erigit eos supra naturam, & vt dicam opera Dei magis, quàm hominum, propter quod hominibus dicit, quoscumque ad beatitudinem vocat: Ego dixi Dij estis, & filij Excelsi omnes, arguens eos qui nolunt esse Dij, neque filij esse Excelsi.* Quippe crimen est, si præsentia Domini muniti non audeamus in superiora, & diuina. Igitur virum expuit Maria, & præsentiens Deum sola sibi totum diuinum exoptat fructum infundi, vt simul ipsa totum vniuersæ refundat creaturæ. *O vtinam*, clamat sic Alcuinus, *poculum suum ebria illa Eua, aut totum ebibisset, aut totum effudisset!* At participem habuit virum, & perdidit omnes viros; prudentior Maria dum virum despicit, totum ipsa ebibit vitalem fructum, vt tota vniuersi illo perfundatur natura.

Text. Respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.

§. XLVI.

Mariæ sanctitas in Verbi Incarnatione maximè enituit.

TOtum Incarnationis negotium, quia diuinissimum, diuino tribuit Angelus artifici, nempe Spiritui sancto, eiusdemque virtuti fœcundatrici. Placet in hac re nobis

Euthym. Maldon. Euthym. qui & placuit doctissimo P. Ioann. Maldonato minimè distinguenti Spiritum sanctum, & virtutem Altissimi: imò iuxta Scripturarum loquelam venusta est eiusdem repetitio, idémque Spiritus sanctus, & virtus Altissimi, quæ obumbrabit, id est, quasi obnubilabit, siue quasi nubibus obteget, vt irroraretur Maria, diuinóque fœcundata, & compluta ex nubilo, animarum germinaret salutem. Hæc mihi bene donauit Maldonatus, quibus sub breuitate transcriptis, iam hinc vocor in Marianum panegyricum, cuius supereminens sanctitas iam palam sub his verbis enituit.

Bernard. Enimuerò Bernard. acutè expendens illud, *Spiritus sanctus superueniet in te*, super plenitudinem quandam virginalis sanctitatis exaltat, quæ non solum internè plena, sed & superplena conspicitur propter abundantiam gratiarum, cuius super illam erumpunt radij. Ille nimirum Spiritus, qui iuxta Apostolum in cordibus nostris clamat, inibi clausus miro in Maria modo supereminet, supereminentésque effundit sanctitatis radios. Nescio quam huiusmodi superplenitudinem sanctitatis in protomartyre Stephano sunt mirati Patres, quæ interioris hominis angustias rimans, exterius sui clarissimam speciem dabat. Cuius rei rationem

Nissen. pulcra similitudine exponit D. Gregor. Niss. apud Lippom. *Nam*, inquit, *sicut ignis idoneam nactus materiam, sublimem flammam tollit, & splendidiorem lucem efficit: ita Spiritus S. ex magno Stephani animo clariores gratiæ radios emittebat.* Quid vendibilius? Sanè ignis pro qualitate materiæ exurgit in flammas, & eam quandoque inuenit materiam, intra quam conclusus vix extra appareat; verùm quando aptam materiam inuenit, & mundam, ô quàm sublimibus, quam splendidis, quam diffusis supereminet flammis! Igitur Marianam mentem, & pinguem virtutum adipe, & mundam puritate virginea, quales putatis tædas præbuisse ignibus Spiritus sancti. Crediderim, quod ignis diuinus tantam, tamque idoneam materiam nactus, eas superfuderit flammas, quæ mentis creatæ superantis angustias sese propè in immensum dilatauerint. Quid plura? Adi Rupert. qui ex tunc primo putat tertiam Trinitatis personam ditari nomine Spiritus sancti, tanta fuit in Mariam profecta moles sanctitatis. De fluuio Paradisi dicitur Genes. 2. *qui inde diuiditur in quatuor capita*: id quod ad rem spiritualem transferens Abbas Cellens. lib. de panib. cap. 12. ait, *quia simul collecta gratiæ plenitudo nullatenus creaturæ humanæ capacitate potest apprehendi, in quatuor capita dicitur diuidi: priuilegio tamen Filij sui supra totius creaturæ meritum Mater Dei aspersione Spiritus sancti tota Deitatis gratia est superfusa.* Hæc ille. Genes.2. Cellens.

Hanc exuberantem Mariæ sanctitatem præ oculis habuit D. Hilar. dum ser. de Ascens. *Verbum diuinum*, ait, *sinum Virginis inuiolabiliter pertransiit, sicut reuerenter intrauit.* Expendo illud, *reuerenter intrauit*. & non possum non meminisse illius magni legislatoris Moysis, qui nudis pedibus, ob reuerentiæ notam, iussus est videre visionem magnam: sed cur ea reuerentia à tanto viro expostulatur? *quia*, inquit textus sacer, *terra in qua stas, sancta est.* Iure terræ sanctitas quamcumque reuerentiam postulabat. Hinc iam potes colligere Marianæ terræ sanctitatem, quam non Moyses, sed Deus intrauit. Magna sanctitas, quam verentur homines, quam reuerentur & Angeli: verum Mariæ sanctitas præstantior omni creaturæ sanctitate, siquidem illam reueritus est omnium maximus Legislator. Ast cupis cognoscere qualem reuerentiam Deus exhibuerit maternæ sanctitati; eam præclare explicuit D. Zeno serm. 4. in Nat. Christi, dum ait. *Tempore maturo Diuinitatis dignitate deposita, non tamen potestate, cœlo egressus, sacrario templi virginalis hospes pudicus illabitur.* Obseruo illud *diuinitatis dignitate deposita*. & simul recordor illius triti moris, quo iudices, quum principem, seu virum illustrem inuisunt, comitatis, & obseruantiæ ergò non antea conueniunt principem, quàm virga dignitatis insigni seposito. Hanc Matri suæ reuerentiam exhibuit supremus creaturarum Iudex, diuinus Legislator, summus omnium princeps Deus, qui non aliter virgineum, sacratissimúmque ingreditur vterum, quàm diuinitatis dignitate seposita, hoc est, maiestatis insigni dimisso. Hilar. Exod.1. Zeno.

§. XLVII.

Quidquid carni, & sanguini proximum est, suspectum, & inuisum habeatur a mente casta.

CAstissimæ Virgini grauidandæ diuinus illabitur Spiritus, caro enim in castitatis negotio, non solum non prodest quicquam, sed etiam officit plurimùm. Pulchrè D. Chrysol. serm. 142. ad Virginem Mariam loquitur. *Deus ipse ad te venit, quia te pœnituit ad hominem peruenisse, nec iam caro ad carnem, sed Spiritus sanctus superueniet in te.* Quasi diceret, vbi carnis illecebras fugisti, vbi te Virginem castam exhibuisti, non caro, sed Spiritus in te requiescet, in téque sua exercebit munia, vnus Spiritus castis mentibus familiaris, & amicus sit. Quicquid carni concernit, suspectum & inuisum habet: quam potus doctrinam castitatis cultor Ioseph, vestes fœminæ retentas manu reliquit, & fugit. Sed cur vestes reliquit? An quia vestes carni proximæ sunt, & castus animus, necessum est, vt fugiat etiam carnis vmbram? Ita prorsus D. Nilus in cat. ad cap. 1. Iob dicens. *Ioseph ille pudicitiæ athleta, voluptate illum tenere conanti, res quæ habent commercium cum corpore, tanquam indumenta relinquens, foras egressus fugit.* Expendo quam se expediat vir castus à rebus, quæ habent commercium cum corpore, quasi sola incorporea, & spiritualia possint esse menti castæ secura. Vtinam sic cauisset primænus ille sacerdos Aaron, at male cautus, vt inaures feminarum petiit, Exod. 32. quid inde, nisi lasciui vituli idolum effingeret? *Quas cum ille accepisset, formauit opere fusorio, & fecit ex eis vitulum.* Eu caueamus à rebus, quæ habent commercium cum corpore, ni velimus illis adoratum succumbere. Id monebat Nazianz. in sanct. Baptisma dicens: *Illustrentur oculi, vt recta cernamus, ne meretricium vllum simulacrum ex accurato & superuacaneo aspectu conflatum in nobis circumferamus.* Nil quasi medium est, & visio carnalis pulchritudinis, & statim idolum, cui misere genua curues, & muliebrem mundam attingis, & statim lasciui vituli altaria donis cumulas. Non multum dissentit Clem. Alex. 2. Pædag. cap. 21. fatus. *Beati quidem fuissent Hebræi veteres, si mundum mulierum abstulissent,* Chrysol. Genes 39. Nilus. Exod.32. Nazianz. Cl.Alex.

abstulissent, & abiecissent, vel solummodo fudissent. Nunc autem cum aureum bouem conflassent, & in eo adorando idololatriæ peccatum admisissent, ipsi quidem nec ex arte, nec ex proprio instituto commodi quicquam ceperunt. Sanè si mundum muliebrem abiecissent, beati fuissent, at vbi manibus acceptum conspexerunt, in eo adorando miserè sese conficiunt. Hinc virgo cauta in eo, quem Angelum, purumque cognouerat Spiritum, corporalia, carnique concernentia timebat verba, turbata in sermone eius; sic enim cogitabundam, & meditabundam inducit Andreas Cret. Mariam. *Quæ est illa salutatio, aut vnde ingressus, qui nuntium hoc mihi asportauit? Angelum ergo eum censebo? Verùm hominis instar loquitur.* Sic cauta virginitas, adeò puros spiritus amabat, vt vel in ore Angeli verba humana metueret.

Andreas Cretens.

§. XLVIII.

Ab vno Spiritu sancto inhabitante didicit Maria suam integritatem æternare. Vbi de B. Xauerij integritate.

De conceptu monita Maria, & pro virginali integritate solicita, nihil dubitans, sed modum seruandæ in partu, & post incorruptionis requirens, aiebat. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Nouit Angelus Virginis affectum, nouit discipulam parari, quæ æternam incorruptionem edisceret, & protinus tantæ disciplinæ magistrum profert, locutus. *Spiritus sanctus superueniet in te.* Ad hæc D. Bern. hom. 4. *Ac si Angelus responderet ad Virginem. Quid à me requiris, quod in te mox experieris? Sciens scies, & feliciter scies: sed illo doctore, & authore: ego autem missus sum nuntiare virginalem conceptum, non creare, nec potest doceri nisi à donante.* Et quidem non est potestatis Angelicæ, quod virgo doceatur suam integritatem æternare, id ad diuinum spectat magisterium. Spiritus, qui intime illabitur membris humanis, ille ad incorruptionem facit proficere, & immortalitatem. Modo accipe pulcra Ter. ull. verba lib. de Trin. vbi sic loquitur de Spirit. *Inhabitator corporibus nostris datus est, & sanctitatis effector, id agens in nobis, vt ad æternitatem, & resurrectionem immortalitatis corpora nostra perducat, dum illa in se adsuefacit cum cælesti virtute misceri, & cum Spirit. S. diuinæ æternitate sociari. Erudiuntur enim in illo, & per ipsum corpora nostra ad immortalitatem proficere, dum ad decreta ipsius discunt se moderanter temperare.* Ecce qualiter à Spiritu S. ebibunt corpora nostra disciplinam sese æternandi, immarcescibilémque corruptionem conseruandi; vt hinc norint virgines quo doctore possint discere solidam integritatem seruare, dum nimirum ad decreta ipsius discunt se moderanter temperare. Etenim Spiritus S. casta decreta eò spectant, vt viuidam, & æternam seruent virginum incorruptibilitatem. Cauet lex Leuit. 21. *ad omnem mortuum non ingredietur omnino,* & nihilominus Moyses ipse Ioseph ossa mortua secum asportabat. Vbi ergo legum obseruantia? Quasi à Moysis ore respondet D. Isidor. Pelus. lib. 4. epist. 157. dicens. *Non violo, non soluo,* inquit, *legem, sed per hoc ostendo rem ipsam quæ per scripturam, ac verba legis significantur, diligenter esse attendendam. Ego enim eum, qui castitatem coluit, pro mortuo non habeo.* Quippe qui casta diuini Spiritus decreta secutus est, semper viuidam, & floridam edisicit integritatem seruare. Pro quo notandum mihi in primis astat, quod Ioseph iubeat moriturus, vt ossa eius arida ex Ægypto, in patria sepulcra reducantur, verum pater eius Iacob longe aliter cauet, ne corpus emortuum Ægypto sepeliatur. sed carnibus integris transferri statim mauult. Cur ita? Rem pulcrè attingens D. August. lib. 2. de mirab. sacræ Script. cap. 15. ait, *Iacob namque nequaquam externæ gentis seminis, nisi his, quæ de Mesopotamia secum venerant, miscebatur: idcirco ad paternum sepulcrum integro corpore post mortem statim deuehitur. Ioseph verò Assenez Putipharis sacerdotis Heliopolis filiam vxorem accipiens, externo sanguini fuerat immixtus, & ideo post mortem in extraneo terræ limo conditus est.* Sic mille virgines à Spiritu sancto edoctæ, suam integritatem æternarunt, nullam enim videntes corruptionem, integro corpore transferendæ funt in cœlestem patriam. Sic Catherina, sic Cæcilia, sic Beatissimus Indiæ Apostolus Franciscus Xauerius Iesuitarum decor; is sanè vt de Spiritu sancto accepit, quod alienigenarum, & exterorum prouincias peragraret, quin mulierum exterarum vel visui acquiesceret, sic integro corpore, floridisque, & viuidis carnibus in patrium sepulcrum transportatur. Similem huic corporis integritatem in B. Malachia meditatus D. Bernard. serm. 1. meminit illius Pauli ad Rom. cap. 8. dicentis: *habitat in me peccatum.* Sed qualiter in tanto Apostolo peccatum habitaret? Sanè habitabat vt in carcere, non vt in possessione, habitabat, inquam, vt coactus in vinculis, habitat, ne officiat. Idipsum ad mortem in viuido, & integro cadauere transferens, ait: *Sic & mors ipsa manteat quidem adhuc abesse cogitur, sed cogitur non obesse.* Ecce tibi corpora, quæ Spiritus sancti fuerunt habitacula, vt sint eadem Angeli mortis vincula, & carceres. Inhabitator Spiritus docuit membra nostra regnare, & mortis dominari, adeò ipsa mors in membris adsit vincta, adsit captiua, minimè lædens viuidam, & floridam integritatem.

Bernard.

Tertull.

Leuit. 21.

Isid. Pelus.

Genes. 40.

Genes. 39.

August.

Bernard.

Text. Ideò & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.

§. XLIX.

Vterus virgineus Mariæ diuinam prolem arguit.

Virgineum partum vnus verus, & naturalis filius Dei spectat, cuius superemi inentem magnitudinem decet è florido Virginis inuiolato vtero delabi. Pulcrè Theodot. apud Synodum Ephes. hom. 2. de Nat. argumentatur, *cernis quomodo quod natum est Matris integritatem illæsam cōseruauit? Apud rectè ratiocinantes Deus esse vtique cognosceretur.* Quem fructum daret semper floridus vterus Marianus, nisi Deum? Vbi gratissimus diuini parentis hinnulus pascuam inueniret, nisi inter florentia lilia castitatis? Merito de Virgine pariente loquitur D. Zeno serm. 4. de Nat. *Quæ præcipaliter stupet talem se filium genuisse, qui ex se natus non crederetur, nisi quia sicut fuit Virgo incorrupta post conceptum, permaneret talis etiam post partum.* Hac in alma virginitate cubat, & pascitur Dei filius in meridie, quando ex vtero ante Luciferum à Patre generatur, hac eadem cubat in media nocte, quando apud Bethlehem ex Maria nascitur. Nec virginitas aliud, quam Deum pareret; vnius virginitatis est diuinus partus. Non amplius id debebo D. Chrysost. in præsenti apud Metaphrastem sic ab Angeli ore loquenti, *Naturæ errores Domine corrigere, morborum nebulam dissoluere, membra mortua ad vitalem vim reuocare, naturæ percipere, vt gignat, à certis membris sterilitatem remouere, senescentem stipulam ad viridem formam reducere, terram infœcundam statim efficere manipulorum matrem, solitum est tuæ virtutis opus. Testis est Sara, tum Rebecca, post autem Anna, quæ cum graui sterilitatis morbo laborarent, abs te liberatæ sunt. Virginem verò sine virili congressu parere, superat naturæ leges, & præsentiam tuam in puella denunciat, vt quem cœli terráque non capiunt, vterus Virginis comprehendat.* Sic ille: quibus egregiè ponderat virgineum partum, præter omnipotentis brachij efficacitatem, adhuc inducere realem præsentiam nascentis Deitatis.

Theodot.

Zeno.

Chrysost.

§. L.

Maria Virgo quandam sanctitatis speciem dedit Verbo diuino ex se nascenti.

Vrgeo vlterius illud, *quod nascetur ex te sanctum,* & miror quod paruus sanctitatis fons videatur immenso sanctitatis pelago aliquid dedisse. An abyssus ille gratiarum, & splendorum ex Maria natus accepit quicquam? Sanè illum splendorem, illámque sanctitatis accepit speciem, quam ex parentibus sanctis accipiunt filij. Hanc speciem in Salomone suscipiebat Rex ille, cuius epistola ad ipsum sic habet apud Euseb. lib. 9. de Præp. cap. 41. *Rex Vaphres Salomon Regi salutem. Valdè sum gauisus, & festum celebraui diem, tum ego, & copia mea vniuersa, quod regnum à probo viro acceperis, & probato tanto Deo.* Sed ecce plusquam Salomon hic, nempe Mariæ filius, quo nullus sanctior, nec beatior, vtpote qui vltra infinitam gratiam sibi insitam, hanc etiam habet, quod à sanctissima, Deóque gratissima Matre carnem habeat. Vnde meritò Alcuin. sic Mariam affatur, *Vterum tuum, ò Domina, velut sacratissimum Dei templum, totus mundus veneratur. Quia in eo salus mundi initiata est: ibi decorem indutus est Dei filius ac prælectæ sponsæ Ecclesiæ formosus in stola candida exultanter occurrit.* Etenim vterus virginalis nouum decorem, nouámque sanctitatis speciositatem intulit Verbo increato. Sic illi apud Hierosolymam, Christi Domini & miratores, & exceptores prius exclamant Matth. 21. *Osanna filio Dauid,* & immediate subdunt, *benedictus qui venit in nomine Domini:* quasi in illo mirarentur solam sanctitatem, & benedictionem ex benedicta

Euseb.

Alcuin.

Matth. 21.

Dauidica

Cyrill. Alex. Dauidica parente ortam. Quod ponderans D. Cyrill. Alex. in Nestorium, sic salutat Verbi Diuini Matrem. *Salue Mater, & Virgo, per quam is benedictus in Euangelijs nominatur, qui venit in nomine Domini*; vt clareat, quàm iuste Verbi speciositas, & sanctitas spectabilis, quasi accepta Matri referatur. Rupert. Hinc Rup. lib. 1. cap. 11. de operibus Spiritus sancti, sanctiorem Natiuitatem putat in Christo quam in Adamo, ex parte terræ, ex qua assumptus est vterque. Etenim Adamum fecit Deus ex terra nec benedicta, nec sua; verum Christum fecit ex virginali terra benedicta, & sua, iuxta Psalm. 84. *Benedixisti Domine terram tuam.* Ergo à primo homine secundus longè perfectior. An quia ille factus à patre est, hic autem opera Spiritus sancti genitus? Absit: sed quia secundus homo à virginali terra Maria singularem excellentiam accepit, quam non habuit homo primus, *Non ergo melior artifex Spiritus sanctus, quàm Pater, sed melior terra, melior, & diuinæ rationi vicinior materia à Spiritu sancto assumpta est.* Sic ille.

Text. Et ecce Elizabeth cognata tua, & ipsa concepit in senectute sua, & hic est sextus mensis illi, quæ vocatur sterilis, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.

§. LI.

Quàm vtilis Elizabeth cognatio Mariæ.

POtuisset Angelus veteres illas, & steriles fœminas, nimirum Saram, Rebeccam, Annam in exemplum vocare, vt pariturae Virginis fidem astrueret, maluit tamen Elizabeth commemorare, vt Marianis meritis etiam hoc daret, quod sibi fœcunditatem acquirerent, & vicinis cognatis. Rubus ardens incombustus, virginitas Mariana fuit sub partu Dei filij, Nisseno, Bernard. Eucher. Rupert. Theod. & alijs, quos refert Lorinus Act. 7. cap. In quo rubi miraculo illud singulare addit Auctor historiæ schol. quod nimirum non solum rubus ipse flammis correptus, viridis manebat, & illæsus; sed etiam vicinæ herbæ, & plantæ, plus quam ipsa natura ferebat, vegetæ, & hilares videbantur. Quo virginei partus clarius adumbratur miraculum, quando & Virgo diuinis superfusa flammis, intacta fœcundatur in matrem, & eius cognata, & propinqua ad nouum etiam repuerascebat partum. Tantum hoc non dixit Guarr. Abb. serm. in Nat. Ioan. Bapt. sic aiens: *Flumina prorsus de ventre Mariæ fluebant aquæ viuæ, & fons vitæ gratiæ oriebatur de medio Paradisi. Proxima erat fonti Cedrus ista nobilis (Ioannem loquor) ideòque vberius irrigata, in tantum excreuit, vt inter natos mulierum nihil illa sublimius possit inueniri.* Quid aliud diceret perdoctus Abbas de Ioannis matre? iam penè emortuum lignum erat, vetus, & infrugifera arbos; nanciscitur tamen cognationem, & propinquitatem cum Mariano rubo, fuit huic gratiæ fonti cognata, & ideò quæ vetus, & sterilis erat, nouum virorem acquirit, & nouam fœcunditatem. Hanc reddo excogitationem D. Theodoro Studitæ, qui orat. de Nat. Ioan. ait. *Elizabeth matri Saræ gloria æqualis, vel potius superior, vt quæ esset propinquitate coniuncta Dei Matri, ex sterili gignit nō Isaac, qui vocatur Dei seruus, sed Ioannem, qui fuit appellatus Dei verus, & germanus amicus.* Expende illud, nimirum, *vel potius superior*, vt quæ esset propinquitate coniuncta Dei Matri. Hinc enim felix femina vincit superiores in gloria, hinc ditior fœtu apparuit, hinc viguit inter omnes, quia huic flammanti rubo appropinquauit. Non minus eleganti sermone D. Chrysost. notans Zachariam pressum fuisse silentio, cum Elizabeth, & Ioannes exiliunt præ gaudio, hanc illius rei promit causam. *Vir frenatur, & mulier liberatur, Zacharias silet, & Ioannes exilit, solùm enim vidit sterilis Virginem, & Solem animaduertit Lucifer.* Quasi quærenti causam silentij patris, & lætitiæ matris responderet, tantum sterilis vidit Virginem, cur non lætaretur sterilis, quæ sola meruit vt propinquus fœcundam Virginem videret.

Nissen. Bernard. Eucher. Rupert. Guarric. Theodor. Studit. Chrysost.

§. LII.

Subditi ad noua, & insinuata mandata alliciendi sunt, rationibus, & exemplis.

ECce quot argumentis, quot exemplis Angelus adducit Mariam, vt Deo ex illa volenti nasci, obediat, & quidem obedientia Mariana promptior erat, quam vt egeret Angelicis argumētis, nihilominus tamen Angelus vbi Dei mandatum nouum, & extraordinarium nouit, illud rationibus, & exemplis mollire statuit. Sic prælati quoties noua, & insuscita subditis mandant, non sine præmissa ratione id faciant. Consule Exodi cap. 20. ibi dicitur, non occides, non furtum facies, non mœchaberis; at vbi de sabbato feriando præceptum datur, ait: *Septima die non facies opus, quòd in septima die requieuit Deus ab omni opere, quod patrarat.* Quod notans D. Chrysost. hom. 2. ad Pop. ait. *Quare, dic mihi, in sabbato adiecit causam, in eade verò nihil tale fecit? Quoniam hoc quidem mandatum non de principalibus erat, nec per conscientiam nobis exquisitis, sed particulare quoddam, & temporaneum.* Hoc solemne sit omnibus Prælatis, qui velint promptius sua adimpleri præscripta, quod particularia, & noua præcepta, non sine ratione, & causa præmissa suggerant. Porro subditi, qui perfectæ obedientiæ dant operam, id nō expectent, sed ad Dei nutum, vel oculis clausis, nullo rationis examine prosiliant. Sic monebat D. Prosper sent. 286. dicens: *Magna est vtilitas hominis, iubenti Deo etiam incognita ratione iussionis, Deo seruire. Iubendo enim Deus vtile facit, quidquid iubere voluerit, de quo metuendum non est, ne non profutura præcipiat: nec fieri potest, vt voluntas propria non grandi ruinæ pondere super hominem cadat, si eam voluntati superioris extollendo præponat.* Non tamen erit contra rationem obedientiæ perfectissimæ, mandati particularis rationes inquirere, vt inquisiuit Maria, dicens: *quomodo fiet istud?* Enimuerò parata erat etiam in difficillimis, quantum ex se erat, obedire, sed cupiebat modum, & rationem scire mandati. Id quod in obedientia perfectissima licet inuenire. Quando rudes illi, & imperfecti Israëlitæ dicebant Exod. 24. iuxta lect. Sept. *Omnia quæcunque dixerit Deus, faciemus, & audiemus*; quasi in eo suam imperfectionem ostendāt, quod antequam planè perciperent, & intelligerent faciendarum rerum rationes, operi incumberent. De quo D. Basil. in c. 1. Isaiæ, fatur, *Tametsi consentaneum magis erit, vt dicerent: Audiemus, & faciemus. Atque sic legis sensum explere, vel crassissimi cuiusuis est: ceu sunt sabbatum obseruare iuxta corporalem sensum ab edulijs lege prohibitis abstinere, die octauo circumcidi, vt quæ ter in anno in lege apparerent. Horum autem in rationibus dignoscendis spiritualiter incubuisse, viri est iam perfecti, & eius, qui per vitæ curriculum in huiusmodi rerum cognitione sit plurimum versatus.* Itaque perfecti obedientis est, rationes & causas mandatorum exquirere, quibus citius in mandati euolet executionem.

Exod. 20. Chrysost. Prosper. Exod. 24. Basil.

Text. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.

§. LIII.

Mariæ excellentia fuit, quod Deus ab illa carnem sumpserit dante ipsa.

NIhil ex Matre habere voluit Deus quod non libenti, & gratioso animo præstiterit, quasi in hoc maternam dignitatem reuereatur. Id expendebat Guillelm. apud Delrium, Cant. 5. sect. 1. dicens: *Nolebat omnipotens carnem sumere ex ipsa, non dante ipsa; sicut sumpsit ex dormiente Adam, vnde formauit Euam: ad futuræ Matris excellentiam, non tantum ex ipsa carnem sumere, sed etiam ab ipsa volebat.* Igitur hoc vnum in sua incarnatione Verbum exoptauit, ad hoc Angelum misit, qui miraculum explicaret, qui dignitatem, & gratiarum cumulum proponeret, vt Virgo sponte sua libens assensum præstaret. Nemo pulcrius hanc Marianam excellentiam ponderauit, quam Theodotus orat. habita apud Conc. Ephes. aiens, *O Virgo, quæ ipsam vicissti deliciarum Paradisum, illa sine semine, omne plantationis genus protulit; ex virgine terra ortis plantationibus. Hæc autem Virgo illa terra melior est, non enim pomorum protulit arborem, sed virgam Iesse fructum Saluatorem hominibus afferentem. Et illa terra virgo erat, & ista Virgo, sed illius quidem arborem nasci præcipit Deus.* Enim vero inde ponderandum est, quod Paradisus non nisi iussa, præceptoque diuino obligata, germina, & fructus præstiterit, illius quidem, ait, arborem nasci præcepit Deus. At Maria Virgo nullo tracta præcepto, sed sponte sua libens, & voluntaria generando Christo exhibuit vterum. Missurus Dominus Prophetam ad populum, sic loquitur, præsente Isaia. *Quem mittam?* Ad hæc Ambros. Psal. 118. serm. 14. *Vtique seruulo suo poterat imperare, quem dignum, qui mitteretur, inuenerat; sed maluit cum spontaneæ oblationis non fraudare mercede,*

Guillelm. Theod. Isai. 6. Ambros.

mercede, qui vt ipse se efferret præstolatus est, & quamuis eius feret affectum, expostulauit tamen vocem, vt gratia cumularet. Quod si hoc in seruulo expectauit, non miremur idem in Matre expectasse. Præterquam quod magni ponderis est spontanea voluntas qua quis mouetur, vt operis suscepti
Exod. 3. non grauetur sarcina. Ideò Exod. 3. missurus Moysem, ait, *Et nunc veni, mittam te ad Pharaonem*; verum Isaiæ 6. ait, *quem*
Isai. 6. *mittam, & quis ibit nobis?* Ecce tibi Moysi imperat, at Isaiæ nihil mandat, solum prætendit necessitatem, vt ipse sponte
Basil. sua sese offerat. Cur ita? Bene D. Basil. fatur. Quia illic mittebatur Moyses pro bono, ac beneficio in populum conferendo: hic autem ministerium proponitur, ad nuntiandum res parum amœnas, imò permolestas. Quocirca illi quidem mandatum præscribitur, huic autem famulatus legationis in potestate relinquitur; *propterea quod nos homines sic natura comparati sumus, vt quæ semel volentes exequenda elegerimus, quamlibet molesta fuerint, tamen eam operosam molestiam deuoramus, ac perpetimur.* Meritò ergo in potestate, & libera Mariæ voluntate ponitur diuinus partus, ex quo iam per eius animam transiturus acuebatur gladius.

§. LIV.

Egregium Mariæ facinus, quòd libens se offerat tanto ministerio.

IMmeritò carpuntur à Toleto D. Ambros. & Euthym. qui putant verba illa Mariæ: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*, fuisse verba optantis, desiderantisque, imò ex desiderio sese alacriter offerentis. An contrarium hoc virgineæ modestiæ? Recolite semel datos Prophetas, Moysem, & Isaiam, diuinæ œconomiæ candidissima lumina. Ille ad Israëlis clauum vocatus, suæ humilitati consu-
Exod. 3. leos, munus constanter recusabat, dicens Exod. 3. *mitte quem missurus es.* Hic vix Dominum sollicitum animaduertit de
Isai. 6. eligendo ministro, & sese offert muneri tanto cap. 6. *Ecce ego, mitte me.* Vter pulcrius? Vter agit sanctius? De vtroque
Nazianz. sic pronunciat Nazianz. *Bonum est Dei imperium aliquantisper detrectare, vt Moyses ille, & rursus ad vocantem promptè, atque impigrè accurrere, quemadmodum Isaias.* Expeditius huius rei
Nicet. rationem reddit Nazianz. Scholiastes Nicetas, fatus, *Etenim Moyses impari metuens muneri, sibi suæque fragilitati prospiciebat refugiendo. Isaias autem cum remissis sibi peccatis audiuit, cuius proficisceretur ad populum hunc; atque existimaret eam ob causam nuntium quæri, vt pari beneficio fruerentur illi, ad quos mitteretur, præ animi lætitia seipsum offert, vt illis quoque peccata remitterentur. Ecce ego*, inquit, *mitte me. Quare non sine ratione, & ille mandatam sibi prouinciam deprecabatur, & hic cupide ambiebat.* O summè extollenda ambitio, quæ adeo populari saluti studebat! quæ beneficio diuino donata cupide ambiebat munus, quo par beneficium hominibus miseris com-
Hilar. municaret. Hoc ambitu extulit naturã Angelicam D. Hilar. dum paruulos memorans ait, *Periculosè contemnuntur ille, cuius desideria, ac postulationes ad æternum & inuisibilem Deum ambitioso Angelorum famulatu peruehuntur.* Et quidem nihil gloriosius, nihil ambitiosius etiam Angelis, quàm salutem miseris propinare. Et Prophetas, & Angelos quam longissimè ex capite superat ambitio Mariana, quæ sese offerens in ministerium humanæ salutis, ait, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Equidem se gratiosam apud Deum experiens, vt pari beneficio fruerentur homines, oblatum
Hier. 31. sibi Saluatorem ambit. Nonne Hierem. 31. ait. *Femina circumdabit virum?* vbi ex multorum Doctorum calculo, pro *circumdabit*, legendum est, *Femina ambibit virum.* Quod Mariæ singulare est: quando viri cæteras feminas ambiunt, ipsa vna virum ambit, virum, inquam, Saluatorem mundi solicitat, & trahit, vt aurora diem, Apollinem Diana. Vt meritò
Alcuin. exclamat Alcuin. ser. de Nat. Virg. *Sicut Aurora valde rutilans ô Maria, veri Solis splendorem præcessisti, vt verè diem salutis, diem propitiationis à tua claritate initior dignum fuerit.* Talem auroram talis dies, & talem diem talis aurora decuit, tu vide, de quo se magis possit Maria gloriari, an quia auide occurrit, an quia præcucurrit Solem, vt mundo diem salutis initiaret.

§. LV.

Maria ancillæ appellatione, sibi magis Deum deuincit, & arctat.

SVnt qui Mariam à consortio Diuinitatis, à Deiparæ nomine excludebant, eo nixi fundamento, quod ipsa se ancillam appellauerit. O egregij Marianarum virtutum æstimatores! Quia se ancillam dixit, non est mater Dei? non creaturarum Regina? Imo quando se ancillam dabat, & munus matris, & summam rerum a Deo percipiebat. Similiter insaniebant Arriani aduersus diuinum Verbum, quod seruus quandoque diceretur. Quid tunc? ait pulcher-
rimè D. Athan. *Quin & Bersabe, tametsi mater, filium suum, seruum nominat, dum patri dicit, seruum tuum. Deinde Nathan* Athanas.
loquitur, & inter loquendum Salomonem serui nomine appellat. Dauid autem talia audiens, æque filium suum agnoscebat: illi vero ita loquenda non ignorabant cum genuinum filium esse, quin imò vt hæres patri substitueretur, solicitabant, cum illum vt seruum nominarent. Ecce quantum valeat serui compellatio, qua Nathan, & Bersabe regnum filio à patre expiscari conantur. Sic prorsus Maria se dum ancillam nominat, vt Regina omnium, Materque Dei eligeretur, solicitabat: nec vnquam magis Deum sibi attraxit, quam cum se inter abiecta seruitia numerat. Nec miror in Mariana seruitute tantam esse positam gloriam, quando venturi æui felicitatem non aliis titulis ostendit Paulus, nisi titulis seruitutis, &
subiectionis. Ait enim 1. ad Corinth. 15. *Nouissima autem ini-* 1. Cor. 15.
mica destruetur mors. Omnia enim subiecit sub pedibus eius. Cum autem dicat: Omnia subiecta sunt ei: sine dubio præter eum, qui subiecit ei omnia. Cum autem subiecta fuerint illi omnia; tunc & ipse filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia. Ecce vnde extollat pacatissimum regnum Christi, non ex auita inge-
nuitate, sed ex subiectione; quod notans Origen. homil. 23. Origen.
in Matth. ait, *Vide quomodo in omnibus istis nomen subiectionis ad salutem ponitur subiectorum.* Hinc crediderim quod san-
ctissimus Daniel captiuus apud Babylonios, magis æstima- Daniel. 1.
bat humilem illam seruitutem suorum, quàm Regiam prosapiam. Etenim memoraturus regios pueros, tacita stirpe regia, solum ait, cap. 1. *Fuerunt ergo inter eos*, (nimirum inter captiuos, & seruos) *de filijs Iuda, Daniel, Ananias, Misael, & Azarias.* Tacita illorum regia nobilitate, hoc solum meminit, quod fuerint inter seruos, quasi hinc ex seruitute Dei causa suscepta, maxime illorum gloriam exaltaret.
Id notabat Theodoretus dicens, *Cum supra dixerit, impe-* Theodor.
rasse regem, vt eligerentur è stirpe regia iuuenes forma conspicui, & magnitudine decori, & hic personarum nomina posuerit: Tribus Iuda simpliciter mentionem fecit, & regiam cognationem occultauit. Equidem non multi nobiles, sed qui religiosam, & piam virtutis seruitutem præferunt, hi diuinum affectum solicitant sibi.

Textus. Et discessit Angelus ab ea.

§. LVI.

Feminarum colloquia quàm fugienda.

PEracto salutis nuntio, nihil moratur Angelus, sed statim abiit, iam hic docens Christi ministros, quam cauenda
sint illis longa colloquia feminarum. Paulus 1. ad Cor. 11. 1. Cor. 11.
aiebat; *Ideo debet mulier potestatem habere in capite propter Angelos.* Quasi vellet, quod feminæ in contegenda pulcritudine sua non solum humani, sed etiam Angelici conspe-
ctus rationem habeant. Ita planè D. Basil. de Vera Virg. Basil.
explicat Paulum fatus, *Admonet non decere mulierem non modo vllum membrorum cæterorum, verum nec caput quidem temere, indifferenterque nudare. Et quoniam sola, absentibus viris id ostentare consueuerunt, ideo dignitatem aliam præstantiorem viris adiecit: dicens propter Angelos qui vbique præsentes sunt, & omnia quæ geruntur, inspiciunt. Revereatur ergo omnis mulier, sed virgo in primis Angelos, etiam cum domo sola, nullo virorum arbitrio, residet.* Non satis commendata virginum cautela videtur, nisi iubeantur virgines cautæ esse etiam ad Angelorum conspectum: sic eodem modo non satis commendatur virorum apud feminas cauta conuersatio, nisi de Angeli facto. Quando peracto salutis nuncio, non amplius apud Virginem moratur, sed statim festinus auolat. Dei
ministeum respiciebat Isaias, cap. 16. aiens: *& erit sicut auis* Isai. 16.
fugiens. quippe ales tibi aderit placidissimus, téque cantu suo maxime recreabit: sed vbi cantus sui peregit modulos, statim sine mora auolat. Ita Dei minister cum salutis causa, fœminas adire cogatur, peractis breuiter salutis canti-
bus festinet statim euolare. Id docebat D. Isid. Pelus. lib. 3. Isid. Pelus.
ep. 274. dum ait, *Quod si vt cum fœminis congrediaris, necessitas aliqua te obstringat, oculos humi deiectos habe. Cumque pauca quæ ipsarum animos obstringere, atque illustrare queant, locutus fueris, euola.* Crediderim quod ipse Dominus Iesus sic vitam suam

suam compoluerit, vt ad mulieres etiam familiares, sibi deuotas breuissimè verba daret. Etenim ardens illa Dei amatrix Magdalena, dum defunctum Dominum, imò sublatum, Ioann. 20. apud sepulcrum lacrymatur, ait Ioann. c. 20. quod *vidit Iesum stantem, & non sciebat quia Iesus est. Dicit ei Iesus, Mulier quid ploras? quem quæris?* Et inter hæc Magdalena adhuc Origen. non cognoscebat Iesum, cuius rei causam attingens Orig. ait, *Ipse est Iesus qui tecum loquitur, sed fortitan ideo eum non cognoscis, quia tecum loquitur.* Adeo rata erant Iesu cum fœminis colloquia, vt ex eo Magdalena non cognoscat Iesum, nisi eum secum priuatim videat colloquentem. Ad Corinth. scribens Paulus, epist. 1. c. 9. fatur, *Nunquid non habemus potestatem, mulierem sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas?* Habebat sanè ius illum de aliorum Apostolorum exemplo hanc potestatem, qua alimoniæ causa mulierem sororem circunduceret; sed minimè id ausus fuit facere, imo a tali fœminarum consortio longè abhorruit. An quia timeret sibi tantus Apostolus à fœminarum Basil. familiaritate? Ita respondet D. Basil. de Vera virginitate, per ipsa verba Pauli, *Non sum,* inquit, *vsus hac potestate, bonum enim mihi est magis mori, quàm ... sociam meam virginitatis scilicet, vlla inquinet affectio.* O verè Apostolica cautela! eius erat imitator D. Synesius Episcopus Ptolem. Cum Synes. enim naufragus ad insulam appelleret ab incolis terræ amicabiliter exceptus est, sed illæ à fœminis dona afferentibus, quibus famem leuaret, nihil accipere voluit, accepit tamen a viris, de quo ipse fatur epist. 4. *Neque enim libet mihi à mulieribus quicquam accipere, ne cum eis vllum fœdus intercedat.* Iam huc accedit D. Ephrem ser. de compunct. dicens. Ephrem. *Si quis fœminis delectatur, & apud eas alacrem, illarémque se reddit, passionibus prauis destruit, & cum conscientia bellum gerit; sed vero qui auersatur, seque à consuetudine eiusmodi abstrahit, belli molestia liberatur, pacémque cum conscientia retinet.* Hæc ille, & verè. Addendus insuper est Hier. qui quam Hieron. præcipuè sint fugienda consortia muliercularum plebecularum, sic monet epist. 4. ad Rust. Matrem ita vide ne per illam alias videre cogaris, quarum vultus cordi tuo hæreant, vt tacitum viuat sub pectore vulnus. *Ancillas, quæ illi in obsequio sunt, tibi scias esse in insidijs. Quia quanto vilior earum conditio, tanto facilior est ruina.*

CAPVT VIII.

De Maria Elizabetham visitante.

MARIAM Verbo diuino grauidandam reliquit Angelus, & ipsa quam ocyssimè ad montana festinauit, vt viseret cognatam, *non quasi incredula de oraculo, non quasi incerta de nuncio, ... quasi dubitans de exemplo, sed quasi læta pro voto, religiosa pro officio, festinans præ gaudio.* Hæc Ambrosius, cui sufficiat subscribere, vt tantæ Virginis mentem in hac eius præpropera visitatione manifestam faciamus. De ciuitate in quam perrexit virgo; quæ hæc ciuitas sit? Hoc vnum ex Euangelista scio, illam esse sitam in montibus Iudææ, nec amplius vacat diuinare.

Ex Luc. 1. Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione, in ciuitatem Iuda, & intrauit in domum Zachariæ.

§. I.

Verbum cum primum Marianum vterum ingreditur, matrem eo loco ponere curat, vbi maior ei reuerentia exhibeatur.

MAria diuina prole fœta, ea fertur festinatione in montana, vt satis credibile appareat, illam ab Angelis Rupert. fuisse asportatam, quod memini viris doctis placuisse. Præterit Angelos Rupert. & ab ipso Angel... in Domino in montana deduci Virginem admiratur. Sic enim ait: *est Dominum fœmina ... Domini ... in odorem ... ngentorum, & vbi in cu... ad est, ab... tum ... n... in mota ... tus di terre. Trahe me post te.* Etenim nihil prius cogitauit Dominus quàm matrem extollere, & meliore orbis loco, & parte exaltare. Illud maximè decantatum effecit Iesu. Nam ; vix promissam attigit terram, & in primis locum, vbi taberna-

culum fœderis sanctius constitueretur, indagauit, constituitque illud summa veneratione, & sanctitate apud montana Silo. Iosue 18. Rem memorat Iosephus his verbis ... *in vrbe Silunte fixit ... quod is locus propter pulchritudinem ... videretur, in quo tantisper maneret, donec maior commoditas ædificandi templum se præberet.* Sic verus, & diuinus Iesus terrenam ingressus substantiam, deductis Angelorum castris, maternum, & virginale tabernaculum transtulit in montana Iudææ, quod is locus visus fuit idoneus, in quo tantisper maneret, propter pulchritudinem. Equis pulcrior in toto orbe terrarum locus, quam ille, vbi sacri præcursoris parentes florescebant? vbi quercus annosa, & fœtæ Elizabeth, viridantibus foliis, fructuque grauida repuerascit? Vbi Zachariæ arbos magna, & procera vernabat? His mediis pulcritudinibus, & amœnitatibus, Mariam, vt viuidum tabernaculum fixurus Iesus venit, quia nullus locus in orbe terrarum gratior, quia nullus Dei matris æstimationi accommodatior. Me vocat illud ab Ezechiele propositum ænigma Exech. 17. c. 17. vbi ait. *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis, & varietate venit ad Libanum, & tulit medullam cedri, & transportauit eam in Chanaam, in vrbe negotiatorum posuit illam.* Nullus à me inuentus est qui verbum illud *Chanaam*, pro nomine alicuius terræ proprio vsurpet in præsenti, sed pro appellatiuo nomine, quod negotiationem significat. Et merito Cedrorum pulcherrima a monte, vbi parum aut nihilo æstimatur, translata est in locum, vbi floret negotiatio, vbi ditissimi, & oculatissimi negotiatores, & merces solent æstimare, & ex illis immensas sibi comparare diuitias. Iam ergo ænigmatis expositionem afferam, dum coosidero medio in Libani monte, nimirum medio in Hierosolymitano termino arborem illam floridissimam assorgere, Mariam Cedrorum pulcherrimam, ingloriam tamen apud conciues suos, & paruo pretio habitam, sed ecce tibi Aquila grandis, nimirum Verbum Patris diuinitatis caniciem infantilibus membris, plumisque inuentæ carnis renouans, & varians, a paterno nido in terras aduolat, tollit medullam Cedri, hoc est incorruptam matrem, & transportauit illam in Chanaam in negotiationem, in vrbe negotiatorum posuit illam. In loco vbi oculatissimi mercatores Zacharias, Elizabeth, & Ioannes, & dignam æstimationem incorruptæ Virginis præberent, & ex illa maximas spiritualium donorum diuitias compararent sibi. Sanè hanc apud se inæstimabilem mercimoniam nouit in primis Ioannes, qui matris ab vtero sic exclamat apud Chrysost. dicens: *Inquè iam mater qua ... ; ex* Chrysost. *vtero ... solue matutinum, opus est sanguine, ... mundi ... emat, oportet me vgnum eminus ostende e.* Vide ... iam se præbeat Ioannes negotiatorem strenuum, qui iam ab vtero matris emptiones, & venditiones meditatur. Vide quam apud illum æstimabitur Mariæ virginalis maternitas, & quàm benè bne pretioso thesauro negotiabitur, vt ex hoc conijcias, quàm prudens oculatissima aquila pretiosum matris Credrum ad hanc negotiatorum vrbem transferat.

§. II.

Deus humanas mentes in sublime agit.

CVr Maria in montana nnn euolaret? In vtero Deum habebat, qui in sublime leuitat. Pulchrè D. August. August. serm. 1. de Natiuit. ait. *Cum esset grauida Maria, ... ab ... ita plaudebat lumen cum ... quod intra se habebat ... ponderis habere non poterat.* Sæpe in hominum gaudiis visæ sunt ligneæ moles per aera ocyssimè volitare; volitant, inquam, magni ponderis machinæ, sed volitant ex melusi igitis efficacia. quia vt in sublime nititur, sic ponderosas machinas per supernas regiones agit. Hac meote Aug. meditabatur Mariæ per montana ocyssimum volatum, salubri namque leuitate plaudebat, sed quam præstaret lumen vtero clausum, qui nescit, quibus inest morosibus, ad sublimia non eleuare. Qui vnquam homines maiore peccatorum pondere in ima vergebant quam Ægyptij? ... illos Exod. 15. *Submersi sunt qua-* Exod. 15. *si plumbum in aquis.* quo circa Orig. hom. 6. in Exod. ait, *ani-* Origen. *mæ eorum ad talentum ... cedebat ... vitas ... gravata erant, propter quod submer... sunt, tamquam plumbum in aqua vehementi.* Quid plura? grauissimè peccatores, plumbeæ hæ animæ postmodum eas susceperunt alas, quibus æthera tranent. Videres abrupta montium deserta inhospitalia, per totâ Ægyptū non plumbeis, sed alitibus spiriti-

bus plena, qui in corpore quasi extra corpus de cœlestibus solum, viuam agunt. Nonne hæc mutatio dexteræ Excelsi? Sane vbi ignis diuinus infantilibus obuolutus fasciis Ægyptum intrauit, plumbum mutauit in alas, & depressas humi mentes fecit in astra leuitare. Sic D. Hilar. ad c. 2. Matth. inquit. *Con... a quod Ægypty al quando pecuniæ fuerint amatores . ventrem impe... , sed Christi suscipientes ignem in cœlum subitò subuolauerunt.* Alia semper quærat qui igneo Dei spiritu agitur. Quem post receptum ignem Petrus, qui sæpe aliàs mare descendebat in nauibus, Act. 10. *ascendit superiora domus, vt oraret*; iam propter diuinum ignem menti clausum, non placebant illi ima loca, sed totus in superiora ferebatur. Quod meditans D. Cyril. Alex. lib. 9. in Leuit. ait. *Petrus quæ sursum sunt, quærebat, non quæ super terram. Illuc ascendebat, ad illa tecta, ad illa fastigia, de quibus dicit Dominus, Qui in tecto est, non descendat tollere aliquid de domo.* Quasi periculosum sit his, qui igneo Dei spiritu feruntur, non semper studere altis. Hinc est quod Christianos suos Dominus renasci fecit ex aquis, vt cœlestium corporum naturæ associentur, eorúmque cognationem, & proprietatem bibant, quando cœli omnes ex aquis orti sunt. Quod memorans D. Zen. serm. de Iudæis 10. ait, *Genitali vnda submergit, vt cœlestes effecti terram desiderare non norint.* Quo respiciens D. Chrysost. hom. 22. ad Pop. ait. *Si non potes Sol fieri, fias stella duntaxat. Tantum ascende super te tam, incipe æmulari sideribus.* Quasi dicat, vbi eadem, qua cœli, vulua, editus es, ne tu solus degeneres, & inferior fratribus maneas, sequere fraternos volatus, alta pete, sola tibi placeant superna, ne minor sis, vel infima stellula.

Hilar.

Act. 10.

Cyril.

Matth. 25.

Zeno.

Chrysost.

§. III.

Verbum Dei non solum apud florentissimas vrbes, & frequentissima templa, sed per compita, per montana euulgandum.

NEscio an verbi Dei adeò studiosi sint, qui non nisi apud nobilium conuentus, apud frequentissima templa, in vrbibus, de illo verba faciunt. Ecce Dei Verbum virgineo vtero clausum quo se primum deducat, per abrupta montium, per aspera montana, vt vel famelicum puellum cibo salutis satiet. Audio Hieremiam lamentantem Thren. 1. super populi sui ærumnas, & inter alia lugenda, hæc fatur. *Sacerdotes mei, & senes mei in vrbe consumpti sunt, quia quæsierunt cibum sibi, vt refocillarent animam suam.* Non adeò flebile erat, quòd sacerdotes caderent si in arena caderent, si per montium abrupta præcipitarentur, dum lupos ab agnis arcent. Sed planè lugendum est, quod sacerdotes Dei non nisi in vrbe consumantur, quæ consumptio eorum est, qui ex Sacerdotio nil aliud quærunt, quam animã suam refocillare. Vnde statim c. 2. sic ipse Hier. clamat: *Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum: effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini; leua ad eum manus tuas pro anima paruulorum tuorum, qui defecerunt in fame in capite omnium compitorum.* Non pulchrè stratis pulpitis solum insistes, sed percurre compita, perambula plateas, vias, ascende montes, vt verbo Dei famelicos exsatures. Vbi eleganter, & piè D. Pasch. Abb. sic fatur. *Ne sola Dei dilectio sufficere videatur sine dilectione proximi, leuandæ sunt manus & cura impendenda pro paruulis & his qui fame ... Dei periclitantur in capite omnium compitorum. Reuocandi sunt ergo de triuys & platearum exitibus, ex capite omnium compitorum, ad conuiuium, & prandium Domini, ne fame vsque ad finem periclitentur inedia.* Is est omnipotens Dei sermo, qui amat circumferri per triuia, per montana, ne paruulus homuncio Diuini verbi inedia conficiatur. Nec indecorum est Deo per vilia circumduci loca, quando in eis iuuandi sunt paruuli, ait enim Tert. lib. 2. contra Marcion. *Nihil Deo indignum est, quod ... Deo credere* Vnde de Sapientia Incarnata dicitur Matth. 9. *Circuibat Iesus omnes ciuitates, & castella, docens*, &c. Vbi Hier. *Vides quod æqualiter, & vicis, & vrbibus, & castellis, id est, & magnis, & paruis Euangelium prædicauerit, vt non consideraret nobilium potentiam, sed salutem credentium.* De cuius exemplo feruidi Prædicatores per compitorum capita, per triuia, per abrupta montium quærunt paruulos, quos verbi Diuini fructibus exsaturent. Vt dicat Psal. 103. *Super ea volucres cœli habitabunt, de medio petrarum dabunt voces.* quippe cœlestium volucrum est, nimirum sanctissimorum Concionatorum, non solum ab aureis pulpitis templorum, sed à petris compitorum, a montium saxis plenas Diuino verbo voces dare.

Thren. 1.

Thren. 2.

Paschal.

Tertull.

Hieron. in Cat.

Psal. 103.

§. IV.

Maria creaturarum Regni inaugurationem apud montana capit. Vbi quam regium sit benefacere.

REgalem Mariæ dignitatem a Dei conceptu nemo non nouit; sed scire cupis, cur tantæ dignitatis Regina festinet in montana? Quis rex sine inauguratione? Quæ regis inauguratio vbi non saxea moles, seu quercus magna? Abul. 3. q. 36. tot congerit Reges Israelis, ad fontes, ad prærupta saxa inauguratos, vt putet a nemine culmen regium conscensum fuisse, qui inter hæc non fuerit proclamatus. Ecce tibi cur regiam Mariæ maternitatem sequatur in montana festinatio, nimirum vt regni inaugurationem capiat. Similiter Matth. 17. Christi discipulis dicitur. *Quod duxit illos in montem excelsum.* Vbi D. Hier. ait; *duci in montana pars Regni est.* Et quidem pars maxima Regni inauguratio. Quocirca Maria cum Regem sæculorum vtero clausit, ius ad sæculorum Regnum accepit, inaugurãda tamen ferebatur in montana, vbi prærupta saxa, limpidissimi fontes, annosæ arbores, immortale eius Imperium auspicabantur. Vbi sacerdos aderat, vbi plausus, & exultationes felices, vbi salutiferi olei effusio maximè illam omnium Reginam prædicabat. Sane Maria de oleo diuino, quo ipsa plena erat, si totam Zachariæ domum infecit, vt paruulus communi omnium pressus infirmitate, statim prosilierit sanus. Matth. 17.

Hieron.

Quid igitur magis regium, quam omnibus benefacere; omnium infirmitates curare? Prudenter ille apud Isaiam c. 3. se a Regno obeundo excusabat, dicens *Non sum medicus.* At Maria Ioannem a peccato liberat, replet gratia, totamque Zachariæ domum cumulat sanctitate, vt decebat Reginam omnium creaturarum. Iudæi Iesum vehementer accusant, quod se Regem facit, aiunt enim Io. 19. *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris, omnis enim qui se Regem facit, contradicit Cæsari.* Sed quid in se regium humilis Iesus ostentauit? Vnde potuerunt colligere vel vmbram tam egregij mendacij? Sanè vbi eum insignem omnium benefactorem videbant, non sine fundamento regalem eius mentem suspicantur. Pulchrè D. Leo serm. 10. de Pas. ait. *Veruntamen non in totum videatur inanis Iudæorum obiectio: discute diligenter ... quid de Domini operibus notum sit, quid de potestate compertum. Cæcis visum, claudis gressum, surdis auditum, mutis præstat eloquium. Febres abegit, dolores ... mortuos resuscitauit. Magnum prorsus Regem ista demonstrant.* Adeò proprium & innatum est Regibus quod benefaciant, vt non cæcutiant Iudæi, quando videntes Iesum omnium benefactorem, in eo quid regale suspicentur. Vnde B. Synesius lib. de Reg. hæc regibus fatur. *Princeps cum in bonis conferendis liberalitate sit præditus tum nihilo magis ea de re defatigandus est, quam Sol suos in stirpes, atque animantia radios effundens: neque enim lucere laboriosum est ei, vtpote cuius in natura splendor & fons ipse luminis continetur.* Huc reuocarem miraculũ illud, quo Deus significauit prolongandam esse vitam Regi Ezechiæ. Is enim cùm pene animam ageret, 4. Reg. 10. obtinuit à Deo vitæ prorogationem, cuius rei signum factum est in Sole retrocedente, & longiorem diem efformante. Sed cur in Sole regia vita significatur? D. August. lib. 2. de mirab. c. 18. ait. *Conuenienter tale signum Regi in mortis expectatione posito aptissimum euenit, quod Dominus per Solem fieri taliter disposuit.* Eadem enim debet esse ratio & vitæ regiæ, & cursus solaris: quippe sicut Sol nescit sibi viuere, nescit non festinare ad aliorum necessitates, sic Rex velut Sol, velut dies vniuersos subditos festinet illuminare, coadiuuare. Accedit etiam Nazian. orat. in funere Patris, dicens. *Deus simul Regem gratia, & miraculo ornat & dies augmento, diuturnum augmentum confirmat*, vt sibi semper Sol & Regia vita correspondeant.

Ioann. 19.

Leo.

Synes.

4. Reg. 10.

August.

Nazianz.

§. V.

Domestica vitæ seruitia, non contemnenda, vbi opus fuerint, prætextu Deo vocandi.

FEstinationem Mariæ in Zachariæ domum Angeli mirantes, aiunt. *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens.* Hoc in primis mirantur Angeli in Maria, quod longo silentio rupto, quod interrupta quiete, quasi Aurora consurgat. Etenim cum Aurora commitres hominum labores excitantur, seruilia opera incipiunt agitari. Virgil. Æneid. 11.

Cant. 6.

Virgil.

Aurora interea miseris mortalibus almam
Extulerat lucem, referens opera atque labores.

Quisquis

Quiſquis cum Iacob ſub nocturna quiete luctabatur, *Geneſ.32.* Geneſ.32.ſe à lucta excutiebat his verbis. *Sine me, iam enim aſcendit Aurora*; *Interlin.* quaſi diceret iuxta Iocerlinearem: *iam tibi tempus eſt ab inuiſibilibus, & diuinis ad corporalia, & humana negotia tractanda deſcendendi.* Hoc aurora conſurgens ſignificat, vt cuncti mortales operibus incumbant ſeruilibus, vt ſe dedant negotiis exterioribus tractandis. Hoc pulcherrima aurora Maria præmonuit ſuis factis, dum a Verbi conceptu ſilentio, & quiete contemplationis dimiſſa abiit cum *Ildephonſ.* feſtinatione ſeruitura cognatæ. Id notauit D. Ildeph. ſerm.5. de Aſſumpt. fatus. *Porro poſtquam electa eſt à Domino, fœcundata Dei verbo, exurgens de loco, per iter deuium, & abruptam montium veniens vt deferret amicis actualis vitæ laborioſum officium, Zachariæ vatis ingreditur domum.* O vtinam ab hac diuina Aurora excitarentur ad laborãdum mille muliercularum otioſarum examina, quæ prætextu orationi vacandi horrent fuſum, operiſque laborem aſpernantur! Sanè bene conueniunt, & in vna ſede morantur contemplationis otiũ, & labor manuum, nec mens Deo plena diſcit contemnere, & aſpernari laborioſa officia vitæ humanæ. Magnus ille *Exod.3.* Moyſes paſcebat gregem ſoceri ſui, Exodi 3. *apparuitque ei Dominus in flamma ignis.* Quid tunc Moyſes? *Vadam, & videbo viſionem hanc magnam.* *Zeno.* Quæ verba ſic legit D. Zeno, *tranſibo, & videbo viſionem.* Tranſibo, ait, an relinquens ſoceri gregem? An officium paſtoris dimittet, vt viſioni vacet? Imò tunc magis gregi paſcendo operam impendit, cum tantæ viſioni intendit animum. Accipite D. Zenonem in Pſ.118. fantem. *Quid eſt illud, tranſibo? nulla enim locorum internalla diſcreuerant: eodem in loco, & loquitur, & videt. Quid ergo tranſit? tranſit plane corporales curas, & ſoceri ſui oues paſcens, in cæleſtem cognitionem relictis terrenis operibus excedit.* Expende illud, *& ſoceri ſui oues paſcens*, non enim laborioſum paſcendi gregis officium, impedimento fuit, quominus Deo vacare poſſet, ſed Deo intentus actualis vitæ laborioſum officium ſoceri deſerebat. Deſidia eſt quæ nocet pius mentibus, & Deo plenis: labor autem ingentia cumulat bona, *Pſal.127.* quando ait, Pſ.127. *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.* *Drogo.* Quæ verba expendens Drogo lib. de ſacramento Paſchat. ſic loquitur. *Moleſtus eſt labor, ſed fructuoſus; labores manuum tuarum quia manducabis, iam beatus es, & bene tibi erit in futurum.* Quaſi labores neſciant, vel ad momentum eſſe ſine præmio, eſſe ſine fructu; ſic præter ea bona, quæ in futurum afferent, ſtatim in præſenti beatificãt laborantem. Hinc Deus vbi ſeruorum ſuorum mentibus adeſt, nil prius illos docet, quam laborioſis officiis operam *Damaſc.* nauare. Damaſc. vt ad Marianos labores gradus faciat, multus eſt in explicanda Solis creatione; etenim ait. *Prima die creauit Deus cælum, & terram, in cælo finxit corpus ſolare, ſine luce difforme, ne motu quietum, & ſtabile. Verum quarta die acceptam lucem corpori infudit ſolari, & factus eſt Sol. & ſtatim ab accepta luce ſeſe in orbem cœpit rotare, perniciique curſu omnes mundiales plagas illuminaturus euolauit.* Quid plura? Virgineum corpus Mariani affabrè Deus condidit, & ſic pulcherrimum corpus per quindennium manſit quieti vacans: cum ecce tibi luce inacceſſibili veſtitur, dum cœleſtis mulier Solem induit, hoc eſt Deum concipit & tunc ſtatim alite greſſu volat in montana; ſic ſimiliter vbi quis Deo impletur; ſtatim agitur, ne otioſus vacet, ſed vt per varia opera exerceat animum.

Text. Et ſalutauit Elizabeth, & factum eſt, vt audiuit vocem ſalutationis Mariæ Elizabeth, exultauit infans in vtero eius, & repleta eſt Spiritu ſancto Elizabeth.

§. VI.

Maria à Verbo edocta cognatis in primis conſulere nititur.

Diuiniſſimum eſt cognatorum egentium neceſſitatibus accurrere, quam doctrinam à Verbo diuino in primis hauſit Maria, illaque edocta, montibus ſuperatis, Elizabeth *Ildeph.* ad domum feſtinauit. Sic D. Ildeph. ait, *de concepta honorem deferre didicit cognatæ.* Ecce tibi Virgo concipiens increatum Verbum, id in primis didicit, vt cognatis proſpiceret, & illos honoraret. Non id doceret ſpiritus diaboli, ſed *Matth.10.* contrarium: apud Matth.c.10. docens Dominus diaboli furorem in Chriſtianos ait. *Tradet frater fratrem.* *Euſeb.* Quæ verba eleganter tractans Euſeb. Emiſſ. ait. *Non eſt fides in ſeruis diaboli, qui cum non gignat, neque gignatur, non etiam iura propin-*

quitatis ſeruat. Melioris conditionis ſunt qui Dei verbo aguntur, diuinóque inſpirantur halitu, cum enim in Deitate ſit gignens, & genitus, hanc ſuis mentem inijcit, vt ſuum deferant honorem cognatis, illiſque cum neceſſitas tulerit, in primis faueant. Sed iam do Tert qui lib. de carne Chriſti *Tertull.* c.17. eleganter explicuit, quibus fontibus hanc hæreditariam ſiue curam, ſiue incuriam in cognatos à Deo, vel à diabolo accipiamus. *Eua, inquit, nihil concepit ex diaboli verbo? Imò concepit, nam exinde abiecta vt pareret, & in doloribus pareret, verbum diaboli ſemen illi fuit, enixa eſt denique diabolum fratricidam.* Quid aliud pareret colloquio diaboli imbuta? Quid aliud efferret de verbo diaboli, niſi ruinam, niſi excidium omnis cognationis, & germanitatis? *E contra Maria eum edidit qui carnalem fratrem Iſrael interemptorem ſuum, ſaluum quandoque præſtaret. In vuluam ergo Deus verbum ſuum detulit bonum fratrem, qui memoriam mali fratris eraderet.* Qui vix conceptus virginali in vtero, matrem edoceat honorem deferre cognatis. Tanta Maria præſtantior, prima illa hominum genetrice, quod illa de verbis diaboli odium peperit inter fratres, & parricidij ſeminarium. Hæc autem feliciſſima, verbo diuino fœta de conceptu didicit honorare cognatos in montana currens, vt integram cognatorum domum mille donis ditaret. Sed adhuc audax videbitur forſan hoc facinus Marianum quo puella ſeſe tanto itineri dedat diuino fœtu iam grauis. Quippe audax etiam viſum fuit Iacob facinus, cum præter terræ mores, inſperatis paſtoribus, ipſe ſolus aggreſſus fuit tollere putei lapidem vt Rachelis greges adaquaret. Nónne hoc audax fuit factum? Sed ecce qualem excuſationem indicat text. Geneſ.29. *Geneſ.29.* *Quam cum vidiſſet Iacob, & ſciret conſobrinam ſuam, ouéſque Laban auunculi ſui, amouit lapidem.* Vbi eleganter Hugo fatur, *Hugo.* *affectum ſanguinis inaugurauit audaciam.* Etenim vt conſanguineis extremè egentibus quis faueat, laudabiliter audet quæcumque difficilia ſuperare. Annon pro Iobi primogenito funebris eſt il- *Iob 1.* la declamatio in c.1. nimirum: *filijs tuis, & filiabus tuis comedentibus, & bibentibus apud fratrem ſuum ſeniorem. &c.* Vbi expendo illud, apud fratrem ſuum ſeniorem: quod ponderans Olymp. in cat. ait, *Olymp.* *Conuiuium verò exornat, cum illius extructorem fratrem natu maximum fuiſſe confirmat.* Equidem maximum id eſt ornamentum, quando maiores potentioréſque fratres inuigilant minorum cognatorum infirmitatibus.

§. VII.

Qui Chriſto Ieſu inſeruiunt, proximorum commodis inſudant, etiam per humilia opera.

Sic Chriſtus Ieſus afflat eorum animos, quibus adeſt, vt ſuæ quieti parcant, & proximorum ſaluti ſe tradant negotiandæ, vt diſcant non miniſtrari, ſed miniſtrare. Nónne vides Virginem Chriſto plenam, non ad cœleſtia rapi, ſed ad montana mitti, vt Ioannis domui ſalutem afferat? Sic de radiante illa ſtella Magnorum duce dicitur Matth. 2. quod *Matth.2.* *ſtetit ſupra vbi erat puer*; licet enim cœleſtem originem fuerit nacta, non dedignatur dimitti ad ſtabulum vſque, vt hominibus præbeat ducatum. Vnde hanc dimiſſionem propter homines didicit ſtella? Chriſto Ieſu, cui famulabatur. Do pulcherrima D. Max. verba hom.3. in epiſt. nimirum, *Maxim.* *Verè ſtella hæc, dominicæ Natiuitatis miniſtra, quæ tanto eſt Chaldæis abſecuta famulatu, vt inquirendo Chriſto non ſolum eos moneret è cælo, ſed & ducatum illis præberet in terris.* Expendo vnde probet ſtellam verè fuiſſe Chriſti miniſtram, nimirum, quia non ſolùm è cœlis, ſed in terris etiam hominibus ſeruiret. Multi enim ſunt, qui proximis ſubuenire volunt, ſed à puppi, ſed à ſublimi imperij ſolio. Quam alia eſt mens eorum, qui Chriſti Domini ſpiritu afflantur; hi & ab alto fulgent, & humi repunt, vt proximorum incumbant ſaluti. Sic cauetur Leuit. 6. *Leuit.6.* *Ignis in altari ardebit ſemper, quem nutriet ſacerdos, ſubijciens mane ligna ſingulos dies, & impoſito holocauſto, deſuper adolebit adipes pacificorum.* Quibus expendo quod ad oblationem pacificorum, quibuſcum Deo, per Chriſti reconciliationem pacificamur, iubemur ligna miniſtrare, vt holocauſti fornax nutriatur, quia niſi per humilium operum miniſterium proximorum, Deique amorem nutriamus, ægrè, & difficulter cum Deo per Chriſtum habebimus pacem. Sic Berengoſius Abb. ſerm. 11. in *Bereng.* Nat. Conf. fatus, *Quiſquis inter ſe, & Deum vult facere pacem, primitus in ſe gemina dilectionis incenſurus eſt facem: quo tunc Deo dignè de ſe odorem ſuauiſſimum reddit, ſi pro dilectione Dei, & proximi ad humilia quæque ſe ſtudio charitatis inflectit.*

bus plena, qui in corpore quasi extra corpus de cœlestibus solum, vitam agunt. N[illegible]ne hæc mutatio dexteræ Excelsi? Sane vbi ignis diuinus in antris obuolutus fascinus Ægyptum intrante [illegible] mutatur [illegible] & depressas humi mentes [illegible] in altum leuitate. Sic D. Hilar ad c.1 Matth. inquit. [illegible] Alta semper squatat qui ignen Dei spiritu agitur. Quem post receptum ignem Petrus, qui sæpe aliàs mare descendebat in nauibus, Act. [illegible] vt etiam propter diuinum ignem menti clausum, non placebant [illegible] ima loca, sed totus in superiora ferebatur. Quod meditans D. Cyril. Alex. lib. 9. in Leuit. ait. [illegible] aliquid de domo. Quasi perinde [illegible] qui igneo D[illegible] spiritu feruiuntur, non semper studio altius. Hinc est quod Christianos suos Dominus renasci [illegible] ex aquis, vt cœlestium corporum naturæ affocientur, eorúmque cognationem, & proprietatem bibant, quando cœli omnes ex aquis orti sunt. Quod memorans D. Zen. serm. de Iudæis 10. ait, [illegible] Quo respiciens D. Chrysost. hom. 22. ad Pop. ait. [illegible] quasi dicat, vbi eadem, qua cœli, vulua, editus es, ne tu solus degeneres, & inferior fratribus maneas, sequere fraternos volatus, alta pete, sola tibi placeant superna, ne minor sis, vel infima stellula.

Hilar.

Act. 10.

Cyril.

Matth. 25.

Zeno.

Chrysost.

§. III.

Verbum Dei non solum apud florentissimas vrbes, & frequentissima templa, sed per compita, per montana diuulgandum.

Nescio an verbi Dei adeò studiosi sint, qui non nisi apud [illegible] illum conuentus, apud frequentissima templa, in vrbibus, de illo verba faciunt. [illegible] Dei Verbum virgineo [illegible] clausum quo se primum dedicat, per abrupta montium, per aspera montana, vt vel sanctum puel[illegible] lum cibo salutis alat. [illegible] Hieremiam lamentantem Threnis [illegible] super populi sui ærumnas, & inter alia lugendo, hæc fatur. [illegible] Non adeo flebile erat, quòd sacerdotes caderent, si in arena caderent, si per montium abrupta præcipitarentur, dum lupos ab agnis arcent. Sed plane lugendum est quod sacerdotes Dei non nisi in vrbe consumantur, quæ consumptio e [illegible] est [illegible] ex Sacerdotum nil aliud quærunt, quam animâ suam refocillare. Vnde statim c.2. se ipse Hier. clamat: [illegible] Non pulchrè illustrat pulpitis solum testes, sed percurre compita, perambula plateas, vias, ascende montes, vt verbum [illegible] famelicos exsaturer. Vbi eleganter, & pie D. Pasch. lib. sic fatur. [illegible] est omnipotens Dei sermo, qui amat circumferri per triuia, per montana, ne paruulus homuncio Diuini verbi inedia [illegible] conficiatur. Nec [illegible] loca, quando [illegible] 3. contra Marcion. [illegible] dicitur Matth. 9. [illegible] dere. Vnde de Sapientia [illegible] Iesus [illegible] &c. Vbi Hier. [illegible] De [illegible] Prædicatores per compitorum capita, per montana, per abrupta montium quærunt paruulos, quos verbi Diuini fruibus exsaturent. Vt dicat Psal. 103. [illegible] quippe cœlestium volucrum est, nimirum [illegible] natorum, non solum ab aureis pulpitis [illegible] petris compitorum, a montium saxis plenas Diuino verbo voce dare.

Thren. 1.

Thren. 2.

Paschal.

Tertull.

Hieron. in Cat.

Psal. 103.

§. IV.

Mariæ creaturarum Reginæ inaugurationem apud montana capit. Vbi quam regium sit benefacere.

Regalem Mariæ dignitatem a Dei conceptu nemo non nouit; sed scire cupis, cur tantæ dignitatis Regina festinet in montana? Quis rei sine inauguratione? Quæ regis inauguratio vbi non saxea moles, seu quercus magna? Abul. 3. q. 36 tot congerit Reges Israelis, ad fontes, ad prærupta saxa inauguratos, vt pateat a nemine culmen regium conscensum fuisse, qui inter hæc non [illegible] proclamatus. Ecce [illegible] cur regiam Mariæ maternitatem sequatur in montana festinatio, summum vt regni inaugurationem capiat. Similiter Matth. [illegible] Christi [illegible] dicitur. *Quod duxit illos in montem excelsum.* Vbi D. Hier. ait; *ducit in montana pars Regni* [illegible]. Et quidem pars maxima Regni inauguratio. Quocirca Maria cum Regem sæculorum vtero clausit, ius ad sæculorum Regnum accepit, inaugurâda tamen ferebatur in montana, vbi prærupta saxa, limpidissimi fontes, annosæ arbores immortale eius Imperium [illegible] prædicabant. Vbi sacerdos aderat, vbi plausus, & exsultationes felices, vbi salutiferi olei effusio maxime [illegible] omnium Reginam prædicabat. Sanè Maria de oleo diuino, quo ipsa plena erat, si totam Zachariæ domum infecit, vt paruulus communi omnium pressus infirmitate, statim prosilierit sanus.

Matth. 17.
Hieron.

Quid igitur magis regium, quam omnibus benefacere, omnium infirmitates curare? Prudenter ille apud Isaiam c. 3. se [illegible] Regno abeundo excusabat, dicens [illegible]. At Maria Ioannem peccato liberat, replet gratia, totamque Zachariæ domum cumulat sanctitate, vt decebat Reginam omnium creaturarum. Iudæi Iesum vehementer accusant, quod se Regem facit, aiunt enim Io. 9. *Si hunc dimittis,* [illegible] *Cæsari.* Sed qui [illegible] se regium humil[illegible] Iesus ostentauit? Vnde potuerunt colligere vel vmbram tam egregij mendacij? Sanè vbi eum insignem omnium benefactorem videbant, non sine fundamento regalem eius mentem suspicantur. Pulchre D. Leo serm. 10. de Passat. [illegible] Adeo proprium & innatum est Regibus quòd benefaciant, vt non caecutiant Iudæi, quando videntes Iesum omnium benefactorem, in eo quid regale suspicentur. Vnde B. Synesius lib. de Reg. hæc regibus fatur. [illegible] Huc reuocarem miraculum illud, quo Deus significauit [illegible] esse vitam Regi [illegible]. Is enim cùm pene animam ageret, 4. Reg. [illegible] à Deo vitæ [illegible], cuius rei signum actum est in Sole retrocedente, & longiorem diem efformante. Sed cur in [illegible] vita [illegible] Aug. [illegible] 18. ait. [illegible] quippe [illegible] Sol nescit sibi [illegible] ad [illegible] sic Rex velut Sol, velut dies vniuersos [illegible] Accedit etiam Nazianz. [illegible] in funere [illegible] vt sibi semper Sol & Regia vita correspondeant.

Ioann. 19.

Leo.

Synes.

4. Reg. 20.

August.

Nazianz.

§. V.

Domestica vita seruitij, non contemnenda, vbi opus fuerint, prætextu Deo vacandi.

Fest nationem Mariæ in Zachariæ domum Angeli mirantes, aiunt. [illegible] Hoc in primis mirantur Angeli in Maria, quod longe [illegible] rupto [illegible] quiete [illegible] Virgil.

Cant. 6.

Virgil.

Extalo at aeterni [illegible]

Quisquis

Quisquis cum Iacob sub nocturna quiete luctabatur, Genef.32. Genes.32. se a lucta excutiebat his verbis. *Sine me, iam enim ascendit Aurora*; quasi diceret iuxta Interlinearem: *iam tibi tempus est ab inuisibilibus, & diuinis ad corporalia, & humana negotia tractanda descendendi.* Hoc aurora consurgens significat, vt cuncti mortales operibus incumbant seruilibus, vt se dedant negotiis exterioribus tractandis. Hoc pulcherrima aurora Maria præmonuit suis factis, dum à Verbi conceptu silentio, & quiete contemplationis dimissa abiit cum Ildephons. festinatione seruitura cognatæ. Id notauit D. Ildeph. serm.5. de Assumpt. fatus. *Porro postquam electa est à Domino, fœcundata Dei verbo, exurgens de loco, per iter deuium, & abruptum montium veniens, vt deferret amicis actualis vitæ laboriosum officium, Zachariæ vatis ingreditur domum.* O vtinam ab hac diuina Aurora excitarentur ad laborãdum mille mulierculaтum otiosarum examina, quæ prætextu orationi vacandi horrent fusum, operisque laborem aspernantur! Sanè bene conueniunt, & in vna sede morantur contemplationis otiũ, & labor manuum, nec mens Deo plena discit contemnere, & aspernari laboriosa officia vitæ humanæ. Magnus ille Exod.3. Moyses pascebat gregem soceri sui, Exodi 3. *apparuitque ei Dominus in flamma ignis.* Quid tunc Moyses? *Vadam, & vi-* Zeno. *debo visionem hanc magnam.* Quæ verba sic legit D. Zeno, *transibo, & videbo visionem.* Transibo, ait, an relinquens soceri gregem? An officium pastoris dimittet, vt visioni vacet? Imò tunc magis gregi pascendo operam impendit, cum tantæ visioni intendit animum. Accipite D. Zenonem in Ps.118. fantem. *Quid est istud, transibo? nulla enim locorum interualla disceuerant: eodem in loco, & loquitur, & videt. Quid ergo transit? transit plane corporales curas, & soceri sui oues pascens, in cœlestem cognitionem velocius terrenis operibus excedit.* Expende illud, *& soceri sui oues pascens*, non enim laboriosum pascendi gregis officium, impedimento fuit, quominus Deo vacare posset, sed Deo intentus actualis vitæ laboriosum officium socero deferebat. Desidia est quæ nocet piis mentibus, & Deo plenis: labor autem ingentia cumulat bona, Psal.127. quando ait, Ps.127. *Labores manuum tuarum quia manducabis,* Drogo. *beatus es, & bene tibi erit.* Quæ verba expendens Drogo lib. de sacramento Paschat. sic loquitur. *Molestus est labor, sed fructuosus; labores manuum tuarum quia manducabis, iam beatus es, & bene tibi erit in futurum.* Quasi labores nesciant, vel ad momentum esse sine præmio, esse sine fructu; sic præter ea bona, quæ in futurum afferent, statim in præsenti beatificãt laborantem. Hinc Deus vbi seruorum suorum mentibus adest, nil prius illos docet, quam laboriosis officiis operam Damasc. nauare Damasc. vt ad Marianos labores gradus faciat, multus est in explicanda Solis creatione; etenim ait. *Prima die creauit Deus cœlum, & terram, in cœlo finxit corpus solare, sine luce efforme, sine motu quietum, & stabile. Verum quarta die acceptam lucem corpori infudit solari, & factus est Sol, & statim ab accepta luce sese in orbem cœpit rotare, pernicique cursu omnes mundiales plagas illuminaturus euolauit.* Quid plura? Virgineum corpus Mariam affabrè Deus condidit, & sic pulcherrimum corpus per quindennium mansit quieti vacans: cum ecce tibi luce inaccessibili vestitur, dum cœlestis mulier Solem induit, hoc est Deum concipit, & tunc statim alite gressu volat in montana; sic similiter vbi quis Deo impletur, statim agitur, ne otiosus vacet, sed vt per varia opera exerceat animum.

Text. Et salutauit Elizabeth, & factum est, vt audiuit vocem salutationis Mariæ Elizabeth, exultauit infans in vtero eius, & repleta est Spiritu sancto Elizabeth.

§. VI.

Maria à Verbo edocta cognatis in primis consulere nititur.

Diuinissimum est cognatorum egentium necessitatibus accurrere, quam doctrinam à Verbo diuino in primis hausit Maria, illique edocta, montibus superatis, Elizabeth Ildeph. ad domum festinauit. Sic D. Ildeph. ait, *de conceptu honorem deferre didicit cognatis.* Ecce tibi Virgo concipiens increatum Verbum, id in primis didicit, vt cognatis prospiceret, & illos honoraret. Non id doceret spiritus diaboli, sed Matth.10. contrarium: apud Matth. c.10. docens Dominus diaboli furorem in Christianos ait. *Tradet frater fratrem.* Quæ verba Euseb. eleganter tractans Euseb. Emiss. ait. *Non est fides in fratre diaboli qui cum [illegible] neque pignatu; non etiam iura propinquitatis seruat.* Melioris conditionis sunt qui Dei verbo aguntur, diuinóque inspirantur halitu, cum enim in Deitate sit gignens, & genitus, hanc suis mentem inicit, vt suum deferant honorem cognatis, illisque cum necessitas tulerit, in primis faueant. Sed iam do Tert. qui lib. de carne Christi Tertull. c.17. eleganter explicuit, quibus fontibus hanc hæreditariam siue curam, siue incuriam in cognatos à Deo, vel à diabolo accipiamus. *Eua, inquit, nibil concepit ex diaboli verbo? Imò concepit, nam exinde abiecta vt pareret, & in doloribus pareret, verbum diaboli semen illi fuit, enixa est denique diabolum fratricidam.* Quid aliud pareret colloquio diaboli imbuta? Quid aliud efferret de verbo diaboli, nisi ruinam, nisi excidium omnis cognationis, & germanitatis? *E contra Maria eum edidit qui carnalem fratrem Israël interemptorem suum, saluum quandoque præstaret. In vuluam ergo Deus verbum suum detulit bonum fratrem, qui memoriam mali fratris eraderet.* Qui vix conceptus virginali in vtero, matrem edoceat honorem deferre cognatis. Tanta Maria præstantior, prima illa hominum genetrice, quod illa de verbis diaboli odium peperit inter fratres, & parricidij seminarium. Hæc autem felicissima, verbo diuino fœta de conceptu didicit honorare cognatos in montana currens, vt integram cognatorum domum mille donis ditaret. Sed adhuc audax videbitur forsan hoc facinus Marianum quo puella sese tanto itineri dedat diuino fœtu iam grauis. Quippe audax etiam visum fuit Iacob facinus, cum præter terræ mores, insperatis pastoribus, ipse solus aggressus fuit tollere putei lapidem vt Rachelis greges adaquaret. Nónne hoc audax fuit factum? Sed ecce qualem excusationem indicat text. Genes.29. *Quam cum vi-* Genes.29. *disset Iacob, & sciret consobrinam suam, ouésque Laban auunculi sui, amouit lapidem.* Vbi eleganter Hugo fatur, *officium san-* Hugo. *guinis instaurauit audaciam.* Etenim vt consanguineis extremè egentibus quis faucat, laudabiliter audet quæcumque difficilia superare. Annon pro Iobi primogenito funebris est il- Iob 1. la declamatio in c.1. nimirum: *filijs tuis, & filiabus tuis comedentibus, & bibentibus apud fratrem suum seniorem.* &c. Vbi expendo illud, apud fratrem suum seniorem: quod ponderans Olymp. in cat. ait, *Conuiuium verò exornat, cùm illius ex-* Olymp. *structorem fratrem natu maiorem fuisse confirmat.* Equidem maximum id est ornamentum, quando maiores potentioresque fratres inuigilant minorum cognatorum infirmitatibus.

§. VII.

Qui Christo Iesu inseruiunt, proximorum commodis insudant, etiam per humilia opera.

Sic Christus Iesus afflat eorum animos, quibus adest, vt suæ quieti parcant, & proximorum saluti se tradant negotiandæ, vt discant non ministrari, sed ministrare. Nónne vides Virginem Christo plenam, non ad cœlestia rapi, sed ad montana mitti, vt Ioannis domui salutem afferat? Sic de radiante illa stella Magorum duce dicitur Matth. 2. quod Matth.2. *stetit supra vbi erat puer*; licet enim cœlestem originem fuerit nacta, non dedignatur dimitti ad stabulum vsque, vt hominibus præbeat ducatum. Vnde hanc dimissionem propter homines didicit stella? Christo Iesu, cui famulabatur. Do pulcherrima D. Max. verba hom.3. in epist. nimirum, *Verè* Maxim. *stella hæc, dominicæ Natiuitatis ministra, quæ tanto est Chaldæis obsecuta famulatu, vt inquirendo Christo non solum eos moneret è cœlo, sed & ducatum illis præberet in terris.* Expendo vnde probet stellam verè fuisse Christi ministram, nimirum, quia non solùm è cœlis, sed in terris etiam hominibus seruiret. Multi enim sunt, qui proximis subuenire volunt, sed à puppi, sed à sublimi imperij solio. Quàm alia est mens eorum, qui Christi Domini spiritu afflantur; hi & ab alto fulgent, & humi repunt, vt proximorum incumbant saluti. Sic cauetur Leuit. 6. *Ignis in altari ardebit semper, quem* Leuit.6. *nutriet sacerdos, subijciens mane ligna singulos dies, & imposito holocausto, desuper adolebit adipes pacificorum.* Quibus expendo quod ad oblationem pacificorum, quibuscum Deo, per Christi reconciliationem pacificamur, iubemur ligna ministrare, vt holocausti fornax nutriatur, quia nisi per humilium operum ministerium proximorum, Deique amorem nutriamus, ægrè, & difficulter cum Deo per Christum habebimus pacem. Sic Berengosius Abb. serm. 11. in Bereng. Nat. Conf. fatus. *Quisquis inter se, & Deum vult facere pacem, primitus in se gemina dilectionis incensurus est facem: quia tunc Deo dignè de se odorem suauissimum reddet, si pro dilectione Dei, & proximi ad humilia quæque se studio charitatis inflectit.*

Hoc sit ergo omnibus Christi ministris studium singulare, ne sibi solum vacent, sed quouis propriæ commoditatis dispendio, proximorum studeant commoditati. Apoc. 22. dicitur. *qui audit dicat, veni*: vbi D. Greg. hom. 14. in Ezech. fatur, *cui enim iam vox vocantis Dei efficitur in corde; necesse est, vt proximis per prædicationis officium erumpat in voce, & idcircò alium vocet, quia ipse vocatus est.* Post Christi ascendentis in cœlum visionem, sic Christo vacantes Apostolos vrgebant Angeli Act. 1. *Quid statis aspicientes in cœlum?* Quæ verba commentatur D. Athan. orat. 1. in Ascens. dicens, *Quid statis suspicientes in cœlum? Quid statis? mundo miraculum hoc prædicate.* Quasi à Christi Domini intuitu piaculum foret, non currere ad proximos iuuandos.

Apoc. 22. Gregor. Act. 1. Athanas.

§. VIII.

Mariana verba Elizabeth in domo primæuam sanctitatem halantia.

SCire cupis, cur primus Ioannes excepit verba Mariæ, ait enim, *vt audiuit vocem salutationis Mariæ Elizabeth, exultauit infans in vtero eius, & repleta est Spiritu sancto Elizabeth.* Ecce tibi primus Ioannes ad vocem Mariæ exultat, deinde Elizabeth Spiritu sancto repletur. Sed cur primus Ioannes exultat? Ea est natura cuiuscumque antidoti, & pharmaci medicinalis, vt in primis sese armet aduersus humorem, cui maximè inimicatur, illúmque acriter impugnet vsque dum victoria potiatur. Sanè Ioannes in vtero existẽs sub virulenta antiqui serpentis lue, erat marcidus, originali tremens infirmitate, qua nihil Mariæ sanctitati magis contrarium, nihil magis oppositum. Vnde factum est, vt ingrediens Maria domum Zachariæ primum sese in Ioannis maciem armaret, illámque acriter expugnans, puerum donaret integra sanitate, quam ipse saltibus manifestauit. Non longè abest Alcuin. serm. de Nat. Virg. vbi ait, *Tu bellatrix egregia, primò eum, qui primus Euam supplantauit, expugnare viriliter aggressa es.* Ea erat Mariæ sanctitas originalis, vt nihil magis sibi putaret contrarium, quam peccatum originale, ideoque ingressa Zachariæ domum in illud prima emittit iacula, illúdque protinus debellare conatur. Missurus Dominus discipulos ait illis Matth. 10. *Estote prudentes, sicut serpentes.* An iubentur discipuli serpentis astum imitari? Qualiter id faciant, explicat D. Remig. in cat. fatus, *Serpens decepit primum hominem, callidus fuit hostis ad decipiendum.* quippe rubeti se immiscuit fructui, & infirmiorem partem aggressus totum perdidit genus humanum. *Sic vos sitis prudentes, & benedictæ crucis fructu, viuida eloquia parate.* Sola Maria inter omnes hanc induit serpentinam calliditatem, qua de salutifero fructu ventris sui munita, ea verba dedit, quæ infirmiorem naturam, scilicet puerum vtero degentẽ primo inuadunt, & exultante puero, totum serpentis virus manet eliminatum, vt clareat, quam supra serpentem se exaltet, & sanctitas, & prudentia Mariana. Insuper serpens ille fructu, & verbis potens parentes impegit, & vniuersos filios prostrauit. Hæc fructu sui ventris, & verbis potentior, filium Elizabeth vtero clausum tangit, & parentes repleuit Spiritu sancto. Hinc pondero D. Ildeph. serm. de Assumpt. verba in laudem sanctitatis Marianæ prolata in hunc modum, *Rectè arca sacramentorum Virgo Maria fuit, supra quam sane propitiatorium, & Cherubin, hinc inde obumbrantia figurantur; quia Mariæ nullum obrepsit peccati contagium, sed intus omnis custodia Legis, & manna fuit, quod est mirabile Sacramentum, & propitiatio salutis humanæ.* Quibus verbis id ostendit Mariæ sanctitatem maximam, quod Sacramentorum instar, eius verba conferant aliis sanctitatem, & medelam primæui peccati. Nónne Sacramentorum verba conferunt gratiam? Ita vt locuta est Maria, exultauit infans superinfusus gratia, vt merito Maria appelletur Sacramentorum arca. Quo refero Epiph. lib. 3. Hær. c. 79. fantem, *Non permisit Deus Beatæ Mariæ dare Baptisma, non benedicere discipulos, non imperare in terra iussit, sed solam ipsam sanctificationem esse voluit.* Verè vnus Iesus erat omnium creaturarum sanctificatio, & fons vniuersæ sanctitatis. Sed is matrem suam ea sanctitate compleuit, qua videretur non tam sancta esse, quam ipsa sanctificatio, vt merito non instar ministrorum, sed fere ipsorum Sacramentorum instar gratiam halare dicatur. Vide quod de Mariano cadauere meditatur Andr. Cret. hom. de Assumpt. aiens, *Erat in medio illud luminosum corpus Deiparæ, quod Dei verbi totam capiebat plenitudinem. Quod quidem dum videbatur in lecto, vnguenti sanctificationis suaui odore totam perfundebat naturam.* Vt primo dictis respondeant hæc verba, nimirum, *quod quidem dum videbatur in lecto*, &c. reuoco in memoriam illud Moysi diuinitus inspiratum, videlicet, serpentem æneum longo sublatum stipite, qui cum conspiceretur, venenata vulnera ignitorum serpentum à populo Israelitico exsufflabat. Hinc Cretensis ait, quod virginale corpus, *dum videbatur in lecto, vnguenti sanctificationis suaui odore perfundebat totam naturam creatam.* Quasi diceret, dum videretur hæc prudentissima serpens, mortua, medelam, & sanitatem halabat vulneribus ab ignito serpente illatis. Quid visa viua præstaret? Quid cum Dei verbo plena Elizabeth visitauit? Tunc cum cernebatur ingrediens, vel cum sibilus eius audiebatur, sanctificationis vnguento perfundebat totam domum cognatæ, vulneráque antiqui serpentis depellebat à Ioanne.

Alcuin. Matth. 10. Remig. Ildeph. Epiphan. And. Cret.

Text. Et exclamauit voce magna, & dixit: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.

§. IX.

Maria Verbi diuini benedictionem omnium creaturarum propinquissima.

QVam vnica sit Maria Verbi diuini imitatrix, haud obscurè cognoscet, qui illam apud D. Aug. formam Dei compellatam viderit, qui proximè dicta de eius efficacia in sanctificandis hominibus notarit, qui modò Elizabeth sententiam enuclearit. Vidit enim Elizabeth Mariam, vidit, & reuelante Spiritu sancto eius sanctitatis magnitudinem, sic obstupuit, quasi proximè accederet excellentiæ, & magnitudini diuini filij, quod sequenti declarauit præconio, *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Ac si diceret, tua beatitudo, tua excellentia, quàm longissimè superat omnes mundiales virgines; si cui comparanda est, maximè beatitudini, & excellentiæ filij tui, vtpotè Altissimi filij. Eidem beatitudinis ordini cum filio tuo si non par, saltem quantum fas est creaturæ, proximè accedis, soli filio, nulli alij comparabilis. Eliam de nubibus solicitum 3. Reg. 18. commonefecit puer, nubeculam paruam quasi vestigium hominis apparere. Quid est cur nubecula dicatur, quasi vestigium hominis? Ioan. Hierosf. de Instit. Monach. 33. inquit, *Ecce nubecula parua quasi vestigium hominis ascendit in Carmelum, quia Maria in hoc suo spirituali ascensu, non feminam quam imitaretur, sed hominem diuinum habuit exemplum.* Volauit proculdubio super laudes omnium feminarum Maria, omnes creatas perfectiones infirma putauit, & leues, vnius viri solum & maximi, & diuini vestigiis hæsit; cui in excellentiis si qua vnquam creatura potuit, fuit parallela. Rem hanc finiat D. Chrysost. hom. de Natiu. Ioan. apud Metaph. vbi multa à filio in Virginem profecta bona expendens sic pergit, *Merito is quoque qui est natus, matri talia præbuit priuilegia, quæ etiam habuit solus, ea illi quoque soli dedit. Non habuit ipse fratrem ad generationem, neque dedit matri sororem miraculi.* Expendo: quæ enim habuit solus, ea illi quoque soli dedit, quasi Virgo inter omnes personas iam creatas, quam increatas fuerit vnica verbi diuini æmulatrix. Etenim quæ verbum habet solus, ea nec Patri communicat, nec Spiritui sancto; communicat tamen matri, vt nimirum sint nati ambo diuinæ personæ, productores ambo, vt sic pateat, quàm sit benedictio Mariæ benedictionis verbi germana, de quo supra cap. 6. §. 2.

3. Reg. 18. Ioan. Hierosol. Chrysost.

§. X.

Felix qui fructum profert iuxta genus suum. Vbi de Pœnitentiæ fructibus.

MAximam crediderim laudem esse, qua Maria terra benedicta extollitur de benedicto fructu. Namque ex eo maximè honoratur homo à Deo quod primæ conditionis instar & lucem pariat, & fructus iuxta genus suum. Pro quo exhibeo vnum Chrys. hom. 56. ad Pop. sic fantem. Vide quanto nos honore prosecutus sit Deus, tale nobis opus præcipiens. Feci, inquit, ego cœlum, & terram, do tibi etiam creationem. Fac terram, cœlum, nam potes. Qui facit omnia, & mutat, de Deo dictum est: hanc & hominibus potestatem dedit. Feci ego, inquit, speciosum corpus, do tibi melioris creationem; tu bonã fac animam. *Dixi ego, germinet terra herbam virentem, & omne lignum pomiferum; dic & tu, producat ipsa terra fructũ propriũ, & exibit quicquid facere velis.*

Chrysost.

Non

Non magna à nobis petuntur, sed solùm quod instar fœcundæ arboris proprios fructus proferamus. Sed qui sunt *Luc. 3.* proprij? Diuinus præcursor apud Luc. c. 3. peccatoribus inquit, *Facite fructus dignos pœnitentiæ* quæ verba premens D. Ambros. fatur, *Faciat ergo fructum quos potest gratia, & qui debet pœnitentia.* Quippe monstrosa tellus, quæ proprij oblita fructus, nutriat alienos. Benedicta ergo terra, nullo peccati debito infecta, producat gratiæ, & benedictionis fructum, at terra maledicta, peccati spinis consita iuxta genus suum fructum producat, nimirum, pœnitudinem, squalorem. Hinc male audiuit Saul, qui peccator innocentiæ fructum *1. Reg. 15.* parturiebat 1. Reg. 15. aiens, *Peccaui, sed honora me coram* *Gregor.* *senioribus.* Vbi D. Gregor. Magnus, *Saul quia confitetur, & affligi non vult, sed honorari, è regno & Dei beneplacito abijcitur.* Con- *Iob 21.* sultius Iob, vbi de ira Dei se peccatorem agnouit protinus, *Origen.* cap. *To*[illegible]*o capite corruens*, &c. Cur tonso capite? Orig. lib. 1. in Iob fatur, *Totondit comam capitis sui, & cum totondisset procul abijt quidquid ipsi eam aduersarius proiecit. Ecce, inquiens, arbor sum fructifera, omnia quæ superflua sunt à me proijcio, illibatus perfectum fructum afferam.* Et rectè de pœnitentis fructu cogitans, crinium cultum, corporísque abijcit ornamenta; etenim pœnitentium fructus afflictio est, squalor est. Vnde meritò D. Chrysost. suspecta habet ornamenta in pœnitente, quando enim de primis peccatoribus inducendis agi- *Genes. 3.* tur Gen. 3. dicit, *Fecit quoque Dominus Deus Adæ, & vxori eius* *Chrysost.* *tunicas pelliceas.* Id quod ruminans Chrysost. hom. de lapsu hominis ait, *Accipiant indumenta pellicea, vt qui confessi iam delictum fuerant, veniam cultus humilitate perciperent. Ostendit Dominus confessione & deformitate cultus veniam posse facillimè impetrari. Vt enim contumacia est celare quod Deo teste commiseris, sic periculosum est, si splendore cultus animi innocentiam mentiaris.* Equidem sterilis, & infrugifera arbos est pœnitens vestium delitijs affluens, cuius proprius fructus luctus est, *Cyprian.* & squalor. Bene monebat pœnitentem D. Cyprian. lib. de lapsis fatus, *Si quem de tuis charis mortalitatis exitu perdidisses, ingemiscere dolenter, & fleres facie inculta, veste mutata, neglecto capillo, vultu nubilo, ore deiecto, indicia doloris ostenderes. Animam tuam misera perdidisti, spiritualiter mortua superuiuere hic tibi, & ipsa ambulans funus tuum portare cœpisti, & non acriter plangis? non iugiter ingemiscis? Non te vel pudore criminis, vel continuatione lamentationis abscondis?* Sic ille: producat ergo terra fructum suum, terra, inquam, benedicta, benedictionem populorum, terra maledicta luctum, squalorem, mœrorem, & omnia benefient.

Text. Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me? Ecce enim, vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit gaudio infans in vtero meo.

§. XI.

Maternitas Mariana plurimum leuauit fœminarum laboriosa puerperia.

QVæ se mensibus quinque occultabat, quasi fastidia pleni vteri erubesceret, iam exultans conceptam prolem explicat, & incredibili gaudio, suam de conceptu felicitatem exaggerat. Quippe experta est Elizabeth inter conceptus ærumnas, & fœtus fastidia, & timores partus, experta, inquam, est, noua, & inseparata leuamina, quibus Dei-matris præsentiam auguratur, & posthabitis fastidiis vteri, gaudet de consortio tantæ maternitatis, *Vnde*, ait, *hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me?* Sed vnde scis tibi adesse Dei matrem? Puella integerrimam vides, Iosephi cernis sponsam, cur ex hac ad te diuinæ maternitatis opinio dimanauit? Conceptus grauedinem sensit amitti, vteri fastidia vidit reuelari, & puerperium gaudiis perfundi, quod vni tribuit consortio, & præsentiæ diuinæ matris. Etenim ele- *Hesych.* ganter Hesych. hom. 1. ait, *Cum prima virgo concluderetur mo*[illegible]*ob transgressionem infelicis, & ab ea gemitus plurimi prodiuent, omnisque mulier illius causa in dolore esset constituta, & partus omnis propter eam acerbitatem pateretur. Secunda Virgo Maria etiam omnem fœminei sexus repulit; omnémque tristitiam quæ inter partum adesse solet, obstruxit, & nubem desperationis, qua premantur mulieres in partu, dissipauit: & lumina lætitiæ apud contribules* [illegible] *fecit.* O vnica, & vera Lucina Maria, quæ Deum pariens, cunctas honoras matres, cunctisque parientibus præiendis lætitiæ faces. Quæ mulier vterum de coniuge plenum erubescat, quando videat puerperij habere consortem Dei matrem? Quæ coniux fastidia conceptus non tolleret, dum noscat se vna cum Deipara, matris insigniri vocabulo? Hoc diuinæ matris consortium vt haberet, quibus se periculis non opposuit Thamar? Ea Gen. 38. vt à socero suo Iuda semen acciperet, *operuerat vultum suum ne agnosceretur;* at post conceptum, minimè erubuit tumentem vterum manifestare, ait enim textus: *nunciauerunt* *Gen. 38.* *Iudæ dicentes, fornicata est Thamar nurus tua, & videtur vterus illius intumescere.* Cur quæ faciem primo occultauit, postea de feminarum astu, minimè occultat tumentem ventrem? Sanè sic de consortio Christiferæ matris, quam sperabat, gloriabatur, vt omnia pericula à tumente vtero profectura facilè contemneret. Huc spectans D. Zeno serm. de Iuda, ait: *Zeno.* *Thamaris nostræ cum processu temporis, procedit & vterus. Mirum profectò mysterium videte, quæ celauerat faciem, non celat ventrem.* Conceptum erubuit, in quo quam longissimè absimilis fuit Deiparæ Mariæ, & non celat ventrem, quando se in illa familia fœcundam vidit, in qua Dei mater tumidum vterum gestatura erat. Accinisse videtur Theodor. q. 94. in *Theodor.* Gen. vbi Thamaris honestatem etiam in incestu ponderans, ait: *Nec enim postea vel Iudam vel alium quempiam attigit, sed contenta fuit vocari mater eorum, qui ex illo semine Abrahamidum nascerentur.* Inde enim mater Dei futura, tristitiæ fontem, quæ inter partiendum adesse solet, obstruxit, lætitiæ lumina apud contribules suas coruscare fecit, qua exultantes pergerent ad partus, per quos Deiparæ matris consortes haberentur. Igitur Elizabeth vbi pro tristitiæ fonte ab antiquo serpente, mulierum conceptibus, & partubus inseminato, totam se cum prole sensit perfundi lætitia, optimè colligit, & celebrat præsentiam Dei matris. Mirabar aliquando cuiusdam Alconis decantatissimam in iaciendis sagittis dexteritatem. Huius filius cum viridanti in rus cespite cubaret, somno sepultus, per roscidas herbas elabitur anguis, pueri nudum pectus ascendit, ibique securus sese multos plicans in orbes, insedit. Tum ecce tibi Alcon, qui erat adolescentis pater, aduenit, videt simul filium, & eius pectori cubantem serpentem. Proh dolor! obstupuit, ast animosior factus, arcum aptat, sagittam dirigit, illamque ea dexteritate eiaculatur vt serpente confosso staret ferrum, solùmque excitaret iuuenem, gaudentem se à tali fuisse periculo liberatum. Vnde Alconi iam felix dexteritas? Quæ ars illi fuit, vt in pectore pueri, confosso angue, ipse viuus exultaret, & lætus? Pulchrè Manil. lib. 3. *Manil.*

Ars erat esse patrem, vicit natura periclum,
Et pariter iuuenem, somnóque & morte leuauit.

Haud alia subiit, vt credo, Elizabetham cogitatio, vidit prolis in pectora cubantem serpentem illum vectem peccati originalis, vidit serpentinos halitus in parituris feminis conseruari. Et simul sensit ad Mariæ gressum, quidquid serpentis erat, abiici, & omnia de lætitiæ lumine coruscari, cuius hæc dexteritate fierent? qua arte, tanta eiicerentur mala? Sanè ars erat esse Dei matrem. Mater Dei adfuit, quidquid serpentis erat in parituris, ad meliorem conditionem transtulit.

§. XII.

Christus Dominus amat solùm sentiri beneficijs.

ECce adhuc Saluator, materno ab vtero clausus tenetur, & occultus, & illum produnt beneficia in Ioannem profecta. Ait enim eleganter Ambros. *Cito euentus Mariæ, & Dominicæ præsentiæ beneficia declarantur. Nam sequitur. Et factum est, vt audiuit salutationem Elizabeth, exultauit infans in vtero eius. Vocem prior Elizabeth audiuit, sed gratiam prior Ioannes sensit.* *Ambros.* Ioannes, inquam, prior sensit diuinæ præsentiæ gratiam, quando hic est Saluatoris mos æternus, vt potius sentiatur beneficiis, quàm cernatur obtutibus. De illo ingrediente mundum verba fecit Paul. ad Titum c. 3. *apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris.* *Ad Tit. 3.* Quid ô Paule apparuit? apparuitne Saluator? apparuit potius benignitas, & humanitas Saluatoris. Quo respiciens Ambros. epist. 86. fatur, *Ambros.* *Hæc est Saluatoris pietas, vt intermeatur saluti, ac non se prodat aspectu, sentiatur beneficijs, & non sentiatur obtutibus.* Equidem beneficia primo Saluatorem produnt, non oculi, amat enim suam personam latere, & sua publicari beneficia. Io. 1. *Ioann. 1.* dicitur de Verbo, *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum.* Quippe in Saluatore, & erat ipsa vnda substantia, & erant beneficiorum lumina: tunc subdit, *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes, hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine.* De quo eleganter dubitat Orig. *Origen.* tom. 5. in Ioann. inquiens, *Quæro cur tandem cum Ioannes*

missus à Deo, venerit ad testificandum vt testificaretur de lumine, non etiam venerit, vt testificaretur de vita? Sanè in verbo, *& vita, & lux erat;* cur ergo Ioannes solùm testatur lucem, & non vitam? An quia Saluator sese abscondit, tantúmque velit dignosci per beneficia? Ita Orig. ait, *Homo ergo nullus qui venerit, testificari poterat de vita etiam non abscondita cum Christo in Deo.* Is est proculdubio Saluator, non qui lapidem mittat, & manum abscondat, sed qui sese abscondat, & è manibus beneficiorum lumina effundat. Quam aptè D.

Chrysost. Chrysost. inducit Ioannem calcibus, & saltibus in vtero matris sic fantem, *Inique facis, ò mater, quæ tardas, Prophetam gestas in vtero, contines militem Regiæ prædicationis. Lux adest, solue matutinum, Sol oritur. prius lucebit Lucifer, in foribus lux est, & voce est opus.* Vt matutinum de sola luce Solis, non de obtutu coruscat, sic Ioannes non de facie Saluatoris exultat, sed de beneficiis.

§. XIII.

Quàm semper Dominus sit salutaris paruulis.

CVr ibi non Dominus, vbi infans exultat adhuc in vtero matris? Plane bonus est semper Dominus, & salutaris infantibus, quibus omnia erunt felicia si Deus adsit.

3.Reg.19. Elias 3.Reg.19. vt Deum videret, prius terribilia quædam est passus, prius venit ob oculos, *Spiritus grandis, & fortis, subuertens montes, & conterens petras ante Dominum: non in spiritu Dominus. Et post spiritum commotio: non in commotione Dominus. Et post commotionem ignis, non in igne Dominus.* Quid

Ioan.Hierosol. plura? Ioan.Hierosf. de instit. Monast. c.18. existimat per spiritum fortem conterentem petras signari Azahelem, per commotionem autem explicari Iehu, qui domum Achabi

4.Reg.2. eradicauit, per ignem, Elisæum dici, qui 4.Reg.2. illudentibus pueris duram per vrsos intulit stragem, *Nec mirum,* ait ille, *si pueris illis hoc accidit; nam sequitur non in igne Dominus.* Vbi Dominus adest, non sæuitur in pueros, imò omnia læta, & iocunda accidunt infantibus. Hæc illa notissima Dei vox est, sinite paruulos venire ad me, inde suam commen-

Tertull. dat, & exaltat bonitatem, vt rectè dicat Tert. lib.4. contra Marcionem, loquens de Deo. *Quia verò bonus adeò diligit paruulos, vt apud Ægyptum benefecerit obstetricibus protegentibus partus Hebræos periclitantes, edicto Pharaonis.* Vnde D.

Paschas. Pasch. lib. de Sacramento corporis Christi c. 15. vt probet Eucharistici panis gratia infantes paruulósque ditari, expendit quod ipse Dominus per se distribuat gratias diuini conuiuij, ait enim. *Licet Sacerdos benedicat: ipse Dominus est, qui benedicit, & frangit. Vnde in Exodo ad Aaronem, & filios eius, Inuocabitis nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eos. Sacerdos ergo inuocat, sed ipse benedicit, & frangit, quia nisi ille frangeret hunc panem, paruuli omnes ieiuni remanerent. Hinc quoque Propheta suspirans, quia necdum venerat Christus, aiebat in lamentationibus suis, Paruuli petierunt panem nec erat qui frangeret eis.* Euge, euge, ô vos paruuli. Magno vestrum omnium bono Christus adest; adest inquam Christus vt ex infantis, & paruuli colligitur saturitate. Non enim lætitiæ panis ad paruulum Ioannem perueniret, ni Christus adesset in vtero matris, cuius bonitatis proprium est, consulere paruulis, vt infra etiam dicetur lib.3.cap.5.§.3. & alibi.

§. XIV.

Scenici à diabolo instituti aduersus Sanctos.

NOnne vides Ioannis in vtero præproperam lætitiam, qua gestit, qua saltat? Sane vbi hyemali bruma nimium matutini prosiliunt solis radij, nigram solent indicare tempestatem. Ideò suspecti mihi sunt hæ Ioannis antelucanæ exultationes, & nimis festini saltus, & si diuinare licet, iam inde Ioanni exitiales saltationes in vitæ fine auguror. Iacobi, & Esau insensum bellum etiam pueri ab vtero signabant, Gen.25. de quibus dicitur: *collidebantur in vtero.* Vbi Symmachus, *in superficie* [illegible] *bantur.* & apertius Scholiastes ait, *collu*[illegible] Sed nescio quo diuino mysterio

Ambrof. S.Ambrof. lib. de Isaac c 4. ex Græco reddit *exultabant*, &

August. D.August. q.72. in Genes. posuit, *gestiebant*, quasi per antelucanam exultationem, & gestientem lætitiam, futuros sanguineos conflictus significarent. Sic Ioannis in vtero exultatio, & gestientes saltus, an inde portendunt sanguineos saltantis puellæ gestus, Ioanni exitiales? Et cui sancto, & pio viro scenicus saltus non extitit exitialis? Crediderim à diabolo inuenta tormenta, vt suam ostenderet in homines crudelitatem, at ludi scenici, & choreæ inuentæ ab eodem, vt perdat Sanctos. De Herodiade saltante dicitur Marc. 6. Marc.6.

quod *placuisset Herodi.* Vbi eleganter D.Fulgentius ait, *Ecce* Fulgent.

iam diabolo procurante, ludens cæpit delectare puella, ad hoc solum, vt possit occidere Prophetam. Nullum non mouit lapidem diabolus, vt Ioannem à viuis tolleret, sed omnia machinamenta ei extiterunt vana, quippe Herodes Ioannem reuerebatur, & libenter eum audiebat. Quid tunc diabolus? Saltationem instituit Regi gratam, qua sola posset occidere Prophetam. O quam salutaris illa Clem. Alex. in adhor. Cl.Alex.

ad gentes vox, qua a Syrenarum cantibus humanas mentes arcet, aiens. *Prætereunaiga, cantus mortem operatur.* Sciolus ille Babyloniorum Rex, Dan.3. aureæ statuæ adhibuit om- Daniel.3.

ne genus musicorum, vt quos non flexisset ignis fornacis, saltim cantibus eneruarentur, vt adorarent statuam. Ait enim: *In hora qua audieritis sonitum tubæ, & fistulæ, & citharæ, & sambucæ, psalterij, & symphoniæ, & omnis generis musicorum cadentes adorate statuam.* Non verò diabolus opponeret efficaciora arma sua ad perdendos Sanctos, si non produceret scenicos hos cantus. De quo D.Chrysost. hom.4. ad Popul. Chrysost.

fatur. *Vidisti quam difficilia certamina parata sunt, & quot insidiarum necessitates, & quam profunda vorago, & præcipitium vtrimque? Sed ne timueris. Quanto magis machinamenta inimicus auxerit, tanto magis puerorum fortitudinem demonstrat. Propterea tot musicorum consonantia, propterea caminus ardens, vt & voluptas, & timor assistentium animas obsideret. Asper astantium quispiam est & rigidus? Molliat ipsum.* inquit, *delectas omnisona musicæ melodia.* Heu perniciosa dæmonis arma! Felix qui in his aureis poculis venenum nouerit pertimere.

§. XV.

Pugnacissimus est Ioannes pro tutanda castitate.

AD Virginis vocem, exultat adhuc in vtero existens Ioannes, quasi iam inde pro castitate tutanda in certamen prosiliat. Sic de Virgiliano calculo, ad militarem audaciam refero illud *exultauit;* ait enim ille Æneid.2.

Vestibulum ante ipsum, primoque in limine Pyrrhus
Exultat telis, & luce coruscus ahena.

Ioannes ergo ad castissimæ Virginis vocem sic afficitur, vt quasi luce coruscus ahena, nouus Christi miles ad castitatem tutandam telis exultet. Nec mireris, quod maternus vterus non detineat exultantem militē pro castitatis certamine, quando nec cœlum ipsum, pacis locus, eundem potest continere, quominus in castitatis hostes prosiliat. Vnus id luculenter attigit D.Basil. ad Virginem lapsam inquiens. Basil.

Ioannes verò Baptista suspiria duxit, quod non potest relictis supernis conuersationibus, quemadmodum tunc solitudine, ad redarguendam iniquitatem [illegible] *& si quid pati oporteret, caput potiùs, quàm dicendi libertatem amittere. Imò ad beati Abel similitudinem etiam ipse mortuus loquitur, clamat adhuc altiùs, quam de Herodiade vociferatur illud, Non licet tibi habere eam.* Proh inclytus castitatis athleta, quem nullus auocat locus à certamine, qui excitatus in vtero voce Virginis, & mortuus, & in cœlo existens cuperet defensionem castitatis sæpè in arenam prosilire! Dicebatur Ioannes Luc. 1. ven- Luc.1.

turus *in spiritu, & virtute Eliæ*, sed ecce plusquam Elias existit, irata enim Iezabel, Elias 3. Reg.19. *timuit, & surgens* 3.Reg.19.

abijt quocumque eum ferebat voluntas. Quò non fugeret Elias ab irata Regina mortem, crucémque minitante? Pulchrè D.Fulg. serm. de Ioan. decol. ait. *Elias Iezabel Reginam passus* Fulgent.

est inimicam, quam dum fugit totam vitam suam in fuga contriuit. Cuius tantum timuit gladium, vt viuus fugisset in cœlum. Itaque Elias viuus sese in cœlum reciperet, quo a Reginæ furore permaneret securus. Animosior proculdubio Ioannes, qui vellet etiam cœlum relinquere, vt castitatem aduersus furentes Reginas propugnet. Qui etiam mortuus, & in pace requiescens adhuc clamat, & vociferatur illud, *non licet tibi habere ipsam.*

Text. Et Beata, quæ credidisti, quia perficientur in te ea, quæ dicta sunt à Domino.

§. XVI.

Nunquam sine affectu inueniri potuit Mariana fides.

MVlti sunt in extollenda Mariæ fide, quæ Abrahami filia, Abrahami longe superauit fidem. Sanè Mariæ puritas, humilitas, & integer omniū virtutum chorus, Deū maximè

maximè allexit, deliniuit, inescauit. Verum omnes hos affectus in Maria validissimos effugit Deus per quindecim annos, potuitque illis resistere: ast vt nobis medijs his virtutibus innotuit fides Mariana, statim a sinu Patris extractus filius ad vterum fidelis Virginis aduolauit. Enim vero magna fides nescit effugi, nescit frustrari. Ausus est fidelis Abraham immensæ Dei maiestati offerre paruum, & rusticum hospitium, cuius paruitatis conscius Deus, nihilominus apud fidelem virum hospitatur. Quod ponderans D. August. serm. 68. de tempor. ait: *Licet illa minora fuerint, quæ exh[illegible] antur locorum angustijs, magnitudinem dederat fides, quæ contemni non debuit à Deo.* Et cur contemni a Deo pateretur fides, quæ vel renitentibus naturæ legibus, semper suis potitur optatis? Id animaduertit D. Zeno lib. 2. serm. 5. de Abrahamo, & Sara sic loquens: *Quia vtrisque ætas ademerat spem sobolis pignus succidaneum meruerunt. Sic meruit fides, quod ademerat tempus, extorsit credulitas quod natura negauerat.* Nullam equidem nouit fides repulsam pati, ad omnia audet quasi iam præ manibus habeat. Notate Gen. 28. gemellorum in Thamaris vtero existentium historiam, ait enim text. [illegible] *iamse partu apparuerunt gemini in vtero: atque in ipsa effusio[illegible] infantium, vn[illegible] protulit manum.* Quid audacius? Adhuc in vtero existens, ante caput prætendit manum. Sanè is erat populus fidelis, qui fide viuens, non potest non habere omnia optata præ manibus. Quò spectans Theodor. q. 95. inquit. *Ante legem fuerunt etiam plerique pietatis alumni secundum fidem viuentes. Quocirca Zara tale vitæ genus demonstrans, ma[n]um porrexit* Nullo enim signo clarius demonstraretur hominum secundum fidem viuentium præstantia, quàm porrecta manu, vtpote, qui omnia felici conficiant manu. Huc reuoco Gedeonis fidem Iud. 6. cui timore confecto, viribus fracto apparuit Angelus, & ait. *Dominus tecum Fortissime virorum.* Ad quem ille. *Si Dominus nobiscum, vbi sunt mirabilia eius, quæ narrauerunt patres nostri, atque dixerunt, De Ægypto eduxit nos Dominus.* Ad hæc Angelus Dei respondit. *Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israel de manu Madian.* Sed quæ erat hæc Gedeonis fortitudo? Ipse timore perculsus potius imbecillitatem, quam fortitudinem referebat, vbi robur, vbi fortitudo ad tam infensos hostes repellendos? An fortitudo in eo, quod credens Dei gesta, eius magnalia memorabat? Hoc meritò placuit Theodoreto, quæst. 12. vbi ait: *Memor erat Gedeon mirabilium Dei [illegible] de Deo habebat opinionem, & meruit audire ob Angelo, P[illegible] fides huius. & vince.* Vbi fides, ibi fortitudo, ibi manus valida, qua hostes detriumphet, prædamque capiat. Insuper mittitur Daniel in Leonum lacum Regis Satrapis. quibus inuitus Rex annuit, quòd crederet Danielem a Deo suo posse liberari. & licet procurata fames Leonum auidissimè expectasset pascua: tamen subito ad escæ præsentiam, quilibet Leo fit Tantalus. Quid plura? Audi Tertull. aduersus Gnost. *Danielem statim vtique con[illegible] vsitata teritas Leonum deuorasset. si Duro digna peculi[illegible] de Deo falli potuisset.* Quid pulcrius? Tanta est certitudo, qua fidem Virgineam non fallendam Elizabeth auspicatur, dum ait: Beata quæ credidisti, quia perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino: etenim à Deo magna fides nequit repulsam pati. Vnde D. Ildeph. serm. 7. de Assumpt. sic Angelum memorat dicentem ad Virginem. *Non expa[illegible] as partum Virgo, nec metuas, nec multum sis in exparto formidine, tantum crede, & concepisti.*

August. Zeno. Genes. 28. Theodor. Iudic. 6. Theodor. Daniel. 6. Tertull. Ildephons.

CAPVT IX.

De Maria Deiparæ cantu apud Zachariæ domum.

VISA Maria exultauit Ioannes, cuius exultatio tota effusa est in Marianas laudes decantãdas, quasi vniuersi gaudij sui & Deum, & Dei Matrem recognoscens authores. Superior Maria gaudiũ quo eius spiritus perfundebatur, vni Deo & Saluatori, Dominatori acceptum decantat. Quasi diceret Maria, vos cognati exultationis, & lætitiæ vestræ quasi auctricem me laudibus magnificatis. Felix ego quæ nulli creaturarũ refero acceptum meum gaudium. Exultat planè animus penè impar magnitudine gaudiorum & gratiarũ, id tamen vni Saluatori meo, Dominatorique omniũ, debitũ recognosco, quare vnum, & solum intimis animi mei medullis magnifico, & laudo. Vnde,

Text. Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.

§. I.

Deus ea magnitudine, qua fulget in cœlo, apparuit in Virgine.

ELeganti ratione probat Theodotus Ancyræ Episcopus, Mariam ampliorem, & excelsiorem esse sedem magnitudini Dei ostendendæ, quàm cœlum ipsum. *Sed vbi[illegible], inquit, magis decebat, vt cœlum ipse incoleret? Sed intelligentis animæ excellentiam considerans, venustámque humani corporis constitutionem contuens, vnum hoc animal ceteris dominari, ac imperare posse demirare. Iam dic obsecro, vter præstantior est, seruusne an dominus? necessitatis iugo subiectus, an ab omni necessitate immunis?* Proculdubio regia hominis mens capacior est, vt illa magnitudo diuina exhibeatur, quam in amplissimo, & fulgentissimo cœlo. Hoc vnum ab humana mente requirere, quod vni & soli Deo se pandat, & cœlo melius summam Deitatis magnitudinem capiet. Quod noscens virgo aiebat: *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* Omnia ignoro creata, vni Domino, & seruatori animam, mentémque pando, & ecce tibi in anima mea, in vtero meo sub omni sua magnitudine claret, quia solus ibi capitur. Hanc Marianam gloriam Isaias cap. 33. speculatus aiebat. *Oculi tui videbunt Hierusalem ciuitatem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit. Nec auferentur claui eius in sempiternum, & omnes funiculi eius non dirumpentur: quia solum ibi magnificus est Dominus.* Etenim vbi solus Dominus est, qui dominatur Marianæ mentis, magnificatus apparet. Id quod clariùs ostendunt Sept. cum legunt. *Quia nomen Domini magnum vobis.* Hoc est iuxta D. Cyrill. quia nomen Domini secundum suam magnitudinem sibi splendet, & sicut in amplissimo cœli spatio demonstratur. Hinc pulcherrimè D. Theodorus Studita serm. in Ioan. ait de Verbo diuino. *Qui est super omnia, & in sinu Patris manet, nescientibus alijs igneis ministris, tanquam aliud cœlum ingressus, in vterum semper Virginis Mariæ se patefecit.* Expendo quod altissimus Dei filius se ipsum patefecerit ingrediens Virginis vterum, quasi aliud cœlum ingressus. Sanè non ibi minos spatium magnitudini ostentandæ, aperiendæque adinuenit. Vt vel sic pateat, quàm doctè magnus Hilar. homil. 1. de Ascens. magnitudinem Dei nascentis è Virgine confert cum magnitudine eiusdem ascendentis in cœlum, dicens: *In illo die virginalis templi, in hoc cœlestis regni secreta patescit.* Enimuerò sicut magno sublimique Deo ascendenti campagum cœlestium magnitudo, mutorúmque sublimitas patuerunt, sic nascenti magno, sublimique Deo amplitudo apparuit templi virginalis, vbi sub tam incredibili magnitudine se Deus recepit.

Theodot. Isai. 33. Cyrill. Theodor. Studit. Hilar.

Text. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.

§. II.

Abiectiones, & contemptibilia mundi indigentes gloriæ fructus pariunt ex Deo.

MEritò ancillulæ vilitati, & abiectioni tribuit Maria quos fructus se ex Deo parturiri præsensit. Is enim est diuinus oculus, qui de stercore sublimitatem educat pauperum. Exodi 26. dixerat Dominus, *respiciam super vos, & augebo vos.* Quorum verborum explicationem pulcherrimè tractans D. Cyril. Alexand. lib. 16. in Leuit. ait: *Respiciam ergo inquit, & augebo vos, tanquam si Sol respiciat segetem et offerat fructum* Quippe ad Solis aspectum virides efflorescunt campi, sed citò marcescentibus floribus, nullus inde legitur fructus: at verò seminibus arua sata, & luto, siue stercore horrida de solis aspectu mille parturiunt segetes, mille dant agricolis vsuras laborum. Sed omnis carnis gloria, superbus, & aureus splendor, sicut flos agri, diuinis sub obtutibus marcescit, verum vbi diuinus oculus seruorum suorum vilitates respicit, & abiectiones, quis numeret ab illis ortas segetes gloriarum immensas? Huc attendebat Chrysost. homil. de cæco nato, notans mundi illa euanuisse decora, quando exaltata sunt abiecta Christianorum. *Quid pr[illegible], ait, idolis, etiam eorum qui [illegible] sunt, adoratio templorum amplitudo. Quid vero [illegible] sunt vilitas sepulcrorum? Nonne ardacius [illegible] est [illegible] am-*

Exod. 26. Cyrill. Alex. Chrysost.

plitudine, & in humilitate res martyrum sunt exaltata? Ecce florida idololatriæ spectra ad Dei conspectum euanuere, & vilia seruulorum Christi ingentes pariunt fructus gloriæ. Matth.12. Non immerito apud Matth. cap. 12. notarunt loca, per quæ ducat Iesus discipulos suos, ait enim: *Abyt Iesus per sata sabbato.* Cur per sata? Sane vt ostenderet discipulos suos instar satorum de stercore, & abiectionibus horreorum, Ambros. sub diuinis oculis fructificare. Id quod attigit D. Ambros. lib. de Isaac, cap. 6. fatus, *Iesus in sabbato duxit per seminata discipulos. Moyses per desertum duxit populum Iudæorum. Christus per seminata duxit, quia per passionem eius floret vt lilium.* In deserto floridos inuenies agros, amœnos lucos, in seminatis solum vides stercoris horrores, aratri scindentis surculos, & tamen à deserto sterilitas, à seminatis diues fructus nascitur. Sic de satorum more, Dei seruuli per passionum horrorem, per vilitates, & abiectiones mille fructus ex oculis diuinis trahunt. Hinc rediuiuus Sol diuinus, & è sepulcro egrediens, imbecilliores areæ suæ glebas prospexit, vt per illorum imbecillitatem, amplius radiaret efficacia Chrysost. eius gratiæ. Quocirca ait Chrysost. homil. 38. in 1. ad Cor. 15. *Petrus cum Christi discipulum se esse negauit, quominus reiectum se putaret præ cæteris, hunc conspectu suo dignatur Dominus. Eadem causa propter sexus imbecillitatem, Saluatoris gratiam primò mulier, & nascentis, & resurgentis sensit.* Proh, quam trahit infirmitas oculos Saluatoris, vt ex illa ingentes faciant glorias pullulare! O ama dimitti, ama sub Dei potenti manu vilescere, & pro nihilo reputari, vt dum sub humilitatis stercore videaris à diuinis oculis, in æternam sublimitatem Isai.6. erigaris. Isaias 6. ingentem Dei notans maiestatem ait, *Et ea* Bernard. *quæ sub ipso erant, replebant templum.* Ad quod D. Bernard. serm. 2. ait, *Fuit quippe in Angelis qui diceret. Ponam sedem meam ad Aquilonem. Miser ille qui [illegible] Deo esse maluit, quàm sub Deo, miseri illi qui videntes furem concurrerunt cum eo. Exierunt infelices, & vacuus relictus est locus, quem accipiet alter. Nonne Deo subiecta erit anima mea? Alioquin nec tibi locus erit in templo, quia quæ sub ipso erant, replebant templum.* Felix Maria, quæ etiam dum aliquo modo supra Deum eleuatur, quando Mater Dei efficitur, maluit sub Deo esse, & ad vilitatis natiuæ stercus recurrens, sese præparat, vt sub diuinis oculis, ingentes hominum glorias parturiat.

§. III.

Obedientia hominem reddit dignum, qui Dei oculis appareat.

Singulari prudentia Virgo Maria tribuit humilitati Ancillæ, quod fuerit à Deo prospecta. Vna enim forma serui obedientisque ancillæ ad se rapit Diuinitatis oculos. Sic Abrahamum vsque ad filij internecionem Dei obeZeno. dientem meditatus D. Zeno pulcherrimè exclamat, *O nouum spectaculum ac vere Deo dignum!* Quod vel ipse Abraham præcognoscens, ex ostensione suæ obedientiæ, loco nomen imposuit, vt maluit Hier. vt dicatur, *Dominus videbit.* Quasi nihil in terra pulcrius, nihil elegantius inueniri posset, quod diuinos exhilaret oculos, quam vel vmbra obe3.Reg.17. dientis hominis. Huc retulit D. Athanas. illud Eliæ: *Viuit* Athanas. *Dominus, in cuius conspectu sto.* Etenim ait in vita Antonij, *Non computabat Elias præteritum tempus, sed tanquam quotidie in certamine positus, talem se præbere cupiebat, qualem se sciebat Dei dignum esse conspectibus, purum corde, & præparatum obedire voluntati eius.* Hinc cernis quam vtiliter Deus tot dederit leges populo Israëlitico: nec enim erat vllus vasculus in domo Sanctuarij, de quo non haberent plures obseruationes, vt ne manum extendere liceret sine obseruantia legis, & religione. Cur tot leges? tot cæremoniæ? An vt ex illarum custodia semper diuinis versarentur obtutibus? Tertull. Ita Tert. 2. contra Marc. dicens, *Deus in lege [illegible] ipsorum vasculorum coram [illegible] vt illi lega[illegible] occurrentibus vbique, nullo momento vacarent. Dei conspectu.* Sanè vir obediens, cuius oculi, sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, intentos sibi [illegible] oculos diuinos, neque ad horam illum fugiet Dei conspectus. Ita apud Isaiam Isai.60. cap. 60. loquitur Dominus [illegible] *nisi super humilem & mansuetum, & trementem verba mea?* De quo Chrysol. D. Chrysol. serm. 143. inquit, *Audi [illegible] dicentem, supra quem respiciam, nisi super humilem & [illegible] quantum mansuetus est ille, qui iussis obtemperat, [illegible] est ille [illegible] iussa di[illegible].* Igitur qui iussis obtemperat, is ad se rapit oculos diuinos: is à Deo vnicè respicitur diuinisque astat haud ingratus obtutibus. Iam noui quo merito Magdalena, dum soror domesticis insudat, ipsa sub oculis hærebat diuinis: ait enim Luc. 10. *Ipsa sedens secus pedes Iesu,* Luc.10. *audiebat verbum illius.* Audiebat, inquam, illius verbum parata protinus obedire siue actiuæ, siue contemplatiuæ instare iubeatur. Cur quæ sic obediens dicto erat ab oculis diuinis arceretur? Sane in conspectu Dei fixa erat, quam prompta obedientia commendabat. De hac Magdalenæ obedientia ait Dominus, *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Quæ hæc optima pars, nisi indifferens obedientia, qua in Dei stabat conspectu? Ita D. Bern. serm. Bernard. 3. de Assumpt. fatus, *Vnum arbitror è duobus, vt aut de electione Mariæ laudetur, quod pars ipsa, quantum in nobis est, sit omnibus eligenda; aut certe vt neutrum dicatur desijsse, nec in partem quamlibet præcipitasse sententiam, sed ad obedientiam præceptoris ad vtramlibet sit parata.* Non aliter secus pedes Iesu sedet, non aliter diuinis oculis astat, quam parata obedire, siue ad frequens ministerium, siue ad contemplationis quietem mittatur, *Quis enim sicut Dauid fidelis ingrediens, & pergens ad imperium Regis? Itemque paratum,* inquit, *cor meum, paratum cor meum non semel tantum, sed & secundò, & vacare tibi, & proximis ministrare.* Hanc Maria Virgo pensat sua merita, ob quæ oculis diuinis placeret, nimirum ob obedientiam, quatenus sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ, ita Mariæ oculi ad Dominum Deum nostrum.

Text. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna, qui potens est, & Sanctum nomen eius.

§ IV.

Dei oculi firmitudinem in bonis conferunt.

Qvam pulcra argumentatrix est Virgo Maria! ex eo quod a diuinis oculis respecta sit, infert: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes; quasi æternam in bonis suis firmitudinem augurans. Equidem nouit Sol lutum durare, & solidare, sic verus iustitiæ sol vbi respicit clemens, luteis hominum cordibus petrarum indit firmitatem. Simon nondum Petrus, accessit ad Iesum, Ioan. c. 1. *In-* Ioan.1. *tuitus autem eum Iesus dixit, Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Qui modo Simon, iam Petrus, qui modo luteus fragilisque homuncio, iam petræ gaudet soliditate. Vnde? hoc videre licet in his, *intuitus eum Iesus,* de quo Orig. in Ioan. 5. dicit, *Potuit Simon eo quod* Origen. *Iesus in eum intuitus est, eo vsque stabilis, vt ab opere stabilis, firmoque cognomen haberet, & Petrus vocaretur.* Sic Dei oculi firmant, & stabiliunt mentes humanas, vt à Dei oculis in petrarum soliditatem transeant. Præclarè Isaias vbi se ante oculos vidit diuinos ait, c. 6. *Ecce ego, mitte me.* quæ verba sic Isai.6. transfert D. Basil. ibi. *Ecce ego sum, mitte me.* Proh Deus immortalis! vilis homuncio dixit, ecce ego sum. Nonne hoc est nomen proprium diuinissimæ firmissimæque essentiæ Dei? Vnde homo nactus eam fiduciam, qua sibi diuinæ essentiæ attribuat firmitatem? Sane dum ad Deum loquitur, dicens, *Ecce,* quasi eius sese præsentans oculis, statim fidit de essentiæ firmitate. Quod innuens D. Basil. ait, *Ecce sum ego,* Basil. *fiducia iam [illegible] tus, quasi particeps illius essentiæ, se ipsum annumerat huic, qui in consortium venerat illius essentiæ.* Hanc in se ab oculis diuinis firmitatem dilapsam nouerat Dei amatrix, Cant. 8. vbi ait, *Ego murus & vbera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo.* Sept. *in oculis eius, quasi pacem reperiens.* Quasi totam murorum firmitatem diuinis oculis acceptam referat. Inde Matth. 8. Apostolicæ nauis fluctuationem eo refert, Matth.8. quod Christi oculi clausi somno essent, ait enim, *Ipse verò dormiebat.* Vbi D. Hilar. *Ecclesiæ, intra quas verbum Dei non* Hilar. *vigilauerit, naufragæ sunt: non quod Christus in somnum relaxetur, sed quod somno nostro consopiatur à nobis.* Ergo oculi nostri semper ad Dominum, vt ipse suos misericordes ad nos inclinans, æternum duraturas gratias animis nostris indat.

§. V.

Marianum nomen fere celebritate contendit cum Dei nomine.

Non solum ab Elizabetha, sed ab omnium fidelium generatione prædicandam suam gloriam Maria auguratur, ex eo quod sanctificata supra modum sit, ab eo cui est potestas maxima, & nomen sanctum. Supradicta verba sic explicat Theophylact. Ast cur propriæ celebritatis ratio- Theoph. nem,

nem,& causam refert Maria beneficiis acceptis,non solum à potenti,sed singulariter ab habente nomen sanctum? An vt sui nominis claritatem & celebritatem ex diuini nominis similitudine commendaret? Vnus Petrus Damianus debitam Mariano nomini celebritatem pulcherrimè explicabit,ser.de Annunt.fatus.Solicitus erat pater cui filium mitteret generandum,quæ vocaretur mater digna tanto infante, *& statim de thesauro Diuinitatis Maria nomen euoluitur,& per ipsam, & in ipsam, & de ipsa, & cum ipsa totum hoc faciendum decernitur.* Expendo illud, *de thesauro Diuinitatis Mariæ nomen euoluitur*: quippe in mundialibus Regiis,& est commune penu,ex quo singuli ministri, & vestes, & oramenta nanciscuntur; & vlterius, est regius thesaurus vbi solum asseruantur ea, quæ regalibus personis sunt in vsu.Quod si princeps aliquem velit honorare ministrum ex regio thesauro, illi vel vestem, vel ornamentum donari iubet. Quo munere, nullum honorificentius expectari à Rege posse, Ama suggessit Assuero, Esther cap. 6. Hanc de ornamentis apud mundiales Regias distinctionem cogita apud cœlestem Hierusalem de nominibus gloriosis Sanctorum. Sanè commune penu est apud Deum, quo gloriosa nomina iustorum asseruantur, & ideò iubet Dominus per Lucam gaudere discipulos, *quod nomina sua scripta sunt in cœlis.* Præterea regius est thesaurus, vbi occluduntur diuina nomina,propria diuinis personis,& quam sint diuina nomina abscondita,thesaurisque asseruata,ostendit illud Exod.1. *& nomen meum Adonai non indicaui eis.* Id enim, vt vni Deo proprium in diuinitatis arcano thesauro occultabatur. Ergo Mariæ nomen non ex communi penu, non ex nominibus iustorum scriptis in cœlo, quibus maximè quisque beatorum decoratur,sed ex diuinitatis thesauro,ex arcanis illis quibus ipsa vtitur Deitas, euolutum est,ne mireris, quod diuini nominis æmuletur claritatem.

Damian.

Exod.1.

§. VI.

Maximam filius Dei fortitudinem,& potentiam ostendit, dum fœminæ quasi coadiutrici credit magnalia Incarnationis.

DEi erga se potentiam exaltat Maria,dum ait, *fecit mihi magna qui potens est.* Miranda maxime facinora fecit Deus in cœlo, & in terra, quibus suam potentiam exaltaret; liberato Hebræo, Ægyptium submersit, manna pluit, ad vnius militis vocem cœlestem militiam stare iussit,mediis flammis roscidos adolescentes custodiit,& his prætermissis, in hoc vno se iactat diuina potentia, quod vni se credat fœminæ, quod in vterum Virginis inuiolabiliter descendat. Et quidem antiquum erat, & paruum illud diuinæ potestatis elogium, nimirum, *montes sicut cera fluxerunt à facie Dei Iacob.* Maius sine dubio est diuinæ potestatis miraculum, quod cera,sicut mons firmetur ad gressum magni Dei Iacob. Sic stupet D.Cyrill. Hierosol. Orat. de Occur. Domini, vbi verba dat. *Qui omnibus cœli portas patefecit, actusque in crucem sepulcrorum ostia aperuit, & æternas illas inferorum portas contriuit. Matris tandem Virginis claustra admiranda virtute conclusa seruauit.* Hæc ille, quibus pondero: post tot portas, vectésque confractos inde admirandam Dei virtutem commendat, quod virginitatis Marianæ claustra, admiranda virtute conclusa seruauit.Cuius facies montes contriuit,& velut ceram liquauit; liliatam pudicitiæ vallem in Maria integram nouit æternare. Proh Dei virtutem mirabilem! Nónne magnum hoc,in Mariam,Dei facinus. Sed accipe manus,nimirum quod feminæ coadiutrici totam reparationem generis crediderit humani. Imperium hominis in vniuerso orbe terrarum firmaturus Dominus mulierem Adamo adiutricem addidit. Proh dolor! Vnius mulieris fallacia imperium hominis corruit, & totum Dei opus,si quo alio facinore, hoc vno fœminæ opere labauit. Quid tunc Deus? Fœmineum ingenium, & statum abominatus,maledictis fœminas multauit,à paradisóque exulare fecit. Cur ergo hominem reparaturus non sibi cauet à fœmina? Cur impauidus mulierem iterum adit? Fortis est Deus,nil quod timeat habet. Num.16.cum Deus iratus in Core,& Dathan, & Abiron, vniuersam Hebræorum nationem euertere tentarit, Moyses, & Aaron steterunt: & vt Deum placarent,sic eius fortitudinem maximam obiiciunt. *Fortissime Deus, num vno peccante, contra omnes ira tua desæuiet?* Hoc elumbi, pusillanimique homuncionis proprissimum, quod propter vnius errorem, in omnem generationem exardescat, quasi ex vno suspectos omnes habeat, ab illisque sibi timeat, & exardescentem iram suam nesciat frænare. Non sic qui magnanimi, fortésque sunt; qui & se temperare norunt, & alios timere nesciunt. Ergo Deus qui omnium fortissimus est, fortitudinis suæ illud prodit indicium, quod etiam peccante femina,& regium euertente opus,iterum ad feminam recurrit, cui totum humanæ reparationis consilium, quasi optimæ coadiutrici fidit. Hinc D.Zeno serm.2.de Nat.ait. *Exultate fœminæ,promotionemque vestri sexus agnoscite, culpa deleta veteri. Ecce per vos iungitur cœlo,anus peperit angelum, & virgo Deum. Hic est Deus noster qui dignitate interim seposita, non tamen potestate,* &c. Longiorem Zeno producit sermonem; nobis id satis est,quod fœminæ crediturus humani generis excitationem,ipse Deus adest dissimulata dignitate, nō tamen potestate: quippe qualiter dissimularet potestatis suæ ingens robur, qui à muliere videns opus suum prostratum, & deiectum,iterum mulierem conuenit? Qui matri maledicens, dolores, & ærumnas minitatur, filiam adit, & de cœlestis roris benedictione cumulat? Qui parentes à paradiso exturbat, & prolem sibi in matrem adsciscit? Magna hæc in Maria fiunt, in quibus necessum est, vt incredibilis Dei potentia patefiat. Similem Dei poténtiam exaggerat Tert. eo quod,exiturus cum fuerit Marcion hæreticus nauclerus,adhuc Iesus ad naues accedat,vt discipulos sibi quærat è nauibus?Sic enim ait lib.4. *Affectauit de nauiculariorum collegio allegere,habiturus quandoque nauclerum Marcionem.*

Cyrill. Hierosol.

Num.16.

Zeno.

Tertull.

§. VII.

Deus hominibus veras res præstat, ab illisque sola nomina accipit.

MAgna suscepit à Deo Virgo, ait enim, fecit magna qui potens est; & quid pro magnis his Deo reddit? Redditur à Virgine Deo confessio illa, *& Sanctum nomen eius.* Equidem nouit Deus bona data dare hominibus, dare,inquam,res veras,solidásque glorias,à nobis autem sola nomina,nuda nouit vocabula accipere. Moysem, & Eliam cum Iesu colloquentes in Thaboris gloria notans Tert.lib. 4. contra Marc. ait. *Quid tam Christus creatoris quàm secum ostendere prædicatores suos? Cum eis gloriam suam communicare à quibus Dominus gloriæ nuncupabatur?* Hoc diuinissimi Christi, summi Patris filij propriissimum,quod pro nuncupatione gloriosi nominis, veritatem suæ gloriæ communicet, quòd res gloriæ tradat suis, & nomen gloriæ ab illis accipiat. Memini D. Isid. Pel. lib.3.epist.131.sic seruorum Dei gloriam extulisse. *Operæpretium est,relictis bonorum nominibus, ad res ipsas contendere. Regnum enim, & opes, ac gloria nomina quædam sunt apud exteros: res autem apud Christianos. Quemadmodum etiam contra, dedecus & mors & paupertas apud nos vocabula sunt, res autem apud illos.* Ex quibus illud ego addiderim, quod iam dixi, nimirum quod regnum, ac gloria accepta Deo ex hominibus, nomina etiã sunt apud Deum, res autem apud Dei seruos. Malè ergo cum accipis a Deo gloriæ res, non reddis illi gloriæ nomina insignia. Hæc in Adamo peccatore Deus maximè desiderauit, quando condonaturus si resipisceret, vocabat, Adam, vbi es? Ad quæ ille: *Audiui vocem tuam, & timui.* Vide quam se rusticum in respōdendo exhibeat,quod notans Lippomanus ait. *Sine honoris præfatione, & cognomine, sine digno epitheto Deum alloquitur. Vocem, inquit, quam audiui, non addit, Clementissime Deus, & creator meus.* Largus in accipiendis à Deo beneficiis,auarissimus in reddendis Deo nominibus. Crediderim hanc etiam à serpente rusticitatem ebibitam: etenim diabolus interroganti Deo Iob 1. *Vnde venis?* Ipse solum respondit. *Circuiui terram & perambulaui eam.* In quem merito irascitur Chrysost.homil.2.fatus. *Superbus, & tumens,neque sui locum,& statum sciens,neque interrogantis dignitatem, dicit, circuiui terram.* Plane rusticus, ac superbus, qui quæ solum dare potest nomina gloriæ, ea Deo eripiat. Humilis, & comes Maria vel tunc maximè cum Deo grata, illi reddit gloriosa nomina,& illustria,dicens,quia fecit mihi magna,qui potens est,& sanctum nomen eius.

Tertull.

Isid.Pelus.

Genes.2.
Lippom.

Iob 1.
Chrysost.

Textus. Et misericordia eius à progenie, & in progenies timentibus eum.

§. VIII.

Misericordia Dei fœcundissima, per omnes generationes, sed vbi est Dei timor.

FOEcundissima res est misericordia diuina, contendit cum humanis generationibus à progenie, & in progenies

nies extenditur: sed si habeat socium timorem Dei. Id in-
Psalm.28. nuit Psal.28. *Vox Domini praeparantis ceruos*, siue vt ex Hebraeo alij reddunt: *Vox Domini parturire faciet ceruas*. Quippe natura difficiles ad partum ceruae, cum tonitruum timore percelluntur, maturos iam foetus parturiunt: sic vbi timor Dei adest, per generationes & generationes misericordiam Dei multiplicat. Hinc est, quod sterilem socium, iam iam agni applicandum, vt reuiuiscere, & fructificare faciat bonus latro, dolens quòd iuxta misericordiae fontes pereat, timorem
Luc.23. suggessit, dum ait Lucae 23. *Neque tu times Deum.* Quod sic
Chrysost. expendit D.Chrysost. hom. de caeco nato. *Alter probus inuenitur, in iudicio reus, in cruce iudex, sed & timorem docet. Prima enim vox latronis ad socium latronem haec fuit. Neque tu times Deum.* Et merito in ligno sterili, & arente etiam iuxta misericordiae apertos fontes posito, vnum timorem Dei desiderauit, de quo possit in vitam aeternam foecundari. Nihil mihi crede, sic foecundat animos, sic munit, sic virtutes eorum aeternat, vt Dei timor. Sic ex Dinae historia, pro
Cellens. timore exclamat Cellensis Abbas lib. de panibus cap. 14. aiens. *Noli filia Iacob, noli sine fratribus exire ad mulieres regionis huius, quia Leo est in via, Sichen filius Emor ardens concupiscentia tui. Saltem Simeon, & Leui, id est timor praesentium, & futurorum pudicitiae tuae semper assistant protectores, & vltores, ne rapiaris, ne blanditijs delinita in confusionem nobilitatis tuae prostituaris.* Nemo nos à paternali Dei amore rapiet, nemo nos diuinae misericordiae auferet; imò hoc vno timoris Dei affectu replebimur omninò sanctitate. Quid dixisse miraris? An nostra maior quam Christi Domini capacitas? Ergo
Isai.11. vide quo Christus repleatur, Isaiae 11. *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiae, & intellectus, Spiritus consilij, & fortitudinis, Spiritus scientiae, & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris.* Quid pro timore dignius? Cui sapientia, pietas, fortitudo, & aliae adsunt virtutes, hunc replet timor.
Guillelm. De quo vide quam se ipse diuinus timor iactet apud Guillelm. Paris. lib. de moribus, tract. de tim. *Sunt & aliae magnificae laudes meae, inter quas & illa est eximia, quod ipsum Christum Dominum apothecam omnium gratiarum, imò fontem omnium virtutum replere dictus sum. Cum enim alijs datum sic in illo requiescere solum, replere eum ab Spiritu sancto mihi tributum est. Ita enim ibi dicitur, requiescet super eum spiritus sapientiae, & intellectus, & ita de alijs. Deinde dictum est, replebit eum Spiritus timoris Domini. Nec mirum, cum ego plenitudo sapientiae sim, cum sim ipse Dei thesaurus. Quid ergo decuit magis implere illum, in quo sunt omnes thesauri sapientiae, & scientiae Dei!* Haec ille pulcrè de Dei timore nobis donauit: inanis ille, & vacuus erit, qui sine Dei timore vixerit, quem si habueris, plenus es, felicissimus es. De Iob dicitur quod vacuatus omni substantia, de hac diuini timoris plenitudine gaudebat. Sic D.
Zeno. Zen. lib. 2. serm. 16. ait. *In sterquilinio foetido, scaturiente vermibus Iob sedet, quasi nihil passus, sed solo Dei timore contentus.* Cur non esset contentus eo Spiritu, qui corda humana potis est replere? Enimuero Dei timor anteambulo est omnigenae misericordiae, fauorisque diuini, vnde ex timore à Deo in-
Chrysost. cusso sic argumentatur Chrysost. hom. 6. ad Pop. *Si rebus ipsis castigare vellet, & malorum experientia non tot diebus vos timori tradidisset, cum enim punire noluerit, terret. Quoniam si puniturus esset, timor esset superfluus.* Vbi ergo praemittitur timor, non supplicium, sed Dei fauor expectetur. Sic cum Maria Luc. 2. turbata est in sermone Angeli, diuini fauoris ingen-
Chrysol. tem in illa capacitatem meditatur D. Chrysol. serm. 143. aiens. *Quod per Angelum Deus mandat, ille meretur scire, qui timet scire. Audi Dominum dicentem, Super quem requiescam, nisi super humilem, & mansuetum, & trementem verba mea.* De Dei timore saepè alias.

Text. Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.

§. IX.

In eo maximè Dei ostenditur potentia, quod superborum mentes in humilitatem transformet Christi.

CVm ab extenta Dei manu vel à solo eius digito superbissimos Aegyptios nouerim dissipatos, imò superbiae omnigenae patrem Luciferum è coelo deturbatum, & terrae
Beda. visceribus sepultum: quae erit ista laus brachij Dei fortissi-
Theod. mi quod superbos supplantet? Adde in praesenti brachium
Origen. Dei esse filium Dei, qui fortissimum Dei brachium frequen-
Gregor. ter in sacra pagina appellatur, quod Incarnatione exten-
D.Thom. tum aëreas potestates debellauit. Qui ergo ex superbis triumphus decebit magis diuinum brachium, nempe filium Dei hominem factum? An quod verè, & propriè ab illo superbissimi tyranni fuerint enecti, mari terraeque sepulti, ignibus addicti immortalibus? Sanè ad haec perpetranda, non desiderabatur potentia tanti brachij, quando vel *spiritu oris sui interficiet impium*, & tyrannorum maximum. Vbi autem fecit potentiam in brachio suo, quid maius speratur; nimirum quod disperserit superbos mente cordis sui? Hoc est quod superborum mentes salubri contritione transmutauerit in humilitatem. In hoc maximè eluxit potentia filij Dei, hoc fuit illius opus, hic labor totius incarnati Dei oeconomiae. Huc spectauit Psalm. 28. *Vox Domini confringentis Cedros, & comminuet eas, tanquam vitulum Libani.* Cuius Psalm.28.
explicationem libenter capio à Richard. Vict. dicente. *Verè* Richard.
haec mutatio dexterae Excelsi, rigorem Cedri conterere, & ad simi- Victor.
litudinem vituli Libani, id est qualibet tumida corda inclinare ad imaginem humilitatis Christi, qui attritus est propter scelera nostra, non propter peccata sua. Haec inquam, est mutatio dexterae Excelsi: hoc opus dignum laudatissimi brachij Dei, quod procerae illae arbores, quod superbi & elati homines, auidè & enixè ament nesciri, & pro nihilo reputari a Domino factum est istud. Quam diuini brachij potentiam ostendit illud de Christo Domino Iacob Genes. 39. decan- Genes.39.
tatum, scilicet, *quasi primogeniti tauri pulchritudo eius.* De quo pulcrè Tertull. lib. 3. in Marc. ait. *Taurus ob vtramque* Tertull.
dispositionem alijs ferus, vt iudex, alijs mansuetus, vt Saluator, cuius cornua essent crucis extrema. Hac denique virtute crucis, & hoc more cornutus vniuersas gentes & nunc ventilat, per fidem auferens à terra in coelum, & tunc per iudicium ventilabit auferens à coelo in terram. Haec ille, de mira Christi fortitudine in conuertendis, siue euertendis superbis. Vbi expende, quam facile euertat Deus superbissimos quosque, nimirum qua facilitate quis graue aliquid à coelo in terram dimittit, at vt ad meliorem frugem conuertat, ingenti fortitudine eget, quia grauissima corda deorsum vergentia, & renitentia a terra in coelum ventilanda sunt. Hinc D. Leo serm. 8. de Pass. ait. *O admirabilis potentia cru-* Leo.
cis! In qua & tribunal Domini, & iudicium mundi, & potestas est crucifixi. Traxisti enim omnia ad te, & cum expandisses tota die manus tuas, ad populum non credentem, & contradicentem tibi, confitendae maiestatis tuae sensum totus mundus accepit. Proh extenti diuini brachij potestas, quae grauissimas renitentium mentes, ad superos vsque facis reuolare! Nunc teneo Saluatoris triumphos Ezechieli monstratos, cuius triumphalis currus sub iugis bouis, leonis, & hominis volitantia corpora cernebantur, quasi ea Saluatoris denotetur potestas, quod ponderosas mentes, corda peccatorum grauia, & deorsum vergentia, ad tranandum aethera perpeti nobilitet ala. Vt verissimè dicat D. Bernard. serm. 19. Bernard.
in Cant. *Multum laborauit in eo Saluator, nec in omni mundi fabrica tantum fatigationis author assumpsit. Illa dixit, & facta sunt; mandauit, & creata sunt: at vero hoc, & in dictis suis sustinuit contradictionem, & in factis obseruatores, & in tormentis exprobratores.* Quas contradictiones, & renitentias non experitur, qui boues, & leones ad superos niteretur ventilare? Sed & hos in coelum ventilauit, & per astra fecit volare, quo eius brachij potestas maxima explicatur.

§. X.

Christus Dominus redempturus homines, sibi labores, & opprobria omnia praeoccupauit.

EA est regalis brachij potestas vt sibi speciosa omnia, & vtilia in primis occupet: venienti enim Regi statim alimenta praeoccupantur, profecturo commeatus stagnantur. Rex autem Christus homines redempturus accedens, in eo pientissimi brachij sui ostendit potestatem, quòd labores, & opprobria cuncta sibi praeoccuparit. Suffixo iam cruci Domino dicit Matth. cap. 27. *Tunc crucifixi sunt cum eo* Matth.27.
duo latrones, vnus à dextris, & vnus à sinistris. Praetereuntes autem blasphemabant eum, mouentes capita sua. Nullus praetereuntium latronibus molestus erat, nemo illis nota furta, & homicidia improperabat: cur hoc? sanè potentissimus Rex Iudaeorum improperia omnia, & opprobria vni sibi tunc temporis praeoccupauerat. Id nobis notatum dedit D. Isidor. Pelus. lib. 3. epist. 130. fatus. *Pen-* Isid.Pelus.
debat quippe in patibulo, meridiano tempore, atque in Metropolitana vrbe, ac maximo festo, in quo neminem fuisse, verisimile est, qui non interesset. Quin etiam alij cauillis in eum ludebant, alij latus ipsius lancea feriebant.

bant. Atque in eos quidem latrones, qui vna cum ipso in crucem acti fuerant, nihil tale perpetrabant. Equidem probra omnia vni sibi Dominus tunc temporis reseruauerat, ipse solus pro omnibus opprobria pati volebat. Memini apud
Ioann.2. Ioan.cap.2. Dominum ad nuptias iuisse, item, passurum Hierosolymam ascendisse; at cum de nuptiis agitur, dicit, *Erat Mater Iesu ibi. Vocatus est autem & Iesus, & discipuli eius ad nuptias.* Verum vbi ad Hierosolymam veniendum erat, solum ait, *Ascendit Iesus Hierosolymam.* Iesus dicitur ascendisse, non discipuli; an quia discipuli non ascenderunt cum Iesu? Absit: imo simul & Iesus, & discipuli ascenderunt Hierosolymam, paulo enim post vbi Iesus negotiatores à templo abegit, dicit Ioannes, *& mirati sunt discipuli:* ascenderunt ergo cum Iesu discipuli. Sed iam scire cupis, cur ad nuptias simul Iesus, & discipuli dicantur iuisse, in Hierosolymæ ascensu prætermissis discipulis, solus Iesus ascendisse prædicetur? Sane in nuptiali conuiuio leuamen aliquale erat, quod etiam permittit Deus suis discipulis, at apud Hierosolymam omnia dura manebant, crux, verbera, opprobria, quorum auidissimus Iesus omnia vni sibi præoccupauerat, & sic suis se infuderat discipulis ad patiendum, vt vnus ipse & solus videretur inter labores esse, vt
Origen. solus illos patiatur. Ab hac stat sententia Orig. tom.11. in Ioan. aiens: Obseruandum est Matrem Iesu dici adesse nuptiis, vocatumque fuisse Iesum cum discipulis, neminem vero præter Iesum nominari Hierosolymam ascendisse. Videri que discipulos etiam adfuisse, quandoquidem recordati sunt scriptum esse, Zelus domus tuæ comedit me. *At fortasse in singulis discipulis erat Iesus Hierosolymam ascendens, quocirca non dictum est, Ascendit Iesus Hierosolymam, & discipuli eius.* Et quidem in subeundis laboribus vnus Iesus exhibetur, vnus est Iesus qui patiatur, sibi labores, & sudores reseruans, gaudia & festa permittens, & reliquis.

Reuoca in memoriam maternam illam charitatem Rebeccæ, quæ filium Iacob cœlesti benedictione aptabat, & cum ille timeret, ne pro benedictione maledictio sibi ob-
Genes.27. ueniret, ait illa Genes. 27. *In me sit ista maledictio, fili mi.*
Isid.Pelus. Quæ verba ponderans D. Isidor. Pel.lib.2. epist.58. inquit, *Rebecca apostolica, vt sic loquar, animi magnitudine prædita: imprecationem suscipere minimè dubitauit, vt ipsius filius benedictionem consequeretur. Atque bonis quidem ipsi cedebat: mala autem ipsa sola ferre parata erat, dicens, In me sit ista maledictio, fili mi.* Ecce modo non Rebeccæ amorem, sed diuini brachii validam & ardentem charitatem: qui in cruce extentus, & confossus, imò pro nobis maledictum factus, imprecationem suscipere minime dubitauit. Atque bonis quidem discipulis, & omnibus hominibus cedebat, mala autem, nimirum maledictionis pristinæ partus, tribulos & spinas, dolores, & nuditates ipse solus sufferre paratus erat. Proh charitas Christiana prodiga in bonis dispertiendis, auarissima in malis sibi reseruandis! De allatis illis Cherubinis apud Ezechielem, cap.1. dicitur. *Duæ pennæ singulorum iungebantur: & duæ tegebant corpora eorum.* Quippe in Christianis affectibus hæc duo licet obseruari, & quod beneficentiæ alæ extentæ sint ad alios, & quod ærumnas, & dolores sibi vni reseruet Christianus. Sic D. Gregor. magnus homil. 4. in præsenti, vbi dicit. *Sanctorum pennæ coniunctæ sunt amor, & spes; duæ verò pennæ, quæ corpora contegunt singulorum, & semet ad alterum coniunctæ non sunt, timor, & pœnitentia.* Volare faciat Christianus bona sua ad alios, at timores, & pœnas vni sibi velit habere, si summitatem charitatis pertingere amat. Hanc charitatis summitatem pul-
Isid.Pelus. cre insinuat D. Isidor. Pel. in duobus fidelis populi dilectoribus: alter erat Moyses, alter Paulus, ille sic rogabat pro
Exod.32. populo Exodi 32. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ.* Hic epist. ad Rom. ait. *Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Ex quo sic eleganter monet Isid. lib. 2. epist.58. *Moyses vt de diuino libro expungeretur exegit, si ii qui sub ipsius imperio erant, internecione delerentur. Maius est quod Apostolus fecit: non ille simul perire cupiebat, hic autem perire, vt alii salutem consequerentur.* Eam Apostolus charitatem a Dei brachio Christo accepit, qui per sui contritionem, omnes homines in libertatem asseruit, qui sibi mortem, & maledictiones accipiens, nobis ingentia bona reliquit, & optimum triumphi modum edo-
Græcus. cuit. Sic Græcus apud Cat. explicat illud, *fecit potentiam in brachio suo, nimirum, nequaquam alio mediante, nisi in proprio brachio triumphum duxit,* quatenus brachium Dei sibi dolores assumens, omnibus aliis gloriosos peperit triumphos.

Text. Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Suscepit Israël puerum suum, recordatus misericordiæ suæ. Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, & semini eius in secula.

§. XI.

Deus res hominum firmauit, fulciuit.

QVis fugiat mundiales vices? Quis rerum humanarum rotatus non subibit? Sane ludit & humanis diuina sapientia rebus, iam Irus, qui modo Crœsus erat, iam exigit tributa, qui paulo ante emendicabat stipem. Sapienter Philo lib. Quod Deus sit immutabilis, de rerum humanarum Philo. volubili statu philosophatur: *Verbum diuinum*, ait, *choreas in orbem duxit, quod vulgus hominum fortunam vocat, & omnes gentes circumlustrando, nunc his, nunc illis imperia vel tribuit, vel adimit.* Sic omnia humana in præcipiti raptu sunt, à sentina itur ad puppim, deponuntur potentes, & exaltantur abiectissimi quique. Porro medius his humanæ conditionis vocibus recordatus Deus misericordiæ suæ antiquis promissæ Patribus suscepit Israëlem puerum suum, hoc est, sese subiecit nostræ volubili naturæ quasi nobile & immutabile fulcrum, æternumque suorum imperium stabiliuit. Huc spectat illa subministratio Christi, quam dicit Paul. ad Philip.1. aiens. *Subministratio, inquam, Iesu Christi,* vbi Diu. An- *Ad Philippens.1.* sel. *Sicut columna, vel fundamentum fulcit me subter, ne corruam.* Anselm. Hoc decebat fundamentum res humanas, ne passim currerent: hoc sibi adhærente fulcro egebat nostra natura, ne communes subiret vices, & volubiles. Hoc ferreum robur immiscendum erat fictili, & testaceo calcaneo, vt aurea, argenteaque membra æternum confirmata durarent. Nónne posset Deus labilem naturam hominis, vel spiritu oris sui confirmare, qua necessitate coactus sese illi nobile fulcrum admiscuit? Proferam D. Athanas. qui serm. 3. contra Athanas. Arrianos, sic loquitur, *Si ob vires suas, per quas id potuit Deus, verbo edixisset, & ita maledictio aboleretur, imperantis quidem potentia in conspicuo pateret: homo tamen eiusmodi effectus fuisset, qualis Adam ante præuaricationem fuerat, extrinsecus accipiens gratiam, non autem eam suo corpori conglutinatam tenens. Talis siquidem antea fuit, quam in Paradiso collocaretur, forsitan etiam deterior euasisset, vtpote qui iam præuaricari edidicerat.* Ecce tibi res hominum in animo mutationi subiecto, quam labaret, quam laberetur. Quid interest quod homo ab intrinseco labilis, suscipiat omnia sanctitatum decora: nisi ad illa sustentanda fulcrum sibi habeat adhærescens: firmo nitatur fundamento. Nouit hoc diuina sapientia, & vt humanis vicibus mederetur, naturam hominis suscepit; hoc est, firmiter sibi coniunxit, sese humanæ felicitatis subiecit fundamentum. Id ex multorum Patrum lectione clamat Prouerb.8. dicens, *ante secula fundauit me.* Et quid est illud, *Prou.8.* *fundauit me*, nisi me fundamentum firmitudinis humanæ posuit? Sic D. Cyrill. Alexand. lib.5. thesauri cap.8. *Quando* Cyrill. *quasi lapis aliquis, de monte absque manibus dimissus, hoc est ex* Alex. *substantia patris profectus, in carne nostra, quasi in terra defossus est. Tunc fundatam se ait sapientia, quasi dicens: Filius Dei sum verus, sed homo factus sum, vt principium, & fundamentum superædificandorum per fidem suam, vt propter carnis connaturalitatem mihi ipsi eos compingam.* Quid aptius à diuina sapientia potuit excogitari, vt mederetur humanis vicibus, quam vt humanæ naturæ se ipsam coniungat? Equidem vt Christus apud Pilatum ludibrii causa, chlamydem induit coccineam, regios splendores suis fidelibus æternauit. De quo sic D. Isidor. Pelus. lib.1. epist. 251. loquitur, *Lu-* Isid.Pelus. *dibrii vestis de terreno imperio, ac principatu tanquam ludicro triumphauit. Verum Domino imposita robur, ac vires contraxit: atque ad imperium à successione immune progressa est. Conueniebat enim eam cum vel Christum dumtaxat contigisset, atque ipsius fimbria extitisset, firmam, & stabilem effici.* Is enim est Christus Dominus viuus lapis, qui firmitudine, & perpetuitate manet, qui suppositus sciat fragilia, & caduca omnia fulcire in æternum. Id quod etiam meditandum est in arundine, quam manu Saluator in prætorio patiens gestabat, de qua D. Ambros. lib. 10. in Ambros. Lucam, ait: *Arundo quoque secundum Matth. comprehenditur manu eius, vt humana fragilitas iam non sicut arundo moueatur à vento; sed operibus Christi corroborata fundetur.* Sic ille.

§. XII.

§. XII.

In Deo solo firmitudo.

LAbuntur omnia, volubilique rotatu rapiuntur mundi magnalia, is solus rapidissimis rerum vicibus obsistit, cuius in vno Deo spes collocatur. Post ruinam Nabuchodonosoris, post Balthasaris excidium, regnum accepit
Daniel.6. Darius; de quo Daniel cap. 6. ait, *Placuit Dario, & constituit super regnum satrapas centum viginti, vt essent in toto regno suo. Et super eos principes tres, ex quibus Daniel vnus erat.* Vbi crediderim, quasi admiraculum, dictum esse illud, ex quibus Daniel vnus erat, quippe Daniel in delitijs fuit Nabuchodonosori, item pergratus extitit Balthasari, & tandem placet Dario. Quis crederet amicum Regis cum rege non perire? Et ecce pereunt reges, transferuntur regna, vnus Daniel Dei seruus stat, & perseuerat omnium
Theodor. amicus. Proferam Theodoreti verba sic aientis, *Regnante Nabuchodonosor, Daniel splenduit, & à maxime horribili rege adoratus est; regnante item Balthasar floruit, nec minus illustris fuit Dario sceptra tenente, regúmque successiones nihil de eius gloria immutarunt, sed illi morte extincti sunt, at Daniel æqualem illis omnibus regnantibus splendorem obtinuit.* Conuenite huc qui regum amicitiam ambitis, qui stabilem, firmumque statum in regiis fauoribus amatis. Vnus est qui volubilem Fortunæ rotam stare faciat clauus, nimirum quo iusti diuinam seruitutem profiteamini. Dum Deo, virtutique innitimur, regum successiones nihil de nostra gloria immutabunt; firmi stabimus mediis humanis vicibus, medio rapidissimo gurgite, quo voluuntur omnia creata. Iacob vidit celebrem illam scalam, & in ea Angelos ascendentes, & descendentes, putares scalam similem fuisse Fortunæ rotæ, in qua motu perpetuo ascendunt, & descendunt etiam Angeli, nulla enim creatura est, quæ mutationi non subiaceat. Sed vide miraculum, inter tot descensus, & ascensus Angelorum, vnus Iacob immobilis, & firmus perseuerabat, vtpote qui capiti suo
Genes.35. lapidem Christum supposuerat, ait enim text. Genes. 35.
Hieron. *ibi posuit lapidem ad caput.* De quo D. Hieron. Psalm. 133. dicit, *sub capite ipsius lapis erat Christus.* Crede mihi, vni fidas Christo, si velis numquam cadere, ipse est lapis angularis, pro firmo & immobili fundamento humanarum
Athanas. felicitatum datus. Vt pulcre dicat D. Athanas. ad Maximum. *Omnis creatura de mutabilitate suspecta est, sed ipsum verbum suum corpus pro nobis obtulit, ne in hominum spe, aut fiducia moueremur.* In vitæ scala ascendunt & descendunt etiam Angeli, caue fidas alij præter Deum, qui descendentibus cunctis creaturis, tibi aderit, téque firmum & stabilem
Luc.2. sustentabit. Ecce tibi apud Luc. cap. 2. post salutationem Angelicam dicitur: *discessit Angelus ab ea.* Vbi acutè Andr.
Andr. Hierosol. Hierosl. ait, *Discessit ab ea Angelus, verum Dominus non recessit ab ea*, qui solus humanæ spei manet sustentaculum, cum rapido cætera rapiuntur volatu. Sane Abrahamus dilectissimum filium obtinuerat, suæ senectutis fulcrum, suæ familiæ stabilimentum, acceptæ à Deo promissionis sustentaculum. Sed proh dolor! inter hoc, iubetur filium iugulare, nec moratur senex, ascendit montem, struit ligna, superponit Isaacum, stringit gladium. Quidni, fidelis vir, siccine occidendus filius? Siccine succidendæ familiæ spes? Nonne vel aliqua verba facies cui facturus es mortale vulnus? Quid dicis amantissimo filio iugulando?
Ioseph. Verba Abrahami ad filium dedit Iosephus, inquiens. Fili mille votis te expetitum postquam in hanc vitam venisti, summa cura, & solicitudine educaui, nil beatius reputans, quam si te virum videre daretur, & denique hæredem meæ ditionis relinquere. Sed quoniam Deo visum est, vt te eius mihi benignitate donatum, ei nunc redderem, fer generose hoc sacrificium, cedo enim Deo, qui à nobis hunc honorem reposcit. Itaque inter preces, & sacra animam tuam apud se collocabit, *Vbi memor cur te potissimum educauerim, senectutem meam sustentabis; non quidem per te ipsum, sed Deum mihi curans loco adiutorem, & protectorem.* Expende quàm sibi caueat Abrahamus à creaturarum auxiliis, expertus enim volubilem creaturarum conditionem, senectutem, ait, meam sustentabis, sed statim cauet, non quidem per te ipsum, sed Deum mihi curans adiutorem, quasi & filium, & cœlestes ciues de mutabilitate suspectos haberet, & solius Dei manum, & sustentaculum requireret.

CAPVT X.

De Maria prægnante, & partum expectante.

AIEBAT Angelus ad Mariam Luc. 1. Concipies in vtero, & paries filium. quibus verbis significatur, fructus ventris Mariani non præcox futurus, sed ibi maturandus, & perficiendus, & de Heroum more decimo parturiendus mense. De quo erudite satis vt assolet pater Pineda in Salomonis incunabulis. Quid autem ex hoc Marianæ accedat excellentiæ, nobis modo venit examinandum.

Luc. 1. Concipies in vtero, & paries filium.

§. I.

Maria sola in se vna communes omnium gratiarum fontes per decem menses stagnauit.

QVis ingentes diuitiarum cumulos illi viro accrescentes enumerabit, qui communes bonorum fontes, quibus vniuersi viuunt, solus ipse sibi retinuerit per tempus aliquod? Hinc ergo placuit Hilario extollere Mariæ propè Hilar.
immensas gratias, serm. 2. de Natiuit. fatus, *Commune omnium gaudium peculiari munere nouem mensibus sola possides.* Fons ille bonorum, qui totum cœlestem Paradisum replet, qui vniuersos Angelorum exercitus exsatiat, & inde redundans mortales vniuersos ingenti cumulat plenitudine gratiarum; is totus, integer, superplenus intra solius Mariæ aluum clauditur, vt Mariana gratiarum abyssus, longe superet vastissimam plenitudinem maris. Etenim mare omnia flumina intrant, sed tamen vnde exeunt flumina, reuertuntur, vt iterum fluant, sicque perspicuis reuorsibus quot flumina maris alueum intrant, tot alio erumpunt. At Marianam abyssum vniuersi conueniunt fontes gratiarum, nec per nouem mensium curricula inde exeunt, sese eius mente stagnantes, & vtero. Excipe paruas guttulas, quibus tunc temporis sancti ex superpleno Mariæ stagno rigabantur, quando in sola Maria integer, & plenus erat fons gratiarum. Gen. 2. sic habes. *Fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita.* Quasi extra paradisum fluuius haberi non possit, nisi Genes.2.
diuisus, & in minuta frusta secatus. Ad eum modum gratiarum fluuius, qui diuisus, & guttatim sectus ab aliis creaturis habetur, in sola Maria indiuisus, & plenus stagnatur. Id ponderat Cellens. Abb. lib. de Panibus c. 12. dicens. *Quia* Cellens.
simul collecta gratiæ plenitudo nullatenus creaturæ humanæ capacitate potest apprehendi, in quatuor capita dicitur diuidi: priuilegio tamen filij sui supra totius creaturæ meritum Mater Dei, tota deitatis gratia est superfusa. O quam exundauit aluus Mariana, quando qui diuisus fluuius alios replet vniuersos, inibi totus clauditur! Clauditur, inquam, inibi fluuius gratiarum adeo, vt ex quo intrauit Mariana viscera, nunquam inde exierint diuina fluenta. Quod innuit Angelus, quando dixit
Luc. 1. *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*, hoc est nunquam non Luc.1.
tibi aderit totus influxus gratiarum, ita exponit D. Athanas. Athanas.
dicẽs. *Quam virtutem per omnia tempora conceptus, eam habuisse confido, & post conceptum eam retinuisse, neque enim id temporarium in virgine accidisse opinor, sed per omnia tempora hoc illi datum fuisse.* Itaque influunt in Mariam omnes fontes gratiarum, & non effluunt, intrant Marianam aluum omnia flumina, & nunquam exeunt, vt penè immensam eius gratiarum abyssum expaueas.

§. II.

Primum tibi diuinam gratiam, quàm alijs procura, nec nisi de pleno alios riges.

IAm illud, *concipies in vtero*, ponderandum est, quo naturalem fœtus moram, & inhabitationem in vtero virginali explicat Angelus, vt confundat illorum mendacia, qui vt ingentem Deiparæ dignitatem tollant gratiam, contendunt in eius vtero Iesum nec constitisse, nec aliam illi gratiam communicauisse, præter eam, quam aqua communicat canali, per quem cursim transit. Contra quos stat illud Greg. Gregor.
Nazianz. ad Cledonium, recitatum in Synodo Ephesina, nimirum. *Si quis sanctam Mariam, Deiparam non credit, extra* Nazianz.
Diuinita

[illegible] *Sanctum [illegible] flum per [illegible] tanquam per ca-[illegible] defluxit [illegible] tuo modo, quia ab-[illegible] humanam [illegible] pro reatione lege formatam esse [illegible]* Expendo illud, *per canalem*, quo verbo agno[illegible] intentum a Theologo, nimirum q[illegible] Maria non canalis, sed fons ver[illegible] extiterit humanitatis Chri[illegible] vnde ponder[illegible] & aliud, quod scilicet Maria non quasi canalis in solum transitum ad alios Iesum habuerit, sed [illegible] fons sibi diutius detinuerit, & non nisi de pleno ad al[illegible] effuderit. Huic [illegible] cogitationi lucem præiulit D.

Bernard. Bern. [illegible] Cant. vbi [illegible] *sapit, con[illegible] te exhibebit [illegible] fons & recip[illegible], & [illegible] illa [illegible] quod sap[illegible] undat sine [illegible] maledi[illegible] partem suam facit de[illegible]* Ideo Maria non vt canalis, quod accepit gratiæ fluentum [illegible] ad alios refudit, sed vt concha, prius sese per no[illegible] menses impleuit, meliorem suam partem sibi [illegible] & sic de [illegible], ad alios fluenta e[illegible] cupiuit. V[illegible] omnes non canales ad alios, sed conchas nobis [illegible] vemus. Act. 8. magus ille Simon ate-[illegible] *[illegible]* Præ[illegible] sedrector ad alios iste gratiam re-q[illegible] non [illegible] esse concha vt de pleno fluat, sed cana[illegible] abunde. Illum bene mordet Chrysost. ho-

Chrysost. mil. 18. [illegible] *se acceptas [illegible] quoniam [illegible] pet[illegible].* Nonne simili laborabat infan[illegible] ille ap[illegible] Luc[illegible] 16. dum a flammis ait *Rogo te, pat[illegible] in domum fratris mei [illegible] enim qu[illegible]* &c. Quam nefaria charitas, sui o[illegible] in atrimæ di[illegible] rimine aliorum meminisse! Pulchrè D[illegible] *Flamma [illegible] tractatus non sibi [illegible]*. Hinc merito D. Bernard.

Bernard. serm. [illegible] super Missus est vetere Iosepho præfert Iosephum sponsum Mariæ dicens: *Ille [illegible] mentum [illegible] non sibi, sed omni[illegible] e[illegible] tam sibi quam [illegible]*. Ve[illegible] in hoc coniux Mariæ, eiu[illegible] que imitator [illegible] quando [illegible] accepit fluentum diuinum, & non nisi de pleno ad alios refundi permittit.

§. III.

Vtrum Maria in homines liberalior sepulcro, quando sepulcrum post tres dies, Maria post nouem menses nobis reddidit Christum.

August. MVltus est August. serm. [illegible] in extollenda sepulcri Domini [illegible], [illegible] eius nasuit. Christi ex vtero Mariæ [illegible] ate [illegible] pulcro sic fatur. *[illegible] est plane [illegible] mortale [illegible] hoc autem [illegible] illa cunctorum [illegible]* Ideo ne Maria [illegible] tardius dedit Thesaurum mun[illegible] Imo inde sepulchro in homines Maria extitit liberalior. E[illegible] sepulchrum, [illegible] die redderet Iesum [illegible] passium est, vt tremor ille testatur, quo concussum apparuit. [illegible] per sepulcrum [illegible] consulit egressuro [illegible] eius egressum parauit. Verum Maria in homines liberalior [illegible] infirum verbum accepit, semper operata [illegible] vt nobis nasceretur filius, quem per nouem mē-

Zeno. [illegible] fouit, aptauit ad natiuitatem. Vnde D. Zeno [illegible] 4. [illegible] ait. *[illegible] Maria non [illegible], sed [illegible] [illegible] mat[illegible] qu[illegible] est de[illegible]* Pectum [illegible] materna efficacia ha-[illegible] quod vte[illegible] maturo tempore nobis esset [illegible] p[illegible] ascri[illegible] partum [illegible] autem [illegible] pestiuitas in de[illegible] actiuitati Marianæ. Id calluit

Theod. The[illegible] hom. [illegible] alias [illegible], *Parad[illegible] pluriosius [illegible] Ma[illegible] Ha[illegible]* Sese [illegible] ret Paradi[illegible] q[illegible] fi[illegible] excultus, quod in se [illegible] mat [illegible] est gloria Mariæ, quæ [illegible] imposuit oper[illegible] quæ Deum ipsum illi [illegible] sep[illegible] ingulariter coluit, & excoluit, vt [illegible] verentius Paradisus à [illegible] in fructus qua horas di-[illegible] bus plenus sint, eosque homi-[illegible] pr[illegible] & acerbi fru[illegible] pe[illegible] as sint. Huc spectat illa vul-

Hier. 31. g[illegible] apud Ier. 31. & Ezec. 18. nimirum. *Patres*
Ezech. 18. *[illegible] filiorum obstupuerunt.* In [illegible] *Euang.* [illegible]

de paradiso gloriosior facta est Maria, quæ gratiæ fructum Iesum in vtero suo sic excoluit, vt paulatim & per tempora, incrementum accipiens, acerbitatem pristinæ fructus tolleret, & dulcis & maturus & tempestiuus parturiretur hominibus. Sic Georg. Nicomed. antistes dicit. *Maria est qua [illegible] Libano [illegible] mundum [illegible] amarorem [illegible]* Ecce tibi quam [illegible] vtilis fuerit longæua Mariani partus expectatio, cultura enim diuina paradisum fecit in fructus fertilem, qui ex festinatione immaturi, & acerbi extiterunt generi humano. Mariana cultura fecit Dominum in vtero tardare, & maturescere ad partum, vt sic veterē amarorem ligni decoqueret, & nobis dulcissimum fructum ventris sui donaret. Vnde Christiana respiciens tempora Tert.

Tertull. lib. de Monog. c. 7. ait. *Desierunt vuæ acerbæ [illegible] patri[illegible] manducatæ, filiorum dentes obstupescere.* Desierunt equidem vuæ acerbæ, sed ex cultura Mariæ, qua diuinus fructus & maturus, & tempestiuus nobis in plenitudine temporis apparuit.

§. IV.

Non repente ad virtutis fastigium euolandum, sed paulatim, & per gradus.

COnuenit huc vos omnes, quos vel horatia expectatio diuexat, qui de Christo concepto grauidi ad partum curritis, & infantiam pertæsi subito transformamini in virum perfectum, in ætatem perfectam plenitudinis Christi. Ecce Maria concipit Deum in vtero, & per decem spatia mensium paulatim sustinet augeri & perfici corpus diuinum. Etenim ait D. Zen ser. de Nat. *[illegible] latus integumentum carnis incubitus Deus [illegible] maturatur de tempore, qui præstat tempori[illegible]* [illegible] humanam vitam mutuatur de tempore. Sane qui æternus est, moras temporis satagit expectare, & amat humanos subire

Zeno. progressus paulatim per temporum ætates, vt prius pusio, dein puer, statim iuuenis, postea vir, pulchritudine sua prospere procedat, & regnet tempestiuitate. Non aliter Maria Deum voluit habere, nisi etiam illum de tempore mutans, membrorū in vtero per temporis moras expectans maturitatē. Sic illa Dei amatrix Cant. 1. ait *[illegible] meus mihi*, non adhuc vua, non mustum, non vinum optimum, & perfectum, sed tantum botrus, nimirum gemmulæ, siue flos, & tamen in gemmula & flore gaudet, patienter sustinens, quod per temporis incrementa liceat maturum, & tempestiuū fructum capere. Do in præsenti Orig. hom. [illegible] sic fa-

Cant. 1.

Origen. tem. *In qui[illegible] verbum Dei [illegible] non [illegible] maturos botros producit, & [illegible] vinum [illegible] in florem. Botrus hic florens [illegible] Engaddi, [illegible] fragrantia [illegible] verbum Dei credentibus excitantur [illegible] dulcedinem præbet.* Sic qui sapit, ne subito velit altum sapere, ne una ascendat ad summa, per inferiora, superiora petat, prius lætetur in botris, & postmodum aspiret ad notum illud cœlestis regni vinum, per infantiam crescat in virum perfectum plenitudinis Christi. Felix illa mulier Matth. 26.

Matth. 26. Christum recumbentem cum discipulis suis vnguento preciose perfudit, quam acriter mordebant di[illegible] quod melius videretur eis, si vnguentum venderetur, & [illegible] pretio pauperes viuerent. Quid? verum ne est hoc an fatuus esset vnguentum venundari ad pauperes alendos, quam illo perfundi Christum? Equidem perfectius [illegible] opus existimat D. Chrysost. hom. 61. ad pop[illegible] & nihilominus ait iure

Chrysost. increpitos fuisse Apostolos. Don[illegible] quod ex nouella discipula, id quod perfectius erat, statim requirerent, quando tyrones non subito ad summa trahendi sed per gemmulas, & flores cahortandi, [illegible] expectent maturos fructus. *Quoniam adhuc imperfectius [illegible] esse[illegible] habent [illegible]* [illegible] pendet [illegible] tunc germinantem, quippe per germen ad florem, & fructum itur, nec prius fructus quam germe[illegible] nutriendus. Id[illegible] non memiuisse quosdam prælatos, & magistros spirituales, qui nimis grauantur filiorum imperfectionibus, nec sustinent expectare tempus tempestiuum vteri, don[illegible] formetur Christi[illegible] sed in infantia requirunt virum perfectum, & in nouel[illegible], & imperfectis plantis statim [illegible] germen luxurians sine fructu, & sæpius clamant *[illegible]* melius

 esset

eff r n n concipere. Hi festinissimi non ferentes vteri moras, amant sæpius abortiri, & informes, imo deformes fœtus excludere. Illis pulchre conuenit Bern.serm.12. in Cantic. Moysis exemplo, qui rebellibus filiis misericordiam à Deo expostulans aiebat Exod 32. aut dimitte illis hanc noxam; aut dele me de libro vitæ. Tunc sic Bern. *Neque Moyses vellet salum se introdire in gaudium domini sui, sore si illis remanente populo, ut licet inquieto & ingrato, ... ma- tris ... ... Dolet viscera, sed ... ... dicat torsio- nem, quam ... ... m.* Ergo discant prælati viscerum torsionem, fastidia vteri tolerare, donec in filiis Christus efformetur, discant subditi imperfecti iacere, & paulatim per incrementa temporis in perfectam ætatem euolare.

Exod.32.
Bernard.

§. V.

Mariæ in vtero Christum habentis desideria.

Ardentissimis Saluatorem videndi desideriis antiqui patres æstuabant, sed omnes longè superauit Maria, vt quæ ardentior erat, & Deo proximior, intra viscera continebat infantem. O quoties tunc repetiuit illud Rup. aientis, *Quem veraciter (sic te appellauit) desiderium collium æternorum, ego maxime experta sum in visceribus meis.* Enimuerò tot eius in pectore ebulliebant desideria tot ardebat ipsa flammis, vt omnium priscorum desideriis in vnum collectis, sola videretur agi. Nullus ardentiores preces, & lacrymas obtulit, nullus calentiora emisit suspiria. Audisti Seraphin illa apud Isaiam cap.6. Deo stantia quæ simul & binis alis quietis Deum obnubilabant, & alteris extensis alis sine requie præ nimio desiderio volabant? Ecce modo in illis Maria delineata, quæ Seraphinis ardentior, & Dei amantior, Deum simul in summa requie vteri velamine contegebat, & totis præcordiis, crebris desideriis videndi illum afficiebatur. Apoc.12. protenditur cœlestis hæc femina de amictu solis clara, de stellarum corona gloriosa, de subiacenti luna excelsa, sed etiam dicitur quod, *in vtero habens clamabat parturiens & cruciabatur vt pariat.* Siccine parturit virgo Maria? Siccine cruciatur Maria, vt pariat? Equidem cruciatur Maria, vt pariat, non eo dolore, quo cæteræ excruciantur matres, sed vehementi desiderio videndi natum. Excruciat enim desiderium vehemens amantes: excruciat longa expectatio concupientes animos; cur ergo vehemens desiderium, cur expectatio boni summo ardore concupiti virgineum pectus non simularent? non pungerent? non excruciaret? Apud Paul. ad Rom.8. Omnes creaturæ, etiam Angeli, vt mauult Ambr. Orig. & Theod. vehementer cruciantur, dum reuelationem filiorum Dei expectant, *Nam expectatio creaturæ, inquit, reuelationem filiorum Dei expectat. Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit & parturit vsque adhuc. Non solum autem illa, sed & nos ipsi primitias spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes.* Vbi ergo omnis creatura, etiam cœlum, etiam sanctissimi viri, etiam beati Angeli parturiunt, & ingemiscunt, reuelationem filiorum Dei expectantes, nihil mirandum, quod Maria, cuius expectatio maior cuius desiderium ardentius, cuius amor exuberantior, expectans reuelationem filii Dei à se nascituri clamet parturiens, & crucietur, vt pariat. Quo crediderim spectasse D. Zen. serm.4. de Natiuit. dum de Deo vtero clauso virginali, sic fatur, *Interea promicat suum membra fallarem, & opus sui figura vellit artificis. Parturit Maria non dolore, sed gaudio.* Expendo illud, parturit, hoc est pariendi sustinet cruciatus, sed non illos, quos parientium dolor, disruptióque membrorum causat, sed quos vehemēs expectatio, ardens desiderium, & ab spe certa ortum gaudium intimis solent inferre animis. Siccine dum fœtus in vtero perfecte figurabatur, parturit Maria, & cruciatur non dolore, sed gaudio, quo & ipsi beatissimi Angeli cruciantur. Hinc eleganter à B. Epiph. dicitur Maria verbum concipiens, *Thronus Cherubicus ... ... & cœlestis.* Quasi vellet quod inter Cherubicas cœlestésque virtutes, quibus in vtero Thronum Deo parauit, vnus statim illi assurrexerunt cruciatus, vt simul Deum sustentans, & gloria affecta, & desideriis vehementibus agitata, & Cherubim, & cœlum, & crucem repræsentaret.

Rupert.
Apoc.12.
Rom.8.
Zeno.
Epiphan.

§. VI.

Vehementes expectationis amplius expenduntur cruciatus.

Ille Mariæ in expectando Saluatoris partu cruciatus iusto pondere pensabit, qui eius fidei certitudinem nouerit ponderare. Sanè ille felix latro cruci suffixus erat, ea fide qua clamauit, *Domine memento mei dum veneris in regnum tuum.* Quam vocem sic stupet August. serm.119. de tempore, vt præ illa parui ducat reliquos latronis cruciatus. Traditus enim erat latro crucis tormentis, sed illa voce, fidelem mentem tradebat tantillæ expectationi de regno à Iesu dando, cùm primum animam agat, & prætermissis crucis doloribus, fidelem mentem dolet Aug. expectatione vexari, ait enim, *O latro quid in futura sæcula fidem in te perfectam fatigas?* Ecce tibi Augustini acumen, non miratur hominem dolores mortis sustinentem, & miratur, & dolet fatigationem credenti animo aduenturam ab expectatione ad summum horariá! Cur in futura sæcula fidem perfectam fatigas? & si Iesus in regnum properet, cur vt perueniat vis expectare? an nescis fatigationem expectationis fideli animo esse maximá, excedere reliquos cruciatus? Hinc conijce quam apte Dominus Ioan. 4. Apostolorum labores conferens cum laboribus priscorum Patrum ait, *Ego misi vos metere, quod non laborastis. Alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis.* Quæ huius sententiæ veritas? Prisci patres coniugij gaudia potiti sunt, bona terræ comederunt, in diuitiis multi, in victoriis illustres, in regnis clari; in filiorum, charorúmque sinu occubuerunt, sepulti in senectute bona. Verum Apostoli in fame, & siti, in frigore, & nuditate tentati sunt, excruciati sunt, ferro, flammisque extincti; cur ergo hi præ aliis dicuntur non laborasse? An crux suauior quam mollis lectus? An pauperies potior quam rerum abundantia? An terra mortem crucémque minitans lætior, quam terra lacte & melle manans? Sanè priscos patres perfectè credentes vna vexabat saluatoris expectatio, & in huius comparatione nullus est alius labor. Ita Ruper. in præsenti fatur, *Illi crediderunt & flebant credendo, & spectando fidem, & spem suam in præparationem ... ... tanquam in bona terra grana Dei committentes, seminauerunt, euntes & flentes, & semina sua mittentes. Et ecce nunc alij metunt, nempe vos Apostoli, qui promissionum, quæ ad eos factæ sunt, præsentem habetis effectum.* Hæc ille, sed adhuc ostendo quam sit credenti acceptior mors ipsa expectatione, si tantum vnius meminerimus senis aduentum Christi Domini expectantis. Is est Simeon de quo Luc.c.2. *& ipse expectabat consolationem Israel.* Expectabat sanè, adeo vt præ expectatione illis mors dulcis accideret. Quid plura? Ingressuro Domino templum, sic diuinitus admonetur Simeon apud D. Timoth. Hierosol. *Surge senex quid dormis? tempus quo oraculum explere debes, iam adest, matura vita, præsto est enim, qui te absoluat. Exuite necessaria, ... præpara sepulcrum, dispone domui tuæ, ad illum qui te ... ...* Perpende quæso, quibus putet Timotheus posse deliniri expectantis animum, nimirum ostenso funere, annunciata morte. Etenim expectatione mors ipsa suauior, animo expectāti haud ingrata mors dum ab expectatione soluatur. Hinc iam facile erat Mariæ expectantis ponderare cruciatus; ô quam fatigabatur eius perfecta fides in expectando. O quam ipsa expectatione laborabat præ omnibus! Verè cruciformis, verè martyr & plusquam martyr.

Luc.23.
August.
Ioann.4.
Rupert.
Luc.2.
Timoth. Hierosol.

§. VII.

Expectatio Mariæ digna imperio.

Erat Maria, quæ, & si vehementer concupiebat saluatoris partum, tamen incredibili patientia vteri tempora obseruabat, quibus mature, & tempestiue benedictus sui ventris fructus in terram caderet. Et quidem decebat cœli terræque reginam adeo patiens expectatio, quippe D. Ambros. iustissimam electionem, qua Salomon in regnum fuit euectus a patre, inde colligit, quod cæteri fratres etsi natu maiores, ita impatienter in regnum anhelabant, vt nescierint illud ex patre expectare, *Vnde eo usque præuaruit David, vt eum Adoniam filium, regem sibi ... parare compertis, & ... ... eum, qui ... ... iebat, sed eum, qui ex... ... ...* Sic Ambros. in Apol. Dauid c.6. & merito Dauid expectationem Salomonis coronauit, quando nimis propera festinatio Saulem a regno deturbauerat. Etenim conserturus Saul cum hoste manum, iussus fuerat à Propheta, vt se contineret tantum sex diebus, ille autem more impatiens, expectare nesciens ad bellum festinauit, vbi primum imperij ruinæ omen accepit. Id quod eleganter arguit Theod. in 2. Reg. q.9. aiens, *Deus ... Samuel ... cum ... ... & ... ... sacrificasset, ... expectauit Prophetam,* vnde

Ambros.
Theodor.

... cum eum sacrificantem deprehendisset Propheta, vehementer ... in[crepauit] & tradidit regni priuationem. Ecce tibi vna ... s expectatio, vel reges exuit, vel inauguratur. Imò crediderim ab [e]xpectatione Mariæ manifestam fuisse eius regiæ maternitatis dignitatem, & robur illud, quo negotia populorum suo subiecit placito. Huic excogitationi facem prætulit inclyta illa Hebræorum lux Iudith, cuius conciues adeo erant ab Holopherne in angustum deducti, vt iam iam vrbis deditione obsidionem vellent euadere. Tunc exurgens Ozias c. ... ait, *Æquo animo estote, fratres, & hos quinque dies ex[pe]ctemus a Domino misericordiam, forsitan enim ... iram suam abscindet, & dabit gloriam nomini suo. Si autem ... quinque diebus non venerit adiutorium, faciemus ... quæ locuti estis.* Merito Ozias expectationi totum c[om]mittebat negotium, sed malè intra certos dies ex-
Iudith 7. pectat[io]nem suam arctauit. Audiuit Iudith Oziæ pusillanimem e[x]pectationem, vocat vitum, præsentem alloquitur. *Quod ... verbum in quo consensit Ozias, vt tradat ciuitatem ... intra quinque dies non venerit vobis adiutorium? & ... tatis Dominum? Expectemus humiles ... consolationem eius. & ex[quirat] sanguinem nostrum ab afflictionibus ... m ...* Hanc illa expectationem populo persuasit & summam r[er]um inter milites, inter arma, mulier
Ambros. obtinuit. Id quo[d] expendens D. Ambros. lib. 3. off. c. 13. inquit, *Quanta ... authoritas, vt consilium de omnium rebus ... vindicaret, nec principibus populi committeret? Quanta ... authoritas, vt adiutorem præsumeret, quanta ... tuetur.* Vna equidem magnanima expectatio præfecit fœminam principibus, & fortissimis viris: ne mireris Mariam omnibus creaturis fuisse prælatam quando ingenti patientia nouit Saluatorem vtero suo morantem
Cantic. 2. expectare. Hanc expectationem commendabat illa Cant. 2. dicens: *Adiuro vos filiæ Hierusalem, per capreas, ceruósque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa ve-*
Phil. Carp. *lit.* Quæ verba ad Christum venturum referens Philo Carp. ait, *Adiurat ne ... desiderium sponsi ad ipsum; sed vt quando ... secundum beneplacitum maiestatis suæ, præ illa, terrestris tangatur ... rogatione redemptionis.* Hæc erat Mariana cura inter ardentia desideria, ne ante tempus excitaretur dilectus se[d] vt secundum beneplacitum eius aut tempestiue veniret, aut tardaret. Hinc D. Laurent. Iust. serm. de Annunciat. ponderat quam afficiatur saluator expectantium amore, fatus, *Verbum in vterum Virginis descendit, vt spem daret laborantibus, precantibus indulgentiam, diligentibus pacem, ... expectantibus mercedem.* O quàm gauderet expectatio[n]e matris, qui in eius vtero expectantibus mercedem parabat.

CAPVT XI.

De purificatione Virginis Mariæ, eiúsque ad templum aduentu post partum.

DVPLICI lege cautum erat apud Moysem, ne fœminæ post partum templum adirent, antequam quadraginta dies purgationi sacratos expectassent, quibus transactis oblatura Domin[o] prolem accederet. Qua lege ... femina, cuius partus, & peccato prolis, & san[guine] ... consputcabatur. Vnde Maria, quæ in vidente ... iustitiæ solem nobis peperit felicissimo, n[ouissim]ó que partu, vbi nullum dedecus, nulla macula nulla pr[ima]riæ maledictionis suspicio videbatur, à purificationis lege prorsus immunis erat. Verum perfecta æmulatr[ix] ... foetus, vt ... le circumcisionis notam est amplexatus, sic illa sole puri[o]r, purificationis legem ob... at. Igitur illo die vide quanta aperiantur Dei magnalia ... Dominum apparet: Simeon Deum infantem vl... ip..., ad[e]st prophetans Anna, Maria sistit Domino, & redemit primogenitum, purificationisque Mosaicæ absoluit sa[cr]a. Nos autem misso Dei, & Simeonis, & Annæ occursu [in li]brum sequentem cap. 9. ad ea, quæ propria Mariæ fuerunt pr[o]peramus.

Luc. 2. Postquam impleti sunt dies purgationis ... secundùm legem Moysis tulerunt illum in Hierusalem, vt sisterent eum Domino sicut scriptum est in lege Domini.

Quia omne masculinum, adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur.

§. I.

Maria mulier est illa, quæ euerrit domum, & accensa lucerna perditum inuenit hominem.

HEu quam malè perdidit hominem mulier! Sed crediderim hodie per mulierem recuperandum. Hodie beata mulier Maria post Deum conceptum post virgineum partum, post purissimum puerperium, post legis ferè omnis, & ordinis naturalis euersionem, adit templum, portans in vlnis lucem increatam. Quis iam perditus homo reparationem suam non sperabit? Apud D. Luc. c. 15. Mulier perdidit Luc. 15.
decimam dragmam, & dragma perdita, accingitur ad inuestigandum, accincta *domum euertit,* vt accensa candela perditam dragmam restauret. Ecce modo tibi, quem hominem mulier perdidit, mulier Maria qualiter se comparat vt restauret. In primis domum euertit, hoc est, totam naturam transcendit, nullum in conceptu, neque in partu, neque in puerperio seruat ordinem, seu legem naturalem, nullam naturæ legem non frangit, concepturu Deum dicebat Angelo: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Luc. 1.
Vbi acute, vt assolet Chrysol. serm. 142. ait, *Mulier quæ virum quærit, quem in in paradiso perdidisti? Redde virum mulier, redde depositum Dei, redde e... te quem perdidisti per te: præter mitte naturæ ordinem, recognosce ordinem creatoris.* O felix mulier, quæ hominis perditi damna potes restaurare. A qua fidentius potest exigi, vt quem virum mulier dedit perditioni, ipsa mulier restituat aliquando lumen indeficiens manibus gestans accedit templo, post totam domum euersam, nimirum post legem naturæ superatam. Iussus fuit Simeon templum adire, vt in mulieris manibus facem videret, cuius lumine perditæ gentes erant restaurandæ. Quid plura? Inter feminarum examina, vnam dignoscit Mariam inuentricem salutis humanæ. Vnde illas nosti, senex bone? Vnde inquam nosti, nullam tot feminarū ad inueniendum hominem accingi, præter vnam Mariā? A Iesu quæsiuit aliquando Nathanael Ioann. 1. *Vnde me nosti.* Cui statim Iesus ait: *Cum eras sub ficu vidi te.* Vbi Eucher lib. formal. spiritual. Eucher.
explicat. *Cum esses sub ficu, id est sub peccato originali vidi te redemptum.* Hinc, ex illius antiquæ arboris vmbra cognouit Iesus Nathanaelem. Hinc etiam diuino nutu senex Simeon cognouit omnem illam mulierum multitudinem non præparari ad humanam salutem inueniendam, quia omnes illas sub primæua ficu animaduertit, nihil prosp[e]x[it] in illis non olens, & referens naturalis propaginis contagium. In vna Maria tota corruptæ naturæ domus euersa erat. Omnis lex peccati, & maledictionis in partubus in Maria erat superata, & fracta, & ab eius manibus accensum lumen gentium coruscabat. Sic D. Timoth. Hier. orat. de Simeone fatur. D. Tim. Hieros.
Iustus Simeon oculis hoc illo quo circumferens vidit quidem multas mulieres, verum singulas schemate, ornatúque humanæ naturæ propria affectas; solam autem virginem quodam diuino, infinitóque lumine circumfusam animaduertit. Illæ inuentrices hominum mortis inuentrices & muliebre naturale ingenium, & infectæ naturæ ordinem præseferebant; sola Maria naturam anteuertens, perditi hominis restauratrix templo apparet, euersa naturæ domo, nihil pristinæ arboris, nullum naturalis propaginis ordinem seruans, sed & diuino fulgore coruscat, & diuinitatis lumen manibus præfert. Vt accinat Alcuinus. *O virgo lampas luculentissima, nam lætificasti,* Alcuin.
quando splendore gloriæ Dei illustrata desideratam illud lumen, quo inuenta est drachma decima sedentium in tenebris & in vmbra mortis ... Exultate viri, iā proculdubio inuenienda erit vestra salus, ecce corruptæ naturæ domum euersam à muliere, quæ Deum de Deo, lumen de lumine hodie gestat, vt medio vmbræ mortis salui & liberi inueniamur. Non longè abest Epiph. vbi ait. *O virgo sanctissima, quæ exercitum* Epiphan.
Angelorum in stuporem deduxisti? Stupendum enim est miraculum in cælis, mulier amicta sole; stupendum miraculum in cælo, mulier ... lucem in vlnis. Expende quot miracula in virgine congerantur; mulier cœlestibus se ingerit, natura illa labilis, quæ à ficu vestimentum quæsiuit de sub radiis solis amicta clatet, quæ mortis tenebras propinauit quæ latebras fuggessit, hodie gestat lucem in vlnis. Q[uis] tam misere perditus est qui nequeat tanto [a]b lumine inne[ni]ri. Quis tam captiuus in legem peccati, qui non speret reparari per fe[m]inam a qua leges con... peccati, & pene euertitur domus naturæ lapsæ.

§. II.

Ingenuum est non expectare præscriptum legis ad bene operandum.

MOsaicæ legi innutrita Maria summam inde commendationem accipit, quod Angelis purior, nullique legi puerperij subiecta, purificationis tamen legi obtemperarit. Enimuerò quod tanto ditata ventris fructu legalem obseruantiam non despexerit ingenuum est, regium est, diuinissimum est. Agar illa Saræ ancillula Genes. 16. vbi ex
Genes. 16. Abrahamo filium concepit, statim *despexit Dominam suam*,
Lippom. quod seruorum ingenium bene ibi notauit Lippom. dicens, *Meliorem se putat domina sua, non fert fortunam suæ sortem nisi seruiliter.* Quid magis seruile, quam debitam obseruantiam denegare? Quid magis ingenuum quam ad indebita etiam officia exurgere? Sanè qui debitum pendit honorem, aut tributum, is seruus est, non ingenuus, non princeps; nil enim magis ingenuum, magisque diuinum, quam id efficere, ad quod nulla lege teneris. Accipite in vno Christo Domino, quid regius, & diuinus animus, quid forma seruilis operata sit. Ioann. 2. rogat mater, vt vini defectum in nuptiis suppleat; cui ille respondit, *Quid mihi, & tibi mulier?* Quasi diceret: quid ad nos pertinet, cuius nostri debiti
Cyril. obligatione nos pungit hæc vini cura? Hoc notans D. Cyril. Alex. lib. 10. Thesaur. c. 2. ait. *Quid mihi, & tibi, mulier, vt homo dicebat, & aquam in vinum vt Deus conuertebat.* Seruilis forma obligationem examinabat, ab indebito officio, & munere, & se, & matrem arcebat; verum diuinitas innata quo magis indebitum officium putabat, eo cupidius sese in illud accingebat. Apertius adhuc hunc Ioan. locum versat
Gregor. D. Greg. Niss. orat. in illud Pauli, tunc & ipse filius subijcietur ei, vbi ait. *Quid mihi & tibi mulier? Vis ne me ante tempus præesse aut imperare? Nondum venit hora mea quæ præbet ætati, vt imperet, & sit sui iuris.* Quasi idem esset indebitum officium præstare, & innatam ingenuitatem, & regium, imperatoriumque animum exercere. Ea igitur est ingenuitas Mariana, is regius, imò diuinus in illa vigebat spiritus, quo ad indebitam legum obseruantiam accingitur, & eo velocius properat ad templum, vt filium Deo sistat, quo ex nul-
Chrysost. lo legis præscripto ad id tenetur. Eleganter D. Chrysost. hom. 24. in epist. ad Eph. componit votum Annæ Samuelis matris cum sacrificio Abrahæ, quando filium Deo litabat.
1. Reg. 1. Etenim Anna 1. Reg. 1 sic precatur. *Domine exercituum, respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, dederisque famulæ tuæ sexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitæ suæ.* Ad hæc Chrysost. inquit. *Ipsa erat Abrahæ si quidem ille post quam petitus erat filium suum, tulit, illa vero ante petitionem dedit.* Vtriusque longè præstantior Maria quæ absque vllius legis obligatione, ante petitum, quem filium à Deo liberaliter accepit, ipsa hilariter, & liberaliter reddit.

§. III.

Maria virgo in oblatione filij, maximè glorificata est.

TAlentum dum sudario inuoluit, inuolutúmque recondit piger ille apud Lucam & talentum perdidit, & iram diuinam incurrit. Prudentius Maria talentum mundi Christum, & pannis inuoluit, & in templum cum illo prosilijt, salutem humani generis negotiatura. Sic bonos negotiato-
Ioann. 12. res hortatur Dominus Ioan. 12. *Ambulate dum lucem habetis.* Maria optima negotiatrix lucem increatam potita, non ociosa sedit, non se tenebris abdidit, sed egressa domo, festina in templum abiens lucem sacris aris intulit, ingentémque inde sibi gloriam acquisiuit. Pulchrè Isaias c. 60. accinit. *Surge, illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est.* Nec credendus est euangelicus vates locutus fuisse ad illam Hierusalem, quæ occidit Prophetas, cuius oculi caligauerant, ne viderent lumen, vt bene Adamus notat: sed nouam aliam Hierusalem alloquitur; crediderim ego Mariam. An non Maria potita est diuinum lumen? An non Maria illuminata, & illuminatrix? Equidem Maria surrexit, & accipiens lumen mundi, ad templum iuit, & gloria Domini orta est super illam, quando ex hoc ingentis gloriæ radius enituit. Eius in vlnis vidit Simeon Iesum, ait. *Lumen ad reuelationem gentium & gloriam plebis tuæ Israel.* Quasi diceret, qui vlnis tuis fusus iacet puer, ô virgo, lumen est, quo vniuersæ nationes fulgeant
Chrysost. & vnica Israelitica plebs gloriam accipiat. Ad hæc Chrysost. Iudæorum plebem indignam censens gloria Christi, Simeonis verba examinat. An recutitorum gloria Christus? An in Domino glorificatur, qui mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum? Qui gloriam item suam cruci vendiderunt sub hasta? *Est tamen Propheta Simeon*, ait ille, *& dicit gloriam tuæ plebis Israel. Fuit enim expectans eius gloriam, cuius expectabatur aduentus, & glorificauit tum Ioseph, tum Mariam quæ dicuntur.* Et quidē super Mariam de diuino lumine radiantem in templo gloria Domini orta est. Et quomodo gloria non glorificaretur, quando tantum munus sistit Deo, nimirum Christum? D. Iren. lib. 4. c. 34. de Iren.
muneribus Deo oblatis inquit. *Non indiget quidem Dominus nostro munere, sed is, qui offert glorificatur ipse in eo, quod offert, si acceptetur munus eius.* Vt inde Marianam gloriam venemur maximam, quando templum ingressa vnum obtulit Deo munus omnibus acceptabilius. Isaac ditaturus filium Esau gloria benedictionis, expectabat ab eo aliquale munusculū, ait enim Gen. 27. *Fac mihi inde pulmentum, sicut velle me nosti, & benedicat tibi anima mea.* Interea Iacob currit ad gre- Genes. 27.
ges, agnum affert, vbi cibum, & munus parenti gratum paret, vt sibi gloriosam benedictionem accipiat. Quid plura? Accipite Ambr. sancté. *Ac exijt ad oues Iacob, & attulit innocen-* Ambros.
tiæ partum; quia Patriarcha cibum nullum credidit esse dulciorem, quam Christum: hunc publico parenti cibum vtilem iudicabat, quo futura erat remissio peccatorum. & ideo accepit florem gratiæ. Ideo præ fratre benedictione fuit ditatus, & glorificatus. Sic communis omnium pater Deus optimus maximus quotidie in templo ab Israele expectabat munus aliquod gratum; dúmque carnalis populus hircorum sanguinem parat, Iacobæa proles Maria templum adiens innocentiæ attulit, & puritatis partum, quia parenti optimo cibum nullum credidit dulciorem futurum, quam Christum, quo futura erat remissio peccatorum, eóque munere Mariæ, & patri Deo placuit, & maximam sibi gloriam conquisiuit. Quam gloriam meditatur D. Isid. Pel. lib. 2. epist. 192. *Si puerulus matrimonij fructus est, quonam pacto Virgo matrimonij fructum edidit? Sic, inquam, vt nec diuina natura quicquam patiatur, &* Isid. Pelus.
quod mortale est modo quodam, qui nullis verbis exprimi possit, omnémque interpretationis vim superat, honorem accipiat.

§. IV.

Maria liberalissima in genus humanum.

MVltus est D. Epiphan. in B. Maria commendanda, sed Epiphan.
præcipuè cum diuinum infantem eius videt in manibus. Tunc sic extulit Marianas laudes. *Dicam illam esse cælum, thronum simul, & crucem, extendit enim sanctas vlnas Dominum portauit.* Et merito crucis dicitur Maria imitatrix, cum extensis vlnis susceptum Dominum portat aris illum oblatura sacris. Crux equidem omnium creaturarum liberalior extensis brachijs recepit Dominū, nec sibi retinuit auara, sed statim illum patri reddidit hostiam salutarem, & acceptabilem, & hominibus, quo redimi possent, pretium reserauit. Altera crux Maria, minus dura; sed non minus liberalis vix excepit filium, & extensis vlnis portat exhibendum patri, hominibúsque donandum. Quod innuens Euang. ait, *& tulerunt illum in Hierusalem vt sisterent eum Domino.* Non auctulerunt filium suum, vt diuinissimæ matris extolleret liberalitatem, quæ cedens iuri materno, non vt suum, sed vt mundi pretium hominibus donatum, offerebat æterno Patri. Non didicit hoc Maria ab illa, quæ natura mater erat hominum. Hæc enim alienos, & vetitos fructus sibi subripuit, & dum viro marito, & sibi sapientiam procurat, & diuinitatem, totum inficit, & fame enecat genus humanum. At didicit hoc Maria a maternis crucis brachijs, quæ statim ac fructum protulit, illum porrigit mundi pretium, & hostiam Deo acceptabilem. Vt hinc videantur verba illa Cantic. 8. Cant. 8.
Mariæ aptari nimirum. *Sub arbore malo suscitaui te, ibi corrupta est mater tua.* Quibus Rupert. Beda, Iustus, & Ansel cognoscunt pulcram antithesim inter crucem, & lignū scientiæ boni & mali: sub illa enim viuentium mater gratiæ plena apparuit, sub isto corrupta est natura in prima naturali matre; sub ligno vetito, quæ mater erat natura, naturam ligni induens arrham putruit, [illegible] nisi vermes pauit. Sub cruce cœlestis sponsa Maria excitatur, cruci configurata crucis induit & gratiam, diuinum fructum non sibi surripiens, sed illum donans hominum vniuersitati. Et dicitur [illegible] c. 2.
[illegible] & [illegible] Vas aureum Chrys. sic fatur. [illegible] Chrysol.
[illegible] natura [illegible] *pietas voluit.* Sanè si genetricem è natura æmularetur Maria,

vnà

vas sibi seruaret diuinum fructum, sicut illa sibi subripere voluit diuinitatem: at misericordia Dei effecit, vt Maria non natura, sed gratia esset mater, non pristini corruptæ naturæ ligni, sed viuidæ crucis gratiæ existeret æmulatrix. Vt sicut Crux diuinum fructum non quasi suum reseruauit, sed hominibus donauit, sic cruciformis gratiæ æmula statim à partu materoo iuri cedens, fructum diuinum patri obtulit, [illegible]que vniuersos homines ditauit.

§. V.

Marianis manibus diuinus fructus sese maxime ad omnes homines auxit.

August. Panis [illegible] erat Dei verbum à principio, sed quo cœlestes [illegible] soli vescebantur, quocirca aiebat August. Conc. [illegible] *In principio erat verbum, ecce cibus sempiternus, sed [illegible] Angeli manducant superna virtutes, manducant, & [illegible] autem homo posset ad illum peruenire!* Nec [illegible] perierat a mensa illa, quam homines manducarent, ideo fame perituri. Tandem accessit Maria, & Verbum suis sumpsit in manibus, [illegible]dque in illam segetem multiplicauit, quæ vniuersitati hominum parturiret saturitatem. Hinc

Epiphan. Epiph. ait [illegible] *ager minime cultus, qua Verbum velut gran[illegible] ipsum, etiam manipulum generauit.* Compone [illegible]d, granum frumenti, cum manipulo generato: & vide[illegible] quam multip[illegible] catus sit Angelorum panis in manibus Marianis. Grani mensuram non excedens Verbum adtuenit Mariæ, cuius in manipulum crescens vniuerso hominum generi paratur pabulum. Exiguitatem grani illius meditatus Simeon *expectabat consolationem Israel*, nimitum, quod [illegible] Israelitæ vescerentur illo grano; verum vt templum [illegible] ssus Marianis vlnis contemplatur infantem, protinus exclamat. *Quod parasti ante faciem omnium populo-*

Author Græc. *rum.* A[illegible] author Græc. in Cat. fatur. *Antequam agnum viueretur beata visione, casto abatus solatium Israel, vt autem [illegible] obtinuit, ex amat [illegible] vidisse salutem omnium populorum* Iam non vni Israel, sed omnibus populis æstimauit sufficiens, quasi in manibus Mariæ tantum incrementum accepisset, qui od omnium mortalium indigentiæ foret satis.

Ioann. 6 Apud [illegible] cap. 6. beneficentissimum illud Christi Domini miracul[illegible] celebratur, quo quinque panes accipiens manibus, [illegible] fecit augeri, vt præter innumeram puerorum, & feminarum mul[illegible]tudinem, quinque millia virorum

Athanas. exsaturaret. [illegible] quo sic D. Athan. orat. de Incarn. Verb. ait, *Cum tamen [illegible] quinque panibus tanta vis [illegible] ex [illegible] Quis aliud [illegible] quam [illegible] mund[illegible]* Diuissem eadem de [illegible] Mariana Cum enim granum illud frumenti, nemp[illegible] diuinum, quod solos Angelos exsatiabat [illegible] virginei manibus non granum, sed manipulus, sed seges fiat [illegible] populos satians, quis aliud credet quam Mariam tanti au[illegible]menti instrumentum procuratricem esse mundi

§. VI.

Praeclara virtutum facinora scientiam mentis acuunt.

Mariam in templum gradientem, vt Deo filium sistat, comitatur Ecclesia accensis cereis de more prudentum V[illegible] um, quæ exierunt obuiam sponsæ, & sponso accensis lampadibus. O quam discitur prudentia! ô quam acuitur m[illegible]s sapientia ex præclaris facinoribus manuum!

Cant. 1. Ad animam scire cupientem dicitur Cant 1. *Si ignoras te, ô pul[illegible] mulierum, egreaere, & abi post vest gia gregum [illegible] dos tuo* &c. Tunc enim ignorantiam depellit, & sapientiam acquirit anima, si laboriosis instet officiis [illegible] op[illegible] patr[illegible]t. Sed aptius Kald. quasi cum Ma-

Kald. ria loquens dicit. *Si [illegible] te è [illegible]* Adeo en[illegible] excellens est facinus, quo Maria filium [illegible] fecit apparere in domo Sanctuarii [illegible] mentem valeat illustrare, & omnigena prudenti[illegible] corare. In Exod c. 24. iuxta lectio-

Exod. 24. nem D Basil. in [illegible] c. 1 [illegible], dicebant Israelitæ, *Omnia quæcunque [illegible] audiemus.* Nota ordinem, faciem[illegible] aiunt, [illegible] quasi e factis ad sapientiam capien-

Isid. Pel. da[illegible] animum ap[illegible]t. Sic D. Isid. Pel. lib. 4. epist. 1. ait *Qui [illegible]* [illegible] Mem[illegible] am [illegible] prær en[illegible] subit illud Abrahami de- [illegible] *in Enarrg. Tom. 1.*

cantatissimum facinus, quo vnigenitum Deo litauit, à quo eam acquisiuit sapientiam, quam nullis studiis compararet. Quæ enim studia scientiam pariunt futurorum? Et Abraham litaturus filium futura cognoscit, quando interrogatus de oue, respondit; *Dominus prouidebit sibi victimam.* Vnde Genes. 22. scisti hanc diuinam prouidentiam? Quis tibi tam perspicacem sapientiam edocuit? Id sola edocuit tam insignis litationis actio. Profero D. Ephr. in Ionam, vbi sic ait, *Lingua* Ephrem. *Abraha plus nouerat quam cor, manebatque mens eius otiosa, at lingua vaticinabatur. Os cum soleat à corde addiscere, hic cor edocetur ab ore mysteria futura.* Possunt equidem externæ operationes, præclara facta, mentem illuminare, incredibilémque sapientiam ingerere animo. Quocirca Maria ad templum mittitur, vt filium Deo sistat, & ex tam insigni opere, quidquid scire cupit, facile capiat.

§. VII.

Mariana fœcunditas in vnitate prolis commendatur.

Malé periere, qui Marianum puerperium multiplicabant, docentes à filii Dei egressu mansisse aperta virginalia claustra, vt alios parerent, vt sic rigorose primogeniti munus Deo oblatum decantent. Proh insania! Hos detriumphat Epiph. lib. 3. contra Hæres. aiens. *Profecto etiam ge-* Epiphan. *nitricem ipsius leænam dixerim: vnde enim genitus omnino leo, si non leæna mater eius vocatur? Leæna autem non contingit fecundus partus, non ergo amplius partum nouit Maria.* Ea enim Maria cuius vnicus filius inter omnes futurus existeret singularis. Quia maledictione partus, multiplicantur, nó enim prope infinita malorum moles aliter exhauriri posset, nisi per multitudinem partuum. At vbi totum benedictionis negotium est, vbi totos perfectionis cumulus adest, vnicus etiam partus debet esse, qui in se totum gratiarum imbibat mare. De Præcursoris Domini parentibus dicitur Luc. 1. *Et* Luc. 1. *non erat illis filius:* quod expendens Chrysol. serm. 91. ait. *Non* Chrysol. *dixit, non erant illis filii, sed non erat illis filius, quia singularis futurus erat, qui erat de talibus nasciturus.* Perfectissimum parentem decet non filiorum examen, sed is filius, qui totum perfectionum cumulum exhauriat, qui singulares patris virtutes ipse vnice, & singulariter ornet, & exaltet. Hinc Paul. ad Cor 1. c. 8. vanissimas Deorum Græcorum genealo- 1. Cor. 8. gias confundens ait. *Nobis tamen vnus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum, & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* Quasi diceret, quod verus Deus noster, etsi multarum creaturarũ author sit, tamen non earum enixu pater constituitur, quando partus multitudo degeneres, & imperfectas proles enuntiat, verum quod pater fiat, id habet ab vnico & singulari filio, qui omnem patris exhaurit perfectionum cumulum. Quem sensum præfert D.

Athanas. Arban. epist. 1. ad Seraph. dicens. *Si filius est Dei verbum, vnus est sicut Pater, vnus enim Deus Pater, ex quo omnia, & vnus Dominus Iesus Christus, vnde & vnigenitus suus dictus est. At creatura multa sunt, variaque, Angeli, Archangeli, Cherubin, Principatus, Potestates. Porrò, quia filius non est de multorum numero, sed vnu[illegible], sicut Pater vn[illegible] est, nequaquam est creatura,* &c. Indecens erat tanti Patris filium, numerum esse, & vnũ è multitudine, sed vnicum, sed singularem, Patris referente æternam singularitatẽ. Hine iam sese effert maternitas Mariana de vnico, & singulari filio exultans, qui vt vnicus est, sic in omnibus perfectionibus, vnicam refert matrem.

§. VIII.

Vna Maria parens purgatione minime indiguit.

Apage Origenes, qui diuinissimum hoc puerperium purgationi subiicit; quando ipsa puritas, & mundicies Mariæ parienti inuideret. Quid purius eo partu, in quo iustitiæ sol nascitur? Pulchrè D. Zeno serm. 2. de Nat. inquit. Zeno. *Non mater eius tanti portus pondere exhausta, totis pallens iacuit resoluta: vi[illegible]ribus, non si tui matris, aut suis [illegible] sordi[illegible] delibutus: neque enim te vetat aut [illegible] habere posse immundum, qui humani generis peccata, sordes, & [illegible] mundaturus.* De antiqui serpentis halitu, sordet infecta hominum natiuitas, & quia humana bonimem porum accepetat, & mundum, æquum est, vt in sordibus iaceat erubescens quod ipsum reddat penitus squalentem, & immundum. Inde Maria [illegible] quæ non parturit peccatorem, sed sanctum, non [illegible] hominem, sed & Deum, ideo ait Angelus, *& quod nascetur ex te san[illegible] [illegible] ab[illegible] filius Dei.*

Nazianz. & vt bene D. Gregor. Nazianz. orat.40. *Dei filius, sine ulla sp... ex virgine progressus est, nihil enim spurcum vbi Deus est.* Iam a sæculo Deus habitat, lucem inaccessibilem, quare complexa Deum Maria non sordes nutrit, sed candidissimo lumine, limpidissimisque radiis conuestitur. Ecce vobis, quicumque tenebrarum harum Principibus seruitis, quantis sordibus eorum emitis amicitiam? ...anè si abluendi estis, Marc.5. fontibus egetis, & mari. Nota ex illa Marc.5. historia, vbi grex porcorum, quo nil immundius, dæmonis tamen immunditiam non sustinens, vt illam depelleret totam maris aquam subijt; ait enim. *Exeuntes spiritus immundi, introierunt in porcos, & magno impetu grex præcipitatus est in mare.* Chrysol. Quod notans Chrysologi acumen serm.17. dicit, *Demergi in mari, & fluctibus perire grex maluit quam eius immundi sani pati, & putredinem tolerare.* Quasi eis, qui nequissimis spiritibus obsequuntur, toto mari opus habeant, vt contractas inde depellant mundicies.

§. IX.

Qui spiritu Dei aguntur, omnes alios, vt dominos, reuerentur.

ECce vobis Angelorum regina diuino ditata partu, diuina prole præsultans in templum properat, vt Moysi obsecundet, & puerum Domino sistat. Quid sibi vult quod sistat puerum Domino? Nónne verius dixisset vt sistat puerum patri? Equidem hoc habet humana caro à diuino verbo assumpta, ne detrectet Dominum recognoscere, & etiam vbi Patrem dicere posset, dominicum reuereatur tiMatth.11. tulum. Matth.11. inquit Iesus: *Confiteor tibi pater Domine cæli, & terræ.* Si patrem vocas ô bone, & verè vocas, cur Domini meministi? Patrem vocabat verè filius, sed humanitas assumpta nequit etiam ibi Dominum obliuisci. Do huius Athanas. loci commentatorem D. Athanas. lib.3. contra Arrianos, vbi sic habet. *Cum pulcherrima interpunctione dixit, Confiteor tibi pater; deinde, Domine cæli & terræ. Vbi ... & patrem suum dixit, & rerum creatarum Dominum, vt ... constaret, eum à tempore induta carnis patrem suum Dominum appellitare.* Caro facit assumpta, ne detrectetur forma seruilis, sed etiam in patre summum internoscatur dominium. Et expendo illud, a tempore indutæ carnis, non enim is est Dei filius, qui detrectet dominos recognoscere, cum licet; ante carnem non habebat vnde Dominum confiteretur, sed vbi carnem accepit, statim sese Domino sistit. Hunc ebibetunt spiritum quicumque anhelant ad filiationem diuinam, quo cæteros quisque sibi dominos, & prædicat, & existimat. Felix illa Matth.15. Chananæa Matth.15. a Tyro, & Sidone egressa, sic molliebat Dominicam repulsam. *Etiam Domine, nam & catelli comedunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* O verè felix mulier, quæ salutis filiæ causa Christum secuta, hoc in primis ex filij Dei spiritu accepit, vt etiá Iudæos Ambros. profiteretur dominos suos! De illa Ambros. ait. *Studium eius, & humilitatem Dominus laudauit, quæ non sibi profundum sapientiæ à primordio vindicauit, quam iu de Tyri, & Sidonis finibus iam esset egressa, sed micas quasi iam, quæ de mensa dominorum suorum caderent, crederet colligendas.* Quam longè absunt vanissimi tyrones, qui via limina sapientiæ, siue vitæ spiritualis ingressi, & Agarenorum instar, Dominam despiciunt, omnibus se præficiunt. Vtinam quid de filio Dei haberent menti insitum, & nil tam in se meminissent, quam seruitutem, & in cæteris dominium. ...ic Probam commendat D. Fulgent. Fulg. epist. ad Gallam. *Proba cum sit ... atauis que nata consulibus, & delitijs regalibus nutrita, tanta illi e... humilitas dono gratiæ cælestis ins... a, vt amo... abiectionis, & ... su seruiendi, Dominam aliquando fuisse iam ne... iat, ... omnes dom... os habere de lectione sancta seruit... in ...* Maria ergo Deo propinquior quam Chananæa, Dei ... dinsior quam Proba, vt Dei filio ditata fuit, quasi Dom... se esse nesciret, de lectione sanctæ seruitutis Moysi obtemperans, legalis disciplinæ micas perquirit, cum esset ... plena pane viuo, & in templo se, filiúmque suum Domino sistit.

§. X.

In communi legum obseruantia virtus enitet præstantissima.

SVspecti sint noui, & paradoxi viuédi modi etiam in v... ...tutum ... anscurr... ndis curri... li..., nam qui e... traor... narias abiectionis, & austeritatis vias arripuere, præpropero consilio in amplissimos vitiorum campos deuenerunt. Superbissimus ille Nabuchodonosor audiuit à Daniele somni Daniel.2. sui expositionem, c.2. Quid tunc? *Tunc Rex Nabuchodonosor cecidit in faciem suam, & Danielem adorauit, & hostias & incensum præcepit, vt sacrificarent ...* Quis de tam humili adoratione non speraret magnos progressus virtutum? Quis Regem humi prostratum ad captiui pedes videns, non crederet in humilitatis verticem deuenturum? Sed ecce statim auream sui imaginem extollit quam adorandam exhibet multitudini. Id acutè animaduertens Richard Vict. l... de erud. int. hom. par.c 36. ait, *... quo... o se quis incon... tius, & immo... ... eo ad in... iorem postmodum superbiam erumpit. Attende in r... humiliationem instabilem, & ind... ectam, & postmodum superbiam plus... am humanam. Nam ... prius Danielem adorauit idem ip... postmodum statuam suam adorare præcepit.* Securissimè quis eas virtutum semitas terit, quæ intra communes sui status terminos continetur. Hinc sese maxime extulit virtus Mariana, nimirum in sui status communium legum exactissima obseruantia. Quam enim abiectionis, & humilitatis semitam secuta est, nisi eam, qua communibus puerperij legibus sese subiecit? Et dum tritis omnium viis graditur, perpetes aliorum volatus excedit. Illi aiebat Angelus, *Inuenisti gratiam apud Do-* Luc.2. *minum*: quocirca D. Bern. serm.3. in annunc. ponderat *Inue-* Bernard. *nisti gratiam; quantam gratiam. gratiam p... ... gratiam singularem; singularem an generalem. Vtramque ... quia plenam, & eo singularem, quo generalem.* Itaque eo singularis præstantia virtutis Marianæ claruit, quo non peregrinis & exorbitantibus, sed communibus. & generalibus ... mitis gradiebatur. Ecce tibi vnde commendatur præstantis virtutis vir Gen.6. iusta lect. Chrysost. *Noe homo ... in gene-* Genes.6. *ratione sua.* De quo pulchrè expendit ipse Chrysost. hom.23. Chrysost. *Vidisti admirabilem genealogiam: Noe, inquit, ho... ... commune nomen pro laude iusti vsurpat.* Nec in iusto viro crediderim laudabilius aliud, quam si communes, & tritas viuendi sui status semitas impleat sanctitate. Debbora suam victoriam commendat Iudic.5. aiens, *De cælo dimicatum est stellæ manentes in ordine suo contra ... aram pugnauerunt.* Quasi diceret, Iud.5. vt inclytus Israelis dux Iosue victoriam reportaret, omnes planetæ cœlestes à communibus legibus exorbitarunt, nouas, & inusitatas stationes præ se tulerunt. Verum mea victoria eo præstantior, quo communis astrorum ordo permansit, quo intra communes cœli, terræque mores confecta est. Id innuit Dionys. Carth. dum ait, *... ... stellas* Carthus. *pugnasse dic... ntur stellæ in suo cursu & ordine ... manentes ... est solitum ... m, & disp... tionem ... de Si... ... verba illa innuunt differentia ... ... ea quæ ... Iosue desuper est concessa.* Summè enim commendatur virtus qua quisque in ordine suo, in statu suo, tritas terendo vias, communes obseruando leges se maximè exaltat.

Text. Et vt darent hostiam, secundùm quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.

§. XI.

Distant religiosi viri, dum Principum frequentant domus, nihil dimittere de Christiana paupertate.

ILlustrium, diuitúmque erat, agnum Deo offerre, vnde mi...or quod virgo paucos ante dies à Regi...s visitata, & munerata, inter regum frequentias, & munera adhuc amaret Christianam paupertatem, & munus diues, n... Deo offerendum sumpserit secuta in omnibus mores paupe...m, dum offert par turturum, aut duos pullos columbarum. O quam religiose! O vos ...ces viri religiosi, qui de Mariæ exemplo nosti... inter Reges & Principes commorari, & nihilominus integram Christi paupertatem sectari. Ps.103. Psal.103. ait. *... ... quas p... ... illi po... ... unt. ... domus dux ... orum.* Sane ced... istæ, Principes sæculi sunt, quibus diuitiis passeres Christi sustentantur apud illos manentes, & ... orum salut... ... ntes spirituali. Dum tamen apud Princip...s sunt de Principum exemplo non amant diuitias, non sequuntur au...m, sed Frodij vel, vt al... legunt ... ul... æ domus hoc est Christi paupertas dux est eorum. Hanc vnam vel in Regi... spectant: quod eleganter tractans August. ... nc ... ait. *...r, id est in cedris ...* August. *ni, passeres ... ificabunt ... præbe... nt ramos facultatum ... arum, collig... d... ... spi... tual... ... abent illæ, faci... t hæ cedri libani, quas plantauit Dominus. Sed passeres quamuis in cedris libani,*

libani nidificabunt: non tamen cedri libani duces sunt passerum; sed Fulica domus dux est eorum. In cedris quidem nidificant passeres [illegible] *illam habent ducem, qua fluctibus tunditur, & non frangitur* [illegible] *imitantur enim Christum.* Nec intet amœnas cedros, inter Regum, Principumque frequentias patiuntur aliud, quam Christum pauperem spectare, & sectari. [illegible] edrus illa magna, & procera Nabuchodonosor, in cuius brachiis fideles passerculi nidificabant. fecit statuam
Daniel. 3. auream Dan. 3. quam sectatores eius adorarent. Fecit & ardentem fornacem, qua mitterentur, qui aliud, quam Regiam au [illegible] imaginem spectarent. Proh dolor! inuenti sunt tres pass[illegible] tres pueri Hebræi, qui etsi in cedris nidificabant, tam[e]n non abibant post aurum, non ducem habebant cedrum, sed Deum spectabant, hi dati flammis sunt, vetum [fl]ammæ [il]los custodientes, sectatores auri vorarunt. Caue [illegible] [p]ue Dei, qui apud cedros nidificas, qui Principes [illegible] [fami]liaris, ne cum auri sectatoribus abeas, ne oculos auertas a C[h]ristiana paupertate, & venerationi eius
Chrysost. flamm[is] [illegible] [e]leganter monebat hoc Chrysost. homil. 24. ad Popul. [Antioch.] [illegible] *ignem igitur descendit, ne sedeas extra ignem, ne* [illegible] *Nam si tecum pauperibus quidem videris,* [illegible] *Si vero* [illegible] *paratum ab eis tibi statim* [illegible] *& te* [illegible] *cum diabolus aurum non adorantes in caminum* [illegible] *ne de mittentium sed ex missis* [illegible] *qui combu*[illegible] Mirabor si post aurum abeuntem non te flamma vorer, quæ [i]llorum custos est, qui in cedris nidificantes, ambitiosi lectatores sunt paupertatis Christianæ.

§. XII.

Qui magna reliquerunt pro Deo, erubescant non contemnere parua.

POssct sanè Maria de Regum muneribus offerre agnum, vt vel aliquantulum inde splendorem inter populares caperet. Absit hoc piaculum à Mariana virtute, quæ magnis præparata, caperetur paruis. Nónne eleganter monebat
Tertull. Tertul. lib. de Pat. *Absit à* [s]*erno Dei tale inquinamentum, vt patientia maioribus tentationibus preparata, in friuolis excidat?* Ea sane est Mariæ puritas, quæ vt animosè eitempsit mundi magnalia, sic paruas consolatiunculas sumere dedignatur. Sane fortis athleta Iob bonis omnibus spoliatus iuxta
Iob 2. Septuag. lectionem cap. 2. *Sedebat supra acer*[u]*um stercoris extra ciuitatem.* Cur extra ciuitatem sessurus abit? Pulcrè
Origen. O[ri]gen. lib. 2. in Iob. *Cur in ciuitate maneam? cum re, ac* [illegible] *c domibus carui. Cum re familiari* [illegible] *liberi* [illegible] *qui ablata est mihi. Nunc vero cum regno, relinquam etiam ciuitatem ac domum.* Vir strenuus putabat gloriæ suæ inquinamentum fore, si qui regni amissionem tulerat, c[onsolati]onem caperet in vna permanente ciuitate, sic assuetus magis ipse dedignatur & parua. Vt erubescant [illi], qui regna, qui mundi grandia ausi sunt a se pellere, & paruis postmodum irretiuntur consolatiunculis. Cur [illegible] ardor, in nefario milite plectendo, non fuit Do-
Matth. 26. mino probatus? sed aut ille Math. 26. *Mitte gladium tuum in vaginam.* Quid quod Petrus strinxerit gladium? An hoc ignominiosum [C]hristo, se de vnius gladio consolari, quando omnes Angelorum exercitus reliquerat? Ait D. Leo ser.
Leo. 6. de Pas. *superfluum erat* [illegible] *qui vol*[ebat] *præsidio Angelicarum* [illegible] *defendi.* Fugiamus & nos qui magnalia mundi abnegauimus, de paruis consolationem perquirere, qui plenas mensas abiecimus, ad micas inhiare, & ad ossa corrosa, qui cete magna victores superauimus, Echeneidis minimis detineri. Sie
Nazianz. monebat [G]regor. Nazian. carmine 3. ad Virgines.

Ne [illegible] *tua immittas, Echeneida carnem,*
Quæ velut in stella prop [illegible] *campede puppim*
D [illegible] *molem*

Et quidem doleres nauim saluis mercibus per Scyllas, per Charybdes nauigare, ventóque secundo ingentia scopulorum peric[u]la [co]ntemnere, tumentes fluctus, ventorum [illegible] [sup]erare rabie[m], & tandem e vestigio pusilli pisciculi immobilem hære[re]. Si multi descendunt mare in nauibus, quando humanæ [vit]æ fluctus vt superent sese Christianæ [illegible] non commit[tu]nt tutis, & post superata grandia peric[u]la post ingentes merces comparatas, post felicissimos factos proce[ssus], paruum quid obicitur, nimirum pusilla concupiscentiæ, siue [v]anitatis remora, quæ properantem detinet, & cogit tantam subsistere molem. Aliquando enim perfectis [vi]ris accidit id quod familiare est illis qui à solis luce ingrediuntur sub obscurum cubiculum, vbi luci assueti nihil videntes passim offendunt vel leuissimis offendiculis Sic multi viri spirituales dum ob animarum lucrum, foras discurrunt, gloriosa facinora peragentes, insensibiliter de forensibus negocijs affecti, sæpe donu corruunt propter leuissima offendicula.

§. XIII.

Magna virginitatis custodia est quod nolis ornatior apparere, quam status rei familiaris permittit.

CVr paupercula & humilis Maria de agno oblato vellet ornatior apparere? Vt bene notat Canus lib. 11. de locis, non dicebat, vt quæ pauper erat, diuitum oblationem subitò offerret: ab omni enim vastu erat virgo aliena. Præcipuè quod in virginibus male olet quicunque ornatus, qui ab statu rei familiaris non permittitur. Vbi tenue penu profiteris, cur de diuitum extolleris ornatibus & pulcritudinibus? Tota priscorum adolescentum ambitio, præcipuus ornatus erat in crinibus, quibus insignis Iob, inter Iob 1.
diuitias, inter regni splendores, vbi regni bonorumque patitur iacturam, *tonso capite corruens in terram adorauit.* Quid plura? tonsi à Iob capitis hanc pulcram rationem meditatur Orig. lib. 1. in Iob vbi inquit. *Comam vera capitis* [illegible] *ton-* Origen.
tondit, ob hoc quia deposita diuitiarum abundantia, etiam comæ numerositatem deponebat. Non bene conueniunt pauper penu, & diuitum ornatus, qui animo castus est, cum status sui conditione temperet corporis cultum, & comarum ambitionem. An hoc respexit Lucillius ille, qui post substantiæ omnis naufragium, crines statim totondit? dicens in illo Græco Latino apud Natalem Comitem lib 8. Myth. cap. 4. Natalis

——Dijs, æquoreóque Ioui.
Seruatus dicat è pelagi Lucillius vndis
Hos crines: aliud namque habet ille nihil.

Turpe enim est nihil habere, & crines rotari calamistri vestigio. Hinc ab Ægyptiæ manibus fine pallio elapsum Iosephum commendans D. Cypr. lib. de Pud. inquit. *Ipsas* Cyptian.
vestes reliquit, corporis nuditatem habiturus innocentia testem. Ah! quoties quam innocentiam prædicat corporis nuditas, humilis ornatus, pauper cultus, eandem produnt intorti crines, ornatior cultus, ambitiosus ornatus. Hoc de exemplo Mariæ sanctū esse velim omnibus castitatis amatoribus, quod nimirum humiles virgines nimìmè decent pompósæ ambitiones diuitum.

§. XIV.

Primo loco Deo redd. is idem, quod ab illo accipis.

OBlatum à Maria filium sequuntur alia turturum munera, quia Mariæ gratissimus annuus, [i]d prius Deo offerre studuit quam ipsum quem acceperat filium Deo dante. Sic monebat D. Leo serm. de Natiu. 6. *Non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis, qui non aliter pie colitur, nisi id ei, quod* Leo.
ipse tribuit, offeratur. Accepit Maria à Deo filiū qualem nulla femina accepit, sed nec accipere poterit: sed auara & ingrata minimè retinuit acceptū quando in primis festinat in templum, filium Deo reddere. Felix illa Anna Samuelis mater, antequam esset mater 1. Reg. 1. sic Deum orabat. *Si audien-* 1. Reg. 1.
do audieris precationem ancillæ tuæ, & dederis mihi filium, dabo illum donum Domino omni tempore. Ad quæ verba elegantet aduerrit D. Chrysost. in epist. ad Ephes. cap. 6. homil. 24. *Non* Chrysost.
dixit, si dederis mihi puerum, daba pecunias. sed ipsum totum donum retribuam primogenitum, & natiuum filium. Longe præstantior Maria vbi venit plenitudo temporis ipsum quem acceperat filium, donum Deo retribuit. Alia de Simeonis occursu, & Annæ prophetissæ habētur lib. 2. c. 9. per totum.

CAPVT XII.

De Maria iuxta Crucem.

MVLTA pertulit B. Maria in Saluatoris infantia, cum fugitiua ad Ægyptum cucurrit, cum triduo dennem filium desideraunt. Ecce vim h[i]s, & alijs plurimis euentibus doloris gladius virgineum animum transuerberauit. Quorum dolorum æstimationem non vacat in præ-

 senti

fenri facere: commodius id præstabimus cum Christi Domini enucleauerimus infantiam. Modo in altum ducimus, vt quo a tempestate passionis iactata sit Mariana ratis inspiciamus: ratis, inquam, & Crucis arbori religata, & Crucem secuta, mediis ipsis naufragiis.

Ioann. 19. Stabat autem iuxta Crucem Iesu, mater eius.

§. I.

Innocentis filij mors acerbissima omnium dolorum Maria.

Quid magis acerbum, quam quod parens videat morientem filium, & vnicum, & amantissimum filium? Nescio an Deus maiori clade afficere posset in hoc sæculo parentes, quam filij amantissimi internecione. Sanctissimus ille vir Synesius Ptolemaidæ antistes dolorem suum ex filij morte exaggerans Epist. 126. aiebat. *Necesse erat vehementiorem esse [illegible] mali impetum.* Hic crediderim, quod dæmon ille, cuius curæ erat rebus Iobi nocere, hunc vehementissimum impetum illi in primis parasse, dum omissis aliis, vnam filiorum mortem renunciat, dicens cap. 1. *Quæ comenti oppressi liberi tui, & mortui sunt.* Ibi Olympiod. in Cat. ait. *Germanæ prolis [illegible] vt nobis naturam exulcerarer. Nec enim [illegible] erant ocuidit, sed magis [illegible] et plagas [illegible] super filios tuos.* Videte modo Marianam plagam eo vehementiorem, & luculentiorem, quo Mater digniorem vita filium videbat atrociter, & crudeliter finiri. Genes. 17. cauetur; *Et omnis anima, qua non circumcisa fuerit exterminabitur e populo suo.* Et quidem, quod puer non circumciderctur, non ex illius culpa, sed ex parentum incuria oriebatur: cur ergo lex non potius vindicat in parentes, quam in pueros incircumcisos? Et sane eo grauius in parentes exardescit legis vindicta, quo filios mulctat, & affligit. Sic D. Isid. Pelus. lib. 2. epist. 83. inquit. *Tunc dum erat eum, qui non circumciderit exterminatam iri, non autem [illegible] immaturæ ætatis. Ego vero ne literalem quidem sensum improbo, siquidem parentibus acerbius est supplicium, cum pueri ex[illegible] damna.* Proh dolor, & virginis & Matris sanctissimæ vbi vnigenitum filium tam crudeli, & infami mortis supplicio videt extingui? Nescio an Maria in hoc sæculo posset torqueri amplius, & affligi. Rabidissimus dæmon in Saulem, vt eum incredibili dolore affligeret, 1. Reg. cap. 14. ad machinatus est, quod Saulis filius Ionathas legem inculpabiliter frangat, ob quam innocens morte in ipsis Patris oculis mulctetur. Id quod ponderans D. Chrysost. homil. 14. ad Populum fatur. *[illegible] ratus ille, [illegible] Si enim Ionathas [illegible] tantum id erat [illegible]* Verè ô beata Virgo, & Mater, non simplex est dolor tuus iuxta Crucem, sed dolor est duplex, sed multiplex, quando occidi vides filium & filium qui nihil peccauerat, & ab his qui [illegible] cordi erant, & quos ipsi cumulauerat beneficiis multisque in dies bonis impleuerat.

§. II.

Maria Virgo pro mundi vita filium neci tradit.

Reuoco in examen illud pro dolore Saulis, morte filij a Chrysostomo paulo ante ponderatum. Nimirum, *[illegible]* [illegible] Marianus dolor est, quod ipsa filium, & filium qui nihil peccauerat, immolabat. Sic D. Bern. Sen. putat filium ad Matrem fuisse locutum his verbis. *[illegible] ex tuis carnem assumpsi, & vulneribus [illegible] Cruce cor meum.* Prima quidem Maria inclyta Abrahamides stringit ferrum in filium, vt imperauit Deo [illegible] immerentem litaret. Prima pro communi salute [illegible] suum ad mortem expostulauit. Prima [illegible] altera filio [illegible] on pepercit, sed pro omnibus tradidit, a qua simul & lac, & lignum Crucis filius accepit. Sarræ fortissimo duci Iael vxor Heber Cinei lacte potauit filium [illegible] Iudic. 4. narratur. *Iael aperuit vtrem [illegible]* Et statim cum ille lactatus dormiret [illegible] *& cum ille [illegible] fusus [illegible] fumque malleo defixit in cerebrum vsque ad terram, qui soporem morti sociauit defecit, & mortuus est.* Ex hoc Iaelis facinore Petr. Dam. triumphum ex hoste ab Ecclesia peractum his verbis decantat. *Itaque quem Israeliticæ plebs superare non potuit, peregrina mulier, hoc est Gentilis Ecclesia, solo crucis ligno [illegible].*

Verum liceat nobis ex hoc facto non mortem, inflictam hosti ab Ecclesia; sed inflictam amantissimo filio à matre decantare. Equidem noua, & illustrior Iael summi spiritus sponsa Maria vbere de cœlo pleno ducem, & filium Iesum lactauit, sed quo astu lactauit? vt postea clauis, ligno ipso Crucis exhauriret & sanguinem. Ita philosophatus Magnus Athanasius de Christo Domino ait: *Suxit mammam, vt di[illegible] illud lac nobis [illegible] quod ex proprio lat[illegible] fudit nihil enim aliud est lac, nisi sanguis albus.* Ecce quam maturarint Maria mortem filio propinare, ipso in lacte, a primis mammis confossum basta latus inebriabatur. Truciores illi Iudæi, qui Domini sitiebant sanguinem, ad summum dicebant: *Mittamus lignum in panem eius.* Festinior mater non expectat panem, sed in lacte porrigendo mittit lignum, exigit sanguinem, vt nec guttam lactis exugat infans, cui non reddat in ligno fluuium sanguinis. Tenellum filium Machabæum, sic apud D. Ambr. inuictissima mater ad Crucem, mortemque hortabatur. *Tu solus super es fili, summa votorum meorum. [illegible] quæ te in vtero tot mensium curriculo portaui: aspice in [illegible] patrem omnium; aspice ad fratres quos cliegam sequi [illegible]; aspice ad matrem quæ tibi lac dedit, redde mercedem, sanguinis nulla à fratribus, nulla à matre diuellit.* Sic illa ex [illegible] ecclesiis obedientia, ex fratrum exigentia, ex materni lactis obligatione filium animose propellit ad cruciatus. Quæ verba (vt puto) virgineo robori magis quadrant. Sicne Maria filium moriturum alloquebatur, & cum Iudæi clamabant, *si filius Dei est, descendat de Cruce*; illa lactis oblati memorans, sic proclamat: *Aspice mei, quæ te in vtero portaui, aspice ad patrem cælestem, ad fratres quos Saluatorem requirunt: ad matrem, quæ tibi lac dedit; redde mercedem pro sanguinis.* Compensetur lac, exhauratur sanguis, vt sic in ligno decidens pristini ligni damnis medeatis.

§. III.

Maria, & morti filium animose, fortiterque dabat, & simul luctu, doloreque maximo moribundum plangebat.

Immolaturus Deo vnicam eam dilectissimam filiam Hebræorum iudex Iephte in tremuit vehementer, indoluit maxime. sic text. sacer Iudic. 11. *Qua [illegible] scidit vestimenta [illegible]* & ait. *Heu me [illegible] [illegible] ipsa decepta es: aperui enim os meum ad Dominum, & aliud facere non potero.* Expende in duce maximo, & fortissimo post mille hostium strage, & lacrymas, & gemitus vehementes de filia iugulanda, simul [illegible] promptam, & inuictam voluntatem ad tantum facinus perpetrandum. Etenim, scissis vestibus multa lamentatus ait; *[illegible] meum ad Dominum, & non [illegible]* nec lacrymæ, nec luctus, nec gemitus robur emolliunt voluntatis paratæ, vt filiæ effundatur sanguis, nec aenea [illegible] voluntas, quæ sanguinem etiam [illegible] audit lacrymas, luctusque exsiccauit, vt [illegible] Ambros. lib. 3. offic. cap. 12. dicat. [illegible] *Dei) [illegible] dura solutionis plenerit; tamen [illegible] deplorandum [illegible]* Æternis luctibus absoluit religionem, eademque pietate, & filiam assumpsit, & lamenta attenuauit. [illegible] triumphum tamen luctum simul & religionem Virgo [illegible] longe superauit, quæ crucis proxima patibula, acerbiora in durissimi holocausti mente adimplens, immensique doloris segetem rigat lacrymis, mactatura [illegible] patri placeat, crucis animose adstat & pene enecta [illegible] lancea mille excruciata doloribus lamentatur. Vnus [illegible] expendat D. Antoninus 4. parte Theol. [illegible] *[illegible]* Robur [illegible] circa pectus erat, quo filium ipsa [illegible], & simul oculi molles cedebant [illegible] lacrymas [illegible] cordis lamentationes, [illegible] & væ [illegible] O validus mi[illegible] [illegible] vno ictu a marmoreis pectoribus ducere suos [illegible]. Pulcre author Catenæ Græcæ Iob 2. vers. 10. id in Patriarcha Ioseph est meditatus his

his verbis, *Plerosque eorum, qui cupiditates vicerunt, inflexit miseratio. Ioseph ille mentis, virtutisque celsitudine præstans vir eam, quæ summam inter mortales exercet tyrannidem, compressit voluptatem; barbaram quoque feminam infinitas machinas adhibentem propulsauit, sed tamen lacrymas tenere non potuit. Fratres enim, a quibus iniuriam acceperat, cum conspexisset inflammatus affectu os celeriter lauit.* Ecce tibi iniurios licet sibi fratres solo prostratos non sustinuit ille videre, quam vim profunderet immensam lacrymarum. Quid ergo efficeret miseratio Mariana? Vidit non iniurium fratrem, sed amantissimum filium, sed beneficum Deum à puluere in crucem sublatum, excarnificatum, faciem illam decoram tabo, sanguineque fœdatam. An quæ Æthnæos cupidinum ignes non nouit manātia lacrymarum flumina exsiccabit? an quæ summam carnis tyrannidem, antequam sentiret, pessumdedit, erumpentes gemitus retardabit? an quæ filium sine dolore vitæ dedit, sine ingenti dolorum strage morti tradit? sane non ea est miserationis violentia, immò arentia marmora facit sudare, ænea pectora eliquat, maternum animum excruciat, dilaniat. *Intuetur te illa benedicta in mulieribus, & fixis in te oculis vulnera tua pietate considerat materna, & licet non ignoret, quid boni conferat mundo passio tua, tamen parentis affectu commoritur, & pectus maternum immanitate dolorum arctatur.* Hæc Arnoldus Christo de materni doloris acerbitate locutus; quibus virginem simul, & saluti hominum prospicere vides, & vehementi dolore moribundum filium lamentari! Quod si velis iuste dolorem Virgineum æstimate, vel vnico argumento animo perpende, quid tunc vniuersi creatura patiatur, perstrepunt saxa, & collisa finduntur, inhiant sepulcra ruptis faucibus carnifices ipsi, vel inuicti pectora quatiunt, vnde pulcre Bernard. *Cogitare nunc libet quantus dolor tunc infuit matri, cum sic dolebant, quæ insensibilia erant.* Is etenim erat dolor, & luctus Marianus, qui finderet saxa, qui moueret inferorum antra.

Arnold.

Bernard.

§. IV.

Mariæ Virgo oculis excepit vniuersa filij sui vulnera; quod dolorem exprimit omnium maximum.

IS maximum dolorem ictus affert, qui maximè sensibilem corporis partem afficit, is maximè sensibilem afficit, qui oculorum pupillas inimicatur. Hinc apud Zachar. cap. 2. Dominus dolorem de suorum strage conceptum sic exaggerat, *qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Etenim quos ictus fideles corpore excipiebant, his Domini oculi cruciabantur, cum illi dorso, Deus oculis feriebatur. Hinc Marianum dolorem iuxta crucem credet omnium maximum qui aduertit ab illa oculis excipi quotquot tela amantissimi filij corpus transuerberabant. Id in Machabæorum matre laniatis astante filiis expendit August. acumen serm. 109. de diuersis, cap. 6. *Illa inquit, videndo in omnibus passa est; facta mater septem martyrum, septies martyr à filijs non separata spectando, & filijs addita moriendo, videbat omnes, amabat omnes, ferebat in oculis, quod in carne omnes.* Nihil virgineæ matri accommodatius, nihil de Mariano dolore est verius, & significantius. Filius Mariæ mille pertulit immanissimos cruciatus, in via, in monte Caluariæ, in cruce, illa videndo, in omnibus passa est, millies martyr, à filio, non separata spectando, sese filio cupide additura moriendo videbat filium, amabat filium, ferebat in oculis, quod in carne filius, & ideo cruciatuum acerbitate, & immanitate superabat omnes martyres: acute Iosephus Machabæorum immanissimos cruciatus, membrorum laniationem, ardentes sartagines, vix audet matri hæc spectanti comparare; sic enim alloquitur inclytos antiquæ legis Martyres. *Non ego vos paruulos membrorum lineamentis, & totius vultus notis matris æmulos dicam, si hæc summa laudis in cæteris, quibus præter naturam nil animus dedit. Vos ergo similes mente, robore, fide asseram, & matri in omnibus pares dicam, in nullo postponendi, in nullo minus venerabiles, nisi quod illa immanitatem dolorum oculis excepit.* Sic ille inuictissimos iuuenes mille cruciatibus, mille tormentis affectos eo reputat solum matre inferiores, quod illa, etsi non corpore, tamen oculis cruciabatur filios spectando. Sunt equidem qui religione constricti dorsum acerbissimis flagellis dederunt, latera candentibus flammis, ferreis vngulis crura bipenni, os felleo calici, manus clauem plumbeæ molli, hi forsitan suos possint Marianis cruciatibus comparare, nisi quod illa immanitatem dolorum præ oculis excepit, vt merito Mariæ

August.

Ioseph.

Virgini conueniat, quod Cypr. eidem Machabæorum matri verbis aptat. *Tam grande martyrium Deo præbuit virtute oculorum suorum, quam præbuerant filij omnes tormentis, & passione membrorum.* Etenim si aliqua creatura tam grande martyrium præbere potuit Deo quam Christus crucifixus, crediderim à sola Maria præbitum tantum martyrium, virtute oculorum suorum, quantum præbuit Filius eius tormentis, passione membrorum. Porro de Marianis progenitoribus, apud Abrahæ sinum existentibus hoc asserit B. Brigitta lib. 9. cap. 11. quod vel crucifixum Dominum odorati, in tantum turbantur, quod maluissent in æternum esse in inferno, quam talem pœnam videre in Domino. Summum dolorem à conspectu irati Dei in reprobos proficiscendum inde expendit Oseas cap. 10. quod illi fugientes fulgurantem iudicis faciem dicent montibus, Cadite super nos, & collibus, Operite nos, quasi minor illis sit æterni carceris dolor, quam dolor quo afficientur iratum Deum videntes. Ecce tibi Christiferi patres crucifixum Dominum videntes eandem petunt optionem reproborum, amant enim æternum torqueri, vt fugiant tormentum à Christo in cruce viso profectum, hoc Abraham, hoc Iacob, hoc Dauid, hoc omnes Christi parentes; & vna Maria astans cruci laniatum intuens filium, oculis bibit tantum illud tormentum, quod vt fugerent viri pij recti rerum æstimatores cupide mallent inferorum pati tormenta.

Cyprian.

Brigitt.

§. V.

Maria tormentorum immunitate celsitudinem matris Dei ostendit.

QVod vniuersos peccatores submersit diluuium, Noë in arcam magnopere exaltauit, nec nisi tantum in diluuio summam supra nubes exaltationem pertingeret arca. Quod eleganter D. Ambros. & Basil. cum Laurent. ad viuidæ crucis exaltationem transferunt: placet modo id ad arcam thesaurorum Dei, ad Deiferam matrem, cuius ab vtero vniuersæ animæ saluæ factæ sunt, accommodare. Non enim matris Dei celsitudinem attingeret, nisi immenso tormentorum diluuio supernataret, opus fuit tota illa dolorum tempestas, vastus ille gurges pœnarum, penè infiniti cruciatuum nimbi, vt Deifera arca in ea exaltatione, quæ decet matrem Dei, super astra, super cœlestia omnia sublimis euolaret. Inde Ioannes, qui aquilinis oculis sublimia omnia rimatur, notanter ait: *Stabat autem iuxta crucem Iesu mater eius.* Nec enim alio in solio pertingeret magnitudinem suam Dei mater, vnde pulcrè Ambros. in cat. *Sed nec Maria minor quam matrem Christi decebat, fugientibus Apostolis ante crucem stabat.* Quasi diceret totam ibi Christiparæ magnitudinem ostentabat, nequaquam minor, quam tantam matrem decet, apparebat in altum cruciatuum pelagus sublimata.

Ambros.

Hoc Ambrosij excogitatum maximè exornat illa D. Cyril. sententia, à quo, cum Imperator Apostata quæreret de Christo filio Dei. Cur non potius Regis cuiusdam terreni appellatus est filius & natus ex Regina matre? Post multa quæ sanctè, & erudite congessit vir sanctissimus prope finem, lib. 2. ait: *oportebat Iesum existentem Deum curam habere ne videatur hominibus gloria minor, & desiderare nobiscum momentaneas has gloriolas, & parce dimensas prosperitates.* Itaque opus fuit Christo Domino omnes mundiales glorias fugere, vilitatem, nuditatem, ignobilitatem, infirmitatem, dedecora omnia, & dolores accipere, ne hominibus videretur gloria minor, sed quæ decebat filium Dei conseruaret magnitudinem. Ea erat gloria filij Dei digna qui in immensa vilitatum, & tormentorum abyssu quo miseri homines summerguntur, supernataret ipse. Hæc sane gloria decebat filium Dei, & matrem Deiparam, qua non minor apparuit Maria iuxta crucem, quin potius quæ decebat matrem Dei magnitudinem & exaltationem ibi attingit. Vnde D. Chrysost. Simeonis Marianam compassionem augurantis verba exponens ait, *Et tu esse mater videris. An tu igitur tentationis expers eris, quandoquidem esse te matrem confessa es? Quandoquidem illum peperisti? quandoquidem vterum tuum vijs es commodasse? nuntius enim, & index illius operationis venter tuus fuit, nunc tu igitur tentationis expers eris? sed & tuam ipsius animam pertransiuit gladius.* Adeo putat Chrysost. quod matrem Dei decebant tentationes tormentorum, & cruciatuum, vt hoc fundamento nitatur, nempe quod Maria sit Dei mater vt hinc immensam illi pœnarum molem aduenturam præsagiat.

Chrysost.

§. VI.

§. VI.

Maria Virgo summa charitatis metas iuxta crucem attigit.

IBi Dominus summum charitatis apicem constituit, quod animam suam ponat quis pro amicis suis. Quod rimatus Ioann.1. Ioan.1. Can. cap.3. Dei hominis erga nos charitatem inde Can.3. exaggerat. *In hoc cognoscimus*, inquit, *charitatem, quoniam* Fulgent. *ille pro nobis animam suam posuit.* ad hæc eleganter D. Fulg. ad Trasimundum Regem lib. 3. cap. 23. sic argumentatur. *Animam igitur ponere dilectionis est proprium, vbi autem dilectio non est, corpus tradi dicitur, anima poni non dicitur.* Iam hinc sese pandit Mariana summa in Deum charitas,& dilectio, cuius non corpus, sed anima iuxta crucem doloris sustinuit gladium. *Tuam ipsius animam* (ait Simeon) *doloris gladius pertransiuit.* O summi Deum amantis vera passio,vbi integra carne anima confoditur,laniatur! Christus Dominus in vtero Virginis existens,fulguris speciem præ se tulit Epiphanio, ita enim alloquitur Mariam, *O nubes lucida quæ fulgur de cœlo lucidissimum deduxisti Christum.* Verum crediderim Christum nunquam ardentius fulgur extitisse matri quam cum illam à cruce ardentibus compassionis flammis fulminauit, fulgureamque fecit in illam amoris faces. Sanè fulguris ea vis est, vt mollia & infirma prætereiens, fortissima solum, & adamantina conterat, populetur.Quid mollius carne? Quid infirmius humano corpore? Quid fortius?Quid magis adamantinum,quid immortalius quam anima? Hinc vide quam appareat Maria à filio cruci affixo amore fulminata integro corpore, illæsa virginea carne. Fortissimam viuidissimamque animam eius transfodit,transuerberat doloris gladius; vna Mariæ anima sustinet immensam dolorum stragem, patitur incredibilem dilaniationem, excruciationem, vt vel hinc recognoscas fulgurantes amoris faces.

Cant.8. O quam experta cecinit ipsa aliquando Cant.8. *Fortis est vt mors dilectio,lampades eius lampades ignis atque flammarum,* quod Latinis lampades sonat,Hebræis tinnit Rasphe,id est, emittentes, & inde vox traducitur à Domina vt dicat missilia atque volatilia iacula quæ fulminantur. Ea igitur est vis dilectionis, ait Maria, qualis fulguris eiaculati, lethalis est dilectio, mortem affert, sed qualem fulminatæ flammæ, quæ illæsis carnibus conterent ferrea omnia; sic modo quasi sub fulgure rapido amoris illæso corpore corroditur, discerpitur, dilaceratur adamantina, & ferrea virginis anima.

Cygneus ille cantor Simeon Christiferum lumen ab vtero Virgineo eductum amanter amplexus est, & acceptum manibus millies exosculatur; at dum inter oscula, inter amplexus, inter amores in dicta eleuatis oculis, etsi a longe illud lumen mundi aspexit à cruce eiaculatum, aspexit inquam, & expauit, & quasi è nigra nube non ad fulmen, sed ad fulgur timidus ait, nunc dimittis seruum tuum Domine, potiorem existimans naturæ mortem quam vel atræ passionis nubis fulgetris fulminari, sic eius verba Timoth. expendit D.Timoth.Hierosl. orat.de Simeone, *abire iam nunc* Hierosol. *quæso Domine, ne diutius hic hærens quæ nolim, intuear compellar. Etenim Spiritus S. qui in me est, palam ostendit quæ in te futura sint. Dimitte me nunc obsecro, ne viueam audax nefariumque Iudæorum in te facinus, ne videam coronam, ex spinis contextam, ne videam seruum alapam infligentem, ne videam lanceam in te adactam, ne videam te clauis cruci affixum.* Hæc Simeon dum amantia figit oscula lumini gentium formidabat, amat, exsculatur lumen, sed à nigricante passionis nube fulgur eiaculatum fugit, expauet, & mortem potius appetit. Ardentior Simeone amatrix Virgo Maria, & lumen parit, & incorrupta virgo fouet in manibus lucidum, & tenellum infantem, & tota eius amore transformata, media in tempestate nigricantibus nubibus passionis stridentibus, tristéque & horrendum sonantibus intrinsecus ferrea anima contrita, & tanto fulgore lacerata integro corpore de fulminatorum more Cruci astat. Huc crediderim spectasse Amodæum dum hom. 5. de Virginea matre sic fatur: *Vicit sexum, vicit hominem, passa est vltra humanitatem, torquebatur namque magis, quam si torqueretur ex se, quoniam supra se in comparabiliter diligebat.* Quomodo vltra humanitatem passa? An quia summus erga filium amor instar fulminis id quod femineum, quod molle, quod carneum in virgine excedens, solum quod in illa adamantinum erat, nempe animam contriuit, dilaniauit?

§. VII.

Vna Maria flammis amoris, & compassionis fulminata adstans cruci filium,vt imperatorem decet,parentauit.

VIdistis Mariam iuxta crucem ardenti charitatis fulmine exardescere verberatam. Accipite modo quam decenti funere eo habitu creaturarum imperatorem honestauit. Etenim inter alia postremis honoribus conuenientia hæc numerat Alex lib.4.cap.7.de genialibus, vt quod rege Alex. ab morte sublato familiares, & qui cum eo coniunctissime vi- Alex. xerat,charitate principis finem vitæ sibi ad rogum afferant, vnaque morte intereant. Indorum peruulgata historia est vt viro defuncto quæ charissima coniux in vita fuerat eodem igne absumatur, vnaque crematur; sic imperatoris, sic coniugis charissimi vnanimes amasiæ funus honorabant. Quod meminit, & Philo Iudæus lib. de Abrahamo, Euse- Philo: bius de præparat. lib.6. cap. 8. non defuit Imperatori ma- Euseb. ximo cruci affixo hic honor fecialis a charissimis sibi & amasia & matre, & sponsa exhibitus, quæ filij tormentis immoritura summisque dilectionis excrucianda flammis cruci astabat. Sed profanos mores libet ex profano prælibare. Is est Propertius lib.3.eclog.8.vbi pulcris carminibus Propert. sic ardens sponsas sub coniugis busto depingit.

> *Namque vbi mortifero iacta est fax vltima lecto,*
> *Vxorum fusis stat pia turba comis.*
> *Et certamen habent lethi, quæ viua sequatur,*
> *Coniugium pudor est non licuisse mori.*
> *Ardent victrices, & flammæ pectora præbent,*
> *Imponuntque suis ora perusta viris*

Hæc pulcre cecinit ille; vbi affabre effigiantur amasiæ pudibundæ,quibus non licet mori,& hilares,& victrices,quæ ardenti correptæ igne conflagratione sui funus maritale condecorant. Iis tamen obiecerim Mariam mortifero Crucis adstantem lecto summi Regis, summéque dilecti Filij, & sponsi funus parentantem. Accedat tamen Nazianz.Pro- Nazianz. pertio, vates vati, profano Theologus, qui hæc Mariana verba in sua tragœdia dedit:

> *———Fili vt vultum mei*
> *Squalore vidi plurimo, & sanie obsitum,*
> *Mors sola votum est, vita mors tantum mihi:*
> *Agite iam, agite vos, etiam non feram amplius.*

Et sane pudor erat non licuisse mori, & sane victrix ardebat, totaque amoris ignibus fulgurata crebrius imposuit ora perusta suo & imperatori, & filio, & sponso, vnaque cum illo morte interibat, vt merito Sophronius dixerit, quod erat dilectio eius durior quam mors, quia mortem Christi suam fecit.

Hæ Regiæ inferiæ ex dilectissimorum conflagratione debebantur tanto occumbenti imperatori: hæ peractæ sunt ab amantissima Maria. hæ promissæ fuerant Christo, Zachar.12.vbi iuxta Septuag. legitur,quod planctus eius erit, Zach.12. *sicut planctus mali granati, quod in campo succiditur.* De quo Theodoretus ait, *non temere alijs arboribus relictis ex malogranato auxit similitudinem. Charitatis enim typus malogranatum arbor habet continentissima.* Ego addiderim, quod & Regni sit etiam malumgranatum typus, vt vel sic Regiæ notarentur inferiæ Christo Domino peractæ, quæ morte, & conflagratione omnium amantissimæ vltimum honorem acquirerent.

§. VIII.

Maria Filium à suis in Cruce desertum vehementer lamentatur.

HÆreo proximè adducto ex Zacharia loco, quod fe- Zach.12. cialis Mariæ de Christo Domino planctus fit, *sicut planctus mali granati, quod in campo succiditur.* Quod eleganter expendit Cyrillus his verbis: *Simile planctum* ait, *fore* Cyrill. *quale si quis fructus arbore è malogranato amore cum malis excidat.* Etenim malumgranatum arbor est, à radice plena ramis, & etiam malis punicis decoratur, sane gratissima accidit cultori agricolæ. Hæc igitur arbor plena pomis, decora fructibus,si infausta, nudaque manu succidatur, non potest non maximum luctum, mœroremque excitare in agricola. Præsertim cum excisa arbore necessum sit, quod maneat orbata fructu, quod fructibus hinc inde excussis illa inglorius superstes, & mutilus truncus. Quomodo hanc videbit agricola sine ingenti luctu? & præcipuè ille agricola,cuius cultura,& diligẽtia arbor creuerat,ille qui magnis curis

curis excoluerat arborem spe allectus fructuum. Proh dolor! illam sine fructibus arborem vidit agricola, malum illam pulcherrimam Christum quam Virgo adolescere fecerat, quam magnis curis nutriuerat, excoluerat, quamque fructificare miro modo aspexerat, & plenam totidem fructibus, quot discipuli eius doctrina creuerant, hanc inquam malum Christum conspicit eius cultrix Maria succisam, medio in campo ingloriam, excussam fructibus, dispersis vndique discipulis quasi ignobile, & sterile lignum derelictam. Qui tunc luctus esset Mariæ? qui mœror? qui dolor eius animam transfigeret? Rectè D. Chrysost. huc retulit gladium illum doloris a Simeone prædictum, *ter,* inquit, *[illegible] Petrus, alij discipuli relicto eo fugerunt; pertransiuit igitur Mariæ animam gladius*; & cur non pertransiret gladius animam agricolæ videntis arborem pulcherrimam à se excultam succisam, marcidam, omni orbatam fructu? & cur non pertransiret animam Virginis gladius, cum videret discipulos tam magnis curis partos, & conquisitos, & excultos, exsufflatos esse à vento passionis, arbore vitæ quasi inutili in monte relicta? Hunc virgineum dolorem pulchre expendit Anselmus: *Adiectus est his doloribus eius dolor alius. Petrus, & alij discipuli de nihilo in apostolatum electi, & [illegible] in tantæ celsitudinem virtutis, vt Dæmonibus imperarent [illegible], [illegible] secretorum filij conscij, & familiares in cunctis [illegible], in instanti hora traditionis eius fugam inierunt, & cum pro quo se mortem paulo ante subituros promiserant, obliti tantorum bonorum [illegible] sua solum ipsa virgine considerante reliquerunt. Vnde ipsum ad passionem omnibus amicis destitutum tendentem hac voce sequebatur Maria gemens; Vadis propitiator ad immolandum pro omnibus, non tibi occurrit Petrus, qui dixit, Pro te moriar, reliquit te Thomas, qui ait, Eamus, & moriamur cum illo omnes. & nullus ex eis nisi tu solus duceris, qui me castam conseruasti filius meus, Deus meus.* Hiccine erat planctus Mariæ qualis est planctus agricolæ super malum granatum, à quo succiso excutiuntur & fructus, quasi planctus charissimæ matris super filium summis curis nutritum, quem abscissum à terra viuentium in monte marcescentem relinquunt discipuli laborum suorum fructus.

Chrysost. orat. de occursu Domini, & Simeonis.

Anselm.

§. IX.

Mariæ iuxta crucem dolores, partuum dolores superarunt.

VIrgo gaudio, & lætitia plena peperit Saluatorem, vt recte aduertunt Cyprianus, Athanas. Nissen. Damasc. Bernard. Sed quos pariens fugit, hos dolores patitur iuxta crucem. Vnus Rupert. circumfertur; hac in re eleganter (vt assolet) versatus, qui lib. 13. in Ioan. cap. 16. sic argumentatur. *Si cum [illegible] discipulos suos in tormentis positos Dominus mulieri compatat parturienti, quanto magis mulierem hanc stantem iuxta crucem suam mulieri parturienti talem matrem talis filius recte similem duxit? quid autem dico similem, cum verè sit mulier, & verè mater, & veros habeat in illa hora partus sui dolores?* Hæc ille, rem confecisse putans, si Virginem iuxta crucem patientium doloribus suaserit excarnificari.

Canis. l. 2. cap. 28. Rupert.

Verum quid maius excogitauit Amphilochius, dum iuxta crucem Mariam imaginatur sic santem? *Virgo mater [illegible] & magis mordeor visceribus quam matres.* Expendenda nobis illa sunt verba, & magis mordeor visceribus quam matres, id est, magis excrucior, magis torqueor, magis dilanior quam quæ obstetricante natura fiunt matres. Etenim non vniuersæ, quæ parturiunt, fiunt matres, imò quamplurimæ parturiunt, non vt matres fiant, sed vt è mortua in vtero prole membratim educta, summis doloribus, omniúmque maximis cruciatibus vitam sibi emercentur orbam, & solitariam. Hinc suos acerbissimos explicat Maria cruciatus, magis ait, mordeor visceribus quam matres, crucior, lanior, vt laniantur, & excarnificatur illæ, quæ vel mortuam, & laceram prolem coguntur euomere, vt viuant solitariæ. Ab hac excogitatione stat Damasc. lib. 4. de fide orthodoxa cap. 15. dicens: *[illegible] B. Maria, & super naturam donorum digna [illegible] dolores [illegible] quos effugit pariens, illos tempore passionis [illegible] ex matre [illegible] viscerum laterum repartiens, & quem Deum [illegible] agnouit, illum vt maleficum inte[illegible] gladio cogitationibus decerpitur.* Expende illud, lacerum reparturiens, quasi diceret, quod sustinet non eos dolores primos, quibus afficiuntur, quæ ex nascente prole fiunt matres, sed eos, quibus laniantur, quibus distorquentur illæ, a quarum vtero laceri & discerpti fœtus frustra eradicantur. Eam ipsam Maria laniationem iuxta crucem patitur, dum ex materna compassione viscerum, lacerum, & decerptum filium parturiens, decerpitur, dilaniatur. Vidit inclyta illa Machabæorum mater septem filios euisceratos, laniatos, membratim sectos, quos dum sic Domino parturiebat, occubuit ipsa tandem. Ad quam pulchre Ambrof. lib. de Iacob 2. cap. 11. *Pia mater supplemento passionis adiuncta, quæ in talibus filijs integram pietatis formam, & parturiuit & peperit.* Quibus verbis liceat modo finire Mariæ compassionem, quæ dilaceratum filium conspiciens, summis agitata cruciatibus, lõgè perfectius, quam Paulus filij supplemento passionis adiuncta, in tali filio integram pietatis formam, & reparturiuit, & peperit.

Damasc.

Ambrof.

§. X.

Maria superstes Filio dilectissimo suos dolores absque vllo solatio sustinuit.

NEscio vtrum grauis erat Mariæ vel quod ipsa viueret, vel quod filius moreretur? Rectè Arnoldus Marianos expendens dolores ait, quod difficillimum erat moriebatur, & mori non poterat; si enim morienti filio ipsa immoreretur, id pro solatio, & dolorum præmio reciperet, at tunc non posse mori calamitosum illi existebat & difficillimum. In summa Saulis, & Ionathæ calamitate, hoc solatium inuenit Dauid, quod nec Pater filio superstes existeret; ait enim 1. Reg. 2. *Saul, & Ionathas amabiles, & speciosi, qui in vita sua non fuerant disiuncti, ita nec morte sua separati sunt.* Maximum hoc amantium solatium, & dolorum leuamen est singulare, quod vna illos opprimat mors, ne se alter sine altero videat. Vnde eleganter Chrysost. fatur. *Quod ait, neque in morte separati sunt in solatium doloris; iam enim in, ait non potest dici, quod filius orphanum se esse lugeat: neque quod propter orbitatem suam deploret. Verum quod nullis obtigit, illis contigit, videlicet vno eodémque die è viuis eripi, neutro alteri superstite: existimabat enim vitam iniucundam fore, si alter ab altero fuisset diuulsus.* Ecce tibi vnde istorum minuuntur dolores, augentur tormenta in Maria, dum se dilectissimo filio superstitem videt, sine quo vita amarissima extitura erat. Quem nullus casus à matre viuentem separauit, sicciné separat amara mors? Verè amara est, quando mortuo filio nullum inuenit solatium mater gemebunda, perpetuo suam orbitatem declamans. Sane plena doloris tunc res agebatur, nullus ibi locus patebat solatio, è contrario omnia accidebant quam Sauli, & Ionathæ, simul interemptis, ne alter alterius lugeret orbitatem. Hinc mater superstes est filio amantissimo, diuelluntur ardentissimi amatores, moritur filius, & tamen non alter solum, sed vterque se gemit, & deplorat orbatum. De matre res est clara; de filio ita dicit Epiphanius in die sancto Paschæ, vbi Ioseph ab Arimath sic inducit loquentem ad Pilatum. *Pro mortuo illo interpello, qui ab his vulneratus est, quos ille paterne sanauerat, & ipsa etiam matre quodammodo orbatus est,* & mortuus Iesus, & in Regno quiescens, tamen vt matre orbatus tangitur, quid interea sentiret pia mater adhuc viuens in hac lacrymarum valle à tanto filio separata?

1. Reg. 2.

Chrysost.

Epiphan.

CAPVT XIII.

De Mariæ Virginis morte, Resurrectione, & gloriosa, & triumphali Assumptione.

MARIA Virgo, vt præ omnibus compassionis affectu iuxta Crucem fuit excruciata, sic prima omnium gloriosa filij resurrectione extitit glorificata; semel in Cruce ebibit passionis calicem, verum à resurrectione filij cœlestibus in dies poculis saginata, voluptatum torrenti immersa, nectareos à Christo percusso lapide fluentes latices hausit. Vitæ huius eremum post filij necem vndecim annis incoluit, consequente eam petra, petra autem erat Christus, qui non iam sanguinem, sed ambrosiam sudans dilectissimam matrem refrigerabat. Hoc vitæ spacio postquam diuini Spiritus excepit igneas linguas, maiori cæteris omnibus simul iunctis plenitudine, vixit apud Ioannem, nascentis Ecclesiæ altrix, & nutrix, Apostolorum magistra,

magiſtra. Tandem expletis duodecim ætatis luſtris plus minuſve mortem guſtauit, & tumulo renuiſcens glorioſa reuolauit ad ſuperos.

§. I.

Nullam pretioſiorem mercedem potuit Deus amatrici matri in ſublimioribus reddere præter mortem.

MOrtis calice hauſto à Deo ipſo, nulla mortalis natura fauorem duceret, ſi & ipſa mortem non biberet. Quod ipſe Imperator guſtauit poculum, miniſtrum bibendum accipere maximum ſane eſt fauoris, & honoris indicium, eóque ſolùm dignus, qui ſummo amore deuinctus adſtat Principi. Xenophon de laudibus Ageſilai, hoc inter alia dicit: *Duplicem potionem in ... ex inſtituto accipiens, nec ſiquidem tota vtebatur, verum ſimplici, nec integra contentus reliquum diſtribuebat.* Ratus geminam Regi potionem dari non ſatietatis gratia, ſed quo poſſit quem velit honorare; & quem vellet, niſi quem amaret? Hinc nihil magis cordi ſuit Domino, iam iam mortis calicem potaturo, quam à ſe prægustatum amantiſſimis eum propinare diſcipulis. Sic enim orat. *Tranſeat à me calix iſte*, quam orationem expendens D. Hilar. canon. 31. in Matth. ait. *pro his rogat qui paſſuri poſt ſe erant, dicens, Tranſeat calix a me, id eſt quomodo à me bibitur, ita à mea bibatur.* Quaſi ita à patre expoſtulaſſet: Non mei ſolius cauſa tantus hic calix propinetur, bibam ego, ſed poſt me bibant & illi qui me amant. Hinc natum illud quod acute & vere animaduertit D. Fulg. ad Thraſymundum Regem libro 3. cap. 24. ſic fando. *Primitus Chriſtus ad conſeſſionem amoris ... ut facultatem ponendæ animæ ſuo deinceps amatori concedat.* Ponderanda hæc maxime, nempe vt facultatem ponendæ animæ amatori concedat. Etenim non infligitur reo, ſed indulgetur mors amanti, poſſe mori conceſſio eſt, facultas eſt, prærogatiua eſt Chriſti amatoribus indulta, hiſque ſolùm propinata. Sic Maria mater, vt quæ ſupra omnes filium amauit, non potuit carere hac facultate, ac moriendi in Domino prærogatiua, nec alia re poſſet Deus in terris tantum ſui amorem Marianum condecorare. Ter prius de ardentiſſimo ſui amore Petrum Dominus interrogauit, vt illum prærogatiua mortis inſigniret, ſic Ioan. 21. *Petre amas me?* idem bis & ter repetiuit, & poſt pauca, *... manus tuas, & alius cinget te*, ſignificans nimirum quam mortem Petrus erat ſubiturus. Accipite hoc ex Fulgentio vbi ſupra, *cum illi tertio interroganti trinum amoris ſui teſtimonium reddidiſſet, ſtatim Dominus Petro ponendæ ... animæ largitus eſt facultatem, dicens: Amen, amen dico ... iunior cingebas te, cum ſenueris extendes manus tuas & alius cinget te.* Ecce tibi mortem pretium, & mercedem conſtitutam ardentiſſimo Dei amori, non ergo Maria moriendi in Domino facultate debuit priuari, ne eius erga filium ſtrenuus amor propria amatorum mercede abiret vacuus; imo ab ipſa arena ſanguinea mortis coronam donatus triumphalem rhedam æternum triumphaturus ſcanderet. Sic D. Damaſcenus orat. de dormit. Deiparæ ex pretioſa ſanctorum morte pretium, & æſtimationem Marianæ dormitionis his verbis venatur. *Vere quidem veneranda eſt mors ſanctorum Domini à Deo poſſeſſorum, longe autem magis veneranda eſt matris Dei migratio, vt quæ ſolius ignifera amoris ſit incineratio, & ſtemma ſingulare.*

Hilar. Matth. 26.

Fulgent.

Ioan. 21.

Fulgent.

§. II.

Maria moriens non rigidæ Adami legi obtemperauit, ſed filio Deo obſequium præſtitit.

QVid cum Maria mori? Sanè parentes iam morti obnoxios mortalique pelle circumamictos à Paradiſo eiecit Dominus, *ne forte ... mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ ... & viuat in æternum.* Maria nulla peccati lege comprehenſa integram in ſe habuit arborem vitæ Chriſtum, ex qua & ſibi & vniuerſo homini ... vitam parturiuit. Cur in æternum non viuit? Cur ſeſe morti dedit? Cur minime reum corpus ſuum æterno viturum tradidit legi communi; non debito legis communis peccati; non naturæ damnatæ ſeruiuit Maria, nec eius rigidis legibus ceſſit moriens, ſed Chriſto. Pulchre id inſinuat Andreas Cretenſis homil. 1. de dormit. Deiparæ, vbi miracula in Mariana morte peracta contemplatus ait: *... quæ verbum præſens, & legem fecit ceſſare, legem inquam mortis cui nihil poterat afferri detrimenti.* Ius mortis in hominibus huc vſque inuiolatum, vnam Mariam minimè læſit, vnam Mariam non attigit, ſed mortis, & naturæ iure contempto, mortalium duras leges deſpiciens præſenti filio obſecuta virgo induit cadauer. Accipite Damaſc. qui moribundam Virginem depingit ſic fantem ad filium: *In manus tuas fili commendo ſpiritum meum, ſuſcipe tibi charam animam, quam ... ab omni repræhenſione. Meum corpus tibi trado, & non terræ, cuſtodi ſaluum quod tibi placuit habitare.* Expende illud, meum corpus tibi trado, non terræ, cuius verbi pulcritudinem vt percalleas, reuoca in memoriam id quod crebro ſolet iudicibus accidere. Inſequitur quandoque fuſtarius hominem, vt comprehendat claudatque nigro in carcere, ille elapſus fuſtarij manibus loco munitur ſecuro, vbi liber ab iniuria manet. Inſtant iuſtitiæ miniſtri, mille mouent lapides, vt hominem trahant, circumuallant ſatellitibus locum, machinas conglomerant, vt expugnent, vt capiant, adeſt vniuerſa ciuitas ſpectatrix, vident irrita ſatellitum conamina, robur & aſtum fugientis admirantur, interea ille à fuſtarijs inexpugnabilis illorum iniuſtam violentiam proteſtans ſeſe libens viro alicui nobili, aut Principi tradit, cui ſalutem committit ſuam, & ſecuritatem. Ita prorſus, ait Damaſcen. Mariam grandæuam mors inſequebatur, inuiolabile ius inferni tenere cupiebat: illa horum euadens manibus contemptis mortis naturæque legibus vnice dilecto filio ſeſe tradidit, hac ſui traditione proteſtans, *meum corpus tibi trado, & non terræ*, quaſi diceret, in me mortis ſatellites ius non habent, illorum legibus non pareo, eorum iura abominor, expuo, me tibi ô fili trado, tibi corpus meum credo, qui incolume reſeruabis.

Genes. 2.

Andreas Cretenſ.

Damaſc.

Et quidem Deo mortuo, vt à mortis naturæque infectæ tyrannide erat libera, ſi hoc debebat obſequium filio præſtare vt moreretur & ipſa. Vniuerſus mundus contremuit moriente Deo, elementa maxime turbabantur, cœleſtia ipſa incorruptibilia lugubre quid & tenebroſum repræſentabant. De quo D. Leo ſerm. 6. de paſſione ait, *debebat hoc teſtimonium ſuo mundus authori, vt in obitu conditoris ſui vellent vniuerſa finiri.* Itaque Maria non potuit hoc mortis debitum filio mortuo negare, debebat vni Chriſto hoc teſtimonium, vt ipſa quoque vellet finiri, & ideo vt debitum filij exſoluat, moritur, illi vni ſuum corpus viuificandum credens, non terræ, non ſepulcro, quorum legibus ipſa non tenebatur, vt Cretenſis addit, *... nequaquam poteſt habere, ô virgo, ſepulcrum, aduerſus te non valet ... animam enim ... non attingunt ea quæ ſeruitutum ...* Itaque Mariæ vita vtpote regia, nulli ſiſque ſeruituti iniuſta macula, omnes iuſtitiæ ſatellites declinans non mortali, non puluerulentæ legi cedit, ſed vni filio Deo mortuo debitum obſequium moriendo perſoluit.

Leo.

Cretenſ.

§. III.

Maria dum moritur, mortem honorauit, & illuſtrauit.

HOc in primis ſcribendum edixit Angelus Ioanni Euangeliſtæ iubens, *Beati mortui qui in Domino moriuntur.* Et qui non à morte beati? Argute Olympiodorus in cap. 8. Eccleſiaſtis. *... abdunt, & ſi quidem peccator ... decet ... finet, cui vero fuerit iuſtus, ... æterna.* Tam iuſtus, quam peccator debent morti maxima beneficia ab eius manibus accepta. Vna Maria virgo non à morte beatur, imò ipſa mortem beat, & condecorat, ita Damaſc. ſerm. 1. de dormit. Deiparæ, *non te mors beatam reddidit, ſed ipſa mortem ...* Huc vſque nihil magis inglorium quam mors, infamis erat pulnis & cinis peccati pœna, reorum indicium. Verum Maria moriens, & mortem, & puluerem extulit, omnemque infamiæ notam exclusit. Huc ſpectat illud verborum pondus quo Andreas Cretenſis Mariam parentat, dum inquit. *... quod eſt ...* Quaſi diceret, O vos felices funereæ faces, ô mors, ô cinis, ô puluis, hodie in æternum decoramini illa pulueris mortis apparatu adduntur. quæ puluerem reddidit cœleſtem, quæ didicit puluerem diuinitate & ditare, & illuſtrare.

Olymp.

Damaſc.

Cretenſ. homil. 1.

Stupet Chryſoſt. non humilia à luteis terrenisque hominibus peracta, poſtquam viderit Apoſtoli ſirmant virtute ex alto. Cur taliter eſt honores terrenis? An non melius quod extra terrenas ha... inde, ... tate ferent Angeli? Cur ad talia facinora aſſumpti ſub pulueralenta natura manent? Ad

Chrysost. Ad hæc eleganter respondet Chrysost. *Vt intelligat ne priorem quidem illam pœnam fuisse pœnam. quando dixit, Terra es, & in terram reuerteris, propterea manere & permisit in terra, vt amplius potentia spiritus ostenderetur, quæ talia per terrenum corpus perficeret. Nam videre erat luteam manum morbos sanantem.* Sic Chrysost. antiquam illam pœnam pulueris dicit illustratam & condecoratam virtutibus ab Apostolorum puluerulenta natura dilapsis. Quid plura? Stupes Marianum corpus exanime miratis marcescentem illam radicem ex qua arbor vitæ pullulauit? Indignaris quod facta cinis frigeat illa, quæ incombusta diuinitatis flammis exarsit? Quæ lumen peperit immortale? Erubescis sub terra degens su... me Dei tabernaculum? Sanè vt intelligas (sic Chrysost. verbis licet fari) ne priorem pœnam quando dixit, Terra es. & in terram reuerteris, propterea manere matrem permisit in terra, vt amplius potentia spiritus ostenderetur quæ talia per terrenum corpus perficeret. Nam videre erat lucem illud vas dæmonibus imperans, morbos

And. Cret. pellens, mundum sanctificatione ditans. Vnde Andreas Cretensis hom. 2. *Quibusnam vnguentis vngent corpus tuum odor... um, & impollutum, & plenum sanctificatione, ex quo scatet remissia, ex quo est Deificatio, in quo est perfectio.* Etenim quando genus humanum in puluerem egit diuina vltio, ibi diuinitatis superba desideria contriuit, vbi naturæ humanæ imperfectum nudauit. Porro cum in puluere sedit Dei mater, iam puluis non supplicium malæ concupitæ diuinitatis, iam puluis non iudicium imperfectionis. Imò ex puluerulento Mariæ cadauere impolluto scatet remissio, erumpit Deificatio, prosilit perfectio totius naturæ humanæ, sed & ipsum sepulcrum eam pertingit virtutum efficacitatem,

Damasc. vt clamet apud Damasc. *Nunc diuina in me habitat gratia; ego quasi officina medicinæ ægrotantibus, ego sum fons perennis curationum ego sum refugium omnibus confugientibus.* Vt vel sic Mariani spiritus euulgetur efficacia, quandoquidem eius sepulcralia Dæmonibus imperant, & omnibus morbis mederi se iactant.

§. IV.

Maria Virgo ardentissimis amoris diuini telis confixa emoritur.

Homer. AMbitioso desiderio gloriæ tenebatur dux ille, qui apud Homerum Iliad. 22. sic de diuinæ matris fauore gloriabatur.

J... gnem mortem mihi sæpe præfata est
... hœbi radiis.

Æstimans vnam illam mortem, quæ sub ardentissimis Phœbi radiis erat, solam Diis satum hominem decere. Sed age, vana relinquamus vanis: hoc sane verissimum, & gloriosissimum est, quod Deipara insignem subiit mortem diuinis iustitiæ solis radiis. Non morbi, nō languor, non ægritudo, aut dolor aliquis, sed linguæ illæ diuini amoris igneæ, dum Mariana præcordia suauiantur, spiritum elambunt. Sic

Brigitt. ipsa apud B. Brigittam lib. 6. cap. 62. *Cum quadam die animus meus suspensus esset in admiratione diuina charitatis, tunc anima mea in ip... a contemp... tione repleta fuit tanta exultatione, quod vix se capere poterat & in ip... consideratione anima mea à corpore fuit ... ra.* Hæc decebat solutio feminam quæ in vtero Deum, & hominem connexuit, sic diuinis Phœbi radiis validissimis charitatis telis plena gaudio casura erat mater, quæ tam acerbos filij casus stetit speculata. De nobili Machabæorum matre benemeritus proculdubio est, qui illam non ferro, sed post filiorum tormenta hausta exuberanti gaudio interemptam putat. Sic de grauibus autho-

Senensis. ribus Sixtus Senensis lib. 5. Biblioth. sub finem commentatur. Sunt qui gaudij magnitudine mortuam velint: è quibus

Vict. Afr. ego vnius Victorini Afri carmen dabo, qui post tem̃ filij necem rimatus sic ait.

Dum puer illa g... rit f... uerunt gaudia matrem,
imq... e ... t erat laxata malis, iam voce negata
usp... rans ... vtrumque manu... collapsa suorum
Co... ... xanimis, resoluitque membra quierunt.

O mors digna tantæ matris Quam vt mille tormentorum acies ... ctam obstupu... runt, sic ingentibus Deum amantis animi gaudiis suauiantibusque flammis immersa occubuit ... c d... bebatur mor... matri in filiorum morte grauiora passæ. Hæc ac... t proculdubio vnigeniti filij Dei matri, quam imm... nsa f... luerunt gaudia, quæ roscidis diuini amoris flammis ... rdescens inter manus collapsa suorum concidit exanimis, ... uaque membra quieuerunt. Iam nunc

secundo rubus existens inter vorantes flammas incorrupta seruata est.

Post Deiparam altera legitur Maria, scilicet Magdalena amatoriis ignibus inflammata, quam cum primo offendisset Christus Dominus gloriosus, iam è prælio passionis resurgens totam Deo in holocaustum igniuit. vt Iephte sibi primo occurentem filiam. Sic non ignobiles Mystæ. Verùm satius dixissent, si quod Magdalenæ, tribuant Deiparæ. Etenim verus iudex, & saluator mūdi Christus à bello reuertens, spoliatus inferos, quam Deo litaret, & primo inuisit, & offendit Mariā Deiparam. Primóque inuentam charissimam matrem, & filiā nouus Iephte ardentissimis amoris facibus adhibitis in holocaustum conflagratutam reliquit. Ex quo Mariana anima iuxta Rup. lib. 5. in Cant. victima erat holocausti vsque dum tanto igne consumpta libens interiret.

§. V.

Maria amoris flammis consumpta debuit statim reuiuiscere.

DEcuit sanè vt quæ filium imitata est moriens, eundem imitaretur tertio die reuiuiscens; & cur non reuiuisceret, quæ diuini amoris flāmis exusta occubuit? Hanc crediderim sibi promisisse resurrectionem celerem sanctissimū Iob dum occasionis occiput rimatus, inquit. *Dicebam: In nidulo meo moriar, & sicut Phœnix, multiplicabo dies meos.* Porro Phœnix, resurrectionis index, vt multiplicet dies, congestis vndique lignis flammas excitat, mediis quibus dum ipsa consumitur, necdum frigescente cinere subuiuidi specie vermis reuiuiscit. Sic Iob Phœnicis æmulus ardentibus flammis exustus quam celerem sibi resurrectionem effingit, & sicut Phœnix, ait, multiplicabo dies meos, dum prius igne consumptus moriar in nidulo.

Rara auis in terra Maria in nidulo clausa ignibus diuini amoris consumpta, ignescente adhuc cinere sicut Phœnix multiplicat dies in æterna secula reuiuiscens. Accipire Nazianz. carm. 3. ad Virg. vbi pulchrè hanc depingit Phœnicis naturam. Nazianz.

Vt Phœnix moriens primo reuiuiscit ad annos
In mediis flammis, post plurima lustra renascens,
Atque nouum veteri surgit de corpore corpus.
Haud secus egregia redduntur morte perennes,
Dum pia diuinis ardescunt pectora flammis.

Arsit Maria diuinis flammis, illisque consumpta Phœnix occubuit, nec miremur quod vbi Phœnix combusta egregie moritur, Phœnix altera à flammis reuiuiscat.

§. VI.

Ex perfecta cum filio similitudine Maria celerem resurrectionem obtinuit.

PVtrescunt merito illi, qui imaginem terreni hominis sibi effingunt, verum qui cœlestis hominis imaginem induunt, hi suffragante Apostolo viuificati resurgent incorrupti. Virgo igitur Maria in qua nihil terreni illius apparuit, quæ cœlesti induta sole merito dicitur à Richar. de S. Victor. *species Christi*, iure non puluis in puluerem, sed cœlestis, sed Christifera perennem consurrexit ad vitam. Eleganti argumento vtar quod confecit Orig. hom. 5. in Hierem. his verbis. *Si ad peccatores dicitur, Terra es, & in terram ibitis, quare non dicatur ad iustum cuius est regnum cælorum, Cælum es, & in cælum ibis?* Non potuit terra corpus illud virgineum retinere, in quo cœlestis hominis reuerebatur figuram, mortis etiam viscula castigata a resurgente Christo, vix Christo similem Deiparam gustauerunt, & statim euomunt integram. Is qui semel cibi alicuius venenatos morsus experitur, cum primum postea quid simile, vel visu percipit, vel gustu, sese ab illo, quam ocyssimè potest, liberat; insuper quid maximum damnum excipit ab inimico dissimulante se, vel ad eius vmbrā castigatus expauet, quem vt effugiat libentissimè cedit iure suo. Hæc eadem acciderunt morti in dormitione virginea; etenim castigata illa, & corrosa à Christo similem Mariæ carnem expauet, quam ocyssimè vt effugiat, & tradit vitæ, & in cœlum, cui similis est, exsufflat. Pulcherrimè id attigit Dam. dum inquit. *Hanc autem omni ex parte beatam, quæ tota Deo fuit vnita, quomodo mors deuorauerit? Quomodo susceperint inferi? Quomodo audebit interitus in corpus, quod vitam ... epit? Hanc mors tantum aspiciens extimuit, eius enim filium aggressa didicit ex ve,* Origen. Damasc.

quæ passa est, & cum ipsa didicisset experientia fuit castigata. Sane expauet simile, & memor venenati morsus illius, siue nauseæ pristinæ, vbi Christum deglutiens euomuit & viscera, modo vel aspiciens virgineam carnē Christiferam extimuit, compressisque faucibus ad imaginem, vel vmbram cœlestis hominis timida exclamat, dicens, quod quæ portat imaginem cœlestis hominis, & cœlum est, in cœlum viam arripiat, non in puluerem; vt merito hom. 2. dicat Damascen. *Hodie Virgo immaculata, quæ nullis terrenis inquinata est affectibus, sed cœlestibus educata cogitationibus, non in terram euersa est, sed cum esset animatum cælum, in cælestibus tabernaculis collocatur.* Damasc.

§. VII.

Mariæ integritas virginalis ocyssimam à sepulcro in cœlum euolutionem pararat.

Lib. de Virgin. Siquidem, vt ait Ambrosius, *in cælo est patria virginitatis*, minimè decens erat, vt corpus illud virgineum Mariæ à vitiis exclusum longo tempore sub vmbra mortis exularet à patria. Neque vllus resurgentium ordo præstantior excogitari poterat, quam ille, quo eiusdem integritatis, & incorruptionis viri primi obtinerent incorruptibilem vitam, & immortalem. Id forsan innuit Paulus 1. Corinth. 15. *In Christo omnes viuificantur, vnusquisque autem in ordine suo, primitiæ Christus.* Et quid illud, *in ordine suo?* Anselmus explicat de similitudine virtutum, & meritorum, nimirum Martyr in ordine Martyrum; virgo in ordine virginum. OEcumenius etiam agnoscit quandam temporalem prælationem, cui suffragatur Magister 4. sentent. distinct. 43. Scotus, Durandus, Richardus, & alij. Et meritò intelligitur Apostolus ordinem temporis prætendere, vbi statim canit, *primitiæ Christus.* Quare placet vetustissimus Sedulius omnia complectens: *Vnusquisque in suo ordine, in suo scilicet honore, vel ordine, tempore seruato? quia primitiæ Christus.* Vbi ergo honoris ratio habetur, in temporis ordine ad resurgendum post Christum, quo ordine constituenda erat carnis Christiferæ resurrectio? Resurrectio, inquam, illius Virginis, *Quæ nec similem visa est, nec habere sequentem?* Sanè non decebat ordinem, vt quæ integritate, & puritate longè cœlestia omnia superabat, vt quæ virginitatis, & incorruptionis stola ipsum Deum amiciuit, inter puluerulentas turbas ad vitam resurgeret immortalem.

1. Cor. 15.

Sedul.

Inde Tertullianus pudicitiam commendat maximè, quod pudici ocyssimè, vel ad primæ tubæ sonitum euigilaturi sunt. *Cur enim, ait, Dominus væ prægnantibus, & nutrientibus cecinit, nisi quia filiorum impedimentum testatur in illa die expeditionis incommodum futura? Tum autem ad viduas non pertinebit, ad primam Angeli tubam expeditæ prosilient.* O summa castitatis commoda! qui hac non floruit virtute, etiam sonante tuba, & repetito clangore in puluere pigrescet, & tardabit. At virginitas florens, quàm expedite ad primam Angeli tubam prosiliet. Et quidem hoc vno signo diuisit Principes à turba populi Num. 10. *Si semel clangueris, venient ad te Principes, & capita multitudinis.* Quæ verba sic elucidat Procopius, *Vnius tubæ sonitu conuocabantur Principes, acutius cernentes, & citius obedientes: at vero plebs conuocabatur ad tabernaculum Domini sæpius à Moyse repetito clangore.* Inter reliquos sanctos castitate floridi Principes sunt, Reges sunt, & sic expeditissimi ad primum tubæ sonitum euigilabunt, in æterna tabernacula ituri. Et tantam præcellentiam tribuit Tertull. vni viduali pudicitiæ, maiora sanè in eodem genere tributurus incorruptæ semper & viuidæ virginitati Mariæ. Equidem creaturarum Princeps, omnium capiti Christo propinquissima non turmatim cum vulgo hominum ad æterna tabernacula erat ascensura; virginumque purissimarum gloria, & stupor, non perstrepentem clangorem buccinæ expectura, sed vel tenui spiritus aura, sibilo cum primum euigilatura.

Lib. 1. ad uxor.

Num. 10.

Procop.

Ezech. 37. Quæ intuitus est Ezech. cap. 37. ossa arida sese mouentia, neruos, carnem cutémque induentia, vt iterum reuiuiscerent, pulchrè comparauit Theodoret. cum corpore Adami ex arida efformato, membrisque omnibus elaborato, antequam vitam ebiberet, *Pristinum, ait, opificium, altera instauratio consequitur, sicut enim primi parentis Adam corpus prius effectum fuit, deinde in ipsum anima inspirata, ita his quoque ossa conuenerunt ad proprium compagem, produxerunt autem [illegible] & neruo[illegible] & cute coop[illegible] sunt.* Verum [illegible] simili corporum e puluere opificio absimilem inuenio vitæ elargitionem. Adami enim corpus placidissimo oris Dei sibilo excitatur in vitam, cum ait, *Spirauit in faciem eius spiraculum vitæ*; vel vnico Dei halitu euigilat Adam expergefactus. Illa autem corpora ab Ezechiele visa, vt in vitam resurgant, hic opus, hic labor est. Iubetur vates clamare, & non vnam auram, non vnum halitus sibilum, sed vniuersos ventos allicere, vt illis vitam afferant. Sic enim dicit: *A quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super interfectos istos, vt reuiuiscant.* Cur igitur corpora tam similia, tam simili arte conflata, tam vna materia constituta, tam diuersimode excitantur ad vitam? Hæc ægrè, & difficulter resonantibus, perstrepentibúsque angulis mundi, & non alio expergiscunt, illud ante clamores, vel solo sibili halitu excitatum insurgit. Equidem huius rationem D. Iren. lib. 3. c. 31. propinat sic inquiens, *Protoplastus ille Adam de rudi terra, & adhuc virgine, nondum enim pluerat Dominus, & homo non erat operatus terram, habuit substantiam, & plasmatus est manu Dei.* Hæc sanè tota ratio discriminis, Adami corporis puluerulenta materies, erat virginea, renidens adhuc primæuo suo, & natiuo flore, cæterorum corporum materies mille iam corruptiones experta erat; iam omnis caro corruperat viam suā, ideò à corrupto puluere vt excitentur, mille indigent clamoribus, & resonanti buccina; virgineus, & incorruptus puluis non ita: vno sibilo viuificatur, vt vel sic conuincamur, Mariæ virgineam carnem longè ante tubam, ante cōmunes strepitus, sibili Dei halitu exurrexisse suscitatam in vitam. Iren.

Theod.

Hanc crediderim ob virginalem virorem, celerem Mariæ suscitationem insinuari cap. 24. Eccles. dum dicitur, *Quasi platanus exaltata sum.* Etenim platanus summè commendatur ex eo quod teste Ruelo cap. 118. solem æstatibus arceat, placidissimisque vigeat vmbris, *Vmbræque gratia ex alieno petita sit orbe.* Imò ex Theophrasto idem Ruelus affirmat platanum vmbriferam, *trunco securi dolato resurrexisse: atque noctu leuatum onere reuixisse, corticem iterum conuestiuisse.* Vt platanus ergo exaltatur Maria dum placido obumbrata spiritu, conceptum, & partum Virgo incorrupta sustinuit, nec tanti solis amictu damnum sensit, indéque postea à terra viuentium abscissa sepulcro condita, quam ocyssimè reuixit, depositóque mortali onere surrexit spirituali, & gloriosa leuitate refulgens. Eccles. 24.

Theoph.

§. VIII.

Excellens Mariæ Virginis innocentia illam statim vitæ restituit.

Qui carcer acceptum innocentem, non statim libertati restituit? Mortis & sepulcri carcer iam id didicit in Christo, quem innocentem gustatum euomit integrum, sic Psal. 40. ad Patrem loquitur filius, *Propter innocentiam meam suscepisti me*, quæ commentatus Ambrosius inquit, *Suscepit eum pater [illegible] entem, quia nulla eum offensio prolapsionis aspersit. Immaculatus ad Patrem redit, à quo immaculatus exiuit, quando descendit ad terras. Vnde dixit ei pater, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Psal. 2. Hoc est, generationis meæ in te priuilegium recognosco, quem nulla macula potuit inquinare peccati.* Simili ingenita animo innocentia pollens Virgo, mortis disruptis vinculis superam reuolauit ad patriam. Omnino immaculata non potuit diu contineri in puluere. Ramus ille oliuæ qui in communi omnium submersione post diluuium, post cadauerum collusionem, post luti & aquarum immensam molem, adhuc virens à columba inuenitur, non amplius in puluere insidet, sed in arcam reuocatur quamprimum. Etenim, vt rectè argumentatur Carthusianus, ramus hic non ex arbore deceptus fuit, sed de puluere & luto, in quo deciderat, sumptus & assumptus à columba. Insuper si Hebraico insistamus fonti qui nobis ramus est, Hebræis sonat *Ghalb*, quæ vox oritur à radice *Haleth*. & significat ascendere eo modo quo folia decidua in puluere leuitando quasi ascendunt, quod forsan expresserunt Sept. dum dicunt quod erat columba, *folium oliuæ festucam portans in ore.* Expende τὸ *fest[illegible]* est enim festuca leuis quidam apex, seu folium à puluere leuitans in sublime. Et merito ramus post tantum diluuium vigens, pristinoque virore perpulcher, à puluere leuitabat, & ascendebat, & à columba assumpt[illegible] ferebatur in arcam subli[illegible]. Itaque Maria quæ tot effugit diluuia, quam non maculauit culpæ originalis diluuium, cuius virori, & pulchritudini nihil damni intulit peccatorum, miseriarúmque mundialium profluuium, puluere in ipso leuitaret in astra, & ascenderet, indéque quam ditissimè deberet in æternam mansionem assumi. Psal. 40.

Carthus.

aſſumi. Ad conſpectum viridantis rami in arcam aſſumpti, vt ait Ambroſ. lib. de Noe & arca c. 19. *Vir iuſtus gauiſus eſt cultum de vetere ſemine aliquem reſeruatum, & inde colligit miſericordiæ inſigne diuinæ, quæ fructum demonſtraret, cui non potuiſſent nocere diluuia.* Sed ô quàm iuſtius gauiſus eſt totus ille cœleſtis virtutum chorus, cùm à puluere eleuari viderunt carnem Virgineam, carnem de veteri ſemine reſeruatam, de veteri, inquam, illo ſemine quod ante peccati diluuium extitit in Adamo. Etenim videbant in Maria carnem innoxiam priſtino Paradiſi vigentem flore, cui non potuiſſent nocere diluuia mortis ant peccati. Imo quæ peccati immunis mortali gurgite ſuperato æternum victura ſupra omnes creaturas celebratur. Ambroſ.

Text. Ex illo Lucæ 10. & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domo ſua.

§. IX.

Maria Virgo mulieris vocabulo afflicta debuit quàm citiſſime vt Chriſtum videret, à puluere euocari in cælum.

PVlcherrimè Eccleſiaſtica prouidentia Mariæ reſurgenti, in cœloſque aſcendenti fragmentum hoc capitis decimi D. Lucæ aptauit. Cuius vel ſingula commata nobis oſtendunt id, vnde debuit Dei mater præcellenti a Deo gloria ditari. Et prætermiſſa inſigni Marthæ virginitate, qua Deum hoſpitem habuit, & egregie Mariam Virginem effigiauit, cuius virginitas ocyſſimam reſurrectionem traxit, vt vidimus §. 9. Iſto mulieris vocabulo, quo Virgo à filio quandoque fuit appellata, imò & mortificata. Hic ego compono grauiſſimas Patrum ſententias quæ videntur diſſidere, dum alij verba apud Ioannem 2. iactata, nimirum, *Quid mihi, & tibi mulier?* Verba dicunt reprehenſionis, obiurgationis, & exaſperantis. Alij maximè id abnuunt, reſpuunt, & reclamant, vt videri poteſt apud Toletum. Porrò etſi negemus verba illa profecta fuiſſe ab animo in virginem amaro, quod mihi euidentiſſimum faciunt, & amantiſſimum pietas filij & ſumma innocentia matris, tamen verba ipſa ex ſe acria ſunt, acerba ſunt, maximeque amatorem animum ſtimulantia. An non amantis matris præcordia tangerentur, cum ſe à filio mulieris communi vocabulo ſenſerit compellari? An non mater pungeretur, eum omnes communi aſperitate, & ſeueritate tractentur? Et quidem inde eius celerrima à ſepulcro euocatio fuit oppignorata. In hanc me traxit cogitationem D. Hilarius, qui Pſalm. 51. acutè expendit fauorem illum maximum, quo Chriſtus Dominus Moyſem præ cæteris Patribus apud inferos exiſtentibus honorauit, dum relictis aliis vnum illum in transfigurationis gloriam euocauit. Cæteri omnes ſancti anxie cupiebant gloriam filij hominis videre; cur Moyſes, vt prius videret, in Tabor raptus? An quia Moyſes viuens à Deo fuerat mortificatus, & caſtigatus? O iuſtam amici Dei mortificati à Deo retributionem! *Magna,* ait Hilarius, *hic quæ volumus propitiatus eſt, quam hic, quæ non poſſumus iratus eſt. Nam Moyſi fideli vtique amico ſuo dixiſſet, Quia non glorificaſti me in aquis contradictionis, aſcende in montem, & morere. Hunc ſibi poſtea vna cum Elia ab Apoſtolis in montis conſpectum beati æterni regni ſui conſortem, & martyrem reſeruauit.* Hæc Deum optimum maximum pungebat cura, ne amantiſſimus ſibi ſeruus amaris conceptis verbis hæreret amaricatus. Ideoque non poſteriores capeſciuit glorias, vt illum cum cæteris glorificaret, ſed cum primum glorioſus apparuit, ſibi amicum aſciuit ab inferis, vt tantæ gloriæ fieret particeps. Ioann. 2. Tolet. Hilar.

Qui talis erga ſeruum extitit, qualem ſe exhibere debuiſſet erga dilectiſſimam matrem: illam crebro hominum ſaluti proſpiciens aſpero mulieris vocabulo tetigit, illam mulierem mortali legi traditam, illam ergo non ad communem omnium reſurrectionem, & glorificationem reliquit, ſed cum primum licuit ante omnes à ſepulcro in gloriam euocauit. Pulchrè depingitur à Cypriano Chriſtus in cruce moriens hac vna cura ſtimulatus, quod amantiſſimam matrem aliquando paulo ſeuerius tractarit. *Conſidero te,* inquit *ô mater & mulier ſollicitum, cui voleati loqui tecum, cum euangelizans negaueras reſtrictis dicbus colloquium, & prætuleras matri auditores verbo, pauperes ſpiritu, dicens eos tibi eſſe pro matre & fratribus, qui voluntati patris obtemperant. Nunc materno monitu affectu.* Hæc Cyprianus, Cyprian. Serm. de Paſſ.

& merito Chriſtum Dominum abeuntem in cœlum effingit memoria ſolicitari diſſimulata in matrem ſeueritate, hæc ſanè pungebat Deum cura, hæc illum diſcedentem comitabatur, in gloria ſolicitabat, ne dubites ex hac cura ante omnes à ſepulcro fuiſſe Mariam ingloriam euocatam, vt amplexibus filij potiretur optatis.

§. X.

Maria dum filium Dei hoſpitio recepit, ſimilem gloriæ Chriſti gloriam obtinuit.

NEmini dubium eſt à Chriſto Domino ſuæ carnis celerem reſorrectionem, & glorificationem promeritam fuiſſe. Quid plura? Eandem ſibi debuit obtinere Deipara. Etenim apud Matthæum dicitur, *Qui recepit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ recipiet.* Hoſpitij exhibiti iure, Maria obtinuit eandem mercedem filij, hoc eſt ſimili gloria induta æternat virgineam carnem. Hinc eleganter D. Athanaſ. argumentatus eſt his verbis, *Ex carne eius, & ex oſſibus eius veluti ex veteri Adamo, nam iſtius Adami, vt victim eius expiaret, collam ſibi finxit: nimirum illam incarnationem, cùmque ſemel indutam perpetuo geſtat: at proinde illa noua Eua mater vitæ appellatur, vtriuſque permanet ad primitias vitæ immortalis omnium vincentium.* Et merito, cum Chriſtus Dominus in vtero virgineo hoſpitatus æternam ſuæ carni ſtolam acquireret, eandem etiam matri & hoſpitæ ſuæ donauit, vt eadem merces vtrumque condecoraret. Hinc Guarric. Abbas ſic facit Chriſtum Dominum loquentem ferm. 4. Aſſumpt. *Aſcende & præparaui thronum gloriæ, vt à dextris Regina coronata conſideat in veſtitu deaurato circumdata varietate. Neque hoc dico quod in parte ei thronus collocetur, quin ipſa eſt thronus meus. Veni igitur electa mea, ponam in te thronum meum.* Non loco diſſident filius & mater, ſed eodem prorſus loco eadem gloriæ claritate, vt thronus & Princeps irradiant. Matth. 10. Athanaſ. Guarr.

De diuinis illis celſiſſimiſque ſupremæ hierarchiæ thronis, inquit D. Dionyſ. *Quod communicatione Ieſu digni facti, non in imaginibus ſacrè ſictis formati, vt ferant Deificam ſimilitudinem, ſed vt verè ipſi approximantes, in prima participatione ſcientiæ Deificum eius lumen, & quia Deo ſimile ipſis ſubſtantialiter donatum eſt, communicant huiuſmodi, vt poſſibile eſt in præoperatiuæ virtute Deificis ipſius & humanis virtutibus.* Itaque diuini eſt throni Ieſu Deificam & humanam ſimilitudinem præferre, eiúſque virtutibus, & Deificis, & humanis illuſtrari, & amiciti non imaginibus mentis, ſed verè & ſubſtantialiter communicando, vt poſſibile eſt. Vnde Maria thronorum diuinorum excelſior ſibi ſui Ieſu communicatione poſita, non imaginibus mentis figurat in ſe diuinam ſimilitudinem; ſed vt verè Chriſto approximans Deificum eius lumen, & characterem ſubſtantialiter recepit, communicátque illi, Deificis ipſius, & humanis virtutibus: ſimilique & carnis, & ſpiritus gloria irradiat. Dionyſ.

Illuſtratur amplius hæc gloria Mariana exemplo quo vſus eſt D. Gregor. hom. 20. in Euangel. vt oſtenderet qualiter Prophetarum mercede decorentur illi qui Prophetas excipiunt. *Propriam,* inquit, *fructum vitis non habet, tamen portare fructum tum vitt ſolet: ſic & ſeculares viri, quamuis ſpiritualium virtutum dona non habeant, dum tamen ſanctos viros dum ſpiritualibus plenos ſua largitate ſuſtinent, quid aliud quam vitem cum fructibus portant.* Ecce tibi vlmum ex ſe infrugiferam, tamen quia amice vitem excipit, & amplexatur, aureis vndique conueſtita fructibus, ſuam æternat pulcritudinem. Sic homo virtutibus effœtus, dum iuſtum recipit, fouet, nutrit. O quam immenſum gloriæ pondus ſuſtinet, particeps factus mercedis recepti iuſti. Magnum hoc! ſed maius, & glorioſius cogitauit de Maria Guarricus, dum illam ea hoſpitio exhibito Deo non meditatur vlmum aureis filij decoratam fructibus, ſed excelſum, & eleuatum à terra thronum, eadem ſummi regis radiantem gloria, totúmque pellucentem Deifica Ieſu & humana figura. Gregor.

§. XI.

Non ſolum eandem cum Ieſu mercedem participat Maria ſed quodammodo illo ſuperior exiſtit.

MIrati fortè ſunt plures Mariam virginitatis ſuæ gloriæ, quantum poſſibile eſt, condecoratam, qui nunc mirentur

mirentur magis, quod ipsa Deifico filio quodammodo superior dicatur existere. Id quod probari debuit magno Athanasio, dum inquit de Deipara, *Ea nunc, vt regina assistens à dextris filij vbique regnantis, quasi in vestitu deaurato incorruptionis, & immortalitatis circumamicta, & variegata sacris, & solemnibus verbis celebratur.* Ecce tibi iuxta Athanasium Maria regnat à dexteris filij, vt ex potiori loco maioritas aliqualis à filio ei remittatur. Etenim eruditissimus, Maldon. Psal. 109. sapientissimúsque vir Pat. Maldonat. Psalm. 109. verba expendens, *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis,* maioritatem inde super Patrem in ordine ad nos pluribus docet, & statuit, *Quocirca*, ait, *sedere ad dexteram non solum significat Christum esse æqualem Patri, sed etiam maiorem; non quidem re ipsa, sed quod attinet ad nos, ex functione officij, & administratione Ecclesiæ.* Ioann. 5. *Neque enim, iuxta Ioann. 5. Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio.* Sic crediderim Mariam à dexteris filij vbique regnantis assistentem, supremam ab illo authoritatem donari, vt hominum Apud Sal. Prou. 8. num. 146. iudiciis præsit. Itaque Cardin. Petrus Damian. extollit Mariam: *Accedit ad aureum diuinæ seueritatis tribunal, non rogans, sed imperans; Domina, non ancilla.* Sanè Sol, & Luna, Christus, & Maria diuisum imperium habent: ille, vt præsit diei, hæc vt præsit nocti. Nimirum, vt dum huius caliginosæ vitæ nox premit mortales, non iustitiæ sol Christus, sed Maria luna misericordiæ plena imperet, tribunálque conscendat, non rogans, sed imperans, Domina, non ancilla. Hinc in Cana roganti Mariæ respondit Filius, *Quid mihi, & tibi?* Quasi offensus, quod rogaret mater, vbi integrum gerebat ius imperij. Quod attigit D. Gregor. Nissen. oratione in illud Pauli, *Tunc & ipse filius subiectus erit.* his verbis, *Maternum autem consilium, quod minimè tempore adhiberetur, reiecit, dicens, Quid mihi, & tibi, visne me ante ætatem præesse, ac imperare? nondum venit hora mea, quæ præbet ætati, vt imperet.* Sic caliginosæ vitæ imperium detrectat Christus sol iustitiæ, illúdque plenæ misericordiæ Lunæ Mariæ remittit; quæ à dextris consistens, nostris miseriis subueniendo, præeminet filio. Non multum abfuit Diui Anselmi excogitatio, qui lib. de excellentia Virgin. dicit, *Velocior est nonnunquam salus, memorato nomine Mariæ, quam inuocato nomine Domini Iesu, vnici filij sui. Et id quidem non ideo fit, quod ipsa maior, & potentior eo sit, nec enim ipse magnus, & potens est per eam, sed illa per ipsum. Quare ergo propitior salus in recordatione eius, quam filij sui sæpe percipitur. Dicam quod sentio. Filius eius dominus est & iudex omnium, discernens merita singulorum. Dum igitur à quouis suo nomine inuocatus, non statim exaudit, profectò iustè facit. Inuocato autem nomine matris etsi merita inuocantis non merentur, vt exaudiatur, merita tamen matris intercedunt.* Ecce tibi vt Iesus, ad præsentiam matris, iudicem exuat, & non quod iustitia, sed quod mater postulat, agat, quasi modo dederit omne iudicium matri. Vbi Maria stat, Iesus potius aduocati quam iudicis fungitur munere, etenim Luc. 10. vbi aiebat, *Maria optimam partem elegit:* meritò subdit Bernard. serm. 3. in Assumpt. Bernard. dicens, *Vide prærogatiuam Mariæ, quem in omni causa habeat aduocatum.* Sanè Mariana merita sæpè iudicium immutant, & de iudice faciunt aduocatum, dum ipsa tribunal ingreditur, non rogans, sed imperans. Vnde etiam creditur vocari Regina misericordiæ: quem titulum dum explicat ipse Bernard. ait: *Conuenienter vocatur Regina misericordiæ, quod diuinæ pietatis abyssum cui vult & quando vult, & quomodo vult creditur aperire: vt quiuis enormis peccator non pereat, cui sancta sanctorum patrocinij sui suffragia præstat.* Sic ille.

LIBER SECVNDVS, VBI CHRISTI DOMINI INCVNABVLA, ET PVERITIÆ ANNI.

MARIANA rimati decora, iam vnicæ prolis mysteria enucleaturi accedimus,& à primis eius vagiculis omnia accuratè examinabimus. Quod eruditissimi viri nostræ Societatis Cardin. Tol. & Mald. exararunt adeò feliciter, nõ euoluo; sed solùm meto, de meóque a Patribus florilegium addo.

CAPVT I.

De Verbi diuini in vterum virginalem descensu.

DISCEDENTE à B. Virgine Angelo continuò eius viscera intrauit verbum, naturámque humanam animæ rationali, & corpore constantem diuini spiritus vi ex Maria conflatam sibi vniuit. Itaque in eodem instanti conceptus Christus, Deus homo, integer, perfectus in essentia, mente humana, & diuina pollens, & inde relictus Marianæ actiuitati, à qua, sicut cæteræ proles à matribus, incrementum membrorum & maturitatem partus accepit.

§. I.

Verbum diuinum silenter in vterum descendit, vt facilius prædam faceret.

Vide Tol. SÆpissimè miratus sum, id quod D. Athanas. aduertit, nimirum Verbum diuinum Angeli discessum expectasse, vt in vtero Virginis copularetur naturæ humanæ. Cur non præsentibus Angelis? Cur non cœlo intonante? Cur non canente Archangelorum buccina? Anne sibi caueret aduersarius? Sanè eam assignat causam D. Zeno serm. de Nat. (Zeno) *Christus*, ait, *latenter in mundum intrauit, ne sibi sapiens Diabolus videretur. Vt quomodo homo in paradiso non cognouerat Diabolum, sic & Diabolus in sæculo non cognosceret Christum.* Cùm primùm deambulantis Dei audita fuit vox in paradiso, qui esum arboris Adamo persuasit, eidem & fugam suggessit. Ideò modo dissipaturus Deus Diaboli cõsilium, tacito gressu, & latenter appropinquauit, ne prædam fugaret, vt in paradiso fugauit. Imò, vt rectè ait Theodotus Episc. Ancir. (Theodot.) hom. de Nat. Christ. *Adiungit se fugitiuo; seruus enim ad ipsum venire non poterat. Accedit ad seruum non maiestate herili, non Angelorum satellitia præmittens, non igneos globos vibrans, non elementa concutiens; sed quo fugitiuum capiat, propriámque possessionem recuperet, blandè accedit.* Quorum verborum percipies acumen, id animaduertens quod non semel accidit militibus in suum Principem rebellantibus. Diffugiunt rebelles protinus ad tyrannum, verùm dux vt fugitiuos reducat ad caules, non Marte furit statim; sed etiam simulata fuga sub nocturno silentio accedit, petit admitti socium, & ita admissus paulatim sollicitat sociorum animos, commouet, trahit, vsque dum ipreto tyranno imperium subeunt Principis naturalis. Ita prorsus ait Theodotus, verbum fugientis hominis recordatus, non ira fulgurat, neo perstrepit gressibus, non in rebelles vociferatur; sed latenter accedit, & adiungit se fugitiuo, quo fugitiuum capiat, propriamque possessionem recuperet, ingreditur blandè. Hinc eleganter Antipater virgini applaudit his verbis, *Tu ès benedicta quæ portas qui ambulauit in paradiso.* Quasi diceret, In te ô Maria pristina maledictio in benedictionem mutatur. Quid miraris? Portas, qui ambulabat in paradiso, qui ambulans ad auram perstrepentibus gressibus peccatores fugauit, namque dicitur Gen. 3. *Cum audissent vocem Domini ambulantis, abscondit se Adam, & vxor eius.* Iam experientia doctus adeo blandè, adeo quietè ad fugitiuos accedit, vt præ silentio nec ambulet, nec pedem moueat; sed placidissimo in vtero ipse quietus portetur. Vnde meritò dicit Chrysost. hoc ipsum meditatus, videns Deum se nobis silenter admiscentem, *Non habemus amplius suspectam exily exprobrationem, non extimescimus amplius claustra portarum paradisi, non amplius à ficu accipimus folia, non amplius ad sonum gressus contremiscimus.* Expendo, non amplius ad sonum gressus contremiscimus, adeò blandè accedit, ne gressu prædam fugaret; sed fugitiuo adiunctus, tyranno exsibilato, propriam possessionem recuperaret.

(Homil. de Ioan. Bapt.) (Homil. de Ioan. Bapt. apud Metaph.)

§. II.

Verbum diuinum alta virginei vteri silentio sese maximè premit, crucísque excedit cruciatus.

COnceptum sermonem retinere quis poterit? Etenim ea est natura verbi, vt omnia tentet dum se prodat, quæ in Verbo diuino vis inde augebatur, quod vehementer cupiebat hominibus communicari. Hinc meritò Guarr. Abb. ser. 3. de Annunc. hæc est verba fatus, (Guarr.) *Omnium humanarum infirmitatum, vel iniuriarum, quas pro nobis pertulit diuina dignatio, sicut tempore primam, sic etiam humilitate fere maximam existimo, quod in vtero concipi, in vtero nouem mensium tempora maiestas illa incircumscripta passa est contineri. Vbi enim sic se exinaniuit, aut quando ita penitus à semetipso defecisse visus fuit? Tanto tempore nihil illa virtus manifestum operatur, nullo signo visibili maiestas, quæ clausa latet, proditur. Non sic in cruce visus est infirmus, vbi quod infirmum illius fuit, statim apparuit fortius omnibus hominibus, quando & moriens glorificat latronem, & expirans inspirat centurionem. In vtero autem sic est, quasi non sit. Sic omnipotentis virtus vacat quasi nihil posset, & Verbum æternum sub silentio se premit.* Hoc inter ligni cruciatus solatium Christus Dominus habuit, quod ibi operatorium verbum agebat; dum septies loquitur, & in latrone, in Centurione, in inimicis elucet suorum verborum efficacia; at in vtero actiuissimum diuinitatis fulgur, vocalissimum verbum, vim sibi contrariam experitur validissimam. Quid magis contrarium illi qui est, quàm non esse? Quid magis oppositum omnipotenti quàm inefficacia? Vocalissimo, quam infantia? Ecce tibi qui est in vtero clausus, censetur quasi non sit. Ita Tert. 1. contra Marcion. cap. 22. *Otium sui natura non nouit, hinc censetur si agat, vt sic cessaris, non sit.* Quod (Tertull.) videtur cauisse Moyses Gen. 1. nisi præmisso opere Deum detrectans nominare; ait enim, *In principio creauit Deus:* sic expendit Theophilus ad Autol. lib. 2. *Primum quidem principium, & eius creationem nominauit, deinde ipsum Deum posuit. Non enim fas est Deum temere & otiosè nullo opere subiecto nominari.* Pulchrè igitur Guarricus dixit, melius cum verbo in cruce fuisse actum, quàm in vtero: nam in cruce verbum locutum secuta fuit Latronis expostulatio, *Domine memento mei dum veneris in regnum tuum.* Centurionis cõfessio.

 Verò

Verè filius Dei erat iste. At in vtero sic est quasi non sit, sic omnipotentis virtus vacat quasi nihil posset, & verbum diuinum sub silentio se premit. Equidem eleganti dictum est ponderatione, quòd sese in vtero verbum diuinum premit, hoc est sibi vim infert maximam nihil agens. Quod adhuc expressit D. Zeno serm. 3. de Nat. sic fatus, *Etenim Dei filius ab æterna sede profectus in prædestinatæ Virginis templum sibimet castrametatur.* Sanè, vt vim inferant hosti, castra milites constituunt; sic Verbum diuinum, vt aëris potestatibus noceat in cruce castrametatus est; verùm, in vtero virginali non hosti vim illaturus, sed sibimet, castrametatur, in se desæuit, sed premit, imo perimit. Actiuissimum ignem scimus aliquando rubo hæsisse sine pascua, sine opere; sed etiam scimus quàm tunc coërceretur eius actiuitas ab omnipotẽti manu, *Cernere erat*, ait Eusebius, *pugnantem ignem, à Deo tamen fræno coërcitum.* Quam coërcitionem, & vim maximam Verbo in vtero existenti auspicatur Angelus apud Chrys. dum meditans Deum accedentem ad ostium tabernaculi Abrahæ, & protinus transeuntem, sic in rem præsentem argumentatur. *Illic, ô Domine, te conspicuum Abrahæ præbuisti in ostio tabernaculi, & pertransisti qui omnia comples, quomodo autem feret Maria diuinitatis ignem?* Quasi dixerit, beneficentissimus Abrahamo accedis, mille illi benedictiones indicens, & vix tabernaculi ostium attingis, & statim præteris, nec te detinent perspicua à te in Abrahami domum profecta beneficia; quanta igitur vi, quanta coërcitione indiget diuinitatis tuæ actiuissimus ignis, vt ociosus lateat sub virginali vtero.

Zeno.

§. III.

Verbum diuinum vtero clausum otij impatiens sanctificaturus Ioannem abijt.

ADeò verbum Diuinum in hominum salutem ardebat, vt nec in vtero detineretur virginali, quo minus ipse sese Ioanni offerret, vt illum sanitate donaret. Quod miratus Antipater, ait: *Licebat videre lutum salutari à figulo, excipi Regem in tabernaculo militis, & venisse Dominum in serui domunculam.* Porrò Deo inimicabatur peccator, lutum à figulo desciuerat, & miles rebellarat in Regem maximum. O Dei amorem! ô misericordiam magnam! obdurato luto, tacente peccatore. Ecce tibi Deus primus salutat lutum, & à domibus eburneis vteri Mariani in serui domunculam venit, primúsque offert pacem, vt meritò dicat Tert. *Quod Deus priùs in se pœnitentiam dedicauit.* Ipse offensus, & omnipotens offensorem adit, & beneficiis allicit. Id quod maximè perspicuum fuit Gen. 3. Vbi Adamum sub peccato fugientem his verbis suauissimis trahit. *Adam vbi es?* De quibus Chrysost. *Obstupesce ad eminentem Dei misericordiam non solùm quod vocauit; sed quod per se ipsum vocauit, id quod homines facere nunquam ferrent inter se.* Explicatius adhuc ad rem nostram Lippomanus. *Docemus hic benignitatem Dei, qui pertinaciter adhuc fugientem recipit in gratiam, ex misericordia enim prior vocat ad pœnitentiam.* Qua misericordia actus vix mundum ingressus virginali vtero clauditur filius Dei, & seruum & peccatorem adit, vt illi impertiretur sanitatem. Non enim sustinebit fons ille misericordiæ instagnari, sed qua singulis se momentis effunderet, rimabatur. Quod in præmatura innocentium cæde D. Leo serm. 2. in Epiph. ponderauit, fatus. *Itaque Christus ne vllum ei tempus esset absque miraculo ante vsum linguæ potestatem verbi tacitus exerebat; & quasi iã diceret, Sinite paruulos venire ad me, noua gloria coronabat infantes.* Sic infans in infantes, & in vtero existens in eum, qui vtero existebat, largus ostendebatur, ne vllo tempore à beneficiis impertiendis vacaret. Cui accinit D. Bern. serm. 1. in Ramis, dicens, *Qui paruulus natus est, & primam paruulorum eligit aciem.* Is enim erat ardor diuino in pectore, quo quiescere non posset; sed de coætaneis suis saltem triumphorum præludia meditabatur.

Leo.

CAPVT II.

De Christi Domini temporali Natiuitate.

NON hic quærenda longa de tempore Dominicæ natiuitatis supputatio, quæ vel à nostro Barrada, vel ab eruditissimo Baronio exarata iam fuit. Nec item, quod illi fecerunt, miracula deificum ortum præcedentia examinabimus. Manauerint fontes oleo, templa idolorum corruerint, terni apparuerint soles, Sodomitica Venus incinerarit, vineæ Enggadi floruerint; quid mirum, si mundus tanto Dei hominis fœcundus miraculo tot ediderit vel parturierit miracula? Edicto Cæsaris vocantur duo Virginei coniuges in Bethleem auitam ciuitatem. Quorum tenue penu non inuenit locum in diuersorij penetralibus, stabulum adeunt, ibique intempesta nocte tempestiuus fructus nulla obstetricante manu a virgineo vtero in terram dilabitur. Orientem solem brachiis excepit casta soror, & mater Diana, fasciis coronat, vberibus lactat, & adoratura Regem præsepij fœnum sternit, ibique reclinat infantem.

Ad illud *Luc. 2.* Ascendit autem Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethleem, eo quòd esset de domo & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante.

§. I.

Romano imperio ad sui corporis tutelam & custodiam vsurus nascens Dominus Cæsari parens describitur Cæsareis tabulis.

IOseph, Maria, & Iesus inter Cæsaris subiectos scribuntur, vt placet Orosio, Bedæ, & aliis, magna equidem Dei humilitas, qui eo tempore voluit incarnari, quo mox natus censu Cæsaris ascriberetur. Igitur Cæsar Dei hominis dominus? Anne Deus homo Cæsaris seruus? Quid aliud insinuat ista descriptio? mihi hæc cogitanti sese statim obiiciunt illa Pauli ad Galat. 4. verba. *Dico autem, quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cùm sit Dominus omnium; sed sub tutoribus & actoribus est.* Sanè diuini testamenti hæres Christus, dominus omnium, quando paruulus pro nobis factus est, paruuli seruitutem debuit etiam amplecti, vt sit non sub dominis, sed sub tutoribus, seruique conditionem subeat, tutelare Romanorum dominium expertus. De infantibus sic cauet lex 12. tab. *Tutores liberis in potestate testamento parentes danto.* Sic diuinus Pater integro testamento Romanum imperium tutorem recens nato filio in potestate dedit, sub cuius imperij potestate ascriptus paruulus natus iuxta perfectissimæ tutelę iura integras suas res tempore ordinato fuit nactus. Vnus me in hanc cogitationem traxit D. Athanas. serm. in hanc descriptionem, vbi ponderans quàm diuinè, non alio genere mortis; sed in crucem Dominus à Pilato esset actus, sic loquitur. *Huius rectè ordinationis causa instituta est prima sub Augusto Cæsare descriptio. Nisi enim lex hæc lata fuisset, Domini Iesu Christi corpus integrum sepulturæ mandatum non esset. Nam Iudæorum natio furore accensa Dominicum corpus in ignem aut in mare deiecisset. Nam si Hieremiam non sic exosum in lacum cœni plenum coniecerunt, quid in Christi corpore magnopere sibi exosi facturi fuissent, nisi Romanæ legis pœnam timuissent?* Imperium igitur Romanum optimi tutoris iure functum commissum sibi Christum tutatus est, ne ab aduersariis discerperetur, sed omnia illius manerent integra. Habetur apud Metaphrast.

Hinc eleganter Orosius Imperij Romani supra omnia Imperia ingentem illam gloriam auguratus est, qua sub ditione sua vniuersum orbem terrarum dicitur conscripsisse. Etenim maximo omnium Domino paruulo maximus omnium & potentissimus parẽdus erat tutor & custos. Audite Orosium huic Euangelicæ descriptioni alludentem verbis istis. *Hæc est prima illa clarissimáque professio, qua Cæsarem omnium Principem, Romanósque rerum dominos singillatim cunctorum hominum edita ascriptione signauit, in qua se & ipse qui cunctos homines fecit, inueniri homines voluit. Quod nunquam penitus ab orbe condito, atque ab exordio generis humani in hunc modum, ne Babylonico quidem vel Macedonico, vt non dicam, minori cuiquam Regno concessum est. Nec dubium quin omnium cognitioni pateat, quod Dominus noster Christus hanc vrbem nutu suo auctam defensámque in hunc rerum apicem prouexerit, cuius potissimè voluit esse, cum venit dicendus vtique ciuis Romanus census professione Romani.* Hæc Orosius lib. 6. histor. c. 20. & meritò inde Summum Romani Imperij apicem colligit, vt quod habendo, defendendóque diuino puero Christo parabatur. Oros.

Ad

Ad illud *Luc. 2.* **Factum est autem cùm essent ibi, impleti sunt dies, vt pareret: & peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio.**

§. II.

Deus in summa paupertate, & nuditate natus, vt inde se accessu facilem dedicaret.

QVicquid magnum, quicquid excelsum verbũ in mundo nascens in primis deposuit, ne maiestate deterreret homines, sed vilitate alliceret, & facilitate caperet. Id Theodot. quod egregiè meditatur Theodot. orat. de Christi Nat. non terrens, inquit, tanquam Deus, neque tonitruis auditus percutiens, neque nube circumamictus, & ignem in nube demonstrans, neque tubæ sono audientes terrens, sicut aliquando Iudæis apparuit, timorem incutiens indeuotis, nec conuelliens famulum; sed gratia magis & bonitate euocans eum. *Propterea non venit cum imperiali fastigio, nec obsequium deducit Angelorum, non mouit Archangelorum exercitum; sed venit omnium Dominus in serui forma, paupertate circumamictus, vt venationem non effugaret.* Vt venator prædam trahat ad laqueos, quam sese deiicit, quàm nudatur, absconditur ramis; sic homines Deus vt traheret prædandos, fastum omnem exuit Imperialem; sese humi prostrauit, paupertate amicitur, vt vel sic prædam faceret. Sic etiam postmodum vir factus, dimissis discipulis in ciuitatem, mansit ipse solus Chrysost. iuxta fontem Sichar. De quo eleganter Chrysost homil. de Samarit. *Quare discipulos suos ablegauerat Dominus? Mulier illa pauper [illegible] erat, neque potuisset multarum satellitum numerum [illegible], quòd si magistri dignitatem vidisset, ac discipulorum cœtum accede[illegible] non esset, piscis è retibus euasisset. propterea [illegible] ablegauit.* Ita modò paupertate circumamictus, omni satellitio nudatus apparet, humi vagiens, vt paupereculi etiam homunciones Deo valeant approximari. *Vide ergo* (finit Theodotus, vbi supra) *quomodo paupertas eum, qui pro nobis homo factus est, accessibilem vniuersis ostendit. Nullus enim metuens superbas Christi diuitias tardus fuit, nullum accedere ad eum Imperij celsitudo prohibuit; sed communis apparuit, & pauper, semetipsum offerens omnibus ad salutem. In præsepi namque Dei proponitur verbum, vt licentiam habeat rationalis & irrationalis participari cibo salutis.* Quocirca loIoseph. quens Iosephus lib. 8. ant. cap 3. de senioribus Israel quando Roboamo consilium desiderant, sic ait: *Suaserunt, vt comiter populum alloqueretur, & posito aliquantisper fastu Regio, ad captandam multitudinis gratiam se accommodaret: hac enim arte captos facile illum amaturos: quod natura ita comparatum est vt subditi delectentur Regibus mansuetis, & de suo fastigio [illegible] descendentibus.* Proh Deus immortalis! quò te dimittis? Quam deponis fastum Regium, vt mansuetudine allicias, & allectos capias? Cum primum noster Rex legem tulit, ad montem Sina descendit, cur non potius è cœlo? Athanas. lib. 3. contra Arian. ait. *Qui poterat ex ipso cœlo legem dictare, norat vtile esse hominibus, si è Sinai eam promulgaret, idque ideo fecit, vt & Moyses ascendere posset, & illi de proximo sermonem audientes melius crederent.* Modo non è cœlo, non è monte Sinai, sed magis demissus hominum intrat casas, vt per demissionem facilius homines ad se trahat. Etenim ait Matth. 8. *Cum venisset Iesus in domum Petri*, vbi Chrysol. serm. 18. *Ad domum Petri venit Christus, vt homines Petri venirent ad Christum.* Sic à condescensu homines capit.

§. III.

In summa nascitur Deus paupertate, vt vnus & solus puerulus mortalium oculos detriumpharet.

NOn is est Deus natus, qui emendicatis decoribus homines traheret, ipse solus & nudus sufficit mortaTheodot. lium, & immortalium mentes exsatiare. Sic Theodot. ait: *Propterea pauper illam Deus elegit matrem, paupertatem patriam, egenus fit pecunijs. Omnia paupera, & vilia elegit: omnia mediocria, [illegible] plurimum ob curam, vt diuinitas sola cognosceretur orbem transformasse terrarum.* Sanè is erat puer diuinus, qui nudus, qui solus caperet humanas voluntates. Fulgentia congerunt decora Principes mundiales, auro, gemmisque faciunt radiare Palatia, vt conuentium oculi circumstantium decoribus præoccupati cæcutiant ad Principis humanam infirmitatem. At puer iste imbecillus licet, & pauper mediis crepitacillis infantilibus, media fasciarum, & præsepis vilitate sic omnium creaturarum oculos mentésque potuit, vt cæcutiant ad fulgentissimas quasque mundi gazas. Accipite Cyprianum pulcrè de nascentis pueri paupertate philosophantem. *Ornamenta, ait, quæ deerant, etiamsi adessent, non haberent oculos inspectores, quia præsentia paruuli sic eorum, qui aderant, oculos occupauerat, sic illuminauerat animos, sic corda illexerat, vt in hoc summo bono omnium bonorum vnica collectio videretur, nec opus esset mendicare per partes, quod simul in se vno fidelibus amatoribus infantia præstabat.* Viluissent cuncti creati splendores, radiantia decora ditissima ornamenta, vbi solus pauper hic puerulus radiabat, ipse ipse nudus, omni decore spoliatus, circumamictus paupertate præoccupabat animos, oculósque omnium, ne illo viso alia externè splendentia desiderarent omnium pulcritudinum segete exsatiati. Huic similem rationem meditatus est D. Athanas. propter quam Athanas. inuisibilis homo Deus visibilis apparuit. *Ideo*, inquit, *hominum amator Deus corpus sibi assumpsit homo inter homines versatus, vt hominum sensus præoccuparet, vt homines humana sola cogitantes, quocumque suos sensus conferrent, ibi se anticipari, præoccuparique rationibus animaduerterent.* O præstantissimum artis diuinæ artificium! O singularis verbi Dei sagacitas! homo fit pauper, omni decore, & ornamento nudatus, vt oculos humana decora concupientes rapiat, præoccupet, exsatiet! Quomodo id præstabit? qui nudus est, qui omni decore spoliatus, qualiter omnium pulcritudine capiet? qualiter mihi vniuersas creaturarum, & creatoris diuitias repræsentabit? Sanè quia omnium nudatus est materialis oculus, vt vniuersos mihi possit colores repræsentare, & claro sub lumine obiicere, ita elaboratus est Philosophis, vt omni sit in se colore vacuus, qualibet licet minima tinctura nudatus, adeò vt si quando ex morbo aliquo tingatur pupilla, omnia sibi suo colore delibuta fingat. Hoc ergo quod materialis oculus habet, longè præstantiori, & diuiniori ratione increatus oculus Dei paupere circumamictus carne præstabit. Is nudus extrema in paupertate visitur in stabulo natus, vt omnium bonorum diuitias ditissimósque pulcritudinum thesauros fidelibus repræsentaret, eorum oculos præoccupando. Hinc eleganter Theodotus ait. *Tu respice mihi pauperrimum habitaculum* Theodot. *eius, qui ditat cœlum, vide præsepe sedentis supra Cherubin, vide pannis obsitum eum, qui pelagus arenæ iunxit, vide deorsum paupertatem, diuitias sine sursum considerans, sic etenim gratiæ, & clementiæ videbis magnitudinem si tantam Dei condescensionem consideraueris. Nam ipsa paupertate diuitiæ eius diuitiis ostenduntur.* Expendo istud, nam ipsa paupertate diuitiæ eius diuitiis ostenduntur: paruulus namque puer nudus Dei oculus & pupilla in media nuditate vniuersos diuitiarum immortalium thesauros, cunctas pulcritudinum splendentium species, hominum concupienti animo repræsentabat.

§. IV.

Præsepis palea Dei hominis commixtionem æternum duraturam firmauit.

PRimus sese mihi obiicit Athanas. orat. de Incarn. Verbi. Athanas. Vbi hanc subdit rationem, cur verbum diuinum, & non alia deitatis persona hominem assumeret reparandum. *Neque fuisset, ait, vllius alterius opus exemplar imaginis diuinæ hominibus restituere, nisi eius qui erat imago Patris.* Tota generis humani ruina in eo erat, quod imago Dei homini impressa deleta fuerit, & abolita: reparatio ergo generis humani inde prouentura, quod imago Patris iterato opere homini firmiter inderetur. Porrò, inditum fuit homini verbum diuinum, imago æterna Patris carni humanæ sub paleis præsepis apparuit impressa, inde auspicium præbens, quod nunquam vlterius esset abolenda. Hoc Cyprianus admiratus mysterium totus adstupens aiebat. *Miror quomodo verbo Dei caro adhæserit.* Etenim testacea luteáque caro qualem commixtionem cum ærea Dei imagine præseferat? Vix terreno Adamo indita fuit imago Dei, & statim ad serpentis sibilum exsufflatur, non equidem cohærent sibi testa, & ferrum.

Reuoca, si vis, in memoriam illud Daniel. 3. Regi Baby- Daniel. 3. lonio obiectum spectrum, cuius pedes ex parte ferrei, ex parte fictiles visebantur. Quid tunc mysterij? *Commiscebuntur*, inquit, *humano semine; sed non adhærebunt sibi, sicut ferrum non potest misceri testa.* Hoc crediderim Cypriano præcognitum cùm dixit, quomodo verbo Dei caro adhæsent,

non miratur, quod virgineo ex semine commixti fuerint homo & Deus; sed quod ænea Dei imago, ferreum Dei verbum & penetrabilius omni gladio ancipiti testaceæ & luteæ carni firmiter adhæserit. Dixisset barbarus quis & hæreticus, quòd quantumuis semine humano Deus, & homo coniungerentur, non tamen semper adhæsuri sibi, sicut ferrum non potest misceri testæ. His labaret ratio humana spectris, hæc prædicarent sancti miracula, & mysteria, quòd verbo Dei caro adhæserit.

Verùm enim verò verbum Dei non testæ, non luto cuique adhæsit; sed luto humano paleis conuoluto præsepis, ne adeò mireris, quòd firmiter verbum Dei humanæ carni adhæserit. Cur enim Christi Domini humilitas sub paleis constituti, perseuerantiam vnionis hypostaticæ non mereretur? Sanè testaceum lutum, vt omni palea purum est, sic nihil valet, vt conglutinare, & coniungere possit. Vnde apud Ezechiel. [Ezech. 13.] peruersè ædificantibus dicitur. *Liniebant eum luto absque paleis. Dic ad eos, qui liniunt absque temperatura, quod casurus sit.* [Theodor.] Quæ verba expendens Theodoretus, gluten istud, siue lutum, quo muri lapides absque temperatura palearum vinciebantur, putat Reges, Principes, sic enim ait, *Vincula muri Reges, & Principes appellauit, qui sicut commissuræ ædificium, ita populum constringebant.* Vbi ergo lutum sine palearum temperatura regnat, futuram ruinam, & casum minitatur. Proh dolor! luteus homo terrenus Adam Dei imaginem suscepit mediis paradisis delitiarum, florenti nemore aspirantibus suauibus auris, nulla ibi palea, nulla palearum vilium temperatura. Quid plura? Vnico ambitionis flabello cecidit homo, imago Dei exturbatur, totúmque innocentiæ ædificium ruinam patitur.

Hinc iterato opificio imago Patris imprimenda luto humano, non aliter luto insedit, quin lutum humanum premeret sub fœno præsepis, illúdque condiret de fullonis more temperatura palearum quo adeò firmiter imago Dei, verbum Dei adhæsit carni, vt hominis & Dei mixturam æternaret. Pulcrè,& eleganter ex hac à paleis commixtione pungit Theodot. [Theodot.] hæreticos illos, qui in Concilio Ephesino verbum diuinum carni minimè inhærendum putabant. *Porrò, nos ostendimus*, inquit, *quia pauper factus propter nos, qui est diues, verbo diuinitatis salutem omnibus perceptibilem faciens. Quod etiam significans Paulus dicebat, Propter nos pauper factus est, cùm diues esset, vt nos illius paupertate ditaremur. Et quomodo iste pauper factus est propter nos, dicant nobis, qui à Dei verbo separant hominem, & quod vnitum est separant?* Sic ille; eleganter ex paupere carne accepta, inseparabilitatem verbi ab homine præsagiens. Etenim vbi humanum lutum sub tanta paupertate,& vilitate, addita palearum temperatura, verbo diuino coniungitur, non potest coniunctio hæc & commistio æternum non durare. [Chrysost.] Quod ponderans D. Chrysost. sic paradisi casus cum præsepis felicitate componit. *Illic probro affectus fuerat paradisus; hic spelunca facta est gloriosa. Illic duo, Adam, & Eua expulsi sunt à peccato; hic fines orbis terrarum educti ad gratiam. Non habemus amplius suspectam exily exprobrationem; non extimescimus amplius claustra portarum paradisi; non metuimus amplius morsus serpentum.* Omnia in tuto sunt, omnia æternum firmata,& confirmata; nunquam diruendus est noster hic paries, non fieri potest, vt corruat genus humanum, siquidem lapis angularis, Dei verbum imago Patris non se testaceo luto impressit; sed lutum cum palearum temperatura sibi in præsepio copulauit.

§. V.

Fasciæ, panni, & vilitas præsepij Deum omnipotentem maximè honorarunt.

[Theodot.] FAcem nobis præferat hac in re millies nominandus Theodotus, à quo hæretici vilia Dei incunabula fastiditi, sic apud Ephesinam Synodum punguntur. *Vides paupertatem tantarum factam diuitiarum matrem. Nunquid nocet deorsum vnigeniti ad paruum tempus obiectio, quæ tantas diuitias contulit orbi terrarum? Quid ergo exprobras Christi in Bethleem humilitatem? Cur paupertatem deducis ad medium: eius lucra non computans? Cur indignum dicis Deo, quod tantorum bonorum facta est occasio? Cur paupertatem dicis indignam Deo, per quam mundus ditatus est? Noli detrahere [illegible], qua Tyrannis diabolica est destructa. Si enim cum format Deus membra mulieris non accusatur, neque cum inhabitat in eis iniuriam patitur.* O vim argumenti maximam! O mentem pipere superplenam, & sale! Nulla res Deo, & creaturarum orbi tot peperit glorias, tot genuit triumphos, tantas coronas reportauit quam præsepe, quam spelunca, quàm infantia, quàm fasciæ. Quot fasciæ, tot diademata, quibus coronauit Deum mater sua, coronauit, inquam, Deum mater; sed quando coronauit? An in paradiso ab illo condita? an quando a florido Dei ore accepit vitæ spiraculum? an quando diuinis elaborata manibus? Quin potiùs tunc Deum coronauit mater, quùm peperit trementem artubus, quùm fudit in præsepio, quùm vilibus fasciis colligauit, tunc sanè Deum diuiniori sublimiorique diademate ditauit. Siccine magnus Theologus Nazianz. orat. in [Nazianz.] Christi Natiuitate creationi hominis a Deo elaboratæ præponit eiusdem Assumptionem in Deum ex vilitate,& infirmitate natalis. *O nouam, ait, & inauditam mixturam! qui est fit: secundum consortium nobiscum iniit, & quidem prior longe mirabilius, tunc cum id quod præstantius erat nobis impertiit, at nunc eius, quod deterius est particeps ipse fit. Hoc prior illo diuinius, & apud cordatos multo sublimius.* Et quidem laudandus erat Deus quod hominem condiderit, quòd illum pulcherrimo corpore viuido spiritu donauerit, quod nemore florenti ditauerit. Tunc enim pulcritudinis, diuitiarum, regiique fulgoris magnificentissimos effudit thesauros, maiora tamen, & longe admirabiliora prætendit, cùm hominem assumpsit reparandum. Quid ni? eius quod deterius est particeps fit, non splendentia, sed obscura, non sublimia, sed abiecta, non pretiosa, sed vilia, sed paupera sibi innectit: *& hoc priori illo diuinius, & apud cordatos multò sublimius*, adeo, vt dicat Aug. [August.] serm. 3. *quod illa natiuitas potentiam diuinitatis honorauit.* Miraberis, potentiam infirmitate honorari? Audis infantem præsepio reclinatum, pannis inuolutum, trementem artubus, & intereà nescis qualiter possit de potentia & fortitudine laudari? Qualiter eius potentia effulgeat honorata? Equidem Toleti, vbi è chalybis massa dexterrimè enses conflantur; videre erit fabrum gladiarium, qui vt experientia emptorem doceat, quàm præclarum ensem confinxerit, quámque bene ipsum temperarit, arripit ipse prior gladium, nudat, eúmque flexilem monstrans parieti impingere non reformidat. Itaque ipsum flectit, in gyrum rotat & ducit, vt cuspidem ad capulum ipsum deducat. Quid hoc magni est? Plumbei aut ficulnei potius gladij signum apparet, quem quocumque volueris inflectes. Id sibi persuaderet ignarus artis; verum qui sapit tunc magni æstimat gladium, cùm ita flexilem & ductilem cernit, tumque faber dexterrimè elaborati gladij valorem commendat, adauget pretium, cum illum crebris flexibus premit ac conuoluit. O verbum patris increatum, omnipotens sermo penetrabilior omni gladio ancipiti! Barbarus ille erit, hæreticus, diuinæ artis penitus expers, qui mediis his natalitij apparentibus infirmitatibus diuinam effulgere virtutem non cerneret. Saxeo præsepio impactus flecteris, reclinaris. flexilesque conuoluuntur artus, lacrymantur ocelli, ageris dormiturus. Verùm hi motus sub humanæ infirmitatis indiciis chalybem diuinum præseferunt, maximeque admirandam diuinam potentiam reddunt. *Nam si venisset*, vt loquitur Cæsarius dial. 3. *vsurus potestate naturali, nil admiratione dignum facere visus esset. si aduersus Angelum desertorem decertasset Deus. imò in arrogantiam extulisset Diabolum. quasi Deo par fuisset aduersarius.* Venit ergo omnipotens sermo gladius acutus, flexilis, ductilis, humilis, & infirma amplectens, vt sic victricem Diaboli potestatem redderet admirandam, adeóque honoraret diuinitatem, vt vel ex infirmitatibus ipsis Deus conclamaretur ipse infantulus. Quo spectat illud Procli de Christ. Dom. nat. vbi sic fatur, *O mysterij magnitudinem! Miracula video, & diuinitatē prædico: cerno passiones, & humanitatem non nego.* Expende duo illa, ex miraculis diuinitatem prædico, ex passionibus humanitatem non nego. Cur non dixit etiam, humanitatem prædico? An passiones humanitatem non reddebant prædicabilem? Imò adeò diuinitatem ipsam exornabant passiones, adeò illam commendabant, vt maximum duxerit Proclus, si inter miracula, visis passionibus, & infirmitatibus humanitatem non negaret, præsepe, fascias, pannos, paleas, & omnia vilia & abiecta diuinitatis vnguento madere conspicatus. *Video passiones, & humanitatem non nego.*

§. VI.

Reclinatio pueruli in præsepio. Dei ad hominem amorem, inclinationem præsagit.

ABscissus sine manibus diuinus lapis, præsepio reclinatus, imo allisus quid faceret, nisi splendentes amoris flammas iacularet? Etenim dicit, reclinauit eum in præsepio

fepio,fanè vt totus effet pafcua amatoriis flammis. De illo [Ezech. 1.] filij hominis fpectro Ezechieli obiecto ait Propheta 1.cap. *A lumbis deorfum vidi fpeciem ignis & arcum.* Quæ verba [Rupert.] acutè ruminatus Rupertus in arcu quamdam inclinationem & reflexionem Dei amantis notam fic facit. *Ante corporis affumptionem quæ per lumbos fignificatur, Deus generi humano iratus tantummodo ignis confumens erat; poftquam autem carnem affumpfit, iam non folummodo ignis, fed & inclinatio nobis eft propitiationis.* Ecce quid paruulus natus præfepióque reclinatus protendat, fefe ab ira in iridem effingit dimiffa vindicante fagitta, fefe inclinat in arcum plenitudinem effufurus miferationis & charitatis. Sub Iordane apparuit quandoque vir factus hic diuinus & cœleftis arcus, nec diffugiunt Iordanis aquæ, vt quondam fugerunt ad [Chryfol.] præfentiam arcæ. Id quod expendit Chryfol. hom. 5. de Epiphan. *Quid eft quod Iordanis qui fugit ad præfentiam arcæ legalis, ad totius Trinitatis præfentiam non refugit? Hic Trinitas exercet gratiam totam, totam fecum loquitur charitatem, ibi elementa corripit, vt feruulos inftituat ad timorem.* Quafi dicat, quòd fub arca legali Deus feueri numinis perfonam agens & timebatur & fugiebatur, erat ignis folùm confumens, folùm deuaftans, fugam cunctis indicens mundialibus. Verùm poftquam fe in arcum inclinauit, & ad præfepe vfque reclinauit, iam non fugat, fed trahit; non terret, fed amat, totúfque loquitur charitatem. Ignis eft non confumens, fed adeo fœderis arcus conformatus, vt nec nocere fciat ipfis præfepij paleis. Quam Dei recens nati inclinationem ex igne rubum non comburente eleganter expen- [Theodot.] dit Theodotus Ancyranus homil. 1. de Chrift. nat. dum ait: *Nonne illius, qui ad nos defcendit, charitatem humanitatémque in igne animaduertitis? Iudex inter iudicio obnoxios verfatur, neque tamen iudicium exercetur. Iudex inter reos demoratur, neque vlli tamen pœna irrogatur; iudex præfto eft non iudicaturus, non condemnationem illaturus, fed medicinam adhibiturus.* Vt hinc pateat ille ignis confumens & deuaftans quàm fit in indulgétiam, & amorem inclinatus ex eo quòd in præfepio fuerit reclinatus. Id quod eleganter expendit D. P. [Chryfol.] Chryfol. ferm. 29. cùm Iefum peccatorum menfis recumbentem mirans ait, *Iefus epulabatur, non cibis, fed reditu peccatoris, vt reuocaret conuiuio humanitatis affectu dulciffima fui confabulatione difcumbentes, quos fciebat poffe iudicis angufta poteftate diffolui, percellit terrore maieftatis fuæ, de nuda mox præfentia poffe præftari: velatus humano corpore quis hominis voluit fubuenire. Occultauit Dominum quis feruus dignatus eft, fiduciam non negare, maieftatem texit, qui fragilem ftuduit parentis amore complecti.* Hæc ille & pulcra & melle plena.

§. VII.

Infans in præfepiis ardua Euangelicæ doctrinæ confilia efficaciter perfuadebat.

ADmirandam reddidit Deitatis fortitudinem omnipotens infantia, vt in præcedentibus explicuimus: nunc pergit Ifaias vates eiufdem infantiæ gloriam magnis no- [Ifai. 9.] minibus propalare, fic cap. 9. fatus, *Paruulus natus eft nobis, filius datus eft nobis, cuius principatus fuper humerum eius: & vocabitur nomen eius admirabilis, confiliarius, Deus fortis, pater futuri fæculi, princeps pacis.* Infantine confiliarius? An ab infantili ore confilia Euangelica mundialibus legibus oppofita perfuadentur homini cordato? Sanè infans confiliarius optimus, & mundi leges damnat, & illis aduerfantia con- [Bernard.] filia mentibus ingerit humanis. D. Bern. ferm. de Nat. *Nondum lingua loquitur, & quæcumque de eo funt clamant, ipfa quoque infantilia membra non filent. In omnibus mundi iudicium arguitur, confunditur, confutatur.* Quis hæc poffet, nifi paruulus? nifi infans?

Exoefus Titius v.g. litem, iuris lumina confuluit, & fimul omnes legum periti in eadem confilia confpirarunt, quibus fi Titius paruerit, affirmant, minime fieri poffe quòd fua caufa cadat. Sic rebus compofitis, fi quis nafutus vir Titio fuggefferit omnia iuris lumina excutiee, prudentum confilia cunctorum effe falfa, peritorum vniuerforum oraculis oppofitam terendam viam, quando id Titio homini cordato perfuadet, imò potiùs ab illo meritò irridebitur, & refpuetur vt vanus. At fi puerulus aliquis planè infans à genitricis gremio clara voce intonuerit, caffa & vana litteratorum confilia prædicans, proculdubio is nemini non probabitur, cuius etiam confilium auidè arripietur, vnus & verus habebitur paruulus confiliarius. Id quod eleganter [Ambrof.] expendit D. Ambrof. in Virguncula Agnete, cuius verba de excelfiffimo Deitatis myfterio eò plaufibiliora & vendibiliora extiterunt, quò a tenerrima infantula proferebantur, *Obftupuere vniuerfi, ait, quòd iam diuinitatis teftis exifteret, quæ adhuc arbitra fui per ætatem effe non poffet. Effecit denique vt ei de Deo crederetur, cui de homine adhuc non crederetur, quia quod vltra naturam eft, de authore naturæ eft.* Vnus ergo paruulus nobis datus, & natus optimus factus eft confiliarius qui folus efficeret, vt ei crederetur de his rebus confulenti quæ omnino mundialium omnium legum pendentibus aduerfabantur. Vnus paruulus diuitias fallaces, voluptates mortiferas, ambitionem euanidam oftendens, paupertatem, humilitatem, abiectionem confulens, probatur veritatifque teftis exiftit, qui adhuc arbiter fui per ætatem effe non poffe videbatur, quia quod vltra naturam eft, de authore naturæ eft. Hinc cenfet D. Maxim. [Maxim.] homil. 1. de Chrifto apud Pilatum, innocentiffimæ Sufannæ felicitatem quòd iudicem puerum fuerit nacta. Sic enim ait: *Condemnatur Sufanna, condemnatur & Dominus; fimilis erat in vtroque caufa iudicij, nifi quod meliore vfa eft iudice Sufanna, quàm Dominus. Hunc audit vir qui Pharifæorum feditionibus terrebatur; hanc audit puer, qui fancto Spiritu replebatur.* Et ideo innocentiam Domini prædicans vir Pilatus non perfuadet, innocentiam Sufannæ commendans puer Daniel maximè perfuadet, quia quod vltra naturam eft, de authore naturæ eft.

§. VIII.

Media in vilitate præfepij maximè Deus innotefcit creatis oculis.

EXpungebant Hebræi à verbis Ifaiæ relatis verbum illud *Deus*, faftiditi, vt ait Procopius, quod puer Deus dicatur, imò nullibi Deus magis innotuit, quàm dum infans inter duo animalia in præfepio reclinatur. Huc crediderim fpectaffe illud Ioan. 1. *Verbum caro factum eft, & habitauit in* [Ioan. 1.] *nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quafi vnigeniti à patre.* Ecce tibi quando vnigeniti Dei gloria oculis intuentium paret, cùm caro factus noftris incubat incunabulis. Extat pene huius loci commentator D. Cyril. lib. 1. de recta in [Cyrill.] Chriftum Dominum fide, his verbis, *Illud verbum quod inexplicabili modo fupra omnem humanæ mentis captum eluxit, ex Deo Patre in humanam naturam defcendens, & in id quod non erat fe dimittens, ex muliere quoque nafci dignatum eft. Non quòd in ea exinanitione vfque perfeueret; fed vt Deum fe effe oftendat, atque in natura noftræ forma in terris appareat.* Vbi maximè ponderandum eft, quòd ideo verbum Patris exinaniatur ex muliere nafcens, vt Deum fe effe oftendat, appareátque Deus. Etenim ferè nullibi Deus magis innotefcit, nullibi clariores fuæ Deitatis fulgurat radios, quam media in exinanitione natalis Nemo putet, fe Deum vidiffe (de vifione loquor quæ fit per exteriores affectus) qui eum præfepio accubantem nò vidit. Quærit meritò Anaft. Sinaita lib. 4. in [Sinaita.] Genefim, cur Deus primas impofuit perficiendæ terræ manus, deinde cœlo? ait enim, *In principio creauit Deus cælum* [Genef. 1.] *& terram: terra autem erat inanis & vacua:* quam ante omnia viridantibus herbis honeftauit, floridus conueftiuit, plantis ditauit, cryftallinis rigauit fluentibus, variis repleuit animalibus. Tribufque in eo opere diebus primis confumptis, comturus radiis cœlum acceffit diuinus artifex. Cur hoc ita præpofterè, vt videtur, ordinatum eft? *Propterea,* ait Sinaita, *ante cælum terra ornatur, quoniam ante Angelos terra, geniti homines Deum per carnem vidimus.* Etenim licet ab orbe condito Angeli Dei fruerentur vifione; tamen quafi Deum non viderunt vagientem in cunabulis. Tunc primo Deus vifitur, tunc eius Deitas maximè claret, quàm præfepij obducitur pale s. Vnde magnus Athanaf. celfiffimam [Athanaf.] Dei maieftatem humanis obductam vilitatibus fic mirabundus ait: *Qui in cælis liber eft, in terris defcribitur. Illic Dei filius, hic feruus: illic Rex, hic fubditus: in cælis diues, in terris pauper: illic diuino fedet in folio, hic in agrefti nafcitur fpelunca: illic in paterno eft finu, hic in paruo reclinatur præfepio. Quis non admiretur fuperna & fublimia illa cum humilibus & paruis collata?* Rectè quidem admiranda Deitatis decora non à fulgenti prædicat folio; fed à præfepii, & ærumnarum collatione nititur indigitare. Etenim hominis Regis virtus non tam claret in regio throno, quam in arena, & fanè is eft Deus nofter, cuius Deitatis gloria tunc euidentiffimè patet, cùm pulueruleptus in mediis pauperrimi natalitij ærumnis verfatur. Babylonius ille tyrannus apud Danielem, vt diuinitatem oftentaret, auream effingit ima- [Daniel. 3.] ginem, fimiliter & fornacem accendit, cuius flammis im-

misit tres sanctissimos pueros ligatos, quibus statim quartus alius Dei filio simillimus apparuit, vel ipso tyranno
Chrysost. testante, *Species quarti similis filio Dei.* Ad hæc Chrysost. *Quid tale potuit imago inanis monstrare? Ecce Dominus in auro non lucet; sed in flammis ostenditur.* Et sanè tunc elucet Deus, tum visitur clarè, cum flammis dant materiam præsepis paleæ, non etenim aurum, non cœlestes gazæ; sed infantilia membra, sed fasciæ, sed vagitus faciunt Deum con-
Gillibert. spicabilem. Hinc dulcedine manat Gilliberti lingua, dum ser.21. in Cant. sic Angelicos Spiritus euocat ad stabulum. *Vos verè & plenè filiæ Sion, quæ semper intuemini faciem Patris, egredimini & videte, egredimini de recondito illo sinu intimæ visionis, ac secreto lucis inaccessibilis. Nouum vobis terra nostra præstat spectaculum. Nouum enim facit Dominus super terram, ab æternis ad terrena vos prouoco. Mira hæc inuitatio; sed nescio quo pacto æterna illa, quæ in seipsis semper noua & miranda sunt in eo quod factum est in terra nouum, noua magis & miranda resulgent. O beata hæc in terra nouitas temporalis, quæ antiquam illam & æternam nouitatem Angelicis aspectibus in amplius innouauit.* Etenim diuinitas incarnata ea immisit decora aspicientibus Angelis, vt quasi nunquam viderint, sic nouam pulcritudinem mirarentur.

§. IX.

Infans recens natus sese hominum declarauit patrem.

FVturi sæculi pater vocatur ab Isaia recens natus paruulus, paruulus, inquam, ille, cuius vt in carne ad-
Cant. 1. uentum contenderet, aiebat illa Cant. 1. *Osculetur me osculo oris sui*, idem reputans & Deum repuerascere, & osculum infigere naturæ humanæ. Ecquis est animus, qui nascentis
Serm. 1. in Psal. 118. paruuli osculum efflagitat? *Intellige mihi*, ait Ambros. *carnem illam, quæ madefacta fuerat in Adam serpentis veneno, quæ criminum marcebat fœtore, eandem plurimis edoctam oraculis quod venturus esset Deus, qui serpentis illecebris excussis sancti Spiritus effunderet gratiam, in habitu ornato cum verecundia orare dicentem, Osculetur me osculo oris sui.* Itaque à serpente infecta caro peccatrix, gnara Deum, in serpentinos mores excandescens, venturum aduentum optat, & osculum efflagitat. Anne à puero serpentis reguli interfectore, exterminatore, serpentinis sibilis madida caro osculum expectabit? Cur non potiùs mortem timebit & flammans? Cur veneno oppositum austerum aliquod remedium non expostulabit? Sanè Patris est, osculo filium reddere sani-
Luc. 15. Chrysol. tati: prodigum filium recipiens pater Luc. 15. *osculatus est eum.* Id quod eleganter & acutè expendit Chrysol. serm. 4. *Sic pater emendat, sic peccanti filio dat oscula, non flagella: delicta non videt vis amoris, & ideo pater peccata filij redimit osculo.* Hunc agebat filius Dei patrem, cùm sese iunxit simillimæ carni peccati, pater, inquam, erat, dum per intimam sui vnionem & coniunctionem ad carnem, carnem redimere parabat. Sic pater visitur, dum infantili carni adnatus, intimè infixus quasi osculo redimit peccatricem carnem. Sic nascentis Dei redemptionem, quæ postulabat, non aliam credens quam redemptionem à dulcissimo parente peractam petit, Osculetur me osculo oris sui. Accinit
Chrysost. Chrysost. homil. de turture, vbi sic inducit Ecclesiam gementem & suspirantem. *Ego Ecclesia ex gentibus non iam volo per Moysem, & Isaiam, aut Hieremiam, & alios vates; sed ipse veniat, cum ipso volo ore ad os loqui, ipse veniat, & osculetur me osculo oris sui. Audio Hieremiam dicentem de ipso. Graue cor eius præ omnibus, & homo est, & quis cognoscet eum? Ipsum desidero, veniat & osculetur me osculo oris sui. Audio Amos dicentem de eo. Ecce homo stans super murum adamantinum, & adamas in manu eius: ipsum quæro, veniat, & osculetur me osculo oris sui.* Proh amoris audacia! Intonante Deo apud Syna perterritus populus electus dicebat, Non loquatur nobis Dominus; sed Moyses, & Ecclesia ex gentibus ait, Non loquatur Moyses, nec Propheta; sed mihi Dominus ipse loquatur. Illi verba ab ore Dei venientia canebant; hæc labra labris infigere exoptabat. Deterrebant Prophetæ Dei grauissimum, seuerissimum aduentum, adamantinum pectus, effigiantes, & illa adhuc clamabat, Veniat & osculetur me osculo oris sui. Vnde hoc mulier? à graui Deo, ab adamantino cur osculum expectas? Sanè pater est, nesciet peccatricem prolem nisi per intimam coniunctionem; nisi per osculum redimere, si veniat osculabitur, si apparet in Bethleem, non alio modo, quam osculatus hominem, & sic vt pater redimens apparet.

§. X.

Fructus pacis à præsepis fœno cœpit maturescere.

QVi Dominus exercituũ in arena, in castris per tot sæcula degit, dum electum populum ditaret bonis terrenis, iam meliora testans, abdicatis sæculi diuitiis, paupertatis assertor nascitur in præsepio, & princeps pacis à Propheta asseritur, *Vbi enim meum & tuum*, ait Chrysost. Chrysost.
ibi omne litium genus & contentionis occasio: vbi autem hæc non sunt, ibi secura versatur pax & concordia. Igitur vbi in vili præsepio omnimodam paupertatem seuit nudus puerulus, statim pacis fœcundissimas segetes maturas ostendit. Dauid Psal. 71. dicebat iuxta vulgatā: *Descendit sicut pluuia in vellus.* Psalm. 71.
Verùm multis viris doctis Hebraicè eadem verba de filij Dei in carnem aduentu sic sonant: *Descendet sicut pluuia in* Lorin.
herbam resecatam, & sicut stillicidia stillantia super terram. Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis. Etenim cùm primum resecata herba præsepis, fœnum rore diuino maduit, copiosissimas & abundantissimas pacis segetes nobis metendas dedit. Quod ex Angelico ad Christi Domini puerperium cantico auspicatus est D. Greg. Nissen. orat. in Nat. Nissen.
dum ait. Quinam plaudentium sonus? gloriam clamant in altissimis Deo. Cur diuino numini, quod in altissimis cernitur, gloriam tribuunt? Quoniam, inquiunt, & in terra pax. Ob hoc spectaculum gaudio perfusi sunt Angeli, *Et in terra pax. Quæ prius detestabilis erat, quæ spinis ac tribulis plena solitudo, quæ damnatorum exilium, quæ belli regio, hæc pacem suscepit. O rem admirabilem, veritas de terra orta est, & iustitia de cœlo prospexit. Talem dedit homini terra fructum suum.* Sanè pax fructus ortus à terra; sed à qua terra, à terra fœno, & paleis Deum halantibus plena. Hæc nasci pacem fecerunt, & maturescere, vt inde eleganter dicat Isaias cap. 52. iuxta Tert. *Quam maturi sunt pedes euangelizantium pacem.* Lib. 5. contra Marc. cap. 5.
Omnia Israëlitica scatebant bellis, vix post mille certamina pax erumpebat, & vel in ipso exortu interibat, nullus tunc pacis fructus tempestiuus. Tandem terra fœno, paleisque diuini roris madidis sese operuit, & fructum pacis, & tempestiuum, & maturum hominibus porrexit.

Igitur nascenti Deo factus est in pace locus eius, præsæpe requietissimæ pacis, Deo eligitur hospicium. In extremæ pacis commendationem aiebat ille, gladios conuertendos fore in vomeres, multiplicantur modo pacis, & requiei signa, cum papiliones, cum tentoria, sub quibus Deus militans per tot sæcula degit, mutantur in præsepia. Vnde eleganter Esichius homil. 2. de Virg. Maria his sic lo- Esich.
quitur Deum verbis allectoriis, *Surge Domine in requiem tuam quam super terram præscripsisti, & in Bethleem constituisti, vtpote stabulum, præsepe, & fascias.* Iam bella omnia abierunt, iam non ampliùs præcinctus sub papilionibus ages. Ecce gladij conflantur in vomeres, turres in stabulum, tentorium, præsepe, baltheus in fascias, hinc tua pullulat requies, hinc pax alma. Hinc etiam Nazianz. orat. de Nat. nos iubet exultare, dum inquit, *Nunc autem Domini Natiuitatem accipe, & præsulta; si minus, vt Ioannes ab vtero; at certe, vt Dauid, ob requiem arcæ.* Vbi pondero quàm bene Theologus, & quàm acutè vtatur similitudine arcæ, cuius requiei anxius Dauid, post finita bella, dum templum construeretur, locum domi excogitauit, vbi locaturus arcam portitores præcedebat præsultans, & psallens Sic modo fideles Dominum exercituum pacificum natum, dimissis tentoriis, sub quibus præliaturus stabat, in præsepio reclinatum, ibique quiescentem æternum duratura pace, miraremur præ gaudio præsultantes.

§. XI.

Fragilis, & infirma Deifici pueri caro efficaciam Deitatis acuit.

QVid efficacius igne? Quod fragilius vitro? tamen per vitrum igniti radij exilientes acuuntur, maximè miramque inde capiunt efficaciam, siue ad comburendum, siue ad illuminandum. Ita crediderim, diuinitatem per fragilissima vagientis puerili membra nouo indutam fuisse robore, vt vniuersum mundum illuminaret. Id quod pulcherrimè attigit D. Basil. homil. Natiuit. *Pellucebat diuinitas* Basil.
per humanum corpus, perinde, ac lux quædam per vitream capsulam, eos illuminans, qui cordis oculos mundos habebant. Expende similitudinem, perinde ac lux per vitream capsulam, semper vitrum exceptam lucem acuit, & non rarò lux, siue

crystallo,

crystallo, siue vitro accedens fulgurat igneos radios. Cum fragilia, & infirma infantis Dei membra cernis, cùm lacrymulas vagientis miraris, puta vitrea quædam, & quasi buccellas crystalli, mediis quibus lux increata eos fulgurat, radios, qui illuminet orbem terrarum. Ita D. Cyrill. Hierosol. de occursu Domini. *Idem vagit in cunis, & mundo vitam gaudiumque impertit.* Antea vix paruum populum Deitas illuminarat; sed modo per vitrea membra, per crystallinas lacrymas infantis, transuerberata, totum vniuersum mundum repleuit flammis. Abner mortuo 2. Reg. cap. 3. Dauid plorauit & maximè sibi animos deuinxit populares. Sic Theodoretus quæst. 13 *Rex quidem dolore motus luxit, & est lamentatus lamentatio autem auxit populi beneuolentiam.* Ita nouus Dauid in Bethlehem natus dum infans vagit in cunis inter lacrymas illum emittit amoris ignem, quo ardeat orbis terrarum, puer vagit, & vagitus orbis beneuolentiam adaugetur. Prædictæ excogitationi vim addit Rupert. lib. 2. de diuin. offic. cap. 5. vbi diuinam virtutem in Eucharistiam maximam sic probat, *Horum omnium forma sacrisque vera ita fides repræsentatur in canone, eorumque procursu, & verè veno flamine verum super panem, & vinum confluente, tam diuinitatem verámque humanitatem Christi in cœlo sedentis excipimus, quàm veram substantiam ignis à sole supposita crystalli, sphæra exigua quotidie mutuare possumus.* Perpende quæso exempli elegantiam, quippe sol altrinsecus lucem emittit, cui si parui iam crystalli sphæram supponamus, ignescentes radios ab illo facimus fulgurari. Si diuinitas ab alto sedis solio virtutes emittit, & gratias, verùm recepta, siue in carne, siue in speciebus panis tanquam in crystallo ardentes eiaculatur virtutis suæ radios, quos miretur, & paueat aduersarius. Ita D. Gregor. lib. 2. Moral. cap. 17. *Venit humanitas, quem & speciebus hostis admiretur, quatenus qui fortia diuinitatis eius despexerat, etiam humanitatis eius infirma pertimesceret.* Vt hinc pateat quam efficacior diuinitatis apparet ex carnis infirmitate, quandoquidem quæ nuda ab Angelis reprobis despicitur, incarnata pauorem incutit illis, & timorem maximum, vt dicat D. Gregor. Nissen. orat. 5. de Resurrect. Dom. *Vbinam tuus est, ò mors, aculeus? vbi tua est, inferne, victoria? decorem induit, induit Dominus potentiam, & accinxit se. Potentiam dicit salutis dispensationem per carnem factam. Quandoquidem vbi illa potentius.* Sic vbi Deum potentia carnis indutum vidit, fortissimos quosque hostes irridet Nissen. ideò nil magis graue extitisse putat hostibus quam passibilis hoc indumentum carnis, quod videntes illi Luc. 23. clamabant, *Tolle, crucifige eum.* De quo Niss. vbi supra, *Itemm merito clamabant, Tolle, tolle, crucifige eum; graue enim ipsis erat diuinitatem cum carne conuersatam.* Sic ille.

Cyrill. Hierosol. — Rupert. — Gregor. — Nissen. — Luc. 23. — Nissen.

§. XII.

Pueri vagientis lacrymæ paradisum homini propinabant

OLim *fons ascendebat de medio paradisi*, vt audio, quo vitales fructus nutriebantur, sed modò qui fontes è pueri Deifici oculis scaturiunt, mille paradisi ostendunt aditus, mille recreant hortos voluptatis. Plurimi, vt paradisum inuenirent, longissima fluuiorum mensi sunt stadia Alius Nilum pene totum tranauit: alius, vsque Lusitanus, enarauit Gangem. Proh Deus immortalis! quam certo paradisum inueniret, qui se committeret his Deificis fluuiis lacrymarum De cuiuscunque sanctè dolentis lacrymis dixit acutè Abbas Cellensis lib. de panibus cap. 12 quod in Deifici infantis lacrymis certam omninò habet veritatem, nimirum, *aqua hæc aut facit, aut inuenit paradisum, cum enim profusione lacrymarum tota irrigetur conscientia, ligna prodeuntur fructus vitæ ferentia.* Quid verius? Quid elegantius? Sanè dum pueruli madere genas, dum oculos manare lacrymas, dumque illis arentia præsepis ligna doles irrigari: hoc maximè perpende animo, quod fontes hi è medio paradisi ascendunt vt rigent orbem terrarum, quòd aqua hac aut faciat, aut inueniat paradisum. Id quod voluit postmodum significare ipse Saluator, quum hora diei sexta fontem adit piscaturus mulierem Samaritanam Ioan. 6. cap. Cur hora sexta? Chrysost. *Venit horâ sexta, quandoquidem, & iam Eua mandatum in par. diso transgressa est hora erat quasi sexta, ideòque Samaritana seruata est in fonte eadem hora:* vt nimirum fons contraponeretur arbori, & dulci cibo panis lacrymarum, & quando diabolus per arborem frugiferam mulierem paradiso priuauerat, videretur Christus per vagitus, per lacrymas eandem mulierem iterum paradiso donasse: aqua enim his diuinis ocellis manans, aut inuenit paradisum, aut facit. Vnde eleganter Chrysost. sui memor homil. de Ioan. Nat. sic extollit vagientis pueri efficaciam. *Illis probro affectus fuerat paradisus; his spelunca effecta est gloriosa: illic duo Adam, & Eua expulsi sunt à peccato, hic fines orbis terræ deducti à gratia. Non habemus amplius suspectam eius exprobrationem, non extimescimus amplius claustra portarum paradisi.* Ignea rhomphæa extinguitur tantis lacrymulis infantis, aditus paradisi patet, in quo æternandus homo bis potus lacrymis.

Ruml. de Samarit.

§. XIII.

Verbum diuinum hominem induit, vt diuinas virtutes hominibus persuaderet.

IDeo, crediderim, paruulus datus est nobis, vt efficiamur sicut paruulus iste, vt nostræ paruitatis forma stimulati diuina etiam nitamur operari. Quod attigit Ambr. Psal. 36. *Ex illo puero qui antequam sciret vocare patrem, & matrem, cepit spolia Damasci, sancti vocati sunt pueri.* Etenim pueri ad arenam vocamur; sed pueri de genere illius, qui nænias pueritiæ diuinis operationibus condiunt, vt hunc nostri generis puerum spectantes diuinas virtutes ebibamus. Huc spectant Drogonis illa ingenio plena verba, *Fecisti ergo mihi, Domine, de corpore tuo speculum animæ meæ.* Sanè Dominicum corpus mihi speculum obiectum est, speculum, inquam, in quo caro similis carni peccati elucet, vt nos in diuina opera trahat. Cuius rei rationem vt percipiatis, accipite ex D. Nazianz. elegantissimam artem, qua quis auem ad verba traxerit humana.

Ambros. — Lib. 1. de Sacram. Domini Pass. — Nazianz.

Quam vise in speculo sturnos depicta figura
Edocuit, virque ingenio præclarus, & arte
Stans retro; sturnúsque in imagine fallens,
Dum sua furtiua modulatur carmina voce.

Itaque ingeniosus artifex obiicit psittaco, vel sturno speculum, & ipse stans retro quoad potest ad auium sonum deflectens vocem humana verba facit, quæ, vt percipit sturnus, aspicit speculum vnde exiluisse credit, & sui imaginem in speculo cernens imaginatur verba illa ab altero sui simili esse profecta, in quæ & ipse audet, & sic fatur. Ecce modò Drogonis acumen, dum inquit, *fecisti Domine de corpore tuo speculum animæ meæ.* Speculum nimirum corpus Christi obiicitur, & stans retro verbum latens diuina loquitur, diuina patrat, virtutes agit, vt homines intuiti speculum imaginémque suæ carnis, suæ paruitatis, & infirmitatis ibi conspicati in diuina facinora, quasi a sui simili profecta audeant, sicque bono dolo delusi imagine peccatricis carnis, filiorum Dei operationes peragant, sui similem hominem imitantes. Crediderim hoc etiam suboluisse Athanas. orat de Incarnat. Verbi, dum ait, *subiecit se ipsum verbum Dei, vt per corpus appareret, quo vt homo iam factus homines in se traduceret, eorúmque sensus ad se reflecteret, vt illis veluti hominem conspicantibus ex operis designatione persuaderent sios, &c.* Expende qualiter conspicantes hominem latentis verbi facinora sibi homines persuadent, adeò, vt inde colligat D. Cyrill. rationem, qua non Angelos, sed semen Abrahæ verbum apprehenderit, *Debuit*, inquit, *per omnia fratribus assimilari, fratribus per omnia similis, & verè homo factus, vt per pauperitatem suam nos ditaret, quo similitudinem illius ad præcipuum bonum suum consfendimus Dij ac Dei filij per omnia constituti* Ecce tibi dum nostri similis apparet, humilis puer, nos similitudine illius tracti in Deificas nitimur virtutes filij Dei per omnia constituti, & effecti sicut ille diuinus paruulus.

Athanas. — Cyrill.

§. XIV.

Filius Dei fit etiam filius hominis, vt hominem à perditione tutaretur.

NOn solùm paruulus datus est nobis Deus, vt effecti sicut ille paruulus, eius ebiberemus diuinitatem. Sed insuper filius nobis nascitur, filius hominis, vt parentem perditum labefactatum possit in pristinum statum redintegrare. Vnus Richard. de S. Victore in Psal. 28. sufficiat tanti filij hominum præcellentias decantare. *Felix*, inquit, *homo est, cui præsto est cum voluerit habere filium non quemcunque, sed Deum. O quanta dignitas hominis filium habere Dominum maiestatis! Audi homo, ausculta homo, tandem erige spem, exhilara faciem. Si confunderis de Patre tuo, confide tamen de filio tuo:*

Richard.

tuo: si erubiscis in Parente, exalta in proce. Maior hic ad erigendam, quam ille ad deijciendum, per illum eiectus à paradiso; per illum glorificandus in cœlo. Res mira & admiratione digna, vt vnus idémque sit filius Dei viui, & filius hominis morituri: dicam ac morem. Sed fortè tunc incipit viuere, cum incipit talem filium habere. O quanta humilitas omnipotentis! O quanta sublimitas hominis! Deum habere hominem patrem, humilitas incomparabilis; hominem habere filium Deum, sublimitas inæstimabilis. Adeo lacte & melle maduit lingua illius. Filius datus est nobis Deus, filius hodie nascitur, & filius, cui perditissimorum parentum sit cura. Memini apud legis peritos non semel filium parentum curam & tutelam subire. Sic cauetur *l. his qui in ea. ff. de tutoribus & curator. dand. ab his*, vbi inquiunt, *etiam filium, si sobriè viuat, patri curatorem dandum.* Et ideo crediderim natum siue datum hominibus tantum filium, quem hominum cura sollicitet, penes quem sit hominum parentum tutela & reparatio. Hanc iuris legem in hominibus obseruatam cum pondero, visus est mihi maximè suffragari ille vates qui aiebat, *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ.* Ecce filius nobis promittitur oriundus Sol iustitiæ; cur iustitiæ? An quia filius subscribens iuri Romano, sub quo nascitur? tutor & curator perditissimis parentibus datur? Sanè id insinuat Ambros. lib. 1. officior. *Magnus iustitiæ splendor, qui alijs potius nascitur quam sibi, opem alijs ferat, pericula suscipiat aliena.* Et quidem is solum adimplet filius iustitiam, qui sub tutoris lege aliena pericula subit, suique immemor attendit parentum perditioni & damnis. His lucem capiat pulcherrima D. Cæsarij Nacian. fratris excogitatio. Is enim meditatus Ioannem Iesu pectori inhærentem, sic patris hominis ius in filium æstimat Dialog. 3. *Nec ne alius quisquam incarnati Dei & verbi ausus fuit attingere illud formidabile pectus, super quo hic Joannes velut pater super filium diffusus recubuit, inde de verbo verbum hausit*, &c. Equidem audet Ioannes pectori Iesu inhærere; sed qua id fiducia facit? Sane qua pater super filium. Æstimat Iesum filium hominis & ipse, vt homo & pater, nigro in peccati obstrictus carcere, de filij pectore sumit remedium salutare. Reuoca in memoriam illud à Valer. Maxim. decantatissimum facinus lib. 5. quo femina Cymona patrem suum custodiæ & vinculis traditum vt inedia consumeretur, ipsa clam veint infantem pectori suo admotum sustentauit. Igitur de paternæ necessitatis iure, Ioannes in Iesu pectus audet vt pater, qui inediam verbi coactus pati, de filij pectore quærit saturitatem, & verbum de verbi pectore haurit. Hinc adeò perditissimorum parentum cura, tutelaque se obstrictum filius hominis duxit, adeò sibi filio hominis adnatum putauit, quod homines tutaretur, vt nemini cognomen filij hominis concesserit, qui hominibus tutandis curandisque operam non nauauerit. Id quod in Daniele & Ezechiele acutè D. Hieron. perpendit. *Crebrò*, inquit, *ad Ezechiel dicitur, fili hominis, & ad Daniel rarò*, (ad alios nunquam.) *Quorum vterque in persona eius qui dixerat, Filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet, captiuum populum consolabatur.* Ecce è Prophetis solum Danieli & Ezechiel. concessit Deus vt filij hominis decorarentur vocabulo, vtpotè qui veri filij hominis vices gerentes perdito generi opitulabantur. Vnde eleganter Irenæus lib. 5. cap. 39. confundit Valentinum negantem verbum diuinum verè filium hominis extitisse, imò extitit, *& se*, ait, *filium hominis confitetur, & beatificat mites, quoniam ipsi hereditabunt terram.* Hæc Irenæus filij hominis veritatem in Christo educens ex eo quòd homines beat, terrenæque restituit hereditati iam olim amissæ per primi parentis peccatum.

Zachar. 2.

Ambros.

Daniel. 8.

Irenæus.

§. XV

Filius Dei in præsepio apparet, vt fœno mundialis gloriæ brutescentes homines ad rationalem vitam alimenta salutis inescaret.

POst perditorum hominum curam susceptam diuinissimus tutor salutis alimoniam vt pupillis pararet, sese præsepio dedit. Etenim carnalium hominum gloria quasi flos fœni meritò ab Isaia decantatur, quo fœno homines pasti adeò in brutorum naturam abierunt, vt nihil præter ventrem, diuinum reputarent. Hinc eleganter Psaltes, *comederunt, & biberunt & surrexerunt ludere.* Quod expendens Clem. Alex. 1. Pædag. cap. 9. ait, *saturati surrexerunt ludere; saturati autem Græcè est quasi dicas, fœno repleti, nempe qui à ratione alienam alimenti plenitudinem, hoc est fœni repletionem, non cibum dixerit. Quoniam absque ratione satiati, absque ratione ludebant.* A præsepio, à fœno, à mundanis gloriolis & voluptatibus saturi quid ructarent nisi diuinitatis lusus & illusus? Modò verbum ingreditur præsepium, vt fœnum exsufflet, & inescatos homines cibo salutis ad vitam rationis participem trahat. *In præsepi namque Dei proponitur verbum*, ait Theodotus, *vt licentiam habeant rationalis & irrationalis participari cibo salutis.* Iam non fœno pascantur homines, quo vana eructent simulacra, quo instar brutorum saturati, instar brutorum colant muta animalia, ventrémque Deum habeant. Sed cibo salutis, vitæ pane refecti diuinissimum Deum habent, veræque diuinitati quicquid extiterit animale faciant. Vnde verbi diuini œconomiam commendans D. Gregor. Nuss. homil. 6. in Cant. ait. *Hic est Pastor bonus, qui non fœno pascit gregem; sed puro lilio pascit oues.* Igitur flos campi, & lilium conuallium Christus pasturus homines in præsepio iacet, vt exsufflet fœnum voluptatum carnalium, vt iam homines rationis cibo floridissimo pasti non absque ratione ludant; sed rationis participes facti rationalis vitæ, veræque religionis ludum aperiant. Et bene pasti, bene ludant, quales post sobrium pastum ludebant sancti illi coniuges Rebecca & Isaac Gen. 26. cap. *Isaac* (inquit Clem. Alex. vbi suprà cap. 15.) *risus, Rebecca tolerantia. O præclarum ludum ac disciplinam! Risus à tolerantia adiuuatur, & Rex qui ea attendit, stupet, & admiratur spiritum eorum qui sunt pueli in Christo, qui in tolerantia vitam agunt. Et hic est diuinus ludus ac disciplina. Quid enim aliud viro sapienti & perfecto magis conuenit quàm & ludere & collætari? Per honestarum rerum tolerantiam & bonorum administrationem dies festos cum Deo celebrantem.* Sic Abimelech Rex post cibum vidit Isaacum ludentem cum vxore, risum cum toleratantia, quibus præfigurabatur, qualiter homines, fœno iumentorum excluso, florido verbi lilio pasti, tolerantiam edocti dies festos agant. Sanè vix vitalis cibus in præsepio apparuit laborum omnium suggerens tolerantiam, & statim magnum gaudium canentibus Angelis, Pastoribus annuntiatur. Etenim qui verbo pastus, eius enuntiatur tolerantia, ad risum ludúmque resurgere necesse habet.

Cl. Alex.

Homil. de nat. Salu. habetur in appendice sexti tomi Cōc. Ephes.

Nissen.

Cl. Alex.

§. XVI.

Filius Dei non nascitur in frequentia creaturarum.

AVdio recens natum puerum præsepio reclinatum, quia *non erat locus in diuersorio*, & meritò vbi tanta hominum multitudo hospitabatur, non erat locus nasciture Domino, qui consortium fastidit creaturarum, qui solus amat recipi & adorari. Transfigurati Domini gloria captus Princeps Apostolorum clamabat; Bonum est nos hic esse, Domine, faciamus tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, Eliæ vnum. Respuit quam primum Dominus Petri conamina; sed præstat repulsam Petri pulcherrimis Timothei Antiocheni verbis prælibare, qui ita depingit Dominum ratiocinantem. *Quid ais, Petre, simul me & Dominum & similem seruum facis? Occasionem blasphemiæ Arrio præbes, quando cum creaturis mihi habitationem vis assignare?* His perculsus Petrus memor quod Deus Abraham tabernaculum quondam intrasset, id forsan tacitus in sui excusationem obiecit. Cui Dominus statim. *Ita est, Petre, ingressus sum in tabernaculum Abrahæ, & ingressus mansi. Sed enim aduerte fidem & sententiam & victoriam Abrahæ. Tertium me agnouit cum duobus Angelis, vnum adorauit. Num tria tabernacula fabricatus est? Num mecum seruos comparauit? Imitare Abraham, & fac tabernaculum.* Fastidit sanè Deus cum creaturis sibi hospitium parari, irascitur, si simul & illius & creaturarum curam habeas. Vnus vult adorari, vnus sufficit humanas cupiditates exsatiare. Hinc Clem. Alexand. 2. stromatum. *Seruator noster humanam omnem naturam superat. Pulcher quidem, vt à nobis solus ametur qui veram desideramus pulcritudinem.* Quod adeò tenuit illa felix amatrix Magdalena, vt apud sepulcrum Domini, pulcherrimos conspicata Angelos, illos quasi nihil viderit, prætereat. Cur mulier præteris Angelos? Pulcrè Origenes eius ab ore. *Quæro creatorem, & ideo creatura non est mihi creatura ad videndum.* Igitur in diuersorio, vbi tot hominum frequentia, nullus nascituro Domino locus poterat aptari.

Timoth.

Clem.

CAPVT

CAPVT III.

De Angelis & pastoribus Dei natalem celebrantibus. Ab illo Luc.2. Et pastores erant, *vsque ad*, reuersi sunt pastores, &c.

NATO Domino Angeli, vt celebrarent eius natalem, pastores conuocant vigilantes. Nox mira irradiat claritate, & Bethlemitica atua nouis Angelorum personant cantibus. Gabriel in primis velocissimus pastoribus afat ... nifestat miraculum; signa præbet vagientis in p... fantis, accurrunt statim cœlestium militum spissæ alæ R... ant omnia cantu gloriam pacémque halante. Interea pastores tres speluncam adeunt, & infatigabilibus artubus adorant latentem diuinitatem. Adstupet virgo mater & arcanum mysteriorum filij, simplici pastorum fide in pr... s ditat thesaurum.

Text. Pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes noctis vigilias super gregem suum. Ecce Angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos.

§. I.

Felix ille est qui Deo appropinquat; lucem in se accipiet inexplicabilem.

ARdebat olim rubus diuinis correptus flammis, & viridantibus foliis media pellucebat à flamma. Sed & omnes vicinæ plantæ, vt mauult Comestor, parili virore vernabant. In Bethleem iterum repuerascit miraculum, dum virgineus rubus sub ardenti diuinitatis partu viret, floret, & vicini arbusti pastores qui in eadem regione vigilabant, lucem ebibunt immortalem, Cant. 1. *Ecce tu pulchra es propinqua mea.* Quæ verba vt exponat Niss. pellucido speculo comparat iusti animã. Etenim speculum eam imbibit in se formam, quæ appropinquat, si stercori adsit, immunditia plenum apparet, si florenti nemori, si refulgenti soli appropiet, totum floridum & lucens apparet. *Ita expurgata à vitio anima solis circulum in se suscepit, & simul relucit cum luce... : propterea ... ei Verbum, Pulchra facta ... ropinquasti per appropinquationem ... Ecce es, inquit, pul... propinqua mea.* Hæc N... pulchra similitudine maximum vicinitatis ad Deum & appropinquationis emolumentum explanans. Argutior adhuc Rupert. hæret in eadem similitudine, vt reddat ... tionem, cur Matth. olim publicanus, postea & Euange... sta fiat, & facie hominis exprimatur, cum alij tres, leonis siue vituli siue Aquilæ dicantur facie. *Leo ... c Matthæus ..., tam... am speculum pellucidum; sed in tenebris reconditum ... latent ... nimis seculorum ... vidit com... bi vidit eum solis, & sol verus resplenduit ex aspectu eius ... vidit ... ... hominis, redditit imaginem eius ... cst ... hominis.* Quid eleganrius? Sic ... pastores pellucida erant speculi, sed in tenebris recondita sub c... a vilium gregum pernoctantes, illis vicinus, & propinquus o... ut sol verus, & claritate Dei circumfusi increatæ lucis ebiberunt radios; *vigilantes, ait, vigilias noctis; & ... Dei circumfulsit illos.*

Nissen.

§. II.

Post Deum incarnatum Angeli hominibus placidi & humani astant.

ET pastores Angelus iuxta se parili consortio admittit, & placido fulgore ... stetit iuxta illos Angelus, & claritate ... circumfulsit illos. Vnde hæc in Angelo humanitas? Angelo, inquam, de quo I. sal... 3. *Qui ... it Angelos suos ... eos ... tem ... nimirum facit Angelos ... ritus a carne omnino ... paratos, facit rursus eos ... non lucentem, non ... luminantem, sed vrentem.* Hinc Stromatæus 5. *viri igniti Angelos significant, qui assumptos in ... s puniunt. Qui facit, inquit, ministros igne m vrentem.* Hoc insitum Angelis, vt peccatores, vt rebelles exurant, vlciscan ur. Adeo, vt etiam Deo miserenti populi sui apud Babylonios captiui restiterit fortiter Angelus. Sic Hieron. Dan. 10. *resistit Princeps Persarum, id est, Angelus, sciens pro certitu sibi prouincia, ne captiuorum populus dimitteretur, enumerans peccata populi Hebræorum quod iuste teneretur captius, nec dimitti deberent.* Vnde ergo tam seueri hominum vltores, modò blandi? Vnde qui solum exurere norant, iam sciunt illuminare? Non sanè à natura Angelica in homines proficiscetetur ista benigna claritas; sed ab illo igne diuino, qui rubo insidens rubum integrum seruans illuminauit. Hoc mihi suggessit Euangelista dum ait, quod accedente Angelo ad pastores *claritas Dei circumfulsit illos.* Notanter dixit, claritas Dei, ne Angelo tribueretur; sed Deo in rubo sedenti, hoc est, in carne apparenti, quod Angeli hominibus socij humanissimi adstarent. Hieron.

Angelorum illud ternarium Abrahamo obiectum, quàm seuerum? quanto supercilio apparuit? Vidit Abraham & pronus in terra adorauit, nec prohibitus est. Alter Ioannes apud Pathmos adoraturus Angelum ab illo statim verbis amicitiæ plenis prohibetur. Quæ nunc ratio discriminis? Illam accipite ex Ildefonso lib. de virg. cap. 11. sic sante. *Hæc natura, in qua Abraham Angelum adorauit, & tamen adorare prohibita non est: in Ioanne adorare volens sic prohibita adorare. Quoniam in Abraham nondum in Christo erat assumpta: in Ioanne autem idea haec naturam se adorare Angelis prohibent, quia hanc super se in sede maiestatis adorent. Ideo hanc in subditis non contemnunt, quia ea supra se in sede gloriæ contemplantur.* Vide vnde nascatur Angelorum erga homines societas & humanitas; non equidem ex ipsa natura Angelis, sed ex humanitate assumpta à verbo patris. Ex eo quod diuinitatis ignis rubo insedit humanæ carnis, nec combussit, sed illustrauit; igniti Angeli similiter amant hominibus sociari. Hinc Actor. 10. Angelus Cornelium ad Petrum remisit, de quo August. Psal. 96. fatur. *Numquid non illum potrrat docere Angelus? Misit illum ad Petrum, vt ... per hominem illi fides fieret, quia homines non dedignatus erat Deus ... visitare.* Sunt equidem in pretio homines apud Angelos ex verbi diuini assumpta humanitate. Hanc verbi diuini humanitatem crediderim subolusse illos Cherubinos, qui ignea rhomphæa hominem arcebant a paradisi aditu. De quibus Chrysost. serm. de ascens. *Dolebant Cherubim honorem custodia.* Maximus alioquin erat illis præstitus honor, quod fierent custodes tanti horti à Deo designati; verùm. quia is honor erat homini proterusus, homini, inquam, cuius verbum diuinum erat induendum carne, dolebant, & acriter dolebant ipsi Cherubim honorem custodiæ, iam inde hominum consortium, & societatem amantes. Quod à nobis deberi verbo incarnato, protulit idem Chrysost. dum ponderat Angelorum ad homines accessum in Christi Domini natiuitate. *Aspice, inquit, mirandum processum, Angeli ad nos deduxit prius, ac deinde deduxit hominem ad ... .* Accessit equidem Angelus ad pastores: illis stetit amicus & affabilis; sed ab humano Deo tractus. Hæc fuit prima Dei hominis demonstratio, quòd Angelos ad homines inclinaret, vt postmodum homines Angelorum sedibus ingereret & sublimaret. Iacob Gen. 28. post visionem scalæ, ait, *Verè dominus est in loco isto, & ego nesciebam.* Id quod acutè obseruans D. Bern. ser. 6. in dedic. Eccl. sic loquitur. *Quoniam is tantus patriarcha nescire poterat quod non esset locus vbi non esset Deus? Sed fortè aliud esse miratus est, vbi ait, Verè dominus est in loco isto. Fuit verè dominus est, vbi in eius nomine Angeli simul, & homines congregantur.* Præclarè enim Iacob præsentiam Domini præsagit, ex eo quod se videat à descendentibus per scalam Angelis humaniter tractari. O vos felices homines, qui tanta Angelorum gaudetis custodia! Sanè Gen. 19. vbi Loth Angelos hospitio recepit, nil habuit quod à furente timeret ciuitate. Furit lasciuus populus, domum impetit, nullo tamen Lothi damno. Id miratus Chrysost. orat. de SS. Bernice & Prosdoce, ait. *In medijs Sodomijs obsidebatur quidem Loth domus, ne nihil mali patiebatur, quippe quia Angelos intus habebat.* Chrysost. Bernard. Chrysost.

§. III.

Ex Dei hominis conspectu Angeli mira exultatione hominum procurant sanitatem.

ANnuo his Doctoribus, qui sapientiam incarnatam putant faciem Patris diuini, vtpotè, quà Pater creatis mentibus innotuit. Hæc in facie absconditi dicuntur iusti, quatenus in Christo mirificè proteguntur, iuxta illud Psalm. 30. *abscondes eos in abscondito faciei tuæ.* Quid plura? Vix

Vix ab Angelis cernitur hæc pulchritudinum abyssus cura hominum tangi, sub huius diuinæ faciei intomnius genus humanum seruari, & statim prosiliunt anxij de hominibus iuuandis. Pulcherrimus ille adolescens Iacob domo paterna egressus peruenit tandem in vastissimum Bethelis campum; vbi plurimos conuenisse pastores vidit, vt pecudes adaquarent. Qui omnes expectabant, vt prægrandis lapis ab ore fontis remoueretur, quo remoto arida ouium ora irrigarent. Nouit Iacob, & sitim pecudum & longæ expectationis moram, nec ideo adductus fuit, vt obsequium ignotis & rusticis viris præstaret. Interea ecce tibi sitientis etiam gregis ductrix Rachel apparuit, puella decora nimis, cuius pulchritudo eo spectabat, vt oues rigarentur aqua: nam, vt ait notanter text. c. 29. *Gregem ipsa pascebat.* Hinc Paraphrastes Kald. *cum vidisset Iacob Rachel filiam Laban fratris matris suæ, & oues Laban: accessit Iacob, reuoluit lapidem ab ore putei, & adaquauit oues.* Non se potuit continere Iacob, quin obsequium præstaret omnibus, quarum cura & custodia tantam pulchritudinem sollicitabat: sic alacer & velox cucurrit ad fontes, pecudes à Rachele custoditas adaquauit, *Non tam*, ait Ioseph. *cognatione, aut huius affectu, quam insignis puellæ forma captus.* Iam non miraberis, quòd Angeli tam auidè exiliāt, vt genus hominum tueantur, illisque faueant.

Tert. lib. de resur. carn. Sanè cernunt centesimam hanc diuini gregis ouem diuinis humeris reportari, in hanc tutandam custodiendámque totam Dei pulchritudinem spectare, imo & occupari manu, sensu, opere, consilio, sapientia, prouidentia, ac ipsa in primis affectione. Quid mirum, & si ipsi currant, vt eidem humani generis oui medeantur mirabilius, si non aduolent.

Exod. 33. Moyses commisso gregi prospicere cupiens, orabat, *Ostende mihi faciem tuam, vt sciam te, & respice populum tuum, gentem hanc.* Vtilissimum putabat futurum populo, si ipse faciem Dei videret, quasi diceret, Cupio faciem tuam videre, vt prosim populo, cuius curam habeo, ideo si vis fauere genti huic, si eorum optas consulere vtilitati, mihi tuam faciem ostende. faciem qui viderit tuam, ardenter populorum saluti inhiabit. Ita August. lib. 2. de Trin. c. 17. *Ostende mihi faciem tuam,* ait, *continuo propter dilectionem etiam proximi subiecit, vt sciam quia populus tuus est gens hæc.* Sanè interest populi, vt verbum incarnatum, facies Patris videatur: qui hanc vident faciem, homines sint, siue Angeli; ô quam exiliunt in custodiam hominum! ô quali punguntur cura, ne gens hominum lædatur! O quam excandescunt in eorum aduersarios! Ægyptus quadringentis annis populum Israelis misera seruitute captiuum tenuit; sed vna nox Ægyptiorum domos cædi, luctuique dedit, & Israelitas libertati. A quo igitur hæc rerum mutatio? Hector Pintus illam assignat ex Isaia 63. dicens. *Angelus faciei eius saluauit eos.* Etenim is solum in Ægyptus tam seuere vindicaret, qui faciem Patris viderat, qui verbum diuinū sub Hebræa carne absconderat latitans, hincque durus debellator in terram prosiliuit, vt exterminatis Ægyptiis, populum Israelitam restitueret saluti.

Text. Et timuerunt timore magno: & dixit eis Angelus, Nolite timere. Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.

§. IV.

Ille præ omnibus virtutibus habendus timor, qui alis euolat charitatis.

SIcut iis, qui vel prærupta montium vel altissima turrium cacumina inambulant, officere solet timor, imo & illos in præcipitium dare: ita qui ad virtutum euocantur fastigia, si nimis seruiliter meticulosi sint, persæpe labant & periclitantur. Hinc a Maria Virgine in Dei matrem assumenda in primis seruilis arcetur timor voce Angeli, *Ne timeas Maria:* quod acutè expendit Chrysol. serm. 142. *Audistis fragilem nostræ carnis naturam ad portandā tota Deitatis gloriam, Angelica exhortatione roborari. Denique ne tanto pondere cœlestis fabricæ in Maria subtilis nostri corporis arena succumberet, & in Virgine totius generis humani portatura fructum virga tenuis frangeretur, [illegible] Ne timeas Maria.* Vnum seruilem timorem à Maria nitebatur Angelus exsufflare, ne sub altitudine matris Dei, pes eius labaret, sed securius præcellentis vitæ cacumina pertingeret. Huc spectauit illud Dei [illegible] tremente, post peccatum [illegible] *nudus* [illegible] inquit Theodotus) *Deus longe* [illegible]

Chrysol.

loquitur, vt & timorem soluat, & ad confidentiam illos erigat. Arcendus omnino timor ab iis, qui altas virtutum semitas terere concupiscunt: at omnis timor arcendus? Minime: timor etiam est, *qui se super omnia superposuit,* Eccl. 25. sed is timor est qui alis se ingerit charitatis, qui filialis est, is, inquā, super omnia superpositus, cacumina virtutum inambulat. Parcite mihi priscum Apologum in memoriam vocanti, vt rem timoris penitus declarem. Ferunt, concilio inito de Rege sibi perficiendo, statutū ab auibus, eam pro regina fore, quæ celsius subuolaret; ibi passerculus dictus Regulus suæ timens pusillanimitati & infirmitati, ignaræ Aquilæ inter scapulas resedit. Euolat Ardea & cæterarum, non Aquilæ, oculos fugit: hæc longè sublimiore volatu æthera findit, & cum cerneret nullam auium audere virium periculum amplius subire, iam defatigata incipit descendere: sed ecce tibi regulum ab Aquilæ gestatricis scapulis subuolantem, & hoc astu sibi Basilicum nomen acquirentem. Is est timor pusillus licet & infirmus, qui sæpe pusillanimitatem, imò & casum pariat, tamen si Reginæ virtutum, si Aquilinæ charitatis inter scapulas resideat, se super omnia superponet, & altissima virtutum cacumina detriumphabit. Id quod in vno latronum licet aspicere, de quo D. Chrysost. in Ps. 127. *Quid fuit latrone miserius? Sed repente euasit omnium beatissimus, nam & erat crucis supplicio damnatus, & ad mortem ducebatur, omnes eum accusabant, totum tempus erat consumptum, & vita transacta fuerat in scelera. Sed quoniam exiguo tempore Christum vt oportuit timuit, beatus factus est.* Ecce exiguus & breuis timor quàm super omnia valuit euolare. Huc accedat D. Zeno serm. de timore filiali, cuius sic finit immensam efficaciam. *O necessarius timor, qui nihil aliud agit, nisi vt beatos efficiat: qui timet arte, non casu, religione, non culpa. qui Deum metuit, non naturam. Vultis scire cuius proprietatis sit? Omnes timores quodcumque inaseruit incrementa conficiunt: hic solus ad hoc crescit, vt immortalem quem possederit faciat.* Hæc ille. Chrysost. Zeno.

§. V.

Nullum magnum regulariter gaudium paratur à Deo alicui particulari, sed omnibus communiter.

EXcluso à pastoribus timore, illis magnum annunciatur gaudium, magnum inquam, sed quod non illis solis, sed erit omni populo. Etenim nunquam Deus consueuit suæ gloriæ magnalia vni etsi maxime amato, sed omnibus attribuere. Quando in singularibus cuiusque bonis, communicant omnes sancti. Cœlestes sedes promiserat Dominus iis, qui labore improbo illas sibi acquisierant, ait enim, *vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, sedebitis & vos super duodecim sedes.* Hoc duo audiētes fratres de fauore securi primas a dextris & sinistris sedes petunt; verum qui omnibus promiserat, *non est meum ait, dare vobis.* Quid ais, ô veritas Dei? Paulo ante omnibus offers, nunc Ioanni, & Iacobo dicis, Non est meum dare vobis? Sane non erat illius cœlestia communicare nisi omnibus, hæc erat Dei consuetudo, hic vsus cœlestium bonorum, nulli in particulari, sed communiter offerri omni populo. Ita D. Cyrill. Alexand. lib. 10. Thesaur. cap. 5. *Potestatem non negat Dominus, sed dispensationem ostendit. Quomodo enim se non posse dare omnibus velit, cum* [illegible] *&* [illegible] *& vos.* Expende illud, [illegible] *ostendit*: hoc enim erat Deo in more, cœlestia bona, ingentia gaudia non vni communicare; sed omnibus. De Simeone sene dicitur Luc. 2. quod ipse *expectabat consolationem Israel*: sed cum ipse ingens Christi bonum perciperet oculis, ait, *quod parasti ante faciem omnium populorum.* Hinc Nissen. orat. de occursu Domini, & Simeonis. *Quamdiu* [illegible] *testatum est, illam expectare consolationem Israel; nunc autem conspicatur dicere Dei salutare in conspectu omnium populorum. Quoniam tunc* [illegible] *Israel in consolationem* [illegible] *omnibus* [illegible] *populis fuit paratum* [illegible] Etenim fuerit licèt Israel populus a Deo electus, separatus, mille bonis ditatus, terrenis possessionibus [illegible], eidem tamen integra consolatio, perfectum gaudium minime obuenit, nisi cum concessum fuerit omni populo. Sanctorum quippe Israelitarum in Domino defunctorum in [illegible] Domini non intrabant, donec aperta fuit cœlestis ianua omni populo. Vt Paulus ad Hebr. 11. loquitur, [illegible] *omnes* [illegible] *fidei* [illegible] *non acceperunt* [illegible] *Deo pro nobis* [illegible] *consummarentur.* [illegible] illis [illegible] separari [illegible], vt non timeamus à fratribus separari, [illegible] Deo, [illegible] grande

Cyril. Nissen.

grande bonum sciuit largiri; nisi omni profuturum populo. Vnde Irenæus lib. 4. cap. 22. notans legis gratiæ præcellentias, quibus superauit legem Mosaicam, ait. *Maior est legislatio, quæ in libertatem, quam quæ data est in seruitutem: & ideo non in vnam gentem, sed in totum mundum diffusa est.* (Iren.) Ecce magnum gaudium quod erit omni populo: etiam nulli particulari soli datur videre Christi magnalia. Iam gloriosum Dominum viderant omnes Apostoli præter Thomam, vnus & solus Thomas non aderat, vt Dominum videret. Quod ipse vehementer anxius summo desiderio flagrabat tantum participare gaudium. Quid plura? ait Ioan. cap. 20. *Et post dies octo iterum erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio.* Sanè sufficeret quod Thomæ appareret soli; sed nescit gaudia sua communitati exhibere. Vnde eleganter D. Gaudent. (Gaudent.) oratione 40. Martyr. *Satiauit ergo Dominus Thomam, cuius manet illa promissio: Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi [illegible] abuntur. Apparuit secundo Apostolis, vt Thomæ desiderium adimpleret, profuit cupiditas eius & cæteris.* Tunc enim largitur Deus vni, quando scit munera profutura communitati.

Text. Quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid.

§. VI.

Deus fragilitate indiguit humana, vt præcellenti saluantis gloria fulgeret.

QVi prodigus ad cœlestium creationem accessit, vt diuitiarum suarum thesauros aperiret immortales, indignus homini condendo astat, ne qui omnia implet, ipse quodammodo maneret vacuus & inanis. Vnus id Irenæus (Irenæus.) calluit lib. 3. aduersus hæret. cap. 34. hæc fatus, *à Paulo typus futuri dictus est ipse Adam, quoniam futuram circa filium Dei humani generis dispensationem fabricator omnium verbum præformarat, prædestinante Deo primum animalem hominem, videlicet, vt ab spirituali saluaretur. Cùm præexisteret saluans, oportebat & quod saluaretur fieri, vti non vacuum esset saluans.* Hoc vno saluantis titulo se maximè diuinitas iactabat; sed quis saluans, vbi non erat natura labilis? Etenim existeret Saluantis vocabulum, titulus sine re, res inanis & vacua. Inde ad hominis creationem accessit præcauens Deus gloriosioris tituli præcellentiam, & quasi timens eius vacuitati, factus indignus exceptoris sanitatis, vt oriens nobis iustitiæ Sol, salutis madidas fulgentissimas pennas explicaret. Hinc habes quo impium Marcionis obstruatur os, qui apud (Tertull.) Tertull. lib. [illegible] in Pauli præpostera electione cæcutiisse Christum Dominum blasphemabat, *Improuidentiam existimo, si non antea [illegible] illum sibi necessarium Christus; sed iam ordinato officio Apostolatus, & in sua opera dimisso, ex incursu, non ex prospectu [illegible] existimauit necessitate, vt ita dixerim, non voluntate.* Imò & voluntate & necessitate Christus adlegit Paulum, non antea quam illum vidit furentem in Christianos. Sed iam gestit animus scire qua necessitate laboraret diues misericordia Christus. Multos ad se venientes sanauerat, postulantem latronem exaudierat, neminem reluctantem, fugientem, calcitrantem, minarum spirantem, & in Christum, & eius discipulos ita sæuientem vt Paulum traxerat: poterat hoc Saluatoris diuinitas & humanitas; inde oportebat persecutionem fieri, vti non vacuum esset persecutorem talem etiam saluans. Hinc Paulum prostratum sic Bernardi dulcedine alloquitur diuinus triumphator, *Ego sum Saluator, quem tu persequendo petis*, quasi dicat, iam de persecutore detriumphato perfectus saluans appareo: hodie Saluatoris gloriam adimpleo, vt meritò postmodum de se dicat ipse Paulus: *adimpleo ea quæ desunt passionum Christi*, nimirum mea adlectione ostendi saluantis cognomen omni suo splendore præclarum. Quocirca S. Pacian. in Parænesi, ait: *Nec quisquam adeo peccatricem animam vilitate desperet, vt [illegible] arum Deo credat.* Imò tunc maximè necessarius Deo Saluatori, qui vt condonando peccata clarescit, sic esse saluandos gaudet. Etenim aiebat Dominus (Genes. 2.) in principio Genesis. *[illegible] bonum hominem esse solum.* Quid ais Domine? Si das homini sociam mulierem, ambo incident in peccatum, & omnes peccabimus; si solus sit homo, innocens & iustus erit. Cur ergo dicis, Non est bonum (Ambros.) hominem esse solum? D. Ambros. lib. de Parad. c. 10. *Quia ex [illegible] e hu[illegible] erat propagatio pronunciauit Dominus [illegible] bonum sol[illegible] hominem. Malebat enim Deus plures esse quos saluos facere posset, & quibus donaret peccatum, quam vnum solum Adam, qui liber esset à culpa.*

§. VII.

Caro assumpta Christi dominationem non obscurauit; imò illustrauit.

MAximo sapientiæ pondere ab Angelo annuntiatus est Christus Dominus, vt hæreticorum obstrueret ora, qui humanæ carnis vincula expauentes diuinam mentem sub dura corporis seruitute teneri respuebant. Quid plura? Humanus animus ægrè & difficulter corporis sustinet incarcerationem, in diésque queribundus clamat cupiens dimitti & dissolui; & Deus hunc in carcerem agendus? obscurandus? Absit, inquit Angelus, etenim natus est Christus, qui non captiuus gemat in domo carceris; sed qui ibi diademate inauguratus declaretur Dominus. Dixerat in Concil. Ephes. Theodotus de Christo, *Quod subiectus factus est regnum non deponens: factus est homo quod erat manens*: imò (Theodot.) tunc cùm carnem accepit, Regni & Principatus accepit coronam. *Egredimini filiæ Hierusalem, videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua.* Quæ verba & pulcherrimè, & eleganter in rem præsentem expendit Gillibert. serm. 21. in Cant. *Felix caro, quam sibi Christus non* (Gillibert.) *quasi carcerem, sed quasi coronam assumpsit, quæ fuit ornamento, non oneri. Nos omnes in carne quasi in domibus carcerum absconditi sumus, compediti & seruientes legi peccati. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Verum Christo non carcer, sed corona extitit humana caro, non vincula deturpantia; sed regia ornamenta, altum diuinitatis dominium & principatum illucidantia.

Hunc Christiferæ carnis regium splendorem libet elucidare exemplo à Romanorum historiis capto; sed verbis Dionys. Charthus. qui 10 lib. 4. Reg. art. 12. sic fatur, *In gestis* (Carthus.) *legitur Romanorum, quia dum Longobardi quadam vice obtinuissent, intrassentque Romam, ac passim Romanos occiderent, ipsi Senatores se omni suo decore & gloria vestierunt; sedítque vnusquisque eorum in sede sua in propria domo. Ad quos Longobardi ingressi reuerebantur eos, nec audebant occidere, imò adorabant eos vt Deos. Attamen, cùm vnus Longobardorum manu sua attrectaret barbam vltimi Senatoris, ille non ferens hoc, baculo suo impegit in illum: quo facto indignati Barbari primum interfecerunt illum, inde per odium alios.* Ecce tibi vt intolerans & impatiens animus Senatores mortales homines ostendit, sic habitus compositi viri minimèque in tumultu bellico, in ruina & cœde turbati, eosdem & diuinos & Barbaris trucibus reddidit venerabiles. Dum iratus Senator percussit militem, omnes Senatores tanquam oues occisionis sunt habiti. Dum inter arma, inter volantes gladios togati sedēt & pacati, ab ipsis hostibus Dij existimati adorantur. Hæccine erat Christifera caro oleo delibuta diuinitatis docta pati; & dum pateretur, non comminabatur, cedens iniuriis, æquali omnia perferens animo. O felix caro, imò purpura, imò corona clarissimum insigne diuinitatis! Clem. Alex. in fragmentis suæ expositionis in primam Epistol. Ioan. sic de Christi Domini carne scribit, *Fertur ergo in traditionibus, quoniam Ioannes ipsum corpus, quod erat extrinsecus tangens, manum suam in profunda miserit, & ei duritiam carnis nullo modo reluctatam esse, sed locum manui præbuisse discipuli.* Sanè habitus hic, caro hæc non carceris, sed imperij, sed diuinitatis erat indicium. Barbatissimi quique, imò trucissimi personam tam decora veste præcinctam hac facili, & ponè in ipsis passionibus doloribusque impassibili, minimèque reluctante carne, conuestitam adorarent procliues.

Text. Et hoc vobis signum, inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio.

§. VIII.

Angelus prædictione fidem astruens, innati & naturalis imperij Christi proposuit signa, nimirum præsepis & fasciarum vilitatem.

SApientissimè Angelus, vt fidem sibi concilies, prædicit pastoribus, quid illis introeuntibus Bethleemiticum pagum obueniet; sola enim virtute diuina comparari potest præscientia futuri. Quam virtutem vt manifestaret Christus Dominus mittentes discipulos, vt pararēt Pascha, ait illis, *introeuntibus vobis ciuitatem, occurret homo lagenam*

aquæ portans. Sic modò Angelus pastoribus inquit, Natus est vobis Saluator qui est Christus Dominus, Dominus, inquam; non quales mundiales domini; sed innata, & diuina dominatione insignis. Cuius rei ecce duo testimonia clarissima, in primis hæc mea prædictio, qua quid vobis accedentibus erit futurum annuntio, imò, & circunstantias singulas minutissimas edico; *inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio.* Et quidem D. Petrus Act. 2. tanquam ad inconfusibile testimonium ad Prophetiam recurrit, dicens, *Dictum est per Prophetam Ioel. Erit in nouissimis diebus,* &c. Vbi D. Chrysost. homil. 5. ratiocinatur, *Neque interpretatus est ea quæ Propheta dixit, sed solum Prophetiam attulit per se ipsam certantem: sciens nil fortius his Propheticis potuisse obijci. Ea enim etiam operibus validiora sunt. Signa enim facienti Christo sæpius contradixerunt. Quando autem Christus Prophetam illis opposuit dicentem: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, ita siluerunt, vt nec verbum quidem vltra quisquam respondere ei auderet.* Adeo valida est per se ipsam Prophetia! Hincque rursus illius naturale, & innatum imperium Angelus contendit, non enim sic auderet nasci Imperator ascititius. Qui natura ingenui sunt, vt comitatē seruent, nil sibi timent in ipsis seruilibus officiis: at qui à seruitute in ciuilem nobilitatē obrepunt, quicquid non ambitione scatet maximè pertimescunt. Accipite modò sæpiùs in hoc opere adductum Theodotum eleganter de hoc innato Christi Imperio ratiocinantem ex illo D. Paul. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Ecquid est, quod hoc loco dicitur? Sanè, qui per rapinam libertate potitur, nihil seruile pati sustinet, ne vsurpatæ libertati aliquod præiudicium generet. Ecquid ergo ille? quoniam natura Dominus erat, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, dispensationis enim mysterium diuinitatem non læsit.* Etenim in Christo Domino fasciæ, panni, præsepe, stabulum, & si quid aliud vile, non seruitutis stemma, sed ingenuitatis innatæ, sed naturalis imperij, & dominationis erant signa conspicua. De quo etiam stat D. Athanas. suffragium hom. de semente, vbi sic, *Senator Rex genitus ante sæcula, nec temporarium regnum possidens; sed ante sæcula Rex ex Rege Deo genitus, & ipse quoque seruire sustinuit. Non enim rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Et pulchrè ideò seruire sustinuit, ideo seruilia officia non horruit, quia non rapina, sed natura erat Dominus. Rem conficit D. Cyrill. Hier. Catech. 10. in hæc verba, *Saluator manens idem, & verè immutabilem filij dignitatem habens, tanquam optimus Medicus, & Doctor compatiens accommodat se ad infirmitates nostras, Dominus verè existens, non successione aliqua, vel prosperitate dominationem accipiens; sed natura dominationis habens dignitatem.* Hæc ille. Et quidem non subest casibus, quod innatum est, nobilitas enim naturalis, in nulla abiectione timet sui ruinam. Aiebat Psalm. 46. *Omnes gentes plaudite manibus; iubilate Deo in voce exultationis. Quoniam Dominus excelsus.* Quomodo excelsus, qui vagiens propter nos humi repit? Qui vsque ad inferri ima descendit. Excelsus erat natura, & ideo nulla abiectione, & deiectione timetur eius celsitudini. Chrysost. ibi: *Quando ergo audieris crucifixum esse Dominum, fuisse sepultum, ad inferiores terræ partes descendisse, ne labaris, ne angaris: est enim altissimus, & natura altissimus. Quid est autem altum natura, ab altitudine minimè vnquam recesserit, nec si humile quidem fuerit: sed etiam in eius humilitate, eius altitudo manet, & ostenditur.*

Act. 2.

Chrysost.

Theod.

Athanas.

Cyril.

Psal. 46.

Chrysost.

Text. Et subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum.

§. IX.

Angeli militiæ nomen dederunt, vt Christi hominis stabilirent imperium, & principatum.

Angelis albenti gratiæ toga conuestitis in primo suæ conditionis articulo obiectus est hic diuinus infans, quem Regem, & Principem suum procidentes adorarent. Respuunt rebelles infantem, conspuunt; quid tunc? Dimissis togis factum est in cœlo prælium magnum, signum eleuat Michaël: dant militiæ nomen Angelorum myriades, omnes fortitudinem, & diuinitatem agno precantes. Hinc posita toga sub Dei hominis signi cœlestes acies militant, iam in beata illa Sunamitide non cernitur, nisi castrorum chorus, quidquid ibi est, phalanx est, miles est. Qui bellicus ardor toties acuitur, toties militia, & pugna Angelica instauratur, quoties de regno Dei hominis res agitur.

Apoc. 12.

Proh dolor! rebelles spiritus facto impetu primo hominum parentes prostrauerunt, vastauerunt, quo penè humanum principatum occuparunt; sed ecce tibi Angelorum cohortes prosiliunt in certamen, antiquum prælium instaurant, instant aduersariis, & primo illorum præsidio, nempe muliere, occupato, fugam illos compellunt meditari. Quod Iren. lib. 5. c. 19. insinuauit sic fatus, *Quemadmodum Eua per Angelicum sermonem seducta est, vt effugeret Deum; ita & hæc, nempe Beata Maria per Angelicum sermonem euangelizata est, vt portaret Deum, obediens verbo eius.* Hoc totum cœleste prælium erat inter Angelos: rebelles Deum ab homine nitebantur separare; fideles Dei hominis defendebant principatum. Illi vt consilium stabilirent suum, occupata muliere totum infecerunt genus humanum. Hi rebellium retundantes conatus, mulierem adeunt, illámque sibi associantes omnia rident machinamenta diaboli. Ideo, vt ait Epiphan. serm. de Laudibus Virg. Mar. *Angeli accusabant Euam: nunc verò Mariam gloria prosequuntur.* Etenim in illa exultarat aduersarius; per hanc homo asseritur in principatum diuinum, qui fuit vnicus scopus Angelicæ militiæ. Vnde cùm primùm homo Deus mundo apparuit, militares acclamationes profundunt cœlestes ministri, & quasi victoria potiti sese Angelorum agmina fundunt in cantilenas, gloriámque Deo, pacémque terris æternam personantibus hymnis.

Iren.

Epiphan.

§. X.

Angeli mille formas subeunt, mille induunt figuras, vt hominibus prosint.

Audis Angelicos spiritus fieri milites: & quid non fient Angeli, vt prosint hominibus? Nónne Angelus columna nubis, & columna ignis factus est Israëlitis? Nónne Tobiæ astitit Angelus factus pedisequa? Prosequitur Niss. de vita Moysis, & in arca testamenti hinc inde annulos speculatus, mediis quibus arca efferebatur, de Angelis inquit, quod *sicut quidem annuli in animos saluandorum immittuntur, vt ad sublimia eleuentur.* Pergit adhuc Theodotus orat. de Christ. Nat. & de stella, quæ magos adduxit, ita loquitur, *In præsepi positus Dominus, & à stella denunciatus; non à stella descendente ad Magos, neque enim stellæ loca permutant. Sed quoniam Chaldæorum terra plurimos habet stellarum motus inspicientes, virtus superna (nimirum Angelica) deducens Magos, assumpsit stellæ speciem, & ea doctrina sua Chaldæs quod nesciebant agnoscunt, vt cùm astronomiam respiciunt, ab astro Christi mysteria doceantur.* Ecce Angeli, & fiunt annuli, quibus effetaris, & fiunt stellæ, quæ te ducant ad Christum, & milites, qui pro te pugnent aduersus tenebrarum potestates, fiunt. Hinc crediderim Manna vocari Sap. 16. panem Angelorum, nempe Angelorum naturam referentem, quatenus varias saporum formas induebat, vt fidelium indulgeret voluntati. Sic enim ait, *Angelorum esca nutriuisti populum tuum, & deseruiens vniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat conuertebatur.* Vel in hoc se extendens Angelicum panem, quorum conuertibilem proprietatem imitabatur.

Nissen.

Theod.

Sap. 16.

§. XI.

Non solùm Angeli, sed etiam vniuersa creatura etiam sibi formas contrarias subeunt, vt Dei famulis seruiant.

Occasione Angelorum sese transfigurantium in hominum gratiam, animaduertit idem esse vniuersis creaturis familiarissimum. Id quod hausi ex Sap. 16. vbi de vniuersa creatura dicitur, *Propter hoc, & tunc in omnia transfigurata omnium nutrici gratiæ tuæ deseruiebat, ad voluntatem eorum, qui à te desiderabant.* Quam rerum transfigurationem pulchrè expendit Theodotus vbi suprà, plurimis exemplis adductis. *Aqua, inquit, videbantur Hebræis; sanguis autem Ægyptus Nilus factus: dies Israelitis erat; & clarum eos circumfulgebat lumen; Ægyptijs autem hoc lumen facta sunt tenebræ. Babylonia quoque flamma vos tribus facta est pueris, nam flamma ros facta est, & ambo hæc ipso ostendunt effectu. Quia quidem ros erat, tres edocent pueri per hanc refrigerati. Quia verò etiam & flamma fuit, quia per hanc exusti sunt, nuntiant Babylonij.* Hæc ille. quibus claret quam famulentur omnia Deo in hominibus puniendis, siue ditandis. Etenim ipsa lux sciet tenebratum indui faciem, & ignis fiet aqua, & qualibet creatura cuiuscumque formam & personam aget.

Sap. 16.

Theod.

Psalm. 7. Omnium accuratissime id ponderauit D. Chrysost. in Psal. 7. vbi rebellem Absalonem modo per quercetum raptum & crine a ramo suspensum miratus hæc ait, *Vt fecas quod factum est, totam fuisse diuini iudicij, pro fune quidem coma, pro ligno arbor extitit, pro milite autem eum oddnxit mulus.* Ecce in solitudine vt quasi ex præscripto iuris rebellem turpi supplicio mulctarent, vbi omnia instrumenta deessent, omnia famulantur, & arbor sese in furcam egit, aureaque coma in pulcritudinem enutrita formã assumpsit laquei, & ne carnifex, e miles deficeret, qui reum traduceret, mulus, cui infidebat, miles fuit factos. Quòd si creatura irrationalis miles fit, vt offenso patri satisfaciat, nil mirum quod rationis cõpotes Angeli sese militiæ dedant, vt de rebellibus Deum vlciscantur. Hoc omnium creaturarum obsequium habuit etiam Deus, quando fugitiuum Ionam voluit comprehen-

Nazianz. dere. Id quod sic expendit Naz. Apol. 1. *Fugiebat quoque Ionas à facie Domini, vel potius fugere se putabat: verùm à mare & tempestate & sorte, cetíque ventre, nécnon triduano sepulturæ comprehẽsus atque abreptus est.* Ecce tibi maris fluctus, tempestas, sors, facti sunt lictores, & ceti venter factus est carcer, vt fugitiuum Prophetam Deo seruarent.

§. XII.

Hic Angelorum habitus, quo omnibus omnia fiunt, maximè etiam elucet in viris è Societate IESV.

PArcite mihi minimo è Societate Iesu filio, si hanc Angelicam consuetudinem & hominibus amicam prouidentiam putem nostro ordini esse insitam ab incunabulis.

Theod. Etenim de Angelis Theod. ait Zach. 1. *Cælestes spiritus formæ expertes à Deo formantur: vt vsus hominum postulat.* Tales Angelici viri Societatis creantur omnis formæ, omnis habitus expertes, vt illum induant habitum, illam formam quam vsus hominum postulat. Viros Apostolicos alloquẽs Christus Dominus tantum ait, *Sint lumbi vestri præcincti, & lu-*

Chrysol. *cernæ ardentes in manibus vestris.* Ad hæc eleganter Chrysol. serm. 13. *Nouus ordo vigiliarum, nouus habitus imperatur; sint lumbi vestri præcincti, nihil de vestitu, nihil de ipsius occursus apparatu serui vigiles admonentur, sed tota in perstringendis lumbis cura mandatur.* Et subdens quid procinctu isto insinuari vellet ait, *Cingulum quidem est indicium seruitutis, quod & ad cursus expeditos habeat & faciat obsequentes.* Sanè veteres omnes ordines militantis Ecclesiæ præscriptum ab incunabulis habent habitum: similiter præscriptum est singulis, an cum calceamentis, vel sine calceamentis gradiendum, an pedites, an equites, an cum sacci & peræ apparatu, an sine pera & sine sacculo, an cantibus hymnisve personantes, an vel sanctos murmuræ psallentes, vel alta contemplatione taciti? Vnde nouus hic ordo vigiliarũ, nempe ordo Societatis nouus est ordo, nouúsque illis habitus mandatur, vt careant omni habitu certo, & regulari, nihil de vestitu, nihil de calceamentis, nihil de ipsius occursus apparatu; vna illis cura sit, vt expediti, vt obsequentes, vt in procinctu sint ad seruiendum humanis necessitatibus, ea forma & habitu, quem vsus hominum postulauerit. Hunc habitum ab Angelis in viros Societatis dilapsum in primis pro-

Tob. 4. bat Raphael ille, de quo Tob. 5. dicitur, inuenit Tobias *iuuenem splendidum stantem, præcinctum & quasi paratum.* Nihil de illius vestitu, nil de occursus apparatu; hoc vnum de illo animaduertitur, quod in procinctu esset, & quasi ad omnia paratus. Sic Iesuitis viris nulla certa præscribitur semita, nil de calceis mandatur, vt quando res tulerit, etiam sine calceis egrediantur; vel sacco amicti, vel militum sericis, vel sapientum togis personas effingentes, vt omnia omnibus fiant, sint parati. Porrò D. Bern. ser. de tribus ordinibus, tres hominum meditatur classes, qui vitæ pelagus humanæ tranant. Alij vada sectantur, amarulentisque saltim ad talos vsque fluctibus superatis arenarum fugunt thesauros: alij lapidibus constructum pontem læti & feliciter transcurrunt. *Alij sunt qui descendunt mare in nauibus, facientes operationes in aquis multis. Neque enim certa pontis aliqua, seu vadis semita coarctantur, vt liberè possint vndequaque discurrere ac occurrere singulis, vt oportet et dirigere pontis semitam seu vadis, ordinare gradientes, pericula inuestigare ac declinare, excitare tedios, pusillanimes sustentare.* Ideo nulla certa habitus seu muneris lege tenentur viri Societatis, vt liberè possint & debeant vndequaque discurrere, & siue ponteni perentrendo, siue medios fluctus tranando, omnibus omnia fieri. Sed mihi instar omnium è Societate viris Beatissimus Xauerius effulget maximus, qui sanè descendit mare in nauibus, faciens operationes in aquis multis, nec inueniuntur maria, quamuis penè immensa sint, quæ Xaueri non viderint faciem, non obstupuerint sanctitatem, non inuiderint magnalia. Aliquando vnus cùm esset, duobus simul nauigijs longè distantibus apparuit & est conuersatus, factus duo, factus omnia omnibus. Adeò expeditus, adeò in procinctu ad subueniendum omnibus, vt vel solius nauis incrandi spe vastissima maris spatia, propè ad mille leucas tranauerit. Vestitus, calceorum, victus pene immemor, vna illi cura, vt nulli etsi abiectissimo homuncioni se negaret. Hic vir, an Angelus? Imò supra Angelorum celsissimos, re, ô nostræ Societatis lumen, contemplor absque dubio radiare. Expugnaturus Ionathas Ammonitarum Principem Naas 1. Reg. 14. manibus pedibúsque reptans ascendebat. Quod ita ex-

pendit D. Nilus in Ascetico. *Ionathas cum Naas pugnans super quatuor incedens vicit illum. Oportebat enim, vt qui cum serpente, qui supra pectus graditur, id enim Naas significat, decertabat, paulisper speciem ipsius assumeret, atque ita super quatuor incedens, & mox in propriam sese formam erigens, cum magna facilitate superaret.* O quoties Xauerius vt serpentinos peccatorum mores eliminaret, cum reptantibus quasi ipse reptabat, sese effingens ad eam formam, qua placidus esset, pellices ipsas laudabat, vt sic gratus semel facilius turpitudinum radices euelleret. Nilus.

§. XIII.

Sapientissimi quique eadem quæ ipsi sciunt, maximo ab alijs fructu audiunt, præcipuè diuina.

PRimo Christum annuncianti Angelo, statim Angelorum accesserunt myriades, nouis gaudiis gestientes & exultantes, nouo modulo in laudes insurgunt diuinas. Vbi nota quanto fructu sapientes ab aliis possunt audire eadem quæ ipsi de Deo nouerant, & præsciuerant. Id in præsenti acutè animaduertit Gillibert. serm. 12. in Cant. dum inquit, Gillibert. *Natum Pastoribus Angelus annuntiat, imò & ipsi Angelis, non tantum pastoribus videtur Angelus nuntiare. Vnus prædicat, alij applaudunt. Facta est, inquit, cum Angelo multitudo cælestis exercitus laudantium & dicentium, Gloria in altissimis Deo. Vnus enunciat quod alij æquè norant, & tamen quasi nouum & recens audiunt quod illa ignotum esse non poterat. O beata hæc nouitas qua Angelico gaudium præstat auditus, & delectat illos ab alio audire & quasi dicere, quod cos ab intuitu sui veritas edocuit!* Sanè nil fructuosius homini quam verbo salutis ab alio audire; sapieos licet sis, omnia diuina mysteria quantumuis meote cordéque geras, maximam fuges vtilitatem, si eadem ab alio audias. Probaticæ piscinæ aquæ salubres erant, in se continebant sanitatem, sed oon elucebat earum sanitas, donec exterius ab Angelo reuoluebantur. Scilicet ignei sunt, intrinsecusque conceptum ignem habent, nunquam tamen splendenti suffunditur ratio, quin extrinseca feriantur. Quod exemplum in rem præsentem pulchrè adduxit Nazianz. Carm. 2. de Virginitate. Nazianz.

——— *Pietatis namque sepulta*
In nobis scintilla latet, velut igneus ardor
Inclusus saxis; vt porro sæpe terendo
Ferrum de rigido solet ignem extundere saxo:
Haud aliter pietas latitans, sermone salutis
Attrita in medium prodit, claréque refulget.

Totam Dei sapientiam habeto, ignea viuidáque mente gaudeas, recondita mente conserues & euoluas mysteria sacra; si tamen alterius sermone tangaris. O quam fulgurabis! ô quam splendesces! ô quantas inde capies vtilitates, lætus & delectatus audire & ab alus discere eadem quæ tu ex proprio fonte potaras!

Text. Et dicentium, Gloria Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

§. XIV.

Nato Christo Domino præstantissima Deitatis gloria, nempe personarum Trias in altissimis vsque modo repressa innotuit & apparuit.

CVm audio gloriam Dei ab Angelis euulgari & celebrari, pro summa illius laude non me possum continere quin credam non quamcumque Dei gloriam perhiberi; sed maximã illam, qua remotissimis & celsissimis cœlorũ penetralibus cœlestes spiritus pascit, nẽpe reuelatione arcanissi

arcanissimi mysterij Trinitatis. Quam mentem debeo sapientissimo viro preceptori meo Patri Michaeli Vasquez quondam Salmanticensis Theologiæ cultori & altori. Is in concione quam habuit de Trinitate, tanto mysterio tribuit

1. Tim. 3. illud Pauli 1. ad Tim. 3. quod cæteri omnes expositores tribuunt Deo incarnato, *Mani esse magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iusti ficatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.* Si arcanum quid, si mysterium, si Sacramentum manifestè magnum & celsissimum, est secretum reconditùmque illud Triadis diuinæ Sacramentum; Sacramentum, inquam, totum pietate io homines plenum. Etenim de Trinitatis decreto conditus homo est; insuper,

Rupert. vt ait Rupert. *humana creatura illud potissimum opus est, quod eadem beata Trinitas magna sibi dignatione diuisit, vt pater conderet, filius redimeret, Spiritus sanctus ignaret.* Hoc igitur arcanum adeò magnum, adeò excellens tanta in homines pietate manans primo innotuit, cum apparuit in carne. Tunc in Dei & hominis coniunctione eluxit magnum Deificæ Trinitatis arcanum, tunc quasi oculis demon-

Gillibert. stratum patuit. Vnde pulchrè Gilliberi. serm. 21. in Cant. *Quid iam in vnitate diuina essentia tres esse miramur personas? Plures iam ex integro in vna persona naturas mirare.* Vbi duæ naturæ sub vna verbi persona cernuntur, familiaris fit, & perspicua in vna natura Trinitas personarum. Ab incarnatione Verbi prorsus manifestatum claruit mysterium Trinitatis sanctissimæ, *Iustificatum est in spiritu,* quandoquidem adueniente Spiritu eiusdem mysterij Sanctitas maximè enituit. *Apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo,* nempe Angelicos obtutus nouo per carnem eiaculato fulgore perstrinxit, illósque noua admiratione afficiens humanos etiam oculos persuasit, animaliúmque ab ore sanctum quid tinniens; assumptum est in gloria, ingenti gloria, cœlestia cumulauit sedilia. Qui gloriæ cumulus cœlitibus accrescens ex magnæ Trinitatis per carnem reuelatione, hodie ab Angelis sumitur pro summa omnium laudum, quæ de diuinitate possent dici. Etenim tunc maximè laudamus virum, quando præstantissimi sui decoris acceptionem celebritatémque edicimus. Sic modo Angeli pro vltima Dei Opt. & Max. laude gloriam illam concinunt, qua in cœlorum arcanis præstantissimum Deitatis decus effulget, nimirum personarum triplicitas.

Sed quis dicit in Deo præstantissimum & excellentissimum esse Trinitatis Sacramentum? Hoc ego a principio io finem huius paragraphi distuli, vt tibi ex Theologorum fontibus duo pocula, pro Trinitatis gloriæ magnitudine, propinem. Primus Areopagita c. 1. de mystica Theologia sic inquit. *Trinitas supersubstantialis, Deitate ac bonitate superior ac præstantior.* Quid inde? Sed luculentior & ingeniosior

Cyril. Cyrill. lib. 1. Thesaur. c. 6. præcellentissimum Patris nomen in Deitate sic deducit. *Si patris nomen non esset dignius in Deo, quam ipsum nomen Deus; cur cum discipulos Saluator ad prædicandum mitteret, non iussit, vt in nomine Dei baptizarent? Sed quasi maiorem diuina naturæ ostendens dignitatem, in nomine Patris,* inquit, *& Filij, & Spiritus sancti. Philippus vero cùm diuinam curiose scrutari naturam vellet: Ostende nobis Patrem, dicebas, non, ostende nobis Deum.* Ecce tibi quam diuini Angeli in Dei natali non gloriam, qua Deus apud omnes creaturas innotescit, prædicant; sed notanter gloriam illam dicunt quæ in altissimis & arcanis sedibus perhibetur, gloriam, inquam, ex eo quod est Deitate ipsa præstantius & excellentius, nimirum io vnitate naturæ personarum triplicitas. Hæc est gloria Patris, & Filij, & Spiritus sancti, quæ à verbo incarnato manifestissimè sui copiam fecit, pro quo Angelici spiritus hymnis perstrepentibus resonant exultantes, quod præstantissimum Deitatis decus vsque modo reconditum iam inde clareat & innotescat.

§. XV.

Quòd salus homini maximè sit voluntaria, Saluatoris accinit potentia.

AD secundam Angelici cantus partem accedo, vbi dicitur, *& in terra pa[illegible] hominibus bona voluntatis.* Quasi dicant iuxta receptissimam Doctorum expositionem. In terra, vbi iurgia, vbi lites, vbi bella, vbi frequens rebellio, iam pax alma nascit[illegible] pa[illegible] inquam, fugenda ab hominibus bonæ voluntatis, hoc [illegible] voluntari[illegible] & auid[illegible] pax & salus ab hominibus capessitur. Hoc vltimum, si non perspicuis verbis traditum inuenio, tamen id puto intelligi ab omnibus iis, qui bonam voluntatem ad homines asserunt pertinere: qui plures sunt, vt dixi, & poteris videre apud Barradam, Salmeronem, & Cardinalem Toletum. Impulit me in hanc explicationem scopus Angelici cantus, qui quidem gestiebant id laudare, quod maximè Saluatoris oati potentiam in saluandis hominibus ostēdebat. Et quid magis Medici potentiam & industriam commendat, quam quod sciat infirmis deiectisque hominibus ita persuadere, vt ipsi alacri animo, & magno ex voluntatis affectu amaram, sed salutarem potionem ebibant? Hoc sanè præstitit Saluator noster, & vel io eo maximè seductorem detecit, quod ille dolis suis aliquomodo inuoluntario homini propinauit venenum; verum Christus Dominus remedium etsi austerum, etsi naturæ infirmæ horrendum, ab hominibus voluntariè omnino & auide fecit ebibi. Nolo amplius debere pulcherrima Gilliberi verba ser. 21. in Cant. quæ sic personant. *Si* Gillibert.
abundabit delictum, superabundauit & gratia; vbi delictum, ibi seductio & fallacia intercessit, & ideo non ex omni parte voluntarium videtur. In gratia vero nihil non ex proposito, nihil non ad libitum. Quomodo ergo non efficaciora sunt voluntaria bona, quam vel aliqua ex parte coacta mala? Et verè efficax gratia & artificiosa. Magna equidem gratiosi Saluatoris efficacia, artificium maximum quod crux, quod nuditas, quod abiectio, quod mors ab hominibus carneis auidè & voluntariè sumatur. Serpens ille etsi callidissimus, non adeò efficax qui posset detecta veritate mali hominum detriumphare voluntates. Pomum obiecit, & dolis traxit homines ad laqueum. Præstantior Saluatoris gloria, qui ad salutem traxit homines voluntarios, cui nisi a voluntate auide profecta vota non placent. Minerua apud Homerum 2. Odyss. sic Telemacum alloquitur. *Tu nunc para viaticum, nauibus omnia congere necessaria: ego interim in populo socios voluntarios colligam.* Is solum decebat triumphus sapientiam incarnatam, vt spontè voluntariè venientibus exultaret in fratribus. Vt templum Hierosolymis ædificaretur, prouidit Deus, ne vi & ferro celarentur lapides Sic Theodoretus in 3. Reg. q. 21. Theodor.
Ipsum quidem templum ædificauit ex lapidibus minimè cæsis securibus, cum diuina voluisset prouidentia, vt inuenirentur eiusmodi sua spontè noti lapides, adeò, vt ad eos comparandos nullo ferro opus fuerit. Hincque iam claruit qui lapides Christi fundamento erant superædificandi, nempe illi, qui nulla vi, nulla coactione; sed prorsus spontaneo & voluntario animo in Christi corpus coaptantur. *Quomodo ergo non efficaciora sunt voluntaria bona, quam vel aliqua ex parte coacta mala?* Efficaciora sanè debent esse voluntaria: id quod crediderim indicari à Chrysost. homil. de cœco nato nuper translata. Vbi sic Adami peccatum cum latronis merito componit. *Primum hominem Adamum non ob multa peccata; sed ob vnam inobedientiam è paradiso eiecit: ita iustitiæ statera latronem primum in paradisum ingressurum eum promisit, non cum multa quidem confessus est; verum cum vnam fidei confessionem abtulisset.* Equidem, quia vnica inobedientia eaque extorta dolis paradisum homine viduauit; sic iustitia protulit, vt vnica voluntaria confessio hominem Deo in paradiso sociaret, vt clareat quam efficaciora sint voluntaria bona ipsis malis. Quod inde ponderabis, quia ad deiiciendum hominem a paradiso, peccauit Eua, peccauit Adamus; verum ad hominem paradiso ditandum sola vnius latronis & vnica confessio conflatur.

§. XVI.

Voluntarij homines ad Dei obsequium sunt viri è Societate IESV.

HOc omnibus fidelibus commune bonum, crediderim, illis, qui è Societate IESV viri sunt, maximè singulare: & quos socios sibi Iesus eligeret, nisi socios voluntarios. Huc spectat tam longæuum tyrocinium in Societate, vt socij nouitij voluntas per biennium sui experimentum faciat. Huc tendunt simplicia vota, quæ facultate Apostolica rescindi & euitari queant, si promptus, spontaneus, & voluntarius obsequendi animus non adsit. Primo Machab. lib. 1. Mach. 2.
c. 2. erant res Hierosolymitanæ in nouaculæ acie. Vni Machabæi viriliter resist[illegible] hanc aduersari[illegible] [illegible] ait textus, *[illegible] congregata est ad [illegible] eorum omnis voluntarius in lege. & fol[illegible] illi ad firmamentum.* Sic periclitanti Ecclesiæ acriter ab hæreticis vndique impugnatæ congregata est hæc [illegible] Societate Iesu amica phalanx omnis voluntarius in lege, quorum quilibet voluntariè & auidè

in

in præstando obsequio desudat, & facti sunt Ecclesiasticis rebus ad firmamentum. Et quis oeget quantum roboris, quantum firmitatis accipiat Ecclesia contra hæreses ab istis

Chrysost.

socius adeò voluntarius? Sed accipite vnum Chrysostom. homil. 2. in cap. 1. Matth. qui sic & virum voluntarium & filios Societatis IESV eleganter designat. *Idipsum est voluntarium esse populum, & esse gentem desideratam. Qui enim voluntarius est Deo, & dicit, Voluntarie sacrificabo tibi, ipse est desiderabilis. Et vsque nunc qui desiderabiles sunt & voluntarij Deo, illi sunt zelabiles, & irritant ad inuidiam filios tenebrarum viros.* Quid viris Societatis IESV peculiarius? Quid proprius? Hi simul omnes desiderio sui afficiunt, à cunctis expetuntur ciuitatibus, & simul vulgo maledictis petuntur. Diceres prope esse ad miraculum & gentem simul exosam esse, & maximè amatam, communiter spui, & expeti, æstimari & corrodi. Sed est miraculum hominis in lege Dei spontanei, hominis voluntarij.

Text Et factum est, vt discesserunt ab eis Angeli in cœlum, pastores loquebantur ad inuicem: Transeamus vsque Bethleem, & videamus hoc Verbum quod factũ est, quod Dominus ostendit nobis. Et venerunt festinantes.

§. XVII.

Pastorum fidei robur maximum, eo quod relicto loco illo, & ouibus venerint Bethleem. Vbi de B. Francisco Xauerio illustria.

MAximum sanè fuit fidei argumentum, deseri à pastoribus locum, vbi summis vigiliis oues custodiebant, vbi cœlestes fulgores, Angelorum voces, gloriæ ciues exceperant. Nescio, an tantum fuerit quod Petrus in Thabor speculatus est, & ægrè diuellebatur a loco illo, ait enim.

Matth. 17.

Domine, bonum est nos hic esse, faciamus tria tabernacula. De quo eleganter D. Basil. serm. de Transfigurat. ait. *Petrus etiam*

Apud Metaphrast.

si hæc viderit, nondum docetur, vt cuius esset ratio obstupefacta magnitudine miraculorum. Nam propter spectaculi desiderium, omnium obliuiscitur, & loco alligatur superatus à nimio gaudio: Faciamus, inquit, *hic tria tabernacula.* Expendo illud, & loco alligatur superatus à nimio gaudio. Etenim imperfectus adhuc, non plenè edoctus coruscantis gloriolæ speciem miratus præ gaudio hæret, illo cupiens alligari loco. Robustiores in fide extiterunt pastores, quos nec gaudium magnum, nec fulgentia Angelorum lumina, nec resonans melodia, nec oues, nec aptus pascuæ locus valuit alligare, quominus relictis omnibus, ad paruulum recens natum euolarent. O quam cito pastorum in pectore amoris coaluit efficacia: extrinsecus illos circumfulsit lux, verum intimè vis amoris persuasit, & omnium oblitos in altiora

Serm. 2. in Cant.

coegit conamina. *Sancta quadam*, ait Gilbertus, *semper eget amor auaritia: semper ad secretiora exæstuat, & quæ tenet non reputans, volubili se rapiat in interiora rotatu, & vitalis taliter rotæ spirituali leuitate ad superiora toto conatu attollitur, de terra vix paululum aliquid attingens.* Sic isti recentes Dei amasij Angelorum hausta lætitia, sancta inde correpti auaritia maioribus inhiant gaudiis, nihilique possessa reputantes volubili rotatu ferebantur, & veluti vitales rotæ vix terrena pertingentes loca, in Dei nati cubile, quo gradiebatur spiritus, ferebantur.

Hæc mihi cogitanti B. Francisci Xauerij siue in Deum amor siue pernicitas in proximis iuuandis accidit ad miraculum. Et quidem cum fulgentis Christi Domini ex conspectu Petrum gaudio superatum, loco illigari video, & pastores laudo, quod nullo gaudio alligentur, quominus Christum Bethleem degentem adeant. Adstupeo Xauerium, qui madidus diuinis gaudiis, vsque (si fas est dici) ad satietatem totum pene orbem proximorum causa peragrarit. Is est qui contemplationi deditos eo diuinæ gratiæ impetu rigabatur, cuius impotens clamabat, Sat est Domine, sat est. Et medio hoc dulcedinum immersus salo dixit ne aliquando, Bonum est nos hic esse? sub hoc tabernaculo, hoc in nidulo moriamur mundo, & Deo viuamus. Imo à nimio gaudio superatus nullo alligatur loco, sed immensa dimensus maria barbarissimas nationes lustrans illustrauit. Vnius misellí nautæ confessionem sperans bis quingenas tumentis maris leucas tranat: Italiam, Lusitaniam Indiam, Iapponiam, Chinam sæpè repetit, & cum pedes deficerent, equorum caudis religatus raptatur. Ecce Diu. Amb. Epist.

Ambros.

60. de sancto Viro Acholio hæc fatus. *Vidi fateor virum, vidi illum esse in corpore vt extra corpus putarem. Vidi imaginem illius, quē se siue extra corpus siue in corpore nescient raptum ad paradisum videras. Ita enim percurrebat omnia excursu frequenti Constantinopolim, Achaiam, Epirum, Italiam, vt iuniores eum non possent consequi. Cedebant fortiores corpore, quia eum sine impedimento esse corporis nouerant, vt eo tantum pro velamine vteretur, non pro officio, certè ad seruitium, non ad subsidium.* Tolle Constantinopolim, Achaiam, Epirum, pone Romam, Vlisiponem, Goam, Malacham, Iapponiam, Chinam, & sub eisdem verbis B. Xauerius erit effigiatus. Etenim ea facilitate & pernicitate excurrebat omnia excursu frequenti, vt posset addubitari, an in corpore, siue extra corpus; & verè sine impedimento corporis erat, qui eo pro velamine vtetur, non pro officio; ad seruitium, non ad subsidium. Vide modò quam imperfectus Petrus in Thabor; quam perfectus Xauerius in transcursibus: ille Christiferæ claritatis contemplatione hæret, & loco alligatur; hic summi Dei contemplatione captus, quo e portu non soluit, vt maria, vt terrarum occulta peragerer? Ille sibi nesciens consulebat, hic sapientissime Deum amabat. Hunc

Gillibert.

respicere videtur Gillibert. serm. 2. in Cant. dum ponderans illud, *in lectulo per noctes quæsiui*: ita fatur. *Non illum mordaces curæ circumuolant, inquietudinem non exasperat iniuria; sed totum lectulus, & nox, totum pax, & quies, & latebra* (hæccine est Xauerij contemplatio?) *Nunquid furis est? Forsassis satis, sed laboranti, non satis amanti. Dulcis enim laboranti somnus. Amantis anxietas illum dormire vetat, somnolentiam excutit, vigilias inducit. Amor de quiete inquietior redditur.* O magna vis amoris Xauerij animum depascens! Quid Xauerio in oratione magis quietum? Quid in salute animarum procuranda magis inquietum? In oratione totum lectulus, totum pax, totum quies, totum dulcedo, totum gaudium. Petrus id sibi satis putaret, ibi hæreret, inibi religatus tentorium figeret, & tabernaculum. Id satis laboranti, non satis amanti, non satis Xauerio, qui de quiete illa inquietior, & totus in quærendis dilectis animis versabatur. Quæ tenebat reputans sancta auaritia, volubili se rapiat semper in alta rotatu, & instar vitalis rotæ de terra vix paululum attingens ad superiora toto se protendebat conatu.

§. XVIII.

Pastores hi vulgus Iudæorum ignobile gratius, & acceptius reddiderunt Deo.

HOc valde mirandum cuius existit, quod Ioan. cap. 7. iactitabant de Christo Domino Iudæi, nimirum. *Num-*

Ioan. 7.

quid ex principalibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis? Et quidem, vt ille cæcus homuncio aiebat Ioan. 10. *In hoc*

Ioan. 10.

mirabile est, quia vos nescitis vnde sit, & aperuit oculos meos. Quasi dicat, hoc valde mirandum, quod reiectis vobis Principibus me, & ignobilem turbam misellos quoque homunciones miris beneficiis cumulet. Etenim à Iudæis turbas trahebat Iesus, à gentibus Dynastas, & Principes iuxta Isai. 60. *Ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in*

Isai. 60.

splendore ortus tui. Ex Iudæis plebeculi, ex gentibus Centuriones, Duces, Proconsules, Reges sequebantur Christum. Quæ huius rei ratio? Illam insinuat Tertull. lib. de

Tertull.

Idololatria, hæc de Magis Christum adorantibus edicens. *Primi stellarum interpretes natum Christum annuntiauerunt, primi munerauerunt. Hoc nomine Christum opinor sibi obligauerunt.* Quid plura? ex Iudæis ignobiles pastores, ex gentibus Reges primi astiterunt incunabulis Christi Domini: primi adorauerunt membra infantilia, & inde Deus mansit deuotus, & procliuis in nobilissimos Gentilium, in Iudæorum vulgus. O felices vos, qui primi ad Deum aduolatis, hoc quidem nomine illum maximè obligatis, arctè obstringitis. Hoc referebat Guarricus Abbas illud Matth. 11.

In serm. Io. Bapt.

Regnum cælorum vim patitur. Plenè, inquit, *vim facit qui intonante tuba præcepti nescit parere* [illegible]. Qui primam ad præcepti vocem, qui primo clangore buccinæ primi assurgunt Deo obsecuturi, hi obligant, obstringunt Deum, vim inferunt. Hac aliquando efflorebat virtute Iudaica nobilitas, de qua Numer. 11. *Si semel clanxerit, venient ad te Principes,*

Num. 11.

& capita multitudinis Israel. Quæ verba expendens Procopius ait. *Vnius tubæ sonitu conuocabantur Principes, acutius cernentes, & citius obedientes. At verò plebs conuocabatur ad tabernaculum Domini sæpius & Moyse repetito clangore.* Vtinam ab hac prompta obedientia nō excidissent Israelitici Prin-

cipes

cipes in recipiendo Christo, promptiores illi extiterunt pastores, qui primo intonante pueri crepitacillo aduolant adoraturi, & inde sibi, & vniuersæ Iudæorum plebi Deum obligatum obstringunt. Hinc etiam elucet ratio, qua Christus Dominus post resurrectionem in sæuissimos peccatores fuit procliuis, Paulum lupum rapacem elegit, Clementem à schola Simonis Magi eduxit post Petrum in Pontificum culmen. Quas peccatorum electiones meruit ille peccator, & latro, qui primus Christo crucifixo accessit veniam de-Guarric. precaturus. De illo sic Abbas Guarricus, *Ille est, qui velut Dauid alter Princeps latronum, piorumque ductor prædonum victoriosum illum exercitum publicanorum, & peccatorum per illam laudabilem violentiam, & religiosam post se induxit in regnum cælorum.* Ecce tibi quam obligetur Deus ab iis, qui primi propriæ inhiant saluti.

Text. Et inuenerunt Mariam, & Ioseph, & infantem positum in præsepio. Videntes autem cognouerunt de verbo quod dictum erat illis de puero hoc, &c.

§. XIX.

Deus facilè inuenitur ab ijs, qui operi incumbunt, dum alij somno & voluptati indulgent.

ABeuntes Bethleem pastores omnia sibi iuxta Angeli prædictionem occurrentia mirati sunt, puerumque inueniunt in præsepio medium inter Mariam, & Ioseph. Sanè thesaurum, non cubantibus custoditum Draconibus, sed florenti sanctissimorum parentum lilio circumseptum. Rustici in fœno iacentem recognoscunt agnum illum, qui pascitur inter lilia. Sed cur non inuenerint Dominum serui vigiles? & illi serui, qui dum cuncti summo sepulti oscitant, & languent, illi pascendis gregibus dant operam? Felix illa mulier Samaritana dum hora sexta pergit ad fontem, gratiarum omnium mare Christum inuenit; & vnde inuenit? an quia hora sexta aquam hauriebat? Quid ma-Ioan. 4. gnum hoc? Diu. Chrysost. homil. de Samaritana nuper La-Chrysost. tinis data. *Hora sexta quo tempore quieti à labore vacabant omnes, tunc illa hydriam arripiens aquam aduehebat. Nouerat ergo Dominus, quam horam cæteri captandæ quieti dabant, illa solere istam aduehendæ aquæ vacare, propterea sexta hora Dominus abiit.* Propterea inter omnes hi pastores Christum Dominum inuenerunt, quia cùm dormiebant cæteri, ipsi vigilias agebant, propter ea Samaritana scaturientem vitæ fontem offendit, quia quando cæteri otio, & epulis indulgebant, ipsa seruilibus adhuc officiis insudabat. Sed omnibus his præstantior Magdalena, & ipsa Christum sibi Pharisæis Luc. 7. præripuit; & cur præripuit? Sanè dum Pharisæus dapiferis accumbit mensis, dum captandæ populorum voluntati studet, omni alia debiti obsequij cura feriatus; ipsa cibi oblita, potus immemor, tota in Dei seruitium effunditur. Hinc Paulin. pulcrè D. Paulinus Epist. 4. Pharisæi casum, & peccatricis gloriam expendit in hæc verba. *Quo te miser Iudæe iactabis? In domo tua te peccatrix nostra præuenit, ingressa in labores tuos. Tu enim epulabaris, vt superbires, illa ieiunabat, vt seruiret.* Ecce tibi dum alij epulis incumbunt, & quieti, peccatrix mulier immemor quietis, & cibi vnum hoc agit, vt seruiat, vt suum obsequium præstet Deo: quid mirum, si inueniat, si cæteris omnibus sibi præripiat Christum? Genes. Genes. 18. 18. dicitur Abraham stetisse in ostio tabernaculi sui, ipso feruore diei, nempe in meridie. *Cumque aperuisset oculos, appa-*Ambros. *ruerunt ei tres viri stantes prope eum.* Ad hæc D. Ambros. lib. 1. cap. 5. ait, *Ante ostium sedebat Abraham, sedebat meridie. Quando alij requiescebant, ille hospitum explorabat aduentum. Meritò illi Deus apparuit.* Sic qui dum alij quiete soluuntur, ipsi adhuc laborant, dum alij dormiunt, ipsi inuigilant, sperent sibi obuiandum Christum, qui eorum muneret labores, & curas. Rem finiat D. Chrysost. obseruatio in Anna Samuelis 1. Reg. 1. matre, de qua dicitur 1. Reg. 1. *Surrexit Anna postquam illi comederant, & biberant in Silo, constitit in conspectu Domini.* Nimirum illa sterilitatis ignominia grauis eò spectabat, vt tantum à se malum depelleret, inter prandium ad hæc suspirabat, & à mensa ad Dominum oratura euolat. Vnde Chrysost. *Quod omnes faciunt tempus relaxationis; illa fecit tempus depr[...]ationis: post conuiuium accurrens ad supplicationem, ac post epulas adeo intentè orauit, vt donum acciperet supra naturam, solueretque sterilitatem.* Sic Deum obligant, qui quando alij otio vacant, suæ incumbunt acquirendæ saluti. Vnde Dauid aiebat Psal. 6. *Lauabo per singulas noctes lectum meum.* De quo Nissenus orat. ad eos, qui durius alios iudicant, fatur. *Sibi noctes ad lugendum præscribit, quod quidem tempus communi laborantium quieti datum est.*

CAPVT IV.

De pueri Diuini Circumcisione.

INSTABAT iam dies octauus à Natiuitate, quo puer iuxta legem Moysi circumcidendus erat, & licet, nec legis obligatione, nec alia necessitate puero diuino subeunda circumcisio, tamen, vt duram emolliret legem, suscepit circumcisionem. Circumciditur ergo puer, siue à matre Virginea, siue à Ioseph, siue ab alio quopiam viro pio, & qui pro mundi pretio erat effundendus in cruce, modo sanguis humanæ redemptionis exhibetur, vt pignus.

Text. Postquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer. *Luc. 2.*

§. I.

Sanguis Deificus ocyssimè funditur, ne in saluandis hominibus primas cedat alicui.

OPtime nouerat Isaias nascentes Dei curas, quando cap. 10. vocauit illum, *accelera, festina.* Etenim vehementer festinabat sanguine suo nos redimere: hoc erat illi in optatis, hoc ardebat desiderio, eo illius sanguis pungebatur aculeo, vt quam ocyssimè funderetur, vt nulli cederet primas. Hinc meritò sanguis diuinus post Deum primus omnium in salutem humanam prosiliisse notatur à Ruperto. Qui de operibus Spiritus sancti lib. 4. cap. 11. dum illud Epist. Ioan. 3. perlegit, nimirum tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & sanguis, sic ipse meditatur. *Hic quidem, ait, tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis. At in Euangelio post emissionem spiritus, non dictum est, Exiuit aqua, & sanguis; sed, exiuit sanguis, & aqua.* In Euangelio vbi Euangelista testimonium veritati perhibebat, circunstantias, & ordinem rerum explanans notanter dixit, quòd exiuit sanguis, & aqua, non aqua priùs, ne sanguini pigritiæ notam impingeret; sed vix pretij pro homine soluendi sagulus cœpit aperiri, & continuo omnium primus sanguis exiuit. Enimuero in effundendo sanguine, cæteri omnes cedunt primas Christo. Eleganter Clem. Alex. primo Pædag. cap. 9. componit Isaa- Clem. cum & Christum, vmbram & corpus, figuram, & veritatem. Ambo erant parentis vnicum pignus, ambo sacrificandi montem scandunt, ambo portant humeris sacrificij lignum, & ligno iam superponuntur ambo. Quid plura? *Solummodo, ait, iure Isaac non passus est, qui primas passionis partes verbo cesserit.* Nec solùm Isaac primas cessit sanguini diuino; sed & cuncti Patres, vt Clementi subscribens addit Cyrill. Alex. lib. 1. in Ioan. cap. 21. *Cùm,* inquit, *non igno-* Cyrill. *rent Moyses primas eidem partes concessisse.* Moyses inquam, ille adeò suorum amator, adeò pro suis afflictus, vt dicatus à Paulo portasse improperium Christi, quasi non tam similis quàm idem apparuit cum Christo. Is tamen cessit verbo primas, vt pulcrè Bern. insinuat, dum inquit, *Moyses* Bernard. *quidem in aqua venit, à qua & nomen accepit, vt Moyses vocaretur: manifestè autem plusquam Moyses Christus, vtpotè qui non venerit in aqua tantum, sed in sanguine.* Sanè Moyses prima limina vitæ ingressus aquas arauit, super aquas ferebatur materna in cymba. Verùm puer diuinus in sanguine incœpit viuere: cum limina Mosaicæ vitæ aqua rigabantur, limina Christi vitæ sanguine immaculati agni consperguntur. Illum aqua in Pharaonis filiæ vlnas effudit, huius sanguis à gremio matris vniuersos iam homines perfudit. Hanc citissimam, & celerrimam sanguinis effusionem, vt præstaret Christus, semen Abrahæ præ aliis, crediderim apprehendisse.

Cuius rei zelotypia inflammatus Imperator Apostata non ferebat, quòd Deus diceretur Abrahamides. *Quare,* inquit, *non magis gentibus ms[...] eum Saluatorem, & Redemptorem; con[...]sis autem Isaacis secundum carnem.* Illi Doctor gentium satisfecerat, dum ad Rom. 15. sic loquitur. *Dico enim Christum ministrum*

ministrum fuisse circumcisionis. Notanter enim dixit venisse Christum ad populum, non Israëlis, nec Hebræorum, sed circumcisionis, quasi circumcisio fuisset ratio, ob quam Deus Abrahamides sumpserit. Cum Pauli mente accedat
Cyrill. modò optimus Apostatæ expugnator D.Cyrill.Alex. lib.3. prope finem. Vbi ex Osea reddens rationem, cur genus Abrahæ præ aliis Deus elegerit, vt homo fieret, hæc inquit, *Tale quidam per vnum sanctiorum Prophetarum dixit, Quasi botrum in deserto inueni Israel, & quasi futurum in situ præcocem vidi Patres eorum. In ficubus autem dulcissimum, quod præ alijs maturescit, hoc est, præcox & præcurrens. Vnde vt dixi, quasi præcox fructus in ficu diuinus Abraham decerpebatur.* Sane genus Abrahamidum præ aliis nationibus fructum maturabat, præcurrens ætatis moras à primis incunabulis per sanguinis effusionem Deo fructificabat. Ideo Deus hominem per sanguinem redempturus sese Abrahamo ingessit; vt præcox, vt præcurrens sanguinis effusio citissimam solutionem pararet. Si è gentibus parentes delegisset, morosus esset in exhibitione sui sanguinis, virilem primo attigisset ætatem, quam dandi sanguinem se offerret occasio. Ideo, relictis gentibus, elegit Israëlem, quo nasceretur, vt circumcideretur puer, vt quàm ocyssimè in mei remedium prosiliret sanguis.

§. II.

Eo ardebat Dominus desiderio effundendi sanguinem, vt in se vulnerando gladij prauenerit ictum.

FEstinus satis præcucurrit circumcisionis gladius, vt puerum percuteret recens natum; sed festinior ipse puer octiduanum vulnus non expectauit; sed à primo sui ortus momento amore vulneratus præcucurrit, vt postea lancea, claui, circumcisionis gladius non tam vulnerarent, quàm aperirent vulnera iam facta. Sane claui & lancea denuo ruperunt saluatoris carnem; sed vulnera hæc licet vocare apertiones, siue ostensiones vulneris ab amore facti. Ecce
Hebr.10. tibi quid dicat Paul. ad Hebr. cap.10. *Ideo ingrediens mundum dicit. Hostiam & oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi.* Cùm primum verbum diuinum induit humanam carnem, vetera sacrificia omnia Patri exosa notauit, pecudum spirantes fibras fastidio esse, agnorum sanguinem abominabilem animaduertit. Vnde intra se aliud sacrificium excogitauit, alium sanguinem, alia vulnera, quæ Deum placarent, meditans sese in id aptum natum gratulatur. Ait enim, corpus autem aptasti mihi, siue, vt ex Hebræis D.Cy-
Alex. rill. Alexand. & Arnobius, *corpus confodisti, perforasti mihi,* quasi se iam ex tunc confossum, manus, pedésque perforatum sacrauerit.

Sed age quando confossus, quando perforatus manibus Dominus apparuit? Ingrediens mundum, nimirum, vt placet viris doctis, in primo assumptæ carnis instanti. Itaque etsi lancea, etsi circumcisionis gladius ocyssime currerent, vt vulnera infigerent Dominicæ carni; ocyor præcucurrit amor, deditque cultro non infligenda vulnera, sed aperienda tantum. Huc spectat Zachar.cap.3.cuius ab ore loquens diuinus Pater de lapide angulari Christo sic fatur, *Ecce ego cælabo sculpturam eius*; & quo instrumento cælabit? S.Hier. & Rupert.aiunt, lapidem istum clauis crucis, & lancea militis faciem vulnerar. Hæ cælaturæ viuentis lapidis? cælaturæ, inquam, lancea, clauus, cultro comparandæ. Sed pulcriùs originalis pagina ait, *ecce ego aperiam apertionem eius*, vt innuat, quòd lancea, quòd claui, quòd culter non nouas inferent plagas; sed apertionem aperient, effossum iam & perforatum amore pandent. Morosior culter quem Christiferus mei amor præcucurrit hic, & effossa Dei carne pigritantem reddit cultrum octiduanum. Quandoquidem cum infirmus vehementer lateris dolore angitur, à sapiente Medico illius venæ cùm primùm rumpuntur, nec curantur, vt citiùs postea cùm res tulerit, apertæ solum primæ scissuræ effundant sanguinem. Sic Dominus assumpta humana infirmitate arctabatur, sic æstuanti amoris flamma exurebatur, vt cum primum licuit sese mille scissuris confoderit, adeo vt postea accedens lancea, clauus, culter iam non percuterent; sed inflictum vulnus aperirent, vt efflue-
Bernard. ret sanguis. Vnde D.Bernard.cap.3. de vite fatur, *Foderunt & perfoderunt Iudæi non solùm manus, sed & pedes, & latus quoque, & sanctissimi cordis intima furoris lancea perforauerunt. quod iamdudum amoris lancea fuerat vulneratum. Vulnerasti,* inquit sponsus, *cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum. Quid necessarium fuit illud ab inimicu vltra vulnerari? Si vulneratum est, imo quia vulneratum est, quid secundum vulnus apponis?* Vbi amor mei in Christi corde coaluit, quæcumque extrinsecùs veniant vulnera, secunda erunt, non prima; nulli accedent membro quod non inueniant primis amoris vulneribus transfossum & præoccupatum.

Hinc notanter Euangelista cùm de transfosso Christi pectore à milite loqueretur, ait miles, *lancea latus eius aperuit.* Ad hæc Augustinus. *Vigilante verbo vsus est, vt non diceret, latus eius percussit, aut vulnerauit, sed aperuit.* August.
Etenim nimis sera accessit lancea, vt vulnus infligeret, satis est, si inflictum amore demonstrauit. Id quod eleganti metaphora docuit Chrysost. in Psalm.14. dum ait, *lancea tanquam claue in arcam iniecta dedisti pretium ex paterno thesauro.* Chrysost.
Quasi diceret, quod lancea non lanceæ munus peregerit confodiendo, vulnerando; sed potiùs munus adimpleuit clauis, dum per foramen factum iniecta non rupit, sed aperuit cœlestem thesaurum, vt pretium meæ redemptionis dimanaret.

Accipite modò quàm aptè Metaphrastes dixerit verba alioquin obscura de Dominica circumcisione, *Circumciditur,* inquit, *puer ex lege, quam tulerat, vt veteris circuncisionis euelleret anticipationem.* Expendo illud, *circuncisionis euellere anticipationem.* Enimuerò quantumcumque vulnus maturaret, ocyor diuinus amor in vulnerando Christum omnem celeritatem & anticipationem superauit, obscurauit. Vnde D. Bernard. hæc aurea infert, *Vide quantum ad suscipiendos dolores festinauit, quàm promptus sanguinem effundere, circumcisus pro nobis die natiuitatis suæ octauo Christus octauam diem à natiuitate sua vix expectat, vt suum tibi impendere sanguinem incipiat, tu post non dico octo dies, sed nec post octoginta menses, imò & octoginta annos solam non rependis voluntatem.* Bernard.
Hæc ille.

§. III.

Circumciditur puer, vt eiusdem ostendatur esse patriæ cum hominibus.

NE deinceps obloquatur Valentinus negans, Christum è terra corpus sumpsisse, sed è cælo, ideo terreni generis signum circumcisionem puer suscipit. Quod D. Epiphanio maximè arridet, & insinuatur Cant.2. *Surge, propera amica mea, veni, hiems transiit, imber abiit, flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit, vox turturis audita est in terra nostra.* Cant.2.
Enimuero transacto legis frigore, imbribúsque lauacrorum in templo, flos Christus è Iessea virgo effloruit; iam vitis illa à cælesti agricola virginea in terra defossa floridas prolatura corollas erupit, cultróque circumcisionis exposita tempus putationis impleuit. Iam plorat putata vitis, & vox illius gemebunda exauditur in terra nostra.

Id in hoc loco notatum velim, quòd pene vno in versubulo bis repetatur illud *in terra nostra*, flores apparuerunt in terra nostra, & post putationem, post vulneris gemitus, statim subditur rursus *in terra nostra.* Hoc vnum percalluit Bernard.acumen serm.59. in Cant. vbi sic, *Aduerte quantæ suauitatis sit Deum dicere, in terra nostra. Quique terrigenæ & filij hominum audite, magnificauit Dominus nobiscum, multum illi cum terra nostra. Quid miraris? Hoc ipse factus est tanquam vnus è nobis: minus dixi, tanquam vnus, paruum est esse parem hominibus, homo est, inde terram nostram vendicat sibi; sed quasi patriam, non quasi possessionem.* Bernard.
Quid dulcius? Quid nobis felicius? Vitis diuina cùm putatur, cum pudica Christi caro circumciditur, tunc iam in terram nostram clamat non quasi possessionem, sed quasi patriam tegens Dominum; & se manifestans vicinum.

§. IV.

Christus Dominus circumciditur, vt regiam fidelium ostendat originem à Cruce.

MErito Ioannes Apocal.1. Deifico sanguini regnum fidelium adiungit, ait enim, *Princeps Regum terræ qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos regnum.* Quidne aliud sanguis Deificus potuit prætendere suis, quàm purpuram? quàm regnum? Iam non comæ capitis sponsi: sed etiam sanguinis guttæ purpura Regum sunt. Natus olim fuit vitulus purpurascentibus maculis distinctus, qui vt meminit Vopiscus, Imperij omen Aureliano detulit. Ecce modo natus puer Christus, vitulus nouellus, vitulus saginatus, cuius & saginabimur carnibus,
qui

qui primo natiuitatis ortu iam purpureis illustris maculis rubet, Imperium nobis prætendens felicissimum, *Deus Abrahæ*, ait S. Theodoretus, *ad hoc quod egrederentur Reges ex lumbis eius, signum circumcisionis in ssit*. Circumcisionis signum accepit Christus; vt Regales fidelium purpuras intingeret, vt à sanguine & cruce Regia diademata præsagiret. Hinc Isaias Regiam inaugurationem, quam ab incunabulis accepit Christus, circumcisionis excruciationi attribuens sic est loquutus, *Puer natus est nobis, & filius datus est nobis, cuius Imperium super humerum eius*. Ecce Imperium, sub quo gemebundus recens natus inducitur puerulus diuinus: is sane octiduanus circumcisus Imperium suum à sanguine prætendit & cruce. Quam Isaiæ explicationem debeo Bernard. qui serm. de Vite cap. 37. primam sanguinis Deifici effusionem in circumcisione dum expendit, sic ad locum Isaiæ dicit, *Crucem, quam Imperij nomine significauit, natiuitati statim adiungit, quia proiecto à natiuitatis exordio* (dum circumciditur) *passio crucis exorta est. O quanta charitas! Vix natus est Iesus, & ecce recenti ortus crucis ignominia, crucis dolor copulatur, sed redemit miseriam crucis, Imperij nomen verum.* Madent equidem sanguine pueruli fasciæ: sed inde cœpit diuinus artifex fidelium ordiri purpuras. Quid tristius quam fasciæ sanguineæ? Quid durius quàm quòd tenellus excrucietur infans? Sed non aliter potuisset nobis præbere Regni auspicium; infantilia membra circumcisionis acies pungit, excruciat; sed dolorem redimunt inde tingendæ purpuræ, futuri à Cruce Regni clarissimum augurium. Hinc maxime commendatur Mariana sapientia, quod immerentem puerùm circumciderit: ait enim Cant. 7. *Caput tuum vt Carmelus, comæ capitis purpura Regis, vincta canalibus*. Carmelus, id est, scientia circumcisionis, vt videri potest apud Delrium, ne ergo inscitiæ tribueretur matri, quod talem circumciderit filium: *ideirco*, ait Guillelmus, *à filio specialiter dicitur: Caput tuum, vt Carmelus, ac si apertè diceretur. Bene sciebas, ó pia mater, cur populo Dei datum esset remedium circumcisionis, & tamen me, quem sine concupiscentia, ac per hoc non in peccatis concepisti, carnali circumcisioni subdidisti: neque hoc insipienter faciebas.* Et cur caput virgineum circumcisionis scientia pollebat, dum immerentem filium circumcidit? Vnde hoc caput sapiens? Quid sapientis capitis meditabatur? Quid? Ecce subdit, *comæ capitis tui purpura regis vincta canalibus*. Sane cogitationes tuæ purpuram meditabantur & regnum; tibi Regiæ propagines in mente erant, cum filium circumcidis. O merito circumcisionis scientiæ plenum caput virgineum! Vbi Mariæ cogitationes tincturam purpuream meditantur, vbi de purpura cogitat, vbi de parando filiorum Imperio agit, nil sapientius præstare potuit quam filium circumcideret, vt purpurascenti Dei cruore Regias fidelium vestes intingat, Regnùmque sanguine & cruce præsagiat.

Orat. in Io. Bapt. — Isai 9. — Bernard. — Cant. 7. — Guillelm.

§. V.

Christi Domini sanguis veterem circumcisionem fecit inutilem dum efficacius nos in mortem tolerandam impellit.

DAta est circumcisio Israelitis tanquam stimulus, quo ad laboriosam vitam sustinendam agerentur, imo dedicarentur homines. Sic D. Ambros. epist. 77. *Circumcisionem dare definit, vt ab ipsis incunabulis insigne religionis aboleesceret, & puderet vnumquemque ætatis prouectioris vel labori vel dolori cedere, quorum vtrumque tenera infantia vicisset.* Hoc maximum & vtilissimum circumcisionis munus erat, grandæuos meticulosos pudefacere, imo in contemptum doloris & laboris trahere, in sanguinis effusionem armare. At vbi diuini infantis sanguis effunditur, vbi Christi Domini manauit in terris cruor, quicumque alius stimulus ad agendos homines hebes extitit, & quasi inutilis ad Christi sanguinem comparatus. *Sed iam huius circumcisionis dolore non opus est Christiano, qui mortem Domini circumferens per momenta singula fronti propriæ mortis contemptum inscribit. Quis enim acuta ... ad præliandum, cum telis instructus sit validioribus?* Vnus sanguis Christiferus sic pusillanimos homines stimulat, sic tepidos pungit, sic debiles in mortem armat, vt vel rubenti Deifici cruoris gutta visa, turmatim homines in tyrannorum acies desigendi prosiliant. Quid ageret huius circumcisionis cultor, siue acus, vbi tot sunt pungentia spicula quot Deifici cruoris guttæ effusæ? Tot in mortem trahentes restes, quot laquei vincti Christo? Tot arietes impellentes in labores, quot frusta ligneæ crucis? Ecce tibi qua elegantia D. Laurent. Iustinian. de triumphali Christi agone cap. 17. inquit, *Tunc verè æterni Regis vexillum erectum est, cum in Crucis stipite confixus est Christus, atque in monte Caluariæ eleuatus. Tunc ad pugnam animata sunt corda fidelium: tunc ad debellandas contrarias potestates atque ipsum capessendum cœlum succensæ sunt fidelium mentes. Quis pugnare refugiat? Quis pati recuset cùm Angelorum Regem & hominem in crucis agnouerit pendere supplicio?* In veteris circumcisione diuinitatis flammis angi & igniri videris rubum plebeculam, humilesque myricas. Ast vbi ad Deificum sanguinem ventum est, vox Domini confringit altissimas quasque cedros, nimirum potentes viros, superbos Dynastas & Principes. Vnde hoc? Sane *comminuit eas tanquam vitulum Libani*, hoc est, ait Ricardus de sancto Vict. *ad similitudinem vituli Libani, ad imaginem humilitatis Christi, qui exinaniuit semetipsum pro nobis factus obediens Patri vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Vnus hic diuinus vitulus Christus sanguine manans meti obiectus superbissima & mollissima potentium hominum corpora ad mortis contemptum impellit, & ad effusionem sanguinis. Vnde egregie Theophylactus dum expendit illa Christi Domini verba apud Ioan. 12. *Nunc anima mea turbata est, & quid dicam* hanc ponderationem facit, *qui superius videtur admonere, vt parati simus ad mortem, hinc nunc turbatur moriturus; quod non est exhortantis ad mortem, sed auertentis: at si rectè considerauerit inuenies, quod turbari ipsum adhortatio sit ad contemptum mortis.* Non fuit dissimilis Christus, cum mortem tibi animose subeundam indicit, & cum ipse sub morte turbatur; Dei enim turbatio, Dei imbecillitas nobis maximos ad contemnendam mortem intendit animos. Id quod pulcre notauit Athanas. de Incarnat. Verbi eiúsque corp. ad nos aduent. dum inquit, *Homo naturaliter mortem expauescit. Is tamen (quod summopere admirandum est) vbi indutus est fidem crucis, res naturales vilipendit, & mortem non exhorrescit.* Circumcidantur ergo Iudæorum infantes, vt dolorum & mortis ædiscant tolerantiam, fidelibus enim vnus sufficit Christi sanguis, nec sic monoceros agitur rubenti pila in certamen, vt commouetur humanus animus, vel visa puelluli diuini effusa gutta sanguinis.

Ambros. — Ambros. — Psalm. 28. — Richard. Victor. — Theoph. — Ioan. 12. — Athanas.

§. VI.

Matutina laborum tolerantia maximè humanum animum in mortem armat.

CIrcumcidatur Christus puer, atrociter necidendus vir, nec ad strenue subeundam mortem in humanis potuisset edocere remedium efficacius, quam istam matutinam & præproperam vulneris tolerantiam. Eleganti verbo vsus est Stephanus mortem Deboræ allegorice tractans Genes. 35. vt laborum vtilitatem commendaret, ait enim, *Tribulatio carnem pungit, animum vngit.* Expendo illud, animum vngit. Qui bis visus est mihi innuisse vnctionem illam, qua fideles inungimur, vt mortis luctam animose subeamus. Quam inunctionem sub hac forma verborum tradit D. Ambros. *Virgo te oleo sanctificante, in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti, vt more militis ... præparatus ad certamen aereas possis superare potestates.* Inungimur salutis oleo moribundi, vt fortiter extremum absoluamus certamen, ne lethales expaueamus luctas, sed tenebrosis obsistamus potestatibus. Sic matutina tribulatio; sic dolor adnatus pungit quidem carnem, sed animam vngit; aculeus est, sed oleum est, quo more militis vncti præparamur ad extremum certamen, vt aereas possimus superare potestates. Hinc Ieremias ait; *Bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia sua: ponet in puluere os suum, si fortè sit spes.* Enimuero vel ex hoc felicissimus habetur ille qui sub iugo adolescit, quod ad puluerem intrepidus aduolauit. Luculentius adhuc D. Ambros. hæc verba Latinis tradit, nimirum, *dabit in sepulturæ fossuram os suum, si forte sit spes patientiæ,* quasi dicat, vtinam quis sub iugo sit nutritus, patientiæque & tolerantiæ alno educatus, eo ipso alacer, intrepidus, fortis dabit in sepulturæ fossuram os suum, mortem aspernabitur, tenebrarum potestates inuadet spe ac fide armatus. A vena scissa profluentem sanguinem ne videant, infirmorum velatur facies; verum qui robustus est, qui vel sanguinem doctus sudare, qui inter arma natus, & proscindendæ venæ facem præfert, & scissuram & sanguinem gaudet contemplari. Sic qui tolerantiæ, qui patientiæ à primis sludet vnguiculis, dabit sane grandis in sepulturæ fossuram os suum, funereas tædas, strictos vibratosque in ceruicem

Stephan. — Ambros. — Thren. 3. — Ambros.

Bernard. ceruicem gladios intrepidus & alacer speculabitur, serm. de Circumcis. dicit D. Bern. *Quidni obmutesceret coram circumcidente, qui coram tondente obmutuit, coram crucifigente siluit.* Imo naturalius dixerim, quidni coram tondente, coram crucifigente obmutuit, qui coram circumcidente siluit? Sane quo a circumcidente tribulata infantilis caro eo munita, vt strenue subiret postrema certamina, *vt spolians principatus & potestates traduceret confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Ita Paul. ad Col. 2.

Ad Col. 2.

§. VII.

Dolores circumcisionis Deifico natali auspicium & quasi fatum extiterunt.

NIl [illegible]ius, quam natis infantulis ab stellis, & planetarum aspectibus eorum indagari fortunam. Quibus etiam diuinum infantem subiectum, male voluit Petrus de Aliaco q. 30. in Genes. adeo, vt ex astris doceat Christum Magis adorandum innotuisse. Vana hæc sapienti viro, incarnatæ sapientiæ vanissima, vt recte Chrysol. qui habet stellam, non habetur a stella, nec ipse agitur cursu stellæ. Præ omnibus stellis natalem Domini dolores circumcisionis reddiderunt auspicatissimum. Notanter D. Pacianus in Parænesi ad pœnitentiam de quauis tribulatione dixit, *Tribulatio repertorium est diuinorum.* Expende illud repertorium, nimirum prognosticum, quo scintillantibus astris notanter fœcundæ imbres, abundantia frugum, auræ salubres. Sic dolor, sic tribulatio in natalitiis repertorium est, prognosticum est diuinorum, vt inde clarius, quam ab stellis diuina omnia possis hominibus præsagire. De captiuitate Hebræorum facienda Moysi prognosticum exhibiturus Dominus ostendit ei rubum flammis ardentem diuinis. Vnde pulcherrime D. Gregorius Nissenus inquit, *Deus veritas est, quæ quidem veritas non de cælo illucescit, ne à stellis [illegible] lux videatur; sed è rubo, eóque spinoso.* Quibus Nisseni verbis vt præferas lucem, puta iuxta Theodoretum, & alios rubum illum prænotasse populum Israëlitam illo in tempore afflictum, nihilque protendentem nisi spinas, hoc est afflictiones, dolorum cuspides, tribulationum spicula. Hinc Nissen. quasi Astrologorum vana auspicia sugillans inquit. Ecce vobis vanissimi stellarum obseruatores, vnde Deus protendit populo felicitatem suo, non ab stellis, ne videatur mendacia promittere; sed quia veritas est a rubo, eóque spinoso, ab afflictione, à dolore veram solidamque felicitatem indicit. Breuissimè, & acutissime, vt assolet Philo Iudæus, futuræ felicitatis auspicium in rubo ardenti concipiens, simulque addubitans quæ vocaret imaginem, ait; *Vocemus eam Angelum, quandoquidem futura pronunciat, tanto clarius, quanto magnificentior erat visio. Significat [illegible] ardens rubus oppressis iniuria Iudæis.* Sic Philo Iudæorum afflictionem, & illorum felicissimi status recuperationem prænuntiari clarissimè & verissimè ab ardentis rubi figura existimat. Quam ergo felicitatem puerulus hic diuinus sub circumcisionis cuspide non insinuat? Sane non stelliferis rutilans radiis; sed sub gladio tremens infans, non sub solis eleuatione, non ab ascendenti sidere, sed prostratus solo a descendenti sanguine veras hominum felicitates, solidas glorias incipit præsagire. Hinc vbi Matthæus cap. 5. refert illud, *Beati pauperes spiritu:* eleganter Guarricus Abb. serm. in festo omnium Sanctorum pergit, *Attende notam illud ac nobile prognosticum, quod in testimonium [illegible] in capite Dei filius protulit & iam vero natus, sed nondum notus [illegible] competere docuit.* Expende quod paupertatis, & ærumnarum tolerantia à Prophetis decantata, & à filio Dei tandem assumpta dicitur & agnoscitur a Guarrico, vt nobile prognosticum, ex quo nati pueruli præcellentias inuestigari oporteat.

Pacian.

Exod. 3.

Lib. 1. de vit. Moys.

Matth. 5. Guarric.

CAPVT V.

De Augustissimo nomine IESV *in Circumcisione exhibito.*

INfanti Deo circumcisio imponitur decore nomen, quod ab Angelo pronunciatum fuerat, antequam conciperetur in vtero. Etenim nō adinuentione humana, imo nec Angelico consilio, sed arcano Trinitatis decreto vocatur Iesus puerulus diuinus.

§. I.

Rigor Mosaicæ circumcisionis emollitus fuit in nomine IESV.

QVi Hebræorum puerulos sudantes sanguine sub circumcisionis cultro conspexisset, probasset equidem illud ab Hier. de gente hac decantatum. Nimirum, *accepit præcepta non bona, & iustificationes pessimas, in quibus non viuent, sed punientur.* Quid acerbius quàm circumcisio? Quid magis ferreum quam sanguinolenta incunabula? Hæc autem vbi à Christo Iesu impleta, cerea facta sunt & suauia. Accipe dialogum inter Cyril. & Pall. lib. de adoratione in spiritu. Vbi sic addubitat Palladius, circumcisione spirituali allata, & sacrificiis legalibus subuersis, Iudaicoque ritu nullum apud nos locum habente: nonne quodammodo parum verisimile quod Christus dicit, Non veni, vt destruam, sed vt adimpleam? Cui pulcra & eleganti similitudine respondet Cyrill. dicens, *Porro fabri ærarij statuam solidaturi primum obscuram speciem in cera faciunt, deinde illi igne liquefactæ æs infundunt, & sic opus suum producunt, vt nouam speciem & pulcritudinem habeat adiectis ad vmbras varijs colorum spectaculis. Et apparent quidem, dum æs ceram liquefacit, aboleri prima lineamenta; res autem ipsa non sic habet. Vere enim dicere possunt & faber & pictor, Non destruximus vmbras, nec omnino inutiles figuras fecimus: sed impleuimus potius.* Finge tibi modo iuxta Cyrill. durissimam illam legem quasi ceram affabre elaboratam Christiferæ humanitatis siue æri, siue electro candenti adiunctam, cur non mollescat? Cur non liquefiat? Et quidem rigor ille legalis, etsi durus, etsi ferreus, etsi adamantinus vt obiectus est candenti Iesu electro, cereus apparuit, & ipsa cera mollior & delibutior. Electrum auro & argento conflatur, Iesu nomen aurum est, argentum est, electrum est omnis æris pretiosissimum. Sic D. Chrysost. in Actis loquentem D. Petrum inducit. *Mihi Christus in suo nomine aurum & argentum reliquit suum.* Huic ergo electro diuini nominis durities legalis adiuncta, cerea facta est, & in suauitatem abiuit.

Epist. 9.

Cyrill.

Chrysost.

Rursus, vt nunc legalem rigorem mollescentem à Iesu nostro sponsa ostenderet, crediderim dixisse illud Cant. 1. *oleum effusum nomen tuum.* Vbi enim accessit Iesu nomen rigidæ circumcisioni, effecit, quod oleum vbi accedit rebus duris, cedit durities oleo, illóque delibuta paulatim emollescit; sic legalis circumcisionis durities vbi Iesu nominis persensit vires, vbi huius salutiferi olei excepit mensuram, tota se in suauitatem diffudit. Id quod pulcrè animaduertit D. Greg. PP. in 1. Reg. cap. 16. vbi iubetur Elisæus pleno cornu olei connenire Saulem. *Sed quid, ait, est quod implere cornu oleo iubetur? Quidnam fuit austeritas legis; nisi cornu acuitas? quasi enim cornu percussit, dum peccata non per misericordiam indulsit; sed pœnam infligenda vindicauit. Cornu ergo oleo impletur, quia talis Rex vngitur, qui peccata hominum per misericordiam dimittat; non per legis austeritatem puniat.* Nunquam legale cornu magis acutum, magis durum inuenitur, quam cùm inter alios infantes diuini sanguinis effusionem sustinuit. Ibi durissima lex sese prodidit, ibi cornu acuitas apparuit; sed ibi cornu accepto oléo nominis Iesu emollescere incipit, quia Rex inungitur, qui misericordiæ habendæ maximè incumbat.

Cant. 1.

Gregor. 1. Reg. 16.

Ecce tibi diuinum Iesu nomen & electrum & olifetum circumciso Domino inditum quid efficiat: qua electrinum est, durissimam legem, ceream imaginem reddit, & totam liquefactam diluit. Qua oleum est, duro & præacuto legis cornu suffusum rigorem tollit, suauitatem inducit, totumque in misericordiam emollescit iudicium. Quandoque tres præstantissimi viri Abrahamum conuenere, quos ille animo libenti excipiens vnum illorum adorauit. Hinc Sodoma versus ex illis duo abiere; sed cur tertius adoratus etiam Sodomam non iuit? S. Ambros. *Vbi gratia largienda est, Christus adest; vbi seueritas exercenda est, soli adsunt ministri, deest Iesus.* Totus Iesus suauitas, totum oleum, quod etsi medio fundatur in cornu, hoc est, si seueritati, si stricto iudicio Iesus adsit, in suauitatem & misericordiam conuertet ipsum iudicium.

Ambros.

§. II.

Medio circumcisionis sanguine maximè Iesu nomenclatura enituit.

QVot pulcritudines meditatur ambitio humana, vt potiuni suo æternitatem & pulcritudinem adscribat? Quot

Quot erecta marmora, quibus nomen insculpant? Quot congestæ gazæ, margaritæ, lapides pretiosi, aurei fulgores, quibus circumcinctum nomen effulgeat? Præstantior omnibus artifex diuinus, qui, vt creatam ambitionem euinceret, Iesu nomen rubenti sanguine, gementique sub cul-
Hieron. tro filio imponi iussit. Nouit D. Hieron. apud veteres ineffabile Dei nomen aureæ laminæ insculptum effulsisse in capite sacerdotis summi, vidit postmodum sub titulo sanguineæ crucis fulgere Iesu nomen diuinissimum, & sic ad Fabiolam miratus dicit. O tempora! ô mores! *Quod olim monstrabatur in lamina, nunc in signo ostenditur crucis, auro legis pretiosior est.* Non inter sanguineos riuulos, non inter ictus & vulnera inditur Iesu nomen, vt sine ornatu appareat, & vilis fiat. Imo nunquam ornatius, nunquam ditius, quam inter sanguinem. Lapillis, margaritis, auro, gazis omnibus sanguis diuinus pretiosior est, nullúmque ornamentum diuinius excogitari posset, quo effulgeat Iesu nomen, quam sanguis, quam ictus, quam vulnus.

Act. 9. Doctori gentium dictum Act. 9. *Vas electionis est mihi iste: vt portet nomen meum.* Vas Paulus efficitur, vt Iesu nomen sustineat; quo igitur opere fiet vas istud? Quot quantisque margaritis radiabit? Illi attribuit D. Thomas verba
Eccl. 50. Eccl. 50. *Vas auri solidum ornatum omni lapide pretioso.* Itane effingendum erat vas in quo Iesu nomen portaretur? Minimè, imò statim subiungens tanti vasis opus addit. *Ego ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Non margaritis, sed vulneribus, non auro, sed sanguine conficitur vas, cui Iesu nomen traditur portandum. *Portauit Paulus*
D. Thom. *Iesu nomen*, inquit D. Thom. *in corpore conuersationem & passionem eius imitando.* Non aurum, non gemmia, non splendentes gazæ: sed sanguis auro pretiosior Iesu nomen exornat, & facit berillare. Genus est Berillorum, de quo Pli-
Plinius. nius lib. 37. cap. 5. hæc verba facit. *Crystallis ferè similes, capillamenta habent, sordesque; alioquin euanidi. Inde solos gemmarum esse prædicant qui auro carere malunt, ob id perforatos elephantorum setis religant.* Quis huic crystallino & pretioso
Apoc. 2. lapidi non videat Iesu nomen insculpi? Sanè Apoc. 2. dicitur. *Vincenti dabo calculum candidum, & in calculo nomen nouum scriptum.* Nulli melius inscriberetur Iesu nomen, quàm calculo, qui inter sordes effulgeat, qui auro carere malit, qui foraminibus gaudeat. O quam inter sordes, inter vulnerum foramina reiecto auro, diuinum hoc nomen
Isai. 62. scriptum berillabat? Sic Isaias 62. iuxta sonum Hebraicum. *Vocabitur tibi nomen, quod os Domini perforauit.* Nullum fiet vas aptius ad portandum Iesu nomen, quàm qui abiecto auro, exclusis abdicatisque sæculi diuitiis, & paupertate sordeat, & scalpellum ferrumque patiatur. Ecce modo lapis ipse angularis Christus, lapis, inquam, pretiosus, abscissus sine manibus vbi Iesu nomen recipit, quas sustinet sanguinolentas manus. In stabuli sordibus nascitur, ditior paupertate, octiduanus subiicitur gladio, percutitur, perforatur, & interea salutiferum Iesu nomen berillat, radiat.

§. III.

Iesu nomen salutare alas indidit Deo, vt in nostram medelam aduolaret.

ORientem Deum speculati Theodoretus, & Cyril. Alex.
Malach. 4. illi aptant illud a Malach. cap. 4. præfatum. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ, sanitas in pennis eius.* Quibus meritò Arias Montanus miratur nouum orientis solis ornamentum, nempe velocitatem alarum. Solis currus, solis equi decantatissimi fuerunt apud profanos, imò Zacharias ait, *Quadrigæ tuæ saluatio.* Quis ergo orienti iustitiæ Soli adimit currus, qui notos equos exclusit, & indidit Soli alas? Id minime obscure à Malachia insinuatur, ait enim, *Sanitas in pennis eius.* Et quidem salutis nomen asportatum curruum moras fastidiens alas excogitauit, cursum respuens, volatum adamauit, vt quam ocyssime hominibus inderetur salus. *Vallax equus ad salutem*, ait Psal.
Psalm. 32. 32. & ideo, *anima nostra sustinet Dominum, & in nomine sancto eius sperabimus.* Nomen, in quo nos omnes salui simus, Iesus est, salus est, Iesus & salus, quæ non equo nec curru vehitur; sed fit ales, vt concito volatu nostris medearur
Machar. animis. Hinc pulcrè D. Macharius homil. 44. inquit. *Nequit anima per se ipsam transmittere acri vi mare peccati, & difficilem abyssum [illegible] [illegible] accepit subtilem, & volatilem spiritum [illegible].* Expende illud, volatilem spiritum Christi, etenim nisi salutiferum Iesu nomen volaret, nisi Iesus, nisi salus inderet Domino alas, sanitásque in pennis ornetur, omnino periret genus humanum. Sed cum nomine Iesus, cum salutis & sanitatis appellatione accepit Dominus, & nos omnes accepimus spiritum volatilem, quo ocyssimè a malis liberamur.

Volatilem hunc spiritum à Iesu nomine ortum prætenferunt rebelles illi Angeli, qui Luc. 4. clamabant. *Quid nobis & tibi Iesu Nazarene? Venisti ante tempus perdere nos.* Volatilem, & ocyssimum a Iesu spiritum prædicant, & dum sibi defient exitialem, innidi reticent hominibus saluta-
rem. Vnde merito Tertull. lib. 4. in Marc. cap. 7. fatur. *Increpuit illum Iesus planè vt inuidiosum, & in ipsa confessione petulantem, & malè adulantem, quasi hæc esset summa gloria Christi, si ad perditionem Dæmonum venisset, & non potius ad hominum salutem.* Et quidem, quòd Dominus festinauerit, quod Tertull.
præcurrerit, quod euolarit, non ab alio, quam a nomine salutari accepit. Nomen Iesu salus communicanda hominibus, non ruina Dæmonum fecit Dominum tempora præcurrere, & ad humana euolare. Quod antiquitus inuiderat nobis Angelus ante casum: etenim meditatus Bern. histo- Bernard.
riam illam Euangelicam Magdalenæ, cuius olei ad caput Christi Domini effusionem expauens, & indignans Iudas murmurabat dicens, *Vt quid perditio hæc?* Sic fatur serm. 16. in Cant. *Putas ne Lucifer ille qui mane oriebatur, antequam verteretur in tenebras, genti nostro inuiderit & ipse olei effusionem, vt per se ipsum iam tunc mussitaret, dicens indignabundus intra se, Vt quid perditio hæc? Verum quid illi profuit? Nihilominus tamen tu in nobis es Domine, & nomen tuum inuocatum est super nos, & dicit populus acquisitionis, Oleum effusum nomen tuum.* Ecce tibi quam festinauerit inuidia diaboli, vt nomen nobis eriperet salutare, sed plus festinauerat nomen salutiferum se effundere in homines. Etenim salutem euolantem, Iesum effusum hominibus animaduertens diabolus continere festinauit; verum sanitas in pennis festinior ad nos accedit; & inuocatum est nomen salutis super nos, & dicit populus acquisitionis, Oleum effusum nomen tuum.

§. IV.

Nomen Iesu omnibus linguis apparet celebrandum, omnibus gentibus proficuum.

NOn solùm affirmat Paulus Augustissimum Iesu nomen orbi exhibendum, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Sed insuper addit, *& omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus in gloria est Dei Patris.* Nimirum quod omnium ora, & linguæ per vniuersum orbem intonent hoc Iesu celeberrimum nomen. Non in silentio placet laus tanti nominis; sed Hymnis, & Canticis nouisque laudum præconiis extollendum
Iesu nomen. Id quod notauit D. Zeno serm. 4. de Natiuit. de Zeno.
Iesu dicens. *Hic sol noster, sol verus, qui clarificet ignes mundi geminos astrorum, candentiumque polorum claritatis suæ de plenitudine accendit. Hic est, quem per ambitum sui orbis non muta quatuor animalia, sed salutiferis prædicationibus quatuor circumferunt Euangelia.*

Metuebant nationes euulgationem Dei tutelaris nominis, vt Plutarchus refert lib. Problematum, & Plinius reddit rationem lib. 28. cap. 2. Imò quod diuinissimum est, sanctissimum Dei nomen Iudæis ineffabile erat, nec apud illos nominari, aut explicari licuit. See ecce tibi vocalissimum Dei nomen Iesu per omnium ora volitat venerandum, non occulto, sed marte, vt aiunt, aperto, mala cuncta detriumphans. Huc retulerim, quod acutè notauit Hieron. Psal. 75. accidisse Elisæo 4. Reg. 6. Orauit enim Propheta, vt pueri aperirentur oculi, quibus videret Deum pro se pugnantem, *& apertis oculis vidit puer currus, & equos.* Tunc Hieron. *Videte quid dicat, currus, & equos. Nemo hominum erat super ipsos: sed erant soli currus, & equi.* Et cur soli currus? cur sine sessore equus? *Ascensor autem erat Dominus.* Erat quippe Dominus ascensor equorum, vt auxilium præberet, ideo occultus, ideo minimè apparet Hebræo, ideo nec videri, nec nominari permittit, solos currus, solos obiicit equos, animalia muta præmittit. Verùm modò postquam Dominus Iesu nomen accepit, ipse adest omnibus patentissimus, videri amat, prædicari cupit, & per ambitum toties orbis, non a mutis animalibus, sed Euangelicis vocibus explicari, & prætendi procurat. Vt verè D.
Cyprian. orat. de Natiu. dicat *[illegible] antiquum prodijt [illegible] sed [illegible] publicè in conspectu gentium [illegible].* Iam Malachiæ perspicuum Cyprian.
est illud celebre præconium, *orietur vobis timentibus nomen meum*

me: sol iustitiæ; sanitas in pennis eius. Adeò à nomine salutifero patet manifesta omnibus salus, vtpote quæ effulgeat de subsolis radiis. Hinc paralyticum illum Euangelij Ioann. 5. à turbata aqua piscinæ salutem expectantem alloquitur Bernard. Bern. serm. de diuite. *Similes ecce oleum salutiferum Iesu cuius nomen est oleum effusum*, non aqua in paruum locum coarctata vbi tantum homini salutaris, & primo. *Quid cum aqua? si vis recipere sanitatem, ecce fons olei misericordiæ, in quo te nullus prohibet baptizari, cuius nomen est effusum oleum, id est, omnibus gentibus manifestum.* Non iam vni populo, non vni nationi, sed omnibus generaliter primis, & nouissimis prædicandum patet.

Leuit. 26. Fallor si huc non spectat illud Leuit. 26. *Ponam tabernaculum meum in vobis, & non vos abominabitur anima mea.* Vbi sese publicandum, & euulgandum mortalibus promittit Dominus, ne deinceps abominetur nationes. Sed expende illud, & non vos abominabitur anima mea. De quo pulchrè Cyril. D. Cyril. lib. 16. inquit. *Numquid putamus quòd Deus habet animam, sicut homo? Absurdum est hoc sentire de Deo: ego autem audio, & dico, quia anima Dei Christus Iesus est: sicut enim verbū Dei est Christus Iesus, & sapientia Dei, sic & animus Dei.* Sanè fœtus dum inanimis est, occultissimus manet in vtero, nec sentitur, nisi forsan in grauedine, vel alio molesto affectu: cum vero animatur, statim vitalibus motibus sese prodit, nec quiescit donec in lucem prodeat manifestus. Sic Deus antiquitus occultissimus erat, vix in paruo Iudææ populo notus quasi exanimis fœtus; verùm, vt viuificum Iesu nomen accepit, quasi acciperet animam, sic sese omnibus manifestat, & videri, & euulgari amat. Vnde illud est eleganter notatum à D. Bern. serm. 1. in Epiphan. vbi expendens, quod Angelus aliqua docuerit de Christo Domino, & alia reliquerit, quæ postea publicauit Paulus, sic finit. *Vnum est in quo conueniunt Apostolus, & Angeli, qui de Christi Natiuitate loquuntur, id est, in nomine Saluatoris. Ad Mariam quidem tanquam plenius edoctam Gabriel loquens indicat nomen solum, & vocabis, inquit, nomen eius Iesum. Ad Ioseph veniens Angelus, non solum nomen protulit, sed & causam eius interpretatus est, dicens: Et vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum. Pastoribus quoque annunciatur magnum gaudium, natum illis Saluatorem Christum Dominum. Simile aliquid Paulus loquitur ad Titum 3. Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri. Bene dulce nomen nullus ex ipsis tacuit, quia hoc mihi maxime necessarium fuit.* Sic ille ponderat quam conuenerint omnes in Iesu nomine euulgando.

§. V.

Augustissimo Iesu nomine vniuersa creatura honorem habent, quod vniuersa bona dicantur Iesu.

OMne genu flectitur Iesu nomine inuocato; insensibilia Iosue 1. etiam tanti nominis virtutem venerantur. Iesus Naue diuino actus spiritu iussit solem stare, & stetit sol quasi Basil. cursus ignarus. Quem sic stantem alloquitur D. Basil. serm. de transfigur. *Constitisti sol aliquando victoriam Hebræum spectans, reueritus est Iesum ducem, qui imperauerat conseruo honorans Domini appellationem.* Rursus dimissa arca fœderis à Philistæis constitit in viri cuiusdam area, qui strenui huius ducis nomini communicabat. Constitit, inquit Iustinus Martyr ibi, *virtute nominis.* Et sanè hoc vno inuocato Iesu nomine omnia bona tibi consistere faciet, tibi sol, tibi felicitas, tibi arca cœlestium thesaurorum stabit, & quouis pernici volatu bonæ gratiæ pertranseant, Iesu audito consistent. Quid mirum? Quid etsi præceps currat, audito proprio nomine, non consistat; quamuis ocyor curras ventis, si compelleris, si vel ab incerto nomen tuum compellari audies, naturaliter tangeris corde, & stabis. Iesu nomen, nomen proprium est omnium felicitatum, omnium bonorum, omnium gratiarum, sic Iesu audito, cuncta bona Isai. 4. consistent, & sistent gradum. Quod Isaias dixit, nimirum virum vnum apprehendendum a septem mulieribus dicentibus. *Tantummodo inuocetur nomen tuum super nos.* Sic Ori-Origen. gen. expendit hom. 4. in Isaiam. *Quid est, inuocetur nomen tuum super nos? Ego sum sapientia, volo tuo nomine vocari, vt ego Sapientia dicar Iesus, vt intellectus, & consilium magnum, & fortitudo, & scientia, & pietas, & timor Dei nominetur Iesus, vt omnia in omnibus nomen eius fiat.* Sic ille. Vniuersa Spiritus sancti dona credens nuncupari Iesus, vt audito hoc nomine omnium bonorum proprio quodlibet bonum tibi consistat. Hinc Arnold. Carnot. tract. vlt. de septem verbis Domini in Cruce, rationem reddit, cur ineffabile Dei nomen in lumina auri super sacerdotis caput gestaretur, ait. *In superioribus quidem hoc nomen ponitur, vt quidquid vndique est, quantumcumque sit se cognoscat inferius, se fateatur indiguum, & si quid habet candidum, si quid conspicuum, ad illud nomen referat vnde accepit, illique excellentiæ deuotus adscribat.* Quippe nulla habet homo bona, quæ non debeat accepta referre nomini salutifero.

§. VI.

Nomen salutiferum Iesu non cohiberi potest à salute causanda.

PVlchrè à sponsa dulcissimum Iesu nomen oleum dicitur effusum. Etenim oleum difficillimè præ omnibus terminatur. Diffusa aqua, vel a puluere conglobata sistitur; verùm oleum effusum cuncta penetrat, omnia peruadit, suóque succo diffundit. Sic Iesu nomen Augustissimum nulla vi, nullius arte cohibetur, quin omnibus exhibeat salutarem suam virtutem. Querribundos Iudæos, iratósque, quòd Paralyticus in Sabbato sanitatem accepisset, argutè pungit ipse dicens. *Iesus est qui fecit me sanum.* Ad hæc D. Gaudent. Ioann. 5. tract. 2. de Paral. *Sciebat*, ait, *vtpote Hebræus nomen Iesu ex* Gaudent. *virtute descendere sanitatis. Ille ergo, inquit, fecit me sanum, cuius & nomen salus est: & quomodo potest salus per præscriptam legem prohiberi ne faciat?* Non lex aliqua, non vis, non potestas, non industria poterit salutem à Iesu dimanantem impedire. Adsit Iesus, & quantumuis natura, quantumuis lex reclamet, erit salus. Norant sanè hanc virtutem, & efficacitatem septem illæ mulieres, quæ apud Isai. apprehenso viro clamabant. *Tantummodo inuocetur nomen tuum super nos.* Interlinea- Isai. 4. lis super illud *nomen* affingit Iesus, & S. Greg. hom. 25. docet, Gregor. *quod per septem mulieres vniuersitas meretricum ad Dominum reuertentium designatur.* Omnes ergo hæ languidæ, luridæ, infirmæ apprehenso Christo id vnum postulabant, quod super illas nomen Iesu inuocaretur; quo solùm inuocato salutem in se ipsas proficiscendam sperabant. Non enim inuocatur Iesus, & non sanat, si salutiferum nomen adsit, nulla vi prohiberi poterit, quin solitam profundat sanitatē.

§. VII.

Iesu salutiferi bona non habentur nisi per luctam, per sanguinis effusionem, per Crucem.

CVm audis salutiferi nominis bona & maxima & præstantissima, ne putes illa otiantibus præparari; sed iis, qui dura virtute subeunt certamina. Non enim inter Ambrosias, inter nectareos calices Iesu nomen radiat; sed inter sanguinis effusiones, non à floridis sertis; sed à cruce splendorem eiaculatur. Dū pace gaudebant Dei serui nunquam Iesu nomen inter illos audiebatur, verùm vbi gladij stringendi fuere, vbi ineundum certamen, vbi consigendæ cum hoste manus Exod. 17. statim dixit Moyses ad Iesum. *Elige tibi viros, & pugna contra Amalech.* Inter arma, inter pugnas, inter ipsos bellicos tumultus incipit Iesu nomen in primis euulgari. Id quod notat Orig. hom. 11. inquiens, Origen. *vsque ad hunc locum beati nominis Iesu nunquam facta est mentio. Hic primum vocabuli huius splendor effulsit. Hic primum vocauit Moyses Iesum.* Odit Iesu eos, qui nesciunt pro virtute pugnare, qui inhonoram pacem cum vitiis habent, in his non spectabitur Iesu radius. Tunc primùm Iesu nominis potieris claritate, cum primùm ob virtutes tutandas sanguine madeas, cùm te mille pugnis maceres, cùm in vita tua, & sudor & crux appareat. Ecce dum Iesus Naue Amalecitas hostiliter sequebatur, Moyses de victoria sollicitus in monte orabat expansis in cœlum manibus. Sed cur expansis in cœlum orat manibus? Nónne deuotius oraret humi prostratus manibus pectus contundens? Sic orauit anna Samuelis mater, sic Publicanus ille Deo gratissimus. Cur non sic Moyses oras? Cur manus expandis? eleganter & verè in rem præsentem attigit Tert. lib. 3. aduers. Marcion. *Iam verò Moy-* Tertull. *ses, quid vtique tunc tantum cum Iesus aduersus Amalech præliabatur, expansis manibus orat residens, quando in rebus tam attonitis magis utique genu us deposito, & manibus cadentibus pectus, & humi facie volutante orationem commendare debuisset? Nisi quia illic vbi nomen Domini dimicabat, dimicaturi quoque aduersus Diabolum, crucis erat habitus necessarius, per quam Iesus victoriam esset relaturus.* Et quidem non Iesus vinceret hostes, nisi in expansione manuum Moyses crucem adumbraret; nihil enim boni à Iesu habetur nisi per crucem,

per mortificationem, per dolorum tolerantiam. Te in crucis modum conforma quicumque velis salutiferis nominis Iesu victoriis & felicitatibus illustrari. Hinc Malachias c. 4. notanter ait. *Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ, sanitas in pennis eius*, quasi nominis Iesu splendores & salutes nullum afficiant, quem iustitia non commendauerit. Non enim sine puluere obtinenda est à Iesu salus.

§. VIII.

Iesus plenè & perfectè claruit per apertos cœlorum muros, hominibus introductis in vitam.

IAm cupit animus totum quod Iesus est aliquo modo enucleare: ter enim præcipuè assumitur hoc Augustissimum nomen, vt eius plenè & perfectè virtus clareat. In Circumcisione primò solemniter vocatum est nomen Iesus, in Cruce deinde incisum, postremò in Ascensione manifestatum. Dicit namque Actor. 1. *Hic Iesus qui assumptus est à vobis* quasi a puluere & sanguine passionis ænea cœlorum mœnia prostrata saluato repleat homine, & Iesus maximè appareat. Hinc acutissimè Anastasius Sinaïta Angelorum præfata verba, quibus stupentes Apostolos de Saluatoris ascensu solantur, ita notanter legit. *Sic Iesus, qui assumptus* est à vobis, quasi innuerent tunc maximè Iesu compellationem plenam, & perfectam radiare. Aspicitis, inquam, ascendentem Magistrum à puluere in gloriam, & per patentia æthera genus introducere humanum. Quid mirabile? Sic Iesus, sic salutiferi nominis adimplet vocabulum, cæcos quandoque illuminauit, sic lux mortuos euocauit, sic vita hominem sibi vniuit, sic Emanuel. Modo prostratum hominem superato prælio per patentia mœnia salutis ingerit ciuitati, sic Iesus.

Iudæos de Saluatore suo Paralyticus homo commonefaciens cœlesti iam madidus spiritu ait, *Jesus est qui me fecit sanum.* Iesu vere plenum & perfectum vocabulum miseris prænuncians animis. Hoc mysterium ab istis verbis elicit D. Gaudent. tract. de Paral. sic fatus. *Jesus filius Naue, iubente Domino circuiuit ciuitatem Jericho, & cadunt hostiles muri motu diuino, vt animæ Iudæorum de belli discrimine saluarentur. Jtaque cum dicitur, Jesus est qui fecit me sanum, admonentur Iudæi ex nominis communione opera non condemnare similia.* Quasi Paralyticus ex vmbra veri Iesu horam prænuntians diceret, Quid receptam salutem respuitis? Iesus adest, cadentibus muris Ierichuntinis, cum superato prælio salui Iudæi introducerentur. Iesu Naue strenui ducis veneramini gloriam immortalem. Ecce Iesus Iudæos saluans, ecce qui de belli discrimine educit genus humanum, & sic Iesus; ecce qui æternum clausos cœlorum muros prosternit, pérque apertos cœlos saluandorum agmina agit, omnimodæ salutis assertor & causa. Sic Iesus, sic cum illo Iesu comparata gloria veri & perfecti Iesu magis claret. Si illum vtique Iesum nouistis per deiectos muros Iudæos introducentem saluos, veneramini & hunc qui per patentia cœlorum mœnia introducit totum genus humanum, & sic veri Iesu perficit & adimplet vocabulum. Hinc finiat Epiphanius serm. de Ascens. dicens. *Hic est Jesus, quandoquidem is ille est, qui hominem terrenum sibi consociauit, consociatúmque cœli ciuem adscripsit, cœlorúmque incolam constituit.* Hæc ille, vt Iesu nominis exponeret efficaciam.

Ioann. 5.

Gaudent.

Epiphan.

§. IX.

Iesus est tunc maximè, cùm præliorum se ostendit domitorem, & triumphatorem.

RVrsus, ascendente Domino à passionis puluere in cœlestem gloriam, consopitis præliorum tumultibus, merito ex Sinaïtæ sententia ingeminant Angeli illud *sic Iesus.* Quippe Iesus Martiali à decore licuit illustrari. Ita D. Dionys. Areopag. cap. 2. de Ecclesiast. Hierarch. de nostri Iesu gloria verba facit. *Vt optimus in militibus effectus est, qui eorum libertate decertans de certantibus quidem tanquam perfectus Deus ascendit gaudens.* Ecce totam Ascensionis Christiferæ gaudium militare, non aliter ascendens quam optimus in militibus, quam pro hominibus liberandis hostes deuastans, prælia mille superans. *Sic est Iesus.*

Dionys.

Id quod in nomine Iesu notauit Origen. homil. 1. in Iosue. Vbi expendens quod tunc vocatur Iosue Iesus à Moyse, cum iubetur ducere exercitum, sic ait. *Hic ergo vbi primum disco nomen Iesu, ibi continuo etiam mysterij video sacramentum. Ducit enim exercitum Iesus.* Cum prælio, cum hostium expurgatione indita Iesus primum cognominatur, & quidem Dominus cum aëreas potestates deuastans, cum hostium expugnator ascendit, cum militantem triumphum pro hominibus liberandis agit, sic est Iesus. Accinit illa D. August. ponderatio, qui Psalm. 46. verba ab Angelis facta, vt ascendente Domino obstupefactus edocerent, sic explanat, *Hic est Iesus qui assumptus est à vobis. Hic*, inquit, *est Iesus, quasi illi non scirent, quia ipse erat Iesus: paulò ante eum non viderant? secum loquentem non audierant? Ipsi ergo nesciebant, quod ipse esset Iesus?* Iesum viderant, sæpius Iesum audierant; sed quid esset Iesus numquam illis innotuit, vsque dum excusso stadij puluere expugnatis hostibus victor ascendit ad Patrem. Qui inter victricia agmina, qui captiuitate ipsa præmissa, qui cinctus vndique spoliis, qui mediis triumphalibus choris cœlestem ædificat ciuitatem. *Hic est Iesus, & sic est Iesus, minimè aliter*, qui victoriam sine puluere, qui sine agone brauium meditabantur, Iesum prorsus ignorabant. Vnde merito edocentur, quod hic est Iesus, qui à puluere & agone tenebrarum detriumphat potestates.

Origen.

August.

§. X.

Iesus est, qui proprium figmentum suum in æternam felicitatem restaurat.

NOn ab alio factum, sed à se conditum hominem Christus restaurat, è suarum creaturarum grege raptam ouem repetit, & inuenit pallentem, & humeris reducit ad caules, & sic Iesus apertè monstratur. Hinc acriter pungit Tertullian. lib. de Trinitat. Nescio quem effictum ab hæreticis Saluatorem, qui minimè suis figmentis salutem dabat. Ait enim. *Si saluare vis, fecisses hominem cui salutem dares.* Et paulò ante. *Quid tibi cum mundo creatoris? Quid tibi cum homine conditoris.* Is vnus Iesus, vnus Saluator qui condidit, qui creauit, primum conditor, primum creator, & conditam creaturam reficiens, propriam ouem reducens in caulem, sic Saluator, sic Iesus. Tertull.

Vt Iesu nomen Angelus explicaret Luc. 2. ait, *ipse enim saluabit populum suum*, non alterius conditoris populum: sic expendit Cyrill. Alexand. de incarn. Vnigen. cap. 3. *Christus porro quia factus homo vnctus dicitur, iuxta nos humanè: ita etiam Iesus quod saluabit nos, id est suum populum, quod maximè eum demonstrat Deum vere & natura omnium Dominum. Neque enim hominis communis creatura esse dicatur, deceat magis omnia dici esse vnigeniti.* Quia vnctus sic Christus, quia populum suum, cuius Dominus & Deus & creator erat, saluauit sic Iesus: non in alienam messem intrauit, non alteri creatori ministerium præbuit, id Antichristi, & inanes Iesuitæ præstarent. Hinc Hugo Victorinus lib. 1. Miscell. tit. 87. *Deus homo factus est vt idem esset Redemptor, qui creator, vt de suo liberaretur homo.* Qui verus Iesus & Saluator à se conditum hominem resumit, & in cœlestem paradisum nititur complantare. *Vbi nunc sunt*, ait Epiphan. serm. de Ascens. *qui Circensibus ludis, æquorúmque cursitationibus capiuntur, vbi, qui insigni aurigarum celeritate oblectantur? Agedum venite, aurigámque per cœlorum spacia admirabiliter currentem cernite. Adestote, quæso, nouúmque & stupendum agitatorem spectate, nempe creaturæ opificem, humana creatura quasi vehiculo vtentem. Eia aurigam non qui currum incompositè in terra regat conspicite; sed qui nouo modo motúque cursum per cælos tenet.* Hæc ille. Vbi expende illud, creaturæ opificem humana creatura quasi vehiculo vtentem. Quandoquidem dum opus suum reficit, dum à se conditum figmentum redintegrat, dum propriam creaturam saluat: sic Saluatoris agit triumphum, sic verè Saluator, sic Iesus in tota sui nominis claritate conspicitur. Hinc Anastasius Sinaïta lib. 3. de rectis fidei dogm. inquit, *Oportebat eum, qui vere & secundum naturam Rex noster erat, nos qui tyrannico imperio premebamur illegitimi planè Domini non deserere improuisos; sed insignia nostræ captiuitatis sibi inducere, ac nobiscum familiaritet congredi, vt disrupto pariete ante nos ingressus ad se traheret sibi congeneres.* Et sic omnino verè apparet Iesus.

Luc. 2.

Cyril.

Hug. Vict.

Epiphan.

Sinaït.

CAPVT

CAPVT VI.

De Iesuitis, siue de Societatis IESV *viris.*

SALVTIFERO Iesu nomini vix separare potui Iesuitarum, siue virorum è Societate IESV ordinem magno mundi bono hoc nostro seculo adolescentem. Non tamen est animus magna & gloriosa huius ordinis facinora percensere; magna enim relinquo magnis tractanda. Pusillus ego in parentem id solùm laudis decantabo, quod à tanti nominis appellatione receptum habet.

§. I.

Nomen Iesu Societatis viros obedientia precellere facit.

Philipp. 2. QVam sit obedientiæ adnatum Iesu nomen ille ignorabit, qui Paolum ignorat ad Philipp. c. 2. dicentem de Christo Domino, quod sit *factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. propter quod Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est supra omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur.* A summa Christi Domini obedientia inuentum Iesu nomen, vbi nisi in obedientissimis viris requiesceret? quid aliud quam obedientiam Iesuitarum inspiraret? eámque obedientiam, quam B. Ignatius Societatis collector sub figura nauis sine arbore & acu filiis persuasit. Ecce, aiebat ille, nauis sine arbore, & sine acu medio fluctuans in mari, hac obedientiæ ductu tranarem maria; huic Iesuitæ veri suam debent obedientiam conformare. Et cuius nauis in medio mari viam stupebat, sine ignorabat sapiens? Respondeat *Carthus.* Carthus. *Per viam nauis designatur conuersatio Ecclesiæ, quæ in hoc seculo nequam tanquam in procellosissimo Oceano, directionibus Prælatorum & processu virtutum inenarrabiliter alteratur.* Ecce tibi Iesuitarum œconomia perspicuè designata, qui eo intenduot, vt Prælatorum aspirentur aureis, vt inenarrabiles vias capiant. Medio in vitæ salo constituti, nulla subnixi arbore, & puppes despicientes & clauos, Prælatorum vel tenui sibilo vndique terrarum exsibilantur. *Luc. 5.* Duas naues vidit Christus Dominus Luc. cap. 5. Alteram Petrus gubernabat, qui iussus à Domino retia mittere, eam multitudinem piscium cœpit trahere, quam vix vna caperet nauis. Porro, ne prædam amitterent, *annuerunt socijs,* illi protinus ad nutum parent & accurrunt. Qui erant hi Apostolorum socij, qui vel nutus accurrentes parent? *hi sunt,* inquit *Theoph.* Theophylactus, *qui interpretantur scripturas, & docent Apostolica, simulque cum Apostolis trahunt & piscantur homines.* Dixisset pene, hi sunt Iesuitæ, qui magis Apostolorum socij, quam viri è Iesu Societate, habitu & professione inuenti Apostoli. *Nauis obedientiæ* vocatur ab Hug. Card. Hæc Petri socia nauis, nauis, inquam, Iesuitarum, qui nutui obedientes Prælatorum sine fine currunt & discurrunt quoquo versus homines capiendi demonstrantur.

§. II.

Iesu nomen in Iesuitis præcipuum votum Ecclesiæ capiti exhibitum maximè demonstrat, & eorum in hostes efficaciam.

Cantic. 7. DVlcissimi Iesu vox est illa ad sponsam in Cant. 7. *Pone me vt signaculum super brachium tuum,* è pulcherrimis sponsæ partibus vni brachio inhærere malens. Hinc D. Bernard. serm. 15. Cant. *Habes iam vnde brachio medearis, habes anguem, in nomine Iesu.* O felix Ecclesiæ brachium, quod nomine Iesu præfixo illustraris, quod Iesu nomen tenes! Ast, scire cupis qua pulchritudine Ecclesiæ brachia Iesu nomen trahant? Id vt explicem, nota pulcram allegoriam, qua Ecclesiæ caput & membra dum nititur delineare ex capite & *Ambros.* membris corporis humani, hæc D. Ambros. lib. de arca Noe cap. 7. verba facit. *Capiti autem nostro proxima dextera tanquam brachia sunt, quæ arcem Imperialem tanquam firmo tuentur custodia, & hæc in nobis validiora, quo propinquiora capiti.* Hoc brachiorum munus, nempe capitis arcem tueri, caput defendere, capiti coniugi propinquius. Hoc brachiorum munus singulariter exprimit Iesuitarum obsequium Ecclesiæ capiti exhibitum. Qui quidem ex particulari & proprio sui instituti voto, Romani Pontificis obedientia obstringantur, tantùmque caput firmissima tuentur custodia. Ideoque (putarim) hæc Iesuitarum brachia orta in Ecclesia sunt, quando Lutherus abortus, cum enim hic primus in Pontificē Romanorum desæuiret, brachiorum erat ictum in caput contortum retundere, & caput integrum custodire. Quo brachiorum obsequio captus Dominus his optat teneri brachiis, Pone me vt signaculum super brachium tuum, vt Iesu nomine roborata & insignita brachia capitis custodiant, & obsequium æternare nitantur. Habuit etiam Roma ethnica sua brachia & validissima, & robustissima, quibus Romani Imperij caput custodiebatur. Etenim qui ab Imperatoris custodia erant, milites brachiati cognominabantur, quibus insigne fuit Mercurij virga, nempe Caducæus pacifer. Sic Christiana Roma Iesuitarum phalangem habet brachiatam, qui arcem Imperialem, nempe Ecclesiæ caput firmissima tuentur custodia, qui pacificam Euangelij virgam vbique gentium efferunt ad miraculum. Hos brachiatos Ecclesiæ milites dum prænouit Isai. illud fuit effatus. *Erit transitus virga fundatus.* Transibat *Isai. 30.* sanè, & pertransibat nationes virga pacifici Euangelij a sapientissimis religiosissimisque viris asportata. Verum hic virgæ transitus non erat sic firmiter & stabiliter fundatus, donec Iesuitarum brachia speciali voto se deuouerunt Pōtifici Romano per vniuersum orbem terrarum contempto etiam sanguine seminanda. Etenim quodlibet opus pium quamuis fiat, non censetur fundatum, donec aliqua Respublica seu familia se suaque obstringat ad tale opus peragendum quotannis. Ita modo probato Iesuitarum instituto se deuouentium voto, vt sine spe, & metu terrenorum quolibet mittantur, iam transitus virgæ erit fundatus, hisque Ecclesiæ brachiis Iesum prætendentes barbarissimorum hominum nationes pertransiuit. Necnon virga Euangelica felici dextra eiaculabitur, vt cetio citius prosternat hostiles gigantes. Percussurus Dauid gigantem Philisthæum 1. Reg. 17. *misit manum suam in peram, tulit lapidem, & funda iecit, & percussit Philisthæum in fronte,* &c. Vnde puero tanta dexteritas? Quæ pueri virtus sic certum lapidem direxit, vt non aberraret a scopo, vt hostem prosterneret? Accipite Chry- *Chrysost.* sost. homil. de Dauid, & Saule sic differentem. *Neque enim vulgari more proiecit lapidem; sed prius dixerat. Tu venis ad me in Dijs tuis; ego autem venio ad te in nomine Domini Sabaoth. Atque hæc locutus emisit lapidem, atque hæc vox lapidem velut manu direxit in Goliath, hæc pauorem incussit barbaro, hæc hostiu confidentiam fregit.* Et sanè non aberraret manus à voce nomen Domini annuntiante directa & confirmata. Non equidem Iesuitæ vulgari modo pro religione ineunt certamina; sed in nomine Domini; sed Iesum corde, & voce & brachio præferentes. Vnde huius nominis vox iactus velut manu dirigit, & tela eorum fert in hostiles phalanges, ne vacuæ reuertantur, hæc pauorem incutit hæreticis, hæc hostium confidentiam frangit.

§. III.

Iesu nomen inditum B. Ignatij filijs, maximis illos bonis cumulauit.

ECclesiæ Christianæ bona Dei nomini deberi prædicit Isaias c. 3. cum ex versione 70. fatur. *Oculi tui videbunt* *Isai. 3.* *Hierusalem ciuitatem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri potest, nec auferentur claui eius, nec funiculi eius disrumpentur, quia nomen Domini magnum vobis.* Dixisset pene: Videbunt oculi tui Societatem IESV, ciuitatem opulentam; sed vnde opulentam? Vnde primis vnguiculis tam magna, tam gloriosa cæli bona tenuit? Vnde tam cito de rore cæli, à summo benedictionem accepit? Vnde in gentem magnam facta est? Vnde litteras didicit Cantabri filia? Sanè, *Quia nomen Domini magnum illi.* Pondera nomen Domini magnum, id est, iuxta Cyrill. in tota sua magnitudine, & amplitudine nominis Dei. Vbi Deus Abrahamo ingentes glorias promisit Gen. 17. vt promissiones fœdere sempiterno firmaret, litteram *He* nominis diuini, Abrahami nomini addit, vt deinceps vocaretur Abrahamus. Id quod animaduertens Hier. ait. *Quam litteram de suo nomine communicari voluit* *Hieron.* *Deus ch nomine Abrahā, vt ostenderet non modò se bona sua impertiturum ei; verum etiam se ipsum.* Quæ igitur bona cōmunicaret illis, quibus non vnam nominis sui litteram, non mutilum nomen, sed integrū Iesu nomen in tota sua magnitudine & amplitudine cōmunicauit? Quam non indocerent diuinitatem qui amplissimū Dei nomen induunt? De aduentu filij sui in mundū locutus Deus Exod. 23. dixit, *Ecce ego mitto* *Exod. 23.*

Angelum meum: & est nomen meum in illo. Eleganter cauit Lib. de Vir. cap. 5. D. Ildefons. ne offenderemur nomine Angeli, & putaremus filium diuinitatis expertem, aiens. *An quia Angelum audis, non putas esse factorem Deum? Absit, magno forte dementia agitoris, si credis Deum cuiquam Angelo & potestatem & nomen proprium contulisse.* Sanè minimè crediderim, pusillos quoque homunciones a Deo nomine suo proprio donatos. Plusquã homines, plusquam Angeli debent esse, qui magno & amplissimo nomine Dei gaudeant. Magna dementia agitatur, qui credit, Deum cuiquam homini nomen suum proprium contulisse; sed contulit illud viris maximis, viris virtute & religione florentibus, viris spectatissimis, conuersatione & moribus diuinitatem halantibus.

§. IV.

Non inutilis debuit esse Iesu nominis ferendi conditio.

ETsi vniuersi Dei filij multa in se à Deo beneficia profecta congerant, tamen Iesuitæ præcipuum & singulare ius habent, ex eo quod Iesu nomen ferant ad omnia diuina dona. Sic in humanis disponunt Cæsarum iura: etenim leg. cum filius, §. pater, ff. de leg. 2. Sempronius quidam ait, *Sempronio nepoti meo plus tribuas in honorem mei nominis.* Item Lycon Astyanax testamentum in hæc verba condidit. *Quæ in vrbe & AEgina habeo, Lyconi fratri præcipuo do, quod is nomen ferat nostrum.* Ex hac obligatione ferendi nominis Augustus Cæsar, vt refert Suetonius, ingentem pecuniam Tyberio, & Liuiæ legauit. Hinc in l. facta §. si in danda. ff. ad Trebell. dicitur, quòd *non inutilis est nominis ferendi conditio.* Et l. hoc iure §. vlt. ff. de donat. iubentur dari ducenti aurei illi, qui spopondisset, imò iurasset alterius ferre cognomen. Iure ergo Iesuitæ maxima à Deo beneficia sperabant, vtpote qui Iesu ferunt diuinissimum nomen: dixissent, credo, illud Psalm. 22. Psalm. *Deduxit me super semitas iustitiæ propter nomen suum.* Euthym. Niceph. Vel vt explicatius tradunt Euthymius, & Niceph. *Propter hoc quod nomine Dei vocor, tot videlicet in me Deus beneficia congessit.* Quicquid decoris, quicquid virtutis, quicquid expectationis & gratiæ habent, nomini Iesu reddunt accepitum filij Societatis. Nomini inquam, quod magni Dei familiæ decus est singulare. Enimuero Hugo Card. c. 2. Apoc. ex sententia Iandulphi Carthus. asserit, *quod in gloria cœlesti ab ipso Iesu dicemur Iesuitæ.* Ecce ubi in sæculo Societatis eodem cum cœli habitatoribus nomine condecorati, maximis inde in adultis nobilitati. Iam liceat nobis decantare illud Isai. 64. nimirum, *Ab initio nomen tuum super nos.* Vbi Procopius explicatius addit, *Nostri igitur miserere quos nomen tuum exornat. Hæredem enim tua nuncupamur. Id ergo nomini tuo largire, vt apud gentes non blasphemetur.*

§. V.

A nomine Iesu humilitatem, & tolerantiam, & augmentum maximum habent filij Societatis.

ACceperunt à nomine Dei singulas litteras singuli, Abrahamus, & Sara, & qui pater excelsus nominabatur, iam littera addita multarum gentium pater nominatur. Sara autem, quæ & princeps mea, accepta nominis August. Dei littera fit Sarai, nimirum iuxta D. August. *virtus.* Hæc mutatio dexteræ Excelsi, etenim à nomine Iesu sæculo, titulisque honorificis renunciantes Iesuitæ fiunt patres multarum gentium, & summis virtutibus clarent. Vt semel Iesu nomen splenduit nostra in Societate, non in ea honorum celsitudo, non dignitates, sed virtus, sed paternus affectus, quo nutritij facti dant operam, vt teneros infantes pene ab vtero exclusos iterum Christo pariant. Quibus laboribus, quibus iniuriis, & calumniis emunt, vt omnes in vitam reformentur Christianam; in iniuriis læti, in laboribus augmentati & ditati.

Cum Iesus crucis aratro incumbens & gloriam & magnificationem inseminaret, putantur a D. Athanas. Apostolici viri dixisse id Psalm. 19. Psal. 19. *Exaudiat te Dominus in die tribulationis, & protegat te nomen Dei Iacob*, tunc sese hortantes, *Lætabimur in salutari tuo, & in nomine Dei nostri magnificabimur.* Quasi dicerent, apage hinc lætitia mundialis, absto magnificatio hominum nos nec lætitiam nec magnificationem accipimus, quam Iesus non pariat. Lætabimur, inquam, in salutari tuo, vera mundi salus in Cruce, in humilitate, in calumniis læta; & sic nos lætabimur, sic Iesuitæ lætantur in Iesu nomine salutari, in cruce, in calumniis, & in humilitate. Facti nutritij, facti pædagogi infantium, facti peripsema, mille petiti iniuriis ipsi lætantur. Origen. Iob 1. Origen. expendens illud Iob c. 1. *Sic faciebat Iob cunctis diebus*, subdit in eius laudem, *In virtutum studijs omnia, quæ fecerunt sancti, fecit etiam Iob: quod autem sustinuit cum gratiarum actionibus, hoc nihilominus nullus alius sustinuit.* Liceat hoc Societati IESV aptari, qui ordo omnia quæ fecerunt alij fecit, & quotidie facit in virtutum studiis, in parturiendis sanctis, in sanguineis Martyrum sudoribus: quod autem iniurias, contumelias sustineat cum gratiarum actionibus, hoc adnatum est Societati. Maledicimur, & non comminamur, corrodimur, & nihilominus in salutem animarum volamus lætantes in Dei salutari.

Sanè D. Pacianus sic eos qui in Patres spiritales insurgunt depingit in Parænesi ad Pœnitentiam, Pacian. *Vt cœnum solet maximè fœtere si moueas, & incendium tunc maximè ardere, si vertas, & rabies tunc maxime sæuire, si prouoces, ita illi.* &c. expendo illud, vt cœnum solet fœtere, si moueas; & quis fœtorem commoti cœni sustinebit, nisi quis salutifero Iesu madet vnguento? Ecce D. Greg. Nazianz. orat. de moderat. in disputationibus quasi Iesuitas alloqueretur, Gregor. Nazianz. *Tu qui spiritualis illo vnguento arte vnguentaria confecto delibutus es, scatentis fœtoris non nihil præfer, siue verus sit fœtor ille, siue ita tibi videatur, vt ipsi vicissim boni tui odoris aliquid impertias.* Et quidem Iesuitæ graues excipiunt fœtores à proximis; sed quid mirum, si perferunt madentes odorifero nominis Iesu vnguento. A corrupto fratris cadauere arcebat Martha Iesum dicens, *Iam fœtet, quatriduanus est.* Pulchrè Chrysol. Chrysol. serm. 65. *Quod perdituri fœtet, non fœtet creatori.* Nec illi, qui Saluatoris nomine madent vnguento, vllis fœtoribus arcentur, quominus fratrum insistant saluti, & nitantur afferre medelam intrepidi in odore nominis, & in Dei salutari. Hic vacat subiicere verba, quibus S. Optatus Mileuit. lib. 7. aduersus Parmenianum, obtrectatores suos hæreticos pungebat. Opat. Ait enim, *Atque vestrum volentes non populis suis contemnendos ostendere, illud miscetis tractantibus suis quod à Salomone dictum est*, Eccles. 10. *Muscæ morituræ exterminant olei suauitatem, & quasi muscas morituras nos appellans: sed dum vos inuidiæ tempestatibus impulsi, quasi in oleum caditis, vos exterminatis suauitatem illius olei, quod in nomine Christi confectum est, vnde condiuntur mores, vnde intenderetur lumen mentis ad salutarem & veram intelligentiam. Vos exterminatis eum vbi oleum iuit, & suauitas.* Quæ verba tantum proferant aduersus nostri temporis hæreticos acerrimos calumniatores Societatis IESV, in qua oleum effusum est in Iesu nomine, vnde condiuntur populares mores; vnde lumina incensa sunt ad scientiarum intelligentias præstandas.

Et in nomine Dei nostri magnificabimur mediis iniuriis, mediis tempestatibus, plures efficimur quoties metimur, semen est Iesuitarum tolerantia. Qui scissi rami iterum plantantur solent triticeis granis adiungi, vt radices agant; sic Iesuitæ viuentis frumenti grano, nimirum Iesu nomini coniuncti æquales radices agunt in toto pene orbe terrarum. Hier. sic præfata verba transfert, Hieron. Psal. 19. *in nomine Dei nostri ducemus choros*, quasi innuerent militarem morem dicentes, sub vexillo, nomine Dei notato, ducemus militares phalanges. Vnde Arias dixit; *In nomine Dei nostri vexilla explicabimus.* Nos signiferi exercitus Christiani, nobis signum diuino præfulgens nomine tradidit summus Imperator, nulla erit natio, nullus terræ angulus, qui Iesu nomine non fulgeat illustratus. O quantum nobis sudandum est, quibus ictibus emendum ne diuini nominis signum inglorium maneat nostris manibus! sicut illi, qui regale signum, qui labarum in exercitu portant, vitam contemnere debent, vt explicatum & gloriosum conseruent labarum. Ita ait Chrysost. 1. ad Timoth. 1. *Et hi qui Christi nomen portant, non in bello solum, sed in pace summis viribus indigent, ne id maledictis hostium exponant.*

CAPVT VII.

De collectore, & fundatore Iesuitarum B. Ignatio.

PARENTIS mei Ignatij, a quo familia Iesuitarum, laus me summo desiderio afficit; parcite mihi filio, si quacunque occasione accepta non me tempero, quin nonnullas eius virtutes nitar explicare.

§. I.

§. I.

Beati Ignatij Iesuitarum parentis facinora, & laudes Nazianzeni verbis perstringuntur.

CVm me in Beati Ignatij virtutes expendendas accingo, sese mihi offerunt verba illa, quibus D.Greg.Nazianz. laudes magni Athanasij decantauit. Ea sunt, *Nobis iacentibus cornu salutis erectum est, lapisque angularis nos, & sibi & inter nos constringens opportunè iniectus est, aut ignis malæ & vitiosæ materiæ purgator, aut ventilabrum rusticum, quo à grauibus dogmata leuia discernuntur, aut gladius vitij radices excidens, Deique filius belli socium nanciscitur, spiritúsque hominem, qui pro ipso spiret, inuenit.* Hæc de magno Athanasio Nazianz. profatur, hæc eadem B. spirant Ignatium, cuius laudes ex illis haud difficile erit expiscari. Nazianz.

Ad illud, Nobis iacentibus cornu salutis erectum est.

§. II.

B.Ignatius & vinculis in medijs liber, & in persecutionibus persecutoribus verendus extitit.

COrnu saluti toties in sacra pagina repetitum meritò assumpsit Theologus, vt hominis mille agitati persecutionibus laudes dedicaret. Etenim in verbo cornu, non iam metaphora, & allegoria; sed summa verbi proprietas indaganda est. Quo refert Theodotus Antiochenus pulcrã similitudinem cornuti tauri. Is cum primum in arenã prosilit, & omnium in se oculos statim conuertit, & manus armat, hinc inde vociferationes exurgunt plebeculæ viso tauro, hinc in illum contorquentur iacula, alter conuocando, sibilando ad se allicit: ferro exterret alius, omnes lacessunt, & nituntur vulnerare. Medius ipse furit, & tela deridens eos emittit saltus, quibus omnes tremebundos fugat, & media arena tutissimus deambulat. Ita Ignatius cornu salutis erectum est, nimirum cornuti instar tauri, mundiali vix apparuit in stadio, & in se omnium oculos, ora, manúsque conuertit. Mille circuncingitur carceribus, vinculis premitur, persecutionibus exagitatur. O quàm feræ in illum declamationes, Salmanticæ, Compluti, Parisiis, Romæ! O quàm dura in illum tela vndique iaculantur! Ipse vnus mediis vinculis, conclusus carceribus, miserè exagitatus, tamen tutissimus salit, sibi salutem, & terrorem parturiens aduersariis. Pulchrè aiebat D.Ambr. *Nunquid in seruitute accersitur pietas? Plerique emptores leonum sunt, & tamen non dominantur leonibus; sed ita vice versa subijciuntur, vt si exasperatos eos excutere ceruice toros videant, fugiant, & delitescant.* Manifestè vanus est, qui viros pios nititur opprimere, vinculísque, & carceribus implicare, perinde namque est ac si leonem implicaret. Sanè plerique hominum gaudent leones in lacum agere, ibique illos carceribus vallatos irritare, & angere; sed quo id metu perficiunt? si vel leo intra carceres, intra vincula excutiatur, si vel manum protendat, fugiunt pauidi. Is eras, ô B.Ignati, duris vallatus carceribus; sed ibi leo, sed ibi taurus, qui media in arena securus pauorem incutis aduersariis. Is eras, cùm Parisiis ageres in gymnasio, gymnasióque conclusus, clauduntur suffugij fores, conueniunt vniuersi scholastici, apparet seuerus Rector Academiæ, explicantur virgæ flagellorum, & voce virgis petitur Ignatius. Quid plura? Fortissimus leo, generosus taurus nesciens timere, media in arena prosiliit diridés virgas, vel oris halitu Rectorem tremebundum strauit, omnésque securus fugauit contrarios. Quid aliud faceret magnus ille gentium Doctor Paulus? De hoc quod in carceribus triumphet, ita D.Chrysost. fatur, *Vides vinculorum fortitudinem magis quàm resurrectionem mortuorum esse gloriosam? vinctus est Paulus Romæ, & plerosque attraxit, vinctus est Ierosolymis, atque ligatus Regem exterruit, Præsidi timorem incussit.* Haud aliter Ignatius, vinctus Romæ, vinctus Salmanticæ, & Compluti, vinctus Parisiis, plerosque attraxit, potestates exterruit, Rectori timorem incussit, expectatissimos iuuenes in cœlum vsque ventilauit, doctissimos allexit Magistros, & inita Societate totam iacentem mundi machinam restituit sanitati. Etenim iacentibus nobis salutis cornu erectum est, nimirum in interitum vergente mundiali machina carceribus vndique conclusus apparuit Ignatius, qui pernici saltu se expedit, & instar tauri timore, & reuerentia replens persecutores, & sibi, & mundo gloriosas victo-

Lib. 1. epistol. 1.

Chrysost.

rias reportauit. Quid simile in Apostolis Ecclesiæ columnis licet excogitari, qui diuino correpti igne cum in stadium prosiliunt, inferorum phalanges in se armant. Ad mortem expetuntur à Iudæis, tenentur tandem, coniiciuntur nigro in carcere, tunc concilio coacto sic aiunt sacerdotum Principes Act. 4. *Quid faciemus hominibus istis?* quod eleganter expendit D.Chrysost. serm. 15. in epist. ad Rom. cap. 8. dicens. *Vide quomodo Iudæi cùm Apostolos in medio positos haberent, & stupuerint, & dixerint: Quid faciemus hominibus istis? admirandum quippe fuerat, quòd cùm illos iam captos sibi, & obnoxios haberent, ligatósque cecidissent, adhuc tamen hæsitauerint, consiliíque inopia laborauerint, per ea ipsi superati, per quæ victoriam sperauerant. Atque ita nec tyrannus, neque populi, neque Dæmonum phalanges, neque Diabolus ipse poterat eos vincere, sed longè superabantur vniuersi.* Sic Apostolis haud multum impar Ignatius, & captus, & ligatus, & exagitatus, omnium victor omnes gloriosè detriumphauit, cornu salutis adamussim factus. Act. 4. Chrysost.

Ad illud, Lapis angularis nos sibi, & inter nos connectens.

§. III.

B.Ignatius haud inferior vetustissimis religionum Patriarchis, & fundatoribus.

PRoprium est angularis lapidis, & fundamentum ædificio præbere, & ædificij machinam sustentare: vnde passim à Doctoribus vocantur lapides angulares præter Christum Apostoli, qui prima Ecclesiæ posuerunt fundamina. Deinde eodem vocabulo illustrantur Patriarchæ omnes, siue religionum fundatores, inter quos æquali gloria fulget hic pretiosissimus lapis Ignatius. Sanè Zachar. 4. vt placet Riberæ, comparans vltimi sæculi sanctos cum primis vetustissimis Patribus ait. *Educet lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ eius.* Ecce tibi diuinus artifex Deus vltimis Ecclesiæ temporibus educet lapidem primarium angularem, nimirum noui ordinis, & instituti fundatorem, & sustentatorem B. Ignatium, & exæquauit gratiam gratiæ eius, & fecit illum sanctissimis illis primis fundatoribus omnino æqualem. Zach. 4.

In Basilij panegyrico probat D.Gregor. Niss. posterioris sæculi sanctos non inferiores esse primis Patribus, & vt concluderet D. Paulum non esse inferiorem Abrahamo, Moysi, Elia, Baptista, licet posterior his venerit, sic inquit. *Nónne postquam sordes, quas Paulus ex ignorantia contraxerat, deposuit, protinus ad angustiorem conditionem natura transformatus est? & velut exuto hoc carneo amictu in ipsis exiorum adytis versabatur? & nihil corporei impedimenti pondere tardans etiam intra diuinam paradisi consistionem perueniebat?* Hæc ille, ex primo Paulianæ Aquilæ volatu eius cum priscis omnibus æqualitatem coniiciens. Enimuerò qui tali sui transformatione, qui tali raptu, qui tam pernici volatu suam dedicauit conuersionem, cur altissimis, & primis spiritibus non æquabitur? Ecce modo Ignatius, cùm primum licuit, cùm primum lecto languidus animi languores præuidit, & luce cœlesti illustratus vitiorum sordes aspexit, continuo ipso in cubiculo lecto surgit, humi prostratur, castitatis perpetuæ voto se obstringit, *et in angustiorem conditionem natura transformatus est*, Angelicæ puritatis maximè æmulator. Ab Apostolorum Principe inuisitur, & sanatur, & sanus factus, relictis omnibus, sacco induitur, se mille doloribus macerat, & tandem primo in Agonis ingressu apud Manrezam octo dierum raptum sustinuit, *Nihil impedimenti corporei tardatus pondere in diuinam paradisi consistionem perueniebat.* Sanè Doctoris gentium raptum ad solos tres dies Angelicus Doctor extendit, quibus vt Act. 9. dicitur, *non manducauit, neque bibit*, sed visæ rei magnitudine, iuxta Lyram, sustentabatur, ne fame posset perire. At Ignatius per octo dies integros rapitur in paradisum, nec manducauit neque bibit: tanta enim rei visæ erat magnitudo, qua per octo dies sustentaretur ieiunus terreno cibo. Cur ergo primis, & superioribus Patribus, non æquemus eum qui primo volatu, nec etiam Paulo concedit in raptu primas. Gregor. Nissen. Act. 9.

3. Reg. 6. de magnifica Dei domo dicitur, *quod lapidibus perfectis ædificata est.* Id quod expendens Iosephus docet, lapidum tanti ædificij perfectionem eam fuisse, qua qui postremi ponebantur, nullo discernerentur à primis, *sed connata potius omnia, quàm arte congesta viderentur.* Hoc maximè cauit diuinus artifex in primariis lapidibus, 3. Reg. 5.

nempe in fundatoribus spiritualis alicuius ædificij, ne quid discriminis, & inæqualitatis cerneretur in illis, imò illorum omnium illuceret perfecta, & vetera germanitas, & æqualitas, qua postremi non tam congesti, quam connati viderentur primis.

§. IV.

B. Ignatij mira aduersus ambitionis, & vanæ gloriæ tela securitas.

IAm in hoc firmissimo parentis mei lapide, non possum non mirari illam portenti instar animi humilis securitatem, qua in summis virtutum, facinorúmque verticibus nulla irruentium flabrorum vi pes eius labauit. Sic exem- Ambros. plo apum aduersus profanæ gloriolæ ventos D. Ambr. adolescentulas armat lib. 1. de Virgin. *Apes illa sapiens cum aeris motus suspectos habet, lapillis sæpe sublatis, per inania se librat nubila, ne leue alarum remigium præcipitent flabra ventorum: & tu caue illius apiculæ modo, ne alarum tuarum volatum aura mundi huius extollat.* Sapientior apibus Ignatius, non lapillos sustulit, quibus præcipites ventos euaderet; sed totus factus est lapis, & quasi lapis factus vanissimos contempsit ventos, vt nihil minus in hac vita sibi timendum Theod. prædicaret. Miratus Theodotus sæpius à nobis allatus, cur Deus perfectissimam sublunarium creaturarum hominem ex terrena condiderit mole: cur non potius ex sobrilissimo cælorum splendore? *Cur hominem*, ait, *quem tanto ornatu erat decoraturus ex substantia adeò abiecta composuit? Cur materia ex solis splendore sumpta hominem non condidit? Sed ex terræ puluere, elementa vtique infime illum effinxit? Vis scire quam ob causam? quandoquidem hominem sua imagine honoraturus erat, ipsum ex vili materia formauit, ne forte honoris abundantia insolesceret.* Ecce tibi terrenus puluis inditur homini à Deo, ne ad imaginis diuinæ altitudinem euectus ventorum incursibus rueret, nec tanta terræ moles illum conseruare suffecit a lapsu. Euanuit homo solo puluere grauis, ideò sapiens artifex pondus addidit, & conditorus Ignatium illum à petra deserti, a Cantabrorum syrtibus, & rupibus excidit, qui veloti è lapidea, marmoreáque natura effictus Dei imagine, & nomine, & virtute, & passione, & prolo clarus præcipites mundi auras sic risit, vt saxea moles ridere solet rapidissimos quosque ventos maris. Dum B. Maxi- Ennod. mum commendat Ennod. orat. 8. dicit. *Te olim sæcularibus inhærentem titulis, castrensis sudor excoluit, & ad Ecclesiæ gubernacula pars aduersa solidauit. Christus milites suos, quos in personam ducis attollit, inter acies quærit bellides.* Quid aptius nostro Ignatio? Qui de castrensi sudore solidatus, in lapideam aduersus ventos soliditatem obriguit. Qui inter hostiles acies quæsitus à Deo to familiæ amplissimæ ducem fuit sublatus. Sed cur milès quæritur à Deo? Sanè, id est militibus singulare, quod victoriæ à particulari milite partæ Imperatori tribuantur; milites quidem pugnæ laborem subeant, qui triumphos Imperatori suo, non sibi nouerint applicare. Hæc Ioabi erat vox ad Dauidem 2. Reg. 12. *Dimicaui aduersus Rabbath, & capienda est vrbs aquarum. Nunc ergo congrega reliquam partem populi, & obside ciuitatem, & cape eam: ne cum à me vastata fuerit vrbs, nomini meo ascri-* Damian. *batur victoria.* Quod ponderans Petrus Damian. epist. 97. fatur. *Militaris homo ad regulis famam gaudet sui laboris transferre victoriam.* Hoc militari splendore insignitus Ignatius sui laboris victorias sic gaudet transferre semper ad maiorem gloriam Dei, vt nil minus timeat, quam ventos vanitatis.

David ille vir, iuxta cor Dei effectus, post mille exantlatos labores, post hostes prostratos in summum regni fastigium sublatus de subditorũ numero insolescit. Ait enim 2. Reg. 23. 2. Reg. 23. *Perambula omnes Tribus Israël à Dan vsque ad Bersabee, & numera populum, vt sciam numerum eius.* Id quod ele- Ambros. ganti sententia ponderat D. Ambros. in Apol. lib. 2. cap. 1. inquiens. *Non mirēris hominem, & Angelis æquandum putas plurimum vitæ suæ, imò à pueritia in diuitijs, honoribus, imperijs demorantem, in multis tentationibus positum semel tantum errori locum dedisse, & ei errori, quo etiam Angeli de sua virtute & gratia deiecti sunt.* Sanè mirabilius hoc in B. Ignatio qui nobilibus parentibus satus, diuitiis, & honoribus innutritus, plurimum vitæ suæ mundialibus vanitatibus dedit, gloriæque militari insumpsit, & postmodum in eum perfectionis gradum euectus, quo diuina pateretur, quo inter candidatorum cœlestium vitam ageret, quo terribilis aëris potestatibus existeret, quo sub Iesu nomine, & vexillo innumeras ab omni orbis plaga gentes iungeret, & bellum indiceret peccato medio in mundiali stadio. Et tamen post hæc nec semel errori locum dedit, & ei errori, quo etiam Angeli sua virtute, & gratia deiecti sunt, imò Dauid & Angelis firmior sæpius dixit nihil sibi à vana gloria, & ambitione timuisse.

Christus Dominus Matth. 5. Ecclesiæ Principibus edixit. Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus.* Quid tuoc rei? Quod præcauerit periculum, vt luceant hominibus? Pulchrè D. Bernard. serm. 10 Nat. Ioann. vt luceant, *nimirum tanquam ac-* Bernard. *censi, & vehementer accensi, & quibus non timeatur à flatu quolibet aut impulsione ventorum.* O qualem in se fornacem accenderat Ignatius, quando à nullo flatu ventorum timet! Ardebat lapis iste diuinus, & vehementer ardebat, quem in summo facinorum vertice nulla ventorum rabies extinguit, nulla tempestas turbat, nec illa, quæ Angelica lumina æternum duraturis tenebris suffudit.

Ad illud. Aut ignis malæ & vitiosæ materiæ purgator.

§. V.

Inseruiendo aduersarijs Ignatius ocyssimè totum pene occupat mundum, & sibi Martyrij laureolam acquirit.

IGnatij nomen sicut ignem spirat, ita Ignatij militia tota in ferendo lumine consistit iuxta Euangelij præscriptum. *Lucernæ ardentes in manibus vestris.* Vt de Gedeonis astu, Luc. 12. ostenso igne, ab infestissimis hostibus victoriam acquirant. Sed quo igne insignitur Ignatius? Is insinuatur Prouerb. 25. Prou. 25. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitit, potum da illi, sic enim carbones congeres super caput eius.* Hæccine arma sunt, quibus Ignatius totum pene orbem allexit, detriumphauit. Hoc erat illius studium singulare vt rabidissimis hostibus benefaceret pro viribus, vt in omnium salutem etiam inimicorum, etiam barbarorum vehementer insudaret. Sæpissimè mirabar ego id, quod in vno Ignatio extitit valde mirandum, vnus homo vilis & abiectus, odiosus mundo, ab innumeris contrariis circumactus, ad carcerem & ad mortem sæpe petitus, & tamen breuissimo tempore sic omnes pene regiones nomen eius persuasit, vt vndique vitæ socij aduolarent ad eius virtutes euulgandas & imitandas. Id mihi cogitanti occurrerunt illa ex 70. Cantic. 8. *Alæ eius alæ ignis*, siue, vt accommoda- Cant. 8. tius & expressius S. Philo Carp. *Alæ ignis, carbones ignis,* Philo. quasi innuat, id quo homo ad mortem peritos breui interuallo fuerit rerum potitus; nimirum ignita beneficiorum iacula, quibus terribilium etiam hostium corda detriumphantur. Etenim, si inimicis benefeceris, carbones congeres, & carbones tui, carbones alati pernicissimi, qui ocyssimè vniuersum terrarum orbem percurrant, nomenque tuum vndequaque diffundant. *Euolare possumus*, ait Philo, *alis ignis duabus diligendo Deum, & proximum, sicut nosmetipsos.* Quid si pernicissimus euolet Ignatius qui in suos persecutores perpetua exardescebat charitate? Quid si breui tempore Ignatij nomen orbem peruadat? Qui omnibus omnia factus, alatis carbonibus beneficiorum hostium etiam animos expugnabat. Accipite quod Ezechiel vidit in animalibus illis alatis, qui currui gloriæ Dei subiciebantur, ait enim cap. 1. *Similitu-* Ezech. 1. *do animalium, & aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadum. Hæc erat visio discurrens in medio animalium. splendor ignis, & de igne fulgur egrediens.* Ex quibus verbis D. Gregor. PP. rimatur. *Splendor ignis, & de* Gregor. *igne fulgur egrediens inter pennata animalia discurrit, quia Spiritus sanctus sanctis singulis atque omnibus præsto fit.* Hinc meritò effingitur Dei spiritus pennatis animalibus innixus omnia velut fulgur peruadens, quia omnibus prodest, quia in omnes beneficentissimus est, qui indigentibus præsto adest. Hunc totum spiritum ebibit Ignatius, omnibus omnia factus, nulli etsi barbaro, etsi abiectissimo, etsi inimico, etsi hosti non præsto non seruire paratus. Quo igneas nactus alas velut fulgur ab oriente fulgurans pene in ictu oculi ad omnes mundiales plagas apparuit.

Sed iam expecto, quod non minus gloriosum est Ignatio, nimirum, quod illo ignescat igne, qui *malæ vitiosæque materiæ sit purgator.* Ignitus ille rubus Exod. 3. fuit Theodoreto Israeliticus populus sub crudeli Ægyptiorum persecutione, igne baptizatus. Imò D. Chrysost. ad cap. 7. Matth.

marty

martyrium est baptismus ignis, quo puriores auro sanctissimi viri ad cœlestes choreas transportantur. Vnde Ioan. Apoc.15. *Vidi tanquam mare vitreum mistum igne, & eos, qui vicerunt bestiam, & imaginem eius: stantes supra mare vitreum habentes citharas Dei, & cantantes canticum Moysi.* Vbi nobiles tormentorum triumphatores sic à ferreis machinis exurgunt quasi à baptismi vnda, quam vitreum mare significat. Ignis vero intermistus vim repræsentat purificatoriam, qua probati martyres gloriosi euadunt, ac supra cœlestia littora citharas laudum & gratiarum Dei pulsant. Quorsum hæc? Anne Ignatius purificatorio hoc ignis baptismate probatus cœlestes prosiliuit ad citharas? Eóne exarsit igne quo purificatus ad palmã peruenit martyrij? Sanè eo exarsit igne, non quia sub gladio occubuit, sed quia aduersarios suos continuis prosecutus fuerit beneficiis. Vnus mihi hanc cogitationem iniecit Eusebius Emissenus serm. de S. Steph. vbi inquit. *Notum per ista fit, quia partem & opera martyris suscipit, qui odium ma'is debitum generosi cordis benignitate calcauerit.* O quam iustè B. Ignatius ignescere dicitur purificatorio hoc martyrij igne, cui nil magis cordi fuit, quam omnium mundialium odium generosi cordis benignitate calcare. Hostes, aduersarios sustinuit innumeros, adamauit omnes, omnibus præsto accurrit, sic ignis factus vitiosæ materiæ purgator supra cæli littora citharas pulsat laudis, & gratiarum Dei pro felici laborum decursu. An licebit B. Ignatio illa dicere, quæ Dauidi ab spelunca egredienti, vbi infestissimo pepercerat hosti, dixit D. Chrysost. homil. de Dauid & Saul? Etenim sic ait: *Non egressus est gestans Saulis diadema, sed egressus est gestans coronam iustitiæ. Non egressus est gestans regis purpuram, sed egressus est humanitate amictus, naturam humanam superante, quod pallium est quauis stella magnificentius. Egressus est è spelunca, tanta cum gloria, cum quanta tres pueri egressi sunt è camino ardenti. Illis quidem foris, nihil ignis in quo versabantur nocuit, hic verò cum intus haberet carbones accensos, tamen non exarsit.* Hæc ille.

Apoc.15.

Chrysost.

§. VI.

Ignatius validus peccatorum ab hominum visceribus expugnator.

CVm ignis malæ materiæ purgator dicitur Ignatius, necessum adhuc est eius in extergendis proximorũ peccatis expendere & vim & dexteritatem. Et in igne purificatorio malę materiæ totam tibi conflatorij speciem propone ob oculos, in quo vt ignis purget, & purificet vitiosam materiam, crebris iuuatur, & acuitur aspersionibus aquæ. Hinc sese maximè pandit B. Ignatij gloriosissimum facinus, qui hominem venereo infectum veneno, vt ad salutem reuocaret, nullum non mouit lapidem, omnia infructuosè. Tandem nocturnis tenebris media hyemali bruma euntem ad lasciuiæ barathrum cùm vidisset hominem, ablatis confestim vestibus nudus in gelidum lacum prosiliuit, à quo misellum peccatorem & manu, & voce euocans, Ecce ait, quanto gelu igneas turpitudinis tuæ tædas in me castigo. Quo stupefactus homo mortiferum oculis sudat venenum, & integræ sanitati restituitur, perámque omni labe vitam instituit. O Ignati verè ignis conflans, & purgans proximorum peccata! Et arca testamenti, & Christus Dominus intrauerũt aquas Iordanis, & visa arca, aquæ ipsæ conuersæ sunt retrorsum: sed cum in se suscipiunt Christum, non retrocedunt aquæ, retrocedit tamen & perit mundi peccatum. Id quod eleganter ponderat D. Ambros. serm.11. de Epiph. *Ante*, inquit, *retrorsum aquæ conuersæ fuerunt, modo retrorsum peccata conuersa sunt, & sicut tunc impetus fluminis alueum sui cursus perdidit, ita & nunc impetus peccatorum dominium sui erroris amisit.* Liceat eisdem verbis Ignatij à gelidis aquis facinus publicare, quando sicut arca in flumine retrorsum fugauit aquas, sic Ignatius in lacu fugauit à corde perditissimi hominis peccata. Ibi ad præsentiam arcæ steterunt aquæ hic, viso Ignatio in aquis degente, præcipites peccatoris appetitus sese frænarunt. Sed non cum lignea arca, verùm cum igneo Elia Ignatium componamus: etenim, ait Ambros. suprà, *Elias etiam in Iordane fecit diuisionem aquarum, ita & Spiritus Domini separationem operatus est peccatorum, ille stare fluenta præcipit, hic crimina.* Sanè igneus Elias, igneus Ignatius, in flumine Elias, in lacu Ignatius, tamen Elias aquis, Ignatius imperat peccatis, ille circa aquas totam virtutem suam exercet, hic ab aquis vires resumit, vt crimina expungat à cordibus humanis. Vt impleatur illud Sap.16. *Quodam tempore in aqua supra virtutem ignis exardescebat vndique, vt iniquæ terræ nationem exterminaret.* Modo propter nimiam virtutem ignitus vir Ignatius exardescit in aquis, vt iniquæ terræ nationem exterminet, vt hominem purget, & mundet à peccatis. Huc spectabat Psaltes, quando cecinit, *facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem.* Quod expendens Nazian. Theologus orat.34. ait, *Spiritus atque ignis Angelus appellatur, illud, quia intellectili natura est præditus; hoc, quia purgandis animis nostris adhibetur.* Quid plura? Ignatius totus spiritus est, & quia spiritus fertur super aquas, imò incubat aquis, vt à cœno vitiorum volantes animas reparturiat; totus ignis est, quia purgandis nostris animis adhibetur, & adhibitus squalentia corda auro, crystallóque nitidiora reddit.

Ambros.

Sap.16.

Psal. 103.

Nazianz.

Genes.1.

§ VII.

Ignatij splendor, vt fulgentissimus, sic & abditissimus.

ADstupeo totum ignescentem Ignatium, totum effulgentem; & miror nihilominus tantum ignem posse latere. Et illuxit, latuit, lampada manibus portauit, iuxta Euangelij vocem; sed de Gedeonis astu occulta lagenis, vt tenebrarũ Principes deuastaret. Sic maximus ducum Christus suos informat milites, *Lucernæ ardentes in manibus vestris.* Quæ acutè, & eleganter explicat D. Petrus Chrysol. dicens, *Verè portant lucernas suas, qui cum loco, proposito studio lactitant, opere, virtute, meritis coruscant, ac splendent toto orbe terrarum.* Vnus ille lucernas Euangelij nouit portare, qui nouit simul latere, & coruscare, occultari, & fulgentissimos in terrarum orbem radios emittere. Is est Ignatius occultissimus, & lucidissimus, lucerna ardens, sed occulta lagenis. Quæcumque à manibus Ignatij prodeunt, lucernæ sunt, lampades sunt orbem illuminantes. Quod illuminat Indos, quod tenebras hæreticorum expellit, quod barbarissimos quosque docet, quod squalẽtem Apollinem in scholis detergit, & illustrat, opus Ignatij est. Quæ terra, quæ plaga, quæ insula, quod latibulum Ignatij non excepit clarissimum splendorem, & radios? Sanè Ignatius opere, virtute, & meritis coruscat, ac splendet toto orbe terrarum. Idem & loco, & proposito, & studio latitat, quatenus media hac in luce hoc vehementer curauit, ne ipse clarus appareret, ne quid sui nominis clareret. Hinc singulare suum opus, & lucidissimum, & clarissimum sui indicium Iesu nomine insigniuit, vt magna Iesuitarum facinora Augustissimo Iesu nomini ascripta in nullo referrent Ignatium. Liceat huc conuertere currum illum Ezechielis, quo crediderim expressam fuisse, & adumbratam hanc singularem Ignatij magnitudinem animi, qua & latuit, & simul terras illustrauit. Etenim dicit. *Vidi & ecce ventus turbinis veniebat ab aquilone: & nubes magna & ignis inuoluens, & splendor in circuitu eius, & de medio ignis quasi species electri.* Hebraicè dicitur, *quasi species Chasmal.* Quam dictionem nihil significare apud omnes compertum est, imò & significari & delitescere in illa aliquid cabalisticum plures volunt. Quãdoquidem si legas Hebræorum natiuo & proprio more, vt legendum erat, à dextera in sinistram inuenies nomen quod nihil significat, si inuerso ordine à sinistra in dextram legas inuenies *Christum.* Quid plura? Hæc ignita species, nescio, an alij iustius quadret, quàm ignito Ignatio, qui sic delituit in maximo opere suo, nimirum in Iesuitarum collectione, vt si opus hoc videas de communi aliorum ordinum more, inuenies opus quod nullum fundatorem significat. Cæteri namque ordines quocũque pergunt nomen fundatoris præseferunt: statim siue à Benedicto, à Francisco, à Dominico, ab Augustino dicuntur. Iesuitarum ordo & vniuersas terras illustrans peruadit, non tamen præsefert fundatoris nomen, totus in illo delitescit, & occultatur Ignatius, & nouo & inusitato more vndique Christus, vndique Iesus manifestus apparet. Pius ille Booz apud Ruth cap. 4. sic propinquam monebat. *Ruth Moabitidem, quæ vxor defuncti fuit, debes accipere; vt suscites nomen propinqui tui in hereditate sua. Qui respondit; Cedo iuri propinquitatis: neque enim posteritatem familiæ meæ delere debeo.* Etenim noluit legis more sic de alieno nomine filios suos nobilitare, vt proprium suum nomen celaret. Quod fecit Booz nubens Ruthæ ad nomen propinqui suscitãdum proprio obnubilato. De quo sic eleganter Petr. Damian. epist. 97. fatur. *Ille gloriæ cupidus proprio nomine posteritatem familiæ conabatur ostendere. Booz autem iustus famam proprij nominis paruipendens, diuinæ legis contentus est mandata seruare. Sed ecce illius qui suam post se memoriam anhelabat relinquere,*

Luc.12.

Chrysol.

Damian.

ne nomen quidem agnoscitur: hic autem non solum in Patrum, sed & Patriarcharum catalogo cum gloria numeratur. Ille nescitur parens esse saltem quorumlibet hominum; iste praepotentium pater factus est regum. Ille dum posteritatis memoriam concupiscit, de memoria caruit, iste qui propagandæ sub nomine suo generi non consuluit, per Dauidicæ stirpis traducem, totius mundi genuit Saluatorem. Sic Ignatius in Patriarcharum catalogo numeratur, & illustrium virorum pater effectus quot Iesuitas dedit orbi, tot genuit Saluatores, ex quo sub Iesu nomine, proprio occultato, familiam suam fecit radiare. Hæc occulti Ignatij pulcritudo, sic diuini sponsi affectum rapuit, vt in Ecclesiæ amasiæ pulcritudinibus quæcumque videretur laudatior, nunquam ab illo sine hac exceptione extollebatur, nimirum, *absque eo quod intrinsecus latet*, quasi latentis alicuius pulcritudo iam inde existeret gratior.

Ad illud, Ventilabrum rusticum, quo à grauibus dogmatis leuia discernuntur.

§. VIII.

Beatus Ignatius rerum diuinarum, spirituúmque optimus trutinator primis conuersationis suæ cunabulis.

MAgnum illum Athanasium, cuius trutina, abditissima grauissimaque Triados mysteria ponderabantur, cuius labore Ecclesiastica area à prope infinitis errorum paleis purgabatur, vocat Theologus ventilabrum rusticum: an rusticus, qui disciplinis Theologicis innutritus? qui omnigena scientia madidus? qui Imperatorum Aulæis assiduus? qui Episcoporum concilijs extitit oraculum? Sane non tam Athanasio, quam Ignatio verba aptabo. Quis rusticior quam miles, quam Cantaber plurimum vitæ suæ spatium consumens in armis? Ecce ergo tibi rusticum Ignatium triginta vitæ annos insumentem sub gladio militari gloriæ penitus deditum, rusticum, inquam; sed tamen ventilabrum quod errorum ventilat paleas, metit granum.

Vix confracto crure nomen Christo dedit, & miles veteranus & Cantaber nuperus Christi agonista factus eam rerum diuinarum adeptus est notitiam, qua libellum impleuit regulis ad discernendum spirituum motus, ad veritates Catholicas trutinandas peraptis. Considerauit D.Hilar. Iacobum integra nocte cum Angelo luctantem, tandem femore percussum, & victoriam & nominis claritatem fuisse adeptum, adeò, vt qui luctator dicebatur, iam Israel, hoc est, videns Deum vocaretur. Hinc totius mundi mutationem præsagiens sic fatur. *Iam vbique irreligiosum ante os suis religionem docet. iam pollutum stupris corpus, continentia purum est, iam caco quondam à cogitatione Dei mens, Israël ... est.* Non aliter ego celebrauerim Iacobæi luctaminis æmulatorem Ignatium, qui bellis, luctaminibusque insudans, tandem percussus crure sic mutatur, vt qui ante profanus, & irreligiosus, iam vbique religionem doceat, religiosorum agminum factus Doctor & Pater: iam qui delitias & voluptates colebat, continentia purus est, corpúsque suum Deiparæ litando æternat voto animi puritatem, reluctante immunditiæ spiritu, imò per vitream fenestram fugiente tanti animatis suffitum. Qui rusticus & barbarus Cantaber, totus Iacob, totus luctator Israel factus est, cas patitur cœlestes visiónes, sic diuina rimatur, trutinat, vt quasi Deum viderit. Augustissimæ Triados difficilia scriptis enodauerit, spirituum motus trutinauerit, Catholicæ veritatis indicia dederit. Vere Iacob percussus crure, vere Israel videns Deum, vere rusticus luctator & miles vere ventilabrum à grauioribus dogmatis leuia discernens, à paleis grana, à fallacijs veritatem à Satana Angelum, adeò vt licet Dæmonis fallaces appetitus fuerit, nunquam captus, & antequam Catholica censura oblitterasset Erasmum, iam ipse illius opera à Societate iusserat exulare.

Hac in cautela & spirituũ discretione Israel factus est, & prorsus similis, *hominibus expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptijs vt cum venerit & pulsauerit confestim aperiant ei* Quibus verbis vt beati Ignatij spirituum discretionem illostrem, non grauabor huc referre illa, quæ lib. 1.cap.7.§.19.exarata sunt. Etenim dum dictam D Lucæ parabolam examino, non facile reperio in mundo homines adeò desides, qui reuertentem à nuptijs Dominum expectent ianuis clausis, ne antequam ipse pulset & clamet aperiant. Imò nuptiarum tempore reuertenti sponso cum carissima sodali, patent ianuæ, nemini obcluditur aditus: Luc.12.

serui eo incumbunt, vt aduentanti sponso parata domus effulgeat, ardeant facibus valuæ, seseque ardentibus facibus dent obuios famuli, ne dominus necesse habeat expectare ad ianuam, multo minus pulsare & conclamare, & pati domesticorum illud trium examen, Quis es? Non ergo desidiosis hominibus illis iubemur assimilari in hoc nuptiarum temporis examine, qui nullum habent, sed cœlestibus Angelis videntibus Dei faciem. Ita Nissen.homil.15. in Cantic. *Comparat nos Dominus cum Angelis, siquidem vigilanter Deo parcamus, & vos, ait, similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptijs, & in thalamum mysteriorum admissa iam sponsa expectabant Angeli reditum Regis ad naturalem beatitudinem & gloriam.* Sed quomodo expectabant? Sanè ianuis clausis, vt cum venerit prius ipse pulsauerit & clamauerit: *Aperite portas Principes vestras, & introibit Rex gloriæ.* Ad quæ ipsi semel & bis reclament examinando. *Quis est iste Rex gloriæ?* nec aperiant aliter. His iubemur omnes assimilari in recipiendo Deum, summa præmissa discretione & examine: quod prænotans Dauid Psalm.23.incipit. *Hæc est generatio quærentium Deum quærentium faciem Dei Iacob*: & statim subdit dialogum illum siue examen, nimirum. *Attollite portas, & introibit Rex gloriæ. Quis est iste Rex gloriæ?* quasi diceret, hic mos est, hæc naturalis conditio illorum, qui faciem Dei intuentur, vt intuitus est post certamen Iacob, nec ipsum Deum recipere, sine longo examine & discretione maxima. Nissen. Psalm.23.

Hanc Iacobææ prolis naturam perfectissime retulit Ignatius, qui Iacob in luctis, & in confractione cruris in Israëlem mutatus eam ex alta Dei contemplatione didicit cautelam & discretionem spirituum, qua suos & omnes viros spirituales edocuit: ne parerent corde cuiuis spiritus motui; sed examinarent, sed recognoscerent impulsum, sed quærerent, Quis est iste Rex gloriæ? Sapienti & amanti illi peccatrici ad monumentum apparuit ipse Rex gloriæ Christus. Tunc illa, *Domine, si tu sustulisti eum?* de quo eleganter canit Origen. ibi. *Si forti apparuerit tibi, & defacto tuo se repræsentauerit, noli à te præsumere tanquam eum cognoscas, sed interroga illum & ora, vt indicet se tibi.* Hæc canit Orig. hæc canit Ignatius factus verum ventilabrum, quod à fallacijs, & scrupulis, & erroribus animos purificat humanos. Ioan.20. Origen.

§. IX.

Beatus Ignatius opera sua omnia singulis horis, imò singulis momentis vocat in iudicium, & examen.

CVm Theologus Athanasium vocauit ventilabrum, crediderim respexisse ad illud Matth.3.de Baptista dictum, *Cuius ventilabrum in manu eius.* Vbi communiter Doctores recognoscunt exactum, & seuerum iudicium de singulis operibus faciendum: quapropter interlinealis superposuit ventilabrum discretio iudicij. Siquidem Ignatij opera toties examinata, tot iudicijs trutinata fuere, non abs re sanctissimus Vir pro sanctitatis insigni donabitur ventilabro. Sicut enim Laurentius ferreum lectum, Paulus gladium, & alij alia; posset iustè Ignatius ventilabrum manibus ostentare, vt innuerentur crebra illa & seuera iudicia de eius operibus facta. Imò verò pateret omnibus seuerum illud iudicium, quo ipse singulis horis, singulis momentis sua opera ruminabat, defectus castigabat, quocumque negotio esset intentus, quacumque occupatione præditus, ea erat animi attentione in suos actus, vt quemuis linguæ lapsum quemuis minutissimum etiam defectum perpetratum statim videret, & in corde castigaret, & nodo in corrigia ad id destinata notaret, ne memoria caderet. Matth.3.

Duplo maiorem spiritum, quam Eliæ fuerit spiritus, concupierat ardenter Elisæus 4. Reg.2. & duplo maiorem spiritum dicitur obtenturus hac sola conditione. *Si videris me quando tollar à te, erit quod petisti; si autem non videris, non erit.* Ex quo D.Bernard. serm.17.in Cant. sic nos omnes informat, *Nunquam sine nostra conscientia magistra vestra tollatur à nobis si duplicato munere volumus non fraudari.* Quasi in hoc sit duplicatum augmentum humanæ perfectionis, quod nullus nos defectus lateat, quod nulla à nobis perfectio absit, quin & videamus, & sentiamus eius absentiam. Qui sic sibi attendit, & suis intendit actibus, vt nihil spiritualis perfectionis excidat sine conscientia, ille duplicato munere donatur. 4 Reg.2. Bernard.

Sed quid magnum erat, quod Elisæus videret discedentem Eliam, vt ideo duplicibus debuerit donari? Erat quidem

dem illi summa cura necessaria qua singulis momentis debebat attendere, an Elias aduolaret. Erat illi necessaria, ait Carthus. (Carthus.) *... & diligentissima directio oculorum ad Eliam*, quibus nil mirum si accederet spiritus duplicatus. *Tales denique quærit*, pergit Bernard. *Spiritus similes hominibus expectantibus Dominum suum*, ne insciis ipsis abiit, aut transeat. Talis erat Ignatius oculatissimus inspector suorum actuum; eo intentus, ne momento aliquo accideret perfectionis lapsus, quem ipse non viderit, non fleuerit, non notauerit, incessabili, & diligentissima directione oculorum positus in suam perfectionem, ne vel minima abesset sine examine, quo singulas operationes singulis momentis ventilabat. Ecce tibi quam apte ventilabrum posuimus insigne multiplicis Ignatij sanctitatis.

Ad illud, Gladius vitij radices excidens.

§. X.

Appetitus iugulatione perfectam animi tranquillitatem, & quietudinem obtinuit.

QVid proprius Agonistæ Christiano, quam gladius? Is nunquam excidit Ignatio è manibus, quo sese aduersus latronum insidias communiuit. Qui lectulum Salomonis cingebant, omnes tenentes gladios, & vniuscuiusque gladius super femur suum, quia vt loquitur Nissen. hom. 6. in Cant. (Nissen.) sordida corporum cupiditas, veluti quædam prædonum turmæ menti insidiatur. Vnde necessum est, vt strenui milites sint parati pugnare, (Cant. 3.) *Quorum bellica peritia eo quod super femur paratum ensem habeant, terrorem affert & stuporem ys, qui noctu insidiantur.* Quo gladio perfectè sese armauit Ignatius carni & sanguini crudele bellum indicens. Cilicium pro thorace induit, & sacco amictus, aperto capite, nudis pedibus Christi ingreditur militiam: lectus erat illi dura tellus, esca ieiunium quotidianum, & ter in die sese flagris crudelibus in conflictus maiores exercebat. Hunc in dies versabat gladium, illóque viuidum spiritus paradisum inaccessum latronibus reddebat.

O vos felices, qui tali gladio armamini, quo Cherubim à paradiso latrones arcuit, (Genes. 2.) quem Abraham in proprium filium adegit. Cherubim vitæ arborem gladio igneo integram custodiuit. Abraham iussus litare Deo filium suum, è lecto, montem scandit afferẽs ipse gladium & ignem. Quibus pulcre Philo libr. de Cherub. (Philo.) *Annon vides, quid & sapiens ille Abraham, quando incœpit iuxta Deum metiri omnia, nihil creaturæ tribuens, accepit ad ignei gladij similitudinem ignem & gladium, resecare cupiens quicquid mortale habebat, vt expedita cogitatione sublimis ad Deum euolaret?* Hoc valde etiam mirandum in Ignatio, cum primum à Deo vocatus, in arenam prosiliuit, vix insita vitæ arbor menti eius cœpit adolescere, & alter Cherub, alter Abraham, nihil creaturæ tribuens, omnia humana conculcans, igneum gladium arripiens, sic carnales omnes cupiditates ferit, sic appetitus trucidat, sic se ipsum nuditate, fame, doloribus enecat, vt inaccessus vitiis sublimis ad Deum euolet. Ad eam etiam animi tranquillitatem & pacem peruenit, quam nullum rebellem motum in concupiscentia experitur.

(Cl. Alex.) Clemens Alexand. in exhortat. sic vniuersos Christianos commonefacit, *Planta calestis cum sit homo, vt calestes virtutum fructus ferat, inutiles vitiorum stolones pœnitentiæ ferro circumcidat.* Tot in dies pullulant vitiorum stolones mentibus nostris, vt pijssimi quique egeant quotidiano cultro, vt resecent, vt excidant. Cautior Ignatius, qui non gladium pœnitentiæ ad stolones misit; sed hoc gladio omnis vitij radices excidit, sicque omnem animalem vitam in se mactauit, vt puerilem innocentiam & impatibilitatem fuerit nactus.

Reuoca in memoriam custodes illos lectuli diuinissimi Salomonis, & animaduerte, quam validi pugnatores sint effigiati, omnes gladios tenentes, vniuscuiusque ensis super femur suum. Deinde apud Lucam cap. 11. (Luc. 11.) audi Deum, sic loquentem de illis, *Pu... eri mecum sunt in cubili.* Ecce tibi & armati & acres gladiatores, & simul pueri infantes vocitantur, quid rei? (Nissen.) Id eleganter innuit D. Niss. hom. 6. in Cant. dum fatur, *Quando qui cingunt ensem attendendo vitæ ex virtute ... expellunt animi perturbationes, tunc infantes ætate ... experces eiusmodi perturbationum. Hi verò ad hunc statum ... redegerunt conuersi, & impatibilitate effecti pueri, adeo vt beatus in his inueniatur vel infans, vel armatus, vt armatus quidem in puritate impatibilitatis Regis lectum, id est, cor suum custodient, vt infans autem in beato lecto quiescens.* Proh, Ignatius sanctissimus is es, qui accinctus pœnitentiæ gladio prosilis in arenam, tibi bellum indicis, pugnas, mactas teipsum, armatus hinc extiti, sed & infans es post iugulatam animalem animam factus expers omnis perturbationis. Armatus cor tuum inaccessum custodis versato ignescente gladio, puer nullos rebelles motus experiens, beatissimo requiescis in lecto; Abrahamo præstantior non ad similitudinem Cherubim gladium exeris; sed Cherubim alter factus iuxta nominis huius binas etymologias, & quasi pugnans in te bello suris, & quasi puer immensa pace, & tranquillitate frueris.

§. XI.

Pœnitentia Ignatij tandem occultatur, vt abiecta specie hypocrisiæ pluribus possit proficere.

MIror in Ignatij pœnitentia, id quod omnes mirari cuperem, nimirum, quod is gladius, qui tam immaniter versatus fuit a primo conuersionis die, tandem eum ad societatem instituendam accedit, occultatur, & quasi cooperitur, vt plures metat in aream Christi. Qui cilicio opertus & sacco, qui nudis plantis, & capite nudo incedit a principio, societatem fundaturus laneo pallio tegitur, calceos sumit, caput operit. Quid plura? Cilicium mordax circa pellem manet, & desuper pallio laneo amicitur, planta pedis nuda reseruatur, quod extimum pedis est, calceo cooperitur. Apage qui hypocrisis notam Ignatio & proli inuris, quod mordax es; qui gladius est. latet, occulitur, quod tuis oculis obiicimus, linum est, laneum pannum est; hypocrisis linum absconderet, & saccum præferret; verùm Ignatius sub lino, & lana gladium abscondit, vt plures venetur Christo.

De Angelo illo in Ægyptios primogenitos fero dicitur Sapient. 18. *Gladius acutus in simulatum Imperium tuum portans & stans repleuit omnia morte.* (Sap. 18.) Expende illud io simulatum Imperium, pro quo Græcè sonat, non fictum, non hypocritum. Et sanè si Angelus reuelatum gladium hunc inde ageret, versansque illum in omnium oculis sæuiret, nullus tamen Ægyptiorum sub gladio caderet, notam fictionis alicuius, siue simulationis, siue hypocrisis non effugeret. Verum omnia in contrarium acciderunt, quia gladius minimè apparebat. nullus mucro visebatur, & passim hinc, illinc cadebant occisi, sanè gladius iste non hypocritum, non fictum Imperium portat, si quidem occultus, & tectus omnia mortibus replet.

Si Ignatius collecturus Societatem gladium exacutum relinqueret, saccum, cilicium, nuditatem, famem ostentaret, quoties hypocrisis notam incurreret? Quoties spueretur? quam paucos socios ascisceret? Verum sapientior ipse gladius acutus, non hypocritum Imperium portans, pallio & calceis obtegit gladij duritiem, *Et stas repleuit omnia morte*; eius exemplo innumeri primogeniti, adolescentes nobiles, diuites, magnæ expectationis homines pristinam fastidientes vitã immoriuntur Christo. Huc retulerim illud Ezech. 21. *Dedi conturbationem gladij acuti & limati ad fulgendum, amicti ad necem.* (Ezech. 21.) Cum gladius hic pœnitentiæ splendescebat, cum saccus, cum ferrea catena, cum continua flagra, cum ieiunia, cum vigiliæ, cum nuditates, cum assidua mortificatio visebatur, ô quam lucebat Ignatij pœnitentia! O quales sanctitatis radios emittebat! gladius limatus ad fulgendum; sed amictus ad necem, sed cum amicitur, cum tegitur, cum linum & lana ostenditur, & cilicium, & gladius occulitur, ô quot iuuenes, quot magistros, quot viros nobiles Deo Opt. Max. mactat, litat.

Ad illud, Dei filius belli socium nanciscitur.

§. XII.

B. Ignatius altiori, & perfectissimo modo filij Dei comes, & socius dicitur.

DE prima, & suprema Angelorum hierarchia locutus D. Dionys. Areopag. cap. 7 hæc iuxta Ambros. Calmadulensem loquitur, (Dionys.) *Eadem quoque ratione Iesu felicissima Societate dignatus intelligendum, non quod ex fictis imaginibus aut formis illa Deificam similitudinem nitantur exprimere; sed quod ipsi diuina imitatio excellentiori modo donata sit, communicantque quantum par est Deifica ipsius benignissimisque virtutibus.*

Itaque

Itaque hoc in primis pro certo habendum est, nimirum suprema spirituum agmina Iesu Societate gaudere, idque habent, non quod in se corpoream aliquam effingant figuram Christo similem; sed quod illum altiori modo imitentur. Quam imitationem expressius posuit Ioannes Scotus sic vertens, *Quia Deo simile ipsis subiectiuè donatum est*, quasi tota similitudo, ex qua nascitur intima primæ hierarchiæ, cum Iesu Societas consistat in similitudine subiectionis, & obedientiæ ipsius. Quæ virtus sic fuit ab Ignatio occulta, vt vna illa & se, & suos ab aliis sacris ordinibus distingui voluerit: sic enim ait epist. quam de obedientia scripsit, *Ab alijs religiosis ordinibus facilius patiamur superari nos ieiunijs, vigilijs & cætera victus, cultusque asperitate. Vera quidem ac perfecta obedientia, abdicationéque voluntatis ac iudicij, maximè velim esse conspicuos quicumque in hac societate Deo Domino nostro deseruiunt, eiusdémque Societatis veram germanámque sobolem hac quasi nota distingui.* Adeò obedientiæ deditus, vt si mutila naui immensum tranare mare iuberetur, dixerit se dubio procul eam expeditionem aggressurum. Quis neget iam Dei filij socium B. Ignatium inuentum fuisse, & meritò Iesu Societate donatum? Vtpote cui diuina imitatio donata sit excellentiori modo, quatenus obedientia Christo Domino apparuit simillimus. (Ignat.)

Rursus, eandem similitudinem exaggerant illa verba, communicántque quantum par est Deificis benignissimísque virtutibus, vel vt gratius reddit præfatus Scotus, *communicant in præoperatrice virtute Deificis ipsius & benignissimis virtutibus.* Primò Ignatius verbo simillimus in præoperatrici virtute; ea enim peregit opera, quibus mille alij virtute insignes non sufficerent. Quot vias aggressus est? Quot peregrinationes suscepit? Quot ciuitates adiit? Quot regiones lustrauit? Fundaturus Societatem non magno hoc opere contentus, simul septem monasteria siue xenodochia & seminaria intra vrbem ædificare nititur, & ædificat. Nec ideò se à proximorum salute procuranda alienat; imò nihil aliud agere videbatur. Rursus, simillimus filio Dei in Deificis & benignissimis virtutibus; non ferro, sed oleo medelam afferens proximorum plagis, vt luxuriosum curet, remedium & durum, & austerum in se suscipiens gelida immersus aqua: vt sacerdotem Deo acquirat ludibundus accedit; & ludum qui totus serius erat, instituit, sicque & obedientia, & præoperatrice virtute, & benignissimis virtutibus Dei filio socius apparuit, & simillimus, vt ideo, vt de aliis plurimis distinctionis signis taceamus, videretur crure vulnus accepisse, vt naturæ humanæ superatæ à Dei filio signa gestaret. Hoc dixerim, quia de lucta illa Iacobi cum filio Dei, à quo in femore vulneratus est, sermonem faciens Nazianz. ait, quod illa lucta *erat humanæ moduli cum diuina sublimitate comparatio, & contentio.* Vnde & humanæ naturæ superatæ signa gestat, *Nam natura nostra, si cum diuina comparetur* (ait Scholiastes) *huiusmodi collatione quasi graui dolore oppressa subclaudicat.* Igitur crure percutitur Ignatius, vt claudicatione naturæ suæ comparatione ad Dei filium oppressæ, signum gestet, quod licet Dei filio maximè appropiet, Iesúque Societate dignetur, tamen longè inferior illo est. (Nazianz.)

Ad illud, Spiritus hominem, qui pro ipso spiret, inuenit.

§. XIII.

Beatus Ignatius diuino Spiritu plenus in trahendis, conuertendísque hominibus Spiritus sancti munus exercebat.

HAud facile erit perspicere quot homines Ignatij halitu, & spiratione correpti mundo renunciarint, quippè, sic hominum corda penetrabat, sic omnium ad Deum trahebat voluntates, vt vererentur Spiritui sancto resistere, si restitissent Ignatio. Parisiis accusatus fuit, quod Academiam viduaret, translatis in Dei quærendi studium scholasticis. nec vllam ingressus fuit ciuitatem, quam non igniret ab inhabitante sibi Spiritu sancto. De Præcursore dicebatur: *Et erat lucerna ardens, & lucens*, ex quo in illo adesse Spiritum sanctum arguit eleganter Cyrill. lib. 3. in Ioan. cap. 1. *Non enim, inquit, aliunde vim illuminandi habuit quàm ab intellectuali hoc oleo, quo huius illuminationis ignis in nobis accenditur.* Nec Ignatius ignea verba, quibus & incendebat & illuminabat omnes, haberet; nisi à suscepto in se actuali oleo diuini Spiritus. (Cyrill.)

Accipite pulcrũ indicium inhabitantis spiritus in Ignatio; Romam ipse petebat iamiam erecturus Societatem Iesu, & mille difficultates rei animo versans incidit in mentis excessum, & ecce tibi sese illi dant obuios Pater æternus, filiúsque diuinus cruce insignitus, qui susceptum à Patre Ignatium sic alloquitur, *Ego vobis Romæ propitius ero.* O maximus Patris, & Filij in Ignatium & fauor & amor! Sed numquid Spiritus sanctus minus illi propitius? Cur ergo ad illum non venit? An, quia iam in illo, & intra illum morabatur? Simile meditatur Paschasius Abbas lib. 1. de sacrament. cap. 12. Vbi expendens illa Ioan. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Sic continuo connectit, *Non quasi prætermisso Spiritu sancto; sed signanter ostendit, quod ad eos tantum Pater & ipse veniat, quos idem suæ prævenit aspirationis sanctificauerit spiritus.* Itaque cum Pater, & Filius cuique accedit, ideo accedit quia priùs in illo inhabitauerat, & præparauerat Spiritus sanctus, qui quoniam præuenerat, non apparet venire cum Filio & Patre. Vnde ex Patris & Filij aduentu ad Ignatium rectè elicimus quam ipse possideret Spiritum sanctum, quàm redundaret illius virtute, & efficacitate. (Ioan. 14.)

Hinc iam non miraberis, quod ad Ignatij vocem inferorum Imperium caderet, & Regnum peccati, imo, vt ait Ribadeneira lib. 5. cap. 6. non raro ad se venientium paucis verbis non solum præsentem morbum depelleret; sed sanaret in posterum, neque tantum ægritudinem animi, sed ægritudinis quasi radices euelleret. Sidonius Apollinar. cum aduertisset Gedeonis illud celeberrimum conflictum, quando ruptis lagenis, præcinentibus tubis hostium mille phalanges prostrauit, sic in diuini Spiritus laudes ipse cecinit.

Firmasti Gedeona tubis inserte canoris
Spiritus, & solo venit victoria cantu.

Voce resonante tubæ Gedeon hostes euertit, victoriam reportauit. Quid mirum? Diuinus Dei halitus tubis insertus erat, diuinus Spiritus mediis fistulis personabat, quo inimici facilè expugnabantur. Id quod maximè extollit Ignatium, etenim, cùm te video, ô sanctissime parens, tot hostes superare, tot victorias acquirere, tot ægritudines depellere, totum orbem terrarum inuadere, & expugnare, peccatorum immensum pondus exsufflare, & vel voce vel verbulo tanta perpetrare, non me contineo, quin in Spiritum inhabitantem exclamem, Firmasti Ignatium, spiritus voci eius inserte, & inde solo venit victoria cantu. Sola voce euertit regna peccati, solo halitu hominum animos rapit, trahit, solo verbo mille victorias, mille triumphos à validissimis hostibus reportans cœlesti regi, cui semper militauit, summis gloriæ splendoribus assidet.

§. XIV.

Ignatij magnitudo ex Xauerio.

SIc Apostolicos viros monebat Dominus apud Luc. cap. 12. nimirum, quod sint *Lucernæ ardentes in manibus vestris*, nil enim sic extollit Sanctos, eorúmque magnitudinem exaltat, quam plena lucernis manus. Hinc ego dum in D. Ignatij manibus lucernas quæro à quibus eius ingens sanctitas pandatur, è multis vna, & clarissima, & ardentissima lucerna, scilicet sanctissimus Franciscus Xauier sese mihi obiicit, lucidissimum Ignatij opus, eiusdémque sanctitatis testimonium singulare. Sed timebis ne Xauier in manibus Ignatij sit potius nubes, quæ obtegat, & obscuret, quam lucerna, quæ apparere faciat tanti parentis virtutes maximas. Xauier ille miraculorũ patrator, ille mortuorum suscitator, qui septem supra vigesima sepulchra vacuauit, quid cum Ignatio cuius meritis vnus desperatus ad hanc reductus fuit vitam mortalem? Vt hoc me expediam nodo, considero à Christi Domini voce, & tactu tres aut quatuor mortuos fuisse excitatos; verùm à D. Petri, vel vmbra innumeros ad salutem, & vitam fuisse reuocatos. Quod perpendens D. August. in Psal. 103. inquit, *Maiora videntur fecisse Apostoli, quam ipse Dominus. Sed vnde fieri potest, vt plus valeant sarmenta, quam radix? Quomodo autem quasi maiora videntur fecisse illi, quàm ille? Ad vocem Domini surrexerunt mortui, ad vmbram transeuntis Petri surrexit mortuus, maius hoc videtur quam illud. Sed Christus facere sine Petro poterat, Petrus nisi in Christo non poterat.* Id quod in præsenti de Ignatij & Xauerij facinoribus dixissem, quia Ignatius sine Xauerio omnia potuit, at Xauier nil sine Ignatio potuit, quando ab illo virtutem bibit, & disciplinã vitæ spiritualis accepit. (Luc. 12.) (Psal. 103.)

accepit. Quo liquet quam superiora sint Ignatij magnalia Xauerij facinoribus. Matth.10. dum numerantur Apostoli, dicitur: *Primus Simon Petrus.* Vbi dubitari posset, an Petrus dicatur primus meritis, an solum censu; quod vt sciat, ait
Luc. 22. Dominus ad Petrum Luc.22. *Ego pro te rogaui Petre, ne deficeat fides tua, tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.* Vbi enim iubetur Petrus cæteros Apostolos confirmare, quam superior illis existat manifestè monstratur. Ita Sanct. Paschasius lib.6. in Matth. *Iure igitur in meritis primus æstimatur, per quem, & in quo ad alios dona transmittuntur.* Quidquid virtutis habuit Xauier, nónne id acceptum Ignatio, & parenti, & statori referebat? Sanè B. Ennodius orat.4. sic D.
Ennod. Hieronymum extollebat fatus, *Hieronymus noster, nisi præceptorem suum Gregorium diceret, illo melior censeretur.* Quo ego sic adstupeo Xauerij nostri facinora, vt nisi parentem, & magistrum eius scirem Ignatium, illo meliorem Xauerium crederem. At is est Ignatius, vt ab illo nobis illuxerint Xauerij faces. Audiui Verbum diuinum dicentem de se, *Quia pater maior me est,* quæ verba sæpius de Doctorum calculo ruminatus, semper mirabar, cur non potius æqualitatem, & consubstantialitatem, cum patre nobis ostendebat Verbum diuinum, eámque parilem virtutem in patre,
Tertull. & filio prædicabat. Admirationem sustulit Tertull. libr. de Trinit. fatus, *Quamuis se ex Deo Patre Deum esse meminisset, numquam se Deo Patri comparauit, aut contulit, memor se esse ex suo Patre, & hoc ipsum, quod est, habere, quia Pater dedisset.* Quis nesciat Verbum diuinum Patri esse omnino æquale? Tamen quia hoc ipsum, quod est Filius, à Patre accepit, de Patre quasi de superiore loquitur, vt iam nemo audeat filios cum parentibus conferre, aut comparare. Magnus equidem Xauier, sed maior Ignatius, à quo ille accepit tanquam à magistro, & parente, quidquid magnum in via salutis habet.

§. XV.

Ignatij, & Xauerij gloria ex Iesu.

NE mireris cum ingentem Ignatij, & Xauerij gloriam exaggerare audias; illis viridum Iesu nomen considera attributum, quod ferant totum per orbem terrarum. Quis non maximus Iesum circumferre posset? Numer. 13. vbi de exploratoribus mentio fit, dicitur, *Absciderunt palmitem cum vua sua, quem portauerunt in vecte duo viri.* Virile robur, & hoc duplicatum opus fuit, vt tantum botrum portarent. Hinc Matthæus cap.10. Apostolorum memorans illos duos, & duos percenset, aiens: *Simon Petrus, & Andreas, Iacobus, & Ioannes, &c.* Cuius rei hanc subiicit rationem D.Paschas. lib.6. in Matth. nimirum, *Qui bini, ac bini quam bene iunguntur, vt botrum quo gentes inebrientur, duo, ac duo suis deferant humeris.* Hunc botrum portabat solus Xauier, quando impar oneri pene succumbens clamabat, *Sat est Domine, sat est.* Equidem, vt botrus Iesu quo gentes inebrientur, deferatur, non Ignatius, non Xauier, sed vterque iungitur, & hi duo tantum circumferentes botrum, & gentes spectati regni amore trahunt, & se ingenti gloriarum mole superexaltant. Vbi Moyses in monte cum Deo erat, dicitur Exod. 24. quod *facies eius glorificata est*, at vbi inter
Matth.17. Moysen, & Eliam Iesu in Thabor apparuit, Matth.17. ait textus: *Et ecce apparuerunt Moyses, & Elias in gloria colloquentes cum eo.* Quod eleganter ponderans Orig. homil. 13. in
Origen. Exod. fatur, *Nihil in lege gloriosum habet Moyses, nisi solam faciem. In Euangelijs autem totus glorificatur ex integro. Audi ergo quod dicatur in Euangelio. Cum ascendisset Iesus in montem excelsum, assumens secum Petrum, & Ioannem, & Iacobum, transformatus est ibi coram ipsis: & ecce apparuerunt Moyses, & Elias in gloria colloquentes cum eo. Hic non refertur, quia glorificatus est vultus eius, sed quia totus apparuit in gloria colloquens cum Iesu.* Ergo Ignatij, & Xauerij glorijs, nil amplius addendum quando inter illos Iesus est, quando illis datur totus Iesus, vt circumferatur per vniuersum orbem terrarum.

CAPVT VIII.

De Magorum adoratione.

QVA hora Sol iustitiæ Christus terris apparuit, præfugiens cometa siue Angelus in modum stellæ efformatus medio in æthere, Persarum Regionem nouæ splendore lucis irradiat. Cuius occasione tres sapientissimi Persarum Principes Balami imbuti halitu magno Iudæorum, & mundi bono Regem natum præsagiunt. Et intrinsecus à Deo illustrati simul, & impulsi recens natum adoraturi, potestate Regia pernicissimos camelos parant, quibus intra nouem, aut decem dies stellæ cursum sequentes Hierosolymorum terunt arua. Ibi duos plus minúsve dies commorantes dum Regem Herodem adeunt, dum sapientes Hebræos consulunt, tandem Hierosolymis egressi, ecce quæ se illis regiam vrbem intrantibus stella subtraxerat, iterum anteambula claruit, cuius Luc. decimotertio profectionis suæ diem solem Christum, in gremio Mariæ matris inueniunt, adorant, munerant apertis thesauris. Hæc ex Maldonato, & aliis.

Matth. 2. Text. Ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam, dicentes: Vbi est qui natus est Rex Iudæorum.

§. I.

Qui Deum confitentes quærunt medijs periculis, securi existunt, imò pericula detriumphant.

VIdeo Magos Hierosolymis, audiente Tyranno, recens natum Iudæorum Regem impune prædicere, sed & cognito Herode tunc regnante, Regia alienigenarum plena visa, nihilominus perseuerare, & venturum Regem perquirere. Cur impunè? Cur tanquam authores rebellionis non puniuntur? Cur vel illis silentium non præcipitur? Cur non à ciuitate, vt pacis perturbatores exulant? Sanè quia confitentes Deum quæritabant. Vbi est qui natus est Rex Iudæorum? O si hæc nos vrgeret cura, vt in omnibus Deum quæreremus! vt à singulis creaturis de Deo sciscitaremur, qua securitate, quo triumpho per media mala incidere possemus.

Bis diuina sponsa è domo exiuit, vt absentem amorem perquireret, & primò custodum phalanges offendit: ait enim, *Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem.* Merito sibi virguncula timuisset nocte intempesta à tot militibus præuenta, verum sponsa nil timens ex illis quærit. *Numquid quem diligit anima mea vidistis?* & eo solum inoffenso pede militum phalanges pertransit. Molestius secundo exiuit, namque domo egressa ait. *Quæsiui, & non inueni illum, inuenerunt me custodes, percusserunt me, tulerunt pallium meum.* Cur ita? D.Ambros. in Psalm.118. serm.7. vers.7. *Qua ratione suprà non tulerint hæreo reperire; nisi fortè, quia ibi interrogasse se dixit, Nunquid quem diligit anima mea videtis.* Hoc Ambros. vno liberabimur, hoc vno mediis periculis versabimur securi, si à singulis creaturis de Deo interrogauerimus, si nunquam ab ore excidat nomen diuinum. Hac sancta Dei inuocatione obiecta furentes sedabimus tempestates. Ecce tibi Dan.3. missis tribus pueris in fornace, furens fornacis flamma, & egrediens quoscumque accederent Chaldæorum vorabat, *Erupit & incendit quos reperit iuxta fornacem de Chaldæis.* Tunc Rex Nabuchodonosor perculsus miraculo benedicens puerorum Deo, accessit & ipse ad fornacem, neque illum ausa est contingere flamma. Etenim confitentes Deum ipsa verentur pericula. Sic eleganter dedit nobis notatum D.Chrysost. homil. de tribus pueris nuper traducta. *Tunc exijt Rex ad ostium fornacis ignis ardentis, nec cum prope fuerit positus flamma contingitur. Necessario enim ab ipso igne cognoscitur qui Dominum cœperit confiteri, per hoc & dixit, Benedictus Deus Sidrach, Misach, & Abdenago qui liberauit pueros suos.* Si Deum confitearis, si eius nomine tua lingua personuerit, furentibus flammis, immergentibus malis, tumentibus fluctibus, notus pericula omnia diffugies. Sic Chaldæus Cantic. 8. ex Israëlitarum sententia pronuntiat. *Omni illo tempore quo vagus eram, & extorris à mea patria. Dum recordabar nominis Dei magni: populi exteri non me contemnebant.* Imò populorum existet triumphator, qui Deum quæritando confitetur. Id quod breui & eleganti sermone innuit Chrysol. serm.1. Epiphan. Vbi audiens Magus Hierosolymis quæritantes, *non interrogant; sed insultant.* Sanè Chrysol. interrogatio hæc in hostes vniuersos censetur insultatio, non tam inquisitio quam victoriæ, quam triumphi proclamatio. Et quis non vinceretur, non prosterneretur ab his, qui sic Deum natum quærebant, prædicabant?

§. II.

§. II.

Qui virtuti & pietati obsequitur, nil, quod timeat, habet, mala omnia propellit.

Timuissent (putaueris) Magi natum Regem annuntiare, si noscerent Hierosolymis rerum potitum esse Herodem Tyrannum. Porrò id cito nouerunt simúlque dynastarum turbationem prænotantes, nec referunt gradum, nec a recens nati inquisitione vacant. Timere numquam sciuit, qui Deo incipit anxiè famulari, qui suum præstat obsequium pietati & veritati. Ecce tibi Iordanis qui pernix in mare ferebatur, visa fœderis arca stetit in aquis, imò retrorsum viam & fugam arripit: is idem cum aluei sui ripas occupari à Baptista cerneret, simulque filio Dei baptizando seruire aquas, & cœlum insonare voce Patris, nec stupens mysteriis tantis stat, nec retrorsum refugit aquis. Cur ita? Pulchre ostendit causam Chrysol. serm. 5. de Epiph. *Quid est, ait, quod Iordanis qui fugit ad præsentiam arcæ legalis, ad totius Trinitatis præsentiam non refugit? Quid est? quia pietati obsequitur incipit non esse timore.* Quid timerent qui nato Deo prædicando inseruiebant? Qui pietati & virtuti in quærendo Deo obsequebantur? Ij timeant qui Deo resistunt, quamuis sibi tutissimi & securissimi videantur: qui Deo obsequitur, nil quod timeat habet, etiam positus in nouaculæ acie. Quod acutissima obseruatione ostendit magnus Athanas. serm. de Pass. componens velum templi scissum cum tunica inconsutili Christi integra conseruata. Etenim cruci affixus Dominus. *Carnifices decernebant, ne tunicam scinderent, vt ea manente, maneret Iudæorum opprobrium, quod non multo post accidit, nimirum cum velo scisso, tunica Christi, ne à carnificibus quidem diuisa est; sed integra mansit.* Quid sanctius Iudæorum velo in templo? Quid maiori custodia, & cura asseruatum? Vigilantibus hinc inde Leuitis, custodienti turba sacerdotali; tamen nihil profuerunt vigiliæ, nihil locus munitissimus templi, quominus velum scissum rueret, quando quæ inseruierat Christo Domino tunica in carnificum manibus non timet scissuram, inter spicula, inter furentes gladios triumphat conseruata. O quam impauidi hostium phalanges transiremus, dum Christo Domino, dum virtuti obsequium exhibeamus.

§. III.

Sic Deum quæramus quasi non soli nos simus, sed omnes idem studium habere existimantes.

Sic Magi videntur locuti, dum quærunt. *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum?* Quasi omnes natum esse scirent. Et verò quis crederet, Iudæorum natum Regem innotuisse Persis, latuisse Iudæos? Nil magis vulgo notum existimant, nil magis tritum; ideo tanquam de re notissima sic mediis triuiis quærunt. Vbi est qui natus est? Felix illa sponsa, Cant.
Cant. 1. 1. diuino madida nectare clamabat. *Osculetur me osculo oris*
Bernard. *sui.* Hinc Bern. serm. 9. in Cant. inquit. *Gestit in osculo, petit quod cupit, non tamen nominat quem amat, quia illos nosse non dubitat. Sic & Maria Magdalena non exprimebat ex nomine quem quæreret; sed tantum aiebat ei, quem putabat hortulanum: Domine, si tu sustulisti eum? Quem eum? non aperit, quia planum omnibus esse credit, quod à suo corde nec ad momentum recedere potest.* O amor humilis sanctarum animarum, quo ideò notum & manifestum cæteris Deum putabant, quia & sibi notum & manifestum erat! Quod ipsæ de Deo sciuerant, quod ipsæ amabant, cur non crederent ab omnibus aliis scitum, & amatum longe præstantius? Minimè placuit Elias orans cum dicit, *relictus ego solus*, imò sugillans illi Deus hanc persuasionem myriades ostendit sanctorum, à quibus
4. Reg. 7. perfectissimè colebatur. Ait enim Elias 4. Reg. 7. *Ego relictus*
Eucher. *sum solus, & quærunt animam meam.* Ad hæc Eucherius. *Hæc cogitatio, quæ tantum Prophetam de ipso deiecit fastigio meritorum, & communem hominem demonstrauit. Deinde mox eum corripit sermo diuinus. Nec enim tu es tantum qui non adoraueris Baal: sunt mihi fideles famuli, & septem millia virorum electissima virtus, quam nec error humanus inclinare, nec inanis gloriæ cogitatio potuit eleuare.* Discant modo fideles Dei amatores, non sibi solis Deum attribuere; sed eo ipso, quod se in Dei amorem currere videant, credant cæteros omnes præcucurrisse & Deo frui, sicque Deum quærant quasi bonum notissimum cunctis. Hunc in suis affectum requiri à
Hier. 31. Deo pulchre insinuat ex Hier. 31. D. Athan. serm. de Pass. &
Athanas. cruce, his verbis. *Et non docebit quisquam fratrem suum dicens, Cognosce Deum, quia omnes me cognoscent à minimo vsque ad maximum, quod misericors sim in causis eorum.* Quasi diceret, hoc sibi persuadeant mei amatores, quod omnibus est notissima mea misericordia, quod nullus se abscondit à calore meo, fons sum patentissimus, non domui Dauid solùm, sed vniuersis creaturis, sic me quærant quasi existiment me omnibus adesse patentissimum. Nec sibi soli quis putet natum Christum, sed nouerit etiam in Christiana sanctitate socios quærere & admittere. De illis ardentissimis Seraphinis dicitur, Isaiæ 6. *Clamabantque alter ad alterum, sanctus, sanctus, sanctus.* Itaque vnusquisque alteri dabat locum diuinam acclamandi maiestatem. Cur non potius quisque incessabiliter clamabat? Id explicat D. Cyril. Alex. lib. 1. dicens. *Os eorum plenum est sanctis ominationibus, ac laudibus, gloriam enim decantant, idque alternis vicibus, non quia defatigantur; sed honore sibi mutuo cedunt.* Sciunt etiam in Deo laudando, honoris admittere socios, ne sibi soli quisque videatur cupere sanctitatem.

§. IV.

Erubescendum fidelibus quòd primum meminerint Dei nocentissimi quique.

Quis crederet toties expectati Regis Iudæos adeò oblitos, vt primum idololatræ & Dæmoniorum mancipia illum adorare meminerint? Ecce tibi Iudæa Regem habet tot Prophetis decantatum, tot sæculis annuntiatum, expectatum, toties in figuris adoratum, & alto obliuionis somno consepulta vix vocibus Magorum, Ethnicorum præmonita puluerulentos excutit scripturæ libros, vt discat vbi Christus nasceretur. Et Magi, & Ethnici Christum iam natum intonant. Quid fideli genti verecundius? Quærit D. Athanas. de interp. parab. quæst. 120. *Quis primus nominauit* Athanas.
Deum in terra? Et quis nominaret primus nisi Adamus qui tot à Deo acceperat beneficia, nobilitatus cunctorum animalium dominio, ditatus fructifero paradiso? Vel saltem Eua nacta prædiuitem & pulcherrimum maritum? Sanè post tot beneficia nec Adamus, nec Eua meminerunt nominis diuini. Quis ergo meminit primus? *Diabolus cùm ad Euam diceret, Quid est quod interdixit vos Deus ne comederetis de hoc ligno?* Quid Adamo, aut Euæ verecundius, quàm quod post tot beneficia Dei nominis obliuiscentes ipsi, Deum primo ab ore serpentis intonari videant? Quam quod priores pessimi spiritus nomen Dei offensuri eius meminerint, quam nos eidem seruituri? O quoties vincimur in diuino obsequio à nequioribus spiritibus! O quoties præueniunt nos nocentissimi ipsi in prædicando, & laudando Deum. Tacente Iudæa, Dæmoniacus ille sæuissimus Matth. 8. Christum exorabat dicens: *Quid nobis & tibi Iesu fili Dei:* Quod magno verborum pondere sic notat Tertull. Tertull.
aduersus Marcion. lib. 4. inquiens. *At nunc discepto, quomodo cum vocari Dæmon cognouerit, nulla vnquam retroemissa prædicatione in illum.* A nullo alio didicit, à nemine Iesum filium Dei expressè adorari audiuit, ipse primus obsequium illud laudis, & prædicationis Christo exhibuit, & ni Dæmoniorum ora obstrueret ipse Dominus, suo obmutescente populo, passim decantaretur vocibus dæmoniacis. Aliquid tamen illis permisit, vt fideles effunderemur verecundia, muti in diuinis laudibus, Dei obliti, illius quem nequissimi, quem Ethnici deprædicant laude dignum.

Imò ex hoc maximam filij Dei laudem prædicat Rupert. lib. 6. de Victoria Verbi Dei cap. 22. Vbi egregiè ponderat, quòd impius & superbissimus Nabuchodonosor fuerit primus, qui filium Dei celebrauerit. Ait enim Daniel. 3. *Et species quarti similis filio.* Ad hæc Rupert. *Speciosa victoriæ pars* Rupert.
filii Dei, quòd illum manifesta confessione prius confessus est inimicus, quam amicus. Quis enim saltem ex omnibus Prophetis tam apertè nomen illud expressit, filium Dei. Mundus eum non cognouit, nec solùm eum non cognouit, verùm etiam annunciationem de eo nec saltem Iudæus ferre potuit. Quia ergo non possent portare, alterum cultores Dei, nec patienter audire vllam esse generationem Dei, vllum esse filium Dei. Per hunc summum ex principibus suis, quem Iudæus aut Gentilis negare non posset, nimirum opprimere os non auderet in mundus, hoc nomen primitus audiuit filium Dei. Hæc ille; quibus vide, quam in filium Dei se inclinent Ethnici principes.

Text. Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.

§. V.

§. V.

Christi doctrina vna & eadem per omnes mundi Ecclesias diuisionem maximè fugiens.

VNus est sol, cuius vnico lumine vniuersæ fulgent cœlorum stellæ tam quæ orientales, quam quæ occidentales illuminant astra, vnius solis splendore candidant. Sic diuini Iustitiæ solis eadem lux, eadem doctrina vniuersas mundi plagas peruasit, non alia quæ Iudæos, alia quæ Persas, alia quæ Romanos trahit; sed quæ modo Christianam Ecclesiam irradiat, & quæ Hebræos in columna ignis perduxit, & quæ in stella apparuit, Persicis Magis eadem est, vnius iustitiæ Solis fulgurat radiis. Etenim aiebant Magi. *Vidimus stellam eius in Oriente.* Non indignati Iudaici solis radiis fulgurari, imò eodem cum Iudæis lumine ab Oriense circumfundi testantur.

Genes. 1. Vbi diuisiones, vbi pluralitates, lex integra & incorrupta conseruari minimè potest. Gen. 1. septuaginta sic fantur. *Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ ne comedatis.* Malum præsagiuit Ambros. à pluralitate illius verbi *comedatis*, qui lib. de Parad. cap. 5. ait. *Sciebat enim præuaricaturam mulierem, & ideo per pluralitatem non seruaturos ostendit, quia plurium discreta sententia est.* Damnosa legi sententiarum pluralitas, nil perniciosius, quàm arbor scientiæ. à pluribus diuisim fructus eius gustatur, ô quot errores pullulabunt! Matth. 19. à discipulis quærit Dominus: *Vos autem quem me esse dicitis?* Pro omnibus statim vnus Petrus respondit? *Tu es Christus filius Dei viui.* Cur id vnus Petrus? Cur non omnes respondent? Sanè erat pluralitas affectuum inter illos, inter quos erat Iudas, & a tali multitudine non veritas, sed error extiterit. Id insinuabat D. Gaud. in serm. 1. ordinationis suæ, dum inquit. *Dicat fortasse aliquis: sicut illos tres in camino fideles pueros, ita in hoc examine omnes Apostolos consona voce, debuisse eadem profiteri. Sed considerandum quia Iudas ille Ischariotes, quod corde non crediderat, ore confiteri non poterat.* Et vix vbi est pluralitas deficit Iudas, qui errores parturiat. Hinc Seraphim illi qui apud Isaiam c. 6. mysterium attingebant trinitatis, *clamabant alter ad alterum.*

Origen. Vbi Orig. hom. 5. notat, *non alter ad plures, sed alter ad alterum.* Suspecta enim est pluralitas sanæ doctrinæ. Hac sollicitudine tactus Apostolus 1. ad Cor. cap. 11. ait. *Volo autem vos omnes vnius viri virginem castam exhibere Christo. Timeo autem ne sicut serpens seduxit Euam astutia sua, corrumpantur sensus vestri à simplicitate, quæ in Christo est.* Vtinam Eua, quæ vna caro cum Adamo erat, esset etiam vna mens, vna voluntas cum Adamo, nec ab illo diuideretur loco, nec diuisa suo proprio iudicio fidens hæreret scientiæ arbori. At astutissimus ille serpens timens sibi ab Euæ & Adami vnitate diuisit illos, & seorsim Euæ obtulit scientiæ arborem, deinde Adamo, & cùm non vnum, sed plures facti gustum scientiæ percipiunt, ô quales mundo errores propinarunt! Noscite ergo serpentis astum, ait Paulus, pluralitatem fugite, & omnes vos per modum vnius incorruptam, & synceram Christi fidem seruate. Etenim, vt Cyrill. ait in

Luc. 12. Leuit. lib. 12. *Vult Paulus omnes Corinthios virginem castam exhibere Christo.* Imò omnes fideles hanc sibi maximè amãdam credant vnitatem. Qua licet loco diuisi, licet moribus linguisque diuersi, vnica tamen eademque luce gaudeant illustrari. Nec Orientales splendidius & differentius lumen sibi adnasci putent, quam occidentalibus, sed omnium Doctorum vna lux, vna doctrina, ab vno omnium Sole Christo profecta noscatur.

Psal. 67. Huc crediderim spectasse illud Ps. 67. *Iter facite ei, qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.* Hic perstrepebant cantibus triumphales phalanges dum Solem iustitiæ Christum versus occiduam plagam, vbi Roma sita erat, Apostolorum curru vident asportari. Quod placet illustrare vnico Clem. Alex. in exhort. ad gentes commentario, ait enim. *Fiant omnia lux, quæ sopiri non potest, & occasus credit orienti æquè illustratus luce fidei ac ipse oriens. Hoc noua voluit creatura: hanc lucis perpetuitatem noua creatura, hoc est, fidelis, qui si ius lucis est suo quasi iure exigit. Quæ enim omnia obequitat Sol iustitiæ, obijt humanitatem, imitans Patrem, qui æquè facit oriri solem suum super omnes, & rorem instillat veritatis.* Ecce tibi penè innumeræ creaturæ, cœlestes aliæ, terrenæ aliæ, insensibiles, & sensibiles, rationis expertes, & rationales, barbaræ, politicæ, orientales, occidentales sub vna Solis luce lætantur. Sic etiam diuini solis lumen idem vniuersum orbem terrarum irradiat, Iudæus, & Græcus, Barbarus, & Ciuilis, Orientalis, & Occidentalis eisdem illuminantur radiis: solis lux semper eadem omnibus antiquis & recentibus; ita prorsus iustitiæ Sol omnia obequitat imitans Patrem, qui solem suum facit oriri super omnes, & rorē instillat veritatis. Eius ortus apud Israëlitas orientales ibi præfulgens in Prophetis, & Patriarchis illuminans primò per stellam Magos, inde ad perfectum diem exsurgens versus occiduā regionem, nimirum Romam iter agit, ibique exultationem & potestatem maximā explicauit. Et fiunt omnia lux, quæ sopiri non potest, & occasus credit orienti æquè illustratus luce fidei, ac ipse oriens. Non alia lux lunæ in Synagoga, alia stellarum Persis, alia Planetarum Christianitatis; sed occidens, & oriens; sed Iudaica luna, & Christiani planetæ, & Magorum stella, vnius & eiusdem solis luce perfunduntur omnes.

§. VI.

Pudeat Doctores Euangelicos seruiliter adesse dynastis, & principibus sæculi.

NOta diuini œconomiam pueruli, vt Persarum principes traheret, non seruiliter eorum ingressus domos, vt seruilia obsequia exhibens illos affectu & officiis prehēderet; sed immissa stella eos è sublimi radiante luce pellexit. Hanc etiam mentem vt suis iniiceret aiebat Matth. 5. Math. 5.
Vos estis lux mundi. De quo eleganter D. Hilarius prædicat. *Natura luminis est vt lucem quocumque circumferatur emittat, illarumque ædibus tenebras interimat, luce dominante.* Expende Hilarij singulare acumen in illis, illarumque ædibus tenebras interimat dominante lumine. Cur ergo tot Ecclesiæ lumina, tot Doctores virtute & doctrina insignes Principum domos frequentātes illorum non interimunt tenebras? Sanè non ingrediuntur luce dominante; sed luce seruiente, & inseruiente Principum affectibus, non ex alto libertatis Christianæ dominio fulgent; sed ad vilia lucra deiecti erga se affectum obsequiis seruilibus venantur, non erga Deum pelliciunt affectum. O quam id lacrymabatur S. Nilus in ascetico. *Ad diuites accurrimus, eósque vt quod cupimus impetremus, bene meritos & Christianorum patronos appellamus, omnésque illis virtutes inesse dicimus, qui omnes in summa vitiorum fœditate voluntentur. More canum, qui cauda motu blandiore esse eáque etiam sine carne, aut panis micas proiicientibus adulantur.* Quam aliter antiqua fidelium lumina, Patres illi, qui tanquam stellæ fulgent in firmamento! quam dominante luce radiabant! quam contemnebant omnia humana decora præter animas fidelium! *Venit quidem ad Eliseum,* pergit Nilus: *dux Naaman Syrus, multáque munera secum attulit. Quid igitur? Propheta num illi processit obuiam? statímne illi accurrit? An per puerum causam, per quam venerat, aperuit, nec ad præsentiam quidem suam illum admisit, ne muneribus, quæ attulerat, eum curasse videretur.* O quam à sublimi illuxit stella hæc, & sic luce dominante Principem virum restituit sanitati, eripuit tenebris, summamque apud illud æstimationem accepit. Hinc Christus Dominus, qui vt pauperes piscatores eligeret, frequenter illos conueniebat, sermonésque perlongos cum illis habebat. Electurus prædiuitem Matth. non illum conuenit; *sed cùm transiret Iesus,* &c. Vbi pulchrè Math. 9.
Chrys. *non dixit cum staret ibi, transiuit & pertransiuit.* Etenim Chrysol.
non pecuniam, non diuitis fauorem, sed diuitis animam requirebat, & ideo quasi despiciens sua neque lumini diuitis hæsit, sed pertransiens, dominante luce, & minimè seruiente illum ad se pellexit. *Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ,* prædicebat Malachias, quæ verba premens Am- Malach. 4.
bros. lib. 1. off. ait. *Magnus iustitiæ splendor, quæ alijs potiùs nascitur, quàm sibi, excelsitatem tenet, vt suo iudicio omnia subiecta habeat, opem alijs ferat, pericula suscipiat aliena.* Expende illud, excelsitatem tenet, vt discas, quàm superioribus à sedibus Ecclesiæ lumina hominibus iuuandis incumbant. Sed væ vobis qui stellarum munus in Ecclesia Dei agitis si ab alta sede vos demittatis, vt principibus præstetis seruitia. Vere vos monebat Petr. Dam. epist. 38. inquiens: *Errat, Pater, errat, qui confidit se simul, & monachum esse, & curiæ deseruire. Vndis erutus sanus est pisces, non vt sibi viuat, sed vt alius pascat. Vocamur, attrahimur; sed vt alijs viuamus, moriamur nobis: amat venator ceruum, sed vt sibi faciat cibum. Amant & homines nos, sed non nobis, sibimet diligunt, in suas nos vertere delicias concupiscunt.* Væ qui de cœlo radiare sinit, vt tot se dedat periculis, qui Christianum dominatum oblitus, principibus impedit seruitium. Sed obiicis Danielē & Iosephum viros clarissimos, qui mundialibus regibus etiam seruierunt quidem, vt qui ea lege viuentes habebāt spiritum seruitutis. Ita elegantissimè Tert. lib. de Idol. inquiens: *Iam nunc*

quid de Daniele & Ioseph argumentaris? Scita non semper comparanda esse vetera & noua, rudia & polita; seruilia, & liberales. Nam illi etiam serui conditerant erant; tu vera nuknm seruus in quantum filius Christi,qui te etiam captiuitate seculi liberauit, & forma damnata agere debebis.

§. VII.

Vera Heroscopi via à Iesu.

Abeste hinc ô vos nimij stellarum cultores, qui tantum stellis attributis, vt illarum vi etiam humanas voluntates putetis rapi.Nō ea est stellarum potestas,sed Iesu virtus, qui vnus perficit, quod vulgo de stellis fabulantur.An id præcalluerunt Magi quando dicunt, *vidimus stellam eius & venimus?* Quasi in Christi virtute, qua sese trahi experiuntur,id verè inueniant,quod in stellarum aspectibus inocuire Astrologi gloriantur.Ecce ait D.Paschas.Psal.44.*Dicitur Iesus quiddam habuisse in vultu & in oculis sydereum, quo dinitus permulceret pias, & terreret reprobos. Alias enim nequaquam eum statim secuti essent Apostoli ad vnius iussionem. Nec qui ad comprehendendum eum venerant prostrati mox sola voce corruissent.* Syderea illa vis etiam humanas voluntates mouendas,circa orbem terrarum fructibus fœcundandum, nimis ab Astrologis decantata, verè, & cum omni effectu suo in Christo Iesu inueniebatur. Quò aptissimè D.Ambr. epist.39. dixit. *Quid igitur opus est,vt exploremus ortus signorum atque obitus, quorum ad exortum duru inarata vomeribus scindantur nauales, vel ad occasum lata messis recumbas. Vna mihi stella abundat pro omnibus: & stella splendida, & matutina, cuius ad exortum seminatum est non frugum, sed martyrum seges: quando Rachel plorabat filios suos, vt lacrymis ablutos suo pro Christo afferret infantulos. Cuius stellæ obitus non tremiorum insensibilium, sed spirantium defunctorum triumphales manipulas resuscitauit.* O diuinæ stellæ vim maximam! sanè stellarum potestas quamuis ingens, tamen non dubitare licet quin repelli posset ab humana libertate, scitum est enim illud, sapiens dominabatur astris. Ast Iacobeæ stellæ Iesu, quis resistere poterit? Vni illi refero verba, quæ dedit B.Ennodius in panegyr. Theodorici, fatus. *Congressus tu nullus hostium, nisi qui laudibus adderetur, occurrit. Militanti tropheum,qui restitit voluntati. Quæ te in acto conspexit,superatus est, qui in pace nihil timuit.* Non reges, non tyranni Iesu resistunt voluntati, puer in cunis vagit, & fortitudo Damasci ab illo superata est, & ad se durissimos quosque trahit, tractósque custodit ne videant malum.

Paschas. Ambros. Ennod.

Text. Audiens autem Herodes Rex turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo.

§. VIII.

Grandioris ætatis triumphos præmonstrat Dominus,cùm infans adhuc tyrannos perterret,& Reges allicit.

O Magna vis recens nati infantis, vix eius natalibus, natalitij crepitacillum insonuit, & tota tyranni Herodis regia turbatur!Hinc Hilar.hom.1.de Epiph.*Ecce iacentem in præsepia pertimescit armatus,contremiscit humilem Rex superbus,& abiectam infantiam, ac vagientem expauescit ætatem.* Porro Galen.lib.eui titulus est,an animal sit id quod in vtero;herorum proprium affirmat à primis vnguiculis virtutem grandioris ætatis præmonstrare. Etenim ait. *Nondum natus erat Pericles Olympius, & iam Græcas omnes ab insomnium deterrebat. Alexander nandum natus omnibus iam Ammonij filius dicebatur, & Regni Princeps.* Ecce tibi omniū Heroum Princeps Christus recens natus non ab insomnium,sed verè vigilantes tyrannos deterrebat, tenebrarum potestates debellabat, Princeps Regum terræ, à tribus Regibus adoratus,inauguratus. Accinit August.ser.1.de Nat.*Hæc sunt testimonia Natiuitatis tuæ, Domine Iesu, antequam tibi fluctus substernerentur calcanti,cederent imperanti, antequam ventus,te iubente, siniffent,mortuus,te vocante,vitassent,sol, te moriente, palluisset,terra,te resurgente, tremuisset,cœlum, te ascendente patuisset: antequam ista, & alia mirabilia inuentute tui corporis ætate fecisses. Adhuc in manibus matris portaberis,& iam Dominus acebis agnoscebaris.* Iam te Dominum sum orbis terrarum verebatur, iam Reges gentium te æmulabantur, iam tenebrosæ ingemiscebant potestates. Quis non lætetur ait Euseb.Emis.dum puer noster adhuc in cunabulis vagit,& Rex terræ cum omni Regno suo timore dissoluitur.

Hilar. Galen. August.

Ecce tibi Apocal.17. mundiales phalanges classicum cannunt. Hinc Romanorum aduolant Aquilæ,illinc Ægyptius Taurus insultat, concurrunt Chaldæi Dracones, & Tygrides Persarum. Quos omnes vidit Ioannes, & miratus ait. *Hi cum agno pugnabunt, & agnus vincet eos.* Ad hæc Rupert. *Pulchrè cum diceret possent,hi cum Christo pugnabunt,maluit dicere, Hi cum agno pugnabunt. Hæc mirabile,& laudabile est. Vnde satis eleganter in Propheta iubetur vocari nomen eius velociter spolia citò prædare, quia antequam sciat puer vocare patrem, aut matrem, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ.* Non robustioris ætatis expectat annos, vix natus, & primis vnguiculis dilacerat tyrannos: ante tela contorquet in hostes,quam lac à matris mammillis extorquet.O belle puer, si ab incunabilis deterres tyrannos,prosternis Reges,mundi robur denastas,quid cùm adolescés media in arena exerto crucis gladio inimicos pronoces in certamen?Si cùm lacrymulas fundis puer, timore reples mundiales potestates, quid cum sanguineos globos effundas, cùm pectora intrepidus offeras lanceæ? O quam miserè omnes hostes tui cadent! ô quàm feliciter tui seruuli liberabimur.

Apoc.17. Rupert.

§. IX.

Hominibus qui seruiunt, continuis subiacent calamitatibus.

OMnis Hierosolyma turbata dicitur; cur non turbabitur ciuitas hominis subaudita?Quis hominibus seruit, & non mille calamitatibus subiacet? Comes ille Centurio Matth.8. dominantium Dominum, supremumque, & vnicum creaturarum Monarcham adiens,ait, *Domine,puer meus iacet in domo paralyticus:*adstupet hominis rusticitatē Chrysost.serm.15.*Et quomodo hic Centurio,qui sic cognouit Dominum, puerum suum ausus est proferri, quasi nesciens scens peculium ad Dominum pertinere?* Gratius dixisset, Domine, seruus tuus, id enim postularet, & diuinus dominatus, & Centurioois comes humilitas; cur ergo rusticitatis inuri nota voluit dicens, *seruus meus?* an quia iacebat? Sanè non te offendat dixisse seruum meum, *meum dico, quia iacet, si tuus esset, Domine,non iaceret.* Rectè hominis seruus notatur ille, qui iacet, qui infirmitatem pondere pressus solo prosternitur. Heu quantis vexantur calamitatibus, qui homini nomen dederunt, illique famulantur. Circumspice torum hunc exercitum creaturarum terrestrium, cœlestium etiam, & incorruptibilium.imò & Angelorum,eò quòd in seruitium, & ministerium homini à Deo data sunt omnia, quas pressuras,quas calamitates,quos luctus non sustineat terra,non patiatur cœlum,non portent Angeli? Paul.ad Rom.c.8.*Vanitati creatura subiecta est, scimus enim, quod omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc.* Sanè qui creaturam dixit, non excepit cœlos, non excepit Angelos, vt rectè Cyrill. lib.5 thesaur.c.7.& Theodoretus adnotarunt. Imò omnium pulcherrimè ait Nazianz.Theologus oratio.1.in Iul.*Creatura omnis, & tabelles capta huiusmodi rerum sensus assiciuntur. Nec enim semel tantum ingemiscit & parturit corruptioni seruiens,hoc est ijs, qui in terra nascuntur, & intereunt homines.* Quandoquidem omnia creata etiam cœlestia, & Angelica homini in ministerium, & seruitium sunt data, necessum est, vt & turbationibus, & gemitibus, & doloribus partuum sobiaceant. Id quod explicatissimè proponit Theophylactus sic fatus, *Vanitati, hoc est, corruptioni subiecta est creatura propter hominem. Simulátque enim corpus accepisset mortale, & afflictionis obnoxium, cum ob rem terra etiam spinas, ac tribulos protulit, culumque vetustate squalidum, & antiquatum renouatione indiget. Ecquid propter alium corruptibilis facta est creatura, adeóque vniuersi creatio? ea, quod hominis causa prorsum subsistit.* Hoc stipendium est illorum quæ hominibus inseruiunt, quod mutationibus, quod doloribus, quod luctibus agantur.

Matth.8. Chrysost. Rom.8. Cyrill. Theod. Nazianz.

Text. Et congregans omnes Principes sacerdotum, & scribas populi sciscitabatur ab eis, vbi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei, in Bethleem Iudæ:sic enim scriptum est per Prophetam, Et tu Bethleem terra Iuda nequaquam minima es Principibus Iuda,ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israël.

§. X.

Iudæis datum erat nosse viam, & locum Domini, Christianis vero, & nosse, & quærere, & inuenire.

SIc Michææ locum, propria, & sine tropo interpretatione donantes Scribæ populi, locum Dominicæ natiuitatis futuram Bethleem ostendunt: non tamen Dominum perquirunt. Data illis fuit nascituri notitia, nati inquisitio gentibus fuit imperita. quod in Magis ab stella tractis notauit magnus Leo ser. dicens *Dedit aspicientibus intellectum, qui præstitit signum. & quod fecit intelligi, fecit inquiri, & se inueniri ... requisitus.* Principibus quidem Iudæorum dedit intellectum, qui dedit & signum, verùm ibi illi constiterunt malitia sua, prophetias, & signa videntes intellexerunt hoc solum contenti. A gentibus autem, quod Deus fecit intelligi, fecit inquiri, & se inueniri dedit requisitus. Discrimen hoc clarissime inuenio descriptum si vel duo Moysis, & Ezechielis loca componamus. Enimverò Moyses Deuter. 32. exitum Israel ab Ægypto decantans sic Deum populi sui ducem depingit. *Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans expandit alas suas.* Ecce tibi Deum viam populo exhibentem, alásque desuper expandentem non quæ ferrent, sed quæ prouocarent, quæ allicerent, quæ ostenderent, qua, & quo illis erat conuolandum. At qui obiectus Ezechieli Cherub, nempe quadriformia animalia Christo Saluatori famulantia alata erant, & bouis, & leonis, & hominis, & aquilæ facies comitabantur volitantes alæ; *Sed & manus hominis sub pennis eorum.* Aquilinas protendebant alas, & simul nobis porrigebant manus, quibus raperemur ad volandum. Ita Rupert. in præsenti lib. 1. c. 4. *Manus, inquit, per familiaritatem charitatis contingimus, quæ nos trahunt vti per fidem. & item eadem charitate opifice post fa..., & pennis ... rramus.* Illis solæ alæ viam ostendentes prouocabant, & ideo viam, & locum scientes sistunt gradum; nobis alæ viam, & locum salutis ostendunt, simúlque nos prehendunt manu, & quod fecit ala intelligi, facit manus inquiri, vt se inueniri præbeat Dominus requisitus. Huc forsan spectat illud Tert. *Christianis ante patet cælum, quàm via*, quia nimirum Saluatoris manibus rapti non in via deficimus, imò labores viæ nescimus, cum salutis locum potiamur.

Rupert.

Aduersus Gnost.

Text. Tunc Herodes clam vocatis Magis diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis, & mittens illos in Bethleem dixit: Ite & interrogate diligenter de puero: & cùm inueneritis, renuntiate mihi, vt & ego veniens adorem eum.

§. XI.

Nulla re efficatius inescarentur Magi, vt post adoratum Christum redirent, imò volarent ad Herodem, quàm si sperarent illum ad Christum adducturos.

EN dolus & astucia tyranni, en quo inescat hamum, vt sanctos trahat, *renuntiate mihi, vt ego veniens adorem eum.* Quid magis post Christum cognitum, post Saluatorem adoratum traheret sanctissimos Reges, quam Regis præsumpta salus? Miror, quòd viso Domino non ante ad Herodem, quàm ad ... euolarent. Stupeo, quod relicto somno, non Deo ipso, non regi saluando accurrerint? Vix latroni Deus in cruce innotuerat, & latro breuissimum vitæ tempus consumpturus sui oblitus, relinquens Deum socio latroni accurrit, vt resipiscat. *Neque tu times Deum*, inquit. Cur, ô latro, socium latronem alloqueris ea in hora, qua de tua salute debebas esse sollicitus? Cur pretiosissimū vitæ tempus consumis cum socio peccatore, & rebelli? prope te habes Deum tuum, Saluatorem tuum, alloquere illum, cur vicinum Deum pertransiens festinas ad remotum socium latrocinii? Eleganter D. Aug. serm. 130. *Quis non admiretur & compun...tur. Non solum enim, quod in ipso erat; sed & ea quæ circa ipsum erant relinqui ... alteri ... curam gerebat, ... Dolor est illud & ... pens dicens Non times Dominum tuum* ... est inuenientium Deum ingenium, vt etiam à Christo anathema fiant pro fratribus suis, vt à Deo ipso abstineant vt proximos afferant ad salutem. Hic ardor viscera diligentium Deum ponitur, hoc statim stimulantur aculeo quicumque sustinent oculos diuinos. Atebat sponsa Cantic. c. 2. *En ipse stat post parietem nostrum respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos, & dilectus meus loquitur mihi, Surge, propera amica mea.* Apparuit Deus mea carne indutus, me ad suum attraxit conspectum, & vix sub illius veni oculis, & loquitur mihi, vt surgam, vt properem. Quid plura? Bern. serm. 17. in Cant. *Post hunc tantæ dignationis, & miserationis respectum sequitur vox blandè, & leniter insinuans voluntatem, quæ non est aliud, quam ipse amor, qui otio esse non potest. de ... quæ Dei sunt sollicitan..., & suadens. Et audit sponsa, vt surgat, & properet, haud dubium quin ad animarum salutem.* Nil à Deo reuelato & cognito citius discitur, quàm ad proximorum euolare salutem. Ea inditur statim diligenti animo cura, vt fratri accurrat, is pungit stimulus, vt inuentum thesaurum aliis communicet. Isaias vidit Dominum, & illum anxium audiuit de mittendo nuntio, dicebat enim, *quem mittam, & quis ibit nobis.* Tunc Propheta purgatus ipse carbone igniuo sese offert ocyssimè iturus. *Ecce ego, mitte me.* De quo Nazianz. scholiastes Nicetas ait. *Isaias cum remissis sibi peccatis, audisset. Quis proficisceretur ad populum hunc? atque existimaret eam ob causam nuncium quæri, vt pari beneficio fruerentur illi, ad quos mitteretur, præ animi lætitia ipsum offert, vt illis quoque peccata remitterentur.* Nil magis in optatis habent Saluatoris amasij, quam omnium languoribus mederi, nesciunt moras, beneficum sibi Deum experiuntur, & statim prosiliunt, vt proximos ad Deum trahant. O quam inescabantur sanctissimi illi Reges a Rege vafro! *... renuntiate*, inquit, *mihi, vt ego veniens adorem eum.* Quid hac spe efficacius ad trahendum? Qui promptiores vt traherentur, quam illi, qui verbum patris ouiculam quærens viderant in stabulo? Puto, quod a Dei conspectu in Herodis regiam aduolarent; nisi diuinitus impediti coacti fuissent viam mutare.

Luc. 23.

August.

Cant. 2.

Bernard.

Text. Qui cùm audissent Regem abierunt; & ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, vsque dum veniens staret vbi erat puer.

§. XII.

Hominum frequentiam, & multitudinem fugientes lux cœlestis statim in rectam deducit viam.

QVi media Hierosolymorum vrbe hauserant Magi Herodis fallacias Pharisæorum, Scribarúmque vmbras, cum primum vrbe excedunt a cœlesti lumine, quo in rectam dirigantur viam, suscipiuntur. Hoc fugientium multitudinem stipendium est, vt diuino ductu agantur in rectam viam. O quam excandescebat Imperator Apostata audiens Abrahamo extra hominum frequentias ducto diuinum, & solum verum numen apparuisse! Homuncionem, ait, huncque solitarium, & extra hominum commercia factum in sui cognitionem Deus verus vocaret? Cur non magis omnes mundi nationes? Ciuitates gentium populosas? Cæsarum nobilissimorum exercitus? Eleganter os perfidum obstruxit Cyril. Alex. lib. 3. pulcra & accommodatissima vtens similitudinē. *Quomodo equorum domitores non digne illud dicerent? Si multi essent ipsis equi, quos ad cursus assuefaciunt, num gregatim, aut seorsum ferrent iugum? Hoc opinor manifestum esse, quod non gregatim, sed seorsum melius cursu suum perficere docerentur.* Non turba, neque equorum turmas gregatim sumptas gnarus domitor exercet in cursum, non omnes simul, sed singulos agit, versat, gyrat, vnum à turma seligit, & post hunc alium, sicque singulos seorsim edomat, vt singuli perfectissimè conficiant cursum. Hic idem mos, hoc ingenium est diuinæ sapientiæ in deducendis hominibus ad rectè perficiendum cursum, non turmatim omnes; sed seorsim a turbis, separatim à multitudine singulos perficit, & deducit. Id quod animaduertit Tertull. vbi ad Scapul. Christianorum mores exponens inquit. *Tanta hominum multitudo pars pene maior ciuitatis cuiusque in silentio, & modestia agimus, singuli forte ... magis, quàm omnes* Expende illud, *singuli forte notis magis quam omnes*; quasi id esset Christianorum insigne, quod non in multitudine, non in turbis agerent? sed seorsim & separatim singuli disciplinam exciperent diuinam, qua feliciter consummarent cursum. Ideo ancilla illa sponsa dicebat Cant. 1. *Indica mihi vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges.* Quippe caluerat non gregatim; sed seorsum equorum more perficiendum cursum. Sic Magi Pharisæorum greges Principum Hierosolymorum frequentias fugientes, stellarum agitati stimulis in rectum cursum, quo recens natum videant,

Cyril.

Isid.Pelus. dirigantur. Quo illustratur illa ponderatio D. Isidori Pelus. lib. 1. epistol. ... scilicet *... adeo ad ... lutem cond... it ... ibus ... quæ ... vt etiam ... filius, reli... ... m p... ate ... in montia cacumine beatos, ... tradit.*

Text. Videntes autem stellam gauisi sunt gaudio magno, & intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum.

§. XIII.

Is agnoscitur Deus, qui contraria carneæ voluntati suggerit, & persuadet.

ECce vobis lucidissima sidera sedes habitantia crystallinas, & puer pauperculus obscuro vix egressus stabulo, paupereque sub tecto pauperis, matris innitens brachiis contendunt de diuinitate. Spectat superne Angelicus exercitus, inferne totus orbis terrarum, iudicaturi astant Magi stellarum deuoti admiratores, & iudice Mago, stellæ priuantur diuinitate & diuina agnoscitur paupertas infantis, qui adoratur. Acutissime Chrysol. serm. 165. Magorum Chrysol. iudicium hoc extollit sic fatus. *Ambulante Mago, stella ambulabat, ... te Mago, stat stella, Mago dormiente, excubat stella, sic sentit Magus, vt quibus ... par conditio est, par ... ... sitas ... & stellam iam ... Deum credit; ... ... conseruam ... ... obsequys mancipatam.* Non equidem Deus est, qui hominum obtemperat voluntati, qui humano nutu omnia sua metiri obligatur. Creatura est conserua, quæ sublimes occupans sedes vt regnet, hominum cogitur inseruire palatio. At ille vnus Deus est summa potens diuinitate, qui sub serui forma contraria suggerens voluntati hominum, nimirum abiectionem, humiliationem, paupertatem, tolerantiam, in hæc contraria hominum animos inclinat, & trahit. Quis non Deus elatas hominum rationes, regias rationis sedes, vt greges tonsarum cogeret in stabulum? Deus ille merito adoratur a Magis, qui insitata, imo contraria homini docet, vt homines trahat. Hinc ille huius diuini pueri minister, & Præcursor Ioannes cœpit etiam suspicionem præbere diuinitatis. Hinc an expectatissimus Messias esset quærebatur, si vel dixisset, a Principibus adorandus. Id quod egregie expendit Euseb. Euseb. lib. 9. de demonstrat. Euang. cap. 5. Vbi ait. *Dum ... tacitus ... obortæ ... in ... quid tandem illud esset in Ioanne quo ... multitudo illa admiraretur ... & prædicanti bap... ma pœnitentiæ fidem haberet? ... illud, quo ducti hom... ... in desertum? Quid igitur illud erat quod a ... homines riddtret? Nam forsitan nouum vitæ genus ... ex deserto insuetatum iatus habitum ... commu... hominum consuetudinem declinans.* Sane hoc vitæ genus hominum oppositum consuetudini, humanis moribus contrarium, hominibus nihilominus persuasum, & prædicatum a Ioanne illum diuinitate vnctum commendabat, adducens Synagogæ Principes, vt illi assererent expectati Christi diuinitatem. Etenim nihil magis Deo adnatum, vt ait Cyrill. lib. 1. in Iulian. quam curam habere ne videatur hominibus glo ia minor, hominum desertuens voluntati, desiderans nobis cum momentaneas has gloriolas, & paree dimensas prosperitates. Calluit hoc forte illa Samaritana, quæ cognito Christo hoc solum existimauit quærendum nimirum *Patres nostri adorauerũt ... in ... Hiero... est locus vbi adorare oportet?* Quod expendens Chrysost. in nuper edita hom. ... *Domi... in T... etiam ... bil sæculare p... Dom... ... copiam non ... usiast.* O mul... acumen & perspicacia! simul & noscit Deum, & di... omnia contemnere sec lana. Nec ali... Deus animis innotescit humanis, quam omnium mundialium honorum oblitionem suggerens, & carnalibus desideriis contraria suadens.

§. XIV.

Maximum virtutis argumentum, quod Magi summis immersi gaudiis ... tionis meminissent ... humilitatis, qua illuminantur.

QVod inter gaudi... ... manus animus, adeo maximum ... t hinc summa virtus commendetur Abrahami. Qui sibi prolem futuram ab ore Dei acceptus Gen. 17. ce... ... faciem suam, & risit: Genes. 17. quod mer... extollit R... perd. sic fatus. *O virum ... risu Rupert. vere dignum, & sempiterna ... bene præparat... ... secutus in ... tum, vt videret & ... sit, vt in ... cad... ilius adorans omnipotentiam, cum ... promissione audiuisset ... iam gaudium ...* id liceat pientissimis Magis veri Dei adoratoribus decantare, viris equidem dignis, qui sempiterna gaudia potiantur, immortalibus lætitiis bene præparati quia ita gauisi sunt gaudio magno valde vt procidentes in faciem caderent illius omnipotentiam adorantes cuius in serili forma nouerant principatum. Nec eo gaudio magno correpti humi iacent, prosternique fastidiunt, nec humi prostrati ad genuaque infantis prouoluti lætitiam, & gaudium amittunt: sed vt Imper... ctus loquitur, nihil gloriosum videntes in puero gauisi sunt, & sic repleti gaudio cadentes in faciem in ... lem pueri mente ... lis intuentur diuinitatem. Huc videtur spectare illud Numer 24. *Dixit au-* Num. 24. *ditor sermonum ... ... qui cadit ... ... eius.* Quorum verborum Cellensis Abbas, lib. de panibus c. 1. egregius existit commentator, dum fatur. *... non ... qui non cadit, humilitas in casu ... ... inuentio: eius nempe, qui ita cadit aperiuntur oculi; non ... omnibus ... ... ; sed quomo ... ... illuminati ... oculo aperit ad concup... ... Christus ad cognoscendum ... glorificandum Deum ... ... Christus ... Procidentes ... ad vt intuitum ... recipi lumen oculorum.* O vos felices sanctissimi Magi, qui gaudio ingenti perfusi sic procidistis, sic aditis ad diuini genua infantis, vt oculi vestri sub serili forma Deum contemplaturi aperiuntur. Prou. 24. dicitur. *Septies in die cadit iu... ...* Cadit, inquam, non ex infirmitate, sed ex arte, vt hostem supplante, & coronas potiatur. Hanc explicationem dedit D. Isid. Pelus. lib. 4. epist. 158. his verbis. *Non ... & ... dic... est, ad ... quia qui legitime certat, nece... ... athlet... ...* Ita iustissimi Magi, dum puero prosternuntur, athletice cadunt, vt hostem supplantent.

§. XV.

Magorum humilitati, qua procidentes adorant, diuinus infans & Maria mater datur.

NOtanter singula profert Euangelista quæ inuenerunt Magi, quibus tam longi itineris fastidia recrearunt: inuenerunt, ait, puerum, nempe illum quem anxie per tot terum discrimina quæritabant; sed & aliud inueniunt, de quo ipsi vix curarant, nimirum Mariam diuini matrem infantis. Et dum prolem vnice quærunt humi prostrati prole, & eiusdem matre ditantur. O quam antiquitus Deum quærentium humilitas duplicia notauit præmia reportare! Ægrotanti Achaz salutis signum obtulit Isai. vates 7. c. *Pete* Isai. 7. *tibi signum ... profundum inferni ... in excelsum ... ne ... petam, & non tentabo Dominum*, respondit humilis Rex, & pius. Tunc vates eleuata voce, ... *Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel*; qui vnum promiserat signum, post humiliatum Regem multiplicat signa non iam disiunctione vtens; sed ab excelso, & a profundo humanæ salutis authorem prænuntiat. Accipite Epiphan. in Ancorato sic fantem. *Quod Achaz per humilitatem respon-* Epiphan. *dit ... humilitatem duobus ... ... unum tantum erat pollicitus ... ... Dominus duo, ab excelso verbum suum ... ... profundo carnem ... verbum assumpsit.* Sic Regia humilitas duplicauit salutis lucra, sic Magorum humilitas Dei verbum, & Mariam matrem inueniens duplicatas etiam percipit laborum vsuras.

Text. Et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrham.

§. XVI.

Diuinum puerum subeunda mortis flexuros ... nuperi adoratores maxime illustrant.

NIl in ... sia ma... ... rum, quam regalium horum mi... ... regia Christi potestas auro insignitur, Deitas thure, myrrha mortalitas hominis.

Quæ

Hilar. Quæ nescio quo sale inter alios D. Hilar. exprimit. *Oblatio,* ait, *munerum intelligentiam in eo totius qualitatis expressit, in auro Regem, in thure Deum, in myrrha hominem confitendo: atque ita per venerationem eorum, sacramenti omnis est consummata cognitio, in homine mortis, in Deo resurrectionis, in Rege iudicij.* Cur in homine meminit mortis, & in Deo resurrectionis? Sanè infantium cunabula plausibus omnigenisque lætitiis cuncti mortales condecorant; ibi gazæ prædiuites, ibi epulæ, ibi cantus. Sic nascente Domino, Angeli etiam trepidant: soli Magi funesta referentes munera quasi totum diuinum natalitium detuepant. Cur cum vitæ largitorem, & reparatorem adorant, sepulcralem inferunt puluerem? Cur Dei venerantes ortum in homine mortis conditionem sugillãt? Hæccine natalitia munera? Hæccine diuini infantis decora? Ita prorsus totam infantis pulcritudinem mortis vmbris, & diuinitatis splendoribus compositam veri rerum æstimatores pronuntiant.

Veritatem mortis à Christo Domino depellit Marcion reputans Deo mortem indignam, quem sic meritò Tertull. Tertull. pungit lib. de Car. Christ. *Scelestissime hominum, interemptores excusas Dei. Nihil enim ab eis passus est Christus, si nihil vitæ passus est, parce vnicæ spei totius orbis, qui destruis necessarium decus fidei.* Etenim nil magis Deo decorum, quam halantia diuinitatem vulnera, nullo gratior, & formosior Christus apparuit, quam sub radiantis diuinitatis stemmate, mortalis corporis exhibitis flexuris. Quis est iste formosus in stola sua? aiebant Angeli; quorum vt admirationem excutias, Nazianz. ait Naz. Theologus. *Stola corporis passi pulchritudinem ex aduerso profer, quod per passionem exornatum, & per diuinitatem, qua nihil pulchrius, illustratum est.* Vna hæc stola digna Christi diuinitate, & morte contexta, qua nihil pulchrius, nihil gloriosius, nihil Deo elegantius confingi potest. *Formosa est* Nizetas. *ipsius stola*, ait Nizetas, *hoc est perpessum ipsius corpus, partim ob passionem, per quam glorificata est, partim ob diuinitatem, per quam illustrata est.* Hanc prædiuitem & gloriosam Christi stolam Magi primi explicant, & vulgant, dum eorum muneribus sacramenti omnis consummata est cognitio in homine mortis, in Deo resurrectionis. Ecce ex myrrha, & thure, ex Deo, & homine, ex diuinitate, & morte pulcherrima pueri stola a Magis euulgata prælucet. Qui tunc nascentem Deum maximè illustrant, cum sub eiusdem diuinitate mortis poculum etiam propinant.

§. XVII.

Iudicis rigorem sibi emolliunt, dum sub miti specie puerum vident.

AVreis sopiebat vannis suos infantes antiquitas, vt inde maximarum felicitatum omen acciperent. Sic insinuat Callimachus in Iouis hymno.

——— Nemesis sopiuit in aureo
Te vanno.

In auro Magi dum munerant infantem diuinum, consopiti iudicij sibi quasi præsagire videntur. In auro, aiebat Hilar. Hilarius, ostendunt Regem, in Rege cognitio iudicij prælucet. Sed ô vos felices qui indicem puerum obtinuistis, qui iudicij formam sub miti specie potimini. Cum Christus Dominus apud Thabor lucis fulgurantis amictus induit, Basil. putat D. Basil. tunc fulgurante Christi facie extremi iudicij monstratam aliqualem figuram fuisse. *Spectaculum*, inquit, *splendore eorum, quæ videbantur, fulguris instar perstringens oculos significauit orbis terræ futurum iudicem.* Quid inde? Pergit Basil. *O beata lumina, quæ terribilem diem iudicij in miti cernunt specie! Quæ enim cernent trementes Angeli, ea læti viderunt homines.* Hinc etiam præeminet Magorum summa felicitas, qui terribilem iudicis rigorem confitentes, in munere gaudere iubentur, quod illum sub miti infantis specie videbant. Inde beati, quòd possint cernere cum lætitia, quem Angeli trementes vident. Quam Magorum felicitatem D. Chrysost. in Cat. insinuat sic inquiens. *Gaudebant oculi eorum contemptibilem puerum aspicere, quia spiritus in corde eorum terribilem eum monstrabat.* Quantò enim terribiliorem præsentiebat iudicem futurum, tantò lætiores puerum, & contemptibilem nitebantur aspicere, dicentes non timere, quem lenem, quem blandum, quem misericordia nouerant delinitum. O beata Christianorum lumina, quibus etiam conceditur terribilem iudicem quotidie sub miti specie conspicere.

§. XVIII.

Temporalia bona maximè grauant possessores suos.

DEi recens nati muneratores Magos sic D. P. Chrysol. effingit serm. 103. *Indeuotus satis est vacuus adorator. Probat hoc Magus, qui onustus auro, succensus thure, sacratus myrrha Christi cunabulis inclinatur.* Sed iam expendo singula.

Onustus auro, quid aliud aurum, quàm onus? Sanè omnes mundiales diuitiæ, & delitiæ, & pulchritudines onus sunt, quo miseri possessores deprimuntur. Quid Absalonis crine pulchrius? Quid ditius? Quid pretiosius? Sed ecce 1. Reg. 14. 1. Reg. 14. quid sacra historia dicat. *Tondebat caput suum, quia grauaretur, cum autem detonsus esset, ponderabat capillos capitis sui.* Expendit acutè verbum illud, *ponderabat*, D. Paul. epist. 4. di- Paulin. cens. *In impij capite non aliquam virtutem, sed tantum sarcinam capillorum scriptura designat. Ponderabat*, inquit, *capillos capitis sui.* Hæ sunt mundiales diuitiæ, & pulcritudines, onera incomportabilia, quæ grauent, quæ deprimant possessores suos. De magno Abrahamo dicitur in Genes. *Erat autem Abraham diues valde in pecore, & argento, & auro.* Vbi D. Hie- Hieron. ron. lib. 5. in Genes. *Hebræo scribitur Abraham grauis vehementer: Ægypti enim pondere grauabatur, & licet videantur diuitiæ esse pecoris, auri & argenti, tamen si Ægyptiæ sunt, viro sancto graues sunt.* Etenim mundana hæc bona siue in impij, siue in pij capite, nil nisi sarcinam, nil nisi onus addent, quo deprimantur. Quam hoc D. Hieron. insederat animo, conijcere licet eiusdem ep. 34. ad Iulianum. Vbi adolescentem illum Euangelij, qui se omnia fecisse iactabat, vehementer contristatum videns ex Domini consilio, quo omnia vendere & pauperibus dare iubebatur sic ait. *Qui omnia se fecisse dicebat, in primo certamine diuitias vincere non potest. Vnde difficilè intrant diuites in Regna cælorum, quæ expeditos, & alarum leuitate subnixos habitatores desiderant.* Nulli homines magis ab alarum leuitate distant quàm qui caducis bonis, qui auro incumbunt, vbi cœlestis habitatio non nisi alis leuitantes, & expeditos capit viros; necessum penè est diuites auro & cœlestibus sedibus exulare, ægrè, & difficulter onusti auro cœlum scandent, quando alis, & expeditione opus habent, qui illud ascendere nituntur. Non longè abest Homerica illa excogitatio Illiad. 15. Vbi Homer. Iunonem mille suppliciis ereptam, operàque Deorum cœlestibus sedibus restitutam, tandem Iupiter iratus ponderosis ex auro factis catenis illam extra cœlum reuolandi succindi, etiam procurantibus Diuis; *iniecit*, ait, *manibusque catenas.*

Ex auro solido, tibi sic per nubila cæli
Suspensæ, potuere Dij haud succurrere quicquam.

Væ qui auro constringuntur! qui vel sanctorum iuuamine ægrè, & difficulter cœlum intrabunt. Quid plura? Elias 3. Reg. 2. igneo raptus curru vnico grauabatur pallio, nec antea cœlum scandit, quam in terram dimittat pallium. Sic Hieron. Hieron. vbi suprà. *Elias ad cælorum Regna festinans, non potest ire cum pallio: sed mundi in mundo vestimenta dimittit.* Et quem tota ignei currus pernicitas leuabat, vnũ pallium grauat, deprimítque ne scandat. Quam grauedinem vt Magi diffugiant, aurum à se abdicare festinãt, & apertis thesauris suis, quod primò offerunt, quod primò, & festiniùs dant conculcandum Christo, aurum est, ait enim: *obtulerunt ei aurum, thus, & myrrham.* Sed age, proferam D. Isid. Pelus. acumen, qui lib. 2. epist. 234. pulchrè depingit discrimen inter amorem voluptatis, & amorem pecuniæ. Ait enim *corporum amorem ob eam causam pictores cum facibus, & pennis depingunt, quia nunc libidinem inflammat, nunc rursus ob saturitatem auolat. Tantum verò à pecuniæ amore abest, vt pennas habeat, vt pedes quidem illi vllus vir cordatus tribuere queat. Neque enim ingredi, atque ab eo, qui captus est, secedere potest: verum manus in omnes immittens, ferro quouis, ac plumbo grauior insidet.* Ad hæc memento statuam illam regi Babylonio obiectam apud Daniel. c. 2. Eius caput aureum, pectus argenteum erat, sed post, ferreas tibias, digitorum partem testaceam, & partem ferream habebat. Sed cur pedes cruráque ferrea? Sanè vbi cor, capútque auro, & argento immersum est, non alas expectes, nec leues pedes, vt ad æternum currant brauium, sed ferro plumbóque grauiores. Do Rich. Vict. lib. 1. de Erud. int. hom. p. 1. c. 33. vbi sic. *Nónne tibi videtur incedere ferrea planta, qui cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris? Verè auaro nil est scelestius, qui nec proximo compatitur, nec sui miseretur. Quid iam miramur huiusmodi hominem habere tibias ferreas, cum habeat ferreas plantas?*

§. XIX.

Oratio Deo grata a corde unum Deum spirante debet prodire.

MEritò à Chrysologo introducitur Magus succensus thure, quasi inde orantis habitum iam designet, qui holocausti victima effectus terrena omnia per amoris ardorem consumat, & vnum Deum spiret Hoc [illegible] Pharisæo discernebat discrimine Publicanus ille apud Luc. 18. dum orans percutit pectus pugno. Vbi Theophyl. ait. *Bene Pharisæum percutiendo pectus, quid in actu orandi præcipue [illegible] dum, nimirum cordis contritionem, & afflictam: percutit enim pectus, quasi manu designans vnde oratio germana procedat & vt cor ipsum, [illegible] excitet Deo.* Enim verò contritio, omnibus pessundatis, in solum Deum aspirat: quare opus est, quòd pessundatis omnibus carnalibus desideriis ardeat cor inflammatum amore diuino, vt grata Deo oratio fumet. Sic equidem orabat illa Cantic. 3. quæ per desertum ascendebat *tanquam virgula fumi ex aromatibus.* Vbi Hier. *Bene quasi virgula fumi [illegible] concremata intus in holocaustum [illegible] amoris & desiderio charitatis.* O quàm gratè ab hoc charitatis incendio, vbi terrena omnia concremantur, & sola diuina requiruntur, fumant in Dei olfactum orationis thura! Non nisi ab incendio thus exprimit suas vires, neque oratio valet, quæ non ab animo igne purificato diuino consurgit. Hinc D. Bern. orationi insinuans ruinam, sic inquit. *Indignus cælestis benedictione [illegible] quæ dubio quærit [illegible] qui duplici intentione petit, aliud sibi refugium parans si forte ea obtinere non contingat.* Eece tibi quam orationi [illegible] officiant, qui non à concrematis terrenis omnibus coram Deo fumigant; sed terrenis contenti, & consolati ad Deum clamant corde diuiso. Peccator ille fratricida Cain aiebat. *Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear. Quid ergo? [illegible] anima [illegible] quidem [illegible] qui inuenerit me occidet me, [illegible] habitatores, & prohibetur occidi.* Sic scelestus iste Deum alloquens cor terrenis desideriis conseruabat imbutum, nullo amoris Dei igne calidus eructabat vana, & iniqua suspiria. Secundus ille Saul, 1. Reg. 15. compunctus dixit, [illegible] *Domine pro me.* Vtinam ibi fisteret, vtinam solum Deum placabilem requireret; verùm continuo subdit: *Sed nunc honora me coram populo. Ad quid tibi [illegible]? [illegible] illa supplicatio [illegible] Sic [illegible] dilectissimi [illegible] in caducis, & transitoriis non requiescant [illegible] cælestis subtrahit [illegible] consolationem.*

Huc respexisse crediderim D. Paul. 1. ad Timoth. 2. dum inquit, *Volo [illegible] leuantes puras manus.* Expende illud: *leuantes puras manus*; enimuero puras non tam munditiis, quam mistionibus opponi dicitur. Vinum purum, puram creaturam vocant, cui nihil aliud [illegible] permistum, nimirum vino nil alterius liquoris, creaturæ nil entis increati. Sic monemur leuare in oratione ad Deū puras manus, qui cum diuiso corde, & desideriis carnalibus incumbunt, & Deo inhiant, non puras leuant manus, [illegible] fictione permistas. Explico rem exemplo tristi, & famosi latrocinii: quippe fur quidam in [illegible] manum sibi ex ligno efformarat egregiè [illegible] magnitudine, & colore [illegible] manibus petquam similem, qua manu iunctim cum vera alia manu eleuata, dum videbatur [illegible] templi leuatis manibus orare, simul astantium crumenas soluta altera [illegible] manu perquirit, & emungit. Sic [illegible] qui externe videntur orare non leuant manus puras, sed manum [illegible] leuantes simul ad Deum orant, & simul tacita manu terrenis desideriis adimplendis maxime incumbunt. [illegible] spectabat Isaias cap. 1. ex Dei [illegible] ad mal[illegible] aiens. *Cum extenderitis manus [illegible]* Vbi D. Basil. fatur. *[illegible] extendit autem qui ind[illegible]* Eia age tu qui verè oras [illegible] affectum carnalem adure, & combustis omnino desideriis [illegible] rerum, puras manus [illegible] procura. Et vt eleganter concinit Nazianz. Carm. 9. de Virg.

Nec [illegible]
Hu[illegible] dextra [illegible]
Tunc in etiam [illegible]
Et [illegible] Deo [illegible]

Soli Deo leuentur, denturque manus puræ, omni fictione, omni carnali desiderio consumpto, cor in Deum inflammatum orationem fumiget, quæ Deo velut thurus concremati suffitus gratissima exstat.

§. XX.

Tribulationes, & dolores consecrant hominem.

TAndem a Chr[illegible] Magus myrrha consecratus, quandoquidem tribulationum [illegible] laborum, & dolorum tolerantia homines Dei obsequium, & ministerium reddit consecratos. Id [illegible] Stephanus [illegible] *sed animum [illegible]* id est sacro [illegible] reddit consecratum. Alioquin non auderet sanctissimus Dauid, etsi fame pene enectus in propositionis panes, qui [illegible] solos sacerdotes consecratos decebat. Sed Dauid [illegible] profugus ad mortem petitus, peruenit aliquando in [illegible] hos panes, quos accepit deuorandos. Vnde pussimus Dauid in tale facinus audet? Cur se tali constringit piaculo quòd panes deuoret solis sacerdotibus reseruatos? Pulchre D. Hieron. in cap. 2. Sophoniæ. *Dauid non erat de [illegible] ne liceat comedere panes propositionis [illegible] Saul [illegible] propterea in fuga [illegible] non [illegible] mandat in Dei.* Qui laterus erat, & profanus, à persecutione Saul, à tolerantia tribulationum myrrheo chrismate inungitur, & Antistes consecratur. Sic Mater illa Machabæorum, cum primum charissimos sibi [illegible] immanissime cernit excruciari, cum carnificum manibus decerpi videt, cum ardenti torreri sartagine, cùm à crudeli rota conspicit volutari, eos apud Naz. fatur. *[illegible] mei [illegible] meæ, atque ciuitatem [illegible]* Ab vna quidem laborum, & tormentorum consecrati tolerantia; adeo labores, tribulationes, amaritudines inungunt, & consecrant humanos animos Nec [illegible] an hæc tribulationum virtus suboluerit etiam pagan ismo. Etenim audio Mithræ Sacerdotes non nisi côuitiis, & [illegible] initiatos. Sic Georg. Girald. syntagmate 7. *[illegible] Mithra [illegible] poterit, nisi per [illegible] gradus [illegible] flam.* Quem consecrationis ritum obiecit Apostat. [illegible] Naz. orat. 1. sic dicens. *[illegible] ebrietates fiunt, & in [illegible] Chaldam, [illegible] Deo, qui volunt initiari, duodecim [illegible]* Tam verum est, à myrrheis tribulationem succis homines consecrari, vt id pateret ignorantiis Gentilium. Sic Magi vero iustitiæ soli ministraturi myrrha accedunt consecrati, nimirum per longi itineris incommoda, & labores nascentis numinis initiati Antistites.

Text. Et responso accepto, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.

§. XXI.

A Deo quodammodo recedendum est iis, qui aliorum curam habent, vt sibi commissos tueantur.

PRæ nimia Dei charitate optabat Paulus a Christo anathema [illegible] pro fratribus [illegible] sed & [illegible] ales Magi à Christo separantur, vt suis medelam afferant. [illegible] citur, reuersi sunt in regionem suam: cur porrò [illegible] Christum potirent [illegible] regionem, & domum, & fam[illegible], & regnum non obliuiscuntur? Enim vero [illegible] Deum [illegible] amor quod non adhæreant illi, quod ab illo [illegible] separari: immo [illegible] sapi[illegible] consolantur etiam Christo [illegible] muneri [illegible] officio fungantur. Id quod [illegible] insinuasse ait. [illegible] Hoc [illegible] Rex [illegible] Regi [illegible] placent [illegible] Regi [illegible] Deum ador[illegible] Ecclesiastic Princip[illegible] fuit. Do[illegible] Thaberis madidus aiebat. [illegible] Dominus apud Timotheum Antioch [illegible] Quis [illegible] creditus est, cui prouincia, cui Regnum male apud Deum audiet, si nimirum deuotus, etiam

etiam vt Deo adhæreat, suorum obliuiscatur. Respuet sanè hanc animam erga se deuotionem ille Deus, qui pessimum Euæ a Deo recessum haberet excusatum, si illa, ne subditum sibi tristaretur, arbori appropinquaret. Sic de serpentis astu conquerenti Deus apud Diuum Chrysost. respondit. *Serpens decepit me, inquis, & comedi, ô Eua etiā: te vero tradidi, num & serpentem tibi tradidi?* quasi Deus excusationem illius recepisset, si prætextu alicuius sibi subditi esset lapsa. Excusabilis est, imo gratus est qui diuinis se negat ... bus, vt suorum occurrat necessitatibus, qui a D... aduolat, qui vt sua curet, & agat, à quieta Dei c... ne separatur. Nullique dignus iudicabitur venia ... pastor, qui prætextu fruendi Deo commissas sibi oues lupis ... que ferissimis relinquit deuorandas. Quocirca minime prætermittenda est illa de ouibus insignis cura in Marti... tantum non ad superos euolante. Etenim ait. *S... populo tuo sum necessarius, non recuso laborem.* Quod ingenti admiratione prosequitur D. Bernard. in serm. fatus. *O vir ... m charitatem! O obedientiam singularem! Immobilis ... gaudium tuum. paratus redire iterum in pericula, & ... tuo peregrinari diutius, si modo ipse voluisses. Magnum quid ... entia cœlestia, Angelis ancit, ... ed quod dicere audeam pace ... e fcio an inueniatur in ... alio qui ... iam paratus in tale ... os mittit, in quo necesse habeat, non videre faciem Patris. ... m est, Petre quod Dominum secuturus, omnia reliqui ... audios ... in mente dicentem, vbi transfiguratus est ... Bonum est nos hic esse. Non est hoc; si adhuc populo tuo iam necessarius, non recuso laborem.* Sic boni pastores à Christo etiā separati amant, vt ouibus Christi inuigilent.

Bernard.

CAPVT IX.

De occursu Domini, & Simeonis, ab illo Luc. 2. Et ecce homo erat, *&c.*

CVM Deiparæ purificationem legalem late lib. 1. cap. 11. per totum explicauerimus, in hunc locum seruauimus qualiter Deifico infanti senes occurrerint, eiúsque laudes celebrauerint. Etenim cum maternis brachiis quadragesimum diem agens templo inferretur paruulus ecce tibi ad resignatum misericordiæ fontem candidissimi olores aduolant. Hinc senex Simeon huius horæ spe diu ... entatus vlnis excepit puerum; cuius glorias dum ... breuem matri dolorem, æternum Iudæorum excidium lamentatur. Illinc senex item Anna totam se fundit in pueruli laudes, mirantúrque vniuersi, cum audiunt Dei magnalia, redemptionémque Israëlitici populi contemplantur.

Text Et ecce erat homo in Hierusalem, cui nomen erat Simeon, & homo iste iustus, & timoratus, expectans consolationem Israël.

§. I.

Nulla consolatio bonorum expectanda homini; nisi ea, quam secum infert Christus Dominus.

LOngæuitas iusti Simeonis hunc in illius animo inseuerat affectum, quo sibi ab omnibus mundialibus caueret bonis, quo splendidissima quæque timeret bona, & suspecta fallaciæ, & infirmitatis haberet. Vanas ergo gloriolas relinquens vanis, eam vnam expectabat gloriam, & consolationem, quæ desiderio sui miro sanctissimos Israëlitas iamdiu affecit. Ea erat quam omnes Christo introducente potirentur, hæc vna expectati postulat, non timeri; hanc vnam non timebat; sed expectabat timoratus senex. Ita D. Gregor. Ni... enus, orat. de occursu Domini fatur. *Non ergo ad mundanam ... oriam Israelis consolationem sapiens expectabat Simeon; sed eam, quæ est vere traductio ad veritatis pul ... tudinem. Nam cum ... atum ... t responsum fore, vt antequam ... vita excederet, videret Christum Domini, expectabat fore vt spiritualiter cum e... appareret populi consolatio.* Id maxime ponderandum, nimirum; *expectabat fore vt cum Christo appareret populi consolatio;* quasi omnes consolationes, omnes delitias & respueret, & timeret quæ sine Christo essent. Etenim præ oculis habebat populorum gloriolas ha-

Gregor. Nissen.

lantes interitum, astabant illi consolationes toties allatæ populo suo a Moyse, a Iosue, a Mardochæo, a reliquis Saluatoribus, quam labiles fuissent, quam cito euanescebant, & quantas inde calamitates pariebant. Hinc cautus, & timoratus has mundanas glorias, & consolationes fastidiens, illam vnam gloriam, & consolationem in optatis habebat, quæ cum Christo Domino populo Israelitico promissa apparet. Huius spe vel solum paradisi nomine perterritum latronem ditabat Dominus a cruce, & deliciabat, dixerat enim: *hodie mecum eris in paradiso,* & dixisset plane quod tibi D. August. serm. 119. fuit commentus, nempe *intra paradisum nequaquam vltra cum Adam visurus infernum. Nullum illic cibum lethalem, nullam iam legem, nullam arborem pertimescas. Et ne forte verearis, ne tibi aliquis hostis, ne ante nus ille latro insidietur, possessio tibi illic me in introducente firmabitur.* Et sane nulla firma possessio, nulla stabilis consolatio, nullum bonum sine timore habēdum est, nisi quod introducente Christo amplectentur. Non est in terra paradisus, non est consolatio sine lege, sine lethali succo, sine exercitu hostium inuadentium, vnus ille paradisus, & consolatio nobis est expetenda, quæ cum Christo nobis apparet, hæc nobis firma erit: reliquæ omnes maximè expauendæ, & exsufflandæ. Hinc gaudio plenus personabat Psaltes 67. *Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium, Dominus in eis.* Iam populorum vera gaudia, & solidam, firmamque cōsolationem præsagiens, eo quod Christus gaudio, & consolationibus aderat. Vt ibi August. fatur. *Mirifice ... um dixisset millia lætantium, continuo subiecit Dominus in illis, ne miremur quod lætentur, Dominus in illis:* cum quo vno vera omnibus aduenier consolatio.

August.

Text. Et Spiritus sanctus erat in eo, & responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.

§. II.

Seruorum Dei ministerium ab ipsius præmij aliquali largitione solet præueniri.

O Quoties qui Deo seruiunt, antequam operis seu laboris consumment horam, se largitione præmij præuentos vident! Apostolica audiui lege cautum, Non coronabitur nisi qui legitime certauerit, vt ab eo expectaretur corona, qui certaminis victor arenam reliquerit. Et ecce tibi primus ille Christianus athleta, qui in arenam descendit, medio in puluere clamat. *Video cælos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei,* quod post mille certamina, post mille mortes si videret esset felicissimus, nondum certamen definiens, & præmium iam gaudens potitur. Meritò Euseb. Emiss. inquit. *Vide quantum agat in pectoribus seruorum suorum diuinæ charitatis ardor, quod sperabatur desiderijs, oculis demonstratur. Necdum explet famulus ministerium suum, & iam Dominus aperit regnum suum.* Nondum cursum consummauit famulus, & coronam non in reliquo repositam, sed manibus appositam contemplatur. Præ oculis habet, quod si tantum haberet in optatis, felicissimus exultaret. Sic præueniuntur iusti præmio certaminis; sic ante Steph. Simeon prius præmio dicitur donandus, quam curriculum vitæ consummaret, eiúsque oculi videbunt quod multi alij, quia desiderarunt, in æternum beantur. Quam verè, tam feliciter Paulus dixit ad Philippens. 1. *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.* Vnus mihi Christus & vitæ ratio, & mortis præmium, *quasi diceret,* ait Guarricus, *vt Christum magnificem viuere volo tantum, & Christus est præmium mortis meæ.* Vide modo quid agat cum seruis suis diuina charitas Christus, qui præmium est morientium Apostolorum, qui a Paulo sperabatur, vt suæ mortis corona. Antequam Simeon vita fungatur, antequam mortis vmbram videat, iam illi datur, & quod sperabatur desiderijs, oculis demonstratur. Etenim Simeon accepit responsum, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. Itaque qui post mille mortes erat sperandus, vt præmium illarum, Simeonis præuenit mortem, & sic illi videndum exhibet. Quam diuinæ charitatis in suos festinationem S. Ambros. verbis serm. 6. in Psal. 118. sponsa diuina sic exprimit. *Ecce hic aduenit saliens super montes, adhuc ego eum quæro, & ille iam venit, adhuc ego ... fragia capio, & ipse iam proximus est, ego suscito mihi charitatem tupio, & ad me plus charitas ipsa festinat.* Dixisset fere Simeon sic

Act. 7.

Euseb.

In purific. serm. 5.

Ambros.

præuentus, sic a Domino præoccupatus, vt mediis ipsis votis, medio in puluere ante occursus, & certaminis consummationem iam desiderati Christi oscula prægustaret. Hinc infamat Tertul. Marcionis Christum, qui nulla suorum à primordio habita ratione, tandem extremis temporibus venit opem ex tunc solum laturus. Etenim ait lib.: *Quid de tali medico iudicabis, qui nutriat morbum mora præsidij, & periculum extendat dilatione remedij, quo pretiosius, aut famosius curet! Talis & in Deum Marcionis dicenda sententia est, mali permissorem, benignitatis præuaricatorem, quem non statim causa sua exhibuit.* Quasi præuaricator esset bonitatis, retardaret auxilium.

Text. Et venit in Spiritu in templum, & cùm inducerent puerum Iesum parentes eius, vt facerent secundùm consuetudinem legis pro eo. Et ipse accepit eum in vlnas suas, & benedixit Deum, & dixit.

§. III.

Diuturnis virtutibus maturata expectatio in primis Deo gratissima, & homini vtilissima est.

Isai. 28. QVi crediderit non festinet, dicebat quondam Isaias cap. 28. quippe primum & excellentissimum fidei ornamentum longæua, & matura expectatio apparet. Celebres illi credentium Patres Abrahamus, & Sara qua expectatione fidem suam excolerent, tunc maxime declararunt, quando senectus ipsa, & longitudo temporis, & mortua pene membra expectationi prolis intercludebant aditum, fideles tamen viri gaudebant adhuc filium expectantes. Accipite Diu. Zenon. lib. 2. serm. 5. hæc verba dantem. *Ecce prima deuotio libenter excipere quod sero datur: nam & risit Sara munus iuuentutis subiens in senecta.* Non is erat Iudæorum animus nesciens expectare, moræ cuiuscumque impatiens, vel ad tridui expectationem furens contristatus. Id notatum reliquit Tertul. lib. de patient. *Post manna escatilem pluuiam, post petræ aquatilem sequelam desperant de domino tridui sitim non sustinendo.* O gentem desperatricem! attendite ad petram vnde excisi estis, ad Saram, quæ dilatam prolem in effœta senectute expectabat, & gaudens nimis seram & tardam accepit. Generis sui felicissimus Simeon feliciter patrissat lætans, & exultans accepit, quod illi valde sero dabatur, accepit, inquam, in vlnis mundi thesaurum, qui longa sæcula tardatus longissima expectatione viri iusti animum stimularat. Vis noscere expectantis animi constantiam, & meritum? Audi Eusebium Emiss. *Quem iam ætas de hoc sæculo exire cogebat, Dei responsio retinebat, mori cupiens mori non poterat, dicens, Scio quia veniet, scio quia videbo eum.* Ecce tibi hinc longissima transeuntia sæcula, ætas languens, deficientes vires tædium viuendi pulsabant iusti viri animum, illinc responsio vna diuina illum confirmabat, & hac nutritus victor temporis, ætatis, molestæ senectutis quo serius venit, eo gratius accepit infantem. Hæc est fidelis animi prima deuotio, libenter excipere, quod sero datur hac placuit maxime Deo feruidus ille Christi amator Petrus, qui nimia festinatione offenderat. Sic Diuus Augustinus tract. in Ioann. 123. Petrum ætate iam, & puluere canum cruci religatum contemplans ait. *Hunc inuenit exitum . . . negator, & amator, negando prostratus, flendo purgatus, patiendo coronatus. Hunc inuenit exitum, vt pro eius nomine perfecta dilectione moreretur, cum quo se moriturum peruersa festinatione promiserat.* Etenim iuuenili ardore correptus moriente Christo, vitam non sustinebat, sese impatiens morti dabat, paratus, ait sum in carcerem, & in mortem ire. Qui amantis animi affectus vt nimis festini & properi, sic noctis illius durissimæ gelu penitus aruerunt. Sed lacrymis tedium vsque in senectam diuali longæui laboris continuatione maturi tandem, quod male festinantes amiserant mortis præmium, patienter expectantes obtinuerunt. Nec mirum sic fideles expectatores afficere Deum illum, qui amatrici matri, & immaculatissimæ sponsæ se extraneum præbuit, vt seram expectationem, & morosam omnibus Dei fidelibus innueret. Huc refero illud Irenæi lib. 3. cap. 18. alias obscurum, nimirum. *Propter hoc properante Maria ad admirabile vini signum Dominus repellens intempestiuam . . . natio em di . . .:* Quid mihi. & tibi est, mulier? Vbi v . . m . . pendere quod præproperam festinationem premens etiam a matre sibi charissima, & inseta offendere sese alienat, illique se præripit iturus ad eos, qui longissimam expectationem sustentant. Hinc argutissimè Euseb. Emiss. expectantis Simeonis glorias exemit. *Cum parentes Christi, ait, puerum Iesum in templum inducerent, vt secundum consuetudinem legis pro eo facerent, accurrit senex: brachia extendit, & parentibus ait. Mihi eum date, mihi debetur.* Cur tibi a suis parentibus dandus diuinus puer, ô bone senex? Cur virgineis brachiis thesaurum eripis, vt tuis senio confectos vlnis sustentes? Cur tibi debendus? Dei, & Virginis filius vnigenitus? Sanè, quia in eius expectatione arent membra, mihi debetur meritò, qui expectans consenui, ærumnosamque, & longissimam vitam eius desiderio sustento: scio, scio ingenium pueri, qui vt longæuos expectatores recreet, se amantissimis parentibus eripit, mihi eum date, mihi debetur. At nimis festinantium pericula maximè cauebit, qui immaturam Asaelis mortem 2. Regum 2. meditabitur. Is dum nimis currit in victoria, occisus est: de quo D. Pascal lib. 5. in Thren. ait. *Asael cursor erat velocissimus tanquam vnus ex capreis, quæ morantur in syluis: nesciens velocas animi motus patientia, & grauitate temperare. Vnde dum velocius sequitur hostem, ictus vulnere deperijt.*

Zeno.

Tertull.

Euseb.

August.

Iren.

Habentur in Homeliario.

Text. Et dixit, Nunc dimittis seruum tuum Domine secundùm verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum.

§. IV.

Christi Domini aduentu tempestiua & matura mors fidelibus apparuit.

CYgneum Simeonis cantum in templo intrantis D. Gregor. Nissen. examinans hæc fatur. *Quàm beatus ille sacer ad sacra introitus, per quem ad vitæ terminum maturauit!* Et pulchrè dixit, *maturauit*: vt maturum, & tempestiuum moriendi tempus a Christi Domini aduentu præsagiret. Enimuerò ligni excisionem maturam prædocens Cat. c. 31. ait. *Hanc, atque aliam materiam omnem cum effodies, luna decrescente eximito post meridiem sine vento austro, tunc erit tempestiua.* Quod etiam cauit Cicero lib. 1. de Diuinatione in hæc verba, *arbores, vt hiemali tempore cum luna simul se . . . tes, quia tunc exsiccatæ sunt tempestiuè cædi putentur.* Sic vbi Synagogæ luna consenuit, vbi obscurum lumen suum minui cœpit, orto Christo Domino, maturior, & tempestiuior hominum sectio cœpit apparere. Quando sua excellebat Synagoga accretione, ô quam acerba mors, quam dura, carcer pro carcere erat, infernus pios viros etiam ad tempus non torquebat, sed captiuos tenebat, efflorescebat adhuc lignum illud generis humani. At decrescente Synagoga vitæ arbor apparuit hominibus edenda, continuoque mortales cuncti ad sectionem, ad placidissimam mortem maturuerunt. Eóque mors gratior iustis veniet, quo tempestiuior, quo ruptis corporis huius carceribus in libertatem filiorum Dei euolandum erit. Hinc eleganter Timoth. Hierosol. Christo templum ingresso Spiritum sanctum sic facit ad Simeonem loquentem. *Surge senex, quid dormis, matura citò, præsto est, qui te absoluet: . . . phia, funerásque sindones, præpara sepulchrum, . . . missum fore: venit Emmanuel.* Et vix post natum Christum, post Synagogam senescentem potuerit pius homo meliori exhilarari nuntio, quam eo, qui funereas illi faces præferret. Cur non obiret lætans maturam, & tempestiuam mortem, qua succisus æternæ ciuitati erat addendus? Qua cum luna senescens succo venenatæ arboris exsiccato, tempestiue succidebatur, ædificio diuino reponendus . . . lane C . . rill. Hierosol. medio è mortis puluere sic per Simeonis ora effingit sibi mortalem hominem loquentem. *Exultat Adamus Christum per Simeonem eum . . . alloquens: Nunc dimittis seruum tuum, Domine, nunc ab æternis illis vinculis me absoluis . . . me eripis, nunc ab omni mærore me expedis.* Quæ Luna crescente exciduntur arbores, corruptæ fiunt, & à vermibus corrosæ persistunt; sicque Synagoga vigente, & corruptio, & vermis vigebat, & carcer erat, & horror habitabatur inferni, & gemebundi Sancti longa suspiria edebant. Modò decrescente Luna, Synagoga senescente, tu Domine dum appares, dum Synagogam minuis exsiccas viridantis arboris venenum, acerbitatem, corruptionem, vincula, suspiria mortis tollis, vt tempestiuè, & maturè . . . homines per mortem, non ad carcerem, & corruptionem: sed ad gloriam, & immortalitatem euolemus. Aiebat olim Plinius lib. 27. cap. 1.

In Cat.

Cat.

Timoth. Hierosol.

Plinius.

Ex omnibus bonis, quæ homini tribuit natura, nullum melius est, quam tempestiua mors. Hæc solùm accidit hominibus post Christum, cuius gratia maturi iam, & tempestiui excidimur aptandi in tabernacula æterna. Iam merito dicat Beda. *Multum felix videbit mortem carnis quicumque Christum Domini prius oculis cordis videre satagerit.* Qui mature, & tempestiue mortem obire cupis, lunares tumores excute; te bonis temporalibus eripe, Christum intuere, quo vno lætans poteris mortem oppetere. Heu quam acerba mors erat ante aduentum Christi! Genesis 12. Abraham totus pauidus dicebat vxori suæ apud Ægyptum. *Scio quòd formosa sit mulier, futurum ita sit, vt cum te viderint AEgyptij, dicant, Illa est vxor eius, & occident me: dic igitur, Soror eius sum.* Quid ais, ô bone senex, si soror tua dicatur Sara, rapietur in fœdum Ægyptiorum consugium? Rapietur forsan, ait ille, sed ego viuam, adeo mortem expauescebat, vt præ illa contemneret pudicitiam vxoris. Vbi pulchrè Chrysost. homil. 32. *Quia nondum mortis erat soluta tyrannis, propterea in adulterium consentit talibus, & quasi seruit adulterio in mulieris consumendam, vt mortem effugiat. Erat adhuc terribilis facies mortis, nondum erant æreæ portæ confractæ, nondum erat aculeus eius hebetatus.* Quæ omnia effecit Christus, ex quo mors apparuit facilis, & dulcis. Quod si tibi scrupulus est, quod dicatur Abraham, vt mortem fugeret, pudicitiam vxoris contempsisse, pulchre se expedit ab hoc nodo Chrysost. orat. de S. Bernice, & Prosdoco, vbi Abraham sapientiam ex hoc facto commendat. Quia cum pudicitiæ periculum semper instaret, & cùm haberetur Sara vxor, sine soror; & insuper adderetur periculum vitæ, si vxor putaretur, è duobus malis euenturis, alterum sapientia sua impediuit, nimirum cædem, quòd hanc æstimauerit maius esse peccatum. Et quidem commonebat; Dic quòd soror mea es, potius diminutionem procurabat peccati, quod grauius esset in adulterio, & homicidio perpetrato, insuper ostendebat quam metuenda esset tunc mors, at post Christum nihil est morte suauius. Paulus ad Philipp. 2. *Sed & si immolor supra sacrificium, & obsequium fidei vestræ, gaudeo, & congratulor vobis, idipsum autem & vos gaudete, & congratulamini.* De quo D. Chrysost. modò citatus ait. *Quid ais? moreris, o Paule, & ad societatem voluptatis homines aduocas? Non equidem morior, inquit, sed ad meliorem vitam ascendo. Vt igitur homines magistratum ineuntes plurimos lætitiæ sibi socios, ac participes sibi futuros accersunt, sic & Paulus ad mortem pergens, gaudij sui consortes futuros vocabat.*

Beda. Genes. 12. Chrysost. Philipp. 2.

Text. Quod parasti ante faciem omnium populorum, Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israël.

§. V.

Christus Dominus vniuersitati hominum proficuus nascitur, non vni tantum populo.

Simeonis in vlnis Christus Dominus apparet qualis à Malachia olim decantabatur, dum ait: *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius.* Sol, inquam, iustitiæ nimirum, non personarum acceptor; sed qui in omni gente quæ timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi. Quam explanationem vt à D. Petro insinuatam accepit Ambr. verbis non semel allatis lib. 1. offic. *Magnus, inquiens, iustitiæ splendor, quæ alijs potius nascitur, quam sibi, communitatem, & societatem nostram adiuuat.* Non iam lucerna in templo Christus Iudæis illuxit, sed Sol in medio cælo communitatem hominum indifferenter illuminauit, paternum ingenium imitans, qui solem suum facit oriri super iustos & iniustos. Sic lætabundus Simeon exultat, quod de sub modio Synagogæ exeat fulgentissima Saluatoris lux ante omnium populorum faciem micatura. Id quod eleganter expendit D. Hilar. dum explicabat illud Matth. 5. *Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, & non potest ciuitas abscondi supra montem posita.* quasi ibi innueretur, quod lumen hoc diuinum non vni Synagogæ dandum, vt paruis illius terminis maneret conclusum, quod vniuersitati hominum sufficeret. *Synagogam, ait, dignè Domini modio comparat, quæ susceptos fructus intra se tantùm receptos certum modum dimensæ obseruantiæ continebat. Ciuitatem, carnem quam assumpserat, nuncupat, quia vt ciuitas ex varietate, ac multitudine ciuium consistit cohabitantium, ita in eo per naturam suscepti corporis quædam vniuersi generis humani congregatio continetur.* Non Synagogæ modio includendum nascitur salutare lumen, imò angustias dimensæ obseruantiæ fugiens, sese in ciuitatem efformat carnem subiens, vt vniuersi generis humani congregationem contineat, vt vniuersitati populorum suo proficiat lumine.

Malach. 4. Act. 10. Ambros. Matth. 5. Hilar.

Sic Deus vniuersitatē amat, sic pluribus optat esse communis, vt nec cibum, vt aiunt, sibi gratum sumat, nisi fuerit hominum multitudini proficuus. Rectè id notauerat, quæ dixit Cant. 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia.* Ad hæc Bernard. serm. in Nat. Virg. *Etsi iustus germinat sicut lilium; sed non ad lilium sponsus pascitur, nec in singularitate complacet sibi.* Quantumuis sit lilium iustus, quantumuis floridus, si vnus est, si solus est, diuinæ non ita placebit voluntati, quæ vnum & inuictissimum, & omnibus floridum virtutibus despexit Adamum, vt vniuersitati consuleret, etsi peccata orum tenebris inuolutæ. Ait enim: *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium,* &c. Mulier ergo pro bono adiicitur Adamo: mulier, inquam, quæ peccati labe affecit mundum. Quomodo pro bono additur ista mulier? Pulchrè id dubitat, & explicat D. Ambr. lib. de Parad. cap. 10. *Si igitur vire culpæ author est mulier, quemadmodum pro bono videtur adiecta? Verùm si consideres, quia Deo vniuersitatis est cura, inuenies plus placere Domino debuisse id, in quo erat causa vniuersitatis, quàm condemnandum fuisse illud, in quo esset peccati.* Ecce tibi iustus homo virtute floridissimus, quia solus non probatur Deo, præ amore vniuersitatis, & multitudinis.

Cant. 2. Bernard.

§. VI.

Antiquos seruos quando Deus ob peccata illorum à cœlesti gloria eliminat, aliqua temporali gloria, antiqua illorum seruitia munerat.

Nascitur Sol iustitiæ, vt lumen omnibus inferret nationibus, & gloriam Israëli inderet, quando enim Israël cæcus in tenebras exteriores ceciderit, non tamen à Deo suo omnino inglorius abiuit. Etenim is est Deus, qui seruum aliquando fidelem, postea rebellem, & perniciosum non inglorium relinquat; sed cùm à cœlesti excludat gloria, humana illum, & mundiali gloria muneret. Sic populo exoso, & reprobato hanc in mundo singularem gloriam dedit, vt ex illo nasceretur Rex gloriæ Christus, vt sacerdotio, templo, ciuitate, lege, & fide priuatus immensè gloriari posset de carnali cognatione cum Dei filio. Hoc iustitiæ diuinæ ingenium præsagierat reprobus ille Saul, cùm audita reprobante sententia ad mundialem hunc honorem confugit. Ait enim 1. Reg. cap. 15. *Peccaui; sed nunc honora me coram senioribus populi mei.* Quasi hoc necessum esset in quauis reprobatione, manere reprobato qualecunque suffugium, nimirum mundialem honorem, popularémque fauorem, quo munerarentur antiquata seruitia. Quod præstitit Deus etiam Iudæ omnium reproborum nequissimo, etenim eò spectabat fauor ille tanto proditori exhibitus à Domino mensa vltima. *Cùm intinxisset panem, dedit Iudæ.* Ioan. 13. Cur Iudæ præ omnibus panis porrigitur Dei manu intinctus? Nil tale Petro, nil tale charissimo discipulo, sed hoc fauore, & honore horario miser ille ab æterno prandio excluditur. Vnde Cyrill. Alex. lib. 11. in Ioann. cap. 16. inquit. *Proditor non erubuit charitatem Christi, contempsit honorem, & gratiam eius abiecit.* Sanè maximus erat honor à summo creaturarum Imperatore exhiberi panem illum diabolici furoris viro; sed qui aliquando fideliter seruierat, non permittit Deus à se inglorium omnino abire. Id eleganter expendit D. Bernard. in Caino ita post reprobationem suspirante Genes. 4. *Omnis qui inuenerit me, occidet me; sic occidendum sese causabatur infelix tanquam pro magno beneficio habiturus, si prohiberetur occidi. Quod & factum est.* O miser, qui his gloriolis muneratus ab æterna illa beatitudinis gloria patitur exilium. Planè Deus vt summè misericors nescit seruum inhonorum repellere. Quò respexit Tertull. lib. 4. contra Marc. vbi de ascitis Moyse, & Helia in Thaboris gloriam locutus ait: *Tradidit Deus filio discipulos nouos, ostensis priùs cum illo Moysi, & Helia, in claritatis prærogatiua: atque ita dimissis quasi iam & officio, & honore disiunctis.* Similiter eiecturus primos illos Paradisi incolas Gen. 2. *Fecit eis Deus tunicas pelliceas.* Non enim consueuit Deus à se ablegare seruos in hac vita omnino inhonoros, & nudos. A quo non longè abest Moyses Bercepha de Parad. p. 1. c. 28. inquiens. *Cùm itaque nudati iam, tum illi pudore afficerentur, non erat consentaneum diuinæ misericordiæ, nudos prorsus eliminare à Paradiso.* Sic ille.

1. Reg. 15. Ioan. 13. Cyrill. Bernard.

Text. Et dixit ad Mariam matrem eius. Ecce hic positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum, cui contradicetur.

§. VII.

Christus Dominus eos impugnat, & conterit, qui tenebrosis moribus cacutiunt, filijs autem lucis benedictionem impertitur.

QVò noctuis Sol durior extitit, eò gratior lynceis apparet oculis; sic fulgentissimus iustitiæ Sol Christus tenebricosos homines valde offendit; filios autem lucis maxime illustrat. Quod pulcra allegoria expendit D. Cyrill
Tom. 6. Cyrill. Ephes. c. 5. Genes. 32. homil. Ephesi habita, dum pernoctanti Iacobo Deum reluctari consideraret, illique hæc dicere. *Dimitte me, iam enim ascendit aurora.* Tunc sic Cyrill. *Christus luctatur, & pugnat aduersus eos, qui veluti in nocte, & tenebris versantes caliginosum ... possideant. At ... cum illis non pugnat, qui sunt in luce, ... in mente habent.* Væ illis, quorum oculi obtenebrati sunt, quippe offendent ad lapidem pedem suum, viuo, & angulari lapidi Christo incidentes misera contritione peribunt. Infelix ille proditor Iudas Magistrum
Ioan. 13. venditurus exiuit, & notanter Ioan. c. 13. eduxit: *Erat autem nox*, vt cæcam eius animi noctem exprimeret, tenebrosumque illius cor indiceret. Continuò ad illum Christus Dominus, *Quod facis, fac citius.* Quæ verba vt comminatoria, durumque & crudele duellum halantia egregia explicat similitudine idem Cyrill. lib. 9. in Ioan cap. 17 *Quemadmodum si vir fortis, aduersus quem ... ratus, ... viribus suis fretus dicat magna voce ... dexteræ vires experiatur.* Sic hostes in se armatos exagitare solent viri fortissimi: Eia agite, concurrite, meum ferrum expectat mors impatiens, quid ego possim, quam mea dextra valeat, experiemini. His etiam caliginosa corda Christus Dominus exagitat armatus in viros tenebrosos durus debellator aduersus eos, qui nocturna excitate versantur.

Vos Iudæos compello, qui vt tenebrosi & cæci Christum Domini lapidem angularem incurristis, sic miserè lapsi durissimam ab illo contritionem estis passi, at cum primùm tenebris exclusis, lux veritatis animos vestros irradiet, erecti in nouam spem, cœlestem benedictionem hauriatis.
Tertull. Genes. 32. Sit huius veritatis illustrator Tertull. lib. de Trinit. vbi dictam Iacobi nocturnam luctam sic examinat. Quare Iacob, qui ad tenendum hominem, cum quo luctabatur fortior inuenitur, & benedictionem ab eo, quem detinebat, postulat, quia iam Lucifer oritur. Ideò postulatur, quoniam præfigurabatur contentio hæc inter Christum, & filios Iacob futura, quæ in Euangelio dicitur perfecta. *Contra hunc enim hominem colluctatus est ... Iacob, in qua colluctatione potentior populus est Iacob repertus, quippe cum aduersus Christum iniquitatem sua ... persequitur, quo in tempore propter ... admissa ... lex propria, & salutis claudicante grauissime ... & lubricus ... qui quamuis superior damnando Christum repertus ... tamen ipsius benedictione ...* Ecce vobis ex quo ad hunc lapidem viuum pedem suum Iacobæa proles offendit, misere incedere, & in salute claudicare cœpit, & quantumuis in Christum Dominum insultarit, eumque morte damnarit pessima, adhuc exclusis tenebris, cum primum Lucifer veritatis eluxerit, benedictionem illius ardenter contendet, & feliciter obtinebit, vt appareat quam sit Christus Dominus multorum ruina, & resurrectio.

Text. Et tuam ipsius animam doloris gladius pertransiuit, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.

§. VIII.

Christus Dominus matrem creaturis omnibus imperaturam gladio subiecit doloris, vt illi humanitatem in subditos homines innueret.

PRæteritæ Iudæorum cogitationes cum apparuerunt, palamque in Christum rebellarunt, apparuit simul doloris acutissimus gladius, qui maternum transuerberauit pectus. De quo matris Dei dolore satis diximus lib. 1. cap. 1 per totum. Id modo nouum mihi accidit gladij conceptu verbo, quod orbi imperatura Virgo sub doloris gladio effigietur. Cuius rei dum causam quæro, incido in Tert. verba, Tertull. quibus Scapulam præsidem humanitatem in Christianos ita perdocet. *... humanitatem meminisse, ... quia ... gladio ...* Et quis se sub gladio videns humanitatem obliuisceretur? humanitatis non infusè ceret? hoc ego consilio crediderim (si fas est dici) omnium creaturarum Reginam Virginem gladio fuisse doloris a Domino subiectam, vt humanitatis memor esset quamuis à miseris infimisque hominibus compellaretur, & ex illis humilis, benigna, gratiosáque appareret.

Imperaturum cæteris animal efficiens Deus statim de non edendo præcepto subiecit. Cur ita? Sane vt ciuilem, & humanum, & non superbum faceret in subditos Regem. Sic D. Cyrill. Alexandr. lib. de adorat. in spiritu. *Hominem*, Cyrill. *ait ... cum potestate ...* Porrò nihil efficacius seueram supercilium depellit, humanitatémque perdocet quam ea consideratio, qua quis se alterius iugo prospicit subiacere. Centurionem illum Euangelij adeo humanum, & benignum reddidit in infirmantem seruulum? Egreditur domo, adit salutem? Audio eum, prosternitur, precatur enixè salutem seruuli, vel vnum verbulum à Domino contendens. *... Matth. 8. ... meus* Vnde tanta humanitas Domino Ethnico? Audi illum quasi rationem reddentem. *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus* O quam humanus in suos, qui se alteri meminit subiacere! Si homo es, & te sub gladio constitutum attente cernis, cur humanitatem non exhibis? cui infirmanti etiam non attendis? Sic Dominus matrem suam omnium creaturarum Reginam sub dolo[ris] gladio posuit, vt ex iis, quæ passa est, disceret infirmantibus mederi, seruulis, vt se omnibus dolorum legibus subiugatam experiens, non superciliosa, sed benigna, sed grata, sed humana fiat creaturis similia patientibus.

Textus. Et erat Anna Prophetissa filia Phanuel de tribu Asser: hæc processerat in diebus multis, &c.

§. IX.

Christus Dominus a senibus viris facilè inuenitur.

IN Saluatoris expectatione senescentem hanc fœminam, & Simeonem contemplatus D. Bern. serm. 2. pulchrè dicit. Bernard. *... placabilis, & Deo placens hostia, virginem manibus offertur in templo, a parentibus portatur, a senibus expectatur.* A senibus, inquam, expectatur: etenim maturi mores Christum Dominum facile inueniunt. Christum Dominum senes amant, ... maximo afficiuntur desiderio. Dicebat Libellus Astronomicus a nescio quo Chaele exaratus de turture, si turtur in lapide nigro de quo parangones fiunt, omnium in Lydio lapide repertus fuerit, is qui talem exigitem habuerit, *à senibus diligetur.* Ecce tibi Christus Dominus verè Lydius lapis: lapis, inquam, quo aurum hominum probantur mores, vnà cum turture templum ingreditur unde iam clarissimum nomen prætendens, quod à senibus diligetur quod etiam in annis senes inardescent.

Senectute grauis Iacob Genes. 42. conuocat filios vniuersos pene fame enectos, & ait: *Quare ... audiui, ... frumentum est ...* Genes. 42. Cur senex penè surdescens primo audiuit de frumento, quam iuuenes? Nónne hi prius audire ... popuio aduenit? Cur non magis de frumento? Vt ... D. Ambros. id expendit lib. de Ioseph ... frumenti, vtinque Ambros. panis Christi præsagiscos negotiatione ... in hæc verba. *Citius ... cum totis ... sed ille senex, in quo ... fides ...* Porrò panis viuus Christus senibus amabilis, à senibus ... quam primum requiritur inuenitur. O te senem cui fides non emoritur, longæuam parit virtutum canitiem, quæ ... in ætas diuturna, sed candida vita reddit canum. Is erit senex, qui iuuenilibus ardoribus praui ... moribus occultis ... mansuetisque suscipias. Abrahamus tres Angelos excepit hospitio, vnóque adorato, prandium parat, cui ipse, & Sara ministrat:

quod

quod sic D. Hilarius, quarto de Trinitate extollit, Abraham tribus visis, vnum adorauit. Quanta fidei vis, vt indiscreta assistentium specie Dominum Christum internouerit. Quis ergo prior Abrahamo Christum prænouit? quis priùs adorauit? quibus coniugibus ante Christus innotuit? Sanè his sanctissimis Abrahamo, & Saræ primùm Christus sese obtulit cibandum, excipiendum. Sed & de illis ait textus:
Genes. 18. *Erant ambo senes, prouectaque ætatis.* cap. 18. Ad hæc eleganter monet Philo Iudæus.
Lib. de Abrah. *Primum omnium Abraham vocant sacræ litteræ seniorem, quamuis maiores eius triplo, & ampliùs longæuiores fuerint, quorum neminem legimus hac fuisse appellatione dignatum. Meritò sanè, nam reuera senectus non ex longæuitate, sed ex multo virtutis studio spectatur.* Quibus maximè ponderandum est, quòd vbi primum Christus hominibus apparuit, illorúmque hospitio gauisus est, ibi primo senectutis honore homines nominantur, senésque dicuntur ob virtutum suarum longæuitatem: à qua canicie antiquus ille dierum Christus amat inueniri, talibúsque senibus gaudet publicari, & manifestari.

CAPVT X.

De Christo Domino ad Ægyptum fugiente: déque innocentium puerorum strage.

Ex Matth. 2.

IAM ternio ille diuinus, Iesus, Maria, & Ioseph, Bethleem, & Ierosolymam reliquerant, & Nazareth apud suos degebant, quando Herodes, vt diuinum puerum caperet, in omnes fuit Bethleemiticos infantes. Quorum satellites iam imminent, & Ioseph de Angeli monitu, de nocte consurgens cum sanctis pignoribus vsque in Ægyptum peregrinatur. Interea Herodiani milui in immerentes pullos furiosi aduolant, quicunque biennium non explent crudelissima morte vitam ingrediuntur immortalem. Sic innumeri agniculi maturant sequi diuinum agnum, qui post puerorum necem, iterum consulente Angelo, ab Ægypto reportatus Galilæam adiit, vnde cum parentibus Nazareth remeauit, & Nazaræus vocatur patrio vocabulo.

Text. Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens, Surge & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum, & esto ibi vsque dum dicam tibi, futurum est enim, vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum.

§. I.

Gloriosum est quicquid propter delenda peccata suaditur.

ECce vobis cœlestem ducem vix vtero materno soluit, & in arenam descendit, primo vagitu armatos in se exercitus prouocat. Quid tunc? audebit in armatos hostes puer tenellus? furentem Regem medio expectauit in stadio? Sed sunt cælites qui consulant fugam. Proh dedecus! fugiendum est summo Imperatori? Christiana militia à
Tertull. fuga dedicanda? Dixisset Tertull. lib. de fuga in Pers. *Cum duces fugiunt, quis de gregario numero sustinebit ad gradum in acie figendum suadere? Pulcrior est miles in pugna prælio amissus, quàm in fuga saluus.* Nihilominus Iesus fugit, & in ipsa fuga speciosior, & pulcrior apparet; etenim nil magis decorum, & pulcrum, & gloriosum, quàm id quod in peccatorum medicinam subitur.

Psalm. 3. Is erat Psalmi tertij titulus: *Psalmus Dauid dum fugeret à*
Chrysost. *facie Absalonis filij sui.* Stupet Chrysost. quòd fugienti Imperatori decantentur Psalmi, non enim fugitiuos solent cantilenæ celebrare. *Quando laude dignus est qui fugit? quando dignus est habitus exul, cuius nomen inscriberetur? fugitiuos scriptu litteris persequuntur, non honorant in scriptionibus. Sed disce, ô frater, causam inscriptionis, & animam tuam confirma, in tuto colloca. Fugiebat filium suum Dauid, quoniam castitatem fugerat, quia è præcepto Domini fugitiuus, exulq́; fuerat, propterea filium fugiebat.* Quæ gloriosior? quæ honoratior fuga? Sanè pulcrior fuga hæc Dauidi, & gloriosior extitit, quàm omnium inimicorum victoria. Fuga, qua Dauid à Deo defecit, hæc fuga satisfaciebat, inde nimis in fuga decorus, plúsque fugitiuus quam victor decantari debuit. Sanè, quia homo à Dei præcepto fugitiuus, exúlque fuerat, quia fugam meditatus Adam abscondit se, ideò paruulus Iesus fugit Herodem Regem, propterea fugitiuus Ægyptum petit. Quæ maior gloria Imperatoris, quam militum fugis mederi? quod maius decus in Saluatore, quam ob probrosam hominis fugam satisfacere Deo?

Miratur D. P. Chrysol. quòd Euangelista diuini pueri Chrysol. fugam scriptis celebret. *Quid sibi vult, ait, Euangelista, quòd hæc scribit ad memoriam sempiternam? deuoti militis est Regis sui tacere fugam, referre constantiam, virtutes loqui, tacere timores, aperire fortia, infirma reticere, aduersa delere, prædicare victorias.* Verùm sapientior Euangelista tacet timores, fugam æterni ducis decantat, & hominum commendat memoriis; sed eos timores, & eam fugam, qua fugitiuus homo antiquæ suæ defectioni remedium apposuit. Id eleganter expendit D. Theodotus Antistes Ancyrensis homil. contra Nesto- Theodot. rium, sic fatus. *Nos à pio Domino aufugimus, ad vsum paradisi delicias acceperamus; sed legem violantes, & infesto hosti morem gerentes, ex honore excidimus, & in terrestrem hunc locum fugitiui illius serui vitio depulsi sumus. Quid ergo, nunquid mea tarditas pulcherrima huius possessionis, quæ homo est, iactura afficiet? Absit, nefas enim erat, vt inuidia gratiam Domini superaret. Ecquid igitur Dominus facit? adiungit se fugitiuo.* Et rectè adiungit se fugitiuo, vt fuga sua fugitiui dedecus eliminet, sic fugæ fugam opponens, & fugitiuos restaurat, & gloriæ pondus immensum sibi parturit.

Gloriosum equidem est, dignúmque summo Deo quicquid hominum medetur peccatis, quicquid seruorũ redintegrat conclusiones. Quid vilius, quàm prima illa pellicea zona, quæ peccatores excepit? Quid hac veste magis inglorium? magis indecorum? sed sub illa protoplasti castigantes peccata, sic gloriosi, sic decori apparuerũt oculis Creatoris, vt inde inter alia, inescatum diuinum verbum quasi ambitiosè decreuerit simili pelle indui, qua hominum deleret peccata. Ait enim textus sacer: *Fecitque Dominus Deus* Genes. 3. *Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas.* & ait, *Ecce Adam quasi vnus è nobis factus est.* Expende verba, vilis, & indecorus saccus, sub quo Adam castigabat peccatum, eam reddebat speciositatem, qua se ipsa diuinitas iactaret, quam sibi Deus ipse assumere decreuerit. Sic Tertull. lib. 2. contra Marcion. cap. Tertull. 25. *Spes Adamo salua est, dicente Domino: Ecce Adam quasi vnus è nobis factus est de futura adlectione hominis in diuinitatem.* Et nihil viderat Deus in Adamo, quo alliceretur præter opprobrium sacci, sed illud opprobrium, quo peccata soluebantur, quo opprobrio, quo sacco nihil gloriosius, nihil diuinius, nihil Deo dignius. Vnde benè monet citatus Theo- Theodot. dotus. *Ne igitur curationis modum in contumeliam vertas, neque improperes Medico, si in corporis humilitate constitutus tuam operatus est sanitatem: Deus enim nihil ignominiosum ducit, quod humanam salutem conciliare natum est.* Non ignominiosa fuga; Homil. 2. sed gloriosa, quando illa hominum à Deo fugæ, & defectiones curantur, honorificentissimum dedecus, quod peccatorum radit dedecora. Quis iam fastidiat opprobria, quibus improbitati medetur? Quis non amabit ignominiam, qua pulcrior Deo, & speciosior redditur.

Text. Qui consurgens accepit puerum, & matrem eius nocte.

§. II.

Summus obedientiæ gradus exercitus à Ioseph: qua obedientia primum incolumitatis omen accepit Christus.

DEbilissimus apparitionis Angelicæ modus is est, qui fit per somnium, hoc tamen iubentis tenui argumento, nimirum in somnis monitus Ioseph euigilat pariturus. Et antequam per nocturnas tenebras videre possent, capit diligens iter, imparatámque profectionem ingredi minimè timet. Cæca est obedientia omnium perfectissima, ante obedire tentans, quàm præceptum examinet oculorum trutina. Aperti sunt Adamo oculi post esum ligni, ô vtinam sacra illa caligine obtenebrati manerent, qua ante transgressionem obedientes Deo nec videbant lignum. Et apertio oculorum, & inobedientia apparuerunt simul, vt suspecta sint lumina illi, qui voluerit Deo perfectè obedire. Huius rei gnara astantia Deo Seraphin apud Isaiam cap. 6. alis duabus faciem obnubilabant ante ictum oculi obedire parata.

Ioan.11. rata. Vnde Ioan. 11. vix Domini intonuit vox Lazarum à sepulcro reuocans, *& statim prodyt qui fuerat mortuus, ligatus pedes, & manus institis, & facies illius sudario erat ligata.* Ad Ambrof. hæc Ambrof. lib. de fide Resurr. *comprehende, si potes, quemadmodum clausis oculis iter carpat, vinctis pedibus gradum dirigat; virtute enim diuinæ præceptionis operante, natura suum non requirebat officium, non iam suo ordini, sed diuino nutui seruiebat: agebatur priùs, quàm parabatur incessus.* O vos felices, qui sic præceptis paretis diuinis! Felicissimus omnium ternio iste diuinus, Iesus, Maria, & Ioseph, mortis latebat sub imagine, somno sepultus, hacque mortali in vmbra Angeli vocem excipiens, nocturnis tenebris, clausis oculis iter carpit, non suo ordini natura, sed diuino paret nutui, agebatur priùs, quàm parabatur incessus, ante ictum oculi consurgit, vt viam arripiat.

Hinc pueri diuini iter auspicatissimum, hinc incolumitatis suæ omen euidentissimum accipitur. Recogitare licet duo obedientiæ lumina Abraham, & Iephte, qui propriis non pepercerunt filiis, verùm filia Iephte sub obedientis patris gladio vitam amisit; at Isaac Abrahamides de sub gladio patris nouæ felicitatis, & incolumitatis acquisiuit Genes.22. auspicium. Cur id? Sanè Abraham Genes. 22. *de nocte consurgit* filium ligaturus, Iephte triginta dierum inducias remisit filiæ, quibus meditetur sortem acerbissimam. Viuat ergo Isaac, & moriatur Iephtea proles, *quod,* ait Anastasius Nicænus quæst. 36. *permisit Deus, eos, qui tunc erant, & qui posteà futuri erant erudiens, tutò quidem Deo vouere, & vt conuenit, citra moram autem, & cum fide, & gaudio implere promissum.* Igitur non moratus Ioseph, non post triginta dies, non post diem; sed media noctis caligine dans pignora vitæ, diuini pueri incolumitati felicissimo consuluit auspicio, illùmque morti quamprimùm eripuit.

Text. Et secessit in Ægyptum, & erat ibi vsque ad obitum Herodis, vt impleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocaui filium meum.

§. III.

Occulti hostes palàm trahendi sunt ab iis, qui vincere cupiunt.

Latent sæpissimè hostes, nigrísque inclusi latibulis ruinam minitantur, & excidium, hinc mille à callidis militibus stratagemata fiunt, vt hostilia omnia patefiant, lucémque videant. Huc spectant quandoque simulatæ fugæ, qua simulatione decepti egrediuntur occulti & qui latendo fortes, in luce pigrescunt & miserè succumbunt. Pulchrè Bernard. D. Bernard. serm. 17. in Cant. in iustorum victoriis ponderat illud, *septies in die cadit iustus, & septies resurgit;* inquit, *resurgit; si tamen cadat in die, vt se cadere videat, & cecidisse sciat.* Quasi dicat, in eo sita est iustorum victoria, quòd à latebris eruant inimicos in lucem: non patiuntur occultos hostes, tela occultè latentia perquirunt, faciúntque vt clarescant die, vt palàm fiant, sicque victorias mille reportant ab inimico. Quod militare stratagema, vt doceret dux Christus, secessit fugiens in Ægyptum, vt simulata fuga patere Chrysol. faceret inimicum. Ita acutè notauit D. Chrysol. serm. 150. *Bellicosus quando in bello fugit, artis est, non timoris; Deus quando fugit hominem, Sacramenti est, non pauoris; potens quando se subducit infirmo, insequentem non pauet, sed fortis producit, qui vult enim in aperto vincere, occultum se non patitur inire conflictum, qui mandare sæculis vult triumphum.* Heu quoties clamabat ille liberari ab occultis; nec clamaret, si latente sub hoste non pertimesceret conflictum: eò quidem timendus magis hostis occultus, quò minus latentia tela retundere quimus. Qui triumphum amat, si sapit, occultum non patiatur certamen, hoc anxiè procuret, vt tela noscat, vt hostes videat, vt aperto Marte, media in luce certamen ineat. Induamur Rom.13. arma lucis, iuxta Apost. monitum, vt palàm traductis hostibus, nulla timeamus latibula. Sic dux ille fortissimus Iesu Naue triumphum sine sole suspectum habens, non priùs confecit hostes, quam longiorem certaminis à Deo, stante sole, obtineret diem. Quod animaduertens Petrus Comest. cap. 9. dixit. *Videns Iosue solem descendentem, timens ne beneficio noctis euaderent hostes, clamauit ad Dominum, Sol ne mouearis.* Timeamus & nos latentes inimicos, & clamemus ad Dominum, vt concessa luce, patentibus latebris, non ab occultis feriamur, sed apertũ agamus de hostibus triumphum.

§. IV.

Nihil inundatio verbi orbis conditoris aduentum in Ægyptum, & in mundum repræsentans.

Tandem aliquando in Ægyptum descendit Verbum patris, Verbum, inquam, illud, à quo omnia, & in quo omnia, & per quem omnia. Cuius opera ab initio cœli & terra condita sunt, & aquæ in maria fuerunt coarctatæ, vt terrena decora pullularent. Id quod Ægyptus celebri sui Nili inundatione quotannis repræsentabat; sed præstat id ex Anastas. Sinaitæ verbis lib. 3. Hexaëmer. hìc transcribere, quod haud ingratum & iniucundum lectori crediderim futurum. *Illud, ait, est admirabile in ascensu aquarum in AEgypto, quibus est operta obscuratione & infertilitate, & suffocatione ipsius terræ: quod non in mense, aut diebus ortus in carne in Bethleem, & apparitionis Christi; sed post dies natales & apparitionis ac illuminationis operitur, & obtenebratur aquis, & caligine terræ AEgypti. Quando autem Christus Deus lux mundi natus est, & ex præsepi Bethleem in AEgyptum cum sua matre fugiente ab Herode versatus est: statim terra AEgypti detegitur, deponit tenebras, exuit caliginem erroris, Solis iustitiæ lumen induit. Recedit autem & recurrit Nilus in AEgypto in diebus mensium Decembris, & Ianuarij: incipit fluere mense Iunio, & per eum totum, & post ipsum crescit, nempe Iulio, in Augusto autem & toto Septembri instar maris inundans in AEgyptum facit nauigabilem, quæ erat arabilis. Incipit autem decrescere in Octobri & Nouembri, in mense autem Decembri, & toto Ianuario redditur priori alueo. Quando ergo ante Christi ortum eam viderimus tristem, & caliginosam & infertilem, & in profundo submersam: deinde post Christi ortum, & eius præsentiam in omni loco AEgypti, statim fieri recessum; & terram ornari, gestiri regiones, densari paludes, agros germinare, & vicos tanquam ex profundo aquarum detectos, & in altum elatos, & aquas congregatas in suis congregationibus, earúmque fossas, & fluuios. Planè intelligamus, quando hæc fieri viderimus in AEgypto, quod Verbum Dei incarnatum ipsum erat, quod in principio est architectatum creaturam cæli & terræ, ipsum in AEgypto versatum esse in carne, & cum eam vidisset tenebrosam, & à maligno suffocatam, clamauit ex potestate tanquam Deus sicut aquis mundanis, sic AEgyptijs aquis dicens quotannis vsque ad consummationem post Nili ascensum, congregetur aqua, quæ est super faciem vniuersæ terræ AEgypti in congregationes suas, rursum appareat terra, vt qui iam spiritu erroris increparit, & eos ex AEgypto expulerit, nunc autem in tempore eius aquas fecerit restagnare, vt & eis, & nobis reuocet in memoriam, quod ipse est mundi conditor, qui eam à tenebris, & errore liberabit.* Sic Anastasius pulcrè & luculenter.

§. V.

Laboribus, & ærumnis Christiana infantia alitur, & nutritur.

Vide qualia cunabula excipiant puerum diuinum; molestia itineris, peregrinatio apud extraneos; indiga paupertas, Ægyptius Hebræorũ mallix recens natum Deum affligunt. Talibus incunabulis necessum est adolescat infantia Christi, de quo D. Leo serm. 3. de Epiphan. ait, *Fugit in* Leo. *AEgyptum Dominus vbi Hebræa gentis antiqua fuere cunabula.* Et quidem paruulus Israëlitarum populus Ægypto exceptus misera seruitute, ærumnis, faméque ita adoleuit, vt adolescere solent pueruli deliciosis agitati cunabulis, dulcique pasti lacte nutricum. Sunt sunt viro iusto & Christiano ærumnæ, fames, pericula, labores, optima omnium cunabula, optatissimæ nutrices, quibus aluntur, & maximè adolescunt in vitam.

Non longe abest ab hac excogitatione D. Basil. à quo Basil. monemur, vt ieiunia quadragesimalia, *tanquam veteres nutrices libenti animo omnes excipiamus.* Ecce tibi ieiunij fames, qua affligimur, à Basilio nutrix habetur. cuius sinu excepti ab infantia coalescimus in perfectos viros, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Sed cur dicitur vetus, & antiqua nutrix? Id ex Chrysost. homil. 1. de Pœnit. placet haurire, qui hominem primum à Deo creatum in paradiso con- Chrysost. stitutum considerans ait. *Illico Deus frænum ei ieiunij manibus imposuit, velut piæ amabilique matri committens.* Nil magis parenti optimo præ oculis, quam recens natum filium optimæ nutrici alendum committere. Sic Deus, qui recenter à se conditi hominis curam habebat, optimam illi nutricem procurans ieiunium ab esu arboris indixit, velut piæ amabilique

amabilique matri natum committens. In fame, & labore meliora cunabula demonstrans fore adultis filiis. Hinc Basil. monet, vt ieiunia tanquam *veteres nutrices excipiamus*, & adeò vetus & antiqua nutrix ieiunium, vt illud fuerit inuentum ad enutriendum, & alendum primum hominem, qui natus est iustus in mundo.

Nulla incunabula, nulla nutrix robustiores, & grandiores reddunt homines iustos, quam fames, quam dolores, quam molestiæ, quam persequutio. Et sanè hinc Tertul. lib. aduers. Gnost. innocentes pueros demiratus inquit. *Infantes testimonium Christi sanguine litauerunt, pueros voocem, qui cruorem clamant.* Nil puerile, nil paruulum in eis, qui persecutionem patiuntur, hoc præ cæteris habent molestiarum cunabula, dolorum nutrices, passionem quamcumque excipiant, statim reddunt perfectissimum virum. Quæ Christia-
Deut.33. norum cunabula præsagiebat Moyses Deut.33. dum inquit. *Lætare Zabulon in exitu tuo, inundationem maris quasi lac suges, & thesauros absconditos arenarum.* Sic amari sæculi fluctus, persecutionum tempestates lactabunt Christianos, vt illis adolescant in vitam, quemadmodum tenelli infantes adolescere solent nutricum lacte.

De Phœnice alite, quæ sese in sæcula accensis renouat
Zeno. flammis, ait D. Zeno serm. de resurr. *Sepulchrum nidus est illi, familiæ nutrices, etiam propagandi corporis semen.* Quid mirum si Christiani in cinere & cilicio, in ieiuniis, & mortificatione nutriamur, alamur, educemur.

Text. Tunc Herodes mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus eius, à bimatu & infra secundum tempus, quod exquisierat à Magis.

§. VI.

Nulla ætas, nulla fragilitas à cœlesti excluditur brauio, postquam Deus infantili se aptauit ætati.

QVis cum cœlestem gloriam audit, brauium speret à lactentibus obtentum iri? Si a violentis rapitur cœlum, quomodo ab his rapietur, qui à primis non excedunt vnguiculis? Sanè quamuis arduum sit cœlum, quamuis violentiam patiatur, nulla est ætas, nulla infirmitas, quæ æterno gloriæ brauio obtinendo non sit apta. Elisæus 4. Reg. 4. puellulum viuificaturus se supra illum arctauit, *posuítque os suum super os eius, & manus suas super manus eius.* Quid hoc? Acutè D. Cyprian. epist. 59. *Illic æqualitas*, ait, *diuina & spiritualis exprimitur, quòd pares & æquales sint omnes homines, quando à Deo semel facti sunt, & possit ætas nostra in incrementis corporum non secundum Deum habere discrimen.* Hæc ille vt conuinceret in quauis infantia reperiri manus, quæ æquè præripiant brauium beatitatis. Sed postquam verbum Dei membris se infantilibus aggauit, ósque ori imposuit, manúsque implicuit manibus, iam ipsi tenelli infantes non tam currunt, quàm præcurrunt, vt brauium capiant. Ita D. Leo serm. 2. de Epiphan. *Christus Dominus ante vsum linguæ potestatem verbi tacitus exercebat, & quasi dicebat, Sinite paruulos venire ad me, vt discerctur, neminem hominum diuini non esse capacem Sacramenti, quando & illa ætas apta esset martyrio.* Infans verbum impedimento tollebat, vt possint illi appropinquare infirmi etiam infantuli: efficiebat verbum, vt infantile caput, & infantilia membra paria & æqualia ipsi verbo viderentur, vt æquè in stadium descenderent, & inde exirent purpurascentibus corollis ditari.

Sed expendo illud, *Sinite paruulos venire ad me*, ad summum sperabatur ab infantibus, vt ad verbum rude iam donatum venirent, verùm ipsi ardentiores prosiliunt in scamma, & verbi diuini præcurrunt certamen. Veniebat aliquando verbum *saliens in montibus, transiliens colles*: quem sic sa-
Ambros. lientem & transilientem mirata sponsa ait apud Ambros. serm. 6. in Psal. 118. *Ego dixi, Veni, ille salit, & transilit*, festinior & properantior accedit, quam sperabatur. Ecce vobis illi parem modo referunt gratiam tenelli infantes, ille dicit finite paruulos venire ad me, hi transilientes ætatem currunt & præcurrunt Deum infantem. Accipite in præ-
Cellens. scoti P. Cellens. sales lib. de Panibus c. 8. vbi hæc fatur. *Quodammodo præcurrunt primitias tuas, Christe, primitiæ nostræ. Præcurrunt te vera moriendo ante te, sed non præcurrunt veniendo ad regnum sine te. Ad portam te substinebunt, quia custodes nisi te viderint, ianuas cælestes non reserabunt. In passione igitur sanguinis, non in possessione beatitudinis agniculi pastorem suum*

præcedunt. Si autem præcedunt, quomodo verum est, sequuntur agnum quocumque ierit? Vtrumque tamen verum est, quòd & præcedunt & sequuntur, præcedunt in morte, sed sequuntur in resurrectione. Prius currere cœperunt, sed in cursu substitere. O vos felices infantes, qui antequam nouetitis patrem aut matrem, & spolia cepistis Damasci, & tyrannorum exercitus superastis! O summi ducis tyrones ipsum ducem antetire ausi extra puerilem chorum saltastis, vt Angelorum choros exciperemini! Vt veniretis ad ipsum, verbum latens clamabat; Vos præcucurristis, & præripuistis arma, & hostem eliminastis. Quid plura efficiebat hoc diuinitatis manus supposita infirmis, & infantilibus manibus

Isaias dicit, *filius datus est nobis, paruulus natus est nobis: & vocabitur nomen eius admirabilis Consiliarius, Deus fortis.* Pulchre Cyprian. serm. de Nat. expendit illam nominum coniunctionem, nimirum Consiliarius Deus. *Quod si diuini consilij obuiauerint tentamenta, & liberas mentes ad carnales reuocauerint appetitus, adest Deus fortis, nec spem ponat homo in homine, nec in brachio carnis suæ confidat, quia qui vicit mundum, victoriam suis militibus promittit.* Vbi Deus consulit paruulos & infirmos, vt veniant, vbi paruulus in præsepio reclinatus consulit nuditatem, abiectionem, pugnam cum mundo, prosiliamus in arenam paruuli, & infirmi lacertis infirmitatis nostræ non fidentes, sed diuinis suppositis manibus, ipse qui consulit Deus est, fortis, qui infantilibus infirmis inditus manibus pares Deo in fortitudine reddit infantes, vt queant victoriam ab hostibus reportare. Os ori infantuli, & manus manibus infantilibus imponit Deus, vt constet eiusdem Dei esse, nobis dicere, & in nobis idem facere. Quod acutè notat Tertull. lib. 2. contra Marcion. cap. 2. Tertull.
Et Dixit Deus, fiat, & factum est, vt tibi totus Deus commendaretur, & dicere & facere. Quasi dicat, Deus in Gen dicebat, & omnia fiebant: dixit Deus, fiat lux, & facta est lux, germinet terra, vestiatur plantis, ditetur thesauris, *& factum est ita*, vt iam inde sciremus ipsius esse, & dicere, & facere, & vocare ad brauium, & nostrum brauium facere. Nemo quidem nec infans vnius horæ ineptus est ad cœlestia decora reportanda, postquam Deus imposuit os ori, & manus infantilibus manibus.

Text. Tunc adimpletum est quod dictum est per Ieremiam Prophetam dicentem. Vox in Rama audita est, ploratus, & vlulatus multus. Rachel plorat filios suos, & noluit consolari, quia non sunt.

§. VII.

Martyres non habent patrem super terram; sed cœlestis patris censentur filij.

FLeuisset Iacob tot filiorum sanguinem, qui cum vnam videret filij polymitam tunicam sanguine conspersam Genes. 37. *Scissis vestibus indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore noluit consolationem accipere.* Cur ergo inno- Genes. 37.
centium puerorum cædes à luctu tanti patris non commendatur? Cur Iacobi luctu, & lacrymis dimissis, Rachelis apud Bethleem defunctæ Bethleemiticos pueros parentantes exponuntur lacrymæ? Non patrem in tenebris habent Christi Domini martyres, eo ipso quod pro Christi nomine decumbunt, non terreni, sed cœlestis filij censentur patris. Accipite pulcrum in Machabæis exemplum, qui vnius matris voce in generosam ob fidem patriam mortem occubuerunt armati. Tunc sic D. Cyprian. lib. de exhort. ad Cyprian.
matr. *Nec vacat mysterio quod in passionibus sola cum liberis mater est. Martyres enim, qui se Dei filios in passione testantur, iam non nisi Deo patre censentur sicut in Euangelio docet: Non vocaueritis patrem in terra, vnus enim est pater vester. &c.* Quid illustrius ad rem præsentem? etenim sola Rachel mater in cæde infantium illorum sanguinem rigat lacrimis, vt iam inde notarentur Christi martyres, qui vnius cœlestis patris, & nomen habent & hæreditatem. Deut. 32. dicit Moyses. *Exultate gentes cum populo eius, & adorent eum omnes filij Dei, quoniam sanguinem filiorum suorum vlciscetur.* De quo D. Chrysost. in Psal. 95. ait. *Eos, qui traditi sunt vt viles & abiecti, filios appellat Deus, & tanquam filios vlciscitur.* Dixisset etiam, & vt filios in paternum euocat regnum. Hinc D. Iren. lib. 3. c. 18. dum Deum operantem omnia commemorat, sic ait. *Occultè quidem, sed potenter omnia manifestat, quoniam occulta manu expugnabat Amalech, propter hoc & pueros eripiebat qui erant*

in domo David, vt eos præmitteret in suum regnum. O Dei ingenium & efficaciam, metebantur quidem pueruli Herodis falce; sed non tam erat messis tyranni, quàm summi Dei liberalitas, & magnificentia, qua infantes patri Dauid eripiebat, terrenæque hæreditati, vt abiecto terreno patre filij Dei nascerentur, cœlesteque regnum hæreditarent! Vnde D.Chrysost.apud Lyppomanum meritò ait. *Transmittit infantes infans Christus ad cœlum, noua xenia patri, primitias fructuum exhibet genitori.* Quasi iam nouis his pignoribus inciperet apparere cœlestis pater. Sanè modo mirabili & inusitata ratione diuinus infans, *dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui simul ex sanguinibus, & ex Deo nati sunt.* Etenim pro Christi nomine effusus sanguis semen est Tertulliano, quo Deo patri filij charissimi generamur.

Chrysost.

Lib.de fuga in pers.

§. VIII.

Lamentabile maximè est quod quis in tenebris degat eo tempore, quo alij luce fruuntur.

CVr Rachel Bethleemiticos pueros filios suos nuncupet? difficilis quæstio visa est multis, non illis, qui metonymiam didicerunt, qua Bethleem tantæ feminæ celebrata cineribus Rachel ambitiosè dicitur. Insuper in Romanorum strage non immeritò ibi tumulatus D.Petrus induceretur lugens filios suos. Neutrum placet Origen. qui Bethleemiticos infantes a Lia satos animaduertens, eò refert Rachelis luctus, quòd consobrinis pro Christo occisis, filij maneant in hac misera vita. Et sanè nihil lacrymis, altísque suspiriis dignius, quam vbi tot adepti sunt lucis & salutis vsuram, quòd te manente in tenebris salus maneat sub lite. Hoc amarè flebat Rachel plorans filios suos, quia non sunt, nimirum occisi, quando consobrini occisione corporis mercantur cœlestem vitam. Sic Origen. *Quomodo Rachel plorat filios non suos? Imò adeò plorat, quia filij sui digni non sunt habiti, qui pro Domino morerentur.* Res sanè lacrymanda Racheli & cæteris vniuersis contribulibus, quod sub vmbra legis premantur eorum filij, quando Bethleemitici infantes sempiterna suffunduntur luce, quod his ad salutem ereptis, illi maneant sub infirmitate gemebundi.

Origen.

Matth. 9. vt Christus Dominus curaret paralyticum air. *Remittuntur tibi peccata tua,* & statim vt inimicorum ora cócluderet ait paralytico, *surge, tolle grabatum tuum.* Quid hoc miraculo diuinius? Quid lætius & peccatoribus & infirmis? Nihilominus notat Euangelista, *videntes autem turbæ timuerunt.* Peccatorum remissio, sanitatis restitutio, res erat non timoris, sed gaudij, sed lætitiæ; & turbæ timent, & meritò timent. Rem explicat D.Hilar. *Domini virtutem turbæ timent; magni enim timoris est res, non dimissis à Christo peccatis in mortem resolui.* Etenim paralytico animæ & corporis à Christo Domino obtinente salutem, magni timoris res est, quod cæteri peccatorum vinculis adhuc manerēt obstricti. Meritò, inquam, timent turbæ, dum sub peccati infirmitate morti appropinquant, eo præcipuè tempore, quo vident tantam à paralytico obtineri salutem. Magni insuper timoris res est, si tu maneas in peccatis illis præcipuè temporibus, quando alij innumeri Sacramentorum beneficio spem salutis æternæ potiuntur. Hinc ego crediderim, reprobos à filiis Dei maximè distingui, quod aliquando notauit Genes.cap.4. Vbi filiorum Dei genealogiam illustrans dicit. *Seth natus est filius quem vocauit Enos, iste cœpit inuocare nomen Domini,* quæ verba hac periphrasi Chaldæus elucidat contrario prorsus sensu: *Tunc in diebus eius inceperunt filij hominum vt non orarent in nomine Domini.* Ecce tibi filius Seth qui fuit Dei, dum Dominum inuocare incipit, filij hominum, hi sunt filij Cain reprobi ab oratione, Deique inuocatione desistunt. O clarissimum (si quod est) reprobationis insigne! si quando alij cœlestibus inhiant, Deíque beneficiis fruuntur, tu peccatis incumbas, nilque aliud quæras, quàm tuorum desideriorum carnaliū pabula vilia.

In edit.Cō. plut. ad Pereiram.

Sanè Domino discumbente Bethaniæ, accessit Magdalena vnguentum afferens, Dominique liniuit caput Matt.26. *Tunc abijt vnus ex duodecim Iudas Iscariotes ad Principes, & sacerdotes.* Pulchrè hinc D.Chrysost. hom. de prod. Iud. illius totam causam proditionis auspicatur his verbis. *Tunc,* inquit, *abijt. Quid mihi tunc est? Ante proditionis tempus accessit meretrix vas sua astrum manibus portans, & vnguentum Domini supra caput effudit. Grandem fidem, multam reuerentiam, mirandam correptionem ostendit. Paulò ante meretrix, subitò pudica processit, & profundis obruta peccatis portum serenitatis agnouit, & quando lupanar exiuit, discipulus gehennam intrauit; quando illa mercedem sui corporis abdicabat; tunc iste pretium magistri sanguinis postulabat; quando illa obsculabatur pedes, vt susciperetur, tunc iste Domini labia obsculabatur, vt proderet.* Hæc ille.

Matth.26.

Chrysost.

Text. Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somniis Ioseph in Ægypto, dicens, Surge & accipe puerum, & matrem eius, & vade in terram Israël.

§. IX.

Christus Dominus in Ægyptum fugiens infantium sanguinem iaculatus est, quo Herodem hostem interimeret.

TRitissimum illud Parthorum ingenium, qui fugientes miro modo inimicos expugnabant, de quibus Ouidius 1 de Arte.

Tergáque Parthorum, Romanáque pectora dicam,
Telaque ab aduerso quæ cauit hostis equo.
Quid fugis, vt vincas?

Iam nunc Christus Dominus, vt tyrannum deuastet, fugam parat, & fugitiuus ô quam in hostem perniciosa contorquet iacula? Quæ iacula? Puerorum innocentium sanguinem, quo nihil perniciosius, vt prorsus destruatur tyrannus. Nullus in orbem terrarum nocentior, quàm Antichristus, nullus in Deum magis temerarius, totius religionis excidium & pietatis. Contra crudelissimum hostem hunc, quæ putatis à verbo Dei tela patrari? quæ iacula acui? Sane duorum sanctorum sanguinem. Sic Tert.lib.de anima c.78. Enoc, & Elias, *morituri reseruantur, vt sanguine suo Antichristum extinguat.* Sagittis quidem venenatior & velocior sanguis innocens euolat in tyrannornm perniciem, ardentes globi ab æneis machinis fulgurati etsi exitiales, etsi mutorum contritores, tamen plumbei sunt, & nimis tardi præ innocentium effuso sanguine. Nónne è decem illis plagis quæ Ægyptum vexauerunt, primus omnium apparuit Nili sanguis? Et qui sanguis? August.in decem præcept. decal. sic fatur. *Iusto Dei iudicio factum est, vt de illo fluuio sanguinem biberent, in quo infantium Hebræorum sanguinem fuderant.* Itaque sanguis infantium ab Ægyptiis in Nilo effusus, primus in tyrannorum perniciem euolauit. Nec ocyor inueniri potuerat sagitta infantium innocentiū sanguine, quam Christus Dominus in crudelissimum hostem contorquet. Quippe, vt author est Eusebius Histor. Eccles. lib.1. cap.8. Herodes antea felicissimus fortunatissimúsque Rex statim ab innocentium sanguine eas excepit plagas, quibus miserrime viuens æternæ mortis durissimos cruciatus prægustaret. Vt iam Parthice pugnanti Christo merito concinamus, quod D. Laurentio Prudentius vates pulchre concinnauit.

August.

Prudent.

Sic dimicans Laurentius
Non ense præcinxit latus
Hostile; sed ferrum retrò
Torquens in authorem tulit.
Dum Dæmon inuictum Dei
Testem lacessit prælio,
Perfossus ipse concidit,
Et stratus æternum iacet.

Etenim infans Christus dum fugit, innocentium sanguine madidum hostile ferrum retro in tyrānum torquet, quo misere confossus ipse qui lacessiuerat, æternum excruciandus iacet. Sic sæpe tela tyrannorum in authores suos solent retundi, quorum miseram conditionem exprimit Isai. c.47. dum inquit. *Impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest: & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum.* Ad hæc Procop. singulariter ponderat impiorum sibi ipsis perniciosa consilia. *Fluctuationem patiuntur maris instar se ipsos vlciscentes, quod quos fluctus ad littora tradit, assidue parit quidem, sed eorundem reflexionem rursum pati cogitur, non aliter ac iis.* Vidi ego sæpissime furentis maris fluctus rapidissimo cursu ferri, quasi iam iam terram essent voraturi; sed tunc indita vi in mari reflectentes crebro verbere, saxaque abruptis illud concutere. Sic impij nihil nisi tempestates vomunt, rapidissimos commouent aduersus innocētes fluctus, qui in authores suos retusi misera labefactant ruina.

Procop.

Text. Defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri.

§. X.

§. X.

Ira Dei quando in vnum peccatorem desæuit, omnes illi propinquos aliquando pertransit.

SEra diuini numinis vindicta, dio colligit iras, peccatorum correctionem expectans: at quando puniturus Deus in mediam prosilit extermini; terram, omnia morte replet, Abac. 2. non sibi in vnius morte videtur satisfacere. Sic Abac. 2. impium alloquitur. *Circumdabit te calix iræ Domini.* quæ verba exponens Theoph. Theophyl. pulcram similitudinem addit aiens. *Gyrum ducet super te poculum dexteræ. Quid vero est gyrum duxit? hoc est, circumtulit, quod aquè atque cyathus in symposio ad omnes compotatores transit, sic diuina sese vltio gerat.* Etenim in plebeis conuentibus, nunquã honoratiori poculum ministratur quin simul per circunstantes omnes & cyathus, & poculum superducatur. Sic calix iræ diuinæ ita super vnum effunditur peccatorem, vt aliquoties ad omnes simi- Exod. 32. les pertranseat indignatio. Id nouerat Moyses Exod. 32. quando irascenti in populum Deo sibi iam præcauens aiebat: *Aut dimitte illis hanc noxam; aut dele me de libro vitæ.* Ecce tibi si Deus poculum delet, se etiam delendum medita- Rupert. tur; ait Rupert. *Quare, videlicet quia ego homo peccator sum; si enim non est apud te propitiatio; si iudicium apud te est sine misericordia, consequitur, vt me de libro tuo deleas.* Nouerat Moyses irati Dei ingenium, cuius vltio non ad vnum; sed sicut cyathus in symposio, siue conuiuio ab honoratiore ad omnes compotatores transit; sic à nequiore, vt assolet, ad omnes similes diuina pertransit indignatio. Cauendum ergo maximè tibi est, ne impio a Deo puniendo appropinques, si eo- Theod. dem verbere refugis vapulare. Theod. q. 50 in Gen. miratur, quod omnes homines etiam piissimi filij Seth perierint diluuio generali. Quæ tanti rigoris causa? Cur non magis dedit pœnas solus peccator? Sanè, *Delere sobolem Cain voluit Deus, & quia piorum quibus illi permisti erant, obit, supplicij fuit particeps.* Longissimis loris à Deo peccator vapulat, & fieri poterit, vt propinqui omnes, vel vitio, vel loco, eodem verbere feriantur. Caue tibi ab impiorum consortio, & præcipuè caue cum impium calice iræ Dei noueris inebriari: tunc enim circumducitur calix, & forsan tibi appropinquabit. Meritò impius Herodes diris contusus verberibus malitiæ suæ pœnas luit, sed Herode defuncto vide quid Angelus inferat, *defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri*, quasi necessum foret, quod Dei verber præter tyrannum multos alios, & socios, & propinquos simul affligeret.

Text. Qui consurgens accepit puerum & matrem eius, & venit in terram Israël.

§. XI.

Christus Dominus etiam gloriatur, quod Ægyptijs conuersatus, liber, & immaculatus ab Ægypto exierit: adeo damnosum est religiosis viris cum sæcularibus commercium familiare.

O Quam exitialis esse solet viris piis cum impiis, & peccatoribus quantumcumque honesta familiaritas, Ambros. & conuersatio! Inde apud D. Ambros. Psal. 40. pater æternus vnigenitum suum extollit, quod inter peccatores conuersatus a peccatoribus exierit sine macula. *Vnde dicit pater, Filius meus es tu, ego hodie genui te, hoc est, generationis meæ in te priuilegium recognosco, quam nulla macula potuit inquinare peccati: inter peccatores versatus es, peccatum pro omnium factus es; sed nullum vsus potuit ad te transire peccati; ita inter peccatores versatus es quasi inter Angelos versareris.* Quis ergo sibi blandietur quod acquiret id, in quo Dei filius se maxime iactat, & de quo pater in filio gloriatur? Dignum ponderatione & prædicatione patris, quod Verbum diuinum inter peccatores versetur quasi inter Angelos, Ægyptiis familiaris ab Ægypto exeat liber, & immaculatus, eodemque innocentiæ candore, quo introiuit. Nullus ergo homo præsumat hanc filii Dei verbo dignam laudem: si enim mundanis sit familiaris hominibus, si Ægyptios profanos adeat, sancta [illegible]et, & iustissima causa, haud facil[illegible] [illegible]pedit illorum laqueis, imò, nisi sibi caueat, misere se io[illegible]nam obligar[illegible]entiet.

[illegible] quo[illegible] sub eleganti Israelis ad Ægyptum descendentis Cyril. exemplo edocet D. C[illegible]ill. lib. de adorat. in spiritu. Etenim Genes. 42. Mesopotami in dura inuadente fame Gen. 42. *visum est filijs [illegible] vt ie[illegible] [illegible] proficiscerentur ad Ægyptios. Profectionis causa erat emere alimenta, & nulla alia erat.* Quæ iustior? quæ honestior causa posset excogitari? Sed ô vices humanæ conditionis! Ægyptum ingressi Proregem adeunt, noscunt fratrem, perfunduntur gaudio, a Rege tractantur humanè, alliciuntur, vt famelica relicta terra, etsi a Deo promissa, illic velint diuites & saturi commorari. *Itaque Ægyptiorum dux quietem, & delitias illis promisit, & curras insuper addit, vt demulceret eos, opinor quibus descendere graue erat. At illi descenderunt cum tota domo sua, & vbi in Ægyptum venerunt, sperabant posthac euasuros se laborem, quem domi pertulerant, præsentiumque voluptatum sensus eis dulcis erat. Verum tempore procedenti ignominiosum seruitutis iugum subijt illa olim a patribus generosa, & libera multitudo.* Ecce tibi qualem mercedem, & lucrum ex Ægyptiorum familiaritate sanctorum filij reportarint. Quis iam non sibi à profanorum familiaritate cauit? Coguntur sanè filij Dei vel penuria rerum familiarium, vel quauis alia iusta causa mundanos, & peccatores adire, à quibus humanissime excepti, & munerati sensim alliciuntur, & obligantur. Et quibus graue erat ad mundana negotia, & otia descendere, iam non tam descensum quam condescensum putantes & condescendunt & descendunt, & gaudent muneribus & obsequiis peccatorum à laboribus, & penuriis, quas domi pertulerant liberari. Sed proh dolor! Tempore procedenti miserè Ægyptiorum irretita laqueis, captiua gemit vitiorum verbere effecta anima, quæ in libertatem filiorum Dei fuerat creata. Vnus filius Dei naturalis Ægyptum ingreditur, & ab Ægypto cum velit, exiet liber & immaculatus, & vtinam ex hoc suspectæ nobis essent omnes peccatorum familiaritates.

Text. Audiens autem, quòd Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre suo, timuit illò ire.

§. XII.

Timendum maximè & fugiendum viro iusto quicquid pristini speciem affert.

AVdierat Ioseph, defunctos esse omnes diuini pueri hostes; nihilominus cùm audit, Archelaum filium Herodis regnare, illum fugit saluti consulens diuini infantis. Non securè habetur Deus vbi adhuc perseuerat filius quicumque sit pristini inimici. Enim verò qui lethalem peccati hostem fugisti, quem vt fugeres, multa pœnarum sustinuisti certamina, caue tibi à quouis pristini inimici filio, si vis in anima Deum seruare. Dauid 2. Reg. c. 23. sitiens con- 2. Reg. 23. cupiuit Bethleemiticæ cisternæ aquam, illamque sibi à militibus allatam statim à se proiecit, & effudit, *& libauit eam Domino.* Adhæc Eucherius. *In sacrificio quippe Domini aqua* Eucher. *effusa conuersa est, qui culpam concupiscentiæ mactauit per pœnitentiam reprehensionis suæ. Qui ergo quondam concupiscere alienam coniugem nequaquam timuit, postea etiam, quia aquam concupisset, expauit.* Sic sancti ex pristinis periculis fiunt cauti, vt quidquid illius speciem refert, fugiant, & expaueant. Concupiscentiæ suæ lethalis expertus Dauid mala sic laborauit, sic fleuit, sic se castigauit, vt postea etiam aquam, quia ex concupiscentia fuerat, fugerit & expauerit. O si hostilia animæ tela dolore & labore repulissemus, quam maneremus cauti, vt ab omni eo quod illorum præferat damnum, effugiamus. Susanna pudicissima femina, vt balneo lauaretur ingressa pomarium. O quantam nuditate sua Daniel. 13. comparauit infamiam, in sui concupiscentiam & amorem populi iudices traxit. A quibus in iudicium vocata, marito & propinquis circumcincta, cooperta velo tribunal intrauit. Cur modò, marito & propinquis præsentibus, vxorata velatur? Pulchrè Tertull. lib. de Corona militis. *Meritò abscondens decorem vel quia timens iam placere.* Experiebatur damna quia semel placuit, & ideò modò cauta etiam mariti & propinquorum fugit publicum conspectum, timens iam vel præsente marito placere.

Hinc claret quàm digno viro iusto fuerit illa quæ videbatur Mardochæi rusticitas erga Aman, quem Principem magnique Regis patrem vnus Mardochæus captiuus minimè debitis obsequiis colebat, nec illi regiam intranti assurgebat. De quo ipse Mardochæus sese excusans Esth. 13. Esth. 13. ait. *Scis Deus, quia non pro superbia & contumelia & aliqua gloriæ cupiditate fecerim hoc, vt non adorarem Aman superbissimum (libenter enim pro salute Israel vestigia pedum eius deosculari paratus essem) sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quemquam adorarem, excepto Deo meo.* Sed vnde hic timor ortus est in Mardochæo? Respondit Carthusian.

quòd Aman circa pectus gerebat aureum idolum, cui Medi omnes adorationem exhibebant. Inde Mardochæus Israëlitis captiuitatem ab idololatria profectam expertus eam didicit cautelam, qua nec principi idolum præferenti assurrexerit, ne idolo simul aliquem honorem exhiberet. *Timui ne quemquam honorem, excepto Deo meo.* Sic idololatriæ pœna afflictus idololatriam incurrere metuit, vt ab honore exhibendo principibus abstineret, nec patrij Regis obsequij ergo assurgere vellet. Sic præcauent viri pij pericula, sic pristini damni vel vmbram metuunt.

Text. Et admonitus in somnis secessit in partes Galilææ; & veniens habitauit in ciuitate, quæ vocatur Nazareth, vt adimpleretur quod dictum est per Prophetam, quoniam Nazaræus vocabitur.

§. XIII.

Deus amat esse, vbi alicuius patientiæ occasio inuenitur.

IVdæam fugit Ioseph, Archeläum Herodis filiū natu maximum metuens, & admonitus ab Angelo in Galilæam secessit vbi minor Herodis filius tenebat imperium. Cur etiam ab isto non abstinuit? Cur aliò non secessit, vbi nullus regnaret Herodis filius? Nonne securior esset & quietior, vbi nulla crudelis hostis proles vigeret? Esset quidem, sed respuit Christus Dominus illam vitam, quæ nullo affligitur metu, amat esse, vbi patientiæ aliqualis occasio fertur. Iudic.1. dicitur de fortissimo Israëlitarum saluatore: *fuit Dominus cum Iuda, & montana possedit, nec potuit delere habitatores vallis.* Etenim cui Dominus aderat, a vallium habitatoribus fortiter resistebatur, quod ponderans Aug.q.5.ait, *quis non intelligat etiam hoc ipsum ad id pertinuisse, quod erat Dominus cum Iuda?* ex eo quod Dominus illi astaret, nascebatur aduersitas, qua exerceretur, amat Deus esse vbi vlla afflictio, vbi vlla exercetur patientia. Inde patientissimus Iob ab stercore in pristinas diuitias restitutus, functos vita filios non iterum recepit, imò nec petiit sibi dari à Deo. Cur ita? Pulcrè Tert. lib.2. de Patient. *Si filios quoque restitui voluisset, pater iterum vocaretur; sed maluit in illum diem reddi sibi tantum gaudij: securus sic de Domino distulit. Sustinuit ita voluntariam orbitatem, ne sine aliqua patientia viueret.* Adeò exosa est viris spiritum Dei habentibus vita illa, quæ nullo timore vexatur, quæ nulla pœna affligitur, eaque est semper in optatis vita, quæ timoris & spei vicibus subest, quæ præ manibus habet quid sustineat, vtpote quæ est omnium quæstuosissima. Id quod optimè nouerat sanctus Iacob, quando iam moriturus magis cadauer quam corpus filio aiebat Genes.43. *Facies mihi misericordiam, vt non sepelias me in Ægypto; sed dormiam cum patribus meis, & auferas me de terra hac.* Ad hæc D. Ambros. oratio. de fide Resurrect. *Sanctus Patriarcha profugus patria, fratre, parentibus, stuprum filiæ generi necem fleuit, famem pertulit, sepulturam defunctus amisit, transferri enim ossa sua, ne vel mortuus quiesceret, obsecrauit.* Qui vitam tantis ærumnis pressam egit, moriturus modum inuenit, quo ossa non quieta sederent, hoc maximum sibi lucrum reputans, si in hac valle lacrymarum nullum quietè & securè locum haberet; sed vbicumque fuerit, communibus mortalis vitæ iniuriis lassaretur. Hanc vitam exoptabat caro illa qua postmodum vestitus Dei filius, nequit etiam in loco esse, vbi sine crebra patientiæ occasione vita omnino quieta degeretur. Quapropter Nazareth Galilææ gubernante Herode vitam degit.

Iud.1. August. Tertull. Genes.43. Ambros.

CAPVT XI.

De puero Iesu Hierosolymis manente, insciis parentibus, à quibus quæsitus, & inuentus est. Ex Luc.2.

IAM duodecimum annum attigerat puer Iesus, & sui in mundum aduentus volens aliquam Synagogæ principibus suggerere notitiam, quo festo omnes Iudæi Hierosolymam conuenerant, venit & ipse de more cum parentibus suis. Cùm autem ritè omnibus peractis reuersuri cuncti essent, ipse, insciis parentibus, Hierosolymis remansit: deflent amantissimi coniuges absentiam filij, & summo illius desiderio capti qua possunt diligentia, pertransitis cognatis per vicos & plateas quærunt quem diligit anima sua. Post triduum templum ingrediuntur, & ecce tibi diuinus puer apparet medio in Doctorum cuneo, iam illorum Magister, iam discipulus factus. Et qua potestate Doctores illuminabat, parentum amore plenis querelis satisfacit, illisque dein subditus vitam agit.

Text. Cùm factus esset Iesus annorum duodecim, ascendentibus illis Hierosolymam secundùm consuetudinem diei festi, consummatisque diebus cùm redirent, remansit puer Iesus in Hierusalem, & non cognouerunt parentes eius.

§. I.

Iesus dum puer est non securè habetur, frequentibus fugis sese animis subducit & subtrahit.

QVicumque puerum Iesum mente habes, hac pungere cura, ne te deserat, ne inscio te diffugiat, solet enim paruulus hic occasione accepta amantissimos etiam fugere. Enimuero dum Iesus per paruam gratiam, paruus est in hominis anima, frequentiores peccati permissiones facit, quibus se subtrahit. Nouit in primis Isaias cap.16. dum inquit. *Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ de petra deserti ad montem filiæ Sion, & erit sicut auis fugiens.* Expende illarum auium, quæ suauissimè canere solent, ingenium fugax. Erit tibi, v.g. in cauea Philomena, vel Carduelis, cuius delicias maxima vigilantia procures, aprica illi loca quæras, escas pares dulcissimas, nouas indies aquas propines. Interea passerculus haud ingratus tibi mille cantilenas effingit, lætus in cauea salit & psallit, saltat & exultat, verùm si vel rimulam caueæ videat, si apertum ostiolum, nullis detentus deliciis subitò euolans fugit. Quid mirum quòd a cauea fugiat, quæ tenebatur captiuus? Esto, non captiuus in cauea, sed in amœnis floridisque hortis liber ramo arboris insidet, ibi in primis excussis alis, compositis plumis, os pectori applicat, vt extergat, & statim gratiosè erecto gutture quàm securè canit? quam quietè modulatur? quos non efficit modulos? Et quando securius dabat sonos dulcissimos, subitò interrupta musica fugit. Is est puer Iesus, sicut auis fugiens, sicut Carduelis fugax, tibi dulcissimus, placidissimus aderit, sed hoc ingenio vt quam primùm libuerit fugiat. Isai.16.

O quàm diuini pueri ingenium hoc fugax nouerat illa eius amasia, quæ Cant.8. dicebat illi, *qui habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam.* Explicatius forsan Sept. *qui sedes in hortis*, quasi diuinum passerculum hunc in floridis meditata hortis diceret, Eia age, pulchrè in nemore sumus. Hinc Mariana platanus extendit ramos, illinc velut cedrus incorruptus Ioseph assurgit; horum inside brachiis, cane passer dulcissime, ecce quicunque auscultant, amici sunt, amatores sunt: ô qualem vocem iam audimus! ô quam ex tuo ore melodiā percipimus! Optimè modularis: & statim subdit. *Fuge, fuge dilecte mi.* Proh Deus immortalis, quid iubes, vt fugiat? si dulce canit, cur illius expostulas fugā? Beda omnium acutissimè dicat. *Non optando loquitur; sed eius potius voluntati se conformando, memor videlicet consuetudinis ipsius.* Nouerat sponsa passerculi fugacissimam naturam, sciuerat quàm ad fugiendum erat procliuis, & sic quasi illius ingenium depingens quando placidè canentem audit, quando sibi applaudentem cernit, vel subridens ait, fuge, fuge dilecte mi, hoc tuum ingenium est, hic tuus mos, vt succiso cantus filo diffugias, vt eos deseras, quandoque qui te amant, quos & tu vehementer amas. Quam amabant illi felices senes Simeon, & Anna, quamque exultabant viso hoc puero, qui medius inter passeres templum Deo offerendus intrauit! Et ecce Matth.2. Angelus apparet Ioseph, & ait. *Accipe puerum, & fuge in Ægyptum.* à quo fugiet? Chrysol. id notauit, *fuge à tuis, fuge à* [illegible]. O fugax pueri Iesu ingenium! Sanè puer diuinus quasi nescit obligari, nullis officiis teneri tenetur, nunquam canorus hic passerculus cicuratur, domesticos etiam amicos familiares fugit. Sed cur fugit, pulchrè D. Fulg. serm. in Epiphan. *fugit non necessitate, sed potestate.* Expende illud, sed potestate, hoc est solum quia potest. Etenim, vt indebitum neget

Cant.8. Beda. Matth.2. Chrysol. Fulgent.

neget fauorem, nullo alio eget fine, quam vt absolutam suam exerceat potestatem. Carduelis qui in cauea delitiis affluebat, cum primũ potuit, fugit ea sola ratione, quia potuit. Sic puer Iesus nulla necessitate impulsus, sed cùm primùm potest fugit, & delitescit inuius etiam amantibus.

Athanas. Hinc magnus Athan. orat. 1. cōtra Arianos curat Ægyptiis persuadere, quod huius diuini pueri fidem præ manibus habeant. *Quia*, inquit, *apud nos seruatur puerulus ille, quem Herodes interficere satagebat; ideo author hortatórque sum, vt gestantes in manibus vestris fidem Nicææ à Patribus traditam specimen exemplúmque vos omnibus præbeatis.* Quasi dixerit: omnes summa diligentia filij Dei fidem amplecti & tenere debent; sed vos qui hunc filium Dei puerum accepistis, vigilantiores omnibus esse debetis in eo tenendo, illum manibus gestantes, ne dimittatis, quia puer est, & erit sicut auis fugiens.

Quare ego etiam omnium hominum adhortator sum vt gestantes in manibus filium Dei, cum toto mentis conatu teneamus, quia apud nos seruatur paruulus, & paruulus cum sit in nobis, si tepide teneatur, accepta occasione, etiam sine necessitate, pro potestate solum euolabit. Sic amantissimos parentes de filij fuga queribundos ipse filius Timoth. Hierosol. apud Tim. Hieros. respondit, *& vos me vt puerum quæritis?* Quid me fugitiuum vocatis? Quid de mea fuga queremini? Sum vobis puer, vt puer requiror & habeor, & ideo manibus excussus vestris pro potestate euolaui, fugi non vt affligerem; sed vt potui. Apud quos ergo puerulus hic habetur, moneo vt teneant manu, nec dimittant, quia Drogo. cum potuerit abibit statim; sic finem ponit Drogo lib. de Sacrament. Pass. *Domine Iesu, fenestram habes, per quam dilectus mittit manum suam, & columbam suam excitat, surge, inquiens, columba mea, amica mea, & veni: & cum euolat post te, vt apprehendat, tu effugis & ascendis super Cherubim, & volas super pennas ventorum.*

Text. Existimantes autem illum esse in comitatu venerunt iter diei.

§. II.

Non adeo auarus existat quis, vt Deum vni sibi proficuum velit, & non alijs.

Miraberis, sanctissimos Dei parentes integrum diem à filij abstinuisse complexu, & velim in hoc mirere parentum diuinorum virtutem maximam, qui solem suum Christum faciunt oriri super omnes indiscriminatim. Sanè puerulus diuinus ab omnibus amabatur, & sic sæpissimè à comitibus euocatus & tractus, relinquebat in via parentes. Qui vt minimè inuidebant aliorum bonis, sic permittebant ab alijs filium teneri, adamari, & munerari, scientes quantum boni ex illius præsentia possent vniuersi capere. Quam longè ab his parentibus illa filiorum Zebedæi mater, quæ auara nimis suis solis integrum saluatorem curabat reseruari. *Dic vt sedeant duo filij mei, vnus ad dexte-* Matth. 20. *ram, & vnus ad sinistram.* Matth. 20. sic quod omnibus sanctis propositum erat, duobus tantùm filiis procurabat. Vnde Ambros. Ambros. lib. 5. de fide cap. 2. *Meritò*, ait, *reprehenditur hæc mulier, quæ speciali quodam priuilegio ab eo Domino postulauit ea quæ sanctis indicauit esse donanda, non duobus Apostolis; sed omnibus discipulis.* Suis vnis cœleste munus optat, reliquos minime curat, dum sui requiem habeant, cœlesténque possideant hæreditatem, cæterorum omnium nulla solicitudine angitur. Quo laborauit vitio Apostolorum primus, cùm Thaboris gloriam speculatus aiebat, *bonum est nos hic* Marc. 5. *esse*, illum sic castigat Marcus cap. 5. *non sciebat quid diceret.* Bernard. Ad hæc D. Bernard. serm. de vita solit. *Nesciens*, ait, *quia visa Dei maiestate commune bonum intra priuatum suum visus est constituisse, & quo omnes frui debebant, ipse solus frui curabat.* Meliores his Christi Domini parentes, quando filium suum, in quo omnes diuinitatis thesauri habitabant, omnibus concedebant, vt omnibus ipse suorum bonorum copiam faceret. Quippe sui immemores integri diei absentiam à filio patiebantur, vt alij summo eius bono communicarent. August. Hinc aliquando D. August. serm. 113. sepulchrum Domini extulit, liberaliúsque commendauit esse, quàm Dei matrem. *Illa enim* (aiebat) *cunctorum spem tardiùs protulit, hoc cunctorum salutem citius suscitauit. Illa totius mundi Dominum nouem mensibus in vtero clausum tenuit; hoc autem triduo tantum tumuli gremio custodiuit.* Inde liberalius, quia commune bonum citissimè omnibus propalauit. Hinc meritò Rupert. in Ioann. lib. 11. in Iudam excandescit his ver- Rupert. bis. *O magnifica supplantatoris peruersitas, qui vniuersalem nostræ salutis hostiam faciens suam, sic quasi suum peculium possessorem mundi venalem proposuit.* Hæc ille, vt reprobi Iudæ auarissimam mentem damnaret, qui totius mundi pretium sibi vni vsurpabat. Vnde eleganter succenset Abbas Cel- Cellens. lens. de panib. cap. 24. Principem reproborum Luciferum, sic aiens. *Si portionem, quæ sibi competebat, Lucifer moderatè exposceret, & non totam vnguenti substantiam tanquam musca moriens rapina vsurparet, fortè adhuc in odore eius cum sodalibus sponsi viueret.* Heu quam sibi nocet qui totum cupit vni sibi!

Text. Et requirebant eum inter cognatos & notos.

§. III.

Christus Dominus nulla magis re filius Dei apparuit, quàm multitudine cognatorum & fratrum.

Generationem temporalem Christi Domini speculatus diuinus pater bis in illa singulari notione gloriatur in Psalmis. Primò Psal. 2. dicens, *filius meus es tu, ego hodie genui* Psalm. 2. *te?* Rursus Psalm. 109. dum ait, *ex vtero ante luciferum genui te.* Hunc posteriorem locum quando enucleare cupio, adest mihi receptissima illa omnium ferè Hebræorum lectio, quæ sic se habet. *Ex vtero ab aurora tibi ros pueritiæ tuæ, siue adolescentiæ tuæ*, quæ, vt Rabbi Salomon significat, innumeram prolis multitudinem roris guttis æquandam, sic Christianæ natiuitati explicandæ omnibus est luculentior & aptior. Planè vnius vterus virgineæ auroræ roris multitudini similem prolem parturiuit, dum cum Christo Christianos omnes effudit. Id quod D. Cyrill. lib. 10. thes. c. 3. no- Cyril. tauit his verbis. *Quando natura ipse Deus, homine assumpto, frater factus est noster, tum etiam primogenitus in multis fratribus factus est, quia multos filios Dei per gratiam effecit.* Nascitur Christus, & cum illo totus Christianorum populus renascitur tot cinctus fratribus, quot sunt roris guttæ viridantia fœcundantes parata. Et quò densior est fratrum renascentium aggeneratio, eò Christi gloria clariùs apparet, gloria quasi vnigeniti à patre, vt dicat ipse pater, *filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quo hodie? Eleganter Ambr. lib. 3. Ambros. de sacram. c. 1. *hoc est, quando redemisti mundum, quando ad cœli regnum vocasti, quando impleuisti voluntatem meam, probasti meum te esse filium.* Dixisset adhuc, quando Deus de Deo prodiisti, tunc solus, tunc sine fratre mihi soli tua generatio claruit, nec illam dignatus sum euulgare; sed quando caro factus tecum mundum facis renasci, quando fratrum cuneis nasceris stipatus, non me contineo, quin te publicem meum natum, quin me de tanta prole iactem, Ego hodie genui te.

Latuit quidem Dei filius, dum fratres non habuit, nec vllus se in filium Dei glorietur adoptatum, qui solus, & singularis absque aliquo fratre. Ecclesiast. cap. 4. dicebat Salomon, *considerans reperi aliam vanitatem sub sole, vnus est & secundum non habet, non filium, non fratrem.* Quæ verba expendens author Catenæ Græcæ ait, *si quis fratrem non habet, hic spiritum adoptionis filiorum non accepit.* Is filius Dei erit & vocabitur, qui fraterno affectu gaudet, tunc filiorum Dei adoptio & natura maximè explicatur, quando natura stimulante fraterno amore agimur & inflammamur. Nullus in filij Dei corpus transiicitur, qui solus sit & singularis. Etenim is est filius Dei, qui *pascitur inter lilia.* Hoc est, vt eleganter notat Bern. serm. in Nat. Virg. quod, *etsi iustus germinet sicut lilium: sed non ad lilium sponsus pascatur; neque in singularitate complacet sibi.* Eos in suum corpus traiicere auet, qui fraterno amore copulantur, qui sunt verè fratres & cognati, in quo filiorum Dei adoptio manifestatur.

§. IV.

Naturæ cognatio filium vnigenitum Dei ad pauperculorum hominum consortium traxit, & illis reddidit salutarem.

Miraris aliquando naturalem filium Dei Christum creaturarum omnium moderatorem pauperi homuncioni inhærere, eiúsque saluti incumbere & vigilare. Equidem homo est & carnem suam non despicit. Huc refert Epistol. de sententia. D. Athanas. quodcumque bonum in nos à Christo Domino

 dilapsum

dilapsum vidimus. *Nos cognata cum Domino corpora sortiti, incrementum ex eius plenitudine accipimus.* O magna vis cognationis & fraternitatis, qua summus Deus pauperum cognatorum meminisse dignatur. Id explicat illustri
Chrysost. exemplo D. Chrysost. hom. de terræ motu sic aiens. *Vt si calcaneo spina sit infixa, deorsum oculus se inclinat, quod membrum sit corporis, nec dixit quandoque in altis sedeo, membrum quod deorsum est nihil facio: sed inclinat se, suámque deserit altitudinem, tametsi quicquid calcaneo vilius? quid oculo nobilius? sed inæqualitatem cognatio naturæ correxit.* Despiceret Altissimi filius homines humi prostratos, sperneret à Satana deiectos, fastidiret à regalibus sedibus in ima descendere vt suos cœcos illuminet, vt salus infirmis medeatur, vt oculus sanando incumbat calcaneo; sed inæqualitatem cognatio naturæ correxit, & vt cognatos nouit, non dedignatur subuenire prostratis. Iam non te moueat homo quòd vilis sis, quod humi repas, vt altissimum Deum suspicias, eiúsque fauore nitaris, inæqualitatem naturæ cognatio correxit, & nil est quod timeas vbi Deus tibi adest cogna-
Theod. tus. Hinc Theodotus Ancyræ Episcop. hom. de Natiuitat. Christ. *Cum Deus esset, voluit homo fieri propter suam in nos clementiam, quò nos creatorem & iudicem perinde ac cognatum deinceps complecteremur, & qui propriarum actionum laude destituebamur, per ipsum fiduciam conciperemus. Et tamen cùm ad tribunal abstrahuntur qui propriarum virtutum præsidijs confidenter niti non possunt, fit interdum, vt cognatorum suorum meritis qualemcumque confidentiam sibi aucupentur.* Porro quis iudex adeò seuerus non suffragatur etiam criminosis cognatis? quam non conciliat clementiam cognatio? Cuius non allicit & delinit animum? deserit altitudinem suam oculus, & se inclinans maximam præbet spem calcaneo sanitatis, deserit etiam omnium altissimus Dominus & creator suam altitudinem vt spem salutis & confidentiam inferat vel minimis suis cognatis. O vos felices homines qui hanc diuini iudicis cognationem æstimatis, qui dum Deum cognatum cernitis, discitis Deum non timere, imò omni ærumna curatorem habebitis & præsentem cognatum, qui nullibi citiùs inuenitur, quam vbi eius adsunt cognati.

***Text.* Et non inuenientes, reuersi sunt in Hierusalem requirentes eum.**

§. V.

Quicumque Deum amittunt, nec gradum vlterius faciant; ibi sistant, ne ipsi perdantur.

VTinam quod Iesu parentes faciunt, omnes nos niteremur imitari: illi vbi Iesum à se abesse norunt, ibi sistunt, nec sine illo vlteriùs gradum faciunt. Et nos Deum peccantes dum amittimus, ne vlteriùs progrediamur ibi sistamus, & facili negotio ad Deum reuertemus. Sic pec-
Genes. 4. catorum primogenito consulebat Deus Genes. 4. iuxta Sept. *Dixit Dominus ad Cain, Quare concidit vultus tuus? Peccasti? quiesce: ad te conuersio eius, & tu dominaberis illius.* quasi dicat, dum lapsus semel quiescas, sistas, ad te conuersio eius, & tu dominaberis illius, facilè effrænem appetitum cohibebis vel minimo lori signo, seu blando poppysmate tui compos exurges, in Deumque conuerteris.
Ambros. Huc spectat illa D. Ambros. excogitatio de generoso elabenti equo in apol. Dauid cap 9. *Plerique equorum cum ceciderunt, se iactare consueuerunt & quos casus non læserit, iactando se debilitant, & frangunt. Aliqui aliter Græcorum equorum fertur natura, cùm in certamine curuli elisi fuerint, vel fortuitò ceciderint, nequaquam se mouere consueuerunt, & quandam tenent quietem & patientia disciplinam. His si casus non nocuit, quies prodest, certè non exacerbatur offensa.* Imò sic quieti in lapsu à quouis lori signo euocati, vel blando sibili iuuamine alacres & expediti assurgunt, vt feliciter cursum conficiant. Ea erit humanæ mentis felicitas in peccati ruina, si semel lapsa non sese iactet, non præceps vlterius rotetur, sed immobilissima stet: sed parcens sibi quiescat. Etenim tunc ad te conuersio eius, & tu dominaberis illius, ea facilitate conuersio appetitus fiet, qua generosus equus quiescens in ruina, vt vel sibilo, vel minimo poppysmate euocatus, & reuocatus, brauium desperatum
Chrysost. pertingat. Accedit iam D. Chrysost. explicatio, quæ sic se habet. *Peccasti, & grauiter peccasti; sed non punio propter delictum, misericors enim sum, & nolo mortem peccatoris: sed vt magis conuertatur, & viuat. Igitur quia peccasti, quiesce, tranquillitatem facito, cohibe tumultus illos tuos, ne addat priori peccato grauius aliud, ne consilium arripias vt medicina posthac nil prosit. Peccasti? quiesce.* O felices illos, qui animalium infirmitatem appetituum experti, generosi etiam animalis æmuli non se iactant lapsu, non præscripti rotatu voluuntur; sed ea quiete subsistunt, qua vel leuiori compressione conuertuntur, & brauium destinatum prosiliunt. O quàm expauit Diabolus hanc quietem in Iuda, & ideò sic illum impellebat post acceptam buccellam, vt continuò in venditionem Magistri compulerit exire. Ait enim Io. 13. Ioann. 13.
Cum accepisset ille buccellam, exiuit continuò. Ad hæc D. Cyrill. Cyril.
lib. 9. cap. 19. *Timet, vt credo, Diabolus ne morando locus pœnitentia detur, & quasi à temulentia mentem suam homo rectiùs cogitans eripiat. hac de causa festinat ac impellit.* O quoties post lapsum quies & mora homines à præcipitio liberauit! timet, timet sane Diabolus paruam quietem, expauet moram, in qua facili negotio effrænes etiam appetitus conuertuntur, & ideo impellere festinat, vt lapsos sine mora, sine quiete, in alia & alia ferantur præcipites. Gnarus quàm facili impulsu qui post lapsum quiescit, ad meliorem conuertatur frugem.

§. VI.

Deus quærendus omnibus modis & vijs quibus posset inueniri.

VIde quam solicita Maria in quærendo filio exilit, nullum lapidem non mouet, nullam viam non arripit, vt inueniat amissum, cognatos adit, notos interrogat: denique Hierosolymam redit, omnia lustratura donec inueniat filium. Sic eos qui Deum quærunt, vigiliarum vox
apud Isaiam commonefacit. *Si quæritis, quærite, conuertimini, & venite:* hoc est, ne vobis certas & determinatas vias Isai. 21.
quærendi præfiniatis, ne in quærendo Deum finem faciatis; sed quærite, & ampliùs quærite sine termino & fine.
Explicatissime Richardus de sancto Victore, lib. 2. de Emmanuele, cap. 16. *Si quæritis, quærite, & inquirendo perseuerate, imò & multipliciter quæratur qui nunquam ad plenum inuenitur.* Non semel quæsisse satis, iterum atque iterum requirendum, perquirendum, hac illac eundum, & bis, & ter, & millies eadem repetenda, reuisenda, lustranda. Richard. Victor.
Liceat ex penphani Lucretij penicilla describere, quibus amissum vitulum a matre depingit. Sic lib. 2. Lucret.

At mater virides saltus obiata peragrans
Linquit humi pedibus vestigia pressa bisulcis,
Omnia conuisens oculis loca, si queat vsquam
Conspicere amissum fœtum, complétque querelis
Frondiferum nemus assistens, & crebra reuisit.

Hoc amore, hac cura quærebatur filius Iesus à parentibus, eisdem petit quæri ab homine quocumque, vt omnia conuisat loca, vt creber eadem repetat & reuisat, nullum imponens finem, nulla inquisitione contentus, donec inueniat amissum. Hinc notat Diuus Hilar. Synagogæ repudium, dum explicat illud Matth. 5. Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio. Hilar. Matth. 5.
Vbi ait: *Synagogam dignè Dominus comparat modio, quæ susceptos fructus intra se tantum receptos certum modum dimensæ obseruantiæ continebat.* Pondero illud, certum modum dimensæ obseruantiæ; & cur placet Deo, quæ non nisi cum mensura seruiebat? quæ præfinitis obseruantiæ regulis, quæ definitis & determinatis viis Deum quærebat? Absit ab eo, qui repudiari timeat, hoc mensuratum & determinatum obsequium, multipliciter Deus quæratur omnimodè laboremus vt inueniamus omnia lustrantes opera virtutum, vniuersa exercitia peragrantes & crebri eadem reuisentes. Is sit nobis finis in quærendo, qui nos faciat inuenire quæsitum.
Pulchrè Origen. Magdalenæ exemplo proposito docet qualiter Iesum debemus inquirere. *Disce à Maria quærere Iesum in monumento cordis tui: reuolue lapidem ab ostio monumenti tui, amoue omnem duritiem: tolle omnem concupiscentiam tuam à corde tuo, & diligenter perscrutare si sit Iesus in eo. Si autem non inueneris in eo Iesum, sta foris & plora, permanens in fide, & respice foras ad alios, si fortè in aliquo videris eum, & plorando ora Iesum, vt dignetur venire ad te. Et iterum respice monumentum Dei quod est in te, & si videris ibi Angelos, hoc est, cœlestia desideria, per quæ tamen adhuc non possis videre Iesum, noli his contentus esse, noli adhuc deficiendo quiescere, sed plora, & quære Iesum donec inuenias.* Hæc ille, quibus rectè explicat, quam multipliciter quærendus sit Iesus donec ipse dignetur inueniri. Origen.

Text.

Text. Et factum est post triduum, inuenerunt illum in templo sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Stupebant autem qui eum audiebant super prudentia & responsis eius.

§. VII.

Christus Dominus in templo à crudelissimis inimicis aut honorem, aut offensam nullam accepit.

SAlutem ab inimicis reportandam dedicat puer Iesus duodecimo ætatis anno honorificè inter Doctores sedens in templo. Enimuerò nunquam percussus in templo, imò ibi sæpe honoratus consedit, magister docuit, Dominus peccatores accepto verbere perterrefecit. Matth. 28.
Matth. 28. *Quotidie sedebam in templo docens, & non me tenuistis.* Quocirca D.Chrysost. *Eum in templo non tenuerunt, propter quod Dominus foras exiuit, vt ex loco & tempore daret eis aptitudinem se capiendi.* Dum templo assidet, impiorum rabiem non sentit; sed & proprium, & paternum honorem integrum intuetur, in quem munitum templo non audet impietas.
Chrysost.
Thren. 4. Ierem.Thren.4. *Filia populi mei crudelis sicut struthio in deserto.* Struthio omnium animátium crudelissimè duratur in filios, quos vel perdit; sic populus Iudæorum sicut struthio crudelissimus in filium Iesum; imò, vt addit Rup. struthione crudelior qui non deseruit, *sed insuper occidit dicendo, Sanguis eius super nos, & super filios nostros*, vt in vno Christo omnes filios interimeret & perderet. Sed expende istius crudelissimi fœmoris locum, crudelis, ait, sicut struthio in deserto non audet in templo eorum etsi rabidissima crudelitas: sed extra templum in deserto desæuit. Meritò Diu.
Rupert.
August. August.serm.2.in Dom.23.post Trin. huc reuocat Christianos omnes adolescentes, vt vel discant à Iudæis qualiter se erga Deum in templo habere debeant. *Certe, ait, Iudæi, qui Dominum crucifixerunt, quod audimus horrescimus, & ingenti execratione prosequimur: illi cùm de sua luxuria cogitarent, delitiosorum agrorum solicitudines meditabantur, dicentes, Nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra. Quomodo ergo parceret Christo si eum inuenisset in terra, qui non solitaria prata irritandis libidinibus suis; sed frequentissimas elegit Ecclesias regnantis in cœlum?* Iam nocentiores in Christum iuuenes Christiani videntur, quàm implissimi Iudæi: illi vt Christum inuaderent, Deúmque suis flagitiis offenderent, agros, deserta meditabantur, imò sibi maximè exosum, & inuidiosum Iesum in templo verentur, in templo honorant, quem crucifigunt in deserto. Et Christianorum multi templa quærunt, vt Christũ libidinibus suis lacessant. Quid iam Iudæos Deicidas obstupescitis? quid crucifixores exprobratis? Maiora vos auderetis in Christum, si in terra haberetis, quem regnantem in cælo, in templo, in paterna domo inuadetis.

Sane Platonica lege sic olim cautum erat: *Piscator nec in portubus, nec in sacris fluuiis, paludibus stagnísque venetur, in eliis liceat.* Expendo illud, neque in portubus. Etenim inhumanum est in portu, vbi toties receptus à furenti liberaris mari, à fluctibus inuadentibus defenderis, & ab hostili telo refugium recipis, quod ibi vel piscem offendas, quod ibi humanissimè non habeas etiam pisciculos quosque debiles. Legales illi Iudæi in templo furentis sæculi maris portum meditantes, vbi quacumque tempestate iactati tutissimum confugium inueniebant, crebráque naufragia deuitabant, & portum verebãtur, & pisciculo ibi nostro Christo parcebant. Exleges Christiani, prorsúsque efferati dum portus etiam infestant, dum templa quærunt, vbi mundo naufrago portus offertur, vt ibi miserè inescatos pisciculos peccati hamo in mortem expiscentur. Proh dolor! aiebat
Ambros. Ambr.lib. 3. de Virg. *Quid prius horrescam nescio, tolerabiliora periuria, quàm sacramenta sunt tyrannarum.* Periuriis quidem forum forensesque tumultus infestant, sibi nocent, Deum existentem in cœlo lacessunt, cùm sacrum audiunt, cùm diuinis intersunt mysteriis. O crudele nefas, in portu Tertulliani pisciculum Christum enecant, fidelium pisciculorum examina suarum libidinum laqueis mortiferè irretiunt. Hoc acutè perstringebat Athanas. Sinait. de sancta Synaxi, dum ait: *An ignoras Ecclesiam Dei officinam medicam esse, & portum? Si in portu fluctibus agiteris, vbi postea quiesces?* Hæc ille.

§. VIII.

Nullo magis Christum Saluatorem trahimus, quàm colloquijs de rebus spiritualibus.

CHristum Saluatorem Iudæorum inditurus mentibus ipse puer Iesus hoc vtitur efficacissimo medio. Doctorum choro insertus verba miscet de optatissimo Christi aduentu, de durissima hominum seruitute, de Saluatoris indigentia. Hæc agit Iesus inter Doctores, his præparat illorum mentes, vt ad salutem recipiendam disponerentur. Israëlitarum ereptionem à seruitute extimuit Pharao, cum Ezech. 10.
eos consabulantes excepit de libertate amissa, de captiuitatis ærumnis, & tunc Saluatori aditum interclusum putauit, si hæc colloquia multiplicatis laboribus ab Israëlitis exulare fecerit. Quod eleganter in rem præsentem obseruauit D.Cyril.Alex.lib.9. in Ioan.cap.19. sub his verbis. Cyrill.
Pharao iussit, vt grauiora illis opera Iudæis afferrent, ne sermonibus vanis dare operam possent. Appellabant sermones varios eos, qui de libertate haberentur, & ad meliora inflammarent, quibus & seruiendi conditionem deplorarent, & à Deo poscerent meliora; quibus omnibus non nihil illis affuturum putabat. Et meritò tyrannus pertimuit hos Iudæorum sermones, vt Saluatori obuios; nulla enim re magis disponebantur captiui saluti excipiendæ quàm dum collatis ærumnis de asserendo libertatis bono miscerent sermones. O quàm citò adest Saluator his, qui sese inflammant mutuis sermonibus ad eum excipiendum! Pascitur inter lilia sponsus, aiebat illa, quæ bene illius mores & ingeniũ percalluerat: & quid est quod pascitur inter lilia? Liliáne totus pastus eius? Pulcre D. Bernard.serm.de Nat.Virg. *Forte non cibo, sed consortio pascitur liliorum, nec liliis vescitur, sed versatur.* Planè non sunt Bernard.
quæ Deum inescant muta lilia, etsi florida, etsi suaueolentia, consortium amat, nõ olores: in cælesti thuribulo Apoc. non olentia aromata, sed sanctorum ponuntur orationes, quæ Deum trahant ad homines. Colloquentium sanctorum consortia & Deo præbent pascua suauiora, & ad sese quàm ocyssimè conuocant, vt hinc puer Iesus Doctores paratissimos Saluatori excipiendo dedicasset, si de illius aduentus bono, & salute populis necessaria misceret sermones. Apud Thabor medius apparuit Saluator inter Moysem & Eliam; sed cur medius inter Moysem & Eliam? Rem attigit Tertul.lib.2.in Marcion, dum ait. *Quid tam Christus erratoris, quàm secum ostenderit prædicatores suos? cum illis videri, quibus in reuelationibus erat visus? cum illis loqui, qui cum fuerant locuti?* Ex eo quod de Iesu locuti fuerint, quasi inseparabiles laterones apparent Iesu. Iam non mirabor Theophilum Alexand. qui epist. Pasc. 3. virtutis summam Theoph.
in diuino fidelium constituit colloquio: sic enim inquit. Alex.
Cùm mens semel virtuti se tradiderit, quicquid aduersi euenerit, calcat, & despicit. Qualis fuit Paulus scribens, In his omnibus supramus per eum, qui dilexit nos. Quod enim sustinere non potest carnis fragilitas, naturali infirmitate superata, vincit animus fide colloquens Deo. Ecce virtutis robur, & fortitudo iuxta illum ex fidelium cum Deo colloquiis nascitur.

Text. Et dixit Mater eius ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.

§. IX.

Certissimè, & citissimè Deum inuenit, qui dolens & lugens quærit.

LOnga terenda via est iis, qui inaquosa obambulant, vt Deum inueniant; sed qui crucis canali inhærent, hoc est qui dolori, & lacrymis incumbunt, quàm citissimè diuinum paradisum attingunt. Chrysost. homil. de di- Chrysost.
uite id prædixerat. *Nonne nobis dixit, quòd regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud? Qui in cruce est, non vim facit, nihil medium est, & crux, & statim paradisus.* Altissima sunt paradisi mœnia superanda, per abrupta montium cacumina eundum his, qui ad paradisum festinant, quadraginta dierum iter terendum Prophetis ipsis, vt Dei visionem obtineant. Non tamen si à cruce incipiunt carpere viam, si in cruce sunt, si dolentes & flentes quærunt, nullum est medium, nullus expugnandus murus, nulla superanda cacumina, & crux est, & statim paradisus. Profectò lacrymarum vis nota erat Abbati Cel- Cellens.

 lens.

lensi, qui lib. de panib. cap. 12. sic lacrymarum ad Deum compendia definit. *Lacryma filium Dei ad nos inclinat, & ad veram Trinitatem, lateru nicute spiritu, nos eleuat.* Etenim, vt ad Trinitatem ascendamus, ille spiritus, qui antiquitus super aquas incubabat, vt inde pennata animalia parturiret, nos etiam ex lacrymis pennatos educit. Verum filius Dei post lacrymas nec pennarum expectat velocitatem; sed cuiuscunque moræ impatiens ad nos ipse inclinari, & descendere festinat. Fleuisti, ecce antequam ascendas, tibi adest inclinatus Dei filius, qui his in aquis nauigat velocissimus. Huc retulerim illud a Tertulliano notatum libro de Baptismo, vbi inquit. *Nunquam sine aqua Christus. Prima rudimenta potestatis suæ vocatus ad nuptias aqua auspicatur. Cum sermonem facit: sitientes ad aquam suam inuitat sempiternam. Cum de agape docet, aquæ calicem Patri oblatum inter opera dilectionis probat. Apud puteum vires resumit, super aquam incedit libenter, & transfretat.* Quid dulcius flenti? quid suauius dolenti? quam scire Christum mediis in aquis reperiri. Non sic Palæstina columba aquas amat, quibus residet, vt diuinus hic, & amator palumbus lacrymis oblectatur, & insidet. Felix ille, qui naufragio crucis per lacrymarum maria dolens & lugens, quærat Christum, inueniet proculdubio, non fieri potest, vt

Cellens. patiatur repulsam. Enimuero, vt ait Cellensis vbi suprà, *Aqua hæc aut facit, aut inuenit paradisum.* Tam certa Dei inuestigatrix lacrymarum gutta, tam efficax inuentrix, vt si semel ab oculis profluat, quamtumuis latentem inueniat Christum, vt fluuius delitescens mare inuenit, vel producat denuò ipsum. Vt enim nocturnæ roris lacrymæ margaritam in conchylio producunt; sic hominum Deum quærentium lacrymæ incomparabilem margaritam Christum aut inueniunt, aut reproducunt. Quidni? lacrymæ

Ambros. parturiere Christum. Sic Ambros. de pœnit. lib. 2. cap. 8. *Dauid dicebat, Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo: & ideò meruit, vt ex eius familia virgo eligeretur, quæ nobis partu proprio Christum ederet.* Itaque ea est vis lacrymarum, vt inueniat, aut producat

Bachiar. Matth. 1. Christum. Accinit Bachiar. epist. de recip. Lap. ponderans cur ex ea quæ fuit Vriæ nasci voluerit Iesus. Ait enim: *Talis filius nascitur ex pœnitentia, talem parturiunt gemitus & lamenta.*

Text. Et ait ad illos: Quid est quod me quærebatis? nesciebatis quòd in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?

§. X.

Christus Dominus, vt humanæ procurandæ saluti incumbat, parentes nil curat terrenos.

VNum à Patre commendatum salutis humanæ negotium Christus Dominus habebat, cui sic incumbebat, vt præ animarum amore cætera omnia nihili haberet. Ardentissimè matrem qui amaret, salutem humanam eò amabat ardentius, vt a Patre imperatam, quo sibi animas in sponsas datas cognoscebat, quo easdem ad Dei bona vi-

Bernard. derat pertinere. Hinc D. Bernard. Canticorum drama sub sponsi, & sponsæ vocabulis confectum pulcre exaggerat his verbis, serm. 7. *Non sunt inuenta æque dulcia nomina, quibus verbi, animæque dulces ad inuicem exprimentur sermones, quemadmodum sponsus, & sponsa. Vna vtriusque hæreditas, vna domus, vna mensa. Denique & propter hanc relinquet ille patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Cui adesset sponsus, nisi sponsæ? Cur autem Ioseph, & amantissimam sibi matrem relinqueret; nisi vt vxori adhæreret, vt paternum negotium de acquirenda sibi vxore perficeret? Nulla alia re à tam dilectis parentibus vellet diuelli, nisi vt animabus proficeret, nec nisi hæc paterna negotia illum parentibus possent eripere. Quos tandem queribundus solatur eò quod non reliquerit, nisi vt de cœlestis Patris mandato, sponsis acquirendis incumberet. Sic apud Matth. cap. 12. cùm mater expectans illum proponeretur, ait: *Quæ est mater mea?* Non sanè matrem confundens; sed matrem relinquendam esse docens, vbi acquirendis Deo animabus inhæserit.

Tertull. Quod egregie ponderans Tertullian. lib. de carn. Christ. inquit. *Quale ergo erat, si docens non tanti facere matrem, aut fratres, quanti Dei verbum, ipse Dei verbum nuntiata matre desereret? Negauit itaque parentes, quomodo docuit negandos pro Dei opere.* Vt hinc iam discas, quo te amore Christus diligat, qui non solum eandem hæreditatem, eandem domum, eandem mensam in cœlesti regno tibi communicat, verùm & propter te, vt tuæ incumbat saluti, patrem & matrem relinquit, a quibus vna animarum salus tam diuinum amatorem, & filium separare sufficit. Et quis pro anima sua patrem & matrem non relinquat?

Textus. Et descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis.

§. XI.

Nulla vilitas deprimit illum, qui obedientiæ virtute extollitur.

NOn te moueat, quòd Iesus Hierosolymis relictis, ad paruum & humile Nazareth se recipiat oppidum. Etenim non obscuratur loco, qui ibi obedientiam colit. Accipite Diuum Chrysostomum homil. de Cœco nato nu- Chrysost. per edita. *Nec paradisus*, ait, *in pretio habendus est: nisi Dei mandatum in eo seruetur, neque vilia loca sunt ignominiosa, si in eis sit lex Dei regnantis. Vtrum melius? vtrum potius? Paradisus, an sterquilinium? Veruntamen Adamo propter transgressionem paradisus nil profuit: Iob verò sterquilinium propter patientiam nil nocuit.* Imò paradisus ipse vbi in obedientia fœdatur, non paradisus, sed desertus, & inuius fit locus; sola obedientia extollit & illustrat loca. Omnia nobilitat, omnia amplificat, omnia magnificat obedientia, vilitatem non nouit, paruitatem ignorat, nescit non ascendere & extolli. Qui apud Isai. in Dei obsequium Isai. 6. præcincti stabant spiritus, simul alis afferebantur senis: quomodo ergo circa Domini thronum stantes pariter & volare dicuntur? An, quia prompta obedientia nescit non ascendere? Planè ait Eucherius: *Quia Deo stare idem est quod volare, & in sublime exaltari.* Eucher. O tu felix, qui Deo stas in procinctu eius, vel nutum expectans, nullis loci angustiis teneberis, nulla paruitate obscuraberis, eo ipso quòd stas paratus, efferris pernici, & exaltaris volatu in amplissimos, & altissimos cœlos. Nunquam non in cacumina, in cœlorum summitatem nititur obedientia: vt benediceret segniori filio Esau Isaac aiebat Genes. 27. *In* Genes. 27. *pinguedine terræ, & in rore cœli desuper erit benedictio tua, fratri tuo seruies.* Acute notauit Ambrosius lib. 5. epist. 20. Ambros. ad Horontianum illa verba, in rore cœli desuper, & fratri seruies: quæ sic expendit. *Pro benedictione igitur huiusmodi est seruitus, denique inter bona annumeratur, inter collatam terræ vbertatem, & rorem cœli a summo.* Non quidem posset obedientia inter minora annumerari bona, quam inter rorem cœli desuper, siue a summo. Etenim cœlestium summitas debito iure obtingit obedienti. Cùm paulo ante Iacob benediceretur, ea eius benedictio erat. *Det tibi Deus de rore cœli, esto Dominus fratrum tuorum.* Ecce tibi imperium & dominium de quibus ditetur, nimirum de rore cœli. Verùm obedientis seruitus, & subiectio ampliora requirit, non quouis cœli rore subsistit; sed rore cœli desuper, à summo cœlorum summitatem plectitur, qua sese dilatat, & extollit vir obediens.

Textus. Et mater eius conseruabat omnia verba hæc in corde suo. Et Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines.

§. XII.

Ex obedientia omnes dedicantur profectus Christi Domini, vtpote a qua sunt omnes profectus humanæ salutis.

POsita obedientia Iesu Saluatoris parentibus exhibita, rectè adiecit Euangelista eiusdem in sapientia, ætate, & gratia profectus: & cur non proficerent opera salutis, vbi Saluator ostenditur obedientissimus? In primis proficiebat sapientia, sapientia, inquam, de qua Isaias, *In sapientia sua iustificabit ipse iustus seruus meos multos.* Ad hæc oculatissimus Rupert. in Isai. lib. 2. cap. 19. *Quæ est scientia* Rupert. *eius, nisi obedientia eius? ergo in scientia sua, id est in obedientia* Isai. 53.

sua

sua iustificauit ipse., inquit Deus Pater, seruos meos multos. O Saluatoris sapientia excellentissima, quæ obedientia fœcunda mille peperit salutares fructus, mille dedit homines saluti.

Probro Christo Domino tribuebat hæreticus, quod subijceretur, & obediret, quasi obediens subiectio inæqualitatis cum patre stigmata inureret. Quem eleganter repellens D. Cyrillus Alexand. lib. 5. Dialog. de Trinit. filiorum omnium in parentes obedientiæ elucidat pulcritudinem. Non enim naturæ seruilis notam incurrit filius, qui pulcrum obedientiæ munus patri voluntarius offert, non Isaac alterius inferioris naturæ ab Abrahamo diuersæ arguitur quod vsque ad mortem obediret, non filius Dei, quod voluntariè obediat, ideo inferior, & natura infimus. *P[illegible] o naturæ sola quodammodo ad Deum est oportere subdi. V[illegible] umtamen non in eo, quod subduntur, res habent esse: sed existunt, & subsistunt secundum propriam rationem, & quasi v[illegible]icuique præmium dederit natura, voluntariè accipit obedientiam, & fit ea fructus mentis.* Sic ille, vt obedientiæ Dominicæ excellentiam exprimeret, quibus pondero illud, & quasi vnicuique præmium dederit natura, voluntarie accipit obedientiam, & fit ea fructus mentis. Etenim obedientia non seruilis naturæ nota, sed ingenuæ naturæ præmium existit, qua mens fœcundata optimos, & suauissimos parturit & colligit fructus. Sane incarnatæ sapientiæ præmium fuit voluntariam obedientiam exhibere potuisse, qua salutis fructus valuit immensum parturire, *quia in scientia sua, id est in obedientia sua iustificauit seruos multos.*

Cyrill.

Rursus Iesus proficiebat ætate, etenim suos etiam præstat ætati obedientia profectus. Iosue 10. cùm Sol, & Luna ad hominis imperium stetissent, pergit textus. *Non fuit antea, & postea tam longa dies, obediente Deo voci hominis.* Et cur tempora, & dies non augeret diuina obedientia præstita homini, quandoquidem homo cum obedit Deo, se suósque quasi æternare sentit? Iugulandus Isaac victimam requirebat ex parente, cui ille, *Dominus prouidebit, fili.* Genes. 22. Ad hæc Ambros. primo de Abraham cap. 8. *Vocare filium frequenter non timet, ita erat intentionis soliditate fundatus, & hoc se meliorem patrem putabat, hoc sibi in perenne mansurum iudicauit filium, si eum immolaret Deo.* Ecce tibi ex obedientia vsque mortem exhibita, filij perennitatem, multiplicésque vitæ annos augurabatur.

Genes. 22.
Ambros.

Tertio proficiebat Iesus in exhibendis operibus gratiæ, & sanè gratiæ apud Deum vnica est obedientia, & auctrix, & conseruatrix. Id quod ostendit Rupertus lib. 2. in Genes. cap. 30. vbi sic ait. *Nonne melius fuisset nullum dedisse præceptum, quàm positione præcepti facere præuaricationi locum? Ad hæc, inquam, vnde ergo copularetur homo Deo, si non illi subiugaretur obedientiæ iugo?* Quasi nullum efficacius aliud posset excogitari medium, quo homo Deo per gratiæ opera copularetur præter obedientiam: hæc vnica conciliatrix & conseruatrix gratiæ inueniebatur. Deuteron. 26. aiebat Moyses, *& nunc Israel, quid Dominus Deus tuus postulat à te nisi timere Dominum Deum tuum, & ambulare in omnibus vijs eius?* Quod sic in rem præsentem expendit aliàs adductus Iren. lib. 4. cap. 31. *Hæc quidem gloriosum faciebant hominem, id quod deerat ei implentia, id est amicitiam Dei; Deo autem præstabat nihil, neque enim indigebat Deus dilectione hominis. Deerat autem homini gloria Dei, quam nullo modo poterat percipere, nisi per obedientiam quæ est erga Deum.* Obedientia ergo præstat homini & amicitiam, & gratiam apud Deum, ab hácque nobilissima virtute prosiliunt, & proficiunt quæcumque opera gratiosa Deo ab hominibus possunt exhiberi.

Rupert.
Deut. 26.
Iren.

LIBER

LIBER TERTIVS, DE CHRISTI DOMINI APVD HOMINES CONVERSATIONE.

A Salvatoris cunabulis & pueritiæ annis egressos nos iam vocat eiusdem apud homines conuersatio, ea nimirum, quam a Baptismate Ioannis vsque ad passionem suæ carnis instituit. Vbi in longiores & iustiores tractatus, relictis miraculis, sermonibus, conuersionibus a Saluatore peractis, hic ea expendere conabimur, quæ a D. Thoma, & alijs Christi Domini vitam conscribentibus exarata sunt.

CAPVT I.

De Christo Domino à Ioanne baptizato.

Ante Christum semper prænutritur Ioannes, vt qui viam Christianismo præpararet, & præcurreret ipse saliens in vtero, ad Eremum festinans, baptismum initians; quæ via ei tenenda est omnibus Christianis. Huic baptizanti accessit inter alios Christus Dominus, sed longe alia ratione, quam alij vtpote qui omni munditie purior, vt omnes a vitiis lauaret, veniat: venientem ad se miratur Ioannes, expauet, prohibere tentat tandem persuasus Dominus suum baptizat, vt inde in Christianum baptisma sanctificaret aquas.

Text. Tunc venit Iesus à Galilæa in Iordanem ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo, *Matth* 3.

§. I.

Ioannes Christum sentiens in mundo impatiens moræ festinauit præcurrere, & Christo famulari

Semper Christus ad Ioannem, semper Ioannes in arena conspicitur expectans Christum, hoc illi maxime in optatis erat, vt excussa omni mora præcurrat Christum. Hinc cùm primum Christum sentit, exultauit in vtero quasi vi, calcibúsque viscerum vincula rupturus aduolaret vt famularetur Christo. Sic D. Chrysost. apud Metaphrastem hos Ioannis saltus explicuit. *Non fert Ioannes præsente Domino contineri, non fert naturæ expectare terminos; sed contendit rumpere carcerem ventris [illegible] studet præsignificare Saluatorem. Accessit inquit qui soluit vincula, & quid ego sedeo vinctus? Venit Verbum vt omnia constituat, & ego adhuc maneo detentus, exibo.* Adeo Præcursoris munus implebat, vt nil timeret, nisi non præcurrere, & currere ad Christum, vt vel naturæ tarditatem & moram accusaret & expauesceret ne vel tantisper detineretur, & seruus Christo iam in mundo existenti appropinquaret. Materna exhorrescebat viscera & rumpere satagebat, vt notæ Domino sine mora suum exhiberet seruitium. Non Ioanni absimilis adolescens ille, qui patris funera reliquit, vt ad Iesum quam ocyssime iret. sic enim à Saluatore apud Lucam cap. 9. postulabar. *Permitte mihi primum [illegible] & sepelire patrem meum* Ad hæc eleganter & dulce Diuus Ambrosius serm. 79. *Mortuum illum reliquerat quem [illegible] sepeliret exoriri. Non eum dolor retinuerat, non mors retardauerat, quia festinabat ad vitam. Necdum morientis clauserat oculos, necdum rigentia membra considerat: statim, vt comperit aduenisse Dominum oblitus paternæ pietatis affectum, maiorem pietatem credit plus Christum diligere, quam parentem. Ita cum Tobias iustificetur, cum sepulturæ causa prandium reliquerit, hic probatur cùm causa Christi patris reliquerit sepulturam. Ille enim non veretur ne interueniente opere terrenis prandij epulas prætermitteret hic metuit, ne interueniente mora refectionem panis cœlestis amittat. Vnde cum contemplatione Christi sepulturam omnibus debeamus, hic amore Christi, patris deseruit sepulturam.* Timui aliquid subtrahere Ambrosiano acumini, quo videtis extolli iuuenem, qui vt comperit aduenisse Dominum paternæ pietatis oblitus, ne interueniente mora obsequium Christo exhibendum differret, & patres inhumatos reliquit vt ipse viueret Christo. Hoc sane agebatur aculeo Ioan. non adultus; sed puer, sed infans, sed in vtero adhuc existens, ibi vt comperit aduentum Christi materna viscera fastidit, naturæque iuri derogans vincula ventris rumpere nititur, quia festinabat ad Christum, veritus, ne mora interueniente occasionem amittat.

Chrysost. Sed est, quod iuxta Chrysostomi excogitatum Ioannes in vtero ad Christum properaturus, *contendit rumpere carcerem ventris*. Cur sui oblitus Herodis carcerem postea quietus sustinet? Sane ventris carcere cum premebatur naturæ indulgebat, & nondum natus erat Christus; verum sub Herodis carcere, & affligebatur, & tribulabatur, & detinebatur, quò minus iret ad iam prædicantem Christum. Cur ergo impatiens moræ ventris carcerem nititur rumpere, & tribulationis patiens Herodis carcerem tam quietus sustinet? Equidem sub Herodis carcere tribulatus non detinebatur quominus tunc ocyssimè iret secuturus Christum. Enimuero qui in tribulatione sunt, etiam cum mille rudentibus, seu catenis manus pedésque alligari, & detineri videntur, pernicissimo tamen motu in Deum feruntur. Tribus affixas Domini manus clauis, pedésque viderat latro, & clamabat de cruce Luc. 23. *Domine memento mei dum [illegible] eris in regnum tuum.* Luc. 23. Vbi pulcrè Bernard. serm. in Ramis Palmarum 1. inquit. Bernard. *Euntem in regnum vidit, quò cùm perueniret sui memorem esse rogabat.* Videbant alij suffixos clauo pedes in ligno; at latro oculatissimus, quando suffixos pedes detineri vidit, ocyssimum, & sine mora cursum fuit speculatus. Quando Ioannes catenis præpeditus erat Herodis carcere in nigro, ô quam currebat! ô quam pernici Christo adhærescebat volatu! Pulcre Prouerb. 4. dicitur, *Iustorum semita quasi lux splendens.* Etenim velocissimo cœlestia lumina motu rapiantur, quæ tamen nobis videntur aut pla[illegible]are aut pedetentim viam, & cursum agere. Quis non putet solem medio in cœlo confixum immotum penè stare aut plumbeo passu moueri, cuius lux per fenestram ingressa per plures horas tenetur cubiculo clausa? Sed tunc quum cubiculo clauditur, immensa simul cœlorum spatia pertransire noscitur pernicissimo volatu. Sic iusti, sic Ioannes non vt lux, sed lucerna ipse ardens cum in carcere Herodis videbatur immorari, omnis moræ expers vero soli inhærens cœlestia omnia quam ocyssime perlustrabat, nunquam inquietior, nunquam velocior, nunquam magis sine mora agebatur. De hac tribulationis via, Nicobulus apud Nazianz. fatur. Nazianz. *Altera via o[illegible], ardua, arida, angusta, atque obliqua est, omnique ex parte præceps, & abrupta eò hominem virtute [illegible] afflantem subuehens, vt non ante ascendendi finem faciat, quam ad summum illud præstantissimúmque lumen peruenerit.*

nerit. Dum in asperitatibus & tribulationibus his, nunquam non volabis, nunquam non ascendes, donec iustitiæ Soli inhæreas, cui hac via quam citissimè astabis.

§. II.

Ioannes Christum Dominum præcurrens, vt ei viam pararet in Eremum festinauit.

Solicitus de Præcursoris officio ea nascitur cura Ioannes, vt arduas Euangelij vias percurrat, & quasi Christum in deserto Euangelium dedicantem sensisset, sic vt præcurrat Christum ad Eremum festinat. Id diuino halitu præsagiens Zacharias pater eius sic recens natum puerum dicitur alloquutus. *Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis.* Ad hæc Origen. homil. 10. in Lucam. *Ideò, ait, reor Zachariam festinasse, vt loqueretur ad paruulum, quia sciebat, eum post paululum in Eremo moraturum, nec se eius posse præsentiam habere.* Vix materno aluo emissus erat, & iam Eremum suspirabat, quem sciebat honorandum à Domino suo, eóque in illum ferebatur affectu, vt fuerit patri festinandum, ne eius priuaretur colloquio. Præscius puer Christiani Eremi veretur, nedum ipse in paterna domo agit, mediisque domesticis nutritur, pertranseat in sibilo auræ tenuis Christus. Ideò ad deserti petram festinat, ex qua in omnium redemptionem agnus sperabatur ab Isaia. Origen. Luc. 2.

Rectè D. Chrysost. homil. 1. in Marc. Ioannis in desertum fugam commendans, ait. *Qui sciebat Christum venturum, & Christum non quærebat in templo, sed in deserto separauerat se à multitudine. Oculis expectantibus Christum nihil aliud dignatus est aspicere, nisi Christum.* Et quam aliam pararet viam Domino, nisi illam, per quam Dominus erat venturus? Et quomodo non respueret creaturas, qui omnium creatorem expectabat videre? Veniendum Christo erat per tolerantiam, per inuia, & inaquosa, per abiectionem, per asperitates, per paupertatem, per omnium voluptatum mundialium exsibilationem. Huc ergo præcurrendum erat illi, qui viam erat Domino paraturus: hac item eundum est illis, qui à via Domini non longè abesse cupiunt, qui veniente volunt gaudere cum Christo. Plane Christum spirabat ille, qui aiebat Exod. 33. *Ostende mihi faciem tuam.* Sed ecce tibi diuinum responsum, *Cum pertransibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & videbis posteriora mea.* Ad hæc Cyrill. Hierosl. Catech. 10. expendens illud, *ponam te in foramine petræ,* inquit *Ecce ponam te in foramine petræ, cum enim exiguus sis, in paruo circumscriptus eris.* Quasi non alioquin transeuntem Dominum videre posset; nisi mundi magnalia relinqueret, nisi quod magnum est, quod splendidum est, quod blandum & suaue est deponens, se per desertum currenti conformauerit petræ Christo. Cyrill.

Igitur Ioannes in Eremum festinans in foramine petræ omnibus abdicatis amplitudinibus de petra deserti aduenturum præstolabatur Christum. Et oculis spectantibus Christum nihil aliud dignatus est aspicere, nisi Christum. Pusillus ille homo Zachæus apud Lucam 19. *præcurrens ascendit arborem Sycomorum, vt videret Iesum, quia inde erat transiturus.* Quid plura? domi Christum excipiens lætans aiebat. *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Ad hæc D. Gregor. Nazianzen. orat. in sanctum Baptisma. *Zachæum imitare, facultates omnes tuas ingredienti Christo in munus offer, vt licet corporea ætate paruus, animo tamen eneharis Christum egregiè conspicatus.* O quàm egregiè conspicatus fuit Christum, qui aduenienti illi omnes postposuit mundiales facultates, & in paruitate corporea, spiritus attigit sublimitatem. Zachæo multò felicior Ioannes, ætate corporis pusillus præcurrens ascendit condensa arborum; vastissimam rupium, lignorùmque eremum, vt videret Iesum, quia inde erat transiturus. Et Christum non conspicatus; sed egregie conspicaturus, Christianos omnes labores exantlauit. Sic Nazianzen. adductum explicat Nicetas eius scholiastes. Quemadmodum Zachæus, posteaquam Christum in domo sua excepit, dimidiam quidem facultatum suarum partem pauperibus erogauit, reliquam autem retinuit, non vt ipse ea frueretur; sed vt eam quadrupli fœnore restitueret, quæ iniustis rationibus, ac fraude & per calumniam collegerat. *Sic tu quoque magnanimus esto, hoc est, pecuniarum contemptor, ac supra res terrenas assurge, vt magnus secundum spiritualem ætatem, quæ in virtutis incremento sita est, appareas, atque Christiana theoremata plenè, & exactè intelligas.* Sic Ioannes in minima corporis ætate pecuniarum contemptor, ac supra omnes terrenas facultates eleuatus adeò magnus apparuit, vt nullus illo maior inter natos mulierum, adeò magnus, vt ad egregiè conspicandum Christum omnia Christiana theoremata de voluptatum contemptu & perficeret, & perdoceret. Hinc vel maximè ostendens, quàm veniret in virtute & spiritu Eliæ. Etenim Elias transeuntem visurus Dominum 3. Reg. 19. *operuit vultum suum pallio.* 3. Reg. 19. Luc. 19.

Quod expendens D. Gregorius homil. 13. in Ezechiel. ait. *Aurem intendere, & faciem operire, est vocem interioris substantiæ audire per mentem, & tandem ab omni specie corporea oculos cordis auertere, ne quid sibi in illa corporale animus effingat.* Solet mens nostra instar rerum corporalium sub oculis cadentium, res etiam subtilissimas, & spirituales effingere, quod ne sibi videnti Deum accideret, operit Elias pallio vultum. Et Ioannes alter Elias mundiales omnes deuitans delicias eremum petit Christum conspicaturus, & oculis spectantibus Christum, nil aliud dignatus est aspicere, ne quid sibi in Christo mundiale fingeret. Gregor.

O quam superior Ioannis in eremo fides, Principis Apostolorum in Thabor fide! Petrus splendentem aspiciens Saluatorem aiebat: *Faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum.* Quod sic exprobrat Dominus apud Timoth. Antioch. homil. de cruc. & transfig. *Quid ais, Petre? tria tabernacula construere cogis? simul me, & Dominum, similem seruis facis?* Quasi probro duceret Christus Dominus, quod sibi aliquid attribueretur creatis splendoribus simile. Meliori consilio Ioannes in spiritu Eliæ oculis spectantibus Christum nil aliud dignatus est aspicere, id meritò præcauens, ne quid sibi in Christo Domino fingeret rebus spectabilibus simile. Matth. 17. Timoth. Antioch.

§. III.

Ioannes verbo Dei armatus in Eremi difficultates prosiliuit.

Cur puer vastissimi deserti solitudinem non extimesceret? Cur tenella infantis membra asperrimum amictum non pauerent? Cur inter syrtes, inhospitalésque cauernas non sibi à feris, à serpentibus, à præcipitiis caueret homo? Facilè D. Lucas respondit, dum ait cap. 3. *Factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto.* O quàm securum mediis periculis reddit hominem verbum Domini! Sonet in te Domini verbum, & facili negotio ab omni iniuria liber conseruaberis. Rubus ille à Moyse conspectus flammis vndique ardentibus cingebatur, & liber virescebat mediis flammis, eo solùm quia diuinum verbum eructabat. Audi S. Hieron. de mansionib. ad Fabiolam mans. 8. *Videbimus ardere rubum, & non comburi: inflammari & Ecclesiam persecutionibus, & eam, loquente in illa Domino, non perire.* O felix, super quem Domini verbum fiat in illo, loquente Domino, procul dubio non peribit, imò impauidus & audacter pericula ipsa subibit. Id quod eleganti similitudine demonstrat Rupert. de Vict. verb. Dei lib. 1. cap. 4. *Felix qui taliter meruit gustare verbum, illum erudiuit Dominus, & eruditus est; docuit eum, & doctus est, doctus ad militiam, eruditus ad pugnam. Ille homo per similitudinem equus est, qui tanto sessore confisus exultat audacter, & contemnit pauorem, neque gladio cedit; imò in occursum pergit armatis.* Quid rudi equo timidius? à pascuis puerili virgæ ictu fugabitur, & concludetur in caules. Verùm is postquam disciplinam nactus optimo sessore potitus est, vel sedentis ad sibilum sic audet, vt in medios confertissimos hostes sese non dubitet dare. Ita ille, super quem verbum Domini insonuerit, tanto sessore confisus nescit timere, contemnit pauorem, in quæuis pericula intrepidus prosilire audet. Quam vim diuini verbi insinuat Ioannes, dum de verbo incarnato ait. *Hæc verba locutus est Iesus in Gazophylacio docens in templo Salomonis, & nemo apprehendit eum.* Quæ eleganter ponderans Orig. in Ioan. tom. 18. inquit. *Eius enim verba valentiora erant iis, qui eum volebant comprehendere. Et quamdiu dicit, nemo eum comprehendit eorum, qui ei insidiabantur; sed si taceat, tum denique tenetur. Itaque dum in eum Pilatus inquirit, eúmque flagris cædit, tacet; si enim locutus esset, in crucem ex infirmitate sublatus non esset, quandoquidem infirmitas non inest in eis, in quibus verbum loquitur.* Sic Origen. Luc. 3. Hieron. Rupert. Origen. Ioann. 8.

§. IV.

Viam Domini paraturus, illam vt mundet, meridianóque æstu liberet, rigat Baptismi aquis Ioannes.

Viam vniuersæ carnis corruptam nil aliud quàm cineres, & aridorum serpentium proferentem latebras, totum

totum non potuit aquarum diluuium expiare, mundare. Post diluuium adhuc apparuit via hominum arida, puluerulenta, latebrosa, ab incursu, & dæmonio meridiano infestata, Christiani baptismatis expectabat fontem, quo possit lauari, & ablato puluere antiquæ pulcritudinis recipere nobilitatem. Hunc allaturus fontem Deus verbum instabat, sed qua ipse Deus ingrederetur mundum, accurrit *Ioannes prædicans baptismum pœnitentiæ*, vt lacrymarum fonte rigata tellus arida diuinis possit patere iam plantis. Vnde eleganter D. Ambros. considerans peccatricem Mariam, pedes Domini lauare lacrymis, sic ait, *Bonæ lacrymæ in quibus non solùm redemptio peccatorum est; non solùm nostrum possunt lauare delictum; sed etiam verbi cœlestis rigare vestigium, vt gressus in nobis eius exuberent.* Sanè pulvereæ peccatorum nubes repentium aridorum latebræ maximè impediunt, quo minùs verbum ad nos ingrediatur: imò illi penitus aditum intercludunt. Quòd si lacrymis vias tuas rigaueris, ô quot in te Dei vestigia experieris infigi! O quam crebri illius in nobis gressus exuberabunt! Hinc diuinus Ioannes verbo paraturus viam, cucurrit ad baptismum pœnitentiæ, quo lacrymarum aquis humani pectoris pulnerulentam terram doceret rigari, & atque serpentis latebras emundari. Vnde pulcrè notat Chrysol. serm. 137. de baptism. Ioan. *Erat pœnes Ioannem venia, sed non sine pœnitentia; ... at remissio, sed luctibus comparata.* Etenim luctibus perdocebat conscientias emundari, lacrymis rigabat vias omnes humanas, quibus Dei gressus exuberarent, puluere excusso, impurisque spiritibus exsibilatis. Etenim immūdus spiritus, vt ait Nazianz. orat. in S. Bapt. *ambulabat per loca inaquosa, diuināque influxione minimè perfusa, illic commorari gestit, vagatur, quærens requiem non inuenit; aquis, non secus ac legio æquoreis fluctibus suffocatur.* Hunc eliminaturus è conuictu hominum præcursor Christi baptizans homines ab arenti corde lacrymarum fontes educit, quibus exeutitur omnis inmunditia. & orienti purissimo iustitiæ Soli aperitur via. Audebo ex profano authore huius rei clarissimum exemplum propinare. Is est Cicero lib. 1. de diuinat. vbi aquilæ de serpente victoriam sic decantat.

Ambros.

Chrysol.

Nazianz.

Cicero.

Hic Iouis altisoni subitò pennata satelles
Arboris è trunco, serpentis saucia morsu
Ipsa feris subigit transfigens vnguibus anguem,
Quem se intorquentem lanians, rostróque cruentans,
Iam satiata animos, iam sæuos vlta dolores
Abiicit efflantem, & laceratum affligit in vnda.
Séque obitu à solis nitido conuertit ad ortus.

Sustinuit aliquando Ioannes serpentis morsus; sed tunc solum cùm serpens callidus generationis arbore illapsus cunctos mordet infantes. Sed proh Deus immortalis! qualis diuinissimus hic ales in serpentem excanduit! Ira percitus ardet, & mille ictibus lacerum tandem baptismum pœnitentiæ prædicans serpentem affligit in vndas. Vis videre quam affligatur serpens in vnda? Sic ait Abbas Cellens. lib. de Panibus, cap. 12. *Sathan tolerabilius sustinet flammam suam, quam lacrymam nostram, acriusque contriti cordis lacryma, quam flamma infernalis incendij torquetur.* Bene igitur diuinus ales serpentem in vnda affligit, & lacrymis docens suffocare peccatum, aridam nostræ mentis emundat terram, rigátque, vt verbi diuini gressus in nobis appareant, seque à lucifugæ Synagogæ occasu Christi Domini veri solis nitidos conuertit ad ortus. Vbi enim rigatæ hominum viæ à fœce serpentisque halitu mundatæ sunt, nil est quod orientem Christum impediat, & retardet.

Cellens.

Text. Ioannes autem prohibebat eum, dicens: Ego à te habeo baptizari, & tu venis ad me?

§. V.

Regis amicus, & priuatus Regia opinioni promouendæ, vt studere debet.

MErito Ioannes eam sibi gloriam obtinuit qua diceretur amicus sponsi, vt qui regum amicis, & priuatis, pulcrum vel hoc facto, dedit exemplum; quando vt Iesu authoritati prospiceret, eum à baptismo à se exhibendo prohibebat. Et quidem maximus erat Ioannis honor, quod ipse Dominum baptizaret, sed verus amicus regis non propriæ vtilitati, sed regiæ famæ prospiciebat, ne vel ignorantibus male oleret, sed omnibus maximè probaretur. Vt se totum suis seruaret maximus imperator Iesus mulierem Chananæam repellebat Matth. 15. nolens dare canibus panem filiorum. Quid tunc filij? Quid tunc veri regis amici Apostoli? An gauderent quod sibi solis diuinus fauor reseruaretur? *Imo rogabant eum dicentes: Dimitte eam quia clamat post nos.* Sane sic amabant Dominum, sic eius bono nomini propagando studebant, vt metuentes ne male audiret apud gentes quod durus illis, bonus solum suis esset, illum anxie precabantur, vt faueret exteræ fœminæ. Sic Paschas. lib. 7. in Matth. *Pro amore pijssimi magistri, ne quasi culpam durus videretur, imo vt misericors fieret, exorabant.* Hi veri amici Regis sunt, qui non sibi, sed illius bono nomini in omnibus prospiciunt. Adeo vt vbi opus fuerit nouerint Regem ipsum prohibere ab illis factis quæ infamiæ notam incursura pertimeant. Vnus D. Chrysost. in Psal. 48. boni priuati indolem apprime depingit, dum veram hominis libertatem ostendere nititur. Ait enim. *Sit Rex malus & priuatus bonus, videamus quis sit Dominus alterius, & vbi nam resplendet dominatus, quis est qui imperat, & qui pares alterius imperio. Quomodo sciemus? Rex rem malam & scelere plenam priuato imperet, cui bonus priuatus non modo non acquiescit nec obedict, sed eum etiam qui imperat, conabitur abducere ab instituto, licet mors oporteat.* Pergit Chrysost. iuxta intentum suum, at nobis id satis est, quod de bono priuato docet, nimirum cui ea sit cura, id studium vt etiam cum dispendio vitæ Regiis malis actionibus obsistat. Et væ qui Regi charus est, regémque à malis actis non prohibet. Quo refert D. Isidorus Pelus. præproperam Ionathæ ruinam. Ionathas, inquam, ille qui adeo Dauidi fauerat, qui prælia Domini imperterritus dimicarat, qui multa bona egerat, is primus è tota Saulis familia mortuus occubuit. Sed cur adeo bonus, primus occubuit? Iam loquitur Isidor. lib. 1. Epist. 371. inquiens. *Angorem mihi affert Ionathæ pœna, qui patrem Pythonissam quærentem minime prohibuerat, ob idque ante eum qui scelus admiserat, is qui prohibere poterat, in bello interijt.* Nota est historia 1. Reg. 28. vbi Saul præliaturus aduersum Philistiin cōsulit Pythonissam, à quo qui charissimus Regi erat Ionathas, minimè Regem prohibuit, & ideo antè Regem qui flagitium commisit, ipse pœnas luit. Vt iam inde scias, cur rari sint Regis priuati, qui ante Regis fatum non decidant à culmine regiæ amicitiæ. Sanè propriis studentes lucris, non curant regiam salutem. Vnius in orbe terrarum priuati, qui etiam post trium Regum fatum, in regia durauit amicitia, nimirum Danielis hæc vox est, cap. 5. *Munera tua sint tibi, & dona domus tuæ alteri da, scripturam autem legam tibi, Rex, & interpretationem eius ostendam tibi.* Non muneribus, sed veritati studebat bonus Regis amicus, quo fulcro etiam cadentibus Regibus, ipse in regali splendore sustentabatur, cuius rei pulcram ponderationem Theodoretus facit. *Regum successiones nihil de eius honore immutarunt; sed illi morte extincti sunt, at Daniel æqualem illis omnibus regnantibus splendorem obtinuit.*

Matth. 15.

Paschas.

Isid. Pelus.

1. Reg. 28.

Daniel. 5.

Theodor.

§. VI.

Ioannis mors expenditur, quòd in illa Christum praiuerit Saluatorem.

OCyssimus venit Sol iustitiæ Christus ad mortis occasum; sed etiam illum in morte Ioannes præuenit, ex quo & maximam gloriam, & dolorem summum ipse Ioannes moribundus excepit. Cur non summum excepisset dolorem, sese cogens in vmbram & caliginem mortis descendere, cùm Sol iustitiæ clarissimus in mundo pellucebat? Reuoco in memoriam Israëliticos illos Dynastas, qui nescio quo furore correpti Num. 25. de Moabitarum cultu ad idolorum cultum ruerunt. Miseri idola coluerunt, & ea idola, quorum dolens meminit D. Stephanus Actorum 7. *Suscepistis tabernaculum Moloch, & sydus Dei vestri Rempham.* Itaque Soli, & syderibus flexerunt genua. Quod scelus vt puniret verus Deus Moysi iubet: *Suspende eos contra Solem in patibulo.* Sed cur contra Solem iubentur suspendi Principes Israëlitæ? Sanè ad eorum multiplicandum cruciatum, qui cùm omnium primi Soli, & astris adorationem exhibuissent non poterant non vehementer torqueri, cùm se ad mortalem caliginem descendere viderent eo tempore, quo Sol clarissimus in mundo manebat diffundens radios. Proh dolor! illuminantia terras apparent sydera ab illis in primis adorata, cùm ipsi coguntur mortis tenebras intrare? Hic illos maximè dolor excruciaret, hic nullius criminis reum excruciaret Ioannem, nimirum quòd in mortis vmbra ire cogeretur eo tempore quo explicabat lucis suæ radios Sol ille diuinus, quem ab vtero matris omnium primus adorauerat. Ioannes fuit qui gaudio exultans sub virginea nube

Num. 25.

Act. 7.

nube latentem fulgentissimum iustitiæ Solem adorauit; ad hoc ipse ortus, *vt omnes crederent per illum*, & is manente in terris Sole, nitidissimósque explicante radios, obscura morte opprimitur? Sepulcri descendit caliginem? O dolorum maximus! O vis & violentia summa! Meritò violentorum primus tulit Ioannes, cùm dicitur; *A diebus Ioannis Baptistæ regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

Rursus expendo allata verba. *Suspende eos contra Solem*, siue vt Vaticana lectio habet, *ostenta eos Domino contra Solem*, quasi diceret, vt ex D.Aug.q.52. videtur posuisse *August.* interlinealis, *ostenta eos palam, vt sint in exemplum.* Sic efferentur in cruces, vt eorum mors sit ob oculos omnium, quam vel metuant nocentes, vel innoxij pro Dei amore subeant. Ea fuit mors Ioannis, quem Domino ostentatum contra Solem, hoc est, occisum in veri Solis præsentia, cùm Sol Christus illuminabat orbē, anxij sequerentur viri innoxij. Quasi clamaret cœlum, Ostenta Ioannem contra Solem, ita moriatur præcursor Domini, vt morientis virtutes clareant, & demonstrentur à iustitiæ Sole, vt illum morientem auidè sequantur omnes; imò ipse habebat sequentem Dominum. Id quod optimè notat Naz.orat. in sancta lumina, explicans illa verba Ioannis, quibus prohibebat humilis Dominum, dicens: *Matth. 14.* *Ego à te habeo baptizari, & tu venis ad me?* *Nazianz.* Ad hæc Naz. *Futurum* ait, *norat, vt quemadmodum post Herodem Pilatus fuerit, ita eum quoque prius vita functum Christus sequeretur.* Ecce vobis de Maria ad summam eius commendationem canit Ecclesia, quòd nec similem habere visa est, nec habere sequentem. Sed quæ est Ioannis gloria, quia ea occumbit morte, in qua habeat Christum sequentem. Hanc gloriam ipse humillimus à se repellebat, & obstupescebat dicens: *Tu venis ad me?* tu me sequeris, qui omnium es viuendi & moriendi exemplar, & me morientem sequeris? Christus ergo habuit pro exemplari morituro moriendi Ioannem? Absit, sed eò solùm dicitur secutus Ioannem quia eius mortem pro signo suæ mortis præmisit. Et Ioannes obstupet se & vita, & morte præcursorem esse tanti numinis. *Tertull.* Iam non miror, quod Tert. inde extollat gloriam Doctoris gentium, quòd Ioanni in morte assimilatus fuerit. Ille enim lib. de præscript. aduersus Hæretic. *Felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt, vbi Petrus passioni Dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur:* quasi nulla pretiosior tanto Apostolo seruaretur corona, quam illa quæ similis morti Ioannis exhiberetur. Etenim post crucem Christi, quæ honorauit Petrum, immediatè vnus gladius Ioannis restat, qui fulgentissimum gentium iubar æternitati dederet.

Text. Respondens autem Iesus dixit ei: Sine modò, sic enim decet nos implere omnem iustitiam.

§. VII.

Qui ad perfectionem vocati minutissima quoque obseruent, peragántque.

QVisquis perfectionis culmini destinatus es, cura in minimis etiam inueniri fidelis, qui enim lapis in caput anguli destinatur, non solùm malleo, cœlo subijcitur, sed & alijs minutissimis instrumentis, quibus cælaturarum pulchritudines acuuntur, & expoliuntur. Hinc Hieremias exaggerat suæ perfectionis à Deo exoperatæ laborem, dum ait. *Tantùm in me vertit, & conuertit manum suam tota die.* Etenim lapidum alij sunt collocandi cæmentis, alij ædificiorum frontibus & coronis, quorum vt variæ sunt sedes, ita quoque dispar eorum lautitia. Quàm rudes iaciuntur in cæmenta? Vix opifex acuminato malleo abrumpit extantia, cùm ad illa saxum deuoluitur. At verò frontibus & coronis qua poliuntur industria? quoties percurrit, antequam nos velit constitutos in mole? quoties manum imponit, vertit & conuertit, operi instat? Sæpius centoculus ad circinum, & canon explorat, ne vel desit linea: tuberculos radit, acuit angulos, planiciem læuigat, cœlo posito & ascia, sumit stylum, scalprū, vt in minimis operis perfectionem adimpleat. Hoc opus, hic labor erat in perficiendo Hieremia, quia vt cœlestis ædificij frontibus & coronis cœlabatur, sic limatissimas opificis manus *Thren. 3.* experitur. *Tantùm*, ait, *in me vertit & conuertit manum suam tota die*, nimirum me bis, & ter percurrebat, centoculus cœlo posito ad circinum & canon explorabat, ne vel minutissimum quid deficeret. Hoc ab ædi- *Paschas.* ficio Salomonis desumpto exemplo explicat Hieremię ver- *3. Reg. 9.* ba B.Paschas. Abbas lib.3. in Threnos in littera Aleph, sic inquiens: *De templo Salomonis dicitur, cùm ædificaretur, non est auditus in eo malleus nec securis, quia omnia sic parata sunt exterius, & compaginata suis compassionibus, vt singula dolata suis bene coaptentur iuncturarum locis. Et hoc est dicere, Vertit manum suam omnia limando, cædendo, ac feriendo, vt possint in structura conuenire.* Expende Salomonici opificij curas & labores, quibus lapides parabantur exteriùs suis percussionibus, vt singuli dolati suis benè coaptentur locis. Quibus etiam lapides viui cœlestis ædificij parandi sunt, & explorandi ad circinum, & collimandi, & expoliendi, & cædendi in minimis, vt possint cœlestis corollæ in structura apprimè conuenire.

Hinc facile constat, quàm deceat eos, qui ad perfectionem vocati sunt, omnem adimplere iustitiam, hoc est, nullam quantumuis minutissimam obseruantiam prætermittere. Etenim, vt frontibus & coronis cœlestis ædificij effulgeant constituti & securi, & asciæ, & cœlo, nécnon & terebello, & limulæ, & stylulo, & scalpro, & minutissimis alijs, quibus poliantur, debent submitti. Sanè fastidiebat Marcion tot minutias Mosaicę obseruantiæ, vbi minutissima quæque lege cauebantur, tot immundæ escæ, tot lotiones manuum, tot de texendis vestibus obseruationes, de bobus in tritura cibandis. Quid plura? Leuiticum consule, & inuenies a Leuitis cauēda & obseruanda millia minutiarum. Cauetur lege locus cinerum holocaustorum; materies forcipum, quibus lucernæ emungebantur, & alia eiusmodi. O sanctissima religio (irridebat sic Marcion) de cineribus! de emunctorijs! de ablutione manuum! de ore boum in tritura aptando? Hæ obseruantiolæ decent Sacerdotes sanctos? Hę pertinere possunt ad hominum perfectionem & ad sanctitatem? Et quidem pertinent maximè; oportet enim eos, qui æterni ædificij coronis aptantur, non solùm securi & ascia cædi, hoc est grauioribus præceptis obstringi; sed etiā leuissimis, & minutissimis instrumentis cælari, læuigari, expoliri. Sic Marcionis ora contudit Tertull lib 2. *Illam*, aiens, *Tertull.* *legem non duritiei authoris promulgauit; sed ratio summæ benignitatis populi potiùs duritiem edomantis, & rudem obsequio fidem operosis officijs dedolantis.* Expende illud, rudem fidem operosis officijs dedolantis. Enimuero vbi rudis lapis dedolandus est, expoliendus est, pulchrísque flexuris cœlandus, qualis in ædificij frontibus constitutus appareat, minutissimorum indiget instrumentorum, quibus tuberculi radantur, anguli acuantur, planicies læuigentur

§. VIII.

Qui ad perfectionem vocati sunt, minutissimas obseruantias sine periculo, & metu non prætermittunt.

ADeò docet perfectos viros omnem iustitiam adimplere, vt quauis obseruantia relicta, suæ saluti debeant vehementer timere. Is erat metus Apostolicus Matth.19. *Matth. 19.* quando totus pauidus Petrus aiebat: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Quid ergo erit nobis?* Audierat Petrus Dominum dicentem adolescenti, *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, & da pauperibus; & sequere me* Et statim omnium Apostolorum animos subiit timor, quòd etsi illi omnia reliquerint, secutique fuerint Dominum, tamen nihil vendiderant, nil pauperibus erogauerant, & hinc de sua salute pauidi solicitè quærunt. Quid ergo erit nobis? hoc est, actúmne erit de nobis, qui non omnia perfectionis impleuimus? Sic Euthymius ait. *Timuit Petrus sibi, & condiscipu-* *Euthym.* *lis, quasi ipsi minùs fecissent, quia non vendiderant quæ habebant, nec dederant pauperibus, ideo etiam ait: Ecce nos non vendidimus, nec pauperibus dedimus, sed simpliciter omnia reliquimus, & secuti sumus te. Quid ergo erit nobis?* actúmne de nobis erit? peribimus?

Et sanè multum timere debent qui vocati sunt, vt strenuè sequantur Christum, si quid obsequij, & spiritualis lucri prætermittant, si omnia perfectissimæ obseruantiæ decora non adimpleant. Id quod pulcre meditatur D.Hier. ad *Hieron.* Fabiolam tom.3. in adolescente illo, qui apud Ioannem post comprehensum à Iudæis Christum ibat sindone opertus super nudo. *Sindone*, ait, *opertus adolescens vinctum Dominum sequebatur; incurrisset laqueos, nisi expeditus & nudus persequentium impetum declinasset.* Nihil sibi reseruarat præter sindonem, qua super nudo opertus sequebatur Dominum, & quia vna sindone reseruata non omnia reliquerat, sub tantæ perfectionis via cœpit periclitari; imò inimicorum laqueos incurrisset, si omnino nudus manens sindonem à se non ablegaret. O quàm periculosè viuunt qui similem viam

perfectionis ferunt, non tamen penitus sese nudant, reseruata vel sindone ad sepulturam, relictis aliis quamtumuis minutissimis obseruantiis. Sed vide quia è fonte manarit
Nazianz. electissimi Saulis perditio, de quo eleganter D.Greg. Naz. orat.7. *Quid de Saule existimamus? Quoniam autem se totum spiritui vtendum non præbuit, nec purè ac integrè, vt oraculum ferebat, in alium virum mutatus est; sed pristini improbitatis fomitis, prauíque seminis nonnihil supererat. Quid omnes illius calamitates tragica oratione commemorare necessum est?* Itaque quia non se totû vtendum spiritui credidit, quia integrè in alium virum non mutatus est, quia nonnihil praui seminis supererat, miserè periit. Væ nobis qui perfectioni incumbimus; sed minimè nos totos vtendos tradimus spiritui, nec integrè mutamur, multa quotidie prætermitientes quæ ad perfectionem conducunt. Hinc Paulus Thessalonicenses viros monet in c.5. *Ipse Deus pacis sanctificet vos per omnia, vt integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur.* Dum enim integras perfectionis mensuras non adimpleuerimus, malè in aduentu Domini audiemus.

§. IX.

Bonum exemplum à Prælato, seu Principe exhibitum, & sanctissimum & efficacissimum.

DEcet quidem Prælatos & Principes adimplere omnem iustitiam, quam tunc solum verè adimplebunt, cùm verba nouerint operibus verificare. Sic in præsenti Chromatius fatur. *Non ergo sui causa baptizari Dominus venit, sed causa nostri, vt impleret omnem iustitiam. Iustum est enim vt quod quis docet alterum facere, prior incipiat, ostendens hoc esse omnem iustitiam.* Quàm longissimè à iustitia aberrat Princeps, qui vitæ suæ operibus, leges minimè fulcit, qui à se non incipit ostendere leges & præcepta custodiri. Quisquis is est, metuat ne gladio perimatur diuinæ iustitiæ. Moyses Princeps Israëlitici populi designatus in Madiam apud socerum agebat, & vt erat inter Gentiles, circumcisionis ritus circa filios suos minimè obseruabat. Pergit ergo Moyses ad Madiam administrationem principatus Israëlitici subiturus: & ecce tibi Angelus gladio stricto, media apparet via Principem mactaturus, qui leges patrias à domo
August. sua non ostendit custoditas. Ita August. ex vet. test. quæst.16. inquit. *Pergebat itaque ad filios Israël missus à Deo Abrahæ, & signum iustitiæ non ferebat, in quo gloriari sciebat Iudæos. In Madiam enim habitans filios suos non circumcidit. Idcirco sic infestum Angelum in se vidit Moyses, & paratum ad vindictam.* Ea est in Prælato, & Principe iustitia, qua exhibendo exemplo in legum obseruantia studeant, & sanè si exemplo doceant, effrenissimos subditorum mores facili negotio trahent in bonam frugem. Quis in deuorando effrenior, quàm flamma ignea? Et hæc vbi gubernatorem nacta est ieiunantem, statim ipsa nouit permanere ieiuna. Ecce vobis Elias rapitur curru igneo, ignearum flammarum fit moderator & auriga, & flamma vorax habens in se pabulum, nempe Eliam, ieiuna est, nec vel modicum nocere sciuit. Cur flamma præsente pabulo ieiunas? Vnde tibi ieiunium impressum est? Equidem ex eo quod facta currus dedit habenas Eliæ, & aurigam ieiunatorem vidit. Huc spectat
Ambrof. D.Ambros. lib. de Elia cap.2. dicens. *Quis humana virtute equos igneos, currus igneos potuisset ascendere, regere currus æreos, nisi qui naturam humani corporis, incorruptibilis ieiunij virtute mutasset?* Non equidem vorantia flammarum ora fugisset gubernator, & rector currus ignei, nisi ipse ieiunio viueret. At vbi ieiunator habenas currus ignis accepit, nota flammarum voracitas euanuit, & sciuit ignis manere ieiunus. Vt hinc pateat quanta Principes & Prælati iustitia teneantur, subditis exhibendo exemplo prospicere; præcipuè cum de illorum exemplo subditorum facta honestatem accipiant. Matth. 12. Discipulos suos vt defendat Dominus à calumniantibus, quòd spicas Sabbato vellerent, Dauidis meminit, quando lege vetitos panes propositionis absumpsit, & Sacerdotis qui eos tribuit. Cur id?
August. Eleganter August. quæst.8. in Matth. dicit. *Notandum de eo, quod illicitè factum videretur Iudæis, quòd Discipuli Sabbato spicas euulsissent, vnum exemplum datum Regiæ potestatis de Dauid, alterum Sacerdotalis de his qui per ministerium templi Sabbata violant, vt multò minus ad ipsum euulsarum Sabbato spicarum crimen pertineat.* Vbi enim regium, & sacerdotale exemplum præit, id sibi sanctum & iustum reputant subditi.

§. X.

Decet sapientissimos quosque piorum hominum pijs viuendi regulis subscribere.

ODi superciliosos homines, qui dum sapientes videntur, traditiones piorum hominum, & deuotionis acquirendæ obseruantiunculas, & regulas fastidiunt. Ego sapientiorem illum indicarim, qui piis moribus, & regulis, à piis hominibus traditis prorsus subscribit. Quæ enim minoris momenti obseruantia, quàm à Ioanne Baptismus institutus? Et tamen Dei filius ad illum venit prædicans decere se implere omnem iustitiam, hoc est, nullam piam obseruantiam à pio viro traditam respuere. Quis obseruantias Iudæorum circa funera numeret; ibi instituta erat cadaueris vnctio pretiosa, & aliæ plurimæ obseruantiunculæ. Et tamen vbi ad Christi Domini sepulturam ventum est, dicitur Ioann.19. quod sepelierunt eum: *sicut est mos Iudæis sepelire.* Quod expendens P.Dam. epist.106. inquit. *Cùm ergo is qui est summa sapientia, per quam cuncta sunt condita, in his etiam rebus quæ nullius penè videntur esse momenti, traditionem hominum seruare non respuit: quantæ præsumptionis est, si disciplinæ quis regulam frangat, quam à sanctis Patribus traditam non ignorat?* Christianissimum equidem est, cuiuscumque momenti pias obseruantiunculas piè à sanctis viris traditas adamare & custodire. D. Pacian. reprehensus ab hæretico quod Virgilianis versibus vsus fuerit, in primis pro se ostẽdit D.Paulum, qui in Actis, profanis Poëtis vtitur, & tunc sic inquit epist.2. ad Sympos. *Sic peccamus exemplo, nec Rhetores sumus, sed quamcumque vocem, copiam Dei credimus.* Hæc sit Christianorum mens, quæ non superciliosam sapientiam, sed humilem pietatem colat, & quamcunque vocem pietati seruientem, copiam Dei putet, & sibi procuret arripere. Ioann.19.

Text. Baptizatus autem Iesus confestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt ei cœli, & vidit spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem supra se. Et ecce vox de cœlo, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.

§. XI.

Qui ab aquis Baptismi ascendimus, reptilium exeuntes naturam, diuinorum alitum mentem ebibamus.

ECce vbi primùm voce Patris Filius Dei Christus declaratur, nimirum vbi ab aquis ascendens, alitem spiritum supra sese ipse declarat. Hæc prorsus omnium renatorum ex aqua conditio postulatur, si diuino Patri cupiunt renasci; quod reptilis naturæ mores, quibus humi reptant, exuentes, alites facti cœlestia solum tranent spatia. Id quod animaduertit D.Anastas. Sinait. lib.7. Hexaëmer. in eo quod Sinaït.
Deus ab aquis in primordio fecit oriri aues, quasi innuens volatilem spiritum eorum, qui baptizantur in aquis: & in confirmationem sic loquitur. *Volucris desiderabat fieri qui dicebat: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, quæ descendit in Jordanem, & volabo, & requiescam in illa requie cælestium volucrum sex alas habentium?* Hæc sit vnica tentatorum omnium cura, vt à baptismi aquis volucres renascantur, volucrísque spiritus mores ebibant, quibus inter cœlestes alites queant reuolare. Quo spectauit D.Paulus ad Coloss.2. vbi Coloss.2.
de renouatione baptizatorum agens hæc fatur. *In quo circumcisi estis circumcisione non manu facta, in spoliatione corporis carnis, in circumcisione Christi consepulti ei in baptismo, in quo & resurrexistis per fidem.* Expende illud, consepulti ei in baptismo, in quo & resurrexistis, nimirum qui baptizantur, ita æmulari Christum Dominum debent, vt sicut ille deposito priùs terreno corpore in sepulchro, statim surrexit cœlestis, spiritualis, & immortalis; sic ipsi in baptismi aquis sepulchrum agnoscant, vbi deposito Deifico cadauere, deponant & ipsi quidquid terrenum & reptile habeant, fiántque noui alites per cœlestes regiones volitantes. Sed proh dolor! quam aliter fieri dolet D. Athan. orat. in Parasceue Athanas.
his verbis. *Occisa est hostia propter te; & tu deseris illam ipsam immolatam aspiciens, Vbi cadauer,* inquit, *ibi & aquilæ; sed vt canes accedimus: tanta nostra est impudentia!* Compone illud Paulianum, *consepulti ei in baptismo*, cum hoc Athanasij, *vbi cadauer, ibi & aquilæ.* Etenim eo ipso quod Deifico cadaueri

cadaueri per baptiſmum conſepelimur deponentes terrena, alites facti cœleſtia debebamus ſcandere. At nos miſeri quando vt aquilæ aſcenderemus,aſcendimus vt canes.

Nec oſcitanter, ſed pulchra ſimilitudine renatorum impudentiam comparat canibus, quandoquidem hi rabie perciti, cum in aquis medelam furoris habeant, horrent aquas,ab illarúmque vel odore vehementer diffugiunt, vt
Gregor. Niſſen. meminit D.Greg. Niſſ.tract.2. in Pſalm.c.13. *Sic impudentes baptizati, neſcio quibus agitati furijs ſalutem à baptiſmi aquis ſcaturientem perdunt, excutiunt facti rabidi canes, quando Chriſti cadaueri conſepulti aquilinas indurntes alas poterant ad cœleſtium ſpirituum volucres reuolare?* Quid plura? Nocentiſſimus latro Deifico aſtans cadaueri ſcaturientis à latere baptiſmi ſignificationem excepit, & ſtatim reptilium mores depellens, eas ſumpſit alas, quibus ad cœleſtes alites euolauit. Sic Anaſtaſ.Sinaït.vbi ſuprà. *Ad has volucres euolauit ex viuifica aqua,quæ fluxit ex latere Domini, prima omnium volucris ſanctus latro cum Rege volucrum Chriſto magna aquila per aerem volans in paradiſum.* Vt hinc renati diſcamus non ad reptilium, ſed ad volucrum mores non conformare, non per terrena, ſed per cœleſtia inceſſanter volantes.

§. XII.

Chriſtus Dominus nulli creaturæ vim facit; ſed ſeſe omnibus communicat, vltro ſibi apertis ianuis.

Aſcendenti de aqua Saluatori, *Ecce*, ait textus, *aperti ſunt cœli.* Etenim non eget Dominus ſecuri aut bipenni ad confringendas creaturarum valuas, vt ingrediatur. Omnia illi patent, & ſtatim aperiuntur ſpontanea. Id in præſenti
Nazianz. meditatus eſt Naz.orat.in ſancta lumina ſic fatus. *Aſcendit Jeſus de aqua ſecum quodammodo merſum educens, & eleuans mundum, & videt non diuidi cœlum, ſed aperiri, quod ſibi ac nobis poſt ſe aliquando Adam ille concluſerat.* Expende non diuidi cœlum, ſed aperiri: etenim ſic Adamus cœlum concluſit, ſic valuas eius obfirmauit, vt penitus videretur inacceſſibile, niſi prius ferro ſcinderentur ianuæ; verum aſcendenti de aqua Saluatori non opus eſt ferro, vt cœleſtes diuidat & confringat ianuas, ipſæ ſeſe ſpontaneæ & gratioſæ aperiunt, & propalant. Et quæ creatura non ſe
Xiphil. aperit Saluatori; accipite Ioannem Xiphilinum Antiſtitem Conſtantinop. orat. de cruce hæc verba dantem. *Diabolus, quia nihil veri habet, oſtia eorum, à quibus non recipitur, ſecuri & ferro perfringit. At Saluator adeo mitis eſt, vt doceat, Si quis vult venire poſt me, ad vnumquemque venit, nec cogit; ſed potius pulſat, ac dicit, Aperi mihi ſoror mea.* Non ferro, non ſecuri, non ariete vtitur, aperienda ſibi ſpontaneè omnia expectans creata, quæ vt Dominus omnium peruadat, luſtret. Hinc D.Athanaſ.orat.de Incarn. Verbi ponderat illud in Chriſti Domini perſona à Dauide decantatum. Attollite portas, Principes, veſtras, & eleuamini portæ æternales. *Planè*, ait
Athanaſ. Athanaſ. *nihil ille qui hæc verba vſurpat opus habuit reſeratione portarum (quippe omnium Dominus) neque quicquam erat clauſum creatori ex rebus creatis; ſed nos eramus, quibus ea reſeratio neceſſaria fuit.* Enimuero Chriſto Domino omnia aperta ſunt; omnia patent creata.

CAPVT II.

De Chriſto Domino in Eremo à Satana tentato.

A Iordanis alueo vicinum deſertum, quod Ioannes incoluerat, ingreditur Ieſus, vt Principem dæmoniorum ad ſingulare certamen prouocaret. Et quidem prouocauit poſt ieiuniorum quadragenam oſtenſa fame, lapidibus inſtat tentator, quibus in panes mutatis famelicum Dominum quatiat. Petra autem erat Chriſtus, & quid petra lapidibus petita; niſi ignem eructaret, qui abſumeret aduerſarium? Bis, & ter inſtauratur certamen: tandem hoſte fugato, Imperatori Maximo Ieſu cœleſtes militiæ Pæana canunt, dulcéſque cibos incipiunt miniſtrare.

*Matth.*4. Ductus eſt Ieſus in deſertum à ſpiritu, vt tentaretur à Diabolo.

§. I.

Tunc ſecurior quis hoſtem aggreditur, quando omnem creati auxilij ſpem à ſe depellit.

Qva hoſtiles euadat ſecurus ictus, ſolitudine ſeſe armat Chriſtus Dominus: creaturarum auxilia deſugit, ne in conflictu quod timeat, habeat. Sanè veteranus ille Iob, ſo- Iob 2.
lus in ſterquilinio mille confecit certamina: hoſtem contempſit acrem. Tunc hic ſolum pertimeſcens, omnes eius conuocat amicos & charos, vt ſolum comitentur in certamine. Quid agis Satana? hoſtis es, & amicos Iobi conuocas? Si ipſi veniant, amicum ſuum iuuabunt? Te amicorum turba munitus facili negotio Iobus ſuperabit. O quam vafer, quàm aſtutus diabolus, Iobi amicos auxiliatores conuocat, ſciens nihil magis detrimentoſum eſſe hominibus, quàm auxilium creatum & iuuamen! Tunc infirmiorem iuſtum putabat Diabolus: tunc iuſtus ſe in hoſtis manus da-
tum lacrymatur. Ita D.Ambroſ. lib.de interpellat. c.2. *Cum* Ambroſ.
Iob videret amicos ſuos, aduertit à Domino datam in ſe aduerſario tentandi ſui poteſtatem. Cum omnibus nudatus, filiis orbus, pelle exutus, in ſterquilinio ſolus agitur, hoſtilia contemnebat conamina. Cùm autem ſe non ſolum; ſed amicis cinctum cognouit, certamen cum hoſte expauit, & in ſe aduerſario à Deo datam poteſtatem totus pauidus præſagiit. Euertit ſanè homines à creaturis auxilium expecta-
tum. De Iſraëlitico exercitu 1.Reg.4.dicitur. *Egreſſus eſt Iſ-* 1.Reg.4.
raël obuiam Philiſthijm in prælium, & caſtrametatus eſt iuxta lapidem adiutorij. O quam infauſto omine ineunt certamen!
Sic D.Greg. *Quia altum Chriſtum expectare non deſinunt, iux-* Gregor.
ta adiutorij lapidem caſtra ponunt. Non Deum Chriſtum, ſed purum hominem, eùmque Imperatorem Maximum expectant, dumque ſub hoc auxilio creaturæ caſtrametantur, miſerè intereunt. Sic enim ait. *Inito autem certamine terga vertit Iſrael, & cæſa ſunt in illo certamine paſſim per agros quatuor millia virorum.* Si pereunt qui auxilium creaturarum auſpicantur, ne miremur, quod Iob amicis auxiliatoribus cinctus timeat certamen, quod ſolus in ſterquilinio pro nihilo æſtimaret, eò ſecurior, quo magis omni auxiliatore erat viduatus. Id quod pulchrè adeò oſtendit Abrahamus, qui cum à Deo vehementer tentaretur iugulaturus filium, qui impedire poſſent dimiſit famulos, & ſolus cum ſolo
exemit gladium. Quo in actu depingitur à D.Zenone ſerm. Zeno.
2.his verbis. *Intrepidus ad miniſterium immolationis armatur, rimatur ad ictum vulneris ſecurus animus; ſed ſecurior manus.* Et cur ſecurior manus? Sanè Abraham cum famulos omnes abiecit, ſolúſque in tentatione manens vni Deo credens ſecurus erat de victoria, ſecurus de filij vita; verùm eò eius ſecurior manus, quo enſem ipſa portabat iugulaturum omnes ſpes humanas. Etenim vbi maior repugnantia adiutorij creati expectandi, ibi maior ſecuritas elucet; in Abrahami pectore omnis ſpes creati auxilij euanuerat, ſicque eius ſecurus erat animus de promiſſa poſteritate: at in manu erat ipſe gladius, qui ſpem ipſam patris, nempe Iſaac, iugularet, è viuis tolleret, ideò ſecurior manus ſecurius & certius felicitatem promittebat Abrahamo. Vide quàm ſecurè Chriſtianorum in tētatione victorias Dominus paret, vbi docet omni creato depoſito fauore in deſerto & ſolitudine cum hoſte nocentiſſimo pugnandū. Vt enim ait Ab-
bas Alois. *Niſi dixerit homo in corde ſuo: Ego ſolus & Deus* Alois.
ſummus in mundo requiem non habebit. Sic ſeſe homo debet armare aduerſus hoſtes, vt in primis creatum omne adiutorium excludat, & ſolus, & nudus cum nudiori ſerpente confligat. O vtinam primus homo huius ſolitudinis arma
ſumpſiſſet! De quo rectè Ambr.ep.41.ad Sabinum. *Solus erat* Ambroſ.
Adam, & non eſt præuaricatus. Sed cum primum adiutricem accepit. ſtatim miſerè & ſe, & omnes poſteros occidit. Sic lib.de Parad. cap.4. *Quia adiutorium vxoris habiturum ſe eſſe credebat, lapſus eſt propter vxorem.* Igitur abeſte hinc omnia creata auxilia, ab omnibus deſertus, in deſerto cum hoſte confligo, vt victoriam ſecurus obtineam.

§. II.

Qui in ſolitudine priùs ſe exercet certando cum hoſte, poſtea media in arena palam triumphat de inimicis.

Solus in deſertum abiit Ieſus luctaturus cum hoſte. Quid ſibi vult, ô bone Ieſu, hæc lucta ſolitaria? Si luctas quæris, ſi pugnas appetis, ecce Hieroſolymis te mille prælia expectant, Phariſæorum rabidæ phalanges te appetunt, iam

iam flagra personant in Prætorio Pilati, strident lora, perstrepunt Romanorum buccinæ, potestates acuuntur tenebrarum apud Aonam, & Caipham. Cur solitudines meditaris vt pugnes, quandoquidem tam acriter est tibi in omnium conspectu pugnandum? Equidem quia Hierosolymis manux cum hostibus conflicturus erat, prius solus solitudinem meditatur, exercendus lo lucta, & in certamine. Mater illa Samuelis in templo à Sacerdote contempta forti

1.Reg.1. & insuperabili animo tulit contumeliam tantam 1. Reg. 1. Et vnde femina lacessita se cohibere valuit? Vnde sexus adeò fragilis tam insignem victoriam reportauit? Id atti-

Chrysost. git vnus D.Chrysost. sic fatus. *Domi Annam exprobrat æmula: venit in templum, & Sacerdos eam contumelia afficit, effugerat domesticam tempestatem: venit in portum, & rursus inuenit vndas. Verè in patientia exercitata, domi præparata ad perferenda maledicta, æmulàque conuitijs exercitata, & in templum multam præstitit humanitatem, viriliter ac magno animo scommata ferens.* Itaque in domi solitudine iniuriis & conuitiis exercitabatur, quo media in ciuitate, summa in templi frequentia conuitiatores fortiter & viriliter detriumphabat. Risit Saul

1.Reg.17. 1.Reg.17. cum vidit puerum Dauid inermem aduersus Goliat prosilientem in scamma, & ait; *Non vales resistere Philistæo huic, quia puer es, & hic vir bellator ab adolescentia sua.* Cui Dauid vnico argumento & suam fortitudinem & obtinendæ victoriæ certitudinem persuadet, hæc dicens. *Pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebant leo, & vrsus, & tollebant arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam, & illi insurgebant aduersus me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebámque eos.* Etenim qui talibus victoriis in solitudine armatur, nesciet in Palæstra acies pertimescere armatas. Qui solus leonem vrsumque inuadit, ferarúmque conflictus minimè expauet in agro, insuperabilis descendet in arenam aduersus tenebrarum potestates. O quam securus in mundi palæstram ibis luctaturus cum carne, & palam triumphaturus de hostibus, si in deserto in solitudine, in secreto priùs cum vitiis conseruisti

Osea 12. manus! Pulchrè Oseas cap.12. de Iacob, *In vtero supplantauit fratrem, & in fortitudine directus est cum Angelo, & inualuit aduersus Angelum.* Non primum in arena sese ad pugnandum parauit: nullus in palæstra excepit conflictus imparatus, iam prius mediis vteri tenebris pugnans, certamina, conflictus cum fratre fuerat meditatus; sic inuincibilis in arena cum Angelis conseruit manus.

Insuper, cum ipse Iacob fratris manum armatam expa-

Genes.32. uesceret, antequam illi approximaret Genes. 32. præmissis omnibus, *Mansit solus, & ecce vir luctabatur cum eo.* Quæ hæc

Cl.Alex. lucta Iacobi? Eleganter Clemens Alex.1. Pædag. c.17. eam declarat, *Remansit, ait, Jacob solus, & luctabatur cum eo homo, nempe pædagogus vsque ad matutinum: hic erat homo qui agebat, & ferebat, qui vna exercebatur, & exercitatorem Iacob aduersus malignum iungebat.* Sanè pædagogus solitariè pupillum docet, vt in publico vincat certamine. Sic quos Deus amat, priùs vt pædagogus in secreto exercet, & quicumque vincere cupis in stadio, priùs in solitudine sis tibi pædagogus, docens te ipsum vincere certamina.

Text. Et cùm ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit.

§. III.

In pugna & certamine cum vitijs multum diúque certandum, & incumbendum.

HAud bene dicebat ille Horatij mercator, nimirum.

Militia est potior, concurritur, horæ
Momento, aut cita mors venit, aut victoria læta.

Sic qui militiæ spiritualis tyrociniis fatigantur, existimarant; sic innumeri horæ vigilias fastidientes vellent vt mundo renunciantes, Christóque duci nomen dantes quàm primum bellis confectis arma ponerent, & triumphantium penetralia subirent. Verum non horæ momento victoria venit læta; sed post longos exantlatos labores, post crebras vigilias, post fames mille. Sanè Israëliticus exercitus vnius noctis spatio Ægyptiorum excussit iugum, séque in desertum dedit: at in deserto quot dies, quot annos con-

Richard. Victor. sumit? Id ad humanos mores trahit Richard. de S.Victore de exterminatione mali tract.1. cap. 12. *Procul dubio non est eiusdem facultatis & facilitatis Ægypto exire, & Eremum pertransire, mundum relinquere, & seipsum vincere. Illud vnius diei opus est, hoc vix post multa tempora explemus. Durum, difficile, grande seipsum bene inspicere, & plene despicere, perfectè probare, & penitus impugnare. Hic labor, hic gemitus.* Hoc legisse cuperem quicumque suffocata pœnitentiæ aquis Ægypto, eremi tentationes & bella cum Christo ingreditur. Sanè suffocare peccata vnius diei, imo vnius horæ opus est: ast eremum pertransire, hoc est, triumphantium requiem acquirere, hic labor, hic gemitus, hic mille fames, hic prælia mille. Sodomis egressus Loth longam confecerat viam, laborioso itineri pedes insudauerat, & post hæc paruam ciuitatem attingens, ait textus Genes.19. *Sol egressus est super* Genes.19.
terram; & Loth ingressus est Segor. Id quod eleganter notans
Hierosol.epist.46.ad Rusticum loquit. *Neque enim Gomorrhæ* Hierosol.
& erroris habitator statim ad meridiem poterat peruenire, in qua Abraham amicus Domini cum Angelis suscepit Deum & Joseph fratres pascit in Ægypto, sponsusque audit à sponsa, Vbi cubas? vbi pascis in meridie? O quam falluntur qui cum se à peccatis facile expediri videant, primo volatu inter Angelicos spiritus euolare præsumunt, à Deóque cœlesti pabulo sustentari. Non enim a tenebris noctis ad meridianam lucem peruenitur, nisi longissimis auroræ superatis crepusculis; antequam cœlesti mensæ recumbas diu tibi in Eremi via morandum, multorum dierum sustinendæ sunt fames, mille ineunda & vincenda certamina. Etenim dux noster Christus Dominus non horæ momento; sed multis diebus ieiunus & vigilans laboribus & tentationibus in Eremo patuit, antequam Angelorum exciperet comitatem. In quo maximè se filium Dauidis declarauit, qui ad Regni clauum repentè vocatus, antequam clauum Regni teneret mille pertulit configi tribulationum clauis, in desertis cauernis exulans, speluncis latitans, siti faméque afflictus crebro appetitus certamine. Vnde scripturus Matthæus ærumnas, labores, tentationes, ieiunia Christi Domini pulchre exor-
ditur. *Liber generationis Iesu Christi filij Dauid*, vt innueret quã Matth.1.
Christus Dominus in desertis, in cauernarum habitatione, in siti, in fame, in tentationibus patrissaret. Id quod ele-
ganter attigit D.Athanas.hom.de semente. *Fuit igitur apud* Athanas.
priscos Rex quidam Dauid, principio quidem Pastor, postmodum Rex à Samuele ad regnum inunctus, verùm qui non statim ad Regnum peruenerit, vt qui multis interim annis seruierit Sauli. Patiebaturque ille insidias Saulis: congruum siquidem erat prauum sui nepotis aliquas similitudines in se præferre, atque hinc est illud, Liber generationis Iesu Christi filij Dauid. Hæc itaque est Christiadum omnium generatio, vt vocatus quis ad coronam & requiem non statim gestiat illam præripere, sed in deserto & solitudine diu oberrans sese ieiuniis, laboribus, & vigiliis exerceat, milléque aduersus infestissimos hostes ineat certamina.

§. IV.

Vt probantur Deo quicumque arduam & angustam, desertámque cœli viam ingrediuntur ieiuni; sic qui in ieiunio minimè durant reprobantur.

QVis desertam paradisi viam non ieiunus ingreditur, cum cœlestis Adam Christus Dominus quadraginta dies in deserto ieiunauerit? Planè, qui desertam cœli viam terunt, hoc maximè Deo probati concupitæ paradisi quieti appropinquabunt, si ab esca abstineant, & ieiuniis vacent.
Hinc pulcrè Ambros.de Elia, & ieiunio c.4. *Gula de paradiso* Ambros.
regnantem expulit, abstinentia ad paradisum reuocauit errantem. Ideò Israeliticus populus per desertum gradiens nil magis ob oculos habuit quam ieiunium erraturus a via, si se gulæ traderet. Hoc sibi facile persuadebit ille qui notauerit ligneam Moysis virgam, & æneum serpentem fuisse instrumenta omnium miraculorum, signorúmve in deserto. Cur enim Deus deserti habitatoribus signa & miracula dedit per vnam ligni virgam, & per serpentem? Eleganter ad
rem præsentem respondit D.Anastas. Sinaita in Hexaemer. Sinait.
lib.10. *Ea de causa ad eos admonendos, & ad reuocandum eos in memoriam ea quæ facta sunt in paradiso, ait diuersa exhibuit prodigia per serpentem, & lignum.* Quandoquidem serpens, & lignum obiecta homini esca, paradisum desertum facerent, nósque in terram desertam, inuiam & inaquosam ablegauerant, ideò desertũ iter colentibus, crebro repetitis miraculis & lignum & serpens obiicitur, vt cum cibi recolerent damnum, ieiuniis nitãtur ad paradisi requiem commigrare.
Prodigus ille iuuenis apud Luc. 15. diu oberrans per mon- Luc.15.
tes tandem fame stimulatus hæc ait. *Ego hic fame pereo. Surgam, & ibo ad patrem meum.* Vna illum fames potuisset errantem in domum patris reuocare. Sic Petrus Chryso. ser.2.

Fames

Fames reuocat, quem saturitas extulerat; fames illi patrem dedit sapere, etsi tantum præstitit vel inuita fames, probate quid voluntarium posset præstare ieiunium? Equidem ieiunium desertam cœli viam repleret hominibus, quos certò & securè transmitteret in terram desideratam.

O vtinam Israël in deserto ieiunasset! Vtinam ligni, & serpentis memoria præcipitium gulæ cauerent, sed gulæ impatiẽtes sui salutem fecerunt desperatam. Tertull. Sic Tert. lib. de pat. Israëlitis gulositatem in eremo taxat. *Post manna escatilem pluuiam, post petræ aquatilem sequelam desperant de Domino tridui sitim non sustinentes.* Desperata res, vbi ieiunij nequit inueniri tolerantia, frustra operationem diuinam expectas qui cibi, & potus penuriam sustinere non valet. Hinc Ambros. Ambros. vbi suprà ponderans, quod sexto conditi orbis die requiesceret Deus ab omni opere, eam istius rei suggerit causam, nimirum quod tunc primum animal condiderit manducaturum. *Sexto die*, inquit, *bestiæ sunt creatæ, & cum bestijs orta edendi potestas est, & vsus escarum. Vbi cibus cœpit, ibi factus est finis mundi. Ibi cœpit sua incrementa nescire, ibi cœperunt diuina circa eum opera feriari. Quo indicio declaratum est, quod per cibos mundus haberet imminui, per quos desijt augeri.* Non enim operatio Dei adest, vbi ieiunij intolerantia, vbi fames, sitisve non sustinetur. Quid plura? Ipsa Dei mater non probatur filio, dum apud Canaam festinat sitim præuenire nuptiarum, ne sentiatur. Iren. Accipite Irenæum cum grano salis. *Properante*, inquit, *Maria ad admirabile vini signum, Dominus repellens festinationem dixit, Quid mihi, & tibi mulier, nõdum venit hora mea?* quasi in sanctissima & innocentissima matre cœlestis Adã antiquæ mulieris præcaueret hortatus, Quid mihi, & tibi mulier? Quid accelerare potum persuades, cui ieiunium placet? Festinatam escam potúmve fastidio, esuriant, sitiant homines, famémque sitimque discant tolerare, tunc tempus & occasio aderit, qua à me possint bonis optatis cumulari.

Text. Et accedens tentator dixit ei: Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.

§. V.

Dæmon plus timet Christum ieiunatorem, quàm Deum glorificatorem.

NOn irruit, & insultat in Iesum aduersarius; sed pedetentim accedit quasi timidus & cautus. Quid times Satana? An non ille venis, qui temerarius in sedem diuinitatis audes, ais enim, *Ponam in nubibus solium meum; similis ero Altissimo?* Annon ille es, qui sub vituli forma Israëliticum populum ad te traxisti, eo ipso in monte, vbi Deus Opt. & Max. suam illi gloriam & omnipotentiam manifestarat? Sic Psal. 105. mirabundus ait Psaltes 105. *Fecerunt vitulum in Oreb: & adorauerunt sculptile. Mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum.* Theod. In Oreb, inquam, ait Theodor. *Vt impietatis hyperbolem doceret, quandoquidem Dominus vniuersitatis in monte illo apparuit.* Etenim in Oreb Deus suam gloriam & omnipotentiam Israëlis genti manifestauit, ibi tonante cœlo legem dedit, ibi gloriosam reddidit Moysis faciem, & summis bonis vniuersum populum ditauit. Et ibi illi contempto glorificatore Deo adorauerunt vitulum comedentem eorum carnes. Quid igitur, ô vitule Satan, times ieiunium in deserto & plenum macie, quem gloriosum & omnipotentem & fulgurantem in Oreb audes spernere? An qui post fulgura, post signa, post Angelorum buccinas personantes, non tibi eripuit Israëlem, eripiet post ieiunia, post Eremi fames? Et quidem eam in Domino virtutem præsagit Iacob dum Deut. 33. Deut. 33. sic Christum adumbrat in Ioseph capite, *Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius.* sic bellicosam virtutem, vt ait Glossa, & Hugo insinuat instar primogeniti tauri. Quid plura? accipite fortissimi semel in Virgil. certamine victi astutiam tauri Virgiliano plectro dulciter decantatam 3. Georg.

Victus abit longéque ignotis exulat oris,
Multa gemens ignominiam plagásque superbi
Victoris: tum quos amisit inultus amores:
Et stabula aspectans regni excessit auitis,
Ergo omni cura vires exercet, & inter
Dura iacet pernox in strato saxa cubili
Frondibus hirsutis, & carice pastus acuta:
Et tentat sese, atque irasci in cornua discit
Arboris obnixus trunco, ventósque lacessit
Ictibus, & sparsa ad pugnam proludit arena.
Post vbi collectum robur, virésque receptæ
Signa mouet, præcépsque oblitum fertur in hostem.

Quæ horum exercebat Christus à regnis auitis exulans apud desertum? Ibi longè ab oculis remotus multa gemit, ignominiam, stragémque superbissimi victoris, sese omni cura exercet, pernox agit dura cubans in humo, laboribus, fame, sitique vires quoad nos tentat. Hos ergo labores, has fames suspectas vehementer habet antiquus ille vitulus & timens cum tanto ieiunatore conflictus, totus tremens accedit, & hæsitabundus quærit, si filius Dei es? Ad quæ D. Hilar. Hilar. *Anceps sermo est, si filius Dei es? licèt esurientem videret; quadraginta tamen in eo dierum ieiunium pertimescebat.* Quid mirum? Putabat esse primogenitum tauri, & in Oreb tonantem & gloriosum sponsa viduare fuit ausus, modo in deserto ieiunantem laborantem meritò pertimescit. Vnde prudenter D. Athanas. lib. de Virg. suggerebat virginibus ieiunium, dicens. *Quisquis ab immundo spiritu vexatur, si hoc animaduertat, & hoc pharmaco vtatur, ieiunio, inquam, statim spiritus malus oppressus abscedet, vim ieiunij metuens.* Sed non mirabor quod diabolus ieiunatorem expaueat, cum inde ipsa deitatis potentia commendetur, quod à ieiunatoribus colatur. Sic B. Pantaleon orat. de luminibus sacris expendit reuerentiam exhibitam à Ioanne, Christo Domino illis verbis. *Ego à te habeo baptizari?* Ecce quem sibi diuina potentia subdat. *Qui Pharisæos baptizabat, ab eo rogat baptizari, qui Saducæis erat formidabilis, ad illius aspectum assurgit, flectit genua: ieiunio clarus ab eo qui non ieiunauit, benedictionem quærit.* O ingens ieiunij excellentia quando diuina exaltatur virtus quod à viris ieiunio claris colatur.

§. VI.

Deus iustos homines accessu faciles reddit tentationi, ærumnis.

QVàm faciliter tentator accedit! non ariete opus habet, vt aditum sibi per muros æneos paret; sed simplici gressu omnia aperta habet, dummodo accedat iustorum probaturus fidem & gratiam. Semel Deum cunctantem de Iob, an illum sui hostis permitteret manibus tentandum, Iob 2. mirabundus obloquitur aduersarius. *Pellem pro pelle, & vniuersa quæ habet dabit homo pro anima sua.* Quasi diceret ait B. Thren. 3. Paschas. *Quid istum passionibus ac tentationibus dare retrahis, tum vniuersos sanctos tuos quasi pellem pro pelle quandoque daturus es in passionem, & vniuersa quæ habent pro animabus eorũ?* Merito alienum putat à Deo quod aliquem iustum nõ permittat tentari quod cunctetur, & difficilis sit in dimittendis iustis, & piis hominibus in tentatione. Nam is est Deus, qui ante tentationes parauit, quã homines condiderit, ne vel ad horam essent sine illis. Quod pulchris verbis D. Ambr. notat Ambros. lib. 5. Hexaëm. cap. 1. vbi maris, terræque fructus & diuitias conditas ante hominem sic luget. *Væ mihi, ante hominem cœpit illecebra, abundantia copiarum, nostræ mater luxuriæ, ante hominem delitiæ. Prior ergo hominum tentatio, quàm natura.* Quomodo ergo negaret hominem tentatori, qui ante tentationes parauerat, tentatoris arcus tetenderat, quàm homines efficeret? Imò nil magis cordi est Deo, quàm tentationum formidini locum dare, aditum aperire. Matth. 4. Discipulos recepit Dominus in nauicula, & vix lintea expandit. Matth. 4. *Et ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus, ipse verò dormiebat.* Quid est quod Dominus dormit, cùm venti exsurgunt, nauiculámque fluctus sorbere incipiunt? Rectè Chrysost. in Catena. Chrysost. *Erat autem hæc turbatio typus futurarum tentationum: vt ergo daret locum formidini, ipse verò dormiebat*, & se somno, & discipulos dabat tentationum fluctibus; dormiebat Dominus, vt liberum locum tentationi relinqueret, ne quod impedimentum tentatio inueniret, quo minus sanctissimos inuaderet & circumageret discipulos. Habes iuxta hoc quid mireris in filiorum Iob præpropera ruina; intra maioris domum coëgerat omnes germanitatis conuiuium. *Et repentè ventus vehemens irruit à regione deserti & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos, & mortui sunt.* Iob 1. Proh dolor vnus Iob 1. & solus ventus à deserto prosiliens domus quatuor angulos quatit. Sanè Ezechiel cap. 37. vt ex arentibus ossibus viuidos homines efficiat, sic iubet. Ezech. 37. *A quatuor ventis veni spiritus, & exsuffla super interfectos istos, & reuiuiscant.* Cur per quatuor mundi angulos venti quatuor iubentur venire? Nónne vnus sufficeret quatuor angulos afflare? Quandoquidem apud Iob vnus ventus quatuor domus angulos contriuit. Planè iustorũ domus difficiles aditus & obtrusos

prætendunt saluti, incolumitati, & vix à quatuor ventis ægrè & difficulter illam recipient. Verùm morti, contritioni, ærumnis adeò faciles & præuiæ sunt, vt ab vno vento accedente possint omni ex parte redigi in cineres. Habent iusti in ærumnis in morte Deum gaudentem, in incolumitate & salute lacrymantem ipsum: sic ab ærumnis facile inueniuntur, à salute difficilè. Etenim de defuncto Lazaro aiebat Dominus Ioann.11. *Lazarus amicus noster dormit: & gaudeo propter vos.* Quem postmodum ad vitam reuocaturus infremuit spiritu, & lacrymatus est. Quocirca D. P. Chrysol. serm.64. *Qui dixerat, Lazarus mortuus est, & gaudeo; de quo gaudet mortuo, ipsum cum resuscitat, tunc lamentatur?* Ne mireris, si mors, si ærumna, si tentator accessum facilem ad viros iustos habeant. Vbi Deus gaudio plenus liberam illis accedendi relinquit potestatem.

Ioann.11. Chrysol.

§. VII.

Deus viros iustos duriter excipit, vt quamcumque duritiem sine culpa illata ament.

QVis nos non tentatorem durum & crudelem excandesceret, quando famescenti viro lapides prætendit deuorandos? *Dic*, ait, *vt lapides isti panes fiant*, ad lapides eósque durissimos famescentem virum remittis, ô pessime tentator? Sed & Deus lassum iustum in deserto excepit duro lapide. Enimvero Iacob Dei causâ peregrè profectus Genes. 28. non inuenit vbi quiescere posset præter lapidem, quem capiti supposuit. Id quod notans D. Hieron. in consolatione ad Iulianum, valde mirabundus ait, *Cur Deus ad se primò venientem ita duriter excepit?* Lasso viro iusto lapidem Deus porrigit, vt famescenti tentator, vt hinc omnes & duritiem & asperitatem oblatam amemus, quandoquidem nulla tanta erat, quæ nobis à Deo non possit eadem propinari. Cum Iacob post mille exantlatos labores apud socerum rediret in domum patris sui. Ecce tibi in medio nocturno timore Dominus *luctabatur cum eo.* Proh Deus immortalis! Sic hominem iustum affligis? sic tuos seruos mactas? Hiccine tuus est amor in homines? Cur ita durè eos impugnas? Pulchrè D. P. Chrysol. serm.147. *Iacob fugientem solatur Deus in somnis, redeuntem pio certamine prouocat; luctatoris constringit amplexu, vt amaret partem certaminis, non timeret.* Quis non amet certamina à Deo illata? Quis non diligat duritiem, asperitatem, quam Deus etiam propinat & commendat? Ne timeas, homo, lapides in tentatoris manu, ne hostium tela expaueas, imò ama illa, Deus tibi amantissimus hæc infligit. Sic Iren. lib.3. cap.22. *Occultè quidem, sed potenter omnia manifestant, quoniam occulta manu expugnabat Amalech, propter hoc & pueros eripiebat, qui erant in domo Dauid, vt eos præmitteret in suum regnum.* Quod semel palam fecit Deus pugnans cum Iacob, vt illum in luctarum & tentationum amorem traheret, hoc occultè in dies facit sese certaminibus, luctis, laboribus, ærumnis, vulneribus immiscet, & quæ tutela ab hostili manu contorta putas, non nisi à Deo amantissimo proficiscuntur. Sic Herodis, & Iudæorum ferocientium putares manus, quæ innocentes pueros dilacerabat: at erat manus amatoris diuini, quæ puerulos hos seligebat in Regnum. 1. Reg. 4. percussis & interfectis à Philistiim Israëlis copiis: *Dixerunt maiores natu Israël, Quare percussit nos hodie Deus coram Philisthym?* Sanctè & prudenter spicula & tela, quibus affligebantur à Dei occulta manu contorta & eiaculata auspicantur. O si nos in ærumnis, in persecutionibus, in tentationibus Dei manum perspiceremus, quam intrepidi hostiles incursus sustineremus, quam auidè sugeremus mel de petra, oleúmque de saxo durissimo! Deuter.32.

Chrysol. Irenæus. 1. Reg. 4.

§. VIII.

Diabolus diuinitati inuidens cibos, Christo porrexit lapides in panem, non in hominem commutandos.

LIcet modò expendere tentatoris astum, qui exploraturus Dei potentiam ait, *Dic, vt lapides isti panes fiant.* Sed vana & stulta ista exploratio. Quid magnum, quod panes ex lapidibus fiant? Facerent id Magi, qui veros serpētes & verum sanguinem fecerunt in Ægypto, vt multorum fert opinio. vel faceret Angelus, non ergo ex hoc præcisè insinuaretur virtus & efficacia diuina. Vnde acutè D. Petr. Chrysol. serm.3. hic in quæstionem vocat tentatorem sic inquiens. *Quare non dixit, Dic vt homines fiant; sed, dic, vt lapides isti panes fiant.* Sanè hoc diuinam potentiam vnicè commendat, quod *potens sit ex lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*, Matth.3. ex hoc euidenter colligere posset tentator, an Deus esset homo ille. Cur ergo non dixit, Dic vt lapides isti homines fiant? An hunc cibum diuinitati diabolus inuidit? Planè, inquit D. P. Chrysol. serm.12. *Sic dicendo diabolus hominem vult monstrare, non Deum, non cibum parare vult.* Quasi diceret faciendo pane hominem inescabat ad laqueum; Deo autem proprium cibum, nempe homines, inuidus non parat, imò nec audet nominare. Huc illud spectat Tertul. aduersus Gnosticos. *Quis non beatum amplius reputasset, quem Deus comedisset?* Quandoquidem calluerat sciolus ille beatos tunc fore homines, cùm adeò comesti è lapidibus in filios Abrahæ erant immutandi, astutè cauet, ne esurienti Deo homines fiant. Hominem enim monstrare vult, non Deum, non cibum parare vult inuidens Deo, quod homo illi fiat cibus.

Chrysol. Tertull.

Sibi lectissimum cibum diabolus pararat ex saxeis hominum cordibus. Id quod D. Paulinus epist.4. ad Seuer. lacrymatur, ad Sansonis exemplum hominem quemlibet peccatorem figurans, *In semetipso*, ait, *pristini ergastulum patitur, saxum cordis sui pertinacia iniquitatis induratum quasi molam versat, farinam gestibus suis de corrupta animæ suæ fruge conficiens.* Ecce à saxeo hominum corde qualem cibum, qualem farinam, nimirum hominis animas sibi conficiat noster aduersarius, quarum sapore inescatus, inuidens Deo animarum cibum, dum lapides profert, nullum de hominibus verbum facit. Et quidem dum filius Dei esurit, quid aliud hac esuritione protenderet; nisi vt D. Hilar. ait *esuritionem se habiturum humanæ salutis?* Me ne esuris ô bone Deus, meum lapideum cor aues deglutire, vt in tuæ carnis mollitudinem transmutes, ex saxóque durissimo filium Abraham constituas. Rectè D. Bernard. serm. 71. in Cant. *Cibus eius pænitentia mea, & cibus eius ego ipse. An non cinerem tanquam panem manducat? Ego autem, quia peccator sum, cinis sum, vt manducer ab eo. Mandor cum arguor: glutior, cùm instituor; decoquor, cum immutor.* Et quum immutor, saxeus sum, durus sum, amarus sum, mandor à Deo, & fio humanus, blandus, suauis, dulcis. Huc spectat illud Iudic. c.14. de ænigmate, *de comedente exiuit mel, de forti dulcedo.* Quod sic D. Paulin. vbi supra edisserit, vt totam nostram felicitatem præsagiat inde. *De edente*, ait, *esca sic exit, quia leo de Tribu Iuda ex ore nos aduersi leonis excipiens ideo venatur vt seruet, mandit vt integret, hoc in nobis edens quod corrumpitur. Quamobrem optemus huius leonis præda fieri, ne simus præda leonis inimici. Edente enim Christo in nobis absumitur quod consumitur: Christus etenim vita est, & mortale hoc non poterimus deponere, nisi absorbeamur, quia mortem nostram deuorat Christus. Sic ergo de potente exiuit dulce, cum amaritudine malitiæ nostræ per ipsum in dulcedinem commutata, dulcis à verbo eius esca procedimus, qui nos edendo, consumpto peccato, reparauit ad vitam.* O quàm exitiale erat diabolo quod satiaretur fames diuina? quare non petit homines fieri, quia esurienti Deo cibum parare formidat.

Pauliu. Iud.4. Hilar. Bernard. Iud.14. Paulin.

§. IX.

Sic peccata castigare debemus, vt postmodum quamlibet minimam remotissimam vmbram suspectam & inuisam habeamus, eámque effugiamus.

O Quoties in præsenti sermonales exclamationes audiui, quibus tentatoris siue penuria, siue auaritia notabatur, quod etiam ad gulam inescandam nil aliud præter lapides porrigeret. Papæ! diues iste & largus in tentationibus, optasset ipse, vt posset condita vina, dulcissimas dapes, odoros pulcrósque fructus proponere, quibus vel saturum alliceret. Non tamen sustinuit cœlestis Adam eremi cultor, quod sibi ob oculos proponerentur a tentatore cibi. Ecce tota reparandi à Christo hominis ruina vnde habet originem. Genes.3. *Vidit mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulcrum oculis, aspectúque delectabile; & tulit de fructu illius, & comedit.* Vt vidit, vt periit: quam gulam sic secūdus homo Christus castigat lacrymis, ærumnis, ieiuniis, vt quia visus pomi fuit causa ruinæ, cuiuscúnque cibi etiam panis visum suspectum habeas & inuisum. O si nos castigaremus concupiscentias antiquas quam horreremus concupiscere etiam minima. Sanè Dauid post concupitam Bersabee, post adulterium in se acriter punitum, concupiuit aquam de cisterna Bethleem 2. Regum 23. Ergo adducitur aqua illi, quam profundens, *libauit eam Domino.*

Genes.3. 2. Reg.23.

Cur

Euchet. Cur hoc? eleganter & prudenter Eucherius, vt alias dixi, ait: *In sacrificium quippe Domini aqua effusa conuersa est, quia culpam concupiscentiæ mactauit per pœnitentiam reprehensionis suæ. Qui ergo quondam concupiscere alienam coniugem nequaquam timuit, postea etiam quia aquam concupisset expauit.* O quam facit peccati pœna homines cautos, & in minimis etiam timidos; qui grauis concupiscentiæ pœnam expertur, meritò cauet sibi à concupiscenda aqua, illámque Domino libat. Loth etsi Sodomiticam luem exhorruerat, pessimamque egressus erat ciuitatem; tamen in confinio regionis, in paruo oppido licere sibi manere a Domino deprecatur.
Genes. 19. Ait enim Genes. 19. *Nunquid non modica est ciuitas hæc & saluabor in ea?* licuit igitur Loth per Dominum ibi manere & tutò commorari. Verum eum incendium vidit ciuitatum, cùm iustum & terribile Dei iudicium supra Sodomam aduertit. *Ascendit Loth de Segor, & mansit in monte (timuerat enim manere in Segor.)* Quid modo times Loth in Segor inhabitare, & fugis ad montem? Nónne fortè in monte *apprehendet te aliquod malum?* Nónne hæc ciuitas parua & modica est, & viuet in ea anima tua? Hoc dixerat Loth ante expertum terribile Dei iudicium; sed post visum ignem complutum, post vxorem factam salem, etiam paruam & modicam expauet ciuitatem, nullámque nec in paruis credit inesse posse securitatem. O quam cautos viros faciunt monumenta pœnarum! quàm timidos etiam in paruis! etiam in securis! etiam in remotis! Aquam Bethlehemiticæ cisternæ per tres fortissimos milites allatam
1. Par. 11. cum expaueret Dauid aiebat 1. Paralip. 11. *Num sanguinem istorum hominum, qui profecti sunt, & animarum periculum bi-*
Gregor. *bam?* Vbi eleganter D. Gregor. Magn. in Regist. lib. 9. indict. 4. c. 39. *Qui priùs pro culpa sua morientium militum sanguinem fundi non timuit, postmodum si aquam bibisset, etiam viuentium militum sanguinem se fudisse indicauit.* Sic militis sanguinem effusum pertimescebat ebibere, vt etiam se arceret à bibenda militum aqua, & quicquid militum esset concupiscere formidaret, etiam aquam. Quibus facilè intelliges illud di-
Genes. 9. uina cautum lege Genes. 9. *Carnem cum sanguine non comedetis; sanguinem enim animarum vestrorum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis, & de manu viri, de manu fratris eius requiram animam hominis.* Quasi dicat, ecce me vltorem sanguinis humani constituo: væ illi qui sanguinolentas homini manus intulerit, non liber euadet, mihi dabit pœnas, peribit proculdubio. Quorsum hæc? vt homines ab esu cuiuscumque sanguinis abstineant. Etenim qui humani sanguinis effusi pœnas & supplicia videt, manantem sanguine expauescet palumbum, sanguineámque escam repellet fastidiens. Hæc vtinam obseruassent Israëlitæ illi, quos vel ciborum memoria redegit in cineres,
Tertull. quandoquidem, vt notauit Tertull. aduersus Psychicos, *Manent adhuc monumenta concupiscentiæ, vbi sepultus est populus carnis auidissimus.* Non in mortem iuit populus, quod carnibus vesceretur. quod auide carnes voraret; sed quod concupisceret, quod sibi carnes meditaretur, cibisque inhiaret Ægypti. Id eleganter in rem præsentem ponderat
Ambros. Diuus Ambrosius lib. de Elia & ieiunio cap. 8. fatus. *Omnes illæ tribus Patrum cum de petra biberent aquam, manna manducarent, gentes validissimas vicerunt, & non erat illis vllus infirmus, vbi verò carnes desiderare cœperunt, & desiderijs in Ægyptum conuertebantur, nequaquam ex tot millibus hominum in terram promissionis præter duos peruenire potuerunt.* Ecce tibi homines hominum stultissimos, quandoquidem experti Ægyptiam captiuitatem & afflictionem, ab illáque liberi ad cibos eius & ollas respicere non dubitabant, quibus vel ipse Ægypti fumus debuisset esse pauor. Sed ô quam vnius peponis Ægypti memoria omnes vapularunt ad sepulcrum, imò ad barathrum concupiscentiæ rapti. Melius pro illis diuina prouidentia disposuit, quando Ægypti escis eliminatis scaturientem petram obtulit, ex qua sibi potum dulcissimum caperet, quamque cum alterius potus immemores lambunt. O quam validi hostium victores! ô quam insignes victorias reportarunt! Hoc incendi ingenium omnibus vtilissimum, vt suggereret diuinus athleta Christus, antiquam hominum gulam dura inedia castigans, nullum sibi cibum à tentatore offerri patitur; sed tantum lapidem, vt iam inde veri Israelis victoriæ daret auspicium.

Text. Qui respondens dixit: Scriptum est, Non in solo pane viuit homo: sed de omni verbo, quod procedit ex ore Dei.

§. X.

Dum instat hostis, hoc vnum cura, vt expugnes illum cæteris alijs lucris siue temporalibus siue spiritualibus posthabitis.

NOn antea prædicat Propheta conflandas lanceas in vomeres, quam post bellum finitum, quando pax alma prælucet. Dum hostis est, suspectus tibi sit agrorum cultus, imò & Dei cultus; nisi priùs hostem expugnas. Sic diuinè perdocet Christus Dominus, dum esuriens nec pani conficiendo dat operam, nec de parando cibo curat, vnum agit, vt hostem exsufflet. Id eleganter tractans S. Nilus in Nilus.
Ascetico hæc inquit. *Quæ vtilitas agriculturæ, cùm bellum ingruit, agrósque deuastat, & fructuum copiam non ipsis cultoribus, sed hostibus exponit? Propterea Deus fortasse vetuit Israelitis, ne agriculturam exercerent quamdiu erant in solitudine, & cum diuersis gentibus pugnabant, ne bellicas exercitationes intermitterent.* Sanè, si dum terrenis lucris inhias, dum cibo acquirendo studes, te hostilia tela circunstant, aduersariæ potestates te infestant; quæ vtilitas laboris tui? & hæc, quæ præparasti cuius erunt? Elaborati fructus copia non tibi, sed hostibus exsurgit. Quare lucris posthabitis etiam pane relicto in hoc maximè incumbito, vt hostes in primis elimines. Pharisæus ille apud Lucam cap. 7. immemor hostilium telorum quibus erat confossus, multus est in parandis optimis cibis, vt cum Christo Domino manducet; sapientior peccatrix femina, quæ vt se hostium in potestate vidit, omnium rerum immemor, etiam cibi oblita vnum curat, vt hostium vulnera effugiat, viuidámque salutem recuperet. Accipe D. Paulinum epist. 4. sic cum Pharisæo Magdalenam compo- Paulinus.
nentem. *Meritò prælata est Pharisæo licet pascenti Dominum, quia ieiuna, non tibi, sed saluti auida seruiebat.* Enim verò dum sese sensit hostilibus configi spiculis, & si ieiuna esset non cibo inhiat; sed tota est in depellendis spiculis, in acquirenda salute. Abesto tunc escarum cultus, quandoquidem hostium phalanges insultant. Quid plura? Ipsius Dei cultus relinquendus est, vt insultantes hostes elimines. Etenim inclyti illi Machabæi 1. Machab. 2. Deum in Sabbati obser- 1. Mach. 2.
uatione adeò colebant vt tunc temporis nefas iudicarint etiam se ab inimicorum armis protegere. Proh dolor! Scioli hostes noscentes hominum religionem, *intulerunt illis bellum Sabbatis: & mortui sunt ipsi & vxores, & filij eorum, & pecora eorum vsque ad mille animas hominum.* Quid tunc? animaduertunt pij viri stragem, sese quam primum ab hostibus conficiendos vident, & exsurgens Matathias ait, *Omnis homo quicumque venerit ad nos in bello die Sabbatorum, pugnemus aduersus eum: & non moriemur omnes, sicut mortui sunt fratres nostri in occultis.* Qualis religio Sabbati, qualis cultus si interficiantur penitus cultores? Vbi ergo fuerit hostis, cedat cultus bello, & priùs viriliter assumpto gladio expugna hostes, quibus interfectis securiùs & fructuosiùs, tam spiritualibus, quàm temporalibus lucris dabis operam.

§. XI.

Christo Domino non placet donum, quod vel ex florido Dei ore, vel puris manibus non offertur.

MErito Dominus cibum à tentatore oblatum repellit; is enim est qui non tam donum, quam manus, quàm os, ex quibus procedit, respectat, accepturus illud, quod ex purissimo Dei halitu, ex limpidissimis manibus deuenit. Nouit quæ dicebat Cant. 2. Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia. Quibus componit D. Bernard. 17. Bernard.
in Cantic. illud Ioan. 4. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem Patris mei:* tunc sic ait, *Verbum verbi est indicantis esse suum cibum factum bonum, si tamen inuenerit illud inter lilia: si extra reperit, etsi bonus (quod in se est) videtur cibat, non tangit illum qui pascitur inter lilia.* Priùs respicit Dominus offerentis manus, quam donum, priùs Abel, quàm munera eius, nec vbi flores desunt virtutum, expectat collecturus fructus diuinus agricola. Sanè Cain voluntaria & plena offerebat munera Deo, at Deus *ad Cain non respexit:* hoc est non sibi accepta habuit munera eius, vtpotè quæ ab sceleratis manibus offerebantur. Ita D. Isidor. Pelus. epist. 230. lib. 1. fatus. *Deus animi Caini improbitatem respiciens ad eum oculos minimè coniecit, nec ipsius munera suscepit, quamuis etiam alioqui ex voluntate atque animi instituto oblata.* Non ab vrticis, sed à roscidis floribus cibum exigit apis Christus: ast à Pharisæo, & infideli & leproso, & vitiorum spurcitiis squalenti

cibum aliquando sumpsit. Vbi flores in Pharisæi domo? Vbi lilia, inter quæ posset pascua Christus sibi inuenire? Sane, quos non habuit Pharisæus flores, intulit peccatrix Maria, ideóque Dominus fœtentem a Pharisæo cibum repellens, redolentem accepit à peccatrice: ait enim, *Oleo caput meum non vnxisti: hæc autem vnguento vnxit pedes meos.* Vbi D. Ambros. pulchrè concludit. *Beatus qui potest oleo vngere pedes Christi, sed beatior, qui vngit vnguento, multorum cum florum in vnum collecta spargit.* Floridum ergo Mariæ vnguentum epulas Christo Domino condiuit, qui ab effusis Magdalenæ floribus probans escas, Pharisæum conuiuatorem reprobat vt sibi iniurium. Etenim maximam Deo facit iniuriam, qui spurcissimus cum sit, peccatique squalore fœtidus, audet floridum sponsum inuitare ad conuiuium. Scelestissimus ille Iulianus simul & Gallo augustissimum templum, partitis inter se expensis, erigebant sanctis quibusdam martyribus. Quiddámque accidit, dum templum construitur admiratione dignum, nimirum, quæ templi pars Iuliani expensis erigebatur, tota singulis noctibus vertebatur in ruinam. Quæ tunc rei causa? Prudenter excogitauit illam D. Greg. Nazianz. orat. 3. in Iulianum sic inquiens. *Non tulerunt martyres se solos ex omnibus martyribus contumelia affici, vt templum haberent impiis manibus fabricatum.* Verè imitatores Christi, quandoquidem sibi contumeliosum fore putarunt, ab impiis manibus etiam templum acquirere. Quid mirum, si Christus sibi iniuriam inferri putet, quando tentator impudicus porrigit esurienti cibos, solósque illos spectat, qui a florido Dei halitu prosiliant.

Matth. 8. — Ambros. — Gregor. Nazianz.

Text. Tunc assumit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum templi, & dixit ei, Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim, quia Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

§. XII.

Vbi pernicies, ruináque hominis suggeritur, manifestè proditur diabolum esse consiliarium & instigator.

QVi dictus fuerat prima intentione tentator, iam hic manifestè dicitur diabolus: etenim cur non se diabolus prodet, quando homini casum & ruinam persuadet? *Mitte te*, ait, *deorsum*; quomodo is non diabolus? Apud Luc. cap. 12. diues ille sic secum colloquebatur. *Quid faciam? Quia non habeo quo congregem, &c.* Quis est iste, ô diues, a quo sciscitaris? Vbi habitat quem consulis? Pulchre D. Chrysol. serm. 104. *Audiamus quid responderit consiliarius internus. Destruam horrea mea. Euidenter apparuit qui latebat: qui à destructione incipit inimicus. Agit, agit vt quæ habes, destruas & quæ concupiscis, non reformes.* Quicquid molitur diabolus, quicquid consulit, ruina hominis est, pernicies est, casus est, hæc numquam non intendit, numquam non procurat. Id rectè calluerant illi Israëlitæ idolatræ, qui Babyloniorum armis præoccupati Oseæ cap. 10. dicebant *montibus cadite super nos, & collibus, operite nos.* Etenim visis crudelibus hostibus petebant enixè à montibus, quod ipsi crudelitatem Babyloniorum præcurrerent aduersus Israelem. Et à quibus montibus id petebant? Pulcre explicat Diuus Cyrillus. *Dicent montibus illis & collibus, in quibus idola colebant; cadite super nos, anticipate crudelitatem Babyloniorum & captiuitatis extremam miseriam.* Ecce tibi deuotissimi dæmonum cultores, quid ex diabolo petant & sperent, non incolumitatem non auxilium; sed præproperam & anticipatam necem. Quid petiissent miseri & afflicti homines in discrimine vitæ constituti ab amico de se bene merito, nisi auxilium, nisi fauorem? At isti dæmonum amicitiam noscunt suorum, qui amicissimo cuique nihil nisi mortem, nisi perniciem machinantur & consulunt. Accipite deuotissimum dæmoniorum cultorem Senacherib: is 4. Reg. 19. Hierosolymam expugnaturus multo milite cingebat, in Deum verum, & in Regem Ezechiam blasphemus. Sed vltor Dei Angelus nocturno silentio octoginta millia militum interemit, a qua strage vix vnus Senacherib fugit in patriam, confugiturus ad Deorum suorum templum. Et cur Angelus fugienti illi non intercluſit aditum? Is erat blasphemus, is erat, cuius causa milites interemerat, cur ipsum primum non interemit? cur reliquit ad dæmones confugientem? Sanè qui ad dæmones confugiebat, certam ab illis necem & perniciem habebat, & ideo abstinuit Angelus à nece eius, vtpote qui dubio procul esset a dæmonibus occidendus. Enimuerò *cum adoraret Deum suum Adramelech, & Sarasar filii eius percusserunt eum gladio.* De quo eleganter Eucherus, *Eucherius, contemptor veri Dei in fano falsi numinis trucidatur, non Angelis perijt gladio, quod erat commune pluribus, sed parricidio filiorum.* Non egent Deo vltore & interfectore qui dæmonibus, & vitiis seruiunt diabolus ipse, vitium ipsum carnifices sunt suorum mancipiorum, indignéque ferunt quod sui communi clade concidant, quos ipsi omnium crudelissimè ad casum & perniciem impellunt. Porrò vnius est Dei illa vox, quam Psalmus 57. in titulo ostendit, nempe *ne disperdas.* De qua Nissenus in Psalm. cap. 15. dicit. *Ne disperdas dixit, Deo digna vox, hominis interitum versus.* Adeo vt non priùs Sathan in homines desæuiat, quam à facie Dei egrediatur. Sic percussurus Iob cap. 2. dicitur, *Egressus est diabolus à facie Domini.* Vbi Olympiodorus ait, *Rursus docemur, eum qui ad hominem adoriendum, mentem conuerterit, à facie Domini exire.*

Oseæ 10. — Luc. 12. — Chrysol. — Cyrill. — 4. Reg. 19. — Eucher.

§. XIII.

Is est Christus, qui nequissimos sæpius, & obduratissimos peccatores in bonum satis grauitare, si vel iniuriis illorum manibus suscipiatur.

QVi nocentum manibus Christus Dominus non dubitauit tradi, similiter nunc, vt Cypriano, & Gregorio Magno placet, sese manibus diabolicis volens tradit. Quem accipiens diabolus pergit in sanctam ciuitatem, & in templi pinnaculum. Quorsum sanctitatis & religionis osor in ciuitatem sanctam, & in templum? An præcipitia deerant in deserto? erant omnia Iudææ excelsa ablata? Cur non potius ad idolorum excelsa, ad Babylonicas turres euolauit, vt præcipitium persuaderet? Sanè non à se, sed deifico pondere pressus in templum Dei, in ciuitatem sanctam grauitauit. Sicut qui saxeam molem suscipit asportandā in centrum saxi grauitat, & sæpè renitens licet ad ima fertur pondere superatus: sic aliquando qui Christum Dominum vel per iniuriam in se suscipit, non potest non grauitare in centrum sanctitatis, in sanctorum ciuitatem, & quantumuis renitens deifico pondere pressus necessum est, quod feratur in loca sancta. Sacrilegus ille proditor Matth. 26. exitiali pœnitentia raptus, *Proiectis argenteis in templo recessit, & abiens laqueo se suspendit.* Nota vbi argenteos refudit, in templo, nimirum: quis te in sanctissimum templum egit ô Iuda? Cur non potius in domum Caiphæ festinas? Cur quo accepisti loco non restituis pecunias? Cur non sterquilinio, cur non ventis tam exosos committis nummos? At onustus pecunia curris in templum, in templóque licet sceleratus illam refundis. Pulchrè hic D. Maximus notans in templum Iudam euocari à pecuniis, ait, *Videte quanta vis Dominicæ sit pecuniæ.* Non Iudæ operatio fuit, quod templum adeat necessurus ad laqueum: Dominica pecunia id egit: quæ lenitantem ad suspendium, adeò in bonum faciebat grauitare, vt tandem illum in templum coëgerit, vbi sceleris veniam posset impetrare. Hæc quidem est vis Dominicæ pecuniæ, Dominici sanguinis, hæc vis ipsius Christi salutaris, quod assumptus, quod tactus nocentissimos, & leuissimos quosque in bonum grauitet.

Matth. 26. — Maxim.

Quid arundine leuius? Quid humana natura serpentino veneno madida fragilius? Ecce tibi Christum Dominum in domo Pilati fragilis arundo naturæ humanæ imago verberat, & affligit. Quid inde? Id eleganter D. Ambros. innuens inquit. *Arundine secundum Marcum caput eius percutitur, vt solidata diuinitatis attactu nostra conditio nutare non possit.* Itaque quando nostra fragilitas arundine vanior ac fragilior Christum percutit, tunc solidatur & confirmatur ab ipso. Qui tactus licet à nocentissimis, aliquod illis bonum solet imprimere. Quid plura? à Pilato ipso nocentissimo, & iniquissimo iudice iudicandus suscipitur, & tunc vt ait D. Athanas. de Pass. *Dominus interim dum a Pilato iudicabatur, eius vxori oracula edebat, quo simul Pilatus & silentio eius fortitudinem stuperet, & ex oraculis cognosceret, eum non hominem, sed Deum esse.* Scit Christus peruerso à quoquam teneri, quem sicut graue in centrum, sic in sanctitatem facit grauitare, vel sicut lux obiecto corpori instat, si vel rimulam inueniat, quo suæ claritatis fulgeret radios. Id quod præcognoscens aduersarius,

Ambros. — Athanas.

rius,cum vidit Christi corpus Iudæ in Cœna fuisse communicatum, vehementer Domini timens morem, scelestissimum proditorem omni conamine impellebat in laqueum. Cyrill. Sic S.Cyrill. lib.9. in Ioan. cap.19. dum fatur. *Etiam Iudam cum post panem omnino separauerit tunc moram tanc benedictionis virtutem timens, ne si instillam in animo eius accenderit, ac inde illuminauerit, magna præcipitem agit celeritate.* Hæc ille.

§. XIV.

In perfectionis sublimitate, arduisque virtutibus constitutus homo securiorem, & suauiorem vitam ducit.

Raban. PRudenter Rabanus in Catena videns Christum Dominum a Diabolo in pinnaculum templi assumptum, id notat, *Vt quisque imperauerit viam veritatis arctam nos ascendere, obtemperemus.* Etiam Diabolo suggerente, perfectionis culmen ascende, sublimia virtutum cacumina tene, hoc pro certo habens, nullibi fruiturum fore vita dulciori hostiúmque incursibus securiori. Huc spectabat illa gratia in Cant. 4. Amasiæ crinibus ab sponso Cant.4.decantata. *Capilli tui sicut greges caprearum.* Ambros. Cuius explicationem affert D. Ambros.in Psalm.118.serm.16.vers.3. *Vides quod in altu grex ille pascitur? adsilit in montem? Itaque vbi alijs præcipitia; ibi capreis nullum periculum, ibi gregis huius alimentum, ibi cibus dulcior, ibi fructus electior, spectantes à pastoribus suis dumosa de rupe pendentes, vbi luporum incursus esse non possunt, ibi fœcundæ arbores fructum integrum subministrant. Ideò elegit eas spiritus, quibus cœtum venerabilis Ecclesiæ compararet.* Etenim vbi quis capreæ instar altissima virtutum cacumina scandit, & in arduis euangelicæ perfectionis culminibus ponit nidum. O quàm securus a luporum incursibus dulcissimam & quietissimam vitam transigit! Rudiores, & imperfectiores, qui toti ad humi iacentes herbas feruntur, sublimia Euangelij consilia sibi æstimant præcipitia,& dum ardua virtutum fugientes per mediocria & plana iter instituunt, mille sustinent Psalm.48. fames,mille sites,mille hostium incursus,& sæpissimè, *Sicut oues positos in infernis*, id est, in imis virtutum, *mors depascit eos.* O vtinam non sicut oues in campis; sed sicut capreæ in montium cacuminibus, in altissimis rupibus gradum figerent, ibi nullum periculum, ibi cibus dulcior, ibi luporum incursus esse non possunt, ibi fœcundiores vitæ arbores fructum integrum subministrant. Sanè apud Ægyptum manducaturi agnum Israëlitæ iubentur, cum calceatis pedibus baculos in manibus tenuere,vt sic ad perfectionem sese accingerent. Verùm postea missurus Christus Do-Matth.10. minus Apostolos in vniuersum mundum Matth. 10. cauet, *ne calceamenta, nec virgam ferant.* Enim verò vbi Ægyptiorum arua terimus, vbi virtutum primordiis insistimus,opus est nobis calceis, quibus a spinis, reptiliúmque serpentium morsibus euadamus liberi. Opus item baculo est, quo nos protegamus a crebris inimicorum incursibus. Ast cum semel Apostolicum culmen attingimus, nempe cùm euangelicæ perfectionis altissima cacumina subimus, vix est quod timeamus periculum,vix est luporum accessus,quare Gaudent. vobis virgæ minimè necessarius est vsus.Sic D.Gaudentius tract. 5. in Exod. *Opus est mihi,* ait, *& baculo,Pascha adhuc in Ægypto celebranti, vt me tuerer ibi hostem,percusso Ægyptio; si quis verò est Apostolicus, & per Iesum prostrato Ægyptio magnus factus ac potens est, non iam propter se baculum portat.* Nil in Apostolicæ perfectionis culmine quod timeat habet, ibi luporum incursus esse non possunt, nullus aditus hosti,qui insigni virtute munitum expauet hominem. Lumen huic 4.Reg.3. excogitationi præbet singularis historia ex lib.4. Reg. cap. 3. ibi enim fortissimorum Israëlitarum exercitus Regem Moab acriter impugnat, imò iam iam expugnat:qui frustrà in validissimos hostes omnia molitus, Marte iam deplorato, *Arripiens filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum, & facta est indignatio in Israel statimque recesserunt ab eo,& reuersi sunt in terram suam.* Quid tunc rei? Infensissimi hostes, nimiúmque crudeles à Rege,quem impugnabant, recedunt, quando illum vident omni destitutum auxilio? Illum indignantur, & fugiunt, cum penè in manibus tenent, quem mille pugnis, crebris conflictibus sperabant euersuri? Rectissimè Caietanus huius hostis fugæ causam meditatus inquit. *Intelligere licet Israelitas idololatras, viso illo holocausto magnipendisse illud, & desperasse de victoria aduersus regem munitam præsidio tanti holocausti.* Et quidem vel vnus virtutis actus insignis reddit hominem insuperabilem inimicis. O vtinam quis eo perfectionis scanderet,vt sui cordis primogenita mactet,Deóque litet! O quam fugaret hostes! ô quam securus inde ageret fugatis inimicis! ô quàm longe abiissent contrariorum exercitus desperati de victoria aduersus hominem munitum virtutis tantæ cacumine. Ecce de Iob excellentissimis virtutibus quid D.Zeno dicat lib.2.serm.16. *Tanto autem puritatu, & fides erat muro munitus,vt non auderet eum attentare diabolus; nisi à Deo iussus.* Zeno. Etenim qui perfectionis teret cacumina, arduisque Euangelij semitis figit vestigia, omnia habet in tuto, illi fœcundæ vitæ arbores integrum fructum subministrant, nec feros expauet hostium conflictus.

§. XV.

Qui in virtutis cacumine versatur, hostibus malignis insuperabilis est, a se tamen sui ruinam timeat.

POsitum in pinnaculo templi Dominum non audet, imo nec potest impellere in præcipitium inimicus, id solum spectat,vt ipse sese agat in ruinam.Ideò ait,*mitte te deorsum.* Etenim perfectissimi viri hostibus inaccessi, & terribiles suo quandoque casu miserè dissoluuntur. De Behemot dicebat sanctissimus Iob cap. 4. *Corpus illius quasi scuta fusilia.* Iob 4. Vbi B. Paschas. lib.3.in Threnos littera Tau expendit illud, Paschas. *Scuta fusilia,*ita edisserens,*Scuta ergo si sunt fusilia in suscipiendo sagittas, robusta sunt; sed casu fragilia. Ictu quidem ferientium minimè penetrantur; sed suo lapsu per fragmenta dissoluuntur.* Siccine perfectissimorum virorum describitur robur & fortitudo, scuta quidem fusilia optimo temperamento elaborata, quæ inimicorum tela rideant,ferientiúmque ictus. igneas etiam glandes facilè inuicta repellant: verùm si elapsa e manibus,si proprio pondere grauitantia decidant, proh dolor, inquam, munitissima fragmenta conteruntur! Timeat ergo perfectissimus quisque, cum a Deo in arduis virtutum cacuminibus fertur sublimis, ne dum hostibus inuincibilis graditur, suo se lapsu miserè comminuat. Hoc pungebantur timore egregij illi serui, de quibus Iob cap. Iob 59. 29. dicit. *Si quando ridebam ad eos, non credebant.* Quidni? Laudari potest seruus,qui fauoribus domini sui, qui ridenti domino minimè credit. Vnde ista laus peti potest? Prudentissimè illam expendit D.Gregor. in hæc verba. Gregor. *Redemptoris nostro quasi non credimus arridenti, dum multis iam eius donis testantibus & gratum fauoris eius accipimus, & tamen adhuc sub eius iudicio de nostra infirmitate titubamus.* Protecti à Dei gratiis, nimiísque eius fauoribus exaltati, non de hostium conflictu, non de venenatis iaculis; sed de nostra infirmitate semper timeamus,quem forti retorta manu tela non feriunt, sæpissime conterit proprius casus. *Iam Paulo è cœlo Dominus loquens, eiúsque oculos interiùs aperiens, exteriùs claudens potentiam suæ maiestatis ostenderat. Iam de eo Ananiæ dixerat, Vas electionis est mihi iste, iam ad tertium cœlum super se raptus fuerat,iam in paradisum ductus, arcana verba quæ dicere non posset, audierat: & tamen adhuc timidus dicit, Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne ipse reprobus efficiar.* Ipsi altitudo electionis, & virtutis hostium eripuit metum, sed de se ipso multò maiorem timorem incussit, vt semper de sua titubaret infirmitudine. Apud Lucam memini Christum Dominum Apostolis dixisse cap.12. Luc.12. *Nolite timere pusillus grex,quoniam complacuit patri vestro dare vobis regnum.* Ecce tibi cùm regnum seruis promittit Christus,illósque quasi cœlestis regni candidatos insignit,simul metum illorum expellit. Sed quid tunc illi timerent? Se in Reges cooptatos vident, cur timeant? Acutè D. Petr. Chrysol.serm.23. inquit. *Promissionem regni sine timore seruilis status audire non sufficit, quia qui libertate vix dignus est, capere non valet infulas: principatus regnum velle seruum crimen est, adire periculum, temeritas non timere.* Chrysol. Temerarius ergo est ille seruus,qui cum in sublimi perfectionis se videat gradu,vbi penè manu coronam pertingit, vbi crebrò se ad regnum euocari auscultatur, non vehementer timet de sua infirmitate, ne qui ab hostili incursu liber triumphale diadema sperat, proprio casu decidat reprobandus. Hinc ille credentium maximus parens Abraham Genes. 15. cùm se à Genes.15. Deo mille promissionibus audit munerari, cùm se in culmine diuinæ amicitiæ nouit exaltatum, ait: *Domine Deus, quid dabis mihi?* Quæ verba Philo Iudæus lib. Quis rerum diuinarum sit hæres, sic in primis legit. *Here Domine, quid dabis mihi?* Deinde notat illud, *Here*, Græco vocabulo sonare vinculum, timorem. Vnde quòd Abrahamus in summam Dei familiaritatem elatus dicat, Here Domine, *primò de est* ait Philo,*ac si dicat,non ignoro tuam excellentem potentiam,* Philo. *scio & potestatem tuam terribilem, & ideirco timens,tremensque*

te

te appello. Quanto enim diuinæ ſublimitatis vicinior, tanto de noſtra infirmitate timidior, ne proprio caſu amittat, quod ab hoſtilibus incurſibus eripuit liberum.

§. XVI.

Chriſtus filius Dei maximè innotuit à ſummo cœlo vſque ad mortem dimiſſus.

PArum petis, ô diabole, à filio Dei, vt ſeſe à pinna templi dimittat: etenim ille eſt, qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit a cœlis, crucifixus, & mortuus,& ſepultus eſt. Non à pinna templi;ſed à ſummis cœli verticibus dimiſſus in mortem vſque Dei filius
Chryſol. manifeſtè perlucet. Sic D.Petrus Chryſologus tentatorem irridet. Quid deſcenſum à templi pinna expectas,vt filium Dei videas? Ecce tibi, *Se Dominum, ſe vtique Deum intelligi voluit,qui non de pinna templi tantùm ſe dedit ad terram;ſed de cœlis ſe ad inferos vſque iactauit.* Hiccine filij Dei deſcenſus, hæc demiſſio, qua innaſcibilis Patris proles procidebat, & manifeſtabat diuinitatis ſuæ originem. Aquilarũ pulli maternis ſcapulis ſublati,an degeneres ſint, nitidiſſimam probantur ad Solis lucem. Verum proles diuina vnigenitus Dei Filius à ſinu Patris emiſſus in terram vſque, tunc claret,tunc apparet manifeſtiſſimus,quum & ipſe,& vniuerſus
Athanaſ. orbis operitur mortis caligine. De illo B. Athanaſius in reſcripto ad Liber.Papam. *Ipſe eſt Dei virtus,hoc eſt Deus,qui infernum expugnauit, & imperium diaboli demolitus eſt, qui Deus in deſcendendo corpus ſuum à mortuis excitatum Patri repræſentauit.* Expendo illud, *qui Deus in deſcendendo*, quaſi tunc maximè Deus innoteſceret, cùm ad vſque puluerem mortis deſcendit. Id quod eleganter ponderauit Drogo,
Luc.24. libro de Sacramento Paſſionis, vbi iuxta Lucam, cap. 24. proponitur Chriſtus in caſtello Emaus, diſcumbens cum duobus Diſcipulis ſuis: *Et accepit panem,& fregit,& porrigebat illis,& aperti ſunt oculi eorum,& cognouerunt eum.* Et quidem in fractione panis cognouerunt Dei verbum Diſcipuli. Quid plura? *Panis caro tua eſt*,ait Drogo, *fregiſti manibus tuis corpus tuum,quia poteſtatem habebas ponendi animam tuam, fregiſti corpus,quod foris apparebat, & oſtendiſti medullam, quæ intus latebat; niſi enim patiaris, non cognoſceris.* Cùm lucem verbum habitabat inacceſſibilem, non cognoſcebatur, vix in vmbris, obſcuriſque imaginibus ſeſe pandebat propheticis viris;panis erat,ſed integer;à prælucenti ſolio deſcendit in mortuorum caliginem,& tunc doloribus mortis confractus, æternam, diuinámque patefecit originem. Vnde
Athanaſ. D.Athanaſius oratione de Verbi Incarnatione,eius deſcenſus eam cauſam adducit.*Ea igitur de cauſa Verbum homo genitus eſt,homo apparuit,mortuus eſt,& reſurrexit, vt præſtringeret, obſcuraretque rebus ſuis geſtis quicquid vnquam ab hominibus geſtum eſt.Vt vbicumque homines ſenſibus ſuis ad credendum numen præoccupati eſſent, inde eos abduceret. & de Patre ſuo illos certiores redderet.* Ecce quo ſe dimiſit Chriſtus, vt Patrem ſuum Deum oſtenderet,vt ſe vnicum filium Dei inſinuaret, dum ipſo in deſcenſu ſublimis, in ſupplicio innocens, in morte diuinus, in inferno Deus omnibus innoteſcit. Sanè qui tam ſuperiorem omnibus habuit interitum, præ omnibus ſingularem ortũ à Deo Patre habeat,fuerit neceſſum.

§. XVII.

Hoc valde calamitoſum hominibus,quod in neceſſitatibus ſuis Deum obliuiſcentes,creaturas reſpiciant.

ECce tibi dæmonem Chriſto Domino præcipitium ſuadentem,& ſimul offerentem Angelos auxiliatores, ait enim, *Angelis ſuis mandauit de te,& in manibus portabunt te.* Cur Angelorum auxilium promittis? An non magis ipſe pater adſtaret filio?An non filius ſibi ſufficeret?Cur relicto Deo auxiliatore, Angelicas manus opitulatrices proponis? Papæ! hoc ſolum putabat perſuaſum præcipitium, ſi illius oculi vel ad creaturam relicto Deo reſpicerent.Nónne Petrus Chriſto imperterritus adhærebat?Quis Petrum deturbauit à petra Chriſto? Vide quid de illius ruinæ cauſa di-
Luc.22. cat Luc.cap.22. *Et poſt puſillum alius videns eum dixit, & tu de illis es.Petrus verò ait,O homo non ſum.* Ibi eleganter Dro-
Drogo. go lib. de Sacram. Paſſ. expendit illud, ô homo non ſum, nimirum inquit,*Hominem attendit,non Deum:*& quidem tota eſt humani caſus & præcipitij cauſa, quod immemores Dei, reſpiciamus creaturas. Hoc in primis oſtendit ſuperbiſſimus ille diues, dum etiam in ſuo præcipitio mediis tormentorum ignibus id de conſuetudine eructat.*Abraham miſerere mei.* Quem ſic merito Chryſoſt. in Catena pungit, *Creator creaturæ miſeretur ſuæ, vnus venit Medicus qui ſanat morbos,alij ſanare non poſſunt,erras miſer.* Heu quot hic error egit in præcipitia! quot in neceſſitatibus ſuis,in periculis, expectantes creaturas ad miſeriarum ima ſunt deuoluti! Nunquam aduerſarius de ruina hominum ſecurior, quàm dum illis perſuadet, quod reſpiciant creaturas. Cauit hoc periculum prudentiſſimus Moyſes, Exod. 33. qui niſi Deo Exod.33.
comite exire in terrã promiſſionis noluit, angelicum etiam ducatum repellens. De quo D. Athanaſ. ad Serapium ſic Athanaſ.
fatur. *Moyſes recuſauit ducatum Angeli,Niſi*, inquit, *ipſe Deus nobiſcum proficiſceris, ne me hinc abducas, nolebat enim creaturam ducem populi eſſe, ne emiſſo creatore creaturæ inciperent inſeruire.* Quaſi conſequens foret, ſi à creatura expectarent duci, à creatore deficere, & penitus interire. Id quod ſibi etiam cauerunt Iſraëlitæ populares in ſumma ſua ſtultitia, quando abſentis Moyſis moram non ſuſtinentes ab Aarone poſtulant. *Fac nobis Deos qui nos præcedant.* Sanè abſentiam Exod.32.
hominis homines ſupplere poterant: at ſcioli hi in ignorantia ſua ducatum hominis ſuſpectum habẽtes, ſolum ſibi Deum præfici expoſcunt. Quos ideò commendat Clem. Clem.
Rom.conſt.cap.20. fatus, *Hac vna in re ſapiunt, quòd ſe ſine Deo nihil fateutur poſſe*; imò niſi ducente Deo progredi nolunt. Vtinam hac ſemper vigerent cautela,& creaturarum omnium ducatum haberent ſuſpectum, ſed tandem relicto Deo ad creaturam confugiunt, quando Hieroſolymis clamant, *Nos non habemus Regem niſi Cæſarem*, à quo æternùm Ioan.19.
duraturam calamitatem acceperunt.Sic Theodoret.in Hie- Theodor.
rem.cap.2. *Negantes Deum dixerunt ſe non habere Regem niſi Cæſarem, hac de cauſa Cæſari tradidit illos:* & ſub Cæſare, ad quem confugerunt,periere illius gladio enecti.

Text. Ait illi Ieſus. Rurſum ſcriptum eſt, Non tentabis Dominum Deum tuum.

§. XVIII.

Quando quis viam habet, qua ipſe ſeſe facilè difficultatibus expediet, Dei auxiliatoris auxilio fiſus, non miracula vanè ſperet.

DEus Opt. & Max. vt amat inuocari ad extraordinaria ab iis, qui omni creaturarum ope deſtituti ſunt, ſic vbi creaturarum operatio poteſt intercedere, amat ipſe quieſcere ab extraordinariis. Id quod maximè claruit in Incarnatione Verbi, in qua poſtquam diuina virtus efficacitatem ſuam oſtendit in efformanda deifici pueri carne, ſine virili ſemine, in educendo maturo fœtu ſine matris corruptione. Vbi ad impoſitionem nominis ventum eſt, quæ creaturarum poteſtatem non excedebat, aditur ſtatim Ioſeph, cui ab Angelo dicitur Matth. 1. *Ioſeph fili Dauid,* Matth.1.
noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt, pariet tamen filium, & vocabis nomen eius Ieſum. Etenim cum Ioſeph audiſſet Marianum fœtum ſuperna Dei virtute parturiri, ne ipſe à cura illius abſtineret, ſoli virtuti diuinæ illum committens, prænenitur, quod nomen imponat, quod quicquid in ſe fuerit, id ipſe efficiat. Quaſi diceret,ait Theophylactus, *Non ſuſpi-* Theoph.
ceris, quòd quia à Spiritu ſancto eſt conceptio, Virginem ideo dimittere debeas adiutorio deſtitutam; ſed miniſtrabis ei in omnibus. Sic laborare debes in puero nutriendo, in matre fouenda, vt nil quod tu præſtare poſſes, Deo relinquendum putes.Vt arcam Domini in plauſtro labentem teneret Oza 2.Reg.6. extendit manum ſuam ad arcam, & ſtatim a Do- 2.Reg.6.
mino percuſſus interiit, ea ſanè ratione, quia qui humeros adhibere poterat, & debebat, extremum ſolum adhibuit manuum. Ita Theodoretus quæſt. 20. *Dei illi fuit pœ-* Theodor.
nas: nam cum Deus iuſſiſſet vt Sacerdotes ferrent arcam ſuis humeris, præter legem eam tulit in plauſtro. Nihil tam Deo exoſum, quam qui diligentiam adhibere poſſunt, & tenentur, otio torpeant aliorum labori fidentes. Is Deo placet, qui vbi impoſitis humeris, manibúſque adhibitis neceſſitati occurrenti ſatisfacere poteſt, omnipotentis ſolius auxilium non exercet. Hinc Abrahamus Geneſis 12. hæc Geneſ.12.
verba fecit vxori ſuæ Ægyptum ingredienti. *Noui, quod pulcra ſis, mulier; & quod cùm viderint te Ægyptij, dicturi ſunt: Vxor illius eſt, & interficient me, & te reſeruabunt. Dic ergo, obſecro te, quod ſoror mea ſis, vt benè ſit mihi propter te.* Ad hæc Fauſtus Manichæus vehementer condemnat Abrahamum modicæ fiduciæ in Deum. Etenim vbi Deus illum

illum in Ægyptum miserat, quid ipse timeret? Cur se totum Dei prouidentiæ non committit? Cur Deum liberatorem in omni periculo non sperat; sed magis propriæ artis nititur prouidentiæ? Fausti autem ignorantiam, & Abrahami prudentiam expendit D. August. lib. 22. cap. 26. in hæc verba. *Dicet aliquis, cur non potius ita de Deo suo præsumit Abraham vt fateri non timeret vxorem? Nunquid Deus ab illo mortem non poterat repellere, quam timebat, eumque cum coniuge sua ab omni pernicie tutari, vt nec vxor eius, quamuis pulcherrima appeteretur ab aliquo? Poterat sanè id efficere Deus; sed si interrogatus Abraham illam fœminam indicasset vxorem suam, duas res tuendas commisisset Deo, & suam vitam, & coniugis pudicitiam. Pertinet enim ad sanam doctrinam, vt quando habet homo quod faciat, non tentet Dominum Deum suum.* Vnde prudentissimus Abraham quam potuit vitam suam arte, & industria tutatus est, quam non potuisset tutari vxoris pudicitiam Deo commisit, eiusque virtutem fuit expertus, quia & ipse quod potuit, fecit. Quandoquidem Deus nec suæ soli, nec Angelorum virtuti committi gaudet quod homo valet perficere. Raphaëli Angelo mandauit Deus de Tobia, & tamen nunquam video Angelum applicuisse manum suam, vt Tobiam periculis erueret. Ecce Tob. cap. 6. immanis piscis exiuit ad deuorandum eum. Quem expauescens Tobias, clamauit voce magna, Domine inuadit me. Quid tunc Raphaël? accurritne piscem occisurus? Minimè; sed dixit ei: *Apprehende brachium eius, & trahe eum ad te, exentera hunc piscem.* Non Angelus; sed ipse Tobias piscem aggreditur, piscis præcordia imponit prunis, piscis felle amarissimo linit oculos patris. Vnum in toto itinere petit Tobias ab Angelo, nempe vt ipse solus in Rages ciuitatem proficiscatur, quod Tobias etiam faceret, nisi manere cogeretur à socero adiuratus, *Cuius vim adiuramenti*, inquit, *spernere non possum. Tunc Raphael in Rages ciuitatem Medorum perrexit.* Ecce tibi non aliud efficit Angelus, quam id quod sibi constat à Tobia non posse peragi: quicquid enim est sub nostra potestate, nec Angelis, nec soli virtuti diuinæ est demandandum. Bene monebat Dominus apud Isaiam cap. 1. *Venite, & arguite me.* Vbi Chrysost. sic explanat. *Quiddam ipsi facite, & quod reliquum fuerit ipse adijciam. Exiguum aliquid mihi date, & solidam rei totius summam vobis impertiar gratuito.* Sic Deus vbi Eliam cibo refecturus erat, eum iuxta torrentem aquæ iussit manere 3. Reg. 17. Cur iuxta torrentem maneret nisi vt alimoniæ meta inter Deum, & hominem diuideretur: quando homo quas facilè posset aquas à torrente acciperet, & quem aliter habere non posset cibum ex solo Deo sumeret. Annuit Iosephus lib. 8. cap. 7. aiens. *Ad torrentem quemdam degebat, vnde potum haberet, nam cibus ei quotidie per coruos afferebatur.*

August.

Tob. 6.

Text. Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valdè: & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.

§. XIX.

Valde tibi salubre erit, si mundi glorias, irritamenta vitiorum, virtutum difficilia in certamen voces, eorúmque ementitas vires in secreto cordis expugnes.

OMnia regna mundi eiusque glorias ostendit tentator Christo. An quia omnia ementitis coloribus ante mortales oculos in aëre confinxit? Non abnuo: sed esto, quod manus designatione notaret mundi plagas, quarum imperia, gazas, delitias composito sermone describeret. Planè placuit Domino sibi omnia hæc ob oculos proponi, effingi, vt qui illa aspernaturus venerat cum ementitis illorum imaginibus quo ad nos ediseeret confligere & euincere. Ea enim erant prophanis hominibus meditamenta militaria, vt loquitur Tacitus, quando miles solitarius se inter confertissimos hostes animo figurabat, ibique venientes effingebat conflictus, volantia tela, equitum impetus, quos impar cauebat, vel honore stimulatus hinc inde alacer nitebatur demoliri. Sic à natura edoctus Taurus, vt se in prælium accingat solus in deserto.

Virgil. 3. Georg.

Et tentat sese, atque irasci in cornua discit
Arboris obnixus trunco, ventósque lacessit
Ictibus.

Sic etiam Christianus miles hostium animæ suæ conflictus meditetur, reuocétque in memoriam regna mundi, effingat sibi ob oculos gloriolas, momentaneas delicias, gulæ irritamenta, iniuriarum felles, tormentorum dolores, & comite Christo classicum mediis in præcordiis intonet, manum conserat, impugnet, acriter dimicet, donec victor existat. Vnigenitus Patris sub efficta humana figura patribus antiquis apparebat, nimirum Abraham, à quo recreatus est Iacob, cum quo tota nocte acri lucta certauit. Id docent Chrysost. Amb. Leo, Theoph. Clem. Rom. & Alex. Cur ergo efficta carne apparebat verbum? Rationem pulcherrimè innuit Tertul. contra Prax. cap. 16. sic inquiens, *ediscebat ad veritatem carnis assumendam quasi præludens in ficta.* O quam rectè ficta in carne præludens, veram nostræ carnis molem gestare ediscet! Non quia ipse opus haberet, sed quasi fingit ediscere, vt nos doceamur de effictis certaminibus in verum descendere certamen. Ergo quisquis in arenam venturus vbi hostium conflictus, vbi delitiarum lenocinia, vbi ignea voluptatum tela, vbi honorum fulgura, dignitatum spicula. Ediscé prius & exercere in pugnam, prælude in fictis, ementitis prius conflictibus, assuesce vincere. Hoc faciebat Paulus ad Rom. 8. *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an fames? an nuditas? an periculum? an persequutio? an gladius? Certus sum, quia neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, qui est in Christo.* Et sanè nulla tunc fames, nulla tribulatio, nullus gladius imminebat, non torror, non persecutor, imò nunquam Angeli, aut virtutes, aut Principatus Christianum impulerunt in Christum. Cur ergo Paulus tot sibi discrimina effingit? Equidem optimus agonista ediscebat, & ad aduersos conflictus subeundos quasi præludebat infictis. Hinc B. Ennodius laudat sanguinolenta gladiatorum certamina à Theodorico Rege prudentissime in ludibundos, & festiuos iuuenum conflictus commutata. Ait enim in eius Paneg. *Interea illa gladiatorum congressio, (vt docuit exitus) non tam peperit incrementa roboris, quam pauoris. Inter secundas res didicit imbellium animus quid timeret. Vide adinuentionum diuersitates pleno calle distantes. Illis vera cruoris effusio animos à dimicatione submouit, hic adolescentium vigor de imagine mentitæ concertationis incanduit.* Proh militis ingenuitas! qui nouit intra se effingere certamina & vincere, vt in veras & manifestas victorias transeat. Quod internum certamen præseferebat illa Dei amasia, de qua Cantic. 5. *Comæ eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus.* Et cur nigricarent victoriosæ pulcherrimæ feminæ crines, nisi ex interno certamine? Sic D. Paulin. epist. 4. *Nigræ vero iam non de peccato, vt puto; sed de exercitationis internæ quasi bellico puluere, vel puluerulento sudore nigrantes.* Adeò victrix sponsa se exercet interno certamine. Hinc Tertull. lib. de cultu feminarum, sic eas à muliebri mundo deiecto in mundum armat. *Quare benedictæ, meditemur duriora; & non sentiemus.* Hoc vnum in Magnatibus seculi deplorat meritò D. Chrysost. homil. 18. ad Pop. quod nunquam tribulationum prælia, nisi iam in ipsa arena subeant, ideóque misere enecti vincuntur. *Ne quippe*, ait, *mensas eorum respexeris, nec assentatores, & parasitos; sed res ex ipsis orientes, infestationes, calumnias, pericula, anxietates, & quod his molestius est, quod impræmeditati ad has deuoluti mutationes; casus generosè ferre nesciunt. Multi namque, cum eos hortaremur, vt generosè grauia ferrent, dicebant, Nil vnquam tale meditati sumus.* O vos felices, qui omnes conflictus præmeditati in arenam prosilitis, qui meditatione confligitis cum hostibus, & ad vera certamina euincenda præluditis infictis, quibus difficillimos incursus superare ediscitis! His præmeditamentis armabantur in pugnas illi primi æui Christiani, de quibus Tertull. ad Scapul. cap. 1. inquit. *Nos quidem neque expauescimus, neque pertimescimus ea, quæ ab ignorantibus patimur, cum ad hanc sectam vtique suscepta conditione pacti eius venerimus, vt etiam animas nostras auctorati in has pugnas accendamus, ea quæ Deus promittit consequi optantes, & ea quæ diuersæ vitæ comminantur pati timentes.* Adeo qui præmeditatus accedit, intrepidus in arenam prosiliit.

Tertull.

Rom. 8.

Ennod.

Cant. 5.

Tertull.

Tertull.

§. XX.

Non qui remunerationis gratia Deo seruit, sed qui nulla remunerationis memoria est Deo gratior.

HVnc maximum de hoste suo Deus reportat triumphum, quod diabolus nisi pacta mercede nullum vnquam sibi seruum acquisiuit. Verum Deus is est cui mille seruiunt de nulla cum illo agentes mercede: qui inde summam

mam sibi, & Deo gloriam pepererunt. Reuoca in memoriam operarios illos in vinea Domini laborantes Matth. 20. quorum alij pondus diei, & æstus portant: alij nimis seri accedunt, vix vna hora laborant, & tamen plus in illis pater familias gaudet, quos prius ditat, & maxime laudat. Cur hoc? an gratiores sunt Deo pigritantes? Absit, sed vt rectè notat Nazianz. orat. in sanctum Baptisma, *illi non prius crediderunt, nec ingressi sunt, quam ipsis ex conuentu merces constituta fuisset, hi nulla condicta mercede ad laborem accesserant.* Proh Deus immortalis, qualis, quantáque tua perfectio est, cui non dubitent homines inseruire, nulla condicta mercede. O generosi & vere Dei amatores homines, qui sine lucri sole, sine mercedis prætextu ad labores eósque maximos aduolatis! Tandem aliquando prodigus ille filius dissipatórque paternæ substantiæ ad se reuersus ait Luc. 15. *Surgam & ibo ad patrem meum:* hunc lautissimo epulo excipit pater, cum magna tamen filij iunioris inuidia, quem etiam vt placaret inuidentem pater, ipse ait illi, *fili omnia mea tua sunt.* Omnia, inquam, mea tibi inuidenti parantur, ait Chrysol. serm. 4. *Neque hic aliud quam patrem quæsiuit, qui veniens non filij, sed loco mercenarij voluit collocari dicens, Pater peccaui in te, fac me sicut vnum ex mercenarijs: sint tibi omnia, illi sufficit pater: & ne quid tibi de præsentibus, & veteribus existimes imminutum, illi noua, & futura perquiram.* Hi sane gratissimi Deo accidunt, qui non ad omnia, imo omnibus relictis ad solum exiliunt patrem, quibus etsi omnia auferantur, adhuc tamen generosè Deo obsequuntur. Sic in Satanam insultans Dominus de seruo suo Iob gloriatur, cui omnia Satanas abstulerat, & tamen, ait Dominus, *adhuc retinet innocentiam suam.* Vbi Chrysost. homil. 5. in Iob. *Tunc obstructum est turpe os diaboli, nec habuit quod diceret.* Etenim nunquam tales seruos diabolus norat, qui nisi oblatis omnibus mundi regnis, nec vnum seruum sibi acquisiuit, ideóque adstupet videns adeò generosum Dei seruum, qui etiam ablatis omnibus Deo nititur inseruire.

Matth. 20. — Nazianz. — Luc. 15. — Chrysol. — Chrysost. — Iob 2.

§. XXI.

Diaboli serui summo labore ad terram vsque cadentes emunt temporalia bona, quæ Dei serui gratis, & super omnia terrena exaltati acquiruntur.

NOn ad terram vsque procidentes; sed terrena omnia calcantes serui Dei temporalia cuncta nanciscuntur & æterna. Illis enim dicitur Deut. 11. *Omnis locus, quem calcauerit pes, vester erit.* Vbi Augustin. *Ideo vester erit, quia à vestris pedibus calcatur.* Vis omnium dominari, nulli subiaceas; vis ad te omnia festinent? nulli te submittas, omnibus te superiorem præbe: omnibus terrenis superpositus, terrenorum omnium Dominus eris. Pulchrè D. Bernard. serm. 21. in Cant. *Et ego si exaltatus fuero à terra (audenter dico) omnia traham ad me ipsum. Neque enim temerariè vsurpo mihi fratres mei, vocem cuius me induo similitudinem. quod si ita est, ne putent diuites huius seculi fratres Christi sola possidere cœlestia: possident & terrena, & quidem tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.* Et à terra exaltantur, & terram ad se trahunt, & facili negotio trahunt. Non sic diaboli serui, qui vt terrena obtineant, prauissimorum hominum misere cadunt, & deuoluuntur ad pedes. *Hæc omnia tibi dabo, si cadens, &c.* Rectè ibi Ambros. *habet hoc ambitio domesticum periculum, vt enim dominetur alijs prius seruit, & curuatur obsequio.* Heu quoties reptandum humo iis, qui mundiale prætendunt dominium! quibus sordibus comparare debent quod lucéant! Ecclesiast. cap. 10. *Vidi Principes ambulantes quasi seruos super terram.* Vbi Gualfridus ait, *extolluntur inaniter, & grauiter summittuntur, ascendunt vsque ad cælos, & descendunt vsque ad abyssum. Proh nefas! hodie in cœno aquilæ volutantur: in alenter abijciuntur pia fenitus sacræ ministrationis & imprudenter terrenæ cupiditatis seruitus indigna suscipitur.* Ipsi, ipsi Principes, qui aquilæ videbantur, qui sublimia Regum scandunt subsellia, quibus non grauitant sordibus? quas non perferunt curas? quoties sub aquis gemunt? quas rusticorum fores nobiles salutatores non obsidunt? quos superborum iudicium fastus non dissimulant? quot mercatorum arrogantium emeos reuisunt? quibus oneribus non insudant miseræ voluptatis mancipia? Quid plura? Nullis terrenis bonis effulgent, quæ non emerint sudore multo, sanguine multo. Accipite Clementem Alexandrinum in adhortatione ad Gentiles, de terrenis bonis ab alijs gratis, ab alijs labore improbo acquisitis pulcrè philosophantis, dum inquit: *Solummodo si patrem habeas Deus tibi gratis ostenditur. Non cauponatur veritas, dat tibi & volucria, & natatilia, & terrestria animantia. Hæc tuis sumendis alimentis pater est fabricatus, quæ pecunia quidem emet, qui est adulterinus, & filius perditionis: & cuius institutum seruire mammonæ: tibi autem tua permittit.* Itaque summus Pater omnia bona condidit legitimis filiis, adeò vt qui filius est, qui vni cœlesti parenti inhiat, is non à caupone, sed à patre accipit omnia gratis absque sudore vultus; verùm qui adulterinus est, qui non Dei, sed perditionis filius, qui mammonæ inseruit, is non accipit gratis, sed carissimè emit à cauponante dæmone quicquid cupit. Vide qualiter dæmon cauponetur suis perditionis filiis. *Hæc, ait, omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Omnia vendit, nihil dat, omnia cauponatur. vt nihil accipiant sui, nisi à caupone sudoris pretio, sanguinis pretio. Id lamentatus est Ethnicus ille in Agamemnone, qui filiam primogenitam Dianæ mactans, vt ventos nauigaturus acciperet, exclamat, *cruore ventos emimus.* Quod hodie lugeant, qui à cauponante dæmone bona temporalia gestiunt accipere, procul dubio casu, ruina, sanguine ventos ement. Aut interrogate ex illo, quanti dabit regna mundi, quanti illius vanas & inanes gloriolas, & dicit: *Si cadens adoraueris me.* Pulcrè D. Cypr. *In præcipitium exigit, qui tanti se facit nundinatorem culminis.* Emite iam vos perditionis filij: emite à caupone, emite præcipitio, sanguine, ruina, qui à Parente Optimo gratis noluistis accipere. Imo, qui laboribus à dæmone fracti, cœlestia, & gratuita bona fastiditis. Num. 21. dicebant pessimi illi de cœlesti pane, absque vllo labore acquisito; *Nauseat anima nostra super cibo isto leuissimo.* Quorum stultitiam impietatis plenam sic ponderat Petr. Damian. epist. 15. *Leuissimum deputant cibum, si pondus atque duritiem contingat deesse laborum.* Sic ærumnis, & laboribus innutriti sunt, vt cœlestia bona ideò vili ducant, quod gratis obueniant illis.

Deut. 11. — August. — Bernard. — Eccl. 10. — Gualfrid. — Cl. Alex. — Cyprian. — Damian.

§. XXII.

Bona temporalia hominum ruinam, & perditionem (occasionis vi) trahunt; qualiter debeant haberi.

NIhil vicinius bonis temporalibus dæmon inuenit, quam casum, quàm ruinam, ait enim: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me*, quandoquidem ea bona temporalia sunt, quæ ruinam, & incurabilem casum inferant. Quis non doleat, imò exhorreat epulonis illius diuitis apud Lucam cap. 16. miserum finem? Qui indutus purpura epulabatur quotidie, mirisque affluebat deliciis, tandem mortuus est, descendit ad inferos, mediisque voracibus flammis torquebitur sine fine. Ardet miser, & maximis excruciatur doloribus, ad Patrem Abrahamum mittit crebra suspiria. Cui Abraham: *Recordare fili, quòd recepisti bona in vita tua.* Ad hæc Bernardus. *Haeccine tota causa cruciatuum, quòd in hoc seculo bona recepit? Ipsa planè.* Sanè iudex sententiam laturus reo obiicit crimina, delicta comprobata declarat, ob quæ dignas pœnas recipiat. Et ecce tibi epuloni tota causa cruciatuum, quòd receperit bona in vita sua; vbi sunt crimina illius? vbi scelera? vbi feritas in pauperes? vbi æris alieni tenacitas? Omnia simul obiicit crimina, qui bona illius temporalia enumerat. Vnus id egregiè notauit Tertullianus libro primo ad vxorem. Vbi memorans Sodomorum incendium quando pluit Dominus à Domino ignem, id notat quod Euangel. Lucas nullum aliud crimen eorum dicat cap. 17. sed solùm ait: *Emebant, vendebant, plantabant, & ædificabant: & pluit ignis de cælo, & perdidit omnes.* Quidni? Tota causa perditionis, quòd emerent, quod nuberent, quòd ædificarent? Anne [illegible] nuptiæ, bonorum emptiones, lucra, tantum ignem, tot fulgura meruerunt? Pulcrè Tertullianus. *Cùm dicit, nubebant, & emebant, insigniora carnis vitia designat, quæ à diuinis disciplinis plurimum auocant. Alterum per lasciuiendi voluptatem, alterum per acquirendi voluntatem.* Non opus est alia explicare facinora, vbi bonorum temporalium negotia exprimuntur, vbi proponuntur emptionum lucra, nubentium deliciæ, bona temporalia, hæc sufficiunt, vt humanas mentes à Deo auocent, ignibúsque addicant æternum duraturis. De Paradiso illa omnium deliciarum & bonorum matre dicitur, Genesis 2. *Plantauerat Dominus Paradisum voluptatis.* Et meritò Hebræus addit in Eden, quandoquidem Eden, iuxta Beati Anastasij Sinaitæ interpretationem, idem est ac inflammatio carbonum. Equidem ex tunc bonis temporalibus, & deliciis adnata est vicinitas edacium flammarum adeò, vt facetissimè simul & grauissimè dicat Diuus Gregorius Nazianzenus in oratione ad patrem suum, quòd ipse honoribus, & festis, & dignitatibus seculi adest:

Luc. 15. — Bernard. super Ecce nos. — Luc. 17. — Tertull. — Genes. 2. — Sinaita. — Nazianz.

Eadem

Eodem modo affectus quo pueri circa fulgetras, ex quarum spectaculo coniunctam cum admiratione ac stupore voluptatem capiunt. Expendo illud, quo pueri circa fulgetras, quippe solemnissimum est, communes lætitias perstrepentibus fulgetris celebris. Sed vbi flammiuomens fulgetra perstrepentibus saltibus, solo gyrat, quæ puerorum alacritas? qui simul metus? Stupent scintillatos fulgores, pauent vicinitatem, accedunt allecti luce, fugiunt perstrepentibus flammis, & vix audent extremis digitulis tangere fumigantem. Sic ait Nazianzenus. Ipse aderat honoribus, & seculi dignitatibus, quasi inter fulgetras versaretur simul gaudens lucidissimo rerum aspectu, simul pertimescens cremari. Fulgetræ sunt quæcumque mundus habet, plena ignibus, plena flammis, delectant prælucenti aspectu, implent lætititia animos; sed cautè habenda, cum timore tenenda; facile enim dum lucem emittunt, exurent animas, & cum lætitia euoment æternum duraturas flammas. Iam non vos moueat, si diuitiæ a Saluatore spinæ vocentur, equidem spinæ sunt, quæ de Thanni more ignem in suos vomant: spinæ sunt, quæ ita homines trahunt, & prenduot, vt mirum faciat qui

Chrysost. se ab illis expedire possit. Mirabundus D. Chrysost. homilia de saluatoris ad inferos descen. sic exaggerat latronis conuersionem, *Petrus, qui paulò antè in mare intulerat pedem, negauit illum, quo naturam humidam ingressus erat. At latro, qui non in dorso maris, sed in diuitum ianuis ambulauerat, clamabat: Domine memento mei.* Expende vnde commendet conuersionis miraculum, non quod qui in furtis erat, sed quod qui in diuitum liminibus ambulabat, ad Deum venit, id ostendit mirabile. Adeò prendunt vel vmbra sua bona temporalia, ne quis ad Deum possit euolare.

§. XXIII.

Dæmon bona temporalia præ se fert, vt facile in sui adorationem corda trahat humana.

O Lucrum temporale! O aurum, quo non deducis corda mortalium! Sæpe miratus sum, quod Ioseph sanctissimus tam facili negotio ab Ægyptiis coleretur; vix eductus nigro è carcere puer adhuc, & peregrinus, & ignotus assumitur de Ægypto in Saluatorem. Quæ rei causa?

Genes. 37. Eam ipse per somnium fuit auspicatus Genes. 37. ait enim ad suos fratres: *Putabam nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum, & stare; vestros autem manipulos*

Rupert. *circumstantes adorare manipulum meum.* Ad hæc Rupert. *Ecce manipuli fratrum manipulum eius adorant. Non ob aliud, ignotum sibi Principem Ægypti adorant; nisi quia defecerant manipuli eorum, ipse autem de manipulis plenum habebat horreum.* Cur non adoraretur captiuus, & peregrinus, quem abundantia bonorum commendabat? Vnum Deum nouit humana auaritia, nempe aurum: qui auro regitur, qui bonis amicitur temporalibus, etsi mortalis sit, etsi fera, etsi lignum, etsi Diabolus, sine dubio adorabitur. Sanè Aaron si vellet populum à vituli adoratione arcere, pessimè egit,

Exod. 32. quando vitulum ex auro conflauit. Exod. 32. Cur non adoraretur vitulus qui splendebat auro? Id quod acutè ex-

Chrysol. pendit Chrysologus serm. 29. sic fatus. *Aurum Iudaicum populum sic captiuauit obtutu, vicit illecebris, specie prædecepit, vt hoc esse Deum crederent, & Deum verum, Deum tot beneficiis cognitum denegarent, sic conuertit homines in iumenta, vt vituli caput suum crederent.* Ad quid non cogeret aurum? Quis homines mentis, rationisve capaces ad vituli pedes prosterneret? Quis caput vituli persuaderet adorandum? Et hoc persuasit aurum, ex quo erat affabrè conflatum.

Daniel. 3. Hinc Nabuchodonosor apud Danielem statuam proposuit populo adorandam, ideoque illam fecit auream, vt notat

Hieron. Hieronymus in hæc verba. *Quòd autem sit statua aurea, & infiniti ponderis, illud in causa est, vt res inanimata adoraretur vt Deus, dum vnusquisque suam consecrat auaritiam.* Planè auari homines summa religione colunt, & adorant aurum, illúdque vnum iudicant dignum altari & fano. Sic proditor ille Iudas huius idololatriæ caput, quas acceperat à Sacerdotibus pecunias sacrilega pœnitentia ductus, dum ad laqueum properat, in templo reliquit. Quod acu-

Drogo. tissimè, & eleganter ponderat Drogo lib. de Sacramento Passionis. *Retulit triginta argenteos, & proiecit in templo. Vide quàm magni faciebat illos, non proiecit eos in sterquilinio; sed in templo, nimirum talibus semper Dijs templum suum deuouerat.* Huc ergo reuocarim illos, qui illicitis pleni lucris post spoliatos pauperes, post vsuras, bona sua templis destinant ædificandis, vel aliis piis operibus, vel altaribus. Quo id vnum ostendunt, nimirum quanti pecunias suas faciant, quam eas adorent, quandoquidem non possunt non relinquere eas inter sacra. Equidem adeò miseri mortales adorant aurum, vt præmissis a diaboli mundi gazis, præsumeret à quolibet homine adorari.

Text. Tunc dicit ei Iesus: Vade Satana: scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.

§. XXIV.

Verus Deus qui adorandus, non in auro, sed in ærumnis, in paupertate, & in laboribus internoscitur.

MVlti Codices, & Græci, & Latini legunt supradicta Christi verba, ac si diceret, Vade post me Satana: & quidem pulcherrimè expressum est illud, post me, quasi Dæmoni ostensis mundi gazis se vsque ad Deitatem extollenti innuat Dominus, quo sit pensanda diuinitas, illique dicat. Falleris, ô Satana, si te Deum adoratione dignum ostentas ex diuitiis, ex superbis gazis, & mundialibus thesauris; etenim minimè in istis inuenitur diuinitas. Vade post me, vestigia mea meditator in ærumnis, in frigore, in nuditate, in ieiuniis, & laboribus multis; ibi tota effulget diuinitas adoranda. Lumen huic cogitationi affero ex Dan. c. 3. vbi Daniel. 3.

Nabuchodonosor numen diuinum ostensurus ingentem ex auro solido erexit statuam adorandam, & simul vicino in loco incendi iubet fornacem, quibus excruciarentur flammis, qui adorationem statuæ recusarent. Tres igitur strenui iuuenes statuæ adorationem recusant, qui imperio feri Regis vincti traduntur voracibus flammis. Pueros suscipiunt vociferabundæ flammæ, illósque placido rore demulcent, & custodiunt sanos. Stupent vniuersi spectatores, ipséque Rex stupore plenus ait: Ecce ego video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & species quarti similis filio Dei. Acutè notat D. Chrysost. homil. de tribus Chrysost.

pueris, à quo numen filij Dei demonstratur, nimirum non ab auro statuæ, sed à flammis fornacis; ait enim: *Numquid tale potuit inanis imago monstrare. Ecce Dominus non in auro lucet; sed in flammis ostenditur.* Vt numen diuinum ostenderet, ingentem vim auri in statuam conflauit; sed non in auro diuinitas inhabitat, incendit fornacem Sanctis excruciandis, & mediis in flammis filius Dei sese monstrauit, qui in paupertate & egestate, in laboribus, & ærumnis libens inhabitat. Nouit hoc illa quæ dicebat: *Per vicos & plateas quæram* Cantic. 7.

quem diligit anima mea. Sed qui vici, quæ plateæ illæ, vbi inueniendus quæritur Dominus ab Amasia? An plateæ, vbi ditissimi mercatores suos exponunt thesauros, vbi ementium & vendentium aperiuntur gazæ? Absit. Id vnus ponderat, & exprimit D. Ambros. Psal. 118. ser. 7. vers. 7. inquiens: *Vbi quæsiuit, inquam? in foro, & post quæsiuit in plateis, de quibus hi* Ambros.

qui ad patris familias Euangelici prandium conuenirent colligebantur. Sanè apud Luc. 14. parato prandio, à quo se diuites Luc. 14.

homines excusabant, ait pater familias seruo suo: *Exi citò in plateas, & vicos ciuitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.* In vicis ergo, vbi pauperes, vbi debiles, vbi afflicti & laborantes degunt, media in paupertate & afflictione se inuenire, & videre, & tenere Dominum præsumit eius Amasia. Hinc D. Paul. ep. 12. ad Seuer. tractans il- Paulin.

lud ad Ephes. 5. *Surge qui dormis, & illuminabit te Christus.* Sic Ephes. 5.

ipse vertit, & expendit locum. *Surge qui dormis & attinges Christum, hoc est, discute carnalis inertiæ somnum à mortuis curis, hoc est, à conuersatione carnali eripe mentem, & attinges Christum obtemperando præceptis eius, videbis eum in egeno, & tanges eum in omni paupere.* Vbi enim egestas, vbi paupertas, vbi afflictio, tam conspicuus adest Dominus, vt & oculis cerni possit, & tangi manibus.

§. XXV.

Etsi Diabolus veracissimus esset in promissionibus, nobisque daret maiora ijs, quæ à Deo vero speramus, adhuc illum respuere, & soli Deo seruire debemus, à quo sumus geniti.

ECce tibi, mendacem promissorem non refutat Dominus, nec agit, vt eius mendacium manifestetur. Quod notauit Euthymius his verbis: *Vidit ipsum diuinum expetere honorem, tunc illum increpauit dicens, Abi Satana: neque sustinuit, vt mendacij argueret dicentem omnia sibi tradita esse.* Euthym.

Sanè potuisset mendacissimum promissorem de mendacio conuincere. Vndéne tua hæc omnia, ô Satana? a quo mundialia bona accepisti, qui nec in porcos ingrederis sine nutu diuino? Quando dabis omnia, qui nec panem habuisti, quem esurienti porrigeres? Noui fallaces tuas promissiones: noui mendacia tua, quibus decipis hominum stultissimos. Verùm neque sustinuit Dominus, vt mendacij argueret dicentem, omnia sibi tradita esse; quandoquidem etsi vera diceret, etsi promissa impleturus esset; etsi maiora, & sublimiora, & diuturniora iis, quæ Deus promittit, donaret ille; nihilominus expuendus esset, vt vni Deo geni-

Cl. Rom. tori exhibeatur seruitium. S. Clem. Rom. 2. lib. Recogn. sic à D. Petro interrogantem inducit Aquilam discipulum. *Quid ergo delinquant homines, si malignus transformatus se in Angelum lucis maiora repromittit hominibus, quàm ipse conditor Deus?* Anne errauit quis maiora & solidora lucra secutus? Anne peccauit qui augustiora & celsiora bona complectitur? Cui respondit Petrus Petro digna. *Si filius tuus, qui à te omni diligentia eruditus est, & nutritus, atque ad virilem perductus ætatem ingratus tibi sit: & relinquens te, ad alium, quem fortè ditiorem viderit, eat, & honorem, quem tibi debebat, illi exhibeat, ac spe maioris lucri naturam neget, & iura paterna refugiat, rectum tibi videtur, an impium? Omnibus palàm est, quòd impium sit. Si ergo in hominibus hoc impium dicis, quanto magis in Deo. Quòd si verè esset aliquis Deus, alienus tamen ab eo, qui nos creauerat, quique nobis pater & conditor fuerat, rectum ne erat, relicto proprio, transire ad alienum? Absit.* Itaque filiorum est, relictis aliis ditissimis & fortunatissimis, vni egenti, & pauperi genitori, & altori prorsus inseruire. Hinc maximè exaltatur Moyses, qui à captiuo & paupere parente ortus est, & postea à filia Pharaonis in filium cooptatus, in totiúsque Ægypti imperium euocatus cōtempsit imperia, respuit oblatas delitias, ne à suo progenitore desisceret. Id quod

Ad Heb. 11. expendens D. Paul. ad Hebr. c. 11. ait. *Moyses grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem.* Pau-

Philo. lo prior Philo Iudæus hæc etiam de Moyse reliquit lib. 1. *Hic euectus in summum rerum fastigium nepos tanti Regis habitus, nec aliud quàm Rex iunior appellatus, secutus est maiorum suorum instituta gentilia, adoptiuorum parentum bona, etsi splendida tamen adulterina iudicans; è diuersa naturalium parentum etsi ad tempus, vera tamen & propria.* Adeò lumine naturæ insitum hominibus, quòd progenitorum adhæreant institutis; vt etsi Deus esset alius & ditior & diuinior, & maioribus cumulans gloriis seruos suos, tamen illius bona vt adulterina relinquenda essent, quantumuis magna & splendida, & ex toto corde & animo accipienda, illa quæ à progenitore nostro Deo veniunt vt vera, & magis propria nostræ

Athanas. naturæ. Hinc D. Athan. ser 3. contra Arianos concludit hominum Redemptorem non debere esse alium ab eorum progenitore. *Non conueniebat per alium quempiam nostram redemptionem fieri, sed per eum, qui natura Dominus erat, ne tametsi per filium creati essemus, alium tamen Dominum agnosceremus.* Sed illi soli omne obsequium nostrum debeiemus exhibere, cui debemus quòd facti & conditi sumus.

Text. Tunc reliquit eum Diabolus: & ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.

§. XXVI.

Fugit Diabolus eos expauens viros, qui viriliter primis eius conaminibus resistunt.

Cyprian. NIl magis gloriosum homini, quam prima repellere diabolici furoris conamina; qua Beatus Cyprianus epist. 25. Christianos athletas maximè commendat in hæc verba. *Vos surgentes belli impetus primos immobili robore, atque inconcussa stabilitate fregistis; inde initia pugnandi orta sunt, inde vincendi auspicia cœperunt.* Nil enim magis hostem confringit, nil magis fugat, quàm si primis conflictibus victus eat. Antequam Iob sanctissimam aggrederetur, venerunt Angeli Dei, vt assisterent coram Domino, Diabolus venit cum eis. Sic Iob, capitulo primo, dicitur, ipse, ipse audeat accedere non vocatus, vt nutu Dei cum Iobo confligat. Igitur certamen parat; crebróque ictu adamantinum pectus arietat; sed frustra: optimus enim athleta Iob ea armatus patientia, qua primos, eósque grauissimos hostes impetus facile retudit. Vbi tunc Satanas? Quo abiit victus? Accipite quid post hæc de illo textus innuat capit. 2. *Venerunt Angeli Dei, vt assisterent coram Domino, & diabolus venit, vt in medio eorum assisteret coram Domino.* Cur modò Angelorum cinctus exercitu venit Diabolus? an quia in primis victus toto cœlo aufugisset, ne vel videri posset? Ita pla-

Iulian. nè, ait Iulianus in Cat. Græca. *Venit in mediam Angelorum quasi captus, nam illum pudebat, fugámque meditabatur.* Illum sanè pudebat ab homine, vel primis conflictibus vinci, sicque illum expauerat, vt nisi captus & violenter, non ampliùs traderetur ad iudicium, imò Angelorum vallatus vndequaque cohorte fugam meditabatur. Hinc pulchrè

Nazianz. Nazianzenus oratione prima contra Iulianum. *Nihil præclarius, aut præstantius, quàm quòd alij scelerum fines iuxta legem vindicantibus, nos principia ipsa punimus.* Vnde enim Christiani arma habent, quibus primos criminum impetus retundunt, hostémque quauis spe victoriæ priuant. Maximè enim confirmatur hostis, si vel fidelis primo in congressu titubet. Quis eos audaciæ crederet Diabolum deuenisse, vt dicente Domino primis hominum parentibus. *Quacumque die comederitis ex ipso, morte moriemini,* ipse sacrilego ore dicat, *nequaquam moriemini.* Vnde sic audet in

Hugo. creatorem creatura? Optimè Hugo Victorinus lib. 1. Miscel. tit. 89. *Dominus affirmauit; mulier dubitauit, dicens, ne fortè moriamur: Dæmon negauit, nequaquam moriemini. Si mulier non dubitasset; fortè Diabolus non negasset; sed dedit audaciam, quæ inchoauit malitiam.* Proh dolor! Non licet titubare in belli initio iis, qui cum Dæmone pugnant; si vel dubium pedem figas, addis animos; si imperterritus, & strenuè dimices, vehementer exterritum, & pauidum fu-

Bernard. gas. Sic de Gedeone optimè ponderat D. Bernardus sermone de Virginibus, quod *in hora certaminis fractis vasculis demonstrans repentinam lucem, hostes terruit, & vertit in fugam.* Expendo illud, in hora certaminis, nimirum cùm primùm instituit hora, effulsit luce, quo exterritos fugauit

Cantic. 7. inimicos. Hinc Canticorum 4. *Veni, coronaberis de capite Sarmanæ, & Seir.* Vbi expendo illud, coronaberis de capite, ac si ille, qui in initio se fortiter gessit, coronæ suæ

Gillibert. præbuerit auspicium. Sic Gillibertus serm. 29. *Iure caput ipsum triumphans coronatur de capite, quia & tentationum initium conterit, & tribulationum vehementiæ non cedit.* Hæc ille. Sanè Abrahamus coronam obedientiæ reportat, non in perfecta facinoris perpetratione; sed à prima gladij strictione omnes contrarios affectus in fugam vertit. Id quod meditatus D. Isidorus Pelus. inquit. *Vnde factum est, vt omnes quidem ratiocinationem humanæ obstupefactæ, ad conspectum congressumque viri starent, ab ipso subactæ, & magis etiam contremiscentes, quam ad conspectum Regis solent eius stipatores.* Initiaturus certamen sic gladium arripit, vt iam tunc rebelles affectus captiui illum de reportata corona vererentur. Sic tres illi pueri coniiciendi in fornacem, intrepidè se offerentes dicunt Daniel. 3. *Ecce Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis. Quod si noluerit, notum sit tibi Rex, quia Deos tuos non colimus.* Quod intrepidum initium dum considerat Chrysostomus orat. 3. de Precibus, sic fatur. *Hic eis totum trophæum absolutum est: & simul atque in caminum coniecti sint imposita corona, & ab illis verbis texi capta etiam ante rerum euentum, quæ ad Regem ducti in medio protulere. Ecce Deus noster,* &c. Et quidem primò in forti conflictu consistit certaminis victoria. de quo diximus libro primo, & alibi.

§. XXVII.

Virum tentationibus agitatum humanissimè excipiunt vniuersæ creaturæ.

ECce tibi post nubilum serena iam apparet dies, & post fames, post tentationes, desertus ipse affluit delitiis, iam non duris ieiuniis, acri hoste, sed Angelicis frequens ministris nectare sudans, excipit Dominum Christum. O quàm humanitatis plenæ, obsequuntur afflictis Dei durissimæ quæque creaturæ! Quid durius quercu? Sed Abraham patriæ exul, in eremo peregrinus, à Deo probatus, & tentatus, non semel apud quercum Mambre haud ingratum

August. inuenit suffugium. Quod ponderans D. August. serm 68. de tempore, ait. *Excepit tamen Abraham peregrinum quercus arbor humana, quæ æstiuo Sole decoctum amœnitatis suæ vmbraculo refoueret.* Expendo illud, quercus arbor humana: vnde

Zach. 11. humanitatem induit quercus? Sanè Zacharias cap. 11. vt inhumanos, & immisericordes homines pungeret, sic ait: *Vlulate quercus Basan,* sed dura & rigida arbos quercus, inquam, exceptura peregrinum, & exulem Abraham lenescit, & humanitatem induit, illique humana placidum

præparat

præparat hospitium. Sed & ignis, & ipse sæuus cuiuscumque materiæ vorator Hebræos pueros post ieiunia, post tentationes aëres recepturus, quàm cicur, quàm mansuetus roscida mediis flammis erigit cubicula. Ita D.Zeno serm.5. *Zeno.* *Qui pueri vbi iactati sunt in fornacem, hos deuotè cupidus ignis excepit: lambunt rosrides flammæ blandientes.* Quid plura? Vos omnes compello, ô Hebræi, cùm post captiuitatem, & longam, & amaritudinibus plenam ad terram promissionis ascendistis, quale vobis præpararunt hospitium vniuersæ creaturæ? Cœlum manna pluit: aer euomit conturnices: ignis noctu illuminat: saxa dulcissimos latices scaturiunt. Qui primùm vos videre potuit pontus, quia procellosus, quia amarus, quàm celeriter fugit, qui postmodum vos offendit Iordanis fluuius, non refugit; sed stat, eiúsque conglomerati fluctus retrò stantes vsque ad cœlum redun- *Psalm.113.* dant. Id Psaltes quandoque cecinit. *Quid est tibi mare quòd fugisti, & tu Iordanis quod conuersus es retrorsum?* Ecce tibi mare ante Hebræos fugiens, Iordanem stagnatum crescere, & fixo pede vsque ad cœlum exundare. Quod dulci stylo *Richard. Victor.* expendit Richardus de S.Victore, opusculo de exterminatione mali, & promotione boni, cap.1. *Pulcrum spectaculum satísque iocundum videre aquam maris fugientem, videre aquam Iordanis redundantem, amaram recedere, dulcem refluere, amaritudinem deficere, dulcedinem redundare. Quisquis hæc vides miror, si non exclames, Quid est tibi mare quòd fugisti, & tu Jordanis, quod conuersus es retrorsum? Numquam fieri solent huiusmodi miracula, nisi ante veros Hebræos.* Hinc ante verè Dominum Christum, qui verus Hebræus, verus peregrinus, verus exul, & verè tentatus est, tentationum amaritudines fugiunt, fugiente Diabolo, dulcedines redundant ministrantibus Angelis. O te felicem, qui ad tempus pro Dei nomine tentaris, tandem ante te fugient mala, & tibi mille bonorum dulcedines vniuersæ creaturæ parient.

§. XXVIII.

Perfectis viris custodiendis vniuersi inuigilant Angelici exercitus.

ACcesserunt Angeli, post fugatum Dæmonem, & ministrabant Christo: accesserunt, inquam, non de nouo venerunt; sed qui omnes à primo conflictu spectatores stabant, cominus accesserunt. Sed cur starent Angeli, pu- *Chrysol.* gnante Christo? Pulcre D.Petr.Chrysol.id edisserit, *Quamuis enim solus possit obtinere victoriam, propter nos, & propter nostram formidinem, adesse tota iussit præsidia de supernis.* Etenim commilitones suos Christus Dominus non viri Angelorum; sed vniuerso committit agmini cœlestium exer- *Cant.3.* cituum Cant.3. Septuaginta fortes cingunt Amasiæ lectum; sed postquam ipsa à lecto surgens mille prælia sustinuit, & pro quærendo sponso vulnera passa fuit, iam Cantic.8. inducitur à mille & ducentis validissimis militibus custodi- *Ambros.* ta. Id quod eleganter ponderat D.Ambros. lib.1. de Virginibus in hæc verba: *Ipse patris Dominus postquam validioribus brachijs commissa sibi vincta complexus, testatur dicens, Vinea mea in conspectu meo mille & ducenti qui seruant fructus eius, suprà cap.3. ait, septuaginta potentes in circuitu propaginis eius strictis armati telis. Hic mille ducenti, creuit numerus vbi creuit & fructus, quia quo sanctior quisque, eo munitior.* Ab orbe quidem condito, *Jmmisit Dominus Angelum suum in circuitu timentium se.* Psalm. 33. ita vt singulis hominibus singuli Angeli assisterent, vbi nota verbum illud, immisit Dominus, significat enim non integram expeditionem; nec integri exercitus conflictus. Sed, vt solent duces ante prælium fixis castris adhuc, iam hos iam illos mittere, qui pugnas aliquas cum hoste ineant, sic Deus Dominúsque exercituum, fixis in cœlo cœlestium virtutum castris, à mundi principio iam hunc iam illum Angelum immittebat, qui hominum prospicerent. Verùm cum homo eo sanctitatis deuenit, vt hypostaticè vniretur personæ diuinæ, creuit custodum numerus vbi creuit & fructus: iam non viritim Angeli mittuntur, sed leuatis à cœlo castris totus cœlestium virtutum exercitus sese terris profudit. Id meditatur *Epiphan.* D.Epiphan.orat.de laudibus Virgin.Mar.sic inquiens, *Deum habitantem in cœlis concepti in terra, vt hac ratione exercitus Angelorum traheret ad terram, & versaretur cum hominibus.* Non Angelus vnus immittitur; sed totus exercitus signa mouet, vt Deificorum hominum saluti tutandæ fortiter insideant. Sic de ipsa purissima Virgine, cum apud templum Hierosolymitanum aleretur, innumerísque Angelis *Georg.* stipata à Sacerdotibus crebro videretur; aiebat Geor. Nicomediensis orat. allata à Simeone Metaph. *Oportebat non vnum Mariæ seruire Angelum; sed decies mille millia eam stipare,* quandoquidem ingentes virtutum eius fructus omnes custodiarum exercitus sibi vendicabant. Sic sponsæ introeunti ciuitatem, ecce qualiter non vnus aut alter accedat custos, sed plures accurrunt custodum phalanges. Ait enim Cantic.3. *Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem.* Non casu, sed maxima conquisita cura, ab vniuersis ciuitatis custodibus, tandem inuenitur ab illis, quorum vel multitudinem speculata, & metus ponere posset, & securè quærendo Deo se dare.

CAPVT III.

De modò conuersationis Christi, de eius doctrina, rebus gestis & miraculis in genere.

A Deserti ieiuniis Christus Dominus, vt homines instrueret, cum hominibus cœpit conuersare. Decet Dominum aliquando proprios inuisere greges, ne totum illorum negotium videatur commisisse famulis. Non inaccessus solitudine, sed comes, sed facilis, sed omnibus familiaris, non victu vestitúque rigidus; sed communi ciuium habitu omnia omnibus factus est. Summi omnium Doctoris ac magistri munus sibi adnatum impleuit, quando doctrinam suam minimè ab alio acceptam & sapientissimus prædicauit per tres annos è publico Synagogæ suggestu: & innocentissimus & potentissimus eam quibuscumque voluit persuasit, intimísque præcordiis impressit. Diuinis in communi viuendi modo virtutibus coruscauit: discipulorum collegium adlegit, verbo potens in peccatorum barathro demersos homines ad meliorem frugem, & vita functos ad vitam reuocauit, innumeráque alia miracula in cœlo & in terra & in mari circa infirmos, & energumenos peragit, quibus peccati regnum prorsus labefactat. Quæ autem à tanto Doctore in particulari beneficia mundus acceperit in sermonibus, in doctrinis, in miraculis, non hic tomus capit, qui Angelici Doctoris stylum secutus de his modo in genere nonnulla prælibauit, exactiorémque singulorum tractationem longissimis aliis commentariis, qui post hæc successiuè scribentur, missam fecit.

§. I.

Christus Dominus circa victum vestitúmque & modum conuersandi non austerus, & rigidus, sed vt summum Magistrum & Dominum decebat, comes apparuit & facilis.

ET Dominum & Magistrum decuit ea se exteriùs viuendi forma componere & figurare, qua facilis & accessibilis & ipse & eius disciplina omnibus redderetur. Ille Deus, qui lucem habitat inaccessibilem, vt primum Israëliticæ gentis rectorem & præceptorem agere destinat, quos vultus effingit? quos induit mores? Id D.P.Chrysol. ser.69. *Chrysol.* examinat fatus. *Ad Moysem igneus Deus glomeratur in rubo; deinde confert facienda cum seruo, exercetur varijs in Ægypto virtutibus, & patefit ad nutum famuli. Ad Abraham velut hospes aduentat inusitatus tota dignatione succedit, oblata non respuit, apposita velut esuriens & lassus assumit, & diuina collatione velut egens suscipit & accipit humana.* Nondum hominem agebat Deus, nondum sites & fames patitur humanas; sed quia hominibus dare iura festinat, quia se Dominum & præceptorem hominum vult declarare, & hominum mensis accumbit hospes vrbanus, & inaccessibilem suæ Deitatis ignem viridantibus rubi foliis subcingit, vt sic facilè à quouis & vrbano & rustico possit adiri. Sanè in orbis Imperatore hanc extollit comitatem & facilitatem Pacatus in Panegyrico de sapiente dicto Theodosio. *Pacat.* *Creber egressu spectantibus populis te fateris; nec videri modò pateris, sed facilis adiri è proximo accipis vota tuorum. Et nec magis communem diem atque solem quam nostrum Jmperatorem videre licet. At quam alter illorum Principum mos fuit, qui maiestatem regiam imminui & vulgari putabant, nisi eos intra repositum Palatinæ adis inclusos tanquam aliquod vestale secretum veneratio occulta consuluisset, & nisi intra domesticam vmbram tacentes solitudo prouisa & silentia latè cõciliata velassent.*

Vituperandi hi solitarij & muti Principes; ille maximè laudandus, qui & videri & adiri patitur; qui è proximo suorum accipit vota. Synes. Vt præclarè dicat D. Synes. lib. de Reg. *Quàm indignus eo imperatore quem propter solos pictores cognitum habent Imperij propugnatores?* Nec magis communem diem ac solem, quam summum omnium Imperatoré Christum videre licuit. Quem non solitudo tenuit: non conciliata eremi silentia vallarunt: non horridæ pelles vt fœderis arcam ab oculis mortalium arcuerunt. Is illius habitus, ea facilitas, vt neminé asperitate fugaret, & omnes sibi comitate & suauitate conciliaret. Sic Ethnicus ille Seneca veræ Philosophiæ, hoc est, honestatis professorem & præceptorem componebat lib. 1. epist. 5. *Asperum, cultum & intonsum caput, & negligentiorem barbam, & cubile humi positum deuita. Satis ipsum nomen Philosophiæ, etiam si modestè tractetur, inuidiosum est. Quid si nos hominum consuetudini cœperimus excerpere; intus omnia dissimilia sint: frons nostra populo conueniat. Non splendeat toga, nec sordeat quidem. Non habeamus argentum; sed non putemus frugalitatis indicium auro argentóque caruisse. Id agamus, vt meliorem vitam sequamur, quam vulgus, non vt contrariam: alioqui quos emendare volumus fugamus & à nobis auertimus. Illud quoque efficimus, vt nihil imitari velint nostri, dum timent ne imitanda sint omnia. Temperetur vita inter bonos mores & publicos: suscipiant omnes vitam nostram, sed & agnoscant.* Hactenus Gentilis Philosophus, cuius testimonium libens recitaui, vt vel inimicis iudicantibus summæ perfectionis Magistri habitum & morum facilitatem optimam omnium delineem. Enimverò adeo se omnibus accommodare studuit maximus sæculorum Dominus & Magister; adeò in conuictu, in veste vulgari consuetudini inseruiuit, vt etiam quando in splendorem omnibus transmutatis, consuetudini vestium lineamenta reliquit, latentem intus diuinitatis gloriam exteriùs Tertull. in Thabor profuderit. Sic Tertull. lib. de Resur. Carn. *Dominus quoque secessu montis etiam vestimenta luce mutauit; sed lineamenta Petro agnoscibilia seruauerat.* Et quidem curauit, ne cum in tantam elatus esset gloriam à populari consuetudine habitus lineamenta discederent, quin potiùs quandoquidem Magister orbis tunc à patre declarabatur, frons habitus populo conueniret, temperaretúrque vita inter diuinas virtutes & publicas, & suspiceretur ab omnibus, sed & agnosceretur. Hinc iam vita immortali candidatus mortis expergefactus sopore Magdalenam adoraturam prohi-Ioann. 20. buit dicens Ioann. 20. *Noli me tangere, nondum enim ascendi* Bernard. *ad Patrem meum.* quasi diceret, ait Bernard. serm. 28. in Cantic. *Adhuc quidem tuis sensibus gero morem, formam ingerendo seruilem, quam de consuetudine recognoscas.* Adhuc enim Doctoris munus subibat per quadraginta dies apparens eis, & loquens de regno Dei, Act. 1. & ita etsi ab hominum conspectibus fugerat, nondum seruilem habitum exuerat, consuetudini hominum seruiens, & conuictu & facilitate virtutum, quibus suspiceretur & agnosceretur à discipulis. De Nazianz. parente suo & Episcopo sic D. Nazianz. loquitur oratione funebri. *Non enim illi in veste, sed in animi compositione humilitas sita erat. Nec ceruicis depressio aut vox ad exilitatem composita, aut facies nutus, aut promissa barba, aut oblonga cæsaries, aut certus incedendi modus humilitatem mentiebantur. Et vita maximè sublimis & animo perquam humilis erat. Cuiusque ad virtutem nemo aspirare poterat: ad eiusdem congressum quiuis facilem aditum habebat. Quique ab alijs, vestitus ratione non differebat, à fastu scilicet ac sordibus æquè abhorrens, idem interno splendore multos antecellebat. Et cum ventris morbum, auiditatémque inexplebilem cõprimeret atque domaret; ita tamen in ea re se gerebat, vt hoc minimè agere videretur.* Similia tu de Christo Domino diuiniori quodam modo meditare. Qui vt agnosceretur à suis, flammantem diuinitatis iubar humanitatis facilitatísque vmbra temperauit. Quo Chrysost. in Psalm. 49. fatur, *Venit vt pastor qui quærebat ouem, quæ aberrauerat, & qui repugnantem feram venari volebat, ideo se ipsum adumbrabat.* Vide supra lib. 2. cap. 2.

§. II.

Magistri spirituales, vt faciliores & humaniores, sic & cautiores se debent exhibere.

Iterum voco ad trutinam verba paulo ante exhibita, qui-Ioann. 20. bus summus sæculorum Magister & Dominus Magdalenæ obsequium officiosum retudit. *Noli, ait, me tangere.* Quid plura? *adhuc tuis sensibus gero morem formam ingerendo seruilem.* Ecce vobis, quia doctrinæ causa sese Christus facilem præbebat, quia morem gerebat sensibus popularibus, qui seruilem omnibus habitum præferebat, ideo cautior, ne familiaritas contemptum pareret, ne vel religionis ergo tangeretur fœminea manu. Tanto Magistro edoctus D. Petrus addiscentium corona circumseptus, nulli non familiaris, nulli non facilis & humanus: hoc tamen vnum cauebat, ne mensis eorum recumberet; eius rei causam ipse reddit apud Clem. Rom. lib. 2. recogn. in hæc verba. *Non pro superbia, ô Clemens, conuiuium non ago cum his qui nondum purificati sunt; sed vereor ne forte mihi noceam, ipsis non prosim.* Cl. Rom. Hac Magistri omnes spirituales agantur cura: his pungantur stimulis, ne comitas, ne facilitas doctrinæ necessaria, candori vitæ paret insidias. Hinc P. Dam. in Apolog. de contemptu Damian. sæculi cap. 22. pulchrè monet spirituales viros qua cautela egrediendum illis sit in exteriora proximorum exercitia. *Si occasionis articulus accidat, vt egrediendi necessitas imminere videatur, non mox ad vagandum se leuior prouat, non ad sæculi vanitatem affixus mundo animus concalescat; sed morosè & grauiter intra se deliberet dicens, Spoliaui me tunica mea, quomodo induar illam? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Hanc à se adamatam nuditatem & affectuum munditiem iuratam Deo præ oculis habeat quisquis cupit condescensus & facilitatis præcauere pericula. Difficile sanè est, quòd quis condescendat cum lapsis, & quod non descédat ad illorum ruinam. Vnus id periculi expendit graphicè Synes. Epis. Pto- Synes. lomaidis ep. 57. inquiens. *Non condemno Episcopos, qui in rerum negotijs versantur; sed magis miror eos, qui vtrumque possunt: mea facultas non est duobus dominis seruire. Si verò sunt aliqui, qui neque à condescensu læduntur, poterunt sanè & sacerdotio fungi, & ciuitatum præfecti esse. Radius enim solis cum stercore versabitur, purus manet, non inquinatur: ego verò cum idem hoc fecero, fontibus & mari opus habeo.* Expendo illud, si verò sunt aliqui, qui nempe à condescensu læduntur, quasi innueret Magistrorum spiritualium periculũ in eo esse, quòd debeant hæc duo coniungere & condescensum & omnimodam munditiem. Quare dum condescendendum est, dum morem gerere popularibus sensibus quis debet, si maximè timeat, mille caueat vigiliis, & vbi munda figat vestigia, ne dum facilitati & consuetudini inseruit, sibi noceat, aliis non prosit. Vnus omnium magister vt verus iustitiæ Sol lucidissimus ipse & candidissimus, cum peccatorum tamen fœcibus versabatur, vt condescensu illos ad se traheret. De quo D. Laurent. Nouar. hom. de Pœnit. ait. *Manes cum publicanis, manducas cum peccatoribus, vt hac societate quasi arte eos conuertas ad salutem.*

§. III.

Vnus Dominus voce & exemplo suam doctrinam perfectissimè docuit, & sic persuasit.

Tunc maximè perfecti Magistri munus adimplebis, si non è suggestu, sed in arena simul vocis tuba præceptum intones, & manibus pugnes, vt præcepta facias. Enimuerò apud Matth. 23. aiebat Dominus, *super cathedram Moysis sederunt Scribæ, & Pharisæi, omnia ergo quæcumque dixerint vobis seruate & facite: secundùm verò opera illorum nolite facere.* Matth. 23. Ecce piissimi præceptores super cathedras sedent, nunquam in arena præliantur. Iustior illis Dauid, qui ingressus arenam iam præcursurus gigantem, tunc primum os aperit, vt magnalia Dei sui proclamet dicens 1. Reg. c. 17. *Dabo cadauera Philisthum hodie volatilibus cæli, & bestijs terræ, vt sciat omnis terra quia est Deus in Israel. Et nouerit vniuersa Ecclesia hæc, quia non in gladio neque in hasta saluat Dominus. Ipsius est bellum, & tradet vos in manus meas.* 1. Reg. 17. O egregiũ Ecclesiastem, & in ipsa arena concionatorem! O efficacissimum concionandi modum! Pulcre ad hæc Theodor. q. 40. in 1. Reg. *Prophetat autem cùm esset in acie, & prædicit vniuersæ orbis terræ Dei cognitionem. Cognoscet enim inquit omnis terra quod est Deus in Israel. Et os quidem fundit oracula; manus autem se fortiter gerit & lapide peremit alienigenam.* Theod. Nullus equidem suggestus splendidior, nulla cathedra clarior, neque ad docendum aptior, neque ad persuadendum efficacior, quam arena est, vbi & ore, & manu, & verbo & opere præcepta suggerunt salutaria. Hinc 2. Reg. c. 23. *Dauid ds: tur sedens in cathedra sapientissimus.* 2. Reg. 23. Vbi Dauid in cathedra? Vbi Dauid sapientissimus? nisi quando alioquin tacens in acie constitutus ore quidem oracula fundit, & manu fortiter se gerit. Ibi sanè perfectissimi magistri impleuit munus, ibi Doctoris apice inauguratus nomen æternat. Ibi à se nascituri Doctoris maximi, & omnium mundialium Domini felicissimum omen

Eccles. 1. omen protendit. Nec otiosè *Ecclesiastes filius Dauid Regis* præfigitur, imò hoc innuitur, quòd Dauidis æmuli sint omnes qui volunt concionari; & quod vnicus verus & perfectissimus Ecclesiastes & concionator Christus Dominus adeò in hac re patrissat, vt nullo magis ostendat se esse illam Dominicam deificámque prolem Dauidi promissam, quam dum operis exemplo suam doctrinâ persuadet. *Eminentissimè*, ait D. Athanas. de interp. Psal. ad Marcellinum. *Etenim*

Athanas. *regum conditores virtutem suam vsque ad verba dumtaxat protegerunt, & tantummodo cateris placent; Dominus autem vt re vera omnium Dominus, curatórque operum suorum non solùm leges verbo suo instruxit: sed & se ipsum in exemplar proposuit, vt scire qui vellet sese habere eius, quod in legibus subtecetur, exequendi potestatem.* Expende illud, vt re vera omnium Dominus, quasi in nullo magis regium eius decus appareat, in nullo magis supremum suum omnium rerum dominium incredibilémque potentiam ostendat; in nullo magis se esse curatorem illum & Saluatorem expectatum, & promissum Dauid, & Patribus asserat, quam dum quod lege cauet, ipso

Rupert. confirmat opere & exemplo. Hinc Rupert. lib. 2. de Victoria Verbi Dei c. 13. concludit necessitatem filij Dei aduentus, vt summâ creaturarum acciperet potestatem, qui solus verbo & exemplo potis esset suam disciplinam tradere. *Necessarium fuit, vt neque Angelus, neque homo quisquam principatus totius creaturæ adipisceretur; sed solus Deus ipse qui veraciter posset dicere, Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Plane & tum Angelum summum in cælo, & cum Protoplastum collocaret in paradiso, illum super cæteros Angelos, istum vt humani generis esset vnus propagator: sciebat apud se neutrum posse in tali disciplina magisterio cæteris præsidere: vt diceret, Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Id extra creaturarum erat conditionem, nec poterat expectari à creatura neque Angelica neque humana, ideo vterque & homo & Angelus à solio & magisterio fuit expulsus. Quem Dei verbum subiuit, vt qui solus potens erat dicere, Discite a me: quandoquidem & verba & opera hominibus erant conducibilia. Huc spectauit Iesus Sirac apud Nissenum in exhort. ad Ecclesiastem, cùm ait. *Omnes sermones sunt laboriosi, & non potest vir loqui.* Quasi sermo excederet potestatem & la-

Nissen. borem hominis cuiuscumque: quod merito adstupet Nissenus, vt qui putarat, nullam rem homini magis esse in promptu, quam verba facere. Quid facilius homo peragat quam loqui, quod illi membrum aptius, quàm lingua? Cur ergo sermones laborem & potestatem hominis excedunt? *Sermones ergo sunt qui verè sunt sermones, qui fiunt ad animarum vtilitatem, & hominibus sunt conducibiles: hi plenè sunt sudoribus, & multos labores inducunt, vt fiant sermones. Utpote quod oporteat non verbis intelligi sermonem; sed virtute, quæ in operibus posita est.* Sermones, qui non à lingua solum, sed & à manibus sunt, laborem, & potestatem hominis superant.

§. IV.

Miracula Christi Domini doctrinam confirmantia à Magorum prodigiis distant vtilitate, & beneficentia, & antiquitate.

DOctrinam suam, & diuinitatem suam Christus Dominus verborum efficacia, & sanctissimæ vitæ exemplis & miraculis innumeris confirmat. Sed quæ miracula Christi? & Magi, & præstigiatores mira etiam prodigia efficiunt: & Simon ille Magus ea faciebat quæ prorsus excedebant humanas vires. An ideo fide dignus? An ideo Simonis do-

Cl. Rom. ctrina ebibenda? Accipite Nicetam apud Clem. Rom. in Recog. lib. 3. sic ad Petrum loquentem. *Et nunc ergo quid peccant ij, qui Simoni credunt, cum videant tam tanta facere mirabilia? nam non est mirabile per aerem volare? igni admistum vnum corpus effici: facere statuas ingredi? canes æreos latrare? & alia his similia, quæ vtique discretionem nescientibus satis mira sunt: sed & de lapidibus visus est panes facere. Quod si peccat qui signa facienti tibus credit, quomodo peccasse videbitur, & is qui Domino nostro pro signis, & virtutibus credit?* Ad hæc diuinissimus Petrus breuissimis verbis longissima interualla inter Simonis, & Christi miracula insinuat. *Ille, ait, qui à malo est, signa quæ facit, nulli prosunt: illa vero, quæ facit bonus, hominibus prosunt.* Sanè malignus spiritus boni inscius vanissima semper efficit ludibria; nihil hominibus commodum & salutare molitur; sed ea quæ velut in theatrum vulgus stupeat & rideat. Quid volatus per aëra, statuarum gressus, latratus ærei canis, ignita spectra, nisi temporis afferunt iacturam cum ingenii admiratione vulgi? Verum bonus Christi Do-

mini spiritus totus vtilis, totus hominibus salutaris, & proficuus, cuius signa super his qui infirmantur apparent, non statuas ambulare facit: sed claudos homines, non spectra ignea molitur: sed & cæcos illuminat, & sepultos mortis caligine reuocat ad lucem. Vt meritò dicat Fulg. ad Trasi- Fulgent.
mundum Regem lib. 3. c. 15. *Vnus atque idem Christus infirmitate humana passionem pertulit, & miracula beneficiorum omnipotentia diuinæ virtutis perfecit.* Expendit illud, *miracula beneficiorum*, quippe nullum à Christo Domino miraculū, quod non fuerit maximum in homines beneficium. Vnde sapienter concludit Arnobius lib. 1. aduersus Gent. quod Christus Arnob.
Dominus *pro multis ac tam liberalibus donis quæ ab eo profecta in nos sunt, Deus dius appellarique deberet.* Etenim solemnissimum erat apud gentes benemeritos de Republica homines Deorum instar coli, vt meminit August. c. 7. Matern. lib. ad Constantem, & pro omnibus Cicero de natura Deorum sic fatur. *Multæ aliæ naturæ Deorum ex magnis beneficijs eorum non sine causa à Græcis sapientibus, & maioribus nostris constitutæ, & nominatæ sunt.* Et post pauca *Vtilitatum magnitudine constituti sunt ij Dij, qui vtilitates quasque gignebant.* Hæc Ci- Cicero.
cero. quibus constat quam sapienter conuincat Arnobius gentes de diuinitate Christi, cuius opera & miracula summas pepererant vtilitates hominibus, cuius nulla operatio inutilis, insalubris: huius rei conscientia carnifices ipsi vix Dominum crucifixerunt, & anxij de eius vestibus sortem mittunt. Qoid tot carnificibus paucæ, & pauperes vestes, eæque diuisæ? Pulcre Procop. in Gen. c. 28. *Inter se, ait, conten-* Procop.
debant milites singuli cupientes, ea diuisa, habere partem quasi vtilis foret non ad induendum; sed quia vix quadam medicata in ea esset. Sanè sibi persuadebant nihil esse à Christo Iesu, quod medelam egenribus non afferret. Et hinc D. Epi- Epiphan.
phan. lib. 2. aduers. hæref. argumentatur, Dominum minimè posse dici creaturam. *Quid igitur creatura profuerit, aut qualem vtilitatem affert ad nostram salutem? Quid prodest nobis dicere ipsam creaturam?* Itaque hæc erit amussis omnium quæ sunt à Christo, si sint salubria, si vtilia hominibus, opera Christi sunt, & Christo digna; alioquin omnino expungenda ab illo. Ea enim æterna fuit cura verbo diuino, vt hominibus prospiceret, vnde fideles vocat ad regnum, *præparatum ab origine mundi.* Quod notans D. Iren. lib. 4. inquit. *Cum sit vnus & idem Deus Pater, & verbum eius semper assistens humano generi, varijs quidem dispositionibus, & multa operans, & saluans ab initio eos qui saluantur.* Hæc ille, quibus præter beneficentiam verbi in homines, illud etiam additur singulare: nimirum quod non sit nuperus noster saluator, sed antiquitus ante omnem creaturam studuerit hominibus saluandis. Vnde grauissimè Tertul. lib. 3. in Marc. Christi Domini signa ab antiquitate confirmat dicens, *Iesus edicens multos venturos, & signa facturos, & virtutes magnas edituros, aversionem etiam electorum, nec idcirco tamen admittendos; temerarium signorum, & virtutum fidem ostendit, vt etiam apud Pseudo Christianos facillimarum. Aut quale est si inde se voluit probare, & intelligi & recipi; ex virtutibus dico; vnde cæteris noluit æque? Sed quia prior iis venit, & prior virtutum documenta signauit, idcirco quasi locum in balaeo ita fidem occupauit, posteros quibusque præripuit.*

§. V.

Christi Domini miracula vt omnibus vtilissima, sic diuina Christi stirpis manifestatiua.

VAlidissima ratione Christus Dominus sese Iudæis filium Dei manifestat Ioann. 10. c. fatus. *Si non facio opera* Ioann. 10.
Patris mei, nolite credere mihi: si autem facio, & mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoscatis & credatis, quia in me est Pater, & ego in Patre. Et cur Iudæi non agniturieran filium Dei Patris sui opera facienterm? An, quia inter homines ipse versabatur? An, quia mirabili dispensatione egentibus & afflictis aderat? Ecce vobis Ethnicus Imperator Babylonicis flammis tribus adstantem pueris filium Dei recognoscit: ait enim Dan. 3. *Nonne tres viros misimus in medium ignis* Daniel. 3.
compeditos? Ecce ego video quatuor viros solutos & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quarti similis filio Dei. Ex quibus vehementer obiurgat Iudæos S. Hippolyt. Martyr in hæc verba. *Quod Iudæi filium Dei ho-* Hippol.
minem factum non erant agnituri nec recepturi, præmonstrat scriptura gentes eum esse accepturas, quem iam Rex Babylonius in fornace videns agnouit, & filium Dei confessus est.

Sed adhuc expendenda sunt illa, species quarti similis filio Dei: non enim dicit, quod sit filius Dei; sed solum

quod filio Dei sit perquam similis. De quo elegans exurgit
Rupert. quæstio pulcrè exagitata à Rupert. lib. 6. de Victoria Verbi Dei cap. 21. sub his verbis. *Quid dignè sufficit admirari vbi nam viderit Rex ille filium Dei, vt in medio ignis similitudinem eius agnosceret, dixit enim, Species quarti similis filio Dei?* Sanè vt similitudinem vnius ad aliud cognoscas, necessum tibi est & illud aliud cognoscere: quare examinandum est vbi viderit & nouerit filium Dei Nabuchodonosor; quem sic etiam vrget Hippolytus. *Dic mihi Nabuchodonosor, vbi vidisti filium Dei?* Dicis, hunc tribus pueris adstantem esse similem filio Dei, an quia filium Dei aliquando videras & noueras? Vbi ergo videras? vbi noueras?

Quibus vt satisfaciam non probo, quod in præsenti respondet Rupert. nimirum id dictum fuisse à Rege nesciente, & ignorante quid diceret. Melius & ad rem nostram aptius responderim ego allata eiusdem Rupert. altera huic simillima quæstione. Ea est in Tobiam c. 21. Etenim Tobiam iuniorem apud Rages ciuitatem manentem, cum inscius hospitio susciperet Raguel eius propinquus, adolescentis
Tob 7. conspectu delectatus ait vxori suæ, *quàm similis est iuuenis iste consobrino meo.* Nec ipse consobrinum suum aliquando viderat, nec nouerat? Vnde ergo scit istius similitudinem cum consobrino, si nunquam hunc viderat? Sapienter respondit
Rupert. Rupert. *Viderat ille patrem, & in filio similem aduertebat speciem.* Rectè quidem ex patre sibi satis noto, filij similitudinem animo delineabat.

Ex his iam licet ad primam quæstionem gradum facere, ea erat, vbinam viderat Rex ille filium Dei, vt in medio ignis similitudinem eius agnosceret, dicens, species quarti similis filio Dei? Equidem non viderat filium; sed multa de patre audierat & alta mēte retinebat, & in filio similem aduertebat speciem. Danielis colloquiis Rex iste gaudebat, quem intra Palatium omni disciplina imbutum conseruabat, à quo sæpissimè magnalia Dei sui libens audiebat, & inter alia celebrem illam visionem, qua Moysi primo apparuit Deus medius ardentissimis flammis, medius quibus viridantem rubum & prorsus indemnem referebat, vt se afflictorum, & humilium protectorem & seruatorem assereret. Hæc de Hebræorum Deo prænoscens Rex Babylonius adolescentē tribus pueris media in fornace adstantem optime, & verè iudicat perquam similem filio illius Dei, qui flammanti rubo astat, nec comburatur; in filio similem aduertens speciem Patris. Quis ergo adeò mentis inops, adeò cæcus non cognosceret filium Dei facientem opera Patris? Dei optimi & maximi opus fuit afflictis Hebræis adstare, ne absumerentur flammis captiuitatis ab illis in Eremo, morbos omnes depellere, fames, sitésque eliminare. Dei opus erat vitam mortalibus indere, quas condiderat creaturas maculis mundare, resarcire confracta. Ecce tibi Christus Dominus adeo in his patrissans, vt nullum aliud negotium agat, quam hominibus benefacere, afflictis accurrere, infirmis impertiri sanitatem, cæcis lumina, & mortuis vitam subministrare. Quid plura? Nullum euidentius testimonium posset sapientia incarnata præbere suæ a beneficentissimo Deo originis, quam hæc vtilitatum & beneficiorum plena miracula. Vnde petentibus Iudæis, si filius Dei est descendat de cruce, & credimus ei; meritò abnuit, vt quibus euidentiora iam signa demonstra-
Athanas. rat. Ibi Athanas. homil. de Pass. *Dominus non seipsum saluauit, si quidem nulla salute indigebat, cum esset saluator; sed ex suis in alios beneficijs voluit saluator declarari.* Hæc sanè erant euidentissima signa Saluatoris Dei, vt totus incumberet hominum sanitati, vt omnibus proficuus, & beneficus esset, vtpote Dei beneficentissimi simillima imago.

Hæc modo in genere dicta sufficiant de miraculis, de doctrina, & de modo inter homines conuersandi, quem Christus Dominus habuit, quo volente, de singulis in parculari dabimus integra commentaria.

CAPVT IV.

De Christi Domini Transfiguratione.

DISCIPVLOS de memoria Dominicæ passionis mœrentes consolaturus Dominus, Petrum, Iacobum maiorem, & Ioannem præ cæteris in magistrum feruentiores selegit, & stipatus illi altissimi Thaboris iuga superauit. Ibi oratione facta, cuius prætextu ascenderant, ne cæteri tenerentur inuidia, noua, & mirabili luce totus Christus radiauit. Illi enim in facie & vestibus inerat cœlestis splendor, & vitæ æternæ candor. Rediuiuus Moyses verus, & integer homo constans animo & carne, simul & Elias Christi Domini laterones apparent, sermones miscent de mirabili salutis humanæ per passionem arcano. Discipuli adstupent tantum gloriæ spectaculum, qua superatus Petrus inscius mysterij præ montis illius habitatione quicquid aliud est, missum facit. Interea nube suffunduntur radiante, a qua paterna vox Christum Dominum, & filium Altissimi declarauit, & orbi Magistrum designat, dum illum præ Moyse & Prophetis audiri mauult. Qua voce consternati discipuli humi iacebant, à Christo Domino eriguntur, confirmantur, simúlque illis silentium de tanta visione indicitur, donec post resurrectionem Dominicam omnia eius mysteria liceat vulgari.

Text. Ex Matth. 17. Et post dies sex assumpsit Iesus Petrum & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & ducit illos in montem excelsum seorsum.

§. I.

D. Petri expenduntur magnalia.

DE Discipulorum corona tres sibi seligit Dominus magis familiares, de quibus etsi aliquoties fiat sermo, præcipuè lib. 4. & 5. tamen honestum duxi, vt qui inter omnes præcipuos à Domino consecuti sunt honores, sic à nostris præcipue celebrentur laudibus. In primis celebrandus adest maximus Ecclesiæ Christianæ apex D. Petr. sic dictus non à communi petra, sed à petra illa, quæ Christus est, vt nihil esset in Petro, quod Christum non halaret. Sic Tertul. lib. 4. Tertull.
aduersus Marcion. Mutat & Petro nomen de Simeone: sed cur & Petrum? si ob vigorem fidei multæ materiæ solidæque nomen de suo accommodarent. An quia & petra & lapis Christus? Siquidem eum positum in lapidem offendiculi & in petram scandali. *Itaque affectauit charissimo discipulorum de figuris suis peculiariter nomen communicare; puto proprius quam de non suis.* Nihil tantum Principē decebat, quod non esset desumptum de Summi Imperatoris Christi magnalibus. Merito Theologus Nazianz. in cap. 19. Matth. in im- Nazianz.
mensum gloriatur de nomine Christiano aiens, Cur Christiani nomen venerabile est? Nónne, quia Christus Deus? At qui Paulum honore prosequor, nec tamen Paulianus nominatus sum; *non fero me ab hominibus nomen ducere, qui à Deo sum creatus.* Sic Petro non tulit Deus à creaturis Christo vacuatis nomen tribuere, vt qui totus Christi diuinitatem halabat. Illud dignum erat, vt Christi Vicarius acciperet nomen. quod Christum sonaret, quo Christi & Petri germanissimam publicaret societatem.

D. Petri excellentia, quod à Deo ipso commendetur.

QVis plus de Christi præcellentiis accepit, quam Petrus? Ecce in Christo Domino solēnissimum fuit quod vna diuinæ personæ voce posset eius magnitudo euulgari, iuxta illud Matth. 11. *Nemo nouit filium nisi pater, neс patrem* Matth. 11.
quis nouit nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Excedunt magnalia Christi voces creatas, a solo Patre Deo dignè publicantur; sic Petri perfectio maior est omni laude, nec pro dignitate exprimitur alio, quam Dei ore. Quando enim Petrus Matth. 16. diuini Verbi à Patre originem fuit attesta- Matth. 16
tus, sic illi Dominus respondit. *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi; sed pater meus qui in cælis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Pro quorum explicatione expendo vim illius coniunctionis, nimirum. *Et ego dico tibi,* &c. quæ similitudinem germanissimam exprimit in prædicando Petro, & in prædicando Christo à patre orto, quasi dicat, non caro & sanguis; sed pater reuelauit tibi, ô Petre, meam originem, sic non caro & sanguis; sed ego vnicus patris filius exprimo & declaro tuas præcellentias. Id quod grauiter innuit D. Leo serm. 3. fatus. *Et ego,* inquit Iesus, *dico tibi, hoc* Leo.
est, sicut pater meus tibi manifestauit diuinitatem meam, ita & ego tibi notam facio excellentiam tuam; quia tu es Petrus, &c. Vnus pater diuinus posset filij diuinitatem notam facere, vnus filius diuinus posset Petri excellentiam euulgare, vt in hoc Petrus Christum sapiat, quòd diuino egeat prædicatore, vt propria dignè publicentur magnalia.

Petri vmbra salubris quid?

RVrsus Christo Domino hoc fuit proprium diuinissimum facinus, quòd vel eius figuræ & vmbræ salutem piis afferant & incolumitatem. Malus ille genius, qui intempesta nocte Ægyptiorum primogenia deuastabat, vt Israelitarum valuas agniculi sanguine vidit rubricatas, Is- Exod.1. raelitis incolumitatem conseruabat. Quæ rei causa? Tantane vis sanguinis agniculi, quæ arceat mortem, & salutem afferat? Non equidem, quia agni sanguis, sed quia Chrysost. vmbra Christiferi sanguinis eam habebat efficacitatem, vt bene notat Chrysost. aiens. *Ea nocte vmbram sanguinis mors horruit.* O vere Christi Domini singularem potentiam! cuius non solum præsentia realis, non solùm vox salutaris sit: sed etiam vmbræ, sed etiam figuræ placida sanitate Leo. manent. Praclare D. Leo serm. 3. de Natiu. pristinos patres a Christo Domino per vmbras & figuras legis sanatos admiratur fatur. *Hoc magnæ pietatis sacramentum, quo totus iam mundus repletus est, tam potens etiam in suis significationibus fuit, vt non minus adepti sint, qui in illum credidere promissum, quam qui suscepere donatum.* Itaque adeo potens fuit Christiferæ pietatis Sacramentum, vt ab illo non minus acciperent qui eius vmbras & figuras obseruarunt, quam qui potiti sunt & realem ipsius præsentiam & contactum. Quis huius pientissimæ potentiæ æmulus nisi solus Petrus? Eius beneficentiæ vis & potestas tanta fuit, vt non minus ab illo reciperent qui vel eius vmbra gaudebant, quam qui Act. 5. illius obtinebant contactum. Sic de illo Act. 5. *Ita vt in plateas eiicerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, vt veniente Petro, saltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur omnes ab infirmitatibus suis.* Vere maximum & potentissimum pietatis sacramentum, & Christianæ omnipotentiæ speculum singulare.

Petrus in morte vmbra Christi Domini fuit.

TAndem primum Christo Domino crux gloriosa extitit, cuius gloriæ Petrum imagine dicam an vmbram? Sane filius imago & splendor est gloriæ Patris; at Petrus vmbra Exod. 31. gloriæ per crucem. Liber Exodi cap. 31. meminit magni illius Architecti Beseleel, vbi Glossa fatur. *Beseleel, qui interpretatur in vmbra Dei, significat Petrum.* O quam bene Petrus Dei vmbra est! vmbra, inquam, Deifici crucifixi. Accipite Ambros. D. Ambros. in Psal. 118. Octonar. 21. dicentem. *Non fuit opprobrio Petro crux Christi, quæ ad titulum eius gloriæ dedit, vt inuersis Christum honoraret vestigiis, metuens, ne si ea specie crucifixus esset qua Dominus, affectasse Domini gloriam videretur.* Vbi illud maximè pondero, quòd crux Christi tantum gloriæ dederit Petro, vt inuersis Christum honoraret vestigiis. Quæ hæc in Petro gloria? & cur hæc gloria refertur accepta cruci Saluatoris? Vtrumque sciet, qui calluerit id quod dicebamus, nimirum Petrum vmbram esse crucifixi gloriosissimi. Enim vero, quando aliquis in sublimi vertice consistit, vmbra quæ ab eius corpore fit, cadens per decliue, inuersam prorsus repræsentat figuram, inuersisque vestigiis exprimit corpus illud, cuius est vmbra. Itaque crux vt Petrum accepit, tantam illi gloriam dedit, vt esset vmbra expressissima Christi Domini, quem in vertice Caluarij crucifixum, necessium erat, vt vmbra exprimeret, inuersis omnino vestigiis.

§. II.

D. Iacobi excellentia perstringuntur.

QVid non Martium in Iacobo? Eius nomenclatura supplantatorem sonat, quod si eiusdem nominis Hebraicæ litteræ studiose transponantur, vt Georg. Venet. in Armon. transposuit, per modum anagrammatis ex Iacob legitur *galeatus*, vt sic in tanto viro nihil inuenias quod arma & bellum non spiret. Eius viuentis expeditio in Hispaniam breui tempore finita fuit, nec multum damnosa idololatriæ, a cuius præstigiis perpaucos homines in lucem Euangelij pertraxit; sed vbi fructus vita fuit, gladiùmque Herodis passus, piscatorem exutus Imperatorem agit, remeansque iam mortuus in Hispaniam, ibi sepelir piscatoris cadauer, & à militari solo confotus, miles inter milites sæpè apparet, & quos voce doctrinæ non potuit, vi & armis Christi hostes profligauit. Hinc sibi cantatissimum apud orbem terrarum fecit nomen; nisi enim fallor vix alius in cunctis nationibus Christianorum celebrior sanctus, quam hic est diuinus patronus Hispaniarum. Miraberis in Ecclesia Christi, vbi tormenta, vbi passio decorat & illustrat sanctos, vbi longi catenatique labores coronas pariunt, Iacobum gladio & armis præcellere, Martiisque tumultibus in immensum decorari. Quæ rei causa? sanè quæstionem hoc fecit Ruperto penè in simili causa, quan- Rupert. doquidem quærebatur ex illo, cur in Ecclesia Christiana Machabæi celebrabantur, quorum gloria tota a præliis & bellicis tumultibus clarescebat. Ad hæc ille lib. 10. de Vict. verbi Dei cap. 25. respondet. *Fuerunt isti Machabæi, qualiter in præliis & victoriis non quærebatur, vt vlla fieret pressura mundi; sed vt defenderetur gens, vnde esset ventura salus mundi.* Equidem præliis suis defendebant Israëlem, a quo omnium populorum oriunda erat salus, ideo ex militari gloria eam nanciscuntur nominis claritatem, quam mille tormentis superatis, mille laboribus exantlatis habent sanctissimi & illustrissimi Christi martyres. Sic Iacobus præliis & armis clarissimus factus, quia ideo militarem assumpsit baltheum, vt defenderet gentem Hispanam, vnde noui orbis parienda erat salus. Hispanis datum erat, vt totam Americam fidei luce illustrarent, ab Hispanis pendebat, quod maioris mundi idololatria exterminaretur, & ibi Christiana religio radices ageret. Vbi autem Iacobus miles factus mittitur Hispaniam ab hostibus liberare, quid mirum, si inter celsissimos Christi martyres ipse celebrior & illustrior appareat? Hanc Martialem D. Iacobi gloriam meditabatur Dominus Cant. 8. cum de sponsa sua Ecclesia asserit, *Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea.* Nonne Cant. 8. sufficeret in Christi Ecclesia murus, hoc est, sancti qui fortiter & inexpugnabiliter hostium tela exciperent? Quid est cur super murum eminere oporteat propugnaculum argenteum? Nonne propugnaculum muro eminet, vt telum iaculetur, vt missilibus hostem offendat? Plane vt argenteum propugnaculum super murum, sic sanctus ille, qui non solum passione, sed & bellis & victoriis, ferro & armis hostem deuastat. Huc respiciebat Diu. Gregor. PP. fatus. Gregor. *Super huiuscemodi murum propugnacula ædificantur, quia vt non tantum se defendat; sed vt impugnantes prosternat, miracula ei facere conceditur.* Alij mediis positi tormentis & expositi telis miracula patrabant, quibus irritas ostendebant tortorum machinas, séque ab illorum crudelitate defensabant, veri ex hac parte muri inexpugnabiles. Verùm Iacobus super hos totus argenteus fulgurat, vt sublime & conspicuum propugnaculum miraculosè inter phalanges apparet, & impugnantes miserè prosternit ac deuastat. Quo nationum oculos ad se conuertit, & ad se adorandum vniuersorum animos trahit. Sic propugnaculum argenteum super murum eminet, sic Iacobus super inuictissimos martyres præliis & victoriis hostes Christi deuastans claret; propugnaculum, inquam, à quo in dies prosternuntur hostiles phalanges, & quo effusi totius orbis populi sese recipiunt, vt sub eius auxilio propugnari valeant. Celebris fuit Plutar- Plutarch. cho dux Timotheus, cuius facinora vt notarent alij, pingebant hominem dormientem, & ab eius manu dependens rete, in quod properabant ingredi oppida, prouinciæ, regna: hac ipse vigilans delectatus pictura ait. *Si tanta vel dormiens conficio, quid excitatum me facturum putatis?* Hinc, beatissime Hispaniarum patrone, sæpissime tuas glorias sum meditatus, te enim dormientem Hispania tenet, sinuque suo cubantem placide custodit: sed nescio quæ retia ex tanti ducis manu pendent, in quæ effusæ nationes singulis diebus video properare. Si tanta vel dormiens conficis, quid mirum quòd vigilans aperto Marte confertissimos hostium exercitus deuastes? Miraris ad Iacobum mundi nationes properare? Igitur accipe quod in eadem re mireris magis, nimirum: quòd prima omnium, quæ ad Iacobum peregrinationem instituit, fuit creaturarum omnium Regina, Dei mater Maria. Hæc cum cæteris Apostolis agens Hierosolymis Dei potentia Iacobum in Hispania degentem apud Syracusam visitauit, vt columna templi maximi Syracusani testatur. Ad Salomonem Regina Sabba quondam festinauit 3. Reg. cap. 10. cuius mentem insinuans D. Isid. in allegoriis ad 3. Reg. fatur. Venit Regina Sabba, *sui populi oblita, in* 3. Reg. 10. *aperto peregrina; sed in occulto factorum fieri ciuis exoptabat.* Quid plura? Regia Angelorum Deique mater dum rebellem Iudæorum populum obliuioni tradere decernit, inque Hispaniarum populo honorificato radicare, æternúmque firmare domicilium, venit? Hispaniam inuisura Iacobum, in occulto quidem meditans Hispanorum fieri conciuem, *at aperto peregrina apparet*, vt doceat subditum orbem ad tantum Hispaniarum propugnatorem peregrinari.

Iacobus doctrina & praelys clarus.

NEcnon in Iacobo accidit mirandum, quod vt præliis vacet, non obliuiscitur Apostolici magisterij, imò vtrumque munus & ducis, & magistri perfectissimè adimpleuit. Cuius rei gratia mihi in mentem veniunt laudes Anonymi ducis 2.Reg.cap.23.in hæc verba. *Sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres, ipse est tanquam tenerrimus ligni vermiculus qui octingentos interfecit vno impetu.* Assentior in primis Isidoro Clario, Vatablo, & Gloss. interl. qui minimè putant hæc ad Dauidem referri, sed ad ducem alium, cuius nomen ibi non exprimitur. Sed duci lancea, telum, clypeus detur; cur cathedra paratur? Dicatur fortis, magnanimus, inuincibilis; cur sapientissimus dicendus? Meritò huius ducis ibi nomen siletur, quia in Dauidicis ternariis non inueniebatur qui sic Martis, & Apollinis claritatem comungeret. At in sacro illo ternario à Christo Domino sibi selecto inuenitur vnus Iacobus, qui ex cathedra & exercitu nomen sibi sempiternum acquirat. Itaque Hispaniarum dux sedens in cathedra sapientissimus & Imperatorem egit & magistrum. Quam agat Imperatorem nouerit ille, qui tot hostiles exercitus ab Hispania eliminatos videat Sed age vis nobilem Imperatorem videre magistrum? cupis Iacobum non in acie, sed in cathedra cernere? Ecce tibi cum primum Spiritus sancti linguis imbutus fuit: sic explicandis scripturis & tradendo Euangelio incumbit, vt vnus Iudæorum rabiem in se conuerterit, & primus pro tradita veritate vitam amiserit. Dè magno illo Eleazaro, qui pro legibus patriis inter Machabæos primus vitam finiuit, ait D.Ambros. lib.2.de Iac.cap.10. *In moriendo tormentis factus est cæteris magisterium perseuerantiæ* Id quod de B.Iacobo dixerim qui cum Christianam veritatem docens occiditur primus, præclarum cæteris magisterij tulit insigne. Et pondero quòd cum occiditur, magister efficitur, quando cuncti mortales magisterio cum vita defunguntur, ipse magisterium sibi asciscit: adeò enim acerrimus erat veritatis Doctor, vt mortuus etiam suum pro illa magisterium confirmet, dum in Hispaniam allatus cathedram fundat, in qua occupantibus erroribus siue Mahomæ, siue Arij vniuersam pene regionem Hispanorum, veritas Christiana & Orthodoxa refulsit. Enimuerò Arianam luem sola Iraflauia D.Iacobi cathedra in Hispania non nouit, Mahomæ pestem vna eiusdem cathedra vbi corpus iacebat & repressit & contudit. Vt meritò liceat nobis ad tanti Doctoris templum & cathedram dicere quod Nazianz. ad Maximum Constantinopolitanum templum post hæreses purgatas edixit, nimirum. *Tu nobis fidei doctrinam, quæ adhuc contemptus erat, excitasti. Tu es inquam communis victoriæ sedes, nouo Silo in qua primo arcam fiximus in desertum circumactam, incertisque sedibus vagantem.&c.* O egregium Christianæ fidei asylum! O templum siue Mausolæum D.Iacobi cineribus conspicuum! O Iacobæam cathedram, in qua doctrinæ radius nulla admisit nubila, in qua sedes communis victoriæ constitit. Te felicem compellem Hispaniam, quæ noua facta Silo arcam tanti cadaueris thesauro diuitem ab Hierosolymis errantem, incertisque sedibus vagantem tandem recepisti, vt aduersus hostes victoriarum sedes haberes, & aduersus errores verum Doctorem & magistrum, qui sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres exultet armis, & rutilet doctrina.

Ambros.

Nazianz.

Princeps militiæ Domini quid?

SEd cur princeps inter tres? An Petri, & Ioannis princeps? Non te moueat, quòd inter Petrum & Ioannem dicatur Iacobus facilè princeps, titulus enim est militaris, non dominij. Equidem 1.Paral.c.10. dum expugnatur Iebusæorum asylum, *ascendit primus Ioab, & factus est princeps.* hoc est, in Dauidico exercitu militarem clauum obtinuit. Inde D. Chrysost. de S Stephano sic loquitur, *Habeat in nomine coronam victoriæ Stephanus; Stephanus qui bellum, in quo se exercuerat nemo, hominum viro manifestauit: qui pugnam, quam nemo docuerat, mundo patefecit.* Eodem modo vbi sacerdotalem apicem Petrus ex confessione habuit, Iacobus, qui primum in arenam prosiliuit, manusque cum hoste conflixit, Christianæ phalangis principatum sibi acquisiuit, sic inter tres Apostolici Senatus apices factus est ipse princeps. Quò respexit D.Chrysost. homil.26. in Act. vt ostenderet, inquiens, Deus in quàm dura certamina vocaret Apostolos; *ideirco accidi permisit ab Herode etiam principem.* Et sanè durissimum illud bellum est, cuius in primo conflictu cadit militiæ princeps. Huic Iacobæo principatui respondet gloriosum illud Hispanorum decus, quo vbicunque terrarum sceptrum Hispaniarum effulget, ibi simul Christi exultat vexillum. Enimuero Ios. 5. cum Iosue ad Iefichuntinos campos accederet, ait illi Angelus Domini, *Solue calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est.* Cur terra sancta dicitur quæ vitiorum omnium erat spelunca, quæ idolis plena erat? Pulcrè Orig. homil.6. *quia quocunque venerit princeps militiæ Domini sanctificat locum.* Hoc sufficiebat, vt terra sanctitatem parturiret, quod a principe Dominicæ familiæ tangeretur, nescit enim talis princeps premere solum, vnde sanctitas non effulgeat. Quò iam vides quam se tollat Hispanorum gloria, vbicumque enim Hispani figunt vestigia, statim fidei sanctitas pullulat, quia qui Hispanorum bellis præest Iacobus princeps militiæ Domini, quocumque venerit, locum sanctificat.

1.Par.10.

Chrysost.

Ios.5.

Origen.

§. III.

D. Ioannes Euangelista commendatur.

IAm ales ille in sublime fertur qui garrulas prosanorum voces comprimat, & medullam cedri, nempe Dei verbum plenum gratia & veritate valeat euulgare. Quam varij de Deo apud Philosophos errores? Quam diuersæ sententiæ? tot ferè, quot capita. Inter hæc euolat ocyssimus Ioannes, & è sublimi intonuit, *In principio erat Verbum.*&c. qua manifesta veritate siluerunt omnia verba mendacij. Huc spectat D.Basil. in c.2. Isaiæ fatus, *Vniuersum simul mendacium suppressum silentio est, quemadmodum aquila aliunde aduolante ac desuper conspecta futilis garrulitas loquacium auium quàm ocyssimè silentium inducitur.* Ecce aquila & quidem velocissima Ioannes, quæ silentium indicit loquacibus auibus, quæ garrulorum hominum mendacia reuelat, & lucis filius detegit veritatem. Hinc verè aquila est qui aliàs Ioannes, nimirum gratia, quandoquidem exuperant omnem sensum gratiæ in illo a Domino conglomeratæ. Ioanni plus datum est quando in sinu Domini recubuit, quam si sedes daretur exoptata.

Ecce primam à Deo exhibitam Ioanni recolo gratiam, quòd nimirum in sinu Domini recubuerit in Cœna: qui ambiuit aliquando sedem regni, modo veri Regis signum vbi recumbat accipit, & sanè maiori dignatione, maiori gratia. Amatrix illa sponsi vt summam eius gloriam videre exoptabat, sic Cant.1. inquit, *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes.* Et quidem sapienter non vbi iura det, non absoluti in creaturas imperij sedem, sed accubitum sibi mauult reuelari, gloriosius enim est cuique si in sinu Dei accumbat, quam si in throno sedeat imperans orbi terrarum. Nolo vobis in præsenti debere D.Bernard. serm.5. de verbis Isai. santem, *Quid autem delectabilius & quodammodo dulcius est filio quòd cum patre est, an quod cum patre omnibus præest. Porum videtur sponsæ videre sedentem, cubantem sibi flagitat indicari. Indica mihi, ait, vbi cubes in meridie. Sed & animæ omni, quo sanum sapit: dulcius sapit per omnem modum quod Apostolus ait, Qui adhæret Deo vnus spiritus est, quam quod Apostolis dicitur, Cum sederit Rex in sedem maiestatis suæ, sedebitis & vos iudicantes, haud minus vtique iucundior sessione cubatio.* Hæc Bernard. quibus facilè perspicis Ioannis immensam gratiam, qui à sede malè appetita ad accubitum diuini sinus fuit reuocatus, vt gloriosius & dulcius quiesceret in sinu, quam regnaret à sede maiestatis. D.Ambros. lib. de Isaac cap.5. ait, *Lectulus sanctorum Christus est, in quo vniuersorum fessa sæcularibus prœliis corda requiescunt. In hoc lecto requieuit Isaac, & benedixit filium iuniorem dicens. Maior seruiet minori. In hoc lecto recubans Iacob benedicit duodecim Patriarchas. In hoc lecto cubans Archisynagogi filia surrexit à morte. In hoc lecto iacens viduæ defunctus morris vincula, vocatus Christi voce, dissoluit.* Quæ erunt Ioannis magnalia, dum in hoc ipse cubauit lecto?

Cant.1.

Bernard.

1.Cor.6.

Matth.19.

Ambros.

Ioannis merita ex Deipara custodia.

NOn multum reluctabor, si quis non ad gratiam; sed ad ius Ioannis reducat, quod cruci astans sibi acquirat Domini matrem. Nonne Elisæo duplicem magistri spiritum petenti 4.Reg.2. respondit Elias, *Si videris me, quando tollar à te, erit tibi quod petisti:* Perseueranti enim non tam datur, quàm redditur postulatum. Ita Rupert. lib. 5. in lib. Reg. cap. 18. fatur, *Hoc ex latere meritum attigit Elisæi, videlicet quia perseuerando cum illo quasi hæreditario iure spiritum perciperet magistri.* Expendo illud, *quasi hæreditario iure,* quippe

4.Reg.2.

Rupert.

quippe non donum expectat ille, qui ad vitæ extremum cum magiſtro perſeuerat; ſed ius hæreditarium acquirit. Hinc patet Ioannis ad crucis ſtipitem cum Domino perſeueranti iure hæreditario Deiparæ cuſtodiam aduentaſſe. Nec alio Ioannis virtutum capacitas impleri poſſet niſi de Ioan.19. cuſtodia Deiparæ. Ipſe de ſe ait cap.19. *Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua.* In quæ ſua? In ſua ſanè, in quibus ius habebat, in ſua nimirum, quæ eius capacitas poſtularet & Ambroſ. exquireret: quod videtur attigiſſe D. Ambroſ. Pſal.118.ſerm. 15. dum inquit: diſtribuebatur autem vnicuique prout cuique erat opus, *Intelligendum eſt ſic diſtributum eſſe huic diſcipulo quod opus erat, vt illic etiam Beatæ Mariæ tanquam matris eius portio poneretur.* Quaſi non prouiſum eſſet Ioanni, quod ei erat opus; niſi ei Deipara Maria attribueretur, & ſine Maria ieiunus & prorſus vacuus maneret. Maria Ioanni opus erat, Maria inter Ioannis propria verſabatur, Mariam toto animo, toto corde Ioannes eſuriebat. Pro qua Ioannis excellentia liceat adducere, inter Baptiſtam & Euangeliſtam differentiam notatam à Nazianz. fratre Cæſario dialogo 3. Vbi hæc verba dedit. *Ille Baptiſta appropinquante matri ſuæ ea quæ geſtabat filium ſine patre, matrem reueritus geſtijt exiliendo, ac velut imminente ſibi à prægnante periculo, non ferebat eam quæ faciem geſtabat propius accedere. Hunc autem in eodem loco ſtatuit & commendat matri propriæ Dominus cum tempore ſalutiferæ paſſionis cruci adſtantibus, intenſis in Ioannem oculis ait, Ecce mater tua.* Itaque iuxta Cæſarium Baptiſta non ferens ſplendorem, exilit in vtero, quaſi illius conſortium refugiens; verùm Euangeliſtæ tanta erat capacitas, vt aſtans cruci filij Dei locum ſubiret, & gaudens ſibi acciperet Mariam. Denique de Ioanne ſæpius ſermo redibit.

§. IV.

Plus cæteris laborare & ſudare aliquos in ſequendo Chriſtum particularis Dei fauor, & gratia eſt.

DIligentiores, imò & Deo chariores diſcipuli altiſſimum iubentur ſcandere montem, cæteris interim plano & amœno loco quieſcentibus. Hiccine diuinus & maximus fauor eſt, quandoquidem Deo chariores ſeliguntur in maiores labores. Id quod in Ioanne Chriſti Domini Præ-Chryſol. curſore celebrat Chryſol. ſerm.88. his verbis. *Beatus qui non peruenit ad gratiam per labores; ſed ad labores ipſius gratiæ dignatione deſcendit.* Expende ex quo hominis beatitudinem auſpicetur, nimirum quod gratiæ dignatione ad labores deſcenderit, quod gratia Dei ſit dignata illum in labores & ærumnas impellere. An contemnendi labores, quando chariores Chriſto diſcipuli illius ſui amoris mercedem accipiunt? Ita D. Ambroſ. lib.1. de Iacob cap.7. *Habet ergo in ſe remunerationem ſuam qui ſequitur Ieſum, & in ſuo affectu præmium, etiamſi dura ſuſtineat: beatus eſt ſuis moribus, beatus ipſis periculis.* Gratia quidem eſt, fauor eſt, præmium eſt, beatitudo eſt, quòd per abrupta montium cacumina, per aſpera iuga, per ſyrtes, per inhoſpitalia Ieſu ducatum ſequaris. Paul. ad Coloſſ.1. *Nobis*, inquit, *donatum eſt à Deo, vt non ſolum in eo credamus, ſed etiam pro eo patiamur.* De quo D. Chryſoſt. homil. ſuper orat. Annæ, dicit, *Etenim gratia verè maxima, dignum cenſeri propter Chriſtum aliquid pati, & corona verè perfecta, & merces futura retributione non minor. Martyres cum vocamus beatos, ex vulneribus primum beatificamus, & tunc ex præmijs, ex plagis & mox ex coronis repoſitis.* Qui pondus diei & æſtum portauerant in Dominica excolenda vinea indignè ferunt, quòd qui vna ſolùm hora laborauerant, par præmium à patrefamilias recipiant. Proh dolor! Quàm mali æſtimatores erant ſuorum laborum iſti operarij, quandoquidem ipſi laboribus ſuperiores erant, cur aliam Nazianz. inuiderent mercedem? Pulchrè D. Greg. Nazianz. oratione in ſanctum Bapt. *Illud dicam hoc ipſum impenſius laboraſſe vberioris mercedis loco habendum eſſe his certè qui animo ſunt non omnino illiberali & ſordido.* Quancunque aliam mercedem vincit qui pro Chriſti nomine ſubitur labor: tunc ſanè puta maximo fuiſſe te beneficio affectum, maximis donis & muneribus à Deo cumulatum quando impenſius laboraſti, quando præ aliis ad labores fuiſti vocatus. Quæ mulier vnquam magis laborauit, quam illa inclyta Machabæorum mater, quæ ſeptem adoleſcentes filios & pulcherrimos nouis & inauditis tormentorum generibus vidit ex-Ambroſ. cruciari? De hac tamen D. Ambroſ. lib. de Iacob. cap. 11. ait. *Quis hanc beatam neget, quæ quaſi ſeptem vallata muneribus inter corpora filiorum nullum ſenſit mortis dolorem?* Expende illud, ſeptem vallata muneribus, quot filiorum carnificinas vidit, tot munera, tot beneficia ſibi recenſuit, quibus beneficiis delinita mortis amplexus intrepida expectauit. Quid plura? Vnum mihi omnino perſuadet, quàm magni beneficij loco debeam habere, ſi quando ducente Chriſto ad ſudore & labore plenas vias fuerim vocatus? quod nimirum nullam rem aliam nobis inuideant Angeli, nihílque aliud habeant in optatis, quàm laboranti Chriſto aſſimilari. At enim D. Petrus cap.1. Can. *in quem deſiderant Angeli* Petri 1. *proſpicere:* quippe, vt expendit Clem. Alex. *non Angeli apoſta-* Can.1. *tæ, ſicut quidam ſuſpicantur; ſed quod verum eſt & diuinum,* Cl. Alex. *Angeli qui deſiderant profectum perfectionis illius adipiſci.* Quaſi dicat, hoc valde admirabile & diuiniſſimum eſt, quod Angeli gloriam Chriſti in poſſeſſione habentes, in deſiderio habeant illius gloriæ puluerulentas vias; & ſatiati gloria vnum ſatiant, vnum deſiderent Chriſtum exemplar in laborioſis & ſudore plenis viis habuiſſe. Hoc ſequentium Chriſtum laboris deſiderio tenentur media in voluptatis abyſſu; imo ea eſt laborantium & ſudantium in ſequendo Chriſtum fœlicitas, vt merito putet Bernard. hanc poſſe Bernard. deſiderari in cœleſti & glorioſa vita. Etenim ait ſerm. 86. in Cant. *Lætati ſumus pro diebus, quibus nos humiliaſti. Hoc genus lætitiæ cœli neſcierunt, niſi per Eccleſiæ filios, hoc nemo vnquam lætatur, qui numquam non lætatur. Audeo dicere expertem huius beatitudinis ipſam beatam vitam, niſi ſe dignetur fateri, quod per charitatem ea in me fruitur & per me. Aliquid ſanè videtur perfectioni illi acceſſiſſe ex me.* Quid Chriſtianorum laboribus & ſudoribus glorioſius, quandoquidem ipſa æterna gaudia incompleta videantur, ni cum laborantibus hominibus communionem habeant, & æternorum præmiorum perfectionis labores exantlati pro Chriſto queant comparari? Merito ergo Chriſtus Dominus ad crucem ſuam inuitaturus id ſolum dicit, *qui vult venire poſt me, tollat crucem ſuam & ſequatur me.* Et quidem cogendi videbantur homines in crucem laborioſámque vitam ſubeundam & Chriſtus ſolum inuitat. Cur ita? Pulchrè Ioannes Xiphilinus Xiphilin. Antiſtes Conſtantinopol. orat. de feſto Crucis apud Coſterum, *Ad bona enim voco, non ad mala, non pœnam, vt etiam cogere oporteat, ſiquidem ipſa rei natura potis eſt attrahere.* Adeo crucifer labor glorioſus eſt, vt non ſolum ipſe hominum trahat animos; ſed etiam pro ſingulari munere & beneficio habent quicunque ad illum ſeliguntur, vocantur.

§. V.

Quàm longe à rerum mundialium tumultu extollendi ſunt qui Dei magnalibus potiri auent.

CElſiſſimum montis cacumen ſcandunt Apoſtoli, quia Dei magnalia apparent non his, qui reptant humi, qui delitioſiſſima humanæ vitæ prata tranſeuntes marceſcibili florum gaudent corona; ſed his qui diſponunt aſcenſiones in corde ſuo, qui iacentibus bonis conculcatis, ſublimibus inhiant & æternis. Scientiam Dei reuelandam hominibus concinuit aliquando Regius Prophetes, ſed à quo reuelan- *Pſalm.*18. da erit, audite, *Nox nocti indicat ſcientiam.* Igitur nox eſt quæ in vmbra mortis ſedentes homines omnis boni ſcientiam reuelare contendit. Et quidem nocturnis tenebris edoctus ait Cyrill. in Catena D.Th. ad cap.9. Luc. *Si cœlum inſpicias* Cyrill. *punctiatum ſtellis quaſi infinitis luminibus; ſi conſideres, quod qui per diem ſaltant, ij nunc nihil à mortuis differunt; deteſtaberis quemlibet auſum humanum.* Ecce tibi nocturno in ſilentio terrena omnia quantumuis ſplendida horrent tenebroſa induta caligine, nihil oculis gratum, nihil auribus dulce, nihil regia palatia diſcrepant à ſepulchris, & feriales luci, & delicioſi horti confunduntur. Vnum cœlum ſplendet, totúmque luminibus diſtinctum oculos complet humanos, complendo allicit, & alliciendo delectat. Quiſquis ergo magiſtram noctem auſcultas, miror, ſi terrena reſpicias, & moritura decora non deteſteris, ſi totus in cœli bona non feraris ſublimia, vt ſic magni Dei ſcientiam imbibas. Ideo oraturis hanc præſcripſit Chriſtus Dominus regulam, vt dicant, *Pater noſter qui es in cœlis.* Enimuero Deus cum vbique ſit, terrenáque omnia Deo plena ſint, tamen à ſublimi cœlorum habitatione gaudet dignoſci à creaturis. Vt pulchrè meminit Hugo de ſancto Vict. *ne inepta quæritando* Hugo. *mente vagemur, dicit, qui eſt in cœlis, vt mente radicata quæ ſunt vtilia quæramus.* Ne humi reptemus, quin potius ab humi iacentibus expediti & liberi, vbi Deus ſe prodit, feramur ad ſublimia, vt cum Apoſtolis ſupra montium cacumina conſtituti ſcientia imbuamur diuina.

Hos Chriſti Domini diſcipulorum nocturnos aſcenſus,

vt

Isai.14. vt placet Ariamontano, esplicauit Isaias cap.14. dum proprietati originali insistamus, quæ sic se babet, *ex radice colubri egredietur regulus*, nimirum iusta Chaldæum, ex radice de filiis filiorum Iesse egredietur Christus; *& fructus eius serpens igniens volans*. Quid magis reptile quam serpens humi cubans terrenis inhians pabulis? Quid magis sublimius, quàm igneum & pennatum animal? Ast, vbi Christus Dominus apparuit in mundo, ecce tibi prudentissimi serpentes igniti & volatores; hoc est, terreni homines, terrenis pabulis, caliginosis terræ antris dimissis, sublimia scandunt alati, & cœlestibus pabulis inhiant. Huius loci commentator accedat Nazianzenus Theologus oratione de externi Nazianz. hominis vilitate, sic edisserens: Corpus è terra creatum est, ob id in terram suapte natura vergit; at anima Dei spiraculum est, eóque fit, vt perpetua cupiditate ad præstantiorem illam cœlestium bonorum partem aspiret. Sic nimirum fontis quidem vmbra pronum ac decliuem cursum habet; ignis contra ad superiores dumtaxat partes tendit, *Quam magnus est homo, imò Angelus potius dicendus quàm homo, si serpentis in mortem exuta senectute hinc sese in altum retulerit!* Explicuerat deorsum vergentem terreni corporis molem, simúlque animi igneum vigorem, quo tendit ad sublimia, & statim subdit fœlicissimam sortem, & Angelicam illius hominis, qui serpentis de more exuta senectute in altum migrat. Et cur serpentis de more in altum? Nonne melius de aquilæ more exuta senectute feremur in sublime? In altum ferri post senectutem exutam, aquilinum est; serpens enim senectutem exuit, sed cobat humi, sed totus repiat. Verum, merito à Theologo non homo, sed Angelus dicitur ille, qui non de more aquilæ; sed serpentis de more senectam exuit, & totus igneus & pennatus sese proripit in sublimia. Etenim hoc singulare habent serpentes, quòd noctium tenebris de antris exeant, & de petrarum foraminibus exeuntes sub nocturna caligine vna cœlesti pulchritudine fruantur, cuius recreati fulgoribus, & sibilos, & volatus exhibeant. Siccine qui magistra nocte ad diuinam scientiam cupiunt peruenire, quibus ferebantur, terrenorum pabulis relictis, noui serpentes, toti ignei, toti pennati præruptorum montium, petrarum foraminum incolæ sola cœlestia spectent lumina, solísque oblectentur diuinis luminibus? Hunc serpentis morem docebat Dominus Moy-
Exod.33. sen cupientem gloriam Dei videre Exod.33. Cui Dominus: *Cum transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ.* Ad hæc Cyrillus Hierosolymitanus Catechef.10. *Quasi dicat, hoc faciam; sed ita vt tu capere potes, ecce ponam te in foramine petræ.* Renouantis sese aquilæ mos est medio in prælucenti aere libero intuitu Solem cernere, non id possunt qui reptant; non id capiunt homines terreni, sed serpentis de more à foramine petræ, à præruptis montibus nocturnis tenebris, cum nihil aliud præter cœlestia lumina aspiciant, tunc toti ignei, & alati serpentes sese in altum extollentes diuinæ gloriæ scientiam obtinebunt.

§. VI.

Prærupti montis ardua & difficilia cacumina, vt ascendant Discipuli, spectaturus prait Christus. Nil enim magis facit laborare seruum, quàm Domini intuitus.

Nil magis seruum ad labores trahit, quàm si laborantem Dominus remuneraturus aspiciat. Vnde Iacob cùm primùm laboriosam, ærumnisque plenam aggreditur viam, celebri illa præmunitur visione, qua vidit scalam & arduam, & sublimem, simúlque ascendentes & descendentes per illam, in qua nihil non labore & difficultate plenum vidit; nisi quod Dominus summitati nitebatur ascen-
Hieron. dentes conspecturus. Ita D.Hieron. ad Iulianum epist. 30. *Qui delicatissimè à Rebecca matre fuerat educatus, lapide ad caput pro palulllo vtitur, vidit scalam de terra vsque ad cælum, & ascendentes per eam Angelos, & descendentes, & desuper innitentem Dominum, vt lapsis manum porrigeret, vt ascendentes suo ad laborem prouocaret aspectu.* Quippe maximè ad laborandum prouocantur, qui sub remuneratoris Domini aspectu labori
Euseb. incumbunt. Hinc Euseb.Emiss. summam D.Stephani in passione alacritatem, summam & indefatigabilem tanto in labore fortitudinem educit, quod ait: *Video cælos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei.* Quidni? *Iustè incunctanter affert sanguinem suum qui præ oculis habet Regem suum, simul & brauium suum. & filium hominis à dextris virtutis Dei. Vides quòd spectantis intuitus armat constantiam triumphatoris.* Quid mirum, si Apostoli celsissima montis scandant cacumina? si laboriosa incumbant itineri? si difficiles arduásque terant semitas? si sub nimio labore gemant? Habent præeuntem Dominum, vt ascendentes suo ad laborem prouocaret aspectu, Dei spectantis confirmantur intuitu. Hinc D.Gregor.
Magnus in 1.Reg.cap.16. de Christo Domino inquit, *Pulcher aspectu fuit, quia & mortales nos ex magna charitate respexit.* Gregor. 1.Reg.16.
Quasi enim aspectus sui pulchritudinem repromittit Discipulis, ait, Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum. Cur non gauderent sub Domini aspectu in illius vinea laborantes, pondus diei portantes & æstus? O magnum laborantium solatium! O vnicum gaudium eorum, qui huius vitæ premuntur labore, qui ardua Euangelij scandunt, & aspera, quod sub Domini remuneratoris oculis laborant! Sanè nos respicit omnes Deus currentes in stadio: cernimur à Domino laborare: cernimur huius vitæ molestiis insudare: quis animo cadat, cum à Domino suo cernatur? Sic dux Piria apud D.Enno- Ennod.
dium 10 Paneg. Theodorici suos hortabatur milites, *Nemo absentes credat Regis nostri oculos, pro cuius fama dimicandum est. Si cælum lancearum imber obtegeret, qui fortiùs telum iecerit, non latebit.* Adeo putabat Principis oculos conducere ad militum præclarè gesta. Et quidem in Rege nostro Christo hoc verissimum est, quòd eius oculi præsentissimi nobis sint, quibus præclarum vllum facinus non latebit.

Text. Et transfiguratus est ante eos.

§. VII.

Vnus homo iustus numerosissima multitudinis instar est Deo, pro quo Deus omnes vita labores non dubitaret subire.

Verbi diuini personam in proprio splendentis suæ gloriæ habitu vt ageret Dominus, tres solum Apostolos spectatores elegit: quod Angelici myriades stupescerent spectaculum, tribus solis Discipulis gaudet repræsentare; sed tribus solis, qui dum solum cœlestia appetunt, præ numerosa multitudine Deo æstimantur. Dominij potestate vt Pharaonem deterreret Dominus Exod. 3. iubet à Moyse ante Regem vocari Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob; & quid inde stupesceret Masimus Imperator? Cur Dominum trium hominum vereretur Rex tot vrbium, tot prouinciarum? Sanè coram præpotenti Rege erubescendum erat Deo, quod trium hominum Deus diceretur. Ve-
rùm, vt ait Paulus ad Hebr. cap. 11. de his Patribus: *Nunc* Hebr.11.
autem meliorem appetunt, id est, cælestem: ideòque non confunditur Deus vocari Deus eorum; quandoquidem tres hi homines cœlestia solùm appetentes, & æterna, instar numerosæ
multitudinis sunt Deo. Id quod expendit Chrysost. his Chrysost.
verbis, *Deus orbis terræ non confunditur vocari etiam Deus. & meritò. non enim orbis terræ; sed innumerabilium eiusmodi instar sunt Sancti, melior est enim vnus faciens voluntatem Domini,
quàm decies mille iniqui.* Tres illi sanctissimi pueri à Rege Daniel.3.
Babylonio in fornacem immissi, dum flammis mediis existerent, grato modulamine Deum incipiunt concelebrare hymnis. Ibi canunt Deo, vbi solum audiunt tres ipsi; cur non meliùs canerent cum audiri possint ab vniuersa multi-
tudine? S.Basil. libro de Spiritu sancto, cap.30. *In incen-* Basil.
dio medio canebant hymnos Deo, haud reputantes multitudinem aspernantium veritatem, sed sibi ipsi sufficientes cùm essent tres, quare alter alteri multitudinem solus exhibebat innumerabilem, & grauissimam. Ne miremur quòd Christus Dominus suæ gloriæ spectaculum manifestet solum tribus, quandoquidem quilibet eorum grauissimam exhibebat & innumerabilem multitudinem. Ecce vobis qualem Deus
habeat æstimationem iusti & boni viri. Hæc fatus Eccle- Eccl.9.
siastes capite nono, iuxta D. Gregorij Taumaturgi periphrasim, *Sapientiam tanti facio, vt paruam ciuitatem à paucis inhabitatam ciuibus frequentem existimem, si vel pauperem sapientem habet ciuem.* Quid plura? Adeò æstimat Deus virum iustum, vt non solùm iudicet suæ gloriæ spectatores tres solùm suffecisse: sed & pro quolibet eorum sudores & labores omnes vitæ suæ meritò subire præsumat.
Sic D. Chrysost homilia de terræmotu expendens seminis Chrysost.
diuini ruinam in parabola de seminante illo, cuius semen aliud cecidit inter spinas: aliud in petrosa, aliud secus viam. *Exiit*, inquit, *qui seminat ad seminandum, & quædam ceciderunt secus viam, quædam supra petram, quædam super spinas, quædam in terram bonam. Tres partes perierunt, & vna seruata est, nec ab agricultura destitit: sed quia vna conseruata est, agrum colere non cessauit.* Tanti æstimat Deus viros iustos, adeò sibi complacet in hominibus studiosis sanctitatis,

vt

vt ſpectantibus ſolis tribus, omnes gloriæ ſuæ pandat theſauros, imò vnius gratia manum toties mittat ad aratrum, immenſóſque ad labores præparet animum.

§. VIII.

Mille verbum diuinum formas ſubit, vt in hominibus Dei imaginem reſormet.

QVas Dominus non induit figuras, vt nos in corpus claritatis ſuæ transfiguret? Quas non ſubit formas vt in nobis imaginem Dei perditam reformet? Aiebat quondam Moyſes Exod. 15. *Sanctuarium tuum, Domine, quod firmauerunt manus tuæ.* Ad hæc Orig. hom. 7. *Hoc non dicit manu hominis ſactum, ſed Dei. Quid ergo? propter te Deus & plantat, & ædificat, agricola efficitur, ſtructor efficitur, ne tibi aliquid deſit.* Vnus Deo ſcopus eſt totius ſuæ œconomiæ, vt hominem reformet ac figuret vt illi antiquam Dei imaginem indat, cuius gratia mille ipſe induit formas & figuras. Suffragatur D. Cyrill. Hieroſolym. Catecheſ. 10. *Vnicuique inquiens, varius fit Saluator ad vtilitatem. Quis enim indigent recreatione & lætitia, illis fit vinea. Qui opus habent vt ingrediantur, his conſtituitur oſtium: & qui cupiunt offerre orationes, illis fit mediator, ſummúſque Sacerdos. Rurſus habentibus peccata fit ouis, vt pro ipſis mactetur. Et omnibus fit omnia, ipſe idem natura permanens qui eſt.* Tandem ſeruili forma diſſimulata filij Dei imaginem ſplendentem externis corporis lineamentis ante Diſcipulos in Thabor ſubit, vt transfiguratus ipſe nos homines in filios Dei formet & transfiguret. Etenim eum eſſe Chriſti Domini ſcopum in omnibus ſuis operationibus, teſtatur D. Paulin. epiſt. 4. dum inquit, *Ita ſe immiſcet nobis, ac nos ſibi conſerit, vt quod ipſe accepit, nobis proficere faciat. Sic & honori ſuo implicans ſuos, prope omnia nobis etiam nomina ſua communicauit. Vt virtus Dei dicitur, ita & nobis virtus eſſe dignatur; Dominus enim refugium noſtrum & virtus. Et ſicut ipſe de ſe ait, Ego ſum lux mundi; ita & ad ſuos inquit, Vos eſtis lux.* Hæccine eſt Chriſti Domini operatio nos ſibi conſerere, & conſertos à ſeruili forma in filiorum Dei formam transfigurare? Quod Chriſto Domino acceptum referebat Paulus ad Philipp. 3. fatus, *Saluatorem expectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum* (ſiue vt Ambroſio placet) *transfiguratum corpori claritatis ſuæ.* Quæ verba ſic Anſelmus expendit, ita reformabit illud, id eſt, priſtinam ei formam ita glorioſam reſtituet, vt ſit configuratum corpori claritatis ſuæ, id eſt, aſſimilatum corpori ſuo clariſſimo. Iam finiat Irenæus varias verbi figuras notans, vt nos transferat in paternam figuram. Etenim ait lib. 4. cap. 37. *Et ipſe vnigenitus Dei vtpote diues & multus exiſtens, non in vna figura, neque in vno charactere videbatur videntibus eum, ſed ſecundum diſpenſationis eius cauſas & efficaciam, ſicut in Daniele ſcriptum eſt. Aliquando enim cum his qui erant circa Ananiam, Azariam, Miſaël, videbatur aſſiſtens eis in fornace ignis. Et viſio, inquit, quarti ſimilis filio Dei. Aliquando autem lapis à monte abſciſſus ſine manibus, & percutiens temporalia regna, & ipſe replens vniuerſam terram. Rurſus videbitur vt filius hominis in nubibus cœli veniens ad veterem dierum, & ſumens ab eo vniuerſam poteſtatem & gloriam.*

Exod. 15. Origen. Cyrill. Paulinus. Philipp. 3. Iren.

§. IX.

Notitia ſui homo redit ad priſtinam figuram, qua Deo ſimilis conditus fuit in paradiſo.

CÆleſtem ex Patre originem, vt ait D. Ephrem, oſtendens Dominus, ſimul & ex Maria matre referens naturam, ſeſe ante Diſcipulos transfigurat, quaſi eos alliciens, vt ex cœleſtis & terrenæ originis notitia, priſtinæ Dei imaginis amiſſæ nitantur recuperare figuram. Nil enim magis homines transfigurat in formam filiorum Dei, in abolitam in paradiſo figuram, quàm ſi crebro habeant ob oculos diuinam animæ ſuæ & terrenam corporis originem. Id diſticho edocuit Theologus Nazianzenus.

Te noſcas, & quæ tibi ſit cœleſtis origo,
Sic facilis venies ad decus archetypum.

Quod illius Scholiaſtes S. Cyrus ſic explicatius expendit, nimirum, *noſcas te mortalem eſſe, vt qui carne quidem è terra ſumptus ſis; ſpiritu autem diuinitus inſufflatus.* Itaque duplicem quiuis homo habet originem, ex cœleſti Dei halitu, & ex limo terræ, hæc ſibi ſæpius præferat, hæc alta mente reponat, & ad priſtinæ figuræ & imaginis decus facilis tranſcendet. Hanc vim ſe transfigurandi per notitiam ſui hominibus inditam, noui ex Ruperto lib. 2. de Trinitate cap. 2. vbi explicans illud Geneſ. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, quaſi dixiſſet, ait Rupertus, *Faciamus hominem, qui trinæ operationis noſtræ in ſemetipſo habeat euidentiam*, ac ſi in eo conſiſteret imago Dei homini indita, quod homo Trinitatis operationes, quas Theologi vocant operationes ad intra, æmularetur. Et quidem Deus Pater ſe intimè & perfectiſſimè cognoſcens, ſuæque perfectionis abyſſum penetrans, ex hac ſui cognitione & comprehenſione operatur in ſe, & generat verbum, quod eſt ſplendor Patris, & figura ſubſtantiæ eius. Cuius triados in operatione homo Deo ſimilis eam vim habet, qua etiam ſe cognoſcens, ſuæque ſubſtantiæ originem penetrans ſimilem Deo in ſe figuram, & perfectam Dei imaginem, qualem à primordio ſortitus eſt, facilè exprimat. Accinit non inelegans Clem. Alex. 3. Pædag. cap. 3. vbi inquit. *Si quis ſe ipſum norit, Deum noſcit; quòd ſi Deum noſcit, ei aſſimilabitur, non aurum geſtans, nec talarem veſtem gerens; ſed benefaciens, & quam pauciſſimis fieri poteſt indigens.* Ecce tibi quicunque homo ſis, qualiter ex perfecta tuæ cœleſtis terrenæque originis manifeſtatione & notitia te iuxta primæ deificæ imaginis exemplar transfigures. Vnde D. Ambroſ. Pſalm. 118. ſerm. 10. *Cognoſce te anima, quia non de terra, non de luto es, quia inſufflauit in te Deus, & fecit animam viuentem, opus ei magnificum Dei generatione inſpiratum. Sæcularia te non moueant, & mundana non teneant, terreſtria non moreatur; ad illum tota intentione feſtina, ex cuius inſpiratione conſiſtis.* Hæc ille: nec aliud efficax medium inueniri poteſt, quo ſe quis transfiguret in filium lucis, quàm ſi ſe, ſuáque penitus inſpiciat. Finiat rem Seneca epiſt. 6. vbi inquit: *Lucili non emendari me tantum, ſed transfigurari; nec hoc promitto iam vt ſpero, nil in me ſupereſſe, quod mutandum ſit. Quidni multa habeam quæ debeant corripi, quæ extenuari, quæ attolli? Et hoc ipſum argumentum eſt in melius tranſlati animi, quòd vitia ſua, quæ adhuc ignorabat, videt.* Porrò ea res maxime homines confirmat, ad perfectionémque ducit, quæ propriam illorum infirmitatem ob oculos proponit continuè. Paulo datus eſt Angelus Satanæ, qui eum colaphizet, 2. ad Cor. 12. à quo ſe petit liberari vir ſanctus, neque obtinet, datus enim illi erat ad ſalutem, *quia virtus in infirmitate perficitur.* Quando namque naturæ infirmitas ob oculos verſatur, maxima fit acceſſio virtuti. Ab hoc ſtat D. Iren. lib. 5. dicens. *Voluit ergo Dominus Apoſtolum ſuum ſic colaphizari? Et talem ſuſtineri infirmitatem? Etiam dicit verbum, virtus enim in infirmitate perficitur, meliorem efficiens hunc, qui per ſuam infirmitatem cognoſcit virtutem Dei. Suam enim infirmitatem diſcere per ſuſtinentiam, nihil eſt malum, magis autem bonum eſt non aberrare in natura ſua.* Hoc bonum, & maximè cuique conueniens, quòd in natura ſua non erret, quod ob oculos habeat, cuius ſit natura propria infirmitatis. Necnon & naturæ excellentia in diuina origine fundata maximè etiam arcet hominem à vitiis. Ideò Petr. 1. Can. vocat oues ſuas, gentem ſanctam, regale ſacerdotium. Sed cur adeò illuſtribus titulis populum condecoras, ô Petre? Iam ipſe reſpondit, apud S. Sixtum epiſt. de malis doctor. vbi fatur. *Ego his & generoſitatis ſuæ nobilitatem ante oculos poſui, & quod genus electum, ſacerdotale, regale, gens ſancta, populus acquiſitionis eſſent, indeſinenter oſtendi. Ego etiam quod diuinæ eſſent naturæ conſortes edocui, credens eos ad cuſtodiendam iuſtitiam promptiores fore, ſi ſtirpis ſuæ ſpeciem agnouiſſent ita mirabilem.* Adeò vel diuinæ ſtirpis, vel infirmitatis humanæ notitia valet ad componendos animos humanos.

Nazianz. Cyrus. Geneſ. 1. Rupert. Cl. Alex. Ambroſ. Seneca. Iren. Sixtus.

§. X.

Quò quis certius cœleſtem induit figuram, Deique imaginem in ſe portat, eo cautior ab omnium oculis ſe ſubmoueat, hominúmque fugiat conſpectum.

NOn ſine noſtra doctrina Chriſtus Dominus ſecretum altiſſimi montis petit, vt à multitudinis oculis ſuæ deitatis figuram, & imaginem cuſtoditam ſubmoueat. Eò enim imaginem virtutis Dei certiùs noſtris animis inhærere confidimus, quò magis eius ſplendores & proſilientes radios ab oculis mortalium arcemus. In dubium reuocat D. Zeno, apud Lippom. Catenam, quòd homini in principio indita ſit imago & figura Dei. Qua in parte hominis, ait, eſt hæc imago? Quis illam vnquam cernere potuit? An, quia illam neſcimus, quia nunquam vidimus, ideò eam non habemus? *Habemus planè, & quidem manifeſtam ex eo ipſo quòd non eſt portantibus nota. Incomprehenſibilis Dei imago,*

Zeno.

inuiſibilis

inuisibilis sit necesse est. Denique oculis non est subiecta mortalibus. O quam miserè falluntur illi, qui in conspectu omnium ambiunt transfigurari! Qui imaginis Dei splendores, nempe virtutes, aut ecstasim oculis multitudinis committunt! Proh dolor! non hæc est figura Dei inuisibilis, quæ omnium oculis passim cernitur, qui verè transfiguratus est, qui non adumbratam, sed solidam verámque Dei imaginem & figuram subit, secretum amat, non frequentes populi plateas, sed desertos montes quærit, illámque ab oculis multitudinis arcet. *Non enim qui in manifesto Iudæus est: sed qui in abscondito Iudæus est*, aiebat quondam Paulus ad Rom. cap. 2.
Hieron. Quocirca arguta satis quæstio apud D.Hier. Epist. ad Tharasiam, cur Deus sui populi signum non constituerit ea corporis parte, qua palam & perspicue ab omnibus cerneretur, nempe aut in fronte, aut in manu? Imo potius signum illud iussit inuri ea in parte, quam natura ipsa occultare, & contegere nititur. *Ne iustitiam nostram* (respondet Hieronymus) *coram hominibus faceremus; sed in occulto & coram eo solo, cui soli nihil est occultum, & quem solum remuneratorem bonorum nouimus esse factorum. Vnde ne in carne palam, sed in occulto cordis Iudæi esse debemus.* Adeo Dei sigillum homini impressum occultari amat, vt Deo probetur; adeo occultanda est Dei imago, & figura, vt vel ex illius secreto, quo sese hominum oculis eripit, clarissimum sui præbeat argumentum. Quo vsus fuit Bachiarius Epist. ad Ianuarium, vt extolleret Salomonis pœnitentiam. Etenim Ianuarius pœnitentiam tanti Regis negat, eo quod nulla illius mentio in scripturis, in antiquis authoribus inueniri queat. Cui ille. *Audi ergo frater, pœnitentia eius quæ non scribitur publicis legibus fortasse à Deo acceptabilior vt dicatur, qui non ad faciem populi; sed in secreto conscientiæ teste Deo pœnituit.* Non enim facile adducar, vt credam hominem in melius transfiguratum & mutatum esse, quando & frequenter amat conueniri, & passim suas virtutes prodit populorum conspectibus & multitudinis. Abrahamus litaturus filium, nil magis studet, quam tantum facinus vel ipsis famulis celare: & ideo illos iubens manere, ait Genes. 22. *Sedete vos hic: ego vero & puer pertransibimus vsque illuc, & cum adorauerimus reuertemur ad vos.* Vbi notanter D.Chrys. *Filium tuum, ait, mactaturus pergis, & ais, reuertemur? Dum pueros studet celare, propheta efficitur.* Adeo gratus est Deo, qui suas virtutes, ab hominum oculis celare procurat. Vtinam hæc omnibus fuisset innata cura, vt ad eas plus affecti essent virtutes quæ magis spectantium oculos fugiunt. Niniuitæ illi à Iona c.3. correpti, *Prædicauerunt ieiunium & vestiti sunt saccis.* Vbi eleganter D.Hieron. *Ante ieiunium & sic saccus: ante quod occultum est & postea quod palam: etsi è duobus necessarys vnum est detrahendum, magis ieiunium absque sacco quàm saccum eligam absque ieiunio.* Securior enim est, & firmior virtus illa quæ abscondi potest, quam illa quæ nequit non esse in spectantium oculis.

§. XI.

Sic se componere homo debet, vt etiam in loco solitario, in deserto agro, vbi à nemine videtur, virtutum intimarum effulgeat radijs.

MEdio in secretissimo monte dilectissimis sibi discipulis stipatus, vbi alij relaxandi animum gratia vix se à saltu, à ludo, à cursu continere possunt, Saluator noster totus intimarum virtutum fulgoribus irradiatur. Sæpe homines virtutum studiosi agrorum secreta meditantur, vbi laxatis parumper habenis, honestis exercitiis recreantur. Quos vt cautos media in solitudine reddat Magister omnium & Saluator, sic in secreto montis interiorum virtutum habenas relaxat, vt totus lucidus, totus in splendorem transfiguratus appareat. O felix illa animi relaxatio, qua totus homo exterior intimarum virtutum radiis illuminatur: sane latet anguis in herba, & sæpe in agro, in solitudine, quo minus sibi homines cauent, eò facilius hostium incur-
Psalm.10. runt manus. Scite Psaltes. *Quomodo dicitis animæ meæ. Transmigra in montem sicut passer. Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, vt sagittent in obscuro rectos corde.* Ibi in secreto montium, vbi compressæ diu habenæ, solent relaxari, insidias hostis agit, latet occultus anguis. Hinc totum Euæ damnum D.Greg. Taumat. serm. de Annunciat. auspicatur. *Virgo Eua sola in paradiso chorum agens atque tripudians, relaxata mente per incuriam ab authore omnis mali serpente verbum suscepit, & sic sensu mentis corrupta est.* O quantum detrimentosa fuit nobis ista Euæ animi relaxatio! Cum se in agro vidit, nihil timens, totam se fundit in gaudia, & relaxata mente, lethali vulneri exhibuit aditum. Iam sibi omnes caueant etiam in agro, etiam in solitudine, etiam in media relaxatione animi sic se componant, vt tunc maxime eluceant, & splendeant intrinsecæ virtutes quas habent. Ecce vobis Rebecca in domo parentum circumspecta clientum turba, interrogata, an ad virum ire velit, non moratur, vt virginem decebat, responsum, sed statim alacri & gaudente animo respondit, vadam, Genes. 24. Hiccine est Rebeccæ Genes. 24.
virginalis pudor? Hæccine est illa virgo honestissima & sanctissima? Vbi pudor, quando tam festinus in coniugium ausus? Vbi virginalis decor, quando sic sese offert amplexui maritali? Sane maximus erat pudor, maximus virgineus decor animo puellæ sanctissimæ latēs, & adeo maximus, vt in solitudine, vt in agro, vbi licentia maior & occasio vehementior, ibi sese ostēderit, clarissimísque se prodiderit radiis. Etenim cum in agro esset Rebecca, noto à longè sponsō Isaac, qui exierat ad meditādum in agro, *illa tollens cito pallium suum operuit se.* Ad hæc eleganter Rupert. lib.6. cap.45. Rupert.
Non ergo eum diceret, vadam, concupiscet aut concupiscere ardebat, quæ tanta festinatione pulcritudinem suam operiebat, viso Isaac. Non vtique, sed superno potius nutu præuenta peregrinari cum fide Abraham & Isaac & futuram inquirere ciuitatem malebat. O quam euidens testimonium præbuit solitudo & ager puellæ pudori virginali! Ecce quàm in agro, in solitudine viso sponso, ad quem alacris se ituram promisit, internæ eius virtutes fulgurarunt. Sanè non lasciuiæ tædis, sed fidei luminibus intus concremata dicebat, vadam, quando in agro, in deserto loco sola cum petito sponso pudoris splendet sub radiis. Sic nos intrinsecus componamus, vt dum ager, dum solitudo relaxandi animum, & sensus licentiam propinat & securitatem, tunc præcipue quæ intus sunt virtutum lumina foris irradient.

Textus. Et resplenduit facies eius, sicut Sol.

§. XII.

Strenuè, & intrepidè subeunda mors ab ijs, qui velint mortem superare.

MOriturus Christus Dominus hanc suæ in Thabor gloriæ præmisit manifestationem, ne ex infirmitate videretur succubuisse, qui tantæ virtutis radiis coruscauit. Itaque ad mortales tenebras subeundas hanc sibi facem prætulit claritatis. Sed cur instar solis se ad mortem parauit? Accipite D.Zenonem homil. de Resurrect. sic de sole Zeno.
philosophantem. *Sol quotidie nascitur, eadémque die, qua nascitur emoritur, nec tamen instantis finis sorte terretur, vt suos retardet cursus: sed fidelis semper intrepidus ad sepulcrum noctis contendit, sciens in ipso se habere quod viuat.* Igitur Christus Dominus moriturus, prius totus splendet vt sol innuens quam imperterritus, quàm intrepidus ad sepulcrum mortis festinat, ex quo citus surget quod viuat. Tibi veniat in mentem Rex ille alioquin fortis Ezechias: incidit in lectulum, 4.Reg.20.
morti appropinquat, & vel mortis odore perterritus reuersus ad parietem fletu & lachrymis deprecatur vitam. Additi sunt illi ex Isaiæ oraculo anni quindecim pro cuius rei signo Sol ab occasu in Orientem retrocedit decem lineis. Quis vnquam Solem ab occasu retrocedentem vidit? Sane, quando maximus Regum Christus in cruce occubuit, minime retrocessit Sol: sed præproperum sibi induit nocturnum luctum. Quæ ratio discriminis, quod qui retrocessit in Ezechia, in Christo Domino obscurari sustinet? Eleganter D.Cyril. Hier. Catech. 2. *Tunc, ait, propter Ezechiam* Cyrill.
Sol reuersus est, propter Christum autem Sol obscuratus est non re- Hierosol.
trocedens; sed deficiens. Atque per hoc vtriusque differentiam & Ezechiæ, & Iesu demonstrauit. Etenim Ezechias mortis aspectum pauet, quam nititur aliquandiu fugere, quod retrocedente sole innuitur. At vbi nactus est inuictissimum Regem Christum non retrocedit, imo mortis caligine obscurari festinat, vt qui vidit iustitiæ solem imperterritum & impauidum cum morte confligere crucis ligno suffixum, vnde nouit se habere quod viuat. Accinit pulcherrime Eucherius in 4.Reg. cap.14. sic cum Elia rapto ne moreretur, Eucher.
componens morientem Christum. *Elias mortem distulit, non euasit: Redemptor autem noster, quia non distulit superauit, eámque resurgendo consumpsit.* An tu qui id curas, vt mortem differas, vt pigrescas in vita, ideo eius amarissimos felles fugies? imo semper amariores gustabis: siquidem moriendum omnibus est. O vos felices qui animose mortem oppetitis, qui festinanti libentes, & imperterriti occurritis, mortē sine dubio superabitis, & inde amplissimam ebibetis vitam.

vitam. Gloriosæ & immarcessibilis vitæ illius quæ post mortem superest, vt exemplum exponat Tertul. lib. de carn. resurrect. ait. (Tertull.) *Accipite plenissimum huius spei specimen, illum Orientis alitem de singularitate famosum, de posteritate monstruosum, qui semetipsum libenter funerans renouat natali fine discedens.* Expendo illud, semetipsum libenter funerans. Quid si inueniat natalem finem solaris ales, qui libens, & intrepide de suo ipse funeri occurrit? Et sole & solari aue præstantior Christus Dominus non mortem refugit, non mortem reformidat & differt; sed intrepide libenti animo venienti occurrit, congredientem expectat fixo pede crucis in ligno. Quod pulcre Athanas. hom. de Pass. ponderat, dum inquit. *Neque de cruce descendendo voluit filius Dei agnosci, sed ex eo quod in cruce permaneret. Certe pendente in cruce Domino, monimenta aperiebantur, & qui ibi sepulti iacebant, viuificabantur.* O verum diuinitatis iubar fulgentissimum! O iustitiæ vnicus Sol, eo magis splendentis solis aspectum subis, quo ad mortem impauidus ruis, quo minus expauex mortis caliginem! quo magis irreuocabili gressu mortali vmbra obscurari festinas! Iam te solem experiretur obscura regio, cum te accedente habent cuncti mortui qui viuant.

§. XIII.

Christi Domini fulgentissima caro tenebrosos hominum mores condemnabit.

VBi Christum solem auspicaris, memento quod Malachias addit, nimirum iustitiæ solem; solis induit radios, vt omnia lustret humana, vt futuri Iudicis exhibeat faciem. Id D. Basilius Seleuciæ antistes notauit. (Basil.) *O miraculum, ex humano forma mittebantur radij diuinis operationibus solis instar perstringendi oculos, significantis orbis terræ futurum iudicem.* Væ hominibus, qui cæcutiunt sub tenebris peccati! qui caliginosis insudant laboribus! qui tenebrarum Principi famulantur. Quomodo solis trutinam sustinebunt? Quomodo ad radiantem iudicis faciem stabunt? Facies iudicis humana est, fateor, oculi illius carnei, vnde necesse est, vt suæ carnis, & humanitatis congeneres misereatur. Et quidem miserebitur congeneres suæ carnis. hoc est carnis fulgentissimæ participes; qui in carne ambulantes cœlestis luminis radijs apparebant signati. Id præcauet Clem. Alex. in adhortatoria fatux. (Genes. 8.) *Vt germani lucis filij intueamur lucem sursum aspiciamus, ne nos esse adulterinos deprehendat Dominus, quemadmodum sol Aquilas.* Non quod ore, & plumis genus referat, ideo legitima & germana censetur Aquila. necessum est quod examen sustineat solis radiantis? Quod si ad solis trutinam cæcutit aliquando, vt degener & adulterinus executitur alex. Itaque parum est, quod homines ore solum Christo congeneres nos exhibeamus, ad fulgentissimæ eius carnis trutinam accedere debemus, si caro nostra cœlesti lumine consignat, irradiat, si operibus exclusis tenebrarum lucida progenies sursum aspirauit, vt legitima & Christi carnis germana probatur: si verum caligat, si solis faciem exhibenti carni composita caro hominis nigricat aliquanto, væ miseræ, quia protinus vt degener, & adulterinus filius à consortio fulgentissimi hominis Christi exsibilabitur. Nigricantem carnem peccato vna condemnabit filij hominis fulgentissima caro. Vnde D. Zeno serm. 3. de Nat. ait. (Zeno.) *Dei filius ideo carnem est dignatus assumere, vt nemo possit se per carnem, cum iudicij dies venerit, excusare.* Sanè potuisset quis nigricantes peccati maculas, vt carni proprias & congenitas, vt lunæ sunt congenitæ maculæ apud iudicem spiritum excusare. Quid te, ô Iudex, maculæ offendent? Siccine est stulta hominis caro quæ vt luna mutatur, & lunæ instar quàuis millies nitro lauetur, semper præsefert has nigricántes maculas? Sed proh dolor! Inepta ista excusatio apparet, vbi iudex caro est, & caro non lunæ, sed solis tota fulgentissima sub radijs. Quid iam respondit nigricans caro, vbi caro in splendoribus sanctorum interrogabit? Vbi caro lucidissimi solis faciem præferens iudicabit? Videre cupis seuerissimum istius sanctissimæ carnis iudicium in homines? Aspice illam cruci suffixam, vbi totas misericordiæ habenas laxauit, vbi radiantem faciem obtexit vsque ad similitudinem carnis peccati, vbi fletu & lacrymis inimicis suis veniã deprecatur. Quid plura? ibi illam iudicantem expauesco, ibi è duobus supplicij socijs irreparabiliter condemnat alterum. Id ponderat August. serm. 45. (August.) *Positus in patibulo verus arbiter in medio damnatorum negantem latronem repulit; suscepit confitentem: hunc deputat regno, illum relinquit inferno. Per hæc ergo credimus in maiestate iudicaturum quem iam in cruce, & misericordiam videmus exercere & iudicium.* Sed quale ibi iudicium exercuit? Quomodo approbandum examinauit? Sanè quemadmodum sol Aquilas ex visus perspicuitate, & claritate. Sic Chrysost. in Catech. de latrone bono. *Videt quidem apparens opprobrium: sed intuetur latens regnum.* Igitur & nos has exteriores tenebras spuentes latentia cœlorum regna exquiramus, iugum rectorum tenebrarum harum à ceruicibus excutiamus, lucida & æterna bona auide quæramus, ne nos adulterinos, & degeneres Iudex inueniat quemadmodum sol Aquilas.

§. XIV.

Nulla bona permanentia & duratura possunt haberi; nisi in Christo & per Christum.

CVm sole permansura bona extra Christum nemo quærat, obtinuit nemo vsque adhuc. Considerate Salomonis gloriam; quis Salomone ditior? quis pulchritudine & sapientia præstantior? quis omnium bonorum cumulo beatior? Sed quàm eiusdem gloria labilis; quam horaria? nec lilium, nec flos campi illa fugacior. Quid mirum? omnia illi bona donantur, non solo radiante, sed nocte & tenebris dominantibus. Ita D. Greg. lib. 2. Moral c. 2. (Gregor.) *Hinc est, quod Salomon, qui sapientiam non perseueraturus accepit, in somnijs hanc & nocte accepisse describitur.* Omnia labilia, & horaria ad lunæ tenebrosum regnum spectant, quicquid perpetuum est, quidquid æternum duraturum, id diuini Solis accipitur sub radijs. Magnus ille Iacob visus est tanquam sol Iosephum adorare Genes. 37. (Genes. 37.) sed & Esther dicitur fons paruus in solem conuersus. An ideo soles ambo, quia ille terrenis bonis ditissimos apparuit, hæc regio in culmine coruscauit? Absit: peritura enim bona nunquam solari lumine radiant. Equidem ait Rupert. lib. 7. de Victoria Verbi Dei c. 26. (Rupert.) *Concedendum est, quod nullum gaudium transitorium meretur nuncupari sol, aut comparari soli, cuius lux non mutatur vt luna; sed plena perseuerat. Igitur neque Iacob neque Esther propter suam personam soli assimilatus est, sed propter Christum solem iustitiæ, vnum & solum tam ille, quàm hæc per solem signatus est. Ille, quia tum Christum habebat in promissione, hæc quia Christi genus vnde nasceretur reseruauit.* Quicquid extra hunc diuinum Solem habent caducum est, periturum est, sub vno Christo & ab illo habent, quod cum solis luce sint æternandi. Insufflauit quondam Deus homini spiraculum vitæ, vitæ, inquam, naturalis, & supernaturalis, mille virtutibus, mille gratijs cumulans animam. Sed heu quàm labilis in homine diuinus halitus, penè præteriit cum ipso spiramine. Quid tunc? Homini in vmbra mortis sedenti Sol diuinus Christus præparatus, qui animorum æternet vitam, qui diuinum halitum subsidere & permanere faciat nostris animis. De illo aiebat Baptista apud Ioan. c. 1. (Ioann. 1.) *Qui post me venit, ante me factus est, de cuius plenitudine nos omnes accepimus.* Ad quæ verba Leontius ait: (Leont.) *Causam reddit eius quod dixit, ante me factus est, quia prior me erat: subiungendo, quòd ex eius plenitudine nos omnes accepimus. Quomodo enim non antè erat prior ipse qui impleuit ipsos qui de plenitudine acceperunt? Plenitudinem autem ipsius vocat inspirationem, quæ fuit in Adam, quam & dedit Apostolis post resurrectionem, nempe Spiritum sanctum. Pro gratia enim Adæ concessa, à qua excidimus, ditiorem Christus donauit nobis per sacrum Spiritus sancti inhabitationem.* Expendo illud. quòd pro gratia Adæ ditiorem Christus donauit Spiritus sancti inhabitationem: quippe Spiritus permanentia, omnisque boni duratio & perseueratio non nisi à Christo Domino est expectanda. Qui instar Solis perseueranter, & æternum duraturas diuitias per homines spargit.

Text. Et vestimenta eius facta sunt alba sicut nix.

§. XV.

Vera hominum species & nobilitas non quæ ab extrinseco; sed ab intimis animi virtutibus splendet.

O Vanas hominum curas! O inanes glorias mortalium! nobiles esse volunt & speciosi; sed intrinsecum animi splendorem & nobilitatem despicientes, ab alijs externis emendicant, quo fulgeant in auro. Christi autem Domini gloria, & nobilitatis splendor non ab externis, sed ab intimis animi virtutibus rutilauit. Sic D. Ephrem dixit, (Ephrem.) facta sunt vestimenta eius alba. Etenim ostendit, quòd ex toto eius corpore eius gloria scaturit, & tota eius carne

resplenduit eius facies, & ex totis eius membris resplenduerunt radij. *Non enim sicut Moysi eius facies resplenduit extrinsecus, sed ex ipso scaturiebat eius gloria, & in eo manebat. Ex ipso oriebatur lux eius, non venit ex alio obliquus, & cum exornauit.* Tota vestimentorum gloria, tota nobilitatis splendentis species non ab externo; sed ab intimis effusa oculos perstringebat mortales. Huc spectent qui vera nobilitate & speciositate ambiunt in mundo radiare. Huc crediderim

Nazianz. spectasse Naz. orat. 28. de reditu, in qua vt verè, sic rectè fastidit inanes multorū gloriolas & nobilitates. *Quantum ait, illud nobilitatis genus, quod in Principum diplomatibus & edictis consistit, tunc illud in pretio habebo, cum pictam pulcritudinem laudandam duxero, simiamque, ob id venerari cœpero, quo leo esse iussa sit.* Planè rideres, & maximè irrideres, si simia superbum leonis nomen præseferens in auro fulgeret, sibique blandiretur de nobilitate, quod ab hero iussa fuerit leo esse. Si intrinsecus simia sis, si vilis & obscurus, quid, quid ab auro fulgorem capias? quid quod tabellis præferas nobilitatem? Pulcrè Regius vates naturæ humanæ splendorem

Psalm. 44. effingit & nobilitatem. Psal. 44. *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus in fimbrijs aureis, circumamicta varietate:* quasi diceret, Regia hominis natura fulgeat licet amictu aureo, vestimentisque artificiosa depictis acu; tota verò eius gloria, integra nobilitas ab intus sit, a primis animi virtutibus, ex quibus ad vestimenta vsque dilabatur. Vnus sit huius loci

Gregor. commentator D. Greg. Magn. in 1. Reg. lib. 6. c. 15. vbi de virginali honore hæc verba facit. *Quid est, quod dicitur, Omnis gloria filiæ Regum ab intus, si foris esse gloria in fimbrijs aureis prædicatur? Si enim foris est aliqua magna aureæ vestitus gloria, intus omnis gloria videri non potest. Quid ergo est, quod omnis gloria intus esse perhibetur, nisi quia & illa quæ foris est gloria, cum alijs innumeris intus esse cognoscitur? Aurea enim virginitas non est, si foris est, & intus non est. Quia ergo intus & foris est, quia eadem splendet in corpore, eadem fulget in mente, omnis gloria intus esse sentiri conuenienter potest.* Quid pulcrius dici potuit? Solum id age quod Sanctus de virginitatis honore, id tu de quacunque alia naturæ humanæ gloria, speciositate, nobilitate dictum habe. Etenim & omnis regalis naturæ nobilitas ab intus esse perhibetur, & simul in extrinsecis fimbriis aureis, vestitu variegato. Cur ergo omnis ab intus dicitur, si foris manet vestis splendor aureus? Equidem totus internus est splendor veræ gloriæ & nobilitatis, quando qui extrinsecè apparet splendor ornamentorum, cum intrinsecis conuenit virtutibus animi. Quia ergo intus & foris est, quia eadem gloria, eadem speciositas, eadem nobilitas fulget in mente, eadem splendet extrinsecus in corporeis ornamētis, omnis gloria intus esse, sentiri conuenienter potest. Per hanc in-

Ennod. trinsecam gloriam metiebatur D. Ennod. regium splendorem in Panegyr. Theodorici dicens: *Quid cultu laborent, qui cupiunt peregrinam obtinere pulcritudinem! Italiæ Rector in ira sine comparatione fulminens: in lætitia sine nube formosus. Fortasse ore Legatis gentium, aut pacem blanda promittit effigies, aut bello terribilis.* Et sanè regius solùm est splendor, qui ab intrinseco est: adeò vt de sanctissima Helena Constantini matre, in regium sublata torum, hanc reddat rationem Berengosius lib. 1. de inuentione Crucis, cap. 2. fatus. *Quoniam internæ pietatis, & externæ pulcritudinis isto instincta est norma, vt & Deo placeret in anima, & Constantio in forma.*

§. XVI.

Christus Dominus in Thabor quasi nobilis tyro vestem accepit albam, quam ipse rebus egregiè factis purpurascenti exornet textura.

TRitus Romanorum mos nobiles iuuenes vt ad bellum initiaret, alba tunica & simplici induebat, vt illā postea rebus egregiè factis, gestis strenuissimis, nobilioribus fulgentioris purpuræ radiis illustrarent ipsi, atque depingerent. Hanc in Thabor adolescens secundus Christus albentem niueámque vestem induit, quam purpurascentibus mæandris exornet in bello, auro obtegat, & gemmis nitidissimis illuminet. Igitur quam fuerit hæc alba, & simplex vestis illuminata à Christo suis strenuissimis gestis, ponde-

August. rat August. serm. 178. de tempore. *Ascendebat enim cruoris rubore perfusus à trophæis victricibus laureatus. Viderunt cælites cuncti speciosum vulneribus Christum spolia cæsis tyrannicis reportata, & admirantes fulgentia diuinæ virtutis vexilla talibus concrepant hymnis. Atque inter se læti dicebant: Quis est iste Rex gloriæ?* Quam citò nobilis adolescens Christus albam exornauit vestem! illamque adeò fecit purpurascere, vt regium præferret decus cœlestibus ciuibus! Meritò D. Gregorius

Nazianz. Nazianz. orat. 2. in Pascha, vnam hanc vestem contendit exhiberi, quam mirentur cælites cuncti: sic enim loquitur: *Stolæ corporis passi pulcritudinem ex aduerso profert: quod per passionem exornatum, ac per diuinitatem, qua nihil pulcrius, exornatum est.* Vna in strenuo & nobili adolescente vestis spectanda, dum niuea est, nihil præter spem ostendit, cùm purpureis iam rutilat maculis, cùm intertextis effulget mæandris, nil adolescenti gloriosius, nil pulcrius. Nobilem quam in Thabor accepisti, ò Christe, vestem, niuea erat, & simplex tela, vnica spes orbis terrarum, prudenter illam in secreto montis induisti, quasi tuam virtutem dedeceret vestis adhuc alba. Sed cùm Caluariæ montem pertransis, ne abscondas, sed vel cœlo spectanti, stolæ corporis passi profer pulchritudinem, egregiè purpurascenti passione contextam, & ambitiosè exornatā. Sanè vt Naz. Scholiastes Nize-

Nizetas. tas explicat, *formosa est ipsius stola, hoc est, perpessum ipsius corpus, partim ob passionem, per quam glorificata est, partim ob diuinitatem, per quam illustrata est.* Et diuinitatis aurum, & passionis purpura verè gloriosam & illustrem fecerunt stolam, qua indutus Christus Dominus triumphauit. Hinc Abu-

Abulens. lens. in Matth. cap. 17. quæst. 10. ait. *Christus non transfiguratus est ad habendum in se veritatem gloriæ corporis: sed ad ostendendam imaginem gloriæ.* Etenim tunc solum vestem induit albam, & quasi fundamentum, seu primum stamen, aut simplicem telam ostendit, in eáque gloriæ delineationem, & quasi adumbrationem quandam, quam postmodum nobilioribus fulgentioris purpuræ radiis illustratam, & verè gratiosam efficeret profuso sanguine.Háncque mirantes Angeli præ stupore dicunt Isai. 63. *Quis est iste qui venit*

Isai. 63. *de Edom tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua gradiens in multitudine virtutis suæ?* Sic ex stolæ purpura multitudinem virtutis eius admirantur.

§. XVII.

Vnus Christus è sublimi potestatis & dominij culmine totus elucet & irradiat.

QVis non in sublimi cōstitutus labat? Quis nitido potestatis solio etiam Sole pulchrior non eclipsim patitur? Et verè, & prudenter D. Bernar. in procemio ad vitam San-

Bernard. cti Malachiæ ait. *Quem mihi ostendas vel de illorum numero qui videntur dati in lucem gentium non magis de sublimi fumantem, quàm flammantem?* Vnus Christus in sublimi omnium creaturarum imperio totus illuxit animo & corpore, facie & vestibus, sine fumo flammauit, rutilauit. Quæuis alia creatura in sublimi potestate constituta quantumuis illuminata, etsi mille fulgoribus conuestita, aut corrupta, & euanida, aut saltem fumabit. De re nota nolim longa texere commentaria, id dixerim quod inquit Rupertus lib. 2. de victoria verbi Dei in titulo cap. 13. *Monstrat Deus, non posse principatum creaturarum humiliter sustinere, nisi verbo incarnato.* Vnus Christus Dominus in sublimi creaturarum imperio nec labauit, nec fumauit, nec euanuit. Id quod, vt experientia ipsa doceret, nobilissimum cœlestium spirituum Luciferum præfecit Angelis, Adamum hominem Dei manibus fabricatum hominibus. Quid plura ait Rupertus

Rupert. cap. 12. *Illum in apice celsitudinis Angelicæ constituit: istum patrem multitudinis hominum, multitudinis Sanctorum, & Dei filiorum esse voluit, & in paradiso collocauit. Nimirum magna vtrisque celsitudo, illius in principatu Angelico, istius in propagando genere humano. Neuter pondus tanti honoris humiliter ferre potuit, vtpotè vterque creatura.* O quot humi clari & prælucentes viri, dum in sublimi potestatis sederunt, loco euanuerunt vt fumus! Ideò Dei verbum carnem subit, quia soli illi debebatur creaturarum imperium, in quo lucidissimo ac fulgentissimo Sole tabernaculum fixit suum vniuersa creatura. Patrissauit sanè Iesus etiam in Imperio creaturarum, vt Deus de Deo, & lumen videretur de lumine. Aliter ille de quo dicitur 1. Reg. 13. Filius vnius erat Saul. Vbi Petrus Damian. epist. 41. *Qui tunc erat ex humilitate filius, postmodum per superbiam factus est tyrannus.* At Iesus in quouis Imperio manet ex humilitate Dei filius.

§. XVIII.

Igneus Prælatorum zelus, vt pietate temperandus.

IS est aliquando zelus legis, quo Principes, & Prælati inflāmati vehementer excandescant in subditos, at quisquis

sapis,

ſapis, ſic zelo inflammeris, vt zeli ardorem, de niueo pietatis theſauro noueris temperare. Non enim vane flammanti de Solis radiis faciei Domini additur veſtis, vt nix candida, niſi vt diſcant Prælati, quòd inter radios, & niues temperandus ſit zelus eorum, qui velint homines gubernare. Quis Elia ardentior? Quis flammantior? Sanè zelo accenſus nubes clauſit, vt negata pluuia, vniuerſi perirent fame; neque illum ab hoc conſilio ingens populi ſtrages reuocauit. 3.Reg.17. Tandem 3.Reg.cap.17. pauperculæ viduæ voce commotus, ſeſe flectit ad miſericordiam, viduam & filium ſaturans. Ephrem. Quocirca D. Ephrem oratione in Sanctum Eliam, ſic fatur. Reſpice, ac vide Elia, quanta hominum multitudo interierit, ſenum ac iuuenum, infantium ſimul & matrum. Cerne lacrymas totius terrarum orbis: quo pacto lugentes concidant pluuiam depoſcentes. *Propter vnam ſolam mulierem lacrymantem, ob cauſam filij ſui, videris velle eſſe miſericors: mundum verò lugens ac mœrens lacrymantem id cernis, & omnia pateris interire. Noui quòd zelo accenſus, diſciplinam intuleris, ſcio, Elia, non eſſe tui ſimilem.* Vbi gubernatoris diſciplinam tradit, & niues & ignes oſtendit. Ad gemitus pereuntis populi non flectitur; ecce ignes, quibus ardet: ad pauperculæ vocem totus abit in miſericordiam, ecce niues, quibus ardorem temperat zeli. Non placent flammantes vultus, ſine niue veſtimentorum: immensè flammabant illi, Thren.3. de quibus Threnor.3. dicitur: *Manus mulierum per miſericordiam coxerunt filios ſuos.* Quæ verba ſic explicat D. Paſchaſ. Paſchaſ. libro quarto. *Illi quaſi per miſericordiam filios decoquunt ſuos, quos culmine regiminis ſublimati, zeli flamma vrunt animae natorum, dum nimis iuſti ipſi videri cupiunt. & dum per tyrannicam poteſtatem eos excruciant, quaſi per miſericordiam eos zeli flamma decoquunt.* Tyrannidi proximus zelus eſt, qui pietatis niue neſcit tepeſcere, imò refrigeſcere aliquando. Luc.16. Apud Luc.16. villicus ille à domino laudatus non ſine dominicæ facultatis iactura, debita largè agricolis remittebat, Theoph. Antioch. cuius æſtum tractans Theophil Antioch. lib.3.comment. in Euang. ait. *Hanc temperationem Saluator villico iuſtitiæ, id eſt, Epiſcopo dedit, vt quomodo domino ſuo fraudem fecit, vt haberet vnde poſtea viueret: ita Epiſcopi non omnia peccata vleiſci debeant, ſed locum pœnitentiæ reſeruare eos conueniat, cum præſertim ipſe Dominus dixerit: Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur à via ſua, & viuat. Ideo autem laudauit Dominus fraudatorem domini ſui, vt tuus ſequentes exemplum, non omnia debita exigamus.* Sanè Sol minutiſſima quæque manifeſtat, nix etiam magna operit ſtercora. Sic ergo ſe componat Prælatus, vt inter niues & ſoles incedat, ſic zelo accendatur, vt ſciat aliquando frigeſcere. Sic Deus poſt vindictam Geneſ.8. diluuij fatur, Geneſ.8. *Nequaquam vltra maledicam terræ propter homines.* Ambroſ. De quo D. Ambroſ. lib. de Noe cap 22. ait. *Vindicauit ſemel ad timorem, pepercit in reliquum, vt dominaretur ſemper amaritudo peccati: ſimulque ſi quis peccata cupiat ſæpius vindicare, oſtēr magis quam cenſorius habetur*

§. XIX.

Veſtimentorum mollicies fugienda iis qui Chriſto nomen dederunt.

Veſtimenta non croceo fulgida, non picturis elaborata, ſed alba ſicut nix dicuntur, nec flammanti Saluatoris formæ, aptiores adhiberi poſſent veſtes, quam dum niueæ adhibentur. Radiat Chriſti facies, ardentiſſimóſque vndequaque radios fulgurat! O fugiat, qui non habeat veſtes Iſid.Peluſ. niueas. ita meditabatur D. Iſidorus Peluſius lib.1 epiſt. 74. dicens. *Eos qui mollia indumento gerunt, in Regum domibus verſari docet Lucas. At huiuſmodi veſtimenta ſpiritali illo thalamo, fulguris in modum rutilanti, minimè digna ſunt. Quamobrem ſi huius deſiderio teneris, vilem Dei noſtri Ieſu veſtitum imitare. Nam mollicies præſentis laſciuia eſt, non cœleſtis ſplendoris.* Appoſitè ad cœleſtium ſplendores ſuſtinendos, niueis iuuemur ornari veſtibus, hoc eſt, vilibus & duris amiciri, ſi Chriſti Domini coronas æmulari volumus. Nulli non ſunt damnoſæ pretioſæ veſtes: quod animaduertit Syneſ. D. Syneſius libro de Regno, fatus. *Ita ergo ſentio: nihil olim aliud tantam Romano imperio perniciem attuliſſe, quantam in Imperatore prope ſcenicus ornatus, cultúſque corporis.* Quid ſi in domibus Regum exitialis fuit veſtium cultus, quis à ſeruis Chriſti præſumat ſecurus glorioſè veſtiri? De hoc latiùs lib.4.cap 3.§.20.

Text. Ecce apparuerunt illis Moyſes & Elias cum eo loquentes.

§. XX.

Concordia & vnio inter antiquos & recentes Dei Miniſtros maximum emolumentum parit Reipublicæ fidelium, & ſibi ipſis.

Diuiniſſimè, & ſapientiſſimè Dei verbum hominum illuſtraturus animos doctrinæ ſuæ radiis, vetuſtiſſimos, & principes diuinæ legis Miniſtros, cum nuperis & recentibus Apoſtolis in Thabor coniunxit, & adunauit. O quanto mundi bono antiqui, & recentes Dei Miniſtri conueniunt inter ſe, mutuáque charitate & communione copulantur. Hoc præuidens Regius Vates aiebat: *Educens nubes ab extremo terræ, fulgura in pluuiam fecit.* Pſal.72. Etenim nubes quandoque coëunt, & maxime inter ſeſe denſantur, tunc incenſura mundum fulmina iaculantur. Accipite Origenem hom.5. in Hieremiam, cap.10. pulcre hæc Pſalmi verba ponderantem Origen. Aiunt naturalium ſcrutatores, quia fulgura ex nubium colliſione generantur, in morem ſilicum duorum, quos cùm comploſeris ſibi, medius ex his elabitur ignis; atque ita cum fulgure pariter & tonitruo mugire, tonitruo ſcilicet ſonitum indicante concuſſum, & fulgure excuſſi luminis claritatem. *Si intellexiſti exemplum, conſiderate nunc nubes rationales, Moyſes nubes erat, Ieſus Naue nubes erat, iſti ſi ſecum loquantur, ex ſermonibus eorum fulgura micant. Hieremias, & Baruch nubes erant, ſermocinantur inuicem, & videbitis rutilare fulgura. Paulus, & Siluanus duæ nubes in vnum conuenerunt, & ecce totum mundum epiſtolæ eorum fulgore illuminant* Inter ſe conueniant, conglomerentur nubes Euangelicæ, & vniuerſam terram lumine rigabunt. Qui principem, & excelſum in prædicatione locum antiquitus tenent, conueniant in vnum cum nuperis & recentibus, ſermones inter ſeſe concordi & vnanimi conferant ſtudio, & mille lumina parient, quibus totus ardeat orbis terrarum. Acutius adhuc Diuus Auguſtinus examinat illud Pſalmi 71. *Suſcipiant montes pacem populo, & colles iuſtitiam.* Pſalm.71. Expende diſcrimen, montes iubentur pacem vt populo perutilem adamare, colles iuſtitiam. Quare ergo, ait Auguſt. montes pacem, & colles iuſtitiam? An forte nihil intereſſet, etiam ſi ita diceretur, Suſcipiant montes iuſtitiam populo, & colles pacem? An potius cum diſtinctione non contemnenda intelligendum eſt quod ait, montes pacem, & colles iuſtitiam? *Excellentes quippe in Eccleſia pacem debent vigilanti intentione cuſtodire, ne propter ſuos honores ſuperbè agendo ſchiſmate faciant vnitatem compage diſrupta. Ideò dictum eſt, Suſcipiant montes pacem populo. Dicant quidem, Numquid Paulus pro vobis crucifixus eſt? aut in nomine Pauli baptizati eſtis. Illi quoque non dicant, Ego ſum Pauli; ego autem Apollo, ego verò Cephæ: ſed omnes dicant, Ego ſum Chriſti.* Hoc ab Eccleſiæ miniſtris vnice exigitur, ab illis, inquam, qui celſiorem & illuſtriorem locum tenent, vt pacem almam, & concordiam colant. Nil populo magis vtile, quam pax, quam inter ſeſe præſtare poſſunt principes verbi Dei miniſtri. Honorem, dignitatem, & omnia paci poſtponere iubentur, & ſumma inuigilare cura, ne cuius prætextu in popularium animis diuiſio fiat: omnes Chriſti ſint, ſiquidem pro omnibus mortuus fuit vnus Chriſtus, non Petrus, non Paulus, non Benedictus, non Auguſtinus, non Dominicus, non Franciſcus, non Ignatius. Quam pacem & vnitatem miniſtrorum adeò celauit Rex omnium Chriſtus, vt inter rabidas Phariſæorum iras, inter furentes carnificum manus maxime hoc vnum caueret, vt corpus ſuum maneret omni ex parte integrum, ne membra myſtica ſua diuiſionis alicuius prætextum ſumerent. Id quod notauit D. Athanaſ. de Incarnatione verbi, Athanaſ. inquiens: *Quocirca neque Ioannis mortem Dominus ſuſtinuit, capite truncatus, neque ſicut Iſaias ſerra diſſectus eſt, vt & in morte ſine mutilatione integrum corpus ſeruaret, & cauſa ſubtraheretur iis, qui Eccleſiam in partes cupiunt diſcindere.* Nulla cauſa, nullus prætextus manet, quo membrorum Dei ſit diuiſio: ſed ſumma potius illorum vnio & concordia, qua benefici erunt in vniuerſum mundum, ſibique maximum emolumentum acquirent. Etenim de tribus illis pueris in caminum ignis a Rege Babyloniæ coniectis Daniel.3. pulcre ait D. Zeno ſermone 4. *Immiſſi camino ignis exæſtuans detulit, vt eos vnius virtutis eſſe præſenſit.* O quantum honoris Euangelicis miniſtris deferent mortales dum vnius virtutis nos eſſe præſentiant: dum vna nos videant ardere charitate: dum vnanimes & conformes nos cernant proſilire in Chriſti aream.

§. XXI.

Nulla re magis de morte triumphabimus, quam si inter gaudia & delitias de illa sermones habeamus.

CHristum Regem gloria perfusum video, iuxta quem Moysem & Eliam simul & Apostolos tres contemplor incredibili affectos gaudio, & loquentes inter se contemplor: quid mediis his delitiis loquebantur? Qui inter gaudia & delitias tantas sermones erant? Eos explicatius Matthæus enarrat: *Loquebantur*, ait, *de excessu*, nimirum de morte a Christo Domino subeunda medio in Hierosolymitano agro. Proh Deus immortalis! Onerosi consolatores sunt isti, siccine interrumpenda gaudia sermone tristi? Siccine pungendus Domini animus ea hora, quam suæ gloriæ ostentandæ deputauit? Sanè nullum tunc sermonem Heros inuictissimus acciperet gratiùs, nihil magis nos faciet de morte triumphare, quam si inter gaudia de illa sermonem misceamus. Vt cœlestis sponsus pulcherrimæ amasiæ nobis præficeret imaginem, sic ait Cantic. 1. *Equitatui meo assimilaui te.* Deus bone, quid cum equo commune haberet delicatissima sponsa; qualis est hæc pulcherrimæ virginis, & equi comparatio? Eius vim & elegantiam vt exponeret D. Gregor. Nissenus, alia continuò addita verba sponsi examinat, nimirum, *collum tuum sicut monile*, & hæc cum primis componens ait. *Nomine monilis orbis notatur, cuius figura, in equi generosi ceruicem pulcre incuruantis, collo commonstrato equum speciosiorem reddit. Et dum equus ceruicem sic molliter flectit, pedum incessum aspiciet, qua ratione consequitur, vt sine offensione, & tutò figat vestigia, currat, & saltet.* Hoc generosis equis solemnissimum est, & maximè singulare, quod vbi speciosiores exultant, vbi elegantiam & pulcritudinem suam ambitiosius præferunt, vbi gloriosiùs agunt, rotato crine, conuersóque ad pectus ore, præ oculis puluerulentum pedum incessum habent, quo sine offensionis metu, tutò & feliciter cursum transigunt. Hæc item diuinæ sponsæ laus maxima, quòd vbi deliciosiùs agit, vbi maiori exsuperat gaudio, inter exultandum, inter glorias præ oculis semper mortalis vitæ exitum habeat: quo fiet, vt tutò & intrepidè ipsius mortis præcipitiũ transcat. Rursus de equis in certamina edomandis ait Ælian. lib. 16. de animalibus, c. 25. *Ne armorum fremitum, & gladiorum ad clypeos resonantium crepitus equi extimescant, eos ad strepitum & sonitum assuescere cogunt, armataque cadauerum simulacra sub ipsum fœnum subijciunt, vt cæsorum in bello conspectum ferre consuescant, ne terribilium metu affecti ad rem militarem inutiles fiant.* Cur equus quantumuis generosus cæsa & sanguine taboque manantia cadauera non expauesceret? Cur horribilium adeò rerum conspectum non fugeret? Sed omnis hic metus & horror procul aberit, dum inter ipsos cibos similia spectra, sanguinéque madentes galeas subiicias. O quàm ad equorum morem sese edomare debet quisquis horrenda mortis spectra contemnere cupiat. Fac, vt inter cibos, inter gaudia, mediis in vitæ gloriis & lætitiis præ oculis habeas mortale spectrum, voracissimos vermes, frigidos cineres, nigrum sepulcrum, seuerum iudicium, æternum ignem tormentorum cumulũ, quo vitæ curricula tutissimus & animosus conficies. Meritò exclamat D. Chrys. hom. 31. in ep. ad Rom. *Vtinam in prandijs & balneis, imò & vbique de gehenna disputatum esset, neque enim mœrore affecti essemus in vita huius malis, neque in bonis illius delitiis, lætatique fuissemus. Continuos itaque sermones de futuris malis versemus, non enim sinet in gehennam incidere, gehennæ meminisse.* Nullus sanè inter gaudia vtilior & gratior sermo, quam si de mortis excessu loquamur, vt hinc possimus strenuè & generosè mortem obire. Nulla res sic beat humana gaudia, mundiales delicias, nihil sic frenat & honestat voluptates, ne noceant, quam vel memoria mortis, vel elaboratum mediis illis sepulcrum. Isai. cap. 1. sic nociuas hortorum delicias carpit: *Erubescent super hortis suis, quos concupierunt.* Heu horti, heu florida nemora, heu paradisi terreni, quot laqueos, quot mortes hominibus propinastis! Nihilominus piissimus religiosissimúsque Ecclesiastes sibi de pulcherrimis hortis gratulatur, dicens: *Feci mihi hortos & paradisos.* Quis hoc crederet? Quis ad laudem religiosi viri deliciosa nemora, paradisos pulcherrimos traheret? Vnde laus è deliciis? Id exprimit D. Basilius ad data Isaiæ verba, asserens modò dicta Ecclesiastis, satis. *Proinde benedicitur hortus, in quo monumentum est, quod temporalium excepit dispensationem mortis in corpore Domini.* Sit tibi inter paradisos, inter delitias, inter voluptatum illices, infixum sepulcrum, infixum mortui monumentum, & nullum timebis in ipsis paradisi deliciis nocumentum, nec maledictum. Accinit eleganter Petr. Damianus epist. 114. inquiens. *Non est libidini diuersorium, in qua versatur mente sepulcrum.* Quippe ad expugnandum totum libidinis principatum, seu tyrannidem adeò valet mortis memoria, vt aduersus voluptatum idolum vnico certet Dominus Moysis sepulcro. Deut. 34. de Moysis sepultura dicitur: *Sepeliuit eum in valle Moab contra Phogor.* Nónne Phogor, Priapus est Hebræis? Equidem Priapus est libidinum pater, contra quem vnum Moysis sepulcrum obiicitur, teste Hieron. lib. 1. in Iouin. dicente. *Sepulcrum eius positum in valle describitur contra domum idoli quod propter libidines consecratur.* Quasi vel sepulcri aspectus valeat, scaturientes omnes voluptates frenare. Ideò rectè prouidit Deus quod homo qui nudus & inermis nascitur, sine vnguibus, sine dentibus, non nasceretur sine capillis. Quid capilli proficiunt? Nissen. de vita Moysis ait. *Pili mortem ostendunt.* Ergo vbi omnia arma negantur infanti & vngues & dentes, pro omnibus capilli adnascuntur qui mortem obiicientes fastus extunc humanos, possint frenare. Do D. Synesium in encom. Caluitij sic dicentem. *Ne homo arrogantius insolesceret si nulla ei esset cum pestiais rebus societas; aliquot suis partibus pilos habet. Vita siquidem carent hi, & viuentibus vitæ experces adnascuntur.* Ne ante fugamus vitam, quam mortis memoriam.

Cant. 1. — Nissen. — Ælian. — Chrysost. — Basil. — Damian. — Deut. 34.

Text. Respondens autem Petrus dixit ad Iesum: Domine, bonum est nos hic esse.

§. XXII.

Propter exigua & valde parua bona æternorum bonorum ingentem magnitudinem linquimus.

NOn solida Christi gloria; sed gloriæ gustus Petri animam sic adimplet, vt præ hoc præsenti gustu immensas cœlestium glorias vel linquat, vel non meminerit. Proh mortalis homo, quibus micis impletus cœlestis mensæ dapes fastidis. Ecce tibi rusticus ille apud Luc. c. 14. quo se à cœlestiũ arceat conuiuio. *Iuga boum* ait, *emi, & eo probare illa.* Pulcre August. serm. de verbis Dom. expendit illud, eo probare, *non ait pascere; sed probare.* Nihil est in cunctis mundi bonis; nisi boni gustus & præ vnius boni gustu dapifera cælitum mensa a mortalibus linquitur. Miserè plangebat ille terrenorum hominum Princeps Cain se præsentis vitæ vsura cariturum. *Omnis qui inuenerit me, occidet me*; quod si hic securè & tutò permitteretur aliquandiu vitam ducere, de æterna & felicissima vita beatorum nihil curat. Hinc Diuus Bernard. serm. super Ecce nos. *Occidendum sese causabatur infelix tanquam pro magno beneficio habiturus, si prohiberetur occidi, quod & factum est. Consolationem miseram obtinuit, quærebat, & oblitus est consolationis maximæ, pro qua multo studio suo supplicare oportebat.* Ecce tibi quàm tenui & fragili consolatione impletus æternarum consolationum cumulum fastidit. Vereor, ne ab inscio & rudi Petro similis affectus scaturiat dum gloriolæ corporeæ gustu ebrius præ illa nihil aliud curat. Quid ais, Petre, bonum est nos hic esse? Cur impleris adeò tenui cibo? Hic verè non est aliud, nisi solum Dei gustus, ita tu & aliquando fateberis, *si tamen gustastis, quoniam dulcis est Dominus.* Ecce summum Dei bonum dum in terra communicatur, solum tibi conceditur vt gustès. De æterna ciuitate longè aliter promittitur, vt enim loquitur D. Cyprian. serm. de Ascens. *Ibi non gustabunt quam suauis sit Dominus? Sed implebuntur & satiabuntur dulcedine.* Infelix, qui guttulis his terrenorum bonorum captus torrentem illum summæ voluptatis, quo impleri & satiari solet, obliuiscitur. Et quidem male petis ô Petre, dum diuina bona tibi hic dari procuras, non ea est magnitudo cœlestium bonorum, quæ hic sustineri posset, ideo melius reseruatur in futurum. Ingentium bonorum promissionem factam priscis patribus, inde exaggerat D. Paul ad Hebr. c. 10. quod minime data sit illis. Quando ait. *Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longe eas aspicientes & salutantes.* Ecce tibi commendat Paulus sanctissimorum Patrum fortes, quod excesserint non accipientes hic repromissionem. Sed cur commendabile est quod non acciperet repromissionem? nónne melius esset si accepissent? Planè parua sunt quæcunque hic accipi possunt, vnde, quibus parantur, imo debentur magna & ingentia non hic dantur, sed futura in sæcula differuntur. Qui in humanis stadiis victor est, simul premium

Cyprian.

accipit

accipit & fert secum, quando nimirum præmium, vel annuli circulo clauditur, vel aliquod vas est parui ponderis: quod si accideret præmium esse ingens aliquod pondus auri vel argenti, quod ab vno homine ferri non possit, nisi binis vel ternis boum iugis adhibitis, tunc non statim ferretur, sed abiret victor vacuus vt post aliquod tempus domi præmium accipiat. Vides vt magnitudo præmij, necessariam dilationem inferat? Rectè ergo Paulus gratulatur his qui non potuerunt recipere repromissiones, quando dilatio hæc præmij magnitudinem indicat infinitam. Iam in præsenti adducendus est D. Chrysost. qui orat. in S. Iulian. ait. *Cur externis quidem ac profanis athletis simul obueniunt & victoriæ & coronæ: pietatis autem athletis non simul & victoriæ & coronæ, sed tantum post temporis interuallum? Quod maioribus eos ornare honoribus vellet, munus distulit: non enim vitæ præsentis natura magnitudinem honoris illius capit; caducum est præsens tempus ac breue: infinitum illud immortale & æternum.* Malè ergo nouit magnitudinem cœlestium bonorum, qui illa modo in præsenti obtinere amat; sed longè peius agit qui præ illis cœlestibus de his quæ in terra haberi possunt, procurat impleri paruitatibus. Quam paruis poculis plenus Petrus dicebat, Bonum est nos hic esse, cuius imperfectionis reus ille etiam erat mendicus apud Luc. 16. *Cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis.* Expendo id de quo saturari cupiebat, videlicet de micis. Quis sanus de micis expectasset saturitatem? Sanè iustè famescit, qui solum micas nouit desiderare. Pulcrè D. P. Dam. serm. de S. Alex. ob hoc mendicum pungit aiens. *Lazarus non modo parum quid accipere, sed & saturari, sicut veritas perhibet, cupiebat; cui tamen alimenta nemo misericorditer indulgebat.* Sic fame pereant necessum est, qui dimissis cœlestibus, his micis inhiant bonorum temporalium.

§. XXIII.

Quicquid deprauata voluntas ex se petit, excidium est, ruina est.

SVspectum nobis sit quicquid creata voluntas sibi, proprio iudicio nitens, præsumit; nunquam enim aliud quærere sciuit, quam sui ipsius ruinam & excidium. Accipite Petrum in Christi edoctum disciplina ad Apostolatus culmen euocatum, is splendenti gloriola captus inquit: Bonum

Ephrem. est nos hic esse. Ad hæc B. Ephr. orat. de Transfig. inducit respondentem Christum. *Si hic manserimus, quæ dixit tibi quomodo fient? Quem ligabis? Quem solues? cessabunt omnia.* Hæccine est creatæ voluntatis petitio & appetitio, nullum creaturæ maius excidium fieri potest, quàm si id quod ipsa sibi petit fiat. Lucifer ille qui manè oriebatur, qui creatus erat in deliciis Dei sui, qui summum Angelorum culmen attige-

Isai. 14. rat, cùm suæ commisit voluntati, quid desiderat? Isaias c. 14. *Dicebas in corde tuo, In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum: sedebo in monte testamenti, in lateribus Aqui-*

Bernard. *lonis.* Ad hæc vt acutè, sic vere D. Bernard. illud in lateribus Aquilonis expendit serm. 17. in Cant. *Tu tibi miser sedem collocas in Aquilone plaga nebulosa & frigida.* Quasi diceret, vide miser quid petas, animaduerte quod appetit voluntas tua, in splendoribus sanctorum à Deo constitutus es, inaccessibili diuinitatis lumini proximior crearis: & tu dignam sane tui sedem petis nebulosam & caligine plenam Aquilonis plagam. Omnis tua ruina, omne excidium & damnum tuum nullum est aliud; nisi quod petitionem tuam & desiderium tuum impletum habes. Post hunc me summè concutit excidium illud Hierosolymitanum, non quod Romano militi succubuerit illa florentissima & inuictissima ciuitatum: sed quod tanto milite cinctam extrinsecus & durissimo crebróque ariete impugnatam intrinsecus domestici seditiosi illam penitus dissiparent. Quid mirum? obtinuit quod ipsa postularat; hæc fuerat eius voluntas, hæc ardens ipsius postulatio, cum recta Christi Domini pace, se-

Rupert. ditionum authorem Barrabam sibi petiuerunt dari. Ita Rupert. lib. 1. in Hierem. c. 88. *Proprijs seditionibus diuisos inseruire permisit eos, & meritò, quia data sibi optione seditionis authorem dimitti sibi petierunt, Regem autem suum pacificum occiderunt.* Sibi Regem pacis habebant oblatum, at illi proprio raptati desiderio seditiosum & homicidam verum expostularunt, & ideo iuxta voluntatis suæ petitum seditioni-

Athanas. bus dilaniantur. Accinit D. Athan. de pass. aiens. *Ignorabant in expetendo Barrabam, & in occidendo Dominum, quod ipsi vitam Barrabæ daturi essent; futurúmque esse, vt cædes ac seditiones inter ipsos magis, ac magis increbrescerent.* Quid maius excidium miseræ ciuitati potuisset cogitare, quam hoc quod ipsa sua sibi praoptauit voluntate? eiusmodi sunt bona cuncta quæ appetunt voluntates creatæ, quæ cùm habeant, miserè perimantur. Pro filiis suis Zebedæorum mater à Christo Domino enixè contendebat Matth. 20. *Dic vt sedeant duo filij mei, vnus ad dexteram, & vnus ad sinistram in regno tuo.* Quid petis mulier? Sinistram Dei charissimo pignori optas? Pulchre D. Chrysost. Christum adducit respondentem. *Nescitis quid petatis: ego vos vocaui ad partem dexteram de sinistra: & vos vestro consilio curritis ad sinistram.* Adeò in sui perniciem grauitant & propendent ex se voluntates creatæ. Hinc vide, quàm meritò à Marco, & Luca ignorantiæ Petrus in præsenti accusatur, quandoquidem ad culmen Apostolicum vocatus proprio consilio in vocationis suæ detrimentum grauitat, dicens, Bonum est nos hic esse, quod si obtinuisset, maximum inde damnum reportasset. Matth. 20. Chrysost.

§. XXIV.

Ne Dominum voluntati nostræ seruire velimus, sed nos potius eius subdamus voluntati, si tutò & securè viam facere exoptamus.

AVdio Petrum dicentem, *Domine, bonum est nos hic esse*, & non me contineo, quin referam illud acumen Augustinianum, quo alias Petrus punctus est. Etenim Christo Domino de sua morte verba facienti Matth. 16. statim ipse obiicit. *Absit à te, Domine, non erit tibi hoc.* Cui pulcre August. Psal. 55. *Dicis, absit, & dicis, Domine; vtique si Dominus est, potestate facit.* Domino leges seruus minimè præscribere debet, sed expectare quid Dominus velit facere. Sic in præsenti dicis, Domine, & dicis, Bonum est nos hic esse? Vtique si Dominus est, ipse quod bonum erit in oculis suis faciat. Sanè errat seruus, qui suo arbitrio Dominum præsumit gubernare: sapientior ille qui dicebat. *Deduc me Domine in viam iustificationum tuarum, & exquiram eam semper,* Psal. 118. Non ipse locum, quo velit duci, Domino præfixit; sed à Domino potiùs exorat locum & viam, per quam tutò & securè ambulet. Quod adhuc magis explicatur apud D. Ambros. ibi ser. 5. dum legit. *Deduc me Domine in viam tuorum decretorum, vt eam retineam vsque in finem.* Enimuerò, vt theologicè loquar, Deus Optimus Maximus ab æterno innumeras vitæ semitas præuidit, quibus homines vel perueniebant ad patriam, vel lamentabili præcipitio descendebant ad barathra. Notauit item quibus gratiæ suæ auxiliis per singulas vitæ semitas singuli efficaciter beabantur. Quibus præuisis statim decreuit de singulis in particulari, v. g. decreuit Petro in hac viuendi semita auxilia efficacia, quibus saluus fiat, præstare; in illa Paulo: tota ergo felicitas hominis erit si viam illam terat, in qua Deus illi decreuit auxilia dare, quibus perueniat efficaciter ad patriam. Cuius rei sollicitus Dauid veretur sibi viam præscribere, sed à Deo summo Imperatore contendit deduci in viam quam suis decretis ipse Deus muniuit & confirmauit. Id pulcro exemplo expendit D. Ambros fatus. *Miles, qui ingreditur iter, viandi ordinem non ipse disponit sibi, nec pro suo arbitrio viam carpit; nec voluntaria carpit compendia, ne recedat à signis; sed itinerarium accipit ab Imperatore, & custodit illud: præscripto incedit ordine, cum armis suis ambulat, rectáque via conficit iter, vt inueniat commeantium parata sibi subsidia, si alio ambulauerit itinere, annonam non accipit; mansionem paratam non inuenit, quia Imperator iis iubet parari omnia hæc, qui sequuntur, nec dextra, nec sinistra declinant, meritóque non deficit, qui Imperatorem sequitur suum.* Quid pulcrius? Quid elegantius? Quid etiam magis formidandum iis, qui suo arbitrio viuendi viam capiunt? qui eo tendunt, quo feruntur à sua voluntate & voluptate? Sane stultissimi militis, imò amentis prorsus esset, qui cum pendet ab Imperatoris subsidiis, relictis illius signis aliò diuertat, quo necesse est omni carere Imperatoris subsidio & auxilio. Non enim Imperator tenetur omnibus iis à singulis militibus sibi præscriptis commeantium subsidia parare, sufficiet, si parata sint omnia his, qui Imperatoris sequuntur præscriptũ itinerarium, qui volũtaria non captant compendia, qui se omnino cõmittunt Imperatoris voluntati. *Hanc*, finit Ambros. *legem viandi, Christo ducente, sanctis commeantibus præscriptam velim.* Ille solus inueniet omnia diuina auxilia parata & præparata, incursus mali Angeli eliminatos, praua facta indirecta, & aspera in vias planas: qui non sua fertur voluntate, nec sibi ipse compendia capta, mansiones effingit, sed totum se arbitrio summi

Matth. 16. August. Psalm. 118. Ambros.

summi sui Imperatoris tradit. O quam tutò, ô quam securè is viam aget! ô quam certo perueniet in patriam! Aiebat Dominus Ioan.6. *Eum, qui venit ad me, non eiciam foras, quia de cælo descendi, non vt faciam voluntatem meam: sed eius, qui misit me.* Ad quæ verba acutissimè Eucherius in lib. 1. Reg.c.15. ait, Pondera id quod ideo dicat Dominus, se neminem foras iecturum, quia non venit facere voluntatem suam. Quid enim si suam faceret, eos qui ad eum veniunt repulisset? *Quis autem nesciat, quod voluntas filij à patris voluntate non discrepat? Sed quoniam primus homo, qui suam facere voluntatem voluit, à paradisi gaudio exiuit: secundus homo ad redemptionem hominum veniens, cum voluntatem se patris, & non suam facere ostendit, permanere, nos intus docuit: quia dum exemplo suo nos obedientiæ subdit, viam nobis egressionis claudit.* Enimuerò, si qua in hac caliginosa vita potest teri via in cælum recta & cuiusuis ruinæ secura via est, qua quis non suam, sed Dei per obedientiam exequitur voluntatem. Merito enim Eucherius proditionis & egressionis à paradiso ait clausas esse omnes vias iis, qui voluntate propria dimissa totos sese committunt voluntati diuinæ. Hanc pensat D. Cæsarius Arelat. hom.4. de Pass. Israëlis omnimodam felicitatem. *Dux, inquit, erat eis Beatus Moyses; sed eos in columna nubis, & lucis Filius, & Spiritus sanctus præcedebat. Hoc loco agnoscamus in primis, quod plebs, quæ Præpositos suos studet audire, Deum sequitur, & per Deum hominem peruenit ad salutem.* Hæc ille.

Ioann.6. Eucher. Cæsar Arel.

Text. Si vis, faciamus hîc tria tabernacula, tibi vnum, & Moysi vnum, & Eliæ vnum.

§. XXV.

Errat quisquis vltra propriam sphæram prosilire vult.

VNdénam Petrus faber, qui faciendis tabernaculis operam promittit suam? Ipse piscator erat ad homines expiscandos à Deo vocatus, & tamen oblitus retia ad tabernaculorum constructionem ignoranter prosiliit. Et quam ignoranter? Audite Christum Dominum apud Timoth. Antioch. oratione de Cruce & Transfig. *Quid*, ait, *tibi in mentem venit Petre? quæ non didicisti facere aggrederis? retia didicisti contexere, num etiam tabernacula ea ædificare? Tibíne parebo, an mundum saluabo? Hiccine maneam? Quis mundum redimet? Tuíne solius curam geris, an non totius mundi?* O quam errabis quisquis sutor vltra crepidam? Prudens sanè illud antiquitus decantatum consilium.

——— *Bene qui latuit bene vixit, & intra*
Fortunam debet quisque manere suam.

Vtique nil magis perniciosum creaturæ, quam extra propriam sphæram prosilire, & sui muneris terminos excedere, adeò, vt huc referat D. Petr. apud Clem. Rom. lib.3. Recognitionum diaboli regni ruinam & perniciem. Enimverò spiritus malignus pro innata malitia sua nihil non perniciosum molitur, nec aliquando sciuit beneficium signum præstare hominibus. At in extremis temporibus à se ipso desciscens aliqua præstabit signa salutaria & commoda, quo sui imperij accelerabit ruinam. Sic ille ait. *Ista signa, quæ ad salutem hominum prosunt, & aliquid boni hominibus conferunt, malignus facere non potest; nisi in fine mundi tantum. Tunc enim admiscere ei conceditur aliqua etiam de dextris signis, id est, vt vel Dæmones fuget, vel ægritudines sanet, & propter hoc tanquam qui excesserit terminos suos, destruetur.* Vbi bona operans extra sphæram & facultatem suam à primis vnguiculis exercitam diabolus exilire vult, nil aliud lucratur, quàm sui imperij perniciem. Quid plura? Nec Angelo licet vltra propriam sphæram volare sine periculo. D. Paul. ad Galat. c.1. *Si nos, aut Angelus de cælo euangelizauerit vobis præter id quod accepistis, anathema sit.* Proh Deus immortalis! Cur in Angelos audet homo? Meritò inquit S. Proclus epist. de recta fide ad Armen. *Ministrare namque præceptum est Angelo, non dogma componere. Et periculosum nimis est singulis non in his quibus ordinati sunt permanere, sed appetere velle supra mensuram, quæ minimè naturæ concessa sunt.* Quam etiam perniciem Christiano imperio etsi inscius moliebatur Petrus, dum piscatoris munere relicto ad fabrilia opera cupit transilire. Sapientior ille latro, qui cum nihil tota vita edisceret præter latrocinia, vt Christi regnū acquireret, intra furandi artem sese continuit. Pulchrè id notat D. Greg. Nissen. orat. de sanctis 40. Mart. inquiens. *Quamquam non sponte sua latro ad crucem accessit; sed postquam propè salutem fuit, animaduertit acutus & ingeniosus fur thesaurum, & nactus occasionem vitam rapuit, arte furandi pulcrè & solerter abusus.* O quàm sui salutem ingeniosi latronis explcuit munus, non equidem ad ignota voluit transire officia; sed intra notissimæ artis regulas sese continens non prætermissa occasione totum sibi rapuit paradisum. Vt meritò de illo dicat August. serm.119. *Quod adhuc in latrocinys positus inuisibilem Deum Angelicis iam oculis videt.* Equidem profuit illi non relinquere artem suam, vt abditissimum thesaurum reperiret. Nec aliter prudens illa peccatrix Magdalena, quæ tota insudauerat torquendis colendisque crinibus, vnguentis conficiendis, quibus volantes animas alliceret, & amatoriis amplexibus & osculis irretiret, iam melior facta pulcherrimum adolescentem Christum Dominum vt sibi sponsum alliciat, pristini amoris immemor; sed memor officij ad crines & vnguenta & oscula recurrit, & osculis, vnguentis, & crine quasi aliter nesciret, sibi copulat Christum. *Quot in se habuit oblectamenta, tot in se inuenit holocausta,* dixit D. Gregor. Magn. in Cat. non enim ignota & aliena præsumpsit officia, sed ex notis sibi assuetis, quibus voluptati seruierat, placitura nititur seruire Christo.

Cl. Rom. Gal.1. Proclus. Nissen. August. Gregor.

§. XXVI.

Miserum est à Deo deficere, vt laboribus incumbat.

FAciamus, ait Petrus, tria tabernacula; vide qua se mercede diuinis bonis & cœlestibus gaudiis priuet, vt operetur, vt laboret, vt plena dolore & anxietate opera tractet. Siccine stultissimi homines à Deo deficiunt, à iucundissimo cælitum consortio se elongant, non vt placida fruantur quiete, continuo perfundantur gaudio; sed vt summis laboribus operam nauent. Perdita illa ouis, & penè iam deplorata Luc.15. ab Angelorum grege cœlestes pascente paradisos sese eripit & vastissimum mundi eremum sui iuris effecta inambulat. Proh dolor! Quo te proripis stulta ouicula? Siquidem cœlo libero gaudes, & voluptati indulges omnia pertransiens deliciosa prata, & vna omnes florentis ætatis voluptates capis, quam tā dulcis erroris mercedem consequeris? Præiende voluptuosæ vitæ fructus, recense quæstus, an non viribus valet omni labore vacua, tota florida, tota deliciis affluens? Imo illam inuenit Pastor omni labore confractam & pene enectam. Id ponderat acutissimè Tertull. lib. de pœnitentia fatus. *Vna ouis requiritur, vna pro omnibus desideratur, & tandem inuenitur, & humeris Pastoris ipsius fertur, multum enim errando laborauerat.* Nec gradum ipsa poterat facere adeo fracta, vt humeros requireret portantis, quia multum errando laborauerat. Non vt delitiaretur, à recta in cœlum via aberrauit, sed vt laboribus maximis insudaret, hac se mercede errori condixit, vt enixè laboraret, vt improbo se labore conficeret. Huic similis ille alius apud Luc. 12. ditissimus omnibus fortunæ bonis, cum noctu quiescendum illi esset, ingentem & propè infinitam suarum frugum copiam recordatus statim de labore & opera à se impendenda cœpit agere. *Destruam*, ait, *horrea mea, & maiora ædificabo.* Cui D. Basil. *At si hoc impleueris, numquid destrues illud? Quid stultius quam infinitum laborare.* Sanè nil magis exsultum & execrandum est, quàm quod homo à Deo deficiat, à beatitudinis patria sese arceat, vt peregrinis laboribus incumbat, vt propè infinitis curis, & ærumnis angatur. Exod.12. sic diuina iussio canet. *Omnis qui manducauerit fermentum à primo die vsque in septimum diem disperiet anima eius ex Israël.* Ad hæc insultat Marcion, & audet Deum crudelitatis vitio obstringere, quando pro re adeo leui, nempe quod vescatur homo fermentato, morte velit transgressorem mulctari. Sed hæreticum os claudit D. Gaud. tract.7. in Exod. sic fatus. *Si fermentum fieri sufficisset, diligentia illic necessaria fuerat, ut deesset: quod iussit desidiæ est, non laboris. Negligentiam iubet, vt obedientiam probet, & non vis, vt damnet illam animam quæ diligentiam commodauerit vt contemnat?* Sanè quauis pœna sit reus homo ille, qui operi & labori dat operam, vt à Deo se arceat.

Luc.15. Tertull. Luc.12. Basil. Exod.12. Gaudent.

§. XXVII.

Generosi & deuoti animi est labori non parcere vt Christi lucrum faciat.

NOn possumus non recognoscere strenuitatem animi, & magnitudinem in Petro, dum etsi ignoranter, tamen animosè labori sese offert, vt Christi lucrum faciat. Ita D. Ambr. meditatur in c.9. Luc. *Ad exædificanda tabernacula tria*

Ambros.

tria impiger operarius communis obsequij ministerium pollicetur. Et quamuis nesciret quid diceret: tamen pollicebatur officium, in quo non inconsulta petulantia; sed præmatura deuotio fructum pietatis accumulat. O quam optabat lucrari sibi Christum, qui sic maturat omnis laboris pretio æstimare illum! O quàm strenue & generosè amabat qui nulli parcit labori, vt Christum acquirat. Componite modo ardentem Petri affectum erga Deum ipsum. Petrus sponte sua cuiuscunque laboris pretium exhibet, vt Deum habeat: mundiales homines & lacessiti,& post præconia mille vix audent aliquid pro Deo summo promittere. Grauiter id lamentatur Guilielm.Paris.tract.de virtutibus, dum inquit. *Quidam Deum diligunt pro modico, & quasi vile mancipium illum taxantes, & quod deterius est quantum pro minori possunt ipsum habere cupientes, semper multo cariorem reputantes de pretio pro quo eis offertur totis viribus minuere conantes, ac si periculum immineret in emptione ipsius, ne forte valeat tantum quantum pro eo ab illis exigitur.* Et qui per omne nefas voluptates emunt, & honorum ventos sudoribus mille, & cruore ipso, quando de habendo Deo paciscendum est illis, toti sunt in pretio minuendo, quanto pro minori possunt volentes illum, quasi taxarent vile & inutile mancipium. *Hi stultissimi atque insanissimi mercatores nescientes, quia quanto carius Deus venditur, tanto maius lucrum ex eius emptione reportatur.* Quid plura? vanos & meticulosos istos negotiatores magnanimus, & generosus Petrus confundit, cum ipse ingentes quæstus meditatus nulli parcendum labori putat, vt vnum secum habeat Christum. Hanc Petri generositatem & deuotionem imitatæ sunt fœminæ illæ, quæ Matth.26. *emerunt aromata vt vngerent Iesum*, quod factum ponderans D.Bernard. serm.12.in Cant.ait, *emunt non vnguentum, sed aromata, & vnctio in obsequium Domini non facta assumitur; sed noue conficitur.* Sanè potuissent vnguenta doctè iam condita emere, ne operam & laborem impenderent ipsæ conficiendis illis: at deuotissimæ & nobilissimæ feminæ optant non labori parcere, sed omnem suam operam & studium offerre Christo, & ideo simplicia aromata emunt, vt habeant quod amplius elaborent & efficiant.

Guilielm.

Text. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos. Et ecce vox de nube dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.

§. XXVIII.

Non est humani laboris gloriosum tabernaculum facere, sed illud absque labore suo, non absque opere, homo Deo accepit.

Efficiendo à se tabernaculo facultatem dum Petrus postularet, ecce nubes lucida illos obumbrauit, quasi inde responsum Petrus acciperet, quod non laboribus humanis comparari possit cœleste & gloriosum tabernaculum; sed omnino gratis. Etenim nolo vocare laborem & sudorem, id quod momentaneum est & leue tribulationis nostræ, & iuxta Apost. immensum pondus gloriæ operatur in nobis. Quod gloriæ pondus sic facit Christianos labores in cœlum leuitare, vt in hoc sensu dicam quod sine labore euolamus in cœlum. Hoc in præsenti meditatur D. Ephrem. *Ecce*, ait, *lucida nubes eos obumbrauit. Vides Simon tabernaculum sine labore, tabernaculum quod arcet æstum, & non habet tenebras?* Non enim est laboris humani tantum elaborare tabernaculum, quantum hominibus Deus in gloria paratum habet. De quo Deo gratias referens Moyses Exod. 15. ait. *Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis suæ firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es Domine.* Quæ verba iuxta Septuag. versionem, sic expendit Origenes homil. 7. *In præparata habitatione tua, quam præparasti, Domine. Vide clementiis Domini bonitatem; non vult te inducere ad laborem; non vult, vt ipse tibi facias habitaculum; iam te ad præparatam ducit habitationem. Audi Deum dicentem in Euang.Ioan. cap.4. alij laborauerunt; vos in labores eorum introistis.* Laborent, sudent alij; nos quos Deus bonus amauit, nullo labore, nulla nostra difficultate elaboratum & præparatum à Deo habemus in cœlis tabernaculum. Non cupit nos Dominus operi insudantes, vt diuinam habitationem laboribus & sudoribus, efficiamus, adeò nobis bonus est, vt omni labore leuatos ad præparatum regnum nos transferat. De felici illo mendico dicitur Luc.16. *Factum est autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* Vbi acutè ponderat D.Chrysost.in Cat.illud, & portaretur ab Angelis. *Ne saltem ambulans laboraret, portabatur ab Angelis.* Adeo sine labore nostro ducimur & reducimur ad patriam, vt eo etiam labore paruo, quo afficeremur ambulantes, à Domino releuemur. Post diluuij excidium virens oliuæ ramus à columba portatur in arcam, vnde iusti viri meditatus felicitatem August. tract. 6. in Ioan. fatur. *Ramus ille & folia, & fructus habebat. Non sint in te sola verba: non sint in te sola folia, sit & fructus, & redis ad arcam non per te ipsum, columba te reuocat.* Sic ille. Addam illud quod à Luc. dicitur de parentibus Baptistæ cap. 2. nimirum, *Ambo iusti apud Deum.* Ne enim mireris duos præmisisse iustos, facilitatem rei commendans, dixit, apud Deum, quod apud homines iustum esse tanti laboris sit, vt vix vnum inueniretne, apud Deum autem iustum esse, adeò facile est, vt iustorum inueniantur paria. Huc accedit Chrysol.serm.89.fatus. *Placere iudicijs humanis, coram hominibus esse iustum, est virtutis humanæ, maximi est laboris; ante Deum qui scrutatur corda esse iustum, humani laboris non est, muneris est diuini*

Ephrem. Origen. Luc.16. Chrysost. Luc.2. Chrysol.

§. XXIX.

Vnus Christus Iesus fuit qui nullum laborem Deo intulit, sed totus gaudium, totus quies verè filius Patris.

Radiante nube, splendenti monte, totus lucidus apparet Christus Dominus, ideò à Patre commendatus, quod in illo vno & plenum gaudium, & placidam quietam habuisset. Vnde merito Rupert.colligit Christum Dominum esse illum septimum diem, in quo post exantlatos labores mundi dicitur Deus requieuisse. *Deus, ait, in illo sic requiescit, vt tamen nunquam laborauerit, in homine, & in Angelo requiescit Deus post laborem, vt ita dixerim: nullus enim Angelorum aut hominum aliter nisi per operosam gratiam Dei habitationi & requieti Domini sit idoneus. Operatur namque Deus in illis, & antequam domus vel mansio perficiatur quasi laborat, vnde ait, laborans sustinent. At in filio suo benedicto sicut non creauit, sed genuit; ita nec accidentali dono bonum fecit; sed essentiali bonitate bonum semper habuit. In cæteris laborauit, in isto solo nihil vnquam fuit, quod resisteret ei. Igitur hic vnus est, in quo Deus requieuit.* In quo semper sibi Pater complacuit, & cum peccatores laborare & seruire Deum faciebant in desideriis suis, quasi laboris pertæsus ad hunc se recipiebat diem Iesus, in quo omnia placida, omnia quieta, iucunda omnia potiebatur. Vnde apud D Ambros.Psalm.40. *dicit ei Pater, filius meus es tu, ego hodie genui te, hoc est, generationis meæ in te priuilegium recognosco, quem nulla macula potuit inquinare peccati, hodie genui te, in quo lucem immaculatæ prolis agnosco, heri mihi & hodie ipse es. & in sæculum. Non in te nulla est, quia totus es dies.* O quam filius correspondebat Patri! O quam dies diei verbum eructabat, & lumine coruscabat. Reuertenti filio pater optimus occurrit Luc. 15. sed mutus de filij nuditate primum seruis ait, *citò proferte ei stolam primam.* Non sic in hoc filio Christo Iesu obmutescit Pater, sed vt omnia in illo integra, omnia lucida, vt prima immaculati luminis stola conspicit conuestitum, sic relictis seruis vni filio verba facit, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, in quo vno ab omni labore, & cura liber quiesco. Optime de illo Isaias 11. *& requiescet super eum spiritus Domini.* Ad quæ verba pulcrè Rupert. lib. 12. de vict.Verbi Dei cap. 30. *Itaque super hunc florem Iesum requiescet spiritus Domini, id est propter Christum mitigabis Deus omnem iram tuam, & auertes ab ira indignationis tuæ. Nunquam enim te inquietauit flos iste; mitis enim es & humilis corde.* Hæc sufficiant de munditie Christi adeo conspicua.

Rupert. Ambros. Luc.15. Isai.11. Rupert.

§. XXX.

Vt summæ bonitatis est, quod filius à Patre agnoscatur, sic summæ malitiæ, quod filius a Patre condemnetur.

Qvid diuinius, quàm quòd filius Dei Christus a Patre agnoscitur? Quam quòd post aduentum in terram longinquam paternis oculis expositus nihil degenerum; sed omnia integra exhibeat, vt Pater dicat, *Hodie genui te, in quo lucem immaculatæ prolis agnosco.* Non sic impij, non sic, sed quod summæ malitiæ est, a Patre degeneres, à Patre ipso damnationis sententiam accipiunt. Purpuratus ille cum esset in tormentis Luc. 16. eleuatis oculis sursum aiebat. *Pater Abraham, miserere mei.* O egregium crudelissimi

Luc.16.

filij ad misericordiæ Patrem confugium! Acute D. Petr. Chrysol. serm. 3. ait. *Modo cognoscit patrem, & modo tibi patrem se esse nescit. Infelix, quem sic ipsa origo arguit: infelix, cui in iudicio pro magnitudine criminis non misereri genitor, non pater ignoscere, non affectio potuit subuenire.* Quid homini miserius euenire poterat? eo deduxit miserum malitia sua, vt inuocantem patrem, pater illum ignoret, vt clamantem ad Patrem pater illum damnet & degenerem arguat, neque sciat, nec possit subuenire. Sanè nihil malitiosius excogitare potuit D. Paulinus in illo Pharisæo, qui ad prandium Christum vocauerat, quam quod ab Abrahamide hospitio fieret adeo inhospitalis. Mensam pararat iste, verum osculi & lauacri obsequium minimè pararat; hiccine filius Abrahæ? hiccine dicet de genere tumēs, Nos habemus patrem Abraham? Quippe ait Paulinus epist. 4. desine parentem Abrahamum iactare, *à quo te degenerem etiam ista inhumanitas arguit, qua dedignatus es lauare pedes Domini, eum & Abraham Angelorum, & etiam Christi pedes lauerit, quem vnum de tribus adorauit.* Cur se miser iactaret, quem genus ipsum, & patris mores vehementer arguebant, condemnabant? Has proculdubio proles lamentabatur parens omnium Deus apud Isai. cap. 1. fatus, *Filios enutriui & exaltaui; ipsi autem spreuerunt me.* Ad quæ verba D. Zeno serm. 3. de Isaia sic exclamat, *Detestabilis certe filius, quem pater ipse pius, quem pater damnat inuitus.* Quis miserebitur illius quem pater ipse condemnat? quis illum non abominabitur, qui parentum virtutibus vehementer accusatus adhuc degeneres suos mores non expaueat.

Chrysol.

Isai. 1.

Textus. Ipsum audite.

§. XXXI.

Et si cuiuis Prælato & patri spirituali intima cordis tui secreta debes aperire, num tamen ab omnibus audire debes quid agas?

Nil magis commendatum homini virtutis studioso, quam quod Prælato suo, parenti suo spirituali vere & syncere animum suum & studium in virtutes adipiscendas & peccata deuitanda pandat. Leuit. 23. cauebat lex, *Feretis manipulos spicarum primitias messis vestræ ad sacerdotem.* Cur manipulos spicarum? Nonne melius esset sacerdoti offerre ipsa iam munda, & sine paleis tritici grana? Abb. Cellens. lib. de panib. cap. 7. *Manipulos spicarum ad sacerdotem deferimus, cum plana, & euidenti confessione grana simul cum aristis & stipula Prælatis nostris humiliter pandimus.* Igitur qui saluti suæ spirituali dat operam, hanc legem sibi putet maxime obseruandam, quod parenti spirituali suarum virtutum grana simul & vitiorum stipulas & aristas pandat. Verum non à quouis, quem clare noscat spiritualis doctrinæ ignarum, directionem suæ vitæ audiat: id quod egregie effecit illa ardentissima Dei amatrix Cant. 3. vbi ait, *per vicos, & plateas quæram quem diligit anima mea, quæsiui illum, & non inueni, inuenerunt me vigiles, & qui custodiunt ciuitatem, numquid quem diligit anima mea vidistis? paululum cum pertransissem eos, inueni,* &c. Ecce tibi custodibus & præpositis se prodit Dei sponsa, ex illisque quærit de amato, curam suam illis manifestans, & tamen non eos audit, imo nec auscultatur, sed nullo expectato responso protinus abit, & sponsum inuenit. Pulcre Gillibert. secundus post Bernardum commentator, serm. 6. in Cant. ait, *Videte humilem prudentiam. Nescit custodes contemnere, nec enim tutum arbitratur inconsultos præterire, quos scit Dominici & consetos secreti & nuncios mandati. Quid tamen sibi vult hæc interrogatio sub ambiguo posita? An in hoc te admonere volens, vt non credas omni spiritui; sed probes, si ex Deo sit? Denique non omnium est certum sponsi præstare iudicium, qui custodis officium vel susceperunt, vel arripuerunt. Multi enim sunt, quorum est oculus in vniuersa terra. Satis quidem fideles sunt & seduli. sed hucusque vt terrena coaceruent & terrena seruent. Propterea terrenis incrassata cuius mens, & illius mensæ seruiens qui perit cibo, cælestis epuli nescit dispensare viaticum, & de supernis theoriis aliquid sereuum dispensare subiectis.* Ab his etsi Prælati sint, etsi custodum locum obtineant, nihil necesse est audire, imò cùm illis humili confessione & euidentem mentem aperueris tuam, aures obtunde, & nullo expectato responso quem audias, quem tutò & securè auscultes, cura inuenire Christum. Etenim vnus est Christus Dominus, qui merito debeat ab omnibus audiri nobis à patre donatum, vt audiamus illum. De quo eleganter Clem. Alex. lib. 1. pædag. c. 11. hæc inquit, *Fide dignus est Dominus tribus pulcherrimis rebus ornatus, scientia, beneuolentia, dicendi libertate: scientia quidem, quoniam est paterna sapientia: dicendi autem fiducia, quoniam Deus est opifex: beneuolentia, quoniam solus pro nobis seipsum hostiam tradit.*

Leuit. 23.

Cellens.

Cant. 3.

Gillibert.

Cl. Alex.

§. XXXII.

Doctor, qui nunquam suam, sed semper aliorum sapientiam ostendit, an suspectus sit?

PRimo ex capite probat Clem. Alex. nuper citatus Christum Dominum esse fide dignum, quòd non ab aliis sapientiam emendicet; sed suam ipse habeat, qui sit ipsa scaturiens & perennis sapientia Patris. Etenim hæc prima sapientiæ extra ædificatam domum manifestatio quod *misit ancillas suas quæ vocarent ad arcem.* Prouerb. 9. non à vicinis commodatas, non ab aliis petitas; sed ipsas suas protulit veritates. Eleganter aiebat Seneca epist. 33. *Turpe est seni, aut prospicienti senectutem ex commentario sapere. Hoc Zeno dixit, tu quid? Hoc Cleanthes, tu quid? Quousque sub alio moueris? & impera, & die quod memoriæ traditur aliquid, & de tuo profer. Omnes itaque istos numquam authores, semper interpretes, numquam ausos aliquando facere quod diu didicerant. Memoriam in alienis exercuerunt. Aliud est meminisse, aliud scire. Meminisse est rem commissam memoriæ custodire. At contra scire est & sua facere, nec toties ad magistrum respicere. Hoc dixit Zeno, & dixit Cleanthes, aliquid intersit inter te, & librum.* Hæc ille: vt acute & verè, ex quibus illud notarim, *aliquid intersit inter te, & librum*, quandoquidem Doctoris non est aliorum solum notas prætendere, hoc facit liber, hoc facit membrana; sed & ipse suam faciat sapientiam, quam viuida vena in alios instillet. Cum Ioannes Doctor Euangelicus initiaretur Apocalyps. 10. iubetur manducare librum, *accipe librum, & deuora illum.* Cur deuoraret librum? Magistro & Doctori nonne sufficeret habere secum librum quem legat, quem consulat? Sanè necessum est, vt aliquid intersit inter Doctorem, & librum, liber aliorum referat doctrinam, Doctor vescatur libro, nimirum faciat sua. Indignum docendi munere putauit D. Ambros. illum, qui alienis totus gubernatur præscriptis. Is erat sacerdos quidam sine Episcopus, qui malè ab aliis persuasus iudicauit virginem debere inspici. Cui D. Ambros. epist. 64. *Iam illud præclarum quod scripsisti insinuatum tibi à quibusdam, quod nequaquam tibi communicarent si eam sine virginitatis inspectione suscipiendam crederes. Ergo iudicandi accepisti formulam. Quales illi qui volunt præscribere sacerdotibus quid sequi debeamus? liberauimus itaque te à cognitionis grauissima necessitate, te necesse haberes formulam mandatam exequi.* Ecce tibi meritò à munere suis dicendi illum separat, qui aliorum placitis & sententiis imbutus nil suum efficit; sed omnia iuxta aliorum regulas metitur. Hinc iubemur Prouerb. 2. quasi thesauros effodere illam, nimirum sapientiam. Non equidem sufficit ad sapientiam, quòd ab aliis emendices, quòd inuentas aliorum veritates sugas; sed id agere debes, vt in te latentem thesaurum effodias, vt effossa cupiditatum humo, in te apparere facias sapientiam ipsam tuam. Id quod in se effectum gloriatur Paul. epist. ad Galat. cap. 1. *Cum autem placuit ei, qui me segregauit de vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret filium suum in me, vt euangelizem illum gentibus.* Equidem, vt à gentibus Paulus audiretur, necessum fuit, quòd Deus in Paulo reuelaret verbum suum, hoc est quod in illo existentem sapientiæ thesaurum effoderet, & faceret apparere. Sic pulchrè meditatur D. Hieron. *Non est autem ipsum reuelare filium suum in me, quod si diceret, reuelaret filium suum mihi. Cui enim quid reuelatur, huic illud patet reuelatum, quod antea in eo non erat: in quo verò reuelatur, illud reuelatur quod prius fuit in eo, & postea reuelatum est. Simile est illud Euangel. Medius in vobis stat quem vos nescitis. Ex quo fit natura omnibus Dei inesse notitiam, nec quemquam sine Christo nasci, & habere semina in se sapientiæ & iustitiæ.* Itaque insita erat Christi sapientia in Paulo, sed occulta, sed operta caligine vt thesaurus operitur humo: vbi autem gentibus proponendus erat qui audiretur, non aliorum emendicauit sapientiam; sed quasi effossa humo errorum latens in eo thesaurus reuelatur, & viua sapientiæ vena protinus scaturiit. Sic cum omnium mentibus sapientiæ verbum insitum sit, curet quisque omni studio & conamine suam in opere & sermone reuelare sapientiam, suspectus alioquin erit ille, qui cùm aliena crebriùs effutiat, nihil vnquam præmonstret suum.

Prou. 9.

Apoc. 10.

Ambros.

Galat. 1.

Hieron.

Ioan. 1.

§. XXXIII.

§. XXXIII.

Infirmum & suspectum debet haberi consilium illius, qui a te dependet, & ambit tua.

INde secundò colligit Clem. Alex. in Christo Domino eam esse dicendi fiduciam, qua possit & debeat ab omnibus tuto audiri, quia est Deus & opifex. Etenim vnus ille habebit fiduciam dicendi, & libertatem, qui omnino independens est, nulliúsque egens. Quod præcauit ipse Deus
Exod.7. Exod.7. cum Moysen mittit ad Pharaonem, & ait illi, *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Quasi innueret, quòd nisi Deitatem induat priuatus homo, minimè nunciabit dura & acerba Principi, ex quo sperare posset & timere multa. Hinc
Exod.32. Moyses postmodum Exod.32. castigaturus vituli aurei idololatriam Leuitis dicit, *Ite, & redite de porta ad portam per medium castrorum, & occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum.* Cur ad munus adeò durum & acerbum
Ambros. selegit Moyses Leuitas? Præclarè causam attigit D. Ambros. epist. 56. *Sanctiora cæteris ad hoc munus eliguntur ministeria Leuitarum, quorum portio Deus. Nesciunt enim parcere suis, qui nihil suum norunt, quoniam sancta omnia Deus est.* Quippe Leuitæ nullam possessionem, nullam hæreditatem in terra habere poterant; sed eorum portio & hæreditas vnus Deus erat, ideo Leuitæ soli eliguntur, vt dura & acerba inferant parentibus, & populi Principibus, & amicis. Etenim nullus seuerus esset in homines quorum egeret opibus, quorum dependeret à conuictu. Hinc egregie notat Alcuinus quibus se titulis exornet Salomon in libris, quos scribit, quippe in Prouerbiis adnotans, *Prouerbia Salomonis filij Dauid Regis Israel*: Ecclesiaste vero, *verba Ecclesiastis filij Dauid Regis Hierusalem*: in Cantico Canticorũ nec filius Dauid nec Rex Israël aut Hierusalem præscribitur; sed tantum Canticum Canticorum Salomonis. Cur hic solum Salomon, & alibi, & filius Dauid, & Rex? An quia in Prouerbiis & Ecclesiaste dura populis erat annunciaturus? nudas de humanæ naturæ vilitate veritates, Principum & potentium vitia, impiorum præcipitia dicturus? Sanè ait Alcuinus in Ecclesiasten cap.1. *Ad incipientes & proficientes & paterna dignitas, & regni proprij meritò indicatur authoritas: ad perfectos verò vbi non timore eruditur discipulus; sed amore, proprium nomen sufficit, & æqualis magister est, nescit se esse Regem.* Expende illud, vbi non timore eruditur discipulus, nescit se esse Regem; verum vbi timenda proponit, vbi linguæ vtitur flagello, vbi corripit & castigat potentium mores, nouerit se regia dignitate florere, non ab aliis dependere, nec quicquam egere, vtpotè ditissimus Rex & omnium superior. Sic
Daniel.5. diuinissimus Daniel à Balthasare muneribus delibutus, vt sibi aperiret diuinum & expauendum ænigma ait c.5. iuxta D. Hier. translationem, *Munera tua tibi sint Rex, & interpretationem eius ostendam tibi*: quasi ad durissimæ sententiæ explanationem non esset aditus illi, qui prospectat munera. Corrumpit sanè seuerum iudicem munus & ambitiosa expectatio inebriat omnes etiam cordatissimos. Pincernæ illi Pharaonis prospera prædicebat Ioseph in carcere, & simul
Ambros. petebat, vt sui meminisset. Ad quæ D. Ambros. *obtusas iam habebat aures fastu vicinæ potentiæ.* Vtique obtendunt sensus prosperitates vicinæ; & quale iudicium fiet ab obtuso? Suspectum ergo tibi sit consilium illius, qui à te dependet & ambit tua; nunquam enim tali consiliario tuta conscientia poteris vti, quandoquidem tui fauoris indigus non habebit dicendi fiduciam. Qualiter enim muneribus inescatus animus rectum poterit habere iudicium? Apud lib.1. Reg. cap.8. de filiis Samuel dicitur, *Acceperunt munera, peruerterunt iudicium.* Vbi Petrus Dam. epist.2. dicit, *Notandum quia cum ait, acceperunt munera, protinus intulit, peruerterunt iudicium. Vicinum quippe est atque contiguum vt post munus acceptum peruertatur, etiam corrupto censore iudicium.* Minimè sanum est iudicium accipiendis muneribus inescatum, insanus est qui similibus vtitur consiliariis.

§. XXXIV.

Quàm libenter accipiuntur præcepta illa quæ à benefactore mandantur, quantumuis sint dura.

TAndem subdit Clem. Alex. Christi Domini in homines beneuolentiam, qua se vsque ad mortem dimisit, vt nos viuere possimus. Quis ergo tanti benefactoris non stabit dictis? Sanè ea est humana natura, quæ vt duri & seueri Domini mandata etsi facilia odit, fugit, sic à benefico dura etiam & molesta arripit consilia. A primordio iratus Deus hominum & creaturarum generi minitandus imperat, gladium igneum vibrans e regione paradisi. Quid plura? Statim contemnitur a creaturis, quæ tonantis & fulgurantis Dei immemores se fictilibus idolis summittunt. Hæc pulcrè expendit Chrysol. serm. 147. *Obsederat pauor omnia,* Chrysol.
timor soluerat vniuersa, cuncta concusserat terror, in quo ottimus splendor prostrauerat Angelos, in terra tonitrua & fulmina mortalium corda quassabant. Sic nimius Dei pauor amorem dominantis exclusit, Angelos fugauit ad terras, homines traxit ad idola, mundum vanis erroribus occupauit; fecit omnes creatorem fugere, colere creaturas. Mundus perire maluit, quam timere; pauore mors ipsa leuior. Denique Cain vbi parricidalis cœpit terrore vexari, mortem petijt, requiem credit si periret. Elias ille vbi sensit toto se timore aspergi; repetebat quam fugerat mortem, mitius existimans morti succumbere, quam timori: Petrus quoque Dominicæ virtutis timore turbatus Christum, vt a se discederet supplicabat. Discede à me, inquit, quia homo peccator sum. Hoc dicebat, quia quicquid erat amoris & fidei, pondus pauoris excluserat, sic timor nisi amore fuerit temperatus, quamuis deuotam seruitutem efficit contumacem. Hæc sunt seueri & rigidi Domini facinora, qui quo magis timendus exhibetur, eo citius relinquitur & contemnitur; & tunc præcipuè diabolus sperat de quouis homine triumphum, quando illi persuadet, non à benefico amatore, sed à seuero vltore contundi. Sic
Matth.4.Dominum in deserto famelicum, & afflictum exagitauit illis crebrò subiectis verbis, *si filius Dei es,* vt suspectum & odiosum faceret Patrem, è quo egens filius nullum reciperet auxilium; sed potiùs, vidente patre, fame enectus periret. Hæc fuit D. Chrysost. excogitatio in præsenti Chrysost.
homil.1. sic disserens, *Cur ad singula tentamenta proponit ac dicit, Si filius Dei es? Idipsum etiam nunc facit, quod fecit in primis, sicut etiam tunc de Deo detrahens ait, Scit Deus, quia quacumque hora manducaueritis, aperientur oculi vestri, per hoc ostendere volens illos circumuentos esse à Deo atque deceptos, nullumque ab eo beneficium consequutos. Ita hic quoque idipsum professio significat quodammodo dicens; Frustra te nominauit filium suum, talique donatione decepit.* Vna equidem erat diabolici furoris mens, qua persuaderet cuilibet Deum non beneficum; sed rigidum punitorem: etenim post hæc facilè persuaderet a Deo ipso defectionem & fugam. Hinc Christum Dominum vrgebat dictis, Si filius Dei es, quasi filio afflicto & famescenti paternæ crudelitatis & rigoris vellet notam infigere. Mallent homines perire, quam metuere, & vt metuendum fugiunt omnino; sic beneficum Dominum etiam dura præcipientem amplectuntur. Id notat D. Ambros. lib. Ambros.
1. offic. cap.34. *Simul aduertimus etiam correptiones in amicitia gratas esse, quæ aculeos habent, dolorem non habent. Compungimur enim censorijs sermonibus, sed beneuolentiæ delectamur sedulitate.* Quis non credat amico? Quis non audiat libentissimo animo illum, à quo mille se videt illigari beneficiis? Videte Dauidem prudentissimum virum in capitis discrimine vnius adolescentis, Ionathæ stare dictis, adeò vt si Ionathas iubeat, delitescat Dauid & fugiat, & etiam securo animo appareat Regi infestissimo, si vnus Ionathas suggerat. Quæ rei causa? sola adolescentis Principis in Dauid beneuolentia illum sibi potuit subdere. Ita D. Ambros. Ambros.
vbi supra cap.32. *Beneuolentia manet communis quædam parens omnium, quæ in consilijs fidelis, vt vnusquisque beneuolentis se magis, quàm sapientis credat consilio, vt Dauid cum esset prudentior, Ionathæ tamen iunioris consilijs acquiescebat.* Hinc cœlestis Hierusalem plenas bello, & sagittis turres vberibus inseruit: ait enim Cantic.8. *Ego murus & vbera mea turres.* Au- Cant.8.
diuntur planè libenter etiam tonitrua bellica, imò & fulgura iaculata & ictus ipsi placidè excipiuntur, dum ab vberibus, ab amoris sede, à benefico animo nouerimus deriuata. Nunquam id mihi magis persuasum fuit, quam ex cap. 17. Num. vbi volens Deus sanctum haberi à populo Aaronis sacerdotium, minime id obtinuit mille immissis in rebelles suppliciis. Ecce tibi contradicunt Aaronico sacerdotio Dathan & sui, & vltore Deo, viui à terra glutiuntur. Nec tanto supplicio affecti desistunt populares murmurare contra Aaronem, ex quibus Chore cœlesti igne correptus interiit. Sed adhuc murmur in Aaronem perseuerat. Quid plura? Volens tandem Deus Aaronem recipi à populo, fecit quod Aaronis virga non ferires, sed floreret, sed fructificaret, dulcissimósque præberet populo fructus. Quo viso statim populus acquieuit, & Aaronem suscepit. Rem ita expendit Iosephus lib.4. cap.4. inquiens, *Videbant ex virga Aaronis & ramos & germina esse exorta, & quod magis mirum amygdala matura. Hac nouitate spectaculi vulgus attonitum,*

omissis

omissis odys quibus tam Moysen, quam Aaronem prosequebantur, totam in admirationem diuini iudicii versum, amplius Deo repugnare desiit. Suppliciorum rigori respondebant rebelliones, ac floridis muneribus continuo obedientes exiterant.

Text. Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam: & timuerunt valde.

§. XXXV.

Non est humanarum virium promeritam gloriam nobis à Deo paratam sustinere.

IMmensum pondus gloriæ in nobis operatum quis sustinebit? Nullo in nomine vires sunt quæ possunt à Deo paratam gloriam sustentare, quam vel in imagine videntes Apostoli tanti boni impares cadunt in faciem. Sic D.Greg. Magn. in 1.Reg.cap.16. *Videbat Petrus, & quia videndo cadebat, significat, quòd ad id non poterat attingere quod merebatur videre.* Excedit magnitudo præmij vires humanas, non est vir qui gloriæ illam penè immensam molem, quam Deus fidelibus seruis parat, sustinere valeat. Vnde Nazianz. in Apolog. felices hominum animos memorans à corporeo puluere excussos ad cœlestem patriam remeantes ait, *quos spiritus armat in gloriam*, pulcrè innuens munus diuini spiritus erga beandos homines, nimirum qui illos armat, vt immensum gloriæ pondus queant sustentare. Adeò enim magnum est gloriæ pondus, quod in nobis momentanea patientia operatur, vt spiritus suscepturos confirmet, eósque induat armis, quibus confirmati & fulti torrenti immergantur voluptatum. Hinc maximè cõmendat D.Chrysost. in 1. ad Corinth. hom. Eucharistiei viatici necessitatem & vtilitatem; *si hinc*, ait, *sacrificio muniti migrabimus, sanctum ascendimus vestibulum tanquam aureis quibusdam armis vndique contecti.* Sane arma requiruntur in stadio, vbi hostes lacessunt, inimici insidiantur, pericula metuuntur: at in regno pacis, in cœlesti Hierusalem, vbi omnia pacata & amica, vbi regnat pax alma, quorsum arma? Quorsum hæc solicitudo, vt armis vndique contecti & confirmati sacrosanctum cœlorum cubile scandamus, nisi ob gloriam immensam, ob magnitudinem præmij, quam vt sustineas necessum est armari & roborari? Huc spectabat illud Sap. 4. *Videbunt finem sapientis, & non intelligent quid cogitauerit de illo Deus, & quare munierit illum.* Non intelligunt, quare munierit Deus sapientem à vita discedentem, quia non nouerunt magnitudinem & immensitatem gloriæ, ad quam migrat, quam vt sustineat, roboratur a Deo & valde munitur. Vbi intelliges, quam ineptè Lyra & Cantecuzenus legant non munierit; sed minuerit, vtpotè ignorantes quanto munimine & robore egeant beati; vt gloriæ suæ immensitatem sostineant.

Gregor. — Nazianz. — Chrysost. — Sap. 4.

Text. Et accessit Iesus, & tetigit eos, dixítque eis, Surgite, nolite timere.

§. XXXVI.

Dei voce consternati periissemus homines, ni ab incarnato Verbo fulciremur in vitam.

ECce loquente Deo prosternuntur Apostoli, sed Iesu auxilio confirmati eriguntur. Quod animaduertit D. Ephrem inquiens, *Quomodo vox Patris eos deiecit, sic etiam vox filij in virtute suæ diuinitatis eos fecit surgere.* Quis hominum ad nudæ diuinitatis vocem staret? Deuter. 4. *Quid est omnis caro, vel quis audiuit vocem Dei viuentis de medio ignis, & viuet?* Vtique ad sonum diuini gressus perterrefacti primi homines fugam ocyssimi arripiunt, ait enim Genes. 3. *Et cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem abscondit se Adam, &c.* Quid tunc? Dei filios hominis naturam assumpsit, & factus homo prostratos erigit, allicit & recreat fugitiuos. Vtrumque attigit D.Cyrill Hierosol. catech. 12. acutè vt assolet, & in primis accipite Daniel. c. 10. diuina apparitione perterritum, humi prostratum viribus metu consumptis, *tunc*, ait, *& audiui vocem sermonum eius, & audiens iacebam consternatus super faciem meam, & vultus meus hærebat terræ. Et ecce manus tetigit me, & erexit me super genua; & dixit ad me, Noli metuere Daniel; cumque loqueretur mihi huiuscemodi verba, deieci vultum meum ad terram, & tacui: & ecce quasi similitudo filij hominis tetigit labia mea, & aperiens os meum locutus sum, &c.* In quibus ponderandum est, quam prosternatur, & penè enecetur Daniel Dei visione & loquutione, donec similitudine filij hominis subleuetur. Sic Cyrill. *Neque respondit, donec tetigit ipsum similitudo manus hominis, & quando mutatus est in similitudinem filij hominis ille qui apparuerat; tunc dixit Daniel, &c.* Multa fecerat Dominus antea, vt Prophetam recrearet & a terra leuaret, manu illum propria erexerat, metum ponere iusserat; sed nihil cum homine profecit, donec factus homo humanas immisit manus, vt hominem releuaret. Sic quem prosternebat Dei sonitus, filij hominis erigitur & sustentatur manu, & qui Deum ocyssimè fugiebat impar tantæ maiestatis, cuius timore soluebatur, filium hominis lætanter suscipit & sustentat, ad cuius præsentiam omni metu leuatur. Nónne mare & Iordanis quondam a Deo fugiebant? sic Psaltes, *Quid est tibi mare quod fugisti, & tu Iordanis conuersus es retrorsum?* Nunc ecce tibi mare filij hominis vestigiis exaratum, & Iordanem eiusdem præsentia nobilitatum, & vtrumque metu posito, videns filium hominis exhilaratur. Sic Cyrill. vbi supra, *Quoniam ante carnis assumptionem mare vidit illum, & fugit, Iordanis conuersus est retrorsum, assumpsit corpus Dominus, vt mare videns sustineret, & Iordanis illum sine timore susciperet.* Proculdubio vniuersi periissemus nudæ diuinitatis sub indiciis, nec vocem Dei, nec sonum gressus eius posset sustinere creatura; nisi homo factus humanas exhiberet manus, & humanis graderetur vestigiis. Rectè Baptista Ioan. 1. capauens cœlestem maiestatem dicebat, *cuius non sum dignus corrigiam calceamentorum soluere.* Non vir, non præcursor Ioannes solutis humanis calceis sustineret Dei vestigia. Ita D.Gaud tract. 5. in Exod. *Christus non propter se calceatus est; sed propter nos, quoniam terra sustinere non poterat maiestatis eius nuda vestigia.* Igitur vt a deitatis voce prostratos erigeret homines, induit hominis naturam filius Dei, humanásque nobis obtulit manus, quibus recreati vitalibus frueremur auris. Hinc Rupert. ponderans illud, *non videbit me homo, & viuet, ascendam ad eum homo factus inter homines, vt in me reuiuiscat homo, nam si ostendero Deus manifestus, cunctis visibus impedietur, & homo non viuet.* Non iam vocem Dei expauescimus, non sonum gressus eius contremiscimus, non nuda fugimus Dei vestigia, quandoquidem Deus homo factus humanas porrigit manus plenas salute, plenas vita.

Ephrem. — Genes. 3. — Daniel. 10. — Cyrill. Hierosol. — Cyrill. — Cap. 1. — Gaudent. — Rupert.

Text. Leuantes autem oculos suos neminem viderunt, nisi solum Iesum.

§. XXXVII.

Felicissimi illi qui vnum Iesum habent intuendum, quando cætera fugiunt creata.

NOn possum non inuidere Apostolis hanc Thaboris felicitatem, quòd ad terram prostrati vnum Iesum liberatorem respiciunt. Neminem viderunt, nisi solum Iesum, vt quid viderent alium prostrati? Et quis alius aderit prostratis? Dauidi & Regi & potentissimo omnia erepta sunt, sed ideo felix, quia deficientibus cunctis aliis vnum Iesum habuit quem respiceret. Sic ponderat D.Cyril. Hierosl. catech. 2. *Porrò cum Absalon aduersus Dauid arma cœpit, quamuis multa illi viæ ad fugam supteterent; per montes tamen oliuarum maluit fugere, firma innocens mente liberatorem illum, qui illhinc cælos erat ascensurus.* Quæ maior Dauidis felicitas potuit excogitari? quando illum relinquebant sui, quando à filiis a domo ipsa fugabatur, illum desolationis suæ locum inuenit, vbi Iesus saluator & liberator cernebatur, in quem vnum posset tunc respicere. Necnon ille strenuus luctator Iacob, vehementissimus Rachelis amator, vbi tantæ dilectæ morte afficiendus erat, primum nascituri Iesu locum permittitur tangere. Dicit enim Genes. 35. *Mortua est ergo Rachel, & sepulta est in via quæ ducit Ephratam, hæc est Bethlehem.* Quando generosus Athleta tanto amore orbatus vnum iam haberet videre Christum. Huc refero D.Hieronym. lib. 1. aduers. Iouin. vbi loquitur, *Illa quondam dilecta coniux pro qua seruierat, iuxta Bethlehem, in qua erat virginitatis præco dominus nasciturus, à filio doloris occiditur.* Quippe ibi occidunt Iacobi amores, vbi vnice amandus iam apparet Christus, nec antea fugiunt humanæ deliciæ, quam se se offert conspiciendus Christus. Vt merito in summa Lazari penuria dicat D. Fulgent. epist. ad Gal. *Attende Lazarum in vulneribus iacentem & quidem sine domo, sed non sine domino, sine cibo, sed non sine Christo.* Felices illi quibus in vniuersali bonorum defectu,

vnus

vnus offertur habendus & inspiciendus Christus. Non adeò felix purpuratus alius apud Luc. 16. imò iste derelictus à suis, omnibus mundi bonis spoliatus, eum nudus esset in tormentis, eleuatis oculis, Abrahamum, & Lazarum vidit, cui ait, *Pater Abraham miserere mei.* Ad hæc D. Chrysost. in Cat. *Creator creaturæ miseretur suæ: venit medicus, qui sanat morbos, alij sanare non possunt: errat miser.* Quid miserius, quam ab omnibus derelictus adhuc creaturarum valuas instanter percutere? Vnus est medicus Iesus, vnus liberator & saluator. O te infelicem, qui ab omni exutus creato bono adhuc respicis creaturas. Sic apud Iob cap. 34. Mulctantur quicumque immisericordes viri, de quibus lectio 70. ait, *vaua cum euaderet famasse & orare virum; abusi sunt enim ex bonitatu infirmis.* Ad hæc August. in annotationibus in Iob, *abusi sunt iniquè, cum excluderentur infirmi, malè vsi sunt exclusione ... & ... vanè veniet, vt in necessitatibus suis clament & ... hominem, cum Deum rogare deberent.* O misera hominis conditio, à quo fugientes creaturæ manent adhuc illi ob oculos quas respiciat, labuntur ex manibus, & hærent pupillis, vt deludant rogantem. Feliciores illi, à quibus cum fugiunt res creatæ, vnus Iesus apparet, vtpotè vnicus illorum liberator & saluator, in quem vnum respicientes salui fiant.

Luc. 16.
Chrysost.
August.

§. XXXVIII.

Christus Dominus dimissis Prophetis damnat principes viros, qui secum Apostolicos circumferunt homines ob inanem gloriam.

CONfecto transfigurationis mysterio quàm breuissimè Moysem, & Eliam continuò dimisit Dominus, & mansit solus, nec sic erubuit solus & incomitatus apparere discipulis, iam ex tunc condemnans morem illorum Principum, qui Apostolicos viros, quibus spiritualia sua negotia committant, secum ad maiorem comitatus decorem vndequaque circumferunt. Hinc male audiuit apud Dominum Regis Saulis pœnitentia; is namque cum acriter à Samuele argueretur, eo quod mandatis diuinis non paruisset, ait, *Peccaui, quia præuaricatus sum sermonem Domini, & verba tua; sed nunc porta quæso peccatum meum, & reuertere mecum, vt adorem Dominum.* Ecce tibi quam malè pœniteat Saul, compunctus videtur, cum ait, peccaui, & simul peccata sua fatetur grauia, veniamque petit. Vnde quæso hæc Saulis pœnitentia claudicat? An, quia tota illa confessio ideò agebatur, vt Prophetam secum adducetet & circumferret regio in comitatu? Ita sanè Ruperr. de vict. Verbi Dei lib. 4. cap. 16 fatus. *Homo quippe secularis animi totusque deditus ambitioni etiam ad adorandum Dominum pompaticè solitus ingredi, hoc dolebat, si in tempore tali, in tanti triumphi festiuitate tantus Propheta se sibi subtraheret eius comitatui, & idcirco semel & iterum dicebat, peccaui.* Metuo, ne multorum Principum confessiones & pœnitentiæ ideo sint Deo abominabiles, quia ob secularem splendorem circumfertur Propheta in comitatu. Et magis vereor, ne aliqui dicant, peccaui, & confiteantur delicta, ne eorum comitatui pompatico Propheta subtrahatur.

Rupert.

CAPVT V.

Triumphalis Christi Domini ingressus in ciuitatem Hierosolymitanam.

INSTANTE morte Christus Dominus Hierosolymam ingressurus triumphalem Deoque dignum ingressum sibi parat. Etenim asello vectus in se populares animos sic mouet, vt turmatim egressi ex vrbe homines obuiam Iesu procedant, regiam in eo Dauidis stirpem, & populorum salutem conclamantes. Resonant nouis & inauditis clamoribus siue cantibus montes: scinduntur palmarum rami: operiuntur semitæ vestimentis stratis, & Dauidis æmuli mille ante Christum nudantur, vt festiuas choreas agant. Sic Hierosolymis excipitur Christus Dominus, qui postmodum moribundus mittetur extra ciuitatem.

Ex Matth. cap. 21. Text. Cùm appropinquassent Hierosolymis, & venissent Bethphage ad montem Oliueti, tunc Iesus misit duos Discipulos, dicens eis: Ite in castellum, quod contra vos est, & statim inuenietis asinam alligatam, & pullum eum ea: soluite, & adducite mihi.

§. I.

Miseram, & duram seruitutem patitur homo à vitiis, & inferorum tyrannis, qui vnum curant, vt vinciant suos, & fortiter alligent.

QVid miser homo a dæmonibus haberet, nisi laqueos? Quid post miseram seruitutem exhibitam propè infinitis dominis maneret misero peccatori nisi vinculum, nisi restes, nisi laqueos? *Inuenietis*, ait, *asinam alligatam.* Hoc vnum tenebrarum Principes, quibus peccator seruit, meditantur, vt sua mancipia mille constringant laqueis. De Iuda proditore dicit Matthæus, capit. 27. *Et abiens laqueo se suspendit.* Quod expendens Drogo lib. 1. de Sacramentis Passionis, ait: *Iam diu erat quidem quod à Christo discesserat, & auaritiæ laqueo se suspenderat; sed quod fecerat in occulto, palàm omnibus innotuit.* Quasi diceret, non nouus erat hic in Iuda laqueus, quo apparuit strangulatus: ab eo die, quo Christi iugum excusserat, sesèque cupiditatum & dæmonum domino tradidit, fortiter illaqueatus est: dura vincula passus, tantum non videbantur; sed illo moriente laquens qui latebat, apparuit. Nullus equidem elegantior, quàm D. Athanasius, qui expendit id à D. Luca exaratum cap. 19. nempè quod Discipuli Christi Domini mandatum exequentes, asinam, & pullum soluere nituntur; sed tunc, *Dixerunt domini eius ad Discipulos.* Ad hæc pulchrè Athanasius ponderat illud, dixerunt domini eius. *Qualis igitur est hic pullus, qui non vnum Dominum habet; sed plures? Nonne si mente prauitus esset, sufficeret ei si vnus dominus possideret? Nunc autem complures sunt eius domini, & nullus eorum negatia obit, nemo eorum alit, edit; imò nullum illis aliud opus in manibus, omnes pariter non in aliud occupati sunt, quàm vt asellum in bonis alligent. Asinus interea præsepe non habet, diuersorium non habet, non est qui in forum descendat, id tantummodo agitur, vt pullus vinciatur.* Hæc Athanasius, & pulchrè, & verè meditatur de misera hominis seruitute sub potestate tenebrarum. His dum seruit asinino stupore correptus peccator, nil à penè innumeris dominis habet, quàm laqueos: audis asinam inueniendam ligatam, non pastam, cum vinculis, non cum præsepe, erudelibus obsitam dominis, sed qui nihil curent, nihil spectent aliud, quam quod duris premantur laqueis peccator. De illo prodigo dicit Lucas cap. 15. *Cupiebat implere ventrem de siliquis, quas porci manducabant: & nemo illi dabat.* Ad hæc argutè Chrysol. serm. 1. *Quàm crudele ministerium, quia neque conuiuit porcis, qui viuit porcis!* Et adhuc erudelius quid ab istis dominis expectat D. Paulin. quum in Sansone vicem cuiusque peccatoris lamentatur epistol. quarta. *Stat in via peccatorum compeditus vinculis cupiditatum, & ipse sibi carcer est, obsessus tenebris erroris sui in semetipso pistrini ergastulum portat, farinam hostibus suis de corrupta anima suæ frage conficiens.* Parum est, quod crudeles domini pascendi asini immemores, illum inuoluant laqueis: ideò ligant, ideò illi vincula nectunt, vt ad pristini ergastulum vinctum & alligatum trahant, & eius ruina & exitio pascantur. Sed & in vinculis his est etiam aliquid expauendum maximè; adeò enim fortia & indissolubilia sunt, vt etiam dominorum excusso iugo, & ereptus homo à misera seruitute diaboli adhuc laqueos in se istos experiatur. Id quod insinuat Ioannes cap. 11. in resurgente à sepulcro Lazaro, qui etsi mortis excusserat iugum; tamen exiit, *Ligatus pedes, & manus institis.* Ad quæ D. August. lib. 83. quæstionum, quæstione 65. ait. *Quod verò exiuit institis obuolutus, hoc est, quod etiam à carnalibus recedentes, adhuc tamen in corpore consistentes, alieni à carnalibus molestijs esse non possunt.* Hæccine sunt laquei, quibus miserè sub potestate tenebrarum alligamur, quos vix excutere possumus etiam in libertatem filiorum Dei redacti.

Matth. 27.
Drogo.
Athanas.
Luc. 15.
Chrysol.
Paulinus.
Ioan. 11.
August.

§. II.

Calamitas, & afflictio peccatorum eos reddit Deo conspicabiles.

QVum sibi asellum afferri iubet Dominus, notantes inemini ligaminum illius, *Inuenietis asinam ligatam.* Ea enim sunt, quæ maximè hominem Deo commendant, nimirum

nimitum vincula, calamitates, afflictiones, misera seruitus. Ecce vobis superbissimum illum Regem Babylonis Nabuchodonosor, quem superbia sua in bruti similitudinem conuertit, adeò vt pulsus Regno in agro cum feris versaretur,
Daniel.4. vt meminit Daniel cap. 4. *Ex hominibus abiectus est, & fœnum vt bos comedit.* Quid plura? hæc illum pœna dignum
Pacian. fecit, qui à Domino suspiceretur. Ita D.Pacianus in Parænesi ad pœnitentiam. *Rex ille Babylonius exomologesim desertus operatur, & septenni squalore decoquitur. Hæc tamen illum pœna Deo commendat, & in sua quondam regna restituit: quem horrebant homines, Deus recipiebat ipsa illa mala tractatum calamitate felicem.* Quis iam contemnet calamitates? Quis afflictiones pauebit? quæ etiam in peccatoribus diuinos oculos trahunt, & replent suauitate. Qui alioquin mille tenebrosus erroribus, & idololatria abominandus, vna calamitate & afflictione eum acquirit decorem, quo Dei oculos oblectet, & capiat. Hinc lacrymabundus Hieremias aiebat: *Recordare paupertatis, & transgressionis meæ, absinthy,*
Paschas. *& fellis.* Quæ verba pulcrè examinat D.Paschasius libro 3. in Threnos, littera Zain. Vbi expendens illud, recordare transgressionis meæ, sic addubitat. *Quærendum, cur transgressionis suæ recordari petat, cum non velle transgressionem suam aliquis offert iudici, qua puniatur, imò rogat cum Dauid, Auerte faciem tuam à peccatis meis?* Iustus nollet à Deo videri peccata sua, & Hierusalem peccatrix, & abominabilis facta petit à Deo, quod recordetur suarum transgressionum. Cur non magis, quod obliuiscatur? Cur vellet delicta sua ob oculos Deo versari? *Non dixit simpliciter, recordare transgressionis; sed addidit, absinthy, & fellis, non quod à Domino transgressionis suæ recordari vellet; sed laborum, & certaminum, quæ pro eis tolerat, id est, absinthij, & fellis.* Hæc Paschasius: quippe sic decorant etiam nocentes afflictiones, ærumnæ, calamitates, sic hæ miseriæ oculos diuinos capiunt, vt afflictus quisque peccator possit præsumere se Deo ob oculos versari. Prodigum illum filium misera calamitate iacta-
Luc.15. tum, fame enectum pulsat memoria patris. Lucæ cap 15. *Quanti mercenary sunt in domo patris mei, qui abundant panibus, ego hic fame pereo.* Equidem afflicti filij, & calamitosi memoriam subit cœlestis Pater, vt illum ad se traheret.
Chrysol. Sic D.Chrysologus sermone secundo. *Fames reuocat, quem satietas exularat: fames illi patrem dedit sapere. Etsi tantum præstiterit vel inuita fames, probate quid voluntarium possit conferre ieiunium.* Proh Deus immortalis! Quis famis, quis vinculorum, quis ærumnarum bona valeat numerare? Iu-
Iudic.16. dicum cap.16. dicitur de Sansone: *Et ipse nesciuit, quòd Dominus ab eo recesserat.* Et quidem Deus omnino à Sansone recesserat. Sanè vbi video Sansonem inermem, ad molam religatum, miserè afflictum, non facilè adducor vt credam
Theodor. Deum ab illo omnino, & longè recessisse. Ait Theodor. *Non enim omnino reliquit benignus & clemens Deus; sed cum eum vidisset probris affectum & contumelys, & precantem exaudiuit.* Equidem maximè gaudet Dominus de consortio afflictorum, eósque sibi in societatem acquirit, qui sciuerint afflictiones, & fames tolerare. Nónne meministi Dominum in Thaboris gloria radiasse medium inter Moysem & Eliam? O bone, nónne tu es, qui sedes super Cherubim? Qui Seraphinis cinctus versaris? Cur dimissis cœlestibus lateronibus, Moysem, & Eliam adducis in gloriam ostendendam?
Hieron. Iam respondet Hieronymus libro 2. aduersus Iouinianum, inquiens: *Ob ieiuniorum consortia Moysem & Eliam transfiguratus in monte secum ostendit in gloria.* Quasi chariores illi essent afflictiones, quasi ad gloriam magis conducerent ostendendam. Vide lib.2 cap.10. §.1. & alibi.

§. III.

Paruuli, & minimi summo studio à Deo requiruntur, ex quorum cura fidelissimi Dei ministri, quibus suum Deus Imperium committat, denotantur: vbi aliqua de Societate IESV.

NOn asinam iubet solum Dominus afferri sibi; sed *& pullum eius cum ea.* Curat equidem Deus maximè paruulos, quos requirere cupit. Sic D. Pacianus in Parænesi notat. *Neminem nostrum perire vult, etiam modici, etiam minimi requiruntur. Ecce in Euangelio drachma requiritur, & vicinis inuenta monstratur.* Contemptibilis res est apud homines infantia; at Deo minimè contemptibilis; sed valdè amabilis, vtpotè qui paruulos summo & studio requirat,
Luc.15. & requisitos commendet Discipulis. Sanè Luc. cap 15. è duobus filiis adolescentior petiit à patre partem substantiæ, & pater etiam petente adolescentiore, *Diuisit illis substantiam.* Vbi præclarè monet Ambros. *Vide, quòd diuinum patrimonium petentibus datur, nec putes culpam Patris, quòd adolescentiori dedit, nulla Dei Regno infirma ætas. Atque vtinam ille non recessisset à patre, impedimentum nescisset ætatis.* Ambros.
Imò & recedentem requiri, & sibi afferri iubet illum benignus pater, nil magis Deo cordi est, quàm quod paruuli recedentes per vniuersos vicos requirantur, & despecti, & desolati aut siti pereant, aut dispereant fame. Hinc illos, qui Deo placere ambiunt, Hieremias docet, Threnorum cap.2. inquiens: *Leua ad eum manus tuas pro animabus paruulorum tuorum, qui defecerunt in fame, & siti in capite omnium compitorum.* Eu quot verbi diuini fame pereunt vsque ad hæc tempora per omnium platearum capita, & quam pauci sunt, qui misereantur. Scatent triuia famescentibus. Verùm nam sint qui afferant remedium. Quæ verba & affert, &
expandit D.Paschasius lib. 2. in Threnor. littera Coph, sic Paschas.
inquiens. *Ne sola Dei dilectio sufficere videatur sine dilectione proximi, leuanda sunt manus, & cura impendenda pro paruulis, & iis qui fame verbi periclitantur in capite omnium compitorum. Alioquin nisi in vijs, & in capite compitorum exiissent, non fame, vel siti laborassent. Reuocandi sunt ergo de triuijs, & platearum exitibus ex capite omnium compitorum ad conuiuium, & prandium Domini, ne fame vsque ad finem periclitentur inedia.* Enim verò vt ex vico afferri pullum sibi Christus Dominus iubet, sic docet ministros suos qua cura, quo studio ex vicis & compitis requirendi paruuli quique, ne dispereant fame. Quo maximè illustratur mos ille virorum è Societate IESV, quando pro paruulis & cum paruulis in compitorum capite, in vicis & plateis verbi Dei cibo insudant communicando. Atque a compitis & vicis summa diligentia accipiunt paruulos, quibus vincula eripiunt, & satiant doctrinæ cœlestis pabulo. Anastasius Sinaita lib.4. Hexaemeron, fornacis Babylonicæ ignem asserit omnium manifestissimè filij Dei nobis repræsentasse imaginem. Quidni? Ignis diuinæ virtutis æmulus asseritur à D. Dionysio in plus quàm quadraginta proprietaribus. At non ignis quilibet, sed ignis, qui à Rege Babylonio accensus est, vt contemptores suæ statuæ consumeret, ille ignis iuxta Sinaitam singularissimè filij Dei exprimebat imaginem. Sinaita.
Quid plura? *Est ille ignis, ait, cognatus huius Solis, siquidem ille corporalis vim habet vrendi, & pueros custodiendi, Solis qui in nobis est, nempè Christi præfigurabat imaginem.* Ecce tibi iussu superbi Regis tres pueros Hebræos pedibus manibúsque ligatis Daniel. 3. coniiciuntur in flammas, de qui- Daniel.3.
bus eleganter D. Chrysostomus ait. *Pueri ergo iactantur in* Chrysost.
flammas, ibat circa innocuos pedes nouo libramine temperatus artifex ignis, & tot circumuolans passus sola consumere vincula laborabat. Puellos in se ignis accipit, acceptos dum custodit, de vinculis consumendis laborat, quibus consumptis expediti pueruli Dei magnalia cantant. In quo ignis ille diuini Solis, qui Christus est, præfigurabat imaginem; singulariter enim Christo Domino assimilantur ij, qui & puerorum curam suscipiunt, & vinculis illorum rumpendis operam nauant. Hi sunt viri è Societate IESV, quibus rudes pueri, & elingues commendantur, iique ligatis pedibus & manibus; sed Christiferi, & veri Iesuitæ Ignatij flammis igniti pueros accipiunt, quorum dum vitam informant, vincula abrumpere indefessè laborant. Et quos alligatos & mutos recepere, breui tempore reddunt Domino & expeditos, & cantu cœlestis doctrinæ sonoros. Hoc studio & labore circa pueros Iesuitæ adeò Deo placent, vt crediderim ideò illis concessum esse hunc maximum splendorem, quo lucent per vniuersas orbis nationes, & quo in maiori hæreticorum potentia ipsi pene soli Iesuitæ orthodoxam fidem integram, inuiolatámque propugnent, & custodiant. Sæpissimè animo meditatus sum, cur Deus Regnum suum ab Israelitis, & Iudæorum potentia ablatum Romano crediderit Imperio. Et dum recolo vltimos Iudæorum Reges, in quibus Dei Regnum stetit, & translatum est ad Romanos, & primum Imperatorem, qui accepit Ecclesiæ tutelam, incidi in Herodem, & Constantinum. ille sic sæuus in pueros, vt nec proprio filio parceret, dum cum innumeris infantibus iugulet deificum puerum. Hic adeò in pueros benignus, vt mallet lepra consumi, quàm vel vnius pueri fœdari nece, sicque quos ad mortem alligatos vidit, solui præcepit, matribúsque cum muneribus reddi. Quid plura? Puerorum osori, & internectori eripuit Deus Ecclesiæ Regnum, & illud credidit Romanorum Imperatori, vtpotè in pueros benefico. Aceinit Berengosius Abbas libro tertio de Inuentione Bereng.
Crucis,

Crucis,cap.5. sic fatus. *Herodes sempiterni Regis ortum molitus extinguere, in ceruices infantium gladium suum solebat cruentando distringere. Constantinus verò mitiorem se illis volens ostendere, mucronem suum à ceruicibus infantium pia cœpit deuotione suspendere. Herodes saluti sua malè consuluit, & malè prouidit, dum pro occasione vnius pueri multos pueros occidit. Constantinus verò saluti sua meliùs prouidere solebat, dum plurimorum saluti salutem vnius praferre nolebat.* Sic Iesuitæ, dum nec labori, nec sudori, nec saluti, nec vitæ parcunt, vt pueros confirment, & expeditos Christo Domino reddant, ideo ab eo eliguntur, quibos medios inter hæreticorum exercitus fidem suam credat, & illos cum Imperio Christiano faciat florere. Alios dicer, hunc Iesuitarum laborem præfiguratum in duobus his discipulis, quibus Dominus iubet sibi pullum afferri, quorum nomina non exprimuntur, vtique qui illos significabant, qoi non alind nnmen habebant, nisi nomen Iesu, à quo mittendi erant. Quibus ego dicarem canticum illud quo se filius exaltat, Ps.8. nimirum, *Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem tuam.* Vel vt alius transfert, *Ex ore infantium & lactentium fundasti fortitudinē.* Quasi hoc habeat singulare Societas Iesu, quod eius robur & potentia ab infantium, & lactentium instructo ore præfulgeat. Hic præ-
Chrysost. clarè addubitat D.Chrys. dicens. *Quam ob causam aliis prætermissis miraculis mortuorum resurrectione, dæmonum expulsione, nunc puerorum miraculi meminit? Quoniam illa quidem etiam ante facta sunt, & aliquid inter se commune habuerunt. Suscitatus est enim mortuus sub Elisæo, & dæmon per Dauid expulsus est. Chorus autem infantium, & lactentium nunc primùm loquutus est.* Et quidem miracula alia & clarissimè communia sunt omnibus sacris ordinibus, at quod lactentium chorus salubriter loquatur, id singulare est & pouū scholis debitum Societatis io id incūbenti ex proprio instituto, ideoq; tota eius fortitudo omissis aliis in eo fundatur & stabilitor.

Text. Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite, Quia Dominus his opus habet: & confestim dimittet eos.

§. IV.

Qui Dominum præ se ferunt, facili negotio ad se omnes creaturas trahunt.

O Si nos soli & increato Domino pectus tradere mus! si huius præpotentis Domini notui obsecundaremus! Sanè sob tanti Domini signo cunctas res creatas ad nos aduolare fecissemus. Vidisti aliquando sapientes veneficos, qoi vel verbulo facto segetes per aëra trahunt, flumina ab alueis eliminant, lapides, domósque ad se festinare faciunt?
Virgil. Sic illa apud Virgilium ecloga 8. immensum gloriatur.

Carmine vel cœlo possum deducere Lunam.
His ego sæpè lupum fieri, & se condere syluis
Mœrim, sæpe animas imis exire sepulcris,
Atque satas alio vidi traducere messes.

Monstrosa hæc & mendacia, sed quæ diuini carminis præoperatricem virtutem manifestant. Hoc est illud, *dicite, Quia Dominus his opus habet.* Sub tanti enim Domini signo confestim omnia parent. Felix ille, & beatissimus incantator, qui iuxta Christum in ligno pendebat, hoe vnum ore resonat verbum, dicam? Ao carmen? nimirum; *Domine memento mei dum veneris in regnum tuum.* Et ecce tibi cōnfestim adueniens illi torus paradisus apparuit, *Hodie mecum eris in pa-*
Athanas. *radiso.* Quid plura? Accipire D.Athan.orat.in Parasceue sic exclamantem. *O latro, mirum incantamentum sibi ad thesaurum hunc mirum conciliandum excogitasti.* Dum euncas Dominum, dum sub Domini signo efflagitas, ea conficis carmina, quæ animam à peccati barathro extrahant, quæ te de lupo agnum faciant, quæ tibi æternas gloriæ segetes, spirantésque vitam paradisos confestim, nulla interposita mora trahant. Non aliter dux ille Israëlitarum felicissimus & sanctissimus Iesus Naue ausus est æternas Solis, & Lunæ leges oblitterare, & concitatissimos cœlorum axes figere. Sed
Iosue 10. vide quo carmine id faciat Iosue 10. *Tunc loquutus est Iosue Domino in conspectu filiorum Israël, dixítque coram eis. Sol contra Gabaon mouearis, & Luna contra vallem Ailon; steteruntque Sol & Luna.* Itaqoe dum Domino loquitur, dum sub Domini signo agit, potens est Solem, Lunámque deducere cœlo,
Caietan. astris imperare, cui omnia statim mora famulantur. Sic Caietan. ait. *Iunge prudens lector duo hic scripta, videlicet, quod tunc loquutus est Iosue Domino, & quod in modum imperantis dixerit sermonem suum ad Solem & Lunam.* Ideo Petrus, qui

vanè tota nocte piscibus capiendis insudauerat, Luc.5. vi- Luc.5.
so Domino ait, *In verba tuo laxabo retia.* Quid tunc D.Am- Ambros.
bros. *O non vacua præsumptio! ò humilitas fructuosa! Qui nihil ante ceperant, magnam in verba Domini concludunt piscium multitudinem.* Vtinam hoc nobis carmen alta mente maneret infixum: vtinam hoc incantamentum nostra semper lingua resonaret, & nihil præter Dominum loqueremur, & gregatim omnia ad nos videremus festinare. Pulcre Romanus Centurio Matth.8. sic ad Christum fatur. *Domine, non* Matth.8.
sum dignus; sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Ad hæc Chrysol.serm.5. *Et sine verbo quid dicitur? sed iste postu-* Chrysol.
lat verbum non de loquendi vsu; sed de virtute faciendi: verbum de qua dictum est, Misit verbum suum, & sanauit eos. Quia iste credidit in verbo omnes manere virtutes? Felix ille, cui hoc Domini committitur verbum, sub quo facillimè cuncta suo subiugauit imperio, ad séque trahet creaturas vniuersas.

§. V.

Christus Dominus in egenis egens, in laborantibus laborans amat quam citissimè subueniri.

NOn solum misericordia in egenos Deo maximè probatur ex virtutis ipsius pulchritudine, sed ex celeritate. Etenim ideo dicitur ipse cum egenis egere, & cum laborantibos laborare, vt quam primum optet subleuari, quādoquidem ait, *dicite, Quia Dominus his opus habet, & confestim dimittet eas.* Quis indigenti Domino opem ferre non festinauit? Quis laboranti Domino auxilium quàm primum negauit? Planè, vt ait D.Cæsar.Arel. hom.15. *Hoc ipsum quod* Cæsar.
Christus in pauperibus esurit, nobis proficit. Proficit, inquam, quia celerrimos auxiliatores & excitauit & munerauit. Ecce tibi sepulto Domino deuotissimas mulieres diuinum cadauer vngere festinant, de quibus Marc.16. *Maria Magdalena, &* Marc.16.
Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum. Et valdè mane vna Sabbatorum veniunt ad monumentum orto iam sole. Quis diligentior? quis festiotor? Verum festinatom sanctarum mulierum obsequium præueniens Dominus resurrectionem suam maturarat, ne adeò festinum obsequium exhiberetur corpori non egenti; sed egenis & adhuc laborantibus membris reseruaret. Audite dulcissimum Bernard.serm.12. in Cantic. *Dominus Iesus paratam sibi* Bernard.
confectionem expendi voluit in suo corpore mortua, vt sinaret viua. Viuit enim Ecclesia quæ manducat panem viuum, qui de cœlo descendit. Ipsi erga pretiosa vnguenta retinuit, quùm anticipans horam, & accelerans gloriam, mulierum deuotionem non elusit, sed instruxit, non recusans obsequium, sed reseruans proficuum. Expendo illud, deuotionem non elusit, sed instruxit, instruxit, inquam, dum tam festinum obsequium vetat exhiberi alij, quam egenti & laboranti membro Christi. Adeo eum in egenis eget, & in laborantibus laborat, amat confestim, & sine mora Dominus subueniri, vt sibi obsequium non exhiberi dissimulet, dum egentibus & laborantibus sine mora subuenitur. Id quod maxime elucet in Iosue cap.10. Hic namque inclytus dox nunquam inconsulto Iosue 10.
Domino arma capere consueuerat, verùm cum laborantibus Gabaonitis subueniendum fuit, noo moram facit, vt Dominum consolat, sed confestim castra mouit. Sic ait textus. *Habitatores Gabaon vrbis obsessa miserunt ad Iosue: & dixerunt ei, Ne retrahas manus tuas ab auxilio seruorum tuorum, accede cito, & libera nos.* Quid tunc? Consuluit Iosue Dominum de more? Expectauitne diuinum responsum? obtulit oblationes & holocausta? Imò statim sine mora, inconsulto Domino, *Ascendit Iosue de Galgalis, & omnis exercitus bellatorum cum eo?* Quod adeò accidit gratum Deo, vt proficiscenti Iosue vltro, & non vocatus Deus appareret, certiorémque illum fecerit de victoria: dixitque Dominos ad Iosue. *Ne timeas eos; in manus enim tuas tradidi illas.* Ad hæc
Aogust.quæst.14. *Vbi neque consultus est Dominus, verum eundum ad eos esset, sed vltro suis rectè subuenire volentibus futuram victoriam pronuntiauit.* Sic erga se dissimulat Dominus August.
obsequium, vt instruat & muneret eos, qui egentibus & laborantibus extra moram subueniunt. Hinc ille prudens Abraham seruus placituram Domino suo æstimauit puellā.
Gen.24. *Puella, cui ego dixero: Inclina hydriam tuam vt bibam,* Genes.24.
& illa responderit, Bibe, quin & camelis tuis potum dabo, ipsa est quam præparasti seruo tuo Isaac. Ad quæ eleganter notat Thomas Angles, vt hominem liberet à nota leuissimi animi, Thom.
quod nimirum, *discreta illa fuit oratio, siquidem conditionem posuit rationabiliter indicatiuam strenuæ indolis puellæ,* Angles.
vtpote actum prompta, piæ & largæ liberalitatis. Et vix est iodicium

dicium manifestios animæ à Deo præparatæ in sponsam filij. quam promptum & festinum obsequium, quo egenos & laborantes quis nititus subleuare. Hoc maximè Deus amat, in hoc adeo sibi complacet, vt maluerit, in egenis egere & laborare, sperans confestim & sine morâ subueniri & adiuuari.

§. VI.

Christus Dominus egenus fit, quia maximè sibi complacet festinus, & certissimus suorum obsequys.

NOn dubitat Christus Dominus se indigum & egenum appellare & ostendere, vbi citato cursu, & festino obsequio sperat ab homine subueniri. *Dicite*, ait, *quia Dominus his opus habet.* Cur te indigentem iubes prædicari, ô Christe, eum sis Dominus omnium? Decétne Dominum egenorum de more, diuitum fores pulsare? hominum bona emendicare? Sed vide quo præmio Deus emédicet, *confestim dimittet eas*, vbi citissimos videt auxiliatores, vbi homines nouit absque mora egenos & indigentes subleuare, ipse Dominus gaudet egere, & laborare, & ostiatim emendicare.

Cantic. 5.

Ecce tibi Dominum Cant. 5. ad amasiæ ostium pulsantem & clamantem: *Aperi mihi soror mea, columba mea, formosa mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Proh Deus immortalis! hominum fores pulsat Dominus pauper & indigus factus, eâ præmittens causam, quia cincinno guttis noctium, & rore plenos habet. Qualis est hæc causa diuinæ egestatis, & assumptæ indigentiæ? Equidem cincinni capitis Christi pauperes sunt, ros est festina & matutina pauperum recreatio. Sicut enim aurora præteritos æstus properat ante solem placidis guttis irrorare & recreare: sic multi fideles matutini & citissimi miseratores præproperis auxiliis festinant subleuare. Pulcre & vere id

Paulinus.

docens D. Paul. ep. 4. pergit gaudentem Dominum ad sponsæ fores celebrare sic fatus. *Guttis noctis nostræ crines suos gaudet esse perfusos, quia ipsius refrigerium & refectio est illa fidelium operatio, qua vel fratres iuuantur, vel inopes refouentur.* Hæc sunt Christi Domini gaudia, hæ sunt illius lætitiæ singulares, quod inopes præproperis foueantur auxiliis, quod roscidis auroræ guttis quam primum egenorum sites expleantur. Tota ergo assumptæ à Deo indigentiæ caosa est, quia gaudet & lætatus in egenis à fidelibus citissime subleuatis: tota ratio, ob quam Deus factus indigus fores pulsat amasiæ, hominum terit ianuas, quia, inquit, caput meum plenum est rore & cincinni mei guttis noctium, nimirum, quia summè recreatur illa operatione fidelium, qua inopes pernici propero refouentur auxilio. Hinc licet æstimare diuersum illum fauorem exhibitum duobus hospitalissimis viris

Genes. 18. & 19.

Abrahamo, & Loth Genes. 18. & 19. Etenim Abrahami hospitium lætantes ingrediuntur, & sine cunctatione tres peregrini, in quibus filius Dei sub peregrini habitu apparuisse dicitur siue vere, siue repræsentatiue, vt fert communior Patrum sententia. Verum Lothi hospitium duo solum Angeli, & hi cunctabundi, & renitentes aliquanto petunt.

August.

Ad hæc August. serm. 79. de tempore. *Attendite fratres, qualiter Deus apparuit Abrahamo, & qualiter apparuit Loth: ad Abraham tres veniunt, & stant super eum; ad Loth duo veniunt, & sedent in platea.* Cur ad Abraham vnus è tribus filiis Dei accedit, eiúsque hospitij indigus lætatur? Ad Loth descendente Deo soli duo Angeli migrant? Abraham, inquit Augustinus, occurrit obuiam eis, totus festinus adfuit, ait enim text. cap. 18. *Quos cum vidisset cucurrit in occursum eorum.* De Loth autem cap. 19 ait. *Iuit obuiam eis.*

Ambros.

Quod Augustino breuius ponderat D. Ambros. lib. 1. c. 6. fatus. *Perfectior cucurrit obuiam; iste exsurrexit, iste & adorauit in faciem.* Non ergo Dominus peregrinus & hospitij indigus apud Loth; sed apud Abrahamum, à quo præpropero cursu pernicissimo volatili grado, festinissimo obsequio subleuatur. Ibi lætus indiget Dominus, ibi solum gaudet indigentiam præferre, vbi nouit celerrimum & volatile iuuamen, vbi celerem, & citum hospitatorem habet Deus ipse gaudet hospitium emendicare & indigere, vbi hilarem & præproperum datorem habet.

§. VII.

Valde Dominus irascitur in eos qui tardant subuenire indigentibus & laborantibus.

Matth. 21.

INdigenti Domino periculosè subuenire tardas. Matth. 21. esurit Christus, eocurrit ad ficum, illa verò vt per tempus licebat folia obtulit exhibitura suo tempore fructus. Væ arbori, non enim Dominus indigus nouit expectare tardantes: quapropter iratus maledicta congessit in arborem. Quid peccauit ficus, si quouis tempore ficos non habeat? Quæ arbor tale posset? Pulcre D. Paulin. epist. 33.

Paulin.

Nunquid ne uberibus cura est Deo? Propter nos vtique scriptum est, in quibus escam suam semper vult Deus inuenire. Sanè non ficus peccauit; sed homines à Deo maledicuntur, qui non præ manibus habent quod statim offerant Domino laboranti. Metuo, ne corruant, qui nihil dant egenis, nisi certis & statis temporibus, nisi determinatis diebus aut hebdomadis transactis. Nisi fortè hoc fiat ea alia iusta causa, & vtiliori communi bono, vt quando annuæ elargitiones fundantur. Iam hinc malè audit apud Deum primus hominum filius Cain, qui terræ fructus post plurimos expectauit offerre dies. Ait enim Genes. 4. *Et factum est post multos dies obtulit Cain.* vbi D. Ambros. *Duplex culpa, vna quod post dies obtulit.*

Genes. 4.
Ambros.

Nescio an hostia Deo grata sit quæ post multos dies offertur, & hoc etiam si Deus illa non egeat. Verum quando Deus eget, quando laborat, non dubito quin differentem leuamen respuat abominetur. Tota illa virginum parabola Matth. 25. de eleemosyna est, vt inquit Theophylact. & alij, vbi quinque fatuæ virgines eleemosynæ immemores misericordiæ oleum non secum sumpsêre. O fatuitas Deum expectare, & secum non afferre materiam miserendi, si interim Deus accedit in egenis, quid tibi futurum speras. Ille quasi famis, & indigentiæ impatiens non statim subuenienti iratus illum maledictis prosequitur. Ibo, ais, emam & dabo, sic virgines illæ prudentes monebant, ite potius ad vendentes. Hoc est, inquit D. Hilarius, D. Chrysostom. & Hieronym. ite ad pauperes, ite ad indigentes: *Dum autem irent emere, venit sponsus, & clausa est ianua,* & illæ exclusæ manserunt.

Hilar.
Chrysost.
Hieron.

O vtinam secum misericordiæ oleum habuissent; sed quia secum non habent, etiam dum eunt ad afferendum, tantisper tardant misericordiam, & maledictis subiacent Domini abominantis tardum leuamen indigentiæ. Vnde merito S. Cyrill Hierosol. catechef. 15. expendens illam Domini aduersus immisericordes querimoniam. Esuriui, & non dedistis mihi manducare, ait. *Iam igitur hac operum inopiæ, ne sicut stultæ virgines empturus oleum excludoris.* Quasi quæuis mora in eleemosynis largiendis esset nociua.

Cyril.

Nouerat hoc oculatissimus Abraham, & maledictum à Domino districtum in eos, qui non statim suos discipulos recipiebant, præsentiens illud nimirum Matth. 10. *Quicumque non receperit vos exeuntes foras de domo, excutite puluerem de pedibus vestris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum in die iudicij.* Hoc, inquam, puluerulentum maledictum Abraham præsenriens peregrinanti Domino occurrit celer, & totus festinus vrget parari prandium, stimulat vxorem, & seruos. & in tanta festinatione adhuc de mora suspectus cadens ad pedes Domini suis ipse manibus & lauat, & tergit. Sed cur pedes ipse lauat! Sanè sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, vt percussam manum teneant, & ictum effugiant; sic Abrahamum, etsi festinissimus adhuc de mora timidus pedes Domini tenet, vnde præsensit in inhospitales viros maledictum eiaculandum puluerulentum.

Matth. 10.

Sic eleganter Diuus August. sermone 69. de tempore. *Lauate peregrinantium pedes, ne forte in illis remaneat puluis, quem ad iudicium vestrum possint de pedibus suis excutere. Sic enim in Euangelio dixit. Qui non exceperint vos, exeuntes excutite puluerem de pedibus vestris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum in die iudicij. Hoc ergo prauidebat Abraham, & ideo volebat praeuenire & lauare pedes, ne quid forte pulueris resideret,* &c. Adeo sanctissimus vir Domini seueritatem nouerat in castigandis illis, qui tarde & morosè egentibus subueniunt, vt in summa festinatione adhuc sibi ab hospite metuens, quasi supplicij instrumenta teneret, lauabat à puluere pedes.

August.

Hinc totam calamitatem Regis Ægypti D. Ambros. æstimat lib. 1. de Abel, & Cain cap. 9. Etenim vniuersi Ægyptij summis in dies plagis afflicti, & pleni miseriis eniae a tantis malis liberari contendebant. Adest mitissimus Moyses Regi, & ait Exod. 8. *Constitue mihi diem, quando pro te orem, & pro famulis tuis, & pro populo tuo.* Cui Rex barbarus, crastina die, pulcre D. Ambros. *Ociosus & negligens mora pænam, Ægypti soluturus excidio.* Sic Deus irascitur in eos, qui leuamen afflictis & egenis tardant. sic seram misericordiam fastidit, sic morosum datorem indignatur.

Exod. 8.
Ambros.

§. VIII.

§. VIII.

Iustissime petit sibi munera à subditis Princeps, quando lingua addit ora vulnerum, & laborum pro illis.

Zeno. MEmini D. Zenonis acumen, qui sermonem integrum conficiens de illa virtute, quæ est propria Principum, nempe iustitia, sic fatur. *Est autem iustitia in publicum tota prominens atque diffusa, sic tamen, vt sentiri se magis, quam videri cupiat.* Quod ego etiam in exigendis muneribus verissimum puto, etenim iustissima erit exactio illa, cuius iustitia non tam audiatur, quàm sentiatur, non tam percipiatur ex longa per oratione Rhetorum, quam ex puluere, ex laboribus, ex angustiis subeundis à Principe pro subditis. Pulcrè notat Rupert. quando iubeatur Dominus omnium
Psalm. 2. Christus postulare, nempe Psal. 2. vbi dicitur. *Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam.* Sed vide quali tunc in discrimine constitutus sit Dominus, qui totus in se mundum insurgentem conspicatus inquit *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt Reges terræ: & Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.* Quasi diceret, cunctæ in me rebellarunt furiæ: milite multo cingor, in arenam descendi pugnaturus, totus canus puluere, quo medio audio patrem dicentem mihi. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* tunc medio in puluere iam iam debellaturus hostem eo deductare, vt mori & vincere deceat, tunc postulare iubeor. Quid plura? *Audito verbo*, inquit Rupert. *postula à me, modum postulationis debemus nosse. Quomodo nisi moriendo postulauet? Humilitas eius passionis postulatio fuit. Is igitur sensus. Idcircò quando fremuerunt gentes, quando astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius, idcircò tacui, & semper silui, quia Dominus pater dixit ad me, Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Expendo, idcirco tacui, quia Pater dixit, postula: imo tunc debebat clausa ora aperire, imò tunc magis loquendum erat illi, siquidem postulandi & expostulandi copiam acciperet. Sed qui dominium vniuersi accipiebat, qui mũdialium omnium regnum tenebat, non ore linguæ; sed ore vulnerum pro subditis postulat. *Quomodo nisi moriendo postulauit; humilitas eius passionis postulatio fuit.* Hæc est digna tanto Principe postulatio, quæ ore vulnerum fit, quæ petitur non tam linguæ clamoribus, quàm laborum, quam pulueris, quam indigentiæ pro subditis acceptæ. Itaque Dominus omnium, & Rex Christus tunc postulat sibi amasiam dari, quando necessitas fundendi sanguinem pro mundo vrget: quando festinat ad arenam dæmonum tyrannidem, debellaturus quando properat se in mortem dare, tum laborum, pulueris, indigentiæ ore postulat & exigit munus a subditis. O exactio digna diuino Principe! O exactio, quam minimè subditi grauantur, imò potius quam festinatissime, & cum magno sui discrimine persoluere procurabunt. Quæ durior res à Rege ex-
2. Reg. 23. peti posset, quàm aqua illa à Dauid expetita 2. Reg. 23. Infinitus penè hostium exercitus tenebat Betlileem campos, quorum vires experturus erat quicumque ad cisternarum oppidi accederet aquas. Nihilominus Dauid media in acie sitibundus, medio è puluere belli ad suos clamat. *Quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Betblem?* Quid subditus audire posset tam durum sui Regis mandatum; vbi securas aquas haberet è propria domo, exigit ex mediis hostibus sibi aquas portari? & quia Regis pugnantis, & puluerulenti exactio fuit, adeo grata extitit subditis, vt non dubitarent se in periculum dare, & afferre aquam. Sic expen-
Sophron. dit Sophron. hom. de Christi Natiuit. *Tres fortissimi pugnatores Regis desiderio comperto, ipsumque non sine æquissima causa dicere audientes: Quis daret mihi potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethleem, tali aqua, quæ sensu percipitur, desiderio illum teneri, in manifestum vitæ periculum proruerant, eximiam, & admiratione dignam in Principem beneuolentiam, insitumque erga salutarem eius sermonem, studium, & ardorem demonstrare instituentes.* Petant ergo Reges non tam ore, quàm sudore, quàm labore pro subditis exhibito, si velint etiam durissimas quasque exactiones à subditis adamari. Nihil graue est subdito pro domino, quem sui causa videt laborantem, & vel sanguine suo regiam sitim sui occasione tuendi acceptam gaudens iuuabit.

Text. Hoc autem factum est, vt adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Dicite filiæ Sion, ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, & sedens super asinam, & pullum filium subiugalis.

§. IX.

Solus Christus verus Rex, qui nihil sibi, sed omnia recepit suis.

HOc maximè regium est, vt Rex non sibi, sed suis viuat, non sua, sed subditorum negotia peragat. Hinc D. Basilius ponderans illud Ecclesiastes, *Salomonis Regis, ait, hoc differt Tyrannus à Rege, quod ille sua commoda, quomodocumque, & vndecumque respicit: hic subditis consulere tantum quærit.* Basil.
Sed quis ita regius inuenitur, qui non sua quærat? Quis adeo subditorum saluti insudat, vt nihil expectet? Sanè Tertullianus, forensibus negotiis demissis, vni sibi vacans, Tertull.
hoc vsurpabat vulgo dictitatum lib. de pallio. *Erat olim ista sententia: Nemo alij nascitur moriturus sibi.* Quasi hoc sit omnibus insitum morituris, quod sibi nascantur, quod sibi viuant. Vnde cæteris animalibus imperatura natura hominis cùm à Deo conditur, simúlque inauguratur, vt acutè notat D. Greg. Niss. lib. de creat. hom. c. 4. *Pro purpureo velamine ve-* Gregor.
stica virtute est, quæ omnibus regalibus ornamentis pretiosior approbatur: pro sceptro verò beatitudine & immortalitate fulcitur. Nissen.
Etenim regium sceptrum, quod totum ad alios est, non rectè fundatur in morituris manibus, adeò, vt cum homo perdidit immortalitatem, extemplo etiam perdiderit regnũ animalium, quippe nemo alij nascitur moriturus sibi. Vnus ergo Christus Dominus verus, & solus omnium Rex, qui nec sibi nascitur, nec sibi moritur; sed etiam moribundus venit suis. Ideo notanter dictum crediderim in præsenti, Ecce Rex tuus venit tibi, quando Hierosolymis occidendus accedit, quando inimicorum sese offert insidiis, quando se nefariis tradit iudæis, non sibi mortem timet; sed nobis mortem profienam assumit. Hinc despientes Pharisæos, qui dicunt *Si Rex Israel est, descendat de cruce.* Matth. 24. elegan- Matth. 24.
ter pungit Bernard. serm. 1. de Pass. *Imo verò, ait, quia Rex Israel est, titulum Regni non deserat, virgam Imperij non deponat.* Bernard.
Quidni? Adeo regium est mori? Cur mors regni titulus dicetur. Quando ad regium culmen mors ibit? Serui moriuntur, mancipia intereunt, & mors erit regni titulus? Equidem serui moriuntur sibi, vt qui sibi etiam viuunt; verùm Christus Rex omnium, & Saluator nihil accipit sibi, etiam nobis moritur. Quocirca noluit descendere de cruce. Pulcre Ambros. lib. 10. in Lucam. *Noluit descendere, ne descenderet sibi; sed moreretur mihi.* O vnicus Rex Israel, & Ambros.
verus Rex vniuersæ creaturæ, qui nihil sibi accipit, nihil sibi præsumit, & mori, & viuere donat suis. Ad hæc scitè D. Athanas. de Pass. & Cruc. ait. *Omnia diabolus mouebat, & quidem præter animi sententiam promittebat, modo efficere posset, ne Christus Dominus moreretur, & ad inferos descenderet. Denuò igitur Iudæis author fuit, vt dicerent, Si Rex Israel est, descendat de cruce, & credimus ei. Dominus autem ve vera Seruator, qui non sua, sed nostra quæsiuit, non in se saluando, sed in creatura redimendo Saluatorem se esse innotescere volebat. Non etiam Sol suum iubar in se contrahens pro lumine agnosceretur, nisi etiam orbi terrarum suos radios exporrigat & tenebras illuminet.* Athanas.
Hinc æstimandum est decus regium, quod Rex non sua quærat; sed subditorum, quod nihil sibi accipiat, sed omnia, & vitam, & mortem donet suis. Hinc Christus Rex, & Dominus omnium verus, & vnicus censeri voluit, sese totum tradens subditis, nihil enim magis regium est, & imperatorium. Id quod in Dauidis Regis vnctione notat D. Gregorius in 1. Reg. cap 16. vbi dicitur, Gregor.
quod Samuel *vnxit eum in medio fratrum suorum.* Ad hæc Gregorius *In medio vngitur, vt se priuato amore non diligat; sed ex omni, quod præeminet, lucra aliorum quærat. Vnde & Saul solus in extrema parte ciuitatis vnctus fuisse prohibetur. Quid est ergo, quod solus à solo enungitur; nisi quia de culminis potestate per amorem priuatum debebat intumescere.* Hæc ille, boni, & mali Regis insinuans discrimen.

§. X.

Regia sublimitas, & firmitudo in eo consistit, quod Rex subditorum periculis accurrat.

SOlemnissimum Regibus, imò & notissimum cognomen, quod bases Reipublicæ dicantur, eæque firmissimæ, quibus tota nitatur moles politici ædificij. Quid basibus

magis detrimentosum, quam mobilitas? Quid Regibus periculosius, quàm huc illúcque discurrere? Et ecce ait, *Rex tuus venit tibi.* Nónne magis regium esset, si non ipse veniret? si domi immotus quiesceret? Vbi firmitudo, & regia stabilitas in Rege huc illúcque discurrente? Equidem nil in Regibus & Principibus firmum & stabile, quam periculis subditorum occurrere. Huc spectat Theologus Na-

Nazianz. zianzenus epistol.92. fatus. *Et firma res est multis benefacere, etiamsi non sis loco firmiter affixus. Nisi etiam Solem accuset, quod radium spargens circumcurrit, & omnia viuificat quæ accendit. Aut stellas non errantes laudet, planetas verò vituperet, quorum etiam error concinnus est.* Etenim regalis firmitas & stabilitas non in eo sita est, quod Rex vno fixus loco grauedinem potiùs marmoream præferat, quàm imperatoriam maiestatem ostendat, sed potiùs, quòd Solis instar ocyssimo volatu omnia benefaciendo lustret. Ecce tibi regnantis Dei effigiem Ezechieli repræsentatam, vt multi docent Docto-

Origen. Hieron. res, teste Origene, & D.Hieronymo, in ea erant in primis quatuor pernicissima, & alata animalia, quæ perpeti volatu quocumque discurrunt, omniáque mundialia instar fulguris lustrant. Denique quatuor volubiles rotæ, quæ non tam raptantur, quàm ipsæ vitali motu ocyssimæ post animalia gradiuntur. Insuper & animalia, & rotæ quietis expertes, nullibi sistunt; sed huc illúcque indeficienter discurrunt. Quid plura? *Et similitudo super capita animalium, firmamenti. Et super firmamentum, quod erat imminens capiti eorum, quasi aspectu lapidis sapphiri similitudo throni, & super similitudinem throni similitudo quasi aspectus hominis desuper.* Nihil in tota hac celebri visione, & repræsentatione mihi magis accidit admiraculum, quàm quòd discurrentibus animalibus rapidissimis rotis super thronum sedentis, & regnantis firmamentum insideat. Id quod notanter exhibuit

Hieron. D.Hieronymus, dum inquit: *Videtur super quatuor animalia, & rotas totidem similitudo firmamenti.* Et qualiter in rotis volubilibus, in euolantibus animalibus firmamentum, & id firmamentum, cui firmus thronus regnantis insideat? Equidem quia regnantis firmamentum est nunquam firmum & stabile, nisi cum rapidissimo volatu occurrit singulis, & sese facilem præbet vnicuique. Etenim *firma res est multis bene facere, etiamsi non sis loco firmiter affixus.* Id quod

Pacat. in Panegyrico de sapiente laudauit Pacat. in Theodosio Imperatore Maximo verbis alibi dictis. *Creber, ait, egressu expectantibus populis te fateris: nec videri modo pateris; sed facilis adiri è proximo accipis vota tuorum.* Quasi nihil regalius inueniret in Principe, quàm quòd exeat ad suos, quorum laboribus, vt Sol præsto sit, illósque bonis impleat. Quod

3.Reg.3. in se ad regium culmen videtur desiderasse Salomon 3.Regum 3. quando sic ad Deum est loquutus. *Et nunc Domine Deus, tu regnare fecisti seruum tuum pro Dauid patre meo: ego autem sum puer paruulus ignorans egressum, & introitum meum.* Quis Rex ignoret egredi ad suos? quis nesciat subditos conuenire? Porrò omnium Dominus & Rex Christus, ipse omnibus adest, singulis occurrit, vniuersósque laborantes visitat, vt ad salutem perducat.

§. XI.

Magna Christianorum est gloria, quod Regis Christi serui nominemur, & simus.

MIrum alicui videbitur, quòd iubeamur in præsenti exultare, cùm tanti Regis dominatum subimus: ait enim Zacharias cap.9. *Exulta satis filia Sion, iubila filia Hierusalem, quia Rex tuus venit tibi.* Cur exultemus sub Rege? Cur iubilemus facti serui sub tributo? An seruitus potuit vnquam homini afferre lætitiam? Sanè Regi Deo seruire lætissimum, gloriosissimum est cunctis hominibus. Dauidem Dominus exaltare cupiens, & sibi maximis beneficiis

2.Reg.7. Theod. deuincire, dixit Nathan 2.Reg.cap.7. *Vade, & loquere ad seruum meum Dauid.* Quæ examinans verba Theodoretus q.22. ait. *Primùm quidem eum deliniit appellatione seruitutis: Dic, inquit, Dauid seruo meo; est autem summus honor appellari seruum Dei.* Expende illud, eum deliniit appellatione seruitutis, eum, inquam, qui Regni tenebat clauum, qui gloriam præferebat militarem, qui promissionem acceperat se fore patrem Verbi diuini nascituri. Annon gratius Dauidi existeret, quod à Deo Pater vocaretur? An non acceptius, si diceret, dic parenti meo Dauid? Non equidem sic Dauidis deliniret animum appellatio parentis, quàm appellatio seruitutis: summus est honor appellari seruum Dei. Hinc ille Christi Domini consanguineus Iudas Thadæus sese maximè extollens, consanguinitatis diuinæ immemor, hanc meminit sui ad Dominum seruitutem. *Iudas,* Iud.1.

inquit, *Iesu Christi seruus, frater autem Iacob.* Vbi Clem.Alexand. pulcre notat. *Cùm ferret propinquitatem Domini, non tamen dixit fratrem eius esse; sed quid dixit? Iudas seruus Iesu Christi, vtpote Domini.* Quid fratrem memoret, vbi Dominum sciuit? nouerat quidem cum Christo eam se habere necessitudinem, sanguinísque coniunctionem, qua posset frater eius vocari; sed beatius, & gloriosius sibi putauit futurum, si tanto Domino suam præferret seruitutem, non frater, sed Iesu Christi seruus exhibitus. Hinc Maria in Dei Cl.Alex.

matrem assumpta sese profert ancillam. Luc. 1. *Ecce ancilla* Luc.1.

Domini. Vbi eleganter Ambros. *Ecce ancilla Domini, apparatus officij est,* quasi diceret, ne in ancillæ cognomine vilitatem aliquam, & exinanitionem autumes; sed maximum & gloriosum apparatum, quo officiosa Maria Deo obuiam Ambros.

currit. Vnde D.Epiphan. ait: *Virgo sublimior Angelis facta est, superior ipsis Cherubin, placens Christo Regi, à Deo in honore habita tanquam ancilla digna:* quasi omnes Marianas glorias, & excellentias, quibus se super Cherubim extollit, hoc vno Regis Christi ancillæ cognomine æstimauisset. Huius nobilissimæ seruitutis gloriã præsensit ille Babylonius Rex, quando seruatorum ab igne suo puerorum miraculo attonitus sic humilis eos compellabat. Dan.c.3. *Sidrach, Misach,* Epiphan.

& Abdenago serui Dei altissimi, egredimini, & venite. Expende illa, serui Dei, quæ ita perstringit D. Chrysost. hom.8. Daniel.3.

ad Ephesios. *Suauissima voce illos appellauit: hoc ipso illos blandiendo veneratus est. Nam ita gauisi fuissent, si vel Reges eos, vel orbis Dominos vocasset, atque quod dixit, serui Dei.* Hinc Chrysost.

D.Cyrillus Alexandrinus, de incarnatione Vnigenit.cap.3. Christianorum glorias ponderat, quod populus Israëliticus sub Moyse seruilem habitum indueret, nos Christiani sub vno Rege, & Saluatore Christo. *Dicet aliquis, ad quid Moysi dictus est populus Israël? Ad hoc dicimus, quod Dei quidem populus nominatus sit; verum quoniam ad defectionem deductus est, & vitulam fecit, inhonoratus est à Deo. Non enim suum nominare populum dignabatur; sed eum iam homini destinauit. At nos non ita; nos autem populus eius, & oues pascuæ eius.* Quo extollimur gloria, & honore summo. Sanè ad summam Moysis commendationem dicitur Deuteron.cap.vlt. *Mortuus est Moyses seruus Domini.* Quæ verba Cyril.

expendens D.Gregorius Nissen. ait. *Quid igitur historia nos hinc admonet? ad vnum esset nobis finem in hac vita respiciendum, vt serui Dei nomen assequamur. Finem autem dico, cuius gratia cætera sunt. Nam vt agriculturæ finis est, frugum perceptio, ædificationis ædium est habitatio, certaminis corona; sic virtuosæ vitæ finis est vt seruus Dei sit, & vocitetur.* Hæc ille. Deut.vlt. Nissen.

§. XII.

Nullo magis omnium sibi animos debellat, & deuincit Princeps, quàm mansuetudine.

QVem non expugnabit Rex Christus, Rex, inquam, nullo alio superbiens titulo; nisi eo, quem accipit à mansuetudine? Rex tuus venit tibi mansuetus, ex tunc nullus erit, qui non abeat post Christum. Præcursor ille diuinus, Ioan.c.1. vt homines ad Regem Christum traheret, Ioann.1.

magnalia referebat de Christo, diuinum eius genus, sublimitatem vitæ, excellentiam personæ, magnitudinem muneris: & his omnibus proficiebat nihil. Tandem quadam die videns Iesum, solum dixit, *Ecce Agnus Dei: & audierunt duo Discipuli dicentem, & sequuti sunt Jesum.* Et quidem dum Agnus proponitur Christus, dum à mansuetudine commendatur Princeps, tunc omnium sibi allicit animos, & deuincit. Id quod in præsenti ponderauit D. Chrysost. *Intuere, ait, hoc loco, quod neque cum dixerit, post me venturus est, qui ante me factus est; neque cùm, non sum dignus soluere eius corrigiam calceamenti, quemquam lucratus est. Verum cum de Christi generatione verba habere, & in humiliorem sermonem descendere cœpit, nempe, ecce Agnus Dei, tunc secuti sunt Discipuli.* Et quis resisteret mansuetissimo Principi? Quem Rex mansuetus suo non subiugaret imperio? sibi non traheret, & deuinciret? Pulcrè D.Bernard. serm.1. de Resurrectione, Agni mansuetissimi fortitudinem & potentiam expendit, illud Chrysost.

Apoc.c.5. adducens, quando flentem Ioannem solatur vnus de Senioribus, ait: *Ne fleueris, ecce vicit Leo de Tribu Juda, radix Dauid, & vidi, & ecce in medio throni Agnum stantem tanquam occisum, & veniens accepit librum de dextra sedentis in throno, & aperuit librum.* Quem nec in cœlo, nec in terra fuit, qui possit aperire, vnus Agnus aperuit: sed Apoc.5.

quid

quid non aperiret Agnus? quid non solueret Agnus? quid non posset Agnus? *Leonem Ioannes audierat*, inquit Bernardus, (Bernard.) *& Agnum videt, Agnus accepit librum, Agnus aperuit, & apparuit Leo. Denique dignus est, (aiunt Seniores). Agnus qui occisus est, accipere fortitudinem, non mansuetudinem amittere; sed accipere fortitudinem, vt & Agnus maneat, & Leo sit.* Quippe tunc Leo, tunc omnium fortissimus ad vincendos, & deuinciendos animos litteratorum, quando Agnus mitissimus apparuit, dum Agni mansuetudinem præ se tulit, validissimum robur, incredibilem accepit & induit fortitudinem, qua vniuersum mundum expugnauit. De potentissimo hoc Agno occiso dicebat Abacuc c. 3. (Abac. 3.) *Cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius.* Ad hæc Drogo (Drogo.) lib. de Sacramento Passionis. *Quæ est autem fortitudo tua, nisi mansuetudo tua?* Hæc fortissimorum impetum fortior ipsa sustinet, hæc robora aduersantia emollit ac delinit, hæc serpentinos furores incantat, hac præcinctus Dominus omnia ad se traxit, huius vi & potentia rebelles animos principes viri detriumphabunt. Inde factum est, vt in Iordane declarandus Dominus, & quasi creaturarum Princeps inaugurandus, supra caput suum columbam à cœlo dilapsam ostentaret. Cuius rei mysterium sic enucleat D. Anselmus (Anselm.) in Lucam cap. 3. his verbis. *Rectè sicut columba Spiritus in eum descendit, vt eius mansuetudinem nobis intimaret, ipse enim Iudex est generis humani; sed quis eius ferret iustitiam, si prius quam nos per mansuetudinem colligeret, culpas nostras per zelum rectitudinis examinare voluisset? Homo ergo pro hominibus factus, mitem se hominibus præbuit. Noluit peccatores ferire, sed colligere. Prius voluit per mansuetudinem colligere, vt haberet quos postmodum in iudicio saluaret.* Etenim ad trahendum & colligendum est efficacissima mansuetudo. Psalm. 48. sic ad vniuersas nationes prædicatur. *Audite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes qui habitatis terram.* Postquam enim Dominus exercituum ad humanitatem sese inclinauit, iam Israëlitici Populi angustias pertæsus, ad vniuersas gentes expiscandas euolauit. Sed quibus hamis id faciet? Sanè mansuetudinis hamo; ita eleganter Theodoretus in Isaiæ orat. fatur. *Lex in litteris instruebat solum Israëlem secundum carnem: Dominus autem noster Iesus Christus cum mansuetudinis tese explicasset, totam piscatus est terram, quæ sub cœlo est.*

§. XIII.

Dei sedes nullibi gratior, quàm in afflictis, & laborantibus paratur.

QVis brutescentem naturam hominis hic non lacrymatur? Sanè duo hæc bruta Christo Domino allata, duo populi suot sacris Doctoribus, nempe Gentilis, & Iudaicus: duo inquam, populi sunt peccatorum sarcina graues, laboribus, & ærumnis contriti, misera seruitute exagitati. His tamen insidet Dominus, cui in laborantibus & afflictis gratissima sedes paratur. Accipite Ezechielem cap. 27. (Ezech. 27.) opulentissimam Tyri vrbem ad nomenclaturam nauis efformantem, vbi vrbs non vrbs dicitur, sed nauis: turres, non turres; sed puppes vocantur, sapientes, gubernatores dicuntur, siue remiges, siue nautæ, lineæ merces, sericæ vestes appellantur vela. Quid plura? Inter alia ait: *Transtra tua fecerunt tibi ex ebore Indica.* Quæ verba explanans Hector Pintus, putat transtra nauis esse sedes remigum, quas Hispani dicunt, *bancas de crugia*, vbi flagellum resonat, vbi gemunt serui coacti, vbi nocentes improbo plectuntur labore. Hæc sunt nauis transtra; sed quæ ciuitas pars transtrorum nomine designatur? eam attigit Theodoretus, qui legit: *Templa tua ex ebore.* Quid mirabilius, quam quòd templa dicantur transtra nauis? Quid templum commune habet cum transtris? Multum, & per omnem modum: quippe templum sedes Dei est, vbi singulari quodam modo quasi in propria sede adest Deus, vt clamantes, & orantes audiat. Rectè igitur nauis transtra ad templum transferuntur significandum, quandoquidem in transtris, vbi miseri vapulant, vbi degunt laborantes, afflicti, ærumnosi, ibi medius insidet Deus, ibi diuinæ sedes est maiestatis. Sedes Dei est, templum Dei est afflictorum & laborantium hominum animus. Huc spectat D. Fulgent. (Fulgent.) lib. 2. ad Trasimundum Regem, cap. 1. sic fatus. *Solus non est, cui Christus in fuga comes est: solus non est, qui templum Dei seruans, vbicumque fuerit sine Domino non est.* His solatur Fulgentius eos, qui persecutionem patiuntur, qui afflicti sunt in solitudinibus errantes, quibus adest fidelis comes Christus in laboribus, in afflictione quibus Deus insidet, adeò, vt meritò sedes Dei, & templum intimis habere dicantur in animis. Audito captiui, & afflicti Danielis responso, cap. 2. (Daniel. 2.) *Rex Nabuchodonosor cecidit in faciem suam, & Danielem adorauit, & hostias & incensum præcepit vt sacrificarent ei.* Cur hanc amentiam ebibit Rex, vt captiuum, & afflictum hominem adoraret? Et cur non adoraret captiuum, quando captiuus & seruus templum Dei est? Ita Richard. Victor. de eruditione interior. homin. part. 1. cap. 36. dicens, *Illum quia tunc Dei templum esse deprehendit, tali honore dignum iudicauit.* Et priùs templi sedem deseret Deus, quàm deserat laborantium & afflictorum sedes, vnde dum Hierosolymorum templum adirent parentes Iesu, Iesum puerum amittunt, quem anxij requirentes, tandem in templo ipsum inueniunt, cui sedulam inquisitionem obiicientes dicunt: *Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* (Luc. 2.) Ad hæc Iesus apud Timoth. Hierosolymitanum, oratione de sancto Simeone. (Timoth. Hieros.) *Vt quid me quærebatis? Sed & vbi me quærebatis? In cœlum non ascendistis, ad infernum non descendistis, in ceto Ionæ non habitastis.* Ecce tibi quasi sedes designat, in quibus, quando in aliis omnibus non inueniatur, sine dubio posset inueniri. Nimirum in cœlis, vbi glorificans beatos adest; in inferno, vbi mulctat nocentes; & in ceto Ionæ, hoc est, vbicunque aliquis afflictus & laborans sit, etsi à malis & calamitatibus deuorатus esse videatur. Ibi sedes certissima Dei, ibi Deum assidentem inuenies, quando vel in templo amiseris, vel nec in altari illum inuenire valeas.

Text. Euntes autem discipuli fecerunt sicut præcepit illis Iesus: & adduxerunt asinam, & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt. Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via: alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via; turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant, dicentes, Osanna filio Dauid.

§. XIV.

Diui Parentis mandatis obedienti meritò adest regius comitatus, & regia acclamatio.

PArenti Deo obediens vsque ad mortem factus Christus Iesus, dum asinæ, & pullo eius humilis, abiectus insidet, regiam inuenit acclamationem, & comitatum. Quid mirum? hoc est eorum qui parentibus obediunt, præmium singulare. Equidem primus Israelitarum Rex Saul 1. Regum 9. parenti suo obediens, asinas amissas quæsiturus cum vanè agros lustrasset, ad Samuelem Dei Prophetam peruenit. Porro, *Cum aspexit Samuel Saulem, Dominus dixit ei: Ecce vir, quem dixeram tibi, iste dominabitur populo meo.* Eleganter Nazianzenus oratione in laudem Basilij. *Qui patris asinas quærens, Regnum inuenit.* Ab asinis ad regium festinauit currum, sed ea est merces illorum, qui parentibus etiam in vilibus obediunt, qui parentum exequuntur mandata, hi asinis operam nauantes, regium adipiscuntur decus. Sic Christus Iesus de Patris obedientia asinis insidens, Rex compellatur, excipitúrque comitatu regio. Insuper post Saulem reprobatum Rex Dauid stetit, cuius regnum parentum etiam munerauit obedientiam. Sic Iudas ille Patriarcha Iudæ tribus fundator & erector cauit suo testamento, quod habetur tom 5. Biblioth. *Regnū Iuda mihi dedit Dominus in obedientia patris mei. Nunquam contristaui verbum patris mei Iacob, semper obediui ei: Abraham benedixit mihi, & Isaac, ex me stabit Regnum.* Meritò inclytus vir à sua in patrem obedientia sumit auspicium felicissimi Regni, debebatur sanè tribui Iuda Regnum ex obedientia Iudæ exhibita parenti, solutum fuit debitum hoc in Dauid Rege, & reliquis eiusdem tribus Regibus, qui omnes ex Iudæ obedientia, & meritis regnarunt. Tandem translatum fuit Imperium ad Christum, qui vt omnium obedientissimus Patri, sic ipse per se regio decore dignissimus. Etenim ait Gen 49. (Genes. 49.) *Non auferetur sceptrum de Iuda, nec dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est.* Sed dices, Christus Rex Tribu Iuda natus est, ergo etiam regnante Christo, Iuda regnat. Verum cùm Regnum obedientia parentibus exhibita nitatur, quando ob Iudæ obedientiam datum est Regnum, regnabat Iudas. At in Christo nobilius inuenies obedientiæ fundamentum, non Iudæ, sed Christi est Regnum. Christi,

inquam, qui omnes longe ſuperat obedientia Patri exhibenda, qui obedientiſſimus omnium, qui Patri vſque ad mortem crucis obediat. Cur non illi regnum? Cur non illi obedienti comitatus & occurſus regius? Sanè Geneſ. 32. de Iacob ad ſuos reuertēte dicitur. *Iacob quoque abijt itinere, quo cœperat, fueruntque obuiam ei Angeli Dei.* Quæ verba expendens Rupert. lib. 8. in Geneſ. c. 2. multis ponderat quam magnifica exceptione obedientem virum Angeli munerarint. *Non dictum eſt, ait, quia apparuit ei Angelus, quod & multis accidit; ſed dictum eſt, quia fuerunt ei obuiam Angeli Dei, quod inſigne ſonat victoris & emeriti, cui pro gloria triumphi pompa cæleſtis obuiam procedens feſtina exceptione lætum obſequium præbuerit. Et rectè talem habuit occurſum, qui ſub obedientia patris ſui mutilauerit.* Itaque dum Chriſtus Dominus ſub Patris obedientia Hieroſolymam adire feſtinat, ei regia pompa obuiam procedit, feſtinatiſſimáque exceptione obſequuntur ciues Hieroſolymitani. Hi deductis ramis ornant viam illi erectis palmis, inclamant, omnes gaudio exultantes canunt Oſanna filio Dauid. Et rectè talem habuit occurſum, nimirum regium, qui ſub obedientia Patris ſui militauerat.

Geneſ. 32.

Rupert.

§. XV.

Nemo in Chriſto Domino poteſt triumphare ſpretis miſericordiæ operibus.

QVicumque triumphis Chriſti Domini intereſſe cupis, cuiúſque de Principibus tenebrarum triumphare victoriis, operibus miſericordiæ dato operam; tunc enim in Chriſto triumphas, quando indigentibus præſtas opem. Sic in præſenti Domini triumphali comitatu monet Drogo lib. de Sacram. Paſſ. *Sterne in vias ramos oliuarum & opera miſericordiæ pedibus accommoda. Accipe frondes palmarum, vt triumphes de Principibus tenebrarum. Nihil in te reſideat quod in occurſum Ieſu non procedat, quia nec vngula in Ægypto Pharaoni relinquenda eſt.* Etenim cum nulla arbor Palæſtinis, & Hieroſolymitanis frequentior eſſet quàm oliua & palma, credibile ſatis eſt ab oliuis & palmis exciſos ramos ab eis, qui Chriſti Domini triumphum celebrabant. Vnde rectè Drogo Chriſtianorum triumphum exornat oliuis & palmis, adeo, vt ſpretis oliuis, nimirum miſericordiæ operibus, nullam Deo putet placituram victoriam: ſterne, ait oliuarum ramos, opera miſericordiæ. Accipe frondes palmarum, vt triumphes de Principibus tenebrarum, ſpreta oliua, palma ſumenda non eſt, nec eleemoſyna abiecta, decantanda victoria. Victorioſas diuinæ amaſiæ cogitationes vt celebraret ſponſus Cant. 5. ait. *Comæ eius ſicut elata palmarum, nigræ quaſi coruus.* Ecce vobis totam palmatam mentem, ecce vobis animam, quæ victricibus operibus placeat Domino. Sed quid ſibi vult illa palmati crinis commendatio, nimirum *nigræ quaſi coruus!* Pulcre D. Paulin. epiſt. 4. *Bonus ille coruus, nec ille ad arcam reuertendi immemor; ille paſcendi Propheta memor.* Sanè famelicum Eliam quotidie coruus paſcebat, quo opere paſcendi famelicos commendantur victrices Chriſtianorum mentes. Nulla palma nobis erit, quæ repulſa oliua veniat, nulla victoria, quæ paſcentis corui ſtudium æmulari contemnat. Id quod in omnium virtutum & victoriarum ſeminario ieiunio ponderat D. P. Chryſol. ſer. 8. *Eſt ieiunium caſtitatis murus, pudicitiæ propugnaculum, ciuitas ſanctitatis. Eſt ieiunium tirocinium Chriſtianæ militiæ principatus. Sed in his virtutibus ieiunium tunc viget, tunc vincit, tunc triumphat, cum duce miſericordia pugnat.* Nullum habet virtus aliqua triumphum ſine miſericordia, hæc in triumphis, in victoriis ſplendet, ſine qua ſordent palmæ: imò quando palmatorum omnium triumphus agetur, gloria explicabitur, vna omnium miſericordia celebrabitur. Sic pulcre notat P. Rauennatens. *In regno cælorum coram omnibus Angelis in conuentu reſurgentium quod Abel paſſus ſit, quod ſeruat mundum Noë, quod Abraham fidem ſuſcepit, quod Moyſes legem tulit, quod Petrus ſuper omne Eccleſiæ aſcendit, Deus tacebit, & clamabit, quod comedit pauper.* Ecce tibi quot martyrij, quot fidei, quot virtutum excellentium palmæ ſub vna miſericordiæ virtute notantur. Sane palmas oliua commendat, victores triūphatoréſque extollit miſericordia in pauperes: hæc triumphos ornat, hæc victorum omnia trophæa æternat & facinora exaltat. Nónne victores facinoribus ſuis columnas ſacrant? Sic magnus ille Simeon 1. Machab. 13. *Circumpoſuit columnas magnas, & ſuper columnas arma ad memoriam æternam.* Sic Apocal. 3. dicitur. *qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei.* Hæccine victorum ornamenta! hæ triumphorum gloriæ columnis conſpiciuntur exaltatæ: ſed quæ palmas conſpicuas reddit miſericordia in pauperes, ſimiliter & victorum facit columnas immortales. Ita D. Cyrill. Hieroſ. catech. 3. *Cornelius erat vir iuſtus, & Angelorum viſione dignus habitus, cum tanquam columnam bellam in cælo coram Deo ſuas orationes & eleemoſynas conſtituiſſet.* Nullus triumphantium virtutum trophæus poterit ſpreta miſericordia venire; ſi columnæ erigendæ ſunt, columna eſt & bella coram Deo miſericordia, ſi palmarum aſſumendi tibi ſunt rami, oleam debes inſerere palmis, vt de miſericordiæ colore Deo placeas, & triumphum agas. Pro coronide aſtat P. Damianus qui ſerm. de S. Boniſac. inquit. *Perpendite quanta Imperatricis miſericordiæ ſit maieſtas. Nónne hæc videtur velut præpotens regina inter cæteras eminere virtutes, quæ aliorum de communi plebe homines, alium ad prophetiæ prouehit gratiam, alij martyrij dat coronam: illis dat vt Eccleſiam Chriſti cæleſtis oraculi dapibus paſcat: iſti præbet vt ad ſupernæ gloriæ nuptiale conuiuium, poſt victoriæ palmam feliciter epulaturus accedat.* Sic ille victoriæ palmas in miſericordiæ conſtituit arbitratu.

Drogo.

Cantic. 5.

Paulinus.

Chryſol.

Rauenn.

§. XVI.

Sub tanto Domino Chriſto Ieſu nil ſibi timent ſerui, omnia in tuto habent.

MIraris turbas, quæ certatim veſtes in via ſternunt, vt Domino viam parent. Cur non veſtes deponant, cur non ſeſe nudent, qui tanti Domini præſentia gaudent? Nil magis ſolemne apud Ethnicos, quam quod ſacrificuli ſeſe amicirent, ne ab hoſtibus noti inter aras occumberent. Quo ſpectat illud Æneidos,

Purpureo velare comas adopertus amictu,
Ne qua inter ſanctos ignes, in honore Deorum
Hoſtilis facies occurrat, & omina turbet.

Vnde inoleuit mos ille, quo capita nudemus ad illuſtrium virorum præſentiam quaſi profitentes Plutarcho teſte, nos ad illorum præſentiam nihil timere, hoſtiles omnes inſidias facile contemnere. Hoc eodem Sacramento ingredienti Hieroſolymas Domino turbæ veſtes ſubſternunt, ſe ſeque penitus nudant, vt oſtendant, quam longè metus omnis abſit ſub tanto Domino: quam ſecura & in tuto ſint omnia ſua, quam certi ſint, à nemine poſſe lædi nec vulnerari. Quando Iſraelitæ in Ægypto Phaſe Domini celebrabant, iubentur præcincti & calceati manducare Paſcha; poſtmodum verò Ioſue terram promiſſionis calcans iubetur nudare pedes c. 5. *Solue calceam tua de pedibus tuis; locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Sic ſimiliter iuſſus fuit Moyſes ad præſentiam rubi flammantis. Quæ huius rei ratio? Cur in Ægypto cum calceis, & nudis pedibus alibi? D. Gaudent. tract. de Exod. ait. *Oſtenditur terra Ægypti ſancta non eſſe, & ideo ibi habenda mandantur calceamenta; in ſancta autem terra decernuntur eſſe ſoluenda.* Vbi quid metuant ſibi Iſraëlitæ habent, & calceis & amictu operiantur, verum vbi Deus terram ſanctificauit, nil quod metuant habent, & nudis pedibus ſine offenſione poterunt ambulare. Cur ergo, quando terram vident à Chriſti Domini ingreſſu ſanctificari non ſeſe nudent turbę ſecuri à nemine iam poſſe vulnerari? Pulcrè D. Bern. ſuper Pſ. Qui habitat; expendit aſelli Dominum portantis felicitatem, fatus. *Aſello Chriſtum portare maximus honor eſt. At quam erit ſine metu luporum? quam non timebit periculum, aut præcipitium ſub tanto rectore?* Nullus hoſtis, nullum malum audet, vbi tantus Dominus adeſt, omnis malorum metus quam longiſſimè abeſt. O quam ſecurus Adamus, quæ metus dedit, poteſt ficus veſtimenta deponere! quā tutus è latebris exire, obuiamque Domino procedere, cuius ſub aſpectu nil quod timeat habet. Quid plura? Audiſti ab arboribus exciſos ramos, quibus turbæ in præſenti Dominum acclamarunt? Hi erant rami palmarum, quæ dum Domino obſequuntur ſuis ramis, eam obtinuerunt ab vniverſis malis ſecuritatem, qua medio in Hieroſolymitano excidio, quando arſerunt campi, illæ incolumes ſecuræque perſeuerarunt. Ita D. Cyrill. Hieroſol. catech. 10. ait. *Palma quæ eſt in valle teſtatur* (nempe Domini diuinitatem) *quæ exhibuit ramos his, qui tunc benedixerunt Chriſto.* Igitur ſi aſellus, ſi arbor ſub tanto Domino malorum omnium incolumitatem capiunt, cur timeant homines? Cur turbæ non nudentur ante Dominum, nullum inde ſibi metuentes malum? De Moyſe Deuteron. vltim. dicitur. *Mortuus eſt Moyſes ſeruus Domini, nec vllus nouit ſepulcrum eius, nec oculi eius caligauerunt, nec facies eius corrupta eſt.* Vbi maximè ponderandum eſt, quam integra ſint omnia Moyſi

Ioſue 5.

Gaudent.

Bernard.

Cyrill. Hieroſol.

Niſſen.

etiam

etiam in mortis potestate. Vnde mortuum Moysem corruptio veretur? Vnde vermes non nocent? An quia mortuus
Nissen. est seruus Domini? Ita planè D.Greg.Niss. de vita Moysis. *Huius diuinæ seruitutis signum historia tradit, nec enim oculus caligabat, nec facies serui Dei corrumpebatur.* Adeò in tuto sunt ij, qui sob tanto viuunt Domino. Tres illos pueros in forna-
Daniel. 3. ce coniectos Dan.3. & medijs flammis conseruatos alloquitur Tyrannus his verbis: *Sidrach, Misach, & Abdenago serui Dei al[...]simi egredimini, & venite.* Circumdati cum essent flammis iubentur egredi; sed quomodo per flammas veni-
Chrysost. rent? Pulcrè D.Chrysost. homil.8. ad Ephes. ait. *Quomodo egredientur, ò Rex! vinctos in ignem abiecisti, quomodo eos vocas? Iam præueniens dixi, serui Dei altissimi; serui enim Dei omnia possibilia sunt. Nam si hominum serui in rebus ipsorum non parum possunt, dominantur, & disponunt, multo magis serui Dei.* Hęc ille.

Text. Benedictus qui venit in nomine Domini, Osanna in excelsis.

§. XVII.

Deplorati animi est tanti Domini aduentu non lætari.

Nil magis sibi & omnibus lætum auspicatus Dauid pœnitentiæ lacrymis adhuc madidus, qoam tanti Domi-
Psalm.4. ni aduentum. sic Psalm.4. fatur. *Annuncient in Sion nomen Domini, & laudem eius in Hierusalem.* Et quidem quid reo lætius, quam Domini sui aduentus? Quomodo Dominus suis
Gregor. non parcet, qui si cadunt Domino cadunt? Hinc D.Gregor. Magn. homil. in dictum Psal. ait. *Quid aliud est nomen Domini annunciare: nisi Dei misericordiam prædicare? Dominorum enim est misereri. Hinc namque de Christo dicitur. Benedictus qui venit in nomine Domini. Qui si venisset in nomine iudicis, nemo profectò foret, qui pœnam æternæ euaderet damnationis. Venit ergo in nomine Domini, qui venit, vt peccata dimitteret, non vt peccatores damnaret.* Igitur non iudicis personam acturus venit Deus; sed Domini sibi subditos prouidentis, non vt perdat; sed vt regnum acquirat. Dan cap 3. sic deprecatur. *Ne tradas nos in perpetuum propter nomen tuum.* Sed ad quod Dei nomen liberandus confogit? An ad Domini nomen? Ita Theod. inquit orat.3. *Multa tuæ bonitatis pignora habemus, primum ipsum tuum nomen, quo te Dominum vocamus.* Domini est misereri semper & suis parcere. Vt bene inquit Didymus lib.3. de Spir. sanct. fatus. *Vnde dictum est, Non legatus neque Angelus, sed ipse Dominus saluauit eos. Non propter aliud quid, sed propter id quod diligeret eos & parceret eis. Parcere autem dicitur quasi creaturis suis.* Qoapropter summis excipiendus est gaudiis, omnia mi-
Psalm.67. ra perfunduntur lætitia. Psalm.67. *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in eis.* Vbi vt piè & verè
August. D.August. *mirificè cum dixisset, millia lætantium, continuò subiecit, Dominus in eis, ne miremur quod lætentur, Dominus in illis.* Quis veniente Domino noo lætabitur? Quis in nomine Domini non exultet? Quis amabile hoc nomen Domini sui naturalis lætis vocibus oon exaltet? Sanè perditissimi hominis & deplorati signum est, qui ad sui Domini nomen non exiliat, qui vel Domini sui vocabulum non excipiat amanter. Dicente Christo Domino discipulis Matth. 26. *Vnus vestrum me traditurus est*, pauidi illi ad nomen Domini confugiunt, *Nunquid ego [...]um Domine?* Vel huius nominis vocabulo sese in tali tristitia recreantes. Vnus Iudas ait.
Rupert. *Nunquid ego sum Rabbi?* Id quod notat acutè Rupert. lib.7.
Matth.26. in Matth ad cap.[...] *Iudas impius sic appellat, vt cæteris sigillatim dicentibus, Nunquid ego sum Domine? ille, vt erat cordis perfidi, diceret, Nunquid ego sum Rabbi? Et quidem bonum & suaue est di[...] vtrumque Magister, & Domine, vnde & dixit ipse, Vos vocatis me Mag[is]ter, & Domine, & bene dicitis. Sed solum hoc dicere Magister, c[or]dis est longè remoti à familiaritate dilectionis.* Hoc in rebelli populo querabundus lamentabatur Dominus, quod cum ipse & beneficentissima in suos charitate, & incredibili amore sese ab initio illorum ostenderet Dominum, ipsi vel Domini ignorent cognomen. Ait enim apud Isaiam. *Cognouit bos po[ssess]orem suum, & asinus præsepe Domini sui; Israel autem me non cognouit.* Quando populus hic brutorum more solis terrenis inhiaret, quando nil aliud curaret quam hæc bona bestiis communia, saltem ob horum cumulum à me acceptum, inquit Deus, me Dominum debebant agnoscere, siquidem bruta animalia ob escarum cumulum Domini sui præsepe recognoscunt: verum Israel nimirum populus rationalis, populus videns Deum, diuinis imbutus legibus nec nouit nomen Domini. Pulchrè id
Cl.Alex. exaggerat Clem. [A]lex. in Adhortat. *Quomodo non est indignum si qui nouit Deum, non noscat Dominum?* Sanè indignum est, horrendum est, & perditissimi indicium hominis.

§. XVIII.

Qui Deo implentur terrena fastidientes cœlestia anxiè procurant, de solis solliciti æternis.

Nonne vides turbas ad Dominum prosilire? nonne vides sese nudantes homines, & vestimenta solo sternentes? Nonne audis clamantes, Osanna in excelsis? Expende illud *excelsis*, hoc est, quasi dicerent teste Lyra, *Salue salute excelsa & æterna.* Meritò homines qui Deo pleni exoltant, nihili faciunt omnia caduca, etiam vestimenta, quibus tegantur, fastidiunt, & pro æternis & excelsis suspirant. De inclyto Martyrum duce Stephano dicitur Act.7. *Cum au-* Act.7.
tem esset plenus Spir.S. intendens in cælum, &c. Ad quæ verba Pet.Dam. serm. de illius martyrio ait. *Simul signanter intelli-* Damian.
ge consequutionem verborum. Plenus est Spiritu, & sic intendit in cælum, quia qui spiritu diuinitatis afflantur, conculcatis terrestribus, cælestibus subeunt & æternis. O quam attollit hominum animos diuinitatis conscientia! Quam fastidit has mundi gloriolas, qui vel sibilo tenuissimæ auræ aduenientis Dei afflatur! Diuinus Legislator Moyses cum iam promissæ telluris fines attingeret, moriturus ascendit in mon-
tem. Sic enim habetur Deuter. vltim. *Ascendit ergo Moyses de* Deut.vlt.
campestribus Moab super montem Nebo. Quæ pulcrè expendit
D.Greg.Niss. in eius vita fatus. *Post hæc omnia* (nempè Moy- Nissen.
sis relata facinora.) *Ascendit in montem requietis, non descendit ad inferiores terras, quo turba populi ex promissione respiciebat; nec enim illicitis terrenis qui cælestibus inuigilauit.* Vana sunt, inuisa sunt omnia terrena oculis, vel à longè Deum suspicantibus, qui diuinitatis præsensit plenitudinem, qui vigili mente quæ à Deo reposita sunt nobis, penetrauit, facilè se his caducis expediet, nec alia, quam cœlestia nouit desiderare. Felicissimus ille latro terrenorum bonorum etiam cum discrimine vitæ auidissimus, vt primum crucifixi virtutem sensit, omnia terrena fastidiens de æternis sollicitus inquit. *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Posset equidem salutem corporis & incolumitatem petere ab eo, qui quatriduanum restituit vitæ, vel saltem posset sperare minutionem acerbissimi doloris; sed nihil horum meminit, solùm de excelsa & æterna salute cum saluatore
agit. Eleganter D.August. serm.119. de Temp. *Memento mei* August.
Domine, cum veneris in regnum tuum, non dixit, si Deus es, de præsenti supplicio eripe me; sed magis, quia verè Deus es, de futuro iudicio libera me. Quam citò repleuit eum Spiritus sancti eruditio, per quam futuri examinis diem cogitans, etsi intolerabile probat esse quod sentit, grauius tamen intelligit esse quod metuit. Hoc norunt qui Dei spiritu implentur, nimirum nihil qood non sit æternum, amandum aut timendum, omnia debere contemni caduca & terrena, siue bona, siue mala sint. Quibus contemptis & dimissis solam æternam salutem & excelsam soli futuræ æternitatis sanitati inhiant, illique comparandæ viriliter insudant. In hócque maximè claret, quorum in animus Dei fides insederit. Mirabar ego aliquando Adamum in medio paradiso creatum, inter delicias, inter scaturientes voluptates, inter odoros flores, inter suauissimos fructus. Ipse tamen à tot illicibus solicitatus diu hæsit, quin vel manu prenderet minutissimum arborum folium. Quomodo hoc fieri potuit? Admirationem tollit Damasc. lib.2.c.11. dicens. *Nam corpore, in hoc diuino & plusquam pulchro loco, manens, anima in loco incomparabiliter superiori, & pulchriori conuersabatur, Deum habens domesticum & inhabitantem, quo & gloriosum illi erat indumentum, solo sua contemplationis dulcissimæ fructu delectante.* Qoid mirum, si Deum domesticum habebat, si diuinas diuitias contemplabatur, quod fastidiret & respueret omnes paradisi creatas voluptates?

CAPVT VI.

De Cœna vltima legali à Christo Domino celebrata.

Postqvam Christus Dominus Hierosolymam ingressus fuit, tres aut quatuor dies sequentes ita disposuit, vt interdiu intra ciuitatem & templum manens docendis turbis scripturæque explicandæ vacaret, & noctu Bethaniam peteret, vbi apud sorores Lazari

hofpitabatur. Tandem decimaquarta die Lunæ deficiente, fi legalem cenfum fpectes, iam decimæquintæ festo inchoato, nempè in primo ipfius vefpere; fi verò naturalem folis diem attendas, vt crebro pagina facra attendit ante diem feftum Pafchæ, difcipulis omnibus comitatus afcendit Iefus cœnaculum ambitiosè ftratum, ibique de Hebræorum more, & Pafchalem agnum edit, & poft hunc communibus difcipulos impleuit dapibus.

Text. ex Matth. cap. 26. Vefpere autem facto difcumbebat cum duodecim Difcipulis fuis, & edentibus illis dixit, &c.

§. I.

Inter tribulationes & preffuras, etiam fanctiffimos viros leuamen aliquod fumere decet.

Hoftili proximus cufpidi Chriftus Dominus, & pene iamiam rabidiffima inimicorum cohorte appropinquante, effugij à fe ipfo interclufa via pranfurus cum difcipulis afcendit cœnaculum. Qui aliàs difcipulos mittebat fine pera, & fine facculo, modo inter hoftiles impetus, inter mortis triftitias ad præparatas eos adducit dapes. Nunquam fanè magis leuamen decet viros fanctos, quam inter preffuras, inter hoftium crudeliffimorum faltus. Sanctiffimus ille Daniel in Babylonis regia educatus, & ieiuniis magis, quam cibis nutritus, tandem ob Magnatum inuidiam mittitur in Leonum lacum. Ibi inter Leones famefcentes erat vir Dei, & ecce tibi Abacuc allatus ab Angelo ingre-
Daniel.13. ditur lacum & Danieli obtulit prandium, *Surgénfque Daniel comedit.* Ad hæc pulchrè D. Zeno ferm. de timore ait, *Leonibus obiectus Daniel, & in periculo conftitutus prandet qui folet extra periculum ieiunare.* Ecce vobis mediis in regiæ delitiis ieiunatorem, ipfe in periculo conftitutus prandet qui inter dapes, inter vina, inter lautiffima conuiuia impranfus verfabatur, rugientibus obiectus leonibus tunc cibum capit. Et quidem vtrumque fanctiffimi & fortiffimi viri argumentum infigne; quomodo non fanctus qui in regia nouerit ieiunare? quomodo non fanctus & fortis, qui hoftilibus penè oppreffus furoribus fibi leuamen cibi intrepidus me-
3.Reg.23. ditatur? Abiectiffimus ille Achab 3.Reg.23. à Deo vna denegata fibi vinea percutitur, vt dicatur de illo, *Turbatus eft fpiritus eius, & dormiuit in lecto fuo, & velauit faciem fuam, & non manducauit panem.* Sic homunciones ifti profternuntur in conflictu; fic quouis aduerfante exanimantur, vt toti pauidi nec manducent. Qui vero virtuti obtinendæ viriliter infudant, alias indefeffi ieiunatores, cum in arena funt cum inter certiffimos hoftes agunt, cum vndique telis petuntur, tunc fibi leuamen aliquod vel ex cibo fumere æquiffimo iudicio exiftimant. Alioquin cur non ridentem inuictiffimi Dauidis fiue gulam fiue animi leuitatem, quandoquidem Philifthæorum fanguine madidus hoftium ferociffimorum
2.Reg.23. cuneis cinctus 2.Reg.23. leuandæ fitis meminerit? Ait enim, *Quis mihi daret potum aquæ de cifterna, quæ eft in Bethlehem iuxta portam?* Siccine fortiffimus dux fitis impatiens erit? Siccine inter hoftes dulciffimos cifternæ potus meditabitur? Idque à Danide peractum, ait Sophronius de Chrifti
Ambrof. Nat. non fine æquiffima caufa. Quam attigit D. Ambrof. in Apologia c.7. fatus, *Sitiens cum effet in bello, Quis mihi daret,* inquit, *potum aquæ?* Non enim alias, fed cum effet in bello, cum hofte effet cinctus vndequaque, tunc fitiens meditatur leuamen aquæ. Et merito qui in regia cinerem tanquam panem manducabat, & potum cum fletu mifcebat, & in bello, inter hoftes dulcis potus refrigerium captat. Multus eft Hieron. lib.1. aduerf. Iouinian. in explicandis condefcenfibus & permiffionibus quas fanctiffimi viri accipiebant, inter duriffimas leges crebrófque fudores cōftituti, fic tandem finit, *Si autem duas bigas vxorum & concubinarum habuit Iacób, & non vult aduerfarius quiefcere, fciat eo tempore hoc feciffe Iacób quando erat inter Affyrios, & in Mefopotamia Laban duriffimo Domino feruiebat. Quid loquar de Abraham, vt ipfe afferit, trigamo, qui fignum fidei in circumcifione fufcepit? Si imitamur vxorum eius numerum, imitemur & circumcifionem.* Honeftum quippè eft, his qui duras fubeunt leges ærumnarum, aliquali permiffionis & condefcenfus leuamine vti. Similiter paulo ante dicebat ipfe notans duritiem temporum quando efus carnium fuit permiffus, *Poft diluuium autem cum datione legis, quam nullus implere poffet, carnes ingeftæ funt ad vefcendum.* Nunquam enim non gratum fuit Deo leuamen aliquale exhibendum inter laborum durities & afperitates. Imò auderem dicere, quod illorum, qui in certamine funt, qui hoftiles excipiunt ictus, ipfa appetentia leuaminis Deo accidit maximè grata. Sanè author hiftoriæ Schol. 4.Reg.21. de fanctiffimo Ifaia inquit, quod a carnifi- 4.Reg.21.
cibus adductus in fupplicij locum, & iam ad carnificinam, & laniationem paratus expetiuit aquam, illámque alta voce petiit fibi dare. Qua à carnificibus negata, *tunc Dominus de fublimi mifit aquam in os eius.* Adeò æquum eft & Deo gratum, vt qui in agone funt, qui duris certaminibus funt parati, dum vndique affliguntur, fic alacres pugnam adeant, vt non faftidiant aliquod fibi refrigerium & leuamen parare. Alioquin ridiculum effet, vt qui ferreæ ferræ dentes expectabat, aquæ potius meminiffet, & qui paratus erat ad fui corporis laniationem fubeundam, tunc non fuftineret fitim aquæ. Sed voluit hoc exemplo monftrare, quàm fit gratum Deo ipfum leuamen eorum qui in hoftium funt conftituti certamine.

Text. Vnus veftrûm me traditurus eft. Et contriftati valdè cœperunt finguli dicere: Nunquid ego fum, Domine?

§. II.

Ne ftatim traducas, & publices, quem corrigere amas.

Qvibus cura eft hominum mandata, huc veniant, & à fummo Principe difcant in errantes fubditos non ftatim excandefcere, non publicare peccantes fi forte de fceleris fecreto medelam fibi afferant. Sæpe qui fe proditum nouit, & manifeftum, impudentior fit, & effrenior qui alioquin caueret ruborem fceleris dum putat celari. Accipite in præfenti D. Chryfoft. fic fantem, *Chriftus prædicabat, quod eum latere non poterat proditurus, fed nec aperte eum omnibus publicabat ne impudentiorem faceret, & ideò frequenti admonitione clamabat, Vnus ex vobis tradet me.* Equidem nouerat Dominus proditorem fuum, & fæpè de nefario proditionis crimine verba facit, nunquam tamen proditorem traducit, nunquam publicat, ne publicatus fieret infolentior, fed potius dum latere adhuc putat, correctionem capiat. Chriftiano fanè fpiritu agebatur Moyfes cum Ifraëlitas in bonam frugem nititur reuocare. Hinc hi Moabitarum puellarum forma decepti Num.25. *Initiati funt Beelphegor,* propterea in eos animaduertens Moyfes, nullum nominatim accufat, etfi fciret, qui fe nefario fcelere macularet, fed in communi vniuerfum populum caftigat. Quidni? Satiúfne effet fi principaliores nominatim publicares diris afficeret? Cur horrendi fceleris duces ex crimine minimè notat? Rem attigit Iofephus lib.4. de Antiquit. cap.6. fatus, *Aduocata concione, neminem quidem nominatim accufauit, nolens in defperationem adducere eos qui tantisper dum latere fe putant, ad fanitatem reduci poterant.* Culpa enim nondum publicata faciliorem inuenit ad correctionem aditum. Hac prudentia Petrus Actor.1. pretium à Iudæis exhibitum Iudæ memorans filentio prætereit eos à quibus pretium fuerit acceptum, ait namque, *Hic quidem poffedit agrum de mercede iniquitatis.* Cur Petre fceleftos mercatores non nominas? Pulchrè Chryfoft. ibi, *Latenter crimen aperit, quod ita conducat ad correptionem.* Salutaris illa correptio eft quæ animum pungens, vultus pudori parcit.

§. III.

Sufpecti tibi fint, & minimè in virtute fecuri quicumque peffimis hominibus fociantur.

Cvr proditore diffimulato voluit Chriftus Dominus difcipulos omnes fuos de proditionis crimine contriftari? Cur deterrere voluit eos, qui nulla tanti facinoris confcientia grauabantur? *Vnus*, ait, *veftrum me traditurus eft.* Quo omnes fibi ipfis de crimine fufpectos reddidit & valdè perterrefecit. Sanè vbi vnius focij crimen, & fcelus inftabat, merito omnibus incutiebatur metus, meritò omnes einfdem criminis fufpicio debebat angere, ne fimul eadem lues omnes contaminaret, Genef. 13. dicitur, *Loth,* Genef.13.
qui erat cum Abraham, fuerunt greges ouium. Vbi eleganter D. Ambrof. lib. 2. de Abraham cap.6. expendit illud, *Loth* Ambrof.
qui ambulat cum Abraham, quafi alter Loth qui non ambulabat cum eo. Súntne duo Loth, alter qui ambulabat cum Abraham, alter qui non ambulabat cum eo? Aut cur de vno fic loquitur Scriptura, quafi etiam de altero?

Bene

Bene dixit, Loth quia ambulabat cum Abraham, quia adhuc non elegerat Sodomam, non habitabat cum flagitiorum authoribus. Postea cœpit habitare cum Sodomis, ideoque quasi à se ipso mutatus velut alter accipitur non solùm à iusto viro, sed à seipso defecisse. Proh quam valida ad perdendos iustos malorum societas & habitatio! qui sanctissimus est vbi cum scelerum authore cœperit habitare, suspectus sibi ipse debet esse, maximóque in timore versari, ne fiat alter, ne à seipso penitus desciscat. Matth.24. Matt.24.de vltimis Antichristi erroribus Dominos suos commonefaciens ait, *Cum videritis abominationem stantem in loco sancto, tunc qui in Iudæa est fugiat in montes.* Expende, quod hi maxime sibi cauere iubentur qui in Iudæa sunt: at persecutio illa non peruadet orbem terrarum? Nonne vbique terrarum error ille disseminabitur & excruciabuntur sancti? Cur de his qui in Iudæa erunt curam tantummodo Dominus habet? Cur illos solùm monet & perterrefacit? D.Hilar. Pulchrè id perdocet D. Hilar. *Quin proprium, ait, ille Iudæa erit error, vt qui veritatem respuerunt, suscipiant falsitatem, Iudæam deseri monet, & transfugere in montes, ne admistione plebis illius Antichristo crediturae visa, vt contagio efferatur; sed omnibus qui tunc fideles erunt tutiora futura sint deserta loca montium quam frequentata Iudæa.* Efferuescente Antichristi furore qui timeant, nisi qui vna cum tanti sceleris authoribus Iudæis habitant? Nullus quantumcumque fidelis securus de se sit, nemo tutus, nemo se immunem reputet a contagio, etsi nulla criminis conscientia, se tamen suspectum habeat, dum Iudæis permistus habitat. Quare bonus Dominus Iesus, aliis relictis, illos merito deterret, & quasi omnes periclitarentur, omnes de imminente periculo voluit contristari, neminémque securum & sine metu esse voluit, cui socij erant adeò nefandi, cui proditor Iudas comes aderat. Nec hoc contentus fuit Dominus; sed adhuc de suis solicitus nil magis curauit, quàm quod tantum scelus exsufflaretur ab Apostolorum arca. Nam, vt recte monuit B.Isaias Abbas orat 22.quæ dicitur de operibus hominis noui. Isai. Abb. *Nec Dominus Iesus prius ascendit in crucem, quàm Iudam expulisset è medio discipulorum.* Quasi omnes perditioni obnoxios videret, dum erant tanto proditore associati, nec aliter securi remanere possent, ne à seipsis desciscerent, nisi Iuda exsufflato.

§. IV.

Nullus alius suspectus est viro iusto, nisi ipse sibi, quod firmitatis est indicium singulare.

DIscipulorum Domini imitare virtutem singularem; vbi audiunt inter se habere proditorem, nullus de alio tam immane scelus suspicatus, nemo alium reum fore putat, vni sibi timet, vnusquisque de se solicitus agit, quasi se solùm inter omnes suspectum habeat, de cuius firmitate & perseuerantia posset dubitari. Etenim ait quisque, *Numquid ego sum Domine?* Ipse primus est sibi suspectus, ipse in primis sibi omnium scelestissimus apparet & prorsus labilis. Sanctissimorum horum vestigiis inhærebat ille apud Hierem. Thren. cap. 3. vbi ait, *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius: me minauit, & adduxit in tenebras, & non in lucem. Tantum in me vertit, & conuertit manum suam.* Hieron. Quibus verbis vt lucem præferat D. Hieron. expendit duo illa, *vertit & conuertit*, quasi ibi crebra felicis & miseri status intermistio insinuetur, qua quis modo ad supplicium trahitur, modo ad veniam felicémque fortunam conuertitur, sed nullibi fixus, nullibi manet non labilis. Quo posito mirare modo iustissimi moderationem animi, qui inter perditissimorum hominum phalanges vnam suam videt paupertatem, vnus ipse sibi miser & labilis apparet, *Tantum*, ait, *in me vertit & conuertit manum suam.* Ac si dicat, tantum ego mutationi subiaceo, tantum ego elabar è manibus. Rupert. Pulcre Rupert.lib.de operibus Trinit.2.cap. 59. *Tantum*, ait, *in me vertit & conuertit manum suam. Quid dicam de meo casu, & propria de propria conscientia miseria? cæteri viuunt, cæteri quos video homines sunt. Et quicquid de illis fit, tantum de me scio. Igitur quod solus est, quod instabile fores dicere malus. Ego videns paupertatem meam.* Vnum se inter omnes reputat vir iustus pauperem, & labilem, cæteros quosque vel non respicit, vel fortes & stabiles credit, de propriæ conscientiæ miseria dubitat, cui vni fidit nec se credit. O si hanc sugeremus omnes virtutem, imò excellentiam animi! hæc satis erat quæ nos de iustitia commendaret, in illáque stabiliret & confirmaret. O vtinam huic semper Petrus inhæreret, nullis mihi crede machinis valuisset perturbari. Verum qui modo timet sibi proditionis periculum, paulo post præcinente Domino omniũ Apostolorum scandalum ipse ait, *Et si omnes scandalizati fuerint, ego non scandalizabor.* Ad hæc acutissime D.Chrysost. in Cat. *Quid ais, ô Petre? Quando dixit, Vnus ex vobis me traditurus est, timebas ne tu esses traditor, quamuis nihil tale conscius eras, nunc autem manifeste eo dicente, quia omnes scandalizabimini, contradicis?* Chrysost. Sed quanto discrimine? Equidem cum de te solo præsumebas traditionem, tunc securissimus à tali crimine eras; cum autem de te plusquam de cæteris sperasti, factus es Domini negator, vnde Orig. *Alij discipuli scandalizati sunt in Iesu? Petrus autem non solum scandalizatur, sed obuncantius relinquitur, vt ter negaret.* Quare rectissime commonemur à D. Bernard. serm. 37. in Cant. ne vel in minimo nos super Bernard. alios erigamus. Quemadmodum si per ostium transeas, cuius superliminare nimium bassum sit, non nocet quantumcumque te inclinaueris, nocet autem si vel transuersi digiti spatio plusquam ostij patitur mensura, te erexeris, ita vt impingas, & capite quassato collidaris: *Sic in anima non est plane timenda quantalibet humiliatio; horrenda autem nimiumque pauenda vel minima temerè præsumpta erectio. Quamobrem noli te homo comparare maioribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli vni.* Te omnium miserrimum nescas, nulli minus fidas, quam tibi, quod satis est, vt firmissime in iustitia stabiliaris. Etenim D. Chrysost. in Cat. Luc. cap.18. fatur, *Simile feras in conscientia fæces reatuum, & hoc solum de te credas, quod es infimus omnium; multum obtinebis ante Deum fiduciam.* Hæc ille.

§. V.

Is ad alios regendos aptatur, qui vni sibi nouit attendere, non qui alios carpere.

SVnt qui gubernatorum ingenium à primis puerorum vnguiculis augurantur, ex eo quod videant eos in aliorum erroribus exardescere zelo; aliorum gressus egregiè notare, aliorumque profectibus inuigilare. O erroris plenum præsagium! videant isti, quam aliter à Christo Domino gubernatores sui informentur, qui vt proditorem indagent, Rhinocerotis naso minime aliorum mores scrutantur; sed sibi vnusquisque attentus se vnum optat tanti criminis immunem conseruare. Et ideo ait cæteris prætermissis, *Nunquid ego sum Domine?* Cui non videretur optimi gubernatoris ingenium scintillasse ille sanctissimus zelus, quo iuuenis Moyses rixantes Israëlitas Exod. 2. notauit? *Dixitque ei qui faciebat iniuriam, quare percutis proximum tuum?* Exod.2. At male ex hoc acceptus, fois etiam exosus, & ab Ægyptio Rege ad mortem petitus fugit hominum conspectum, & diu in solitudine moratus aliorum oblitus, vni sibi vacauit. Qui nunquam regno visus fuit aptior, Deoque gratior, vt tanti populi acciperet gubernacula. Id eleganter notat D. Gregor.Niss. in eius vita fatus, *Videmus enim Moysen, antequam perfectiore se virtute firmauerit, duos inter se contendentes homines conciliare nequiuisset, postea verò cum sibi ipsi longo temporum spatio vacauerit, à multis hominum millibus facilè in protectorem recipi.* Nissen. Ecce tibi quàm malè audiat præmaturus ille zelus, qui totus proditur in aliis corrigendis, spuitur is vir ab hominibus, nec ad duorum gubernationem videtur aptus, nec Deo acceptus, donec longo & diuturno silentio castigatus sibi vni vacet, cæteros obliuiscatur. Huic etiam excogitationi lucem addit magnus ille Ioseph, qui puer virtutis zelo fratrum scelera minimè patitur; sed ea confestim reuelat patri. Sic enim ait textus sacer Genes.37. *Accusauit fratres suos apud patrem crimine pessimo.* Genes.37. Sed ex tunc fraternum in se odium concitauit, qui illius regnum exhorrentes illum vendiderunt Ismaelitis, à quibus in Ægyptum asportatur, vbi secundo venditus tandem ob adulterij falsam accusationem truditur in carcerem. Ibi tacitus sibi vacans ad aliorum crimina didicit non respicere, quo se in regnum maxime præparauit. Etenim posset facilè ex Ægypto fratres suos apud patrem etiam accusare de venditionis scelere; sed tacuit, ait Honcala, *ne patrem certiorem faceret, à fratribus suis se fuisse crudeliter distractum; & vt exitum somniorum expectaret.* Honcala. Se ad regni culmen ascensurum puer somniauerat, & dum fratrum mores & scelera carpit, miseram inde seruitutem venatur. Iam seruitute pressus didicit se inspicere, non alios didicit sibi vacare; non fratrum accusationem agere, *vt exitum somniorum*, nimirum regiam dignitatem expectaret: quasi didicerit, quod non is, qui fratrum momordit errores; sed is qui sibi vacat, &

tacens aliorum scelera obliuiscitur, regno suscipiendo aptatur. Non ex accusatione fratrum; sed ex patientia & tolerantia defectuum aliorum subitur regni clauus. Id quod
Zeno. videtur attigisse D.Zeno serm. de pat. cum ait, *Ioseph patiens inuenitur, cum à fratribus rapitur, patiens, cum in puteum dimittitur, patiens, dura cum hasta distrahitur, patiens in carcere, & patientior in regno.* Quasi idem fuisset in viro sancto patientiæ culmen attigisse tacendo de iniuriis & sceleribus fratrum, & promissi regni culmen intrare. Itaque dum delicta aliorum respexit, illorúmque fit accusator, seruitutem incurrit, & cum patienter aliorum tolerat crimina, vni sibi
Anselm. vacans ad regni culmen pertingit. Hinc argutè D.Anselm. in præfat. ad Mat. expendens quid singuli Euangelistæ de Christo Domino prædicarent, ait, *Intentio Marci circa regnum Christi versatur, vnde inchoat Euangelium suum à voce clamantis in deserto.* Quasi nullius vox melius regnantis ingenium exprimeret, quam vox illius, qui omnium mores obliuiscens in solitudine & deserto sibi viueret.

Text. Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo. Væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur: bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.

§. VI.

Quæ iustis viris magis videntur obesse & contrariari, ea illis famulantur, vt citiùs ad sibi præfinitos fines vadant.

NOnne proditoris scopus is erat, vt Christiferum nomen penitus ab hominum memoria eraderet? Nonne ideo Dominum crudelibus hostibus tradidit, vt eorum rabie decerptus insaniæ æternæ latebris maneret obscuratus? Sed vide quid ex his factum est, *& filius, ait, hominis vadit, sicut scriptum est de eo,* non sanè obfuit proditoris insania; sed seruiuit Domini viis, & inter inimicorum rabies contrariantes viam inuenit, qua citiùs pertingeret gloriam præparatam. Quis non crediderit, tunc Ionam penitus à Niniue via deflexisse, quando à naui inhianti ceto fuit tra-
Zeno. ditus? Sed tunc de illo pulcrè D.Zeno notauit serm de Timore, *Jonas timens Dominum spontaneum non timet naufragium, ceto inhianti miserabilius sepelitur, quam præcipitatur, & tamen littus, quo tendebat inuenit, antequam videat. felix magis sepulcro quam naui.* Quid pulcrius? Ionas à mari à ceto voratus, viuido belluæ ventre sepultus adhuc ad mandatum sibi portum vadit. Qui pansis velis, pernici naui à Niniue fugiebat, sese gurgiti tradidit vorandum: sic Niniue littus, quo Dei ferebatur imperio appulit. Nulla sanè vis, nulla oppositio nulla adeò est contraria potestas quæ iustis viris non seruiat vt iuxta præscriptu à Deo finis viam vadant Regnum Iosepho præscriptum vt eliminarent fratres Iosephum vendunt, & Ismaëlitarum seruum faciunt. Quid Regi magis contrarium, quam serui & conditio & habitus? Attamen quando ad seruitutem, tunc ad regnum abiit. Sic
Gregor. D.Gregor. homil. 21. Ezechiel. *quia mutari Dei consilium non valet, quem ideo vendiderant, ne adorarent, adorauerunt, quia vendiderunt.* Quicquid in contrarium moliaris, resistente licet vniuersi creatura, pugnantibus tenebrarum potestatibus, per eas ipsas contrarietates iustus vir vadit secundum quod scriptum est de eo. Nec vlla est rerum contrarietas, quam sibi seruire diuina sapientia non faciat. De maximo omnium aduersariorum diabolo sic apud Iob sapientia diuina gloriatur cap. 40. *Numquid feriet tecum pactum, & accipiet eum seruum sempiternum?* quasi ipsa sola aduersariorum machinas sibi faciat prorsus inseruire. Id quod expendit
Rupert. Rupert. lib. 2. de oper. Spiritus sancti lib. 1. de Sap. cap. 25. ponderans quam seruiret diabolus Christi Domini ad gloriam itineribus, dum post multa fatur, *Intendebat Dominus facere irritam venditionem, qua semetipsum primus homo vendiderat, adiuuit & hanc intentionem bonam seruus nequam faciendo, vt venderet hunc hominem traditor. Intendebat diuinitas huic homini dare regnum, & subiicere potestati eius omnia regna mundi, adiuuit & in hoc seruus iste agendo, vt per furiosum iocum purpura vestiretur, sceptro, id est calamo donaretur, coronaretur, & regio nomine salutaretur. Et quia cogitauerat Dominus ponere in eo (nempe Christo) iniquitates omnium nostrum, spinea erat corona, ne posset negare seruus illusor, quin iste Dominus omnium spinas portauerit peccatorum nostrorum.* Sic inseruiente contrario, ministrantibus ipsis contradictionibus filius hominis vadit, imo volat in sibi præfinitam & præordinatam gloriam. Respice iterum Ionam illum qui vt à Dei fugeret obedientia, quot se contrariis commisit? Mittebatur in Niniuem, ipsa vero se naui dedit, insuper furenti mari committitur, rursus a ceto voratur, quo penitus à via mandata videbatur impeditus. Tamen hæc omnia impedimenta illum licet ignorantem deducunt in Niniuem. Ita D.Greg. PP. lib. 6. Moral. c. 22. inquit, *Ecce fugitiuum Dei tempestas inuenit, sors ligat, mare suscepit, bellua includit, & quia authori suo obedire renititur, ad locum quo missus fuerat, suo reus carcere portatur.* Sic contraria, & impedimenta Deo seruiunt, in deducendis suis placitis ad finem.

§. VII.

Iustorum ærumnæ potiores, quam tyrannorum splendidissimæ gloriæ.

NOnne vides iustum ærumnis confectum papilionis more ad flammas euolare? Nonne vides tyrannos auro gemmísque effulgentes, deliciis effluere? Quid tunc? Sanè potior conditio est iusti ad mortem flammásque volantis, quam tyranni inter ipsas diuitias triumphantis. Huc spectat illa Christi Domini cum proditore suo compositio, *filius hominis vadit, sicut scriptum est de illo: væ autem homini illi, per quem traditur.* Ille ad voluntariam ruit mortem; hic argento æternat vitam: ille amarissimos expertus fluctus terræ visceribus sese inseret; hic principum gratiam nactus euiscerabit terram aureas venas potitus: sed quid proderit misero ista vana felicitas? Ille æternū gloriosus existet; hunc æterna calamitas excruciabit. Pulcrè D.Chrysost. id Chrysost.
attigit hom. de cœco nato componens idolorū aurea templa cum pædoribus pleno carcere Martyrum. *Quid profuit idolis etiam eorum qui non sunt adoratio, templorum, inquam, amplitudo? Quid verò Martyribus obfuit vilitas sepulchrorum? Nonne dedecus inustum est errori in amplitudine, & in humilitate res Martyrum sunt exaltatæ?* Fuit gentium splendor, fuit ingens idolorum gloria, splenduerunt aureæ illorum statuæ, & nunc quid fœtidius? Viliora sanè ipso stercore, per sterquilinia rotantur: quando res Martyrum aureis templis coruscant, immortalémque gloriam spirant vndequaque. Huc conuertant animos quicumque spectaculorū vanitate gaudent: huc respiciant qui fabularum varietates mirantur; quid mirabilius quàm iustorum, & tyrannorum mutatio, Deo de vtrisque iudicante? Pulcrè Tertullian. huc refert Tertull.
spectaculorum spectatores: ait enim in libri calce. *Supersunt alia spectacula, ille vltimus & perpetuus iudicij dies, ille nationibus insperatus, ille derisus, cum tanta sæculi vetustas vno igne haurietur. Quæ tunc spectaculi latitudo? Quid admirer? quid rideam? vbi gaudeam? vbi exultem spectans tot ac tantos Reges qui in cælo recepti nuntiabantur cum ipso Ioue in imis tenebris congemiscentes? Quos præterea sapientes coram discipulis suis vna conflagrantibus erubescentes? Cæterùm qualia illa sunt* (nimirum iustorum præmia) *quæ nec auris audiuit, neque oculus vidit, nec in cor hominis ascenderunt.* Siccine finienda est vniuersi mundi fabula, vadunt iusti ærumnosi, squallentes, iniuriis onusti, degunt tyranni fulgidi in auro, saturi inter dapes, triumphis pleni; sed illi in sempiternam ascendunt felicitatem; hi descendent subitò in miseriarum barathrum. Sic in purpurato diuite, & paupere Lazaro ostendit D.Lucas cap. 15. *Mortuus est diues, & sepultus est in inferno; & vidit* Luc. 15.
Abraham de longe, & Lazarum in sinu eius. Ad hæc D.Chrysol. Chrysol.
serm. 124. *Immutatio quanta rerum, quò descendit diues? quo pauper ascendit? Respicit ibi sursum, quem despexerat hic deorsum.* Quid plura? Non fortunæ alea; sed iustitiæ decreto iusti currunt ad palmam; tyranni ad supplicia: illi æternis gaudiis; hi nunquam morituris insident flammis. Hinc apud Ioan. 16. Dominus suos monet, *mundus gaudebit, vos* Ioan. 16.
autem contristabimini; sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Vbi eleganter Tertull. lib. de spectaculis ait, vicibus dispo- Tertull.
sita res est. *Nunc illi lætantur; nos conflictamur: sæculum, inquit, gaudebit; vos tristes eritis. Lugeamus ergo, dum Ethnici gaudent, vt cum lugere cœperint gaudeamus.* Vnde meritò D. Paulinus epist. 4. lugenti Magdalenæ ad pedes Christi in- Paulin.
uidet, eique associari ardentius exoptat, quàm Pharisæo inter vina gaudenti, imo inuitanti Christum. Ait enim loquens ad Pharisæum. *Interim malo peccatricis, & pauperis nostræ diuitias in lacrymis & affectu, quàm tuas in impietate & litera. Illius ieiunium, quàm tuum conuiuium. Malo inter capillos*

illius Chriſti pedibus illigari, quam inter dapes tuas tecum iuxta Chriſtum ſine Chriſto diſcumbere. Sic lacrymas, ſic ieiunia, ſic paupertatem æſtimat præ gaudiis Chriſtū inuitantis; quidni æſtimaret præ lætitia Chriſtum vendentis?

§. VIII.

Horroris & timoris plena eſt vox Chriſti Domini aliquem damnantis.

PErditiſſimi Iudæ damnationem prolaturus Dominus, quanto id præcordiorum ſuſpirio facit? Ait namque, Væ homini illi, quaſi non aliter tanti iudicis vox queat audiri; niſi inter gemitus, inter lamenta, inter æternum defluentes lacrymas. Et quando damnantis Domini vox tonabit ſine ingenti orbis pauore, ſine lamento, ſine horribilium ſtridore cruciatuum? De fulminata in reprobos ſententia ſic D.Cypr.ſerm.de Aſcenſ. adſtupens ſatur. *Quanta illud edictum ſequentur lamenta! illius vltimæ tubæ clamor quàm horribilis erit! Continuus erit & ſuperfluus lacrymarum decurſus, incendia nudum corpus allambent, in proprio adipe frixæ libidines ebullient, & inter ſartagines flammeas miſera corpora cremabuntur: non miſerebitur vltrà Deus, nullum ibi refrigerium, nullum remedium.* Quis tam ſeueram vocem non expauet? Quis vel primum eius ſibilum poteſt ſuſtinere? Quicquid ſonat eſt væ & lamentationes, quicquid ſtridet flagellum eſt, ignis eſt; ardenſque in æternum vorago, & non timebit creatura? *Ioel. 3.* Sanè Ioël cap.3.inquit. *Sol & Luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum. Et Dominus de Sion rugiet, & de Hieruſalem dabit vocem ſuam, & mouebuntur cæli & terra.* Ad tremendam iudicantis vocem creatura omnis etiam cœleſtis, etiam inſtar ſolis fulgens tremore ingenti *Zeno.* nutabit, quod ponderans D. Zeno ſerm. 4. de Iſaia inquit. *Hinc æſtimare licet quid ſit eis reſeruatum, quorum in cauſa funerei luctus pœnæ pertulit natura ſupplicium.* Quando natura etiam cœleſtis ſine tanta ſui alteratione, ſine tam ingenti luctu, ſine tam acri ſupplicio vocem iudicantis Dei non exaudit, quid reus ipſe patiatur? Quæ reorum pœna, quando ſolùm exauditam ſententiæ vocem cœleſtia omnia pauent, & ſeſe triſti fragore quatiunt, vel nigris tenebris abdunt? Quid plura? ipſiſſima Dei hominis caro exhorruit, vbi Chriſti Domini voce manifeſtanda fuit proditoris dam- *Ioan. 13.* natio. Sic Ioannes 13. ait. *Cum hæc dixiſſet Ieſus, turbatus eſt ſpiritu, & proteſtatus eſt, & dixit. Amen amen dico vobis, quia vnus ex vobis me tradet.* Expende illud, quòd dicturus proditionem, proditorem manifeſtaturus, turbatus eſt ſpiritu. Cur turbatur Chriſtifera caro? An quia incipit manifeſta *Cyrill.* voce proditorem damnare? Ita prorſus D.Cyrill.Alex. lib. 9.in Ioan. *Veraſimile mihi videtur, non potuiſſe carnem Chriſti motum, quo tam expreſſius atque manifeſtius diſcipulos proditionis odium offerebatur, ita ſufferre, vt aliquantiſper non exhorruerit.* Quando ergo ipſa Dei caro non potuit ſine horrore ſufferre vocem hominis damnati manifeſtatiuam, quomodo ſufferet damnationem in ſe diſtrictam damnatus? Hinc æſtimare licet damnatorum penè immenſam calamitatem, tremendam Dei damnantis vocem, cuius vel halitum Chriſtifera caro exhorret & lamentatur.

Textus. Reſpondens autem Iudas qui tradidit eum: Numquid ego ſum Rabbi.

§. IX.

Deplorati animi eſt, vbi vniuerſi de tuo delicto timent, quod tu impauidus agas quaſi omnibus lateat.

DE proditoris crimine omnes diſcipuli iacent conſternati, ad eius damnationem exhorret ipſa Dei caro, vnus proditor impauidus & ſecurus agit, adeò vt de ſe interroget, & de Domini diſco præſumat intinctum panem. *Leo.* Id in impudentiſſimo proditore damnat D.Leo ſerm. 7. de Paſſ.fatus. *Tu autem in hac trepidatione ſanctorum abuteris Domini patientia, & abſcondit te tua credita audacia.* Proh nefas! trepidant vniuerſi, tuum peccatum cunctos perterrefacit, & tu ſecurus gaudes, quòd lateas. Vbi cœlum & terra, vbi creaturæ inſenſibiles tuam timent & prædicant calamitatem, tu ſolus impauidus, ab omnibus quia credis ignorari, audes lætari. Sic primus ille reproborum pater Cain lætabatur, de quo eleganter D.Zeno ſerm.de timore ait. *Miratur orbis vacuus ſe duobus anguſtum, mirantur elementa hominem, qui factus ſit ad imaginem Dei poſſe iugulari, & hoc à fratre. Erubeſcit terra rudis pio ſanguine impiata; ſolus Cain exultat infelix, quod teſte careat, putat ſe caruiſſe facinore quem Deus videt, quem conſcientia coarguit, quem fratris ſanguis accuſat.* Siccine trepidantibus cunctis creaturis, & expauentibus ſcelus, ſceleris authores triumphant ſecuri & impauidi, quaſi eorum flagitia omnibus lateant. Sed hoc faciet Cain, aut Iudas, aut eorum ſati, qui delictorum æmuli, etiam in impudenti ſecuritate patriſſabunt. Dum Chriſtus Dominus apud Matth.cap.24.memorat ſub crudeliſſima perſequutione trementem orbem terrarum cunctos pauentes homines, *Matth. 24.* ſtatim ſubdit, *Orate, vt non fiat fuga veſtra in hyeme, vel Sabbatho.* Cur non in Sabbatho? Pulcrè D. Athanaſ. q. 83. ait. *Athanaſ.* *Hyemem peccata vocat, & ſabbathum ſecuritatem: dicit ergo, Væ animæ in peccato, ſecuritate, vel ſocordia conſtitutæ.* Et meritò væ indicitur à Deo illi, qui vbi omnia timore plena ſunt, vbi etiam cardines cœli timor quatit, vbi maximam vniuerſæ res tribulationem patiuntur, ipſe in peccatis ſecurus agit, & feſtos ſibi dies parat. Hinc meritò Auguſt.ſerm.120. *Auguſt.* in Phariſæos exultantes, cum vniuerſæ creaturæ in morte Domini tremunt, his verbis indignatur. *In media paſſione Domini cæleſtia, & terreſtria turbantur, lux cum nocte miſcetur, elementa quatiuntur: terra ipſa concuſſa à fundamentis ſuis tanquam ad ſcelus proprium contremiſcit. Et quæ duritia cordis humani? Væ eis qui inter iſta non credunt?* imò cum ipſi ſceleris authores ſint, trementibus aliis ipſi ſibi plaudunt omnimoda ſecuritate.

§. X.

Interna cordis malitia difficile poteſt non extrinſecus reuelari.

DIfficillimum ſanè eſt, reconditam pectore malitiam non euulgari: ecce præconceptum à Iuda Chriſti Domini vilipendium, qualiter vel ipſius verbis ſe prodat. Domini enim appellationem, qua cæteri vſi ſunt, indignans, ſubſannando ait, Nunquid ego ſum Rabbi? Vnde enim maximè volebat proditionem ſuam diſſimulare, ſuperbia ſua prodere cogitur, dum Chriſtum minus quam cæteri honorificè compellat. Plenè nunquam ſe nouit occultare malitia, ſi ſemel intimis præcordiis inſederit, euulgabitur vel te renuente. Iam Iſraëlitæ Ægypto exierant, iam totum mare tranſierant, iam palmarum fructibus ſaturi Moyſis imperio libertatem patriam potiebantur, à Deóque orbis conditorem legem ſibi dari expectabant. Sed quo id animo? an ab Ægyptiorum vitiis purificata mente? Proh do- *Exod. 32.* lor! Tardante Moyſe, conflari ſibi idolum expoſcunt, offerunt aurea decora, conflatorio iniiciunt, quibus iniectis inopinatus ex illis vitulus proſilit, qui ante eorum oculos ſtetit. Quæ prodigij ratio? Vnde conflatorius ignis accepit, vt vitulum obiiceret? Pulcrè Tertull.aduerſus Gnoſt. *Sapiens* *Tertull.* *ignis effigiem vituli diffudit illis, ſugillans ibi cor habentes apud Ægyptum bouis cuiuſdam conſecratricem.* Non eorum mentes deſeruerat Ægyptius error, adhuc intimis præcordiis inſederat Ægyptus, & quantumuis ipſi diſſimulare tentent, neceſſum eſt, vt tanta illorum malitia euulgetur. Etſi totis viribus præconceptam malitiam celare intendas, ipſa tua verba, ipſa tua opera illam facient manifeſtam. Perfidus ille Balaam à Deo iuſſus, ne maledicta iaceret in Iſraël, ſic ſe facturum decreuerat, & licet inuitus à maledicendo popu- *Num. 22.* lo abſtinebat. Num.22. Tandem accedunt regij nuntij pleni muneribus, quibus illum trahere nitebantur, vt maledicta congereret. Ipſe verò iuxta præceptum Domini renuit, affirmans ſe à Deo nunquam defecturum, nihilominus ait, *obſecro vos, vt hic maneatis etiam hac nocte, vt ſcire queam quid mihi rurſus reſpondeat Dominus.* Libentiſſimi cùm illi remanerent, Dominum iterum conſulit Balaam, à quo tale reſponſum accepit. *Surge, vade cum eis:* ac ſi diceret, fac vt libuerit: quo accepto, ſtatim eſt profectus. Ad hæc D.Auguſt. *Auguſt.* quæſt.47. quærit, *cur poſt iſtam permiſſionem Domini iterum non conſuluit, ſicut poſt illam prohibitionem?* Etenim cum prohibitus fuiſſet Dei oraculo, adhuc inſtat, & iterum conſulit, & cum facultatem accepit, ſtatim ſine noua conſultatione, nullo alio expectato oraculo arripuit viam. Quæ rei cauſa? *quia cupiditas eius apparebat, quæ metu premebatur.* Sanè prohibente Deo, non expulerat vitioſam cupiditatem à mente; ſed ſolum Dei metu coërcita manebat adhuc intimis præcordiis ſedens. Quapropter fieri non potuit, vt diu ibi lateret, quin ſtatim proderetur. Quam diſſimulauerat Achab ſcelus in iuſtiſſimum virum Naboth perpetratum, eius interneeionem fleuerat, miróque luctu proſequutus fuerat: tamen illius vineam accipiens, cum lætanter ad domum

reuerteret,

reuerteret, media via apparet illi Elias, & coràm eius flagitium aperuit, terribile inde ſupplicium illi imminere profeſſus. Cui perterritus Rex impius inquit 3.Reg.21. *num inuenisti me inimice mi?* Ad hæc Ambroſ. ponderat lib. de Nabuthe cap.12. quam facilè prodatur impius. *Inuentus eſt Adam cum lateret, Moyſi autem nequaquam inuenta eſt ſepultura: inuentus eſt Achab; non inuentus eſt Elias: culpa igitur authorem ſuum prodit. Vnde Thesbites ait, Inueni, quoniam feciſti malum in conſpectu Domini.* Vanè latere præſumit qui intimè habet præconceptam malitiam, quantumuis diſſimulare velis, ipſa malitia te prodet, quæ nequit non euulgari & foras proſilire. 3.Reg.21. Ambroſ.

CAPVT VII.

De his quæ poſt legalem cœnam, nimirum de pedum ablutione.

COENATVS Dominus legali & communi menſa, quod ſerui efficere ſolebant, id ipſe diſcipulis ſuis voluit efficere; & aqua adhibita ſe ad diſcipulorum pedes prouoluit, vt eos lauaret. Expauit Petrus profundam humilitatem Dei filij, cui aliquandiu reſiſtens tandem acquieuit, & ſe permiſit lauari; à quo ſingulis deinde idem obſequium Dominus exhibuit. Igitur magnum Dei Patris incrementum Chriſtus, ſtupentibus Angelis, eiſdem manibus lauit diſcipulorum pedes, quibus poſtmodum lauaturus erat pretioſo ſanguine totius mundi crimina. Lauit, inquam, & lotos inſtruit, qua alacritate inter ſe debeant Chriſtiani ſimilia exhibere officia, nullum obſequium vile & abiectum reputantes, quod præſtitit ſuis omnium Dominus & Magiſter.

Ex Ioan.13. Textus. Ante diem feſtum Paſchæ ſciens Ieſus, quia venit hora eius, vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem: cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in hoc mundo, in finem dilexit eos.

§. I.

Feſtinior Dominus Ieſus currit ad mortem, quam ipſa paratur per hoſtes inſenſiſſimos.

QVi ſcire cupit, quo deſiderio feratur Dominus in mortem, qua exæſtuet cupiditate fundendi ſanguinem pro hominibus; expendat illud, *ſciens, quia venit hora eius, vt tranſeat ex hoc mundo.* Veniente hora, ipſe tranſit, quaſi pigritantes carnifices ipſe ocyſſimus tranſeat. Sic D.Ambroſ. meditatur, & tardam hominum cupiditatem & feſtinatiſſimum Dei venientis ardorem. Ait enim ſerm.6. in Pſal.118. *Ego ſuſcitari mihi charitatem cupio, & ad me plus charitas ipſa feſtinat, ego dixi, Veni, illa ſaltt, & tranſilit.* Quibus modo volatilem Dei amorem in mortem meditator, carnifices cupiunt laniare Chriſtum, & Chriſtus plus ad lanienam feſtinat, ſolicitantibus crudelibus hoſtibus mortis hora venit, Dominus autem ad illam velociſſimus tranſit, carnifices præcurrit, hoſtium perniciſſimam crudelitatem tranſit, adeò vt tardantibus illis ipſe ſeſe myſticè laniet. Huc ſpectat D.Gregorius Niſſen.homil.5.de Reſurrect.expendens, quòd Dominus ſeſe in præſenti edendum dederit ſub ſpecie mactatæ hoſtiæ in ſanguine diuiſo à carne; cur hoc fecit? *Qui omnia pro dominica poteſtate, & authoritate adminiſtrat, non expectat Pilati iudicium, ſed per ineffabilem & arcanum ſacrificij modum ſua diſpoſitione & adminiſtratione præoccupat impetum violentum, ac ſeſe in oblationem & victimam offert, pro nobis ſacerdos ſimul & Agnus Dei.* Adeò ad mortem currebat, ſic anxius erat de effundendo ſanguine, vt non ſuſtinens Pilati & hoſtium tarditatem, adinuenerit modum, quo illorum rabiem præueniens ſeſe mactaret, dum ſanguinis poculum, & ſuæ carnis eſum præpararet. Hinc ortum habuit citiſſima illius in Cruce iam ſuffixi mors: etenim qui Cruce mulctabantur, non antea exhalabant animam, quàm à carnificibus eorum frangerentur crura; verum Chriſtus Dominus non expectauit carnifices, vt animam efflaret. Id quod notans Tertull. aduerſus Gent. ait. *Spiritum cum verbo dimiſit, præuento carnif.cis officio.* Sanè, quòd clamans expiraſſet, ſatis oſtendit non ex poteſtatis defectu morti occumbere: ſed ex ardentiſſimo deſiderio moriendi, quo pigros æſtimans carnifices, feſtinior currit ad mortem, quam ipſi traherent. Sic ipſe ad mortem currebat, & præcurrebat omnes, vt feſtinantes hoſtes tardos reputaret, & ocyſſimos adhuc ſtimularet. Vnde de illo ad mortem eunte pulcrè meditatur D.Athanaſ.de paſſion.aiens. *Reſumpſit autem ſimul cum trophæo veſtimenta ſua ab illis, abiturus ad mortem, vt ea ſimul cum morte exueret, fecitq́, eos accelerare qui ipſum ducebant.* Omnibus inferentibus mortem feſtinior Dominus illam bibit, feſtinabant hoſtes, feſtinabant carnifices, feſtinabat pater ipſe cœleſtis, vt videret mactatum illum agnum, quo abolerentur peccata mundi, ſed feſtinior omnibus ipſe, omnes accelerare iubet, & cunctantes impellit, donec ſanguinem fundat. Accipite illuſtriſſimum Iephtæ prolis teſtimonium ab Ambroſ. lib.3.Officior.cap.12.decantatiſſimum. Hæc iugulanda à patre duorum menſium petiit inducias, quibus tranſactis, eadem hora currit ad victimam. Tunc ſic Ambroſ. *Nec fletus æqualium mouit puellam, nec dolor flexit, nec gemitus retardauit, nec dies præterijt, nec feſellit hora, redijt ad patrem quaſi ad votum rediret, & voluntate propria cunctantem impulit.* Quid aptius Chriſto, quem nullus diſcipulorum gemitus, nulla matris mœſtitudo feſtinantem retardauit, nec negotiis ſeculorum acceptatus dies prætèriit, nec feſellit hora; ſed ſciens quia iſta venit, feſtinior illa cucurrit ad victimam, & carnifices fecit accelerare, & cunctantem patrem impulit.

Ambroſ. Tertull. Athanaſ. Ambroſ.

§. II.

Ingentem tormentorum, & cruciatuum molem quaſi breuem & horarium ducit dolorem humanæ ſalutis amator Dominus.

VNus Rachelis amor ſic Iacobum deliniebat vel inebriabat, vt quatuordecim illi laborum anni viderentur pauci, dummodo optato potiretur coniugio. Sic Iacobæa proles Chriſtus Dominus præ humanæ ſalutis amore longiſſimus cruciatuum fluctus quaſi horariũ laborem reputabat, de quo dicitur, *ſciens Ieſus quia venit hora eius*, quaſi tota illa cruciatuum ſeges, longiſſimum illud tormẽtorum tempus illi ſoli breuiſſimum videretur & horarium. Hinc D. Paulus ad Hebr. cap.2. ait. *Eum autem, qui modico quam Angeli minoratus eſt, videmus Ieſum propter paſſionem mortis gloria & honore coronatum, vt gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem.* Vbi maximè expendendum eſt, quam paruum reputet felleum illud tormentorum poculum, quod non potum, ſed potus guſtum æſtimabat, adeò vt guſtare mortem breuiſſimam, & quaſi momentaneam mortis paſſionem hic reputet Chryſ.& OEcum. Illis argutior D.Anſel.ait, *Dico, quia minoratus eſt, & hoc ideo, vt guſtaret mortem: id eſt, horariam & non lõgam, quaſi aliquid guſtando tranſiret pro omnibus.* Quidni? Cruciatuum illa infinita congeries, mille illæ nocendi artes, flagellorum myriades, Pontificum nocturnæ irriſiones, iudiciorum actus, non multum temporis conſumpſerunt? Equidem longiſſimum tormentorum fuit tempus patienti, ſed breue, ſed horarium amanti. O quam amabat illa in Canticis! quæ dicebat, *in lectulo per noctes quæſiui quem diligit anima mea.* Ecce tibi plures tribulationum noctes, plures patiendi neceſſitates, vnus lectulus videntur amaſiæ. Sic expendit Gillib. ſerm.2. in Cant.2. *Multæ noctes; ſed vnus lectulus. Multæ enim tribulationes iuſtorum; ſed tamen quaſi non ſentientes, nec reſpicientes, vno dormiunt, & requieſcunt in lectulo*, ac ſi dicat, quòd ingentem tribulationum multitudinem quaſi non ſentientes, vno, eóque breuiſſimo ſomno componant amantes. Verè nos Chriſtus amat, cui longiſſimæ tormentorum noctes vnus lectulus, vnus ſomnus breuiſſimus ſunt, cui tormentorum dilata & prolixa paſſio breuis fit & horaria. Nullus (ſi meminit) Propheta, nullus canonicus ſcriptor de paſſionis dominicæ acerbitate egit, qui eam vel vaſtiſſimum mare, vel caliginoſam tempeſtatem non appellaret. Quo ſpectat illud Hieremiæ: Magna eſt velut mare contritio tua, & Dauidicum aliud: Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me. Vnus ipſe Chriſtus paſſurus intra calicis poculum totam hanc amaritudinem anguſtauit, aliis vaſtiſſimum mare, ingens tempeſtas viſa eſt; vni Chriſto Domino nunquam mare, nunquam tempeſtas, ſemper calix, ſemper poculum apparuit. Pulcrè Theophylact. Matth. 20. ait. *Poculum dicit Dominus ſuam mortem, ſimul oſtendens quòd leue ſit, & declarans, quòd ipſe ſuauiter accedat ad mortem.* O maximus Chriſti amor! ſic in hominum vtilitatem excutiens, vt felleum dolorum mare reputet quaſi potus calicem. Miratus Iſaias, cap.40. Dei

Anſelm. Cant.3. Gillibert. Theoph. Iſai.40.

ſenè

penè incredibilem potentiam, ait: *Quis mensus est pugillo aquas?* nimirum iuxta Foreriũ, vna est, & sola diuina potentia, cui tota aquarum moles collata tam parua est, vt sunt aquæ, quas nos vola, seu fouea manus continere, seu mensurare possumus. Huic par immensa vis amoris Christi Domini, cui opposita vastissima dolorum & cruciatuum maria tam parua apparent, vt sunt aquæ, quæ minimo sufficerent poculo, aut manuali continentur calice. Adeò breues, adeò paruæ omnes passionis tribulationes visæ sunt Domino, vt

Matth. 5. liceat illas pro minimo æstimare. Etenim sic ait Matth. 5. *Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis*, nec aliud reputat minimum mandatum; nisi id quod de mortis, & de

Hilar. crucis supplicio habet. Ita D. Hilar. *Minimum est omnium Domini passio, & crucis mors.* Proh Deus immortalis! Proh ingens Dei in nos charitas! Siccine, ô Christe, viles creaturas amas, vt pro minimo ducas te morti dare, & immensos crucis subire cruciatus?

§. III.

Christi Domini amor in homines non finem, sed verticem & coronidem habuit.

CVm Christus Dominus dilexisset suos, ait Ioannes, in finem dilexit eos; sed quid est, in finem dilexit eos? an finem fecit amoris? an ingens ab incunabulis amor morte finitus est? Absit, imò nunquam pulcrius eluxit diuinus amor, quam media in mortis falce. Itaque moriens Dominus dilexit in finem, quatenus non simplicem finem; sed pulcherrimam fecit amoris sui coronidem, Moysi nitidissimas virtutes, quæ in eius morte splenduerunt, miratus D.

Nissen. Greg. Niss. ait. *Vt peritissimus statuarius tota vita sua diligenter confictã statua, non finem in extremo fictionis termino; sed verticem imposuit.* Hæc summa perfectissimi operis gloria, si non simpliciter finiat; sed pulcra & elaborata exurgat coronide. Hæc prima Christi Domini amantis gloria, qui non finem in extremo; sed verticem, sed pulcherrimam coronidem imposuit. His amoris flammis exarsit, ea prompsit charitatis miracula, quæ pro vertice seu coronide perfectissimi, & diuini amatoris spectantium Seraphim oculos in admi-

Exod. 12. rationem raperent. Huc spectauit lex illa Exod. 12. de agno igni ardente immolando, eterum mysterio iubet, quod agnus assandus, esset masculus anniculus. Cur anniculus?

Psalm. 64. Iam explicat Psalm. 64. dicens, *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ:* quasi perfectus annos beneficentissimæ Dei bonitatis verticem & coronidem exaltet. Ita in agno anniculo, cuius sanguis exterminatorem ab Israelitarum domibus arcuit, Dei Optimi Maximi benignitatis in suos vertex &

Nazianz. coronis claruit Vnde à Theologo Naz. orat. 2. Paschę dicitur Christus Dominus, *Agnus anniculus, vt Sol iustitiæ, atque idem vt benignitatis corona benedicta.* Ecce tibi diuini amoris & benignitatis verticem & coronidem. Ecce tibi Christum Dominum Agnum anniculum, qui penè in mortis acie suorum amore totos sui immemor sic suos armauit, sic suos, qui erant in hoc mundo, qui adhoc delicijs seculi incubabant, & cœlestia respuebant, sic, inquam, eos muniuit, vt à nullo exterminatore possent expugnari. Hæc fuit

Cyprian. supremi amatoris, & benignissimi Dei vertex & coronis, quo legalis agni virtutem longè superauit Id attigit D. Cyprian. ser. de pass. fatus: *Sanguis Christi efficatius, quàm sanguis agni illius, quem in Ægypto Israel immolauit, contrarias abigit potestates, cuius hodie tanta est authoritas & potestas, vt non solum Israëlitica limina muniat; sed etiam ab his qui Israëliticè non viuunt, solum Sacramenti signum expellat dæmonia.* Expende illud, *etiam ab his qui Israëliticè non viuunt, expellat dæmonia.* Namque sanguis legalis Agni benignitatis Dei in Hebræos imposuit coronidem, eos, qui ritè immolabant, ab exterminatore defendens, verùm sanguis veri & anniculi Agni Christi eò se extulit, vt pro summæ benignitatis vertice & coronide etiã suos, qui erant in hoc mundo, qui adhuc seculo viuebant, qui nondum se ad bonam frugem receperant, à dæmonum tyrannide, & exterminatione defensaret. Sic Christus Dominus in extremo vitæ termino non finẽ; sed amoris sui verticem, sed pulcherrimã egit benignitatis in homines coronidem. Hinc sapiens illa Domini dilectrix vt summum Christi amorem expiscaretur, sese ad

Paulin. eios pedes proiecit. Cur ad pedes? Pulcre D. Paul. epist. 4. *In extremo licet Saluatoris vestigio caput suæ salutis inuenit*, quasi nouerit, quòd diuini amatoris in extremis benignitatis erat coronis & vertex, ad eius sese proiecit extrema, vbi felix summæ benignitatis offendit caput, & verticem.

§. IV.

Christianum non agit, qui mortis venientis conspectu ad feruentiora non se erigit opera.

ECce ipse Filius Dei instantem iam meditatus mortem, amoris erga suos opera excitauit, & auxit, *Sciens quia venit hora eius, cum dilexisset suos, in finem dilexit eos.* Quis inde Christianus vel mortis conspectu sese auidiùs virtuti non tardet? Quis studiosiùs animi sui salutem non quæret? Dicam vnde reprobus Iudas malè audit apud D. Chrysost. nimirum irascentes Discipulos in Magdalenam, quòd Saluatoris caput vnguento pretioso rigaret, sedans Dominus Matth. 26 loquit, Vt quid molesti estis huic mulieri? bonum opus operata est in me, *ad sepulturam meam hoc fecit.* *Matth.* 26. *Tunc profectus vnus ex duodecim, qui dicebatur Iudas,* &c. Expendite modo sacri textus ponderationem & notam: Tunc, inquit, profectus est Iudas, quando? dicente Domino, ad sepulturam meam hoc fecit, tunc Iudas in proditionem profectus est. Elegaoter D. Chrysost. homil. 2. *Tunc illud ad* Chrysost. *quod tempus relatum est? quando illa locutus esset, quando ad sepulturam dixit, atque neque hinc compunctus est.* O perditissimi hominis argumentum singulare! mortem audit, sepulturam percipit, & non compungitur, & ad salutis montem non aduolat, & idem, & sui similis in proditione persistit! Vnus id Iudas faceret, & qui eius perditissimos & deploratos mores imitantur. Equidem amantissimus hominũ Deus ab initio volens Iudam a præcipitio custodire, hoc illi frænum iniecit, nimirum memoriam mortis, quam ipsius nomini indidit. Scariotis idem est, ac memorans mortem, vt iam immedicabilem eius videas animum, quando tanto fræno rupto, sese voluit in præcipitium agere. Ita D. Paschas. lib. in Matth. 6. inquit. *Porrò Scariotis, memoriam mortis sonat, vt sit inexcusabilis: quod non casu, sed ex meditatione mortis, Dominum prodiderit.* Sic prisci Iudæi deliciosissimi, hostilibus cincti Assyriorum phalangibus, cùm nullum esset euadendi suffugium, cùm nihil viderent præter arma mortem halantia, sic apud Isai. c. 22. loquuntur. *Comedamus, &* *Isai.* 22. *bibamus; cras enim moriemur.* Hoc elicit ex conspectu mortis perditissimus animus, vt plus inhæreat voluptati, vt securiùs delicijs vacet. Pulcre D. Cyrill. Alex. ibi, *Impendens* Cyrill. *sibi conspicati periculum crudelitate Assyriorum, delicias consectati, desperato, agresti, & securo animo sibi mutuo acclamando, Comedamus, & bibamus.* Et meritò desperati, & agrestis animi esse perhibentur, qui vel ad mortis conspectum non sapiunt, qui vel audita morte in se signa salutis excitare negligunt: huiusmodi erant notæ gigantes illi primæui, qui post diluuium sese adhortantur Gen. 11. *Venite, faciamus no-* *Genes.* 11. *bis ciuitatem, & turrim, & celebremus nomen nostrum antequam diuidamur.* Apud Philonem leguntur hæc verba, celebremus nomen nostrum, antequam dissipemur, quasi ex præterita clade iam suæ cladis sompsissent augurium, & se consumptum, dissipatúmque iri præuiderint, tamen perditissimi adhuc in peccatis persistunt. Vnde Philo: *Sunt etiam* Philo. *hodie qui valde sibi talibus rebus placeant, putantes inde se præclaram apud homines æstimationem acquirere, sed hi quamuis improbissimi, vltricem tamen scelerum suorum Dei iustitiam præsagientes, dicunt priùs, quàm dissipemur. Cur igitur peccatis, si vestra consilia & conatus dissipatum iri scitis?* Mortem nosti, & peccas? necem audis, & expectas, & vitæ æternæ prospicere non curas? Nullum salutis signum animo tuo mors ipsa aduentans imprimit? Insanus es, desperatus es. Christianus non es, cùm ipse Christus mortem suam in proximo esse prænoscens, maiores sui amoris virtutum radios faciat conspicuos. Ea est equidem memoria mortis, quæ vel dæmoniaca pectora valeat cicurare. Superbissimus ille Sathan in Eremo vidit Iesum, & audet dicere: *Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me.* Proh temerarium dæmonis audaciam? Moderatior aliquando dæmoniacus apud Marc. cap. 5. *Vidit Iesum à longe, cucurrit, & adorauit eum.* *Marc.* 5. Vnde hæc tibi humilitas, superbissime omnium? Quæres tibi hanc moderationem ingessit? Nescio an id ostendat Marc. aiens: *& semper die ac nocte in monumentis erat.* Quasi cum mortuis habitatio potuisset & cicurare, & moderare dæmoniacum animum. Huc refero Chrysologum serm. 17. *Quid est, Diabole, quem promissione regni, vt te adoraret, subdolus ambiebas, nunc tremens prolaberis, & adoras? Ecce qui honores omnes regni promittebat, & gloria, habitare fœtida, corruptione cadauerum, reperitur in tumulo.* Quid mirum si adoret Dominum, qui habitationem habeat iuxta mortem.

§. V.

Christi Domini amor in homines efficacior ex parte mediorum, quam Trinitatis homines in paradiso creantis.

IMmortali vita potiturum hominem condidit ad sui imaginem beata Trias in paradiso: condidit, inquam, illum, vt perfunctus omnium animalium imperio immortalitate candidatus gloriosa cœlestis hæreditatis occuparet sedilia. Sed proh dolor! vno serpentis sibilo tam sublimi homo deuiauit à fine, hinc hominis reformator Christus prosiliens in mundum sic hominem ad paradisum regenerat, vt resistentibus aereis potestatibus, tamen hominem ducat in exoptatum finem: *cùm enim dilexisset suos, in finem dilexit eos.* Huc referam illud Prou. 30. *Tria sunt quæ bene gradiuntur, & quartum quod incedit feliciter.* Quod si explicatiùs adhuc vis nosse quartum quod incedit feliciter, is est paulo infra, vt rectè Iansenius dicit, *Rex cui resisti non potest.* Quid plura? Bene cum homine actum fuit, quùm illum beata Trias in paradiso condidit, quum illum sic amauit, vt gloriosæ hæreditatis possessorem describeret, vt supernorum bonorum hæredem diceret. Sed inefficax ex defectu voluntatis humanæ fuit iste beatæ Triados in homines amor, cui restitit serpens, & praua hominis voluntas. Vnde quartus aduenit Christus homo Deus, quartus, inquam, quia in eo præter personarum diuinarum ternarium, adhuc quartum quid, nimirum in secunda persona naturâ hominis inuenio: quartus item, quia iuxta Lipp. ab Hebræis sumptam supputationem, natus est 4. annorum millenario: quartus & Rex qui incedit feliciter, cui resisti non potest, qui sic homines dilexit, vt felicissimo gressu vsque in suæ dilectionis fines perducat. Non iam huic nouo dilectori hominum resistet potestas vlla, qui quos amauit ad gloriam, confractis renitentium potestatum viribus, felicissimum faciet videre finem. Id quod crediderim à Propheta Abacuc mirificè decantatum, quum ait: *Splendor eius vt lux erit, cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius.* Quasi diceret: Ecce tibi fortissimum, illustrissimum triumphatorem, cuius splendor lucidissimos siderum superat radios, cuius stemmata nobilissima, vbi fortia & gloriosa eius facinora conspicua latent, in eius sunt manibus. Sic Hieron. August. Euseb. Expende tamen, quòd pro facinorum stemmatibus sint cornua in manibus eius; nec vllum aptius excogitari possit stemma, vt Christi Domini triumphatoris exprimeret felicitatem. Etenim solemnissimum fuit apud Imperatores maximos, ad ostendendam sui imperij felicitatem pro stemmate Amalthææ cornu vsurpare. Sic in aureis Antonini Pij nummis, & Lucij Septimij Getæ. & Vespasiani excusis Amalthææ cornibus hæc affulget subscriptio, nimirum felicitas, vel felicitas temporum, vel felicitas publica. Ergo felicissimi Regis Christi nullum melius stemma, quam cornua in manibus eius, vbi qua felicitate omnia à tanto Rege sint peracta, notantur; vbi florentes corollæ pullulant quæ finiant hominum certamina, vbi fructus cernuntur, qui cum immortali stola restituant homini, nullo resistente, Dei imaginem, vbi fortissimi & efficacissimi amoris effulgeat valor. Sic pulcre D. Cyprian. lib. 3. contra Iudæos hæc eadem verba facit: *Cornua in manibus eius, ibi constabilita est virtus gloriæ eius, & constituit dilectionem validam.* Enimverò dilectio, quæ apparuit in manibus Trinitatis creantis hominem originali decore exornatum, vt cœlesti potiretur regno, dilectio fuit sufficiens quidem: sed ex defectu voluntatis humanæ minimè eò attigit felicitatis, vt acquireret finem exoptatum in homine. Verum in fortissimis Saluatoris manibus ibi tota & integra felicitas apparuit humana, ibi constabilita est virtus gloriæ eius, ibi constituta dilectio valida, dilectio quæ nesciat carere fine, dilectio, quam aquæ multæ nequeant extinguere, dilectio efficax, quæ debellet contrarias potestates, & fine potiatur. Ecce tibi noui regnatoris & dilectoris felicissimos progressus, cuius species apud Danielem cap. 3. mediis Babylonis flammis tres pueros illæsos conseruans visebatur, vbi dicitur, *Species quarti similis filio Dei.* Ad hæc Macharios Chrysocephal. Episcop. Philadelphiæ, oratione de Cruce. *Quarta quoque qui apparuit, quadripartitam trucem eius per vniuersum orbem potentiam significauit.* O quàm valida dilectio illa, quæ renitentem orbem subiecit! O quam præpotens quarti huius apparentis robur, quod in contrariam vergentem mundum ad exoptatum finem reduxit, traxit. Meritò D. August. serm. 124. de tempore, ait: *Hinc intelligamus quantum hominem diligeret ante culpam, quem sic diligit post ruinam,* nimirum quo hominem in sublime leuitantem sublectaret noui huius dilectoris efficacia, quem in profundum grauitantem felicissimo egressu constituit in Regno immortalitatis. Huic amoris Christi in homines felicitati auspicium dedit assumptio illa nominis Tetragrammati, quo Deus accessit olim ad hominem creandum. Enimuerò qui cœlum, & terram, & alia creans tantùm dicitur Elohim, vt acutè notauit Venetus Armon. tom. 5. cant. 1. cap. 17. creaturas hominem addit cognomen Tetragrammaton, siue quadrilitterum; dicitur namque, *Et formauit Iehoua Elohim hominem puluerem de terra.* Quæ rei causa? quid additio quadrilitteri nominis protendebat? Sanè, ait Venetus. *Quaternarius huius illius Tetragrammi, aut quadrilitteri dum adest, omnia felicem sortem consequuntur.* Quasi iam inde notaretur felicitas humana ex nomine dilectoris noui, ex quadrilittero Iesu esse futura. Non ab amore solo qui à triade, sed ab amore qui à quarto hoc, nempe Christo Iesu est, homines perducendi erant in suæ felicitatis finem. Cui videtur consonare apud D. Cyrill. de adoratione in spiritu lib. 8. illud Leuit. 19. *Quarto anno omnis fructus eorum sanctificabitur laudabilis Domino*, quasi salutis fructus, & hominum perseuerans sanctificatio, ex quarti efficacia conquirat laudem. His adde Dauidicum cantum Psalm. 44. inquiens: *Indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se.* Quod si scite cupis, quale sit hoc fortissimum Dei præcinctum, consule Ioannem cap. 21. vbi significans Dominus Petro, qua morte eum clarificaturus esset, ait. *Cum senueris, alius te cinget te, & ducet te quo tu non vis.* Itaque mortis, crucisque præcinctum fortissimum induit Dominus, quo inimicos debellauit, totúmque orbem terrarum æternum confirmauit. Ab hac stat sententia Chrysostomus homil. in Genes. 2. quæ habetur 6. tom. aiens. *Per corpus, corpore experies, & maligno dæmones debellauit: & per crucem de aduersarijs potestatibus triumphauit. Meritò dixit, Indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se. Et quid est quod mox inducitur? Etenim firmauit orbem terræ, qui non commouebitur. Quoniam ergo peccatum concusserat primum orbem terrarum, cum venisset Saluator, fixit crucem, & stabiliuit vniuersitatem.* Ecce vt Christus stabiliuit dilectionem validam.

Prou. 30.

Abac. 3.

Cyprian.

Machar.

Venet.

Psalm. 44.

Ioann. 21.

Chrysost.

§. VI.

Christus Dominus amator eximius in summa hominum malitia & improbitate id solum respicit, quod sui amoris flammas eliciat, & nihil aliud gaudet respici à fratribus.

MAgnum diuinæ pietatis argumentum est, quòd talia ac tanta ab hominibus, & hominum causa passurus Dominus, omne genus hominum non abominetur, sed adhuc homines diligat, & dirigat in gloriæ promissæ finem. Meritò D. August. serm. 130. de temp. mirantes à crucifixo Domino paradisum latroni polliceri, ait. *Credamus Deum vel ex solo virtute potentia, quos dum ab homine cruci necis traditur, sic quoque homini gloriam pollicetur.* Quid diuinius? Quod diuinæ pietatis indicium clarius, ab hominibus trucidari, & adhuc homines amare? Sanè non crimina, non scelera hominum respicit vis amoris; sed id solùm, quo homines valeant amari. Non videt delicta & rabiem: sed videt opus suum, videt suos, & eum dilexisset suos, in finem dilexit eos. Cur Publicanum lucris inhiantem Christus Dominus non respueret? Cur peccatorem pecuniæ deditum nummis incubantem non abominaretur ille, qui à pecuniarum mancipio tradendus erat? Id pulchre insinuat Matthæus ipse cap. 9. *Præteriens Iesus vidit hominem sedentem in Telonio.* Quod acutè expendens Chrysol. serm. 30. ait. *Vidit hominem, vt peccata hominis non videret: vidit opus suum, vt despiceret opera peccatorum.* Non ad scelera; sed ad id quod suum erat, respexit Dominus, vt posset inde amare; non contemnere. Ita prima Martyrum fax Stephanus rabidissimos inter hostes positus aiebat Actorum 7. *Viri fratres & patres audite.* Quæ pulcrè expendit Euseb. Emissenus dum dicit: Ecce Martyr quo se muniat, vt amet persecutores. *Memor fratrum, immemor persecutorum, & oritur de qua radice processerit.* Sanè docuerat illum Christus Dominus, dum in nefariis hominibus genus suum respiceret, non delicta, ne mulctare queat; sed munerare. Vere in hoc & parer & filius Dauidis, qui mittens armatos duces in parricidam Absalonem, ait illis 2. Reg. cap. 8. *Parcite filio meo Absaloni,* non proditorem, non parricidam commemorat,

August.

Matth. 9.

Chrysol.

Act. 7.

Euseb.

morat, sed filium vocat, vt venia & amore dignus existi-
Psal. 118. metur. Ita Ambros. Psalm. 118. serm. 14. vers. 4. *Tacebat improbitatis scelus, pietatis autem gradum, & nomen necessitudinis præferebat, vt pugnaturi non aduersarium Regis, sed filium cogitantes, dolorem læsæ pietatis inluberent.* Sic Dominus oculos ab hominum Deicidio auertit, & pietatis gradum & nomen necessitudinis præfert, suos vocans, opus suum memorans, vt sine fine diligeret quos diuinis suis manibus nouit esse profectos. Equidem amator hominum Deus in suis nihil aliud gaudet videre præter id quod amare possit, quod ardentioris amoris sit incitamentum. Id quod
Cantic. 5. bene calluerat Sponsa, Canticor. 5. vbi ait, *Adiuro vos filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectum; vt annuncietis ei quia amore langueo.* Expendo illud, adiuro vos; quasi metum incutiat, si aliud quid de illa enunciarent, præter id quod bonum & iustum in ipsa est. Vbi eleganter Gillibertus
Gillibert. ser. 46. in Cant. *Quid tu? Quid fratrum mauis vitia numerare quam virtutes, damna quam dona, condemnare, quam condonare? Si te ad commendationem adiuratum non sentias, non iam filia Hierusalem: sed filia Babylonis, filia Babylonis misera quæ retribues tibi retributionem? Desine in sanctis magis numerare detrimenta quam lucra. Noli foris nunciare, noli prædicare sodalibus suis; nam sodales sponsi aures non accommodant, si deroges sponsæ. Ipse sponsus ægrè audiuit iniurias dilectæ, cuicunque dicis illi dicis; aures enim zeli audit omnia. Temerarium est dilectam condemnare dilecto; bona sibi vult nunciare de sponsa & commendationi promptiùs aurem præbet. Nouit hoc sponsa, ideo dicit, Adiuro vos, si inueneritis dilectum, vt annuncietis ei quia amore langueo.* Id solum in dilectis hominibus patitur Christus Dominus videre, & sibi nunciari, idque nititur mentibus nostris imprimere, vt videamus & noscamus in fratribus, nimirum quod nostrum & Dei amorem conciliat, quod ad commendationem facit & laudem. Verum errores, scelera, delicta à nemine vult Dominus videri; immò vehementer odit eos qui fratrum solum noscunt vitas accusare, nihilque notant, nisi id quod odium gignit, & supplicium affert. Videant isti quam longè à Christi moribus absint. Vide lib. 5. cap. 9. §. 4.

Text. Et cœna facta cùm diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iscariotes.

§. VII.

Is reprobus apparet, cuius cor patet diabolo possessori.

IMminentis iam mortis tempus prædictum à Domino confirmat Ioannes aduentare ex impœnitentis & reprobi hominis audacia, qui ita sese proditioni faciendæ aptauit, vt vix vllus expectandi in illo pœnitentiam locus maneat. Id quod eleganter crediderim insinuatum illis verbis. *Cum diabolus iam misisset in cor,* pulcra similitudine sumpta ab iis, qui se possessores ostendunt alicuius agri in illum mittentes & intrantes absque vlla resistentia. Etenim tunc dicitur domus seu ager alicui tanquam possessori patere, quando is à nemine impeditus in illam mittit sua. Itaque eo deuenerat impœnitentiæ & reprobationis Iudas, vt in eius cor diabolus sine resistentia mittens, inibi vt possessor & Dominus sibi sedem pararet. Quam excogitationem re-
Gregor. fert D. Gregor. c. 5. lib. 2. vbi sic. *Reprobi quidem corda sua non habent, quia ea diabolus possidet. Vnde & de proditore dicitur, Cum diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iscariotes; si enim Iudas, & non diabolus possideret, ipse potius in ea bonum, quam diabolus malum poneret.* O miseram & deploratam conditionem illius, cuius cor diabolo occupanti suáque pro libito inmittenti patet! Væ tibi homo, vbi diabolo licet sine resistentia in tuum cor sua nefaria mittere, vbi tuo corde nocentissimas suas cogitationes reponit securas! Quandoquidem id argumentum est reprobatæ mentis, & cordis prorsus possessi à diabolo. Sanè reproborum est non habere corda, vbi bonum reponant quæ sibi possessor diabolus immissis malis persuasionibus præoccupat. Huc refert D. P. Chrysol. illum diuitem auarum reprobati hominis exemplar singulare, apud Luc. cap. 12. erat
Luc. 12. is ea fructuum multitudine plenus, quas non caperent horrea fabricata, quapropter animo anxius, cum nocte solus esset, sic ait *Quid faciam quod non habeo quo congregem* &c. Ad hæc pulcre Chrysol. serm. 104. *Quid faciam? interroganti vox [illegible] & quem [illegible] interrogabat ille? Erat in illo alter, qui ad eius penetralia iam diabolus possessor insederat: &*
Chrysol. *qui intrauerat in cor Iudæ, mentis eius tenebat arcanum.* Non habebat miser quo bona congregaret, quia cor eius possessori patebat diabolo, si cor suum possideret & non diabolus, in eo bona potius quam diabolus mala poneret. Sed cor eius non ipsi; sed alteri, quia ad eius penetralia diabolus possessor insederat. Quid plura? pereant quasi necessum est qui alienato à se corde non habent quo bona congregent, cum tanquam possessioni suæ illi sine resistentia immittat diabolus mala. Hæc tota reprobationis causa in Ephraim insinuatur apud Oseam cap. 7. *Factus est Ephraim* Oseæ 7.
quasi columba seducta non habens cor. Enimuerò cum columba dicitur, quasi pœnitens & gemebundus profertur; quis enim à columba gemitum pœnitentis non speraret? Tamen desperata istius salus est, quia est columba non habens cor, vbi bonos reponat gemitus. & ex quo illos educat.
Vnde Rup. *Columba esse debuit manendo in simplicitate paternæ* Rupert.
fidei: sed seducente diabolo recessit in inopia cordis. Quid gemitus proderunt illi qui cordis laborat inopia? qui cor non habet, vt bonum in illo reponat; sed magis illud diabolus possidet. Planè non defuerunt Iudæ gemitus cum pœnitentia ductus retulit argenteos dicens, peccaui; sed seducente immò ducente diabolo recessit ad laqueum in inopia cordis. Væ illis, qui adeò cor suum permittunt possideri à diabolo, vt ipsi excordes prorsus maneant.

§. VIII.

Calamitosum maximè homini, cuius in corde altas agit radices peccatum.

CVm diabolus iam misisset in cor, ait magna ponderatione Euangelista, quasi hoc ad Iudæ calamitatem & obduratum animum in necem Saluatoris innueret, quod diabolus in eius corde miserit radices. Sed & illud maximè in præsenti notandum est, nimirum, vt reliquas imminentis mortis circumstantias Euangelista diceret de singulis ait, Sciens Iesus quia venit hora eius: sciens quia omnia dedit Pater in manus. At Iudæ proditionem mente conceptam cum notat solum dicit: Cum diabolus iam misisset in cor. Cur non dicit: Sciens Iesus, quia diabolus iam misisset in cor? Sanè non multum hoc præscientiam Domini commendaret: peccatum enim corde insitum nemini licet occultari, omnibus vulgatissimum est. Vt quæuis planta quo altius mittit radices, eo manifestius profert extrinsecus ramos: ita peccatum vt radices agit, sic sese extrinsecus prodit & vulgatur. Quam optimè diuinus Medicus
cauit. *Sol non occidat super iracundiam vestram.* de quo Theodor. ait, *veretur enim ne noctu quiescens cogitatio morbum augeat: nouit namque diaboli machinas.* Sanè semel admissus in Theod.
corde diabolus, nec continuo exsufflatus eas radices agit, quibus vix queat eradicari. Nolo vobis in præsenti debere
Bachiarium epistola de recipien. lap. vbi quam difficile in- Bachiar.
ueteratum eradicetur peccatum. ponderat his verbis. *Aspice quod nusquam in sacrificiys pecora senio confecta iugulantur, sed vbique aut agnus, aut vitulus, aut hircus, aut hædus immolatur, id est, tenera adhuc & parua vel modica peccata. In vno tamen loco Heliam, bouem legimus obtulisse, sed hoc semel tantum. Hoc vni licuit Saluatori qui inueterata totius populi iugulauit.* Vbi peccata recentia sunt, nec altas adhuc radices in animo egerunt, haud difficile per Dei auxilia ordinaria tolluntur, eorúmque vulnera reparantur. Væ autem illi cuius in corde peccatum consenuit, hoc vt tollatur, absoluta saluatoris potestate plusquam ordinaria opus habet. Ad
Apostolos suos dicebat Dominus Matth. 5. *Vos estis sal terræ,* Matth. 5.
quippe sal non medetur putridis, & corruptis iam rebus. Sic peccatum præ senio putridum in hominis mente fugit
ordinariam hominum medelam. Ita D. Chrysost. hom. 15. in Chrysost.
Matth. fatus. *Vos estis sal terræ. Quid igitur? ipsi ne putrefacta medicati sunt? Nequaquam: neque enim fieri potest, vt ea quæ iam corrupta sunt salis perfricatione reparentur. Non ergo hoc fecerunt, sed ante renouata, sibique tradita, atque ab illa iam putredine liberata aspergebant sale, & in ea nouitate conseruabant quam à Domino susceperant. Liberare quippe à putredine peccatorum, Christi virtus est.* Equidem si peccasti, statim anola vt medelam capias, præsentissimum enim est apud Apostolicos Sacerdotes recentium peccatorum remedium. Caue ne in pectore consenescat peccatum, ne putrescat, & putridum fœteat periculum tunc erit salutis pene desperatæ. Vna enim est potentia Saluatoris, eaque maxima, & quo nolit passim exerceri, in vetustis & putridis peccatis curandis.

§. IX.

Summa Dei ira est, quod homo scelera meditetur impune.

COnceptam in discipuli animo proditionem vidit Dominus, & nullo illum flagello castigat; sed quasi non videret ad pedes suorum lauandos sese parat. O indignationis diuinæ argumentum singulare! Proximè fui in agrum volantes aues, & semina pascentes si videat quis, & non dilapidet agrum, sed prætereat, inimicus est, aut hostili indignatione possessus. Quam igitur inimicitiam, quam indignationem in proditorem haberet Dei iustitia, quandoquidem illius cordi inhærentem prospicit funestam inferorum alitem; nec verbera fugat; sed despiciens se ad lauandos discipulos parat? Nil sanè terribilius peccatori, quam nullo *Leuit. 24.* verbere tangi, quam impune manere sub peccato. Leu. 24. hæc lex firmatur. *Si homo maledixerit Deum, peccatum accipiet; qui autem nominat nomen Domini, morte moriatur.* Quis non miretur huius legis sententiam? eum qui vanè assumit nomen Domini morte perimit, & blasphemum iubet tantum *Cyrill.* manere sub peccato. Pulcre ad illam D. Cyrill. Alex. l. 14. ait. *Quid est quod qui maledixerit Deum, non habet pœnam mortis; sed qui nominauerit nomen Domini? Nónne multo grauius est maledicere Deum, quam nominare, quamuis in vanum nominasse dicatur.* In quem ergo iustius mitteretur mors, quam in tantæ blasphemiæ authorem? Quem dignius vocarent flammæ, quam illum, qui audet Deum maledicere? Et tamen huic nulla pœna decernitur alia, præterquam quod habeat & accipiat peccatum. Quæ hæc pœna? Sanè *multo est grauius accipere peccatum & habere secum quam morte mulctari. Mors purgatio est peccati ipsius, pro quo iubetur inferri; vbi vero quis accipit peccatum & permanet cum ipso, nec aliquo supplicio pœnaque diluitur, transit cum ipso etiam post mortem, & quia temporalia hic non persoluit, sibi expendit æterna supplicia.* Non fauor misericordiæ; sed summus rigor est iustitiæ, quod peccator impune accipiat peccatum, & sub illo maneat. Ira est hæc summa Dei dignè eiaculata in peccatores maximos; cuius ad aspectum pauent & pertrimescunt Angeli. Hinc *Isai. 26.* apud Isai. c. 26. vehementer excandescens Deus in impios sic fatur. *Misereamur impio, & non discet iustitiam: in terra sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Domini.* Dixisset iratus. Affligamus, laniemus, perimamus impium; sed grauior & seuerior ira Dei ait, Misereamur, quod genus vin-*Bernard.* dictæ perterrefacit Angelos. Ita D. Bernard. ser. 23. in Cant. ad Angelos suos Deus sic ait. *Misereamur impio. Qui ni pauentibus atque quærentibus, non ergo discet facere iustitiam? non, inquit, subdeo(?) ne causam. In terra, ait, sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Domini.* Expende illud, *quibus tremētibus*, quippe expauent Angeli Deum adeo iratum, vt minimè vellet in præsenti castigari impium, nec vlla in rerum natura magis expauenda est vindicta, quam impiorum im-*Ioseph.* punitas. Id quod egregiè edixit Salomon apud Iosephum maledico Semei: is enim Dauidem a regia expulsum audentes affixit, horrendaque maledicta in illum congessit, a quo scelere liber & immunis euadens, ausus est iuratum exilium Salomoni frangere. Tunc Salomon ad illum. *Non euades pœnas periurij vir pessime; sed lues etiam illa quæ olim per petulantiam in patrem meum exilium debacchatus es, vt scias, quod nil lucrentur nocentes, etiamsi non statim post peccatum puniantur; sed per omne tempus, quo propter impunitatem securi esse videntur, crescit illarum pœna quam iam dudum sunt promeriti.* Non lucrum, sed damnum, sed detrimentum, sed ruinam maximam affert nocentibus impunitas, quo magis secura agunt in delictis, eo expauenda magis & horribilior eorum vindicta. Sanè cum populum suum Deus seruare sibi vellet, eum peccatis fœdatum vt expurgaret, Ba-*Hierem. 1.* byloniorum carnificinæ tradidit. De quo Hierem. c. 1. *Ollam succensam ego video, & faciem eius a facie Aquilonis.* Quasi diceret iuxta D. Hieron. D. Thom. & Theodoret. Vide Hierusalem furenti Babylonio milite cinctam sic affici, vt sit mihi instar ollæ ardentibus vndique circumuallatæ prunis. Longe aliter Dauid omnino exterminandas gentes medi-*Psalm. 57.* tatur Psal. 57. Vbi iuxta proprietatem originalem ait. *Antequam intelligant ollæ vestræ rhamnum, sic viuentem, sic in ira turbine absorbebit eum.* Pulchre vt innueret indemnitatem impiorum ait, antequam intelligant ollæ vestræ rhanum; petita similitudine ex olla carnibus plena, cui paucæ paleæ vel leuissimi rami ruborum adhibentur, quibus instantane-*Pag. Fel. Isid. Clar.* consumptis sic manet olla quasi nec ignis odorem acciperet. Ita Pagninus, Felix, & Isidor. Clar. ex quorum sententia componamus modo Hieremiam, & Dauidem, vterque peccatorum supplicia præuidit, vterque ollam speculatus est; Hieremias ollam succensam vndique ardentibus prunis vallatam; Dauid ollam, quæ nec ignis odorem sentiebat, sed tantum a foris leuissimo quasi fulgetro tāgebatur. Quæ tanti discriminis ratio? Sanè ille seruandam supplicijs videbat ciuitatem: hic omnino extirpandam, *sic viuens, sic in ira turbine absorbebit eum.* Non ob aliud impunitas impio datur, nisi vt indispositus & crudus iræ turbine absorberi penitus possit. Etenim dum ignis flammans ollam affligit: non ira, sed peccatorum purgatio: vbi olla nec ignis odorem nouit, ibi iræ turbo indispositos & crudos vorat.

***Text.* Et sciens Iesus, quia omnia dedit Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit.**

§. X.

Humana voluntati Christi Domini debemus largissimam effusionem sanguinis nostræ salutis gratia.

CErtissimæ iam mortis argumentum, idque euidentissimum proponit Ioannes, eo quod sciat Dominus se ex Deo exiuisse, a quo etiam liberam haberet potestatem se pro mundi amore mactandi. Hinc enim semper spectabat humana Christi voluntas, vt homines vsque ad sanguinis largissimam effusionem amaret, non licebat id antea, quia tempus, a Patre constitutum nondum aduenerat, modo videt iam venisse tempus, iam omnia sibi a Patre tradita, nimirum facultatem, qua omnibus expetitis modis sese morti tradat, quid tunc cum liceat mori, cunctabundus hærebit? Necessum erit quod ad mortem Patris imperio solo impellatur? Absit, non est hoc illius voluntatis, quæ sciuit à Deo summo genus suum, & originem esse: non est hoc voluntatis Christiferæ quæ tota in effusionem sanguinis propendebat. Pulcrè D. Zeno serm. de Spe, Fide, & Charitate, nos *Zeno.* in proximorum amorem nititur obligare hac sola ratione, quod simus filij cœlestis & æterni Patris. Ecce illius verba. *Nónne pater vnus est omnium vestrum? Quisquis igitur nobilitatis suæ conscientiam retinet, diligat fratrem, neque aliud audire spectet ex lege, ne admonitione pietati aliquid derogetur.* Mille sunt Dei præcepta, mille leges, quibus quisque tenetur proximum & fratrem amare, sed his solis feruntur non adeo perfecti homines; at illi viri qui nobilitatis suæ qua a cœlesti parente genus ducunt conscientiam retinent, hi protinus effunduntur in amorem fratrum, suæque ingenuitati existimant derogari, si credantur, cùm liceat amare, alterius legis admonitionem spectare. Hinc iam patet Aquilini Ioannis acumen, qui certissimæ per sanguinem redemptionis humanæ iam instantis hoc posuit argumentum singulare; quod sciuerit Dominus Iesus se à Deo exiuisse, & se moriendi liberam habere potestatem. Etenim dum à cœlesti parente nobilitatis ortæ conscientiam retinet, ô quam fratres amabit! O quàm largè pro fratribus effundet sanguinem! nec aliud quid spectat audire ex lege, ne admonitione suæ in homines amatrici voluntati aliquid derogetur? Sanè præceptum fuit Christo Domino à Patre, vt moreretur, sed ea erat illi in homines voluntas, vt nullius legis admonitionem requireret ac expectaret: sed ipsa sese vltrò & spontaneè mille modis, mille cruciatuum inuentis, mille pœnarum cogitationibus mortem ad acerbissimam pararet, & quùm omnia perficere licuit, non tarda-*Gerard.* uit. Id quod expendens D. Gerard. lib. de spiritualib. Ascensionibus c. 32. fatur. *Christus passus est tantum quantum voluit.* Quasi diceret, voluntas Christi fuit regula immensæ magnitudinis pœnarum, voluntati humanæ Christi Domini potuit respondere vastissimum illud passionum mare. Non id postularet iustitiæ rigor, non æquitas diuini Patris, non hominum necessitas quantumuis maxima! sed Christi voluntas humana his omnibus inhiabat. Quò crediderim spectasse portentum illud quando sanguis ipse effusus humanā in Christo Domino voluntatem aduersus hæreticos confirmauit. Etenim vbi Pyrrhus, & alij humanam Christi Domini voluntatem negarent, Eucharisticus sanguis miro modo atramentum effecit, quo viri impij excommunicarentur, quasi profusi sanguinis esset voluntatem Christi huma-*Theoph.* nam, a qua profluit, ratificari. Rem narrat Theophan. tom. 2. conc. in vita Theodori Papæ, ita fatus. *Quo Papa Theodorus ... Apostolorum accessit, & diuino calice expostulato ... viuifico sanguine*

sanguine in atramentum stillauit, & ita propria manu dispositionem Pyrrhi ex ommunicati facit. Sanè intereat effusi sanguinis diuini, Christiferæ voluntatis humanæ testificatio, a qua habuit, sic in immensum effundit pro hominum salute & libertate. Hæc enim sola voluntas posset sese in omnia cruciatuum genera parare, quæ effrenis inimicorum rabies passionis tempore excogitauit. Vnde cum summa dolorum & conuitiorum tempestate lignum crucis immineret, ibique quidquid humanum in Christo erat, manifestum extaret,
Matth.27. ait Matth.cap.27. *Et imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam, Hic est Iesus Rex Iudæorum.* Quæ est ista tantorum cruciatuum causa? An quod Rex esset Iudæorum? An quòd Regnum ambiens in Cæsarem rebellaret? An quòd aliud crimen putasset? Absit, his enim omnibus à Iudice examinatis aiebat: *Non inuenio in eo causam,* nec vllum scelus humanum tam immensæ dolorum segetis posset esse causa. Ea ergo erat vnica & conspicua causa dolorum immensitatis, nempe voluntas humanæ saluantis, & gratiosus in homines
Cyprian. amor. Accipite D.Cyprian.serm.de Passion.sic fantem. *Causam mortis in te non esse Pilatus ipse prædixerat, & Caiphas mortem tuam pro inimico populo satisfacturam, cùm esset Pontifex anni illius, prophetauerat. Tu de morte non agis, de opprobrijs non contendis: sed hoc vis intelligi quæ sit causa mortis, quis quæstus, vt vtraque recognita peccatum appareat, & gratia.* Et quidem tunc maximè gratia & beneficentia Saluatoris commendatur, nulla alia in eo terribilium & innumerabilium tormentorum causa inuenitur, quam eius libera voluntas hominum amatrix. Quapropter in eo quòd Pilatus nullam aliam inueniat, neque apponat causam, & Pontifex insinuet eam debere esse hominibus salutarem, cogit ipse Saluator mentes creatas, vt putent vnicam cruciatuum causam in Domini patientis refundendam esse arbitrium & voluntatem, quæ suæ memor ingenuitatis, omnia tormentorum genera pro hominum salute vltrò fuit amplexata.

§. XI.

Mundi Principibus omnia fugiunt è manibus, solius Christi singulare fuit vniuersa suo habere semper imperio subiecta.

OMnibus hæc miseria est Principibus mundi, quòd nudi ab vtero matris nascantur, & nudi illuc reuertan-
Eccles.14. tur. Sic Eccl.c.14. Omnia licet suæ ditioni subiiciant, omnia
Iob 21. tandem illorum elabentur manibus. Vnde Iob c.21. post infinitas propè felicitates mundialium hominum enumeratas fuit tādem. *Veruntamen quia non sunt in manu eorum bona sua, consilium impiorum longè sit à me.* Vnus fuit & omnium celeberrimus Heliogabalus, qui eo totam mentem suam contulit, vt de bonis suis haberet in manu, quando necessum fuerit animam halare, felicissimum iudicabat, si diuitiis suis
Lamprid. immoreretur. Sed accipite Lampr.de illo fantem. *Parauerat funes blatta & serico & cocco intortos, quibus sine necesse esset, laqueo vitam finiret. Parauerat & gladios aureos, quibus se occideret, si qua vis vrgeret. Parauerat & hyacinthis, & smaragdis venena, quibus se interimeret, si quid grauius immineret. Fecerat & altissimam turrim substratis aureis gemmatisque antè tabulis, ex qua se præcipitaret, dicens etiam mortem suam pretiosam esse debere. sed nihil ista valuerunt, nam & occisus est per scurras, per cloacas ductus, & in Tyberim submissus est.* Hæc Lamprid. Quippe ex tantis paratis, & studio comparatis, vt mortem pretiosam faceret, nihil tempore mortis habuit ad manum. Quid plura? Nec tunc temporis habent manus. Sic
Psal.75. Dauid Psalm.75. Assyriorum ferocientem superbiam ridet: Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis. Id quòd significantius adhuc
Hieron. D.Hieron.explanat, fatus. *Non inuenerunt omnes viri exercitus manus suas.* Fidem huius rei facit ille purpuratus diues,
Luc.15. qui Luc.15. clamabat ad Abraham. *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti in aqua.* &c. De quo, vt acutè, & elegan-
Chrysost. ter Chrysost. ser.3. *Quid est quod dicis, mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti in aquam? Ergo iuxta te est aqua? Si iuxta te est, quare de proximo non sumis? Quare? quia vinctæ sunt manus tuæ.* Sanè hæc est omnium purpuratorum extrema miseria, quòd non habeant in manu bona sua, quòd nihil ad manum inueniant, quid neque inueniant manus. Omnes vt nudi nascuntur, nudi in morte manent: vnus Christus Dominus vt natus est Rex, sic regio stemmate mortē adit, cui omnia mundi bona etiam ad mortem famulantur, nec quid elapsum manibus eius se eripuit potestati. Id quod eleganter attigit D.Cyrill.Hier.catech. sic fatus. *Omnes Re- ges cum moriuntur, vnà cum vita exuuntur omni potestate. Christus autem crucifixus nunc ab vniuerso orbe adoratur, crucifixum hunc annuntiamus, & tremunt dæmones, non pudeat itaque nos crucis Christi.* Cyril. Hierosl. Cur pudeat illius mortis, qui mediis mortis faucibus omnia habet in manibus? Cur nos illi eripiemus, cui nihil in morte surreptum est. imò ibi imperio suo & arbitrio omnia moderatur? Hunc solum Dominum cuncta creata bona, & in ortu, & in occasu comitantur: felices vos qui huius Domini subdimini potestati, omnia bona sua habet ad manus, quibus reficiamini. Vnde Hugo Hugo.
Victor.lib.1. Miscel.tit.84. hanc reddit rationem, cur Deus Victor.
homo factus sit, nimirum, *Vt siue ingrederetur, siue egrederetur, in ipso pascua inueniret natura condita ab ipso.* Semper illi siue in exortu, siue in interitu omnia erunt præ manibus, nunquam adeò nudabitur, quod plenis manibus te non possit pascere.

Text. Surgit à cœna, & ponit vestimenta sua: & cùm accepisset linteum, præcinxit se.

§. XII.

Ad prælaturam ascensuri, seruire discant.

ECce vobis vnigenitus Patris summi imperij hæres, depositis vestibus præcinctus adest pauperibus hominibus seruiturus, an quia hæreditariæ dignitatis, & habiti regni oblitus est? Immò quia se rerum creatarum prænotuit hæredem. Ita Ruper. singulis humiliantis se Domini circunstantiis singula magnalia ab Euangelista præfata componens, ait: *Quia à Deo exiuit, ideirco ponit vestimenta sua,* quasi nulla res magis deceat eos qui ad imperiū nati sunt, quàm seruilis habitus, & conditio præsumpta. Hinc Naz. Nazianz.
in laudem Basil. fatur. *Nauticam legem præclaram censeo, quæ gubernatori futuro primum remos committit, deinde ad proram collocat. Eadem rei militaris est ratio, miles primùm, deinde centurio, tum Imperator.* O præclaram Imperatorum philosophiam, non in libris inuentam, non auribus haustam; sed in ipsa seruiendi & obtemperandi experientia repertam! Sanè Deus cum primùm mundialium rerum Imperatorem creauit Adamum, non illi priùs regni tradidit clauū, quam præceptum posuit, cui seruiret & obtemperaret. Cuius rei causa? Pulcre D.Cyrill.Alex.lib.de Adorat.in spiritu. *Quo-* Cyrill.
niam tam præclaris dotibus ornamentum oportebat non sinere in Alexand.
arrogantiam facilè prolabi, præsertim ignorantem seruitutem & conditionem mancipiorum. Detrimētosa quidem, & plurimum detrimentosa gubernatoribus seruitutis ignorantia, & qui nescit mancipiorum conditionem per seruitutis experientiam, miror, si subditis existat salutaris. Quis sapientior, quàm ipsa Dei sapientia Christus? De hoc D.Paul.ad Heb. Hebr.5.
cap.5. *Et quidem cùm esset Dei filius, didicit ex his, quæ passus est, obedientiam. Et consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis.* Expende, quo medio filius Dei sapientia diuina salutaris factus sit sibi obtemperantibus, an quia innata ingenuitate, & nobilitate pollebat? an quia omnium hæres naturalis? an quia diuina imbutus sapientia cuncta percallebat? Sufficerent forsan hæc gubernatori maximo; sed qui salutaris voluit fieri gubernator, omnia hæc posthabita aliam didicit philosophiam gubernandi, nimirum cùm esset filius Dei, didicit obedientiam. Hinc Ansel. Anselm.
Expertus est in se ipso laborem obedientiæ. Non enim scire potest afflictorum labores, qui afflictionis experimentum non habuit. Quis iam ad prælaturæ clauum accedat, nulla seruitute prælibata, cùm ipse Dei filius non factus sit sibi subditis salutaris nisi priùs seruitutis & obedientiæ præcinctus habitu? Deponat oportet herilem habitum, & seruorum laborantium fiat socius, qui regio dignitatis splendore prælucere præoptat. Nunquam enim patientior & clarior regius splendor, quam in societate laborantium seruorum. Crucifixorum seruorum socius erat Dominus, & media hac societate regia eius maiestatis clarissima innotuit. Id quod meditatus D.August. ait ser.126. de temp. loquens de August.
sancto Latrone. *Apostoli post diuina miracula desperantibus, solus hic non acquieuit, scandalo crucis & mortis, solus hic testis est maiestatis, qui socius probatur doloris.* Expende illud *solus hic testis est maiestatis, qui socius est doloris,* quippe nullum testimonium euidentius regiæ & beneficentissimæ Christi maiestatis apparuit, quam cum medius ipse inter laborantes stetit socios in seruitutis, in dolorum & afflictionis societate, ibi conspicua creuit nostri dignitas Imperatoris.

§. XIII.

Christus Dominus omnium bonorum abnegationem & nuditatem persuadet homini, vt illum in filiorum Dei libertatem restituat, & in paradiso asserat.

O Præ omnibus diuitiis feliciorem & gloriosiorem nuditatem! Tecum filiorum Dei libertatem, & hæreditatem paradisi, & Dei amicitiam habebamus, à quibus omnibus excidimus, te vna amissa. Meritò Christus Dominus iuxta præfatam Ruperti ponderationem. *Quia à Deo exiuit, idcirco ponit vestimenta sua*, vna enim est filiorum Dei gloria, quæ Patri placet, nempe nuditas, stultus factus Adam à Deo fugiebat conditore; cur fugis Adam? cur parentis optimi conspectum vitas? At ipse, Genes.3. *Eò quod nudus essem.* O stultam fugiendi Deum rationem, inquit Eucher. in Catena, *quasi ideo posset displicere quod nudus esset, cum vtique melius Deo placeret, si sic maneret sicut eum ipse fecerat.* Vtinam ab innata nuditate non ipse desciscerет, vtinam vt à progenitore Deo fuit ortus, sic nudus permaneret, nulla alia re meliùs progenitorem referret. Proh dolor! ignarus nuditatis bonæ, primas emendauit vestes à ficu, & quis numeret mala quæ nuditate explosa, cum vestibus aduenerunt hominibus? Ecce in vno Ioseph quanta prædicat D. Gregor Nissen. in illud 1. ad Cor.6. Omne peccatum quod fecerit homo, &c. *Rursus*, ait, *Ioseph per vestem appetitur calumniis, fratres prius accepta eius veste per illam improbe calumniabantur fuisse eum à bestia deuoratum. Nunc autem tunica eius accepta, mulier accusat tanquam fornicatorem. Iosepho conuenit vox Domini, Diuiserunt sibi vestimenta mea; & super vestem meam miserunt mendacium.* E vestibus prosiliere calumniæ, proditiones, mendacia; è vestibus seruitus, captiuitas, vincula, & vix est vllum in orbe malum, quod cum veste non acciderit naturæ humanæ. Hinc Ioseph Putipharis seruus, relicta veste, aufugit, tunc primum amissi cum veste regni prætendens præsagium. Id quod elucidat D. Nilus in Ascetico hæc verba fatus. *Relicto in manu eius pallio, aufugit, & egressus est foras, tanquam in virtutis paradiso nudus ambulans, primum illum parentem nostrum imitatus, qui præclaram nuditatis munus à Deo obtinuit, quod per contumaciam in vestimentorum necessitatem incurrit. Quandiu enim restitit aduersarijs suadentibus, vt Dei mandatum violaret, nudus vt luctator in stadio stetit, victus verò, & seruus effectus, deposita simul cum certandi habitu nuditate indutus.* Rectissimè sanctus vir memorans regiam & victricem Iosephi nuditatem, qua auitæ & primæuæ hæreditatis referebat gloriam, simul deflet ab Adamo vestes fuisse excogitatas, nuditas enim & paradisum, Deum, & libertatem nobis donabat, vestes parturiere à paradiso exilium, cum Deo inimicitiam seruitutem, & innumera mala. Hinc reformator noster totus in vestes scandet, etsi nuditatem iterum persuadeat, hominem in amicitiam Dei, in Dei filiorum libertatem, in paradisum facilè reuocandum cernens, in vestes malorum causatrices irascitur. Vnde Hierosolymam appropinquans visa ficu accessit, vt vesceretur fructibus, cùm non esset ficorum tempus, vt Marc. cap.11. notauit, & nihilominus maledictione percussit arborem, eam iubens exsiccari? Quis non miratur Deum irascentem, quod ficus ante tempus fructum non habeat? Quæ est hæc causa diuinarum irarum? Cur in arborem tam intempestiuè Dominus irascitur? Sanè non defectus ficorum, quorum tempus non aderat, sed folia ficus, quæ primas induxerunt vestes, & nuditatem hominis eliminarunt, irascenti Domino dederunt causam. Quod attigit D. Cyrillus Hierosolymitan. catech.13. aiens: *Tempore peccati folijs ficus circumdabantur, ideò Iesus finem signorum dedit ficum, iturus enim ad passionem maledixit ficum dicens: Non amplius quisque de te comedat, dissoluta est damnatio, non tantum alia ficus circumfusa essent; venit in tempore, in quo cibus non inueniebatur, sed venit sciens, qualis non ignorans quod non esset inuenturus, sed figuram maledictionis vsque ad folia tantum faciens.* Expende prima illa verba, tempore peccati folijs ficus circundabantur, & hæc vltima, figuram maledictionis vsque ad folia tantùm faciens quippe in solas vestes irascitur Dominus, & totum putat salutis nostræ negotium felicissimum si tantum exsufflatis è medio vestibus antiquam induamus innocentiæ nuditatem. Quocirca ascensurus crucem nudus apparuit, vt nobis exemplar ostenderet illorum, qui paternam obtinebunt hæreditatem. Sic D. Athanasius orat. de passione & Cruce. *Exuebat vestimenta sua, decebat enim cum hominem introducere in paradisum, exuere tunicas, quas Adam accepit, cùm è paradiso eijceretur.* Porrò nudi egressi sumus in paradiso, obstetricante manu Domini, vnde necessum est vt illuc nudi reuertamur.

Genes.3. Eucher. Nissen. Nilus. Marc.11. Cyrill. Hierosol. Athanas.

Text. Deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes Discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.

§. XIV.

Mundities Christiana facilè obtinetur per compendium humilitatis.

IAm vt munderis, Christiane, non tibi mare æneum transnandum, quod vel duodecim boum humeros premat. Totum Christianorũ lauacrum pelui clauditur parua, quæ vel manu hominis possit portari. Aquam in peluim Dominus mittit, & ipse eam priùs tollit, vt te lauet, non enim tibi lauacrum offerre voluit, nisi facile, & cuius ipse priùs grauedinis experientiam faceret. Helis. 4. Reg.4. aiebat puero suo. *Tolle baculum meum in manu tua & vade, & pone baculum meum super faciem pueri.* Vbi acutè notat Ioann. Hierosl. de instit. Monach. cap. 41. Prophetæ facilitatem aiens. *Baculum vtique non dedisset ei Propheta gestandum, nisi eam manu sua solitus esset portare.* Priùs ipse baculi pondus & virtutem præsensit, ponderauit, & sic illum puero tradidit, vt miracula faciat. Longè facilior Dominus, quod passionis lauacrum instituit, vt mundaret genus humanum, prius ipse sustinuit, prius ipse ponderauit, & sic facilitatem expertus, illud nobis tradidit. Tradidit nobis, inquam, lauacrum non de ærei maris pondere duodena iuga boum premente, sed de facili pelui hominis ad manum data commendatum. Pulcre D. Iren lib.3. c.20. Dei aduenientis commoda sic expendit. *Quando incarnatus, & homo factus, longam hominum expositionem in se ipso recapitulauit, in compendium nobis salutem præstans.* Quis prolixas legis antiquæ obseruationes sustineat? Quis tot illa vmbratilia, & inania lauacra ferat? Igitur placeat nobis Saluator Iesus, qui prius in se ponderauit onus, quod suis imposuit, qui mundiciem & salutem in compendio dedit, qui totum mare æneum ad facile & manuale reduxit lauacrum. Naaman Syro leproso 4. Reg.5. dixit Eliseus: *Lauare septies in Iordane.* Cur septies? cur non sufficeret semel lauari? Adhuc tunc per longas ambages dabatur mundicies; nondum Christus Dominus venerat, cui soli reseruarum manebat, vt in cõpendio salutem propinaret, & breui lauacro antiquas omnes comprehenderet lotiones. Iubetur Naaman septies lauari, ait Tertull. lib.4. in Marc. *Quia vetus lauacri vis & plenitudo Christo soli dicabatur, sollicito in terris sicut sermonem compendiatum, ita & lauacrum.* Solius Christi erat mare æneum, ad paruæ peluis facilitatem redigere, & animarum mundiciem in compendio præstare. Hoc a Christo Domino datum salutis compendium notabat D. Paul. ad Hebr. fatus. *Habemus fiduciam fratres in introitum Sanctorum, in sanguine Christi, quem initiauit nobis viam nouam & viuentem.* Quibus expendo, quod sanguis Christi dicator nobis esse initium viæ nouæ, & viuentis, ex quo fiduciam habemus intrare cum Sanctis. Sanè post initium viæ cuiusuis multæ sese offerre solent hinc inde semitæ, & longissimæ ambages, quæ dubiam viam faciunt. At initium viæ nobis à Christi sanguine oblatum sine ambagibus quam citissimè nobis introitum Sanctorum pandit, quasi per nouum compendium initium sibi finem coniunctum habeat. Vt meritò dicat D August. lib 9. de ciuit. c.15. *Beatus, ac beatificus Deus, particeps humilitatis nostræ compendium præbuit participandæ diuinitatis suæ.* Quisquis in vijs compendia captas, Christum ama, qui salutis viam tibi in compendio præstauit. Sed scire cupis, in quo situm sit compendium istud. Equidem præclarè August. ait. *Particeps humilitatis nostræ compendium præbuit.* Compendium habet qui humilitatis Christianæ sumit documentum singulare. Quot opera fecerat Pharisæus ille apud Luc. cap.18. Quas virtutum vias non presserat? Ieiunia peregerat bis in Sabbato, decimas soluerat & alia plura; publicanus homo verbulum solum fecerat, dicens: *Domine propitius esto mihi peccatori*, & iustificationis viam inuenit descendens iustificatus præ illo. O præclarum humilitatis compendium! Id ponderat D. Chrysost. hom.4 in Isaiam dicens. *Pharisæus opera iustitiæ præstabat, publicanus verba dicebat modestiæ: & verba plus potuerunt, quam facta, tantusque thesaurus cum contumelia reijcitur, & tanta inopia in diuitias commutata est.*

4. Reg.4. Hieros. Irenæus. 4 Reg.5. Tertull. Hebr.10. August. Chrysost.

Disce

Disce humilitatem, & salutis compendium habes. & vel verbulo humili cœleste ad te trahes thesauros. Dignè stu- Cellens. per Saluatoris ingenium Cellensis Abb. lib. de Panibus, c. 12. quod in lacryma humili fecerit adeò compendiosum lauacrum, quo non septies, sed vel semel lauari salutem adipiscamur. *Mirum, ait, in hoc artificis Dei ingenium, vt lacryma de vena erumpens peccatorum, profusa humiliter absorberet omne peccatum.* Non de mari, sed de peluis, vel de oculi gutta ad animorum munditiem fecit lauacrum compen- Chrysost. diatum. Et quam compendiatum? D. Chrysost. homil. de cœco nato, ait. *Peccasti? Luxisti? Peccatum soluisti.* Hoc compendium sciuerat illa in ciuitate peccatrix, dum stans re- Chrysost. tro lacrymis cœpit rigare Christi pedes De illa idē Chrysost. orat. 2. de Prec. vbi sic. *Mulier quæ intemperantia, & meretricio quæstu, omnem anteactæ vitæ cursum confecerat, simul atque ... Christi pedes abiecit, salutem consecuta est.* Adeò compendiosa est via salutis quæ per humiles lacrymas fit Christianis.

§ XV.

In paruis priùs exercendus est qui velit facilè magna superare.

NOnne vides qualiter Dominus antequam è cruce pretioso sanguinis sui lauacro integrum hominem aggrediatur mundare, aquam in pelui accipit, vt Discipulorum pedes lauet? Sic, sic se præparat, & exercet in paruis, Hebr. 2. vt facili negotio existat victor in magnis. Paul. ad Hebr. 2. iuxta D. Thom. & Glossæ constructionem, sic de Iesu dicit. *Eum qui modico quam Angeli minoratus est, vt gratia Dei gustaret pro omnibus mortem: videmus Iesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum.* Ecce tibi de morte triumphaturus, non prius aggreditur humiliationem mortis, quam sese antea in aliis humiliet, & minoret. Summam Dei humiliationem & abiectionem mors habebat, quam vt facilem, & breuem redderet Dominus, priùs alias subiuit humiliationes, se ad pedes Discipulorum abiiciens, eósque Anselm. aqua lauans. Id quod notauit D. Anselmus, cùm ait: *Dico quia minoratus est, & hoc ideo vt gustaret mortem, id est, horariam, & non longam, quasi aliquid gustando transiret.* Si enim quæreres, cur Deus minoratus sit vsque ad Discipulorum pedes? vsque ad peluim? vsque ad sordium lauacra? Verè respondet Anselmus, quòd illæ humiliationes factæ sunt ideo, vt breuior, & facilior redderetur penè incredibilis mortis humiliatio. Animus enim in paruis exercitatus, facili negotio superat magna. Quot item descensibus, & condescensibus, se exercitauit Dei verbum antequam hominem assumpturus descenderit? Quippe tunc verbum summè descendit, quando homo inter homines apparuit. Quod verè Chrysost. notat D. Chrysostomus, oratione in B. Philogon. aiens: *Quod Christus homo natus mortuus est, cum nullum omninò peccatum perpetrasset, quid huic amplius adiungi potuit miraculi? Sed mortale corpus assumpsit. Erat quidem & hoc admirandum. Cæterum quod Deus cum esset, voluerit homo fieri, tantumque sese dimittere sustinuerit, quantum ne cogitatione quidem complecti queas, hoc est omnium maximè reuerendum, stuporisque plenum.* Summa Dei exinanitio, profundissimus descensus, quòd homo ad homines descenderet, quocirca pluribus antè descensibus Exod. 3. minoris notæ se voluit exercere. Exod. 3. ait: *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audiui propter duritiam eorum qui præsunt operibus, & sciens dolorem eius, descendi vt liberarem eum.* Cur Domine descendis? An non posses liberare populum tuum manens in excelsis cœlorum? An quia descendis, facilius vincens tyrannum? Equidem ex tunc descendit Verbum liberare populum, vt his minoris notæ descensibus se assuescat, & exerceat ad maximum illum, quando homo inter homines apparebit, præbens hu- Iren. manis infirmitatibus remedium. Ita D. Iren. lib. 4. cap. 26. vbi dicit. *Vidit vexationem populi sui, qui est in Ægypto, & descendit vt erueret eos, ab ... assuetus verbum Dei ascendere, & descendere, propter salutem eorum qui malè haberent.* Planè potens est in paruis exercitatio, vt te facili negotio deducat ad magna. Quod in virtutum vitiis contrariis adhuc euidentius patet, vbi enim quis non cauit parua, sed in illis exercetur, inauditum erit, si non se videat statim fœdari magnis. Nefarius ille iudex Pilatus enixè curauit Iesum a nece per Iudæos procurata liberare: quod vt obtineret, permisit Iudæos aliquibus illusionibus in Iesum deseuire, ratus illos his paruis illusionibus contentos non vsque ad mortem sæuituros. Proh nefas! Proh crudelis permissio! Necessum enim erat, quòd mens assueta, imò inescata paruis vsque ad mortem esset sæuitura. Accipite D. Leonem serm. 10. de Pass. fantem. *Ideò Pilatus Dominum Ie-* Leo. *sum diuersis contumeliis affici aut iussit, aut permisit; vt satiata iniquitas de innocentis iniuriis vlterius non sæuiret. Sed pertinax malitia propriis crescebat augmentis, & in quem obtinuerat ille illusiones, exigebat & mortem.* Crescit semper ex vsu humanus affectus, & ægre, & difficulter sistit in paruis, vbi ad magna ascendere sese offert occasio. Missis in caminum pueris ligatis, Dan. 3. permisit Deus igni voraci, vt sola consu- Daniel. 3. Chrysost. meret ligamina. Tum pulcrè Chrysost. *Pueri ergo iactantur in flammam, ibat circa innocuos pedes nouo libramine temperatus artifex ignis, & tam circumuolans passos, sola consumere vincula laborauit.* Quippe quòd vorax flammarum vis contenta fit sola consumere vincula, nec vlteriùs progredi, hic opus, hic labor est. Laborauit ignis, & summo labore suo, ligaminibus solis consumptis stetit. Quando, vt dixi, potentissima est exercitatio in paruis siue virtutum, siue vitiorum, vt tandem deducat ad magna.

§. XVI.

Mirum diuini amoris artificium, quo nefarium carnificum scelus in sacrificium & lauacrum generis humani mutauit.

AIebat D. Ambros. Psal. 48. quod *Dominus Discipulis pedes* Ambros. *lauit, vt lauaret venena serpentis*, & quidem illud hæc lotio significabat, nempe sacrificium, seu lauacrum sanguinis, quo genus humanum a primæuo veneno mundauit. Vnde ergo hoc lauacrum Dominus effecit? an ex nefario proditoris & carnificum scelere? Sanè id notabat Rupert. Rupert. *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, ideirco pedes Discipulorum lauit.* Expendo vnde lauacrum hominum perficiatur, nimirum ex eo, quòd omnia dedit Pater in manus Christo Domino, sed quæ omnia? Ea exponit D. Greg. homil. 40. Gregor. *Sciebat, quia omnia dedit ei Pater in manus, inter quæ omnia, & ipsum traditorem, & eos, quibus tradendus erat, vt de his omnibus quæ vellet, faceret, malumque totum sua potentia conuerteret in bonum.* Miror, quòd nefariam adeò, & cœlestem materiem accipiens Saluator in manus, ex illa tantorum bonorum fontem fabricaret; sed ea est ars & potentia amantis animi, diligebat, & vehementer diligebat suos Saluator. Quid non faceret actiuissimus amor? da ei in manus sacrilegia, efficiet sacrificia, da pœnas, educet glorias, da proditorem, carnifices, opprobria, crucem, faciet lauacrum totius generis humani. O ingens amoris efficacia! O inauditum artificium! Pulchrè de illa fortissima Iudith fatus Pe- Damian. trus Damianus lib. 8. epist. 14. dixit, *de domo communi reclusorium fecerat, & in populosa vrbe amor artifex solitudinem reperit.* Vbi in vastissimis eremis, in præruptis montium vix aliqui solitudinem inueniunt, amor diuinus ardens in fœminæ pectore, populosam vrbem & frequentem accipit, & in illa solitudinem facit. Quid non potest amor artifex? Hæsitans Luc. 2. Virgo Maria dixit Angelo Luc. 2. *quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Quòd fœmina circundet virum, quod Ildephons. virgo concipiat Deum quomodo fiet? Ad hæc D. Ildeph. serm. 7. de Assumptione paucis respondet, *ama & peperisti,* nil impossibile est amanti, ardeat in te Dei amor, qui ea est arte, qua faciat Virginem matrem, creaturam creatoris opificem. Igitur vnus Dei in homines artifex amor, scelestam & sacrilegam materiam accepit in manus, & lauacrum & sacrificium fecit, quod esset generis humani expiatio. Sic de illa Iepthe filia, quæ honestatis amore parricidali Iudic. 11. Ambros. cultro guttur obtulit Iudic. 11. loquens Ambros. 3. officior. cap. 12. ait, *fecit arbitratu spontaneo, vt quod erat impietatis fortuito, fieret pietatis sacrificium* Hæc est vis & potestas amantis animi, hæc fuit diuini amoris erga homines ars, & artificium singulare, quod impietatis materiam fecit esse pietatis sacrificium, & lauacrum labis humanæ, adeò vt qui antea sub durissima peccati seruitute putrescebant, iam post Christi Domini lotionem in mundissima Christiferi Cæs. Arel. corporis membra coalescant. Quod miratus D. Cæsarius Arelat. homil. 7. sic negantes Eucharisticam transmutationem coarguit, *Nec dubitet quisquam primarias creaturas nutu potentiæ, præsentia maiestatis in Dominici corporis transire posse naturam, cum ipsum hominem videat artificio cœlestis misericordia Christi corpus effectum* Vbi amoris cœlestis artificium accedit, nulla est impossibilis transmutatio. mutabuntur panes in Deificam substantiam, vt nefaria scelera in sacrificia expiatoria mutantur, & meretricum membra in nitidissimum Christi corpus transformantur.

§. XVII.

Bona à Deo data nobis, iure petunt a nobis proximis dari.

ADhuc expendo Ruperti ponderationem, nimirum, *Quia omnia dedit ei Pater in manus, idcirco pedes discipulorum lauit.* Quasi diceret iuxta Chrysost. homil. 69. & Orig. tom.32. in Ioan. quia salutem, & munditiem generis humani dedit ei Pater in manus, idcirco communicaturus illam, discipulorum pedes lauit. Pro quo ex Theologorum penu notabis, in Christo Domino multa bona esse illi prorsus debita, ex vi enim vnionis hypostaticæ debebatur homini illi cumulus gratiarum, virtutum, & scientiarum quem habuit; insuper debebatur illi visio beata cum omnibus gloriæ dotibus; prætereà imperium rerum creatarum, & alia huiusmodi. Verum mundicies, & salus generis humani non debebatur Christo præcisè ex vi vnionis hypostaticæ. Sed ibi claruit Dei donum, & liberalitas acceptantis condignissima, & pretiosissima Christi merita pro debito generis humani. Igitur Christo homini Deifico dedit Deus gratiosè salutem, & munditiem hominum: siquidem eius merita gratiose pro hominibus acceptauit, quapropter ipse statim illam nititur hominibus communicare, eorum pedes lauando aqua, & animas pretioso sanguine. Habent enim hoc bona quæ dantur a Deo, quod exigant ipsa, & proximis communicari, & dari. Hinc vrget D.Hilar. illud
Matth.5. Matth. 5. *Beati pauperes spiritu*, expendens, quod beatitudo pauperibus spiritu promittatur, pauperibus, inquam, spiritu, qui nihil suum se habere putent, qui omnia Deo referant accepta. Cur his gaudet hominibus Deus? Id Hilarius: *Quia conscij, sibi ex sordentibus, ac tenuissimis se principijs coalitos in hanc formam perfecti corporis procreari, nihil quicquam suum esse, nihil proprium; sed cuncta dono parentis vnius tribui. Et nos optimi illius, qui nobis fit ista largitus exemplo perfunctæ in nos bonitatis esse æmulos oportere, vt boni omnibus simus, communia omnia omnibus existimemus.* Sanè vbi quis se ita componit, vt pro certo habeat, nihil sibi proprium habere, nulla esse bona sua; sed cuncta sibi ab vno parente Deo in manus data, nescio quomodo possit non largus esse, & liberalis cum proximis. Qui nihil videt in domo sua, sine in manibus suis, quod non sit donum diuinum à Deo datum, quomodo, & ipse non dabit? Data omnia bona, & dona accepta vbicumque fuerint id semper exposcent, quod donentur, quod tribuantur, & quantumuis surdescat qui habet, tamen iure ipso in elargitionem excitabitur. Huc spectant verba diuitem in eleemosynam exhortantia apud D.
Anton. Anton. in Mellisa, cap.7. ea sunt, *Quid, cum pauperes aliquid à te petunt indignaris, paterna requirunt, non tua. Tibi in manus propter illos tradita sunt, non tecum procreata.* Etenim dum nihil tuum noueris, dum quæcumque habes tibi sunt data ipsa, ipsa clamant, & exposcunt iure, similiter à te proximis dari, & communicari. Alioquin nimia esset Origenis audacia, qua homil.6. in Isaiam ita loquitur, *Quis me mundat? Quis lauat pedes meos? Iesu veni, sordidos habeo pedes, propter me fiat seruus, mitte aquam in peluim tuam, veni, & laua pedes meos.* Proh Deus immortalis! Vnde Origeni pauperi homini hæc imperiosa in Iesum exactio? Sanè, dum munditiem petit, paterna bona requirit, non debita Christo Domino, vt explicaui, illi tamen in manus tradita à Patre, non innata, data, non debita, quare hoc est donorum proprium, quod iure suo exigant donari, & dari. Quocirca apud Matth.10. ait Dominus, *gratis accepistis, gratis date.* Solent enim quæ gratis accipiuntur, largè, & copiosè dari.

§. XVIII.

Qui gubernandi munus subeunt, nouerint subditorum sordes portare, vt Christus portauit.

PRælatorum officium spectauitne sanctus Iob, cap. 20. cum ait, *Gigantes gemunt sub aquis?* Equidem tunc muneri suo satisfacit qui Gigas est, qui cæteros dignitate, & imperio excedit quando gemit, & laborat sub aquis: subditorum sordes ipse reportans. Huc refero duodecim illos æneos boues in templo Salomonis æneum mare humeris sustentantes, quo lauabantur Sacerdotes, de quibus sic D.
Nilus. Nilus in Ascetico, *Boues sub pelui declarant eos qui subeunt onus Rectorum, nihil respuere, aut auersari debere: sed & onera, & sordes inferiorum proferre, quoad fine periculo fieri posset.* O quam Gigas ille diuinus qui exultauit ad currendam viam suam, laborat gemens sub aquis, quandoquidem, & Gigas factus, & vitulus nouellus peluim sustentaret & linteum, quod hominum portat sordes, & peccata. Nec mirum, quod sustentet peluim sordenti squalore plenam, qui visus aliquando fuit, sustentare scalam ascendentibus, & descendentibus hominibus grauitantem. Id accidit Genes. 28. quando Iacob adhibito lapidi vidit hærere scalam, & cacumen illius, Genes.28.
tangens cælum: Angelos quoque ascendentes, & descendentes per eam. Dixi lapidi hærere scalam, vt D.Anselmi menti locum darem, qui explicans illud Luc. 3. factum est, cùm Anselm.
baptizaretur omnis populus, sic ait, *Lapis capiti suppositus, & velut fundamentum scalæ factus Christus est, qui seipsum humiliauit, vt omnes suos exaltaret, qui sicut fundamentum omnes portat, & per hanc scalam ascendunt, qui proficiunt, & descendunt qui deficiunt.* Quid dignius de tanto Domino posset excogitari? Ipse suis subiicitur, ipse sordentes, & squalentes homines solus portat, non solum eos qui cœlestia scandunt, sed eos qui in ima grauitant, & descendunt in tartara, non solum puluerulentos Apostolos, sed fœtidum, & squalentem Iudam. Nonne omnes portat qui Iudæ proditoris pedes lauans sordes eius portaret? Sed cur reprobati hominis sordes portat, eúmque lauat? Pulchrè Euthym. ait. Euthym.
Simul compungi volens illum qui talia aduersus talem gubernatorem cogitaret. Notanter dixit, aduersus talem gubernatorem; qui scilicet sceleslissimos etiam subditos patienter sustentabat; qui proditorum sordes perferebat, qui non solum ouiculam reducendam ad caules humeris portat; sed etiam hœdos squalentes a morte depascendos sustinet, & pro omnium sordibus lauacrum parat. Quis subditus non compungeretur conspectu gubernatoris talis.

Text. Venit ergo ad Simonem Petrum: & dicit ei Petrus, Domine, tu mihi lauas pedes?

§. XIX.

Christus Dominus dum humilis Discipulorum pedes lauat, summam sui exaltationem ostendit & sublimitatem.

DIgnè æstimauit hanc Domini dignationem Nicephor. lib.1. cap.28. quandoquidem ait, ideo se Saluatorem ad pedes discipulorum deiecisse, *vt simul & nouam submissionis atque humanitatis ostenderit sublimationem.* Nullibi enim sublimior apparuit Dominus quam dum lauaturus pedes, aquas ipse portans se subdidit Apostolis. Etenim eam tunc sublimitatem ostendit, tam nouam, tam miram, vt eam astuperet Petrus, quùm se iuxta Deum humiliatum considerans ait, *Domine tu mihi lauas pedes?* Tu qui alto dominio excellis cunctos, qui volas super Cherubin mihi homuncioni humi reptanti? Siccine paruitati meæ accedit magnitudo tua? O merito nouam Dei hominis sublimationem! de qua sola creditur gloriata fuisse sapientia incarnata quum inquit Eccl.24. *Quasi palma exaltata sum in Cades, & quasi plan- Eccl.24.
tatio rosæ in Hierico, quasi oliua speciosa in campis, & quasi platanus exaltata sum iuxta aquas.* Non aliam magis optat exaltationem, quàm illam qua pollet platanus apposita aquis, hanc vt ponderat, & expendit D.Anselm. ait, *Cùm platanus Anselm.
per se ipsam sit sublimis & amœna, respectu tamen proximæ inferioris aquæ sublimior apparet, & iucundior.* Hoc quæuis arbor habet, quòd posita iuxta aquas, in illis velut in speculo repræsentata maior venienti & frondosior appareat. Vnde necesse est, quòd platanus, quæ ex se cæteris longè est sublimior & præstantior, vbi iuxta aquas cernitur, incredibilem præseferat magnitudinem & sublimitatem. Ea est incarnata sapientia, in se quidem arbor vitæ in medio paradisi longe vniuersas pulcritudines excedens, at vbi iuxta aquas apparet, mundantes Apostolorum pedes quasi platanus exaltata est iuxta aquas, nouam quandam, & inenarrabilem submissionis sublimitatem præsefert. Iampridem nouerat humilis submissio & paruitas eximias sublimitates & exaltationes præseferre: etenim 1.Reg.16. explosis maioribus filiis Isai à Propheta, restabat adhuc paruulus Dauid, 1.Reg.16.
qui cùm postmodum accederet, ait Dominus ad Samuelem: *Surge, & vnge eum, ipse est enim.* Vbi pulcrè D.Gregor. Gregor.
Quid est, surge, & vnge eum? an tantus erat paruulus, vt sedendo vngi non posset? Sedendo quippe tangere alta non possumus. Magna est virtus, magna celsitudo humilium, si ad eorum summa nec Propheta pertingunt. Humilis dum sis, eam attingis magnitudinem, & sublimitatem, vt quauis alia virtute conspicui & clari, vix tecum valeant comparari. Cunctos excedit humilitas, quæ nescit nisi à magnitudine existere, & procreari. Id quod expendit Remigius Altisiodorensis Remig.

dorensis ad caput primum Sophoniæ, ponderans illud: *Verbum Domini, quod factum est ad Sophoniam filium Chusi filiæ Godoliæ.* Vbi ille sic fatur. *Hic ergo speculator filius Chusi, qui interpretatur humilitas, habebat auum Godoliam, qui dicitur magnitudo Domini, de magnitudine Domini generatur humilitas. Hic talis ac tantus bene dicitur fuisse in diebus Iosiæ Regis sanctissimi, qui interpretatur eleuatio Domini; tempore ergo eleuationis ... filius humilitatis, quia per humilitatem eleuamur ad cælestem ... ationem.* Nunquam humilitas sine eleuatione & celsitudine apparet, vt vel hinc coniicias, quam meritò Petrus Dei ad piscatorum pedes humilitatis tunc primum magnitudinem & sublimitatem fuerint miratus & expauerit. Adeo enim est noua & inaudita magnitudo humilium, vt ad eorum summa nec Prophetæ, nec Apostoli pertingant. Merito vni humilitati attribuit Dauid regalem suam exaltationem & potestatem. Etenim ait 2. Reg. 7. *Ego minimus fui in tribu mea; & elegisti me ex omnibus, & assumpsisti me.* Vbi D. Chrysost. peculiari homil. sic loquitur. *Videtis quanta culmina procedant de radice humilitatis, quam vberem fructum Deo offerat? Inde omnes virtutes, inde omnes bonæ actiones, inde cunctæ potentiæ ascenduni, id est totum posse.* Et quidem humilis animi virtus est in ipsa humiliatione minimè deprimi & quasi obrui, sed supernatare & extolli. Psalm. 136. dicit. *Super flumina Babylonis illic sedimus.* Vbi ponderandum est quod humiliati & captiui sedem fixerint super ipsa flumina, minimè passi obrui. Vnde D. August. ait. *Humiliati in captiuitate nostra, sedeamus super flumina Babylonis, non infra flumina; talis sit humilitas nostra vt nos non demergat. Sede super flumina, noli in flumine, noli sub flumine: sed tamen sede humilis.* Felix qui sic humilis est, vt non se sinat obrui & conculcari.

Textus. Non lauabis mihi pedes in æternum. Respondit ei Iesus, Si non lauero te, non habebis partem mecum.

§. XX.

Qui perfectionis culmen, ad quod vocati sunt, spernunt, qualibet alia mediocritate periclitabuntur.

ECce qua culpa obstrictos despicit Dominus discipulos illos alioquin sibi dilectissimos à se inter millia electos, nimirum si pedum hanc lotionem non admittant, an quia alioquin erant mortiferis infecti peccatis? Absit immò præter Iudam omnes gratiosi erant Deo & valde amici. Sed hoc sibi persuadeant quicumque Dei aguntur spiritu, quod nisi integram suæ vocationis essentialis mensuram adimpleant,
Matth. 5. *ad nihilum valent vltra; nisi vt mittantur foras.* Huc refero D.
Basil. Basil. in Regul. breu. responsione 232. ita fantem. *Petrus cum et talium ac tantorum rectè factorum testimonia à Domino fuisset datum, atque eo modo appellatus & beatus laudatus, vbi vna tantum in re ab obedientia visus est discere, atque hoc ipsum non ex negligentia superbiave; sed ex reuerentia honoréque erga Dominum suum, propter hoc ipsum tantum ei dicitur, Si non lauero te, non habebis partem mecum.* Quascumque virtutes habeas, etiam si beata videaris candidatus vita, dum deficis à vocationis essentialis mensura, despicieris à Deo vt prorsus sibi
Ioan. 4. inutilis. Sanè apud Ioan. cap. 4. dicitur, *erat quidam regulus,* vbi in huius capite deflens D. Ansel. exclusionem a paradiso generis humani sic ponderat nomen illud *regulus: Homo in eo quod amisit, rex esse desiit; in eo autem quod præ cæteris animalibus sibi relictum est quasi regulus videtur. Idcirco nomen illius Spiritus sancto vilueras, quia peccator erat, quia infirmus, quia regulus.* Expendo vnde vilnerat Deo, quia regulus, quippe cum a Deo fuerat creatus in Regem vbi Regalem non adimplet thronum, etsi alioquin nobilis, etsi Princeps maneat, tamen ex hoc capite meritò dignus est qui à paradiso arceatur. Lamentabilis excidij sui tunc dedit manifestum
Iudic. 16. signum fortissimus ille Samson, cum Amasiæ inquit Iud. 16. *Si septem crines capitis mei cum licio plexueris,* &c. Enimuero illi virtus & fortitudo diuina inerat alligata integris sui capitis crinibus quod secretum ipse celans septem solum capillos scindi permittit, quasi paruipendens septem capillos respectu totius integræ comæ. Ad hæc tamen egregiè
Ioachim. Abbas Ioachimus 1. p. expos. in Apoc. ait, *agere iam fortiter vt primo & secundo non poterit, quia veluti cæsis crinibus ex parte illi spiritus, & non ex toto assistit.* Etenim vbi integram totius obsequij mensuram non seruat, timeat sibi partem cum Deo non habiturum qui firmiter ex parte nequit assistere. Melioris conditionis erat illa cui Cant. dicitur. *Vulnerasti ... vno crine colli tui,* nimirum in integra crinium tuorum dedicatione. Vbi Guillielmus apud Delrium. Guillelm.
Plusquam Samson hæc; nam septem illis crinibus nouaculam Dalilæ non timuit. Equidem timuisset, si vel à mensura vocationis vno transuerso crine defecisset. Huc retulerim pulcrum Isaiæ locum cap. 18. vbi sic. *Ite Angeli veloces ad gentem* Isai. 18.
expectantem & conculcatam. Sept. *ad gentem sine spe & conculcatam.* Forerius, & Arias Mont. *gentem lineæ lineæ, & conculcationis.* Sed quæ est hæc gens lineæ lineæ, quæ tandem exponitur conculcationi? Vidi aliquando opificem pulcris ex lapidibus templi coronidem ædificâtem, qui cæteris ad amussim & perpendiculum locatis, desiderat adhuc certæ & determinatæ mensuræ lapidem. In officinam pergit, respicit singulos qui poliuntur lapides, inter quos lapis vnus apparet affabrè politus, & qui videtur optatam mensuram attingere. Hunc conuenit artifex, & in coronidem signat lætus quod inuenisset, verùm attentè immissa regula inuenitur minus habens, sed adeò paruus est defectus, vt non desperet artifex se lapidem habere, quare illum huc illùcque vertês, & conuertens bis & ter lineam applicat, semper paruulus ille defectus deprehenditur. Proh dolor! cogitur artifex illû relinquere, relinquit, inspicit alios, singulos lustrat, inter quos iterum prospicit, quem reliquerat, iterum eius visu capitur, iterum defectus paruitate delusus accedit, & regulam & perpendiculum mille modis applicat. Tandem desperans alium expoliens hunc toties examinatum, & ad regulam deductum dimittit ante ædificij ostium conculcandum. O gentem lineæ lineæ, & conculcâtionis, quæ nimirum ita expolita est, & pulcris flexuris cœlata, vt diuino artifici amabilis & grata, ab eo in cœlestis ædificij coronidem eligatur, cui non semel, sed bis, & ter regula & perpendiculum additur, cuius mensura sæpè sæpiùs lustrata, tandem vt quæ minus habeat conculcationi relicta. O quoties pulcherrimos lapides ob paruum defectum à coronide exclusos ad nihilum valent vltra; nisi vt foras relicti omnium conculcationi subiaceant! O quoties propter paruissimos defectus ij qui vocati erant in caput anguli ab artifice despiciuntur! O quoties qui mille circinos experti erant, mille flexuras sustinuerant, millies artifici placuerant ad lineam & regulam perspecti, ob paruum defectum conculcandi manent! Sed vt plenius explicem quam parui defectus maximè officiant ad perfectionem vocatis; accipite quod de se narrat D. Pauli discipulus familiaris Hermas, & habetur 5. tomo Bi- Hermas.
blioth. nouitiæ prima in pagina. Qui enutrierat me, ait, *vendidit quandam puellam Romæ; post multos autem annos hanc visam ego recognoui, & cœpi eam diligere vt sororem. Exacto autem tempore aliquo lauari eam in flumine Tyberi vidi, & porrexi ei manum, & eduxi eam è flumine, visâque ea cogitabam intra me dicens: Felix essem, si talem vxorem & specie & moribus sortitus essem. Hoc solum nec vltra quicquam cogitaui. Post tempus autem aliquod cum his cogitationibus proficiscent, honorificabam creaturam Dei, cogitans quàm magnifica & pulcra sit: & dum ambulassem obdormiui. Et spiritus me rapuit, & tulit me per quemdam locum ad dexteram, per quem non poterat homo iter facere; erat autem locus ille in rupibus, & abruptus & inuius ab aquis: cúmque transissem locum illum, veni ad planiciem, & genibus positis cœpi orare Dominum & confiteri peccata mea. Et orante me apertum est cœlum, & video mulierem quam concupiueram salutantem me de cœlo, & dicentem, Herma, aue; & ego prospiciens illam dico ei, Domina, quid tu hîc facis? At illa, recepta sum huc, vt peccata tua arguam apud Dominum; Domina, inquam, num tu me argues? Audi, inquit illa, quæ tibi dictura sum, Deus qui in cœlis habitat irascitur tibi, quoniam peccasti in me. Respondent ilico ei, Domina si in te ego peccaui, vbi, aut quo loco, quando tibi turpe aliquod verbum locutus sum? Nonne semper te reueritus sum velut sororem? Quid in me comminisceris hæc nefanda? Tunc illa: In corde tuo ascendit concupiscentia nequitiæ. An non videtur tibi viro iusto iniquam rem esse, si ascenderit in côrde illius mala concupiscentia? Peccatum ei est & quidem grande. Iustus enim vir iusta cogitat. Et ego totus eram in mærore & metu, & dicebam intra me: Si hoc mihi peccatum adscribitur, quomodo potero saluus esse?* Hæc magni Pauli discipulus Hermas.

Text. Dixit ei Simon Petrus, Domine, non tantum pedes, sed & manus & caput.

§. XXI.

Malè apud Deum accipiuntur qui diuisim & per partes obsequium suum præstant.

EXpendens Glossa hoc à D. Petro obsequium Deo exhibitum, dum ait, non tantum pedes; sed & manus & caput,

put, existimat hic Petrum lapsum fuisse. *Errauit, inquit, quum se totum lauandum Deo obtulit*, sed quo errauit? An quia se diuisim & per partes quasi mensurans & enumerans obsequium oblatus est? Equidem minime Deo placent illi qui sic dimensum & enumeratum partitúmque munus præstát.

Rupert. Etenim si Ruperto credimus, Caini munus oblatum æquè pulcrum æquè bonum fuit in substantia, ac munus Abelis fratris; nihilominus Caini munus à Deo fuit reprobatum.

Genes. 4. Accipite causam ex cap. 4. Genes. iuxta lectionem Græcam quæ inuenitur apud Hier. in lib. trad. Hebr. Ambr. Chrysost. & August. *Dixit Dominus ad Cain, Quare concidit vultus tuus? Nonne si rectè offeras, non recte autem diuidas, peccasti?* Ecce munus oblatum bonum & rectum ex diuisione & partitione taxatur. Plurimi enim sunt adeò auari datores, vt si aliquando animum adducant, vt vel nummos dent, vel donariolum aliud, non valeant præ paruitate animi semel & simul totum dare, sed diuisum & per partes singulas enumerando & ponderando munera donant. Hi sanè ipsis suis donis offendunt accipientes homines, cur non offendant Deum? Hinc pensare licet reprobatam orationem & oblationem Pharisæi illius Luc. 18. Is stans in templo Deo gratias agens singula sua opera rectè facta incipit numerare & percensere: è contra quidem Publicanus illo sanctior humi stratus sese Deo accusans misericordiam obtenturus postulabat.

Luc. 18.

Zeno. Pulcre de vtroque D. Zeno in Psalm. 129. *Pharisæus insulse manus tendit in cœlum, oculos impudenter extollit, insonat lingua, & quod omni est maius insania Deo se laudat. Publicanus autem non membratim Deum, sed totus exorat, quia t mors totus est humilis, à quo procedunt vniuersa genera peccatorum pectus crebro percutiens, quodammodo cor suum manu verecunde castigat.* Expendo illud, non membratim Deum, sed totus exorat, quasi auaram & parcam illorum mentem condemnans, qui nisi per partes diuisim & moroso censu non se offerunt. His similem faciebat D. Hilarius Synagogam, qui expendens illud Matth. 5. *Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio*, inquit, *Synagogam rectè Dominus modio comparat, quæ susceptos fructus intra se tantum receptos certum modum dimensæ obseruantiæ continebat.* O quam errat qui sic diuisis mensuratis, partitísque obsequiis Deo nititur placere! Ille placet qui non membratim, non dimenso & enumerato munere; sed simul integre & totus sese offert. Ex quo crediderim placuisse Domino alienigenam leprosum, qui ob redditam sibi sanitatem gratias agebat. De quo Luc. cap. 17. *Vnus autem ex illis vt vidit quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum.* Vbi D. Anselm. expendit verbum illud, *vnus ex illis*, quasi minime diuisus, minime se partiens, *quod dicitur*, ait, *vnus, intelligendum est, non diuersis voluntatibus se variàns, sed in vna perdurans.* Ac si dicat, non membratim, non diuisim, sed vnus integer & totus, vt hilarem decet datorem, sese præsentat Deo.

Matth. 5.

Anselm.

§. XXII.

In primis dandum est Deo cor.

RVrsus voco in examen Glossam illam asserentem, quod *Petrus errauit cùm se totum lauandum Deo obtulit*. Qui fuit error Petri? Sane dum ait, non solum pedes, sed & manus, & caput, de corde tacet, quod aliis dimissis debebat in primis Deo offerre. Post reprobatum munus contristato Caino loquitur Dominus Genes. 3. dicens iuxta Sept. *Nonne si recte offeras, non rectè autem diuidas, peccasti?* Hæc tota radix peccati in oblatione notati, non quod non bona & pinguia Deóque digna obtulerit, sed quod male diuiserit dum bona sua Deo offerens, de corde tacet illud sibi reseruans. Ita Rupert. lib. 4. in Genes. cap. 2. ait. *Cum Deo offerret sua, seipsum sibi retinebat. Huiusmodi portionem Deus non accipit, sed præbe, inquit, fili cor tuum mihi. At ille cor suum retinuit sibi, & fructus terræ Deo obtulit.* Erras quicumque alia Deo offers, & de corde taces, quo solo posses Deum placare. Ligne Anselmus in meditat. ad Deum loquitur. *Aufer Domine à me si velis substantiam, manus, pedes, oculos, solum relinque cor, quo te diligam: hoc enim solo tibi placebo.* Vbi cor Deo non dederis, parum est si te membratim findas propter illum, nil das etsi offeras pedes, manus, oculos & caput. Non his capitur Dei filius, qui mundissimi cordis spatia amat. Verba sunt æterni patris ista Psalm. 44. *Eructauit cor meum verbum bonum.* Et quod verbum eructatur à corde Patris nisi Verbum quod erat in principio, & Verbum apud Deum? Diuinum equidem Verbum vt à corde patris producitur, sic amat humana corda, sic nequit viuere extra corda. Vnde D. Paschas. ibi sic loquitur. *Necesse est quod de corde resulsit, vt ibi eum suscipiat sponsa. Quia quod de corde procedit, non nisi corde tenetur vel capitur.* Hoc in primis Deo præbe quisquis Deo placere cupis, capitur ille corde, & corde trahitur, quando verè cor mundum habes.

Text. Dicit ei Iesus, Qui lotus est, non indiget, nisi vt lauet pedes, sed est mundus totus.

§. XXIII.

Sanctissimi viri huc referant cœlestis gratiæ irrorationem, vt suam vilitatem cognoscant.

ECce Deum suos amantem adeò, vt eorum pedes lauet, sic summam Dei in discipulos dilectionem cum lotione pedum coniungit Euthymius. *Quia iam eos erat relicturus dilectionem intendit; signum verò intentionis fuit lotio pedum illorum; nam qui aliquam feruenter amat, nec extremum quidem eius ministerium deuitat.* Ardens in pectore Domini suorum amor, hanc per aquam eduxit lotionem, non enim aquæ multæ extinguunt charitatem, immo vehementius charitas dum ardet cum aquis, simul ad suorum currit profectum. Sed cur solum ad pedes? Sane floridissimæ plantæ hoc petunt, vt per pedes accipiant irrigationes: sic Sancti viri qui virtutum & gratiæ odore pollent & flore, huc referunt cœlestes omnes irrigationes, vt sordidos pedes, nimirum propriæ vilitatis puluerea extrema habeant præ oculis. Haud fallar, si pulcherrima Chrysol. verba iuxta hunc sensum expendam. Etenim dixerat Dominus Luc. 12. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur? sed & baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor donec perficiatur.* Ecce tibi Deus simul incendens amoris igne & baptizans humanam naturam. Quid plura? Chrysol. serm. 164. id expendit. *Vrget aqua ignem: cogitanda est talis tam diuisa coniunctio, vrget vnda flammam: multiplicat flamma vndam. Quæ est talis tam concors ista discordia? Geritur hic agricolæ diuini species; plena omnia calore germinant, humore nutriuntur. Vnde parens Deus ignis, & aquæ commercio nos germinat, nos enutrit, quo ii tanto ardet, tales, exæstuat affectu.* Numquam sane tam proceræ, tam sublimes, tam pulcræ, tam floridæ, tam odoriferæ plantæ in Ecclesia fierent, sine isto aquæ, & ignis commercio, sine ignescente Dei in homines amore, & ab illo profluente gratiarum irrigatione. Sed ponderandum illud quod in hoc geritur agricolæ diuini species, non enim fit sine scientia agriculturæ, quæ cauet, ne odoriferæ herbæ, floridæ plantæ pulcrescenti coma recipiant irrorationem aquarum, alioqui æstu caloris marcescerēt; sed ad huiusmodi pedes fit vtilis & fœcūdata rigatio qua mirifice nutriuntur & florent. Numquā coma odorifera plantæ aquis aspersa sustinet sine offensione vim æstus, nec vir iustus cœlesti irroratur aspergine sine ruinæ metu, nisi quādo de agriculturæ lege, gratiarum fluentum reducit pulverulentos suæ fragilitatis pedes. O quam necessaria & vtilis viro iusto quæ per pedes fit rigatio! Deduc per luteos pedes fluenta gratiarum, & floridus, & aureus esto. Equidem Iob 28. dictum est, *glebæ illius aurum*, quod premens D. Paschas. lib. 4. in Threnos, ait. *Glebæ ex humore, & puluere construuntur. Omnes ergo qui rore gratiæ infusi ex mortis debito se pulverem esse veraci cognitione confitentur, dum vitæ virtutibus clarescunt quasi aureæ glebæ in Ecclesia renitescunt.* Ecce quid faciat ros gratiæ iāctus pulverulenti finis cogitationi, aspersus per luteos pedes, facit sane quod Ecclesiæ sata aureis fructibus renitescant, quod humiles myricæ, Hesperidum paradisos aureis frondibus antecellant. Huc deducant cœlestes irrorationes quicūque iustitiæ nitore florescunt, hoc nempe ad luteos pedes respiciant, si tuti & gloriosi vitæ cursum conficere velint. Isaias post ingentem illam visionem gloriæ, hæc intra se ruminabat cap. 6. *Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labijs ego sum.* Vbi Chrysost. *Visio hæc vt vilitatem propriæ materiæ agnosceret, effecit. Etenim tales sunt sancti omnes, si quando quopiam cumulatiore potiuntur honore, tunc demissius se deprimunt.* Papæ! discipulis suis aiebat Dominus Matth. 5. *Vos estis sal terræ.* Simul illos ad orbis magisterium extollens, & eis testaceos pedes ostendēs, vt de pedum puluere aureum caput discant sustinere. Vbi D. Hilarius ait. *Ideo eos sal terræ nuncupatos monet traditæ sibi potestatis virtute persistere.* Quasi Apostolicarum virtutum firmitudo in eo sit sita, quod prę oculis habeatur vilitas humanę terrę. Psal. 103. dicitur. *Emittit fontes in conuallibus.* Ecce qua diuinæ irrigationes dirigantur, nimirum per cōualles, non per cacumina

Euthym.

Luc. 12.

Chrysol.

Iob 28.
Paschas.

Matth. 5.
D. Hilar.
Psal. 103.

montium,

montium, non per altrinsecus viridantes arborum comas. Ita D. August meditatur. *Audi prophetam. super quem requiescit spiritus meus nisi super humilem & quietum & trementem verba mea? Quid est, super quem requiescit spiritus meus? Super humilem & quietum. Quis habebit fontem meum? Conuallis.* Itaque cœlestis rigatio per deiectam fragilitatis humum transeat, vt ex illa profectum capiat. August. Isai. 66.

Text. Postquam verò lauit pedes eorum, accepit vestimenta sua, & cùm recubuisset, iterum dicit eis, Scitis quid fecerim vobis.

§. XXIV.

Humilitas mentem illuminat.

HVmilitatem docti discipoli post pedum ablutionem deliute interrogâtur an sciant quod factum est? Parens enim est sapientiæ humilitas, & humanarum mentium illuminatrix, sicut è contra nullo magis hebescit mens hominis quam fumo vanitatis. Magnus ille Elias & Seraphinorum & Dei gloriæ spectator, 3. Reg. 19. sic ad Dominum precatur. *Domine prophetas tuos occiderunt, & ego relictus sum solus.* Sanè falsus hic fuit propheta, cum enim Deus sibi reliquerat septem millia virorum qui non curuauerant genua ante Baal, ille se solum nouerat, illos nesciuerat. Quæ rei causa? Vnde tantus videns cæcatur, ne videat tot Myriades sanctorum? Metuo ne illius oculos teneat aliqua elationis nebula, qua hebescere acutissimi solent & excæcari. Petrus Dam. serm. 2. de sancto Vitali, ait. *Propheta erat Elias, & sæpe mysteria superna cognouerat, quid ergo difficile fuit agnoscere in mundo fideles Deo famulos remansisse? Sed hinc solerter intuendum est oculum cordis elatio quam nequiter claudat; quia qui humilis & occulta Dei nouerat, elatus & aperta nesciebat.* Nulla res sic intelligentiam acuit, sic mentem illuminat vt humilitas, pro quo longa alij texuerint commentaria, ego vnicum locum sacri textus prælibabo. Is est ex Num. 24. vbi dicitur. *Dixit auditor sermonum Dei, qui visionem omnipotentis intuitus est, qui cadit & sic aperiuntur oculi eius.* Ecce quo aperiantur oculi collyrio, nimirum humilitatis casu, nondum scientiæ fructus captas, nondum ad diuinitatem vane eleuatis, sed dum cadis, tui aperiuntur oculi vt videas. Cellensis lib. de Panibus cap. 13. inquit. *Visum non recipit, qui non cadit, humilitas in casu, in visu intelligentia. Eius vero qui ita cadit aperiuntur oculi, non quomodo primis hominibus per præuaricationem sed quomodo cæco nato per Christi illuminationem. Serpens oculos aperit ad concupiscendum, Christus ad cognoscendum & glorificandum Deum; serpens aperit vt rapiat, Christus vt eripiat. Procidens itaque ad virtutum vestigia, recipit lumen oculorum.* Iam omnis superbus erit qui cæcutiat, cum in promptu sit humilitas, vnde possint aperiri eius oculi.

§. XXV.

Ad Christianam sapientiam alliciuntur Apostoli, qua nullum periculum timeant.

PEdibus discipulorum lauatis, eos ad Christianam sapientiam alliciens Dominus ait, Scitis quid fecerim vobis? vt iuxta Origenem, *mentem eorum excitet, & res attentione eius cognitionem hauriant & accipiant.* Nec post omnimodam mundiciem melius illos aduersus omnes contrarias potestates posset munire, quam Christiani mysterij cognitione & notitia. Etenim Matth. 16. Petro Dei hominis publicanti notitiam & dicenti. *Tu es Christus filius Dei viui? Respondet Iesus dicens, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Aduersus quam eam? an non præualebunt aduersus Ecclesiam, an aduersus petram quæ est Petrus? D. Chrysost. in Catena ait. *Manifestum est, quia neque aduersus petram, neque aduersus Ecclesiam portæ inferi præualebunt.* Quasi hæc sit præcipua dos illius qui alta Christi est imbutus sapientia, vt nulla illum expugnent tormenta, vt vel inferorum potestates illum vereantur, & venerentur. Accipite pulcram istius rei à Diuo Paulin. Epist. 9. excogitationem, ait enim. *Sapientia ædificauit sibi domum in qua si habitemus his operibus, quibus ciues sanctorum fieri mereamur, non ardebit opus nostrum; & ignis ille sapiens transeuntes nos per examen suum non feruore ardoris ambiet puniendos; sed vt commendatos suscipiens blando lambet tactu.* O inenarrabilem vim Christianæ sapientiæ! quam etiam apud inferos purgatorij ignes verentur, & qui rodendas & cruciandas accipiunt sanctorum animas, illas, quæ Christiana florent sapientia, sibi commendatas accipiunt, non vt mordeant, non vt acuto rodant dente; sed vt blando lambant attactu linguæ. Cur ergo qui sapientiæ Christianæ operam nauat, non melius habebit apud purgatorios ignes quando id speratur pie ab his qui Carmeli habitus gestant insigne? Nil durum, nil non blandum, non suauitate plenum his qui hac Christi præcelluit sapientia. Id quod notauit Rufinus lib. 2. de Benedictionibus Patriar. vbi afferuntur illa Genes. 49. *Aser pinguis panis eius*, pinguis sanè panis & deliciosus fit Christus Dominus, sed quibus? iis, qui alta illius sapiunt mysteria. Ita Rufin. *Illi qui nihil amplius in Christo intelligunt, nisi Christum Iesum hunc crucifixum, edunt quidem & ipsi panem de cœlo, sed aridum, sed exilem: qui vero digni sunt vt eis thesauri sapientiæ & scientiæ reuelentur Christi, sunt, quibus pinguis est panis.* Prospera omnia sunt & plena delicijs viris illis, qui digni sunt vt eis thesauri sapientiæ Christi reuelentur, qui alia Christi Domini decora norunt, qui hominem & Deum & mortuum victorem sapienter speculati sunt. Hi omnia in tuto habent, habent, inquam, Christum panem pinguem dulcedine manantem. Quid tunc? portæ inferi non præualebunt aduersus eos. Antiquissimum namque est, quod portæ inferi vereantur habentem mellitum panem. Lege apud Virgilium libr. 9. Æneid. quo astu Sibylla inferorum portas expugnarit, quippe ad illas excubabat triceps ille canis. Orig. Matth. 16. Chrysost. Paulin. Genes. 49.

Cui vates horrere videns iam colla colubris
Melle soporatam & medicatis frugibus offam
Obijcit: ille fame rabida tria guttura pandens
Corripit obiectam, atque immania terga resoluit
Fusus humi.

Ecce tibi quam infirmæ sunt portæ inferi aduersus eos, quibus suppeditat pinguis & mellitus panis, quibus Christianæ sapientiæ reuelantur thesauri: hos sanè etiam immissos inferorum faucibus non mordebit ignis purgatorius dente rabido, sed velut mellitam offam blando linguæ lambet attactu. Qui enim digni sunt, vt eis thesauri sapientiæ reuelentur Christi, sunt quibus pinguis est panis, quo inferorum potestates soporare valeant. Hinc tribulatus Dauid multisque calamitatibus cinctus, vt pene iam ad inferorum portas staret, iure incipit expostulare, Psalm. 68. *Exaudi me, Domine: quoniam suauis est misericordia tua*, inde petit exaudiri & liberari à malis, quia sibi misericors Deus erat suauis, nimirum quasi pinguis & saporatus panis. Quasi diceret, ait Diuus Augustinus. *Ad hoc subuenire differebas, vt mihi dulce esset quod subueniebas. Iam ergo vltra non est quod differas.* Iam mihi dulcis es panis, iam mihi suauis & saporatus astas, vtpotè cui vexatio dedit intellectum, & sapientiæ reuelauit thesauros, iam non est cur me premant hæc mala qui habeo Deum mellitum & saporatum panem. Igitur diuinissime Christus Dominus discipulos suos post lotionem manducaturos cœlestem panem ad cogitationem & sapientiam diuinorum allicit, inquiens, Scitis quid fecerim vobis? Vt ex sui sapientia, mellito & pinguissimo pane illos aduersus omnia muniret mala. Huc refero pueros illos qui à Babylonia fornace fuerunt liberati. De quibus Daniel cap. 3. *Dedit eis Deus ingenij acumen & prudentiam.* Quæ hæc prudentia? Sane rerum diuinarum scientia. Quod astruens D. Isidor. Pelus. lib. 4. Epist. 139. sic arguit. *Quod autem ita sit, etiam hinc liquet, quod Leonibus, illi autem igni venerationi fuerunt.* Ecce vt mala pueros & Danielem diuina pollentes sapientia venerantur. Psalm. 68. August.

Text. Vos vocatis me Magister, & Domine, & bene dicitis: sum etenim.

§. XXVI.

Perfectus Magister solus est qui Dominus etiam est, vtpotè qui doctrinam Discipulis imprimat; quam non contemnant, & vltra quam ipsi non addant.

ILle perfectus Magister solus est qui potestatem habet discipulorum mentibus doctrinam imprimere, cuius dictis nihil quod addant habent auditores, nec illis imbui non possint. Quare non abs re comparat D. Nilus in Ascet. Discipulum ad verum Magistrum eadem comparatione qua Isaias comparat creaturam ad suum conditorem & verum Dominum. Etenim Ezechiel. 4. ait Dominus, *Fili hominis sume tibi laterem, & pones illum ante faciem tuam. & describes in eo ciuitatem Hierusalem.* Quæ verba premens Nilus ait, Ezech. 4.
quòd Nilus.

quòd illis *declarat opus esse, vt magister ex luto discipulos faciat Dei.* Hic labor, hoc opus magistri veri est, nimirum discipulos efformare, vt templa sint Dei ea potestate & facilitate qua figulus argillam format, vt fit quodlibet vas. Sed quis sic discipulorum mentes valet conuertere & figurare? Isai 45. Equidem hoc vno exprimit Isaias 45. summam Dei in homines dominationem, dicens: *Væ qui contradicit fictori suo testa de samijs terræ! Numquid dicit lutum figulo suo, Quid facis, opus tuum absque manibus est?* lutum & testa est homo conditori suo, domino suo, à quo sine vlla resistentia & contradictione spectat efformari & figurari. Expendo modo sententiam Nili ponentis discipulum in manus magistri. vt lutum, vt testam in manu fictoris & opificis, quasi innuat, quod is sit verè magister qui discipulos tractet vt figulus lutum, vt conditor & Dominus creaturas sibi subditas illis sine resistentia & contradictione imprimens Deificas sapientiæ & doctrinæ figuras. Hinc Tertull. aduersus Gent. edicit quam necessariò sint Christiani sapientes, & innocentiæ disciplinis imbuti. *Nos ergo soli innocentes: quid mirum, si necesse est? Enimvero necesse est, innocentiam à Deo edocti, & perfectè eam nouimus vt à perfecto magistro reuelatam, & fideliter custodimus vt ab incontemptibili dispensatore mandatam.* Suos habuerunt præceptores Ethnici Platones, Aristoteles, Senecas, & alios innumeros qui largis commentariis tractarunt virtutes morales, regulas rectè dirigendæ vitæ. Sed nihil virtutis hæsit eorum discipulis, quorum cum domini non essent, non præualuere magistri. Soli nos veram ebibimus disciplinam, qui sortiti sumus Dominum magistrum, qui nos lutum ita efformauit, vt simus Dei templa absque eo quod testa contradicat fictori suo, nec lutum dicat figulo suo, Quid facis? Vnus perfectus & incontemptibilis magister est Dominus, qui vt cordibus dominatur, sic disciplinas sine resistentia imprimit. nec eius
Origen. præcepta possunt omnino contemnere creaturæ. Vnus Origenes lib 2. contra Celsum, Christi Domini doctrinæ efficaciam in Iuda ponderat, qui in summo crimine adhuc magistri disciplinam non potuit omnino contemnere. *Habuit,* inquit, *Iudas vna cum auaritia prependique Domini mala voluntate admistam in anima sua tam ex Iesu verbis quandam (vt ita loquar) bonitatis speciem; quod ita scriptum est, Iudas proditor videns eum damnatum, pœnitentia ductus est.* &c. *Quòd si auarus ille Iudas furari solitus restituit triginta argenteos, satis apparet disciplinam Christi efficacem in eo fuisse ad mouendam pœnitentiam. quæ non omnino contempta & conculcata proditori fuit: sed & ipsa verba (peccaui tradens sanguinem iusti) confitentis erant. Vide quàm flagrans & vehemens pœnitentia dolor eum corripuerit, vt nec viuere sustinueret amplius ipse sui condemnator & carnifex: ostendunt quantam potuerit Iesu doctrina etiam in peccatore fure & proditore non valeat in totum contemnere quæ à Iesu didicerat.* Hæc Origenes, qui & verè & eleganter facit Dominum magistrum incontempibilem, cuius doctrinæ necessum sit patere, vltra quam aliud
Seneca. addere piaculum est. Hinc Seneca pungit nasutos quosdam censores qui piaculum putabant, si quis præter ea quæ ab antiquis Philosophis tradita erant, aliqua comminiscebatur ex suo. Ait enim 2. lib. epist. 35. *Qui ante nos ista docuerat non Domini nostri, sed duces sunt, patet omnibus veritas, nondum est occupata. Multum ex illa futuris relictum est,* expendo illud, *non Domini* ea est vnius magistri & Domini commendatio, cuius solius doctrinam sic sibi persuadeant discipuli, vt nec plus nec minus euulgare audeant. Vt meritò dicat Salomon Prouerb. 3. *Stultissimus sum omnium hominum, nec prudentia hominis mecum est.* Quem locum sic in
Nazianz rem præsentem exponit Nazianzenus orat. de statu Episc. *Quis sit igitur nunc vir vsque adeò sapiens atque huiusmodi beneficium consequutus stultissimam se dicit? Hoc vult nimirum. propterea nullam prudentiam habere; sed diuina & perfectiori sa-*
Galat. 2. *pientia afflari. Siquidem & Paulus quum aiebat: Viuo ego, non iam ego; viuit autem in me Christus, non vtique de seipso tanquam de mortuo loquebatur; sed tanquam præstantiorem, quam vulgus mortalium soleat, vitam agiate; vtpotè qui vera vitæ, nulloque mortis fine circumscriptæ particeps esset.* Sic magister & Dominus suos potens est figurare discipulos, vt nihil aliud sciant præter Iesum Christum, nihil norint præter ea, quæ à Magistro & Domino sunt tradita.

Textus. Si ergo laui pedes vestros, Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.

§. XXVII.

Efficax est exemplum.

QVotum non trahit corda exemplum? Videris iuuenes medio in ætatis flore, prosiliente adolescentia in gaudia, in voluptates, mundo ad glorias inuitante, vnius senis exemplo ad mortem aduolare & cruciatus. Pulcrè ridet D. Ambros. lib. de Iacob, & vita beata Antiochum crudelissimum Tyrannum, qui vt septem iuuenes Machabæos deterreret, supplicio in primis afficit senem patrem. O stultissimam hominis cogitationem! *insultare,* ait, *licet tyranno, qui eam callidè à sene incipiendam putat, magistrum eligit, quo discipulos faceret fortiores, qui non degeneres tanto duci respondent. Quid contemnis vel circumscribis vt puero? Sed fides cana est, sed valida disciplina, subijce quemuis, iacet sumis ab inueniet corda puerilia.* Nesciebat sacrilegus quantù valeret exemplum, & dum frænare iuuenes præoptaret, malè callidus adhibuit exempli calcaria, & cupiens a religione auertere, senis exemplo proposito in religionem iuuenes stimulauit. O exempli vim maximam, qua breues iuuentutis anni audent in æternitatem! qua aliquo modo quo ad nos moueri Deus ipse gloriatur. Hue retulerim illud Lyppomani in Catena Lyppom. ponderantis, Deum tunc decreuisse filium suum pro mundi salute mactari, quum vidit Abrahamum gladium stringere in Isaacum, sic ille. *Quia Abraham non pepercisti filio tuo propter me, vicissim tibi tradam, Dominus, filium vnigenitum meum propter te, & non parcam ei, vt enim melior sum; sic tibi amoris signum mutuus præstabo.* Quasi recusans Deus vinci ab hominis liberalitate, sic viso Abrahami facinore, quo filium iugularet, ad simile etsi præstantius facinus in executione sese accinxit diuinus Pater. Hinc Clemens Alexand. 1. Cl. Alex. Pæd. cap. 6. moribundum Abelem putat filij Dei pectus in mortem solicitare; ait enim, *vetus iustus typus noui iusti est, & sanguis vetus qui interpellat, pro nouo sanguine interpellat. Deum autem alloquitur sanguis, qui est verbum, quoniam significauit verbum qui erat passurus.* Dictus erat sanguis Abel loquutus fuisse ad Deum; sed quid loquebatur? sane loquebatur quasi exemplo, quatenus Dei verbum solicitabat, & vocabat in similem effusionem sanguinis. Nec frustrà, adeò enim quasi per motum sese ostendit Dei filius innocentis sanguine, vt ex tunc sese non morti oppignoraret, vt notauit alter Cyrill. in fragment. Euang. aiens, *in* Cyrill. *Abelis innocentia mors oppignorata est, quasi transmittenda foret in eum qui postea sine culpa moreretur.* Sic vt honorarent exempli efficaciam, sese comparant diuinæ personæ ad sequenda illustria creaturarum facta. Nec post Patrem, & Filium præteriit Spiritum sanctum exempli vis, quem in specie columbæ ad Iordanem vsque traxit, vt habes Luc. 3. cap. *Luc. 3.* vbi D. Anselm. sic fatur. *Rectè Spiritus sanctus corporali specie apparet, quia filius assumendo corporis veritatem iam descenderat.* Hæccine similitudinis apparet efficacia, quam non Anselm. solum homines, sed increatæ & diuinæ personæ ostendunt. Vide supra cap 1. §. 5. Ioannem Baptistam expauescentem quod suæ mortis exemplum Christus Dominus sequatur.

CAPVT VIII.

De Eucharistia.

POST pedum ablutionem, & longum de charitate sermonem, vltimum amoris argumentum parat suis Dominus exhibere, se ipsum sub speciebus panis tritici, & vini de vite verè & realiter existentem porrigens ab hominibus comedendum. Quis tantum amoris facinus decantare valebit? Quæ lingua tanti epuli delicias enumerabit? Sanè illa quam fœcundus hic calix faciat disertam. Ne miremini, quod rusticus ego falcem mitto si Deus se hominem facit segetem. Nec vbi diuina charitas sic se in immensum extendit, mihi aliqnis est tenendus modus, sed aliqua dicam, prout se occasio dederit.

Text. Matth. 26. Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait, Accipite, & comedite, Hoc est Corpus meum.

§. I.

Deus sese hominibus dedit comedendum, vt par pari referret pro cibis, quos ipse ex hominibus comedit.

VIde, homo, quàm largiter Deus acceptam ex hominibus cœnam muneret, quam referat par pari pro cibis manducatis in mundo; discessurus à mundo hic liberalis & ditissimus hospes cibos referi, qui nunquam pereant, quibus immortaliter homines essatientur. Hinc D. Damasc. in libello de córpore, & sanguine Christi componens cum Deo esistente in vtero virginali eundem esistentem in Eucharistia, inquit, *Sic hic tanquam in vtero Virginis in mensa mystica posita est materia panis, & vinum aqua mistum: his enim mater nutriebatur, & materiam præbebat corporis infantis.* Espende verba ab illis, his enim mater, &c. quasi ideo sub pane, & vino in mensa mystica sese Deus tradat, quod his ab vtero matris fuerit altus; sic pro cibo accepto se cibum referens & par pari. Id quod videtur ponderasse Ericus ad Luc. 14. vbi dicitur, *cum intrasset* Iesus in domo cuiusdam Principis Pharisæorum Sabbato vt manducaret panẽ. Ad hæc ille. *Adibat Dominus carnalia hominum conuiuia non vt exterioribus epulis vesceretur, quàm vt ipse, qui est panis de cælo descendẽs dapes superni conuiuij erogaret.* Sumebat enim libenti animo ab hominibus Dominus panem, quo obligabatur se panem cœlestem eisdem communicare. Auidè humanis epulis vescebatur, quibus se sciebat adducendũ, vt cœlestes nobis porrigeret dapes. Nullum à te, homo, fructum accipit Christus panis, quod largiter nõ esoluat pane hoc supersubstãtiali.

Apoc. 2. Quondam aiebat Apoc. 2. *Vincenti dabo manna absconditum,* quæ verba aliter alij, sed in rem præsentem illa egregiè tra-

Laurent. Nouar. ctat D. Laur. Nouar. hom. de eleemosyna fatus. *Qui sunt antẽ victuri, quàm illi, quibus dixit: Venite benedicti, possidete Regnum, esuriui, & dedistis manducare! Ecce palma, præmium, pro pane modico, quem dedisti, accepisti manna absconditum; potum porrexisti, & paradisum recepisti.* Hac se obligatione obstringere Christus voluit, quum ab hominibus patitur cibari, nimirum, vt par referat pari, panem pro pane. Sed proh Deus immortalis! à nobis accipit corruptibilem, & reddit eum qui reficiat immortaliter; accipit micam, & reddit segetem vitarum, vt par erat referre prouidentem Dominum, & omnipotẽtem. Sanè non multum absimile factum est a Rege Dauid viro, vel in hoc secundum cor Dei, namque fugiebat Dauid ab

2. Reg. 17. Absaloo, 2. Reg. c. 17. cui fugienti, & famelico obuiauerunt filij Bercellai Galaaditis, *& obtulerunt stratoria, & tapetia, & vasa fictilia, frumentum, hordeum, & farinam, & polentam, & fabam, & lentem, & frixum cicer, & mel, & butyrum, oues, & pingues vitulos. Dederuntque Dauid, & populo, qui cum eo erat ad vescendum.* Itaque pij viri fugientem Regem cibo, & potu affatim recrearunt, neque id illis vanum fuit, immo vtilitatis & quæstus plenum, quãdoquidẽ Res tanto obsequio constrictus, & viuens semper illis beneficentissimus stetit; & moriens illos in primis filio

3. Reg. 2. regnaturo commendauit. Sic enim ait 3. Reg. 2. Res iamiam animam agens, *sed & filijs Bercellai & Galaaditis reddes gratiam, eruntque comedentes in mensa tua.* Quod pulcra espendit paraphrasi Iosephus lib. 7. c. 18. quum ait, *commendo tibi Bercellai Galaaditis filios, quos mea causa omni studio & honore prosequeris, non conferens in eos beneficium; sed referens pro officijs, quæ pater eorum in me exulem liberaliter congessit.* Quibus duo se statim consideranti obiiciunt. Alterum, quod moribundus Rex mensa regia muneret eos, a quibus agens accepit panem. alterum quod hoc non videatur Iosepho esse beneficium conferre; sed referre non gratiam, sed debiti essolutionem. O verè Dauid filius, immò summi Regis Dei filius Christus Dominus, quam ab hominibus in mundo famelicus & peregrinus pasceris, adeò obligaris, vt relicturus mundum iam moribundus regias & diuinas dapes hominibus pares. Quod nescio an gratiam putem, an debitum, an conferre, an referre beneficium, gratia est, & maxima gratia. Si nostri muneris video exiguitatem; si te summum Imperatorem considero & Deum maximum, debitum est, debent enim masimi pro paruis obligari, & pro micis regia referre munera & maxima.

§. II.

Regalem Christus Dominus in Eucharistia prætendit magnificentiam.

VIdisti in modo dictis, Daoidem moribondum mensa regia munerasse Bercellai filios; neutro parente degener Christus Domious tunc Regiam ostendit magnificentiam, quum moriturus viuifico famescentes homines replet epulo. Quo spectant illa D. Petri 1. epist. cap. 2. vt leguntur & referuntur à Clem. Alex. 1. Pædag. c. 6. *Quasi modo geniti infantes verbale lac concupiscite, vt in ipso crescatis in salutem, si gustastis quod Christus Dominus.* Non dubito quod de Eucharistico epulo loquatur; sed solum expendo illud, *si gustastis quod Christus Dominus.* quasi regiam Christi Domini gloriam tunc maximè esperiamur quum illum gustu percipimus. Ecce in gustu adparet Christus Dominus, in gustu claret eius regia magnificentia & imperatoria maiestas. Fallor, si ob hoc non dicatur in benedictione Aser Gen. 49. Genes. 49. *Panis pinguis, & præbebit delicias Regibus*, has enim regias delicias condidit viuifico pane, quæ possint in admirationem rapere ipsos Reges. O quam id esperta fuit felis sponsa Cant. 2. Vbi inquit. *Introduxit me Rex in cellam vinariam.* Cantic. 2. Nota vbi Regem vocat, vbi Regem esperitur dilectum, nempe vbi in cellam vinariam introducitur. Ad hæc pulcre Hier. *Non mihi vacuum videtur, quod cum potuisset dicere sponsa, Introduxit me sponsus, aut frater meus, aut aliquid huiusmodi, nunc quia cubiculum dictura erat, Regis dixerit cubiculum, neque aliud nomen posuerit. Propterea arbitror in his Regem Christum nominatum fuisse; vt in hoc nomine ostendatur grandines eius cubiculum vtpote regium, multisque opibus refertum.* Hieron. Vbi Deus osculo suauiatur dilectum, meritò sponsus vocetur, vbi generi humano inseritur, vocetur frater, aut patruelis: verũ quum vinariam aperit cellam, quum miscet vinum, cum panem prætendit, Res ipse tunc claret ex deliciis prælibatis regiis. Id tunc maximè gustatur, quod Christos Dominus, vbi masimè notandum illud a Thoma Ioan. 20. prædicatum, qui vt Ioann. 20. Christi latus attigit apertum, statim esclamauit, *Dominus meus, & Deus meus.* Quid in Christi latere inuenit, es quo Dominum, & Deum confessus est? An non fidei aptius, si Petro consentiens diceret, Tu es Christus filius Dei viui? Cur nouo stylo ait, *Dominus meus, & Deus meus?* Crediderim in latere aperto gustum esse huius diuini epuli. quo non potuerunt regiæ illius deliciæ non præsentiri. Quocirca D. Chrysost. hom. in Dom. nouam sic inquit, *Ipse hortatur & dicit, Accipite, & edite, adhibete manus vestras, & mittite in latus meum, & omnes meas membra tenete, quodcumque enim meũ membrum reperitis, in eo sum totus, qui a Thoma contrectatus sum.* Chrysost. Ecce vobis Thomæ attrectationem cum Eucharistiæ gustu componit, quasi innueret vnde regius ille splendor prosilierit, quo Christus Deus præmõstraretur & Domious. Adstipulatur D. Cyril. Hierosl. catech. 5. fideles ad Christiferas Cyrill. sumendas dapes commonens, nimirum, *accedens ad communionem non expansis manuum volis accede, nec disiunctis digitis* (sumebatur tunc temporis Eucharisticus panis in manibus) *sed sinistram veluti sedem quandam subijcias dextræ, quæ tantum Regem susceptura est.* Nunquam enim mágis regalis Domini maiestas panditor, nunquam Regius Christi splendor patentior, nunquam eius diuinæ & deliciæ cumulatiores, quam in Christifera hac & Regia mensa.

§. III.

Nulla res data est homini integra & tota, nisi Christus qui integer & totus datur in nobis in Eucharistia.

VIdes, panem frangi à Domino, & quod fragmina porrigens dicat, Hoc est corpus meum, quod ad creaturam panis pertinet traditur diuisum, qui ibi latet Christus *non confractus, non diuisus, integer accipitur.* Hoc sibi amoris deberi ab hominibus voluit Dominus, quod inter omnia bona ipse solus totus & integer tradatur nobis. Pulcre Ecclesiastes c. 5. humanam commendans felicitatem inter alia inquit, Eccles. 5. *& omni homini, cui dedit Dominus diuitias atque substantiam, potestatémque ei tribuit, vt comedat ex eis, & fruatur parte sua.* Expendo illud, & fruatur parte sua; quasi nihil integrum & totom liceat homini accipere ex mundi creatura. Hinc D. Dionys. Ales. epist. adoersus Samosatenum acutè Dionys. expendens duo illa Esod. 12. de agno Paschali præscripta. Exod. 12. Alterum est, quod sic integer debet manducari agnus, vt dicat, *caput cum pedibus eius, & intestinis vorabitur.* Alterum est, quo ita cauet, *nec os illius confringetis*, siue vt est apud Ioan. 20. *os non comminuetis ex eo.* Ioann. 20. Si os agni non comminui licebat, quomodo integer cum capite, & pedibus vorandus? Quis sine fractione ossis voraret caput & pedes integri agni? Non hoc est agni creati. cui tam repugnat integrè communicari, quam sine ossium fractione totum manducari, vnus est is diuinus agnus, qui solus, totus, & integer

conceditur à suis vorari. Ita Dionys. *Atqui prohibebatur illis hoc* (nempe ossium fractio) *vt nec toto irrationali vesci eis permitteretur. At verò qui seipsum exinaniuit Christus Iesus habens in se caput Patrem, fecit potentiam in brachio suo, & exaltauit humiles, vt in eis capi possit altissimus, & habitare in nobis propter suam, qua nos dilexit, benignitatem ac bonitatem.* Non ad creati agni legem pertinebat, quod totus, quod integer voraretur; non enim permittitur homini vesci toto irrationali, frui tota & integra creatura. Id sibi solus diuinus reseruauit agnus; qui vnus & solus se totum & integrum ca-
Genes. 18. piendum hominibus communicauit. Sic vbi Gen. 18. dicitur, *tulit inde vitulum tenerrimum & optimum, deditque puero*, id
Ambros. ad Christi mysteria referens D. Ambr. expendit illud *tenerrimum*, & ait, *Tener, quia non dura ceruice, sed molle iugum legis agnouit, crucis patibulum non recusauit, & meritò tener, de cuius capite, & pedibus, & intestinis nihil relictum est, & os non est contritum ab eo, sed totus epulantium cibo cessit.* Ex quo manifestè apparet mysterium de Christi Domini vestibus decantatissimum à Patribus. Etenim exaltato Domino in cruce, iuxta id Psal. diuiserunt sibi vestimenta mea & super vestem meam miserunt sortem, carnifices exteriores Domini vestes inter se diuidunt & partiuntur: tunicam verò inconsutilem sibi integram quisque procurat reseruare. Quæ huius rei causa? Cur tunica inconsutilis, non aliarum vestium intrat diuisionem? Cur sola ipsa integra & tota datur? An quia Virgineam verbi carnem hominibus communicādam
Athanas. præfigurabat? Ita affirmat D. Athan. de Passione; verum præstat audire Cyril. ad hæc santem: *in quatuor partes vestimenta diuisa sunt; tunica solum indiuisa remansit, in singulos enim transiens vnigenitus & animam atque corpus totum per carnem suam sanctificans impartibiliter atque integrè in omnibus est, cum vnus vbique sit nullo modo diuisus.* Hoc sit Christiferæ in homines magnificentiæ præconium singulare, quod ipse solus præ omnibus bonis impartibiliter & integer tradatur, iam iam qui Christum nōn recipiunt, nil integrum recipiunt, imò neque id audent sperare. Ita ille diues epulo apud
Luc. 14. Luc. 14. à tormentis aiebat, *Pater Abraham, mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam*
Chrysost. *meam.* Vbi acumen Chrysost. expendit. *Vide conscientiam peccatoris, non totum audet poscere digitum.* Sanè quia conscientia hoc ex bonis didicerat creatis, nihil integrum & totum extra Christum hominibus posse dari. Id quod in illa fide-
Hieron. li muliere Chananæa D. Hieron. notauit, quæ vt bonum creatum expostulabat solum, nimirum filiæ sanitatem, sic
Matth. 15. ait Matth. 15. *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis*, quasi dicat, ait ille, *scio me filiorum panem non mereri, nec integros capere posse cibos, sed contenta sum reliquiis oculorum.* O mulieris inauditam perspicaciam! dum tantum humana & creata optas, bene dicis te integros non posse capere cibos, solus Christus datur integer, reliqua omnia diuiduntur in frusta,
Paschas. extenuantur in micas. Vnde pulcre D. Paschasius de corpore, & sanguine Christi cap. 17. ait, *dum communicas, dilata sinum mentis tuæ, emunda conscientiam, & percipe non quantum mica exhibet, sed quantum fides capit.* Etenim panis species ad illa bona pertinet quæ frustulatim accipiuntur, quod fides capit, ibi Christus est qui totus & integer communicatur hominibus.

Text. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

§. IV.

Non omnium est crebrius accedere ad Eucharistiam.

Qvum calicem audio, iam inde nimiam frequentationem suspectam fore credo. Quis sobrius non tarde & morosè ad calicem accedit? liceat in præsenti consuetudinem illam ex profanis recensere, quam in Israëlitis Isaias c. 66. succenset. Qua nimirum bonæ fortunæ libantes dapifera conuiuia statuebant, vbi finitis epulis poculum sacrifi-
Theoph. cij ergò circumferebatur; de quo sic Theophrastus lib. de temulentia: *Illud de mensa dum sumunt, Deum adorant, tanquam supplices rogent, ne quicquam agant turpiter, ne huius potionis appetitiores fiant æquo, sed ex ea [illegible]cipiant quod honestum sit & vtile.* Nota verba ab illis, *ne huius potionis appetitiores fint*, &c. Nihil tale petiuerant inter epulas, sed cùm primum sacrificalem calicem accipiunt, id statim illis venit in mentem, nimirum orare ne appetitiores æquo fiant. Quod vt persuadeat suis, Christum Dominum crediderim porrexisse poculum hoc viuificum, quasi innuat Eucharistiæ bonum, non ab exuberanti appetentia quæ super æquum fiat, nec à frequentia nimia; sed à sobria & prudenti participatione sumendum fore. Cui consonat S. Clem. Alex. Cl. Alex.
inquiens. *O admirabile mysterium! veterem, & carnalem nos iubet exuere corruptionem, quemadmodum & veteris nutrimentum: Alit autem nouæ Christi dietæ effectos participes.* Expende, nouæ Christi dietæ, quasi velit ea moderatione & parcitate nos ad Eucharistiam accedere, qua ij, qui dieta curantur, accedunt ad cibos, vt fructus diuini epuli possimus præsentire. Inde ponderandum est discrimen in miraculo panum bis peracto a Christo Domino, tunc satiante quinque millia hominum, tum quatuor millia. Verùm quinque millia ita pane satiantur, vt superfuerint duodecim cophini fragmentorum: at quùm satiantur, quatuor millia, non tot fuerunt fragmenta residua. Cur ita? Eleganter D. Ambros. ad Luc. 9. Ambros.
Cur quinque millibus hominum plus redundat: quatuor millibus minus? quia quatuor millia ista triduò cum Christo fuerunt, & ideò ampliorem cælestis pabuli alimoniam receperunt. Meritò qui tridui inediam sustinent, qui cum Christo triduum consumunt, prandij immemores ampliorem cœlestis pabuli alimoniam recipiunt. O quam per illud triduum vrgerent Dominum huius æui sacrificuli, & nimiū deuotæ fœminę, vt de Christi manibus reficerentur. Et sanè cum paruo fœnore spiritus! Hos præmonuit Dominus in Cana nuptiis, vbi deficiente vino Maria Iesu festinauit ad filium, vt subueniret: cui ille. *Quid mihi, & tibi mulier? nondum venit hora mea.* Ad hæc D. Irenæus alibi datus, ait: *Properante Maria* Irenæus.
ad admirabile vini signum, Dominus repellens festinationem dixit, Quid mihi, & tibi mulier, nondum venit hora mea. Expendo illud, properante ad admirabile signum vini, vt hinc discas quàm suspecta debet esse nimia festinatio ad viuifici signum calicis, quandoquidem sanctissima Virgo semper gratissima, semper Deo maximè placens, quasi repellentibus excipitur verbis, quando ad admirabile vini signum properauit.

§. V.

Oportuit totius Christiferi sanguinis lauari, & baptizari pelago, vt digna puritate ad diuinissimum epulum accedamus.

Qvis non miretur quanta sustinuerunt veteres illi Iudæi, antequam ad cœleste epulum peruenirent? Omnes, ait D. Paulus, in mari baptizati sunt, nisi enim post integri rubri maris lauacrum minimè manna vescerentur, nec nos Christiani ea puritate niteremus, qua dignè accederemus ad Christiferum conuiuium; nisi priùs lauati fuissemus vastissimo illo sanguinis & dolorum pelago, quo demersus fuit Christus. Vnde Paul. 1. ad Cor. c. 5. *Pascha nostrum* 1. Cor. 5.
immolatus est Christus, itaque epulemur. Nota, quòd prius diuini Agni internecionem memorat, priùs sanguineos passionis fluctus, procellosa illa maria dolorū proponit, quibus vniuersi homines immersi sunt, vt Ægyptiis enectis, noua conspersio pullularet. Et tunc ad epulas adhortatur, quasi dicat, siquidem rubentes passionis vndas excepimus, iam ergo possumus dignè epulari, iam sequelam euidentiùs educit D. Ansel. fatus. *Epulemur ergo, id est, epulis corporis & sanguinis* Anselm.
eius reficiamur. Siquidem stolas nostras sanguineus Agni torrens mundauit, siquidem rubras vastissimi maris passiones vndas sustinuimus, iam non moremur ad epulas, iam cœlesti pane reficiamur. Fallor, si huc non respexit Abbas Cel- Cellens.
lens. lib. de Panib. c. 13. vbi hæc dicit. *Transeundum igitur mare rubrum, vt comedas panem mundum. Hoc enim ostensum est in Apoc. ab Angelo Joanni, quum dicit, Hi sunt qui venerunt ex* Apoc. 17.
magna tribulatione, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni, ideo sunt ante thronum Dei. Hæc ille; solos eos dignos reputans cœlesti, & mundissimo pane, qui passionis maribus, hoc est, Agni sanguine fuerint abluti & dealbati. Vnde Theophil. Alex. epist. 2. Paschali ideò solùm Theoph.
dæmones ab hac Eucharistica mensa arcet, quòd pro illis Alexand.
non fuerit mortuus diuinus Agnus. *Sic enim, ait, pro dæmonibus crucifixus est, quod erit priuilegium atque ratio, vt soli homines corpori eius sanguinique cōmunicent, & non dæmones quoque pro quibus in passione sanguinem fuderit? Sed neque dæmones audient. Accipite, & edite: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; neque Deus sua præcepta soluet, qui discipulis ait, Ne mittatis margaritas vestras ante porcos.* Ex quibus omnibus

approba

approbatur, Chriſtum pro dæmonibus non poſſe crucifigi: næ dæmones corporis, & ſanguinis eius participes fiant. Itaque nemo, qui rubri paſſionis maris ſuſtinuit lauacrum, poteſt cœleſtis panis,& calicis menſæ appropinquare. Totus ille rubentium fluctuum pelagus nobis fuit opus, vt Chriſtiferis reficeremur dapibus. Quocirca, vt acutè, &
Paſchaſ. vere D.Paſchaſ.de corpore, & ſanguine Chriſti, cap.11.notat, aqua quæ fidelium populum ſignificat, Euchariſtico calici additur, quia priùs à Chriſti latere percuſſo cum ſanguine coniunctim effluxit. *Et ideo*, ait, *rectè prouiſum eſt, quia aqua ſimul cum ſanguine fluxit, vt in hoc myſterio admiſceatur. Quatenus & nos in illo ſimus, vt per hoc ſalutis Sacramentum diuinis obtutibus illico vnici myſticè offeramur. Nam ſi vinum ſine aqua offeratur, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis.* Quibus pondero illud, rectè prouiſum eſt, quia aqua ſimul cum ſanguine, &c. Vbi innuit rationem & cauſam, qua aqua, nempe Eccleſia fidelium in illa ſignificata Euchariſtiam ingrediatur, ſub tantóque offeratur Deo epuli ſacrificio, nimirum quia priùs cum ſanguine à latere manauit, quia ſanguineis paſſionis fluctibus fuerit immixta. Non aliter reficeremur diuino hoc conuiuio; niſi toto ſanguine Agni ſtolas priùs dealbauerimus.

§. VI.

Sanguis Euchariſticus veniam & tolerantiam clamat peccatorum.

CVm ſeſe diuinus ſanguis ob veniam peccatorum effuderit, tam diuino & præcellenti munere vbique fungitur, vbique clamans veniam,vbique miſericordiæ viſcera
Cyprian. contundens. Inde D.Cypr. Chriſtiferum ſanguinem Abeli præfert, quia ille clamabat vindictam. *At Chriſti ſanguis de cruce clamans, pacem loquitur, & reconciliationem. Quin idem ſanguis quoniam à nobis bibitur, ſi modò dignè bibitur,clamat in corporibus noſtris verba pacifica.*Expendo illud,ſi modò dignè bibitur,quo Cyprianum ibi non adeò æſtimatorem Euchariſtici ſanguinis crediderim. Quid magnum eſt, quòd ſanguis clamat veniam & pacem in illorum cordibus, à quibus dignè bibitur? Imò cùm indignè bibitur, cùm nefariè tractatur, tunc etiam clamat verba pacifica. Quod innuit
Hebr.12. D.Paulus ad Hebr.12.fatus: *Acceſſiſtis ad teſtamenti noui mediatorem Ieſum,& ſanguinis aſperſionem meliùs loquentem quàm Abel.* Notabis illud; *teſtamenti noui mediatorem.* Vbi enim teſtamentum nouum, & hæres nouus eſt, ſiquidem teſtamentum ſine hærede reſcinditur. Quid plura? Accipite pulchram hiſtoriam,ex 2.Machab.petitam. Inclytus & fortis Eleazarus aduerſus infenſiſſimum hoſtem pugnans Antiochum cum turritum elephantum cerneret totius fidelis exercitus vaſtatorem,vitæ ſuæ immemor imperterritus beſtiæ occurrit, & ſuppoſitus illius ventrem percutiens eo ictu & ſibi glorioſum Manſolæum, & ſuis inſperatam victoriam obtinuit. Quo ſtupefactus facinore hoſtis Antiochus etſi multo milite, & pene innumerabili cinctus, *vnius*
Ambroſ. *territus fortitudine pacem rogauit.* Ad hæc eleganter D.Ambr. 1.off.c.40.concludit. *Igitur Eleazarus hæredem ſuæ virtutis pacem reliquit.* Ecce noui teſtamenti nouus inauditus hæres inſtituitur, hæres, inquam,quæ ſit pax cum hoſtibus infenſiſſimis. Hinc iam Paulus Chriſti teſtatoris gloriam metitur, qui vt moriens reportat triumphum, ſic ſui ſanguinis nouum teſtamentū reliquit, non quale antiquitus condidit ſanguis Abelis effuſus; ſed cuius ſit nouus hæres pax cum ipſis hoſtibus & inimicis.Itaque ſanguis Euchariſticus ſanguis noui teſtamenti eſt,qui etſi hoſtili petatur animo,nihil interea loquitur,nil dicit,niſi veniam & miſericordiam largiendam quantum ex ſe eſt ipſis inimicis. Quod conſiderās
Cyrill. D.Cyrill.lib.4.in Ioan.c.17.aiebat.*Quum in nobis manet Chriſtus,neque in quibus ſumus peccatis conſiderat;ſed ægrotos curat, collapſos redintegrat.* Ad hoſtiles animos cæcutiens(ſi attendas miſericordiæ affectum quo ibi eſt) hoc curat vt vulneribus medelā inferat, pacémque omnium mentibus æternam inſerat.Neſcio,an huius diuini poculi beneficentiſſimum mo-
1.Cor.10. rem adumbrauit D.Paul.1.ad Cor.10. vbi de Iſraëlitis apud deſertum ait: *Bibebant de ſpirituali conſequente eos petra;petra autem erat Chriſtus.* Nempe cum ſemel profluentem aquam biberunt, eos inſequebatur petra innuens diuino poculo refectos, quos etſi fugientes, etſi reluctantes,inſequitur tamen Chriſtus quaſi à tergo pacem offerens, & cum venia
Cæſ. Arel. inuitans. Ita D.Cæſar.Arelat.hom.7.de Paſſ.*Bibebant autem*, inquit,*de conſequenti eos petra.Vides,quòd qui de Chriſti gratia biberit,ſequitur eum Chriſti miſericordia.*Nec miſericordia, quæ

omnes noſtros cogitatus antecedit, refectos diuino poculo ſequeretur, niſi illi fugiſſent, vnde ſemel potos refugas ſequitur miſericordia Chriſti, vt conuertat, vt pacem exhibeat,vt venia ditet. Vide infrà §.9. & 28.

§. VII.

Exactiſſimam rationem reddere debent, qui corpus, & ſanguinem Domini participant.

ADhuc hæreo illis verbis, *Sanguis noui teſtamenti,qui pro multis effundetur:*& ſanè quod ex teſtamento pro multis habetur, nunquam niſi præmiſſo cenſu, & cum obligatione rationis reddendæ apud iudicem accipitur. Quod tibi in primis,ô Chriſtiane,innuitur; qui non vtcumque accipis ſanguinem Chriſti pro multis effuſum,ſed eum ex teſtamento acquiris, vt iam tantorum bonorum rationem reddendam extimeſcas.Reſurgente Domino ex ſepulcro,ait Matth.28. quòd *terræmotus magnus factus eſt*: de quo pulcrè Matth 28.
D.Chryſoſt.in Pſalm.2. dicit. *Sepulcrum accepto corpore depoſito territum quòd patris theſaurum accepiſſet depoſitum cum tremore reddidit.* O quàm iuſtè tremit ſepulcrum, vbi depoſitum tantum theſaurum cogitur reddere! O quàm potiori iure nos extimeſcere debemus, qui theſaurum eundem, nempe corpus Chriſti accepimus, cùm neceſſum ſit illius rationem reddere. Audiſti,Mariam puriſſimam, innocentiſſimam totam conturbari ad vocem Angeli?Sic Luc.c.1.*Turbata eſt in ſermone eius; & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio.* Luc.1.
Vnde, ô puella ſanctiſſima, turbaris? Quæ in te cauſa turbationis, vbi regnum pacis incipit pullulare? Inter alias hanc addit D.Chryſol.ſerm.142. cauſam. *Quid plura? Mox ſentit in ſe ſupremum ſuſcipi iudicem.* Et quæ nullum reatum nec ab origine traxit, quæ totius culpæ libera erat, non ſentiret iudicem, niſi noui teſtamenti commune bonum ipſa caperet. Nil habet iudex cum Maria, niſi quia noui teſtamenti eſt arca, vbi mundi hæreditatem ex teſtamento capit, non ſine metu iudicis, ſine tremore reddendæ rationis, etiam ipſa innocentiſſima Virgo non ſpectabitur. Sic illa ardentiſſima Dei amatrix Cantic.5.inquit. *Dilectus meus miſit in manum ſuam per foramen.* Quaſi diceret, iuxta explicationem Pſelli: *Totum oſtium meum aperui, vt Chriſtum verbum, & ſponſum meum ſuſciperem, tamen vix manus eius, eáque ſola immiſſa eſt.* O ingentem Dei magnitudinem! ô ſublimiorem palmis ſtaturam dilecti; illum totum excipere mentis meæ templo curabam, & apertis,vel ſublatis valuis vnam eius ſolam excepi manum.& cum manu Dei accepta ecce timor,ecce tremor ſuperuenit, quippe *venter meus intremuit.*Vnde ô Virgo,vel ſolā manu dilecti accepta tremis? Iam id explicant tres Patres,nempe, *Pariente me initium ſapientiæ,timorem dilecti mei tanquam iudicis.* Proh dolor! Nec ſanctiſſima ſponſa capit Dei manum abſque errore iudicis, abſque iudiciali proceſſu & cenſu. Quis iam integrum teſtamenti ſanguinem accipiens non timeat rationem reddendam?non contremiſcat Iudicem depoſitum repetentem.

Chryſoſt. Chryſol. Cant.5. Pſellus. Tres Patr.

Ex Luc.22. Text. Hoc facite in meam commemorationem.

§. VIII.

In Euchariſtia Chriſtus Dominus omnino ſui ſimilis exiſtit, prout in Cruce pendebat.

QVid aliud putas Euchariſtiam eſſe, quàm pulcram totius cruenti myſterij commemorationem, quàm memoriam, & viuam repræſentationem crucis? Sanè altari acceſſit Chriſtus,vt acceſſit cruci mactandus.Vnde in B.Iacobi liturgia lector admonet. *Taceant mortales, & ſtent cum metu & tremore, nihil terrenum cogitantes. Rex enim Regum Chriſtus Deus noſter exiſtit vt mactetur, & detur in cibum fidelibus.* Quam in cruce ſuſtinuit mactationem, hanc in myſtica ſanguinis & carnis ſeparatione oſtendit,dū ait: Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus. Quid aliud in Euchariſtia audimus, quam effuſionem ſanguinis, quàm traditionem carnis?Accipite D.Damaſcen. in libello de corpore Chriſti ſic fantem. *Eleuatur in manibus Sacerdotis in crucem, & frangitur, & diſtribuitur, & in nobis ſepelitur, & facit nos ſecum à corruptione liberos.* Adeò paſſionis, crucíſque myſteria hoc in epulo repræſentatur, vt meritò dicat D.Paſchaſ. lib.de corpor. & ſang. Dom. cap.11. quòd Paſchaſ.
nihil deſuit in hoc Sacramento ad commemorationem paſſionis,

quod tunc extitit in cruce in consummationem nostræ redemptionis. Quocirca de singulis sigillatim nobis erit agendum.

§. IX.

Christus Dominus in Eucharistia, vt in cruce inimicis veniam largitur, & misericordiam.

ECce tibi apud Ezechielem c. 9. altari adest vir quidam vestitus lineis, cuius sunt laterones sex alij adolescentes fortissimi, & ad bella doctissimi, habentes acutissimos & strictos gladios, vt iussi omnes appropinquantes interficiant. Hoc cernens Propheta exclamat: *Heu,heu,heu Domine Deus,ergone disperdes omnes reliquias Israel?* O quam aliter ego exclamarim! non Deum; sed adolescentes illos belligeros;sed armatos Angelos compellarim. Heus vos cœlestis militiæ magna pars, siquidem adestis sacro altari, adestis, inquam, splendenti districto gladio,cur ex innumeris, qui altare Dominicum fœdant, nullum interficitis? Cur cùm tot lupi quotidie diuinum Agnum vorent,nullus trāsfossus occumbit?Cur non repletis interfectis aras?Cur enectorum non sudant sanguine templa? Sed accipite quid respondeat D.Pasch.c.8. (Paschas.) *Certum sit, quia vltores Angeli nec semel indignè communicanti parcerent; nisi bonitas Christi,in cuius iudicio pendent omnia, & cui commissum est vt signum ponat in frontibus suorum, gladium suspenderet, & remoueret momentaneam mortem. Christo totum debemus adscribere, qui suas etiam iniurias libenter remittit; & pro delinquentibus in se sicut priùs in cruce fecerat, etiam se Patri offerendo idoneus exorator interuenit.* Non sui dissimilis adest Dominus epulis diuinis, ibi vt in cruce veniam meditatur hostibus impertiri,non enim Angeli qui adsunt,indignos sinerent accedere impunè. Sed quando ij aduolant transfossuri indignos, ipse qui editur & voratur Agnus remouet gladios dignus exorator pro voracibus lupis. O ingentem Dei misericordiam! ô summam Christi pietatem! Christo Domino debes, ô maxime peccatorum, quòd indignè accedens ad epulum diuinum non ab Angelis truciderís; adsunt illi armati gladiis, & irati irruūt;sed detinentur à Christo,qui & in cruce,& ferculo non cessat indulgere inimicis. A quibus venditus erat fratres cùm possit occidere,panis charitatis pleno conuiuio (Genes.43.) magnus ille Ioseph Genes.43. de quo pulcra, & Christum Dominum halantia dicit Abbas Cellens. de Panib.c.1. *Vbique,* ait, *gratiosus Ioseph; sed in conuiuio magis, multòque amplius iucundus: in conuiuio etiam venditoribus suis non negat negatam sibi germanitatem, in conuiuio non retinet iniuriam,extendit munificentiam in conuiuio iuxta scripturam cibandi inimicum, extinguit inuidiam, sanat maleuolentiam.* Quid pulcrius? Quid Christo Domino accommodatius? Sanè in hoc conuiuio etiam venditori suo Iudæ non negat pacem, non retinet iniurias, inimicos etiam, & sibi infensissimos hostes cibat, & prohibet ne miserè ab Angelis vltoribus perimantur.

§. X.

Christus Dominus in Eucharistia vt in Cruce paradisi hæreditatem exhibet.

O Quàm à sanctissimis viris decantatum, quòd in cruce damnato altero,Latroni digno paradisi perditam reddat Dominus hæreditatem.Sed eam nullibi meliùs exhibet Dominus, quam vbi sese præbet in Eucharistia manducandum. Quid est in toto hoc conuiuio quod non oleat paradisum? quod vitæ arborem non præferat?quod innocentiæ (Antipat.) amictum non prætendat?Pulcrè Antipater Episc.Bostrorum, orat.de Ioann.Baptist.Mariam fatur. *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui: ex quo cùm comederit Adam, vicit inimicum. Benedictus fructus qui fuit mundi cibus & amictus.* Sanè is erat innocentiæ felicissimus status, in quo Adam vnico vitæ arboris fructu gustato, nec cibum alium, nec amictum desideraret. Sed proh dolor! accessit ad vetita, & famem incurrit, & nuditatem. Ecce homo famelicus, & nudus exilij sui præferens signa, iterum amissam recuperat hæreditatem, dum sese infert mensæ diuinæ: quæ cibus mundi est simul & amictus,simul satiās & exornans animas. Hoc fuit priuilegium cœlestis pabuli, quo dum Israëlitæ in deserto vescebantur, nullam in vestibus attritionem neque vetustatem sentiebant, quod spectans (Oseæ 11.) Dominus apud Oseam c.11.ait. *In funiculis Adam traham eos.* (Rufin.) Qui funiculi Adam; nisi paradisi hæreditas? Ita Rufinus hunc locum interpretatur: *Funiculus eius, id est,sortitio Adæ primi hominis,antequam peccato è felicitate decidisset,qui paradisi fuerat habitator effectus, vt non laboratis, sed spontè nascentibus fructibus vesceretur. Ita iste populus solis miraculis comparata pabula suscepit.* Hæc erat felicissimi Adami paradisus,vbi omnia illi sine labore eueniebant, cui sortitioni & paradiso similis asseritur, quam habuit Hebræus in deserto, vbi manna vescebatur, vbi cœlestis panis miraculis comparatus, & cibus, & amictus erat. Felicior illis Christianus, qui veram paradisi sortitionem adeptus est,quandoquidem miraculis comparatus cœlestis panis Christus Dominus viuentis arboris fructus, & cibus illis est & amictus. Hinc maximè ponderanda ratio est; cur Eucharisticæ dapes singulari & proprio iure in Christi percusso latere sedem habeant. Sic enim ait D.Chrysost.Ioann.19. (Chrysost.) *Quoties ad admirandum calicem accedis,tanquam ab ipso latere hauriens accedas.* Cur Eucharistia in latere; an non potiores essent eius sedes Domini manus? Quid cum latere diuinum epulum? Sane Adami latus, nempe mulier ex latere prosiliens Adamum ex paradiso eiecit, occasionémque dedit,vt Deus poneret igneum gladium versatilem ante paradisum,ne vllus homo ingrederetur. Vt ergo cœlestis cibus paradisi hæreditatis restitutio erat:sic decuit à noui Adami latere etiam procedere. Id quod notauit Procop.in Gen. c.2. his verbis. (Procop.) *Sic Christus proprium latus seu firmamentum aliquod hastæ opposuit, paradisum aperiens, qui propter latus, nempe mulierem fuerat obstructus.* Ecce tibi vt mulier à latere egrediens per cibū occlusit paradisum,sic à latere Christi proflués esca paradisum aperuit,vbi latus seu firmamentū hastæ opponitur. Fallor si hunc non respiciat illud Psal.71. quo Dauid in omnium senrētia celebrat diuinum Eucharistiæ epulum sic fatus, (Psalm.71.) *erit firmamentum in terra in summis montium.* Ij, qui Hebraicas notas norunt, adeo perspicue putant scriptum esse, erit memoriale tritici, aut placenta tritici,aut frumentum, vt mendosè dicant insertum esse, illud erit firmamentum. Verum non mendacio; sed mysterio dictum est hoc vitidū frumentum firmamentum,firmamentum,inquam,hastæ,siue versali gladio oppositū & paradisum nobis aperiens. Hinc merito Pasch.epist.ad Frudegardum,ait. (Paschas.) *Facit corpus & sanguis quod ipsum fecisse Christum in cruce legimus,dum vni eorum, qui erant cum eo in patibulo confitenti paradisi præstitit regnum: altero vero blasphemanti iudicium determinauit.* Sic ille.

§. XI.

Qui à Christo manducando abstinent, iudicium damnationis metuant incurrere, vt latro à Cruce.

VIdisti in modo dictis ex Paschasio qualiter ab Eucharistia vt à cruce & paradisus & damnatio veniat.Paradisus obtigit confitenti; in damnationem ille latro venit qui sese à Christi corpore segregat. Enimuero iustissimè pereunt illi,vt docet noster perdoctus Salmeron,qui latronis istius instar habentes præ oculis salutiferū Christi corpus & sanguinem,illo vesci fugiunt & refici.Væ tibi ô miser qui his abstines epulis, necessum enim est,vt fame pereas. Horum voce aiebat Psal.18. (Psalm.8.) *Omnem escam abominata est anima eorum, & appropinquauerunt vsque ad portas mortis.* Quæ omnis esca dicitur?Sanè vt id explicet D.Greg.Niss. tract.1. (Nissen) in Psal.c.8.premit illud Gen.2.vbi dicit, (Genes.2.) *ab omni ligni, quod est in paradiso, esca comedes.* Ex quo sic loquitur Niss. *vt ibi omne lignum vocat plenitudinem omnis boni, ita & hic verum illum & omnipotentem cibum appellat omnem escam, cuius fuga eam, quæ ad mortem ducit, imbecillitatem conciliat.* Adeo, vt merito tantam generis humani infirmitatem & ruinam eo retulit D.Chrysost. quod Adamus à Christifero cibo abstinuerit. Etenim ponderat Adamum creatum in medio paradisi habentem præ oculis vitæ arborem tot illicibus plenū,quot scatebat pulcherrimis & viuificis fructibus.Odor, pulcritudo fructus alliciebat oculos, inuitabat viuendi appetitus, instabat tempus prope meridianum. Et tanto tempore, tot illicibus non adductus fuit Adamus, vt vitales fructus gustaret? Proh hominis dementia! Quid plura? hinc in totius generis humani casum venit. Sic Chrysost.in (Chrysost.) Psal.1. *Huius ligni esum cum recusaret in contrarium incidit.* Ne mireris, homo, si tanti cibi abstemius pereas. si habens ob oculos quotidie viuificum epulum, ad quod tot ac tantæ vtilitates te inuitant, tot Prædicatorum voces te monent, & tamen abstines, quod fame enectus in æternam incidas miseriam. Miror quod Rupert. etiam Angelorum ruinam putet ortam ab huius diuini epuli abstinentia.

Sic

[illegible] *& vita Angelica sub-* [illegible] *Angelis prospicere, quod quia* [illegible] *& salius est diabolus, quis &* [illegible] *sicut incidiam est pallidus, & mors* [illegible] gitur si fortissimos spiritus sic contriuit tanti [illegible] qualiter contererentur infirmi homines, si sese [illegible] uerit epulis. Videte apud Luc. 16. illius astum, [illegible] putat D. Gaudentius fuisse diabolum, dum totus [illegible] debita sua serui Domino integra red-[illegible] illis, qui oleum reddere debebant, ex centum [illegible] dec quinquaginta fraudare, illis autem qui tri-[illegible] debat, ex centum coris, sufficiens putat si viginti [illegible] minoris muneri fraus io tritico putatur [illegible] serius exitialis. Etenim aliarum virtutum dimidiam [illegible] partem diabolus. non tanti æstimat quanti cum [illegible] a diuino altaris tritico fraudat, vnde notá-ter D. Gaudent. ait. *Nec illud otiosum est quod maior numerus* [illegible] *debitores suum, ex operibus à Deo figuratis,* [illegible] *ad* [illegible] *fidei [illegible] comparato.* Pauciores dies abstinentiæ, ex his qui destinati erant diuino epulo, [illegible] obolo negotium facessunt, quam si ab aliis virtu-tum operibus te fere penitus facerct cessare. Huc luge illos qui æger & difficulter semel in anno sese ad tantum epu-[illegible] parate. Pulcherrima illius & Regis adole-[illegible] Absalon quis memoret tragœdiam? De hoc dicitur [illegible] *tendebatur, quia grauabat eum* [illegible] quod notat [illegible] de Sacrament. Pasch. inquit. [illegible] *beata* [illegible] *Absalon, quia grauabat* [illegible] *tendebatur.* Heu quot nunc Absalones qui criminibus grauantur, & non nisi se-m [illegible] tendentur, vt nuptiali conuiuio asseant. Metuo ne huic perdant visionem beatæ.

§. XII.

Christus Dominus in Eucharistia se matrem nostram, & filium nostrum exhibet.

Ergo ad alia [illegible] facinora, quibus Deus erga matrem, & erga [illegible] se pientissimum ostendit, alteri enim de [illegible] *ecce matertua.* Quas voces [illegible] singulis hominibus dum [illegible] dicit, Ecce filius tuus. Id quod [illegible] Ruper c.3. super Genes. dicens. [illegible]

Rupert. [illegible] *gratia,* [illegible] Hoc t bi Dominus silenter ab alta-[illegible] tolle hunc filium tuum placa

Paschas. Deum holocausto tanti filij tui. Ad hæc D. Paschas. supra [illegible] scha illic [illegible] epulum vocat [illegible], quasi tunc noua natiuitate D [illegible] nascatur noster filius, quem sub speciel [illegible] panis, & vini.

Nec [illegible] noster fit in Eucharistia, sed & mater [illegible] ibi sub epul speciebus totus [illegible] mammis factus clamat & dicit [illegible] *te mater*

Clem. Alex. *tua.* Ac [illegible] Clem. [illegible] Pædag. cap. 6. aiens. [illegible] [illegible] dum se manducandum, dum se fugen-dum [illegible] mammeus Deus fit, mater omg [illegible]

Irenæus. [illegible] apropter elegater D. Iren. lib. 5. c. 40. notans [illegible] tum [illegible] antecedunt caren-tes [illegible] *Dei,* [illegible] Ecce [illegible] totius Christiani [illegible] causa [illegible] quæ & mammillas matris [illegible] Ecclesiæ, [illegible] fontem procedentem [illegible] participant, & [illegible] habent in Eucharistia. Vn-

Chrysost. de [illegible] *quanta infantes ala-* [illegible] *ad hanc mensam, & ad huius* [illegible] *à desiderio qua-* [illegible] Hæc Chrysost. adducens, vt maternam charitate exhibita nobis a Deo in Eucharistia [illegible] materna viscera in hoc conuiuio cœlesti ag[illegible] Abbas de panibus c. 2. dicens. *Hac* [illegible] *refertis gra-* [illegible] *explendo non explet, appe-* [illegible] *viget.* Expendo

Baeza in Euang. Tom. I.

illud, plenam misericordiæ visceribus, & satiando vrgee, omnia enim sunt de matris more excogitata. Quippe mater qua in filios est affectione pascit, & saturos adhuc ad escas vrget & allicit, quasi velit semper illos in delitiis esse, adipeque sudaro, Ita Dominus in mensa hac cœlesti totus fit viscera matris, totus est in filiis nutriendis & saturandis, adeo vt etiam dum exsatiat, dum replet, acrius vrget & allicit, vt edant amplius. Quocirca Diuus Chrysost. homil. 28. in Matth ita Christum Dominum comparat cum matribus. *Multa, ait, matres post partum alijs nutricibus infantes dederunt: quod ipse facere noluit; sed propria* [illegible] *nos alit & sibi coniungit atque conglutinat.* O amor Dei in nos super amorem matrum!

§. XIII.

Vt in Cruce, sic in Eucharistia derelictorum curam agit.

Derelictum se in Cruce queritur Dominus derelictorum omnium negotium agens, vt loquitur D. Cypr. de Cœna Domini. *Derelictorum personam gerens in Cruce se queritur derelictum, & ne de* [illegible] *etiam in vltimis constitutis, fessa-nans in adiutorium illico adest latroni.* Ecce tibi quam pro derelictis solicitus in cruce fit, iam inde se prodens derelictorum pabulum. Quid plura? aiebat Dominus, *Eli Eli lamazabatani.* Et nonne ludentes carnifices per ludibrium dicebant, *Eliam vocat iste.* Quasi vellet Deus vt omnibus innotesceret tunc, quam nouerat ipse pascere derelictos, & quod pro derelictis hominibus faciendus erat cœlestis panis qui modo vt frumenti granum in crucis mola tundebatur. Enimuero Eliam 3. Reg. a Iezabel fugientem ab omnibus auxiliatoribus derelictum, morti inhiantem, non semel cœlesti cibo Dominus pauit, quocirca vbi derelictorum negotia in cruce tractat, non absque mysterio Eliæ mentionem patitur intromitti, vt derelictis omnibus cœleste paratum ostendat pabulum, fructusque paradisi vitales eidem reseruari. Non latuit Dauidem diuinas Christi dapes pro derelictis conditi, quandoquidem Psal. 146. dicit, *qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum in* [illegible] *eum.* Etenim vt bene hic à Cassiodoro notatur, coruorum pulli a parentibus destituti & derelicti cœlesti rore nouerunt ali. Vnde Propheta vt diligentiam Dei in derelictis nutriendis oobis commendaret, prædicat illum pullis coruorum inuigilare. Vnde Numer. c. 11. de cœlesti cibo Israelitis exhibito dicitur: *cum descenderet nocte super* [illegible] *ros descendebat pariter & manna*, nunquam enim manna fine rore, quia nunquam diuinum concederetur epulum, nisi coruorum pulli, nimirum derelicti homines reficiendi essent cum illo. Hinc meritò Drogo lib. de Sacrament. Passionis, ait, *Pasce, Domine, pullum coruorum, filium peccatorum clamantem ad te, quoniam pater meus, & mater mea dereliquerunt me; tu autem non relinquis sperantem in te.* Ita Drogo.

Cyprian.

Psal 146.

Num. 11.

Drogo.

§. XIV.

Christus Dominus vt in Cruce, sic in Eucharistia sitit: & non vult bibere, omnia concedens nobis bona, nihil resumens sibi.

Miratur valde Arnoldus Carnotensis, quod Dominus actus in cruce inter supplicia sitiat; sed id miratur magis, quod limpidissimis manans aquis molestetur siti. *Miram ait, illa, tremendam relatu: pro fluentibus siti, a* [illegible] *latere aqua viuentibus,* [illegible] *de fonte ab er* [illegible] *liquoribus* [illegible] *sitire se perhibet* Sitit [illegible] aquas Christus, quid mirum inter epulas medio in dapifero conuiuio, totus manans nectareis Eucharistiæ poculis, adhuc sitit, vbi non sitiat Dominus qui factus vinum sitit & potum rogat ex partetibus? Accipite Chrysost. hom. 2. in Epiph. *In hac mensa spiritualium fons emanat bonorum, & hanc tamen statim relinquam, & currit ad sheatrum* [illegible] *et illud aspicias, sedentem iuxta* [illegible] *Christum* [illegible] *modo supra fontem sedet non nam Samaritane* [illegible] *nuuc Ecclesiam* Nec aliud loquitur quam, da mihi bibere. vt vel sic sui ipsius in cruce præferat similitudinem. Etenim vtrobique sitit, nec vtrobiq; vult bibere, ait enim, & cum gustasset noluit bibere, & quidem à nulla creatura indiget accipere, cùm ille fit qui omnia fiat creaturis. Id quod pulcherrime explicatum est diuinorum sponsorum colloquio. Vbi sic, sicut Rosmarinus* [illegible] *inter* [illegible] *lignis* [illegible] Ecce [illegible] sponsis est sponsæ

Arnold.

Chrysost.

Cantic. 2.

sponsæ pomum, quæ vesci & recreari possit aspectu & odoratu illius, verum sponsa sponso rosa est, & quis rosam Nissen. manducet aut bibat? Ita verba dicta proponit D. Greg. Niss. hom. 4. in Cant. pro quibus dicit, *Recte vidit sponsa quæ sit sui à Domino differentia, quoniam ille quidem & nobis fit lætitia oculorum, vt qui eis fit lux, & vnguentum odoratui, & vita comedentibus; nam qui eum comedit viuit, vt dicit Joan. 6. humana autem natura perfecta per virtutes solum fit flos non agricolam nutriens; sed se ipsam exornans, ille enim non est bonorum nostrorum egens; sed nos illius bonis egemus.* Expendo illud, quod vbi Deus omnia nobis fit, & lux oculis, & odor naribus, & esca gustui, qua vescamur in vitam; natura nostra quantumuis plena virtutibus tantum illi fit flos, non agricolam nutriens, nullo modo pascens Christum, adeo, vt inter dapiferas mésas, inter crateres plenissimos ipse esuriat & sitiat, cum nihil à nobis accipiat. Sed quis credat, quod nihil à nobis Dominus accipiat? Quod tanto exhibito hominibus conuiuio nullum sibi emolumentum acquirat? hominibus, inquam, qui florentes virtutibus, qui puritate candidi sese in diuinum obsequium effundunt? Sanè cibus ipse qui datur ostendit omnia bona sic dari suscipienti, vt nihil sibi dator ipse relinquat. Ioseph ille Ægypti Prorex fratres audit ementes triticum, de pretio paciscitur cum illis, quod etiam videtur accipere, sed exhibitum ab illo triticum si inspicias, & triticum & ibi latens totum pretium inuenies, vt pateat, nihil ex venditione illa apud venditorem relinqui. Id quod expendit & componit cum Christifero tritico Cellens. Abb. Cellens. de panibus c. 1. dum inquit, *Liberalitatis opus cum sagacitate venditionis fratribus suis Ioseph exhibet. Sed libet in mensa cœnæ Domini, & in conuiuio Joseph lucem & vmbram præ oculis ponere. Larga manu Ioseph quorum ventres suis impleuerat bonis, saccos nihilominus quantum possunt capere frumento repleт, & pecuniam propriam in ore sacculorum ligat latenter, &c.* Ecce vobis lucem & vmbram. Iosephum, & Christum: ille inter frumenti mensuras expetit, & petit nummos: hic inter crateres plenissimos sitit, & petit, Da mihi bibere. Sed ille cum sagacitate venditionis largitatem ostendit, suam exhibens plenos saccos frumento, in quo latens integrum pretium restituitur, nihil ipse reseruans sibi. Hic nimirum Christus Dominus cum sagacitate sitis & famis longè liberalior eam frumenti & vini tribuit plenitudinem, qua impleantur fideles cuncti. Quod si hoc diuinum enolutas triticum, inibi inuenies latens pretium omne quod pro illo dedisti, adeò, vt constet omnia in tuum cedere emolumentum, nihilque à Christo Domino receptum sibi.

§. XV.

In Eucharistia, sicut in cruce consummationem ponit suorum facinorum.

PRetio sanguinis sui pro mundi redemptione exsoluto, dixit Dominus in cruce, *Consummatum est*, quasi ibi iam ex parte redemptoris consummata fuerit humana felicitas: sed potentiùs crediderim hanc factam esse in Eucharistia consummationem nostræ salutis, per singularem applica- Genes. 27. tionem. Annon aiebat ille Genes. 27. *Frumento & vino stabiliui eum, tibi vltra quid faciam?* quasi in frumento & vino sit Paschas. omnis consummata benedictio. Ad quæ D. Paschas. de corpore, & sanguine Christi, c. 21. inquit, *Hoc est apertè dicere, Firmaui eum pane corporis Christi, & vino sanguinis; tibi autem fili vltra quid faciam? Putas ne, si fueris indignus tanta gratia, vllus quòd polleas bonis, vltra quam nihil amplius in hac vita præstitur?* Ecce bonorum omnium consummatio corporis & sanguinis Christi frumento, & vino clauditur, exhibito namque hoc diuino epulo, nullum vltra bonum restat hominibus communicandum. Hinc duo loca lucem accipiunt. 1. Cor. 3. Alterum ex 1. ad Cor. 3. vbi sic, *Lac vobis potum dedi tanquam infantibus:* alterum sumitur ex Exod. cap. 3. aientis, *Ducam vos in terram lacte & melle manantem.* Quæ duo loca expen- Cl. Alex. dens D. Clem. Alex. 1. Pædag. c. 6. meritò dubitat, cur cùm lac à natura, & à Paulo promittatur paruulis infantibus, vt in eo crescant, & alantur; rursus fortissimis viris vinentium terram ingressis, post bellorum puluerem, post mille victorias partas lac ipsum exhibeatur? Et hic vbi pueritia, vbi hominum alitur infantia, lac datur; & ibi vbi vincentium coronæ & præmia sunt, iterum lac; cur ita? Pulcrè respondit Clemens, *Iure iusto rursus lac Dominus pollicetur, vt apertè verbum esse, vtrumque ostendatur, Alpha & Omega, principium & finis.* Etenim vbi hic datur lacteum hoc conuiuium, verbale hoc Eucharistiæ lac, ibi omnium bonorum datur finis & consummatio, nil amplius restat, quod Deus possit dare. Post prælia mille, post victorias celebratas nil aliud obtinebis, quam hoc ipsum quod puerulus & infimus in Eucharistia capis. Ibi est Alpha, & Omega, principium & finis omnium bonorum, ibi capis, quo hic saginantur paruuli, & quo vescuntur in Sanctorum terra victrices potestates. Hinc summam hominis felicitatem miratus in Eccles. 5. ait, Eccles. 5. *Cui dedit Deus diuitias, atque substantiam potestatémque ei tribuit, vt comedat ex eis, & fruatur parte sua.* Ecce tibi felicissimus homo est, cui id obtigit conuiuium, in quo suam partem, hoc est, integram comedat suam hæreditatem, vltra quod nulla ei remaneat pars alia hæreditanda. Sed quod conuiuium est hoc? Olympiod. id explicat aiens, Olymp. *Qui manducat carnem filij hominis, & bibit eius sanguinem, iste à felicitatis partem hic aliquam, fruitionémque accipit.* Quod in vltima hominum felicitate à nobilibus triumphatoribus conuiuio manducamus.

§. XVI.

Christus in Eucharistia manibus purissimis instar Dei Patris manum amat tractari.

SAcrilegas carnificum expertus manus Christus Dominus, paternas iam appetens vlnas moribundus dicit: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*, quasi ex tunc insinuans quibus velit haberi manibus, nempe manibus Patris diuini. Non iam panis hic viuus conterendus traditur impiis manibus; sed solis paternis manibus exhibendus est, vt refectionem & saturitatem afferat. Monebat D. Bernard. Bernard. sermone de Natiuitat. Mariæ nullum opus offerri Deo, nisi per manus matris. Etenim ait: O homo, quidquid illud est, quod offerre paras, Mariæ commendare memento, vt eodem alueo, ad largitionem gratiæ, gratia redeat, quo influxit. Nec enim impotens erat Deus, & sine hoc aquæ ductu impendere gratiam prout vellet, sed sibi vehiculum prouidere voluit. *Forte enim manus tuæ sanguine plenæ sunt, & ideo modicum illud quod offerre paras, gratissimis illis Mariæ manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam.* Sic ille, & tu similiter Eucharistiæ sacrificium gratissimi siue Matris, siue Dei Patris manibus offerendum trade ne patiaris repulsam. Hoc sciuerãt cœlestes illi spiritus, qui apud Ezech. cap. 1. visi sunt tanto Domino ministrare, *sed manus hominis sub pennis eorum.* hoc est, vt inquit Theod. *manus sub alis erant absconditæ.* quandoquidem nullam manum Dominus patiebatur; nisi paternam manum. Sic Abbas Cellens. Cellens. lib. de Panib. c. 1. *Primul absistit creatura omnis ab hac administratione, quæ bestia, quæ tetigerit montem, lapidabitur. Manum subtrahat Seraphin, quia huiusmodi manum aliam non admittit, quam solius dexteræ Dei, nempe Patris.* Iam nullus Oza audeat noui testamenti arcæ prætendere manus, siquidem & Seraphim ipsi charitate feruidi, puritate conspicui purissimas suas subtrahunt manus. A solis æterni Patris manibus spectet hunc viuidum panem quicumque sapiens est, quicumque illo cupit exsaturari. Sic iam sibi redditus prodigus ille alter, Lucæ 15. memor cœlestis panis, quo li- Luc. 15. cet vesci etiam mercenariis, ait: *Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam: Pater, peccaui in cœlum, & coram te.* O quàm sapit, quod nullas alias, nisi Patris manus memorat, ex quibus sperat se posse accipere diuini epuli saturitatem! Pulcre Tertull. lib. de Pudicitia, c. 9. *Recordatur Patris Dei,* Tertull. *satisfacto redit, vestem pristinam recipit, annulum quoque accipit, atque ita exinde opimitates Domini, [illegible]* Expende illud, recordatur Patris Dei, nullus illi alius venit in mentem, nisi cœlestis pater, de cuius solius manibus potuit de viuifico epulo saginari. Ad omnes fatiscentes locutus Clem. Alexand. in adhortat. inducit diuinum verbum Cl. Alex. sic alloquens: *Solummodo, o Fili, patrem sitias, Deus tibi gratis ostenditur, & lac tibi & volatilia, & natalitia, & terrestria. Hæc tibi alimenta iàm parata est Pater.* Nullum alimentum, nullum epulum expetendum nisi à Patre cœlesti, ipse solus hominum alimoniam curat, ipse suis manibus traditum habet panem viuum, & vinum germinans virgines. Quocirca solummodo Patrem sitiant, solummodo Patrem esuriant, qui de opimitate Domini corporis satiari cupiunt. Eliæ quum ministrabat coruus epulum, quotidie comedebat, & quotidie famescebat nec extra speluncam ambulabat; verùm cum eidem panem attulit Angelus, adeò reficitur, vt quadraginta diebus ambulauerit in fortitudine cibi illius. Vide meritò verbum diuinum qui non temporalem refectionem, sed æternam hominibus medita

me itatur tanti, ne animal, ne Angelus; ſed ipſe Deus acciperet hunc panem communicandum, vt ex diuinis manibus guſtarent vniuerſi tanti epuli fortitudinem & opimitatem. Id quod videtur attigiſſe D. Paſchaſ. lib. de corp.
Num. 6. Chriſti, cap. 15. vbi premit illud Num. Aaroni à Deo dictum: *Inuocabitis nomen meum ſuper filios Iſraël, & ego benedicam*
Paſchaſ. *eos.* Ad hæc Paſch. *Sacerdos ergo inuocat; ſed Deus ipſe benedicit, & frangit: quia niſi Deus frangeret hunc panem, paruuli omnes ieiuni remanerent.* Ecce tibi quàm in hominum commoditatem panis viuus ſe tradat, in diuini Patris manus, vt inde ſumant vniuerſi paruuli maiorem tanti cibi ſaturitatem. Ecce quam vtiliter acceſſurus ad altare ſolius cœleſtis Patris mentionem facis, ſolum Deum Patrem ſitis, & e... de cuius manibus Domini corporis opimitate ſaturaberis.

Dionyſ. Rem ſtruit Diuus Dionyſius Alexandrinus epiſtolà ad Samoſatenum, vbi adducens illud D.Pauli, *Exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens*, ita fatur Dionyſius. *Seipſum exinaniuit, non relinquens Patrem, vt à nobis capiatur, abſit, imò ego, inquit & Pater, ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Exinanitionem dicit factam ad nos, ad capiendum ſacramentum vitæ per puras, & incorruptibiles, & diuinas ipſius manus, vt poſſimus fideles capere ipſum, ac fieri manſio Dei, accipientes eum totum.* Itaque Chriſtus Dominus non diuiſus à Patre, ſed cum Patre exinanitus in Euchariſtia venit ad nos, vt nos illum capiamus per puras & diuinas Patris manus; & ſic Patris, & filij manſio fiamus.

§. XVII.

A Chriſti Domini latere in cruce aqua in Euchariſtiam manauit, vt homines alites faceret.

Solemniſſimum omnibus eſt Euchariſtiam à Chriſti Domini manaſſe percuſſo latere; ſed mirandum, quòd inde manet aqua. Vbi Euchariſtia in aqua? Vbi tantus potus adeò nectareus dicitur aqua? Sanè Iſaias 49. de fideli-
Iſai 49. bus dicebat, *non eſurient, neque ſitient*: quod referens Diuus
Cyrill. Cyrill. Alexandr. ad cibum, & potum Euchariſticum fatur. *Poſtquam conſecuti ſumus miſericordiam, habuimus cibum vitalem animæ. Comedimus enim panem de cœlo, & bibimus aquam viuam, de qua Dominus dixit Samaritanæ: Qui biberit ex hac aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum.* Cur Euchariſtia aqua? an quia ex illa incubante ſpiritu euolant homines in cœlum alites regenerati? Planè aqua in principio repleuit pennatis alitibus cœlum, ita modò hic viuificus potus, ... Euchariſtica aqua cœlum replet volucribus
Matth. 24. pennatis. Dicebat Dominus apud Matth. 24. *Vbi fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ*, vt ſic pennatos fideles ad cœlum vſque euolaturos effingeret. Sed vide quo è nido volaturæ hæ alites, nimirum vbi fuerit corpus Domini, ibi
Ambroſ. nidus, ibi perpetes exſurgunt alites. Sic D.Ambroſ. lib. 4. de Sacramentis, cap. 2. *Bonæ aquilæ circa altare. vbi enim corpus, ibi & aquilæ. Forma corporis altare eſt; & corpus Chriſti eſt in altari, aquilæ vos eſtis.* Ecce altare, ecce corporis Chriſti nidus, vbi qui quondam reptilium induimus naturam, iam volucres facti cœlum replemus volatu. Ex quo in altari corpus Chriſti Domini apparuit, ex quo altare manauit viuificante Euchariſtiæ aqua, plumeſcunt fideles, & euolant facti alites. Vt meritò dicat D. Anaſtaſius Sinaita in Hexaem. lib. 7. *Hæ ſunt volucres, quæ rapiuntur in nubibus obuiam Chriſto, de quibus etiam dicebat, Vbi eſt corpus, ibi congregabuntur & aquilæ, quæ ſupplantatorem noſtrum ſerpentem ſuffocarunt.* Sanè alitem carnem, qua in regeneratione Chriſto per aëra ibimus obuiam, hic diuinus cibus, & potus in nobis parturit; huic effectus eſt, quod volucres ex ſepulcro renaſcentur, quod reptantis ſerpentis contrito capite aqui-
Paulin. linos perpetes imitemur volatus. Huc reſpiciebat Diu. Paul. epiſt. 9. quando dicit. *Cum hoc pane ſaginamur, ſerpens tabeſcit, cuius fames & pœna eſt cibus vitæ noſtræ Chriſtus Ieſus qui factus eſt nobis in eſcam.* Intuere modo homines qualiter cùm manducant hunc panem, quicquid in ſe ſerpentinum eſt, tabeſcere faciant, & adnatis alis aëra perpeti tranent volatu, vt Chriſto obuiam procedant. Vah quàm maleſuadus tabeſcit ſerpens, cum à Chriſti corpore videat tot aquilarum alas euolare! Hinc iam colligere licet quantus ſit eorum pudor, qui vbi alij fiunt aquilæ, ipſi necdum plume-
Chryſoſt. ſcant. Equidem D. Chryſoſtom. homil. de ſacra & diuina menſa, conſiderans beatiſſimos illos Seraphinorum choros ante Dominum obuelare faciem, ſic fatur. *O miraculum! menſa ... magnificè inſtructa, in qua Agnus Dei pro te mactatur, ad quam aſſiſtunt Cherubini, deſcendunt Seraphini, qui ſenis præditi alis vultus demittunt.* Proh hominum nefas! Seraphinos ſenis præditos alis adhuc pudet huic menſæ ſtare, & nos implumes omnino, elata ceruice ambabus buccis manduca-
bimus? O quàm id pungebat D. Athanaſ. orat. in Paraſceuem, vbi inquit: *Occiſa eſt hæc hoſtia propter te, & tu deſeris illam ipſam immolatam aſpiciens. Vbi cadauer, inquit, ibi & aquilæ; ſed vt canes accedimus, tanta noſtra eſt impudentia.* Quid dolendum magis? Vbi volandum erat, ibi reptare? Vbi dulciſſimæ vocis modulamina, ibi latratus? Vbi aquilæ eſſe debebamus, ibi canes. Sed qualiter canes? Id explicat D. Anaſt. Sinait. de ſancta Synaxi, dum ait: *Alij non dignantur vſque ad finem adeſſe; ſed per alios interrogant, quidnam in Synaxi agatur, & num tempus communionis adſit, & tunc præpropere canum inſtar inſiliunt, & pane myſtico rapto exeunt.* Hæc Sinaita, & rectè multorum accedentium ad altare mores effigiauit. Athanaſ. Sinaita.

§. XVIII.

Vt in cruce, ſic in Euchariſtia à ſuorum pectoribus expellit ſeruilem timorem.

Defuncto in cruce Domino Ioſeph ab Arimathia, qui antea murmur populi metuebat, ne Chriſti Domini ſe diſcipulum profiteretur; modò, vt ait Marc. cap. 15. *audacter introiuit ad Pilatum, & petit corpus Ieſu.* O quàm impauidi redduntur, qui diuino madent ſanguine! Non ſinit ſanguis diuinus, vbicumque accipitur, ineſſe timorem, ſemper ſui ſimilis eſt, ſiue in cruce, ſiue in calice ſuos audere facit. Hoc habet ſingulare volucrum ſanguis, quod ſi à rapacibus alitibus bibatur, eas facit, omni metu poſito, in prædam audere. Ex quo eleganter notat Imperfectus, Pſalm. 109. quàm validi, quàm intrepidi fiant quicumque de Chriſti Domini ſanguine ſaginantur. Etenim Iſaias 49. aiebat. *Vocans ab Oriente auem virum voluntatis meæ.* Circa quod Imperfectus fatur, *Auis iſta re vera in Euchariſtiâ ſumitur, & ideò ſanguis eius magnam audaciam ſtrenuè ſuam prædam capiendi confert.* Quid non audeat ille, qui ſanguine hoc pretioſo viuit. Sanè vbi tanto ſanguine aluntur Chriſtiani, eam ebibunt audaciam, qua vniuerſas poteſtates contrarias rideant, & omni timore liberi in ardua virtutum cacumina proſiliant. Pulcrè D. Auguſt. ſerm. 122. hoc ſanguine armatus venenatas dæmonum ſagittas ſic exſufflat: *Ille ſanguis, quem effudiſti, ô dæmon, te vicit; me redemit. Denique illum bibo, & venena tui perniciem vltrà non timeo.* Nil nos timere ſinit diuinus ſanguis, vt perfectæ charitatis eſt ſignum, ſic foras expellit vniuerſos timores, non crudi, indigeſtique pomi venenum timendum eſt: vbi accipitur potus iſte ſuauis, non venenatæ dæmonum ſagittæ, non hoſtiles incurſus. Quid plura? nec peccatorum ſupplicia permittit vt timeamus. Ita D. Cyrill. ad cap. 165. Iſaiæ ait. *Qui quidem potus cœleſtis lætitiæ participes nos efficere poteſt: purgat enim peccata, & extrahit quod mœrore afficit, nec patitur, vt metus ſupplicij animas noſtras perterreat.* Euge, euge! vos tali pabulo reficimini, ô quàm omni metu liberabimini! ô quàm impauidi vitam agitis! ô quàm audacter poteſtis petere corpus Ieſu! quanta audacia à valle hac lacrymarum in æterna gaudia poteſtis anhelare! Ille dicebat Pſalm. 68. *Pauper & dolens ego ſum: ſalus tua Deus ſuſcepit me: laudabo nomen Dei cum cantico: & magnificabo eum in laude.* Quid pauper & dolens cum cantico? Modò in paupertate & dolore, & ſtatim in cantilenam audet? Vnde hoc illi aduenit? D. Auguſt. *Iam dictum eſt, quòd pauper iſte laudat nomen Dei cum cantico, magnificat eum in laude. Quando auderet cantare, niſi recreatus eſſet à fame?* Vbi cœleſti recreatus fuit adipe, vbi menſæ diuinæ adfuit, iam nihil timet, nihil dolet, non paupertatem, non miſeriam luget, ſed excuſſo cum fame timore, & lacrymis in cœleſtia gaudia audet euolare, imò ad ſe cœleſtes cantus trahere audet. Marc. 15. Iſai. 49. Auguſt. Cyrill. Pſalm. 68. Auguſt.

§. XIX.

Cibus Euchariſticus in cruce commendatur, vt ſit verus cibus ſcientiæ boni & mali.

Ecce tibi noxia illa in paradiſo arbor; in Caluario & vtilis, & neceſſaria nobis apparet. Arborem ſcientiæ boni & mali aſcendit in hortis voluptatis ſerpens, & inde eſum perſuaſit cum promiſſo fallaci de apertione oculorum, ſed iam prudentiſſimus hominum Dei filius factus peccatum, factus ſerpens arborem crucis ſcandit in Cal-

 uario,

uario, & inde verissimè nobis cibum commendat, quo veram scientiam & illuminationem oculorum acquiramus.
August. Accinit D. Augustinus concione 1. in Psalm. 33. fatus. *Verum illum quo pascuntur Angeli, sempiternum manducabit homo: saginantur illo Angeli: sed semetipsum exinaniuit, vt manducaret panem Angelorum homo. Humiliauit se factus obediens vsque ad mortem: mortem autem crucis, vt iam de cruce commendaretur nobis caro, & sanguis Domini.* Expende illud, vt iam de cruce commendaretur nobis caro & sanguis Domini. Et quidem scientia boni & mali suspecta deberet esse sensato homini; quid necessum erat scire malum, maximè illi, qui creatus erat in deliciis paradisi Dei sui, cui omnia bona patebant? & solum malum tanquam primæuæ felicitati contrarium erat vetitum. Sanè nunquam in paradiso cibus scientiæ boni & mali commendaretur, nisi a serpente seductore; verùm in Caluario, in loco morte punitorum, in cruce iam à prudentissimo verbo Dei commendabilis est cibus, qui verè per experientiam mali præstabit nobis fruitionem summi & inamissibilis boni. Vbi arbor crucis in Caluario apparuit, ostensum est quantum mala & ærumnæ possent prodesse homini. Vnde Dominus ad suos ait, Matth. 10. *Estote*
Matth. 10.
Remig. *prudentes, sicut serpentes.* quod explicans D. Remig. ait: *Serpens decepit primum hominem, callidus fuit hostis ad decipiendum, vos sitis prudentes ad laudandum. Laudauit ille lignum: vos laudate crucis virtutem.* Iam non obest homini notitia mali; imò multùm prodest malorum & ærumnarum tolerantia. Itaque crucis arbor, in qua vera mali, & boni scientia fugitur, iam adest commendabilis. Et verbum ipsum Patris, sicut serpens isti insertus arbori esum sui corporis nobis enixè commendat, & persuadet, quo per ærumnarum & malorum tolerantiam sciamus summum cœlestis gloriæ
Sinaita. bonum expiscari. Hinc D. Anastas. Sinaita in Hexaëm. lib. 3. ait: *Ecclesia germinat lignum crucis, sed nobis solum fertile: faciens autem fructum & aspectu pulchrum, & bonum ad vescendum, nempe Christum crucifixum, quem colligimus ex parte iusti latronis.* Nosti ex signis fructum arboris, quippe is erat fru-
Genes. 3. ctus scientiæ boni & mali, de quo Genes. 3. *Vidit mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectúque delectabile.* Itaque vna Ecclesia verè parturit hanc arborem scientiæ boni & mali, arborem, inquam, crucis, quæ facit fructum bonum ad vescendum, & aspectu pulcrum. Sed expende, qua ex parte possis hunc fructum decerpere, nimirum, *quem colligimus ex parte boni latronis.* Non ex loco voluptatum, non ex deliciarum hortis: ibi & vetitus, & detrimentosus fuit homini cibus scientiæ boni & mali; sed ex cruce, ex malorum & ærumnarum tolerantia, ex crucifixi similitudine licet hunc cibum corporis Christi decerpere, vt in paradisi bona per illum restituamur. Sic monet
Gregor. Gregor. Rom. lib. 4. Dialogorum, cap. 59. *Necesse est, vt cum hæc agimus, nosmetipsos Deo in cordis contritione mactemus; quia qui passionis Dominicæ mysteria celebramus, debemus imitari quod agimus.* Si ex parte boni latronis, nimirum mactati, in crucem acti tutò decerpimus fructum, quo per malorum tolerantiam in æterna bona euolabimus.

§. XX.

Cibus Eucharistiæ vt in arbore scientiæ boni & mali, nempe cruce decerpitur, sic hominum oculos illuminat, & aperit.

O Verè panem vitæ, & intellectus! verè fructum scientiæ boni & mali! Dulcissimum sane famem, quo hominum oculi illuminantur. Vis videre, quàm verè sit hic cibus fructus scientiæ, quam verè oculos aperiat, accipe a
Luc. 24. D. Luca cap. 24. historiam Discipulorum, qui ad Emaus pergebant enarratam. *Factum est, dum ipse recumberet cum eis, accepit panem: benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum.* Ad hæc D. Anastas.
Sinaita. Sinaita in Hexaëm. lib. 10. *Ecce habes esum, habes etiam per eum visus recuperationem, & Dei agnitionem, quam prius ignorauerant Protoplasti.* Is solum cibus, qui Domini manibus diuisus, & nobis traditus verè oculos aperit; ipse solus mentem illuminat; ipse verè scientiam boni & mali
Ephrem. communicat mortalibus. Hinc B. Ephrem serm. de iudicio, premens miraculum illud, quo cœcus à natiuitate in Siloa missus illuminatus fuit, sic in rem propositam exultat, *Si prouidi à nobis est Siloa, ad quam misit est cæcus; sed præstabilis calix sanguinis tui plenus vita & lumine in proximo est, tanto propinquior, quantò qui accipit purior fuerit.* Ecce tibi calix, qui & enutrit, & aperit oculos, & illuminat mentem, qui simul vitam præbet, & illuminationem, qua per tolerantiam ærumnarum, per ipsum lutum mortalitatis & fragilitatis nostræ obtinemus cœlestium bonorum cognitionem. Fallor, nisi hoc præsensit Dauid Psalm. 35. vbi ait. *Quoniam* Psalm. 35.
apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Equidem siquidem fons vitæ erat illi Deus, meliùs dixisset. & in poculo tuo nutriemur in vitam? Quid est quod dicit fonti, & in lumine tuo videbimus lumen? Vnus id Augustinus August.
dulci & eleganti serm. pertractat. *Hic, ait, est aliud fons, aliud lumen, ibi non ita, quod enim est fons, hoc est & lumen. Si diceres, quòd lumen est solum, diceretur tibi, sine causa ergo mihi dictum est, vt esuriam, & sitiam. Quis enim est qui manduces lumen? Si lumen est, oculis meis patet, patet & faucibus, quia illud quod lumen est, & fons est: fons, quia satiat sitientes: lux, quia illuminat cæcos. Hic aliquando alibi lumen, alibi fons, aliquando enim currunt fontes in tenebris, & aliquando in eremo patieris Solem, & non inuenies fontem. Hic ergo possunt ista duo esse separata, ibi non fatigaberis, quia fons est, non tenebraberis, quia lumen est.* Quid dulcius? Sanè vnus Christus in arbore crucis cibum hunc inuenit, qui cibus scientiæ sit, qui cibet, & illuminet, qui os impleat, & oculos aperiat. O Dei sapientiam! O cibum scientificum! O panem Angelorum! Etenim innatum est Angelis vti inuisibili cibo, nempe quibus cibus est visio Dei, diuinarum virtutum cognitio. Sed iam panem Angelorum manducauit homo, quando illi exhibitus est cibus, qui & oculos aperit, & illuminat. Ita D. Hilarius homilia 5. de Paschat. *Et quis panis Angelorum nisi Christus, qui os cibo suæ charitatis, & lumine suæ claritatis exsatiat?* Hæc ille.

§. XXI.

Corpus Christi vt in sepulcro, sic in corporibus nostris curandum est virtutum odoramentis, maximè mortificationis, & pœnitentiæ.

A Cruce descendit frumenti granum in terram sepulcri, à quo integrum Christi corpus inter odoramentorum fragrantias suscipitur. Etenim gaudet Dominus vbique in odoribus deponi: qui mos illi innatus est ab vtero Virginis, de quo ait Cantic. 7. *Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus* Cant. 7.
lilys, quasi ex tunc innueret, qua pensione se Dominus manducandum præbeat sub speciebus tritici, nempe quòd mille condatur, & condiatur odoramentis virtutum. Memorat Isaac Genes. 27. se muniuisse Iacobum *frumento, &* Genes. 27.
vino, quod idem fuit, ac si diceret iuxta D. Paschasium, Paschas.
lib. de corpore Christi cap. 21. *Frumento cum pane corporis Christi, & sanguinis vino.* Sed libet notare quando Iacob accepit à fratre tam ingentem benedictionem panis & vini Christiferi. Etenim dicitur: *Statimque vt sensit vestimentorum illius fragrantiam, benedicens illis ait. Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus. Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini.* O quàm benè frumentum, & vinum Christiferum non conceditur, nisi odoramentis pleno filio! Vbi Iacob vestimentorum odores exhalat; vbi odoribus patrem recreat: dignus fit qui frumenti & vini benedictionem recipiat. Frumenti, inquam, illius, qui nescit esse nisi vallatus odoriferis virtutibus. Quocirca Drogo lib. de Sacramento Passionis hor- Drogo.
tatur participantes cœlestem cibum, *Esto apis virginea, colligé de flosculis Mariæ.* Hinc Euthym. notans, corpus Christi Euthym.
odoribus in sepulcro conditum, ait: *Et nos Domini corpus in altari accipientes, odoramentis illud virtutum suauium circumdemus virtutum operibus.* Et quidem omnium virtutum odores mùltum conducunt, vt Christi corpus in pectore debito honore condiamus; verum myrrhæ odoramentorum mortificationis & macerationis virtus ea est, quæ locum Christo excipiendo maximè aptat. Etenim quantum de maceratione habueris, tantum de Christi corporis virtute haurietis. Nouit hoc experientia ipsa cœlestis sponsa, quæ dum in lectulo quieta sponsum expectabat, existimans se ostium habere apertum, quo sponsus introiret; didicit non fuisse apertam nisi paruam fenestram, quæ vix caperet sponsi manum. Ait enim: *Dilectus meus misit manum suam per foramen.* Cur per foramen? Psellus apud Theodoretum dicit: *Ego ostium meum aperui, vt Christum verbum & sponsum meum susciperem; tamen vix manus eius, eiusque sola immissa est: itaque magnitudinem ipsius mecum reperire sum admirata.* Quid plura? vt sese ad totum sponsum excipiendum accingeret, vt id ostium aperiret, quod integrum sponsum caperet, ait: *Surrexi, vt aperirem dilecto meo: manus meæ distillauerunt myrrham.* Quasi

Psell. Quaſi diceret, iuxta Pſellum: *Ego vt ſponſum exciperem, aperui: at ille penetrabilibus meis capi non poterat. Surrexi ad laborioſum, & magis diuinum ordinem, vt quem antea non potueram capere laboribus multis, & carnis mortificatione, latiorem portam patefaciens ſponſum comprehenderem. Vnde manus meæ cum digitis continentes myrrham diſtillarunt.* Equidem vbi myrrheus odor eſt, vbi mortificatio, & carnis maceratio, ibi conditur & requieſcit Chriſtus: & quò maceratio creuerit, eo latior aptatur locus, qui plus de Chriſti virtute capiat. Paſchaſ. Quocirca ſic monet D. Paſchaſ. ſæpè dictus cap. 17. *Ideò, Fili, hoc myſterium dum communicas, dilata ſinum mentis tuæ, emunda conſcientiam, & percipe non quantum mica exhibet; ſed quantum fides capit; quia in Chriſto plenitudo diuinitatis manet, in te autem de plenitudine non quanta eſt; ſed quantum idoneus fuerit, præſtatur.* Hæc ille.

§. XXII.

Non ſolùm mortis, ſed & reſurrectionis Dominicæ memoria fit in Euchariſtia, dum per illam quicquid animale eſt deponimus, & ſpirituales euadimus.

1. Cor. 15. VIs Chriſtiferæ reſurrectionis imaginem in Euchariſtiam effigiatam? Accipe D. Paulum 1. ad Corinth. 15. de reſurrectione loquentem. *Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione; ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria; ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute; ſeminatur corpus animale, ſurget ſpirituale.* Quid plura? Omnia hæc nobis præſtat Euchariſtia, qua ſimus incorrupti, glorioſi, validi, ſpirituales, depoſita prorſus corruptione, ignominia, infirmitate, corpore animali. Primò enim incorruptionem prætendimus, cùm igneis paſti Euchariſtiæ flammis, mediis his flammis nitidi conſeruamur. Id quod vſque modo miratur Ephrem. D. Ephrem lib. de natura Dei non ſcrutanda, cap. 5. fatus. *Hoc ſanè excedit omnem admirationem, quòd fecit nobis vnigenitus filius Chriſtus Saluator noſter, ignem & ſpiritum manducandum & bibendum præſtitit nobis carne veſtitus, corpus ſcilicet & ſanguinem ſuum.* Rectè ignem vocat cibum Euchariſticum, ignis enim eſt Deus, qui à principio dicit præſtare quòd vigeat rubus incorruptus mediis flammis, viget rubus in igne, & corpora noſtra ipſo ab igne ſatura, incorruptionem Iren. præferunt, & immortalitatem. Vt dicat D. Irenæus, lib. 3. cap. 33. *Corpora noſtra percipientia Euchariſtiam iam non ſunt corruptibilia, ſpem reſurrectionis habentia.*

Deinde ex hac menſa, ignobilitate depoſita, ſurgimus in gloriam, hoc eſt, gloria, & honore fulgemus candidati. Ignat. Vnde D. Ignatius Martyr epiſtola ad Epheſios, ſic fideles vrget. *Feſtinate ergo frequenter accedere ad Euchariſtiam, & gloriam Dei.* O vos, qui tenebroſi & abiecti originis maculis fœdamini, ecce gloriam, ecce decorem & nobilitatem in Euchariſtia, qua inter glorioſiſſimos quoſque poteritis verNum. 11. ſari. Panis ille cœleſtis manna Num. 11. dicitur fuiſſe *coloris bdellij*, ſiue vt alij codices habent, *ſimilis Margaritæ*. Et quiEphrem. dem de Margarita ſic fatur D. Ephrem ſerm. de illa. *Margarita pretioſa è mari eſt magnæ æſtimationis; non tamen cibum præbet, ſed gloriam; neque potus oblectamentum; ſed claritatem nominis.* Nec Regnum Dei eſt eſca & potus, nec cœleſtis panis inuentus, vt corpora præcipuè ſaginet, ſed vt illa veſtiat gloria, non vt corruptibilem nutritionem exhibeat; ſed vt nominis claritatem, nobiléque præbeat ſtemma. Huc reſpexit Zacharias cap. 9. Quid bonum eius, & quid pulcrum eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans VirPaſchaſ. gines? Quod D. Paſch. cap. 21. ſic extendit, *non niſi electorum eſt cibus, ex quo bonum ſalutis Eccleſiæ, & pulcritudo decoris præſtatur. Bonum quippe, vt ad vitam æternam proficiamus. Pulcrum verò dum immortalitatis gloria veſtimur, & vt interius ſinamur vitæ dulcedine, & exterius fulgeamus nitidius de tanti beneficij gratia.* Ecce tibi, quam per Euchariſtiam depoſita ignobilitate ſurgamus in decoris & nobilitatis gloriam. Merito de Euchariſtico poculo loquutus ait D. Chryſoſt. homil. 61. ad Pop. *Hic terrarum orbis eſt pretium, hoc Chriſtus emit Eccleſiam, hoc eam adornauit; ſicut enim homo ſeruos emens aurum erogat, & rurſus eos ornare volens, id auro facit, ſic & Chriſtus & ſanguine nos emit & ornauit ſanguine.*

Rurſus poſita infirmitate ſurgimus in virtute. Nullibi enim magis homines confirmantur, quàm in hac menſa, à Iſai. 21. qua poteſtates debellant inimicas Iſaias 21. *Pone menſam, contemplare in ſpecula comedentes & bibentes, ſurgite Principes, arripite clypeum.* Sanè à menſa adeò in virtute ſurgunt, adeò validi & fortes, vt meritò iubeantur arma capeſſere, vt Hieron. hoſtilibus incurſibus reſiſtant. Ita D. Hieron. ad hunc locũ, *vt comedentes & bibentes corpus & ſanguinem Chriſti vertantur in Principes Eccleſiæ, arripiántque clypeum fidei, in quo poſſint ignita diaboli iacula extinguere.* Expende illud, vt comedentes & bibentes corpus & ſanguinem Chriſti, quid mirum, quod comedentes confirmentur? Altius quid excogitauit diuina Sapientia de præſtantiſſimo hoc cibo, dum putat illum non ſolum cùm manducatur; ſed etiam cùm ſolum oſtenditur & appetitur, poſſe proficere ad excitandas vires. Enim verò Prouerb. cap. 9. dicitur. *Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem, poſuit menſam, miſcuit vinum, & miſit ancillas ſuas, vt vocarent ad arcem & ad mœnia ciuitatis.* Prou. 9. Ecce tibi cùm primum menſam proponit, claſſicum canit, & ad ſuperanda mœnia, arcémque expugnandam inducit. Memini aliquando Dauidem ſitibundo exercitui potum denegaſſe, donec belli eſſet finis. Cur ita? Pulcrè Ioſephus de Machabæis dicit, *vt & maior bellantium eſſet inſtantia, ſi non pro victoria tantum; ſed & pro poculis propugnaretur.* Ioſeph. Quaſi poculorum appetitus validiores reddere poſſet milites. Eo aſtu Sapientia ponit menſam, & miſcet vinum; ſed ad bellum ante eſum vocat, vt ſuperentur muri. Gnara quantum valeat diuini cibi appetitus ſolus ad acuendas pugnantium vires; vbi & pro victoria, & pro poculo hoc diuino bellum ſuſcipitur. Huc refert D. Paulinus epiſt. 4. ingentem Magdalenæ virtutem, qua mulier ante infirma, ruptis conſuetudinis vinculis victa & victrix ſeſe proiecit ad pedes Chriſti. Vnde fœminæ infirmæ audacia tanta? Vnde adeò ingentes vires? Vnde animi illa inaudita fortitudo? Audite Paulinum, *Ipſum viuificum panem manibus & ore præſumpſit; ſanguinem quoque calicis antequam fieret calix ſanguinis, oſculis ſugentibus prælibauit.* Paulin. Ibi ibi in domo Phariſæi, vbi ad pedes iacet Chriſti odorata eſt illum cœleſtem cibum, potúmque ſanguinis viuificum, antequam fieret, & eo ſolum valuit, infirmitate poſita, poteſtates ſuperare inimicas, ſurgens ab hac menſa in virtute.

Tandem ſeminatur corpus animale; ſurgit ſpirituale. Et quidem hoc in primis experiuntur quicunque hunc cœleſtem panem manducant, pro quo quicquid animale eſt meritò derelinquunt. Cùm Ægyptiis defeciſſent pecuniæ vt emerent à Ioſeph panem quo viuerent, ait illis ſapiens Prorex Gen. 47. *adducite pecora veſtra, & dabo vobis pro eis cibos.* Geneſ. 47. Quod iam Chriſtiani accipiamus dictum. Enimvero qui accipit cœleſtem cibum, qui illo exſatiatur, neceſſum eſt, vt pecora nimirum animale corpus relinquat. Ita eleganter Cellenſis Abbas de panibus cap. 13. *Quid dabo, vt ad te veniam, & me reficiam? Argentum & aurum non eſt mihi, quod autem habeo hoc tibi pro te do. Quid palatum apertum, fauces eſurientes, oculos præ inopia languentes, manus patentes, pedes veloces. Tantum paſce & ſint tua iſta pecora mea.* Cellenſ. Sanè poſt diuini epuli paſcuam nil in nobis remanere debet animale, omnia pecora, omnia in nobis bruteſcentia alienantur. Pro tanto cibo iure pecora noſtra damus, pecuinum & animale corpus exuimus, vt ſpiritualis in nobis effulgeat vita. Id quod eleganti ſimilitudine aſſerebat D. Clem. Cl. Alex. Alexand. 1. Pædag. fatus. *Sciendum eſt, quòd panis in vinum temperatum minutatim coniectus vinum arripit, quod eſt autem aqueum relinquit. Ita etiam caro Domini, quæ eſt panis cœlorum ebibit ſanguinem, eos qui ex hominibus ſunt cæleſtes, ad incorruptionem enutriens; ſolas autem illas carnales cupiditates ad corruptionem relinquens.* Siccine panis iſte diuinus ſeparat & abſumit in nobis carnale & pecuinum corpus, & id excitat quod cœleſte & ſpirituale inuenitur. O ſi tantis reficeremur epulis! O quàm cito bruteſcentem naturam in nobis exturbaret! De illo ſic D. Ambroſ. ſerm. 14. in Pſalm. Ambroſ. 118. verſ. 1. accinit. *Bona paſcua diuina ſacramenta. Carpis illic nouum florem, qui bonum odorem dedit reſurrectionis: carpis lilium, in quo ſit ſplendor æternitatis: carpis roſam, hoc eſt corporis ſanguinem.* Et quid innuit Ambroſ. cum totum hunc cibum floridum facit? cum in Euchariſtico ſanguine dicit roſam manducari? Sanè id ſciet qui Apulæi Philoſophiam nouerit. Ibi enim adoleſcens medicatis vnguentis in aſinum transmutatus, non prius pecuinam exuit formam, quam roſas manducauit. Hinc iam vos omnes compello qui bruteſcentes mores ſequimini, qui pecuinis conditionibus fœdamini, quibus vna tantum reſtat via ſalutis, ſi roſas edatis. Ecce in altari carpitis flores, ecce roſam carpitis, hoc eſt Dominici corporis ſanguinem, qua pecuina forma exuta ſpirituali decore niteatis. Cum ſepulchrum nobis dedit rediuiuum Saluatorem nimio terrore cuſtodes affecit & eliminauit; illiſque egreſſis, mille apparent mihi Angelorum examina. Sed à ſepulcro pelluntur feri homines? Cur ibi cernuntur ſoli Angeli? Chryſoſt. in Pſal. 2. *vt oſtenderent* Chryſoſt.

Angeli

Angeli Deum ibi fuisse sepultum, ad sepulcrum tanquam apud cælum manebant. Et quidem ex hoc euidenter patet in hominum pectoribus corpus Domini condi, quod exsufflato inde animali, solum cœleste, Angelicum & spirituale inde apparet. His manifestè constat quam clarè in Eucharistia mortis & resurrectionis Christi Domini inueniatur repræsentatio. Vnde pergo ad alia.

Ad illud *Ioann.6.* Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.

§. XXIII.

Cur Eucharistia fiat sub specie hostiæ mactatæ?

IN escam hominibus parandus Christus Dominus sese priùs mysticè iugulauit, potum nobis instituens sub specie sanguinis a carne separati & effusi. Quod eleganter notauit Nissenus homil. 1. de Resurrect. his verbis. *Cuilibet perspicuum est, quod oue vesci homo non potest; nisi comestionem mactatio præcesserit. Cùm igitur dedit discipulis suis corpus ad comedendum, apertè demonstrauit iam fuisse perfectam & absolutam immolationem.* Immolationem vocat sacrificalem iugulationem, & sanguinis effusionem mysticè a diuino & agno & sacerdote Christo peractam. Sed quæ ratio Deum impulit, vt manantem nectare cibum sanguinis effusi mysterio fecerit purpurascere? Hanc attingit Cyprian. serm. de Pasch. hæc de sanguine à latere scatente fatus. *Tu, Domine, sacerdos in æternum, qui in tempore iracundiæ factus es reconciliatio sancti huius sanguinis permanentem plenitudinem reliquisti, & beneficium huius sancti liquoris in perpetuum tradidisti, & constituisti nobis inconsumptibiliter potum viuificum, crucis signum, & mortificationis exemplum.* Itaque ideo sub sanguinis effusi specie nobis Christus Dominus escam parauit, vt sanguineum calicem crucis signum mortificationis exemplar propinaret.

Nissen.

Cyprian.

§. XXIV.

Sanguinei calicis exhibitione summam Deus mundiciem commendat, his qui calici communicant.

CVm calicem sanguine plenum ab immaculata diuini agni carne decisum potaturus aspicio, statim sese mihi obiciunt mille illæ lotiones, mille illa maria, quibus veteris legis sacrificuli tingebantur, vt sanctè & purè hircorum vitulorúmque sanguines tractarent. Statim auribus tinnit illud propheticum, *lauamini & mundi estote qui affertis vasa Domini.* Cur non lauet magis, qui sanguineum hunc calicem pertracto? qui diuini & immaculati agni accedo potaturus sanguinem?

Adeò necessaria visa est lotio his, qui communicant Domini sanguini, vt cum primum Christi sanguis nobis bibendus manauit, simul secum aquæ fontem fecerit in lauacrum manare; sic ex percusso Dei latere vnde hic calix *continuo exiuit sanguis & aqua*: non sese priùs sanguis diuinus propinauit, quam simul porrigeret aquam ne potaremus nisi lauati. Pulcrè Tertull. libro de Bapt. cap. 16. ideo continuo exiuit sanguis & aqua, *quia ait, qui sanguinem crederent, aqua lauarentur, qui aqua se lauissent, etiam sanguinem potarent.* Sanguinem es potaturus, lauare prius, lauare septies in Iordane, ne illotus potes, numquam sanguis diuinus exiuit à cruce sine aqua. Pasturus Christus Dominus ingentem hominum turbam non præacquisiuit materiam aliquam, quam conuerteret in totidem panes; sed nulla supposita materia panes multiplicauit. Longè aliter paucos conuiuas nuptiarum vt vino rigaret, iussit priùs afferri ingentem vim aquæ, eamque in vinum commutauit. An quia vinum facere non posset sine aqua, qui panes fecit nulla requisita alia materia? Absit, inquit Chrysol. serm. 5 de Epiphan. *qui panes quinque fragmento pressus & furtiuo incremento ad quinque millia hominum tetendit & dilatauit saginam, potuit augmentis crescentibus ad nuptiarum festa vini ampliare & perpetuare mensuras. Sed aqua in sanguinis erat conuertendi mysterium, vt mera pocula de vase corporis sui Christus bibentibus propinaret.* Itaque vbi mysterium sanguinei poculi pandebatur, intromittenda erat aqua, vt ex illa constaret quam lauati quam mundi prærequirimur qui sanguineo Domini liquore initiamur. Ad eos qui cœnam Paschæ erant paraturi, in qua primo porrigendus hic noui testamenti calix, dicitur Lucæ 22. *Ecce introeuntibus ciuitatem occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans, sequimini eum.* De quo in rem præsentem Beda animaduertit eleganter, *parent Pascha, vbi amphora infertur aqua.* Confluunt sanè Christi sanguis & aqua ne illotus bibas; sed sancta mundicie nitens & puritate tunc solum immaculati agni sanguine madeas. Zacharias 9. dicit. *Quid bonum eius, & quid pulcrum eius, nisi frumentum electorum?* Hinc pergit Paschas. lib. de Corp. & Sang. Christi cap. 21. *Pulcrum eius est corpus, ex quo iam speciosa* (nempe anima) *per lauacrum amplius pulchrescit, vt candore lilij, & rubore sanguinis in hoc mysterio decoretur.* Porrò formosa sponsa, vt mundum muliebrem adhibeat, vt pulcritudines condiat, prius lauat faciem, & præmisso lauacro rubeum suffundit minium genis, splendorem vnguenti eius addit, quo eius pulcritudo vehementer exacuitur. Sic meditatur Paschas. in corpore & sanguine Christi omnem pulcritudinē immorari, ibi liliorum splendor & candor adest, ibi minium rubescit; sed prius lauetur ille qui tantam hanc pulcritudinem cupit participare. Nec dicat, Mundus sum, non indigeo lauacro. Etenim veritas ait Ioan. cap. 13. *Qui mundus est non indiget; nisi vt pedes lauet.* Igitur etiam mundus & mundissimus debet amplius lauari, nec sine lauacro attingere tantum sacrificium. Num. 19. de rufa boue incinerata Deus cauet. *Colliget autem vir mundus cineres vaccæ: & effundet eos extra castra in loco purissimo: cumque lauerit qui vaccæ portauerit cineres, immundus erit vsque ad vesperam.* Cur immundus erit? Nónne mundus accessit? nónne sese lauit? an sacrificio pollutus est? Minimè; imo qui hanc exagitat quæstionem Rodulphus respondet, quòd *omnis qui sancta tractat non exinde polluitur, sed quia se mundum reputat, cùm Deo approximat, inter immundos & leprosos reputatur.* Etenim quantumuis mundi simus, debemus lauacrum sacrificaturi desiderare.

Tertull.

Chrysol.

Luc. 22.

Beda.

Zachar. 9.

Paschas.

Ioan. 13.

Num. 19.

Rodulph.

§. XXV.

Deifica mortis meditatio escam Eucharisticam maximè adauget.

PRæter potum viuificum dedit nobis Dominus in Eucharistici sanguinis effusione iuxta Cyprian., *crucis signum.* Nunquam enim Eucharistia fructuosius accipitur, quam cùm in ea recolitur memoria passionis Deificæ. Quando Christus Dominus hanc Eucharistiæ mensam patefecit suis dicens: *Ego sum panis viuus,* statim rebelles quidam (vt meminit Carthusianus) protulerunt illa cap. 11. Hieremiæ verba. *Mittamus lignum in panem eius; & eradamus eum de terra viuentium,* quasi dicerent sese mutuò in Christum hortantes. Eia age, panis est, immisso ligno exsuffletur ab area. Sic illi. Verum lignum immissum pani vehementer nobis panem auxit, & cœlestes condiuit dapes. Eleganter Origen. ad hæc Hierem. verba homil. 8. *Ego,* inquit, *admirabile quiddam inferam; lignum missum in panem eius panem fecit meliorem.* Tunc sapidior, tunc cumulatior hæc diuina esca, quando accipitur ex ligneis crucis brachiis.

Hieremi. 11.

Origen.

Huc crediderim spectasse illud Prouerb. 14. *Vbi plurimæ segetes, manifesta est fortitudo bouis,* seu *iuuenci,* iuxta Aquilam, seu *tauri* iuxta Symmachum. Nihil enim magis fecit patere fortitudinem primogeniti tauri, quam segetum multiplicatio. Ecce tibi a Propheta Abacuch iuuencus describitur diuinus ventilans nationes, dicit enim, *cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius.* Adest, adest tauri primogenitus mundum ventilaturus; duo fortissima cornua, nimirum crucis brachia præ manibus habet, mira illis facinora patrat; vectes mortis ferreos confregit, æneas inferni portas labefactauit; sed tamen *ibi abscondita est fortitudo eius,* nondum quod potest claruit. Vbi ergo manifestabitur? *Vbi plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo tauri.* Hic in hac Eucharistiæ mensa patentissimè ostenditur & cruciferi aratri & diuini tauri labor & efficacia. Adeò sub crucis & passionis memoria multiplicantur gratiæ Eucharistici panis, adeò illius segetes crescunt, adeò candicant Ecclesiæ areæ, sementique calicis musto rumpuntur torcularia, vt vel hinc manifestetur patentissima crucis potestas & fortitudo tauri.

Prou. 14.

Abac. 3.

Hoc mirum Eucharisticæ segetis augmentum à Cruce & passione profectum eleganter venatur D. Chrysost. orat. in Parasceue his verbis. *Panis sunt quinque millia. Vbi igitur sunt tibi reliquiæ? Duodecim superfuerunt fragmentorum cophini, quibus respondet par gratia. Crucifixus est Dominus & semper pascimur, ac saturi rursus quærimus, & plus reliquum est, inexhausta est gratia.* Quibus verbis id maximè expendendum est,

Chrysost.

quòd

quòd ante Crucem quinque millia hominum saturarunt pane diuinæ manus, paucis reliquiis manentibus. Verùm vniuersalis ista omnium hominum saturatio, hic adipens & pinguissimus panis, quo & saturamur, & nec calicem, nec panem exhaurimus quotidie saturi, cruci & passioni debetur Dominicæ, à qua segetes adeò largæ dimanarunt. Hinc
Cellens. acutissimè Abbas Cellens. libr. de panibus cap. 1. Hanc, qua possit totum mundum satiare, indigitat passionis officinam
Ioan. 6. Christo Domino Philippum interroganti, *Vnde ememus panem, vt manducent?* Ecce ait Cellensis, *dicit Dominus ad Philippum, Vnde ememus panem, vt manducent hi? Domine Iesu, non quæras à Philippo, quære à proditore tuo, hic habet marsupium vnum sum Scribis, & Pharisæis, hic insidiatur sanguini tuo, hic habet denarios triginta, vnde panes emuntur ad satietatem omnis carnis.* Etenim non aliunde maius augmentum potest recipere panis Christiferus, quàm ex diræ passionis cruciatibus: hæc vna crucis & mortis excogitatio eas diuini panis segetes dabit, quibus possint obtundi vniuersæ fames, quibus cuncti satiati mortales vanas mundi escas valeant aspernari.

Denique huic meditationi haud obscurè suffragatur D.
Hebr. 10. Paulus ad Hebr. 10. Vbi de sacrificio Abelis, quod viuificum Eucharistiæ cibum repræsentauit, hæc verba facit. *Fide plurimam hostiam Abel, quam Cain obtulit Deo.* Expendo, fide plurimam. Vnde sacrificium vna fide multiplicatum commendat, alioquin omnino æquale sacrificio fratris. Hoc no-
Rupert. tauit Rupert. lib. 4. in Genes. cap. 2. *Fide*, inquit, *plurimam, nam cultu vel religione parem vterque obtulit hostiam.* Vna fides sacrificium Abelis discernit, vna fides illud auxit, multiplicauit; sed quæ fides? Pergit Rupert. *In fide passionis eiusdem filij Dei, quem tali sacrificio præsignari condecuit.* Ecce fides passionis plurimam fecit hostiam alioquin æqualem, communem hostiam Eucharistiæ qui sine passionis memoria mandunt, paruam sanè hostiolam mandunt. At passionis memores qui crucis mysteria recolentes accedunt, plurimam hostiam faciunt, maximè sibi multiplicant gratiarum in Eucharistia abundantiam.

§. XXVI.

Eucharistiam sumpturi crucis mortificationem debemus adamare.

Decorticatas virgas ideò Iacob ouibus bibentibus obiecit vt natæ similem in se varietatem effigiarent. Eodem prorsus astu summus diuinúsque Pastor Christus sub crucis mortisque suæ memoria porrigit nobis potum viuifici calicis, vt similem in membris nostris mortificationem
Cyprian. mundo & vitiis exhibeamus. Etenim, vt ait tertio loco Cy-
Origen. prianus. Sanguis, qui in calice propinatur, *mortificationis exemplar* testatur. Vnde Origen. homil. de Baptis. primo sic huic communicaturos mensæ adhortatur. *Oportet accedentem ad corpus & sanguinem Domini non solùm purum esse; ne ad iudicium edat & bibat, sed ostendere in vita memoriam eius, qui pro nobis mortuus est, in eo quod mortificatus est peccato & mundo, ac sibi ipsi & Deo viuit.* Hanc iure exigit in vita nostra mortificationem qui à nobis bibitur effusus sanguis? hanc rebus omnibus mundialibus mortem suggerit panis sub crucis memoria manducandus. Huc apprimè spectant ver-
3. Reg. 17. ba illa mulieris Sareptanæ Eliæ data 3. Reg. 17. cap. *Viuit Dominus Deus tuus*, inquit, *quia non habeo panem; nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria. En colligo duo ligna, vt ingrediar, & faciam illud mihi & filio meo, vt comedamus & moriamur.* O sanctitatis plena illatio! farina accepta duo ligna colligo, vt comedamus, & moriamur. Vnde locus? An farinam duobus lignis præparatam sequitur mors neces-
Apud Gretser. de Cruce tom. 2. sariò? Eleganter id attigit Theophanes Cerameus orat. de Cruce, dum ait, *Cæterum farina carnis Dominicæ, qua nutrimur typum gessit. Duo ligna indicant illa duo ligna, ex quibus crux.* Quum ergo farinulam hâc dominicæ carnis sub crucis mysterio paratam mandimus, nil aliud nobis restat accommodatius, quàm manducemus & moriamur. Hanc à nobis petit mortem, mors ipsa Saluatoris Eucharistico epulo repræsentata. Prouerb. 23. sic monet. *Accedens ad mensam potentis, considera quæ ibi apponuntur tibi, sciens quia & talia te oportet parare.* De quo Chrysost. Psal. 22. ait. *Quid est talia te oportet præparare, nisi sanguinem & corpus quod accipis?* Accipis effusum sanguinem Saluatoris, & tu para proprium effundendum sanguinem. Accipis corpus morti pro te datum, similiter te ad mortificationem subeundam para. Sanè D. Pau-
1. Cor. 11. lus 1. ad Corinth. 11. sic præcauet. *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* Ecquis mortem annuntiat nisi moriens? nisi veterem exuens vitam, noua exurgat vita reparatus? Pulcre Paschas. de Corp. Paschas.
& sang. Christi cap. 21. *Quem calicem quum bibimus quid aliud quam mortem Domini annuntiamus? Ideirco necesse est, vt vnusquisque prior moriatur huic sæculo, quia sicut nemo nisi sepultus mortem nuntiat; ita nemo exinde vitam sumit; nisi resurgens in nouitate vitæ ambulet, & iam in Christo maneat.* Moriamur prorsus mundo & voluptati, qui tanto Dominicæ mortis sacramento pascimur, hac mystica enutriti morte, mortem in membris nostris, exhibeamus omninò mortui carni & sanguini. Ob hanc causam ait Gregor. Nissen.
Esculentum se nobis proponit is qui semper est, vt accipientes illum in nobis, illud efficiamur quod ipse est. Ait enim, Caro mea verè est cibus, & sanguis meus vere est potus. Quare qui hanc carnem amat, non est suæ carnis amicus, & qui hunc sanguinem à sanguine sub sensum cadente purus est. Vehementer inimicatur In Eccles. cap. 13.
sanguis hic & caro, carni, & sanguini. Dominico pastus sanguine & carne omnibus immori debet carnalibus voluptatibus, omnes has respuat sanguine plenas delicias mundiales, totus fiat spiritus, totus exanguis. Vni mortificatæ Saluatoris carni sese debet assimilare. Id quod egregiè meditatur Paschas. cap. 10. examinans illud Apostolicum dictum, Paschas.
Pascha nostrum immolatus est Christus. Quid quod immolatus sit Pascha? *Sanè*, ait, *Pascha transitus appellatur, ad quod qui vult venire, ipse transeat sicut & Christus transiuit de hoc sæculo, vt totus iam spiritualis spiritualia ista digne percipiat.*

Væ autem homini illi, qui veterem nondum exuens vitam, sed carnalibus acquiescens voluptatibus accesserit pransutus hunc panem, equidem à vita exsufflabitur. Vnus id in Iuda proditore animaduertit Cyprianus serm. de Cœ- Cyprian.
na Domini his verbis. *Quandiu cibi illi, qui ad diem festum erant parati à conuescentibus Apostolis sumebantur, veteris Paschæ agebatur memoria, nec dum Iudas ad veterem vitam pertinens, diabolo inuadente & occupante eius animum egredi cogebatur. Sed vbi sacrum cibum meus perfida tetigit, & sceleratum os panis sanctificatus intrauit, parricidialis animus vim tanti Sacramenti non sustinens quasi palea de area exsufflatus est, & præceps cucurrit ad proditionem, & pretium, ad desperationem & laqueum.* Quibus pondero illud, nimirum, quod Iudas ad veterem vitam pertinens quietus in Cœna legali, vbi sactum hunc cibum tetigit, mox quasi palea exsufflatus præceps cucurrit ad laqueum. O miserum hominem! tu qui veteri incubas vitæ, inueteratisque vetusti hominis vitiis hærens sacris communicas altaribus, caue tibi ab epulo diuino, exsufflaberis sine dubio ab electorum area, & inter paleas constitutus æternis daberis flammis. Ille solùm secure nunc cibum attingit, qui salutari accedit contritione, & mundo & vitiis viuificante pœnitudine mortificatus. Etenim, vt de Eucharistico cibo ait Origen. *Hic est* Origen.
vitulus saginatus, quem pro recepto pœnitente filio iugulat pater. Iugulatur quidem hoc in sacrificio; sed pro filio pœnitente iugulatur, qui pœnitentiæ & mortificationis expers accedit, non cibum præsumere audeat. *Taceant ergo mortales*, ait D. Iacobus in liturg. *& stent cum metu & tremore, nihil terrenum cogitantes. Rex enim Regum Christus Deus noster existit, vt mactetur, & detur in cibum fidelibus.* Quis cum occiso Christo non sese dabit mactandum.

Textus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.

§. XXVII.

Maximum emolumentum accrescit ex coniunctione Christi, & hominis, qua fit per Eucharistiam.

Hoc summum Eucharisticæ escæ commodum est, quod homo maneat in Christo, & Christus in homine, nempè, quod eo vinculo societatis arctentur homo & Christus, quo separentur nunquam. Huc respiciens Ecclesiasticus,
cap. 4. aiebat. *Melius est esse duos quam vnum, habent enim emolumentum societatis suæ, si vno ceciderit, ab altero fulcietur, si dormierint duo, fouebuntur mutuo; etsi quispiam præualuerit contra vnum, duo resistunt ei.* Hæc in qualibet societate ho- Eccl. 4.
minum commoda reperiuntur? Huiusmodi esse potest societas humana? Potiori iure crediderim, hæc esse emolumenta, quæ percipit homo ex intima vnione & societate cum Christo Domino, qualis fit per Eucharistiam. Me in hanc mentem adduxit D. Hieron. huius loci in rem præsen- Hieron.
tem

tem commentator, ait enim. *Melius est labentem in se habere Christum, quam solum patere insidijs aduersarij; si enim vnus ceciderit, Christus eriget participem suum. Væ quippè ei, qui cum ruerit, Christum in se non habet erigentem. Quod si etiam vnus dormierit, hoc est, si morte dissolutus fuerit, & secum Christum habuerit, calefactus & viuificatus citius reuiuiscit. Etsi aduersus hominem robustior in expugnando diabolus steterit, stabit homo, stabit & Christus pro homine, pro sodali suo.* Hæc D. Hieronym. vt pulchrè & vere commentatus est; modo libet singula perpendere & illustrare.

§. XXVIII.

Christus Dominus in Eucharistia sumptus quam citissime erigit hominem ab humanæ fragilitatis lapsibus.

O Vos qui frequentibus ruinis fracti præcipitium æternæ damnationis expauescitis, hunc fidelissimum procurate sodalem Christum, qui semper vobiscum maneat, cuius in Eucharistia sumpti mos est in homine arcto societatis vinculo manere. Ex quo in primis hoc iuxta Hieronymum surget emolumentum, nimirum si vnus ceciderit, Christus eriget participem suum. Semel Eucharistico nexu sociatus homini Christus, etsi homo offendat, etsi misere cadat, eriget tamen participem suum, nec illum labi in præcipitium finet.

Cuius fuit maior vnquam casus, quam Iudæ qui sese temerarie in profundum coniecit malitiæ barathrum, tamen
Leo. adeò sperauit de Eucharistico nexu D. Leo, vt crediderit illo reuocandum Iudam in meliorem frugem. Vnde serm. 3. de Passione proditorem ad laqueum euolantem alloquens inquit. *Infœlix sibi suspendium distulisses: illa saltem à præcipitio tuo sacramenta te reuocassent, quæ in Paschali cœna acceperas.* Quid miser ad laqueum festinas, cum particeps fueris cœnæ Eucharisticæ? Vides te lapsum, vides te mortifero casu decidisse? Quidni? Expecta paulisper, potens est Eucharistica cœna præsumpta te reuocare a tanto præcipitio. O quam nouerat id seductor diabolus, qui vt impulit in casum, sic vt vidit tanta cœna refectum Iudam, facit illum festinare ad
Ioan. 13. præcipitium: & ideò Ioann. 13. *Cum accepisset ille buccellam, exiuit continuo*, quæ tanta festinationis ratio? Eleganter D. Cy-
Cyrill. rill. lib. 9. Ioan. cap. 19. *Tum moram, tum benedictionis virtutem timens, ne scintillam in animo eius accenderit, ac deinde illuminauerit, magna præcipitem agit diabolus celeritate.* Ea enim est Eucharisticæ cœnæ virtus & efficacia, de qua sperari posset, quod etiam lapsum Iudam reuocaret a præcipitio. Hinc
Osea 11. pulcherrima vsus metaphora Oseas lapsi populi erectionem præsagiens ait cap. 11. *Ero eis quasi exaltans iugum super maxillas eorum, & declinaui ad eum, vt vesceretur.* Symmachus legit, *& declinaui ad eos cibos.* Itaque labentem populum, immo præcipitem ferri videns Deus, vt tanto malo medelam afferat; appositum remedium excogitauit, nimirum illi frænum inijcere, quo optimi equitis de more & lapsum erigeret, & labentem reuocaret. Nonne vidisti aliquando, qualiter strenuus eques vel fragilem, vel indomitum equum agat? Insilit equo qui ob fragilitatem crurum passim labitur, vel ob ferociam in præcipitium ruit; eius tamen ora sic fræno constringit eques, vt paulò compressis & leuatis habenis sine offensione currat & saltet. Sic ait Dominus, non te moueat, quod sicut equus & mulus populus offendat passim, in præcipitium feratur, ero eis quasi exaltans iugum super maxillas, more equitis eorum medebor oris, his constringam eorum ora lupatis, vt vel leui manus exaltatione illos sine offensione vitæ cursum faciam consummare. Sed quid est, quod tam vtiliter ora constringit? Iam explicat dum ait iuxta Symmachum, *Declinaui ad eos cibos*, nimirum ait D. Hier. *Dedi eis esum corporis mei.* Hunc si semel ore suscipias, ô quam leui ducetis moderamine! ô quam facili motu ab offendiculis, à casibus liberaberis! Te ergo compello hominem, non qui pennata mente specierum vmbras transuolans diuini Solis ibi occultati potiris securus radios; sed qui sicut equus & mulus à vitiis tuis raptaris, qui crebris ruinis frangeris, his constringito ora lupatis, hunc esum diuini corporis sume ore, quo sine dubio reuocatus à casibus feliciter vitæ cursum ages.

§. XXIX.

Christus Dominus in Eucharistia sumptus resurrectionem mortuorum etiam facit.

ADdit Hieron. consociati Christi in nobis emolumentum aliud, nempè, *Quod si etiam vnus dormierit, hoc est, si morte dissolutus fuerit, & secum Christum habuerit, calefactus & resuscitatus citius reuiuiscet.* Quid plura? Hoc debes homo Eucharisticæ cœnæ, quod mortis somno minimè æternum sepultus maneas. Quis alto mortis sopore correptum hominem excitaret? Quis in frigescentibus cineribus viuificum germen inueniret? Quis arborem humanam à terra viuentium abscissam ad virorem reuocaret? Sanè Eucharisticus panis, hinc D. Paschas. lib. de Corp. & Sang. Christ. Paschas.
cap. 22. hos diuinos memorans panes ait, *Hæc sunt vitæ semina.* Cuius acumen vt percipias reuoca in memoriam agriculturæ artem, ea est enim agricultura, vt plantas abscissas iterum & summa celeritate reuiuiscere faciat solo triticei vel hordeacei grani iuuamine. Etenim cum recisam vitem terræ mandat, illi addit aliqua triticea vel hordeacea grana, quibus hebetata vitis virtus acuitur, & radices agit, & fructiferos crescit in ramos. Quæ ergo arbor emortua magis, quam homo à regione viuentium recisus? Quis in hominis frigido & languido cadauere virorem inueniet excitandum? Sed vbi natura defecit ibi claret ars cœlestis hortulani, qui reciso homini triticea hæc grana adseminauit, quibus sic viror emortuus excitatur, vt inde surgat vita candidatus immortali: vt meritò dicat Paschas. *Hæc sunt vitæ semina.* Nec credo aliud ab Osea significari cap. 14. vbi Oseas 14.
populati Israëlis post ruinam subito fatur. *Radix eius vt Libani, ibunt rami eius, & erit quasi oliua gloria eius.* Sed quæ tam subitæ reparationis ratio? Qui fieri potest quod homines adeo fracti, adeo enecti, instar oliuæ viriditatis repuerascant? Ea est causa, nempè, *Viuent tritico & germinabunt quasi vinea.* Sanè vbi resecatis & enectis ramis triticea grana adduntur, semina hæc apponuntur vitalia, certum est quod reuiuiscent, quod fructu & pulchritudine plenam comam alent. Hinc meritò ponderauit D. Irenæus circumstantiam à Luca in Eucharistiæ institutione euulgatam, ait enim, quod Christus Dominus, *Discubuit, & duodecim Apostoli cum eo.* Stantibus solebat Pascha communicari, cur Eucharistica cœna non nisi discumbentibus datur? Irenæus lib. 4. cap. 39. Iren.
Recumbentibus eis ministrabat escam, significans eos qui in terra recumbebant, quibus venit ministrare vitam. Etenim vitalia grana vitæ immortalis seminaria recumbentibus in terra apponenda erant, quæ hinc illos ad vitam suscitare valeant.

Sed adhuc sto ad D. Hieron. verba initio allata, qui ob mortuorum excitationem non quamlibet fieri insinuat vi Eucharisticæ societatis; sed illam, quæ per calefactionem fit. Ait enim, *Quod calefactus citius reuiuiscit.* Et sanè miror quam argute Clem. Alex. huic Eucharisticæ communioni Cl. Alex.
tribuerit, quod per natiuam calefactionem faciat homines ad vitam immortalem renasci. Sic enim inquit lib. 1. in Pædag. cap. 6. *Corpus Christi nouum cœtum verbo nutrit, quem ipse Dominus carnali labore peperit, quem ipse fascijs illigauit Dominus pretioso sanguine. O partum sanctum! O sanctas fascias!* Ecce tibi vt pueri recenter nati fasciis inuoluuntur quibus calefiant, & calefacti in vitam nutriantur, sic regenerato populo datur sanguis Christi pro fasciis, quibus calefactus citius crescat in vitam immortalem. Sic moribundis hominibus conceduntur hæ Eucharistici sanguinis fasciæ, quasi ex tunc præparentur, quæ opus habet futura natiuitas immortalitatis. Nil iam timeas, etsi ab arbore vitæ resecatus cadas, adsunt tibi hæc viuida semina quibus rediuiuus pullulabis; etsi gelido mortis sopore corripiaris, alligatus es fasciis pretiosi sanguinis, cuius vitali calore confotus excitaberis. Meritò Dauid plectêdus à Deo aut fame, aut bellis, aut morte, his terribilius malum mortem eligit. Sed cur mortem eligit? Notanter ait text. 2. Reg. 24. *Elegit sibi Dauid mortem: erant autem dies messis tritici, & dedit Dominus mortem in Israël à mane vsque ad horam prandij.* Expende tempus, quod erat messis tritici, & videbis quam bene his diebus Dauid elegerit mortem, quę vel inter odores diuini pabuli non poterat iam durare. Sic D. Cyrill. Alexand. lib. 3. de Iustificat. in Christ. ait. *A mane igitur, hoc est à primis huius [illegible] temporibus mors depasta est eos, qui in terra erant; vsque ad horam prandij: hoc est vsque ad mensæ tempus; vbi enim aduenit nobis sanctæ mensæ [illegible], nimirum illius in Christo, ac mysticæ, in qua pane vescimur illo cælitus dato, quæ priùs terribilis erat mors cessauit.* Hinc nascebatur cura illa qua Patres antiqui morituri. Hierosolymorum sepulchra ambiebant. Iacob aiebat Genes. 47. *Ne sepelias me in Ægypto, sed dormiam cum patribus meis.* Cur ea cura in morituris? Petrus Damasc. serm. de Translat. S. Hilar. ait: *Illis terræ finibus beati viri tam medullitus [illegible] quam interioribus oculis iam videbant pretioso Domini corporis sanguine purpurari.* Nec credebant ossa liganda Deifico sanguine, non esse in vitam &

& resurrectionem fouenda. Quippe aridissimum crucis lignum, vt sanguine Saluatoris maduit, eam virtutem imbibit, qua in partes quotidie scissum reintegrabatur. Sic D. Paulin. Paul.ep.11.loquitur de cruce. *Quotidie lignum suum commodat vi detrimenta non sentiat, & quasi intacta permaneat. Sed iam imputribilem virtutem & indestribilem soliditatem de illius carnis sanguine bibit quæ passa mortem non vidit corruptionem.* De quo etiam sanguine diuino dum bibant ossa arida reuiniscent in vitam immortalem.

§. XXX.

Christus Dominus in Eucharistia sumptus pro nobis stat aduersus tenebrosas & mundiales potestates.

O Quam à fideli sodale munitur homo! Sanè cum per diuini cibi sumptionem homo in Christo maneat, & Christus in homine, si quispiam præualuerit contra vnum, duo resistunt ei. Nimirum si quis aduersarius aduersus hominem insurrexerit, ait Hieron. *Stabit homo, stabit & Christus pro homine suo, pro sodali suo.* Non iam solus homo resistet contrariis potestatibus; sed tanto sodale armatus vniuersas vincet & detriumphabit. Antequam exterminator ille Angelus vna nocte totam pene percuteret Ægyptum, iuben-

Exod.11. tur Israelitæ escis immaculati agni communiri Exod.11.Sed cur inter vicinorum internecionés ipsi vacabant epulis &

Ambrof. conuiuiis. Id attigit D.Ambrof. in Psal.118. ferm.8.diceos, *Ne inermes & vacuos spiritali alimenti nocturna spicula tenebrosi hostis opprimerent.* O quam timet tenebrosi hostis oculos, qui tanto cibo illuminati claritatis radios emittunt! O quam securi & tuti deguot illi media io omnium vastitate, quos diuinæ alimoniæ & poculi defendit murus! Hoe suis postulabat scutom Christus Dominus quum ait. *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste.* Etenim paulò ante sanguinis sui pretiosi calicem cum effecisset, conforrissimósque hostes appropinquare iam cerneret, & tenebrarum potestates cum illis, nullo ipse egens munimine, id postulat transferri ad suos, quo possiot manus euadere hostiles. Fal-

Cæsar. lor si huc non respexit D. Cæsarius Nazianzeni frater dialogo 4. quum inquit. *Illadit incarnatus Pharaeni cum tota exercitu Ægyptiorum demonum, innisibiliter summerso ipso, per id quod inquit, Pater si fieri potest transeat à me poculum hoc. O poculum diabolos vulnerans, damones fugans, peccata ventilans, æternam vitam operans.* O vtinam ad nos transiret poculum hoc, & in nobis maneret, quo facilè vniuersas tenebrarum potestates, vel summergere possemus, vel abigere. Hinc

Paschaf. meritò D.Pasch.lib.de corp.& sang.Christi præponit poculum hoc arbori vitali paradisi. *Quanto magis ex hoc præstatur, ne homo moriatur in carne, sed ne lædatur à diabolo, dum cum virtus sanguinis defenderet?* Vitalis illa arbor erat, fructúsque vitæ nouerat parturire; sed miror, quod tanta arbos esset fine sepe, fine muro, patens ipsis inimicis adeò, vt illa elapsus hostis genus hominum feriret. Felicius poculum hoc non solùm vitam propinans; sed ea medicatum virtute qua propellens hostes hominem conseruat securum ab eorum ictibus. Id crediderim insinuatum esse verbis illis: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi*, quibus compertus est significari præsentiam & assistentiam Domini in Eucharistia. Sed quam præsentiam? An solam quā habet nobiscum inhabitando? Sanè nunquam Deus sciuit cum hominibus esse & inhabitare; nisi vt strenuus miles,

Ioann.1. vt homines propugnet Ioann.1. dicitur. *Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Vbi eleganter Chrysost. *Quid inducit? & habitauit in nobis, tentatoria fixit in nobis, significat inhabitationem, & quasi in tabernaculo mansionem.* Non aliter in nobis sciuit Deus habitare, nisi vt in militari tentorio & tabernaculo, non tam habitat, quàm excubat pugnaturus & debellaturus quascumque potestates hostiles, quæ in nos insurgant. O vos felices qui tanti pabuli estis participes, cuios communione cum socium acquiritis, à quo reuocemini à præcipitio, per quem cælestis in immortalem vitam, qui vos tutos & securos reddat ab ioimicis! Sic D.

Chrysoft. Chrysost.hom.61.ad Pop.fatus. *Hic mysticus sanguis damones expellit & procul esse facit, ad nos autem Angelos vocat, & Angelorum Dominum. Vix namque Dominicum viderunt sanguinem, damones quidem fugiunt, concurrunt Angeli.*

§. XXXI.

Qui Eucharistico reficitur cibo, nouam & diuinam instituat vitam, caueat ne veteri insistat.

HIc est germanus sensus similitudinis io textu propropositæ, nimirum, quod sicut Christi Domini humanitas Deo vnita vitam Dei participat; sic qui Christi carnem manducat ex hac communiooe & vnione vitam Christi induat veteri prætermissa. Et sanè panis hic Christiferus oon sumédus est, vt veteri insistamus vitæ; sed vt ad nouam transeamus & diuinam. Id quod satis demonstratum est in illo pane oblato Eliæ 3.Reg.c.19. Longo enim itinere fati- 3.Reg.19.
gatus Propheta se & vmbræ arboris & somno commendauit: & ecce Angelus soporatum excitans panem obtulit illi, vorat ipse panem, & paruis frustis relictis se iterum inclinat, & rursus obdormiuit. Via oculos clauserat, & Angelus instat. Heus Elia, *Surge, grandis tibi restat via* Eia age, viam aripe, cape iter. Quorsum hæc? Nónne salutare est viatori post prandium dormire? Fatigatus nimium est Elias, dormiuit aliquantulum, comedit & iterum somno indulget; sioe modo Angele Dei illum rursus domire, ne illum excitare festines, aut dic cur excitas? Sanè is erat panis, post quem pristino somno incumbere lethale esset cuique. Accipite modo D.Paschaf.lib.de corp.& Sang.Domini Paschaf.
cap.10. *Idcircò & nostra ad accipiendum paranda sunt corda, vt tali epulo refecti ad altiora fortitudine transeamus. Nemo igitur digne accipit, nisi qui transit.* Nemo, qui pristinæ inhæret vitæ, nemo cisdem se occasionibus tradit, nemo qui aliiora non meditatur, qui ad superiorem viuendi modum non contendit, digne accipit. O quoties te vitiorum somno sepultum Angelicæ voces excitarunt, excitatóque paulisper obtulerunt hunc diuinissimum panem, quem tu auide arripis; sed vix à sacro ferculo discedis, & rursum obdormis vt antea. O lethale malum! transeundum erat ad altiora: nemo enim digne accipit, nisi qui transit. Post panem Eucharisticum exhibitum discipulis ait Dominus secundum Marc.14. *Vnus ex vobis tradet me qui manducat me- Marc.14.*
cum. Quæ verba premens Victor. Antiochenus in Iudam Victor.
vehementer excandescens ait. *Iudas tametsi diuinorum parti- Antioch.*
ceps effectus sui semper similis mansit, hoc est tremenda illius mensa refectus cibo, nihil prorsus mutatus aut emendatus est. Proh Iudæ digna communio! Proditor erat ante, & proditor mansit post diuinum panem manducatum, nullo modo similis Christo, quem sibi incorporatum habebat; sed sui ipsius similis in nullo emendatus erat. Quam ille viuendi spem haberet? Cur præceps ad mortem non festinaret? Rectè inde cauet D.Paschaf.vbi supra cap.22. *In sæculi actibus* Paschaf.
temerantes non dignè comedunt Pascha, videlicet carnes agni, & ideò fatu timendum talibus, ne cum Ægyptijs nocte perimantur, dum sopore peccati primuntur. Cuius sententiæ vim vt percalleas, memorare totum id quod apud Ægypti.m nocte liberationis Israeliticæ accidit. Enimuerò Israelitæ præcincti ad trasenndum comedebant Pascha, Ægyptij iacebant vt heri & nudiustertius. Hinc exterminator præcinctis & manducantibus parcens dormientes ingulabat. Caue ergo ne pristinos vitiorum actus habeas dum māducas carnes agni, caue, ne in sæculo moreris, vt antea, & si nolis nocturnis peccati tenebris interimi, tanto epulo refectus ad altiora transi, nil in te appareat, quod Christum non oleat, Christum non sapiat. Ita D.Cyprian. de Cœna Cyprian.
Domini. *Cùm saturati fuerint vidi quid agant, intellige quæ loquantur, quam sancti odoris sit quidquid illa eructat plenitudo, verbum, mores compositos, affectus pudicos, sensus pacificos illa interior synceritas vbique diffundit.* Sic qui manducat Christum, Christum eructat, vitam moresque induit Christianos, nec aliud nouit loqui, nisi Christum, vt Abbas Cellensis lib.de Panib.cap.1.ait, *Ad hanc mensam ver-* Cellenf.
bi caro factis & carnes agni sumuntur, & verba quæ sunt spiritus & vita in lingua Iesu resonantia vberrimè post eucam innuuntur. Hæc ille.

§. XXXII.

Christus Dominus in Eucharistia traditur, vt sanctorum Ecclesia parturiat examina.

VErius forsan textus verba explicarim retenta rigorosa notione Patris, qui est prima in diuinis persona, eáque fœcunda, adeò, vt producat filium sui characterem & imaginem. Hinc Christus Dominus Eucharisticæ

Text. Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse viuit propter me.

institutionis rationem reddit, vt nimirum sicut Pater diuinus producit filium sui imaginem, estque filij principium, sic filius ipse manducatus in Eucharistia principium est producens & progignens istorum, qui Dei seruant imaginem immaculatam. Accinit D. Paschas. de carne & sanguin. Christ. cap. 22. aiens. *Hæc sunt vitæ semina, quibus virgines generantur*, quasi rationem redderet, ob quam sub triticeis speciebus tradatur caro Christi Domini, eáque est sumpta ex fine Eucharisticæ institutionis, quæ ideo inuenta fuit, vt sicut propter patrem progignitur patris imago, nempe filius, ita propter filium Ecclesiæ arua virginum germinarent examina. Quorum principium & semina fœcundissima existunt calix & panis consecratus. Itaque dum semina vocat, id interim facit, vt fœcundissimi ac præstantissimi seminis rationem meditantes Christi Domini se ad Eucharistiam præparantis facinus prænoscamus. Etenim de præstantissimo semine Plinius lib. 18. cap. 28. sic fatur, *Quod in ima area subsedit ad semen reseruandum est: id enim optimum, quoniam grauissimum, neque alio modo vtilius discernitur.* Ecce modo Christus, dum sese comedendum parat, in imo Ecclesiasticæ areæ subsedit, nimirum ad pedes Apostolorum iacuit, quo ad Eucharistiam processit semen adeò viuidum & fœcundum, vt virgineis choris progenitis steriles Ecclesiæ campos faceret ditescere. Ad hæc eleganter D. Methodius in Symposio decem Virginum inquit. *Excipit autem illud ipsum semen & format. Ecclesia ad generandam virtutem & alendam. Non enim potest aliter Ecclesia concipere credentes & regenerare per lauacrum; nisi & Christus propter eos se exinaniens, vt capi possit secundum commemorationem passionis, iterum moriatur è cælo descendens.* Expendo verba ab his; nisi & Christus, &c. quibus seminis fœcunditatem attigit. Etenim, vt videre est apud Ioann. cap. 12. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Et quidem vt Ecclesiæ sata germinent, multóque ditescant sanctorum fructu, necessum est, vt granum frumenti Christus Dominum iterum, & iterum à cœlo in terram descendat, & moriatur secundum commemorationem passionis, quod accidit per Eucharistiam, vbi se adeò exinaniens, vt capi possit, casta iustorum prole replet Ecclesiæ sata. Id quod Christi corpori adscribit alias datus Clemens Alexand. 1. Pædag. cap. 6. aiens. *Corpus Christi nouum cœtum verbo nutrit, quem ipse Dominus carnali labore peperit, quem ipse fasciys illigauit Dominus pretioso sanguine. O partum sanctum! Verbum est omnia infanti & pater & mater & altor, comedite*, inquit, *carnes meas.* Ecce tibi cum se Christus Dominus tradit manducandum, noui cœtus, nouorum examinum fit pater & mater altor. Hinc D. Cæsarius Arelat. homil. 7. ponderans, quod in sacris aqua vino misceatur, adducit illud Ioann. 2. Vbi deficiente vino in nuptiis aquam Dominus in vinum conuertit. Quidni? deficiente fide in Israël, Dominus Sacramento sanguinis sui populos fideles effecit. Ita Cæsarius. *Expectauit Dominus, vt faceret vuas, fecit autem spinas, vnde sertum spineum capiti Redemptoris imposuit, quando Dominus nuptiali tempore aquas in vina conuertit, manifestè præfigurans multitudinem gentium de sanguinis sui gratia esse venturam.* Quod iam facit, dum cœleste poculum populus reliquit bibendum: sicut enim in principio spiritus Domini incubabat super aquas, vt variæ creaturarum species gignerentur; sic modo sanguis Domini miscetur aquis populorum, vt inde filium halitum examina generet. Vnde Exod. 16. vbi manna descensus ponitur, ex Hebræo legi debet, *manna fuit cubatio.* Rem tandem finit illa Drogonis lib. de Sacrament. Pass. obseruatio, nimirum, quod memorans textus Genes. Liæ partus de illa dicat, quod *parere cessauit*; non autem id dicat de Rachel. Cur ergo de Rachel non dicitur; parere cessauit? *Rachel iuxta Bethleem subter silicem crucis superposita est, nimirum sedet ad pedes Iesu, vt de domo panis semper fœcunda pariat.* Hæc Drogo, Ecclesiæ fœcundos partus ex cœlesti pabulo auspicatus. Hic tandem ponderanda sunt verba D. Basil. data in Missa, vbi ait. *Quam reuerenda est hora ista dilectissimi; cum spiritus viuus & sanctus è superius cœlorum sedibus descendit, atque incubat, manétque super hanc Eucharistiam propositam.* Expendo illud, *incubat*, sicut enim in principio Genes. dicitur spiritus iuxta Sept. quod incubabat super aquas, fouens & fœcundans eas ad cœlestium corporum partus, sic in præsenti Spiritus sanctus incubat super Eucharistiam, vt multitudinem cœlitum etiam pariat.

Paschas. Plin. Method. Cl. Alex. Ioann. 2. Exod. 16. Drogo.

§. XXXIII.

Christus Dominus in Eucharistia sumptus sic implet hominem, vt illum alijs faciat præstare de abundantia.

SEd instabis scire rationem, qua Pater diuinus dicatur verè & rigorosè filium generare, vt sic plenam textus cognitionem habeas. Ea autem ratio perspicuè ponitur à Richardo de sancto Victore lib. 6. de Trinitat. cap. 18. 19. 20. & 21. quæ in eo sita est quod Pater diuinus communicat filio diuinam naturam adeò fœcundam, vt illam etiam filius communicet alteri personæ diuinæ, nimirum, Spiritui sancto. Quem modum exactè æmulatur Christus dum à fidelibus manducatur: sic enim implet mentes manducantium, vt ipsi de sua plenitudine & superabundantia communicent aliis, vt plenè dici possit, sicut me misit Pater, & ego viuo propter Patrem, hoc est, quam ab illo sumo vitam non mihi soli reseruo, sed alteri eam trado; sic qui manducat me, & ipse viuet propter me, ea superabundans gratia, quam aliis tradat. Exod. 12. monentur prauæ Israëlitarum familiæ quod si pauciores fuerint, quā par est ad integri agni esum, *assumant vicinum.* Cur hæc? Nónne quod superesset poterat igne consumi, vt moris etiam erat? Sanè lex illa non illius agni, sed cœlestis & diuini esum respiciebat, quo ita implendi erant fideles; vt aliis communicare de plenitudine cogerentur. Sic ibi Rupert. *Agnum immolamus, rectè paucitatem nostram confitentes assumimus vicinum qui coniunctus est domui nostræ, sanctum Apostolorum & Martyrum chorum, qui per eandem fidem coniuncti nobis sunt, & sine illorum inuitatione nunquam edere præsumimus. Dicimus enim communicantes, & memoriam celebrantes, in primis gloriosæ semper Virginis genitricis Dei, & beatorum Apostolorum, ac Martyrū*, &c. Hæc ille, quibus acutè notat & explicat rationem, cur in Eucharistico sacrificio consecraturi euocent Sanctorum chorum; nimirum, quia sine illorum inuitatione non sumere præsumimus tantum epulum, cuius tanta est plenitudo bonorum, vt cogamur vicinos assumere, qui nobiscum tantum possint sustentare cumulum gratiarum. Nec solùm ij qui in cœlo triumphant euocandi à nobis sunt in communionem tanti sacrificij, sed qui propiores nobis adsunt, pauperioresque sunt, nimirum qui in Purgatorio degunt. His etiam de plenitudine huius conuiuij præstare debemus, vt sic plenè eius abundantia possit exhauriri. Quo spectauit Euseb. Alex. dum inquit. *Memento in oblatione sanctæ Eucharistiæ parentum ac fratrum qui iam de vita decesserunt. hoc si feceris, magnam eis requiem præbes, comples preces tuas.* Quæ verba grauiter ponderans noster Turrianus expendit illa *comples preces tuas*, quasi eucharisticum sacrificium, eiúsque bona non integrè queant capi ab vno fidelium; sed necessum sit vicinorum siue in Purgatorio, siue in cœlo degentium animas euocari, vt sic integrè & completè participetur. Hinc creuit ille mos receptus in sacris, quo hostia à Sacerdote in tres partes diuiditur, quasi ipse non possit totam diuini epuli virtutem sustinere; nisi cum vicinis diuidat, quibus duas partes tribuat. Id quod cecinit quingentis ab hinc annis Hildebertus Episcopus Genomanensis.

Inde fit, vt quoties sacras accedimus aras,
Particula cedat hostia fracta tribus.
Pars intincta mero pro viuis orat, opúsque
Sanguinis & carnis expiat ipsa caro.
Pro bene defunctis (offerimus tibi Christe duas; sed propter eosdē)
Oblata pariter non operantùr idem.
Hostia pro iustis laus est, pro iustificandis
Atentio, pro reliquis causam agit alterius.

Ecce tibi non vnus homo sufficit haurire bona agni Eucharistici; sed eo ipse impletus vicinis sanctis siue qui gloriosa institia in cœlo fulgent, siue qui in purgatorio expectant, partes cogitur impertiri. Vnde D. Chrysost. liturgia dicitur, *Diuisurus Sacerdos panem, dicit, Diuiditur Agnus qui tollit peccata mundi.* Deus meliora! An Christus per fractionem hostiæ potest diuidi? Nónne totus in tota, & totus in qualibet parte? Ita planè, sed dum integer accipitur his cumulat bonis accipientem, vt ipse plenus ea debet cum vicinis partiri, ne vana supersint plura. Hinc expendendum est illud D. Pauli 1. ad Cor. cap. 10. *Et panis quem frangimus nónne communicatio corporis Christi est?* Expende illud, quem frangimus, quasi hoc innatum Eucharisticæ hostiæ sit, quod non integram illam nobis retineamus, sed partem illius vicinis & amicis porrigamus. Sic acutè & grauiter Chrysost. hom. 24. *Quare addidit, quem frangimus? hoc in Eucharistia videre licet; in cruce autem minimè, sed omninò contrarium, Os enim, ait,*

Richard. Exod. 12. Rupert. Euseb. Hildebert. Chrysost. 1. Cor. 10. Chrysost.

ais, non comminuetis ex eo, ſed quod in cruce paſſus non eſt, in oblatione patitur propter te, & frangi ſuſtinet, vt omnes ſatiet. Sanè in cruce cauit, ne frangerentur eius oſſa, vt ſic vnitum & integrum pretium redderet exactori patri. In Euchariſtia fidelibus ſingulis merita ſua applicat ea abundantia, vt non vnus aut alter; ſed omnes poſſint exſatiari, & teneantur ſinguli alius de hoſtia præſtare.

§. XXXIV.

Euchariſtiæ ſumptio faciet homines diuinæ correſpondere origini per miſericordiam in pauperes.

IN hoc maximè filij diuini notio explicatur à pluribus Theologis, à quibus ſtat Vaſquez 1. parte diſputat. 113. capit. 7. quod filius referat Patrem vt eius viuida & expreſſa imago. Igitur ait Dominus, & ego viuo propter Patrem, nimirum, vt ego Patris filius exiſtens, viuida illius ſum imago, qua fontem & originem meam exprimo & repræſento, ſic dum mandur facio manducantes me viuidas eſſe Patris imagines, diuinúmque genus, in quo conditi fuere, repræſentare. Huc ſpectarat D. Chryſoſtum. homil. 45. in Ioann. fatus. *Hic ſanguis facit, vt imago in nobis regia floreat, hic pulchritudinem ac nobilitatem animæ languescere non ſinet.* O quam diuini generis ſplendorem in nobis excitat & acuit diuinus hic ſanguis! Quæ obtenebrata erat origo, quæ obnubilata nobilitas diuino ebibito ſanguine reparatur. Qui referebatur diuinus Pater, eius noſtris animis impreſſa imagine obſoluerat peccato, ſed modo generoſus Dei ſanguis humano in pectore bulliens iterum dat homini cœleſtem repræſentare patrem, veramque Dei in ſe prætendere imaginem. *Hic calix facit, vt imago in nobis regia floreat.* Aſt qua imagine referimus cœleſtem Patrem? Vnus D. Doroth. doctrina 12. eam explicabit: *Eſtote*, ait Dominus, *miſericordes ſicut Pater veſter miſericors eſt, non dixit, ieiunate, vt Pater cæleſtis ieiunat, neque dixit, Pauperes eſtote, vt Pater cæleſtis inops eſt; ſed quid ait? Eſtote miſericordes, ſicut Pater cæleſtis miſericors eſt. Propriè enim virtus iſta imitatur Deum, ipſum exprimit & ſignificat.* Vna miſericordia referimus Patrem cœleſtem, nóſque ab illo genus ducere teſtamur, & diuino concreti ſanguine paternam imaginem oſtentamus. Hinc Prouerbior. *Grande homo & pretioſum vir miſericors.* Cur pretium & valor hominis vni miſericordiæ tribuitur? Pulchre D. Ambroſ. Pſalm. 118. ſerm. 10. *Diſce, homo, vbi grandis & pretioſus ſit: vilem in te terra demonſtrat; ſed glorioſum virtus facit, ſidei rerum, imago pretioſum.* A qua vilis materia pecuniæ ſit pretioſa, niſi ab impreſſa imagine Regis? Imago itaque dat pretium rebus; ſic miſericordia homines pretioſos facit vtpote regia imago. Igitur diuinus ſanguis humanis efferueſcens fibris hanc ſtatim diuini generis imaginem efflorescere facit. Hic calix facit, vt imago in nobis regia floreat, hic nobilitatem animæ langueſcere non finet, dum iuxta diuinum genus ſuum docet homines miſereri pauperum. Quod agnus ille legalis huius conuiuij vmbra etiam præſtabat, dum vt illum manducarent iubebantur Iſraëlitæ aſſumere vicinos. Vbi Theodor. *aſſument vicinum, hoc præcepit Deus vt fraternum amorem, atque erga pauperes miſericordiam illos doceret*, quaſi neque vmbra Euchariſticæ menſæ eſſe poſſit, quin ab illa diuini germinis imago miſericordia non pullularet. Inde grauiter Diuus Chryſolog. ſerm. 103. *Doleo certè, doleo, quando lego Chriſti cunabula Magos rigaſſe auro, & video altare Corporis Chriſti vacuum reliquiſſe Chriſtianos, hoc præſertim tempore, quando ſe pauperum fames vaſtat, quando ſe fundit turba lamentabilis captiuorum.* Et quid dolendum in homine magis, quam quod regio concretus ſanguine nullum in factis referat virtutem regalem, nec generis oſtendat nobilitatem! Sic valde miſerandum eſt, quod homines diuino imbuti ſanguine paternam imaginem & nobilitatem non præ ſe ferant per miſericordiam in pauperes. Hinc D. Chryſoſt. hom. 51. ad Pop. monebat eos, qui pulcris tapetibus Chriſti altaria gaudent ditare. *Vis Chriſti corpus honorare, ne nudum eam deſpicias; neo tum hic quidem ſericis honores veſtibus, extra vero gelu & nuditate pereuntem condemnas. Qui namque dixit, Hoc eſt corpus meum, & verbo factum confirmauit: hic & dixit, Eſurientem me vidiſtis & non paniſtis me. Et in quantum non feciſtis huic ex minimis, mihi non feciſtis.* Hæc ille.

Marginal notes (left column): Chryſoſt. — Doroth. — Prou. 10. — Ambroſ. — Theod. — Chryſol.

Text. Hic eſt panis qui de cœlo deſcendit.

§. XXXV.

Non otio torpentes, ſed laborantes Euchariſtia refici debent.

O Vtinam Deus auerruncaſſet conſuetudinem illam, quæ noſtro æuo in pluribus adoleuit, qui prætextu deuotionis, & religionis ergo tota die in templis, & ſacris degentes nil magis oderunt, quam laborare. Deuoti & pij iſti otio languidi diuinum panem non timent frequenter manducare. Abſit à veris deuotis tantus error, non enim hic panis inuentus fuit otioſis, ſed laborantibus. Quod prædicat ipſa ſpecies panis: etenim à principio dicitur homini. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Id quod apertè de Euchariſtico pane præmonuit Iſaias, vbi dixit, *dabit vobis Dominus panem afflictorum*, quaſi nullis aliis aptetur hic panis, niſi his qui incumbunt laboribus, qui otio exſufflato inſudant vt victum meritò nanciſcantur. Ita D. Cyril. lib. 3. tom. 5. fatus. *Panis igitur Chriſtus eſt, ſed cum labore & ſudore inuenitur.* Quo reſpexit Dominus cum Iſraëlitis in deſerto pluit manna, quippe ſingulis diebus pluebat quantum ſatis erat ad cibos parandos, ſeptimo ſolum die non dabatur ex cœlo manna. Cur ita? Septimus dies Sabbatum erat, quo ab omni labore Iſraëlitæ vacabant. Cur ergo eo die cœleſtis panis pluuiam non recipiebant? An quia otioſus dies & ab omni labore feriatus carere deberet cœleſtis panis pluuia? Id maximè innuit D. Cæſar. Arel. hom. 7. de Paſch. ſic fando. *Dies ille, id eſt dies ſeptimus cæleſtis panis fraude mutilatur.* Ecce tibi quando otium à Deo imperatum erat, quando non laborare religio erat? tamen otioſus dies etſi religioſus cœleſtis panis pluuia priuabatur, tanti boni fraude mulctabatur. Ne ex tunc otio torpentes homines vllo religionis prætextu cœleſtem panem præſumant manducare. Cum Dominus turbam pane eſaturare vellet, nullo eorum labore expoſtulato totam multitudinem fecit in fœno agri ſedere & quieſcere, at cum in nuptiis vino potare conuiuas parat, ad laborem vocat vniuerſos famulus, & ait illis, *implete hydrias aqua.* Cur ita? Pulcre D. Chryſol. ſerm. 5. de Epiphan. *Sed aquas in ſanguinis erat conuertenda myſterium, vt mera pocula de vaſe corporis ſui Chriſtus bibentibus propinaret.* Et ſanè vbi Euchariſticum poculum adumbratur, neceſſum eſt, vt præmittantur homines laborantes, non tota die ſedentes, non otio vacantes. Hinc eleganter D. Paſchaſ. lib. de corpor. & ſanguin. Chriſti cap. 8. vocat Euchariſtiam *ſtipendium.* Dicit enim Ezechiel, cap. 9. *Ecce ſex viri veniebant de via portæ ſuperioris, & vniuſcuiuſque vas interitus in manu eius. Vir quoque vnus in medio eorum veſtitus erat lineis, & atramentarium ſcriptoris ad renes eius: & ingreſſi ſunt, & ſteterunt iuxta altare.* Cur ſcriptor hic cum atramentario iuxta altare ſtetit? D. Paſchaſ. *Ideo bene iuxta altare perhibetur, vt milites ad ſtipendia vitæ percipienda accedentes diuinitus diſcernat.* Solum expendo illud, ad ſtipendia vitæ accipienda, vt videant qui laborem fugiunt quam temere ad altare accedant, vbi quidquid datur ſtipendium eſt, & hoc cenſoris manu, prius recenſitis per ſcripturam laboribus exhibendum.

Marginal notes: Cyrill. — Cæſ. Arel. — Ioann. 2. — Chryſol. — Paſchaſ. — Ezech. 9.

§. XXXVI.

Chriſtus Dominus in Euchariſtia datur ſub ſpeciebus panis, vt ſe ab hominibus adorandum perſuadeat.

IAm impiorum hæreticorum os obſtruendum erat, qui in Euchariſtia Chriſtum Dominum adeſſe fatentur, & tamen ibi ſceleſtiſſimi negant adorandum. Etenim datur, aiunt, vt cibus panis, non datur adorandus. O perfidiam! O ſtultitiam! Sanè vt cibus panis datur, eo ipſo ſe hominibus proponit adorandum, & quid magis adorandum hominibus, quorum Deus venter eſt, quam Deus qui ſit illis cibus panis? Vt bruteſcentes caperet, & ad ſe traheret in præſepio apparuit. Sic ait Theodoretus orat. de Chriſti Natiuit. *In præſepio namque Dei ponitur Verbum per medium corpus, vt licentiam habeat rationalis & irrationalis participandi cibo ſalutis.* Sic vt illos, quorum Deus venter eſt, ſolicitaret, ſit illis cibus panis, vt vel ex odore cibi meminerint Deum latentem adorare. Hinc Dauid Pſal. 2. aiebat, Apprehendite diſciplinam. Quæ verba aliis ſonant longè aliter; ſed cum myſterio grandi. Eugub. & Geneb. legunt, *oſculamini filium.* Tiroboſcus aliter, nimirum *adorate frumentum*, cui pene accinit Galatin. legens *adorate faſciculum ſpicarum.* Quibus id ego maximè pondero, nempe, quo cum de diſciplina agitur ſolum dicitur *apprehendite.* Vbi autem filius innuitur,

Marginal notes: Theodor. — Pſalm. 2.

relicto verbo *apprebenda* vſurpatur *oſculamini.* Verum cum frumentum ſeu faſciculus ſpicarum dicitur, relictis alıis ſubıicitur *adorate*, quaſi adoratio neceſſario ſequatur eum Auguſt. qui potens eſt nos cıbis ſaturare. Id quod attigit D. Auguſt. ſerm. 81. de tempore. Vbı memorans, quod Ioſephi manipulum ſpicatum cæteri fratrum manipuli adorarint, ſic fatur. *Non incongrue tacti ſunt ſteriles manipuli, fructuoſum manipulum adorare, per quem de famis periculo liberandi erant.* Sanè vbi tot miſericordiarum ſegetes à Deo metimus, debemus Deum adorare; ſed quando ſe nobis cibum proponit, tunc adeo cogimur adorationem exhibere, vt vix aliud poſſimus facere. Adeo beneficus Deus to homines apparet, quicumque illos cibos ſatiat, vt vel hinc nefas eſſet eſeerandum, Deum noſtrum, à quo in Euchariſtia ſaturamur, non adorare. Ecquis ſatoratorem ſuum non adoraret? Sa- Pſalm. 21. nè Pſal. 21. dicitur. *Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ.* Apud Turrianum de Euchariſt. tract. 228. Quod ſic eſpendit Euſeb. Cæſar. *Fideles alimentum ſanctum corpúſque ſalutare in communione capiunt: & poſtquam comederunt Saluatorem & viuifici cibi datorem venerantur.* Ibi ſingulariter eshibenda adoratio, vbi Deus ſeſe præbet deuorandum, factus cœleſtis & viuificus panis. Vt Athanaſ. meritò D. Athanaſ. orat. in Paraſc. reprehendat eos, qui irreuerenter tantum epulum tractant. *An neſcitis quomodo Angeli aſtiterint ſepulcro corporis experti ſepulcro vacuo? Attamen cum ſemel totum corpus Domini recepiſſet, multum honoris etiam ipſi loco exhibent Angeli. Nos non ad ſepulcrum inane, ſed ad ipſam menſam, in qua agnus poſitus eſt, adituri cum tumultu accedimus.* Hæc ille.

§. XXXVII.

Cibus Euchariſticus homines in cœleſtia & ſuperiora agit.

O Quanta eſt cœleſtis panis efficacia, vt hominea in cœleſtia & ſuperiora audere faciat! Ouum vbi cœleſti rore plenum Soli radianti exponitur, viſum eſt beneficio roris in cœleſtia leuitare, imò aſcendere. Sic à cœlo deſcendens viuus panis hominum corda replens illos in ſuperiora impellit, & facit auolare. Hinc claret pulcra illa Richard. Richard. Vict. annotatio circa Domini in cœlos aſcenſum, qui celebratus fuit poſt epulum. Sic enim ait lib. 1. de Emmanuele c. 16. *Attende quid dicitur, quomodo ibi legitur: & convescens præcepit eis ab Hieroſolymis ne diſcederent, & panis interiectu additur. Videntibus illis eleuatus eſt. Ecce quia comedit, & aſcendit.* O diuiniſſimum epulum! O conuiuium ſalutare! Vbı huic accumbimus menſæ, ad cœleſtia euolamus: non poſſunt non alta ſapere, & ſurſum efferri qui nutriuntur Num. 21. cœleſti hoc pane. Fallor, ſi deliri illı Hebræi, Num. 21. ſumma ſui erroris inſania hanc cœleſtis pabuli virtutem non indigitarunt. Etenim aiunt: *Nauſeat anima noſtra ſuper cibo iſto leuiſſimo.* Ecce errorem & inſaniam, quod nauſeant, quòd faſtidiunt cœleſti epulo recreari; ſed ſapiunt, quum dicunt cœleſtem panem eſſe cibum leuiſſimum. Verè leuiſſimus cibus eſt, qui vt de cœlo venit, ſic in cœlum nos facit euo- Paulinus. lare. Similiter D. Paul. epiſt. 4. ponderans illud Chriſti Domini pronunciatum, nimirum, *Iugum meum ſuaue eſt & onus meum leue* ſic fatur, *Iugum & onus Chriſti leue eſt, quia ſcandentes Chriſto operamur bona, quibus pennati in alta prouehimur.* Vt iugū, ſeu onus Chriſti leue eſt: ſic verè leuiſſimus eſt Chriſtiferus, & cœleſtis panis, quo ſaturi & repleti in alta & ſuperna prouehuntur, cœleſtia ſolùm & diuina quæritan- Chryſoſt. tes. Vnde D. Chryſoſt. hom. 24. in 1. ad Cor. ait: *Ad nos inducit ſacrificium illud formidandum & admirabile, quod iubet nobis, vt aquilæ in hac vita facti ad ipſum cœlum euolemus, vel* Matth. 24. *potiùs ſupra cœlum; vbi enim cadauer, inquit, illic aquilæ. Aquilas autem appellat, vt oſtendat ad alta eum oportere contendere, qui ad hoc corpus accedit, & nihil cum terra debere ei eſſe commune, neque ad inferiora trahi & repere, ſed ad ſuperiora ſemper volare, & in Solem iuſtitiæ intueri.* Hæc Chryſoſt. vt videas quales naſci debeant pennæ manducantibus cibum cœleſtem, quibus ad cœlorum alta perueniant, déque ſo- Tertull. lo Deo ſaginentur, vt ait Tertullianus libro de Reſurrectione carnis. *Caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, vt anima Deo ſaginetur* vt terrena faſtidiens appetat cœleſtia. Hoc fecit in filio prodigo vel odor cœleſtis panis, etenim ait Luc. 15. *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus.* Hæc dum mente reuoluit, ſtatim ſubdit: *Surgam, & ibo.* Vix panem meminit & ſeſe erigit ſtatim. Auguſt. Pſal. 138. *Surgam dicit, ſederat enim. Sed in egeſtate. Surrexit in deſiderio panis tui.*

§. XXXVIII.

Vnus cœleſtis hic panis humanam vacuitatem explet.

NIſi homo à cœlo hunc cibum accepiſſet, nullus alius potuiſſet expleri, cum cæteris omnibus & aridus, & vacuus remaneret. Id quod eleganti obſeruatione notauit D. Anaſtaſ. Sinaita in Hexaëm. lib. 1. dicit enim Geneſis: *In* Sinaït. *principio creauit Deus cœlum, & terram*, & paucis interiectis, poſtquam terram oſtendiſſet, immerſam aquis, pergit teſt. *dixit vero Deus; Congregentur aquæ, quæ ſub cœlo ſunt, in locum vnum, & appareat arida.* Ad hæc D. Anaſt. *Oportet hoc loco adnotare, quòd quando Deus fecit terram cum cœlo, non appellabatur arida, quando autem fuit ſuffocata à tenebris quæ ſuper eam erant & aquis, tunc facta eſt arida.* Enim verò vbi terra à cœlo ſeparatim exhibetur, etſi ſubmerſa aquis, arida eſt & vacua, quandoquidem ex cœlo ſolùm poteſt accipere plenitudinem & decorem. Quaſi iam inde innueret hominum ariditatem & vacuitatē vnico explendam eſſe à cœlo deſcendenti pane. Sic Deut. c. 15 cauebat les ſeruis Hebræis manu- Deut. 15. mittendis. *Cum tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus, & ſex annis ſeruierit tibi, in ſeptimo anno dimittes eum liberum; & quem libertate donaueris, nequaquam vacuum abire patieris; ſed dabis viaticum de gregibus, de area, de torculari tuo, quibus Dominus Deus benedixerit tibi.* Ita lex libertinorum curam agebat, ne vacui remitterentur & aridi: ſed quæ area, aut torcular terrenum hominum poſſet eſpellere vacuitatem? quo viatico impelleretur libertinorum fames? Equidem vbi vacuitas adimplenda erat, vnus cœleſtis oderabatur, & annuntiabatur panis. Pulcre D. Cyrill. lib. 7. de adoratione in Apud Turrian. tr. 2. c. 25. ſpiritu hęc verba facit. *Vides vim myſterij Chriſti in his elucere? Liberauit enim nos gratis Dominus, non enim ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos; ſed ſecundum magnam miſericordiam ſuam, tantam iſtam clementiam participauimus. Poſtquam verò liberos nos fecit, adiecit ſe ipſum viaticum, tanquam victima omnis maculæ expers, & ouis pro nobis mactata, concedens vt viuificam benedictionem participaremus, ſanctam dico carnem & ſanguinem. Hoc exiſtima eſſe, quod ait lex oportere ſuppeditari viaticum de ouibus, & de frumento, & de vino.* Hactenus Cyril. quaſi libertinorum hominum vacuitatem nullo eſpleri poſſet, niſi cœleſti viatico, ſic legem de vacuitate expellenda, de elargitione cæleſtis viatici fuit interpretatus. Vbi iam ponderanda nobis ſunt verba illa legis. *Dabis viaticum de gregibus, & de area, & de torculari.* Enimuerò poſtquam meſſis facta eſt; triticúmque & vinum ab area & torculari domi aſſeruátur, non adeo largus eſt quis in elargiendo, verū de plena area, de ſuperfluenti torculari, de ditiſſimis gregum ſpoliis quia non largè & liberaliter erogat, dum medius inter hæc verſatur? Hinc Dei in nos magnificētia & liberalitas panditur, qui vt vacuitatem eſpleret humanā, medius ſtat inter pleniſſimas areas, inter ſuperfluentia torcularia, & ab area, à torculari, a gregibus nobis frumentum, & vinum, & agnum parat. O quàm explentur libertinorum hominū vacuitates tanto illis præparato viatico! Iam ab epulo nil habet homo quod deſideret ampliùs, ibi omnium bonorum fontem & authorem habet. Hunc diuino conuiuio meritò refert Dionyſ. Carth. illud Cant. 1. vbi Dei amatrix fatur. *Botrus Cypri* Cantic. 1. *dilectus meus.* Et quis botrus? Sanè ex quo Chriſtiferi conuiuij licet conijcere ſummam abundantiam, incredibilémque opimitatem, qua ſaginantur & implentur animæ. Cum enim D. Gaudent. tract. 16. dicat, quod *promiſſionis terra Chriſti* Gaudent. *cara eſt, cuius vbertate credentium corda pingueſcant.* Pulcre in Euchariſtia botrus vocatur, nimirum botrus ille, qui promiſſionis terræ vbertatem indiget magnitudine ſua incredibili. Verùm ſi de Hebræorum penu aliqoid accipere licet, accipite myſterium eiſdem incluſum verbis, quæ ſic tripliciter transferuntur a Rabbi Barachias, Rab. Benſirem, Rab. Ananias, nimirum: *Vir omnia pariens dilectus meus, vir omnia propitians, vir omnia ſatisfaciens.* Ecce quanta habeas in hoc botro, quo te Chriſtus de torculari ſuo ſaginat. Si agricola es, in illo habes omnium parentem, qui terram, qui ſegetes facit parturire. Si reus es, iraſque extimeſcis diuinas, ibi habes à quo tibi Deus reddetur propitius. Si debitor es, multóque ære alieno preſſus, botrus hic diuinus eſt omnia adimplens, omnia ſatisfaciens, quo vno nullam experieris vacuitatem, ſed omnium plenitudinem & abundantiam.

Text. Non ſicut manducauerunt patres veſtri manna, & mortui ſunt: qui manducat hunc panem, viuet in æternum.

§. XXXIX.

§. XXXIX.

Caueat qui ad Eucharistiam accedit, ne iram, & damnationem incurrat.

EVcharistiam meditatus, quis manna non meminit? Sed vide, qua nobis figura manna proponitur, *Non sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt.* Latet in manna mors, latet in cœlesti pabulo strictum iudicium. Vide manduces eo modo, quo mortem non incurras. Monet igitur tremendum esse sumentibus cœlestem cibum vt qui non sine gladio iudicij, sine flammanti fulmine porrigitur. Gaudent. Sic D.Gaudent tract.10. de manducat. agni proponit nobis Deum manna pluentem: *Ipse pluit manna cibum suis cultoribus in eremo, qui ignem pluerat nefando sacrilegio criminosis; ipse pluit manna placidus, qui flammam pluerat indignatus.* Ecce tibi eadem Dei manus manna pluit & ignem; eadem cœlestem porrigit cibum, & fulmina mundum populantia mittit, quasi cœlestis cibus eodem quo fulmina erumpat nixu. Epiphan. Quo spectauit D.Epiphan. vbi Deiparam laudibus extollens inquit. *Ipsa nubes tonitrui formis, qua fulgur tuisarius in vtero gestas; sermonique meo attestatur diuina scriptura, dum ait: Venter tuus aceruus frumenti vallatus lilijs.* Et quidem elegantissimè, vt probet nubium fulmen in virgineo existere vtero, testimonium affert, quo vterus probabatur plenus tritico, nescit enim panis viuus Christus esse sine fulmine, vbicumque cœlestem hunc panem videris, meditare ibi flammantes ignes, ardentia fulmina. Vt meritò dicat Chrysost. in præsenti. Chrysost. *Quemadmodum fontes aqua scaturiunt, sic & hæc mensa flammam quandam ineffabilem fouet. Caue igitur accedas cum stipulis, lignis, & fœno, ne maius efficias incendium, & animum, qui fit eius particeps, exuras.* Non longè ab hoc aberat illa apud Heliopolim Apollinis statua, quæ eadem manu spicarum manipulum tenebat, & inter spicas fulmen horrificum visebatur.

At si quidem plenus est panis cœlestis igne, & fulmina eructat, cur ex tot millium qui malè accedit & accipit panem, nullum videmus cremari. Sanè non ignis est qui oculis cernatur, sed ignis qui æternum excruciet animas. Pulcre Tert. Tertull. aduersus Gentes reddens rationem, cur Christiani non deberent se à persecutoribus Romanis vindicare, ait: *Vna nox pauculis facibus largitatem vltionis posset operari, si malum malo dispungi penes nos liceret: sed absit vt igne humano vindicetur diuina secta.* Id quod dictum accipe in Eucharistia, quippe facilè eructaret ignem, qui malè accipientes consumeret; sed absit, quòd igne humano vindicetur diuinus panis, non sanè vindicat se igne visibili & humano; sed illo alio igne, qui paratus est diabolo, & Angelis eius, igne, inquam, dæmoniaco, & æterno multantur malè communicantes. Sinaita. Hinc D.Anast.Sinait. de sancta Synaxi, ponderat illud, Ioan. 13. Ioan.13. *Et post buccellam introiuit in eum Sathanas.* Cur Sathanas ausus est post buccellam diuini & cœlestis epuli intrare? An contempsit buccellæ virtutem? Absit, inquit Sinaita, *non quod diabolus panem illum despiceret; sed vt eum qui sumpserat, redargueret, in iudicium enim suum sumpserat.* Et quidem vbi iudicium fit, necessarius accusator adest, & carnifex, & supplicium. Vide ergo quale iudicium manducent, qui indigne corpus Domini manducant, non humanum iudicium, sed dæmoniorum iudicium, & supplicium; & ideo post buccellam intrat Sathanas, ne qui malè sumpsit mactetur humano, sed diabolico iudicio, & igne.

§. XL.

In Eucharistia vnitas, & concordia fratrum.

APud Numeros cap. 11. dicitur manna esse *coloris Habbe doloch*, cuius verbi significatio haud facilè percipitur. Vnde nata est dictionum varietas, nam Pagninus legit, *similis margaritæ*, vt vidimus supra §.22. Alij habent, quod sit Man, *similis lapidi onychino*, quocirca, vt notat Abulens. onyx significat vnguem, & dicitur onyx ille pretiosus lapis, qui colorem, & penè formam vnguis super carnem exprimit. Quo innuitur intima & summa vnitio, qualis est illa quæ intercedit inter vnguem & carnem, prouerbialiter assumpta ab Hispanis ad maximam amicitiam significandam. Ergo qui cœlestem panem amatis, qui manna vesci præsumitis, vel in eius colore discite quanto vnionis & concordiæ vinculo obstringi debeatis. Multa congerunt alij in hanc sententiam, nobis sufficiat notare id quod dicitur Exod. 16. Exod.16. de manna pluuia. Ait enim textus. *Factum est ergo vespere, & ascendit coturnix, & operuit castra, manè quoque ros iacuit per circuitum castrorum.* Itaque vbi carnibus pluit, illæ vt omnis desidiæ causa, intra ipsa arma, mediis ipsis ceciderunt phalangibus; at cœlestis ros vt omnimodæ vnionis amator, sic extra castra cecidit, relinquere debet pugnarum locum qui cupiat de cœlesti pabulo satiari. Rupert. Sic Rupert. lib.3. in Exod. cap.15. fatur. *De castris igitur illis exeundum tibi est, quicumque hoc minutum quod detulit ros iste, colligere contendis.* Amat prorsus diuinum manna pacificos, & vnitos vinculo pacis collectores. Quidquid hostile est, intimis infixum medullis cœlesti hoc pabulo debet omnino eradicari. Fallor, si non mirabaris, cum filios Iob singulis diebus audisti conuiuiis vacasse. Qualis enim erat Sanctorum vita inter dapes, inter calentia vina, inter quotidiana conuiuia? Id iustus pater permittebat filiis quod dè externo conuiuio in dies ructarent? Quæ vtilitas tam frequentis mensæ? Pulchrè D.Chrysost hom. 2. Chrysost. rationem venatur aiens. *Quandoquidem progenitores Esau, & Iacob vicissim se expugnabant, non Iacobo in malitiam consentiente, sed Esau primum ad malitiam inuecto, progenitorum discordiam mensæ consilio soluit; liberósque facit, per singulos dies conuiuari, quo assueta mensura resoluit malitia virus.* O viri pijssimi sanctissimum excogitatum! aduersus odia à progenitoribus Iacob, & Esau disseminata, mensam instituit, & conuiuia quotidiana parauit. Sic Dominus antiqua hominum odia, cum homine primo nata, quibus frater fertur aduersus fratrem, vt penitus eliminet, diuinum parat pabulum, mysticâ instituit mensam, in qua vnio & concordia fratrum firmatur. Hieron. Hinc præclarè D.Hier. in Abdiam, memorans felicitatem animæ, à peccato recens conuersæ, & Deum suspirantis, ait: *Dicétque cum sponsa pentius, vbi pascis, vbi cubas in meridie? Et cum Ioseph, in antiquam germanitatem recepta, inebriabatur sanguine Pastoris, & Principis.* Itaque non antea pabulum, quam germanitatem antiquam recipiat, sed deposito omni odio & simultate, inter fratres vt Ioseph agat conuiuium, sanguinéque inebrietur diuini Pastoris, & Principis.

§. XLI.

Bonorum terrestrium affectum exuat, qui diuina pascitur Eucharistia.

VEnio ad vulgatam lectionem Numeror. 11. vbi manna dicitur simile bdellio. Quid est Bdellium? Abulensis putat esse lapidem Berill. Igitur de Berillo vacat transferre huc verba Plinij data suprà, lib. 2. cap 5. §. 2. Plin. vbi sic de Berillis loquitur, quod sint *Crystallis ferè similes, capillamento habeant, sordésque, alioqui euanidi. Indi solos gemmarum esse prædicant, qui auro carere malunt.* Vide modo quam aptè manna sub Berilli proferatur specie, auri, bonorúmque omnium terrestrium contemptum hominibus persuadens. Humanos repleat splendores, humana contemnat bona aurea, qui velit de tanta Eucharistiæ gemma & ditari, & berillare. Genes.18. Abrahamus, Gen. 14. hostium deuictorum gazas aureaque spolia despiciens ait: *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Et exinde à Melchisedech panis & vini benedictionem accipit. Quid tunc? Sanè panis ille cælestis, quem Sacerdos secundum ordinem Melchisedech offert, illis datur, qui sciunt antea sæculi ornamenta contemnere, & spoliorum mundialium thesauros. Cyrill. Etenim ait D.Cyrill. Alex. in Collect. cap.6. de Abrahamo: *Et quidem benedixit Melchisedech, qui erat figura Christi, sicut docuit Paulus, & cum nullum accepisset spolium, pane & vino eum aluit.* Spue mundi spolia, humanas & mundiales gazas, aurea omnia ornamenta contemne, & de pane & vino Eucharistico incipis berillare. Nescio an Isaac calluerat hanc Eucharisticæ gemmæ gloriam, quando inter benedictiones filij ait. Gen. 27. Genes.27. *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni.* qualisnam ager potuisset subolere tanto patri, nisi ille in quo gemma thesaurizatur, cuius amore sapientissimè mercatores sciant contemnere omnia bona mundialia? Paschas. Ita D.Paschasius lib. de corpore & sanguine Domini, ait: *In isto agro corporis Christi thesaurus absconditus vernat floribus immarcessibilibus, & redolet suauitate odoris. Quem qui inuenit homo, vadit, & vendit omnia quæ habet, & emit agrum illum.* Et meritò vendit priùs omnia, quia Eucharistiæ gemma thesaurus tunc dignè habetur, cùm omnia mundialia bona contemnuntur. Thren.3. Bene Hierem. monebat, Thren. 3. dicens. *Gaude, & lætare filia Edom, quæ habitas in terra, ad te quoque perueniet calix: inebriaberis, atque nudaberis.* Non bene conueniunt in

corde humano mundiales gazæ,& calix Domini; ea tanto calici pectora parantur quæ sese oudare nouerint, & a se pellere affectum bonorum temporalium. Huc respicit D. Cyprian. Cyprian.serm.de Cœna Domini fatus. *Vident hæc sacramenta pauperes spiritu,& hoc vno contenti sæculo, omnes mundi huius delicias aspernantur: & possidentes Christum, aliquam huius mundi possidere supellectilem dedignantur.* Nec vacat mysterio, quòd calix hic inebrians, & denudans dicatur apud Lucam cap.22.*Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine:* quando per testamentum mundialia omnia bona dimittuntur, & transmittuntur ad alios. Sic qui calicis cupit obtinere virtutem, de mundialibus bonis testamentum faciat,illa à suo affectu penitus arcens. Et tunc ait Ambros. serm.51. *Christianus qui mundum non possidet, hic totum possidet Saluatorem.*

§. XLII.

Eucharistia efficacissima ad immortalitatem donandam.

ANtequam à Berilli Eucharistica gemma discedam, illud etiam aduerto, quod de Berillis Plinius fatur, nimirum crystallis esse penè similes, nec immeritò Eucharisticus panis exprimitur per speciem crystalli. De Christo Chrysost. Domino resurgente dicit D.Chrysost.serm.4. *Hodie processit panis in veritate, qui sicut crystallum mittebatur de nubibus prophetia. Clamat enim Dauid in voce Psalmi dicens.* Psal.147. *Qui mittit crystallum suam sicut frusta panis.* Ecce cœlestis panis datur nobis vt crystallus. Cur vt crystallus? Equidem vt homines vitam habeant, & abundantiùs habeant, quia qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Sol enim vbi immittit suos radios in crystallum, eas vires colligit ibi, quibus ingentem suam virtutem exhibet confirmatam. Ita candor, & lux vitæ æternæ in pane cœlesti, quasi in limpidissimo collecta crystallo efficaciùs & fortiùs suam virtutem hominibus nouit communicare. Nolo ampliùs debere pulcherrima verba D.Irenæi,lib.4.cap.37. Irenæus. quibus reddit rationem aduentus filij Dei in carnem dicens: *Verbum caro factum est, vt in carnem Domini occurrat paterna lux, & à carne eius rutila veniat in nos, & sic homo deueniat in incorruptelam, circumdatus paterno lumine.* Itaque Christi Domini caro instar crystallini corporis, lucem vitæ æternæ recepiat, vnde ipsa lux resiliens rutila in nos veniat, efficaciùs nobis donans incorruptibilitatem. Hinc patet, quam verè dicatur cibus, Eucharisticus panis, ait enim Dominus, Ioann.6. Ioano.6. *Caro mea verè est cibus, sanguis meus verè est potus.* Cur verè cibus est? Cùm ideo sit inuentus cibus, vt absumptas animalis vires perfectè restauret, mortémque ableget, vnus cibus Eucharisticus verè muneri suo satisfacit, quia vnus perfectam restaurationem donat. & mortem penitus exsufflat, introducta immortalitate. Paschas. Sic D.Paschas. lib.de Sacramento corpor. Christ. cap 19. fatus. *Generaliter homines cibum & potum permaximè appetunt, vt non esuriant, neque sitiant,& ne moriantur;hoc vtique communis iste non præstat cibus, nec potus, sed caro Christi, & sanguis, qui immortales & incorruptibiles facit, ideò verè & cibus & potus nominantur.* O quàm reficientur hoc diuino epulo corpora nostra!quàm reuirescent membra marcida, quàm florebunt immarcescibili vita obtenta de lumine Eucharistico nata! Putant aliqui post mundi finem adhuc terram in paradisus ituram, adhuc viridantibus pratis,immarcescibilibus floribus exultaturam, neque id alio, nisi quia semel sanguine fuit rigata Christiano. Anselm. Sic D.Anselm. in elucid. fatur. *Terra quæ in gremio suo corpus Domini confouit, tota erit vt paradisus;& quia Sanctorum sanguine est rigata, odoriferis floribus, rosis, violis immarcescibiliter erit perpetuo decorata.* Quis id audeat negare humanis corporibus, dum illa toties de Eucharistico sanguine videat rigari & fœcundari? Germinabunt equidem, iuxta Oseam, sicut lilium, immarcescibilibus illustrata corollis. & viuent tritico, quando de crystallino frumento lucem haurient immortalem. Quam vitæ perennitatem Ioël 2. ab hoc diuino epulo datam non obscurè insinuat Ioel cap.2.dicens. *Ecce ego mittam vobis frumentum,vinum,& oleum, & replebimini in eo.* Addit frumento & vino, quo stabilimur, oleum, vt illis inducat coniunctam perennitatem. Quod lucem capiet, ex Phidiæ arte, qua suas æternare cupiebat imagines. Epiphan. De illo ita loquitur D.Epiphan. lib.2. contra hæret. tom.1.aiens. *Hic vbi Palladis simulacrum fabricasset, ex ebore autem idipsum erat, oleum effundi iussit circum pedes coram ipsa statua, vt pro viribus ipsum immortalem conseruaret.* Ergo frumentum & vinum Eucharisticum, vt participantur, oleum afferunt suis participibus, quo mirificè perseuerant æternandi.

§. XLIII.

Vt præcedere debet præparatio ad Eucharistiam.

DE Manna pluuia illud notat Abul. ad cap. 16. Exodi quod in primis antecedebat ventus desiccans terram & aptans eam, vt cum omni mundicie reciperet cœlestem panem. Quo necessaria nobis monstrabatur antecedens præparatio, vt de diuina mensa reficiamur; cuius ille dignus efficitur particeps, qui antecedenti cura sese nouerit præparare. Equidem semel cœli recepturi erant in se dominicam carnem,& plusquam triginta annis antea se incipiunt præparare. Nónne vides in Christi natiuitate stellam in Bethleheem festinare, ibique vagienti puero inseruire, Reges in eius obsequio ductare? Quod putat fuisse huius stellæ ministerium & mysterium? Sanè per illam cœli,qui vitum postea recepturi erant, maturabant receptionem in paruulo. Ita D.Athanas.orat.in Ascens. fatur. Athanas. *Quid cum ad eum partum,cum in lucem ederetur per stellam respiciebat cœlum, quasi ante tempus maturaret complecti eum, qui in speluncо latebat; sed & dispositionis opportunitatem obseruari oportebat.* O quam decet viros etiam cœlestes ante corporis Domioi susceptionem,sese in illam accingere, sese ad illã excitare, & maturare complecti eum, qui postea est intimis excipiendus visceribus. Matt.26. Matth.26. accedentes discipuli dicebant ad Dominum. *Vbi vis paremus tibi Pascha?* Ex quo & proditoris, & discipulorum discrimen notat Chrysost. fatus. Chrysost. *Tunc aduenerunt discipuli; tunc hæc gerebantur, quando Iudas de proditione tractabat, proximant discipuli eius & dicunt: Vbi vis vt paremus tibi Pascha? Vide discipulos, vide discipulum. Isti sunt de præparatione soliciti, ille Dominici sanguinis mercator existit.* Verè Christi discipuli qui de præparatione soliciti sunt ad manducandũ Pascha qui & respiciunt vt sese manducaturi præparent, vt semel cœlestem cibum accepturi, sæpius antea se aptent, se tentent. se exerceant ad tantum paruulum. Docet præparationem Magdalena,cum stans retro cœpit lauare Dominicas plantas; de qua eleganter D. Paulinus epist. 4. ait. Paulin. *Quæ ipsam vitam vitæ vnumque panem manibus & ore præsumpsit, sanguinem quoque calicis, antequam fieret calix sanguinis, oculis fugentibus prælibauit.* Antequam fiat mensa,antequam panis cœlestis condiatur, iam de eius exceptione solicitus te debes aptare & dignum facere. Sordenti illi, qui nuptiali conuiuio assidebat, vide quid dicat Dominus Matth.22. Matth.22. *Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem:* Dixisset alius: Cur sordidus inter candidatos vitæ æternæ discumbis? cum fœtidas diuino epulo prætendis manus. Cur accumbis? Cur edis? Nil horum Dominus, sed quomodo huc intrasti, dignatus quod ante ingressum non sese inspiceret, & pararet tanto prandio. Sic Chrysost. hom.61.ad Pop. Chrysost. *Non dixit, Quare discubuisti? Sed ante reclinationem & ingressum, semetipsum indignum esse fatetur. Non enim dixit, Quare recubuisti? Sed, cur intrasti?* Non quod peccat in ipso conuiuio, sed defectus præparationis antecedentis & notantur, & seuerissimè mulctantur. Caue quisquis diuino epulo accedis, & priùs te præpara, te exorna eis virtutibus, quibus nitidus assistas nuptiali prandio. In prima rerum Genesi id maximè notandum, quod priùs terra vestiatur floribus & fructibus illustretur, quàm cœli stellis & astris expoliantur. Cur id? Pulchrè Anast. Sinaita lib.4.Hexaëm.ait. Sinait. *Ante Deus ornauit terram quam cælum: támque si terra ante cælum dicata sit Christi mysterio & aduentu.* Vbi terra ante cœlum receptura erat in se Dominicam carnem, iure optimo maturat ornatum, & festinat sese floribus vestire & decorare.

§. XLIV.

Spiritus sanctus homines in Eucharistia patrocinatur.

VIdisti præparationem ad Eucharistiam recipiendam ex eo deductam quod ventus manna pluuiam antecedens præparet & disponat terram. Iam modo animaduerte cui committitur dispositio hæc, nimirum vento, quasi innuat, quod nunquam cœlestis panis fructus percipietur, quin diuini spiritus afflatus præueniat. Ideò Diuus Chrysostom.orat.in B.Philogon. ait de Eucharistica mensa. Chrysost. *Hæc mensa vicem explet præsepis. Nam & hic ponitur corpus Domini, non quidem fasciis inuolutum sicuti tunc, sed vndequaque*

Spiritu sancto conuestitam. Non poteris tantam mensam attingere nisi in Spiritu sancto, nec tanta hæc mensa hominibus salutaris existeret, nisi ibi Spiritus sancti patrocinium intercederet. Peccatori communicanti dicebat Paulus, *Quod iudicium sibi manducat & bibit:* quippè positum est in hac mensa totum seuerissimæ iustitiæ tribunal; ibi Iudex, ibi lex, ibi accusator interuenit. Quis ergo non fugeret mensam quæ iudicem & accusatorem præsefert? Fugientem Dauidem a facie Absalonis, comitabantur Sacerdotes portantes Arcam fœderis, 2.Reg.15. Tunc Dauid ait summo Sacerdoti. *Reduc arcam Dei in ciuitatem & sedeat in loco suo.* Cur Dauid in tanta necessitate constitutus Arcam Dei à se remouet? Bene respondet Theodor. quæst.30. *Non possum mecum circumferre accusatorem. Hinc audio, Non mœchaberis, non occides: ego venerandam conculcaui legem.* Ecce sanè vbi in Arca rem iudicij animaduertit, non miror quod illam à se curet remoueri. Simili modo si tota iudicij res in diuina adest mensa, si ibi iudex, si accusator, quis non pauebit? Ille qui viderit mensam hanc vndequaque Spiritu sancto conuestitam, qui vbi iudicij rem in Eucharistia videt, non potest, qua hominum aduocatus est, aliquando abesse. Accipite D.Irenæum lib.3.cap.19. sic de Spiritu sancto loquentem. Quem ipsum iterum dedit Ecclesiæ, in omnem terram mittens è cœlis paracletum, vbi & diabolum, tanquam fulgur, proiectum ait Dominus. Quapropter necessarius nobis est ros Dei, vt non comburamur, neque infructuosi efficiamur, *Et vbi accusatorem habemus, illic habeamus & paracletum: commendante Domino Spiritui sancto suum hominem.* Itaque vbi in Eucharistia iudicium & accusatorem timemus; necessum fuit aduocatum interesse qui nobis fiduciam suppeditet. Id quod promittebat Ioël cap.2. fatus. *Ecce ego mittam vobis frumentum, vinum & oleum, & replebimini in eo.* Quid significat oleum cum frumento & vino, nisi Spiritus sancti fauorem, qui nos roborat ad Eucharistiam? Ait Paschas. libr. de Sacramento Corp. & Sang. Christi cap.21. *In eo vtique replebimini, quia caro & sanguis per eundem Spiritum sanctum consecratur. Neque caro aut sanguis sine oleo Spiritus sancti prodest nobis, imò magis officit. Ideò quisquis rectè vult communicare, sic viuat necesse est, vt templum Spiritus sancti semper esse queat.* Expende illud, imò magis officit, quippè iudicij res plurimum officeret, ni tantus aduocatus intercesserit.

2.Reg.15. Theodor. Iren. Ioël.2.

§. XLV.

Tota Dei præsentia in Eucharistia ad castitatem seruandam.

Finiam totam de manna considerationem, vbi expendero illud Numer.11. *Cum descenderet nocte super castra ros, descendebat pariter & manna.* Itaque simul terra albicabat de pruinæ gelu, & ditabatur de cœlesti pane: quasi vnus cœlestis panis necessarius esset, vt luxuriantem terram de glaciali puritate faceret radiare. Nec immeritò à Zacharia Eucharistico poculo tribuitur, quod virgines posset generare, quando tota Dei potentia requiritur, vt humanum lutum albicet virtute castitatis. Sapiens illa Chananæa, quibus dæmonia à filia arceret, micas de mensa Domini requirebat aiens. *Etenim Domine, nam & catelli comedunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Non Dei potentiam absolutam exposcit, sed vel micam ambit, qua scit se posse infernum debellare. At Magdalena conuiuantem Dominum nacta, non micas sperat, quibus fiat sana, sed Saluatoris amplectens plantas ibi manebat alligata. Cur Maria si vis saluari Saluatorem inuadis? Cur vel mica ab eius ferculo prosiliente non es contenta, sed ipsum fontem salutis arripis? Equidem ad expugnandum infernum mica Dei sufficit; verum ad firmandam castitatem totus & integer Deus videtur necessarius. Accipite D.Chrysostom. serm. in peccatricem & Pharis. vbi ait. *Cernens in mensa Dominum non quæsiuit sicut Chananæa micas, sed ipsum panem vitæ amplexa est, Chananæa enim pro filia à dæmonio vexata interpellabat, & dum se ipsa canis nomine interpellari audiret, micas de mensa cadentes petijt. Hæc vero non filiam dæmonio vexatam habebat, sed totum corpus lasciuiæ dæmoniacæ deditum.* Vt diuersa erat necessitas harum feminarum, sic diuersa erat illarum expostulatio, quæ dæmonem expugnare volebat, de mica à Dei mensa cadente arma parabat, quæ castitatem menti inserere volebat, totum integrum panem vnum sibi præsumere curabat. Ea enim est castitatis virtus, quæ nisi ab omnipotenti Deo nequeat confirmari. Notanda est connexio diuinorum nominum, quæ Isaias meminit cap. 9. fatus. *Et vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, &c.* Ecce tibi immediate post consiliarium subiicitur Deus fortis. Cur non potius post admirabilem? An miraculorum potestas non aptius iungeretur fortitudini diuinæ, quam nomen consiliarij? Quid est in consiliario, quod sibi totam Dei fortitudinem vendicet? Respondet Paulus, vbi ait. *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Itaque puritas virginalis clauditur intra consiliorum diuinorum fines, vnde necessum est quod consiliario tota diuina fortitudo astet, qua sola virginalis pudicitia confirmabitur. Hanc excogitationem sic finit D.Cyprianus homil. de Natiuit. *Quod si diuinus consilijs obuiauerint tentamenta, & liberas mentes ad carnales reuocauerint appetitus, adest Deus fortis.* Ibi est tota fortitudo Dei, vbi necessum est carnales expugnare appetitus, & mentis confirmare castitatem. Omnem mundi machinam Deus solo verbo effecit, verum cum ad terram ex qua homo, ventum est; ibi ait, Faciamus hominem ad imaginem nostram. Quocirca Tertull. lib. de carn. resurrect. fatur. *Recogita totum Deum illic occupatum ac deditatum, manu, sensu, opere, consilio, sapientia, prouidentia, & ipsa in primis affectione.* Cur ibi totus Deus? Sanè aurifex in efficiendo vase aureo totus occupatur manu, oculis, cogitatione quia auri frustulum non cadet sine detrimento rei familiaris; verum figulus sic argillam tractat quasi nihil agat, cum omnibus sermones miscens. Cur Deus in argilla humana totus occupatur manu, sensu, consilio, prouidentia, sapientia? Pulcrè Diuus Irenæus lib.3. cap.31. insinuat causam fatus. *Adam de rudi terra & de adhuc virgine habuit substantiam.* Ne miremur quod vbi à virginitate homo initiabatur, ibi necessum fuerit totum Deum occupari. Proh virginalis castitas, quanta virtutum vi eges vt possis splendescere in luto humano? Ad Hieremiam dicit Dominus cap.1. *Prius quam te formarem in vtero, noui te: & antequam exires de vulua, sanctificaui te.* Cur tenello infanti necdum nato, tanta gratiarum moles datur, tam properæ sanctitatis additur culmen? Hieronym. lib. aduers. Iouinian. ait. *Hieremias qui in vtero sanctificatus est, & cognitus in vulua matris, ideo hoc priuilegio fruitur, quia virginitatis erat beatitudini destinatus.* Tota illa sanctificatio antelucana, & ingens virtutum moles conuenìebat ei qui floridam culturus erat castitatem.

Chrysost. Isai.9. Cyprian. Tertull. Iren.

CAPVT IX.

De proditoris inter epulas manifestatione.

Ante finitam cœnam duo Christus Dominus facit, ambo præscientiæ suæ manifestatiua, discipulorum in fide munimina singularia. Obsecranti humiliter Ioanni proditorem apertè manifestat per exhibitionem intincti panis, & Petro suam firmitatem iactanti miserum trinæ negationis casum declarat. De vtroque hæc nobis maxime sunt notanda.

Ioan.13. Erat ergo recumbens vnus ex discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Iesus.

§. I.

Ioannes in sinu Iesu recumbens sese filium Dei ostendebat.

Non me tempero, quin in præsenti notem hanc maximam Ioannis Euangelistæ præcellentiam, quod in sinu fuerit Iesu. Sane Nathan 2.Reg.12. de pauperis hominis dilecta ouicula sic ait. *Simul de pane illius comedens, & de calice bibens, & in sinu eius dormiens, eratque illi sicut filia.* Quid horum defuit Ioanni, vt haberetur Dei filius? In sinu eius vnus recumbebat, quo inter omnes discipulos singulariter Dei filius putaretur ipse. Accipite D. Chrysost. homil. 14. ponderantem de verbo æterno illa, *qui est in sinu Patris,* quibus sic inquit, *non diuersam substantiam in sinu haberet pater; sed neque ipse auderet si seruus esset, si vnus ex multitudine esset, in sinu Domini versari, hoc namque filij est qui multum genitori confidit.* Quid gloriosius Ioanni Euangelistæ recumbenti in sinu Iesu posset effingi? Equidem non absimilis erat vitæ, etenim absimilem non haberet Iesu in sinu, neque ipse auderet, si seruus esset, si multitudini non se eximeret in sinu Domini recumbere: hoc namque priuilegium filij fuit, genitori suo maxime confidit, Luc.cap.3. vt Christi

2.Reg.12. Chrysost.

Domini natalia euulgaret, primum constituit Iesum, deinde ascendendo omnes veteres Patres edixit. Quo spectans Iren. D.Irenæus 3.contra Hær.inquit. *Primogenitus mortuorum natus Dominus, & in sinum suum recipiens pristinos patres regenerauit eos in vitam Dei.* Similiter ipse Dei verbum recipiens in sinum suum Ioannem Euangelistam, regenerauit illum in vitam Dei, fecitque illum apparere quasi alterum Dei filium, adeo vt posset postmodum à cruce dicere Ioan.19. Ecce filius tuus, quandoquidem filio Dei Ioannes erit simillimus. Eliam curru sublatum in aëra, & Elisæum duplici Eliæ spiritu donatum in terra considerans Chrysost.hom.2. ad popul.ait. *Et erat duplex Elias ille, & sursum Elias, & deorsum Elias.* Id quod dixerim de Ioanne & Iesu, & erat duplex Iesus ille, & sursum Iesus euolans ad Patrem, & deorsum Iesus manens in Ioanne. Origen. Vt iam merito dicat Origenes. *Ioannes ille Theologus Dei viduus omnem visibilem & inuisibilem creaturam superans, & deificatus in Deum intra se deificantem. Sed quomodo illud Pauli, Audiui arcana verba, quæ non licet homini loqui? Non ergo Ioannes erat homo, sed plusquàm homo, quando & se ipsum, & omnia quæ sunt superauit: non enim aliter potuit ascendere in Deum; nisi & ipse fieret Deus.* Hæc ille.

Text. Innuit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei: Quis est, de quo dicit?

§. II.

Inuisus Deo est, qui solus in fauoribus esse cupit.

O Quàm oderit Dominus hominem illum, qui eò tendit, vt ipse solus in bonis appareat! Is erat nequam Luc.18. ille Pharisæus, Luc.18. qui has Deo agebat gratias. *Gratias ago tibi, quia non sum, sicut cæteri homines.* Proh nefas! sese ab hominum arcet societate, vt solus ipse inter omnes ap- Bernard. pareat. Ita D.Bernard. tract. de gradib. humilitat. *Gratias, inquit, agit, non quia bonus; sed quia solus.* Quid mirum, si malè apud Deum audiat? Cui ille placet qui studet societati qui nihil sibi soli præsumit. Huc spectabat D.Gregor. Nazianz. Nazianz. orat. de moderatione seruanda, quando Philippi, & Petri in Magistro interrogando ponderat comitatem. *Iam illud quale tibi videtur? Philippus quiddam dicere gestit, nec solus audet, verum Andream quoque assumit. Petrus aliquid percontari cupit, & Ioannem capitis nutu protendit.* O quàm didicerant diuini consuetudinem Præceptoris, qui nulli soli arridet, nihilque magis cauet, quàm ne vnus solus bona accipiat à diuinis manibus, adeò vt nec Philippus, nec Petrus ipse aliorum Princeps audeat solus accedere sine Ioanne. Sanè diuinum est, & maximè regale hominum prospicere communitati, nec vnius solius commodis indulgere. Id quod animaduertit D. Hieronymus, epistola ad Saluianum, in Nebridio viro & præstantissimo, & maximè Imperatoribus accepto. *Quicquid, ait, ab Imperatore poscebat, eleemosyna in pauperes, pretium captiuorum, misericordia in afflictos erat. Vnde & ipsi Principes libenter præstabant, quod sciebant non vni, sed pluribus indulgeri.* Vtinam hanc omnes Principes Christi virtutem biberent, qua & munera, & fauores sic omnium subditorum praberent communitati, & societati, vt nullus solus sibi auderet ea spectare, vt nunquam vni, sed plurimis largirentur. Hinc verus Deus. & Rex omnium Christus Iacobi, & Ioannis repellebat quondam postulata: *Non est meum dare vobis*, inquam, qui singuli, qui soli separatim ab aliis vultis regia decora, facinorum præmia ingurgitare, nihil ego Rex, & Dominus Cyrill. omnium elargior. Sic D. Cyrillus Alexand libro 16.Thesauri, cap.5. *Iustus, ait, sum munerum declarator in certaminibus positus, ac ideò non potentibus simpliciter largiri debeo, nec per iniuriam certantium omnium ad duos solùm honores traducere.* Expende, quam paucis proponat Dominus totam Imperatoris œconomiam, nimirum nec ad duos solùm honores traducere. O quàm felix esset Respublica, si nihil daretur vni soli! O quàm se fouerent ciues, mutuisque commodis inuigilarent, dum scierint singuli nihil accepturi; nisi omnium societati proficuum! Vnde Aug.conc. 4. in Psal.103.ait. *Quid ergo nos? Ad patriam quà ituri? Per ipsum mare, sed in ligno. Noli timere periculum; lignum te portat, quod continet seculum.* Vbi pondero, non nos singulariter, sed à continenti seculum ligno portari. De hoc pluries alibi.

Textus. Itaque cùm recubuisset supra pectus Iesu, dicit ei, Domine, quis est?

§. III.

Nulla florentior Respublica, quam vbi fauoris à Principe vni exhibiti, in alijs datur aliqualis recompensatio.

PRudentissimus ille Princeps est, imò & Pater, qui non totus exsurgit in vnius, siue filij, siue subditi exhalationem, reliquis omnino posthabitis. Sed ita se ad omnes componit, vt singulis inueniatur fauoris & muneris compensatio. Accipite pulcram parentum œconomiam in sanctissimis Iacob parentibus, Genesis 25. ait enim: *Isaac amabat Esau, eò quòd de venationibus illius vesceretur; & Rebecca diligebat Iacob.* Genes.25. Ecce vobis parentum fauor in duos filios distributus ea prudentia, vt quandoquidem pater maiori & fortiori omnia sua parabat; minor gauderet inter amplexus matris. Vnde D. Ambrosius, libro 2.de Iacob, cap. Ambros. 2. *Accipite, inquit, bonum certamen inter parentes, mater deferat affectum, pater iudicium; mater circa iuniorem tenera pietate protendat; pater circa seniorem naturam honorificentiæ seruet. Hic magis honoret, illa plus diligat, dum singulis foueat, non in vnum vterque conspiret.* Hæc sit gubernatorum omnium disciplina, non omnia in vnum conglomerent, non affectus, & iudicia, & honores, & fauores, & substantiam vni afferuent. Vbi manus vni tenditur, pateant aliis amoris & beneuolentiæ vbera. Sic maximus Principum Magister Christus Dominus Petro Ecclesiæ principatum attribuens, non omnia in illum conglomerauit; imò Ioanni, & nobis reliquit patentia amoris vbera, quippe dicitur; *cum recubuisset ille supra pectus Iesu.* Id quod in Petro, & Ioanne eleganter expendens D.Gregorius Nazianzenus, oratione de Moderatione seruanda, inquit. Nazianz. *Vides quemadmodum ex Christi Discipulis hic Petra vocetur, atque Ecclesiæ fundamenta fidei suæ credita habeat, ille impensius ametur, & supra pectus Iesu requiescat.* O vtinam sic omnes Prælati, omnes Principes, omnes patres se ad subditos conformarent, vt nunquam in vnum omnes fauores & substantias conferrent, sed & maiorem, & præstantiorem ditantes, amoris plenum reliquis remittant affectum. Nil sic Rempublicam turbat, quàm si vnus cæteris in omnibus præferatur, quantumuis id fiat prætextu obligationis, & pietatis. Quod meditatus D. Ambrosius in Psalmum 118. sermone 14. in Ambros. historia filiorum Iacob, qui durissimè ferebant Iosephum plus a patre adamari; sic fatur. *Etiam pius amor miseriam prælationis inuenit.* Enimuerò etsi Iacob sanctissimè, & iustissimè præferret Iosephum fratribus, tamen hæc prælatio fratres armauit, & domum repleuit turbatione & lacrymis. Vnde diuinitùs Christus Dominus in sua familia ostendit formam familiarum & florentissimarum, in quibus sic fauorum & prælationum fit per singulos recompensatio, vt non vnus omnia ferat, sed singulis amor & benignitas Principis pateat. Ita de Christi Domini familia Nazianzenus, vbi suprà, fatur. Nazianz. *Aliud Petrus interrogat, aliud Philippus, aliud Iudas, aliud Thomas, aliud alius quispiam neque aut idem omnes, aut vnus omnia.* Expende, quàm odiosum semper sit quòd vnus omnia: etenim necessum est, vt aliquid Principes, & Prælati singuli capiant. Sic Iob cap. 31. ad commendationem sui principatus illud affert: Iob 31. *Si non dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus eius, vt saturemur?* Quasi nullus fuerit in toto Iobi principatu qui solus integrum dominum vellet vorare. Sed singuli partiti inter se dominium de illius participatione voluerint saturari. Ex quo lucem affero acutæ & ingeniosæ meditationi D.Chrysost. aliter suprà dati, qui hom 24. in 1. ad Corinth. expendit illud cap.10. Chrysost. 1.Cor.10. *Et panem quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est?* Ad hæc ille. *Quare addit, quem frangimus? Hoc in Eucharistia videre licet; in cruce autem minimè; sed omnino contra: os enim, inquit, non comminuetur ex eo. Sed quod in cruce passus non est, in oblatione patitur propter te, & frangi sustinet, vt omnes satiet.* Expende illud, nimirū, quam in cruce non pertulit fractionem, hanc patitur in Eucharistia propter te, vt te satiet. Cur magis in Eucharistia propter te, & propter exsatiandas oues frangitur? Sanè in cruce personam subditorum agebat, pro quibus paternæ iustitiæ faciebat satis, & sic in pretium integer soluebatur. Verùm in Eucharistia personam agebat Patris, & Regis, pascentis, & gubernantis subditos; & tunc frangitur, & in frusta diuiditur, ne aliquis sibi soli integrum Dominum præsumeret capere; sed singuli de carnibus eius, de participatione eius vellent satiari. *Et frangi sustinet, vt oues satiet.* Tunc enim subditi saturi & validi agunt, cùm singuli de Domino partem capiunt, non vnus omnia sibi expiscatur.

Text.

Text. Respondit Iesus: Ille est, cui ego intinctum panem porrexero. Et cùm intinxisset panem, dedit Iudæ Simonis Iscariotæ.

§. IV.

Perditissimos homines beneficijs Dominus affligit aliquando, illos tunc castigans.

ECce vobis Dominus è tot amantissimis Discipulis vni Iudæ fauorem intincti panis ministrat. Ideò melius agitur cum proditore? Ideò Iudas felicior? Imò nunquam homo perditus maiori verbere affligitur, quàm dum a Deo fauoribus ingratus, & beneficijs delinitur. De reprobis Iudæis agens D. Gaudent. serm. 9. ad Neoph. reddit rationem, (Gaudent.) cur toties Deus illos ingratos, & omnino perdendos beneficiis afficit, & sic ait. *Nolebat se panem cælestem vita Principem Iudæis citò subtrahere, donec ipse in carne adueniens doceret eos, & instrueret, verberaret curationum beneficijs eos, qui ingrati extiterunt.* Itaque tunc maximè perfidi Iudæi verberabantur, cùm pane viuo de cœlo ditabantur ingrati; putabantur miseri à Deo amari, à Deo foueri, dum summa ab illo beneficia recipiebant in dies. At nunquam miserabilius erant, nullo duriori verbere affligi poterant, quàm dum sic ingrati & scelesti beneficia & fauores capiebant ex diuinis manibus. (Esther 5.) Sapiens illa & prudentissima Esther cap. 5. interemptura Hebræorum hostem Aman, illum inuitat ad regium prandium: ait enim, *Si Regi placet, obsecro vt veniat ad me hodie & Aman tecum ad conuiuium, quod paraui.* Cur hæc Regina facis? Populi tui hostem vis pascere? Regium accepisti diadema, vt gentem tuam redimeres; & tu eius hostem excipis conuiuio? Oraris à patruo, à nutritio tuo Mardochæo, vt Regem adeas conquestora de Aman, & illi regias paras dapes? Saeè nunquam in Aman sæuior, quàm cùm illum excipit conuiuio, inescat vt capiat; impinguat illum vt mactet. (Rupert.) Pulchrè Rupert. lib. 8. de Vict. verbi Dei ponderans Reginæ factum. *Non statim, ait, dixit petitionem suam non confestim aperuit voluntatem suam; sed ad conuiuium vtrumque vocauit amicum, & inimicum, Regem, & Aman, Prudenter prouidebat illet aperte inimicitias, vade effugere aca posset bestia homicida. Veniat, inquit, Rex, & Aman ad conuiuium, quod paraui ei. Feram immanem visum ferocem, vt tradat ad supplicium, allicit ad edulium, ne priùs audiat famam, quàm subeat pœnam, ne priùs videat foueam, quàm incidat in eam: prudens & sciens commodius esse feram comprehensam intus opprimi, quam exterritam, & per saltus fugientem cum canibus dubio euentu insequi.* Sic Iudam, sic perditos homines Deus cibat, & afficit beneficiis ingratos, quibus ipsi abutentes pro beneficiis metunt dira supplicia.

Textus. Et post buccellam introiuit in eum Satanas.

§. V.

Vt magna Dei misericordia est cordis malitiam propalare exterius: sic quasi deploratus est ille homo qui hunc salutis fontem contemnit.

IAm iam in damnationis constitutum extremis Iudam, nec aduertentem in malum suum beneficentissimus Dominus vltimo & efficacissimo curat remedio. Desperato pene applicat Dominus corporis sui esum, vt vel tanto antidoto morbus appareret, & miser aliquandiu conualesceret. *Sed post buccellam introiuit in eum Sathanas.* An quòd malum maius causaret esus diuinæ buccellæ? Cur ergo dabatur à Domino nocitura buccella? Equidem buccella illa efficacissima causa salutis erat, nec vllum malum ex se, imò maximum bonum attulit vel ex hoc Sathanæ ingressu ab ipsa buccellæ praua sumptione occasionato. Etenim iam dio Sathanas Iudæ cordi inerat, & alibi dictum, *cùm diabolus misisset in cor*: latebat tamen morbus, hic latebat diabolus, quo latente, nec æger ipse, nec alij ingentem & desperatum morbum præsentiebant. Nunc autem post buccellam dicitur Sathanas ingressus, non quòd denuò ingrederetur, sed quod iam manifestè pateret, & declararetur eius ingressus: quod sommam virtutem, & beneficentiam buccellæ in tanto impio protendit. Id quod in præsenti attigit Theophilus Alexandrinus, lib. 4. Allegoriarum, his pulcris verbis. *Hic accepta buccella legitur quòd Sathanas in Iuda penitus intrauit, quia sicut antidoto sagatur venenum; ita dato panæ apparuit Sathanas in Iuda, in qua dum furaretur, latebat.* Nòoòe sæpissimè visus est æger flammanti febri corripi, & nihilominus totum febris venenum Medicis latere? Tunc adhibito igne mediis vitreis vasculis latens venenum per nigricantes cutis maculas apparet externus, & morbus incipit timeri, & æger sibi prouidere. O Christiferæ buccellæ etiam in desperato homine beneficentiam! Non sanauit hominem, sed quod summum bonum erat, vt sibi æger prospiceret, vt morbum timeret, in corde occulte latens extraxit ad exteriora venenum, & fecit latentes Sathanæ furias apparere. Fallor, si hanc efficacissimam medicinam non expostulabat prudens ille agricola, Luc. 13. orat enim, vt antequam ficum sterilem eradicet, mittátque in ignem, permittatur circumponere exteriùs stercora. De quo ita D. Gregorius Nazianzenus, oratione de Moderatione seruanda fatur. (Nazianz.) *Benignum illum, & humanitate præditum agricolam imitare, Dominum adhuc precare, ne infructuosam ficum excidat, atque odio habeat, verùm conuertat & curet, & stercus iniciat, hoc est, tam correctionem, qua manifesta pudefactione, atque ignominiosiori vita ratione constat.* Ecce tibi qua benignitate agricola remedium illud ficui postulabat, quo manifestaretur eius ignominia, quo præ oculis poneretur pudefactionis plena materies. Ecce quanta etiam misericordia Dominus antidorum præbet, quo venenum latens appareat, dedecoris & ignominiæ maculis æger affectus timeat sibi, & extremum periculum caueat. Sed quò hæc medicina efficacior est, summique amoris & benignitatis argumentum, eò deploratior infirmus qui illam contemnit. Sanè dum aliis medicinis æger curatur, quibus non extrinsecùs apparet venenum, nunquam eius desperatur salus, quia morbus non plenè patet; at vbi adhibito efficaci remedio, nigræ veneni maculæ exteriùs apparent, tùnc omnino salus desperatur. In aliis sceleribus quibus homo inficitur, latente Sathana, non apparet hominis perditio necessaria: at vbi sacris salutis fontibus initiatus maiores peccati facit maculas, tunc præcipuè perditio explicatur. *Ito dato pane apparuit Sathanas in Iuda, in quo dum furaretur, latebat.* Hinc duo hominum genera distinguit Diuus Isidorus Pelusiota, lib. 3. epist. 364. Alij sunt qui peccant; sed & pudet illos peccati, & venerationem habent sacris. Alij omninò impudentes nullum vitij manifesti timorem habent. (Isid. Pelus.) *Primos quidem diabolus haud valde aggreditur, quod scilicet exploratum habeat, eas quamuis peccent, tamen id agnoscentes diuinis rebus venerationem conseruare. At verò in secundis, hoc est, in eos qui peccant, nec peccatum agnoscunt; aut licet agnoscant, contemnunt, ac sacrosancta mysteria minimè contingere verentur, totus se insinuat: illud nempe perfecta stupiditatis & corruptionis argumentum est. Quod in proditore facit.* Hæc Isidorus, quibus patet dæmonem aliis viriis latentem tunc maximè in homine apparere, quando is sacris rebus venerationem debitam dimittit.

Textus. Et dixit ei Iesus, Quod facis, fac citiùs.

§. VI.

Impius festinatissimam sibi mortem asciscit.

NOn præcepit facinus, ait Augustinus tract. 62. in Ioannem; *sed prædixit Iudæ malum.* Et quid impio magis solemne, quàm festinata ruina? Hæc illorum natura, hic mos, vt rapidissimum sui moliantur finem. Pulcre scelestos Iudæos pernici interitu consumi adnotans Hieremias dicebat. (Thren. 2.) *Magna est velut mare contritio tua*, quippe mare tempestate agitatum dici nequit, quàm rapidis fluctuum incursibus vapulet. Hinc inde volant vndæ, concurrunt & in horæ momento innomeris vndarum flagellis aquæ moles finduntur. Sic de impiis loquitur D. Paschas. in præsenti libro. (Paschas.) *Sicut mare magis vndarum suarum fluctibus indesinenter allidi tur, ita & isti passquam in manibus inimicorum peruenerunt ruinis, & tentationibus fracti conteruntur, & à feruore peccati non quiescunt, donec gehenna eos excipiat.* Vidisti quàm rapidis fluctibus conteratur mare? Sanè non aliter raptantur impij ad ruinam, vt fluctus in mari; sic impio interitum afferentia mala concurrũt. Quibus tanta celebritate finiuntur, vt meritò de illis dicat D. Ambros. epist. 6. ad Irenæum. (Ambros.) *Verè sunt sicut cicada, quia de die in diem viuunt. quæstiqua rumpuntur suo. Qui enim aliud sunt homines nullius ponderis, nisi videantur sicut cicada ad mortem nati diuinam? Qui sub ardore feruentium cupiditatum se mulceant cantu, statim eis deust?* Putarat enim Sanctus, cicadas quotidie nasci, dùmque se crebro

crebro ictu percutiuntur,& canere,& disrumpi; quod saltim verissimum est in impiis,qui dum maiori impetu à suis cupiditatibus feruntur, rapidiorem, & festinantiorem sibi interitum adsciscunt. Et quidem Dauid Psal.1. dicebat: *Non sic impij,non sic; sed tanquam puluis quem proycit ventus à facie terræ.* Ecce quàm celerem impiorũ finem! Vt puluis,quem proiicit ventus. Sic Clemens Alexand. cap.10. *facilem, & tanquam ventus perflabilem eorum dissipationem ostendit.* In ventorum alis venit impiorum dissipatio, rapidissimum, festinantissimum interitum habent impij, cupiditatum quæstu rumpuntur,quasi ad vitam nati diurnam. Id quod eleganter expendit Drogo de Sacram.Passion. verbis illis. *Talis est omnium voluptatum carnalium finis: & sicut arena maris volatilia pennata, gaudet edacitas, pennulas mouet; sed mox in arenam maris conuertitur; gaudet luxuria, modicum volitat; sed mox in arenam maris transit: omnis dulcedo carnis in amaritudinem finit, modicum leuant infelicem animam, sed mox aggrauant in arenam.* Væ tibi qui effrænibus cupiditatibus raperis,volas in puluerem, in arenam. Sic Iudæ impio prædicit Dominus festinans excidium ad quod ipse volabat. Nec mireris, quòd dixerim perditissimos homines festinare in sui perniciem, quando & ipsæ scelerum pœnæ, & tormenta ipsa quantum est ex se in malorum euolare nituntur excidium. Sic pessimus ille Flaccus Iudæorum pestis apud Philonem aiebat. *Horum facinorum pœnæ me manent, fat scio, & diræ stant tanquam in carceribus,vt obiee rupto properent in meam perniciem.* Sic malorum pœnæ in malos propendent,vt quasi per vim in carceribus detineantur, vt si vel obex tollatur, quàm citissimè erumpant. Nec ad impij excidium relinquitur aliud, quàm si vel nomen, vel sonus pœnæ, vel vmbra tangat illum. Ideò falsi illi testes contra Naboth apud impium Regem dicturi,studio dicunt,quòd *Deum benedixit, & Regem.* Non audent equidem dicere,*maledixit*,ne impius Rex maledictionis vocabulo caderet percussus. Id pulchrè notauit D.Ambros. lib.de Nabuthe,cap.11. inquiens: *Benedixit, inquit, ne diuitem maledicti nomen offendat, & sermonis ipso lædatur sono,benedictum pro maledicto vocatur.* Adeò facilè impij pereunt,vt vel cadant ipsa voce, & sono ruinæ.

Psalm.1. Cl. Alex. Drogo. Psalm.77. Ambros.

§. VII.

Maximum solet esse reprobo beneficium, quod breui finiatur.

Celerem proditori internecionem prædicit Dominus verbis allatis iuxta D.Cyrill. excogitatum, nec reprobo homini aliquid meliùs optari posset, quàm cita & festinata mors. Sanè id docebat Clem.Alex.3.Pædag.cap.2. fatus. *Mens à voluptate abducitur, & rationis integritas quæ vero pædagogo non vtitur, labitur in libidinem, lapsus autem mercedem recipit, quòd excidat.* Expendo illud, mercedem recipit,quòd excidat. Mercedis enim loco,& beneficij maximi habetur ab impio excidium breue,& celer interitus. Hinc Tertull.2.in Marcion. Deum maximè iratum in Cain commemorat, quandoquidem illi signum posuit,ne ab vllo interficeretur. *Cain*, inquit, *maledixit Deus, & cupidum morte diluere delictum, mori interim vetuit, vt præter admissum etiam negotiationis eius oneratum.* Quippè indignus erat tantus reus beneficio mortis à Deo munerari, qui mortem, quatenus peccati remedium adinuenit, vt peccatoribus mercedem aliquam,& beneficium in pœna pararet. Quod meditatus fuit D.Greg.Nazianz.orat.in Christi Natiu. Adami lucrum ex mortis sententia magnifaciens fatus. *Mortem in paradiso elucratur homo,& peccati præcisionem,ne malum immortale foret, ita pœna ipsa in misericordiam cessit.* Hinc maximè ponderanda est celeritas diuina, & festinatio, quam statim venit Deus post peccatum, vt hominem à paradiso arceat, illam reddens expulsionis celeberrimæ causam,*ne fortè mittat manum suam, & sumat de ligno vitæ,& viuat in æternum.* Dixit, ne fortè, quasi dicat,ne inscius & fortuitò quasi aliud agẽs de vitæ arbore edat. Ex quo Rupert.lib.3.in Genes.cap.30. sibi persuadet, quòd neque Adamus, neque diabolus vitæ arborem nouerint. Imò diabolicæ ignorantiæ circa vitalem cibum hanc affert singularem congruentiam, nimirum: *Si enim vel ille sciisset, nunquam consilium suæ malignitatis ita dimidiasset; sed sicut illud lignum temerè persuasit,vt miseros faceret; sic & istud præripere suasisset, vt æternaliter miseros & miserè æternos efficeret.* Nil magis diabolus curaret, quàm à peccatore homine arcere mortem, vt illius miseriam æternaret. Etenim,vt rectè argumentatur Boëtius lib.4.de consolatione,prosa 4. *Si nequitia miseros facit, miserior sit necesse est diuturnior nequam: quos infelicissimos iudicarem, si non eorum malitiam saltem mors extrema finiret.* Vnde absolutè Ecclesiastes cap.7. pronuntiauit,quòd melior sit *dies mortis die natiuitatis*: enim verò à natiuitatis die omnes aperiuntur fores malis vniuersis, quorum maiora, nimirum mala culpæ morte saltem finiuntur. Sic Olympiodorus: *Transitus dies è stadio nos abducit, & siquidem peccator est qui decedit, peccare vltrà iam desinet; qui verò fuerit iustus,vita perfruetur æterna.* Ecce modò Christi Domini beneficentiam cum proditore suo, cui tanti criminis reo saltem hoc optat citissimæ internecionis beneficium. Quandoquidem ait, Quod facis,fac citiùs,quasi citam illi,& præproperam mortem indicens iuxta Cyrilli excogitatum, nec vllum illi desit Saluatoris beneficium.

Clem. Alex. Nazianz. Rupert. Boet. Eccl.7. Olymp.

Text. Hoc autem nemo sciuit discumbentium ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quòd dixisset ei Iesus, Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum,aut egenis vt aliquid daret.

§. VIII.

Proximorum errores & peccata non sunt euulganda.

O Vtinam hinc omnes edisceremus proximorum etsi conspicuos & notos errores silentio tegere. Manifestatus fuerat à Domino proditor Ioanni; ipse verò adeò siluit,adeò se tacitè gessit, vt vel Iesu loquente ad Iudam, nihil indigitaret, quo nequam hominem cognoscerent condiscipuli. Hæc erat primitiuorum singularis religio,qui nec de euidentissimis proximorum delictis faciebant verbum vllum. Nónne euidentissima fuit tremenda illa Ananiæ mors, Actorum 5. Sed vide quod scriptura dicat. *Factum est autem quasi horarum trium spatium, & vxor ipsius nesciens quod factum fuerat, introiuit.* O singularem pristini temporis modestiam! Sanè, si modò accideret quid simile, in momento temporis totam impleret vrbem, nec vllus esset, qui famam eius non audiret. Et tunc horrendum facinus in multorum frequentia visum per tres horas ignoratum est à Saphira. Id eleganter ponderat D. Theodoretus Studita, serm.117. *Quin habeo, charissimi, quod accusem vos quoque. Quid ita? Scriptum est in Actis Apostolorum, Factum est quasi horarum trium spatium, & Saphira vxor ipsius nesciebat quod factum fuerat. Certè in publico acta fabula est, & frequenti vulgi corona; sed erat indidem,nimirum circumspectio,modestia, Dei reuerentia.* O tempora! ô mores! Modò quod in abditissimis Ecclesiæ penetralibus, quod intra religiosorum septa ab humana infirmitate sentitur, per sæcularium prophanorum volitat ora, magna cum pietatis & religionis iactura. Quocirca gemebundus Nazianzenus,Apol.1.comminiscitur multa, & tandem hæc inquit. *Omnes vno hoc nomine pij sumus,quia alij alios impietatis damnamus, ac iudicibus vtimur ys,qui à Dei fide cultúque abhorrent, canibúsque res sanctas proycimus, atque ad porcorum pedes margaritas iacimus, prophanisque auribus & animis diuinam doctrinam euulgamus, atque hostium vota miseri sedulò explemus. Quin etiam Moabitæ, & Ammonitæ, quibus ne Domini quidem Ecclesiam ingredi licebat, in sanctissima nostra mysteria erumpunt.* Sic Nazianzenus pungit illos,qui Christianorum errores inter Ethnicos euulgabant: sic meritò pungendi essent illi qui quod humanæ fragilitatis est in Ecclesiasticis, in Religiosis, in piis hominibus, ad profanos & seculares homines deferunt,eò intenti,vt fratrum errores publicent,& patefaciant. Quam aliter primæui illi Christiani? Quam aliter sancti viri sunt, qui expendentes illud Exodi, cap. 7. *Ecce constitui te in Deum Pharaonis*, putent ideò Moysem Deum Pharaonis fieri, vt eius dissimularet, & tegeret silentio scelera,quantumuis maxima? Et quidem diuinissima hæc virtus est, quòd fratrum errores tegas, & taceas. In vitis Patrum,vbi de sententiis illorum agitur, sentent.17. hæc scribuntur de Sancto Machario. *Dicebant de Sancto Abbate Machario maiore, quia sicut Deus protegit mundum totum, & portat peccata hominum: ita & ille quasi quidam Deus terrenus fuit in fratribus operiens delicta illorum, & ea quæ videbat, vel audiebat, quasi non videns, & non audiens.* O vtinam hæc virtus nostris inseratur in animis, vt delicta fratrum & proximorum operiamus, imò nec videamus, nec audiamus, & Dij erimus, & appellabimur.

Act.5. Studit. Nazianz. Exod.7.

§. IX.

Occultissimum est iudicium Dei, quo qui diu virtuti adhæserunt, tandem decidant, & repellantur.

HÆreo adhuc illis verbis. *Hoc autem nemo intellexit discumbentium.* Et quidem superat intelligentiam creatam, quod discipulus diu bonus, diu Deo adhærens, diu
Deut. 25. virtuti incumbens, à Deo tandem repellatur. Deut. 25. Israëlis casum & repulsam prædicens Moyses ait: *eris perditus in prouerbium & fabulam omnibus populis.* significantius & pulcriùs Sep. vertunt, *eris perditus in ænigma.* Sanè sceleratissimorum hominum ruina speculum est Dei punientis & vindicantis; verum iustorum hominum, nimirum illorum, qui viam salutis ingressi multum profecerunt, casus & perditio occultissimum Dei iudicium, ænigma est nulli notum
Ezech. 3. mortalium. Hinc Ezechiel. c. 3. *Factum est verbum Domini ad me dicens, Fili hominis propone ænigma ad populum Israël*; sed quod ænigma proponendum est? Ecce tibi ænigma. *Aquila grandis magnarum alarum longo membrorum ductu plena plumis & varietate venit ad libanum; & tulit medullam cedri, & transportauit eam in terra Canaam, in vrbe negotiatorum posuit illam.* Quod rapax ista aquila Synagogæ quercetum adiret, indéque maximos sacerdotum in ignem raperet, speculum fuisset patens iustitiæ diuinæ in impios & sceleratos sæuientis homines, at Synagogam præterit, Ethnicorum transilit vastissimam syluam, & ad libanum venit, ad candidissimum Apostolorum cœtum, ex illóque rapit medullam cedri, electum & dilectum quondam discipulum, & in vrbe negotiorum ponit illum, vt vendat magistrum. Hoc ænigma est, idque creatæ sapientiæ occultissimum. Vnum ego notarim quod vbi diabolus insigne aliquod scelus meditatur,
Paschas. tunc accedit ad libanum. Quod attigit D. Paschas. lib. de Sacram. cap. 21. dicens, *sicut nihil in hac vita felicius bono Christiano; ita nihil periculosius, si desertus à tanta gratia fiat membrum meretricis.* Vbi virtutum summitas, inde extremum vitiorum egreditur. Qui tantum Dominum venderet & nefariè traderet, non nisi è libano virtutis eligitur. Cauete ò vos, qui libani estis incolæ, qui virtuti acquirendæ operam nauatis, illac rapax Aquila reuolabit, cùm ingens aliquod crimen mundo introducere fuerit molita.

Text. Cùm ergo accepisset ille buccellam, exiuit continuò: erat autem nox.

§. X.

Pereunt qui diuina bona suo volunt permitti arbitrio.

OQuoties in præsenti memini illorum hominum, qui tristantur, cùm audiunt minime suis solis manibus permissam esse æternam salutem, si in mea, inquiunt, manu fuisset, si meo arbitrio daretur, si prædestinatio potestati meæ relinqueretur. Quid inde? prorsus quam citissimè perires. Ecce tibi Iudæ manibus permittitur totius pretium mundi, & quid fecit? an gloriam mercatus est? an cœlorum sedes, vt facile posset, emit? Imò cùm primum permittitur eius manibus Christus, à se abdicat & vendit illum. Crede mihi, si id obtineres quod postulas, si tuis manibus salus permitteretur, tuóque relinqueretur arbitrio, statim vendidisses & perdidisses illam. Aiebat Dauid Psalm.
Psal. 118. 118. *Anima mea in manibus meis semper.* Quid inde? Pulcrè Chaldæus, *anima mea periclitatur ac si in superficie manus mea esset sita.* Maximum salutis periculum, imò certum detrimentum incurrit qui suis solis manibus illam cupit per-
Luc. 15. mitti. Prodigus ille Luc. 15. id petebat à patre. *Da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit*, inscius periculi suo arbitrio substantiam bonorum relinqui exoptat. Cui eleganter
Chrysol. & verè Chrysol. serm. 1. *hic ipsam prærogatiuam filij habere non meruit, qui ea quæ patris erant noluit possidere cum patre.* Hæccine est multorum stultitia, qui ea quæ Dei sunt volunt gubernari arbitrio suo, & cum suis manibus permitti petunt substantiam bonorum, illam pro summis malis venundant. Quocirca dicebat August. Psalm. 131. *In sua potestate esse voluit ille filius qui dixit. Da mihi partem patrimonij, quæ me contigit. Bene seruabatur apud patrem ne cum meretricibus dissiparetur. Accepit, facta est in eius potestate. Profectus in regionem longinquam effudit omnia cum meretricibus.* Sic pereunt qui salutem credunt propriis suis manibus. Pulcrum nobis
Exod. 17. reliquit exemplum Moyses Exod. 17. pugnaturus enim Iesus Naue cum Amalech posuit Deus euentum belli & victoriam in manibus Moysi, dummodo manus sursum eleuatæ respicerent. Quid aliud Moyses cuperet? quid vltra desideraret? in manibus suis victoriam habebat, & quidem cum eleuatas teneret illas, victores suos milites videbat existere. Sed proh dolor! nunquam periculosius pugnatum est ab Israëlitis, nunquam Moysis victoria magis incerta, quam dum creditur eius manibus. Ait enim, *Si autem paululum remisisset, superabat Amalech; manus autem Moysi erant graues.* Et cui non sunt manus ad bonum graues? Quis non paululum, imò & multum manus ad terram dimitteret? Sanè nullus homo salutem adipisceretur, si eius manibus salus fuisset permissa. Ecce quot bona & quanta & quam splendida data sunt Iudæis, imò Iudæ, quibus acceptis miseri abeunt perditum illa. De quo D. Paschas. lib. 2. Paschas.
in Threnos littera *Res. Quid longius prosequar, cum cum Iudæi peremerint, qui eis cuncta præstiterat? Amiserunt omnia interius & exterius cælestis vitæ & terrenarum rerum bona præsentia & futura, qui de tanto amore Dei mercati sunt offensam, & tanta gloria decoris ignominiam.* Ecce tibi quid emercentur miseri accepto mundi pretio? permittitur Iudæ Christus, datur ei in manus tantum bonum quo possit negotiari & cœlestia acquirere: at ille continuo exiuit, vt illum paruis argenteis venundaret, & de tanto amore Dei mercatus est offensam, & de tanta gloria ignominiam. O vtinam nullum bonum meo permittatur arbitrio! O vtinam nunquam manibus meis permittatur salus; nisi fulcrum illarum & sustentaculum sit ipse Christus Dominus omnipotens.

§. XI.

Vna mentis obcæcatio multorum dierum potis est perdere lumen.

MEritò notauit Ioannes tempus perditionis Iudæ dicens, *erat autem nox.* Nil enim magis timendum iusto quam ne mens eius obtenebretur & obcæcetur. O quoties bene curritur, clarissimíque in virtute dies transiguntur, & post mille lumina, post innumeros soles cæcutit mens in aliquo & obtenebratur, & omnia præterita facinora obscurat. Fallor, si huc non respexit D. Athanas. in Athanas.
vita Antonij dicens, *infelix Iudas propter vnius noctis impietatem omni præteriti temporis labore priuatus est.* O quam valet vna nox, vna mentis obcæcatio ad perdendos multorum dierum fructus. Hinc meritò cauit Dominus apud Matth. *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Sed quid quod sol non occidat super iracundiam? Theodor. id explicat dicens. Theodor.
Veretur enim, ne noctu quiescens cogitatio morbum augeat. Et quidem vna sola mala cogitatio, si tenebrosa mentis iuuatur caligine, innumeros virtutum & laborum soles faciet in momento perire. Quocirca Prouerb. 24. dicitur notanter. *Septies in die cadit iustus, & septies resurgit.* Quæ verba, Prou. 24.
vt assolet, acutè & scitè D. Bernard. serm. 17. in Cant. enucleat ita. *Septies in die cadit iustus, & septies resurgit, si tamen cadat in die, vt se cadere videat, & cecidisse sciat, & resurgere cupiat, & requirat manum adiuuantis, & dicat, Domine præstitisti decori meo virtutem, auertisti manum tuam à me, & factus sum conturbatus.* Expende illud, si tamen cadat in die, quicumque enim sit casus, si clara luce accidat, si oculis apertis cernatur, nullum ruinæ timorem affert. Verùm caue ne noctu cadas, quia vna nox, vna mentis obcæcatio potens est te in ineuitabile præcipitium dare. Quod crediderim suboluisse D. Gregor. Nazianz. in cap. 19. Matth. vbi Nazianz.
sic fatur. *Ne oculus oculum trahat, ne risus risum, ne consuetudo noctem, ne nox perditionem. Quod enim particulatim subtrahitur & furto subripitur, insensibile ad præsens damnum habet, sed ad summam malitiæ oram.* Cauit grauissimus Doctor, ne errores erroribus addamus, alioquin incidemus in noctem, quæ nox ineuitabilem perditionem afferat; consuetudo enim noctem causat & cæcitatem mentis; nox autem perditionem causet necessum est. Ad hæc adduci posset illud
Matth. 27. *Mane autem facto consilium inierunt omnes Principes Sacerdotum, &c.* Nondum Sol orbem radiarat, vix dies erat, adhuc de noctis tenebris residebat & mundo, & Iudæorum mentibus; quo omnia antiqua decora deturparunt. Pulcrè D. Leo serm. 3. de Pass. ait. *Hoc mane Iudæi vocis templum & altaria diruit, legem & Prophetas ademit, Regnum & Sacerdotium sustulit, in luctum æternum omnia festa conuertit.* Eu quam breui aurea perduntur sæcula! Mat. 27. Leo.

LIBER

LIBER QVARTVS, DE DOMINICA PASSIONE, AC SEPVLTVRA.

VASTISSIMO Christi Passionis pelago me committo, vtinam vt eius ab aluo in nouæ vitæ spem natus sum, sic eiusdem meditatione confirmer, vt quem spero salutis portum, attingere valeam. Quatuor sunt in Passione capita, nimirum Hortus, Caiphas, Pilatus, Crux: quæ ingentem dolorum, & opprobriorum Domini segetem ministrabunt. In quam præmissa à sanctis Patribus falce ego spicas legam, manipulos nectam, vt aliqualem messem faciam.

CAPVT I.

De horto.

PROFVSVRVS pro mundi vita sanguinem diuinissimus agnus Christus Dominus ad villam Gethsemani sese recepit, vt inde ad victimam duceretur. Seligit tres sibi chariores discipulos Petrum, Ioannem, & Iacobum, cum quibus pauorem, & tristitiam, & tædium maximum sibi assumens hortum ingreditur. Supplex ad Patrem orat, & hominem agens deprecatur mortem, quam & si aliquo modo refugere videtur, tamen animosè & strenuè oppetit. Orantem & zelus maiestatis diuinæ læsæ, & pauor cruciatuum, amor vitæ, & peccati odium, validi omnes affectus sic afficiunt, vt totus in terram vsque sudaret cruore. Ter se orationi dedit, ter reuisit dormientes discipulos ad vigilandum hortatus. Tandem, admisso Iudæ osculo, in terram verbo prostratis militibus, sanata Malchi auricula à Petro scissa, sciens & volens in tenebrarum potestate se posuit.

Matth.26. Tunc venit Iesus in villam, quæ dicitur Gethsemani, & dixit discipulis suis: Sedete hic donec vadam illuc, & orem.

§. I.

Labores & pressuræ tutissima hominis præsidia sunt.

ECce secundus Adam ponitur in hortis, in hortis, inquam, non voluptatis, & delitiarum; sed in hortis vbi lacrymarum semina, vbi sanguineus sudor, vbi laquei & rudentes inueniuntur mortis. Tanto in his hortis securior, quanto à delitiis alienior, & tentationibus, & pressuris magis proximus. His seruabatur Paulus, qui post lustra-
2.Cor.12. tum cœlestem paradisum inquit 2. ad Cor. 12. *datus est stimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet: propter quod ter Dominum rogaui.* Quæ verba eleganter expendens
Ambros. D. Ambros. & Pauli securitatem inter stimulos, & eiusdem periculum sine illis ponderat serm. 3. in Psalm. 118. inquiens. *Paulum Sathanas inflare volebat. Quem Paulum? Illum vtique Apostolum non ab hominibus factum; sed per Iesum Christum. Et penè deceperat, ita vt stimulum carnis suæ qui se humiliauerat, rogaret auferre.* Quid grauius? expende ab illis; *& penè deceperat*, quibus videbis cœlestis paradisi habitatorem penè deceptum à diabolo, eo ipso quod roget sibi tentationes & pressuras auferri. Quasi nullum homini præsidium, nulla custodia tutior, & securior possit parari, de extrinsecis iis & humanis adiutoribus, quam ærumnæ, quam labores, quam lacrymæ. Considera modo tibi puerulum Moysen à parentibus derelictum, fluminis vndis creditum huc illúcque iactatum. Quæ res illum in tanto discrimine valuit tutari & custodire incolumem? Exod. cap. 2. sic ha- *Exod.2.*
bet. *Ecce descendebat filia Pharaonis vt lauaretur in flumine. Quæ cum vidisset fiscellam in papyrione, misit vnam è famulabus suis, & allatam aperiens, cernénsque in ea paruulum vagientem, misertа eius*, &c. Sanè lacrymæ & vagitus tutati sunt infantulum, & quem parentes aut cognati minimè à morte custodirent, illum custodit planctus. Accipite D. Gregor. Nissen. de vita Moysi ita philosophantem. *Vide-* Nissen.
mus re ipsa, si quis turbini ac procellis humanæ vitæ resistit, nec se obrui patitur, eum à corrupta hominum societate ac vita tanquam onus graue reyci atque repelli, quam quis effugit, vagitum imitetur Moysis, nec lacrymis parcat. Lacryma enim fidelis quædam custos est eorum, qui veram quærunt virtutem. Nunquam magis incolumis puerulus Moyses seruatur, nunquam certius à morte eripitur, nunquam securior & tutior redditur, quàm fluminis vndis, quàm ærũnis & lacrymis creditus. Hæ illum custodierunt & certo certius incolumem seruarunt. Quam custodiam vt fidelissimam, sic crediderim exoptatam à prudenti fœmina Abigail Regi Dauid, quandoquidem ait 1. Reg. 25. *Si surrexerit aliquando homo perse-* 1.Reg.25.
quens te, & quærens animam tuam, erit anima tua custodita quasi in fasciculo viuentium. Historiæ scholasticæ author putat expungendum esse illud verbum *viuentium*, & eius loco ponendum hoc *vitium*, vt dicat *erit anima tua custodita quasi in fasciculo vitium.* Sed quæ mulieris fatuitas, quæ tanto Regi sarmentitium optat præsidium? An diuina ibi elucet præscientia aliquid de fidelium ærumnis & laboribus comminiscens? Equidem primitiuorum Christianorum hic fuit labor communis, ligabatur Christianus medius inter vitium fasciculos, & sic exurebatur: vnde percrebuit apud Ethnicos mos quo Christianos vocabant *sarmentitios.* De quo eleganter Tertull. Apolog. cap. 50. *Licet nunc nos Sar-* Tertull.
mentitios appelletis, quia ad stipitem dimidij axis deuincti sarmentorum ambitu exurimur. Hic est habitus victoriæ nostræ, hæc palmata vestis, tali curru triumphamus. Ecce quibus tædis primitiuæ Ecclesiæ agebantur nuptiæ, ecce vnde Christianorum aucta est propago, nimirum ex vitium fasciculis. Addebantur vites, vt Christiani perirent, & illi ex ardentibus vitium fasciculis nouum incrementum accipiebant & seruabantur in immortalem triumphum. Nulla ergo melior custodia potuit optari Dauidi, quam ea quæ fiebat Christianis ab his sarmentorum fasciculis. Erit anima tua custodita sicut in fasciculo vitium; ô quàm custodiunt vites illæ! ô quam tutantur ærumnæ, & labores! ô quam defendunt pressuræ & tentationes ipsæ. Meritò D. Cyprian. de laude Mart. dicit. *Etenim quantum hoc sit quis ignorat, stare hominem, nec moueri, torqueri, nec tamen vinci; sed pœna ipsa potius, qua cruciatur armari.* Expende, pœna qua cruciatur, armari, quippe primum vulnus nos munit & armat aduersus secundum. Hinc D. Leo serm. 10. de Pascha. Christum in tormentis, quasi in munitissima arce meditatur, dicens: *Cum ergo Dominus crucifixi corporis eleuatione sublimis, reconciliationem mundi exequeretur, in quadam arce supplicij.* &c. Quasi ex tormentis & suppliciis, arx quædam firmaretur insuperabilis.

§. II.

§. II.

Impossibile est ardua virtutum facinora sine oratione vincere & superare.

IGnorantis prorsus vox illa fuit, qua Martha apud Lucam cap. 10. inquiebat. *Quod soror relinquit me solam ministrare.* Quomodo sola, quæ sororem secus pedes Domini orantem & contemplantem habebat? Sanè quod ipsa ministraret, hoc est, quod actiuæ vitæ feliciter incumberet, sororis orationi & contemplationi debebat. Paschas. Pulcre D.Pasch. lib. 1. in Thren. ait. *Prodest Marthæ laboranti quicquid Maria secus pedes Domini deplorat.* Infirma est omnis actio sine oratione, nec securum est homini sororē hanc secus pedes Domini quiescentem ad labores, & negotia vocare, & sine oratione comite virtutum ardua itinera aggredi. Inutiles & infœcundæ videbantur Sara & Rachel, quæ tamen vbi semel pepererunt, nunquā cessasse parere dicuntur: e contra Lia plena filiis & fœcundissima erat, nihilominus de illa dicitur Genes. 29. *cessauitque parere.* Drogo. Id quod acutè obseruans Drog. lib. de Sacram. pass. inquit. *Ergo Sara & Rachel nunquam parere cessabant; Lia vero post sex filios aut omnino parere cessat, aut filiam parit, ipsa est carnalis voluptas, quæ sub specie discretionis nonnunquam subrepit actiuæ.* O quoties qui actiuissimi erant homines pleni laborum fructibus, vbi oculorum lippitudine laborarunt, hoc est, vbi meditationis & orationis lumine destituti sunt euanuerunt in laboribus suis, vel in turpitudinis barathrum deuenerunt. Ne fallaris, quod sis vtilissimus in Republica, quod mille virtutum facinora in dies paras, quod fœcundas laborū tuorum videas albere segetes. Quid plura? si tantum Lia es, si totus operationi deditus, si nihil de oratione habes, & tibi fœcunditas ista cessabit, & tandem in carnales voluptates dissolueris. Vidisti fortissimum Sansonē? quæ ille facinora non egit? Quos hostes non contriuit? Sed hæc omnia quando crispantes illi crines rutilabant ex capite. Verum quando abrasum sine coma præ se tulit caput, quis eius miserias sufficit enarrare? Huius Ioachim. meditabatur tragœdiam Ioachimus Abbas 1. part. capos. in Apoc. fatus. *Necesse est, vt mens fortis viri sancti & Deo digni meditationibus impleretur; alioquin vt ruat necessum est, qui abraso interiori capite fortiter se posse agere & in toto stare præsumit.* Quippe necessum est, vt ruat, qui coma sanctarum meditationum & orationum non effulget, his pulcris crinibus creditus est fortitudinis spiritus, væ qui abrasus præliabitur; væ qui sine oratione in arenam prosiliet. Hanc orationis armaturam tollere cupiebant Babylonici Satrapæ Danielem perdituri, Dan. c. 6. cum id à Rege dictum impetrarunt, *vt omnis qui petierit aliquam petitionem à quocumque Deo & homine vsque ad triginta dies, nisi à te Rex mittatur in lacum Leonum.* Sed quid obtinerent, si Daniel cautus per triginta dies dissimularet orare? An diaboli malignitas de Daniele triumpharet, quod ipse ab oratione cessaret per breue tempus? Sane id periculi animaduertit vir sanctus, quo minus timuit Leones, quam orationis cessationem. Ita Tert. lib. de Idol. aiens. *Daniel cætera Dario subditus, tām diu fuit in officio, quàm diu à periculo disciplina vacaret Nam id vt subiret non magis Leones regios timuit, quam pueri Hebræi regios ignes.* Rectè totius disciplinæ periculum cāuit in vna orationis cessatione Moyses Exod. 17. & milites in arena habebat, & manus in oratione leuabat, quæ si remitterentur, hostilis superabat manus. Quocirca D.Chrysost. hom de Moyse ait. *Orat Moyses & vincit, cessat & vincitur, nec quisquam poterit excusari, qui hostem vincere noluit, dum orando cessauit. Et tamen in Moyse corpus deficiebat: non voluntas aliquando cessabat: si ergo fragilitatis causa in Moyse excusari non poterat, quemadmodum in nobis voluntas poterit excusari.* Hæc ille. O vtinam à cœlesti magistro sic edoceamur, vt & simul orationi & hominum saluti nos dederimus, vt de singulis dicatur, quod de Christo Domino potuit dici, & de sanctissimo Malachia in eius festo D.Bernard. dixit. *Totus suus, & totus omnium erat, vt nec charitas à custodia sui, nec proprietas ab vtilitate communi eum impedire vel retardare in aliquo videretur. Si videres hominem solum & secum habitantem, putares soli viuere Deo & sibi. Si videres hominem medijs immersum turbis & implicitum curis, diceres patriæ natum, non sibi.* Et equidem inde totus securè immergebatur turbis, quia sciuerat, prius totus vacare Deo & sibi. Sed præstat hæc meditari in cœlesti magistro Iesu, quē si videres à suis auulsum, medio in horti ligno solum & secum habitantē meritò putares ibi soli Deo viuere; si ipsum postmodum videres medijs immersum turbis, manibus deditū prorsus inimicis, prædicares hominibus natū, non sibi.

Exod. 17.

Chrysost.

Bernard.

Text. Et assumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi cœpit contristari & mœstus esse: tunc ait illis: Tristis est anima mea vsque ad mortem. Sustinete hîc & vigilate mecum.

§. III.

Mille subiacet mœstitudinibus & tristitijs, qui hominum subijt curam, quibus orationes suas facit Deo acceptas & gratas.

ECce tibi quod hominum procuratio negotium pariat etiam in Deo, nimirum tristitiam, mœstitudinem multam. Quo enim amore Christus Dominus homines curandos suscepit, eo eorum proprias tristitiæ acquisiuit messes. Ait Cant. 5. *Veni in hortum meum soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis.* Cantic. 5. Nil aliud humanus & mundialis hortus, quam myrrham promit Domino, vbi virgineū incoluit Dominus hortum, iam myrrham assumpti hominis insitam tenuit, modo hortum Gethsemani ingrediens myrrham messuit, tristitiam & mœstitudinem hominum metens. Hinc pulcre D.Hilar. Cant. 31. in Matth. Dominicæ tristitiæ ortum expendit ab illis verbis: *Assumpto Petro, & duobus cœpit tristari.* Hilar. Etenim inquit, *assumpto Petro, & Ioanne, & Iacobo cœpit tristis esse. Ergo non ante tristis est, quam assumit, & omnis metus illi esse cœpit assumptis: non de eo orta est; sed de ijs, quos assumpserat mœstitudo.* Quid aliud hominis assumptio Domino parturiret? qui solus lætitiam vniuersis infundebat creaturis, qui gaudio exundans cœlestia omnia replebat, vbi homines assumit & metu & mœstitudine repletur. Huic simile videre licet in maximo gubernatore Moyse, qui ducens populum vsque ad radices montis Sinai, Exod. 19. ex montis fulgurantis conspectu magnum cum popularibus timorem percepit; medijs autem fulguribus & tonitruis solus stans nullo afficitur metu. Id quod notat Greg. Niss. Nissen. his verbis. *Moyses verò solus in monte relictus, contra quam cæteri homines pati solent, affectus est, nam cum cæteri omnes desolati magis, in societate minus timeant, ipse derelictus solus audacior factus est. Vnde patuit non timidum quemdam perterritum in principio fuisse; sed charitate timentis populi fuisse commotum.* Qui solus non timet inter homines degens, eorum afficitur, non suo timore, timendam rem popularibus ipse eorum pauens timore subit, quam nullo metu susciperet solus. Vnde Christo Domino metus? Vnde Angelorum lætitiæ mœstitudo? Vnde omnipotentis pauor? Vnde delitiarum omnium origini tædium? Sanè cum solus ipse relinquebatur, desiderio desiderabat pro hominibus mori; vnde cum timet, cum pauet, cum tristatur, patet non vt timidum quemdam perterritum fuisse, sed charitate timentium hominum fuisse commotum Nec gratiorem Deo habitum induere posset oraturus ad Patrem, quam suorum in se labores repræsentando dolentium hominum mœstitudine tristatus. Enimverò Ioannis 11. Ioann. 11. mortuo Lazaro, accessit Dominus Bethaniam, & oraturus pro resuscitando videns sorores lacrymantes, ipse Iesus *lacrymatus est.* Ad quod scitè D.Zen. Zeno. *Flebat Deus non quod ante se mortuum perijsse cognosceret; sed quod sororum fletibus temperaret. Et quia ipse sororum fletibus mouebatur, lacrymis filij sui Saluatoris nostri inter ipsos cœlo pater flectebatur.* Ecce vnde Christi Domini gratiores & acceptabiliores Deo redduntur lacrymæ, quia non tam Christi, quam sororum Lazari erant lacrymæ, quia ex compassione flentium damnabant. O felix ille, qui sic proximorum suorum sobit ex compassione affectus, vt eorum metus, tristitias & lacrymas capiat, maximam inde condemnationem apud Deum habebit. Quod si, quia sororum lacrymis, motus filius Dei fudit lacrymas, in cœlis flectit & delinit patrem, vbi omnium hominum tristitiam, mœstitudinem, pauorem, tædium suscipit, qualem habebit suis orationibus cœlestem patrem? Sanè, quia assumptorum hominum metu, pauore, & tristitia ipse Dominus mouebatur, mœstitudine & pauore filij sui Saluatoris nostri in cœlestibus pater flectebatur, vt nihil orationi illius denegaret.

§. IV.

Maximo Deo commendabilis est qui inter metus & timoris occasionem adhuc expectat & sustinet Dominum.

NEscio, an sit violentior tyrannus aliquis, quam pauor, quam metus. Meritò D.Chrysostom. serm. 147. dixit. Chrysost.

Pauore mors ipsa leuior: Cain vbi parricidali cœpit terrore vexari, mortem petyt, requiem credidit si periret. Elias vbi sensit toto se timore aspergi, repetebat quam fugerat mortem, melius existimans morti succumbere, quam timori. Hinc æstimare licet, trium Christi Domini discipulorum virtutem & fortitudinem, qui sub tristissimæ noctis silentio mediis multis tremendis signis, quando timor & pauor ipsum Dominum replet, iubentur sustinere & expectare Dominum. Ait enim, *sustinete hic & vigilate mecum.* Sanè ex hoc solum gratissimi Deo homines censentur. Et quidem D. Anselm. in caput Matth. 26. hinc maximè extollit Petrum, quandoquidem turbato noctis silentio carnificum tumultu, ligato Domino, sparsis discipulis & perterritis, ipse seqnebatur eum à longè. Vbi Anselm. *in hoc maximè est admirandus Petrus, quod Dominum non reliquit etiam cum timeret.* O singularis Petri animi magnitudo, qua morte ipsa violentiorem tyrannum sustinuit, nempe metum, & in magno timoris impetu adhuc sustinet & expectat Dominum, imo & sequitur. Sed age, accedat in præsenti D. Zeno serm. de Patient. vbi Noemi merita maxima ex hac expectatione perpendit. Noë diluuium, ait, quo omnis cato funditus deleretur, denuntiante Deo, imminere per momenta credidit, & timet, arcámque cum suis, vt saluus foret, quam iussus est facere, non præcipiti festinatione compingit, nec tantum munus quasi præsumptor aut demens rapit; sed patienter ædificat, patienter exornat, patienter variis animantibus replet. Quando ingredi iubetur, quando ianuam claudere patienter expectat. *Dignus euadere qui tanto orbis metu non festinauit euadere.* Sæpe vidit cœlum obduci nubibus, sæpe magnarum imbrium apparatū perspexit, quibus crebra illum suspicio diluuij pūgebat. nec ideo opus accelerauit, nec præpropera festinatione se in arcam recepit, imò, in tanto orbis metu sustinuit, & expectauit Dominū, quo sese Deo gratissimum ostendit. O quam alij præcurrerint ad arcem! ô quam visa quauis nube, perterriti festinarent opus. Meritò Noë dignus euadere, qui in tanto orbis metu non festinauit euadere; sed Dominum sustinuit & expectauit. Quam longanimitatem in metu & pauore Dominus discipulis persuadet, vt ipsi à diluuio passionis liberi euadant. Ait enim, *sustinete hic, vigilate & orate mecum, ne intretis in tentationem.*

Matth. 26.

Anselm.

Zeno.

Text. Et progressus pusillum procidit in faciem suam orans & dicens: Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste, verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.

§. V.

Adeò pretiosæ sunt tribulationes & ærumnæ, adeò augustæ & diuinitatis plenæ, vt excipiendæ sint à nobis non multum absimili animi humilitate & reuerentia, qua sacramenta.

O Ærumnas! O dolores & cruciatus! O vniuersos huius vitæ labores; labores dicam, aut gloriæ semina? an omnium felicitatum seminarium? an diuitatis & deitatis sedes? Et quidem si sapis, cum ad labores & dolores accedis, sic te compara, quasi diuinissima quædam & sanctissima contrectes. Exod. 3. imaginem laborum & ærumnarum populi Israëlis in Ægypto vt ait Philo, & Theodoretus, siue vt mauult D. Hier. cruciatuum & tormentorū Ecclesiæ nascentis protendens Dominus flammantem rubum ostendit. Rem vt propius videret Moyses accedebat, & ecce vox illum commonefecit. *Ne appropies huc, solue calceamenta de pedibus tuis, locus enim, in quo stas, terra sancta est.* Cur vt afflictorum & laborantium repræsentationem videat & meditetur, Moysi iubet diuina vox, quod calceos tollat? Meritò, inquit Theodoretus q. 7. *vt religiosiorem hac ratione Moysem redderet,* quandoquidem ea pollent diuinitate, spinæ, ignes, crux, & vniuersi dolores, qui debeant tanta penè reuerentia & religione excipi, quanta diuissima, & augustissima excipiuntur sacramenta. Id quod meditabatur D. Anselm. vbi ex Matth. sic Christum Dominum orantem proponit. *Progressus pusillum procidit in faciem suam, vt humilitatem mentis ostenderet habitu corporis, parem humiliationem eos doceret, quibus eadem passio immineret.* Disce modo, quo te componas affectu ad passiones & ærumnas excipiendas: an ea desperatione, qua ignaui imminentia mala pauescunt? an veluti nocentissimi rei, suppliciorum acerbitates deprecantes? an vt homunciones & leues fœminæ eiulando laboris à conspectu? an vt Philosophus forti & impatibili animo fortunæ vices vel tolerãdo vel ridendo? Imo vero vt fidelis homo prostratus humi reuerenter & humiliter excipit sancta & diuina sacramenta, sic tu passiones & acerba omnia suscipias; sic Christus Dominus prostratus humi & orans accepit, & parem reuerentiam & humilitatem eos docuit, quibus eadem passio immineret. Hinc subtilissimus Rupert. lib. 12. de Vict. Verbi Dei c. 20. tractans illud Cant. 3. *Videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua.* Sic de cruciatibus & opprobriis agit quasi de diuinissimis sanctissimísque sacramentis. Etenim ait. *Videte hunc Regem coronatum, videte in manu eius sceptrum. Nolite hoc solum videre in corona eius, quod spinea sit. Videte non solum calamum pro sceptro; sed videte rem veram, scilicet summum cæli & terræ Imperium, quia cum calamo illo, propter calamum illum dic ipsa data est illi omnis potestas in cœlo & in terra.* Expendo illud; sed videret rem veram, quippe proprium est sacramētis aliud exterius apparere, aliud in rei veritate esse. Apparet in Eucharistia panis & vini species, sed reuera est Christi corpus & sanguis. Sic cruciatus, sic opprobria apparent sub accidentibus malorum; sed in illis non accidentia horrenda, extrinsecus apparentia, sed videte rem veram, gloriam illorum veram quæ sacramentorum referat speciem. Hinc Naz. orat. in sanctum Baptism. aiebat, *Præclare etiam nobiscum ageretur, si humeros sanctitate imbuerimus ac purgauerimus, vt Christi crucem tollere queant non quibuslibet humeris facile tollendam. Vt pectus, animúsque mundari & sanctitate parari iubetur,* ad corporis & sanguinis Domini Sacramentum excipiendum sic humeri parentur necesse est, vt laboris cruciformis & ærumnarum excipiat sacramenta.

Exod. 3.

Theod.

Rupert.

Cantic. 3.

§. VI.

Hostiles omnes potestates deuastat oratio illius, qui se suis arcet & exuit bonis, vt oret.

SOlus Dominus omni suorum, & mundialium rerum destitutus solatio, orationi instat, qua omnes aëreas prosternit potestates. Vt merito dicat D. Cæsarius Naz. frater dialogo 4. *Illudit Dominus intellectili Pharaoni cum toto exercitu suo, Ægyptiorum dæmonum inuisibiliter flagellato, & submerso ipso, per id quod dicit, Pater si fieri potest, transeat à me poculum hoc.* O efficax orationis vis! orat Dei filius, vt à se in hostes humani generis eiaculetur calix sui sanguinis, & cum primum orat, omnes perimit & submergit Pharaonis potestates, diabolicos exercitus deuastat. Sed quæ non deuastaret, qui eo se accingit oraturus habitu? Enimuero cum relinqueret suos, vt omni se exueret solatio, ait Lucas, quod *auulsus est ab eis quantum iactus est lapidis, & positis genibus orabat.* Expende quod oraturus à suis auellitur, & auellitur quantum iactus est lapidis, ex eo enim quod a suis auellatur, fulgurantis lapidis ictus aduersus hostiles potestates æmulatur, illásque omnino conterit & exsufflat. Nullus in orbe nocentior & violentior iactus lapidis, quam ille qui fit in fulminum iaculatione, ibi enim igneus lapis à suis regionibus & sphæris exire coactus, eo violentior accedit terris, quo à suis separatior. Hinc Christi orationis vim maximam meditare, instar fulgurei lapidis à suis auulsi in contrarios eiaculari. Ita elegāter Drog. fatur. *Longè auulsus est à nobis, quia lapis est abscissus sine manibus, & iactus est lapis, & percussit Goliam in fronte, & statuam in pedibus. Iste est iactus tuus longè à nobis.* Quid clarius? iste, inquit, est iactus tuus longè à nobis. Qualis? iste, quo auulsus à tuis, quo longè à discipulis factus eo violentior, quo separatior, instar fulgurei lapidis quæcumque cōtraria prosternis. Sanè amabat Christus Dominus suos, amabat discipulos, amabat Petrū, Ioannem, Iacobum, inter illos quasi in propria versabatur regione. Nunc oraturus ab hoc etiā se arcet charorum conuentu, quam expertus violentiam sic orationi incumbit, quasi eiaculatus lapis, qui vniuersa contraria prosternit. O vtinam oraturi omnes sic se ab omnibus in vita charis separent, sic se à suis auellant. O quā facilè omnia superarent ac contererent! Fallor, nisi huc spectat illud Matt. 11. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Cur violenti? Sanè quo violentior iactus est, eo efficacior & potentior ad vastandū. Sic qui à suis, qui à charis omnibus sese arcent, vt violentiores, ita efficaciores & potentiores. Quam vim & efficaciam orationis ostendunt Petrus & Ioan. Act. 3. qui à suis separati contendunt in templum orare. Quid plura? Vt soli & a suis separati ad orationem tendunt, sic statim in tēpli limine claudum sanāt. De quo Chrys. in illud Sap. 3. nimirum,

Cæsar.

Drogo.

Matth. 11.

nimirum, iustorum anima, sic fatur. *O gloriosum mysterium Apostolorum! Ante in templo operantur, quam ipsi Dominum deprecentur. Ante virtus ostenditur quam oratio ad Dominum præmittatur, effectus preces præueniunt.* Ea est orationis efficacia, id robur inuenitur in oratione eius, qui à suis separatur. Seruus ille Abrahami Genes. 24. quæsiturus sponsam Isaaco, à patria, à suis exul, dum medio in agro orationem fundit à Deo petens sponsam sibi Isaaci reuelari. *Nec dum intra se verba compleuerat, & ecce Rebecca.* De quo Chrysost. hom. quales vxores sint ducendę, ait. *Impletum est illud Isa.58. Adhuc loquête te, dicam, Ecce præsto sum. Tales sunt bonorum preces, ante finem earum sentiunt annuisse nomen propitium.* Quocirca quo tunc à suis separatus fuit Christus Dominus, eo violêtior & potentior aduersus potestates contrarias, quas omnes oratione contriuit. *Iste enim est iactus illius longè à nobis.* Hinc patet quam conuenienter in ipsa oratione appareat Angelus *confortans eum*, hoc est, robur & fortitudinem ingentem illius, qua Regnum tenebrarum contriuerat miratus, celebrâns & decantans. Ita D.Epiph. hær.69. fatus. *Non indigebat Angelorum confortatione, sed confortent illum, hoc est, confitendo proprium ipsius robur illi attribuant.* Et præmittens quod accesserit Angelus ad Dominum, quod viderit eius res in oratione gestas, contritum Regnum peccati, subdit statim. *Quapropter admiratione ductus Angelus dicebat ad ipsum glorificans ac benedicens proprium Dominum in tali stadio ac miraculosa actione consistentem. Tua est adoratio, tuum est dominium, tua est potentia, tua est fortitudo.* Sic robur & efficaciam diuini oratoris Angelus decantabat, vbi expende illud in miraculosa actione consistentem, mirabiles enim & portentosos effectus causant motus actiuissimi violentorum.

§. VII.

Oratio, vt exaudiri à Domino gratius valeat, fiat quietissimo & humilissimo, & aliquo modo pœnali corporis habitu.

QVid est quod oraturus Dominus humi prosternitur? an exaudiendæ apud superos orationis præ se fert habitum? Ita elegant breuique serm. explicat D.Cæsar. Arel. homil.34. *In Euangelio scriptum est, quod procidens in terram orauerit. Quid enim indigebat Christus, vt aliter oraret? Orat iudex & desiderat parcere.* Equidem quia iudex futurus erat, humi prostratus orans addiscebat quorum orationes dignæ sunt quæ gratius exaudiantur. Explico rem ex illo Genes. 45. vbi manifestatus fratribus Ioseph, sic pauentes illos de scelere consolatur apud Philonem. *Hunc casum non vobis imputo; sed Deo, qui me suorum beneficiorum difficillimis temporibus humano generi exhibendorum ministrum executorémque esse voluit.* Itaque non fratrum scelere; sed alta Dei prouidentia effectum putat, vt qui difficillimis temporibus minister Regius & distributor bonorum erat creandus, humilis & afflictus in carcere, vinculis & egestate oppressus degeret, vt afflictorum preces notaret, & præsnosceret, quibus postmodum ex Regni solio præberet attentas aures. Sic diuinè actum est vt iudex futurus omnium oret humi prostratus, vt postea difficillimis temporibus iam sciat quorum preces & orationes gratius exaudiat. Etenim ea est difficillimis temporibus efficax oratio, quæ cum dura corporis exerucieiatione coniungitur. Sic B. Isaias Abbas orat.5. de Moyse orante fatus. *Moyses in montis vertice constitit, & manus eius ab Aaron, & Or sustinebantur, nec ex crucis specie, in qua erant constitutæ, deciderunt: quasi inde oratio sumeret efficaciam, quod ex fatigatione, ex pœna, ex cruce oriretur.* Bene Dauid de passionis calice suas orationes commendabat Psalm.115. aiens: *calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* De quo Paschas. lib.8. in Math. ait. *Quia nec crux aut calix passionis, sine inuocatione Domini; nec inuocatio Dei sine cruce quæ tollenda est ad salutem, aliquid valet.* Hinc suspectum tibi fit quidquid deambulando irreuerenter oras, talis enim oratio incognita est & noua iudici, qui humi prostratus & magna cum reuerentia orabat. Apud Lucam Pharisæus quidam stans in templo gratias agebat Deo; sed vide quas ille Deus referat. *Descendit, ait, Publicanus iustificatus magis, quam ille Pharisæus.* Ad hæc Cæsar. Arel. vbi supra. *Exemplum illius Pharisæi considerandum est & timendum, ne pro eo quod stans oraret, ideo non meruerit exaudiri.* Quippe deambulantium oratio non inter eas est, quas iudex difficillimis temporibus adeò gratè exaudit. Nónne discipulos suos monebat Dominus inquiês, *neminem per viam salutaueritis?* An suspecta erat viatorum salutatio? Pulcre D.Greg. hom.17. in Euang. reddit causam. *Omnis, qui salutat in via, ex occasione salutat itineris, non ex studio optandæ eiusdem salutis.* Id quod plenius elucet in iis, qui irreuerenter orant deambulando, non ex studio orandi, salutísque optandæ manat talis oratio; sed quasi ex fortuito quodam casu, quid mirum, si non exaudiantur?

Cæsar. Genes.45. Philo. Isai.5. Luc.19. Cæsar. Gregor.

§. VIII.

Quo magis quasi repellimur à Deo, vt filioli maternis illius vberibus hæreamus.

QVis pater durior in filios apparuit, quàm Deus pater filio suo apparet in horto? Illum quasi à se repulsum & abdicatum relinquit laniandum hostilibus manibus, trementem, ad amarissimi calicis conspectum, dimittit. Verum inter hæc filius non se arcet à patre, imò quo magis repelli videbatur, magis instabat patri, & affectuosius clamabat, vt ait Marc.14. *Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me.* Mysterio positum est in præsenti illud Hebraicum Abba, quod significat, iuxta D. Chrysost. & Theodor. in epist. ad Rom. c.8. idem quod Latinis Papæus, siue Papus, nimirum patrem infantium ore & lingua appellatum. Ecce ergo tibi filius Dei cum durius à diuino parente videbatur tractari, tunc clamat Abba pater, quasi tenellus infans vehementius adhærens vberibus matris. Sic vniuersi qui spiritum filiorum Dei hábent, quo magis à Deo repellantur, instent magis, & more infantium diuinis vberibus configant labra. Psalm.130. *Sicut ablactatus coram matre sua, ita retributio in animam meam.* Expende illud, sicut ablactatus, de quo D.Chrysost. fatur. *Quemadmodum puellus qui ablactatur, qui nuper ab vbere auulsus est, nec sic quidem à matre recedit; sed flens, gemens, lugens, ægrè ferens & se affligens parenti semper adhæret, nec ab ea recedit: ita ego cum essem in afflictione, angustiis & calamitatibus Deo semper adhæsi.* Et quo magis amaricantibus & felleis calicibus potabar, eo auidior diuinis vberibus inhiabam. O filiorum Dei specimen singulare! putarim hoc Deo accidere iucundissimum, imò vt hoc in filiolis videat diuinus parens illos amantes repellit, & duriuscule tractat, vt inter felles illos ad vbera cernat aduolare. Accipite Guarricum Abb. serm. in Baptistam. *An non tibi cum Angelo, imò cum Deo ipso luctari videris, quando quotidie præproperis tuis resistit votis? Laueris velut aquis niuis, mundus sis corde & corpore, & ipse sordibus intingit te. Dicis, sapiens efficiar, & ipsa longiùs recedit à te. Clamas ad Deum, neque exaudit te, vis accedere ad eum & repellit te. Decernis rem & in contrarium tibi cedit, & per omnia ferè in duritia manus suæ aduersatur tibi. O dissimulatrix clementia, quæ duritiam te simulas! quanta pietate pugnas aduersus eos, pro quibus pugnas!* Quid dulcius? quid amantius? Ablactat, repellit Dominus suos dissimulanter, quia magnam capit voluptatem ex eo, quo ablactati & repulsi inter felles, inter afflictiones & repulsas magis instent & hæreant maternis Dei vberibus. Sic ille Iacob, cuius facinoris videtur Guarricus commentator, cum solus nocturnis tenebris remanet Genes. 32. mille luctas, mille certamina à Domino fuit passus, ait enim. *Ecce vir luctabatur cum eo*, nihilque aliud meditatus fuit Deus per totam noctem, quam dura bella aduersus Iacob, adeò, vt illum in fœmore vulneraret. *Tunc ait, dimitte me, iam enim ascendit aurora.* Sanè meritò optasset Iacob discessum tanti hostis, & vix illi fugam meditanti amplissimum effugium panderet; sed è contra percussus & vulneratus Iacob ait. *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Quid sibi vult hæc Iacobi expostulatio? acerrimum hostem detines? percussori, imò interemptori tuo adhæreas? Adhæreo, inquiet, vberibus matris, nec me vulnerum & afflictionum felles mouent, quominus instem à Deo benedictionẽ capere, & vt magis repellor, auidior tâti parentis asto. Hinc iam merito Guarricus educit quod supra posuimus, nimirum similes luctas cum singulis à Deo instaurari, vt similiter Deo instemus & hæreamus. Compone modo tibi ex vna parte à Deo calicem amaricantem filio propinatum, ex alia filium Dei sicut ablactatum felleo inhiantem calici, patrique inclamantem; & expauesce in tanti doloris imaginem.

Marc.14. Psal.130. Chrysost. Guarr. Genes.32.

Luc.cap.22. Et factus in agonia prolixius orabat. Et factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.

§. IX.

Non sanguini parcendum, vt diuinæ pareamus voluntati: vbi Christi Domini sanguineus sudor expenditur.

NOuum & à sæculo minimè auditum pugnandi genus diuinus agonista Christus nobis ostendit, vbi victrice Dei voluntate, solo sternitur caro & sanguis. Sanguinis & carnis infirmitas sese Christifero obiiciebant animo, ne ad salutem mundi per mortem properaret: vidit superior portio instantem voluntatem patris, vidit obiectum sanguineum infirmitatis mare. Quid plura? percalcata carne, effuso sanguine sese paternæ subiicit voluntati. Aiebat Paul. ad Galat. cap. 1. *Cum autem placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ, vt reuelarem filium suum in me, & euangelizarem illum in gentibus, continuò non acquieui carni & sanguini.* Sic promptissimam suam obedientiam prætendit ille, sed diuinior, & præstantior omnibus Christus Dominus, vt carnis & sanguinis ostendit infirmitatem detrectans passionis calicem, sic cognita voluntate patris non solum non acquieuit carni & sanguini; sed quid diuinius cogitans, concussa carne in fugam vertit & sanguinem, qui gladium diuini spiritus expauescens ad terram vsque profundebatur. Ingredienti populo Israelitico mare rubrum oppositum statim cessit & aufugit. Id quod speculatus D. Cæsar. Arelat. hom. 4. de Pascha, inquit. *Nec immeritò eos hostis non attigit, lux præcessit, fluctus expauit. Sic Propheta testatur, & increpauit mari rubro & recessit, & iterum mare vidit & fugit. Quid vidit? sine dubio illud terribile profundum, assistentis inhorruit maiestatem, & ad præsentiam sui cessit authoris.* Impediens quidem aditum rubrum mare, ne Israël salutem obtineret diuina potestas & fortitudo increpuit, quam ruber fluctus expauens sese protinus fugæ dedit. Non absimili modo caro & sanguis in Christo Domino infirmitatum mare obiiciebat, quo diuinus agonista ab hominum salute per mortem obtinenda detineretur. Verum adiuncta diuinitas in superioris rationis domicilio apparens increpuit mare rubrum, & fluctus sanguineus expauit, & largè profusus aufugit vsque in terram. Ad hæc spectabat Titus Bostrorum Epis. quando sanguineum sudorem in Christo Domino fuisse dicit. *Quo timiditatis fons pauorisque fluxus, qui naturæ nostræ cohærebat, hoc modo abstergeretur, penitúsque ex illa profligaretur.* Ecce increpuit mare rubrum, & fons timoris, siue totius metus & pauoris sanguineum pelagus in fugam conuertitur & profligatur. Hinc totus gemebundus aiebat Hieremias. *Magna est velut mare contritio tua.* In te, ô Christe, antiquam videmus reformari maris contritionem, quandoquidem mare à suis sedibus fugiens ingentem suis fluctibus violentiam præferebat, sic in te sanguinei fluctus non sine violentia naturæ fugam vltrò meditantes sese in terram emittebant. Sed & melius hanc maris similitudinem D. Zeno prosequitur serm. de patient. *Mare ventis lacessitum cum irascitur, quamuis reciproca vicissitudine, nunc pulsantibus cœlum, nunc requirentibus terram, æstuantibus vndique vitreis armatum montibus, violentis vndarum sæuientium cumulis, toto corpore insaniat, tamen extremorum pallido ex recursu voluminum, quasi ius terræ cognoscens ac violare deuitans in se frangitur.* Vnum & aliud verbum si mutes, pulcre in præsenti habes effigiatum Christiferi agonistæ discrimen. Quippe instar fluctuantis & sæuientes maris Christi Domini pectus validissimis efferuescebat affectibus. Hinc Deum vindicandi zelus, illinc scelerum & peccatorum odium, iam conscientia humanæ ingratitudinis, tunc Israëliticæ ruinæ dolor, insuper carnis & sanguinis erga mortem horror & metus, validi omnes affectus, ceu fluctus feri maris totum corpus vndequaque quatiebant, tamen ius diuinæ voluntatis cognoscentes, & violare deuitantes, in se ipsis franguntur, pallido timorisque pleno recursu sanguineis vndis profluentibus in terram. Huc spectet Christianus, & ab vtroque mari discat & sese frangere, & duro concuti verbere vsque ad sanguinis effusionem, ne ius violet alienum, ne præscriptam diuinæ voluntatis metam excedat.

Galat. 1.
Cæs. Arel.
Titus.
Tren. 2.
Zeno.

§. X.

Christus Dominus sub ingenti sanguinis sui mole premitur, dum eius fructus non participatur ab homine.

GEmunt gigantes sub aquis, aiebat quondam diuinus Iob, cur non gemat sub sanguine gigas ille cœlestis, qui exultauit ad currendam viam suam? Sanè maximus hic & diuinissimus gigas gemebundus sub sanguineis vndis prosternitur, *factus in agonia prolixius orabat, & factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis*, &c. Huc refert Eusebius apud Leonem illud Isaiæ 6. iuxta Septuaginta, nimirum *Nunquid parum vobis agonem exhibere hominibus, & quomodo Domino exhibetis agonem?* Quasi nihil à Deo petentes reprehendat, quòd inferant agonem, hoc est, in Domino intactam sanguinis, nihil petendo, relinquant molem, sub qua ipse gemebundus prematur. Sic enim explicant agonem, quasi dicat angustias, quibus quis premitur sub maximo onere. Cui sensui astipulatur D. Iren. lib. 3. c. 32. vbi dixit Christum Dominum sudasse *globos sanguinis.* Etenim quot guttæ sanguinis manabant, tot globorum premebatur sub pondere Dominus. Ecce ergo tibi diuinissimus Athlas non cœlestibus, sed sanguineis onustus globis totus gemens, totus madens sudore. Fallor si Christianus est, qui Dominum suum non curat liberare tanto pondere, vel sibi acquirens Saluatoris sudores. Sanè sapiens illa Magdalena Luc. 9. pedes Christi lauabat, & capillis tergebat. De quo D. Ambros. in Cat. dixit, *lauit maculas proprias, tersit comis, vt per eas sibi assumeret sacros sudores.* O felices nos, si à ceruice Saluatoris pretiosi sanguinis moles tolleremus, Dominum quidem & maximo pondere liberaremus; & sacros nobis sugeremus sudores! Paralyticus ille Ioann. 6. dicebat dolens, *hominem non habeo, vt cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam.* Quid miser expectas ab Angelo motam aquam, vt saneris, ecce habes post aduentum Angeli totum misericordiæ pelagus commotum, cuius vndæ currentes in terram te quærunt, te exposcunt? Dulciter D. Bernard. serm. de vite, *Stulte, ecce oleum salutiferi Iesu, cuius nomen est oleum effusum. Quid tibi cum aqua? si vis recipere sanitatem; ecce fons olei misericordiæ, in quo te nullus prohibet baptizari?* Sumamus oleum hoc scaturiens, vt fons Christiferus recreetur; nunquam enim gratiores Christo Domino existemus, quam si eius sanguinem & sudores nobis sugamus.

Isai. 6.
Irenæus.
Luc. 9.
Ambros.
Ioann. 6.

Matth. 26. Adhuc eo loquente ecce Iudas vnus è duodecim venit, & cum eo turba multa cum gladiis & fustibus missi à Principibus Sacerdotum senioribus populi.

§. XI.

Iudas è Christi corporis membro factus est omnium perditorum caput, quod in singulis peccatoribus exoptat diabolus efficere.

QVi Christi Domini ebiberat doctrinam, qui eiusdem disciplina educatus miracula patrarat, qui inter duodecim fulgentissimas Apostolorum stellas & Apostolus & stella refulsit, hic idem Iudas factus est malitiæ dux, pessimorum hominum & carnificum, quando ad hortum præstat ducatum. Non aliter satiatur diaboli crudelitas; nisi cum è membris Christi facit sceleratorum duces & capita. Prodigus ille filius à patre separatus missus est à domino suo, vt porcos regeret & custodiret. Sic dicit Diuus Lucas capit. 15. Vbi Chrysolog. sermone 2. fatur. *Quod autem mercenarios suos mittat diabolus ad porcos, facit hoc insatiata crudelitas, quæ contenta non est homines criminosos fieri; nisi eos duces criminum faciat & magistros.* Id quod præ omnibus adimpleuit nefarius Iudas. Miraberis, quod peccatorum dux factus comprehensurus Dominum adueniat? Quidni? & factus est omnium proditorum caput. Quocirca diuinitus crediderim factum esse, quod celebre illud Mausolæum ab Absalone in sui memoriam erectum vocetur *Absalonis manus* 2. Regum cap. 18. Id quod notans D. Athanas. homil. de semente sic in rem præsentem fatur. *Locus ille, vbi sublatus est Absalon, manus Absalon in hodiernum diem nuncupatur. En quam exactè imagines inter se congruunt, si quidem locus ille non vocatus est pes Absalonis, sed manus; neque item caput Absalonis. Prior enim fuit capite manus, quæ proditionem exercuit secundum exemplar illius rei.* Hæc Athanasius, Absalonem cum Iuda proditore componens tanquam manum cum suo capite, quippe Absalon, & qui ante proditores fuerunt, manus erant tantum, & qui postea pedes, vnus Iudas proditorum, pessimorúmque hominum factus est caput. Vt pudeat iam religiosos viros se nequitiæ tradere, ne saltem fiant membra fœdissimi capitis.

Luc. 12.
2. Reg. 18.
Athanas.

Text.

Text. Qui autem tradidit eum, dedit illis signum, dicens, Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, & confestim accedens ad Iesum dixit, Aue Rabbi, & osculatus est eum.

§. XII.

Nullus adeò ferox & obduratus peccator est, cui Deus non offerat adipiscendam veniam & pacem.

NOn miror, quòd Christus Dominus tenebrarum tradatur in manibus, quod proditoris sustineat temulentiam & temeritatem. Id mihi ad miraculum accidit, quod scelestus & nefarius Iudas spirans cædes & bella pacificum adeò inueniat Saluatorem, vt ab illo accipiat pa-
Eucher. cem. Id quod meritò Eucherius expauet sic fatus. *Quod in ipsa traditione osculum accepit, bene intelligitur Christus pacem exhibuisse traditori suo, quamuis ille tam sceleratæ cogitationis interno bello vastaretur.* Quis iam desperet de tanto Domino, qui nec crudelissimo hosti denegat pacem? Qui pacem & veniam & misericordiam sic omnibus approximat, vt nocentissimi & obduratissimi in malo illam habeant præ manibus? Quando oraturus Dominus se ab hominibus separat, diuinissimè Lucas notauit, quod *auulsus est ab eis quantum iactus est lapidis.* Cur intra iactum lapidis se continet omnium Saluator? an vt à lapideis & obduratissimis etiam cordibus possit eius pax & misericor-
Simon Cass. dia capi? Ita eleganter & acutè Simon de Cassia in Matth. cap.30. *Progressus*, ait, *pusillum, scilicet quantum iactus est lapidis, vt nunquam ita ab aliquo elongetur Christus, quam cor lapideum hominis ad ipsum non possit, si velit, conuerti.* Quantumuis peccatorum molibus grauetur homo, quantumuis scelerum obduratione lapidescat, tamen intra iactum lapidis, hoc est intra id, quod grauissimus & obduratissimus homo potest facere, se continet diuina misericordia & gratia. Túncque iustissimè irascitur in hominem rebellem, cui eam habuit gratiam qua vel lapideum cor possit emendari. Quippe 3. Regum 13. verba fecit Prophera ad lapideum altare, quibus illud contritum est, verum Rex prophanus magis obduratus contra legem Dei extendit manum vt sacrificaret, tunc *exaruit manus eius.* Non enim antea vindicta diuina processit, quam probauit etiam lapides potuisse tangi diuina gratia. Ita Diuus Chrysostom. procem. in Isaiam fatur. *Qua ex causa non initio statim eius arefecit manum? vt resipisceret lapide in frusta discisso. Lapis enim si in fissuras non foret concissus, vtique tibi pepercissem. Nunc quando lapis concissus est frustillatim, nec sic quidem tu ad correctionem emendatus es, ob id ira aduersum te incandesco.* Nunquam adeò elongatur Christus Dominus, qui non possit haberi à lapidescentibus etiam animis. Summam perditionem & vastitatem animæ lacrymatus Hieremias fatur. *Quomodo sedet sola ciuitas plena populo, facta est quasi vidua domina gentium?* Vbi illud maximè ponderandum est, nimirum facta est quasi vidua, quippe in summa hostium vastitate, quando omnibus bonis & Deo ipso spoliata est, adhuc non vocatur vidua; sed quasi vidua.
Paschas. Thren. 1. Quod ponderans D. Paschas. lib. 1. in Threnos ait. *Quasi vidua & non verè vidua, quoniam & si ab sponso despicitur, sponsalitatis tamen eius iura manent, vt si redierit, prioráque dilectionis opera impleuerit, sponsum saltem per pœnitentiam respiciat.* Nunquam diuinus hic sponsus Christus sic moritur nostris in animis, vt necessarius sit luctus æternæ viduitatis; nullis hostium incursibus, nullis rapinis, nulla scelerum desolatione sic viduamur, vt non proximus sit diuinus sponsus, facillimè si velimus recuperandus.

§. XIII.

Creaturæ omnes in peccatores armatæ Iudæ fœdera pacis seruarunt ne illum laniarent.

VBi sunt creaturarum illæ armatæ phalanges, quæ vlciscendis iniuriis diuinis parantur, cum Iudam sustinent adeò in Dei faciem iniurium & procacem? Vbi marini illi fluctus, qui Pharaonis exercitus à tergo persequentes Israëlem vocarunt, cur patiuntur Iudam ore ad os Magistrum insectantem? Vbi sulphurea tela, quibus cœlum nefaria quondam oscula castigauit, cur Iudam permittunt abuti osculis sanctis, & osculo Deum morti tradere? Nónne creaturæ omnes tantum scelus discerperent, laniarent? Verùm dederat traditor eis signum, & id signum, quo à nulla creatura læderetur. Ita D. Hieron. fa- Hieron.
tur, *tradidit persecutoribus per signum osculi. Hoc est signum quod posuit Deus in Cain, ne quicumque inuenisset, occideret eum.* Equidem Cain cum primum se in Deum & fratrem, scelestum cognouit, creaturarum omnium supra se pertimuit phalanges, iam se a singulis creaturis credidit dilaniandum: à Deo tamen signum accepit, quod veritæ creaturæ Caino parcerent. Sic putat Hieron. Caini signum in Iuda fuisse instauratum, etenim vbi Christus Dominus illi osculum pacis exhibuit, signum in illo posuit & eleuauit, ne creatura auderet proditori inferre manus. Nec vane id signum à Deo positum fuit, imò adeò pacem à Christo Rege iuratam & stabilitam cum proditore creaturæ vniuersæ obseruarunt, vt ni ipse se interficeret, à nemine læderetur. Hinc manarunt prodigia illa, quibus se ab eius morte arcebant creaturæ; quippe author est Theophylactus, quod arbor ad suspendium electa sese ad solum inclinaret, ne strangulationi inseruiret. Euthymius addit, quod semiuiuus ab hominibus seruatus sit. OEcumenius, Papias, & Comestor dicunt, suspendij fune sese rupisse & lacerasse, nulla enim creatura ausa est homini illi officere, cui Christus Dominus tantum exhibuerat signum pacis. Quocirca D. Leo ser. 16. de Pass. ait. *Tibi, ò Iuda tua pœna commissa est.* Leo.
vnus proditor diuina signa non veretur, vnus Dei pacem contemnit, vnus potuit sibi inferre manus, cæteris omnibus pacem illi à Deo exhibitam obseruantibus.

§. XIV.

Durior Dei misericordia & benignitas aduersus ingratos peccatores exhibetur aliquando, quàm ipsa iustitia.

MAgnum illud, & tremendum est, quod de clementia diuina obseruauit D. Chrysost. homil. de cœco nato. Chrysost.
Licet, inquit, *clementer agere soleat Deus, non tamen hoc pacto suam herilem authoritatem prodit.* Imò & ipsa clementia implacabilior solet esse quam iustitia iis, qui diuina abutuntur benignitate, vt habenas suis sceleribus soluant. Hinc eleganter D. Ambr. expendit, quàm sæuè (si ita loqui licet) Ambros.
diuina benignitas Iudæ substituit osculum. *Nec immeritò*, ait, *grauiori telo tantæ dignationis percussus est, quàm si eum fulmine percussisset. Denique patientiam Domini ferre non potuit, qui maiestatem prodidit. Itaque abijt, pecuniam refudit, laqueo se suspendit.* Ecce tibi quàm illum Dei benignitas in mortem permisit, quàm exsufflatus est à diuinæ tolerantiæ & benignitatis abusu in perditionem. Sanè implacabiliorem habuit Dei clementiam, quam forsan offendisset iustitiæ rigorem, & qui alioquin iustitiam flexisset, ac deliniisset, vbi abutitur misericordia & benignitate adeò se rapi in damnationem præsensit, vt ad laqueum festinarit quantocius. Necessarium Iudæorum exitium ostendens Dominus aiebat apud Isaiam. *Filios enutriui, & exaltaui, ipsi autem* *Isai. 1.*
spreuerunt me. Vbi D. Zeno serm. 5. de Isaia dicit. *Iudaicum* Zeno.
populum vniuersum salutis suæ præsidium omisisse textus diuini carminis ostendit, in quo eum non seueritas condemnat; sed pietas. O quàm intolerabilis damnatio, quæ à Dei abusu pietatis! quàm intercluditur effugij aditus omnis illi, quem Dei benignitas repellit ingratum! Sanè proditor Dei benignitate abutés, oscrlatus est eum nec benigni osculi euitauit sententiam à Christi Domini pietate (si fas est dici) damnatus. Quàm aliter felix illa peccarrix Luc. 9. *osculabatur* *Luc. 9.*
pedes Domini: & quidem ideo sanctificata, quia pedes Domini osculabatur. De quo D. Bernard. *Pedes isti sunt misericordia & iudicium, quorum alterum sine altero osculari vel temeraria securitas est, vel desperatio fugienda.* Eu caueant qui misericordiæ indulgent sine iudicij timore, abusus iste est misericordiæ, qui omnino temerarios, & desperatos facit. Huc referam Euriali Asculani argutum epigramma, quo in olea cubantem araneam interfectam depingit à leuissima musca.

Palladis arbor erat, fragiles vbi aranea telas
Texuit, heu miseram musca volando necat.
Cur mirum, si musca leuis deuincit arachnem?
Arboris heu victrix Palladis auxilio est.

Sic quicumque venenatus homo oleæ diuinæ benignitatis cubarit, ibique malignitatis ordiatur telas, miserrimè interibit ab ipsa peremptus Dei benignitate.

Ioann. 18. Dixit eis Iesus, Quem quæritis? Responderunt ei, Iesum Nazarenum. Dicit ei Iesus, Ego sum. Vt ergo dixit eis, ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram: iterum ergo interrogauit eos, Quem quæritis? illi dixerunt, Iesum Nazarenum. Respondit Iesus: Dixi vobis, quia ego sum, si ergo me quæritis, finite hos abire.

§. XV.

Quos percussio non emendat, relinquit Dominus in peccati, & perditionis barathrum aliquando incidere.

VIde maximam Dei clementiam & bonitatem, furentes hostes verbi flagello percutit, & sternit in terram, vt vel hoc casu resipiscant, & statim post ruinam quasi leniores factos iterum interrogat. Verùm quos casu non terret, nec meliorat, in imo peccati, & desperationis barathro relinquit, dicens: *Si ergo me quæritis, finite hos.* Quasi diceret: vt
Rupert. comminiscitur Rupert. *Ergo si adhuc me quæritis, & sic percussi non doluistis, me quidem comprehendite.* Pereat, timendum est, qui viso & experto supplicio non sibi consuluit, qui adeò insanus est, vt nec verbere sanitatem recipiat. Componite vobis duos Babylonis Reges apud Danielem celebratos, patrem, & filium, Nabuchodonosor, & Balthasarem, ambo idololatræ erant, ambo superbissimi, Israëlitisque infensissimi, tamen Nabuchodonosor temporali supplicio per septennium afflictus à Deo fuit. Verum Balthasar nocte vna penitus destructus & disceptus est. Quæ huius rei causa? Cur similes peccatores non similis angit pœna? Cur filium tam crudum, & immisericorde flagellum enecat? Pulchre
Theod. Theodoret. ait: *Balthasar ille summum Patris supplicium suspicatus, nihil inde percepit vtilitatis: iure itaque iustus Iudex illum nulla venia dignum censuit.* Papæ! Nabuchodonosor nullum fuerat antea expertus supplicium, quid mirum quòd felicitatum cumulo elatus superbiret? Inde eius pœna extitit veniabilis. At Balthasar, qui intra domum suam verber diuinum audierat, qui patrem duriter à Deo castigatum viderat, nec inde ipse sibi consuluit, nec melior factus est, meritò in æternum perditionis barathrũ est delapsus. Hinc
Oseæ 7. Oseas c. 7. populi sui necessariam ruinam lamentatur fatus. *Ephraim factus est subcinericius panis, qui non reuersatur.* Quid sibi vult subcinericius panis? Sanè subcinericius panis, cùm ex vna parte habeat superpositas prunas, reuersari debet, vt vndique concoquatur, alioquin & carbonum ardentium vim sustinebit, & crudus adhuc nulli vsui erit aptus, nisi vt perdatur. Ita de populo illo nequam Ruffinus meditatur. *Cum vires illius frequens percussisset afflictio, nihilominus in impietatis studijs permanebat, vt simul & crudus, quia indomitus, & exustus appelletur, qui tabe se gemebat afflictam.* Quid miserabilius? & vim ardentis ignis sustinere, & cruditatem non deseri? & suppliciorum rigorem perpeti &
Gillibert. experiri, & adhuc perseuerare in malitia? Meritò Gillibert.
Isai. 53. expendens illud Isai. 53. *Disciplina pacis nostra super eum.* addit ipse, *ò misera, & grauis disciplina super filios Adam conterens, sed non protegens; puniens, & non purgans; consumens, & non conciliant.* Hæc desperatorum penè hominum est disciplina & castigatio, perditissimi namque sunt, qui nec supplicio meliores fiunt, qui lacrymarum & dolorum semina mittunt, nullúmque fructum inde percipiunt, qui calamitates & miserias experti, scissiones & amaritudines perpessi, nullum sanitatis prætendunt iudicium.

§. XVI.

Tunc serui Dei maximè protegi debent, quando clade aliqua percutitur regnum peccati.

QVicumque Dei virtutem strictam aduersus antiquum serpentem cernis, vel quicumque illum percuti aliqua clade vides caue tibi sub scuto fidei ocyor protegere, sæuit enim bestia illa percussa, & irascitur vehementer in Dei seruos. Cùm Dei omnipotens sermo vastaturus Ægyptum prosiliuit in exterminij terram, admonuit amicos & seruos suos Hebræos, quod limina sua agniculi sanguine
Exod. 12. insignirent. Ait enim Exod. 12. *Et videbo sanguinem, & protegam vos.* Vbi ponderandum est illud protegam vos, non enim videbantur Hebræi protectore vllo egere, quandoquidem percussor & exterminator Deus amicus erat, eorumque negotium agebat Ægyptios perimens. Si ergo, ò bone Deus, tu ipse es qui Ægyptios percutis, à quo spondes Hebræos protegere? Sanè is est serpens ille antiquus, qui suorum cladem non patitur inultam, qui suum imperium cùm sentit labefactari, vehementer irascitur, & desæuit in Dei imperium. Quapropter vbi percutiendus est Leuiathan, caueant sibi serui Dei, illiusque protectionem expectent. Accipite D. Gaud tract. 5. in Exod. sic fantem. *Pro-* Gaudent.
tegam vos quasi ab alio exterminatore. Vtique percutere vult exterminator diabolus Hebræos, Deo percutiente Ægyptios, nam retributionem molitur in seruos Dei, satellites suos à Deo percussos indignans. Quoniam diabolus tunc maximè accenditur, cum extinguitur. Tunc enim sæuit in Dei famulos, quando primu virtus eius in primogenitis occiditur, dum vel idololatriam, vel cæteros principales errores Deus disperdet ex nobis. Ecce tibi quam sui similis diuinus sermo Christus Dominus existit, non gladium stringit aduersus Ægyptios, quin diabolicos præueniens conatus, suos protegat seruos ab exterminio. Nec modò aereas potestates debellandas accedit, quin prius protegat suos Discipulos. O quàm sæuitura erat bellua, cùm suum imperium videret confringi, cum se à crucifixo enecari sentiret: sanè cribro ventilare Apostolos concupiscet, in illósque omnes conuertet vires suas: quod præcauens diuinus Athleta Christus, non priùs conserit manus cum hoste, quàm sua omnipotenti virtute protegat suos, quo dicit, *Sinite hos abire.* Huic protectioni Discipulorum accommodat D. August. serm. 151. de tempore August.
solicitudinem illam, qua Saluator per orationem interrupit, vt suis prospiceret. *Orat*, inquit, *semel, orat & iterum, tertióque peccatur. Tanquam aquila tegebat nidum suum velamento pennarum, & sollicitus cum orat, ad pullos reuertebatur, propter quos tristitiam patiebatur.* Sanè iam tum bellum incipiebat, iam peccati regnum, orante Domino, visebatur concuti, iam serpentis antiqui parabatur percussio, quapropter nobilis & diuinus percussor Christus Dominus sollicitè protegebat suos, & tristabatur, ne quid liceret aduersus eos inimico.

Text. Vt impleretur sermo, quem dixit, quia quos dedisti mihi non perdidi ex iis quemquam.

§. XVII.

Vnius Christi manibus securus & tutus homo.

O Felicem illum, quem suis manibus tutatur Christus Dominus, nequit fieri, vt perditionem videat. Elegans & acuta est D. Gregor. Niss. notatio, quam in eius ver- Nissen.
bis transcribo. Etenim hom. 6. in Cant. dicit. *Duodecim virgæ pro numero filiorum Israel ex præcepto diuino accipiuntur à Moyse; sed vna omnibus antelata est, quæ sola præ cæteris floruerat. Rursus ab Iesu Naue pari numero tribubus Israel lapides assumuntur ex Iordane; quorum omnium nullus reijcitur.* Iam inde videte licet quid Iesu manus possit, quid Moysis, vel alterius creaturæ, quandoquidem ex duodecim virgis vndecim perditioni remisit: Iesus autem duodecim lapides integros seruat, quorum nullus reiicitur. Vnde meritò ille apud Isaiam cap. 21. clamabat ad Saluatorem. *Custos quid de nocte? Custos quid de nocte?* Quæ verba examinans Richar- Isai. 21.
dus de S. Victore, lib. 2. de Emmanuele, cap. 31. fatur. *Quis quæso cui loquitur? creatura quidem creatori suo, cur igitur crea-* Richard.
torem inuocando non dicit, Creator, Creator? Quis inquam hoc audit, vel à quo? Dominus à seruo, cur ergo ei non dicitur, Domine, Domine? Certè quod eum Creatorem, Deum, Dominum habebant, commune cum omnibus erat. Sed quod latam perditionis viam cum cæteris non incedebant cui præ cæteris ex custodia Emmanuelis erat. Enimuerò quorum Christus Iesus Pastor, & Custos erat, ij inter omnes eminebant, custodiæque suæ clarum præferebant specimen, nullam ruinam, & perditionem timentes. Exod. 28. imperauerat Dominus, Exod. 28.
quòd nomina Patriarcharum duobus lapidibus scripta portaret Pontifex dextero & sinistro humero. Id quod ruminans Arnold. Carnot. tractat. 7. de verbis Domini in cru- Arnold.
ce, inquit. *Ideo à dextris, & à sinistris locantur, quia fundatus in petra nec altum concutit, nec profundum, quia per arma iustitiæ in prosperis & aduersis eradiuntur inuicti.* Vtinam in petra hac, nimirum Christo, fundemur, nulla nos tempestas opprimet, nulla nos pernicies concutiet. Quod Diuus Ambros. meditatur in arundine ob ludibrium posita in manibus Iesu. Ait enim: *Arundo comprehenditur*

manu

manu Iesu, vt humana fragilitas iam non ſicut arundo moueatur à vento, ſed operibus Christi corroborata fundetur. De quo iterum infra cap.6.§.7.& alibi.

Textus. Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eum, &c.

§. XVIII.

Non datur à Domino gladius aduerſus homines, niſi iis qui excellant ſapientia diuina.

PEriculoſus eſt gladius in manu hominis cæci, & ignorantis, ſæpiſſimè occidet quos oportebat viuere,& vulnerabit partem, quam mille vigiliis deberet cuſtodire. Ecce vobis Petrus gladio vtens auriculam Malci abſcindit; primum fundamen fidei vulnus infligit hominis auriculæ? Igitur quomodo credent, ſi non audient? Nónne fides ex auditu? Nil ſanè magis debebat fidei Magiſter cuſtodire, quam hominum auriculas, & Petrus auriculam ſcindit. Meritò rudi & ignaro Petro gladius a Domino non permittitur, ſed iubetur recondi in vaginam. Acutiſſimè obſeruauit ille, qui Petro rudi & ignaro ſolùm paſcendas oues
Ioan.21. permitti notat Ioannes cap. 21. vbi dicitur illi, *Paſce oues meas*, quaſi diceret, non tibi gladium; ſed paſtoris baculum permitto. Verum poſt aduentum Spiritus ſancti cpotus
Act.10. Petrus plenitudinem ſapientiæ diuinæ Actor. 10. vidit linteum plenum reptilibus, & ſimul audit, *Occide, & manduca.* Iam plenus ſapientia ne gladium recondas; ſed ſtringe, & occide; ſolis enim ſapientibus gladius aduerſus homines porrigitur. Hinc meritò qui primus gladium aduerſus hominem accepit, in paradiſi limine Cherub dicitur, nimirum ſcientiæ plenitudo. Quò etiam ſpectauit ethnica ruſticitas, quandoquidem apud Æſchillem ſic Pallas gloriatur.

Deorum ſola ego claues domorum ſcio,
Vbi aſſeruatur fulmen.

Nec aliàs D. Paulus reprehenſionis gladium concedit Diſcipulis; niſi certus quòd omni ſapientia abundent. Sic
Rom.5. ad Roman. 5. *Certus ſum de vobis; quoniam & ipſi pleni eſtis dilectione, repleti omni ſcientia, vt poſſitis alterutrum monere.* Expende illud, repleti omni ſcientia, quaſi non aliter aptus quis ſit, vt cæteros pungat, & caſtiget. Quid plura? Pro-
Ioan.16. miſſus fuit à Domino paracletus Spiritus, Ioannis cap. 16. cuius aduentus munus erat, *Et arguet mundum de peccato.* Arguiturus ergo mundum veniens diuinus Spiritus, non aliter venit, quàm ſplendentibus igneis linguis, nimirum omnigenum ſapientiæ ſplendorem præmittens. Id quod
Bernard. attigit D.Bernardus, ſerm.2. de Pentecoſte, vbi hæc fatur: *Spiritus ſanctus qui ſcrutatur profunda peccatorum noſtrorum, diſcretor cogitationum & intentionum cordis, qui nec minimam paleam intra cordis, quod poſſidet, habitaculum patitur reſidere; ſed ſtatim igne ſubtiliſſimæ circumſpectionis exurit.* Expendo illud, igne ſubtiliſſimæ circumſpectionis; non igne populatim ſæuiente; ſed igne, qui facem præferat, & ſubtiliter, & circumſpectè noſcens & videns exurendum exurat. Sanè vt ignis ad morem vorandum applicetur, à rudibus agreſtibúſque hominibus fieri ſolet. Verùm vt putridum hominis membrum abſumat, non niſi ſapienti manui permittitur, quæ cautè, & ſubtiliſſima circumſpectione remedium applicat ignis. Ita qui homines affligit, ignis ſubtiliſſimæ ſapientiæ circumſpectione nitet, adeò, vt etiam ignis ille, quo fidelium animæ purgantur, ſit ſapientia
Paulin. inſignis. De quo alibi datus Diuus Paulinus, epiſt. 9. inquit. *Ignis ille ſapiens tranſeuntes nos per examen ſuum non ſeuero ardore ambiet puniendos; ſed vt commendatos ſuſcipiens blando lambet attactu.* Adeò curat Deus gladium aduerſus homines non niſi ſapientibus committere. Huc referam illud Dei ad Ioſue præceptum, cap. 5. vbi ſic habet iuxta Diuum Hieronymum de vera Circumciſ. *Fac tibi cultellos petrinos nimis acutos.* Etenim cauet, quòd nimis acuti ſint cultelli: quia in reſcindendis vitiis, ea placent ſollicita cura, vt quo minori dolore & pœna poſſit, curetur
Hieron. animus. Ita Hieronym. *Quid eſt quod tantoperè cauet, ne habeantur obtuſi? Nimis ait, acutos, vt videlicet non qui particulam corporis ad ſenſu doloris abſcindant; ſed multa limu, atque vſu ... aſſiduo, tenui acie, mortiferos mentis ſenſus ſubtiliter d... iment.* Vt verbum durum aduerſus fratres proferendum ob illorum correctionem, bis, & ter ad limam antequam ſemel ad linguam perueniat. Quæ enim laudatur in carnifice dexteritas quando indolenter penè caput rei abſcindit, ea procuranda eſt cuiuis, qui velit tollere animorum vitia.

§. XIX.

Dum ſanus ſit auditus, quo Dei verbum percipiatur, nullius deſperanda ſalus.

PErcuſſam Malci auriculam ocyor Saluator ſanat; ſalutem hominis meditans, dum ipſe audiendi verbum Dei habeat aures. Notum illud Amos cap.3.nimirum. *Quomodo* *Amos 3.*
ſi eruat paſtor de ore leonis, duo crura, aut extremum auriculæ, ſic eruentur filij Iſrael. Id ſolùm diuinus Paſtor in illo populo deſiderabat, quòd ſaltim auriculas haberet ſanas, quibus exceptum verbum ſalutem efficeret & libertatem. Hinc manauit ſollicitudo illa, qua hoſti auriculam curauit, & huius rei cauſa mortem crucis amauit. Etenim cùm ſemel, & bis lapidibus peteretur, nouit inter lapidatorum manus agere animam. Quare? Pulchrè id docet D.Chryſoſtomus *Chryſoſt.*
aiens: *Tumultuarium genus necis eſt lapidatio, & inter lapidum fragorem non poterant exaudiri vltima Chriſti mandata.* Sic bonus Paſtor curabat ouicularum auriculas capere, quæ ſi caperentur, nulla lues illarum ſalutem redderet deſperatam. Sanè vna eſt hominis infirmitas, quæ de illius facit ſalute deſperare, nimirum, ſi aures habeat, vel ſciſſas, vel obturatas. Sic vt incurabilem lamentabatur filium habentem ſpiritum ſurdum, homo quidam apud Marcum cap 9. *Marc.9.*
ait enim ad Ieſum: *Magiſter, attuli filium meum habentem ſpiritum ſurdum, & mutum, & dixi Diſcipulis tuis, vt eiicerent illum, & non potuerunt.* Id quod eleganter premens D.Chry- *Chryſol.*
ſologus ſermone 52. ita fatur. *Antiquus refuga vbi Deum terris reperit adueniſſe, obſtruxit aures hominum, vinxit linguam, & obſeratis humani ſenſus foribus ſpelunca ſua latebram pectus fecit, & parauit hominum, æſtimans quòd illuc auditus verbi virtus diuini nominis non veniret. Simul vt eſt doleſus patrem capere, parentéſque tali ſe credidit decipere figmento, vt deſperarent curari poſſe eum, qui audire non poterat.* Et quidem nullo alio deſperatam hominis ſalutem diabolus facit; niſi obturatis eius auribus, quæcumque vincula alia etſi multa, etſi fortia iniciat, non ſecurus eſt de præda, quamuis ferreis catenis manus pedéſque habeat conſtrictos, perdet homines, ſi vel pars ſit, qua vox diuina attentas pertingat aures. Vis ſcire quàm parua impedimenta ſint cætera vincula, vbi non eſt mentio de obturatione aurium? Conſidera Lazarum vocanti Deo ex ſepulcro reſpondentem, quali habitu proſiliat reſuſcitatus? Enimuerò
Ioan. 11. dicitur exiſſe *ligatus pedes & manus inſtitis*, non *Ioan.11.*
equidem vincula pedum & manus impediebant, quominus in vitam ambularet, vbi diuinum Verbum excepit aure. Pulcrè Rupert. de Victoria Verbi Dei lib. 13. cap. 18. ait. *Opportune Euangeliſta hoc praſcripſit, quia videlicet conſequatur in illius vocantis voce vim facillimam exitiſſe, quæ illum pariter & viuificauit & de monumento expulit, qui cum eſſet ligatus pedes & manus inſtitis, nec pedibus nec manibus prorepere potuit.* Vni diuino verbo auribus excepto debebat quod non ſentiret impedimenta ligaminum, dum ligatus proſilit in vitam & ſanitatem. O vtinam ſanas diuino Verbo præbeamus aures, & à nullis metuemus peccatorum ligaminum, & quamuis mortis vorari faucibus, quamuis mille aliis vinculis præpediti, ſperabimus in vitam ſuſcitari. Ille timeat, & vehementer timeat, qui à Verbo Dei audiendo longe abeſt. Concionanti Domino
apud Matth. 12. cap. 2. dicitur. *Ecce mater tua & fratres tui* *Matth.12.*
foris ſtant. Quibus ſtatim Dominus quaſi matrem ignoraret, ait. *Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei?* Proh bone Domine! ſic matrem ignoras, & eam matrem quæ tibi præ cunctis creaturis gratior extitit? Quæ te numquam offendit? Quid nunc egit ob quod, ſaltem typicè, à te ignoratur? Sane quia concionante Domino, ipſa foris dicitur ſtare. Id ponderat D.Hieron. de Vera Circ. fatus. *O myſterium! Matrem Mariam ſibi Dominus obtuetur, cum extra verbi audientiam eſſet conſtituta, eo pœſſimum tempore quo verbum prædicaretur à verbo.* Eu qui à verbo audiendo abſunt, metuo ne in æternum ignorentur à verbo. Hinc licet videre quam prudenter faciunt, qui aures ſuas Verbo diuino, incredibili ſolicitudine comparant. Paul.& Barnab. Act.16. clamanti imo laudanti dæmonio ſilentium indixerunt. De quo D.Ephrem de ling.malo ait *Cur Apoſtoli dæmonium à quo laudabantur audire renuerunt? Nonne ideo ne mundæ ac caſtæ eorum aures, impuris vocibus contaminarentur.* Sic de aurium mundicia curabant, qui per Verbum Dei ſalutem ſperabant.

Luc. 22. Dixit autem ad eos, qui venerant ad se Principes Sacerdotum, & Magistratus templi, & seniores, Quasi ad latronem existis cum gladiis, & fustibus: cum quotidie vobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me. Sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.

§. XX.

Exilis & infirma est diaboli potentia aliquando, ad homines perdendos, nisi ab aliorum hominum malitia adiuuetur.

Et in Eremo diabolus Iesum aggressus fuit, nec minimum illi valuit inferre damnum. Quid mirum? Solus tunc erat diabolus, solus descendebat in certamen, nullius hominis in Iesum acciuerat societatem, & ideo eius potestas fragilis, eius vis nulla. languet aliquando potestas diaboli, vbi homines malitiæ socios non habet. Argute satis
Rupert. Rupert. lib. 3. de Victoria Verbi Dei cap. 5. Abraham a diabolo meditatur immunitatem, Iobum, inquit, considerans Satan circumeundo terram; quomodo etiam non considerauit Abraham, Isaac, & Iacob, fidem promissionis habentes, & propter illam spem peregrinando de gente in gentem, & de Regno ad populum alterum pertranseuntes? *Plane considerauit & illos & de ipsis semen mulieris nasciturum, sed quid ageret? Quomodo bonam radicem illam corrumperet? aut quomam per manus extirparet? Vel cum Dei hominem nocere eos relinquebat.* Vbi autem non licebat dæmoni sociis hominibus vti quasi impotens erat & infirmus prohibente Deo, ad inferendum alicui malum. Vis huius rei exemplum singulare? Expende in primorum parentum ruina quantum serpens antiquus laborauit, vt fragilem fœminam prosterneret, quam facile deuicit Adamum. Adoritur fœminam, obiicit pomum, præfert mendacia, longosque init sermones, resistit in primis Eua, meminit diuini præcepti, detegit serpentis mendacium, & post multa comedit. Hinc pergit ad virum mulier iam socia serpentis facta, porrigit pomum, *deditque viro suo & comedit.* Expende transgressoris facilitatem, nihil dicit, nihil resistit; sed cum primum videt cibum, transgressionem facit. Proh dolor! adeò potens est diaboli vis, vbi socia muliere armatur: qui solus resistentiam a fœmina patitur, modo virum sine resistentia prosternit. Id quod notauit D. Anastasius Sinaita lib. 10. in Hexaem. aiens. *Vt ... in transgressione mansit: ipsa ... & solo restitit ... & cum quadam obiectione & contentione, ... comedit ex ligno. Adam autem cum nihil omnino depugnasset aut contradixisset, fructus ... datur a muliere.* Vnde magis vitiis Eua & resistit magis nisi quia infirmiorem hostem fuit nacta, nimirum solum diabolum, qui tunc potens fit ad perdendum, cum socium malitiæ suæ hominem habet. Hinc Christus Dominus in se armatam dæmonum æstimat potestatem Iudæis dicens. *Nunc est hæc vestra & potestas tenebrarum.* Vbi notanter D. Cyrill. in
Cyrill. Cat. ait. *Dicit, quod hæc potestas est tenebris data, id est, diabolo, & Iudæis insurrendi in Christum.* Quasi vbi diabolus non habebat Iudæos, non haberet potentiam quæ sufficeret Christum Dominum enecare. Heu quanta erit dæmonum in Dominum potestas, quandoquidem tales socios sunt nacti! Quid mirum, quod ad illius perditionem noua & inaudita
Chrysost. inueniantur genera pœnarum. Hinc D. Chrysost. homil de Pass. ait. *Accedit tamen confœderata Iudæis mors furens vehementius, potius se perire totam, quam tam perdere prædam.* Quasi mors sola non auderet, sed vbi inito fœdere Iudæos socios obtinet. Heu quam fit temeraria & audax.

Matth. 26. Tunc discipuli relicto eo fugerunt, at illi tenentes Iesum.

§. XXI.

Qui Dei societatem relinquunt, nusquam non fugitiui, & miseri errones.

Expende vim & consequentiam verborum, relicto Deo fugerunt, non certam patriam, non firmum solum habent qui Deum relinquunt, imo eo ipso & errones & refugæ omnia in timore transcurrunt. Ita in præsenti meditatus est Simon de Cassia in Matthæi cap. 17. inquiens. *Quia reliquerunt, fugerunt, quia relinqueas Deum relinquit securitatem: ideo agitatur timore, ideo fugit, & relinquens vitam fugit ad mortem; relinquit dulcedinem, & intrat amaritudinem, relinquit fidum amicum, & tenet hostem.* Nil aliud habet qui Deum relinquit, quam meditari fugam, quam errare per omnia, vitamque exulis agere & fugitiui. Ita Dan. 4. superbissimus ille Nabuchodonosor, vbi sese à Deo alienauit, & ciuitatem & domum & hominum societatem amisit, factus bellua fœnum manducans. De quo pulcre D. Paulin. Epist. Paulin.
4. ait. *Non solum à regno suo, sed etiam à sensibus exulabat humanis: coma tristi Leonem, vnguibus vulturem, sensu & pabulo bouem referens.* Adeo miser erat, adeo errantem agebat vitam ab omnibus propriis exul, in omnibus peregrinus. Nec felicior ausu prodigus ille filius apud Luc. cap. 15. relicto patre, cum substantiæ suæ patre abiit in regionem longinquam. Quod expendens Chrysol. fatur. *Ecce* Luc. 15. Chrysol.
quemadmodum sine patre census, ciuem in peregrinum, filium in mercenarium, liberum mutauit in seruum. O misera hominis conditio, cum a patre separato vnum restat exilium, & peregrinatio continua. Quid plura? fame pene enectus, *adhæsit vni ciuium regionis illius, & misit illum in villam suam, vt pasceret porcos.* Vbi gemebundus D. Chrysol. ait. *Affectionis de-* Chrysol.
sertor, pietatis refuga inquietis grege territur & maculatur excursu: porcorum lutulenta pascua percurrit, & quem misericordiam sui quæsitus paternæ beatitudinem perdidisse. Ecce tibi quam inquietam, quam erraticam vitam qui Deum relinquunt crebris agitati excursibus & fugis, nil habentes quo quierè fruantur. De illo reproborum primate Caino dicitur Gen. 4. Genes. 4.
Egressusque Cain à facie Domini & habitauit in terra Naid. Expendit verbum Naid Philo lib. de Cherubim, cui sonat commotio, vnde fatur. *Necesse est, vt ab imaginatione Dei digressa cogitatio, sanie in salo vacillata more, vetate inter se conflictibus vitiò vtroque feratur patriam domumque nuisa agitationem.* O egregiam patriam & domum eorum, qui à Deo separantur! ea est commotio & agitatio, nullibi firmi & stabiles; sed in omnibus fugitiui & peregrini. Hinc acute notat D. Paulin. Epist. 2. de Christo Domino osculante Iu- Paulin.
dam. *Osculum, ait, non ideo suscepit, vt pacem proditoris acciperet; sed vt suam ab alienato cogeret.* Etenim qui à Deo se alienant, eo ipso alieni sunt a pace & tranquillitate.

§. XXII.

Christus Dominus comprehensus & captus est non alio, quam amicitia illice.

Non fidit proditor carnificum phalangi, non fustibus & armis, vt Dominum capiat, vni osculi & amicitiæ signo plus omnibus confidebat, quo illice beneficentissimum Deum traxit ad laqueos. Sic ipse Dominus queribundus apud Hieremiá dicebat. *Venatione ceperunt me quasi* Thren. 3.
auem inimici mei. Et quidem vt capiantur aues: præter laqueos, illices & eiusdé vocis parantur aliæ, a quibus tractæ aucula, dum consortium, ora & societatem quærit, incurrit mortis laqueos. Quomodo aliter capiendus foret diuinus ales? Et o cæli & congeneris vocis illice illaqueatus est. Infandam Abneri mortem sic Dauid 2 Reg. 3. lamétabatur. 2. Reg. 3.
Manus tuæ non sunt ligatæ, nec pedes tui in compedibus aggrauati. Quæ verba melius in rem præsentem expendit Theodoret. q. 13. inquiens. *Non in acie superatus, & tanquam in bello captus es in acies; sed simulatio amicitiæ tibi mortem attulit.* O summe & fortissime Rex Christe, ecce quali astu caperis, eo nimirum quo perpetes & velocissimæ capentur aues, caperis non aperto Marte, non in bello, non viribus creaturarum; sed consortis ore, sed amicitiæ illice, sed beneuolentiæ signo! Huc spectauit D. Paschas. Paschas.
lib. 3. in Threnos fatus. *Ipse ipse est Aquila quæ dum prouocat pullos suos, ... Iudæi ad volandum, expandit alas suas super eos & assumpsit atque portauit in humeris suis, ... captus est in insidiis.* Quando caperetur perpes & diuinissimus ales; nisi vt quando filiis prospiceret, ad illos supportandos sese inclinaret? Quomodo capi potuisset aquila grandis, nisi filiorum infirmantium insidiis? nisi effecto charissimorum pullorum modulamine, vt dum in oscula & amplexus filiorum ruit, teneatur inimicorum laqueis? Rectè D. Ambros. tract. de interpellatione Dauid Christo Domino retulit id quod Prouerb. 5. iuxta Septuag. vocatur, nimirum Prou. 5.
... amicitiæ. Vbi sic pergit Ambros. Fertur huiusmodi Ambros.
ceruorum esse simplicitas, vt cum his nonnunquam societatem ineant, qui ipsos insectantur. Nam cum se cognitari videriņt

viderint, his se equitibus annectunt, qui ministerio fraudis appositi fugæ simulatione, spe societatis inductos ad retia vsque deducant. *Ita ergo Dominus Iudæis dolum sibi astruentibus miserebatur, & societatem osculúmque Iudæ proditoris asciuit, cuius simulatione funesta vsque ad crucis laqueos & passionis retia accessit.* Hæreo in illo, quod sæpe repeto, nimirum Dominum insidiis simulatæ amicitiæ captum esse, an ipse simulationis & fraudis inscius? Absit, imo hostiles animos fraudésque optime norat & percalluerat, verum sic hominum coluit amicitiam, vt ne illius signum præteriret, eligeret incidere in fraudes & trucidari. An non audisti canoras illas & crudelissimas Sirenes? ea canebant dulcedine, quam ne præterirent homines, eligebant naufragia & laniationem miserabilem. De quo accipe Cassiodorum lib. 2. Variar. Epist. 40. sic fantem. *Sirenes in miraculum cantasse, curiosa prodit antiquitas, & quamuis nauigantes fluctus abduceret, carbasa ventus inflaret, eligebant suauiter decerpi, in scopulos incurrere, ne tantam paterentur dulcedinem præterire.* Et quidem nouerat Dominus crudelissimæ fraudis oscula, & amicitiæ simulationem, tamen adeò illi dulcis erat amicitia cum hominibus, vt prudens eligeret discerpi, ne illius vel signum præteriret. Et heu quam misere captus illo crudeli signo amicitiæ! quam crudeliter raptatus fertur! ad quos scopulos non alliditur? per quos tribulos actus non cogitur & crudelissimam lanienam ire?

Cassiodor.

CAPVT II.

De Caipha.

CAPTVM Dominum tumultuariè raptant nefarij carnifices, & ciuitatem cum præda ingredientes ad viciniorem Annæ domum appropinquarunt. Is erat Caiphæ Pontificis socer, qui maxime lætatus iubet vinctum Iesum cum primum Pontifici genero transferri. Ecce tibi in domo Caiphæ aderat Pontificius conuentus seniorum omnium Pharisæorum, & Scribarum, medius sedebat ipse Caiphas, penes quem erat sacer apex illo anno. Huc Dominus plenus clamoribus probrosis, plenus iniuriis & irrisionibus, rudentibus ligatus approximauit. Stetit reus ipsa sanctitas coram nequitia iudicante, interrogatur de doctrina, & respondens à seruo sustinet indignissimam alapam. Quando Dominum feri homines verberant, diabolus discipulum Petrum vehementer colaphizabat, vsque dum, ancillula terrefaciente, tantum Magistrum abnegaret. Intereà falsorum testium testimonia trutinantur, adeò falsa, vt vel ab iniquissimo iudice fuerint reprobata. Qui ab illis supersedens Iesum adiurat in nomine Domini, an filius Dei sit: cui accinente Domino Pontifex furia percitus vestem scindit, Iesum blasphemum pronunciat, & reum mortis omnium suffragio declarat. Quis numerat quæ hinc aduersus Saluatorem effunduntur iniuriæ? Nulli non licet eius fulgentissimam sputis commaculare faciem, maxillas percutere, capillos vellere, milléque modis in illum insultare. Medium constituunt in atrio: oculos diuinissimos panno operiunt, percutiunt fuste & pugno venerandum caput, præmissa salutatione regali. His transigitur nox, & summo mane seniorum iterum initur consilium, iterum Iesus examinatur, & pronuntiante Caipha remittitur ad Præsidem Pilatum, vt eius sententia cruci suffigatur. Hoc concilij decretum proditoris Iudæ malitia sustinere non valens, male & sero pœnitens refusa in templo pecunia periturus volauit ad laqueum.

Ioan. 18. Et adduxerunt eum ad Annam primùm: erat enim socer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius. Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Iudæis: quia expedit vnum hominem mori pro populo.

§. I.

Pulchra & elegans Christi Domini patientis ponderatio.

IAm habes quod stupore plenus expauescas, nimirum Deum nocentem, viliúmque hominum manibus traditum, cuius illi virtutum cumulo abutantur. Quod eleganti & ponderosa antithesi demiratus D. Theodorus Studita sermon. de Domini supplicio fatur. *Cogitemus, fratres, ingens hoc atque ineffabile arcanum. Qui animorum consilia retegit Deus, omnéque perspicit humanum cogitatum, hic ille est, qui capitis sistitur iudicio; qui præpotenti iussu vniuersa librat, hic ille est, qui in sceleratorum manibus deditur; qui obligatam in nubibus vndam ex æquo tempestiuè infert solo; hic ille est, qui colligatus raptatur. Qui cœlum palmo ac terram mensus pugillo est, lancéque montes librauit; hic ille est, qui serui pulsatur dextra: qui florum varietate vber imbuit terræ: hic ille est, qui spinis inglorè coronatur; qui in pomario vitalem arborem conseuit: hic ille est, qui ligno infelix pendet. O immania & inaudita miracula, quæ tunc intuitus Sol defecit, & Luna contenebrauit.* Equidem hoc innatum hominibus est, vt magis doleamus, & expauescamus illius vicem, qui à florentissimo statu in abiectissimam fortunæ miseriam deuenit, à puppi ad sentinam descendit, à gloria cecidit in infamiam. Quis igitur non doleat, non expaueat in Christo Iesu, hanc vicissitudinem rerum immanium? Quis non lacrymetur ad hanc miserandam Christiferæ maiestatis mutationem? Quis tantæ gloriæ & Imperio natum siccis oculis videat, humo à Ganeonibus raptari, sputis fœdari? Sic quæ non rapuit bonus Iesus, exsoluit; sic Adami pœnas ipse suscipit miserabundus. Id quod eleganter perstringit D. Cæsarius Naz. frater, libro quæstionum aiens, Omnia debita primi parentis Christus pro illo subiuit, pro illius obedientia abiecta factus obediens vsque ad crucem: ille per Euam tentatus comedit, hic tentatus à diabolo non comedit; sed ieiunus fuit quadraginta diebus. Ille voluit fieri Deus: hic cum esset Deus, pro illo factus est mortalis. Ille ex paradiso in hunc locum laboriosum relegatus est: *hic pro illo è cœlo dilapsus illius vitam suscepit, pro luce inaccessibili habitans antrum huius mundi tenebricosum, pro Angelis circumdatus à bestijs; pro hymnis, & cantilenis cœlestibus audiens calumnias, & contumelias.* Huc vsque Cæsarius.

Studit.

Cæsar.

§. II.

Illi tribuuntur omnium crimina, & flagitia, qui author erroris fuit.

COmprehensus Christus, nullus Euangelista meminit, quòd fuerit ad Annam deductus, nisi Ioannes: sed potiùs omnes Caiphæ tyrannidem, & scelus enucleare festinant. Imò ipse Ioannes vix aliquid notat in deductione ad Annam, totus positus in præferendo Caipha. Quid plura? Meritò vnus Caiphas pungitur, & sugillatur à cunctis, ipse enim primus fuit author funestæ passionis, & crucis. Sic notat Ioannes dicens. *Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Iudæis; quia expedit vnum hominem mori pro populo.* Memini ex Genes. 10. in Ægypto Pharaonem vehementer percussum à Domino, quòd Saram vxorem Abrahami sibi raperet: sed & postmodum cap. 20. dicitur Abimelech Rex Geraræ eandem Saram sibi vsurpasse, adeò impunè, vt solùm in somnis admonitus fuerit illam viro suo restituere. Quæ rei causa? Cur ambo eiusdem rei criminis cùm existunt, alter durissimè castigatur; alter nullum accipit supplicium? Rationem reddit D. Ambrosius de Abraham, cap. 1. dicens. *Fortassis te moueat, qua ratione Pharao ab omnipotenti Deo sit afflictus, cùm & ipse ignoraret, vxorem esse Abrahæ Saram, quam sororem audierat: Abimelech autem nullam pœnam receperit. Verum Ægypti Regem noueris ducem fuisse vitiorum.* Meritò Deus in duces, & authores vitiorum irascens, reliquos quasi præterit, nec aliorum meminit iniurias, in comparatione eorum qui principes in malitia extiterunt. Huc spectat illud 4. Reg. cap. 3. quando Rex Moab Israëlitico exercitu cinctus, & penè oppressus filium suum iugulauit in muro: sic enim ait textus. *Cum vidisset Rex Moab præualuisse hostes, tulit secum septingentos viros educentes gladios, vt irrumperent ad Regem Edom, & non potuerunt. Arripiénsque filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum, & facta est indignatio magna in Israel, statímque recesserunt ab eo.* Burgensis, & Lyra expendunt illud, & facta est magna indignatio in Israël, & Deum asserunt authorem indignationis illius, quasi Deus videns nefarium Regis facinus sacrificantis filium maxima excandescens ira in Israëlitas desæuierit, illósque vehementer calamitate contriuerit. Sed cur nefaria Moabitarum videns, illa quasi multa præteriens & obliuiscens desæuit in Israëlitas? Iam id exponebat Psaltes 105. vbi de Israëlitis inquit. *Immolauerunt filios suos dæmoniis.* Fuit sanè hic mos Israëlitis

Genes. 10.

Ambros.

4. Reg. 3.

Psal. 105.

Israëlitis nefariſſimus, qui filios ſuos dæmonibus iugulabant, ab hiſque Rex Moabita nefarium facinus didicit. Quocirca Deus ſapiētiſſimus iniquitatum vltor præteriens Moab, Iſraëlem meritò conteeit & affligit, vtpote authorem & ducem tanti criminis. Quo ſpiritu Ioannes nefaria Annæ ſubſilens, totus eſt in eeodenda Caiphæ malitia, quia ipſe erat primus, qui dederat conſilium de enecando Domino Chriſto.

Text. Sequebatur autem Ieſus Simon Petrus, & alius diſcipulus. Diſcipulus autem ille erat notus Pontifici, & introiuit cum Ieſu in atrium Pontificis: Petrus autem ſtabat ad oſtium foris. Exiuit ergo diſcipulus alius, qui erat notus Pontifici, & dixit oſtiariæ, & introduxit Petrum.

§. III.

Suſpectus amor in Deum ſit, qui ſine vllo metu & timore eſt.

August. HEu quàm incautè Petrus amoris in Deum adeò laxauit habenas, vt nihil ſibi timeret. Accipite D. Auguſt. in Pſalm. 96. *Petrus, qui audaci dilectione ſequebatur, timida trepidatione ter negauit*, vt vel hinc tibi amor ſuſpectus ſit, cum quo non venit Dei metus, propiæ infirmitatis timor. Vtinam tantus amator diſceret & timeret, minimè ab hoſti-

Theoph. libus incueſibus vinceeetur. Quandoquidem S. Theophilus Alexandrin. epiſt. Paſ. 3. à ſanctis pueeis Machabæis inmania videns ſupeeata toementa, hanc cauſam inuictæ foritudinis inuenit, quod Dei timoee armaeentur. Etenim poſt recenſitas ſartagines, & alia cruciatuum innumera tormenta ſic peegit. *Et tamen inter hæc omnia paradiſum deambulantes, non ſentiebant quod patiebantur; ſed quod videre cupiebant. Mens enim Dei timore vallata flammas ſuperat, varios tormentorum ſpreuit dolores:* Equidem valdè amabant, qui ſe pro Deo atrocibus obtulerant tormentis; ſed & timebant, quo timore muniti & confirmati tyrannorum rabies, cruciatuum dolores inuicti premebant. O time, & time vehementer quiſquis amator Dei es, ſuſpectus amor tibi ſit ſine timoee. Non-

Iſai. 6. ne apud Iſaiam cap. 6. Seraphin ipſa timebant? Equidem velabant faciem, & ſupra Dominum volitabant, inſtar auis, quæ ſummo deſiderio prædæ circumuolitat: ſed metu aliquo retardatur, pugnátque in ea cum timore deſideeium.

Foreiius. Eleganter Foreeius ait: *In facie velata reuerentiam tantæ maieſtatis cogita, coniunctam tamen ſummo videndi deſiderio: neque præteveas, quòd cùm igniti ſint, & toti amore ardeant, adhuc tamen verecundè, & reuerenter ſe erga Dominum gerant.* Hunc affectum timoeis & metus amantium pectoribus inſeeere cupiebat ſummus hominum amator Chriſtus Dominus, qui vt ſuos amabat, ſic in paſſione nihil tam timebat, quàm eo-

D. Hilar. rum periculum. Quo refert D. Hilarius illud, *Cœpit pauere, & mœſtus eſſe; & triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* Non mortem adeò expauet Dominus, non ingentia tormenta, non rabiem inimicorum timet. Quid ergo? *Metuit ne ſe Deum abnegent diſcipuli, quem cæſum, & conſputum, & crucifixum eſſent conſpecturi.* Neſcit diuinus Amatoe eſſe ſine metu, neſcit amaee ſuos, & non timeee, vt iam tu non ames ſine metu. Id

Iſid. Peluſ. quod attigit D. Iſidor. Peluſ. vbi ait: *Sponſa Dei es, amato cum timore, ama & time*, quandoquidem amatorem tuum cernis timeee de tua infirmitate, cur tu audes amare ſine metu? ama quidem, ſed & diſce timere. Quippe timor reliquas

Iſai. 11. omnes virtutes confirmat, & vitiis aditum obcœcat, Iſai. 11. *Et requieſcit ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & repleuit eum ſpiritus timoris Domini.* Expendo quod de ſpiritu timoris dicit, nimirum eepleuit eum. De quo acute D. Paſchaſ. lib. 3. in Matthæum. *Nouiſſimè autem velut quiddam ſpecialius, ac ſi municipium diſcretionis ab omni labe peccati, intulit dicens, & repleuit eum ſpiritus timoris Domini. Non enim quoſcumque repleuerit capaces alterius rei eſſe plenitudo timoris ſinit.* Hæc ille.

§. IV.

Maximo detrimento ſui cordis intima non luſtrat penetralia.

ECce tibi peimum D. Petro præcipitium obiectum, quod ſtaret ad oſtium foris. De quo Drogo lib. de paſſione loquitur. *Propterea negabat, quia intus eſſe nolebat.* Heu quanto ſe opponunt periculo, qui ſui cordis arcana non luſtrant, qui intra ſe, aut nunquam, aut ſerò volunt eſſe. Et quidem maior ille filius, qui Luc. 15. apud Patrem reman- *Luc. 15.*
ſerat, reuertentis iunioris feſtum cùm ex agro rediens perciperet, noluit intea domum paternam ingredi, ſic ait. *Erat autem filius eius ſenior in agro, & cum veniret, & propinquaret domui, audiuit ſymphoniam, & chorum: & vocauit vnum de ſeruis, & interrogauit quid hæc eſſent. Iſque dixit illi, Frater tuus venit: & occidit pater tuus vitulum ſaginatum, quia ſaluum illum recepit. Indignatus eſt autē, & nolebat introire.* Quid plura? hoc vnum illius ruinam & perditionem oſtēdebat, vbi inteoiee recuſat, vbi intus eſſe non vult, paternis epulis indignus cenſetur, & meeitò à paterno excluditur conuiuio. Accipite D. Paſchaſ. de coep. & ſang. Domini cap. 22. iſtius ſic Paſchaſ.
elucidantem querelam. *Tot annis ſeruio tibi, nunquam mandatum tuum præteriens, & non dediſti mihi hœdum ſaltem vt cum amicis meis epularer. Et quam iuſte, quia profectò cæcatus mente, noluit intrare intus, nec corde repœnitere. Idcirco prorſus ex omnibus bonis paternis nec hædum indulgentiarum meruit acquirere.* O vtinam hinc omnes diſceremus quantum ſit malum intus cordis noſtri habitaculo non moraei! Heu quoties ſeniores in Dei ſeruitio, quia intus ſecum eſſe negligunt, foeis manentes à bonis paternis excluduntur! & minimis offenſi in irreparabile damnum incidunt. Id vt probet Petr. Damian. in Apolog. de contemptu ſæculi, cap. 21. Damian.
inquit. *Quod profectò Eſau patenter inſinuat, qui cùm de agro rediens ſe queritur laſſum, damnoſum valde cum fratre pepigit commercium.* Et adeò damnoſum commercium pepigit, vt illo hæreditaeio primogenito ſe priuaret. Quid non amitteeet qui totus foris in agro, & nunquam intus inueniebatur? Vnde prudenter D. Nilus in Aſcetico cauet. *Si quis* Nilus.
nondum aptus eſt ad pugnam, domi ſine detrimento maneat, & ſalutem in quiete ſine periculo tueatur. Talis erat Ieſus Naue, de quo ſcriptum eſt: Seruus autem Ieſus cùm ſit adoleſcens, è tabernaculo non egrediebatur. Nouerat enim eos, qui ad campum, ad pugnam præproperam egrediuntur, à fratribus carnis, & corporis amicis occidi ex hiſtoria Abel admonitus. Non eſt in fratribus, in amicis, ſecuritas in agro, væ tibi ſi propeeè egeedi foras cogeeis, etiam ab amicis, à fratribus, à tua ipſius carne cornues trucidatus. Non properaſſet Petrus egredi in certamen, & ſeſe incolumem ſeruaſſet.

§. V.

Suſpecta ſit ipſa ſalus, quæ per mulieres fiat.

DIſcipulus ille Pontifici notus dixit oſtiariæ, & introduxit Petrum: & quidem non poterit Petro non eſſe damnoſa hæc inteoductio ad Chriſtum, quandoquidem per fœminam introducitur. Hinc Ambroſ. *Vbi negat Petrus? In* Ambroſ.
prætorio Iudæorum, ibi negat, vbi Chriſtus captus, vbi Chriſtus ligatus eſt; quomodo enim erraret, quem intromiſit oſtiaria, & interrogauit oſtiaria? Non bona ſæpè ductrix fœmina, etiam ſi ſemel ad Chriſtum ducat, te faciet alias ereare, non ſe illi committat ſine metu quiſquis recta via ad Deum pergere ſtatuit. Featres illi duo Zebedæi filij Chriſti in regno cupiebāt primas obtinere, committunt rem matri, illa Magiſtrum adit, cui ait: *Dic, vt duo filij ſedeant in regno tuo, vnus à* Matth. 20.
dextris; alius à ſiniſtris. Expende, quid petat mulier, vt filius ſedeat à ſiniſtris Dei. Proh feminæ ſtultitia! ſiniſtram petis tuis filiis? Pulceè D. Chryſoſt. in Catena ſic Domini voce Chryſoſt.
reſpondet. *Neſcitis quid petatis. Ego vos vocaui ad partem dexteram de ſiniſtra, vos veſtro conſilio curritis ad ſiniſtram: ideò forſitan per mulierem res agebatur.* Quid mirum, quòd homines ad ſiniſteam currant, ducente femina? Vbi mulier dux eſt, caue ruinam & perditionem. Huc ſpectabat Alcuinus, Alcuin.
quando totam primi pomi malitiam in eo ponit, quòd à femina fueeit acceptum. Sic enim ſerm. de Natiuit. Virginis, alloquitur Maeiam. *Exurge, Domina, virus hoc mortiferum, quod de pomi ſui reliquiis Eua nobis propinauit.* Vbi pondero illud, de pomi ſui reliquiis, quaſi totum illius venenum huc referat, quod fuerit à femina nobis relictum & peopinatum. Quocirca non præteeeunda D. Chryſoſt. pon- Chryſoſt.
deratio hom. 9. in 1. epiſt. ad Timot. vbi primos parentes immediatè poſt peccatum in iudicium vocatos animaduertit, & illoeum excuſationem notat his veebis. *Mulier quidem crimen excuſans ait, Serpens decepit me: Adam verò non ait, mulier decepit me; ſed, Mulier dedit mihi de ligno, & comedi.* Enimueeò ſatis credidit ſe excuſatū à ceimine, ſi tātùm oſtēderet ibi interceſſiſſe mulierē, qua duce facilis futurus erat error.

Vnde

Vnde meritò expendens Chrysostomus vbi suprà illud
1.Tim.2. Paulianum 1.ad Timoth.2.*Mulieri docere non permitto*,sic rem conficit:*Semel docuit mulier, & cuncta peruertit, idcirco inquit Paulus, vltra non doceat.* Quod ego in præsenti aliter dixerim, nempe millies negotia hominum aggressa est mulier, & sæpe omnia peruertit; stultus erit, & mentis inops, qui iam illarum communicationem non fugiat.

Textus. Pontifex ergo interrogauit Iesum de discipulis, & de doctrina eius. Respondit ei Iesus:Ego palàm locutus sum,&c.Hæc cùm audisset vnus assistens ministrorum, dedit alapam Iesu,dicens,Sic respondes Pontifici?

§. VI.

Alapa Christo Domino inflicta adeò illi probrosa extitit, vt auidissimum eius patiendi animum posset quoad nos satiare.

Vidisti aliquando esurientium conuiuarum acies primo a ferculo hebetari? Equidem solet adeò pinguis & adipeus cibus in principio conuiuij ministrari, qui auidissimos quosque explet & exsatiat. Auidissimus ærumnarum Dominus ad passionem accedebat dicens:
Luc.22. *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum*, nimirum,iuxta Tertullian.
Tertull. aduersus Marcion. *Figuram sanguinis sui salutaris implere concupiscebat.* Hoc erat illi maximè in optatis, si passionis calicem exhauriret, si dolorum vesceretur pane. Ecce tibi ministri manu in principio accepit alapam,quia ingens patiendi auiditas quoad nos expletur, & exsaturatur. Accipite Rupert.illud Hier.2.expendentem, nimirum: *Post glo-*
Rupert. Hierem. 2. *riam misit me ad gentes.* Vbi sic fatur: *Quàm bonus est vnigenitus, qui cùm in forma Dei esset, propter nos accepit formam serui,atque post gloriam claritatis,quam habuit apud Deum, priùs quàm mundus fieret, saturatus est opprobrijs, dans percutienti se maxillam.* Proh immanissima serui manus, quæ ingenti Christi patiendi fami prætendis satietatem! quæ exples inexplebilem opprobriorum sitim! quæ summam tormentorum appetentiam exsaturas! Sanè vt primum, sic maximum fuit hoc Christi Domini opprobrium, quòd diuinissima eius facies à vili scurra in Principum conspectu, arridentibus cunctis fuerit verberata.Cuius dedecus inde ponderarat Hier.Thren.3.quòd illo propè infinita patiendi auiditas in Christo fuerit exsatiata.Vnde post Rupert.elegan-
Paschas. ter Hierem. verba ponderans D.Paschas.lib.3.in Thren. ait: *Ostenditur auiditas desideriorum,cùm dicitur; Dabit percutienti se maxillam, & saturabitur opprobrijs,quoniam omnis saturitas ex auiditate sumendi nascitur.* Quasi innuat, quod minimè Deus faciem suam alapæ obiiceret; nisi auidissimus esset opprobriorum,euenit verò illi,quod famescenti, & auidissimo in conuiuio accidit. Is qua est auiditate,prima fercula non tam mandit, quàm vorat,quàm glutit, quæ aliquando vt pinguia & adipea sunt, sic auiditatis acies hebetant, & exsatiant. Cuiusmodi erat inflictæ Domino opprobrium alapæ, potens auidissimam, imò rabidissimam famem exsa-
Iob 16. turare. Ecce vobis diuinus Iob cap. 16. rabidissimos hostes in opprobria & contumelias inhiantes, alapa accepta exsatiat, ait enim: *Aperuerunt super me ora sua*, nimirum more canum fame rabida prædæ inhiantes, *Et exprobrantes per-*
Gregor. *cusserunt maxillam meam, satiati sunt pœnis meis.* Vbi D.Greg. sic animaduertit. *Post percussionem maxillæ aptè subiungitur, satiati sunt pœnis meis.* Quomodo aliter exsatiari possent rabidissimæ fames? Quomodo qui opprobriis immittendis inhiabant, inuenirentur saturi, nisi alapis percutientibus faciem? Et hoc Iobo non accidit; sed Christo Domino, cui inflicta alapa posset immensam & infinitam patiendi auiditatem quoad nos exsatiare. Fallor,si hic,nata non fuit illa nouorum tormentorũ excogitatio in Dominum.quandoquidem qui satur est, nota fercula fastidit, nouásque ciborum formas meditatur,quibus auiditatem acuat.Sic Dominus primo alapæ opprobrio exsatiatus,iam fastidit communia mortis, nouis & inauditis opprobriorum generibus inhiat, nouas patiendi formas tractat, si tradatur spinis coronandus, conspuendus, posthabendus Barabbæ,& sic noua & inaudita sustineat alia. De quibus propter nouitatem inauditam dicat apud Lucam, *Desiderio desideraui hoc pascha manducare*;nimirum,vt explicat Leontius Ætolius,quasi dixisset, *hoc pascha vobis tradere desidero,nouas scilicet res.* Antiquas Paschæ iugulationes, veteres effusiones sanguinis prorsus fastidio, noua dolorum genera meditanda sunt, vt illa auidè sustineam, qui in primis alapam serui sustinui adeò indecoram & probrosam, vt nullum commune dedecus eminere posset præ illa. Huc Cæsar.Naz.frater dialogo Cæsar.
4. vbi inquit. *Eum qui vnam percussus maxillam,etiam alteram præbet, definit, qui pondus diei & æstum in eo tentationum ferat, Dominus, tanquam omne opus laboriosum sui mandati promptè impleuerit.* Ecce tibi qui patienter alapam sustinet, omne laboriosum opus impleuit, summo labore adimpletus reliqua contemnit,& reputat leuia.

§. VII.

Ea est hominum temeritas, & rabies, vt in diuinam faciem audeant.

Qvam verecundi & tremuli Cherubini vix intueri audent Domini faciem, non refugit temeraria homuncionis manus vulnerare.O effrænem hominum rabiem!quo peruenire putas, quandoquidem deificam contemnis, & proculcas faciem? Premebat D.Cyrillus Hierosolym.illud Isaiæ Iudæorum populo dictum, nimirum: *Ecce Saluator* Isai.62.
tibi aderit; & merito quærit cur vates cauerit Saluatoris nomen proprium prædicere: de quo Catech. 10. sic fatur. Cyrill.
Saluator apud Iudæos Iesus dicitur; prophetica enim gratia Do- Hierosol.
*minicidas Iudæos præuidens occultauit appellationem,ne si apertè præsciuissent, promptiùs illi insidiarentur.*Proh Deus immortalis! immensa Dei pulchritudo, quæ beatorum intuentium ad se rapit affectus necessariò, sibi à miseris hominibus cauet, & non vult nosci,ne auidiùs ab illis contemnatur.Meritò huc reuocandus D. Irenæus, libro quarto contra hær. Iren.
capite 37. Vbi hanc reddit rationem cur diuinitas lateat sub carne, nimirum, *Deus*, ait, *hominibus ostendens Deum, Deum autem exhibens hominem, & inuisibilitatem quidem Patris custodiens, ne quando homo fieret contemptor Dei,&c.*Quid in homine miserabilius cogitari posset,quàm quòd is esset, qui parentem Dei spueret, & contemeraret faciem? Vos omnes compello Theologos,qui indignamini Scotum,quòd dixerit, suspendi posse amoris affectum, ne feratur in Dei clare visam faciem. Ecce quid longè miserabilius in homine Irenæus meditatur,cuius tantam putat esse temeritatem, vt diuinissimam Dei apertè visam faciem auderet contemerare. Heu temerarios hominum ausus! Heu effrænem pulueris humani rabiem! Nec te moueat, quòd dicat Irenæus, diuinam faciem clarè visam posse à peccatore contemni; posse quidem non de lege ordinario, sed in eo casu, quo Deus liberum hominis arbitrium relinqueret, nec extrinsecùs efficaci prouidentia protegeret.Id quod apertè docet Scotus in 4.dist.49.q.4.§.*dico ergo.* Quam sententiam Scot.
Scoti refert,& explicat in dicto sensu Vasquez 1.2.quæst.4. Vasquez.
art.3.disput.18.cap.1.

Text. Respondit ei Iesus: Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem benè, quid me cædis.

§. VIII.

Nullum tempus intempestiuum, vt animæ negotietur salus.

Victus Dominus, & crudeliter à ministro percussus non irascitur; sed blandis verbis percussorem ad salutem allicit. Nunquam non tempestiuus est Dominus, vt salutem suggerat, nunquam non tempestiuè à Domino petitur salus. Id quod eleganter docet D. Chrysost. homil. 1. Chrysost.
in Act. fatus. *Ne quis arbitretur intempestiuum esse de salute sermonem, eo quod nunc non est dies quadragesimus. Nam hoc est quod vrit animum meum in huiusmodi rebus, obseruari tempus. Atqui Eunuchus ille cùm esset barbarus, & iter faceret, essétque in via publica,non exquisiuit opportunitatem: sed ne carcerarius quidem ille cùm esset inter vinctos, conspiceretque Doctorem cæsum ac vinctum, præsertim cùm id temporis crederet illum in carcere mansurum. Hic autem plerique qui nec in carcere sunt, nec in itinere, proferunt salutis suæ negotium.* Hæc Chrysostomus, quibus attigit duas historias.Altera est Eunuchi qui 8. Act. Act.8.
cùm esset in via videns aquam continuò prosiliuit,vt à Phi- Act.16.
lippo baptizaretur: altera est carcerarij, qui Act.16.aperto carcere inueniens Paulum inter vinctos vinctum, & cæsum, statim consternatus ait: *Domine, quid me oportet facere, vt saluus fiam?* Intempestiuum fortè putaretur tempus, vt carce

carcerarius iste de salute ageret, quando Doctor vinctus, & cæsus in carcere tenebatur. Expectasset occasionem aliam tempestiuiorem: sed nulla non est tempestiua occasio, vbi salus animorum procuratur. Vnde prudens carcerarius non exquisiuit aliam opportunitatem, quamuis esset inter vinctos, conspiceretque Doctorem cæsum, & vinctum. Miratus Isaias cap. 52. pulchritudinem illorum, quasi saluti animarum operam nauabant, dixit, *Quam pulchri pedes euangelizantium pacem*. Quæ verba ponderans & expendens Tertul. lib. 5. contra Marc. cap. 5. sic transfert: *Quam maturi pedes euangelizantium pacem*. Et merito, nunquam enim non tempestiua, & matura, & temporanea euangelizatio, & pacis annuntiatio, etiam inter vincula, inter vulnera, inter contumelias, vel acceptas, vel datas.

Isai. 52.

§. IX.

Christianus parili affectu omnes prosequatur, etiam hostes.

NVlli pacifica magis verba daret Dominus, quàm crudelissimo percussori dedit; *Si autem bene*, inquit, *cur cædis?* Vnde D. Ambros. Psalm. 37. hæc verba ponderans ait. *Vide quemadmodum quasi vir iustissimus, & quasi is se vindicare posset, puerili quodam loquebatur affectu*. Et quidem notanter dixit, puerili loquutum fuisse Dominum affectu, quasi puerulus, qui amica & inimica, noxia & salutaria affectu parili præsumit. Sic Dominus placidè & amicè tractat nocentissimos etiam percussores. Huc spectabat D. Macharius homil. 8. sic æstimans Christianam gratiam. *Gratia omnia membra, & cor sedat, ita vt anima præ nimio gaudio videatur esse velut puellus mali nescius. Nec in posterum homo condemnat Græcum, aut Iudæum, peccatorem vel mundo deditum, sed interior homo oculo puro omnes respicit, gaudétque de vniuerso mundo, planéque expetit venerari ac diligere tam Græcos, quàm Iudæos.* Felix qui hac repuerascerit infantia, qua omnibus dulcis & pacificus, nulla nouerit perturbatione commoueri & affligi. Visi fuerunt sponsæ, Cant. 2. sexaginta viri bellatores ex fortissimis Israël, omnes tenentes gladium, qui æternæ quietis pacifici Salomonis ambiebant cubile. De quibus verba faciens Dominus, Luc. 11 aiebat: *Ostium clausum est, & pueri mecum sunt in cubili.* Idem ab sponsa viri debellatores & fortissimi habentur, & à Deo pueri vocantur. Cur ita? An quia tota Christiani duelli militia in eo sita est, vt omnis perturbationis expertes, per infantilem simplicitatem quieti & pacifici pacis regnum potiamur. Ita planè D. Gregor. Niss. homil. 6. in Cant. hæc duo loca componit, & explanat suatus. *Quando enim qui fœmori accinxit ensem attendendo vitæ ex virtute agendæ, expulit animi perturbationem, tunc infans ætate est expers animi eiusdem perturbationis. Non enim ea ætas immatura capax est eiusmodi perturbationis. Idem ergo est dicere armatos esse circa lectum, & infantes, vna quippe est impatibilitas, quandoquidem hi non admiserunt; illi verò eiecerunt animi perturbationem.* Ecce vobis Christianorum heroum fortitudinem, & arma, non vt hostes hostiliter depellant; sed vt amputata in se omnis perturbationis causa, quasi modo geniti infantes pacifici, & dulces omnibus exhibeantur. Huiusmodi puerum agebat Dominus omnipotens, quando percussus à seruo nullam animi perturbationem patitur, sed mansuetus respondit & blandus. Meritò Isaias cap. 9. ait. *Ecce puer natus est nobis*, de quo Clemens Alex. 1. Pædag. cap. 6. *Quid est ergo puer? infans, ad cuius imaginem nos infantes sumus. O magnum Deum! ó perfectum puerum!* Planè perfectus puer, vtpotè perfectè imperturbabilis, qui mediis perturbationum causis parili omnes affectu, eóque mansueto & blando inimicos etiam amplexatur.

Ambros.

Machar.

Cant. 2.

Luc. 11.

Nissen.

Isai. 9.

Text. Matth. 28. Principes autem Sacerdotum, & omne Concilium quærebat falsum testimonium aduersus eum, &c.

§. X.

Summæ diuinaque virtutis argumentum mediis obiurgantium testimonijs & calumnijs patienter tacere.

VIde totum Iudæorum concilium occupatum in inueniendis falsis testimoniis & calumniis aduersus Iesum: ipse autem medius stabat omnia audiens; sed tacens inaudito & diuino silentio. Sic ponderat D. Leo serm. 6. de Pass. in domo Caiphæ, *falsa aduersus Dominum testimonia quærebant, sed inter inconditas voces & dissonas hoc Iesus mirabiliter elegit, vt taceret.* Expende illud *mirabiliter*, quippe non fragilitatis humanæ erat mediis falsissimis calumniis conticere, mirabilis & diuinissimæ virtutis id fuit singulare argumentum. Laudatissimi viri sese supra se leuantis proponens Ieremias Threnor. 3. imaginem sic inquit, *ponet in puluere os suum, si fortè sit spes.* Quæ verba & D. Paschas. & D. Ambros. argutius in rem præsentem explanant, nimirum, *dabit in sepulturæ fossuram os suum, si fortè sit spes patientiæ.* Sed quid est quod dabit in sepulturæ fossuram os suum? Pulchrè D. Ambros. serm. 10. in Psalm. 118. inquit, *Quod autem ait, dabit in sepulturæ fossuram os suum, ostendit quandam supra modum taciturnitatem patientiæ, vt tanquam sepeliat os proprium, & velut quodam aggere virtutum obstruat, ne vocem doloris emittat.* Id quod maximè notandum & expendendum est, quandoquidem non sufficit quodlibet ostium apponi labiis, vbi homo petitur calumniis, nec sufficit claudere os; sed quasi profunda fossa illud sepelire debet quisquis tacere cupit, insuper & magnarum virtutum aggerem instar busti cuiusdam ac tumuli addere & superinducere. Vidisti cadauer fossæ tradi? Vidisti quantus illi agger terræ immittatur, quanti superponantur lapides? Ita quisquis se patienter inter calumnias gerere cupit, os sepeliat, cui superaddat non terræ molem, sed magnarum aggerem virtutum, sine quibus impossibile erit, quod teneatur lingua. Hinc affulget elegans D. Chrysost. ponderatio homil. 15. in Matth. vbi proponit Dominum in monte ad turbas sermocinantem per hoc quod dicit, Beati pauperes spiritu: beati mites: beati qui lugent: beati qui persecutionem patiuntur. Hæc & alia Dominus ad turbas: & statim conuersus ad discipulos suos ait illis. *Beati estis cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersus vos, mentientes propter me.* Expende modo discrimen, vbi beatitudo fame, siti, lacrymis, morte comparanda est, sic proponitur omnibus turbis, verum vbi comparari debet per falsa testimonia & calumnias, non turbis, sed Apostolis dicitur. Quid plura? Inquit Chrysost. *Ostendit ipsorum hoc esse præcipuum super alios omnes; istud dictorum esse proprium; & quod nisi qui illis, quas superius posuit, armatus fuerit virtutibus, ad hæc nequaquam prodire possit certamina.* Tantarum virtutum est, quod tacens & silens audias falsa testimonia & calumnias.

Thren. 3.

Chrysost.

Text. Et Princeps Sacerdotum ait illi: Adiuro te per Deum viuum, si tu es Christus Dei. Dicit ille Iesus, &c.

§. XI.

Christi Domini aspectus, & virtutes diuinitatis odorem halabant.

LIppis ipsis, imò obcæcatis Iudæis Christi Domini diuinitas aliquando innotescebat, & vt mediis nubibus quandoque fulgurat rutilus Solis radius, sic tenebrosis inuidiæ Pharisaicæ nebulis sese Christi Domini deitas insinuabat. Nam, vt rectè notat Victor. Antioch. Mar. 14. *Quorsum hunc solum, ipse ne Christus Dei benedicti filius esset, interrogare attinebat, nisi eum id esse suspicati fuissent, neque enim ex alijs reis tale quippiam interrogare soliciti essent?* Et opere, & sermone, & patientia, & virtute, & aliis innumeris viis eminebat in homine illo Iesu deitas clausa, & ita omnium oculos perstringebat, vt obcæcatissimi etiam cogerentur de illa suspicari. Simile quid animaduertit D. Hilar. in Satana tentante Dominum illis verbis, *si filius Dei es?* Vnde Satana hanc filij Dei ebibit suspicionem, nisi ex Iesu virtutibus diuinitatem halantibus? *Satanas*, ait Hilar. *tantis suspicionibus anxius vsque ad tentandi erupit audaciam: ingens in Iesu pertimescens cœlestis molitionis arcanum.* Quod de Pharisæis dictum maximè etiam quadrat, quippe suspicionibus anxij, ingens in Iesu pertimescentes diuinæ molitionis arcanum, aliis calumniis, & quæsitis & studio inuentis contemptis hoc vnum quærunt, an sit filius Dei benedicti.

Victor.

D. Hilar.

§. XII.

Væ illi homini, quem iudicij extremi commemoratio non pungit, nec immutat animum.

DEsperatissimis hominibus vltimam medicinam clementissimus Medicus applicat, eámque efficacissimam, nimirum iudicij extremi commemorationem. *Videbitis*, ait,

ait, *filium hominis venientem in nubibus cœli*, quo alias eremi syluas hominibus repleuit, & homines traxit ad virtutum aspera. Nec speratur salus, in quo remedium hoc inefficax manet & inane. Vnde D.August.ser.120. de tempore fatur. *Caueamus ita in criminibus pollui, vt ad nos respiciat prophetia illa terribilis. Non est Deus in conspectu eius, polluuntur viæ eius omni tempore, auferuntur iudicia tua à facie eius. Irremediabile periculum est sic aliquem vitÿ & cupiditatis fræna laxare, vt se rationem Deo non meminerit redditurum.* Hoc est vltimum deplorati hominis argumentum, hoc damnum irreparabile, si ad iudicij memoriam non expaueat, si quasi nihil audiens pertranseat. Hoc efficit summum malitiæ barathrum, vt tremendus hic dies à memoria absit: cui accinit D.Cæsar.Arelat. hom.29. *Habet hoc infelix consuetudo peccandi, vt quanto amplius vnusquisque peccauerit, tanto minus peccata ipsa intelligat, & tanto eum plus peccare delectet, & veniat ad illud quod propheta peccatoribus clamat, Non est Deus in conspectu eius, auferuntur iudicia tua a facie eius. Etenim quando subrepit peccandi delectatio, statim futuri iudicÿ diem abscondit obliuio.* Nil magis commune peccatoribus desperatis, quam de venturo iudicio non curare, simul inuenire licet in illorum corde & summam peccatis adhæsionem, & extremam iudicij impatibilitatem. Quo malo irremediabili affectum populum lacrymis prosequebatur Iesus Luc.19. quando super Hierusalem fatur. *Si cognouisses & tu quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi.* Expendit & ponderat illud, in hac die tua, D.Paschas. lib.2. in Threnos his verbis. *Suam ergo diem habet anima peruersa quæ transitorys lætatur bonis. Cui ea quæ sunt, ad pacem sunt, quia dum rebus temporalibus gaudet, dum honoribus extollitur, dum in carnis voluptate resoluitur, dum nulla fortitudine venturæ pœnæ terretur, pacem habet in die sua, quæ graue damnationis habebit in die aliena.* Diem alienam vocat diem Domini, diem iudicij, quando iudex omnium accepto sibi tempore iudicaturus est viuos & mortuos. Plangenda est ergo illa anima, imò deplorata iam est, quæ in die sua est tota, nec meminit diei alienæ. Præclarè Psalm. 9. dicitur: *Propter quod irritauit impius Deum? Dixit enim in corde suo, non requiret.* Quæ verba tractans D. Bernard. serm. ad illud, Ecce nos reliquimus: ita fatur. *Propter quid irritauit impius Deum, exacerbauit Dominum peccator, vt secundum multitudinem iræ suæ non quærat? Num propter fornicationes, incestus, an sacrilegia? Nil horum Propheta memorat, sed quod in corde suo dixerit, non requiret.* Ecce quam irritat Dominum extremi examinis obliuio.

Psalm.9. August. Cæsar. Luc.19. Paschas.

Text. Tunc Princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens, Blasphemauit, quid adhuc egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam, quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt: Reus est mortis.

§. XIII.

Extrema diuinæ prouidentiæ, omnisque boni nuditas consequitur indignum sacerdotem.

EXtremam sui populi miseriam exaggerans Dominus apud Oseam 4. iuxta Theodoreti lectionem ait. *Erit populus meus tanquam sacerdos, cui contradicitur*, nimirum tanquam sacerdos indignus apice. Quod amplius explanans ipse Theodoretus ait. *Sacerdoti reprobato, & qui ex sua dignitate excidit similes eritis, mea prouidentia deserti ac denudati.* Expende illud, denudati, quippe omnibus peccatoribus commune est criminibus fœdari & conspurcari, non tamen ideo penitus à Dei prouidentia, virtutibúsque omnibus nudantur. Grauius quid est in homine nudatio ista, quàm criminum labes, adeò, vt prodigo illi & dissipatori substantiæ nihil prius offert diuinus pater, quam vestem. Ait enim Luc. 15. *citò afferte ei stolam primam.* Quocirca eleganter D. P.Chrysolog.serm.3. fatur. *Sustulit filÿ crimina, qui non sustulit nuditatem.* Sanè non tam perniciosa crimina, quàm perniciosa erat nuditas; & ideo in primis hæc tollenda erat à beneficentissimo patre. Quam ergo in perditissimo filio non sustinet Dominus nuditatem, hanc propriam & quasi connaturalem habet sacerdos indignus, eo enim ipso omni diuina gratia & prouidentia & virtute cum apice nudatur. Hinc patet, quam naturali & debito motu Princeps Sacerdotum calumniatus Deum, scidit vestimenta sua, etenim necessariò post tam indignum sacerdotis facinus, sequenda erat omnis boni misera extremáque nudatio. Accipite D. Leonem serm. 6. sic obiicientem Caiphæ. *Nesciens quid hæc significaret insania, sacerdotali se honore priuauit. Vbi est, Caipha, rationale pectoris tui: vbi continentiæ cingulum: vbi superhumerale virtutum? mystico illo sacratóque amictu ipse te spoliat.* Nil iam manere debebat ornamenti in sacerdote indigno, ideo omnis boni, & prouidentiæ nudato. Rectissimè de Mercenario pastore loquens Dominus Ioann.10. ait, quod veniente lupo, *dimittit oues, & lupus rapit.* Quid plura? Ibi D.Ansel. ait. *Lupus rapit, quia diabolus ea meritorum bona, quæ videbantur habere, tollit.* Nihil boni in malo pastore permittit habere diabolus, & qui in aliis permittit aliqua virtutum fila permanere, quibus non prorsus perditi, sed & virtuosi videantur, in sacerdote indigno nec hæc permittit esse, omne boni specimen tollit, vt prorsus nudi & spoliati maneant.

Osea 4. Theod. Luc.15. Chrysol. Leo. Ioann.10. Anselm.

§. XIV.

Vnica Principis seu prælati malitia omnis perditur subditorum status.

NVnc primum Iudæorum turbæ Christum Dominum ad mortem expostularunt, nunc primum plebis illa intonuit vox, *reus est mortis.* Antea dicebant omnes, Nunquã sic loquutus est homo, Benedictus qui venit in nomine Domini; modo clamant, Reus est mortis. Quid mirum? Princeps Sacerdotum ducebat lethalem chorum, & Principis malitia omnem corrumpit & perdit subditorum statum. Quis non expaueat perniciem illam filiorum Iob? omnes vno impetu ventorum interempti ac sepulti sunt, de quorum ruina sic nuntius narrabat parari cap.1. *Filÿs tuis & filiabus vescentibus & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, &c.* Expende, quando illorum perditio aduenit, nimirum, quandò in domo maioris natu conuiuium agebant. Ibi D. Gregor. lib.2.cap.18. *Sed neque hoc negligenter prætereundum puto, quod filÿ in maioris fratris domo conuiuantur dum pereunt.* Quid ni? peccabant fratres in domo maioris fratris? Absit, sed figura fuit illorum perditio eius quæ subditis accidit ex principum & prælatorum piaculis. *Dum ergo in maioris fratris domo conuiuatur: pereunt, quia tunc contra non hostis vehementius vires accipis; quando & ipsos qui pro custodia & disciplina prælati sunt ventri, seruire cognoscis.* Et quidem nulla res sic funditus perdit subditos, quam Principis, vel prælati malitia, non Amalech, sed à Moysi dimissis manibus Israëlitæ perdebantur. Vnde Christus Dominus, vt discipulos omnes incolumes seruaret, pro Petri fide enixius est deprecatus. Sic enim ait Luc.22. *Simon ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum. ego autem rogaui pro te, ne deficiat fides tua.* Vbi omnes à Satana petuntur & expetuntur discipuli, pro solo Petro exorat Dominus, etenim saluo & incolumi Principe, omnes reliqui salui existant necessum est. Ita D. Leo serm. 3. in anniu. dicens. *Commune erat Apostolis omnibus periculum de tentatione formidinis, & diuinæ protectionis auxilio pariter indigebant, quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere, & tamen specialis à Domino cura Petri suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur; tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit.* Adeò efficax est principis exemplum siue ad perdendum siue ad conseruandum subditorum statum, infra cap.3.§.20.

Gregor. Luc.22. Leo.

Textus Luc.22. Et viri qui tenebant illum, illudebant ei cædentes, & velauerunt eum, & percutiebant faciem eius, & interrogabant eum dicentes, Prophetiza, quis est qui te percussit.

§. XV.

Malitia exuberans oculos diuinos non patitur, illis clausis quo ad nos, vehementer efferanatur.

IEsu faciem perfidi Iudæi velabant, vt in illum audacior eorum malitia insudaret, adhuc diuinos illos oculos verebantur, & quando non scelerata mens diuinos oculos expauit? D.Cyrill.Hierosl. catech.2. acutè notat quam pertimescerent Ethnici Dei viuere sub aspectu, adeò enim hoc illis exosum erat, quòd *alÿ solem ponebant, vt occidente sole, sine Deo essent: alÿ verò lunam, vt in die Deum non haberent.* Hæc vna sceleratissimis hominibus erat cura, ne Deum haberent semper inspectorem, ne sub oculis diuinis semper viuerent;

Cyrill. Hierosol.

viuerent; sed aliquando à diuinis obtutibus remoti malitiæ arua excolerent, & ingentes facerent messes peccati. Equidem tunc humana mens tota in malitiam effunditur, tunc prope in immensum excrescunt malitiæ arua, cum diuinus oculus quo ad nos alios aspicit. Dixerat Dominus
Amos 4. apud Amos c.4. *Auertam faciem meam ab ipsis.* Ex quo Clem.
Cl.Alex. Alex.1.Pædag.c.8.malitiæ segetem nimium adulturam præsagit his verbis. *Vbi facies Domini respicit, ibi est pax & exultatio, vbi autem faciem auertit, ingreditur vitium. Non vult ergo mala intueri, bonus enim est; sed cum ipse oculos auertit sua sponte propter humanam infidelitatem ortum habet vitium.* Heu quam effunditur malitia, vbi Dei oculos fugit! quam effervescit peccati mare, vbi nubibus obducitur cœlum! nunquam sanè nisi obducto cœlo, & retectis luminaribus, tempestas effrænatur, nec malitia prosilire audet, quin prius oculis diuinis ementiatur velamen. In prodigo illo filio Luc. 15. prius fuit ab oculis parentum fuga, & statim lu-
Chrysol. xuriei sese protulit strages, vbi Chrysol. serm.1. sic cauet. *Sepiat nos patris reuerentia, matris componat affectio, cognatorum componamur affectibus, inter propinquorum lumina non valent delicta versari. Propinquorum quot oculi, tot lucernæ, dies est aspectus matris; Sol patris rutilat in vultu, vnde viuenti inter tot virtutum duces, criminum tenebræ propinquare non possunt.* Quid si inter diuina lumina viuatur? quid si iustitiæ Sol rutilaret? Dei oculi nobis prælucerent? Nullus maneret effrænatæ malitiæ aditus. Igitur scelesti diuinos verentes oculos Christi velant faciem, velant, inquam, panno, velant nubibus fœdis sputaminum, velant colaphizantibus manibus. Quo non se proripiat malitia, vbi Dei oculi quo ad nos velantur? Vbi serenum illud cœlum cœlestibúsque præstantiora luminaria atris nubibus obducuntur, tempestas furat necessum est, ventorum irritantur flabra aureæ cæsarici eradicantur arbores, fluctuum flagella ad petram collidentia resonant; petra autem erat Christus, quem hæc sæua demergit tempestas. Sanè hoc sæuissimum malum expetebat Psal.82.inimicis Dei. *Ita persequeris illos in tempestate tua, & in ira tua turbabis eos: imple facies eorum ignominia.* Ecce tibi non Dei inimicis, sed amantissimo filio hoc modo crudele obuenit malum, valida enim & sæuissima tempestate circumactus, sputus & colaphizatus ignominia repletur in facie.

§. XVI.

Plurima dolorum, & ærumnarum sæcula Christus Dominus vna nocte apud Caipham expleuit.

Qvis caliginosæ noctis labores numeret, quos Saluator apud Caipham pertulit. Sanè rabidissima sacerdotum & Pharisæorum fames sese inferendis opprobriis exsatia-
Sap.4. bat, vt liceat illud Sap.4.assumere, nimirum, quod Iesus patiens, *in breui expleuit tempora multa*, quandoquidem breui noctis tempore sæculorum opprobria & ærumnas exantlauit. Adeste huc vos qui florentissimum iuuenem Iesum paulò ante ex horto decerpsistis, & videte qualiter breuissimo noctis interuallo dolorum & opprobriorũ egerit annos, quibus longissima pulueris senectute functus videatur. Medio flore iuuentæ nocturnis Caiphæ lucernis capitur;
Apoc.1. sed ecce qualis apparet Ioanni Apoc.1.medius inter candelabra. Etenim ait. *Et conuersus vidi septem candelabra aurea, & in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis: caput autem eius, & capilli erant candidi tanquam lana alba.* Iam candelabra nocturnas tenebras designant, ne aliter canesceret florentissimus iuuenis Iesus; nisi à tenebrosa Caiphæ nocte, candelabrorum eius lumine plurima ærumnarum sæcula exantlasset. O quam plurima confluunt tempora, vbi de puluere albicant tempora! O quot sæcula pœnarum subiit, qui iuuenis accedit, & intra vnius noctis spatiũ, intra ipsa candelabra, ante diei lucem totus canus apparuit!
Cassiodor. Hinc grauissimè Cassiodor. ait. *Quando princeps tanta afflictione plangebat, quis illo flente non fleret, quis illo dolente non gemeret? Quando pro gemmato diademate cinerem gestabat in capite, canus puluere, non ætate.* Non equidem annorum sine ætatis longæuitas, sed luctæ, sed ærumnæ propè infinita sæcula Dominum in vna nocte senescere faciunt. Canus est Dominus non annorum numero, computata ætate; sed ætas senectutis est corpus sputis conspurcatum, facies alapis maculata, caluitium furiosa crinium reuulsione peractũ. Adeò, vt dicat Rupert.in Gen.lib.7.c.15. *Senuit namque verus Isaac, scilicet Dei filius, & caligauerant oculi, quando vetustate & senio nostræ naturæ indutus, morte quoque corporea fuit obscuratus.* Quomodo non senesceret, vbi tot ærumnarum tempora currit? vbi facies ei aratur? vbi oculi caligine obnubilantur? vbi totus puluerulentus, & puluere diri luctaminis canus? De se aiebat ille apud Psalm.6. *inueteraui inter omnes inimicos meos.* De quo Theodor.in cat. Græc. ait. *Malis omnibus grauiora sunt, inimicorum conuicia: hæc enim consumunt & liquefaciunt, & immaturam senectutem inducunt.*

§. XVII.

Summus Christi dolor acuebatur à dicentibus: Prophetiza quis est qui te percussit.

Dvrissimum fuit Christi carni, non solum quod à carnificibus discerperetur; sed quod id fieret suorum manibus. Ex hoc vno maximum dolorem percipiebat & tristitiam maximam, hoc enixe in orationibus suis deprecabatur dicens. *Transeat à me calix iste.* Quid ô bone Iesu refugis istũ calicem? qui in illo totus tremebundus expaues? quid a tua morte remouere anxius curas? Id attigit D.Paschas. lib.de corp.& sang.Dom.c.21.nimirum, *ne per manus Iudæorum fiat.* Hoc maximè exhorrescebat Dominus, quod à suis tam nefarium scelus esset patrandum, vt hinc videas quam acerbe torqueretur diuinũ cor, quoties iubebatur Iudæorum meminisse piaculũ. Quoties dicebant, Prophetiza Christe, quis est qui te percussit, toties renouata popularis perditionis memoria amantissimus ille Dominus immensum cruciabatur. Huius acerbissimi doloris prætulit imaginem Ionas, vbi gemebundus vidit hederam arefactam. De quo dicitur c.4. *Ion.4.*
Et afflictus est Ionas afflictione maxima, & iratus est. Vbi Remig. Altisiodorens. sic afflictionem illam Christo Domino aptat. *Sed & Dominus noster fleuit super pereuntem Ierusalem, orauit ad Dominum, & dixit, Obsecro, Domine, numquid non est hoc verbum meum, cum adhuc essem in terra mea? Nunquid non sciebam perituram Israel? Videlicet cum adhuc tecum essem Pater. Tolle igitur animam meam à me, in manus tuas eam commendo, melior est mihi mors, quam vita, quia vnam gentem Israel saluare non potui.* Et quidem grauius ipsa morte Domino erat meminisse perditionis Iudaicæ. Acerbe pungebat diuinum illius animum hæc recordatio, qua sine dubio viscera misericordiæ intrinsecus exedebantur.

Luc.22. Petrus verò sequebatur à longè: accenso autem igne in medio atrij, & circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum: quem cùm vidisset ancilla quædam, &c.

§. XVIII.

Non inglorius est lapsus, qui media in arena accidit.

Fateor cecidisse Petrum; sed cecidit vbi nullus Apostolorum ausus est intrare, vbi ipse lapsus (si fas est ita loqui) gloriosus erat. Dominum secutus vsque in Pharisæorum atrium, inter arma, inter furentes hostes, ibi percussus labitur. Equidem, pene ait Bachiar.epist.de recipiendis lapsis. *Require primum, frater, vtrum qui cecidit in pugna inuentus, an in domo fuerit vulneratus, quia plus misericordiæ meretur, quem in certamine hostis percusserit, quam ille, quem dormientem latro confoderit. Ego illum certè in prælio vidi constitutũ, pugnabat cum scuto ieiunij aduersus illecebras gulæ, pugnabat cum taciturnitatis lorica contra detrectationis iacula; sed in eo loco, in quo securiorem se arbitrabatur esse, percussus est.* Iam qui in acie, qui in prælio, mediaque arena percutitur, non inglorius cadit, imò gloriosius vulneratur quis, dum ideo vulneratur, quia manus cum hoste confligit, quam qui sine vulnere domi conclusus manet. Nónne, sanctissimi monachi à sæcularium curis remotis aliquando ridebant illorum vulnera & lapsus qui saluti animarum operam nauabant? Sed videte quid illis responderit D.Bern.ser.12.in Cant. *Temerariè obiurgat virum de prædio reuertentem mulier nens in domo. Dico enim si is, qui de claustro est, eum qui versatur in populo minus circumspectè sese agere deprehenderit, non ad iudicandum confestim prosiliat; sed meminerit scriptum, Melior est iniquitas viri, quam benefaciens mulier. Nam tu quidem in tui custodia vigilas, & benefacis; sed qui iuuat multos, & melius facit & virilius. Quod si implere non sufficit absque aliqua iniquitate, memẽto quia charitas operit multitudinem peccatorũ.* Minimè audiẽdi illi sunt, qui timore lapsus sese a perfectiori vitæ semita arcent, & ne labantur, nunquam curant ascondere virtutum
Bachiar. Bernard.

cacumi

cacumina; & quoscumque strenuæ virtutis actus suspectos habent siue inuisos. Proh femineus pauor, & homine Christiano indignus! Sanè vt Tertul. ait de fuga in pers. *Pulchrior est miles in pugna pectore amissus, quam in fuga saluus.* Audeamus igitur, ne fortior sit in nobis lapsus timor, quam Christi amor, & vel reptantes adhæreamus Christo; in hoc maximè D. Petrus commendabilis est, quem hostis percussit, sed amantem Dominum, sed sequentem; sed mediis prælij tumultibus constitutum. Vnde rectè Theodoretus serm. de Char. ait. *Hoc magnus Petrus sauciatus desiderio nec cum prius didicisset futuram negationem, latere voluit, sed satius duxit sequens negare, quam fugiens confiteri. Quod enim ab amore, & non à temeritate proficisceretur hæc consectatio, res ipsa testatur. Nec enim post negationem in animum induxit, vt magistrum relinqueret; sed fleuit quidem amarè, vt docet historia, & quod victus esset suam defleuit imbecillitatem, assedit autem vinculis amoris irretitus.* Quæ vulnera nō operiret hic amor? quos lapsus non honestaret tanta amoris fortitudo? Non attendit ad pericula vi amoris, & deiecto casus timore Christum secutus, vbi securiorem esse arbitratus est, ibi accepit vulnus, non domi sedens; sed mediis confertissimis hostibus pugnans.

Tertull.

Theod.

§. XIX.

Ancilla ostiaria carnifice crudelior in Christum Dominum.

EVenit Domino quod maximè formidabat, illíque accidit quod tremebundus verebatur. Etenim nihil pene magis in passione sua exhorrescebat Iesus quàm si negandus à suis discipulis erat, nón tamen illi timori erant opprobria, non verbera, non spinæ, non crux; sed sola negatio à discipulis peragenda. Hanc adeo expauerat, vt vel illius cogitatione prope in immensum tristaretur, cum dixit, *tristis est anima mea vsque ad mortem.* Vbi alibi datus Hilar inquit, quod Dominus *metuit ne se Deum abnegent discipuli, quem cæsum & consputum, & crucifixum essent conspecturi, non itaque mors; sed tempus mortis in metu est.* Quippe vna negationis occasio inter infinitas cruciatuum segetes timebatur: & hæc in primis Domino accidit, negotiante fœmina. Proh dolor! Ancillula ostiaria Petrum aggreditur, à qua bis & semel facto impetu, in negationis barathrum mittitur Petrus. Heu crudele ancillæ genus! nullus carnifex sic Dominum excruciauit, sic amantissimi pastoris viscera laniauit. Pulchrè D. Anselm. *Quid est quod primo prodit eum ancilla, cum viri magis poterant eum cognoscere, nisi vt ille sexus peccasse in mortem Domini videretur.* Et quidem viri recenter Petrum in horto viderant, plus illum cognoscebant: nemo tamen illorum in primis respicit Petrum. Vna fœmina proiicit telum, quo Dominus acerbius erat dilacerandus, vt pateat quòd grauissimū passionis vulnus à femina fuerit occasionaliter peractum. Vnde merito Drogo Christi passi dolorem ex Petri negatione vehementer exaggerat sic fando, *In domo Caiphæ colaphizatus est Christus, quia in domo Caiphæ colaphizatus Petrus, & quod Petrus à Satana intus passus est, hoc Christus à ministris Satanæ foris pertulit. Attende & vide, si est dolor similis sicut dolor meus.* Quasi ex negatione Petri sic Christi Domini dolor augeatur & crescat, & vt similem inter dolores creaturarum non habebat, vt constet quam omnium crudelissime femineus sexus Christum Dominum in Petro colaphizarit.

Hilar.

Anselm.

Drogo.

§. XX.

Difficillimum est homini consortium mores non induere.

CVr Petrus non negaret & abnegaret Christum medius inter nocentissimos carnifices? Sanè nullus vnquam aut raris adeo sibi prospexit, vt consortium mores à se vel insensibiliter indutos non videat. Lot quandiu apud Sodomiticos luxuria æstuantes vixit, purus videbatur nefaria labe vicinorum & mundus. At inde omnino non egreditur mundus, vino enim madidus apud montem filiarum maculatus est concubitu. Quæ in sanctissimo viro fuit hæc labes penitus inuoluntaria? Rectè dicit Albinus quæst. in Genes. *Fuit Lot arte, non voluntate deceptus, ideo medius quidem inter peccatores, & iustos, quippe qui ex Abrahæ cognatione descenderat in Sodomis tamen habitauerit.* Et qua parte inter nefarios homines habitauit etsi oculatissimus, non potuit omnino à se depellere labem luxuriæ. Inuoluntarius licet & nescius vicinorum & consortium, morem gessit libidini. Hinc pensat D. Synes. epist. 57. necessitatem Dominicæ Incarnationis, vt qui solus Dominus inter peccatores, innocentem vitam ageret. Ait enim. *Si Angelus posset supra triginta annos cum hominibus ita consuescere, nulla, vt ex infima fece, rerum contage affectus inficeretur, quid necesse est descendere filium Dei? Sed est virium abundantia ac copia, inter deteriora versari, vt in natura statu consistat, nec vllo modo inficiatur. Hæc Dei laus, ac prædicatio est.* Adeo efficax est societas & consuetudo, eius tamen vires nullibi magis patent, quam in Christo Domino, cuius sanguis vt ex se Iudæis veniam deprecabatur, sic vbi terræ fuit immistus in Iudæos clamabat diram & crudelem vindictam. Quid plura? Terra ea die qua recepit Abelis sanguinem, vindictam clamare solita est, aduersus fratricidas, iuxta illud, *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*, adeo, vt etiam pientissimus Christi sanguis, qui nihil præter veniam & misericordiam didicit, ex consortio terræ in illam decisus etiam clamet vindictam. Accipite singularem doctrinam & explicationem Rupert. lib. 13. de Victor. Verb. cap. 21. Vbi ponderat, quod sanguineus Christi Domini sudor in horto vsque in terram deciderit, & sic ait, *Quod illi Cain pro illo Abel dixit, non diceret idem Deus Iudæis pro filio suo, videns sanguinem eius agonizantis? Sanguinem melius clamantem, melius loquentem, quam Abel? Vere igitur tantum miraculum sudoris non otiosum fuit, quia contra infelices & impios homicidas Iudæos in præsagium iudicij terribilis & vindictæ horribilis in terram decurrit.* Ecce tibi sanguis diuinus, qui in cruce carnificibus veniam clamat, qui ex se totus misericordiam & redemptionem exhalat decidens in terram, & illi associatus terræ, quæ ex sanguine Abel vindictam clamitat, & ipse quasi sui oblitus vindictam horribilem perfidis Iudæis minitatur. Adeo potens est consortium & consuetudo existendi ad mores variandos.

Albin.

Synes.

Genes. 4.

Rupert.

Text. Et conuersus Dominus respexit Petrum, & recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat, Quia priusquam gallus cantet, ter me negabis: & egressus foras fleuit amarè.

§. XXI.

Summa peccatoris felicitas, quod deprehendatur in peccato.

FElix Petrus, qui medio in delicto deprehensus & visus fuit à Domino & Magistro. O vtinam deprehendaris & videaris cum peccas! nulla tibi res vtilior, vt fugias delictum. Quot à perditionis via abstinuerunt, quod primo in limine fuerunt visi & deprehensi? Quot ab ipsa perditione reuocati in bonam frugem, eo ipso quod viderunt se manifeste deprehensos? Sponsa Christi a propria domo remota tota & vaga per vrbem, sic inuentæ felicitatis suæ prætendit auspicium. *Inuenerunt me custodes ciuitatis*; & forsan sese daret in præcipitium, si deprehensa à custodibus non fuisset. Pulchrè ad hæc Gillibert. serm. 6. in Cantic. *Qui ficti & fallaces sunt nihil tam refugiunt, quàm ab his inueniri custodibus, & si deprehenduntur, non facile conuincuntur. Cain factus vagus & profugus super terram inueniri formidans: omnis, inquit, qui inuenerit me. Non vult peccatum occidi, non vult pati salutarem in confessione verecundiam, medicinalem castigationem Magistri: non vult inueniri qui non vult mori.* Nulla res sic secat vitia, quam oculus Magistri, optet videri & comprehendi in crimine qui metuit in æternum perire, & in nouam cupit erigi spem salutis. Ille solus deprehensum se queritur qui totus in crimine nullum sui pectoris scelus vult deficere. Ille perfidus Achab 3. Regum 17. Nabuthæ sanguine madidus ipso in scelere ab Elia Propheta visus & deprehensus vehementer queritur iuxta Septuag. *Inuenisti, ait, me inimicus meus.* Vbi D. Ambros. cap. 12. ait, *Quàm misera conscientia quæ se proditam doluit!* Et quidem nihil miserius, quam eo nosum habere remedium omnium efficacissimum, vel inde quòd deprehensum se videat, à crimine deberet abstinere, seséque recipere in bonam frugem. Ita Petrus cum errori dat operam, in oculos Christi Domini incidit, & deprehensus à magistro cum primum à perditionis via se continuit, non se deprehensum, sed se lapsum amaro prosequens luctu.

Gillibert.

Ambros.

§. XXII.

Christi Domini oculus instar reguli perimit quos videt.

SCitum illud Isaiæ 14. *Ex radice colubri egredietur regulus, & semen eius absorbens volucrem.* Vbi Arias putat fieri verba de Christo Domino, qui regulus dicitur. Sic Chald. Paraph. *de filijs filiorum Iesse egredietur Christus.* Et ecce quam bene Christus Dominus reguli siue Basilisci morem præferat: apud Abacuc in Cant. *Aspexit & dissoluit gentes, & contriti sunt montes sæculi.* Quis regulus oculos habuit magis peremptores? Cuius magis efficaces oculi, quam oculi Christi? Augus. Eleganter D. Aug. ser. 18. de Ciuit. c. 32. *Respexit, & tabescere fecit gentes, hoc est, fecit populos pœnitescentes, contriti sunt montes violentia, hoc est, electorum contrita est superbia. Defluxerunt colles æternales, hoc est, humiliati sunt ad tempus, vt erigerentur in æternum.* Hæc est in oculis Domini diuina vis, qui vitia enecat, pullulantia peccata perimit, peccatores iugulat, vt pœnitentes faciat, vt in æternam erigat vitam. O diuinissimus regulus, vtinam tuis aspicias oculis, & in me pereat omne morticinium, intereat vitiorum omnium scaturigo, & peccati fomes maneat, vel interfectus, vel consopitus. Matth. 9. dicitur, *Vidit Iesus hominem sedentem in telonio.* Et vt vidit, in eo carnale omnium desiderium fecit interire. Pulcrè D. Chrysol. Chrysol. serm ... *Vidit illum Deus, vt ille videret Deum.* At quî Deum quis videat? Quis illam pulcritudinem abyssum quibit intueri? Ait enim: *non videbit homo & viuet.* Quocirca Gregor. D. Greg. lib. Mor. c. 8. *Nullum Deum spiritualiter videt qui carnaliter viuat, qui enim Deum videt, eo ipso mortuar ab huius vitæ delectationibus tota mente separatus.* Rectè igitur dicitur Deus hominem vidisse, vt homo Deum videat, nam videntes Dei oculi sic enecant hominem, sic in illo voluptates perimunt, sic omnia vitia secant, sic totam humanam vitam mortificant, vt sæculo & peccatis mortuus homo à Deo visus nullum impedimẽtum habeat, quominus Deum videat. Hanc oculorum Dei aciem, imo diuinum virus meditabatur Tertull. Tertull. aduersus Gnost. ex Prouerb. penu sic edifferens. Sophia iugulauit filios suos, *Sophia sapientia est, sapienter vtique iugulauit dum in vitam, & rationaliter dum in gloriam. O parricidij ingenium! ô sceleris artificium! ô argumentum crudelitatis, quæ ideirco occidit ne moriatur quem occidit. O bonam matrem, opto & ipse in filios eius redigi, vt ab ea occidar, opto occid., vt filius fiam, solum autem iugulat filios.* Hoc est beneficentissimum virus diuinorum luminum, hoc madent medicamine Dei oculi, hanc eiaculat mortem diuinus obtutus, à qua interfectis interficiendis sobria mens viuit, & a peccati seruitute fit Dei filia, & diuinorum oculorum pupilla. Sic de negatore Petro ab oculis Saluatoris iam viso ait D. Hieron. Hieron. *Post negationem & galli cantum respexit Saluator Petrum, & intuitu suo eum ad amaras lacrymas prouocauit. Nec fieri poterat, vt in negationis tenebris permaneret, quem lux respexerat mundi.* Adeò efficax est diuinus obtutus regulo lethalior, vt occidat vitia, sole præstantior, vt excitet in vitam. Quid simile meditatus est S. Laur. Nouar. hom. 1. de pœnit. in Zachæo, qui publicanus cum foret, & pecLuc. 19. cator ascendit arborem vt videret Iesum Luc. 19. & visus à Iesu audit, *Zachæe descende, hodie namque in domo tua manere* Laur. Nou. *me oportet.* Ad hæc D. Laurent. *Descendit confestim de arbore iam verbo Domini emendatior. Aspectus enim Domini emendauit prædonem.* O vtinam diuinis oculis aspiciamur, vt prorsus vitiis & peccatis moriamur.

§. XXIII.

Oculi diuini instar solis & nimbos pariunt, & serenitatem efficiunt.

IS est Sol, qui pro terrarum varietate varios effectus parturiat vbi floridam & bene temperatam terram nanciscitur, serenus & lucidus omnia lustrat, lucéque & ebullienti replet lætitia. Verum humidam, lacunosam & male affectam terram nactus nubes trahit, nimbos efficit, mœstitudinem influit. Itaque eodem veris mane alibi Sol rutilus odores parit, flores imbuit vel candore vel purpura, alibi conglomeratis nubibus, nil efficit nisi aquarum decursus. Hoc Bernard. ipsum in diuinis oculis meditatus D. Bernar. ser. 57. in Cant. dicit, *Respicit terram, & facit eam tremere, cum è regione respexerit Mariam & infuderit gratiam: respexit, ait, humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Idem Dei obtutus, videte quàm varios effectus pariat, vbi Marianum respicit paradisum, omnia fulgere facit, omnia rutilant claritate; verum terrenam mentem nactus vitiositate infectam, nactus, inquam, Petrum negantem, quas nubes non excitat? quos nimbos non parit? quanta mœstitudine & timore omnia replet? Eleganter D. Prosper 2. Prosper. de vocat. gent. c. 28. *Deus ergo tunc conturbatum cor Apostoli non humanis, sed diuinis oculis conuenit, & ad largos pœnitudinis fletus potenti incitauit aspectu.* Expende illud *conturbatum cor Apostoli*, quippe vbi cor erat male affectum, peccati intemperie turbatum, diuini Solis aspectus nil præter nimbos & mœstitudinem parit. Iam meritò dicat D. Laur. Iustin. de Laur. Iust. triumph. Christ. agone c. 8. *Eodem quippe modo respexit Dominus Petrum, quo respexit humilitatem ancillæ suæ; sed non pari effectu.* Etenim florida Mariæ nardus dedit suauitatem odoris, lacunosum & luteum Petri cor nimbos protulit lacrymarum. Sed ô nimbos salutares! ô mœstitudinem pretiosam! Nimbos, inquam, & mœstitudinem, quam diuini cœlestisque syderis aspectus causat. Hanc requirebat in peccatore Hierem. Thren. 2. fatus, *Deduc quasi torrentem lacrymas.* Cur Thren. 2. quasi torrentem, non quasi flumen, nō quasi mare? Id attigit D. Pasch. lib. 2. dicens, *Torrens namque nimirum non semper vno eodémque impetu fluit; sed iuxta quod inundatio pluuiarum de cœlo venerit, ita & lacrymæ non nisi ex diuina inspiratione & compunctione cordis*, &c. Fugienda mœstitudo, fugiendæ lacrymæ Paschas. sunt, quæ à terrenis cupiditatibus & infortuniis scaturiunt, decurrat ab oculis non fluuius lacrymarum; sed torrens, quem nimbi ex cœlesti aspectu horti parturiant. Hic solum est luctus salutaris, vt dicat Psalm. *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Ne miremur, quod Petrus exaltatus sit in Ecclesiæ caput, qui adeo bibit de torrente isto orto ea diuini obtutus salutari.

§. XXIV.

Durissimo exilio Petrus negationem suam mulctauit, summúmque doloris argumentum tradidit in eo quod foras egressus est.

O Quantus ille doloris gladius erat in Petro, quæ tales amoris rudentes potuit scindere! Amabat & vehemẽter amabat Petrus Christum Dominum, nec in tam nubilo & calamitoso tempore ab illo separari corpore per amorẽ licuit, imò, vt superius notauit Theodoretus, in atrio erat Caiphæ, & ibi *assidebat vinculis amoris irretitus.* At vbi se negatorẽ animaduertit, sic doluit, vt ruptis vehementis amoris vinculis foras egrederetur, crudelissimo amantia viscera confodiens exilio. Proh acutissimus dolor! quem non separunt hostiles cunei, carnificum manus, mortis immanissimæ timores, conceptus de negatione dolor omnium potentissimus separat, & corporaliter à Christo Domino diuidit. Equidem sanguis & aqua quæ intra Christi Domini pectus seruabatur, vt immensum dolorem de Saluatoris morte ostenderet, per confossum latus se ab ipso Christo separauit. Ita D. Naz. apud Niss. in testimoniis de Aduent. Domin. Nazianz. *Oportebat, ait, etiam creaturas vna cum creatore pati atque condolere velum, quod scindebatur, sanguis & aqua, quæ ex latere effundebantur.* Vbi velum præ dolore scinditur, sanguis & aqua, omnium maximè dolens summos præseferens dolores à Christi latere profusa elongatur. Non absimili dolore punctus de suo scelere Petrus acerbissimũ sibi & lacrymis plenum a Christi latere & præsentia exitum meditatur, *Egressus ait, foras fleuit amarè* & quam non haberet amaritudinem, quem non excitaret planctum, cum in summi doloris argumentum se ab amabilissimo Magistro arcuit? Ierosolymam à Christo Domino separatam ingenti dolorũ mole pressam æstimat Hierem Thren. 1. sic fatus, *Quomodo sedet* Thren. 1. *sola ciuitas plena populo?* Ad hæc D. Pasch. lib. 1. *Nisi sola esset,* Paschas. *plangenda non esset, quia non possunt lugere filij sponsi, quamdiu cum illis est sponsus.* Numquam igitur magis dolendus Petrus proponitur, nunquam maiore dolore confossus apparet, quam dum ab amantissimi Domini latere separatur. Eo enim ipso & summæ desolationi & incredibili mœstitudini, & propè infinitis lacrymarum fluctibus sese tradit.

§. XXV.

Occasiones peccatorum prorsus effugiendæ.

TVnc ille verè dolet, cum ita occasiones etiã peccati fugit, vt vel à minima illarũ longè videatur egressus. Nil enim iuuat pœnituisse & peccati tædere, nisi & peccati odorem & memoriam expaueas & cõpescas. Meritò S. Nil. Nilus.

aiebat

aiebat Asceticо, *Quid prodest, si cum à negotijs recesserimus, eorum tumoribus interpellemur? & relicta ciuitatis administratione ad portam vt Lot sedeamus, vt tumultu ex ea proficiscente repleamur? Foras cum magno egrediendum est Moysi, vt non solum opera; sed etiam cogitationes de illis cessent.* O quam prorsus egrediendum est ab omni scandalizante loco, illi, qui pœnas debitas cupit pro peccatis dare! Sanè Sodomiticæ vrbis nefaria flagitia horrebat & fugiebat sanctus Lot, nec interiora perferebat videre peccata, verum sedebat ad portam, quo sine dubio periret; nisi ab Angelo extra terminos extraheretur ciuitatis. Sic multi sunt, qui vitium fugientes adhuc in limine hærent, vel in porta sedent perituri sine dubio, nisi mente & corpore ab occasione longissimè egrediantur. Infelix Eua semel colloquij serpentini experta damnũ quam longissimè serpentium omniũ genere abfuit,
Sinait. quod ponderauit D.Anast.Sinait.lib.11.in Hex.fatus, *Cum comedisset mulier stans propè serpentẽ tanquã esset eius vxor. Deinde et renunciasset & ad maritum esset reuersa, non inuenimus eam amplius appropinquasse, aut cum serpente fuisse locutam.* Imò inde, prouidente Deo, eam inimicitiam concepit & odium aduersus serpentium genus, qua nihil sibi magis fugiendum & expauendum præsumat. Dixi, *Prouidente Deo*, quia illi acceptum referimus, quod irreconciliabiles inimicitias cum
Basil. serpente habeamus. Cuius rei vtilitatẽ sic expendit D.Bas. hom. quod Deus non sit causa malorũ. Vbi hæc dicit, *Quemadmodum in pestilentibus locis sensim attractus aër latentem corporibus morbum inijcit, sic etiam in praua consuetudine ac conuersatione maxima nobis mala hauriuntur, etiamsi statim incommodum non sentiatur: idcircò nobis aduersus serpentem irreconciliabilis indita est inimicitia.* Qua illius congressum exhorrescimus, nihilque magis fugimus & euitamus, vt vel hinc pateat qua cura nobis fugiendum sit ab iis, quæ semel extiterunt scandalum ad peccatum. Igitur qui peccasti, ne in limine, ne in porta maneas, egredere omnino foras cum magno Petro, & lacrymis submerge peccatum.

§. XXVI.

Igneus Petri amor erga Christum vehementior & fortior extitit à lacrymis.

Qui ancillulæ voce prosternitur Petrus, amarè suum casum lamentatur, profusóque lacrymarum fluento, vt
Leo. ait D.Leo ser.9. *itã in soliditatem suam redijt petra.* Sed quam
Nazianz. soliditatem ex lacrymis fuit nactus? Sanè D. Gregor. Naz. orat.24. notat quod *impenetrabiles thoraces ferreæ, quæ ictibus hostium ferreisque globulis debent obsistere, aqua frigida aspersa, in ipsa fabricatione obdurantur.* Nec non & ardentes carbones maximè in conflatorio acuuntur aliquantula irroratione aquæ. Papæ! diuinus Petrus, post lacrymas, quàm inexpugnabilis fit, quanto ardentior in Dominum creuit eius ignitus amor? De beata illa peccatrice, quæ ad Domini pedes longos profudit nimbos lacrymarum, sic Drogo fatur. Intrauit inter epulas discumbentium, cucurrit ad pedes Iesu, effundebat super eos torrentes lacrymarum, ad lauanda sui Domini vestigia, non alias quam oculorum suorum vndas attulit, capillis suis pro linteis vsa est, *tum verò vbi affectus incanduit & vberauit, carbo lacrymarum imbre respersus fortius incanduit.* Hæc ille, & quidem quantumuis illa amabat, æstuantibus amoris carbonibus licèt arderet, tamen illi euenit quod carbonibus in conflatorio accidit; nimirum quod carbo lacrymarum imbre respersus fortius incanduit, viuidiorique igne micauit. Idem prorsus accidit Petro, cuius amor in Christum in conflatorio cordis ardebat splendentésque emittebat flammas; sed eas flammas, quæ ad ancillulæ extinguerentur flatra. Verum vbi ignitus amoris carbo lacrymarum igne respersus est, ô quam inualuit! medios inter hostiles impetus sic radiabat, vt omninm ad se oculos raperet. Nónne plenus Spiritu sancto Petrus cum sociis intrepidus ad turbas Iesum prædicabat Act. 2. Et quidem ea luminum fulguratione, qua ebrius habebatur. *Alij enim irridentes dicebant, quia musto pleni sunt isti.*
Bernard. Quocirca D.Bernard. c.46. de fructu vitis prope finem ait, *Musto, inquiunt, pleni sunt; mentientes & ignorantes verum dixerunt. Musto quippe illo nobilissimo charitatis Dei, imò charitate Dei repleti erant inflammante ad amorem, & confortante ipsos contra timorem.* Verè in Petro tunc mustum efferuescebat charitatis, & robur addebat, quo inimicas contemneret potestates. Sed vide mustum hoc feruens & confortans vnde aliqualem ortum habeat, nimirum à cultura lacrymarum. Quo spectauit D.Zeno in Psal.79. hæc inter alia memorans propria fructuosæ & rationalis vitis. *Tum solemniter plorans clementer imbre suo rorat, conceptáque musti, felicibus lacrymis, fluenta denuntiat.* Expende ab illis, conceptáque musti, vbi à lacrymis efferuescentis & roboris pleni musti prouentura fluenta præsumit. Quippe cum palmes ille Christi D.Petrus præsentia resecatus magistri, totus lacrymis perfunditur, tunc maximè ea decoquit musti illius diuini fluenta, quo postea omnium feruentissimus & robustissimus inimicorum contemnat & depellat calumnias. Id quod videtur D.Chrysost. meditatus hom.5. ad Rom. vbi inquit, *Audi igitur, vt Petrus amore Christi victus ardeat & animæ & vitæ & omnibus rebus illum anteponens, quem dum abnegasset, non ob supplicium luxit; sed quod quem amabat, eum negasse se videret.* Chrysost.
Sanè in lacrymis amore vritur, & ardet ampliùs, nec alio lacrymæ tendunt, quam vt amorem excoquant, & maximè aduersus roborent pericula.

CAPVT III.

De Pilato Præside Romano.

PRIMO illucescente mane consilium coëgerunt Principes sacerdotum, & Seniores populi, quo vinctum catenis Dominum remittunt profano Iudici, nimirum Pilato Præsidi Romano. Contemplare modo, ô Christiane, Regem cœlorum, insultantibus carnificibus, per calles ad Pilatum traduci, sic iam facie deturpatum, sic mortis caligine circumfusum, vt videns illum proditor ipse expauerit & nimio turbatus dolore sui criminis fœditatem non sustinẽs, refusa pecunia, & funesto suspendio sese ipse sui carnifex castigaret. Interea vinctus Iesus Pilato sistitur, Pilato eius innocentia claruit, qui post mille accusationes auditas, post Principum Iudæorum vehementes in Iesum querelas hæc verè fatur, *nullam inuenio in eo causam.* Rem iudex timebat, nullumque non mouet lapidem, vt se à nefaria causa subtrahat, remittit illum Herodi frustra, componit cum scelestissimo Barraba, vt præ hoc Iesum viuere Iudæi mallent. Insuper addit durissima flagella, & flagris lacerum spinis coronatum purpura illusum, sanguine madidum, reclamantibus Iudæis, profert, vt vel sic eorum rabiem exsatiet. Tandem Iudæorum veritus calumnias, licèt inuitus adducitur, & Iesu innocentiam sæpius protestatus, sanguinolentas manus aqua lauans ligno suffigendum mundi Iudæorum Regem tradit.

Matth.27. Manè autem facto consilium inierunt omnes Principes sacerdotum, & seniores populi aduersus Iesum, vt eum morti traderent. Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato Præsidi.

§. I.

Quem sceleri aditum quærit peccator, eumdem parat supplicio.

Romano Præsidi tradit Iesum vinctum Iudæorum immanitas, à Romano exercitu postmodum ipsi populandi. Sic D.Cyrill. ex Psalm. *redde retributionem eorum eis:* nam quemadmodum ipsi Saluatorem omnium Romanis tradiderunt, sic paulò post Romanis traditi perierunt. Nil solemnius in omnium vindicta peccatorum, qua parte sceleri viã aperis, eadem crudele aduersus te supplicium intrabit. Abominationes populi speculatur Ezechiel c.8. *Et ecce ab aquilone portæ altaris idolum zeli in ipso introitu.* nec solum erat Ezech.8.
idolum; sed illi aderant innumeræ fœminæ mortem Adonidis lamentatæ. Hæc stupebat Propheta, quando leuatis oculis animaduertit ab aquilone exsurgere Angelicũ exercitum, qui populum vastaturus euolabat. Sed cur ab aquilone panditur tantum malum? Nónne Dei amasia dicebat aliquãdo, *Surge aquilo, perfla hortum meum?* Et modo ab Aquilone pernicies & vastatio? Præclarè Theodoret. fatur. *Cum ab aquilone idolum positum esset, & mulieres Thammum lugerent, necessario inde supplicium reperit aditum.* Ea ipsa res, quæ ministrat sceleri, & supplicium illius debet repræsentare, nec fieri potest, quod supplicium non inueniat aditum, qua parte scelus intrauit. Vnde acutissimè notauit D. Augustin. August.

id quod vnis serpentibus est familiare, nimirum hominum verbis teneri & incantari, quia serpens ille antiquus colloquio hominum hominem impulit in peccatum. Etenim ait lib. 101. de Gen. ad lit. *Diuino consilio fit, vt hoc magis habeat vsus, serpentes moueri carminibus potius quam aliud vllum genus animalium. Etenim hoc non parua testificatio est, naturam humanam primitus serpentis seductam esse colloquio.* Colloquio vsus est serpens antiquus, & colloquio humano ad hominum genus labefactandum, & ideo ab hominum verbis incantatus ingenita ex colloquio recipit mala. Necesse enim est, quod supplicium inueniat aditum qua parte delictum coa-

Antioch. luit. Vnde meritò Ioan. Antiochen. hom. in Psal. 4. Dauidici regni vastationem ab Absalone intentatam eo retulit, quod Dauid Vriæ regnum nempe vxorem præoccupasset. Etenim ait, *Quoniam Dauid mulierem, quæ erat in viri potestate tanquam alienum regnum occupauerat. Propterea qui ex vxore natus ei erat filius, insurrexit tyrannus valens abripere regnum patris: vt rapuit ipse regnum alienum, & vim passus est eiten propetum, & qui clanculum peccauerat de eo triumphus palam actus est.* Ecce tibi supplicium eisdem infertur, quibus grassatum fuit peccatum: qui alieno abusus fuit regno ad vitium, in regno acerbissimum sustinuit flagellum. Qui Romanū Præsidem in Deum exacerbabant, infestissimos sibi præparabant Romanos exercitus, quorum armis vastati & consumpti aliquale supplicium recepere; integras daturi pœnas igne æterno. Hinc quamuis Philistæus ille totus æreus venisset, tamen in fronte eius lapis morti viam inuenit, quia in eadem fronte superbia domicilium habebat. Ita D. Aug. hom. 31. ex 50. vbi inquit. *Quia omnis superbia habet impudentiam frontis, in ipsa fronte lapide veniente deiectus est.* Similiter 2. Reg. 18. Absalon paterno bello fractus, à coma ex arbore suspensus interiit, de quo Chrysostom. homil. in Psalm. 3. ait. *Ex pilorum coma, à comis arborū tenebatur, & coma tenebat coma tyrannum, illuc eum contrahens vbi diadema paternum gestare contendebat.*

Text. Tunc videns Iudas qui eum tradidit, quod damnatus esset, pœnitentia ductus retulit triginta argenteos Principibus sacerdotum, & senioribus, dicens: Peccaui tradens sanguinem iustum.

§. II.

Paruo & vili pretio sustinet Christus Dominus æstimari, vt nemo sit qui illum habere negligat.

CVm nullus sit qui Deum eiúsque bona percipere non cupiat, vix est qui non conetur quanto viliori posset ipsum habere. Deum omnes cupiunt; sed tum maximè cum paruo stat, cum vilibus rebus emetur. Id quod lacrymatur

Guillelm. Guillelm. Parisiens. tract. de virtutibus his verbis. *Vix inueniuntur neque rarissimè qui non pro leuiori pretio, quàm ei offeratur velit Deum habere, ac si Deus minus valeret omni eo quod pro eo habendo exigitur, ac si periculum eis immineret in emptione ipsius, ne fortè non valeat tantum quantum pro eo ab eis exigitur.* Huc vsque humana miseria & imbecillitas, cui morem gerens misericordia diuina tam vili pretio permittit Deum in venditione taxari, vt nullus sit, qui eum habere refugiat. Quis paruis nummis Deum cœlestiaque bona non emat? Quis nolit habere Christum, quem scit vilibus & paruis taxari,

Paulinus. vt comparetur a pluribus? Sic diuinè D. Paulinus epist. 4. expendens, quod triginta argenteis vendatur Christus Dominus, inquit. *Nos ille vult pretiosos facere sui muneris vilitate. Ipse nobis hac pietate pretiosior quòd se vili vult æstimari, vt ab omnibus ematur.* Iam non verearis pretium, vt Deum habeas, quandoquidem ipse vilissimo traditur pretio etiam inimicis. Quantumcumque exiguum sit quod offeras si bene offeras, Deum habes qui paruo & vili pretio amat comparari. Nónne audis quod Isaias dicat. *Paruulus natus est nobis, filius datus est nobis?* Cur paruulus natus, nisi vt par-

Bernard. uis & vilibus habeatur? Sic D. Bernard. c. 2. de præcis. vitis *Puer natus est nobis, vt paruulis mansuetis consoletur, vnus paruum paruis decens.* Nullus erit puer qui non se pro vili pomo dedat, & pretiosissima quæque pro obolo vendat, quocirca Deus paruulus factus monet quam paruis & vilibus possit

Chrysost. comparari. Huc spectabat D. Chrysost. hom. 5. de Pœnit. fatus. *Nundinæ profectò nobis mirabiles sunt, harum nulla alia est professio, & negotiatio, non alia intentio quam paruo quidem emere & magno vendere.* O quam magno caduca vendimus, cum pro illis recipimus æterna! ô quam paruo emimus qui vel frusto panis Deum habemus. Nundinæ sunt in hoc sæculo, quibus pro paucitate emptorum cœlestia vilescunt, & paruo comparatur cœlum. Sanè Prou. 20. dicitur. *Malum est, malum est, dicit omnis emptor, & cum recesserit, tunc gloriabitur.* Prou. 20.
Etenim cum rusticanus ad nundinas accedit empturus, v. g. pallium, quodcumque exigatur pretium exhorret, & totis viribus nititur de illo minuere, multam pallij malitiam exaggerans næuósque ponderans, tandem minori quo potuit emit, & vix à venditore discedit, cum de bono emptionis gloriatur. Ita B. Salonius interpretatur inquiens. Salon.
Ille veraciter est emptor, qui sibi æternū in cœlis præmiū comparare desiderat, ipse nimirum emere studet terrenis cœlestia. Talis ergo emptor quicquid patitur in præsenti malum esse dicit, quia malum esse intelligit. Attamen quia omnia aduersa pro Deo patienter sustinet, cum decesserit de mundo, tunc gloriatur, quia peruenit ad beatitudinem. O quam vile reputabit tunc pretium pro Deo exhibitum! ô quanta gloria plenus paruis se emisse videbit æternitatem.

§. III.

Rerum mundanarum exiguitatem permagni æstimant homines, milléque incommodis eam comparant, qui cœlestium magnitudinem paruo & vili pretio taxant.

MIraberis Christum Dominum triginta argenteis æstimatum, & præ illis contemptum; sed inde habes quod mireris magis, cum sciueris vnguentum à muliere profusum apud Bethan. Marc. 14. trecentis taxatum fuisse Marc. 14.
argenteis ab ipso proditore: ait enim, *posset vnguentum istud venundari plusquam trecentis denarijs.* O stultissimus imo insanissimus æstimator! Meritò de illo D. Paul. epist. 4. fatur. *Suo* Paulin.
ipsius damnandus iudicio, qui triginta aureis vendidit eum quem mulier vt ipse taxauerat vnxit trecentis: sed in hoc peruersior quod ipsum vili æstimans Dominum vnguentum illud caro æstimauit. Sic multi, sic ferè omnes adeo magni æstimant temporalia, vt omni auro putent eam debere voluptatem, & omni dolore comparari aurum; cœlestia autem & æterna vel prorsus spuunt, vel paruo aut nihilo pendunt. Quam aliter veri æstimatorem faciunt: equidem Christus Dominus temporalia omnia etsi splendida gratis omnibus largitur, quasi nihili æstimaret, verum cœlestia non aliter tribuit quam magnam exigens pro illis pensionem, magnósque labores. Id quod eleganti inductione expendit D. Basil. Sel. orat. 24. vbi sic fatur. *Si leprosus curationem quærit,* Basil.
virtutem, ait Dominus, exero, volo mundare. Si mortuum è tumulo resurgere necessum est, potestatem expromo; Lazare veni foras. Si cæcus orbitatem hominis gemit, secundum fidem vestram fiat vobis. Quod si thronum verò quis petat, & Regiam potestatem quæras, & sedere ad dexteram affectas, tunc quid possit curiosè despicio. Iusti pro pietate sudoris testes reposco, nam eorum merces est in meo versari consessu. Ecce tibi quā magni æstimat Deus cœlestes, atque ad suam dexteram consessum, quandoquidem id petentibus & expostulantibus Apostolis, statim respondet, *potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Nec aliter exaudit petitionem de obtinendo cœlo, nisi prius pacto pretio, requisitóque sudore & labore, cum alias & oculos & pedes & sanitatem & vitam ipsam liberaliter largiatur omnibus volentibus & petentibus, nulla expostulata ab illis mercede. Væ nobis qui cæcitatem proditoris sequentes æterna vili, caduca magno æstimamus pretio, imò prorsus contemptis cœlestibus, quod D. Cypr. lamentatur: Cyprian.
per omne nefas voluptates emuntur, & per omne scelus copiosæ libidines exquiruntur. Nihilque æstimatione dignum habemus nisi quod momentaneè delectat.

§. IV.

Dubia pœnitentia est quæ inter scelestos homines fit & apud pessimos sacerdotes.

NOn semel cœleste granum secus viam cadens ab auibus deuoratum fuit, nec semel qui inter malignantiū choros pœnitentiæ prætulit compunctionem in perditionem impulsus ruit. Id solum mihi suffecisset in Iuda, vt eius funestum exitum præsagirem, nimirum quod inter scelestissimos Pharisæos pœnituerit, & pœnitentiam ageret apud nefarios sacerdotum Principes. Quam aliter D. Petrus vt in domo Caiphæ commissum scelus aduertit, & de

peccato

peccato illum pœnituit, statim *egressus foras fleuit amarè.* Quod notans Victor. Antioch. inquit. *Petrus Christi obtutu peccati sui admonitus lacrymas profudit. At non palàm illud ausus est facere, quocirca egressus est foras, ibidémque amarè plorauit.* Expende quanta prudentia Petrus in domo nefarissimi sacerdotis, in oculísque sceleratissimorum hominum noluit animi sui pœnitudinem propalare. Non inficior à nefario sacerdote posse verum ministrari Sacramentum; sed metuo ne pessimi ministri omnia corrumpant. Meritò D.Cypr. de nefario sacerdotum genere, apud quos primitiui lapsi scelera fatebantur, ait. *Hoc sunt eiusmodi lapsis, quod grando frugibus, quod turbidum sydus arboribus, quod armentis pestilens vastitas, quod nauigijs sæua tempestas.* Quæ coalescunt arbores inter grandines? Quod viuit armentum inter pestilentes auras? Quod nauigium tempestati commissum sæuienti non periclitatur? Sed & arbor inter grandinem, & armentum inter pestes, & nauigium mediis tempestatibus securum erit, & pœnitens inter scelestos homines, apud malos sacerdotes nullam securitatem; sed ruinam, sed excidium inueniet. Hinc vbi tota Ierosolyma corrupta erat, vbi omnia plena lucis, aris, idolis, sacrificulis erant, rectè coniicit Bachiarius perfectam Salomonis pœnitentiam ex eo quod occulta in veri Dei oculis fuerit. Ait enim Salomon ille mirabilis qui vinculis libidinis illaqueatus etiam sacrilegij errore se polluit, qui per Prophetas culpas erroris agnouit. Nunquid misericordiæ cœlestis extorris fuit? An fortean dicas: nunquam eum in canone lego pœnituisse, neque misericordiam consequutum. *Audi ergo frater, pœnitentia eius quæ non inscribitur publicis legibus, fortasse à Deo acceptabilior iudicatur, qui non ad faciem populi, sed in secreto conscientiæ teste Deo pœnituit.* Et sane vbi omnes sacerdotes idolorum victimis madebant, & vniuersa ciuitas plena erat funestis sacrilegísque aris, consultè eorum fugeret conspectum qui verè pœnitere exoptabat.

Victor. Antioch. — Cyprian. — De admittendis lapsis.

§. V.

Summa Dei ira est, quòd peccator ad ignorantes, malósque occurrat ministros.

Vide miseri proditoris extremam miseriam, pœnitentia ductus Apostolos debuisset perquirere, ab hisque in dolore solatium quærere; sed ad sacerdotum Principes & seniores confugit, illis suum aperit dolorem, quasi ab eisdem aliqualem medelam sperans. Nefarius ille Balaam Num.22. Angelico gladio in via impeditus ab asina vocem & monitum accepit, vbi peccantium miseriam acutè obseruans D.Greg. Niss. in vita Moysi sic inquit. *Ostendit ad hoc vanitatis seductos à dæmonibus deuenisse, vt modum vocis brutorum obseruent, ac inde significantis doctrinam vocis accipere arbitrentur.* Eò deueniunt malitiæ peccatores, vt in animæ periculo non ad sapientes & cordatos viros; sed ad cæcos & obturatæ mentis errores cōfugiant, & accersant sibi stupidos consiliarios, vitiosos & ignorantes homunciones, quibus grauissima animæ suæ committant pericula. Erroneus ille Saul verè in hac re sapiens hostilibus cùm pateret incursibus 1. Reg. 14. ait ad Achiam. *Applica arcam Dei: erat enim arca Dei in die illa cum filiis Israel.* Nouit in stultorum consilio præcipitium, non sortilegium fecit, non brutorum obseruauit voces, non halantes pecudum fibras inspexit; sed de sapiente Sacerdote, apud quem sapientiæ seruabatur arca, consilium expectauit. Id in præsenti meditatur D.Gregor.lib.5.dum fatur. *Hoc applicare præcepit, quod esse cognouit. Ab irreligiosis quidem religionis consilium, aut sapientiæ ab stultis petere, non est consilium accipere; sed præcipitare.* Erant Ierosolymis Apostoli, erat Petrus diuinæ arcis clauiger & custos, & miser Iudas relictis notis doctrinæ apicibus abiit ad peculiares Pharisæorum mores, à quibus in laqueum fuit præcipitatus. O quàm seuerus Deus in populum, aiebat Zachar. 11. *Sume tibi vasa pastoris stulti*, nec tantum pauorem incuteret, si mortis vasa iuberet agitari, nec tam irremediabile damnum minaretur, si Assyrios bis, & iterum armaret, nec tam vniuersalem interitum immitteret, si cataractis cœli ruptis, mundum iuberet submergi aquis. Vnum imperat efferri vas pastoris stulti, & inde vniuersi Doctores, duce D.Hieronymo, vltimam, & omnium truculentissimam mundi calamitatem augurantur. Quocirca finit Remigius Altisiodorensis his verbis. *Tunc stultum pastorem suscipient Iudæi iusto iudicio, vt quia noluerunt credere veritati, credant mendacio.* Et sanè in Iudæis miseris elucet præcipuè hæc ira Dei maxima, hoc iustissimum Dei iudicium, quo stultissimis omnium ducibus in sua perfidia præcipitentur. Vidi ego viros Iudæos prudentes alioquin, & iurisconsultos suam ebibisse perfidiam edoctos ab anicularum fœminarum colloquio. Hæque sunt vbique gentium huius antiquatæ perfidiæ conseruatrices, quarum nænias auscultant illi diuinorum quondam oraculorum auditores, & sic miserè præcipitantur. Vtinam pestis hæc seu diuina vltio non excederet Synagogæ terminos, & attingeret ad illos etiam Christianos, qui relictis sapientiæ fontibus fodiunt sibi cisternas dissipatas, confessarios stultos, obliuiosos, nullius pretij & authoritatis. *Feliciores nos*, ait Nazianzen. *qui in sapientia sumus intelligentes, qui gregis sumus & pastoris mansueti. Non pastoris, qui nos in vasis pascit imperitis, nec qui corrumpit peccora, sed qui ea valde peritè amplectitur.*

Num.22. — Nissen. — 1.Reg.14. — Gregor. — Zachar.11. — Remig.

§. VI.

Suspecta salus illius est, qui iniustè acceptam pecuniam non in præsenti restituit, sed protrahit vsque dum mortuus sit.

Vidi plurimos iniustè acceptis plenos, qui mortis metu adducuntur, vt restituant, testamentóque cauent restitutionem fieri, eóque contenti nunquam in vita sua restituunt. Heu quam miserè falluntur, cùm ab ipso Iuda omnium auarissimo condemnentur, qui nihil prius ante mortem statuit, quam pecuniam refundere. Hoc simul in proditoris corde apparuit, & dolor de commissis, & pecuniæ efficax & integra restitutio nullo dilata momento. De quo D.Chrysost.homil.68.in Matt. fatur. *Quoniam condemnauit se ipsum, & argenteos proiecit, omnia hæc laudabilia sunt.* Huc vsque fecit Iudas quod debuit, & protrahendæ restitutioni aditum interclusit, ne quis seruato ære alieno de salute præsumat, quando & Iudæ pœnitentia non stetit absque iniusti pretij exhibitione. Zachæus ille publicanus, & ære grauis alieno, vt primùm Christum adiuit, iam pœnitens scelerum ait Luc. 19. *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quid alicui defraudaui, reddo quadruplum.* Vbi eleganter ponderat D.Laurent.Nouar.homil.de pœnitentia ait: *Audisti quid dixit? Ecce dimidium bonorum meorum disperso pauperibus. Tanquam si ita diceret, Modò vidi, modò cognoui, Saluator, non ex me; sed ex te facta est correctio mea, persensi pœnas meas, pensaui actus pestiferos, quos in auaritia perpetraui. Oro adiuua me miserum & peccatorem. Ecce erogo quod abstuli: reficio indigentes quos læsi: instat adhuc dicendo, Adesto Domine, ego in quadruplo reddo quæ inique abstuli.* Quibus expendendum duxi illum verè pœnitentis actum, nimirum modò vidi, modò cognoui, modò meæ auaritiæ periculum feci, ecce erogo, ecce do, non in longa tempora erogationem differo, non ad testamentum remitto; sed iam soluo & restituo. Id quod notauit Theophylactus in Cat. *Nec solum, ait, hoc promittebat; sed faciebat: non enim ait, dabo medietatem, & restituam quadruplum, sed do, & reddo.* O vtinam sic omnes iam rapinarum pœniterent, vt restitutionem hæredibus non remittant faciendam; sed ipsi dum viuunt, & ore peccata aperiant, & manu iniustè acceptam pecuniam refundant, ne vel Iudæ damnentur iudicio.

Chrysost. — Luc.19. — Laurent. Nouar.

Text. At illi dixerunt, Quid ad nos, tu videris: & proiectis argenteis in templo recessit, & abiens laqueo se suspendit.

§. VII.

Perditissimi illi sunt, qui nec in morte bonis vtuntur in animæ suæ salutem, sed mundanis & sæcularibus ea integra relinquunt.

Svmmo verborum pondere Ecclesiastes cap.6. aiebat. *Si genuerit quispiam centum liberos, & vixerit multos annos, & plures dies ætatis habuerit, & anima illius non vtatur bonis substantiæ suæ, sepulturáque careat, de hoc ego pronuntio, quòd melior illo sit abortiuus.* Expende hominis auaritiam, quòd non vtatur bonis substantiæ suæ, sepulturáque careat, hoc est, adeò abstineat à bonis suis, vt neque moriens illis proprio funeri vti audeat. Ita D.Hieronymus inquit. *Significat, quòd diues de sua morte non cogitet, & cùm omnia possideat, etiam in extructione sepulchri auarus sit.* Hæc extrema miseria hominis auarissimi & perditissimi, quòd plenus pecunia, & moriens. nihil funereis impendat suffragiis, vel pro anima sua, vel pro honestate sepulturæ. Accipite istorum exemplar

Eccl.6. — Hieron.

plar & ducem Iudam, qui diues pecunia accepta, & sese sui ipsius parans excidio, hoc vnum curat in morte, vt nullum capiat fructum ex pecuniis, sed illas integras in Pharisæorum hæreditatem relinquat. Id quod eleganter Drogo (Drogo.) notauit, lib. de Sacram. Passion. fatus. *Denarios templo se ipsum laqueo addixit. amabat hæredes suos, cui eosdem denarios extende colli* ... *qui etiam nunc resernant in sua carbona.* Sic Drogo de ... facto Iudæ existimat, aliter alij, vt præcedenti §. vidimus. O pestilens animarum lues! ô sæua & crudelis humani ... men is auaritia, quæ mauit, & ingratis, & indignis hæredibus bona relinquere, quam in animæ vtilitatem aliquid insumere, viuens nihil largiris, vt omnia integra retineas, & moriens sic omnia proiicis, vt nihil habeas, nihilque tecum adducas, sic nunquam tibi bona tua erunt proficua. Hac se peste mundauit publicanus ille Zachæus Luc. 19. (Luc 19.) d... ad Christum: *Domine ecce dimidium bonorum meorum* (Laurent. Nouat.) [illegible] *pauperibus.* Vnde rectè monet D. Laur. Nouat. homil. de pœnitentia. *Sufficit tibi exemplum publicani illius, qui miseratione ... actus transacti temporis per eleemosynam, quasi per flumen ... gratia ... traxit, seque auaritia laqueo per erogationem eripuit.* Auarissimus Iudas denarios Pharisæis, se ipsum laqueo addixit cuius imitatores mundi diuites, qui bona integra ingratis hæredibus relinquentes, se ipsos inferni rudentibus addicunt. At prudens Zachæus bona sua diuidens cum pauperibus, confractis peccatorum laqueis diues substantia sua euolauit ad Christum. Sanè Israelitæ, qui Ægyptiis operibus diu insudarunt, abituri in terram suam (Exod. 3.) iubentur, Exod. 3. petere vasa aurea & argentea, quin astu nihil relinquant Ægypto, sed secum portent omnia bona (Nazianz.) sua. Ex quo D. Greg. Nazianz. orat. 2. in Pasc. sic monet proficiscentes ab hoc tenebroso mũdo, vasa aurea & argentea ab Ægyptiis commodato pete, cum his te itineri committe ex alienis facultatibus viaticum tibi para, imo ex tuis potius. Seruitutis merces tibi debetur, callidè aliquid circa mercedis flagitationem exposce, præclarè extorque. Est sanè grauibus hic laboribus vexatus es cum luto colluctansque est, cum ærumnoso & sordido corpore, ac domos alienas atque incertas extruens. *Quid? Gratisne, & absque mercede recedis? Quid Ægypto atque aduersariæ potestatiom ea relinques, quæ ... ab ... consument? Hodie ea tibi Dominus porrigit proclive, & ad ... visio. Amicos nobis de mammona iniquitatis faciamus. vt cum defecerimus, in ... tempore recipiamur.* O vtinam vel saltem egrediens mundum animaduertas quantis sudoribus & laboribus ab illo emisti bona tua, quantis sordibus splendentes gazas acquisiuisti. ne sine illis discedere velis a mundo, ne sicut Iudas ingratissimis hæredibus labores tuos, partásque cum maximo saluti dispendio diuitias proiicias. Enim vero, vt (Nicet.) Nazianzeni Scholiastes Niceta finit. *Quandoquidem misera ... ex ... egredere. Cur dæmonibus es ... qui ... illis iuris est:* Iam pauperibus tribue, qui tibi omnia fideliter in cœlestia tabernacula transmittent. Omnium elegantissimè D. Saluianus, lib. 1. de prouidentia monet eos, qui a Deo in hoc mundo receperunt diuitias. *Denique egredientibus de hoc mundo ... nolimus, hic cuncta relinquimus. Cur ergo cum possideremus tantum vsufructuarij sumus, quod nobiscum auferre non possumus, auertere à proprietate domini, atque abalienare tentamus? Cur non bona fide ... à Deo rebus vtimur? Teneamus quoad licuit: teneamus quoad permisit ille qui præstitit. Quid rectius? Quid honestius? nam ... vbi res ab eo discedit, qui vsum habuit, reuertatur ad eum ... qui vtendam concessit.* Hæc ille. Quam sanctè diuinissimus ille Iob, hanc nobis testatam reliquit (Iob 1.) doctrinam! Is cum Sathanæ præsensit bellum, cap. 1. *Surrexit, & scidit vestimenta sua.* Cur vestimenta scidit vir egre-(Origen.)gius? Do facti Commentatorem Origenem, lib. 1. vbi sic habet. *Ac si diceret. O maligni, mortuum me vt vos putatis. Si ergo me mortuum existimatis, ô inimici ... ipsam in pretiosam meam sepulturam conscindere pret... atque regales meas vestes ... nec post mortem gaudeo in illis possidere.*

§. VIII.

Pœnitentia festinanter, & præproperè sumpta haud secura est.

QVæ res vtiliter, & fructuosè perficitur, si prosperè & festinanter agatur? Sanè ridendi illi sunt, qui totum vitæ tempus prætereuntes, integram pœnitentiam remittunt in postremæ infirmitatis angustias. Omnia tunc festinantissime fiunt, ad testamentum curritur, morbus instat, Medicus vrget, remedia horas consumunt, sacramenta concitatissimo afferuntur passu. Confitentem retrahunt testamenti testes, vocat medicina, omniáque & sacra, & prophana medicamina sese inuicem excipiunt, & impediunt. Væ misero, qui tam festinanter inter sacrum, & saxum currit! Siccine pœnituit Iudas, nimirum totus festinus peccatum fatetur, ad Principes Sacerdotum currit, ad laqueum recurrit. Proh festinatio damnosissima! Benè monebat D. Leo sermone 3. de passion. *Expectasses consummationem criminis tui, & informi lethi suspendium distulisses. Cumque conscientiam tuam tot Domini miracula, tot dona torquerent, illa saltem sacrificia te à præcipitio tuo reuocassent, quæ in Paschali cæna signo diuinæ præscientiæ detectus acceperas.* (Leo.) Hoc maximè pœnitentiæ sacra medicamina regulariter exigunt, vt suam exerant virtutem, nimirum vt per tempus liceat, vt quiete, & cum debito mentis pondere perficiantur, non fructuosè curatur qui festinus præterit medicinam, periculosè pœnitet, qui præproperè absumit salutis officia. Accinit D. Chrysost. dum inquit. *Dixit, peccaui tradens sanguinem iustis, sed non potuit vitare peccatum, sic enim de eo ait Spiritus sanctus, & oratio eius fiat in peccatis, vt in eo quod pœnitentia festinauerit ad portum, ibi inciderit in æternum, & sine reparatione malum.* (Chrysost.) Mille sunt in portubus pericula, mille angustiæ, mille scopuli, quare naues, quæ toto impetu in alto maris feruntur, portus pedetentim & morosè attingunt, lethalis enim esset inter scopulos & angustias properatio. Heu vos miseri, qui portum pœnitentiæ præproperi & festini nimis aditis, mirum erit, si æternæ salutis naufragium fugitis. Huc spectat illud Nazianzeni, carmine 3. ad Virgines monitum.

At quoties celeri sulcaris rapida carina,
Dum tibi flat Zephyrus, nec magnas excitat vndas,
Committe, vt ... anchora ... retardet.
Non etiam à tellure trabe hanc, seguémque per vndas
Carpe viam æquorea similem, similémque pedestri.

Quibus præclarè boni viri vias cum nautarum componit viis: nauta enim dum habet Zephyrum, celeritatem commendat, minime permittitur anchoris permitti. Verum media in tempestate vndis concitatis, ventisque furentibus segnem viam arripit, omnemque celeritatem exitialem putat. Sic qui diuini spiritus aura nauigauit, ipse vel morte festinat, vel ad pœnitentiæ portum celer accedat, verum si media peccatorum tempestate sit, si vitiorum agatur vndis, caueat, & ad pœnitentiæ portum lento, segnique pressu accedat, illi enim suspecta quæuis per pœnitentiam festinatio fiet.

§. IX.

Pœnitentia in impossibilitate peccandi suspecta tibi sit.

IVdæ pœnitentiam putat Rupertus ad caput Matth. 26. irritam fuisse tunc, cum ipse consilium suum irritum ira cognouit. Etenim memoriam Iesu omnino extinguere concupierat, cum autem illum solum, relictis in mundo discipulis ad mortem duci vidit, prorsus desperauit, quòd impleri posset consilium suum, & facti intentati pœnituit; sed ea pœnitentia qua vsque in suspẽdium fuit deductus. Metuo, ne huic similis pœnitentia sit eorum, qui tunc pœnitent, cum impotentes facti sunt ad sectanda vitia. Hanc vehementer cauit Magdalena, quæ medio iuuẽtutis flore lacrymis curauit tergere vitam; ait enim Luc. cap. 9. *Vt cognouit quia Iesus est* &c. (Luc. 9.) Quæ verba expendens D. Cæsarius Arel. hom. ... loquit: *Ne ipsa se reseruauit, vt in fine vitæ suæ pœnitentiam ageret; sed dum adhuc poterat peccare, sic voluit peccata deserere, vt illam de adulterius suis non impossibilitas subtraheret, sed voluntas.* Iam hinc cẽtenda est optima & fructuosa pœnitentia, nimirum quæ fundatur nõ in impossibilitate peccandi, sed in voluntate seruiendi Deo. Quæ item fit ab eo, qui adhuc potens est, & viribus pollens. Vnde aliquo modo ponderatur commoditas Nabuchodonosori oblata ad bene pœnitẽdum. Etenim ait Dan. cap. 4. *Deus magnus ostendit Regi quæ futura sunt postea.* Vbi eleganter & acutè Ri-(Richard. Victor.)chardus Victorinus, lib. 1. de eruditin inter homin. c. 5. fatur. *O quanta Dei pietate agitur, vt cum adhuc futura est, dum adhuc prææaueri potest, sua homini ruina reueletur: vt tanta sollicitudine præuideat & agnoscat quid timere, quid cauare, cui periculo repugnare debeat. Tarda quidem, & nimis sera prouidentia est, cum iam imminens periculum vitari non potest, Deus magnus ostendit Regi quæ futura sunt postea. Felix ille, qui imminentem ruinam præuidere potest, dum adhuc Rex est, & passionibus suis dominatur.* Tunc equidem ille fructuosè præcauet

pericu

periculum, cum adhuc affectus habet, quos regere possit, & sui Dominus est, vt liberè posset sese vel in hanc, vel in illam partem inclinare. Cum non corrosa ossa, sed vegetam ætatem commendat virtuti. Cum solemnissimus sit in Psalmis ille titulus, nimirum, *In finem*, nescio quo mysterio in Psalmo 14. solùm dicitur: *Psalmus Dauid*, omnino dimisso illo, *in finem*. Cuius rei rationem dum examinat Chrysostomus, ait: *Et cur non complectitur, in finem? Quoniam docet de iustitia, & reliquis virtutibus: propterea non complectitur, in finem; ne cum iuuentutem peccato hauserit, languidam & eneruatam euellutem virtuti referues: & vita finem temperet sapientia.* Et quidem multi sunt, qui consumptis omnino viribus, quando malum facere minimè possunt, tunc a peccati abstinent, vereor ne illis accidat, quod Prometheo accidisse narrat fabula. Is enim, vt ex Higinio refert Ludouicus Viues, lib. 10. de Ciuit. Dei, cap. 8. sacrificaturus duos boues mactat, vtriusque ossa vnius corio retegit, carnes verò corio alterius: tunc osseam illam molem corio tectam altari approximat, carneam aliquanto separatam reseruans, & Iupiter doli nescius sibi proximiorem in sacrificium delegit. Quid plura? Ablato tegmine inuenit sola inutilia ossa, quo iratus ignem homini abstulit, ne vllum valeret offerre sacrificium, quo placeat Diuis. Sic multi ætatis florem cum dederint peccatis, ossa arida Deo vouent; sed timeant ne Deus iratus illis abstulerit ignem diuinum, sine quo nihil Deo gratum perficient.

§. X.

Lugendi sunt, & pauendi nobis cuiuscumque lapsus.

CVm Apostolum vides in profundissimum desperationis barathrum decidisse, pessimus es, si abstines à luctu. (Ezech 27.) Sanè Ezechielis cap. 27. dicitur: *Fili hominis, leua planctum tuum super Regem Tyri.* (Rupert.) Id quod considerans Rupertus libro secundo de Victoria verbi Dei, capite tertio, & intelligens in Rege Tyri diabolum, meritò miratur, quo homo iustus iubeatur plangere in diaboli ruina. Cur plangat vates de Luciferi casu? *Ille cenera vtiliter plangit, ille planctum leuat rationabilem super Regem Tyri, qui contrito corde, & humili spiritu scrutatur, & perpendit quid sibi faciendum sit pul... & timere, cum ille summus Angelus tam magnus, tam sapiens ... terribiliter proiectus sit.* Quis non lacrymetur infirmitatem suam, visa fortissimorum ruina? Quis videns Angelum, videns Apostolum in Christi Domini schola nutritum, miraculis clarum, ad damnatorum tenebras deuolutum, non expaueat propriam debilitatem, & largis lacrymarum riuulis lugeat? Si Apostolus perit, peccator qualiter subsistit? Si inter Christi vbera nutritus corruit, quomodo stabit a peccatoribus lactatus? Hinc præclarè (Bachiar.) monet Bachiarius, epistola de recipiendis lapsis. *Ecce iacet frater ab hoste percussus, adhuc forsitan palpitat, & vos qui sine vulnere estis, conuertimini, & non solationem plagæ ipsius deferre tentatis. Nolite esse sine formidine fratres, fortiorem percussit inimicus, vt ... ior et postmodum fieret aditus ad reliquos.* Non licet religiosis viris in bonorum lapsibus insultare; sed si sapiunt, se debent vehementer plangere. & sibi à ruina timere, quandoquidem fortissimi quique iacent hostili telo prostrati.

Text. Principes autem Sacerdotum, acceptis argenteis dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est. Consilio autem inito emerũt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum, &c.

§. XI.

Principes Ecclesiastici, & qui Christi Domini patrimonium administrant omnibus erogent sine discrimine & exteris & aduenis, & peregrinis.

NOn anter sanguinis Christi pretium non solùm in pauperum; sed in peregrinorum sepulturam voluit impendi, vt hinc Ecclesiastici discant bona Ecclesiæ, quæ pretium sunt Dominici sanguinis, non elargienda esse cum limite inter pauperes solum domesticos, sed eodem modo inter aduenas & exteros peregrinos. Quomodo elegans (Tertull.) Tertull. obseruatio aduersus Hermog. vbi de primis Ecclesiæ principibus ita fatur. *Dexteras Paulo dederunt Petrus, & Iacobus, & Ioannes, & de officij distributione pepigerunt, vt Paulus in nationes, illi in circumcisione, tantum vt meminissent egenorum.* Ecce tibi Apostoli inter se diœceses diuidunt, prædicationisque terminos sibi distinguunt ne vnus falcem in messem aliorum mittat; sed singuli singulis nationibus incumbant. Tamen in hac prædicationis diuisione pauperum subleuatio manet indiuisa, & omnium singulis mandatur cura, & quantumuis distinctus est prædicationis doctrinæque & aliorum terminus, vna eleemosynarum largitio excipitur communis. Iam ex tunc iudicabant Apostoli patrimonium Christi sine discrimine ad omnes etiam exteros debere pertingere. De piis mulieribus dicitur Matt. 26. *Quod emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum.* quæ verba premens D. Bernard. serm. 12. in Cant. ait. *Non ad vngendam tantum aliquam corporis partem, v. g. pedes, aut caput; sed vt venientes vngerent Iesum, quod est totius complexio. Tu quoque, si te induas viscera misericordiæ, liberalem benignùmque te exhibeas ad omnes.* (Bernard.) Nullo discrimine, nullo termino eroganda eleemosyna est, præcipuè ab iis, qui sanguinis Dominici pretium, nimirum Ecclesiæ bona exsugunt, quandoquidem sic illud Ecclesiastis videbatur præscribere. (Eccl. 15.) *Da partem septem, necnon & octo*, enimuero, vt refert Caiet. veteres Iudæi in honorem septem primitiuorum dierum septem pauperibus eleemosynam erogabant hoc numero contenti. Itaque eos monens Dominus ait, Da partem septem, necnon & octo, quasi dicat, Non eos faciendæ eleemosynæ terminos constituas, vltra quos, vt necessitas postulauerit, non prætereas. Ad omnes largitas extendatur tua, sine discrimine, sine termino: Iuxta quod parentem Episcopum laudat D. Greg. Naz. orat. 16. his verbis. (Nazianz.) *Pauperum inopiam quam maximè poterat subleuans, partémque dans non septem dumtaxat, velut Salomonis lex præscribit; verum si octauus etiam accederet libentius sua profundens quam alij acquirant.* O præclarum Christiferi patrimonij dispensatorem! cum conueniat quicumque Dominici sanguinis pretio viuunt, quantum est benignitatem suam intra angustos & domesticos terminos non finire; sed illam ad omnes exteros etiam & aduenas & peregrinos extendere. Id quod Christianis adeo inuidit Iulianus, vt Præfecto suo indixerit ea Xenodochia extruere, quibus indiscriminatim omnes etiam sibi odiosi Christiani curentur. Hac enim misericordiæ largitate dicit, Iesu discipuli vniuersorum oculos & corda rapuerunt.

§. XII.

Ecclesiastica bona, quæ Dominici sanguinis pretium sunt, non in corbona, siue in thesauris concludi sustinent.

NOn licet tibi, ô auarissime, bona Ecclesiæ thesaurizare, nigrísque loculis recludere, quod vel Pharisaica auaritia pertimuit facere, cum dicit, *non licet eos mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est.* Quod a sacerdotibus Christianis factum stupet, & lacrymatur D. Bernard. serm. 10. in Cant. dum fatur. (Bernard.) *Quod sine miserabili gemitu dicendum non est, Christi opprobria, sputa, flagella, clauos, lanceam, crucem, & mortem, hæc omnia in fornace auaritiæ conflant; & prostigant in acquisitionem turpis quæstus, & pretium vniuersitatis suis marsupijs includere festinant.* Pharisæis nequiores qui Dominici cruoris vim in argenteis præsentientes discunt eos non in corbona asseruandos; sed in egenorum subsidia profundendos. Nil violentius Dominici sanguinis pretio, quam si recondatur, quam si nigris occludatur crumenis: etenim hoc habet aurum à Domini sanguine acceptum, quod pro miseris effundi velit. Accipite D. Ambros. lib. 2. Officior. cap. 28. sic eleganter de bonis Ecclesiæ, de ipsis vasis aureis altari seruientibus disserentem. (Ambros.) *Aurum Ecclesia habet, non vt seruet; sed vt eroget, vt subueniat in necessitatibus. Et vere illa sunt vasa pretiosa, quæ redimunt animas à morte. Ille verus est thesaurus Domini, qui operatur, quod sanguis eius est operatus. Tunc vas Dominici sanguinis agnoscitur, cum in vtroque viderit redemptionem, vt calix ab hoste redimat quos sanguis à peccato redemit.* Sic bona Ecclesiæ, sic vasa ipsa altaris amant impendi in captiuorum redemptionem, in miserorum subleuationem, vt quæ sunt diuino sanguini famulantia, virtutes æmulentur diuini sanguinis. Quod pulchrius adhuc confirmant sequentia verba. *Agnosco infusum auro sanguinem Christi non solum irrutilasse, verum etiam diuinæ operationis impressisse virtutem redemptionis munere.* Expende maximè hoc, quod diuinus sanguis suis aureis argenteisve, sui similem imprimat virtutem, qua non sustineant claudi: sed in redemptionem captiuorum, & pauperum

alimo

alimoniam efferri & profundi contendant. Vnde primitiuæ Ecclesię bona non ad manus, nec ad crumenas, sed ad Apostolorum pedes committebantur, Act. 4. vt ostéderent quam amabant transmitti in pauperes. Vnum enim in sacerdote requirit sacrum aurum, nimirum pedes, quibus festinet erogari. Id quod insinuans interlinealis, vbi Textus dicit, *ponebant ante pedes*, superfixit ipsa *ad gressum*. Non enim sustinebant oblata Ecclesiæ bona in crumenis stannari, quæ pedes petebant ad gressum, vt possent ad egentes trāsmeare. Hinc Petrus claudo illi ad speciosam sedenti ait, *aurum & argentum non est mihi*. Quæ verba sic premit D. Chrysost. *Argentum*, ait, *& aurum non est mihi; non dixit, non habeo hic, qualia nos dicimus; sed prorsus non habeo*. Quasi piaculum foret Principi Ecclesiæ aurū habere reclusum & asseruatum alibi, diuitum mundialium responsionem cauit; si enim haberet aurum, ibi haberet quod eius pedes sequebatur, vt cuilibet posset erogari. Et siquidem ingressus non habet, nullibi habet, quandoquidem Ecclesiæ aurum non sustinet claudi: sed in gressu amat esse, vt omnibus faueat.

Act. 4.

Chrysost.

§. XIII.

Bona Ecclesiæ iniustè retenta exitialia sunt possidenti.

NEfarissimi quique sacerdotis pretium Dominici cruoris expauent in arcariis suis possidere, vt dicat D. August. serm. 128. de Temp. *Vide quanta vis Dominicæ sit pecuniæ, quam inde Iudas reijcit, hinc Pharisæi in loculos non recludunt. Iusti enim sanguinis pretium pertimescit iniquitas possidere.* Nec nouum hoc, imo à principio Christiferi sanguinis pretium suspectum fuit hominibus iniquis. Perfidus ille Hebræorum hostis Aman, qua erat rabie percitus ingentem vim auri & argenti obtulit Assuero Regi, vt Iudaicus populus eliminaretur è viuis. Cui Rex ait Esther cap. 3. *Argentum quod tu polliceris tuum sit: de populo age quod tibi places*. Mirandum valde est quod Rex argenti possessionem refugiat, illámque offerenti remittat: sed argento illo Christifera stirps prodebatur, quo iam Dominici sanguinis pretium pertimescebant possidere homines iniqui. Id insinuare videtur Rupert. lib. 6. de Victoria Verbi Dei cap. 17. vbi inquit. *Non paruæ considerationis est, aut esse debet quod oblatum fuit ad Iudaicæ gentis vniuersale exterminium contra propositum Dei, contra verbum promissionis.* Ecce tibi argentum illud pretium erat Dominici sanguinis, quo genus Christiferum extinguendum erat, & paternis lumbis interficiendus ipse Christus, ne mireris, quod Rex impius vim præsentiat Dominicæ pecuniæ, nec eam in arcariis regiis velit includere. Enimuero aurum & argentum ex Domini sanguine acquisitum exitiale est, vbi reclusum possidetur ab hominibus iniquis. Quod D. Ambros. supra datus aduertens sic finit. *Itaque Ioachim, qui aurum in obsidione seruabat, nec dispensabat alimoniæ comparandæ, & aurum vidit diripi, & se in captiuitatem deduci. Laurentius qui aurum Ecclesiæ maluit erogare pauperibus, sacram martyrij accepit coronam.* Adeo vitile est aurum Ecclesiæ probis dispensatoribus; adeo ærumnosum & exitiale est iis, qui inique illud obseratum reseruant & inclusum. Vix secum in crumena Dominicam retinuerat Iudas pecuniam per triduum, & illorum virtute in perniciem æterno duraturam ruit, vt dicat Olympiodorus Ecclesiastici cap. 7. *Pecuniæ Iudam ad laqueum compulerunt*. Væ illis, qui Dominicam sibi reclusam seruant pecuniam, hoc est, qui auare & iniuste retinent Ecclesiæ bona, mirum erit si illorum virtuti resistant, quominus ad laqueum & perniciem compellantur ire.

August.

Rupert.

Ambros.

Olymp.

Ioan. 18. Exiuit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit, Quam accusationem affertis aduersum hominem hunc, &c.

§. XIV.

Iudex nullo discrimine adduci debet ad alicuius condemnationem, quin prius causam attentè examinet & perquirat.

FVrentium Sacerdotum voces, vniuersæ turbæ clamores semel & bis Præses Pilatus videns minime adducitur, vt Iesum mortis sententia afficiat. Imo & plus credit Dominico silentio quam Principum & populi clamoribus vehementer accusantibus, & vt seditiosum & Regni affectatorem proclamantibus, & inter festinatas accusationes & præproperas accusatorum furias ipse lentus & blandus semel atque iterum Iesum alloquitur, eius causam examinat & frequentibus interrogationibus perquirit. Rectè Euthymius. *Illi tradiderant eum Pilato ad interficiendum, non ad inquirendum. At ille non tulit, vt prius quam perquireret, occideretur, ideò discere vult quæ sit accusatio.* O vtinam vt boni iudicis specimen in primis dedit Pilatus, sic perseuerasset in finem! Sane optimus iudex ille est, qui nullo Principum fauore, seu furore, nullàque populari seditione mouetur, vt consuetas iuris formas contemnat, & inexaminatum & inauditum hominem mittat ad supplicium. Id quod monet eleganter Chrysost. homil. in Ionam. Etenim fugitiuus Ionas vbi in Tarsum nauigat, ecce venti furunt, mare desæuit, obortáque crudelis tempestas miserum fugitiuum exposcunt ad pœnam. Turbati Nautæ sortibus exquirunt tanti periculi reum, inuenitur Prophetes somno sepultus, adducitur in conspectu omnium. Quæ tunc facies viri? Qui nautarum pauor? Crediderim ab illis festinatissime præcipitandum esse in mare, non tamen id factum est, imo furentis tempestatis immemores ab illo exquirunt. *Indica nobis cuius causa malum istud sit nobis: quod est opus tuum? quæ terra tua? & quo vadis? vel ex quo populo es tu?* Mare feruet, tempestas desæuit, & nautæ longissimam vitæ Ionæ exquisitionem instituunt. O boni & præclari iudices quando nullo discrimine adducimini, vt inexaminatum damnetis & inauditum. *Nautæ*, ait Chrysost. *vt in summa tranquillitate positi, vt serenis flatibus nauigantes non eum illico præcipitare festinant. Audi namque eos interrogantes. Vnde tibi profectio, quo festinas? de qua plebe productus es? Accusant maria fluctibus inquieta: sortis attestatur incertum, reus omnibus declaratur, & hi dissimulata inquietudine procellarum, seruant iudiciariam disciplinam.* Hoc capite laudandus videbitur Pilatus, qui accusantibus Iesum Principibus Sacerdotum, vniuersa concitata plebe, furente Hierosolyma, ipse dissimulata inquietudine, & rabidorum hominum accusatione tranquillus & placidus Iesum alloquitur, nefandi odij occasionem quærit, & an sit Iudæorum Rex, an aliquid aliud in Iudæos commiserit? Adeo enim grata Deo est ea Iudicum constantia, qua nullum damnent nisi longo præmisso examine & iudicio, vt damnaturus Absalonem, eum tandiu suspensum tenuit, quandiu datetur locus iudicio & examini. Ita D. Chrysost. in Psalm. 7. fatur. *Absalon autem inuitus pependit, & non statim sublatus est, sed tanquam in iudicio prius suspensus est, ligno affixus, & Deo è superis ferente sententiam longo tempore pependit, à conscientia deinde flagellatus.* Sic æquissimus Iudex Deus etiam deplorato homini longum iudicij tempus præstat, vt locus sit & defensioni & examini. Item Iesus Marc. 5. nactus spiritum immundum crudelissimum in hominem quem vexabat. *Interrogabat eum Iesus, Quod tibi nomen est.* Rectè nouerat Dominus & nomen & personam & crimina, adhuc tamen interrogat; sed cur ita? Chrysol. serm. 17. *Interrogat, non ignorat, sed implet iudicem, seruat ordinem cognitoris.* Nulla iam occasio sit, quæ indices præscriptum iudicandi ordinem prætermittere compellat.

Euthym.

Ioann. 1.

Chrysost.

§. XV.

Christus Dominus dum à Iudæis in mortem expetebatur, à gentibus in vitam amabatur.

FVrentum Pharisæorum voces, plebis clamores aduersum Iesum Romani Præsidis beneuolum animum vt meditere, propone tibi ante oculos naufragi Ionæ imaginem; maris tempestas furit, fluctus diro verbere strident, venti irruguunt, Ionas medius petit mitti in mare, nautæ reluctantur, & illum saluare optantes, *remigabant viri vt reuerterentur in aridam*. Ionæ cap. 1. Nónne Christi Domini inter Iudæos & Præsidem Romanum constituti vera est imago? Ita Remigius Altisiodorensis fatur. *Iudæi, qui populus Dei fuerant, Christi mortem expetentibus, gentes etiam pro eo mori volebant, quasi enim ad aridam remigabant.* Ecce tibi verus Ionas Christus Dominus sæuissima medius tempestate, clamant Iudæi, reflantibus Principibus populi ad mortem petebatur, ipse libens sese offerebat, ideo enim nihil respondere voluit, vt ait D. Hiero. ne crimen diluens à præside dimitteretur, & crucis vtilitas differretur. Quam citissime amat à tempestate vorari, è contra nauclerus gentilis, nimirum Pilatus illum liberare curabat, & quasi remigans à fræmentibus Pharisæorum vndis in aridam trahebat. Iam tunc gentilitas sibi in vitam seruare Dominum procurabat. Iam tunc cui mortem Iudæi inferebant, in ipso gentes

Ion. 1.

Remig.

gentes vitam meditabantur, & vt loquitur D. Chrysost. homil. 30. in Ioan. *Iudæi ad se venientem expulerunt, gentiles alio profiscentem ad se trahunt; illi inuidebant, hi credunt; illi indignabantur, hi admirantur.* Sæuiebant Iudæorum animi, & instar marinorum fluctuum tumescentes immerentem Iesum amaricanti voragine sepelire nitebātur; patientiam tamen eius admirās Pilatus, in contrarium remigabat, indignum indicans immerentem & voluntarium virum morti tradere. Hinc D. Laur. Iust. cap. 13. de triumph. Christi agone loquitur. *Proh dolor, alienigenarum principes innocentiæ Christi defensores erant, & Hebræi ipsi, de quorum patribus secundum carnem fuerat natus, & ad quos venerat redimendos, morti illum tradere satagebant. Quem illi perdere insistebant, Gentilis Præses absoluere conabatur.* Nec miremur gentium ex tunc amore affici Dominum, & ingratos Iudæos detestari. Quid mirum, quòd Dominus gentes amet? quòd relicto Iudaico populo sese in gentium amorem transferat? Equidem quicquid Iudæis præstabat antiquitas, id gentibus præparabat. D. Paulus ad Hebr. ait: *Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes in Moysi baptizati sunt in nube, & mari.* Quorum verborum illud, baptizati sunt, expendens D. Cæsar. homil. 4. de Pasch. ait. *Nostra ergo iam tunc sub illius populi ducatu, nostris commodis militabat diuina virtus prædiues in beneficijs.* Sic omnia Hebræorum componebat, quasi iamiam meditaretur relictis illis, confugere ad meliores gentes. Hinc duo Christi miracula ponderanda sunt, alterum quo quinque panibus; alterum quo septem hominum ingentem multitudinem satiat. Sed primò vix vnius diei fames erat, & Apostoli sollicitabant dissimulantem Christum; at secundò post triduam famem tacentibus Apostolis, ait Dominus, Matth. 15. *Misereor super turbam, quia iam triduo sustinent me.* Cur hic solus Dominus de turba sollicitus? Sanè per hanc turbam gentes significabantur, quorum desiderio
Paschas. & cura ipse per se Dominus afficiebatur. Id attigit D. Paschasius, lib. 7. in Matthæum, aiens. *Miror quid sit, quòd Apostoli suprà solliciti esse dicuntur, post ieiunium vnius diei de refectione plebis. Hic autem iam triduo perdurante populo cum Domino nil tale dicunt. Videtur mihi, quòd refectio illa salutem Israeliticæ plebis significabat. Ideò fauor fuerit Apostolorum, vt salutem gentis suæ quærerent. Cæterùm gentibus nulla salus ex Prophetis, sed per solam Christi gratiam.* Vnus est Iesus, qui gentium studeat saluti, eorum amore deuinctus.

Luc. 23. Vt cognouit, quòd de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Hierosolymis erat illis diebus. Herodes autem viso Iesu gauisus est valde, erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, &c.

§. XVI.

Non erubescat subditus vili & improbo subdi Prælato.

DE Herodis potestate dicitur esse Iesus. Herodis, inquā, hominis improbi, adulteri, incestuosi, homicidę, vt hinc nemo religiosus Prælati indigni potestatem erubeat. Aaro-
Num. 16. nis prælationem in sacerdotio qui erubuerunt, Num. 16. à
Chrysost. terra misere deuorati sunt. Id quod ponderans Chrysostom. homil. 2. in epist. 2. ad Timoth. ait. *Insurrexerunt aduersus Aaron post vituli formatam effigiem Core, Dathan, & Abiron. Quid ergo? Nónne illi perierc?* Pulchrè addit temporis notam, quando rebellio incepit, nimirum postquam Aaron vitulum conflauerat, postquam idololatriæ caput erexerat, vnde excusandi imò laudandi viderentur, qui prælationem viri adeò nefaria facientis non sustinuerint. Quid ergo? nónne illi perierc? Equidem periere, ne quis contemnat Prælatum, etsi improbus sit, etsi quauis alia vilitate deturpatus existat. Et nondum natus erat Iesus, & nondum Dominus adulteri & incestuosi Regis subierat potestatem. Sanè arca testamenti humeris imposita Sacerdotum victorias mille parturiebat, mille miracula patrabat; præcedebant populum Sacerdotes portantes arcam, cuius motum diligenter populus obseruabat: exclusit tandem Deus Sacerdotes, & elegit vaccas, quæ arcam portarent, & Israëlis nationem
Chrysost. saluam facerent, 1. Reg. 6. Quid plura? Chrysostomus vbi suprà inquit. *Per vaccas in arca operatus est Deus, cum populum saluare vellet: num Sacerdotis vita, num Sacerdotis virtus tantum conferre potuisset?* Vbi enim Dei sequeris nutum & oraculum, nil cures de illius præstantia, qui præstat ducatum, sit pius, vel impius; sit sapiens, vel fatuus; sit homo, vel bos, per bouem operabitur Deus salutem tuam, nec vllius hominis sapientia tibi conferet tantum, quantum bos, quantum fatuus, penes quem sit Dominici testamenti arca. Solet diuinum oraculum, nimirum præfectura aliquando impurissimis & brutescentibus hominibus tradi, ne horum erubescas ducatum, respice non ad pecuinos & bestiales mores Prælati, non ad vilem eius conditionem, sed ad testamenti arcam, ad munus, quo fungitur, inde tibi manabit salus, quandoquidem per vaccas in arca operatus est Dominus, cum populum saluare vellet. O quàm præclarum huius obedientiæ exemplum exhibuerunt & Paulus, & tres Babylonij pueri: enimuerò Paulus in carcerem detrusus à nefario custode, cùm diuina virtute fores paterent, & vincula essent disrupta, tamen ipsius custodis iussum expectauit, vt egrederetur è carcere. Similiter tres pueri generosi, Daniel. 3. à Babylonis tyranno in ardentem fornacem immissi, illic liberi & expediti non antea egrediuntur, quàm iubeantur. Ita D. Chrysostomus homil. 8. ad Ephesios. *Quemadmodum Paulus carcerem non egrediebatur, tametsi potuisset, donec qui in illum coniecerat, ipsum euocaret: ita neque hi tres pueri caminum egressi sunt, donec qui iniecerat, egredi quoque iussisset.* Ecce quorum dictis & iussionibus stant sanctissimi viri, nimirum etiam post diuinam expertam virtutem gaudent expectare imperium nefarij tyranni. Tunc Rex, Daniel. 3. ad fornacem accedens ait. *Serui Dei altissimi egredimini, & venite*; nec mora, statim parent. Ita Chrysostomus. *Obserua igitur pietatem puerorum, nec indignati sunt, nec quicquam contradixerunt; sed mox egressi sunt.* Erubeat iam qui Prælati vel stulti, vel impij refugit imperium, & discat hinc nocentissimis & stultissimis subdi Prælatis.

Daniel. 3.
Chrysost.
Daniel. 3.

§. XVII.

Tunc desideria bona, Deóque acceptabilia quando si facultas est, cum exhibito opere coniunguntur.

QVis sibi bonum cœleste non cupiat? Quis Deum videre non expetat? Sanè & nocentissimus Herodes exoptabat videre Christum; sed nunquam illum quæsiuit, nec ad illum misit, nec cum esset in eadem ciuitate aliquam dedit operam, vt Iesum asciseeret. Huic similes deplorabat Bernard. serm. 21. in Cantica, quando dixit. *Quam pauci post te, ô Domine Iesu ire volunt, cùm tamen ad te peruenire nemo sit qui nolit, hoc scientibus cunctis, quia delectationes in dextera tua vsque in finem. Et propterea volunt omnes te frui, at non ita & imitari: conregnare cupiunt; sed non compati. Ex his erat ille qui dicebat, Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia. Optabat sibi extrema iustorum; sed non ita principia. Non curant quærere quem tam desiderant inuenire, cupientes consequi; sed non sequi.* Hæc sunt pessimorum hominum desideria, quibus sic diuina expetunt; vt nullam illis acquirendis diligentiam adhibeant. Imò desidia torpentes habent fiduciam, quò influat Iordanis in os suum, & manibus in sinu compositis vellent vt esca ipsa ad os perueniret. Hi sanè nunquam beatitudinem illorum attingent, *qui esuriunt, & sitiunt iustitiam.* Non enim beata hæc & saturanda esuries consistit nisi in ardenti & auidissimo appetitu, qui fami & siti extinguendæ operam adhibeat. Huiusmodi erat appetitus & desiderium in Publicano illo Zachæo: de quò Luc. cap. 19. *Et quærebat videre Iesum quis esset, & non poterat præ turba, quia statura pusillus erat. Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum, vt videret eum, quia inde erat transiturus.* Compone modò istius desiderium cum desiderio Herodis, ambo cupiebant videre Iesum, verùm Herodes non tam cupiebat, quàm expectabat, contentus desiderio nil aliud curabat: Zachæus autem sic cupiebat videre vt non sibi temperaret, quin præcucurrerit, & ascenderit arborem, vt frueretur optatis. Vnde meritò D. Laurent. Nouar. homil. de pœnit. dicit. *Bene festinauit, optimè ascendit, qui dum auidus cupit videre Saluatorem salutem ipsam quam ignorauit, inuenit.* Expendo illud, dum auidus cupit, quippe non sufficit cupere, non sufficit desiderare, quandoquidem multos sua desideria torquent in æternum; sed beati qui auidè cupiunt nimirum qui ea fame & siti feruntur, quàm opere adhibito prætendant, & cui depellendæ diligentiam adhibeant. Pulchrè in rem præsentem dicebat Gillibertus serm. 6. *Sitiuit quem diligit anima mea*: nimirum, in Cant. expendens illud, *per noctes quæ languidus & remissus animus culpabili quadam patientia non tam optat, quàm expectat futura bona. Qui verò feruentior est, ardenti fertur desiderio, repositam plenitudinem furtim, & ex parte deflorare tentat.* Equidem

Bernard.
Luc. 19.
Laurent. Nouar.
Gillibert. Cant. 3.

Equidem vidisti sæpe hominem sic cibi auidum, vt semel appositas in mensa escas videns non se temperet, quin accurrat statim,& vel furtim frustula rapiat, quibus pleniorem saturitatem expectet. Sic feruens desiderium, sic bonorum cælestium auiditas nescit quiescere, sed quibus modis potest repositã plenitudinem saltim furtim deflorare tentat. Ast qui languidus est, non tam optat, quàm culpabili patientia expectat, vt influant in os eius bona cælestia, & in suo desiderio miserè perit. De forti fœmina aiebat, Prouerb. 31. *Digiti eius apprehenderunt fusum.* Quæ verba sic in rem præsentem ponderat August. sermone 117. de tempore. *Diligenter attende in lanificio duo instrumenta colum & fusum, in colo quidem lana inuoluta est, quæ filo ducendo transeat in fusum. Quod in colo inuolutum est, adhuc in sinistra est, & nondum in fuso, quod in fusum collectum est, iam præteritum est. Opus ergo tuum in fuso sit, non in colo, in colo enim est quod facturus es, in fuso quod fecisti.* Itaque non in solo proposito maneas, si potes, sed in opus exire procura.

Text. Interrogabat autem eum multis sermonibus: at ipse nihil illi respondebat: stabant autem Principes Sacerdotum, & Scribæ constanter accusantes eum.

§. XVIII.

Maxima & diuinissima Christi Domini virtus aduersus inimicos, quòd inter calumnias taceat, nec proferat signum suæ diuinitatis.

CAlumniis mille à rabidissimis hostibus petitus Dominus apud nefarios iudices tacet, nec petita, & expetita diuinitatis signa profert. Quidni ? tacens consentire videtur ? Absit, imò vt rectè D. Ambros. serm. 49. *Non planè accusationem suam tacendo Dominus confirmat; sed despicit non repellendo.* Expendo illud, despicit, enim verò aliquando nocturnis tenebris, popularique dissimulatus habitu Rex perambulabat ciuitatem, inuenitur à custodibus siue à militibus, irruunt in hominem omnes, pugnant aduersus illum. Ipse verò è contra tacitus, nullúmque præbens signum, quo possit cognosci, strenuè in illos versat gladium, catenúsque tacet, & ignotus agit, & quatenus nihil sibi ab illis timet; sed omnia illorum arma contemnit. Qui infirmus est, ne lædatur, statim vel voce, vel alio signo se prodit: at qui fortior & superior est, nil magis inter pugnas satagit, quàm tacere, ne signo aliquo cognoscatur. Papæ! ibi silentium, non argumentum infirmitatis est; sed virtutis sed fortitudinis, qua omnium despicit pugnantium arma. His apud Iob c. 31. gloriatur Christus Dominus. *Si expaui ad multitudinem nimiam, & despectio propinquorum deterruit me; sed non magis tacui, neque egressus sum ostium.* Ecce vobis Princeps pacis habitu inuentus vt homo, dissimulatus forma seruitutis, à suis, à domesticis, à feris hostibus inuaditur, venenatæ gladiis linguæ; at ipse medius inter spicula, inter calumnias hoc curat, ne voce, aliòve signo se prodat, nil sibi à tantorum exercitu inimicorum timens. Hinc D. Gregor. Moral. lib. 22. c. 16. premens illud, neque egressus sum ostium, inquit. *Non est egressus Dominus ostium, quia requisitus à Pilato tacuit, atque inter persecutorum manus, & corpus passioni obtulit & resistentibus noluit demonstrare quod erat. Vnde etiam per Psalmum, Posuerunt me abominationem sibi, traditus sum, & non egrediebar. Egressus esset, si occultam maiestatem suam ostentare voluisset, sed quia infirmitatem prodidit, potentiam abscondit in eo, quòd persecutoribus incognitus mansit, ad eos minimè exiuit.* Eorum rabiem paruipendit, & despexit, qua nec adductus fuit, vt timeret sibi, & sese proderet, vel voce, vel diuinitatis alio signo. Non humana hæc virtus & fortitudo; sed prorsus diuina, vt meritò dicat Tertull. lib. de patient. *Qui in hominis figura proposuerat latere, nihil de impatientia hominis imitatus est, hinc vel maximè Pharisæi Dominum agnoscere debuissent; patientiam huiusmodi nemo hominum perpetraret.* Quis homo tantis inuasus furiis non proderet sese, & ecce tibi Dei filius sub carne hominis latet, nec inde potest adduci mille calumniis, mille sputis, mille doloribus, vt se prodat, satis profectò proditus, quandoquidem solus Deus id potuisset.

Ambros. | Iob 31. | Gregor. | Tertull.

Text. Spreuit autem illum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum.

§. XIX.

Maximum in creatis miraculum est, quòd ambitiosi homines non gerant morem Regi, etiam aduersus Deum.

CVr nõ spreuisset exercitus, quem Rex spreuerat? Equidem vbi Dominus nullum virtutis suæ signum dare, nullum statuerat miraculum efficere, necessum erat vt vniuersus exercitus morẽ Herodi gereret, & sperneret Christum. Equidem Ariolus ille Balaam, Num. 24. vocatus à Balaco Rege Assyrio contra Israëlem, monitus à Deo fuit, ne dilecto populo malediceret. Is verò cum Deum noscerct sibi interdicentem Israëlis maledictionem, & Regem etiam videret, ad eàm hortantem, non maledicere ausus, dedit Regi pestiferum in Israëlem consilium; quod cùm præstaret sic Regi, Princip[illegible] vt dicit apud Iosephum, lib. 9. Antiquit. *Balace Rex, vósque Madianitæ, quandoq[illegible] necessum est, vt vel præter Dei voluntatem vobis obsequar, &c.* Eu pessimus homo, & verus tenebrarum Principum Prophetes, siccine necessarium prædicas coli Reges à suis etiam aduersus Deum? Meritò enim Babylonius ille Imperator, Dan. cap. 3. non tam stupebat ardentem fornacem tribus pueris pepercisse, quàm mirabatur, quòd tres pueri à regia voluntate desciscerent, quasi maius miraculum esset, quòd homo à Regis voluntate, quàm quòd ignis à natura ipsa deficeret. Sic enim totus stupefactus inquit: *Benedictus Deus eorum, Sidrach, Misach, & Abdenago, qui misit Angelum suum, & eripuit seruos suos, qui crediderunt in eum, & verbum Regis immutauerunt.* Expende illud, & verbum Regis immutauerunt, non enim glorificat Deum quòd pueri media in fornace viuerent, quòd ipsi incolumes canerent, dum combusti Chaldæi lugerent, id solum stupet, id miratur, pro eo Deum glorificat, nimirum quòd pueri in curia versati, & in Regia nutriti verbum Regis immutauerunt propter Deum. Adhæc D. Chrysostomus homilia 18. ad Corinth. 2. *Quid dicis Rex? contemptus es, & admiraris, qui te contemnunt? Certè, inquit, ex contemptu mei admirationem capio. Itaque non propter signum tunc Deus tantùm glorificatus est, sed propter eorum, qui in fornace missi sunt, propositum.* Id supra omne miraculum excreuit, supra omne signum apparuit maximum, non quòd flammæ mutarint naturam, sed quòd regiæ nutritij Regis verbum immutarint, & verum Deum laudarint. Sed huiusmodi miracula non apparent in domo Herodis, vbi Christus Dominus suæ potentiæ noluit exhibere signum. Ideò spernente Rege, nemo fuit in toto exercitu, qui à Rege desciuerit qui non sperneret Christum. Vt enim monet Nazianz. Apolog. 1. *Neque vel pannus tincturam ita facilè contrahit, vel is qui fætido odori propius sese adiungit, eius particeps fit, vel vapor morbidus & noxius pars facilitate in aërem diffunditur, ac per aërem animantibus impertitus (quam nos pestem dicimus) vt subditi præfectorum vitio celerrimè imbui, atque impleri solent.* Hæc ille. Supra cap. 2. §. 14.

§. XX.

Prophanis Ecclesiasticorum vestibus maximè illuditur Christus Dominus.

QVas illusiones non patitur Christus Dominus à vitiis impiis? Illuditur sputis, illuditur contumeliosis verbis, illuditur vestibus. Sed vt rectè notat D. Anselmus, *In suis vestibus non illuditur; sed in his, quæ propter peccata nostra portat.* Nimirum in vestibus, quas ab Herodis regia sumit, in his maximam illusionem sustinet. Quid plura? Toties in veste illuditur Christus Dominus, quoties Ecclesiæ alumnus à curialibus, siue regiis vestitum ediscunt lenocinia. Equidem vnus D. Laurentius Iustin. id modo lamentatur de triumphali Christi agone, cap. 15. dum inquit. *In veste toties illuditur Christus, quoties qui præsunt in Ecclesia, pretiosarum vestium apparatu nitent, & transitoriis prosperitatibus delectantur. Nempe Domino teste, qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt, vbi, oro, mutato habitu, illusus est Christus? Nonne in domo Regis Herodis, & Pilati Præsidis? Iam attende palatia præsulum: ponant signa sua, signa sericis apparatibus ornantur, pretiosis vestimentis induuntur, famulorum vallantur multitudine, & quod sine mærore dici non potest, domus, quæ egenorum esse receptacula debent, Imperatorum palatia iudicantur.* Proh sæculorum omnium lues! quando non illuditur & spernitur Christus his vestimentorum luxibus? Ecce hodie à domibus Regum, à prophanissimis hominibus sumunt Ecclesiastici viri, quo in veste illudant,

Anselm. | Laurent. Iustin.

& spernunt Dominum Christum. Illusus fuit, & contemptus, & spretus Dominus in veste accepta & de domo Herodis, modo contemptus est in vestibus Ecclesiasticorum peregrinis. Tunc contemnebat exercitus rabidissimorum hostium, nunc contemnunt pacifici & familiares viri, & vt loquitur Isaias cap. 38. *In pace amaritudo mea amarissima.* Ad quæ libet audire D. Bernardum aliàs mellifluum, sed modò totus felleus inquit serm. 33. in Cantic. *Ministri Christi sunt, & seruiunt Antichristo, honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt. Inde is, quem quotidie vides, meretricius nitor, histrionicus habitus, regius apparatus, inde aurum in frenis, sellis & calcaribus, & plus calcaria, quam altaria fulgent.* Hæc sufficeressent dicta, vt nullus dehinc incumberet vestium luxibus, vt prudens quilibet ornatum fugeret, quo adeo offendit Christum, vt videatur deseruire Antichristo. Sed acrior Bernardus pergit dicere.

Isai. 38. *Bernard.*

Olim prædictum est, & nunc tempus impletionis aduenit. Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Amara priùs in nece martyrum, amarior post in conflictu Hæreticorum, amarissima nunc in moribus domesticorum. Non fugare, non fugere eos potest, ita inualuerunt, & multiplicati sunt super numerum. Intestina & insanabilis est plaga Ecclesiæ, & ideò in pace amaritudo eius amarissima. Vox plangentis in tempore isto. Filios enutriui, & exaltaui; ipsi autem spreuerunt me. Ecce tibi non solum Herodiani spernunt Iesum veste alba indutum; sed & Ecclesiæ Ministri, qui a regiis, ab histrionibus, a meretricibus ediscunt prophanam vestium voluptatem & luxum. Vnde sola illa Christi Sponsa grata & commendabilis est, quæ etsi bonorum cumulo diues, nil tamen in veste habet quæ prophanorum redoleat fucum. De hac Cantic. 3. dicitur. *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?* Nullum pretiosum aroma, nullus odorus puluis est, quem non habeat Sponsa fidelis Christi; sed de illius vestibus dicitur cap. 4. *Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.* Quid sibi vult hic vestimentorum tam nouus & singularis odor? Nonne prædiuitis Sponsæ vestes exhalassent pretiosa aromata? Cur vnum exhibent odorem thuris? Hic diuitis, an pauperculi æditui odor est? Sanè, inquit Nissen. homil. 9. in Cantic. hinc speciositas Sponsæ Christi clarius effulget. *Talis est enim odor tuorum vestimentorum, vt sit similis thuri, quod Dei honori est dedicatum.* Nihil in veste prophanum, nihil à regiis, nec à meretricibus acceptum olet, omnia honesta, omnia Ecclesiastica, & digna Dei ministro ornamenta sunt Cantic. 6. *Pulcra amica mea, suauis & decora sicut Hierusalem.* Quæ verba meditans Petros Damianus epist. 102. ait. *Sicut Hierusalem*, inquit, *non sicut Babylon, quam vidit Ioannes ornatam purpura & cocco, & inauratam auro, & lapide pretioso, & margaritis. Babylonem sanè diuinitus Hierusalem inhabitat Christus. Illa luxuriantis amictus varietate vestitur, hæc abiectis & humilibus.* Nec velim nimis scrupulosus haberi, cùm sic vestium cultus in religiosis viris abominor, quando vel purpuræ splendor regibus turbas mendacium spirituum allicit. Sanè 3. Reg. 22. dicitur: *Rex autem Israel, & Iosaphat Rex Iuda, sedebat vnusquisque in solio suo vestiti cultu regio in arce iuxta ostium portæ Samariæ, & vniuersi Prophetæ prophetabant.* Et quid prophetabant? prophetabant, inquam, ingentia mendacia, vt paulò inferiùs affirmatur. Etenim regalium vestium cultus in suos Prophetas spiritus mendaces traxit. Sic Petrus Damian. vbi supra, fatur. *Auctor quippe mendacij fucati cultus delectabatur illecebris, & adumbrati decoris aspectu per propheticantium officinas fabricauerat falsitatis.* Hæc delicata vestis in Regibus, quid in viris religiosis faceret?

Idem. *Cantic. 3.* *Nissen.*

Sed esto splendidas vestes reliqueris, humilem & abiectum induas pro Christo Domino habitum, caue ne in vili tunica & indecora Dominum illudas amplius, quàm si ornamentis efferaris aureis. Et quidem sunt qui in sordentibus vestibus maximè Christum offendunt nimia & vanitate, & curiositate. Sic D. Chrysost. homil. 8. 1. ad Timotheum inquit. *Tanta est tenuis habitus cura, tantàque exquisita diligentia, vt omnem aureum cultum facilè transcendere videatur. Vbi enim pulla tunica vestit, & pectori cingulo diligenter adstricto, vt neque nimium turgens in latum excedat, neque tenue adstrictumque immodicè contrahatur; verum seruato medio inter vtrumque modo rugas circa pectus intendant pariter, quomodo serica vestis illecebram hæc arte non superet?* Minus forsan illuderes aliquando Christum Dominum veste quauis alia, etsi splendida, etsi peregrina. Heu quàm serpit hæc lues, & intra claustrorum septa grassatur, vbi in pullis tunicis, in sordenti veste tam exquisita cura & diligentia est, vt quemuis transcendat aureum cultum. Vtinam hi sericis vterentur, magna enim Domini illusio est, sordentem ministerij habitum præferre, virginalem ostentare tunicam, & sponsorum curis incumbere. De quibus meritò D. Hier. ad Eustochium. *Omnis, inquit, his cura de vestibus si benè oleant, vt pes laxa pelle non folleat, crines calamistri vestigio rotantur, & ne plantas humidior via spargat, vix imprimunt summa vestigia. Tales cum videris, sponsos magis existimato, quam clericos.* Sic ille. Tandè dictis accedat D. Bern. sententia, quæ omnes vniuersim Ecclesiasticos nitore vestium conspicuos sic pungit lib. 3. de consideratione. *Forma hæc vestium deformitatis mentium indicium est. Quid sibi vult, quòd Clerici aliud esse, aliud videri volunt? nempe habitu milites, quæstu clericos, actu neutrum exhibent. Cuius ordinis sunt? cum vtriusque esse cupiunt, vtrumque deserunt. Vnusquisque, inquit, in suo ordine resurget. Isti in quo? an qui sine ordine peccauerunt, sine ordine peribunt? Aut si Deus creditur nihil inordinatum relinquere, vereor non alibi ordinandos, quam vbi nullus ordo; sed sempiternus horror inhabitat.* Sanè & pulcrè, & acutè, & verè dictum.

Chrysost. *Hieron.* *Bernard.*

§. XXI.

Etsi parentes, bona temporalia, nominis claritatem propter Deum reliqueris, nihil Deo dedisti, si vel acuminis, vel acquisita sapientia celebritatem non contemnis.

EXpectabant Herodiani auream Domini orationem audire, eiusque exquisitæ sapientiæ exhaurire thesauros, sed placuit Deo non per sapientiam, sed per stultitiam prædicationis trahere mundum. Meritò apud Herodem tacet Sapientia incarnata, & fatui & stulti hominis præferens habitum, inanem eruditionis ostentationem eliminat. Et quidem Christianus erat ille spiritus, Prou. c. 30 de quo dicitur. *Visio, quam loquutus est vir, cum quo est Deus, & qui Deo secum morante confortatus ait: Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum. Non didici sapientiam, & non noui scientiam Sanctorum.* Hoc est præcipuum & maximum in viro, cui inest Deus, ne sibi de sapientia blandiatur, sed vbi sapiens expectatur, sese vt stultum contemnat. Hanc præ omnibus aliis populo Israelitico suggerebat virtutè Oseas c. 9. dicens. *Scito te Israel stultum.* Vbi eleganter Rupert. lib. 4. ait. *Ad magnam visionem illum excitare intendit adhortando, vt sciat se esse stultum, quia videlicet hæc est visio, quam locutus est vir, cum quo est Deus.* Hinc arguit magnum esse, quòd quis se noscat stultum, quod populus littera legis eruditus suam stultitiam præferat. quia vir, cum quo est Deus, nihil magis præ oculis habet, quam stultitiæ prædicationem. Vir in se diuinitatem inhabitantem claudens, nihil inde præstantius, nil maius præfert, quam se stultum, fatuum & omnis eruditionis expertem profiteri. Quò spectauit Naz. Apolog. 1. sic aiens. *Omnia ei qui me in sortem accepit, atque seruauit, dona dedi, opes, famam, nominisque splendorem, bonam valetudinem, litteras ipsas, ex quibus dumtaxat hoc commodi tuli, vt eas aspernarer, atque aliquid haberem, cui Christum anteferrem.* Expende, quod sibi ex litteris præ omnibus aliis rebus commodum prætendat, nimirum, quòd spretis ipsis aliquid habeat, cui Christum anteferat, quasi in omnium rerum aliarum abdicatione & aspernatione nil ageret, pro minimóque ducat opes, bonam valetudinem, generis splendorem, & alia huiusmodi contemnere, si ingenij dotes, litteras, sapientiámque non item aspernatur, ex cuius solius contemptu aliquid habet, cui Christum Dominum glorietur anteferre. Tunc enim scientia salutaris est, & minimè nociua, quando non sola ostentatur, sed cum omnibus aliis virtutibus possidetur. Huc retulerim illud Dominicum præceptum Gen 2. *Ex omni ligno Paradisi comede, de ligno scientiæ ne comedas.* Vbi duo inter se contraria videntur præcipi, nimirum quod non comedat de ligno Paradisi, & quod de omni comedat. Qualiter de omni potest comedere, si de ligno scientiæ non comedit? Pulcre D. Ambr. lib. de Parad. c. 12. *Plerique putauerunt posse illud intelligi, vt videatur Deus id prohibuisse, ne absque cæteris solum lignum scientiæ gustaret, non prohibuisse cum cæteris. Scientia enim boni & mali, si quis cætera virtutum genera consequatur, nequaquam inutilis æstimatur.* Iam videre licet, quantum extollat Basilium suum Naz. aiens. *Hic præceptum accepit & conseruauit, nec à scientiæ ligno vmam contraxit.* Quippe qui scientiam ingenti aliarum virtutum mole obnubilabat. Perniciosa sine dubio est scientia sine virtute, imò ipsa sola persuadetur, vt omnium vitiorum parens. Ab hac enim incipit vitiorum inuentor serpens, aiens:

Prou. 30. *Oseas 9.* *Rupert.* *Nazianz.*

Britis sicut dij scientes bonum & malum. Quocirca P.Damian. ep.105.dicit. *Porro qui vitiorum omniū catervas moliebatur inducere, cupiditatem scientiæ quasi ducem exercitus posuit, sicque post eam infelici mundo cunctas iniquitatum turmas inuenit.* Quod si adhuc cupis videre quid scientia sine virtute, & quid cum virtute efficiat, pergit paulo inferius ipse Dam. *Julianus Cæsar, & Donatus Martyr vno tempore didicerunt. Et ille quidem permansit in studijs; hic secutus est vestigia veritatis. Sed ille in sapientia sua tam feliciter floruit vt octo libros contra Galilæos (sic enim Christianos vocat) & Euangelium scriberet; Donatus autem ita desipuit, vt cælestem fastigium cum triumphalis martyrij gloria penetraret.* Hæc ille.

Text. Pilatus autem conuocatis Principibus sacerdotum & Magistratibus, & plebe dixit ad illos: Obtulistis mihi hunc hominem quasi auertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam inueni in homine isto ex iis, in quibus eum accusatis. Sed neque Herodes; nam remisi vos ad illum: & ecce nihil dignum morte actum est ei.

§. XXII.

Vita innocens & immaculata nullis maleuolorum incursibus lauat, furentibus cincta hostibus triumphat.

O Quam efficax Pilati argumentum pro Christi Domini innocentia! Ecce ait hic homo & vobis Iudæis, & mihi & Herodi vt reus sistitur, & nihil dignum morte actū est ei. Quis non innocens his in iudiciis liber adstaret? Quis tantorum hostium incursibus cinctus inexpugnabilis euaderet?
Iob 3. imperterritus viueret? Beatissimus Iob hoc vno vtitur argumento, vt suam innocentiam conuincat, ait enim c.3. *Si expaui ad multitudinem nimiam.* Vbi grauiter ponderás
Gregor. D.Gregor.lib.21. c.16. inquit. *Bene vt eius constantiæ fuerit cognoscatur, quia videlicet nequaquam terret exterius numerus hostium, quem non deuastat interius turba vitiorum.* Quid prosint hostiles Pharisæorum cunei? Quid Herodiani exercitus? Quid Pilati carnifices? Mediis his astat imperterritus & inexpugnabilis Christus Dominus, & tot tantisque circumcinctus cum sit inimicis, nihil morte dignum actum est ei. Sic exsufflat & contemnit hostes, qui nulli succumbit vitio, qui omnino purus & innocens est Machabæorum adolescentium vnus pro religione patria ab Antiochi exercitu vallatus, cum crudeli religaretur rotæ, cuius diris la-
Ambros. uiaretur voluminibus, sic inquit apud D.Ambr.lib.11.de Iacob c.11. *Nunc manifestiùs recognosco, quia rota intra totam currit, nec impeditur. Teres enim vita sine vlla offensione in quauis passione versatur, & intra hanc quoque rotam currit.* Venustè & eleganter rotæ machina abludit, & in Ezechielis curru illud exprimit mysterij, quod rota ibi in medio rotæ videbatur. Quidni? rota est teres & immaculata vita, quæ mediis hostilibus curriculis, mediis furentium inimicorum circis inoffenso pede currit, Dei gloria desuper splendenti, onusta.
Ennod. Vnde præclare B.Ennod.comminiscebatur lib.epist.4.fatus. *Nec bonorum facem mœstorum, maledicentis credendum est extingui posse conflatu. Quomodo & si dente tangatur inuidi, splendor vitæ vmbram venenatæ oblocutionis excludit; & colorem repetunt tenebræ quæ ad inuoluendum iubar aptentur, nitorem siderum nox infusa non obruit; ad geminum claritatis proficit cum obscuritate conflictus.* Quid argutius? Non sic impij, non sic; sed tāquam puluis, quem proiicit ventus à facie terræ, adeo infirma nequitia, vt vel sibilo auræ tenuis corruat. Nónne Iericho munitissima olim stetit ciuitas? Verum vbi vitiorum corruptelæ succumbit, ad vocem fistulæ æneæ eius muri ex-
Iosue 6. pugnati miserè corruunt. Ita enim legitur Ios.6. *Clangentibus tubis, postquam in aures multitudinis vox sonitusque increpuit, muri illico corruerunt.* Vociferantium circulos non sustinuit iniquitas ciuitatis; sed vel ad vocem fistularum pro-
August. strata est, vt innuit August.ser.16.de temp. *Expugnabatur forinsecus sono tubarum, intrinsecus habitaculis peccatorum.* Et sanè peccatorum interna malitia iam antiquitus expauet clamantium voces, quandoquidem primus peccator dicebat
Genes.3. Gen.3. *Audiui vocem tuam in paradiso, & timui, & abscondi me.* Sed cur ad vocem timet? cur intrinsecus aduenientes cla-
Chrysost. mores expauet? Pulcre id attingit D.Chrysost.hom.17. ibi. *Propterea protoplastus aduentum Domini secum cogitans, statim se occultauit. Quare dic oro? quoniam videbat sibi trucem adstare* z

accusatorem, conscientiam dico. Id faciebat interna conscientia peccati, vt vel sonum auræ, vel sibilum deambulantis expauerit, vt hinc pateat quanta erat illius innocentia, quæ ad multitudinem nimiam clamantium non expauit, imò furentium accusatorum calumnias, neqissimorum præsidum iudicia imperterrita & inexpugnata sustinuit.

*Ioan.*18 Est autem consuetudo vobis, vt vnum dimittam vobis in Pascha: vultis ergo dimittam vobis regem Iudæorum? Clamauerunt ergo rursus omnes, dicentes: Non hunc, sed Barabbam: erat autem Barabbas latro.

§. XXIII.

Periculosè homo se alicui etiam vilissimo præfert latroni.

O Vanas hominum prælationes! O vanissimas hominum præcellentias! Ecce vnigenitus patris sibi scelestum & nefarium hominem præferri sustinet, & tacet. Vbi Deus Opt.& Max.permittit postponi & vilissimo & nocentissimo Barabbæ, quis non timeat se vel culici præferre? Ieiunator ille & tantarum virtutum patrator Pharisæus Luc.18. hoc Luc.18.
vno vitio reus despicitur à Deo, quod se latroni præferret, dum ait, *non sum sicut hic publicanus.* Id quod expendit D. Chrysost.hom.12. in epist. ad Timoth.2. *Quid oro publicano* Chrysost.
deterius? At cum esset innumeris peccatis obnoxius, Pharisæusque id solum diceret, Non sum sicut publicanus iste, omnia perdidit. Non quidem super astra se exaltauit, non super solium deitatis, non super diuinissimos thronos, non Dei similitudinem ambiuit, vni se prætulit publicano vilissimo homini, rapinis dedito, & tamen omnia perdidit. Bene monet D.Bernard.serm.87.in Cant. *Propterea non mediocrem, non* Bernard.
penultimum, non ipsum saltem inter nouissimos eligere locum nos voluit Dominus, sed recumbe, inquit, in nouissimo loco, vt solus videlicet omnium nouissimus sedeas, teque nemini non dico praeponas, sed nec comparare præsumas. Rex erat & maximus Dauid, quando vnus è plebe factus ante Dei arcam saltans Michols factum contempsit dicens, *ludam & vilior fiam plus quam factus sum.* O verè Christi Pater! hoc dolebat, quod etiam saltantium choros duxerit, & hoc meditabatur, nimirum non cum scurris; sed multo infra scurras populi vilescere. Vilior, inquit, fiam, non satis est, quod me cum scurris comparauerim, adhuc necessum est vt amplius vilescam, & omnium nouissimus constituar. Id quod eleganter ponderans
D.Greg Moral.lib.27.c.27. ait. *Quid alij sentiant ignoro, ego* Gregor.
Dauid plus stupeo saltantem quam pugnantem, pugnando hostem subduxit, saltando cora Domino seipsum vicit, & cum despiceretur dixit, Ludam & vilior fiam plus quam factus sum. Quasi diceret, vilescere coram hominibus appeto. Vtinam hic nobis insereretur appetitus, quandoquidem Dominus adeo apud homines viluit, vt nocentissimo homini postponeretur. An ominosum erat in Saule quod omnes populares excederet *ab humero & sursum?* Sanè de Ioanne apud Matth.11.dicitur, *non surrexit maior Ioanne Baptista.* Sed ne super omnes extolleret caput, ideo capitis præcisionē passus est, quasi notans quod non per prælationem; sed per humilem æqualitatem ad cœlestia sit euolandum. Id attigit D.Isid.Pel.lib.1.epist 68. *Quoniam igitur maior quidem omnibus qui ex mulieribus nati fuerant, erat Ioannes, caput ipsi ante donatum cælorum Regnum præcisum fuit.* Hinc totius perfectionis culmen ostendit D. Athan.in exhort. ad Monachos dicens. *Singulis vobis possibile omnium bonorum summam præsumere, si nullus se inciptat, in eo, quod alios præcellit efficere.* Nunquam non detrimentosa hominibus prælatio, etiam somniata, vt bene monet somniator ille Ioseph: de quo D.Ambros. ser.14. in Psal.118. *Quid* Ambros.
fuisset Ioseph, si humilis non fuisset? scimus sibiipsi obfuisse, quod prælatus erat fratribus. Prælatio armauit fratres, humilitas conciliauit extraneos. Prælatio concitauit germanos, humilitas Regem subditum fecit, vt verè quasi ex persona Ioseph, dictum putemus, humiliatus sum, & saluum me fecit. Hæc ille.

§. XXIV.

Passionis Dominicæ efficacia maxima in peccatoribus à vinculis vitiorum liberandis.

COnfide homo, nulla vitiorum vincula expauescas, etsi ferreis constrictus sis catenis, etsi rudentibus inferni alligatus, etsi nigro peccatorum præpeditus compede, libera

liberaberis, & rupto laqueo sicut passer liberas obtinebis auras. Ecce tibi Dominus Iesus vincula & damnationem ingreditur, & omnium pessimus latro vinculis absoluitur, Athanas. quod pulcre satis notauit D. Athanas. hom. in Parasc. *Non mihi*, inquit, *ea Iudæorum improbitatem respice, neque quod benefactorem suum condemnarunt, maiorem homicida rationem habentes, sed id potius intuere quod condemnationis ingressus, liberationis condemnatorum quidem ingressus fuit.* Vis Saluator omnium condemnationis limina terit, & statim datur largissima venia pessimo condemnato. Non potuerunt ferrea latronum vincula vim maximam Christi vincti & condemnati sustinere, niger aperitur carcer, soluuntur vincula nocentium, & patet damnatis liber exitus, vbi Christus Iesus vinctus & condemnatus cernitur. Vincto Christifero Act. 16. Paulo Act. 16. *Subitò terræ motus factus est magnus, & statim aperta sunt omnia ostia, & vniuersorum vincula soluta sunt.* Chrysost. Vnde D. Chrys. hom. 8. ad Ephes. *Vides naturam vinculorum, vincula soluentem? Nam quemadmodum mortem interemit mors Domini, ita ligatos soluerunt vincula Pauli, carcerémque concusserunt, ac ianuas illius aperuerunt.* Hæc faciunt serui Christi vbi ingrediuntur vincula, vbi carcere tenentur damnati, nocentium omnium vincula soluunt, vtpotè illius serui cuius condemnationis ingressus liberationis quidam ingressus fuit. Quo vincto & condemnato latrones absoluuntur, & vincula ferrea soluta iacent. Id præcinebat diuina amasia Cant. 2. iuxta D. Ambros. lectionem. Cantic. 2. *Ecce hic stat post parietem nostram respiciens per fenestras, eminens per retia. Et dicit mihi, Surge, veni proxima mea, formosa mea, quia ecce hyems præterijt.* Illa per retia eminebat carceris pariete detentus, & hinc mihi dicebat vt surgerem, vt hyemales brumas non timerem. Etenim vbi vnigenitus Dei mediis apparet retibus, nullus iam vinctus maneat qui ruptis laqueis Ambros. liber non exeat. Ita D. Ambros. ser. 6. in Psal. 118. *Hic ergo venit ad laqueos, sed voluntarius, venit ad retia, sed securus: venit ad laqueos Iesus, vt Adam solueret, venit liberare quod perierat.* Iesu laquei Adami liberatio fuere, Iesu damnatio nocentium hominum libertas, qua Iesus carcerem & vincula intrat, omnes inferni rudentibus vincti, omnes peccatorum compedibus præpediti liberi egredimur.

Matth. 20. Sedente autem eo pro tribunali, misit ad eum vxor eius, dicens: Nil tibi, & iusto illi: multa enim passa sum hodie per visum propter eum.

§. XXV.

Maxima iudicum corruptela per vxores.

REbellis Angelus iam ipse pertimescebat Pilati iudicium, iam non tam Iesum, quam aereas potestates damnandas esse metuebat & vt iudicis sentẽtiam flecteret, iudicis vxorem inuadit. Antiqua est iudicum corruptela vxor, quid si iudex incorruptus est? si inflexibilis? si sententiæ tenax? Sanè iudicem præteri, eius adi vxorem, munera infunde, & puta totam iudicis seueritatem corruptam. O vxores vniuersi iudicij corruptelæ, iudicum pestes & lues! Vnus è iudicibus populi Samson quã miserè vxoris laqueos fuit expertus? Ipsa pecuniam accipiens a Philistium Samsonem & crine & robore priuauit, vt eleganter dicat D. Ambros. Ambros. 2. Offic. c. 26. *Infusæ pecuniæ in gremium mulieris, & à viro discessit gratia.* Hæc sunt quotidiana in iudiciis damna, instuunt munera in gremium vxorum, & à viri discedit gratia, discedit robur, discedit iustitia. Nemo iudex sibi de iustitia blandiatur, vbi habet vxorem acceptis muneribus Maxim. grauem. Nec aliter D. Maximus præsagit innocentiam Susannæ in iudicio probandam, nisi quod iudicem innubilem fuerit nacta. Sic enim hom. 1. de Iesu accusato inquit, *Iudicem meretur castitas Danielem puerum iuniorem necdum pubescentis ætatis. Multum igitur de Deo pudicitia consequitur, cum iudicem virginem promeretur.* Etenim tunc secura expectauit iusti iudicij integritatem, tunc non sibi timet à iudice innocentia. Expende mysterium quo Dominus daturus Petro Orbis clauum, infirmanti eiusdem socrui adest vt sanaret illam, & ait Matth. 8. *Tenuit manum eius & dimisit eam febris.* Cur tangit qui verbo posset sanare? sed cur manum eius arripit? sanè vt Iudicis familia conualeat, fœmineæ manus à Deo sunt in accipiendis muneribus castigandæ. Huc spectat Chrysol. serm. 18. aiens, *Tenuit manum eius, vt quod manus præsumentis amiserat, manus repararet authoris.* Ab antiquo fœminea manus dum præsumere properat oblata, totam viri corrupit integritatem. Quod præueniens Saluator in familia Ecclesiæ, & orbis Principis, nil prius curat, quam fœmineas manus, quarum si caueatur infirmitas, & Principis, & Reipublicæ florebit status. Do in præsenti portentum singulare: es quo Claudianus cecinit Romanam felicitatem. Etenim dum Alaricus Romam minatur, & Roma tristissimam spectat ruinam, ait ille lib. de bello Get.

——— Duo quippe lupi sub Principis ora
Dum campis exercet equos, violenter adorte
Agmen, & excepti telis, immane relatu
Prodigium, mirámque notam duxere futuri.
Nam simul humani geminas de corpore palmas
Vtraque perfossis emisit bellua costis.
Vtque manus vtera virides patuere resecto,
Romula post ruptas virtus sic emicat Alpes.

Quando enim occultæ ventri studentes Romæ seruabantur, quis eius referat mala? vt autem manus hæ auarissimæ patuere & castigatæ sunt, cœpit emicare gloria Romana.

Ioann. 19. Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum, & flagellauit.

§. XXVI.

Nuditas in virtutis stadio & innocentiæ & gloriæ argumentum singulare.

HAbes, homo, Dominum tuum in stadio, vt post mille luctas, gloriosas hominibus coronas nanciscatur. Et vt in stadio ingressus est, sic de agonistarum more ab omnibus se abstinet; vestes abiicit, & nudus Adam nouus crudelissimis flagellis aptatur. Aiebat illa 2. Reg. 6. quam *gloriosus fuit hodie Rex Israël discooperiens se, & nudatus est quasi vnus de scurris.* 2. Reg. 6. Et quidem ironia hæc versa est in verũ, quãdoquidem Rex & Saluator Israël quasi vnus de scurris nudatus & discoopertus gloriosam prætulit innocentiæ vestẽ. Papæ! de Ioseph, qui relicto pallio aufugiebat peccatum, dixit D. Cypr. lib. de bono pudicitiæ; *Propter tanti sceleris audaciam ipsas vestes reliquit, & corporis nudi sinceritatem habiturus innocentiæ testem.* Cyprian. O quoties nudi corporis sinceritas animi munditiem testatur; in virtutis stadio, in vitiorum conflictu non purpureæ, non sericæ, non aureæ vestes; sed nuditas innocentiæ est argumentum singulare. Ridiculus fuit Adamus Lippomano, quod nudus erubesceret apparere Deo; cur nuditate offenderet illũ à quo nudus fuerat creatus? Vtinam & nudus perseuerasset, vtinam innocens ipse esset, & illi præ aureis vestibus nuditas gloriosior accideret. Rectè D. Chrysost. hom. de Cæco nato duas componit fœminas, fulgentem alteram aureis tapetibus, nudam alteram in theatro. Chrysost. *Quid*, inquit, *lasciuæ profuit Ægyptiæ adulterium in cubiculo? Quid primæ martyri Theclæ nocuit nudam in theatro certare? non peccauit denudata, non afficitur ignominia; sed coronatur sancta.* Sic athletica nuditas Christiani non infamat, sed ornat, sed gloria & honore coronat. Anast. Nicæ. q. 38. hoc miratur, quod Deus Optim. Max. tantam adhibuerit curam, vt Aaronem vestibus sacris ornaret, cum Moysi, & præstantiori viro, & totius populi Principi nihil vestitus attribuerit. Cur ita? *Erat quidem Moyses illa veste nudatus ipse induens sacerdotes. Moyses enim non fuit aqua lotus, sed lauit; non fuit vnctus oleo, sed vnxit; non gestauit vestem sacerdotalem, sed induit sacerdotes; vt discas quod et qui est secundum Deum perfectus, ornamentum sufficit virtutis.* Sic verus Saluator & dux noster Iesus in Prætorio nudatus ipse tunc vestit Angelos honore, homines gloria, filiis perditis stolam iubet afferri immortalitatis. Non hæc nuditas tibi, ô bone Iesu, probrosa est, quandoquidem innocentia es candidatus præstantius omni lapide pretioso, & mihi gloriosissima es, & immortalitatis indumenti causa.

§. XXVII.

Christus nudus flagellis obiicitur, nostrum indumentum singulare factus.

VEstes exuit nouus Adamus verberandus, vt alium nobis longè præstantiorem meditetur amictum, nempe scapulas suas, quibus ignita hostium tela obtundantur, ne nos feriamur. Ait enim Psal. 90. *Scapulis suis obumbrauit tibi*, Psal. 90. & vere Saluatoris scapulæ nos obumbrant & obtegunt, quando flagellis obiectæ pro nobis durissime vapulãt.

Nónne multa flagella peccatoris? Cur modo vix attingit flagellum eius tabernaculum? Defenditúrne ficulnea veste ab Adamo excogitata, vt Dei fugeret flagellum? Absit; sed Iesu Domini nostri super scapulas omnia descenderunt flagella, quæ peccator non sentiet vestitus & obumbratus diuinis scapulis. Marci c.11. veniens Dominus Ierosolymas mundum redempturus vidit ficum, & cum non esset tempus ficorum, accessit tamen ad illam. Cur, Domine, accedis ad vacuam arborem? Quid negotij cum ficu vacua? Eleganter & scienter D.Chrysol.ser.106.inquit. *Ad ficulneam venit Christus, ad quam legitur Adam nudus confugisse post culpam. Venit ergo ad ficum Christus, vt inueniret Adam, vt nudum obtegeret pia sui corporis indumenta. Cuius ficus ista non velabat, sed stimulabat pudorem.* Ecce ex tunc latitanti peccatori, & à ficu folia emendicanti accessit Dominus offerens præstantius sui corporis indumentum, & iubens foliorum vestes abiicere suas pro indumento offerebat scapulas. Linque peccator, folia, & super diuinis abscondere scapulis, quæ omnia in se recipient flagella, ne tu vapules. Abeste hinc vestes, non iam tergat foliis, quando me tegunt & defendunt Christi Domini scapulæ. Bene Chrysost.dicebat videns Iesum à Maria natum, *non amplius metuimus morsus serpentis, non amplius à ficu accipimus folia, non amplius gressus Dei extimescimus.* Sunt sanè Christi Domini scapulæ peccatorum indumentum singulare. Sed proh dolor! quàm manifeste sese ostendunt peccatorum indumentum diuinæ scapulæ! ea sustinent tela, his verberibus vapulant, adeo contritæ sunt & laceræ, vt neminem fugiat sub illis peccatores omnes contegi & obumbrari.

Chrysol. Chrysost.

§. XXVIII.

Summum diuinæ in nos charitatis argumentum præfert Christi Domini flagellatio.

QVis Deum adduceret, vt flagellis dorsum offerret, nisi summus amor hominum? Eo extulerat Dei charitatem D.Zeno serm.de F.S.P. & C. inquiens, *O charitas quam potens, nihil habet qui te non habet. Tu Deum in hominem demutare voluisti; tu virginali carceri nouem mensibus religasti.* Et columnæ diræ quis Dominum religare valuit? Quis laqueis constrictum tenuit diuinum Sansonem, incudem factum cyclopum infernalium? An taurini nerui? An ferreæ catenæ? Absit. Rumperentur omnia hæc, vt rumpi solent fili sputamina. Vna charitas, vnus Dei in homines amor & illum virgineo carceri nouem mensibus religauit, & quod amplius est, columnæ adstrinxit verberandum. Ita Rupert. meditatus Isaacum à patre sacrificium colligatum inquit, *Colligauit planè Deus pater filium suum non imbecillitatis vinculo, sed magnæ charitatis imperio, ne oblatum calicem passionis mori dedignatus abigeret.* Infirma tua vincula, ô Iudæe, quæ minimè possent Dominum ad columnam tenere, sed nec tota creaturarum vis posset aliquid. Sanè non vincula; sed sponsæ amor ligauit Sansonem; nec vincula, sed hominum amor tenuit fortissimum Dominum ad columnam ligatum, vt dicat D.Laur.Iust.lib.de ligno vitæ c.4. *O charitas quam magnum est vinculum tuum, quo Deus ligari potuit, nullum vinculum filium Dei ad columnam tenere posset, si charitatis vinculum defuisset.* Sed prius hostes deficerent, prius omnia flagella mundi cessarent, & non defecisset Dei homines amans charitas. Theophilus Alex. epist.3. Paschali Machabæorum demirans sub flagellis constantiam ait, *quod ira persecutorum inuenerat, patientiæ fortitudo superauit inter pœnas magis paternæ legis, quam dolores memores, lassabantur tortores, & non lassabatur fides.* Liceat parua magnis comparare, quippe Iesus inaudito flagellorum numero cum quateretur, iam exsanguis erat, iam pene laceratus, iam munda ossa inter contusas carnes abdicabant, & quidquid ferocia hostium inueniebat, inuicta patientia sustinebat, inter dira tormenta magis paternas leges, quam dolores memorat, tortores lassabantur, & non lassabatur Dei in homines amor.

Zeno. Rupert. Laur.Iust. Theoph.

§. XXIX.

Christi Domini dorsum flagellis arabatur, vt hominis terra excoleretur ad fructus immortales.

CHristus Dominus ad columnam religatus à planta pedis vsque ad verticem capitis duris flagris hinc inde contundebatur. Equidem Psalm. 128. *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores: prolongauerunt iniquitatem suam.* Quæ verba sic in rem præsentem Hebraice tinniunt, *Dorsum meum arauerunt aratores, & produxerunt sulcum suum.* Vidisti arua arari ab agricolis; milléque sulcis findi ab aratoribus terram notasti aliquando? Planè sic à crudelissimis agricolis Christi Domini caro scindebatur verberum vngulis, vt dicat eius mater apud S.Brigittam lib.1.cap.10. *Quod amarius erat, cum retraherentur flagella, carnes ipsi flagellis sulcabantur.* Ecce sulcis scissas Christi carnes, ecce totum diuinissimum dorsum intime exaratum. D.Basil. sancti Gordiani passionem tractans, dum illum flagellis arari depingit, sic inter flagella loquentem facit, *Lanietur corpus, torqueantur membra, seminate multa in me vt multiplicem fructum metam.* Rectè vbi de flagris arari sentit, de his seminandis cogitat, quæ immortalitatis fructus pariant. Sed ager ille plenus Dei filius quid aliud inter verbera meditabatur? carnis crudelissima fiebat laniena, totum corpus scindebatur, longissimi sulci per lacerum apparebant dorsum, quando ipse tacens loquebatur, Arate mei corporis agrum, scindite virginem hanc terram, & seminate multa in me, vt multiplicem fructum mundo afferam. De Issachar dicitur Genes. 49. *accubans inter terminos.* Ad quæ verba Rufinus sic ait describens Ioannem super Christi pectus accubantem, *Requiescet in medio fortium, id est, in medio terræ bonæ, terræ fluentis lac & mel, & in medio ipsius requiescunt, quæ terra erat Iesus fluens lac & mel, super cuius pectus non solum Ioannes; sed in Ioanne omnes discipuli recumbebant, & facti sunt agricolæ.* O felices agricolæ, quibus adeo frugifera obuenit tellus! Lactea & melliflua terra Christus Iesus, in qua sancti vniuersi recumbunt, & eius fructibus in æternum ditatur. Sed tunc quando terra hæc ab aratoribus profunde sulcatur. Numquam Christi pectus prædiuitem accubitum discipulis ministraret, nisi dorsum eius diris fuisset verberibus exaratum. Iam tunc à flagellis sulci protendebantur in Christi Domini dorso, & ager plenus æternitatis fructibus, hominibus parabatur.

Psal.128. Brigitt. Basil. Genes.49. Rufin.

§. XXX.

Christi Domini verbera summi dedecoris interitum diabolo pariunt.

MIraberis Regem sæculorum in prætorio nudum à vilibus hominibus, vitiorum vernulis, dæmoniorum mãcipiis crudeliter verberari. Talium sane carnificum manibus decebat tenebrarum Principem castigari, vt magis illi probrosus existeret interitus, quando iam non Michaëlis lancea, diuini verbi gladio, sed sui ipsius mancipiorum manibus transuerberatur. Pulcre D.Leo ser.11.de Pass. *Admisit in se Dominus impias manus furentum, quæ dum proprio incumbunt sceleri, famulatæ sunt Saluatori.* O Christi Iesu omnipotens sapientia! Nudus ipse in se furentium suscipit flagella carnificum vt illis Principes tenebrarum vapulent, flagra carnificum Christianum dorsum dum scindunt, Saluatori famulantur, & rebellium Angelorum, quibus seruiunt, faciunt carnificinam. Vt dicat D.Athan.de Pass. *Immortali mortem intendens dæmon, ipse in mortem rapiebatur; & quod pessimum erat, à suis ipsius membris hoc mali illi infligebatur, quod versutissimo illi in summum vituperium cessit. Omnino enim si à Domino vapulasset, gloriari poterat, nunc ab illis percuti quos in seruitutem redegerat, id omne dedecus probrúmque transcendit.* Cœlestia diabolus turbarat, & cum pœnas dat, accepit Michaëlem vltorem, vt aliquo modo honoratus discederet à cœlo in supplicium; commouet iterum terram aduersus Dominum, & omnino luit pœnas inglorius, non enim ab Angelo, non ab ipso sæculorum Rege, sed à manibus suorum ministrorum verberum sustinet infame supplicium. Qui dum eius parent imperio, Saluatori famulantur, & misere Dominum suum diabolum castigant, summóque probro afficiunt. Superbissimum Babyloniorum exercitum nocte vna Angelus Domini perimit 4.Reg.19. vnus à ruina euasit Sennacheribus scelestissimus & blasphemus Rex, qui postmodum filiorum suorum gladiis interemptus occubuit, ait enim: *Filij eius percusserunt eum gladio.* Sed cur à gladio Angeli eripitur moriturus gladio parricidali filiorum? Id insinuauit Eucherius dicens: *Nec Angeli perijt gladio quod erat commune cum pluribus; sed parricidio filiorum.* Etenim dicebat blasphemum Regem duriori & infamiori mortis genere perire, vt non Angelicis manibus, sed sceleratissimo & nequissimo gladio occumberet. Dauidi præliaturo arma dabantur regia, quæ repellit ille lapide contentus. Cur lapidem præfert armis regiis? Chrysost. *Quia Goliath*

Leo. Athanas. 4.Reg.19.

bis

his arma non meruit interire. Sic diabolus suorum manibus perit, quia alus interire non meruit.

Text. Et milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius, & veste purpurea circundederunt eum. Et veniebant ad eum & dicebant: Aue Rex Iudæorum.

§. XXXI.

Gloriosa homini est tolerantia pœnæ propter peccata inflicta.

CVr inter tot cruciarium instrumenta, inter clauos, inter lanceas, inter crucem, inter dura lora verberum ad coronam eliguntur spinæ? An quia spina fuit primi peccatoris iam pœnitentis mulcta? Sane de spinis Chrysost. loquitur hom. 17. in Genes. *Ecce maledicti monimenta, spinas & tribulos proferi terra.* Spinas & tribulos posuit Deus castigati & contriti hominis monimentum; monimentum, inquam, inglorium & contumeliosum carneis oculis. Verum quod in veritate mille hominibus parturiat coronas. Equidem corona est nostra quæcumque pro peccatis accipitur pœna, & quodcumque castigati peccati monimentum, etsi sordidum, non tam fœdat quam illustrat, quam coronat peccatorem. Immensas in septenario numero conclusas glorias dum expendit Naz. Theologus, incidit in illud Gen. 4. vbi de castigando Caini scelere dicitur, *Septuplum vltio dabitur de Cain.* Quid tunc? Septenarius numerus calamitosus erit? Cur pœnam, cur supplicium in numero septenario concludit textus? Pulcre respondit Naz. orat. in Pentecost. *Nam scelerum quoque pœna laudanda est, facinus Cain septies vindicatur.* Ideo parricidæ supplicium septenario numero denotatur, quia multum laude & gloria dignum castigati sceleris habet pœna. Sic Nazianzenum explicat Niceta inquiens, *Quoniam autem scelerum quoque pœna laudanda est, audi quid in Gen. libro habeatur, Septies animaduertetur de Cain, hoc est, septuplum cruciabitur pro eo quod fraterna cædis crimine seipsum constrinxit.* Etiam in Cain, in homine sceleratissimo peccati pœna apparet illustris, gloriosóque numero exornanda, vtpote quæ etsi affligit, dum tamen peccatum castigat, necessum est, vt mille honoris & gloriæ coronas pariat. Vnde prudenter monet Rupert. de Victor. Verbi Dei lib. 12. c. 50. eos qui verum Salomonem aspiciunt in corona, qua eum coronauit mater sua in die passionis suæ. *Nolite hoc solum videre in corona eius, quod spinea sit, videte in spinis illis illud, cuius præparatoria spinæ sunt, coronam gloriæ & honoris, sicut Psalmista cecinit, Gloria & honore coronasti eum.* Iam spinæ nil prius præseferrent quam coronam. Vbi peccatori homini in pœnam, vbi veteris peccatorum supplicij monimentum sunt, pro coronis, pro gloria subiiciuntur, gloriæ & honoris referunt coronas. Sanè Dauid peccati reus 2. Reg. 12. regales vestes cauit, lugubrem accepit amictum, ieiuniis, vigiliis, squalore sese mulctauit acriter. Quidni? Sub squalore & luctu sordibus regium splendorem amisit? Imo nonquam magis gloriosius in regni ambitu claruit. Accipite D. Saluianum de Gubernat. Dei libro secundo, *Dauid purpura exuitur, diademate exhonoratur, totum Regem cum ornatibus suis abycit, prouidum pœnitentem cum patrocinio ambitiosi squaloris assumit.* Expende illud cum patrocinio ambitiosi squaloris, quippe ambitio, exuberans quædam gloria est & honor excedens, nec aliter melius explicari posset luctus & squaloris præstantia, quam per exuberantiam honoris & gloriæ. Abiicit Dauid peccator Regium diadema, regales purpuras: sed ambitioso, hoc est, glorioso nimis fulget squalore, quandoquidem id regale & gloriosom est quod in peccatorum castigationem subitur. Hinc æstimauerat Bachiar. pœnitentiam quando epist. de recip. lapsi premit significationem illius ciuitatis refugij, quæ in sorte Galaad dicebatur Ramoth. Deut. 4. nimirum *excelsa mors.* Quocirca inquit ille: *Vere excelsa mors pœnitentia esse dicenda est, cum mortificatis membris deducatur homo ad excelsa cælorum. Rationabiliter excelsa nominatur, quia multa nobilius est per pœnitentiam mori.* Quod iam supplicium infame? Quod dedecoris monimētum horribile? Sanè si supplicium pro peccatis acceptatur, si dolor, squalor, si spinæ, si mors ipsa animose in scelerum pœnam subitur, de his præstantius quoddam nobilitatis & gloriæ stemma potest effingi. Sanè peccati & maledictionis crucifixæ potestati tribuit D. Athanas. de diuin. Christ. vocem illam, *Hodie mecum eris in paradiso.* De qua sic ille, *O miraculum ingens maledictionis crucifixa aperuit paradisum in promissione latronis.* Adeo excellens est culpa castigata, & maledictio crucifixa, vt sub eius habitu filius Dei patefaciat paradisum.

Marginal notes: Chrysost. — Genes. 4. — Naziànz. — Rupert. — Saluian. — Bachiar. — Athanas.

§. XXXII.

Christus Dominus spinis coronatus suos protegit & aduersarios expungit.

O Quam custodit diuinus agricola vineam suam! horribiles pro sepe circumcidit spinas, quibus & Domini Sabaoth vineam vallat, eámque aduersariis facit inaccessibilem. Merito D. Hier. tribuit Christo Domino illud Oseæ 14. ex lect. Sept. nimirum, *Ego quasi iuniperus cooperiens.* Etenim, vt ait Theodoretus, iuniperus semper viridis est, & coma redimitur aculeata, sic Christus Dominus dum spinarum aculeis redimitur, iuniperus est nobis, *Ego,* inquit, *quasi iuniperus operiens,* quasi diceret, iuxta Theodoreti verba, *Omni studio te curabo, ab omnique pernicie tutum efficiam, & inuadentem quasi quibusdam aculeis perterrefaciam.* O semper viride lignum Christus Dominus vera iuniperi arbos, coma aculeata redimitus, spinis durissimis comatus, nunquam sanè à pernicie tutior humana vinea, quàm dum his aculeatis Christi comis obumbratur. Hæ nos tutantur spinæ, & aduersarios nostros inuadentes perterrefaciunt. Et quidem aculeatus & spinosus ille rubus, qui Moysi inter flammas virescebat, similem aduersariorum minabatur perniciem. De quo pulcre Philo existimans per rubum intelligi populum afflictum, sic pergit, *Enimverò rubus frutex debilis est & senticosus, & se tangentes vulnerat. Hic signabat exhortationem quandam, tantum non sic inclamantem pressis calamitate. Nolite succumbere, hæc vestra infirmitas est potentia qua punget & verberabit plurimos.* Hæc clamabat Philoni rubus senticosus mediis virescens flammis diuinis: sed altiori voce id clamant spinea & senticosa Christi Domini tempora, quorum infirmitas dum diris transuerberatur aculeis, vera potentia est, quæ punget & verberabit inimicos. Vnde eleganter Clemens Alexand. 2. Pædag. cap 8. notat & rubum in flammis virescentem, & spinam in Christifero capite eandem potentiam & efficaciam protendisse, sic enim ait, *Quod primum per rubum visum fuerat verbum, per spinam rursus assumptam ostenait esse eiusdem potentiæ.* O quam benè respondent postrema primis? in principio rubus in diuinis flammis visebatur, modo in diuino capite apparet spina infixa, ibi per rubum patris verbum sui populi aduersarios deuastandos conterendósque ostendit, hic per spinam infensissimorum hostium vulnerationem insinuat, vt pateat quod & rubus ille, & spina hæc eiusdem sint efficaciæ & potestatis indices. Fallor nisi huc respiciunt illæ Gedeonis ad viros Socoth factæ minæ Iudicum capite octauo. *Conteram carnes vestras cum spinis tribulisque deserti.* Vbi enim spineus apparuit Deus, quid aliud, quam perniciem & contritionem protendit hostibus.

Marginal notes: Osea 14. — Theod. — Philo. — Cl. Alex.

§. XXXIII.

Humana omnia decora, Regios titulos, coronas, splendida ornamenta vt res ludicras, summique squaloris & angustia plenas in se ostendit Christus Dominus.

NOn casu Iesus in spineam coronam incidit; sed vt Iudæos nil aliud in Messia expectantes quam temporale Regnum, & simul omnes gentes Regium splendorem, tantum non adorantes edoceat, quam sint caduca omnia, quam ludicra, quam vana, quam plena angustiis. Alexandriæ ciues, Agrippæ Herodis nepti regium nomen & decus à Cæsare acceptum inuidentes, vt tantam dignitatē ludicram ostenderent & fœdarent ludibriis, quid non audent? Accipite Philonem libro in Flaccum sic sui Regis deplorantem ludibria. *Erat quidam puerorum adolescentiumque ludibrium. Hunc miserum propulsum ad gymnasium in superiori loca statuunt, vt aspectari possit ab omnibus. Mox que capiti diadema imponunt papyraceum.* (nimirum ex iuncis marinis confictum, est enim papyrus idem quod marinus iuncus Plinio lib. 13. cap. 11.) *Pro paludamento corporis stoream induunt, pro sceptro frustum arundinis quidam ei dedit in manum; tum alij salutatum accedebant.* &c. Sic illi regiam Iudæorum dignitatem ridebant, sic regium omnem splendorem ludicrum, senticosum, & vanum proclamabant. Vtinam iam inde Iudæi animo ebiberent vniuersi regni temporalis contemptū,

Marginal note: Philo.

vtinam iam inde humana decora, corona, sceptrum, omniáque splendida suspecta & inuisa manerent mortalibus. Sed quod insensati hominis spectrum non potuit, hoc omniscia Dei sapientia perficiat. Ecce tibi Deus ipse immortalis, homo factus, imò non homo; sed opprobrium & ludibrium hominum, papyraceo, hoc est, senticoso, & spineo diademate coronatus, arundine pro sceptro donatus, Rex salutatur, vt regias omnes glorias mundiales deducat in ludibrium. Rectè D.Laurent.Iust.de Triumph.Christ.agone c.14. inquit. *Hoc indicauit mediator, qui illudi voluit sicut in corona spinea, ita & in sceptro arundineo. Merito terrena dignitas arundini comparatur, quæ exteriùs viret, & tamen infructuosa, intúsque inanis est & vacua. Quis in aspectu primo potentum sæculi non appeteret fastum? quidquid in ipso est arridere & virescere creditur. Accede autem propius, diligenter considera quantis intus agitetur curis, quale etiam foris præferat germen vtique inutile & cito periturum.* Spinea proculdubio est vniuersi orbis corona, arundineum sceptrum, ludicra humana decora; hanc omnium mundialium gloriam præfert ideam qui verax est, qui falli nequit, qui omnia suis propriis vocat nominibus. Hinc æstimat humana omnia etsi splendida & regia, Nazianz. agens de externi hominis vilitate dum inquit. *Audacius quidem fortasse, sed verè tamen hoc dicam: Deo ludus est homo, ludus, inquam, non absimilis eorum, qui in vrbibus spectari solent: larua quædam manu atque arte fabricata externè conspicitur*, &c. Papæ! solemnissimus ille ludus est, in quo in primis larua quædam confingitur aureis illustris armis, paludamento conspicua, cristato superbia pileo. Huic laterones adduntur, hinc inde aurei iuuenes igneos agitantes equos, antecedit innumera tibicinum turba: sonat fistularum clamor suauis, perstrepunt calcibus equorum arenæ, comitatus ordinatur pulcherrimus, ruit vulgus effusus ingentem gloriam miratus. Tandem in arenam venitur, ibi confixa firmiter larua, discedunt cuncti iuuenes, acceptísque lanceis, ad laruam recurrunt singuli, crebrísque ictibus tandiu inuadunt illam, donec lacera & priuata illa efficta exterius pulchritudine, apparent viles calami, rudes arbusti, iuncea & papyracea, quibus latenter tota illa constabat efficta: & quæ regio venerat comitatu, in platea linquitur ad puerorum ludibrium. Huic non absimilis ludus est homo, est, inquam, Dei ludus humana felicitas, ludus laruæ illi non absimilis. Splendet totus aureus, diues, fulgurat Rex superbus, arduus corona, potestate diuinus, illi vniuersæ parent creaturæ, Regis ad Imperium totus componitur orbis: ast breui tota hæc pompa finitur. & qui splendenti cingebatur comitatu, nil circum se aliud videt quam spicula, quam lancearum mucrones, quibus efficta illa maiestas ludibrium fit, & in corona, sceptróque tantum apparet fragilis arundo, diræque spinæ. Proh humanarum felicitatum ludus! Meritò Abacuc cap.1.aureos mundi Reges Satanæ appellat ludibria, ait enim. *Tyranni ridiculi eius.* Vbi legit Theodoret. *Tyranni ludibria eius.* Et subdens statim rationem inquit, quia *per lusum magis, quam dedita opera & serio etiam maxima regna deleuit.* Quasi dicat in ruina imperiorum non obstupescas Satanæ crudelitatem ingentem: sed nosce lusus ridiculos, non enim aliter accedit ad humanos splendores euertendos, quam accedunt homines ad res ludicras, ad laruarum instituendos ludos, quando inter lancearum ictus, exteriori decusso fuco, apparent calami, & papyraceæ arundines machinæ illius afflictæ.

Laur.Iust. — Nazianz. — Abac.1. — Theodor.

§. XXXIV.

Diuitiæ vt intra cordis sepem detrimentosæ sunt, si extra positæ fructuosæ & vtilissimæ.

AVdisti sæpius verbum Dei inter spinas decisum velut semen suffocari, nullúmque in fructum exsurgere, & modo diuino verbo faces superponuntur spinarum, an vt sterilescat & suffocetur inter spinas? Hoc crediderim intentum esse à reprobis agricolis, dum spinas conglomerant super caput diuinissimum: at sua illos fefellit temeritas, non enim spinæ, quæ aream coronant, damnosæ sunt; sed quæ in areæ corde nascuntur, hæ perdunt semina. Pulcre D.Athanas.de Pass. *Spineam coronam gestat Dominus, vt sollicitudinem nostræ vitæ extirparet. Quo & sementem verbi à spinis depurgatam haberemus.* O nouam purgandæ à spinis verbi areæ rationem! Spinæ semen verbi Dei suffocant, & spinæ verbum Dei coronant, vt sementem verbi fœcundam conseruent? Iam percipies mysterium, si in spinis illud manifestissimum oculis notes: quando enim spinæ in intimis areæ nascuntur, tunc & aream fœdant & vniuersa semina suffocant, verum si non interius, sed exterius aream cingāt & coronent, tunc pro vallo & sepe sunt fortissima, quæ aream custodiant, & sementem tutam & fœcundam conseruent. Sic sollicitudines vitæ nostræ, sic spinosæ diuitiæ, si intimis radices agant præcordiis, venena sunt, pestes sunt animorum nostrorū populatrices, in nobisque diuini verbi semen vt spinæ suffocant, lacerántque, at si non in corde, sed extra habeantur, tunc validissimæ sunt, quas nulla bellua nocitura pertransiet. Accipe modo Satanam maximè querulum, quod nequiret Iobum expugnare, ait enim. *Nunquid Iob frustra timet Deum? nónne vallasti eum ac domum eius vniuersámque substantiam per circuitum, operibus manuū eius benedixisti, & possessio eius creuit in terra?* Ecce tibi diuitiæ spinæ sunt, & promptissima instrumenta Satanæ ad perdendas animas; quis diues saluabitur? nónne faciliùs camelus acus foramen, quam diues cœlum intrabit? Et tamen Satanas queritur se impeditum à diuitiis Iob, cur ita? Expende illius verba, & rationem attinges, nimirum inquit, *vallasti eū vniuersámque substantiam per circuitum.* Etenim non in corde, non in intimis præcordiis infixæ erant diuitiæ, sed exterius, pro vallo, pro sepe, non intima fœdabant: sed exteriora coronabant & circumcingebant eo vallo, quem nulla bellua transilire potuisset. Huc respexit D.August.Psal.103. concl.4.dicens de Iob. *Repulsus est tentator, obseratum est caput eius, penetrare non potuit ad cor. Muratam ciuitatem forinsecus oppugnauit, sed non expugnauit.* Sanè Eccles.7. *Vtilior est sapientia cum diuitys, & magis prodest videntibus solem.* Sed iam scire cupis qualiter sapientia sibi vtiles reddat diuitias, & facere possit, quod res adeò exitiales sint proficuæ. Id quod insinuauit Salomon in Prou.14.dicens. *Sapientum corona diuitiæ eorum.* Quasi diceret, non cordis intimo thesaurizatæ & occultatæ: sed exteriùs coronantes per circuitum vallantes diuitiæ vtilissimæ sunt & valde proficuæ.

Athanas. — Iob 1. — August. — Eccles.7. — Prou.14.

§. XXXV.

Angusta via spinis & tribulis plena omni homini & vtilis & arripienda.

SErpentinos morsus vt curaret serpens factus Dominus in ligno exaltatur, serpens, inquam, fit qui antiqui serpentis malo medicinam apponat, serpens veteris antidotus & hominum generi in primis salutaris. Ille vt homines à recto deuiaret, ad fructus pulcherrimos allexit, hic vt recta homines assereret in via, ad horrentes spinas & tribulos traxit. Pulcre alibi datus Naz.aiebat. *Papæ! quam magnus est homo, si serpentis in morem exuta senectute hic sese in altum extulerit.* Expendo illud, serpentis in morem: etenim decantatissimus hic mos est in aquilis, quæ sese exuta senectute renouāt, cur ergo Theologus nobis non Aquilas posuit in renouationis exemplum, sed serpentes? An quia serpenti modus est singularis, quo se renouat, & hominibus præ cæteris accommodatior? Ita sanè: serpens enim vt senectutem exuat, sibique nouam acquirat iuuentam, vias quærit cauernarum arctissimas, vepribus spinisque angustas, & inter vepres angustiasque primi ortus operculum (vt ait Naz.Scholiastes) exuit, & noua se iuuentute condecorat. Hinc diuinissimus serpens Iesus vt primi ortus operculum discuteret, vt veterem hominem ab homine exueret, vt in cœlestis vitæ nouitatem homines assereret, caput spinis, tribulisque dedit, & ab spinarum tribulorúmque angustiis docuit nouitatem vitæ exhauriendam. Hac item gradiendum est homini illi, qui & senectutem exuere, & iuuentutem induere velit, vna hæc tibi restat via, qua renoueris, nimirum per spinarum tribulorúmque angustias. Scitè pronuntiauit Psaltes suam per spinas renouationem, quando dixit Psalm.31. *Conuersus sum in ærumna mea: dum configitur spina.* Expende quando accidit interioris hominis renouatio, quippe dum configitur spina, hæc vetustatem vitæ deleuit, & nouitatem suggessit. Ibi D.August. *Quid factum est cum configeretur spina? Datus ei sensus doloris, inuenit infirmitatem suam. Et ille qui tacuerat confessionem peccati sui, vt clamando in defensione peccati sui inueterasceret virtus eius, id est, ossa eius conuerterentur in vetustatem, modo quid fecit confixa spina? Peccatum meum cognouit, si ille cognoscit, & ille ignoscit.* Sanè nunquam inutilis spina, nulli non commodæ angustiæ sunt. Vanus est qui in nouitatem vitæ ambulare nititur sine spinarum tribulorumque angusto. Premebat aliquando Nazianz. illud à Domino dictum. *In domo patris mei mansiones multæ sunt*, simulque numerabat plurimas

August.

ad

ad cœlum vias, quorum omnes non omnibus erant: non enim omnibus placet vita eremitica, non omnibus apta est diuinarum rerum contemplatio, paucis arridet cœlitibus, ideo plurimæ sunt viæ, vt quisque sibi magis consentaneam teneat. Hinc ille monet. *Quocirca ad quod quisque vitæ genus natura sua proclinior est, hoc sanè suscipiat, modo hoc omnibus curæ sit, vt angustum capessant. Vt enim non omnibus idem cibi genus arridet, ita nec Christianis omnibus vnum idémque vitæ institutum conuenit. Quámque omnibus in vniuersum optimæ vtilissimæque sunt lacrymæ, vigiliæ, labores: optimum item affectuum rabiem coercere, ingluuiem profligare, sub potenti Christi manu humiles animo genere, diémque aduentantem extimescere.* Hæc ille, vbi vna sola spinarum angusta via omnibus conueniens est, omnibúsque capessenda, qui vetustate deposita certum beatæ vitæ tramitem sequi velint.

De diuersorum vitæ generum beatit.

§. XXXVI.

Christi spinæ mentem in oratione coercent, vbi de dono orationis.

Drogo. QVis est ille, qui mentem in oratione diu quietam possit tenere? Audiuit Drogo Dominicam querelam, qua discipulos suos pungit dicens. *Sic non potuistis vna hora vigilare mecum?* Vnius horæ vigilias à nobis expectat Deus, & queritur quòd non sit qui mentem vna hora quietam teneat. Vnde ille. *Quis autem est Domine, qui tecum vna hora vigilet? Etiam in cœlo non est factum silentium: nisi, quasi dimidia hora, quanto minus in terra vna hora vigilabimus tecum?* Sanè difficillimè humana mens quieta silet, vix cum multo labore intra se coercita quiescit; vt merito addat Petrus Dam. serm. in Vig. Nat. *Non puto quod ille qui clausit cœlum oratione, clauserit animum à cogitatione, vt facilius sit cœlum obserare quam animum.* Illi tamen Dominus eum spinarum vallum per circuitum opposuit, quem minimè transilire queat. Ita D. Athan. inquit. *Spineam coronam gestat Dominus, vt omnes in securitatem assereret, quo in precibus mentem inconuulsam possiderent.* Tanto opus fuit vallo, vt mens humana sese quieta in precibus contineret, spinis Dominicis debet quicumque vagationem non patitur mentis. Iam hoc præmonstrauerat Gen. 22. aries ille, quem sacrificaturus Abraham vidit, *hærentem cornibus inter vepres.* Alioquin vagaretur aries, nec facilè sacrificio sisteretur, ni vepres illum prehenderent, & ne aufugeret detinerent, quia similiter Dominicæ spinæ mentem humanam coërcituræ erant, ne in oratione vaget inquieta. Quod Christo Domino tribuit D. Ambros. lib. 1. epist. 5. sic loquutus. *Aaron quidem semel stetit in medio eorum, obijciens se, ne mors transiret ad viuentium agmina, à funeribus mortuorum.* (Quod factum est Numer. 16. vbi ignis vorabat rebellem populum.) *Hic autem* IESVS *quasi verbum semper stat in singulis, quem nos non videmus; intra nos separans rationabiles virtutes à cadaueribus passionum lethalium & pestilentium cogitationum.* Ni enim Iesus non custodiret, imo insuperabili sepiret vallo, pestilentes cogitationes, virtutem animæ penitus inficerent. Nónne hoc putas maximum à Iesu beneficium? Sanè Paul. 1. ad Cor. 7. eam virginibus tribuit gloriam, nimirum. *Virgo cogitat quæ Domini sunt.* Adeo magnum est quod cogitatio nostra in Deum tranquille feratur, vt id solum sufficiens esset præmium virginitatis. Ita D. Hieronym. lib. 1. aduers. Iouin. aiens. *Vt nihil aliud esset, vt nulla merces virginem amplior sequeretur, sufficeret ei hæc sola prælatio, cogitare quæ domini sunt.* Quasi intenta ad Deum cogitatio, arduæ virginitatis sit & præmium, & gloria singularis. Cum enim dicit Psaltes 5. *Mane astabo tibi.* Sic Cyrill. in cat. Græc. addit. *Tanquam ingens gloria de castitate adducitur, quod statim à cubili Deo & Regi astet: & solem in agendis gratijs præcurrat.*

Athanas.

Genes. 22.

Text. Ioan. 19. Exiuit ergo iterum Pilatus foras, & dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras, vt cognoscatis, quia nullam inuenio in eo causam. Exiuit ergo Iesus portans coronam spineam, & purpureum vestimentum, & dicit eis: Ecce homo.

§. XXXVII.

Humanarum delitiarum & bonorum insigne est Dominus spinis & vulneribus obsitus.

SIste homo, & vide quibus accubes delitiis, perpende quæ te circundant bona, quippe spinæ sunt, tribuli sunt, qui te in mundo tenent, spinæ sunt tibi in amore, in voluptate, & nihil aliud circa te inuenies præter spinas. Huius rei manifestum exemplar asseritur in capite Domini spinis vndequaque vulnerato, quo oculis se pandit mortalibus. Pulcro id exemplo prosequitur Hugo Card. in cap. 2. Cant. inquiens. *Fecit Dominus sicut canis venaticus, qui feram insequens caput intra spinarum aculeos immittit, non timens exulcerationem vt feram capiat. Ecclesiam quasi feram intra spinas latitantem extraxit: sed punctiones spinarum vsque ad sanguinis effusionem sustinuit, in cuius signum spineam coronam portauit in capite.* Hæc ille; & sane nulla res sic exprimit asperas ferarum latebras, sicut venaticus canis cum illis spinis obsitus, & totus laceratus apparet. Is optimè demonstrat quibus lateant feris cubiculis, quam spinosis, quanta asperitate & malitia plenis. Vis homo videre mundialium voluptates & gloriæ quam scateant tribulis? quàm aculeatis cingantur stimulis? Ecce diuinus canis à cœlo dimissus, vt homines à voluptatum tyrannide, à mundialium gloriarum vanitate abstraheret, foras exiit totus spineus, totus dilaceratus, infixisque cruentatus vepribus tibi sistitur. Quid plura? D. Ambros. lib. 1. de Cain & Abel cap. 4. voluptatis domum seu latebram definit. *Nitebat autem regio luxu splendida, cælatis parietibus, & solo humido natabant pauimenta vino. Flagrabat vnguento humus, spinis cooperta, & marcentibus iam floribus lubrica. Illic comessantium tumultus, concertantium clamor, ligantium cædes, ridentium cachinnus, lasciuientium plausus, confusa omnia nihil naturæ ordine. Ipsa in medio stans voluptas. Bibite, inquit, & inebriamini, vt cadat vnusquisque & non resurgat.* Hoc in confusionis chao, hoc in nigro antro, vbi nullus ordo: sed sempiternus horror habitat, vbi cædes, contentiones, casus, & ruinæ pullulant, vbi marcentes flores, vbi omnia operiunt spinæ & tribuli, latitant mundiales gloriæ & delitiæ. Vt merito dicat Bernard. serm. 48. in Cant. *Plenus est mundus spinis: in terra sunt, in aëre sunt, in carne tua sunt. Versari in his & minimè lædi diuinæ potentiæ est, non virtutis tuæ.* Sed & diuina virtus dum hominum ferales mores insequitur, dum nos à vitiorum latebris in filiorum adoptionis lucem extrahere nititur, spinarum punctiones non deuitat, imò totus spinis irretitus & laceratus manifestè indicat, qualia sint peccatorum suffugia & latibula. In voluptatis loco, in medio ligni paradisi latitantes primos peccatores insequitur Deus quasi à longè clamans, *Adam vbi es?* Iam ex tunc latebrarum angustias, & latentis, inter ligna voluptatum, extremam notans miseriam. Sic D. Greg. Pap. in 1. Reg. cap. 9. dicit, *Adam vbi es? quasi dicat, quia te in luce qua posui non inueni, demonstra te vbi posuisti.* Dic quibus voluptatis tuæ lignis tegeris, quibus angustiis premeris, quem in vepretum decideris. Sic hominis inter ligna paradisi asperum & aculeatum, miseriarúmque plenum suffragium Deus verbis notabat, cum latentem insequitur. Et nunc homine iam apprehenso, non in condensa ligni, sed foras egrediens spinis transfossum ostendit caput, totúmque lacerum corpus ipso spectaculo clamans, *Ecce homo.* Ecce vbi se homo coniecit, ecce voluptuosi horti ligna, quibus medius homo à principio latitat: ecce in quibus fugitiuus à Deo cubat peccator, quos illi voluptates parant accubitus, nimirum, spinas, tribulos, lamenas, quibus miserè perit.

Hugo.

Ambros.

Gregor.

§. XXXVIII.

Gloriosissimum Christo Domino quod homo prædicetur in præsenti, quandoquidem gloriosum hominem patientia facit.

ATtende verborum Præsidis ingens mysterium, *vt cognoscatis, ait, quòd nullam in eo inuenio causam: Ecce homo.* Dixisset nefarius iudex, Ecce Deus, ecce vnigenitus patris, ecce patrator miraculorum, ecce mortuorum vita, & sic viri illius clarius ostenderet innocentiam. At omnibus his prætermissis, vt ostendat, nullam in tali viro culpam inueniri posse, spinarum diris vepribus, crudelibus verberatum flagris, & totum dilaniatum vulneribus tacentem Iesum adducit, & dicit: Ecce homo. Et sane nullo tunc nomine amplius honestaret Iesum, eiusque necessariam & diuinam munditiem ostenderet oculis Iudæorum rebellium. Argutè Tert. lib. de Patient. ait de Christo Domino. *Qui in hominis figura propôsuerat latere, nihil de impatientia hominis imitatus est, hinc vel maximè Pharisæi Dominum agnoscere debuistis.* Quid illustrius in Christo Iesu? Quod ingenitæ præstantiæ argumentum clarius? In figura hominis latet, homo est inter

Tertull.

 verbera,

verbera, inter spinas, inter contumelias, inter lanienam totius corporis nihil de impatientia hominis imitatur. Ecce homo, qui inter inaudita tormentorum genera nihil exhibuit humanæ infirmitatis, quo nihil innoxius, nihil peius
Ioan.12. quiuit excogitari. Meritò Ioann. 12. dicebat Dominus passionem ingressurus, *nunc glorificabitur filius hominis.* Et qualiter nunc glorificabitur? an suæ deitatis gloriam antiquam manifestans? an vt in Thabor rutilans splendenti facie? Id
Cyrill. Hierosol. explicat Cyril. Hierosol. Catechesi 13. dum ait, *non quòd prius non haberet gloriam, glorificatus enim erat ante mundi constitutionem, sed glorificabatur tanquam Deus semper, nunc verò glorificatus est patientiæ ferens coronam.* Etenim hæc maxima & singularis hominis gloria, quòd patientiæ corona redimatur, hoc humanæ excellentiæ præconium præstantissimum, Deus æternum gloriosus apparet, verum filius hominis tūc in primis glorificatus est, quando homo nihil de impatientia hominis exhibet: sed pœnitentiæ in se refert coronam. Hinc præses stupet Iesum, & prorsus innoxiū, imò sanctum & gloriosum putat hominem quem nec ærumna commouet, nec flectit iniuria, nec dolor concutit. Sic viros illos Abraham & Isaac stupebat gladius, de quibus sub incredibili patientia gaudentibus sic D. Zeno serm. de Patient. loquitur. *Sub tanto non dicam humanitatis, sed ipsius naturæ metu læti sunt. Soli cedit affectus pietati, pietas religioni, fauet vtrisque religio. Medius stupet gladius nullo impedimento suspensus, mactatione terribili gloriam se præstitisse, non crimen.* Ecce modo Iesus in tanto naturæ metu imperturbatus, media in sui corporis laniena inuincibilis, stupet Præses, stupent cruciatus nullo impedimento suspensi, mactatione terribili gloriam se præstitisse, non crimen extorsisse. Cur, Pilate, inceptam Domini non consummas lanienam? lacerum innocens corpus verberibus, confossum vndique spinis venerandum caput, cōtrita membra omnia cur seruare tentas? à quo impediris ne prosequaris pœnas? Sanè stupent tormenta nullo impedimento suspensa se gloriam præstitisse, non crimen, gloriam, inquam, qua maximè prædicatur filius hominis.

§. XXXIX.

Humanissimum est pro alijs pericula subire: quibus nos Deo generans Dominus verum hominem se manifestat.

NOn Pilàti solius erat hæc vox, Ecce homo, sed spinæ, sed flagra, sed vulnera omnia sanctissimi corporis id clamabant, nimirum verum hominem eum esse, qui talia aliorum causa subibat discrimina. De homine verò Iesu
Act.1. August. ascendente in cœlum dicebant Angeli Act. 1. *Hic Iesus, qui assumptus est à vobis, sic veniet.* Quæ verba elucidans August. serm. 179. de Temp. inquit. *Sic veniet clauorum vulnera illæsa demonstrans, & foraminum cruenta monilia vobis filius sponsi cum coronam exhibebit cœlestis imperij, crucis vulnera non mutabit, quia signum filij hominis fulgebunt.* Ecce vobis filius hominis publicandus est & dignoscendus, vulnera eius reseruantur quæ clament, quæ elata voce, euidentique præconio asserant hominem illum, qui alienæ salutis causa talia accepit. O quam verus homo, qui etiam dispendio sui hominibus afferebat medelam! Quam verus homo, qui sui sanguinis largissima effusione brutescentia corda in hominum humanitatem asserebat! Quam verus homo, qui inter homines vni sibi asperam & aculeatam, aliis gloriosam gestabat coronam! Quàm verus homo, qui sic bestiis terræ imperabat, vt totus laceratus a feris persequutoribus timeretur! O quam verus homo, qui primus in mundo veros homines inuexit! Hinc sanè veros homines æstimabat huius disci-
Tertull. pulos Tertul. quod hominum causa nullis non traderentur tormentis. Sic enim aiebat Psaltes, *ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem; dedit dona hominibus.* Vbi ille lib. 5. in Marcion. cap. 8. legit, dedit dona *filijs hominum*, & subdit statim, *eleganter filijs hominum, ait. non passim hominibus, non ostendens filios hominum, id est, verè hominum Apostolorum.* Illi verè homines erant, qui incredibilibus doloribus suis nos Deo parturierunt. Eramus tenebrarum filij, iræ filij, diaboli filij, accesserunt Apostoli veri homines, quorum doloribus & cruciatibus facti sumus nō homines passim; sed filij verè hominum. O quam veri homines Apostoli, qui homines veros in mundo suis doloribus pepererunt, homo enim generat hominem, vt ait Philosophus! Sed verior homo Iesus, qui vnus omnium dolores accipiens vniuersos veros homines mundo dedit. Paulus carcere detentus, vinculis alligatus Act. 16. multam carcerarij familiam parturit Deo.
Chrysost. Vnde D. Chrysost. hom. 8. ad Ephes. *O beatam catenam! Quibus doloribus illa nocte parturiit? Quos filios peperit?* Ecce tibi vt dolores, vt vincula verum hominem Paulum efficiunt generatione numerosi examinis Christianorum. Vbi vinculis irretitus, doloribus pressus apparuerunt filij verè hominis, & ipse verus homo homines veros Deo genuit. Ecce ergo homo Iesus vinculis alligatur, spinis & tribulis obsitus! O beata vincula Iesu! ô felices laquei! Quibus doloribus nos generarunt? quos filios pepererunt? Attendite ad petram, vnde excisi estis, vnde qui eratis bruti, qui eratis lapides, filij hominum, & verè homines facti estis. Ecce homo, qui mille sui corporis lanienis generat mundo, & Deo veros homines, à quo filij verè hominis asserti accipimus cœlestia dona.

§. XL.

Homo seuerissimus vltor iniuriarum, vnde maximè timendus Iesus vt homo.

DIuina prouidentia actum est, vt prætermisso quod Dei erat in Iesu, id solum perfidis Iudæis panderetur, quod hominis esse videbatur. Ait enim, *Ecce homo*; quid perniciosius miseris ostendi potuit, quàm homo. Naturam hominis ideò à Verbi diuini persona assumptā putat Theodotus, vt Theodot. persona diuina humanæ naturæ rigorem tēperaret: sic enim ait hom. de Natiuit. *Non enim per assumptam naturam hominis peccatorem absterret: sed persona humilitate ad familiaritatem & amicitiam prouocat.* Quippe in Christo Domino erat persona diuina, & natura humana, hæc absterret peccatorem, qua est in vindicandis iniuriis seueritate: ideo persona diuina illi admiscetur, ne deterriti à natura hominis peccatores caderent; sed diuinæ personæ affabilitate illecti starent. Sola enim hominis natura ex se horrenda est, & summopere metuenda in castigando. Id quod in vno Elia perspicuè cernitur, qui populi peccatis offensus ait 3. Reg. c. 17. 3.Reg.17.
Viuit Dominus Deus Israel in cuius conspectu sto: si erit annis his ros & pluuia: nisi iuxta oris mei verba. Hæc in primis comminatus est sibi vindictam peccatorū reseruans, quos extrema fame seuerissimo iudicio premebat. Tandem fame ipse afflictus ad viduam, à qua panem accepit, dicebat. *Hydria farinæ non deficiet vsque ad diem in qua Deus daturus est pluuiam super faciem terræ.* Ad hæc eleganti serm. D. Chrys. inquit. *Incipit mitescere, & intra se misericordiam excreere. Dicit enim, Non deficiat oleum, donec det Dominus pluuiam. Antequam fame domaretur, misericordiam in danda pluuia Deo permittere nolebat dicens, Non erit pluuia super terram iuxta verba oris mei: nunc autem permittit Deo.* Et quidē vbi Deo permittitur vindicta, statim misericordia incipit clarescere, cùm autem totum supplicij ius penes hominem, iuxta Eliæ verba, erat, nil seuerius, nil districtius, nulla penitus misericordiæ scintilla apparebat. Quo patet seuerissimū in Iudæos, & peccatores iudicium, quando dissimulata omnino diuinitate, solum id quod hominis erat, exhibetur. Ait enim, *Ecce homo.* Heu, heu vos miseri quibus nō Deus; sed homo monstratur. O quam longè à diuina miseratione estis, si iuxta verba hominis affligendi estis. Quis non deterretur hoc spectaculo, in quo Deus sub offensi hominis figura totus latet? Equidem apud Matt. c. 19. dicit quidam ad Iesum. *Magister bone, quid faciam,* Matth.19.
vt habeam vitam æternam? Qui dixit ei: Quid me interrogas de bono? Vnus est bonus Deus. Quasi diceret, non ab homine iniuria affecto expectes bonitatem, sed rigorem: vnus Deus est, qui inter iniurias nouit bonus iniuriantibus esse. Ita D. August. lib. 1. de Trin. c. 13. fatus. *Quid me interrogas, inquit, de* August.
bono? Idest, istam formam quam vides, quid interrogas de bono, & vocas me secundum quod vides, magistrum bonum? Hæc forma filij hominis est, hæc forma apparebit in iudicio non tantum iustis, sed impijs, & huius formæ visio non erit in bonum eis qui male agunt. minùs enim scit homo misereri, quàm Deus, vt vel ex hoc capite maximè timeri debeat homo iniuria tactus. Et quidem illud maximè expendo, nimirum, *huius formæ visio non erit in bonum eis qui male agunt.* Quippe hæc ipsa humana Saluatoris figura maximè in iudicio torquebit malos. Alij expauent Absalonem à quercu suspensum, & lancea transuerberatum: ego adstupeo magis, quòd in illum lanceam contorserit Ioab; Ioab, inquam, ille amicissimus, ille qui toties pro illo intercesserat apud Danidem patrem 2. Reg. 18. Id quod ponderans D. Chrysost. in Psal. 7. fatur. *Quod est admirabilius, qui patrem ei reconciliauit, is ipsum interfecit, prope modum instans vehemens accusator.* Planè ea ipsa Saluatoris figura, quæ nobis Patrem reconciliauit, nos in iudicio & accusabit, & damnabit, & tradet flammis.

CAPVT

CAPVT IV.

De ijs quæ à Cruce exhibita.

LATA Præsidis sententia in Iesum fuit, nec mora, omnia ad supplicium necessaria confestim parantur, militum adest cohors, tristia æra sonant, feralis à prætorio procedit pompa, altè boant Præconum clamores, visuntur expediti carnifices, & tandem post duos latrones apparet Iesus grauissimo ligni compressus pondere. Procedit ouans summus creaturarum Imperator, verus Isaac ligna sacrificij reportans, Iacobo præstantior scalam præferens, qua descendente nullo, omnes ad cœlestia ascendere possint, alter Sanson cœlestis ciuitatis portas tollens in montem. Quid plura? Compressis lugentium lacrymis, cruce ad tempus Simoni Cyrenensi tradita venit in Caluariæ locum, vbi nudus in ligno diris clauis suffigitur stratus solo. Dein cruce in altum sublata medius visitur inter latrones, furentium hominum, procaciúmque linguarum factus scopus.

Ioan. 19. Susceperunt autem Iesum, & eduxerunt, & baiulans sibi crucem exiuit.

§. I.

Animosè & intrepidè pericula oblata, etsi grauissima amplexanda sunt.

ECce qui ad calicis poculum trepidabat, modò ingentem dolorum canalem, nempe crucem sibi animosè, & absque trepidatione baiulat. Crucem, inquam, baiulat sibi Dominus, qua pressus mons ipse Caluariæ quatiebatur. Nónne legis, quòd sublata in altum cruce terra tremuit, & petræ scissæ sunt? Quæ tantæ commotionis causa? Eam D. August. insinuat serm. 119. de temp. aiens. *Terra ipsa concussa à fundamentis suis, quasi quæ crucem Domini vix sustineat.* Tantæ molis crux erat, vt eam vix magnus mons sustentaret, quam tamen infirmi flagris Christi humeri sibi baiulant. Quando terra, quando montes sub pondere crucis tremunt, quid sub illa pateretur contrita & lacerata Christi Domini caro? O diuinus Cypri botrus, quàm exprimebaris sub ingentis ligni grauedine! Nec tamen dubitat tam impar subire pondus; sed animosè & intrepidè illud amplexatur. Vt eleganter dicat D. Cæsar. dialog. 3. *Deprecabatur poculum, nos instruens in pericula non insiliendum esse; sed aduenientia fortiter ac viriliter esse suscipienda. Ideo crucem per meditationem æstimatam certo consilio deprecatur quidem, exhibitam verò super humeros tanquam victor tollens ibat sponte in ea clauis suffigendus.* Quis filium hominis in horto contremiscentem videns vel ad crucis odorem, crediderit in stadio animosè ab illo terribile lignum asportandum? Quis calicem à Domino fastiditum & recusatum videns putarit immensum doloris pelagus ab illo superandum? Sed hæc est validissimi pectoris fortitudo, quæ non insilit in pericula, imò quoad potest pericula refugit, verùm periculis exposita intrepide & animosè omnia nititur superare. Non sic vanissimi homunciones; sed vt ait Psalm. 77. *Filij Ephrem intendentes, & emittentes arcum, conuersi sunt in die belli*, domi crucem cædésque minitantur, in arena verò dama, ceruóque fugatiores existunt. De quodam, qui Leo dicebatur, pulcrè admodum Claudianus libr. 2. in Eutropium ait illius voce.

Auguſt.

Claudian.

Me petit hic sudor, nunquam mea dextera segnis
Ad ferrum: faueat tantùm Tritonia cœptis.
Inceptum peragetur opus: iam cuncta furore
Qui grauat, efficiam leuiorem pondere lanæ
Tragibilam tumidum: desertoréśque Gothunos
Vt miseras populabor oues.
Interea. *Ecce leuis frondes à tergo concutit vmbra.*
Credit tela Leo, valuit pro vulnere terror,
Impleuitque vicem iaculi, vitámque nocentem
Integer, & sola formidine saucius efflat.

Huc adsint vanissimi isti promissores, & videant summum Imperatorē Christum in horto trementem, & refugientem lignum mortale; sed in arena factus intrepidus lignum tollit, humeris imponit, & fatigatus, sed non satiatus cruciatibus montem ascendit enecandus. Sic Isidorus Pelusiot. libr. 1. epist. 289. *Etenim Iesus crucem, cùm adhuc in eo pararetur, detrectabat: at idem iudicis sententia cruce damnatus eam tanquam victor humeris tollens incedebat.* Sic ille.

Isid. Peluſ.

§. II.

Errantem, & infirmam Adami ouem reducturus humeris ad caules Iesus, immensum crucis pondus prius sustinet.

QVi grauissimo ligno crucis humeros supponit, quod deinceps onus recusabit? Grauabit ne errabunda ouis humeros illos, qui crucis sustinent pondera? Imò crediderim pro paruo esse à Domino reportandam Adami ouem, ex quo lignum crucis portauit. Id insinuabat Nazianzen. orat. 21. in Pasch. vbi sic ad humani generis ouem loquitur. *Venit Dominus ad montes & colles vbi sacrificabas, & palantem inuenit, inuentam eisdem humeris, quibus & crucis lignum sustulit.* Solent leuissimi cursores, ne in cursu calceorum grauedinem sentiant, plumbeis laminis grauare pedes, quùm de more ambulant. Item ingenti & rudi ligno, sine arenarum sacco donantur dorsa, quæ facili negotio, & sine reluctantia quotidianis oneribus raptantur. Nónne infamia crucis à Iesu sublata, maius pondus habuit in diuina statera, quàm vniuersa hominum peccata? Nónne laboriosius Deo facinus, obedire vsque ad mortem, mortem autem crucis, quàm peccatori parcere? Quid ergo facilius, & lenius humeris grauissimo crucis ligno domitis, quàm infirmam & palantem ouem reportare? Imò à cruce lætus & gaudens ibit Dominus ad ouem, etsi languidam, etsi mille vulneribus effossam, etsi grauè olentem. Homo quidam incidit in latrones, Luc. cap. 10. à quibus grauiter percussus, & cruore, & puluere fœdatus in via relictus est. Illum Samaritanus offendit, & misericordia motus curauit vulneratum, & in stabulum portauit. Quid plura? Ait Diuus Anastasius Sinaita, libr. 11. Hexaëm. *Homo ille qui incidit in latrones, fuit protoplastus Adam, neque cum vllis minis eum curauit & gestauit humeris, quibus Iesus crucem.* Expendo illud, neque cum vllis minis, vidi sæpè pueros vulneratos & curari à parentibus, & simul reprehendi, & minis angi, tunc maximè cum propria malitia in pericula inciderunt. Cuiusmodi erat homo iste sensu paruulus, qui propria malitia se latronibus confodiendum dedit, & confossus tabo & sanguine volutabatur. Dignus sanè qui & reprehenderetur simul & curaretur: at nouus & diuinus Medicus Iesus omnino tacens sine vllis minis, nullis terrentibus vocibus vulneratum suscipit humeris, vbi crucem. Etenim vbi crucem accepit, non indignatur subire oues palantes & vulneratas, earúmque facilè sustinet infirmitatem lætus & placidus. Fallor nisi huc respiciat D. Pacian. in Parænesi ad pœnitent. aiens. *Propter vnius ouiculæ detrimentum ceruicibus suis & humeris Dominus non pepercit, integrato gregi referens peccatricem delicatam.* Quid illud, peccatricem delicatam? peccatrix delicata est anima, quæ mille vulneribus confossa, remedia fastidit austera, ieiunia longa refugit, à flagello abhorret, grauatur oratione, pigritat in eleemosyna, at omnem asperámque medelam tremit. Hanc à salute expellerent Medici vniuersi, quis peccatricem & delicatam sustineret, nisi qui sustinuit crucem? Hic vnus ex quo humeros vasto crucis ligno edomuit, non pepercit illis propter vnius ouiculæ detrimentum; sed integrato gregi etiam delicatam peccatricem retulit. Hinc Drogo aiebat libro de Sacram. Passion. *Vade iam secura ouis Ioseph, Christus te portat super humerum suum. Fortis est humerus eius, noli timere.* Cur non fortis humerus, qui graue crucis pondus sustinuit? Qui tanto ponderi non succubuit? Sanè ab illo omnia reliqua parui ducit.

Nazianz.

Sinaita.

Pacian.

Drogo.

§. III.

Perfectissimi viri crucem tollunt, cæteri illam reptant.

NOn omnium est crucem tollere; sed plurimi illam reptant, qui non Christi amore; sed necessitatis, vel timoris vi pœnas dant innumeris suis peccatis. Hinc visa Domini gloria in Thabor, Matth. 17. timore perculsos & humi deiectos Discipulos videbis, quando *accessit Iesus, & tetigit eos, dixitque eis, Surgite, & nolite timere.* Quicumque sub timore est, humi reptat, & prostratus iacet, qui iubetur timore excusso sese in altum tollere, vt placiturus Deo non timeat; sed amet. Ita modò D. Anselm. prædicta premens verba. *Cùm nos infirmitatem nostram agnoscentes humiliter iacemus, tunc virtute Spiritus sancti tangimur, & ad robusta opera*

Matth. 17.

Anſelm.

opera surgere præcipimus, qua non per timorem, sed per chortatem faciamus. Ille sese maximè tollit, qui per amorem & charitatem operatur, qui amore Christi cruentam eius crucem amplexatur. Felices illi, quorum in manibus crux Christi non humi repratur, & quasi per vim ægrè, & difficulter trahitur: sed sublimis effertur, hoc est per charitatē & amorem amplexata, quasi in altum sublata præeminet. Pulcrè

De diuersorum vita generis beatis.

Nazian. *Beatus qui facultatibus omnibus, copiisque suis Christum emit, ac pro omnibus opibus crucem habet, eamq́; sublimiter gestat.* Huc ades tu, qui cruciformium dolorum pondere pressus humi reptas, qui & sub aquis amaricantibus mundi huius & sub cruce prostratus crebra mittis & tristia suspiria. O quam beatus eris, si decideris qualiter crux sit tollēda. Non statim ille beatus qui crucem habet: sed qui crucem sublimiter tollit. Crux per vim & metum raptata multum erit, si prosit: tunc beata portantes, & erigit, quando ipsa sublimiter per amorem & charitatem extollitur. O quàm sublimiter portabatur crux à Domino, quando eam illi non vis, non necessitas, non metus; sed summus Patris, & hominum amor imposuit! Vis scire quàm sublimiter à Domino tol-

Drogo.

lebantur? Audi Drogonem sic cum Iesu crucifero loquentem. *O maxime Imperator! quomodo, aut quò portas imperium tuum super humerum tuum! Humerus tuus altus est, & pertingit vsque ad Patris consessum super omnem principatum, & potestatem, & virtutem.* Ecce tibi quàm sublimiter, quàm altè crucem portabat Christus Dominus, quādo illam non tam ex Pilati prætorio, quam ex amātissimi Patris subibat præscripto, quando eam non humero timore ad terram prostrato; sed super omni creata erecto, & ad Patrem vsque eleuato portabat. Sic alto in Deum humero, sic amore sublimi crucem tollimus, & prorsus inimicos superamus. Sic ille qui

Galat. 6.
Bernard.

dicebat ad Galat. 6. *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini.* Quæ verba sic expendens Bernard. *Quid nos ad ista dicemus, quòd non sapit etiam nobis quæ pro Christo est tribulatio, quòd non gloriamur in cruce, quòd non gustamus manna absconditum? Sit gaudium in tribulatione, & non habet malignus vnde iam illiciat, vnde deijciebat. Nihil enim proficiet inimicus in eo, quem Christi crux delectat.* Ita Bernard.

§. IV.

Crux Christi eleuat, & sustentat portantes.

MIrabar contritam Christi Domini carnem, dirisque vulneribúsque confossam sub tanti crucis ligno vel gradum posse facere. Eteoim post tot millia verberum, post spineæ coronæ cruciatum, post vigilias funestissimæ noctis audio, quòd Iesus baiulans sibi crucem exiuit. Quidni? Exibat crucem baiulans sibi, à qua sustentabatur, & eleuabatur infirmissima tunc Christi Domini caro. Id quod notauit

Drogo.

Drogo lib. de Sacram. Pasch. his verbis. *Crux gloria tua est, crux imperium tuum est super humerum tuum, portas portantem te.* Ea est virtus crucis postquam Dei carnem pressit, quia eleuat & sustentat portantes. Audisti ferrum magneti applicatum illam induere à magnete virtutem, qua & magnetem eleuat, & ferreos alios clauos? Sic crux cœlesti imposita carni illam eleuat & sustentat, & simul omnes alios, à quibus portatur, facit in cœlestia reuolare. *Iugum meum suaue est, & onus meum leue,* aiebat Dominus, vbi expendendum illud, leue est, quādoquidem quod leue est, semper in superiora facit leuitare, sic iugum Christi, sic onus in cœle-

Paulin.

stia nos leuitare facit. Vt pulcrè D. Paulinus epist. 4. dicat. *Iugum Christi leue est, quia feruentes Christo operamur bona, quibus pennati in altum proueh mur.* Hæ sunt Christianæ cruces, Christianæ tribulationes, quæ nō pondera ponant: sed alas addant, & in cœlestia à terrenis faciant euolare. Scriptum

Genes. 7.
Anselm.

est Genes. 7. de aquis diluuij, *Vehementer inundauerunt, & leuauerunt arcam in sublime à terra.* Ad quæ D. Anselm. serm in cap. 14. Luc. sic fatur. *Quid enim per aquas nisi tribulationes, & quid per arcam, nisi Ecclesia figuratur? Aquis ergo inundantibus leuatur arca in sublime à terra, quoniam aduersis irruentibus separatur à terrenis cupiditatibus fidelis anima, & cœlo fit proxima.* Non nouum est ab aquis nasci alites, quæ quidem in principio ex aquis ortum habent, ne miremur quod ab aquis tribulationum & cruciatuum fideles pennati fiant, vt cœlestia scandant: & quādo gigantes illi prophani gemunt sub aquis, nos acceptis alis ab aquis reuolemus in astra. Huc referam D. Anastai. Sinaitam lib. 7. Hexaem. sic loquen-

Ad Thess. c. 4.

tem. *Quos exeuntes de aquis volucres stupens Isaias clamabat, quoniam sunt hi, qui vt nubes volant? Hæ sunt volucres, quæ rapiuntur in nubibus obuiam Domino in aerem.* Nimirum qui à cruciformi tribulationum mari plumescunt, non humi repant: sed pennati venturo in nubibus cæli Domino cum potestate magna ipsi in aere obuiam procedent coronandi. Vnde Chrysost. homil. 61. ad populum sic fatur. *Te vellem occurrere hominis de theatro redeunti, & alteri de carcere egresso: videres vtique illius animam pauidam, tumultuantem, & vere ligatam, huius autem liberam, solutam, & pennatam.* Etenim cruces & tribulationes pennas addunt humanis animis.

§. V.

Nunquam Dominus spectabilior quàm sub Cruce.

HVmeris accepta cruce non iam in domus secreto teneri vult Dominus; sed continuò exiuit oculis conspicuus creaturarum. Non sic quando decorem indutus est, quando splendentibus vestibus in Thabor radiauit, tunc oculos fugit hominum, & paucis testibus secretum mandauit. Hæc omnium Regum cura est maxima, quod auro fulgidi obtenebrentur domorum latebris, verùm ferro induti, hasta graues medium prosiliunt in campum ab omnibus spectandi, Id quod eleganter notat D. Chrysol. ser. 6. Chrysol.

de Pass. his verbis. *Rex quando gloriosior, quando auratus purpura, diademate decorus, aspersus auro ad pompam non parat iter sed hæc in secreto fiunt. Non sic quando in campum connixus vultu, honore vltimus, periculis primus, onustus ferro grauis armis pro patria, pro ciuibus, pro vita omnium premit hostem.* O quam tunc amat videri! ô quam longè spectabilior sob ferro, sub hasta nitet! Ecce modò tibi Rex Regum, & Dominus dominantium Iesus, quando se vestit luce, quando gloriosus apparet, quando circundatur auro, hæc omnia in secreto facit. nūc honore vltimus, periculis primus, onustus graui pōdere, hasta horridus crucis, pro omnium vita premens hostem in locem exiuit & conspiciendus & conspecturus: & quidem nūquam magis eius splendor regius apparuit, numquam spectabilior, quam sub armis crucis. Vt merito dicat Bernard. serm. 45. in Cant. *Quam pulcher es Angelis tuis Domine mi Iesu, in forma Dei, in die æternitatis tuæ, in splendoribus sanctorum ante Luciferum genitus. Quam mihi decorus es Domine mi in ipsa huius positione decoris. Etenim vbi te exinanisti, vbi naturalibus radijs lumen indeficiens exuisti, ibi pietas magis enituit, ibi charitas plus effulsit, ibi amplius gratia radiauit.* Quid mirum, quod tanto armorum pondere onustus amet Dominus spectari, vbi sic regales omnes effulgēt Bernard.

virtutes? Quod tanta crucis hasta grauis nequeat domi teneri: sed in campum prosiliat, quandoquidem nunquam liberādum oculis apparuit spectabilior & pulcrior? Arnold. Arnold.

Carnot. tract. de septem verbis Domini in cruce, Christi Domini charitatem sic commendat. *Ad portanda aliena onera vrgetur, vltro demisso poplite curuat scapulas, nec graue iudicat eos pati, qui seipsos ferre non possunt: sed de alterius miseria beneficium ordinat & liberalitatem exornat.* Quippe nunquam ornatior & pulcrior diuina beneficentia & liberalitas, quam vbi sub alienis oneribus apparet. Hanc vnam Domini sub cruce pulcritudinem ostētabat illa quæ dixit Cant. 1. *Nigra* Cant. 1.

sum; sed formosa sicut tabernacula Cedar, sicut pellis Salomonis. An Salomonis illius aurei, qui eburneo è solio stuporem Sabæ Reginæ indidit? Minime; vana enim erat illius gloria & pulcritudo, & vincenda à quouis aruorum lilio. Hinc D. Paschas. lib. 3. in Threnos inquit. *Non de Salomone illo; sed de* Paschas.

Christo, cuius pelles sunt omnes sancti qui se mortificauerunt crucifigendo cum Christo carnem suam ad instar pellium mortuorum, quatenus possint in se Christi portare similitudinē passionis. Quasi nulla sit pulcritudo spectabilis: nisi quæ Christi sub cruce se conformat pulcritudini. Illi conspicui sunt, illi nitidissimi effulgent, qui crucis diuioæ in se exprimunt similitudinem, & ad instar Christianæ pellis extensæ in cruce suam conformant & effingunt vitam. Vnde de fratre exilio multato verba faciens Nazianz. orat. 7. ait. *Ideóque beatus ille exul ad nos est regressus sine sanguine victor, & magis ignominia quam splendore clarior.*

Text. Matth. 27. Exeuntes autem inuenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem: hunc angariauerūt vt tolleret crucem eius.

§. VI.

Pauperes eleemosynis conducat qui crucis pondus cupit à se excutere.

OPerarius Simon à villa veniens inducitur, vt ipse à grauedine crucis releuet Dominum Iesum. Qui ergo

in

in tollenda cruce leuamen cupit, qui pondus laborum minuere desiderat, códucat operarios, qui leuent, adhibitis suis humeris Sed iam cupis scire qoi sint isti operarij? Accipe D. Laur Nou. homil. de Eleemosyna, ibi notat pattem familias, qui exiit primo mane conducere operarios, & sic inquit. (Laurent. Nouar.) *Ille adiutores sibi adiungit operarios, & multiplicat in terrena cultura, & in agrum cordis sui dum solus colere vis, relinquis desertum? Homo, aduerte quod dicitur, spiritualis est, non carnalis illa cultura, de eleemosyna conduc operarios. Quos? Cacos, claudos, debiles, & alios his similes, hi sunt operarij parua mercede conducti.* Hos si cooduxeris, vide quid dicant, *nos portauimus pondus diei, & æstus*, & vere conducti eleemosyna pauperes totum portant pondus tuum, & tibi maximum leuamen ioducunt. O quam leuem crucem experieris, si operarios conducas pauperes! Huc referre libet Nazianzeni sententiam, qui orat. 2. io Pasc. dicit. (Nazianz.) *At tu libenti animo, iustis etiam rationibus, quæsitas opes excutias, atque in pauperum subsidium spoliaberis, vt leuiter crucem tollas.* Hac maxime ratione te ad facile & leuiter ferendam crucem poteris comparare, si pauperes adhibeas, quos eleemosynis foueas. Nullum inde crucis grauamen senties, imo talibus conductis operariis, excusso pondere placidè & quiete quiesces, & vel quiescens, vel etiam dormiens alarum leuitatem acquires, qua io æthera voles. Psalm. 67. dicens. (Psalm. 67.) *Si dormiatis inter medios cleros*, vel (iuxta aliorum lectionem) inter medias ollas, inter medios cacabos, ioter labia, *erunt pennæ columbæ deargentatæ.* Is ioter medias sortes, ioter medias ollas seu labia degit, qoi erogaturus eleemosynam, pauperum adest intentus petitionibus. Is ergo si inter pauperum exsatiata dormiat ora, erunt illi pennæ columbæ deargentatæ. Quid hoc? Pulcre D. Ambros. serm. 14. io Psalm. 118. ibi: (Ambros.) *Etsi dormias, exurgent tamen pennæ tuæ.* Tu qui pauperes operarios tecum habes, dormi iam secure, non portabis pondus diei, ne longas instituas vigilias, quibus te exoneres, crucisque sarcinam deponas, & si dormias, etsi somno indulgeas, te expeditum & pennatum iouenies, vt sublimia quæque tranare possis.

§. VII.

Maximi amoris signum quòd Deus aliquem ad crucis societatem accipiat.

ECce tibi repudiata Synagoga, nouæ sponsæ ex gentibus amores panduntur diuini, quando Simon Cyrenæus præligitur, qoi Domioicam accipiat crucem. Meritò D. Leo sermo. de Pass. 8. (Leo.) *Non fortuitum, sed mysticum fuit, vt Iudæis in Christum sæuientibus, ad compatiendum ei peregrinus occurreret, dicente Apostolo, Si compatimur & conregnabimus, vt sacratissimo Saluatoris opprobrio non Hebræus quisquam, nec Israelita, sed alienigena subderetur.* Papæ! iam gentes Dominus amabat, iam diuini amoris in nationes argumentum clarebat, quando illas ad crucem suam euocabat ferendam. Non sic amat Deus illos qui vocantur ad regna, quibus integrum voluptatum paradisum præstat, quam cui vnam sox crucis arborem credit. Nónne Mat. 16. dixerat. (Matth. 16.) *Si quis vult venire post me, tollat crucem suam?* Nec id diceret nisi maximè suos asseclas amaret, nisi hominum amoris flammis ardesceret. Hinc D. Basil. Seleuc. orat. de Transfigurat. (Basil.) *Dixit Dominus, Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me. Affectionem tuam probat crucis societas.* Datur crucis societas tunc solum, quando viget amor, vbi mutui amoris flammæ explicandæ sunt, Dominicæ crucis societas claret. Crucis enim morte Dominus honoraturus Petrum prius de amore longum interserit examen, adeo, vt dicat Ioan. cap. 21. (Ioan. 21.) *Quod contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, amas me.* Et post tam longum amoris examen, post trinam de amore interrogationem hoc innuit statim. *Cum senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis.* Tunc iam promittitur illi crucis mors, tunc admittitur Petrus ad crucis societatem, cum amore suo ostendit quam dignus sit quia à Deo ametur vsque ad crucis participationem. Sic Diu. Fulg. lib. 3. ad Thrasymundum Regem cap 24. inquit. *Cum ille tertio interroganti trinum amoris sui testimonium reddidisset, statim Dominus Petro ponendi pro se animam largitus est facultatem, dicens, Cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius cinget te.* Hoc reportant præmium qoos æquus amauit Dominus, qui nati sunt ad amorem, solos quos diuinus tenet amor, tenet crux, quæ ab Iudæis odiosis tollitur, & amaræ gentilitati porrigitur. Iam venit meditandum adumbratum illud Ioseph facinus Gen. 44. vbi præcipiens seruo suo ait. *Imple saccos eorum frumento quantum possunt capere, & pone pretium singulorum in summitate sacci, scyphum autem meum argenteum & pretium quod dedit tritici pone in ore sacci iunioris.* itaque triticum & precium omnibus dari iubet fratribus, verum calix quo ipso bibebat, Beniamin præ omoibus dilecto apponitur. Sic Dominus beneficia & passionis suæ pretium omnibus communicat affluenter, at calicem suom, quem ipse io cruce hausit, non nisi dilectissimus tradit. Huc spectat Ambros. lib. de Ioseph, cap. 11. fatus. *Triticum multis datur, scyphus vni. Non enim omnes, sed Propheta dicit, Calicem salutaris accipiam & nomen Domini inuocabo.* Iam Petro tradiderat Dominus cœli claues, & mundi clauum, vbi autem ad crucem veniebatur ait Ioan. 13. *Quo ego vado, non potes me modo sequi.* Quod D. Ambros. lib. de Isaac cap. 3. sic expendit. *Claues ei commiserat regni cælorum, & sequendo se imparem iudicauit.*

Luc. 23. Sequebatur autem illum multa turba populi & mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eum. Conuersus autem ad illas Iesus dixit: Filiæ Hierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros.

§. VIII.

Solus Iesus ante mortem canere potest victoriam.

MInimè decent lacrymæ triumphum, nec lamenta iocunda sunt triumphatori; vbi triumphus peragitur, lamentatio, & væ depellitur, carmen, & io sonat. Et quidem iubentur merito a Domino tacere lamentatrices, quando cantu & plausibus celebrandus iam visebatur Dominus. Hinc polchrè Titos Bostreos. ait. *Quid ergo illa molesta obstinataque eum lugebant, quem æquius erat plausu latóque acclamatione excipere: quippe qui mortem iam tunc extinctam, diabolum debellatum, & infernum euersum & conculcatum obibat.* (Titus.) Sanè in tentationum duello hoc omnibus hominibus innatum est, vt bellum & obluctationem non euadant, antequam persungantur vita. Quis enim in virtute confirmatior, quam Petrus post ruinam? Quis sic mortem potestatésque omoes euicerat ac ille? Et tamen in crucis stadio erat, & adhoc ibi luctam & carnis bellum sentiebat. Sic illi Domious Ioann. 21. *Cum senueris extendes manus tuas, & alius cinget te, & ducet quo tu non vis.* (Ioann. 21.) Expende illud, *quo tu non vis*, ea enim erat obluctatio, non illi suffecerat consenuisse in prælijs, vicisse flagella, triumphasse de tormentis, anxie expectauisse martyrium, adhuc tamen illi, dum viueret, lucta erat & certamen. Id quod elegaoter ponderat Diuos Prosp. (Prosp.) libro 2. de vocat. Gent. capite 28. *Quam compugnantiam idem Beatissimus Petrus etiam in ipsa palmarum omnium consummatione perpessus est, siquidem hoc Dominus protestatur, & dicit, Cum senueris extendes manus tuas, & alius cinget te, & ducet quo tu non vis. Quis ergo ambigat, quin ignorari hanc fortissimam petram, hoc desiderium semper habuisse, vt ei moriendi pro Christo constantia donaretur? Verum ita inuitabilis erat obluctatio trepidationis, vt vir martyrij auidissimus, adepturus quidem denunciaretur victoriam passionis; sed non sine tentatione formidinis.* Nec prius finienda erat lucta, quam vita. Solus Iesos luctuosas conficit luctas, ante quam morti succumbat, vix arma capessit, & omnes prosternit inimicorum insultus. Cum primum in arenam descendit, & arma exerit crucis, lacrymas fugat, & debellata morte victor exultat. Vt dicat Diu. Leo serm. 10. (Leo.) *Cum ergo Dominus lignum portaret crucis, manifestabatur fidelibus grande mysterium, quia gloriosissimus diaboli victor, & inimicorum virtutum potentissimus debellator, pulcra specie triumphi sui portabat trophæum, & inuicta potentia humeris signum salutis adorandum regnis omnibus inferebat.* Cum primum stadium iogreditur, & crucem amplexatur, debellatæ omnes rebelles potestates silent, & consopitis luctis, imo extinctis vniuersorum viribus victor procedit, posita iam quacumque formidine. Huc refero illud quod notauit Matth. cap. 26. nimirum quod initiaturus passionem, horum ingreditur Dominus, *& progressus pusillum procidit in faciem suam orans.* Sane dum se prosternit deuictis hostibus, accipiendæ coronæ sese aptabat. Vbi enim se Iob apperi ab hoste vidit cap. 1. *corruens in terra adorauit.* Sed quæ fuit hæc nobilis athletæ ad terram inclinatio? Pulcrè Orig. lib. 1. inquit. *Imperatores qui victores extiterunt non stantes, sed deorsum adorantes coronam accipiunt, sic Iob in prima tentatione*

ad

ad orationem se prostrauit vt perfectas tolerantiæ suæ à Deo acciperet coronas. Potiori iure hoc meditor in Iesu qui primo in limine certaminum sese prosternit, vt certas iustitiæ accipiat coronas.

§. IX.

Passio & crux Christi Domini omnes in se dolores ebibit, vt nobis inferat lætitiam.

PLangentes mulierculas dedignatur Dominus, non quia ipse non erat in luctu; sed quia accipiens ipse omnium nostrum lacrymas & dolores, exhibiturus omnibus erat gaudium & lætitiam. Ita in præsenti D.Ambr.inquit. *Ablaturus omnes lacrymas suæ beneficio crucis in passione propria futuræ instar beatitudinis lætitiam exhibebat.* Expendo illud, suæ beneficio crucis, vbi nescio quid suboleo agriculturæ. Enimuero quæuis planta terræ humorem ipsa exsugit, quo in se decocto, pro illo exhibet dulcem & maturũ fructum, & sic beneficio arborum, amari & lutei terræ succus & insipidæ pluuiæ in dulcedines commutantur hominum saluti cōmodissimas. Ita Dominica crux dum in se lacrymas peccatorum & luctus exsugit, suæ beneficio virtutis inde nobis salutares calices lætantiáque vina propinat. Huc spectauit acumen D.Anastas.Sinait. lib.5. Hexaëm. vbi inquit. *Primum miraculũ Christus fecit in aqua, quoniã tertio die aquam gentium cōgregauit in vnam congregationem, cum eam transmutasset vera vitis ab aqua in vinum lætitiæ.* Ecce tibi vera vitis, nimirum crux Dominica omnium peccatorum aquas amaras in se ebibit & transmutat in vinum lætitiæ, quando beneficio crucis, ablatis amaris lacrymis, cœlesti inebriamur lætitia. Quam ex cruce lætitiam innuebat Paulus 1.ad Corinth.5. dicens. *Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur non in fermento veteri, sed in azymis sinceritatis.* Quasi diceret, quãdoquidem crux Dominica apparuit, arbor bona bonos fructus faciet, non iam veteres amaritudines manebunt, omnia plena dulcedine erunt, plena lætitiæ, plena epulis. Ita D.Chrysost. hom.de Cruce & latrone. *Paulus præcepit propter crucem festiuitatem celebrari, Pascha nostrum immolatus est Christus, itaque diem festum celebremus. Adiunxit causam, quia Pascha nostrum immolatus est Christus. Vides crucis intuitu perceptam lætitiam?* Hoc est maximum beneficium crucifixi amaritudines nostras in gaudia transmutare, amaros peccatorum luctus ipse exsugere, & mortalium corda cœlesti perfundere lætitia. Id quod percalluerat D.Zeno in Abrahæ decantatissimo sacrificio, vbi in summo vitæ discrimine Isaacum & Abrahamum lætissimos sic depingit. *Lætatus est puer patre fideli, ipse quoque fidelior. Lætatur pater filio quoque gaudente, & cum gaudio vnici pignoris alligat manus, quas ille vinciendas libentius offert.* Quis talia crederet in vnici filij funere? Qui pater, defuncto hærede, domum non replet suspiriis? Qui filius vnicus moriens domesticus non afficit tristi luctu? Et hic filius occiditur à patre. & omnia læta sunt, omnia suffunduntur gaudiis; sed non omnia sunt læta, ait Zeno, nimirum, *In illo sacrificio solus Deus doluit, qui aliam victimam procurauit.* Quidni? Deus ipse immolandus ex tunc omnes lacrymas & luctus hominum sibi soli assumebat vt hominibus lætitiam præstaret. Pater, & filius lætabantur, quia solus Deus dolebat, & victimam aliam procurabat, vt lætitiam illorum ex crucis & passionis Dominicæ intuitu perceptam esse constaret.

Ambros.
Sinaita.
1.ad Cor. 5.
Chrysost.
Zeno.

Text. Quoniam ecce veniet dies, in quibus dicent: Beatæ steriles, & ventres quæ non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt, tunc incipient dicere montibus, Cadite super nos, & collibus, Operite nos: quia si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet?

§. X.

Periculosè degit peccator post Christi Domini damnationem.

VÆ peccatori, vbi damnatur sanctitas, vbi tam cruenta pompa ducitur Iesus viride lignum ad supplicium. Ne putes fortuitum esse dictum illud, *Si in viridi ligno hæc fiunt*, sed magno pondere, & singulari supplicij exaggeratione. Quod vt teneas, propone tibi ante oculos formam seuerissimi tribunalis, quod in Hispania hæreticam prauitatem persequitur. Ibi sæpè quando reus abest, sistitur figura eius lignea affabrè composita, huius in conspectu crimina proponuntur absentis, quasi ibi in statua lignea adsit, fertur sententia, damnatur: tandem infami præconio traducitur statua, & carnificis manu immittitur ardenti rogo. An ex tunc reus liber euadit? an combusta lignea illa statua, persona per illam repræsentata, quæ verè mala fecit, poterit iam securè agere? Imò nunquam periculosius, nunquam euidentiori suæ ruinæ periculo manifestabitur, vbi enim lignea eius figura flammis tradita est, solùm, vt iustitiæ tenor seruetur, auidiùs coniicietur persona, si semel teneatur. Ecce tibi, ô homo peccator, Christus Dominus non peccator est; sed lignum viride; sed lignea statua peccatoris, hæc iudicio sistitur; hæc de proditione, de sacrilegio, de blasphemia accusatur, & barbarus Iudex ait: *Non inuenio causam in eo.* O dementia Iudicis, in ligno quærebat causam mortis! Ego sum qui feci, homo est peccator & proditor, Iesus lignum, Iesus peccatoris lignea statua, quæ crudeli damnatur sententia, milléque ludibriis & tormentis decerpitur. Fallor, nisi huc respexit Sap.cap.14. dicens: *Benedictum est lignum, per quod fit iustitia.* Vel vt D.Chrysost. oratione de Festo Crucis ait: *Benedicite lignum, per quod fit iustitia.* Sanè lignum viride est Iesus, in quo diuina iustitia totum suum rigorem exercet, in quo de omni hominum crimine vindicta sumitur, iuxta rigorosissimas iustitiæ leges. Cùm Iesum ligno comparo, scio latissimum discrimen: etenim lignum non propriè satisfacit iustitiæ, nec reum liberat vllo modo: verùm Iesus verè & propriè fecit iustitiæ satis, & hominem verè liberauit, si ipse sapiat. Est tamen inter lignum, & Iesum similitudo in eo quòd in vtroque exhibetur pœna debita peccatis.

Sap.14.

Dicet aliquis mentis inops, Iesus de hominũ criminibus iustitiæ diuinæ satisfecit: ergo securi & quieti iam viuant peccatores. Absit à viro Christiano tantum piaculum: Iesus equidem satisfecit iustitiæ, vt satisfacit lignum, quo iustitiæ lege combusto insinuatur quantum maneat supplicium peccatori. Nisi velis, quòd ille, cuius lignea statua combusta est, se iam liberum putet. Imò nunquam periculosiùs viuit, nunquam magis illi desperata est res, vtpote quia scit totum illũ iustitiæ rigorem sibi parari, qui in ligneam statuam fuit effusus. Hinc Abacuc cap.3.ait. *Domine, audiui auditionem tuam, & timui: consideraui opera tua, & expaui.* Cur expauet Propheta, & timet sola consideratione operum Dei. Sanè viderat Iesum lignum viride in similitudinem carnis peccati efformatum, medium inter latrones, prophano iudici commissum, traduci in locum Caluarij. Vbi eleganter Rupertus ait. *Quisquis seruorum eius hæc audiuit, & considerauit, quomodo non timuit, quomodo non expauit? Puta quòd attonitus dixerit: Heu quid erit de nobis seruis malis, quorum propter scelus talem tantùmque Dominum tam malè tractari oportuit?* Prudentissimus ille Latro hanc summam insaniam obiiciebat Latroni Christum Dominum blasphemanti. *Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es!* Iam summa est nostra malitia & insania non timere, non expauescere ad iustitiæ rigorem, videmus ligneam peccatorum imaginem, nempe Iesum tormentorum flammis comburi. Quare non magis timemus qui in eadem damnatione sumus? Quare non magis nostrum expauescimus periculum, vbi in viridi ligno sic cernimus nostra castigari delicta? Prudenter admodum D.Athan.hom.in Parasc.ait. *Non mihi in Iudæorum impietatem respice, neque quòd benefactorem suum condemnarunt, maiorem homicidæ rationem habentes. Id solum intuere, quod reorum pœnam præter meritum Christus subiit.* Id sanè & horrendum, & metuendum peccatori, si consideret, nimirũ omnes Christi cruciatus, clauos, spinas, opprobria, maledicta, derelictionem, & maximorum dolorum segetem sine adiutorio, sine leuamine pœnas esse, iustitiæ sententia in peccatores præscriptas. Non lignũ viride: sed me vocant pœnæ istæ, me petit damnatio hæc, ab his tormentis expector, nisi resipiscam. O vtinam hunc à Christi supplicio excipiamus fructũ, quòd à rigore iustitiæ caueamus nobis, quandoquidem qui insanus non est, hoc ex lignea statua combusta percipit commodum, quod cauet sibi. De Christo Iesu cruci affixo iuxta D.Aug.& D.Hieron.sensum dicebat Sponsa, Cant.1. *Botrus Cypri dilectus meus in vineis Engaddi.* Vbi illud, Engaddi, significat Carthusiano oculum hædi: est ergo Dominica crux vitis plantata ad hædorum oculos. Nil magis notandum in horum animalium genere, quàm prudens quædam cautela est, qua sibi in alienis periculis cauent. Accidit enim, vt si capram vnam ex grege per mentum apprehenderis, sicque reliquus obiiceris, cæteræ

Abac.3.
Rupert.
Athanas.
Cant.1.

Plin. cæteræ stent veluti stupidæ suos in illam vnam oculos conijcientes. Vnde Plinius lib.5. cap.50. inquit. *Capræ mira prudentia, cauent sibi ab ulteriori periculo.* His caprarum oculis amat Iesus in cruce sua videri, nimirum vt omnes eius passionem stupentes caueamus nobis, & viam, qua tantam euadere periculum possemus, meditemur.

Text. Et postquam venerunt in locum, qui vocatur Caluariæ, ibi crucifixerunt eum, & Latronem vnum à dextris, & alterum à sinistris.

§. XI.

Dominica passio totum paradisi malum extinxit.

VOluptatis locus, comata & pulcra arbor, serpens fulgidus hominum generi exitium attulere: pro his modò parantur horridus locus Caluariæ, id est, mortie punitorum, cruentum lignum, quod nudus filius Dei, seu serpens scandit, vt destructa antiqua fallacia, vetam & immortalem vitam hominibus persuadeat. O diuinissimi, & prudentissimi Serpentis astum. Sanè lignea virga versa fuit Moysi in serpentem, qui magicos serpentes deuorauit, Exod.2. Cuius

Sinaita. rei mysterium vt explicaret D.Anast. Sinait. lib.10. Hexaëm. inquit. *Nunc quidem virgam Moysi transmutans in serpentem, deinde serpentem mortificans in ligno. Prius describit, quod per lignum venena perdet, & morte afficiet paradisi ligni consultorem serpentem. Propter quem virga Aaronica ex ligno animata serpsit serpês, & falsas magicas in ligno serpentis operationes consumpsit.* Ecce tibi ex Caluariæ latebris, ex crucis ligno prudentior serpens prosilit Iesus, qui consultorem illum paradisi arboris consumit, omnésque eius fallacias, & magicas præstigias vorat & deglutit. Nullum equidem præstantius remedium potuit hominum generi inueniri, quam hoc quod diuini serpentis astus præmeditatur ex ligno crucis. Hinc missu-

Matth. 10. rus Discipulus ad sanandum orbem ait illis, Matth.10. *Estote prudentes sicut serpentes.* Cur sicut serpentes, cùm apud homines nomen serpentis & suspectum esset, & inuisum? Ibi

Remig. D.Remig. *Serpens decepit primum hominem, callidus fuit bestia ad decipiendum, vos sitis prudentes ad laudandum, laudauit ille lignum; vos laudate crucis virtutem.* Vnus qui ex ligno crucis serpens est, serpentium destruet consilium, antiqua fugabit toxica mortis, & salutarem hominibus instillabit visam. Eia agite quicumque vetus nocumentum innatum medullis, paradisi venenum vultis expungere, & ligno crucis serpentes prosilire, ex cuius ligni rigore serpsit serpens Christus, qui exsufflato delitiarum paradisi toxico, nobis vitam restituit. Quo referâ illud Claudiani in victoria Stiliconis, vbi deltiis enectum Glaucum memorans vitæ fursse restitutum beneficio herbæ deductæ ex serpentis ore ait:

——— *Mira nam munere sertu*

Dulcia mella necem, vitam dedit horridus anguis.

Sanè horridus es crucis ligno Anguis Christus Dominus & mortem, & venena consumpsit, quæ nobis intulerant voluptatis locus, amœna arbor, serpens fulgidus. Ieroboamus 3. Reg.13. in Prophetam excandescens. *Extendit manum suam de altari dicens: Apprehendite eum. Et exaruit manus eius.* De quo in rem præsentem Chrysostom. oratione de S.Hieron. fatur. *Extendit manum suam Rex, & exaruit. Quando arida facta est, tunc fructum tulit. Considera mihi exemplum quod occurrit in ligno, quod in paradiso fuit, & in ligno quod fuit in cruce. Quemadmodum enim lignum illud cùm esset viride mortem peperit, lignum verò crucis cùm esset aridum, vitam genuit, sic manus Regis quando viridis erat, impietatem peperit, quando arida facta est, nunc obedientiam produxit.* Sic de crucis ariditate corresit mala, quæ produxerat viridans & amœna arbos paradisi, adeo efficax aduersus hæc omnia crucis lignû

Paulin. extitit, vt meritò defleat D.Paolin. epist.8. hominis posthac infirmi vicem dicens. *Infelix ego qui venenatum inimica arboris gustum nec crucis ligno digessi.* Quæ voluptatum toxica non digeruntur, immistáque sudori ab intimis expellunsur medullis, vbi hoc Eoum fenticosum crucis lignum apparuit? Quæ serpentinæ iræ? Quis astus? Quæ fallaciæ non vorantur, & consumuntur ab horrido serpente Christo ex crucis ligno prodeunte? Difficilis erat Salomoni *via colu-*

Prou. 30. *bri super petram*, Prouerb. 30. quia voluptuosis hominibus in vitam aperuit viam vnus coluber, quì à ligno crucis exsuit. Hic solus anguis cruci innixus voluptates extinguit, salutem propinat, vt meritò Gualfridus prædicta expendens verba, dicat. *Vnum ejus remedium est, unum consilium, ut Baëna in Euang. Tom. I.*

exaltatum in ligno serpentem pia consideratione respiciant, & dum eius dolores attendunt, qui in carne mortali Deus erat æternus, suas omnes molestias paruo pendant. Hæc ille.

§. XII.

Peccati horrorem & turpitudinem nudandam putet qui cupit sanari.

AScendit Dominus crucem nudus, maledictum & peccatum pro nobis factus, iuxta D.Paul.2. ad Corinth.5. 2. Cor. 5.
theologiam, vbi sic inquit: *Eum qui non nouerat peccatum, fecit peccatum pro nobis.* Peccati nimirum induens similitudinem, nudus in cruce apparuit, nullo enim meliùs peccatum de medio tollitur, quam si eius turpitudo, & fœditas reuelata nudatur. Hinc vêturus Christus Dominus ad mortem infructuosam ficum fecit arere. Cuius rei & pulcram, & veram rationem reddit D.Athanas. q.22. inquiens. *Quia* Athanas.
post transgressionem Adam accepit folia ficus, quibus obtexit suæ turpitudinis peccatum, cum destrueret transgressionis peccatum, & confrigeret, deleretque in cruce, arefecit operculum peccati, id est, folia ficus, quibus Adam tegebatur post transgressionem. Nil priùs faciendum, vt peccatum deleretur, quam omnia peccati opercula tollere dusit, & eius turpitudinem in omniû conspectu propalare. Summum & incredibile virtutis suæ argumentum profert Nazianz. quòd Athenis, vbi vitia & Nazianz.
peccata sub diuinis & pulcherrimis titulis colebantur, ipse, & Basilius omnino mortui essent peccatis. Ait enim orat. in laud. Basil. *Quum potius, quod vix credibile est, ad fidem cõfirmati sumus, ipsorum fraudem & imposturam recognoscentes, atque illic damones contemnentes, vbi in mirifica laude sunt dæmones.* Meritò dixit, quod vix credibile est, omnem enim euacuat fidem quod fugias peccata & vitia, vbi hæc intra diuinitatis velamina clauduntur, pulcherrimasque sui præferunt formas & figuras. Sanè peccatum dum pulcrescit, dum aureo fulget amictu, necessum est, vt viuat, summasque afferat suo veneno pernicies. Celebris est apud Diodorum Siculum, lib.5. Gambri Scytharum Regis ausus, qui & innoxium hospitem interfecit, & eius pellem templo appensam Apollini dicauit. Nescio an placuerit falso etiam Deo munus, quandoquidem homicidam monet de periculis, ad quæ illum pellis oblata vocabit. Timet Rex scelestus, & piaculo addit piaculum, cupiens enim nefariam oblationem contegere, pellem auro multo deaurauit. Quid plura? Iâ pellis aurea facta quas non trasit classes? quorum non incendit animos, vt mille præliis, interempto Rege homicida, tantum thesaurum compararent? Hæc sunt picta & deaurata scelera: enimuerò dum peccatum sub aureis peplis sacratur, externis operitur pulcritudinibus, miro modo suum acuit venenum, milléque trabit mortes & pericula. Vnde ruinas hominum meritò espauescens Psal.73. inquit. *Respice in te-* Psal. 73.
stamentum tuum, quia repleti sunt, quia obscurati sunt terra domibus iniquitatis. Quæ verba sic apud Symmachum in rem præsentem esplicantur. *Respice in testamentum tuum, quoniam repleta sunt tenebrosa terra speciosis & pulcris, vel insignibus modis iniquitatis.* Quasi dicat, ó Deus immortalis! quandoquidem terrenorum hominum scelera & peccata auro cooperta fulgent, pulcris & speciosis obteguntur prætextibus, aucrte ab illis oculos, ne fortè concitetis ad iram. & noua submersura orbem spuas diluuia. Respice in testamentum tuum, respice in signum fœderis tui, nimirum in sanctam crucê, ibi mundi peccatum visitur omni decore & prætextu nudatum, ibi horroris & fœditatis plenam conspicies similitudinem peccati in Dominica carne, quo humana obtinebitur salus. Vtinam id cum mortalibus omnibus actum esset, vt ablato auro, pallida, horrorisque plena illis proponeretur facies peccati. De interfecto pisce fel seruauit To- Tob. 11.
bias, donum addit, c.11. *Tunc sumens Tobias de felle piscis liniuit oculos patri suo.* Inde P.Dam. epist.12. *Cacus itaque felle piscis obliniitur, & protinus cæcitas effugatur, quia cùm amaritudo diabolicæ versutiæ, nostris oculis offensa proponitur, tenebrarum mox caligo propellitur: & lux interior, qua ve'ut telipsim passa est, reformatur.* Nudetur amaritudo, & fœditas peccati, & fugies illud.

§. XIII.

Christus Dominus cruci affixus mortificationem, & rigorem pœnitentiæ omnibus persuadet.

STantis iuxta crucem Magdalenæ virtutem & miratur D.Hieron. & illam his verbis commendat. *Sacerdotes,* Hieron.
&

& Pharisæi crucifigunt filium Dei; & Maria Magdalena plorat ad crucem, vnguenta parat. Verè turris Libani, quæ respicit faciem Damasci, sanguinem videlicet. Saluatoris ad facei pœnitentiam prouocantem. Dabo hæc verba alibi explicanda, modò solùm expendo ab his, quæ respicit faciem Damasci, sanguinem Saluatoris ad facei pœnitentiam prouocantem: quibus hæsit Hieron. in verbo illo, Damasci. Enimuero Damascus idem est ac *propinans sanguinem*, vt testatur Georgius Venetus in Harmon. Cant. 3. tom. 7. cap. 13. Facies ergo Damasci à Magdalena respecta D. Hieronymo est crucifixi Domini facies, quæ crebro confossa vulnere, hominibus cunctis propinat effusionem sanguinis, nimirum mortificationem, & dolorum tolerantiam. Iniustè interfectus Teramenes à Cricio tyranno cum vas veneno plenum acciperet, totúmque hausisset, relictam partem profudit in terram dicens, *Propino Critiæ.* Id quod memorans Cicero Tusculanar. 1. ait. *Lusit vir egregius extremo spiritu, veréque ei, qui sibi venenum præbuerat, mortem est eam auguratus, quæ breui consequuta est.* Sic Dominus suffixus ligno, passionis & dolorum calice epoto, sanguinem vsque ad terram profundens hominũ generi propinat, veréque mortificationem, & similem dolorum tolerantiam exquirit ab omnibus illis, quorum causa ipse mortuus est. Quicumque peccasti, à crucifixo Domino dolorum & pœnarum calicem tibi propinatum existima, cuius propinationis lege vsque ad sanguinis effusionem obligaris Christo. Huc refert Tertull. illud Euangelij, nimirum: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo.* Quæ sunt Dei, quæ Deo reddi debent? Pulcrè ille de Fuga in Pers. inquit. *Quomodo reddam quæ sunt Dei, Deo? Vtique perinde imaginem & monetam ipsius inscriptam nomine eius, id est, hominem Christianum? Quid autem debeo Deo sicut denarium Cæsari, nisi sanguinem, quem pro me filius fudit ipsius.* Hoc à me expostulatur, hoc exigitur, vt mactet, vt sanguinem fundam, vt propinanti Domino sanguineum poculum, correspondeam simile bibens. Sanè, vt meritò fatur Apollinaris lib. 4. epist. *Quantam licet nobis anxietatem vitæ præsentis propinet afflictio, parua toleramus, si recordemur, quid biberit Dominus ad patibulum.* Vbi te, Domine, in ligno crucis video felleum mare bibentem, cur propinatas non bibam mundi amaritudines? Vbi diuinissimum os ad incredibile tormentorum pelagus applicari conspicio, parua mihi sunt quæcumque mihi pœnitentia propinat. Propinantem Regem periculosè contemnit miles, qui crucifixum propinantem refugit, metuo ne excludatur à bonis crucifixi. Id grauiter Tertull. vbi suprà edixit. *Non potest qui pati timet eius esse qui passus est. At qui pati non timet, iste profectò erit in dilectione vtique Dei.* Sic ille. Vanus est qui in præsenti à Christo petit delicias; etenim saginaturus turbam, Ioan. 6. iussit homines sedere super fœnum, at eundem impleturus Matth. 15. *præcepit turbæ, vt discumberet super terram.* Sanè ij qui super duram terram sedent, Christianos agebant. Vnde ait D. Paschasius lib. 7. in Matthæum. *Tanquam in ipsius montis Christi soliditate locati, nullo fœno interposito emolliebantur.* Non enim sub Christo mollities, sed dura & acerba vita commendatur.

Cicero.

Tertull.

Apol.

Tertull.

§. XIV.

Amatorij ludi sunt Deo crucis vehementissimi dolores.

QVis ardentissimi amoris flammas Iesu lambentes pectora explicare queat? Huc vos adestote ardentissimi Seraphin, & aliis obnubilate vestrum pectus, vt quod frigidum sit, & niuali rigidum gelu, si ignifero Christi pectori comparetur. Iam cernite nouum amatorem Iesum, cui horrendum crucis lignum est pro nuptialibus tedis, spinarum spicula pro roseis sertis, clauorum lanceæque ictus pro osculis. Nónne hæc erat Sponsæ vox, Cant. 8. *Quis mihi det te fratrem meum, vt inueniam te foris, & deosculer?* Quæ hæc Sponsæ cupiditas? an expectabat Dominum extra vrbem actum, & ductum in Caluariæ locum? Sic putat Rupert. Proh Deus immortalis! Hæccine sunt sponsæ oscula? Perforantur manus, transuerberatur pectus, totum quatitur corpus, & hæc tam dira, tam inhumana vulnera habentur à diuino Amatore pro osculis. Id quod exprimit S. Phil. Carpat. his verbis. *Tunc foris inuentus est Sponsus, & osculatus à Sponsa cum humanitate vestitus, & extra Hierosolymam crucifixus eam ipsam à sempiterna morte redemit, & per ineffabilem charitatem soluto omni debito sibimet amantissimè reconciliauit.* Quid diuinius? Quid ardentius? Sic accipit Dominus vulnera, quasi oscula acciperet, extremam sustinet lanienam, & suauia ducit: totus sanguine madet, cruciatibus perimitur, opprobriis appetitur, & inter hæc sic deliciatur, quasi inter charissimorum amplexus, & oscula existeret. Vt dicat apud D. Chrysol. serm. 108. *Claui isti non mihi infigunt dolorem; sed vestram mihi infigunt altiùs charitatem; vulnera hæc non educunt gemitus meos, sed magis vos meis visceribus introducunt. Extensio corporis mei vos dilatat in gremium. Venite ergo, redite.* Ecce tota Dominici corporis laniena in amatoria conuertitur officia: cruentum supplicium, compagum disruptio, membrorum dilaceratio nuptiales reputantur lætitiæ. Extulerat D. Zen. diuinæ charitatis præconium, id dicens: *Tuum est, quòd cum occiditur ab hominibus Deus omnipotentis Dei filius, nullus irascitur de duobus.* Et sanè maximum erat, quòd tam ferè tractatus, tam diriter percussus filius Dei non irasceretur in hominum genus: at maior est illius charitatis altitudo, quàm non solum non irascitur læsus; sed vulnera ipsa reputat delitias, & quod est crudelitatis insigne, id lætissimarum nuptiarum facit testimonium. Sic ausus prædicare D. Bernard. serm. de Pass. inquiens. *Sedes sponsalis crux est, in qua verus Sponsus Sponsam suam Ecclesiã sibi copulauit, ipsam sibi proprij sanguinis effusione subarrans.* Cur Bernardus hæc diceret; nisi ardentissimum Dei amorem prænosceret: quo tormenta reputabat delitias? Huc retulerim vocem illam Iesu, qua labores & tormenta sua pro muneribus reputabat. Ait enim Ioan. 17. *Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi ego sum, & ibi sint mecum.* Quos dedisti ait, dicturus verè, quos summis cruciatibus emi: at tantus erat amor, vt crudele pretium exhibitum, putaret munus acceptum. Sic Richard. Victor. part. 2. in Cantic. cap. 10. inquiens. *Ita tunc de ipsorum redemptione exultat, vt non reputaret magnum id quod pro eis obtulit, sed videatur eos, quos accepit, datos sibi potiùs in munere, quàm emptos pretio sui sanguinis, & compensatione.* Proh Christi in suos charitatem!

Cant. 8.

Philo.

Chrysol.

Zeno.

Bernard.

Ioann. 17.

§. XV.

Crux Domini durior, & acerbior, quàm quæ ab hominibus sustineri queat.

MEdius inter latrones crucifixus est Dominus, præter suam alias præseferens hominibus cruces, quibus ad cœlum reuolare possint, intolerabilis enim esset generi hominum crux Christi. Hinc adhuc viuens monebat: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me.* Non ait, tollat crucem meam; sed suam, quasi sciret Dominicam crucem esse hominibus intolerabilem. Enimuerò ea est crux Christi, quæ summa innocentia toleratur, & nihil amarius homini, quàm si immeritus mulctetur supplicio, Iob 2. aiebat Dominus ad Sathan: *Animaduertisti famulum meum Iob? homo innocens, verus Dei cultor, abstinens se ab omni malo, & adhuc perseuerans in innocentia sua.* Notanter dixit illud, & adhuc perseuerans, vtpote maximum erat, quòd vir innocens sub tam diris suppliciis non labaret. Id quod notat D. Hieron. epist. 34. ad Iulian. his verbis. *Pulcrè addidit, & adhuc perseuerans in innocentia, quia difficilè est pressam malis innocentiam non dolere, & hoc ipso fide non periclitari, quòd se videat iniustè sustinere quod patitur.* Expende vbi hominum fides periclitetur, vbi iniustas pœnas dat, hoc est, omnibus hominibus commune solatium in pœnis, quo se tres illi pueri Babylonici ad fortiter subeundas altissimas fornacis flammas comparabant dicentes Daniel. 3. *Peccauimus, iniquitatem fecimus.* Verùm vbi nullus peccati conscius homo pœnas dat, heu quanto in fidei illius periculo sit, mirum erit, si sustineat, si oneri tanto non succumbat. Id quod meritò lamentatur Hugo de S. Victore, qui dum expendit illud Paulianum ad Galatas, *Mihi absit gloriari, nisi in cruce*, triplicem differentiam crucis constituit iuxta numerum trium, qui in Caluariæ loco crucibus suffixi visebantur. Tunc sic ait. *Dicunt homines quando pœnam sustinent, si meruissemus, non erubesceremus, nunc autem iniustè pati ignominiosum est nobis. Obloquium videtur, imò si culpa pateris, erubesce; si sine culpa, gloriare; latro magis esse vis, quam Christus?* Tanta est nostra malitia, tanta infirmitas, vt Christi Domini crucem pertimescentes, latronis crucem magis excipiamus.

Matth. 16.

Iob 2.

Hieron.

Daniel. 3.

Hugo.

§. XVI.

Nullus homo securus à Cruce.

QVis in hunc mundum ingrediens fugit à cruce? An qui amplam perditionis terit viam? an qui vitiis suis

ſuis & voluptatibus indulget? Proh dolor! Vide quid Lucas dicat: *Ibi crucifixerunt Ieſum latrones, vnum à dextris, & alium à ſiniſtris.* Nec ad ſiniſtram declinare licet ſine cruce, ſine labore, ſiniſtram reproborum ſemitam qui ſequitur,
Prou.26. ibi habet crucem, ibi laborum mille cruciatus ſubit. Prouerb.26. *Abſcondit piger manum ſub aſcella ſua, & laborat, ſi ad os ſuum conuerterit.* Expende illud, & laborat; etiam qui labores fugit, qui manus ab omni opere otioſas cuſtodiebat, ne minimo licet labori incumbat, is laborat, & dum indulgens otio ab omni opere feriatur, tunc illum labor im-
Athanaſ. probus cruciat. Fallor, niſi huc reſpexit D.Athanaſ. orat. contra idola dicens. *Mens humana clauſis oculis, effictis ſua imaginatione malis in his ſe exagitat ac mouet, inſcia interim ſe nihil agere, dum ſe maximè negotioſam præbet.* Ecce in nihil agendo ſeſe mens humana excruciat, oculos habet clauſos, vt quietis otio indulgeat, & ſic diris exagitata curis laborioſior exiſtit. Non me tempero, quin hic transferam figu-
Paulin. ram illam impiorum, quam D. Paulin. epiſt. 4. in Sanſone obcæcato, & inimicorum farinam molente depingit. *Conſidera*, inquit, *huiuſmodi mortalium vitam, & tota tibi ſpecies iumenti molentis occurrat, vt ille pannis oculos corporis, ſit iſte ſordibus vitæ ſuæ oculos mentis obſitus, per errores ſuorum ſenſuum, quaſi per ambages malorum laborioſa miſer ſtatione verſaturus, viſu ſuo vacuus & operoſus alieno ſtat in via peccatorum compeditus vinculis cupiditatum ſuarum, & ipſe ſibi carcer eſt, in ſemetipſo, piſtrini ergaſtulum patitur, ſaxum cordis ſui pertinacia iniquitatis induratum quaſi molam verſat, farinam hoſtibus ſuis de corrupta animæ ſuæ fruge conficiens.* Hæc ille, quibus vides propriis coloribus impiorum vitam effigiatam, non enim per viam latam vitiorum cruces fugiunt, imò ibi labor, & dolor, & ærumna, & gemitus, & lacryma inhabitat. Habent ſuas cruces vitia, vel quod omni miſeria maius eſt, habent piſtrini ergaſtula, habent ſaxeam molam, ad quam religati miſeri ſeſe conferunt, vt ſuorum rabidiſſimorum hoſtium fiant pabulum. Et quidem is eſt mundus, ex ſunt ſæculi omnes & voluptates & dignitates, quæ non minores habeant cruces, his, quos honorare, quàm his quos onerare deſiderant. Quos magis honorarent Ethnici quam Deos ſuos? quos magis cruciarent, quàm nouellos tunc Chriſtianos. Accipite modo
Tertull. Tertull. in Apol. cap.12. pulcrè componentem Chriſtianas cruces cum Gentilium Deorum crucibus. Ait enim. *Re vera nobis, maximè qui propter Deos veſtros plectimur, ſolatium pænarum eſſe poſſit, quod eadem & ipſi patiuntur, vt fiant. Crucibus & ſtipitibus imponitis Chriſtianos. Quod ſimulacrum non prius argilla deformat, cruci & ſtipiti ſuperſtructa? In patibulo prius corpus Dei veſtri dedicatur. Vngulis deraditis latera Chriſtianorum. At in Deos veſtros per omnia membra validius incumbunt aſciæ & runcinæ, & ſcobinæ. Ignibus vrimur. Hoc & illi à prima quidem maſſa.* Pergit iſte in plura, nobis ſufficiat ſemel vidiſſe, quod mundiales & cultrum, & ſupplicium parant per cruces, nec ſine labore aliquis honor paratur ab illis, quando & idola non ſcandunt altaria, niſi per aſciam, per ignem, vel crucem. Hinc rectè monet D.
Chryſoſt. Chryſoſt. hom.4. ad popul. *Nam etiam ſi pulcherrimum hunc laborem non deſudes, qui circa pænitentiam virtutum eſt, & in mundo omnino vel aliter laborabis. Sed ſi labor & hic, & illic, quare non hunc colligimus multum habentem fructum?* Vbique tibi cruces occurrunt, vbique labores & dolores, gemitus, & lacrymæ, ſiuè ad dexteram, ſiue ad ſiniſtram declines. Fuge ergo ſiniſtræ labores, quibus cruciaris, quibus cæcus te conteris, vt hoſtes tuos ſaties, & cape labores dexteræ, labores pœnitentiæ, dolores Chriſtiferæ crucis, quibus & hoſtes profligas, & immarceſcibiles coronas capias. Sanè inclyta illa fœmina Iahel de qua in libro Iudic.c.4. Iſraëlitarum hoſtem Siſaram domi excepit, lacteóque poculo pauit, quo ipſe ſecurus ſe ſomno tradidit, dormientem Iahel aggreditur, & clauo ligneo transfodit tempora eius, & miſerè mactat. Quid plura? ex quo facto pulcre Card. Petr.
Damian. Dam.ſer.40.monet.quid fidelis Chriſtianus faciat. *Quamdiu gentilis populus iuxta legem carnis voluptuoſe viuebat, tanquam lac, iſa vitæ ſuæ mollitiem, ſitienti mortem noſtram diabolo propinabat. At poſtquam ſub ſpiritu ſe diſciplina conſtrixit, inuictæ mox crucis arma corripuit, hoſtémque ſalutis humanæ, quem dudum voluptatis lacte potauerat, nunc pænitentiæ munita præſidio ligno tranſfixit.* Nemo iam Chriſtianus patiatur hoſtes ſuos paſcere; nemo de labore ſuo, de dolore, de lacrymis, de gemitu lactet diabolum; ſed ſiquidem vbi laborandum eſt, gemendum eſt, non laboret, nec gemat ſub ſiniſtra cruce, ſub priſtini ergaſtulo; ſed ſub cruce Chriſti, qua transfigat hoſtes, & ſempiternis potiatur gaudiis.

§. XVII.

Vt iuſtitia diuina non in vindicando, ſed etiam in parcendo conſiſtit.

ECce tibi vt diuinæ iuſtitiæ ſatisfaciat Dominus ab Hieroſolymis in Caluariæ montem feſtinat, vbi ſeſe iuſtitia Dei aduerſus peccatores oſtendit. Sed cur iuſtitiæ actio in montem extra ciuitatem peragitur? Crediderim humanæ iuſtitiæ rigores, qui in vlciſcendis iniuriis exercentur, ſuſpectos eſſe diuinæ iuſtitiæ, vt quæ etiam in parcendo conſiſtit. Ita Oſeæ 11. ait iuſtiſſimus Dominus, *Non faciam* *Oſeæ 11.*
furorem iræ meæ, non conuertar, vt diſperdam Ephraim, quoniam Deus ego ſum & non homo, in medio tui ſanctus; & non ingrediar ciuitatem. Expendo quid à Deo caueatur, nimirum non ingrediar ciuitatē, quaſi dixerit, alius ero ab iis, qui iniuſtitiæ ſeruādæ inuigilant in ciuitatibus. Ibi iuſtitia vindex eſt iniquitatum, mea iuſtitia eſt iniquis parcere. Sic apud D.Hier. Hieron.
Non ſum, ait, vnus de iis, qui in vrbibus habitant, qui humanis legibus viuunt, quibus ius ſumma malitia eſt; mea autem lex, mea iuſtitia eſt ſaluare correctos. Proh præclari iudicis ingenium! Tunc iuſtiſſimus iuſtitiæ ſatisfacit Deus, quando rei ſalutis pandit theſauros, non ſolum quando mundum ſubmergit, non quando populos comburit, ſed quando pro hominum ſalute profudit ſanguinem. Ea eſt diuina iuſtitia, quæ correctos ſaluet. Pulcre Dauid Pſal. 84. *Miſericordia & veritas* *Pſalm.48.*
obuiauerunt ſibi, iuſtitia & pax oſculatæ ſunt. Iuſtitia, quæ gladios ſtringit, quæ ignes vomit, quæ profundit diluuia, tota oſculis vacat, & nihil reis prius parat quam pacem, quam ſalutem, & incolumitatem. Sed quæ hæc iuſtitia eſt? Sanè iuſtitia pientiſſimi Dei, qui tunc iuſtitiam exercet, quando in reos fontes aperit pietatis. Sic loquitur Andr.Cret.ſer.de And.Cret.
Annunc.Dei iuſtitiam commendans. *Iuxta quam*, inquit, *qui natura ſua benigniſſimus eſt, iuſtiſſimè decreuit, vt filius eius proprius in noſtræ ſimili comparens forma aduerſarium noſtrum condemnaret.* Non enim in fonte pietatis & benignitatis alia iuſtitia inueniri poſſet, niſi qua ſciret iuſtiſſimis ſeueriſſimiſque legibus per miſericordiam ſatisfacere. Hinc etiam Pſ.117.ait Chriſtus Dominus. *Circumdederunt me ſicut apes, &* *Pſal.117.*
exarſerunt velut ignis in ſpinis, & in nomine Domini, quia vltus ſum in eo. Sed ô Domine quam egiſti vltionem tantorum hoſtium? Qualem de interfectoribus tuis ſumpſiſti vindictam? Sanè qualis decebat omnium Dominum illos à peccatis in gratiam ſuam transferendo. Ita D.Aug.ibi. *Vltus ſum* Auguſt.
in eos, quia & ipſi malitia, quæ in eis iuſtos perſequebatur, extincta, Chriſtiano populo ſociati ſunt. O nouum vindictæ genus! Tunc ſcelera Dominus ſe putat vindicare, non quando perdit ſceleratos; ſed quando correctos ſaluat. Id notum habebat D.Leo ſerm.8.de Paſſ.exclamans. *O admirabilis poten-* Leo.
tia crucis! O ineffabilis gloria paſſionis, in qua & tribunal Domini, & iudicium mundi, & poteſtas eſt crucifixi! Traxiſti enim Domine omnia ad te, & cum expandiſſes tota die manus tuas ad populum non credentem & contradicentem tibi, confitendæ maieſtatis tuæ ſenſum totus mundus accepit. Ecce vbi tribunal exhibetur Dei, nimirum in cruce, in qua miſericordiæ fontes aperiuntur, ecce vbi iudicium à Domino exercetur de mundo, vbi confitendæ maieſtatis ſenſum totus mundus accepit, quippe de iuſtitia eſt ſaluare correctos. Nécnon Pſal.71. dicitur. *Orietur in diebus eius iuſtitia & abundantia pacis.* Quaſi iuſtitia eius eo ſpectet, vt correctis propinet pacis abundantiam. Quare eleganter Chryſoſt.ibi ait. *Orta eſt ergo* Chryſoſt.
in diebus eius iuſtitia. Qualis eſt iſta iuſtitia, niſi vt Dominus carne induta, & hominem oculis humanis demonſtraret, & diuinitatem occultaret? Quanta iuſtitia, vt traderet ſe pro omnibus hominibus, & pro Eccleſia vbique diffuſa? Quanta iuſtitia niſi vt omnia toleraret iniuſta, ex improbitate Iudæorum, & ſuam iuſtitiam demonſtraret ferocitati eorum? Ecce orta eſt in diebus iuſtitia. Quæ iuſtitia, pietati coniuncta eſt, tolerantiæ conglutinata. Nulli malum pro malo reddere, cum omnibus pacem habere, pro inimicis orare? Planè huc etiam ſpectabat Pſalm.30.vbi hæc verba à Dauide dantur. *Muta fiant labia doloſa. Quæ loquuntur aduerſus iuſtum iniquitatem.* Iuſtus enim reputatur quatenus obloquentibus doloſis labiis parcit. Ita Nicephor. in cat.Græc. ait. *Iuſtum ſeipſum appellat, eo quod hoſtes ſuos nunquam affecerit iniuria.*

*Ioan.*19. Scripſit autem titulum Pilatus, & poſuit ſuper Crucem: erat autem ſcriptum, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.

§. XVIII.

Crux Christi corona & diadema Imperij duraturi, & stabilis.

CRucifixo Domino regius titulus additur, quem non tollet Iudæorum malitia, quæ enim a cruce & ærumnis exsurgunt diademata, nullis inuidiæ & malitiæ calumnijs subiacent. Enimuerò cum adolescens Ioseph in Regnum subleuandus est, ne inuidorum maledictis daretur locus ex carceris neruo ad diadema sumitur. Id quod expendens Nissen. D.Greg.Niss.in c.6.1.ad Cor.inquit. *Permisit Deus tentationibus probari adolescentem, aures occluderet ijs, qui delectantur probris & maledictis. Si enim non dedisset Iosepho probationem, dixissent maledici à cæca fortuna hæc fieri. Inter Ægyptios regnat Ioseph, barbaris dominatur adolescentulus, quamnam ostendit virtutem, pro qua virtute hoc est assecutus? Ne ergo hæc de Ioseph dicerentur, in eum permisit tentationes, vt hæ iusto viro ferrent testimonium, obstruerent ora maledicorum.* Adeò firmæ & fixæ sunt coronæ, quæ à cruce & ærumnis nascuntur, quæ non fortuito, non casu venire, vel ab inuidis hominibus creduntur. Hac prouidentia regium Christi trophæū cruci adscribitur, vt crux ipsa ferret testimonium iusto viro, & obstrueret Chrysost. maledicorū ora. Sic Chrys.hom.84.in Io. *Vt calumniantium os obstrueret tanquam trophæo cuipiam litteras insculpsit.* Quid proderunt, ô Iudæe, calumniæ tuæ? Ecce a cruce fulgent regia stemmata Christi, ibi regius eius splendor micat, vbi non cæca fortuna; sed clara virtus & stabilis & fixa coronas parturit. Sanè crux ipsa corona est immarcescibilis, vt pul-Gillibert. cre dicat Gillib.ser.20.in Cant. *Mihi, inquit Paulus, absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi: & quid vultis audire? Crux ipsa corona est gloriæ, diadema regni.* Nil magis conspicuum in cruce, quam Regnum, totum crucis negotium Regiam præfert gloriam, inter vulnera, inter sanguinem, inter tormenta ipsa crux non potuit non præferre Regium titulum. O quam percalluerat crucis gloriam Angelus ille, qui post gloriosam Christi Resurrectionem mulieribus ap-Marc.16. parens ait illis Marc.16. *Iesum quæritis Nazarenum crucifixum. non est hîc.* Sic inter resurgentis glorias non pudet crucis meminisse, quasi in illa esset præcipua Regni Christi im-Cyrill. mortalis corona. Id pulcrè notat D.Cyril.Hierosol.Cat.13. Hierosol. hæc verba proferens. *Non pudeat crucem Domini confiteri: Angeli gloriantur dicentes: Iesum quæritis crucifixum: non potuisti Angele dicere, Scio quem quæritis, meum Dominum? Sed confidenter dicit; Scio quod crucifixum, corona enim est crux, & non ignominia.* Meritò Iesus, qui alia sui corporis decora occultabat vsque in resurrectionis diem, vnum regi titulum manifestè propalauit in cruce, quippe & crux & Regius titulus prædicabat Regnum Christi stabile & permansurum, obtumescente ipsa inuidia.

§. XIX.

Christi regiæ virtutes adeo magnæ, vt superent omnem facundiam creatam.

AB alienigena, & hoste summus Imperator creaturarum gloriæ suæ titulos patitur exarari; ea enim est Regis nostri magnitudo virtutum, quæ non egeat oratorum floribus venustari; sed ipsa per se euidentissimè pateat. Quod si magnis conferenda fuerint parua, iam mihi in præsentia Ennod. intonuissent verba à B.Ennodio in Panegytico Theodorici data, dum sic fatur. *Eat nunc & cothurnatis relationibus Alexandrum iactet antiquitas, cui fama opulentiam peperit dos loquentium, vt per adiutricem facundiam videatur crescere rebus mendica laudatio. Regis nostri merita solatium non postulant assertoris, minora sunt tius viri actibus, quamuis ar ctò sint veterum gesta mendaciis. Simulasse poeta grandia; sed fateri vos conuenit præsentem Dominum gessisse potiora.* Veriùs de summo Imperatore Iesu hæc dicta capio, cuius merita & ingentes virtutes solatium non postulant asserentis, pulcriores sunt omnibus Rhetorum floribus, maiores omni facundia creata. Quid magis solemne in Principum funere, quam sonantibus æribus, buccinis tonantibus, largisque oratorum acclamationibus defuncti Principis magnalia celebrari, vt per adiutricem facundiam videatur crescere rebus mendica laudatio? At in Iesu funere non clamosa æra, non loquacia pulpita, sed petræ scissæ sonant Matth.27. Petræ sonus humilis est, abiectus est; sed qui incredibilem prædicet morientis magnitudinem, quæ non egeat asserentis solatiū.
Psal.103. Dauid Psal. 103. diuinæ laudis cantores notat aiens. *Super ipsas volatilia cœli habitabunt, de medio petrarum dabunt voces.* Non de floridis rhetorum, nec cothurnatis orationibus; sed de petris resonant diuinæ laudes. Id quod perpendens Au-gust. fatur. *Modo si dicam vobis credite; hoc enim dixit Plato, hoc dixit Pythagoras, hoc dixit Cicero, quis vestrum non irridebit me? Ero enim auis, qui non de petra emitto vocem meam. Quid mihi dicis de Platone, & de Cicerone, & de Virgilio? Habes ante te petras montium, de medio petrarum mihi da vocem tuam. Audiantur, quia petræ audiuntur, quia in illis multas petris petra auditur, petra autem erat Christus.* Vbi audiendus est, vbi celebrandus est Christus, non Rhetorum bombos, nec Poëtarum ampullas requiras; sed de facili humilique sono eius extollitur gloria, & super omnes Imperatorum fabulas eius veritas illustrior percipitur. Vnus pro mille hic supponendus est Cyrill. Alexand.lib.3. in Isaiam tom.5. vbi sic loquitur. *Non propter nudam & solam poematum magnificentiam, admirari decet vniuersorum Dominatorem Deum, sed propter ea quibus nos affecit beneficia, suæ serenitatis & placabilitatis dona specrem. Seruauit enim mortalee, genusque humanum omnino perditum a morte, à corruptione, à diaboli tyrannide asseruit.* Vbi hæ clamant virtutes, sileant poëmata, taceant rhetores.

§. XX.

Lectio sacra efficacissima ad conuertendos animos.

BReuis sanè scriptura fuit titulo crucis exarata, sed cuius vim effugere non potuit rebellis in primis latro: qui enim consortio Iesu ab Hierosolymis in Caluariam restiterat, vbi tituli litteras conspexit a lectionis efficacia clamauit, *Domine memento mei, dum veneris in Regnum tuum.* Sanè Luc.23. tituli lectio Regnum suggesserat, vt vilem latronem in regios spiritus transmutabat. Quod acutè notauit Arnold. Arnold. Carn. de 7.verbis Domini, vbi fatur. *Licet tam insignem titulum deleri perfidia Iudæorum clamosè expeteret; obijcere nullo modo praualuit. Iam ad hanc scripturam pertinebat latro crucifixus, & eum intra se illæ litteræ colligebat.* Prob litterarum efficaciam! Paucæ litteræ rudè & rebellem latronem ad Regnū trahunt, valent equidem litteræ in se colligere. & sibi assimilare cuiuscumque animum. Sic de B.Epiph. lectioni sacræ incumbente scribit D.Ennod.in eius vita aiens. *Pingebat actibus suis paginam quam legisset si Propheta fuisset in manibus, prophetantem videres, codice amisso lectorem: si testamenti veteris recensuisset volumina Moysi dignus æmulator incedebat.* Ennod. Adeò litteræ in se colligunt & transformant animos legentium. Meritò miratur D.Isidor Pelus. lib.1. epist.27. quod homo Isid.Pel. lectioni sacræ deditus, adhuc existeret profanus. *Etenim ait, mihi valde mirari subijt qui in factum sit, vt diuinus amor te minimè sanctauerit, neque ex assidua lectione voluntatis atque instituti mutationem effecerit, qui non modo aliena concupiscere vetat sed etiam propria spargere monet. Quare aut legens agnosce, aut non agnosce — lege.* Hoc similiter ergo consulā omnibus, qui suæ cupiunt infirmitati mederi, nimirum quod legant, præsentissimum remedium est lectio sacra ad omne malum depellendum. Filios Iob ruina domus Dæmon oppressit, quid mirum? Ait enim nuncius c.2. *filijs tuis & filiabus comedentibus, &c.* Vbi Orig. in Cat. dicit, *eos si offendisset legentes, & domum non attigisset & ad interficiendum locus defuisset.* Omni incursui malo occludit aditum sacra lectio, non potest malum aduersus eum, qui sacris libris est deditus Id quod nouerat Ionathas ille Machabæus lib. 1. c. 12. Vbi in epistola 1.Mac.12. ad Spartiatas ait. *Nos autem cum nullo horum indigeremus, habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris, maluimus mittere ad vos.* Etenim superioribus tēporibus aduerso Marte fracti Spartiatæ Iudæorum auxilium egentes, ad Iudæos amicitiæ gratia miserunt. Quocirca ait Ionathas, Vos ad nos misistis auxilij egentes; nos autem mittimus ad vos nullo egentes, vtpotè qui habemus solatio libros sacros, quorum lectioni quotidie studemus. Puer ille Elisæi 4.Reg. 4.Reg.6. 6. à Propheta docetur non timere hostes, nec requirere auxilium externum, cui Angelorum exercitus præsto erat. Ex quo D.Ambros.serm.1.in Psal.118 sic loquitur. *Et tu lege Pro-* Ambros. *phetam, vt videat, lege, vt aperiat oculos tuos, nec te hostilis legio perterreat, & obsessum esse te credas, qui liber es, qui munitus es spiritualibus turmis, si Prophetam non derelinquis.* Nullum non munimen inuenies in sacrorum librorum lectione; hac munitus, nullo egebis, vt hostes deuincas, vt auxiliante Dei gratia viam salutis curras inoffenso pede. Dauid Psalm.118. Psal.118. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Sanè beatitudinis radix immaculata vita est, & cum diuina lege

consor

conformatio, qui vita immaculatus fuerit, iam totum habet quo ſit beatus. Addit tamen Dauid aliud, nimirum. Auguſt. *Beati qui ſcrutantur teſtimonia eius.* Vbi D.Auguſt. *Non mihi videtur aliud his verbis beatitudinis genus commemoratum, quam illud, quod antea dictum eſt: nam ſcrutari teſtimonia Domini, & eum in toto corde exquirere, hoc eſt, immaculatum in via & in lege Domini ambulare.* Itaque ſcrutator ſacrorum voluminum is immaculatus in via & beatus eſt.

§. XXI.

Ne ampliſſimos titulos, ſed ſimplicem virtutis veritatem amplexare.

QVam paucis diuini Regis abſoluuntur tituli, ait enim, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum? Nónne Iſaias copioſus fuit agnominum, & titulorum eius enumerator? Vbi ſunt illa, & vocabitur nomen eius, *Admirabilis, Deus fortis, Princeps pacis, pater futuri ſeculi?* Cur de nullo iſto titulo Rex noſter agnominatur? Sanè quia veritatem habebat, non curat vocabula. Nil magis tritum, quam quod Romani Cæſares Diui vocarentur, vt paſſim habes inter legiſlatores D.Iuſtinianum, à quo titulo primus abſtinuit Rex Theodoricus Ennod. Italiam nactus. De quo pulcrè diſſerens B.Enn.in eius Panegyr.ait. *Maiores noſtri Diuos vocarunt, quibus ſceptra collata ſunt: ſingulare eſt actibus implere ſanctiſſimum, & veneranda nomina non habere. Rex meus iure dicatur alienus, vt Diuus vitam agat ex ſincera conſcientia, nec requirat pompoſa vocabula nuda iactantiæ, in cuius moribus veritati militant blandimenta maiorum.* Non de nomine, ſed de veritate curandum, noſter enim Rex Chriſtus Dominus ampullatos titulos vitans, venerandáque nomina diſſimulans, hoc egit, vt de diuinitatis gloriaretur veritate, non requiſiuit pompoſos titulos; ſed vt Diuus agebat ex fructu conſcientiæ referens in ſe veram Origen. diuinitatem. Accinit Orig.hom.in Matth.35. Vbi ponderans, quòd Summus veteris legis Pontifex ineffabilis Dei nominis inſcriptione nobilitabatur; ac Chriſtus nominis magni litteras diſſimulans habebat in ſe paternæ ſubſtantiæ veritatem, diuini Patris effectus receptaculum: ita fatur. *Princeps quidem ſacerdotum ſecundum litteram legis portabat in capite ſuo ſanctificationem Domini ſcriptam in metallo.* (Sic pompoſi Regum tituli, & glorioſa agnomina inſcribuntur auro, vt clarius Principum ſplendeſcant de cognominibus magnalia: *Verus autem Princeps Sacerdotum, & Rex Ieſus in cruce quidem habet ſcriptum, Hic eſt Rex Iudæorum; ſuſcipiens Patrem in ſe pro litteris & pro nomine, qui nominatur, & habet eum coronam & dignus eo effectus & ſolus ſufficienter patrem capere poteſt.* Contempto Regis Iudæorum titulo gaudet, dimiſſis diuinitatis agnominibus, habens loco ipſorum veram ipſam patris diuinitatem, nec requirit tituli pompoſa vocabula, in cuius moribus veritati militant diuini patris magnalia. Suſpecti inde ſint omnes creati ſplendores, omnes tituli nobilitatis, vna veritas virtutis firma & conſtans eſt adamanda præ aliis. Nónne ſuſcepturus Dominus baptiſmum in Iordane omnia natiuitatis ſuæ decora demonſtrauit? Quid tunc ſupra eius caput effulſit? Luc.c.13. ait. Luc.13. *Deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie, ſicut columba in ipſum.* Expendo illud, *ſicut columba*, vbi quam plures expoſitores non veram columbam; ſed adumbratam interfuiſſe aiunt. Sed cur cum diuini Regis ſtemmata pandebantur, non adfuiſſet vera columba, nouerat enim mundiales Principes de alitibus ſtemmata ſua nobilitare? Equidem Dominus non Ambroſ. titulos; ſed veritatem ſolidam amat. Sic Ambr. lib. de iis, qui myſteriis initiantur c.4. rationem reddens cur columba non interfuerit, ait. *Quid tam verum, quam diuinitas, quæ manet ſemper? Creatura autem non poteſt veritas eſſe, ſed ſpecies quæ facile ſoluitur & mutatur ſimul: quia eorum, qui baptizantur, non in ſpecie eſſe debet, ſed vera ſimplicitas.* Procul eſtote à filij Dei ſtemmatibus creata decora, perpetes alites, columbæ deargentatæ, nutrimenta mendaciorum præclara, qui enim de veritate gaudet, ſolam amat diuinitatem, de ſolo diuini ſpiritus halitu gloriatur. Sic à filiorũ Dei oculis creaturę amouentur & vna Spiritus ſancti maieſtas manet, vt doceamur, non adumbratas gloriæ imagines; ſed veritatem virtutum adamare.

§. XXII.

Spectantium oculi leuamen afferunt patienti maximum.

EXpendo tandem inſcriptionem tituli, nimirum Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum: quam inſcriptionem ait

Baeza in Euang. Tom. 8.

Euthym. Matth.27. *Pilatus ſcripſit in patrocinium Chriſti.* Sed Euthym. vnde ea hac inſcriptione patrocinium Chriſti? An, quia regius ſplendor leuamen aliquod inter tot iniurias poſſet afferre? Imo maximam dolorum partem regia Chriſti dignitas abſumebat. Audite quid prædicet D.Syneſ.lib.de regno Syneſ. dicens, *Mihi crede, regium corpus minime labore tentatur, quiſquis enim palam laborem capeſſit, nequaquam labore vincitur. Rege autem corpus exercente, atque in ſlutiis & ſub dio agente, & in armis ætatem conterente, omnes vbi vis homines quaſi in theatro ſpectatores ſunt.* Ecce vnde regij labores quantumuis maximi abſumuntur, nimirum ab ſpectatorum oculis, quando Rex in omnium oculis verſatur, nullis cedit laboribus, nullis ærumnis frangitur. Ergo Dominus non paruum patrocinium ex regia dignitate capit aduerſus dolores, quos innumeris ſpectantibus oculis patitur. Sanè hoc dolorum leuamen perquirebat Rex ille patientiſſimus Iob, quando à domus penetralibus egreſſus in patienti ſterquilinij ſe poſuit loco, ibique dicebat cap. 16. *Terra ne operias ſanguinem meum, nec habeat locum latendi clamor meus:* quaſi nihil Iob 16. tam timeret in ruina, quam dolorum ſuorum latebras, eo oblectandus fauore, quod eius mala & dolores noſcantur. Ita Diuus Chryſoſtom. in Caten. Græca, *Mos eſt eo-* Chryſoſt. *rum, qui in ærumnis verſantur, vt nolint ſua mala celare.* Nec aberrauit, qui infinitam illam Iudæorum multitudinem Hieroſolymis, illis diebus manentem ad celebrandum Paſcha, putet à Deo fuiſſe coactam, vt triumphatoris filij facinus ſpectatores haberet. Danielis cap. 3. dicitur, *Nabuchodonoſor Rex miſit ad congregandos ſatrapas, magiſtratus & iudices, duces, & tyrannos, & præfectos, omneſque Principes regionum vt conuenirent ad dedicationem ſtatuæ.* Hoc Rex perfidus intendebat, verum Dei prouidentia omnes hos congregabat, vt trium puerorum agon, omnibus his fieret ſpectaculum. Ita D. Chryſoſtom. oratione de Sanct. Meletio, dicens, *Quando tres pueri erant publice peccatum renunciandi, & celebrandi, extincta vi ignis, ſaſtu tyranni conculcato, confutato omni genere impietatis: ex vniuerſa orbe terra erunt ei congregati ſpectatores: nam qui vbique terrarum erant ſatrapæ & toparchæ vocati, quidam erant ob aliam cauſam; illos autem ſpectauerunt Athletas.* Sic etſi ex toto orbe viderentur Iudæi Hieroſolymis congregati ob aliam cauſam, tamen à Deo congregabantur, vt maximum Chriſti agonem ſpectarent.

Text. Milites ergo cùm crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta eius, (& fecerunt quatuor partes, vnicuique militum partem) & tunicam, erat autem tunica inconſutilis deſuper contexta per totum. Dixerunt ergo adinuicem, Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa cuius ſit, &c.

§. XXIII.

Nihil Eccleſiæ fidelium magis proprium, quam vnitas, ſiue charitatis vnio, ſine qua periclitabitur eius ſalus.

HOc cauent carnifices, ne ſcindatur inconſutilis tunica Chriſti, quod non caſu; ſed myſterio accidiſſe crediderim. Id quod docet D.Cypr.de vnitate Eccleſiæ inquiens, Cyprian. *Hoc vnitatis ſacramentum, hoc vinculum concordiæ inſeparabiliter cohærentis oſtenditur quando tunica Ieſu non diuiditur, nec ſcinditur.* Abſit ab animis fidelium qualiſcumque diuiſio, laniationem & dilacerationem in ſe patienter ſuſtinet Dominus, in fidelibus vero quibus ipſe velut ornamento veſtitur, omnimodam diuiſionem cauet, vt qui tunc Deificam ſpeciem a mediatore reparatam præferant, quando arctiſſimo dilectionis vinculo apparent coadunati. Hinc D.Greg. Niſſ. lib.de Creat. hom. cap.5. naturam Dei in ſapientia & Niſſen. amore conſiſtere ſupponens ita loquitur cum homine. *In te & verbum eſt & intelligentia eſt, quæ imitatur mentem diuinam. Item charitas ſuſque charitatis hoc enim ait Ioannes, Charitas ex Deo eſt. Hanc autem nobis veluti perſonam Chriſtus formatus noſtra ſubſtantia conſciens ait, In hoc cognoſcent omnes, quod diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis adinuicé. Quod ſi dilectio nobis iſta defuerit, totius imaginis ſpecies & ſignum ſoluitur.* Hanc Dei imaginẽ peccato in nobis delatã Dei filius patris imago in nobis reparauit, reparauit inquam, cũ in arctiſſimam amoris vnionem vocauit. Nullo enim magis Redemptoris opus elucet, quam in vnione & charitate fideliũ: quantum ab iſta diſtamus, vnione tantum à reparatoris

elongamur mercede. Stultus ille qui apud Luc.12. adiit Iesum dicês: *Dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem.* Quod vt maximè à se alienum sic repellit Dominus dicens, *Quis me constituit iudicem aut diuisorem super vos?* De quo eleganter P.Dam.epist.16.ait, *Vis ergo diuidere? Non habebis Iesum iudicem, aut diuisorem, sed potius diuisionis vltorem.* Vtpote cui sola indiuisio & vnitas inter fratres placere potest. Haud multum ab scopo aberraret, qui dixerit etiam in hostibus suis quandam speciem vnitatis dilexisse Dominum. Psalm.2. Etenim Psal.2.dicitur, *Quare fremuerunt gentes, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum & aduersum Christum eius?* Ecce in quantum scelus adunantur. Sed etiam tam nefaria adunatio, qua adunatio est, aliquo modo diuinos oculos trahit. Leo. Id quod fortè attigit D.Leo ser.11.de Pass.vbi ait, *Furit in vnum populus, & miseretur omnium Christus.* Proh Deû amatorem vnitatis, quando in nefarissimis hostibus vnitatem etiam nefariam notat, vt ad vnitatem fidelium traducat eos qui in delictis norunt aliquam præ se ferre notam vnitatis. Nec vnquam longius à salute fuit populus ille nequam quam ex quo tempore illorum vnitas diuisa est, & ipsi dispersi erant per totum orbem terrarum. Quocirca eleganter Zeno. D.Zeno ser.11.de Iudæis fatur, *Sane vultis scire quantæ sit populus Iudaicus sanctitatis? Quem mare sustinuit adunatum, non potest terra baiulare dispersum.* Quippe vt ab vnitate, progressus maximos in virtutis curriculis facimus, sic à diuisione grauamur, & impedimur, ne iustitiam consequamur. De sanctissimis præcursoris parentibus dicitur Luc.1. *Erant ambo iusti apud Deum.* quæ verba meditatus D.P.Chrysol.serm.91.ait, *Ambo iusti; quia in ambobus erat vna iustitia;* quasi nequirent iustitiam pertingere, nisi eiusdem iustitiæ florerent vnitate. Ergo fuge scissionem quicumque in regnum Christi cupis cooptari, ama sanctissimam in omnibus vnitatem, coronam capies. Merito D.Paul. ad Cor.c.9. aiebat. *Multi quidem currunt; sed vnus accipit brauium.* Cur vbi multi currunt, vnus brauium accipit? An quia sola fidelium vnitas Redemptoris sui mercedem adipiscitur? Ita plane Anselm. D.Ansel.in 18.c.Luc.inquiens, *Omnes quidem Christiani & boni & mali pro modo suo quisque; currunt ad brauium; sed vnus qui legitimè currit, id est vnitas electorum percepit illud.* Heu quam fallitur qui separatus à fratribus salutem obtinere meditatur! Quomodo salutem attingit qui Saluatoris contemnit impressam imaginem? Vbi dilectio non est, vbi vnio non est, totius imaginis Saluatoris species & figura deest, sola vnitas brauium accipit, adeo. vt vel corporalis & inuoluntaria separatio & diuisio à fratribus suspecta sit, & Gaudent. aliquo modo reputetur exitialis. Id quod D.Gaud. attingit in orat.de Martyr.40.vbi animaduertens carnificum astum, quo semiuiuum vnum separarunt à reliquis, sic ait, *Relinquebant vnum qui adhuc viuere putabatur, si fortè mutaret in peius ipsa solitudine voluntatem.* Adeo perniciosa & exitialis separatio à fratribus, vt hæc speraretur posse deflectere voluntatem, quam rigidissimum lacunæ gelu inuincibilem probauerat. Vide lib.5.cap.9. §.2. & suprà lib.3. cap.8. §.40.& alibi.

*Matth.*27. Prætereuntes autem blasphemabant eum, mouentes capita sua, & dicentes: Vah qui destruis templum Dei, & in triduo reædificas. Salua temetipsum, si filius Dei es, descende de Cruce. Similiter & Principes Sacerdotum illudentes cum Scribis, & Senioribus dicebant: Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere; si Rex Israël est, descendat nunc de cruce, & credimus ei, &c.

§. XXIV.

Qui Christianæ virtuti insistunt, nullis hominum clamoribus, nullo prætextu moueantur, vt in afflictionibus etiam liberari præproperent ac festinent, sed longanimi expectent à Deo finem.

IAm crucem subierat Christus, iam dolores inferni sustinuerat, contenti erant Iudæi, vt crederent, si tunc descenderet à cruce, imo illudebant & blasphemabant, si non descenderet. Quis non descenderet nisi ille, qui summam virtutis & perfectionis in se habebat, qui vt de Eleazaro Ambros. ait Ambros. *In moriendo tormentis satius est reliquis perseuerantiæ & longanimitatis magisterium?* Liceat in præsenti afferre verba strenui Ducis Quinti Fabij, qui cum à militibus reprehenderetur, imo ignauiæ & pusillanimitatis notaretur frequentibus vulgi clamoribus, quod non statim prosiliret in hostem, hæc verba dedit apud Silium Italicum lib.7. Silius.

Feruida si nobis corda, abruptúmque putassent
Ingenium Patres; etsi clamoribus inquit
Turbari facilem mentem, non vltima rerum
Et deplorati mandassent Martis habenas.

Nec sanè diuinus Pater deplorati hominis salutem mandasset Christo Domino, si eius mentem clamoribus turbari facilem nosceret, si abruptum ingenium & feruida illa corda essent. At quantumuis turbæ, & Principes clament, quãtumuis blasphement, etsi fidem spondeant, in cruce tamen ducit longanimus persistendum: nec antea descendet, mortaléſque euadet laqueos, quam à patre, cuius iussu in mortem venit, ad vitam euocetur. Sic te compara quicumque Christianæ virtutis studiosus es, eã longanimitatem indue, qua non festines pro Deo periculis acceptis expediri; sed mediis illis virtutis consummationẽ expectes. Sanè Act.16. Act.16. Paulus in carcere agens vinculis præpeditus media nocte sensit vincula confringi, portásque carceris diuina virtute aperiri. Quid tunc? Festinauit egredi? imo ibi quietus perseuerauit, donec carcerarius accedens, *& tremefactus procidit Paulo, & Silæ ad pedes, & producens eos foras, ait,* &c. Hæc noua recentiáque sunt, accipe etiam vetera ex Daniel. cap.3.vbi conspicui sunt tres illi adolescentes, qui pedibus & manibus colligati in ardentem fornacem missi sunt; sed ab igne blanditer accepti, consumpti vinculis, medias inter flammas fornacis illæsi deambulabant. Liberi sunt in fornace, ibique Deum laudantes degunt, nec egredi tentant. Tunc accedens Nabuchodonosor ait, *Sidrach, Misach, & Abdenago serui Dei excelsi egredimini & venite, statimque egressi sunt.* Iam nolo amplius deberi D.Chrysost.ponderationem, qui hom.8. ad Chrysost. Ephes.hoc Pauli & puerorum facinus sic exaltat, *Quemadmodum itaque carcerem Paulus non egrediebatur, tametsi potuisset, donec qui illum coniecerat, ipsum euocaret & educeret: ita neque hi tres pueri caminum egressi sunt donec qui iniecerat, egredi quoque iussisset. Quid hic docemur? ne videlicet in afflictionibus liberari anxie festinemus.* Ne vllo prætextu, vlla spe festines tuam liberationem ab his periculis quæ pro Deo virtutéq; subiisti, ne te fallant difficultates obedientiæ; sed in omnibus longanimus expectes finem à Deo præscriptum. Huius virtutis vir erat Dauid, qui à Saule mille calamitatibus affectus errans in montibus, in speluncis, ibi crudelem hostem habuit in manus 1.Reg.24.quem si occidisset, periculis liberatus regni hæreditabat insignia. Maluit tamen in calamitatibus & ærumnis expectare à Deo finem, quam hoste perempto festinare liberationem suam. Ita D. Ambros. in Ambros. Apol. Dauid c.6. inquit, *Debitum sibi imperium diu distulit, quod sciebat Deo authore sibi deberi.* Merito cuius Deus author imperij futurus erat, hoc non festinabat præripere; sed diu in calamitatibus & ærumnis existẽs expectabat à Deo mittendum calamitatũ finem. Famescentibus turbis post vnius diei ieiunium Apostoli alimoniam procurant, at vbi triduanam sustinent inediam, tunc ipse Dominus ait Matth.15. *Misereor super turbam quia iam triduo sustinent me.* O ingentem expectationis virtutẽ, quæ Deum allicis, vt tibi prospiciat! Accipite D.Pasch.lib.7.in Matth. fantem, *Non ipse Dominus recordatur in vno saltem laborantes die, sed discipuli. Hic autem ipse Dominus recordatur eorum & misereri dicitur, causásque miserationis exponit, quia triduo, inquit, perseuerant mecum.* Expectemus ergo & perseueremus sustinentes calamitates & ærumnas, dabit Deus his quoque finem. Sic adumbrabantur Christianæ virtutes, sic Summi Imperatoris Christi explicabatur œconomia, qui vt ex Patris mandato libere & spõtaneè ad mortem iuit factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, sciens sibi, patre authore, deberi hominum fidem, in cruce persistens, nullo prætextu, nullis clamoribus mouetur vt festinet descensum à cruce; sed diu suam liberationem differt vsque à patre accipiat omnium malorum finem. Huc spectet qui popularibus mouetur ludibriis, vt ab incepta virtutis via desistat, & huic fixus Dominicæ cruci, facile superabit omnia ludibria. Ps.51. aiebat, Psal.51. *Dilexisti omnia verba præcipitationis,* & quidem ea sunt opprobria & contumeliæ, quæ valeant homines præcipitare & deturbare à recta via. Tamen D.Aug.posuit, *omnia verba submersionis,* & statim addit remedium aduersus illam dicens, *Si non vis mergi, tabulam apprehende, ligno portare, crux te perducat.* Vbi enim Christiferæ cruci arctè ligatus fueris, nullis dimoueberis à virtute hominum maledictis.

§. XXV.

§. XXV.

Præpropera & efficax crucis virtus in liberandis hominibus.

O Ingentem Dominicæ crucis efficaciam, vix Dominus crucem ascenderat, & iam humani generis hostes aereæ potestates crucis virtutem expauent, & in destructionem crucis armantur! Huc spectabat ille popularis & Pharisaicus clamor, *descendat de cruce, & credimus ei.* Quod

Hilar.

dæmonum stratagema subodoratus D. Hilar. ait, *Dæmones hoc eis immiserunt, qui vellent vt descenderet, statim enim crucis virtutem senserunt & vires suas confractas.* Non vox illa erat crudelissimorum hominum, sed meticulosi & percussi dæmonis, qui iam crucis acumina expertus, nullum non mouet lapidem, vt illius haberet efficaciam. Nec tunc primum; sed ex eo tempore quo crucis audiuit vocabulum, territus fuit illius efficacia, & totis viribus curabat crucem de medio tollere. Quod in Iudæ pœnitentia, & in somniis

Ignat.

vxoris Pilati animaduertit D. Ignatius epist. ad Polycarp. fatus, *Cum paranda esset crux, diabolus tumultuabatur & pœnitentiam immisit proditori, & mulierculam turbans in somnijs, vt à crucifixione cessarent, inducere moliebatur, suam ipsius perniciem sentiebat.* Hæc crucis virtus erat, quæ ex tunc pungeret & torqueret diabolos; non expectat crucis erectionem in Caluaria, iam vel ex notione vocabuli dæmon territatur, & perniciem suam, & hominum trophæa præsagit. Ad hæc notanda illa Domini verba suos monentis, cum adhuc viueret, *Si quis vult venire post me, tollat crucem suam* Quæ pon-

Matth. 16 / Timoth.

derans D. Timotheus Antioch. orat. de Cruce & Transfigur. ait, *O rem admirabilem, nondum crux à Iudæis fabricabatur, & crucis trophæum fidelibus monstrabatur!* O almam crucis vim & efficacitatem! Quid mirum si dæmones Iudæis iam clamantibus crucem, crucis virtutem præsentiant, si antequam crux in mentem Iudæorum venisset, iam sub illius trophæis fideles inaugurabantur? De antelucana crucis efficacia pul-

Nazianz.

crè Nazian. Apol. 1. fatur, *Quibus armis aduersus diaboli insidias instruar? Quis hunc profligauit? Moyses manus in monte extendens, vt crux adumbrata & ante indicata victoriam ferat.* Quandoquidem crucis nondum fabricatæ virtus armabat fideles, quam modo cruce existente illa Christiani Ecclesia arma-

Sinaita.

bitur? Accipite D. Anastas. Sinait. lib. 11. Hexaëm. Vbi sic depingit Ecclesiam armatam, *Non vides infracta & inuicta arma in quibus Ecclesia Dei conterit, & aufert caput serpentis? Crucem inquam, & corpus & sanguinem Iesu.* Hæc sunt arma, quæ vel à serpente adorata totum eius Imperium labefactantur, quibus munitus Christianus vbique se ab hoste timeri facit Sanè de Mirmilli scuto pulcrè aiebat Alciatus.

Bina pericla vnus effugi sedulus armis
Cum premerérque solo, cùm premerérque salo
Incolumem ex acie clypeus me præstitit: idem
Naufragum & appensus littora ad vsque tulit.

Sophron.

Quæ melius & veriùs de cruce Dominica asserit Sophronius his verbis, *Habeant crucem in terra simul gradientem, in mari simul nauigantem comitem tanquam salutis vtique largitricem, omniumque incommodorum profligatricem.* Hæc ille: qui-

Psal. 103.

bus addere licet illud Psalm. 103. nimirum *Hoc mare magnum & spatiosum; ibi repentia quorum non est numerus.* Vbi D. Aug. sic loquitur. *Repentes tentationes quis numeret? Repunt, sed caue ne surripiant. Vigiletur in ligno, etiam in aqua, in cruce nauigemus, etiam in fluctibus tuti sumus.* Et vbi non tuti, si à cruce portamur? Habet equidem crux eam vim, qua nullis periculis parcat. Quid plura? Et lignum quodlibet, ob crucis cognationem, benefacturos Dei oculos à se rapit. Nónne inter multam turbam, vnus Zachæus Deum sibi deuinxit? Cur is? Sane in arborem ascendit & de cognatione crucis, non potuit non placere crucifigendo. Ita D. Hier. de vera Circumc. fatur, *Sycomorum qua Dominus erat transiturus ascendit: tunc velut de cognata necessitate à crucifigendo conspectus ex arbore cognoscitur, & filius dicitur Abrahæ.* Equidem sola Christiferæ crucis similitudo potis est oculos diuinos rapere, vniuersaque mala profligare. Id prænotabat Moyses Exod. 17. de quo dicitur, *Cumque leuaret Moyses manus, vincebat Israel: sin autem paululum remisisset, superabat Amalech.* Quod meditatus D. Cyrill. Alexandr. lib. 3. de Iustific. in Christo, ait: *Attollente manus Moyse, fortior erat Israël; remittente languebat & superabat Amalech: neque enim à diabolo, neque à quouis alio hoste quamuis expugnandi cupidissimo, vinci vllo modo potest non modo vniuersus Israël, sed quicumque Christo conformes esse præclarum duxerunt, eius opprobrium, id est, crucem illius venerandam perferendo. Cæterum quicumque non acceperunt crucem, ij quod auxiliatore carerent, hostium incursionibus patuerunt.*

CAPVT V.

De verbis à Christo Domino factis, & alijs circa Crucem gestis.

SVFFIXVS Dominus cruci septies verba dedit, verba, inquam, virtute & mysteriis plena. Itaque deficiente solis luce, tenebræ operuerunt terram, impiáque æternam timuerunt secula noctem. Iustum enim erat, quòd cœli lumina, & luminum patrem occisum parentarent, & occisores funestæ noctis terrore concurrerent.

Ex Luc. 23. Iesus autem dicebat: Pater dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt.

§. I.

Christiani sanguinis propria virtus hostilibus animis inimicorum veniam largiri.

HÆc propria Christi Domini vox, *Ignosce illis*, etiam hostibus, etiam diris inimicis sub maximo iniuriarum inimicitiæ ardore. Hic sanguis noui Testamenti melius loquens, quam Abel, vtporè qui non vindictam; sed veniam, sed misericordiam, sed omnimodam indulgentiam clamet. Pulcrè Arnoldus Carnot. *Nullus omnino seueritati locus ibi esse poterat, vbi vulneratus Christus proprij mercedem sanguinis exigebat.* Arnold. Hæc erát merces debita sanguini diuino, quod profusoribus parceretur, quo nullus manebat locus, nec dabatur actio, vt tanti facinoris patratores seuerè plecti possent. Hinc lucem capit locus Matth. 23. vbi rebelles Iudæos minatur Dominus dicens, *Vt veniat super vos omnis sanguis iustus qui effusus est super terram à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ quem occidistis inter templum & altare.* Quibus certum est commonefactos miseros Iudæos de excidio & pernicie illius populi post Christi Domini mortem facta sub Tito, & Vespasiano qua in eis vindicandum minatur omnem sanguinem iustum ab Abel vsque ad Zachariam; quorum alter primus, alter nouissimus est de interfectis ante aduentum Domini. Sed post Zachariam occisus est Iesus, occisus est Stephanus, & Iacobus minor, & alij, cur ergo de sanguine istorum vindicando tacet? An Christianus sanguis non exquiritur, non vindicatur? An non perditus est ille populus ob facinus in Iesum admissum? Hoc testantur scripturæ, hoc clamant patres, hoc vniuersa Ecclesia pro certo habet, & quidem extincti sunt Iudæi ob profusum Christi sanguinem, sed non petente sanguine; imò reclamante, imo exigente contrarium, adeo vt ex solius sanguinis Christiani prece, nulla daretur actio, nec locus seueritati in inimicos castigandos. Explico rem exemplo quotidiano. Est in populo homo nequam, si camus multorum homicidiorum reus, qui tamen Principum fauore sæpè sæpiùs à iudicum manibus ereptus est ante sententiam latam. Tandem qua est homo feritate aggreditur nobilem & spectatissimum adolescentem, tunc iudex summè iratus hominem arripit nefarium, protestans & iurans illum sine vlla indulgentiæ spe fore trucidandum. Rogant veniam nefarissimi hominis patroni; sed repelluntur, cuius rei conscius adolescens ipse male percussus iudici adest, & iuridice percussoris sui postulat incolumitatem, liberalitérque admissum in se facinus condonat. Hinc patroni rei vrgent iudicem, vt seueritatem deponat, læsa ipsa parte condonante, & pars ipsa læsa etiam instat veniam percussori flagitans. Nec his iudex à sententia dimoueri potest, & dum se videt conueniri à patre condonante. ne a decreto desistat, & tantus reus liber euadat, confugit ad vetera alia eiusdem scelera, propter quæ illum, ait, summa seueritate castigandum, quicquid alij expostulent & reclament. Sic in præsenti Iudaicus populus multos occiderat Prophetas, innumera flagitia in sanctos perpetrarat; sed semper à seueri iudicis Dei manibus iustorum oratione eripiebatur. Donec ausus est in Iesum adolescentem secundum, & in delitiis æterno patri: tunc iustitia diuina excandescens in Iudæos summam nefarij po-

puli per Romanos decernit stragem. Verum ipse Iesus percussus iustitiæ astat, propriásque iniurias condonans, homicidis exorat incolumitatem, eáque instātia vrget iudicem, vt ipse decreto firmus condonantem videns læsam partem ad antiqua etiam scelera confugiat, protestans tunc saltem vindicādum summa seueritate veterum interfectorum profusum sanguinem. Dabit nunc, ait seuerus iudex, pœnas populus nequam, nunc sine miseratione vindicandus est in illis sanguis hominis profusus à sanguine Abel vsque ad sanguinem Zachariæ. Id pulcrè attigit D. Hilar. Canon. 24. dicens, *Idcirco sanguis Abelis, & Zachariæ super Iudæos veniet, quia iam in illis habitans Christus & prædicans passus fuerat.* Expende illud, quod idcirco castigatur populus, propter veterum sanguinem effusum, quia Christi sanguinem profuderunt nouiter, quia ex hac effusione sanguinis Iesu irata iustitia, & fixo decreto determinata ad perdendum tam nefarium populum, cum ex nouo Testamēto sanguis Christianus condonans persequutores, clamet condonationem, vt firmum maneat seueritatis decretum, ne euadat liber reus, ad vetera confugit, veterúmque iniuriæ expostulantur, quæ vindictam clamant sine misericordia. O seuera & rigida vetustas ad perdendum homines nocuos! O benigna & mitis nouitas, quæ crudelissimos quosque hostes condonas! Pulcre D. Chrysost. hanc noui & veteris testamenti differentiam notat homil. 8. ad Ephes. in tribus pueris fornace Babylonica inclusis, & in Paulo & Syla nigrum in carcerem coniectis, *Psallentibus his motus est carcer, apertæq; sunt illius ianuæ, & illis quoque psallentibus soluta sunt vincula & pedum & manuum. Hic apertus est carcer, & illic apertæ sunt ianuæ camini ardentis. Hic soluebantur qui simul vincti erant, sed dormiebant; illic vero aliud quid ab illis accidit. Combusti sunt ministri, qui in caminum pueros illos iniecerant.* Ecce vobis sanctos viros in iustitia, patientia, & tolerantia persimiles, quam dissimiles sint in vindicandis illatis pœnis, qui nouum Testamentum Christi sunt sequuti, omnibus prosunt, etiam inimicis, etiam hostibus, à quibus in carcerem missi sunt, solutionem vinctis, & carcerato ipsi vitam largientes: qui vero sub veteri viuunt testamento pœnas suas in persequutores retorquent, & tormentorum ministros flammis ardentibus torrent. Non sic noui Testamenti mediator Dominus, imò in necis suæ ministros veniam clamat & misericordiam. Adeò vt nec Christi Domini vmbra inueniri queat, quę amorem & charitatem in fratres non parturiat. De Iosephi fratribus dicitur Genes. 37. *Qui cum vidissent eum procul, antequam accederet ad eos, cogitauerunt eum occidere.* Etenim non sinunt eum appropinquare, sed adhuc longe agentē volunt interimere, cur in procul stantem insæuiunt? Pulcrè D. Ambros. lib. de Ioseph, cap. 3. *Ideo insæuiebant quia non appropinquauerat eis Christus. Nam si appropinquaret his typus Christi, fratrem vtique dilexissem.*

Chrysost.

Genes. 37.

§. II.

Sanguinis profusionem decorat & coronat inimicorum amor & dilectio.

MAiorem charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis, aiebat Dominus aliquando; sed dum cruci suffigitur animam ponens nouam, addidit suæ charitati pulcritudinem, nimirum inimicis misericordiam illargiens. Enimuero excitante Domino suos ad iracundiæ depositionem iniuriarúmque obliuionem Matth. 5. inquit D. Hilar. *Pulcherrimo ingressu opus legis cœpit excedere Dominus.* Quasi nil magis pulcrum Christiano esse possit, quam dimissis iniuriis, firma inimicos amplecti charitate. Hinc D. August. serm. 50. de verbis Domini ait. *In hoc maximè innotuit Iudæorum cæcitas, dum ipsum pulcherrimum pro inimicis orantem non cognouerunt.* Eum illi decorem tribuebat oratio pro inimicis, ea pulcritudine illum exornabat etiam in passione deturpatum, vt vel ex tanta pulcritudine deberet Deus agnosci. Hinc Dominus mediis in cruciatibus positus dicitur Psalm. 44. *Speciosus forma præ filijs hominum.* Cur enim in cruce speciosus diceretur, nisi ob ingentem eius in inimicos misericordiam? Ita D. Paschas. ibi ait. *Humanitas etiam in eisdem passionibus & iniurijs, misericordiarum virtus esse commendatur, & ideo iure pulcher in cruce, pulcher in flagellis, pulcher in omnibus ab omnibus prædicatur.* Hoc pulcherrimum est, maximéque decorum super illam charitatem qua effudit & profudit sanguinem. Vt merito de S. Stephano dicat Euseb. Emiss. *Deum pro impijs Deo plenus exorat, etiam de aliena peccato iustitiam suam cumulat & coronam suam perfecta Christi humilitate multiplicat. Intelligamus quantum bonum sit dilectionis, quantaque res illa virtutis, quæ commendare adhuc potest passionem.* Quibus in verbis duo sunt maximè notanda. Alterum, quod inimicorum amor martyrij coronam multiplicet: alterum quod etiam martyrium & profusio sanguinis commendetur & pulcrescat ex affectu pro inimicis exorante. Itaque charitas illa, qua maior nulla est, nimirum qua homo suum profudit sanguinem, suámque ponit animam, hæc, inquam, charitas coronas multiplicat, commendabilior redditur ex inimicorum indulgentia. Hinc D. Chrysost. illud tractans 1. Reg. 24. quando Dauid infensissimum & valde iniurium Saulem indemnem dimittens ab spelunca prosiliit, hæc inquit. *Egressus est igitur Dauid, dextram illam totius orbis pretio parem simul cum capite coronatum gestans.* Ecce tibi ex dimisso inimico Dauidis coronas adeò multiplicatas, vt non solum caput; sed & dextera quæ sese ab inimici temperauit eadē coronis redimita appareat. Quid plura? Dextera hæc par totius orbis pretio reputatur. Ecce quod totius orbis pretium? An Christi Domini sanguis? Planè solus sanguis Dominicus totius orbis extitit pretium, quo redemptus est mundus. Igitur vnius hominis dextera inimico parcens adeò par extitit Christi Domini sanguini, mundi pretio, vt vtriusque esset idem & vnus sanguis, & in ipso Christo Dauidicus sese proderet sanguis persecutoribus & inimicis veniam largiens. Nónne cæcus ille apud Luc. 18. ad Iesum clamabat. *Iesu fili Dauid miserere mei.* Cæcus explorat Iesum: quod notans Tertull. lib. 4. in Marcion. ait. *Nam si aliquando Dauidem in recuperatione Sionis offenderant cæci resistentes, quoniam admitteretur: ideo Christus ex diuerso cæco subuenit, vt hinc se ostenderet non esse filium Dauid, & ex animi diuersitate bonus cæcis, quos ille iusserat cædi. At quid & hoc filius Dauid? Nam & qui Dauid offenderant cæci, nunc verò eiusdem indecoris homo supplicem se obtulerat filio Dauid, idcirco ei satisfacienti quodammodo placatus filius Dauid restituit lumina.* Sic sese prodidit Dauidicus sanguis in Iesu benefaciens generi hominum sibi infenso; sic cæci aliquando Dauidem persequuti, à Iesu beneficio affecti Dauidicum sanguinem parem totius orbis pretio deprædicant. Vtique inimicorū amor eiusdem sanguinis notam & pulchritudinem in Iesu & in Dauid ostendit. Nec mireris eos consanguineos Iesu dici, qui bona pro malis retribuunt, quandoquidem inde illos extollit Chrysost. quod sint lingua filij & os Patris diuini. Ait enim homil. 52. ad Pop. *Cum itaque lingua tua tanquam Christi lingua sit; & os tuum quasi Patris os fiat, quis iam huic fuerit æqualis honori?* Sic ille.

Hilar.

Psalm. 44.

Euseb. Emissen.

Chrysost. 1. Reg. 24.

Luc. 18.

Tertull.

Chrysost.

§. III.

Inimicorum amor facit homines filios Dei.

PRo inimicis oraturus Iesus ait. *Pater ignosce illis*, & merito tunc præcipuè Deum patrem nominat, cum vix sit alia virtus, in qua magis filij Dei patrissent, diuinámque originem præferant. Arnoldus Carnot. reddens rationem huius Dominicæ orationis pro persecutoribus factæ inquit. *Poterat vtique accitis multis millibus Angelorum de tantis ludibrijs erui; sed qui præceperat percussori sinistræ maxillæ porrigi dextram, & auferenti pallium præberi & tunicam; seipsum intra regulas suas concludens voluit, vt à capite patientiæ forma prodiret in membra, & in hoc æmulatio filiorum probaretur, si non degeneres exhiberent.* Atqui sapienter Dominus vt hominibus hanc virtutem persuaderet, illud obiiciebat Luc. 5. vt sitis filij patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, quasi solis examen nobis proponeret. Enimuero sicut ex solis conspectu probantur Aquilæ pulli, degeneres sint nec ne, ita ex imitatione solis qui æquali lumine vestit hostes & amicos, probarentur degeneres filij Dei. In hoc ergo æmulatio filiorum probatur, si non se degeneres exhibeant, quando benefacere iniuriis & infensis hostibus placet. Ex duobus tantum hominibus iurauit Dominus naturalem filium nasciturum, nempe ex Abraham, & postmodum ex Dauid. Abrahamus tantam promissionem accepit, cum proprium filium Deo litaturus accepit. Sed Dauid quid magnum præstitit Deo, quo mereretur similem promissionem? rem pulchrè tractat Rupert. lib. 4. de victoria verbi Dei cap. 27. his verbis. *Ratio docet non multo minoris fuisse meriti pepercisse inimico propter Deum, quam non pepercisse vnigenito filio. Hoc fecit Dauid inimico suo infensissimò quærenti animam suam, inimico*

Arnold.

Rupert.

inimico Regi, cuius Regnum sine dubio se suscepturum esse sciebat. Ob hanc maximè causam iuratum illi esse arbitramur, quod semen vel caro eius assumenda esset in filium Dei, quia maxime causa ista facit filios Dei, sicut testatur Dominus cum dicit, Diligite inimicos vestros, vt sitis filij patris vestri, &c. Hoc maximè filij Dei patrissant, nec in vlla re magis filius Dei claruit, quam benigniter & mansuetè inimicos tractando. Quis magis inimicus Dei & hominum quam diabolus? Hunc tentatorem Iesus in monte sustinuit tanta benignitate, tanta mansuetudine, vt inde ille benignitatem in hostes quasi filiationis diuinæ latibulum expaueat. Id eleganter docuit D. Chrysostom. homil. 52. ad Pop. sic monens. *Hæc itaque reputans Domino fias pro tuis viribus similis. Te iam tandem effectum diabolus ne contra quidem respicere potest. Regiam enim impressionem agnoscit, Christi nouit arma, quibus fuit superatus. Quæ vero sunt hæc? Benignitas & mansuetudo. Etenim cum in monte eum irruentem confregit ac profligauit, non innotescens quod esset Christus, mansuetudine cepit, benignitate fugauit.* Ex tunc vbi videt hominem in hostes benignos, Regiam impressionem agnoscens, latentem filiationem diuinam timet & expauet.

Chrysost.

§. IV.

In ore tuo etiam inimicus se honoratum videat.

QVis inimicum meminit, qui illum fœdis cognominibus non studeat fœdare? Ille proditor, ais, ille scelestus me offendit, nec vnquam inimicum recordaris, quem fœdis cognominibus non deturpes. Non sic Dominus, imo fœdis & iniuriis omnibus vocabulis dimissis tantum ait, *Pater ignosce illis.* Non parum honorans inimicos, cum illos meminit vt excuset. O vtinam discamus omnes a tanto Magistro, vt inimicorum nomen reuerenter & magno cum honore tractemus. Sanè reprobus Saul 1. Reg. 20. Dauidem requirens, vt humilem & prosapia vilem notaret, dicebat. *Vbi est filius Isai?* quasi dedignans eum nominare. Atqui Dauid cum tantum hostem interimere posset, illi generosè parcens cap. 24. talionem reddit. *Quoniam Christus Domini est*: sic hostem meminit, vt illum honoratiori & præstantiori titulo nominaret. De quo eleganter Diu. Chrysost. ait. *Neque enim patris cognomento vocauit illum, quamquam is quoque esset humilis & contemptus, neque nudo simplicique nomine designauit; sed dignitatis & principatus titulo. Proinde tu quoque charissime, ne vnquam inimicum famosis nominibus; sed honorificis potius appelles. Etenim si os assueuerit eum, qui læsit, honoris obsequijsque nominibus appellare, & animus hæc audiens à lingua doctus non refugiet cum illo redire in gratiam.* Assuescamus ergo omnes hanc insignem virtutem exercere, & si ex animo inimicos diligere non valemus, saltem illos honoremus labiis, nunquam hostem meminerimus hostiliter & iniuriosè, sed cum honorificis cognominibus nomina eorum & memoriam prosequamur, vt vel sic a lingua mens edoceatur & inclinetur ad habendam facilius illis gratiam. Hinc Sponsa Cant. 2. maximè placebat sponso dicenti: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Spinæ quid aliud facerent, quam pungere, quam lacerare teneram rosam? Econtra vero rosa seu lilium nescit non illustrare & decorare spinas, vt meritò dicat Bernard. sermon. 48. in Cant. *Lilium vtique pungentes se spinas illustrare & venustare non cessat candore proprio. An non proinde lilium tibi videtur implere quodammodo Euangelij perfectionem, qua iubemur benefacere ijs, qui oderunt nos?* Equidem lilium à quibus pungitur spinas non cessat illustrare & venustare: felix illa anima, quæ sic inter inimicos vixerit, vt illos verbis non cesset illustrare & venustare, vt sic Deo Opt. Max. sicut lilium inter spinas appareat. Hinc D. Ambrosius lib. 1. Officior. cap. 29. à fidelium vsu docet percrebuisse morem, quo inimici quique molliori vocabulo nominabantur. *Denique etiam aduersarios molli veteres appellatione nominabant, vt peregrinos vocarent. Hostes enim antiquo ritu peregrini dicebantur. Quod de nostris assumptum dicere possumus. Aduersarios enim suos Hebræi Allophilos, hoc est, alienigenas vocabant. Sic in lib. Reg. 1. cap. 4. Et factum est in diebus illis, conuenerunt alienigenæ in pugnam ad Israel.* Huc vsque Ambros. Pergit D. Chrysostomus serm. de prod. Iudæ vbi ponderat illud Diui Matth. 25. *Tunc abijt vnus ex duodecim Iudas qui dicitur Iscariotes.* Cur ex patriæ vocabulo nominat proditorem, & non ex crimine? Equidem vt illum aliquali honore afficeret. Ibi Chrysostom. *Quid mihi eius patriam dicit? vtinam ipsum quoque nescire licuisset. Alter erat discipulus qui Iudas Zelotes dicebatur, & ne appellatione*

1. Reg. 20. — Chrysost. — Cant. 2. — Bernard. — Ambros. — Matth. 25.

cognominis fiat confusio personarum: nec errore nominum proditor protegatur, hunc ab illo separauit, & illum quidem de animi sui virtute nuncupauit, istius malitiæ nomen abscondit. Insuper Dauid 2. Reg. 15. dum monebat Ethai, vt maneret cum rebelle Absalon, sic ait. *Reuertere & habita cum Rege.* Vbi Theodoretus, quæst. 29. *Quem cum persequeretur & bello inuaderet execrandus filius, non eum nominauit parricidam, non fratricidam, sed Regem.*

§. V.

Beneficentia in inimicos efficacissima est ad depellenda omnia inimicitiæ mala.

PVtas, hanc Christi Domini orationem extitisse cassam? Absit. Vide quid dicat Glossa ad illud Isaiæ 53. *& pro transgressoribus rogauit.* Vbi illa loquit. *Pater ignosce illis: ad hanc vocem secundum Euangelium Nazaræorum multa millia Iudæorum astantium circa crucem crediderunt.* Proh Deus immortalis! quos miraculorum virtus non mouit, quos lingua illa lacte & melle manans non tetigit, vox vna inimicis bona precans in lacrymas & compunctionem traxit? O benignitatis & beneficentiæ in inimicos efficacia! Propone tibi ob oculos illud Dauidis facinus, quando hostem Regem in spelunca liberum dimisit 1. Reg. 24. Cuius Dauidis parcentem hosti vocem audiens ipse Saul paulò ab spelunca egressus ait. *Numquid vox tua fili mi Dauid? Et leuauit Saul vocem suam & fleuit.* Nolo hic deberi auream Diui Chrysostomi orationem sic facinus hoc decantantis. *Non iam sustinuit Saul hanc vocem audire sine lacrymis; sed plorauit amarius. Quid Dauide beatius, qui breui temporis momento sic hostem è furore ad sobrietatem conuertit & animum nactus sanguinis ac cædis sitientem repentè ad lamenta & eiulatus compulit? Non perinde mirer Mosem, quod ex saxo prærupto fontes eliciut aquarum, vt admiror Dauidem, quod ex oculis lapideis fontes eduxerit lacrymarum. Ille vicit naturam; hic vicit animi decretum. Ille virga percussit lapidem, hic sermone pepulit cor, vt purum mansuetumque redderet.* Huc vsque aureum Chrysostomi os, vt inde tu Christi Domini pro inimicis rogantis stupeas efficaciam, vtpote qui momento temporis rabidissimos furentésque hostes ad sobrietatem transtulit, & nactus sæuientem populum cruces cædesque spirantem ad compunctionem & lacrymarum lamenta traxit. Quippe induratorum animorum decreta mutauit, oleúmque hausit de durissimis saxis. Validissima sanè est beneficentia in inimicos, docta emollire adamantes, odia consumere inimicitiarúmque damna penitus extirpare. Sæpissimè Israël Syrorum militum sustinuerat impetus, crebrò per singulos annos doluerat inimicorum sub hastis. Tandem sanctus Elisæus 4 Reg. 4. vniuersum exercitum Syriæ virtute diuina in manus Israëlitæ Regis tradidit, occidisset omnes iratus Rex, sed à Propheta cohibitus est, & iussus vt potiùs iniurios hostes larga liberalitate pasceret. Quid plura? Rem ponderat D. Ambros. lib. 3. Officior. cap. 14. inquiens. *Epularibus refecti copijs nunquam postea in terram Israël piratæ Syriæ reuertendum putarunt, vnde Elysæus gloriosius ignouit, quàm perculit, & vtilius reseruauit hostes, quos cepecat.* O victrix beneficentia! O mansuetudo omnium simulatum populatrix! huc adsit qui hostiles manus sibi velit esse subiectas, qui saxea inimicorum corda cupit sibi manare riuos olei, qui gloriosè nititur triumphare, pascat hostes, beneficus sit in inimicos, & felix & securus gaudeat.

Isai. 53. — 1. Reg. 24. — Chrysost. — 4. Reg. 4. — Ambros.

§. VI.

Beneficentia in hostes regnum homini parat.

NOn paruæ considerationis est quod multi dicunt, nimirum conuersionem Latronis ortam fuisse ex hac Christi Domini oratione pro inimicis facta. Ita doctissimus Pater Salmeron in præsenti tract. 39. Enim verò orat Dominus pro inimicis; & hac oratione emollitus Latro huc vsque conuitiator ait. *Domine memento mei dum veneris in regnum tuum.* Meritò regnum manere Christo Domino tam humanè inimicos tractanti præsagit, quandoquidem beneficentia in hostes regia est virtus, milléque regna parturit. An non simile huic euenit inter Saulem, & Dauidem, 1. Regum 24. Sanè egressus Saul hostis acerrimus Dauidis ab spelunca, in qua facilè potuit à Dauide necari, vbi periculum suum agnouit, vbi se ab illo ipso, quem persequebatur, vidit liberatum à morte, vehementer commotus

1. Reg. 24.

Dauidis

Dauidis charitate inter multa alia hæc illi ait. *Ecce agnosco quòd regnans regnabis, quòd regnum Israel constitueretur in manu tua. Et nunc iura mihi per Dominum, quod non aboliturus sis semen meum post me, nec extingues nomen de domo patris mei.* Ecce tibi ex beneficentia in hostes cognouit Saul Dauidi regnum parari, & illum etsi priuatè agentem, vt Regem
Chrysost. deprecatur, & orat. Quæ eleganter attigit D. Chrysostomus aiens. *Sed dic, obsecro, vnde istuc seu? penes te sunt exercitus, penes te sunt pecunia, arma, ciuitates, equi, milites, breuiter vniuersus apparatus regij, hic contrà desertus ac nudus, nec ciuitatem nec domum, nec familiam habens. Vnde igitur, te quæso, illa loqueris? nimirum ea ipsis Dauidis moribus.* Equidem is erat Dauid, qui hostem in manibus suis habitum dimittit, qui cum se vindicare posset ab inimico potenti, illi benigniter parcit. Dauidi ergo etsi nudo, etsi deserto, rectè Saul regnum præsagit, & vt Regem deprecatur, quandoquidem fieri nequit, vt tanta hostium charitas regno vacet. Et quod regnum? Sanè quod ipsæ inanimæ creaturæ reuereantur.
Num. 16. Numer. cap. 16. quos subditos habebant Moyses, & Aaron, subitò hostes experti sunt, quorum rabiem dum fugiunt sub nebula tabernaculi, ecce tibi ignis à cœlo missus miseros persecutores miserè vorabat, serpit ignis, crescit flamma, ardent ante Moysen, & Aaronem hostes, tunc Aaron de mandato Moysis, accepto thuribulo se inter flammas confert, vt persecutoribus faueat: stetit ignis, & quasi regales veritus leges, non ausus est vltra cremare. Id quod ele-
August. ganter notat D. August. lib. 1. de Mirab. cap. 30. dicens. *Et qui in corde proximorum culpas venialiter dimiserat, eius vestigio descensus ignis de cœlo missus vrere non audebat.* Vbi Aaronem vidit erga hostes benignum, nouit ignis eius regiam potestatem, se subditum recognouit, nec ausus est vlterius suam vim ad præsentiam Aaronis demonstrare. Per hanc virtutem ipse Moyses principatus sui dedit auspicium, de quo
Hebr. 11. dicitur ad Hebr. cap. 11. *Fide Moyses occultatus est, eò quod vidissent elegantem puerum, &c.* Quæ hæc elegantia? Theophy-
Theoph. lactus refert, quòd recens natum parentes dum arripiunt, vt morti traderent, ipse placidè parentes occisores aspiciens risit, tunc illi placidum pueri vultum erga interemptores notantes, illum seruare curant, *adeò in ipso omnia diuina erant*, iam inde magna & regalia puero præsagientes.

Text. Vnus autem de his, qui pendebant, Latronibus, blasphemabat eum, dicens: Si tu es Christus, salua temetipsum, & nos. Respondens autem alter, increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es? Et nos quidem iustè, nam digna factis recipimus; hic verò nihil mali gessit.

§. VII.

Quem non erudiat miserum stipendium à seruitute vitiorum perceptum.

IAm diu gemium Doctor seruitutis humanæ vitiis exhibitæ declararat mercedem inquiês, *Stipendium peccati mors.* Etsi totum te vitiis deuoueas, nihilque magis ante oculos habeas ab ineunte ætate, quàm dæmonum extendere dominatum, huicque soli rei inuigiles, hoc vnum stipendij & mercedis loco accipes, nimirum mortis crucisque ruinam. Nónne Sacerdotes illi Baal deuotissimi erant sui idoli ministri? Igitur hi post obsequia, post seruitia multa exhibita feruentes Dei falsi adoratores pactum ineunt cum Elia, quòd ille habeatur Deus, qui suorum preces exaudierit per ignem. Illucescit iam statuta fœderis dies, & ministri Baal antelucani de Eliæ licentia sacrificium instituunt: paratur magna strues lignorum: petitur à Baal ignis; ita sacrificulorum clamor irritus: addunt macerationes, venas nouaculis scindunt. Quid plura? Totum fermè consumunt diem, nec antè desistunt importuni, quam Sol occubuisset. Tandem Elias post illos in occasu Solis accedit, & ignem de cœlo impetrat, quo miserè ministri Baal interficiuntur. Ad hæc non parui momêti exagitari solet quæstio, cur Elias veri Dei vates permiserit, quod primi illi Baal sacrificuli litarent Deo suo, & in his fermè totum consu-
Theodor. merent diem? Pulcrè respondet Theodoretus. *Ne pudore affecti ministri mendaces dicerent ægrè ferre Baal, quòd non in primis acceperit munus, eis cessit primus partibus, & cedendo primis partibus, & totum ferè diem concedendo eis, circa occasum coëgit populum, &c.* O summam Prophetæ sapientiam! Fortasse miseri sacrificuli si non primi, si non antelucani accederent, si integrum diem non consumerent, crederent ideò à suo Deo derelictos, & male tractatos fuisse. Hinc prudenter satis Elias cedit eis primas, permittitque, vt integrum diem consumant in suis precibus, ne vllum prætextum suæ habeant calamitatis; sed clarè videant falsorum Deorum mercedem esse nullam præter extremam perniciem. O quoties id ipsum accidere videmus in mundo! multi enim sunt qui a Deo relinquuntur suis vitiis seruire, qui ab ineunte ætate se totos tradiderunt vel Mercurio comparandi auri causa, vel Veneri ob voluptates, vel aliis idolis, in quorum cultu integram consumpsere vitam, póstque maximos labores, post curas multas iam in occasu constituti nullum aliud stipendium tenent, quam mortem, quam ruinam. Vt vel tunc cogantur confiteri vitæ transactæ vanitatem, vitiorum imposturam, idolorum mendacia, & amaritudinibus repleti ad Deum verum orationê fundere. Nónne Paulus ad Ephes. 6. vocat diabolos, mundi Rectores? Et Ephes. 6.
cur mundus traderetur regendus Diabolo, nisi vt eius malignitate castigati mundani ad Deum confugiant? Sic apud
Luc. 16. introducitur villicus, penes quem mundialium re- Luc. 16.
rum sit administratio. De quo D. Gaudent. fatur. *Iniquitatis villicum Diabolum puto esse, qui idcirco correctionem generis humani, huic sæculo dimissus est, vt immanitatem crudelissimi huius villici fugientes ad pietatem Dei suppliciter curramus.* Sanè permittit nos Deus sub vitiorum & dæmonum tyrannide premi, vt vel malis in bonum erudiamur. 3. Reg. 13. Hierosolymitæ obsessi enixè a Deo liberari contendebant. Tunc Iosephus lib. 8. cap. 4. ait. *Deus autem videns eos sic affectos, & peccata sua confitentes, per Prophetam denuntiat nolle se eos perdere: subditurum tamen Ægyptijs, vt experiantur vtrum commodius sit Deo seruire, an homini.* Quando nemo est, cui exhibiti creaturis seruitij stipendium, non sit mors ærumnæ ingentes cruciatus & tormenta. Huiusmodi erat Latro iste a primis vnguiculis furtis deditus, post transactam vitam iam in occasu constitutus, vitiorum suorum stipendium, mortem, crucémque recipiens ad veritatis accedit notitiã, & veri Dei prædicator efficitur, dum socium increpat & dicit: *Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es.* quasi innuat, quod tantæ damnationis merces illi oculos aperiret. Et quem non erudiret post longam seruitutem, post vigilias, post matutinas curas, in adorandis idolis tam cruentum stipendium præceptum ex vitiis? Pulchrè
D. Zeno de Iona dicebat, quando illum audit à ceto deuo- Zeno.
ratum, & mediis ceti visceribus orantem. *Vigilat in ceto, qui in naui stertebat.* Sanè nauis tabulis securus Deo post tergum relicto fugiebat adeo securus, vt somno sepultus sterteret, verùm cum se in ceti faucibus sensit, ô quam somnum excutit, & totus Argus, & totus vigil apertis oculis orationem ad Deum fundit, promittítque se pœnitentiam prædicaturum. Nouerat hoc agricola, qui in Euangelio rogabat Dominum, vt sibi permitteret sterilem ficum vltimò excolere, facta fouea, immissóque stercore per circuitum.
Cuius rei sensum exprimens D. Athanas. quæst. 35. dicit. Athanas.
Multi enim demum resipuere, qui per afflictiones fossi, & per tentationes recepto stercore fructiferi facti protulerunt virtutem. Quia tanto labore accepto non fructificaret? Quis transactis annis nullo dato, vel accepto fructu, tandem afflictionibus fossus non resipiscit? Quis pene iam in mortis faucibus non euigilat, non noscit vitiorum imposturam? Quis post longam seruitutem à vitiis mortis stipendium accipiens non currit ad fontem vitæ Christum? Sanè Elias, vt in principio vidimus, ad occasum Solis coegit populũ, & struem lignorum multa aqua perfundens ignem à cœlo obtinuit, qui incendit sacrificium, & inanes Baal sacrificulos gladio diuisit. Ita Christus Dominus in occasu constitutus inter Latrones oculorum suorũ aquis perfundebat struem
lignorum, vt dicit D. Ambros. serm. 3. in Psalm. 118. *Christus* Ambros.
in illo tentationis ligno constitutus illacrymat populum dicens, Pater ignosce illis. Quo ignis de cœlo descendit, inflammauit dextri Latronis lignum, relinquens sinistrum enecandum gladio diuinæ iustitiæ.

§. VIII.

Extrema hominis miseria, quem nec calamitates cogunt in vitam.

MEritò increpat Latro Latronem. *Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es?* Nec damnatio, nec

mortis

mortis durissimæ periculum te ad Deum cogunt recurrere? Nil magis monstrosum potest inueniri, nullum extremæ perditionis clarius iudicium, nil maioris terroris & horroris dignum. Sic Clemens Alexandrin. in adhort. gentium malum exaggerabat dicens. *Non autem ex his, qui hic sunt, carceribus fugientes, confugietis ad eam, quæ ex cœlis est, misericordiam.* Ex carcere, ex vinculis, ex cruce, & damnatione non confugere ad cœlitum misericordiam, summi doloris est, quandoquidem ea sunt tormenta, & mundanæ afflictiones, quæ nos in cœlestem viam compellant. Lucæ cap. 14. dicebat pater familias ministro: *Exi in vias, & sepes, & compelle intrare, vt impleatur domus.* Et quæ res tantæ potest esse virtutis, quæ homines in cœlum compellat? Vt verè sic sapienter D. Anselmus ait. *Sunt qui in hoc mundo prospera quærunt, & aduersa inueniunt, & quo magis voluptates, & opes, & honores appetunt, eò punctiones, & ærumnas & abiectiones sentiunt. Hos igitur aduersa compellunt, vt ad Dei cœnam veniant.* Miraberis, tam potentes esse calamitates, vt per vim trahant homines ad cœlum, vt eos compellant in Dominicam cœnam? Et fallor nisi idem promiserit Oseas, cap. 6. populo Israëlitico dicens; *Pascet eos Dominus, sicut agnum in latitudine*, quasi diceret, Vidisti aliquando, dissipato & perempto ouium grege, vnum agniculum remanere, qui tristi vlulatu montis vastitatem pererrans, priuatus maternis vberibus cogitur pascere herbas. Ita cum populo nequam aget Dominus, ea illum calamitate afficiet, qua vndique repulsus compellatur perquirere pascua Dei. Ita præter Theodoretum, & D. Hieronymum explicat Ruffinus his verbis. *Gens subiecta hostibus truculentis per solitudinem ingredi cogetur, quam tamen non vsquequaque prouidentia diuina destituit, propter quod dicit; Nunc pascet eos Deus; sed vt impositæ calamitatis magisterio intelligat.* Quam calamitatum potentiam ille noscet, qui viderit latronem furtis deditum, vitiis innutritum sic calamitatibus cicurari, sic perfici, vt media in tempestate passionis, suæ felicitatis sydus præuiderit, & ab arbore crucis ad manus reuolarit diuinas, vt meritò hanc ærumnarum vim ponderans dicat D. August. serm. 110. de iusto latrone verba faciens. *Quem saluti culpa perdiderat, perditio inuenit, cruciatus absoluit, damnatio consecrauit.* Hinc vide quantæ malitiæ sit huic æ imnarum virtuti resistere, & contra tantos stimulos calcitrare, & mediis cruciatibus, tormentorúmque fluctibus vsque in cœlum tollentibus perire hærens in limo profundi.

Cl. Alex. Luc. 14. Anselm. Oseas 6. Ruffin. August.

§. IX.

Omnibus hæc virtus Christianis innasci debet, qua in aliorum salutem aspirent.

QVam citò nouella hæc paradisi plantatio Christi spiritum ebibit sciens nil magis Christianum, quàm proximorum perquirere salutem. De illo pulcrè D. Chrysost. *Non solum intra se fuit; sed & suas necessitates prætermittens aliorum vtilitatem cogitabat, & Magister pendebat in cruce, & sanis persuasionibus alium inuitabat ad vitam dicens, Neque tu times Deum.* Hæc prima Christianorum virtus, si filios Christo pariat, si oues tanto pastori acquirat, si labore suo animarum segetem adaugeat. Nónne D. Petrus 1. epist. cap. 2. Christianos alloquitur illis verbis: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* Vbi Græcè habetur, *populus in acquisitionem.* Enimuerò is censetur vnus è populo Christiano, qui anxiè curat acquirere Christi animas. Vnde D. Bernard. in serm. de S. Ioann. Baptist. ponderans præcursoris ardentem zelum, quo Herodem à vitiis nitebatur liberare, sic infert. *Ferueat etiam in nobis zelus iste, charissimi, ferueat amor iustitiæ, odium iniquitatis. Nemo, fratres, vitia palpet, peccata dissimulet nemo. Nemo dicat, Nunquid custos sum fratris mei? Nemo quod in se est æquanimiter ferat, cum viderit ordinem deperire, minus disciplinam.* Fallor, si Christiani saporem habet, qui hoc zelo non angitur, qui totis viribus non curat fratres custodire à peccatis, qui in vitia non excandescit, qui nouas oues Christiano gregi non curat addere. Sane Dauid omnes inuitat Psalm. 28. *Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum.* Ex quo dulciter Diuus Petrus Chrysologus sermone 10. ait. *Afferte, afferte filios arietum, quos sponte venire aut necessitas vetat, aut ætas impedit, aut tenent vitia, aut delicta morantur. Adducite volentes, trahite nolentes, facite vobis de aliena necessitate mercedem. Seruum dominus adducat, filium pater offerat, non retardet. Vir coniugem deducat ad fidem. Amicus amicum attrahat ad salutem, vt de gratia diuina humanam comprobet charitatem. Peregrinum ciuis, possessor hospitem Dei ad mensam deducat. Nemo dicat, non vult, quia Abraham vt filium offerret, colligauit; & Lot Angeli vt subtraherent flammis, subtractum manibus sustulerunt.* Huc vsque Chrysol. O quam tangebatur Paulus hac fratrum cura, cùm 1. ad Thessal. cap. 3. ait. *Nunc viuimus, si vos statis in Domino.* Vbi Chrysost. homil. 1. de S. Romano fatur. *Vide quantopere studebat, vt res fratrum rectè se haberent, qui nec se viuere existimabat, si illi salui non essent. Homo qui ad tertium cœlum raptus fuerat, atque in paradisum delatus, tantúmque apud Deum fiduciam fuerat assecutus, illorum bonorum sensum non accipiebat, nisi etiam fratres secum saluos esse vidisset.*

Chrysost. 1. Petr. 2. Bernard. Psalm. 28. Chrysol.

Text. Et nos quidem iustè, nam digna factis recipimus: hic verò nil mali gessit.

§. X.

Peccatorum confessio ad salutem necessaria.

NVllam magnam gratiam in Latrone mirabor, vbi sic audio illum sua peccata confitentem, & publicantem, non enim aliter ad Christum spectare audet nisi Christiano more priùs humili confessione manifestet peccata. Id quod notauit D. Chrysostom. dum ait. *sponte sua peccata publicat dicens, nos quidem iustè. Non est ausus dicere, memento mei; nisi confessione peccati sarcinam remisisset.* O bonus Latro, nondum ad Christum locutus, & iam Christianum agis, & vel ex Christi conspectu discis, à nemine posse sperari veniam, qui non præmittat confessionem peccati. Sed forsan non mouet peccatores ista Latronis confessio, quandoquidem ille Præconis voce sua delicta publicata nouerat, quorum pœnas in crucis supplicio dabat, cur non confiteretur peccata adeò nota? Igitur accipe sanctissimum Iob, cap. 31. *Si abscondi quasi homo peccatum meum, & celaui in sinu meo iniquitatem meam.* Hoc erat sanctissimi viri asylum in omnibus peccatis, nimirum illorum confessio & publicatio, aliquando culpa obrepebat eius animo; sed statim prodita confessione excludebatur. Ibi eleganter Diuus Gregor. lib. 22. Moral. cap. 14. *Qui se inter aduersarios nouerat viuere, & tamen non verebatur culpas voce confessionis aperire. Vnde certissimè quantæ munditiæ in omnipotentis oculis fuerit, qui & vitauit mala, ne committeret, & tamen quæ eum committere contigit, hominibus non abscondit: quatenus ei & iustitiæ sit gloria declinasse peccatum, & iustitiæ custodia, quod non potuit declinare, prodidisse. Videatur vir iste cuilibet magnus in virtutibus, mihi certè sublimis apparet etiam in peccatis suis. Mirentur in eo qui volunt continentiam, integritatem iustitiæ, viscera pietatis: ego in eo non minus admiror confessionem humillimam peccatorum, quàm tot sublimia virtutum.* Nec qui peccator est, aliter veniam obtinebit, nec Deo placebit, nisi facinora omnia sua humili confessione patefecerit. Sæpissimè miratus sum vltionem illam in Sichimitis factam, ob Dinæ filiæ Iacob raptum: sanè Princeps Sichem rapuit Dinam, sed post raptum statim adit puellæ parentes, & fratres, illámque in vxorem expostulat, ingentémque dotem promittit, & quod maioris momenti est, circumciso præputio, Israëliticam religionem profitetur. Interea Simon, & Leui puellæ fratres, arreptis gladiis religiosum, & improuisum cognatum interficiunt, facta etiam in populo magna strage. Et vt mireris magis, recordata Iudith cap. 9. hoc Simeonis facinus, inquit: *Domine Deus patris mei Simeon, qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum*, putà in offensionem & perniciem Sichem, à Deo accepit Simeon gladium. Cur ita? Nónne Princeps Sichem plenam facinoris sui satisfactionem fecerat? Quæ maior satisfactio debebatur puellæ raptæ quàm ea? Raptor homo nobilis, & Princeps regni illam petiit in vxorem, diuiti dote coëmit, eius amore rigidam & austeram religionem accepit. Quid amplius debuit facere? Cur adhuc sæuiens ira Dei in illum tradidit Simeoni gladium in vltionem? Dionysius Carthusianus hanc reddit causam, nimirum quod Princeps ille nunquam inueniatur confessus fuisse suum facinus, nec se criminis reum appellasse, & ideo nulla alia satisfactione, nec regalibus nuptiis, nec ingenti dote, nec fœdere inito cum sanctis, nec religione suscepta potuit Deum placare, & se ab eius ira liberare. Veniat modo nobis in mentem Deus peccata castigans duorum hominum, patris & filij, Adami, & Caini: ad Adam inquit Dominus. *In operibus tuis maledicta sit terra,* non tu maledictus, sed terra; ad Cain verò, *maledictus tu*

Iob 31. Gregor. Iudith 9. Genes. 3.

tu super terram. Et sane grauius fuerat Adami facinus, perniciosius peccauerat, & multo minus punitur quam filius, & a maledictione liber euasit. Pulcrè rem attigit Diuus Athanas. quæst. 72. veteris Testamenti, dicens. (Athanas.) *Eo quod Cain negauit, & à Deo abscondit peccatum suum, maiorem in se pœnam deriuauit. Adam vero, quia confessus est magnum illud à se supplicium depulit.* Vide Adamum confitentem, mulier dedit mihi & comedi, vide Cainum negantem, nunquid custos fratris mei sum! quid mirum si confessus fugiat diuinam maledictionem, qua velit diploide vestiatur qui noluit confiteri peccata? Illud etiam ostendit, quam Deo grata sit peccatorum confessio, nimirum quod Deus ad hoc significandum relictis aliis Iacob filiis prioribus, ex Iuda carnem sumpserit, cuius nomen confessionem sonat. Ita D.Paschas. lib.1.in Matth.fatur. *Forsitan ergo Christus de Iuda, qui est quartus ab Abraham, idcirco nasci voluit, & tribus prætermissis fratribus de quo veniret per carnem, hunc elegit, vt mox percepta gratia fides, spes, ac charitatis ex nostra Christus confessione nasceretur.*

§. XI.

Vtilissimum homini est, quod cognoscat pœnas à flagitiis suis in se profectas.

O Latronis vox plena salutis, ait enim, *nos quidem digna factis recipimus*; prudenter noscens hos sibi cruciatus venisse à Deo vlciscente peccata. Quoties homines mala patiuntur, & illa vel temporis intemperiei tribuunt, vel inimico homini, vel aliis causis, nec cogitant illa sibi immissa à Deo in vltionem peccatorum. (Matth.17.) Matth.17. aiebat ille ad Iesum ibi obiiciens filium a dæmone vexatum. *Domine miserere mei, quia lunaticus est & male torquetur.* (Chrysol.) De quo eleganter D. Petrus Chrysol. notans malitiam & astutiam diaboli serm. 52. his verbis. *Aut humanæ naturæ, aut cælestis elementi, quod sua artis erat voluit Dæmon tunc videri, aptans lunæ cursibus hominis passiones, vt esse lunæ crederent, quod erat diabolici criminis & furoris.* Hic quotidianus dæmonis astus, qui totis viribus curat, vt homines sua mala causis tribuant naturalibus, vel fortunæ successibus, vel improuidentiæ suæ, ne attendentes ea esse stipendia criminum & diaboli, quærant à Deo sanitatem. Vnde nil magis vtile hominibus, quam si noscant mala omnia à peccatis suis parturiri, vlciscente illa Deo. (Num.22.) Numer. 22. curabat Israelitarum hostis, vt Balaam sacrificulus idolorum, & celebris veneficus malediceret populo Dei, sed Deus territans veneficum ait illi. *Non proficisceris, neque execraberis.* Et quidem ego non parum mirabar quod Deus Optim. Maxim. venefici maledictionem populo suo metueret, & illam curarit auertere. Quidni, quod veneficus maledicat populo sancto? idem maledictus erit? ideo dabit maledicto pœnas? Cur ergo Deus tam anxie nititur ne maledicat? Quid ex illa maledictione metuit? Rem attigit Anastas. Nicænus quæst.32.his verbis. (Anastas. Nicæn.) *Quam vim habet et vatis execratio, cui Deus prohibuerat ne execraretur? Nullam quidem vim habebat, falsa enim tenebatur opinione. Sed quoniam populus continenter iniquè agens sustinebat plagas à Deo immissas, ad eorum imbecillitatem hæc dispensauit. Nam ne à Deo castigati existimarent se per vatis execrationem incidisse in calamitates, non sinit vatem vti execratione.* Adeo detrimentosum est homini sua mala aliis tribuere causis, adeo vtiliter quisque molestias suas afflictiones, ægritudines, pericula, noscit esse suorum criminum fructus vlciscente Deo patrata delicta. Huc refert illud Dan.5. vbi iamiam castigandus Rex Balthasar inter pocula, vidit manum altrinsecus in pariete scribentem, ait enim: *in eadem hora apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis.* Cuius rei rationem hanc elegantem excogitauit D. Isidor. Pelos. lib. 2. Epist. 161. dicens. *Vt enim pictores rebus his quæ corporis expertes sunt, corpus tribuentes, manum solam pingere conantur, terrenorum capita corona redimentem, quo imperium ipsis cælitus datum fuisse demonstrent. Sic etiam illic Dei per indulgentiam se dimittentis consilio, manus visa est, vt illud ostenderetur, omnium Regem, calculum aduersus tyrannum efferre, ac sententiam subscribere.*

Text. Et dicebat ad Iesum, Domine, memento mei cum veneris in regnum tuum. Et dicit illi Iesus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.

§. XII.

Per Crucem & labores securissimè & certissimè ad Paradisum itur.

MVltum debemus peccatores ærumnis, multum debemus crucis doloribus, illi nos securissime & citissime per turbulentum seculi mare ad salutis portum appellere faciunt. Vt meritò dicat D. Ambros.serm.55. (Ambros.) *Vlisque latro diu oberrans & naufragus aliter ad patriam redire non poterat, nisi fuerit arbori religatus.* Naufragus errabat miser vbique submergendus. vbique a fluctibus sæculi vorandus, incidit tandem in Crucis dolores, & nullum metuit amplius naufragium. Sane in huius latronis capite contemplatur Drogo lib.de Pass. totius generis humani & perditionem & felicitatem. (Drogo.) Sic enim ait. *Quis latro ille fuit nisi Adam? Qui ex quo in paradiso sui ipsius homicidium perpetrauit, tamoru à Christo fugit reus, & abscondit se, donec in Crucis articulo nouissime consumptus & comprehensus fugere & latere amplius non potest.* Heu quam erraticus homo latitabat! quam erroneus mūdi delitias percurrebat, omnia moliebatur, vt Dei oblitus mundi creatura frueretur. Vagus & profugus periisset, nisi crucis laqueis fuisset religatus; incidit in cruciatus, in gemitus, in dolores, & vniuersi illius errores medelam fuerunt nacti. In crucis, inquit, articulo comprehensus fugere, & latere amplius non potest, crux nos Deo prodidit, crux nos educit è latebris, crux nos paradiso restaurat. Id quod eleganter ponderat D.Chrysost homil. de diuite inquiens. (Chrysost.) *Crux clauis paradisi est, crux Christi aperuit paradisum. Nonne nobis dixit quod regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud? Qui in cruce est non vim facit, nil medium est, & crux & statim paradisus.* Equidem paradisus patet excruciatis, laborantibus, ærumnosis, quisquis paradisum appetis non in ædem confugias; sed crucis angustias intrato, & continuo inuenies paradisum. Quisquis Deum quæris, ne longas ambages instituas, arborem ascende crucis, & omnia tenes. Pulcrè Zachæi ponderans felicitatem D. Laurent. Nouar. hom.de Pœnit. inquit. (Laurent.) *Zachæus pusillus corpore factus est præclarus opere, flagitiosus conceptus, felix subito nascitur. Meditans ascendit arborem, vt videretur à Christo & publicaretur in mūdo. Arbor optabilis salubri medicamine plena, quæ in solo aspectu subuenit peccatori, & sanctificauit prophanum.* Nescit tardari fructus, qui à cruce perquiritur, nescit perdi felicitas, quæ per crucem comparatur. Vbi crucis amplecteris tormenta, non amplius aberrabis; nō erroneus & vagus traheris; sed securissimè & citissimè optatos paradisi fines tanges. Celebris ille astus erat, quod apud Diodorum Sicul.lib.6. pueri ita certo lapidem mittere docebantur, vt nunquam ab scopo aberrarent. *Imponunt, ait, supra erectum lignum panem, signum quod ictu petant, nec ante cibum capiunt, quam panem lapide ictum pro cibo sumant permissu matris.* Iam etiam Dominus, vt nos doceat ab scopo non aberrare; sed certo optatos gloriæ fines attingere, omnia nobis bona super crucis erectum lignum posuit. An Moysi faciem Domini desideranti non dicitur Exod.cap.33. *Ego ostendam tibi omne bonum, posteriora mea videbis.* (Exod.33.) Sanè posteriora Domini crux tenet, in qua omne bonum ponitur, vt dicat Chrysost. *Hæc omnium bonorum abunda largitio.* (Chrysost.) Felix qui omnia bona per crucem, per labores quærit, sanè non ab scopo aberrabit, sed certissime Deum inueniet. Enimuerò ait Drog. lib. de Pass. (Drogo.) *Circuire possum, Domine, cælum & terram & aridam & mare, & numquam te inueniam, nisi tantum in cruce, ibi dormis, ibi pascis, ibi cubas in meridie.*

§. XIII.

Oblata occasione salutis acquirendæ sine vlla mora arripienda.

MEmini austerum illud Domini ad discipulos præceptum datum Luc.10. nimirum. *Neminem per viam salutaueritis.* Quod non sine sapore adagii sonat Abulensi, & Caietanus summam diligentiam in salutis negotiis agendis notat. Etenim qui summi discriminis negotiū agit, non multum temporis terit in salutationibus ciuilibus; sed omnibus prætermissis rem aggreditur, ne mora interposita status rei peior fiat. Matth.11. dicitur. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* (Matth.11.) Expende illud, violenti rapiūt, quippe nec milites vim inferendo de salutationum comitate curant, nec raptores consumunt tempus; sed quam citissimè possunt prædam arripiunt. Vnde D.Ambr. *Rapiamus ergo,* (Ambros.)

ergo, festinemus, nam pascha non manducatur nisi festinanter. Vidi aliquando rapaces iuuenes mediis plateis ciuitatis attente speculari, an mulierculæ venditrices frugum dormitent, & vix oculis conniuere sentiuntur, & ecce tibi rapax manus canistrum arripit, & ocyor ventis securitatem quærit. Quis medio hoc raptoris velocissimo cursu salutationem ab illo exquireret, vbi vel parua mora esset maximè nociua? Sic nos comparere debemus ad salutem obtinendā, quasi ex raptu habenda nobis sit, vbi nulla occasio prætermittitur, nec morosè, sed festinatissimè arripitur. Hanc philosophiam docuit sanctissimus Latro, de quo D.Greg. Niss. (Nissen.) orat.de 40.Martyr.inquit. *Animaduertit acutus & ingeniosus fur thesaurum, & nactus occasionem vitam rapuit arte furandi pulcrè & soleter abusus.* Non moram fecit, non longis salutationibus tempus consumpsit; sed cum primum occasionem nanciscitur more furum festinatissime arripit vitam. Tibi modo veniat in mentem regulus ille, cuius filia infirmabatur Luc.18. Is Dominum adit, narrat filiæ periculum, longis salutationibus exquirit, vt veniat Dominus in domū suam, annuit Iesus, arripit iter, sed dum iret, mulier hæmorrhoissa secum tacens accedit, tangit fimbriam, & recepit salutem. O sapiens & prudens negotiatrix cum Christo. Ambros. S.Ambros.lib.3.in Luc.c.17. *Dum Iesus ad filiam Principis Synagogæ tenderet, furtiuo quodam tactu sanitatis remedium prælibauit.* Ille dum salutationibus moratur Christum, dum longam viam perquirit, audit mortuam puellam, antequam accederet Christus, hæc sapientior, deposita mora, dum nacta est occasionem adeundi Christum, more furis rapit sibi salutem. Paulin. Hinc D.Paulin.epist.4 notans Dominum in domo Pharisæi recumbentem in peccatrice Magdalena fuisse quæsitum quæ præ Pharisæo salutem obtinuit, ait. *Quoniam spiritus vbi vult spirat, & audio vocem eius, & nescio vnde veniat, igitur vbicumque auram captabo, vndecumque vel tenuem halitum legam: vel in digni vel in domo Pharisæi, audiam Dominum venisse, contendam præripere hospitis gratiam, præripere si possem regnum cœlorum.* Sanè in cœlesti via etiam verum est illud quod viuitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus, & qui diligens est nullam occasionem prætermittat; sed attente inspiciat vbi cœlestis thesaurus hospitatur, & omni mora exclusa hospitis gratiam & regnum cœlorum præripiet. Huc spectabat illud Nazianz. consilium ad Virgines carm.3.

Æquora nec celeri sulcans infida carina.
(Dum tibi flat Zephyrus, nec magnas excitat vndas)
Committe, vt cursum ratis anchora iacta retardet.

Imo dum spiritus diuini spiratio instat, continuo absque mora omni dimissa detentione cœlestis arripienda est via.

§. XIV.

Væ qui in finem vitæ pœnitentiam protrahit post Latronem.

QVis post spoliatam domum à latronibus accedit eodem securus? Sanè pater familias qui sibi factum præsentiet furtum, vigilabit inde, nec secundo se spoliari permitteret. De muliere Hæmorrhoissa paulo ante dicebamus quod furtiuo attactu salutem obtinuerit. Ex quo prudenter Nazianz. monet Naz.orat.in sanctum Baptism.his verbis. *Ne alioquin sanguinis destuuio labores, Christumque iam sufferandæ salutis causa prehendere nequeas. Neque enim furto sæpius circumueniri Christus amat, tametsi clemens & mite facilis fit.* Quid pulcrius? Quid verius? Sanè latro ille felix furandi arte diligenter abusus rapuit à Saluatore vitam, caue tu deinde ne illas angustias expectes, ne te ad illud tempus serues, nec speres te simili modo furatum ire salutem. Quandoquidem Christus clementissimus est, & facilis ad ignoscendum, tamen se furto circumueniri sæpius non amat. Fallor nisi hunc re- Athanas. spexit D.Athan.dum inquit. *Vides latrones; sed non ambo in eisdem. Alter regnum hereditauit; alter in gehennam dimissus est.* Quippe non sæpius furto circumueniri Deus amat, vbi vnus latro salutem furatus est, iam cæteri caueant sibi, nec eas temporis expectent angustias, quibus nisi furtim saluari nequeant. Hoc enim periculosum valde est, vt merito Dominus dicat Matth.16. *Quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Quasi innueret, quod nulla posset ani- Xiphil. ma redimi à tanto periculo. Vbi eleganter Ioannes Xiphilinus Patriarcha Constantinop.orat. de Cruce ait. *Aduerte quemadmodum non dixerit, quam dat homo commutationem pro anima sua? Sed quam dabit? Tunc enim non habebis quod det, cuius rei non nesciunt dolosus hostis noster semper mulcet nos vitæ suauitatibus, tempúsque paulatim protrastinando suffuratur. Mihi,* inquit, *diem da hodiernum, Deo crastinum; mihi tempus præsens, Deo futurum: vt ita tardantes ad pœnitentiam abripiat nos superuenient, quando non est qui redimat, neque qui saluum faciat.* Ergo dum tempus habemus, operemur bonum, nec nobis maiorem securitatem inferat vnius fortuna quam frequens & continuum ferè omnium infortunium, quo procrastinantes pœnitentiam miserè dispereunt. Legenda in præsenti est D.Cyrill.Alexand.sententia, qui orat.de exitu animæ sic Cyrill. loquitur. *Qui dicunt: Peccemus in iuuentute, & in senectute ad meliorem sensum redibimus, ij à dæmonibus illuduntur ac deridentur: quoniam qui vltro peccant, eis ad sanitatem redire non datur, sed in iuuentute mortis falce demetuntur: vt Ammon Israelitarum Rex.* Huius pater fuit Manasses impiissimus & scelestissimus adolescens, qui vbi canos pexuit, vitia exuit, & pietate clarus diem clausit extremum. Talem patrem & exemplum nactus Ammon, dum iuuentutem suam peccatis & sceleribus implicat forsan de patris exemplo, senectutem sanctam meditans, ipso iuuentutis flore impœnitens decerpitur è viuis. Omnia tempus habent, sicque pœnitentia etiam habet tempus suum, quo dignos exhibeat fructus, nec amat vltimis arctari angustiis. Malè astutus ille apud Matth.c.25.vt liberè & securè iuuentutem agere posset, talentum quo vitam negotiaturus erat, in effossam iam humum remisit. O miseram insipientium hominum conditionem! tempus negotiandi prætereunt, & remedium peccatorum tunc quærunt cum iam sepultura effoditur, vt sic pœnitentiæ talentum terra obrutum, nihil parturiat fructus. Hinc pungebat Nazianz. eos, qui Baptismum differebant in finem vitæ, dicens oratione in sanctum Baptisma. *Latè atque hilariter Baptismus celebretur, ac non defleatur: negotiatione crescat talentum, ac non terra obruatur. Inter gratiam, & mortem temporis aliquid intercedat.* Id quod tibi de Pœnitentia dictum cape, ne defossa iam humo sepultura talentum pœnitentiæ obruendum expectes, quando cum illo tibi est vita negotianda. Scitum illud D.August.lib. de vera, & falsa pœnit.vbi ait, *Oportet vt pœnitentia fructificet ad hoc, vt mortuo vitam impetret.* Vide suprà cap.3.§.9.

*Text. Ioann.*19. Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalenæ.

§. XV.

Maximæ virtutis insigne, quòd in communi omnium lapsu tu firmus steteris.

QVis vbi omnes decidunt, ipse immobilis stabit? Quem non trahet iacentium omnium multitudo? Pulcrè Tullius 3.Tusc. humani casus numerans causam sic postre- Tullius. mò fatur. *Cum verò accedit eodem quasi maximus quidam magister populus, atque omnis ad vitia consentiens multitudo, tum planè inficimur opinionum prauitate, à naturaque ipsa desciscimus.* Adeò potens est labens multitudo, vt omnes secum trahat, sed interea non solùm non trahi, sed firmiter stare, maximæ vtique virtutis est testimonium. Superbissimus ille Nabuchodonosor, Dan.3. erexit auream statuam, cui omnes Daniel.3. Chaldæi honorem diuinum exhiberent: vt autem visa est statua, musicorúmque instrumenta personuere. *Cadentes omnes populi, tribus, & linguæ adorauerunt statuam auream. Statimque in ipso tempore accedentes viri Chaldæi accusauerunt Iudæos, dixeruntque, Sunt viri Iudæi Sidrach, Misach, & Abdenago, viri isti contempserunt decretum tuum, Deo tuos non colunt.* Quibus illud ponderandum accipe, quod horum puerorum virtutem maximè extollit, nimirum quod postquam omnes populi, & tribus, & linguæ cadentes adorauerunt statuam, ipsi soli in fide stabiles & firmi adducantur. Id quod pulcre notauit D. Chrysost. hom.4. de patient.ad pop. his Chrysost. verbis. *Postquam ceciderunt omnes, & victi sunt, tunc in medium pueri soli aguntur, vt sic quoque victoria fiat clarior, cùm in tanta multitudine ipsi vincant, & praducentur. Hoc autem maximum & mirabile est, quòd cadentium multitudo ipsos non terruit, non soluit.* O maximam adolescentum fortitudinem, vbi omnes ceciderunt, vos inuicti stetistis, nec ruentium infinita multitudo, nec populi ad vitia consentientes à firma & stabili fide vos deturbauit, nec labare fecit. Hinc iam pensare licet magnum trium fœminarum præconium, nimirum Mariæ matris Iesu, Mariæ Cleophæ, Mariæ Magdalenæ, quæ vbi vniuersus Iudæorum populus à paruo vsque ad maximum in lapidem angularem Christum offende

Hieron. offendebant, ipsæ fideles cruci adstabant. Meritò D.Hieron. Magdalenæ vocabulo ludens, quod turrim significat, ait. *Sacerdotes, & Pharisæi crucifigunt filium Dei, & Maria Magdalena plorat crucem, vnguenta parat, vere turris Libani, quæ respicit faciem Damasci, sanguinem videlicet Saluatoris.* Verè, inquit, Magdalena turris nomen adimplebat, verè ipsa fortissima inuictissimáque turris, quandoquidem vbi omnes Hierosolymitani, vbi Principes, & vniuersus populus corruens Dominicæ morti consentiebat, ipsa inter omnes stabat firma, & minimè perterrita à labentium multitudine. Meminerat Tertullian.lib.de cultu fœm. quod Dominus in Euangelio suos asseclas comparat ciuitati supra montem positæ, ait enim: *Non potest ciuitas abscondi supra montem posita.* Ex qua comparatione sic ille argumentatur in eos, qui cadentium multitudine trahuntur ad vitia. *Quid nos Dominus ciuitati supra montem positæ comparauit, si non stamus inter demersos?* Hanc quidem à nobis exigebat virtutem, quando ciuitati supra montem positæ comparauit, vt cadentibus aliis omnibus nos firmi & imperterriti staremus. O quàm verè sanctissimæ hæ fœminæ, & turrium, & ciuitatum fortissimarum implebant cognomenta, quando inter cadentium multitudines ipsæ cruci adstabant immobiles. Bene
Chrysol. enim aiebat Chrysol.serm.107. *Difficile quidem est, se gloriosius mundo præsenti luctari, & aduersus instructas delinquentes turbas aciem quandam disponere sanctitatis.*

§. XVI.

Muliebris est martyrum omnium fortitudo ad Christi Domini comparata fortitudinem.

Ecce tibi quæ proximæ notantur cruci fœminæ sunt, quasi nullius virtus in tormentis appareat, quæ fœminea non sit, dum inuicto patientis Christi robori comparetur. Nónne aiebat ille apud Isai. cap.63.
Isai.63. *Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum?* Quippe non est vir in pressura passionis, fœminea ibi martyrum robora, vnus est solus inter omnes vir Iesus. Ille patientiæ miraculum
Iob 3. Iob, deuictis tormentis Sathanæ superior expertus ait c. 3. *Pereat dies, in qua natus sum, & nox in qua dictum est, Conceptus est homo.* Expressiùs in Caten.Græc.dicitur, *& nox in qua dixerunt, Ecce masculus.* Quasi offenderetur nobilis & inuictus athleta masculus vocari: sed cur non diceretur masculus, qui inuictus inter tot pressuras stetit? qui Satanæ tela sustinuit? qui amarissimos ruinarum fluctus in se ipso confregit? Præuidit vir egregius Christi Domini passionem & fortitudinem, cui sua comparans certamina virilē appellationem erubuit, vtpotè cuius robur fœmineum appareret in cõparatione patientis Christi, qui solus vir & masculus de-
Olymp. bebat dici. Sic Olymp.in Cat.fatur. *Detestatur etiam eos, qui eum marem nuncuparunt, quòd crederet eiusmodi Dominum solum fuisse, eique maris nomina propriè conuenire.* Vbi Iesus in arenam prosiliuit, & aduersus principes tenebrarũ decertauit, ipse solus de mascula & virili virtute potuit gloriari; cæteri omnes etsi inuictissimi athletæ, etiã Iob ipse, robur potiùs prætulerunt fœmineum. Et cur non feminæ dicerentur illi, qui strages suorum flere nouerunt, non tamen in defensionē principes tenebrarũ edifcunt omnino debellare? Etenim
Synes. ex hoc capite acutè pungit D.Synes. Ptolemaides muliebres animos, dum epist.131. fatur. *Mulieres quidem vociferari, ac pectus plangere, & comam vellere, visis aut nunciatis hostibus tolerabilius videri potest. Quanquam ne tolerandum quidem existimat Plato, quod instar gallinarum ad pullos tegendos cuicumque etiam validissimo sese nolint opponere.* Hanc mulierum infirmitatem vnus Iesus deuitauit, qui solus non sui causa; sed vt pullos suos, nempe homines protegeret, sese validissimo hosti opposuit, & vsque ad sanguinis effusionem in arena pugnauit, ideóque solus viri nomine debuit decorari. Hinc
Prouerb.8. Prouerb.c.8. constructa Ecclesiæ domo, *misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis.* Ancillas, inquam, misit, vt cuius omnes ministri, etiam duces, qui mœnia scanderent, fœminei essent roboris, & infirmi ad Saluatoris patientis facinora comparari. Inde in Sponsæ genis martyrum
Cant.4. robur meditatus Dominus ait Cant.4. *Sicut fragmen mali punici genæ tuæ.* Ecce tibi cui comparatur nobilis athletarum virtus, nimirum fœmineæ genæ, & huic sub figura fragminis mali vt sic Christo patienti comparati infirmi appareãt.
Richard. Victor. Id notat Rich.Vict.p.2.in Cant. c.20. fatus. *Christus totus in pœna rubuit, quia non parua pro nobis sustinuit; sed tanta & tam grauia, vt nullus vnquam dolor fuerit sicut dolor eius. Quia ergo tam grauiter & multipliciter passus est Christus, ideò omnis electorum afflictio, quam pro Christo pertulerunt, fragmini tantum potest comparari, quia respectu eorum, quæ pertulit ille, parua erant quæ pati potuerunt, & parua pars eorum.* Hæc ille.

Text. Cum vidisset ergo Iesus matrem, & discipulum stantem quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier ecce filius tuus. Deinde dixit discipulo: Ecce mater tua.

§. XVII.

D.Ioannis super omnes lucra, eò quòd nunquam à Iesu latere discesserit, vbi quàm sit vtile bonis inhærere.

QVicquid Marianum est latè expendimus lib. 1. modò non possum non mirari sanctissimi Ioannis præcellentiam super omnes Christi Discipulos. Ille in primis cœlestis thesauri instituitur hæres vnicus, vt dicat Arnold.Carnot. *Ecce Ioannes piæ hæreditatis suscipit testamentum, eligeris, & in hoc præponeris omnibus.* Equidem ipse è Discipulis vnus nunquam à magistri latere abscessit, vnus astitit Domino moribundo, quid mirum, si hæreditatis suscipiat testamentũ, si præponatur omnibus? Nolo in præsenti debere integrum D.Ambr.locum, qui lib.2.off.c.20.inde exaltat Iesum Naue, quòd Moysis fuerit perpetuus, & inseparabilis comes, sic enim ait. *Vbique igitur inter admiranda opera, & reuerenda secreta sancto Moysi indiuiduus adhærebat. Vnde factus est, vt qui fuerat socius conuersationis, fieret successor potestatis. Merito vir huiusmodi euasit, vt sisteret fluminum cursus, noctem differret, diem produceret. Quod quidem Moysi negatum est, solus eligeretur, vt populum introduceret in terram promissionis. Magnus vir fidei miraculis, magnus triumphis. Illius angustiora opera, huius prosperiora. Vterque vltra humanam processit conditionem, ille mari, hic cœlo imperauit.* Hæc ille, quibus non minori elegan-

Ioannis notantur prærogatiuæ, qui vt inter admiranda opera, & inter reuerenda secreta, imò & inter cruenta crucis mysteria Christo Domino semper adhæsit, sic eiusdem meruit declarari successor, & præ omnibus eligi, vt piæ hæreditatis susciperet testamentum. Magnus sanè vir, & operibus & miraculis, & fauoribus. Si Christi Domini opera spectemus, angustiora quidem fuerunt, sed Ioannis opera apud homines prosperiora, vtpotè qui vitæ suæ dies longiùs protraxit. Christus Dominus nec Iudæis petentibus signum de cœlo dedit; sed signum de mari, signum Ionæ Prophetæ, verùm Ioannes vbi in Pathmos relegatus fuit, cœlestem ciuitatem in terras traxit, milléque cœlestia miracula nobis propinauit. Quid plura? Procop.addam, qui etiam de Iosue fatus ait. *Iosue quidem consuetudine Moysi initiatus ab eo accepit spiritũ regalem, vt domesticam eius administrationē obtinere posset.* Sic q̃ui bonis viris iunguntur, ebibũt eorũ virtutes, vt vel ex consuetudine habita cum Mose, cõmendetur Iosue, quasi regalem spiritum nactus. Quo crediderim respexisse Arnold.Carnot.ponderantem illa verba Domini ad Ioannem, *Ecce mater tua:* sic enim inquit. *Vices filij naturalis, filius accepit adoptiuus, & transfunditur in ministrum filialis affectus, firmatúrque, & formatur in ambobus pietatis vnicæ gratus concórsque complexus, non ex traduce naturæ; sed ex gratia.* Ecce indiuiduus Christi comes Ioannes ab illo accipit transfusum affectum filialem, vt sic matris Dei domesticam administrationem obtinere posset.

Arnold. Ambros. Procop. Arnold.

§. XVIII.

B. Ioannes præ omnibus superior tormentis & cruciatibus mansit.

IOannes inter crucis pericula nouus Mariæ filius natus omnibus mansit superior cruciatibus, vt inde nil iam quod timeat, habeat; sed potiùs in tormentis gaudeat, & exultet in suppliciis illatis. Act.16. vinctus Paulus inter vincula & dolores carceris petit Christo Domino carcerariũ, qui per Bapt.renatus, *lætatus est cum omni domo sua.* Id quod ponderans D.Chrys.hom.8.ad Ephes.inquit. *Vides quam exuberans sit vinculorum gloria, quandoquidem non solum vinctum Paulum; sed & eos, qui captiuitatis tempore ab illo nascebantur illustres faciunt? Habent quidem præ cæteris aliquid qui in vinculis Pauli nascebantur, quod mox ab ipsis cunabulis fidei scilicet initijs ad hoc imbuebantur, vt huiusmodi rerum calamitatibus gauderent, & exultarent.* Equidem hoc præ cæteris habuit diuinus Ioannes, qui vt inter crucis Dominicæ tormenta progenitus est, & natus Mariæ filius, sic ab ipsis cunabulis

Act.16. Chrysost.

imbutus

imbutus mansit, vt huiusmodi rerum calamitatibus gauderet, & exultaret, vt nullis iam angi posset cruciatibus; sed omnibus mortis angoribus superior factus in feruenti dolio securus, & sine dolore lætus ageret. De amaricante passionis calice orabat Dominus dicens, *transeat à me calix iste.* Quidni, volebat se à passione excusare? Absit: accipite in sensu bono D. Hilar. canon. 31. in Matth. *Qui, inquit, à se transeat, rogat, non vt ipse prætereatur, orat: sed vt in alterum id quod à se transit, excedat: transeat calix à me, id est, quomodo à me bibitur, ita ab his bibatur, sine spei diffidentia, sine sensu doloris, sine metu mortis.* Expende illud Dominicæ orationis, nimirum quòd passionis calix, qui à Christo Iesu bibitur, transeat ad alterum, à quo bibatur sine sensu doloris, sine metu mortis. Et quis hic nisi Ioannes? Hic vnus calicem Domini bibit sine sensu doloris, sine metu mortis, hic cruci adstās morientem Dominum videns sic affectus est, vt nullos iam sentire posset dolores, nec mortem pertimescere, vnde meritò illi Dionys. Areopag. scripsit epist. 10. *Equidem non adeò sum insanus, vt arbitrer aliquid pati.* Papæ! Episcopus Christop. 10 Magnificat, putat Ioannem, ex eo quod cruci adstaret, tyrannorum cruciatibus non occubuisse, sic enim Dominicus calix illum inebriauerat, vt quæcumque alia tormenta potiùs reputarentur voluptates & delitiæ. Memini apud Liuium lib. 26. Annal. legisse de Lesio vltimo Campanorum magistratu, qui suis consulens, vt post lethalem calicem haurissent, sic dixit. *Poculum quod mihi datum est, vobis circumferetur, ea potio corpus à cruciatu, animum à contumeliis, oculos, aures à videndis audiendisque omnibus acerbis vindicabit.* Quæ verba spiritualiter sumpta licebit cuique aptare Ioanni astanti cruci, ibi enim Dominicum poculum amarissimæ passionis Ioanni defertur etiam & propinatur; sed tali potione madidus Ioannes cruciatus omnes excessit, & superauit. Adeò vt ipse de se caneret, cap. 21. quod *non dixit ei Iesus, non moritur*, quasi ob miras suas excellentias iam vereretur haberi impassibilis, & immortalis. De Moysi scriptum est, Deuteron. 33. *Mortuus est ibi Moyses seruus Domini.* Id quod notans Iosephus lib. 4. cap. 8. ait. *In sacris autem voluminibus scripsit se mortuum, veritus ne propter excellentem eius virtutem à Deo raptum prædicarent.* Potiori iure id verebatur de se Ioannes, qui etsi morti succubuit, tamen omnes mortis horrores longè à se fecit. Imò sic gaudens accessit ad mortem, vt de illo mirentur Angeli, Cantic. 8. dicentes. *Quæ est ista quæ ascendit de deserto delitiis affluens, innixa super dilectum suum?* Quæ ne dubites dicta de Ioanne, clariùs illi ea aptat Origen. hom. 1. in Cant. *Quæ est ista quæ ascendit de deserto delitiis affluens, supra pectus recumbens dilecti sui?* Sic à cruce Domini per mortis desertum ibat Ioannes exultans & gaudens.

Hilar.

Areopag.

Liuium.

Cantic. 8.

Origen.

§. XIX.

Crux Christi qualem pietatem commendat in parente.

NEmo Christianus parentum curam aspernabitur, nemo de parentum debita pietate dimittet vllo prætextu, etsi crux tollenda illi sit post Christum, etsi mundo & carni crucifigatur. Enimverò Christiana crux nil potius commendat, quàm in parentes pietatem. Sic in præsenti D. Cypr. fatur. *Considero te Domine, in cruce de matre solicitum, cui volenti loqui tecum cùm euangelizares, negaueras colloquium, & prætuleras matri auditores verbi, dicens eos esse tibi pro matre, & fratribus, qui voluntati patris obtemperant; nunc materno moueris affectu.* Qui aliquando austerus visus fuit matri, illi auditores verbi diuini præferens, vbi crucis subiit patibulum, solicitum se ostendit de matre, vt occasionem auferat his, qui vt Christi adhæreant cruci, obliuioni putant tradendos parētes extremè egentes & desolatos. Absit hoc à viro Christiano, imò nil magis proprium & natiuum Christiferę crucis esse potent, quàm solicitam in parentes pietatem. Et quomodo crux pietatem non commendaret, quæ & summi Patris notitiam exercebat, & perfectissimæ obedientiæ palæstra erat? Nónne impij hominis illa vox, Genes. 4. *Numquid custos fratris mei sum?* Illam sic Ambros. exagitat fatus. *Quemnam magis seruare debuerat, quam fratrem minorem; sed quomodo natura obedientiam deferret, qui Deo obedientiam non exhibuit? Recusat fraterna munus custodiæ quasi exors naturæ. Quid mirarus, si pietatem non agnouit, qui non agnouit authorem?* Ergo crux, quæ obedientiam & religionem præsefert, necessariò debuit docere erga cognatos pietatem. Noui plurimos meritò requirentes in Euangelio Ioannis omnia Christi Domini verba à cruce facta. Et quidem quandoquidem Ioannes cruci astitit, cur singula ibi facta verba literis non mandauit? cur imperatorias illas præterit voces, quibus Saluator pro inimicis rogauit, & paradiso latronem donauit? Cur ipse qui hæc audiuit, nullam illorum mentionem facit, & solus de verbis Domini in cruce ad matrem factis, quæ alij reliquerunt, ipse agit? Pulcrè id attigit D. Ambros. in Luc. lib. 23. his verbis. *Solus ergo me docet Ioannes, quod alij non docuerunt, pluris æstimans, quòd victor suppliciorum, victor diaboli pietatis officia, diuidebat, quàm quòd regnum cæleste donabat, nam si religiosum est, quòd Latroni venia donatur, multo religiosius quòd mater honoratur à filio.* Equidem Ioannes id quod præstantissimum erat in cruce attendit, vt scriptis mandaret, nihilque tam dignum, tam illustre, tam decorum & gloriosum crucifixo inuenit, quàm solicitam illam pietatem in matrem. Sed vide quàm sanctos hic affectus Iesu in matrem excitet, ait enim, *Mulier ecce filius tuus.* Cur mulier? cur non potiùs, mater mea? Sane, vt pietas in parentes sancta est, sic tenera quædam, & mollis in parentes affectio, qua vel de cognati nomine mollescunt animi, damnosa est his qui currunt perfectionis stadio. Strenuus ille adolescens Ioseph, Genes. 37. per agros hoc illúcque errabundus obambulat, à quo si quæras causam, ait: *Fratres meos quæro.* Ecce efficax causa viris religiosis errandi, nimirum tenera & mollis affectio in cognatos. Ita meditatur D. Nilus in Ascetico dicens. *Ob id etiam fortasse Ioseph errat in solitudine, dum in fratrum nominibus perfectionis terminum quærit.* Hinc Iesus dissimulans nomen matris, eam in parentes pietatem ostendit, quæ deceat crucifixos, & doceat molles alios affectus aspernari.

Cyprian.

Ambros.

Text. Ex illa hora accepit eam Discipulus in suam.

§. XX.

Ioannes post Mariam Virginem in matrem acceptam præ omnibus matrissauit.

REferant filij parentes necessum est, & naturæ in primis familiare, quòd filij imaginem præferant matribus. Hinc Ioannes, vt filius Mariæ sic tantam matrem in suam referre curauit, in suam, inquam, accepit Mariam, quia quæ propriæ erant Ioannis virtutes, quæ dona spiritualia, quæ diuinæ gratiæ, omnia Mariam Virginem matrem spirabant. Huc D. Ambros. spectauit in exhortat. ad Virg. fatus. *Quæ sua habebat Ioannes, qui mundana & sæcularia non habebat, quia de mundo non erat? Bonus verbi, sapientiæque possessor, bonus receptor gratiæ.* Hæc sanè erant Ioannis propria, nimirum virtutes, gratia, verbi, sapientiæque possessio, hæc inter sua Mariam habebat, quatenus in his præ omnibus referebat matrem, & iuxta matrem Virginem matrissabat. Illud quidem est maximè ponderandum, videlicet, quòd dicitur, *Bonus verbi sapientiæque possessor*, quasi hinc exprimeret proprium Mariæ matris characterem, cuius virgineo aluo diuinum verbum creditum est. Vnde Rupert. prolog. in Ioan. sic fatur de Ioannis virginitate & puritate. *Hanc Margaritam dilector animarum Deus, dilectæ Ioannis animæ pro monimento dilectionis præcipua fixit in pectore, vt verbum, quod Maria Virgo sola protulit in carne, ipsum huius socia virginitas præ omnibus sanctis vna mortalibus promeret voce.* In hoc maximè Mariæ enituit virginitas, quæ meruerit à sinu Patris Verbum diuinum excipere; sed & Ioannes filius Mariæ Virginis adeò in hac virtute matrissauit, vt qua erat virginitate, verbum ipsum diuinum attingeret, illudque mundo edixerit. Quid Mariæ virginitati propinquius, quam Ioannis virginitas? Vtraque verbum diuinum parturiens, vtraque super omnes excellentissima Apoc. 14. dicitur. *Audiui vocem de cælo tanquam vocem aquarum multarum, & tanquā vocem tonitrui magni.* Portò Pannonius hanc vocem credit factam fuisse à virginum cœlestium choreis paulò antea descriptis, vbi illud notatum venit, quòd inter promiscuas omnium virginum voces, quæ aquarum instar sonant, vna tonitrui magni vox super omnes se extollat, quia nimirum Ioannes Boanerges dictus, hoc est, tonitrui filius super omnes excellit virgines, & vnus matri diuini verbi appropinquat.

Ambros.

Rupert.

Apoc. 14.

Luc. 23. Erat autem ferè hora sexta, & tenebræ factæ sunt in vniuersam terram vsque in horam nonam: & obscuratus est Sol.

§. XXI.

Crux Christi Domini lucidior Sole ad terras illuminandas.

Basil Sel.

APparente Cruce Dominica, meritò omnia mundi lumina obtenebrantur, vt dicat D.Basil. Seleuc. serm. de Transfig. *Vidit Sol qua non prius didicit, vt qui doctus sit abscondi alterius luminis illustratione.* Iam crucis lumen radiabat, iam crucifixi lampades rabidissimæ persecutionis flabris excitatę vniuersam terram illustrabant, quo factum est, vt sicut stellæ clauduntur ad Solis præsentiam, sic ad crucis conspectum clauderentur magna mundi luminaria. In nouissimo die etiam Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & stellæ de cœlo cadent. Cur ita? Matth.24. *Tunc parebit signum filij hominis*, & præsente cruce quæcumque alia lumina obscurantur. Præclarè D.Laur.Iust. in ligno vitæ, cap.4. fatur. *Considera quanta sit virtus crucis, in die namque iudicij Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, vt discas quantum crux Luna lucidior, & Sole splendidior sit, apparebit tunc crux.* O lumen crucis deficiens! Sanè homo mediis cœli luminaribus cæcutiebat, milleque tenebris errorum sepultus huc illuc errans à veritatis tramite deuiarat. Verum cruce apparente, sic illuminatus est, sic luce perfusus, vt videat quæ non viderat medio Sole, & vitæ semitam manifesto indiget, Vnde Theologus Nazianzen de externa hominis vilitate agens sic fatur. *Ego relictis omnibus rebus, crucem vnam habeo, quæ tanquam clarissimo quadam columna vita mea præluceat.* Quas non subeant homines peccatores cruces? Quibus non scatent crucibus vitia? & multæ sunt tenebrosæ, & graues cruces filiorum Adam. Verùm Christianus vnam Christi crucem habet, eámque clarissimam splendidissimámque noctu diúque præluceat, & nos in viam paradisi deducat. Gen.32. Iacob cum Angelo manus conseruit, à quo vulnus in fœmore accepit: vulneris autem accepti nota crucem significari ait Ambros. Quid plura? post nocturnam luctam, post vulnus cruciforme, *Ortus est ei statim Sol.* Quocirca ille lib.5.cap.7. fatur. *Vnde non immeritò ortus est Sol sancto Iacob, cuius generis crux Domini Saluatoris illuxit.* Ecce tibi vbi saluandorum per crucem progenies designatur, solaribus statim perfunditur radiis, quàdoquidem crux Saluatoris omni lumine splendidior & clarior erat prædicanda Bene Dauid dicebat Psalm.4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* De quo Hesychius in Cat. fatur. *Lumen autem Christi crux est, quod orbem illuminauit, quo nos in frontibus signauit.*

Matth.24. Laur.Iust. Nazianz. Genes.32.

§. XXII.

Nil nocentius, quàm pessimum à præstantioribus exhibitum exemplum.

QVem non moneat pessimum maiorum exemplum? Mouet cœlum, & cœlestia omnia à diuinæ legis dimouet obseruatione. Sic D. Athanasius de Pass. ponderat, quòd nunc primùm cœlestia luminaria audent à lege illuminandi deficere, cùm vident homines tantum perpetrare nefas, vt mortem inferant Deo rectori cœli. Ait enim: *Nec ipse Sol hoc spectaculum tulit; sed totus obtenebratus est, negligens iam præceptum de hominibus illuminandis, & nunc demum præuaricandus, cum videret Dominum suam, qui hoc illi præceperat, ab hominibus excruciari.* Expende illud, & nunc demum præuaricari audens, adeò enim est magna vis mali exempli, tangens etiam cœlestia. Porro Oseas cap.4. acriter pungebat tribum Iuda, quòd malo suo exemplo impellebat Israëlem, dicit enim iuxta Septuagint. translatio. in Biblia Regia. *Turbo spiritus tu es in alis eius.* Id quod exprimens D. Cyrill. ait. *Aues cum ventus non solùm impellit; sed velut violentia sua cogit, celeriùs volant, sic videbat Israel Iudam lege eruditum eodem idololatriæ crimine teneri; ita factum est, vt celeriùs discederet à Deo Israel.* Non sic ventorum turbo volantes aues impellit, vt præstantioris malum exemplum alios rapit ad scelera. Hinc pensanda est grauis illa exaggeratio Petri Damiani, qui iniqui Prælati dispositionem suggerens Gregor.6.Pap. ait epist.1. *Nisi enim prædicta Ecclesia de manu illius adulterij, incestuosi, periurij, atque raptoris auferatur: omnis populorum spes, de reparatione mundi erecta, funditus eneruatur.* Quasi vnius Prælati malum exemplum totum inficeret orbem terrarum. Ne miremur id quod dicit Diuus Cyprianus, lib. de singul. cleric. oimirum: *Non inuenit in iudicio Domini . . . qui alienigenis & fratribus peccandi fomitem ministrarunt.* Et sanè

Oseas 4.

Moyses percussurus petram, vt aquam hauriret, aliquanto dubitans populo aiebat Numer. 20. *Numquid de petra hac vobis aquam poterimus seruare?* Hinc dubiæ fidei reus tam malè apud Deum audit, vt ab ingressu terræ promissionis arceatur, sed cur ob tam leue crimen tantum supplicium tantus vir patitur? Id explicat Diuus Chrysostomus, homil.3. in Acta, his verbis. *Etiam incredulitas multorum occultata fuit, quia excusare poterant incredulitates suas.* Quid enim non auderet populus contra fidem, quando viderint Moysem ipsum aliquanto in fide nutasse? Ideò à Deo exilio damnatus nullum habet in iudicio illo Dei solatium, imò ipse ait Deuteron.3. *Iratus est mihi Dominus, & dixit, Sufficiat tibi, nequaquam vltra loquaris de hac re ad me.* Num.20.

*Matth.*27. Circa horam nonam exclamauit Iesus voce magna, dicens: Heli, Heli, Lamasabathani: quod est interpretatum, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?

§. XXIII.

Maximè hinc panditur virtus, & fortitudo Christi Domini, quòd ab omnibus in arena derelictus infinitas hostium turmas deuicerit.

IEsus Dominus derelictus à suis, & à Patre vsque ad querelam derelictus suam virtutem & potentiam maximè confirmat, dum adeò derelictus innumeros penè hostes prosternit. Sanè aëreas potestates vt à cœlo deturbaret, prosiliuit Michaël cum integro Angelorum exercitu, verùm vt tenebrarum regna popularetur, & æreas mortis portas confringeret, vt mundi principatus interimeret vt cœlestes reseraret seras, vnus Iesus à suis, & à Patre ipso derelictus in arenam descendit. Pulcrè Simon de Cassia c.57. in Matth. celebrat triumphum Christi Domini his verbis. *Nullum fuit ab orbe grauius bellum, quàm in quo Christus captus est, nec vllus illustrius triumphauit, quàm vbi ille relictus solus suos hostes prostrauit.* Hæc ille, meritò ponderans virtutem Domini in prosternendis inimicis, quando à suis derelictus in horto captus fuit. Sanè non is erat, qui magna egeret exercitus manu, qui spectabilia adiutoria requireret, ipse solus quouis sensibili auxilio destitutus, relictus à discipulis, ab Angelis, à patre hostium turmas fugauit, cœli claustra reserauit. Vt dicat D.Cyprian. *Considero te Domine in illo patibulo, vbi videbaris sine adiutorio, quomodo Imperatoria maiestate latronem præmittis ad Regnum.* Solus destitutus, omni viduatus adiutorio, medios inter confortissimos hostes Imperatorem agis, & præmissis inimicorum spoliis, nimirum latrone, regnum petis. Iam de matre Virgine cruci astante fatur Ambr.lib.de instit.Virg.c.7. *Præstolabatur si fortè etiam sua morte publico muneri aliquid adderetur. Sed Christi passio adiutore non eguit, sicut ipse Dominus longè ante prædixit, & expexit, & non erat adiutor.* Qui triumphus vnquam talis? Quæ victoria huic potest æquari? An Sanson ille Philisthæorum terror & ruina sic hostes suos prostrauit? Is captus erat, & medius inter hostes mille patiebatur ludibria, & amplexatus columnas domus perditurus hostes aiebat apud D. Ambros. epist.70. *Moriatur anima mea cum Philisthym, vt cognoscant sibi infirmitatem meam non minus quam virtutem fuisse exitialem.* Sic Sanson captus & infirmatus hostes perdidit suos, vt non erat solus, *qui dixit puero regenti gressus suos, Dimitte me, vt tangam columnas.* Iud.16. Verum Dominus omni destitutus adiutorio etiam à pueris suis, imò à patre derelictus solus manus cum hoste conseruit, exitióque dedit cūctas hostium phalanges. Non sic fugati sunt superbissimi Babelis ædificatores, ibi ait Pater ad Filium & Spiritum sanctū: *venite, confundamus linguam eorum.* Non sic perditi sunt lasciui Sodomæ habitatores, etenim ibi *pluit Dominus à Domino.* & Pater & Filius intulerunt populo nequam stragem. At in crucis palæstra dum clamat se derelictum à Patre eiaculato sanguine hostium prope infinitas turmas debellauit.

Sim.Cass. Cyprian. Ambros. Ambros. Iud.16.

§. XXIV.

Afflicti homines nec ad momentum deserendi; sed citissimè subueniendi sunt.

DVrissimum est homini cum doloribus, cum tormentis certamen, & multo durius, si nullum ibi leuamen sperat,

sperat, nullum suffugium respiciat auxilij. Nouit certamen Dominus, & ideo afflictis, & vexatis hominibus exemplo docet quam maturandum sit auxilium. Ita D. Cypr. serm. de Cœna Domini componens præsentem Iesu querelam cum cito auxilio latroni exhibito inquit, *Derelictorum personam gerens in cruce se queritur derelictum,& ne desperent etiā in vltimis constituti festinans in adiutorium illico adest, & re in arcto posita non differt beneficium; sed repentè indulgentiæ celeris documentum eiusdem statuit & exemplum; latroni inquiens, Hodie mecum eris in Paradiso.* Duas in præsenti personas agit Dominus, vt omnes instruat, in primis afflicti & derelicti hominis personam subit, qui tormentis pressus, & derelictione afflictus in querelam effunditur. Tūc optimi auxiliatoris siue parentis, siue domini, siue amici personam induēs, vbi derelicti & afflicti hominis querelam nouit, illicò ad auxiliandum accurrit, nec putat his tutè differri posse beneficium, quin desperationis periculum subeant. Ideò quam citò subuenit, nec moram facit, sed afflicto inquit, Hodie mecum eris in Paradiso. Hac eadem animi benignitate in afflictos cum triduum statuisset in sepulcro iacere, vbi suos maxima vidit afflictione vexari, orphanósque ac derelictos in pœnis vidit, sic resurrectionem maturauit, vt cum primū dies tertius illuxerit è sepulcro euolarit. Id quod notans D. Leo ser. 1. de Resurr. ait, *Vnde ne turbatos discipulorum animos longa mæstitudo cruciaret, denuntiatam tridui moram tam mira celeritate breuiauit, vt dum ad integrum secundum diem pars primi nouissima, & pars tertij prima concurrit, & aliquantulum temporis spatio decideret, & nihil dierum numero deperiret.* Si tres illos dies circinauit, vt quam citissimè solatium afferret afflictis; adeò detrimentosa est quælibet mora, quælibet adiutorij auxiliique dilatio iis, qui cum tormentis, mœrore & desolatione confligunt. Quid plura? Totius dies vniuersi breuiabit Dominus, ne diu suos cruciari ab Antichristo relinquat. Ait enim Matth. 24. *Nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro; sed propter electos breuiabuntur dies illi.* Dilatio enim afflictionum & desolationum etiam in electis metuenda, quapropter vt electis prospiciat Dominus, vbi persequutionem sæuire viderit, leuamen maturabit, & dies ipsos orbis breuiabit. Hinc ad rem præsentem Arnold. Carnot. ait, *Quod autem derelictum se filius commemorat, mercedem obedientiæ postulare videtur, nec diu beneficium differri tolerat. Et sanè Psalmus ille, cui titulus est: In finem pro susceptione matutina, ex persona Christi sic incipit; Deus Deus meus vt quid dereliquisti me?* Quasi enim proprio iure celeritatem auxilij expostulat, qui cum tormentis, & desolationibus conseruit manus.

Cyprian.

Leo.

Matth. 24.

§. XXV.

Perfectissimi parentis est scelestos filios obliuisci.

PEccatorum & prodigorum filiorum agens Dominus personam diuinè cauet patrem nominare, sed Deum: non enim est boni parentis degeneres filios agnoscere. Sanè odi homines qui sceleratorum non erubescunt haberi patres, qui nesciunt expungere à filiorum albo eos qui vitiis innutriūtur & fœditatibus. Hi mittendi erant ad Aquilas vt discerent filios cognoscere & ignorare. De illis eleganti serm. D. Ennod. lib. 1. epist. 20. ait, *Aquilas ferre pullos suos in ipso vitæ limine, quo ouorum tunicis exuuntur ad solis ponere radios, & lucem seminis sui immensi splendoris obiectione cognoscere. Nolunt quemquam perire de fœtibus, sed suos esse qui eefferint non agnoscunt. Rectè enim illa inter aues sublimitas genitrix putatur esse victorum.* Sanè intriro Aquilarum more, multa dixit vir egregius nouo splendore. In primis quod lux generis ad radios solum examinetur Solis, non enim quæuis filiorū flagitia sunt Deo Patri indecora, sed illa quæ patre vidente fiunt ad lumen Solis. De Noë dicitur Gen. 6. *Noë vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis*: & tamen filius eius Cham peccauit, & maledicto subiicitur, dum publicat patris ebrij somnum, & nudata verenda. Qualiter ergo Noë iustus in generationibus suis, quando & filios habuit peccatores? Equidem non peccat filius ad radios solis, sed patre suo dormiente, ideo non adeo indecorus parenti filij error. Ita D. Ambr. lib. de Noë c. 11. ait, *Laudem iusti intelligimus non præteriri, qui talem instituit domum suam, vt virtutis fulgeret consortium. Nec repugnat quod filius postea offendit. Dormiebat iustus cum erraret filius.* At quando post mille patris vigilias filius ad solis radios peccat, eum filium non nouit Aquilinum genus quod quidem amat suos fœtus, sed quos excutientes videt non putat suos, & repellit alienos.

Ennod.

Genes. 6.

Quam longè Heli vidit filios scelestos sacrilegos in ipsa luce solis, 1. Reg. 2. & ait illis, *Nolite filij mei; non est enim bona fama*, &c. Illos quidem reprehendit, sed quia filios agnoscit, ideo grauiter multatur. Quod notat P. Damian. epist. 6. ad Nicol. 2. his verbis, *Porro quos inimicos Dei videt, in perniciem suam filios recognouit: & quos hostili ferire gladio debuit paternæ blanditiæ lenitate palpauit.* Vtinam ex hoc fierent parentes cauti, vt tunc se parentes ignorent, cum filios viderint adeo procaciter defecisse. Sic Iesus vbi factus peccatum in crucis supplicio erat, Deum nominat, non patrem, nil enim patris debet manere, vbi scelera filiorum clarent.

§. XXVI.

De probatis & reiectis hominibus, vnus Deus fauet.

AVdio Dominum amatorias in Deum querelas iacere, dum ait, *Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Sanè & vniuersi homines, imo & amantissimi discipuli eum dereliquerant, & de his non queritur, sed in Deum solum suas excitat amatorias querelas. Vt enim deprobatum & reiectū relinquerent homines, minimè nouum erat, imò in mundo frequentissimum & quotidianum. At quod Deus eum derelinquat, quando vnicum & singulare est diuinitatis elogiū, quod deprobatis & reiectis faueat, id quasi nouum & inauditum deprecandum. Equidem is est solus Deus qui deprobatos non derelinquit, sed eis opem & auxilium vnus nouit præstare. Postquam Pythonissa illa, 1. Reg. 28. audiuit ex Samuele Saulem Regem occidendum esse die sequenti, deprobatum Regem adit & ait, *Nunc igitur audi & tu vocem ancillæ tuæ, & ponam coram te buccellam panis, vt comedens conualescas.* Quod mulieris facinus extollens P. Damianus epist. 34. inquit, *Quæ videlicet ad imitationem Dei, Saul tam bene tractauit, non modo regio iam culmine desperatum, sed & in crastino Philistinorum gladijs perimendum, & tanquam prudens iuxta Euangelium serpens, ille præstitit beneficium, à quo nullum se consequi sperabat emolumentum.* Expende ad illud, *ad imitationem Dei*: etenim qui deprobato & reiecto viro velit fauere, non habebit homines, non creaturas quas imitetur, sed vnum Deum, qui solus à culmine deiectis adest, imitatur. Ab hominibus id ego fieri norabam, quod seuerissimi, imò crudelissimi vltores sint culparum, eius qui decidit à clauo, qui deprobatus à fauore Principis & reiectus est. Quod præcauens Dominus vt Petrū amauerat, sic post Resurrectionem statim festinauit illi claues Regni tradere. Sed cur adeo festinauit? Equidem per negationem deciderat Petrus à culmine, deciderat à fauore magistri, quod si cæteri illum sic deiectum & deprobatum inuenissent, procul-dubio seuerissime in illum animaduerterent, quapropter illum ab hoc periculo eripere clauium traditione Dominus festinauit. Id quod D. Optat. Mileu. lib. 7. aduersus Parmen. ait, *Intelligitur omnia ordinata esse diuina prouidentia Saluatoris, vt ipse acciperet claues. Intercluſa est malitiæ via, ne Apostoli animo licentiam iudicandi conciperent, & seuere contemnerent eum qui negauerat Christum.* Væ tibi qui à culmine cadis, qui deprobatus es & reiectitius, heu quam seuere plectentur errores, quos vel nolens commiseris! Cuncti homines, totus mundus, amicissimi quique in te insurgent, vnus Deus est qui nouit prospicere de probatis ac reiectis viris.

1. Reg. 28.

Ioann. 18. Postea sciens Iesus quia omnia iam consummata sunt, vt consummaretur Scriptura dixit, Sitio.

§. XXVII.

Postquam Deus homines tot doloribus comparauit, eorum anxiè cupit salutem.

ID omnibus solemnissimum est & maximè familiare, vt propter quem laborauimus, is prosperè & feliciter agat. Ideo eleganter notans Tertul. lib. de Patient. quòd Christus Dominus inter furentium arma, inter laqueos Pharisæorum cum se propter hominum salutem morti exponeret, percussi Malchi auriculam curarit; inquit, *Sanitatis restitutione ei, quem non ipse vexauerat, satisfecit per patientiam misericordiæ matrem.* Pulcrè vocat patientiam misericordiæ matrem, quandoquidem tunc magis alterius miseremur, tunc maiora bona exoptamus alicui, quando eius gratia sustinemus mala. Et sanè nunquam Deus salutis humanæ auidior extitit, quam vbi nostri causa dolores pertulit,

Tertull.

& fummos labores exantlauit. Ecce tibi Chriftus Dominus triginta annis latuit in mundo quafi obliuifcens falutem generis humani. Tandem in defertum abiit, de quo, in-
Matth.4. quit Matth. c.4. *Et cum ieiunaffet quadraginta noctibus, poftea efuriit.* Sed quam famem caufaret tam longa inedia? Num quadraginta dierum ieiunia fecerunt Dominum efurientem panis? Equidem vera inedia cogere poffet Dominum, vt cibum corruptibilem efuriret, efuriit tamen Dominus inedia doctus falutem animarum. Id quod eleganter affe-
Ambrof. rit Ambruf.ferm.36.de Quadrag. fic aiens, *Continuatis quadraginta diebus hæc ieiunia non efuriens Dominus procurauit; fed dicit illum Euangelifta poftea efuriffe. Quomodo ergo poteft fieri, vt qui tot dierum numero famem fitimque non fenferit, poftea efurierit? Efuriit enim non cibum hominum, fed falutem; nec efcarum fæcularium epulas concupiuit; fed animarum defiderauit cœleftium fanctitatem.* Quippe ieiunia longa, labores in Eremo exantlati vehementem falutis humanæ famem in Domino excitarunt. Poft ieiunia, poft defertum, poft vigilias, poft durum lectum, poft mille moleftias alias noftri caufa fufceptas, ô quam auidus noftræ falutis! ô quam famefcit hominum fanctitatem! O quanta Dominum fames & fitis excruciat animarum! Accipite iam illum in cruce poft immenfos cruciatus dicentem, *fitio*, quafi oftenderet anxiam & vehementem cupiditatem falutis humanæ, nullum tormentorum dolorem manifeftat, poft tot cruciatus mirabili filentio obnubilatus ardentem exprimit fitim, non fitim potus fæcularis, fed fitim animarum, quam à tormentis perpeffis vehementer auctam non poteft non manifeftare. Vn-
Drogo. de meritò Drogo de Paffion. ait, *Domine quid fitis? Ergóne plus cruciat fitis quam crux! De cruce files, & de fiti clamas, fitio. Quid? veftram fidem, veftram falutem, veftrum gaudium, plus animarum veftrarum, quàm corporis mei cruciatus me tenet.* Plane à cruce, à verbere, ab fpinis, ab opprobriis, quæ hominum amore pertulerat Dominus, non potuit non caufari vehemens fitis animarum. Etenim, vt multa profufio fanguinis fitim ardentem caufat, nefcio, an naturalius profufus fanguis propter alicuius amorem illius falutis anxius cupiditatem caufet.

§. XXVIII.

Vel Calix aquæ frigidæ exhibitus pauperi diuini agni nuptias nancifcetur.

IAm illud in primis dubium effe folet Doctoribus facris, quæ fcriptura vt confummaretur dixit Dominus, *fitio?* An aliqua erat fcriptura, quæ fignificaret hoc verbum à Domino in Cruce dicendum? Negat Toletus, & putat ibi intelligẽdam effe fcripturam de fellis exhibitione; fed ego etiam crediderim facratius aliquod ibi latere myfterium, quod vniuerfis fcripturis infinuatur. Nemini enim dubium
Bernard. effe debet id quod D.Bern.fer.de Paff.afferit, nimirum quod *Sedes fponfalis crux eft, in qua verus fponfus fponfam fuam Ecclefiam fibi copulauit.* Itaque totus fcripturarum fcopus is eft, vt reiecta fynagoga, noua fponfa diuino agno conquiratur, quam ipfe in cruce fibi acquirat & copulet. Ergo poft confummata omnia, vt fcriptura confumetur, hoc eft, vt celebrentur nuptiæ agni, & eius fponfa appareat, dixit, Sitio.
Genef.24. Hoc ab fcriptura teftatum nõ eft Gen.24. Ibi Eliezer Abrahæ famulus quæfiturus fponfam filio Domini fui Ifaac circa fontem fedens ait, *Puella, cui ego dixero, Inclina hydriam tuam, vt bibam Et illa refpondebit, bibe, quin & camelis tuis potum dabo. ipfa eft quam præparafti feruo tuo Ifaac.* Vbi hæc fcriptura confummata eft nifi in cruce? Ibi vt fponfam internofcat & eligat, non famulus; fed ipfe verus Dominus inquit, Sitio, vel in fola exhibitione calicis frigidæ aquæ, quæ eligatur anima in fponfam agni declarans.

Proh egregium eligendæ fponfæ fignum! Quæ fitibundum adaquet eligitur in fponfam tanti primogeniti? Cur
Chryfoft. ifta? Pulcre D.Chryfoft. infinuat caufam dicens, *Vide ferui prudentiam. Nam quia fciebat Patriarchæ hofpitalitatem, & quia virginem inde ducendam conuenient erat eifdem effe præditam moribus, quibus Dominus fuus, nullam aliam quærit coniecturam; fed characterem virginalis animi ex hofpitalitate vult agnofcere.* Porrò nil magis diuinum quàm beneficentia, quàm charitas, quàm mifericordia, his in primis elucet Deus virtutibus, his diuinum ingenium claret, & cum conueniens fit, vt fponfa eifdem prædita fit moribus, quibus fponfus, nulla melior quæritur coniectura, quam ex beneficentiæ charactere per exhibitionem vel calicis frigidæ aquæ. Ad hæc
Leo. D.Leo fer.de collectis miratus, quòd calicem aquæ frigidæ tanti æftimet Deus, inquit, *Vnde exigua ifta impendia tanta æftimari taxatione meruerunt? Cum amatur ab homine quod à Deo diligitur, meritò in eius afcenditur Regnum, in cuius tranfitur affectum.* Quid magis fpectabile in conforte, quam paritas affectus & amoris? Sanè fapiens coniux hoc in primis exquirit, vt faciat habitare fecum vnius moris in domo. Hinc non aliunde fponfam vult dignofci Dominus, nifi eo quod exhibet fitibundo pauperi calicem aquæ. Fallor nifi huc refpiciat aqua illa exhibita à Domini percuffo latere, transfodit enim latus Dominicum militis lancea, & *continuò exiuit fanguis & aqua*, Ioan.18. De quo in rem præfentem lo- Ioann.18.
quitur D.Cypr. lib.de monte Sina & Sion. *Sanguis, & aqua* Cyprian.
fluebat vnde fibi Ecclefiam fanctam fabricaret, quafi innueret quod non eligenda fit fponfa quæ ftet in dextero Domini latere; nifi quæ fitibondos adaquet. Vt enim optimè notat
D.Cæfarius Arelat.hom.30. *Illos, qui ad dexteram futuri funt,* Cæfar.
folo mifericordia liberabit. Equidem ftabit Regina, ô Chrifte, à latere tuo in veftitu deaurato: fed quam mifericordia pofuerit, fed quæ vel frigidum calicem aquæ porexerit fitienti Domino in paupere.

Text. Vas ergo erat pofitum aceto plenum, illi autem fpongiam aceto plenam hyffopo circumponentes obtulerunt ori eius. Cùm ergo accepiffet Iefus acetum.

§. XXIX.

Marianum lac fic Chrifti Domini palatum indulcorauit, vt illi etiam amaritudines & felles effent dulces.

ACcipio modo Card.Tol.& aliorum interpretationem, qui ideo afferunt à Domino dictum effe *fitio*, vt fcriptura de felle dando adimpleretur. Sitiebat ergo Dominus felles, & auidè amaritudines ipfas concupiebat præferre, labia enim Mariano lacte rigata & faporata etiam felles
dulces reputabat & concupiebat. Quo fpectabat D.Cypr. Cyprian.
orat.de Nat.Chr. aiens de illo, *Puer fugens vbera & fuftinens conuitia.* Ecce vobis vnde conuitiorum tolerantia manauit, ex cœleftis irrorarione fucci, vbi Maria vbera haufit, ea profufum dulcedine manfit palatum, vt felles quafi fauos
vor aret. Et quidem Cant.5. dicebat Dominus. *Vinum bibi cũ* Cantic.5.
lacte meo. Id quod acutè ponderat D. Antonius de Padua Anton.
Dom 3. in Quadrag. dicens, *Quare non dixifti Domine Iefu Bibi acetum meum cum lacte meo? Virginalibus enim vberibus lactatur.* Quippe vbi lac Virgineum accepit, vt ab vbere de cœlo pleno lactatus fuit Dominus, nihil amarum reputat, dulcefcunt illi felles, & acetum optimi vini faporem refert.

Text. Et dixit, Confummatum eft.

§. XXX.

Non decet mediocritas diuinum virum, fed perfecta confummatio.

IAm diu diuina virtus mediocritatem odit, *attingens à fine vfque ad finem fortiter*, nefcit cadere inceptis, nefcit media fiftere via, nec defiftit à cœptis, donec extrema perfectiffimè attingat. Sic eos, qui defcenfum crucis petebant, vt diuinam prolem agnofcerent, vt fatuos repellit, & vt ait D.
Athanaf. *Neque defcendendo de cruce voluit filius Dei agnofci:* Athanaf.
fed ex eo quod in Cruce permaneret. Equidem nunquam filios Dei mediocritas decuit: fed confummata in omnibus aufis perfectio. Alij funt & multi qui incipiunt ædificare, hoc folum contenti fi excidant magnis aufis: at qui diuino aguntur fpiritu, nulla gaudent gloria nifi confũment & perficiãt optata. Pulcre de Saluatore & confummatore Iefu loqui-
tur D.Anaft. Sinaita lib.4. de rectis fidei dogmatibus fatus, Anaftaf.
Quando enim egreffus eft in falutem populi fui, relicta quam apud patrem habebat ante mundi conftitutionem, gloria, hanc falutem expenfam & libratam oportebat per paffiones perfici in eo, qui author vitæ noftræ eft, quemadmodum docet Paulus dicens eum vitæ authorem per paffiones effe confummatum: falus enim capti operis erat confummatio. Quippe non qui à cruce defcenderet, fed qui omnes paffiones a malitia excogitatas patiendo cõfummaret: is erat humani generis Saluator, nec qui aliqua mediocri dolorum tolerantia contentus erat: fed qui vel extremum patiendi apicem pertingeret, is filius Dei humanæq; iuftitiæ author declarabatur. De quolibet iufto aiebat

Psalm.71. Psalm. 71. *quod iustus vt palma florebit.* Cur vt palma?Id in-
Hug.Vict. nuit Hug. Victor.lib.2. Miscell.tit.95.fatus, *Iusti conuersatio tanquam palma, plus finiendo peragit, quam inchoando proponit.* Hoc habet iustitiæ æmulus,quo plus crescit,plus laboribus instat,donec omnes iustitiæ apices percurrat,nullum alium sui profectus finem præscribit, quam consummationem ipsam. Equidem misere falluntur, qui opus iustitiæ aggressi putant licere sibi aliqua inaccessa prætermittere. O vana
Ambros. hominum cogitatio! merito D.Ambros.serm.1.in Psalm.67. ponderans quod Deus mandauerit mandata sua custodiri nimis, eo refert perditionem hominum quod aliqua prætermittant.Sic enim inquit,*In Paradiso mandauit Adæ vt custodiret mandata;sed fortasse non mandauerat custodire nimis, & ideo lapsus est,ideo deceptus erat à serpente,putans quod si in parte aliqua recederet à mandato, non penitus erraret, sed quia à semita mandatorum recessit, totam deseruit viam.* Heu miseram hominum fallaciam, qua semper de virtutis operationibus conantur minuere, & aliquid promissis surripere! Aliter æmulus iustitiæ plus finiendo peragit, quam inchoando proponit, omnia media odit, dum virtutum summa non attingit.Sic iustitiæ Sol non antea occidit,quam voti sui apices consummet, vt dicat moriturus, consummatum est,ni-
Leo. mirum, vt ait D.Leo serm.4.de Pass. *Nil minus pertuli, quam*
Gaudent. *me passurum esse prædixi.* Hinc D.Gaud.tract.10.de manducatione agni affert illa Gen.1.verba nimirum,*Requieuit ab omnibus operibus suis,quæ cœperat Deus facere*: quæ ipse sic legit, & statim expendit aiens, *Caute loquitur scriptura non absolute dicens requieuisse Deum ab operibus suis;sed ab operibus quæ cœperat Deus facere. Requies igitur Dei non laboris remedium; sed cœptorum finis est operum.* Non enim Deo digna requies, vbi non omnia quæ incœpit facere consummauit, sic odit mediocritates. Sane strenue & impigre vitæ cursum incœpit Zaras dum præueniens fratrem ab vtero prætendit manum, qua purpurei pallij filium attigit,& inter progenitores Dei obtinuit numerari.Ait enim Matt.1. *Iudas genuit Phares, & Zaram de Thamar.* Sed cur à strenuo incœptore Zara genus non duxit Saluator? An quia tandem primogenitus non fuit?Sed nec Iacob fuit primogenitus, & tamen ab illo genus duxit Dominus Iacob, & Zara neuter primogenitus, vterque tamen ab vtero nititur primas rapere, vterque fratrem aggreditur; sed Zara quam præmisit manum iterum reuocauit,& liberum nascendi locum reliquit fratri. Iacob autem quam semel conseruit manum cum fratre,nunquam remisit, imo & nascens illum manu apprehensum retinere conatur non dimittens,sed consummans certamen.Ita pul-
Chrysost. cre notat Chrysost.homil.de Iacob & Esau, dicens, *Interea certamen nec nascentibus defuit, dum maioris plantæ innixus Iacob, aut prior nasci desiderat, aut se victorem tali gestu demonstrat.*Non qui nouit incipere, sed qui nullo certamine, nullis periculis retrotrahitur nascituro Deo prætendit carmen.
Isai.16. Hinc Isaias cap. 16. *Emitte Domine agnum dominatorem terræ de petra deserti.* In petra deserti,teste Hier.Lyra,& aliis designatur Ruth Moabitis; sed cur tam anxie Propheta petit, vt nascatur Christus ex Ruth?Nónne aliæ illustrissimæ erant fœminæ in Saluatoris propagine,cur vnius Ruth meminit, illáque anxie expostulat in Dei matrem? Fallor, nisi huius
Rupert. rei rationem innuat Rupert.lib.2. in lib.Reg.c.4. inquiens, *Orpha,& Ruth vtraque nurus fuerat Noemi:nam Orpha osculata est socrum ac reuersa, Ruth adhæsit socrui suæ: de cuius radice germinauit Dauid.*Quippe ambæ nurus socrum cœperunt sequi; sed Ruth ita cœptis adhæsit,vt nullis timoribus obiectis,nullis difficultatibus,nullis ærumnis,nec obiecta morte potuerit dimoueri. O quam præstans hæc virtus in Saluatore!O quam decens quod Saluator huius sanguinem & mores referat; nullis periculis impeditus, quominus con-
Seneca. summet salutem cœptam. Hinc Seneca de Consol.ad Marcian.cap.6. *Turpis est nauigij rector,cum gubernacula fluctus eripuit,qui fluctuantia vela deseruit,permisit tempestati ratem.At ille vel in naufragio laudandus,quem obruit mare clauum tenentem & obnixum.*Præconium nulli conueniens nisi consummatori Christo.

Luc.23. Et clamans voce magna Iesus ait:Pater in manus tuas commendo spiritum meum.

§. XXXI.

Is Patrem Deum inuocare audeat, qui operosis illum obligat obsequijs.

NObilis operarius Iesus post portatum pondus diei & æstus in vinea Domini excolenda,Patrem Deum confidenter inuocat, ne quis otiosus & vagus homo de patre glorietur diuino. Prodigus ille filius Luc. 15. in se reuersus *Luc.15.*
ad patrem decreuit recurrere.*Surgam & ibo ad patrem meum:* sed quibus intendit patrem delinire, vt perditum filium admittat? Sane verbis illis, *fac me vnum ex mercenarijs tuis,* quandoquidem tunc filius Deo patri maximè placebit, si mercenariorum & operariorũ more viriliter desudet, operosisque laboribus emat dici Dei filium.Ioan.1.dicebat, *de-* *Ioann.1.*
dit eis potestatem filios Dei fieri. Vbi eleganter Chrysost. *Cur* *Chrysost.*
non dixit,facit eos filios Dei fieri?Vt ostenderet multa nobis opus esse diligentia. Non qui otio indulget,non qui pigritiæ manus sub axilla abscondit, is filius Dei, is confidenter cœlestem patrem inuocat; sed qui in arena viriliter pugnat, qui manus spoliis inimicorum refert plenas. Idem Psalm.
28.clamabat vates, *afferte Domino filij Dei.* Quibus expende *Psalm.28.*
quod non liceat filiis Dei accedere quin manus donis afferant onustas. Sic ibi pulcrè Chrysol.serm.10. *Videtis quia* *Chrysol.*
cœlestis pater sentit amorem donis datis affectum. Et re vera, fratres, filium se esse nescit, qui authorem vitæ suæ non obsequijs placat, non deuincit cultu,muneribus non honorat. Merito ficus
illa apud Marc.cap.10.arefit,quæ adeuntem Dominum nul- *Marc.10.*
lo fructu valuit recreare. Sed nec erat tempus ficorum, vt videant filij Dei quam reprobentur si quo tempore exhibitis fructibus & operibus non honorent patrem. Ita Orig. *Origen.*
homil.16.in Matth. *Propter quod hominibus dicit, quoscumque ad beatitudinem vocat: Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes, arguens eos qui nolunt esse Dij, nec filij excelsi: vos autem sicut homines moriemini,quando enim secundum hominem ambulamus, nihil operamur nisi vt moriamur.* Et quidem patentissimum hoc discrimen inter filios Dei, & filios hominum, quod filij hominum nihil operantes moriuntur, atque eam subeunt mortem, qua nullum opus bonum appareat: verum Dei filij,quùm moriuntur, tunc operum illustrium fructus referunt patri.

§. XXXII.

Moribundus meminerit Deum non tam iudicem, quam patrem suum, quo secure & tute migrauit.

ECce Magister noster in vltimis constitutus, quem docet à nobis inuocandum,vt facile & secure viam intremus vniuersæ carnis, ad cœlúmque pernici euolemus volatu.Pater,inquit,in manus tuas commẽdo spiritum meum; amat enim Deus vocari pater, non iudex formidari. Prodigo illi ad patrem reuertenti, & intimis præcordiis dicenti, *Ibo ad patrem meum*, Luc.15. occurrit festinus pater, in collúmque eius incidit, & osculatus est eum.Vbi acutè Chry- *Chrysol.*
sol.serm.2.*Pater viso filio cooperit mox reatum: dissimulat iudicem, qui magis vult implere genitorem.* Hoc Deus erga homines ambit, vt indulgentissimus pater habeatur, vt inuocetur pater: quocirca etiam cum prodigo & cum substantiæ dissipatore dissimulat iudicem, faciéque iudicis osculata totus effunditur in oscula & amplexus patris. Id quod testatur D. Chrysost. homil. 16. ex variis in Matth. locis sic *Chrysost.*
aiens. *Si consiperimus abinitio creati hominis causam, intelligemus, quia nimirum Deus se magis patrem voluit esse hominum, quam Dominum. Non enim dixit tantummodo, faciamus hominem; sed faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: simulari autem conuenit filijs ad patres suos, non autem seruis ad dominos suos.* Sic innatum voluit esse hominibus, vt Deum haberent patrem, sic curauit, vt homines in factore suo & Dominum & iudicem præterirent, solúmque patrem agnoscerent, & patrem inuocarent, quasi vel meminisse patris Dei sufficeret, vt secure & tute reuolaremus in patriam. Nónne ille iam allatus prodigus dicebat, *ibo ad patrem meum?* Et quanta in illo bona causauit sola hæc
memoria diuini Patris? Ea expendit Diu. Thom. in Cat. *D.Thom.*
Qui postquam dixit, ibo ad Patrem meum, quod ei attulit cuncta bona, non mansit, sed totum iter transiuit. Sequitur enim, & surgens venit ad patrem suum. O vos felices qui tantum obtinetis patrem! cuius vel sola memoria, vel sola inuocatio ponit alas, vt secure & festine quod ad illum est iter conficiatur. Patrem dixit, & innumera excepit bona, & non amplius in malis mansit;sed totum iter ocyor pertran-
siit. D.Gregor. Niss. de orat. Dom. orat.2.expendens quod *Nissen.*
Deus Pater noster esse in cœlis dicatur ait. *Licebat tibi statim esse in cælo, vbi Deum patrem in mente sumpseris.* Præteri Dominum, præteri iudicem, voca Patrem Deum, & te iam reputa cœlestem ingredi aulam. Fallor, nisi diuinus pater inuocatus nos faciat in cœlestia læuitare,quippe inuocatus

pater à filio prodigo illi occurrit, *& cecidit super collum eius.* Proh Deus immortalis! Pater filij collum grauas? Acute
Chrysol. D.Petrus Chrysol.serm.3.inquit. *Cecidit super collum, vt amoris onere onus tolleret peccatorum. Venite ad me, inquit, omnes qui laboratis & onerati estis. Tollite onus meum super vos, quia leue est. Videtis quia filius iuuatur, illius patris onere non grauatur.* Expendo illud, nimirum quia leue est, filius iuuatur istius patris onere, non grauatur, quandoquidem cœlestis patris onus quia leue, leuitate facit filios & in alta euolare. Vtinam cœlestem hunc parentem sustineamus, quo grauedine peccatorum dimissa, in bona cœlestia salubri & secura leuitate euolabimus.

Matth. 27. Iesus autem iterum clamans voce magna emisit spiritum.

§. XXXIII.

Christus moriens in mortem victor insultauit.

IAm diu inimica mors Saluatoris potentiam expauerat, iam ad ipsius vocem tremefacta diffugerat, quippe vbi aggressa fuit Lazarum, sustinuit pauens Dominum increpantem & minantem, ait Ioan.c.11. *Iesus infremuit spiritu.* De quo D.Cyrill.lib.9.c.18.fatur. *Minas aduersum mortem fremitum appellauit.* Enimuero vt Iesus vidit succubuisse amicum morti, vbi aspexit Lazarum à morte deuoratum, inexarsit aduersus mortem, & fremens & clamans illam minis prosecutus est. Quid plura? Non solum Christus Dominus; sed vel vmbra eius sanguinis Israëliticis liminibus perfusi accedentem mortem vehemẽter minitans increpauit. Id quod
Arnold. expẽdit Arnold.Carnot.tract.7.de verbis Domini in Cruce sic aiens. *Hinc est, quod exterminator Angelus primogenita quæque AEgyptiorum percutiens, viso hoc signo à liminibus sanguine illitis quasi increpatus se cohibet, enecati, & AEgyptij illæsi incolumesque manent, quorum latera frontesq́ cruoris huius conspersio rubricauerat.* Expendo illud, quasi increpatus se cohibet. Etenim vmbra sanguinis Christi habet voces, quibus non cessat minis & increpationibus mortẽ insectari. Vnde cum ad extremum certamen ventum est, vbi cum morte conserendæ erant manus, iterum clamans voce magna expirauit, quasi iam diu morti minas factas tunc impleret mortem euiscerando. Sanè qui iratus in hostes dux illis insidias parauerat, cum insidiarum beneficio hostem habet in laqueis, tunc clamans irruit in trementes & pauidos. Sic Dominus insidias dum morti parat, apud iudices tacet, & silentio tegit suam fortitudinem, at vbi mortem habet in manibus, aperto iam Marte præliaturus, clamat insecuturus illam trementem & pauidam. Fallor nisi huc respexit
Athanas. D.Athanas. dum sic depingit Dæmonem morienti Domino astantem. *Cedere igitur iam inde parabat, & tergum dare fugæ. Cernens enim Dominum & in cruce pendentem & mortem persequentem, in metu fuit.* Et quando visus est Dominus mortem persequi, nisi quando iam iam animam agens clamabat voce magna? Equidem vt clamare solent victores ab insidiis
Euseb. hostes pauidos & victos insectantes. Ita Euseb.lib.4.de demonst.cap.12. *Cum altius vocem emisisset solutus à corpore abyt, neutiquam expectans dum mors ad illum accederet; sed illam cunctatem & fugitantem ipse à tergo insequitur.* Sanè & mors, & omnes aduersariæ potestates, & idololatria, & peccatum a primo cum Christo Domino congressu terga verterunt, & sese fugæ dabant, quæ ex tunc ipse Dominus victor insequebatur. Nõnne de cohortibus Christum capturis dictum est, quòd ad vocem illius, *ceciderunt retrorsum.* Ioan.19. Sed quid est quod retrorsum ceciderint. & in dorsis malè haberẽt? An quia fugientes hostes iam victor Dominus in-
August. sequebatur? Ita D.Aug.lib.2.de Mirab.scrip.c.7. ponderans, quod Dagon ante arcam Domini iaceret dorso vulneratus ex 1.Reg.cap.5.ait. *Spina dorsi eius truncata reperitur. Quod fugeret idololatria in aduentu Dominicæ legis ministrabat. Qui enim fugiunt percutienti dorsum dant.* Ita retrorsum percutiuntur Christi hostes, quod fugeret idololatria. & mors, quas victor insequebatur. Quod item sic clamans se filium Dei ostenderit vide infra §.36.

Text. Et ecce velum Templi scissum est in duas partes à summo vsque ad deorsum. Et terra mota est, & petræ scissæ sunt, & multa corpora sanctorum quæ dormierant surrexerunt, &c.

§. XXXIV.

Creaturæ omnes vehementer commouebantur in Deicidas.

CVr in nocentissimos viros & Deicidas vniuersæ creaturæ non inferrent bellum! Credo quòd à Deo ipso compeditæ creaturæ intra ipsos naturæ carceres commouebantur, perditionẽ minitantes hominibus scelestis. Equidem Flaccus ille Israëlitarũ interfector iam scelerũ pœnas dãs, his solitarius discruciabatur mœstissimis vocibus apud Philonem. *Horum facinorum pœnæ me manent sat scio, & diræ* Philo.
stant tanquam in carceribus, vt obice rupto properent in meã perniciem. Equidem sapienter & verè scelestus homo meditabatur flagitiorum vindices pœnas stare tanquã in carceribus, ibique cõmoueri, & violentis motibus mõstrare quam sint promptæ ad properandũ, quam anxiè festinarent, si vel obex rumperetur. Proh dolor! quales pœnæ vos manent, ô scelestissimi Deicidæ! Nõnne videtis quam diræ stant tanquam in carceribus creaturæ? quã intra carceres ipsos mouentur, vt obice rupto properent in perniciem vestram? Papæ! rebellarat in patre Absalon ille, & fugitiuũ è bello terra à se depellit, mulus deserit, arbor detinet, vt enecetur. Id 3.Reg.17. 18.
quod expendens D. Chrysost. inquit. *O nefandum meritum* Chrysost.
parricidæ! Iniuriam patris non pugnantis gladius, non hostilis manus, non iaculantis ictus defendit; sed vindicant ligna, arbor vlciscitur, rami defendunt. Nec est vlla creatura, quæ non mota fuerit, cum ipsum senserit moueri in authorem. Iam nunc vide parricidæ Israëlis nefandum meritum, nõ gladius exeritur ad scelus vindicandum, adhuc silet miles, & arma vacant, & fames non exit à tristibus cauernis: sed terra, sed lapides, sed cœlum, sed mortis ipsius vectes vindicant tantum scelus, & nõ est creatura, quæ mota non fuerit vt vidit parricidas Iudæos in authorem suum cõmoueri. Vnde merito D.Leo serm.4.c.4. hæc in Iudæos dicit. *Cum ad tantam diuinæ* Leo.
Maiestatis inclinationem totius mundi compago quateretur. Cum facinus impium omnis sui confusione creatura damnaret, & manifestam in reos sententiam elementa proferrent. Quis vobis animus Iudæi, quæ conscientia fuit, quando & vos iudicium vniuersitatis vrgebat, & reuocari ad se consummato scelere impietas vestra non poterat? Qualis confusio vos operuit? quæ cor vestrum pœna suscepit? Libenter sanctæ Brigittæ assentior, quæ ex Dei reuelatione affirmat, inter hæc, ipsa Iudæorum & carnificum præcordia vehementi & amarissima tristitia fuisse affecta. Vt liceat huc transferre verba à B.Chrysost.data in sanctissimum Miletium moribundum. *Quis ait, sustinuisset videre Beatum illum, extremum emittentem spiritum? Quis sustinuisset videre illa supercilia oculorum deprimi, osque claudi & mādata edere nouissima? Quis hæc aspiciens non à se discessisset magnitudine calamitatis?* Orbis vidit vniuersus, ipsi viderunt hostes, & omnes à se discesserunt propter doloris magnitudinem.

§. XXXV.

A morte Domini mors despicitur & contemnitur ab omnibus.

VT creaturæ viderunt Dominum in Cruce morientem, iam pro minimo ducunt, si & ipsi morti dentur, & despecta morte sese continuis & violentis motibus finire contendunt. Ita alibi datus Leo serm.6. de Pas. inquiens. Leo.
Debebat hoc testimonium suo mundus authori, vt in occasu conditoris sui vellent vniuersa finiri. Iam qui omnibus tremẽdus erat finis & horribilis, ab omnibus despicitur & contemnitur, vt vident filium Dei in Cruce finiri. Nulla est creatura, quæ nõ audeat in mortem, vt dicat D.Basil. *Deuorauit ipsum* Basil.
mors ignorans, quapropter etiam vt viris mors contemnitur. eam non amplius vt leonem timemus; sed veluti leonis pellem conculcamus. Perterrefaciebat quondam mors gigantes sæculi, & ante illius horrorem ærea pectora soluebantur: at nunc vniuersæ creaturæ cupiunt finiri, & totius mundi compagines amant dissolui & esse cum Christo. Infirmi pueruli tenellæ virgines, quæ vel ad lacertæ aspectum diffugiunt pauidæ, tremendas mortis derident fauces. Hic D.Athanas. Athanas.
de glorioso mortis Christi triumpho agens mortis prædicat infirmitatem. *Quis enim cum leonem videt ludibrijs exagitari à pueris ignorat, vel mortuum esse, vel saltem omnibus viribus destitutum? Ita quoque à nemine ambigendum mortem, quæ à Christi fidelibus ludibrio habetur, à Christo prædomitã esse, eiúsque iram, ac vim corrumpendi extinctam.* Quibus maximè ponderandum quod dicat mortem à pueris, à fidelibus Christi

Christi ludibrio haberi. Nec hoc nouum, nec mirandum, quandoquidem vel sola Dominicæ mortis suspicio dedit antiquitus mortem pueris conculcandam. Nónne tres pueri
Daniel. 3. erant, qui Dan. 3. ob patriam Israëlitarum religionem coniecti sunt in ardentem fornacem? Sed cur pueri ex tunc sic mortem contemnunt, cur mors pueros verita fuit, illósque non ausa tangere, vehementer exhorruit? Pulcre admodum
Chrysost. Chrysost. homil. 18. in 1. ad Cor. *Iam enim mors contemptui habebatur, & cum Christus esset venturus, & quemadmodum cum sol oriturus est, priusquam radij erumpant, clara diei lux efficitur, iam cum Sol iustitiæ venturus esset, mors cessit. Quid hoc spectaculo esse posset illustrius? Quid hac victoria præstantius?* Tantum Dominica mors odorabatur, & iam inimica mors à pueris exsibilabatur, iam contemptui & despectui habebatur. Adhuc ipse Chrys. orat. de SS. Bernice & Prosdoce memorans Iacobum & Heliam ad mortis periculum pertimescentes; deinde Paul. ad Philip. 1. dicentem: *Cupio dissolui, & esse cum Christo*, sic loquitur. *Illis formidabile, huic melius: ac meritò sanè, olim enim mors ad inferos ducebat, nunc autem ad Christum mors transmittit.*

§. XXXVI.

A Cruce Domini mortificatio & mors ipsa amabilis & appetibilis.

NOn miror quod vniuersæ creaturæ ament finiri, seséque mille conficiant ictibus, cum viderint in cruce defunctum authorem vitæ. Nónne Elias mortem ab Iezabel inferendam expauescens per vastissimos errabat montes?
3. Reg. 19. Sic de illo 3. Reg. cap. 19. dicitur. *Timuit ergo Elias & surgens abijt.* Quid plura? Post mille exantlatos labores, post largos decursus ad iuniperi radices deiectus, *petiuit animæ suæ vt moreretur.* O præclarum virum! mortem fugis, & vt iuniperi vmbram nactus es mortem expetis? Quid modo in
Rupert. morte tibi placere potuit? Equidem eleganter Rup. lib. 5. in Reg. cap. 10. ex arbore, ad quam Elias recurrit, venatur causam cur mortem appetiuerit mortis fugitiuus. *Confugit*, ait, *ad viuificum crucis lignum. Illic ambit mortem, illic festinat commori Christo.* Adeò vel vmbra crucis reddit amabilem & expetibilem mortem vt possit ipsi placere illi, qui vehementer ab illa abhorrebat. Multi sunt Patres, qui in arcu illo smaragdino, qui in Apoc. Deum vallabat, crucem passionémque Domini cognoscunt, quod eo mihi plus arridet, quo sciam res horribiles & metuendas ab smaragdo reddi pulcras aspectúque delectabiles. Vnde vt fœdissimæ gladiatorum strages, vulnera tabo pulueréque deturpata aspici possent ab Imperatoribus Romanis, hæc illi horrenda festa videbant smaragdinis speculis interpositis, vt author est Plinius. O vtinam Christiani Principes ob oculos sibi ponerent smaragdinum speculum, nimirum passionem Christi vel crucem. Equidem amassent mortem, & gratissimè aspicerent quamlibet mortificationem & abiectionem humilem. A D. Chrys. non sine ingenij acumine vocatur crux *Philosophia Imperatorum.* Et quid hoc innuit? Est communissimum apud omnes triangulare vitrũ smaragdi æmulum, quod vocant lapidem philosophalem, quia ea Philosophiæ arte fabricatus est, quasi ob oculos ponatur, stercora & fœtida loca tali pulcritudine facit apparere vestita, vt instar paradisi oculos spectantium alliciant. Ea est crucis philosophia, quà humillima quæque & horrida & squalentia, nimirum pœnitentiæ saccus, cinis, ieiunium, dolor, lacrymæ, & similia sic afficiunt videntes, vt Imperatorum etiam animos ad se alliciant. Nec vllus erit, qui crucem Domini & passionem videat, cui dolor, abiectio, & mors ipsa non videatur amabilis & expetibilis. An huc reuocari posset Dauid in psalmis, dum meminit *Benefici incantantis sapienter?* Sanè sapientissimè quis vtitur Dominica passione, ad omnes sæculi ærumnas, quas tortuosus peperit coluber, excantandas, vt faciles captu videantur. Sic D. Isid. Pelus. lib. 4. epist. 79. de Domini doloribus loquitur. *Hisce quasi incantamentis quibusdam illatas vobis iniurias lenite atque cicurate; facile namque cedent ijs, qui hæc aduersus eas occinent.* Vt enim serpentum feritas sapienti incantamento cicuratur, sic de dolorum Domini segete, omnes alios dolores excantabis, superabis. De hoc latius lib. 2. cap. 4. §. 5.

Text. Centurio autem, & qui cum eo erant custodientes Iesum viso terræ motu, & iis quæ fiebant timuerunt valde, dicentes: Verè filius Dei erat ille.

§. XXXVII.

Summa omnium rerum potestas, quæ filium Dei decebat penes crucifixum Iesum apparuit.

CVr velum templi scinditur? Cur cœli luminaria recedunt? Cur omnia tenebris suffunduntur? Equidem in Thabor gloriosus dum apparet Dominus inter Moysen, & Eliam ad vocem patris dicentis. *Hic est filius meus dilectus*, diffugiunt Moyses, & Elias, & discipuli timore quatiuntur. Cur id accidit? Prudenter D. Ambros. lib. 1. de Fide cap. Ambros.
5. hanc excogitat causam, nimirum ait. *Recesserunt seruuli, vt solus Dominus qui solus designabatur, filius videretur.* Modo item in cruce existens Dominus filius Dei publicatur à Centurione, & militibus astantibus; sed tunc filius Dei dicitur, cum velum scinditur, cum luminaria clauduntur, cum omnia terrena decora nigris tenebris se abdunt, nam & hic quoque diffugiunt seruuli, vt solus filius Dei Iesus appareat. Vt meritò dicat D. Athanas. de Incarn. Verbi Chri- Athanas.
sti Domini crucifixi gloriam expendens. *Corpus in crucem exaltauit, non tamen per hoc obscurus: sed illustris permanens in se ipso, & talia opera patrans, eáque signa edens, quæ eum etiam eo tempore non hominem, sed Dei verbum declararunt.* In cruce erat Dominus, & tremore correptis seruulis, clariùs & patentiùs ipse filius videbatur & prædicabatur. Non enim à cruce ignominiam, sed eam rerum capiebat potestatem, quæ vnum decebat vnigenitum patris. Nónne dicebat Dominus ad suos, *data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra?* Sed quibus brachiis accepit hanc tantam potestatem? Sanè à crucis brachiis, ibi enim & cœlestia & terrestria omnia alterabat. Sic Anast. Sinaita de rectis fidei dog. Sinaita.
lib. 4. fatus. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra, ac si manifestè diceret, authorem gloriæ istius crucem esse, & per crucem irrogatam mortem.* Dum clauis manus eius crucifiguntur, dum ligno adhæret ipse totus saucius, eam præsefert potestatem in cœlo, & in terra, qua meritò filius Dei habeatur. Cur iam non exclamet D. Leo serm. 8. de Pas. di- Leo.
cátque: *O admirabilis potentia crucis! ô ineffabilis gloria Passionis, in qua & Tribunal Domini, & iudicium mundi, & potestas est crucifixi!* Quando crucifixus potestatem in cœlo, & in terra habuit? Quando homo à cruce cœli luminaribus eripuit lumen? Quando valuit elementa turbare? Hæc sanè non hominis, sed filij Dei, sed orbis hæredis opera sunt, vt vel his crucifixus debeat filius Dei publicari. Hinc D.
Cypr. de duplici mart. inquit. *Quid homine mortuo contem-* Cyprian.
ptius? Quis vel Cæsarem mortuum metuat? Sed Christi morte quid efficacius? Velum templi scissum est, terra concussa, Sol medio die obtexit faciem suam: nunquam per omnem vitam magis declarauit potentiam suam. Hæc ille.

§. XXXVIII.

Signum diuinæ filiationis, ex verbis, ex voce.

MIraris à Centurione filium Dei in cruce fuisse agnitum, vnde ne ethnicus miles diuinam filiationem percalluit? An ex facie tabo palloréque fœdata? An ex capite spinis coronato? An ex manibus perforatis? Sanè facies, caput, & manus Esau erant, manus damnati cuiusuis hominis videbantur, vox autem Iacob, nimirum verum peccati supplantatorem filium Dei referat. Pulcrè D. Bernard. Bernard.
serm. 28. in Cant. *Vnde aduertit Centurio pulchritudinem crucifixi, & quod is sit filius Dei, qui cum iniquis reputatus est? Videns quod sic clamans spirasset, ait, Hic homo verè filius Dei erat. Ergo ad vocem credidit, ex voce cognouit filium Dei, non ex facie.* Equidem haud obscure diuinam refert originem vox: sæpè fallimus manibus, sæpè facie, at ex abundantia cordis os loquitur, nec vllus certior index inhabitantis Dei in nobis sumi potest, quàm lingua & vox perfectè moderata. Duo nomina habuit pater ille credentiũ. Primò vocatus Abram, & postmodum paucis additis dictus fuit Abraham. De quo
Phil. lib. de Gigantibus. *Ea res magnum quid significat, priùs* Philo.
nomen Abram interpretatur pater sublimis. Abraham verò pater electus vocis. Quid tunc mysterij? Quid magnum quod dicatur mutatus fuisse in patrem electum vocis? Ipse insinuat sic pergens. *Ergo mutatio nominis ex Abram in Abraham significat eum mutatum fuisse ex homine Philosopho in hominem sapientem & planè diuinum.* Quippe vbi electæ vocis dicitur quis, non homo vtcumque, non Philosophus quilibet; sed homo insignis est, homo planè diuinus. Non enim vox electa & perfectè moderata egreditur nisi ab eo, in quo inhabitat

habitat diuinitas. Dicebat aliquando Dominus suis discipulis. *Non estis vos qui loquimini: sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.* Vna lingua perfectè moderata refert Patrem diuinum, & præsefert spiritum filij. Vnde eliciebat Rup. *O quam dulce, ô quam præclarũ ea quæ loquimur talia esse, vt ea prudens auditor nequaquam dignetur ascribere nobis, dicátque, Non estis vos qui loquimini; sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.* Proh felix! quem sic lingua commendat, cuius vox non à tanto parente degenerem notat. Aquila ex visu probat filios; sed Deus ex verbis colligit qui respondeant diuino origini. Videat ergo quis quo ore inuocet patrem; os enim plenum verbis bonis, plenum dulcedine diuinam cognationem refert; verum os plenum dolis, plenũ mendaciis & amaritudinibus genus indicat dæmoniorum. Vnde D. Greg. Niss. in Orat. Dom. orat. 2. inquit. *Cuius animus eiusmodi maculis & notis infectus & iniustus est, si patrem inuocauerit, vter ei pater auscultabit? nimirum is qui cognatus est inuocanti; is autem non ille cœlestis, sed subterraneus est. Cuius enim signa proximæ cognationis gerit, ille suam omnino cognationem agnoscit.* Hinc est, quod moribundus Dominus patrem inuocat, cui suum spiritum commendat, patrem, inquam, inuocat eo clamore magno, quo pro inimicis orauit, quo derelictorum causas egit, quo paradisum largitus est, & inde ex vocis signo manifeste pater eius cælestis astantibus claruit. Sic ex voce diuinam in Iesu filiationem explorabat antiquus tentator, apud Matth. cap. 4. dicens. *Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Expende illud, *dic vt fiant.* Etenim vbi Pater per filium, terrarum orbem condebat, ait textus, *dixitque Deus, fiat lux, &c.* vt per verbum *fiat*, à Dei ore procedens vniuersa conderentur. Quo notato, Satanas similia suggerit verba Iesu, vt ex simili vocis sono, an filius diuini Patris sit exploret. Id calluit D. Pascas. lib. 3. inquiens. *Nouerat cæcus scripturarum inspector, Deum in principio dixisse, fiat, & sic omnia fecisse ex nihilo. Nec tamen intellexerat, quod hic esset illud verbum per quod pater cũcta crearat. Quod volens formidolosius explorare, persuasit eo tenore dicendum vt lapides panes fierent, quod didicerat Moysem literis mandasse, Deum vniuersa creasse.*

Matth. 10.
Rupert.
Nissen.
Matth. 4.

CAPVT VI.

Lancea transfigitur, & sepelitur Dominus.

MORIS erat in occasu diei crucifixorũ crura confringere, vt citius animam efflantes sepelirentur eodem die. Sed propter honorem tanti Sabbati, in quo Dominus passus est, crediderim aliquãto acceleratum fuisse crucifragium, vt citiùs deponerentur illo die. At diuini agni nullum erat os comminuendum, & quia inuenerunt mortuum, miles lancea latus eius transuerberauit, quo vulnere sanguis & aqua distinctim exiuit, vt videretur & notaretur ab Euangelista. Hinc Ioseph ab Arimathia adit Pilatum, quouis timore deposito, petit diuinum illud cadauer, quod ipse Ioseph, & Nicodemus deponentes de cruce inuolutum sindone, curatúmque aromatibus more gentium, nouo sepulcro in lapide exciso condunt. Interea Iudæi de licentia Præsidis custodes adhibent sepulcro præcauentes resurrectionis mysterium, adeò nota erat omnibus resurrectionis prædictio.

Ioan. 19. Ad Iesum autem cum venissent, vt viderunt iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed vnus militum lancea latus eius aperuit.

§. I.

Ipsum mortuum etiam impij reuerentur.

PLacet quod noster Barradas asserit in præsenti, nimirum quod Ethnici milites Dominum crucifixum reuerentes non fregerunt eius crura, contenti lateris transuerberatione, ne fortè viuus deponeretur. Etenim quamuis eum mortuum putabant, non euidens erat an penitus esset exanimis. O efficax effusi sanguinis testimonium. Cuius vita suspecta & inuisa fuit impiis, eiusdem mors honorata & reuerita. Quem viuentem illuserunt, colaphis, sputis, opprobriis repleuerunt, nouis cruciatuum generibus affecerunt, eundem mortuum venerantur & honorant impiissimi carnifices. Et tempestas illa furentium quæ viuentis caput operuit & submersit, mortui talos attingere veretur. Id quod meditatur D. Cyprianus libro de duplici mart. sanguinis clarissimum testimonium expendens his verbis. *Vita Domini plurimis fuit offendiculo, ipsis etiam cognatis ac fratribus fuit detestabilis, cum dicerent illum in furorem versum, sed mors illius non solum pijs; sed etiam impijs fuit admirabilis, nec alibi magis verum fuit, quod Dei virtus in infirmitate perficitur.* Proh Deus immortalis! Ea erat mortui Domini facies, ex virtutes media in mortis caligine radiabant, quæ obcœcatum quemque illuminarent. Ea vnguenta percussa Saluatoris arbor sudabat, quæ ferocientium hominũ, imò tigridum lenirent animos. Matth. 26. comprehensus fuit Iesus, tunc discipuli *relicto eo fugerunt.* De quo D. Athan. hom. de semente ait. *Fugerunt quidem à viuo, sed ita vt pro eodem crucifixo mortem oppetant.* Adeo venerabilis fuit mors Christi omnibus, vt qui propter metum, eius viui societatem contempserunt; eiusdem mortui curẽt fieri socij omni pauore contempto. Vnde rectè monet Christianos D. Fulg. lib. 3. ad Thrasymund. Regem, c. 1. fatus. *Cum increduli milites detrahere ausi non fuerint morienti, quidã nunc sub Christiani nominis fuco non metuunt derogare regnanti.* Proh nefas Christianorũ, qui nec mortuo nec viuo Domino parcunt, nec regnantem in cœlo pertimescunt, nec in Cruce reuerentur exanimem.

Cyprian.
Fulgent.

§. II.

Christus Dominus promptius & auidius sanguinem fudit, quàm rabidissimi hostes exquirebant.

MIratus sum rabiem Iudæorum Christum Dominum persequentium, qui mille excogitatis vulneribus sanguinem exquirũt diuinum. Bis & ter Pilati prætorium Dominico sanguine rigant, dum flagellis totum candidissimi iuuenis corpus deturpant, dum spinis venerandum caput effodiunt. Et adhuc clamant, & exposcunt crucem, vt largiores sint sanguine fontes, & totius corporis excitentur fibræ. Qui tamen sanguis diuini cordis intrauerat arcem vltimo in spiritu vitæ, hũc ipse ex se Dominus propria & supernaturali virtute vsus, post mortẽ per aperti lateris vulnus emittit, & quem crudelitas non exquireret, ipse liberalior effudit. Id graui ponderatione D. Cyp. notat de duplici mart. inquiens. *Quicquid resederat in corde sanguinis, Dominus emisit.* Equidem nulla rabies à mortuo sanguinem educeret, & quem non eduxisset rabies, ipse potens Dominus libens emisit hostilem rabiem confundens. Huc voco illud sanctissimi Iobi facinus, quem cùm inferorũ persequerentur furiæ, cum hostis filios eius perimeret, substantiámque totam euerteret, ipse *scidit vestimenta sua.* Sed cur scidit? An vt homunciones faciunt in luctu? Absit hoc à sanctissimo viro. Accipite facinoris rationem ex D. Chrys. ho. de Iob. & Abr. vbi inquit. *Disrupit vestem non ingratus, neque indignam vocem emittens; sed insultans diabolo, & inexplicabilem eius, qui omnia abstulerat, rapacitatem confundens. Vnam quam habebat vestem, & qua indutus erat disrupit ac deponit, gloriaturq; contra tentantem ei ostendens, quod maiora illis sustinere queat.* Liceat modo parua componere magnis, & strenui militis ex facinore, Summi Imperatoris gloriosam cantare virtutem. Is diabolico furori insultãs inexplebilem eorum, qui omnem sanguinem hauserant, rabiem confundit, dum paucas, quæ in cordis intimo remanserunt, guttas emisit gloriatus contra hostes, eis ostendens quam longè illis auidior esset & promptior ad effundendum sanguinem pro hominibus, ne tota gens periret?

Cyprian.
Chrysost.
Iob 1.

§. III.

Puræ misericordiæ venæ sese per lateris apertionem effundunt.

VIgilanti verbo putat D. Aug. dictum esse, quod lancea latus eius aperuit, non percussit; sed aperuit. *Vt illic quodammodo vitæ ostium panderetur.* Sed cur necessum est nouum vitæ ostium aperiri? Nónne patebat os illud diuinum, ex quo verba vitæ æternæ scaturierunt? Ex quo Magdalena misericordiæ pelagus ebibit? ex quo fauos Christiani Samsones perciperent? Sed proh dolor! felleum erat iam os illud, vos, ô Iudæi, tantorũ bonorũ fontem amaro in peccatores toxico repleuistis. Accipite Arnol. Carnot. de septẽ verbis Domini, vbi ponderat quod Iudæi sitienti Domino

August.
Arnold.

mino felleum acetum porrigerent, sic inquiens. *Peruersa mens carnalium situ huius non intelligens Sacramentum, sancto oris amaritudinem applicat in calamo, & fonti misericordiæ venena propinat.* Tale quid faciunt rabidissimi hostes generis humani, fontibus venena diffundunt vt populentur vrbes. Crudeliores Iudæi vnum, qui patebat mundo, misericordiæ fontem felleo veneno inficiunt. At viuidus vitæ fons vt oris felles gustauit, alio diuertit mellifluos misericordiæ fluctus, & per ostium lateris, tota pientissima viscera diffundit. Non poteris ô Iudæe felle vel amaritudine vincere dulcedinis fontem, nimirum os Christi: sed esto illam venam pietatis amaricares & veneno inficeres, aliæ innumeræ aperientur, vnde puræ misericordiæ manent. Idcirco magnum os in latere lancea demonstratur: de quo D.Bernard.serm.7.in Psalm. *Qui habitat*, ita loquutus est. *Dominus meus Iesus post catera inæstimabilia sua erga me beneficia pietatis, etiam dexterum sibi propter me passus est latus fodi, quod videlicet non nisi de dextera mihi propinare vellet; non nisi in dextera locum parare refugij.* Hinc Diu.Isid.Pelus. lib.1.epist.193.ponderans illud Iacobi, qui vt paternam benedictionem obtineret, hædinis pellibus manus & colli nuda contexit, sic de Christo loquitur. *Nihil iam hædinum ac sinistro latere dignum in natura reliquit, verum terrenis ipsius membris morte affectis, Patri perpetuæ salutis nostræ fama flagranti, gratum cibum obtulit; nobisque in seipso, nunquam eripiendam benedictionem fontis in morem protulit.* Vbi puras misericordiæ porrigit venas dissimulatis felleis verbis, lateris apertionem pandit, qua omnes prosiliunt scaturigines pietatis. Fallor si huc non respexit D.Cypr.serm.de Resur.Christi inquiens. *Ex hoc fonte lateris non solum ablutionis prima vndas haurimus; sed & compunctionis & lacrymarum perennes effluunt riui, misericordiarum suauitas, & totius pietatis affectus.* Ecce tibi ex ore diuino felle amariora verba in peccatores prosilient, infectum est os illud veneno, quis iam sibi non cauebit vel a verbo aspero, nimirum, *ite maledicti in ignem æternum*, sed ex fonte lateris, nil felleum, nil amarum manat; sed misericordiarum suauitas, & totius pietatis affectus. Quicquid ab hoc fonte scaturit dulce est, purum est, salubre est: vt dicat D.Ambros. serm. 3. in Psalm.118. *Tunc in ligno compunctum est latere, & exiuit de eo sanguis, & aqua omni vnguento suauior, accepta Deo hostia per totum mundum odorem sanctificationis effundens.* O quam puri misericordiarum riui ex apertione lateris dimanant! quàm dulces, quàm suaues! O felis qui se patulo huic fonti immerserit, nil felleum; sed suauissima quæque securus prægustabit. Vnde D. August. in manual. cap. 23. inquit. *Longinus aperuit mihi latus Christi lancea, & ego intraui, & ibi requiesco securus.* Nil quod timeam habeo vbi per apertum latus tota se effundunt viscera misericordiarum. O quanta cum inuidia patentem hunc misericordiarum fontem respicit diabolus! sanè Isaiæ 6. Seraphin senis præditi alis Deo adstabant, qui vt ille alius igneo gladio paradisum custodiebat, ita extentis alis Deum occultabant ne videretur à diabolo. Sed quid Dei occultabant? *Duabus, inquit, velabant faciem eius, & duabus velabant pedes, & duabus volabant.* Occultant Dei pedes, occultant diuinissimum caput, pectoris nihilominus fontem, ex quo scaturigines misericordiarum, manifestum relinquunt & patulum quo dæmonis inuidia in immensum augeatur. Sic sententiam finit D.Bernard.serm.5.in locum allatum. Porro duabus volant & mediam quasi quandam longitudinem nudam, visibilemque relinquunt. Longanimitatem dico Dei, & benignitatem ad pœnitentiam homines inuitantis. *Interim velatur caput, velantur pedes, vt medium eidem impio videndum, sed ad inuidendum relinquatur.* Eu quam inuidit diabolus hominibus è medio pectore diuino, scaturiginem & dulcescentem & sanantem.

Bernard. | Ambros. | August. | Isai.6. | Bernard.

§. IV.

Triumphatori maximo Iesu de spolijs comparatis pulcherrima adolescentula in sponsam seligitur.

LIgneo tabernaculi clauo transfossus Sisara dux fortissimus suo sanguine obuolutus iacebat in Iahelis domo Iud. cap.5. Quid interea domestici eius dicebant? Pulchrè vates Debora illorum meditationes ridet, dum inquit. *Per fenestram respiciens vlulabat mater eius, & de cœnaculo loquebatur: cur moratur regredi currus eius? quare retardauerunt pedes quadrigarum illius? Vna sapientior cæteris vxoribus eius hæc socrui verba respondit. Forsitan nunc diuidit spolia, & pulcherrima fœminarum eligitur ei, &c.* Sic in Sisara duce vanè effutiunt, ac verissimè hæc eadem implentur in Christo Iesu ligno suffiso. Planè iacebat Summus Imperator in Cruce defunctus transfossi lancea lateris ostium patulum præseferens: interea per hanc lateris apertam fenestram respiciens, ô quam vlulabat mater eius! quæ halabat suspiria, quos gemitus! iam dolorum finem exoptans, rediuiuum Iesum sperans anxia dicebat, Cur moratur regredi currus eius? Quare retardauerunt pedes quadrigarum illius? Cur tam longa datur nocendi licentia? Cur adeo protrahitur vulnerum dies? Sed matrem anxiam sapientiæ plena vos perdocebat inquiens. *Nunc diuidit spolia, & pulcherrima fœminarum eligitur ei.* Hæc per lateris fenestram vide, hæc inde meditare ligno suffisi, & lancea transfossi Imperatoris facinora, quòd nunc diuidat spolia, quòd pulcherrimam fœminarum sibi in sponsam exquirat. Huc spectat Rup lib.2. de operibus Spiritus sancti, cap. 19. dicens. *De patefacto Christi latere sanguis, & aqua sacramentorum productum est, & exinde statim Ecclesia reformata. Nam statim vniuersa priscorum electorum, quantacumque ab origine mundi collecta fuerit apud inferos redemptionem suam spectans illam sanguine, & illam aqua emundata, atque huic viro copulata est.* Ecce verè qui lancea transfigitur in cruce, dum sic transfigitur victor spolia diuidens, tenebrarum potestates spolians, sibi electorum Ecclesiam sponsarum omnium pulcherrimam sumit. Vt dicat Tertull. lib.de anima c.43. *De iniuria perinde lateris vera mater viuentium figuratur Ecclesia.* O maxima Imperatorum triumphantium gloria Christus! Siste parumper triumphantium quadrigarũ cursus, morulam in morte age, dum spolia à tartaro eripis, dum pulcherrima fœminarum Ecclesia à latere tibi sistitur. Pulcriùs hoc depingat August. *In habitu, inquit, iacentis, & dormientis es secundus Adam inclinato capite in cruce dormiuit, & vnde ei formaretur coniux, quod de latere dormientis effluxit. O mors vnde mortui reuiuiscunt! Quid illo sanguine mundius? Quid vulnere illo salubrius?*

Rupert. | August.

§. V.

Væ qui leui diligentia sine carnis maceratione volunt de magnis lauari criminibus.

ECce tibi fons patulus misericordiarum; nimirum diuinum latus, quo pientissima Dei viscera sese in homines diffundunt. Fons inquam, manans sanguine, & aqua nobis proponitur ad lauacrum, vt iam discamus nostra lauare peccata. Sunt enim qui vt deicidia lauent, aqua, vt Pilatus. perfundant manus, hoc est leuem & facilem diligentiam adhibeant, omni contempta maceratione carnis, omni dimissa vitæ asperitate. Nescio an hi ad Moysis tempora pertinere possent, quandoquidem Christiana non agunt? Sanè de Christo Iesu ita loquitur Ioan.epist.1.cap.5. *Hic est qui venit per aquam & sanguinem Iesus Christus, non in aqua solum; sed in aqua & sanguine.* Vanus est qui aqua solùm inueteratas cupit peccatorum abstergere maculas, addat & sanguinem, nimirum vitæ asperitatem, carnis macerationem, & sic stolam suam dealbabit in sanguine agni. Pulcrè Rupert. lib.2. de operibus Spiritus sanct. cap.11. efficas sanguinis testimonium exaggerat aiens. *Quæ de latere Iesu fluxit aqua lauit nos, sed de socio sanguine aqua hanc virtutem obtinuit, vt posset lauare nos: nam sine sanguine aqua prodesse non poterat.* Non pro leui ducas à peccatis lauare, quando nec aqua à Christo adhibita sine sanguine nos lauaret. Ipse Iesus venit in sanguine & aqua lauans peccata, & tu quicquid sanguinis, quicquid doloris & pœnæ obliuiscens sic vis deleri peccata quasi aqua delet puluerem manus? Heu periculosa hominum fallacia! Huiusmodi erat ille diues purpuratus, qui iam erat in tormentis, & scelerum suorum pœnas vt deuitaret, has voces Abrahamo dabat. *Pater Abraham, mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam.* Quid miser expostulas ad tantam pœnam euitandam? Memini ego legisse in Vitis Patrum, quod quidam dæmon aereus ne ad infernum descenderet, promiserat se continuo motu ascensurum scalam igneam à terra in cœlum pertingentem vsque in iudicij diem. Et tu pro tantorum tormentorum compensatione digito pura aqua madido petis lauari? Præclarè Abbas Cellens. lib. de Panib. cap.15. de huius diuitis stoliditate fatur. *Sed parum petijt, & ideò fortè non impetrauit. Parum inquam petijt, quia non in aqua; sed in sanguine flamma infernalis extinguitur. Non enim leui & momentanea compunctione grauis culpa detegitur; sed eò vsque penetrare debet vis doloris, quo vsque penetrauit iniquitas. Plenam itaque manum sanguine Redemptoris* non

Ioann.1. cap.5. | Luc.15. | Celleus.

non extremum digitum in aqua tinctum exposcat conscientia de grauibus confitentis, tingat digitum in locum clauorum, & mittat manum suam in latus Saluatoris, vt sicut animam suam pro nobis posuit moriendo ipse Dominus; sic iste conscientiam suam pro se exponat confitendo, & pœnitendo. Fugiamus, ô Christi fideles, leuibus velle lauari, suspectam habeamus pœnitentiam, quę instar aquæ leuiter & immomentaneè lauat. Sanguineas Christi flexuras, qui suo corpori insculpi per asperitatem vidit, is Deo probatur, quandoquidem, vt acutè

Tertull. notat Tertul. lib. de Pœnitentia. *Si qui vendunt prius nummum quo paciscuntur, examinant, scalptus, ne ve rasus, ne adulter etiam: Dominum credimus pœnitentiæ probationem prius inire tantam nobis mercedem perennis vitæ concessurum.* Qui ergo sine vlla scissura rasus accesserit, vt Deo probabitur? Quam alius ille sanctissimus Iob, dum ait: *Peccaui. Quid faciam*

August. *tibi?* De quo D. Aug. l. de vera & falsa pœnit. fatur. *Quasi dicat: Ideo doleo peccasse, quod non velim contra me te non vindicare. Quæro enim in me quid supplicij possum excogitare, quod tibi possit sufficere.* Verè pœnitens, qui non leuibus aquæ guttulis volebat lauari, sed & scissuras, & asperitates meditabatur. De hoc sæpe alias.

Marc. 15. Venit Ioseph ab Arimathia nobilis Decurio, qui & ipse erat expectans Regnum Dei, & audacter introiuit ad Pilatum, & petiit corpus Iesu, &c.

§. VI.

Nulli non salutaris mors Christi, vt decebat tanti Imperatoris natalitium.

QVantis gaudiis natalitia sua celebrant Imperatores? Quot populares ludi? Quæ publicæ lætitiæ? Quam solemnes reorum indulgentiæ? Nec damnati ipsi carebant his diebus aliquali beneficio, quorum cadauera à crucibus

Philo. deposita mandabantur sepulturæ. Meminit id Philo aduersus Flaccum Iudæorum ruinam, sic inquiens. *Atqui noui quosdam iam crucifixos, instante tali festo, de cruce depositos, & ad sepulturam ex more cognatis redditos, quandoquidem decebat vel ad mortuos redire aliquem fructum ex Imperatoris natalibus.* Hæc ille, & verè, & pulcrè, si summi Imperatoris Christi natalitia nouisset, quæ celebrata fuere in Cruce. Quorum fructus ad mortuos vsque pertingit, imò & sanctorum animas apud inferos degentes exhilarauit, & damnatorum corpora aliquo affecit beneficio. Sic enim cauebat lex

Deut. 21. Deuter. 21. *Quando peccauerit homo, quod morte plectendum est: & adiudicatus morti appensus fuerit in patibulo, non permanebit cadauer eius in ligno; sed in eadem die sepelietur.* Cur quos fœdauerat cruce, honorabat sepulcro? Nonne ibi respiciebatur Christus? Equidem quia omniū Imperator Christus deponendus à cruce, & glorioso honorandus erat sepulcro, ideo decuit, vt ad omnes crucifixos rediret aliquis fructus ex tanti Imperatoris natalitiis. Hinc Rupert. lib. 13. in Ioan. cap. 19. inquit. *O mirabile, & antiquum, crucifixi huius consilium, qui tanto antequam veniret ita de sepeliendo corpore suo dedit præceptum, vt piguerit impius crucifixus, scriptum pro se vno legis mandatum.* Quis à fructu Dominicæ mortis, & sepulturæ vacuus existet, vbi damnatorum corpora propterea honorantur?

§. VII.

In Christo Domino fundati quàm impauidi, & securi aduersus omnes mundi tempestates.

NOn mediocris ponderationis est id quod D. August. lib. 3. de Consiliis, c. 22. notat de Ioseph, qui à Ioan. dicitur Discipulus occultus Iesu propter metum Iudæorum, & a Marco inducitur adeò fortis & audax, vt furentium Iudæorum rabiem contemnens à Præside diuinum expetierit cadauer. Ecce quem Iudæorum murmur paulò antè turbauerat, modò nec ipsorum furiæ exagitatæ tangunt. Vnde hoc infirmitatis & fortitudinis discrimen manauit?

Maxim. Fallor, si id non explicat D. Maximus serm. 6. de Passione, inquiens. *Legimus in Propheta, Sepulcrum patens est guttur eorum, si ergo sepulcrum patens est guttur hominum, vide ne fortè Dominum Ioseph non tam in sepultura terrena posuerit, quàm in monumento sui pectoris collocarit.* Equidem iustus & nobilis vir Iesum in suo pectore collocarat, quo fundatus firmissimo & stabili lapide, cur timeat furentes tempestates? Cur fortis & audax aduersus omnes hostiles impetus non stabit? Non perdunt hominem tempestates, hostiles incursus; sed defectus fundamenti firmi & stabilis, vbi enim firmum tuo pectori inieceris fundamentum, nimirum lapidem Iesum, omnia aude, mundiales omnes deride tempestates. Id quod apud Matth. Dominus declarat duorum hominum ædificantium exemplo. Etenim ait cap. 7. de altero. *Qui ædificauit domum suam supra petram, & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit.* Non ita feliciter euenit alteri, *Qui ædificauit domum suam super arenam, & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & erit ruina eius magna.* Quid sapientius excogitari potuit, vt pateat, quòd detrimentosus sit vnus defectus fundamenti? Heu vbi arenarum thesauros respicis, quam te aduersitates omnes turbabunt; verùm si fundamentum ipsum angularem lapidem Iesum habeas, quam despicies mundiales tempestates! Pulchrè D. Chrys. homil. 4. ad populum ait. *Vides, quòd non tentationem infelicius; sed ædificantium stultitia ruinam fecit? Etenim illic pluuia, & hic pluuia, & illic flumina, & hic flumina, & illic ventorum incursus; & hic idem, & ille ædificauit, & hic ædificauit, & eadem ædificatio, & eadem tentationes: sed non idem finis, quia non idem fundamentum.* Tota ergo humanæ felicitatis ratio est fundamentum. Caue tibi à terra, caue ab arena, caue ne sis labilibus his terrenorum bonis multum fidens, quia etsi in cœlum vsque pertingat tua ædificatio, vel impiorum Iudæorum metu pauebis, vel ingruente tempestate lababis. Verùm vbi firmissimum Iesu fundamentum intimis præcordiis collocaueris, omnia in tuto sunt, in tempestates, in flumina, in ignem aude. Accipe D. Paulum epist. ad Corinth. c. 3. de Iesu fundamento ponendo sic verba facientem. *Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit.* Proh dolor! Vbi ignis probabit opera, qui super fundamentum, & angularem lapidem Iesum superædificat ligna, fœnum, stipulas, peribit prorsus! Quid illi proderit tantum posuisse fundamentum? Nonne ab ipsis fundamentis inflammabitur? Absit, imò rectè addidit Paulus. *Si cuius opus manserit, quod superædificauit, mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* Expende illud, ipse autem saluus erit, quippe fundamentum hoc semel intimis præcordiis positum, & ibi manens omnem arcebit ruinam, te in bonis operibus charitatis confirmans. Id acutè perdocet Arnoldus Carnotins, tractatu de septem verbis Domini, sic inquiens. *Etiam ipsos sacramenta, & fidei muniunt signa, quos constat non quantum expedit castis moribus conformari: sed solius fundamenti obtuitu, cui quoquomodo inhærent: nec statim propter ligna, & fœnum, quæ superponi à negligentibus videntur: irruunt dæmones in quoscumque carnales: sed reuerentur fundamentum, & disparent ad viuificum signum, nec temerè accedunt ad consecratam sanguinis balsamo domum.* Nota in primis illud, sed reuerentur fundamentum, fundamentum, inquam, fœno & stipulis subiacens hostes etiam verentur, & fugiunt. Vtinam hinc disceremus summopere curare, hoc fundamentum, nempe Iesum, nostro pectore sepelire, quo nullam metuemus ruinam: nec ad vllos expauescemus incursus, sed religiosa audacia cuncta contemnemus pericula. Quam firmitatem nobis per Christum Dominum datam forsan notabat Sponsa, Cant. 1. dicens: *Botrus Cypri dilectus meus in vineis Engaddi.* Papæ! Engaddi ortum est à Gad, quæ vox plurimis significat Fortunam, quasi vellet Sponsa, quòd ideò venerit dilectus suus, vt volubiles humanæ fortunæ firmaret rotatus. Hinc monebat Dominus: *Estote prudentes sicut serpentes*, vt sicut serpens caput, sic nos Christum Dominum custodiamus, quo solo mundialium bonorum volatiles orbes firmabimus. Pulcrè Paschas. lib. 4. in Threnos ait: *Coluber cùm vrgetur, periculis caput abscondit, & in orbem se colligit, obiecta reliqua parte corporis. Ita & membra Christi, caput, quod Christus est, custodiunt, & primatum obseruant.* Nota similitudinis elegantiam in illis verbis; *caput abscondit, & in orbem se colligit.* Capite enim supposito, cui innititur, reliquum corporis in orbes notans, non metuit ictum in orbibus, dum caput illæsum maneat. Sic nos supponamus nostrum caput, nempe Christum, huicque firmiter innitamur, supra quo nulli humanæ fortunæ orbes non firmantur, non exponi possunt sine timore aliquo. Vide supra cap. 1. §. 7.

Right margin notes: Matth. 7. — Chrys. — 1. Cor. 3. — Arnold. — Cant. 1. — Paschas.

§. VIII.

§. VIII.

Felix, cui frui datur communi thesauro salutis.

NOn sat est verbum diuinum mortem pro omnibus aperuisse, vt tu adipiscaris salutem, nisi quod omnium commune est, tibi acquiras. Enimverò publicum & commune ærarium etsi pro omnibus ciuibus stet, illis tamen solis proficuum est, a quibus accipitur in proprios vsus. Nazianz. Hinc eleganter monet Nazianz. orat.2. in Pasch. *Sis Ioseph Arimathæus fis ab eo, qui in crucem sustulit, corpus pete tuum, fiat mundi piaculum.* Ne fidas in eo, quod communis est thesaurus, quòd in medio terræ positus; vt omnibus esse possit proficuus, adhuc cura, vt quod omnibus stat, tuum Hierem.11. fiat, & tibi in particulari detur eo frui. Hierem.c.11. sic dicitur *Sermo qui factus est ad Hieremiam à Domino.* Quæ verba tractans Orig.hom.6.inquit. *Hoc autem scire debemus, quia hæc est vtilitem credentium, si sermo ad singulos quosque fiat. Quid enim mihi prodest, si descendat in mundum,& ego ipsum non habeam? E diuerso autem etsi ad vniuersum mundum non veniat,& ego tacra similis Prophetarum, habeo illud.* Quocirca vnus ille homo erit felix, qui sibi ipse nouerit eaquirere thesaurum mundi, quid quod commune omnibus est, fecerit suum, vt liceat ex communi mundi ærario viuere. Iam de nostro Io- Matth.27. Epiphan. seph aiebat Matt.c.27. *Venit homo diues nomine Ioseph ab Arimathia.* de quo B.Epiph. orat. io tem præsentem eleganter differit his verbis. *Verè diues, vitamque enim Christi substantiam à Pilato dono acceperas. Verè diues, siquidem margaritam illam, qua omnem pretij æstimationem excedit, secum asportare promeruerat. Verè diues, sacculum enim plenum gestabat, nempe ipsummet diuinitatis thesaurum. Quomodo enim is diues non dicatur, qui mundi vitam, & salutem adeptus fuerat? Quomodo Ioseph verè diues non erat, qui illum dono acceperat, qui omnes nutrit, omniumque absoluta imperio dominatur?* Ecce vnde felicitates & diuitias Ioseph enumerat, nimirum, quod ipse mundi vitam & salutem adeptus sit, quod commune diuinitatis ærarium sibi eaquisierit. O felix & diues ille, qui communes mundi thesauros faciat suos, thesauros, inquam, in quibus diuitiæ asseruantur æternæ salutis.

Text. Pilatus autem mirabatur si iam obiisset. Et accersito Centurione, interrogauit eum si iam mortuus esset. Et cum cognouisset à Centurione, donauit corpus Ioseph: Ioseph autem mercatus sindonem, & deponens eum inuoluit sindone,& posuit eum in monumento, quod erat excisum de petra, & aduoluit lapidem ad ostium monumenti.

§. IX.

Christo Domino in sepulcro dormiente & quiescente, inimica omnes potestates deuastantur, perduntur.

PVlcrè D.August. sepultum Iesum cum dormiente componit, nec enim impigrior à sepulcro exurget, quàm dormiens a lecto. nec sepultus somno dissolutos & desidiosus stertit; sed nunc mira patrat facinora, inferni claustra penetrat, dormientes à sæculo illuminat, & ad vitam euo- Ambros. cat. Sanè D.Ambros.epist.66. vbi agit de sancto inquit. *Est etiam Sanctorum somnus operarius, secundum quod scriptum est, Ego dormio, & cor meum vigilat, secundum quod Iacob sanctus diuina dormiens mysteria, qua vigilans non videbat, de cœlo ad terras aerem praninm Sanctis, respicientem Dominum, & pollicentem terra eius possessionem. Itaque breui somno dormiens impetrauit, quod magno labore posteà acquisiuit.* Quid pulchrius in somno Iesu excogitari potuit? Erat quies illius, & somnus in sepulcro maximè operarius. Tunc diuina perficiebat mysteria quæ per totam vitam largis initiauerunt vigiliis. De cœlo ad terras, imò ad tartara aërem replebat Angelis, electorum animas inuisebat, & viuentium terræ possessionem non pollicebatur, sed dabat; adeò, vt breui somno dormiens perfecerit, quod magno labore ac- Gaudent. quisiuerat. Hunc spectauit D.Gaudent.serm.10. vbi probans Deum nescire à magnis facinoribus cessare, & requiescere, inquit. *Requieuit planè Dei filius ab omnibus operibus suis, quæ cœperat Deus facere, quando consummatis mirabilibus omnibus, & impleto sexto die, omni opere passionis, die septimo, id est, die Sabbati requieuit sepultus. Sed quoniam Dei operosa quies est, ipsa quies otiosa esse non potuit, nam corpore in sepulcro deposito, diuinitas cum anima hominis ad inferna descendens vocauit de locis suis animas Sanctorum.* Qui somnus operosior? Quæ quies inquietior? in qua Dominus omni feriatus opere, mortalis sepultus somno æreos muros expugnat, ferreos vectes confringit,& sæcularium carcerum portas vbi asseruabantur fideles, prorsus euertit? Pulcrè D.Epiph. in præsenti Epiphan. Psal.23. expendit illa Psal.23. verba, quibus putat turbari inferorum potestates à sepulto & quiescente Domino, nimirum, *Tollite portas, principes vestras.* Ipsi, ipsi refugi spiritus, ipsi rebelles iubentur suam perniciem negotiari, Domino quiescente. *Non quasi Dominus* (ait Epiph) *qui hic præsto est clausis ianuis si vellet ingredi non queat, verum, quia vobis fugitiuis æternarum portarum sublationem, comminutionem imperare mauult, quàm per se ipsum eas aperire.* Epiphan. O verò potens quies Dominica! ò cessatio operis facinoribus plena! Quiescit sanè Dominus ab omni opere quod patrarat,& qui lutum fecit, vt visum restitueret cæco, qui manus & pedes clauis perterebrantibus dedit, modo manus denegans mortis confringendis portis sic dormit, sic quiescit, si ab opere cessat, vt hostiles potestates propriam ipsarum ruinam & stragem efficere compellat. Memini, Sansonem, qui dum morti occumbit hostes perimit: de quo Ambros.epist.70. *Videtur,* inquit *ad aduersariorum exitium magis captus, quam quo ipse deiectior fieret aut minor esset. Non est enim se expertus inferiorem, cuius sepultura præstantior quam potentia fuit.* Ambros. Sane hoc Christo Domino optimo conuenit, cuius absque dubio sepultura præstantior, quam potētia brachij carnei eius videbatur, quandoquidem eius brachij potestas in miraculis patrandis ipsa operabatur, ipsa lutum faciebat, ipsa peregrinabatur, ipsa crucem subibat, doloresque vt vinceret accipiebat. Verum ipsius sepultura adeo præstans ostenditur quoad nos, vt quiescente Domino, imo dormiente ab omnique feriato opere hostiles muri quærerentur, claustra inferni patefierent, ipsique rebelles hostes illius victorias & triumphos meditarentur. Quod miratus D.Max.hom.1.de Resur.inquit. Maxim. *Qui est iste, qui intra auidos rictus assumi potest, consumi non potest? Cibus est, corruptio non est? Traditur perditionis profundo, & seruatur ipsius mortis beneficio?* Mors ipsa,& trucissimi hostes occupantur in parando Christi triumpho dum ipse dormit & quiescit in sepulcro.

§. X.

Iustorum quies & somnus magnis facinoribus plenus.

QVietem & dormitionem Christi Domini adhuc sequitur myrrha & aloës, & sepultum Iesum adhuc tenent lignamina. Sic enim ait Ioan. c.19. *Ligauerunt eum linteis cum aromatibus,* vt innuerent qualis futura erat Christianorum quies, nimirum quæ laborum Christi odorem Ioann.19. exhalet. Ita D.Ambros.monet in exhortat.ad Virg. *Dormiat caro tua, vigilet fides, dormiant illecebra corporis, vigilet cordis prudentia, membra tua redoleant crucem Christi, & sepultura odorem.* Ambros. Multi quietem exoptant, & cupiunt in Domino obdormire; sed nollent se in hanc quietem & dormitionem condire. Delectamentum sancti somni eapetunt quo andiunt iustos viros frui, sed respuunt mortificationis myrrham. Igitur qui sapiens est dormiat quidem & requiescat; sed ita vt in quiete æmuletur Dominicam sepulturam, madeat myrrhæ amaritudinibus, perfundatur mortificationis vnguentis, non enim aliter quies & somnus sanctorum obtinetur. De Apostolis in Thabor cum Domino existentibus dicit Luc. c.21. *Quod grauati erant somno.* Vbi D.Ansel. Luc.21. Anselm. inquit. *Non simpliciter dormire; sed somno grauati dicuntur, quia non sine pondere laboris agitur huiusmodi dormitio. Sancti enim viri, qui à mundi operibus non corpore, sed virtute sopiuntur, laboriosius dormiunt, quam vigilare potuerunt, quia in eo quod actiones huius sæculi deserentes superant, robusto consilio quotidie contra se ipsos pugnant.* Hæc est in sanctis viris quies & somnus, non in quo stertant; sed in quo pugnent, in quo sepulcrali Christi Domini vnguente perfusi luctas subeant, & victorias obtineant.

§. XI.

Humilitate Dominus contrarias potestates debellauit.

SCandunt Imperatores mœnia, vt triumphis coruscent, bellicóque ardore correpti erubescunt videri alio, quam inter hostilium murorum pinnas in eminentium turrium cacuminibus. Quam aliter Summus Imperator Iesus

suos instituit triumphos, non per mœnium altissima conspicuus, sed per subterraneos cuniculos obscurus, non arduus & sublimis; sed humilis vsque ad inferos penetrãs, & tenebrosa loca sua præsentia illustrans. Prob Christiana humilitas vnica principum tenebrarum deuastatrix! Apud Matth. Dæmoniaci illi, qui sepulcra mortuorum incolebant, hanc vnam Iesu humilitatem & expauebant maximam, & deprecabantur, vt sibi exitialem, dum dicunt. *Quid nobis & tibi Iesu fili Dei? venisti ante tempus torquere nos.* Quæ verba acutè pensat Chrysol. serm. 16. *Quid dæmones clamauerint audiamus. Quid nobis & tibi fili Dei? hoc est dicere, Vitæ author, quid tibi cum mortuis? Habitator cœli, quid tibi cum sepulchris? Odor paradisi quid tibi cum fœtore? Quas cœlo detrusisti, permittè inhabitare nos vel sepulchra, etsi nos persecutione tanta dignos summus, tu tanta non es dignus iniuria.* Sane humilitas summa erat quod habitator cœli, quod author vitæ, quod odor paradisi horrenda mortis limina intraret, quod sepulchralia, quod nigros inferorum carceres lustraret; sed qui posset cœlestibus de muris conspicuus hostes coercere, captiuos eripere, maluit humilis descensus virtute triumphos cumulare. Sic cum illum adoritur hostis in deserto, aduersus superbientis Angeli telum humilitatem in primis obiicit hominis. Etenim vbi ille ait, *dic vt lapides isti panes fiant*, continuo respondit, *non in sola pane viuit homo.* Cur hominis meminit infirmitatem? Cur non magis aeterna diuinitatis potentia hostem confundit faciens ex lapidibus panem? Grauissime Diuus Leo sermon. 2. de Quadrag. ait. Poterat quidem istud omnipotens, & facile erat, vt ad creatoris imperium, in quam iuberetur speciem cuiuslibet generis creatura transiret; sicut quum voluit in conuiuio nuptiali aquam mutauit in vinum. *Sed hoc magis salutiferæ dispensationibus congruebat, vt nequissimi hostis astutia, non potentia deitatis, sed humilitatis mysterio vinceretur.* Totum Christi duellum, tota Christiana victoria, vnis humilitatis armis peragitur, quid magis humile & abiectum conditori cœli, quam obscuros tyrannorum carceres visitare? sed superbiæ princeps hac triumphatoris humilitate penitus deuastatur, eiúsque carceres vacuantur. Inuincibilis Dei athleta Iob videre, qualiter se in prælium accinxerit cap. 1. *Tonso capite corruens in terram adorauit.* Ibi eleganter Origen. lib. 1. *Prostratus*, inquit, *orans Dominum Iob, prostratus deiicit Diabolum, altum humiliatus, exaltatum supplantauit, confudit fortem, deformauit elatum. Super hac autem amnia formam ostendit eius, qui de cœlo venit, qui vt granum tritici in terram cadens Diabolum deiecit, & fortem alligauit.* Hinc est, quod Saluator hanc in primis virtutem cupit addisci, dum Matth. 11. ait. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Vbi Diuus Leo sermon. 3. de Natiuitat. dicit. *Formam nobis sua mansuetudinis insinuans ea nos virtute imbuit, qua redemit.* Quod si Deus per humilitatem triumphauit, quæ est hominum vanitas, qui abiecta humilitate volunt ad gloriam peruenire? Denique stultus erit, qui iam voluerit in magnis ambulare, cum summus Rex inferorum ima perambulet, cum sane liberaturus, qui humilitatis nota fuerit decoratus. Vnde Paulus ad Philip. 3. ait. *Saluatorem expectamus, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Expende quod corpus expectat reformatoris manus, videlicet, *corpus humilitatis nostræ.* Quocirca D. Bernard. sermon. 2. in cap. 6. Isaiæ fatur. *Te si fuerit corpus humilitatis, reformabit idem artifex qui formauit. Illam si non defisim prastolaberis manum, vt quod fecit ipsa reficiat.* Sic humilitas conciliat Saluatoris manum, sic Saluator humilitate aëreas detriomphat potestates, & captiuos homines in libertatem filiorum Dei asserit. Hinc non abire puto id quod Petrus Damian. obseruauit de humilitatis præstantia, & superbiæ damnis. Is enim epistola 114. sic fatur. *Nonnulli à paruis in religionis ordine constituti, sola inobedientia superbiæ mixta deperenut, cum in sæculo plurimi post immanium criminum perpetrata flagitia per humilitatis studium indulgentiam promerentur.* Quod vt exemplis fiat manifestum proponit ob oculos Dauidis & Saulis pœnitentiam post peccatum. Saul namque totam confessus est culpam, dum ait, *peccaui.* Insuper Samuelis orationes pro se exquisiuit, illumque valde obsecrauit, vt pro se oraret; Dauid solum dixit, peccaui & statim hic Deo acceptus est; ille repulsus mansit. Quæ discriminis ratio; *Ille scilicet inobedientiæ spiritu superbæ pariter pendens nequaquam plano corde pœnituit: hic autem pauca quidem protulit, sed eius viscera diuini timoris gladio transfixa, veri luctus amaritudine repleuit.* Heu superbiæ spiritus quos triumphos fœdas! O humilitatis victoriarum mater egregia.

Chrysol.

Leo.

Iob 1.

Matth. 11.

Leo.

Bernard.

§. XII.

Ad Christi Domini præsentiam res hominum aduersus Dæmones potenter promouentur.

NOuisti diaboli tyrannidem in vniuersos filios Adam, nemo erat licet sanctissimus, licet omni præditus virtute, qui egressus de mundo nigro in carcere non teneretur captiuus. Ibi vniuersus sanctorum Patrum exercitus claudebatur, ibi captiuitatem suam in principum tenebrarum ditione experiebantur. Sed ecce tibi vbi Christi Domini anima triumphatrix exea illa penetrauit loca, captiuitas euanuit, tyranni terrore franguntur, & hominum piæ mentes victrici voce incipiunt exsibilare tyrannos. Quid? Ingressus Dominus sanctos statim à carcere eduxit? Illóne à loco in Sionis arcem transmisit? Minimè gentium, eodem manentes in loco, eisdem terræ parietibus clausi, sub eisdem inferorum repagulis manentes per integrum triduum mortis ad solam præsentiam Christi sic eorum res mutantur, vt non vincti; sed carcerarij, non captiui, sed victores existant nigrarum potestatum. O quam promouentur res humanæ vel sola Iesu præsentia salutari! Matth. cap. 8. dicit. *Et cum venisset Iesus trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia de monumentis exeuntes.* Ea erat dæmonij in miseros homines tyrannis & crudelitas, vt viuos in sepulcris recoderet & inter fœtentia cadauera opprimeret. At vix Dominus regionem illam sua præsentia decorat, & exeunt monomentis duo dæmonia habentes, & occurrunt Iesu. Sed cur ad Iesum veniunt hostes Iesu. Cur ad vitam recurrunt, quorum cum mortuis amica erat conuersatio? Noranter dixit, *duo habentes dæmonia*, non iam dæmonia habebant hominem; sed habebantur. Habitabat paulo ante dæmon in hominibus illis tanquam possessor; sed vbi Christus Dominus regionem attigit, vt captiuus habitabat, & qui sepulcris clausi à tanto habebantur tyranno, iam de præsentia Saluatoris fulti egressi è sepulcro dæmonia habentes, illa ad Christi pedes præsentabant. Rem attigit pulcris verbis Diuus Petrus Chrysolog. serm. 16. fatus. *Ad præsentiam Christi homines exeunt de monumentis, & versa vice captiuos feriunt, à quibus fuerant captiuati, sistunt pœnis quorum cruciatibus torquebantur, astant ad sententiam, à quibus addicti fuerant sepulcris.* Vidisti aliquando hinc inde duos luctaturos concurrere, sese hostiliter amplectantur, sese rotant, tandem ambo in terra prosternuntur, qui superior exstitit alterum inter brachia habitum misere comprimit & affligit: interea afflictio accedit familiaris, cuius præsentia confirmatus hostem sibi superiorem vehementer brachiis stringit, & ad terram deiicit, quo ipse superior exsistit & victoriam canit. Res eadem videtur spectari in arena, ambo apparent, ambo inter se implicari, & vterque alterius inter brachia: sed qui habebat habetur, qui tenebat tenebatur, & ille qui opprimebatur, habet oppressorem oppressum, & tyrannum captiuum. Id D. Synes. in elogio Anysij meditatur, cum tanti ducis victoriam à Barbaris reportatam sic memorat. *Celeriter vbique locorum Anysius est, vincit autem quocunque adfuerit. Vtinam possem videre spoliorum aceruum, et prada manciporum Barbaricorum, atque eum, qui nuper Dominus erat vicissim alijs seruientem.* Sed procul sint Imperatorum victoriæ, vnus Christus Dominus inter omnes victor apparet, qui vbique locorum celeriter est, siue in cœlis, siue in terris, siue apud inferos, & quocumque astat vincit, cuius ad præsentiam sic militaris mutatur alea, vt eodem in loco eodem in congressu siue amplexu, qui modo captiuus fero domino tenebatur, iam ipse Dominus teneat ipsos captiuos tyrannos, & qui nuper dominus erat, & rector tenebrarum, iam miserum mancipium eodem sub stabulo agat. Planè id nouerat Dauid Psalm. 30. cum ait. *Eripe me de manu inimicorum meorum, & à persequentibus me.* Et quibus armis petit liberari? *Ostende faciem tuam super seruum tuum.* Vna Dei facilis præsentia sufficit pro mille armatorum phalangibus, vt res hominum promoueantur. Athan. in Cat. Græc. *Postulo vt in præsenti quoque ab hostibus triptor. Hic autem mihi solus salutis modus est, si mihi faciem ostenderis.* Ad faciem enim tanti redemptoris non possunt non meliorari res humanæ.

Matth. 8.

Chrysol.

Synes.

LIBER

LIBER QVINTVS, DE GLORIOSÆ RESVRRECTIONIS DOMINI MYSTERIIS.

IAM Crucis tabula nos in salutis portum deducit, vbi post labiles fluctus auditur vox super firmamentum, post ventorum rabiem zephyrus suaue quid immurmurat, post bellum pax alma sonat, post luctum iubilum, post mortem vita iterum introducitur. Iam genus humanum profundissimo mortis abyssu immersum caput extollit, dum nostrum caput Christus Iesus a morte in vitam, ab ignominia in gloriam ab inferis euolat in sublime. Iam luminare omnium maximum Deus de Deo, & lumen de lumine datum nobis est, in tempora & annos, & dies, in dies, inquam, qui vt a nouo lumine facti sunt, sic noua nos perfundunt lætitia.

CAPVT I.

De Christo Domino resurgente.

QVAMLIBET noctem artificialem communiter in duas diuidimus naturales; ita vt nox quæ incipit a vespera vsque ad mediam noctem, sit nox vnius diei, & à media nocte vsque ad mane sit nox alterius. Quò facilè intelligitur, quòd Dominus fuerit in sepulcro tribus diebus & tribus noctibus, cùm ibi fuerit nocte feriæ sextæ, quæ est a vespera vsque ad mediam noctem, & tota nocte Sabbati, & nocte Dominici diei, nimirum à media nocte vsque ad mane. Quo illucescente, glorioso fidelium, & Angelorum conspectu stipatus exercitu, egreditur viuus Dominus è sepulcro, matrique amantissimæ sistitur. Interea stupefaciens Angelus sepulcri custodias terræ motu præmisso, ingentem lapidem reuoluit, vt matutinas exploratrices fœminas certiores redderet de Crucifixi vita. It fama ad Discipulos: accurrunt Petrus & Ioannes, vident inane sepulcrum, & linteamenta posita in signum rediuiui Magistri.

Marc. 16. Et cùm transisset Sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salomone emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum: & valde mane vna Sabbatorum veniunt ad monumentum, orto iam Sole.

§. I.

Æternum duraturam vitam assumens Dominus in luce diei exsurgit à tumulo.

REctè Marcus historiam Resurgentis aggressus incipit ab aurora diei, quæ prima erat Sabbati, quasi simul notaret, quod ex tunc, & non antea totum resurrectionis peractum fuerit negotium. Etenim quando mortalem hanc, & defectibilem vitam Dominus subiuit, natus fuit nocte, vt vel a temporis obscuritate properantis mortis caliginem præsagiret. Verum nunc minimè peritoram vitam resumês, illucescente aurora rediuiuus coruscat. Potuit namque nobilis ille luctator Iacob apud se nocturnis tenebris detinere liberatorem suum; sed ascendente aurora, confecta lucta radians exsurgit Dominus, & liberator noster ex sepulcro nunquam deinceps moriturus. Equidem rectè monebat D. Gregor. lib. 2. Moral. cap. 2. dicens: *A qualitate temporis finis actionis exprimitur. Hinc est, quòd Salomon, qui sapientiam non perseueraturus accepit, in somnis hanc, & nocte accepisse describitur.* Plus quàm Salomon hic, vbi æternùm duraturam gloriam induit, non tenebris nocturnis, sed lucido & corusco mane regionem viuentium intrat. Hinc meritò sponsa illa felix, quæ indissolubili vinculo copulabatur Deo, illum noctu quærens non inuenit. *Quæsiui*, ait, *per noctem, & non inueni.* Cur noctu quærens inueniret, quem sibi insolubili copularat vinculo? Rectè Aponius lib. 5. in Cantic. inquit. *Licet laborem quærendo impendat, non tamen inuenit quem requirit, nisi illuxerit dies. Nihil enim legimus in principio dum ornatur fabrica mundi, Dominum operatum in nocte, sed lux per lucem, in luce dies omnia condidisse monstratur.* Et sanè quando nondum mors intrauerat in mundum, quando duratura sæculi fundamenta iaciebantur, quando Deus nihil non immortale meditabatur, omnia in luce fiebant, & in tenebris factum est nihil. An Deus in principio interitum & corruptionem intendebat? Pulcre respondet D. Gregor. Nissen. orat. 3. de resurrect. *At vanum id consilium, ineptum propositum, & absurda fuisset intentio: at vehementer sane indigna res est, talem cogitationem ad Deum referre. Puerulis enim hac ratione assimilatur studiosè ædificantibus, & celeriter structuram soluentibus. Contrarium autem prorsus edocti sumus, quandam eum, quem primum finxit, immortalem creauit.* Hinc meritò cauit nihil in tenebris; sed omnia in luce parturire, vtpotè qui nihil mortale meditabatur. Vnde magno mysterij pondere eadem dies, quæ mundum nascentem suscepit, electa est, vt videret resurgentem, sic canente Sedulio lib. 4. carm.

Cœperat interea post tristia Sabbata felix
Irradiare dies, culmen qui nomen ab alto
A Domino dominante trahit, primusque videre
Promeruit nasci mundum, atque resurgere Christum.

Vt eadem lux eandem nascentium primò, & iterum per Christum renascentium immortalitatem declaret, & primi Deo consilij immortale quid meditantis, nunc in resurrectione instaurati testis fieret. Huc spectat Chrysolog. serm. 79. expendens illud, nimirum, *Valde mane vna Sabbatorum.* Quid vna Sabbatorum valde mane? *Bene vna*, ait ille, *quia resurrectionis dies alterum nescit, resurgentium lux mori non potest, lux, quæ mortem delet, nescit extingui.* Ecce tibi à lucescenti die, & clara luce præsagium perpetuitatis desumitur. O felix, qui in luce vitam instituerit suam! illum monet Apostolus ad Ephes. 5. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Vbi eleganter Nazianzenus oratione in sanctum Baptist. explicat. *Et illucescet tibi Christus peccati noctem discutiens, quandoquidem in nocte spes mala, vt testatur Isaias, ac mane accipi conducibilius est.* Quocirca mane exsurgit Iesus, vt bonas suorum spes impleat, vt æternum duraturam vitam post resurrectionem præfiguret. Non me tempero quin hic adscribam illud Psalm. 91. nimirum. *Dominus regnauit, decorem indutus est, induit Dominus fortitudinem, & præcinxit se.* Bis ibi dicitur Dominus indutus fuisse, nimirum primò vbi decoris plenam virgineam induit carnem in maria: secundò vbi fortiter è sepulcro rediuiuus surrexit. At in primis indumento non

Gregor.

Nissen.

Chrysol.

Ephes. 5.

non dicitur se præcinxisse; solent enim qui statim deponendas vestes induunt, minimè illas præcingere: verùm, qui vestes induunt, non vt deponant, sed vt illis conspicui integrum faciant diem, illas & diligenter aptant, & curiosè, & fortiter præcingunt. Ita Dominus sic sepulcro indutus est, vt iam non exuendus sit, ideo ex tunc & indutus dicitur, & præcinctus. Totam hanc excogitationem sic finit D.Epiph.lib.2.aduers.Hæres.tom.2.inquiens. *Quemadmodum enim is, qui super lumbos præcinctus est, astringit indumentum ad lumbos, superfluam speciem firmans: sic primum decorem propter aduentum in carne, deinde fortitudinem induit; vbi resurrexit ex mortuis, non amplius ad passionem humanitas ipsius venit, non amplius ad flagella, non amplius crucifigitur.* Quippe ex tunc & indutus erat, & præcinctus.

§. II.

Magnum Christi Domini præconium, quòd solis amoris vinculis trahat hominum corda.

QVid Deo gloriosius, quàm quòd dum in morte, & in sepulcro videtur inutilis iacere & infructuosus, ibi etiam quæratur, & summo mane, & mediis tenebris inquiratur? Accipite singulare Christi Domini præconium à Iosepho lib.18. de antiquit.cap.4.exaratum. *Christus hic erat, quem accusatum è nostræ gentis principibus, Pilatus cum addixisset cruci, nihilominus non destiterunt eum diligere, qui ab initio ceperant.* (Ioseph.) Mundiales disparent amici, vbi sunt nubila tempora, vbi nil vtilitatis ex amicitia sperant; at hoc singularissimum in Christo Domino, quem cruci addictum, & inutile pondus iuxta infirmorum opinionem, clausum sepulcro adhuc exquirunt deuotæ illæ amatrices. Nullum aliud ab illis excogitabatur lucrum, quo adeò matutinæ salutatrices accederent ad sepulcrum, nisi vt vngerent Iesum; nisi vt pristini amoris conseruarent insignia. Sanè Dauid Psal.76. aiebat, *In die tribulationis meæ Deum exquisiui manibus meis.* (Psal.76. Cantic.3.) Gratins diuina sponsa erat, quæ Cantic.3. dixit. *In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea.* (Gillibert.) Quæ duo meditatus Gillibertus serm.2.in Cant meritò expendit quam gloriosiùs Deus quæritur ab sponsa, quam à Dauide, quia nimirum ille quærebat quo egebat, cuius brachio cupiebat à tribulatione liberari: hæc quærebat quem solùm amabat. *Longè differentior ratio quærendi nunc ab sponsa proponitur. Illam non compellit afflictio; sed trahit affectio. Ille in Psalm.quærit aduersus tribulationem; illa ad amoris vsum, & oblectationem: ergo multò potior in diligente, quàm in indigente quærendi ratio.* Quòd nocturnas tenebras interrumpat infirmus, vt quærat Medicum, nil magnum est, etenim impellit afflictio, vt quærat salutem. Potior ratio quærendi est in diligente, quam in indigente, vt hinc pateat sanctarum fœminarum affectus, & gloria Christi. Dominum quærunt illæ satis matutinæ, imò antelucanæ, quas non aduersus tribulationem; sed contempta tribulatione ardentissimi amoris vinculis feruntur ad Christum, à quo nihil recipiant; sed suum officiũ, & obsequiũ impendant defuncto. Sanè gloriosissimum hoc Christo Domino tales dilectores habere, qui eum solum quærant sine spe & metu, vt aiunt vulgò. Qui vt Deo honorificentiores, sic de raritate commendabiliores esse voluit. Thren.3.ait vates. *Bonus es Domine, sperantibus in te, animæ quærenti te.* Vbi qui bonorum spe ad Deum currunt pluraliter, dicuntur per illa verba, *sperantibus in te.* Qui sine spe aliorum bonorum solum Deum diligat, & quærat, is singularis est, rarus est, ideò ait, *Animæ quærenti te.* (Bernard.) Id notauit D.Bernard.serm.9. in Psalm. *Qui habitat,* vbi inquit. *Ipsam numeri descriptionem aduerte, quòd sperantes quidem in eo pluraliter dixerit, quòd hoc videatur commune multorum, quærentem verò eum singulariter, quòd singularis sit puritatis, singularis perfectionis non modò nihil sperare nisi ab eo, sed nihil quærere nisi eum.*

Text. Et dicebant ad inuicem, Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti?

§. III.

Imperfecti non ad Dei magnalia statim ferantur, sed humiliora mortis, iudicij, & peccatorum meditentur, ruminentur.

O Præclaras Christianæ perfectionis æmulatrices! Deum totis animis quærunt; sed imperfectæ adhuc, nihil meditantur nisi sepulcrum, nisi quod proprium humanæ infirmitatis est, quod peperit hominum culpa. De illis notanter Matthæus dixerat, quòd venerint videre sepulcrum: de quo eleganter & acutè, vt assolet, Chrysolog. serm 77. inquit. (Chrysol.) *Veniunt: quare? videre sepulcrum, & non Christum quærere: tantum videre sepulcrum, reatus sui titulum, facinoris sui triste documentum, sua cum diabolo præsumptionis, sui quæstus ferale commercium, vt inde recuperarent fidem, vnde perpetuum suæ prævaricationis sustinebant opprobrium.* O doctæ cœlestis Magistræ discipulæ! O magnum piorum hominum magisterium! sunt profectò in via spirituali tyrunculi, qui de Moysi oratione dedignantur nisi faciem Dei videre, qui nimis properè pygmæi adhuc ad magnalia Dei contemplanda festinant. O quàm sapit, ô quam tutus ille est, qui in primis optat videre sepulcrum, non Maiestatem scrutari; sed reatuum suorum titulos, & amaritudines, & feralia commercia cum vitiis prospicere, vt inde recuperet gratiam, vnde præuaricationum suarum opprobrium sustinet. Nefarius ille Pilatus Domini præsentiam nactus statim exquirit. *Quid est veritas?* Quem meritò pungit D.Bernard. (Ioann.18.) serm. 3. ad illud, *Beatus qui inuenit sapientiam*, vbi inquit. (Prou.30.) *Quid tu Pilate, interrogas Dominum, vt tibi susurret in aure quid sit veritas? Multum est ad te: non dabitur sanctum canis, nec margarita porcis. Quare potiùs fidei gestum: satietatem intelligentiæ interim ne requiras. Meritò reuerberata acie protinus resiliuit, & responsum non sustinemus, egressus est ad Iudæos, qui ambulare cupit in magnis, & in mirabilibus super se, quid esset veritas percunctatus.* Nõ omnibus ad veritatis abstrusæ penetralia accedere licet, periculosum est tyronibus & imperfectis magnalia Dei velle perquirere. Enimuerò sapienter Nazianz. meditabatur arborem illam scientiæ boni, & mali, quæ tantum malum ingessit mundo, quando oratio. de laudib. Cæsarij inquit. (Nazianz.) *Contemplationis, vt ipse assequor, hæc arbor erat, ad quam his solis tutus est accessus, qui animi habitu perfectiori sunt: nequaquam autem bona simplicioribus adhuc animis atque appetitu auidiori præditis, quemadmodum nec perfectus, aut solidus cibus his conducit, qui tenera adhuc sunt ætate, lactéque opus habent.* Et quidem periculosè nimis altis se veritatis diuinæ ingerunt mysteriis, qui imperfectiores adhuc sunt, quippe hi non Deum; sed sepulcrum nitantur videre, scilicet suorum reatuum titulos, vitiorum perniciosum quæstum, præuaricationum pericula, puluereum voluptatum finem prospiciant, vt isto in puluere sati a Deo in vitam germinentur. Is enim est Deus, qui vt inquit Psalmus, *educit nubes ab extremis terræ.* (Psal.134.) Quod elucidans Origen.hom.5.in Ierem cap.10.ait. (Origen.) *Vides quomodo ab extremis terræ educat Deus has corporeas nubes? Propterea si volumus nubes fieri, ad quas perueniat veritas Dei, nouissimi omnium simus, nam inquit Psalm. Veritas tua vsque ad nubes.* Ille veritatis diuinæ est capax, qui non vt Pilatus præproperè & intempestiuè illam exquirit; sed qui prius nouissima sua meditatus, vilitatémque scrutatus naturæ, nouissimus omnium sibi apparens in puluere sedet, nihil vltra miseriæ suæ fines meditari audens. Hanc sibi moderationem sequendam promittebat ille velocissimus ales Dauid Psal. 102. fatus. (Psal.102.) *Renouabitur vt aquilæ iuuentus mea.* Quæ verba premens D.Maxim.hom.5.de Resurr.acutè notat similitudinem aquilæ se renouantis dicens. (Maxim.) *Senectutem aquilæ non sentiunt, sed plumæ. De noua ergo se veste, & pullulantibus pennis vetusta mater suorum renouatur in pullum. Pullis ergo tunc comparanda est, quando radiantibus plumis necesse est illi iterum meditari volatum, & alarum olim exercitata remigia, tanquam nouella volucris, intra nidum pigra compescere.* Sic perpetes alites cùm iuuenescunt, infirmasque, etsi nouas, etsi splendentes plumas habent, non in sublime audent, sed intra nidum compescunt volatus. Sic qui sapit, non statim velit scrutari maiestatem; sed dum infirmus est, iaceat in nido propriæ infirmitatis, rudesque in primis meditetur volatus.

§. IV.

Virtutis res plena est difficultatibus, vitio omnia famulantur.

QVàm ardua, quàm difficilis est res virtutis! vix hæ fœminæ virtutis iter arripiunt, & ecce mille prosiliunt difficultates, quis, aiunt reuoluet nobis lapidem? Vt vitium nascatur, omnes obstetricantur creaturæ; vt virtus vel concipiatur, hoc opus, hic labor est. Vt caderet homo à felici statu serpens inuitat, paradisus allicit, pomum lenocinatur, aura, tellus, & omnia placido sese ostendunt aspectu:

vt

vt homo redduuus resurgat è tumulo quantus terræ tremor quantæ difficultates? Nóone Matth c.28 inquit. *Et ecce terra motus factus est magnus?* Accipite Chrysol. serm.74. luculentissime, & eleganter ponderantem in hæc verba. *Modo terra motus magnus. O si tunc vel leuis turbo arborem mortiferam deiecisset. O si nebula fumus mulierem illius tenebrasset aspectum! O si terra nubes lethalis pomi speciem caligasset. O si peccati diem tenebrasset nox suiusta, & lamenta mundi, & incrementa mortis, & creatoris iniuriam tunc tulisset; sed vitijs semper seruiunt blandimenta, leuenantur dulcia delictis; virtutibus vera austera & fortia sunt amica.* Quantis comparatur virtus tremoribus! quam metuendis circumcingitur spectris! Hoc sibi persuadeant quicumque virtuti student, quòd in arduis posuit nidum suum, nec aliter gustandus eius fructus, quàm mille luctis, mille difficultatibus deuictis. Nazianz. carm. de virtute humana pulcre dicebat, *Virtus difficilis, ardua, profunda, incantata.* Equidem vir egregius lusit vocabulo illo, *incantata*, de prophanorum fontibus virtutis difficultates propinans. Quippe solemnissimi sunt apud prophanos incantati thesauri, quos abruptis circumcinctos rupibus, custodiebant ignipedes tauri, horribiles dracones. Heu si quis audax homo accederet, machæris hic inde prosilientibus se peti videt, montium, rupiùmque tremoribus quatitur, horribilium custodum incursibus affligitur: quæ omnia superare debet, si incantato thesauro frui cupit. Sic virtus incantata res est, nec aliter quàm per mille terrores, per difficiles horribilium custodum aditus, eius quibit obtineri fructus. Vt eleganter D. Ambros. dicat lib.5. in Lucam, c.7. *Rapimus ex hoc mundo palmam salutis, & quasi excubantibus obiessos serpentibus fructus peruigili labore decerpimus.* Quid dicimus? Vigilandum quidem est virtutis studiosis, superandæ sunt illis rupes, & saxorum moles incredibiles, sopiendæ draconum excubiæ, vt mediis his obtineri possit salutis fructus. An aliter illum obtinuit Christus? Accipite Tert. Apol. ad Gent cap.21. sic resurgentis victoriam edisserens. *Die tertia concussa repentè terra, & mole reuoluta, quæ clauserat sepulcrum, & custodia pauore disiecta, nihil in sepulcro repertum est, præterquam exuuiæ sepulti.* Ecce tibi quantis tremoribus, quantis saxis superatis, quantis draconum excubiis deuictis, palmam prætulit nobis salutis.

Matth. 28. Chrysol. Nazianz. Ambros. Tertull.

Text. Et respicientes viderunt reuolutum lapidem, erat quippe magnus valde.

§. V.

Quidquid nobis virtutis inspirat Deus, ipse in nobis perficit.

DIuino instinctu mulieres ad sepulcrum Domini trahuntur, vt diuinum inungant cadauer, ad sepulcrum, inquam, ingenti occultum lapide, cuius impar pondus fœminæ noscunt, non tamen desistunt, & dum pergunt obsequium præstare, saxi molem inueniunt reuolutam. Is enim est Deus Opt. & Max. qui magna a nobis petit, vt audentibus nobis ipse perficiat. Accipite diuino in primordio præcepta. *Fiat lux, & facta est lux.* Iubebat quidem Deus, sed & nulla alia manus operabatur, præterquā quòd manus imperantis ipsius. Pulcrè Tert. lib.2. contra Marcion. c.4. *Et dixit Deus, fiat, & factum est, vt ibi etiam Deus commendaretur & dicere, & facere.* Quis iam expaueat præcepta diuina? Quis supremæ virtutis consilia perhorrescat? Non soli nos qui iubemur, qui vocamur; sed Deus ipse perficit in nobis quæcumque expostulat ipse. Huc accedit D. Chrysost. hom.2. in Psal.50. meditatio. ait enim. *Deus si dixerit adultero, iam nolo, vt adulter sis, verba statim vertuntur in opera; si dixerit fornicatori, cessa ab immunditia tua, ille à mens eius in melius mutatur. Et vt iam quia ita est, dixit, fiat cœlum, & factū est cœlum: volo fieri Angelos, & in puncto hora tanta millia facta sunt. Et qui ex nihilo omnia fecit, si vult sermone suo tua peccata nō valet soluere, & te in angelicum constituere gradum?* Et quidem vt omnia concedēs non solùm præceptum dabat; sed & manus operi adhibuit; sic nobis non solum præcipit, non solum monet; sed & ipse facit quidquid exigit, quicquid inspirat. Sanè Ezech. c.2. visione diuina consternatus cecidit in terram, deficientibus viribus, sic penè enectus ait, se vidisse diuinum quemdam spiritum. Et dixit ad me. *Fili hominis sta super pedes tuos, & loquar tecum. Et ingressus est in me spiritus, postquam locutus est mihi, & statuit me supra pedes meos.* Ecce tibi spiritus Domini iubet Prophetam stare; sed & ipse perficit quod iubet. Id quod eleganter ponderauit D. Greg. PP. hom.9. in Ezechiel. his verbis. *Iacenti Prophetæ Deus iussit, vt surgeret; sed omnino surgere non posset; nisi in hunc omnipotens spiritus intrasset.* Iussit igitur spiritus, vt leuaretur Ezechiel, & simul intrans in illo eum leuauit.

Tertull. Ezech. 2. Gregor.

Text. Et introeuntes in monumentum viderunt iuuenem sedentem à dextris coopertum stola candida, & obstupuerunt.

§. VI.

A Resurrectione Dominica sepulcrum, & mors homini gloriosa, & expetenda.

HOmo paradisi honore priuatus, continuò damnatus fuit horrore sepulcri, cùm à Deo audit: *Terra es, & in terram ibis.* Quid sanè magis probrosum homini moderaturo orbem, quam angustum sepulcrum? Paradisi Domino, quam inhabitatio cinerum? Acturus D. Petrus apud Iudæos, qui Dominicam resurrectionem ignorabant, de regio Dauidis sepulcro erubuit, & audaciæ crimen metuens, si tantùm Regem memoraret degentem inter cineres, sic ait, Actor.2. *Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha Dauid, quoniam defunctus est, & sepultus est, & sepulcrum eius est apud nos vsque in præsentem diem.* Expende diligentiùs vnde sibi videatur audax Apostolorum Princeps, nimirū, quòd apud gnaros Dominicæ Resurrectionis memoret Dauidem in sepulcro degentem. Quis enim tantum dedecus Regi nobilissimo inureret, quem non in paradiso; sed in sepulcro recumbere dicat? Author est D. August. 18. de ciuitat. cap.5. quod Ægyptij colebant Apim in sepulcro conditum, cui assidebat Harpocratis idolum digiti ori impresso silentium indicens, ne quis auderet inter diuinos honores Api exhibitos eius sepulcrum meminisse. Infame enim & verecundum putabatur, quòd homo omnium sublunarium facile princeps sepulcrali clauderetur caligine, & inter cineres iaceret, cui famulantur omnia cœli lumina. Sed iam ex resurrectione Dominica nil gloriosius homini, quàm sepulcrum, non terrestris paradisus, non regius thronus, non cœlum ipsum. Ad hæc D. Chrysost. in Psal.2. ponderat sepulcrum dignam & gloriosam sedem etiam Angelis dedisse, his verbis. *Vt ostenderent Angeli, Deum fuisse sepultum, ad sepulcrum tanquam apud solium manebunt.* Non gloriosius in cœlo nitet, quam sedens Angelus in sepulcro, ex quo Dominus surrexit in vitam, adeo vt quælibet creatura etiam Angelis in dignitate superior gloriari possit quòd quietem intrauerit sepulcri. Accipite D. Ambros. lib.10. in Luc. c.96. pulcre in rem præsentem differentem, ibi enim eum Principe Apostolorum locutus inquit. *Vnde te euocem, Petre? vt doceat me quid fletus cogitauerit. Vnde inquam, te euocem? De cælo, vbi iam choro insertus Angelorum, an etiam de tumulo? Quia non putas iniuriam & ibi esse vnde Dominus resurrexit.* Vbi sepulcrum, Christo resurgente, radiauit, non horror, sed honor est sepulcri, non dedecet sanctitatum Principes & Angelorum choris inseri, & sera sepulcra, nec magnus Petrus erubescit inter sepulcrales fauillas degere, quandoquidem Angelicæ naturæ nescia mori, relictis cœlestibus sedibus, ambiunt sedes sepulcri. Vt meritò dicat D. Chrysol. serm.75. *Factus est lapis vas Angelicæ sessionis, schola vitæ, qui à Iudæis ad mortis sannam, ad cineris feruetium ad triste silentium fuerat constitutus.* Quidni? Quod probrosa hominum damnatio inuenerat sepulcrum, quod vindex Dei iustitia minata erat, hoc factum est vas Angelicæ sessionis, hoc sedes est vbi ambitiosè requiescunt cœlorum Principes.

Act. 2. August. Chrysost. Ambros. Chrysol.

§. VII.

Christus Dominus clauso egressus sepulcro fecit, vt vincula, & clausura sius deinde fidelibus essent nulla,

ANgelus apparuit sepulcri saxum reuoluens mulieribus introeuntibus, non Christo Domino exeunti, vt rectè notat D. Gregor. Nissen. orat.1. Imo Dominus clauso egrediens sepulcro ostendit nihil esse sigillum, nulla esse mortis repagula iis, qui in Domino moriuntur. Eleganter quærebat Epiph. hom. de sepul. Dom. *Quomodo hominibus cœlestis regni ostia patefecit, qui clausis ianuis ad Discipulos introiuit? Quomodo inferorum portas confregit, qui monumenti signacula inuiolata reseruauit.* Sanè si ipse sibi non aperuit; sed & signaculis, & ianuis clausis egrediebatur, & ingrediebatur, quomodo credēdus est nobis aperuisse ianuas. Non fecit portas

Epiphan.

esse apertas; sed esse comminutas, esse nullas: qui enim portas aperit, clausarum noscit impedimentum portarum, at qui illis clausis egreditur, sic portis vtitur, quasi non sint,
Chrysost. sic relinquit signacula, quasi nulla essent. Vnde D. Chrysost. hom. in Cœment. & crucem fatur. *Hodie portas æreas confregit Dominus, hodie vectes ferreos contriuit. Non dixit, aperuit portas æreas; sed confregit, vt inutilis deinde carcer fiat. Non abstulit vectes; sed contriuit, vt custodia deinceps fragilis & infirma reddatur, vbi neque ianua, neque vectis; & licet quis intret, non tenetur.* Ecce vbi Dominus, nec portas, nec sigilla sepulcri aperit, & portas & sigilla nulla esse facit. Sic reddit portas inutiles, sic vectes ferreos afficit, vt nullum inde sigillum, nullus vectis, nulla ianua maneat, quæ detinere possit & claudere. Accedat modo Atheus ille, qui
Sapient. 5. Sapient. 5. ex sepulcrorum sigillis resurrectionis spem existimabat inanem. *Non est*, inquit, *reuersio finis nostri, quoniam consignata est*: sed & Iudæi vt Dominicæ Resurrectioni obstruerent aditum, *signarunt lapidem cum custodibus*, quasi innuerent impossibilem esse eius reuersionem, quoniam consignata erat. Imò quia consignatum erat sepulcrum, egrediente Domino, inania redduntur sigilla omnia mortis, inutilis vectis, custodia vana, quandoquidem corpus retinere non possunt humanum.

§. VIII.

A Resurrectione Domini Sepulcrum cœlestes homines parit.

RΕsurgente Domino, terreni illius Adami genus è mundo eliminatur, & cœlestium hominum regenerantur examina. Qui à vulua matris puluerulenti nascebamur & mortales veteri patriæ referentes imaginem, à Sepulcro rediuiui cœlestem & immarcessibilem iuuentutem auspicamur. Cur non obstupuissent fœminæ? Vident Sepulcrum parturire iuuenem splendidum prima niuali stola decoratum, & meritò stupent, & verecundantur, quod fœminæ iuxta veteris seminis senescentis Adami prolem pa-
August. riant. Pulcrè D. August. serm. 133. de Tempor. Natiuitatem à Sepulcro, cum Natiuitate ab vtero matris comparat, sic fatus. *Gloriosior est ista, quam illa natiuitas. Illa enim corpus mortale genuit; hæc edidit immortale. Post illam Natiuitatem ad Inferos descenditur, post hanc remeatur ad cælos.* Stupeant iam fœminæ cum videant Sepulcrum præstantius esse vtero matrum, vtpote quod potuit cœlitum & incorruptibilium corporum genus instaurare. Sic quondam Abraha-
Genes. 22. mo Dominus pollicebatur dicens Genes. 22. *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & velut arenam, quæ est in littore maris.* Sicut arenam multiplicatos Abrahamides video; sed quando Abrahami semen stellas pariet? Vnum sepulcrum stelliferum genus reponit Abrahamo. Id atti-
Nissen. git D. Gregor. Nissen. 1. de Resurrect. Domini, vbi resurrectionis Dominicæ vtilitates præcurrens fatur. *Quæris Abrahæ benedictionem? præsentia contemplare, & habebis id quod requiris. Cœli stellas non vides?* Quid non cum Saluatore è Sepulcro pullulauit? Vnum puluerulentum genus ibi manet, stelliferum germinatur. Sepulcrum absumit puluerem, stellas parturit, dum homines emittit in vitam im-
Daniel. 12. mortalem. Vt dicat Dan. cap. 12. *Multi de ys, qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt, alij in vitam æternam, alij in opprobrium. Qui autem docti fuerint fulgebunt tanquam splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos tanquam stellæ in perpetuas æternitates.* Voramur à Sepulcro ignobiles, & inde gloriosi nascimur, voramur prodigi substantiæ dissipatores, generamur prima stola candidati, voramur puluis, & stellæ prosilimus instar firmamenti fulgurantes. Id
Sinait. quod innuit elegans Anastasij Sinaitæ notatio, qui lib. 5. Hexaëmer. ait. *Prima resurrectio ex aquis facta est per Ionam.* Itaque primum resurrectionis præsagium in Iona renascente ex aquis; vbi enim resurgimus non terrenorum; sed cœlestium omnium habemus matrem, & vt cœli astra
Zeno. ab aquis in sublime euolamus. Vt meritò dicat D. Zeno serm. 2. de Resurrect. *Hic est dies, quo à Domino nostro cunctus redemptus est orbis, quo æthereo semine nouellus, id est noster, viuificatus est populus.* Iam enim ex æthereo semine cœlestes à sepulcro nascimur.

Text. Qui dicit illis: Nolite expauescere, Iesum quæritis Nazarenum crucifixum, surrexit: non est hîc.

§. IX.

In Christi Domini Resurrectione tanquam in flore sunt omnium hominum Resurrectiones.

ECce tibi arbor vitæ Christus introducitur ab Angelo totus floridus iuxta communiorem nominis Nazareni explicationem. Enimverò flores apparent in terra nostra, ex quibus æternæ vitæ fructus nanciscentur homines. Hinc Ec- Eccles. 39.
clesiasticus c. 39. inquit. *Audite me diuini fructus, florete flores quasi lilium, & date odores.* Vbi maximè ponderandum est, quòd fructus iubeatur florere, nónne fructus nascuntur post flores? nónne cum fructus accedit, euanent marcidi flores? Qui ergo isti fructus tam noui, tam inauditi qui non consumunt; sed parturiunt flores? Id ipse sapiens edisserit illis verbis *diuini fructus*, non enim fructus qui à mundialibus arboribus; sed fructus, qui à viuida arbore Christi, nempe eius resurrectio, & fructus est salutiferæ mortis, & simul flores explicat, quibus promittuntur hominum resurrectiones.
Fallor, nisi huc spectent verba illa D. Ambrosij oratione de Ambros.
fide Resurrect. nimirum. *Quid dubitas de corpore corpus resurgere? Granum seritur, granum resurgit; sed flore granum induitur. Et hoc mortale oportet induere immortalitatem.* Et quod granum verius dici potest resurgere flore indutum, quam granum illud frumenti, nimirum verbum diuinum cadens in terram, & inde totum floridum exsurgens? Hoc diuinum granum cecidit in terram, & mortuum fuit; sed granum resurrexit, flore granum induitur, vt mortales homines induant incorruptionem. Sanè Isaias cap. 11. floris in modum Isai. 11.
erumpentem præcinit Iesum inquiens, *& flos de radice eius ascendet*: ex quo hominum glorias rectè præsagit Richard. Richard.
Victorinus de comparatione Christi ad florem, his verbis. Victor.
Quid flore formosius? Quid flore fragrantius? Quid flore fructuosius? In flore mellificatio, ex flore fructificatio. Ex flore itaque fauus, & fructus: in fauo mel, & cera, in fructu potus & esca, si parua sunt ista, addo, quod in flore est medicina. Hic flos Iesus factus est nobis medicina: ex illo mel, & cera, in ipso potus & esca: medicina in redemptione; potus & esca in iustificatione; mel & cera in glorificatione. Ex hac medicina sanitas incorruptibilitatis: ex eius esca refectio internæ satietatis, ex eiusmodi potu ebrietas æternæ securitatis, de eius cera splendor summæ claritatis, in eius melle dulcor indeficientis felicitatis. Ecce tibi è pulcherrimo Iesu flore & incorruptibilitas, & claritas, & saturitas, & felicitas hominum erumpit. Nec longè à Richardi mente abest Rupert. ad c. 4. Cant. vbi expendit, quòd reflo- Rupert.
renti Christo per resurrectionem ei obtulerint Discipuli Luc. 24. partem piscis assi, & fauum mellis, quorum reliquias Dominus dedit Discipulis edocens, *postea secum consurgentes fauo satiandos.* Sic totus floridus Iesus dulcissimos immortalitatis fauos nobis propinat, & fructus nostræ Resurrectionis præsagit, vt dicat D. Max. serm. de Resurr. *Refloruit caro* Maxim.
Domini, cum redsuiua de sepulcro germinauit, & in floris modum cunctis hominibus immortalitatis afflauit odorem. Quo ergo vadis homo? Mundi vniuersæ viæ plenæ sunt spinis, plenæ mortis, plenæ amaritudinibus, feminarum sanctarum modo vestigia sequere; quære Iesum Nazarenum, Iesum floridum, in quo vno inuenies dulcem gloriæ gustum immortalitatis odorem. Meritò D. Bernard. serm. de vita ait. *Dabit Iesus sa-* Bernard.
lutem, quia salutaris est, dabit Christus regnum, in quo gloria cum diuitiys habetur, quia vnctus est. Dabit Nazarenus delitias, quia florens est. Sic ille. Ex florenti Iesu delitiarum Paradisi fructus hominibus auspicatur; tamen omnium elegantissimè rem finit D. Greg. Niss. orat. 3. de Resurrect. Christi aiens. *Effloreseat & emineat in omnibus sicut flos, decor dei filii. Nam si natalis dies hominis Regis carcerem aperit; dies victoria celebris & illustris Christus resurgens afflictos, oppressos & constrictos non dimittet? Pauperes amplectimini vestram nutricem, qui corrupta habetis curatricem vestrarum calamitatum diem salutare.* Ecce tibi iubetur efflorescere paschalis dies, vt inde felicitatis humani fructus nascantur.

§. X.

Christus Dominus in Resurrectione omnium hominum, & Angelorum inducit coronas.

VΕrè Nazarenus, hoc est, verè floridus à sepulcro Dominus emergit, quandoquidem non suæ vnius resurrectionis floridam præfert coronam, sed in se vno omnium cœlestium Principum ostendit coronas. An hæreticorum in somniis potest aliquid subesse verum? Sanè veritatis

veritatis radiis obcæcabantur illi, qui nescio quem alium à vero Saluatore effingentes illum pulcrescere dicebant, accepto ore à singulis cœlitibus. Ita refert D.Irenæus fatus. *Quod autem Saluatorem dicunt ex omnibus AEonibus factum esse, omnibus in eum deponentibus florem suum, non extra Hesiodi Pandoram nouum aliquid afferunt.* Ecce tibi inimici veritatis lumen aliquod præbent veritati, quatenus illum credunt furum saluatorem, qui omnium cœlestium Principum floribus enitear, in quo vno singulorum omnium effulgeant flores. Talis prosiliuit à Sepulcro verus & vnicus Saluator Iesus, nimirum Nazarenus, totus floridus in se vno omnium triumphatorum flores præmonstrans. Illi à sepulcro emergenti dicebat cœlestis pater, Psalm. 131. *Inimicos eius induam confusione, super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea*, vel si mauis iuxta lectionem Hebraicam, *Super ipsum efflorebit corona mea.* Quam floridam coronam premens S. Ambros. serm. 15. in Psalm. 118. ait. *Quæ est corona qua coronatur Christus nisi corona gloriæ? Ioseph coronam habuit Castitatis, Paulus Iustitiæ, Petrus fidei; singularum virtutum coronæ sunt: solus Christus habet coronam gloriæ. In hac corona omnes coronæ sunt, quia gloria non portio vnius coronæ; sed præmium omnium coronarum est.* O quam floridus prosilit Dominus à sepulcro, vbi non vnum, aut alium virtutis florem exhibet in corona; sed omnium cœlestium Principum floribus, & coronis effulget candidatus. Vt dicat D. Bernard. tract. de Pass. *Floruit mirabiliter & valdè singulariter, & excellenter vitis hac Iesus, non florum genere sicut aliæ, sed omnium florum speciem in se continebat.* Sic ille.

Iren. Ambros. Bernard.

§. XI.

Mors Christi omnem eiusdem gloriæ ambitionem in Resurrectione ostendit.

NOn inscius Angelus rediuiuum Dominum prædicaturus, eiusdem passionem & crucem prætulit dicens, Iesum quæritis Nazarenum crucifixum, surrexit: surrexit quidem Nazarenus, surrexit floridus, qui mortis crucisque instituerat marcentem. Pulcrè Nicolaus D. Bernardi notarius epist 53 inquit. *Sic Iesus de spino passionis rosam protulit redemptionis.* Etenim suæ virtutis, suæ efficacitatis, suæ gloriæ rosam à cruce & morte resurgens Dominus explicuit, & manifestam proposuit. Immaturam adolescentis mortem sic depingit D.Hieron. epist. 26. ad Pammach. *Quis patiatur rosam, & papillatum corymbum, antequam in calathum fundatur ortu, & tota rubentium foliorum pandatur ambitio, immaturè demessum æquis oculis marcescere videat?* Sic pallida mors floridos adolescentes, rubentes iuuentutis rosas demetit, antequam tota rosarum pandatur ambitio. Siccine demetit mors Iesum Nazarenum? Absit: imò rosei Domini nunquam patentior gloria, quam à morte, à sepulcro refloruit; & dum in cruce moritur, quia sic moritur, totius rosei decoris & splendoris pandit ambitionem. Accipite D.Bernard. lib. de Pasch. cap. 41. hæc de florenti Iesu verba facientem. *Sicut rosa frigus noctis clauso, Solis ardore surgente, toto aperitur, & folijs expansis in rubore demonstrat ardorem iucundum; ita flos cœli delitiosus optimus Iesus, qui multo tempore à peccato hominis quasi in frigore noctis clausus fuit peccatoribus, tandem radiis ardentis charitatis in omni sui corporis parte apertus est, & rosæ ardor in rubore sanguinis effusi refulsit. Vide ergo quomodo hoc flore rosa floruerit rubicundus Iesus. Vide totum corpus sicubi rosa sanguinea florem non inueniat.* Non demetitur à morte diuinus flos Iesus, antequam in calathum funderetur, orbis antequam tota internæ pulchritudinis panderetur ambitio. Quin imò sic Iesus flos in morte apertus est, vt totam gloriæ suæ ambitionem per aperturas eiaculans, cœlitum oculos obstupefaceret, qui mirabundi dicebant. *Quis est iste Rex gloriæ?* Id quod D. August. serm. 178. perspicuè attigit fatus. *Viderunt cælites cunctis spe ipsum vulneribus Christum, & admirantes fulgentia diuinæ virtutis vexilla talibus concrepant hymnis. Quis est iste Rex gloriæ?* Quanta gloria ex apertis roseis vulneribus Iesu radiabat; quando Angelos in admirationem rapiebat! Sanè viderant Angeli ab antiquo florem illum; sed viderant parturientem in sinu patris, & quasi papillarum corymbum, antequam in calathum funderetur orbis, & tota rubentium foliorum panderetur ambitio. At modo cum apertum illum vident, totámque foliorum rubentium ambitionem patentem; ingentem inde pulcritudinis gloriam mirantur & stupent. Sic reflorescentis Iesu gloriâ vulnera crucis exaltant. Vnde elegantissimè D. Athanas. crucis fructus in Domino opponit Iudæorum perfidiæ, dum inquit orat. de Pasch. & Cruce. *Saluatoris mors orbem terrarum in libertatem asseruit, causamque dedit, vt gentes Deum glorificent. Iudæorum furor Iudæos cum ipso ciuitate deluit, & in Dei cognitione obcæcauit. Mors Christi mortuos viuificauit, Iudæosque iuuenes insidiæ vita spoliarunt. Crux Saluatoris Ecclesiam gentium cum deserto esset, habitatoribus frequentauit: Iudæi contra malitia sua orbem terrarum sibi intercluserunt, inhabitabilémque reddiderunt, vt quinec ciuitatem vllam habeant. Mors Saluatoris Regnum cælorum ostendit; Iudæi suo furore suos Reges perdiderunt, & Magnates amiserunt. Crux Domini Angelos hominibus consociauit, & interpres conciliatrixque eorum amicitiæ fuit. Iudæi contra insidiando contubernium, societatémque domicilij cum dæmonibus intrarūt sunt.* Huc vsque Athan. gloriosos crucis partus manifestat, & Angeli mentem explicat, qua gloriosum Dominum dicturus præmisit crucifixum, vt ex causa ingentem Christi gloriam, & generis humani reparationem & magnalia omnia Christiani Imperij cognoscerent.

Nicol. Hieron. Bernard. August. Athanas.

§. XII.

Resurgens Dominus egenorum hominum curam habuit.

REctè ex verbis Angeli D.Greg. Niss. educit præproperam Christi Domini Resurrectionem, non enim dicit, accedentibus fœminis modo resurgit, sed iam antea surrexit. Et cur qui pias fœminas in aromatum obsequium impulit, earum officium non expectauit in Sepulcro? An fugit exhibendam sibi tantam olei impensam, vt reseruaretur in vsus pauperum? Pulcrè D.Bernard. serm. 12. in Cant. inquit. *Prouide ob hoc Dominus Iesus paratam sibi confectionem expendi noluit in suo corpore mortuo, vt seruaret viuo; tum anticipans horam, & accelerans gloriam, mulierum deuotionem non elusit; sed instruxit, non recusans obsequium, sed reseruans proficuum. In illo ergo pepercit magister pietatis vnguentis optimis, quæ membris suis indigentibus superet exhiberi.* Instruebat inquam, Dominus, quibus impendendum erat obsequium à fidelibus, nimirum membris viuis, egenis paupertate pressis, in horum vsus quicquid impendatur gratissimum accidet Redemptori Christo. Hoc Iesu bono cordi erat vt pauperum curam haberet, ob hoc gloriam Resurrectionis anticipat, vt doceat pauperibus seruari substantiam, & illis impendi seruitia. Hinc D.Gregor. Niss. orat. 3. de Resurr. ait. *Christus resurgens afflictos, & oppressos & constrictos non dimittet? Pauperes amplectimini vestram nutricem.* Quam diuinè Resurrectionem Dominicam vocat nutricem pauperum, vtpotè quæ sibi impendenda decuit pauperibus reseruari; ideo enim maturata est resurrectio, non vt obsequium refugeret fœminarum; sed vt matutinas refectiones egenis reseruaret. Huc spectabat D.Hilar. homil. 6 de Pasch. aiens. *Resurrectionis celebrantes triumphum fidem conuersatione decoremus, misericordiam in pauperes faciamus vt imitemur Deum.* Hoc est fidei nostræ decus, summi Dei imitatio, Dominicæ resurrectionis documentum, quòd misericordiam in pauperes faciamus. Etenim in regeneratione, hoc est, in communi resurrectione omnium cum sederit filius hominis in sede Maiestatis suæ, vanè sibi quis misericordiam titillabit, qui extitit crudelis in pauperes. Diues ille qui ad præsentiam Lazari epulabatur quotidie Luc. 15. cum esset in tormentis vnam tantum aquæ guttam refrigerij causa implorabat, & vel vna gutta aquæ fuit illi negata. Id quod expendens D. Greg. Niss homil. de beatitudinibus, ait. *Diues ille diffluens delitijs mendici ad vestibulum afflicti misertus non est. Idcirco misericordiam sibi præcidit, misericordia implorata non exauditur. Non quod vna gutta de magno Paradisi fonte dempta, damnosa esset, sed quia misericordiæ stilla commisceri atque communicari cum humanitate non potest.* Ecce tibi regenerationis status & exemplar, in regeneratione corporum, nec misericordiæ stilla cum inhumanitate commiscebitur, vbi resurrectio mortuorum fuerit, ille misericordiam accipiet, qui pauperum misertus fuerit. Enimuerò resurrectionis renouationem, vt Baptisma sic eleemosynæ æmulatur lauacrum. Vt meritò dicat D. Laur. Nouar. homil. de Pœnit. homil. 1. *Prouidentia diuino apparuit nobis medicinæ armarium, vt faceret & diuites, & pauperes, vt quoniam diuites per exuberantiam rerum proni sunt ad vitia, haberent coniunctos sibi indigentes tanquam fontem lauacri. Vt plus dicam, tanquam flumen Iordanis, vbi Christus tinctus est.* Non guttatim, sed flumine pleno eleemosyna misericordiam instillat, & expendo illud *tanquam flumen Iordanis*; quo non solum ablutionē; sed & renouationem, qua in regeneratione iuuenescant iusti, significat.

Bernard. Nissen. Hilar. Nissen. Laurent. Nouar.

Text. Non est hîc. Ecce locus vbi posuerunt.

§. XIII.

Christus Dominus breui & alieno loculo teneri non potest.

NOn equidem teneri poterat magnus ille cœli terræque Dominus arcto & angusto hominum sepulcro, quis enim magnum in paruo, omnium Dominum in alienis quærat? Ad dolentes parentes iamdudum dixerat Iesus
Luc. 2. Luc. 2. *Nesciebatis quod in ijs, quæ patris mei sunt, oportet me esse?* Quasi innueret se minime in alienis inueniendum, doleat licet quisquis Iesum quærit, non inueniet in paruis,
Cant. 3. non inueniet in alienis. Dicebat illa Dei amatrix, *In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea.* Quærebat sane dolens & non inueniebat, quia solum quærebat in lectulo
Bernard. suo. Id quod expendens D. Bern. serm. ad illud Prouerb. 3. Beatus homo qui inuenit sapientiam, sic inquit, *Frustra quærit qui in lectulo suo quærit, lectulus est, & ibi gigantem quæris? Tuus est, & ibi speras inuenire eum qui diuersoria semper ignorat?* Non in lectulo, non in alieno loculo tenetur magnus ille
Exod. 33. Dominus. Moysi recte promittebat Deus in Exod. 33. *Ponam*
Cyrill. *te in foramine petræ*, quasi diceret iuxta Cyril. Hierof. Cat. 10. *Cum exiguus sis in paruo circumscriptus eris.* Conueniunt enim exigua exiguis, aliena seruis, at qui magnus Dominus
Cyprian. est, frustra in alienæ petræ foramine quæritur. Hinc D. Cyprian. præproperam Iesu à sepulcro resurrectionem meditatus inquit, *Egressus de sepulcro vacuum locum reliquerat, apertoque ostio ingredi volentibus liberum dederat aditum: & quasi monebat se alias quæri, qui illis angustijs non poterat occultari.* Non loculis clauditur immensus, nec aliena gaudet occupare mundi Dominus. Vnde Angelus, qui resurgentibus gloriam nuntiabat sepulcri reuoluens lapidem sedebat super eum, ne crederetur posse manere Dominum in
Chrysost. loco cuius erat seruus possessor. Id docuit Chrysost. hom. de Ioan. Bapt. fatus, *Angelus ille, qui reuoluebat lapidem, & sedebat super lapidem, quid ostendebat? Lapis, cui ego insideo, qui seruus sum illius, non potest includere Dominum meum, cum prematur à seruo suo.* Non moratur Dominus in iis, quæ sunt seruorum, sed in iis, quæ patris eius sunt. Hanc sibi beatitudinem vere attribuebat Dei filius, quam Aglao cuidam tribuit Solinus cap. 6. fatus, *Solum certè beatum Aglaum qui iudicauit, qui in angustissimo Arcadiæ angulo pauperis soli Dominus, nunquam egressus paterni cespitis terminos inuenitur.* Sane Beatissimus Iesus terræ cœlique Dominus in his solum adest quæ patris sui sunt. O te felicem, qui ad Dei pertines possessionem, sane habebis Iesum, & in te morabi-
Origen. tur Iesus. Sic Orig. hom. 20. in Luc. expendit, *In ijs, quæ sunt*
Luc. 2. *patris mei, oportet me esse. Vnusquisque nostrum si bonus fuerit atque perfectus, possessio Dei patris est, habet in medio sui Iesum.* Hæc ille.

§. XIV.

Resurrectio gloriosa mortis sepulcrique euacuat horrorem.

FEstiuus Angelus intra resurrectionis gaudia, inter splendidas glorias inuitat fœminas ad sepulcrum videndum: nulla enim infirmitas mortem expauescet, vbi inde resurrectionis splendorem meditetur. Id quod D. Zeno serm. de Resurrect. exemplo solis, sic demonstrat, *Sol quotidie nascitur, eadémque die, qua nascitur, moritur, nec tamen instantis finis fatte terretur, suos vt repigret cursus, vt horas ac momenta producat, vt saltem paulo diutius diei sui demoretur in vita; sed fidelis semper, semper intrepidus ad sepulcrum noctis contendit, sciens in ipso se habere quod viuit.* Cur timeat mori qui à morte viuet? Cur expaneat sepulcrum, qui ex illo pulchrior renascitur? Sane sol vbi nocturnis tenebris appropinquat, repigresceret, cursus tardaret; nisi in tenebris sciret se habere quod viuat. At dum futuram vitam è tenebris auspicatur, intrepidus, nulla facta mora noctis sepulcrum amat intrare. Sic de sole altero & præstantiori & diuiniori Iesu loquitur
Hebr. 13. D. Paul. ad Hebr. cap. 13. *Proposito sibi gaudio sustinuit crucem*
Nissen. *confusione contempta.* Quocirca D. Gregor. Nissen. orat. 3. de Resurrect. fatur. *Prius quam de cœlo descenderet, videt gentium perturbationem, duritiam Israelis, Pilatum pro tribunali sedere, Caipham vestem sibi discindentem, & seditiosam plebem ira inflammari, & Iudam prodere, & Petrum propugnare, & paulo post seipsum per resurrectionem ad gloriam immortalitatis transformare, ac quicquid futurum erat cognitione præscriptum habens, non distulit beneficium homini præstare, nec in longiorem diem contulit earum rerum administrationem.* Enimuero vbi mortem resurrectionis gloria soluendam nouit, non distulit diem mortis, non repigruit mori; sed intrepidus ad mortem euolauit. Fallor nisi Iob cap. 8. huc respiciat, quando iusti lætissimam mortem describit, sub metaphora arboris siue vitis, cuius palmes amat sepeliri & vorari à terra; vt viuidior & vegetior alibi repullulet. Sic enim ait, *Super acerbum petrarum radices eius densabuntur, & inter lapides commorabitur. Si absorbuerit eum de loco suo, negabit eum, & dicet, non noui te. Hæc est enim lætitia viæ eius, vt rursus de terra alij germinentur.* Sub fossa humo, negato primo loco, abit vitis lætans & gaudens, quia inde feracior surrectura. Sic Iesu veræ vitis qui veri fuerint palmites, non horrescent à terra absorberi, imo cùm fosse mandentur humo, hæc erit lætitia viæ illorum, qua viuidiores & feliciores resurgant. Vnde D. Ambros. Ambros.
orat. de obitu Valent. ex Iud. cap. 11. Christianorum luctus cupiens abstergere sic inquit, *Ad deflendum suæ virginitatis florem duos sat esse menses Iephte filia iudicauit, & adhuc non venerat resurrectio.* Etenim quãdo creditur resurrectio, nullus in morte linquitur dolori locus, piaculum est lætis non aspicere mortem oculis. De Iob cap. 2. notanter dicitur, *Iob* 2.
Sedens in sterquilinio. Vbi illo verbo sedens quædam alacritas animi exprimitur, qua sanctissimus vir in putredine sua de resurrectione instante lætabatur. Ita Orig. lib. 2. fatus, *Ipse sedebat super aceruum stercoris plus sibi de ipsis vermibus, atque putredine quam olim de regni gloria complacens. Nam omnium illorum finem post hæc omnia, quæ gloriosa sunt, carnis mors expectat, & post omnem putredinem atque vermem, resurrectionem carnis sperat.* Hæc ille. Quibus vides resurrectionis memoria quam saporet mortem. Quid plura? finiat Athan. orat. in Christ. ascen. fatus. *Resurrectionis memoria contra mortem arma hominibus ad victoriam obtinendam suppeditat.*

Text. Sed ite, dicite discipulis eius, & Petro, quia præcedit vos in Galilæam, ibi enim videbitis sicut dixi vobis. At illæ exeuntes fugerunt de monumento, inuaserat enim eas tremor & pauor.

§. XV.

Iniurias tibi illatas non statim plectas, sed locum dato iræ.

REdiniuus à sepulcro Dominus Galilæam respicit quasi Iudææ immemor; Iudæos iniurios sibi silentio præterit, seséque Galilææ regioni committit. Cur Domine ad Galilæam ibis victor? Cur potius Hierosolymis in hostes non desæuis? Cur triumphum non agis de crudelissimis inimicis? Pulcre Rupert. lib. 2. de Oper. Spirit. sanct. cap. 27. Rupert.
inquit, *Non continuo peremtoribus suis manifestus efflagrans insultauit, aut meritas vindictæ pœnas exegit, quod facere interdum minus prudentium hominum est. Non est moris vel disciplinæ eius contentiosa inuectione seu insultatione festinatam rapere gloriam victoriæ de hostibus.* Dissimulat iniurias, hostes obliuiscitur aliquandiu, & alio pergit, nec cum primum vacat se vlciscitur, vt sic vltio iustior appareat & diuinior. Et tu quisquis iniuriam pateris, ne te vlciscaris cum primum potes, da, iuxta Apostoli præscriptum locum iræ, vindictam differ, ne iræ feruore regulas excedas iustæ vindictæ. Sane Dauid homines illos, qui Misphiboseth occiderant, statim occidi iussit, verum Abneris interfectorem Ioabum liberum reliquit, & post multum temporis à filio suo Salomone iubet occidi. Cur qui adeo festinus in castigandis nocentibus, adeo extitit tardus, vt trucidaret perfidum homicidam? Rationem reddit Theodoretus quæst. 14. in- Theodor.
quiens, *Ipse id in verbis ostendit. Isti, inquit, viri filij Seruiæ sunt mihi duriores. Vnde eos tradidit Deo. Reddat, inquit, Dominus facienti mala secundum malitiam suam. Nam vbi est ei facile iusta vti ira, nulla vtitur dilatione, neque quicquam reueretur. Eos enim, qui Misphiboseth occiderant, & eius caput abstulerant extremis membris mutilatos egit in crucem.* Etenim in sibi durum & iniurium hominem non audet statim insurgere, veritus ne iustam excedat iram, ideóque vindictam differt, vt dilatione iustificetur vindicta. Hanc tenebat regulam sponsus Mariæ Ioseph, qui prægnantem animaduertens vxorem, cum esset iustus, locum voluit dare iræ, eius societatem fugiens. Ait enim cap. 1. *Ioseph cum esset iustus* *Matth.* 1.
& nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. Quocirca eleganter Chrysol. serm. 145. inquit. *Ioseph merito iustus, quia* Chrysol.
pius,

pius, dum pietatem cogitat, crudelitate caruit, dum causam temperat, iudicium custodiuit, dum vindictam differt, crimen euasit. O quam omnibus exiſtit fructuoſa dilatio vindictæ.

§. XVI.

Inter conſpicuos virtute viros periculoſum eſt, ſi peccator appareas.

FVlgentiſſimi Angeli conſpectum fugiunt fœminæ, nimio correptæ timore, vtinam ſic timeret ille, qui ſanctorum conuentum ipſe ſordidus intrauit. Nónne apud Matt. 22. ſponſum & Regem maximè offendit, qui nuptiali feſto Maxim. ſordidus aſtat inter conſpicuos principes? Sic D. Maxim. homil. in Vig. Nat. dicit. Ille, qui in cœtu ſanctorum vocatus eſt, ad nuptias venire auſus eſt non habens veſtem nuptialem. Et cum alius niteret iuſtitia, alius luceret fide, alius caſtitate fulgeret, ille ſolus conſcientiæ fœditate pollutus, cunctis ſplendentibus, deformi horrore ſordebat, & quanto plus ſimul diſcumbentium candebat ſanctitas, tanto magis peccatorum illius apparebat improbitas, *qui potuerat minus diſplicuiſſe forſitan ſi in conſortium iuſtorum minime ſe dediſſet.* Hæc ille. merito ruinam hominis tribuit illius temeritati, qua ſordidus cum eſſet inter ſplendentes conuiuas auſus eſt diſcumbere. Tunc eius ſqualor magis apparuit, & magis Regis oculos offendit, qui forſan inter alios ſordidiores homines mundus poſſet reputari. Sane mulier illa adultera a Phariſæis deprehenſa Chriſto Domino ſiſti- Ioann. 8. tur Ioann. 8. Chriſtus autem *digito ſcribebat in terra.* Quid Ambroſ. plura? Eleganter D. Ambroſ. Epiſt. 76. inquit, *Scribebat in terra: quid? Vtique dicens. Feſtucam quæ in oculo fratris tui eſt, vides, trabem autem, quæ in oculo tuo eſt, non vides.* Vnde adulterium à Magiſtro pudicitiæ reputatur feſtuca; niſi quia ab hominibus ſceleſtis deferebatur? Proh felix adultera! quæ nacta ſceleſtiſſimos accuſatores, inter illos apparuit quaſi munda, alioquin multo ſupplicio digna. Fugiendum illi erat virginum innocentium conſortium, inter quas adulterium maximum appareret delictum, dignáſque pœnas lueret. Hinc coniicere licet, quam merito expaueant iniqui iuſti ſanguinis pretij conſortium. Enimuero Iudas quos acceperat argenteos refudit, Phariſæi illos à ſe repellunt, Maxim. de quo pulcre D. Max. dicit, *Videte quanta in Dominica ſit pecunia: quam inde Iudas reijcit, hinc Phariſæi in loculos non recludunt. Iuſti enim ſanguinis pretium pertimeſcit iniquitas poſſidere.* Cur non pertimeſcat iniquitas coniungi cum iuſti ſanguinis pretio? nunquam enim damnabilior appareret, quam ex collatione cum illo? Metuat iniquitas in ſplendoribus ſanctorum verſari, metuat qui immundus eſt apparere inter mundos, vt videas quam iuſti timeant fœminæ 3. Reg. 17. incredulæ fidelis Angeli conſortium frui. 3. Reg. 17. dicebat hoſpita ad Eliam. *Quid mihi & tibi vir Dei? Ingreſſus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum.* En quam creſcunt ad pœnam peccata in præſentia ſanctiſſimorum hominum! Sic Ioſephus lib. 8. cap. 7. *Querebatur de aduentu hominis qui peccata eius detexiſſet, ideo mulctatam ſe filij morte dictitans.* Non quod Elias publicaret peccata eius, ſed quod quæ in ſe latebant, ad præſentiam iuſti maxima videbantur. Apud Luc. cap. 11. damnat Dominus ficulneam fructu vacuam. Sed quæ cauſa benignum Domi- Bernard. num impulit, vt ficulneam damnaret? D. Bernard. heres Gillibert. ſerm. 23. in Cant. ſic fatur, *Forſitan & ficulneam illam ſterilem, quam Dominus iuſſit ſuccidi, fertiles de vicino vinea condemnabant.* Caueat quiſque fructu vacuus inter florentes & diuites fructibus vitam inſtituere conatur.

Ex Ioan. 20. Cucurrit ergo, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium diſcipulum, quem amabat Ieſus, & dicit illis: Tulerunt Dominum de monumento, & neſcimus vbi poſuerunt eum. Exiit ergo Petrus, & ille alius diſcipulus, & venerunt ad monumentum, currebant autem duo ſimul.

§. XVII.

Qui fide nititur, in quauis rerum temporali iactura impauidus, & lætus agit.

O Quam alij ſunt fidei oculi, quam oculi carnei! qui carneis oculis vidit, quam inquietatur iacturis, quantis lacrymis proſequitur charorum amiſſionem! At qui viuida illuminatus eſt fide, tunc gaudet ſe inueniſſe æterna, cum vidit amitti temporalia. Accipite D. Auguſt. ſerm. 132. August. de Temp. pulcre prædicta Ioannis verba enucleantem dum fatur, *Cum Maria Magdalena veniſſet ad monumentum, quam memorem Saluatoris, amiſſa ſpe, deuotio in lacrymas impellebat, videns reuolutum a foris lapidem, eum non inueniſſe in ſepulcro Dominum, cœpit acrius dolere, quod perdiderit & defunctum. Mox autem ad Petrum peruolat, nunciat inane ſepulcrum, queritur corpus ablatum. Petrus autem reſurrectionis filij Dei, & ante crucem conſcius, quam prædixerat ipſe paſſurus ſub tali nuntio non fleuit aut doluit. Ad ſepulcrum celeri curſu feſtinans lætior rediturus, ſi eum inueniret quem quærebat.* O viuidæ fidei fulcimentum ſingulare! Credentem Petrum non tangit amiſſio tanti defuncti, imo quia credebat futuram eius vitam, lætior agit, cum non inuenit ſanctum quod quærebat cadauer. O te felicem, qui oculis apertis fueris fidei, hac fundatus nulla cades temporali iactura, deficiat humana ſubſtantia, euaneat ſalus, labet vita, ibi lætior ages, lætior viues. Pulcre D. Dionyſ. Areop. cap. 7. de diuinis nomini- Dionyſ. bus, nobis obiicit fidelis mentis robur & fortitudinem, tot myriades puerorum, adoleſcentularum, quæ tenero in corpore dura tormenta, ferreos tyrannos ſuperarunt. Vnde tanta teneris puellis in tormentis lætitia? Ait ille, *Etenim ſcit ad veritatem vnitus, vbi bene habet etſi multi corripiant eum tanquam mente excedentem.* Scit qui fidei veritate fulcitur, vbi bene habet, ſcit quanta illi gaudia in futuro ſæculo maneant! quam æterna tranquillitas! quam felix beatorum ſocietas! Hinc quamcumque iacturam temporalem lætus aſpicit, & quo vidit temporalia perdi, eo lætior ventura bona autumat. Hinc inclyti illi Machabæi apud Antiochum eius ſpernunt promiſſa, quorum ab ore aurea hæc prompſit D. Gregor. Naz. *Alius mundus nobis eſt, omnibus iſ-* Nazianz. *hac, quæ oculis cernuntur, longe ſublimior ac diuturnior. Patria autem cœleſtis Hieruſalem, quam nullus Antiochus obſidione cinget, quocirca res paruas nobis polliceri deſine.* Sic humana decora diſpiciunt, ſic amant terreno ſplendore nudari, qui fidei oculis manentia bona perquirunt. Nec minus gaudent in omnium temporalium iactura, qua gaudet ille qui induturus regias & ſplendentes veſtes ſeſe ſpoliari ſordidis & pannoſis videt. De eiſdem Machabæis in mortali ſtrage lætantibus, pulchre Theophilus Alexandrin. Epiſt. Paſc. Theoph. 3. inquit, *Et tamen inter hæc omnia* (tormentorum genera) *Paradiſum animo deambulantes non ſentiebant quod patiebantur; ſed quod videre cupiebant.* Eo anheli aſpiciebant, quo fidei alis ferebantur, lætiores extitori, ſi trucioribus adhiberentur rotis, Iſaiæ 13. minatur, *Ecce veniet Dominus diſperdere orbem terrarum.* De quo Ambroſ. lib. de Helia cap. 21. ait, *Qui anguſti eſt animi, ille non cernens, dolet quod diſperdat orbem. Sed qui nouit expectare quæ inuiſibilia ſunt, gaudet vt veniat, & omnes liberet.*

Text. Et ille alius Diſcipulus præcucurrit citius Petro, & venit primus ad monumentum. Et cum ſe inclinaret, vidit poſita linteamina, non tamen introiuit.

§. XVIII.

Honeſtiſſima eſt de virtute æmulatio & contentio.

O Vtinam ſic omnes virtutis amore exardeſcerent, vt indignè ferrent, ſe ab aliis præueniri, imo toto mentis conamine alios vincere & ſuperare contenderent. Id quod monebat Nazianz. orat. 2. de Paſch. præſentem Ioan- Nazianz. nis locum premens his verbis, *Petrum & Ioannem imitare, ad ſepulchrum propera ſimul ac certatim currens, ac honeſta æmulatione contendens.* Honeſtum eſt, glorioſum eſt, ſi non patiare in virtutis ſtudio vinci, imò ſi omnibus præferri ſtudeas. Nónne hanc æmulationem Dominus commendabat, cum Apoc. cap. 3. dixit, *caue ne alius accipiat coronam tuam?* Apoc. 3. dixiſſet etiam conare alterius coronas præripere, dum omnes virtutis ſtudio ames ſuperare. Quis non frontoſum illũ Magdalenæ affectum miretur, quo in domum Simonis ingreditur, vt ſibi Chriſtum Dominum ibi diſcumbentem acquirat? Fœmina ſic audet intrare Phariſæi domum? Nonne expectaſſet, vt egreſſum Dominum conueniret? ſed inerat illi æmulatio, nec patiebatur Dominum ab alio preſſius poſſideri; ſed contendit illum ſibi præripere. Eleganter id attigit D. Paulin. epiſt. 4. ſic monens ex facto illo. *Quo-* Paulin. *niam ſpiritus vbi vult ſpirat, & audis vocem eius, & neſcis vnde veniat,*

veniat: igitur vbicumque auram captabo, vndecũque vel tenuem halitum legam; vel indigni, vel in domo Pharisæi audiam iustum venisse, contendam præripere hospitis gratiam, præripere si possem Regnum cælorum. Felix contentio & æmulatio! O quoties sancta obtinet æmulatio coronas, quas pene longa desidia eripuerat. Nouit hoc, qui pigros & desidiosos Iudæos repellens præfecit illis populum Gentilem. Proh Deus immortalis! Sic præ dilecto populo pluris æstimas gentes? Cur magis idololatras vocas ad coronas Abrahamidum? Sic Abrahamides odisti? Imo quia Abrahamides amabat, gentes vocauit, quas æmulatos traheret Hebræos efficacius ad gloriam, alioquin perituros. Sic D. Leo serm. 5. in Epiph. loquutus: Optandum nobis est, & studendum vt & hic populus qui ab illa spirituali patrum nobilitate deficit, ramis suæ arboris inseratur. Multum enim nos Deo beneuolentia ista commendat: *Quia ideo delictum illorum nobis misericordiæ locum fecit, vt eos ad æmulationem salutis recipiendo, fides nostra renouaret.* En tibi quantum valet æmulatio. Immo tam potens est, vt eius vi Christus Dominus durissimos Iudæorum animos ad aliqualem virtutem emollierit. Licet enim modo perfidi & obstinati inueniantur Iudæi, longe tamen à pristinis gentis sceleribus absunt. Non enim sacrificant filios suos dæmoniis, nec idola colunt, quod in eis perfecit Christus, mediante sua illorum, nostri æmulatione. Ita D. Chrysost. in Psalm. 8. dicens, *Quod vos lex non docuit, hoc ex redundanti copia fecit Christi potentia. Quamdiu enim legem habuistis, & occidebatis, & filios mactabatis, & adulterabatis: postquam autem illuxit Sol iustitiæ ac vestiis malis multum decessit, & moderatius vitam instituitis, correcti per vestram in nos æmulationem.* Vtinam nostris animis hæreat hoc calcar, à nemine in virtute patiamur superari. Sic omnes contendamus, sic pugnemus vniuersos antecedere, & gloriæ coronas aliis præripere è manibus. Sanè hoc cauebat Abraham

Genes. 18. Gen. 18. quando in ipso feruore diei excubabat ad ostium tabernaculi, vt peregrinos trãseuntes suo inferret hospitio. Quorum tribus visis, *cucurrit obuiam illis.* Et cur cucurrit? ne quidem sibi hospitalitatis fructus ab aliquo alio præriperetur.

Ambros. Vnde merito D. Ambr. lib. 1. c. 5. inquit, *Disce quam impiger esse debeas, vt possis præuenire hospitem, ne quis præueniat, & te boni muneri defraudet.* Sunt boni æmulatores, qui obsequij occasiones nituntur præoccupare, qui virtutum palmas & coronas etiam aliorum è manibus contendunt præripere, quare vigilandum est, pugnandum est, currendum est illi, qui cupit corona sua non fraudari. De cursu & occursu Abraham pulcre D. Chrysost. ait,

Chrysost. *Currit & volat senex, vidit enim prædam, quam venabatur. Non vocauit famulos, quasi diceret. Magnus thesaurus est, magna negotiatio, per me ipsum hanc mercedem inferre debeo, ne elabatur tantum lucrum.* Neminem expectare debes, si brauium rapere concupiscis. An qui in stadio currunt expectant sese, an singuli eo spectant, vt cæteros anteuertant, & brauium præripiant? Et hi quidem, vt corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam.

§. XIX.

Væ qui in virtutis curriculo breuem & determinatum finem sibi præfigunt, in quo semper progredi deberent.

ECce tibi in Ioanne currente, & non introeunte sepulcrum, illi notantur, qui in virtutum prosequutione currunt quidem & fatigantur, nunquam tamen virtutis recreantur fructibus, quia certos sibi fines præfigunt, quos dum nolunt præterire, quasi in gyrum currentes nunquam proficiunt. Merito illo Ioannis exemplo monebat illos

Nazianz. Nazianz. orat. 2. de Pasch. inquiens. *Quòd si celeritate anteuertaris, studio vince, non circumflexo corpore, in monumentum prospiciens, sed in ipsum ingrediens.* Sanè Ioannes præcurrens Petrum vbi sepulcrum attigit, non processit; sed corpus rotauit, & circumflexit, vt deforis prospiceret. Proh inanis cursus, qui in orbem deficit! is quidem cursus & te vexat, & frangit, nihilominus tamen nullum in stadio profectum

Basil. acquirit. De his pulcra similitudine D. Basil. in const. cap. 9. *Multi serpunt, nihil promouent, similes iumentis, quæ ad molas deligata cum ingredi continenter non cessant, eodem tamen vsque in spatio semper reperiũtur, & fracto laboribus corpore, ipsa tamen vltra exigui loci fines egressa non sunt.* Quid pulcrius? Compone tibi iumenti ad ergastulum religati speciem; sanè duris fustibus agitur, flagella sustinet, totóque conamine currit, & post mille cursus intra loci breuissimi spatium inuenitur. Interim alia pedetentim octo aut amplius leucarum spatium superarunt, & oblatam requiem inuenerunt. Cur hoc discrimen? quia illud cursus sui determinatos fines præscriptos habebat, per quos circumagebatur, ideóque post cursus, post labores non proficiebat. Heu quot sunt, qui antelucani sese ad currendum accingunt, & fracti cursibus & laboribus exigui spatij metam numquam excedunt, nec inde proficiunt! Vtinam hi lentiori gradu serperent, vtinam tantum ambularent, dum non deficerent, dum circumflexo corpore nunquam sisterent, imposito virtutis termino, sed semper ad anteriora pergerent; sanè obtinerent brauium. Sapienter dixit Aristides in p. Aristid.
Platonica, *Quin etiam in Gymnicis certaminibus non eos, qui primi nomen dederint, victoriã reportare, verum qui id, ad quod nomen dederint, optimè factis comprobarint. Idque vbique obtinet, vt in ipsis quoque præmiis, adeóque cursus ipsius, non iis, qui initio retulerint, sed qui prætereerint signum detur.* Quid enim tibi proderit, quod antelucanus in stadio omnes alios præueneris, & quod præcurreris, si intra certum spatium cursum tuum definis? Quid iuuat maturasse salutis cursum, si breues tibi statuis virtutum fines, vltra quos nullis calcaribus ageris. Sanè præmium virtutis non datur iis, qui velociores & primi sunt, sed iis, qui prætereunt, & vsque in vltimum finem non cessant proficere, qui semper profectui student. Hinc mirari desinam vocem illã Christi Domini apud Matth. cap. 18. nimirũ, *nisi efficiamini sicut paruuli,* Matth. 18.
nõ intrabitis in Regnum cælorum. Quid in paruulis reperitur, sine quo cœlorum Regnum non attingitur? Sanè hoc naturalissimum habent paruuli, quod omni tempore siue dormiant, siue vigilent, siue ludant, siue otientur, semper tacitis augmentis corporis accrescunt & proficiunt. Horum igitur est Regnum cœlorum, qui semper virtutum augmento & accretioni studẽt. Ita Tertull. lib. 4. in Marcion. inquiens. Tertull.
Ecce Christus diligit paruulos, tales esse docens debere, qui semper maiores esse velint. Non qui incipit & cessat; sed qui nunquam a profectu desistit, is cœlorum teret limen. Nónne mysterio dicitur Genes. 12. *proficiens crescebat Isaac?* Accipite Genes. 12.
de hoc Niss. hom. 2. in verba, faciamus hominem, &c. Vbi sic Nissen.
fatur. Augmentum fit contemplatione, pietatis cultu, dum ad meliora progredimur, dum quod præcessit post nos relinquamus, & ad id pietatis quod reliquum est contendimus. *Talis erat Isaac, de quo scriptura prodit, quod proficiens crescebat, donec magnus effectus est: neque enim consistebat, neque paululum auctius decrescebat; sed magnis semper spatijs progrediebatur. Crescebat virtutum studijs & officijs, crescebat iustitia & pietate.* Felix, qui magnis spatiis progreditur, qui crescere non cessat, donec in Regno cœlorum magnus efficiatur. Huc referam illud D. Zenonis serm. 3. ad Neophyt. vbi sic. Zeno.
Beatus est semper qui meminit, quod renatus sit; beatior, qui non meminerit fuisse, antequam renatus sit; beatissimus, qui infantiam suam prouentu temporis non mutauerit. Nihil enim magis beat hominem, quam in eà manere vita, qua semper & indesinenter crescat, nec desinat progressus facere. Hanc spiritualem infantiam senibus Baptistæ parentibus tribuit Lucas cap. 1. dicens. *Ambo iusti ante Deum incedentes in omnibus mandatis.* Vbi eleganter Chrysolog. serm. 91. *Incedentes dixit, vt eos ostenderet cucurrisse, virtutibus non stetisse; & ambulasse in via iustitiæ: nec remansisse in itinere mandatorum, sed ad mandatorum plenitudinem peruenisse.*

Textus. Venit ergo Simon Petrus sequens eum. Et introiuit in monumentum: & vidit linteamina posita, &c.

§. XX.

Contemplatio addit alas; sed actio coronat opus.

COmmuniter in hoc Ioannis facto notant mystæ contemplationis & actionis efficaciam; volant quidem & præcurrunt contemplatiui; at qui feruentes in actione viuunt, in requiem Domini felicius ingrediuntur. Ita Nazian. Nazianz.
Scholiastes orat. 2. in Pasch. *Studio autem contemplationis alumnum superat, qui actiua virtute instructus est, vtpote laboriosior.* Quam volauit Paulus dum contemplationi instititꝰ? nonne raptus dicitur vsque ad tertium cœlum, & inde gloriam Dei rimatus est? Ad tertium vsque cœlum peruenit, sed non cœlestia penetralia intrauit, quin iuberetur operi & labori incumbere, & viriliter in stadio decertare. Id quod attigit D. Cyrill. Hierosol. catech. 14. fatus. *Imo descendit Paulus* Cyrill. Hierosol.
iterum, non quod dignus non esset conuersatione cælesti; sed vt gustatis supercœlestibus, honoratus descendens Christum prædicaret,

&

& pro ipso moriens corona martyrij potiretur. Potuit contemplatiuus perpeti volatu cœlestia attingere; sed non admittitur ad coronam, nisi qui in stadio desudauerit. Quippe perfectionis coronæ laborantibus,& desudantibus offeruntur.
Isai. Abb.
Id quod eleganter notauit B.Isaias Abbas orat.5. dum enim in Rachele contemplationem, & in Lia actionem constituit, sic inquit. *Cæterum Rachel filios non genuit, antequam pareret Lia, & Iacob ipse seruiret. Ex quo intelligimus hominem; nisi prius labores in excolendis virtutibus pertulerit, non posse ad veræ perfectionis libertatem aspirare.* Ille intret in gaudia Domini, ille intima perfectionis penetralia lustret, qui laboribus pro virtute acquirenda innutritur, qui actiuæ sollicitudini indefessè & strenuè incumbit. Nónne dicebat Paulus 1.Cor.12.
1.Cor.12.
Non potest oculus manui dicere, Opera tua non indigeo? Nunquam sanè oculus immarcescibilem coronam attinget;nisi laborantes præmittantur manus. Rectè
Nissen.
D.Greg.Niss. homil.14. in Cant. *Non potest oculus manui dicere, Non mihi te opus est: nam tunc maximè vis oculorum conspicitur, cùm ipsa opera testimonium oculorum acumini perhibent, per studium præclararum rerum egregiè se duci declarantia.* Sanè Petrus testimonium Ioanni perhibet, ipse intra sepulcrum introiens, sic actiua, sic operum labor testimonium dant speculationi; dum per egregia facta coronas prætendunt immortales. Nónne Moyses in monte orationi instabat? tamen victoria ex Amalech, illius respondebat manibus.
Basil.
Rem ponderat D.Basil. in 1. Isaiæ fatus. *Moysi manus dimittente præualebat Amalech; hoc est nostra operatoria,& actiua facultas, si quando satiscet,ac prosternetur,aduersus nos præualent, aduersariæ potestates. E diuerso,cum manus fuerit in sublime expansa per discretam operum distinctionem, tunc mentis nostræ perspicacitas acriores resumit vires.* Itaque non oculos, non mentem,sed manus, nimirum actiuas victoria comitatur.

CAPVT II.

Christus Dominus resurgens Matri, & Magdalenæ apparet.

OCEANI amarulentos fluctus Sol roseus Christus relinquens, altissimum perfectionis montem Mariam lætis radiis illustrat. Deinde crystallinis lacrymantibus fontibus præsentatus matutinum almæ Veneris sydus Magdalenam præmittit noui splendoris nouique ortus nuntiam.

§. I.

Virgo Maria prima triumphatoris filij gloriam spectauit.

QVos oculos prius requireret nobilis & diuinus triumphator, quàm & matris & Reginæ creaturarum oculos?
Chrysost.
Equidem eleganter D.Chrysost.homil.3.in cap.2. *Non vides aurigas, qui præcurrentes totam illam stadij partem, qua vniuersa ciuitas è sublimi spectat sedes in equestri certamine; ibi contendunt concertatorum currus subuertere, vbi Cæsarem viderint sedentem, & vnum oculum digniorem, cui fidant ducunt, quam tot hominum vultus?* Quippe ea omnium hominum est natura, qua in facinoribus suis spectari gaudent à regalibus oculis; & vnum aspicientis Regis oculum digniorem, cui fidant, habent, quam multitudinis conspectum. Nec crediderim triumphatorem Orci aliò prius spectasse, quam vt sese creaturarum Imperatrici præsentaret; eo primo contendit triumphalem omnem gloriæ suæ pompam conuertere, vbi Mariam nouit sedentem, vtpotè oculos digniores, quibus placeret, ducebat, quam omnium creaturarum etiam Angelicarum vultus.
Rupert.
Vnde Rupert. lib. 7. de diuin. Officiis cap.25. asserit. *Rediuiuus filius, illi ante omnes mortales, materno Virginem non defraudans honore, victoriam suam annuntiauit.* Quibus in verbis illud est singulare, nimirum, materno virginem non defraudans honore, etenim apud prophanos vbi seuera lege à triumphis & certaminibus olympiacis conspiciendis fœminæ vniuersæ arcebantur, vna tamen Phærenices admissa est, cuius oculis sese
Alex. ab Alex.
Olympiones præsentarent. De quo Alex.ab Alex.lib.5.Genial.cap.8.dicit. *Neque ad spectandum mulieres admitti lex cauet, præter vnam Phærenicem, quæ mater, & filia & soror Olympionicarum fuit.* Vbi ergo Maria, & filia, & soror, & mater triumphatorum extitit, ne materno fraudaretur honore, admitti prima debuit ad gloriosum, & filij & parentis, & fratris triumphum, & spectaculum. Præterquam quod cœlestibus hoc est innatum corporibus, vt matri à qua originem ducunt, primas cedant,& maximo in honore habeant. Quod subtiliter obseruatum inueni in corporibus cœlestibus, quandoquidem terrena corpora à terra nata matrem sub pedibus calcant, infimóque loco habent; verum cœlestia, vt ab aquis originem ducunt, sic matrem extollunt, eique primas cedentia aquas super cœlos collocatas habent. Hinc rediuiuus Saluator, totúsque cœlestis factus ante omnes mortales matrē honorans illi primas sui triumphi glorias dedicauit. Fallor, nisi huc respexit illa Methodij ad Virginem salutatio, nimirum. *Salue humanitatis filij fons, salue Spiritus sancti vmbrose mons.* Orat. in hypop. Domini.
Vt autem pateat, quo sale dicatur Virgo humanitatis filij fons, videndum est quam aptè dicatur Spiritus sancti mons. Enimuero vbi Maria Apostolicis omnibus comitata viris Spiritum sanctum expectabat, tunc quasi mater terrenarum & mortalium, sic præpositis filiis ipsa vltimo & infimo considebat loco. Ait enim Lucas Act. 1. singulis percensitis Apostolis. Act. 1.
Hi omnes erant perseuerantes in oratione cum mulieribus, & Maria Mater Iesu. Quod miratus D. Bernard. ait. Bernard.
Ita ne & mulierum sese vltimam exhibebat, vt nouissima poneretur? Quidni? Tunc terrenorum matrem agebat in infimis filiorum constituenda. Vnde præclarè tunc à Methodio dicitur mons: at verò in Saluatoris gloriis non mons; sed fons notanter appellatur, vt cœlestis filij erga matrem comitas notaretur. Sicut enim aquæ eo sunt in honore filiis suis cœlestibus quo primas inter illos habent, sic Maria aquarum æmulata glorias eum filium protulit, à quo præ omnibus ipsa extolleretur.

Ex Ioan.20. Maria autem stabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret inclinauit se, & prospexit in monumentum. Et vidit duos Angelos in albis sedentes, vnum ad pedes, vbi positum fuerat corpus Iesu.

§. II.

Qui externis acquirendis bonis studet, non expers erit fletus.

PVlcrè vocauit Cassiodorus magna externorum bonorum ornamenta *& timida, & tremula*; necessarij enim illorum casus nil possidenti certius pariunt, quam timores, quam lacrymas, quam lamenta. De inclyta illa Prouinciarum Principe Ierosolyma, sic Ieremiæ dixit flebilis camœna Thren. 1. Thren. 1.
Sordes eius in pedibus eius, nec recordata est finis sui: deposita est vehementer non habens consolatorem. Ecce tibi tota ciuitas luctibus, tota fletibus tradita absque consolatore; sed vnde fletus hi euenerunt? Cur & consolatorem in luctu perdidit? An lamenti causam insinuat dum ait, sordes eius in pedibus eius? O vtinam gloria eius filiæ Regis esset ab intus, non ad terrena & lutea bona egrederetur; sed intima & cœlestia bona despiciens pedes in acquirendis bonis externis sordidauit, & exinde non potuit effugere lamenta, sese luctibus & lacrymis dedit. Accipite Rup lib. Rupert.
1. in Ierem. cap.21. *Sordes, inquit, eius in pedibus eius. Quæ recordari debuisset finis sui, vt terram sordidam non tangeret pedibus, non ambiret terrena; sed corpore hic exulans mente conuersaretur in cœlis. Non sic fecit; sed deposita est vehementer amando terram, & obliuioni tradendo altitudinem cœli, non habens consolatorem.* Sanè scaturiunt lamenta ex puluere pedum, vbi pedes affectuum domi se continent, intimis animi bonis figuntur, intrinsecus stant aspicientes in cœlum, ibi exsiccata est lacrymarum vena. At cum primum pedum sordes eorum egressum ad exteriora notare cœperint, tunc patulo sese ore promunt ea lacrymarum fluenta, quæ nullo consolatore impediri queant. Hinc eleganter D.Ambros. Ambros.
lib. 3. de Virginibus, premit illa Ioannis verba, nimirum. *Maria stabat ad monumentum foris, plorans*, quasi inde fleret, quod tota inhiaret externis bonis, ait enim. *Quæ foris est plorat, nam quæ intus est, plorare non nouit.* Nescit lacrymas qui internis animi bonis dat operam, verum Maria hæc solum corporalia & exteriora bona requirens fletibus & lamentis immergitur. Sic ex Luc. 13. ait Tertull. lib. 4. in Luc. 13.
Marcion. *Illic erit fletus & frendor dentium. Vbi? foris scilicet*, quippe forensia bona omnigenis fletibus sudant. Hanc in mundialibus bonis fletuum scaturiginem nouit qui dixit Psalm. 101. *Dies mei sicut fumus transierunt.* Quæ verba sic in Psal. 101.
rem

Chrysost. rem præsentem tractat D.Chrysost.hom.2. in Matth. fatus, *Nónne vides etiam corporis oculos,cum in fumo remorantur, lacrymas semper effundere,si vero pottantur florentibus pratis, & hortis virentibus, multo maiore acici fulgore rutilare? Talis profectò est & mentis oculus, si in prata spiritualis pascatur eloquij, erit totus purus & lucidus; si vero in fumum sæcularium negotiorum fuerit ingressus, ad innumera prorsus mala lacrymabitur ac flebit.* Fumus cum sint externa omnia decora,corporalia quæque ornamenta, procul separa ab illis oculos tuos, ni velis lacrymis & lamentis moueri. Quippe externis bonis opulentissimi hominis meminit D. Lucas his verbis. *Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit, & cogitabat apud semetipsum, quid faciam?* Spectarentur forsan in diuite messe cantilenæ, verba lætitiæ & iubili plena, at non hæc; sed quæ anxietates & molestas curas sonabant, ait enim totus anxius & miserabilis.*Quid faciam:* Quocirca D.Zeno serm.de duplici tentat.gen.ait. *Quid inquit faciam? Quis non talem miseretur? Quis non infelicitatem eius doleat? Angustiatur ex abundantia, constringitur ex opulentia, infelix in præsentibus bonis, infelicior in futuris. Et,vt video,ager ei non tam reditus largiores, quam gemitus attulit grauiores.* Hos parturiunt fructus agri omnes terreni, hæ metuntur segetes ex præsentis temporis bonis,& semen, & messis plena lacrymis, plena lamentis.

Text. Dicunt ei illi: Mulier quid ploras? Dicit eis:Quia tulerunt Dominum meum,& nescio vbi posuerunt eum.

§. III.

Cùm Deus nobis per peccatum auferetur, maximè timendum,eo quod ignoremus,an in æternum auferatur.

HÆc iusti in Magdalena planctus causa, non solum, quod ablatus sit Dominus; sed quod ignoret vbi positus accubet,*& nescio.ait,vbi posuerunt eum.* Diuini spiritus
Ioann.3. mores hi sunt apud Ioan. 3. *Spiritus vbi vult spirat,& nescis vnde venit, aut quo vadit.* Ex quibus verbis meritò nobis
Alfred. magnũ timorem de absentia Dei inuicit Alfredus dum inquit.*Nescis vnde veniat,cum nescis,vtrùm amore an odio dignus sis,& vtrùm misericordiam præroget, an mercedem restituat, an exerceat iudicium scire non possis. Nescis & quo vadat, vtrum videlicet è vicino subsistat postmodum reuersurus, an longiùs eat post multum temporis rediturus, an offensus recedat nunquam denuo reuersurus.* Timenda res & maximis fletibus digna, quãdo abeunte Domino,nescitur vbi subsistat, & redeundi voluntate sit. Sæpius Magdalena absentem habuit Dominum; sed quem facilè litteris repetebat, vt Lazarum fratrem suscitaret; etenim sciebat quæ loca Saluatorem tenerent.Modo tremens absentem plorat,quia nescit vbi positus requiescat, an eo migrauit, quo rursus venire nollet.
Nazianz. O quam sapienter monebat Naz.orat.in S. Baptist. suscitatum Lazarum cernens, his verbis. *Caue, ne rursus emoriaris, funibúsque peccatorum constringaris, incertum est enim, an rursus ad vitam excitandus sis.* Quasi diceret, dum scis facile Dominum è vicino reuocari posse, ne animum mortuum expaueas,ad vitã procul dubio reuocaberis. Sed caue iterum peccatis vitalem Christi spiritum abigere,incertũ est enim quo abeat,vbi subsistat, an venire iterum ad te vellet, per congruam cogitationem, vel in æternum te derelinquet. Ponite vobis ob oculos fallax illud consilium, quo nisus
Iudic.16. Samson misere in hostium manus deuenit.Iudic.cap.16.qui Dalidæ lenociniis captus, in eius gremio, & somno, & laqueis secure semel,& bis,& ter se dedit,& toties incubante crinibus suis spiritu à somno & laqueis facilè se expediebat. Factum tandem est, quod dum iterum fallaci gremio se dormiturus committeret; eius dormientis crines abraderentur, tunc inimicorum clangore excitatus *de somno consurgens dicebat in animo suo,Egrediar, sicut antea feci, & me excutiam; nesciens quod recessisset ab eo Dominus.* Duo in his verbis expende. Alterum, quod nesciret absentiam irreuocabilem Domini; alterum quod sic nesciens diceret, Egrediar sicut antea feci. O communis hominum perditio, eo quod aliquoties se à laqueis mortis liberauerint, dante Domino, non dubitant iterum allaqueari, nescientes quod Dominus recesserit,& an vellet iterum reuertere per con-
Ambros. gruam cogitationem.Sic pulcrè de Samsone fatur D.Amb. epist.70. *Ex somno experrectus faciam, inquit,sicut feceo, & excutiam me super aduersarios, neque animi sui alacritatem, nec virtutem agnouit, nec vigor erat,nec gratia manebat.* Vnum nemo Samsonem æmuletur, & sine conscientia assistentis gratiæ Dei, qua se ab hostibus possit excutere, se committat somno,& peccatorum retibus.Monebat Dominus, *orate ne fuga vestra fiat hyeme vel sabbato.* Quod premens D. Cæ- Matth.24 Cæsar.
sar.Arel.homil.42. inquit. *Quasi apertè dicat, Videte ne tunc quæratis peccata fugere, quando iam non licet ambulare.* Sed potius omnes Magdalenam æmulemur, quæ dum nescit vbi quiescit ablatus Dominus,nil aliud sibi faciendum putat quam lugere.

Textus. Hæc cum dixisset conuersa est retrorsum, & vidit Iesum stantem, & non sciebat quia Iesus est. Dicit ei Iesus; Mulier quid ploras?

§. IV.

Humilitas carnis nostræ Deum gloriosiorem Angelis reddidit.

VNde nouit Maria retrorsum aliquem venire, ad quem videndum conuersa est? Iuxta D. Thom.in Cat. vidit Maria Angelos assurgentes,& figura,& inspectione,& motu nouum alicuius ingressum notantes. Porrò Angeli dum ad sepulcrum sederent, Deum claro intuitu videbant, & tamen sedebant,& cùm primùm Iesum accedentem vidẽt, statim assurgunt, & figura, & motu corporis nouam animi reuerentiam notantes. Cur hoc? An humilitas Saluatoris, & vilitas nostræ carnis Deum venerabiliorem & gloriosiorem reddebant Angelis? Ita planè Isa. cap.6. vidit Dominum Angelicis spiritibus stipatum, etenim illi aderant Cherubin senis condecorata alis, *duabus velabant faciem.*Et ante Dominum,ante filium hominis Cherubin astantia velant facies alis,à Deo vili carne induto splendidiores gloriæ radios fulguratus minimè ferẽtes.Accipite D.Chrysost. hom.2. ibi sic fantem. *Alas vice murorum obijciunt non ferentes radios illinc proficiscentes, & tamen id quod apparebat ad nostram imbecillitatem sese dimittebat. Quid ais, dimissio erat quod videbatur? Erat, sed Dei.* Etenim Deus humilitate radians intolerabilem protendebat gloriam oculis creatis.Ea est humilitatis & submissionis vis, quæ supra modum cæteras glorias extollit & radiare facit. Miraberis? Sed ecce tibi apud Danielem cap.8. Angelus hominis indutus habi- Daniel.8.
tu vati apparuit,quo viso,ait: *Cumque venisset, pauens corrui in faciem meam.* Itaque apparente Angelo in figura hominis, Daniel pauidus ad terram dimittit faciem. Vnde eleganter Chrysost. vbi suprà. *Etenim si Daniel non sustinuit* Chrysost.
Angelum sese ipsi dimittentem videre; sed pronus iacuit, quid mirum si Seraphin expauefacti sunt non sustinentes maiestatem illam intueri, nimirum dimissam, & humiliatam. Humilitas iuncta Angelicis perfectionibus sic extollit,sic illustrat Angelum, vt eius gloria oculos opprimat humanos. Humilitas ergo,& vilitas nostri habitus iuncta Deo sic deitatis acuit gloriam,vt eam venerabiliorem, & fulgentiorem oculis Angelicis faciat apparere. Hinc Paulus ad Philip.2. *Humiliauit semetipsum*, inquit, *factus obediens vsque ad mortem,mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, &c.* Quæ verba premens D.Ambros.serm.20. Psalm.118.ait. Ambros.
Laborauit Apostolus demonstrare, quanta sit humilitatis gratia, quantus eius profectus. Accipe ergo argutis auribus si putas, quòd Christo profuit humilitas sua, cui ergo non proderit? Si illum exaltauit,quem non augebit? Ambiamus igitur nos hanc humilitatem, & demissionem, quæ ipsum Deum Angelorum oculis venerabiliorem facit.

Text. Illa existimans, quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum,dicito mihi vbi posuisti eum,& ego eum tollam.

§. V.

Vnus ille verè dolet absentiam Domini, qui propriis operibus inuenire laborat,vbi verus dolor de peccatis ostenditur.

O Quàm verè dolebat de ablato Domino, quæ nulli parcit labori, vt inueniat, quæ nullum locum expauet;sed ait:*Dicito mihi,& egò eũ tollam.* Vbi eleganter Orig. Origen.
O ineffabilis mulieris audacia, nullum locum excipit,nullum antepouit, sine timore dicit, absolutè promittit, Dicito mihi, & ego eum

eum tollam! Sic sic sunt affecti, qui verè amissum per peccata Dominum dolent, imo hinc elucet quantus sit in animo dolor, si ad paruum laborem subeundum expauet, si ad operis exhibitionem pigrescit, si diligentiam recusat adhibere. Multi dicunt, se de amisso Deo dolere, & maximè dolere, a quibus si quæras quam diligentiam adhibuerint, quem laborem insumpserint, vt perditioni suæ inferret medelam, nihil prorsus ab illis inuenies factum; sed nec facere intendunt. His sese ipsos fallunt, dum se verè de peccatis credunt dolere. Ecce tibi Abrahā iussus iugulare filium, gladium exerit, & Isaac iugulandus ceruicem animosus prætendit, in quo conflictu Deus arietem obiecit, & Abrahami dexteram, & Isaaci ceruicem auertit. Quem horum imminentem iam Isaaci mortem magis verè doluisse credis? Gen. 22. Sanè Abraham pater erat, nec dubito, quin in vnici pignoris internecione vehementer affligeretur; sed & Isaac Zeno. iuuenis sub gladij acie doleret. Quid plura? Accipite D. Zenonem pulcre rem diffinientem his verbis. *Solus Deum doluit, qui aliam victimam procurauit.* Vbi expendo vnde concludat, Deum solum doluisse, nimirum qui aliam victimam procurauit. Sanè etsi patris, & filij viscera sub gladio transfigeremur, nullus eorum dolor putatur, qui nullam fecere diligentiam, vt funestum illud sacrificium auerterent. Ille solus, nimirum Deus doluit, qui vt vidit periculum appropinquare, ariete oblato, illud procurauit auertere. Non verè de peccatis dolet, qui remedium non procurat peccatis, qui sese non offert labori & sudori, vt tantum malum abigat, & sibi Dei gratiam quibuscunque periculis tollat. Proh quàm falsè dolebat de sceleribus ille diues epulo Luc. 16. cum iam positus in tormentis aiebat Luc. 16. *Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui aqua, & refrigeret linguam meam.* Quid miserabilius, nec vt à tantis tormentis liberaretur, ipse laborare volebat, nec di-Cellens. gitum intingere aqua? Hinc grauiter monet Abbas Cellens. de panib. c. 55. *Plenam itaque manum sanguine Redemptoris non extremum digitum in aqua tinctum exposcat conscientia de grauibus confitentis: nec alterius tamen; sed proprio digito velit mouere, & amouere pœnam, quam malè animum mouendo sibi admouit.* Expendo illud, nec alterius, sed proprio digito velit amouere pœnam, quippe dolor confitentis peccata sua, nec laborantis, nec satisfacientis proprio labore, vbi facultas est, nec ingens difficultas, is dolor futilis est, falsus est, epulonis impœnitentis est; ac veræ pœnitentiæ dolor & digitum & manum, & pedes proprios adhibet, vt pœnam debitam peccatis amoueat. Solus enim ille dolere censetur, qui aliam victimam pro anima sua procurat, nimirum mactationem affectuum animalium, qui nulli labori parcit, vt Deum sibi acquirat. Qui ex toto animo ait, Dicito mihi, vbi posuisti eum, & ego eum tollam, id est, dicito modum inueniendi Deum, non refugio laborem, non expauesco dolores, vndecumque eum quæram, & tollam. Chrysost. Ita Magdalenæ voce D. Chrysost. *Si tulisti eum, tantùm per te ostende locum, ego paro humeros meos, & tollo tecum.* O verè pœnitentis præparatio, ego paro humeros meos! Vide verum dolorem, & pœnitudinem illorum, qui adeò misericordiam ambiunt, vt pœnæ impositæ ipsi addant maiorem. Ion. 3. Apud Ionam c. 3. dicitur. *Crediderunt viri Niniuitæ in Deum, & prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis à maiori vsque ad minorem.* Quod meditans D. Hieron. ait. *Viri non prædicant saccum, sed ieiunium tantum, at verò q, quibus pœnitentia indicitur, consequenter ad ieiunium, saccum copulant, vt ambitiosius Dominum deprecentur.*

§. VI.

Vbi Iesus adest, omnia virent, & florent.

Visus fuit Magdalenæ Iesus hortulanus, & meritò, quandoquidem ad Iesu præsentiam marcidæ virtutes florent, & sterilis terra humani cordis virentis honore ve-Gregor. stitur, & mille frugum partus concipit. Pulcrè D. Gregor. ait. *Forsitan nec erranda hæc mulier errauit, quæ Iesum hortulanum credidit, an non ei spiritualiter hortulanus erat, qui in eius pectore per amoris sui vim summa virtutum virentia plantabat?* Vnde marcescens fides Magdalenæ virescerer, ni diuini sensisset culturam hortulani? Hortulanus est Iesus, qui vt accedit sterile solum fœcundat, floribus condecorat, ditat fructibus. Quid magis sterile, quàm peccatori cor? Et tamen ad præsentiam Iesu terrena corda peccatorum salsugine deturpata, florenti fœtuum spe pinguescunt. Allata Ioan. 8. fuit mulier adultera ad Iesum, Ioan. c. 8. imò vehementer à legis Doctoribus accusata; Iesus autem accusationem audiens inclinauit se, *& digito scribebat in terra.* Cur Domine, in terra scribis? Iudex tantum criminis statueris, & tu dimisso iudice terram aras? An videri magis optas hortulanus terram sterilem excolendo, fœcundando, quam iudex damnando, populando? Accipite D. August. ser. 37. de verb. August. Dom. ita sentiem. *Quid aliud vobis significat, ò Pharisæi, cùm digito scribit in terram? Digito enim Dei lex scripta est; sed propter duros in lapidem scripta est. Nunc Dominus in terra scribebat, quia fructum requirebat.* Quasi diceret Iesus, Quid causamini legem adulterio fœdatam? lapidea sunt humana corda, quibus seuerus Deus legem suam inscripsit, quid mirum, si lex in lapide scripta confringatur? Nunc ne vltorem Deum exposcaris, sed humanum, ne seuerum iudicem; sed sapientem hortulanum, qui non confringit lapides; sed excolit terram, & ab sterilescente corde dulces virtutum fructus facit pullulare. O sapiens hortulanus, cuius ad præsentiam sterile peccatorum solum, adulteræ fœminæ mens exculta fructificat, & cordibus lapideis ablatis, terrena humanæ mentis arua fœcundantur, & videmus sterilem in domo matrem filiorum lætantem. Liceat ex prophano Helicone aliquid tanto hortulano propinare: sic enim apud Theocrit. Theocritum, nescio cuius virginis aduentus celebratur.

Omnia tunc vernant, tunc omnia pascua florent;
Omnia plena boues vbera lactu habent.
Cùm virgo huc formosa venit; postquam illa recessit,
Flauescunt herbæ, pastor, & omne pecus.

Tu vide, quam verè dictum in morte Domini, in eiúsque decessu, quòd virtutes flauescerent, quòd pastores orbis, quòd omne pecus. At vbi benignitas Saluatoris iterum apparuit, & eius humanitas stola immortalitatis formosa venit, omnia tunc vernant, tunc omnia pascua florent. Fallor, nisi huc spectarit Isaias, c. 26. vbi alloquens non mortuorum Isai. 26. cadauera, sed iuxta Forerij esplicationem, mortificatos, & afflictos fideles, inquit. *Expergiscimini, & laudate qui habitatis in puluere, quia ros lucis ros tuus.* Quæ verba ex Hebræo sic sonant, *quia ros olerum viridantium ros tuus.* Quippe vt ad matutinum rorem virescunt olera, floréque viuidis coloribus vestiuntur, sic ad matutinum Saluatoris aduentum ex sepulcro omnia vernant, omnia florent, omnia virtutum sata vrgent, cordáque humana exhalant odorem agri pleni, cui benedixit Dominus. Ideò in horto resurrectio fuit peracta Dominica, vt mauult D. Maxim. hom. 2. in Pentecost. di-Maxim. cens. *Ergo in hortulo Saluator rediuiuum corpus assumit, & inter florentes arbores, & candentia lilia caro iam mortua refloreſcit, & ita germinat de sepulcro, vt germinantia, & nitentia cuncta reperiat. Sic enim post hyemalis rigoris frigidam sepulturam pullulare elementa omnia festinarunt, vt resurgente Domino & ipsa consurgerent. Vtique ex resurrectione Christi aer salubrior est, sol candidior, terra fœcundior ex eo surculus virescit in fruticem, herba crescit in segetem, vinea pubescit in palmitem.* Sic ille & sanè, & pulcrè.

§. VII.

Christus Dominus è sepulcro rediuiuus totus exhalat vitam hominibus præstandam.

Magno totius generis humani bono Christus Dominus a sepulcro resurgens hortulani speciem Magdalenæ præfert, quasi iam inde vitam omnibus hominibus præbiturus. Memini enim Caini actum, quo vt vitam Abeli eriperet, illum in agrum duxit, ait namque Genes. 4. *Eamus in* Genes. 4. *campum.* Id quod eleganter ponderans D. Ambros. lib. 2. c. 8. Ambros. inquit. *Meritò dicit, eamus in campum, non dicit, eamus in paradisum, vbi poma florent, non in aliquem cultum, & fructiferum locum, quia videtur veritus, ne largior boni terra prouentus triste facinus impediret.* Equidem non auderet mortem inferre iusto, reclamantibus rediuiuis frugibus, & hinc inde horti germinibus prole fœcundis vitam halantibus. Meritò ergo Dominus cùm deuicta morte vitam hominibus reparat, non eremi cultor, non incola Caluariæ; sed frugiferi paradisi hortulanus apparet, vt mortis facinus impeditū monstretur, & vitæ spem à satis germinibus ebibamus. Hinc humanæ resurrectionis fœcundissimus testis D. Paul. 1. ad Co- 1. Cor. 15. rinth. cap. 15. tanquam apertissima illius signa, & exemplaria fœcunda seminibus proponit arua. *Insipiens ait, tu quod seminas non viuificatur, nisi prius moriatur,* &c. Id quod eleganti stilo, vt assolet, à Paulo haustum decantat D. Zeno Zeno. serm. de Resurrect. his verbis. *Præterea granum vniuscuiusque frumenti in terra interit. Et tamen in ea id quod totus est,*

reuiuiſcit, nec mortem medullitus capit; ſed vetuſti corporis ſuperficie deleta, imo in meliorem naturam iura transmiſſa, felix caput ſuis virentibus, radimitum quaſi ab inferis emerſum in ſuperna ſuſtollit, perennitatem gloriam fructu populoſo testaturum. Hoc Paulo firmante, Stulte, tu quod ſeminas non viuificatur, niſi mortuum fuerit: ſic & reſurrectio mortuorum ſeminatur in interitum, ſurgit in perpetuitatem: ſeminatur in ignobilitatem, ſurgit in gloriam. Ita D. Zeno prudenter cum Paulo ex ſatorum germinibus vitæ glorioſæ. & immortalis exemplar auſpicatus. Quot enim ſunt frugiferi horti, tot ſunt teſtimonia, tot voces, quæ futuræ reſurrectionis gloriam faciunt ſperare. Iam inde aiebat Iſaias c.26. communi Doctorum explicatione. *Viuent mortui tui, interfecti tui reſurgent. Expergiſcimini, & laudate qui habitatis in puluere, quia ros lucis ros tuus.* Vbi Adamus habet, ficut ros, quem apud nos videmus, vitam affert ſatis & plantis, ſic ros diuinus vitam adfert defunctis. Equidem nulla res illuſtriorem renaſcituræ vitæ ſpem conciliat, quàm ſemel & iterum reflorefcens planta, & horti pleni germinibus pullulantibus. Nónne illa Sponſæ vox Cant.8. apud Septuag. *Qui ſedes in hortis, amici auſcultant?* Sed quid à ſedente in hortis amici auſcultarent? Cur ſedentis in hortis vocem adeò concupiſcerent? Pulcre D.Gregor.hom.14.in Ezech.ait. *Amici auſcultabant, videlicet omnes electi, qui vt ad cæleſtem patriam reuiuiſcant, verba vitæ audire deſiderant.* Iam hortulani in hortis recumbentis vox deſideratur, quæ iubeat electis vt reuiuiſcant, déque hortorum exemplo, reſurrectionis ſpem ſollicitet.

Iſai.26. *Cant.8.*

Text. Dicit ei Ieſus, Maria: conuerſa illa dicit ei, Rabboni, quod dicitur Magiſter. Dicit ei Ieſus, Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum.

§. VIII.

Terrenis imbuta mens nequit Deo approximari, certámque patitur repulſam.

MAria voce magiſtri delectata adhuc terrenam conuerſationem procurans, ad Dei pedes aduolat, nihil non terrenum & antiquum meditata in illis. Quid mirum ſi reiiciatur? Quid mirum ſi patiatur repulſam? Qui enim ſeminatus fuerat corporalis, ſurgit ſpiritualis, & de more ſpiritus ab iis ſolùm attingitur, qui ſe terrenis his norunt excutere. Iudic.cap.16. fortis ille Sanſon gremio Dalidæ indormiens ſemel, & bis ligabatur funibus; verùm cùm excitatus reſumpto ſpiritu ſic rumpebat vincula, quaſi filum de ſtupa tortum ſputamine. Tertiò autem cùm eius dormientis crines ligati fuerint ad clauum terræ fixum, pauore inimicorum excitatus non adeò facile reſumpſit ſpiritum; ſed *conſurgens à ſomno extraxit clauum cum crinibus, & licio.* Equidem non priùs accepit ſpiritum, quàm clauum, cum quo erant ligati crines, à terra extraxit. Id quod acutè notans Abbas Ioachimus in 1.p.expoſ. in Apocal.inquit. *Vnde & in præmiſſis duabus pugnis à principio excitato à ſomno deſcribitur ſpiritus adfuiſſe, hic non à principio; ſed poſtquam à terra viſcere clauus eductus eſt.* Non enim diuinus ſpiritus terrenis implicatæ mentis communicatur, excute terram quiſquis & adhærere, & placere cupis diuino ſpiritui. Primorum fratrum munera Deo exhibita ea fuerunt, vt cuilibet liceret prænoſcere, quæ grata, quæ exoſa Deo eſſent futura. Ait enim text.Geneſ.4. *Factum eſt autem poſt multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primitiuis gregis.* Nónne vides Abelis munera ſpirantia vitam & ſpiritus; Caini vero munera nihil niſi terrenum præferentia? Hinc Deo placuerunt illa, & hæc deplorant repulſam. Accipe Ambr lib.1.c.10 prædicantem Abelis munera. *Conſidera quia non de inſenſibilibus, ſed de animantibus obtulit. Plus eſt enim animalis, quàm terrenus, ſiquidem animalis proximus ſpiritualis eſt. Quod animale ſpirat, habet vitalem ſpiritum; non ita quod de terrarum fructibus.* Exoſa eſt terrena mens, terrena cogitatio diuino & puriſſimo ſpiritui, non placet obſequium terrena cogitantis Domino, ideoque Magdalena donec terrenam mentem excutiat. repellitur à Domino tum à terrenis omnibus ſeparato, vt tantùm non aſcenderit ad Patrem diuinum. Sic explico illud, Noli me tangere, quia nondum aſcendi ad Patrem meum, hoc eſt, quia tantùm non aſcendi ad Patrem meum, ſic terrena obſequia faſtidio, ſic à terrenis ſum purus. Ita Epiph. Hæreſ.26. *Saluator hoc dicit Mariæ, vt oſtenderet puritatem non participantem corporibus.* Hæc ille. Deus enim vt purus ſpiritus eſt, ſic terrenis deſideriis grauatas refugit mentes. Moyſem ſubditorum curis inſeruientè liberat ſocer à tanta mole dicens, Exod.18. *Nunc audi me, & conſilium dabo tibi, & erit Deus tecum.* Sanè putabat Deum minimè eſſe in homine terrenis curis pleno. Id quod expendens Auguſt. lib.2.quæſt.68.ait. *Vbi mihi videtur ſignificari nimis intentum humanis actionibus animum Deo quodammodo vacuari, quò fit tanto plenior, quanto in ſuperna, atque æterna liberiùs extenditur.* Hæc ille. Iſte enim eſt Deus, qui fugiat terrenis deſideriis deditos.

Iud.16. *Ioachim.* *Geneſ.4.* *Ambroſ.* *Epiphan.* *Exod.18.*

Text. Vade autem ad fratres meos, & dic eis: Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum.

§. IX.

Res eſt maximè detrimentoſa, quòd cæteris præferaris fratribus, & imperio fulgens humiles deſpicias amicos, & cognatos.

HVc reuoco omnes illos, qui cæterorum amant dominari, & ſeſe ſuper omnes etiam ſuos ſuperciliosè efferre concupiſcunt, quorum ſtultum faſtum diuinè damnat & Princeps omnium & vniuerſorum Creator. Is eſt, qui debellatis hoſtibus, ſpoliis diues, regno Patris potitus, & ſuper omnia exaltatus, etiam tunc ſe inter ſuos vnum, inter fratres numerum prædicat, & deſignat. Dic, inquit, ad fratres meos, Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum, nihil ſibi præ cæteris aſſumit; ſed quaſi prætereiens diuinitatis præcellentiam moderaturus vniuerſos ſuis ſe præmitiit æqualem. Cæteris imperaturum animal cùm conderet diuinus Artifex, ait Geneſ.1. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris.* Ecce ſtrenui moderatoris exemplar, quibus præferri, & ſuperextolli iubebatur *piſcibus maris*, quod pulcre notat Niſſeni acumen ibi orat. 1. & ait, *Vbi eſt imperandi vis, illic & imago Dei. Præſit piſcibus, primum nobis imperium datum eſt in ea, quæ habitatione à nobis ſeiuncta ſunt. Non dixit, præſit animantibus, quæ ſimul cum ipſo ſunt educata; ſed piſcibus, qui vitam in aquis degunt.* O quam longè à diuino exemplari abeſt, qui inter ſuos ſeſe extollit, qui præ his, cum quibus naturam & habitationem participat, imo & educationem, efferri & ſuperferri auet! Vrget diuinus halitus dum Geneſ. 9. ſic inſtruit filios Noë, *Terror veſter ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ.* Quæ verba ſic ponderat D.Gregor.lib.25. Moral. cap.15. *Non ait, ſit ſuper homines, qui futuri ſunt; ſed ſit ſupra cuncta animalia terræ, vt ab animalibus & non ab hominibus timeatur, quia contra naturam ſuperbire eſt ab æquali velle timere.* Te etiam in ſummo faſtigio conſtitutum nouerint tui pares, paueant extranei; ſed fratres fratrem ament. Proh quàm pericoloſè nonnulli ab hac norma deuiarunt! Licet alio data verba D.Ambroſ ſer.14.in Pſal.118. millies ponderare, & ſingulas illorum notas percenſere. *Ioſeph ſciuit ſibi ipſi obfuiſſe, quod prælatus erat fratribus, & iam pius amor miſeriam prælationis inuenit. Prælatio armauit fratres, humilitas conciliauit extraneos.* Sanè piiſſimus Iacob mœrentem iuuenem præferebat fratribus, ſed nihilominus is pius & iuſtus animus non effugiet prælationis damna. Nec effugiet quicumque caput attollit inter fratres, vnde qui ſapit, Chriſti Domini exemplo ſeſe æqualem ſuis exhibeat, nihilque præ cæteris ſibi velit arrogare. Hinc D.Bern.lib.3.de conſid.monet: Præſis vt proſis: præſis vt fidelis ſeruus & prudens. quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam Ad quod vt des illis eſcam in tempore, hoc eſt, vt diſpenſes; non imperes. *Hoc fac, & dominari ne affectes hominum homo: ne dominetur tui omnis iniuſtitia.* Expende illud; hominum homo: quippe inhumanum eſt, quod ſuper homines efferri nitaris.

Geneſ.1. *Niſſen.* *Ambroſ.* *Bernard.*

Text. Venit Maria Madgalene annuntians diſcipulis, quia vidi Dominum, & dixit mihi hæc.

§. X.

Cantatiſſima vbique eſt celeritas in obſequiis præſtandis.

POſt vinculorum nubila iuuentus Ioſeph à fratribus glorioſus in Ægypto factus hæc illis apud Philonem verba

Philo.

verba facit. *Nunc properandum est vobis ad Patrem, vt à verbis potius, quàm à fama accipiat lætum de me inuento nuntium.* Sanè qui occasionem dederant fletibus & ærumnis, nullo magis suum facinus tegerent, quam si ipsi properi & festini lætum de inuento fratre efferant nuntium. Hac prouidentia Dominus post mortis suæ tempestates rediuiuus, gloriáque apparens redimitus, fœminæ, quæ in paradiso hominem perditioni dederat, de ipso inuento lætum nuntium Apostolis ferendum committit. Sicque nefarium fœminæ facinus celeritas fœminæ in annuntiando Christum obtegit, & eliterat. Quid hac celeritate in adimplendo munere magis decantatum? Quid Deo magis acceptum & iocundum? Duo illi gemelli Iacob, & Esau, in vtero matris sese implicabili pugna persequebantur, vicit tandem Iacob inimicum; et-
Oseas 7. enim ait Oseas 7. *In vtero supplantauit fratrem.* Quid tunc? Vires resumens Esau curauit primo nasci, vt celeritate na-
Chrysost. scendi obtegeret infamiam primæ ruinæ. Accipite D. Chrysost. hom. de Iacob, & Esau sic de hoc asserentem, *Esau quærit prior nasci, ne & in hoc possit à fratre deuinci: cupit pudorem properantia tegere, desiderat ignominiam festinatione mutare.* Et quem non commendat festinatio, & celeritas in adimplendo munere? Quem non obtegit pudorem? quam non depellit ignominiam? Pudibunda Magdalena ob primæ fœminæ facinus, magis pudibunda ob propriam incredulitatem, vt inuenit gloriosum & rediuiuum Christum festinatione læti nuntij pudorem obtegit, & fœdam incredulitatis ignominiam properantia pulcrescere facit oculis diuinis. Hinc Philo Caini tardum munus condemnans, nos monet. *Faciunt igitur suum munus obedientes filij, qui naturam patris Dei imitando, incunctanter cum omni festinatione, quod bonum est agunt, qui nihil pulcrius facere possunt, quam quòd honorent Deum sine dilatione.* Notissimæ sunt fœminis pulcritudines, quibus naturæ decorant incurias, ideo pulcherrima fœmina Magdalena omnes ad sepulcrum contractas sordes, lætum nuntium festinanter ferendo decorauit.

CAPVT III.

De eo quod apparet Discipulis euntibus in Emaus.

POST fœminas viris duobus è discipulorum aluo euntibus in Emaus tragœdiam Hierosolymis actam referentibus, itineris socius adest Iesus. Recipiunt illi ignari nouum comitem, cui triste Pharisæorum facinus aperiunt, à quo ignorantiæ castigati de scripturarum lumine illustrati tandem illum in fractione panis recognoscunt. Proh ingens gaudium! euanuit notus Dominus, at ipsi surrexerunt, & abeuntes Hierosolymam Apostolorum lætitiam sua lætitia cumulauerunt.

Text. Ex Luc. 24. Et ipsi loquebantur adinuicem de iis omnibus, quæ acciderant. Et factum est dum fabularentur, & secum quærerent: & ipse Iesus ibat cum illis.

§. I.

Passionis Dominicæ commemoratio certam Iesu præsentiam infert.

QVis Dominicas dolorum segetes animo suo metit ipsius Iesu præsentiam non sustineat? Cuius in mente cogitationes meditata Domini passione purpurascunt, & illis cœlestis Rex non hæret ligatus? Cui sunt labia coccineis Dominici cruoris nobilitata vittis, quem nō comitetur Dominus? Discipuli duo inter se dolores Domini & cruciatus referebant, nec aliud poterant meminisse, nisi id quod intimis erat infixum animis, nimirum crux, verbera, & Domi-
Cantic. 1. ni opprobria, & ecce Dominus illis adest. Duo ex Cant. 1. rectè in rem præsentem perpendit D. Bern. hom. 43. in Cant. Alterum illud est, quod sponsa Dominum meditata illum celsissimo maiestatis solio radiare videns ait: *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suauitatis.* Ecce tibi quam longè discumbebat Rex, quàm à creaturis separatus apparebat, in sublimi erat solio maiestatis, in arcano suo accubitu? sed protinus addit. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus inter vbera mea commorabitur.* Qui modo remotissimo in accubitu erat, iam in sponsæ sinu latitat, iam sponsæ hæret lateri, nec potuit ab illa abesse, vbi in eius pectore, mente & ore doloris, & myrrhæ segetes vidit colligari. Pulcrè Bernard. *Ante in accubitu regio modo inter sponsæ vbera: & qui longè erat, in breui factus est prope.* Vnde in breui Bernard.
factus est prope? quo carmine possem remotissimum Dominum ad me trahere. Pergit ille. *Tu quoque si sapis imitaberis sponsæ prudentiam, atque hunc myrrhæ tam charum fasciculum de principatu tui pectoris, nec ad horam patieris auelli, amara illa, quæ per te pertulit semper in memoria retinens, & assidua meditatione reuoluens.* Vel hoc carmine Deum à cœlo trahes, & tibi sociabis, & quem noscis super pennas ventorum euolantem, altissimis Cherubinorum humeris sustolli, in breui approximantem & lateri tuo inhærentem facies. Ausim dicere, quod vel hinc deberet infallibilis Christi Domini præsentia in Eucharistia prænosci, quod præ cæteris sacramentum hoc viuificæ passionis Dominicæ sit memoriale. Vbi cruciatuum & dolorum recolitur memoria, quomodo ipsemet Dominus non adesset? D. Gaudent. ser. 2. de Manducat. Agni Paschal. sic de Eucharistia loquentem. *Vere illud est hæreditarium munus testamenti eius noui, quod vobis ea nocte, qua tradebatur, tanquam pignus suæ præsentiæ dereliquit. Voluit enim animas pretioso sanguine suo sanctificari per imaginem propriæ passionis.* Ecce vobis Eucharisticum calicem, vt imaginem passionis tradi à Christo Domino tanquam pignus præsentiæ suæ. Etenim nullum certius pignus infallibilis Christi præsentiæ, qua est in Eucharistia, proponi nobis visibile potuit, quam ea res, quæ effusi sanguinis erat imago & commemoratio. Vbi dolores eius commemores, vbi acerbissimos cruciatus, crucem, effusionem memineris sanguinis, iam pignus præsentiæ illius habes, iam tibi adest, tecum est, & tecum obambulat.

Text. Et ait ad illos, Qui sunt hi sermones, quos confertis adinuicem ambulantes, & estis tristes? Et respondens vnus, cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu solus peregrinus in Hierusalem, & non cognouisti quæ facta sunt in illa his diebus?

§. II.

Verè peregrini nullam ciuitatem in terra permanentem habentes hi tenebrarum triumphatores existunt. Vbi de B. Xauerio.

QVid cum nobili triumphatore peregrini habitus? Nónne Imperatori Maximo debellatori mortis, & inferni decentior esset romphæa acuta, aureus baltheus, quam scipio? Proh Deus immortalis, nulla res tam metuenda est, tam exitialis tenebrarum tyranno, quam vel peregrini aspectus. Ausus est hostis crudelis in sanctissimum Iob; sed minimè ausus est in Abraham, Isaac, & Iacob. Cur ita? Præclare Rupert. de Victoria Verbi Dei lib. 3. cap. 5. Rupert.
Iobum considerans Satan circumeundo terram, quomodo etiam non considerauit Abraham, Isaac, & Iacob, fidei promissionem habentes, & propter illam spem peregrinando de gente in gentem, & de regno ad populum alterum transeuntes? Planè considerauit & istos, sed quid ageret? Vt certa domo & patria carentes illos vbique peregrinos vidit prorsus desperauit, & sua arma fragilia aduersus illos habuit, sibique cauit. Nil quod ageret habuit aduersus peregrinos; felix, qui sic se nouit in terra comparare, vt nullibi ciuis; sed in omnibus peregrinus sit & extraneus, is omnium terribilissimus existet tenebrarum potestatibus. Et quidem Dei filius, vt omne regnum peccati deleret, vt æreos mortis muros expugnaret, vt dæmonum contereret carcerem, vt romphæam igneam à paradiso eliminaret, hæc solum sumpsit arma, nimirum peregrini habitum. Sic D. Gregor. Nissen. orat. 1. de Resurrect. saius. Nullo negotio malitiam Nissen.
deleuit. Neque enim superioribus cataractis patefactis, abyssisque proprios terminos transilientibus, & tumefactis, aquarum immensa vis ingruit, qua terram obruens vniuersam, montésque transcendens & montium fastigia superans, orbem tanquam nauigium simul cum ipsis nautis atque vectoribus demerserit. Neque vt Sodomitarum temporibus contigit, ignis & flammarum imber quod corruptum erat, pugnas expiauit. Neque aliud quidquam accidet huiusmodi. *Sed simplex quædam & incomprehensa peregrinatio,*

solo vita lucisque præsentia in tenebris, & regione umbræ mortis considentibus tenebras omnes dispulit, & mortem ipsam interfecit. Expende quo telo transuerberata mors sit, nimirum quædam incomprehensa peregrinatio mortem, & regnum interfecit peccati. Vbi filius Dei relicta patria cœlesti, paterna domo, non habuit vbi caput suum reclinaret, sed peregrinatus sit de gente in gentem, de terra ad inferos, hæc incomprehensa peregrinatio exitialis prorsus fuit & morti & peccato. Qui ergo habitus decentior mortis & tenebrarum triumphatori, quam peregrini habitus? Quo telo deuicit hostem, eo victor discipulis apparuit. O vim & potestatem peregrinantium maximam! Iam nolo mirari, quod Iesuitarum exemplar Indiæ Apostolus post Thomam, Franciscus Xauerius, tam ingentes glorias reportarit. Sanè vicit regnum peccati, idololatriæ vires confregit, quadringenta milliaria animarum propria manu Deo sacrauit, mortis vectes confregit dum decem & septem mortuos viuis donauit, in mortis faucibus uirentia & vegeta membra sui cadaueris conseruauit. Quid mirum? Vniuersum mundum peragrauit peregrinando de gente in gentem, & de regno ad populum alterum. Pertransiit benefaciẽdo Italos, Lusitanos, Bracmanos, Indos, Iapponios, Chinas, qua pene incomprehensa peregrinatione interfecit mortẽ & peccatum. Hunc peregrinum & socium & congenerem sibi acquisiuit Dominicus sanguis, quando eius pretio emptus fuit ager, *in sepulturam peregrinorum.* Quorũ peregrinorum D. Ambr. ser. 51. ait. *Illos peregrinos quos esse dicimus nisi deuotissimos Christianos, qui renuntiantes sæculo, & nihil possidentes in mundo in Christi sanguine requiescant.* Sanè Dominicus sanguis hos sibi congeneres tumulat & amplectitur peregrinos. Hinc iam nota ingens prodigium decantatissimum in Xauerij arce apud Vascones, vbi in imagine crucifixi visus est sanguis Dominicus efferuescere, quoties B. Xauer. graue aliquod periculũ subibat in conuersione animarum. Nónne hoc simile est portento illi, quod noui apud aliquas nobilium familias in Hispania familiare? Quando quis illorũ morti appropinquat, commune familiæ sepulcrum fertur in se commoueri & turbari, quasi iam pararent locum ossa congeneri cadaueri. Sic Dominicus sanguis vt cœlestium peregrinorum tumulus efferuescebat & commouebatur, congeneris peregrini Xauerij norans periculum & calamitatem.

Ambros.

§. III.

Misericordia in pauperes Christum Dominum reddit nobis inuentu facilem.

PEregrinus accessit, qui sese optabat manifestare discipulis, vt in peregrino discipulorum charitas sibi Deum acquireret, & resurgentis gloriæ arcanum præsciret. Nónne peregrinantis Domini vox est illa Genes. 18. nimirum, *num celare potero Abraham quæ gesturus sum?* Enimverò vbi peregrinus Dominus hospitij gratiam fuit expertus, non potest non manifestare hospiti totos suarum gratiarum thesauros. Sic monebat Paul. ad Ephes. 5. *Surge qui dormis, & illuminabit te Christus.* Quæ verba dum examinat D. Paulinus epist. 11. pro *illuminabit*, legit ipse, & attinges Christum: insuper addit ipse eadem verba commentans. *Discute carnalis inertiæ somnum à mortuis curis, hoc est à conuersatione carnali erige mentem, & attinges Christum operando præcepta eius, videbis eum in omni egeno, & tanges eum in omni paupere.* Ecce tibi vbi reuelatur Christus, vbi attingitur; in omni egeno, in omni paupere, quando pauper præmittitur, quando peregrinus accedit, signa, Deum nosco, per sua Christus adest, imò adest oculis hospitis reuelandus. Hinc meritò D. Fulgent. quasi Christum indigitaturus ad Gallam epist. 2. cap. 9. inquit. *Attende Lazarum in paupertate diuitem, in vulneribus sanum, & quidem sine domo; sed non sine Domino; sine veste, sed non sine fide; sine cibo, sed non sine Christo.* Non potest non clarere Christus illorum oculis, qui amice excipiunt & intuentur pauperes. Non diuertamur alio, sed in his ipsis discipulis huius rei videamus exemplum singulare, vbi peregrinum Dominum amice in suum hospitium receperunt, vbi illum pane cibarunt, iam sese illis occultare nõ potuit; sed pane accepto se illis palam videndum reuelauit. Vnde D. August. serm. 144. expendens illa verba inferiùs ponenda, *Mane nobiscum Domine, quoniam aduesperascit*, sic fatur. *Tene hospitem, si vis agnoscere Saluatorem. Quod tulerat infidelitas, reddidit hospitalitas. Dominus ergo præsentauit seipsum in fractione panis. Discite vbi Dominum quæratis, discite vbi habeatis, discite vbi agnoscatis. Panem frangimus, & Dominum cognoscimus.* O quàm amauit discipulos, quando se illis peregrinum monstrauit, accessit peregrinus, vt citiùs agnosceretur Dominus, compendiosam & facilem viam etiam infidelibus demonstrauit, qua Deum tenerent. Bene Haymo fatur. *In peregrini specie apparuit, vt eorum mentes ad misericordiam reuocaret, & eum, quem Deum non cognoscebant, saltem vt peregrinum amarent.*

Genes. 18.

Paulin.

Fulgent.

Haym.

§. IV.

Deus is est cuique, qui vnusquisque sibi est, nullusque est peccatori molestior, quam ipse sibi.

TV solus, aiunt, in Hierusalem, & hæc ignoras? Reprehensionem sonant hæc verba Euthymio, qua discipuli illum hominem dignum putabant. Et meritò reprehendendus erat peregrinus tantorum mysteriorum expers; sed discipuli erant illi peregrini, & stulti, & ignorantes, & reprehendendi. Sanè Dominus in se eam referebat formam, quam illi discipuli incredulitate sua habebant; ait enim Gregor. hom. 23. in Euang. *Hoc egit Dominus in oculis corporis, quod apud ipsos agebatur intus in oculis cordis, quod ipsis in animo suo erat, hoc illis videndum in se Dominus extrinsecus, & manifestè exhibebat.* Ad eos, qui crediderant, dixit D. Paul. ad Ephes. c. 2. *Fratres iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues Sanctorum, & domestici Dei.* Verùm discipuli hi quatenus in infidelitate erant, nondum ciues, nondum domestici Dei censebantur, adhuc aduenæ, & peregrini stulti, & ignorantes manebant, quapropter illis Deus appropians hanc ipsam speciem aduenæ, & peregrini referebat. Pulcrè Agapetus Diaconus ad Imperatorem Iustinianum explicat quis sit Deus vnicuique hominum. *Sicuti exquisita specula tales monstrant vultuum apparitiones, qualia ipsa archetypa, nitidas videlicet nitentiũ, tristes autem tristantium; eodem pacto iustum Dei iudicium nostris actionibus assimilatur. Qualia enim sunt, quæ à nobis præstantur, talia ipse nobis pro parte referens exhibebit.* Quid aliud tibi monstrat speculum, quam te ipsum? Quem vides in speculo, nisi te? Tu tibi per speculum vel places, vel inimicaris? Facies decora & gratiosa quæ tibi in speculo arridet, tua ipsius est; sic accidentis facies, fœdus ille vultus, qui te ab speculo diuexat, & angit, tuus vultus est. Nil aliud præstat speculum, quam te ipsum tibi obiicere; ita Deus Optim. Max. speculum est, & mire pellucidum, in quo is tibi referetur vultus, qui tibi fuerit, qualis accesseris Deo, talis tibi Deus exhibebitur, nihil in Deo acerbũ, nihil molestum, nihil peregrinum nisi tuum, eam solùm vultus apparentiam in hoc lucidissimo speculo inuenies, qua tu accesseris. Causaris in Deo misericordiarum pelago, peregrinum iustitiæ opus? Tu ipse es ille peregrinus, qui te angit, qui te ab speculo, recutitis radiis diuerberat. Non sanè speculum, non Deus, aiebat ille, *sed peccatum meum contra me est semper.* Nemo crudelior fœditatum accusator quàm ipse fœdus homo sibi est dum ad speculum accedit. Vnde D. Ambros. præfata premens verba in Apol. Dauid c. 9. ait, quod sapiens se ipsum in Dei iudicio maximè timet. *Grauem sibi, ait, se iudicat, se ipsum arbitrum refugit, nec sese sibi audet committere.* Nil magis sæuum & crudele in se aspicit turpis fœmina, quàm se ipsam in speculo, nil magis acerbum & hostile peccator videt, quàm si seipsum videat. Vnde arguẽ satis scelestos quosque minatur D. Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 382 dicens. *Sin autem sermones mei turpes vestras actiones coarguunt, tanquam speculum fœdo ac deformi reperiet. Quamobrem aut deformitatem mutate, ac sanitatem reuocate, aut speculum vobis perpetuo ero.* Imò hoc erit in inferno maximum tormentum reprobis, quod cuique ob oculos ponet Dominus simile, in quo seipsum cernens peccator suorum scelerum carnificem se habeat, quo sæuior nullus poterit excogitari. Id quod expendit D. Cæsar. Arelat. hom. 42. Etenim ex eo quod pater familias in Euangelio iubet zizaniorum fasciculos alligari, vt comburantur, sic ille fatur. *Alligate fasciculos ad comburendum, hoc est, homicidas cum homicidis, adulteros cum adulteris, rapaces cum rapacibus, & qui hic similes fuerint in culpa, ibi similiter alligati erunt in tormentis.* Ne quò vertat oculos miser, quin se ipsum videat, & sui figura vexetur, & crucietur ampliùs.

Gregor.

Ephes. 2.

Ambros.

Cæsar. Arelat.

Text. Quibus ipse dixit. Quæ? Et dixerunt de Iesu Nazareno, qui fuit vir Propheta potens in opere, & sermone coram Deo, & omni populo.

§. V.

§. V.

Stultissimus gentium error credens plus passionibus Domini, quàm miraculis, & virtutibus.

QVis non lugeat hanc communem in gemibus stultitiam? Audiunt prædicari Iesum surrexisse à mortuis, ascendisse in cœlum, mira egisse, verbo infirmos curasse, mari,& ventis imperasse, mortuos ad vitam reduxisse, corda hominum in melius commutasse.& tamen quia audiunt simul passum, & crucifixum fuisse, adeò passione hac nituntur, vt diuinitatem tot virtutibus patentem easufflent. Matth. 8. Matth.8 cùm Dominus nauiculam esset ingressus, ecce tibi sæua tempestas, furentes venti,tumentes fluctus nauiculam impetunt perituram. At Iesus imperauit ventis,& mari, & facta est tranquillitas magna.Quid tùc nautę?Procubuissent sanè ad pedes Iesu, illiúsque adorassent & prædicassent diuinitatem. Proh hominum stultitia! Ecce aiunt stupentes, *Qualis hic homo, quia venti,& mare obediunt ei?* Id quod refert,& indignatur D.Hilar. Hilar. expendens quàm barbari,quàm stulti,quàm cæci erant nautæ isti, *quia piaculi gentilis, miserrimique erroris stultitiam demonstrat, quòd eum ex humilitate passionis hominē potius nuncupent,quàm ex virtutibus Deum.* Noscunt eius in mare,& ventos imperium, & tamen quia humanum vultum cernunt,nihil in illo vltra hominem existimant. Quid magis stultum?His simillimi sunt Discipuli.qui in Emaus pergunt,immensam fatentur Iesu potestatem, incredibilem vim norant eiusdem sermonū,& tamen eum ea humilitate passionis hominem potiùs nuncupant, quam ea virtutibus perspectis Deū,aiunt enim,Iesus *Vir potens opere, & sermone.* August. Meritò D.August.ser.144.hunc Discipulorum errorem cum gentium compooit stultitia fatus. *O Discipuli, Propheta erat Christus Dominus,Prophetarum Iudici nomen Praconis imponunt,ad alienigenarum verba deuenerant.Recolite,quòd quando ipse Iesus ait Discipulis suis:Quem dicũt homines esse filiũ hominis? Responderunt opiniones alienas. Alij dixerunt, quòd Elias es, alij quia Ioannes Baptista, alij quia Jeremias. Verba ista alienorum erant, non Discipulorum. Ecce ad ista verba Discipuli venerunt. Nunc ergo vos quem me esse dicitis? Respondistis mihi opiniones alienas, fidem vestram volo audire. Tunc Petrus: Tu es Christus Filius Dei viui, Adimpletor Prophetarum,Creator Angelorum: tu es Christus filius Dei viui.* Hactenus Augustinus. Alienigenarum vocem,& verè discipulorum explorat; qui barbarus est,qui stulto gentium errore tenetur,& Iesu virtutes miratur,& nihil in eo credit supra hominem:at verus discipulus, verè sapiens ex virtutibus eius diuinitatem auspicatur, & prædicat. Imo quò Dei filius se dimittit,vt hominē ostendat,eò illum de virtutibus Christianus extollit, Matth.16. vt Deum manifestet. Etenim vbi Dominus ait, Matth.c.16. *Quem dicut homines esse filium hominis?* Strenuè & diuinè Petrus respondit; Tu es Christus filius Dei viui.Ille se filium hominis dicit;hic illum filium Dei prædicat.Rem ponderat Fulgent. D.Fulg.lib.3.ad Thrasymun.Regem c.15.in hæc verba.*Neque hoc prætereundum existimo,quòd Christo primum se filium hominis nuncupanti Petrus dicat,Tu es Christus filius Dei viui.Etenim Dei filius carnis humanitate suscepta debuit in se sacramentum magnæ pietatis ostendere: homo vero redemptus debuit in hominis filio veram diuinæ natiuitatis substantiā prædicare,vt dum à Redemptore beneficium gratuitæ miserationis ostenditur, à redempto diuinæ confessionis obsequium redderetur.* Equidè vt Domini fuit sese ad nostram infirmitatem dimittere,& passionibus se filium hominis ostēdere,sic hominum debet esse,vt eius virtutibus notatis innatæ diuinitatis prædicatores fiamus.Quis homo potens? Nonne vniuersa vanitas omnis homo stans? Iesus vir potens,cur non magis Deus?Sanè potest fortis imbecillitatem assumere, sed imbecillis attingere fortitudinē nequit; stultus igitur & cæcus est,qui ex passionis infirmitate Iesum hominem nuncupat,& non ea virtutibus Deū.

Text. Et quomodo tradiderunt eum summi Sacerdotes in damnationem mortis, & crucifixerunt eum: nos autem sperabamus quia ipse redempturus esset Israël.

§. VI.

Horrenda facinora minimè euulganda, & prædicanda sunt populo.

HOrrendam Sacerdotum rabiem,stupendam Principum brutalitiam vide quàm modestis vocabulis in hac re prudentes Discipuli obnubilent. Aiunt enim, Quomodo tradiderunt eum Sacerdotes,verè dixissent,quomodo illum vorauerunt; sed euulganda non sunt pio populo maxima atheorum facinora. Eo deuenerat Iudæorum audacia, vt verbo Dei dicerent, Ioann.8. *Samaritanus es, dæmonium habes*: Ioann 8. quo excandescens D.Cæsarius Nazianz. frater in orat. Cæsar. Natiuit. sic in perfidos insurgit. Quo vsque, ô Iudæe, in Deum tuum blasphemus exilles? *Num Samaritanum quoque vocas? nam quod sequitur taceho.* Sanè prudentissimè è duabus blasphemiis minorem tantùm refert,& arguit,maximá altera, nimirum,*dæmonium habes*, nec vt reprehendat,voluit meminisse. Audacissima hæc facinora prorsus tacebantur obnubilanda,ne vel aspectu mundum inficiant.Cum referret Dominus apud Lucam ingens illud supplicium Sodomitarum,qualiter igneis è cœlo fulminibus fuerint cuncti percussi, nihil de illorum peccatis meminit; sed solùm dicit, quòd quando ignea exceperunt iacula,emebant,vendebant, plantabant, ædificabant. Vnde meritò his excandescit Tertull.lib.1.ad vxorem. Tertull. Hæccine tota est causa supplicij,*emebant,vendebant,plantabant,ædificabant,& pluit ignem de cœlo,& perdidit omnes.* Nónne alia fuit occasio tanti supplicij? An non satius esset, vbi ingens supplicium & inauditum explicatur, quod etiam numerarentur ingentia crimina, horrenda Sodomitarum facinora? Sanè inquit ille, *cum dicit, nubebant, & emebant, insignima carnis & sæculi vitia definit.* Verùm quæ horrenda sunt crimina, non euulganda nudè sunt, sed honestis vocabulis obtegenda & obnubilanda. Id quod docuit D. Zeno sermone de patient. Zeno. vbi impatientissimorum hominum censum sic claudit. *Sed impatientiæ hallenus exempla prolata sunt, neque enim studiosè vt arbitror, memorandum, quod optaueris compescendum.* Etenim summa flagitia vix memorantur sine scandalo,quapropter ille concionator prudentissimus, qui ab extraordinarij delicti reprehensione abstineat, vel si reprehendere debeat, illud sub nominibus communibus obiiciat. Namque pulchrè ait Diuus Pacian. in Parænesi, Pacian. *Melius fuerit Attici Solonis exemplo tacere de magnis sceleribus, quàm cauere; eò vsque progressis nostratium moribus, vt admoniti se existiment, cùm vetantur.*

Text. Et nunc super hæc omnia tertia dies est hodie quòd hæc facta sunt. Sed & mulieres quædam ex nostris exterruerunt, &c.

§. VII.

Patienter & longanimiter expectandus Deus in suis promissionibus.

IMpatientissimi homunciones nec triduo Deum norunt sustinere, vanissimis temporalium bonorum mendaciis fixi nulla mora desistent, & vbi ad vera solidaque bona oculos conuertunt, triduana expectatione penitùs fatigantur. Pulcre Isai.c.5.hos notat dicens. Isai.5. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum. Qui dicitis, festinet, & citò veniat opus eius, vt videamus; & appropiet, & veniat consilium sancti Israel.* Ecce vobis in trahenda iniquitate, & vanitate quàm largos submittāt funes, quam longa consistant pertinacia, trahitis iniquitatē in funiculis vanitatis.quasi assuendo funiculos funiculis,vt longissimus,& sine fine funis efficiatur.Verũ vt Deum trahant, dicunt festinet,& citò veniat,& appropiet consilium sancti Israël, nullam Dei moram ferunt, nihil à Deo volunt non festinanter,illũ repellunt,si tantisper tardet. Hunc Isaiæ locum elegāter compomt Rup.lib.1 c.21.cum illo Luc.23.vbi Rupert. crucifixo Domino Hierosolymitani Principes triduanam resurrectionē promissam fastidientes dicebant:*Si Rex Israel est,descendat de cruce,& credimus ei.* Longissimi illi expectatores temporarij Regis,tridui moram non sustinent, vt per resurrectionē Rex & Saluator Israelis verus manifestetur. Hinc Rupert.inquit.*Qui dicitis festinet,væ vobis.Quid enim? Nunquid non multum festinauit. & citò venit opus sancti Israel? Nunquid non citò resurrexit post tres dies? Quid amplius festinare voluistis dicendo,Si Rex Israel est,descendat nunc de cruce, & credimus ei? Quid tam citò venire voluistis opus eius? imò quàm nequissima festinatio fuit.* O quam nequiter plurimi à debita longanimitate declinant, & nimium festinant nullā Dei moram sustinentes. Tertia die se resurrecturum Saluator promiserat, sed hostes triduam expectationem recusant, & Discipuli cùm iam tertium attigerint diem impatientes morulæ triduanam expectationem compleri

non sustinent. Et nunc, aiunt, super hæc omnia iam tertius dies est; ô nequissimam, & præproperam desperationem! tertius dies est? an præteriit? an effluxit? Absit, adhuc dies est, sed iam expectatione defatigantur. Expectassetis paululum, & gloriam potiremini optatam. Isai. cap. 28. monet. *Qui crediderit, non festinet.* Quæ verba apud Septuag. sonant, *qui crediderit, non confundetur.* Vtrumque iunctim explicat elegantet Forer. his verbis. *Qui credit, ne festinet, scilicet videre quod hic pollicetur Dominus, quod si festinauerit, pudesiet, non reperiens quod se inuenturum putabat.* Longanimitati, & expectationi datur optatorum fruitio, at festinatæ & præproperæ impatientiæ pudor restat, & amissio eius quod sperabat. Vtinam vel à cœlo ipso hanc ebiberent Discipuli longanimitatem, & expectationem. Quis maiori ardebat desiderio Christiferæ humanitatis, quàm cœlum? Et tamen longanimè expectauit vltimum diuinæ dispensationis terminum. Sic eleganter D. Athanasius orat. in Ascension. ponderat. *Quid, quod ad eius partum cùm in lucem ederetur, per stellam respiciebat cœlum, quasi ante tempus maturarêt complecti eum, qui in spelunca latebat; sed dispensationis opportunitatem & terminum obseruari oportebat.* Maturauit sanè complecti eum, sed vltimum obseruauit terminum, & finem dispensationis. Cucurrit in primum ortum eius; sed festinationem coërcens expectauit terminum. Vtinam hanc expectationem habuisset primus homo, qua quia caruit, noxam ebibit generi suo. Quem sic pungit Tertull. lib. de Trinit. inquiens. *Mortalitatis inuidia vtique in hominem redit, qui cùm illam euadere posset de obedientia, in eandem incurrit, dum ex consilio peruerso Deus esse festinat.* Itaque vna ad deitatem festinatio Adamum perdidit. O expectasses homo virtutum tuarum consummationem, & Deo persimilis existeres. An non dictum hominibus, *Ego dixi, dij estis?* Sed miserè corruit, dum Deus esse festinat.

Isai. 28.
Forer.
Athanas.
Tertull.

§. VIII.

Maximus metus & terror debet esse viris peccantibus quòd fœminæ sibi adiunctæ bonæ sint.

NOn sine mysterij pondere dictum est, *sed & mulieres exterruerunt nos.* Cur non magis lætificauerunt? Cur non magis gaudiis perfuderunt? Enimverò feminæ illæ deuotione in Iesum feruentes lætissimam eius resurrectionem præuiderant, cuius haud ingratum Discipulis futurum nuntium referebant, quo illos maximè crederent exultaturos. Et ecce vobis illi non lætitiam; sed metum, sed terrorem capiunt, & meritò, quandoquidem viri deplorati vehemens signum est, quòd illo relicto Deus conuertatur ad mulierem sociam, eique suæ largitatis thesauros committat. Hoc crediderim cogitatum esse à D. Athanasio orat. de diuinit. Christi in coniuge Pilati Dei filij magnalia prædicante, sic enim inquit. *Lauanti manus suas Pilato, ac Iudæorum calumnias recipienti nullum vlterius verbum ei fecit Dominus; sed potius vxori oraculum edidit.* Sane quando salus Pilati non adeò desperabatur, quando ipse Iudæorum calumnias respuebat, & sese Iesu ostendebat defensorem, illi sermonem Dominus faciebat, regnúmque suum diuinum ostendebat. At vbi Iudæorum ille calumnias probat, ac sese comparat ad Deum perdendum, nullum ei verbum facit Dominus; sed ad vxorem conuersus, illi sociam adhibet halitu diuino præditam, quasi deplorati viri argumentum manifestum. Notanter dicitur Iudic. cap. 4. *Erat Debora Prophetes vxor Lapidoth.* Nec maius posset ferri testimonium miserrimi illius populi, & per tot annos à Deo derelicti, quàm quòd Deus oracula sua, relictis viris feminæ crederet. Ita meditatur Theod. quæst. 11. dicens. *Existimo enim Deboram in contumeliam virorum prophetiæ donum adeptam esse. Nam cùm in viris nullus inueniretur dignus, qui Spiritum sanctum promereretur, hæc donum sanctissimi Spiritus consequuta.* Exosum populum, infensos viros castigat Dominus, illos derelinquens, & fœminas oraculis illustrans, quæ Dei fauoribus acceptis sint quotidie in contumeliam virorum constitutæ. Cur ergo non exterreantur Discipuli, dum audiunt rediuiuum Dominum mulieribus apparuisse, veriti ne id esset reprobatorum virorum iudicium.

Athanas.
Iud. 4.
Theod.

Text. O stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ. Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam. Et incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis interpretabatur illis omnibus Scripturas, quæ de ipso erant.

§. IX.

Securiores & præstantiores fructus per crucem, & ærumnas acquiruntur.

SAnè oportebat Principem, & Ducem hominum, nos in illam gloriæ vitam vocare, qua securiùs & præstantiùs fructibus ditari possemus. Et vbi securiùs, quàm in cruce, quam in mediis plantati ærumnis & periculis. Nónne apud Lucam aiebat Dominus cap. 24. *Sic oportebat Christum pati?* Luc. 24. Ibi Theophylactus inquirit. *Quomodo sic? per mortem crucis.* Theoph. Fallor, nisi huc spectauerit Dominus quoties & se vitem appellat, & nos iubet esse palmites vitis. Nulla planta vite fructuosior, nulla ditior vite, sed videre licet quo suos & parturiat, & seruet vitis fructus. Id elegantissimè explicat D. Zeno in Psalm. 79. his verbis. *Palmes in scrobem dimittitur, vt animatus ibidem nutriatur, auxiliare illi necessariò iungitur lignum: cuius tutela defensus sese sustollat. At vbi adoleuerit in vitem perfectam, eius omnes crines luxuriosi tenduntur, nodis adstringitur, neq; à ligno, quo portatur, vel cuius ducatu in vberes fructus longiùs inuitata producitur, vi aliqua separetur. Tum solemniter plorans clementer imbre suo rorat, statim oculis apertis folia radiata procedunt, quibus subiecti, ac sese commendantes sequaces fructus arrident; quos Solis ardores, pluuiæ, ventíque exercendo prouehunt, ad maturitatémque perducunt.* Zeno. Hactenus ille. Ecce tibi vnde vitis trahat dulcissimos aureósque fructus, nimirum ex petrosa scrobe, ex imbribus & ventis, ex lacrymis, ex gemitibus, insuper ex adhibito sibi ligno, cui innixa à terra extollitur, aureósque fœcundatur in fructus. O vera vitis Iesus tunc admodum fœcunda, tum verè diues, cùm adhibito crucis ligno exaltaris à terra. Quisque huius vitis palmes es, vide quibus promoueri & sustolli gloriosus debeas, auxiliare tibi lignum necessariò iungendum est, nempe crux, lacrymæ, ærumnæ perpetiendæ, vt sic præstantiùs & securiùs gloriosos producas fructus. D. Augustinus serm. 120. de tempore, meminit Apostolos miris virtutibus eruditos, tamen circa fidem labasse, & latronem mediis crucis periculis in fide conualuisse. Sic enim ait. *Ecce inter signa atque virtutes, attestantibus miraculis, & acclamantibus aliquoties in Discipulis meis iam robusta titubauit, & nunc Christi supplicijs quodammodo contradicentibus in latrone fides nouella conualuit.* Augusti. Cur non conualuisset nouella fides, vbi crucem nacta est auxiliantem? Cur tanto fulcro adhibito inter petrosas scrobes tormentorum vitis non conualuisset Christiana? Annosæ & robustæ illæ inter acclamationes virtutum, inter ipsa miracula titubant, imò & cadunt, non enim aliter vitis diuina aureis palmites suos fructibus cumulat, nisi ab ardore, nisi à pluuia, nisi à fulcro crucis. Hanc si vel ore apprehendat, summitatem cœlorum permeabit. Nónne animaduertisti post diluuium à luto & fimo candidam columbā in arcam euolare? Sed non adeo illam volare a fimo faciebant alæ, quam oliuæ ramus ore portabatur. Vbi crucis vim meditatus Berengosius Abbas de myster. lign. Domin. ait. *Columba sibi ramum deferebat oliuæ, designans, quod virtutum pennis nullus euolare valet ab imis ad summa; nisi ramum studeat reportare cum columba.* Ecce qua via cœli attinges summitatem, si ad gemitus columbæ Dominici ligni addas cruciatus, & tormenta. Non terram cæteræ virtutes in altum ducent, quàm lignum crucis, quam cruciformis labor. Crux enim hoc habet cum cæteris virtutibus commune, quòd in gloriæ coronas extollat suos, insuper & aliud habet singulare, nimirum, quòd coronas portatas acerrimè defendat, & custodiat. Id cantabat Psalm. 6. dicens. *Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* Quasi diceret, eam dedisti nobis coronam, quæ custodita sit, & propugnata vndequaque mille scutis. Quod notans Origenes in Caten. Græc. ait. *Idem est scutum & corona. Vt qui scuto circundatus est, coronetur, & qui coronatur, scuto circundatus sit.* Origen. Sanè nulla res magis patere solet telis, quàm corona! Ornat corona caput, at mille insidiis exponit totum hominem. Heu quoties ruina & perditio aditum per coronam inuenit. Id quod lamentatur D. Gregor. notata illa historia Eleazari, qui à victoria oppressus interiit. Quæ ergo corona hæc est, scutis protecta & custodita. Eam insinuat Didymus in Caten. aiens. *Scutum & corona crux est.* Itaque crux coronas quas parturit, perenniter protegit, & custodit.

§. X.

§. X.

Ingens Saluatoris gloria à passione.

QVot ærumnæ, quot vulnera Saluatorem Iesum adimpleuerunt, tot testes eius ingentes glorias & potestates decantant. Is enim est Iesus, qui contradicentibus cunctis valet gloriosus euadere. Nónne gloriam suam ambitiose commendans aiebat, Cant. 2. *Ego flos campi*, non paradisi floribus, sed campi flori sese gloriatur assimilari. Cur non potiùs purpureo Regij paradisi flori? Cur non cœlesti hyacintho? Cur non florentis horti pulcherrimæ rosæ? an rusticus flos campi ornatior? Sanè hortos regios florere faciunt hortulani sapientis culturæ, & vigiliæ, & custodiæ, illorúmque flores vel cœlum sudum offendit, vel manus ignota perdit, vel nebulæ fumus deuastat. At campus, vt Ambrof. notat D. Ambros. à feris calcatus, & pastus, *quibuscumque siccitatibus agri omne illud quod olitur, in florem quadam virtute genitali ex sese, atque in se succi semper manentis animatur.* Medijs temporum iniurijs, media conculcatione animalium, medijs Solis ardoribus, ex intrinseco succo flos campi suo tempore pullulabit. Ea est enim Domini gloria, qua quibuslibet siccitatibus, quibuslibet iniurijs & ærumnis virtute intima diuini succi semper manentis, ab ipsa mortis ariditate in viuidum florem animatur. Hanc Iesu glo-Cant. 3. riam admirabatur quicumque dicebat. *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, &c.* Quæ verba ac si à Domino dicerentur Discipulis his, qui in Emaus per-Gillibert. gebant, explicat Gillibertus Abb. serm. 20. in Cant. fatus. *Egredimini filiæ Sion de cauernis litteræ, de angusta & ignobili intelligentia. Egredimini, & videte Regem Salomonem in diademate. Videte iam quo modo benedixit coronæ anni benignitatis suæ, quo modo campi eius repleti sunt vbertate.* Sic Dominus Discipulos erudiebat de sua gloria, sic interpretans Scripturas, de angustia & ignobili intelligentia illos ad excellentiorem sapientiam trahebat, qua viderent gloriam resurgere de ignobilitate, & virtutem perfici in infirmitate, & cognoscerent, quòd oportebat Christum pati, & ita intrare in gloriam suam. Quomodo ita? Vt annus ex glaciali intemperie, ex hyemalibus molestijs floridas veris corollas sibi parat: vt campus quibuslibet siccitatibus genitali virtute manentis succi in florem animatur. Sic eodem modo videte quomodo Iesus benedixit coronæ anni benignitatis suæ, quomodo campi eius, id est, caro eius à semper manente viuido diuinitatis succo per intemperiem in florem, per mortem in vitam animatur. Equidem huc spectabat senex ille Isaac, cùm benedictionem imperiturus filio ait, *Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni.* Quæ benedicentis ver-Ad illud Cant. 2. Adsurto vos. ba ruminans D. Ambrosius statim meminit Christiferi agri per pressuras fructificantis, & ait. *Hos fructus redolebat Iacob, qui Deum per pericula sequebatur.* Hi sunt fructus & flores, quibus omni paradiso ambitiosiùs ornantur agri, & campi, imo Christianæ gloriæ extolluntur, prædicantur. Ezech. 1. Iam ob oculos sit currus ille Ezechieli monstratus, planè triumphis coruscus, totus de firmamento conspicuus, de igne clarus, de gemmis radians, de Cherubinis gloriosus. Hunc sic commendat Vates cap. 1. *Et hæc visio similitudinis gloriæ Dei.* Longè aliter D. Ioann. Euangel crucis extulit magnalia, qui post Iesu miracula, post Deum suffixum cruci sic ait. *Hæc dixit Isaias quando vidit gloriam Dei.* Iam expedo, quod hic gloria Dei videatur, cùm superiùs sola Dei gloriæ similitudo. Cur ergo ille vmbram, & similitudinem, hic veram gloriam à se visam fatur? Sanè in glorioso curru sola adumbratur gloriæ imago, & Iudæorum infidelitate, è cruce vera Dei gloria radiat. Pulcrè D. Gregor. homil. 8. in Ezech fatur. *Quid est quod ille similitudinem gloriæ, & hic Dei gloriam vidisse asscribitur? Sed cum Ioannes prius miracula Iesu narrantis, atque infidelitatem Iudæorum postmodum subdidit, hanc Redemptoris nostri gloriam, Isaiam vidisse manifestat.* Et quidem hinc, nimirum ex Iudæorum infidelitate, ea cruce vera gloria coruscat Saluatoris. Adde illud Psalm. 101. vbi dicitur. *Quia ædificauit Dominus Sion: & videbitur in gloria sua.* Porro apud Sionem Discipulis congregatis post Resurrectionem apparuit Dominus, illisque vulnera in passione accepta ostentauit, vt è medijs vulneribus ingens eius gloria splendesceret. Annuit Chrysostom. ibi dicens. *Cum Sion extructa fuerit omnes summum Deum in pristina gloria conspicient, tum maximum, cum in Apostolorum cœtu medio stabit. Nam tum in sua gloria, hoc est, in passionum signis cernebatur. Aiebat enim ad Thomam: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas.*

§. XI.

Christiano sanguini claustra cœlestia aperiuntur, reserantur.

OPortuit equidem Christum pati, & ita intrare in gloriam suam, nullus aditus patebat ad gloriam nisi in sanguine agni. Vituli mactati ritus præscribens Dominus Leuit. 4. inquit. *Infert sacerdos, qui vnctus est de sanguine itus in tabernaculum testimonij, tincto digito aspergens septies contra velum.* Leuit. 4. Et tamen hac sanguinis aspersione velum manebat clausum, reserandum sanè erat velum sanctuarij in sanguine; sed solum in sanguine agni immaculati. Hinc eleganter Abbas Cellens. cap. 15. de Panibus hæc verba facit. *Ecce* Cellens. *agnus agniculus, ecce vitulus saginatus Iesus iugulatur & occiditur. Tinge igitur digitum, & asperge septies contra velum sanctuarij, vt sit tibi clauis reserationis cœli, sanguis passionis Domini. Non obfirmabunt valuas suas cœli, cum viderint sanguinem ad se leuari de visceribus Saluatoris. O quanta reuerentia veneretur, imo cedit velum Angelicarum virtutum digito, agni sanguine madefacto; imo procumbens tremit in occursum cruoris Dei, & creatoris sui. Festinant reserare clausa.* Sic ille. Sic sanè agni diuini sanguini Angelicarum virtutum cedit custodia, sic vel ad aspectum sanguinis diuini hædi reserantur adamantinæ valuæ, ipse Dominicus sanguis arduum gloriæ introitum fecit in vias planas. Vt meritò dicat Paul. ad Hebr. 10. Hebr. 10. *Habentes fiduciam in introitu sanctorum, in sanguine Christi, quam initiauit nobis viam nouam, & viuentem per velamen, idest carnem suam.* Auia erant cœlestia omnia, obseratus & occlusus introitus; sed Dominicus sanguis obseratum, & auium introitum fecit nobis viam tritam & complanatam. Ita D. Anselm. explicat loquens: *quam viam, idest, quem introitum* Anselm. *modo factum viam tritam in patriam ipse initiauit.* Arduus erat paradisi introitus, Cherubini romphæ, posset sanè Iesus sine sanguinis effusione, etiam modo, dato de saluandis hominibus per sanguinem pacto, volare super Cherubim, & cœlesti sese immergere gloriæ; at id efficeret ianuis clausis, & immota custodia. Verum sanguinis sui aspersione custodiæ romphæa extincta est, patentes fores, introitus est complanatus, quo ipse intrans nobis initiauit introitum. Vnde ipse Dominus nos apud Bernard. serm. de vite vrget. *Collige tibi flores meos sanguineos, vt paradisi illinc possis ianuam introire, ante cuius fores Cherubin collocatus est cum gladio flammeo & versatili. Flores ergo sanguinis mei gladij versatilis flammas horrendas ac tibi formidabiles extinxerunt.* Nulla custodia, nullum velum, nulla obseratio non paret diuino sanguini, quando ipsæ Angelicæ virtutes sese effundunt in occursum Dominici cruoris, relictis gloriæ patentibus valuis.

Text. Et coëgerunt ipsum, dicentes: Mane nobiscum Domine, quoniam aduesperascit; & inclinata est iam dies, & intrauit cum illis.

§. XII.

In fine vitæ maximè curandum, quod tibi Iesus adsit.

ODi qui necdum aduesperascente, & inclinata vitæ die interemptorem mortis Iesum exquirunt, vt mortales tutò peruadant fauces. O quam prudenter discipuli instant, mane nobiscum, Domine, & quæ huius instantiæ ratio? Cur alio euntem Dominũ instanter detinetis? Cur cogitis? Sanè, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies. Iam vmbræ humanarum felicitatum quam longissimæ apparent, iam dies declinauerunt, & inutiles facti sunt, iam fumant funereæ mortis faces. Ergo tenendus Iesus, ergo cogendus Dominus, nec à corde, nec ab ore dimittendus. Tenebat Iacob, de quo D. Ambros. lib. 2. cap. 9. fatur, *Dicat nunc aliquis non beatum Iacob, cum in ipsis mortis diebus esset, qui plura cum Deo, quam cum hominibus alloquia miscebat?* Ambros. Totus Deo innixus, vni Deo intentus mortem expectabat. Sic felix Dei sponsa Cant. 1. ait, *lectulus noster floridus*: quibus verbis in Cant. 1. mortis accubitu ex floridi Iesu præsentia ingens sibi meditabatur leuamen. Etenim aliter transferens & commentans eadem verba Philo Carp. inquit, *Accubatio nostra in vmbra:* Philo. *enim cum inclinamur ad mortem, ad te Iesus, solum refugium nostrum & protectio, tu nostra vmbra, tu defensio, tu certa salus & vita. Dicamus cum Dauid, & si consistero in medio vmbræ mortis, non timebo mala quoniam tu mecum es.* Psalm. 22. Nihil præter Iesum quærendum in vitæ inclinatione. Iesum solum spectandum & tenendum putet, qui velit sine metu mortem

expectare. O quam timenda illorum conditio, quibus nec tunc licet à sæculi negotiis vacare. Nónne quioque apud *Matth.25.* Matthæum virgines fatuæ dicuntur? Cur fatuæ? Sic dicit de illis. *Dum irent emere, venit sponsus.* O meritò fatua virgo, quæ inclinata iam die, aduesperascente vita, instante Domini aduentu, pergit ad vendentes, adhuc apud sæculum negotiatur. Vidi plurimos, imo & planxi, quos animam agentes vrgent negotia sæcularia, tunc maximè illis res est cum vendentibus, cum mercatoribus, tunc pecuniarum rationes, tunc æris alieni compositio totam hominis cogitationem peruadunt. Metuo, ne sic Domini priuentur ingressu; feliciores Discipuli, qui aduesperascente die, relictis aliis vnum curant, vt secum Dominum habeant. Quam *Luc.2.* dulciter ille senex Luc.2. *Accepit Iesum in vlnas suas, & benedixit Deum, & dixit, Nunc dimittis seruum tuum Domine.* Vnde *Origen.* sic omnes nos monebat Orig. homil. 15. *Si quis egreditur è mundo, si quis è carcere vinctorum dimittitur, vt ad regnandum vadat, sumat Iesum manibus suis, & circundet eum brachijs suis, totum habeat in sinu, & tunc exultans ire poterit quò desiderat.* Metuat sine hoc lumine mortis caliginem intrare, at si Iesum manibus detineat, dulcibus constringat & liget amplexibus, mortis vmbras non timeat; sed exultans migrabit. Charissimum sibi filium Iosephum in Ægypto regnantem *Genes.46.* videns Iacob Gen.46. *Irruit super collum eius, & inter amplexus fleuit: dixitque pater ad Ioseph, Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, & superstitem te relinquo.* Quæ verba pulcrè in rem præ-*Rupert.* sentem trahit Ropert. lib.9. in Genes. c.17. hisque putat morituris verum mundi Saluatorem salutaturos & amplexuros esse. Ait enim. *Quando Christiane, defungeris, dic vnico Dei Patris filio saluatori tuo: Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam & superstitem te relinquo. Videmus enim nunc per speculum in ænigmate, & in hora qua quisque nostrum moritur superstitem illum relinquimus, qui solus depositis nostris corporibus, & animabus curare sit idoneus.* Hactenus ille.

Text. Factum est autem dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit ac fregit, ac porrigebat illis, & aperti sunt oculi eorum.

§. XIII.

Christus Dominus rediuiuus hominum genus in primæua natiuitatis decus reparauit.

Iob 28. MErito sanctissimus Iob cap. 28. agilem Dei hominis carnem considerans a laqueis mortis euolantem nationis prauæ cæcitatem lamentans fatur. *Semitam ignorauit auis.* Auis hæc D. Gregor. est Christus à sepulcro in æthera subleuatus, auis inquam, iam non super pullos infirmata: sed expandens alas, & super eos volitans, vt pristinos discant immortalitatis volatus. Huius auis diuinæ œconomiam circa hominem, cuius & filius verè dicitur, naturaliter expressam reddit vpupæ auis natura. De qua eleganter notat D. Antiochus homil. 108. *Vpupa*, loquens, *si quando parentes suos viderint consenuisse, & per senium hebetiores esse visu; filij alacres pilos parentum conuellunt, deinde allambunt oculos illorum, mox ipsas parentes suismet alis subiectos excalefaciunt ac refouent, atque ita demum eos quasi pullos recens editos reuocant ad florem ætatis.* O noua diuini alitis circa genus humanum charitas! siccine renouat Iesus veteres homines? Ecce miro è sepulcro rediuiuus volatu veterna cæcitate discipulos affectos conuenit, & sub alis subiectos diuinè excalefacit, ac refouet dicentes, *nonne cor nostrum ardens erat cum loqueretur nobis?* Illorum item allambit oculos, visum acuit, vt cæcitate depulsa primæuæ ætatis ad florem iuuenescant. Cuius status recuperationem in præsenti Christi Domini cum Discipulis ad mensam recubitu agnouit D. Athanas. *Sinaita.* Sinaita lib. 10. Hexaem. his verbis. Factum est autem, cum ipse recumberet cum eis, accipiens panem benedixit & fregit, & dedit eis, eorum autem aperti sunt oculi. *Ecce habes escam: habes etiam per escam visus recuperationem, & Dei agnitionem quem per escam ignorauerunt protoplasti. Deinde quid fit post sumptam escam?* Surgentes ipsa hora reuersi sunt in Hierusalem. *Ecce etiam à casu excitatio; ecce etiam pulcra ab errore reuersio.* Tantum non dixit, ecce in pristinum florem restitutio. Sic parenti homini veterascenti accubat diuinus ales, sic oculos allambit, sic excalefacit, sic refouet, sic, vt pergit Sinaita, *simul accubuit, vt surgeret qui ceciderat.* Calefactus namque homo & visu renouatus veternam exutus maciem in floridam & immortalem exsurgit vitam. Vt dicat D. Chrysost. *Domini resurrectio induxit mundo lætitiam.* *Chrysost.* *Quanto fulget in aspectu, tanto feruet in affectu. Vetus homo migrauit, nouus aduenit.* Sic ille.

Text. Et cognouerunt eum: & ipse euanuit ex oculis eorum.

§. XIV.

Christus Dominus vt peccatoribus adest.

NImirum Deus peccatores amat, quam sæpe differt iustorum fauores, & tardat illis afferre leuamen quasi peccatorum consortio & colloquio occupatus. Componit D. Chrysost. Christum Dominum iuxta fontem Sichar cum *Chrysost.* muliere Samaritana loquentem, cum eodem apud Emaus Discipulis adhærente, & inquit. *Cum oculos eorum aperuit, tunc ex ipsorum conspectu ablatus est. seipsum illis voce non reuelauit, & mulieri dicit, ego sum. Paulo se manifestauit e cælo dicens, Saule cur me persequeris? Saulus vero respondit dicens, Quis es Domine? Tunc ille, Ego sum Iesus Christus quem tu persequeris: hoc & nunc Samaritana dicit; ego sum qui loquor tecum. Quod multis ex Apostolis non reuelauit, hoc meretrici palàm renciat.* Is est Dominus erga peccatores, sic peccatorum saluti inuigilat, vt quasi præ illis iustos obliuiscatur, & despiciat. Sanè non componamus nos Discipulos hos cum peccatrice; sed cum se ipsis, cum tristes ab Hierosolymis abscedunt, & infideli stultitia expectationem suam emortuam promunt, tunc Iesus illorum adest socius infidum animum pungens, ignorantiam tollens, placidis verbis illorum corda refouens & incendens in Dei amorem: at vbi oculos aperiunt, vt veritatis diuinæ attingunt cognitionem, extemplo disparet, nec vllam cum illis iam sustinet moram. Sed cur modo tam citò disparet? Euth. respondit. *Ne amplius* *Euthym.* *tardarent, sed citius ad discipulos reuerterentur; volebat enim eadem die simul omnibus apparere.* Quod modo disparet anxiæ illius erat curæ, qua gregem suum cupiebat visitare; quod antea apud illos morabatur, illius erat amoris; quocirca peccatores ferebatur, quorum causa iustorum gregem videbatur obliuisci. Ioseph ille vbi a fratribus suis cognitus fuit, seseque omnibus manifestauit, hæc illis verba dabat Genes. 46. *Festinate & adducite patrem ad me.* De quo pulcrè *Genes.46.* Rupertus libro 9. capite 22. & dubitat, & fatur, *Qui sit iusto patris desiderio nunc festinat, quomodo tantas hactenus potuit perpeti moras? Videlicet quia si patrem prius inuitasset, quam congregatas ad se fratres suos omnes sub spe saluberrima composuisset, grandem nimis in domo patris sui turbationem concitasset.* Nimirum vbi fratres venditionis rei audissent apud patrem esse Iosephum turbati metu, patris domum minimè introissent. Hinc sui patris vehementer amator desiderium patris sustinet, & moratur amplexus, dum singulos fratres à metu liberat; at postquam fratres omnes spe subleuat & confirmat, iam nec vllam patris videndi sustinet morulam: festinate, inquit, & adducite eum. Ita Iesus verus mundi Saluator anxius gregis sui, si choro Apostolico sese manifestasset, errones nonnulli discipuli infidelitatis rei non auderent se illi iterum coniungere: quapropter desiderium distulit singulos qui aberrauerant visitans, at vbi illos in fide confirmatos vidit, nec mora ab oculis eorum disparet, & in amantissimum gregem festinat, quem propter errantes aliquas oues quasi fuerat oblitus.

Text. Et dixerunt adinuicem, Nonne cor nostrum ardens erat dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas? Et resurgentes regressi sunt eadem hora in Hierusalem, &c.

§. XV.

Algent prophanorum sapientium verba: quæ autem è sacrarum litterarum penu sunt, incendunt corda, & ædificant in fide.

LIcet Christiano Doctori vasa ab Ægyptiis quærere, hoc est, prophanorum sapientum testimoniis doctrinam suam confirmare? Non abnuo, at qui velit animos inflammare, ardentem flammam intimis imprimere visceribus, non è prophanorum, sed è Christi pharetra iacula iaciat. Taceat Seneca, taceat Plato, loquatur Christus, & cor audientium in flammas conuertetur. Miratus sum pulchram illam

illam vicissitudinem columnæ nubis, & columnæ ignis, è quibus Deus populum gubernabat in deserto. *In columna nubis per diem, & in columna ignis per noctem.* Exod. 13. Exod.13. Enimuero quos columna nubis gubernabat in die, eosdem in nocte, & columna ignis illuminabat nocte, & calefaciebat. Nimirum quos per nubeam Christi carnem perdocebat Dominus, eos intimi Spiritus sancti virtus igniebat. Ita eleganter Drogo. Drogo lib. de Sacram. Pas. in hæc verba. Nubes ergo per diem, & columna ignis per noctem, quia & caro tua diuinitatis æstum temperat, & Spiritus sancti lux tenebras nostræ mentis illustrat. Igitur dum loquereris in via duobus Discipulis, & nubes peregrina faciem tuam obtegeret, *nonne*, inquit, *cor nostrum ardens erat in nobis? Ardebat nimirum intus columna ignis, quia foris columna nubis loquebatur ad eos.* Sed vlterius expendo, quod verba hæc non solum incendium inferant internum; sed totum hominem fulciant columnis: columna ignis, & columna nubis, loquitur hæc, & incendit illa & vtraque fulcit, & reddit cor Psal.126. humanum in fide stabilitum. Iam huc spectat Psalm. 126. *Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam.* Sanè exterorum sententiæ & gelidæ & infirmæ sunt, quæ ignem eructant, & stabilitatem, & firmitudinem suggerunt, hæc sunt sacrarum scripturarum verba. Zeno. Nobiscum consentit D. Zeno inter alia sic hunc Psalm. locum commentans. *Cæterum in ædificandis animarum ciuitatibus humanæ artes vacant; inanes enim sunt Philosophorum vigiliæ & otiosæ sollicitudines, & frustratum in inuestigandis naturæ secretis & perscrutandis mundi laboribus studium; sed lapsuram citò domum operatio talis ædificat. Domus ergo ædificanda per Dominum est, nec doctrinis sæculi ædificata consistet.* Vna Christi Domini verba induunt humanis cordibus columnam ignis, vt ardeant, & firmiter in fide consistant. Igitur Dei verba columnæ igneæ sunt, quæ muniant mentem, incendántque & illuminent. At prophanorum verba nihil humanis cordibus meditantur, præter excidium & ruinam. Iosue 7. Iosue 7. expugnata Ierico, miserè corruebant Israëlitæ, quæ ruinæ causa? Sortium designatione manifestatus Acham inter alia, inquit, *regulámque auream concupiscens abstulit.* Origen. Orig. ad hunc locum perueniens homil. non dicit regulam; sed linguam auream ablatam putat, cuius causa ingens illa grassabatur pernicies. Tunc sic monet. *Si Poëtam legeris modulatum versibus & perfulgido carmine Deos, Deásque texentem, ne delecteris eloquentiæ suauitate. Lingua aurea est, si eam sustuleris in tabernaculo tuo, si introduxeris in cor tuum, ea quæ ab illo afferuntur, polluet omnem Ecclesiam Domini.* Vt videant quanta mala causent religiosi viri, qui vanissimorum hominum student libris.

§. XVI.

Qui & si in peccatis lapsus bona exercitia & orationes non deserit, citò se à peccatis liberat.

VBi dictum est, quod regressi sunt in Hierusalem eadem Sinaita. hora, rectè monet D. Anast. Sinaita supra allatus. *Ecce pulcra ab errore regressio.* Etenim quasi desperata salute per Iesum hi discipuli abibant à reliquis; verum protinus relicto errore iterum ad gregem regrediuntur. Vnde tam fe- Euseb. Emissen. lix & propera regressio? Causam reddit Euseb. Emiss. in præsenti. *Beati, cum quibus ambulat Iesus, beati cum quibus ambulat salus & vita, qui quoniam cum luce vadunt, diu errare non possunt.* Per infidelitatem ex corde Iesum eiecerant, tamen quia vel extrinsecus cum Iesu ambulabant, consuetos de Iesu miscebant sermones, eum præsentem habebant, celerem obtinuerunt ab errore reuersionem, diu errare non potuerunt. Horum similes sunt omnes illi, qui & si peccatis obtenebrati sunt, externa orationis, & sanctorum exercitiorum opera non deserunt, in ore & præ oculis Deum trahentes, hi non diu errabunt; sed citò ad Deum conuer- Psalm.50. tentur. Dauid Psalm. 50. *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci.* Expende coniunctionem, nimirum malum coram te feci, quasi diceret, nec peccans tuum conspectum fugi, orationes minimè deserui, te in ore & præ oculis etiam tunc habebam: hinc pœnitentia ductus ad te reuertor. Sic Origen. homil. 11. Exod. *Qui pleniorem scientiam Dei accipiunt, etiam si malum faciant, & in conspectu eius faciunt. Sicut ille qui dixerit, Tibi soli peccaui, & malum coram te feci. Quid ergo plus habent qui malum coram Deo faciunt? Illud profectò, quod continuo pœnitent & dicunt, peccaui.* Iam qui ob humanam fragilitatem in peccata ruitis, ne omnino Deum deseratis, sed quando ab intimis animi recesserit; tamen eius memoria præsens vobis occurrat in oculis, in ore, in operibus sanctis, vt vel sic diu errare nequaquam possitis.

CAPVT IV.

De apparitione facta Discipulis congregatis sine Thoma.

IVdæorum metus Christianum gregem intra domus claustra coëgerat, vbi diuinus pastor circa solis occasum suos visitat & fouet agniculos. Metuentibus vulnerum præfefert cauernas, vt ibi à malis incurrentibus custodiantur. Lætus conuescitur, fabulatur, & ideo ex cruce resurrectionis gloriam oriri commemorat, vt nemo peccator, nisi ex pœnitentiæ mortificatione nitatur ad cœlestia gaudia euolare.

Text. Ioan. 20. Cum ergo sero esset die illo vna sabbatorum, & fores essent clausæ, vbi erant Discipuli congregati propter metum Iudæorum, venit Iesus, & stetit in medio.

§. I.

Metus sæuientium rabidorúmque hominum, vt cadat in constantissimos viros.

MEtuunt sæuientes Iudæos Christi Apostoli, an ideo meticulosi dicentur & pusillanimi? Abnuit D. Cyrill. in Ioan. lib. 12. cap. 53. imo vel ex hoc metu prudentissimos & fortissimos viros Apostolos autumat. Quis prudens non timeat rabidissimi hominis furorem! Sæuiente Herode in Messiam, mandat Dominus per Angelum ad Ioseph Luc. 2. Luc.2. *Accipe puerum, fuge in Ægyptum:* circa quod & venustus & elegans fatur Chrysol. serm. 150. Chrysol. *Persequente homine Deus fugit, sæuiente terra cœlum trepidat, & volitante puluere pauore turbantur Angeli, & pauor patris filio fugiente monstratur.* Ea est enim furia humani cordis, quæ sola nullis carceribus constringitur, quæ sola omni exorbitat à lege. Ferocientia maria certis legibus conclusit Dominus, nec mare vnquam transiliuit fines suos, sic omnium creaturarum iras intra certos carceres frænauit, quos minime transilient. Vnum hominum reliquit in manu consilij sui, vna hominum feritas propositos naturæ carceres rumpit, terminos transilit, & à legibus exorbitat diuinis. Furente igitur homine, suis legibus, suis finibus præscriptis, timet Dominus, quis etiam non timeat etsi prudentissimus, etsi fortissimus? Hanc reddens rationem D. Athanas. de fuga sua, cur strenui Christi Athanas. milites, fortissimíque religionis Christianæ duces aliquando à persecutoribus sese subducebant, inquit, *Illis curæ fuit, neque præsentiam eius temporis reformidare, neque decretum à prouidentia terminum ante capere, aut dispensationi diuinæ repugnare, ad quam se reseruari certi erant.* Is timor fortissimos homines vexabat, ne præscriptus à Deo terminus transiretur, ne diuinæ dispensationi repugnaretur, cui quia sola furia hominum repugnare valeret, ideo à furentibus hominibus cauebant, qui intrepide morti, tormentísque se traderent. Pro qua re affert ipse Athanas. maximorum vi- Athanas. rorum exempla in hæc verba. *Siquidem Patriarcha Iacob, qui antea Esau fugiebat, idem vbi mortem præsentem videbat minimè expauit, quin eo potissimum tempore singulis Patriarchis pro cuiuscumque meritis omnia benedictionésque irrogauit. Magnus item Moyses ille, qui se ante Pharaoni occultauit, & ad Madianitas abijt, accepit Dei mandatis, in Ægyptum sine metu redijt. Petrus quoque, qui ob metum Iudæorum in latebris se habuit, gestiebat se mactari.* Ecce vobis contemptores, imo amatores mortis metu delitescentes, & ab hominum rabie se abducentes, quo metu tam Deo erant grati, vt interea cœlestibus visionibus recrearentur. Id quod notat deinde ipse Athanas. fatus. Athanas. *Certe Iacob inter fugiendum pluribus visionibus, iísque diuinis dignus est habitus. Moyses item Deo charus cum in fuga esset, tum demum vidit illam magnam visionem, ereptúsque à persecutoribus Propheta in Ægyptum remissus est.* Sic modo timentes Apostolos, à Iudæorúmque oculis se subducentes recreat Dominus rediuiuus, eósque lætitia cumulat & gratiis.

§. II.

§. II.

Nulla res magis Deum illicit, quam mortis eius imitatio.

ECce ad Discipulos congregatos in cœnaculo festinus Iesus aduolat; sed scire cupis quem præferrent tunc discipuli Dei illicem, quo Deum ad se festinato cursu traherent? Eum notat D.Chrysol.serm.83. *Erant inquit, clausi propter metum Iudæorum; non erat domus illa, sed carcer, sed sepulcrum; tunc tota ad discipulos pœna Dominica transierat passionis, & non solum lateribus eorum; sed & cordibus doloris lancea tota figebatur, tunc tristitiæ claui affixæ manus eorum, pedésque tenebantur.* O veros Domini amatores & amicos, qui vt amicum & Dominum sepulcro conditum, eiúsque pedes manúsque transfossas norunt, sic se ipsi afficiunt, vt domi sepulti transfixis pedibus teneantur. Sanè amici Iob illius ærumnam obstupescentes c.2. *Exclamantes plorauerunt, scissisque vestibus sparserũt puluerem super caput suum in cœlum: & sederunt cum eo.* Id quod expendens Orig.lib.3. sic ex illorum mente loquitur, *Quæ fecisti, inquiunt, ô Iob facimus, & quæ gessisti gerimus, vestimenta nostra scindimus, & terram super capita nostra spargimus, sic namque & tu fecisti ante paululum, vt aiunt, ô Iob! vtinam cæteros dolores tuos tecum diuidere possimus.* Sic amici eadem quæ in Iob peracta noscunt, ipsi in se faciunt, quantumque potest fieri illius in se miserã conditionem transcribunt. Quo expendo illud, *& sederunt cum eo*, quasi similitudine dolorum eius mercati societatem & præsentiam. Itaque Iesu amatores & discipuli in formam dilecti sepulti & transfossi sese transfigurantes, domi vt in sepulcro se condunt, & fixis pedibus præ tristitia tenentur clausi. Per hæc Dominicæ mortis stemmata Dominum ad se trahunt, quandoquidem nulla res sic Regnatorem Iesum illicit, quam eius morientis imitatio. Volantes aues sollicitat & trahit similis auis infixa ramo, sic à sepulcro & cruce auolantem Dominum sollicitant & trahunt ij, qui mundo crucifixi, mortis illius & sepulturę induunt imaginem. Hũc sibi effinxerat illicem quæ dicebat Cant.5. *Surrexi, vt aperirem dilecto meo, manus meæ distillauerũt myrrham.* Merito cuius manus sudabant myrrham, hoc est, cuius opera Dominicam referebant mortem, & sepulturam, exsurgit aperire dilecto Christo, veniendum illi certo certius erat, cum suæ mortis imitatores videat. Vbi myrrhæus Dominicæ mortis olet puluis, patentia sint ostia, iam iam aduentat Dominus, nescit enim morari, sed liberum per talem mortis suæ imitationem nactus ingressum, ibi hospitandus accedit. Ita D.Ambr.libro de Isaac cap.6. præfata commentatur verba. *Surrexi, inquit, aperire, & opera eius & facta mortificata sunt mundo. Talis enim debet esse anima, quæ verbum est receptura, vt moriatur mundo, & consepeliatur Christo. Sic enim Christus inuenitur, & tale quærit hospitium.* O vtinam sic vniuersi disceremus commori & consepeliri, sic manibus pedibúsque domi figi, vt pœnam Dominicæ passionis accipientes, præsentia frueremur Dominica, & nulla interposita mora nostris manibus glorias tractaremus illius. Sic erat affectus D.Paulus ad Galat.cap.6.his verbis. *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Ecce in Paulo imaginem crucifixi, ecce in homine Dominicæ passionis pœnam translatam. Vnde sic loquitur D.Chrysost.de cõpunctione cordis libro secundo. *Dixit Paulus, quia mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Vides ergo quantum longe erat, & quantum peregrinabatur ab ijs, quæ aguntur in terris? Vides quomodo super terras incedens ipsum tenebat verticem cœli?* Et cœli vertex, & cœlorum Rex inclinatur ad eos, qui imaginem induunt Dominicæ mortis & sepulturæ, inter quos gloriosæ vitæ claritas maximè effulget & apparet.

Chrysol. Iob 2. Origen. Cant.5. Ambros. Chrysost.

§. III.

Christus Dominus maximum habet honorem ijs, qui compatiuntur.

EAdem Iudæorum rabies, quæ Christum Dominum extra ciuitatem eiecit, & in putrescentium damnatorum loco mulctauit, discipulos de morte Domini tristatos, doloréque transfixos intra domum clausit. Id sane crucifixus & iactus Dominus prouidebat eorum, qui compatiebantur consulens honori. Iob 2. dicitur de illius amicis quod *sederunt cum eo.* Sed Iob sedebat extra ciuitatem in sterquilinio, numquid & amici eodem in loco manserunt? Accipite Orig.lib.3. Non tanta multitudo dolorum inundauerat Iob, vt ille honorem ad se venientium non intelligeret, vt dignitatem præsentium non consideraret. Quamdiu ergo venirent illi, illo vsque foris erat in murana instrata, omnibus euidenter ostendens passionem suam. *Postquam vero memorati viri venerunt, deferens honorem sinceritati eorum & honorificans personas introiuit in ciuitatem, & sedit in domo.* Non passus est simul dolentes in sterquilinio manere; sed ipse sese ad domum recepit, vt illos honoraret. quod quam verum sit tu ipse meditare. Verum non superat hæc cura illam, quam Dominus habuit de iis, qui compatiebantur, cum enim ipse solus sine cõsolatore extra ciuitatem subiret, mortificatos discipulos domo excipit, ibi seruauit & honori habuit. Quid mirum, quod compatientium honori modo Dominus prospiceret? Is est Iesus, qui multo ante suæ passionis imaginem Ionam Prophetam fecit in ipsa morte à nautis honorari: ait enim text. cap. 1. *& tulerunt Ionam & miserunt in mare.* Vbi Remigius Altisiodorensis expendens illud verbum, tulerunt Ionam, fatur. *Tulerunt, id est, quasi quodam cum honore & obsequio portantes, non præcipitantes miserunt in mare.* Ecce tibi quanta prouidentia compatienti Ionæ & Dominicam passionem præfigurãti in ipso mortis articulo honor fuit habitus. Sane vbi libet prosequitur Deus eos, qui compatiuntur honore maximo.

Iob 2. Origen. Remig.

Text. Et dixit eis, Pax vobis: & cum hoc dixisset, ostendit eis manus & latus.

§. IV.

Infidelitatis Regnum cadit, vbi pax introducitur.

SIne Baccho, & Cerere, aiunt, friget Venus, & quidem sine Marte tota infidelitas euanescit. Bella fouent hæreses, nec nouit error progressus facere, nisi vbi rixæ bellicique tumultus afflent. Vnde prudenter monet D. Cyrill. Hierosol. præfat. ad Catech. fatus. Cæterum Draco circa viam transeuntes obseruat, caue ne te veneno infidelitatis inficiat. Videt tot saluatos, & quærit quem deuoret. Ad patrem spiritum ingrederis; sed per Draconem transis, *quomodo igitur illum præteribis? Indue pedes tuos apparatu Euangelij pacis vt etsi te mordeat, non nocere possit.* Expendo illud, vt etsi te mordeat, non nocere possit: quasi insinuet, quod etsi infidelitatis veneno imbuatur quis, per Draconis morsum, tamen dum de pace gaudeat, illáque fuerit armatus, nullum ab infidelitate damnum diuturnum capiet. Non adolescit error infidelis inter pacificos; sed protinus euanescit: vt merito dicat D.Chrys.hom.16. *Sicut cœlum splendor solis, ita Ecclesiam fulgor pacis illuminat. O quam desiderabile nomen pacis, quam religionis Christianæ stabile fundamentum & altaris Dominici cœlestis armatura.* Exsurgit Christiana fides, mirũmque in dies capit augmentum, hac vna subiecta pace à qua & fulcitur & armatur Ecclesia, vt errorum depulsis tenebris, certam suæ celsitudinis obtineat mẽsuram. Huc spectat Psalm.71. *Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis, donec auferatur luna.* Bene stabile pacis fundamentum supponitur, vt mobilem varietatem suam auferat luna, vel si mauis lege, *donec extollatur luna:* vt simul per pacis exhibitionem decretio errorum, & Ecclesiæ Christianæ explicetur augmentum & sublimitas. Sic D.August. *Donec extollatur luna, tanquam diceretur; orietur in diebus eius iustitia, siue contradictionem & rebellionem tollat & fiat pax in tantum crescens & abundans donec luna extollatur, id est eleuetur Ecclesia per gloriam resurrectionis cum Christo regnatura.* Ecce à pace luna aufertur & extollitur luna, quod vanum est: quod errorum tenebris obscurum ex templo tollitur, quod clarum, quod luminosum est procedit & crescit vsque in perfectum diem. Recte Gen.15. dicitur. *Ibis ad patres tuos in pace;* quasi pax sit quæ in beatitatem prouehit cunctos. Sic Rich.Vict.de diff.sacrif.Abr.& Mar. fatus. *Ergo illi pacem properabat, qui in pace iturus erat. Ibat per pacem & ad pacem, per pacem internam ad pacem æternam. Per pacem illam quæ mutuo sibi conciliat omnem sensum, ad pacem, quæ exuperat omnem sensum.* Vnde vt ostendat pacis vtilitatem egregie Optatus Mileuit.lib.7. aduers. Parmenianum fatur. *Apostoli pro bono vnitatis, noluerunt à communione Petri recedere, eius scilicet, qui negauerat Christum. Quod si maior esset amor innocẽtiæ, quam vtilitas pacis, dicerent se non debere cõmunicare B.Petro qui negauerat Magistrum.* Adeo sanctum debet esse ius pacis, vt propter illam quandoque conniueamus ad peccata castiganda. Hinc diuinus Pastor Christus inter infidelitatis tenebras enitentem erumpere lucem fidei in discipulorum cordibus excitat & afflat, & confirmat, dum pacis nouæ præconium edicit.

Cyrill. Hierosol. De recipiẽdo Seueriano. Psalm.71. August.

Nouit enim rabidiſſimi lupi aſtum,qui vt Chriſtianas oues perderet, nihil illis citius immittit,quam diſſidia, ait enim Ioan. 10. *Et lupus rapit & diſpergit oues.* Quid eſt diſpergit? Anſelm. Pulcrè D.Anſel. *Diſpergit*,inquit, *oues, quia diſſipat eius actiones, vt omnia quæ fecerit ſint incompoſita & incongrua & diſſidentia.* Itaque lupus diſſidium ſemioat, vt oues eripiat, è contra Paſtor bonus pacem ſuggerit & concordiam vt exſibilatis lupis,fiat vnum æternò duraturum Chriſti ouile.

§. V.

Præpoſtera omnia fiunt per diſcordantium ſuffragia.

ECce primis renaſcentis Eccleſiæ comitiis, quid magis omnium princeps ſtatuat & commendet, oimirum paeem & concordiam. Equidem none primo vniuerſam Eccleſiam conueoiſſe videns Dominos, oihil prius duxit illis commendandum, quam paeem,ſine qua fieri nequit, vt rectus otdo familiæ componatur.Eleganter enim notans Diu. Chryſol. Petrus Ch.yſol. ſerm 84. bonum pacis exhibitæ Apoſtolis iunctis in vnum inquit, *Quibus niſi pacem ſuam Chriſtus dediſſet, & Petrus qui primus erat omnium putaretur inferior, & ſequens indebite forſitan colleretur aduerſus primum.*Papæ! hæc ſunt diſcordantium vniuerſa ſuffragia, quæ ſemper ooeint & extollendum deprimere & deprimendum extollere.Vbi in quauis familia diſcordias videris, & diſſidia pullulare. iam inde puta primos vitos in ſentina ſeſſuros, & oouiſſimos ad puppim collocandos, & nulla morum mutatione facta, erunt quotidie nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi. Id quod egregiè expendit, imò plorat Naz.orat.3 de Pace, qua ab Eccleſia exſibilata inquit. *Ipſa calculorum inuerſio eſt: nam cum deprehenſi conuictique fuerimus* (puta paucis turbatores)*tum pij atque orthodoxi ſumus, falſóque ad veritatem confugimus, quaſi pro fide ſimultates feramus.* Vnus cunctos beat affectus,ſi ambitioni placeo, pius & ſanctus ſum,ſapientiáque omnimoda verſatus;ſi aliò pergo. ſtatim & ſapientiam Nazianz. amitto & ſanctitatem. Pergit Naz. hæc indignans. *Quiſquis es qui ita officeris ſtolidiſſime & vecordiſſime, hic tibi heſterno die pius erat, qui fit itaque vt idem hodie impius ſit, cum nec verbo, nec ſcripto quicquam, vel addiderit, vel detraxerit; ſed in eadem fidei ſententia hæreat, eundem aerem exhalet, eiſdem oculis eumdem ſolem intueatur.Atque etiam tibi hodie libidinoſus & impudicus eſt, qui heſterna luce Ioſephum ſoſtitate referebat, & Iudas hodie vel Caiphas, qui heri Eliam,vel Ioannem moribus exprimebat. Quin etiam palorum illum magnorum virorum florem, hoc eſt pallorem,aut vocis moderationem & tranquillitatem, heri ſapientiam,hodie vanitatem inanémque gloriam nominamus, atque eundem aduerſus malos ſpiritus potentiam nunc Domino Ieſu, nunc Beelzebub aſcribimus, & ad iniquam prorſus contentionis normam has res exigimus.* Hæc ille diſcordiæ narrans præſtigias, quibus nouiſſimi apparent. Vtinam nulla Chriſtiana familia huius rei experimentum caperet, quod Dominus præcaoens ſuis pacem commendauit vt ordinis matrem, vt veritatis aſſeclam.

§. VI.

Chriſtiana pax non expers eſt belli, imo eſt pugnax & belligerans.

QVem non moueat, qnod Dominus commendet pacem Diſcipulis, eo præcipuè tempore, quo inituri ſunt bellum cum toto orbe terrarum? Illos mille bella expectant, mille exercitus vocant, gladij, lanceæ, ligna, ignea fulmina petunt, & in hæc ſtrenuè proſilituros paee armat Saluatot. Quæ pax intee hoſtes, intee inimiea arma? Sanè hæc eſt pax verè Chriſtiana, quæ non deſidioſos;ſed acres, ſed belligerantes facit. Reuocate in memoriam ſanctiſſi-
4.Reg.22. mum & religioſiſſimum Iudæ Regem Ioſiam.Is 4.Reg.cap. 22. vehementer dolens legem à maioribus conculcatam, miſit præcipuos viros, qui Prophetidem conſulerent, quæ ſic reſpondit Regi.*Pro eo quod audiſti verba voluminis,& perterritum eſt cor tuum, & humiliatus es coram Domino: ideirco colligam te ad patres tuos, & colligeris ad ſepulcrum tuum in pace.* Expende Dei infallibilem promiſſionem Ioſiæ exhibitam,quod moriturus erat in pace. Nihilominus tamen Rex Ioſias duro in bello ſauciatus occubuit:ſic enim habet cap. 23. *In diebus eius aſcendit Pharao Nechao Rex Ægypti contra regem Aſſyriorum ad flumen Euphratem; & abijt Ioſias Rex in occurſum eius,& occiſus eſt in Mageddo.*Cur ergo dicitur moriturus in pace, qui dimicans & pugnans aduerſus hoſtes occumbit? Sanè ſanctiſſimum & Religioſiſſimum Regem non decebat pax deſidioſa, inermis & infirma;ſed pax glorioſa, quæ minimè hoſtes ſecum admittat.Enimuero Ægyptius Rex aduerſum Syriam per Iudam tranſire cupiens fœdera pacis a Ioſia requirebat, qui bellicos tumultus in Regno ſuo recuſans, dum illos nititur expellere, in bello occubuit, ea pace, quæ decet ſtrenuos vitos, quæ omnia aduerſantia recolat. Huc ſpectat Niſſ. in Eccleſiaſtem ho- Niſſen.
mil.8.ſic mooens. *Pacem habeamus apud Deum, propterea quod hoſtili & infeſto animo fuerimus aduerſus aduerſarium.* Itaque tunc Chriſtianam & deificam obtinemus pacem, quando hoſtiliter aduerſus Dei inimicos paramur, hoſtilis & pugnax Chriſtianorum animus contra aduerſantes cupiditates, contra graſſantes errores, is eſt pacificus animus, qui decet ſanctos, qui decet filios Dei. De hac pace gratulatur Dauid cœleſti Ieruſalem Pſalm.147.cum ait, *qui poſuit fines* Pſal. 147.
tuos pacem. Sanè qui finiunt & terminant ciuitatem muri ſunt, muri, inquam, qui bellorum impetus ſuſtineant & frangant, vbi enim muri dicuntur, quid hoſtile & bellicum explicatur. Quocirca Diu.Cæſar.Arel.homil.11.prædi- De dilig. inimicis.
cta Dauidis verba memorans pulcrè educit.*Ergo Hieruſalem illa cæleſtis muros de pace conſtructos habes.* Non enim pax quæ decet cœlites in lectis ſtertit, in plateis ludit, in hortis deſidioſa vagatur; ſed fines percurrit, vt hoſtes arceat; ſed pro muris excubat, hoſtilem & infenſum animum præ ſe ferens aduerſatis. Hinc Dominus veram Chriſtianorum pacem vocauit gladium apud Matth.cap.10.fatus. *Non veni* Matth.10.
pacem mittere in terram, ſed gladium, nimirum, non mitto pacem inermem otio torpentem; ſed pugnacem, quæ vera & ſola pax eſt. Id qood inſinuat D.Chryſoſtom. homil. 39. Chryſoſt.
in Matth. his verbis. *Si bella venit mittere,cur te naſcente cantatur pax? Certè quia tunc vera pax, cum profertur quod erat tobidum.* Sic ille. Rem tandem finiat Diuus Syneſius qui libro de Regno, ſic de pacifico Imperatore loquitur. *Bellicoſus quidem omnium maximè pacificus fuerit, ſolı enim illi pacem colere licet,qui laceſſentes vlciſci,ac male officere poteſt.Eumque Regem dixerim omni ex parte rebus ad pacem attinentibus inſtructum eſſe, qui cum iniuriam inferre nolit,propulſandæ iniuria facultatem ſibi comparauit.*

§. VII.

Chriſti Domini cicatrices manentes teſtimonium perhibent ipſius virtutis, qua ſeipſum excitauit.

QVi ſub Dioi alienioa nomine ſalutem,aut vitam accepit, ipſi ſanatori, aut ſuſcitatori funereas ſindones ſiue ſcipiones ſacrat, quæ ſint in monumentum receptæ vitæ,ſeo ſanitatis.Itaque qoot ſuot in templis appenſa mortuorum linteamina, tot ſunt monumenta, vel Deiparæ vel alterius Diui virtutem & poteſtatem prædicantia. Qoid plura? Cicatrices, mortis vulnera viuido Chriſti humanitatis templo permanentia, monumenta ſunt ipſius Domini virtutis & poteſtatis, qua ſe à mortis puluere in floridam & immortalem vitam reuocauit. Hoc inter alios calluit fides acuta Thomæ, qui vt vulnera vidit, à ſeipſo notauit ſurrexiſſe Dominum, & inde eius diuinitatem credidit, & confeſſus eſt. Quod ponderans D.Hilar. libro 7. de Hilar.
Trinit. inqoit. *Videns Thomas credidit, & quid aliud crederet quam confeſſus eſt? Dominus meus & Deus meus. Reſurrexiſſe enim per ſe ex mortuis in vitam,niſi natura Dei,non potuit.*Ecce vt vidit vulnera,Dei virtutem ibi latere credidit, quia vulnera ibi manentia teſtimonium perhibebant virtuti, per quam ipſe ex ſe reſurgeret.Hinc ſponſa reſumptam Chriſti Domini gloriam extollens inquit. *Manus eius tornatiles plenæ hyacinthis.*Vbi pro hyacinthis communiter alij cum Niſſeno ponunt *plena Tharſis*: ſed quid Tharſis? D. Hieronym. cum Hebræis,vt refert Pintus ad cap.1.Ezech.putat per vocem Tharſis ſignificari mare non turbidum & procelloſum; ſed ſerenum & placatum, quod ſolaribus percuſſum radiis hyacinthinum refert colorem aureos fulgurantem ſplendores. Sic manus rediuiui Saluatoris plenæ ſunt Tharſis, nimirum paſſionis referunt mare minimè turbidum & obſcurum;ſed vulnera halantia decorem ſplendētéſque emittentia radios, virtutémque & poteſtatem, qua ſe ipſe Dominus ſuſcitauit, publicantia. Huc adeſt D.Niſſ. homil. 14. Niſſen.
fatus. Cum ergo duplex ſit vobis Tharſis ſignificatum, & vero cuiuis pateat meliorem in partem hic eam accipi;ordo poſtulat, *vt hoc conſideremus in manibus, quæ laudantur quod ſponte ſua quaſi tornando detritis omnibus quæcumque ſuperuacanea corporea in eis erant, ad formam diuinam tranſeat.*

Alibi

Alibi alia huius loci verba expensa sunt, nunc solum restat expendendum illud, nimirum, quod passionis maris reliquiæ in manibus Saluatoris manentes indicent illum sponte sua, vi sua è sepulcro ad immortalitatem euolasse. O diuinum Christianæ virtutis monimentum! O viuida viuentis Dei testimonia! Iam hinc licet in maxima D.Thomæ Apostoli stultitia & ignorantia præstantissimum omnigenæ sapientiæ argumentum recognoscere. Etenim ille vt audiuit Christum à mortuis surrexisse, ait. *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in loco clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.* Proh ingens hominis stultitia! si audis viuere, cur requiris illa vulnera, quæ illum dederunt morti? Vita quomodo est nisi à sanatis plagis? nisi ab obtosis vulneribus? Chrysol. Pulcrè in Thom. Chrysol. serm. 84. *Resurgentis ad gloriam tota mortis est mutata conditio, mors fugit, vita redit, caro amplius casum nescitura surrexit, & cur tibi Thoma sola vulnera præsentari in indicium fidei nimis callidus explorator expostulas? Quid si illa cum alijs abolita fuissent? Nullo pietatis monumentis, nulla Dominicæ resurrectionis inuenire existimas potuisse documenta? Prophetia sanè magis quàm cunctatio fuit.* Vt pulcrè & verè hominis ignorantiam & Dei sapientiam extollit, quandoquidem resurgens Dominus sine vulnere carere gloriosissimis suæ virtutis monumentis, essétque vt magnifica templa aurum minijúmque vndique radiantia, quæ tamen dum non ornant funereæ sindones, cereæ manus, ferreæ catenæ, & similia mortis miseriæque spolia prosilientis virtutis carent testimoniis. Decebant ergo Dominicam resurrectionem hæc inhabitãtis diuinæ virtutis monimenta, & clarissima, & firmissima, quæ Iesum propria à se virtute excitatum prædicarent. Vnde D. Ambros. in Psalm. 43. Ambros. ait. *Thomas vbi tetigit manu propria latus Christi, respondit, Dominus meus, & Deus meus. Deus, qui non solum resurrexit; sed etiam ipse se suscitauit.* Hæc ille.

Text. Ex Luc. 24. Adhuc illis, non credentibus, & mirantibus præ gaudio dixit, Habetis hic aliquid quod manducetur. At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & fauum mellis. Et cum manducasset coram eis sumens reliquias dedit eis, &c.

§. VIII.

Diuina sapientiæ maximo amicitia vinculo nectuntur, qui sese domi continent clausuráq; gaudent.

SAnè valde amicabiliter excipit Dominus clausos hos, domique manentes discipulus; nullum enim maius amicitiæ signum, quam communio panis. Et quem panem communicant clausi hi cum Domino? Panem vitæ & intellectus, quo sapientiam sacrámque scripturæ doctrinam Rupert. mandunt. Pulcrè Rupert. lib. 7. in Gen. cap. 7. Iacobi maximè a Rebecca dilecti, vtpotè qui habitabat in tabernaculis, allegoriam tractans per Rebeccam viuificantem scripturarum spiritum notans sic fatur. *Singulariter quemque nostrum tanto hæc Rebecca plus diligit, quanto simpliciter quisque habitat in tabernaculis. Nam è contra quanto quis plus habeat de Esau, tanto minus à Rebecca diligitur, id est, quanto amplius foras euagatur, tanto minus sacra Scriptura lactatur vberibus, intúsque reposito pane cibatur.* Quisquis diuinæ sapientiæ studiosus est, hoc sibi dictum capiat, tunc intimam amicitiam cum sapientia habebit, tunc maximè à sapientia amabitur, & intra scripturarum thecam reconditi panis dulcedini communicabit, cum sese intra domum cõtineat, clau-Prou. 9. suræque solitudine gaudeat. Et quidem Prouerb. 9. vt diuina sapientia *miscuit vinum, & proposuit mensam*, sic in primis *ædificauit domum*, quasi ex tunc ad amicitiam & panis communionem admitteret solos illos, qui se intra claustra Cant. 3. contineut domus. Quo spiritu agebantur illi, qui Cant. 3. inquiunt. *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem.* Gillibert. Circa quæ verba D. Bernard discipulus Gillibert. Abb. ser. 20. in Cant. sic fatur. *Illi habeantur digni hac læta visione, qui se quadam lege pœnitentiæ concluserint. Vis nosse quam bona sit conclusio? Hortus conclusus, fons signatus. Surge, propera amica mea & veni. Vides iam quomodo eam ituram & amicam vocat, quæ se ipsam concludere nouit.* Minimè egredi ad Salomonemioberentur, nisi clausi essent, nisi rigida clausuræ lege intra domum se continerent, & qui sic se continent, intimam cum sapientia amicitiam lucrantur; qua reconditi panis dulcedinis obtinent communionem. Nónne Matthæus ille publicanus sapientiæ diuinæ maduit nectare? nónne iniit cum sapientia amicitiæ plenum conuiuium? Sed accipite quid notanter dixerit Luc. cap. 5. de hoc Matth. conuiuio Luc. 5. cum sapientia incarnata celebrato: *& fecit ei conuiuium magnum Leui in domo sua.* Cur adderet *in domo sua*, nisi mysterium sapientiæ innueret, cuius conuiuium ille participat amicabiliter qui domi sese nouit continere. Huc Ruper. de Rupert. Oper. Spirit. sanct. lib. 4. de intellect. lib. 1. c. 14. sic inquiens. *Matthæus & ipse vita atque intellectus pane cibatur, & eodem intellectu magnum in domo sua Iesu facit conuiuium, magna verè secundum nomen suum gratia donatus. Huiusce conuiuij diuinitus prouisum fuit illud præsagium, quod sicut ait Lucas, vocatus cum sederet ad Telonium, & sequens Dominum, fecit ei conuiuium magnum in domo sua.* Quasi ex eo quod intra domus suæ claustra verum Regẽ Salomonem præstolaretur Christum, sese apparet diuinæ sapientiæ dapibus.

Luc. 24. Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas. Et dixit eis, quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, &c.

§. IX.

Vera salus obtinenda per pœnitentia & mortificationis opera, a Christi Domini morte persuadetur.

QVa fronte prædicarent mundo pœnitentiam & carnis mortificationem Iesu ministri, si ipse a se dolorem & macerationem depelleret? Et quando nec ipse Iesus gloriam corporis attigit, nisi per crucem, quis insanus veram salutem, nisi per mortificationem sperat? Sic Dominus ad Moysen fatur Exod. 25. *Facies & propitiatorium de auro mun-* Exod. 25. *dissimo: inde præcipiam & loquar ad te supra propitiatorium.* Expendo illud, inde præcipiam, cur non potius ex columna nubis, ex claro cœlo præciperet? Cur magis ex propitiatorio? Rem attigit Rupert. lib. 4. cap. 6. fatus. *Propitiatorium* Rupert. *namque nobis idem incarnatus Deus est; sed per passionem & mortem suam.* O Diuinam Dei præcipientis sedem! Tunc ex mortis passionísque suę propitiatorio præcepturum se pollicetur Dominus, & non aliunde, ne quis sibi aliam propitiationem effingat, ne quis oracula diuina cõtemnat, etiam si per desertum eundum est, etiam si fames, si mortis pericula subeunda. Asperam vitam Dominus præcipit, fames, dolores, omnimodam mortificationem, rigidam pœnitentiam, sed ex propitiato mundi peccato per largissimam san- Ionæ 2. guinis effusionem dum præcipit, quis contemnat? quis aliter salutem & propitiationem meditabitur? Naufragus ille Propheta sepulturæ & resurrectionis dominicæ exemplar singulare, vbi à ceto euomitus Niniuitis supplicium prædicauit, protinus illi indicto ieiunio, induti sacco ardentibus suspiriis salutem à Domino deposcũt. Id quod elegan- ter ponderans D. Zeno inquit. *Non pecudum tecoru spirantes* Zeno. *consulunt fibras, nec per varios auium volatus flatum plumeum salutis inquirunt; sed à suo corde remedium salutare deposcunt, spiritumque suum contribulatum ambitiose sacrificans.* Quid pulcrius? Sanè hi dum à vittatis fulgentibúsque vatibus perdocentur, volatus dextros vel sinistros auium notabãt, vanam plumeámque salutem, quam solam plumæ dare poterant, aucupantes; verum vbi à naufrago, vbi ab euomito è ceti vtero concionatore diuinam illis cœpit oraculum tonare, non à fibris pecudum, non à perpeti alitum volatu, sed ab intimis præcordiis; sed à vera carnis suæ maceratione, à sui ipsorum spiritus sacrificio veram salutem exquirere præsumunt. Huc traho pulcra D. Hilarij verba hom. 1. hic. Vbi sic matutinam diuini Solis à sepulcro egressionem salutat. *O pulcra lux, quæ de cãdido cæli fastigio promicuisti, & inter fluctus purpurea sedentes in tenebris, & vmbra mortis subita claritate visitasti.* Expende illud, inter fluenta purpurea, quippe vbi Sol oriens purpureis nubibus suum nobilitat ortum, teste Virgilio, crescente die, omnia in luctu & mœrore sunt, nubes pluuiali fletu rorant, largique rivi per terram fluunt. Ac vbi Sol purpureus occumbit, sequens dies lætissima serenitatem æternat. Ecce igitur quicumque per alitum volatus, per astra inanem salutem meditaris, vbi veram & duraturam salutem possis diuinare. Sol iustitiæ purpureus occubuit, intérque fluenta purpurea matutinus resurget, ne veram salutem æternámque serenitatem quæras; nisi

per

per sanguinis effusionem, per luctus, per lacrymarum fluenta. Vanus est, qui à purpureo Solis exortu, nimirum ab immortali gloria Iesu obtenta per sanguinis effusionem, salutem duraturam sperat nisi per lamenta, per cordis contritionem. Vanissimus, qui vbi vidit sanguinolentum occubitum veri Solis, aliter in lætissimam & tranquillissimam
Psal.93. gloriæ diem ipse ire præsumit. Hinc Psal.93. *Qui fingis laborem in præcepto*; nimirum quia quot subiit labores Dominus, tot præcepta sunt nobis patiendi, & macerandi carnem. Ita August. *Formas, inquit, laborem in præcepto, id est, de dolore præceptum facis, vt ipse dolor præceptum sit nobis.* Christiani equidem labores & sudores sunt, è quibus vera hominum salus est aucupanda, non ex auium volatibus. Cui consonat illud tritum Iobi, nimirum; *homo natus ad laborem, & auis ad volatum.* Quasi dum ostendit hominum fortunam sortémque in veris laboribus sitam, rideat eos, qui in auibus aliud curant inuenire, quam volatus. Eisdem sic irridet D.Cyrill.Alex.lib.6.de seru.& char.in Deum fatus. *Nos autem Deos non esse dicimus, apostatas angelos, à quibus ad nos præclari Prophetæ, & rerum futurarum præscij legantur, arguta cornix & perpes accipiter, & variæ palumbes, & cæteræ aues; dignos scilicet, talibus dijs Prophetas. Vos etiam felices ac beatos qui tales Deorum interpretes nacti sitis.* Sanè per auium volatus plumea salus promittitur, ast quibus vera & æterna mandatur salus, purpureus exortus, dolores, ærumnæ Christianæ dantur in præcepta, in Prophetas, in Diuinos.

Text. Ex Ioann. 20. Gauisi sunt ergo Discipuli viso Domino: dixit ergo eis iterum, Pax vobis, sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.

§. X.

Vera lætitia & gaudium ex Iesu.

Vnus Iesus potuit lætitiam & gaudium inferre in terram, qui mœroris exsiccans fontes, festos dies gaudiorum plenos induxit. Dixerat D.Luc.c.2.quod duodecimum agens annum Iesus Hierosolymis inter festiua & solemnia
Euseb. Paschæ gaudia visus est. Id quod ponderans Euseb. Emiss. hom.in Dom.1.post Epiphan.inquit. *Erat igitur simul cum cæteris Jesus in solemnitate, qui totius erat causa solemnitatis.* Vbi sol aderit, lucidissimi prosiliunt radij, tenebræ fugiunt, vbi Iesus venerit, labore & tristitia expulsa, visuntur solemnia,
Nazianz. festi dies placidissima & iucundissima gaudia. Pulcrè Naz. orat.in sanct.lum.incipit. *Rursus Jesus meus, & rursus mysterium.* Quoties enim Iesus apparet, toties festa, toties solemnitates & gaudia, quippe mysterium pro gaudiis festísque positum est, vt Nizetas fatur. De Iesu præcursore verba fa-
Nilus. ciens S.Nilus in Ascetico sic ait, in solitudine versabatur, & ciuitates ipsæ cum hominibus ad eum confluebant, qui sericis vestibus induebantur ad zonæ pelliceæ spectaculum concurrebant. Sub dio incommodè manere non recusant, qui domos auratas incolebant, super arena cubare non grauabantur, qui in lectis, gemmis distinctis quiescere consueuerant. *Nam videndi viri cupiditas omnem sensum molestiæ abstergebat, virtutisque spectaculum labores, & incommoda leniebat.* Ecce vnius iusti hominis spectaculum, quot labores, quot ærumnas, quot incommoda saporabat. Quid vbi Iesus videretur? vbi appareret diuinissimus Saluator omnium? Planè huius spectaculum vniuersas ærumnas absorbebat, faustissimáque gaudia instillabat, imò effundebat. Aiebant Angeli apud Luc.c.2. *Euangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo.* Sed scire cupis à quo illud magnum gaudiū, an à mundi bonis? An momentaneum & leue est quod
Cæsar. delectat, à quo ergo magnum gaudium? Pulcrè D.Cæsar. Arelat. homil. 19. gaudij causam indigitans ait, *statim subiecerunt, quia natus est vobis Saluator, qui est Christus Dominus.* Vnus Iesus vniuersos populos valet suffundere gaudiis; vnus Iesus mœstitudinis radices euellet, vnus veram
Ambros. lætitiam trahit. D.Ambros.lib.de Isaac & anima capite primo Iesu glorias prænoscens in Isaac adumbratas sic ex huius nomine ad Iesum transit. *Isaac risus, risus autem insigne lætitiæ est. Quis autem ignorat, quod is vniuersorum lætitia sit: qui mortis formidolosæ, vel pauore compressis, vel mœrore sublato, factus omnibus est remissio peccatorum.* Cur non gauderent discipuli viso Domino? vident enim in Iesu mortis pauorem, & aculeum confractum; vident aboleri peccata eius diuino halitu, & toti effunduntur in gaudia, & pressurarum immemores mediis in periculis, vndequaque hostibus cincti tripudiant. Magnus ille Ioseph Ægypti Saluator sic de se in testamento fatur suo. *Cum vinctus iacerem in compedibus, hilari voce gaudens glorificaui Deum meum solum, quod per hanc occasionem amouebar ab Ægyptia.* Ecce sanctissimus vir è vinculis magnum capiebat gaudium, eo quod dum vinctus ageret ab occasione peccandi, dirisque lasciuiæ telis liberabatur. O quam gauderent Apostoli, à quantis gaudiis perfunditur orbis Christianus, quando rediuiuo Christo, visis vulneribus, accepto halitu, per horum occasionem se à mortis faucibus, à peccati rabie liberos meditantur. Vnus hic, qui mortis & peccati malum tollit, veris gaudiis, verisque lætitiis mundum restaurat. Hinc noueris Herodis astum quando post auditos Magos de Iesu sciscitantes Matth.2. congregatis Senioribus & Scribis diligenter *sciscitabatur ab eis vbi Christus nasceretur*? Sed cur hoc à Iudæis sciscitabatur, qui sui Regis aduentum vellent occultare tyranno? Rectè D.Paschas. lib.in Matth. ait. *Vt cautus eos exploraret, si Rex eorum ex lege promissus tristes, gaudentésve faceret.* Matth.2. Etenim præsenserat sciolus ille de Iesu præsentia, non posse ingentem lætitiam non manare quæ suorum statim vultus exundaret. Psalm.103.dicitur, *illic naues commeabunt*, quasi Christianorum vita, de nautarum vsu procellis sit semper replenda. At ibi D.August. ait. *Non timeant naues, non valde attendant vbi natent, sed à quo gubernentur. Illic naues commeabunt. Quem commeatum inuenient tristem quando gubernatorem sentiunt Christum?* Interea notandum est tempus quando lætitia à Iesu in suos proficiscitur. Ea enim est lætitia Christiana, quæ minimè datur nisi post longa virtutum facinora, post prælia mille. Miraberis quantum festinauerit Iesus ad lætificandum Ioannem præcursorem suum. Adhuc Ioannes vterinis tenebris tenebatur, & iam de præsentia Iesu præfundebatur lætitia. *Vt facta est vox salutationis tuæ, in auribus meis, exultauit infans in vtero meo.* Sed quod mirere magis animaduerte, quam prius indicta sunt Ioanni ieiunia, asperitates. Sane lætitia illi datur adhuc existenti in vtero, at ieiunia indicuntur antequam in vtero concipiatur. Sic enim Angelus Gabriel ait ad Zachar. Luc.1. *Vxor tua pariet tibi filium: vinum & siceram non bibet.* Non enim aliter venerit lætitia Christiana, nisi prius virtutum facinoribus prænotatis. Hinc D.Chrysost.hom.6.de Resur.fatur. *Exultemus Domino, sed in tremore, non remissa securitate: quia & Ioan. præcursor exultauit in vtero, sed qui vinum non bibit præcepto Angeli Gabrielis.* Itaque prius ieiuniis dedicatur, vt postea perfundatur lætitia Christiana.

§. XI.

Non imperiosis, sed amicis & charitatis plenis verbis trahendi subditi sunt in obsequia dura & laboriosa.

Odi imperiosos seuerósque Prælatos, qui imperio ad dura & aspera seruitia subditos addicunt; non sic verus & naturalis omnium Dominus Iesus, qui vt ventis & mari nouit imperare, sic cum in prædicationis ærumnas & labores, suos mittit, immemor imperij amicum agit. Nónne ait, *sicut misit me pater, ego mitto vos*? Ad hæc accipite D.Chrysol.serm.84. sic fantem. *Sicut misit me pater, non Dominus; sed pater, sic & ego mitto vos. Non authoritate adhuc inbentis; sed toto diligentis affectu mitto vos, ad tolerantiam famis, ad onera vinculorum, ad squalorem carceris, ad perferenda omnia genera pœnarum, ad subleuandū cunctis execrabile mortis iugum: quæ omnia charitas vtique humanis mentibus imperat, non potestas.* Chrysol. Dissimula imperium, exere amicitiæ vincula, tende amoris retia, & trahes ad fames, ad pericula, ad sudores, ad carceres. Age patrem, & mitte filios in prærupta montium, in syrtes, vt derelictorum insudent animabus saluandis, vt inhospitalia loca incolant, vt degant apud Barbaros, quæ omnia charitas iubet, non potestas. Redeuntem filium prodigum, vt vidit diuinus Pater Luc.15. accurrit; *cecidit super collum eius, & osculatus est eum.* Luc.15. Ecce collum premit, & osculatur, quid hoc? Pulcre D.Greg.Niss.in orat. Dom.2. *Accurrit ad eum, & osculo collum appetijt, quod rationale iugum significat, per traditionem Euangelij homini per os iniectum.* Nissen. O leuissimum & dulcissimum summi Regis iugum! Expende quæso qualiter ad iugum indomitum iuuenem traxit; & appetiit collum, inquit; vbi collum appetit, ad iugum trahere prætendit, sed qua vi? an per crines reptans? an duros adhibens stimulos? Absit hoc ab Euangelico Domino;

sed osculo collum appetiit, hoc ast amicis & allectoriis verbis, blando & amorem spiranta sermona ad aspeta & ardua Euangalij pelle«it obsequia. Vnde eleganter monebat D. Athanas. Athan.in Exhort. ad Monachos fatus. *Magis benignitatis adhortationibus, & illiciente blandimento, via veritatis ostensa, anbem aperite, vt non trahi incipiat vnusquisque, sed sequi præcedentem.* Igitur per os plenum osculia, plenum charitata quantumuis asperum inicies iugum hominibus, & maxi- Agapet. me imperium confirmabis, vt bene consulit Agapetus Diaconus Iustiniano Cæsari his verbis. Existima tunc demum te tutò regnare, cum volentibus imperas hominibus: quod enim inuito animo subicitur, seditionibus fluctuat capta occasione; *quod vero vinculis beneuolentiæ regitur, stabilem seruat erga Rectorem obedientiam.* Nil tam dulce hominibus quam si corde capiantur, quam si verborum dulcedine saporentur; nil tam durum & incomportabile, August. quam si ceruice domentur. Ecce quare apud August. sermone 42. de Verbis Domin. repellant iugum crucis superbi homines. Quibuscumque illa displicet Domini passio, superbi sunt, nolunt descendere. *Et ego inquis crediturus sum Deum crucifixum? Absit, vt hoc credam de Deo, indignum est, cor loquatur, non ceruix.* Videbant duritiem iugi, notabant lignum crucis, non cernebant oscula imponentis, & ideo iam suis ceruicibus timebant. Cor loquitur, non ceruix, dicabant, quasi accepturi iugum, quod per eos blandè & amicè loquens iniiceretur, non illud quod solum duritie sua ceruices premeret. Vide infra, cap. 6. §. 8. & 11. & alibi.

§. XII.

Ministrorum suorum autharitati sic Deus consulit, vt nolentibus illis non parcat vlli.

QVis non miretur illa Dei Opt. Max. ad suos verba, nimirum, *Quorum retinueritis peccata, retenta sunt?* Si summa Dei pietas, Deus misericordiarum immensæ charitatis viscera ad hominis sententiam stabit in capitalibus? Ecce tibi igneus ille Elias vbi Regem Achab innocentis Naboth sanguine cernit fœdatum, acriter in illum excandet, mortem, crucémque minatur; dolet Rea, illúmque vehamenter sui pœnitet facti, & ira Prophetæ stupefactus sacco obtectus Deum adit, diuinámque misericordiam lacrymis, suspiriis, longísque sollicitat eiulatibus. Quid tunc Deus, qui vel vnius publicani voce tangitur? Parcaret sanè si diuina solùm moueretur voluntate? at decretum erat Regis supplicium per Eliam, sic nihil de sententia immutans per se Deus Prophetam adit, cui fatur. *Vides Achab humiliatum* Cyrill. Hierosol. *coram me?* Vbi D. Cyrill. Hierosol. catech. 2. expendit, *Quasi persuadens Dominus iram accenso Propheta, vt subueniret pænitenti.* Qui indea natura est, aduocatum agit, nec de sententia ministri illo non consantiente, vult immutare. Adeò sanctum est quicquid Dei ministri decernunt ad vlciscenda hominum peccata. Reuoco in memoriam alterum Moysi factum, & alterum Christi. Vtriusqua meminit Tertul. lib. 4. aduers. Marcion. his verbis. Ecce planè diuersum exemplum Moysi, & Christi. Moyses rixantibus fratribus vltro intercedit, & iniuriosum increpat. Quid proximum tuum percutis? & reiicitur ab illo. *Quis te constituit magistrum, aut iudicem super nos?* Christus verò postulatus à quodam, vt inter illum, & fratrem ipsius de diuidenda hæreditate componeret, operam suam & quidem tam probe causæ denegauit. Sed enim optimi Dei Christus inquit. *Quis me constituit iudicem super vos?* Expende modo qua voce se excuset Dominus à componenda hæreditate inter fratres, nónne ipse constitutus erat Rea, vt homines componeret, rixarúmque causis exsufflatis concordiam & pacem seminaret inter fratres? Cur ergo ab hoc opere se escusat? imò cur se axcusans ait, Quis me constituit iudicem super vos? Sanè alta mente reposta manebant verba, quibus reiectus fuerat minister instituendus legis Moyses à rixantibus fratribus, quibus similiter doeet reiectum fuisse Deum, vtpotè cuius nulla alia sit sententia, nec voa, nisi quæ est sen- Tertull. tentia, & vox suorum ministrorum. Ita Tertull. in hæc verba. *Indigne tulit hoc dicto fugatum Moysen, ideoque in causa pari disceptantium fratrum voluit illos commemoratione eiusdem dicti confudisse.* Quasi diceret, dum ministri mei sententia à fratribus reiecta est, quid à me petunt fratres? Si ille non iudex, vnum meum & illius tribonal, quod ille sancit, ego sancio; quod ille componit, ego compono, & non aliud.

CAPVT V.

De apparitione facta Discipulis cum Thoma.

IAM Thomas Christiani gregis caules intrauerat, Dominum reuixisse sociorum è calculo didicerat, imò non didicerat, quandoquidem fidem dictis non adhibebat, adhuc adhibiturus si clauorum, lanceæque foramina, quibus occubuit mortuus Dominus, sibi monstrarentur in viuo. Intereà Saluator adest, cunctos de more salutat, & errantem ouiculam ad vulnerum specus deducit, vt sugat mel de petra, & oleum de saxo durissimo. Adest stupefactus Thom. pectoris vulneri inhæret, & cùm vilis vermis accederet de virgineo pectora, ales euolat, & Cherubicis insertus alis faciem admiratur diuinam.

Text. Ex Ioann. 20. Thomas autem vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Iesus. Dixerunt ergo ei alij Discipuli, Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, &c.

§. I.

Augustissimum Dei viuentis testimonium, quòd in mortis vulneribus viuat.

O Summi Imperatoris triumphum! O maximam imperialis arcis gloriam, quando victi hostis labaro rutilat, & hinc inde scissis inimicorum signis decoratur. Quod splendentibus auorum stemmatibus fulgeas humanum est; quod inimica stemmata hostium signa te extollant, tuam prædicent inuictam virtutem, hoc supremum est, & diuinissimum. Fallor, si potuit quid diuinius excogitari de Christo, quàm id quod escogitauit Thomas, quæ summum bellatorem ostentarent, non sanè essent propria ornamenta; sed inimica vis circumcirca inanis. Hauc eupit Thomas in Christo videre, vt quæ decebat Deum gloria coruscaret. Enimuerò dum Lazarum resurrexisse vidit, hominem ab inimica morte mirabatur ereptum: sed cùm in illo nullum mortis signum animaduertit mansissa, credidisset fortè à morte sua signa collecta, vt iterùm irruens hominem expugnaret. At Imperator, & victor mortis vt debellatam & subditam mortem relinquebat, sic vniuersa eius signa, arma, spicula, sibi affixa seruabat, quæ eius immortalem gloriam æternarent. Hinc Christi resurgentis gloriam miratus D. Maxim. hom. 1. sic fatur. *Quis est iste qui* Maxim. *intra auidos rictus assumi potest, consumi non potest. Cibus est, corruptio non est. Traditur perditiona profundo, & seruatur ipsius mortis obsequio?* Quippe mortis arma, spicula, signa, non iam infirmant, sed confirmant Imperatorem Christum eius immortali corporis templo appensa. Iam mortalia stigmata non insequuntur moriturum; sed obsequuntur regnaturo inter illius rutilantia trophæa. Hinc pulcre accedit D. Hi- Hilar. lar. hom. 8. inquiens: *Spoliata est fragilitas, exinanita mortalitas, sola in cicatricibus permanent reuerenda testimonia passionis. Nimirum resurrectio vnde erat credenda, non abstulit.* Quippe vulnera viuenti contraria iam non sunt; sed quasi spolia appensa extremam mortis debellationem prædicant & declarant. Nónne mortis vis exinanita, quando vniuersa eius arma, nimirum ipsissima vulnera, & cordis perfossio inuictissimi Imperatoris inserta triumphis, apparent eius viuidæ virtuti prædicandæ famulari?

§. II.

Citius pluribus, quàm vni soli Deus adest.

MAximum sanè est emolumentum societatis, vbi multorum est in Domino congregatio, illicò Deus etiam non petentibus adest, qui etiam exoratus ad vnum venire tardat. Congregatis Apostolis cum apparuerat Dominus ipsa resurrectionis die, vnus Thomas abfuerat, cuius optaris per octo dies differtur diuinus fauor. Id quod expendens Chrysolog. sermon. 84. ait. *Deusque sponte præstitit cæteris,* Chrysol. *quod*

quod ille tardius implorat. Etiam non vocatus; sed sponte sua citissimè multis illis apparuit, quod vnus Thomas, quia vnus, longis prolatis suspiriis per octo dies tardat implorare. Quam sapienter hunc Deo morem gerebat illa Cant. 1. aiens. *Trahe me post te; curremus in odorem vnguentorum.* Expende illud, *trahe*, & illud, *curremus*: qui trahitur, ægrè & difficulter fertur; at qui currit, facilè, velociterque brauium prendit. Itaque vbi singularis, & vna Deū exquirit, ô quam difficulter & ægrè tunc trahitur, ait enim, *trahe me*: cùm autem sodalibus se interserit, ô quàm velociter ad Deum peruenit, tunc meritò dicit, curremus in odorem vnguentorum. Huc accedit D. Bernard. Paraphrasis serm. 21. in Cantic.
Bernard. dicens, *Non curram ego sola, etsi sola me trahi petierim, current adolescentulæ mecum.* Etenim velocitatem apud Deum non singularitas; sed multorum communio tenet. Vbi multorum causa est, quam velociter Deus habetur, adeò, vt mulieribus ad sepulcrum flentibus, quod diuinum fuerit ablatum cadauer, nullum clarius signum dari potuit velocissimi redituu ad illas aduentus, quàm pluralitas ministro-
Luc. 24. rum ad ipsum sepulcrum inuenta. Ait enim Luc. cap. 24. *Ecce duo viri steterunt secus illas.* Quid ergo fletis, ô fœminæ? Non videtis Dominum; sed vobis iunguntur duo cœlestes viri, & vbi adest multorum congregatio, statim ipse Dominus aderit; expectate paulisper, non moram faciet, non tardabit. Ita eleganter Tertull. lib. 4. in Marcion. fatus. *Corpore autem non inuento, sublata erat sepultura eius de medio.* Quidni manebit etiam ipse æternum sublatus? Nulla nobis spes deinde illum habendi? Absit: *Sed & duo ibidem Angeli apparuerunt, tot ferè laterensibus vti solebat, in duobus testibus consistens Dei sermo.* Vbi testium pluralitas, vbi recipientium copia est, non tardabit Dei verbum communicari, sunt plures congregati, sunt plures qui expectent? Signa Deum nosco per sua Christus adest, non tardabit Dominicum leuamen. O quoties quis singularis periit, qui posset de communibus beneficiis saluari. Hinc Iudam pungit D.
Leo. D. Leo serm. 11. de pass. ponderans enim illud Luc. 23. *Pater ignosce illis*, continuò subiungit. De cuius orationis potentia fuit, vt prædicatio Petri Apostoli, ex his qui dixerunt, Sanguis eius super nos, & super filios nostros, multorum ad pœnitentiam corda conuerteret, & vno die baptizarentur tria ferè millia Iudæorum. *Ad hanc indulgentiam Judas peruenire non potuit, quoniam perditionis filius, prius in desperationem transiit, quam sacramentum Christus redemptionis generalis impleret. Nam mortuo pro omnibus impijs Domino, potuisset etiam fortè hic consequi remedium.* Heu quam perniciosè abest Christianus, quando generalia beneficia, & mysteria ab omnibus capiuntur, qui cum omnibus posset saluari. Hinc sapienter Abraham de Sodomitico excidio commonefactus instanter pro gentis multitudine exorat, vniuersámque vrbem precibus contendit eripere flammis, habebat enim ibi habitantem nepotem Lot: sed orasset pro Lot tantùm, nónne citiùs salutem vnius iusti obtineret, quàm vniuersorum peccan-
Chrysost. tium? Pulcrè D. Chrysost. ait: *Manifestè propter fratris filium dicere non audebat, communes pro omnibus facit preces, volens cum alys & hunc liberare.* Sanè supplicij tempore instanti, non audet vnius instare saluti, efficacius motiuum diuinis obiicit visceribus, quando communem omnium salutem deprecatur, nulla enim te citiùs allicitur Deus, quam vbi multi possint saluti dari.

Text. Et post dies octo iterum erant Discipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit Iesus, ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit, Pax vobis.

§. III.

Non parua est peccatoris commendatio apud Deum, quòd lateat, qui se celet.

INcreduli extiterunt Apostoli Dominicæ resurrectioni, incredulus extitit in primis Thomas; sed hoc in illis cōmendandum, quòd dum incredulitate laborabant, domus latebris abdebantur, nemo exterorum nouit Discipulos dubitantes; sed eorum dubia fides, seu incredulitas domi latebat. Nónne sic ait, erant Discipuli intus, & Thomas cum eis? Ille generis humani secundus sator Noë ebrietate correptus iacuit nudus, pudendis fœdè manifestis. Sed vide
Genes. 9. quid de illo notet text. Genes. c. 9. *Et nudatus in tabernaculo*
Ambros. *suo*, &c. De quo eleganter D. Ambros. c. 29. *Et secundum litteram cautio est, & secundum sapientiæ altiorem sententiam laudatio est. Cautus est qui etsi nudatur, in domo tamen sua nudatur; vbi operimenta non desint, & quædam tegmina ebrietatis, vt vitia sua norit abscondere.* Sane venia vilis est casus, imò (si fas sit loqui) laudabilis, quem non necesse est sciri à vicinis, qui intra domum latet, nec exteris communicatur. Id quod argutiùs adhuc ponderauit Procop. in hæc verba. *Licet Noë* Procop.
parum cautè, & pudicè iacuerit; non tamen id venit in publico; domus sua eum nudum conspexit; est enim sancti viri se neutiquam extra domum suam nudare. Quis nunquam gloriæ stolam deponet? Quis nunquam pudenda opera præseferet? Sed, qui sanctus est, in hoc cognoscitur, quòd non foris nudetur, quòd apud exteros saltem pudenda reuelare cauet. Nónne stultissimi hominis est infirmitatem suam hostibus aperire? Hanc stultitiam lamentatur Naz. Apolog. 1. grassa- Nazianz.
ri in suæ gentis ciuitate, dicens: *Alij alios impietatis damnamus, ac iudicibus vtimur hu, qui à Dei cultu abhorrent, atque hostium vota miseri sedulò explemus.* Proh miseram hominum stultitiam, qua hostium votis seruimus, infirmitates nostras, in quibus sibi complaceant, illis publicamus. Pulcrè cauebat Michæas c. 1. ne suorum spoliatio pateret vicinis hosti- *Mich. 1.*
bus. Ait enim, *In Geth nolite nuntiare, lacrymis ne ploretis, in domo pulueris puluere vos conspergite*: quasi hoc haberet calamitatis solatium, quòd ipsa intra domum occultaretur, nec necesse fuerit, vt ad hostium vicinorum aures perueniret, ideò petit, vt domi maneat, nec sese Gethæis aperiant. Vbi D. Hier. *Ne audiant, & lætentur inimici.* Lætantur sanè Hieron.
hostes fidei, hostes religionis & pietatis, cùm sanctorum infirmitates, & casus noscunt, non igitur hostium vota expleamus de nostris miseriis. O quàm diuinè Psaltes ait, *Psalm. 1.*
Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Et quis tegit peccata? Explicat Naz. orat. in sanct. Bapt. Nazianz.
aiens, *quorum intimæ mentis partes nondum purgatæ sunt.* & hi quidem prædicantur beati, vtpotè qui cauēt hostibus suam nuditatem reuelare, qui infirmitates suas non prædicant, ne exterorum vota satient. Quid proditore Iuda scelestius? Tamen hoc habuit laudabile, quòd osculi velo nisus est tegere turpitudinem suam. Ita D. Anselm. in c. 26. Matth. pon- Anselm.
derat illud, quemcumque osculatus fuero, ipse est. *Habet adhuc, ait ille, de verecundia discipuli, qui non eum palam tradidit persecutoribus; sed per signum osculi.* Quasi hæc esset Discipulorum nota, quod puderent reuelationem infirmitatis suæ. Quam aliter illi, quos pungit D. Cypr. ep. 2. ad donatum Cyprian.
fatus. *Consensere iura peccatis, & cœpit licitum esse quod publicum est*: misere peccabant; sed miseriùs ipsa peccata de publicitate beabant.

Text. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis.

§. IV.

Quot Christi Domini vulnera, tot aduersus perfidiam ora.

OS Christi obruere dira perfidia, quo vapulabat, inflicta morte curabat, sed tum sanctissimum corpus vulnerat, quot vulnera infligit, tot vocalissima ora addit, quibus miserè tunditur, & ab ore penitus eliminatur. Ideò Rupert. lib. 12. de Victoria verbi, c. 28. aiebat. *Plagarum cica-* Rupert.
trices idcirco in corpore suo retinuit, & reseruauit, vt victorias suas semper loquatur illis quasi linguis. Vnum Eliam vatem non sustinens Rex idololatra Manasses, iubet illum dentata serra medium scindi: quid plura? inde duos incipit habere mastyges regia idololatria. Accipite D. Zenonem serm. 6. de Zeno.
Isaia sic fantem. *Propheta egregius, & illustris inter resupinatos sectores, tandiu immobili inconcussi corporis perdurauit statu, quandiu duo esse inciperent, qui figuras gentium cum suo persecutore damnarent.* Ecce tibi scissus medius Propheta non periit, sed duplex factus miserum persecutorem debellabat, qui dum vnum vult opprimere, duos facit, à quibus perfidia verberetur sua, & exterminetur idololatria. Hoc sonabat D. Paulus, quando de Christianis vulneribus vocalissimis sic inquit ad Galat. c. 6. *De cætero nemo mihi molestus sit,* Galat. 6.
ego enim stigmata Domini mei in corpore meo porto: quasi dicat, caueant hostes mei hominem vulneribus affectum, sacris Christi ditatum stigmatibus: vocalissima hæc sunt, & mille modis tyrannos diuexabunt. Ita D. Chrysostom. Chrysost.
expendit fatus. *Hic sua vulnera iactat, neque secus quàm solent milites*

milites vexilliferi, hic exultat vulnera circumferens: sed quam ob causam hoc dixit? Quanto sermone, quanta, inquit, voce clariùs per hæc me purgo. Hæc namque vocem tuba clariorem & sublimiorem emittunt aduersus eos, qui mihi contradicunt. Sectoris voce sublimiores voces sunt, quæ à vulneribus Christiania tonant in tyrannos, Christi stigmata Paulo communicata hominem inuictum reddunt tormentis, & victorem idololatriæ, cur in ipso Domino eadem vulnera perfidia non formidauit? Sanè quot vulnera, tot labia ignem, glandésque igneas halantia aduersus peccatum, tot ora errores confundentia, & fidem prædicantia; vt meritò Christus Dominus dicat Thomæ apud Chrysol. serm. 84. (Chrysol.) *Infert digitum tuum huc, vt effundant toto orbe, iterum te aperiente, hæc vulnera fidem, quæ aquam in lauacrum, sanguinem in omnium pretium iam fuderunt.* Expendo illud, *vt effundant hæc vulnera fidem*, quæ vnius ab ore tonabat fides intra Iudæorum terminos, multiplici ab ore vulnerum Christiano replent orbem boatu. Sed age, proferamus Diuum Cæsarium Arelatens. homil. 27. (Cæsar.) sic diuinarum cicatricum clamores aduersus scelera ponderantem. *Prima erit, ait, in reos intoleranda sententia, venerandarum præsentia cicatricum. Quid igitur illo tempore facturi sumus, quando contra illos, crucifixi Domini liuore, nota peccatorum nostrorum, & macula libidinum proferentur. Aut quo putas vultu respiciet redemptio nostra perditionem nostram? Tanto grauiora erunt humana delicta, quanto maiora se ostenderint diuina beneficia. Verendum est autem, ne illam vocem resurrectionis, pretiosæ crucis vestigia protestantis, etiam in iudicio suo ad vasa iniquitatis prolaturus sit. Scilicet, infer digitum tuum huc, & vide manus meas, affer manum tuam, & mitte in latus meum, & agnosce quæ pro te impia pietas diuina perpessa est.*

Text. Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus.

§. V.

Deus detur fidelibus in possessionem, vnde his patens & manifestus est Deus.

O Dignam homine fidei vocem! *Dominus meus, & Deus meus.* Datur equidem Deus fidelibus suis, vt ipsi illum possideant, habeántque tanquam propriam rem, propriúmque thesaurum. Sanè Dauid Psal. 84. dicebat Deo, *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis.* Salutem hominibus ostendi petit; sed salutis fontem Christum Dominum eum petit fidelibus donari. Id quod expendens Cassiodorus ait. (Cassiodor.) *Da nobis, id est concede nobis saluatorem tuum, quasi amplectendum, quasi possidendum. Prius enim tantum apparuit; non etiam datus est. Da ergo dicit, vt cum in mente nostra cœlestis dona recipitur, nullis tentationibus auferatur.* Hoc est datum optimum & donum perfectum fidelibus à patre luminum exhibitum, cuncti enim homines à Deo multa in dies accipiunt, verum fideles Deum ipsum accipiunt possidendum, quasi illorum ditissimam possessionem, feracissimum fundum. Hinc Thomas vbi fidelis esse iubetur, hanc primam vocem emittit, nimirum. *Dominus meus, & Deus meus:* quasi in Deum ius aliquod acquisiisset. Quippe Psalm. 32. inquit. *Beata gens, cuius est Dominus Deus eorum.* Ergo Dominus Deus possessio alicuius est? Cuius nisi infidelis? Pulcre Diuus August. (August.) ad hæc. *Qui fecit, vt esses, qui etiam malis præstat solem, præstat pluuiam, præstat fructus, fontes, vitam, salutem, seruat tibi aliquid, quod non det nisi tibi. Quid est autem quod tibi seruat nisi se? Compesce iniquitatem, audi veritatem. Beata gens, cuius est. Quid? Beata gens cuius est Dominus Deus eorum. Hoc ama, hoc posside, hoc cum vis habebis, hoc gratis habebis.* O te felicem, qui tanta possessione ditaris, qui amplecteris manibus, qui Deum ipsum possides, à quo vniuersi thesauri, à quo mundiales cœlestésque gazæ prodeunt. Alios ditant horti, paradisus, montes feraces, ripæ, oppida; sed fideles ditat Deus ipse ferax suorum possessio! Vt dicat D. August. (August.) de salutar. document. cap. 10. *Quid potest esse in mundo felicius, quam qui efficitur sicut Imperator & Redemptor census, & hæreditas dignatur esse ipsa diuinitas.* Quis tantam homini concedat felicitatem? Quis tantum bonum sibi præsumeret? Sanè præsumpsit Thomas, præsumpsit & ille qui dicebat Psal. 118. *Portio mea Dominus,* quæ verba pulcrè expendit Ambr (Ambros.) inquiens. *Portio* dicit, *mea Dominus, non ab hoc decimas quæro, non fructus non dona, non munera, ipse mihi pro munere est, ipse est pro tributo. Non in possessione sua munificus mihi, sed ipse mihi possessio; ipse meus fructus, ipse meus census.* Quid igitur de meo non faciam? Quid mihi non licebit circa meum? Ipse Christus Dominus in cruce agens sic apud Patrem querebatur. *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Id quod premens Arnold. (Arnold.) Carnot. tract. 1. de septem verbis ait. *Deum suum, dicit, vt nobis minimè formidandum iudicem intimet, quem sicut suum flectere possis, & ad eum tutum esse accessum, quem non vt alienum appellat, sed suum.* Etenim quando suus erat, licebat flectere, vel deflectere suum. Felix ille, cuius fuerit Deus possessio, felix Thomas, qui ad Deum tutum habet accessum, quem non vt alienum appellat, sed suum. Sanè Ionas cap. 2. iam iam à ventre ceti in lucem vomendus ait; *& sublenabis de corruptione vitam meam Domine Deus meus.* Vbi eleganter D. Hieron. notat, *Communem Deum omnium, beneficij magnitudine quasi suum proprium sensit Deum.* Nescit tanta possessio fraudare fructibus possessores suos, suas hæreditates noscunt homines ex fructibus acceptis, sic ex fructibus, ex beneficiis à Deo in nos profectis nosco Deum meum, qui vt meus est, sic me beneficiis cumulat, sic eius fructibus viuo.

Text. Dicit ei Iesus, Quia vidisti me Thoma credidisti: beati qui non viderunt & crediderunt.

§. VI.

Illa præstantior fides, quæ obsequijs, imò & beneficijs accipiendis præit.

CHristi Domini vulnera vidit Thomas, & credidit Saluatorem, vidit & tenuit crucifixum & credidit Deum. Vnde ergo hæc visio officit fidei? Sanè vnde præmium antecedens officii præstantiæ subsequentis obsequij. Illiberalis est qui nisi prius accepto præmio non præstat obsequium: ingenuus ille & præstans, qui mutarat obsequium, antequam præmium recipiat. Vidit Thomas, imò amplexus est Christi carnem, & tanto fauore prius accepto obsequium non adeò ingenuum præstitit fidei. Apud Matth. cap. 9. ait Dominus ad cæcos postulantes visum. *Creditis quia hoc possum facere vobis? dicunt ei, Vtique Domine.* Ad hæc D. Hilar. (Hilar.) inquit. *Cæci quia crediderunt viderunt, non quia viderunt, crediderunt. Ex quo intelligendum est, fide merendum esse quod petitur, non ex impetratis fidem esse sumendam.* Non ingenua fides est, qua emitur à Deo nobis exhibitis beneficiis, ille ingenuè credit, beatúsque est, qui ante omnia opera, antequam tendat supplices ad Deum manus, iam fide ducitur. Huc refero illud Exodi 13. vbi Deus de Pascha loquens sic præcipit. *Erit tibi in signum super manum tuam.* Cur Pascha super manum? An quia in Pascha fides exhibetur Christi? Ita sanè, & fides Christi manibus præfigenda est, ne tendas manum, quin prius imbutus sis fide: de qua re elegantissimè disserit D. August. (August.) quæst. 48. in Exod lib. 2. inquiens. *Pertinet Pascha propter occisionem ouis ad fidem Christi. Hæc autem fides operibus præponenda est, vt sit quodam modo super manum: de qua re Apostolus loquitur, & nullum, ait, placere Deo posse sine fide, quò fidem operibus sic anteponit, vt ex illa pendeant bona opera, atque ab ea præueniantur, non vt ipsa velut meritis bonorum operum tribui videatur.* Hæc August. quibus videre licet, quam maturanda est fides & exhibenda ante omnia, adeo, vt nec ad Deum tendamus manus, quin prius ducamur fide, non Thomam secuti, qui & manus tetendit, & cœlestem thesaurum attigit, vnde cumulatus bonis Deum confessus est; sed potius cæcos illos, qui prius imbuti fide confitentur potestatem Christi, & inde affecti sunt oculorum beneficio. Inde namque Petri de Christi diuinitate confessio maximè celebratur, quod vel motum labiorum eius antecesserit fides animo insidens. Ita Tertullianus (Tertull.) libro 4. in Matth. *Nec enim accepisset Petrus dicere: Tu es Christus, antequam audisset & credidisset Moysi, & Prophetis, à quibus solis adhuc Christus nonnabatur.* Ecce tibi Thomas ait, Dominus meus & Deus meus, & Petrus inquit: Tu es Christus filius Dei viui: Thomæ dicitur, quia vidisti credidisti, beati qui non viderunt & crediderunt. Petro dictum est, Beatus es Simon Bariona. Sanè sera fuit Thomæ confessio, & tactu, & visu exorta, cur bearetur illa? Sed fides Petri beatur vt quæ antecesserit confessionem, & ex Prophetis scripturisque hausta obsequeretur Christum.

CAPVT VI.

De apparitione ad mare Tyberiadis.

Initа Paschæ celebritate, Petrus, Thomas, Nathanaël, filij Zebedæi, & alij duo in mare se conferunt, piscandísque piscibus per totam noctem operam nauant. Iam lux matutina inanes eorum operas publicabat, & ecce Iesus ignotus illi à littore maris iubet retia mitti in dexteram nauigij partem. Quæ vix iacta sunt, & statim ingenti piscium captura iubentem Dominum manifestant. Præmonitus à Ioanne, Petrus non sustinens nauigij tarditatem sese mari committit, vt Dominum primus adoraret. Tandem omnes accedunt, quos amice excipit Dominus, cibis recreat, nouísque beneficiis exornat.

Text. Ex Ioann. 21. Dicit eis Simon Petrus: Vado piscari; dicunt ei: Venimus & nos tecum.

§. I.

Qui Christo nomen dederunt, auitam mediocritatem ne excedant in corporis cultu.

O Quale proponunt exemplum Christi discipuli religiosis viris, ne in colendo & sustentando corpore extra auitæ mediocritatis chorum prosiliant! Gentilis erat Petro & condiscipulis piscatorum ars & cultus, quem referunt etiam dum militant summo Imperatori Christo. Iam resurgentis gloria bis & ter illustrati erant, iam diuinis visionibus ditati, in magistrósque orbis designati, nec tamen victum habitúmque nisi qui piscatores deceat exquirunt. Metuo ne iam inde notentur hac nostra tempestate qui à D. Hieron. notabantur in sua, dum Epist. ad Heliodor. dicit. *Nummum addant nummo, & in marsupium suffocantes matronarum opes venentur obsequijs: sint ditiores monachi, quam fuerant sæculares, possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete diabolo non habuerant, & suscipiret eos Ecclesia diuites, quos tenuit mundus ante mendicos.* Sanè lacrymandus est religionis abusus quando & qui tenui victu apud suos viuebat, apud Christum ciborum meditetur delitias, & qui sub paternis cunabulis rudi amiciebatur amictu, sub cruce Domini disputet de colore vestium, de pretio, de delitiis: & qui in mundi fabula, media obscurabatur in plebe, vbi Christifera repræsentatur tragœdia, ambiat videri Princeps vel nobilis decurio. Domi nudus & in agone vestitus, in sæculo macer, in religionis angusto pinguis. Meritò excandescit Bernard. in dictum Petri Matth. 19. *Quis rapuit ab ore Apostolorum temporis huius verbum gratiæ, verbum fiduciæ. Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te? Ecce enim vt populus sic sacerdos. Similiter volunt in hoc sæculo fieri diuites, similiter, imo abundantius suam hic præripiunt consolationem.* Proh fœdam hominum conditionem! populares aures captas vno fundatus lapide Christo? Communia sacri ordinis fastidis, nihilque nisi egregium meditaris gregali natus vulgi consuetudine. Reuocate in memoriam Agaris Ancillæ factum fine fastum, humilis de Ancillarum more accessit ad Saræ seruitium: sed Abrahamo data in coniugium concepit ex illo Genes. 16. *At illa videns concepisse despexit dominam suam.* Seruile quoduis respuebat officium, vni sibi clamabat deberi domus curam. Ad hæc D. Gregor. lib. 21. in 1. Regum cap. 3. sic militantium Christo præcipitium effigiat. *Agar quippe concipit, quando reproba mens subditi aut per eruditionem scientiæ se proficere, aut per vitæ conuersationem credit. Quæ profectò prægnans dominam despexisse dicitur, quiaiam præpositi sui voluntati subdi dedignatur: sed quæ dominam despicit ancilla esse perhibetur.* Nec enim vnqnam magis apparet conditio seruilis obscurus natalis cuiusuis, quam vbi contemptu religiosæ disciplinæ, sæculis bonis eminere quis præsumit.

Hieron.

Bernard.

Gregor.

Text. Et exierunt & ascenderunt in nauim, & illa nocte nil prendiderunt. Manè autem facto extitit Iesus in littore, non tamen cognouerunt Discipuli quia Iesus est.

§. II.

Laboret oportet is, qui trahere cupit Christum.

FAlli velim in eo quod mihi suspecta est illorum sanctitas, quæ otio nutritur. Vidi aliquoties mulieres per templa tota die vacantes, reuelationibus habendis insudare, habitutas satius & citius inter calathos, inter fusos, si domi clausæ quasi operosæ apes labori vacarent. Et quidem Apostoli sacris illustrati visionibus de Dominóque passim apparente solliciti non otio torpebant; sed propriis laboribus victui parando insudabant. Id quod D. Chrysost. in præsenti notauit; *Laborabant,* inquit; *& laborantibus assistit Iesus.* Antiquus fuit Angelorum error per otium diuinam visionem sibi velle vsurpare. *Sedebo,* ait ille, *in lateribus Aquilonis, similis ero Altissimo.* Ecce sedebo, inquit, otiari tentat, & simul Deo approximari. Proh stultitia! otium equidem nullam creaturam beat: quod eleganter meditatur D. Bernard. dum ponderat illud Isaiæ. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & Seraphim stabant.* Deus sedet, Seraphin stat: stat, inquam, Seraphin, hoc est, summo mouetur, quandoquidem vt docet Mercurialis de Arte Gymnica, nullo labore magis mouetur homo, quam stádo: tunc enim singulæ corporis partes dum grauitant motum & laborem patiuntur. Hinc D. Bern. serm. 3. ait. *Sola sedet Trinitas quæ sola habet immutabilitatem: sola est apud quam non est transmutatio, neque vicissitudinis obumbratio: Seraphin stant extendentes se & intendentes in eum, in quem prospicere concupiscunt. Qui sedere præsumpsit, se ipso voluit esse contentus. Tu sedere tentasti, ò impie, propterea tui moti sunt pedes & effusi sunt gressus.* Nemo circa Deum immobilis, nemo otiosus, quia nemo est, qui vicissitudinibus non subiaceat, qui non possit mutari, ideò qui Deo vacant, fugiant otium, operi & labori incumbant, proficient laborantes, peribunt sedentes: illius, qui ante Deum sedere tentabat, hoc est, otiosam vitam agere, pedes moti sunt & effusi gressus. Sanè quos victus parandi gratia piscantes vidit Dominus, hos sibi socios vocat aiens Mat. 4. *Venite faciam vos piscatores hominum.* Non à labore separat, imo quia nouerint laborare, ideo vocat quasi laboribus plaudens. Acutè Chrysol. c. 28. *De labore transeunt ad laborem, quia labor nescit lacessere meditatus. Hinc est, quod Apostolos suos Dominus humanis laboribus exerceri voluit, vt eos indefessos redderet in diuinis. Voluit eis Deus manere fortitudinem, de exercitio præstare virtutem, voluit eos labores non perdere, sed mutare.* Sic qui Deo placeant, humanis laboribus exerceantur; de exercitio honesto virtutem accipiendam putent, nec labores obliuiscantur, quod Deo vacant; sed sciant labores non perdere, sed mutare, quatenus eos vertant in diuini obsequij gratiam. Dixerat Matth. c. 4. *Quod ductus est Iesus ab spiritu in desertum, vt tentaretur à diabolo.* Vbi Christianos sudores meditatus D. Pasch. lib. 3. inquit. *Ad hoc quisque de turba sæculi exiuit cum Christo in solitudinem non vt torperet otio, sed vt tentaretur, cum eo tentatus vinceret, victor coronaretur.* Sic otium à suis intendit eliminare Christus. Equidem in Isaia 1. iuxta lect. D. Basil. ait Dominus. *Ieiunium & otium & Neomenias vestras odit anima mea.* Vbi statim commentatur ipse Basil. dicens. *Primum igitur & maxime proprium humanæ conditioni studium est, vt operetur ita vt intra otium sit præter hominis naturam, qui initio suæ conditionis positus est in paradiso, vt operaretur & custodiret illud.* Hinc viri perfecti tam ardenter otium fugiunt, seséque operi dant. De D. Paul. dicitur Actorum 18. quod mansit apud quemdam Iudæum. *Eo quod eiusdem opificij esset, & operatus est.* Sed miraberis quod Apostolus destinatus conuertendo orbi apud coriarium sedeat, arti coriariæ daturus operam? Defuissétne tanto viro nobilis quædam domus apud quam maneret, & incumberet muneri concionatoris? Multæ sanè essent Paulo eiusmodi mansiones, verum nulla aptior visa fuit illi quam ea, in qua præ manibus haberet opus ad declinandum otium. Pulcrè D. Chrysost. ibi ait. *Apud illum igitur manet, & non confunditur manere, sed manet, imò propter hoc ipsum manet, quia commodum diue[...]rium nullus erat, & quasi regia magis idoneum. Et operabatur prædicans. Erubescamus nos, qui etiam absque prædicatione viuimus otiose.*

Chrysost.

Isai. 6.

Bernard.

Matth. 4.

Chrysol.

Text. Dicit ergo eis Iesus. Pueri nunquid pulmentarium habetis? Responderunt ei, non. Dicit eis: Emittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis. Miserunt ergo, & iam non valebant illud trahere præ multitudine pisciũ.

§. III.

Obedientia victrix & subiugatrix omnium.

QVi tota nocte nihil prendiderant, vacuaque millies iacta retia receperant, nunc piscibus mare populantur, ipsique præda ditescunt. Quæ rei causa? An quia modò operam dant obedientiæ? Obediunt, & citissimè obediunt ignoto Domino, & ipsi piscandi gnari penuriam piscium experti, laboribus fracti, nihilominus sine mora ignotæ voci obtemperant, inde necessum erat, vt mare popularentur. Ruperi. Merito Ruperi. in præsenti Discipulorum fœlicitatem obedientiæ tribuit his verbis. *Et benè, quia citò acquieuerant dicenti, Mittite in dexteram nauigij, sicut mansueti, qui secuti fuerant magistrum mansuetudinum, statim cognouerunt eum.* Hæc est obedientium fœlicitas, qua omnia possint qua omnium dominentur, ignorabant Dominum Apostoli, & per integram noctem piscantes vacui erant, & vbi imperanti acquiescunt, diuinique sequuntur moderamen imperij, & capta præda triumphant, & Dominum exultantes cognoscunt. Quam verè illud celebratum est, nimirum, *vir obediens loquitur victorias.* Quàm verè! Reuocate in memoriam sententiam diuinam in Chananæos districtam. Iusserat namque Dominus populo suo, vt Chananæos penitùs exterminaret, quod dum nititur facere populus mille bellis eos exagitans, at illi tandem bello fracti fœdera pacis poscunt, & promittunt se in omnibus Israeli parituros, quo pacificè Iosu.7. apud Israëlitas sinuntur viuere. Rem narrat Ios. c.7. his verbis. *Postquam filij Israel inualuerunt, & fecerunt Chananæos obedientes, exterminio autem eos non exterminauerunt.* Ad hæc pulcre D. August. lib. 60. qq. q.30. miratur cur Deus non castigauerit Israelitas, quòd Chananæos pacificè exciperent. Sane qui de Ierico bona quædam seruauerat, lapidibus obruitur, & Saul, quod Regi hosti pareeret, Regno priuatur, & modo Israelitæ parcunt hostibus Chananæis à Deo in mortem proscriptis, illósque in societatem adsciscunt, & nihilominus non malè audiunt apud Dominum? Quæ rei adeò August. nouæ causa? *Timuisse*, ait August. *credendi sunt, ne fortè paratos obedire si parcere noluissent, eos superare non possent. Hunc ergo eis humanum timorem Dominus noluit imputare.* Quid pro victrice obedientia dici potuit præstaotius? Vbi Chananæi obedientiam promittunt Israeli, meritò ab Israëlitis timentur, & reputantur insuperabiles. Quare Deus non castigat, imò nec ad culpam imputat Israëli, quòd metuat eos, qui obedire parati sunt; metus enim hic in viros constantissimos potuit cadere, quandoquidem obedientia nescit superari; sed in omnibus victrix, & insuperabilis euadit.

Text. Dicit ergo Discipulus ille, quem diligebat Iesus, Petro, Dominus est. Simon Petrus cùm audisset quia Dominus est, tunica succinxit se (erat enim nudus) & misit se in mare. Alij autem Discipuli nauigio venerunt, &c.

§. IV.

Petrus omnium Ecclesiarum labori præficitur.

NOn arctatur Petrus vnius nauiculæ præfecturæ, non singulari puppi insidet, clauóque vnius nauigij mouendo insudat, toti se committit mari, & vastissimo, & inquietissimo. Proh Deus immortalis! Petrus non vanè dicebatur Bariona, hoc est, filius columbæ, quia diuini aliris morem secutus vniuersis incubat aquis, vt cœlestia repleat Bernard. alitibus. Petrum mari cubantem vniuerso, vt vidit D. Bern. lib. 2. de consid. inquit. *Quid istud? Nempe signum singularis Pontificij Petri, per quod non nauem vnam, vt cæteri quisque suam; sed sæculum ipsum susceperit gubernandum.* Habuit alter Apostolus Nilum, alter Gangem, vnus Petrus circa vniuersas aquarum congregationes habuit principatum, & dominium vbi orbis fundamina ponebantur, & pannis infantiæ mare adhuc inuoluebatur, ab omnipotentia diuina aiebat Genes.1. Dominus. Genes.1. *Congregentur aquæ in locum vnum.* & congregationes aquarum vocauit maria. Quid tunc? Pulcre Sinaita. Anastas. Sinait. lib 3. Hex. inde fatur. *Christo ergo Domino valde conueniit dicere, Congregetur aqua, quæ est sub cœlo in vnam congregationem. Congregetur aqua, piscatores enim parans. Congregetur aqua, Petrus enim iam crucem tanquam remum intinguit in mari mundano.* Vni Petro congregatio paratur aquarum, vnus Petrus vastissimum sæculi pelagus sibi subiicit, suóque remo parere facit. Hinc meritò D. Chrysost. nec sine acumine Moysi Petrum præfecit, dum hom.57. in Matth. sic fatur. *Nam etsi mare Moyses scidit, sed Petrus per maria deambulauit.* Chrysost. Expende pulcrum discrimen in illo Moyses mare scidit, quandoquidem vt Moyses populum saluum faceret, eleuata virga mare diuisit in duas partes hinc inde, nec nisi diuiso mari graditur. Eteoim vni Petro integrum seculum seruabatur, vni Petro non diuisio, sed congregatio seruiebat aquarum, vtpotè qui supra vniuersum sæculum habet potestatem, vastissimúmque pelagus mundi per crucem valuit domare. Huc referam, quam Titus ad Egesippum, lib.5. Titus. c.46. de excidio Hieros. Romanorum ingentem gloriam ad Iudæos iactabat fatus. Quis murus resisteret, quibus Oceanus non restitit? aut quæ ciuitas nostræ obsidioni inexpugnabilis foret septa præsidio murorum, cùm Britânias quoque Romana arma penetrauerint muro frementis circumuallatas elementi: substratus est nobis ille præruptus aquæ mons. *Patres vestros vobis maris vnda muri specie transeuntes circumuallauit: Romana fortitudo murum Oceani perfregit. Non inuideo vobis aliena beneficia. Viderit vos mare, & fugerit, quia prærumpere bellum non poteritis, nec sustinere. Nobis fuga Oceani damno fuisset, si fugisset. Gessimus autem bella cum fluctibus, insanum mare antè superauimus, quàm ad bellum accederemus. Excepit nos Britannia iam victores elementorum. Quibus illi fidebant, nos subegimus, vt ad triumphi cumulum ipse Oceanus accederet.* His superbiebat Roma ethnica; sed vbi Titos Vespasianos exuit, & Petrum induit facta Christiana, ò quàm verè omnia illa iactaret! Subactus à Petro est præruptus aquæ mons, penetratæ insulæ frementis elementi muro vallatæ, Petrus non maria scidit, nec fugauit, damno esset Petro, si scindatur mare, si fugæ se tradat, nimirum qui aquarum congregationibus imperet, qui sæculi inquietum pelagus domet, cuius ad triumphi cumulum ipse accedat Oceanus.

§. V.

Per aquam Christus.

NOuit Petrus iter ad Christum, nouit vnde posset Christo appropinquare. & se submergit aquis, non vt vellat coralla; sed vt Christum habeat. Nónne Tertul. ait, Tertull. libro de Baptismo, *Numquam sine aqua Christus?* Nullus enim accessus ad Christum, nisi per Baptismi aquam, vbi aqua mediat, Christi Domini gloria candicat. Vt Christum damnaret Pilatus, lauit aqua manus. Quid plura? Sic statim effatur. *Innocens ego sum à sanguine iusti huius.* Sanè Christi virtus non potuit non apparere per aquas. Ita D. August. August. ser.21. de tempore inquit. *Aqua manus lauat dicens, Innocens ego sum à sanguine iusti huius. Illuminatur per aquæ mysterium iudicis sensus, & Christum iustum pronuntiat.* Quippe aquæ mysterium fuit, quòd cæcus homo publicaret Christi innocentiam, quod a tam nefario iudice videretur innocens Christus. Qua ergo Petrus citiùs veniret ad Christum, quàm per aquas? Qua citiùs illuminaretur, vt nosceret Dominum? Qua aptiùs initiaretur, vt Christum annuntiaret mundo? Nónne ad Iordanis ripas Pater cœlestis accessit, vt filium suum prædicaret mundo? Nónne ibidem spiritus diuinus venit indigitaturus Dominum Christum? Sed qua forma de Christo præconia edunt? Sanè pater sub nube, Spiritus in specie columbæ, & nubes, & columba ab aquis genus suum ducunt, vna enim aquæ natura optima est, vt per illam & habeatur, & demonstretur Christus. Accipite modò August. lib 3 de mirab. sic fantem. *Idcirco in nube & columba imagine Pater, & Spiritus sanctus ad Baptismum veniunt, quoniam aquatica natura illæ aliquid haberent.* Vt iam discas qua tibi quærendus sit Christus, qui per aquam à Petro quæritur, quem nec demonstrare volunt Pater, & Spiritus sanctus, nisi per aquatiles naturas.

Text. Dixit eis Iesus, Venite prandere. Et nemo audebat discumbentium interrogare eum, Tu quis es? & venit Iesus, & accipit panem, & dat eis, & piscem similiter.

§. VI.

D. Petri pascua supra omnia mundialia præstantissima.

IAm Petri asseclę videte quali excipiantur conuiuio, queis dentur pascuis, qui sub tanto Pastore viuunt. Sane habent

paoem

panem viuam, qui de cœlo descendit, piscem nimirū filium Dei per passionem assum, item habent ministrum ipsum Christum. Hæccine sunt summi Pastoris pascua? Noui sanè quæ parentur semper Diu. Petro conuiuia: enim verò cùm
Act. 10. Actorum 10. esuriret. *Vidit cœlum apertum, & descendens vas quoddam velut linteum magnum quatuor initijs submitti de cœlo in terram.* Ecce tibi dum Petrus esurit, totum cœlum funditur, vt superorum dapes effundat, vt nouerit Pastor om-
Ambrof. nium quo oues suas deducat. Hæc pulcrè D. Ambros. serm. 68. enucleat. *Pransuro Petro desunt coquorum apparatus: desunt obsequia famulorum; sed quod est melius, ministeria diuina non desunt, & vtilioris communione sancto viro quod deest in terris, abundat in cœlis. Vt reficiatur enim Petrus non cellarium sollicitè reseratur, sed cœlum ipsum protinus aperitur. Legimus sanctum Eliam coruis ministrantibus pastum: quantò melius Petrus, cui non paruam escam terra anus porrigit; sed integrum conuiuium multitudo Angelica subministrat.* Sed quomodo multitudo Angelica? Sanè Petrus ad eam pascuam oues suas minatur, quæ non Angelicis, sed solis diuini Patris manibus communicatur. Est in cœlo sublimis quædam pascua, est secretissima mensa, mensa, inquam, à Sapientia cap. 9. Prou. elaborata, ait enim, *posuit mensam.* Huius fercula, & dapes docet
Anastas. Anast. Nicæn. esse *Trinitatis cognitionem:* de qua mensa sic
Cellens. cauet Abb. Cellens. de Panib. capit. 1. *Procul absistat creatura omnis ab hac administratione, quia bestia, quæ tetigerit montem, lapidabitur. Manum subtrahat Seraphim, quia munus huiusmodi manum aliam non admittit, quàm solius dexteræ Dei, nemo enim nouit Filium, nisi Pater.* Et quidem quæ Patri paratur mensa, & à Patre ministratur, eam summus omnium Pastor attingit, & de illa saturus, de illa item oues suas procurat sagi-
Cant. 1. nare. O quàm anxia dicebat illa Cant. 1. *Indica mihi quem*
Apon. *diligit anima mea, vbi pascat.* Ad quæ verba Apon. D. Petri excellentiam sic decantat. *Manifestum est vbi pascua Apostolorum Principi reuelata est Petro, dum interroganti Christo respondit: Tu es Christus filius Dei viui.* Sanè quam solus Pater attigit mensam, Petrus pascit, nec ipse solus pascit, sed omnes de pastoris beneficio pascimus. Hinc pergit Aponius. *Ecce quomodo oues ad vocem veri pastoris pascua vitæ æternæ in Petro inueniunt, & ideò Petrus tantis laudibus coronatur, cùm ei dicitur: Beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi; sed Spiritus Patris mei, quia in ore eius reuelante Spiritu sancto gloriosa pascua, & requiei sempiternæ cubilia Ecclesiæ indicata sunt.* Felices oues nactæ tantum Pastorem, à quo non ad fœnum mundanarum voluptatum, non ad poma discordiarum seminaria; sed ad eam pascuam ducimini, cuius conuiua, & ministrator est cœlestis Pater, à qua sibi lupus, & fera quæuis cauet.

Text. Cùm ergo prandissent dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei, Etiam, Domine, tu scis quia amo te: dicit ei, Pasce agnos meos, &c.

§. VII.

Propriæ vtilitatis memoria vtilissima cuiuis Prælato.

NOranter dixit Dominus, Simon Ioannis, & non Simon Petrus, ne qui orbi præficiebatur, ortus sui obliuisceretur vilitatem; sed antiqui nominis tinnitu ob oculos haberet auitam pauperiem, angustam parentum domum, quo sese maximè in virtute firmaret, ac confirmaret. Hi namque orbis columnæ aptantur à Deo, qui nunquam hæreditariam tenuitatem obliuioni tradunt. Quippe ait 2.
2. Reg. 1. Regum 1. *Domini sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem.*
Hieron. Hæc meditans D. Hieronymi translatio posuit explicatiùs,
Rupert. *super afflictos terræ.* De quo verè, & acutè Rupert. libr. 2. de operibus Spiritus sancti cap. 28. ait. *Et afflicti terræ qui sunt nisi humiles, & contriti corde? Super illos planè qui huiusmodi sunt, Dominus orbem posuit. Quia super eos, qui præteritam infirmitatem memoriter tenentes humiles apud se conscientiæ sunt, Dominus Ecclesiam suam collocauit.* Ecce vobis orbis columnæ qua cælatura a Deo poliantur, nimirum memoria pristinæ infirmitatis, hæc ob oculos sit, hæc animæ humilitatem foueat, & te sic confirmabit, vt totius orbis sis firmissimum sustentaculum. Hinc salis nomine Apostolos nobilitans Do-
Matth. 5. minus simul ait Matthæi cap. 5. *Vos estis sal terræ,* quod sic sonat Hilario, quasi diceret, vos estis sal ex terra factus. At sal minime fit ex terra; sed ex aqua. cur ergo in salis excellentia Apostolis aptanda obiecit illis Deus vilem & humilem originem ex terra? Iam respondit Diu. Hilarius, cuius Hilar.
fuit dubitatio, sic enim ait. *Verum quia homo mutationi subiacet, & solus beatus qui vsque in finem perseuerauerit, ideò eos sal terræ nuncupatos monet in tradita sibi potestatis virtute persistere.* Quasi in accepta dignitate firmitatem inde procurandam esse docuerit, nimirum ex consideratione & memoria abiectæ, & infirmæ originis. Sic terrenæ originis memoria fulsit Ecclesiæ magnates, cuius defectu adolescentes illi, qui ad munera Ecclesiastica festinabant, miserè deperibant, apud Nazianzen. Apol. 1. dicentem. *Verendum ne periculosa hæc celeritas, præcepsque studium seminibus illis non absimile sit, quæ in petras ceciderunt, & quia terræ profunditatem non habebant, statim exorta ne primum quidem Solis calorem ferre potuerunt.* O quàm illis iuuaret terræ profunditas, ne ad Solis radios aridi deciderent! O quàm sapienter Abraham hinc suas glorias firmabat! quippe ad summi Dei colloquium admissus ingentium bonorum promissione muneratus sic fatur. *Loquar ad Dominum, cum sim puluis, & cinis.* Quam viri humilitatem vt basim, & columnam ingentium gloriarum sic extollit D. Cyrillus Hierosolym. Catech. 6. Cyrill. Hierosol.
Cum ad Deum respexit Abraham, tunc inquit ingenuè confitens, Ego sum terra, & cinis. Non dixit terra, & tacuit, ne se ipsum magnum elementum terram appellare videretur; sed addit cinerem se esse, vt vilitatem, & imbecillitatem suam ostenderet. Et hoc inter colloquendum cum Deo, inter gloriosissimas promissiones Dei, quibus saluti orbis iam ipse subiiciebatur. Non sine ingenti admiratione Ezech. 1. gloriæ Dei, Saluato- Ezech. 1.
risque nostri triumphalem currum meditatus ait. *Et similitudo super capita animalium firmamenti.* Proh mysterium! Animalia nobilissima erant, rapidissimè hinc inde ferebatur, cur ergo in illis firmamentum stabilitur? Sanè subiectæ firmamento erant rotæ apertis oculis circumuelatæ, vt nullo in motu quo circum voluantur, oculi deficiant, qui ad terram respiciant; vbi ergo terra præ oculis est, firmissimum gloriæ & maiestatis stabit sustentaculum. Dauid aiebat 2. Reg. 7. *Quis sum ego, quod talem gratiam inuenerim in oculis* 2. Reg. 7.
tuis? In quibus sic Diu. Chrysostom. philosophatur particulari homil. *Noueras se pastorem esse ouium, & non genere nobilem. Sed quando factus est nobilis, agnouit, se ex nihilo fuisse subleuatum: & quia non est oblitus quis natus erat, perseuerauit in culmine regali.* Ecce qualiter tota dignitatis firmitudo innitatur in memoria pristinæ vilitatis. Rem finit Isaias cap. 6. vbi immensam Dei celsitudinem speculatus astantia Isai. 6.
Seraphin, & gloriosum thronum, sic notat. *Et ea quæ sub ipso erant, replebant templum.* Vide quibus templum occupandum dabatur, non iis, qui super omnes sese efferebant; sed qui subter iacebant, in imis propriæ adhærebant infirmitatis, hi templum Domini occupabant. Vnde ad illum locum Bernard. sermon. 2. ait. *Vt intelligas non eam altitudinem* Bernard.
commendari, quæ extollitur aduersus Deum; sed eos in templo, siue in solio fore, qui sub ipso sunt alios excelsos stabilitate solida, alios ex imo leuatos miseratione diuina. Ita Bernardus.

§. VIII.

Non vi, & rigore; sed beneficijs potius, & amore homines in Dei seruitium ducendi.

NOuerint vniuersi pastores, vniuersi qui hominibus præsint, qua videbunt sibi creditas oues gubernare, nimirum pastu, beneficiis, amore. Ait enim bis, & ter, pasce oues meas, non gaudet Dominus ouibus, quæ fuste aguntur; sed quæ ex pastu, & beneficiis incrementum capiunt. Reuoca in memoriam duos illos celebres fratres Iacob, & Esau. Alter pascebat oues, alter feras venabatur: vterque parenti affert cibum: sed Iacob benedictione cœlesti ditatur. Non possum non istud mirari; nónne magis gloriosum homini est, si feras capiat, & vel sagittis, & arcu territas, imò occisas Deo parenti libet, quàm si gramine obiecto oues trahat? Cur ergo qui feras domuit sagittis, repellitur, & ille eligitur, qui agnos ex pascua parauit? Pulcrè D. Ambros. lib. de Iacob cap. 2. fatur. *Vicit mansuetudo duritiem,* Ambros.
dum alter venatu aspero prædam quærit agrestem, hic teneræ mansuetudinis, atque pietatis pro patri dulces epulas ministrauit. Nemo iam in immensum glorietur Præsul, qui vel fuste, vel sagittis, asperóque venatu agrestes morum domuerit feras, & ad Deum traxerit. Is enim Præsul Deo placet, qui mansuetus existit in greges. Ideò Demophilum de asperitate in peccatores sese gloriantem pungit D. Dionys. Areop. Areopag.
his verbis. *Doceri quippe ignaros decet, non supplicijs affici, sicut & cæcos nō cruciamus, sed ad manum ducimus. Atque hoc eximiæ* in

in se dilectionis argumentum capit Deus, si oues eius modestissima gubernatione pascamus. Non si asperitate & rigore suppliciorum, vel mores ferinos mactemus. Saepe ubi Deus supplicijs populum suum in caulas curabat reuocare, quibus illum pastoribus tradebat? An electis principibus? imò reprobis tyrannis vel ab Ægypto, vel a Babylone conductis. Cùm vero ipse electos, & sibi gratos pastores præficiebat, hæc erat illis lex sancta, ne supplicijs, ne asperitate; sed modestissima gubernatione oues agerent. Nonne Moyses, & Aaron electi a Deo sunt, vt hominibus imperarent? Sed ecce vbi iubentur interfici Ægyptiorum rebellium primogeniti, & illi iubentur domi sese continere, & celebrationi Paschæ vacare; sanctos enim pastores decet populi pascua, supplicium, & cædes reprobis sæpè ministris commendatur. Hoc pulcre notauit Aug. lib. 2 de mirab. c. 19. vbi ponderans quod cæteræ plagæ factæ sunt Moysi, vel Aaronis manu, sic fatur. *At vero [illegible] hominum [illegible] mortis exitus à Deo dispensatur, non hominis; sed An[illegible] [illegible] commissum.* Alterius proculdubio naturæ est homines suppliciorum asperitate vexare, humanus præsul pascha faciat cum omnibus, illaque pastus beneficiis minetur, non fuste, non gladio. En ipse pastorum exemplar Dominus qualiter dispersas oues colligebat, nimirum pascuam illis proponens ad epulas inuitans. & vt apparet rediuiuus, sine conuiuio; nónne in præsenti ait: *Pue[illegible] habetis [illegible] manducarium?* Hæc illius apparentis prima sunt verba, circa quæ D. Chrysol. ser. 87. *Vt humanitas ad gratiam [illegible] [illegible] fiduciam. [illegible] mentum reuocaret ad fidem.* Hæc sunt quibus à veris & electis pastoribus trahuntur ad caules oues Christianæ. Vide infra, §. 11. & supra, cap. 4. §. 11. & alibi.

August.

Chrysol.

Text Amen, amen dico tibi, cùm esses iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas. Cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet te quò tu non vis.

§. IX.

Seniores in religiosa obseruantia, & virtutum conflictu emineant.

MIror diuinam sapientiam, à qua seni hominis ætate, & laboribus confracto durissimum religionis certamen reseruatur. Iuueni Petro voluntaria con[illegible] tur, verum seni omnino repugnantia, & dur[illegible] na par[illegible] tur: ait enim, *Cùm senueris, alius cinget te, & [illegible] que [illegible] non vis.* Proh Deus immortalis! quando senes non donantur rude. San[illegible] in rel[illegible] toris [illegible], in causa virtutis profitendum senibus c[illegible] in dur[illegible] certamina medie[illegible] inter confertissimos hostes stand[illegible] ill[illegible], nemo[illegible] ta[illegible] [illegible] ent arma, quàm te. [illegible] te D. Chrysost. pro[illegible] a [illegible] pendentem ver[illegible] ai[illegible] modo. *Quamdiu [illegible] [illegible] [illegible] hes [illegible] subdit, [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] tebu[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] lem esse; [illegible] aut[illegible] non ita te [illegible], [illegible] [illegible] cutarit, [illegible] senectus, tunc fortior [illegible] at [illegible] [illegible] ar[illegible], nihil te ætas impediet.* Non gladium condat senect[illegible] [illegible]ed acuat, nec prætextu senilis infirmitatis certamina fugiat, non enim bene esset a Deo consultum Petro seni, si senectus non vegetior & præstantior fuisset ad debellanda spiritualia nequitiæ. Sane foedum est, quod senex ærumnosæ vitæ diem vt agat, hosti succumbat, vel religioni detrahat; quare nemo nudior, & expeditior in arenam prosilit virtutis, quàm senex. Non callebat firmam senum virtutem Antiochus ille Iudæorum strages, q[illegible] are vt fortissimos Machabæos debellaret, primò aggreditur Eleazarum senem, & religiosum virum. Non grande certamen videbatur futurum cum sene, vt ad Iesum traheretur carnis suillæ. Quid quòd qui in religione, in legum obseruantia consenuit, vt summos dolores fugiat, parum de prophanorum cibis sumat. Non vult sumere? Saltem simulet, & sic cum venia legum suæ infirmitati prospiciat, & iuuenibus dura tormentorum certamina relinquat. Hæc dicebant falsi amici Eleazaro, eanorum miserentes; at ille inter acerbissimos cruciatus sic apud D. Ambros. lib. 2. de Iacob, cap. 10. amicis, & hostibus respondit. *Non sum ita senex, vt mihi non innotescat animi fortitudo. Nequaquam contingat mihi, vt fiam senex iuuentinum errorum iuuenibus, qui huc vsque eram forma salutaris instituti. His ergo ludibrijs vt paululum viuam, [illegible], & totius vitæ labores addicam breuis viatico senectutis. Senectus portus debet esse, non naufragium vitæ superioris. Non te negabo lex patriæ*

Chrysost.

Ambros.

non adiu[illegible] [illegible] vos sancta instituta maiorum. Sic senes nouerunt dimicare pro religione, ne vel diuinæ legi, vel maiorum institutis in minimis officiant. Nolim falli cùm hoc refero, quod Paulus se iam senem cum vinculis luctantem propo[illegible] imitandum Philemoni, dum ait 1. cap. *Si talis, vt [illegible] [illegible]ex, nunc autem & vinctus Iesu Christi.* Sanè senectutis [illegible] certamina cum hominibus in virtutis stadio, vt expedi[illegible]ra, & præstantiora, sic vniuersis hominibus spectabiliora sunt. Huc referam quod in Niniuitarum pœnitentia nota[illegible], de quibus ait Ionas cap. 3. *Vestiti sunt saccis à maiore vsque ad minorem* Ecce pro virtute certamina vnde auspicium capiant, à maiore, loquit. Id quod premens D. Hieron. ait. *[illegible] maior ætas incipit, & vsque ad minorem peruenit.* Et sanè quando exemplum à maioribus venit, quasi per decliue currit, & percurrit omnes, verùm cùm à minoribus incipit, idè est, ac si per accliue graue pondus ferarur, quod parum proficit, & passim recidet. Crudeles in adulteram accusatores, sic repellit Dominus, Ioan. cap. 8. *Qui sine peccato est vestrum, pri[illegible] [illegible] illam lapidem mittat.* Quo audito, notanter addit Ioan. quòd *vnus post vnum exibat incipientes a senioribus* Ecce tibi seniores incipiũt vt omnio vitæ emendatione alacriores esse debeant. Accipite D. Ambr. epist. 58. sic notantem. *Incipientes a senioribus, quia priores vim intellexerunt sententiæ, quasi prudentiores: & cœperunt sua magis peccata deflere, qui alieni criminis venerunt accusatores.*

Ionas 3.

Hieron.

Text. Conuersus Petrus vidit illum Discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem, qui & recubuit in cœna supra pectus eius, & dixit, Domine, quis est qui tradet te? Hunc ergo cum vidisset Petrus dixit: Domine, hic autem quid?

§. X.

Indecorum pastori, si non per se ouibus prospiciat.

QVis hanc maculam multis pastoribus inussit, qui cauśantur per se ipsos, oues curare, & ducere, & tunc inglorij putantur, quando hoc munus non mandant vicarijs? O fœda pastorum conditio! ô inglorij præsules! Equidem & Petrus cum adhuc inglorius & rudis ageret, dum audit ex Apostolorum grege ouiculam a lupo vorãdam, noscere cupit miseram ouem, & curat eius lucem parefacere, forsan vt medelam capiat. Rectè huc vsq; agebat; sed in hoc non adeo bene, quod sollicitudinem mandat Ioanni, vt ille inquireret de oue: iam præstantior factus in præsenti, vt se super omnes Dominicos greges videt constitutum, nõ amplius alterius vtitur diligentia; sed ipse solicitus per se ipsum ouis salutem tractans dum ait, hic autem quid? Sic pulcrè, & eleganter Chrysost. hom. 173. in Ioan. fatus. Qua gratia recubitus illius meminit? Non abs re; sed vt ostendat Petri post negationem fiduciam, *Qui enim tunc non est ausus Iesum interrogare; sed id muneris alteri delegauerat.* Proh pastoris infirmitas! *hic commissa sibi fratrum cura non modò alteri vicem suam non mandat; sed ipse magistrum interrogat.* Expende, quòd vbi clariùs suæ curæ cõmissos fratres cernit, nullius salutem alteri delegat procurãdam; sed ipse per se ipsum immediatè illam procurat, & de illa agit, quasi sibi indecorum iudicans, quòd grex sibi commissus alterius beneficio fiat sanus.

Chrysost.

Sed age, obijcies mihi strenuos, & diligentissimos vicarios, qui pastorum munera summa exequuntur laude. Et hoc puto maximè esse inglorium pastoribus; pro quo vnus mihi stat Arnold. Carnot. tractatu de septem Verbis, vbi D. Petro sugillat, quòd cùm ipse claues cœlorum acceperit, sine illo latro gloriam paradisi fuerit nactus. Sic enim ait. *Ne irascaris Princeps Apostolorum, tibi dico Petre, cui claues regni cœlorum commissæ sunt. Nec ibi Apostolica authoritate vteris, vbi adinuicem fixis iuxta crucibus, priuata miscent colloquia Saluator, & peccator. Absens eras, & ministerij tui claues (quod pace tua dixerim) modo non proferts, supplet vicem tuam summus sacerdos Iesus.* Expende illud: quod pace tua dixerim, quasi enim de re Petro inglorια & indecora dicturus sic aptat veniam, vt dicat non per Petrum, sed eius quasi Vicarium agente ipso Domino, & vero Principe, latronem ad salutis portũ peruenisse. Quis iã præstantior Vicarius, quam Iesus? Et tamen hoc gaudens Petrus Vicario inglorius manet, dum non per seipsum, vel vni latroni cœlum aperit. Quid mirum, vt post hæc nullius curã Petrus alteri mãdet,

Arnold.

sed

ſed per ſeipſum de ouibus ſollicitus Chriſtum adeat. Vtinam vel hic eſſet innatus mos vniuerſis prælatis, cunctis Rectoribus, quod ipſi ſubditorum morbos per ſe viderint, per ſe viſitauerint, ô quam aliter veniret ſubditorum ſalus. Poſtquam Elias dura fame totum Iſraëlem confecit, hoc à Deo ipſe reſponſum accipit, 3. Reg. 17. *Surge, vade in Sareptha Sidoniæ, & præcipiam viduæ, vt te nutriat illic.* An non poterat Deus Prophetam in Iſraële nutrire? Cur illum ad externos mittit alimenti gratia? Vt cogeretur populorum miſerum videre ſtatum, & afflictos inedia propriis cernere oculis, & ſic de eorum ſubleuatione ageret. Chryſoſt. homil. in SS. Petr. & Hel. ait. *Neſciebas Helias quomodo apud alias nationes res ſe haberet. Cum enim in vno loco ſederet, neque orbis terrarum calamitatem cernere poſſet, quomodo omnia areſacta eſſent, paludes, fontes, flumina, plantæ, fructus. Cum, inquam, hæc ignoraret, & volucrum aliarúmque rerum interitum, puerorum mortes, & matrum vlulatus; tantam denique orbis calamitatem neſciret; excitans illum Deus fecit, vt multam terram peragraret illuc ad Sidonem vſque proficiſcens, vt ita ſaltem cum vidiſſet Elias quo pacto res ſe haberent, rogaret deinceps Dominum ſuum, vt pluuiam dare vellet.* Et quidem maximè proficerent Reipublicæ ſtatus ſi Principes per ſe ipſos ſubditorum tangerent neceſſitates.

§. XI.

Ioannes Euangeliſta præſtantiſſimus præſul ſupra pectus Ieſu recumbens initiatur, vbi de paterno præſulum munere.

Ecce quibus infulis decoretur præſul nobiliſſimus, quibus notis commendetur præſulis Ioannis præſtantia, quando ait, *qui & recubuit in cœna ſupra pectus eius*, quaſi inde inſinuaret quo incitatus aculeo Petrus inquireret futuram dignitatem Ioannis. Etenim vbi iubetur Petrus paſcere gregem Domini, hoc eſt, veri paſtoris, & patris munus ſubire, & exercere in orbem, memini ſtatim Diſcipuli accubantis ſupra Ieſu pectus, & in illius optimum paſtoritium ingenium præſagiens illum ſibi comitem in vita & morte procurabat. Sanè ibi in diuini parentis ſinu optimi quique præſules inaugurantur. Nónne Dei filius omnium præſtantiſſimè & Regis, & Prælati munus impleuit? Sed vnde hoc habuit filius Dei, vt Regem, & Prælatum perfectiſſimum ageret? An ex eo quod erat in ſinu patris? Ita

Cant. 1. planè. Id quod meditatur Sponſa Cant. 1. dicens. *Cum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuauitatis.* Vide quo diuinus Rex inauguratur, nimirum in accubitu ſuo, à ſinu patris vbi filius accubat, Rex proponitur cæteris om-

Bernard. nibus longè præſtantior. Guſtate Bernard. mella ſerm. 42. in Cant. ſic aientis. *Accubitus Regis ſinus eſt patris, quia ſemper in patre eſt filius. Nec dubites Regem hunc eſſe clementem, cui perennis accubitus eſt paternæ benignitatis diuerſorium. Meritò clamor humilium aſcendit ad eum, cui fons pietatis eſt manſio, cui ideò totum quod eſt, de patre eſt, vt nihil prorſus in Regia Maieſtate niſi paternum humilium trepidatio ſuſpicetur.* Itaque patris ſinus Regem nobis facit præſtantem qualem humana infirmitas eget, qualem requirit agniculorum trepidatio. De patris ſinu pariendi ſunt optimi quique Reges & Prælati, vt nihil non paternum & amatorium habeant. O quam meritò dicimus de Ioanne, Hic autem quid? Hic qui fuit in ſinu communis patris, qui accubuit pietatis fonti, qui in pectore diuino diuerſorium habuit? Hic ſanè præſtantiſſimus præſul erit, digniſſimè præficietur curæ animarum: nec dubites præſulem hunc eſſe clementem, cui accubitus eſt paternæ benignitatis diuerſorium. D.Greg.Niſſ. ponderans

Cant. 1. illud Cant. 1. *Meliora vbera tua ſuper vinum* homil. 1. Ioannis charitatem extollit, qua in proximorum amorem liquefiebat, & nocentiſſimos perditiſſimóſque peccatores ardentiſſimè amabat, nilque magis curabat, quam hunc amorem omnium animis inſerere. Vnde illud in ore eius verſatiſſimum, *filij diligite alterutrum.* Quid mirum, initiatus eſt Rex & præſul in accubitu ſuo, in paterno Ieſu pectore. Ita

Niſſen. Niſſ. ait. *Verbi amauit vbera, qui ſupra pectus Domini in Cœna recubuit, & veluti quandam ſpongiam cor ſuum appoſuit fonti vitæ, & ex ineffabili quadam traditione repletus Chriſti myſterij nobis quoque exhibet mammillam à verbo impletam, nóſque implet bonis, quæ ei à fonte ſunt indita.* Cur non amantiſſimus hic Paſtor totus fieret vbera, totus exhiberetur mammilla ſubditis, qui inter Dei vbera fuit initiatus? Cur non appareret totus mammeus, totus pater, cui accubitus fuit paternæ benignitatis diuerſorium? Cui fons pietatis fuit manſio? Ita expendo illud, *nobiſque exhibet mammillam, nóſque replet bonis*, quaſi à mammillis, à pectore, cui inſideret, hoc hauriret, vt fieret verus ſubditorum pater, dulciſſima Eccleſias gubernatione præ aliis moderatus. Nunquam mihi crede paterna exuet viſcera, qui à ſinu patris inauguratus eſt. Furiat licet, & ferarum ſumat formas, vt reos puniat, tamen de patris pectore multum exhibebit. Audi Dei verbum apud Oſeam dicentem cap. 5. *Ego quaſi Leæna Ephraim,* Oſeæ 5.
& quaſi catulus Leonis domui Iuda. Ego ego capiam, & vadam, & tollam, & non eſt qui eruat: vadens reuertar ad locum meum. Ecce quam efferus Dominus, quam Leone ſæuior, ſed inter ſæuiendum ait, Reuertar ad locum meum. Qui eius locus? Pulcrè D.Hieron. lib. 1. *Reuertetur ad locum ſuum, de quo* Hieron.
dicit Ioan. 14. Ego in patre & pater in me, & eos ſpernet, donec deficiant in impietate, & quærant eum per pœnitentiam. Sanè qui à ſinu patris fit Rex inter ſæuiendum, inter lanienam, non deſerit natalem locum, ſemper de patre hauriens paterna viſcera promit, vt nihil in percuſſore ſuo, niſi paternum ipſi rei ſuſpicentur.

Non ſic creantur à paterno Dei corde, qui in ſupplicium, & minas, & percuſſiones ſuſcitantur. Hi enim à ferarum præcordiis vomuntur, in illiſque accubant, vt nihil non ferum exhibeant. Nónne Ionas in Niniue ſupplicium mittitur? Nónne iubetur dira illis minari, ſtrictam iudicis frameam, fulmen paratum? Sed vbi talis Propheta initiatur, niſi in belluæ præcordiis, vbi accumbens triduo poſt euomitur? Id quod acutè perſtringens Naz. orat. in Baſil. ait. Nazianz.
Mitto in ventre ceti precantem fugitiuum Prophetam, atque ex beſtiæ præcordijs quaſi è thalamo prodeuntem. O miſera hominum conditio, quando illis præficitur, non cui accubitus fuerit paternæ pietatis diuerſorium, ſed bruti feralia præcordia! quid non ferum, quid non durum & crudele præ ſe ferret ille qui non in patris pectore; ſed in beſtiæ corde initiatur? Stultiſſimi Iſraëlitæ dum ſibi neſcio quem ducem præficere tentant, materiem auream in ignea fornace mittunt, & dignus tali accubitu fit dux, nimirum ſingularis fera, quæ mactet eos. Accipite Nicetam in orat. 2. de Paſch. Nicet.
aientem. *Vitulus aureus conflatilis, qui temerè à fortuito in huiuſmodi ſpeciem informatus eſt, vt Iudæorum contumaciam argueret. Ob hanc enim cauſam bouis, & non alterius animalis forma igne conflata eſt, quoniam hoc animal, & dura carne eſt, & neruis, & oſſibus, quemadmodum Hebræi duri.* Vbi duriſſimus dux in eorum mulctam efformandus erat, iure paratur fornax, vt ex fornacis corde eum ducem acciperent, in quo nihil non igneum, acerbum, durum & exitiale in ſe meditarentur.

Text. Dicit ei Ieſus: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me ſequere.

§. XII.

Detrimentoſum Prælato, qui in amicis, vel conſanguineis promouendis occupatur.

Heu quàm ſemper graſſatur hæc lues per Prælatorum animos, quibus hoc primum in mentem venit, quid conſanguineis ſuis, quid amicis poſſint præſtare. Huc prælaturæ curas, huc vigilias, huc omnem ſolicitudinem impendunt, quomodo ſuos promoueant, nihilque magis in vniuerſa officij adminiſtratione præ oculis habent. Quam hoc damnoſum ſit nemo non videt, quanta mala pariat, vix eſt in Eccleſia familia quæ non experiatur. Quam aliter Chriſtus Dominus, & conſanguineis, & amicis valde Ioanni, & Iacobo proſpexit? Optabant illi ab amico, & affine præſule primas obtinere in Regno, quibus ille: *non eſt meum dare vobis.* De quo D.Ambroſ. lib. 5. de Fide cap. 2. ait. *Quod* Ambroſ.
eſt, non eſt meum qui veni humilitatem docere; non eſt meum qui veni non miniſtrari, ſed miniſtrare. Equidem fœdum eſt, quod is, qui ex officio debet verum mundi contemptum docere, veras animi virtutes perſuadere, ſaluti ſubditorum inſudare, is occupetur in amicis & conſanguineis promouendis ad dignitates. Parum vrgetur muneris ſui curis prælatus, cui vacat ſuorum temporalis prouentus meminiſſe. Hinc Petrum de amico Ioāne ſolicitum Dominus pungit dicens; *ſic eum volo manere, quid ad te? Tu me ſequere.* Vbi eleganter D.Chryſoſtom. fatur in rem præſentem. *Hoc autem dixi, vt* Chryſoſt.
intempeſtiuum affectum, & conſuetudinis deſiderium tolleret. Idcirco inquit: Opus ſuſcepiſti, id conſidera, perfice, labora, & te certaminibus expone. Quid ad te? Tu officium tuum cura, & exequere. Non eſt Prælati, non eſt Dei Vicarij amicis, & conſanguineis inuigilare, ſed ouibus; non pertinet ad illum amicorum prouentus temporalis; ſed gregis vniuerſi ſalus

Cant. 8. & vtilitas, aiebat illa Cant. 8. *Amici te auscultant. Fuge, fuge dilecte mi.* Et quidem sapienter timuit dilecto præsuli ab amicis, quæ fugam persuadebat, ne in tempestiuo amicorum affectu negotia populorum fraudarentur. Qui habet amicos auscultantes credat mihi, & Prælaturam fugiat: hoc innuebat ipse Dominus, cum Petrum de amore ter examinet, antequam oues committat; sed do vobis Bernard. serm. Bernard. 76. in Cant. perterrefacientem prælatos his verbis. *Non otiose toties repetitum est, Petre amas me in commissione ouium, ac si illi diceret Iesus: Nisi testimonium tibi perhibente conscientia, quod ames me, & valde perfectéque ames, hoc est, plusquam tua, plusquam tuos, plusquam te, & huius repetitionis meæ numerus impleatur, nequaquam suscipias curam hanc ne te intromittas de ouibus meis, pro quibus sanguis meus effusus est.* Expende illud plusquam tua, plusquam tuos, plusquam te: vt scias quam fugienda sit prælatura ab iis, qui intempestiuum affectum in suos non exuerunt. Iam quando apud D. Hier. Psalm. 44. audis Dauidem dicentem. *Tempestiuitate tua intende prosperè, procede & regna.* Reuoca in memoriam intempestiuum affectum amicorum Prælatis noxium à Chrysost. notatum, qui ab iis, qui aliorum curam suscipiunt, longè abigendus est. Nec quicquam est magis detrimentosum Prælatis, quam si amicis & cognatis promouendis incumbant. Audisti Eli 1. Reg. 4. Sacerdotis filios 1. Reg. 4. exosos valde Deo, tamen ab illo toleratos, donec arcam fœderis in cognatorum auxilium à sanctuario dimouerent. Tunc & arca fuit capta ab hostibus, & illi Sacerdotio, & vita priuati iacuerunt. Rem ponderat Theodoret. orat. 1. in Dan. fatus. *Postquam Ophini, & Phinees Eli Sacerdotis filij impij, & detestabiles arca secum assumpta ad suppetias cognatis ferendas exiere; eorum impietatem arguit Deus, nullaq; eos prouidentia dignatus, digna cæde interficiendos curat, arcam verò alienigenis tradit.* Multa quidem alia fecerant antea crimina, multis se delictis obstrinxerant; sed postquam à sanctuario in cognatorum auxilium temporale educunt arcam, tūc Deum maximè irritant eius prouidentia, nudati trucidantur. Væ præsuli, qui in amicorum & cognatorum auxilium temporale inclinat dignitatem! Non enim immeritò Christianum sacerdotium dicitur secundum ordinem Melchisedech, quem memorat Paulus sine patre, & sine matre, & sine genealogia recenseri, quasi inde piaculum esset Christianis sacerdotibus si in sacras dignitates consanguineis studeant promouendis. De quo eleganter D. Leo serm. 2. in anniu. Assumpt. suæ, inquit. *Denique huius diuini sacerdotij Sacramentum, non per generationum tramitem currit, nec quod caro & sanguis creauit, eligitur: sed cessante priuilegio, & familiarum ordine prætermisso, eos rectores Ecclesia accipit, quos Spiritus sanctus præparauit.* Solus spiritus sit qui versetur inter Ecclesiæ Principes, nihil sanguinis & carnis appareat amicum. Apud Matth. cap. 8. Petri socrus recèns sanata *surrexit & ministrabat ei.* Sed cur ipsa à morbo assumitur ad ministerium? Nónne esset alia, quæ posset ministrare? Rectè id notat Chrysol. serm. 18. *Sic in domo Petri non erat vernula, non minister, non familiaris, non propinquus.* Digna tanti prælati domus, in qua propinquorum, familiariúmve non visebantur affectus.

Hæc de celebrioribus apparitionibus dixi, aliæ enim vt breuissimè ab Euangelistis perstrictæ, sic à me inter alia passim enucleabuntur, dum ad vltimam in die Ascensionis factam gradum facio.

CAPVT VII.

De Christi Domini Ascensione mirabili.

DEVICTIS tenebrarum hostibus expugnatis æreis Infernorum muris, cœlestis tuba receptui canit, & constipata Angelorum millia sese fundunt per aëra, vt nobilem triumphum victori maximo parent. Adest tellus oliuis coronata, Apostolorum choro additur non parua iustorum hominum mulierúmque sanctarum phalanx. Olympiona Virgo, & mater astat, nec mora Dominus Iesus, ridente cœlo, lugente terra Æthera scandit, intimáque cœlestium subiens penetralia, debitam suæ virtuti occupat sedem ad dexteram Patris.

Ex Marci 16. Recumbentibus vndecim Discipulis suis apparuit illis Iesus, & exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia iis, qui viderant eum resurrexisse à mortuis, non crediderunt.

§. I.

Seueritatis leges æqualiter omnes mordeant.

SAnè inter Apostolos, charissimos præ aliis habebat Dominus Petrum, Iacobum, imò tenerè Ioannem diligebat, verum vbi ad reprehensionem ventum est, nullum excipit; sed medius omnes æqualiter pungit & mordet. Etenim frequentissimus hic apud homines inuenitur error, quo rigores & seueritates minimè exercent, quin multos eximant. Ab hoc maximè canit Moyses, cum Exod. 32. inquit Exod. 32. Leuitis. *Ite per medium castrorum, & occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum.* Vt enim nullus liber erat à scelere, sic nullum à iudicis gladio iubet liberari; sed potius cupit, vt æqualiter per omnes discurrat supplicium. Ita fatur Hugo Victorinus lib. 1. Miscel. tit. 92. *Increpando discurrat per medium castrorum cum tanta æqualitate, vt* Hug. Vict. *in culpam delinquentium nullius odio, vel fauore declinet.* Quis hanc mentem prælatis omnibus & iudicibus donaret, vt per medium subditorum increpando discurrāt, nec ad dexteram vel sinistram odio, vel fauore declinent? Vt quicquid seuerum est, & durum obseruantiæ æqualiter per omnes exerceant? laudatissimus Abraham volentem imò cupientem filium Deo litaturus Gen. 22. illum fortiter prius ligat: etenim dicitur. *Cumque alligasset Isaac filium suum posuit eum in altare super struem lignorum.* Sed cur adeò voluntariam victimam ligat? Nónne vincula inuenta sunt, vt renitentes coerceant, repugnantes teneant? Quid vincula cum eo, qui minimè resistit, imò potius lætus, & libens se dedit sacrificio? Ego sto a sententia illorum, qui notant hanc fuisse legem omnium victimarum, quod ligatæ litarentur, nullus aries, nullus vitulus imponebatur aris nisi ligatus, vt vincula eorum obluctationem inter sacrificandum coërcerent. Vnde strenuus hic sacrificus vt communes sacrificādi ritus obseruet etsi rigidos, & pœnales etiam filio vincula nectit, & cum amara & voluntaria victima impleuit quicquid austerum & rigidum pro victimis communiter leges cauebant. Fallor nisi hinc cum filij incolumitate Dei ingentia beneficia percepit: id quod mihi notaui, cum primum veni in illa verba Isaiæ 6. nimirum, & Isai. 6. *factum est anno, quo mortuus est Ozias Rex, videbam Dominum sedentem in Throno excelso.* Vbi illud animaduertendum, quòd cum frequentissimum sit in sacris litteris prophetias aliorum Prophetarum percenseri cum vita Regum, vt dicant regnante hoc vel illo factum est verbum Domini ad talem, vel talem Prophetam, in præsenti capite nobilissima omnium visio coniungatur cum morte Oziæ Regis. An, quia cum Ozia non seruatus fuit rigor Israëlitarum legum? Planè is cum ausus esset sacerdotum munus inuadere, subitò correptus fuit à lepra, cui leproso populus pepercit, ne extra ciuitatem fieret, vt communiter fieri solebat. Hinc populus beneficia prophetiæ non accepit à Deo nisi mortuo Rege: pro quo accipite D. Chrysost. homil. 4. Chrysost. ad illum locum Isaiæ dicentem. *Vetus erat mos omnem leprosum è ciuitate eijcere; nunc verò non idem fit. Exiuit ergo Rex cum lepra, non tamen eiecerunt eum de ciuitate, diadema illius regiámque dignitatem reueriti. Quid ergo? Deus irascens Iudæis interrupit prophetiam. Cum ille mortuus est tum vidit Dominum: nam antea Deum non videbat illis iratum; venit mors impuri & soluit iram.* Adeò damnosa est exemptio in seueritate legum obseruanda, vt nihil liceat obtinere à Deo nisi iunctum cum morte exempti. Quod cauens Abrahamus de vetusto victimarum more voluntario filio vincula dura nectit, & minimè illum ab hac lege eximens cum incolumitate illius innumera beneficia à Deo percepit. Nec non in Pauli facinore, quo persequebatur Ecclesiam, hoc inuenitur religiosum, & sancti zeli æmulum, nimirum quod æqualiter in omnes sæuiret. Quando enim rabidissimi Iudæi viros Christianos ligabant, verberabant, nihil de fœminis curantes: vnus Paulus in fœminas & viros æqualiter sæuiebat, vt qui aliquid religiosi zeli haberet. Sic Act. 8. dicitur. *Saulus autem deuastabat Ecclesiam, per domos intrans & trahens viros, ac mulieres.* Id quod expendens Chrysost. homil. de ferendis reprehens. sic fatur. *Neque naturam reuerebatur, neque sexus miserebatur, neque infirmitatem respiciebat. Zelo tamen, non furore hæc faciebat. Et ob hoc venia dignus fuit; cum Iudæi quidem accusatione erant digni. Nam Iudæi quidi respexerint,*

ipsi

ipſi manifeſtabant, nempe quod omnia honoris & gloria gratia fecerant. At Paulus non ſic; ſed zelo Dei tametſi non ſecundum ſcientiam. Et hinc eſt quare Indus maleres quidem dimiſerunt, viros autem infeſti fuerunt: hic autem ob zelum erga omnes talem ſe gerebat. Non eſt diuinus zelus acceptor perſonarum, ſed in ſimiles peccatores ſimiliter iraſcitur. At qui alijs aguntur affectibus, in nullo ſciunt æqualitatem tenere. His ſuccenſet Joſephus lib.6. cap.11. fatus. *Saniunt non in quos oportebat, ſed in quos ipſis ſaeuire eſt facile.*

§. II.

Vt celebranda conuiuia.

NOn me contineo, quin vos, ô ſacri Dei diſcipuli, laudibus proſequar, non ſolum dum in oratione pernoctantes noui; ſed etiam dum menſis aſſidentes cerno. O vtinam ea Chriſtiani conuiuia diſcerent inſtituere, quæ non fœdarent, ſed illuminarent animum, vt Deum etiam inter epulas viderent. Deum ſuæ menſæ aſſidentem vidit Abraham; ſed erat menſæ accubitus ſub illice Mambre, quæ interpretatur viſio ſeu perſpicacia. Id quod ponderans August. D. Auguſt. ſerm.1. poſt 1. Dom. in Quadr. ait. *Vides qualis ſit locus, in quo Dominus poteſt habere conuiuium? Delectauit eum viſio & perſpicacia Abraha.* Erat enim mundus corde vt poſſet Deum videre. Felix, qui inter epulas mundiciem cordis nouit retinere, mentiſque perſpicaciam in cibo & potu meminit. Huic Deus aderit etiam prandenti, is ab ipſo diſcubitu, vt ab oratione diuinis viſionibus aptus erit. Nónne tale fuit Annæ illius Samuelis epulum? 1. Reg. 1. dicitur. *Surrexit Anna poſtquam illi comederant & biberant in Silo, & conſtitit in conſpectu Domini.* Inuſitatum ſane conuiuium hominibus mundanis, quod mentem præparat ad conſpectum Domini, ſed ſanctiſſimæ fœminæ familiare, quæ menſa ab Chryſoſt. epulis digna euolat diuinis fauoribus. Pulcrè D. Chryſoſtom. homil.1. fatur. *Poſt conuiuium accurrens ad ſupplicationem fontes lacrymarum emiſit, mentémque præ ſe tulit ſobriam ac vigilantem, ac poſt epulas adeo intente orauit, vt donum acciperet ſupra naturam.* Sic epulandum viris religioſis, non vt dormiant, ſed illuminentur; nónne Ionathas, vt Regum etiam fert hiſtoria, a prandio faui illuminatus eſt? & nos obtenebrabimur? Quin potius ſic menſis inſideamus, vt ab illis diuinis viſionibus aptemur. Prima quæ legitur accidiſſe D. Petro viſio cœleſtis, inter eſcarum illi accidit odores. Sic Act.10. enim habet Act.cap.10. *Et cum eſuriret voluit guſtare: parantibus autem illis cecidit ſuper eum mentis exceſſus.* Sic Chriſtiani diſcipuli menſis accumbebant, vt interim ad cœleſtes viſiones raperentur.

Text. Et dixit eis: Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui verò nõ crediderit, condemnabitur.

§. III.

Qui proximorum ſaluti inſudant, prorſus moriantur mundo neceſſum eſt.

NOn ſecurus mũdanis immiſcetur hominibus, qui mundi illecebris irretitur, qui mundi bonis inhiat: mundanas cupiditates in te macta, morere mundo, huius mundi principes nihil inueniant in te ſuum, quicumque niteris Chriſto mundum ſubigere. Acute ſane notauit Diu. Chryſol. ſerm. 83. qualiter erant affecti diſcipuli, cum eos Dominus iubet ire in mundum vniuerſum prædicare omni creaturæ, erant intra domus ſepta concluſi, iuxta Ioan.cap. 20 recumbebant de mortuorum figura vt notauit Irenæus, omnia externa illis terrori & horrori erant, & ſic diuiniſſi- Chryſol. me parabantur, vt mitterentur in mundum. Ecce Chryſol. fatur. *Sæcula mortui, ſepulti mundo vnam domum illam, vnum ſibi omnes credebant iam ſepulcrum. Hinc eſt, quod eos Dominus videns exemiſſe ſe mundo ad mundum reuocat, remittit in mundum dicens: Ite in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium vniuerſæ creaturæ. Venite in mundum, vt qui putatis vos in vno omnes domicilio iacere, ſubiacere vobis omnem mundum repente videatis.* Quid pulcrius? Hi qui ſe mundo eximunt, qui ſæculo prorſus renuntiant, qui mundanis cupiditatibus moriuntur, hi eliguntur, vt ſubigant mundum, vt vniuerſum ſæculum Chriſtiano imperio ſubmittant. Huc referam verba illa 2.Reg.cap.23. quibus iuxta Iſidor. Clarium, Vatab. Iſidor. & Interl. non ipſe Dauid, ſed eius præſtantiſſimus miles definitur, nimirum: *Sedens in Cathedra ſapientiſſimus Princeps inter tres, ipſe eſt tanquam teneriſſimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit vno impetu.* Crediderim melius aptari hæc verba ſpiritualibus Chriſti militibus, quorum arma non tam Vulcani, quam cathedræ opus; & maxime expendo qualiter miles hic in arenam aduerſus mundum proſilierit, ſcilicet, *tanquam ligni vermiculus.* Quippe ſi ligni vermiculus mundiali hac luce frueretur, & ſub dies luce ingentem pinum proſpiceret, an pinum proſtrare puſillus ipſe niteretur? Minimè: quid tunc? Ipſe vermiculus ſeſe in primis luci eximit; intra lignum ſe condit, vbi quaſi ſepultus & mundiali omni vſura priuatus pini robur contexit, & ingentem illam molem proſternit. Sic ſpirituales Chriſti Domini milites tunc mundi victores mundum ſubigunt, quando ipſi inſtar vermiculi ſe mundialibus ſplendoribus eximere norunt quando mundo mori & ſepeliri ſciunt. Accinit Iſaias cap.41. de iis, qui ad Apoſtolatum aſſumpti ſunt iuxta Diu. Cyril. ſententiam lib.3. locuti: *Noli timere vermis* Cyrill. *Iacob, qui mortui eſtis ex Iſrael; ego auxiliatus ſum tibi & redemptor tuus ſanctus Iſrael, Ego poſui te quaſi plauſtrum triturans nouum, habens roſtra ſerrantia, triturabis montes & comminues.* Ecce tibi Apoſtolorum victorias, quibus mundi tyranni ſubiiciuntur, vt paleæ ſubiici ſolent ſerreo & acuto roſtro. Sed quo armorum apparatu exultabunt? Iam dixit illis verbis. *Vermis Iacob qui mortui eſtis ex Iſrael*, nimirum mundo & ſæculo mortui, vermiculi inſtar ſepulti mundum vniuerſum detriumphabunt. Sic in Moyſi parabantur ſpirituales triumphatores quando Exod.3. dictum eſt illi. *Solue* Exod.3. *calceamenta de pedibus tuis.* Vbi pulcrè Diu. Ambroſ. lib. de Ambroſ. Iſaac, cap.4. fatur: talis Moyſes cui dicitur, ſolue calceamentum pedum tuorum, *vt vocaturus populum ad Dei regnum, prius carnis exuuias deponeret, & nudo ſpiritu veſtigioque mentis incederet.* Exuat mundialem vitam, mundiales cupiditates & affectus quiſquis mundum Chriſti iugo ſubacturus eſt. Quo ſe modo compoſuerat ille Cant. 5. cuius oculi dicuntur, *ſicut columba* hoc eſt viuido diuinitatis ſpiritu conformati. Sic D. Greg. Niſſ. homil. 7. fatus. *Quoniam ergo qui non amplius reſpicit ad carnem & ſanguinem, ad vitam aſpicit ſpiritualem, hac de cauſa fertur teſtimonium de anima libera à corporali affectione, quod habeat ſpeciem columbæ in oculis, hoc eſt characterem vitæ ſpiritualis.* Sic ille.

Text. Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur. In nomine meo Dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, &c.

§. IV.

Summum hominibus leuamen & robur eſt nominis Domini ſui recordatio.

PVlchrè Dominus eripiendus mundo, auidiſſimiſque reddendus cœlis, ſuos Apoſtolos conſolatur de nominis ſui dulci recordatione dicens, In nomine meo Dæmonia eiicient. Etenim nihil tam mœrentes conſolatur, debiles roborat, infirmos curat, afflictus ægriſque leuamen & medelam importat, quam crebra & frequens vſurpatio diuini nominis. Equidem Dauid 2. Reg. 1. vehementer triſtatus de morte Saulis, & Ionathæ paſſim ore verſabatur hæc verba. *Saul, & Ionatha amabiles & decori vita ſua.* Quæ expendens D. Chryſoſt. homil. de Dauid inquit. *Quoniam* Chryſoſt. *præſentia illorum corpora non licuit amplecti, nomina illorum coniuncta complexus eſt, ſuum dolorem hiſce modis quatenus licuit leniens, & calamitatis magnitudinem mitigans.* Nouit inanis nominis vſurpatio fallere mundiales amatores; non mihi crede falles nos diuinum nomen, quando Domino, qui iam pedes eius tenere minime poſſumus, eius teneamus nomen quod omnia miniſtrabit nobis. Sane Moyſi de facie Dominica ſollicito reſponſum eſt Exod.33. *Ego oſtendam tibi omne* Exod.33. *bonum, & vocabor in nomine meo coram te*, quaſi vna nominis diuini inuocatio omnium bonorũ loco haberi debeat. Quippe vbi diuina facies abſconditur, vbi Dominicus aſpectus nos fugit, & ſe intra cœli aulam recepit, hoc nobis cuncta impertietur bona, ſi crebro nomen eius inuocemus. Vide quo ſe mediis periculis conſoletur diuiniſſimus Iob c.1. vbi enim in ſe cœlum & terram proſpexit armatam, vbi duriſſimos Dæmonũ incurſus paſſus eſt, inter hæc ait, *ſit nomen*

Domini

Origen. *Domini benedictum.* Quod eleganter elucidans Orig. lib. 1. in Iob. ait. *Nomen Domini*, inquit, *propter quod omnia sustineo atque suffero, propter quod omnibus quæ mihi obuenerunt superior existo: sit nomen Domini benedictum in sæcula: quod cum vidissent leones in Daniele, in agnos immutati sunt, quod cum ignis agnouisset in Anania, Azaria, & Misaële foras à fornace fugit, atque eos, qui extra fornacem erant, combussit, vtpote non habentes in se sanctum nomen Domini: illis autem qui intra fornacem erant non appropinquauit, quia terribile nomen Domini in illis conspexit. Hoc etiam & cetus cum videret in Iona obstupuit, atque illæsum eum quem de naui susceperat reddidit, incontaminatum remisit, quem viuum suscepit.* Pergit adhuc Orig. multis aliis nominis diuini decantare efficaciam in periculis deuincendis, in depellendis malis, in muniendis & confirmandis piis, & impiis debellandis, quæ lectori non iniucunda forent. Sed scire cupis cui diuinorum nominum tot munera & facinora accepta referas; sane nomini Iesu, de
Paulin. quo Paulinus Aquileiensis lib. 4. contra Felicem fatur. Merito virgini salua sunt omnia, quæ genuit omnium Saluatorem. Et vocabis nomen eius Iesum, quia in hoc nomine Deitatis adoratur tota maiestas. Omnes qui commorantur in cœlis, vniuersi qui habitant in terris, cuncti qui in profundo, tenentur infirmi, huic prosternuntur nomini. *Hoc est quod dedit cæcis visum, auditum surdis, claudis cursum, vitam mortuis, totámque diaboli potestatem de obsessis corporibus virtus huius nominis profligauit.* Hæc ille.

§. V.

Noua lingua prior index est viri diuinum consortium potiti. Et de bonæ linguæ diuitiis.

Ecce Deum halantis hominis perspicuus index, nimirum quod vt notat in præsenti D. Greg. vitæ veteris sæcularia verba obliuiscens ad limam semel & iterum linguam traheret, sermonibúsque vtatur iuxta rationis normam expolitis. Miraberis hominem maledicum serpentina vtentem lingua subito melle manantem ex ore, vbi semel in Dei colloquium incidit. Is erat Balaam pestifer ille maleficus & maledicus, cuius maledicentiæ plus fidebat Rex Assyrius aduersus Israël, quam comparato armatorum exercitui. Igitur Balaam à Rege accitus vt antiquo linguæ veneno Israëlitas feriret, ipse dulcia præcinens sic inquit
Num. 24. Numer. 24. *Quam pulcra tabernacula tua Iacob & tentoria tua Israel, &c.* Vnde venefico homini tam mellita lingua? Vnde ab ore serpentinum virus halante, ferarum rabies imitante, adeò dulcia decora, & suauia verba beneficentiáque plena? Iam explicat ipse causam dum sic exorditur. *Dixit Balaam filius Beor, dixit auditor sermonum Dei, qui visionem omnipotentis intuitus est.* Sane veneficus auguriorúmque consultor linguam exereret serpentinam, at cum primum diuini fit particeps colloquij, veróque Deo astitit, iam non potuit non melle sudare eius lingua, non potuit non vetustum exuere venenum, & nouis tonare linguis. Quibus ego libenter expendo id quod expendit Origen. in præsenti homil. 18. nimirum Mago & Venefico huic non concedi, *dicere quod Prophetis esse in vsu solet, hæc dicit Dominus; sed ait, dixit Balaam, dixit homo vere videns, dixit auditor sermonum Dei.* Et merito, vt ostendatur quæ trahat mella maledicentissimi & viperini hominis lingua ex colloquio diuino; quandoquidem vbi primum sermonibus Dei interfuit, non potuit meditatis vti maledictis, sed beneficentiæ plena verba emit-
Exod. 4. tere. Vnde Moyses Exod. 4. linguæ suæ exaggerans malitiam aiebat Deo. *Non sum eloquens: neque ex quo cœpisti loqui famulo tuo.* Equidem existimarat vir prudens à colloquio diuino subito è lingua humana mellitos & suauitatis ple-
August. nos sermones debere scaturire. Id quod notauit D. August. lib. 2. in Exod. quæst. 7. fatus. *Tanquam ostendens fieri potuisse, vt qui ante eloquens non fuisset, repente fieret ex quo cum illo Dominus loqui cœperit.* Digna & vera præsumptio, nihil enim qui Deo afflatur, Deóque impletur prius exuit quam
Psalm. 44. omnimodam linguæ malitiam. Nónne aiebat Psaltes 44. *Eructauit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi?* Sic dulcissimi à sapientia diuina exhibiti conuiuij reliquias
Theodor. Basil. Hieron. D. Thom. meditabatur, vt aiunt Theodoretus. Basil. Hieron. D. Thom. & alij. Quid tunc? *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Ecce, meditati diuini Verbi & colloquij cum omnium Rege index præclarus, nimirum lingua instar calami facta nihil non limatum, non electum proferens. Vnde
Hilar. monet Hilar. in Psalm. 51. *Lingua tanquam calamus scribentis nihil incompositum, nihil incertum agat; sed ijs, quæ aut cogitata aut lecta fuerint, obtemperans, ex rationis consilio obsecundet.* O bene noua lingua, quæ instar calami est ad limam & censuram crebro recurrens, solum electa proferens, hæc hominem de diuinis colloquiis saturum Deúmque halantem planè indicat. Insuper vna bona lingua potens est in hominibus ingentes parturire thesauros. Dominus Iesus apud Matth. 17. auri staterem Cæsareis ministris tributurus, vnde educeret aurum quæritabat. Et vnde educeret aurum, qui aurea omnia à se depulerat amore paupertatis? Sic ait ad Petrum. *Eum piscem qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore eius inuenies staterem.* Merito ab ore piscis quærit aurum, cum vix aurifodina inueniatur feracior quam lingua eius, qui nouit verba sua sanctitatis trutina ponderare. Ita D. Ambros. lib. 1. Epist. 1. dicens. *Hic stater in ore piscis inuenitur, illius piscis, quem capiunt piscatores hominum; illius piscis qui ponderat sermones suos, vt igne examinatos proferat.* Nullus thesaurus ditior est quam lingua bona, à qua nascuntur aurei, vnde quando de impiis dicebat Psalm. 5. *Sepulchrum patens est guttur eorum*; monebat Chrysost. *Ne sit ergo os tuum sepulchrum, sed thesaurus.*

Text. Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei.

§. VI.

Terrena bona maximè contemnenda sunt ijs, qui spiritu Dei aguntur.

Iesus ille mundi domitor, terrenarum fortitudinum confractor, Orci expugnator terrena cuncta despiciens ad cœlestia contendit. Id celebrans D. Paul. ad Ephes. 4. ait. Ephes. 4.
Qui descendit ipse est, qui ascendit super omnes cælos. Notanter dixit illud, qui descendit, vt summam admirationem incuteret omnibus, qui auidissimum Dei ad terras descensum animaduertissent. Cœlestia omnia tenebat Dominus, & de terrarum desiderio affectus, descendens à regalibus sedibus in mediam exterminij terram prosiliuit durus debellator & expugnator acerrimus. Quid plura? quo ardebat potiundi terras desiderio, illarum principes & tyrannos aggreditur, misere debellat. O incredibilem mutationem! is ipse terrenorum imperij auidissimus, quod tot bellis, tam largo sanguine coëmit, quis credat? Ipse despiciens acquisitas sanguine terras hodie in cœlestia fertur: Sic iuxta Pauli sensum inquit Hieronym. de Iesu ascendente. *Omnia* Hieron.
corporalia contemnens atque despiciens, æterna contemplans super cælos, id est, super inuisibilia stetisse credendus est. Adeò gloriosum est terrena habere despectui; quæ vt despiciantur meritò possint, vel sudore, & sanguine diuino emi. Animo pensa illum Pharaonis metum Exod. 1. Timebat enim maxi- Exod. 1.
mè sibi & Regno Ægypti à captiuo populo Israëlita, & quid timebat? Ipse explicat dum ait Satrapis suis; Timeo ne populus iste in nos rebellet, *expugnatisque nobis egrediatur de terra.* O dignum de gente sancta timorem! Timebat Rex vafer post vniuersi Ægypti expugnationem Israëlitarum ab Ægypto egressum. Vbi vt acutè & elegãter Rupert. ait. *Non addit expugnatis nobis, obtineat terram; sed egrediatur de terra.* Sanè qui terram, qui Regnum aliquod expugnat, ibi figit tentoria, ibi sedet labores manuum suarum manducaturus. Sic vniuersi qui regna expugnarunt, in illis manserunt, clauum ibi tenentes; cur ergo non timeret Pharao, quod captiui & peregrini homines, expugnata terra Ægypti ibi incolæ, & Domini facti manerent? Is erat Dei populus, ea superioris promissionis mouebatur spe, vt de illo non possit timere quod remaneret in expugnata terra, sed quòd mille bellis, mille periculis, largo sanguine terram despectui emeret, & habitum despiciens gloriosus egrederetur. Hoc sibi persuadeant Principes tenebrarum, mundi huius rectores (pergit Rupert.) quod Christiani hoc solum Idem.
emolumenti habent in possessionibus terrenis; quod illas despiciamus, *expugnatisque vobis egrediamur de terra quia cælum nos expectat.* Quam gloriam in Iesu floridam & immarcescibilem decantat August. homil. 5. in præsenti his verbis. August.
Christo ascendente, pauet omne cælum; mutantur astra, vident Regem suum viuæ carnis manubias reportare, atque hoste debellato hominem in superna conscendere. Non apud subiectas terras manere, quas duris certaminibus despectu coëmit. Radiantis huius gloriæ vmbram fallor nisi inuenias in inclyto illo Israëlis Imperatore, qui promissam patribus expugnauit terram. Is est Iesus Naue, qui post acquisitam terram,

vt

vt bellis imperauit, sic in pace à terreno imperio abstinuit, & cæteris distribuens terram, nihil sibi retinuit. Rem ponderat Origen. hom. 24. fatus. *Ipse qui eos introduxerat in terram sanctam, non sibi ipse permittit sumere sortem terræ; sed expectat vt accipiat portiunculam à populo, & accepta portiuncula Iesus, dignus hoc nomine, ædificat locum ipsum, vt eum faciat dignum munere Dei, & hæreditate diuina.* Sic inclyti Imperatores certamina pro terra subibant, illiúsque tyrannos acerrime debellabant, non vt terrenis incubarent; sed vt terrena despicerent, vt ab expugnata & habita terra egressi triumpharent hæreditate diuina. Indignè enim sanctorum certamina terrenis muneraretentur; imo hoc vnum illis pro summa gloria erat, quod vel per durissima certamina se à terrenis possessionibus possent excutere. Sanè Moysi post exantlatas vastissimi eremi solicitudines obiicitur ob oculos terra promissa; sed ad sancti viri gloriæ cumulum iubetur à terris abire. Sic habet Num. 34. *Vidisti eam oculis tuis, & non transibis ad illam, mortuúsque Moyses*, &c. Hæc erat gloriosissimi viri corona, quod deuictis difficultatibus terræ potiundæ, iuberetur sese ab illa excutere in cœlestia iturus. Ad hæc Cellens. Abb. lib. de Panibus cap. 11. *Quid est Domine? Hæc est illa prædicata vbique gentium amicitia tua ad amicum tuum Moysem? Iténe remunerantur qui in castris tuis vsque ad mortem militantes merentur? Sic Moyses fraudatus est desiderio suo, cuius spes non pendeat in dubio? Omnipotens ergo & misericors idcirco terram morienti eum negat, quia ad cœlum animum subleuat. Deus hoc in præsenti ad purum excoquit quod ad æternitatem viuendi esse impedimentum prænoscit.* Ne miremur quod strenui militiæ Christianæ Duces, post luctas, post certamina terram fastidiant, vt cœlestia & æterna decoris subeant.

Origen.

Num. 34.

§. VII.

Dominus Iesus ęgrè & difficulter auellitur à suis.

Igitur mirabundus Paulus aiebat, Qui descendit humani consortij auidissimus, cuius delitiæ erant cum filiis hominũ, saliens in montibus, transiliens colles, ipse est qui ascendit. Res planè mirabilis! & quæ vel Angelos percellebat. Sic D. Cyrill. in Exag. ad Acaciam, ascendentem Dominum depingit. *Ad cœlum vnigenitus Dei vna cum carne sibi vnita redit, eratque nouum hoc in cœlis spectaculum. Obstupuit enim sanctorum Angelorum multitudo: aiebat enim, Quis est iste qui venit de Edom, id est, de terra.* Expende quam nouitatem stupebant, non sanè Dei hominis misturam, non reportatam gloriam quæ sæpius animaduerterant; sed quod de terra Dominus veniret, de terra inquam, adeò armata, propter quam olim à cœlestibus descenderat. Cur ergo venis à terra? Cur te adduxisti, vt relinqueres terram? Pulcre respondit D. Mar. *Dominus Iesus assumptus est in cœlum*: quasi non ipse iret, sed ferretur, non quod portitoribus egeret ales Christi virtus, vt scanderet in cœlum; sed vt ostendatur quam hominum consortio gaudebat, à quo non tam abit, quam ægrè & difficulter assumitur, auellitur. Huc spectat Paul. 1. ad Tim. c. 3. *Manifestè magnum est pietatis sacramentum, quod manifestum est in carne, assumptum est in gloria.* Iam Theodoretus expendit illud, manifestum est in carne, nimirum *homo factus sese hominum aspectibus obiicit.* Equidem magnum pietatis Sacramentum quod Deus homo factus sese hominibus obiiciebat, adeo illi delitiis erant homines, vt ipse ad illos curreret; verum vt ad cœlum remeandum est, *assumptum est in gloria*, non sese obiicit, non currit ipse: sed ægrè & difficulter fertur. Quare aiebat Psaltes, *ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem?* Id attigit eleganter Aug. lib. de essentia diuinitatis fatus. *Filius Dei carnem de nobis assumptam in cœlum velut captiuam duxit, sicut est in Psalm. captiuam duxit captiuitatem.* Ecce tibi cum capta præda nauis piratica soluit, ingens captiuorum dolor, naui feruntur, & notis inhærescunt oculis, ales fugit nauis: at illi quos norunt campos respectant, & animo cognatorum figuntur in portis: ah quoties dum licet torquent oculos ad fugientia littora, & medullitus adhærentes patriis arenis alite nauis cursu auelluntur. Sic ait Aug. Captiuæ instar ferebatur in cœlum Christi humanitas, à suis, à patrio terræ solo annulsa eo amore, eo viscerum pondere in amatam sobolem relictam terris propendens, vt in aperto cœlo, clara luce, in conspectu omniũ ferretur, raptim & vi diceretur assumpta. Ideo Bern. lib. de grad. humil. c. 1. ponderat notatum à Luca, quod videntibus illis eleuatus est, dum inquit. *Non subitò raptus, non furtim sublatus: sed videntibus illis eleuatus.* Is enim erat Iesus, eo affectu propendebat in suos, sic terrenam sobolem suspirabat, vt meritò crederetur raptus, furtimque sublatus, ni in conspectu omnium videretur assumi. Sed age ascendentis à mundo Christi effectus, vt penitus calleas, vide qualem sese depingat D. Synesius dum bellorum tumultu cogitur ab vrbe sua discedere. Ait enim in Catastasi. *Cum ad nauem conscendendam quispiam vocauit, paulisper vt expectet ab illo petam. Primum enim ad Dei templum accedam; tunc altare circuibo, pretiosissimum pauimentum lacrymis perfundam. Non prius abscedam, quam ianuam illam, thronúmque illum osculatus fuero. O quoties cancellis manus iniiciam! sed vehemens quædam res est ac violenta necessitas. Cupio somnum oculis meis nullo tubarum strepitu interruptum concedere. Quo tandem vsque ad murorum propugnaculum stabo? Quousque turrium interualla custodiam? Defessus sum excubias disponens.* Hæc ille, rectè pingens hominem, & bellicis laboribus fractum, & ægre ac difficulter ab vrbe militari discedentem. A quibus dum auferas quod sonat imperfectionem, sic poteris meditari affectum Dominum.

Cyrill.

1. Tim. 3.

August.

Bernard.

Actor. 1.

§. VIII.

Nulla re tam ditantur & augentur homines, quàm cœlestium bonorum desiderijs.

Videntibus Apostolis Dominus ferebatur in cœlum, vt eorum desideria illuc deduceret, vnde solum bonis ditari possent auitis. Hæc semper in optatis erat Domino Iesu, vt sui præ oculis haberent patriam, à qua exciderant, vt primi parentis hæreditatem requirerent, ideo oraturos monet, vt dicant, *Pater noster qui es in cœlis*, quasi cœlestis patriæ memoria optatis sit respõsura. Pulcrè D. Niss. in orat. Dom. 2. vt expendit quanto orantis bono dicatur, Pater noster qui es in cœlis, adducit illud ex Luc. 15. Vbi prodigus ille ad se reuersus crebro repetebat suspirio. *Pater peccaui in cœlum, & coram te.* Ecce peccatoris Arcton, quo erigitur & dirigitur, nimirum cœlestis patriæ memoria & recordatio. *Quemadmodum illic reuersionis ad patriam, eadem paternæ humanitatis recordatio, adolescenti causa extitit (patria enim sedes cœlum est, in quo se peccasse ad Patrem dicit:) ita hic mihi Dominus dum cœlestem Patrem inuocandum esse docet, bonam illam patriam in memoriam redigit, vt vehementiori bonorum iniecto desiderio sistat te rursus in via ad patriam reducenti.* Ita Nissen. hoc vnum & efficacissimum inuenit medium, quo homines auitas recuperent diuitias, quo omnium bonorum segete cumulentur, si eis patria sedes obiiciatur, nimirum cœlum, ex cuius conspectu ardeant cœlestibus desideriis. Id bene calluerat vafer ille & astutus tentator cum ait Mat. 4. *mitte te deorsum.* Cur ò impie non petis potius, vt sursum euolet? vt sese in cœlum vsque sustollat, qua magis cœlestem originem propalet? Adeo vtilis est cœlestis aspectus hominibus, vt eum vel per tentationẽ suggerere caueat diabolus. Ita D. Max. hom. 2. de ieiunio Quadrag. dicens. *Inimicus cœli, ne tentando quidem, ascensum vult suadere cœlestem, sed deorsum, & in ima prouocat.* Sanè non est diaboli potestas in eum qui in cœlo spes suas habet collocatas. Iob 2. iuxta catenam Græcam dixit diabolus coram Domino, *cum peruaserim eam quæ sub cœlo est.* Vbi eleganter Euagr. ait. *Idcirco Iobum non perambulat, quia non est sub cœlo, cum in cœlo vitæ suæ positas habeat rationes.* Non timeat antiqui serpentis astũ, qui cœlestibus inhiat, qui in cœlum mẽte & desiderio rapitur, imo ingentes inde diuitias sibi aduenturas speret. Hinc meritò Elias Elisæo omnia duplicia præsagiebat 4. Reg. 2. dummodo ab illo ad cœlum raptus cerneretur. Sic enim ait. *Si videris me quando tollar à te, fiet quod petisti.* Quod expendens D. Bern. ser. 6. de Ascens. ait. *Duplicauit spiritum visio abeuntis, cum euidenter raptus in cœlum vniuersa pariter eius desideria secum tulit, vt inciperet ipse quoque iam sapere quæ sursum sunt, non quæ super terram.* Hoc habuit emolumentum Elisæus ex eo quod viderit Eliam ascendentem, quod eius desideria cum illo ascenderent, & traherent inde duplicatam mercedem. Sic etiam ditabat suos Christus Dominus in eorum conspectu ascendens vsque ad Patris dexteram, vt dum ibi constituit eorum desideria, multiplicia inde in illos dona plueret. Hinc iam de Petro apud Ioppem oraturo notatur Act. 9. quod *ascendit in superiora*: quod ponderans D. Cyrill. lib. 7. in Leuit. ait. *Non ex superfluo superiora delegit ad orandum; sed vt ostenderetur, quod Petrus, quia mortuus erat cum Christo, quæ sursum sunt quærebat, vbi Christus est in dextera Dei sedens, & non quæ super terram.* Quippe sedens Christus ad dexteram Dei vniuersa suorum desideria secum tollit,

Luc. 15.

4. Reg. 2.

Bernard.

Act. 9.
Cyrill.

vt ex tunc contemptis terrenis bonis, cœlestibus superioribúsque inhiantes diuitiis a forti & triumphanti matrefamilias cœlesti Hierusalem duplicibus vestirentur, ditarentur.

§. IX.

Ascendens Iesus integram Mariæ curam & solicitudinem nobis donauit.

Abacuc 3. ASCendentem Dominum præuidens Abacuc iuxta D. Greg. lectionem, inquit. *Altitudo manus suas leuauit, eleuatus est Sol, & Luna stetit in ordine suo.* Quippe ad diuini Solis eleuationem, Lunæ splendens auxilium experti sunt omnes mortales; sublimem sui ortus remeauit ad gloriam Sol iustitiæ Christus, & sub Patris dextera apparens, nobis Mariam matrem vt Lunam reliquit suo in ordine constitutam. Sed quid est, *Luna stetit in ordine suo?* Theodoretus *Theod.* rem explicans ait, *quinam eius ordo est nisi illustrare terras?* Existente Iesu in sæculo, Maria pulcra vt Luna vniuersum naturæ ordinem supergressa Dei filio munus præstabat matris, verum vbi filius Dei Patris dexteram obtenturus scandit cœlum curis maternis minimè indignus, iubet Lunam esse in ordine suo, hoc est Mariam terras illustrare, & mortalibus filiis hominum maternum præstare munus. Hinc ascendenti Domino pulchra illa verba aptantur, quibus *Cantic. 6.* Cant. 6. loquitur ad matrem hoc modo. *Auerte à me oculos tuos, quia ipsi me auolare fecerunt.* Quippe ideo ad Patrem adnolat Dei filius, vt maternas curas, & solicitudines à se in filios hominum transferat. De quo libet transcribere pul- *Guil. apud Delr.* cram horum verborum à Guill. Delr. scriptam paraphrasim. Ait enim. *Quia ergo vetera transierunt, & nouitas iocunda illuxit. noli me aspicere ò pia Mater, vt olim vt mater, auerte à me maternos oculos; sed aspice me velut amica & sponsa. Iam ascendi ad Patrem; habeant materni oculi vacationem, sed ad me; porrò ad mea membra vacare eos nolo. Auerte à me ad fratres & filios meos. Ne claudas illos, sed auerte à me, transfer maternam pietatem à me in meos: à me quia assumptus ad Patrem à matre non debeo amplius tenerè diligi; in meos autem conuerte, quod oportet me ab illis assumpta materna tua pietatis teneritudine confoueri. Non ergo tepescent maternæ pietas tua, non extinguatur; sed à me in meos integrè transfundatur. Illos iam tenere, vt mater dilige; me iam intuere vt sponsa, & dilecta. In Cruce pro salute hominum agonizans vnum tibi adoptaui Ioannem dicens, Mulier ecce filius tuus. Porrò cum triumpho resurrectionis ascendens ad Patrem multos tibi vice mei adoptaui, & relinqui filios. Mulier ecce filij tui quos diligas, & piè confoueas. Sic auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt, hoc est propter ipsos auolaui à te in cœlum vt à me in meos transferres teneritudinem maternæ pietatis.* Sic ille; quibus aliquid subtrahere piaculum duxi, tu vide qualis sit materna pietas Mariæ, quando vt integram illam nobis reliquerit filius Dei, maturauit ascẽdere ad Patrẽ. Sanè hoc semper Dominus maximè curauit, vt materna felicitas *Luc. 11.* integrè suos sectatores foueret. Apud Luc. aiebat illa. *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.* Quid tunc Dominus, beatissima matris viscera plena felicitate sibi reseruauit? *Imò ait, Beati qui audiunt verbum Dei.* Quasi beatitudinem halantia matris viscera plena ad suos inclinaret integra se- *Tertull.* ctatores. Ita Tert. lib. 4. in Marc. fatus. *Proinde felicitatem ab vtero & vberibus matris sua transtulit in discipulos, à qua non transtulisset, si eam non haberet.* Et quidem quia viscera matris beatitudinem scaturire nouit, nil prius sibi faciendum duxit, quam hæc inclinare in discipulos, quod profectò fecit, quando ipse ab eius oculis in cœlum fuit assumptus.

§. X.

Christus Dominus ascendens seuerum hominibus iudicium indicit.

INter Domini gloriosos triumphos quicquid audio mihi seuerissimum iudicij diem sonat: etenim dum iuxta Psal. *Ascendit Dominus in voce tubæ*, nouissima Pauli tuba videtur resonare, in consessu ad dexteram Patris meditatur D. *Cyprian.* Cyprian. in præsenti *humilitatem carnis nostræ throno iudicatorio honoratam.* Hinc subitò volant duo illi præcones Act. 1. *Act. 1.* horrendum iudicis aduentum publicantes dum clamant, *sic veniet*, &c. Proh Deus immortalis! Humana decora, hominum appropinquantes gloriæ, nil primo præseferunt quam durum & seuerum iudicium. Sanè Ioannes Baptista. *Matth. 3. & 4.* vt homines perterrefaceret ad pœnitentiam, clamabat apud Matth. 3. & 4. *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim vobis Regnum Cœlorum.* O egregia terroris causa, nimirum appropinquatio Regni Cœlorum, quia potius gauderent ipsi metúque posito, & tristitiæ omni obliti cœlorum appropinquationem susciperent. At metuo ne quid horrendum tremendumque in Regni cœlestis appropinquatione lateat. Enimverò nunquam gloria diuinæ panduntur, nunquam cœleste Regnum noui hominibus patere, quin prius seuerum præmittat iudicium. Id quod notans Tertul lib. 4. *Tertull.* aduersus Marc. inquit. *Scitote tamen appropinquasse Regnum Dei; si hoc non comminationis gratia mandat, vanissime mandat. Quid enim ad illos si appropinquaret Regnum; nisi quia cum iudicio appropinquat?* Non Regnum patet sine iudicio, minimè cœlestes gloriæ hominibus propinantur, quin seuerum etiam præmittant iudicium. Vnde D. August. ser. 5. in Ascens. sic de Christo Domino ascendente inquit. *Recepit se intra velamina diuina cum carne Maiestas, didicit cœlum portare hominem, atque sub pedibus Christi famulantia æthera iacuerunt.* Expendo duo illa, nimirum didicit cœlum portare hominem, & recepit se intra velamina Maiestas, quid gloriosius homini, quam quod cœlum eius oneri portando assuefiat? Quid horribilius homini, quam quod simul Maiestas se intra velamina recipiat? Illud summæ beneficentiæ est; hoc strictissimi iudicij. De veterum forma iudicij fatus D. Clem. *Cl. Rom.* Rom. lib. 2. Constant. Apost. cap 56. inquit. *Iudices per plures dies quæstionem exercent cum multo consilio, & velo intercisso, is qui sententiam mortis pronunciaturus est, sublatis manibus aduersus Solem se innocentem ab illius sanguine contestatur.* Ecce modo in gloriosa Domini Ascensione vniuersa strictissimi iudicij signa per plures dies quæstionem acturus integerrimus iudex recipit se intra velamina, & dum cœlorum intericitur velum, ipse quoque pronuntiaturus est sententiam mortis. manus sustollit ad Solem, de illo enim ait Lu- *Luc. 24.* cas, *eleuatis manibus benedixit eis, & factum est dum benediceret recessit ab eis, & ferebatur in cœlum.* Ferebatur, inquam, ea forma, qua benedixit, nimirum eleuatis manibus; & cur eleuatis manibus? Vtpote se innocentem a damnatorum sanguine contestans. Quasi ex tunc cœlestia astra, & vniuersas creaturas testaretur, nullum à suis manibus in rebelles homines iactum fulmen; sed potius immensa beneficia dilapsa; nemini mortem perditionem ortam à manibus illis, sed vitam & incolumitatem. Salientes in vitam riuos propinaui, se culpet qui iudicium ebibit & flammas.

§. XI.

Felicem hominum genesim, sub ascendentis Domini glorijs auguramur.

REsurgentis Domini inter glorias pulcrè ab Ecclesia iubemur quasi modo geniti infantes concupiscere lac rationale. Quippe D. Petrus 1. epist. c. 1. aiebat. *Benedictus Do-* *S. Petr. 1.* *minus qui regenerauit nos in spem viuam per Resurrectionem Christi ex mortuis.* Itaque resurgente Domino repuerascimus, & vetustate abolita in nouæ vitæ spem reparturimur. Sed cuius erit tantæ natiuitatis felicem genesim præsagire? Rem aggreditur D. Zeno serm. 5 ad Neophytos sic dicens. *Paruu-* *Zeno.* *lis morem geram, sacrique horoscopi pandam tota breuitate secreta.* Igitur, fratres, genesis talis est vestra. Primus vos, qui in se credentem reprobat nullum, non *Aries*, sed *Agnus* excepit, qui vestram nuditatem velleris sui niueo candore vestiuit. Idem non tumidus ceruice, non minax cornu *Taurus*, sed optimus & mitis vos admonet *vitulus*, vt nulla vllo in opere captantes auguria, eius sine malitia succedentes iugo, terram vestræ carnis domando fœcundantes, lætam diuinorum seminum messem cœlestibus horreis inferatis. Et admonet prosequentibus *Geminis*, id est duobus salutare canentibus testamentis, vt principaliter idololatriam, impudicitiam, auaritiamque fugiatis, quæ est incurabilis *Cancer*. *Leo* autem noster, sicut Genesis protestetur, Leonis est catulus, qui ad hoc recubans obdormiuit, vt vinceret mortem, ad hoc euigilauit, vt beatæ resurrectionis suæ in nos manus immortalitatis conferret. Quem competenter *Virgo* prænuncians *Libram*, vt nosceremus Dei per filium, qui incarnatus processit ex Virgine, æquitatem iustitiamque terris illatam, quam qui constanter renuerit, non dicam *Scorpionem*; sed sicut Dominus ait, omnes serpentes illæsa planta calcabit. Sed nec ipsum quoque diabolum, qui verè est *Sagittarius*, formidabit vnquam variis atque igneis sagittis armatum. Is enim in felicibus nonnunquam immittit *Capricornum* vultu deformem, qui captiuos tota miserabiliter per membra destruit, alios amentes, alios furiosos, alios homicidas efficit; sed omnes salutari profluens

amne

amne, noſter Aquarius delere conſueuit, quem neceſſario vna ſequnntur duo *Piſces* in ſigno, id eſt duo de Iudæis, & gentibus populis baptiſmatis aqua viuentes. Ecce ea viuida Domini reſurrectione renatorum felicem horoſcopum pulcrè hucuſque à Zenone deſcriptum. Sed dum ipſe cœleſtia percutit ſigna, aſcendentis planetæ gradus omnibus innoteſcit, dum Sol iuſtitiæ Ieſus omnes cœlos hominibus, & benignus, & magnificus aſcendere viſitur. Quid plura? [Ptolom.] Ptolomæus tract. 3. c. 5. de felici Geneſi hæc fatur. *In prima re, in qua magn conſidere debemus, eſt gradus aſcendens, hora exitus creaturæ.* Quicumque renatorum gloriam & felicitatem præſagitis, huc oculos conuertite, & aſcendentis ſupra omnes cœlos, gradus, & greſſus metimini. Quis ſit aſcendentis gradus, quis prædominantis Ieſu greſſus in cœleſtes orbes notandum eſt, vt renatorum natiuitas ſit omnium decantatiſſima. Vnde & Theologorum, & Aſtrologorum [Deut. 33.] facilè Princeps Moyſes Deuter. 33. in Aſſeris benedictione multa & inaudita bona populo renatorum prænuntians hanc omnium bonorum radicem aſſignat, nimirum, *aſcenſor cæli auxiliator tuus.* O quam felix renaſceris Chriſtiane, quando ſub tanto aſcendenti, & prædominante æternam ederis in lucem. Aſcendit & prædominatur tui Dominus Ieſus, qui ideo aſcendit ſuper omnes cœlos, vt omnium dominatum in homines benignus manifeſtet. Quippe aſcendentis omnium mortalium feliciſſimi quinque dignitates, ſiue dominatus ſunt apud Ptolomæum, de quibus ſingulis breuiter nobis agendum.

§. XII.

Aſcendentis Domini ſublimem exaltationem paſſio efficit.

SIt in primis felix aſcendens, ait Ptolom. *Dominus triplicitatis*, item *Dominus exaltationis*, vt ex vtroque aſcendentis Ieſu gloria coruſcet, & humana felicitas notetur. Quippe abſconditus triplex perſonarum diuinarum aſpectus, in primis ſub Chriſto Domino clarere cœpit, quando [Matth. 28.] aſcendens in cœlum mittit ſuos baptizaturos gentes, Matthæi 28. *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Hic Dominus Ieſus, Dominus triplicitatis fuit manifeſtus, hoc eſt triplicem præmittés perſonarum diuinarum aſpectum. Fuit item tantæ Dominus exaltationis, quantam nec capere poſſent portæ cœleſtes. Vnam & alteram Domini dignitatem [Iſai. 6.] rimatur Iſaias c. 6. ibi Domini ſupra thronum excelſum, & eleuatum mirantes Seraphim ſic trinum perſonarum celebrabant aſpectum, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum.* Sed via Seraphinis ter ſancti ſonuit præconium, & apud Æthera auditur fragor, quaſi portas rumpentium, ait enim. *Commota ſunt ſuperliminaria à voce clamantis.* Vbi enim trinum Dominus præmiſit aſpectum, ſub ea celſitudine & exaltatione apparebat, qua non caperetur, niſi ſublimiores multo fierent portæ cœleſtes. Hinc Dauid [Pſal. 23.] Pſal. 23. *Attollite portas Principes veſtras, & introibit Rex gloriæ.* Vide triplicitatis Dominus quantam exaltationem nactus fuerit, quando attolli portæ ad illum excipiendum iu- [Nazianz.] bentur. Id quod D. Nazianz. orat. in Paſſ. notans inquit pio Chriſtiano. *Si in cælos aſcendas, ſimul aſcende, atque vel comitantibus, vel excipientibus Angelis te adiunge. Portis vt attollantur ac ſublimiores fiant impera, quo Chriſtum à paſſione ſublimem capiant.* Expendo illud, quo Chriſtum à paſſione ſublimem capiant; etenim, cùm te, ó bone Ieſu, in Cruce ſupinum reclinare notaui, laqueiſque manibus & pedibus inſectis hinc inde à feris carnificibus diſtendi, vt foſſuras ligni pertingeres, ó quam magnus mihi futurus apparebas, quam altus, quantæ exaltationis Dominus aptabaris, quam neceſſarium iudicabam cœleſtes portas attolli, vt ſic in Cruce extenſum poſſent capere! Accinit Naz. Scholiaſtes [Nizet.] Nizetas fatus. *Non dicunt aperite, ſed attollite. Atque hoc loco explicat illud, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis. propter quod Deus exaltauit illum; ac proinde in ſummam ſublimitatem prouectum, ſublimiores quoque portas fieri poſtulat ad ipſius exceptionem.* Sic paſſio Crucis ſublimem fecit aſcendẽtis Domini exaltationem, ſic aſcendens apparuit Dominus triplicitatis, Dominus exaltationis, vt renatorum ſpes funiculo triplice appenſa ab altitudine diei timere non poſſet. Tandem tunc Ieſus ingentem ſuam gloriam ea paſſione oſtendit, quando proſtrato Paulo, Actor. 9. ait, *Ego ſum Ieſus quem tu perſequeris.* Hærebat Paulus attonitus, cupiebátque noſcere illum, à quo vox audiebatur. Tunc Ieſus vt ſui oſtenſione traheret ſuperbum Pauli animum, inquit. Ego

ſum Ieſus quem tu perſequeris. Pulcrè D. Chryſoſt. hom. de ferendis repreh. addubitat. *Quare non dixit: Ego ſum Ieſus qui ſedeo ad dexteram Dei, ſed, ego ſum Ieſus quem tu perſequeris?* Sanè nullo alio monſtraret ingenté ſuæ gloriæ magnitudinem, qua mentes alliceret, quam ex paſſione & tolerantia perſecutorum. Ideo alia dimittens, hoc vnum meminit, vt Paulũ caperet, nimirũ, Ego ſum Ieſus quem tu perſequeris.

§. XIII.

Ab aſcendente Domino cœleſtes aulæ implendæ ſunt terrenis hominum corporibus.

TErtia aſcendentis dignitas iuxta Ptol. eſt quod ſit *Dominus domus*: quippe duodecim domibus variſſime partiuntur Aſtrologi creaturæ geneſim; in prima hominis ingenium, & affectus conſtituunt, altera ſibi fortunas venas vendicat, & ſic ſingulæ vſque ad exitum. Ecce tibi quam feliciter renaſcuntur Chriſtiani ſub aſcendente Ieſu, qui verus & vnus Dominus eſt domus, ideóque cœleſtium hodie dominatur orbium, vt ſuis aſcenſuris paret & locum, & felicitatum domum. An id meditatur Dauid Pſalm. 103. ait [Pſal. 103.] enim cœleſtes Paradiſos ſpeculatus. *Illic paſſeres nidificabunt, Herodij domus dux eſt eorum?* O vos felices paſſerculi, qui modo penè reptatis, iam creſcentibus plumis vitales gloriæ arbores ſcandite, ibi nidos pulcrè elaboratos vobis inuenietis. Cuius ſpei ea eſt cauſa, quia Herodij domus dux eſt eorum omnium paſſerculorum Princeps Ieſus, cœleſtis dominator domus, ad quam omnium rapit ſpem renatorum. Per nomen Herodij intelligit Pauſanias apud Pierium ciconiam, vnde nonnulli ſic verba Pſalmi concinunt. *Ciconiæ domus dux eſt eorum.* Quod ſi natura Ciconiæ ea eſt, quæ ſerpentibus inimicatur, adeò, vt hinc aſcendentis Saluatoris innoteſcat ſollicitudo, qua ſuos aduerſus ſerpentinos armat morſus, dum ait, *ſerpentes tollent.* Inſuper Ciconia vt grandem prolem à patrio nido euolaſſe nouit, teſte Raulino, [Raul.] ſerm. 7. de Aſcenſione, nidum terra implet, ne vacuus permaneat. Nónne diuinus ales Dei filius in cœleſti nido alites etiam ſpiritus repoſuit? At magna horum alitum pars dum nimium ſublime volant à cœleſti nido æternum deciderunt. Tum ales Deus, ne tantus nidus vacuus eſſet, in terram deſcendit, ſublatáque terreni corporis mole, nidum aſcendit illum repleturus de terrenis hominum corporibus. Huc accedit D. Gregor. fatus. *Illa natura, cui dictum eſt, Terra es, & in terram ibis, hodie & in cælum iuit. Pro hac ergo naſcitura carnis ſubleuatione B. Iob Dominum auem vocat.* Quia nimirum [Gregor.] de more alitis Ciconiæ à reprobis ſpiritus vacuatum nidum terra implet, aſſumptis in illum hominibus. Vt meritò dicat D. Auguſt. ſerm. 178. de tempore. *Aſcenſionis Dominicæ* [Auguſt.] *inclytum, & regale myſterium, quod Chriſtus terram leuauit ad cælum.* Et de terrena ſubſtantia ſupremum Angelorum aulæum repleuit.

§. XIV.

Aſcendens Ieſus manifeſtus Iudex omnium factus, ſuos iudicij timore leuat.

QVarta Aſcendentis dignitas eſt, qua à Ptolomæo vocatur Dominus termini. Proh Deus immortalis, quam hinc lætari poſſunt fideles! Verè Ieſus eſt Dominus termini, vtpotè qui in vniuſcuiuſque vitæ terminum dominatum exercet, & in vniuerſi mundi termino iudex viuorum, & mortuorum eſt habendus. Hac Domini dignitate exhilararunt Angeli Apoſtolos in huius mundi preſſuris poſt Dominum manentes, dum dicunt Act. 1. *Hic eſt Ieſus qui aſſum-* [Actor. 1.] *ptus eſt à vobis in cælum, ſic veniet.* Vni illi reſeruati ſunt omnium veſtrorum termini, de quibus iudicaturus eſt. Nullo quidem iuſti in mundi maligno conſtituti magis lætantur, quàm eo quòd ſciant venturum Dominum iudicium exercere. Inde carceris moleſtias ſoporaturus diuinus præcurſor Ioannes mittit Diſcipulos ad Ieſum, Matth. 11. vt interroga- [Matth. 11.] rent, *Tu es qui venturus eſt?* Quaſi de ſecundo ad iudicium aduentu requirebat, qui primum videbat, illiúſque vel cõmemoratione fortiter vinculo gerebat. Vt meritò dicat Pſal. 95. *Tunc exultabunt omnia ligna ſyluarum à facie Domini, quia venit, quoniam venit iudicare terram.* [Pſal. 95.] Quis bonus inter fallacia creaturarum iudicia non mœreret? Quis ad tyrannorum tribunalia iniuſtitiæ plena non paueret? Sed vos felices iuſti, qui Ieſum cœlorum aſcenſorem veracem iudicem nacti eſtis, de cuius aduentu ſecuri, & læti vana omnia contemnitis. Hinc iuſtorum gloriam extollit D. Athan. [Athanaſ.]

Dd 2 de

de Paſſ.& Cruc.Dom.fatus. *Mirabile eſt,& magnum in rerum natura homines ad mortem properare optantes aduentum Domini, cum miſer interea diabolus Saluatoris aduentum reformidet, & iudicium exhorreat.* Formidat ſanè mundi tyrannus veracem Iudicem, pauet malus ad Domini vitæ, & mortis aduentum, verum iuſtus & pius ideò viuit, quia ſperat Dominum termini, ideò patitur immania tormenta, nec frangitur, quia nouit terminum à vero Iudice imponendum,
Chryſoſt. quia ſcit ab Aſcenſore cœli ſe iudicandum. Meritò D.Chryſoſt.hom.26.in Acta docens noctem oraturis aptiorem eſſe, ait: *Si autem tunc cœlum videris quaſi innumeris interpunctum oculis, omni voluptate frueris.* Expendo vnde voluptatem capiendam promittat iuſtis, nimirum ex eo quòd videant intempeſta nocte cœlum innumeris oculis diſtinctum: non ſic impij, qui cœleſtis Iudicis oculos refugiunt; at iuſti tunc magis gaudent, quum pluribus oculis à cœleſti Iudice omnia examinanda eſſe autumant.

Quis pius in termino vitæ non extollat caput, dum nouerit non recentem, & nuperum tyrannum, ſed antiquum dierum Ieſum vnicum termini ipſius Dominum ibi præſi-
Luc.11. dere? Equidem ille, cuius meminit Luc.c.11.lætus,& ſecurus accurrit, vt miſericordiam expoſtulet ab amico Deo; *Et ibit ad illum media nocte,* nimirum ipſo vitæ termino, quãdo ſeuero Dei iudicio fatuæ virgines excluduntur;& coronantur prudentes. Sed cur adeò ſerus implorator miſericordiam conſequitur? An quia ab illo petit, qui etiam antiquitus præſidet illi tempori? Qui antiquitus Dominus eſt
Tertull. ipſius termini? Ita prorſus, vt mens eſt Tertulliani, lib.4. in Marcionem, his verbis. *Etiam cùm ſerò pulſatur, Creatoris eſt tempus; illius eſt ſerum, cuius eſt ſeculum, & ſeculi occaſus: ad Deum autem nouum nemo ſerò pulſaſſet.* Felices vos, qui eum iudicem nacti eſtis in vitæ termino, qui ſit Dominus, & factor ipſius termini, penes quem ſint omnia tempora, & prima, & vltima, & antelucana, & ſera. Ad hunc modò perueniatis, etiam ſeri, etiam in ipſo termino ſecuri, & læti eritis de venia; æquè enim Dominus eſt termini, quàm principij, imò vtpotè per excellentiam Dominus eſt termini, ſic amat ſe oſtentare in ipſis terminis. Vnde dicitur: *Ipſe iudicabit extrema terræ.* Quæ verba ponderans Eucherius in lib.1.Regum, ait. *Iudicabit extrema terræ, id eſt, extrema hominis, quia non iudicabuntur quæ in melius, vel in deterius medio terræ committantur; ſed in quibus extremis inuentus fuerit, qui iudicabitur.* Hæc ille; quibus docere vult, non quòd opera bona, vel mala facta à primo rationis lumine non ſint iudicanda, etenim omnia hæc ſubibunt examen. Sed extremus hominis ſtatus ſolus attendendus eſt, vt pro omnibus coronetur, vel puniatur. Qui apud nuperos, recentéſque Deos, vel tyrannos rem agit, caueat ne ſerus accedat; at nos, qui Deo viuo, & vero omnium temporum Domino ſeri etiam & termini Principi ſeruimus, æternum lætemur qui vel in vltimis conſtituti, vel in ipſis ex-
3.Reg.18. tremis à Domino termini recipiemur. Nónne Elias, 3.Regum 18. vt ſuprà notaui, litaturus Domino bonem permiſit, vt ſacrificuli nouitij Dei Baal priùs illi litarent, & poſt omnes ad Solis iam occaſum ipſe ſuum ſacrificium
Theod. incepit? Cur ita? Benè datus Theodoretus, *Ne pudore affecti miniſtri mendacij dicerent ægrè ferre Baal, quòd non in primis acceperit munus.* Quippe hoc eſt omnium nonitiorum tyrannorum decus, quòd primas ferant, & cùm finis non dominentur, væ qui ad illos in fine accedit. At Dominus Ieſus omnium Creator temporum, vt Dominus termini, & ſeri, etiam ſeros, & vltimos adoratores recipit, imò ſæpiùs nouiſſimos in primos conuertit.

§. XV.

In Aſcenſione Ieſu gloria maximè innotuit.

QVinta Aſcendentis dignitas eſt Ptolomæo apparitio, quæ accidentalis Planetæ aſcendenti dicitur, *Vt accidat quod Planeta ſit apparens ſub radijs Solis.* Sic nobilis Aſcenſor Ieſus radiis vndique diuinitatis coruſcus fulgurat; nunquam magis ſub radiis Solis, nunquam magis manifeſta eius virtus, nec quando hominum ſatiabat myriades, nec quando vectes mortis confregit,& eſt populatus infernum. Stupefactos Apoſtolos de euidenti Aſcendentis gloria ſic monebant candidiſſimi, imò candidati immortalitate viri, *Quid ſtatis aſpicientes in cœlum? Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis, ſic veniet.* Conuenientiùs ad rem noſtram ponit hæc verba D.Auguſt. Pſalm.46. dicens: *Hic eſt Ieſus,* & ſtatim ſubdit. *Quaſi illi non ſcirent, quia ipſe erat Ieſus. Paulò ante eum non viderant, ſecum loquentem non audierant, ipſi ergo neſciebant, quòd ipſe eſſet Ieſus?* Et quidem nullis antè actis facinoribus adeò Ieſus innotuerat, quamuis viderant illum Apoſtoli miraculorum patratorem, mortis deſtructorem, inferni debellatorem, adhuc neſciebant Ieſum. Quid mirum ſi modò illis oſtentatur Ieſus, vbi eius pa- tentiſſimæ fulgurant gloriæ? vt verè dicat D. Hilarius, *In hoc die fidem manifeſtiſſimæ diuinitatis aſſeruit.* Quàm peculiari modo in præſenti ſit Ieſus, oſtenſum eſt pluribus, lib.2.cap.5.à §.8.

§. XVI.

Ab Aſcenſione Domini Angeli magis debent hominibus proſpicere.

NOtaſti poſt Dominicam in cœlum Aſcenſionem, quàm citi Angeli derelictis diſcipulis aſtent! Equidem dicit textus, Actorum c.1. *Ecce duo viri aſtiterunt iuxta illos in veſtibus albis:* quaſi ex tunc potiori iure Angeli hominibus teneantur occurrere. Poſt raptum Eliam curru igneo manſit Eliſæus ſolus,& patris præſentia deſtitutus; at qui ſecum Patrem rapuere Angeli, hi vni Eliſæo alatiores inuigilabant. Etenim cùm puer Eliſæi Domini defleret in periculis orbitatem, 4.Regum 6. *Vidit: & ecce mons plenus equorum,& curruum igneorum in circuitum Eliſæi.* Cur tot ignei currus circa Eliſæum? An quia illi iidem Angeli, qui Magiſtrum rapuerant (& rapuerant ſub ignei currus forma) derelictum Diſcipulum tueri magis tenebantur? Sic D.Ambroſ.ſerm.8. *Ergo Eliam Angeli ad cœlum præferunt, Eliſæum Angeli, qui Magiſtrum portauerant, Diſcipulum tuebantur: & notitia quadam, obſequia quæ patri exhibuerant, etiam filio deferebant.* Hinc credo poſt acceptum in cœlum Dominum, maximam eſſe Angelis curam pro hominibus tutandis, & qui ſecum & Patrem, & Magiſtrum noſtrum raptum habent, id præcipuo iure curare, vt nos tueantur, & obſequia quæ patri exhibuerant, etiam filiis deferant. Adeò vt ſi moleſtiam capere poſſent, ex nulla re maiorem caperent, quàm ſi iubeantur aliquando hominibus duras inferre plagas. Paul.ad Roman.c.8. ita de Angelis etiam aſſerebat. *Scimus enim quòd omnis creatura ingemiſcit,& parturit.* Et de quo ingemiſcerent Angeli? D.Ambroſ.epiſt.21. ſic explicat aiens. *An ipſos quoque Angelos, qui in iſtius mundi laboribus, diuerſa ſuſtinent miniſteria, non ingemiſcere credimus, cùm adhibentur pœnarum & excidiorum miniſtri?* Sanè quo ardent in nos amore, qua noſtri cura tenentur, ingemiſcerent punientes quos tutari debent, ſi qui gemitus beatiſſimam illorum vitam poſſent tangere.

Actor.1. 4.Reg.6. Ambroſ. Rom.8. Ambroſ.

CAPVT VIII.

De magnifico Ieſu dono, nimirum Spiritu ſancto.

ASCENDENS Chriſtus in altum dedit dona hominibus, hoc eſt, promiſſum ſæpè Spiritus ſancti donum, vt ſuper ſuos aduenirer, maturauit. Nec mora, dum Diſcipulorum chorus abſente Domino vacat, ecce intonuit cœlum, & totam Eccleſiæ nauim occupat ardentiſſima diuini ſpiritus lampas. Pluit Dominus à Domino, non, quo proſtituatur caſtitas, imbrem aureum; ſed ignem, quo mortalium corda ad ſuperos poſſint euolare.

§. I.

Chriſto Domino abſente, debebatur aduentus Spiritus ſancti, vt omnia repleret.

A Viuis Chriſtus Dominus abſceſſit; & ecce tibi tota mundialis machina alteratur, mundi cardines, vniuerſi firmiſſimæ columnæ commouentur. Et quod mirere magis, quam obſtupeſcebant Areopagi commotionem vt inſolitam, vt portentis plenam, eandem prædicat naturalem ſanctus Anaſtaſius Sinaita, lib. 4. de rectis fidei dogmatibus. Ait enim poſt enarratam cœleſtium, & elementorum turbationem; *Neque aberrauerit quis, ſi dicat tacito naturæ conſenſu id contigiſſe.* Cur non potiùs violento naturæ motu? Anaſtaſ.

Cur non verius dixisset, manifesta naturæ coactione id factum fuisse? Cur potuit non credere id naturæ consensu accidisse? An aliquando natura à se in tam portentosam prosilit alterationem? Sanè id maximè à natura obseruatur, ne vacuum detur, quod vt repleat, omnia mouet creata; lapis discit volare, subtilissima elementa ad terrenam grauedinem deprimuntur, supera, & ima sese miscent, & confundunt. Quid plura? Numquam orbis maiorem timuit vacuitatem, quàm per absentiam Christi Domini, & inde omnia orbis elementa quasi propriæ naturæ consensu portentosam illam præsetulerunt alterationem, & proprias deserentia sedes eo tendunt, vt orbis vacuitatem, quo possunt modo vel ostendant, vel nitantur fugere. Hinc Sol stupet, cœlum stat, lapides quatiunt sese, monimenta aperiuntur, terra tremoribus affligitur, omnia vanè, ni subtilissimus spiritus Dei proprias etiam sedes relinqueret, & ad terras dimissus
Act.2. vacuitatem repleret diuinitatis suæ diuitiis. Ait enim Act.2. hunc diuini spiritus aduentum notans. *Et repleti sunt omnes*
Isai.6. *Spiritu sancto.* Fallor, nisi huc respiciat Isaias c.6. vbi ascendentis ad cœlum Domini gloriam, incredibilémque maiestatem miratus ait *Vidit Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum, & ea quæ sub ipso erant, replebat templum.* Iam ima hæc Dominus liquerat, iam super cœlos eleuatus sublimem ad Dei Patris dexteram consessum tenebat, nec mora, ab ipso descendens spiritus vacuitatis inimicus omnia
Rupert. replet humana. Sic Rupert. in Isaiam, lib.2.c.28. Prophetæ explicat visionem, fatus. Ego vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum, id est, vidi Dominum Iesum Christum Redemptorem nostrum propter acerbissimam passionem mortis gloria, & honore coronatum, super omnes cœlos eleuatum, & receptum in paternæ dexteræ consessum: & ea, inquit, quæ sub ipso erant, replebant templum. *Postquam Dominus ascendens in cœlum sedit super illud paternæ maiestatis solium excelsum, eleuatum, quæ deinde sub eo sunt? Nimirum dona, quæ dedit hominibus, dona sancti Spiritus, quæ dedit Apostolis. Hæc implent templum.* Nónne vides sursum Dei filium ascendentem, & deorsum Spiritum sanctum vergentem? Ille supra nobis erectus est; hic subter nobis immissus: ille præsentię suæ nos vacuos effecit, hic vacuitati obsistens aduolat pernix, & omnia replet: replet, inquam, omnia hominum corda, quæ absente Iesu, vniuersa
Richard. Victor. mundialis machina non repleret. Richard. Vict. libet transcribere verba dulcedine manantia, sermone de Spiritu sancto, sic eius ingentem, & potentissimam virtutem edicentis. *Audacter affirmo, quòd solu vna huius mellis stilla potest, quod totus mundus non potest. Cor quidem copia mundi non satiat, vna huius dulcedinis gutta plenè inebriat.* Certè magnus ille Alexander, qui vniuersum terrarum orbem subiugare potuit, desiderio suo satisfacere non potuit. Nam si subiugato sibi mundo, alius adhuc esset mundus, quem sibi subiicere posse confideret, non minori auiditate in illum subiiciendum sibi aspiraret. Et si illo item subiugato, alij, & alij adhuc superessent, cordis illius ingluuiem irritare potius quam satiare potuissent. Cogita ergo quanta sit latitudo illius orbis terrarum, qui intus est, quem exterior iste orbis terrarum quantuncumque dilatatus, vel quoriescumque multiplicatus satiare non potest. Nónne Philosophi videntur errare, qui hominem microcosmum, id est, mundum minorem dixere? Nónne meritò maior mundus dicendus est humanus ille animus, qui mundo vtique maior est, quem totus mundus nulla sui dilatione, nulla sui multiplicatione satiare potest? Si enim orbis iste terrarum latitudini cordis vnius comparetur, quid aliud incapacitatis illius, vel auiditatis comparatione, quàm *parua quædam buccella esse videtur, quæ in illud interiora hominis os iniecta penitus implere non valet; imò pene non comparet? Sed si ad illam internam & supernam dulcedinem inhias; si ad veram Spiritus suauitatem suspiras, audi quid tibi diuinitùs præcipiatur, Dilata os tuum, & implebo illud.* Vsque huc Richardus, quibus vides, quàm parua sunt creata omnia, vt vacua corda hominum impleant: quocirca abeunte Domino Iesu, ne renascentis mundi pulchritudo vacuo fœdaretur, à propria sede dimissus spiritus vnus illa omnia implet, & humana corda penitus satiata relinquit.

§. II.

Fletu, & lacrymis non potest non trahi diuinus spiritus.

Qvicumque diuinum spiritum cupis trahere, hoc cura, vt largos profundas imbres lacrymarum, nil enim magis columbam pellicit, quàm gemitus, nil magis requirit ignea lingua, quam aquam. Vnde D. August. tract.6. in Ioann. sic monebat. Columbam vnam vides super caput Christi, linguas vides in toto orbe terrarum, idem spiritus per columbam, idem per linguas. *Si per columbam idem spiritus, & per linguas per totum orbem terrarum datus est, à quo te præcidisti, ne gemas cum columba?* Aliquis forassè vt gemitus, & lacrymas fugeret, non ad columbam, sed ad igneas respiceret linguas, & ex igne sese ad gaudia compararet. Hanc esse fallaciam, ait Augustinus, vbi enim, vel in igneis linguis, vel in columba spiritus apparet, nihil est quod nos à gemitu excuset, quandoquidem & columba, & ignea lingua riuos amant plenos lacrymarum. Vndantes Iordanis fluctus dum attigit Christus Dominus, ecce tibi diuina columba cœlo elapsa ad eius aduolat caput. Et cor non aduolaret columba cœlo ad riuos aquarum? Accipite Guarric. serm.2. de Pentecost. sic dicentem. *Nescio si Spiritui sancto, qui in columba apparuit, alia vox familiarior gemitu, aut gratior sit. Puto quia neque in Apostolis locum inuenisset paracleti consolatio, nisi quia lugebant se desolatos.* Et tamen ad Apostolos igneus venit, verùm siue columba sit, siue ignea lingua, riuos amat, nec inueniri potest sine lacrymis. Nonne Elias 3.Reg.18. holocausta aquis rigauit, quo ignem de cœlo traxit? ait enim. *Cecidit autem ignis Domini, & vorauit holocaustum, & ligna, & lapides, puluerem quoque, & aquam, quæ erat in aquæductu lambens.* Sollicitant aquæ igneam linguã, sollicitant gemitus columbam; gemas ergo madidus lacrymis quicumque igneum, & columbinum spiritum procuras trahere. Strenuus ille luctator, & fratris supplantator Iacob mille luctis, mille præliis diuini spiritus ingentes benedictiones solicitabat, obtinuit tamen cùm primùm sudat lacrymis. Ita Oseas c.12. *Inualuit ad Angelum, & confortatus est, fleuit, & rogauit eum. Non dimittam te, nisi benedixeris mihi, & benedixit eum.* Cur non raperet spiritus benedictionem, qui flebat? Resisteret ille luctis, resisteret precibus, at vbi ad lacrymas ventum est, non potuit non aduolare columba, non potuit non lambere aquam ignea lingua. Pulcrè Rup. lib.2. de process. Spirit. sanct. cap.21. notat. *Non potuit Deus se continere flente illo, quin de multitudine viscerum suorum Spiritum paracletum effunderet in eum.* Proh Deus immortalis? quàm illiciunt lacrymæ diuinum spiritum, qui negabatur bellatori, imò debellatori, non potuit negari flenti. Qui nulla vi extorquebatur, vna lacryma vsque ad effusionem sui pellicitur. Ea enim est lacrymarum potestas, quæ sibi etiam subdat personas diuinas. Excitaturus Iesus Lazarum, Ioann.11. vt sorores illius lacrymantes vidit, & ipse *lacrymatus est.* Cur Iesus lacrymatur excitaturus amicum? Chrysost. hom. de Lazaro suscitatus, inquit, *Flebat Deus mortalibus lacrymis, non quod ante se mortuum periisse cognosceret, sed quod sororum fletibus obtemperaret.* Ecce tibi tot vel mulierum lacrymis Deus ipse subditur.

August.
Guarric.
3.Reg.18.
Oseas 12.
Rupert.
Ioann.11.

§. III.

Spiritus Diuinus semper nobis præsentissimus adstat.

O Vos felices animæ, quæ tanto sponso nubetis, æternum eius fruemini præsentiam: ait enim Actor.2. *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum.* Vbi expendo illud *sedit*, ex quo præsentissimam spiritus inhabitationem, perpetuóque nobiscum duraturam cognosco. Illam crediderim spectatam à D. Iacob. sic in Canon. locuto. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum, apud quem non est transmutatio*, &c. Sanè & dator munerum, & luminum pater, igneus hic spiritus est, apud quem hoc notatur singularissimum, nimirum quod non inueniatur transmutatio; quippe vnus ille odit transmutationem, vt qui perpetuo hominibus iuuandis addictus sit. Id quod disertissimè omnium attigit D. Athan. q.79. in hæc verba. *Et Dei quidem filius & Deus post impletam totam dispensationem tandem assumptus est. Spiritus vero sanctus super Apostolos veniens, & super omnem carnem effusus non est rursus assumptus; sed in generationes transit omnes, & si quemlibet hominum inuenit, habitat super eum.* Non quidem est apud diuinum Spiritum transmutatio, qui semel hominibus adhæsit, nunquam ad superos remeauit, semper hic adest & omnibus præsentissimus est. Dei Verbum vt accessit, recessit, in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est; sed tandem locum mutauit, & ab hominibus ad dexteræ diuinæ consessum se recepit. Pulcre Rupert. lib. 1. de oper. Spiritus sanct. cap.4. componit

Act.2.
Iacob.1.
Athanas.

[Ioann. 8.] componit duo inter se loca. Alterum ex Ioann. 8. vbi de se loquens Deus filius inquit, *Ego ex Deo processi*: alterum ex eiusdem cap. 15. vbi de Spiritu sancto dicitur, *qui à Deo procedit.* Igitur processus filij ad extra præteritus explicatur, verum processus Spiritus sancti præsentissimus omnibus dicitur. Cur ita? Accipite Ruperti acumen. Notandum, ait, quod de ipso loquens præterito tempore vsus est: *ego enim*, inquit, *ex Deo processi*: item alibi, *exiui à patre.* De isto autem spiritu non præterito, sed præsenti dicit, qui à Deo procedit. *Etenim alter ipse à Deo processit, ascendendo videlicet ante sæcula, vt conderet mundum, quod semel factum est; siue assumendo carnem, quod itidem semel factum est. Alter spiritus ille procedit cum subiectæ creaturæ gratiam impendit, quod toties fit, quoties viuificat ea quæ mortua erant: & replet ea quæ vacua erant.* Quippe verbi actiones præterierunt, dum post perfectam orbis conditionem Deus ab opere quieuit, dum post dispensationem humanæ salutis peractam ad patris penetrale se recepit. At Spiritus sancti operatio non quiescit, non præterit, semper nobis præsentissima est, nos requirens, mortua humana corda viuificans, vacuitates cunctas præsentissimè replens. [Athanas.] Quid plura? Rem finiat D. Athan. epist. ad Epictetum vbi exponens quam præsens sit diuinus Spiritus, quam præ manibus habeatur, ait. *Spiritus sanctus, progressio patris semper est in manibus patris, qui eum mittit, & in manibus filij, qui eum gestat, per quem omnia replenit.* Hoc singularissimum huius diuini doni est decus, quod præ manibus sit, non sic creata omnia bona, imo illis [Iob 21.] Iob 21. sigillans inquit. *Veruntamen quia non sunt in manu eorum bona sua, consilium impiorum longè sit à me.* Quippe nullum creatum bonum adeo præ manibus habetur. Etenim vt aliquod à Deo hominibus exhibendum esset, tota euoluenda aliquando & euertenda domus orbis fuit; nónne vt daret victoriam Iosue, salutem Ezechiæ, totam domum euertit, solem iubens stare vel retro ferri? Equidem non sunt caduca dona præ manibus, sed quasi obliuioni data, hoc diuinissimum donum si expetas, si exposcas, præsentissimum est, præ manibus est, habet pater, habet filius in manibus, vt continuo petentibus detur. [Nazianz.] Quo lucem accepit locus Naz. orat. in Pent. vbi ait distinguens à prophanis festis ferias Christianas. *Feriamur ipsi quoque, verum vt spiritui gratum est: nec feriari nostrum quicquam est aliud, quam animæ thesaurum aliquem carum verum condere, quæ firma sunt ac manibus tenentur, non autem suffugiunt ac dilabuntur.* Ecce quos nobis festos agit diuinus Spiritus, eos duntaxat, quibus, quæ manibus tenentur res, nobis comparare nitamur.

§. IV.

Spiritus sanctus odit pro humano libito gubernari.

ID maximè notarim in aduentu Spiritus sancti, nimirum, quod repente aduenerit, & quod instar linguarum tanquam ignis insederit supra singulos eorum. Insedit, inquam, supra singulos non eorum seruiens libito; sed libero despoticóque dominatu omnia moderans & disponens. Hanc [Ioann. 3.] primam eius notionem explicuit Dominus Nicodemo Io. 3. de plurimorum Patrum sententia, dum ait. *Spiritus vbi vult* [Theoph.] *spirat.* Ex quibus sic acutè elicit Theophylactus. *Confundantur ergo Macedonius impugnator Spiritus qui seruum Spiritum sanctum asserunt.* Quomodo seruit qui nullius libitum obseruat, qui nihil facit nisi pro libito suo? Confundantur etiam qui Spiritui sancto præscribunt leges veniendi & spirandi, & cupiditatibus suis illum seruire concupiscunt. Proh Deus immortalis, quam falluntur miseri! Audiant modo Naz. Theologum orat. 2. in Pent. *Profectò aderit Spiritus sanctus heriliter, non seruiliter, nec iussum aut imperium, vt quibusdam videtur, spectans, spirat enim vbi vult, & super quos vult & quando & quantum.* O quam periculosè errant qui libito suo tempus adueniendi præscribunt Spiritui sancto, & quasi ille seruus sit, sic iubent, veniat in senectute, in periculo mortis, in sibilo auræ lenis, non in commotione, non cum ærumnis & laboribus; sed totus manans gaudiis & delitiis. Hi sibi persuadeant, quod veniet Spiritus sanctus, quod omnibus aderit heriliter, non seruiliter; vt supremus omnium Dominus, non vt seruus illorum iussum & placitum spectans, odit iam ab initio humanas cupiditates. Id quod non tamen insinuat Textus sacer, quando in Saulis reiectione, & Dauidis allectione 1. Reg. 16 ait. *Et recessit Spiritus Domini à Saul, & ferebatur in Dauid.* Etenim qui dat regna, Spiritus Domini est, vnde necessum erit, quod oderit eos, qui cupiditatibus propriis aguntur, eos amet qui faciunt & admittunt omnes eius voluntates. [Rupert.] Itaque Rupert. lib. 1. de Processi. Spirit. sanct. cap. 11. reddens rationem cur præcipuè in præfato loco non dicatur Spiritus Dei, nec Spiritus sanctus; sed Spiritus Domini, inquit. *Vbi dona sua distribuit, ibi scribitur Spiritus Domini, exempli gratia, vt illic: Et recessit Spiritus Domini à Saul, & ferebatur ad Dauid.* Quippe Saul Dominum ipse gubernare volebat, verum Dauid diuino maximè inseruiebat impulsui, quo dominatorem Spiritum ad se traxit. Hinc D. Paulus 1. ad Corinth. 12. post gratias vniuersas recensitas, post dona cuncta in homines à Deo profecta enumerata sic finit. *Hæc omnia operatur vnus atque idem spiritus diuidens singulis prout vult.* Id quod ex[Chrysost.]pendens D. Chrysost. fatur. *Pro vt vult, inquit, non pro vt iubetur, diuidens, non diuisus, authorem se præbens, non authoritati subiectus.* Sanè is est diuinus spiritus, qui author velit esse & Dominus, qui subditos & seruos spectet; non qui sustineat imperiosus: qui eos implet, qui non præscribunt leges, sed eius subiiciuntur arbitrio; parati pergere, siue vehementi spiritu conterantur, siue aura leni & placida recreentur. Nónne sic spiritum expectabat illa quæ Cant. 4. aiebat. [Cant. 4.] *Surge Aquilo, veni Auster, & perfla hortum meum?* Ecce tibi Aquilo vehementissimus & procellosissimus est; Auster autem blandus & suauis: vtrumque ait D. Paulin. epistol. ad Afrum vocat sponsa, veniant inquiens, procellosus Aquilo, & blandus Auster. Sed cur vocans Aquilonem, & Austrum dicit perfla, & non perflate? Sanè ipsa vnum Spiritum Dei vocabat, vnum Spiritus sancti flatum desiderabat; sed quia is in spiritu auræ lenis venire solet, siue in sonitu aduenientis spiritus vehementis, ipsa non præscribit modum, non dat leges venturo; sed dum veniat, totam eius se subiicit voluntati, siue procellosus vt Aquilo, siue blandus vt Auster venire velit. Quod innuit Iustus Orgilitan. his ver[Orgilit.]bis. *Quoniam in duobus vnus aduertitur, non ait perflate; sed perfla. Aquilo, atque Auster sunt diuersa vocabula, vnius Spiritus sancti insinuant dona.* Itaque expetitur; sed sub duobus diuersis, imo contrariis nominibus, quasi dicat, siue Aquilo procellosus veneris me contriturus, siue Auster lenis mauis venire, vt me recrees, id tuo commisso arbitrio, ergo quouis modo te sequor, quouis modo tuo placide ferar impulsu.

§. V.

Spiritus sancti lingua per omnium ora sonat, in qua diuisæ linguæ collectæ cœlestia attingere possent.

PRæclarè nobiscum actum est, quo die per omnium ora Apostolorum apparuerunt dispertitæ Spiritus sancti linguæ tanquam ignis. Ait enim: *apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, insedítque supra singulos eorum.* Vbi expendendum duxi illud, *apparuerunt linguæ*, & illud, *insedit*, quasi inde notarie vnius Spiritus sancti vocem, per vniuersas fidelium linguas insonare, eiusdémque vnius esse, quæcumque gratæ Deo sunt linguæ, & voces. Simili modo fidelium gemitus & continuæ voces, vt explicarentur, dicitur Cant. c. 2. *Vox turturis audita est in terra nostra.* Quæ verba ex[Bernard.]pendens D. Bernard. serm. 59. in Cant. fatur. *Cæterum si multi gementes, quid sibi vult vnius expressio? Vox turturis*, inquit, *quare non turturum? Fortè Apostolus id soluit, vbi ait, quia ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus? Ita est. Ipse inducitur gemens quia gementes facit, & quamlibet multi sunt, quos ita gemere audias, vnius per omnium labia vox sonat.* Vnius per omnia labia lingua sonat placitura Deo, nullus sonus percipitur aure diuina, quia ab hoc diuino Spiritu non procedat, ideo vnus inducitur plurimis linguis medius, vtpote qui fidelium omnium linguas in vnum collectas moueat, & voces diuinis auribus dignas efformet. Vt dicat Cypr. [Cyprian.] *Nemo nisi suspiriis huiusmodi præcedentibus & inspiratione diuina monente potest ad cœlestia aspirare, vt suspiratio, & conspiratio, & aspiratio à sancto spiritu, & causam habeant & effectum, & materiam, & prouentum.* Et quidem cum eo tendit hominum audacia, vt ædificata turri cœlestia quoque pertingere tentarint; ne tam altum saperent, confudit & diuisit Deus linguas eorum. Genes. 11. qua linguarum diuisione facta nemo remansit qui amplius ædificij culmine ad cœlũ posset aspirare. Iam inde omnis cœlestis constructio, omnis inspiratio, & aspiratio ab vno spiritu expectabatur, qui diuisas linguas in vnũ colligens, causam & effectum & materiam, & prouentũ cœlestis operis ministrauit. [Rupert.] De quo Rup. lib. 5. de gloria Trinit. & processi. Spiritus sanct. c. 10. fatur. *Denique vbi plaga confusionis illius sananda erat, filius loquens Apostolis suis, & ego*, inquit, *rogabo patrem, & alium paracletum*

dabit

dabit vobis. Et hoc iam factum est; seu linguarum diuisio, quæ propter superbiam acciderat, reformata est per eiusdem paracleti Spiritus sancti aduentum. Quippe dispertitis & diuisis linguis insertus spiritus, sui vnius per omnes facit sonare vocem, vt cum labij vnius sit terra, incipiat & perficiat ad cœlestia pertingens opus. Porro cum aio per omnium ora, vnius Spiritus sancti vocem personare, visus sum aliqualem lucem dare verbis illis, quibus Sapiens cap.1. diuini Spiritus munia extollit. Ait enim. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum; & hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis.* Quid est, scientiam habet vocis? An quod ars dirigendi & commensurandi voces, penes illum sit, vt penes Magistrum & Coryphæum? Equidem in canentium choro vnus est Coryphæus, qui vocum numeros perfectissimè callet qui omnes dirigens per omnium ora videtur canere, adeo vt sine illo insuauis & inconcinnus sit cantus: ille enim facit vt vox grauis suam grauedinem non excedat, vt acuta ad sublime pertingat. Finge tibi modo ex vniuersa Ecclesia chorum, in quo diuersissimæ conueniunt voces; aliæ acutæ quæ summam perfectionem pertingunt; aliæ graues quæ in infima obseruatione præceptorum versantur; aliæ mediæ, harum omnium numerum Spiritus diuinus callet, singulósque in singulis statibus moderatur & gubernat, vt quisque se intra numerum suum contineat, ne quid exurgat inordinatum. Huc respiciebat Hier. Thren.3. aiens. *Defecit gaudium cordis nostri, versus est in luctum chorus noster.* Quasi ex eo laudet pœnitudinem & dolorem de peccatis, quod etiam in lugendo numerus seruetur vocis, vt imperfectissimo choro. Quasi dicat non inordinate planximus, nec doloris vi extra chorum saltauimus, immo eum numerum seruabamus, qualis decebat statum & ordinem nostrum. Non enim decet coniugem ob pœnitentiam Heremitarum nuditas, siue conspicuus horroris habitus. Est suus cuique numerus tenendus & harmonia seruanda. Accipite D. Pasc. lib.5. in Thren. *Quòd autem conuersus est in luctum chorus noster, perfecta pœnitentia luctus designatur, quando virtutum chorus harmoniam tenet lugendi quod amisimus, & concentum seruat pœnitendi.* Cuius concentus & harmoniæ in seruando numero Spiritus diuinus Magister est & Coryphæus maximus.

Paschas.

§. VI.

Spiritus sancti aduentus & pungit simul & vngit.

APparuerunt, ait, dispertitæ linguæ, vel vt Cypriano placet, diuisæ: & cur diuisa vtitur lingua Spiritus? Si Diodoro Siculo lib.2.cap.vlt. fidem habere velis, in Oceani insula homines nascuntur, qui vt linguis fissis, & mediùs diuisis vtuntur, sic eiusdem spiritus impulsu, simul cum duobus verba faciunt, alterique crucem mortémque minantur; alteri dulcissimos & suauissimos dant sermones. Quid plura? Is est diuini Spiritus mos, & consuetudo: nescit solum irasci, nescit solum amare: diuisam habet linguam, & dum hinc dulcedine manat, illinc simul felles spargit. Id quod notans D.Greg.lib 5.Mor.cap.26.fatur. *Sanctus Spiritus cum se notitia humanæ infirmitatis insinuat, & sonitu vehementis spiritus, & voce auræ lenis exprimitur, quia videlicet & vehemens est & lenis. Illustratione enim sua nos leniter tangit; sed inopiam nostram immaniter concutit.* Fallor si hic Spiritus apparuit Eliæ, quando non igne, neque in commotione apparuit; sed in sibilo auræ lenis, ibi erat Dominus. Porro Spiritus sanctus & in vehementi commotione, & in aura leni est simul, vehemens & lenis, pungens, & vngens, vrens & illuminans. Quam consuetudinem ex igneis linguis adduxit D.Leo serm.1.in Pent. vbi ideo apparuisse docet Spiritum sanctum sub igneis linguis, *vt verbum Domini lucidum, & eloquium conciperetur igniculum, cui ad creandum intellectum, consumendumque peccatum & efficacia illuminandi & vis inesset vrendi.* Ne illuminatione recreet quin pungat vstione, ne lenis lucem perfundat, quin vehemens vrat, simúlque & gaudia doloribus, & dolores gaudiis temperet & misceat. Hinc Ezechiel cap 35. iubetur vocare spiritum verbis illis. *A quatuor ventis veni Spiritus, & insuffla super interfectos istos.* Expende illud, veni à quatuor ventis, quasi nollet Spiritus diuinus venire ab vno eóque leni, sed simul & Boreali, & Zephyro, & Aquiloni, & Austro similis insufflet. Id quod attigit Gualfrid. fatus, *Desiderandus est spiritus & à quatuor ventis euocandus. Non solum ab Aquilone & Austro: sed ab Oriente & Occidente salutarem spiritum expectemus. Tunc enim ab Oriente spirans venit, cum ex diuinorum beneficiorum memoria ad charitatem Dei irreuocabiliter animamur, tunc ab occidente si peccatorum recordatione salubriter compungimur.* Ecce tibi Spiritus sanctus simul lenis, & vehemens, nec vrit sine lucis perfusione, nec illuminat sine vstione, ita felles spargit, vt mellifluis trahat illicibus, ita mella instillat, vt felle etiam compungat.

Gregor. Leo. Ezech. 35. Gualfrid.

§. VII.

Cœlestis lingua vel halitus potentissimus, & efficacissimus omnium ad trahenda hominum corda.

VT rebellem, & repugnantem mundum traheret Spiritus Domini, ecce quæ exerit arma, quæ spicula torquet, nimirum igneas linguas. Quasi ipsius sibilus, vel halitus potentissimus omnium sit ad conuertendum mundum. Ea equidem est cœlestis lingua sanctis viris infusa, quæ sola posset, quod armatas manus vix potuisse crederem. Meminit D.Hier.epist.4.facinus illud, quo Iesus flagello sumpto, ementes, & vendentes eiicit è templo; indéque descendens ad virtutes D.Exuperij decantandas sic finit. *Nobil illo doctius, qui auaritiam eiicit è templo; qui absque flagello & increpatione cathedras vendentium columbas, id est, dona sancti Spiritus, mensásque subuertit mammonæ.* Ecce tibi vnius Sancti lingua in auarorum cordibus perfecit, quod ægrè, & difficulter perfecissent flagella, seu armatæ manus. Danielis 2. vt aureæ statuæ tibias ferreas comminueret, abscissus est lapis a monte sine manibus. Heu parue lapis sine manibus abscinderis? imò tibi emendæ essent mille manus, vt ferreum poplitem quateres! Cur in ferrum audetur sine manibus? Equidem vna diuinæ linguæ aspiratio potentior est, quàm mille manus, vt ferrea hominum corda quatiat. Sic acutè Richard.Vict.libr.de erudit.int.homin.part.1.cap. 27. aiens. *Ecce lapis sine manibus abscinditur, vnde ferri duritia conteratur. Et quidem rectè. Quæ enim manus talem lapidem concidere posset, qui ferrum conterere valeret? Sed quis non potest humana opera, fit in sola voluntate diuina. Sed quid quæso est, qui hoc potuit facere, manibus minimè hæc voluit perficere? An fortè in huiusmodi ferreis, & obduratis mentibus melius operatur inspiratione quam percussione; corrigitúrque sæpè interna illustratione, quem non possent flagella corrigere?* Hinc mundiciem orbis, quam non valuit afferre tota innundatio diluuij, igneis linguis aggreditur Dominus, quorum vel halitus potentissimus est, vt grandia quæque perficiat. Vt pastores ad puerum adorandum perueniant, Angeli loquuntur; vt magi relictis regiis stabulum intrent, stella internè loquuta est: quod meditans D.Paschas.lib.2.in Matth. dicit. *Pastoribus Angeli, Magis verò stella Christum demonstrat: vtrisque loquitur lingua cælorum, vtrisque cæli enarrant gloriam Dei; vt hi qui propè, & qui longè erant, simul cæli ciues fierent.* Proh efficacia cœlestis linguæ! Ea potest superbissimos quosque transferre in humilitatem Christi, & Babylonis mancipia cœlestis Hierusalem annumerare ciuibus. Semel ostendam cœlestis linguæ efficaciam, si composuero ingentem illam instrumentorum musicorum multitudinem, quam Nabuchodonosor congessit, vt suæ statuæ adorationem persuaderet, cum cantico trium puerorum, qui inter flammas concinitnt. De his Theodoretus orat.3.sic loquitur. *Optimam suam symphoniam, & admirabilem hymnorum cantum, concentus ille, qui statuæ adhibebatur, opponunt.* Vide hinc auream statuam, circa quam Babylonici vniuersi erant chori tota musices harmonia, dulcissima modulamina: illinc ardentem fornacem, media qua tres soli existebant pueri laudantes Dominum. Et sanè qui ad totum illum concentum superbus sederat, vbi puerorum tangitur cantu: *Tunc Nabuchodonosor Rex obstupuit, & surrexit properè, &c.* Vbi eleganter Theodoretus pergit fatus. *Talis fuit hic Sanctorum hymnus, qui cùm agrestem, & immitem percussisset Regem, obstupefactus è throno regio surrexit, atque vltrò currere festinauit.* Sic sonans Deum lingua superbissimos quatit, & in Christi conuertit humilitatem.

Hieron. Rich.Vict. Paschas. Theodot.

§. VIII.

Spiritus sancti munus, & donum in Sacerdotum operibus euidens & conspicuum sit.

REuoco in memoriam illud à D. Iacobo in Canonica dictum de Patre luminum, siue de igneo Dei Spiritu, nimirum omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminū, apud quem non est transmutatio, *neque vicissitudinis obumbratio*; si re-

cupis quid sit, nec vicissitudinis obumbratio? Bene Euchumenius ait, *nec conuersionis obumbratio.* Clarius idem posuit D.Hieronymus, lib.2. contra Pelagianum, cap.3. dicens, *nec conuersionis vmbraculum.* Etenim duæ conuersiones considerari possunt in fidelium Ecclesia quotidie contingere. Altera est, qua creatura panis conuertitur in corpus Christi: altera, qua peccator per Spiritus sancti impulsum transit in sortem diuinam. Prima sub specierum vmbraculo contingit, nec se vllis patentibus prodit signis; at Spiritus sancti mos is est in suis conuersionibus, vt non amet latebras, nec quærat vmbras; sed mille amet prodi, & manifestari signis. An poterit abscondi in sinu actiuissimus, & lucidissimus ignis? Hanc mihi mentem suggessit D.Basilius, libr. 5. ad Eumon. fatus. *Per Spiritum sanctum etiam quilibet Sanctorum Deus est; Deus Deorum, id est, Sanctorum loquutus est, & videbitur Deus Deorum, id est, Sanctorum in Sion.* Ecce tibi quàm nullum sit conuersionis vmbraculum, quandoquidem in faciendis Diis ex hominibus, non sub vmbra; sed patens videbitur Deus Deorum, id est, Sanctorum in Sion. Vt meritò dicat de illo D.Bernard. serm.17. in Cantic. *Ducit nos, & reducit de claritate in claritatē tanquam Domini Spiritus, quandoque rapiens ad se in lumine suo, quandoque contemperans, & illuminans tenebras nostras siue supra nos, siue apud nos semper in luce, semper vt filij lucis ambulemus.* Non amat obtenebrari dona sua, non amat abscondi talenta quæ impertitur, nil magis cupit, quàm vt quisque acceptum donum promat & manifestet in omnibus operibus suis. Sic vniuersæ columen Ecclesiæ, & fundamentum D. Petrus à diuino Spiritu imbutus, Actor.3. doni, & muneris accepti ferens indicium, claudum hominem consolidatis plantis sanitati restituit. Sed cur primum facinus à plantis constabilitis instituit? Pulcrè D.Ambrosius serm.69. rationem insinuat, dicens. *Si ergo Petrus petra est, super quam ædificatur Ecclesia, rectè prius pedes sanat, vt sicut in Ecclesia fidei fundamentum continet, ita in hominem membrorum fundamentum confirmet.* O te felicem, in quo sic respondet opus officio; sic in operibus tuis proditur à Deo acceptum munus. In fundamento Ecclesiæ quid nisi fundamenti opera expectari licet? In iis, qui vngente Spiritu, sacros ordines attingunt ordo in omnibus eorum operationibus effulgeat. Sic monebat D. Dionysius Areopagita, cap.1. de Ecclesiæ Hierarchia, dicens. *Qui sacerdotem dicit augustiorem, prorsúsque diuinum, insinuat virum totius sanctæ conscientiæ paratissimum. In quo liquido, ac perspicue sacratus omnis ordo suus & perspectus sit, & possit agnosci.* Sic diuini Spiritus conuersiones luce ipsa clariores fiant, vt qui à Spiritu inunctus est, nihil efficiat quod sacram non redoleat vnctionem diuinum non referat munus. Iuxta hæc claret D.Athanasij acumen, qui E-hort. Monach. sic monebat. *In omni igitur actu vestro quasi speculo relucente fulgete.* Quid est fulgere in operibus, quasi in speculo? Sanè speculum propriam cuique refert formā, & speciem. Sic viri boni actus, & opera, specula sunt, in quibus munus, & dignitas, & status operantis velut in speculo fulgida appareant.

Hieron. | Basil. | Bernard. | Act. 3. | Ambros. | Areopag. | Athanas.

§. IX.

Post Spiritus sancti aduentum hominem erga Christum, vt maximè Deum commendauit, & celebrauit.

Scire modò gestio, cur igneum amoris hunc Spiritum Christus distulit communicare, vsque dum redemptionis opere confecto ipse requiesceret ad dexteram Patris. An necessum fuit, quòd humanitatis nubes è terra eleuata superis regionibus obiiceretur, vt tantum fulmen in terras parturiret? An præsens in mundo Discipulorum in se amorem fastidiebat, quem absens communicato Spiritu accendebat, & exoptabat? Sanè & gloriosiùs, & commendabiliùs amabatur post longissimas curas, post durissimos labores exantlatos, & ideò honorificentissimum sibi amorem humanis in cordibus inserit, cùm omnia salutis beneficia perfectissimè confecisset. Is namque amor Deum maximè commendat, qui antiquatis beneficiis extorquetur. Apud Matthæum quærenti de maximo præcepto, & iis, qui toti erant in meta decimanda, hoc responsum dedit Christus Dominus. *Diliges Dominum Deum tuum ex tota anima tua, &c.* Quasi iam Saluator mundi, verúsque Deus amorem ab humano pectore requireret. Vnde acutè, & eleganter Tertullian. lib.4. conuincit Marcionem de vetustate Christi, quòd minimè nouus & recens Deus tunc existeret: sic enim inquit. *Cæterùm nec tempus admisisset, vt Christus tam præcoquam, imò tam acerbam adhuc dilectionem expostularet, nouo & recenti Deo nec dixerim nondum palàm facto.* Quippe dilectio, quæ tunc primùm nouis, & à Deo nouo datis beneficiis incipiebat extorqueri, non tanti honoris, non tantæ gloriæ erat ipsi nouo & recenti benefactori, sic & ab illo non magni æstimaretur. Quando illa solùm dilectio ab hominum corde extorta dignè afficit Deum, illúmque maximè commendare quit, quæ perantiquis & largis beneficiis sollicitata venit. Ecce tibi quo nomine condecoret, & illustret Deum ipsum amatrix Sponsa eius, Canticor.1. *Indica mihi quem diligit anima mea.* Non vocat, maximè Deorum omnipotens & immortalis, & alia eiusdem; sed omnibus his gloriosis cognominibus reiectis, id memorat, quod gloriosius, & honorabilius Deo accidere prænoscebat, ait enim. *Quem diligit anima mea.* Quod pulcrè elucidans Niss. homil. 2. fatus. *Nomen ergo tuum, quo tua cognoscitur bonitas, est meæ animæ erga te beneuolentia. Quomodo enim te non diligam, qui me sic dilexisti, etiamsi adeò nigra essem, vt animam tuam posueris pro ouibus, quas tu pascis.* Gloriosissimum Deo cognomen est, quòd ab homine dicatur dilectus; sed quo amore? an nuperis beneficiis, & recentibus extorto? Absit; sed & nuperis, & antiquis, quòd nos dilexit antiquitus Deus, quòd modò nos pascit; sed & quòd Agnus ab origine mundi ocyus, animam suam pro nascituris posuerit. Antè nos sanguine Agni perfusos nouimus, quàm nati essemus; ante mundi originem salutis nostræ consummatorem diligimus. O honorificentissimum Dei amorem! Gloriabatur Deus Opt.Max. de obtento amatore Cyro Rege, vtpotè ait Isaias cap. 45. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, &c.* Et quidem Cyrus populo Israëlitico fauit, cui & Alexander, & Romani, & alij Reges fauere; sed de nullo ita gaudet, & gloriatur Dominus, vt de Cyro. Pulcram huius rei rationem reddit Rupert. lib.8. de Glor. Trinit. & processſ. Spiritus sancti, cap.10. fatus. *Et quidem nihil altius Cyrus intellexit, nihil supra quæsiuit, & hoc suffecit ad captandam eius beneuolentiam populo illi, quòd Deus eorum ante tot annos per Prophetam suum, de ipso videlicet Cyro tam magna prædixit, vt ea semetipsum facturum illi promisit.* Gloriosa, & honorabilis accidit Cyri beneuolentia, vtpotè extorta vetusto & antiquato beneficio, antequam Cyrus esset, iam Deus illi parabat imperium; quod stupens Cyrus in tanti numinis amorem exarsit, qui amor Deo ex causa extitit gratissimus, & honorificentissimus, quando extortus erat vetustissimis beneficiis. Hinc Salomoni filio Deum commendabat Dauid apud Iosephum, lib. 7. cap.11. dicens. *Ergo quandoquidem à Deo designatus es Rex antequam natus, da operam vt alioquin etiam dignus sis eius prouidentia.* Nulla enim re sic affici debemus, quàm præpropero, & antelucano in nos Dei amore. Siquidem Deus ea sibi facta seruitia pluris æstimat, quæ antiquissimis præmissis beneficiis extorsit.

Tertull. | Cant. 1. | Nissen. | Isai. 45. | Rupert.

§. X.

Spiritus sanctus Dei similitudinem perficit in homine.

Hvc reuoco illud semel, & ter ex D. Iacobo dictum, vbi à Patre luminum, siue igneo Spiritu profectum dicitur, Omne datum optimum, & donum perfectum. Quippe Spiritus sanctus est, qui omnia complet, omnia decorat, ad perfectionémque deducit. Sic Pater Genes.1. loquebatur. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* quasi in hoc summa esset hominis perfectio constituta, quòd ad imaginem, & similitudinem Dei fieret. Igitur homo factus est: num illam similitudinis diuinæ perfectionem attigit? Sanè imagine decoratus diuina, similitudinem, quæ per bona opera, iuxta Basil. perficitur, non obtinuit, donec Spiritus sanctus sese illi infudit. Etenim ait textus: *Et creauit Deus ad imaginem suam, ad imaginem Dei creauit illum:* nec verbum facit de similitudine: quod obseruans Rupert. inquit. *Non peruenit ad similitudinem Dei, quia non imitatus est donum Dei. Memor igitur hic Spiritus sanctus illius propositi, ecce venit ad partem suam operandam, ad facturam hominis perficiendam, vt perduceret hominem ad similitudinem Dei.* Hæc enim est Spiritus sancti pars, vt Dei opus perficiat, vt diuinam in homine similitudinem collimet, & perfectè exprimat, quandoquidem imperfectum est quicquid hunc diuinum halitum requirit. Fideles illi, qui in Apost. Actis baptizati aqua inquiunt. *Neque si Spiritus sanctus est, audiuimus.* Meritò iterum ad Baptisma accipiuntur, vtpotè imperfectè Christianitati adscripti. De quibus D.Hieron. cap.2. Ioelis sic fatur. *Iterum baptizantur, imò verum baptisma accipiunt, quia sine Spiritu sancto, & mysterio Trinitatis, quicquid in vna, vel altera*

Genes. 1. | Rupert. | Act. 9. | Hieron.

persona accipitur, imperfectum est. Hoc Spiritu perfecta Dei similitudo terrenis cordibus imprimitur, & exprimitur, adeò vt ipse Deus homo Christus sibi substantialem Dei similitudinem inustam,& perfectissimè per vnionem hypostaticam impressam ostendit ab operatione diuini Spiritus.
Psalm.61. Ait enim Psalm.61. *Spiritus Domini super me, eo quòd vnxerit me.* Ecce tibi sacrosancta Christi Domini humanitas ex eo quòd assumpta est à persona diuina, totóque sanctitatis & perfectionis vnguento delibuta, ostendit in se diuinum Spiritum operantem. Sed quid tunc diuinus Spiritus? Do-
Athanas. ctè D. Athanas. epist. ad Serap.inquit. *Ipse autem Spiritus & sigillum, & vnguentum est, in quo omnia inungit, & sigillat verbum.* Et quidem ad duo inuentum fuit sigillum officia: primo operis perfectionem, & vltimam manum imprimit; altero imaginem, & similitudinem exprimit opificis. Pater, & Verbum opifices sunt omnium rerum; omnia enim per Verbum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Tantorum opificum sigillum est Spiritus sanctus, cuius est & perfectionem,& similitudinem Dei rebus creatis imprimere.

§. XI.

Spiritus sancti munera timorem maximum nobis debent incutere.

MAgno Ecclesiæ bono Spiritus sanctus sua largitus est munera sub specie ignis, vt quò quis de munere efferatur, eò timeat sub igne. Honestaturus Deus populum Israëlis, & lege sua nobilitaturus, totum Sina montem
Cyrill. igniuit: quod notans D.Cyrillus Alexand.in homil.Ephesi habita, inquit. *Descendit vniuersorum Deus in monte Sinai in specie ignis, & cur quæso in specie ignis? Sanè quando illis promulgaturus erat legem, tunc salubriter admodum in ignis specie descendisse visus est, nempe quò hinc transgressores illius intelligerent, rem sibi cum igne fore.* En quàm salubriter Spiritus diuinus infunditur Ecclesiæ sub specie ignis, vt sibi caueant quicumque eius dona, & munera participant, scientes rem sibi cum igne fore. O quàm sibi cauent quicumque tractant ignem! quàm metuitur ignis periculum! sic metuantur necessum est Spiritus sancti munera: fallor nisi Spiritu di-
3.Reg.20. uino candidatos monebat illud 3. Regum 20.nimirum.*Non glorietur accinctus, æquè ac discinctus:* quasi periculum sit in
Cellens. accipiendis muneribus, vt rectè explicat Abbas Cellens. lib. de Panib. cap.7.his verbis. *Securè namque gaudet de munere, cui ipsum nihil posse perdere datum est in cœlesti remuneratione, periculosè autem exultat de dono, cui maior accrescit sollicitudo cum dono.* Expende ab illis, periculosè exultat, vbi prudentissimè periculum notat illorum,qui ad Spiritus sancti functiones, qui ad Ecclesiæ munera læti accedunt, nescientes rem sibi cum igne futuram. Non exultandum, sed timendum,sed trepidandum est iis, qui diuini Spiritus muneribus funguntur, quasi qui tractent ignem. O egregium
Nazianz. Nazianzeni Antistitem Gregorium: is cùm Pontificali apice decoraretur, inter populi plausus, inter festos dies ait de se. *Eodem modo effectus eram, quo pueri circa fulgetras, ex quarum spectaculo coniunctam cum admiratione ac stupore voluptatem capiunt.* Meditabatur sanctus Antistes splendens munus, sed igneum, & quanto rapiebatur splendore,tanto timebat sub igne. Nónne perstrepentibus fulgetris, & euolantibus exultat puerorum turba? Et tamen quia ignem eiaculantur,sub metu pueri ipsi sunt, sicque se comparant, & componunt ad ignea gaudia, ne pro gaudiis dolorem accipiant. Ita quicumque sapis,diuini Spiritus habeto munera, in quibus maximè extimescas ignem. Quod pulcrè idem Nazianzenus monet, oratione in sanctum Baptism. fatus. *Dum secundo vento nauigas, naufragium time, & minus naufragium facies, adiutorem ac socium tibi timorem asciscens.* O quàm fidus socius timor est! ô quàm sine timore res est plena periculis! Huc refert D.Zeno, serm. 1. in Psalm. 118. causam; cur Dauid toties pepercerit Sauli, vel in manibus habito, vt videlicet illo viuente, secum semper haberet timorem socium fidissimum.Etenim ait: *Dauid Regem aliquoties à Deo in manus traditum sibi, mauult semper timere, quàm occidere.*

§. XII.

Nemo vni sibi Spiritum veritatis assumat in doctrinis tradendis.

NOn me contineo, quin in præsenti subiiciam discrimen illud, quo diuinus spiritus super Christum Dominum apparuit, & quo venit super Discipulos. Equidem ad Dominum sub integra & perfecta figura columbæ ales volabat, quia nimirum Christo Iesu vni & soli integra & perfecta inerat Spiritus plenitudo. Verum Apostoli non integri alitis figuram, sed solùm linguas, easque dispertitas, siue diuisas receperunt singuli: etenim post Ecclesiæ caput, qui sunt membra Christi, non sibi tantum doctrinæ arrogent verba; imò putent doctas linguas diuidi à Dei Spiritu inter plures. Fallor, nisi huc respiciebat Hierem. dum *Hierem.6.*
monet. *State in vijs Domini, & interrogate semitas Dei æternales, & videte quæ est via bona, & ambulate in ea.* Expendo, quòd viæ bonæ indicium non vnius ori credidit; sed per plura diffudit; state ait, in viis,& interrogate semitas,non dixit, state solùm in via aut huius, aut illius Doctoris sapientissimi; sed state in viis; nulli enim membro post caput integra veritas credita est; sed veritatis spiritus diuisim per plures effusus est. Ab hoc sensu stat D. Zeno, qui *Zeno.*
allata Hieremiæ verba sic expendit in Psalm. 117. dicens. *Multæ itaque viæ interrogandæ sunt, & in multis insistendum est, vt vnam, quæ bona est, inueniamus, per multorum scilicet doctrinam, vnam viam vitæ æternæ reperturi.* Vna est veritas, vnum vitæ æternæ bonum; sed qui ad veritatem optat peruenire,non se vnius adstringat linguæ, nec extra vnius linguam mendacia disseminata putet, imò per plurium linguas veritatis spiritus sonat, & plures adeundæ sunt viæ,vt integer veritatis acquiratur spiritus. Odi semper eos, qui sub Christi iugo cùm sint,adeò sibi creditam veritatem putant, vt cæterorum omnium reputent mendacij linguas. Hos pungit & sapientissimus, & moderatissimus Nazianz. *Nazianz.*
orat.de Moderat.in disp.serm.inquiens. *Turpe est profectò cum in veste, ac victus ratione non magnificentiam, sed vtilitatem amplectaris, ac genuum callo, & lacrymarum fontibus, ieiunijs item & vigilijs humilitatem, infirmitatisque tuæ sensum ostendas, ac præ te feras, in diuinis disputationibus principatum ac tyrannidem tibi vendicare; nec cuiquam omnino falces submittere, ac supra omnes legis Doctores supercilium attollere: vbi humilitas non solùm gloriam habet; verùm etiam securitatem.* Quàm longè aliter Moyses & vnicus erat legis Doctor, & solus populo fundebat oracula; tamen audiuit à Domino, Num. 11. Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israël, *Num.11.*
quos tu nosti, quod senes populi sint,ac magistri, & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis,& facies ibi stare tecum. *Vt descendam, & loquar tibi, & auferam de spiritu tuo,tradámque eis.* Nec indignè tulit, quòd doctrinæ spiritus per plures diuideretur,imò tunc præclarè actum esse putauit, cùm non ipse solus oracula fundebat. Id quod meditatus Ru- *Rupert.*
pertus libro 6. de gloria Trinitat.& process. Spiritus sancti cap.19. inquit. *Mira pietas Dei, mira benignitas Moysi. Quo enim alio modo meliùs fatu populo facere potuit, quatenus videretur non velle solus gloriari?* Noluit solus doctrinæ gloriam habere; sed gauisus est,quòd doctæ,& sapientes spiritus linguæ per plures diuiderentur, quo & modestiam suam, & Dei benignitatem circa populos maximè commendauit.

§. XIII.

Spiritus veritatis per humanas linguas Sanctorum PP. hauriendus.

VNus Dominus mentem alitem à cœlo accepit, cæteri omnes per humanas sunt informandi linguas,vt certæ veritati possint habere fidem. O quàm errat, qui hominum calculum fugit in concinnanda doctrina, ecce tibi Spiritus diuinus doctrinæ publicandæ instrumenta, nempe linguas per sanctorum Patrum ora distribuit. Quis mentis compos aliunde veritatem inquirèt? Gentium Doctor Paulus & in cœlum raptus est, & ibi arcana verba audiuit;tamen Apostolos adit,cum quibus vtiliter confert doctrinam. Id quod expendens D.Bernard.in vita Malach.inquit. *Nónne Euangelium suum, quod non ab homine acceperat; sed à Chri-* *Bernard.*
sto, cum hominibus tamen censuit conferendum, ne forte in vacuum curreret, vel cucurrisset? Vbi Spiritus sancti linguæ per Ecclesiam effusæ sunt,metuat quisque illis ab ore hominum auscultandis non incumbit. Nónne hoc fidelium indicium dederat ipse Paulus ad Ephes.cap.2.nimirum quòd sint *ædi-* *Ephes.2.*
ficati supra fundamentum Apostolorum,& Prophetarum ipso summo angulari lapide Iesu Christo? An respuat quis humanas manus hominum ædificationem, vt per se immediatè adhæreat angulari lapidi Iesu? Doctè D. Pacian. illud ex- *Pacian.*
plicat fidelium indicium,epist.2.ad Sympronianum,dicens. Iam illud attende, an hæc potissimum ædificata sit in fundamentis

damentis Prophetarum, & Apostolorum ex angulari lapide Iesu Christo. Si non illa migrauit, *si non sibi magistros, & propria instrumenta constituit, si quid insolitam argumentata est, si quid nouo iure inuenit; plane tunc à Cirillo recessisse videtur, tunc extra Prophetas, & Apostolos constitisse.* Vbi Doctoribus, Patribúsque despectis insolita argumenta infert, noua sibi à Deo infusa præsumit; ò quam a vero quisque

Oseæ 12. deficiet! Oseæ cap. 12. ait Dominus. *Ego visiones multiplicabo, & in manu Prophetarum assimilatus sum.* Quasi edicat vnde sunt sumenda diuina oracula, nimirum è manibus Prophetarum, non è proprio cerebro, non ab alite è cœlo delapsura expectanda; sed per opera, & doctrinas Sancto-

Theoph. rum sugenda. Quo premit Origenem S. Theophil. Alexand. epist. Paschali 2. fatus ex illo Oseæ. *Nec Prophetarum chorus hic eum instituit; sed ipse suo mentis arbitrio furore dæmonum feruens, & blando cogitationum errore deceptus, gregem, & vt ita dicam, examen dogmatum peruersorum per totum orbem immisit: vsus est enim ductore pessimo, aura populari.* O vtinam vteretur duce igneo Spiritu! duceretur enim ab illo, non ad blandum suarum cogitationum errorem; sed ad linguas per Sanctorum ora resonantes, à quibus hauriret sanam, & securam doctrinam. Caue tibi à cogitationibus tuis, caue ab aura populari, attende igneo Spiritui, stude Sanctorum linguis quicunque securus cupis existere. Ecce quem Paulus prædicabat, dicit enim: *Inuenimus illum, de quo scripsit Moyses, & Prophetæ.* Non enim ausus est de Iesu verba

Athanas. facere, sine Patrum calculo. Vbi D. Athanas. aduersus eos, qui nec quærendum, nec loquendum ex Scriptura præcipiunt, sic fatur. *His vocibus Paulus ad stabiliendam veritatem vsus est. Quòd si Paulus, is qui arcanorum ineffabilia verba audit, is qui arcanorum mysticus erat, is qui Christum in se habuit loquentem priuata sibi authoritate citra sacrarum literarum testimonium nihil simpliciter sumpsit; cui non periculosum nunc fuerit curam diuinæ legislationis abijcere, & natas in cerebro nostro opiniones proferre?* Hæc ille, & sapienter: accinit Psalm.

Psal. 103. 103. *Super illas volatilia cæli habitabunt, de medio petrarum dabunt voces.* Tunc enim pennata ingenia placent, quando de medio petrarum, de Apostolicis resonant testimoniis. D. August. *Audiantur ergo de medio petrarum dantes voces. Nihil suauius talis voce altum illæ sonant, & Petræ resonant. Resonant Petræ testimonia, respondeant Scripturæ.*

CAPVT IX.

De manifestato à Domino mysterio Trinitatis.

FINEM Christianis laboribus imponat diuinissimæ Trinitatis manifestatio, hoc enim triplici funiculo Dominus acquisitum sudoribus populum colligauit, ne vlla hostilis irruptio timeretur ampliùs. Ecce tota Christi œconomia paucis describitur 2. Reg. 23. *Sedens in cathedra sapientissimus Princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu vno.* Quippe debellatis aëreis potestatibus, iam regnans à ligno Iesus Virgine satus sese vnam è tribus diuinis personis publicat, perspicuamque beatificæ Triados perdocet cunctos mortales doctrinam. Euge Christe sapientissime orbis Magister! Te monstrante, Apollinis enanuit tripos, nobisque vnus, & trinus Deus illuxit, à quo & vera oracula funduntur, & omnigenam sugimus virtutem.

Ad illud Matth. vlt. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

§. I.

Quæ in salutem propinantur simpliciter, & perfectissimè colenda, argumentatrici rationi minimè commendanda.

ECce de abscondito Trinitatis mysterio integram materiam, quam paucis tradat omnium Magister creaturarum. Quippe ait, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, triplicem personarum aspectum sub vno claudens nomine, & essentia deitatis. Cur non de personarum notionibus, de Patris innascibilitate, de generatione Filij, & Spiritus sancti, siue actiua, siue passiua aspiratione, ex tunc pullularunt longissima commentaria? Cur ex tunc non numerati sunt Theologis aspiratores? Cur non explicatum generationis processionisque discrimen? Cur perspicuis rationibus non propalata consubstantialitas? Dabatur Triados mysterium non ingeniorum examen siue periculum; sed in salutem animarum, & ideo vt simpliciter tradebatur, sic sincerè excipiendum & credendum erat, non scrutandum. Prouerb. cap. 4. dicitur. *Sapientia ædificabit sibi domum:* nimirum, parturiuit doctrinæ plena per totum orbem gymnasia, *scidit columnas septem.* Hæc sunt doctissimorum magistrorū subsellia & cathedræ, vt latè probat eruditissimus noster Pineda lib. 3. de rebus Salom. cap. 28. Quid tunc? Erectis gymnasiis, cathedris institutis per orbem, *immolauit victimas suas: miscuit vinum, & proposuit mensam.* Iam hanc mensam, eiusque sapidissimas dapes explicat Anastasius Nicænus *cognitionem Trinitatis.* Proh Deus immortalis, non è columnis, non è cathedris Trinitatis effulget mysterium, sed è mensa datur saporaturum affectus humanos. O quam macrescunt inter sciolorum argumenta, quæ ad saginam dantur animarum. Me in præsenti sustineant sapientes dum explico D. Paciani locum epist. 2. ad Sympronianum Nouatianum. Vbi sic prudentissimus Theologus. Age inquies certemus exemplis, & ratione pugnemus. At ego huc vsque securus ipsa Ecclesiæ serie, congregationis antiquæ pace contentus, nulla discordiæ studia didici, nulla certaminum argumenta quæsiui. Tu postquam à reliquo corpore segregatus es, & à matre diuisus, vt rationem facti tui redderes, *totos librorum recessus assiduus scrutator inquiris: occulta quæque sollicitas, quicquid ex inde securum est inquietas. Nostri nihil vltro disputauere maiores, nuda est apud nos ipsa securitas.* Hæc Pacianus, rectè notans argumentorum certamina circa salutaria instituta & mysteria inquietanda non a piis, sed ab impiis introducta esse. Qui vt securissima salutis præcepta, & mysteria inquietarent, totos librorū recessus scrutabantur, si qua eliteratæ paginæ vetustate, & obsoleti vocabuli ponderatione nouam suam doctrinā facerent canescere. Nonne sic vsque modo multi, sapientes dicam, an scioli? præcepta diuina, salutaria Ecclesiæ, siue religionis instituta fastidientes, quæ magno animi bono sincerè ad amussim seruarēt; ea vt corrodant totos librorum recessus inquirunt, occulta quæque sollicitant, & quicquid exinde securū est inquietant? Sanè maiores nostri nihil disputauerunt; sed ad amussim omnia seruabant, omnia perfectissimè implebant; nos per librorum recessus salutaria instituta instillata sugentes heu quam miserè macrescimus. Iam ex Hieronymi versione adest locus Ecclesiast. 12. sic monentis. Verba sapientium vt stimuli, & quasi claui in altum defixi, habentibus cœtus, *data sunt à Pastore vno. Et amplius ab ipsis fili mi caue faciendi libros multos, quibus non est finis: & meditatio plurima labor est carnis.* Expendo à quo tradātur salutaria dogmata, nimirum *à Pastore,* hoc est nō ab eo qui quærat examen; sed qui pabulum salutis paret. Non pro nostris, non pro cathedris; sed pro mensis, sed pro pascuis accipienda diuina mysteria & instituta salutaria. Quod à pastore in augmentum salutis accipis, ne argumentum duellis tradas, ne pugnaci librorum myriadi committas. Sic locum & rem explicat D. Hieron. Hieron. dicens. *Exceptis his verbis, quæ ab vno Pastore sunt data, nihil facias, nihil tibi vendices, maiorum sequere vestigia, & ab eorum authoritate non discrepes. Alioqui quærenti multa infinitus librorum numerus occurret, qui te pertrahat ad errorem, & legem multa frustra faciet laborare.* O quam viuida primitiuorum Christianorum fides, vbi diuina mysteria simpliciter, & sincerè hauriebantur, nec discordiæ studia, nec certaminum argumenta, nec cōmentatorum longitudines noscebantur. Ibi Deus, Trias, Lex, mēsa erat, Pascua erat, nutriens & perficiens animas. O quam vigebant religiosorum ordines, vbi à Pastore suo acceptis institutis nihil addebant neque eripiebant; sed omnia sincere seruabant. Vbi ad commentaria ventum est, vbi disputatrices licentiæ instituta tradita, infinitus librorum numerus prosilit statim in certamen, qui te in errorem trahant. Heu quoties dolui, qui sacris institutis per totos librorum secessus scrutantes detrahebant occulta quæque in obsoletis codicibus sollicitantes, & quicquid securum est inquietantes!

§. II.

Vnitas maximè necessaria saluandis.

REnascentibus ex aqua in vitam immortalem meritò obijcitur in primis sub arctissimo vnitatis essentialis vinculo

vinculo personarum diuinarum pluralitas. Quæ rei ratio? Anastas. Pulcre eam insinuat D Anastas. Sinaita lib.1. Hexaem.fatus. *In prima discimus mysterium Trinitatis in baptismate, cum quo mysterio vitam quoque Deo gratam discimus.* Sanè apud exteros eo habitu Dij obiiciebantur, quem sibi in adoraturis pergratum fore maximè significabant. Vnde Lacedæmonij, & Deos & Deas armis horrentes effingebant, vt visis Diis, ait Alexand.ab Alexand. *ne iuuenes nisi armati deprecarentur*, rati armatis Diis minimè placere sine armis. Hinc mentem elicio Anastasij: initiamur enim Christiani sub Deo vno & trino, vt vitam Deo gratam discamus, & ne quid ab eo Deo petamus, in quo est cum pluralitatis differentia perfectissima vnitas; nisi perfecta animorum vnitate coarctati. Plures personæ sunt vnus Deus, quicumque huic Deo & trino, & vni inseruiunt, hunc induant vnitatis habitum. Hinc veri Dei cultores perfecti antiquitus Catholici vocantur: cuius nominis explicationem tradens D. Pacian. Epist. 1. ad Sympronianum sic fatur. De catholico nomine oiulta respondi facile; at si vim nominis postulares quodcumque illud esse mirificum, *seu vnum in omnibus, seu vnum super omnia, siue quod ante non dixi filius Regis, idest, populus Christianus.* Expēde quam diuina sit nomenclatura populi Christiani, dum Catholicus dicitur, nimirum *vnum in omnibus*, sub quo vnitatis habitu Dei in Trinitate vnius veri adoratores prædicantur, sine quo nihil ab illo auderent expectare. De Annæ matris Samuelis coniuge dicitur 1.Regum cap. 1. *Erat vir vnus de Ramatha.* Quæ verba premens Origen. homil. vnic. contendit hoc esse solemnissimum iustis viris, quod omnes vnus vocentur. Ait enim de iustis; omnes competenter vnus dicuntur. Et cur non omnes vnus dicantur, quorum cor & anima vna describitur? *Vnde merito & ipsi omnes non solum vnum; sed vnus dicuntur, sicut Apostolus designauit* 1.Corinth.9. dicens, *omnes quidem currunt; sed vnus accipit palmam, vides manifestè quia omnes iusti, vnus est qui accipit palmam.* Et quidem salutis palmam non accipiet nisi qui hac vnitate vixerit. Ouem perditam minabatur Dominus in salutis caulem; sed nihil illi prius suggerebat, quàm hanc intimam cum proximis vnitatem. Sic Matth.26. de Iuda proditore aiebat. *Amen dico vobis, quia vnus vestrum me traditurus est.* Quid ais Domine, vnus vestrum? nónne proditor iam à discipulatu discesserat? non sese dederat in membrum diaboli? cor adhuc à te dicitur vnus Discipulorum? Anselm. Pulcrè D.Anselm. *Ex magnitudine misericordiæ suæ voluit Deus proditorem Discipulum ad pœnitentiam reuocare, occultis videlicet notationibus, minis, Sacramento vnitatis.* Relicturus saluti aditum, hanc illi suggerebat viam, quod vniretur fratribus; ille enim desperare solum potest de salute obtinenda qui sese elongat ab vnitate fratrum. Quo vnitatis habitu induti repulsam non patimur à Deo trino & vno, imo ei similes, eius consortio fruimur. Nonne audis septem filios Iob, & tres filias æterna esse beatitudine candidatos? Sed quæ illorum narratur virtus? quæ facinora, ob quæ repentino interitu rapti putentur cœlestem gloriam adepti fuisse? Sanè audis illos quotidie vnanimiter conuiuiis vacare, & exinde suspectos fuisse parenti, qui veritus conuiuiorum pericula Deo anxius pro filiis litabat, si forte peccauissent. Et tamen dubitans ad salutem illos peruenisse, solo quidem suffragio vnanimitatis manifestato. Sic Origen.lib.1.in Iob dicit. Septem filij Iob, & tres filiæ tanquam vna anima indiuisi conuixerunt in vnanimitate, quæ tanta fuit, vt inuidus dæmon facilius omnes pariter interficeret indiuisos, quam diuidere atque dissociare benignam eorum vnanimitatem posset. *Erat namque cor eorum & anima vna. Propterea cum sanctis in perpetuo nominantur, propterea cum iustis in æternum requiescunt, propterea cum Angelis indeficienter laudabuntur.* Sic ex solo vnitatis fraternæ suffragio interempti à dæmone filij Iob beatitudinem adepti reputantur. Vide lib.3.cap. 8.§.40.& lib.4.§.21.& alibi.

§. III.

Tenax recti, & sibi semper constans & vnus sit vir.

PRoh immensam diuinæ Essentiæ perfectionem nulli varietati subiectam, nulla differentia variabilem! Ea proculdubio est diuinitatis perfectio, quæ & in innascibilitate Patris & in generatione filij, & in processione Spiritus sancti, media tanta personarum, nationúmque varietate, illa eadem, & sibi constans vndequaque manet. Accipite Theologum Nazianz.orat.in Bapt. vbi sic fatur. Fidem in Patrem & Filium, & Spiritum sanctū tibi hodierno die committo. Hanc tibi do totius vitæ comitem & nutricem: *vnam diuinitatem & potentiam in tribus communitam, vndiquaque æqualem, vndiquaque eandem. Non secus atque vna & sibi constans est cœli pulcritudo & magnitudo.* Ecce inter quā diuersas, inter quam appositas personarū differētias, & varietates Essentia diuina eadē, & sui similis per omnia appareat. Nónne ex quacumque mundi regione, ex mari, ex terra si cœlū spectes, idem cœlestis color, eadem amplitudo & pulcritudo tibi obiicitur? Post noctes, post conglomerata nubila, post eclipses non idem cœli aspectus tibi sistitur inuariatus? Sic Essentia diuina inter oppositiones personarum vndequaque eadem effulget & apparet æqualis. Iam hinc D Zeno sermon. de Patient. deplorat vnius hominis miserandas vices, qui cum naturæ diuinæ æmulus conditus sit, vnus inter omnes creaturas ab inuariabilitate diuina abest quam longissimè. Ait enim: Sol quamuis mira celeritate alternans mundi metas illustret, tamen nunquam dilectam verecundamque auroram anteuertit; quid quod maius est duodenis non dicam spatiis, sed momentis horarum æquabiliter se partiri non posset, si impatientius suos cursus vrgeret. Luna quoque, quæ quibusdam errare videtur curriculo menstruali, solemnes suæ ignes ætatis, quod nunquam prærogat importunè, nec derogat, quid aliud intelligi datur, quam sui opificis moderationi deseruiens peritissima insignis patientiæ disciplina? Sed & mare ventis lacessitum quum irascitur. quamuis reciproca vicissitudine nunc pulsantibus cœlum, nunc requirentibus terram, æstuantibus vndique vitreis armatum montibus, violentis vndarum sæuientium cumulis, toto corpore insaniat, tamen extremorum pallido ex recursu voluminum quasi ius terræ cognoscens, ac violare deuitans mira patientia in se frangitur, eisdémque fluctibus quibus cogitur frænatur. Hæc germinantibus pratis, messibus flauis, vitibus curuis, semipallidis oliuis felicitatem præstat & grattam, cum vniuscuiusque temporis fœtus partu crudo in alterius contumeliam impatienria non sinit præcipitare. Quid auium diuersarum decora commercia littoreaque? Quid arduis volatilibus aeria grues? Quid piscium dissimilium cum suis sibi ductoribus gradatæ ætatis innumerabiles cunei? Nónne cum inuitationi temporum parent, solemnísque remigis specioso discursu, vel aquas sulcant, vel aera distinguunt, & patienter veniunt, & patienter excedunt? *Solus homo praceps, solus impatiens, prauis quotidie mobilitatibus gaudet, varietatibus studet: miserum se putat, si ipse sit.* Heu miseram hominis conditionem qui solus debebat naturæ diuinæ sequi inuariabilitatem! solus ipse varius & multiplex efficitur, solus ipse laborat mobilitatibus: & huc spectat singulis momentis, ne ipse sit; sed vt alius & alius fiat. Hanc pungebat malitiam Moyses Deuter.c.6.fatus. *Audi Israel Dominus Deus tuus vnus est.* Quæ verba premens D.Ambros.epist.1.ait. *Et tu ergo ad similitudinem Domini vnus esto. Non hodie sobrius, cras ebriosus, hodie pacificus, crastina die litigiosus. Esto sicut imago indidragma immutabilis, eundem habitum formans quotidie.* Ambros. Cur te multiplici figura varias? Cur insculptæ Dei imagini in animo tuo detrahis? Sanè nil Deo gratius, quam vna & sibi constans natura, nil dæmoni similius, quam multiplex in vno homine vultus? Audi summum de iusto viro elogium 1.Regum c.1. *Fuit vir vnus de Ramathaim Sophim, de monte Ephraim, & nomen eius Elcana.* Non parua laus viri quod sit vnus, namque peccator crebris & multiplicibus sese variat vultibus, tot quotidie induit personas, quot mores modo leo, modo sus, modo aper apparet, modo diuinus æthera scandi, iam brutus terrenis cupiditatibus inhiat Non sic iustus, sed semper idem, & sibi constans semper vnus, *& nomen eius Elcana.* O dignum nomen viri, qui vnus & idem est! Enim vero Elcana idem est *ac possessio Dei.* Accipe modo Origen.in lib.Reg.homil.vn.sic differentem. *Certum est quod ille, de quo dictum est quod vnus esset vir, possessio Dei est, & non possessio dæmonum. Quem enim dæmones possident, non est vnus, sed multi, sicut & ipsi dæmones de eo quem possidebant responderunt, dicentes quia legio nomen est ei.* Origen. Troiano equo simillimus peccator armatis grauis legionibus incompositam multitudinem præsefert, felix ille vir, qui inuariabilis & vnus semper in Dei seruitio perseuerat, huius possessor est Deus. Nónne decem leprosi ad Iesum sanitatis obtinendæ causa venere? ab illo ad Sacerdotes remissi sunt, & dum irent salutem acquirunt. Tunc notat Luc.cap.17.dicens. *Vnus autem ex illis, vt quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum.* Quippe decem Christum conuenere, decem à Christo mundati sunt; sed nouem post salutem Christum obliuiscuntur, in alia discedunt. Vnus ex illis vir ante sa-

lutem,

lutem, & in ipsa acquisitione salutis, & post salutem acceptam manet vnus,& idem in prædicando Christum perseuerat. Ita D.Ansel. *Quod dicitur vnus,intelligendum est non diuersis se voluntatibus varians,sed in vna Deo placendi voluntate perdurans.* Sic veri diuinitatis æmulatores sibi constantes, & ipsi sub quacumque rerum varietate perseuerant. Quo item spectauit Dauid Psalm.118. dum dicit. *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum dicentes, Quando consolaberis me.* Expende quod oculi dicunt,quando consolaberis me, cur non potius nos? Sanè iam inde percutietur sponsus in vno oculorum istorum. Pulcrè D.Ambros.sermone 11.numer.2. inquit. Si oculi isti significati sunt, quibus cernimus, dicere debuerunt, Quando consolaberis nos; hoc est, non singulariter, sed pluraliter, sed quia oculus mentis, & oculus carnis vnus oculus fiunt,& tunc homo consolatione fulcitur, cum caro & mens diuersa non cupiunt; *sed vnum desiderant,vnum requirunt, ideo intenti ad eum qui ait, Ego & pater vnum sumus, isti quoque vnum esse se confitentur, quia vno eodémque desiderio funguntur.* Hactenus ille.

§. IV.

Respice cognationem naturæ,etiam in hoste,& illum amabis.

DOceor in primis à summa trium diuinarum personarum concordia inter sese, erga proximos meos eundem concordiæ nexum obseruare. Pulcrè enim Damascen. serm. de defunctis loquitur. *Hæc felix diuinæ bonitatis imitatio est,dum quis alijs non minus quam sibi gratiam exposcit: & tunc consummatæ charitatis terminus, ac beatitudo attingitur, dum in proximo animæ suæ benefacit.* Sicut enim totus Patris amor in filio est, & Spiritu sancto, nullaque absoluta bona sibi soli reseruat Pater, quæ non communicet pignoribus charis; sic ille perfectæ charitatis metas attigit, qui in proximo suo sciuit animæ suæ benefacere. Nec hoc tibi arduum & difficile videatur, dum vt iuberis diligere proximum sicut te ipsum, ita te ipsum in proximo noueris esse. Quis se ipsum non amet? Nosce ergo te in proximo, & illum licet inimicum & contrarium amabis. Accipite D. Leonem serm.10.de Quadr.ita fantem. *Pulcrum valde est, & diuinæ beneuolentiæ comparandum, sui quemquam in altero meminisse, & amare propriam etiam in hoste naturam.* Quippe in diuinis personis si vniuscuiusque respicis poprietates, sese maxime opponunt; viget tamen, inter maximas oppositiones personales, summus vnius ad alterum amor, ea non contemnenda ratione, quia altera suam propriam naturam videt in altera, quo nulla oppositione potest amor interrumpi. His proculdubio assimilabitur quicumque sui in altero meminerit, & propriam naturam in hoste esse notauerit,quam tunc non poterit non amare. Hinc cum iuberis diligere proximum tuum sicut te ipsum, præcepti facilitatem vrget Chrysost. in Psalm.5. fatus. *Si enim dixisset: Vos cum homines sitis, diligite bestias, præceptum fuisset difficile. Si autem qui homines sunt, homines amare iussit, vbi & substantiæ similitudo,& cognatio,& ipsius naturæ admonitio plurimum momenti afferunt ad diligendum, quidnam habeat difficultatis?* Diuinarum ergo personarum instar, nostram in proximis videamus naturam,& nulla oppositione, nulla contrarietate impediente, facile amabimus illum. Id quod de D.Paulo Chrysost.homil.8.fatur. *Nemo ita dilexit inimicos, nemo insidiatoribus suis ita beneficus fuit,nullus pro afflictoribus suis tanta perpessus est. Non illa enim quæ patiebatur, sed naturæ copulam cogitabat.* Sanè beatus ille fuerit,Deóque maximè comparandus, qui id in hoste etiam videat, quo non possit non amare illum. Qui magis hostes in Christianos, quam Nerones, Domitiani, & his similes? Attamen primitiui Christiani sic affecti erant,vt cæcutientes ad hostiles Imperatorum animos, aliquid viderent in illis quod etiam summo studio amabant. Id ostendit Tertullian. lib. ad Scapul. c.2. inquiens. *Christianus nullius est hostis nedum Imperatoris;quem sciens à Deo suo constitui, necesse est vt illum diligat.* Hoc curet homo perfectus, nimirum proximos videre, non qua hostes sunt & inimici,sed qua boni, qua Dei fœtura, qua nostræ naturæ participes, & sic necessario illos diliget. De hoc etiam dixi lib.3.cap.7.§.6.

Damasc. Leo. Chrysost. Tertull.

§. V.

Paternitas in Deo necessaria, ne creatura periret,vbi quàm sit miscenda in Principe mansuetudo cum seueritate.

QVis sustineret illud in primis à Moyse exaratum? Hoc est, *Heloim creauit cælum & terram,* Heloim iudices sonat, & sane ominosum esset creaturæ, quod creator iudex appareat. Verum cum creatoris nomina, & proprietates recognosco, in primis sese offert, & nomen, & proprietas patris, quo deitas à suis effectibus facile sustentatur. Stupendum Dei Tribunal Isaias miratus, vt nos miremur amplius addit, *& Seraphin stabant.* Quid magis mirandum? Ad conspectum Angeli,homines consternuntur & iacent, & si fortissimi, & si adeo affati, & tunc Seraphim totam sustinent Dei Maiestatem stantes? Nec pressi onere cadunt? Nec flectunt genua? Vnde hæc Seraphinis constantia? An de diuina notione Patris? Accipite D. Cyrillum Alexand. in Apolog. ad Theodos. fatus. *Diuina & incorrupta natura tametsi summe glorifica sit,& omnem admirationem superet, Patrem tamen, ac correspondentem excellentiæ huius potentiæ magnitudini, mansuetudinem habet. Generata siquidem natura fortissimam illam & immensam vim ac potestatem non sustinuisset nisi mansuetudine mixtam.* Nisi pater in diuinis adesset, corruerent vniuersa creata, quippe quomodo creatura posset coram illo Deo stare, cui inter infinitas virtutum phalanges, nihil inesset Patris? Hinc merito dolet Paul. gentium miseriam, qui cum naturæ lumine vnum Deum cognoscebant, nihil patris in illo meditabantur. Ait enim ad Ephes.cap.2. *Propter quod memores estote, quod aliquando vos gentes eratis in carne: promissionis spem non habentes & sine Deo in hoc mundo.* Vbi Anselmus explicat: *Sine Deo, id est, sine Dei Patris agnitione in hoc mundo tam malo, qui totus in maligno positus est.* Sane detrimentosum homini est, quod cum sit positus in maligno,vbi tot occasiones lapsus,vbi tot præcipitia,vbi etiam iusti septies in die cadunt, nihil in Deo patris agnóscat. Felices Christiani, quibus Deus innotuit pater, & is pater qui naturaliter inest Deitati, cuius patris conditio nunquam a Deo possit obliterari. Apud Lucam cap.15. ille iuuenis pene deploratus, tamen ait. *Ibo ad patrem meum.* Cui argute Chrysol. serm. 2. ait. *Qua spe? Illa qua pater est. Ego perdidi quod erat filij: ille quod patris est non amisit.* Indelebilis est in Deo proprietas patris, nunquam non pater Deus, etiamsi non è Dei filius conuertamur in mancipia diaboli. Excandescit Deus,irascitur, mortem crucémque minatur,fulmina iacit, nec quod patris est amittit. Adnata est celsissima naturæ proprietas patris, vt in tāto orbis moderatore nunquam iudicis ira appareat sine mansuetudine patris. Mihi credant qui clauum tenent,& imbibant a Deo hoc dulcissimum nomen patris, nunquam enim magis flectent subditos quam vel mansuetudine vel facilitate admixta seueritati. Ille sapiens Nathan 1. Reg. 16. iussus fuit Dauidem peccatorem castigare, at ille Dauidem adit totus festinus & lætans,proponit fabulam de Ouicula. Quo delinitus Dauid cum fuerit, & quasi palpatus, statim Nathan exerit gladium aiens: *Tu es Rex qui hæc admisisti.* Chrys. Psalm. 47. *O sectionem non gladio, sed breui coargutione doloris sensum amputantem. Cum enim oportebat fabulam agebat. Cum autem coarguendus ille fuit, statim ferit atque vlcus abscidit, sic tamen vt haud magnum dolorem efficeret.* Bonus vates iudicis seueritati miscuit patris humanitatem & comitatem, simúlque melleis vtitur fabulis & ancipite verbi gladio. Similiter ipse Dauid vbi Psalmum 14. replet virtutum regulis,præfixit in titulo, *Psalmus Dauid.* Cur Psalmus dicitur & cantatur, qui felleis virtutum asperitatibus scatet? Ibi Chrysost. item fatur. *Lex bonarum actionum cum numero & suauitate vocis oblata. Quamobrem? Vt virtutis asperitate temperata vocis modulatione,iocundam & acceptam reddat admonitionem. Vt Dei legum contemptores per cantus suauitatem bonos & attentos auditores efficiat; vt lingua tanquam calamo, & tanquam visco melodia auditorem aucupetur.* Sic vniuersi rigores & admonitiones de patris pectore dulcescant, vt fructuosè excipiantur. De hoc sæpius fit sermo in hoc opere.

Cyrill. Anselm. Chrysol. 1.Reg.16. Chrysost.

§. VI.

Deifica Trinitas Angelis, in prædicando tanto mysterio superiora reddidit animalia.

OBstupuit ales ille diuinus Ioannes incredibili visionum magnitudine,& cur non obstuperet? Etenim inter alia Apocal. 4. vidit sub smaragdino arcu omnigenam Dei maiestatem regia in sede fulgere. *Et in circuitu sedis quatuor animalia plena oculis ante & retro. Et animal primum simile leoni, & secundum animal simile vitulo, & tertium animal habens faciem quasi hominis,& quartum animal simile aquilæ volanti. Et requiem non habebant die ac nocte dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Quid admirabilius quam animalium ore

ore venerabile & abſtruſiſſimum Trinitatis myſterium decantari? Sic docent D.Damaſcen. D. Felix PP. Concilium Chalcedon. & Conſtantinop. relati ab Alcaſar in præſenti. En cœli decora replentur & voce, & cantu animalium, vt dicat D.Dionyſius Areopag. *Fortaſſe non deſit, qui arbitretur cœleſtia illa leonum & equorum agminibus plena, vt pro laude mugitus reſonent.* Proh egregia Dei laus! Vbi ergo Angelorum cunei? Vbi diuinorum Spirituum cantus? Canunt ſanè Angeli; ſed Angelorum cantu naturali non attingitur reconditum arcanum Trinitatis. Ita Diuus Auguſtinus ſerm.1. componens duo nota Iſaiæ & Pſalmi loca dum fatur. *Trinitatem Angeli in cælo ſcire non poſſunt; quod enim dicunt Angeli in cælo, Quis eſt iſte Rex gloriæ? Similiter in Iſaia dicitur, Quis eſt iſte qui aſcendit in Edon? Vide quid dicunt: pulcritudinem prædicant, de natura tacent.* Non enim creditur naturæ in Trinitate ſimplicitas Angelorum ori, altius eſt hoc myſterium quam ab Angelis poſſet celebrari, illi pulcritudinem diuinam, victorias partas potentia felici concinunt auſu, at Trinitatis abſtruſa nec cogitare norunt. Proh Deus immortalis! Quæ fugiunt Angelos Trinitatis penetralia, leonum & cæterorum animalium agminibus prædicanda dantur,& quæ ſubtili ſpirituum voce non attinguntur, inter mugientia bruta reſonant publicata. Fecit hoc verbi incarnati ſapientia, quæ animalium, hoc eſt, ruſtiſſimorum hominum ora tanto aptauit arcano publicando. Fecit ipſa potentia Trinitatis quæ per rudes animalium linguas voluit innoteſcere creatis. Huc Areopag. de myſtica Theolog. cap.1. aiens. *Trinitas diuinæ Chriſtianorum ſapientiæ præſul.* Sanè animalia ſedem calcant cœleſtem, & ad numerum docta canere, quod ſublimius eſt & præſtantius diuinæ harmoniç,nempe Trinitatem puluereis extollunt linguis, ſed ipſa ducente & docente Trinitate. Memini legiſſe apud Ælianum lib.1. hiſtor. animalium ſtupefactam Romam ingenio & arte cuiuſdam hominis, qui ita laborauit, vt duodenos Elephantes muſica imbutos ad numerum fecerit ſaltare; quod vbi comparatum eſt, ipſum canora cithara inſignem ſequebantur vaſtiſſimæ illæ Elephantorum moles, voce & ſaltu adeo ſubtiliorem citharæ numerum obſeruantes, vt Romanis exiſterent ad miraculum. Maiora his vidit Chriſtiana Roma quando animalium choros, & qui ab Angelis non attingebantur Triados numeros, pro dignitate obſeruari & publicari voce animalium, hoc eſt, hominum ruſtiſſimorum prædicatione. Quid mirum! Trinitas ipſa erat præſul,& præſule Trinitate Angeli vincuntur ſapientia & dexteritate ab animalibus, *quæ habentes citharas Dei*, Apocalypſ. 15. tanti præſulis ſubtiliorem ad numerum proſilientes ſibi
Abac.3. ſtupefactum traxerunt orbem terrarum. Vt clamet Abacuc cap. 3. apud Septuag. *Domine, audiui auditum tuum & timui, & conſideraui omnia opera tua & expaui; in medio duorum animalium cognoſceris.* Ecce tibi totum numinis arcanum ore animalium decantatum,ecce animalia ſapientiora Angelis, & totius huius ſapientiæ, & miraculi præſul ipſa eſt Trinitas beata.

§. VII.

Patri Deo in abſcondito orandum,& pro illo in publicum depugnandum eſt.

Miratus Trinitatis eminentiam per ora illuſtrem animalium, miror magis dum ſingula perpendo animalia. *Primum animal Leo*; cur Leo adhibetur Trinitati euulgandæ? Duo hæc in Leonum œconomia ab Æliano cap.7. obſeruantur. Alterum eſt, quod Leo vbi ad ſpelunca proſiliit, veſtigia non ſinit integra, *ſed partim obliterat, ne venatores luſtrum, vbi cum ſuis catulis habitat, inuenire poſſint.* Alterum ipſe etiam docet cap.6. quod nimirum Leo ſenio grauis non prædas perſequitur, id ſibi officium aſſumunt eius catuli, qui præda capta, *rugitu edito parentem ſuum, vt conuiuium ineat, tanquam conuictores ad prandium conuiuam inuitant.* Hæc ſi Theologorum penu conſulas in diuinum patrem, inque prolem diuinam inuenies mitifice conuenire. Nónne omnes creaturæ veſtigia ſunt Patris diuini? nónne effectus ſunt illius? Sed tamen hæc in creaturis diuini Patris veſtigia partim oblitterata ſunt, ne Trinitatis arcanum manifeſtum ex creaturis fiat, detúrque mundo diuinarum prolium notitia;& ne luſtrum, vbi cum catulis ſuis habitat,reperire poſſimus, *lucem habitat inacceſſibilem*. vt ait
1.Tim.6. Paul.1.ad Timoth.6.ex ſententia D.Auguſt.1. de Trinit. c.6. ſic ab initio amat Pater latibulum proli ſuæ.

At poſt longa ſæcula hominum fameſcens generoſus Leo ſalutem, ipſe quietus pignora chara mittit in prædam animarum. Nónne è tribus illis, qui Geneſ.18.apparuerunt Geneſ.18.
Abrahæ, duo in domum Loth perrexerunt? ſic enim habes. *Venerunt duo Angeli in Sodomis veſpere.* Cur duo tantum? & qui duo? Pulcrè Auguſt. ſerm.2.de Trinit. cap.12. Auguſt.
ait. Quas duas perſonas has hic intelligimus? an Patris, & Filij, an Patris, & Spiritus ſancti; *an Filij, & Spiritus ſancti? Hoc fortè congruentius, quod vltimum dixi, miſſos enim ſe dixerunt quod de filio & Spiritu ſancto dicimus: nam Patrem miſſum nunquam ſcripturarum nobis notitia occurrit.* O quam miſſi diuini catuli, verbum, & Spiritus in prædam proſiliunt, ille curuum crucis parat arcum; hic ignea ſpicula, factáque præda rugitu edito in voce tubæ parentem ſuum, vt conuiuium ineat, inuitant. Id quod expreſſit Paul.1. ad Corinth.15.dicens,*deinde finis cum tradiderit regnum Deo, & Patri: cùm euacuauerit omnem principatum & poteſtatem.* Sa- 1.Cor.15.
nè debellato mundi tyranno, prædam captam, nimirum, vniuerſam electorum fidelium ſegetem Patri tradet, & regale agetur conuiuium. Notanter dixit *Deo & Patri*, qua enim pater quieſcebat, Filius, & Spiritus prædabantur, quas hominum prædas Patri libarent.

Sed age; cur pater, qui catulis ſuis ab initio meditabatur latibulum, cum illiſque in abſcondito eſſe gaudebat, vbi ad prædam ventum eſt illos ipſe mittit, & palam facit publicari per mundum? Sanè hæc eſt cœleſtis Patris œconomia, vbi contemplationi dininiſque meditationibus vacandum eſt; amat in abſcóndito cum chariſſimis ſibi pignoribus eſſe; cum actiuè incumbendum tunc omnia maniſeſto fiant. Ita Matth. 6. dicitur. *Cum oraueris, intra cubi-* Matth.6.
culum tuum, & clauſo oſtio ora patrem tuum in abſcondito, & pater tuus, qui videt in abſcondito, &c. Hoc enim ſolemniſſimum eſt cœleſti Patri velle cum pignoribus ſuis in abſcondito miſcere colloquia, vbi inter parentem & pignora contemplationis negotium agitur latibula obſeruari neceſſum eſt. At iis, qui actioni inſtant, ſimiliter dictum eſt Matth.5. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt* Matth.5.
videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt. Decet Chriſtiana opera lux, at contemplationem ſemper latibulum decet. Id quod attigit Nazianzen. orat. in Maxim. fatus. *Ieſus ipſe vt actiones multitudini, hominúmque frequentiæ, ita preces quieti locíſque ab hominum commercio ſemotis fere tribuebat.* Ita & tu in abſcondito Patrem ora: ſis in oratione Leonis catulus, qui cum patre agens minimè videaris nec noſcaris. At in animarum ſalutem ea oſtenta opera, quibus Patri tuo deprædderis vniuerſum orbem terrarum. Fallor niſi ideo benedixerit Iacob Iudam Geneſ. 49. his verbis. *Catulus Leonis Iuda: ad* Geneſ.49.
prædam fili mi aſcendiſti. Quæ verba de Deo Patre, & Filio eius interpretatur Ambroſ. *Leo*, inquit, *ille, hic catulus*, & vere Leonis catulus quando ad patrem loquens ſemper latibula meditabatur; verum vbi ad prædam ventum eſt,vbi prædam facere oportebat, ad prædam fili mi aſcendiſti, in mediam exterminij terram proſiliuit durus debellator.

§. VIII.

Quo à pluribus participatur gloria cœleſtis, eo in ſingulis abundantior, accidentaliter.

Iam ſecundi animalis Trinitatem decantantis aſpectus venit notandus, ait enim. *Secundum animal ſimile vitulo.* Quid tardi vobis pecus ad triados Sacramentum? Imo quid non conferat boui numerus diuini ternarij? Superſtitioſa illa obſeruatio à Geoponio lib.18.tradita,quando ait,*nume-* Geopon.
rus gregis ſemper ſit impar, vt qui naturalem vim habet ad gregis ipſius ſalutem & durabilitatem permanſuram. Si naturam ſpectes, nil ſuperſtitioſius; at iuxta mores humanos nihil diuinius potuit excogitari. Nónne diuiniſſimus & ſapientiſſimus paſtor Ieſus hûc triados imparem numerum renaſcentium gregum multitudini mandat iniuri? Et quidem ait. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Quippe vnus hic ternarius, quo ſignamur & initiamur, vim habet maximam ad Chriſtiani gregis ſalutem multiplicandam. Dat quidem ternarius hic ſalutem gregi Chriſtiano, dat felicitatem, dat permanſuram beatitudinis durabilitatem, imo beatitudinis gloriam in beatis adauget. Recolite illud à Romanis, teſte Tito Liuio, inuentum, vt cumulatiſſimæ annonæ memoriam æternarent. Bouem effingunt aureum, quem ad Trigeminam portam conſtituunt monimentum æternum incredibilis abundantiæ. Maiori ſane

ne sapientia bonus pastor Iesus totum Christianum gregem ex aqua renascentem Trigeminæ obiicit portæ, vt profluis felicitatis augmentis inde præbeat præsagium. Has crescentis felicitatis portas sibi aperiri clamabat Psaltes 118. fatus. *Aperite mihi portas iustitiæ, & ingressus in eas confitebor Domino: hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam.* Expendo quod portas aperiri postulat, & subdat; hæc est porta Domini, quasi per pluralitatem & vnitatem Trigeminam ineffabilis mysterij portam indigitaret. Has trini Dei portas petit aperiri, quibus intret in gaudium Domini sui, quibus beatitudine æterna fruatur. Sed cur Trinitatis portæ aperiendæ sint ad beatitudinem causandam? Nónne sufficeret si vel vnius diuinæ essentiæ porta aperiatur, vt sit quisque beatus? Sufficeret forsan vnius essentiæ diuinæ visio ad creaturas beandas, imo ad beandum ipsum Deum de multorum non ignobilium Theologorum calculo, quorum princeps est Scotus 1.distinct.1.quæst.2.& dist.49. quæst.6. Sed nemini dubium esse potest, quod ad gloriæ cumulum maximè conducat personarum pluralitas. Quot personæ beatitudinis gloriis perfunduntur, tot aperiuntur ianuæ, quibus noua accrescant gloriæ gaudia beatis. Equidem & in Thabor vt gloriam suam Iesus faceret scintillare, ternionem fecit cum Elia, & Moysi, quos cum discedétes videret Petrus, vt retinere posset ait Luc.9. *Bonum est nos hic esse, faciamus tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, Eliæ vnum.* Quasi etiam manente Domino metueret vnum ex ternione perdere. Sic insinuat D. Anselm.aiens. *Petrus ad ea quæ cernebat respondit: Bonum est nos hic esse, virósque iam discedentes cupiebat ibi retinere noua tabernaculorum ædificatione.* Cur sic Petre? Si Deum gloriosum habes, cur quæris retinere creaturas? Manentis Iesu gloria perfunderis, sine, abeat quo velit Moyses, discedat Elias, quid de consortio hominum speras? O acutum piscatorem! Rectè ipse præsagit tot portas gaudij claudi, quot diuini ternionis personæ deficiunt; imo quot absunt à gloriæ participatione creaturæ. Hinc eleganter Anselm.concludit. *Si cum duobus tantum sanctis, Moysi scilicet, & Elia transfiguratam in monte hominis Christi speciem videre bonum maximum duxit, quis sermo explicare, & quis sensus valet comprehendere quanta sint gaudia iustorum cum accesserint ad Sion montem, & ad ciuitatem Dei viuentis Hierusalem cælestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, ipsúmque ciuitatis artificem Deum in faciem conspexerint?* Sanè quo plures apparuerint gloriæ participes, eo plures apparebunt gaudiorum portæ patentes, gaudiorum, inquam, accidentalium, eo abundantius erit gaudium singulorum. Fallor si hoc materiali exemplo explicatum non vidi: erat speculorum multitudo ardentem facem vndequaque cingens, ea situs positione, qua facis radius singula specula attingeret, quo factum erat, vt facis pulchritudo multiplicaretur & cresceret ad speculorum numerum. Sic qui ad vnius facis ardentis aspectum lætabantur, tot ex illa percipiebant lætitias, quot addebantur specula, in quibus vna & eadem fax multarum adimplebat gaudia & lætitias. Non meum commentum erit, si hoc ad cœlitum gloriam transferam; suge illud ex Nazianz.in carmine Virginitatis. Vbi sic cœlestem ciuitatem depingit.

Scot. Luc.9. Anselm. Nazianz.

——— At chorus ingens
Carpere quem nequeas Regem lætissimus ambit
Cælestis, studioque omni Deus esse laborans
Christifer atque crucis ferens, mundique ruentis
Contemptor, tota meditans cœlestia mente,
Perspicuum lucis speculum, lux fulgida mundi,
Quinque Dei, cuiusque Deus, quem cernit apertè.

Ecce tibi cœlorum Regem innumera agmina, vt cingunt sanctorum, ita vt specula lucem Deum induunt, vt ex singulis gaudia, quæ à Deo sunt, multiplicentur, & in infinitum crescant.

§. IX.

In Trinitate benefica corona est, & complementum felicitatis.

Tene mundialia omnia, tene cœlestia, tene deitatem ipsam, tamen dum Trinitatem non apprehenderis, coronam perfectam minimè tenes, adhuc tibi eminentissimum felicitatis fastigium subeundum restat. Dionysius Areopag. de myster. Theolog. cap. 1. ait. *Trinitas supersubstantialis deitate, ac bonitate superior, ac præstantior.* Hæc est felicitatis corona, & complementum, cuius causa diuino illi trisagio addebatur homo, dum dicitur *tertium animal simile homini*, in quo Regiæ Trinitatis magnitudo exprimebatur. Nonne hæc erat vox Trinitatis diuinæ Genes. 1. *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram?* Ita docent D.Gregor. PP. D.Basil. Ambros.Augustinus, Eusebius, Cæsar. & alij. Quid ergo est in homine, quo beatificæ assimiletur Trinitati? Sanè ait Niss. lib. de Opific. hominis cap. 4. *Nihil esse putandum aliud quam regium ei decus in ipsa creatione tributum.* Homo quidem creatur, vt Triados supra omnia creata, & increata Regiam testetur altitudinem, qua ipsa sola cumulat, perficit & coronat cuiuscumque felicitatem & beatitudinem. Quoties audis à viris iustis Regnum Cœlorum spectari, quoties à Domino idem cœlorum Regnum sanctis promittitur, id intellige perfectè constitutum in vna fruitione Trinitatis. Sic Theologorum Pater Nazianzen. orat. in plagam grandinis exprimens integerrimi iudicis sententiam, qua dicet, *percipite Regnum, quod vobis paratum est*, &c. ita fatur; illos lux omni oratione maior exceptura est, & sanctæ *Regiæque Trinitatis* purius iam clariúsque collustrantis, totámque secum tota mente miscentis contemplatio, *quam quidem ego vel solam Regnum cœlorum potissimum esse arbitror.* Dum ad Trinitatem non accedis, & si deitatem videas, adhuc curris, nondum Regnum, nondum coronam plene prehendis. Illa est quæ regios ausus homini insitos explere potest: illa quæ à lucta iubet quiescere, & coronam porrigit pugnatoribus. Ideo Philippus vnus ex iis, quibus Regnum cœlorum promissum erat, super omnia se tollens inquit Ioann.14. *Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Quippe regnaturis etsi ostendantur vniuersi cœli terræque thesauri, & si ostendatur ipsa deitas, nec sufficit eis, adhuc inhiant, adhuc ad coronam anhelant; sed ostenso Patre, ostenso nimirum Trinitatis mysterio, nil vltra spectant. Ad hæc D. Cyrill. Alexand. lib.1. Thesaur. cap. 6. dicit. *Si Patris nomen esset dignius in Deo, quam ipsum nomen Deus, cur cum Discipulos Saluator ad prædicandum mittit, non iussit, vt in nomine Dei baptizarentur? Sed quasi maiorem diuinæ naturæ ostendens dignitatem, in nomine Patris,* inquir, *& Filij, & Spiritus sancti: Philippus verò cum diuinam curiosè scrutari naturam vellet, Ostende nobis Patrem dicebat, non, ostende nobis Deu.* Adeò à mente fideli Triados requirebatur aspectus, quasi vel ad Patris præsentiam solius summam posset felicitatis acquirere altitudinem. Iā memini prodigi illius filij gratiam à Trinitate perceptā: de quo Luc.15. dicitur. *Surgens venit ad Patrem suum.* Vbi Chrysol.serm.3. expendit illud surgens, & ad Patrem, inquiens. *Surrexit iste mentis & corporis de ruina, surrexit de profundo Inferni cœli alta contingens: apud cœlestem Patrem filius surgit plus de venia quam corruit de reatu.* Quam filius, viso Patre, non pertingeret altitudinem & Regni sublimitatem? Vt hinc pateat quanta sapientia Dominus educturus filios per aquam à peccati ruina in Regni hæreditatem, illos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizari iubet, vt apud Patrem surgentes plus de venia, quam ceciderant de ruina cœli alta pertingant regióque throno insideant.

Nazianz. Ioann.14. Chrysol.

§. X.

In mortis duello triumphabimus Trinitate armati.

Quàm victrix ad superos euolabit illius anima qui Trinitatis diuinæ ardenter armatæ charactere munitus mortis adierit pericula! Nónne hoc Trisagium sibilans victrix ales annuntiat? Etenim inquit, *& quartum animal simile Aquilæ volanti.* Non sic Romanæ Aquilæ victricis gentis Labarum decorabant; non sic Imperatoria stemmata hostes deterrebant medias inter inimicas phalanges ad victorias volantia, vt Trinitatis diuinæ cultor & adorator, & armator euolat ad triumphos immortales. Christianæ sapientiæ, vt periculum faceret tentator præcipitium suggerens aiebat Matth.4. *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te:* hic sistit, quod reliquum erat Psalmi conticuit, minimè illud addidit, nimirum, *super aspidem, & Basiliscum ambulabis: conculcabis Leonem, & Draconem.* Cur primum obiiciens de Angelis hoc postremum tacuit? Sanè hic victricis expauit trophæa Trinitatis. Pulcrè D.Naz.orat.in sanct.Bapt.ait. *Id suppressisti, nimirum, quod super aspidem & Basiliscum ascendam, & conculcabo serpentes, & scorpiones, Trinitate videlicet septus & communitus.* O quam alte volat victrix ales Trinitate suffulta! Non sic victrices buccinæ, & tympana exarmant hostes

Nazianz.

hostes, vt anima diuino trisagio repetito mortales deuincit terrores, & in astra volat. Sic olim Imperatoria iusta perficiebantur, tres pyram constituebant gradus, è quorum summo Aquila emittitur, quæ in cœlum euolans volantem Imperatoris animam notaret. Author est Pier. lib. 19. Sed beatiori præsagio ad trinum deitatis aspectum effertur quartum animal simile Aquilæ volanti, vt notet quantum conferat è vita migrantibus deuotus cultus Trinitatis. Sanè in Phœnice alite id etiam accedit notandum, quod viuidum & victoriale sepulchrum non sibi paret, nisi ex veneratione Trinitatis sanctæ. Accipite Lactantij carmina, quibus ad Orientem conuersam Phœnicem sic depingit.

Illa ter alarum repetito verbere plaudit,
Igniferúmque caput ter venerata silet.
Tunc legit aerio sublimem vertice palmam,
Vitalique throno membra quieta locat.
Construit illa sibi seu nidum, siue sepulcrum,
Depositi tanti, nec timet illa fidem.

Ecce ex alarum trisagio, ex trina veneratione ad sepulcrum volat, ex quo mortis victrix exurgat. Equidem diuinæ compellatio Trinitatis potens est sepulcrum ipsum vitali rore perfundere, & inter mortis angustias interfectis peccatis hominem in vitam nunquam defecturam transplantare. Nouit hoc qui dum figuram mortis in Baptismo componit, ad viuidam regenerationem addit compellationem Trinitatis, aiens *baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Expende illud *baptizantes*, hoc est sepelientes, dicit enim Paul. ad Rom. 6. *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in morte: vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Itaque Baptismus quædam est mortis imitatio, cuius è faucibus in vitam euolamus, & summersis hostibus viui nos cœlestia littora acquirimus. Id quod innuit D. Zeno ser. 4. ad Neoph. fatus. *Sacri gurgitis vnda sepelimur, vt sepulcri nido viuificari resurrectionis iura gustaremus.* Sed quo id auxilio peragimus? *Per gloriam*, inquit, *Patris*, hoc est, Trinitate auspice. Vnus id expendat D. Cæsar. Arelat. hom. 5. in Pasch. qui sic Baptismi prædicat miracula. Mira Domini clementia, quæ irreuocabile scelus, & infectas criminum maculas ad infectum reuocat, & peccatorem, peccato moriente viuificat. Homo fonte demergitur, & sola secreto munere culpa hominis damnatur, criminosus tingitur, & solum crimen extinguitur. *Ostendit hoc in loco magnificentia tanti muneris beatam præsentiam Trinitatis.* Quippe vbi inter mortis simulacrum extinctis criminibus, homo in vitam anhelat, manifestè ostenditur beata præsentia Trinitatis. Quisquis vel vmbram mortis attingis hoc Beatificæ Trinitatis charactere armator, quo hostes contemnes, vulnera curabis, & æternum viuentem te æthera beabunt. Vt victricem Ecclesiam de omni malo incursu ostendat Diuus Irenæus lib. 4. aduersùs hær. cap. 37. expendit liberationem Raab, quæ exploratores acceperat suo hospitio, & statim subdit. *Sic autem & Raab fornicariam semetipsam condemnans, quoniam esset Gentilis omnium peccatorum rea, suscepit autem speculatores, qui speculabantur vniuersam terram, & apud se abscondit, Patrem scilicet, & Filium, & Spiritum sanctum. Et cum vniuersa ciuitas, in qua habitabat, concidisset in ruinam, Raab fornicaria conseruata est.* Ecce tibi vnde mulier peccatrix seruata est, nimirum, quod intra se suscepit speculatores Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum.

Zeno.

Cæsar.

Irenæus.

Totam huius tractatus historiam finiat non Iupiter ab igneo globo clamans, vt moris erat apud priscos prophanos; sed tribus è lucidissimis globulis beata Trinitas Francorum ciuitatem Nansacensem defendēs à tyrannis. Iam ea ciuitas, teste Sigiberto, & Vincentio lib. 21. c. 39. & Raulin. serm. de Trinit. & Arrianam pestem depulerat, Hunnorum exercitu à se propulsato; & cum sese in Templum reciperet, vt Deo immortales gratias ageret: ecce tibi a Templi tecto tres splendentes globuli visi sunt descendere, mira adstantium admiratione & alacritate. Tres, inquam, globuli figura, claritate, splendore & pulcritudine, & pondere omnino pariles: qui dum ad Prælati oculos accedunt, sic sese intimè penetrāt & vniunt, vt vna ex illis simplex margarita videretur conflata. Hanc sumit Prælatus, & dum mediam in crucis aureæ lapidibus pretiosis insignis meditullio collocat, ipsa cruci hæret; sed cæteri omnes pretiosi lapides relictis sedibus cadunt. Quid plura? Morbi, vulnera, fames, mors ipsa, & scelera ex tunc ad præsentiam illius crucis expauent & fugantur. Et quidem vbi passionis Dominicæ signo beatæ accedit memoria Trinitatis, cuncta mala diffugiunt, vnaque nobis plaudit vita immortalis.

Raulin.

Huc me deduxit, qui me duxit, in vehementer armatam Iesu Societatem: quo beneficio constrictus dum Societatis emolumenta non ostendunt mei mores, vtinam vel prædicem calamo. Habet quisque suæ emolumenta Societatis: ego Iesu socius maximum emolumentum duxi, si tanti socij virtutes & mores exararem, vt feliciores alij fructibus possint saginari. Liliatam Christi vitam habetis, qua ipse & omnes, & me pascat, dum eius facinora, sermones, & parabolas aliis expendo commentariis.

TOMI PRIMI FINIS.

R. P. DIDACI
DE BAEZA
PONFERRADIENSIS,
Societatis IESV Theologi,

COMMENTARIORVM MORALIVM in Euangelicam Historiam,

TOMVS SECVNDVS.

Complectens vocationes, & conuersiones à IESV Domino peractas, insuper omnia illius miracula, & nobiliores prophetias adimpletas.

LIBER SEXTVS, DE CHRISTI DOMINI MIRACVLIS.

IAM nos vocant Christi Domini miracula, quæ inter nos agens diuina virtute operatus est. Alius mirabitur tot cæcos donatos lumine; alius mutila membra redintegrata percensebit: multi dæmones eliminatos, leprosos mundatos obstupescent, plures ad vitam reuocatos canent. Ast quod in primis omnibus accidit maximè admirandum, illud est summæ potestatis insigne, quo liberas hominum mentes peccato quasi addictas in meliorem frugem reuocauit. Igitur Christi Domini facinora, quibus hominum mentes ad se traxerit, & à praua consuetudine in bonos mores conuerterit, ea nobis prima veniant examinanda, vt statim ad alia transeamus.

CAPVT I.

Andreas, & Petr. Ioann. & Iacobus vocantur.

CVM primum iustitiæ Sol illuminaturus mundum, cursum agit, vide qualem quadrigam sibi parat, in primis Andream, & Petrum, deinde Ioannem, & Iacobum, duplex par fratrum sub iugo asciscit Christiano. In primis Andreas post designatum à Ioanne agnum Iesum abiit, nec solus, sed cum illo socio, cuius nomen tacetur, forsan is est Ioannes Euangelista solitus suum nomen occultare. Vterque apud Iesum diem consumunt, imò potius de Saluatoris præsentia, dies festos nouerunt agere. Inde Andreas egressus iouenit fratrem Petrum, quem de Christo Domino aduuento à se, gratulatur. Simul ambo redeunt ad Iesum. Quid plura? Iesus statim Petro Christianæ reipubl. clauum deueniendum præsagit. Hæc semel: nec multum post cum Iesus iuxta mare Galileæ ambularet, duos videns fratres, nimirum Petrum & Andream, illos ad capturam hominum vocauit, qui dicto citius relictis piscium retibus secuti sunt eum. Ab his ad alios duos fratres statim accessit: hi sunt duo filij Zebedæi Iacobus, & Ioannes, reficiebant retia piscaturi, at vbi Iesu vocem percipiunt, & retia, & patrem valere iubent, & diuinum magistrum comitantur.

Ioan. 1. Respiciens Iesum ambulantem, dicit: Ecce agnus Dei. Et audierunt duo discipuli loquentem, & secuti sunt Iesum.

§. I.

Innocentia, & simplicitas stabiliunt reges.

VBi Agnus à Ioanne ostenditur, mihi statim veniunt in mentem lætissimæ omnium acclamationes, quibus
Apoc. 5. Apoc. cap. 5. occiso Agno fortitudinem, & virtutem, & gloriam, & potestatem, & imperium attribuebant. Denique ait Ioannes ibi: *Et omnem creaturam, quæ in cælo est, & super terram & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo: omnes audiui dicentes: Sedenti in throno, & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & potestas.* Dicitur Leo rex inter animalia, cuius fortitudini omnia facile inter animantia se se subiectant; at Agno non solum animalia, sed vniuersæ creaturæ, quæ in cœlo, & quæ in terra, & quæ infra terram, auide, & gratulanter subiiciuntur. Vnde Agno hæc vis, qua creaturas omnes voluntarias trahat in regnum? Agnus innocentissimus est, & simplicissimus, nec vlla virtus est, quæ magis regnum confirmet, & stabiliat, quam innocentia, & simplicitas regis. Accipite D. Irenæum lib. 4. sic iuxta datum *Iren.*
Apoc. locum disserentem. *Nemo alius poterat aperire librum paternum, nec videre eum, nisi Agnus, qui occisus est: qui omnia verbo fecit, & sapientia adornauit, accipiens omnium potestatem quando Verbum caro factum est; vt quemadmodum in cælis principatum habuit verbum Dei, sic & in terra haberet principatum: quoniam homo iustus qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius.* Is meritò sibi terrenum, & cœleste acquirit principatum, qui agni præ se fert innocentiam, & simplicitatem, cuius in vita innocentia est, & in ore nullus dolus,
Deut. 33. iuxta LXX. lectionem apud D. Ambros. infra, dicit *Deut. 33.*
Moyses: *Date Leui veros eius, date Leui manifestos eius, date Leui sortem suffragij eius, &c.* Vbi expendo illud, *manifestos eius*, quasi singulare sit encomium ministrorum Dei, quod eorum viscera omnibus sint manifesta. Pro quo D. Ambros. *Ambros.*
lib. 1. offic. cap. vlt. ait: *Illi ergo veri eius, & manifesti eius, qui nihil in corde doli habeant, nihil fraudis occultent.* Non sinus habeat gubernator Christianus, non latebras, sed totus sit subditis patentissimus. Matth. 10. sic aiebat Dominus Prin- *Matth. 10.*
cipibus Christiani orbis: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Sic serpentinam prudentiam docet, vt statim caueat serpentis sinus, serpentis tortuosos processus, & latebras, & clarissimam columbæ simplicitatem indicet. Ex quo Tertull. lib. aduersus Valent. fatur: *Ita sa- Tertull.*
ctitus simplicitas sola Deum, & agnoscere poterit, & ostendere; prudentia sola (nimirum sine simplicitate) *contexere potius, & prodere. Abscondat itaque se serpens, quantum potest, totámque prudentiam in latebrarum ambagibus torqueat, alte habitet, in cæca detrudatur, per anfractus seriem suam euoluat, tortuosè procedat, nec semel totus, lucifuga bestia. Nostra columba domus simplex, etiam in editis, & apertis, & ad lucem.* Non bona principis commendatio est illa, qua plurimi se iactant, quod nimirum minimè à suis agnosci, & penetrari possint. Illa commendatio præstantior est, quam de se affert Rex regum
Ioan. 10. nimirum: *Et cognoscunt me meæ.* Huc refero illud *Ioan. 10.*
D. Synesij lib. de Regno, quo regem instruit, fatus: *Subdi- Synes.*
torum vnumquemque operum communione, in viuam societatem, amicitiámque pelliciet, vt ne erga eos dissimulator, aut cauillator sit dum commilitones vocauit, sed in concione verba faciente cognoscant, testentúrque re ipsa nomen istud ab eo comprobari. Nihil enim sic trahit subditos, quam simplex gubernatoris animus, quo bona eius viscera patent, notáque omnibus sunt. Procul absint à sceptro astutiæ, & cauillationes; procul item absit cordis duplicitas, qua in regentis mente, nihil nisi obscuræ foueæ, nigræ speluncæ videntur. Hinc peccabat illa summi Regis sponsa, cui dicitur, Cant. 1. *Si Cant. 1.*
ignoras te, ô pulcherrima mulierum, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum, &c. Cur adeò egregiæ formæ, cui vel imperium debebatur, locus datur gregalis, vt inter greges abeat? Cur sponsæ regis dicitur, quod abeat post greges, & non potius illi datur gregum ducatus? Sanè cuius adeò sunt præcordia caliginosa, vt penitus ignorentur, is viuat

inter greges, subditum agat, non speret regni clauium. Ille Rex, qui agnus simplicissimus; cuius pectora a nemine ignorantur, sed omnibus patent. Ideò verè Rex regum, & Dominus dominantium Iesus, qui omnia ad se trahenda ex cruce promisit, vt promissum adimpleret, voluit sibi latus aperiri lancea, & pectora perforari. Quo in vulnere suscitatam gentium Ecclesiam nouit August. tract.20. in Ioann. nouit Rupert. nouit Tertull. citati à nobis lib.4. cap.6. §.4. nouerunt idem communiter Patres. Sed cur Ecclesiæ suscitationem, & tractionem in pectoris apertione prædicant Doctores factam? Tunc veri Regis agnina patuit simplicitas, cum eius pectora omnibus sunt patefacta: tunc se Agnum ostendit, cùm à nemine voluit præcordia ignorari.
Athanas. Notate modo verba D.Athanasij serm.3.contra Arianos, vbi fatur: *Ex lateris vulnere per lanceam conficitur illud propheticum dictum Isaiæ, vt ouis ad occisionem ductus est.* Itaque cum Christi aperitur latus, tunc sese prodit agnum, nunc agninam ostendit & mansuetudinem, & simplicitatem apertis visceribus, ne miremur, quod ex tunc gentium Ecclesiam sibi statuat, populorúmque sumat gubernaculum. Necnon ad hanc populorum tractionem refero
Psal.58. illud Psalm. 58. *Conuertentur ad vesperam, famem patientur, vt canes.* Et meritò populi Christo Domino in fine subiiciendi, canes vocantur; cui enim melius militant canes, quam agno? Ea est natura canis, quæ omnes sibi ignoratos oderit, & solum amet, & sequatur notissimos sibi viros.
Synes. Vnde pulcrè D.Synesius lib.de Regno, vt persuadeat gubernatoribus, vt sese, quoad fieri potest, noscendos subditis tradant, ita fatur: *Et Plato ipse militare genus, custodes appellat, canique præsertim æquiparat, quod quidem animal amicos, atque inimicos cognitione, atque ignoratione discernit.* Tunc trahitur canis, cùm à sibi noto vocatur, ignotis enim potius oblatrat; tunc princeps omnium dominabitur cum studet à nemine ignorari, cum de agni indole innocentiam præ se ferat, & simplicitatem. Caueat dolum, caueat sinus, quibus ignorari affectet, his non subditos obsequentes, sed canes experietur oblatrantes.

§. II.

Benignitas, & dilectio Dei patentissima omnibus, non sic rigor iustitiæ.

INtuitus Ioannes Iesum, id de illo ostendit, quod in Deo patentissimum est, & sese vndique prodit, nimirum eius benignitatem, & dilectionem, quando ait: Ecce Agnus Dei. Equidem benignitas Dei, & dilectio nequit non in oculos exilire, séque creaturarum obtutibus præsentare.
Apoc.21. Meritò enim Apocalypsf.21. *Ciuitas non eget Sole neque Luna, vt luceant in ea; nam claritas Dei illuminauit eam, & lucerna eius est agnus.* Quippe vbi Deum agnum agit, benignitatis opera manifestat; nulla sunt necessaria luminaria, ipsa opera, ipsa agnina benignitas per se satis perspicua est, &
Irenæus. oculis patet. Scienter dicebat D.Irenæus lib.4. *Nemo inuestigauit altitudinem eius, nec veterum, nec eorum, qui nunc sunt. Secundum autem dilectionem cognoscitur semper, per eum, per quem constituit omnia. Est autem hic verbum eius Dominus noster Iesus.* Quæ in Deo magnalia sunt, lucem habitant inaccessibilem, volucres quoque cœli latent, at benignitas eius, & dilectio in promptu omnibus est. Vbicumque se insinuat, vbicumque patet. Minus dixi, dum de pa-
Ennod. tentissima benignitate Dei non dico id quod de sua D.Ennodius prædicabat. Is lib.2. epist.6. pientissima viscera sua sic commendat aiens: *Nescius occultare per charitatis tormenta, quod volui.* Et quidem satis eleganter dictum, vt enim iustitia humana tormentorum vi occultissima scelera facit manifestari: sic diuinæ charitatis tormenta sunt, quæ illam latere vetant, sed benignissimis operibus ob oculos faciunt exilire creatos. Iam mirari desinet, qui Iesum mirabitur tam cito regni thesauros latroni reuelantem, eo præcipuè tempore, quo sub maledicto crucis latitabat. Vix enim semel locutus est latro, & statim Dominus ait: *Hodie mecum eris in paradiso.* Cur tam cito te te prodis Rex gloriæ? Sanè non aliud licuit per tormenta charitatis. Ac-
Chrysost. cipite Chrysost.homil.de cæco nato fantem: *Quoniam graue admodum, & incommodum silentium erat, iam respondit, aitque latroni: Amen, amen dico tibi: Hodie, &c.* Ea erant tormenta charitatis Domino, quibus grauissimum esset silentium, ideo tormenta moderans rupto silentio suæ benignitatis manifestat thesauros. Huc semper spectat Dei in homines amor, & charitas ne lateat, vt sese omnibus, qui possibiles sunt, modis, & viis prodat, & manifestet mentibus creatis. Sanè idololatria cæcus Nabuchodonosor, imò, & somno sepultus adhuc non potuit non videre Dei benignitatem, ait enim cap. 4. *Ego Nabuchodonosor quietus eram in domo mea, & florens in palatio meo, somnium vidi, quod perterruit me*, &c. Cuius occasione hæc verba dedit Ter- Tertull.
tull.lib.de Anima. *Nabuchodonosor diuinitus somniat, & maior pene vis hominum ex visionibus Deum discunt. Sicut ergo dignatio Dei, & in ethnicos, ita & tentatio mali in sanctos, à quibus nec interdiu absistit, vt vel dormientibus obrepat, qua potest, si vigilantibus non potest.* Ecce tibi, quam amet Dei bonitas sese humanis oculis dare, quam amet, & præsentiri, & cognosci ab hominibus: siquidem studet, vt vel dormientibus obrepat, qua potest, si vigilantibus non potest.
Apocalypsf.19. dicitur: *Et vidi vnum Angelum stantem in sole, & clamauit voce magna dicens omnibus auibus, quæ volabant per medium cœli, Venite, & congregamini ad cœnam magnam Dei.* Nullibi enim melius, quam in Sole staret Angelus, ad Dei cœnam inuitans aues: quandoquidem benefica Dei munera clariora, & euidentiora sunt Solis radiis. Mirabar aliquando, quod defuncti Iesu è latere *exiuit sanguis, & aqua*, Ioann.19. postmodum mirabar magis, quod Euange- Ioann.19.
lista se aquam illam vidisse distinctim fateatur. Ait enim: *Et qui vidit, testimonium perhibuit.* Et quomodo fieri potuit, vt aqua simul cum sanguine egrediens, sic internosceretur? Sic pateret oculis Ioannis? Pulcrè D.Cyrill. Hierosol. Catech.13. ait: *Tibi verò nunc credenti, per aquam salus.* Quando aqua salutis erat baiula, ipsa sese oculis præsentabat, nescit enim Dei pietas, & benignitas occultari. In sole sunt quæcumque charitatis facinora; nec innotatum relinquam, quod Ioannes cap. 13. & vsualem, & mysticam Ioann.13.
Saluatoris cœnam recensens, insuper, & pedum lotionem, & verba, & facta amoris plena, post longissimam horum relationem, ad Iudam accedens ait: *Cum ergo accepisset ille buccellam exiuit continuo; erat autem nox.* Cur hucusque nocturnas tenebras non meminit? Et cœna, & mysteriorum institutio, & lotio pedum, & finalis amoris vniuersa signa eodem tempore agebantur, cur interea noctis non meminit, & inter Iudæ exitum subito noctis memoriam agit? Sanè vbi amor Dei extremus sese in cœna prodebat, nihil nocturnum, nihil obscurum sentiebatur, omnia in luce clarebant: *Et nox illuminatio mea in delitijs meis.* Ve- Psal.138.
rum in Iudæ exitu, iam non diuinus amor operabatur, sed strictæ iustitiæ rigor causam parabat, & ideo cum Iudæ exitu subito nox notatur. Vt enim diuinæ charitatis facinora lucem, sic diuinus rigor noctem, & occultationem amat. Id bene ostendit diuinus sermo Genes. 19. sic loquens ad Genes.19.
Loth de Sodomis egredientem: *Noli respicere post tergum.* Vetantur equidem viri iusti oculos ad flammantem Sodomam conuertere, an ne flagellum Dei perspicuis oculis videatur? Pulcre Philo Episcopus in Cat.Græc. *Non est ratio* Philo.
rerum diuinarum ad mores hominum reuocanda; satis est nouisse Deum pœnas scelerum exigere; quæ verò illæ sint, aut quomodo infligantur, inquirere temeritatis est. Deus fontes flagellat. sed nequit inter flagella videri; quasi flagellandi opus diuinæ indoli existat peregrinum. Inter beneficia ibi amat videri adeo vt sumat formam visibilem. D.Paul. ad Gal.9. Galat.9.
Misit filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret. Homo fit visibilis, qui carneis etiam oculis conspiciatur, vt sic veniat redempturus mundum, nunquam talis veniret, nisi inter beneficia. Quod tractans D.August.tract.3.in Ioann. fatur: Venit Christus, vt August.
iam non simus sub lege, sed sub gratia. Quis ergo dedit legem? Ille dedit legem, qui dedit & gratiam. *Sed legem per seruum misit, cum gratia ipse descendit.* Non se abscondit gratiam largiturus, imò tunc ipse venit manifestissimus.

§. III.

Christiani supra legum præscripta operari debent.

NOn miror, quod hi primi ad Christum rapiantur Ioannis discipuli, in quibus Christianæ ingenuitatis insigne maximè illuxit, cum à magistro iussi videre agnum, ipsi vltra magistri præscriptum & vident, & sequuntur. Ex hoc rectè D.Paschas.lib.6.in Matth. commendat in Andrea Paschas.
decus Christianum. Ita enim de illo fatur: *Qui mox Ioanne insonante: Ecce Agnus Dei, non solum videre, sed & sequi Christum maluit, ad quem & fratrem suum perducere curauit.* Ea est Christiana ingenuitas, id decus attulit Dei filius mentibus humanis, quo vltra præscripta legis exiliamus oper

operaturi. Quod pulcherrime docebat Romanos D. Paul. cap.8.aiens: *Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater.* Iam Christiani seruitutem exuimus, & libertatem nacti in filios adoptamur. Sed scire cupis, quæ sit hæc differentia seruitutis, & libertatis filiorum? An quia liberi, & filij, ideo exleges? Ideo minus subiecti? Absit: serui, & filij sub obedientia legibus continentur, illi domini sui, hi patris. At serui ideo de seruitute notantur, quia intra legum præscripta toti continentur, quasi intra structos carceres: non sic filij, qui sic patrem legislatorem amant, eaque libertate leges amplectuntur, vt minime intra earum obseruantiam conclusi, vlterius quid intendant, & etiam

Iren. faciant. Sit huius veritatis assertor D.Irenæus lib.4.cap.27. vbi commoda dominici aduentus numerans, ait: *Verbum autem liberans animam, & per ipsam corpus voluntariè emundari docuit, quo facto necesse fuit auferre quidem vincula seruitutis, quibus iam assueti erant, & sine vinculo esse quidem, superextendi verò decreta libertatis, & augeri subiectionem.* Ecce diuini Verbi miraculum; docuit nos rumpere vincula, carceres frangere, seruitutem abijcere, & simul docuit per decreta libertatis augeri subiectionem. Si liberi à carcere, à vinculis, à seruitute, quomodo magis subiecti? Quippe serui vsque ad legum adimpletionem subiiciuntur, filij autem, & liberi, vltra præscriptum patris, ea etiam operantur, quæ parenti iudicant fore iucunda. *Eam vero pietatem* (addit Iren.) *& obedientiam, quæ est ergo patrem familiâs, esse quidem eandem seruum, & liberum; maiorem autem fiduciam habere liberos, quoniam sit maior, & gloriosior operatio libertatis, quam ea, quæ est in seruitutem obsequentia.* Semper intra legis cancellos tenentur hi, qui seruitutis iugo premuntur, horum operatio determinata, finita, at filiorum operatio quo maior, eo gloriosior; quia vltra legum alia se se extendit facinora. Hinc Petr.Damian. in serm de sancto Alexio, eiusdem ponderat facinus, quo semel, Dei halito, relictis parentibus, paternas ædes reperit, ibique moratur, & decumbit Sanè hoc fuit antiquis patribus sanctissimum institutum, ne quæ propter Deum reliquerant, vllo modo repeterent. Abraham semel à suis abscissus, numquam ad sua remeauit. *Alexius cum terrena quæque dimisisset, cum opes omnes, atque diuitias paterni iuris abiecit, superna vsssionis mandata compleuit: cum vero ad propria redije abrenunciator egregius, metam proculdubio diuinæ legis excessit.* Sic qui gaudent Christiana libertate, non legum arctis obstringantur cancellis, ad altiora se extendant, vt dum vltra legum præscripta facimus addunt, suam circa leges obseruandas ostendant libertatem, & ingenuitatem. Monebat dominus suos apud

Matth.5. Matth. cap.5. *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram: & ei, qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Et quicumque te angariauerit mille passus, vade cum illo alia duo.* Cur hæc à Domino suis imperantur? Equidem ne voquam vim pati dicantur Christiani, neque in seruitutem redigi; quando vltra id, quod patiuntur, vel vltra petita, adhuc ipsi à se

Iren. progrediuntur ad alia. Id asserit D.Irenæus lib. 4. cap. 27. dum ait: *Gaudeamus gratiam magis præstantes in proximos, quam necessitati seruientes. Et si quis te, inquit, angariauerit mille passus, vade cum eo alia duo, vti non quasi seruus sequaris, sed quasi liber præcedas, aptum te omnibus, & vtilem proximo præstans.* Seruilis sanè animus est ille, qui totus positus est in manibus domini sui, hoc est, qui solum iussa curat implere: ille gratior multo est, qui sponte accingitur ad virtutum

Ennod. subeundam viam. Adeò vt dicat D. Ennodius lib. 3. epist. *Prima res est sancto conuenienus proposito, sponte pro iustitia facere, quidquid alij solent monitu exhibere.* Is qui vltra præcepta fecit, primatum virtutis tenet, qui intra præcepta se cohibet, quasi inutilis habetur seruus. Dominus enim monet

Luc.17. apud Lucam cap.17. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus.* Id quod expendens Rupert.

Rupert. lib. 1. de consilio cap. 16. ait: *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, & nihil amplius; quamlibet præcepta faciatis non mœchando, non furando, & talia quæ non faciendo, iam quidem cruciatum pœnam, sed nondum meruistis gratiam. Inutiles enim estis, quia nihil pro amore, vel gratia Domini nostri supra debitum seruitutis pensum adijcere voluistis.*

§. IV.

Creaturarum placita non expectes, vt sequaris Deum.

Ostensum Dei agnum sequuntur Ioannis discipuli sine vlla mora, nec spectant à tanto magistro interrogare, an securè abeant, an citra periculum illius discipuli possent fieri? Prudentia hinc confundatur humana, & nouerit creaturarum placita non requirere, vbi sequendi Deum se offert occasio. Præclare D. Bernard. 10 lib. de contemptu Bernard.
sæculi, ait: *Vocat magni consilij Angelus, quid opus est, vt aliena consilia præstoleris? Quis est enim fidelior? Quisue sapientior illo? Sedue me Domine, & seducar: fortior illo, & inualuisti,* &c. Veneficus ille Balaam semel à Deo imbutus benedictionem Israelitarum speculatus à Deo iussus est populo benedicere. Tunc Numer.24.dicitur, *Et videns Balaam, quia bonum est benedicere Israel, non abijt ex more in occursum* Num.24.
auspicij. Vbi eleganter Origen. homil.17. *Non abijt ex more* Origen.
in occursum auspicij. Neu enim more sibi solito, stultis, & inanibus sensibus rapietur, in animalibus motu, & paludibus Dei consultans voluntatem. Qui nec digitum exerere volebat, quin prius consuleret, vel perpetes auium volatus, vel voces, vel exta animalium, vbi semel io se Dei halitum præsensit, omnia despexit consilia creaturarum. Queribundus Iacobi socer Laban Genes. 31. sic generum à se fugientem arguit: Genes.31.
Cur ignorante me, fugere voluisti, nec indicare mihi, vt prosequerer te cum gaudio? Quod si à socero non impediendus erat Iacob, imo potius de regionis more, in profectione honorandus, cur profectionem suam cum illo non consuluit? Pro Iacob stat D.Ambros.lib.1.epistol.4. aiens: *Quia vir exercitio initiatus, & quærens veram viam ad virtutem perfequi, non hominem deductorem, sed oracula quæsiuit cœlestia. Qua me,* inquit, *bene præceperunt abire.* Cur humani respectus moraretur illum, qui oraculis mouebatur diuinis? Hoc debet homo solum prudenti examine discutere, an vere à Deo vocetur? an Deus sit, quem sequi vocatus studet? & hoc cognito, non ad creaturas respiciat, nullius morosa placita expectet, sed post Deum festinet. Ita Abrahamus vbi ad filij holocaustum vocatur, Deique vocationem nouit, nihil cum familiaribus locutus, Genes. 22. *surrexit Abraham* Genes.22.
mane, & strauit asinum suam, &c. Ipse asinam strauit, ipse omnia parat, nulli commonicat, vel consilij vmbram, vt bene Origen. ait homil.7.de illo, *Non deliberat, non retractat, non communicat cum vllo homine consilium, sed statim occupat iter.* Suspecti sunt nobis carnei oculi, circa negotia diuina; bene discipulorum suorum definiebat prudentiam Dominus Matth.10. dicens: *Estote prudentes, sicut serpentes.* Matth.10.
Quæ est serpentis prudentia, nisi illa qua serpens homines suspectos habet in caput suum? Rupert.lib.8. *Hic est effectus* Rupert.
similitudinis serpentium, quem dicit, Estote prudentes, sicut serpentes, scilicet, cauete ab hominibus, vt subuadiat, ne hominos percutiant caput. Sanè caput hominis Christus est, quem sic obseruare debemus, vt propter illum homines suspectos habeamus. Quid plura? etiam ab Angelis cauendum nobis est, iuxta D.Pauli monitum, qui ad Galat cap.1. sic scribit: *Si nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præter quam* Galat.1.
quod euangelizauimus vobis, anathema sit. Quippe vult Paulus, quod sic Deo sufficienter nobis proposito adhæreamus, vt deinde ab omnibus caueamus creaturis etiam ab Angelis, vt ipsam etiam securitatem timeamus. Sic Bernardus Bernard.
meditatus Mariam pauentem ad Angeli affatum, ait: *Vis, ô homo in periculo esse securus? Time securitatem. Vis esse à damone liber? Angelos de cœlo time.* Vnus Deus est tibi aspiciendus, vnius Dei sequendus notus, qui solus te in viam rectam deducet, & securum in patria locabit. Magi vbi stella duce Iesum natum viderunt, cum de reditu cogitabant ad patriam, non iam stellarum consulunt aspectum, sed nec Angeli quærunt ducatum, verum Matth. 2. *Accepto responso* Matth.2.
in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt, &c. in somnis ab ipso Angelorum Rege Iesu docentur, & diriguntur in viam iustificationum suarum, ne post Iesum alia creaturarum vestigia sequantur. Accipite D.Paschas. lib. Paschas.
2. in Matth. sentem: *Non per Angelum vti ad Ioseph hæc responsio facta dicatur; sed sanctorum Patrum traditio est, ab ipso Domino diuinitus imbutos fuisse: quia neminem alium constat viam regressionis ad patriam vsque instituisse, præter eum, qui se viam præbuit immutabilem, vt per ipsum ad ipsum tendentes quandoque patriam repetamus.* Vbi Iesus via nobis proponitur, hanc viam salutis arripiamus, ne cui aures præbeamus, qui nos viam flectere faciant. Raro enim ad rectam viam pertinet multorum magistrorum auscultatio; bene monebat Timotheum suum D. Paul. aiens: *Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed coacervabunt sibi magistros prurientes auribus,* &c. Ecce tibi non obscura à via veritatis deflexio, quod magistros coaceruas, quod post Deum sufficienter propositum, adhuc pluriom magistrorum audias placita, mirum erit, si possis non deuiare. Pulchro exemplo 2.Tim.4.

pericu

Cl.Alex. periculum hoc promit Clemens Alexand.lib.5.Stromatum fatus: *Calices, qui à multis sumuntur per aures, hoc est, ansas, aures quidam amittunt, præterea ipsi excidentes confringuntur. Eodem modo hi, qui multis nugis fidei castam incestarint auditionem, ad veritatem tandem surdescentes, & inutiles fiunt, & in terram decidunt.* Bene Ioannis discipuli post inuentum Iesum non dant operam scholæ Ioannis, nec tu magistros coaceruabis, vt Iesum sequaris.

Text. Conuersus autem Iesus, & videns eos sequentes se, dicit eis: Quid quæritis? Qui dixerunt ei: Rabbi, quod dicitur interpretatum, Magister, vbi habitas?

§. V.

Quàm leuissima obsequia Deo accepta sunt.

PAucos hi discipuli post Iesum gradus fecerant, & non se continet Iesus, quin ad illos & gratus, & placidus conuertatur, illis pauculos illos passus acceptos referens. Nullum mihi crede, adeò paruum obsequium Deo offeres, quod ille præ oculis non habeat, cordique iubeat esse. Id Nazianz. persuadebat Nazianzen. orat. 6. dicens: *Nihil adeò paruum est, si Deo fuerit oblatum, licet sit minimum, licet paruo pretio dignum, cui penitùs aditus denegetur, aut quod non suscipiat misericors ille, qui cuncta iustâ nouit expendere staterâ.* De minimis rebus potest quis ingentem Dei misericordiam comparare, innumerisque calamitatibus eximi. Diues ille inter tor- Luc.15. menta, Lucæ 15. fatur, *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti in aqua, & refrigeret linguam meam.* Quid ais miser, quomodo digitulus tinctus aquæ potest tale incendium refrigerare? Est ne incendium istud, quod pateris, tale, vt possit aquæ gutta extingui? Sanè ea sunt omnia reproborum mala, quæ paruis rebus, quæ munusculis, quæ vel mica panis, vel aquæ guttulis in tempore exhibitis depelli potuerint. Ita Chrysol. Chrysol.serm.5. *Ista gutta est, diues, quæ te facit crudelem: ista gutta, quæ os Lazari à te negata siccauit: quia ad refrigerium pauperis & gutta sufficit, & mica.* De micis posses placuisse Deo, cui leuissima quæque obsequia placent, quem etiã vilia munera demulcent. Iacob post cœli scalã visam, post ingentes Genes.28. Dei promissiones acceptas, Gen.28. *Tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit titulum, fundens oleum desuper.* Quasi benefactorem suum Deum parui olei effusione delinire vellet. Sed mirum, quod videns Deum cœli dominatorem, & Angelorum, audiénsque eundem magnificum bonorum sponsorem: audeat ipse tanto Domino, tam diuiti parui olei munusculum offerre, & de adeò paruo munere Deum Theodor. obligare sibi. Pulchrè Theodoretus, quæst. 83. inquit. *Cum erexit lapidem, inunxit oleo. Atqui non respuit etiam minima benignissimus Dominus, gratam habens operis intentionem.* Non multis machinarum aggeribus opus habes, vt Dei benignitatem expugnes, si vel capillum capitis dederis, vicisti. Ait Cant.4. enim Cant. 4. *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, in vno crine colli tui.* Ecce vnus crinis pro validissimo telo æstimatur, cui se se deuictam Dei clementia fateatur: sic gloriatur Deus, quod percussus sit ab vno crine sponsæ, quasi à forti & splendenti machæra. Ne iam mireris, quod capilli Matth.10. iustorum in numero sint apud Deum, Matth.10. *Capilli capi-* Augus. *tis vestri numerati sunt.* De quo Augustin. serm.6. de verbis Domini ait: *Videte, quia minima nostra non contemnit Deus. Nam si contemneret, nec crearet. Nam, & capillos nostros ipse vtique creauit, & numeratos habet.* Numeratos, inquam, habet capillos, qui in numero habet quæuis minima seruitia Ioann.6. sibi exhibita. Hinc Ioan.6. multiplici panum gratia satiaturus turbas, primo inquirit: *Quot panes habetis?* Vt ostendat, quam sibi placeant etiam parua munuscula, quæ numerata Basil. voluit recipere. Quo spectauit D.Basil.Seleu. orat.25.fatus. *Qui fontis instar panes multiplicat, numerum sciscitatur.* Forsitan inter tantas panum segetes à Christi manibus ortas, euanescerent pauci discipulorum panes oblati Domino, quod damnum præcauens Iesus, non ante beneficentiæ suæ aperit fontes, quam numerum oblati panis faciat constare, vt & inter segetes, numeratos habeat paucos discipulorum panes.

§. VI.

Deus se deijcit, & aptat, vt ab hominibus capi possit.

PVsilli hi Ioannis discipuli à tergo Dominum sequebantur; nemo enim Dei attingere potest faciem, nisi Deus se se deiiciat, & aptet humanæ fragilitati. Quod & facit Dominus, quando ait textus: *Conuersus autem Iesus, & videns eos, &c.* Vbi notanter Beda fatur, *Conuertit se; & quodammodo de sua maiestate descendit, vt possint discipuli contemplari faciem illius.* Is sanè est Deus, qui nouit semetipsum Beda. exinanire, ne humana exiguitas summi illius boni permaneat inanis. Quod Petrus odoratus clamabat: *Quasi modo* 1.Petr.2. *geniti infantes, lac concupiscite, vt in eo crescatis,* videlicet, nullius infantiæ prætextum Dei sequelam deseratis, quando eum Deum habetis, qui se ad lactis dulcedinem temperanit, vt mulgeri possit ab infantibus. Hugo Vict.lib.1.Miscell. Hug.Vict. titul.25. ait: *Sapientia sursum panis erat, & versa est deorsum in lac. In diuinitate panis, in humanitate lac; & nutritus est paruulus sensus lacte humanitatis, vt crescens, & conualescens capere possit cibum diuinitatis.* Nec longè abest ab hac ipsa Iren. meditatione D.Irenæus lib.4.cap.74. fatus. *Quasi infantibus ille, qui erat panis verus, & perfectus patris, lac nobis se ipsum præstitit, quod erat secundum hominem eius aduentus; vt quasi à mammilla carnis eius enutriti, & per talem lactationem assueti manducare, & bibere verbum Dei, in nobis ipsis eum continere possimus.* O quam nouerat hunc Dei condescensum, seu conuersionem, noua illa sponsa, quæ Dei nuptialem ostensura gloriam, ait: *En lectulum Salomonis!* Expende illud diminutiuum, nimirum, *lectulum,* quasi summi Dei diminutionem notans, vt ab hominibus pertingi possit. De quo pulchrè Gilbert. Gilbertus serm.2.in Cant.loquitur. *Lectulus, ait, & dilectus, quia quiescit in illo, & deficit in ipsum. Miraris, quod dico lectulum? Audebo, & adijciam vilius aliquid, imò & sublimius super omnem gloriam laudis eius. Quanto enim pro me egit viliora; tanto bonitatis suæ dedit indicia maiora. Ipse paruulus lectulus; ipse pullus est nidulus. Etenim passer inuenit sibi domum, & turtur nidum, vbi ponat pullos suos.* O quam se deiicit maiestas, vt possit capi! Quisquis paruulus es Deum ama, qui paruulus tibi nascitur; & ne ingenti eius magnitudine terrearis, sic se humanis modulis aptat, vt & lectulus, & nidulus pullis suis factus videatur.

§. VII.

Non statim euolandum ad summa.

PRoh discipuli prudentissimi! summum magistrum nacti non de doctrinæ apicibus interrogationẽ instituunt, contenti si liceat, pro tunc, habitationem eius scire. Vtinam hanc mentem habuisset ille, qui vt Iesum vidit, quod sit mandatum maximum inquirit, & spectans maxima, sustineret se in paruis exercere quam primum. Sunt enim qui perfectionis culmina, & pulchra, & plena diuitiis prospicientes, prima rudimenta, & dura, & arida fastidiunt, indigne ferentes se se paruis contineri exercitiis. Hos monebat Nazianz.orat.6.inquiens: *Ne expecta, vt bonus fias, sed* Nazianz. *iam fieri incipias.* Quasi dicat, ne tibi perfectionis culmen expectes, nisi iam initiis obtinendis insistas, hæc tibi sit prima cura, vt in paruis exercearis, quando per parua initia ad magnum itur. Ecce viam perfectionis à Deo edoctam, Psal.81. *Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes, vos au-* Psalm.81. *tem sicut homines moriemini, & sicut vnus de principibus cadetis.* An quia dixit Deus, quod simus dij, statim ad diuinitatem euolaturi sumus? Continuo de sola diuinitate habenda acturi? Absit: imò, quia Deus nos ad deitatis vocat consortium, necessum est, vt nos intra morientium hominum leges contineamus, & quidquid est hominis, & principis cadentis adimplentes, capaces simus superioris deitatis. Hinc præclarè Irenæus, lib.4. cap.75. fatur. *Ingrati nolentes* Iren. *primo esse hoc, quod facti sunt, homines passionum capaces, sed supergradientes leges humani generis, & ante quam fiant homines, iam volunt similes esse factori Deo: qui plus irrationabiles sunt, quàm muta animalia. Hæc enim non imputant Deo, quod non homines fecit ea. Nos enim imputamus ei, quoniam non ab initio Dij facti sumus, sed primo quidem homines, tunc demum Dij: quamuis Deus hoc fecerit secundum simplicitatem bonitatis suæ. Ego, inquit, dixi, Dij estis. Nobis autem potestatem diuinitatis baiulare non sustinentibus: vos autem, inquit, sicut homines moriemini.* Itaque non subito, & in primis Dij, sed primum hominum ebibentes vitam, mortem tractemus, mortem meditemur, mortalium elementa ruminemur, vt per prima ad superiora deueniamus. Non ante Dij velimus esse, quam homines morituri, ne proijciamur, vt ille, qui ante voluit esse Deus, quam Angelus. Aiebat enim cum primum creatus est, Isaiæ 14. *Similis ero Altissimo,* in primo gradu Isai.14. ad altissima rapi curabat, vnde lapsus est. Ita D.Methodius D.Meth. de

de prænar. Ang. ait. *Deo se pacificare volebat in illa parua morula, in qua creatus fuit vna cum alijs. Vnde scribitur Apocalypsi. 12. & proiectus est Draco ille magnus.* Expende illud, *in illa parua morula*, quippe nihil moratus in primo gradu, statim ad summum perfectionis festinabat, & iam inde substantia festinata fit suspecta. Beatorum alitum supremos effingens
Matth.24. volatus, ait Dominus, Matth.24. *Vbi fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.* Pulchrè meminit aquilam, quæ ante perpetes volatus, longam subit parentis disciplinam; di-
Deut.32. citur enim Deuteronom.32. *Sicut aquila prouocans ad volandum filios suos, &c.* Quippe aquilarum pulli sub matris disciplina primos, eosque demissos edunt volatus, & post exercitia volandi quotidiana se se efferunt, & sustollunt in
Gualric. aëra. Quo nos ita monet Gualricus Abb. sermon. in Ascens. *Quid putamus fratres, quomodo tunc repente de terris ad cælos euolare poterimus, qui nunc exercitio, & vsu quotidiano volitare non didicimus? Numquid non Christus, sicut aquila prouocat ad volandum filios, quando super eos volitabat?* Equidem prouocat nos Christus ad volandum, sed sicut aquila prouocat pullos, ne subito ad sublimia feramur, sed per demissos volatus quotidie exerceamur, vt postmodum possimus æthera scandere. Bene optabat ille, sub parentis disciplina
Psalm.54. primos, & humiles ediscere volatus, qui dicebat Psalm.54. *Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ.* Non adhuc perpetes aquilæ petit volatus, sed cum columba gemere, & inter
D. Ælred. Christianæ petræ cauernas amat volitare. Ita D. Ælredus lib.1. speculi cap.5. ait. *Plumescat interim Domine Iesu, plumescat, quæso, anima mea in nido disciplinæ tuæ, pauset in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.* De hoc infra lib.9. cap.2. §.7.

§. VIII.

Domus Dei quàm componit affectus humanos.

PRæclare discipuli Ioannis non prius Iesum alloquuntur, quam eius domum adeant, habent enim hoc proprium parietes domus Dei, quod componant affectus hu-
Petr. Dam. manos. Sanè sanctissimus ille Petrus Damianus, non sine querela, & amaritudine forensibus Ecclesiæ negotiis operam suam nauabat. Qui tamen de se loquens lib.6 epist.5. ait. *At postquam ad cellulam ventum est, imò postquam in me ipsi, qui fueram exclusus, intraui, mox æstuantis animi feruor extinguitur, contentiosi litigij querela sopitur; tumor, clamor, & indignatio præsto deponitur, & omne, quod in meis visceribus amarum fuerat, diuinitus obdulcatur. Nam velut ad tribunal iudicis contentiosus litigator adductus, querelam inutilem non sum ausus exponere ante districtæ cellulæ maiestatem.* Expendo, quod à querelis inutilibus abstineat, *ante districtæ cellulæ maiestatem*, est enim quædam sacris locis maiestas, quæ nihil permittat erumpi inordinatum, quæ prauis aduersetur affectibus, eósque nouerit coërcere, ac frænare. Quo re-
Psalm.77. spiciens Psaltes aiebat Psalm.77. *Ædificauit sicut vnicornium sanctificium suum.* Hoc est, excelsa est, & singularis loci sacri maiestas, non absimilis, & celsitudine, & singularitate vnicorni, sed magis similis illi in virtute aduersus malitiam. Ita enim vnicornis contrariatur venenis, vt positus inter dapes, nullum ferat venenum, imò si quod immixtum erat, statim hebescat, nec se prodere audeat. Hanc vim contra vitia templis inditam nouerunt veteres magistratus, qui post sacrificia publica etiam conuiuia in tem-
Philo. plis instituebant. De quibus Philo lib. de Plantatione Noë fatur. Pòst sacra conuiuia faciunt: *Sed in templis, vbi sacra fecerant, permanentes, vt & sacrificij memores, & locum reueriti sacrosanctum, re vera celebrarent conuiuium, nec verbo, nec facto vllo peccantes.* Quid vnicorni similius? Equidem potens est templorum maiestas effrænes appetitus coërcere, & pene erumpentia vitia frænare. Nullibi id melius, quam
Ezech.43. apud Ezech. cernitur cap.43. cui ita Dominus loquitur. *Tu autem fili hominis ostende domui Israel templum, & confundantur ab iniquitatibus suis, & metiantur fabricam, & erubescant ex omnibus, quæ fecerunt.* Vbi expendendum, quibus Deus vtatur mediis ad pœnitentiam ingerendam Israëlitis peccatoribus, qua liberentur à peccatis, nimirum, vt illis templum ostendatur. Putassem dictum Prophetæ, quod clamaret, quod supplicia ingentia prædiceret, & solum dicitur illi: *Ostende domui Israel templum, & confundantur ab iniquitate sua.* Quasi ea sit virtus templis indita aduersus vitia, & peccata, vt si tantum videantur, valeant illa penitus ex-
Chrysost. pugnare. Do huc respicientem Chrysostomum homil. contra Anomæos, vbi sic: *Quotidie ad hanc congregationem confluamus. Nam si concupiscentia flagras, poteris eam facile restinguere, tantum visa hac domo, & si irascaris, facilem bestiam domabis, iram, inquam: & si aliqua alia affectione impeteris, tempestatem eam facile sedabis, reddésque pacem, & serenitatem animæ tuæ.* Expende illud, *tantum visa hac domo*, quasi domus Dei parietes, si videantur, vim habeant, vt vniuersa expugnent vitia, pacémque virtutum concilient.

§. IX.

Vnam Dei æternam habitationem acquirendam propone.

QVam bene à Christo Domino de eiusdem habitatione quæritur? Nullum enim negotium aliud prius cum Deo tractandum, agendúmve. Ita Alcuinus in Cat. *Cum* Alcuin.
incarnationem eius ad mentem reducimus, sollicito corde eum rogemus, vt mansionem æterni habitaculi nobis ostendat. Hæc vna sit nostra sollicitudo, & cura, vt Dei habitationem potiamur, quam dum non tenemus, in nullo alio quiescamus. Dauid inter victorias partas, inter regna subacta, inter cœlestium visiones, imò inter mille Dei dulcedines prægustatas, adhuc anxius, & inquietus aiebat Psalm. 41. *Quare tri-* *Psalm.41.*
stis es anima mea, & quare conturbas me? Equidem iuste vocat animam in examen, cur tot bonis oppleta non quiescat? Cur fauoribus, muneribúsque diuinis cumulata nouas adhuc molitiones agat? Sed præstat in præsenti audire Au- August.
gustinum sic santem. Quare, inquit, tristis es anima mea, & quare conturbas me? Ecce iam quadam interiori dulcedine lætati sumus: ecce acie mentis aliquid immutabile, etsi perstrictim, & raptim perspicere potuimus. Quare adhuc conturbas me? Quare adhuc tristis es? Et quasi responderet illi anima eius in silentio: *Quare conturbo te, nisi quia nondum sum ibi, vbi est dulce? Non vis, vt conturbem te posita in sæculo, & peregrina adhuc à domo Dei mei?* Dum limina æternæ habitationis non teneo, in omnium bonorum culmine tristis, & conturbatus ero; pusillæ sunt cunctæ gloriæ extra cœlestem patriam constitutis. Meministi ingentes Christi glorias in Thabore? Eas, vt æternaret Petrus, se se offert construendis tabernaculis tribus, aiens, Matth.17. *Bonum est nos hic esse; faciamus tria tabernacula, tibi* *Matth.17.*
vnum, Moysi vnum, Eliæ vnum. Cuius ignorantiæ os rectè obstruit vna Christi vox apud Timotheum Ierosol. orat. de Timoth.
Cruce, & Transf. vbi sic Petro respondit Dominus. *Hiccinè habitabo, & extra paternum inueniar sinum?* Videbatur Petro ingens illa gloria sufficiens, vt possit Filium Dei æternum perfundere; sed dum extra patriam domum manendum erat, nulla gloria sufficiens erat, omnia gaudia fastidiuntur. Sanè, qui bene norunt cœlestem habitationem, non ferunt paulisper immorari extra illam. Vbi reuocandus fuit Abraham à sacrificio filij Genes.22. *Ecce Angelus de cælo* *Genes.22.*
clamauit, dicens: Abraham, Abraham. Verum vbi Maria expostulanda erat, & alloquenda, Luc.1. *Missus est Angelus Ga-* *Luc.1.*
briel à Deo, &c. Cur ibi nō mittitur Angelus, sed ab ipso cœlo peragit negotium cum Abraham; hic mittitur Angelus ad Mariam, cogitúrque cœlum deserere, vt Mariæ terat limina? In re tractanda cum virgine, omnis erat mora tollenda, summa celeritas expectabatur, & ideo cogitur Angelus cœlestem deserere domum, ne moram agat, sed quam celerrime redeat ad sua: non enim extra paternum solum sustinent morari cœlestes ciues. Id notauit Franconius tomo Francon.
6. de Gratia, inquiens: *Mittitur itaque, vt celerius eat, quia plenitudo temporis iam aderat.* Etiam mediis mundi gloriis non sustinent paulisper inueniri extra paternum solum, qui aliquem illius gustum recipiunt.

Text. Venite, & videte.

§. X.

In domo Dei sanctè, & deuotè agendum. Et quàm vtilis templorum obseruatio.

VIdete quos viros trahit Dominus in domum suam, nimirum eos, quos magna animi reuerentia, & humilitate accedentes notauit, depulsurus quoscumque alios. Apud Matth. 22. cum ad nuptiale conuiuium quidam indecenter *Matth.22.*
ornatus discubuisset, accessit Dominus, & indignans, ait illi: *Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem.* Intrauerat ille, & sederat ad conuiuium; & solum reprehenditur, quod intrauerit, vt magno notetur dignus supplicio, qui vel limen domus Dei indignè pertingit. Chry- Chrysost.
sost. homil.61. ad Pop. *Non dixit, quare discubuisti? sed ante*

reclinatio

reclinationem , & ingressum , semetipsum indignum esse fatetur. Non enim dixit, quare recubuisti? sed quid intrasti? Hæc etiam nunc omnibus obloquitur impudenter , & procaciter astantibus. Multum per omnem modum Deum offendit , quicumque irreuerenter terit sacræ habitationis limina. Qui verò nudis pedibus , hoc est , puris affectibus terram sanctam calcant,hi facili negotio pericula omnia euadunt. Pulchrum
Psal.136. est illud Dauidis occinium,Psalm.136. *Super flumina Babylonis illic sedimus,& fleuimus,dum recordaremur tui Sion.* Mirum videbitur , quod super flumina possit quis sedere , quippe solæ fluuiales auiculæ id habent proprium, quòd insideant fluminibus. Ergo more alitum insidebant Hebræi super Babylonis flumina ; sed illi Hebræi, quorum in animis durabat sanctissimi templi obseruatio. Qui captiui adhuc Sionem,hoc est,templum recordabantur,venerabantur : hi facti alites sic fluctibus insidebant , vt quouis signo dato
Rupert. facilè deuolarent. Ita Rupert. in Ieremiam , lib. 1. cap.2. fatur. *Super flumina Babylonis illic sedimus. Illorum erat hoc dicere , qui recordabantur Sion , vbi fuerat templum sanctum. Tales nimirum non sub aquis fluminis absorpti erant : sed supersedebant similes auiculis , quas aquæ imperio Dei produxerunt, parati ad volandum.* Equidem sacri loci obseruatio indit alas, quibus supernatemus tempestatum fluctibus,& facilè
Isai.16. à malis possimus euolare.Huc retulerim illud Isaiæ,cap.16. *Emitte agnum dominator terræ*(dominator enim legendus ex Hebræo) *de petra deserti , ad montem filiæ Sion : & erit sicut auis fugiens.* Hæc mutatio dexteræ excelsi, qui modo agnus erat per desertum errabundus,mille expositus lupis,subito auis fit , quæ laqueos rideat , & pericula fugiat. Sed hæc mutatio non fit nisi in his , qui per montem Sionis , nimirum templum reuerenter gradiuntur. Veniat, qui errat in deserto, agnus, ad montem Sion, & auis fiet , & sicut auis fugiet pericula. Hanc Dauidi persuadebant doctrinam illi,
Psalm.10. ad quos ipse ait Psalm.10. *Quomodo dicitis animæ meæ,Transmigra in montem sicut passer? Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas in pharetrâ , vt sagittent in obscuro rectos corde.* Is enim est mons Sion, qui indat alas,quibus vt auis possis securus à cunctis periculis auolare.

§. XI.

In domo Dei laborandum.

Chrysost. REquisitam habitationem suam ostēdit Dominus, quod in maximam admirationem D.Chrysost.rapit : etenim sic ipse addubitat. *Qualiter alibi ait,Filius hominis non habet, vbi caput suum reclinet ; hic autem dicit,Venite , & videte vbi habito?* Et quidem si habitationem suam ostendit , iam videtur habuisse , vbi caput suum reclinaret. Verum non ea est domus Dei,non ea dominica habitatio , in qua reclinetur caput , sed in qua impensè laboret , nullúsque aditus
Deut.11. otiosæ quieti pateat. Bene aiebat Deuteron.11. *Omnis locus, quem calcauerit pes vester,vester erit.* Non ait : Omnis locus, in quo reclinaueritis caput , sed quem calcauerit pes vester,non otiosè sedentibus, sed laborantibus Deus habita-
Prou.31. tionem parat. Fortis illa mulier, Prouerb.31. *Dedit prædam domesticis suis , & cibaria ancillis suis.* Nil otiosum in domo permittit,quando cuncti domestici prædam capiunt,præda
LXX. enim non sine labore,& opere acquiritur. Sed aptius LXX. aiunt. *Dedit cibaria domo , & opera ancillis.* Cibaria præbet
Ambros. ancillis , sed cibaria iuncta operi, quod memorans D. Ambros. ibi fatur. *Nunquid manducandum , & vacandum? Non vtique. Nam illa quæ dedit escas domo, dedit & ancillis opera.* Nusquam in domo Dei apparet otium ; diuino Salomoni nec lectulus est nisi inter arma , inter bellicos sudores ; *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël , omnes tenentes gladios , & ad bella doctissimi.* Quo videbis , quam vani sunt , imò quanto iaceant sub periculo, qui domum Dei veniunt , vt lectisternia quærant,vt caput
1.Tim.3. reclinent , vt laborem fugiant. Monebat Paulus 1. ad Timoth.3. *Qui Episcopatum desiderat,bonum opus desiderat.* Quasi in officiis domus Dei minime sedes spectanda fuerit , sed opus,sed labor amplectendus. Quod notat Hieron. in So-
Sophon.3. phon.cap.3.inquiens. *Videte quid dixerit : Bonum opus desiderat,non dignitatem. Si autem despecto opere , solam aspexerit dignitatem,cito corruit.* Non sedes,sed opera,& labor dant firmitatem domesticis Dei. Heu , quot video in domum Dei intrantes,solum vt caput reclinēt,vt ab omni opere feriati, otiosi viuant. Hi vanissimi,& infelicissimi, perquam similes sunt fœminæ illi, quæ 3. Reg.4. furata fuerat sociæ filium. Agitur fœminarum causa apud Salomonem : sistitur puer in medio ; iubet rex puerum diuidi ; vera mater resistit, & mauult integrum aduersariæ concedi. Cui falsa respondet: *Nec mihi,nec tibi,sed diuidatur.* Diuisionem equidem muneris amat,quicumque vt fur ad domum Dei accedit,sed eam diuisionem , qua ipse muneris honorem, & emolumentum habeat,operam,& labores aliis relinquat.Sic pulcrè Gual- Gualric.
ricus Abb.serm.3.in Nat.inquit : *Illa nec mihi,inquit,nec tibi, sed diuidatur ; quia sanctitatis cupit sibi retinere honorem , & alijs relinquere laborem.* Fures isti sunt, non verè patres,non verè religiosi, non verè domestici fidei, qui solas sedes cupiunt,vt caput reclinēt,& à vigiliis,& laboribus abstineāt.

§. XII.

Rectè petentibus, & facilis, & liberalis Dominus.

PRoh Deus immortalis , quam facilis , quam liberalis es illis, qui rectè petunt ! Habitaculum diuinum sibi demonstrari petebant discipuli ; quibus statim Dominus ait, Venite,videte. Hoc enim maxime curat Deus, ne serui sui honestæ petitionis denegatione tristentur.Ideo vbi Philippus baptizauit Eunuchum illum Act. 18. subito disparuit, Act.18.
& inuentus est in Azoto. Et cur tam subito disparuit , nec permissus est recenti Christiano vale dicere? Chrysostom. Chrysost.
homil.19. *Vtiliter rapuit illum Spiritus , alioquin rogasset illum Eunuchus, vt simul cum illo proficisceretur,quem ille,cum nondum tempus esset, renuens ac negans contristasset.* Adeo cauit Deus, ne suorum honesta petitio frustrari videatur ; támque durum, & acerbum putat seruis suis aliquid denegare , vt ad incompositos suorum ausus deterrendos,non crucem,mortémque , sed vnam solam negationem nouerit minitari. Quis magis incomposite petebat , quam duo filij Zebedæi? Hi ausi sunt etiam cum inuidia fratrum , primos accubitus in Christi regno expostulare : quos , vel supplicio deterrere volens Dominus , ait : *Non est meum dare vobis.* Quæ verba meditans D. Cæsar. Nazianzeni frater, Dial.3. fatur. Cæsar.
Non est meum dare vobis ait, per illos reliquos castigans, & accensum in ipsis absurdum amorem primatus extinguens terrore denegationis. Quasi hoc terribilissimum à Deo supplicium foret,nimirum quod seruis suis aliquid videatur denegare. Adeo pro certo habent Dei serui petitionum suarum adimpletionem ; vt nisi pro magno supplicio non veniat illis vlla negatio ; adeo Deus procliuis est,& facilis ad suorum rectè petita concedendum. Vis videre quàm ad id Dominus procliuis sit? Memora orationem Dominicam, septem in illa petitiones ingestæ sunt breuissimis verbis compositæ. Sed cur tot petitiones tam breui oratione conglomeratæ.Pulchrè,& eleganter Sedulius lib.2.Pasch.cap.11.oratio- Sedulius.
nem innuit. *Iudex pijssimus breuiter vult rogari, quo citius annuat supplicanti.* Sic festinat ad concedendum , quod bene petitur , vt non ferat longas orationum clausulas , vt honestarum rerum orationes quam breuissimas faciat. Molestissimè equidem fert Dominus , quod suorum orationes moram in obtinendo patiantur. Hinc est,quod ipse Dominus pauperum suorum molestias , & repulsas suas reputet. Dicet enim Matt.25.ad eos, qui surdescunt ad vocem pau- Matth.25.
perum. *Esuriui , & non dedistis mihi manducare ; sitiui , & non dedistis mihi bibere , infirmus fui,& in carcere, & non visitastis me.* Quare,ô Deus,esuriebas & alia in paupere patiebaris? Sane,quia videbam, ait Dominus, iustissimas preces pauperum non exaudiri,imò contemni, id mihi omnes has molestias dabat , qui adeò sum procliuis precibus audiendis,vt nequeam videre bonas preces frustrari. Sic apud D. Basil.Seleu.orat. 22.ait Dominus:*Ego ad eorum orationes crucior.* Orant pauperes ad diuites,diuites surdescunt ad preces pauperum , & preces non exauditæ maximum Deo inferunt cruciatum, qui quam citissimè suorum preces exaudiri amat. Basil.

§. XIII.

Diuini habitaculi bonum nullis verbis potest explicari.

INterrogatus Dominus de habitaculo diuino , non illius situm describit, nulla signa dat,per quæ cognosci valeat: quasi & signa , & verba minimè eius possint pertingere magnitudinem. Solum ait , *venite , & videte :* tunc enim diuinæ domus gloria clarescit , quando hinc abeamus , & videamus. Sanè Ioannes Apocal. 21. dicit : *Vidi sanctam ciuitatem Ierusalem nouam, descendentem de cælo,à Deo paratam, sicut sponsam ornatā viro suo.Et audiui vocem magnam de throno dicentem:Ecce tabernaculum Dei cum hominibus.* Quis crederet,

tunc

tunc non patuisse Ioanni Dei habitaculum? Et oblata oculis ciuitas est, & audita vox, quæ Dei habitaculum explicaret; his putarim patuisse domum Dei. Sed interea accedit Angelus, & ait Ioanni: *Veni, & ostendam tibi sponsam vxorem agni. Et sustulit me in spiritu in montem magnum, & altum: & ostendit mihi ciuitatem sanctam Ierusalem descendentem de cælo.* Expendo illud: *veni, & ostendam,* quasi dixeris, donec hic manseris, nondum percepisti Dei tabernaculum, abeúndum tibi est hinc, vt illius magnalia percipias. Id quod acute notans Rich. Vict. lib. 7. cap. 3. sic fatur. *Mirum videtur quod Angelus sancto Theologo se hic sponsam vxorem agni ostendere promisit, quam ipse sanctus se vidisse paulò antè descripsit? quid est ergo quod ille promisit ostendere, quam se dixerat iam vidisse? Nisi quod iam magna quidem viderat, sed adhuc tamen maiora visurus erat.* Id enim est tabernaculum Dei, quod nullis vnquam verbis exprimi queat; cuius gloria quantumuis auribus exprimatur, semper maiorem sui partem relinquit oculis manifestandam immortalibus. Nulla lingua, nullus sensus explicare valet ingentem gloriam diuini habitaculi, quæ oculis mentis nostræ paratur. De Salomonico curru, quo rex regum se visendum extra domum pandit, sic ait Cantic. 3. *Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani. Columnas eius facit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constrauit.* Quibus valde notandum est, quam multa sit sponsa in ponderandis, prædicandisque ferculi diuitiis. Non sic vbi ad lectulum domi stratum ventum est, imo ibi solum ait, *En lectulum Salomonis septuaginta ambiunt,* &c. Nil de lectuli columnis, nil de reclinatorio, nil de eius pulcritudine, aut diuitiis dicit, quasi diuini cubiculi diuitias prorsus ineffabiles habeat. Gillibert. Abb. serm. 16. in Cant. fatur. *Quid est quod de ipso nobis lectuli apparatu nihil dicit? Quod non eius, vel in modico depromit delitias? Et thronum lego Salomonis, & ferculum: sed vtrumque ambitiose structum apparatu, & sicut regias decet delitias. Numquid lectulum intelligimus neglectum? Absit: sed sufficiebat, vt lectulum diceret: forte verbum hoc verbum ineffabile, quod non licet homini loqui.* Equidem quidquid ad cœlestis cubiculi delitias, & diuitias pertinet ineffabile est. Inter Thaboris glorias Matth. 3. quando Iesus apparuit pulchrior sole, vox patris intonuit, terra omnis repleta est maiestate, audet Petri lingua, & ait: *Bonum est nos hic esse,* præsentis gaudij magnitudine capta. Verum vbi rediuiuus Dominus ascendit in cœlum, & fores cœlestis patriæ tunc primum reserantur, ait Angelus ad Apostolos Actor. 1. *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum?* Non dicunt, quid statis loquentes de cœlo, sed quid aspicitis; non enim ea est cœlestis gloria, in quam lingua audeat, solum oculi poterunt illa testari. Quo respiciebat D. Chrys. ser. 4. de Ascens. aiens. *Tunc Petrus magna cum fiducia respondit: Bonum est nos hic esse. Nunc vero, nec loqui quidem potuit aliquis discipulorum, nec os aperire.* Maior est omni laude, quam videbimus gloriam Dei in æternis habitaculis. Vt merito de illa diceret Isai. c. 60. *Tunc videbis, & afflues.* Dum oculis tuis cœleste penetrale non patet, diues non es; etiam si super omnia mundi regna constituaris, pauper & miser es. Princeps ille tenebrarum harum post omnium mundialium regnorum ostensionem aiebat Iesu: *Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me.* O magnificum sponsorem! Esto: daturus verè est omnia regna mundi: quid inde? Pulcre Nazianz. orat. in S. Baptist. fatur, *Si per cupiditatem oppugnet, vno temporis momento, atque aspectu omnia regna mundi velut ad se pertinentia ostendens, atque adoratione à te exigens, illum vt pauperem aspernare.* Quippe pauper, & miserabilis est in omnibus mundi regnis, nihil in cunctis imperiis perituris inuenies, nisi paupertatem, tunc videbis, & afflues, tunc in Dei habitaculo videbunt oculi tui diuitias immortales, quibus æternum affluas.

Richard. Victor. — Cant. 3. — Gillibert. — Matth. 3. — Actor. 1. — Chrysost. — Nazianz.

Text. Venerunt, & viderunt vbi maneret, & apud eum manserunt illo die. Hora autem erat quasi decima.

§. XIII.

In domo Dei is perseuerat, qui Deo ducente introiuit.

Expendo illud superioris versiculi, nimirum: *venite,* & illud in præsenti positum, nempe, *manserunt.* Nisi enim Dominus illos secum traheret in domum suam, nequaquam ibi permansissent. Quod persuadebat Tertull. ad Martyres carceribus pro Christo detentos, his verbis. *In primis ergo benedicti nolite contristare Spiritum sanctum, qui vobiscum introiuit in carcerem. Si enim non vobiscum nunc introisset, nec vos illic hodie fuissetis.* Habet hoc singulare diuinus impulsus, qui semel menti humanæ impressus nouit diu durare, & perseuerare facere. Felices illi Magi à stella tracti, vt Deum adorarent, nec gradum faciunt sine illa stella, verum post adorationem diuini infantis, Matth. 2. *Responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt.* Non ducem requirunt, non stellam, non Angelum, non columnam nubis, qua præeunte nouum iter arripiant, sed statim abeunt responso in somnis accepto. Cur venientes nec gradum faciunt sine stella ducente, & abeuntes responso accepto abeunt nullo alio expectato ducatu. Sanè responsum in somnis acceptum erat responsum Dei, à quo immediatè in nouam viam impellebantur, impulsus autem Dei semel impressus diu facit in recto itinere durare. Ad hæc August. serm. 64. ait. *Qui stella duce venerant in Iudæam, in patriam suam æterni Solis illuminati radijs reuertuntur.* Quippe stella illos in viam impulit, & semper comitata est, adeò vt paulisper abscondita cum esset, statim illi cogerentur morari, & viam interrumpere. Sol autem iustitiæ illos semel in viam pellens, sic affecit, vt vsque in patriam pergere non cessarent. Profectò Sara audito Dei promisso de filio concipiendo Genes. 18. *Risit,* & post aliquot menses inter partus dolores viso puero, Gen. 21. iterum ait: *Risum fecit mihi Dominus:* vsque adhuc Sara tuus risus durat? Etiam inter dolores, & molestias partus risum meministi? Vnde tanta hæc risus duratio? Iam ipsa explicat, dum dicit: *Risum fecit mihi Dominus.* quod enim à Deo habuit initium, etiam inter dolores, & pressuras durare nouit. Ita Acacius in cat. Græc. fatur. *Huius lætitiæ firmitatem ostendens: Mihi, inquit, fecit Dominus. Quidquid enim est à Deo, perpetuum est.* Non dimidium, sed totum se putet factum habere, qui Deo duce cœpit: vix resilire poteris, si te ducat diuina manus. Dauid Psalm. 138. *Quo ibo à spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es; si descendam in infernum, ades: si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Expende illud: illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua; quasi consequens sit, quod vbi quis à manu Dei deducitur, à dextera teneri debeat, ne valeat elabi. Rectè S. Brun. Carth. ait: *Etenim manus tua deducet me illuc, vt pennas sumam, & in extremis maris habitem; & ibi tenebit me, id est, perseuerare faciet dextera tua; neque in his perseuerare potero, nisi misericordia tua tenente me.*

Tertull. — Matth. 2. — August. — Genes. 21. — Acac. — Psal. 138. — Brun.

Text. Erat autem Andreas frater Simonis Petri vnus ex duobus, qui audierant à Ioanne, & secuti fuerant eum; inuenit hic primum fratrem suum, Simonem, & dicit ei, Inuenimus Messiam, quod est interpretatum Christus. Et adduxit eum ad Iesum.

§. XIV.

Legitimi Christiani signum est, quòd alios Christo acquirat.

Ecce Andreas diutius in Ioannis schola fuerat, nec vnquam fratrem ad Ioannem deduxit: modo autem cum primum Iesum nouit, nil prius curat, quam fratrem Christo acquirere. Proh Christianorum ingenium! hoc vnum gemit Christianus, si solus sit. tunc lætus futurus, si plures habeat fratres in Christo. Do Tertul. Apol. c. 9. fantem. *Quid denique singulares Christiani? Non erit, opinor, legitimus Christianus, nisi frater, aut filius.* Inde censentur à multis Theologis Dei filij, si alium parturiant; inde censentur oues Christi, si sterilis nô sit in eis; inde inter Christianos agnos legitimè numeraberis, si gemellus fueris, si non singularis, quin potius fratres tibi facere studeas. Nequam ille seruus de integritate sui talenti gloriabatur, Matth. 25. male tamen audit apud Principem, propter sterilitatem. Vnde Chrysost. orat. 1. aduers. Iudæos, sic monet. *Talentum illud, quod acceperat, & defoderat seruus ille, reddidit integrum: attamen dat pœnas, eo quod non auxerat lucrum: ita tu quidem etiam si ipse putus, & innocens perseueres, cæterum non augeas talentum, nec fratrem pereuntem reuoces ad salutem, eadem, quæ ille patitur, patieris. Quid magni postulo? Vnusquisque vestrum vnum mihi fratrem ad salutem reuocet.* Felix erit, qui fratribus stipatus accesserit ad Christum; qui in dominico grege nequierit esse sterilis. Quam bene aiebat illa, Cantic. 1. *Trahe me post te,* &

Tertull. — Chrysost.

& curremus. Et si sola trahatur, non tamen sola ibit, socias itineris habere præsumit, dum trahatur ipsa: imò in eo est posita securitas, (si qua in hac valle datur) Christiani itineris, quod non sterilescat in nobis vocatio diuina, sed de voce Dei vocante parturiamus in Christo alios filios. O quam

Matth. 25. securus agit, qui Christi populum multiplicat! Matth. 25. de extremo die dicitur, quod vt ferat sententiam iudex: *Statuet oues à dextris; hædos autem à sinistris.* Quibus verbis ea se inprimis offert ponderatio, quod videatur deficere tota pulchritudo contrapositionis, iuxta cuius regulas deberet dicere, quod statuet oues à dextris, & capras à sinistris, nam & oues, & capræ, & agni, & hædi sibi correspondent. At maluit à sinistris hædos ponere, quia steriles, noluit ponere capras, quia fœcundæ, & cui inest fœcunditatis vmbra, non male habebit apud diuinum iu-

Hieron. dicem. Id innuit Hieron. satis: *Non dixit capras, quia possunt habere fœtum.* Saluantur Euangelicæ matres per filiorum generationem; non enim Deus deserit eos, qui student Ec-

Psal. 77. clesiam ditare filiis. Notanter dictum est, Psal. 77. *De post fœtantes accepit eum.* Et sanè mirum est, quod Deus de post fœtantes pastorem tollat, etenim mansissent fœtantes, sine

Brun. pastore multis expositæ periculis. Quæ præcauens D. Brun. ait: *Cum vocat illos, quos prius regebat fœtantes, innuit quoniam eos non deseruit: iniustum enim esset, cum fœtantes essent, eos deserere.* Quippe per hoc solum, quod quis fœtans est, fœtúque nouo Dei populum ditat, putat Bruno debere intelligi illum non fuisse à Deo desertum, ac derelictum.

§. XV.

Ad virtutis progressum multum interest, inter quos incipias.

Mirum est, quam profecerit Andreas in virtutis schola, heri in Iesu domo, vt discipulus audiebat, modo nec fratris sui congressu distrahitur, imò magister factus illum cœlesti doctrina informat. Quem caro, & sanguis à cœlesti disciplina non remoueat? Quem fratrum amor à proposito virtutis non separet? Timuissem virtuti tuæ, ô Andrea, si vidissem tibi a Iesu venienti fratrem occurrere. Verum quæ incipitur virtutis via in Iesu habitaculo, nulli congressui nouit cedere, sed mediis contrariis durat. Scimus Euam natam fuisse inter floridissimas arbores paradisi: Cainum natum inter tribulos, & spinas terræ maledictæ: vterque peccat: hic vbi de peccato accusatur, negat delictum, illúdque nouis culpis obtegere curat dicens: *Numquid custos fratris mei sum?* Illa verò statim confitetur culpam, quippe ait, *Serpens decepit me, & comedi.* Sanè virtus in paradiso orta haud facilè vllis congressibus vincitur, etiam in-

Ambros. ter peccati ruinas emittit radios suos. Vt dicat Ambros. lib. de parad. c. 14. *Alia ergo ratio mulieris, quæ licet culpam præuaricationis inciderit, tamen de paradisi ligno habebat adhuc virtutis escam: & ideò dixit peccatum suum, & reputatum est ei ad veniam.* Expende illud: *de paradisi ligno habebat adhuc virtutis escam.* Etenim maximè interest, inter quos primos egeris gradus virtutis, si inter paradisi ligna, hoc est, apud præstantes virtute viros adoleueris, nunquam non retinebis virtutem inibi acquisitam. Quis sanctior Moyse in gubernando, & deducendo Israelitico populo? Tamen Moyse felicior extitit Iesus Naue. Ille non nihil populatis infidelitatis passus, non peruenit in terram promissam: hic felici cursu, pede inoffenso in optatum finem populum meruit de-

Exod. 33. ducere. Vnde hoc accidit Iosue præ Moyse? Exod. 33. *Iosue filius Nun puer, Moysis non recedebat à tabernaculo.* Sanè Moyses pueritiam suam transegit in Pharaonis regia, inter Aulicos degens; verum Iosue intra ipsum Dei tabernaculum Moysis disciplina fruebatur, hinc feliciori processu vitæ cursum confecit, populum in terram promissionis deducens. De quo bene Ambros. lib. 2. offic. cap. 2. inquit. *Nec exibat de tabernaculo iuuenis, cum seniores longè positi diuina trepidarent miracula. Meritò vir huiusmodi euasit, vt sisteret fluminum cursus, diceret: Stet Sol, & staret Sol, & quod Moysi negatum est, solus eligeretur, vt populum introduceret in terram promissionis. Illius augustiora opera, huius prosperiora.* Multum equidem interest, apud quos vitam accipias virtutis: longè felicius Iosue initiatur in tabernaculo Dei, quam Moyses in Pharaonis palatio, inter aras, & viros sacros, quam inter aulicos. Mirabar quod medius Sodomis sanctè, & pudicè viueret vnus Loth, cumque inquiro tanti miraculi causam, audio Lothum apud sanctissimum Habrahamum fuisse educatum; ex cuius consuetudine habuit, quod virtutis semper inhæreret curriculo, vt dicat Chrysost. hom. 43. in Gen. *Iustum Loth in tantum virtutis apicem erexit Patriarchæ consuetudo, quod effecit, vt vestigia illius sequeretur.* Vniuersa Sodomorum vitia non potuerunt delere virtutis vestigia, quæ semel ex consuetudine Habrahæ, impressa Lothi animo fuere. Chrysost.

§. XVI.

Facilè cuique persuadetur fratrum, parentúmque suorum virtus, & religio.

Vides Petrum adduci ad Christum, sed abduci a fratre Andrea; quomodo talis frater non Christo Domino fratrem suum repræsentaret? Meritò Hieron. epist. 7. ad Lætam, parentis eius citam conuersionem præsagit, dum Hieron. ait: *Iam candidatus est fidei, quem filiorum, & nepotum credens turba circundat. Ego puto etiam ipsum Iouem, si habuisset talem cognationem, potuisse in Christum credere.* Hinc vanos Iul. Apostatæ conatus, quibus D. Cæsar. à Christiana religione auertere cupiebat, irridet eius frater Naz. dicens orat. 7. *Igitur, &* Nazian. *Cæsarium etiam multis tentare cœpit dolis. Proh dementiam, ac stultitiam, quod eum, qui Cæsarius, ac meus frater esset, talibusque prognatus parentibus, compilare speraret!* Vrbs est proculdubio munita frater, qui adiuuatur a fratre; maximáque cum suauitate bibitur, quæ per atauorũ, & parentum cognationem venit, disciplina. Quid durius Christo meo, quam nefarissimæ Iudæ osculum pertulisse? Tamen qui omnes alias carnificum contumelias, & opprobria patienter tulit, nihil locutus, Iudæ osculum his excipit verbis, vt videretur, maximè suauiari in illo, etenim ait: *Amice ad quid venisti.* Vnde Dominus ad nefarium osculum suauior, & amicior apparet, ad alia opprobria? Equidem nefaria hominum labia sustinere, habebat Dominus etiam à patre suo: sic enim apud Matth. 15. loquitur Isaias Dei nomine: Matth. 15. *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me.* & quæ per cognationem veniunt disciplinæ, suauiter excipiuntur. Huc spectat Tertull lib. 4. aduersus Marcionem fa- Tertull. tus: *Debuit etiam osculo tradi propheticus Christus, vt etiam scilicet filius, qui labijs à populo diligebatur.* Expende illud, *debuit*, quasi velit, quod aliqua nobis insit necessitas ad amplectendas eas virtutes, quæ per cognationum calles ad nos perueniunt. Hinc pulchre magi, suscepti itineris causam, vt puerum adorarent, illam prædicant, Matth. 2. Matth. 2. *Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus cum muneribus adorare eum;* cum aiunt, vidimus stellam eius in Oriente, domesticum signum declarant, quod vsque ad illos, ab auis, & atauis profectum erat. Balaam enim, a quo ipsi genus habebant, de oriundo Iudæorum Rege vaticinatus, Num. 23. ait: *Orietur stella ex Iacob.* &c. Vnde eius nepotes, Num. 13. visa stella, alacriter paternum omen suscipiunt, id etiam negotiante Spiritu sancto. Quod memorans Chrys. hom. 1. Chrysost. in Matth. ex variis inquit: *Ex genere Balaam originem duxerunt Magi, qui dixerat: Orietur stella ex Iacob: & idcirco viso nouo stella signo crediderunt, quia authoris sui prophetiam impletam nouerant.* Adeò in nostra sumus propensi! adeò amamus, quidquid ex hæreditate capimus! adeò nostris insigitur animis, quod per familiæ censum ad nos peruenit.

Text. **Intuitus autem eum Iesus dixit: Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.**

§. XVII.

Beneficia à Iesu in seruos suos profecta adeò magna sunt, vt indigeant nouis nominibus, & explicentur.

Solemne fuit apud Dei seruos nouis appellari nominibus, quibus profectus suos ex Dei seruitio acquisitos declararent. Sic Abraham, sic eius vxor Sara, vocabuli nouitate, ingentem in Dei seruitio virtutem acceptam declararunt. Quo rectè conficit D. Iustinus aduersus Iudæos, eundem Deum esse noui, & veteris testamenti, quando huius, & illius homines nouis nominibus ditabantur. Etenim ait: *Quod etiam dixit Simoni, qui Apostolorum vnus erat, se illum vocasse Petrum, & scriptum est factum in eius commentarijs, vnaque appellasse duos Zebedæi liberos Boanerges, id est tonitrui filios, se illum esse declarabat.* Non enim ea sunt lucra in Dei seruitio facta, quæ possint veteribus nominibus appellari. Imò vt noua, & inaudita sunt lucra seruorum Dei, sic nouis nominibus debent explicari. Apoc. 2. *Vincenti dabo* Apoc. 2.

manna

mana absconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum scriptum. Ecce cum Dei dono simul nouum nomen porrigitur, quasi dedeceat doni diuini magnitudinem veterascentibus nominibus vocitari. Aretas. Sic Aret.c.5. ait: *Hoc autem nomen sancti hæreditate assequerentur. Qui enim fieri posset, vt corruptibili notione incorruptibilia apprehenderentur?* Hinc cœnaturus Iesus mittens discipulos suos, vt pararent cœnaculum, ait: *Dicite ad quendam,* nomen illius tacens; sed cur illius nomen non exprimit? Sanè tacet vetus vocabulum: quia homo ille adeò felix, qui Deum recipiebat, Hilar. nouis deinde nominibus erat appellandus. Ita Hilar.Can.30. in Matth. aiens. *Hominem enim, cum quo pascha celebraturus erat, non nominat, vt tum eo Pascha Domini Apostolos præparare sciremus, cui in tempore Domini nouum nomen esset addendum.* Ea enim sunt beneficia à Iesu profecta, ad quæ explicanda nullum sufficiat vetus vocabulum; noua imponenda sunt nomina, eáque plura, & splendida. Vincenti dicitur, Apoc.3. Apoc.3. *Scribam super eum nomen Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei nouæ Ierusalem, quæ descendit de cœlo à Deo meo, & nomen meum nouum.* Ecce queis nominibus insignitur victor Christianus! Multa equidem nomina, & noua, & splendida sunt necessaria, vt ingentes victoris in Christo gloriæ ex- Matth.10. primantur. Quò respiciens Dominus Matth.10. aiebat: *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlo.* distributiuè cum singulis loquitur, & tamen vnicuique dicit, quod nomina habeat in cœlo exarata, quasi inde insinuet magnitudinem gloriæ, quæ multis, & nouis est explicanda nominibus. Ita Rupert. Rupert.in Exod.lib.4.c.39.dicit: *Multa sunt nomina nostra, de quibus Dominus nos agnoscit. Hinc est, quod pluraliter dicit: In hoc gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlo.* Quo enim plura sunt Christi in nos facinora, eò pluribus nominibus cognominabimur. Simile in re dissimili, imò contraria di- Ambros. cebat Ambros.lib.5.epist.de quodam Auxentio, qui ab Scythia veniens in Italiam, nouum sibi posuit nomen. *Minora, ait, fecit in Scythia, & ita erubuit, vt mutaret ibi vocabulum: sceleratiora ausus est, & volet quocunque perrexerit, nomine suo prodi?* Vt crescebant scelera, nouis nominibus nuncupabatur, sic vt fidelium crescunt gloriæ noua accipiunt ex Deo vocabula.

Ex Matth.4. Ambulans Iesus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare.

§. XVIII.

A Dei oculis maximus honor rebus creatis accrescit.

QVos ad regni sui clauum præparat Dominus, in primis sui conspectus dignatione honorat, quando nulla res diuinis apparet sub oculis, quæ inde maximo non afficiatur honore. Si post mundi conditionem: *Vidit Deus cun-* Tertull. *cta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Id quod ponderans Tert. lib.2.in Marcion.ait: *Vidit Deus cuncta bona, non quasi nesciens bonum, nisi videret; sed quia bonum, ideò videns, honorans bonitatem operum dignatione conspectus.* Quis neget maximè honorari res hominum, quod Dei dignentur conspectu? Quod Deus suos in nos coniiciat oculos? Iacebat puer mortuus, 4.Reg.4. 4.Reg.4. cui accedens Elisæus: *Incubuit super puerum, posuit os suum super os pueri, & oculos suos super oculos eius, & manus suas super manus eius.* Ita signabatur Dei descensus ad hominem mortuum; nec miror Domine, quod os tuum super me ponas, nec quod manus adhibeas, non enim suscitabor, nisi imperes, nisi operi incumbas. Id solum miror, quod oculos tuos ponas super oculos defuncti pueri. Non sufficiebat verba facere, & manus imponere operi, cur addis oculos? Credo quod non solum prætendis me suscitare, & ornare, non solum cupis mihi vitam elargiri, sed & ornamentum, & dignitatem, & ideò & os, & manus imponis, Bernard. insuper & oculos addis. Pulcrè Bernard.serm.16.in Cantic. *Oculis suis tetigit meos, interioris hominis frontem claris luminaribus ornans*; sint Dei manus, & labia ad efficientiam; Dei autem oculi super iustos ad honorem, & ornatum veniant. Hinc Greg.Nyss.hom.15.in Cant. putat sponsæ in pristinam Cantic.6. dignitatem restitutæ fuisse illa verba, Cant. 6. *Auerte à me oculos tuos, quia ipsi me auolare fecerunt.* Quasi dicat: nimis exaltor, & eleuor, cum oculis respicior diuinis. Apud Lucam, cap. 15. inuenies Deum pastorem effectum, qui amissam ouiculam requirat summo labore, requisitam inueniat, inuentam humeris imponat, & in caulem restituat. Item inuenies Deum Patrem factum, à quo discedit filius, & prodigit substantiam: & in summam paupertatem incurrit: pater verò nec requirit filium, nec pedem mouet, vt inueniat illum. Quid ergo iste pater pro filio fecit? Ait textus: *Vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens,* &c. Quid multum, quod pater reuertentem videret filium, quando pastor errantem adhuc requirit ouem, & inuenit, & se illa onerat? An patris visus filio vtilior fuit, quam pastoris passus? Equidem plus honorauit pater filium, cum ad aspectum admisit, quam si requireret, vt ouem pastor. Inde eleganter Ambros.elicit: *Malo ergo filius esse, quam* Ambros. *ouis. Ouis enim à pastore reperitur, à patre filius honoratur.* ouis quæ non reuertebatur, non oculis sistitur, sed humeris datur, tanquam indigna esset videri: filius autem, qui non requisitus reuertitur, paternis oculis honoratur, ditatur. Sic etiam Zachæus meruit à Christo videri: ait enim Luc. 19. Luc.19. *Cum autem Iesus venisset ad locum, suspiciens vidit eum.* Quod expendens Chrysol. serm.54. ait: *Deus quem videt, non vt* Chrysol. *ignorans agnoscere cupit, sed vt sciens ad gloriam vult videre,* manant sanè honore, & gloria oculi diuini.

§. XIX.

Fraterna vnio fidei Christianæ fundamentum.

ECce tibi quæ fundamenta iaciat Iesus regno erigendo Christiano, nimirum fratres, quasi nequeat in Christo permanere, nisi qui fraterna fuerit fulcitus pace, & charitate. Ideò Christianos athletas carceribus pressos, sic aduersus diabolum præparat Tertullian. *Fugiat conspe-* Tertull. *ctum vestrum, & in ima sua delitescat contactus, & torpens tanquam coluber excantatus, aut effumigatus. Nec illi tam bene sit in regno suo, vt vos committat; sed inueniat munitos, & concordia armatos: quia pax vestra bellum est illi.* Hæc sunt arma Dei, quæ iubemur induere, vt ignita diaboli tela repellamus. hoc fortissimum Ecclesiæ fundamentum, hoc singulare Christianæ vitæ auspicium: mortuo puero id adhibuit Elisæus medicamentum, vt in vitam restituat, vt mortem quam longissimè exsufflet, nimirum si in primis pacem inspiret. Etenim, 4.Regum 4. *Posuit os suum super os eius, &* 4.Reg.4. *oculos suos super oculos eius,* &c. Expende, quod in primis ponit os super os mortui, & labia labiis defuncti infigit, sanè vt per signum pacis, primum proferat vitæ auspicium. Pulchrè Bernard. serm. 16. in Cantic. *Ori meo iunxit suum, & mortuo signum pacis impressit.* Quid mirum, quod vbi Christianorum vita adumbratur, primum ponatur fundamentum pacis, & concordiæ signum? Ibi semper vnitas struitur, vbi incipit Ecclesia Christi stabiliri. Apud Thaborem tres apparuerunt sub gloria, nimirum Iesus, & duo eius laterones Moysis, & Elias, Luc.9. & facta de nube Luc.9. voce, abeuntibus duobus, *inuentus est Iesus solus.* Non enim diuisa multitudo circa Iesum, sed vnitas manet, & viget. Id quod expendens D. Ambros. ibi ait: *Itaque cum tres essent, vnus factus est. Tres in principio videntur, vnus in fine. Perfecta enim fide vnum sunt. Hoc enim Dominus Patrem orat, vt omnes vnum simus.* Nec mireris, quod in fundamentis religionis Christianæ constituam animorum vnitatem, & pacem; quandoquidem supra lib.2. cap.7. §.5. hanc vnitatem, & fraternam vnionem comparaui cum insigni charitatis opere, quod est martyrium: quam comparationem non obscure insinuat D.Paul. ad Ephes. cap.4. aiens: *Obsecro* Ephes.4. *itaque vos ego vinctus in Domino, vt digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni lenitate animi, cum patientia sufferentes inuicem in charitate solicite seruantes vnitatem spiritus in vinculo pacis.* Expende illud, *In vinculo pacis*; quippe cum ipse vinctus esset pro Christo, immenséque æstimaret sua vincula, adeò vt per ea inciperet exhortationem, aiens: *Ego vinctus in Domino.* de similitudine honoris voluit audientium delinire animos, memorans vincula pacis, quibus possent respondere vinculis catenatum: sicut enim catenæ Martyrum Ecclesiam ædificant, vitam halant; sic catenata fidelium corda de fraterno amore, longo replent Dei domum viuido fidelium examine. Meritò Iacob Rubeni incestum detestans, illum sic afficit, Genes.49. *Ruben primo-* Genes.49. *genitus meus non crescas,* quasi velit familiam incestuosi penitùs perire de populo Dei. Melior Moyses in Rubenitas apparuit, Deut.33. vbi Rubeni familiã ædificare nitens, ait, *Vi-* Deut.33. *uat Ruben, nec pereat.* Sed vnde in Ruben inuentum fuit tantum fundamentum, quo eius familia, & domus paterna ruens maledictione, potuerit fulciri, & subleuari? Equidem vnus Ruben inter odia fratrum seruauit vnitatem, & pa-

cem cum Ioseph; quo fundamento subiecto, non mirum, quod eius familia cresceret, & extaret. **Diodor.** Accioit Diodor. in cat. Græc. *Non poterat Iacob non maledicere intemperanti filio ad posteros deterrendos; debuit autem Moyses criminum eum culpa liberare, quo fratri Ioseph semper pepercerat.* Adeo fraterna vnio valet ad Ecclesiam Christi fundandam.

Text. Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.

§. XX.

Qui sequitur Christum, se intra auitæ humilitatis fines continere curet.

QVisqois humilis stirpe natus ad Christi vocaris sequelam, ne ambias de mondiali gloria apud Christum fulgere, qui sequacibus suis infimi muneris, seu stirpis conditionem non aufert, sed vt piscatores elegit, nolli permittit supra piscatorem gloriari. Id quod Beda insinuabat, dicens, *nomen*, nimirum piscium, *mutauit, officium non abstulit.* Ne qui piscatorum peno in sæculo erant contenti, post Christum diuitum mundialium splendores ambiant. Piscator a Christo vocatur, vt non miles fiat, aut Dynasta, sed vt fiat hominum piscator, vt intra piscatorum maneat mediocritatem. Puer ille Giezi nomen dederat Elisæi disciplinæ, & 4. Reg. 5. quæ Principis Naaman pretiosa munera Elisæus contempsit, infelix puer accepit, sed perenni Naaman lepra estitit multatus. Et cur tam acerbum supplicium accepit? **Cassian.** Causam reddit Cassianus lib. 7. cap. 17. nimirum, *Giezi ea, quæ nec antea possederat, volens acquirere, æterna lepra, Elisæi maledictione, perfunditur.* Expende illud, *quæ nec antea possederat*: quandoquidem crimini datur, qood homo naturalibus pauper, sub Prophetæ disciplina de mundialibus velit fulgere diuitus. Crimen est verecundum, quod qui sub mundo locuplere nihil habuisti, in schola pauperis Christi personas velis agere diuitum. **Psal. 44.** Filia Regis dicebat Psal. 44. *Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui.* Vtinam modo liceret dicere plotibus Christi discipulis, Ne obliuiscaris populum tuum, nec domum patris tui: sic viue in schola Christi, vt non videaris paternæ mediocritatis oblitus. Hinc **Synes.** censebat Epaminondæ virtutem D. Synes. lib. de regno, diceus: *Epaminondas is erat, qui quoties ad conuiuium à ciuitatibus vacaretur, ad easdem ventitans (nec enim alia ratione criminis, apud magistratus suspicionem effugisset) acre acetum potabat; ne inquam, Epaminondas domestici victus obliuiscenem caperet.* Proh strenui ducis sapientiam & virtutem! Meruebat inter imperij culmina, inter regias delicias, immemorem haberi pauperis victus, & conuictus, quo eum paterna domus nutriuerat. Vtinam modo dominici exercitus duces, Christianæ perfectionis magistri, sioe discipuli hanc sibi mentem retinerent, ne domestici victus obliti in Christi schola **Iacob. 1.** diuitum personas repræsentarent. His conuenit illud D. Iacob. epist. cap 1. qui considerat *Vultum natiuitatis suæ in speculo. Considerauit enim se, & abijt, & statim oblitus est qualis fuerit.* Feliciores si nunqoam natiuitatis suæ vultum obliuiscerentur. Si semper præ oculis haberent, quales fuerint **Bernard.** à natalibus. Hos rectè monebat D. Bernard. in illud: *Ecce nos reliquimus omnia*; sic fatus: *Ecce speculum veritatis: tantum ne quis considerato vultu conscientiæ suæ prætereat, & qualis fuerit obliuiscatur.* Hoc solo perfecti erimus, si natalis vultum non obliuiscamur, si in domo Domini, quales fuerimus in sæculo meminerimus, ne aliqui maiora appetant. Et qui vocantur à piscatu, vt piscatores fiant hominum, ipsi velint principum præ se ferre delicias, & commoditates. In hos **Idem.** meritò retorquet D. Bernard. serm. ad illud: *Ecce nos reliquimus omnia*; illud Oseæ pronunciatum cap. 8. vbi ait: *Ipsi regnauerunt, & non ex me: Principes extiterunt, & non cognoui:* oon vocamur à Deo io domum suam, vt Reges agamus, vt nobiliom more viuamus; nec vt pauperrimos natales de Christi sanguine faciamus purpurascere. En quam multis ex his dicetur in estremo examine, Nescio vos; piscatoribus enim suis, tunc Dominus thronos parat, non intrusis Dynastis.

§. XXI.

Dei potentia intra cuiusque fortunam, culmen nauit perfectionis porrigere.

VT piscatores ad culmen perfectionis eueheret Dominus, minimè illos extra piscaturæ artem extraxit, sed per piscaturæ regulas, cœlestem illorum vocationem ordinauit. Ereoim is est Deus, qui intra cuiuscumque fortunam sciat perfectionis culmen demonstrare. Nónne Dauid à pueris pulsandæ citharæ traditus? Nónne musicæ innutritus? Hunc ergo qualiter Deus ad perfectionem duxit? Iussit ne citharam dimittere? Musicæ vale dicere? Absit: imò regulis musicæ permittens, vt illum sanctum faceret, addixit componendis, cantandisque Psalmis. Ita Beda exclamabat: **Beda.** *Qualis artifex est Spiritus sanctus, tetigit puerum citharœdum, & Psalmistam fecit!* Tangit piscatores, & facit eos hominum capientes euangelico hamo: sic intra quamlibet artem, nouit Deus hominibus perfectionis indere artem. Astrorum obseruatoribus, com voluit veri Solis iustitiæ beneficentiam tradere Dominus, an iussit priùs valedicere vanissimæ Astrologiæ arti? An ab stellarum inutili obseruatione auertit? Imò inter ipsam stellarum obseruantiam, ibi cœlorum Regem illis demonstrauit. Aiunt enim Matth. **Matth. 2.** 2. *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum, vidimus stellam eius in Oriente, & venimus*, &c. Gaudet eqoidem Magus, quod intra stellarum obseruationes, verum Solem, mundi regem fuerit nactus; quod pulcris verbis docet Chrysol. serm. 5. **Chrysol.** Epiphan. fatus: *Quia se in cælo diu cum astris errantibus errasse videt, gaudet in terra ad Deum ducatu vnius syderis peruenisse.* Magnum est, quod non eguerit Magus dediscere artem suam, & nouam aliam inuestigare, vt salutis lucrum faceret, sed tantum artem meliorare suam, quamque mendaciis inueniendis dabat, dare veritati, vt sic intra artem suam, culmen perfectionis tangeret. Hinc succensendus est Pharisæorum error, qui de peregrinis artibus nitebantur Saluatorem demonstrare: quando aiunt Matth. 16. **Matth. 16.** *Volumus à te signum videre*, explicatius Euthym. posuit, *signum de cælo*; quasi cuperent per cœlestia signa, nimirum per nouarum stellarum apparitiones, viam salutis inuestigare. Quid Pharisæus cum stellis? Meritò à Domino audit: *Generatio adultera signum quærit, & signum non dabitur ei* Sed cur negat signum Dominus, qui liberaliter signa faciebat? Cur offenditur, qood signa petantur, quando etiam importunè petentibus signa dabat? Sanè Gedeon Iud. 6. multum im- **Iud. 6.** portunus videtur in petendis signis. *Dixitque Gedeon ad Dominum: Si saluam facis per manum meam Israël sicut locutus es, ponam hoc vellus lanæ in area; si ros in sola vellere fuerit, & in omni terra siccitas, sciam quod per manum meam liberabis Israël. Factúmque est ita, & de nocte consurgens expresso vellere, concham rore impleuit.* Debuisset hoc signo contentus esse Gedeon, nec amplius pro signis instare, sed non quiescit Gedeon, adhuc rursus ait: *Oro, vt solum vellus siccum sit, & omnis terra rore madens. Fecitque Dominus* &c. Cur ergo sic importunè signa petentem Deus exaudit, & in Pharisæos irascitur, quod signa flagitabant? Sanè Gedeon io area erat, inter vellera, & oues, sua negotia tractans, & ibi intra propria sperat sibi a Deo signum dari; oec offendit, quia non extra officium vadit: at vanissimi illi signum de cœlo quærentes, peregrinis student artibus, & per ignotas, & peregrinas vias Deum quærunt, qui amat intra cuiusqoe officium communicari. Ideo enim ait D. Chrysost. quia Samaritanæ mu- **Chrysost.** lieris mos erat ad fontem ire: *In aqua Dominus mulieris salutem designat*, sic iuxta notiora hominum negotia, salutem illorum Dominus meditatur.

Text. At illi continuò relictis retibus secuti sunt eum.

§. XXII.

Quisquis sequitur Christum, etiam minutissima mundi bona dimittat.

BEne omnia relinquentium gloriam notat Euangelista, per id, quod etiam retia relinquant, nihil enim mundialium bonorum adeò exiguum est, quod non dimittendum sit ei, qui sequitur Christum. Adolescenti diuiti dictum est, Luc. 18. *Vende omnia tua, & da pauperibus.* De **Luc. 18.** quo D. Nilus in Ascet. ait. *Cur Dominus diuiti, vitæ secundum Deum perfectæ leges præscribens iussit, vt omnia venderet, & pauperibus daret, nisi quia quidquid excipitur, id distrahit, vt omnia distrahebant?* Minorissimum licet sit, quod retineas, inde habet moodus, quo te à Deo distrahat, & ad se captiuum reducat. Laban vbi sensit filias suas à se fugisse, statim viam arripit, vt illas iterum in domum suam reducat. Sed qua id fiducia sperabat? Pulchrè D. Ambr. lib. 1. ep. 4. **Ambros.** ait: *Secutus sanctum Iacob, & filias suas: si forte apud eas suorum*

vitiorum

vitiorum aliquid reperiret, & reuocandi ad se haberet authoritatem. In eo solo fundabat spem, quod possit illum à cœpto itinere auertere, & in suam reducere domum, si quid suorum in illis bonorum reperiret. Vt ergo omnem spem abscinderet inimico sanctus Iob, vbi audiuit omnia sua bona consumpta, statim ipse scidit & vestimenta sua. Cur quæ solæ supererant vestes ab hostili incursu, has & scindis?
Origen. Sic apud Origen. lib. 1. in Iob. *Tollite, inquit, hanc vestem, proijcio etiam hanc vobis, nihil apud me remaneat ex his, quæ in potestate nequitiæ vestræ data sunt. Non sit mihi ex vobis hoc beneficium, oleo peccatorum non vngetur caput meum.* Sic bonus athleta pertimescebat, aliquid secum habere, ex his, quæ nouerat Principibus tenebrarum tributa. Nihil vult retinere, quod nouit esse datum principibus mundi, nec vestem, nec vestis filum. Odit enim Deus in suis, quidquid acceptum referri potest mundo, & eius principibus. Vnde natus in spelunca Bethleemitica omnimodam amauit nuditatem, omnimodam paupertatem, nolens sibi retinere, quod suum diceret censor mundialis Principis. Ideò ait: *Filius hominis non habet vbi caput suum reclinet.* Ad hæc
Hieron. eleganter D. Hieron. de vera circun. inquit: *Rogo vbi hic sub Cirino census inuestigatio? Vbi edictum Cæsaris? Noua ratio, ibi habet nihil, quod descriptor inueniat, & verè. Nulla enim Dominum seculo mancipata delectant, nec sibi vsurpat quidquam, quod vel Cæsari, vel mundo voluit esse captiuum.* Nec sufficit, quod plura relinquas, quod multa à te abiicias, si quid adhuc in te retines Deo inuisum. Vide enim apud Ionam, cap. 1. vt vehemens suboritur tempestas; furiunt venti, fremunt fluctus, quid nautæ interea? *Et timuerunt qui nauigabant, & clamauerunt vnusquisque ad Deum suum, & iactum fecerunt vasorum nauis in mare, vt alleuiaretur nauis. Ionas autem descendit ad interiora nauis, & dormiebat.* Expende iactum vasorum in mare; vi enim tempestatis moti omnia contemnunt, omnia bona abiiciunt, merces vniuersas dant mari, nec tamen nauis à periculo eximitur, quia medio in bonorum iactu, vnus Ionas Deo exosus in fun-
Basil. do nauis sepultus somno quiescebat. Id notans Diuus Basil. Seleuc. orat. 12. inquit: *Frustra onera in fluctus effudebant, cum tempestatis causam retinerent.* Quid interest, quod plura dimittas, quod omnia reliquisse, imo iactasse glorieris, si in fundo cordis aliquid obiiciendum quietum adhuc retineas? Nihil in te dormiat Deo exosum, nihil quiescat, omnia remoue, & vento trade, si vis tranquille ad portum peruenire.

§. XXIII.

Bonorum terrenorum cupiditas à Sacerdotibus ablegenda.

EOs in Sacerdotes vocat Dominus, qui sciant temporalium bonorum cupiditates radicitus extirpare, qui ruptis retibus, conquirendis pecuniis minimè studeant. Aaronicum Sacerdotium florens virga signauit, sed ea virga,
Gregor. Nissen. quæ nullas agebat radices in terra. Inde Diuus Gregor. Nissen. de vit. Moysi te Sacerdotem designat, *cùm tibi germinauerit Sacerdotij virga non humiditate terrena, sed à se ipsa nuces producens.* Iam radicitus euellitor à terrenis bonis, qui Sacerdotali apice cupis insigniri. Quod quàm sit necessa-
Saluian. rium Sacerdoti, eleganter elicit D. Saluian. lib. 2. ad Ecclesi. Cathol. aiens, *Saluator Sacerdotibus, non vt cæteris voluntatium, sed imperatiuum officium perfectionis indicit. Quid enim cum laico illi adolescenti dixisse legimus.* Si vis perfectus esse, vende quæ habes, & da pauperibus. *Quid autem ministris suis?* Nolite, inquit, possidere aurum, neque argentum, neque pecunias in zonis vestris, nec peram in via, &c. *Vide quanta sit in vtroque hoc Dei sermone diuersitas, Laico dixit, si vis, vende quæ possides; ministro autem, nolo possideas.* Interdicunt Sacerdotes terrenarum possessionum curis; damnosa est auri cupiditas omnibus popularibus: verum in Sa-
Iosue 7. cerdotibus est manifestum exitium. Vbi apud Iosue cap. 7. aurum seruatum ab Achor fuit, ingentem cladem vniuersus populus accepit; & insuper ait Dominus, *non poterit Israel stare ante hostes suos, eosque fugiet: quia pollutus est anathemate.* Sic parum auri absconditi debilitat Domini exercitum, vt nec in conspectum hostium possit venire. De quo
Rupert. agens Rupert. lib. 1. cap. 21. ait: *Vbi in Sacerdotibus, vel eis, qui præsident, auaritia regnat, & principatum obtinet pecunia, stare non possunt contra hostes libere repugnantes: quippe quos pecunia vincit.* Munit sanè, & confirmat hostes Sacerdotum auaritia, quæ omnia popularium facinora impedit, solisque cladibus materiam ministrat. Apud Matth. cap. 21. facto de funibus flagello eiicit Dominus de templo ementes, & vendentes. Quid plura? *Tunc accesserunt cæci, & claudi ad eum in templo, & curauit eos.* Tunc solum cum auaritiam è templo eliminas, fiunt à Deo virtutes in populo. Pulcrè Rupert. vbi supra fatur: *Non prius cæcos, & claudos curauit, quam illos latrocinantes de spelunca eiecit: quia videlicet non vitia curari, nec virtutes possunt illustrari, nisi prius Mammon de cordibus Sacerdotum, aut ipsi Sacerdotes eum illo Deo suo de templo fuerint eiecti.* Hæc ille: & metuo, ne tot cladium, quæ quotidie in Christiana accidunt Republica, materiam subministret Sacerdotum auaritia. Equidem si hæc à Dei templo eiiceretur, si vel flagellis à Deo immissis Sacerdotes cum idolo suo pellerentur ab Ecclesia, non dubito quin & popularium vitia interirent, & plures in dies pullularent virtutes. Hæc erat quondam virtus in Sacerdote, quod pecuniarum studium, quod retia libenter relinquerent, vt sequerentur Christum: modo vereor, ne veniat tempus, in quo de Sacerdote Dei dicamus illud Abacuc cap. 1. *Immolabit sagenæ suæ, & sacrificabit reti suo: quia in ipsis incrassata est pars eius, & cibus eius electus.* Cur non sacrificent reti suo, illi quorum studium totum erit de eligendis cibis, de pretiosis seruandis vinis, vt sartis corporibus vitam ducant quietam?

Matth. 21.

Abac. 1.

§. XXIV.

Qui Deum sequitur, nil prius dimittat, quàm retia.

REctè non exprimuntur alia, quæ relinquant Apostoli, præter retia; hæc si solum dimittas, perfectissimè Deum sequeris. Etenim plures sunt, qui relinquant omnia bona sua, non tamen reliquant retia, sed retibus onusti Christo sedeant. De his Psalm. 89. *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, sæculum nostrum in illuminatione vultus tui. Omnes dies nostri defecerunt, & in ira tua defecimus.* Igitur qui hæc nouisti, quia omnia peccata tua Deo manifesta vides, qui te sub Dei ira animaduertis, nónne mutas vitam? Nónne abiectis mundi vanitatibus ad Deum confugis? Confugit quidem relinquens vana vanis, sed retia minimè relinquit: ait enim statim, *Anni nostri sicut arena meditabuntur.* Aranea in conficiendis retibus, vt muscas capiat, vitam, & operam absumit. Sic de illa Titelmanus loquitur. *Opus eius cum perfectum fuerit, non aliud, quàm laqueus est, quo muscæ capiantur.* En miseram conditionem humanam, innata sunt nostris præcordiis retia; omnia dimittimus, vt sequamur Christum, sed retia non dimittimus, etiam post Christum, etiam in domo Dei retibus expendendis, vt quid capiamus, operam damus. Sed vide quales sint ij, qui adhuc in Dei domo retia seruant, *anni nostri,* ait, *sicut aranea meditabuntur:* sunt equidem araneæ, quæ totam Dei domum conspurcant, horrere faciunt de retibus suis. Benè ergo ad commendationem sequentium se, dicit Dominus, quod retia reliquerint: hæc enim si sola relinquas, perfectus eris; & hæc vel in primis relinquenda sunt ab his, qui Deo cupiunt respondere. Moysi à Deo vocato Exod. 31. id in primis dicitur, nimirum: *Solue calceamenta de pedibus tuis:* non dicitur illi, tolle, vel abiice calceamenta, sed notanter dicitur, solue, quasi in primis instruendus esset, de laqueis soluendis, & abiiciendis, qui in Dei sequela maioris esse solent damni. Id notans Eucherius epist. de Eremo, ait: *Latenter enunciat, vt accedens pristinus curarum obligationibus se absoluat, & anterioribus vinculis expeditus incedat, ne locum polluat.* Et quidem sollicitudines illæ, & meditationes acquirendi laquei sunt, vincula sunt, retia sunt, & aranearum retia, quæ domum Dei vehementer polluũt. Fœdior aduenies domo Dei onustus his retibus, quam totus plenus mundalium bonorum. Etenim bene Bernard. ponderat illud: *Reliquimus omnia;* omnia sanè dixerim, non tantum possessiones: *Sed etiam cupiditates, & eas maximè. Plus enim concupiscentia mundi, quam substantia nocet.* Plus retia offendunt, quam præda; & araneæ retia, quæ intimis sunt inseminata visceribus, & omnia fœdant. Pulcrè Sponsa Cant. 2. iuxta Septuag. ait: *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, eminens super retia.* Quasi ea sit cura potior Dei, vt calcatum veniat humana retia; & hoc in primis à nobis petat, vt sollicitudines, & machinamenta mundialia, quæ retia sunt, eius subiiciamus pedibus, non aliter placituri Deo. Huc adest Orig. hom. 4. fatus. *Ecce hic retro post parietem nostrum, eminens super retia: cum verò eminuerit, dicit tibi: Surge, veni proxima mea, viam tibi feci, con-* Origen.

ſtudi retis;ſic veni ad me proxima mea ; expende illud,*ſic veni.* Hoc eſt poſt conſciſſa retia, poſt retia exſibilata, potes venire & Deo appropinquare, aliter caue tibi : ſed ſcire cupis, qui ſint, qui & in ipſa Chriſti ſequela, adhuc retia expandant ? Quantum coniicio, hi ſunt viliſſimi, & rudiſſimi homunciones. Memento illam parabolam propoſitam Iudic.9. nimirum : *Iuerunt ligna ſyluæ,vt vngerent ſibi regem.* [*Iud.9.*] Ecce tibi, qui faciunt conuentus de eligendo rege, qui ambitionis retia expandunt, qui machinas ſtruunt, vt ſuffragia captent, qui ? ligna ſyluæ. [*Nilus.*] Pulcrè Nilus in Aſcet. ait. *Nec enim paradiſi, ſed ſyluæ ligna rectoris indigere dixit ſimilitudo.* Et quidem & pulcræ, & fructiferæ erant in paradiſo arbores, erat notiſſima vitæ arbos, & erat arbor ſcientiæ, ſed hæ ſibi manent quietæ abſque vlla regnandi memoria ; verum ſylueſtres arbores, infructiferæ ſalices eunt, & redeunt, nullúmque non mouent lapidem, vt regnum, vt prælatura deferatur.

§. XXV.

Homines verò operum exemplo capiendi.

VT piſcatores fiant, vocantur, & tamen abiiciunt retia Apoſtoli : quo igitur ibis, nunquid ſine retibus ibis piſcarum ? Equidem qui piſcari homines velit, relinquat retia, ſolis vtatur manibus : non enim retibus, ſed operum exemplo homo capitur, [*Iſai.11.*] Iſai. de Apoſtolica captura, cap.11. ſic ait : *Simul prædabuntur filios orientis. Idumæa, & Moab præceptum manus eorum* ; expende inſtrumentum piſcationis, nimirum ; *præceptum manus eorum.* numquid manibus præcepimus, an ore ? Numquid manibus prædicamus, an ſermone ? Manus ſunt, quæ in Apoſtolica piſcatione ineſcant animos, & ineſcatos capiunt. Etſi mutus fias, etſi hoc ſolum agas, videlicet, vt manus bonis operibus applices, proculdubio eris homines capiens. Quot verba fecerunt tres illi pueri apud Babylonium Regem, [*Daniel.3.*] nec eum capiunt ? Quippe aiunt, Daniel. 3. *Deus noſter, quem colimus, poteſt eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex, liberare. Quod ſi noluerit, notum ſit tibi Rex, quia Deos tuos non colimus.* Hæc faciunt verba pietatis, & fortitudinis plena, neque his mouetur tyrannus. Sed vbi ad opus ventum eſt, vbi in flammas ſeſe pro Deo ſuſtinent dari, mediiſque illis viuunt, tunc Rex ait : *Benedictus Deus eorum, Sidrach, videlicet, Miſach, & Abdenago.* Ecce qui coccineis vittis labiorum reſtitit, operum exhi- [*Chryſoſt.*] bitione, & capitur, & ligatur. Id quod ſic notat Chryſoſt. homil. 6. ad Pop. ſatus. *Antea quando dixerunt, Dijs tuis non ſeruimus, fornace ſæuius accenſus eſt : poſtquam verò per ipſa opera hoc oſtenderunt, non tantum non indignatus eſt, ſed & laudauit, & admiratus eſt, quod ſibi non obediſſent.* Hi profectò ſunt homines qui plus manibus capiantur, quam dictis ; crediderim id eſſe ipſius hominis inſeminatum naturæ ; quando enim cæteræ creaturæ Dei dictis audientes fiebant : iam tunc hominis ſubſtantia ſola, non dictis, ſed manibus trahitur diuinis ; vt diſcas, quo trahendi, & ineſcandi homines ſint. De Ieſu præcurſore noto duo : in primis Lucæ 3. dicitur, *Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem Zachariæ filium in deſerto.* aliter inter eiuſdem natiuitatis [*Luc.2.*] miracula, Luc. 2. *Poſuerunt omnes, qui audiebant in corde ſuo, dicentes : Quis putas puer iſte erit ? Etenim manus Domini erat cum illo.* Hic Dei manus, illic Dei verbum cum Ioanne dicitur, cur non vtrobique aut Dei verbum, aut Dei manus ? Equidem vbi res agebatur in deſerto, ſufficiebat verbum Dei Ioannem implere ; at in ciuitate, inter homines, qui ineſcandi erant, & trahendi ad diuinas laudes, non verbum, ſed manus Dei ibi patet, qui certius homines ca- [*Luc.12.*] piat. Inde Euangelici piſcatores ſic apud Luc.12. inſtruuntur, vt ſint *lucernæ ardentes in manibus veſtris.* & quidem lucidum eloquium Domini eſt, ſed humani piſces, non ad lucem, quæ ex eloquio, ſed ad lucem proſiliunt, quæ eſt è manibus. Vt homines traheret, ſic eloquebatur Dominus Matth.11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos* ; quæ lingua efficacior ad trahẽdos homines? Quæ vox ſuauior ad ineſcandos ? Et tamen pauciſſimi homines trahuntur hoc Dominico hamo : veniunt poſt Dominum Apoſtoli, & totum orbem terrarum expiſcantur. Sed vnde expiſcantur? Sanè non aliunde, niſi quia præfata verba Domini non è labiis emittunt, ſed è manibus. Id ponde- [*Baſil.*] rans Baſil Sel orat.29. ſic prædictæ Chriſti vocis vires exprimit aiens. *Huius vocis hæreditatem obtinuit Apoſtolorum cætus, hanc in manibus habentes, non inflata tuba, oculum hominibus peruium reddiderunt : terras integras peruaſit ea vox.* &c. Expende illud, *hanc in manibus habentes* ; quandiu enim in ore Dominico fuit, etſi mille hamis plena, pauciſſimos traxit ; vbi ad Apoſtolorum manus dilapſa eſt, totum ſibi orbem rapuit.

§. XXVI.

Conformes fieri debemus Ieſu in omnibus.

ET ſi ad piſcaturam vocantur, prudenter tamen Apoſtoli retia dimittunt : qualiter enim cum retibus ſequi poſſent illum, qui abſque vllis retibus illos vocabat. Tales enim Ieſus ſeſe nobis proponit, quales vult eſſe eos, qui ſequantur. Dicitur Cant.2. iuxta LXX. *En ipſe ſtat poſt parietem* [*Cant.2.*] *noſtrum reſpiciens per feneſtras, eminens ſuper retia.* Quando ſuper retia eminet Dominus, retia calcat : cur ergo ſe nobis oſtendit retia calcans ? Ne audeamus nos ad illum, qui vitiorum retia calcat, niſi eadem retia calcantes. Pulchre Ambroſ. ſerm.6. in Pſalm.18. ait : *Is ſolus erat Ieſus, qui cum* [*Pſal.18.*] *huius carnis ſe circundediſſet vinculis, captus non erat, non erat alligatus, ſed diſrumpens ea, atque diſſoluens, ad ſe magis vocauit Eccleſiam, proſpiciens per laqueos, eminens ſuper retia, vt & ipſa diſceret vinculis non teneri.* Verecundum erit nos irretitos laqueis monſtrare poſt Ieſum, qui nullum non fregit laqueum. Vbi Ieſus ſine laqueis adeſt, quis Ieſum conueniat non dimiſſis prius laqueis ? Memini à Lacedæmoniis deos omnes armatos repræſentari, *ne inuenes*, inquiunt, *niſi armati deprecarentur* : ſic Deo ſe debent conformare precantes. Hinc diuino Sponſo, qui *gladium venit mittere in terram*, dicitur Pſal. 44. *Accingere gladio tuo ſuper* [*Pſal.44.*] *femur tuum potentiſſime.* Quis nouit ſponſum armatum? qualis hic ſponſi habitus ? Sanè talem ſe exhibebat, quales volebat eſſe amatores ſuos ; cum gladio apparebat, ne quis, nec ipſa ſponſa illum ſine gladio conuenire auderet. Vnde Paul. ad Epheſ. 6. monet : *Gladium ſpiritus aſſumite,* [*Epheſ.6.*] *quod eſt verbum Dei.* Quibus Paſchaſ. in Pſalm. 44. ſic ad [*Paſchaſ.*] ſponſam loquitur. *Gaude ſponſa, quia fortiſſimum duxiſti ſponſum, & armatum. Quinimo armare & ipſa gladio verbi diuini, de quo ait Apoſtolus, Gladium ſpiritus aſſumite, quod eſt verbum Dei ; quatenus & ipſa tuo armata reſpondeas propugnatori, & defenſori.* Non expedit, Ieſum ſequi, & eius non ſeſe conformari habitui, qualem Ieſum videris vocantem, talis ſequere ; hæc enim tota hominis felicitas, ſi conformis Ieſu fiat, hinc noſtra vita procedit. Huc referre licet illud Eliſæi facinus, quo 4. Regum 4. ſeſe aptauit defuncto puero, vt reduceret illum ad vitam. Rem ita narrat, & ponderat Baſil. Seleuc. orat. 10. inquiens. *Pueri ori* [*Baſil Sel.*] *ſuum os impoſuit Eliſæus, naſum naſo aptauit, faciem faciei ſubiicit, cum pedibus pedes contendit, pectus impoſuit pectori, oculos oculis admouit : paucis denique membris ſingillatim applicato Prophetæ membra vitam conferebant.* Sic vt puer reluceret, oculos, ora, & manus, & pedes Eliſæus conformabat ſibi. Cur hoc fiebat ? Cur ſuſcitaturus puerum non confugit ad orationis præſidium, ſed iam nouum modum excogitauit ? An illo monſtrabatur, quod Chriſtianorum vita in eo conſiſtebat, vt omnes ſenſus tuos Chriſto conformares ? vt non habeamus oculos, nec pedes, nec manus, nec ora, niſi vt oculos, & pedes, & manus, & ora Chriſtus Dominus habuit ? Huic quæſtioni ſuffragatur Baſil. reddens hanc cauſam, aiens. *Eliſæus Chriſti figuram gerit. Populus autem gentium* [*Idem.*] *erat ille mortuus vt peccatorum.* Ergo quiſquis vitam ſperas, ſequere Ieſum, ſed per omnia te Ieſu conformando, talem te exhibe, qualem videris Ieſum vocantem, adeò vt nec in ictu oculi ab illo dimouearis.

Matth.4. Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius, in naui cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia ſua, & vocauit eos. Illi autem ſtatim relictis retibus, & patre ſecuti ſunt eum.

§. XXVII.

Parentes in primis relinquat, qui ſeſe Chriſto ſequendo tradit.

HIc ſit primus Chriſtianæ perfectionis gradus, quod vniuerſæ cognationi carnali dicas longum vale : nil

primum

primum tibi agendum est, quam vt exuas effectum propioquorum, & parentum carnalium. Iam mihi in præsenti veniunt ponderanda verba illa,
Cant.4. Cant. 4. *Veni de Libano soror mea sponsa. Veni de Libano: veni coronaberis.* Qualis est ista tam festina coronatio? dicis veni, & statim coronam prætendis, an primo passu arripienda corona est? Equidem Paul. 2. ad
2.Tim.2. Timoth. 2. ait: *Non coronabitur, nisi qui legitime certauerit.* & meritò, qui certat, accipit coronam, & qui currit, brauium accipit. Et modo non petitur, quod certet sponsa, non petitur, quod currat, sed solum aiunt, *veni, & coronaberis.* An in primo passu confectum intelligitur certamen? Equidem nemo ad perfectionem venit, qui in primo passu non intelligatur debellasse iam affectum erga parentes, & propinquos carnales. Ita se in præsenti expedit S. Brun. dicens: *Ipsum igitur venire certare est: neque enim os facile fuit patriam, parentésque relinquere, pristinos mores, antiquam conuersationem, & eos, quos coluerat Deos, parentésque deserere.* Cum primum pedem moueas ad Christi sequelam, iam tibi certamen est cum parentibus, qui relinquendi: iam tibi de dimissis parentibus, & cognatis corona debenda est. Meritò Moyses
Exod.32. Leuitas armabat in vniuersos cognatos, dicens Exodi 32. *Ponat vir gladium super femur suum: ite, & redite de porta vsque ad portam per medium castrorum, occidat vnusquisque fratrem, &c.* Ecce gladius separans filios à patribus, nulliúsque consanguinitatis, aut necessitudinis vinculis parcens. Sed vnde gladius hic incipit? Expende locum, nimirum, *de porta vsque ad portam.* & supra ait, *stans Moyses in porta castrorum, &c.* Nec limen portæ teras nisi stricto gladio aduersus cognationem carnalem; in ipso primo passu seruitutis Dei hæc arripienda sunt arma, hæc vincenda certamina, vt Dei
Deut.33. coronam potiaris. De his Deut. 33. dicitur. *Qui dixit patri suo, & matri suæ: Nescio vos; & fratribus suis: Ignoro illos, & nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum seruauerint, iudicia tua ô Iacob & legem tuam ô Israël.* Hi strenuissimi, qui sese carnali parentum affectu nouerunt expedire propter Deum, hi sunt quibus Deus credit legẽ suã, & totius fabricam Ecclesiæ. Sic vbi de templi constructione
3.Reg.7. agebatur 3. Reg. 7. dicitur. *Misit rex Salomon, & tulit Hiram de Tyro, filium mulieris viduæ de tribu Nephtali, patre Tyrio, artificem ærarium plenam sapientia, &c.* Vbi nota illud, quod à textu non otiose notatum est, videlicet, *filium mulieris viduæ*, solent enim similes difficilius auelli ab amplexibus matrum. Sed hi sumuntur ad Dei domum ædificandam, qui primo in passu, hunc validissimum in parentes affectum nouerint relinquere. Quibus putat Eucherius lib. 3. Reg.
Psalm.44. respondere illud Psalm. 44. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij*; quasi de dimissis parentibus præmium exspectẽt omnes, qui diuinæ fabricæ addicuntur. Nisi enim ab hoc pio certamine in parentes inceperis, vix aliquod facinus virtutis
Matth.8. efficies. Dicebat ille Matth. 8. ad Iesum. *Puer meus iacet in*
Paschas. *domo paralyticus.* In qua domo S. Paschasius lib. 5. in Matth. ait, *In domo, inquam, de qua dictum legimus ad animam: Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui. In hac quippe domo paralytica est anima.* Dum enim inter parentes agis, ea laboras paralysi, qua nihil efficies insigne. Hinc ego Ionathæ facinora illustro, quod affectum in parentem nouit exuere, vt Dauidis innocentiæ seruiret.

§. XXVIII.

Euangelicis Heroibus in principio virtutum maiores difficultates proponendæ sunt.

CVr Dominus vocaturus Ioannem & Iacobum, expectat tempus, quando illi cum patre suo erant? Nónne aptius vocasset post patris discessum? Hi erant duo fratres, qui ad magna facinora vocabantur, & sic in principio conuersionis maior & durior difficultas illis proponitur, quam amore Dei superent. Ad Habrahamum ait in primis Deus
Genes.12. Genes. 12. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrabo tibi.* Ecce quam explicatæ proponantur omnes difficultates, nimirum egressio à patria, à cognatione, à domo patris; quod autem præmium offertur, nimis confusè proponitur, nec apparet, quid sit, sed veni in terram, quam monstrabo tibi, vt sic magis crescat tentatio, primóque impetu notæ sint omnes difficultates, vt facilius vincantur. Innuebat id D.
August. August. serm. 68. de tempore, fatus, Exi, ait, de terra tua. *Quis hoc sine fidei viribus libenter audiret? Leuius probaretur, si vel nomen loci, quo perrexisset, audiret.* Nil quod dolorem temperare possit, proponitur, solum difficultates explicantur; ne ignoratæ à principio, postmodum superuenientes maiorem ruinam faciant. Heli Sacerdos 1. Reg. 3. accepit ex 1.Reg.3.
Samuele Dei oraculum, quo nouit domus suæ ruinam, filiorum mortem; quam cladem amore Dei animosus superauit, aiens, *Dominus est, quod bonum fuerit in oculis eius, faciat.* Non multum post conferunt Israëlitæ manus cum Philistæis, euentum belli expectabat Heli, & ecce tibi cap. 4. nuntius ait, *Fugit Israel coram Philisthiim, & ruina magna facta est in populo, insuper & duo filij tui mortui sunt, Ophni, & Phinees; & arca Domini capta est. Cumque ille nominasset arcam Dei, cecidit de sella retrorsum iuxta ostium, & fractis ceruicibus mortuus est.* Nónne à principio vir bonus cladem nouerat? Nónne iam ruinæ dolorem Deo libauerat, cum primum à Samuele audiuerat? Cur ergo modo superatur magnitudine cladis? Audierat à principio cladem, sed non omnem; perceperat ruinam domus suæ, filiorum mortem, verum non explicata fuit illi captiuitas arcæ, cuius insperatæ cladis dolore superatur. Accipite Iosephum lib. 5. cap. 12. sic Ioseph.
fantem. *Cum audisset euentum prælij tam militum, quam filiorum, cladem satis æquo animo tulit, vt qui Deo prænuntiante iam ante hæc præsciuerat. Vt verò etiam arcam in hostium potestatem factam cognouit, insperato malo ictus, ac doloris impatiens prolapsus è throno exhalauit animam.* Equidem frangunt animos superuenientes tentationes, quas à principio minime fuimus experti, nec superauimus. Magníque ponderis est, si vel à principio noueris quascumque postea difficultates inueneris. Hinc nouus in Christo fœtus primo suscipit baptismus: in quo quidquid agitur & mortis, & sepulturæ mentio est; ait enim Paulus ad Rom. 6. *An ignoratis, quod qui-* Rom.6.
cumque baptizati sunt in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sunt: consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem. Et quidem rectè primo congressu mortis, & sepulturæ spicula nobis proponuntur, vt ad illa parati nullum nouum expauescamus periculum. Vnde dicebat Tertull. ad Scapu- Tertull.
lam, cap. 1. *Nos quidem neque expauescimus, neque pertimescimus ea, quæ ab ignorantibus patimur; cum ad hanc sectam vtique suscepta conditione eius pacti venerimus, vt etiam animas nostras auctorati in has pugnas accedemus.* Notæ sunt nobis à limine mortis vasa, iam primo in congressu duriora vidimus certamina, nil postmodum nouum Christiano, nihil inopinatum accidit. Vocaturus Habrahamum Dominus,
Gen. 12. aiebat: *Veni in terram, quam monstrabo tibi.* Cur sta- Genes.12.
tim non explicat, quæ futura sit terra? Vt bonus athleta primo in limine sese ad omnem terram, etiam durissimam, etiam remotissimam aptet. Chrysost. lib. 1. de Prouid. *Habra-* Chrysost.
ham cum simpliciter, ac indistinctè audisset, in terram; non istam, vel illam, sed quam monstrabo tibi; omnia mente circuibat, ac perlustrabat. Credi enim potest ad orbis terrarum fines, Oceanúmque ipsum se profecturum expectasse. Itaque etsi non omnem perlustrauit terram, curam tamen huiusce perficiendi itineris sustinuit. Quo itinere deterreri poterit, qui primo passu se ad orbis terrarum fines perlustrandos parat? Hinc notabis, quam desipuit Satanas, vbi ad perdendum Iobum, in primis illi offert durissima omnium certamina. Equidem primo in congressu, & filios eius vna sepelit, & vniuersa bona illius perdit, quo factum est, vt inuincibilis redderetur Iob ad omnia alia certamina. Ita Chrysostom. in caten. Idem.
Græc. ait: *Cum tantorum bonorum possessione eum deturbarit, non solum bonis non spoliauit; verum etiam multo vberiores virtutis opes illi constauit. Nam vehementioribus contentionibus erudiius, atque exercitatus audacior postea fuit, atque paratior.* Sic qui in primis duriora vincit, inuincibilis manet.

CAPVT II.

Philippus & Nathanaël vocantur.

POSTQVAM Dominus Simonem Andreæ fratrem Petri cognomine insigniuit, sequẽti die ad Galilæam digressus Philippum Bethsaidæ natum ad se vnius verbi potestate pertraxit. Is est Philippus, qui eam dominici verbi in se efficaciam fuit expertus, qua Nathanaëlem de inuento Messia certiorem facere, quam primum potuit, curauit. Doctior Nathanaël Philippo non adducitur, vt credat à Nazareth, quæ patria Iesu dicebatur, potuisse salutem gentium sperari. Verum secutus Philippum, Iesum adit; cui vt vidit secreta sui cordis, arcanásque actiones patere: ipsum & filium Dei, & Regem

Israel protestatur. Nuperi Theologi post Rupertum, vt Nathanaelis confessionem haud ingratam relinquant, volunt pro illa Bartholomæi nomine in Apostolorum album illum fuisse relatum. Sed qui humilia elegit, vt fortia confundat, doctissimum Nathanaelem Apostolico apice minimè donauit. Sed vt verum Israelitam præmonuit, sic magni Israelis somnium de ascendentibus Angelis, & descendentibus per scalam, in se, qui petra viua est, diuinitatis oleo delibuta, implendum manifestissimè concionatur, quando Angelorum ministerium & sibi, & Ecclesiæ suæ supra petram fundatæ cuncti fuerint mortales conspicati.

Ioan. 1. In crastinum voluit exire in Galilæam, & inuenit Philippum. Et dicit ei Iesus: Sequere me. Erat autem Philippus à Bethsaida ciuitate Andreæ, & Petri.

§. I.

Verbi diuini efficacia absumit facilè quidquid Deo resistit.

BEthsaida ciuitas est, propter scelerum magnitudinem penè à Deo deplorata, vbi ait, Væ tibi Bethsaida, cuius ciuem Philippum, vt ad se Dominus trahat, non alio vtitur instrumento efficaciori, quam verbulo diuinis prolato labiis. Etenim ait: *Sequere me.* Cuius voci, vt Lazari sepulchralia non potuere resistere, sic Philippus, etsi libentissimus, tamen statim paruit. Non scelesta patria, non Bethsaida, non corrupti ipsius mores valuere Philippum a verbi Christiani eripere potestate. Ea est cœlestium verborum

Ezech. 3. efficacia. Qoando Ezech. cap. 3. mittitur ad populum, allato libro in medium, dicunt ei: *Comede volumen istud, & vadens loquere ad filios Israel.* Verum Christi Apostolis non liber

Act. 2. datur, sed *apparuerunt dispertitæ linguæ quasi ignis*; & tamen non ad populum, sed ad totum orbem terrarum mittebantur. Non enim occidens littera, sed cœlestis lingua potens est Christianum facere totũ orbem terrarum. Id ponderat

Chrys. Chrys. serm. 2. in Pent. fatus. *Cur igitur illic liber & littera, hic verò lingua & ignis? Quod ille quidem abiret insectaturus peccata, calamitatesque Iudæorum ploraturus. Hi verò peccata orbis terrarum absumpturi erant.* Vbi ergo peccata rememoranda, & ferreo notanda stylo sunt, liber mandatur; at vbi totius orbis terrarum malitia extirpanda, vbi mundus in vitam trahendus est immortalem; vna cœlestis lingua id sola

Psalm. 28. perficere valet. De hac Psalm. 28. *Vox Domini præparantis ceruos, & reuelauit condensa.* Vbi D Basil. legit: *Vox Domini præparans, & absoluens ceruos.* quasi ea sit diuinæ linguæ vis, cui nulla vincula, nullum possit resistere ligamen. Omnia soluit, omnes explicat difficultates: *& reuelauit condensa.* Quid interest, quod ceruo sis velocior, & expeditior ad sagittas fugiendas, ad montium cacumina superanda, si hinc inde densissimæ se offerant siluæ, quæ te vel inuitum faciant morari? Verum siquidem Dei vox tuis personat in auribus, & vincula rumpit, & ceruorum pedes tibi parat, & syluas exscindit, omnibúsque absumptis impedimentis, te difficultatibus superiorem, cœlis viciniorem

Gillebert. facit. Hic respicit Gillebertus Abbas sermone decimo quarto in Cantic. fatus: *Vox Domini, vox intimæ inspirationis mentis auribus suauiter illapsa. Nulla est vtique, quæ ceruos huiuscemodi præparat, quæ reuelat condensa. Nam si quæ condensa sunt, & crebris scandalorum, quasi spinarum oculeis obsita; illis condensa non sunt, quorum Dominus perficit pedes, quasi ceruorum, qui nullo itinerarum obice tardari possunt.* Vna Dei vox est, quæ densissima vinculorum agmina nouit rumpere, vt homines trahat. Sodomis innutritus Loth etiam ingentis supplicij minis ægre, & difficulter à populo diuellebatur, cur iustus vir à nequissima ciuitate exi-

Genes. 21. re retardat? Ait Genes. 21. *Cúmque esset mane, cogebant eum Angeli, dicentes: Surge, tolle vxorem tuam, & duas filias, quas habes, ne & tu pariter pereas in scelere ciuitatis, dissimulante illo apprehenderunt manum eius, eduxeruntque eum,* &c. Expende illud, *cogebant eum Angeli*: quippè difficilè erat Angelis hominem ab oppido abducere: quibus ille resisteret proculdubio, & saltem nisi multa vi, & coactione adhibita non exisset. Non Angeli, non potestas aliqua creata, nisi sola Dei vox nouit pedes ceruorum præparare, vt vinculis omnibus, & retibus vitiorum superatis, libenter ad meliora saltent. Per quadraginta dies vox Dei personabat in

Exod. 31. Sina legem Moysi dictans; sed tandem ait text. Exod. 31. *Dedit quoque Dominus Moysi completis sermonibus in monte Sinai duas tabulas lapideas scriptas digito Dei.* Quid tunc? Immediatè ad hæc cap. 32. *Videns autem populus, quod moram faceret Moyses congregatus aduersus Aaron ait: Surge fac nobis Deos.* Quibus id maximè ponderandum est, quod post completos Dei sermones, post legem scriptis traditam, dicatur populus insurrexisse in Aaronem, dum autem vox personabat Dei, nullum populi fastidium, nulla rebellio erumpit, omnis prauitas frænatur, at post finitam Dei vocem statim erumpunt populi peccata. Ambros. epist. 56. fatur: *Cum* Ambros. *Moyses in monte Sinai legem acciperet, populus erat cum Aaron Sacerdote. Et quamuis frequenter ad culpam lubricus: tamen quandiu lex dabatur, sacrilegio errasse non proditur. Verum vbi diuinum conticuit oraculum, peccatum irrepsit, vt peterent sibi fieri Deos.* Si Deus conticuit, si vox diuina cessauit, cur non irreperent peccata, quæ Dei sola voce cohiberi possint, & refrænari? Sonet Dei vox, & omnia videbis absumi scelera, omnia perdi vitiorum ligamina. Ad Hierem. cap. 1. dicit *Hierem.* 1. Dominus: *Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce constitui te hodie super gentes, & super regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* Ad regna destruenda, & ædificanda, vide quæ arma parentur, nimirum: *Ecce dedi verba mea in ore tuo.* vnico Dei verbo opus habet, qui vniuersum mundum, & euertere, & conuertere cupit: ait enim Origen. homil. 1. in præsenti: *Qui sic beatus est,* Origen. *vt regna multa, quæ Christo diabolus ostendit, regna dæmonum, regna peccati eradicet, opus habet his, qui ei dati sunt à Deo, sermonibus.* De solo sermone Dei armatus, omnia poterit facilè conficere.

Text. Inuenit Philippus Nathanaël, & dicit ei: Quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ, inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth.

§. II.

Scriptura fidelis Christi custos est.

VBi scriptura est, non perditur Christus: imò sic ab illa incolumis custoditur, vt qui candidè, & sincerè scripturas attendat, facilè ibi inueniat Christum. Vix in terram aduenit, & malè ab Herode petitus fugit in Ægyptum. Cur in Ægyptum? Nónne, & ibi Iacobæum genus malè habuit? Potuisset sanè in aliam minus sibi suspectam regionem fugere, & custodiri; sed apud Ægyptum diligentia Ptolomæi Regis seruabantur scripturæ per Septuaginta interpretes translatæ. Nulla ergo regio aptior ad custodiendum, & seruandum Christum, quam Ægyptus sacris ditata scripturis. Sic D. Irenæus lib. 3. cap. 25. *Deus seruauit nobis* Iren. *simplices scripturas in Ægypto, in qua adoleuit & domus Iacob, in qua Dominus noster seruatus est, effugiens eam persecutionem, quæ erat ab Herode.* Vbi per manibus Scripturæ sacræ erant, bene haberet Iesus, quem Moyses, & Prophetæ prædicant vbique. Nec mors, nec infernus Iesum offendunt, si adsint scrutandæ scripturæ. Vnde audenter dicebat Apost. 1. Co- 1. *Cor.* 15. rinth. 15. *Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas.* Mortuum prædicas, ô Paule, & confidis illum à gentibus non irridendum esse? Mortuum prædicat, sed notanter apposuit illud, secundum scripturas, quia scripturæ si sciantur, nullam Christo sinunt ex morte, & ignominiis offensionem venire. Id quod notans Tertul. aduer- Tertull. sus Praxeam dicit: *Sufficit filium Dei mortuum esse, & hoc, quia ita scriptum est: Nam & Apostolus non sine onere pronuncians Christum mortuum adiecit, secundum scripturas, vt duritiem pronunciationis scripturarum authoritate molliret, & scandalum auditoris auerteret.* Quantumuis diabolus passionum nubila conglomeret, etsi mortis, & inferni tenebras adiiciat, minimè obscurauit Christum; dum solùm scriptura loqui possit. Meritò Theodoretus Iudæorum dispersionem per vniuersam terram Christo suscipiendo proficuam noscit ex hoc capite, quod Iudæi secum deferunt legis, & Prophetarum libros, quibus necessum est, si excutiantur, Christum innotescere. Etenim ait ille, serm. 10. de Chrysost. Prouid. *Si quis diligentius rem excutere velles, Iudæorum resistentiam gentium fidem plurimum adiuuisse inuenies. Disceptatio enim cum Iudæis, & à lege, & à Prophetis desumpta demonstratio, manifestè illorum insaniam arguit: gentibus autem demonstrat Christianum politiam olim prædicatam esse.* Bene præmittitur lex, & scriptura, quæ rationem Christo excipiendo parat aditum. Vbi enim Moyses bene habet, necessum est,

Exod.17. vt Iesu diuina potestas pateat. Exod. 17. impetum fecit Iesus Naue aduersus Amalech. *Cumque eleuaret Moyses manus, vincebat Israël.* Tunc Iesu clarebat victoria, cum Moyses manus non deiectæ erant, sed eleuatæ. Tunc verus Saluator mundi triumphat,& obturat inimicorum os,cum Moyses non abiicitur, sed omnino bene habet. Meritò Origen. Origen. homil.1.in Iosue: *Tunc ergo inualescit Iesus magis,& tunc vincit quando Moyses erigit manus suas. Victus est autem populus ille ab Amalech, quoniam iam non erigebat manus suas;sed erant dimissæ deorsum. Illi enim sunt,quibus dicitur:Si crederetis Moysi, crederetis vtique mihi.*

§. III.

Christus in Moyse, & Prophetis, vt potentissimus est omnium.

MIrare illam piscatoris hominis audaciam: semel Iesum viderat,& statim animosè fatur,*quem scripsit Moyses, & Prophetæ inuenimus Iesum.* Illiteratus homo erat Philippus, & tamen de Prophetarum,& Moysis suffragio gloriatur se inuenisse Iesum verum populi Saluatorem. Adeò enim perspicuus erat Iesus in Moyse, vt à quolibet possit Genes.1. inueniri facilè.Ecce tibi Moyses, ante omnia fatur,Gen.1.*In principio creauit Deus cælum,& terram.*Quo in principio?Crediderim,quod in filio; etenim interrogatus Iesus,quis esset Ioann.8. Ioan.8.respondit: *Principium,qui & loquor vobis.*Itaque ante omnia posuit Moyses notissimum filij Dei nomen, ante vniuersi historiam, ante Spiritum sanctum, ante Deum Patrem prima voce filium exprimit, ne Iudæus tardet Salua- Brun. toris sui videre notionem. Acutè id notat S. Brun. serm. 1. de Trinitat.inquiens.*In principio, inquit, fecit Deus cælum, & terram: & Spiritus Dei ferebatur super aquas. Conueniens. fortasse fuerat, vt nomen patris prius poneretur, qui vbique maximè ab ipso filio honoratur; sed noluit hoc Moyses; imò Spiritus sanctus, qui loquebatur in Moyse, prius nomen filij posuit, ne Iudæus quærendo erraret.* Adeò patens ponebatur Saluator in Moyse, vt à quocumque inueniretur, ne quis accederet ad Moysem, quin statim ipso in limine eius prosiliret in ocu- Cant.2. los Saluator.Ait enim sponsa,Cant.2.*Ecce iste venit saliens in montibus,transiliens colles.* Expende illud, *saliens in montibus:* mons erat Moyses,mõtes erant Prophetæ,& meus Saluator in his montibus non amat latebras, non apud tenebrosas speluncas delitescit,sed in mõtibus salit,diceres Hispanice, *lo que en la escritura mas salta à los ojos*,quod legenti Moysem Origen. prius ob oculos est, citius & facilius inuenitur. Sic Orig. fatur homil. 3. in Cant. *Subito vides eum, in istis montibus, legis dumtaxat voluminibus salientem, & in collibus scripturæ propheticæ pro euidenti manifestatione non tam apparentem,quam exilientem. Verbi gratia: quasi reuoluens singulas propheticæ lectionis paginas inueniat de ipsis exilientem Christum, & per loca singula lectionum ebullire eum cernat, & mergere, atque euidenti iam manifestatione prorumpere.* A quo ignorabitur ille, qui sic per legem, & prophetas ebullit, sic ob oculos exilit? Vide Moysem, vide Prophetas, non equidem iuberis oculos ad remotissimos stellarum aspectus tollere, sed montes respice, qui à rudibus popularibus spectari solent, in illis tibi ob oculos statim prosiliet Iesus, qui amat inde videri. Isai.8. Quo referam illud Isaiæ dictum cap. 8. *Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis, &c.* Quis est stylus hominis? Stylus clarus, facilis, popularibus ineruditis accommodatus, in quo præuia sint omnia, quæ ad Verbi incarnationem pertinent. Vnde Ezechiæ desideranti videre diem Domini, ostensus est hic dies 4. Reg. 20. per Solem recurrentem decem gradus in horologio, vt Sole ipso clariores paterent nasciturì domini gressus in prophetis.Hinc Ioan.1.interrogatus Iesus ab Andrea de habitatione sua,illum in domum vocat, & stati . notat Euangelista aiens: *Hora autem erat quasi decima*, nec id otiose notatur, sed vt ostendatur quam patẽter,& perspicue erant notati in Ezechiæ Sole gressus Saluatoris nostri. Id quod Stephan. expendit apud Tilmanni allegorias, inquiens. *Cum Andreas dixisset Domino: Rabbi, vbi habitas? & Dominus: Veni & vide; ibi sic dicitur: Erat autem hora quasi decima: vt memor sit signi Ezechiæ facti.*Vt vel rudis piscator Saluatoris gressus agnosceret Sole clarius horologio prophetico designatos.

§. IV.

Deus non effingendus est pro nostro cuiusque placito.

MErito gaudet Philippus, se inuenisse Saluatorem,non qualem ipse sibi pro placito suo effingeret, sed qualem Moyses, & prophetæ pronuntiauerant. Vere in hoc Christianus.Quid magis gentile,quam eum cupere Deum, quem iuxta placitum nostrum gubernari videamus?Centurio ille Matth.8.sic Iesum affatur:*Dic verbo & sanabitur puer* Matth.8. *meus. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, & dico huic, Vade, & vadit, &c.* Expende, vnde auspicetur virtutem diuinam; dic verbo, ait, nam & ego dico,quasi solum cognosciturus esset Deum, qui eius se accommodet placito, & ab eo procedendi regulas capiat. Pulchre huius verba expendit D.Basil.Sel.orat.19.fatus. *Mitte, vt ego militem,* Basil. *mitte contra morbum imperium,rebus paruis minores quoque imitare: bis ostende pro nobis nostra, Deus quo gratificetur hominibus, homines imitetur.* Hinc Deum censet gentilis, si hominem seruiat placito, si sequatur præscripta humana, si hominibus placeat. Sese Deus hominibus gratum præbeat, si ab illis Deus vult haberi,eorum suffragia captet seruiendo, adulando.Oseæ 2.aiebat populus nequam, *Vadam post ama-* Osea 2. *tores meos qui dant panes mihi, & aquas meas, & linum meum, & oleum.* Quid est, vadam post amatores meos? Faciam mihi Deos, quos amabo, qui mihi magis ad palatum seruiant,qui omnia mihi suppeditent.Sed expende illud,quod à diis suis expetit,nimirum, *oleum meum.*De quo D.Hieron. fatur, *oleum, ait, de quo propheta dicit: Oleum peccatoris non impinguat caput meum.* Itaque, quod bonus Dauid horret ab hominibus fieri,hoc à Deo sibi fieri optat impius, nimirum quod Deus illius caput adulationis oleo impinguet, & de parasitorum more,delinimentis captet fauorem humanam. Eget Deus, si is haberi vult ab hominibus, se hominibus exhibere officiosum,& ad illorum placitum reformari.Quo gentes pungit Tertull. in Apolog.aiens. *Facit & hoc ad cau-* Tertull. *sam nostram, quod apud vos, ac humano arbitratu diuinitas pensitatur. Nisi homini Deus placuerit, Deus non erit.* Vacent omnino prophetæ, Deúmque halantia vaticinia penitus obmutescant, quandoquidem impiissimi homines nihil diuinum putant,quod non placeat sibi,quod non sibi gratificetur, hominum mores imitans. Ait Psalm.73. *Posuerunt signa* Psalm.73. *sua, signa, & non cognouerunt.* Iuxta proprium cuiusque palatum, sibi Deum meditabantur,non qualem prophetarum excessus, sed qualem gustus humanus effigiabat, Deum adorabant. Vt doleat Hieron.in Micheam cap.5. *Infelix hu-* Hieron. *mana conditio, scit de suo sensu dogmata esse composita, non ignorat à se esse idolum simulatum,& pro Deo adorat.*Imò ideo adorat citius, quia de suo nata, quia quidquid in illis videt, suum noscit, nihil supra hominem, nihil supra signa moris humani in Deo amant,quo insipientiæ merguntur barathro: etenim ait, *posuerunt signa sua, signa & non cognouerunt.* Cur cognoscerent, qui nihil supra hominem meditantur? Huc spectat Paul.ad Roman.1. *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei,in similitudinem imaginis corruptibilis hominis.* Intra hominis conditionem, Deum adumbrabant, is Deus habebatur, qui homini videbatur, hominúmque moribus magis sese aptabat. Iosue 24. Iosue 24. post præclaram concionem beneficiorum Dei factam ad populum, sic finit. *Nunc ergo timete Dominum, & seruite ei perfecto corde: & auferte Deos, quibus seruierunt patres vestri in Mesopotamia.* Mirum est, quod iubeat Deos tunc auferri, an apud fidelem populum erant adhuc alieni dij! Fecerunt quidem vitulum in Oreb, sed is à Moysi in cineres redactus fuit, quos ergo auferrent Deos, qui nullum habebant? Non habebant idolum externum, sed viri carnales, in corde suo Deum talem fingebant, & figurabant, qualem cupiebant proprij cuiusque affectus. Quam Dei notionem, vt erroneam debet à se magna diligentia excutere vir fidelis.Quod in præsenti notans August.q.29.ait.Propheta san- August. ctus in cordibus eorum esse cernebat cogitationes de Deo alienas à Deo, & illas admonebat auferre. Quisquis enim talem cogitat Deum, qualis non est Deus, alienum Deum, & falsum in cogitatione portat. Quis est autem, qui sic cogitet Deum, quemadmodum ille est? *Ac per hoc relinquitur fidelibus, quandiu peregrinantur à Domino, auferre à corde suo irruentia vana phantasmata.* Qui enim propriis credit affectibus, & cogitationibus, non verum Deum, sed vanum phantasma adorat.

§. V.

Religio quò vetustior, eò certior, & securior.

SVspecta est nouella religio,non vult Philippus assentiri, nisi vetustissimorum Prophetarum Deo, qui apud famosos Moysis codices cantatur Deus, is placet Philippo. Velim,

lim, vt circa religionem hæc sit prima semper disputatio, nimirum de antiquitate; & quæ nouitia probatur, eo ipso (Daniel.7.) censeatur ridicula. Daniel cap.7. *Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit.* Falsi dij noui, recentesque venerunt, vnus verus Dei Filius omnes antiquitate superat; nescit verus Deus aliter, quam antiquus dierum apparere. (Rupert.) Vt pulchrè dicat Rupert. in præsenti. *Thronus vnus, & plures throni: vna enim est Ecclesia, & plures sancti, quorum in cordibus ille antiquus dierum sedit: Deus quippè recens in illis non fuit.* Oderint viri sancti Deos recentes, nouitiam religionem, de vetustissimis temporum finibus doctrinam sumant: quandoquidem ea est Dei Ecclesia, cuius pretium de vltimis finibus sit. Et ille venit Filius Dei, cuius cani sunt sensus, cuius pulchritudo non aurea lanugine, sed veneranda splendet canicie. Nihil in se non canum amat videri Dei Filius, quippè interrogans, qui vocetur apud (Matth.13.) vulgares, Matt.13. respondent discipuli. *Alij Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij verò Hieremiam, aut vnum ex Prophetis.* Sic se veteribus conformabat, vt nec suspicionem daret esse alium, quàm aliquem ex his, quos vetustas pro-(Tertull.)bauerat. Tertul. lib.4. contra Marc. ait: *Nullum Deum nouum à Christo probatum illa opinio declarat: quia Christum Iesum alij Ioannem, alij Eliam, alij vnum aliquem ex veteribus Prophetis Herodi asseuerabant.* Vtinam homines veterum semper insisterent vestigiis, quam longè abessent à nouitiis disciplinis, tam propè veritati essent vicini, illos sic pungit Paul. ad (Rom.1.) Rom. 1. *Mutauerunt gloriam immortalis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis.* Expende illud, *mutauerunt:* etenim veram de Deo opinionem antiquitus homines ebiberunt, quam quia veterem, & fumosam, pro nouitij in-(Chrysost.)uenti splendore mutauerunt, & perierunt. Chrysost. hom.5. *Qui mutat, tanquam aliud habens mutat. Voluerunt enim amplius quidam inuenire, finibus sibi datis non contenti: quapropter, & ab ijs exciderunt, vt qui nouitatem appetiuerint.* Gloriemur non de nouis, sed de veteribus, non quod noua meditati simus, sed quod fumo seniòque obsoletis lucem, & splendorem dederimus. Quærenda semper est in nouitio (Cant.2.) splendore grauitas & auctoritas senectutis. Cant. 2. *Similis est dilectus meus capreæ, hinnulóque ceruorum;* ipse ipse puerulus Iesus, dum hinnuli formam præfert, & capreæ similis est, nimirum vetustissimorum patrum vmbris præfert lucem. Puer est Iesus, nouellus est infans, sed ne nauseetur Iudæus de nouitio Deo, quandoquidem agnus hic (Apoc.13.) *occisus est ab origine mundi,* Apoc.13. Quid vetustius? Agnum vides, sed qualem agnum retulerunt antiquissimi parentes tui ab ipsa mundi origine. Etsi agnus videtur, antiquus dierum est. a primis conditoribus orbis veneratus, & notus: non illum nouum facit leuitas, sed antiquissima seniorum vetustas. Accipe exemplum, quod considerat (Tertull.) Tertull. lib. de pallio, vbi de militari machina, quam arietem vocant, sic fatur. *Nam & arietem nemini vnquam adhuc libratum, illa dicitur Carthago asperrima belli prima omnium armasse in oscillum penduli impetus, commentata vim tormenti de vili pecoris capite vindicantis. Cum tamen vltimarent tempora patriæ, & aries iam Romanus in muros quondam suos auderet; stupuere illico Carthaginenses, vt nouum extraneum ingenium. Tantum æui longinqua valet mutare vetustas.* Itaque quem prima Carthago inuenit arietem bellicum, post multa tempora expauit illum videns apud Romanos, & eius vim experta nouum tormentum reputabat. Sic agnus diuinus à fundatoribus orbis notus, & adumbratus est, à Iudæorum priscis patribus maximè decantatus, & celebratus, ipsisque in primis à Deo datus. Verum cum vltimarent tempora, & agnus ipse Romanus factus in muros, & legem quondam suam feratur; illico miseri Iudæi expauent, & agni vim persentientes nouum Deum clamitant; quem sane nouum facit, non leuitas religionis, sed longinqua vetustas, & scripturarum sensus cani.

Text. Et dicit ei Nathanaël: A Nazareth potest aliquid boni esse? Dicit ei Philippus: Veni, & vide.

§. VI.

Iesu bona tanta sunt, vt à nulla creatura queant in præsenti sustineri.

SCiebat doctissimus Nathanaël ea esse bona Saluatoris, quæ à nulla ciuitate, imò nec a toto mundo capi possent, ideò notanter non quærit, an omnia Iesu bona à Nazaroth sint; sed an aliquid boni? Fortasse paruus populus aliquid Iesu possit sustentare, ingens enim eius gloria à nemine in præsenti sustineri potest. Moyses, vt Dei gloriam audiret, stetit in monte, Exod. 34. *Cumque descenderet de* (Exod.34.) *monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonij, & ignorabant, quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Dei.* Splendentes radij gloriosam reddebant Moysis descendentis à monte faciem: verum Iesu Apostoli in Thabor Iesu gloriam viderunt, Matth.17. *Et ceciderunt in faciem suam, & de-* (Matth.17.) *scendentes à monte, nihil gloriæ præsetulerunt.* Cur Moyses de Sina refert gloriam in vultu, & Apostoli de Thabor nihil gloriam præseferunt? Adeo pusilla erat legis gloria, quæ ab vno homine circumferre posset; Iesu autem gloria tantæ erat magnitudinis, vt nec a tribus Apostolis ad breue sustineri poterat. Ita Remigius in 2. ad Corinth. cap.3. ait, (2.Cor.3.) *Gloria Euangelij, quæ datur ministratoribus, & obseruatoribus eius, maior est gloria legis, quæ splenduit in facie Moysis, quia fuit temporalis, & quocumque ferri potuit, & videri ab illis: ista autem æterna erit; nec potuit ferri ab Apostolis, quando à Domino ostensa est in monte, qua statim lapsi sunt in terra velut mortui.* Merito Moyses & fert, & refert legis gloriam in vultu, quia quæ parua sunt, facilè circumferuntur; Apostoli autem succumbentes oneri, & in faciem cadentes, Iesu bona in præsenti importabilia designant. Multum erit si quid de Iesu bonis capiat mundus. Ad primæuæ iustitiæ homines dicitur Genes.2. *De omni ligno paradisi comede.* Non (Genes.2.) dicitur, omne lignum paradisi comede; sed de omni comede: quod quæstionem facit aliquibus, & putant ideò dictum de omni ligno, quia in omni ligno paradisi exprimebatur Iesus. qui omnis minimè capi potest in præsenti, & sufficit, quod aliquid tanti boni accipiat, qui viuere cupit. Ab hac stat sententia D. Damascenus lib. 2. de fide cap.11. (Damasc.) inquiens, *De omni ligno quod est in paradiso, escam comedite; nam ipse est omne, & per quem hoc omne, vniuersumque subsistit.* Equidem Iesus est omne, quandoquidem eius posteriora vocantur omne bonum, & quis est homo, qui in hac vita capiat omne bonum? Minimè capit omne Iesu bonum hæc miseriarum vallis, sufficit, si de omni aliquid capiat, vt in venturo sæculo omne suscipiat. Id Paul. insinuat 1. ad Co- (1.Cor.15.) rinthios 15. *Tunc & ipse filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, vt sit Deus omnia in omnibus.* Nunquam enim omnia Iesu bona capient singuli homines, nisi in consummatione sæculi; quod sic expendit D. Hieron. ad Amandum: *Domi-* (Hieron.) *minus, atque Saluator noster nunc non est omnia in omnibus, sed pars in singulis. Verbi gratia, in Salomone sapientia, in Dauid bonitas, in Iob patientia, in Petro fides, in Paulo zelus, in Ioanne virginitas, in cæteris cætera. Cum autem verum omnium fides aduenerit, tunc omnia in omnibus erit, vt singuli sanctorum omnes virtutes habeant, vt sit Christus totus in cunctis.* Modo non omne bonum Iesu, sed aliquid boni potest in insido teneri.

Text. Vidit Iesus Nathanaëlem venientem ad se, & dicit de eo: Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est.

§. VII.

Qui Deo impletur, neminem sciuit lædere, neminem fraudare.

PEr Israëlis vocabulum is designatur, qui Dei conspectum fruitur, qui de Dei consortio gaudet, cuius hæc præcipua est notio, quod nihil dolose agat, quod neminem lædat. Apud Nahum, cap.2. *Quoniam auertit Dominus* (Nahum 2.) *contumeliam Iacob, sicut contumeliam Israël.* Quasi diceret: facit Dominus, quod Iacob nemini contumeliosus, nemini iniurius sit; sicut nemini iniurius, nemini contumeliosus fuit Israël. Et quidem Iacob supplantator erat, & pene ab vtero dolos meditabatur in fratrem, quem supplantaret, cuius benedictionem furaretur, sed postquam conspectum nactus diuinum, dolos cum luctu finiuit, & Israël appellatus est, vt cum nouo vocabulo, & simplices, & nemini nocentes mores indueret. Ex quo D. Hieron. sic loqui- (Hieron.) tur: *Quæritur quomodo auersa fuerit iniuria Iacob, sicut auersa fuerat iniuria Israel? Postquam luctatus est Iacob cum Angelo, Israëlis nomen meruit accipere, & quia vidit Deum, iniuriam facere cessauit.* Hinc censendus est; & diiudicandus, quisque de Dei consortio gloriatur; si cui noceat, si dolos struat, vt decipiat, vt perdat aliquem, is nec Dei præsentiam est odoratus: Deus omnia nocina separat. Cum magnus ille pater Isaac benedictiones filiis impertiretur, sic

Geneſ.27. ſic ait ad Iacob Geneſ. 27. *Det tibi Deus de rore cœli*; verum
ad Eſau non dicit, det tibi Deus, ſed aliter locutus ait: *A
rore cœli erit benedictio tua, viues gladio.* Benedictionem ca-
pit Eſau de rore cœli, ſed quæ non exprimatur à Deo ſibi
data, quia vitam acturus erat ſub gladio, hoc eſt, qui mi-
litaribus dolis prædas ageret, vt ſibi compararet diuitias.
Cat.Græc. Quod notans Catena Græca, ait: *Ille fructibus vberis ſoli,
tritico, vinóque fruetur; hic in vbere quidem ſolo habitabit; ſed
ad victum comparandum gladio vtetur in prædis. Quocirca adij-
cere noluit; dabit tibi Deus:* Qui Deo ſtudet, minimè prædis
faciendis ſtudet; & prædonum dolos, & laqueos venan-
tium abiurat. Qui prædas exercet, totus eſt in parandis di-
ſcipulis inſidiarum, in ſtruendis dolis, in retibus occultan-
dis, in quibus maximè à conſortio Dei diſtat, qui omnes
laqueorum dolos in primis conculcat. Sic enim habes Can-
Ambroſ. tic.2. ex D.Ambroſ.ſerm.6. in Pſal.118. *En ipſe ſtat poſt parie-
tem noſtrum reſpiciens per feneſtras, eminens ſuper retia.* Cur
eminens ſuper retia? Profectò, quia nil prius inſpirat Deus,
quam quod à retibus ſtruendis, doloſiſque laqueis paran-
D.Petr. dis vaces. Sic Diuus Petrus aiebat: *Quaſi modo geniti infan-
tes, rationabile, & ſine dolo lac concupiſcite, vt in eo creſcatis ad
ſalutem.* Abolitio enim doli adeo propria eſt renatorum, vt
cum ipſo lactes iugi habeat; non adolebimus in Dei do-
mo, niſi ab vberibus dolos repellamus. Hinc columba pla-
cuit diuino Spiritui, quia ſola nemini iniuria eſt, nemini
dolos parat. Quæ auicula non inſidiatur alicui animali &
ſuos agit dolos, vt prædam faciat, qua veſcatur? Sola co-
lumba ideò Deo placuit, quia nil ſibi acquirit de dolo, ſiue
Auguſt. alterius damno. Præclare D.Auguſt. tractat. 6. in Ioan. ait:
*Cum mitteret Spiritum ſanctum, duobus modis eum oſtendit viſi-
biliter. Per columbam ſuper Dominum baptizatum, & per ignem
ſuper diſcipulos congregatos. Ibi ſimplicitas, hic feruor oſtendi-
tur. Ergo ne Spiritu ſanctificati dolum habeant, in columba de-
monſtratum eſt. Sunt paſſeres breuiſſimi, qui vel muſcas occidant:
nil horum columba. Non enim de morte paſcitur.* Viuant alij
gladio, viuant dolis, vt prædas faciant; qui Dei ſunt, qui
diuino conſortio gaudent, hoc ſignum habent, ne cui ſint
iniurij, nemini inſidiantur, nemini doloſam decipulam pa-
Matth.6. rant. Quis doloſior diabolo? Is Matthæi 6. volens Chri-
ſtum Dominum ineſcare, ait: *Dic, vt lapides iſti panes fiant.*
Proh diaboli ſimplicitatem! lapides offert, vt capiat; vbi
doloſi laquei? vbi humata eſca? vbi latentia retia? Sanè
ea eſt Chriſti præſentia, & conſpectus, vt ſi vel diabolus
Ieſum aſpiciat, protinus omnes ſuos dolos obliuiſcatur.
Chryſol. Ita D.Petrus Chryſolog.ſerm.11. *Miſer malus vis eſſe, ſed non
potes: cupis tentare, ſed neſcis; eſurienti tenera offerre, non dura
debuiſti; famem non aſperis palpare, ſed blandis; inediam non
horridis debueras vrgere, ſed guloſis. Ad præſentiam Chriſti de-
perire tibi artes tuas, tentator intellige.* Ipſe ipſe dolorum ar-
tifex, vbi ad Chriſtum accedit, neſcit facere dolos; adeò
de congreſſu Dei vniuerſi pereunt doli. Ne miremur Ana-
Act.5. niæ pœnam, qui Actorum 5. *Fraudauit de pretio agri*, & mor-
te mulctatus interiit. De quo Ambroſius libro 3. officiorum,
cap.11. ait: *Licuit vtique illi nihil offerre, & hoc ſine fraude fe-
ciſſet. Sed quia fraudem immiſcuit, non liberalitatis gratiam re-
portauit, ſed fallaciæ pœnam exſoluit.* Sic immixtus dolus tam
ingens liberalitatis opus odioſum Deo reddidit.

§. VIII.

*Dolus inſeparabilis comes eorum, qui terrenis bonis nego-
tiandis dant operam, ab ingenuis viris quam
longiſſime abeſt.*

ISraël apud Hieronymum dicitur Princeps Dei; cuius no-
bilitatis dignitatem ille vere habet, à quo dolus quam
longiſſimè abeſt. Verè Princeps, verè nobilis, in quo do-
lus non eſt; hanc ingenuitatē, & nobilitatem animi oſten-
Tob.7. dit Raguel ille apud Tobiam cap.7. à quo cum peteret To-
bias iunior filiam in vxorem, ipſe *expauit, ſciens quid euene-
rit illis ſeptem viris, qui ingreſſi ſunt ad eam: & timere cœpit,
ne fortè & huic ſimiliter contingeret.* Nouerat nobilis vir filiæ
ſuæ ſponſis imminere calamitatem, & inde expauit dolum
Ambroſ. facere tanto iuueni. Quod eleganter commentans D. Am-
broſ. lib.3. offic.cap.14. ait, *Raguel cum rogaretur filiam ſuam
dare in coniugium, vitia quoque filiæ non tacebat, ne circumue-
nire petitorem videretur tacendo; dediſſe enim eam ait ſex viris,
& omnes eos eſſe mortuos. Iuſtus itaque vir plus alienis timebat, &
malebat innuptam ſibi manere filiam, quàm propter nuptias eius
extraneos periclitari. Quàm breuiter abſoluit omnes quæſtiones
Philoſophorum; illi de vitijs tractant domorum tegenda, an pro-
denda à venditore videantur, hic noſter nec filiæ vitia celanda
arbitratus eſt, & certe non ipſe affectabat, vt eam traderet, ſed
rogabatur.* Tales ſunt viri ingenui, qui nullius lucri prætextu
ſimulationem amant. Vnde videbis, quàm aptè Gabaonitas
ſeruilibus addixit operibus magnus Iſraëlis Dux Ioſue,
cap.9. Illi enim, vt indemnitatem à Dei populo obtinerent,
dolum cogitarunt, & fraudem, qua adduxerunt Iſraëlis
Principes, vt ſibi iurarent fœdus, & pacem; pro quo ſic
Ioſue loquitur ad illos: *Cur nos decipere fraude voluiſtis, vt* Ioſue 9.
*diceretis, Procul valde habitamus à vobis, cum in medio noſtri
ſitis? Itaque ſub maledictione eritis, & non deficiet de ſtirpe ve-
ſtra ligna cædens, aquaſque comportans in domo Dei mei.* Vt enim
dolus ab ingenuitate alienus eſt, ſic eſt miſeræ ſeruitutis
ſocius, & perpetuus comes. Geneſ.9. iratus Noë in ſibi ir- Geneſ.9.
ridentem filium ait: *Maledictus Chanaam, ſeruus ſeruorum
erit fratribus ſuis.* Chanaam primus ab ingenuitate filiorum
deſciſcens, miſeræ ſeruitutis maledictionem incurrit; ſed
fuit ſeruitus ſine ſocio dolo. Pulchrè Oſeas cap.12. *Chanaam* Oſee 12.
in manu eius ſtatera doloſa, calumniam dilexit. Vix ſeruitur
ſine dolo, vix datur opera terrenis lucris ſine dolis, ſine ca-
lumniis. Terrena lucra, & officia hoc ſibi proprium vendi-
cant, vt minimè ſine dolis exiſtant. De fluuio paradiſi ſe-
cundo dicit Geneſ. 2. *Nomen vni Phiſon, ipſe eſt, qui circuit* Geneſ.2.
*terram Heuilath, vbi naſcitur aurum. Et aurum terræ illius opti-
mum eſt.* Itaque Phiſon fluuius rigat aurum optimum; &
quod Phiſonis etymon? Equidem Phiſon idem eſt Latinis,
ac *oris commutatio*. Id quod meditans D.Ambroſ.Pſalm.1. ait, Ambroſ.
*Meritò os illic commutatur, vt non teneatur promiſſorum fides, ſed
ſit in ore dolus, vbi eſt aurum bonum.* Ecce quibus aquis bona
temporalia rigentur, nimirū, dolis, fraudibus. Vbi aurū naſci-
tur, & dolus adnaſcitur, vbi lucris ſeruitur, & dolis viuitur.

Text. Dicit ei Nathanaël: Vnde me noſti? Re-
ſpondit Ieſus, & dicit: Priuſquam te Phi-
lippus vocaret, cùm eſſes ſub ficu, vidi te.

§. IX.

Pœnitentiæ opera oculos diuinos alliciunt.

SEcretiſſimum Nathanaëlis factum ſub ficu peractum, à
Chriſto omnia ſciente proditur, vt hinc eius diuinitatis
oculos Nathanaël percipiat. Sed quæſtionem facit cur ſpe-
cialiter à Deo dicitur viſum facinus ſub ficu peractum?
Alia eſſent Nathanaël ſecreta, quæ nouerat æquè Dominus,
cur maluit oculos coniicere ſuos in opus peractum ſub ficu?
Sanè ad antiquam ficum reſpiciebat Dominus; iam enim
olim ſolia ficus reddiderunt hominem Deo conſpicabilem:
traxerúntque ad hominem oculos diuinos. Primus pecca-
tor Adamus verens diuinos oculos, ad ficus ſolia confugit,
quorum aſpero indumento contectus ſeſe parabat diuinis
obtutibus. Accipite D.Irenæum lib.3. cap. 27. vbi ſic. *Folijs* Iren.
*ficulneis ſemetipſum contegit, exiſtentibus & alijs folijs multis,
quæ minus corpus eius vexare potuiſſent, condignum tamen ino-
bedientiæ amictum fecit conterritus timore Dei, & retundens pe-
tulantem carnis impetum, aduentum Dei expectans.* Et quidem
radiaret Adamus ficulneo cilicio ſub oculis diuinis. Iam
ficus ſolia, vt pœnitentiæ inſtrumenta ſunt, pulcherrima
exiſtunt ſtemmata illorum, qui à Deo reſpici concupiſcunt.
Sub his ſoliis, & Nathanaël, & vniuerſi electi iam Deo
placebant, iam parabantur in vitam. Pulchrè Rupert.lib.2. Rupert.
in Ioan. fatur. *Cum eſſes ſub ficu vidi te. Vidit non ſolum illum,
ſed omnes electos, cum primus mandati tranſgreſſor conſutis ficus
folijs pudenda contegeret. Iam tunc vidit eos, & miſeratus eſt,
iam tunc diſponebat, quo illos ordine liberaret.* Quicumque filij
Adami ſub ficulneo cilicio erant, hoc eſt, paternæ pœni-
tentiæ æmuli notabantur, mirum in modum oculos diuinos
oblectabant, Deúmque ſibi tutelarem, & propitium redde-
bant. Nil ſic Deum allicit, quàm vindicta de peccatis ſum-
pta. Stupeſcebant Angeli ad ſponſæ pulchritudinem, Cant.
3. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, quaſi virgula fumi ex* Cant.3.
aromatibus? Riſiſſent, imò irriſiſſent homines pulchritudi-
nem fumo comparatam; ſi rata ſponſæ pulchritudo pin-
genda erat, vbi ſoles? vbi lilia? vbi roſæ? vbi purpureus
ſplendor? Vnde his fumus poterit exiſtere gratior, & fu-
mus qui ex ore putei exire ſolet, etenim legis Apoc. 9. Apoc.9.
Aperuit puteum abyſſi, & aſcendit fumus putei. Sed expende,
de quo ſocio adeo putreſcat fumus, vt rapiat ad ſe oculos
diuinos, quandoquidem notanter ait, quod ſponſa aſcen-
dit, non ſicut fumus, ſed ſicut *virgula fumi.* Quippe virga,
hoc eſt, aſpera peccatorum caſtigatio, vel fumum ipſum
facit

facit tanta fulgere pulchritudine, vt Deum alliciat. Fumus sine virga, fumus putei est, & inferni fœditas; fumus cum virga, fumus est pulcherrimarum sponsarum Christi. Do Gillebert. huius cogitationis inuentorem Gillebertum Abb. serm. 15. in Cant. *Quasi virgula, inquit, fumi ex aromatibus. Et fumum lego de puteo abyssi prodeuntem, sed non ibi virgulam, non aromata lego.* In fumo abyssi non virga est, quia non est in inferno pœnitentia, nec salutaris peccatorum castigatio; in fumo sponsæ ibi est virga, quæ fumus pulchrior ipsis floribus paret. Allicit procul dubio, & oblectat Dei oculos peccatorum voluntaria castigatio; vnde felix illa Iudith, quæ vt mundiales exercitus deuastaret, aureas vestes, moléque induit; post victoriam partam, iterum resumpsit cilicium, squalidoque viduitatis habitu resumpto, cap. 16. Ambros. *mansit in domo viri sui:* de quo Ambros. lib. de viduis fatur. *Nec triumphorum suorum amauit ornatus, illos existimans esse meliores, quibus vitia corporis, quàm quibus hostium arma vincuntur.* Vbi de Holophernis oculis triumphum agere cupiebat, cilicium exuit, aureasque vestes induit; verum ad Dei oculos alliciendos, benè resumit cilicium, quandoquidem & ipse Sol prænotans examen diuini iudicis, fit Apoc. 6. Apocal. 6. *niger tanquam saccus cilicinus*, quasi sola vitiorum castigatio oculos nouerit lenire diuinos.

Text. Respondit ei Nathanaël, & ait: Rabbi tu es filius Dei, tu es Rex Israël.

§. X.

Regium nomen hominibus salutare est.

Filium Dei nouit, & Regem Israëlis fatetur, vt ex regio agnomine animum erigat; regium enim Dei nomen maximè homines erigit, vt ingentia bona à tanto rege ex- Psalm. 46. pectent. Psalm. 46. *Dominus excelsus, terribilis, Rex magnus super omnem terram.* Cur postquam excelsum dixit, & ter- Chrysost. ribilem; addidit illud, *Rex magnus?* Chrysost. fatur: *Sic Propheta ducebat orbis salutem ostendens;* ne vt terribilis fugeretur: Regem vocauit, vt quid hominibus salutare. Quo enim regalior animus est, eo ad donandum promptior: sic Sap. 11. Sap 11. *Misereris omnium, quoniam potes omnia.* Quasi sub eadem mensura sint, & regia potestas, & beneficentia. Ita Chrysost. Chrysost. homil. 4. ad Philipp. 1. *Si quis Principem laudare vellet, nihil illi adeo decorum ascribet, atque misericordiam. Principatus enim proprium est misereri.* Hinc Christi sponsa Ecclesia Regina dicitur, vt hominibus exhibeatur saluta- Psalm. 4. ris. Psalm. 4. *Astitit Regina à dextris tuis.* Cur Regina? Respicitur ibi, credo, Esther quæ regio ornatu fulgens seuerissimo Assuero astat, se periculo opponens, vt populus fiat Esther 5. saluus. Cui Assuerus cap. 5. inclinatus, ait: *Quid vis Esther Regina?* Quippe nullibi melius dicitur Regina, quam vbi etiam cum suo periculo nititur populum à morte liberare. Prosp. Ex quo ad Christi Ecclesiam sermonem faciens D. Prosp. par. 2. de promis. cap. 38. fatur. *Sic se pro suis periculis opponit. Sic datus in mortem, suis laboribus vitam conferendo ministrat, vtpote Regina.* Scienter latro ille aiebat: *Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum:* non vtcumque petit à Deo memoriam sui; sed quando à seruili forma exutus fuerit, & regium sumpserit diadema, regnique thronum ascenderit, tunc petit quod miselli hominis meminerit, quasi a solo Dei regio splendore suffragium miseri expe- Cyrill. Hierosol. ctet. Cyril. Hier. Catech. 13. id exprimit. *Non dico aliter, vt mei memineris, quam cum veneris in Regnum tuum. Quæ te virtus illuminauit, ô latro? Ideo & iustè audis: Confide, non quod opera tua digna sint confidentia, sed quia Rex adest, qui gratiam confert.* Non poterat à Rege Deo non parari misero homini beneficium: felices eritis, qui tantum Regem nacti sitis, quorum Rex meminerit; regij enim oculi mille manant in subditos deliciis. Sapientes illi Magi, cum nouo exortu Dei Filius nascebatur in terris, inde peccatoribus, & miseris hominibus salutis dant auspicium, quo Matth. 2. Regem meminerint. Matth. 2. *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum?* Cur non magis de Deo quærunt, quàm de Rege? Chrysost. Suauius & salutarius erat Regium nomen miseris? Chrysost. hom. 7. in Matth. ait, *Magi quidem non, Vbi est, qui natus est Filius Dei; sed, natus est, inquiunt, Rex Iudæorum. Oportebat siquidem condescensione, & humiliore interim sermonis ingressu institui prædicationis exordia. Et ideirco ea magis quæ ad salutem eorum pertinent, prædicentur, vt ad suscipiendum interim Regem beneficio sibi blandientes concurrant.* Quidquid regium est, & salutare, & beneficum hominibus est: inde de Regio nomine inescantur homines, districtionem deitatis vereantur, sed beneficiis Regis deliniri magis accedant. Saulus Christianorum ruinas spirans, ad terram deiectus, Act. 9. vbi in tanto casu se adhuc experiebatur viuum, nescio quid Regium, & principale in percussore cognouit: etenim ait, *Quis es Domine?* Cur non potius ait, quis est carnifex, qui sic me perdit? Quis est Satana, qui sic me colaphizat? Vnde regalis, & dominicæ potestatis meministi? Planè ex ipsa flagelli misericordia. Ita D. Chrysost. hom. de repreh. Chrysost. ser. ait, *Agnoscit Dominum, virtutem didicit ab indulgentia, in cæcitate confitetur potestatem.* Quando flagellum misericordia plenum sensit, quando medicabile vulnus aduertit, non potuit non existimare se a regia manu fuisse percussum. Nihil magis regium, quàm clementia in subditos, etiam cum proprio ipsius Regis dispendio. Hinc thronum regale Iudas ascendit, qui damnatæ Thamaris innocentiam liberans, se condemnauit, dicens Genes. 38. *Iustior me est.* De quo D. Isidorus Pelus. lib. 2. epist. 48. ait, *Quoniam pleri, ut delicta sua occultantes, alios condemnant; hic autem se ipsum condemnauit, eámque, quæ stuprum admisisse credebatur, supplicio & cruciatu liberauit, ob eam causam haud iniuria regiam dignitatem adeptus est.* Isid. Pelus. Hæc vna reges à natura facit virtus, quod propriis etiam dispendiis suos tueantur, & defendant subditos. An non Rex Iesus, qui se exinaniuit pro suis, qui toties sanguinem pro subditis fundit, quoties in Eucharistia sumitur? Ex quo præclarè D. Valerianus ait, homil. 16. de Valer. bono Martyrij: *Discite ergo ex hoc Deum diligere, qui se quotidie cælesti imperio sanguinis sui effusione commendat.* Verè nobilis Rex Iesus, qui quotidiana sanguinis effusione regnum firmat, subditos stabilit.

§. XI.

Maxime gubernatorem facit parentum, auorúmque nobilitas.

Qvam bene sapientissimus Nathanael ait, *Tu es filius Dei, tu es Rex Israel:* quasi à parente Deo Regium nobis commendaret munus. Decet enim gubernatorem innata nobilitas, qua Regem Israelis adornabat: Psal. 71. *Deus* Psalm. 71. *iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis.* Expende illud, *Regi, & filio Regis:* quasi dicat, non tibi gregalem virum in Regem propono, sed qui Rex sit, à Rege parente, cui nobilitas innata est, & perantiqua. Non illi per thalamos regnum venit, sed innatum est; quo[...]um commendabat Anthenium Sidonium in paneg. fatus: Sidon.

——Sed non tibi venit
Purpura per thalamos, & coniux regia regno
Laus potius, quàm causa fuit.

Iam antiquitus vilescebat tribunal vel regius thronus, qui beneficio, siue dote vxoris habebatur. Is præclarus Gubernator, quem parentibus, & auis clarum Respublica suscipiebat. Ecce tibi qualem dominatorem prænoscebat in Israële Iacob, cap. 49. *Catulus leonis Iuda, ad prædam, fili mi, ascendisti; requiescens accubuisti, vt leo.* Iacob 49. Non magnum, quod Iudas regnet, quod leo sit, inter omnes alios facilè Princeps; hoc in illo præstantissimum, quod catulus sit leonis, quod parentum, auorúmque commendatione thronum asceodit. Præstantissimum Iosephum à neruo, & seruitute promouerat Pharao ad Ægypti thronom; penes illum, iudicium, & regni potestatem posuerat, & sic Ioseph exaltato Genes. 45. *Venerunt fratres Ioseph, & gauisus est Pharao,* Genes. 45. *& omnis familia eius.* Iam scire cupis; cur Pharaonis Regia adeo lætaretur in aduentu fratrum Ioseph? an quia omnes Iosephum amabant? Crediderim ideò Pharaonem lætatum fuisse, qui nouit sui regni gubernatorem tantis clarum parentibus. Ita Catena Græca norat de Pharaonis lætitia: Cat. Græc. *Nec mirum, agnouerat ille non seruum ignobilem rebus suis præposuisse; sed ingenuum ex antiqua prosapia. Alij verò, quod libentius tali Præfecto populus obtemperabit.* Hoc erat valde suspectum in Iosephi sublimatione, quod seruus eum fuisset, haberet Ægypti gubernaculum; hic erat non paruus eius gloriæ næuus; hoc vnum in Prorege suo verebatur Pharao, hoc Ægyptij secum mussitabant. Porrò visis parentibus eius, omnis aboleuit suspicio, percrebuit per Regnum ingens gaudium, quod haberent Ægyptij Gubernatorem ab atauis commendatum, cuius imperio libenter deinceps vniuersi parerent. Itaque non incredibilis sapientia, non annonæ subministratio tam lætos faciebant Ægyptios in suo Gubernatore, quàm fecit lætos notitia eiusdem nobilitatis. De hoc supra lib. 1. cap. 7. §. 44.

Text.

Text. Respondit Iesus, & dicit ei: Quia dixit tibi: Vidi te sub ficu, credis: maius his videbis. Et dixit ei, Amen, amen dico vobis, videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes, & descendentes supra filium hominis.

§. XII.

Sanctis viris Angelorum visio permittitur.

NOn cuiusuis hominis est, ad Angelorum visionem deuenire; Angelorum auxilium omnes sibi paratum habent, omnes experientur, verum Angelorum visio Nathanaeli, Apostolis, & similibus promittitur. 1.Paral.21. Paralip.1. c.21. inter Israëlitarum cædes dicitur quod *Vidit Dauid ferentem Angelum.* Vnde Dauidis sanctitas maximè apparet, quandoquidem inter peccatorum supplicia ad visiones Angelorum admittitur. Sed & Elisæi puer, 4.Reg.6. visiones videt; cum enim valde hostes timeret, aperuit Dominus oculos pueri, vt phalanges videret sibi auxilium præstituras: *Et vidit currus, & equos.* Vnde ergo sanctitas Dauidis apparet, quando & puer, & seruulus visiones vidit? Sed Dauidi Angelus ostenditur, puero non Angelus, sed currus, & equi. Ambrosi. Ita Ambros. in Psalm.37. inquit. *Nec te moueat, quod persona vilior serului, quam Propheta, vel Regis, quia vilior & equorum, & curruum species, quam sanctitas Angelorum.* Non enim Angeli passim se produnt, nec popularibus sui copiam facilè faciunt; vile seruitium exuere debet, qui de Angelorum consortio gaudere cupit. Si animalis homo es, si sub vitiorum seruis; in auxilium tuum videbis equos, & currus. Tui similia proferunt Angeli auxilia: ipsi autem, qui spiritus sunt, & sanctitate pleni, non dignantur se prodere, nisi sanctissimis hominibus. Isti erant custodes illi ciuitatis, qui inuenerunt sponsam, à quibus ipsa quærit, an viderint dilectum suum? At ipsi, nec verbulum dignantur respondere illi, qui quasi eius detrectassent consortium. Cur ministri sponsi, sic clarissimam sponsam insalutatam dimittunt? Cur disertissimi spiritus fiunt tanquam animalia muta, nec verbum respondentes. Audi sponsam Cant.3. loquentem, vt causam discas; aiebat enim Cant.3. *Nunquid, quem diligit anima mea, vidistis?* Quem diligit anima mea, dicit, non quem diligit spiritus meus, vt bene notat Gillibert.Abb. quasi adhuc in quærendo sponso imperfecta esset, & animalis: anima enim sensitiuæ, & carnali vitæ concernit: tunc perfectè quæret; cum fiat cum sponso vnus spiritus, tunc linguas Angelorum audiet; dum animalis est, Angelos offendet, tanquam animalia muta. Vt deduceret Magos ad Christum, stella apparuit in Oriente: quan- Matth.2. doquidem dicunt, Matth.2. *Vidimus stellam eius in Oriente.* At quando post adoratum puerum in patriam erant deducendi, iam non stella muta, sed Angelorum colloquio in Euthym. somnis instruuntur. Sic Euthym. *Antequam puerum vidissent, stella ducatum eis præstitit: postquam autem viderunt; Angelus deinceps, quasi iam sanctificatos alloquitur.* Nec offendatur quis, si aliquando videat Angelum colloquentem cum vi- Genes.21. li, & imperfecta fœmina Agar: dicit enim Genes. 21. *Vocauit Angelus Dei Agar de cœlo.* Qui sponsam non alloquitur, Chrysost. cum vili seruitio sermonem interserit? Chrysost. hom. 38. *Quia iusti semen intra se gerebat, ideo & Angeli aspectum videre meruit.* Non seruam Agar, sed iustissimi Abrahæ filium respice, nec miraberis, propter iusti prolem, Angelorum colloquium promereri.

§. XIII.

Præsentissimum Angelorum auxilium seruis Dei.

ECce tibi verus Iacob, Iesus, qui non tam recumbens super lapidem, quam lapis angularis Ecclesiæ factus, ascendentes, & descendentes Angelos habet, omnibus suis membris ministrantes. Hæc vna nobis cura sit, vt Christi membra simus, vt Deo pareamus, & vbicumque fuerimus, præsentissimum nobis Angelorum auxilium aderit. Magnus ille Christianus solus omni destitutus auxilio in deserto agit caput in lapide reclinans, & dum dormit, ecce tibi cœlestis scala, & ascendentes, & descendentes Angeli. Cyrill. Rem miratus D.Cyrill.Alexand.lib.1.Glaphyrorum, sic ait. *Ostendit enim, quod multitudo Angelorum vndequaque prosiliens facile liberatura sit eos, qui Deo subditi parent.* Quid requiris vbi Angeli ascendentes, & descendentes super filium hominis visi fuerint? Vbique locorum prosilit multitudo Angelorum, vt seruis Dei faueat. Non ad vnum locum arctatur auxilium Angelorum, vbique præsentissimum est; & quod mirere magis, expende illud: *Vndequaque prosiliens*, quasi à quouis loco, à desertis etiam, à syrtibus, & inhospitalibus parturientur Angeli, qui nobis auxilium afferant. Quo ibimus a diuinis spiritibus? Si ascendero in cœlum, ibi Angeli nostra negotia agunt, in terra à custodia nobis adsunt, in mari Angeli venti sunt, Daniel 7. iuxta Hieronym. quod si descendero in infernum, infernus ipse parturit bonorum Angelorum examina, quæ Dei seruis faueant, Matth.28. resurgente Iesu, Matth.28. ecce ad sepulcrum Angelus, qui *reuoluit lapidem, & sedebat supra lapidem.* Cur à sepulcro Angelus? Accesserant Iesu dilectæ fœminæ ad monumentum, pro quarum ministerio infernus ipse, & sepulchralis lapis præfert custodes Angelos. Quo respexit Chrysolog. sermone 75. Chrysol. *Factus est lapis vas Angelicæ sessionis, doctrinæ cœlestis cathedra, qui à Iudæis ad triste silentium fuerat constitutus.* Igitur nulla est creatura, quæ nobis Angelorum non exhibeat officia, quando & infernus, & sepulchralis lapis sedes Angelorum fiunt, vt nobis prospiciant. Nondum hoc calluerat illa, quæ sic Angelorum euocabat cuneos, Canticor. 3. Cant.3. *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua.* Sanè vocat, vt egrediantur Angeli: quasi aliquis sit locus, qui non scateat cœlestibus spiritibus. Et quo egredientur illi, quando nulla est creatura, quæ non pariat Angelos in ministerium illis, qui salui fiunt? Præclarè Gillibert. Abb. sermone 21. Gillibert. *Quid vos ad egrediendum inuito, qui ipsos etiam vbique prænemitis, & instruitis Apostolos? Vbique seduli estis, & admiratores, & annuntiatores*, &c. Quippe nullo praueniés, vbi non præuentus sis ab Angelorum myriade. Siue facturus iter per medias syrtes, siue per inhospitalem caucasum, vndequaque prosiliet auxiliatura tibi Angelorum multitudo. Hæc est cura, & sollicitudo Dei pro hominibus suscepta, vt nullum patiatur in domo sua esse non solicitum hominum curatorem. Iob cap. 7. *Quid est homo,* Iob 7. *quia magnificas eum? Aut quid apponis erga eum cor tuum?* Apponit Deus erga hominem cor suum, quia omnia sua solicita facit pro hominibus tutandis. Bernard. serm.12. in Bernard. Psalm. *Qui habitat.* sic fatur. *Apponis erga eum cor tuum, geris pro eo solicitudinem, curam illius habes. Et mittis vnigenitum tuum, immittis Spiritum sanctum, promittis etiam vultum tuum. Et ne quid in cœlestibus vacet ab opera solicitudinis nostræ, beatos illos spiritus propter nos mittis in ministerium, custodiæ deputas nostræ, nostros iubes fieri pædagogos.* Nil Deo cor id est, quod pro hominibus non faciat sollicitare.

CAPVT III.

De muliere Samaritana.

TRIGINTA à Ierusalem milliaribus distabat ciuitas nomine Sichar, olim Iacobi tempore Sichem dicta, & postea tempore Alexandri, quando is venit in Iudæam, totius Samariæ Metropolis facta. Sita erat Sichar in confinibus Ephraim, ad radices Hebal, & Gesarim, qui montes dicuntur montes Ephraim, Iosue 20. capit. vrbs celebris, propter Iacobi religionem ibi peractam, propter Dinæ historiam, siue tragœdiam: sed celebrior propter mulierem hanc, quæ immortalis regis nuptias ibi fuit nacta. Per illam Sichimitæ religionem Circuncisionis susceperunt, per hanc mores ebiberunt Christianos. Illa foras egressa à Principe Sichem rapta, illi mortem, populo suo peperit incolumitatem. Hæc foras inuenta à Dei filio ipsius sanguinei poculi mysteria prægustauit, & in Christum affecit vniuersos Samaritanos. Sed excesserunt Christi magnalia mulieris prædicationem: vnde factum est, vt viso Domino plures Samaritani nomina sua illi darent.

Ioan.3. Oportebat autem eum transire per Samariam. Venit ergo in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar.

§. I.

Non contemnendus est pulchritudinis hamus, qui faciat Christianos. Vbi de Mariana pulchritudine.

PEr mulierem volens Dominus Samaritanos viros ad se trahere, non improuidè diuertit ad Sichar. Auspicatissima enim erat Sichimitis fœminarum pulchritudo, vt veram religionem biberent. Recolite ex cap.34.Genes. historiam Dinæ, cuius amore captus Sichem Princeps, propter eiusdem nuptias se, & populum suum religioso circumcisionis cultro addixit. Proh vana religio! Num Deus optimus, & maximus religionem probat, ad quam trahit hamus libidinis? Do D. Cyrillum Hierosol. in præfat. ad Catech. sic fantem. *Fieri potest, vt vir mulieri complacere cupiens Ecclesiam ingrediatur. Capio inescatum hamo, & recipio te, malo quidem proposito venientem, spe autem bona saluatum.* Nouit etiam Deus sub fœminea pulchritudine hamum apponere, quo & homines ad se trahat, & tunc etiam accipio inescatum hamo, nec contemno pulchritudinem, quæ Ecclesiæ, & Christo filios parit. Hunc præ se ferebat hamum paulo inferius Dominus quando Samaritanæ dicebat. *Voca virum tuum, & veni huc*, accepturus hominem, qui ad Deum veniret, fœminæ teneritudine inescatus. Ibi eleganter D.Chrysost. ait. *Rectè quoque ex eadem regula Paulus ad Corinth.cap.9.dicebat. Vnde enim scis mulier, si virum saluum facies?* Non adeo virulenta est pulchritudo, quæ aliquando non possit saluti prodesse animarum. Quid non debent Iudæi pulchritudini Estheris? Sanè Iudæorum salutem, à qua mūdi salus oritura erat, Estheris pulchritudo saluauit: quando ferocientem in Iudæos regem, hoc vno pulchritudinis laqueo obiecto Dominus in mansuetudinem traxit. Sed & Iudith vt truncato hoste populum suum seruaret c.10. *lauit corpus suum, & vnxit se myrto optimo, & discriminauit crinem capitis sui, & imposuit mitram super caput suum, & induit se vestimentis iucunditatis suæ: cui etiam Dominus contulit splendorem.* Ecce tibi pulchritudo cum omni ornatu suo à Deo ponitur in acie. Quis non pauebit ab hoc incursu, & dæmonio meridiano. Quis non leuitatis damnet fœminam, tali ornatu, tali splendore sese militum oculis dantem? Sed eleganter ait D.August.serm.229. *Non fuit leuitas ornatus, qui ad homicidium tanti capitis aptabatur. Monilium tela pudori semper aduersa, hostem ferire didicerunt.* Nemo damnet pulchritudinis cultum, qui nouit Dei hostes prosternere, qui capite inimico truncato Dei gregem in salutis fontes minatur. Non lenis, non vana, non fallax illa pulchritudo, sed æternis concelebranda laudibus. Nouit aliquando pulcritudo prodesse; nouit & salutis spei ostium aperire: imò & cœlos ipsos nouit pandere. Sistitur Stephanus nefariis iudicibus Act.6. Cuius in facie mirabilis statim pulchritudo apparuit, ait enim: *videbant faciem eius quasi faciem Angeli.* Quid tunc? Statim ipse, *Ecce video cœlos apertos.* Iam nunc Angelica, & pulcherrima facies verè de cœlis apertis gloriatur; vt dicat D.Fulgent. serm. de sancto Stephan. *Ecce video cœlos apertos: tali miraculo Angeli faciem decebat honorari.* Quod nostra malitia cœlo aduersatur, pulchritudo & infernum aperit, vt mille perdat animas, & ipsa perdatur, abusus est, quando pulchritudo ex se amica est cœlorum, & adeo familiaris, vt nouerit etiam ad cœlos apertos trahere, & signis de cœlo honorari. Nec prætereundæ in præsenti sunt Marianæ pulchritudinis vtilitates in genus humanum; imò fœminarum pulcherrimæ Mariæ acceptum refero, quod nobis peccatoribus cœlum pateat. Post ærumnas Iobi, natæ sunt piissimo viro tres filiæ: de quibus cap.42. *Non sunt autem inuentæ mulieres speciosæ, sicut filiæ Iob in vniuersa terra.* Cur tanta pulchritudo in Iobi domo nascitur? Vt piissimus vir ærumnarum, & laborum obliuisceretur, videns coram se pulcherrimas filiarum facies. Ita author caten. Græc. fatur. *Filias quoque liberali spiritu, atque egregia forma suscipit, vt earum aspectu, omnis superiorum ærumnæ memoria funditus interiret.* Igitur quando nos peccatis nostris, & prauis moribus mille ærumnas, labores plurimos Deo cumulamus, quantum è nobis est; est pulcherrima Maria in domo Dei, vt eius aspectu, omnis peccatorum, fœditatúmque nostrarum memoria funditus intereat, & cœlum pateat. Quid plura? Terribilem, & ferocem leonem Assuerum in miseros Iudæos vna Estheris pulchritudo mãsuefacit, quippe ait cap.15. quod post sententiam mortis latam à seuerissimò rege, ingressa est tribunal Esther, *ipsa roseo colore vultum perfusa & gratis, ac nitentibus oculis*: cui pulchritudini cessit seueritas, & populus à morte liberatur, vt meritò dicat Clem.Alex.3.Pædag. cap.2. *Est liberis pulchritudo inuenitur pretium, quo liberatus fuit populus, qui interficiebatur.* Sic Mariana pulchritudo irascenti Deo obiecta, pretium est, quo à morte quotidie liberamur.

Cyrill. — Chrysost. — Iudith 10. — August. — Act 6. — Fulgent. — Iob 42. — Esther 15. — Cl. Alex.

Text. Iuxta prædium, quod dedit Iacob Ioseph filio suo. Erat autem ibi fons Iacob.

§. II.

Reliquiæ & Sanctorum ossa Ecclesiam fulciunt.

IN hoc prædio quiescebant ossa Iosephi, vt habes ex Iosue cap.vltimo; vnde non miror ibi à Deo deductam Samaritanam fuisse in typo Ecclesiæ; quando mulieris casus inde accidit, quod à viri osseo vigore emollita est in carnis teneritudinem. Perseuerantior enim esset, & fortior muliere, si non ab osse viri ad carnis molliciem descenderet, sed ad ossa respiciens illis inniteretur, & sese fulciret. Stet Samaritana in prædio, vbi sunt ossa Ioseph, respiciat Ecclesia ad ossa virorum sanctorum, illisque deuota innitatur, maximáque inde capiet sua virtutis fulcra. Hinc totam coniugis felicitatem commendat August.epist.32.ad Paulinum dicens de sanctissima eius vxore: *Ibi coniux excitatur, non dux ad molliciem viro suo, sed ad fortitudinem reduxit ossa viri sui.* Mentem ad Martyrum ossa reducamus, & eorum fortitudinem ebibemus, quandoquidem illis hæc Christianæ Ecclesiæ machina sustentatur. Isaias 33. *Oculi tui videbunt Ierusalem, ciuitatem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit, nec auferentur claui eius in sempiternum.* Qui sunt claui isti, qui tabernaculum Dei firmum æternant? An id efficiunt defossa humo martyrum ossa? Ita Theodoret.apud Leonem à Castro in præsenti fatur. *Quemadmodum tabernaculum paxilli in terram adacti stabile faciunt tabernaculum, fixum, ac firmum, sic illi habentes corpora in terram abdita, animos in sede beatorum apud superos Ecclesiam habent innixam, firmam, ac stabilem.* Proh Sanctorum ossa Christianitatis fulcra! Proh robur Christianorum ab ossibus Sanctorum dimanans! Ad roborandam Ecclesiam suam proposuit Deus Eucharistiæ mensam aduersus eos, qui tribulant nos; habet tamen cœlestis mensa ad roborandum fideles commilitones suos, Martyrum reliquias Apocalyps.6. *Vidi subtus altare animas interfectorum.* &c. Cur subtus altare martyres? an vt Eucharistiæ consortes ad roborandum? Annuit D.Augustinus serm.10. de Sanctis. *Conuenienter, & quasi pro quodam consortio ibi martyribus decreta est sepultura, vbi mors Domini quotidie celebratur.* Mos erat antiquus reliquias Sanctorum in altari sacrificij abdere, sed quanta conuenientia? Expende illud, *pro quodam consortio*, habent enim martyrum ossa maximum cum Eucharistia consortium: etenim quantumuis frangatur in particulas panis Eucharisticus, quælibet eius particula, & si minima, integrum Christum, eiúsque virtutem habet: sic ossa martyrum, etiam confracta, etiam in minutissimas particulas diuisa, integram martyris prætendunt virtutem, & efficaciam. Pulcre Theodoret.lib.8. de Martyribus, ait. *Eorum corpora, non singula, singulis monumentis conduntur, sed ciuitates, oppida, paganique conuentus hæc inter se sortito partiti sunt, laborantibúsque animis, ac ægrotis corporibus salutares eos consiteri non cessant. Nihilóque secius vrbium custodes, ac locorum præsides venerantur. Sectis itaque eorum corporibus, integra tamen vis, & gratia perseuerat, tenuésque ac tantillæ reliquiæ toti nullas, ac in partes Martyri dissectio pari habent virtutem.* Quid pulchrius? Quid cœlesti pani conformius, quam vel in minimo frusto totam, & integram virtutem martyris habere. Huc spectabat D.Basil. Sel. orat. 38. vbi in puerorum innocentium martyrio, sic fatur. *E quibus hæc mater forte manum, illa pedis frustum, alia aliud, tanquam integro reportato filio effugiebat.* Et benè in frusto martyris, integram eiusdem virtutem experirentur. Sunt equidem Sanctorum ossa firmissima Ecclesiæ sustentacula, & quasi Eucharistica fulcra: vnde non miror quod præ omnibus thesauris ament custodiri. Exodi cap.11. iubentur Iudæi petere ab Ægyptiis aurea vasa, vt egrediantur diuites; Moyses autem quid defert ex Ægypto? Sic habes cap.13. *Tulit quoque Moyses ossa Ioseph secum.* Plebei homines aureis vasis ditescunt, pius Moyses ossibus, & cineribus iusti viri. Vnde eleganter Procop.inquit, *Hebræi, quia carnalia sectabantur, iussi sunt mutuo accipere aurea, & argentea vasa; Moyses eligit viri iusti ossa, quæ præfert immensis Ægyptiorum thesauris.* Et merito sanctus vir, vt tanti itineris labores, & pericula superet, non auri diuitias, sed

August. — Isai.33. — Theod. — Apoc.6. — August. — Theod. — Basil. — Exod.11. — Procop.

fed puloerulenta offa Iofeph fibi procurat, quibus incolumis, & fecurus ibit.

Text. Iefus autem fatigatus ex itinere fedebat fic fupra fontem. Erat autem hora quafi fexta.

§. III.

Labores mea caufa fufceptos pro quiete habet Iefus.

SIc fatigarus fedet Iefus; nulla enim fedes, nulla requies illi eft, nifi vbi fatigatio, & labor pro hominibus fufceptus adeft. Sic paftor factus, Luc.15. poft mille montes fuperatos, tandem inuenit errantem ouem. Quid tunc? *Et cum inuenerit eam, imponit in humeros fuos gaudens.* Bene hoc fecit, fed fediffet antea paulifper, & de itineris fatigatione quiefceret, vt quafi refumptis viribus poffet facilius ouiculæ onua portare. Sed non ea erat diuini paftoris fatigatio, quæ feffione tollitur, fed nouis pro ouicula fumptis laboribus. Nulla quies Iefu eft, nifi laborando pro nobis. Ita D.Bafil.Sel.orat.26.ait: *Montes, & fyluas obire non recufat, obyt præcipitia, cumque de errante venit in partem errationis, & fubiiciens humeros proprio labore ouiculam curat laborantem, gaudet ipfa fatigatione, ouium inuentionem rotius laffitudinis effe leuamentum.* Non fedes, fed laboriofa ouis inuentio, & fublatio fatigationem, & laffitudinem Iefo tollunt; & fi videas fedentem, non putes leuatum; tunc eius fatigationis leuamen eft, quando ouis inuenta illius premit humeros, tunc fi laborat, leuatur, & fub immenfo onere gaudet.

Luc.15.

Bafil.

Hoc in Christo Domino prænouit Ifai.c.57. iuxta LXX. verfionem dicens, *Erit in pace fepultura eius.* Quibus verbis communiter Patres antiqui capiunt fummum bellum à Iudæis indictum Chrifto, etenim per illud, *in pace,* intelligitur nefariffima concordia Iudæorum in Iefum, qua omnes fimul confpirauerunt, vt eum mille cruciatibus, tormentis mille à terra vorari facerent. Sic Hieron. Cyrill. Procop. & quorum fententia ftat Leo Caftrius ibi. Quibus pofitis verborum fenfus erit, quod erit in nefaria concordia carnificum, qua Iefum percutiebant, excarnificabant, dehoneftabant, blafphemabant, Iefu fepultura. Sed præclara tunc exurgit quæftio, cur loquentes de carnificina, & tormentis Iefu, meminerint fepulturæ, & non potius crucis? An non crux amphitheatrum fuit, quo immaniffimæ belluæ impetum fecerunt in Iefum? Sic Pfalmifta aiebat, *Tauri pingues obfederunt me.* Sepultura quies fuit, & feffio omni vacans tormento. Cur ergo in conflictu cruciatuum fepulturam meminit, & non crucem. Sanè inde exprimitur immenfus Chrifti amor pro nobis, qui tunc potius videbatur cruciari & fatigari, quando quietus in fepulcro fedebat, quandoquidem quies & feffio non afferunt leuamen Iefu, qui magis laborat, & fatigatur, dum fedet requieturus ipfa pro nobis fatigatione fufcepta. Huc voco Chryfol.ferm.58.fantem, *Crucifixus in cruce, mortem fufcepit, fepulturam patitur.* In cruce laborum erat fufceptio, mors grata, & accepta, nihil ibi meminit paffionis, fed totum erat acceptabile Iefu, qui pro hominibus cruciatus fufcipiebat. In fepultura ibi paffio, ibi fatigatio, quando cruciatuum ceffatio erat. Et quidem in quiete manebant Domino fatigationes, & anguftia; in bello autem, dum cæditur ipfe, dum moritur pro hominibus, leuamen eft. Apud Luc. cap.12. dicebat, *Baptifmo habeo baptizari, quomodo coarctor vfque dum perficiatur?* Vfque dum fanguine fudet, vfque dum omnes fanguinis venas effundat, & exhauriat, omnia ad fe ipfum trahens. nullibi non angitur, non anguftiatur, quando folis pro nobis fufceptis laboribus leuatur. Ita D.Ambrof. lib.7. in Luc. ait, *Oftendit, quod in certamine paffionis mors corporis, abfolutio anxietudinis, non coacervatio fit doloris.* Vbi labores, & cruciatus ad capifcandos homines fufcepti leuamen Domino afferunt.

Ifai.57.

Pfal.21.

Chryfol.

Luc.12.

Ambrof.

§. IV.

Chrifti Domini paffio efficaciffimum omnium remedium, quo fteriles animæ fœcundentur.

STerilem, & pene deploratam Samaritanæ vitam renouaturus expectat diuinus Agricola, fupra fontem fedens ab itinere fatigatus, non ea fonte, fed ex proprio fudore, & fatigatione fœcundam rigationem parans. Memento infructuofam illam ficum bis, & ter à Domino condemnatam, tandem ad preces agricolæ relictam, vt ftercore, & foffa adhibita reuiuifcere valeat. Ita & pro fterili peccatrice diuinus loquitur agricola apud D.Ifidor.Peluf.epift.312. fatus. *Sine autem eam etiam hoc anno; fi per legem, & prophetas nihilo meliores facti funt, nec pœnitentiæ fructus ediderunt; mea quoque doctrina, meifque cruciatibus irrigentur.* Incurabilis prorfus erit fterilitas, quæ tot diuinæ agricolæ fudoribus, tam falutaris vndæ irrigatione non reuiuifcat, & fructum afferat. Potentiffima eft Dominici fanguinis irrigatio, vt filices ipfos vertat in paradifos voluptatis. Quis magis filex, quàm populus Iudaicus, populus fanè duræ ceruicis, & incircuncifi cordis? Ab hoc tamen fperauit Dominus fœcunditatis fructus de fola irrigatione fui fanguinis. Ifaiæ capite trigefimo, *Propterea expectauit Dominus, vt mifereatur veftri, & ideo parcet vobis.* Agnofcit D.Hieronymus in illo, *exaltabitur*, crucis exaltationem, dominicique fanguinis effufionem: quafi hoc totum effet diuinæ expectationis fulcrum, & fuftentaculum, quod crucifixus, & mortuus deponendus erat ante oculos Iudæorum. Expectauit quidem Dominus Iudæos diuinæ mifericordiæ capaces fore, ad cuius expectationis firmitatem exaltabitur, hoc eft crucem fubibit; & qui filices poft talium vndarum rigationem durefcent? Quæ fterilitas his circuncincta foffuris, non fœcundabitur? Huc refpiciebat Saluator, Ioann.12. dicens: *Cum exaltatus fuero, omnia traham ad me ipfum.* Nullius falus defperanda eft, quam excoluit diuini agricolæ fudor, quam dominicus fanguis irrigat. Apparuit fub aratro crucis Dominus, & ecce terra tremuit, quafi noua cultura reuiuifcens, vt dicat D.Leo ferm.8. de Paff. *Traxifti Domine omnia ad te, cum expandiffes tota die manus tuas ad populum non credentem, & contradicentem tibi, confitendæ maieftatis tuæ fenfum totus mundus accepit.* Nec miror quod de tantæ rigationis, & culturæ efficacia totus in flores abeat fterilis mundus. Duas vobis proponite ob oculos floridiffimas arbores, matrem filiorum Zebedæi, & latronem iuftum. Vterque floridis virtutibus Chriftianum agrum illuftrat, vterque de regno agit cum Chrifto. Illa: *Dic vt fedeant duo filij mei, vnus ad dexteram, alius ad finiftram in regno tuo:* hic autem, *memento mei, cum veneris in regnum tuum.* Sed crediderim fœminam laudabilius quid egiffe, quæ cum multo minori cultura, vfque in cœlefte regnum excreuit; in hoc illa minus laudabilis latro, minus venerabilis, quia non meminit regnum, non creuit in fructum, nifi ea toto paffionis ftercore, ex innumeris Chrifti foffuris fibi adiunctis. Prius totus agricolæ fudor fluxit; prius Saluatoris fontes amne pleno manarunt, circa latronem foffa eft terra Deifera, & de tanta cultura cur emortuus latronis animus non reuiuifceret? Hinc exaltat fidem matris filiorum Zebedæi, D.Bafil.Seleuc.orat.34. inquiens, *Anteuertit, vt apparet, latronis voces hæc mulier. Ille in cruce orationis efferebat: Memento mei in regno tuo; hæc ante crucem pro regno fupplicabat: dic fedeant, &c. O defiderium paffione maius.* Ideo illa fuperior, qui ante foffuram crucis, iam cœleftis regni defiderio florebat: quid mirum, quod latro eodem afficeretur defiderio, quando circa illum foffæ apertæ funt; quot Chrifti vulnera? eaque de dominicis cruciatibus cultura adhibita eft, quæ vel faxa mollefcere potuiffet. Sic apud Ifai.c.64. *Cum feceris mirabilia non fuftinebimus: defcendifti, & à facie tua montes defluxerunt.* Mirabilia Dei à multis contempta fuere, at vbi Deus defcendit in mortem, in cruciatus, montium durities abiit in terram fluentem lacte, & melle. Nulla fterilitas vbi Chrifti fudores, & fatigationes proponuntur. Daniel 3. *Abfciffus eft lapis de monte. fine manibus, & percuffit ftatuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & comminuit eos. Lapis autem factus eft mons magnus.* Quibus illud acutè ponderat Richard.Vict.de erudit.inter homin.part.1.cap.28. Quod fterilis lapis, vt inter pedes ferreos abiectus iacuit, non lapis, fed mons amœnus fiat, *Quid eft quod lapis ille non crefcit in rupem, fed mutatur in montem, nec lapis in lapidem magnum, fed potius mutatur in montem magnum, & eminentem?* Equidem vbi lapis viuus Iefus defcendit ad paffionem, & velut botrus Cypri calcatus fuit in torculari crucis pedibus peccatorum, iam non fteriles lapides, fed montes amœniffimos manantes lacte, & melle habet in regno fuo.

Ifid.Pel.

Ifai.30.

Hieron.

Ioann.12.

Leo.

Matth.20.

Bafil.Sel.

Daniel.3.

Richard.

§. V.

Nulli rei tam affidet Dominus, quàm peccatori expectando.

AD puriffimæ fponfæ oftium videbis aliquando Dominum pulfantem, fed aftantem, minimè affidentem ibi:

at modo peccatricem venaturus ſedet, & moroſus ſedet ſupra puteum. O immenſam Dei expectationem, vt peccatores accedant ad ſalutem! Qui moræ impatiens eſt, vix ſtat, quo Dauid exprimebat dolorem morantis gloriæ, dicens: *Stantes erant pedes noſtri in atrijs tuis Ieruſalem.* Sic feſtino ad Deum, vt in eius atriis vix figam extremos digitulos, ipſi pedes ſtant, vt omnem moram excludant; qui ſedet, moras non timet, qui autem diſcumbit, ad longiſſimas ſeſe aptat moras feſtinandas. Dominus in aliis omnibus feſtiniſſimus; cum peccatoribus expectandis accedit, omnium eſt morarum patientiſſimus, tunc ſedet, tunc quaſi obliuioſus procumbit. Multum in ciuitate famoſam ad ſe expectabat venturam, & qualiter expectabat? An ſtans ad oſtium, & pulſans? non ſtans, nec ſolum ſedens, ſed recumbens. Sic Luc.7. *Ingreſſus domum Phariſæi diſcubuit: & ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, &c.* Diu vult expectare, qui vt expectet diſcubuit; non moras faſtidit, non venientis tarditate frangitur, qui ſic ſe ad expectandum componit, vt diſcumbat. Iſai.c.30. ait, iuxta LXX. *Et rurſus expectabat Deus vt miſereatur veſtri.* Expende illud, *& rurſus*: nulla expectatione frangitur, ſemel, & iterum ſpe fruſtratus non fugit; ſolet enim ab aliquibus præfiniri expectationis tempora, poſt quæ abituri ſunt, verum Deus etiam poſt præfinitum tempus, poſt fruſtratum terminum expectationis, rurſus expectat, rurſus decumbit infractus. Et ſanè tota hæc Dei expectatio requiritur, vt peccatores ſalui fiant. dicebat enim illa: *Cum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum.* Expendo, quando peccator fit bonus odor Chriſti, non quādo Chriſtus ſtat ad oſtium, & pulſat, tunc enim non auditus ſtatim abiit, & ſponſa manet in luctu. Sed tunc cum ſponſus decumbit, non abiturus, etiam ſi moram faciamus accedendi; ſed frequenter expectationis terminos inſtauraturus, renouaturus, tunc peccatrix anima fit bonus odor Chriſti. Hoc eſt enim hominum ingenium, quod venit longanimiter expectari: quod pulcre depingit Iſai.cap.28. fatus. *Manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta: modicum ibi, modicum ibi.* Ecce tibi hominum etiam in via mandatorum Dei currentium, vita deſcripta. Quis promptior ad mandata percurrenda, quam qui noua ſibi imponi cupit? Nónne ait; *manda remanda?* Qui ſic currit, non miror, ſi omnes moras rumpere poſſit. Aſt non hominis eſt, omnes moras rumpere: cui vel in ambitione, vel in voluptate non aliquæ morulæ ſubrepunt, quibus detentus clamet: *expecta, reexpecta, modicum ibi, modicum ibi.* Ad hæc Richard. Victor. ait: *Dum quidem quotidie verba vitæ libenter audiunt, quid per hoc ſtudium aliud dicunt, quàm manda, remanda? Et dum quotidie peccata peccatis accumulant, quid aliud quam expecta, reexpecta, per deſiderium clamant? quotidie ſpatium pœnitentiæ poſtulantes, & reſipiſcendi tempus prolongantes.* Huiuſmodi eſt hominum conditio, qui expectandi ſunt, & ſuſtinendi, vt poſſint ſalute donari. Nouit Deus hominum ingenium, quos, quia diligit, expectat, & reexpectat, & expectando ſedet, non leuaminis ſumendi cauſa, ſed fatigatus ſic ſedet. vt diuina tolerantia expectantis magis homines trahat. Impatientiſſimi illi qui fatigato dicebant: *Deſcendat nunc de cruce, & credimus ei.* Nec hoc potuit Dei expectationem longanimem frangere, quæ ſola valebat homines trahere. Præclarè D.Aug. tract.3. in Ioann. ait. *Pertulit inſultantes: nam crux non ad potentiæ documentum, ſed ad exemplum patientiæ ſuſcepta eſt. Ibi vulnera tua curauit, vbi ſua diu pertulit.* Expendo illud, diu pertulit, quaſi non tam doloribus & fatigationibus, quam in eis diutinæ, & longanimæ expectationi tribuatur hominum curatio. In qua expectatione crediderim Saluatoris potentiam ad trahendos homines maximè fulgere. Exodi cap.9. dicit Pharaoni. *Idcirco poſui te vt oſtendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in terra.* Sed quomodo Deus fortitudinem ſuam oſtendit cum Pharaone? Nónne, & Magi ſimilia Deo faciebant, in quo ergo Dei fortitudo reſplendebat? Sanè non tam in plagis immittendis, quam in expectando, & reexpectando peccatore. Sæpe promiſerat Pharao ſe dimiſſurum populum, & ſæpe fallebat: Deus nihilominus ſemel, & iterum expectat, & decies reexpectat, in quo maximam ſuam fortitudinem manifeſtat. Ita loquitur D. Theodulus in epiſtola ad Roman.cap.9. *Ait enim ſcriptura Pharaoni. In hoc ipſe excitaui te, vt demonſtrarem in te potentiam meam. Potentia Dei eſt longanimitas, adeo maxima potentia.* Nónne dicebat Pſalm.26. *Viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum?* Si ergo homo, vt Dominum ſuſtineat, & expectet, & viriliter agere, & confortari iubetur, quas vires requiret Dominus, vt peccatorem expectet? Non expectatur Dominus, qui facilis eſt, & benignus, ſine ingenti expectantis robore, quomodo expectabitur peccator, qui fallax eſt, niſi expectationi omnipotentia ſit coniungenda?

(Marginalia: Pſal.121. — Luc.7. — Iſai.30. — Cant.1. — Richard. Victor. — Auguſt. — Theod. — Pſal.26.)

§. VI.

Strictus iudicis rigor benignitatem, & beneficentiam præmittat, neceſſum eſt.

QVod Ieſus ſedeat, iudiciariæ poteſtatis iudicium eſt, quod fatigatus eſt itinere, hoc pietatem, & benignitatem oſtendit. Imò crediderim, quod iudicis ſeueri poteſtas à Patre in filium profecta trahit filium in tot pietatis, & miſericordiæ itinera. Accipite Iſaiam, cap.30. *Propterea expectat Dominus, vt miſereatur veſtri, & ideò exaltabitur parcens vobis, quia Deus iudicij Dominus.* Expende vnde veniat, & vniuerſa miſericordiæ itinera deſcendant, nimirum: *quia Deus iudicij Dominus*, quia ſtrictus iudicij rigor Domino eſt datus, ideo ab illo præmittitur amor, præmittitur miſericordia, perfecti iudicis comes, & iudicij anteambulo. Huc eleganter ſpectat D.Athanaſ. ſerm.3. contra Arianos, vbi incarnationis Verbi rationem reddens, ait: *Cæterum cum iam opera extarent, & neceſſarium erat ea alicuius adminiſtratione caſtigari: tum demum Verbum ſeſe dedit, vt condeſcenderet, & operibus ſimile efficeretur.* Ecce tibi vnde Dei deſcenſus, & condeſcenſus dimanauit, quia conditus creaturarum rationabilium orbis iudicem requirebat, à quo emendationem factorum, & correctionem caperet; ideo, qui ex natura iudex erat, ſeſe quaſi obligatum inuenit ratione muneris ad condeſcendendum hominibus, milléque miſericordiæ viis eorum animos ſollicitare. Equidem perfectum iudicem, non ſolum facit rigor ſtrictus, ſed miſericordia, ſed benignitas, ſed amor. De Ioanne Baptiſt. dicitur Luc.1. quod venit *in ſpiritu, & virtute Eliæ*; quod ſi Ioannis videatur aduentus, prorſus videtur ab Elia contrarius. Ioannes enim non vt ſponſus venit, ſed vt amicus ſponſi, miſericordiam, & ſalutem omnibus proclamans; Elias totus igneus eſt, non ſponſum præfert, ſed iudicem comitatur, ideo extremo tempori reſeruatus eſt, vt rigorem examinis, & iudicij prædicet, & proclamet. Quid ergo habet commune amicus ſponſi cum præcone iudicis? Quid Ioannes miſericordiam prædicans cum Elia, qui iudicium minitatur? Sanè eo ipſo, quod Elias iudicis præcurſor eligitur, ad Eliam attinet, quidquid ſtrictiſſimi iudicis eſt repræſentare. Verum cum Eliæ ardens zelus non poſſit repræſentare aliud, quam regionem, & ſeueritatem, qui ſoli affectus iudicem non perficiunt; neceſſarius fuit Eliæ vicarius, qui illius munere ſatisfaciens, quod in perfecto, & rectiſſimo iudice deſiderabatur, videlicet, miſericordiam, & amorem repræſentaret. Hinc præmittitur Ioannes in virtute, & ſpiritu Eliæ, vt in publicando iudice vires gerat Eliæ, iudicis miſericordiam, & benignitatem præmittens, cum ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hanc excogitationem mihi inſinuauit D.Auguſt. tract.4. in Ioannem, vbi dicit. *Non Elias Ioannes, ſed in ſpiritu, & virtute Eliæ. Quid eſt in virtute, & ſpiritu Eliæ? In eodem Spiritu ſancto vice Eliæ.* Expende illud, *vice Eliæ*; in oſtendendo enim agno Dei, eiúſque bonitate, & beneficentia promenda, vices gerit Eliæ; Eliæ reſpondit muneri, cuius eſt publicare iudicem, & rigorem minitari iudicij. Hinc tam audenter, & confidenter peccator homo ad Deum loquitur, Pſal.6. *Conuertere Domine, & eripe animam meam.* Conuertere, ait, quaſi non deceat hominum vindicem ſemper ira flagrare, ſiquidem tibi iræ theſaurus eſt in diem iræ promendus, ſiquidem ſtrictus iudicij furor adeſt, ne modo iram, & furorem exeras; ſunt iudici duo latera benignitas, & furor, ſerua furorem, præmitte benignitatem. Conuertere, inquit, quia cum tibi iudicij furor ſit, non poteſt ſimiliter non adeſſe benignitatis amor. Ad hæc Chryſol. ſerm.45. fatur. Conuertere Domine. Vnde? Vbi? *De Deo in hominē, de Domino in ſeruum, de iudice in patrem, vt pium conuerſio te demonſtret, quem poteſtas terribilem comminatur.* Expende illud, *vt conuerſio te pium demonſtret*; non enim ait, vt conuerſio te pium faciat, ſed pium demonſtret: eſt enim iudici innatus paternus amor, & ſimul cum ira benignitas, quæ neceſſe eſt, vt proſiliat, & appareat etiam in furore flammanti, ſi paulíſper Dominus conuertatur. Sic Geneſ. 18. Irritatus Dominus aduerſus Sodomam deſcendit puniturus malos, ſed prius ingreditur domum Abrahæ, ibique conuiuio vacat, Iſaaci natiuitatem promittit, tunc

(Marginalia: Athanaſ. — Luc.1. — Auguſt. — Pſal.6. — Chryſol. — Gen.18.)

Rupert. tunc pergit ad supplicium. De quo Rupert.lib.6.cap.1. *Bene ergo is, cuius in Euangelio sue simul ira reuelanda erat, & gratia, tam in præfiguratione aduentus sui, dum præfiguratur in Isaac, vtriusque rei narranda præmisit exempla. Penes ipsa priorum tabernacula castis indulget delitys, & ridentibus pene arridens, atque congaudens materiam multiplicat, causamque confirmat risus aterni: ac deinde Sodomam diuertens terribilem super impios, pluit ignem, in exemplum ignis aterni.* Hæc ille.

§. VII.

Laborum tolerantia efficacissima omnium, ad humana corda trahenda.

VIde quos parat Dominus ad fontes laqueos, vt mulierem trahat. Quos parat laqueos? *Fatigatus*, ait, *ex itinere sedebat sic supra fontem*, quasi obiecturus fatigationes, & labores suos, qui validissima arma sunt, ad conuertenda humana corda. Quatuor erant in populo Iudaico Prophetæ eodem tempore ad populum concionantes, & vel nullos, vel raros concionis hamo expiscantur. Vnus mittitur Ionas, qui opulentissimam Niniuem ad pœnitentiam trahat. Et vnus Ionas tanti populi conuersioni suffecit, sed cur non sufficeisset vnus Ionas prius à cete voratus, innumerisque periculis fatigatus? Ionas 1. *Et tulerunt Ionam, & miserunt in mare, & stetit mare.* Mutabitur feritas maris ad conspectum vel vnius Prophetæ, tot fluctibus iactati. Ibi D.Hieron. *Ionas in mari fugitiuus, naufragus, mortuus, saluat nauiculam fluctuantem; saluat ethnicos in diuersas prius sententias, mundi errore iactatos. Et Oseas, & Amos, Isaias, Ioël, qui eodem tempore prophetabant, populum in Iudæa nequeunt emendare.* Validissima sunt patientiæ ora ad hominum mentes expiscandas; non sic rhetorum flumina ad conuertendum mundum, vt valet patientia martyrum. Apocalyps.12. fugienti mulieri cœlesti Draco emisit flumen, *vt eam faceret trahi à flumine*, sed totius eloquentiæ flumina, nec vnam mulierem trahunt, verum rudes, & impoliti piscatores persecutionum fluctibus iactati hominum detriumphant voluntates. Actor.cap.3. *Iniecerunt in eos manus, & posuerunt eos in custodiam, vsque in diem posterum; erat enim vespera. Multi verò eorum, qui audierunt, crediderunt.* Apostoli ligantur, torquentur, mille afficiuntur probris, & sic innumeros conuertunt; multi afflictorum hominum subscribunt verbis, vt pareat efficacia patientiæ. Ita Chrysostom. hom.9. fatur. *Quid hoc? numquid viderunt illos bonellari? nonne conspexerunt ligari, quomodo igitur crediderunt? Vides manifestam efficaciam.* efficacissima est patientiæ vox vel potens ipsa totum mundum ad se conuertere, & detriumphare. Nec est potestas vlla, quæ resistere possit patientiæ seruorum Dei, quando, & tormenta ipsa, & mors, & sepulchrum plus addunt eorum voci efficaciæ. Nónne mors oppresserat Abel? nónne terræ datus erat eius sanguis? Nihilominus ait Dominus: *Vox fratris tui Abel clamat ad me de terra.* Viuus, sicut agnus coram tondente se obmutuit, vnde modo tanta vocis efficacia? Sanè & profusus sanguis, & mors, & sepulturæ terra dant efficaciam voci Martyrum. Ita de Apostolis inter sæuissimos defunctis cruciatus, loquitur D.Basil. Seleuc. orat 3. *Mortem excipiunt quidem, nec piscatu tamen abstinent obita morte. Quin etiam post fata, Domini faciunt imperata, nec pressi sepulchro prædationis obliti sunt. Nam & sepulchra valente gratia loquuntur.* Mors non obturat ora patientiæ, imò quot sudores innuttrit, quot pressuras trahit, quot vulnera infligit, tot linguas addit ad conuertendum orbem terrarum. Psalm.103. *Extendit cœlum sicut pelles.* Vt pelles post animalis mortem maceratæ, extendi solent, & percussæ classicum insonant, & mire tonant: sic cœlestes homines, instar pellium, inter macerationes, & percussiones, ac inter ipsas mortem maiorem vocis efficaciam effingunt. Iuxta quod Diuus Augustin. ait: *Ideo tenditur, sicut pellis, & magis tenditur, quia illi mortui sunt, nam post mortem plus intonuerunt Apostoli.* Dedit sanè afflictio, dedit mors, dedit sepulchri terra efficaciam illorum dictis. Id eleganter exprimit Theodoretus lib. 8. de Martyr. ibi loquit: *Admirantur autem cuncti mortales, mortuos iam Apostolos, nunc quoque vertendis ad Christianam religionem populis, ea efficere, quæ, cum olim viuerent, faciebant, imò autem maiora, multoque clariora, postquam excesserunt è vita per eos facta conspicere.* Et cur modo maiora non efficient in conuertendis populis, quando eos mire iuuant exantlati labores, sanguineus sudor, & mors ipsa.

Ionas 1. Hieron. Apoc. 12. Act 3. Chrysost. Basil. Sel. Psal. 103. August. Theod.

Text. Venit autem mulier de Samaria haurire aquam.

§. VIII.

Nulli sese offert salutis occasio casu, nisi ex diuino præscripto. Vbi quod salutis opera non faciamus ex casu.

CVm videas mulierem accedentem ad fontem, quando Iesus supra ipsum sedet fontem, ne putes illam casu venire, quin imo ideo venit, quia trahitur sedantis sistenda iudicio. Etenim vbi Iesus accumbit Pharisæi epulis, ingreditur peccatrix mulier tota illachrymans; crebra, & ardentia mittens suspiria, nimio dolore lacera. Vnde mulier tali habitu conuenit Iesu? Pulcrè Chrysolog. serm. 93. ait: *Fratres non rogata venit illa, sed iussa: intrauit exhibita, non præsumens: ipse sic fecit eam sisti sibi, qui illam cælesti sententia iussit absolui.* Expende, *sic fecit etiam sisti sibi*: non casualis fuit habitus Magdalenæ, non casualis ingressus eius ad discumbentem, omnia fiebant ex Dei præscripto. Dei fuit sententia, quod veniret ad discumbentem, quod manus vnguentum funderent, quod oculi flerent, quod capilli tergerent, nec vnus illius capillus motus fuit, qui ex diuini senatus consulto non veniret. Quid magis casuale videtur, quâ Rebeccæ occursus cum Abrahami seruo? Sedebat ille ad puteum dicens, Genes.24. *Puella, cui ego dixero, Inclina hydriam tuam, vt bibam; & illa responderit, bibe, quin & camelis tuis dabo potum, ipsa est, quam præparasti seruo tuo Isaac.* Hæc secum loquebatur seruus, & ecce apparet pulcherrima virgo Rebecca. Quid tunc seruus? *Occurrítque ei seruus, & ait: Pauxillum aquæ mihi bibendum præbe de hydria tua. Quæ respondit: Bibe Domine mi.* &c. Putas, hæc casu fiebant? Absit. Veniebat Rebecca ad fontem, veniebat ad seruum Isaac, qualem, qui ex illa, & Isaac nasciturus erat, venire præscripserat. Venit equidem non fortuito, sed iussa, & eius gratia sic eam fecit sibi sisti, qui illis præparabatur in filium. Ita Francon. Abb. tom.3. de Gratia Christi, fatur. *Ecce in hoc mysterio gratia assistit, ipsa seruum spiritu consilij imbuit, ipsa preces impleuit: vxorem ipsa elegit.* Nihil ibi casu actum est, nec hydria sumitur, nec camelus bibit, nisi ex præscripto, & sententia moderantis omnia gratiæ diuinæ. Nemo ad Christum ex casu venit, nulli offert sese salutis occasio fortuito: & crediderim, quod à multis Bethleemiticis, siue egredientibus, siue ingredientibus ciuitatem, casu recens natus Iesus, & inuentus, & visus, sed etiam ab eisdem fuit ignoratus? An, & qui cognouerunt pastores, non erant casu in regione illa? Non casu vigilabant? Ita de illis loquitur Luc. c.2. *Et pastores erant in regione eadem vigilantes:* erant equidem pastores in regione eadem, prout casus pastoritiæ curæ ferre videbatur, sed non erant casu, sed alio Dei nascentis consilio ibi positi, non id ferebat pastoritiæ curæ casus, sed recēs natus sic eos sibi sisti voluit. Pulcrè D.Ambros. lib.6. in Luc. *Quod si ætas carnis ignara operis fuit, profectò Deus erat, qui diuinitatis operibus exercebat carnis ætatem. Qui etiam pastores faciebat in illa religione vigilare.* Nec gradum facit quis, quo appropiet Christo, nisi ex præscripto Dei, qui omnia suauiter disponit, & moderatur, vt electi sui salutem adipiscantur. Non enim hominum salus relinquitur à Deo fortuitis casibus. Vnde hinc & nos discamus salutis nostræ opera casu, & fortuito minimè tractare; sed consulto, & ex præcipuo cordis affectu ea nobis agenda proponamus. Id maxime in Iephthe castigatum fuit filiæ internecione: qui enim Abrahæ gladium à ceruice filij remouit, permisit Iephthe, quod filiæ inficeretur sanguine. Cur hoc permisit Deus? Meruit id Iephthe, qui votum Deo emissum ex fortuitis adimplendum reliquit casibus: quippe ait Iudic.11. *Quicumque fuerit egressus de foribus domus meæ, & mihi occurrerit reuertenti cum pace à filijs Amon, eum holocaustum offeram Domino.* Parum se Deo exhibet religiosum, dum materiam voti non de melioribus procurat, contentus illa, quam casus fortuito ministraret. Sanè quòd iste gratam offeret victimam, non eius animo acceptum referret Dominus, sed potius casui, quando ille non magis vitulum, quam canem (si fors tulerit) offerebat. Ideo iste à Deo punitus fuit, dum primo dilectam filiam offendit, quam trucidaret. Et meritò puniuntur, qui salutis negotia per occasionem, & fortuito agunt. Simonis Magi stultitiâ qua pecuniis comparare volebat Spiritum sanctum, maximè reprehenderunt Apostoli; ipse verò de crimine admonitus, & de imminenti pœna, dum abiit, dicit Actor.8. *Orate pro me ad Dominum, vt nihil horum, quæ dixistis, eueniat in me.*

Chrysol. Genes.24. Franc. Ambros. Iud.11. Actor.8.

Fuge nefariam hominis pœnitentiam, non enim consultò id dicebat, nec ex vero animi proposito, sed quasi per occasionem, & obiter. Ita Chrysost. hom.18. *Oportebat illum toto corde pœnitentiam agere, oportebat plorare. Ille autem obiter hoc faciebat.* Sic innumeri, quæ ad salutem spectant. ex occasione, & obiter faciunt, vt casus fert, non ex animi proposito, vnde nunquam Deo placent.

Chrysost.

Text. Dicit ei Iesus: Da mihi bibere. Discipuli enim abierant in ciuitatem, vt cibos emerent.

§. IX.

Christi sponsa misericordia in pauperes ornatur.

AVdio Abraham seruum per aquæ petitionem iuxta fontem Isaaco sponsam perquirere, & sic Ecclesiæ, & Christi nuptias delineare. Vbi autem non per seruum, sed per se ipsum Dominus fonti assidet, & aquam ipse petit, non tam sponsas suas perquirit, quam conquisitas fulgenti illustrat ornatu, quo diuini sponsi oculis placeant. Id animaduertit Max.hom. in vigil. Natiuit. inquiens. *Ambiamus ergo inueniri ante ipsum probati fide, compti misericordia.* Ecce totum ornatus apparatum: ecce Christianæ sponsæ mundum omnem muliebrem, quo adornetur, quo multum pulchrescat, quippe ait: *Compti misericordia.* O quam ornat Christi sponsas misericordia in pauperes, sanè ex hoc illam acquirunt pulchritudinem, qua sponsi sui oculos rapiant. Psal.44. *Specie tua, & pulchritudine tua intende, prospere procede, & regna.* Magna equidem vis pulchritudinis est, quæ facit prospere regnare; miror, si hanc pulchritudinem non ardenter inquiramus, & inueniemus facilè; quandoquidem tota posita est in misericordia pauperum. S. Laurentius Nouar. homil. de eleemosyn. *Quæ alia est pulchritudo, quam lacrymæ oculorum, & largitas eleemosynæ?* Hac vna pulchritudine sic ornantur animæ, vt prorsus dignæ imperio videantur. Iam do Agapitum Diaconum, ad Iustinianum Cæsarem sic fantem. *Vestimentum inuentu stabile est beneficentiæ amictus: & incorrupta stola est charitas in pauperes: quam igitur oportet, qui pie regnare vult, talium indumentorum pulchritudine animam exornare: amoris enim in egenos qui indutus est purpuram, cœlestis quoque regni compos efficitur.* Non vacat modo eleemosynæ regium stratum commemorare, sed eius regiam pulchritudinem, regium, & splendentem miror ornatum. De nulla, mihi crede, sic pulchresces virtute, quam de eleemosyna. quo nihil tuum putas, sed quidquid habes, commune habes, vt ab egenis possit participari, eo in cultu ornatior, in decore floridior appares. Cantic.1. ait ista: *lectulus noster floridus,* verum postmodum c.3. ait. *In lectulo meo per noctes quæsiui,* &c. Cur modo suum vocat, modo nostrum dicit? sanè cum non suum, sed nostrum nominat, virtutem exerit hospitalem, qua vt vera Abrahamides hospitium peregrinis parabat; & vt vera Sunamitis, & cubiculum, & sellam, & lectum Dei prophetæ componebat; nec vocat suum, quod pauperibus communicabat. Sed nota mysterium, in lectulo suo, ibi curæ, ibi vigiliæ, ibi noctes, ibi sollicitudines: at in lectulo communicato pauperibus, ibi flores sunt, ibi rosarum pulchritudo, & venustas apparet. Quo spectans Gillibert. Abb. serm.2. in Cant. fatur. *Qui communis est, floridus est, vetustatis nihil habens, nihil corruptionis. Quando vero proprium suum lectulum dicit, nulla ibi fit mentio floris.* Habet hoc proprium misericordia in pauperes, quod diuinarum sponsarum thalamos floribus spargat, quod floridos suos alumnos faciat, quod roseum splendorem, quod pulchritudines pariat. Parum dixit ab eleemosyna floridas fieri sponsas Christi; aurea enim est pulcritudo, quam eleemosyna facit. Sic D. Chrys. hom.61. ad Pop. persuadens plus pauperibus subleuandis, quam templis exornandis vacandum, fatur. *Tu hoc Deum honore, quem statui, prosequere, diuitias expendens in pauperes, nec enim aureis vasis Deus eget, sed aureis animabus.* Quippe pauperes subleua, & aureus esto, quo diuinos oculos trahas. Non possum in præsenti non meminisse pulcherrimos Machabæorum triumphos; in quibus fortissimos viros non tam Martios, quàm Martinos stupeo. Hi post victoriam, vbi ad spolia ventũ est, lib.2. c.8. *Prædas diuiserunt, æquam portionem debilibus, pupillis, & viduis, sed & senioribus facientes.* Itaque magnam spoliorum partem afflictis, & pauperibus dederunt; quis ergo fortissimorum virorum ex hoc facto pulchritudinem explicauit? Quis in illis præ aureis vasis, & armis spoliorum aureas non æstimet animas? Iam refero huc verba Psal.67. quæ sic sonant. *Rex virtutum dilecti dilecti: & speciei domus diuidere spolia.* O quantam speciem, & pulchritudinem parit ea spoliorum diuisio, quæ etiam debiles pauperes, & senio confectos, & calamitosos nouit replere. Insuper addit Propheta: *Si dormiatis inter medios cleros, erunt pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora eius in pallore auri.* Ecce iterum aurea pulchritudo, sed & in pauperum subleuatione fundata. Pro quo prima huius clausulæ verba sic apud Hebræos sonant. *Si cubetis inter medios lebetes.* Quid in præsenti lebetes? Aliis alia significent; mihi ob oculos ponunt beneficentiam militarem. Video enim apud Hispanos, multorum nobilium stemmata lebetibus magnis insigniri, eorum, qui in priscis exercitibus, suis sumptibus pauperiores milites sustentabant. Non ergo tibi admirationem faciant militum arma aurea, quibus detriumphant inimicos, sed eorum aureæ animæ, quibus curæ sunt egenorum fames. Ab hac cura totus nobilium splendor, vniuersa ducum, & regum pulchritudo, non absimilis columbæ argenteum, aureúmve quid præseferenti. Et posteriora dorsi eius in pallore auri: nullibi ex pauperum datis muneribus pulchritudo non nascitur, & turpitudo abest. Allophili propter captiuitatem arcæ vehementer castigati à Deo sunt, imò conspurcati, & fœdati fœtida plaga in secretis naturæ orta, 1.Reg. cap.5. quo respiciens Psal. 77. ait: *Percussit inimicos suos retrorsum, opprobrium sempiternum dedit illis.* Quo dedecore, & turpitudine, vt liberarentur, moniti sunt, & arcam restituere, insuper & munera addere: sic enim vates cauent cap.6. *Si remittitis arcam Dei Israël, nolite dimittere eam vacuam.* De quo pulcre D. Prosper de Promiss. p.2. cap.14. fatur. *Nec valuerunt huius turpitudinis euadere vltimam pœnam, nisi arcam Dei, quam ceperant, donis appositis reddidissent.* Vide quibus fœtida turpitudo tollatur, nimirum donis appositis: quippe omne dedecus abest; & redit aurea pulchritudo vbi Deo munera in pauperibus suis fueris largitus.

Maxim. — Psal.44. — Laur.Nou. — Agapit. — Cantic.1. — Gillibert. — Chrysost. — 2.Mach.8. — Psal.67. — Psalm.77. — 1.Reg.6. — Prosper.

§. X.

Mundiales principes non sitiant suorum sanguinem.

HIc veri Regis Christi exactiones animaduerte, quas exigit à suis, nempe parum aquæ, vt ardentissimæ siti satisfaciat. Non ea est sitis tyrannorum mundialium, quam extinguat aqua, sed suorum sanguis, Herodes ille rex inter prandij dapes, iussit sibi afferri in disco Ioannis Baptistæ caput. De quo D. Fulg. ait serm.7. *Multorum iam capita piscium, pecudumque præcesserant, sed quantum est ad regiam voluptatem? Nihil actum, nihil procuratum esset, si defuisset regio prandio caput humanum.* Hæccine est mundialium tyrannorum conditio, quod semper inhient sanguini humano: quod subditorum sitiant sanguinem. Quam aliter bonus Rex Dauid sitiuit, eum esset in acie, & ardenter cupiuit aquam cisternæ Bethleemiticæ: nouerunt Regis desiderium tres nobiles milites, qui rege inscio sese dant per medios hostium confertissimos cuneos, aquam de cisterna hauriunt, & eodem periculo, vsque ad Regem trahunt. Quid tunc Rex? 2.Reg.23. *Libauit eam Domino,* timens sitim extinguere aqua periculo suorum comparata. Hoc boni Regis facinus laudans D. Ambros. in Apol. c.7. hanc reddit rationem facti, nimirum aiens: *Prospexit ne cui Regum bibendi vsus alienis periculis quæreretur.* Quam bonus Rex, qui nec aquam bibere vult, in qua suorum sanguinis periculum repræsentabatur. An propter hoc displicuit Deo præstantissimus Israëlitici populi gubernator Moyses? Huic dixit Dominus Num.20. *Loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas.* Verùm ipse assumpta virga abiit ad petram. *& percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ.* Hæc Moyses fecit, quibus terræ promissæ regnum amisit. Quid ergo egit Moses perfectissimo gubernatore indignum? Non loquitur ad petram, vt aquas det, iuxta præceptum Domini: sed virga semel, & iterum percutit, quasi non liberet bibere, nisi de vulnere. Quid regio animo indignius? Longe aliter Rex ille, regum exemplar Iob cap. 31. aiebat iuxta Lxx. lectionem. *Si supra me aliquando terra gemuit, & sulci eius plorauerunt simul.* Quasi dira sibi imprecetur, si vnquam, vel subditorum lacrymas, vel sanguinem sitiret, sic subditos vexando exactionibus, vt cogeret illos plus solito terram sollicitare, & vexare, quo possint persoluere tributa. Ita auctor cat. Græc. quasi diceret. *Hæc patiar mala si causa mea, terra à suo Domino est aliquando gemitu debilitata: aut si sulci eius ab aratoribus, atque ab his, qui eam sciderunt, flere aliquando coacti*

Fulgent. — 2.Reg.23. — Ambros. — Num.20. — Iob 31.

tracti sunt. Quippe meritò tot sibi calamitates à Deo inflictas putaret bonus Rex, si quando libuisset de terræ vulnere, de subditorum sanguine bibere, eos sic premens tributis, vt ingenti labore ægrè, & difficulter satisfacere vix possent. De hoc sic loquitur D. Synes. lib. de Regno. *Neque tributis ciuitates exhaurire regium est: bono enim Principi vbinam tantis pecunijs opus est? Cum neque insolenti animi fastu sumptuosa opera moliatur; nec temperati vsus loco inanem, atque ambitiosam magnificentiam affectet: neque iuuenili consilio in scenicos ludos, gnauorum hominum labores perperam consumet.* Sanè paternum fuit illud Agamemnonis suspirium, quando pro felici nauigatione filiam litaturus ait: *Ventos sanguine emimus*, & regium valdè erit, quod horreat subditorum sanguine ludicras sibi comparare delitias, & bonorum hominum sudores, & lacrymas in ludis consumere. Ioseph Ægyptiorum moderator sic à parente benedicitur, & à Moyse, Deuteron. 33. *Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius.* Cur non potius Leoni, aut Aquilæ regium Ioseph splendorem comparat? Cur tauro? Diogenes apud Dionem orat. 2. de Regno. *Taurus non solum ex generosis animantibus est, neque sui ipsius causa fortitudine vtitur, quemadmodum Leo, & Aquila persequentes cætera animalia, suíque deuincentes eibi causa: quare potius quis tyrannidis eos dicat, quam regni exemplum esse. Taurus autem manifestè ad Regis imaginem factus est: cibus ei paratus, & facilis, vt nullum, necessum sit, vi opprimere illius causa, &c.* Pergit alia enarrare, & pulchra, & beato digna rege, nobis sufficiat hoc, quod de nullius manducet sanguine, pugnet, luctetur, vt taurus pro grege, non vt ampliora sibi faciat pascua. Hæc bella tribuebat Dauid nostro Imperatori, Psalm. 28. *Comminuet eas, tanquam vitulum Libani:* vbi aptius D. Hieronym. reddit: *Comminuet eas, tanquam vitulus Libani.* Tanquam vitulus, ait, opprimet gentes, non vt sanguine vescatur, sed vt gregem tueatur.

Synes.
Deut. 33.
Diogen.
Psalm. 28.
Hieron.

§. XI.

Nihil à nobis accipit Deus, nisi aliquo pretio emptum.

Refert Euangelista petiisse Dominum aquam à muliere, & statim, quasi pro ratione subdit: *Discipuli enim abierant, vt cibos emerent.* Quid interest, quod abiissent discipuli emptum cibos ad aquæ petitionem? Sane voluit Euangelista eadem mente Christum aquam petiisse, & discipulos misisse ad emendos cibos, vt nimirum ostenderet nihil se velle accipere ex hominibus, nisi pretio emptum. Nihil dabis Deo, nec calicem aquæ frigidæ, quod immuneratum maneat, pro quo pretium à Deo non accipias. Probauit Dominus amicum sibi hominem Iobum, qui facile, & bonis, & saluti, & honori cessit, vt Dei se seruum ascriberet. Quid tunc Deus? Sic cap. 42. habes. *Et addidit Dominus omnia, quæcumque fuerant Iob duplicia.* Cur duplicia addidit? Non sufficeret, vt eadem redderet, quæ auferri permisit? Si eadem solum redderentur, videretur quidem plenaria facta esse restitutio: sed nihil Deus daret de suo pro seruitio accepto, ideo præter bona prima, totidem alia redduntur, ne quid videatur Deus accepisse, quod non de suo remuneret. Ita D. Basil. conc. ne rebus temporalibus affixi simus, inquit, *Duplicatæ diuitiæ vndequaque in domum confluxere, vt alteram partem, velut qui nihil amisisset, haberet: altera verò patientiæ merces iusta esset.* Nullum Deo obsequium, nullum exhibebis seruitium, pro quo tibi à Deo merces non veniat. Monebat aliquando discipulos suos Dominus, Marc. 6. vt nihil secum ferrent in via. *Et præcepit eis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum, non peram, non panem, non in zonis æs.* Cur sic nudos iubet esse discipulos? vt videas differentiam Domini, & aliorum mundialium dominorum. Qui principibus mundi accedit seruiturus, de suo habeat necessum est, vt possit viuere, aut enim seruitiorum merces non est præ manibus, aut sæpe datur nulla. Verum dum cœlesti Domino seruimus, nihil de nostris egemus, nullum enim obsequium præstabimus, quod non sequatur statim, retributio, & diaria merces in foribus assistat. Pulchrè D. Chrysolog. serm. 170. inquit. *Deum quantum credit inhumanum, qui ad opera eius inuitatus pera, pane pretio onustus incedit.* Qui mundialibus seruit, eorum retributioni parū fidens, procuret sibi aliunde panes, & pecunias, quibus viuat: Deo autem iniuriam irrogas, si quid pretij aliunde congreges illi seruiturus, quando fidelissimus in retribuendo, & sine mercede nullum vnquam seruitium admittit. Apud Ezech. cap. 29. ait Dominus: *Fili hominis Nabuchodonosor Rex Babylonis seruire fecit exercitum suum seruitute magna aduersus Tyrum, omne caput decaluatum, & omnis humerus depilatus est: & merces non est reddita ei, neque exercitui eius de Tyro, pro seruitute qua seruiuit mihi aduersus eam. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego dabo Nabuchodonosor Regem Babylonis in terra Ægypti: & accipiet multitudinem eius, & deprædabitur manubias eius, & diripiet spolia eius, & erit merces exercitus illius. Et operi quo seruiuit aduersus eam dedi ei terram Ægypti: pro eo quod laborauerunt mihi, ait Dominus.* Quis sine mercede ab eo Deo abibit, qui nec patiatur scelestissimos homines sine illa aliquod sibi offerre seruitium? Nullum sanè seruitium Deo facies, etsi minimum, etsi paruissimi ponderis, quod non remunerationem, & pretium accipiat: Dan. 5. aiebat Dominus Babylonio Regi, apud Chrysostom. in Psalm. 95. *Librauit Dominus regnum tuum, &c.* Quibus expendo illud, *librauit*, quasi diceret, per libras & vncias, & semiuncias ponderauit: nihil enim tam paruum est, quod remunerationem à Deo non recipiat. Sunt apud homines nonnulli mercatores, apud quos nullæ sunt rerum minutiæ, ideóque apud illos libra non est, quia ibi parui pretij merces non emuntur. Sunt sanè alij, quorum in atriis præ oculis pendet libra, vt omnes intelligant, quod minutissima quæque æra, ibi suam mercem acquirunt. Is est Deus, qui vt mercator nostris minutiis accommodatus præsefert libram, nihil, etsi paruū, sine mercede relicturus. Huc spectat illa Georgij Veneti obseruatio, in Harmonia Cant. 2. ton. 7. c. 13. vbi recolens Israëlis exercitum ex duodecim tribubus constantem, docet, quod ternæ tribus castra figebant, ita vt tribus Iuda, & tribus Isachar, & tribus Zabulon versus orientem castrametarētur, sub ea cœli regione, è qua tribui Iudæ responderet, *Geminis*; iam tum duarum naturarum consortium designans in Christo à Iuda oriturum. Tribui autem Zabulon, respondebat Aquarius, cuius mysterium alibi est datum. Verum tribui Isachar respondebat Libra: & cur Isachari respondet in cœlo Libra? Isachar idem est, ac *merces*, à quo oriuntur terræ operarij, qui sub mercedis spe operam dant agriculturæ. Rectè ergo operariis proponitur è cœlo Libra, ne paruos contemnant labores: nullus enim erit tam paruus, qui irremuneratus abeat, quando apud mercatorem Deum per libras, & vncias, & semiuncias merces tractantur. Accinit Apocalyps. 6. *Ecce equus niger, & qui sedebat super illum, habebat stateram in manu sua. Et audiui vocem in medio quatuor animalium, dicentium: Bilibres tritici denario, & tres bilibres hordei denario.* Per triticum intelligit D. Ambros. in præsenti splendida sanctorum facinora, per hordeum intelligit opera minoris pretij, & momenti, quæ omnia à Deo ponderantur, vt nec magnum, nec paruum sine mercede maneat.

Basil.
Marc. 6.
Chrysol.
Ezech. 29.
Daniel. 5.
Chrysost.
Georg. Ven.
Apoc. 6.

Text. Dicit ergo ei mulier Samaritana: Quomodo tu Iudæus cùm sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis.

§. XII.

Legum sono literali non nimis hærendum est illi, qui errare nolit.

Non licebant commercia inter Iudæos, & Samaritanos, ea enim leges vetabant, non tamen ideo pietatis opera, imò & necessitatis inter illos ableganda erat. Absurdum enim est, & inhumanum sic legali sono adhærere, vt numquam per leges liceat benefacere. Seruilia omnia opera Sabbatis per legem vacabant, nihilominus perfectissimus legum obseruator Iesus Sabbatis etiam infirmis ferebat incolumitatem, hoc vno confundens murmuratores, nimirum, si licet Sabbatis benefacere? Verum vt notatur Marc. cap. 3. *Obseruabant Pharisæi, si Sabbatis curaret*, quasi Iesum vellent ex eo accusare de Sabbato violato. Id quod pulchrè expendens Chrysolog. serm. 32. ait. *Tali legis interprete, non dico laborat nimis, sed funditus expirat ægros.* Et passim mille spirant ægroti, cum eos curatores nanciscuntur, qui materiali sono legum addicti, non nouerunt latitudinem Christianæ charitatis. Seruilis proculdubio rigor est ille, qui salutem proximi contemnit, vt sono adhæreat legali. Nónne lex à leprosorum contactu arcebat? Cuius gratia Elisæus 4. Reg. 5. curaturus Naaman, ita sese ab illius conspectu seruauit, vt seruum mitterer, qui diceret: *Vade, & lauare septies in Iordane.* Quid ad hæc ægrotus? *Iratus Naaman recedebat, dicens: Putabam quod egrederetur ad me, &*

Marc. 3.
Chrysol.
4. Reg. 5.

ftans innocaret nomen Domini Dei fui, & tangeret manu fua locum lepra. Ecce tibi, quibus contentus iret ægrotus, fi vel Prophetæ tangeretur manu, Elifæus autem potius illum abire incuratum finebat, totámque Regis Syri indignationem aduerfus Ifraelem contemnebat, ne legi derogaret, lepram manu tangens. Quam aliter verus legis interpres, & explicator Iefus, qui vt falutem daret, minime cauebat à lepræ tactu; quippe non feruili fpiritu, fed tota via re-

Chryfoft.

gia charitatis legalem obferuabat. De vtroque D. Chryfoft. hom 26 in Matth. ait, *Elifæus neque videt Naaman, fed fcandalizatum effe audiens, quia eum neque afpicere voluiffet ipfe, nec tangere; diligentiam legis obferuans nihilominus manet domi: eumque ad fluenta Iordanis mittit lauandum. At verò Chriftus oftendit, quia non vt famulus, fed vt Dominus, curet, ac tangat.* Seruili fpiritu premitur, qui nunquam audit, quod præter legem fuggerit charitas. In corporea legis littera videndus eft fpiritus legis, & fupra anguftum fonitus litteralis, magnum femper charitatis fpatium eft meditan-

Deut. 11.

dum illis, qui regium fpiritum fortiri amant. Deuteron. 11. ait Dominus, *Omnem locum, quem calcauerit veftigium pedis*

Origen.

veftri, vobis tradam. Quæ verba fic ponit Origen. homil. 2. in Iofue: *Omnem locum, quemcumque afcenderitis veftigiis pedum veftrorum, vobis dabo eum.* Quod fi fcire cupis, quæ funt hæc loca, quæ afcenfori fumus, vt dominemur eorum: accipe ipfum Orig. fic differentem. *Quæ funt loca, quæ afcendimus*

Origen.

veftigiis pedum noftrorum? Legis litera humi pofita eft, & deorfum iacet. Nufquam ergo afcendit, qui legis litteram fequitur. Si ergo potueris à litera afcendere ad fpiritum, & ab hiftoria ad intellectum confcendere celfiorem, tunc verè afcendifti locum editum, & excelfum, quem à Deo in hæreditate percipies. Non homili, & repenti literæ legis nimis inhærendum tibi eft, fed dominante fpiritu inquirendus, & amplectendus eft nucleus charitatis in cortice literali.

§. XIII.

Excessus in virtutum confinibus multum damnofus eft.

DVm fœminam video fic Iudæorum obferuantiæ legali irridentem, vt quafi de zelo legis, nec aquam fitienti Domino porrigat. Noto illorum exceffus, qui de obferuantia morali legum, fummis fe criminibus, & valde perniciofis implicauerunt. Se fe in primis offerunt duo Dauidis filij Amon, & Abfalon: ille dum nimis fororem amat, incidit in barathrum peccati, hic pro dilectæ caftitate follicitus perpetrat parricidium. Vtinam neuter operam legi adeò immoderatè obferuandæ daret, forfan in tam exe-crabilia non corruiffent delicta. Elegantur D. Ambrofius

Pfalm. 38.

Pfalm. 38. fatur de iftis. *Alter ad inceftum accenfus de germanitatis affectu, alter ad parricidium armatus eft, ftudio caftitatis. Quemadmodum illos in grauiffimis criminibus confinia lufere virtutum. Vtinam aut ille fororem non amaffet, aut hic non vindicaffet.* Solet virtutum exceffus maiora parturire mala,

Cellenf.

quam vitia parturiunt, & vt bene notat Cellenfis Abbas de Pan. cap. 5. *Quandoque grauius ægrotatur ex fuperabundantia, quàm ex inopia; faciliúfque vacua corpora reparantur, quam emittuntur.* Hoc & in corporali & fpirituali falute quotidie experimur. Pro quo accipe modo D. Petrum in prætorio Cayphæ, magiftri negatione factum imbecillem, & miferè ægrum ex amoris defectu. Sed vide quam facile im-

Lucæ 22.

pletur, quàm facile fanatur: ait Lucas 22. *Refpexit Dominus Petrum; & egreffus foras fleuit amarè.* Vel diuinorum oculorum nutu, Petrus ad priftinam fanitatem reducitur. Longè aliter apud Matth. cap. 16. cum verba faceret Iefus de fua morte. Petrus feruidè fe fe opponit, dicens, *Abfit à te Domine, non erit tibi hoc.* Quid tunc Iefus? *Qui conuerfus dixit Petro, Vade poft me Satana, fcandalum mihi es?* Quid afperius? Quid durius? Negatorem nutu oculi conuenit, & amatorem contumeliis plectit; vbi negat, erat amoris defectus; vbi à cruce arcet, erat amoris exceffus, & grauius damnum timetur ex fuperabundantia, quàm ex defectu; & ideo vehementius medicamen apponitur, vbi cernitur

Chryfol.

amoris exceffus. Pulchrè Chryfolog. ferm. 27. *Non tibi hoc erit Domine, dicens: Triumphum crucis vacuare contendit, cum feruere fe nimio amore mentitur.* Expende illud, *nimio amore:* vt videas quàm cauendus virtutis exceffus, qui in Petro vacuare volebat dominicæ crucis triumphum, & à Deo tam acrem reprehenfionem inflictam fubiuit. Væ qui excedit in virtutum culmine, non itur inde nifi in maxima præci-

Bafil.

pitia. Quapropter fic monebat perfectionis affeclas D. Bafil. de vera virgin. inquiens. *Vtque diligenter intentus; quomodo cautè ambules, non vt infipiens, fed vt fapiens, quoniam in medio laqueorum ambulas, & fuper pinnas vrbium tranfis, cautius prouide, ne forte dum negligis iniicias in laqueum pedem tuum, ne ruens à muro ciuitatis noftræ malè pereas.* Expende illud, *ruens à muro:* qui enim in virtutis culmine cadis, ne reputes cafum communem, fed quilibet cafus ibi eft præcipitium, quafi ab altiffima turri. Vnde virum perfectum frigefcentem monet Apoc 3. *Memento vnde excideris,* vnde di- Apoc. 3.

cit, vt altiffima fui præcipitij culmina meditetur, quod notans Victorinus, ait. *Qui cadit, de alto cadit: idem dixit, vnde.* Ex virtutum confinibus qui excidunt, nefciunt meditari nifi præcipitia, ingentia flagitia. Veniat modo tibi in mentem Lucifer ille, qui mane oriebatur, vbi in paradifo Dei erat omnibus fublimis virtutibus, dum ibi excidit, quam audax, quam effrons fit? Ifaias 14. qui dixerat, *Sedebo in* Ifai. 14.

monte teftamenti, fimilis ero Altiffimo. Hic, hic ipfe diabolus factus vitiorum omnium fentina apud Marc. cap. 5. dicit Marc. 5.

Iefu: *Mitte nos in porcos.* Inter Angelicas virtutes excidens audet, vel renuente Deo velle furripere thronum diuinum, inter diabolica vitia non audet intrare in porcos, nifi de licentia diuina. Quod notat Arnoldus Carn. de opere fex Arnold.

dierum, inquiens. *Qui dixerat, Sedebo in monte teftamenti, fimilis ero Altiffimo, iam neque in gregem porcorum audet intrare, nifi permiffus.* Eo quam audaciores funt in crimina filij lucis, vbi excidunt, tenebrarum filiis! Quam maiora mala oriri folent à virtutum exceffibus, quam oriuntur à vitiorum fentinis.

§. XIV.

Cauenda eft magis familiaritas cum hominibus peccatoribus, qui habent aliquam fpeciem virtutis.

INter omnes gentes vicinas, Samaritanos Iudæi maximè abominantur, maximéque illos cauent, & crediderim non id odium accidiffe, abfque magna Dei prouidentia, qui in populo fuo conferuare volebat veram religionem, & pietatem. Etenim Samariæ fpeciem aliquam Hebraicæ religionis habentes, magis damnofi exifterent Iudæis, qui cum viderent illos fub libris Moyfi gaudentes, de eodem patre Abraham gloriantes, eundem Meffiam fperantes, facile eorum etiam biberent idololatriam. Hinc illos maximè auerfabantur nutu diuino, ne colorata inefcarentur infania. Sic Deus Leuit 13. legem ferens de leprofis, iubet, Leuit. 13.

quod is, qui totus à lepra candet, poffet inter conciues fuos verfari: at qui non totus, fed ex parte folum candet, is debeat à conuictu hominum feparari. Cuius legis occafione quæftionem tractat Theodoretus, & eft 16. Cur fi le- Theodor.

pra tota caufa feparationis eft. ille folum feparatur, qui ex parte leprofus eft, & qui totus lepra afficitur, is admittitur? Cui refpondens, ait: *Hoc continet figuram rerum fpiritualium. Siquidem lex diuina, nec edere quidem permittit cum fidelibus peccantibus, cuius rei teftis eft diuinus Apoftolus. Si is, qui frater nominatur inter vos, fit fornicator, aut auarus, aut idolis feruiens, aut maledicus, aut ebriofus, aut rapax, cum huiufmodi nec cibum fumere. Cum infidelibus autem ad conuiuium inuitantibus manducare non prohibet. Sic itaque Apoftolus ait, Si quis infidelium vocat vos, & vultis ire, omne quod vobis appofitum fuerit, edite.* Magis equidem funt nobis cauenda fidelium vitia, quæ de apparenti virtutum fimilitudine commendantur, & dum non fugiuntur, nocentiora funt. Hinc illud Dei odium in tepidos oritur, quos à domo fua confeftim eliminat: Apocal. 3. *Vtinam calidus effes, aut frigidus; nunc* Apoc. 3.

autem quia tepidus es, incipiam te euomere. Non fic perniciofi funt in Dei domo, qui peccati gelu omnino obriguerunt, quam tepidi: frigus enim peccati per fe folum ab omnibus cauetur, & fic pene nullam perniciem affert; at frigus peccati, calore aliquo virtutum temperatum, vt in tepidis eft, non fugitur, non cauetur, imo de calore commendatum ad fe allicit innumeros, & in perniciem trahit. Pulchra id fimilitudine aucupij explicat D. Cæfar. homil. 35. fatus. *Tales* Cæfar.

tepidorum animas ad inobedientiam, vel fuperbiam præparans diabolus omni lumine veritatis, & charitatis excæcat, & quafi venator robuftiffimus, & auceps callidiffimus, velut indices fibi ad capiendas etiam fanctas animas aptat, & præparat. Quomodo aucupes facere folent, qui columbas, quas prius ceperint, excæcant, & furdas faciunt: vt dum ad illas reliquæ columbæ conuenerint, præparatis retibus capiantur: ita hoftis antiquus de tepidis exercere confueuit: vt cum eis oculos patientiæ clauferit, igneíque compunctionis, vel flammam veræ charitatis extinxerit, & de folo habitu religionis perfuaferit gloriari, ad aliorum perditionem,

velut indices, eos in exemplum proponit, ac praparat. Pereunt quotidie aues indicis similitudine tractæ, & captæ: quisquis ergo sapis, attende diaboli venationem; attende laqueos, caue tibi particulari cura, & diligentia à tepidis, hoc est ab illis peccatoribus, qui aliquid de virtutum calore habent, vtpote qui valeant sanctis perniciem inferre animabus. Hinc August.serm. de verb. Domini, secundum Matt.8.cap.16. fatur. *Quia membra Christi facti estis, admoneo vos, timeo de vobis, non tantum à paganis, non à Iudæis, non ab Hæreticis, quantum à malis Catholicis.* In illorum enim vitia, qui alioquin nobis similes sunt, facile transimus: quippe in omni etiam naturali conuersione dicit Philosophus lib. 2. de Generat. & corrupt. *In habentibus symbolum, facilius est transitus.* Ab his ergo fugiat, qui nolit mutari.

August.

Philos.

Text. Respondit ei Iesus, & dicit ei: Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere; tu forsitan petisses ab eo; & dedisset tibi aquam viuam.

§. XV.

Electorum in Christo signum in perfecta charitatis vnione consistit.

MAle nouerat promissum in lege Saluatorem, & Redemptorem, quæ Iudæorum, & Samaritanorum discrimina prætendebat, ne vel in aquæ potu communicarent. Etenim vbi quis nouerit donum illud Messiæ à populo expectatum, & venisse, & mulieri Samaritanæ adesse, plane sciet in Christo Iesu non esse distinctionem Iudæi & Græci, quando conspicuum electorum signum consistit in vnione perfecta charitatis. Hoc signum precabatur Dauidi Abigail 1. Reg. 25. quando ait. *Erit anima Domini mei custodita, quasi in fasciculo viuentium apud Dominum tuum. Porro anima inimicorum tuorum rotabitur, quasi in impetu, & circulo fundæ.* Quibus verbis electorum, & reproborum signa elicit, vel ab vnione, vel à singularitate. Vt meritò dicat Eucherius. *Iustos fasciculo, reprobos lapidi fundæ assimilat. Fasciculus enim constringitur, vt integer maneat, & conseruetur: lapis in funda expeditus ponitur, vt abijciatur.* Quid pulchrius? Lapis in funda est, non fundæ assutus, nec alligatus, quia inde proiiciendus: virga in fasciculo est fortiter alligata, ne possit inde separari. Sic qui cœlestibus asseruatur, in viuentium fasciculo est, mille vinculis cum fratribus alligatus, sed qui proiiciendus est, diuisus est, & ab omnibus separatus. Paul. ad Ephes. 4. *Studentes seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.* Vinciatur necesse est, qui regno asseruatur: sed vinculo charitatis. Merito dicit Psalm.13. *Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Quippe in vnitate bonorum signum explicatur. Ita D.Bernardus serm.5.in Assumpt. Mariæ aiens. *Nisi enim opus tuum in vnitate feceris, Deo, qui vnus est, acceptum profectò non erit. Scriptum quippe est: Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Vnitas bonorum insigne; vnitas vni Deo placet: vnitas nescit esse sine Deo. Matth. 8. *Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum.* Nulla est mora, & vnitas est, & ibi Deus assistit. Origen. in cat. *Non dixit, in medio eorum ero, sed sum. Mox enim vt aliqui consenserint, Christus inuenitur in eis.* At volat Christus ad eos, qui vinculo charitatis vniuntur, qui enim diuisi sunt, tenebrarum auibus escam subministrant. Genes. 15. sumuntur pecora ad sacrificium, & Abraham: *Tollens vniuersa hæc, diuisit ea per medium, & vtrasque partes contra se alteriusecus posuit.* Quid plura? Ecce tibi funestæ mille volucres ad diuisas carnes festinant. *Descenderuntque volucres supra cadauera, & Abraham abigebat eas.* Nullo sic inescantur aues malignæ, quam diuisione. Id notat D. Isidorus in Genes. cap.15. inquiens: *Per volucres descendentes super corpora, quæ diuisa sunt, spiritus immundi significantur, pastum quemdam suum de carnalium diuisione quærentes.* Vbi diuisio est, ibi esca paratur auibus malignis, nec tam ocyor venit vultur ad morticinia, quam spiritus maligni veniunt ad diuisos. Pascuntur diuisionibus immundi spiritus: verum vbi est concordia, & vnitas, ibi diuinus spiritus cubat, qui antiquitus super congregationes aquarum cubabat. Act. 2. de Spiritus sancti Aduentu dicitur, *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ.* Linguarum omnium congregationem ibi audio: de spiritu adueniente vbi dicitur? Pulchrè D. Leo serm.1.in Pent.ait: *Nec dubium sit in illo omnium humanarum vocum concentu, maiestatem Spiritus sancti fuisse præsentem.* Et

1.Reg.25.

Eucher.

Ephes.4.

Psalm.13.

Bernard.

Matth.8.

Origen.

Genes.15.

Isidor.

Genes.15.

Act.2.

Leo.

adeo diuinus Spiritus inest vnitati iustorum, vt eos in se mediante vnitate transformet, & faciat diuinos. Quo pungebat Apostolus Corinthios sese diuidentes, quasi per diuisionem à diuinitate excidissent. Etenim ait, 1. ad Corinth. 3. *Cum enim dicitis: Ego sum Pauli, ego Apollo, nonne homines estis?* Quasi homines vilipendit Apostolus eos, qui se diuidebant: quod notans Augustin. tract. 1. in Ioann. ait. *Quid eos volebat facere, quibus exprobrat, quia homines erant? Vultis noscere, quid eos facere volebat? Audite in Psalmis. Ego dixi, Dij estis.* Dij sunt, qui vnitate vrgent: à qua vbi excidunt, in hominum miserias incidunt. 1.Cor.3. August.

§. XVI.

Diuina dona excitant nos ad alia, & alia petenda.

EO ipso, quod quis ab homine plura beneficia obtinuit, & dona recepit; & erubescit, & timet amplius petere, veritus ne benefactori suo ingerat molestiam. Sic dona humana coarctant, & angustant animum plura petendi. Longè aliter diuina dona, quo plura adueniunt, eo efficacius excitant homines, vt alia petant. Adeò vt, qui nouit in se diuinum donum, quasi securus reddatur, quod reliquæ suæ petitiones sint audiendæ. Ita D.Ennod. lib. 5. epist.16. post beneficium acceptum orat. *Deus bone, indulta custodi, auge successibus, quod dedisti. Percipio spe futura, quæ deprecor; nesciunt in foribus hærere, quæ cœlo auctore tribuuntur, semper incrementis ad culmen ascendunt, vbi supernus fauor præstat exordium.* Ne dubites, quin si scires diuinum donum, & alia peteres, & obtineres plura, quādo diuina beneficia nesciunt hærere in foribus; sed quæ prima veniunt, te vrgent, vsque dum vltima obtineas. Nouerat diuinorum donorum naturam Dauid Psalm.4. vbi inquit, *Cum inuocarem exaudiuit me.* & post pauca iterum ait: *In tribulatione dilatasti mihi, miserere mei, & exaudi orationem meam.* Dixerat se exauditum, quod sane nouerat ex accepto iam beneficio: & statim se dilatatum ostendit ad noua petenda, nouitérque clamat, exaudi orationem meam. Quod notans Hesychius in Cat. Græca ait. *Quia non semel, sed assiduo Christum orare opus habemus: non enim eius in nos simul dona proficiscuntur, sed ea singillatim, ac ordine quodam accipimus.* Bene Dauid de donorum diuinorum affluentia agens, vocauit, *Stillicidia stillantia super terram*, quasi Hispanice diceret; *vna perpetua gotera.* Etenim ait, Psalm. 71. *Descendet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram.* Et quidem pulchra similitudine Dei benignitas ibi exprimitur: pluuia enim sese totam prius effundit, deinde effuso pluuiæ impetu, non subito aqua cessat, sed manet stillicidium, quo tectorum canales guttatim aquam stillant. Sic Deus vbi beneficiorum suorum venas aperit, in primis nos perfundit beneficiis, nec primo beneficiorum impetu cessat, imò semper manet, sicut stillicidium alia & alia concedens. Huc voco illud Machabæorum 2. cap. 8. vbi recensita victoria, quam Iudas Machabæus de Nicanore reportauit, interficiens super nouem millia hominum, & pene immensum exercitum dissipans, ait. *Sabbatum agebant, benedicentes Dominum, qui liberauit eos in isto die, misericordiæ initium stillans in eos.* Notanter ait, *misericordiæ initium stillans*, quasi misericordiæ diuinæ exhibitionem nolit referre ad pluuiam, quæ vnico præterit impetu, sed ad stillicidium, quod guttatim, & sæpe cadendo se se multiplicat: in quo quasi catenatæ guttæ vna aliam trahit. Sic beneficia à Deo in nos proficiscūtur, vnum post aliud, primum semper quasi catenatum affert secundum, adeo vt ex hoc cognosci possint virtutis munera, si alia aliis succedant, vt nulla reputentur fuisse, quæ non habuere secunda. Esther cap.6. dum historiæ legerentur Assuero ventum est ad Mardochæi fidelitatem, qua regi suggessit Eunuchorum insidias. *Quod cùm audisset rex, ait: Quid pro hac fide honoris, & præmij Mardochæus consecutus est? dixerunt ei serui eius, ac ministri: Nihil omnino mercedis accepit.* Quæstionem hoc facit Carthusiano, quomodo nihil mercedis dicatur Mardochæus recepisse, præcipue cum cap.12. vbi istius fidelitatis mentio fit, etiam & merces ponatur pro illa data, ait enim, *Præcepitque ei rex, vt in aula palatij moraretur, datis ei pro delatione muneribus.* Itaque commoratio Mardochæi ad fores palatij, de munere regis venit pro delatione rebellium. Cur ergo dicitur Mardochæus, nullam mercedem accepisse? Equidem non censebatur regium donum, quod pro tanta virtute exhibitum primo in limine hæsit, nec secundum habuit, nec vllum incrementum accepit. Quippe adduxit virum fidelem ad fores palatij, sed nihil vlterius

Ennod.

Psalm.4.

Hesych.

Psalm.71.

2.Mach.8.

Esther 6.

Carthus.

vlterius dedit, ideoque meritò censetur tam angustum virtutis præmium, quando verum est, quod *nesciunt in foribus hærere, quæ cœlo auctore tribuuntur, semper incrementis ad culmen ascenditur*; vt vel ex augmentis cognoscatur iam munus diuinum. Sapienter enim Aman consiliarij, vbi inopinatè Mardochæum honorari à Rege viderunt, eius gloriæ Aman seruienti aiunt, cap. 6. *Si de semine Iudæorum est Mardochæus, antequam cadere cœpisti, non poteris ei resistere, sed cades in conspectu eius.* Quippe nobis Israëlitarum Deum pulchrè definiunt, cuius misericordiæ nesciant inhærere foribus, cuius beneficia catenata veniant, nec fieri potest, vt vnum non habeat secundum.

§. XVII.

Quæ Deus petit à nobis, eadem se se obligat præstare, imò potiora.

SI scires, ait, quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere; tu petiisses ab eo, & daret tibi aquam viuam, se enim quasi obligatum recognoscit Deus, vt quæ à nobis accipit, eadem
Chrysost. largiatur. Quod in præsenti notat D. Chrysost. aiens. *Bibere poscit, non viuere volens, sed potum dare, da mihi bibere, vt tibi dem bibendam aquam immortalitatis.* Huc spectant petitiones, seu exactiones diuinæ, quod homines ius habeant, vt eadem à Deo possint separare. Nunquam mihi crede à suis hominibus aliquid Deus sumeret, vel postularet, nisi ea-
Ioann. 1. dem voluisset ipse præstare. Ioan. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, nec ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et verbum caro factum est.* Et carnem accepit, & filius hominis factus est, sed non prius, quam dedisset potestatem hominibus, vt se se
Genes. 22. Dei filios ipsi faciant. Pulchrius Genes. 22. dixit ad Abrahamum, *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac: & offeres eum in holocaustum.* Quæ durior exactio? A parente petitur vnicus, & dilectissimus filius: & petitur vnicus filius, vt morti tradatur. Verum non duritiem exactionis, sed immensam exactoris largitatē debemus ponderare, quan-
Chrysost. do idem, quod petit, parat ipse hominibus præstare. Chrysostom. in præsenti, ait. *Ait Deus ad Abraham, Da mihi filium tuum dilectum Isaac, dilectum, non quod accipere filium vellet, id dixit, sed quod proprium filium orbi terrarum largiri vellet. Da mihi vnigenitum, immola filium, non vt immoles, sed vt filium meum vnigenitum immolem.* O immensæ charitatis ingenium! Petitiones præmittit, vt dona exerat, simulat requirere nostra, vt nobis largiatur sua. De similitudine dati, & accepti immensum gloriatur, quando à nobis sumit,
Luc. 2. quod ipse largitur. Luc. cap. 2. de Iesu, inquit. *Et ipse Iesus erat incipiens, quasi annorum triginta, vt putabatur filius Ioseph.* Et Patribus semper fecit quæstionem, quod filius Dei voluisset nasci de coniugata, quando nascebatur de Virgine, & si virgineus partus astruendus erat, & publicandus, cur requiritur maritus? Voluit equidem Deus matri virgini esse maritum, vt adoptionem filij à matris viro quæreret, qui fi-
Anselm. liorum Dei adoptionem præstabat hominibus. D. Ansel. in præsenti dicit. *Vt putabatur filius Ioseph. Meritò & adoptionis originem ipse accepit, quia per adoptionem efficimur filij Dei.* Sic vult recipere, quod largitur; sic à nobis petit, quæ ipse tractat munera effundere. Minus dixi, à nobis enim parua petit, vt præstantissimæ suæ charitatis dona nobis effundat. Petit aquam putealem, daturus aquam viuam salientem, imò salire facientem in æternam vitam: petit adoptionem filij hominis, pro filiorum Dei adoptione, quam nobis com-
August. municat, vt D. August. fatur, serm. 64. de verbis Domini. *De suo filius Dei, de nostro filius hominis. Quod minus est, à nobis suscepit, quod plus est, nobis dedit.* Quam longissimè superantur humana obsequia muneribus diuinis.

§. XVIII.

Orationes nostræ nunquam à Deo exeunt vacuæ, de quarum efficacia non dubitandum.

EXpendo illa verba, *tu forsitan petisses ab eo, & daret tibi*, non enim ait, & forsitan daret tibi, sed absolutè inquit, & daret tibi. Quippe dubitari posset, an oratio futura sit, sed minimè dubitandum est, quod oratio ex Deo donum
Genes. 25. impetret. Per oraculum acceperat Rebecca, Genes. 25. quod è duobus, quos in vtero habebat filios, *maior seruiet minori*; tamen notans maritum propēsum in filium maiorem, summo studio curauit illius benedictionem furari minori filio. Sed cur Rebecca sic sollicita est de promouendo filio minori, quando eius promotionem certam sciebat ex diuino oraculo? An non adeò fidem plenam oraculo adhibebat? Absit: credebat sane oraculo, sed timebat plurimum mariti orationes, ne pro solita efficacia omnia turbarent. Ita Gennadius in Cat. Græc. fatur. *Si oraculum, quod à Deo acceperat, pro certo habebat, cur tam sedulo in patris benedictione laborauit? An, quia certior esset, quantum momenti inesset in iustorum benedictione? Quorum preces, vel propositum Dei rescindere possunt.* Gennad. Quasi facilius credi posset verbum Dei, quam sanctorum orationes frustrari. Indubitata est orationis efficacia, quæ vel Dei propositum posset rescindere, ne vacua maneat. Quis vnquam orauit, & vacuus sine dono mansit? Nec mirum, quod oratio adeò efficax sit, quando & ipsa orationis intentio, & solus ad orationem gressus, iam de futura oratione miracula patrat. Actor. 3. dicitur, *Tunc Pe-* Act. 3. *trus, & Ioannes ascendebant circa horam orationis nonam. Et quidem vir, qui erat claudus, &c.* vbi claudi istius curatio fusius narratur. Nec mysterio vacat, quod notetur orationis hora, imò inde insinuatur orationis efficacia, de qua venit, vt qui ad orandum ibant, in ipso gressu salutem claudi impetrarent. De quo pulchrè D. Basil. Seleu. orat. 21. Basil. ait. *Orationis appendix erat claudi curatio, & captus ad orationem cursus tacenti claudo inopinatum cursum attulit.* Quis de orationis impetratione dubitauit, quando vel ad orandum cursus salute manat? Multus est Deus in ostendendo, quam sit efficax oratio, quam certum sit, quod oratio iusti pertingat cœlos, quam indubitatum, quod penetret vsque ad solium Deitatis. Hinc post Iobi luctas accedente Domino, ait cap. 40. *Respondens autem Dominus Iob de turbine dixit.* Iob 40. quæ verba sic referuntur in Caten. Græc. *Dixit Dominus Iob* Græc. *per procellam, & nubes.* Non solum Deus se sistit Iobo, sed & nubes sistit, vt è nubibus loquatur, in quo multum Iobi precibus existimo datum. Admonet enim Deus thronum suum oraturo, ne qua dubitatio oriri possit, quod oratio iusti Deum tangat. Accipite Chrysostom. in Cat. Græc. fan- Chrysost. tem. *Puta, quod cœli symbolum, ac nota sit nubes. Quando igitur cœlum ipsum vult Iobi vertici imminere, ferme solium suum prope Iobum admonet, quo mentem eius erigat, nec vocem ferri superne ambigat.* Procul esto ab orante omnis dubitatio; penetrat cœlos dubio procul iusti oratio; is est Deus, qui totum cœlum inclinat, ne suorū vox deficiat inanis. Et quasi nullum sit medium certius, nec securius ad diuinam voluntatem sollicitandam, quam oratio; sic nullum lapidem non mouet Deus, vt nostra ad illum oratio dirigatur. Cum ob Dauidis peccatum, pestis Ierosolymis grassaretur, misertus Deus populi, ait percutienti Angelo 1. Paralip. 21. *Sufficit,* 1. Par. 21. *iam cesset manus tua.* Quid tunc? Nónne satis erat secura, & certa populi sanatio, de imperio Dei quid amplius expectatur? Expectatur autem populi oratio, quæ vt fiat, omnia molitur Deus, ferientem Angelum oculis Dauidis apparere facit. *Leuánsque Dauid oculos suos vidit Angelum Domini stantem inter cœlum, & terram, & euaginatum gladium in manu eius, & versum contra Ierusalem, & ceciderunt tam ipse, quàm maiores natu vestiti cilicijs, proni in terram. Dixítque Dauid ad Deum: Nónne ego sum, qui iussi, &c.* Quando iam à Deo decreta erat sanitas, quando iam Angelus iussus fuerat cessare, cur adhuc apparet Angelus? Et cur feriens apparet? Quid his molitur Deus? Omnis hic apparatus fit, vt oratio extorqueatur, qua posita non amplius diuina dona morantur. Ita Ambros. in Psalm. 37. ait. *Si man-* Ambros. *dauerat Dominus Angelo, vt parceret, quomodo feriebat adhuc Angelus? Nisi quia Dominus, etsi vult ignoscere, vult rogari, & vt rogetur, operatur. Nec vidisset homo Angelum ferientem, nisi Dominus eius oculis Angelum reuelasset.* Itaque Dei operatio fuit, vt Angelus appareret Dauidi, quo viso procumbens Dauid, & orationi vacans, sine mora, sine dubio obtineret miserationis gratiam. Iam non miror, quod Paulus, gentium doctor, & electionis vas tantum tribuat fidelium orationibus, vt earum quærat erga Deum suffragium. Ad Coloss. 4. ait, *Ad orationem incumbite vigilantes in ea gra-* Coloss. 4. *tiarum actione, simul etiam pro me orate.* Hæc verba notans D. Chrysost. orat. 2. de Precatione, ita loquitur. *Quid ais? tan-* Chrysost. *tam nobis audaciam preces tribuunt, vt Deum pro Paulo supplicare audeamus? Quis miles regem pro summo duce audeat supplicare? At nullus dux regi ita charus, & amicus, vt Paulus Deo. Sed tamen preces tantum nobis afferunt dignitatis, vt diuinum auxilium Paulo implorare non dubitemus.* Quid pro orationis & efficacia, & dignitate amplius potest excogitari? De orationis nostræ virtute, etiam Paulus dum in terra ageret, potuisset sperare. Nec minus valet oratio ad depellenda

pellenda omnia mundi tela, quam ad Dei dona expiscanda; imo quæ ad trahendum hamus est, ad protegendum pro insuperabili asylo valet. Turbæ à Iesu saturatæ surgunt à prandio, vt rapiant Iesum, vt regem faciant: prænouit id
Ioann. 6. Dominus, & cauens ambitionis hæc tela, Ioann. 6. *Fugit iterum in montem ipse solus*; qui fugit in montem solus, ad orandum se recipit, quasi oratio hæc iacula depellere va-
Gualric. leat. Ita Gualricus Abbas serm. 3. in Ramis, fatus. *Cum vellent eum rapere, & facere regem, & ipse & refugit, & in solitudinem ad orandum aufugit.* O quam securus degit sub orationis armis ab omnibus mundialibus iaculis.

§. XIX.

Exigua, & parua dona nostra, perennem bonorum affluentiam ex Deo acquirunt.

AQuæ poculum Deus petit, vt viuidissimam cœlestis aquæ venam tribuat; sic exiguis, & paruis donis nostris ingentes comparamus à Deo bonorum scaturigines.
4. Reg. 4. A Sareptana illa vidua petit Elias: *Da mihi pauxillum aquæ in vase, vt bibam: & buccellam panis in manu tua.* Parua hæc obtulit felix mulier, sed audiamus, quid retribuerit Propheta. *Viuit Dominus, quia hydria farinæ tuæ non deficiet, &*
Euches. *vas olei non minuetur.* Ibi eleganter Eucherius. *Facta est igitur manus viduæ perenne torcular & mola iugiter fundens.* Ecce tibi, quid vasculum olei, quid parum farinæ prophetæ Dei exhibitum proferat, quid parturiat: accepit manus mulieris parum olei, parum farinæ, vt porrigat Eliæ, & facta est manus viduæ perenne torcular, facta est mola iugiter fundens. Imprimit Deus paruis munusculis nostris pauperi exhibitis ineffabilem quandam perennitatem, viuidam quan-
Prou. 13. dam virtutem, qua nunquam deficiant. Prouerb. 13. *Substantia festinata minuetur; quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur.* Pulchre Hebraica lectio sonat, ita dicens. *Congregans vsque ad manum multiplicabitur.* In quibus expendo illud, *vsque ad manum*, non quæ vsque ad marsupium, vt ibi incarcerentur, sed quæ solum ad manum perueniunt, sempérque sunt præ manibus, vt dentur pauperi; hæc non cures quantula sint: nam, vt viuidi fontes, semper de suo crescunt, & multiplicantur. Millia quinque hominum expectabant à Iesu alimoniam; cui solum quinque parui panes erant in penu. Quid plura? *Cum accepisset Iesus panes, &c.*
Ioann. 6. Ioann. 6. accepit in manu panes Iesus, & augmento pro-
Chrysost. fluo panum cophini replebantur. Facit D. Chrysost. quæstionem. vbi hæc perennis panum scaturigo fiebat, an in Iesu manibus, an in cophinis? Crediderim factam fuisse in ipsis Iesu manibus, quippe in manu porrecta ad donandum Deo, parua munuscula affluentem recipiunt perenni-
Basil. tatem. Pulchra in præsenti dat verba D. Basil. Sel. orat. 33. *O quas tunc res videre fuit! Panes pariebant panes; & mensæ alimento ex temporario differtæ erant, panes absque rusticano sudore parti, non de spicis erumpebant, sed de Domini manu efflorescebant.* Vacat rusticanus sudor, vacat aratrum, vbi extenditur manus pauperi, vbi extenditur manus, vt aliquid Deo offerat; hæc manus efficitur vena iugiter fundens; in hac manu paruulum munusculum nobilitatem acquirit pariendi, qua se se in immensum multiplicat. Promissum erat Abrahæ seni à Deo filiorum examen, quod de numero pos-
Genes. 15. set cum stellis contendere. Ait enim Dominus, Gen. 15. *Suspice cœlum, & numera stellas, si potes. Et dixit ei, sic erit semen tuum.* Factus est igitur Abraham in senectute pater Isaaci, senilibus vlnis portabat promissionis filium, lætabatur de iuuene florescenti, & ecce tibi cap. 22. ait Abrahamo Dominus. *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum.* Proh Deus immortalis! Hæccine est illa promissio de multitudine filiorum? Nónne Isaac est in quo filiorum fundantur examina, quæ exortu nouo quotidie repleant mundum? Cur ergo Isaac iubetur offerri in holocaustum, nónne sic peribit promissio? Nónne sic viuida parturitionis vena prorsus exsiccabitur? Absit: imò tunc maxime indefectibilis generationum vena astruitur, cum Isaac offertur Deo, tunc firmius fundatur promissio de multiplicatione filiorum, quandoquidem grande omne augmentum perennitatem accipit in rebus, quæ Deo Opt. & Maxim. offeruntur. Nouerat hoc sanctus senex Abraham, qui nunc primum legitur vocasse Isaacum filium, & paucis verbis bis illum filium
Genes. 22. vocat, *Dixit Isaac patri suo: Pater mi. At ille respondit: Quid vis fili? Ecce, inquit, ignis, & ligna: vbi est victima holocausti? Dixit autem Abraham: Dominus prouidebit sibi victimam holocausti, fili mi.* Ecce tibi, quam paucis verbis interpositis oblaturus Isaac Deo, bis illum filium nominat; duplicat sane tunc filij vocabulum, quasi de oblatione filij, multiplicationem filiorum certiùs speret. Ita D. Ambros. in Cat. Ambros.
Lyppom. fatur. *Vocare filium frequenter non timet, ita erat intentionis soliditate fundatus, & hoc sibi in perenne mansurum iudicauit filium, si eum immolaret Deo.* Habent hoc quæcumque Deo offeruntur, vt inde perennitatem acquirant, adeò vt tunc maxime offendas Deum, si munus ei offeras, cui augmentum repugnet. Vniuersa bona de Amalec decreuerat Dominus, vt perirent: Saul autem 1. Reg. 15. vt expu- 1. Reg. 15.
gnauit Amalec, pinguiora pecora reseruari iussit, vt Domino offerret: sic enim ait. *Pepercit populus melioribus ouibus, & armentis, vt immolarentur Domino.* Quo facto iram Dei sibi acquisiuit, & amissionem regni; sed miraberis, quod tantam Dei iram meruerit Saul, solum quia Amalecitarum pecora Deo offerebat. Vnde tam grandis hæc culpa? Sane, qui Deo offerebat munera perditioni destinata, quibus nullum augmentum poterat euenire, sed ruina, sed perditio, non cogitabat Deo oblata munera posse gloriam perennitatis, iugísque affluentiæ accipere, sed sicut alia, funditus interire: quo sibi ingentem Dei iram acquisiuit. Sic Samuel Sauli dixit apud Iosephum lib. 6. antiq. cap. 7. *Quibus* Ioseph.
oculis putas Deum inspecturum sacrificium ex rebus perditioni destinatis; nisi fortè idem esse putas perire, & immolare Deo? Quapropter expectabis amissionem regni. Sic offendit, qui in Deo oblatis, profluum non sperat augmentum, quo semper durent, & se se multiplicent.

§. XX.

Cui semel benefecit Deus, iam quasi ex consuetudine semper benefacit.

RVrsus nota illam consequentiam; si scires donum Dei, peteres, & daret; quasi manus Dei semel aliquid donantes, iam inde assuetæ semper similiter dabunt. Post creatum hominem Genes. 2. dicit textus, quod *tulit eum Domi-* Genes. 2.
nus, & posuit in paradiso voluptatis. Hoc notantes antiqui Patres, cum postea audiunt Enoch, & Eliam à Deo fuisse sublatos, similiter putant positos esse in paradiso voluptatis; manus enim Dei semel ibi constituentes hominem, cum istis non diuerterent alio. Pulchrè D. Irenæus lib. 5. Iren.
fatur. *Et plantauit Dominus in Eden paradisum contra Orientem, & posuit ibi hominem. Quapropter dicunt presbyteri, qui sunt Apostolorum discipuli, eos, qui translati, illuc translatos esse. Assueta enim erant in Adam manus Dei baiulare suum plasma, & ponere vbi ipsæ vellent.* Inde est, quod volens Deus inter sæuientem iram multa hominibus donare, post effusas verni temporis & delitias, & diuitias, parat immediate effundere mortale diluuium: vt vel sic manus assuetæ effundere terræ fructus, & dare mortalibus beneficia, etiam inter effundendum diluuium, quasi non possint, non alia etiam beneficia elargiri. Id meditans D. Ambros. lib. de Noë cap. Ambros.
4. inquit. *Simul veniam temporis ratio promittit, quod etiam iratus admoneatur, tam præcedentibus causis beneficiorum suorum.* Etenim vbi præcedebant tot beneficia à diuinis manibus exhibita, quasi non poterant non rapi diuinæ manus ad alia præstanda. An Deus ignobilior est homine? Absit. Sed & Dauid toties ad mortem petitus, hostem suum dormientem posset lancea transfigere, sed illi parcens arrepta solum lancea, & aquæ vase, aufugit, nesciens mortem inferre illi, quem semel à morte, & infamia occiso Goliathe liberarat. Sic D. Athanas. in vita Antonij, ait. *Victor ille Go-* Athanas.
liathus se in fugam dedit, non de vindicta inimici cogitans, sed nolens contra eum, quem beneficio affecerat, gladium mouere. Sic manus etiā humanæ se se assuescunt beneficiis præstandis, vt cui semel benefecerint, nesciant iam non benefacere, imo semper quasi ex consuetudine benefaciant. An non idem sperandum à Deo? Equidem sapienter Tertullianus Tertull.
lib. de carnis resurr. vt ingens resurrectionis beneficium persuadeat, illud suggerit Ioëlis 2. quo dicit: *Effundam de* Ioël. 2.
spiritu meo in omnem carnem: quasi ex eo, quod semel Dei spiritus affectus sit erga carnem, iam inde carnis illustrationem, & resurrectionem præsagit. *Quoniam*, inquit, *Deo magis congruit in salutem redigere, quod reprobauit interdum, quam in perditionem dedere, quod etiam approbauit.* Solet enim Deus sæpe collapsa, & collisa redintegrare, à malo auertere in bonum manus, at quæ semel beneficiis præstandis manus incubuere, sic se se assuescunt, vt quasi ex consuetudine solum nouerint beneficia præstare. Nec is est Deus,
quem

quem beneficia ab illo profecta vel exhauriant, vel laxent. Quis dicat dona, quæ in prima orbis conditione congessit, vt homini præstaret? Fecit cœlum, & terram, & mare, addidit cœlestia omnia luminaria, insuper tot animantium genera, tot fructus arborum, tot camporum segetes, tot auri, gemmarúmque thesauros, omnia hæc vni homini fabricauit. Quid plura? Post orbem homini conditum, post cœlestia omnia homini dicata, adhuc studet muneribus ampliandis, & quasi nihil fecerit, nouum hortum delitiarum omnium plenum meditatur. *Tulitque Deus hominem, & posuit illum in paradiso voluptatis.* Pro quo eleganter D. Basil. Sel. orat. 2. ait. *Velut parturiens magnificentia sua munera; & habere clausum penes se thesaurum impotens, non est contentus prioribus, neque rebus ante dilargitis sua munera circumscribit; neque duntaxat desiderium vniuersa terra, & concessam manu fecit, sed extructum manu sua paradisum, delitiosam sedem dilecto concessit.* Quo plura donat Dominus, eo magis properant ad alia, & alia donanda, munificentissimæ illius manus: adeò vt inde dies furoris, & iudicij moras faciat, quod iudicis manus nesciant ad virgam ire, dum donis exhibendis occupantur. Pulchrè D. Iustinus Mart. Dialogo aduersos Iudæos, meminit Eliæ ad Deum querelas, & Deum à supplicio impiorum abstinentem, quia ait, 3. Reg. 19. *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curuauerant genua Baal.* Hæc, inquam, verba tractans Iustinus sic in rem nostram fatur. *Quemadmodum igitur propter septem millia illa virorum non sumpsit tunc supplicium Deus; sic etiam his temporibus nondum iudicium profert, quod sciat, quotidie nonnullos in suo nomine informari, qui etiam dona & munera percipiunt, pro sua quisque dignitate. Alius enim sapientiæ spiritum accipit, alius roboris, &c.* Quibus expendenda est maxime ratio, ob quam dicat iudicij diem dilatari, nimirum, quia quotidie sunt *qui dona, & munera percipiunt*; & diuinæ manus assuetæ benefacere, præcurrentes ad dona præstanda, dum horum se offert occasio, minime ad virgam, & flagellum leuantur.

(Marginal notes: Genes. 2. — Basil. — 3. Reg. 19. — Iustin.)

§. XXI.

Sola Dei dona vitam vndequaque inferunt: hominum autem dona non nisi è mortis vena prosiliunt.

DAret, ait Dominus, aquam viuam: & quid à Deo non viuidum existeret? Equidem vnus Deus è vitæ venis nouit sua educere beneficia; homines autem nihil præstant, nisi è mortis exhibitum faucibus. Stat in primis Herodes, qui vt puellam saltantem muneraret, iussit illi afferri caput Ioannis, id quod vehementer pungens D. Ambros. lib. de Nabuthe, cap. 5. ait: *Diues erat, qui sibi ad mensam caput Prophetæ pauperis iussit afferri: & aliud, vnde saltatrici præmium solueret, non inuenerat, nisi vt pauperem iuberet occidi.* Ecce quas venas terræ fodiat mundus, vt suas congerat diuitias. Quas venas? Venas pauperum fodit, & de solo sanguine nouit habere, quæ præstet munera. Pulchrè Ecclesiasticus c. 14. aiebat. *Hoc est testamentum mundi: morte morietur;* & bene omnia dona mundi sunt ex testamento, quæ nesciunt habere firmitatem, nisi de morte. Nil nouit dare mundus, quod non spiret mortem. Ioan. 19. clamabant Ierosolymitani Principes aduersum Iesum, dicentes: *Nos habemus legem, & secundum hanc legem debet mori.* Quæ verba eleganter aptat cuilibet creaturæ D. Anton. de Padua aduersus singulos cultores suos. Ecce tibi ô pulchritudo hominem, qui diu, noctúque, æstu, & gelu, tuis aris astitit, pro te omnia bona consumpsit, quid huic dabis? Respondet pulchritudo, Nos habemus legem, & secundum hanc legem debet mori. Ad diuitias appello. Quid dabitis ô diuitiæ homini, qui se se vobis totum impendit? dicent illico diuitiæ, Nos legem habemus, & secũdum hanc legem debet mori. Quid plura? Nulla est creatura, quæ similem legem mortis non ferat in hominem. Vnus Iesus Deus Opt. Max. vitam spirat homini. Nil a Iesu non spirans vitam. Threnorum 4. *Spiritus oris nostri Christus Dominus, captus est in peccatis nostris: cui diximus in gentibus, Sub vmbra tua viuemus.* Quid non viuificans homines in Iesu, quando & eius vmbra vitam dedit mundo? Ita D. Paschas. lib. 4. in Thren. ait. *Quid igitur putas, quantum nobis aperta conferre poterit claritas eius virtutis, & sol iustitiæ, cum refulserit, si tantum contulit humilitas carnis, & exinanitio diuinæ maiestatis?* Quantum de Deo habes, tantum habes de vita; vita est, quæ Dei munera designat; siue ipsa diuinitatis claritas, siue vmbra vitam spirant, vt bene fateatur Ioann. 1. quod omne, *quod factum est, in ipso vita erat.* Oriente corporali sole, omnia mundialia reuiuiscunt, ita tamen, vt cadentibus vmbris, quasi iterum emoriantur, nigróque se colligant in sepulchro. Non sic de sole iustitiæ, cuius luce viuis, cuius vmbra etiam viuis. Vtinam vel vmbra tangaris Iesu, & in ipsius mortis faucibus auras potieris vitæ. De Iona in mare iactato, à pisce deuorato dicitur, cap. 2. *Erat Ionas in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus.* Ecce hominem in faucibus, imo in ventre belluæ viuentem, quis ibi potuit spirare vitam? Vmbra Iesu; vbi enim dicit tribus diebus, & tribus noctibus, iam ibi erat vmbra Iesu quiescentis in corde terræ totidem dies. Accipite D. Hilarium can. 16. in Matth. sic dicentem. *Post triduum viuus emissus Ionas, non retentus à monstro, non cibi conditione confectus, sed contra humanis corporis naturam integer, & illæsus in auras superas virtute dominicæ præfigurationis euasit.* Expende illud: *virtute dominicæ præfigurationis.* non enim Ionas secum Iesum habebat, sed præstabat figuram, sed referebat vmbram, quæ valuit ipsum in ventre piscis viuum seruare.

(Marginal notes: Ambros. — Eccl. 14. — Ioan. 19. — Thren. 4. — Paschas. — Ioann. 1. — Hilar.)

Text. Dixit ei mulier: Domine, neque in quò haurias habes, & puteus altus est: vnde ergo habes aquam viuam? Nunquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius?

§. XXII.

Suspecta sint dona vltro oblata, & ideo examinanda, ne forsan sub illis damnum lateat: & quod dona turpent fœminas.

DIscant viri multis notam fœmineam prudentiam, quæ cum genus sint auidissimum munerum, & nimis promptum ad promissis credendum; tamen sæpe inuenies in sacris voluminibus mulieres viris prudentiores in examinandis vltro oblatis donis. Nónne satis videretur ad trahendam fœminam illud superius dictum, nimirum, *& daret tibi aquam viuam?* Vbi dona præmittuntur, quis fœminam iam captam non credat? Sed sanè de sapientiæ incarnatæ colloquio hanc ebiberat tam Samaritana prudentiam, qua de promissis dubitat, & accurate examinat eorum qualitatem, & possibilitatem. In his prima fœminarum fax Maria, vbi de filio Dei accipiendo nuntium accepit, statim donum examinans addubitat: *Quomodo fiet istud?* Quod rectè notat D. Gregor. Taumat. serm. 1. dicens. *Neque prius sanctissima virgo donum admisit, quam quis illud mitteret, & quodnam donum esset, ac quis ferret, addidicisset. Quæ dum secum velut anceps loqueretur, ait ad Angelum: Vnde sic nobis benedictionem apportasti? Ex cuiusnam thesauris verbi margarita nobis emissa est? Vnde nobis promissam maternam parauit?* Maxima sanè prudentia est, quæ non capitur splendenti donorum vultu: quę nouit oblata dona cauere, & examinare. Antiquitus hæc erat virtus fœminis, cum iustitia originali indita; vt enim muliebre genus ad dona propensius est: sic sanctæ mulieres hoc donorum cauto examine floruerunt præ viris. Ecce tibi Eua primæuo sanctitatis splendore imbuta, non statim addicta fuit, vt fructum comederet, sed serpenti suggerenti esum præceptum diuinum opponit, Genes. 3. *Præcepit nobis Deus, ne comederemus.* Verum Adamus nihil tale obiecit; nec dum meminit, sed viso vxoris dono statim in escam ruit. *Deditque viro suo, & comedit.* Nihil examinas Adam? Nihil caues in dono? Non quæris, vnde fructus decerptus sit? Non recolis præceptum? Nihil tale fecit, sed viso dono continuo comedit. Hinc meritò Anastasius Synaita in Exaëmeron cap. 10. fatur. *Virilior Eua apparuit in transgressione mandati. Ipsa enim & sola restitit serpenti, & cum quadam obiectione, & contentione (calliditate superata) comedit ex ligno. Adam autem cum nihil omnino pugnasset, aut contraxisset, simul fuit particeps dati à muliere.* Nihil in dono timuit, nihil cauit, nihil examinauit, vel hinc vxore sua infirmior, & imprudentior. Nec miror, quod fœminæ sibi plus caueant à muneribus accipiendis, quãdo in fœmina, vel donarij vmbra turpitudinem halat. Video Cant. 6. Angelos mirabundos de specioso, & inculpabili gressu Sponsæ, aiunt enim: *Quam pulchri sunt gressus tui, in calceamentis, filia principis!* Sed cur tam mirabilis, tam noua accidit Angelis pulchritudo, & speciositas sponsæ in calceamentis? Fallor, nisi insinuetur aliquid de amatorijs donarijs quę in ambitione calceamentorum refundi solebat. Id quod mihi indigitat lectio LXX. Vaticana, iuxta quam non filia principis dicitur, sed

(Marginal notes: Luc. 1. — Gregor. Taumat. — Genes. 3. — Anastas. — Cant. 6.)

sua

filia sponte dabit. Mirantur ergo Angeli, & plurimum mirantur felicitatem diuinæ sponsæ, cui dilecti sui donaria pulchritudinem, & speciositatem afferunt, quando amatorum mundialium donaria, vel donariorum vmbra fœminas omnes fœdant, maculant. In hanc me coniecit mentem

Cl.Alex. Clemens Alexandr. lib. 2. Pædag. cap. 11. fatus. *In calceamentis quoque superbæ, arrogantésque fœminæ magnam ostendunt molitiem. Vere ergo turpia sunt illa sandalia, in quibus sunt aurea veluti donaria.* Expende illud, *in quibus sunt aurea veluti donaria.* Non enim donaria solum, sed veluti donaria; sed donariorum suspicio, & vmbra honestæ fœminæ turpitudinem, & maculam faciunt. Nullum honestatis testimonium est, quod non vincatur vel à solo filo accepto ex

Genes.39. homine. De Ægyptia illa dicitur Genes. 39. *In argumentum ergo fidei retentum pallium* (Ioseph) *ostendit marito reuertenti domum, & ait: Ingressus est ad me seruus Hebræus, quem adduxisti, vt illuderet mihi: cumque audisset me clamare, reliquit pallium, quod tenebam, & fugit foras. His auditis dominus, & nimium credulus verbis coniugis iratus est valde, tradiditque Ioseph in carcerem.* Cuius quæstionem facit, quod maritus dicatur nimis credulus verbis vxoris, cur nimis credulus est? Credit proculdubio vxori aduersus seruum, credit vxori, vsque tunc sibi maximè probatæ, credit insuper vxori, pallium ipsum serui præ manibus habenti, & pro se ostentanti. Is nimis credulus est, qui tantæ vxori, iam probatæ, pallium præferenti serui credit? Vtique nimis credulus est, & barbarissimus iudex, quando non pallium, sed filum à viro acceptum in fœminæ manibus inuentum vniuersa alia testimonia honestatis infamat. Quid fœminam excuset, cuius in manibus viri pallium clamat? Præclarè aie-

Basil. bat D. Basil. Seleuc. orat. 8. *O inexpectatam maledicentiam! O insaniam barbaricam! Cum pallij, quo manus accusentur, sit gestatrix, linguæ accusanti creditur, & in carcere Joseph habetur.* Vana omnia pudicitiæ testimonia sunt, vbi de manu fœminæ loquitur iuuenis pallium. Ineuitabiliter accusat pudicitiam quidquid ex viris accipiunt fœminæ in manibus. Quid acceptum munusculum non clamaret in fœminæ manu, quando vel raptum pallium sic clamat? Insana est, quæ donariis inhians, vel virorum pallia deprædatur, & nihilominus cupit de honestate prædicari. Non enim impudicitia est, quæ difficile a fœminis auertitur, sed auaritia, cupidi-

Apoc.17. tásque munerum. Insignis illa meretrix, Apocalyps. 17. *Habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione, & immunditia fornicationis eius.* Itaque in poculo erant luxuriæ vniuersæ voluptates; cur voluptatum poculum aureum fit? sane in fœminæ manu non duraret luxuria, nisi illi immixtum esset aurum. Quam cito fœmina fastidiret inanes voluptates, quas ne vnquam fastidiat, sed quotidie plus sitiat,

Ambrof. plus appetat, intermiscetur lasciuiæ aurum. Pulcrè D. Ambros. in Psalm. 1. *Calicem auri Babylonis excogitauit, vt quicunque biberint, plus sitirent, & quia potus placere non poterat, auri pretio inceret ad bibendum.* Proh astum diaboli! nouit voluptates diu placere non posse, nouit luxuriam fastidiri posse à fœminis, ideo immiscuit aurum, vt sitis peccati in fœmina fieret immortalis.

§. XXIII.

Vniuersi Patriarchæ vilescunt ad Christi Iesu comparationem.

IAm Patriarcharum facinora vilescebant mulieri, quæ vel odorabatur Christi latentem virtutem: etenim ait, Nunquid tu maior patre nostro Iacob? Nónne magnus Moyses? Nonne magnus Elias? sed vbi cum Iesu apparent in Thabor, cœlum intonat, Pater clamat, Prophetæ aufugiunt, nec amplius sustinent à discipulis aspici. Cur ita? D. Ambros. Psalm. 45. *Vbi gloria Domini resurgentis ostenditur, seruulis splendor absconditur. Namque ipsos stellarum globos sol exortus obducit, & omnia eorum lumina mundano sub sole vanescunt. Quomodo sub æterno sole iustitiæ, atque illo splendore diuino videri poterant stellæ carnales?* Sanè vilescunt Israëlis lumina in præsentia Iesu, & iam prudens Samaritana de Iacobi maioritate dubitat, vbi (licet à longè) Christi Domini præsagit magnalia: non enim poterant non videri inferiores Patriarchæ, quando superior omnibus Christus irradiat. Abraham mittens seruum, vt sponsam afferat filio

Genes.24. suo, ait. *Pone manum tuam sub femore meo, & iura per Deum cœli*, &c. Vbi maximè expendendum est, quod iurantis serui manus sub femore Abrahami iubeatur poni: cur enim id

Eucher. agitur? Pulcrè D. Euch. lib. 2. in Genes. ait. *Nec super femur, sed sub femore manum ponere iubetur: quia ex illo femore descensurus erat, qui homo quidem, sed super omnes homines, veniret. Vnde dignum non fuit, vt manum super femur poneret, quia nulla caro super illam carnem est, quam in redemptionem nostram sibi vnigenitus patris vniuit.* Quid pulchrius? Meritò non super femore, vnde nasciturus Iesus erat, sed subter humana manus admittitur, quando sanctissimi quique inde maximam sibi gloriam acquirunt, si vel requiescant sub vmbra illius. Qui sanctiores illis, qui sanguine fuso à mundi tyrannidis reportarunt triumphum? Hos in maxima sublimitate gloriæ videns Ioannes Apoc. 6. ait, *Vidi subtus* Apoc.6.
altare animas interfectorum, &c. Non in regio throno, sed subtus altare visuntur, pro summa enim gloria est illis, quod subiiciantur Christo, quod sub illo altari sint, in quo est Iesus victima. D. Aug. ser. 10. de sanctis. *Quid reuerentius, quid* August.
honorabilius dici potest, quàm sub illa ara requiescere, in qua Deo sacrificium celebratur, in qua offeruntur hostiæ! Hic est supremus sanctissimorum hominum honos, hæc est summa veterum Prophetarum dignitas, quod Iesu seruiant, illíque acceptas referant, quascumque in se fuerint experti virtutes. Sic canit Dauid Psal. 43. *Nec enim in gladio suo possederunt* Psal.43.
terram, & brachium eorum non saluauit eos. Sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui. Non sibi, sed auxiliatori Christo omnia referebant Patres veteres, vt sic vincere possent. *Ipsi*, ait Ambros. in Psalm. 43. *Moyses, ipsi Aaron, ipsi etiam patres sacrabant vniuersa, quæ gesserant, vt de hostibus triumpharent.* Quidquid enim expectabile faciebant vniuersi magnates Israëlitæ, non à se, sed à superiori Christi virtute inter eos latitante, faciebant. Quod adumbratum est Genes. 25. vbi natiuitatem Iacobi memorans, textus ait: *Alter egrediens plantam fratris tenebat manu.* Itaque manus præmittitur, capite adhuc in vtero latente, sed manus præmissa de virtute latentis capitis pendebat, & supplantabat fratrem. Quid veteres Patriarchæ ad Christũ? Puto quod manus ad caput. Nondum caput visebatur, adhuc Christus latebat, & iam manus, iam Prophetæ mira operabantur in terra, sed sane non de sua, sed de virtute capitis. Accipite Eucher. lib. 2. in Genes. sanctem. *Dominus Iesus antequam ex vtero secreti sui ad hominum oculos procederit, qui est supra omnia Deus benedictus, præmisit in Patriarchis, & Prophetis quandam sui corporis partem, quæ velut manu populum superbe procedentem supplantat.* Manus Iesu fuere omnes veteres, qui de tanto capite roborati mira facinora patrabant. Videre cupis hoc diuinissimum caput robur indens manibus? Ecce tibi Exod. 17. *Cum leuaret Moyses manus,* Exod.17.
vincebat Israël. tandiu victoria durabat, quandiu manus Moyses leuabantur; ne ergo Moyses deficiat manibus, suppositus est lapis, cuius vi Moysis lassitudo leuabatur: de quo Lyppommanus in Catena ait. *Petra vero, quæ Moysi fatigato supponitur, Christus est. Is nostra firmitudo, & soliditas est, quo confortante omnia possumus.* Itaque quod non deficiat Moysis manus, à petra venit, nimirum à Christo in omnibus Moysem confirmante, corroborante. In cuius typo datus est Moysi Iesus Naue perpetuus, & inseparabilis comes, qui etiam Moysi in montem ascendenti adhæreat, vt pulcre Origen. hom. 1. in Iosue fatur. *Iesus vero sequitur Moy-* Origen.
sem in montem cum quadam adiectione verbi mirabilis, in eo quod dicat, qui assidebat Moysi. Quomodo assidebat? Non vt secundus, non vt inferior, sed vt adiutor protegens. Nihil esset Moysis, nisi de Iesu adiutorio: nihil posset manus, nisi de virtute capitis.

Text. Respondit Iesus, & dixit ei: Omnis, qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum; qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.

§. XXIV.

Quidquid carnale est, finem habet: solæ diuini spiritus dona æternari sciunt.

QVis potus mundialis sitim in æternum aufert? Sanè bene poti iterum sitiunt, & melius poti tandem moriuntur, & resurgent æterna corporis cruciandi siti. Nihil enim habetur carnale, quod finem habeat. Famelici Israëlitæ apud desertum receperunt coturnicū pluuiam, eodémque die matutino tẽpore habebãt manna, vespertino autem coturni

coturnices. Quod si quæras, cur coturnices vespere darentur? [Isidor.] Id explicat D. Isidor. in Exod. cap. 13. dicens: *Vespere dantur, quia cuncta, quæ carnaliter concessa sunt, finem erant habitura.* Nesciunt carnalia bona semper comitari possessorem suum, quem saltem morientem deserent. Verum Spiritus sancti bona, quæ per Christum dantur, in præsenti sæculo hominem disponunt, & præparant ad æternam saturitatem; & in discessu eundem comitantur, vt de eorum virtute resurgat, nullo amplius æstu, nulla siti, nulla fame cruciandus. Id in Israelitico populo notabat Paulus 1. ad [1. Cor. 10.] Corinth. 10. aiens, *Bibebant de spiritali, consequente eos petra: petra autem erat Christus.* Itaque Spiritus sancti dona per Christum exhibita, nullibi stagnantur, cum manentibus manent, cum euntibus eunt, nec in vllo discessu eorum [Ambros.] desideratur efficacia. Prædictum locum explicans D. Ambros. in Psalm. 39. dixit, Petra erat Christus. *Petra, eo quod sitientes sequuntur, confirmet labentes, ut sitientibus aqua desit, labentibus firmamentum.* Bibe ô Christiane de spirituali gratiarum abysso, & habes, qui te discedentem è sæculo fons sequatur; vt in ventura vita, nullius indigentiæ materiam habeas. Nesciunt perire, quæ de Spiritus sancti fontibus manant. Iesus, qui in prætorio, qui in cruce rumpi potuit, [Psal. 15.] in sepulchro clausus corrumpi non potuit; ait enim: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Cur qui virtus tot scissuras suæ carnis, tot ruptiones sustinuit, mortuus refugit corruptionem, & qui amplectitur sepulchrum, cauit ibi resolui in cineres? An qui de integro corpore resurrectionem parauit, non posset parare de corrupto? Posset, sed non erat dissoluenda caro illa, quæ Spiritus sancti vir- [D. Thom.] tute in Mariæ vtero fuit coalita. Sic D. Thomas opusculo 2. cap. 234. aiens, *Corpus Christi materiam sumpsit de natura hominis, sed formatio eius non fuit virtute humana, sed virtute Spiritus sancti, & ideo propter substantiam materiæ, subterraneum locum, qui corporibus mortuis deputari solet, voluit pati. Sed dissolutionem corporis per Spiritum sanctum fabricate, pati non voluit.* Veretur corruptio Spiritus sancti manus, quæ vita vndequaque manant, & æternitate, adeò vt, cum Spiritus sanctus reuelaret Antichristum futurum, eius nomen tacuerit, sed eius loco numerum ponit Apoc. 13. *Et numerus eius sexcenti sexaginta sex:* meminit numerum nominis, & non meminit nomen, ne ab ore Spiritus sancti aliquam acqui- [Irenæus.] reret perennitatem. Ita D. Iren. lib. 5. fatur. *Numerum nominis ostendit, nomen autem eius tacuit: quoniam dignum non est præconari ab Spiritu sancto. Si enim præconatum ab eo fuisset, fortassis & in multum permaneret.* Quidquid de Spiritu sancto venit, quandam speciem æternitatis, & perennitatis induit. Siccine sunt Saluatoris Iesu fontes, qui de Spiritus sancti auris perpetuo scaturiant, vitámque propinent. Quidquid in creaturarum fontibus est, fluxum est, & mortem inde spirans. Pro quo merito ab Hieremia cap. 2. vocatur hic mundus, *terra sitis*, cuius quo plus epotæ, plus sitiuntur aquæ, & cum perpetuo voluuntur fluxu omnia creata, non saturæ vitæ, sed famelicæ mortis speciem in- [Gillibert.] fluunt. Pulchrè Gillibert. Abb. serm. 15. in Cant. *Terra*, inquit, *sitis. Cupiditates enim mundanas magis irritat, quam satiat. Infructuosa est illa plenitudo; & si quid est fructus, id fluxum est, & mutabilitate sua mortis præfert imaginem. Quomodo, vbi mortis vides imaginem, odorem vitæ sentire te reputas? Odorem vitæ Christi spirat vbertas.* In solo Christo, in quo ea inuenitur vbertas, quæ non sinit sitire, inuenitur etiam & spiraculum vitæ, quo è puluere homo reuiuiscat.

§. XXV.

Christi munus nescit sterilescere, semper propriis studet augmento.

PEtebat diues ille ad immensi ardoris refrigerium, in extremo digiti vel guttulam aquæ; nec petit refrigerium paruum, quando aqua per Christum data nescit non [2. Mach. 8.] fieri fons in eo, cui datur. Machabæorum 2. cap. 8. Nicanoris exercitum fudit Iudas interficiens super nouem millia hominum, pro quo benedicebant Dominum; *qui liberauit eos in isto die, misericordiæ initium stillans.* Expende illud, *stillans*, non fundens misericordiam, sed stillans, quod guttatim fit, vt pateat, qualis sit Dei misericordia, cuius solum stillata gutta valet ardentes furore bellico exercitus extinguere. Sanè misericordiæ diuinæ guttula nescit finiri, sed [Ennod.] largis mentibus sese in dies multiplicat. Hoc respexit D. Ennod. lib. 2. epist. 12. inquiens, *Largis mentibus vel fluuium morum vnde procurrit transeunt hauriendum ambitum, qua à Christo* veniunt fluenta donorum. *Sola vena est, quæ maciem nescit, & dispendium abnuat, tantum cursibus suis suggerens, quantum meruit pectus sitiens accipere.* Hinc censenda est gratia Christi, quod nunquam non fluat, nullibi stagnari nouit, vbicumque superfluit, & omnia rigat, semper de fontis more nouos latices reparturiens. Supra dicebatur de Iesu, quod fatigatus ex itinere, *sedebat sic supra fontem.* Cur supra fontem, & non supra puteum, siquidem à muliere Samaritana puteus vocatur, cum dicit; *& puteus altus est.* Puteus erat, sed & in puteo fons erat, hoc est vena viua aquarum, maluit Euangelista fontem meminisse quando illi Christus assidebat, cuius misericordiæ vel guttula nescit, non fieri fons iugiter fundens. D. Ambros. Psalm. 45. *Dominus Iesus sedebat ad puteum: erat autem ibi fons Iacob. Fons ibi est, vbi Christus est. Fons est, vt aquæ superefluant requirentibus: quæ & vniuerso carnis, vel flagitia diluantur, vel restinguantur incendia.* [Ambros.] Semper misericordiæ diuinæ aquæ superefluunt, nullo tempore nobilitatem pariendi dimittunt; modo flagitia abstergunt, incendia carnis extinguunt, adeo vt absorbere videantur. & statim nouo gurgite ad alios nosceuntur ebullire. Quid tale in aliis diis? Meritò Tertullianus Apolog. 11. ridet Deitatem gentium, vt angustam, quæ ob belli gloriam in primis beauit Martem, ob sapientiam Apollinem, ob eloquentiam Mercurium, &c. hisque iam in superos cooptatis, & cœlitum sellis occupatis, relicti fuerunt multi alij viri inclyti, qui iam non habebant, vnde crearentur in diuos. Accipe Tertull. *Vt omittam huius indignationis retractatum: probi, & integri, & boni fuerunt; quot tamen potiores viros apud inferos reliquistis, aliquem de sapientia Socratem, de iustitia Aristidem, de militia Themistoclem, de sublimitate Alexandrum, de felicitate Polycratem, de copia Crœsum, de eloquentia Demosthenem? Quis ex illis dijs vestris grauior est, & sapientior Catone? Iustior, & militarior Scipione? Quis sublimior Pompeio? Felicior Sylla? Copiosior Crasso? Eloquentior Tullio? Quanto dignius istos deus ille assumendos expectasset, præscius utique potiorum? Properauit, opinor, & cœlum semel clausit, & nunc vtique melioribus apud inferos mussitantibus erubescit.* [Tertull.] Et quam dignè erubescere potest diuinitas, cuius gratia adeo angusta est, vt stagnata in primis electis, cogantur reliqui præstantissimi æternum sitiri! Non sic veri Dei gratia, quæ, vt vena est, maciem nesciens, vt viuidus fons est, non exhauritur. Et in primis, & modo, & in fine salit in vitam. De Spiritus sancti enixu in die Pentecostes, ait Ioel 2. *Super seruos meos, & ancillas in diebus illis effundam spiritum meum.* Et cum audio effusionem, non ideo mihi persuadeo, quod venturi post dies illos maneant sitibundi, & sicci: postea enim venit Paulus, & nunc veniunt plurimi, in quibus iidem spiritus fontes ebulliunt, & in diuorum album cooptantur. Parum dixi, quod plurimi de diuinæ misericordiæ vena viuant in æternum, illud etiam addendum putaui, quod & ipsi plena aliis etiam communicant de superabundantia. Huc spectat illud, *Et fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*, qui enim ascendunt de hoc Iesu lauacro, omnes gemellis fœtibus sunt, & sterilis non est in eis, quando diuina gratia non fiat in eis stagnum, sed fons, qui extra fluens mille germina parturiri faciat. Hinc præclarè orabat ad Dominum Iudith capite nono primorum beneficiorum memorans; *Subueni, quæso te, Domine Deus meus, mihi viduæ. Tu enim fecisti priora, & illa post illa cogitasti.* Expende, *& post illa cogitasti*, iugis est, & perennis beneficentia diuina, numquam sistit, post vnum beneficium semper pergit ad aliud.

§. XXVI.

Spiritus sancti gratia per Christum impellit terrena corpora in vitam æternam.

CVm hoc habeat Christi gratia, vt ipsa in vitam æternam saliat, similiter eos, quos implet, in æternam vitam salire facit. Et licet verum sit, quod corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam: tamen dum corda humana hac perfunduntur gratia, etiam intra grauedinem corruptionis, inter puluerem mortis experiuntur gratiæ impulsus, quibus in vitam efferantur immortalem. Quod eleganter expressum est sub aquæ metaphora: etenim, vbi Christus Dominus explicare voluit, quam facilè à mortis faucibus eruendus erat, dixit Matth. 20. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? & baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* [Matth. 20.] Vbi expendo, quod mortem suam baptismo comparat, seu submersioni in aqua. Quæ huius rei causa? Respondit Chrys. ser. de petit. [Chrysost.] filiorum

filiorum Zebed. fatus. *Propter resurrectionis facilitatem. Vt enim qui baptizantur, ex aqua multa cum facilitate ascendunt, ab aquarum natura nihil impediti, sic & ille cum in mortem descendisset, multa cum facilitate ascendit.* Equidem immersum aquæ pondus facillimè extrahitur, propter aquæ naturam, quæ iuuat; deorsum enim vergens, illud quodammodo impellit, vt ascendat superius. Sic aqua à Saluatoris fonte procedens, nimirum Spiritus S.gratia, quem receperit, faciet salire, & ascendere in vitam æternam. Huc reuoco
Isai.26. illud Isaiæ 26. *Viuent mortui tui, interfecti mei resurgent: expergiscimini,& laudate,qui habitatis in puluere,quia ros lucis ros tuus.* Quibus assentior Procopio docenti significari vniuersalem omnium resurrectionem,tam eorum, qui in peccato, quam qui in gratia defuncti sunt. Sed nota discrimen: de his, qui in peccato mortui sunt, dicit, *viuent mortui tui,* vbicumque fuerit peccator, vitam accipiet, nihil de illis poterit aliud dici, nisi quod viuunt: verum *interfecti mei,* martyres Christi, iusti viri, qui in gratia decedunt, *resurgent:* resurgere plus est, quam viuere: potest enim fieri,vt quis sic prostratus iaceat viuus, vt nec vim, nec impulsum admittat, quo surgat ab humo. Sic impij vitam accipient, qua iaceant miserè: iusti autem non sic, sed resurgent, hoc est è medio mortis puluere impellentur,vt sursum surgant, & ascendant in sublimia,vbi æternum viuant. Sed scire cupis, hanc è puluere in sublimia ascensionem, vnde acquirant iusti? Iam stat Isaias, fatus, *quia ros lucis, ros tuus,*quia diuinæ gratiæ fluxus instar roris lucidi, siue crystallinæ aquæ procedens in sublime ascendere facit, & supernatare quos perfundit. Habent hoc aquarum scaturigines, vt sursum impellant, & ligna, & lapillos; sic Christi scaturigines interfectos suos in sublimia faciunt salire. Cum rapiendus esset Elias 4. Reg. 2. ibat cum Elisæo loquens, & ventum est ad ripas Iordanis. *Tulitque Elias pallium suum, & inuoluit illud, & percussit aquas, quæ diuisæ sunt in vtramque partem, & transierunt ambo per siccum.* Quid plura? *Cum pergerent incedentes, & sermocinarentur:ecce currus igneus, & equi ignei diuiserunt vtrumque, & ascendit Elias per turbinem in cælum.* Sed cur ante hanc ascensionem Elias Iordanem tanto miraculo transit? An, vt ascenderet, & raperetur sub-
Origen. lime, contulerunt aliquid Iordanis aquæ? Annuit Orig.in Ioann.cap.1. inquiens. *Aptior ad raptum factus est, postquam ablutus est in Iordane,* &c. Felices nos, quos abluit Christi vnda, qui saliente in vitam æternam aqua tingimur, qua proculdubio aptamur, vt facilius saliamus, & ascendamus in immortalem vitam.

Text. Dicit ad eum mulier: Domine da mihi hanc aquam, vt non sitiam, neque veniam huc haurire. Dicit ei Iesus: Vade, & voca virum tuum, & veni huc.

§. XXVII.

Non alienum est à viro religioso, etiam in temporalibus, iuuare familiares suos, & deuotos.

PVtaretur fœmina tota temporalibus commoditatibus inhians omnino repellenda esse à Christo Domino, qui solam spiritualium bonorum æstimationem venerat persuasurus. Sed tamen dum Samaritana hæc aquam petit, nihil quærens, nisi temporale commodum, *neque veniam*, ait, *huc haurire*, adhuc accepta est Domino, quam non repellit, imò spe concessionis delinit, dum ait:Voca virum tuum,& veni huc, quasi post viri aduentum daturus, quidquid ipsa petiuerat. Religiosum enim est,quod viri spirituales,etiam in temporalibus faueant deuotis sibi,& amicis. Ecce vobis
4.Reg.4. 4.Reg.4. diuinissimus vir Elisæus Propheta hospitæ suæ Sunamitidi, sic suam operam promittit. *Nunquid habes negotium, & vis, vt loquar regi, siue Principi militiæ?* Quod ele-
Theod. ganter ponderans Theodor.q.14.in 4.Reg.ait.*Cuius officij vicem rependens propheta, eam rogauit, an esset aliquid, quod vellet dici regi,aut duci exercitus: & enim posset ei diuinum exhibere auxilium, vult eam etiam humanam assequi curationem.* Non enim religiosus pater, paterque religiosorum à se alienum putauit, coram rege agere negotia viduæ familiaris sibi.
Ambros. Quod si in hoc errare nolis, accipe D. Ambros. consilium, qui lib.1.Offic.c.50. sic præceptum de officiis proximo præstandis expendit. *Pulchrum est, vt gratiam tuam, atque officia in societatem humani generis conferas;sed primum illud decorum est, vt quod habes pretiosissimum, hoc est mentem tuam Deo deputes. Cum solueris auctori debitum, licet vt opera tua in beneficentiam, & adiumenta hominum conferas, atque opem feras necessitatibus, aut pecunia, aut officio, aut etiam quocumque munere.* Sic post Deum proximorum temporalibus necessitatibus possunt viri sancti occurrere, præcipue si ita inescatos eos in salutem animæ impellunt.

§. XXVIII.

Confessio humilis efficacissimum remedium ad expurganda peccata.

SCiebat Dominus Samaritanam non habere virum, & tamen ait: *Vade, voca virum tuum*, illam ad humilem confessionem peccatorum adducens. Etenim nil salubrius suggeritur peccatori, quam si confessionem suggeras. Obduratissimum proditorem sic excipit Dominus, Luc.22. *Iuda, osculo filium hominis tradis?* Luc.22.
Cur Domine spurcissimi hominis nomen ore sumis? Cur nominas iam deletum de libro vitæ? Ideo præmittit Iudæ nomen, vt vel tunc memoriam confessionis ingerat, qua possit veniam obtineri tanti criminis. Ita D. Cyrill. Hierosl. Catech.2. inquiens. *Ferme* Cyrill.
hoc ad ipsum dicit, admonens eum per nominis appellationem (Judas enim vocatur confessio.) Intellige: accepisti argentum, confitere cito. Hostis nomen pronuntiat, non quod tanti hostis placeat nomen,sed vt in nominis significatione, memoriam confessionis suggerat, qua sola de tanta fœditate possit exire, & diuino conspectui haud ingratus adesse. Psal.95. *Confessio, & pulchritudo in conspectu eius*, quasi de Psal.95.
confessione socia nasci possit ea pulcritudo, quæ meritò placeat diuinis obtutibus. Meritò D.Bernard. epist.103. in- Bernard.
quit.*Confessioni iungitur decor,iungitur pulchritudo.Et confessio, & pulchritudo in conspectu eius. Re vera in confessione,ibi pulchritudo, ibi decor. Si peccata sunt,in confessione lauantur.Si bona opera sunt, confessione commendantur.* Spurcissimo cuique, & maculas aufert confessio, & miram pulchritudinem indit. Quis magis fœtidus, & spurcus, quam adolescens ille prodigus? Substantiam patris dissipauit viuendo luxuriosè: insuper in tantam deuenit miseriam, vt inter porcos agens, cuperet de porcorum saturari cibis. Quis os illud fœtidissimo cibo porcorum squallens sustineat? Interea ad se reuersus, Luc.15.aiebat. *Pater, peccaui in cælum, & coram* Luc.15.
te, non sum dignus vocari filius tuus. Audiuit pater, & continuo in occursum filij festinat; *Cecidit super collū eius,& osculatus est eum,* osculatus,abdubium, quin os eius. Deus bone oscula das eius ori,quod porcorū cibis hærebat? oscula infigis labiis, quæ conspurcatis porcorum siliquis inhiabant? Sed quidquid fœtidus cibus cumularat, iam confessio abluerat: confessio os aureum fecerat,quo Deus ipse suauiari posset. Argute D.Chrys.hom.4. in Luc.ait. *Osculatur os eius,* Chrysost.
per quod emissa de corde confessio pœnitentis exierat, quam pater lætus excepit. Quid confessione pulchrius, quæ immundum os miseri hominis reddit dignum diuinis osculis? Fœtidus ille latro in peccatorum constitutus supplicio, non audet ad se euocare diuinos oculos, sed prius ad socium dicebat Luc.23. *Nos quidem iuste,nam digna factis recipimus.* qua confessione præmissa sic afficitur, vt statim nihil dubitans ad Dominum dicat. *Memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Ecce ex confessione eum decorem, & pulchritudinem induit, qua non dubitat in regnum posse asciscí. Chrysost. Idem.
de cruce, & latrone, ait. *Non est ausus dicere: Memento mei, nisi confessione peccati sarcinam remisisset.* Cum confitetur, tuberosas peccati molles deponit, quibus deprimebatur in ima, & erecto collo audet sperare sublimia. Quanta est virtus confessionis, quæ vel solum meditata, antequam exhibita nouit etiam cœlestem placare Patrem? Luc. 15. prodigus ille dicebat intra se: *Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cœlum, & coram te.* Solum meditatus confessionis verba, & quem indicem poterat timere, audet iam patrem nominare. Nyssen. in Cant. Nissen.
Confessionis meditatio placauit ei patrem. Nondum confessionem faciebat, sed solum intra se miseriam suam voluebat, & qualiter confiteretur, excogitabat, quod suffecit, vt è iudice inueniret patrem.

Text. Respondit mulier: Non habeo virum. Dixit ei Iesus: Bene dixisti, quia non habeo virum: quinque enim viros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus vir. Hoc verè dixisti.

§. XXIX.

Qui ab vno Deo deficit, in multitudinem tyrannorum incidit.

PEccatricis animæ miseram seruitutem Dominus prætendit, dum Samaritanæ miseram conditionem euulgans, ait: *Quinque viros habuisti.* Heu, dolenda sors peccatoris, quot dominis affligitur! Vbi à Deo deficis, necessum est in tyrannos venire pene innumeros. Ille apud Luc. cap. 14. quinque iugis boum præpeditus, ad dominicum non accedit conuiuium; ait enim, *Iuga boum emi quinque, & eo probare illa.* De quo argutè Bernard. serm. in illud,
Bernard.
Ecce nos, inquit. *Quid eum iuga subijsse causamur? Arguamus magis emisse: illud enim stoliditatis est miserandæ, istud extremæ dementiæ. Quid ergo miser pro iugo boum distrahis animam tuam, qui iugum Christi suscipiens emere poteras regnum Dei, mereari vitam? Vides excusationem hominis, qui propterea Christum non sequitur, propterea se excusat à nuptiis, quia iuga boum emerit quinque.* Hunc habent egregium mercatum, quicumque suaue, & leue Dei iugum à se excutiunt: dum à iugo rationali abhorrent, in plura iuga incidunt, quæ etiam fortissimas boum premerent ceruices. Quæsiturus Elisæum pergit Elias, 3. Reg. 19. & tandem inuenit eum.
3. Reg. 19.
Sed qualem inuenit? Id ponderat textus sacer, inquiens: *Profectus inde Elias reperit Elisæum arantem in duodecim iugis boum. Et ipse in duodecim iugis boum arantibus, vnus erat.* Heu misera hominis conditio! Vnus homuncio duodecim iugis boum sese premit. Nec aliud accidere potest his, qui suaue Dei iugum à sua ceruice expellunt; necessum est, vt qui à Deo deficiunt, in multitudinem tyrannorum deueniant. Exodi 32. dum Israël ageret in deserto, coëgit Aaronem, vt absente Moyse, sibi vitulum in Deum efformaret, efformatum sustollunt clamantes, *Hi sunt dij tui Israël.* Quibus id maximè notandum, quod cum solum vnicum vitulum efferant, nihilominus clament, Hi sunt dij tui, quasi à Deo vero deficientes, non possent non deuenire in multitudinem tyrannorum, & pro excusso Dei iugo, necessario boum iuga quamplurima patiantur. Ab hac sententia stat Chrysostom. homil. 5. de pœnitent. fatus. *Vnus factus est vitulus, & clamat ingratus populus: Hi dij tui Israël; Hi dij tui, vnum respiciens. Quare igitur dij? Sententiam interpretatur, non, quod videtur, indicat, sed & Deorum pluralitatem annuntiat.* Expende illud, *sententiam interpretatur*: quippe eo ipso, quod à vero deflectebat, etiamsi vnum idolum ostentabat, iam ibi implicita erat pluralitas Deorum, seu tyrannorum, quam vt explicet, & interpretetur, ait, Hi dij tui, quando necessum est, quod recessus à Deo sit accessus ad multiplices tyrannos. Præclarè D. Petrus Actor. 10. vbi reptilia, & quadrupedia sibi ad esum è cœlo oblata, respicit, aiebat, *Nunquam manducaui commune, & immundum.* Erant reptilia illa peccatorum imagines, quæ rectè vocantur communia, quando nullus est peccator, qui pluribus dominis, & tyrannis non subdatur. Ita Origen. homil. 5. in Leuit. ait, *Qui sanctus est solus Dei est, & cum nullo ei communio est. Qui autem peccator est, & immundus, & multorum est. Multi enim dæmones possident eum, & ideò communis appellatur.* Hæc est misera conditio eorum, qui à Deo decedunt, quod premantur sub dominorum multitudine, vt videas, quàm asinina sit amentia peccatorum, dum suam multiplicem seruitutem non vident. Discipuli missi à Domino, Luc. 19. sunt vt sibi afferrent pullum subiugalem: *Soluentibus autem illis pullum dixerunt domini eius.* Vide peccator miseriam tuam in hoc pullo asini, cui non vnus dominus, sed plures domini assistunt, ne soluatur à Christo. Et quidem asinus debuit esse, qui non gemeret sub tam multiplici seruitute. Quod eleganter ponderat aliter datus Diuus Athanasius sermone in illud: *Profecti in pagum.* Vbi inquit, *Dixerunt domini istius pulli discipulis. Quid soluitis pullum? Nonne si mente præditus esset sufficeret, si ei vnus dominus assideret? Nunc autem plures sunt eius domini.* Asinina dementia laboras, si ab vno domino ad plures confugis, multiplicibus premendus iugis.

Chrysost.
Act. 10.
Origen.
Luc. 19.
Athanas.

§. XXX.

Coniugalis castitas continentiam vidualem inducit.

CRediderim à Domino taxatam esse Samaritanæ incontinentiam, tam in nuptiis, quàm extra nuptias: & idcirco ait, Quinque viros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus vir. Meminit incontinentiam, cuius argumentum erat in muliere, tot suisse copulatam viris: ex qua sicut ex causa educit vidualem lasciuiam: castitas namque nuptialis facit viduas continenter viuere. Accipite D. Fulgent. epist. 2. ad Gallam cap. 7. sic fantem. *Ad hoc diuina gratia animum tuum coniugali castitate nutriuit: vt quæ didiceras illo vno viuente, alterum non quærere: disceres ab omni viro vidua continere.* Sanè quæ vni viro fidem integram seruauit, illóque contenta fuit, facilius viduitatis continentiam subiuit. Vidualis enim castitas de coniugali temperantia maximè fulcitur. Miraberis Iudith pulcherrimam fœminam, castissimam viduam, quæ multis potens diuitiis, ætate florens, pulcherrima facie, sic vidua vixit, vt pro miraculo susciperetur eius castitas. Quid plura? Hæc formosissima vidua, hæc splendens puella sese dat turpissimorum hominum exercitibus, nec vitreo pudicitiæ splendori timet media inter florentes iuuenes, inter principis obsequia, & amores. Sed quo se muniuit vidua puella, vt tot pudicitiæ discrimina vinceret? Ait cap. 10. *Induit se vestimentis iucunditatis suæ.* De coniugij pristini penu vestes sumpsit, quibus firmauit pudicitiam vidualem etiam inter confertissima pericula. Do Ambros. lib. de viduis fantem. *Benè coniugales pugnatura resumpsit ornatus, quia monumenta coniugij arma sunt castitatis.* Equidem adeò valet casti connubij temperantia, vt ipsa sufficiat pro viduali castitate tuanda; etiam cum illi pericula adsint. Iam hinc discant nuptæ fœminæ ea temperantia connubium agere, quæ illas etiam in viduitate poterit confirmare. Quæ temperantia erit, quando præter vnius veri coniugis sui vultus, alios etiam Angelicos siue oderint, siue vereantur. Quam se vallabat viri sui memoria Vasthi apud Esth. c. 1. in diuitiarum ostentationem fecit Assuerus conuiuium tam principibus, quàm popularibus suis, ad cuius imitationem vxor eius Vasthi fecit conuiuium fœminarum, sed quia inter pocula pudicitia labat, honesta fœmina tunc præcipuè modo quo potuit mariti præsentiá suo infixit animo. Sed qualiter infixit animo? Notate pudicitiæ coniugatæ ingenium, *Vasthi quoque Regina fecit conuiuium fœminarum in palatio, vbi Rex Assuerus manere consueuerat.* Notanter factum conuiuium recensetur, vbi Assuerus manere consueuerat, vt fœminæ astrueretur castitas, quæ vel de mariti vmbra confirmabatur. Sic honesta fœmina vnius viri sui amabat speciem; sic ad solum suum virum attendebat, vt eius etiam fugeret conspectum, quando non solus erat. Hinc post conuiuium Assuerus iussit eunuchis, *vt introducerent Reginam Vasthi coram Rege, posito super caput eius diademate, vt ostenderet cunctis populis, & Principibus pulchritudinem illius: erat enim pulchra valde. Quæ renuit, & ad Regis imperium venire contempsit.* Et Regis, & mariti iussa contemnit, vbi non solius mariti oculis iubebatur placere. Id quod ponderat D. Seuerus Sulpitius in lib. 2. historiæ sacræ, inquiens: *Vasthi verò stulto Rege consultior, pudens virorum oculis spectaculum corporis præbere iussa, abnuit.* Honestatem procul dubio æternant fœminæ, quæ vnius mariti oculis placentes, aliorum virorum, imò & Angelorum expauent præsentiam. Inde censenda est Estheris castitas, quæ cap. 15. ad Assueri perueniens præsentiam, vt vidit è regione coniugem aureis fulgentem vestibus, exanimis, & pauida corruit. Illam Rex blandis consolatur verbis, pauoris causam quærit. Tunc Esther ait, *Vidi te Domine, quasi Angelum Dei, & turbatum est cor meum.* Expende pulchram vxoris indolem, quæ dum pro marito vidit Angelum expauet, & corruit exanimata. Non sustinet præ marito honesta coniux videre Angelum, nedum hominem alium. Vnde vxor illa Leuites Iud. 19. tota nocte multorum congressum passa, *recedentibus tenebris, venit ad ostium domus, vbi manebat dominus suus, & ibi corruit.* Post iniuriam, post vim veniens ad ostium viri interiit, non sustinens viri sui conspectum, quem licet inuita fœdauerat. Non vis illata, sed verecundia ex conspectu ostensi viri profecta illam interfecit, ita D. Seuerus Sulpitius lib. 1. historiæ fatur. *Illa stupri iniuria & verecundia viso viro animam efflauit.* Digna quæ castitatis nomen æternaret, quam verecundia iniuriæ in conspectu mariti interfecit.

Fulgent.
Ambros.
Esther 1.
Seuer.
Iud. 19.

Text. Dicit ei mulier: Domine video, quia Propheta es tu. Patres nostri in monte hoc adorauerunt: & vos dicitis, quia Hierosolymis est locus, vbi adorare oportet.

§. XXXI.

§. XXXI.

Proprium Hæreticorum ingenium eſt, cùm alicuius articuli veritate premuntur, ad alia continuò tranſuolare.

QVorſum hæc Samaritana? Colloquium erat de viris, quibus copulata fuiſti, ſimul & de illegitimo præſenti toro, id audis, & ſubito quæſtiones de vera adoratione ingeris? Quorſum hæc? Sanè vt colloquium inceptum ioterrumperet, cuius veritate moltum premebatur. Sic veritatis refugæ hæretici, vbi in diſputatiooibus argumentatrice veritate vrgentur, ſubitò alias quæſtiooes miſcent, quibus propoſitæ veritatis vim effugiant. Sanè diaboli filij, verè & in hoc patriſſant. Etenim cum Ieſus ageret in eremo longiſſimom illud ieiunium, quod adeò ſuperabat humanas vires, virtutémque in eo diuinam adeſſe perſuadebat: acceſſit diabolus, & oſtenſis lapidibus, ait: *Si filius Dei es, dic, vt lapides iſti panes fiant.* Quorſum hæc Satana? Iam filius Dei oſtendebatur ieiunio, ſi veram diuinitatem noſſe cupis, ſiſte paulìſper, expende prodigioſum illud ieiunium, ex quo tam Filium Dei eognoſces, quàm ſi panes faciat ex lapidibus. Verum non veritatem quærebat diabolus, ſed veritatis euideotiſſimum argumentum, nimirum ieiunium, quo premebatur, volebat interrumpere, aliud longè dioerſum miſcens. Id expendit Chryſolog. ſerm. 13. (Chryſol.) *Quid eſt, quod ieiunante Chriſto, deitatis ſigna tota in ſola panis promiſſione perquirit? Et quem Dei filium continua ieiunij ſignificatione præſentit eſſe Dei Filium, de promiſſione panis deſiderat approbare? ſignum panis petit, vt ieiunij tremendum ſibi refugiat ſignum, ſignum panis petit, qui ſignum ieiunij pertimeſcit. Panem malus ingerit, vt virtutem mutet.* Hoc ingenium habent veritatis oſores, plura miſcent, ab hoc in illum ſtatum tranſeuot, omnia infecta relinquunt, ne cogantur veritati aſſentiri, in diuerſiſſima ſe ſubito tranſmutant, ne vllis veritatis capiuntur vinculis.

§. XXXII.

Hæreticorum doctrina ex eo falſitatis conuincitur, quod non excedit muliercularum, & homuncionum captum.
Vbi pulchra de Ieſu doctrina.

ECce vobis totum Samaritani erroris argumentum ab hac fœmina propoſitum: *Patres noſtri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis, quia Ieroſolymis eſt locus.* Et ſanè ea eſt hæreticorum doctrina, quæ oon è pulpitis, noo è cathedris, ſed in tabernis, & in muliercularum lauacris plenè & iotegrè audiatur. Rideres magnitudinem Principis, cuius magoalia rudis, & elinguis homo poſſet & numerando conſequi, & percenſendo numerare. Et non rideas religionis Deificæ doctrinam, à Grammaticis, ab vxoratis, à mulierculis plenè, & integrè, & capi, & tractari? De his agens Eccleſiæ magiſter Cantic.7. (Cant.7.) ait, *Capite nobis vulpeculas paruas.* An Lutherus vulpecula parua? An Caluinus, & ſimiles alij vulpeculæ, & paruæ? Cur noo potius magni Elephantes? Rectè D. Ioſtus Orgilitan. ibi. (Iuſtus.) *Quos vulpes paruulas dicit, quia nihil magni ſecundum rectam fidem intelligendo continent: omne enim, quod ſapiunt, exhibent.* Nemo noo amens credat cœleſtem doctrinam hauriri, imò exhauriri ab illiteratis omninò hominibus, à mulierculis, à ſutoribus. Nec vnquam mirari deſioo, cum audio Principes viros, & alioquin in humana politia ſapientes, ſic cæcutire ad diuina, vt eam probent religionem, cuius commentaria, & ſcholia, & lucubrationes æquè in macellis, ac in pulpitis explicentur. Pulchrè D. Hieron. epiſt.ad Paul. circa medium, ait: (Hieron.) *Quod medicorum eſt, promittunt medici; tractant fabrilia fabri, ſola ſcriptura ars eſt, quam ſibi paſſim omnes vendicant. Hanc garrula anus, hanc delirus ſenex, hanc ſophiſta verboſus, hanc vniuerſi præſumunt, lacerant, docent, antequam diſcant. Alij adducto ſupercilio, grandia verba trutinantes inter mulierculas de ſacris literis philoſophantur. Alij diſcunt à fœminis*, &c. Quis non rideat has Theologiæ interpretes? Qois non irrideat naſutis alioquin viris, qui tales venerantur, & ſuſpiciunt religionis ſuæ Prophetas? Irridebat D.Cyrill. Alexand. lib.6. (Cyrill.) de ſequitur. & charitat. in Deum, vaniſſimos Gentiles, qui de occinio, & garritu auium ſuam religiooem ebibebant, dignos templis fatebatur Deos: *A quibus ad vos præclari Prophetæ legantur, arguta cornix, perpes accipiter, cætera aues, dignos ſcilicet talibus dij legant Prophetas. Vos felices, ac beatas, qui tales Deorum interpretes nacti ſcis.* Nihil feliciores ſunt nuperi hæretici, quorum religio, cum ferè tota conſiſtat in vocibus conſtruendis, vt à fœmina, ſic tota à pſittaco capi poteſt. Quam aliter dioina, & verè religionis ſapientia, in cuius comparatione omnia Philoſophorum lumina ſuot tenebræ. Cant.1. ait ſponſa: (Cant.1.) *Meliora ſunt vbera tua vino.* in vino ſlaueni omnes prophanæ diſciplinæ deſignantur, in vberibus doctrina cœleſtis, quæ adhuc infantibus communicatur, non quæ perfectis iam magiſtris offertur, & hæc longiſſimè ſuperat mundialium ſapientium ſcientias. Sic D. Gregorius Niſſenus io Cantic. homil. 1. fatur: (Gregor. Niſſen.) *Eſt lac nutrimentum infantiæ, vinum datur fruendum perfectioribus; ſed tamen, quod eſt perfectum in externa ſapientia, minus eſt, quam denius verbi infantilis doctrina.* Habent mundiales ſapientes, quo refocillare poſſiot humanam mentem, noo quo implere. Sic apud Iudith cap.7. dicitur de Bethulia, cum ab Holopherne premebatur. *Erant autem non longè à muris fontes, ex quibus furtim videbantur haurire aquam ad refocillandum potius, quàm ad potandum.* Vbi anguſtias ſapientiæ mundialis meditatus Gotfridus Tilmanus in allegoriis, ait: *Erant non longè à muris fontes, dogmata philoſophorum, qui ſcientia, & honeſtatis aliquod conferunt ſolatium. Ex quibus videbantur haurire aquam ad refocillandum potius, quam ad potandum. Nota, furtim, & ad refocillandum.* Datur equidem externa ſapientia, quæ refocillare, nòn quæ ſatiare poſſet. Sont omnes diſciplinæ ſapientum fontes ad refocillandum, fontes inquam, non abſimiles Siloæ fontibus, qui vadunt cum ſilentio. Sola Chriſtiana, & Catholica Theologia pleno currit amne ad ſatiandas, & implendas mentes fidelium. Huius vox aquarum multarum, quæ vniuerſum intonat orbem. Ioann.1. (Ioan.1.) *Ego vox clamantis in deſerto.* Notanter dixit, *clamantis*: nulli enim clamor tributus eſt, niſi Chriſtianæ legi. Vbi Theophyl. ait: (Theoph.) *Omnes, qui ſub lege erant ſubmiſſe, & humiliter ſonabant, vtpote qui nondum peruenerant ad tempus Euangelicæ veritatis. Chriſtus autem cum ſit veritas ipſa, & annunciet nobis omnia, quæ Patris, clamans eſt. Ideò Ioannes ait: Ego ſum vox verbi clamantis.* Expendo vnde ſignet elamorem Chriſtianæ veritatis, nimirum ex eo, quod nuntiet omnia, quæ Patris: non ex eo, quod pauceas, ſiue Græcanicæ, ſiue Hebraicæ ſcripturæ ootas trutinet. Hoc dixerim propter numeros Septentrionis Myſtas, qui de lectione Græca, ſiue Hebraica ſaturi, prorſus ieiuni, & inanes Theologicarum diſputationum de Deo trino, & vno, de incarnatione, de vitiis, & virtutibus humanorum actuum, de veritatis inuentione gloriantur. Ille veritatis magiſter eſt, qui è pulpitis, è cathedris poteſt enuntiare omnia, quæ ſunt patris; hoc noo poteſt Chriſtus Anglicus, nec germaoicus, ſed ſolus Chriſtus Romanus, de ſub cuius aris quotidie effluunt doctrinarum flumina, quæ repleant orbem terrarum. Videte interpretum Catholicorum ſcholas, Thomiſtas, Scotiſtas, Societatis Ieſu Magiſtros, apud quos quidquid de Deo, de Angelo, de homine excogitari poteſt, plenis commentariis explicatur, dum hæretici magiſtri paucula Grammaticæ vocabula mandunt. Exodi 17. (Exod.17.) *Dixit Moyſes ad Ioſue. Elige viros, & egreſſus pugna contra Amalech.* Vbi enim electi viri, & ad bella doctiſſimi inſtruendi erant, noo Moyſes, nec vlla alia lex id potuiſſet, qnod vni Ieſu vero reſeruatum erat. Pulchrè Origen. (Origen.) hom.1. in Ioſue, inquit: *In hoc primum nomen diſtimus Ieſu, vbi eum prima videmus ducem exercitus: non cui Moyſes iniunxerat principatum, ſed cui ceſſerit principatum. Non poteſt Moyſes eligere viros potentes. Tu, inquit, elige tibi viros potentes.* Nulli ſectæ dati ſunt viri poteotes electi; ſolus Catholicus Ieſus hos viros habet, viros è millibus electos, virtute probatos, & doctrina, & ad bella doctiſſimos. Cæcum vult eſſe, qui ab his viris, qui omnia, quæ ſunt Dei, annunciant, veritatem non quærit, & eredit illam inuentam eſſe ab his, qui nihil de Deo ſciunt, aut ſi quid ſciunt, fœminarum captom non ſuperat. Ea poteſtate ſuper omnes vocem Ieſu poteris cognoſcere. Cant.5. *Vox dilecti mei pulſantis: aperi mihi ſoror mea.* Expende illud, *vox pulſantis*: oon in Ieſu vox ſola, ſed vox iuncta manibus, dum vox ſonat, manus mouet, & penetrat intimum animæ. Gillibert. Abb. ſerm.41. in Cant. ait: (Gillibert.) *Vox, inquit, dilecti pulſantis. Quæ talis vox, qualis Ieſu? Nunquid Philoſophorum? Nunquid hæreticorum? Num legis? Num Prophetarum? Valida vox eius eſt, ſtultam fecit huius mundi ſapientiam. Lex & Prophetæ neminem ad perfectum adduxerunt, vox Ieſu conſummationis ſummam complectitur. Vox, inquit, pulſantis. Pulſat enim, & penetrat efficax inſtar ancipitis gladij, leniter illabitur, & blandè perſuadet, quod nulla potuit alia doctrina obtinere.* Hæc ille, quæ aptius alibi examinabimus.

Text. Mulier crede mihi, quia veniet hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem. Vos adoratis quod nescitis; nos adoramus quod scimus. Quia salus ex Iudæis est. Sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus: & eos, qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet adorare.

§. XXXIII.

Fidelium oratio ipsa sibi vbicumque templum efficit, quo Deus adoretur.

SAmaritæ idololatriæ imbuti mendacio erant; Iudæi vmbratilis corporalium figurarum cultu gloriabantur; ambo certis alligati locis, extra illa Deo putabant haud grata esse posse holocausta. Felix Christianus est inter omnes, qui vbi fidei veritate imbuitur, sic rebus spiritualibus intentus est, vt nulli alligatus loco, eas sciat orationes ad Deum mittere, quæ orationes simul, & templum sint. Hoc respiciens Paul. ad Ephes. 3. ait: *Propterea flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, vnde omnis paternitas in cælo, & in terra nominatur: vt per fidem Christus cordibus vestris inhabitet.* Itaque vt Christus per fidem habitet in cordibus nostris, orat Paulus. Sed quomodo habitabit Dominus, vbi non est eius habitaculum? Prius, ô Paule, construe in corde tuo habitaculum Deo dignum, & tunc pete ab eo, vt ibi inhabitet. Sanè ea est fidelis oratio, vt simul templum efficiat, & Deum alliciat ad inhabitandum. Accipite Chrysost. tom. 6. orat. 2. de precatione sentem. *Vides quantum virium habent precatio? Templa Christi homines efficit. Quæ maior precationis laus esse possit, quàm quod ex illa Christi templa fieri soleant? Quem non capiunt cælestes orbes; is animo, qui in precatione vitam ducat, continetur. Qualem domum ædificaret Paulus? Flecto, inquit, genua mea ad patrem, vt Christus per fidem in cordibus vestris inhabitet.* Nulli alligata est templo fidelium oratio, nullis constricta est aris, ipsa sibi vbicumque & aras, & templum parat, quo Deus adorandus & orandus inhabitet. Huc alludit Nazianz. orat. funebri pro patre; vbi parentem suum morbo impeditum, ait, ne lecto surgat templisque cum populo oraturus astet: non tamen ideò ab oratione vacabat, imò in lecto orans ibi & templum, & aras oratione effingebat. *Languens, inquit, manibus ad orationem compositis, vel cum populo, vel ante populum mysteria celebrabat, paucisque atque infirmis, quibusque poterat verbis: cæterum mente, vt mihi videtur integerrima (rem miram!) sine sacrario, in sacrario, sine altari sacrificans, sacerdos procul à mysterijs remotus.* Non eget oratio fidelium templo, neque aris: ipsa sibi templum est, ipsa aram ex se construit Deo haud ingratam. Iudith Holophernem debellatura ingressa est oratorium suum, vt Deo orationem faceret, c. 10. vbi Græcus orationis tempus designans diserte dicit: *Et erat iam, cum offerri solet Hierosolymis in domo Dei incensum vespertinum.* Cur orante Iudith Bethuliæ, memoratur hora, & tempus orationis in templo Ierosolymitano factæ? Equidem mundi cordis oratio numquam non comparari potest cum orationibus in templo factis, numquam non exit & ipsa a templo, cum & ipsa orantis animum templum faciat Deo præ alijs templis materialibus gratius. Apoc. 6. dicit Ioann. *Et vidi subtus altare interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium; quod habebant, & clamabant voce magna, dicentes: Vsquequo Domine*, &c. Quibus miror, quod animæ à corpore exutæ, diuinæ ciuitatis iam accolæ dicantur adhuc clamare ad Deum desubtus altare; præcipuè cum cap. 21. dicat ipse Ioan. de ciuitate Dei: *Templum non vidi in ea.* Si non ibi templum, quomodo sanctorum animæ clamant desubtus altare? Sanè sanctorum orationes vbicumque sunt ipsa sibi & altare sunt, & instar orationis templi odorem suauitatis exhalant. Nec abs re dicitur Apoc. 21. quod templum supernæ ciuitatis sit agnus, quando in supernam ciuitatem ascendit, vt pro nobis oraret. Matth. 14. de Iesu dicitur: *Ascendit orare.* Vbi D. Ansel. ait, *Ascendit orare, quia iuit ad patrem pro nobis interpellare; non enim in manufacta sancta introiuit, in exemplaria sanctorum, sed in ipsum cælum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Quam verè templum est, à quo tam feruidæ orationes pro nobis ad Patrem diriguntur.

Marginal notes: *Ephes. 3.* — Chrysost. — Naziani. — *Apoc. 6.* — *Ioann. 21.* — *Matth. 14.* — Anselm.

§. XXXIV.

Filius, & Spiritus sanctus de Patre habent, quod creaturis prospiciant.

VBi toties patrem adorandum suggerit, iam mentes humanas ad Trinitatis indiuiduæ notitiam eleuat, quasi solis illis, qui à corporalibus, & carnalibus remoti spiritualiter sciunt viuere, sacrarium augustissimum generationis, & processionis liceat intrare. In solo Christiano cultu non solum absolutè Deus adoratur; sed etiam distinctè Pater, Filius, Spiritus sanctus, & tres adoramus in vna deitate personas, quod nec Iudæus, nec Samaritanus fecit. Quod cum ita sit, cur a Domino solus suggeritur Pater orandus, & adorandus, & nō etiam proponitur Filius, & Spiritus sanctus, quos & adoratione sollicitemus, & propitios reddamus? Sanè Filius, & Spiritus sanctus qui participant eandem naturam, & substantiam patris, ex patre habent, quo creaturis prospiciant suis. Aiebat Dominus Ioan. 6. qualia facinora in terris fecerat post cœlum pacificatum. Etenim post confirmatos Angelos prosiliuit in terram durus debellator, vt homines & defenderet, & promoueret: id quod non factum asseru ea propria aliqua voluntate suæ personæ, sed ex eo, quod in se paternum habebat, quo ferebatur in creaturas suas tutandas. Quibus eleganter ponderans D. Fulg. lib. 2. ad Thrasym. Reg. c. 3. eandem substātiam Patris inesse filio, sic ait. *Qui hoc in se naturaliter habet esse, quod pater est, & ideo potuit, & Angelum in superioribus stabilire, & pro reparatione hominis ad inferiora descendere: sicut ipse testatur, dicens: Descendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me patris.* Ecce tibi quo fundet totam sui aduentus œconomiam, totos suæ pietatis effusos fontes circa homines, & Angelos, nimirum in eo, quod in se naturaliter habet, quod pater est. Cant. 1. *Cum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit suauitatem odoris.* Non antea ego odorus, & patiens Deo extiti, quàm tunc cum rex erat in accubitu suo, sed qui est iste regis accubitus mihi tam salutaris? D. Bern. ser. 43. in Cant. *Accubitus regis sinus est patris, quia semper in patre filius est. Nec dubites regem hunc esse clementem, cui perennis accubitus est paterna benignitatis diuersorium.* Non potest filius non saluator esse hominibus, vtpote qui semper in patre est, & in se naturaliter habet, quod pater est. Non Filij aut Spiritus sancti propriæ per se solæ notiones, sed paterna in vtroque existens substantia hominum, creaturarumque excogitauit salutem, & per id quod ex patre habebant, generis humani bonum operabantur. Quod à Patre in Filium, & Spiritum sanctum venit, nos in vitam & spem salutis facit euolare. Prodigus ille Luc. 15. aiebat: *Surgam, & ibo ad Patrem meum.* Nequit præ nimia imbecillitate pedibus stare, & ait, surgam. Nequit repere vt paruas siliquas capiat & dicit, ibo. Qua id fiducia? Meminit Patrem, paternum quid in Deo existens iam veneratur, eni nō dubitat se debiturum ad salutis volatum. S. Thom. in Cat. *Postquam dixit, Ibo ad Patrem meum, quod ei attulit cuncta bona, non mansit, sed totum iter transiuit, sequitur enim, surgens venit ad patrem.* Non enim paterna Dei viscera sustinerent facturam suam, sic iacêre consumptam fame. Vbi vel in eius mentem venit pater, & alas addit, quibus possit imbecillus homo in salutem euolare. Quid plura? Venientem excipit amplexu pater; *& cecidit super collum eius, & osculabatur eum.* Cur, quem excipis tam amanter, ô Pater sic premis, imbecillis est filius iste, cur super eius humeros ruis? Vix te sustinent cœlestes columnæ, qualiter tantum pondus sustinebit homo miserandus? Pulcre D. Chrysol. ait. *Cecidit super collum, vt amoris onus anus tolleret peccatorum. Quia filius iuuatur illius patris onere, non grauatur.* Equidem quidquid patris est, non grauamen, sed leuamen creaturis suis habet. Semper paterna Dei viscera in nostram inclinant salutem, & vtilitatem. Ex quo lucem capit illud Ioan. 5. *Neque enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio.* Quod si filius iudicat, quo modo iudicium non tribuendum est & Patri? Filius enim in se naturaliter habet, quod pater est: ergo quidquid facit de eo, quod de Patre habet, facit; & sic de eo, quod de Patre habet, iudicabit, condemnabit. Rursus cur etiam iudicium non datur Spiritui sancto, sed soli filio? Cum in filio sit natura duplex, diuina ex Patre, humana ex matre, iuxta hanc potest aliquid exercere, quod non exerceat pater; inde est, quod pater in hominum salutem inclinans peccatorum vindictam a se ablegauit, nec illam dedit Spiritui sancto, qui in se naturaliter habet, quod Pater est, sed dedit illam filio, qui habet etiam aliā naturam, quæ

Marginal notes: *Ioann. 6.* — Fulgent. — *Cantic. 1.* — *Luc. 15.* — S. Thom. — Chrysol. — *Ioann. 5.*

quæ non est natura Patris, sed natura matris, secundum quam poterit rigorose castigare peccata. Sic Ioan. paulo post dicta fatur. *Potestatem dedit ei etiam iudicium facere, quia filius hominis est.* Quippè quæ persona in se naturaliter habet solum, quod Pater est, non castigat, sed parcit: non punit, sed miseretur; quæ vltra id habet aliam naturam, de hac poterit tribunal iudicij ascendere.

Text. Dicit ei mulier: Scio, quia Messias venit, qui dicitur Christus: cùm ergo venerit ille, annunciabit nobis omnia. Dicit Iesus: Ego sum, qui loquor tecum.

§. XXXV.

**Tunc facilè persuadentur ministeria fidei, cum prius peccata expurgata fuerint.*

Vide nobile Saluatoris nostri intentum; cupiebat sese mulierculæ reuelari, aduentúmque suum facilè persuadere, & ideo ad puteum fatigatus sedet, colloquia miscet, lasciuos mores fœminæ ob oculos ponit. Hoc sit primum Euangelici ministri telum, peccata è latebris extrahat, impugnet, debellet, & postmodum facili negotio, vel verbulo fidei suscipientur mysteria. Apud D.Clem.Roman. lib. Recog. disputaturus Princeps Apostolorum cum Simone Mago, prius diligenti examine vitam, & mores hominis perquirit, quales fuerint; eius vitia examinat, & in lucem nititur edere. Cur ô bone, id agis, & tempus absumis in peccatis aduersarij quærendis, vbi de diuinis mysteriis Cl.Rom. instat bellum? Digna Petri responsio est: *Si enim sciam, quia in his, de quibus non potest dubitari, quod bona sint, emendatus est, & inculpabilis: hoc est, si sobrius sit, si misericors, si iustus, si mitis, & humanus, quæ vtique bona esse nullus ambigit: tunc consequens videtur, vt ei, qui obtinet bona virtutum, etiam quod deest fidei, & scientiæ conferatur. Si autem in his, quæ palam sunt, peccatis inuolutus permanet, & inquinatus, non me oportet ei aliquid de secretioribus, & remotis diuinæ scientiæ proloqui: sed magis protestari, & conuenire eum, vt peccare desinat, & actus suos à vitijs emendet.* Hoc primum homines sibi persuadere debent, nimirum quod piè, & iustè viuant, si velint rectè diuina mysteria trutinare, & veritatis percipere radios. Deus optimus maximus, perfectissimus mundi Genes. 1. conditor prius ait, Gen. 1. *Germinet terra herbam virentem,* &c. Deinde sequenti die dicit, *Fiant luminaria in firmamento.* Prius terram virentibus nobilitat partubus, floribus ornat, ditat fructibus; & terræ ornatæ, & compositæ addidit luminaria. Sic prius mens hominis ornanda est virtutibus, operibus bonis, & post hæc lumine veritatis illustranda. Isidor. Accipite Diu. Isidorum, quæst. in Genes. cap. 1. *Quare primo terra germinauit: deinde facta sunt luminaria? Nisi quia post opera bona venit illuminatio lucis ad contemplandam speciem virtutis.* Eradicentur vitia, expurgetur nigra peccatorum rubigine anima, & tunc protinus in illa mysteriorum diuinorum lumen radiabit. Vanus est, qui de abstrusis veritatis mysteriis quærit, antequam ab anima extergat peccata. Cant. 3. Amantissima sponsa Cant. 3. dilectum inuenire cupiens, ait: *Surgam, & circuibo ciuitatem, & quæram, quem diligit anima mea.* Ecce tibi diligentia sponsæ in quærendo sponso, dum ait, quæram, quæstiones parat, studia proponit, quibus solet veritas abscondita indagari, & quibus secretiora myste- Luc. 15. ria trutinantur. Quam aliter prodigus ille filius Luc. 15. solum ait: *Surgam, & ibo ad patrem meum.* Ibo ad patrem, dicit, non quæram, quia in quærendo iam aliquod studium circa mysteriorum indagationem explicatur. Ergo sponsa iam Christo per gratiam copulata, de quærendis mysteriis tractat, miser autem peccator non de quærendo, sed de surgendo à vitiis, & acquirenda gratia patris. Virtutum via omnibus patens est, & manifesta: mysteria autem Fidei arcana sunt, & recondita, & latibulis gaudent. Ideò ille dicit, surgam & vadam, tanquam ad nota & proxima: hæc dicit, surgam, & quæram, hoc est, veritati quærendæ operam, & studia dabo. Quomodo subtilia caperet, qui peccatorum pondere grauabatur? Peccatori quærēti fidei quæ- Isid.Pelus. stiones, pulchrè respondit D.Isidor.Pel.epist.104. fatus: *Tuis litteris pudore suffundor, ac rursus ob parum honestas actiones te aduersor. Atque, quid nam tibi respondeam, ancipitis animi sum. Non quod id, quod quæris, explanare nequeam, verum quod animum tam indignis parcam. Neque enim sancta canibus dare licet. Si autem insanire desinas, & quæ à me quæsisti, exponam.* Vtinam ad veritatem indagandam accederemus, non tam mentis luminibus, quàm voluntatis delitiis, hoc est, non tam scientiarum, doctrinarúmque copiis, quam virtutum sensu. Psalm. 38. *Nox illuminatio mea in delicijs meis.* Ecce vnde illu- Psalm. 38. minatio oriatur, nimirum à delitiis affectuum, hoc est, à virtutum sensu. Hinc Gillebert. Abb. serm. 1. in Cant. *In deli-* Gillebert. *cijs, ait, non in scientijs. Ita & tu noctem si non potes scientijs, peritentia illuminare delicijs.* Vbi enim sic te composueris, vt ex virtutibus delectationem capias, vitia abomineris, summum in scientiis mysteriisque fidei incrementum accipies.

Text. Et continuò venerunt discipuli eius, & mirabantur, quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit: Quid quæris, aut quid loqueris cum ea.

§. XXXVI.

Rigidum sese, & austerum exhibeat homo in fœminis colloquendis.

Nouum, & mirabile in Christi schola visum fuit, familiare, & humanum cum fœmina colloquium, id semel tantū in magistro suo discipuli viderunt, a quo semper didicerant vna in re superciliosos, & austeros se monstrare, nimirum, in fœminis colloquendis. Quis Iosepho mitior? Quis humanior? Is tamen, vbi ad fœmineum colloquium ventum est, Gen. 39. ait dominæ suæ, *nec quicquam* Genes. 39. *est, quod non tradiderit mihi, præter te, quæ vxor eius es.* Nec dominæ meminit: humanitatis & comitatis verba obliuiscitur, ibi solum austerus, & grauis. Id quo meditatus Diu. Isid. Pel. epist. 79. fatur. *O virtutem, quæ cæteris quidem om-* Isid.Pelus. *nibus regium in morem, sola autem voluptate tyrannice vsa est.* Necnon patientissimum Iobi animum miraberis, quod cum malos amicos, & furentes diabolos humanissimè ferat, in solam consulentem fœminam excandescat, aiens: *Locuta es, quasi vna ex insipientibus.* De quo D. August. Psalm. 130. August. Conc. 9. ait: *Ille autem, qui caput obseruabat serpentis, repulit omnem suggestionem. Respondit & mulieri, sicut dignum erat respondere mulieri. Loquuta es, inquit, tanquam vna de insipientibus.* Minimè auscultanda sunt fœminea murmura, sed tanquam hostilia verba excipiēda, refutandaque sunt. Deut. 23. in Ammonitas, & Moabitas æternare cupit Dominus Deut. 23. odium Israëlitarum, sic præcipiens. *Non facies cum eis pacem, nec quæras eis bona cunctis diebus vitæ tuæ in sempiternum.* Sed scire cupis, quo medio vsus sit Dominus, vt hanc inimicitiam, & odium æternum Israëlis ad Ammonitas, & Moabitas firmaret? Id facilè noscet, qui originem voluptuosam Moabitarum, & Ammonitarum sciuerit. Deus enim, vt æternum odium inseminaret Israëlis in Moab, permisit filias Loth parenti ebrio commisceri, ex quo concubitu nascerentur Ammon, & Moab, vnde quasi necessario Israël pacem illorum abominaretur, quando pius populus hostiliter se gerere debeat, aduersus lasciuiæ populum. Ita Theodoretus loquitur Cat. Græc. ad cap. 19. Gen. *Quo magis* Theodor. *Israëlitæ affinitatem eiusdem impietatis deuitarent incestum permisit, cauens postmodum per Moysem, ne Ammonitæ, Moabitæque in Ecclesiam Dei admitterentur.* Imò cauens, ne vnquam pacem haberet Israël cum illis, nec loqueretur verba pacifica in æternum. Adeò cauenda est, & repellenda vel suspicio lasciuiæ, vt nunquam non hostilis habeatur congressus fœmineus: *Non facies cum eis pacem omnibus diebus vitæ tuæ in sempiternum.* Non finiat mors bellum hoc, sed in sempiternum duret. Erat Legione regia iniuncta D. Isidori templo, vbi per fenestram respiciens sacrosancti Doctoris cineres, eius dicta sponsa ob incredibilem deuotionem prudentissima virgo Sanctia Regina crebras Deo preces fundebat. Quid plura? Ecce tibi dum Sanctia orat, adest è cœlo Isidorus ingēti lumine amictus, petit enixe à Sanctia, vt quam primum Regiam mutet, in locóque à templo suo separato sedes figat. Cur hoc petis Isidore? Cur deuotissimam virginem è vicinio fugas? Accipe verba tanto Doctore digna, relata à Luca Episcop. Tudensi, in histor. mirac. Isid. Luc.Episc. cap. 35. vbi inquit. *Quamuis ipsa virginitatis voto te Deo sacraueris, & ego Deo deuotas semper dilexerim fœminas, tamen nunquam acceptam habui earum mecum diutinam residentiam corporalium.* Iam Isidori animus in cœlis agebat, iam ossa arida in altari quiescebant, & tamen non pacem facit cum fœminis, sed consortium, & viciniatem illarum fugit.

Text. Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abiit in ciuitatem, & dicit illis hominibus: Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcumque feci. numquid ipse est Christus? Exierunt ergo de ciuitate, & veniebant ad eum.

§. XXXVII.

Suspectæ tibi sint promissiones de futuro, vbi opera statim potes exhibere.

O Vera peccatrix conuersio, non procrastinat, non promittit postea factura, non se se longis promissionibus deludit, statim inceptum etiam opus abrumpit, relictáque ipsa hydria, oblita domus suæ in hoc incumbit, vt omnibus innotescat Christus. De forti illa
Prou.31. muliere dicitur Prouerb. 31. quod *digiti eius apprehenderunt fusum*, quasi non fideret promissis, sed exhibitis ope-
Ambrof. ribus vellet inniti. Huc accedit D. Ambros. ibi dicens: *In colo est, quod facturus es, in fuso, quod fecisti. Vide ergo si aliquid habes in fuso, ibi firmentur digiti tui. Ibi sit fortis conscientia tua. Ibi securus eris.* Digitos ad fusum applica, hoc est, operi statim insiste, quisquis cupis Deo satisfacere, inspirationibúsque respondere diuinis. Sanè perfidus ille Antiochus omnia in colo reponebat, nihil habebat in fuso, se multa facturum promittebat, & inter tot promissa, faciebat
2.Mach.9. nihil. Sic lib.2. Machab.cap.9. vbi graui morbo corripitur, Iudæos æquales tunc Atheniensibus facturum pollicetur. *Templum etiam sanctum, quod prius expliauerat, optimis donis ornaturum, & sancta vasa multiplicaturum, & pertinentes ad sacrificia sumptus de redditibus suis præstaturum: super hæc, & Iudæum se futurum, & omnem locum terræ perambulaturum, & prædicaturum Dei potestatem.* Ecce quot promissiones in futurum: sed qui tot, tantáque pollicetur in posterum, tunc cum instaret exactio diuina, nihil facit, promittit omnium sacrificiorum sumptus in posterum, & tunc nec agnum quidem meminit offerri in sacrificium. Promittit se Dei præconem futurum omni loco, sed tunc nec minimum religionis actum facit in domo sua: satius equidem, & sibi vtilius faceret, si quid in præsentiarum vero corde præstaret, si vel instante morbo, instaret ipse operibus piis, quæ facile posset, difficultatibus ruptis quam multa, & magna in posterum promittere. Deludunt sæpe promissiones futurorum humanas mentes: illis enim homines se consolantur, & dum respicientes ad futura, præsentia non eu-
Eccles.11. rant, miseram inueniunt ruinam. Pulchre Eccles.11.ait, *Qui obseruat ventum, non seminat*, vbi præclaram indigitat similitudinem agricolæ, qui cum tempus expurgandi tritici instat, ipse labores minuere cupiens suos, de die in diem expectat, & obseruat, qui ventus flauerit, promittens sibi in posterum flaturum Fauonium, qui optimus sit expurgationi faciendæ, & quo flante ipse temporis momento omnia perficiat. Quid tunc? Interea præteruolat æstiuum tempus, instat iam tempus seminandi, & cum non sit expurgatum triticum, omnia, bruma occurrente, perduntur. Do
Colum. Columellæ verba lib.2. cap.21. *Vbi paleæ immixta sunt frumenta, vento separentur. Ad eam rem Fauonius habetur eximius: quem tamen operiri lenti est agricolæ, qui dum expectatur, sæua nos hyems deprehendit. Itaque in area detrita frumenta sic sunt aggerenda, vt omni flatu possint excerni. At si pluribus diebus vndique silebit aura, vannis expurgentur, ne post nimiam ventorum segnitiem, vasta tempestas irritum faciat totius anni laborem.* Suspecta sit melioris venti expectatio agricolæ, qui securius rusticari cupit, cum primum tempus instet, nil moretur, nullus melioris venti expectatione tardet, sed statim det operam expurgationi quolibet vento, si nullus est, addat brachiorum in cribrando laborem. Ecce tibi tota œconomia humanæ salutis, siue perditionis; felices homines, cum primum occasionem vident, nulli parcunt labori, quouis vento flante siue reflante, vel ruptis catenis vel in sudore vultus sine mora instant salutis operi. Infelicissimi alij meliorem occasionem expectantes, maiora promittentes, instantia prætereunt, & mille præoccupati ruinis pereunt. Iam componite vobis Samaritanam mulierem, & quinque millia hominum à Christo refecta panibus. Illa sitibunda venit ad fontem vbi est Christus, hi famelici Christum per desertum sequuntur. Illam alloquitur Dominus, & sese illi manifestat, & abeuntem expectat, hos decumbentes in fœno, & cibo pastus non alloquitur Dominus, sed illos fugit. Cur illam expectat, & ab his fugit? Illa vt nouit Iesum statim oblita fontis, oblita sitis, hydriam relinquit, vt obsequium deferat Iesu, & nunciet populo salutem. Hi autem humi decumbentes cibis dant operam, decernentes in posterum suum obsequium exhibere Christo. Et merito, qui cum possent statim suum aliquale obsequium exhibere Domino, futuri seruitij spe decipiuntur & occasionem amittunt. Ita Ioan.6. *Iesus ergo cum cognouisset,* Ioann.6.
quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum, &c. Expende illud, *quia venturi essent*, & nota quam facile deluditur spes obsequij futuri, dum illius prætextu nihil in præsenti efficitur. Prodigus ille Luc.15. *In se reuersus dixit: Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater* Luc.15.
peccaui, &c. De quo eleganter D.Ambros.lib.7.ait, *Hæc apud* Ambros.
se dixit. Sed non satis est dicere, nisi ad patrem venias. Non saluat, quod facere disponis, sed quod facis.

Text. Interea rogabant eum discipuli, dicentes: Rabbi manduca. Ille autem dixit eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. Dicebant ergo discipuli ad inuicem: Numquid aliquis attulit ei manducare? Dicit eis Iesus: Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, & perficiam opus eius.

§. XXXVIII.

Is bene egestati, & esuriei corporali occurrit, qui primum Deo seruiendo dat operam.

CVm iam allati cibi per discipulos adessent, Dominus paulo ante sitiens, & egens nihil prius faciendum sibi putat, quam Samaritanorum prospicere saluti. In quo Saluatoris opere illud in primis notandum venit, nimirum, cur cibi sui nomine vocet curam hanc, & operam, quam posthabito corporali cibo, dat conuertendis Samaritis? Quid habet Samaritanorum salus à Christo Domino elaborata cum cibo, & refectione corporali? Equidem inde monstratur causa, & via, per quam homines per ciborum, bonorúmque temporalium copiam occurrant egestati, & fami, si nimirum posthabitis omnibus istis, primum Deo, & iis, quæ Dei sunt, nitantur seruire. Hæc cura primum Deo seruiendi radix est omnis saturitatis, causa est nunquam deficientis cibi. Iam venit ob oculos paupercula illa vidua 3.Reg.17. cuius extrema inopia illis satis exprimitur 3.Reg.17.
verbis: *Viuit dominus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria: & paululum olei in lecytho: en colligo duo ligna, vt ingrediar, & faciam illum mibi & filio meo, vt comedamus, & moriamur.* Quis hac pauperior? Sed videre licet, quid suggesserit Propheta Dei mulieri, quo possit veturæ fami succurrere, & perennes acquirere cibos. *Ad quam Elias ait: Noli timere: vade, & fac, sicut dixisti: verumtamē mihi primum fac de ipsa farinula subcineritium panem, &c.* Ecce tota spes famis depellendæ: ecce tota fiducia cibi æternandi saturitatis indefectibilis fundandæ, quod nimirum posthabito cibo tuo, prophetæ Dei cibando incumbas, primum Deo operam naues. Pulchrè Ruper.in lib.Reg. Rupert.
lib.5.cap.7. *Vt timere non debeas, vt meritò spem habeas, vt in æternum viuas de ipsa farinula: mihi primum fac subcinericium panem. Hæc autem dicit Deus Israël; Hydria farinæ non imminuetur, &c.* Nunquam deficiet, imò abundabit semper ille, cuius studium præcipuum, & primum est circa ea, quæ Dei sunt. Audio Matth. 21. quod vna ficus maledictionem ariditatis acceperit à Iesu, à quo etiam vestis fimbria benedictionem sanitatis habebat. Cur ficus adeò infelix? Antiquum erat ficus ingenium in fructibus suis Deum non meminisse, ne miremur, quod arescat ficus, & quod succus eius deficiat, quando inde bonæ arbores suam abundantiam æternant, quod Dei in primis meminerint. Quod ne putes à me gratis dictum, recole Apologum illum propositum, Iudic.cap.9. *Ierunt ligna, vt vngerent super se regem:* Iudic.9.
dixerúntque oliuæ, Impera nobis. Quæ respondit: Nunquid possum deserere pinguedinem meam, qua & dij vtuntur, & homines, & venire, vt inter ligna promouear? Dixerúntque ligna ad arborem ficum: Veni & super nos regnum accipe. Quæ respondit eis: Numquid possum deserere dulcedinem meam, fructúsque suauissimos, & ire, vt inter cætera ligna promouear? Loquuta sunt ligna ad vitem: Veni, & impera nobis. Quæ respondit eis:

Numquid

Numquid deserere possum vinum meum, quod lætificat Deum, & homines? Expende, quod olea, & vitis primo in fructibus suis Deum meminerint; ficus verò sola Deum oblita, tantùm fructuum suauitatem reminiscitur: iam inde ventura ficus ariditas, & infœcunditas pronuntiabatur; sicut & oleæ, & vitis indeficiens fœcunditas, & benedictio, vtpote quæ fructus suos in primis Deo, & religioni dicent. Hinc Apoc. 6. Apoc. 6. dicitur Angelo famis: *Vinum, & oleum ne læseris.* Non enim possunt non suppetere fructus, qui Deo in primis offeruntur. Luc. 11. Luc. 11. aiebat Dominus, *Quis vestrum habet amicum, & ibit ad illum media nocte; & dicet illi: Amice commoda mihi tres panes, quoniam amicus venit de via ad me, & non habeo, quod ponam ante illum.* Noto in præsenti, quam promptus erat iste ad recipiendum hospitem, quam ante omnia colebat hospitalitatem, sed qui primum studuit hospiti recipiendo, cur ante lucem pro panibus cœlestes fores pulsat? Ibit ante lucem, quia putabat Deo verecundum fore, si videretur quærens panes ille, qui sua in primis hospiti exhibuit. Huc spectat Chrysolog. serm. 40. dicens: *Plus hic tabentis Dei, quàm non habentis hominis verecundia nunc laborat.* Equidem plus vereeundaretur Deus, quod substantia deficeret homini illi, qui sic primo amplexatus fuit iustitiam, quam verecundaretur homo in ipsa panis penuria.

§. XXXIX.

Obedientiæ fructus multiplex.

Nihil Iesu gratius, quam sese voluntati subdere Patris; illi Patris obedientia cibus suauissimus est; & quis tantæ obedientiæ fructus? Iam ipse signat aiens: *Videte regiones, quoniam albæ sunt ad messem.* Præclare post obedientiam ostensam, meminit messes, vt innuat, quod obedientia eos fructuum prouentus habeat, qui integram segetem constituant. Luc. 8. Apud Luc. cap. 8. ait Dominus, *semen est verbum Dei:* & quidem verbum Dei a fidelibus prompta obedientia exauditum, semen est, quod adeò fructus multiplicat, Arnold. vt integras segetes parturiat. Sic Arnold. Carnot. tract. de opere sex dierum, inquit: *Futurum erat per verbum Dei, quod verbum caro factum est, & habitauit in nobis, vt fructificaret crucifixa pœnitentium caro, & de semine obedientiæ virtutum segetes crescerent.* Non enim contenta est obedientia quolibet fructu; sic amat multiplicare fructus, vt ipsa sola segetes integras efficiat. Et quod obedientia multiplicet fru- 4. Reg. 2. ctus, videre licet 4. Reg. 2. vbi raptus fuit in cœlum Elias, pallium cilicinum discipulo Eliseo dimisit. Cui Eliseo? Illi, qui petierat: *Fiat in me duplex spiritus tuus.* Dimissum itaque est Eliæ cilicium Eliseo, qui efficiendus erat duplex; sed cilicium, quod Eliam simplicem solum fecerat, qualiter datum Eliseo faceret duplicem? Equidem Eliseus cilicium à magistro accipiens fit duplex, quia opera, quæ de magistri obedientia veniunt, nouerunt semper duplicare, imò multi- Chrysost. plicare fructus. Hinc lucem capit Chrysost. homil. 8. ad popul. inquiens de Eliæ cilicio. *Helia melotes gratia dissoluit: hæc Iordanem diuisit; hæc Elisæum duplicem Eliam fecit.* Non in Elia, sed in Eliseo cilicium multiplicat fructus: quia Elias propter suam voluntatem cilicium habebat, Eliseus de obedientia magistri, & de obedientiæ semine plurimum cre- Hieron. scunt virtutes. D. Hieronym. epist. ad Heliodorum sic Nepotianum commendat. *Referet aliis, quod in Palatii militia sub chlamyde, & candenti lino corpus eius cilicio tritum sit, quod stans ante sæculi potestates lurido ieiuniis ora prostrauerit; quod adhuc sub alterius rudimentis alteri militauerit, ad hoc habuerit cingulum vt viduis, pupillis, orphanis, miserisque subueniret. Mihi non placent dilationes istæ imperfectæ seruitutis Dei. Veruntamen velut incunabula quædam nascentis fidei comprobemus, vt qui sub alienis signis deuotus miles fuit, donandus laurea sit postquam suo regi cœperit militare.* Ecce tibi cilicium, ieiunia, eleemosynæ à Nepotiano factæ vocantur a D. Hieronymo dilationes imperfectæ seruitutis Dei; vocantur incunabula quædam virtutum, quæ de obedientia possent in ætatem perfectam plenitudinis Christi peruenire. Obedientia virtus est, quæ omnium virtutum fructus duplicat, quæ maximè placet oculis diuinis. Post consummatam hominis effectionem, nil audio à Deo in operis commendationem dictum; nihil loquitur Deus: verum post effectam lucem, statim subditur, *vidit Deus lucem, quod esset bona.* An lucis creatio gratior Deo extitit hominis creatione? Vnde lux habuit, quod magis placeret quàm homo? Lux in hoc excedit, quia iussa fieri, quam promptissimè obediuit, & Dei Theodor. imperio audiens prosiliuit in medium. Ita notat Theodoretus in Cat. Græc. dicens. *In rebus, quas fecit ex imperio Deus, vtitur hac veluti comprobatione, & vidit quod esset bonum. Idcirco in Adam, quem sua veluti manibus conformauit, nil opus fuit hoc verbo.* Rapiunt præ aliis diuinos oculos res quæ imperio diuino quam citissimè obediunt, & inde maximè probantur, & commendantur Deo.

§. XL.

Omnes perfectioni acquirendæ nitantur.

Suum cibum dicit Dominus esse, vt faciat voluntatem Patris, & perficiat opus eius: totius enim sanctitatis perfectio cum Christo Domino asseruatur. An quia Christi solius cibus est omnimoda virtutis perfectio, nos nec eius gustum aliquando vel saltem extremis labiis prælibabimus? Absit, immo omnes in se deificæ perfectionis obtinendæ aliquale experimentum faciant, quod sine Dei vocantis contemptu difficile prætermitti omnino poterit. Paruus erat Dauid, & magis paruus si compareatur Sauli, qui ab humero & rursum excedebat omnes populares, tamen vbi iussus est induere regia arma, induit quidem loricam Saulis, & imposuit galeam æream super caput suum, 1. Reg. 17. & *cœpit tentare si armatus posset incedere. Dixitque Dauid ad Saul, Non possum sic incedere, quia non vsum habeo, & deposuit ea.* 1. Reg. 17. Vel primo aspectu viderat Dauid se inferiorem esse illis armis, & tamen illa induere non recusauit. Similiter cum primum ea indutus est, animaduertit, se nimis grauari, & occupari, & tamen cœpit tentare si armatus posset incedere, credens omnia hæc experimenta a se exhiberi debere, ne in Saulis contemptu videretur armorum necessaria depositio. Ita Ruper. in Reg. lib. 5. cap. 5. Sciens Rupert. Dauid Saulis sibi imparia arma, *quare sic frustra tentauit? Videlicet, quia sic pulchrius facto suam spem regi ostenderet, quàm si oblata regis arma mox voce, aut verbo præcipitur, quasi cum contemptu depelleret.* Non regium contemnebat imperium, qui post experientiam, quod armatus non posset incedere, deponit arma. Sic omnes fideles ad Christianam perfectionem vocati, vt induant iuxta D. Paulum *armaturam Dei*, non antes à Dei armis abstineant, quam probent, an sic armati possint incedere. Fateor armaturam Dei, qua Principes tenebrarum debellauit, ingentem esse, & superiorem viribus humanis, quis homo Christi nuditatem sustineat? Quæ caro tormentorum segetes metet? Quis excellentiæ eiusdem charitatis in Deum, & proximos etiam inimicos attinget? Quis incredibilem patientiam ad sustinenda opprobria æmulabitur? Hæc sunt Dei arma aduersus inuisibiles hostes, hæc iubemur induere, vt vincamus, sic enim ait Paulus ad Ephes. 4. *Induite vos armaturam Dei*, & arctius Ephes. 4. D. Athan. quæst. 13. addit. *Induite vos totam armaturam Dei,* Athanas. quasi in nullo nobis pareat, sed vt cunctis Dei armis coruscemus, flagitat. An fieri poterit, vt omnes communiter fideles his Dei armis vestiantur? Et quia id minimè fieri potest, ideò relinquenda communiter sunt ea arma? Absit, sed ab omnibus probanda, & experienda. Quisquis fidelis est, experientiam aliqualem faciat, an his armatus incedere possit; ne videatur cum contemptu dimittere Dei arma. Qui nunquam ieiunauit, qui nunquam macerationem carnis expertus est, non excusabitur apud regem cœlorum, quod eius armis non vsus fuerit. Hoc igitur fixum fidelium animis sit, quòd vbi ad Deum accedunt, armaturam Dei sumant, & luctentur cum Deo, eius congressus imitando, & probando an sic incedere possent. Cum Iacob in patriam rediret, Genes. 32. *Ecce vir luctabatur cum eo vsque mane.* Quæ Genes. 32. hæc lucta? Lucta hæc erat, qua Iacob sub Dei armatura exercebatur, & probabatur, si diuinarum virtutum posset æmulator incedere. Vnde D. Ambros. monet vniuersos epist. ad Ambros. Irenæum fatus. *Ad Deum qui venit, luctetur cum Deo, vt ad imitationem eius sese exerceat, ad humilitatem Christi, & passiones eius congrediatur.* Nullus à Christi virtutibus propter ingens earum pondus abstineat, sed probet, sed totam eius armaturam induat, curétque eius perfectiones imitari, ne ante experientiam videatur cum contemptu deponere Dei armaturam. Hanc probationem iam prætereuisse insinuat D. Paulus 1. ad Corinth. cap. 9. *Sic pugno, non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo,* 1. Cor. 9. &c. Quæ verba mihi quæstionem faciebant, cur Paulus suas macerationes dicit, non esse aëris verberationes? Quis crederet, quod tantus Apostolus se affligeret, quasi aërem verberans? Quis tantum splendorem virtutum auderet conferre cum vano aëris verbere? Credideram ego non ibi de

vano

vano aëris verbere agi, sed de prudentissima exercitatione armorum, qua quis experitur si rectè armis vti posset, aera feriendo. Ait Apostolus pugnas suas non esse iam ad experiendum quid posset, sed similes esse his, quibus Dominus confregit tyrannidem inferorum.

Text. Nónne vos dicitis, quòd adhuc quatuor menses sunt, & messis venit? Ecce dico vobis, leuate oculos vestros, & videte regiones, quia albæ sunt iam ad messem. Ioann. 5.

§. XLI.

Deus labores omnes viribus hominum commensurat.

QVis Dei non miretur, & bonitatem, & sapientiam, qua sic humanos labores distribuit, vt possint facilè à quoquam sustineri? Summus agricolarum labor est, sed ita per tempora, siue seminum, siue frugum distributus, vt non excedat carnei hominis mensuram. (Isid. Pelus.) Sic D. Isid. Pel. lib. 3. epist. 170. inquit, *Vide quemadmodum non vna eodémve tempore frumentum, & vinum, & oleum, & poma, variique flores existant: prata quidem antecedant, sequuntur segetes, quas deinde vinea excipiat: ac denique agricola racemus ad oleam transmittat: anni videlicet partibus, tanquam optimum quendam chorum agitantibus. Nam si cuncta confestim ad vigorem suum peruenirent, profectò agricolæ industria ob temporis breuitatem, in angustias veniret.* Numquam à Deo in homines veniunt labores, qui non veniant viribus humanis commensurati. Imò nunquam Deus adeò est iratus, & sic suam iracundiam effundit, vt non meminerit mensuram, & stateram, qua laborum, & flagellorum pondus trutinet, & semel, & iterum reducat ad examen. (Daniel. 5.) Dan. 5. iratus Deus in Babylonium Regem scripsit in pariete sententiam capitalem, cuius inscriptionis verbum è tribus erat *Thecel*, quod iuxta Danielis declarationem sonat, appēsus es in statera, vbi Septuag. apud Chrysost. legunt, *Librauit Deus regnum tuum*, quasi aliter iram Deus infunderet, nisi prius libræ meminerit, & (Chrysost.) laborum cumulos mensuraret. D. Chrysost. in Psalm. 95. ait, *Librauit, inquit, ac mensus est, nihil enim ab illo fit absque mensura, nihil sine pondere, sed iusta mensura vindictam infligit, cumque punit, trutina librat vltionem.* Non aggerat laborum cumulos, non conglomerat pœnas, vt obruat, quos castigat, sed omnia trutinat, certáque mensura. non tam effundit, quam inclinat. Quod si aliquando nefarissimus Iudas vltra omnem mensuram puniendus fuit, vindictam illam non Deus intulit, sed ipse sceleratissimus sumpsit. De illo Matth. 27. dicitur, *Proiectis argenteis in templo recessit, & abiens laqueo se suspendit.* (Leo.) Id quod meditatus D. Leo serm. 3. de passione sic loquitur cum ipso, reddens rationem, cur eius manibus permissa sit vindicta. *Vt quia facinus tuum omnem mensuram vltionis excesserat, te haberet impietas tua iudicem, te pateretur tua pœna carnificem.* Expende illud, *quia facinus tuum omnem mensuram excesserat.* Vbi enim labor, & ærumna sine mensura inferenda erat, non ibi Deus iudicem agit, id munus sceleratissimo Iudæ ceditur, qui solus supra mensuram supplicia sibi conglomerare poterit. Bonus Deus nullam nouit infligere pœnam sine parua, & certa (Daniel. 4.) mensura. Ad superbissimum tyrannum dictum est Dan. 4. *Tibi dicitur Nabuchodonosor Rex, Regnum transibit à te, & ab hominibus eiicient te, & cum bestijs erit habitatio tua, fœnum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te, donec scias, quod dominetur Excelsus.* Expende mensuram in tanti peccatoris supplicio, nimirum septem tempora: cur solum septem tempora castigatur, qui æterna merebatur supplicia? (Prosp.) Pulchrè D. Prosper part. 2. de promiss. cap. 34. inquit, *Sic præsumptores cadantur, sic superbi castigantur ab eo qui potat in lachrymis in mensura, quia sunt iudicia eius suauia.* Sic sunt suauia profectò iudicia eius, vt nec supplicia ab eo illata certæ mensuræ modum excedere videantur.

§. XLII.

Errant qui in præsenti sæculo virtutum triticum omnino absque paleis requirunt.

GAudeas nobilis agricola, Christus de prouentu frugum non horrea cribratis granis plena, sed messium manipulos sed areas ostendit, vbi adhuc, & grana, & paleæ visuntur mixtæ. Ait enim: *Videte regiones, quia albæ sunt ad messem*: & quidem in præsenti sæculo non requirit sapiens agricola iam munda frumenti grana, quando id non ferrent humanæ vires, quæ nec granum emittunt sine paleis. Qui generis humani perditioni studet, hic vt primam Ecclesiæ messem omninò perderet, eam munditiem necessariam ingerebat, qua nec minimam sustineret paleam. Sic Dominus Luc. 22. *Ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* (Luc. 22.) Vbi pro maxima suorum tentatione ponit Dominus, quod illi ab hoste expeterentur ad cribrum, quando per tempus vix fieri poterat, vt essent sine paleis. Non enim est huius temporis sic velle homines cribratos, vt nec ad paleolam conniuere velis, id solum requirendum, cum iam grana munda horreis cœlestibus asseruentur. (August.) Quò spectat illud Augustini sermone 107. de tempore, aientis. *Modo corpus Christi, quod iustum area est, postea erit horreum. tamen cum area est, non recusat paleas sustinere, cum tempus aduenerit, reponet triticum, & à paleis segregabit.* Scit optimus agricola distinguere tempora, nouit, nec causatur, quod in areæ tempore paleæ sint mixtæ granis frumento. Imò iuxta temporis exigentiam patitur in suis paleas, nec propter illas triticum contemnit. Apud Luc. cap. 15. mulier drachmam perdit, quæ non ideò reijcitur a Domino, sed laudatur, quod accensa lucerna perditam recuperet. (Tertull.) Eleganter Tertull. lib. de pudicitia, ait: *Iuxta drachmæ exemplum, etiam intra domum Dei Ecclesiam licet esse aliqua delicta, pro ipsius drachmæ modulo, ac pondere mediocria, quæ ibidem delitescentia, mox ibidem & reperta, statim ibidem cum gaudio emendationis transigantur.* Non enim huius temporis est carere omninò peccatis, sed ibi est vera sanctitas, vbi etsi peccata dentur, inuenitur eorum vltio. Iacob ad patriam rediens accessit Sichimorum vrbem, in qua rapitur eius filia Dyna, & raptus gladio Simeonis, vindicatur acerrime, Genes. 34. (Genes. 34.) Quod memorans Diuus Ambrosius epist. ad Irenæum, sic nos omnes monebat. *Ad Deum, qui venit, Sichimam pretiosam illam, atque allaudatam habebit virtutum officinam, vbi læsæ castitatis grauis est vltio.* Magnam omnibus quęstionem facient hæc Ambrosij verba, quibus monemur omnes inhabitare Sichimam, vbi læsæ castitatis grauis est vltio. Nónne melius esset ire ad Deum per viam, in qua nullam incurramus offensam? Hæc via non inuenitur in mundo. hæc puritas non est in area, & ideò hanc quærat homo viam ad Deum, vbi peccata castigantur. vbi culpæ puniantur, non vbi nullæ culpæ dentur, quod nequit fieri. Puta in quolibet homine non horreum, sed aream esse, in qua simul omnia opera bona, & mala sunt congregata, neque aliter inspiciendus homo est in hac miseriæ valle. Esaias cap. 66. (Isai. 66.) *Ego autem opera eorum & cogitationes eorum, venio, vt congregem.* Cur non potius dicit Dominus se venire, vt discernat opera nostra? An non magis ad Deum spectat, quod nostra discernat, bonáque a malis separet, cur potius dicit se venire, vt congreget? Vult Dominus docere, qualiter homo inspiciendus sit in hoc mundo a proximo suo: inspiciendus est homo, vt area inspicitur ab agricolis, in qua sunt omnia permixta & congregata, & frumentum, & paleæ, & tamen illa congregatio propter frumentum inclusum, & placet, & æstimatur. Similem in homine congregationem inspice, & nullus erit, qui te offendat peccatis. Accipite D. Basil. concione de humil. fatum. *Si proximum peccantem videris, ne hoc solum ipsius considerabis, sed & quæ fecit, aut facit probè animaduerte, per omnia expendens, & non particularia contrectans. Neque enim Deus particulariter hominem expendit. Ego enim, inquit, opera, & cogitationes ipsorum venio vt congregem. Et cum increpasset aliquando Iosaphat propter propinquam peccatum, meminit eorum, quæ rectè perpetrata sunt ab eo, dicens: Verum boni sermones reperti sunt in te.* Sic omnia hominis opera instar areæ ex paleis, & granis congregatæ inspicienda sunt, ne paleis offendamur, quando illis tantum frumenti pretium adiacet. (August.) Accinit D. August. in Psal. 80. vbi illam inscriptionem, *pro torcularibus*, explicans fatur. *Vultis nosse vim torcularium nostrorum? Vt vnum dicam, vade & ipsi murmurant, qui ea faciunt. Quantæ, inquiunt, rapinæ temporibus nostris, quantæ pressuræ innocentium, quantæ expoliationes rerum alienarum? Ita sanè in amurcam attenditis, quia rapiuntur res alienæ: in oleum non attenditis, quia dantur & propria? Non habebat antiquitas tales raptores rerum alienarum, sed habebat antiquitas tales datores rerum suarum? Admoue omnia, & videbis patrumfamilias tui plenas apothecas; vides raptorem, qualem nunquam vidisti, vide contemptorem rerum suarum, qualem nunquam vidisti.* Sic congreganda sunt omnia, nec magna virtutum lucra contemnenda,

propter

propter minora peccata. Illi tyranno dicitur, Danielis 5. *Appensus es in statera, & inuentus es minus habens.* Non proiicitur, quia peccata haberet, sed quia bona facta longè minora erant, quam scelera.

Text. Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam. Vt & qui seminat, simul gaudeat, & qui metit.

§. XLIII.

Virtutis præmia citissima.

FElix, qui in area Domini laborat. Non longis itineribus, non post longa tempora mercedem accipiet; sed & nunc in præsenti mercedem accipit, & postea in futuro sæculo de bonorum operum fructu ditatus æternum viuet. Diuinus enim Paterfamilias non tardat mercedem seruis suis. Memini multis dubium fuisse, cur Deus prius condiderit vniuersas orbis creaturas; & eas, quæ ad delitias, & diuitias hominum conducunt, ante homines fecerit parturiri. Ambros. Pro cuius solutione D. Ambrosius epist. 38. ad Ho[nor]at. s[or]or. *Quid est mundus, nisi quidam agon plenus certaminum? Qui igitur agonem suscipit in hoc sæculo, nonne omnia præparat, quæ agoni sunt necessaria, & tunc athletas vocat, paratis præmiorum insulis, certaturos ad coronas, ne moram patiatur, qui vicerit, sed præmio donatus recedat? Præmia igitur hominis terrarum fructus sunt, & cœli lumina. Illa ad vitæ præsentis vsum, hæc ad spem vitæ æternæ.* Adeò enim refugit Deus tardare seruorum suorum mercedes, vt præter cœlestes thesauros, terrenos fructus præmiserit, ne victor moram patiatur, sed statim præmio donatus viuat. Imò ea est piæ seruitutis mercedi adnata natura, vt ipsa se se merentibus, quàm facillimè, & citissime offerant debita munera. Danielis 5. cum cœnaret Rex Balthasar, vidit sententiam damnationis suæ scriptam in pariete, proponit ingentia præmia expositori. Adest Daniel, legit scripturam, prædicat iam
Daniel. 5. in foribus esse Regis mortem, & finem regni. *Tunc iubente rege indutus est Daniel purpura, & circundata est torquens aurea collo eius: & prædicatum est de eo, quod haberet potestatem tertius in regno. Eadem nocte interfectus est Balthasar Rex Chaldæus.* Meritò miraberis, quod post nuntiatam mortem in foribus, media adeò calamitosa nocte, vbi auditur sententia, hostes occupant regiam, Rex perit, locus, & tempus fuerit, quo Daniel tantis donis, & præconiis honoraretur. Vnde purpura, vnde torques aurea, vnde præco inter angustias mortis, inter incendia, inter milites furentes venire po-
Isid. Pelus. tuerunt? Pulchrè D. Isidor. Pelus. epist. 97. lib. 2. ait. *Non enim dubium, quin sapientiæ præmia in promptu essent.* Sunt, sunt in promptu virtutis præmia, & adeò in promptu sunt, vt nullis concurrentibus, imò præcurrentibus, malis impediri queant. Venit aliquando citissima, & inopinata mors, venit pennata calamitas velocior aquilis cœli, sed longè velociora veniunt virtutis præmia, quæ nulla malorum pernicitate possunt anteuerti. Bethuliæ ciues hostili cincti exercitu, sic properabant exire de tribulatione, vt decernerent, quinque tantum diebus expectare auxilium diuinum. Hanc impiam festinationem obiiciens illis piissima fœmina Iu-
Iudith 8. dith cap. 8. *Quod est hoc verbum, in quo consensit Ozias, vt tradat ciuitatem Assyriis, si intra quinque dies non venerit vobis adiutorium? Et qui estis vos, qui tentatis Dominum? non est iste sermo, qui misericordiam prouocet; sed potius, qui iram excitet.* Hæc Iudith, vt impiam, & nimiam populi properantiam obtundat, sed & suam offert industriam pro patriæ salute, se seque deuouet, vt illud à ciuitate depellat periculum. Et cum iam portæ ciuitatis appropinquaret, vt in arenam cum nefario hoste prosiliret, ait ad ciues suos: *Orate, vt, sicut dixistis, in diebus quinque respiciat Dominus populum suum.* Expende illud, sicut dixistis: non enim iam solum tempus adiutorij diuini præfinit, sed insuper addit, quod sit illud quantum à nimia, & temeraria festinatione antea præfinitum erat. Cur bona fœmina eosdem, quos reprehendisti præfinitos dies expectationis, modo tu tibi præfinis? Sciebat prudens fœmina, quod tantæ virtutis, qua se pro patria deuouebat, præmia sic in promptu erant, & properabant venire, vt nimias etiam properationes, & temerarias possent, & deberent vincere.

Text. In hoc enim est verbum verum: quia alius est, qui seminat, alius est, qui metit. Ego misi vos metere, quod vos non laborastis; alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis.

§. XLIV.

Christi Domini passi exemplum maximè suorum leuat labores.

VIde veteres Prophetas, & vide Christi Apostolos, hi missi sunt in mundum vniuersum prædicare Euangelium omni creaturæ in frigore, & nuditate, in periculis multis, in fame, & siti, in verberibus, & morte: quare ergo dicuntur minus laborasse, quam illi? Quia nimirum Apostoli laborum suorum habebant præ oculis exemplum Christum, quo necessarium erat maximè labores imminui. Paupercula fœmina 3. Reg. 17. ad Eliam fatur. *Viuit Domi-* 3. Reg. 17.
nus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho. Quid in tanta paupertate mulier faceret? *En colligo,* (ait,) *duo ligna, &c.* Quasi extremæ famis solatium, & leuamen putat colligere duo ligna. Quod istud leuamen est? Quæ ligna hæc? Rupert. in Reg. lib. 5. cap. 7. inquit: *En colligo duo ligna,* Rupert.
en meam consolor inopiam, amplectens crucis ligna, vt comedamus, & moriamur. O mors, ô inopia de crucifixi memoria, plena consolationis, & leuaminis! Fallor nisi huc respiciat illud Psalm. 118. *Fiat misericordia tua, vt consoletur me.* Non Psal. 118.
enim petit, vt præbeat misericordiam ad consolandum, sed vt ipsa misericordia consolans fiat, quippe tunc cum Iesus cruci affigebatur, tunc maximè ea misericordia fiebat, quæ leuamen afferret, & consolationem tribulatis. D. Ambros. Ambros.
super hunc Psalm. lib. 10. legit, *fiat misericordia tua, vt exhortetur me.* Misericordia enim quæ in cruce fiebat simul & calcar erat, quo ad similia perferenda incitabamur, & in labore imitationis consolationem, & leuamen afferebat maximum. Vnde Ambros. ait. *Magna est ergo misericordia Dei, quæ non solum remissionem tribuit peccatorum, sed etiam certantibus adhibet exhortationis calcaria, ne suscepti certaminis passiones in belli formidine derelinquant.* Potens equidem est tantæ misericordiæ exemplum in cruce exhibitæ, & calcaria adhibere, & leuamen addere, ne in quotidianis duellis deficiamus. Sapientissimus ille rex, qui in ferculo sub, vel lectica, laborantibus, deficientibúsque, *aureum reclinatorium* aptauit, quo leuamen aliquod in tribulationibus capiant, de Christi sanguine vniuersos ascensus gradus purpurauit, vt constet omnibus, quod solus Christi sanguis valet collaborantibus requiem & leuamen præstare. Fecit enim Cant. Cant. 3.
3. *ascensum purpureum.* De quo eleganter Gillib. Abb. serm. Gillibert.
18. in Cant. ait. *Hæc tibi purpura sufficiat ad fastum, sufficiat ad ascensum, sufficiat ad gloriam, vt non glorieris nisi in cruce Domini tui Iesu Christi. Ascensus te purpureus reclinatorium perducet ad aureum.* Nullibi pedem figas, quin dominicus sanguis tibi semitam aperiat, & pandat, quo viso, nullus ascensus arduus, nulla paupertas inhonora, nulla tribulatio ingloria, nulli tibi erunt dolores, qui consolationem non habeant maximam. Sanguis enim Christi viatorum dum comes est, non sinit eos fatigari, sed declinationes laborum vbique parit. Hinc felix sponsa, ne fatigaretur huius temporis ærumnis, labores Domini sui sibi ob oculos ponit, Cant. 1. aiens, *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, in-* Cant. 1.
ter vbera mea commorabitur. Vbi myrrheus est sponsus, hoc est, vbi mortis, crucisque præ se fert faciem, inter vbera sit, ob oculos versetur, vt minores nostras angustias faciat. Dicit namque Bernard. serm. 43. in Cant. *Si enim ante oculos* Bernard.
habueritis, quem portatis, pro certo videntes angustias Domini, leuius vestras portabitis. Quod in martyrum victoriis animaduertens Petrus Blesensis, ait opusculo in Iob. *Stat Mar-* Blesens.
tyr afflictus quidem, sed inuictus, videnśque sanguinem suum ex diuersis corporis partibus ebullire non sua, sed redemptoris vulnera attendit. Dolores corporis lacerati non sentit. Non facit hoc stupor, sed amor, nec deest dolor, sed pro Christo contemnitur. De hoc infra lib. 8. cap. 5. §. 15.

§. XLV.

Prophetia de Christo facile, & illaboriosum iter facit, vt nationum fides ingrediatur.

MVltus est Irenæus lib. 3. cap. 25. in probando, quam facilitant Patriarcharum prophetia Nationum fidem de Christo. Sanè Prophetæ laborabant noua, & inaudita annuntiantes, quæ ægrè, & difficulter credi poterant, vel

ab

ab ipsis conciuibus prophetarum. At post impletas prophetias illarum veritate armati Apostoli facilem, & amplum fidei præseferebant callem. Inde vbi Dei mors annunciatur, statim vt facile, & sine labore credatur, additum est illud, *secundum scripturas*. Id quod notat Tertull. (Tertull.) aduersus Praxeam, fatus. *Sufficiat filium Dei mortuum dici: quia ita scriptum est. Nam & Apostolus non sine onere pronuntians Christum mortuum, adiecit secundum scripturas, vt duritiem pronunciationis scripturarum authoritate molliret, & scandalum auditor inuerteret.* Quis persuaderet hominibus Deum aduenisse moriturum? Maximus in hoc labor sustinendus esset, difficilis enim erat, & dura annunciatio de Dei morte, sed vbi prophetia accessit, eam prædicans, facilè creditur. Mirabar facilitatem qua Eunuchum Candacis Reginæ ad fidem adduxit Philippus Actor. cap. 8. (Act. 8.) Iter ille faciebat, cui subito Philippus adest, homo illi ignotus, & habitu parum commendabilis, explicat totam œconomiam Christi, prosilit à curru Eunuchus & baptizatur. Vnde tam facile vir prudens fidem præbet homini ignoto? Causam textus insinuat, aiens, *Accurrens autem Philippus audiuit eum legentem Isaiam Prophetam: locus autem scripturæ, quam legebat, erat hic: tanquam ouis ad occisionem ductus est*, &c. Itaque prophetiæ lectio sic disponebat fidei aditum, vt absque difficultate crederentur res admirabiles. Ita D. Irenæus (Iren.) lib. 4. cap. 40. fatur. *Philippus, cum inuenisset Eunuchum Reginæ AEthiopum legentem ea, quæ scripta sunt, quemadmodum ouis ad victimam ductus est, facilè suasit ei credere, eum Christum Iesum, qui sub Pontio Pilato passus est, quæcumque dixit Propheta, eumque esse filium Dei, qui æternam vitam hominibus dat. Quapropter non multum laborauit circa eum Philippus, qui erat in timore Dei præparatus à Prophetis.* Quæ difficultates non vincuntur à prophetia? Qui error non deuastatur? Sanè ea est prophetiæ virtus, quæ, si attendatur, facili negotio fidei regnum stabiliat, innumeros de hostibus agens triumphos. Debbora illa prophetes Iud. 4. merito innuitur, quod *sedebat sub palma*. Vide quam debitam habeat sedem prophetia, sub palma sedet, quia omnia nouit vincere. Sic D. Isidorus in Iud. (Iudic. 2.) quæst. cap. 2. ait. *Sub palma, inquit, sub palma sedem habet prophetia, quia quos suis institutionibus erudit, ad palmam supernæ vocationis adducit.* Tunc certissimos agit fides triumphos, quando præmittitur prophetia. Angelus, qui mulierum fidem firmare volebat Matth. 28. ait de Domino, *surrexit sicut dixit*, quasi & visibilem resurrectionem decoraret prophetia, & tanto resurrectionis signo adhuc prophetia robur inderet. Quod notans Chrysol. (Chrysol.) ser. 8. fatur. *Gemina virtus est, & redire à mortuis, & futura præscire.* Similiter anxium Iosephum de intumescente Mariano vtero sic Angelus affatur Matth. 1. *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Sed quomodo ad tantum mysterium credendum adducetur homuncio? Pergit Angelus, vt adstruat fidem. *Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur, quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem: Ecce virgo in vtero accipiet.* Prophetiam exerit, & Iosephum deuincit obsequio Mariæ. Ita Irenæus (Iren.) lib. 4. cap. 40. inquit. *Quapropter sine dubitatione suasus Ioseph, & Mariam accepit, & in reliqua Domini educatione Christi gaudens obsequium præstitit.* Adeò prædicationis difficultates mollit, imò tollit prophetia. Vbi enim illa facem præfert, victoria de omnibus venit cita.

Text. Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris testimonium perhibentis. Quia dixit mihi omnia, quæcumque feci.

§. XLVI.

Sermo, qui ad salutem conducat, à quouis audiatur, accipiendus est.

NOn parum commendatur Samaritanorum prudentia, & salutis auiditas, quod vel in ore mulieris non despicerent sermonem salutis, sed illi fidem tribuerent. De eloquiis (Psalm. 18.) enim diuinis notanter canebat Psaltes, quod *sint dulciora super mel, & fauum.* Cur faui meminit, vt eloquia diuina promulgaret? An, quia vel ex mortui cadaueris ore haurienda? Placet ea ratio, rursus crediderim ibi nos doceri diuinis eloquiis studere, vt student apes fauis efformandis. Sanè ab apibus nullus flosculus, etsi humilis, etsi despectus, etsi in agrorum recessibus nutritus contemnitur, ne ab illo liquorem suum emendicent, & hauriant. Ita & tu salutis eloquia vt haurias, nullius contemnes ora spirantia pietatem. Accipe D. Paulinum epist. 4. sic fantem. (Paulin.) *Vbique capiemus cibum vitæ, vbique aucupemur verbum Dei; de omnium fidelium ore pendamus, quia in omnem fidelem Spiritus Dei spirat, & necesse est à minimo Dei seruo, vel guttam cœlestis sapientiæ distillare.* Nemo sibi tam sapiens videatur, qui cæteros contemnat, qui nolit verbum salutis etiam de illiterato hominis, siue mulieris ore capere. Sapientia ædificauit sibi domum: insuper addit, *Misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis.* (Prou. 8.) Sæpissimè vocatio Dei non à pulpitis, non à cathedris, non à disertis hominibus, sed ab ore ancillulæ, vel etiam mancipiis diaboli datur. Non semper sapientia Dei doctrina, & religione præcelsos viros exerit, vt ad cœlestem euocet ciuitatem, sed & viles homines, & ab hostili agmine tractos captiuos ducit, vt ministerio seruiant animarum. Ecce Iud. 8. sapientes omnes (Iudic. 8.) Ierosolymitani, imo & Ozias sacerdos pendens ab ore fœminæ, cui aiunt. *Omnia, quæ locuta es, vera sunt, & non est in sermonibus tuis vlla reprehensio. Nunc ergo ora pro nobis, quia mulier sancta es.* Non dedignantur sapientes viri, verbum Dei ab ore fœminæ expectare, quo præclarum auspicium dederunt suæ incolumitati. Hoc nos satis docet sponsa Christi, quæ dum sponsum quærit, quoscumque offendit, sine delectu quærit, de illo Cant. 3. (Cant. 3.) *Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem. Nunquid quem diligit anima mea, vidistis?* Miror, quod prudentissima virgo ex militibus illiteratis responsum speret vitæ. Scit milites, scit pro murorum robore positos, scit plus armis, quam literis operam dedisse, & nihilominus non dedignatur ab illis aliquid de Deo suo inquirere. Gillebert. (Gillebert.) serm. 7. in Cant. ait. *Videte fratres, quid proficiat consultatio custodum? Deuotam, sed vagam animam ad inuentionem dilecti perducit. Vtilis quidem consultatio, & frequenter, quod non confert eorum, qui consuluntur eruditio, consulentis meretur humilitas.* Itaque non dedignata prudentissima sponsa à nocturnis custodibus murorum, à militibus verbum salutis accipere, paululum cum eos pertransisset, inuenit dilectum suum. Non tamen facilè adducuntur sapientes mundiales, vt de quolibet ore accipiant verbum vitæ, hinc est, quod aliquando Deus ad hos trahendos, non ab humiliore, sed ab alto cœlorum fastigio in illos verbum salutis stillet. Sic Psal. 103. (Psal. 103.) *Rigans montes de superioribus suis.* Humiles enim colles de quolibet riuulo humorem accipiunt, verum alta montium culmina non nisi de cœli nubibus. Quod in rem præsentem D. August. (August.) de Pauli exemplo expendit. *Cum Paulus petra adhuc esset in infidelitate aspera, volens eam rigare de superioribus suis, vt flueret aqua in conuallem, clamauit. Saule, Saule, quid me persequeris? Non ei legit Prophetam, non ei legit alterum Apostolum: omnia enim ista contemneret mons magnus, rigat eum de superioribus suis.* Caue tu, ne expectes sic rigari, sed vt conuallis humilis de quocumque expecta guttas, vt excludas æternam siccitatem. Sero enim sapiens ille diues non dubitabat de pauperis Lazari digito guttam accipere, quæ resisteret æternæ flammæ.

§. XLVII.

Diabolus totus est in deaurandis peccatis, ne appareant.

ECce vnde prudentissima fœmina diuinitati Christi fidem astruebat, *quia*, inquit, *dixit mihi omnia, quæ feci.* Quæ fecerat adulteria mulier ex ore Christi accepit, & inde illum Deum putat, & prædicat; nónne diabolus eadem posset nuntiare? Cur magis à Dei quam à dæmonis spiritu sibi putat ob oculos proposita turpiter facta? Solus equidem Dei Spiritus est, qui vt accedit ad animã illi ob oculos proponit nuda peccata: diabolicus autem spiritus non sic, sed totis viribus curat peccata, nescio quo fuco, colorare, & deaurare, ne appareant. Ieremiæ ostensus est cap. 1. (Ierem. 1.) miserrimus peccatricis animæ status, quãdo ait, *Ollam succensam ego video, & faciem eius à facie Aquilonis.* Quid aliud in peccatrice anima videre licebat, nisi ollam, in qua & flammæ, & sulphurei vapores ebulliant? Est anima peccatrix olla vitiorum ardore succensa, ibi peccatorum fæces, ibi luxuriæ sulphur, ibi Aquilo perflans vt flammas excitet, & de conturbatis vitiorum fæcibus fœtores educat. Quid diabolus ad hæc? Iob cap. 41. (Iob 41.) de illo inquit. *Feruescere faciet, quasi ollam profundum mare: & ponet quasi cum vnguenta bulliunt.* Sanè profundum mare ab Aquilone conturbatur, & profundi fæces non sine ingenti fœtore voluuntur: sed vide diabolicum astum, qui ab Aquilone cõturbatas fæces sic facit apparere, quasi vnguenta placido calore soluantur, & odores exalent: quasi

Gillibert. quasi Austri flatus aromatum odores spargat. Pulcrè Gillibert. Abb. serm. 17. in Cant. *Qualis vnguentorum artifex, qui de mortis olla vitæ vapores exire simulat? Qualis artifex, qui ollæ succensæ faciem, quasi ab Austro feruere facit, per quam potius ab Aquilone mala exardescant in terra? Aut filius Prophetæ est, aut certè Propheta, qui mortem in olla deprehendit, & vapores eius ab Aquilone venire. Sulphurei sunt vapores, quos olla carnis tuæ succensa euomit, & tu in illis balsami tibi videris odores sentire.* Sic colorat diabolus animæ nostræ vitia, sic fucat, vt balsamum putes, quod verè sulphur est, vt tibi olla sulphuris, quasi alabastrum vnguenti existat. Et sic dum vitia diabolico astu floridos, & suaues virtutum vultus ementiuntur, Matth. 24. festinare magis faciunt diuinam vindictam. Matth. 24. *Ab arbore fici discite parabolam: cum ramus eius tener fuerit, & folia nata, scitis, quia propè est æstas.* Meritò putat D. Hilar. hæc non tam arbori conuenire, quã peccatori. quis enim ex eo, quod videat arbores pullulare, & frondescere, nouóque vestiri decore, putet propè esse æstatem, imo tunc rectè putatur æstas abesse: prius enim post flores fructus apparebit, crescet, placidóque veris calore maturescet, & postmodum venit æstas. At in peccatore, vbi nuditas viridantibus foliis vestitur, & floribus condecoratur, tunc prope, & in foribus Hilar. est æternus æstus. Accipite Hilar. Canon. 26. de homine peccatore loquentem. *Qui cum tenerescere cœperit, atque frondescere, tunc proxima esse æstas sentietur. Erit enim flos criminosorum, & honor facinosorum, quibus tamen æstus, id est, calor æterni ignis in proximo est.* Væ tibi homo, cuius peccata, quasi viridantibus foliis tecta splendescunt, cui vitia florent, & honori sunt: tunc propè æstas est, tunc è vicinio venit ignis æternus. Qui semel à Deo misericordiam consequuti fuerũt Niniuitæ, tandem funditus perierunt: quorum festinatissimæ Nahum 2. ruinæ causam designans Nahum c. 2. loquitur. *Diripiebant argentum, diripiebant aurum, & non erat finis ornamenti eius.* Quid peccabant miseri homines, quòd aurum, & argentum ad suum ornatum cumularent? Tantum nefas est, quod se adornarent auro, vt sic punirentur? Non ibi de ornatu corporis loquitur; sed de ornatu, quo errores suos decorabant. Eos enim Niniuitæ errores prædicabant, quibus adornandis, & condecorandis argenteas voces, aurea ora seruire faciebant, vnde merito periit, cui ferreus falsitatis error Hieron. aurum tinniebat. Huc spectat D. Hieron. *Diripiebant argentum, quidquid in mundo videbatur eloquij: diripiebant aurum, quidquid præclarum sententiarum erat in doctrina sæculi, vt dogmata sua omni sensuum, verborumque flore componerent. Propter quod aggrauata est Niniue*, &c. Hoc de arte diaboli venit semper, vt peccata virentibus foliis opacentur, vt errorum fæces Sabæis nubibus, floridis splendoribus illustrentur, vt dum sibi fucum faciunt in vitiis homines, misere pereant. Quam aliter Deus, dum enim adest, statim, quæ Nazianz. sunt hominis, nudè, & sincerè manifestat, vt dicat Nazianzen. orat. ad patrem suum. *Quemadmodum sol oculorum hebetudinem, imbecillitatémque prodit, ita morbum animæ adueniens Deus coarguit.*

Text. Cum venissent ergo ad illum Samaritani, rogauerunt eum, vt ibi maneret. Et mansit ibi duos dies, & multo plures crediderunt propter sermonem eius. Et mulieri dicebant: Quia iam non propter tuam loquelam credimus, ipsi enim audiuimus, & scimus, quia hic est verè Saluator mundi.

§. XLVIII.

Non parcè petat à Deo, qui exaudiri cupit ab eo.

MEritò censet Maldonatus, quod Samaritani certi Iesum Messiam esse, illum apud se in perpetuum detinere curabant, ab eóque enixè petebant, vt ibi moraretur, ibique suum stabiliret regnum, magna quidem petunt, sed inde plus placent, & obtinent, quod à Ierosolymitanis non scimus fuisse obtentum, apud quos, vt notat Toletus, non dicitur Iesus pernoctasse vllo in tempore. Vt magnus est Deus, sic gaudeat suis fidelibus magna peti: vnde Elisæus placuit Deo, vt ad tantarum virtutum gloriam eueheretur. 4. Reg. 2. Iubetur Elisæus petere, 4. Reg. 2. & duplo superat petitiones, imò desideria magistri sui: quippe ait, *Fiat in me duplex spiritus tuus.* Videretur forsan audax postulatio, quod discipulus duplo maiores exigat virtutes, quam magister habebat. Imò fatua postulatio videretur, quando à magistro petebat id, quo sciebat illum caruisse; sed tantum meruit animus ad ingentia, & magna spirans, vt inde placeret, vnde putaretur offendisse, & ex non habente bonorum copias pias faceret redundare sibi. Ambros. serm. 87. *De Elisæi meritis quid dicamus, cuius hæc prima laus, quod patrem voluit gratia superare, dum dari sibi amplius postulat, quum scit apud eum esse, qui possidet? Dum enim à patre plus exigit, quam habebat, facit eum meritis suis plus præstare, quàm poterat.* Tanta sunt merita Ambrof. generosi animi, qui magna petit, vt etiam ex non habente faciant sibi bonorum affluentiam suppetere. Mirabar prodigum illum filium, etiam postquã ad se reuersus fuit, tandiu egere; cupiebat enim Luc. 15. saturari de siliquis, & nemo Luc. 15. illi dabat, & ad se reuersus ait, *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, & ego hic fame pereo?* Iam in se reuertitur, iam patrem sibi charissimum meminit, iam errores deflet, & adhuc fames, & adhuc miseria. Rursus ait, *Surgam, & ibo ad patrem meum*; nec dum patrem audio miserentem. Insuper addit. *Pater peccaui in cælum, & coram te, non sum dignus vocari filius tuus. Fac me sicut vnum ex mercenarijs tuis.* Quid plura? Inde retardat auxilium parẽtis, quia sic parcus extitit in petendo, vt se mercenarium postulet fieri. De illo Gillib. Abb. ser. 3. in Cant. *Nimis exilem, & macilentam spem reposuerat in sinu suo, mercenariam conditionem patrem rogaturus. Modestè quidem pro meritis, sed de paternæ miserationis copia humiliter nimis, & iniuriosè sentiens.* Gillibert. Felicior latro, cum primum in se reuertitur, ad prima conuersionis verba, statim audit, *hodie mecum eris in paradiso.* Vnde tanta ista diuersitas? Prodigus loquitur, plorat, multiplicat gemitus, patrem bis, & ter meminit, & adhuc non audit salutis verbũ: latro autem vix aperit os, & excipit diuinum de salute responsum. Ille mercenarij sorte contentus parce petebat: hic in cruce degit, & regnũ speculatus Christi, iam inhiabat regno cœlesti. Arnol. Carnot. de septem verbis Domini. *Iam spes subintrabat conuerso, quia inhiabat cælestibus, dilatatúsque charitate, quasi conspuens, repudiatisque quæ inferiora sunt, cum Christo tractabat de regno, affectabat superiora.* Arnold. O quam feliciter negotiantur, qui à magno Deo magna petunt, qui nihil non magnum à Deo obtinere præsumunt. Parat enim Deus suis seruis, & amicis, non parua, sed ingentia munera. Io. 11. accepit Ioan. 11. nuntium, quod referebat Lazari infirmitatem; & vt audiuit Lazarum infirmari, *mansit eodem loco.* Cur mansit? Cur non properauit, vt ab infirmitate liberaret? Cur expectat, vt infirmus moriatur? Noluit amico paruum sanitatis donũ largiri, maluit paulisper expectare, vt magnum resurrectionis munus elargiatur. Chrysol. ser. 63. *Eius amare illud est, non vt Chrysol. dilectum alleuet, sed ab inferis vt reducat: dilectio non languoris medicinam, sed resurrectionis glorias mox parauit.* Is est Deus, qui semper magna vellet præstare, & ideo à paruis abstinet, & plus gaudet, quando maiora cernit postulari.

§. XLIX.

Christi Domini gustus in fidei veritatem communem omnibus trahit.

VIde quàm sapiant isti Samaritani, non iam de adoratione in monte facta, priuatam sui populi prædicant salutem: sed ad totius orbis communitatem redacti communem omnibus salutis fontem recognoscunt, & amplectuntur. Aiunt enim, *hic est verè Saluator mundi.* O quam salutaris extitit Dominicus aduentus ad fontem Sichar! De Sarmacidis fonte hæc verba facit Vitruuius lib. 2. Arch. Vitruuius. *Cum Melas, & Areuanias ab Argis, & Træzene coloniam communem eò loci deduxerunt; Barbaros Caras, & Lelegas eiecerunt.* Hi autem ad montes fugati se congregantes discurrebant, & ibi *latrocinia facientes crudeliter eos vastabant. Postea de colonis vnus ad Sarmaticis fontem propter bonitatem aquæ quæstus causa tabernam omnibus copiis instruxit, eámque exercendo eos barbaros allectabat. Ita singillatim decurrentes, & ad cœtus conuenientes, è duro, feróque more commutati in Græcorum consuetudinem, & suauitatem, sua voluptate reducebantur.* Quid in rem præsentem aptius? Samaritæ in montem orationis & adorationis causa confugientes, inde Hierosolymitanos persequebantur, & omnes Israëlis populos. Quid plura? Verus Israëlita Iesus ad fontem Sichar sedens, gratiarum in vitam æternam salientium fontes aperit, quibus Samaritanos allexit. Hi vbi Christum gustarunt, & montem & templum obliti, communem omnibus populis, & nationibus salutem sapiunt: nec de priuato suo bono, sed de communi fide gaudent. Vtinam omnes ad Saluatoris fontes currant, non ad proprij cerebri scaturigines, hi diuisiones,

& mortem pariunt, illi vnitatem, & veritates omnibus
communes propinant, quibus indiuisi, & adunati fideles
Genes.3. vitam æternarent. Genes.3. dicitur, *& fons ascendebat in medio*
August. *paradisi.* De quo fonte pulchre D. August. in Psal. 103. con. 2.
fatur. *Aqua media, aqua quodammodo publica, sine fraude,*
sine labe, sine freno currebat. Si ipsa aqua semper biberetur, sem-
per viueretur. Venit Angelus lapsus de cælo, factus serpens, eructauit
venenum, de proprio locutus est, de suo, & miseri audiendo dimiserunt
runt quod commune erat, vnde beati erant. Habet hoc Saluato-
ris fons, vt si ipse sincere bibatur, in vnitatem fidei, omnes,
& si efferatissimos, trahat. Perdunt vnitatem priuati fontes,
& efferos homines faciunt, vt videre est in hæreticis, qui sic
efferantur, vt penè ab ipsa natura desciscant. Vtinam ad
Saluatoris fontes sincere accederent, de illiusque doctrina
gustarent, & morum suauitatem induerent, & de communi
omnibus gauderent fidei vnitate. Hinc maximè vera Chri-
sti scaturigo probatur, si diuisiones horreat, si amet, imo
3. Reg.3. halet vnitatem 3. Reg.3. vt veram matrem vnius pueri no-
sceret Salomon, iussit puerum gladio diuidi; quæ vera
mater erat, diuisionem filij expauescens æmulæ vt daretur
integer, & indiuisus, supplicabat, e contra altera clamat; *non*
mihi, nec tibi, sed diuidatur. Sic horret diuisiones fons veri-
tatis, sic vnitatem amat, vt nulli ruinæ parcat, dum in suis
Hieron. vnitas & indiuisio permaneat. Præclarè D. Hieron. ad Ruffi-
num tractat hunc locum fatus. *Synagoga, quæ nolebat Ecclesiæ*
filium in gratia viuere, libenter habet diuidi puerum, non vt
possideat, sed vt interficiat. Ecclesia, quem scit suum esse, libenter
concedit æmulæ, dum viuat saltem apud aduersariam, ne inter
legem diuisus, & gratiam, Saluatoris mucrone feriatur. Hæc pri-
ma virtus est illius, qui gustum habet doctrinæ Christianæ,
qui de fontibus Saluatoris potauit, vt omnia patiatur, ne
diuisio fiat in corpore Christiano. Quid non cædat æmulæ
verus Christi populus, vt vnitas fidei & integritas viuat,
Rom.9. saltem apud aduersarios? Hoc fonte potus D. Paul. ad Rom.
c.9. ait. *Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratri-*
bus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem Qui adeo ef-
ferus erat, qui ignem, crucémque spirabat, sic de Salua-
toris gustu mollescit, sic studet communioni, & vnitati, vt
vellet ipse carere Christo, dum integra, & vna esset om-
nibus fides, & iam ex tunc cœpisset geri vnum ouile, &
Luc.18. vnus pastor. Pharisæus apud Luc. cap.18. diuisionem enixe
procurabat, dum ait, *non sum sicut cæteri homines*, & vnde
tam fastuosus sese ab omnibus aliis diuidebat? Ipse ait: *Ieiu-*
no bis in Sabbato, adhuc in ieiuniis suis sabbatissabat, adhuc
ieiunus à Christo, Saluatoris gustum nullum habebat, &
inde communionem, & vnitatem abominabatur. Vtinam
aliquid de fontibus Saluatoris prælibasset, statim studeret
Rupert. vnitati. Iuxta Ruperti mentem prophetans Ioel de effusis
Saluatoris fontibus in Pentecoste ait. *Canite tuba in Sion,*
sanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate populum, &c. Ex-
pendite modo Pharisæi ieiunium, & hoc à Ioële prophe-
tatum, ab illo ieiunio diuisio fastuosa procedit: ab hoc
cœtus, & populorum congregatio, & adunatio. Cur hoc
ieiunium præ illo inducit vnitatem, & coniunctionem? Il-
lud ieiunium Sabbati erat, hoc est Synagogæ, hoc ieiu-
nium Ecclesiæ, descendens à Sione, vbi Saluatoris fontes
patefacti, qui ferocissimos quosque ad communionem, &
vnitatem trahunt.

§. L.

Creaturæ quasi non tam saluat, quam condemnat peccatores.

PVlchrè de Iesu dicunt Samaritani, *Scimus quia hic est ve-*
rè Saluator mundi. quæcumque enim creaturæ tam spi-
ritualis, quam corporalis non tam saluant, quam condem-
nant, quam puniunt. Nonne datus est Angelus Israeliti-
co populo, qui eum de seruitute eriperet, qui eum duce-
ret, & præcederet? Equidem Angelus præcedebat popu-
Zeno. lum, sed de illo pulcre D. Zen. serm. 4. in Exod. ait. *Angelus*
tua castra præcedit, ne vbi crimen excuses. Itaque qui erat Is-
raelis ductor Angelus, simul erat peccatorum obseruator;
simul alta mente reponebat crimina populi, ne vnquam
possint negari, siue excusari Sunt equidem creaturæ humani
criminis obseruatrices, imò sic nostra crimina in se fixa
habent, vt nihil citius oculis ostendant immortalibus.
Iudas osculo filium hominis tradidit apud Gethsemani
hortum, & quid hortus? Occultauit facinus. Post excidium
vrbis, post vastationem arborum, vbi iam nec seps mansit,
nec planta manet, quæ hortum signaret, deleta etiam sunt
Iudæ perfida vestigia? Abolita ne memoria tanti peccati.
Porrò Gethsemani amisit hortum, non tamen vestigia Iudæ
amisit, illa hodie, quasi recentia proponens. Accipite D. Cy- Cyprian.
rill. Ierosl. Cat. 10. fantem. *Multa sunt de Christo testimonia. Te-*
statur Pater de cælo, de filio testatur Spiritus sanctus descendens
in specie columbæ. Gethsemani testatur, modo non monstrans Iu-
dam adhuc considerantibus. Itaque sic recentem habet Geth-
semani Iudam hodie, vt tantum non monstret illum consi-
derantibus. Et in quo potuit hortus totus eradicari, non po-
tuit tanti facinoris memoria, vel deleri. Psallebat Dauid
apud Saulem 1. Reg. 18. *Tenebátque Saul lanceam. & misit eam,* 1. Reg. 18.
putans, quod configere posset Dauid cum pariete: & declinauit
Dauid à facie eius, &c. Declinauit Dauid ictum, sed lancea in
ipso pariete infixa est. Fuit ne fortuito factum, quod paries
ictum exciperet? Imò sic sese æternauit tanta sceleris accu-
satio; paries enim, qui lanceam excepit, æternus adest ac-
cusator Saulis. Pulcrè D. Basil. Sel. orat. 15. inquit. *Illum verò* Basil.
paries excepit, omnibúsque æternus indicat. Ita Dauid periculo
exemptus est, & lapsu funestæ manus monumentum, teli sustinuit
impressionem, atque audaciæ facti accusator in natura sensus ex-
pertes cadentis tulit symbola. Hoc est vniuersis creaturis insitum,
vt humana crimina obseruent, illáque perpetuo testentur,
solus Deus est qui nouit misereri semper, & parcere. Quo
aliquis plus de misericordia habet, eò plus ad diuinitatem
accedit, dicente Chrysostom. in Psalm. 142. *Magnum quid* Chrysost.
est homo, propter quid? Et pretiosum, inquit, vir misericors.
Illud enim est homo misericors, imò misereri est esse Deum. Adeò,
vt propriam sibi diuinitas misericordiam vendicet, tam
alienum est à creaturis, quod delictis parcat, vt ex hoc
censeatur Deus, si misericordiam impendat. Quando An-
gelos mittebatur ad Mariam Luc. 1. sic mitti putat D. Gre- Gregor.
gor. Taum. serm. 3. de Annunt. vt dicat Deus Pater ad Ange-
lum. *Tu illud Aue gratia plena, dicito; vt ego ærumnosæ, atque*
afflictæ miserear Euæ. Quibus ponderandum est, quod modus
miserandi, nec Angelo legatur, sed illud vni sibi reseruat
Deus; tu, ait, annuntia, ego miserear. Quam prudenter ille
publicanus, vt vidit Pharisæum orantem, & gratias agen-
tem, Luc. 18. percutiens pectus ad Deum aiebat, *Propitius esto* Luc. 18.
mihi peccatori. Dum condemnatur à creatura, ad Deum con-
fugit, cuius strictissimum iudicium nunquam obliuiscitur
misericordiam in peccatores. A Pharisæi ergo iudicio, ad
Dei tribunal stat peccator, dicens apud D. Basil. Sel. orat. 35. Basil. Sel.
Noli, ò Iudex, Pharisæi de me sententiam sequi: iustum agnosco
procreatorem; cum nolim iudicem. Ego omnium creaturarum
iudicium abnuo, expuo; solius Dei tribunal ascendo libens,
apud quem solum in peccatores clementia demoratur In
creaturis enim nihil prius, quam peccatorum custodiam
cerno. Matth. 23. *Veniat super vos omnis sanguis iustus, qui* Matth. 23.
effusus est super terram, à sanguine Abel iusti, vsque ad sangui-
nem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis, inter templum, &
altare. Cur tam vetusta crimina memorat Dominus in
damnationem Iudæorum? Cur tam antiqua sanguinis ef-
fusio adhuc in memoriam vocatur? Sanè non miror, quod
nefarij criminis memoria sic vigeat, quando audio perpe-
tratum fuisse illud apud templi marmores; semper enim
apud creaturas manent hominum peccata, quasi inscripta
silicibus. Huc respicit Tertull. aduers. Gnost. inquiens. *Za-* Tertull.
charias inter altare, & ædem trucidatur, perennes cruoris sui ma-
culas silicibus assignans. Silici inscribitur peccatum, creaturis
aduersus hominem inscriptum.

CAPVT IV.

De vocatione Adolescentis cuiusdam.

VOCATVR ad Christi sequelam adolescens,
qui inducias petiit, dum patrem sepelit, sed
quem implet Dei verbum, fletus negotiis
ministrare dedecet. Nec funus paternum
potuit detinere illum, quem vita voca-
bat, vt faceret æternum.

Luc.9. Ait autem ad alterum: Sequere me

§. I.

Felix ille, qui non ex proprio cerebro, sed ex Dei imperio, quodcumque munus ingreditur.

NIl petebat adolescens iste, sed tacitus admirabatur
Christi virtutes, & dũ tacet, audit se vocari ad Christi
seque

sequelam, in hoc felicissimus, quia non ex cerebri proprij affectu, sed ex Dei imperio talem salutis viam ingreditur. Nunquam satis celebrandus Abraham sese aptat, vt filium litet Deo. Similiter, & Iephthe filiam suam Deo litaturus accedit. Stringit ille gladium, & hic exerit, sed Deus ictum ab Abrahamo veniente cohibuit, ne tantum orbaret parentem. Nil tale facit cum Iephthe, sed sinit, vt filiam iugulet, domúmque suam tristi lamentatione repleat. Cur id à Deo permissum? Cur qui tenuit Abrahami dextram, non tenuit dextram Iephthe. Sanè Deus non consuluit illi, qui ex proprio suo cerebro ad tale sacrificium accesserat, consuluit verò Abrahamo, qui non nisi vocatus, & iussus talia auderet. Huc spectat D.Prosper de promiss.part.2.c.20.vbi sic. *Deus non poposcerat à Jephthe tentando eum, sicut ab Abraham. Sed ille sponte venit.* Non qui iuxta proprium cerebrum, sed qui ex certa vocatione, & imperio Dei ad cœleste officium accedunt, hi habent Deum in omnibus viis suis protectorem, & defensorem. Fauet enim Deus semper votis, quæ inspirat ipse, alia prorsus despicit, & contemnit. Isaias 58. *Quare ieiunauimus, & non aspexisti. Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra.* Non tenetur Deus votis illorum, qui carnali voluntati suæ seruiunt, qui non tam se trahi ad Deum, quam Deum ad se trahere student. Iussus erat Loth à Sodomis recedere, Genes.16.& montem vicinum ascendere, ille autem voluntatis suæ precibus à Deo contendit, & extorquet, vt in Segor liceat viuere. Annuit Dominus, omnimodámque illi in Segor promittit securitatem. Sed cum in Segor esset, & Sodomorum vidisset excidium, timet & ibi manere: *Ascenditque Loth de Segor, & mansit in monte, duæ quoque filiæ eius cum eo: timuerat enim manere in Segor.* Cur timet Loth manere in Segor? Cur in monte maiorem sibi securitatem promittit? Nónne Dominus illi Segor oppidum dederat, vt in illo securè viueret? Cur ergo timet? Crediderim bene timuisse Loth manere in loco, quem ipse sibi arbitratu proprio elegerat, à Deóque extorserat, & prudenter maiorem sibi securitatem promittit in monte, ad quem prius ex Dei voce iubebatur abire. Lyppoman.in Cat. ait, *Videmus malè cessisse Loth electionem suam. Qui iussus montem conscendere, elegit ciuitatulam, ideò vxorem perdidit, ibi diu subsistere non potuit. Sic ruunt, qui contra Dei verbum proprio suo sensu bona etiam intentione sese regere præsumunt.* Vt enim securissimus est locus, ad quem me Deus vocat, me trahit iussione sua, sic suspecta mihi sunt omnia loca, & munera, & vota, ad quæ voluntati meæ precibus traho Deum ipsum. Fidelissimus Abraham vbi iussus litare filium, non solum cauit resistere voci diuinæ, sed etiam cauit, ne vllis suorum precibus adduceretur Deus, vt nollet expostulatum sacrificium. Genes.22. *Abraham de nocte consurgens strauit asinum suum*, &c. De nocte consurgit, ne vxor sentiat absentiã filij, facinúsque parentis odoretur. Et cur sic cauet ab vxore? Pulchre apud D.Basil.Seleuc.orat.7.ait, *Vereor, ne Deo vim afferat, ne mente infracta, rei tam stupendæ gratiam spoliet.* Expende illud, *ne Deo vim afferas*, quippe sæpe precum vi Deum trahimus in ea, quæ cupimus, non quod nobis salutaria sunt, sed quod Deus nos nostræ voluntati permittit, quod maximè infelix est homini. Num.22. perfidus ille Balaam iussus erat à Deo, ne abiret cum Balach militibus, vt malediceret populo Dei, ipse autem in primis Deo obtemperans milites dimittit, sed postmodum videns illorum munera, & illis captus volebat ire, sed non audebat Dei imperium infringere. Ait enim, *Obsecro vt hic maneatis etiam hac nocte, vt scire queam quid mihi rursus respondeat Dominus.* Quid plura? Ecce responsum diuinum, *si vocare te venerint homines isti, surge, & vade cum eis.* Abiit ille, & in Angelorum gladios incidit. Cur Angele gladium stringis aduersus vatem istum? Cur viam impedis à Deo præceptam? An ille Dominum non consuluit? An Dominus non iussit, vt abiret? Consuluit equidem Dominum, cupiens Deum voluntatem trahere ad suam. Nec Deus iubet, sed tractus carnali hominis petitione hominem propriis desideriis permittit. Ita Glossa interlinealis inquit, *Cedit Deus cupiditati, dimittit eum in desiderium cordis sui.* Quid mirum si in gladios incidat, qui desiderij sui ambulat vias? Hinc deridendi sunt illi, qui desideriorum suorum vias terunt, in magnis ambulantes, in honoribus, in dignitatibus, in mirabilibus, super se tamen se consolantur de Dei imperio, de maiorũ obedientia, qua deuenerunt ad illa. Hos eleganter pungit P.Damian.Apolog. de contemptu sæculi, c. 21. Esau exemplo dicens. *Esau venatum prodiens paternis iussionibus paruit, & tamen nec patri cibos offerre, nec optatæ benedictionis meruit primitias obtinere. Quisquis enim rem, quæ ad vitium pertinet, consuetudine ductus propriæ voluntatis instinctu libenter exequitur, peccat, etsi alienis imperijs specie tenus obtemperare videatur.* Nil magis Esau cordi, quam veneratio, hæc enim erat tota illius voluptas; quid si de patris imperio abeat ad venationem? Quid quod munus accipias iussione maiorum, si eò spectant omnia desideria tua, imò & officia?

Prospen. Isai.58. Lyppom. Genes.22. Basil. Num.22. Damian.

Text. Ille autem dixit, Domine permitte mihi primum ire, & sepelire patrem meum.

§. II.

Magna est Dei misericordia vocare hominem, quando impedimenta minorem vim habere possunt, ad retardandum.

CVrrenti ad Christum iuueni pater eius obiicitur, sed pater iam vita functus, vi minus possit & detinere, & impedire: magna in eo Christi apparuit misericordia, qui tunc vocauit ad se iuuenem, quando impedimenta imbecilliora esse vidit. Accedenti ad Deum animæ dicitur Cantic.6. *Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens?* In aurora subobscura illa lux prima notatur aduesperascenti similis, qua nondum res perfectè apparent, nondum agri pulchritudo facit oculis lenocinium. Ecce tibi Christianæ mentis ingens beneficium, quod nimirum ad Deum incipiat ire, sicut aurora, hoc est, quando minora sunt rerum mundialium impedimenta, & lenocinia. Ita D.Laurent.Iustin. de spirituali animæ resurrect. lib. 2. inquit, *Surgenti quippe auroræ comparatur, propter vespertinam lucem, quæ exteriorum omnium talem præbet notitiam, vt ab eorum minimè valeat subuerti blanditijs.* Tunc vocatur is, quem bonus amat Deus, quando illi præbent aspectum res mundiales, quem facilè despiciat, quando omnia obscura, vana, transitoria, caduca apparent, quorum blanditiis potius irrideat, quàm arrideat. Similiter vocabatur sponsa Cant.2. *En dilectus meus loquitur mihi, Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. Jam enim hiems transiit, imber abijt, & recessit.* Tunc vocatur, tunc iubetur venire, quando tota figura huius mundi in hiemali & nebuloso transitu exhibetur. Surge, ait, & veni, & vt venias velociter respice tibi omnes vitæ huius laqueos recisos, vita hæc obscura est, nebulosa est, hiems est, & quod amplius expaueas, in transitu est, & operta mortis caligine. Pulchrè D.Greg.Papa ibi. *Iam sponsa surgat, quia hiems transit, quia præsens vita recedit: transit enim dicitur, quia in proximo transitura esse non dubitatur.* Quis vitæ hæreret, quam fugacem videt? Quis teneretur rerum aspectu, quas mortis vmbra deturbatas videt? Sanè dum mundus floret, dum diuitiarum pulcher aspectus viget, dum viridiores cognati florentes passim coronas efficiunt, dum hinc inde mille deliciàrum fontes ebulliunt; mirum in modum obturantur aures vocibus diuinis. In florentissima vrbe Sodoma excepit Loth Angelos hospitio, nouit Angelos Dei esse, audiuit vocem, qua iubebatur exire de Sodomis, ne cum ciuitate periret. Quid tunc? Exiuit ne Loth? Nil minus, imò, *dissimulante illo apprehenderunt manum eius, & manum vxoris, ac duarum filiarum eius, eo quod parceret Dominus illi. Eduxerúntque eum.* Florentes adhuc Sodomitarum res sic obturabant aures viri iusti, vt non sufficeret Angelorum vox, sed necessario adhibenda fuit vis, vt extraheretur ab vrbe, ad quærendam salutem. Heu quot Dei voces contemnuntur, perstrepente mundo in fulgore suo! Magna est profectò Dei misericordia, quæ tunc vocat, cum mundi irritamenta emortua sunt, aut fallunt minus, cum laquei magis infirmi, cum vanitatis fulcra decidua noscuntur. Huc referrem illud Ps.28. *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia. Vox Domini confringentis cedros: & confringet Dominus cedros Libani.* Et post Libanum vastatum, post cedros humi stratas, & versas in fauillas, pergit insuper. *Vox Domini concutientis desertum, & commouebit Dominus desertum Cades.* Quorsum tanta ruina montium à Dei voce peracta? Cur deserta loca commouentur, cur Libanus succiditur, & cur cedri in puluerem rediguntur, & fauillas? Iam explicat, aiens: *Vox Domini præparantis ceruos, & reuelauit condensa, & in templo eius omnes dicent gloriam.* Sanè pro ceruis trahendis, vocandis, tota illa ruina montium fuit peracta. Si vastissimæ deserti solitudines quietæ omninò essent, quietásque cauernas, & speluncas haberent, si condensa montium extarent, si Libanus procerissimis cedris frequens esset, quis ceruos caperet? Qui tantum abest, vt sequerentur vocem

Cant.6. Laur.Iust. Cantic.2. Gregor. Genes.19. Psal.28.

vocem vocantis, vt vel ad sibilum auræ sese montium cauernis, & arborum spissitudine abderent, & desepsatent. Sed cum solitudines eremi commouentur, cum condensa arborum exciduntur, cum vniuersæ cedri iacent, omni suffugio, & lenocinio ablato, tunc, *Vox Domini præparantis ceruos, & reuelauit condensa, & in templo eius omnes dicent gloriam.* Facillimè cerui, hoc est, infirmi homines trahuntur, & cuiuis Dei vocantis voci obedientes Domini templum suis implent laudibus.

§. III.

Quæuis à Christo separatio suspecta sit.

NOtanter dictum est illud, *permitte ire*, quasi iam notaretur, quàm perniciosa homini sit absentia à Christo: vbi enim sola Dei permissio intercedit, semper in deterius itur. Et quidem in deterius abeat necessum est, quicumque se elongat à Deo. Exod. 4. cum Moyses in manu sua haberet virgam, dicitur, *Proijce eam in terram, proiecit, & versa est in colubrum.* Meritò fit serpens, quæ virga à tanti legislatoris manu abscedit paulisper: id quod homini à Deo discedenti minatur D. Cyrill. Alexand. hom. Paschali 4. inquiens, *Vbi è manu legum conditoris exciderit, tunc morum facilitate & mansuetudine abiecta serpens venenatus existit.* Non meliorem euentum expectet, qui à Deo se elongat; dum sub eius legibus viuis, dum eius agis sub iugo, quasi virga existis, quæ de tanti Domini cultu in flores abeat, & fructus. Vbi Dei manum fugis, & disciplinam, fœtidi, imò venenati, & serpentini mores te expectant, serpens reptantibus moribus fies. Lucifer ille, qui mane oriebatur, qui in paradiso Dei sui conditus est, vbi à Deo defecit, serpens factus apparuit primis hominibus. Nónne scire cupis, cur diabolus prius in serpente apparuit Euæ, quàm in alio animali quocumque. Rationem sic reddit Syriæ Episcopus Moses Bercepha lib. de parad. part. 1. cap. 27. *Vt visu veniret Satanæ, quod filio illi prodigo. Is enim postquam summo honore excidisset, in eas redactus est vitæ miserias, vt porcos pascere cogeretur: sic Satanas ex sua dilapsus gloria in anguem se insinuauit.* Sic vniuersi, qui à Deo separantur, mores induunt serpentinos, & cur in serpentem non abeat, qui à Deo deficit? Quæ ab igne aqua feruorem concipit, vbi separatur ab igne, statim in eam, quam à natura habet, frigiditatem redigitur. Sic homo vbi à Patre luminum separatur, in quo diuinis florescebat virtutibus, statim in serpentinos halitus redigitur, quos à principio trahit humana natura. Quid bonum in discessu sperare potest, qui discedit à Christo? In discessu à Christo omnium infirmitatum est cumulus, nil superest, nisi mors, & sepulchrum. Bene qui abire volebat, nil aliud, quam funeralia memorat, cui insuper Christus ait, *Sine mortuos sepelire mortuos suos.* Mortuos vocat eos, quicumque absunt à Christo, quia in tali absentia, solum mors tractatur, & funus. Chrysolog. serm. 19. inquit. *Recedente anima mox corpori fœtor, corruptio, putredo, vermis, cinis, horror, & omnia visu detestanda succedunt: discedente Deo confestim venit in animam peccatorum fœtor, corruptio criminum, vitiorum putredo, conscientiæ vermis, vanitatum cinis, infidelitatis horror, & fit in corporis sepulchro viuo funus animæ iam sepultæ.* Heu, quot mala expectant discedentem à Christo? Nouistis Dinæ filiæ Iacob tragœdias, eius raptum, stuprum, Sichimitarum ruinas, quæ omnia traxit mala vnus è domibus paternis egressus. Ait enim text. Genes. 34. *Egressa est autem Dina filia Liæ, vt videret*, &c. Vbi statim author Catenæ Græcæ sic cauet. *Caueat quicumque peccandi occasionem declinare velit, ne ex ædibus sui patris, id est, longius à Deo euagetur.* Quippe qui à Deo se elongant peribunt.

Exod. 4. — Cyrill. — Moses. — Chrysol. — Genes. 34.

§. IV.

Christi Spiritus nil prius proponit ob oculos, quàm mundialium rerum occasum.

ET parentem, & omnia oblitus adolescens hic totus erat in spectandis operibus, facinoribúsque Christi: vbi autem Christi verbo excitatus in se redit, ob oculósque ponit sua, vide quo habitu in eius memoriam sui occurrant. Etenim ait: *Permitte mihi ire sepelire patrem meum.* nunc meministi parentem? Nunc tibi in mentem venit pater defunctus? Faciebat hoc in eo intrinsecus tactus Christi, vt nihil videret, quod in occasum nō vergeret, & sepulchrum. Marc. 8. vbi cœcus homo diuinæ manus tactum sustinuit, statim inquit: *Video homines, vt arbores ambulantes.* Quid est, video homines vt arbores ambulantes? Non firma stantes radice, sed ad sepulchrum transilire. Nil enim prius videmus post Christi tactum, quam mundialium omnium rerum fluxum, hominúmque transitum in sepulchra. Pulchrè Chrysol. serm. 176. *Et quare vidit sicut arbores, non vt columnas, neque stantes, sed ambulantes? Quia post curam Christi viderat, quod homines velut arbores transirent in hoc sæculo, non manerent.* Hoc in primis nobis proponit ob oculos Spiritus diuinus, nimirum rerum omnium fluxum, frequentem hominum transitum in sepulchra, viam vniuersæ carnis in finem. Genes. 2. *Plantauerat Dominus Deus paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem, quem formauerat.* Quæ verba ex Hebræo sic sonant apud Aug. lib. 8. de Gen. ad literam. *Et plantauit Deus paradisum in Edem ad Orientem, & posuit ibi hominem, quem finxit.* Ecce tibi post perfectum hominem, vbi ad illum accedunt manus diuinæ, constituunt eum in Oriente. Cur in Oriente potius, quam in meridionali plaga? Ea solum ratione, vt nihil oculis exciperet, quod perpetuo motu, & recta via non vergeret in occasum, vt magistris luminibus cœli disceret semper ob oculos habere sepulchrum. Quo spectabat Seuerianus in cat. Græca fatus, *Deus hominem ibi primum habitare voluit, vnde principium lucis exoriretur: nam quemadmodum sydera ab ortu tendentia ad occasum rursus apparent; sic & hominem oportebat à vita properare ad mortem, & occidere.* Constituunt hominem in oriente manus diuinæ, vt vniuersi splendoris creati vias notet in occasum ire, & ductus omnium syderum cursu nil citius ob oculos habeat, quàm occasum, & finem peccatori posse obuenire. Nec mirum, quod ita curet Deus in suis mortis excitare memoriam, quando vna illius obliuio ingentia pariat damnationis pericula. Apoc. 18. de Babylone damnata dicitur: *Quia in corde suo dicit: Sedeo regina, vidua non sum, & luctum non videbo. Ideò in vna die venient plagæ eius, mors, & luctus, & fames, & igne comburetur.* Expende illud, *vidua non sum, & luctum non videbo*: quibus vt ibi putat D. Ambr. omnimodam mortis obliuionem ostendit, quæ illi tota damnationis ratio videtur extitisse. Quo similiter spectans Isaias cap. 47. aliud quid notat, dum inquit, de eadem Babylone, quod diceret: *Ego sum, & non est præter me amplius. Non sedebo vidua, & ignorabo sterilitatem. Venient tibi duo hæc subito in die vna sterilitas, & viduitas. Vniuersa venerunt super te propter multitudinem maleficiorum tuorum, & propter duritiam incantatorum tuorum vehementem.* Multi sunt Doctores in explicando, quæ sit illa vehemens duritia incantatorum, quæ Babylonem tenebat; sed vbi mortis obliuio Babyloniorum præcordiis insita erat, luce clarior apparet vehemens incantatio, quæ faciat duritiam cordis, & animos humanos lapidescere. Et quidem sapiens illa venefica apud Virg. Ecl. 8. vbi ad supremum, & omnium vehementissimum veneficium accedit, quo humana aggrediatur corda, post figuram hominis combustam sic docet.

Marc. 8. — Chrysol. — Apoc. 18. — Ambros. — Isai. 47. — Virgil.

> *Fer cineres Amarillis foras, riuóque fluenti*
> *Transque caput iace: ne respexeris: his ego Daphnin*
> *Aggrediar, &c.*

Nullum mihi crede vehementius veneficium, quam si humani cineres trans caput iaciantur, quàm si mortis monimentum omnino ab oculis dimoueatur, hoc vno veneficio incantator diabolus duritiam cordis inseminat, & homines velut lapides facit rigere.

Text. Dixitque ei Iesus: Sine vt mortui sepeliant mortuos suos. Tu autem vade, annuntia regnum Dei.

§. V.

Scientibus Deum omnes peccatores mortui sunt.

SVnt mortui, qui sepeliuntur, & sunt mortui qui sepeliunt; illos omnes norunt; hi solum cognoscuntur ab his, qui Deum sciunt, paulúmque segregantur à rerum mundialium fumo. Psalm. 36. *Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani. Et transiui, & ecce non erat.* Expende illud, *transiui*, nimirū parum à rebus mundialibus discessi; me eripui aliquantulum à mundi tumultu, me ad Deum mente collegi, & cum inde oculos conuertissem, deprehēdi omnia impiorum decora instar cinerum, & fauillarum esse, nihil in illis viuidæ perfectionis permanere. Ita D. Zen. in Psalm. 118. fatur: *Quem admiratus in sæculi rebus est, quem in corporeis*

Psal. 36. — Zeno.

corporeis operibus manens excelsum, eleuatúmque conspexit: hunc transiens, id est peregrinus sæculo factus, & in cœlestem cognitionem excedens pro nihilo habuit, etiam non esse duxit, & monstrum deputauit. Si oculos acuit cœlestium rerum cognitio, ne fallantur mendace impiorum aspectu, splendent diuitiæ, fulgorem suum emittit honor, arrident delitiæ, quibus omnibus videtur impius exaltari, gloriosam vitam agere. Sed age, dimitte hæc paulisper à manibus, cœlestia contemplare, & impiorum glorias emortuas, imò penitus

Esther 14. non esse iudicabis. Sapientissima Esther, & florentissima regina, vbi paulisper coronam, & regia ornamenta deposuit, & tota cinere conspersa Deo accessit, quales putauit impios mundi tyrannos? Quippe ait cap. 14. *Ne tradas Domine sceptrum tuum his, qui non sunt.* Sanè quamuis timida de tyranni iracundia, & potestate, vbi ad Deum accessit, non potuit non videre nihil esse impios tyrannos. Ille solum est, qui ab impietate mundus est. Magnus ille Isaias

Isai. 6. cap. 6. vbi ante conspectum diuini throni adest, vehementer metuit labiorum suorum coinquinationem. Tunc ait: *Volauit ad me vnus de Seraphin, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum, & dixit: Ecce tetigi hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* Quid plura? Vix se vates nouit peccatis liberum, cùm Deo quærenti ministrum audet dicere, *Ecce*

LXX. *ego, mitte me.* Quæ verba apud Septuag. argutius sonant hoc modo, *Ecce ego sum, mitte me.* Expende illud, *ego sum*, quippe nomen est proprium entis increati æternum viuentis: vnde ergo tanta fiducia prophetæ, quod audeat dicere se verè esse, & viuere? Ex eo crediderim, quod se vidit pec-

Basil. catis mundatum. D. Basil. ibi ait, *Id autem dixit, expurgatus prius labiis. Qui autem in iniquitatibus iacet, necdum eius agnitione illustratus, qui est, non potest pro se ipso testimonium hoc reddere: Ecce ego sum.* Vnde præclare ait Hieron. ep. 144. *Propheta purgatus à vitijs audet dicere: Ecce ego sum.* In eo est vera vita, veráque substantia, qui liber est à peccato: verum qui peccato seruit, is mortuus est. Meritò doctissimus

Actor. 5. Gamaliel Act. 5. exaggerans impij cuiusque ingentem ambitionem, ait, *Ante hos enim dies extitit Theodas dicens se aliquem.* Inde eius insolens, & væsana publicatur ambitio, quod se aliquem diceret, cum impius sit, qui omnino est nihil. De impiis locutus Nahum cap. 1. ait: *Consumentur quasi stipula ariditate plena.* Miraberis, quod dicantur impij ariditate pleni, quando plenitudo rerum copiam, & abundantiam significat; ariditas autem omnimodam vacuitatem importat. Quomodo ergo inter se conueniunt vacuitas, & copia; inanitas, & plenitudo? An, quia omnis impiorum prosperitas apparens, verè nihil est? De hoc ele-

Rupert. ganter disserit Rupert. ibi. *Mire dictum ariditate plena. Quid enim est ariditas, nisi vacuitas? ergo stipula hic dicitur ariditate plena, non absque sensus graui pondere sic dixit, sciens spiritus, qui hunc mundum arguit, diuitum huius mundi falsam plenitudinem veram esse maciem.* Inania sunt, & vacua, & penitus emortua omnia impiorum decora; videbuntur fortassis pleni, dum diuitiarum gloriis splendent, sed si paulisper ad Deum accedis, in veritate comperies, illos omnes esse sub mortis sterilitate, & macie. Iacob magnus de mundanis diuitiis nescio quem odorem plenitudinis exhalabat: ait enim senex pater eius Genes. *Ecce odor filij mei, quasi odor agri pleni*: si censebat caligans senex mun-

Cant. 3. diales agros plenos vbertate. Quam aliter Cantic. 3. dicitur, *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum?* illic agri pleni dicuntur mundiales agri; hic deserta, & sterilia loca apparent! Isaaco pleni videntur, sponsæ vt desertus, sterilis, & vacuus: vnde tanta diuersitas? Isaac iam caligauerat, sponsa à mundialibus erecta Deo, approximabat, & sic in veritate comperit omnes impiorum plenitudines ve-

Gillibert. re esse vacuas, & inanes. Præclarè Gillibert. Abb. serm. 15. in Cantic. ait. *Infructuosa est illa, quam putas, plenitudo; & si quid est fructus, id fluxum est, & mutabilitate sua mortis præfert imaginem. Quomodo vbi mortis vides imaginem, odorem vitæ sentire te reputas? Odorem vitæ Christi spirat vbertas. Ipse enim est ager verè plenus, ager fertilis, ager cui benedixit Deus Pater. Alium præter illum agrum sponsa nescit, sed desertum reputat, & terram salsuginis.* Et quidem hoc pro certo habe, quia vbi Christus non est, vita non est, vbertas non est: mortui omnes cum mortuis agunt, vbi separantur à Christo. Ille verè viuit, ille verè putatus existere, qui di-

Genes. 12. uinis legibus viuit subiectus. Genes. 12. *Tulit vniuersam substantiam suam, & animas, quas fecerat in Haran.* Et quas animas fecerat Habrahamus? Explicat Chaldæus, aiens: *Et animas, quas subiecerat legi.* Quasi tunc aliquis de nouo fieret, cum legem diuinam seruandam suscipit, alioquin censetur, quasi non sit. Iosue 11. dicitur, *In illo tempore* Iosue 11. *venit Iosue, interfecit Enacim de montanis, &c.* Et cum Iosue erat ingens multitudo populi pugnantis, cur solus Iosue recensetus venisse. Chrysost. homil. 26. ad Pop. *Iesus* Chrysost. *Naue filius in pugnam descendit, & solus omnia gessit; alij verò nil profuerunt. Et potes videre, quod multa turba, cum Dei voluntatem non faciat, nihilo ab his, qui non sunt, differat.*

§. VI.

Mors Christi potens, vt suorum animas excitet in vitam.

SIne mortuos, ait Dominus, sepelire mortuos suos, nec miror, quod mortui maneant, qui cum suis tractant mortuis, vtinam ad Dei mortuum accederemus, ex quo solo statim concepimus vitæ spiritum. Cantic. 3. dicebat Cantic. 3. sponsa: *In lectulo meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea.* Cum nocturnum audio tempus, mortis tempus existimo, in lectulo totum crucis contemplor mysterium. Non enim Saluator alio quærendus erat, nisi in lectulo crucis, cum extra crucem non habeat, vbi caput suum reclinet. Sed cur sponsa tam sedula lectulum crucis inquirit? Cur non potius ad reclinatorium aureum cœlestis ciuitatis accedit? Cur tota cum mortuo, & de mortis negotiis, agit? An commoriendo in Christo cupit sepelire mortuum suum? Imò, quia Dei mortuum reputat, ad mortui loculum accedit, vt inde spiritu reuiuiscat suo. Gillibert. Abb. serm. 2. Gillibert. in Cant. inquit, *Durus lectulus illud crucis tuæ lignum. In hoc ego nascor, & nutrior, creor, & recreor, & super passiones tuæ altaria memoriam mihi nidum libenter recolloco.* Proh vitalem mortuum Iesum! Non sinimur mortui sepelire mortuum Iesum, è cuius mortis vel vmbra mirum erit, si in nobis maneat peccati mors. Tertullian. lib. de corona militis, ab Tertull. Ethnicorum exercitibus Christianos abducit, eo quod non possint seruire vitiis, qui vel Christi passi vmbra tanguntur. Ait enim, *Excubabit pro templo, quibus renuntiauit? Et quos interdiu exorcismo fugauit, noctibus defensauit, incumbens, & requiescens super lancea, qua perfossum est latus Christi?* Absit, vt pro dæmone excubias agat miles Christi recumbens super hasta: non patietur id ipsa hasta, vel quia lancea perfossum fuit latus Christi. Impossibile est, quod, vbi adsit quælibet passi Christi memoria, seu vmbra, non arceat militem suum à peccatorum morticiniis. Sinister ille latro nihilominus morienti Iesu affixus, Luc. 23. *Blasphema-* Luc. 23. *bat eum, dicens: Si tu es Christus, saluum fac temetipsum.* Cur miser homo salutiferæ mortis medicamina sic blasphemat? Et cur pene exanimis saluator misero homini permittit passionis suæ carere beneficio? Non homo, sed diabolus est, & penitus à morte absorptus, qui Saluatoris morti vicinus, nec cognouit vitæ donatorem. S. Laurent. Iustin. de Laur. Iust. triumphali Christi agone, cap. 18 ait. *Iam illum diabolus absorbuerat, & in corpus suum traiecerat. Ideo, nisi quod ille volebat, agere non poterat. Inter mortuos computatus erat, propterea vitam quam habebat iuxta se minimè cognoscebat.* Prorsus enim à diabolo, & à morte absorptus est, quem vel vmbra diuini mortui non meliorat. Immedicabilem prorsus puta mortem illius, qui mortem non eruit, sed in illam incurrit ad vitam spirantis sepulchrum Saluatoris. Quando enim sepulchrum concutiebatur vitali illo terræmotu, quo Iesus viuendi spes mundo præstabat, Matth. 28. *Exterriti sunt cu-* Matth. 28. *stodes, & facti sunt velut mortui.* Mortui fiunt apud sepulchrum, ex quo hominum nascitur vita, ex quo regenerationum funduntur copiosissimi fontes de visceribus Saluatoris. Heu miseri, qui apud tale sepulchrum perseuerant mortui. Chrysol. serm. 74. *Miseri, quos tunc percussit pauor mor-* Chrysol. *tis, quando secutitas redditur vitæ.* At in tale Christi sepulchrum, qui mortuus accedit, & mortuus manet, non solum mortuus est, sed omnino possessus à diabolo, quando Saluatoris mors potens erat, & mortuos à lapideis monumentis peccatorum in vitam suscitarit. Huc reuoco illud Matth. 3. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham.* Nónne de lapidibus suscitat sibi filios Dominus, quando peccatores vitiorum mole sepultos in vitam trahit? Laurentius Iustinianus de triumphali Christi agone, c. 19. ait. *Tanti erat meriti dominici corporis effusus cruor, vt virtute sua valeret infidelium populorum conuertere animas, & ipsas peccantium mentes delictorum mole sepultas ad emendationem vitæ, veluti de sepulchri producere gremio.* Beati mortui qui ad hunc accedunt diuinissimú mortuum, à quo spiritum vitæ capient.

Text. Et ait alter: Sequar te Domine; sed permitte mihi primum renuntiare his, qui domi sunt. Ait ad illum Iesus: Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro aptus est regno Dei.

§. VII.

Summa vitæ humanæ incertitudo, nec minimam morulam admittit, qua tardes ad Deum festinare.

QVid agis homo? Deum sequi vis, & prius domum abis? Vnde scis, an reuertendi tempus aderit? Vt credo, animus tibi est domesticas res disponere, sed non placet iste dilationis prætextus in eo, qui certò non habet diem crastinum. Permissum fuit Ezechiæ pijssimo regi, quod domestica omnia disponeret: at bonus rex in arcto positus
Isai.38. vnum solum curauit, vt placaret Deum, Isai.38. *Hæc dicit Dominus: Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues. Et conuertit Ezechias faciem suam ad parietem, & orauit ad Dominum.* Iubetur domui disponere propter instantem mortem, ille autem domum oblitus, hoc agit, vt ad Deum oret. Quid agis bone rex, amplissimam domum habes, regnum habes, cui disponere iuberis; mors instat, & non meministi regni dispositionis, & Deo exorando vacas totus? Et quidem vbi mors instabat, sapientissimus rex ad Deum prius, quam ad domesticam dispositionem confugit. Non patitur præceps mors vel minimam morulam, qua tardes ad Deum festinare. Pulcrè ait Dominus. *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno cælorum.* Non inquit, & abiens retro, seu fugiens retro, sed respiciens retro, quia vel in ictu oculi præceps mors poterit præripere nobis salutis occasionem.
Iob 7. Hinc Iob Deum vrgebat, vt festinaret salutem, cap.7. *Memento, quia ventus est vita mea: & non reuertetur oculus meus, vt videat bona. Neque aspiciet me visus hominis. Oculi tui in me, & non subsistam.* Expauenda omnis morula in salutis negotio est illi, cuius vita in ictu oculi potest finiri. Et talis est humana conditio, quam luculentius exprimit Græca lectio, dicens. *Non circumspiciet oculus videntis me: oculi tui in me, & vltra non sum.* Coniiciet in me oculos quisque, & antequam bene me videat, iam non
Olymp. ero; sic Olympiodorus in Cat. *Sæpenumero acciderit, vt dum in me forte quispiam figit obtutum, abeam ipse, atque decedam: estque ita vitæ nostræ volucris exitus, vt qui nos hodie viderunt, cras non sint visuri omnino. Siquidem sub tuo voluntatis nutu, vno oculorum conspectu, cum me non amplius in vita morari volueris, statim interimes.* Quis ergo audebit retro respicere, quando nec vnus oculi ictus est illi certus, & securus? Quis morulam statuet, quando in ictu oculi poterit finiri? Hinc quendam Thomam præpositum de Beuerle tardantem Deo
Bernard. respondere pungebat D.Bern.p.107. *Generositas sanguinis, proceritas corporis, forma elegans, iuuenilis decor; prædia, palatia, immensa supellex, insulæque dignitatum, adde & mundi sapientiam de mundo sunt hæc, & mundus, quod suum est diligit. Sed quousque? Non solum enim non semper, vtpote qui non semper erit, verum nec diu quidem. Diu siquidem ista in te mundus habere non potest, & te quippe ipsum in breui non habiturus. Nam breues dies hominis sunt. Mundus quidem transit, sed te prius emittet, quam ipse pertransit. Quid te sine fine delectat amor mox finiendus?* Miserum est vbi finis instat, negotiis hærere vitæ; vbi omnia nos in mortem præcipitant, morulas effiogere, quæ & cum temporalibus bonis Deum etiam nobis præripiant. Ad Lot dicebant Angeli: *Salua animam tuam: noli respicere post tergum.* Nec otiosa est tanta celeritatis commendatio in via adeò præcipiti, quando & in ictu oculi possumus finiri. Nônne in
Genes.19. ictu oculi periit ipsa Lothi vxor? Gen.19. *Respiciensque vxor eius post se, versa est in statuam salis.* Non diu stetit, non longas fecit moras, oculos solum coniecit, & in ictu oculi amisit salutem.

CAPVT V.

De Matthæo.

MATTHÆVS, qui & Leui à telonio ad cœlestem mensam, à pecuniæ sacculis ad diuinos euolat conquirendos thesauros. Verbum enim Christi, qui Lazarum à sepulchro, Matthæum à telonio retraxit. Sed vide ordinem: sedenti ad telonium adest Dominus, verum adest pertransiens inde, minimè ibi manens: at sedenti ad mensam Christus iam assidet, & ibi cum discipulis manet. Quid murmuras Pharisæe? Dominus est, qui opera misericordiæ sacrificiis præfert: qui a pertusis sacculis ad eos trahit, qui non veterascunt: qui genus auaritiæ docet haberi, quo cœlestibus inhiemus thesauris: qui infirmis adest, non contracturus infirmitates, sed referens sanitates.

Matth.9. Et cùm transiret inde Iesus, vidit hominem sedentem in telonio Matthæum nomine, & ait illi: Sequere me; & surgens secutus est eum.

§. I.

Auaritia securissima diaboli catena est ad tenendos homines.

QVam securos, quam sedentes in perditionis barathro habet diabolus eos, quos amor pecuniæ tenet! Alios peccatores semper studet ligare nouis vinculis; id videre poteris in illo iumento, quod iussi sunt discipuli soluere Matth.21. erat enim ligatum à dominis suis. *Etenim dixerunt domini eius ad discipulos, Cur soluitis pullum?* Vbi peccatoris Matth.21.
miseriam deflens D.Athanas. non solum docet, quod plures Athanas.
tyranni ei custodiendo inuigilent, sed insuper quod *omnes non in aliud occupati sunt, quam vt asellum alligent.* Sic timent perdere peccatores, vt nouis vinculis iniiciendis dæmones studeant. At vbi auarum nacti sunt hominem, adeo lucris insidentem vident, vt securi de illo ab aliis supersedeant vinculis. Quod si quæras, cur homines pecuniæ dediti, sæpissimè aliis careat vitiis, casti sint, & bene morati? Pulcrè in rem præsentem respondet S.Anast. Nicen. q. in scri- Anastas.
pturam, vbi ait, *Casti sunt aliqui à Deo protecti, aut cum sint frigidæ naturæ, aut superbiam, aut auaritiam habentes, & despecti à Satana, vtpote quod auaritia sufficiat supra omnia vitia ad tot reddendos obnoxios æterno supplicio.* Nihil est, quod timeat diabolus in auaris, de aliis peccatoribus solicitus est, nunquam illos quiete possidet, imò nec possidet, solum habet quasi ius ad rem, ideoque multus est in meditandis vinculis, quibus illos irretiat: verum in auaris sic quiescit quasi in propria possessione, nullum ab eis effugium timet. Samson blanditiis fœminæ corruptus mille vincula frustra perpensus est. In primis nerueis funibus ligatus est, vt teneri possit à Philisthiim, quos ipse facilè disrupit. Insuper ligatur funiculis nouis, nec sic capitur. Rursus eius crines cum licio plectuntur, & clauum his circumligatum in terra figit astuta fœmina, sed vana redduntur omnia ligamina. Quid tunc? tolluntur laquei, raduntur crines, vocantur Philisthiim Iud. Iud.16.
16. *Qui ascenderunt assumpta pecunia, quam promiserant,* &c. & sic accipiunt manibus inimicum. Ecce tibi cum pecunia interuenit, vniuersi absunt laquei, & tamen Samsonis ruina fit certa, & misere ab inimicis possidetur. Ita D.Prosper lib.de Promiss.p.2.c.22. *Antequam hæc fierent mittit mulier ad viros, dicens: Afferte argentum, iam enim mihi omnia veraciter confessus est. Fit certa traditio, quam suppleuit Iudas, percepto argento.* Expende illud, *Fit certa traditio, percepto argento:* quam non certam fecerunt tot laquei, tot fortissima vincula, fecit certam argentum. Quippe tunc securè, & certò possidetur ab inimicis diabolicis homo, cum interuenit auari-
tia. Diues auarus apud Lucam cap.12. aiebat, *Quid faciam?* Luc.12.
Quod non habeo quo congregem, &c. Solus in lecto erat, & de diuitiis augendis, cumulandis quæstiones monet: sed à quo
interrogat? Audite Chrysol. serm.104. fantem. *Quid faciam?* Chrysol.
interrogantis vox est; & quem putas interrogabat ille? Erat in illo alter, quia ad eius penetralia iam diabolus possessor insederat. Nullibi est auaritia, quin diabolus quietam possessionem habeat talis hominis mentis. Sedet diabolus securus, & quietus possessor in corde auari, Pharaoni cor induratum est, ne à diaboli fugeret potestate, ne tot plagis acceptis incalesceret, sed quotidie magis rigeret, & lapidesceret.
Quod notans Hildebertus Episc. Cœnomiensis ait, epist.47. Hildebert.
Pharao cum esset feruenti plagæ proximus, hoc frigore tamen indurnit, quia labores manuum Israel indebitè vsurpauit. Vbi auaritia intercedebat, non mirandum, quod esset, & durities cordis, & impœnitentia finalis. Fallor si habeat diabolus certius telum, & efficacius ad perdendas ani-
mas: tria in Iesum contorsit tela in deserto, Matth. 4. Matth.4.
& vltimo ait, *Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me.*

Exerit

Exerit vltimo loco auaritiæ telum, in quo præ omnibus confidebat, non enim redire solet vacua sagitta pecuniarum. Chrysostom. homil. 1. in præsenti, sic fatur. *Quasi omnibus vitiis fortiorem pecuniarum cupiditatem locauit: extremum illud reseruans, quasi quod omnibus valentius esse iudicaret.* Hinc tam anxie Dauid auarissimum hominem cupit à mundo eliminari, ne tantum auaritiæ malum serpat, vsque ad cognatos, & omnes in perditionem certam agat. Psalm. 107. *Fiant filij eius orphani.* Filios cupit parente auaro orbari, non quod filiis malum velit orbitatis, sed quod eis bonum salutis præoptet, quam ægre, & difficulter habebunt, si communicent parenti auaro. Sic D. Basil. in cap. 1. Isaiæ fatur. *Votu apprecatur filiis Iudæ sterilitatem orbitatis, dum dicis, Fiant filiis eius orphani, ne habeant malignum sceleratæ vitæ doctorem, nempe morbum impotentis auaritiæ.* Sic cauenda hæc lues à mentibus humanis.

Chrysost. — Psal. 107. — Basil.

§. II.

Mundialia bona impiorum mentibus hærent, cœlestia inde quantocius elabuntur.

VIde Matthæum nummorum assidentem mensis, & Iesum inde transeuntem, non enim in mente impiorum hominum cœlestia bona morantur, sed omnino transeunt, & elabuntur. Iesus non habet ibi sedem, sed transit, nummi sedes habent, & permanentiam in corde impij. Pharao Ægyptiorum rex vidit somnium Genes. 41. quod mane commemorans, ait. *Putabam me stare super ripam fluminis, & septem boues de amne conscendere pulchras nimis, & obesis carnibus, quia in pastu paludis vireta carpebant.* Similiter & Nabuchodonosor somnium vidit statuam aurei capitis, argentei pectoris, ferrei cruris, lutei pedis, quem lapis sine manibus decisus à monte percutiens, vniuersam statuam contriuit, & ipse in montem vsque excreuit. Hoc erat Nabuchodonosoris somnium, sed expergefactus rex, nil somni meminerat, quod Diuinis narrare posset. Sic apud Dan. 2. *Vidi somnium, & mente confusa ignoro, quod viderim.* Cur à Nabuchodonosor tam cito elapsum est somnium? Cur non magis illius meminit? Cur penitus ab illo euolauit, in Pharaone autem & somnium, & memoria eius perseuerauit? Nabuchodonosoris somnium erat de regno Dei, quod contriturum erat omnia alia regna; Pharaonis verò somnium erat de Ægyptiarum segetum abundantia temporali, & in mente impiorum terrenæ opimitatis copia, alta mente reposta manet, cœlestium autem bonorum memoria facilè elabitur. Rupert. lib. 6. de vict. verbi Dei, cap. 12. *Quomodo anima stulti, & impij continere posset rem tanti sacramenti, quam viderat? Nec somnium Pharaonis, præsagium futuræ saturitatis pertinuit vllo modo ad somnium Nabuchodonosor, quod præsagium fuit æterni regni Dei.* Hærent equidem & sedem habent temporalia bona in mente impiorum, non sic æterna, non sic cœlestia, sed quam ocissimè pertranseunt inde, & penitus elabuntur. Notaui sæpe discrimen corui, & columbæ à Noë arca in mundum emissæ. Ait enim Gen. 8. *Dimisit coruum, qui egrediebatur, & non reuertebatur. Emisit quoque columbam post eum, vt videret, si iam cessassent aquæ super faciem terræ. Quæ cum non inuenisset, vbi requiesceret pes eius, reuersa est ad eum in arcam.* Non inuenit columba, vbi pedem figat in terrenis mentibus, accedit illo, sed euolat statim: coruus manet, & ibi sedem habet. De quo Ambros. ibi cap. 18. Coruus vbi remaneret, inuenit, columba autem non inuenit. *Quia malitia inquietis passionibus quasi cognatis, domesticis delectatur, vbique commorationem suam locat, virtus autem prima statim specie visionis offensa regredi festinauit.* Non diu manet in terrena mente virtus, sed ocior euolat inde, solum vitiosa ibi cubant.

Genes. 41. — Daniel. 2. — Genes. 8. — Ambros.

§. III.

Oculi diuini dant homini, quod ipse in se referat Deum, ipsius imitator, & æmulus.

VIde cæcum à natiuitate à Iesu sanatum, & Matthæum pecuniæ cupiditate cæcum ab eodem illuminatum. Vt autem illum sanaret, lutum applicuit oculis, & vt Matthæum illuminet, quid fecit? *Vidit*, ait, *hominem Matthæum nomine.* Illi lutum, huic suos oculos dedit vt ille de luto, luteum meminerit ortum; hic de diuinis oculis haberet Deum aspicere, & in se imaginem illius summi boni æmulam referre. Ita Chrysol. serm. 30. fatur. *Vidit illum Deus, vt ille videret Deum.* Quid aliud facerent oculi diuini in hominem coniecti, nisi vt homo diuinis oculis adornatus Deum in se videndo referret? Hæc est visi à Deo hominis summa gloria, quod oculos accipiat videntes Deum, à quibus necessum est, vt fiat diuinæ virtutis imitator, & æmulus. Dicit Ioan. in Can. epist. 1. cap. 3. *Similes ei erimus, & videbimus eum, sicuti est.* Vnde eleganter D. Bernard. serm. 1. de verbis Isaiæ, ait nobis Christi imitationem suggerens. *Exinanitum vides? Non sit otiosa ista visio, quia exaltatum otiose videre non poteris. Similis eris illi, cum videris eum sicuti est, esto & nunc similis ei, videns eum, sicut propter te factus est.* Nesciunt oculi videntes Deum otiari, vt Deum vident, sic in se Deum imitatione exprimunt. Quis vnquam ad conspectum Dei accessit, qui in Deum non sit transfiguratus? Omnes id à Dei oculis habemus, vt ad Deum tendamus, & Deum aspiciamus in omni opere, & in Dei transformemur imaginem. Ita D. Paul. 2. ad Corinth. 3. fatur. *Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem.* Quid est, à claritate in claritatem? D. Anselmus, *ab vna clara visione in aliam.* Itaque, quæ nos transformant in Dei imaginem: quæ nos faciunt ire in similitudinem Dei, visiones eiusdem Dei sunt. Sed vnde habemus tam claros oculos, qui Deum intuentes, nos Deo similes faciant? Id exprimebat Apostolus, dum ait, *gloriam Domini speculantes*, speculantes, inquit, non ab specula, sed ab speculo, vt D. Chrysostomo, & aliis communiter placet. In quo aptissima similitudine explicatur, vnde efficacissima visionis nostræ virtus ortum habeat. Vt enim in speculo illius exprimuntur oculi, qui accedit: nec aliunde speculum bonos oculos habet, nisi ex eo qui ad illud accedit; sic nos instar speculi Deum referentes, clarissimis Dei oculis insigniuntur, quibus Deum videntes, crebra visione in Dei imaginem transformamur. Sustinemus, vt speculum, Dei faciem, Dei oculos, & inde in nobis oculi excitantur, non otiosi, sed qui nos Deo faciant assimilari, & in eius similitudinem properare. Quo spectat Psalm. 31. canens, *intellectum tibi dabo & instruam te in via hac, qua gradieris: firmabo super te oculos meos.* Equidem super nos, vt super speculum firmans Deus oculos suos, intellectum dat, hoc est, mentis oculos dat, qui faciant nos currere ad obtinendam diuinam imaginem. Dei sponsa, Cant. 2. ait. *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. Et dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea.* Vnde filia Adami tam cito, & dicitur, & est formosa, & pulchra? Quibus vnguentis, quæ à sole decolorata erat, in tantam pulchritudinem potuit peruenire? Ipsa signabat, dum ait, *En ipsa stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras.* Vbi prius ipse Dominus oculos suos vertit ad animam, illa quasi speculum totam recepit Domini venustatem, qua eos acquisiuit oculos, quorum vnus dilecti præcordia potuisset transuerberare. Pulchrè D. Greg. Nissen. homil. 5. in Cantic. ait, *Pulchra redditur, columba nominatur. Quomodo potest fieri, vt in speculo pulcher sit aspectus, si non pulchræ alicuius formæ acceperit simulacrum? Ergo humanæ naturæ speculum, non prius euasit pulchrum, quam pulchro appropinquauit, & informatum fuit imagine pulchritudinis. Aspicit autem ad primariam, & exemplarem pulchritudinem, propterea, cum luci appropinquaret, lux efficitur.* Itaque de pulchra Dei facie nobis, quasi in speculo expressa, habemus pulcherrimos illos oculos, quibus in Dei imaginem transformamur.

Chrysol. — 1. Ioan. 3. — Bernard. — 2. Cor. 3. — Anselm. — Psalm. 31. — Cant. 2. — Gregor. Nissen.

§. IV.

Natura humanæ cognatio facit Iesum hominibus propitium.

NOn otiose dictum est, quod viderit Iesus hominem, sed vt inde ratio monstraretur, quæ ipsum Iesum alliceret, vt Matthæo propitius fieret. *Non dixit*, ait Chrysolog. *vidit Matthæum, quia in Matthæo hominem liberarat.* Natura hominis est, quæ Iesum afficit, ad quam ipse tanquam ad cognatam inclinatur. Antiqua erat excitata quæstio cur Christus naturam nostram supra Angelos glorificauit, & dilexit? Cui Anastas. Nicenus respondet quæst. 78. his verbis. *Naturali quadam ratione ad id, quod sibi cognatum, & consubstantiale est, propendet, illudque impensius diligit.* Vnde prudentissimus ille latro, cum Saluatoris animum in se sollicitare cupiebat, nihil aliud obiicit, quam communem naturam. Etenim ait Luc. 23. *Memento mei.* quæ verba sic eleganter versat D. Cyrill. Ierosolymit. Catech. 13.

Chrysol. — Anastas. — Luc. 23. Cyrill.

Non dico, vt memineris operum meorum; hæc enim metuo: sed omnis homo afficitur ad comitem suum. Equidem, si quid hominis circa pectus habes, eo continuè soliciraris, vt hominibus prospicias. Id quod notauit Tertull. in Domitiani persecutione: qui aliquando secutus rabiem Neronis omnino feralem, postmodum in Christianos mansuescit, non ob aliam rationem, nisi quia aliquid hominis in eius animo insedorat. Sic de illo Apolog. cap. 4. ait ille: *Tentauerat & Domitianus, portio Neronis de crudelitate, sed quia & homo, facile ceptum repressit, restituit etiam, quos relegauerat.* Quasi necessum sit hominem in hominem inclinari, eorúmque affici miseriis. Fera est, diabolus est, qui nescit hominum misereri; qui enim homo est, propitius fit hominibus, Psal. 99. *Intrate in conspectu eius in exultatione.* Ante quem tremunt columnæ cœlorum, iubemur homines exultare: vnde tanta præsumptio? An quia, qui Deus erat, homo factus est? sic Chrysol. ser. 6. *Vnde est, quod propter ea hoc vos debere facere sic præsumunt? Vnde est? Ex eo quod sequitur. Scitote, inquit, quod Dominus ille est Deus, qui fuit in carne nostra pusillus.* A suscepto homine Deus in hominē inclinat, vbi carne nostra vestitus est, nescit despicere carnē suam. Adeóque homo sibi deuinctū & affectum Deum habet, vt Angelici spiritus cupiant magnalia hominum introire. D. Petr. 1. can. c. 1. ait, *In quē desiderant Angeli prospicere.* Expendo illud, *in quem*, cuius loco alij plures legunt, *in quæ desiderant Angeli prospicere.* In quem? in multa hominū à Deo accepta priuilegia. Ita Philippus solitarius lib. 3. Dioptræ, c. 3. inquit. Opinor desiderare Angelos, vt in ipsorum natura, quemadmodum in nostra carne, secundum substantiam suam Deus verbum ipsorum cond tor inhabitaret. Desiderant rursus, vt in ipsorū natura à nobis adoretur, & glorificetur in throno Cherubico, & in sinu Patris sedens, quemadmodū nostra natura in Christo ab ipsis adoratur. Desiderāt habere claues regni cœlorum, & sedere super duodecim thronos cum Christo iudicātes, sicut in die iudicij piscatores cum eodem iudicaturi sunt. Desiderant tanta apud Christum potiri libertate, quāta potitus est, qui supra pectus eius recubuit. *Dicam quod maius est. Affirmat Christus, cum venerit in die iudicij, virtutes cœlorum commotum ire præ timore. Iustos autem homines faciet discumbere, & transiens ministrabit illis. Hæc & similia à Christo data sunt nobis, in quæ Angeli prospicere, id est, intrare desiderant.*

Tertull. Psalm. 99. Chrysol. 1. Petr. 1. Philipp.

§. V.

Humanam fragilitatem Deus præ oculis habet, ne ira eius in nos excandescat.

Ecce oculis diuinis primò obiicitur id quod in creatura sua fragilissimum est, nimirum hominis conditio, vt sic de fragilitate affectus ad Matthæi peccata conniueret. Quo spectauit Chrysol. fassus. *Vidit hominem, vt peccata hominis non videret. Vidit opus suum, ne videret opera peccatorum.* Expende illud, *Vidit hominem, & vidit opus suum*; quasi enim non satis appareret fragilitas ex hominis iam facti consideratione, simul ad illius primum opificium oculos Dominus extendit. Ibi prima operis lutea stamina cernens, nescit ad scelera perpetrata excandescere. Hunc semper tenorem seruant diuini oculi, vt prius luteum hominis opificium meminerint, quam humanos excessus contemplentur, vt de fragilitate edisfcant misericordes esse. Nefarissimi accusatores Ioan. 8. obiiciunt Domino mulierem in adulterio deprehensam. Quid tunc Dominus? *Iesus autem inclinans se deorsum digito scribebat in terra.* Mulieris adulterium prædicatur, accusatores clamant; & Dominus aures, & oculos ab scelere auertens, ad terram inclinatus, eodem digito, quo hominem è terra formarat, modo in illa terra scribit delicti veniam. Nec à terra oculos auertit, donec accusatores abscederent. Pulchre D. Ambros. lib. 9. epist. 76. inquit, *Vide lector, diuina mysteria, & clementiam Christi: cum accusatur mulier, caput Christus inclinat; eleuat autem vbi defecit accusator.* Mysteria Christi hæc sunt, tandiu oculos fixos habere in luteum hominis opificium, quandiu peccata hominem accusantia rigorem iustitiæ petunt: vt sic de lutea fragilitate affectum peccata fragilitatis non nimis offendant. Hinc Iob conueniebat Deum cap. 8. *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu: & sic repentè præcipitas me? Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me.* Quasi cum memoria lutei hominis opificij stare in Deo non possit rigor aduersus homines; & eo ipso, quod tam vili fundamento vsus est Deus ad ædificium humanū, quasi teneretur ædificio prospicere, eiúsque reparare ruinas. Quo accinit Isaias 64. *Nunc Domine Pater noster es tu; nos verò lutum, & fictor noster tu, & opera manuum tuarum nos omnes. Ne irascaris Domine.* Quis fictor irascitur, quod luteum vas mille expositum ictibus confringatur? Et sanè qui nescit fractiones sustinere, non fiat figulus; vbi enim Deus in construendo homine figuli opus arripuit, nil prius agnouit, quàm fractiones tolerare. Nouerat id D. Paulus 1. ad Corinth. 4. cum enim creaturarum iudicium effugisset, non iam ad Cæsarem, vt alibi, sed ad Deum appellauit, dum ait, *Qui autem iudicat me, Dominus est.* Terribile Dei iudicium non vereris Paule? An putas, quod iudice Deo erit salua caro? D. Ambros. Psalm. 38. *Pulcherrime eum iudicem elegit, qui nulla fraude fallatur, vt eum neque occulta prætereant, nec infirmæ conditionis lapsus offendant, quia fragilitati nouit ignoscere.* Aude ad Dei tribunal stare, quisquis lutum originis tui recolis, & Deo obiicis. Sed puluere fragilitatis tuæ non pauebis adstrictum gladium Dei in peccatores. Ecce tibi Salomonis thronum, vnde iudicia faciebat in populo 2. Paralip. 9. *Fecit quoque rex solium eburneum grande: & vestiuit illud auro mundissimo. Sex quoque gradus, quibus ascendebatur ad solium: & scabellum aureum, & brachiola duo altrinsecus: & duos leones stantes iuxta brachiola. Sed & alios duodecim leunculos stantes super sex gradus.* Sæpe ego miratus sum, cur in sapientissimi, iustissimíque iudicis tribunali stare, imò & effingi leones possint? Venissent fortè leones, sed viso strictissimo tribunali, *nonne leo quasi bos paleas comedet?* Annuit Isaias cap. 15. & quidem ad primam strictionem gladij, quo Salomon meretricū filium iudicauit scindi medius. 3. Reg. 3. *Audiuit omnis Israël iudicium, quo iudicasset rex, & timuerunt.* Si tantus timor à iudicio Salomonis oritur, sperassem ad eius tribunalis obtutus leones conuertendos in ceruos. Cur ergo ibi adhuc leones? Aliquid de iudicio Dei ibi auspicor, cuius strictum gladium non timent, qui de leonum more puluerem fragilitatis suæ prætendunt. Aiunt enim, quod leæna, ne strictos venatorum gladios expaueat, puluerem ob oculos ponit, & sic filios audacter propugnat; & sane, qui puluerem suum ob oculos habent, imperterriti ad strictum Dei pergunt tribunal, qui noscit fragilitati parcere sui opificij.

Chrysol. serm. 29. Ioann. 8. Ambros. Iob 8. Isai. 64. 1. Cor. 4. Ambros. 2. Par. 9. 3. Reg. 3.

§. VI.

Diuitiarum contemptu peccati regnum corruit.

In nullo Christiani regni potestas, & peccati principatus ruina ostenditur manifestius, quam vbi sedes telonij despicitur, vbi aurum, & diuitiæ contemni videntur. Exod. 4. sic iubet sermo diuinus: *Postulabit mulier à vicina sua, vasa argentea, & aurea, ac vestes, ponetisque eas super filias vestras, & spoliabitis Ægyptum.* Cur auri spolia, & diuitiarum iuberet Dominus auferri ab Ægypto, nisi ex ablatione auri iam regnum peccati ibi inciperet labare? Equidem mutat peccati regnum, & facile cadet, si diuitiarum fulcra tollantur. Vnde merito Lyppomanus ibi putat aurum ab Ægyptiis auferri: *Vt amota sede Mammonæ, seu Iouis Ammonij Ægypto præsidentis, facilius ipse collideretur.* Sustentat peccati sedem telonium, fulcit nequitiæ principatum aurum, quod dum nobilis Imperator Iesus à cordibus sustulit humanis, totam conterit fortitudinem peccati. Quis ergo potentiam Iesu sustinere audeat, cum sub eius vexillis, sede Mammonæ contempta, viderit militare publicanos? De illo in cunis agente canebat Isaias cap. 8. *Antequam sciat puer vocare patrem, aut matrem; auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ.* Quod adimpletum putat D. August. serm. 3. de Epiph. quo tempore Magi apertis thesauris suis obtulerunt Regi sæculorum aurum, thus, & myrrham, contemptísque gazis, sed tanti ducis milites designarunt. *Debellaturus enim*, ait, *Dominus regnum diaboli hæc prima puer spolia Idololatriæ dominationi detraxit.* Hic tota fortitudo Damasci contrita est, dum aurum pro Christo didicerunt potentes sæculi aspernari. Hic in primis ablata auri fortitudine adimpleuit nobilis dux nomen illud, *festina, prædare*, quando diuites homines ad eius pedes deponunt aurum, quasi illo ablato iam iam casurum sit regnum peccati: & his militibus, qui sciant aurum contemnere, Christianæ victoriæ auspicium datur. Pulchrè Francon. Abbas lib. 8. de Gratia, fatur. *Multum bellator iste accelerat, multum festinat: qui in cunis vagiens arma robustorum, imo robustorum robustissima corripit, bellum spiritualium nequitiarum principi indicit: ac dum Magos in castris suis militare imperat, electis tyrannum armis spoliat.* Qualis, rogo, erit de peccati regno triumphus Christianus,

Exod. 4. Lyppom. Isai. 8. August. Francon.

nus, quando Magis aurum aspernantibus adduntur publicani? Quando non solum aurum pro Christo, sed telonium ipsum Mammonæ sedes abiicitur, & contemnitur? Hinc nobilis triumphator Iesus regnum debellaturus peccati, spoliaturus principatus, & potestates, latronem primo
Luc.23. in triumphum agit, dicens Lucæ cap. 23. *Hodie mecum eris in paradiso.* Cur primus diuinæ victoriæ latro es? Iam facile
Ambros. conterendum ostendebatur regnum peccati. D. Ambros. in Psalm. 39. diabolo irridet. *Tripudiabas draco, quod Apostolum subtraxeras Christo. Plus amisisti, quam sustulisti, qui latronem vides in paradisum esse translatum. Nemo est, qui posset excludi, quando receptus est latro.* Quid vectes ferrei? Quid æreæ portæ possunt aduersus Iesum, quando latrones saluantur? Sane facili negotio æreæ portæ confringentur, & cadet regnum peccati, vbi æris alieni studiosi, relicto ære, & argento, ediscunt Christo militare.

§. VII.

Vel minimus Iesu radius potens est omnium ad se rapere animos.

AD transeuntis vocem Matthæus, dimissis sacculorum thesauris, rapitur, quem leuitatis insimulabit ille, qui nescierit Iesum fuisse, qui vocaret. Quis Iesu efficaciter vocanti restiterit? Rapidissimus ipse sol, vbi vel Iesu vmbra tangitur, quam numquam nouerat in cursu, moram facit, nesciens Iesu non obtemperare. Non enim stetisset sol ad vocem hominis, nec Iosue cap. 12. auderet eius rapidissimos equos frenare, nisi de Iesu nostri efficacia. Ita
Ambros. D. Ambros. Psalm. 43. *Nec enim in sua confidentia dixit Iesus Naue, Stet sol contra Gabaon, sed quia præsumebat in Christo, quem ducem militiæ cœlestis agnouit, & suppliciter adorauit, & ideo gentes feras eradicare promeruit.* Mirarer solem stantem, & magis mirarer gentes feras eradicatas, nisi scirem id Iesu halitu fuisse paratum, cui vniuersa ad nutum famulantur,
Iustin. Quò in præsenti spectat etiam D. Iustinus Mar. quæst. 45. ita fatus. *Iesus Naue filius, cum pro iure suo Soli, & Lunæ imperaturus esset, Iesus nominatus est, dum hoc nomen à creata natura præcepti obedientia honoratur.* Vnus Iesus est, qui nouit ad se omnia trahere, cuius vel nutui nulla creatura resistit, sed se se illi properat conformare. Mirabar rudes pastores subito gregum oblitos ad puerum Bethleem cucurrisse, quis hoc studium iniecit menti hominum rudium? An An-
Luc.2. gelus eis apparens? Ait Lucas cap. 2. *Angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos.* Expende quod Angelus iuxta affuit, sed Dei claritas illos omnino penetrauit, intrinsecus illustrauit, ne Angelus, sed nascentis
Bernard. Dei charitas videretur illos traxisse. Ita D. Bernard. serm. 70. in Cantic. *Bene Dei, quia non Angeli, sed lily candor ibi aderat, sed illuc micabat vsque Bethleem. Agnosce lilium, & ex ardore, quo & longe positis innotuit Magis. Et quidem stella apparuit, sed eam minime viri graues secuti fuissent, nisi intima quadam suaueolentia orti fily traherentur.* Non Angelorum militia, non totus stellarum exercitus valet, quod vel vnicus Iesu nascentis radius ad expugnandas, & trahendas humanas voluntates soli Iesu didicerunt parère omnia creata. Vbi Iesus est, vbi Iesus sonat, sic illigamur omnes, vt vix sit aliquis, qui resistere valeat, & extra caules saltare. Prius
Ioann.1. accessit ad Iesum Andreas Ioan. 1. & postmodum inuenit fratrem suum Petrum, cui ait, *Inuenimus Messiam: & adduxit eum ad Iesum.* Vide efficacissimum hamum, inuenimus ait, Messiam, & nullo dato effugio continuo traxit ad Chri-
Basil. stum fratrem. Pulchrè D. Basil. Sel. orat. 25. expendit. *Dicit Andreas Petro: Inuenimus Messiam, & ad vocem Petrus auribus ligabatur.* Pro laqueis mille erat vox Christum sonans; vbi Iesus insinuabatur, ineuitabiles mittebantur laquei, quibus traherentur humanæ voluntates. Hanc vim in meo
Psal.103. Iesu cognouit Psalm. 103. dicens: *Dominus regnauit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se.* Qui videbat ingentem Dei virtutem luto obnubilari humano, iam cum Ieremia, de Dei pulchritudine caneret: *Quomodo sedet sola ciuitas plena populo?* reputans ex tunc Deum amatoribus viduari. Sed absit; imò cum Deus homo fit, iam Iesus factus eum decorem induit, qui fortior sit ad
Theodor. trahendos, & debellandos humanos animos. Ita Theodoretus orat. de Charit. fatus. *Nec enim humana vestis diuinam operuit pulchritudinem, sed ea quoque indutus splendores emittit ex specie, adeò, vt vim afferat videntibus, alliciat ad amorem.* Expende illud, *vim afferat*, quasi Iesus pro vi, & potestate sua humanas mentes in sui sequelam captiuas agat.

§. VIII.

Consultationis necessitatem in solo sequendo Christo posuerit mundiales, quasi solum Christum sibi suspectum habeant.

FVriunt ethnici cum imperatore apostata videntes Matthæum à telonio semel vocatum currere ad Christum: an non prudentius moram faceret, facinus ponderaret, vires expenderet? Quis rex iturus committere bellum, non prius sedens cogitat, si cum decem millibus possit occurrere ei? His etiam se fallunt, qui diuina, vt ablegent, longissima consultationis spatia trahunt. Vniuersos pungit D. Clem. Alexand. in adhort. vbi fatur. *An iniuria sit facienda, non valde estis soliciti, sed quam primum iniuriam facitis. Solum autem, an Deus sit colendus, quæritis, & an Deus, & Christus sit sequendus, hoc consultandum, & considerandum esse censetis.* Occasiones quærit à Deo deficiendi, qui consultationis terit spatia; si quæ res inconsulto arripienda esset, is est vnus Deus, qui adeò bonus, & cuius bonitas adeò euidens, vt miseri sint, qui ad eum ire cunctantur. Prudentissima sponsa Cant. 3. vt quærat Dominum, domo egreditur, per vicos, & plateas quærit illum, & tunc ait: *Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem. Num, quem diligit anima mea, vidistis? Paululum cum pertransissem eos, inueni, quem diligit anima mea.* Disce, qualis sit prudentissimæ fœminæ consultatio, vt Deum quærat; in primis nemine consulto, domo egreditur sua, quærit sponsum, inter quærendum obiter offendit vigiles, quos etiam inter quærendum & obiter consulit. Non enim consultatio adeò est necessaria ad Deum sequendum, sed inter sequendum bona est consultatio, non qualis est consultatio mulierculárum, quæ integrum diem consumere vellent ante pedes Patris spiritualis, nescio an spiritu, an carne alligatæ; sed qualis est consultatio prudentissimæ sponsæ obiter, & in transitu. Id docebat Gillibertus Abb. serm. 7. in Cant. aiens. *Vtilis quidem consultatio, & frequenter, quod non confert eorum, qui consuluntur, eruditio, consulentis meretur humilitas. Bonum est, vt sis ad quærendum sedulus, non tamen assiduus. Nam & sponsa, non tam studio, quam occasione custodes interrogat, & id in transitu.* Itaque inter virtutum studia vtilis est aliqualis cõsultatio, imò pluribus necessaria, at vt absolute Deum sequaris, quæ consultatio expectanda? Cuiusuis consultationis moras in his, quæ ad Deum pertinent, suspectas habe; & fuge quamplurimum consultationem prudentiæ carnalis. De qua eleganter aiebat Tertullian. *Quam sapiens argumentatrix sibi videtur ignorantia humana, præsertim cum aliquid eiusmodi de gaudijs, & de fructibus sæculi metuit amittere?* Sed age, videamus prudentis sæcularis orationem aliquam pro virtutibus actam. Ita D. Max. Taurinensis serm. 93. fatur. *Quibus cum ieiunium indicitur, de intemperie se temporis semper excusant. Dicunt enim, AEstiuis mensibus dies longa est, torrentior sol est, sitim ferre non possumus, poculis nos refrigerare debemus. Hyemis verò tempore, graue frigus est, rigores sunt pessimi, algorem tolerare nequimus, escis calefieri nos oportet. His autem ipsis hominibus cum dixeris, vt aliquid pauperibus largiantur, statim tibi obijciunt: Necessitates infinitæ sunt, tributa sunt grauia, fiscalia explicare non possumus; & tantæ ingerunt, vt quasi reum te statuant, cur hoc ipsum illos volueris commonere.* Huc spectant omnes consultationes prudentiæ humanæ, vt te à virtutis viis arceant. Cl. Alex. Cant.3. Gillibert. Tertull. Maxim.

§. IX.

Totum diuinæ gratiæ ascribere debemus, quod sequamur Iesum. Vbi, quàm gratis cœlestia acquirantur.

CVr tam celer Matthæus respondit Iesu vocanti, an quia eo tempore vocatus est, quo ex se aptior, & paratior erat ad respondendum? Absit: imò ideo de telonio vocatur, quando ipsi operi sedens incumbebat, quando magis feruebat opus, ne videretur Deus expeditioris, & paratioris egere; sed illius esse gratiæ homines, & aptari, & expediri, & viam capere, & cursum consummare. Sic Tyrium Regem, siue deciduum Angelum monet Dominus apud Ezech. 28. fatus. *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum: sardius, topazius, & iaspis, chrysolitus, & onyx, & beryllus, sapphirus, & carbunculus, & smaragdus, aurum opus decoris tui: & foramina tua in die, qua conditus es, præparata sunt.* Quibus expendo, quod non solùm fuerint Dei dona, tot pretiosi lapides, sed quod etiam ipsa foramina, hoc est aptitudo, Ezech.28.

tudo, & capacitas recipiendi illos, à Dei prouenerint gratia. Ait enim, *& foramina tua præparata sunt:* non te ipse aptasti recipiendis lapidibus, sed qui dedit ornatum, dedit & aptitudinem, & capacitatem. Huc adest Franco Abb. tom. 1. de Gratia, dicens: *Huius ergo foramina, in die conditionis non à se ipso, sed manu conditoris sunt præparata: per quæ diuinitus infusa sapientia, Tyrium principem erudiret, diuina sibi gratia collatum esse, quod ad similitudinem Dei refulgeret.* Non laboris tui, non expensarum tuarum est, quod diuina, & cœlestia possis emercari. Humani equidem sumptus non est, quod possimus negotiari diuina, id muneris est diuini nos vocantis, excitantis, allicientis. Vt peccato seruias, multis id efficis pecuniis tuis, multis bonorum dispendiis, multis sæpe salutis, & vitæ incommodis, verum vt Deo apteris, & cœlestia obtineas, id ex Deo gratis habes. Compone modo tibi Synagogæ principes volentes perdere Iesum, ad hoc pecunias exhibent, nec antea de habendo Iesu tractant, quam de pretio traditori dando. Sed bonus ille Ioseph ab Arimathæa Matth. 27. *Hic accessit ad Pilatum, & petyt corpus Iesu.* Petiit vtique sibi dari gratis. Cur illi pecuniam spondent pro Iesu, hic Iesum sibi gratis dari efflagitat? Iudæi perdere Iesum cupiunt, & quisquis perditioni studet, multis pecuniis, multis bonorum suorum sumptibus id agit. Ioseph volebat æternam sibi salutem negotiari, ideo petit corpus Iesu sibi gratis dari, quia talis negotiatio in gratia debet fundari. S. Laurentius Iustinian. de triumphali Christi agone, cap. 21. ait. *Illud sibi donari poposcit, sperans locupletum meritorum cumulum, se in sublimibus cælorum mansionibus posse mereri.* Etsi diues, etsi possessionibus mundi plenus, non diuitiis, non pecuniis exhibitis, non pacto pretio fundamentum, quo mereri possit æterna, quærit, sed id expectat gratis sibi dari. Componite modo ex Luc. cap. 18. Pharisæum orantem, & publicanum pœnitentem. Pharisæus ait: *Ieiuno bis in Sabbato, decimas do omnium, quæ possideo.* Publicanus nihil dat, nihil offert, sed solum inquit, *Propitius esto mihi peccatori.* Cur ille decimas bonorum datas à se meminit, hic nihil à se datum meminit, ipse postulat sibi indulgentiam? Equidem ille vanitatis ventos emebat, in qua emptione magnum erat bonorum dispendium faciendum: hic vitam æternam negotiatur, & Dei gratiam procurat, in quo negotio nihil perditur, nihil insumitur, sic omnia nostra seruantur in thesauris æternis, vt omnino gratis videantur nobis obuenire cœlestia. Huc spectat D. Basil. Sel. orat. 35. fatus. *O publicanum clementiæ mercatorem! O publicanum, qui de portu felicitatis rectè vectigal petit! Docuisti vectigalium redemptionem, iustitia valentiorem; non desiisti vectigal poscere, dum Christum ipsum vectigalem fecisti.* In cœlestium negotiis non tam damus, quam accipimus; potius exactoris, quam mercatoris munus fungi videmur; mercator data pecunia accipit merces; exactor totus est in accipiendo: sic homo nihil habet à Deo, quod non acceperit, & præ acceptis vix reperitur, quod dederit.

Franco. | Matth. 27. | Laurent. Iustin. | Luc. 18. | Basil. Sel.

Text. Et factum est discumbente eo in domo, ecce multi publicani, & peccatores venientes discumbebant cum Iesu, & discipulis eius.

§. X.

Diuina gratia è reprobis sceleratorum moribus dulcissimas Deo sciuit conficere dapes.

VIdisti paulò ante Matthæum amarulentis diuitiarum curis deditum; vide modo ab ipso dulcissimum Deo parari conuiuium. Dixi ab illo conuiuium Deo parari, dixissem satius ex illo; etenim non tam Deus vescitur dapibus, quam redditu peccatoris. Pulchrè D. Chrysolog. ser. 29. *Discumbebat Iesus plus in Matthæi mente, quam sigmate; & epulabatur non cibis, sed redditu peccatoris.* Quid magis felleum, quam peccatum? Quæ amarior myrrha inueniri Deo potest, quam est peccator? Hanc, cum gustasset in cruce, noluit bibere; reprobans ex tunc eos, qui amarore sunt repleti peccati. Et nihilominus diuina gratia, sic nouit coquere per pœnitentiam peccatores, vt ex deprauatis, & reiectitiis fæcibus, melle manantes dapes Deo paret. Bona illa mater Rebecca, vt parentis benedictionem filio suo Iacob acquireret, sic filium suadet. Genes. 27. *Affer mihi duos hædos optimos, vt faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter vescitur.* Hoc mysticè acceptum de cibis Deo ab Ecclesia paratis, maximam mouet quæstionem, cur promittat se ex hædis facturam escas, quibus Deus libenter vescatur. An hædus potest placere Deo? Nónne Deus hædos à sinistris positos, & diris, & maledictis prosequitur? Ea tamen est, & potestas, & sapientia diuinæ gratiæ, quæ ex hædis, & deprauatis hominibus dulcissimum epulum parent, quo Deus libenter vesci gaudeat. Accipite Franconem Abb. tom. 3. de Gratia. *Verè sapiens mulier, quæ sic nouit hædos coquere, sic condire, vt gratiam ceruorum consequent, aut etiam superent. Gaudium enim est Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis. Sic, sic satagit gratia.* Sic nouit hædos parare, vt ex illis eos cibos Deo faciat, quibus Deus libenter vescatur. Iam olim de gratiæ condimento cinis Deo sapiebat super frumēti adipem, cur etiam hædus si à gratia condiatur, pro pretiosis escis non sapiat? An erat Dei vox illa, Psalm. 101. *Cinerem tamquam panem manducabam?* Accinit D. Bernard. serm. 71. in Cant. fatus. *Cibus eius pœnitentia mea, & cibus eius salus mea, cibus eius ego ipse. An non cinerem tamquam panem manducat? Ego autem, quia peccator sum, cinis sum, vt manducer ab eo. Mandor, cum arguor, glutior, cum instituor, digeror, cum transformor, vnior, cum conformor.* O diuinæ gratiæ ingenium! Hædos inuenit, & gratissimas Deo ex illis conficit dapes: cinerem inuenit, & apponit Deo pro frumenti adipe. Sicque omnia immunda condit, vt non solum his Deus vescatur, sed & illa, vt gratissima sibi obsonia amicis suis offerat in pabulum. Esuriebat Petrus, Act. 10. *Et vidit cælum apertum, & descendens vas quoddam velut linteum magnum, quatuor initys submittit de cœlo in terram. In quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cæli.* Ecce tibi quale ferculum amico suo paret Deus ex serpentibus terræ; expauit Petrus ad ferculi aspectum, aiens, *Absit Domine, nunquam manducaui omne commune, & immundum.* Escæ immunditiam abominatur, dum non videt diuinæ gratiæ condimentum; nouit diuina gratia ex serpentibus conficere Deo pretiosas dapes. Vnde cœlestis vox ait, *Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris.* Non est immundum, non est reprobum, quod cœlestis condit gratia, ipsa dum hædos decoquit, dum serpentes lauat, dum immunda condit, ex illis conuiuia Deo digna parat. Ideo post Petri fastidia: *Statim receptum est vas in cœlum.* Bene cœlesti conuiuio reseruatur, quidquid Dei gratia fuerit purificatum.

Chrysol. | Genes. 27. | Franco. | Psal. 101. | Bernard. | Act. 10.

§. XI.

Nusquam intempestiuum est studium salutis acquirendæ.

ETiam inter manducandum Saluatoris nostri opera in excipiendis peccatoribus elucent; vt doceamur nullum esse tempus, vel opus acquirendæ saluti intempestiuum. Dauid Psal. 118. vt suum de salute studium commendaret, inquit: *Præueni in maturitate*, quasi nulla præuentio quantumuis festinata possit esse non matura. Explicatius id docet Græcus, dicens: *Præueni ante horam*, hoc est, vt saluti studerem meæ, non obseruaui tempus, sed quodlibet tempus habui tempestiuum. His obstat illud Ecclesiastis cap. 3. vbi fatur: *Omnia tempus habent; & suis spatys transeunt vniuersa sub cælo.* Obseruandum ergo est tempus in omni studio. Vana ergo erit quælibet præuentio ante horam? Equidem vana erit ante horam præuentio rei, quæ sub cœlo est; at cum Christus Dominus hominum saluator sit supra cœlum, nullus illi tempestiuior accedit, nisi cui nullū tempus, & opus intempestiuum est. Audite D. Ambros. ibi sic loquentem. *Præueni ante horam nesciens in obseruationibus Domini tempus esse aliquod, sed semper in ipsis sum: siue manducamus, siue bibimus, Christum annuntiemus, Christum rogemus, Christum cogitemus: sed forte dicas, quomodo scriptum est; tēpus omnibus, & tempus omni rei sub cœlo est? Sed Dominus Iesus supra cœlum est, nullo circumscriptus est tempore.* Sanè si tempus aliquod obseruandum esset, vt Christi lucrum fieret; latroni illi omne penè effluxerat tēpus salutis, & paululum, quod supererat, multum erat acerbum, & immaturum. Quo respectū fuisse crediderim illo prouerbio Ierem. 31. *Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerūt.* Acerbissimus, & maximè acidus erat Iudæis botrus Cypri Iesus pendēs à Cruce, cuius sanguis super filios eorum cecidit, quando vastata à Romanis concidit vrbs. Eo igitur tempore tam acido, iam immaturo accedit latro ad Iesum, & tamen perfecta obtinet salutem. Quod miratus D. Athanas. homil. in Parasc. ait, *O latro fidei parturitionem non egere tempore ad partum, manifestans.* Felix fidei parturitio, quæ quouis tempore matura est: in omnibus

Psal. 118. | Eccles. 3. | Ambros. | Ierem. 31. | Athanas.

omnibus rebus,quæ ſub ſole ſunt,dantur partus immaturi, abortiui fœtus; ſola fides eſt, quæ dum pariat,ſemper mature parit. Nullum tempus intempeſtiuum, nullus partus immaturus, quando omnia tempora virtuti data, ſunt nulla malitiæ. *Matth. 8.* Neſariſſimus ille apud Matth 8.obiiciebat Chriſto: *Veniſti ante tempus torquere nos*, quaſi eſſet tempus deſtinatum perfidiæ, quo Domini aduentus eſſet intempeſtiuus. Erant miſeri in mon,mentis claaſi, & offendebantur præmaturo aduentu dominico; quos eleganter pungit, & arguit Chryſol. ſerm. 16. *Chryſol.* *Tempus abſcindit, præuenit mortem: ſepelit viuos crudelitas immatura: & de tempore quæritur,quaſi ante tempus habere debuerit, & non vt exorto eſt mox puniri.* Nullum tempus eſt,quo malitia non debeat expungi;numquam non tempeſtiue expugnantur vitia, non nouit fidei partus nouem menſium faſtidia; non longas moras expectare. De fidei partubus quam verè dicerent obſtetrices Ægyptiæ Exodi 1. *Exod. 1.* *Non ſunt Hebrææ ſicut Ægyptiæ mulieres: ... ipſæ enim obſtetricandi habent ſcientiam, & prius,quam veniamus ad eas, pariunt.* Sanè non eſt Dei gratia, vt cæteræ matres, ipſa nihil indiget expectare, ante horam præuenit in maturitate, & omni præuento tempore tempeſtiuè parit. Chryſoſtom.apud Damaſcenum lib.2.Parallelorum ait. *Tempore non eſt opus ei, qui ... ſuo deſiderio tenetur.*

§. XII.

Periculoſum eſt ſola victus corporalis cauſa Chriſti adeſſe altaribus.

MVltos publicanos audio veniſſe ad Chriſtum occaſione conuiuij, non veritatis amicos, ſed menſæ: quo non poſſum non meminiſſe, & cum dolore meminiſſe, quàm plurimos Chriſtianos, qui ſola victus cauſa non tam vadant ad Chriſtum,quam inuadant altaria Chriſti. Scribæ, & Phariſæi receptis aureis, quibus traditus fuit Chriſti ſanguis, Matthæi 27. *Matth. 27.* *emerunt ex illis agrum figuli in ſepulturam peregrinorum*, quaſi totum pretium diuini ſanguinis ad ſolam corporum tutelam transferre mallent. Quod virus Chriſtianos etiam peringens putat D.Anaſt. Sinaita lib. 4. *Anaſtaſ.* de rectis fidei dogmat. his verbis: *Pretio quidem æſtimatæ libertatis, quod penes ſe quiſque noſtrûm receperat, ſumus abuſi. Pretium autem oppreſſi eius, qui erat liber, factum eſt peregrinis in ſepulturam, vt eorum ſeruet corpora.* Abutitur Chriſti ſanguine, qui altari ſeruit, qui ſequitur Chriſtum ſola cauſa temporalis victus. Vtinam talis abuſus non præbeat occaſionem finali repulſæ. Hoc periculum oſtendens Dominus, Luc. 13. fatur. *Luc. 13.* *Tunc incipietis dicere: Manducauimus coram te, & bibimus, & in plateis noſtris docuiſti. Et dicet vobis: Neſcio vos vnde ſitis: diſcedite à me operarij iniquitatis.* Quod ne innotatum tranſeamus, clamat D.Ambroſ.lib.de Cain, & Abel, cap. 5. *Ambroſ.* *Audiſtis, quid de manducantibus dixerit?* Hanc metuant mercedem ſui laboris, nimirum finalem repulſam, qui de tota Chriſti ſequela hoc habent ſolum, quod de altari, de Chriſti pretio, manducant, & bibunt. Accipe querimoniam D. Bernard in Pſalm. *Bernard.* *Qui habitat*, ſerm. 6. *Ipſa quoque Eccleſiaſticæ dignitatis officia in turpem quæſtum, & tenebrarum negotium tranſiere, neque ſalus animarum, ſed luxus quæritur diuitiarum. Propter hoc tondentur, propter hoc frequentant Eccleſias, Miſſas celebrant, Pſalmos decantant. Pro Epiſcopatibus, & Archidiaconatibus, Abbatijs aliiſque dignitatibus impudenter hodie decertatur, vt Eccleſiarum reditus in ſuperfluitatis, & vanitatis vſus diſſipentur. Supereſt, vt reueletur homo peccati, filius perditionis, &c.* Et merito ex Bernard. nemo proximior filio perditionis eſt, quam qui ſanguinis Chriſti pretio ſic abutitur, vt illo ſolum corpori ſtudeat curando.

§. XIII.

Anni multi docent miſericordiam in peccatores.

SEueriſſimus vltor eſt peccatorum iuuenilis ardor:& nimius erroris plectendi rigor ſemper nouitius eſt in diſciplina Chriſtiana. Ieſus meus, vt adoleuit ætate, publicani menſis accumbit, & recipit publicanos, & peccatores. An non ille eſt Ieſus, qui puer, nec naſci, nec portari patitur niſi ex Virgine Maria a iuſto Simeone, à propheteſſa Anna, a Ioſeph ſanctiſſimo putatiuo patre? Cur modo non ſolum a iuſtis, ſed & peccatoribus patitur tractari? An hoc illi dederunt, quoad nos, aucti anni? *Bernard.* Sanè D.Bernard.ſerm. de Purificat. notans Ieſum infantem inter ſanctos,& pios virgineis portari manibus in templum;& adultum, & prouectæ ætatis virum ſedentem aſſelo, popularibus frequentem, intrare in ſanctam ciuitatem, ſic fatur. *Nullum ibi locum peccator habuit, omnes fuere perfecti, omnes iuſti, omnes ſancti: ſed numquid hos tantum ſaluabis Domine? Creſcit corpus, creſcit & miſeratio, homines, & iumenta ſaluabis, cum multiplicaueris miſericordiam tuam, Deus. In ſecunda iam proceſſione præeunt turbæ, turbæ ſequuntur, nec virgo portas, ſed aſſellus. Neminem ito iam dedignator, nec ipſos, qui computruerunt, tanquam iumenta in ſtercore ſuo.* Perfectiſſimus erat Ieſus à primo conceptionis ſuæ inſtanti: tamen quo ſenſu verum eſt, quod Ieſus creſcebat ætate, & ſapientia, ſic & creſcebat miſeratione, quaſi de augmento annorum haberet, quod peccatoribus conniueret, & parceret. Etenim quo plures viuimus annos, difficiliorem noſcimus innocentiam, & tot ſcatere naturam humanam peccatis, vt ſi de omnibus eſſet vindicandũ,nullus eſſet ſaluandus. Adulteræ accuſatores Ioann. 8. ſic conuenit Dominus: *Ioann. 8.* *Qui ſine peccato eſt veſtrûm,primus in illam lapidem mittat.* Nonne monet, quod vbi innocentia quæritur, omnes ſuperſederint à rigore iudicij, & abiuerint? Sed illud expendo, quod notanter addit textus, nimirum: *Vnus poſt vnum exibant incipientes à ſenioribus.* Ecce tibi ſeniores incipiunt diſſimulare legis rigoroſam vindictam. Cur ſeniores? Pulchrè D. Ambroſ. epiſt. 58. *Ambroſ.* *Quod ipſi plura haberent crimina qui diu vixerunt.* Iam enim oſtendunt multi anni multitudinem criminum, vt neceſſum ſit multiplicari miſericordiam, niſi velint omnes perditum ire. Monſtruoſa res eſt nimia ſeueritas,& rigor in eo, qui diu vixit, quandoquidem multi anni nil citius docent, quàm miſericordiam eſſe neceſſariam. Daniel cap.7. ait, *Daniel. 7.* *Aſpiciebam donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit, veſtimentum eius candidum, quaſi nix, & capilli capitis eius, quaſi lana munda.* Quæſtionem multis facit, cur cani tanti iudicis comparentur lanæ mundæ? Vbi & throni,& iudicij aſpectus,& fluuius igneus ab ore egrediens ſeueritatem, & rigorem halant, cur capilli ſenectutis ſedes multorum annorum indices ſimiles dicantur lanæ mundæ? Pulchrè reſpondet Rupert. in Apocalypſ. cap. 1. *Rupert.* *Videlicet, quia verba illa ſancta ſunt, & munda. Vnde & illud: Lex Domini immaculata conuertens animas. Conuertens, inquam, animas, & lauans illas ab omnibus peccatis.* Et quidem nullibi certior eſt remiſſio peccatorum, quam inter canos, inter albentes præ ſenio capillos manſuetudo, & benignitas in peccatores candicat.

§. XIV.

Peccator, qui Chriſto accedit, iam deſinet eſſe peccator.

PEccatores venientes ad Ieſum diſcumbebant cum eo, & diſcipuli eius; ergo & peccator Ieſu aſſidet? Papæ, qui peccator eſt, vbi Ieſu aſſidet, iam deſinet eſſe peccator. Luc. 15. dicitur, *Luc. 15.* *Erant appropinquantes Domino publicani, & peccatores, vt audirent illum: & murmurabant Phariſæi, & Scribæ dicentes; Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* Malè aiunt, recipit peccatores:eo enim quod ad Chriſtum veniant,quod appropinquent Chriſto, & recipiantur ab illo, iam peccatores eſſe ſinunt. Sic Chryſolog. ſerm. 168. *Chryſol.* *Recipit peccatores Deus, ſed Deus peccatores eſſe non ſinit, quos recipit: peccator Deum non valet appropinquans, Deus peccatores ſanctificat.* Is eſt Deus noſter? is eſt Ieſus, qui ſecum non patiatur eſſe peccatores, qui exuant peccatorum vincula. Aiebat vtique aliquando Dominus: *Ego ſum via*, inquam, in qua nullus ambulat, qui non ambulet in luce, in qua omnes maneat ſalus, & vita. Quo ſpectans Iſaias cap. 31. ait, *Iſai. 31.* *Et erit ibi ſemita, & via; & hæc via ſancta vocabitur, non tranſibit pollutus per eam.* Expende illud, non tranſibit, non ait, non veniat pollutus ad illam: admittit enim hæc via pollutos, admittit peccatores, ſed vt peccatores, & polluti deſinant eſſe, vbi gradum faciunt in illa. Gualricus Abb. ſerm.5. de Aduentu. *Gualric.* *Veniat quamlibet pollutus ad eam, non tranſibit pollutus per eam, quia cum tranſierit, iam pollutus non erit. Admittit ſane via ſancta pollutum, ſed ſtatim abluit admiſſum.* Non permanet peccator, qui accedit ad Chriſtum qui eſt vera via vitæ; via inquam, quæ mundat ſtatim gradientes ſimul. Vbi Matthæus patres recenſet, per quos Ieſus ad nos venit, ait: *Dauid autem genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ*, quaſi memoret Dauidis homicidium, & adulterium; non ſic Lucas, imo cap.3.prætermiſſo Salomone, ait: *Luc. 3.* *Qui fuit Nathan, qui fuit Dauid*; in Nathan nomine Prophetæ nomen memorans, qui Dauidis

adulte

adulterium, & homicidium castigauit, & obiurgatione sua fecit expungi. Cur ergo Matthæus peccata obiicit, & Lucas peccatorum abolitionem memorat, nisi vt pateat, quam desinant peccatores esse, vbi Christo accedunt? Suscipit equidem Christus peccatores, vt sanctos reddat: suscipit
Anselm. peccatores, ne amplius peccatis hæreant. S. Anselm. in verba dicta Lucæ fatur. *In generationibus Matthæi significatur nostrorum susceptio peccatorum à Christo Domino; in generationibus autem Lucæ designatur nostrorum abolitio peccatorum. Proinde Matthæus à Dauid per Salomonem descendit, in cuius matre ille peccauit; Lucas verò ad ipsum Dauid per Nathan ascendit, per cuius nominis Prophetam Deus peccatum illius expiauit.* Vbi enim susceptos à Iesu dicunt peccatores, necessum iam erat similiter poni & abolitionem peccatorum. Quippe in tantum durant peccata in cordibus hominum, in quantum non suscipiuntur, vel saltim aspiciuntur à Christi oculis.
Cant. 1. Cantic. 1. *Nolite me considerare, quod fusca sim, quia decolorauit*
Ambros. *me Sol.* Longè aliter ait D. Ambros. in Apolog. Dauid cap. 8. vbi sic: *Quia non est intuitus me Sol*, quasi totam causam nigredinis suæ refundat anima in absentiam diuini Solis, si enim Sol diuinus vel aspexisset nigerrimos peccatorum vultus, in fulgentem candorem transmutaret, vt qui vel in-
Idem. tuitu potens sit Æthiopes dealbare. Ita Ambros. *Ergo fuscamur quando non videmur à Christo, sed quando videmur, albescimus.* Non potest peccatorum nigredo permanere, vbi fulgentissimus Christi Sol adest.

Text. Et videntes Pharisæi dicebant discipulis eius: Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat magister vester.

§. XV.

Nemo peccatori durior est, quàm alius peccator.

IESVS bonus, & impeccabilis Deus ad se peccatores recipere dignatur, quos acriter dedignantur, & mordent Pharisæi omnibus pleni peccatis. Nemo durior, nemo immanior aduersus peccatores existit, quam qui est ipse peccator. Dauid, vt se peccati reum nouit, vehementer cupi-
1. Par. 21. uit Deum sui esse vltorem peccati, ait enim Paralip. 1. c. 21. *Melius mihi est, vt incidam in manus Domini, quoniam multæ sunt miserationes eius, quam in manus hominum.* Quod ponde-
Ambros. rans eleganter D. Ambros. in Psalm. 37. fatur. *Miseretur enim, qui nescit errare, non miseretur, qui erroris est particeps.* Vbi peccatum regnat, ibi immisericordia, ibi inclementia, ibi crudelitas. Ionam fugitiuum à Deo voluit Deus simul duriter castigare, & simul per mare incolumem ducere in Niniuem: pro vtroque Dei consilio implendo, ecce tibi hinc adsunt nautæ cum nauigio, illinc immanis Balena paratur. Quæsierim modo à te, cum & supplicium dirum Ionæ immineat, simúlque incolumitas nauigandi asseruetur, vter supplicium dabit, nauta cum nauigio paratus, an Balena præparata? Nónne incolumitas satius speraretur à nauigio nautæ, quàm a Balena? Nónne supplicium timeretur amplius à Balena, quàm à nauta? Proh hominum impiorum mores! Nauta in nauigio accipit Ionam, & audiens Deum iratum, sic peccantem castigat, vt mari, & belluæ tradat. Bellua autem vorans Prophetam, illi nauigium extitit, quo
Sedul. incolumis asseruatur. Præclarè Sedulius lib. 1. Paschali cap. 15. ait, *Nauta feritatem præbuit, fera nauigium ministrauit.* Nemo ferior, quam peccator ad peccatores castigandos.
Ioan. 20. Hinc Dominus Ioannis 20. *Veniens ad discipulos insufflauit eis, dicens: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Cur non antea peccatorum susceptionem illis permittit, quàm eorum animis immittat Spiritum sanctum? Sanè, & illis in cœna corpus suum manducandum exhibuit, nec prius insufflauit, vt acciperent Spiritum sanctum, & modo vt commendet peccatorum susceptionem, prius communicat Siritum sanctum? Cauet sibi Dominus à natura labili in negotiis peccatorum tractandis. & ideo nulli hominum credit remissionem peccatorum, nisi prius diuinum, & verum remissorem Spiritum sanctum
Chrysol. eorum imprimat animis. Ita Chrysolog. serm. 84. fatur. *Dedit potestatem remittendi peccata, qui insufflatione sua infudit ipsum cordibus eorum, & largitus est remissorem.* Non antea commisit hominibus peccatorum remissionem, quàm eorum animis insertus est verus, & diuinus remissor, de cuius virtute haberent, quod prospicerent peccatoribus. Nec mysterio vacat, quod illi ipsi Petro, cui tradidit regni cœlorum
Matth. 26. claues, dicat Matth. 26. *Conuerte gladium tuum in locum suum,* quasi vna manu tradat claues, & alia gladium claudat, & teneat in vagina, vt sciat claudendum esse gladium ab eo, qui peccatoribus prospicere habet. Vnde D. Bernard. lib. 4. Bernard.
de Consid. *Dracones, inquies, me mones pascere, & scorpiones. Propter hoc, inquam, magis aggredere eos: sed verbo, non ferro. Quid tu demum vsurpare gladium tentes, quem semel iussus es ponere in vaginam?* Cauet sibi Deus ab hominibus, ne illis peccatores tradat, quin prius & recondat, & claudat gladios, & Spiritum illis infundat sanctum, qui nescit percutere, sed parcere.

Text. At Iesus audiens ait: Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus.

§. XVI.

Indulgendum est aliquid peccatoribus, vt inde ad salutem trahantur.

QVo quis infirmior est, eo ibi magis monstranda medicorum sapientia, non solum cædendo, sed etiam indulgendo, sæpius enim indulgentia, & permissio, quæ extra medicinæ regulas videbatur, deploratum pene infirmum ad sanitatem traxit. Vnde crediderim nunquam magis necessarium esse medicum peritum, qui sciat optime vti, & abuti medicinæ arte, quam vbi infirmus est desperatus. Ita similiter diuinus medicus animarum nostrarum nullibi magis floret, quam inter nefarissimos peccatores, inter quos manducans, & bibens, per indulgentiam videtur quasi abuti salutis arte, sed in hoc abusu apparenti maxima ponitur medendi ars, qua peccatores ad salutem trahit. D. Chrysost. epist. 5. ad Theodorum lapsum sic fatur. Chrysost.
Quemadmodum optimi medici difficili, diuturnóque morbo decumbentes, varijs medicinis ad sanitatem restituunt, non semper vtentes arte, interim enim non nihil cupientibus diuersa, obsecundant: sic Deus vehementer corruptos non impellit magna vt ad virtutem, sed mansuete, & sensim promouet, imo plerumque portat, ne immanior scissura fiat, aut error productior. Expende illud magnorum medicorum ingenium, cum deploratis, nimirum, *non semper vtentes arte*; imo sæpe seruientes infirmorum cupiditatibus, ad quod maximè requiritur medici prudentia. Et quidem vbi desperati infirmi, & vehementer corrupti peccatores curandi erant, ibi maximè necessarius diuinus fuit medicus, qui summa prudentia, dum videtur seruire diuersa cupientibus, & indulgere humanis cupiditatibus, arte sine arte illorum salutem procurabat. Duo erant vterini fratres, Esau, & Iacob, ille homo ferus, & suis seruiens cupiditatibus, hic mitis homo, virtutisque studiosus erat. Isaac autem vtriusque pater plus in Esau inclinabat fauores suos, adeò vt Genes. 27. dixerit Genes. 27.
illi: *Affer mihi de venatione tua, & fac cibos, vt comedam: & benedicam tibi coram Domino.* Ecce totum benedictionis suæ fauorem bonum pater in deteriorem filium inclinat. An ignorabat illum esse deteriorem, quando sic illi indulgebat? Absit; imò, quia nouerat deteriorem esse, ideo indulgentius in illum inclinabat, cupiens fauoribus mederi tantæ plagæ. Ita Philo Episc. in Cat. Græca fatur: *In deteriorem filium deflectit pater benedictionem, non quia meliori præferret: sed præuidens alterum sua virtute semper felicem fore: alterum suis moribus prolabentem in peius benedictionis pedamento indigere.* Bonus pater, qui toto cordis affectu currit ad deteriorem filium, vt fauorum, & indulgentiarum esca ad frugem trahat meliorem. Bonus medicus, qui scit per indulgentiam, & expectationem ingrauescentibus cedere morbis, vt nactus occasionem ad medelam vocet. Electus ille mundi restaurator Noë post diluuium emisit columbam ab arca, quæ non inueniens, vbi quiesceret pes eius, reuertitur in sedem priorem. Tunc ille Gen. 8. *Expectatis autem septem diebus alijs rursum dimisit columbam.* Expende viri Genes. 8.
expectationem, & indulgentiam, emortuam vidit terram, & sepultam aquis, & nihilominus instat remediis præstandis, sed id quomodo facit? De modo peritissimi medici, qui ingrauescentibus morbis indulget, & expectat, vt sanet, pulchrè D. Ambros. ibi cap. 18. inquit. *Non desperat pro-* Ambros.
fectum. Sicut enim bonus medicus, etsi tempus medicinæ non sit, tamen visitationis speculam ante præmittit, deinde non negligit iuxta expectationis excubias, & paulisper passionibus cedens operitur facultatem medendi, quæ cum fuerit oblata, suum non intermittit officium. Accedit equidem medicus ad ægrotum ardenti febri correptum, & prorsus ineptum remediis, nec ideo illum deserit medicus, imo tunc visitationes frequentat,

tat, aſſidet infirmo, tentat linguam, pulſum explorat, notat ſigna morbi, expectat, & reexpectat, indulgens ſemel, & iterum affectibus, interea vbi occaſio tulerit, artem exerit, & applicat remedia. Sic bonus animarum medicus cum indulgentia, & expectatione conuentus peccatorum frequentet, & quaſi nihil curans notet morborum ſigna, & occaſionem nactus, officium non prætereat.

Text. **Euntes autem diſcite, quid eſt: Miſericordiam volo, & non ſacrificium. Non enim veni vocare iuſtos, ſed peccatores.**

§. XVII.

Cordialis virtutis affectus is maximè Deo gratus eſt.

CHriſto Domino publicanos, & peccatores excipienti opponunt Phariſæi cultus illos Iudaicæ religionis, qui ab immundorum communione arcent: quaſi hi omni tempore, & occaſione præferendi eſſent omnibus alijs operibus, & virtutum factis. Satius iudicarent exteriores homines, ſi legis interpretes prophetas habere voluiſſent, quorum vnus Oſeas aperte docet, quàm longè gratiora ſunt Deo, quæ ex miſericordia interna veniunt opera, his ritibus, & externis mundationibus populi Iudaici. Omnium enim gratiſſimum Deo eſt, quidquid intimam cordis virtutem ſapit. Princeps ille Synagogæ, cuius filia penè agebat animam, quam officioſus Chriſto Domino acceſſit, illúmque longis ſalutationibus adorauit: interim mulier hæmorrhoiſſa dicebat intra ſe, Si tetigero fimbriam eius, ſalua ero: hæc ſecum cogitans tangit, & ſtatim conſequitur ſanitatem. Princeps pro filia rogabat, adorabat; hæc nihil dicens extitit Deo gratior, ſiquidem diuina virtute ſtatim ſanatur. Tam potens eſt cordialis affectus animi ad Deum expiſcandum. Pulcrè Sedul. lib. 3. Paſch. cap. 11. *O quàm rebus arduis impetrandis, plus eſt confidere, quam rogare? Quippe venit ex corde fiducia, preces ex lingua: preces ſæpius ſine corde funduntur, fiducia ſine corde non naſcitur.* Quid ad Deum exteriores Iudæorum obſeruatiunculæ, quando & preces, & adorationes externæ minus placent, quam cordialis affectus animi? Quid plura? Mulier Chananæa mille buccis clamabat poſt Dominum: *Miſerere mei, fili Dauid*, & tamen ſemel & iterum repulſam patitur. Conſultior illa peccatrix accumbenti Domino in domo Simonis adeſt, illius ingeritur plantis, ore tacet, ſed rigat lacrymis, & Dominum propugnatorem, & peccatorum remiſſionem ſtatim habet. An, quia cor efficacius ad Deum loquitur, quam labia? S. Chryſoſt. homil. in peccatricem, & Phariſæum fatur. *Chananæa fortiter clamabat: Miſerere mei, fili Dauid. At peccatrix hæc non clamorem edebat, ſed conſiderans, quod ipſe omnia, vt Deus noſſet, ſilens ore, corde cum cordis inſpectore loquebatur, & plorans deoſculabatur pedes, atque Dominum ad ſui compaſſionem, indulgentiámque induxit.* Vnus cordialis affectus potentior eſt ad mouendum Deo præ omnibus externis ſacrificiis, indéque miſericordia plus placet, quia plus de corde habet, imò, quia eius ſedes in corde ſita eſt. Hinc apud Danielem cap. 3. in fornace Babylonis poſitus Azarias, ſic orat. *Non eſt in tempore hoc princeps, & dux, & Propheta, neque holocauſtum, neque ſacrificium, neque oblatio, neque incenſum, neque locus primitiarum coram te, vt poſſimus inuenire miſericordiam tuam: ſed in animo contrito, & ſpiritu humilitatis ſuſcipiamur. Sicuti holocauſto arietum, & taurorum, & ſicut in millibus agnorum pinguium: ſic fiat ſacrificium noſtrum in conſpectu tuo, vt placeat tibi, quoniam non eſt confuſio confidentibus in te. Et nunc ſequimur te in toto corde.* Expende, quid pro vniuerſis ſacrificiis, & oblationibus offerat, nempe ſequelam ex corde: vbi enim cordialem affectum Deo tradamus, is gratior eſt præ omnibus ſacrificiis externis, & oblationibus legis. Exodi 35. iuxta Origen. hom. 13. ait, *Sumite a vobis ipſis redemptionem Domino, omnis, qui concepit corde, offerat initia Domino aurum, & argentum.* Super quæ verba eleganter addubitat Origenes. *Quid eſt quod dicit Moyſes, Offerte à vobis ipſis, & vnuſquiſque ſicut concepit corde? Nunquid intra nos aurum naſcitur, aut argentum?* Sanè non aurum quærit Deus materiale, ſed aurum cordis humani, vt nimirum, qui offerat, quidquid magis ſibi cordi eſt, quidquid pretioſius habet in corde. 2. Paralipom. 11. *Sed & de cunctis tribubus Iſrael quicumque dederant cor ſuum, vt quærerent Dominum Iſrael, venerunt in Ieruſalem ad immolandas victimas ſuas coram Domino Deo patrum ſuorum, & roborauerunt regnum Iuda.* Qui corda ſua dant Deo, ij poſſunt & Deum placare, & regna roborare.

Sedul. — Chryſoſt. — Daniel. 3. — Exod. 35. — Origen. — 2. Par. 11.

§. XVIII.

Quidquid Dei eſt, miſericordiam docet.

BEne ait Dominus, *Euntes diſcite, &c. Miſericordiam volo, &c.* Quoquo enim te vertas, ſi quid Dei attigeris, miſericordiam doceberis. Latro ille totus homicidiis deditus, vbi dominicæ aſtitit cruci, & ipſe ſublatus cruce ſic blaſphemum ſocium monebat Lucæ 23. *Neque tu times Deum?* Quocirca D. Chryſoſt. homil. de cæco nato ponderat, *Qui foris occidebat, hic timorem doces? Cognoſce Chriſti crucem, vt vox iſta te doceat pietatem.* Docent equidem omnia, quæ Dei ſunt, miſericordiam, crudeliſſimóſque homicidas videbis in clementiſſimos, & piiſſimos conuerſos. Sed cur crux Chriſti non doceat miſericordiam, quando & ipſa in florentiſſima Chriſti ſchola ſuprema extitit cathedra miſericordiæ? Accipe, quod mireris amplius, coruum miſericordiæ magiſtrum: coruus, inquam, in filios proprios duriſſimus datur à Deo Eliæ magiſter miſericordiæ, vt vel docente coruo addiſcat Elias parcere peccatoribus, contra quos famis ſupplicium contorſerat. Nota in hiſtoria apud 3. Reg. c. 17. vbi poſt adductam famem ſuper terram latitabat Elias obduratus in peccatores. *Corui quoque deferebant panem, & carnes mane, &c.* Quod meditatus Chryſoſt. hom. de Elia ait. *Per coruos illos filiorum oſores, apud Eliam, qui Iudæis, vt filiis malè frugi ſuccenſebat, Deus intercedit, quaſi ad eum ſilenter diceret. Ne tanto filiorum tuorum odio tenearis, quanto ergà pullos ſuos corui. Et ecce illi nunc conuerſi ſunt, vide vel eorum miſericordiam.* Itaque in vniuerſa creatura ſua aperuit Dominus ſuæ miſericordiæ ſcholam, vt de omni re ediſcerent homines & ipſi miſereri, & à Deo expectare miſericordiam. Sic Ionas in Niniuitas durus, dum fugit à Deo voratur à piſce. Quid plura? *Et orauit Ionas de ventre piſcis ad Dominum Deum ſuum.* Antequam voraretur, non orat ad Dominum, imò ipſe ſeſe condemnat, ipſe nautas adducit, vt abſque vlla ſpe veniæ mittat eum in mare. Et vbi deuoratus à piſce eſt, vbi in ventre piſcis agebat, iam orat, & incolumitatem petit, & miſericordiam expoſcit: an à piſcis viſceribus didicit miſericordiam? Rupert. ibi, ait, *Poſtquam in ventre piſcis ſe ſoſpitem eſſe ſenſit, non deſperat de Domini miſericordia.* Quis miſericordiam ignorat, quando & venter piſcis docet miſericordiam, & qui rebellem, & durum prophetam recepit, facilem, & diuinæ miſericordiæ ſubiectum euomuit? Diues durus, & immiſericors Luc. 12. cogitabat inter ſe, dicens, *Quid faciam? Quod non habeo, quo congregem fructus meos? Et dixit: Hoc faciam: deſtruam horrea mea.* Expende illud, *cogitabat intra ſe.* Quocumque ſe verteret, miſericordiam ediſceret: quare apud ſe cogitat, & ſe ſolum habet immiſericordiæ conſiliarium? Audi Chryſol. ſerm. 104. *Digno conſiliario ſe vſus, qui mali animi non poterat habere ſolatium, non poterat habere collegam.* Quidquid extra ſe inueniret, miſericordiam doceret, prædicaret. Sed age redeamus ad Eliam illum ſeueriſſimum peccatorum vltorem; quot puras illi à Deo magiſtros oblatos eſſe clementiæ? Accepit coruos, accepit pauperculam viduam, accepit tandem viduæ filium emortuum. Moritur filius viduæ 3. Reg. 17. vocatur Elias, vt remedium afferat mortuo, tunc ille de iuuene defuncto quæſtus, ſic ait ad Dominum. *Etiam ne viduam afflixiſti, vt interficeres filium eius?* Expende illud, *etiam ne*, magnam enim energiam habet, & ponderationem, quaſi nouerit à Deo omnia tentata eſſe, vt adduceret prophetam ad miſerationem: illi populi obiecit famem, illi coruos miſerentes obiecit, & tandem etiam addit tanti hoſpitis mortem. Accipite D. Baſil. Sel. orat. 11. apud quem ſic fatur Elias: *Video, quæ me machinamenta petas Domine, ſentio quibus à te artibus circumretitus ſim. Humanitate me reſpondere poſtulas, vt quum pro viduæ filio ſupplicauero: libera ô conditor filium viduæ: occurras & ipſe mihi hac concluſione: libera igitur, & tu filium Iſrael à ſiccitatis decreto. Sum tandem tuæ in homines charitatis diſcipulus.* Hic omnia Dei machinamenta ſpectant; vt fiamus diſcipuli eius miſericordiæ.

Luc. 23. — 3. Reg. 17. — Chryſoſt. — Ion. 2. — Rupert. — Luc. 12. — Chryſol. — 3. Reg. 17. — Baſil.

§. XIX.

Peccatores traxerunt Deum à cœlo in terram.

QVis iam contemnat homines peccatores, quando videat Deum non ob alias cauſas in mundũ deſcendiſſe,

quàm vt susciperet peccatores? Non paradisi florens iustitia, non incotrupta virginitas, non vniuersi virtuium chori Deum in terram alleaissent; eatitit peccator, & ecce tibi Genes. 18. Deus adest inter peccatores: Genes.18.ait Dominus: *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccata eorum magno valde: descendam igitur, & videbo.* Vt videat peccatores, descendere vult Dominus: cur non potius abscedere optat? cur non potius fugere à taoto malo tentat? An tota viderat mala sponsa, & ait, *Fuge, fuge dilecte mi, assimilare capræ, hinnulóque ceruorum?* Sanè Deus bone, sicut auis transmigrare debuisses in montem: quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas in pharetra, vt sagittent io obscuro te rectum corde. At tu ad peccatores descendis, vt videas opera peccatorum. Quam aliter Psal. 32. Psal.32. *De cœlo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum.* Eapende modo, & compone verba, illic ait, *descendam, & videbo*, in præsenti verò loquitur: *de cœlo respexit, & vidit*, non descendit, vt videret, sed de cœlo respexit; verùm respexit de cœlo filios hominum, nempe illos, in quibus noo degenerarat natura, in quibus integra erant omnia. Vbi autem intrante peccato, caro corruperat viam suam, & natura humana belluarum vestigia sequitor, noo à cœlo re- Basil. spicit Dominus, sed in terram descendit. Pulcbrè D.Basilius Magnus concioo. 8. in Psalm. ait. *Eos, qui manent in propria dignitate, & humanæ naturæ concatenatia sortiant, ex superius inspicit Dominus: eos verò, qui od extremam malitiam delati sunt, aliter visitat, per hoc quod ipse descendit.* O felix culpa, quæ talem meruit habere redemptorem! O felix culpa, quæ quod non potuere integræ naturæ virtutes, potuit è cœlo trahere ad nos Dominum! Aiebat sponsa Cant. 5. Cantic. 5. *Veniat dilectus meus in hortum suom, & comedat fructum pomorum suorum.* Quando ait, in hortum suum, crediderim paradisum prætendere, ibique omnigenas delicias, & cupedias ob oculos sponsi ponere, quibus allectus descendat. Nónne paradisus hortus Dei? Nónne paradisus traheret Dominum? Apage, quasi non suum repu- Genes. 3. tat Deus paradisum; paradisum homioibus dedit; *& tulit Deus hominem, & posuit in paradiso, vt operaretur, & custodiret illum.* Noo paradisus vitalibus diues arboribus est hortos Dei; hortus Dei mondus est plenus peccatoribus, in hunc hortum suum non hominem legauit, sed ipse descendit, vt operaretur, & custodiret illom. Et quem non traxit paradisi nemus, traxerunt peccatores, quippe sui. Isai. 58. Accipite modo Deum sic ad Isaiam loquentem, cap. 58. *Annuntia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Populum suum vocat eum, qui peccatis plenus est, nec cum vidit peccatorem, negauit suum; imò tunc præcipuè suum vocat populum, suum reputat hortum, quando peccatis scatentem nouit. Id meditatus D. Bernard. Bernard. lib.4. de consideratione sic loquitur. *Prudenter aduerte sceleratos perhiberi, & populum Domini: etsi scelerati, etsi iniqui, vide ne audias: Quod vni ex his meis non fecisti, nec mihi fecisti.* Peccatores suum popolom, & sua toties Deus vocat, ne quando Deom in sua venire audiamus, dubitemus quio illom traxerint peccatores. Luctabatur strenuus miles Iacob, luctabatur, inquam, cum Domino, crediderim, vt Deum ad terram deiiceret homo. Ecce tibi arena; ecce hinc, inde nubiles luctatores; hinc Iacob, illinc Deus, manus conserunt, sese complexibus implicant, brachiati pugiles sese frustra versant integra nocte. Quid plu- Genes. 30. ra? Ait Domious ad Iacob: *Cur quæris nomen meum?* Sed cur non quæreret nomen tam validi luctatoris? Cur non quæreret nomen validissimi bostis? Nomeo dat, nisi prostratus, nisi humi deiectus hostis, non est cuiuscumque prostrati Dei accipere nomen; hæc victoria solis continget validissimis peccatoribos. Crescent peccata, & deie- Isid. Pelus. cti ad terras Dei videbunt clara nomina. Sic apud D.Isidorum Pelus. lib.1. epist. 453. *Quod quæris nomen meum? quod nec legis est, neque eorum, quorum ætas legem antecessit, cognoscere: verum sero tempore, cum temporum plenitudo venerit, atque hominum scelera magnopere aucta fuerint, Iesus incarnatus nuncupabor.* Validissimis peccatoribus conjacet Deus, humique stratus illis suum nomen dat, quo sibi erigant trophæa, quo possint æternum triumphare. Tunc deiecti ad terram Dei victoria claret penes peccatores, quando hominum maiora sint scelera, & peccata, quorum robur solum possit habere Deom, cum quo cooferat manus, viréique suas, malitia, & bonitas metiantur.

CAPVT VI.

De Mariæ Magdalenæ conuersione.

ECCE tibi virginei Domini apparet insigne miraculum, quo Cypri fructus ea vineis Engaddi legit; hoc est meretricem fœminam in castitatis exemplar transtulit. Ea fuit Maria Magdalena soror Lazari, quæ vbi accepit Iesum Bethaniæ apud Simonem diuertisse, occasionem nacta, ibi Iesum cooniuaotem adit. Tum ipsi io lectisternio discumbenti retro astat, eiusdem pedes lacrymis lauat, capillis tergit, vnguento perfundit. Ne silentio obtegeretur facinus tantum, fecit Pharisæi murmur putantis Saluatoris ignorantiam, quod à tali fœmina talia vellet officia suscipere. Nam Pharisaicos cootundens Dominus fastus, duos opponit debitores, ambos ære alieno oneratos, fœneratiooi obnoxios ambos. Alter tameo maioris debiti reus, pluribus amicitiæ officiis maiorem debiti conditionem coëmit. Quod, vt deduceret Dominus pro præterito vsus est futuro, dicens, *Quis ergo plus diliget?* sese accommodans vsitatissimo modo, quo solemus tales efformare quæstiones, v.g. Ioannes fecit hoc, Petrus illud, quis sanctior erit? Tunc tamen non de futura, sed de præterita sanctimonia iudicamus. Similem perpẽdens quæstiooem Pharisæus solerter ex fœneratorum iogenio maiora putauit officia processisse in eo, cui plura animaduertit donata: non enim aliter fœneratores consueuerunt donare. Hinc Dominus ad illum; plurima mulieris officia recenset, quibus diuinum pectus iam emolliebat, imò ingentem debitorom solutiooem solicitabat, quam statim consecuta est, etsi multi condonatorem ignorantes admurmurarent.

Luc. 7. Rogabat autem illum quidam ex Pharisæis, vt manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi discubuit.

§. I.

Principes sæculi non ipsi ad crucem Christi ire, sed Christum mensis suis trahere & habere malunt.

IAm hic adumbratur mundialium priocipum vanitas, qua sese fallunt, non ipsi ad Deom relictis suis ire cupientes, sed Deum ad se euocantes, vt Deus eorum assideat meosis, eorum conformetur affectibus, & voluptatibos. Hoc vanissimum desiderium, cum prima natum est cupiditate regnandi in Nemroth, qui primus regium splendorem procurauit. De quo Genes.10. *Nemroth robustissimus venator coram Domino.* Dabat operam venationi robustissimus homo, non solum delicias quærens venandi, sed insuper volens ad suas delitias Dei oculos propitios trahere. Sic explico illud, *coram Domino*, quasi vellet gratiosum sibi Deum assidere, & arridere, dum suas voluptates sectator. Pulcrè D.Ambros. Ambros. lib de Noe, & arca, c.34. hæc verba explanans, ait. *Qui terrenas diligit voluptates, eas sequitur, & putat his se posse ad Dei gratiam peruenire, & regnum cæleste huiusmodi erroribus deferendum.* Innata est mundialibus principibus hæc stultitia, qua velint voluptates suas Deo sanctas, & probatas esse, qua talem cupiunt esse Deum, qui gaudeat rebus, quibus ipsi gaudent, & quibus maximè oblectantur. Sic fingebat mundialem regem somnus Nabuchodonosoris, apud Dan. c.4. Daniel 4. *Ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia. Magna arbor, & fortis: & proceritas eius contingens cælum*, &c. Quid cum cœlo habebat regia hæc arbor? Sufficiebat, quod in medio terræ esset, quod pulchritudine filiorum spleodesceret, quod fructibus ditaretur, quod & auibus, & animantibus vmbram, & escam præberet, quid necessum est, cœlum pertiogere? Sanè nihil reliqua omnia ad regium fastum essent, nisi & cœlom, & Deus ipse arbori appropinquaret, eiúsque delitiis, & gloriis applauderet. Hoc enim præ omnibus cordi est regibus, vt Deum sibi in cupiditatibus suis fingant adgaodentẽ, & quasi suis ipsorum cupiditatũ mensis accubaotem. Id in istis animaduertit Ioseph. lib.6. c.14. Ioseph. his verbis. *Cum ad superoodam insidiom maximè illi opus est pietate, ac iustitia, quidquid aut per inanem metum, aut odium, vel fauorem decernunt, id tam hominibus ratum, tum Deo quoque ipsi probatum esse existimat.* Vtinã id solum tyrannis, & principibus mundia

mundialibus esset familiare: verum pijssimi etiam viri, si carnis suæ vocibus parerent, hoc etiam voluissent, vt Deus adderetur, & insereretur propriis illorũ affectibus, & commodis temporalibus vitæ. Hæc horum omnium mens depicta est 1.ad Cor.5. *Nam & in hoc ingemiscimus habitationem nostram, quæ de cælo est superindui cupientes: si tamen vestiti, non nudi inueniamur. Nam, & qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati: eo quod nolumus spoliari, sed superuestiri.* Manifestus hic est humani sanguinis affectus, nostris spoliari, & exui horremus, quod si cuperemus, vt nihil nostrum amittentibus Deus etiam adderetur, & Dei regnum immisceretur iucunditati temporalis vitæ, eidémque mensæ accumberent caro, & spiritus. Non ita est spiritus Iesu, qui hunc animum suis inspirat, vt quam primum propriis cupiditatibus nudati, & spoliari festinent. Matth.9. de Iesu vocante Matthæum, dicitur, *Cum transiret inde Iesus, vidit hominem sedentem in telonio.* Quod expendens Chrys.ser.28.inquit. *Non dixit, cum staret ibi, transiuit, & pertransiuit Iesus, ne Matthæus remaneret ibi.* Itaque non stat Iesus in diuitis limine, ne diues putaret posse habere Iesum suis assidentem lucris. Pertransit inde Iesus, vt diues sciat omnibus renuntiare, & ire post Christum.

2.Cor.5. Matth.9. Chrysol.

§. II.

Caue, ne tu principum sæcularium indigeas, ipsi tua opera egeant.

INfelix est, qui ita sese principibus sæculi tradit, vt sine illis sibi minimè viuendum putet; heu, quot maledictis subiacebit. Adest sanè Dominus principibus, eorúmque mensis accumbit, sed enixè rogatus, sed maximè requisitus, quasi ipse nihil eorum indigeat, sed suam operam illis indigentibus præstiturus. Indignè, qui in libertate Christi vocatus est, eique nomen dedit, sæcularium principum fauoribus aëribus inhiat. Maximos ille Dauid, etsi videretur viuere de fauore principis: aduerte tamen, quid de illo notet scriptura, 1.Reg.18. *Anima Ionathæ conglutinata est animæ Dauid.* Equidem tunc temporis Dauid à Saule petitus summè indigebat auxilio, simúlque videbat Ionatham sibi affectum: an ideo adhæsit filio principis, illiúsque pedibus sese illigauit? Absit, is enim erat Dauid, qui Deo nitens, sic principis vtebatur fauore, quasi illius minimè esset indignus, sed potius ipse necessarius esset saluti principis. Pulchrè D.Greg. Taum. orat.in Orig. inquit. *Conglutinata est igitur non anima Dauid animæ Ionathæ: sed contra deterioris anima sit affecta conglutinata dicitur animæ Dauid. Nec enim potior cum sibi per se ipsum sufficiat, deteriori se agglutinari cuperet.* Vtinam vniuersi curiales Mystæ sic se gererent, vt ipsi principibus necessarij, omnino independentes essent a principibus. Cum video Apostolicos viros ad domum principis alicuius accedere; vt criminum capita ibi emergentia sacramentorum gladio succidant: illis opto illum spiritum, quo Iudith ad Babylonium tyrannorum accessit. Quippe in primis c.10. itura ad Principem, *imposuit abræ suæ ascoperam vini, & vas olei, & polentam, & palathas, & panes, & caseum, & profecta est.* Sic refert cibos suos, vt de principatuum mensis indigeat sumere. Sed quia hoc non omnes possunt, insuper addidit religiosa fœmina, c.11.vbi ad conspectum Holophernis venit, officium suum promisit, statuitque se ostensuram multa ad principis victoriam spectantia. Quid plura? Interea inquit, *Ego ancilla tua Deum colo, etiam nunc apud te: & exiet ancilla tua, & orabo Deum.* Expendant curiales religiosi singula hæc verba ponderibus plena, quippe ait, *Deum colo etiam nunc apud te.* Non regius fastus, non principis gratia, non fauor me à Deo meo alienabunt, etiam nunc inter principes Deus mihi præ omnibus cordi est, relinquenda hæc mihi sunt, ne quid orationi eripiam. Hæc ait, & se ad fortissimum facinus parauit.

1.Reg.18. Origen. Iudith 5.

Text. Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit, quod Iesus accubuit in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti.

§. III.

Lasciuia acrius reprehendenda, & castiganda in personis nobilibus.

CVr luxuriantis fœminæ nomen tacetur? An, vt consulat Deus nobilium pudori? vel vt fœminæ nobilitati morem gerat? Imò nomen tacetur Magdalenæ, ne obstupefacti hæreamus, videntes nobilem fœminam, lasciuia infamem ab ingenti supplicij mole liberari. Equidem ita diuina, nusquam libentius desæuit, quam vbi primarias personas luxuriæ cœno viderit volutari. Cum de lasciuis illis à Phinea interfectis Num 25.agitur, sic subdit textus sacer. Num.25. *Erat nomen viri, qui occisus est, cum Madianitide, Zambri filius Salu, dux de cognatione, & tribu Simeonis. Porro mulier Madianitis, quæ pariter interfecta est, vocabatur Cozbi filia Sur principis nobilissimi Madianitarum.* Vide vindictæ genus grauissimum, quo & rei interficiuntur, insuper & eorum nomina, & cognationes notentur, quod ideo factum est, vt sciamus, quam seuere vlciscenda est lasciuia in persona insignis nobilitatis. Id docet P.Damian. epist.6. ad Nicol.2. aiens. *Sanè post digestam fornicationis, & dignæ vltionis historiam, quid opus fuit Moysi, vt genealogiam fornicatoris vtriusque contexeret: & alterum ducem, alteram nobilissimi principis filiam fuisse narraret, nisi vt doceret carnales illecebras in eminentioribus personis acrius persequendas?* Voco in præsenti nuperos nostri æui principes, illustres viros, qui fumosis proauorum imaginibus, ignotum lasciuiæ ignem addunt quotidie, qui quo nobiliores, eo impudentiores in ostendenda lasciuia. Mille priuati homines olim libidinibus inseruiebant, Iudas ipse Iacobi filius meretricem Thamarem æstimans, cum ea concubuit: nec tamen ideo audio excitatam iram diuinam. Rapitur nefario igne princeps Sichen, & ecce tibi à Deo venit gladius acutus insimulatum Dei impetum portans, & omnia morte implet, Iudith 9. *Domine Deus patris mei Simeon,* Iudith 9. *qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum, qui violatores extiterunt in coinquinatione sua, & denudauerunt femur virginis in confusionem. Et dedisti mulieres eorum in prædam, & filias eorum in captiuitatem.* Sed in rem præsentem aptius indigitat Græcus eos, in quos ira Dei desæuit, inquiens: *Dedisti principes eorum in cædem, & cubile ipsorum in sanguinem, & percussisti seruos cum dynastis, & dynastas ipsos in thronis suis.* Præcipuè enim castigatur à Deo libido in principibus populi, in viris illustribus. Hinc Apoc.17. lasciuientis Babylonis irreparabilem stragem ostensurus Angelus, meretricem ostẽdit Apoc.17. sub veste purpurea, vt enim damnatis ad mortem datur sagus pullus, qui vbi datur, iam monet imminere ineuitabile patibulum: sic vbi lasciuia sub purpura fulget, quasi sub damnationis suę sago non effugiet supplicium. Inde ait Angelus: *Veni ostendam tibi damnationem meretricis magnæ.* Cum vocaris videndam alicuius damnationem, nónne expectas in primis funebrem pompam, & tandem hominem damnatum sub sago pullo, seu cilicino, vt ea damnatorum habitu ostẽdat imminens sibi supplicium? Ergo qui vocatur ad damnationem meretricis magnæ, qualem sagum spectat, qualem præconem audit? *Et abstulit me in spiritu in desertum. & vidi mulierẽ sedentem supra bestiam coccineam. Et mulier erat circumdata purpura, coccino, & inaurata auro & lapide pretioso.* Ecce tibi, quam supplicio traducit meretricem, vestit purpura, nobilitatis stemmatibus ditat, est enim purpura, & nobilitas in lasciuia damnatorum sagus, qui festinissimũ ostendit supplicium. Hoc meditatus Paulus Oros.lib.2. hist c.1. imperium Oros. Babylonis penitus deletum & imperium Romanum perseuerans sic componit. *Ecce similis Babyloniæ ortus, & Romæ similis potentia, similis magnitudo, similia tempora, similia bona, similia mala, tamen non similis exitus, similis vè defectus. Illa enim regnum amisit, hæc retinet, illa interfectione regis orbata, hæc incolumi imperatore secura est. Et hoc quare? Quoniam ibi in Rege libidinum turpitudo punita, hic Christianæ religionis continentissima æquitas in rege seruata est.* Expende illam Babylonici imperij ruinam, nimirum, *vbi in Rege libidinum turpitudo punita est:* vbi enim in Regiis libido grassatur, vbi sub purpura fulgurat luxuria, ibi in vicinio est regnorum irreparabilis perditio. Purpuram induit luxuria in Hispania, & statim vindicta diuina Hispanorum regnum vilissimis barbaris tradidit. Accipite S.Saluian lib.7.de Guber.Dei fatus. *Quid?* Saluian. *Hispanias non eadem vel maiora vitia perdiderunt? Quas quidem cælestis ira, etiamsi alijs quibuslibet barbaris tradidisset, digna flagitiorum tormenta tolerauerat, pudicitiæ inimici. Sed accessit huc ad manifestationem illic impudicitiæ damnationem, vt VVandalis potissimum, id est pudicis barbaris traderentur. Dupliciter in illa Hispanorum captiuitate ostendere Deus voluit, quantum & odisset carnis libidinem, & diligeret castitatem, cum & VVandalos ob solam maximè pudicitiam illis superponeret, & Hispanos ob solam maximè impudicitiam subiugaret. Quid enim? Nunquid non erant in omni orbe terrarum barbari fortiores, quibus Hispaniæ traderentur? Multi absque dubio, imò ni fallor, omnes. Sed ideo ille infirmissimis hostibus cuncta tradidit,*

vt ostenderit, scilicet, non vires valere, sed causam. Sic regna perdit luxuries purpurata.

§. IV.

Nobilis persona luxuries totam inficit ciuitatem.

NOn otiosè dicitur Magdalena mulier in ciuitate peccatrix, quando in adeò nobili persona luxuries non poterat non inficere totam, & commaculare ciuitatē. Quod
Chrysol. notans Chrysol. ait, serm. 93. *Non peccatrix solum, sed totius ciuitatis facta fuerat ipsa peccatum.* Tota ciuitas, vniuersus populus fœdatur ex lascinia nobilitata; nequit effrænis viri nobilis luxuries non vniuersum populum conculcare. A solo Sichimorum principe Dina rapta, & vitiata est, cuius criminis vindictam in vniuersam ciuitatem memorans
Iudith 9. Iudith cap. 9. ait, *Domine Deus patris mei Simeon, qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum, qui violatores extiterunt in coinquinatione sua, & denudauerunt femur virginis in confusionem.* Quibus expende in primis illud, *denudauerunt femur virginis.* An omnes Sichimitæ concubuerunt cum virgine? an multi illorum? Nónne solus princeps concubuit cum ea? Attamen ea est purpuratæ lasciuiæ pestis, vt omnem inficiat populum, & quasi totius ciuitatis peccatum prædicetur. Rursus expende illud, *dedisti gladium in defensionem alienigenarum*, nónne satius dicere in offensionem, & vindictam, quam in defensionem? Scio defensionem pro offensione, & vindicta sumi à probatissimis viris Latinis, vt noster Serarius probat in præsenti quæst. 1. Verum non mysterio vacat, quod in re præsenti interpres vtatur tam æquiuoco vocabulo, & puto hic vtrumque significari, & vindictam, & defensionem. Vbi enim princeps impudicus per gladij vindictam castigatur, & cuiuis tollitur, sanè vniuersi alienigenæ defenduntur, ne purpuratæ lasciuiæ contagio correpti vitam halent. Sic potens est nobilitata impudicitia inficere, & perdere vniuersas ciuitates. Infelix ille pulchritudinis princeps Absalon, vbi lasciuiæ traditur
2. Reg. 16. cupiditati, videte, in quale se dederit præcipitium. 2. Regum 16. *Tetenderunt ergo Absalon tabernaculum in solario, ingressusque est ad concubinas patris sui coram vniuerso populo.* Quasi non contenta esset purpurata luxuria, nisi esset peccatum totius ciuitatis, nisi inficeret vniuersos populares.
Saluian. Ita Saluian. lib. 2. de Gubern. Dei, fatur: *Scilicet, vt sceleratissimo crimine non pater tantum absens deformaretur, sed oculis etiam totius vrbis publico fœdaretur incestu.* Parum esset ad Principis lasciuiam si se intra paternam contineret & domum, & infamiam, vltra progreditur, vt nemo eius infectione liber sit in ciuitate.

§. V.

Christi Iesu affulgente, statim carnalis concupiscentia euanescit.

LAsciniæ se Magdalena dedit, dum Iesum ignorauit, at vt cognouit, quod Iesus accubuisset in domo Pharisæi, statim, nulla interposita mora, carnis operibus abrenuntians virgineis adhæsit plantis. Proh felix ille, cuius mentem Christus irradiat, occiduor illi statim tenebrosa opera carnis! Liceat hic commemorare ardentissimos Iacobi amores in Rachelem, quamuis castissimos, quos tamen perdidit, vbi Bethleem appropinquauit. Cum amoribus pergebat Iacob versus patriam, & dum accedit Bethleem defuncta Rachele, amore suo viduatur. Quid miraris? Occidit carnalis
Hieron. amor, vbi Christus nascitur. Sic Hieron lib. 1. in Iouinianum fatur. *Illa quondam dilecta coniux, pro qua seruierat, iuxta Bethleem, in qua erat virginitatis præco Dominus nasciturus, à filio doloris occiditur.* Vbi casta Venus occidit oriente Christo, quomodo carnales tenebræ non euanuissent, vt vim senserunt tanti Solis? Non equidem patitur Iesus adesse carnales delitias, quæ vbi sont, absentem ostendunt Christum.
Prou. 7. Meritò aiebat voluptas Prou. 7. vt caperet animas iuuenum. *Non est enim vir in domo sua, abijt via longissima.* Necessum enim est, quod vir ille, qui à fœmina virgine circundatus est, absit ab impudica, non potest non abesse Christus, vbi
Ambros. introducitur voluptas. Vt dicat D. Ambr. lib. 2. Apolog. Dauid c. 3. *Meritò virum suum dicit absentem: quoniam non potest adultera omnis Christum habere præsentem.* Quæ de absentia Christi pullulat lasciuia, penitus interit afflante Christo. Quippe Iesus totus pudicitiam halat, & eam pudicitiam, quæ omnem eliminat turpitudinem, si vel Christo Domino sistamur. Paul. 2. ad Cor. 11. ait, *Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* 2. Cor. 11.
Mirabar ego hoc fieri potuisse à Paulo in Corinthus, in Corinthiis, inquam, qui inauditæ luxuriæ cœno obuoluti iacebant. Ecce tibi quales erant Corinthij, ad illos sic loquitur Paul. 1. epist. c. 5. *Auditur in* 1. Cor. 5.
vobis fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes. Ergo populus fornicationū plenus fiet à Paulo virgo? Et quomodo talis populus fiet virgo? Iam ostendit Paulus, dum non ait, Aptaui vos virginem castā facere, sed exhibere Christo; per hoc enim, vt Christo exhibearis, Christo sistaris, sic de Christi afflaberis virtute, vt abolita lasciuia, puritas tibi inseminetur, virginibus non absimilis. Huc spectat D. Prosper de Promissionib. par. 2. c. 15. inquiens de fornicariis Corinthiis. *Sed tales etiam sua gratia Iesus noster Dominus suscipit ad salutem, diuinitate potentia suæ fornicariam, virginem facit.* Prosper.
Ecce tibi de Christi afflatu qualiter abscedit luxuria, & castitas virginea reuiuiscit. Dicebat Prouerb. 20. *Luxuriosa res* Prou. 20.
vinum, sed vbi speciem induit vini, iam vel ad eius odorem pullulant partus virginei. Zach. 9. *Quid enim bonum Iesus est,* Zachar. 9.
& quid pulchrum eius nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines? Quid mirum quod vinum, in quo Christus est, generet virgines? Maius quid exprimunt Septuag. aientes: *Si quid optimum illius, & si quid bonum ab eo, frumentum* LXX.
iuuenibus, & vinum boni odoris ad virgines. Expende illud, *vinum boni odoris ad virgines*, quasi sufficiat vel odor Christi, vt ferales voluptates aufugiant, castitas reuiuiscat. Nihil tam contrarium est, & odiosum Christo, quam luxuria. Putabam summo esse supplicio dignum, quod Christianus abnegaret fidem Christi, & video in primitiua Ecclesia innumeros tali obstrictos crimine, in quos nulla Pauli epistola sic desæuit, vt desæuit in fornicarium Corinthium, de quo epist. 1. cap. 5. *Eum, qui sic operatus est, in* 1. Cor. 5.
nomine Domini Iesu Christi, congregatis vobis, & meo spiritu cum virtute Domini Iesu tradere huiusmodi Satanæ, &c. Cur maius supplicium in fornicarium, quam in abnegatorem fidei fulgurat? Cur spiritu Christi habitanti in Paulo magis odiosus fornicator, quam negator? Sanè sceleratior est negator, quam fornicator, sed quia negator vi tormentorum fertur, fornicator autem solis suis delitiis, ideo aliquomodo miseratione videtur ille dignior. Hoc sapienter dicebat Tertull. in stultissimo suo lib. de Pudicitia. *Nul-* Tertull.
la ad libidinem vis est nisi ipsa, nescit quolibet cogi. Negationem porro quanta compellunt ingenia carnificis, & genera pœnarum? Quis magis negauit, qui Christum vexatus, an qui delectatus amisit? Qui cum amitteret, doluit, an qui cum amitteret, lusit? Cum lasciuia ridens, & gaudeos offendat Christum, non est mirum, quod sic Christus inimicetur lasciniæ, vt vel odore suo illam propulset. E contra nulla res magis fouet, & excitat lasciuiam, quam infidelitas. Loth accepit ciuitatem Segor à Deo, vt ipsa saluaretur, sed ipse non credens posse ibi saluari, fugit in montem, vbi à filiabus delusus cum illis concubuit, accessit ad nefarium concubitum, quia non credidit Deo posse saluari in Segor. Quod notans D. Hier. in trad. in Genes. ait, *Hæc occasio infidelitatis etiam in filias coitus dedit principium.* Semper enim infidelitas initiat luxuriam: Christi autem fides & luxuriam fugat, & nobile præbet initium pudicitiæ. Mulier illa, quæ fluxum sanguinis patiebatur, Matth. 9. Iesu fimbriam tetigit, & statim san- Matth. 9.
guinis stetit fluxus. Quod meditans Gillib. Abb. serm. 1. in Gillibert.
Cant. dicit. *Felici furto attigit fimbriam Iesu, & statim stetit in illa fluxus sanguinis, fluxus carnalis illecebræ, carnalis delectationis.* Nihil potest caro, vbi Iesu afflat spiritus.

§. VI.

Fœdissimum Deo est luxuria vitium.

NOuerat lasciniæ fœtorem, & spurcitiam sagax fœmina, quæ Dominum non audet conuenire, nisi præferens secum totum odori vnguenti plenum vas alabastrinis. Quid fœtidius luxuria? Ioan. 11. de fratre mortuo miserè dolebant sorores, cuius mors, licet sæpius repetatur, nunquam dicitur, quæ fuerit eius causa, an febrix? an pleuritis? De Petri socru statim subditur, quod *torquebatur magnis febribus*, de Lazaro dicitur, quod infirmatur, quod mortuus est, causa tamē dissimulatur. Porro Martha, vt arceret Dominū ab eius conspectu, ait. *Domine iam fœtet.* Qui fœtor posset offendere Christum? Sanè ex isto fœtore, non Lazari, sed omnium luxuriantium iuuenum nouit morbum Chrysol. Chrysol.
ser. 65. inquiens. *Dicendo sic testaris mortem, quam tu mulier intulisti.* Sola mulierositas, sola luxuria potest fœtere Christo.

Quem

Quem luxuriæ fœtorem ostendit Dominus ipso supplicio, [Genes.50.] quod Sodomis intulit:ait enim Gen.50.*Pluit super Sodomam,* [Gregor.] *& Gomorrham sulphur, & ignem.* De quo D.Greg.lib.14.Mor. c.10.ait, *Quid in sulphure, nisi fœtor carnis, & quid per ignem, nisi ardor carnalis desiderij exprimitur. Cum ergo habitantium Sodomis, vel Gomorrhæ carnis scelera punire Dominus decreuisset, in ipsa qualitate vltionis,notaui maculam criminis. Sulphur quippe fœtorem habet, ignis ardorem.* Quis ergo fœdissimo corde Deum excipiat? Quis labia tales spirantia fœtores mundissimis Christi plantis infigat? Prouideat sibi vnguentum pudicitiæ, quicumque accedit ad Christum. Et sanè non aliter in fœtidum mundum deueniret Christus, nisi secum vnguenta, & aromata castitatis, quibus exciperetur, affe- [Cantic.1.] rens mundo. Nouit id purissima sponsa, Cant.1. *Oleum effusum nomen tuum.* Quasi præsentiam Domini designet effusio [Ambros.] vnguentorum, quæ replent mundum. Præclarè D.Ambros. serm.1.in Psal.118.inquit. *Vnguentum effusum nomen tuum,hoc est, totus immundis impuritatibus diuersorum facinorum fœtebat mundus. Nunc spirat vbique suauitas pudicitiæ, vnguentum fidei, flos integritatis.* Infeliciter accedit ad Christum, qui hoc vnguento non perfunditur, qui in anima sua, in corde suo mille aromata, mille odores non cumulat. Nec aliter Maria virgo Iesum haberet in vtero,nisi odoribus esset ple- [Cant.6.] na pudicitiæ.Ideo dicebat: *Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, vt pascatur in hortis, & lilia colligat.* Nullus locus,nisi de aromatibus, nisi de castitatis odo- [Theod.] re placuit Christo. Psellus apud Theodoret. ait, *Descendit Deus in mundum ad phialas aromatum, scilicet, in vterum puræ, atque immaculatæ Virginis, vt in aromatum diuinorum phialam mundam.* Vas vnguenti, aromatum phiala est quæ trahit Christum, ne miremur quod Magdalena veniat afferens alabastrum vnguenti, curans placere nouo pudicitiæ vnguento, quo incipit perfundi. An inueniretur Dominus, nisi inter castimoniæ aromata, quibus luxuriæ omnis fœ- [Luc.1.] tor eliminatur? Luc.1.ait Angelus ad Mariam, *Dominus te-* [Basil.Sel.] *cum.* Et cur Dominus in Maria?Pulcre D.Bas.Sel.orat.39.rationem attigit. *Quia templum extitit verè Deo dignum castitatis aromatibus bene odoratum.* Castitatis odor præmittendus erat, vt Dominus trahatur.

Text. Et stans retro secus pedes eius.

§. VII.

Maxima est gloria, & exaltatio hominis sese ad pedes Domini dimittentis.

PRoh felix peccatrix,quæ pedes Domini tenes, inde non te reptantem humi videbo, sed te celsissima fulgentem gloria contemplabor. Quisquis cupis summis cœli verticibus inhærere, caue Luciferi insaniam, qua diuinitatis thronum ambiebat, Magdalenam respice, & te ad Dei pedes dimitte:dum enim Dei pedes teneas,vsque ad æternum solium gloriæ extolleris. Sic populi sui ruinam plorat Ier. [Thren.2.] Thren. cap.2. *Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion: proiecit de cœlo in terram inclytam Israël, & non est recordatus scabelli pedum suorum.* Ecce tibi, dum Deus habebat ob oculos populum suum ad pedes suos dimissum, velut scabellum eorum,populus inclytus erat, & gloriosus supra cœlorum verticem radiabat. Verum vbi nō est recordatus Deus scabelli pedum suorum,hoc est,vbi populus se à Dei pedibus alienauit, statim proiectus est in terram, [Origen.] nigraque caligine opertus.Ita fatur Orig.hom.23.in Matth. *Attende, quod ait, proiecit de cœlo in terram inclytam Israël, & non fuit memor scabelli pedum suorum. Quando erat Israël scabellum pedum Dei,in cœlo erat gloriosus: postquam autem est deiectus, vt non sit scabellum pedum Dei, desijt esse in cœlo.* Iam Magdalena inclyta Israëlis fœmina ad pedes diuinos proiecta,scabellum pedum Dei facta,in summam gloriæ celsitudinem ascendit. Quis non miratus est Iacobi illius ingentem felicitatem? Somno oppressus vidit scalam à terra vsque in cœlum pertingentem, cuius summitati Dominus procumbebat. Felix sanè,qui hanc scalā vidit,felicior esset, si vt vidit,per illam ascenderet.Cur bone vir proiectus hu- [Genes.1.] mi detineris,nec gradum per scalam facis? Fallor,nisi hanc reddat causam textus, nimirum, *tulit de lapidibus, qui iacebant,& supponens capiti suo dormiuit,*&c.Vtinam nō tam supponeret capiti suo lapidem Christum,quam caput suum viuæ petræ supponeret pedibus, sanè pedibus istis & videret scalam, & ascenderet. In quo Iacobo præponit Basil. suum [Nazianz.] Nazianz.orat.8.dicens. *Basilij laudo scalam, non solum visam, sed ascensam,ascensionibus per virtutem pedetentim.* Quomodo, qui Iesu non hæret pedibus, cœlestem scalā ascendit,quam ascendere non potes,nisi pedetentim?Altos obliuiscere volatus, curbare ad Iesu pedes, vt supra cœlorum verticem videaris excelsus.Non qui capiti suo supponit Christum,sed qui se Christi pedibus supponit,ascendere in cœlesti nouit scala.Quis non miratur virtutes aquarum præ aliis elementis?Ex aqua cœli nati sunt,ex aqua perpetes volucres exierunt,quotidie cœlestes renascuntur homines,qui sanctitatis pennis scandant cœlestia.Vnde aquæ tam ingentes virtutes ebiberunt? Id insinuat Genes.1.dum ait: *Spiritus Domini ferebatur super aquas:* vbi enim aquæ sese diuino spiritui supponunt,necessum erat, quod illius induerent perfectiones. Hæc Tertull.lib.de Baptismo respicit. *Ab eo,qui superfereba-* [Tertull.] *tur, id, quod ferebat, sanctitatem mutuabat. Quoniam subiecta quæque materia, eius quæ desuper imminet, qualitatem rapiat necessum est.* Expende pulcherrima verba illa, nimirum, subiecta materia, eius quæ desuper imminet,qualitatem rapiat necessum est. Quippe, quasi necessum est, vt qui se Deo subiicit,Dei celsas induat virtutes; qui se diuinis supponit plantis, inenarrabilem Deitatis magnitudinem capiat. De Abrahami gloria locutus Dominus Genes.15.ait: *merces tua* [Genes.15.] *magna nimis,* quasi magnitudinem illius componat cum excessibus gloriæ diuinis. Quam celsitudinem gloriarum, vt pertingeret bonus vir, sic loquitur, Genes.18.*Loquar ad Dominum, cum sim puluis, & cinis.* De quo sapienter D.Basil. [Basil.] conc.de Pœnit.fatur. *Magnus reuera erat Abraham. Sic enim erat magnus, quia terra est, & cinis.* Vbi in Dei conspectu se humi strauit, se vsque ad pedum puluerem deiecit, inenarrabilem magnitudinem fuit adeptus. Sic Exod. 4. Moyses [Exod.4.] sese apud Deum dimittebat. *Obsecro, Domine, non sum eloquens ab heri,& nudius tertius: & ex quo locutus es ad seruum tuum impeditioris,& tardioris linguæ sum.* Quod sic expendit D.Basil.Seleuc.orat.28.*Moyses habito cum Deo colloquio honoratior se ipsum vt vilem abiecit. Impeditioris,inquit,& tardioris linguæ sum. Quanto enim fastum comprimit,tanto gratiam attrahit,& modus amplificandæ gratiæ est humilitatis vis.* Ecce tibi, qua poteris vi tuam gloriam amplificare, nimirum vi humilitatis; si Deo subiaceas, si te diuinis supponas plantis, ingentem gloriarum celsitudinem expiscaberis.

§. VIII.

Per humilem pœnitentiam redintegratur virginitatis decus.

TAnta pœnitentis meretricis causa, vt possit lacrymis integræ virginitatis recuperare mercedem. Deus apud Ierem.cap.3.sic loquitur. *Tu fornicata es cum amatoribus mul-* [Ierem.3.] *tis, tamen reuertere ad me, dicit Dominus.* Vbi eleganter Petrus Damian. epist. 38. in reuersione illa virginum sedem à [Damian.] prostituta recuperatam agnoscit,dicens.*Reuersio planè ista ad Dominum, quantum ad qualitatem meritorum pertinet; hoc est de corrupta integram fieri, de prostituta virginem reparari.* Quo animaduertendum est, quàm dignum locum occupat Magdalena, dum stat retro secus pedes Christi. Sanè post agnum diuinum immediatè stant puræ virgines, de quibus Apocal.14. dicitur: *Hi sequuntur agnum, quocumque* [Apoc.14.] *ierit; virgines enim sunt.* Et tamen meretrix, dum retro agnum stat, non veretur virginum locum occupare parata ipsa supra virgines sequi agnum,quocumque ierit. Sic monebat Dominus Ierem.3. *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Ergo saltem amodo voca me, Pater meus, dux virginitatis meæ tu es.* Ea enim est pœnitentis reuersionis vis, & efficacia, vt cum puris virginibus, imò præ virginibus ducem habeat agnum, eiusque vestigiis etiam in regno adhæreat. Nónne Dauid adulter fuit?Is post longam pœnitentiam adulterij iam senex factus, dum nouum coniugium cogitat, illi præclara adolescentula, virgóque pulcherrima in societatem asciscitur. Cur virgo datur Dauidi senio confecto? Præclarè Bachiarius rem spiritualiter tra- [Bachiar.] ctans lib.de recip. lapsis, sic finit. *Dauid cum in adolescentia sua cum adultera deprehensus sit, in senectute cum virgine inuenitur; vt intelligamus, quod post peccatum longa castitas imitatrix est virginitatis.* Potest equidem pœnitentia coronam virginitatis fractam redintegrare:his lamentis, his lacrymis rigari potest conscientia peccatoris, vt virginitatis reuiuiscat palma. Cœlestis enim sponsus, de pœnitentiæ signo, virgines animas sibi exhiberi gaudet.Deut.22.lex ita cauet. [Deut.22.] *Si duxerit vir vxorem,& postea odio habuerit eam, quæsieritque occasiones, quibus dimittat eam, obiiciens ei nomen pessimum,& dixerit: Vxorem hanc accepi, & ingressus ad eam non inueni* virgi-

virginem: tollet eam pater, & mater eius, & ferent secum signa virginitatis eius ad seniores vrbis, qui in porta sunt, &c. Sed quæ signa virginitatis feret secum mulier impudica, quibus Dei iudicis sententiam fugit? Ferat secum pœnitentiam criminum suorum, quo signo, quasi virgo Deo probabitur. Ita Rupert. Rupert. in Deut. cap. 19. ait, *In conspectu Patris, ac sanctorum Angelorum eius, virgo iudicata est, quæ in continuatione eius posuit vestigia sanguinis sui, quæ in prædicatione eius pœnitentiam egit. Nempe si, & antea prostituta fuerat, postquam tamen sic illi coniuncta est, iam virgo meretur dici, & est.* Nihil metuas prostitutionem præteritam; pœnitentiam age, & virgo esto; quem lasciuia tuæ prostitutionis locum tradit, pœnitentia restituit, ne tanto virginitatis signo munita à cœlesti spon- Prou. 30. so valeas separari. Prouerb. 30. *Talis est via mulieris adulteræ, quæ non comedit, & tergens os suum dicit: Non sum operata malum.* An hoc fieri poteit, vt sic meretricis malum abluatur, vt nullum illius appareat vestigium? D. Ambros. ser. 30. *Hæc est virtus Christi Domini, vt quamuis peccator, qui eius vndo ablutus fuerit, denuo in virginem reparatus, non meminerit ante, quod fecerit. & redintegratione natiuitatis infantiæ, innocentiam præferat, iuuentutis scelera non agnoscat, sitque virgo fide Christi, qui fuerat adulter corruptione peccati.* Hæc ille.

§. IX.

Corporis afflictiones post Christum efficacissimæ ad impetrandum.

GEmebunda Magdalena, & plena dolorum dum ad Iesum accessit, retro stans cœpit lachrymis rigare pedes eius: cur retro stans? Vt afflictiones suas decoraret, quæ post Christum plus placent, & plus habent efficaciæ. Moy- Exod. 17. ses Exod. 17. prius in certamine locat Iesum Naue, dum ait: *elige viros, & egressus pugna contra Amalech.* Præmittitur itaque Iesus in arenam, post quem Moyses montem ascendit, prolixaque oratione sese vexat, adeò, vt deficerent eius brachia. Nec enim Moysis vexatio, nec eiusdem orationis prolixitas possent habere efficaciam, nisi vel Iesu Iustin. nomen præiret in certamina. Id quod notans D. Iust. mart. dialogo aduersus Iudæos fatur. *Nec enim quod ita Moyses precabatur, propterea populus superior erat, sed initio pugnæ cum nomen Iesu esset.* Hinc nostræ operationes virtutem ad inimicos deuastandos capiunt, quod post Iesum stant in certamine. Quod Iesus præit, ideo nostræ passiones Deo ad victorias Luc. 23. probantur. Nec mysterio vacat, quod Luc. 23. notetur Simon ille portasse crucem Domini post Iesum; etenim ait; *Et cum ducerent eum, apprehenderunt Simonem quendam Cyrenensem venientem de villa, & imposuerunt illi crucem portare post Iesum.* Quo tota humanarum passionum virtus notatur, Ambros. & efficacia, quod nobis post Iesum accidant, vt dicat D. Ambros. ibi: *Bonus ordo nostri profectus, vt prius crucis suæ trophæum ipse erigeret, deinde martyribus traderet erigendum.* Nulla crux, nulla afflictio, nulla passio multum placere potest, nisi Luc. 19. post Iesum. De felici illo publicano Zachæo dicitur, Luc. 19. quod *præcurrens ascendit arborem sycomorum*, &c. Expende illud, præcurrens, nondum Christus accesserat, adhuc longè erat Iesus, & ille præ nimio desiderio Iesum videndi, præcucurrit, arborem vt ascenderet. Quid tunc Iesus; *Zachæe festinans descende.* Cur Domine, descensum ab arbore imperas? Cur Zachæus in arbore non tibi omnino placet. &, vt descendat, iubes? Potest ne passio, & crux non placere crucifigendo? Equidem passio, & crux, & carnis afflictio Chrysol. non adeo placent, quando post Iesum non fiunt. Sic Chrysol. serm. 50. *Si bene ascenderat, quare ei dicitur. descende. Superius dixit, præcurrens ascendit, & ante Zachæus ascendit arborem, quam crucem Dominus ascenderet; hinc est quod dicitur ei: Festinans descende, descende ante Dominum, vt [illegible] crucem dominicæ passionis ascendas.* Bona est crucis ascensio, bona est afflictio, & excruciatio voluntaria, sed necessum est, quod post Iesum fiat, quæ placere habet diuinis oculis. Felix qui macerationi carnis operam dat post Iesum, à tergo Iesu, is securissimè degit, nec solum aduersus hostes suos potens erit, sed & prorsus inuulnerabilis existit ab inimici sui Exod. 33. telis. Moysi cupienti ante faciem Domini esse, dicitur, Exodi 33. *Ecce est locus apud me, & stabis supra petram. Cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea, donec transeam; tollamque manum meam. & videbis posteriora mea.* Stat Moyses non in molli, & amœno loco, sed supra petram, & inde ad Iesu posteriora spectans, quasi à tergo Iesu insuperabilis, imò formidabilis fit inimicis. De Nissen. quo ait Nyss. de vita Moysi. *Qui Deum post tergum sequebatur, quæ non ducentis faciem aspiciebat, sed tergum obediens respiciebat secutus Deum est; idcirco beatus altior fuit, quam ad ipsum sagitta inuidiæ posset peruenire.* Expende, vnde inuulnerabilis fiat Moyses, nimirum ex eo, quod à tergo Iesu supra petram stet. Discamus ergo dura in petra recumbere, pœnitentiæ, & carnis macerationi nauare operam. sed post Iesum, sed à tergo Iesu, ita vt ipse præeat, & nos sequamur, quo omnino manebimus inseparabilius.

§. X.

Hæc in omnibus occasionibus, siue honoris, siue ignominiæ cura sit, vt extremum eligamus.

VIde Magdalenæ sapientem modestiam, & si summo affectu, dolore non adeo perturbatur, vt in omnibus, quod extremum est, eligere obliuiscatur. Stat seruitutis habitu, & stat retro secus pedes Domini, nec inter tot salutis curas, inter tot pudoris occasiones, inter tot dolores memoria defecit, qua extremum eligeret locum. Pulchrè Theod. orat. de Charitate, hanc in D. Petro modestiam reli- Theod. quit notatam, quando ait: *Rogauit carnifices, ne similiter, atque Dominus affigeretur, sed contrario modo; & ideo rogauit, ne manus superius, inferius autem pedes affigerentur. Extremum enim eligere non in honore solum, sed & in ignominia discimus.* Semper hæc solicitudo sanctos viros tenet, vt extremo & vltimo videantur gradu, vt primas ferant alij. Siue ad altum dignitatum ascendant, siue ad supplicium traducantur: siue in splendoribus collocentur, siue in cinere, & lacrymis, & cilicio agant, hoc illis studium est, hæc cura, & solicitudo, vt extremum ab omnibus, & infimum teneant gradum. Et quidem ridenda esset & virtus, & pœnitentia illius, qui vel in ieiunio, vel in cilicio etiam primas requirit, vnde male oluit pœnitentia Pharisæi, de quo dicitur Luc. 18. *Pharisæus stans hæc apud se orabat: Ieiuno bis in Sabbato*, &c. Expende ieiunatoris fastum, nimirum, *stans orabat.* Non ad pedes procumbens, non retro stans secus pedes, sed stans, quasi altiora, & eminentiora appetens, & ieiunia, & pœnitentias suas fœdabat. D. Basil. Sel. orat. 35. id ostendit de illo Basil. sic fatus. *Oculis atque ore omnino eius cum Deo sermocinabatur, fortè & in nubes se raptum esse prope modum spectabat, & in cælo cum Deo colloqueretur.* Vanissimè, & impudentissimè etiam coram Deo inter ieiuniorum relationes [illegible] limia, & altiora loca expectat, vnde ieiunia perdidit, & Dei gratiam. Habet hoc Spiritus Dei, vt quos replet [illegible] appetentes faciat extremi gradus, cum mundialis spiritus in omnibus primas amet. Primus erat Apostolorum Petrus, verum Iudas nefarius, haud dubium quin infimus esset, & tamen iste in Apostolorum accubitu primas semper ambiebat. Ioan. 13. Ioan. 13. *Misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus. Venit ergo ad Simonem Petrum.* Quibus noto Petrum non fuisse primum, quando post cœptam lotionem, & exercitam iam cum aliis ad Petrum venitur. Sed quis esset tam audax, & impudens inter Apostolos, qui coram Iesu [illegible] mum accubitum eligeret, nisi Iudas? Ita D. Chrysost. fatur. *Et si Petrus primus erat, credibile tamen est proditorem impudenter ante Apostolorum Principem discubuisse.* Chrysost. Vbique proditur nequam spiritus. qui vel in splendoribus sanctorum, vel in humilitatis habitu, in quouis consessu primas semper appetit. Non sic, qui spiritu Dei aguntur, non sic Petrus, non sic Magdalena. quæ Deo plena stans retro extremum eligit gradum. Et vnde fœmina iam tot virtutibus sublimis, inter tot spectantium oculos, nec minimum leuitauit? Causam innuunt textus verba, quæ aiunt: *Stans retro secus pedes Iesu*; vbi enim Iesum sibi deuincit, de Iesu pondere sic affecta est, vt omni abolita leuitate, in extremo semper maneret fixa gradu. Ne magnitudo reuelationum extolleret Paulum, datus est illi stimulus carnis, hoc est, afflictiones, & tribulationes carnis, sed forsan hi stimuli non sufficerent, vt elationem vitarent, quandoquidem & ipsa suffurentia passionum posset & elationi occasionem præstare; quo ergo vsus est medio, quod pondus sibi apposuit Paulus, ne in aliquam elationem leuitaret? Ipse ad Philippenses 2. ait, *Stigmata* Philipp. 2. *Iesu porto in corpore meo.* Vbi Iesum induit, id sibi apposuit pondus, quo non timeret vanitatis flabra, sed mediis ingentibus virtutibus humilis perseueraret. Pulchrè Cel- Cellens. lens. Abb. epist. 4. ait, *O pondus nominis Iesu. Quis apprehendere quis æstimare [illegible] hoc [illegible] in pondere. Paulus ne in [illegible] in vinculis [illegible] per passiones quotidianas hoc nomen semper apposuit, & apprehendit. Hoc enim est,*

quod

quod ait, Stigmata Iesu porto in corpore meo. Is est Iesu Spiritus, cuius vel vmbra homines firmat io humiliatis proposito.

§. XI.

Peccata, quæ voluptatem, & blanditias faciunt, minimè ob oculos ponenda, sed fugienda sunt.

RETro stat prudens peccatrix, quam dum Iesus retro solum admittit, rectè nobis ostendit, quam auertendi sunt pudici, & iusti oculi ab his, quæ voluptatem causare solent, & blanditias. Miles ille Christianus, qui Teclam virginem mutato habitu, à turpi, & voluptuoso loco

Ambros. iussit abire, sic illam affatur apud D.Ambros.lib.2.de virg. *Cum e[...] essu fueris, ne respicias retro, memor vxoris Loth, quæ naturam suam, quia impudicos, licet castis oculis, prospexit, amisit.* Cauendæ prorsus sunt, quæ voluptatem excitent, blanditiæ; nec vnquam ob oculos admittendæ ab eo, qui nolit perire. Pro quo expende illud sapienter dictum: *Quia impudicos, licet casta oculis respexit, amisit.* Non sufficit, quos castos habeas oculos, quando oculis nostris innati laquei sunt qui in illis latent, & occultantur, quod si obiectum accedat turpe, statim quasi sopiti laquei excitan-

Iudith 9. tur, & misere perimus. Quo respiciebat Iudith cap. 9. sic ad Deum orans. *Capiatur laqueo oculorum suorum in me.* Non ait capiatur laqueo pulchritudinis meæ, sed laqueo oculorum suorum. quandoquidem laqueus non in pulchritudine, sed in oculis latet nostris, & dum oculi casti sunt, laqueus nihilominus ibi est latens, & quasi sopitus, qui excitatur eo solum, quod vertantur oculi ad res turpes.

Ephrem. Vnde eleganter S. Ephr. de mala conuersatione vitanda, inquit. *Si te ipsum trahi videris à cogitatione aliqua ad perfruendum formoso aspectu, vel pueri, vel mulieris, te laqueis inimici proximum esse noueris. Sin admonitus quoque non destiteris, iam te laqueis irretitum agnosce, vnde nec facile voluptatem vinces.* Sunt equidem oculis nostris laquei innati, qui vt latent, vt sopiuntur, dum nihil molle, nihil voluptuosum aspicimus, sic cum primum ad talia obiecta vertimus oculos, laquei excitantur, & in nostram perniciem prosiliunt. Nouerat id Paulus, qui fortissimus alioquin athleta Christi, pro quo nullius tormenti congressum timet, vbi ad delitias ventitur, sic eas horret, vt nec ore sustineat earum versari

Rom. 8. vmbram. Ad Rom. 8. inquit: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei.* Sed scire cupio, ô Paule, quando in certamen vocas vniuersa mundi tormenta, & mala, nimirum, famem, gladium, paupertatem, mortem, diabolos ipsos; cur etiam non meministi alios virtutis, & charitatis hostes, vtpote blandientes honores, florentem pulchritudinem, flauentia vina, adgaudientes pecunias? Nouit equidem Paulus hostile harum rerum ingenium aduersus virtutem, & qui audet manus conserere cum ardente igne, non audet vel meminisse, vel oculos mentis conuertere ad ista.

S.Theod. Pulchrè S.Theodul. ait. *Non dixit Paulus, pecuniæ, gloria, & quæ in hac vita homini speciosa videntur, sed ea, quæ etiam humanam naturam cogere solent.* Cum tormentis certamen init; feras rugientes expostulat, mortem exsibilat; pulchritudines vehementer exhorret, & vel ab earum conspectu fu-

Cæsar. git. Sic monebat D.Cæsar. Arel. epist ad Germ. dicens. *Esto ergo libidinis fugitiuus, si vis castitatis pugnator esse egregius.* Non pectora, sed tergum det tam nefariis hostibus, quicumque in duello castitatis vincere cupit. Quam bellandi

Ouid. artem huc transtulit à Parthis Ouid lib. 1. de Arte:

Tergaque te Parthorum, Romanaque pectora dicam,
Telaque ab aduerso, quæ iacit hostis, equo.
Quid fugis, vt vincas? quid victos Parthe relinquis?

Nec conuersos hostes, nec superatos contrarios ob oculos propugnator castitatis admittat, si velit suas victorias securè celebrare.

§. XII.

Charitas breuissimo compendio nos Deo vnit, & ibi confirmat.

QVæ in ciuitate erat peccatrix, vt cognouit, quod Iesus accubuisset in domo Simonis, accessit, & stans retro secus pedes eius lacrymis cœpit rigare. Expende illud modo, in ciuitate peccatrix, & iam, stans secus Iesu pedes; scimus longissimè Deum a peccatoribus esse, magnum existere chaos firmatum inter Deum, & peccatum; nec longas a Magdalena vias tritas audimus, nulla scimus prærupta montium ab illa superata; solum audio, quod erat in ciuitate peccatrix, & statim ostenditur enixa diuinis plantis. Quæ ratio tantum accedendi ad Deum compendium fœminæ procurauit? Charitas sine dubio totum istud breuissimo compendio superat chaos. Errabunda sponsa per vicos, & plateas ciuitatis, Cant. 3. custodes inuenit, a quibus anxia sciscitatur, vbi sit dilectus suus, & sponsus. Et quod mirere magis ait: *Paululum cum pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam.* Quis tale crederet? Etenim Deus à creaturis omnibus summo distat, immensum omninò spatium interpositum est inter Deum, & omnia creata. Quomodo ergo errabunda sponsa in ciuitate, vbi paululum creaturas pertransit, Deum tenet, & quasi indefectibiliter habet? Pulchrè Gillibert. Abb. Gillibert.
serm 8. in Cant. ait: *Chaos magnum firmatum est inter nostram, & Dei naturam. Omnes gentes (ait Propheta) quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihil, & inane reputatæ sunt ei. Quæ ergo poterit assignari conuenientia, & vicinitas inanis cum solido, nihil cum immenso? Qua ergo ratione dicit: Paululum cum pertransissem illos, inueni quem diligit anima mea? Pennigera est charitas, & perpetis volatu ardentis desiderij intermedium, hoc, de quo loquimur, prætervolat vacuum.* Is est charitatis volatus, qui in paululo immensa prætervolet spatia, qui decurso ingenti chao a ciuitatis erroribus ad Deum breui compendio transeat, ibique obfirmetur, ne cadat. Felix peccatrix Magdalena has sibi imposuit dilectionis alas, quibus tam cito Dei vestigiis inserta ibi stat, quasi nullos amplius vereatur casus. Vidit Isaias Luciferum a cœlo cadentem. Vidit & in cœlo Seraphin stantia: quippe ait, cap. 6. Isai. 6.
Seraphim stabant super illum. Lucifer cadit, stant Seraphin, facit hoc vna charitas, quæ omnes abigit casus. Ita D.Ber- Bernard.
nard. ibi serm. 3. *Cecidit Lucifer, vt fulgur de cœlo: Seraphim vero stabant super illud: stant plane Seraphim, quia charitas nunquam excidit.* Sic munit, sic confirmat nos charitas, ne timeamus humanos casus. Hinc D.Paul. ad Rom. 8. animosè Rom. 8.
fatur, *Certus sum ego, quod neque mors, neque vita, neque instantia, neque futura, neque creatura vlla poterit nos separare à charitate Christi.* Vnde Paulus sic de sua virtute præsumit? Cur non magis timet labiles mundi vias, diaboli impulsus vehementes, carnis illecebras? Se totum videbat possessum à charitate, quo ridet labendi occasiones, & ipsos inferni rudentes reputat, quasi fila sputaminis. Quo spectat D.
Paschas. lib. 2. in Matth fatus. *Totus enim charitatis erat effectus per gratiam, idcirco aliud esse non poterat, quam quod factus erat.* Vbi charitas diffunditur in cordibus nostris, sic obfirmat animum, sic imperturbabilem facit, vt pene non vereatur excessus, siue lapsus fragilitatis. Post furentem tempestatem excitatus Ionas à nautis, & per sortem designatus a Deo, vt reus præsentis mali, vocatur in examen, eius inquiritur vita, mores, religio. Quid plura? Ait cap. 1. Iona 1.
Cognouerunt viri, quod à facie Domini fugeret: quia indicauerat eis. Nec facilè inuenies, quibus verbis Ionas suam fugam indicauerit: nam cum ipse sui rationem redderet, hæc solum verba facit, *Hebræus ego sum, & Dominum cœli ego timeo, qui fecit mare, & aridam.* Siue vt habes ex Septuagin. apud Theophylactum: *Seruus Domini ego sum, ac Deum cœli ego colo.* Qualiter hinc insinuatur Ionæ fuga? Ipse solum se fatetur seruum Dei, eius timore repletum, vnde vident nautæ indicatam fugam à Deo? In eo, quod Ionas se seruum Dei fatetur, & non filium, non amicum, timore repletum, non amore, sapienter illum æstimant fugitiuum à Domino suo, quandoquidem seruorum est fugere, non filiorum, quia charitas nunquam excidit. Bene Theophylactus ait. *Ex hoc agnouerunt, quod aduersus Deum delinquens à conspectu eius fugeret, quod confiteretur ipsi seruum Dei se esse.* Vbi seruum audiunt, & non filium, statim reputant fugitiuum.

Paschas. — Theoph. — Idem.

§. XIII.

Quos seruire fecisti vires immunditiæ, easdem Christo trade.

HVmanum cum Apostolo dico propter infirmitatem. Et quas immunditiæ dedisti tuæ animæ vires, & affectus, eas in te reuersus Christo tradas. Ne exuas mores, sed illos

 diuerte

diuerte alio. Ecce tibi frontosa meretrix Magdalena, retro stans secus pedes Domini, paulò ante reptans humi amatoribus suis sternebatur: nunc non exuit amores, sed ad illum diuertit dilectum, cuius retro stans sublimis apparet. Hoc memini miraculum in Iordano factum, vt siccis plantis, populus Israëliticus eius transiret vada. Etenim ait Iosue 3. *Egressus est populus de tabernaculis suis, vt transiret Iordanem: & Sacerdotes, qui portabant arcam fœderis, pergebant ante eam. Ingressisque eis Iordanem, & pedibus eorum in parte aquæ tinctis, steterunt aquæ descendentes in loco vno, & ad instar montis intumescentes apparebant.* Itaque vbi aquæ pedes portantium arcam senserunt, earum fluctus, qui deorsum fluebat, stetit retro, se se sursum attollens instar montium cacumina. Quod miratus, Psalm. 113. ait, *Quid est tibi mare, quod fugisti? Et tu Iordanis, quia conuersus es retrorsum?* Conuersus sanè retrorsum est Iordanis, non quod versus fontem recurreret, sed quod Sacerdotis pedibus tactis cursum aquæ non perdiderunt, sed mutarunt, quando retro stantes, sursum se se attollebant. Ex bis fidelium conuersionem mensus Richard. Victor. opusc. prima part. artic. 4. *Qualis, quæso, ista est conuersio Iordanis? Totum impetum amoris, totam inundationem dilectionis, totam affluentiam delectationis magna cum festinatione currere, non deorsum, sed sursum, quærere quæ sursum sunt, ita vt veraciter profiteri possis, quia Iordanis conuersus est retrorsum.* Siccine Magdalena, quæ sicut aqua effusa erat, totóque cordis impetu in venereum mare præcipitabatur, vt pedes veri, & summi Sacerdotis Iesu attigit, non amoris vndas perdidit, sed altò diuertit, & quæ deorsum ferebatur, stans retro, totum amoris, totam inundationem dilectionis sursum leuauit, quærens, quæ sursum sunt. Proh excelsa peccatricis conuersio, in qua idem fluminis impetus, qui Veneris regna fœcundabat, conuersus retro, & sursum vergens lætificat ciuitatem Dei! Crediderim similes pœnitentium historias, vt pernotaret Dominus, sic composuisse Sacerdotem suum, Exod. 28. dicens. *Deorsum verò ad pedes eiusdem tunicæ per circuitum, quasi mala punica facies ex hyacintho.* Quid hæc punica mala protendebant? Philon Iudæos putat illis significari aquarum fluenta. Etenim mala punica Græcè *ῥοιαί* dictæ à fluendo, iuxta etymologiam Græcam aquam significant, sed eam aquam, quæ ad pedes Sacerdotis circumfluens mille partas coronas ostentet. Igitur vbi Magdalenam ad Iesu pedes videris, puta ibi totam inundationem dilectionis ad æternas prosilire coronas, vt instar purpurei mali punici secus diuini Sacerdotis pedes effulgeat. Conuertit impetum suum amoris inundatio, non siccata, sed quæ exhibebatur mundo, iam exhiberi Christo. Numquam enim melius peccatum detriumphas, quam dum eadem, quæ illi dabas, Deo tradas. Ad Rom. 8. *Deus misit filium suum in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum.* Hic est optimus triumphus de peccato, quando per sua vincitur, quando eadem caro, quæ seruierat peccato, eadem opera, quæ regnum fulciebant peccati, ipsius peccati ruinam pariant. Rectè Tertull. lib. 5. in Marc. ait. *Ob hoc missum filium in similitudinem carnis peccati, vt peccati carnem similis substantia redimeret. Nam & hæc erit Dei virtus in substantia pari perficere salutem.* Hæc, inquam, est Dei virtus in pari substantia, in pari operatione, in affectu pari regnum exsibilare peccati: vt ipsa caro, quæ seruiebat vitiis, seruiant virtuti; vt amor, qui præcipitatus in perditionem vergebat, sursum conuersus cœlestia trahat: vt carnificina, quæ quotidie fit in nostris membris, ad fouendas turpes cupiditates, iam eadem fiat, vt Christi lucrum faciamus. Non petuntur ex nobis magna, non petuntur maiora pro Christo, quam pro mundo exhibeamus. In substantia pari, in labore, in dispendio pari salutem operabimur, dum eadem, quæ mundo dedimus, Christo exhibeamus. Vbi Holophernes perimendus erat, non bellicus apparatus quæritur, non multi milites vocantur, non arma de Vulcani arte quæruntur, sed inermis fœmina Iudith adest, & sumpto ipsius Holophernis gladio, illum trucidauit. Idem itaque gladios, qui tyranno seruiebat, ipse sibi mitur, vt eidem necem pareret. Hinc eleganter D. Brun. serm. 5. explicans illud. *Sint lumbi vestri præcincti*, ait, *Illi bene præcincti sunt, qui super femur suum gladium habent, illum videlicet gladium, quo castissima Iudith Holophernem interfecit.* Et sanè Iudith, eadem, quæ impio militauerant arma, ad eius internecionem parauit. Sic tu cum ipsis vitiorum armis illa debella; est amor lasciuiæ gladius, pulchritudo ornatus, comtum crines, oculi alacres, sunt arma cupidinis, his ergo detrunca tyrannum, si amorem, si studium placendi Deo sites, oculos lacrymis, crines diuinis plantis. In Goliath ruinam vsus fuit Dauid ipsius Goliathis gladio, 1. Reg. 17. Quod sic memorat D. Basil. Sel. orat. 15. *Goliath gladio, gladij Dominum diuisit, armis in vsus debitos versis.* Ita cum solum in vsus debitos vertas arma, vitia expugnabis. Quia creaturis abuteris, vt seruias vitiis, peris, quas accepisti pulchritudines, diabolo militare facis, illas in vsus debitos verte, & Christo offer, sic vitiorum amputas caput.

Iosue 3. — Psal. 113. — Richard. — Exod. 28. — Rom. 8. — Tertull. — Brun. — Basil.

Text. Lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat: & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.

§. XIV.

Lasciniæ macula multis indiget, vt tandem licet ægrè, & difficulter tollatur.

Miraberis inconfusibilem mulieris animum, nihil curans murmurantium oculos, imò dentes, se se ad Iesu pedes abiicit, & osculatur, & lacrymis rigat, & aureis siccat crinibus, & vnguento perfundit, nec veretur maledicos, nec suæ nobilitati timet, nec lacrymis nec sumptibus parcit. Proh Deus immortalis! Tantæ molis erat lasciuiæ elicere maculam? Pulchrè D. Ephrem serm. proprio, sanctam Magdalenæ sic commendat frontositatem. *Non ianitores, ac æmulos domesticos generosa mulier timuit, nec duram astantium increpationem, vnum hoc secum cogitans, dicénsque: Quod si totam meam faciem, quasi ferream, aut æream non reddidero, saluari ex turpi inundatione lasciuia mea non potero.* Non facilè cedit lasciuiæ macula, æreo indiges animo, qui nullis confusionibus cedat, vt ablui possit. Ferreus esto, quisquis a te lasciuiam depellere cupis, vt post mille ictus, post mille exantlatos labores, tanto perempto monstruo, callos exulies. Dicebat illa tota mirabunda, Cant. 5. *Vox turturis audita est in terra nostra* De quo Ambros. lib. de Isaac cap. 4. *Bene addidit, nostra, quasi admirans, quod vbi antea impudicitia, ibi castitas.* Et sane magnæ admirationis res est, quod vbi lasciuia regnauit, ibi licet multis laboribus, introducatur castitas. Nunquam in celso illo Ioseph impudicitia habitauerat, solum impudica manus eius tetigerat pallium, quod & dimisit: verumtamen per quot labores, per quot victorias vnam tenuit castitatis palmam? De illo D. Chrysost. Psal. 48. fatur. *Hic verò exit capite redimito coronis innumerabilibus, & in ipsa seruitute libertatem suam resplendentem ostendit.* Exiit a mulieris manu, exiit a lasciuiæ antro nobilis triumphator, sed coronis innumerabilibus redimitus, id enim est castitatis prælium, quod innumerabilibus victoriis partis debet honestari. De castitatis aduersario sic fatur Paul. ad Rom 6. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius.* Nec otiose dixit, *non regnet* sed vt exprimat difficultatem expellendi lasciuiam, quæ vbicumque est, sedem figit, regiam statuit, in qua multo cincta milite more regum in regno suo se munit, & confirmat, ne expelli queat. Quod notat Orig. homil. 1. in Ierem. fatus. *Non potest aliquod regnum duci, nisi suo se [illegible] at nationes. v. g. dictum sit, regnat fornicatio in homine peccatori, necesse est, vt regnum fornicationis habeat gentes suas, & illud ipsum generet delictum auaritiæ, & fraudis, quo vix aliquis immunis est.* Ecce tibi quot vitiorum exercitus expugnandi sunt, vt luxuriæ regnum possit eradicari. Quando luxuriam debellare studes, ne putes aduersum vnum aliquod vitium confligere, nec de vna solum castitatis corona existimes esse certamen: ad integrum vitiorum regnum debellandum, te para. Confligendum est tibi cum confertissimis hostibus, pugnare debes vitiorum exercitibus, & nisi post innumeras coronas partas corona castitatis minime ornaberis. Hinc Psal. 44. de casta Christi sponsa aiebat *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis, circumamicta varietate.* Cur varietate amicta perhibetur casta? Sanè, quia in castitatis studio, non, si vnum obtineas pallium, victor existis, sed opus est, vt multa brauia, multa pallia obtineas, & omnium virtutum palliis cures ornari. Quo respiciebat D. Isidor. Pelus. epist. 269. fatus. *Aureis virtutum omnium fimbriis sponsam Christi variegatam esse oportet* Multis palliis acceptis ornanda est Christiana virginitas, quæ in Iesu sponsis effulget & vix ditata castitas, nisi mille ornata triumphis & singulis momentis superans prælia mille.

Ephrem. — Cant. 2. — Ambros. — Genes. 39. — Chrysost. — Rom. 6. — Origen. — Psalm. 44. — Isidor.

§. XV.

§. XV.

Lacrymarum pium latrocinium in Magdalena apparet, quando nihil suum habet, omnia Deo tradens.

CHristianam nuditarem, bonorúmque omnium abdicationem vides io primitiuis fidelibus, quando integrum pretium bonorum ad pedes ponebant discipulorum omni thesauro vacuati. Vide modo, cuius sit fidei Magdalena, dum ingenti lacrymarum thesauro ad Christi Domini pedes protecto, nihil suum retinet, omni cordis thesauro pro-
Thren.3. pter Deum vacuata. Huic similis erat anima, quæ Thren.3. dicebat, *Oculus meus deprædatus est animam meam.* O pinni ab oculis latrocinium peractum, quando ita deprædantur animam, vt illam omni suo thesauro relinquant spoliatam. Et quando hoc latrocinium exercetur? Sanè quando lacrymas oculi effundunt, tunc omnem illius thesaurum depræ-
Paschas. dantur. Id pulcherrimè exprimit D.Paschas. ibi lib.3. fatus. *Oculus deprædari dicitur animam, quando omnes affectus doloris, mœroris effuderit: quando omnem languorem, & ardorem per lacrymas monstrauerit; quando omne, quod in ea est, quasi fluuius*
Psalm 18. *de fonte effluxerit, sicut Dauid dicit: Defecit anima mea in salutare tuum, & oculi mei in eloquium tuum, dicentes: Quando consolaberis me? Ad hoc quippe anima ab oculo deprædatur, vt suo adhæreat creatori, spoliata viribus, & se tota refundat fonti piæ v ertatis.* Hoccine est lacrymarum ingens pretium, ingens thesaurus, vt per illas dicantur oculi animam omnino deprædari, & relinquere spoliatam, quasi emissis lacrymis charitare feruentibus, nihil pretij maneat in anima, omnia illius bona Deus habeat. Sic Magdalenam penitus oculi deprædantur, quando omne quod inest, quasi fluuius per lacrymas effluxit, quando omnem languorem, & ardorem demonstrat, quando suis spoliata viribus suo adhæret creatori, & nihil suum reseruans, se tota fonti piæ vbertatis refundit. Hinc est, quod post lacrymarum naufragium, ex quo in nouam exsurgit vitam, capillos Christi pedibus extergendis dicat, quasi testans, quod nihil suum vlterius
Natal. possideat. Sic in Græco epigrammate apud Natalem Comitem lib. 8. Myth. cap. 4. quidam Lucillius post naufragium sumptis crinibus, ait,

———Dijs, æquoreoque Ioni,
Seruatus dicat è pelagi Lucillius vndis
Hos crines: aliud namque habet ille nihil.

Testantur crines oblati omnium bonorum iacturam, qua nihil suom homo habeat. Sic Magdalena è mundiali mari naufraga emergens per pœnitentiæ tabulam, nihil snum in animo retiner, in cuius rei testimonium crines suos Domino dicat, aliud namque habet illa nihil. Vnde iam non mirabor, quod Deus Cant.4. se dicat irretitum, & vulneratum, *in vno crine colli tui*, scilicet, Magdalenæ. Quamuis enim non magnum sit capillorum munus, tamen magnam æstimationem habet apud Deum, qui censet munus ex his, quæ sibi relinquit, qui offert: adeò vt tunc poteris magnum Deo exhibuisse munus, cum nihil tibi reseruas, etiam si solum offeras crinem. Paupercula vidua æra minuta duo
Luc.21. misit in Gazophylacium Lucæ 21. & ait Iesus: *Verè dico vobis, quia vidua hac pauper, plusquam omnes misit.* Ditia mittebant alij munera, quomodo verum est, quod minutum æs à paupercula missum maius esset aliis diuitum muneribus? Munus apud Deum maius est, non quod in se maiorem habet valorem, sed qood minus in offerente relinquit. Sic
Prosp. D.Prosper part.2. de Promissionibus Dei, cap. 29. ait, *Plus omnibus eam misisse dixit ille, qui vidit, quia sibi nihil dimisit.* Ex quo pensandom est munus Magdalenæ offerentis Domino crines suns, aliud namque habet illa nihil. Sic lacrymæ deprædatæ fuere Mariam, sic è lacrymarum vndis seruata felix naufraga, omnia dimisit sua, vt nihil habens snum, liberatori crines offerat suos. Ecce pium lacrymarum latrocinium, quo sic omnibus suis spoliant Magdalenam, vt nec vni parcant capillo. Et cur in tam felici iactura, in tam pio latrocinio, nec vni parcitur capillo? Sanè fœdum videretur, si illa quæ omnia bona sua, & grandia, illustria reliquit, paruulis adhuc maneret irrita capillis. Iesus Dominus vbique suos secum habebat discipulos, verum post
Ioann.6. saturatas turbas Ioann.6. *Cum cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.* Expende quod à populorum regno fugiens Iesus, etiam a discipulis fugit? Cur modo solus abiit. Cur in præsenti a discipulis fugit? Cur modo solus abiens, quasi discipulorum ducatum obliuiscitur? Ne videretur paucorum ducatu teneri, qui populorum regna tam facilè dimit-
tit. Rem attigit Origen. tomo 31. in Ioann. inquiens, *Iesus* Origen.
cum cognouisset futurum, vt venirent, & raperent eum, vt illum regem facerent, secessit in montem, sed non cum discipulis, sed solus, ne his occasionem præbeat, vt iam mundanè ipsorum etiam Rex esset. Fœdum equidem est, vt qui magna relinquont, videantur adhuc teneri, & illigari paruulis, & friuolis: qui ignitas diaboli depulit sagittas, cedat fulgentibus mundi scintillulis, quæ voluptatum fugit Paradisos, ex intortis crinibus, leuique ornatu speret coosolatiunculas. O felix Magdalenæ naufragium, ô felix lacrymarum latrocinium, quod neque vni pepercit capillo.

§. XVI.

Vnus Deus de minimis hominum cogitationibus triumphat.

QVid ad Dei poteotiam, quod de fœminæ corde, oculis, maoibus, hoc est, magnis eius operibus triumphet, & sibi omnia specinsa, grandia acquirat? Hoc maximæ potestatis est, quod etiam triumphum agat de capillis, hoc est, vel de minutissimis cogitationibus. De Gabaoni-
tarum fortitudine, & dexteritate dicitur Iud.20. *Septingenti* Iud.20.
erant viri fortissimi, ita sinistra, vt dextra præliantes, & sic fundis lapides ad certum iacientes, vt capillum possent percutere. Ea est fortitudo, ea est dexteritas Dei nostri, sic ad certum gratiæ suæ iacula mittit in humana corda, vt vel capillum percutiat, hoc est, vt vel minimas cogitationes oostras ad se trahat. Quis hominis cogitationes omnino sibi raperet, nisi solus Deus? Suarum cogitationum euagationem deflet
Hieronym. lib. aduersus Luciferianos fatus. *Nunc creberrime* Hieron.
in oratione mea, aut per porticus deambulo, aut de fœnore computo, aut abductus cogitatione turpi, etiam quæ dictu erubescenda sunt, gero. Multa est mens humana in cogitationibus suis, nulla res adeò mentem nostram sibi deuincit, cuius non fugiant imperium multi nostri cogitatus. Vnius Dei debet esse victoria, cuius iaculis sic trahantur omnes humanæ cogitationes, vt nulla quamuis minima euadat. Sponsa diuina erat, quæ diuino telo sauciata per vicos, & plateas ciuitatis errabat, & medijs his erroribus, offendit vigiles,
& custodes ciuitatis. Quid plura? Sic ad illos fatur, Cant. Cant.3.
3. *Numquid quem diligit anima mea, vidistis?* Per compita, per plateas, & vicos ciuitatis vagata, inter custodum, & vigilum choros constituta, vnius dilecti meminit, nulla cogitatio alia subiit, nisi de Christo, nec in mentem veniunt platearum amplitudo, vigilum forma, armorum apparatus, sub vno captiuatæ omnes cogitationes Christo,
nesciunt alio diuerti, nisi ad Christum. Pulchrè D.Bernard. Bernard.
serm. 39. in Cant. *O amor præceps, vehemens, impetuose, qui præter te aliud cogitare non sinis, fastidis cætera contemnis omnia, præter te, te contentus! Totum, quod opportunitatis, quod rationis, quod pudoris, quod consilij iudicijue videtur, triumphas in te metipso, & redigis in captiuitatem. En omne, quod cogitat ista, quod loquitur, te sonat, te redolet, aliud nihil.* Expende illud, *triumphas in temetipso:* quasi ille sit proprissimus Dei triumphus, quo vniuersas mentis humanæ cogitationes rapiat, sibique captiuas statuat. Felix qui talem in se triumphum parat Christo, qui sic nuuit Christi inhærere vestigiis, vt nec minimam cogitationem habere velit, quæ
non ascribatur Christo. Psalm. 136. *Beatus, qui tenebit, &* Psal.136.
allidet paruulos suos ad petram. Quid est paruulos allidere ad petram? Puto, quod ille allidit paruulos ad petram, qui vniuersos mentis suæ fœtus, etiam minimas cogitationes
deducit ad Christum. Ambros. de pœnit. lib.2. c.11. fatur. Ambros.
Beatus, qui tenebit, & allidet paruulos suos ad petram, hoc est, qui infirmas, & lubricas cogitationes elidat ad Christum. Hic tota sita hominis beatitudo, hic integer & perfectus triumphus Christi, qui nulli alij potest ascribi, nimirum, quod mentis humanæ fluxus, & refluxus & incipiant, & desinant in Christo. Solus eqoidem Christus potens est triumphare
de humanis cogitationibus. Marc.7. ait Dominus: *Ab intus de* Marc.7.
corde hominum procedunt cogitationes malæ, &c. Quod ponderans Chrysol. serm.170. ait, *Nos fratres ab istis vitiorum sordibus emundemur intrinsecus: has nequitiarum gentes in mentibus nostris Christo propugnante vincamus: has delictorum bestias de nostris cordibus terrore dominici nominis effugiamus: has ciminum rabies, & voracissimas aues à nostris sensibus crucis hasta fortiter propellamus.* Et qoidem vbi Christus non ministrat arma, mentis humanæ cogitationes vel abigere, vel vincire non vales.

§. XVII.

§. XVII.

Non Christo immoritur, qui adhuc ornatui corporis studet.

ECce extremum mundialis vitæ halat spiritum, & tota immoritur Magdalena Christo, vbi capillos subiicit plantis diuinis. Huc ego traho illud gentium figmentum, quo putabant fœminam minimè posse emori, nisi prius illi abscinderentur crines, sacrarentúrque diuis. Vnde, vt infelix Dido moreretur, missa est Iris, quæ crines eius succidat: de quo Virgil. Æneid. 4. (Æneid.)

Ergo Iris croceis per cœlum roscida pennis
Deuolat, & supra caput astitit. Hunc ego Diti
Sacrum iussa fero: téque isto corpore soluo.
Sic ait, & dextra crinem secat, omnis, & vna
Dilapsus calor, atque in ventos vita recessit.

Equidem fallitur fœmina, quæ se putat immori mundo, & adhærere Christo, quãdo eius cura adhuc viuit intorquendis, ornandisque capillis. Despiciat crines, ornatum corporis omninò despiciat, quæ mori amat mundo, & consepeliri cum Christo. (Esther 14.) Sanctissima illa Esther c. 14. sic ad Deum orabat, vt se omninò à mundialium vita extorrem indicaret, iuxta D. Hieronymi lectionem apud Isaiam, cap. 64. (Hieron.) *Tu scis necessitatem meam, quoniam detestor signum superbiæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostensionis meæ; abominor illud, sicut pannum menstruum: nec porto in diebus quietis meæ.* Et puella, & Regina, & viri illius vxor, cui nulla fœmina astare audebat, sine ingenti ornatus cura, & studio, tamen omnem cultum abominatur, & abiiciebat, vbi Deo vacare cupiebat, & cum Deo quiescere, & tumulari. Apud Dionysium Carthusianum. *Nec porto illud in diebus quietis meæ, dum permittor in secreto thalami mei Deo vacare in tranquillitate.* Et meritò bona puella putabat se non posse mundo mori, & Christo immori, dum corporis cultui, capitísque ornatui vacaret. Prima illa peccatrix viuentium mater, vt moriendum sibi esse audiuit, ad quos ornatus confugit? Quem muliebrem cultum exquisiuit? *Fecit ait Deus tunicas pelliceas,* non sericis fulget, non crispanti rutilat crine, sed sub rudi pelle inculta eã instituit vitam, qua verè sit mortua mundo. (Tertull.) Meritò Tertull. lib. de habitu muliebri fatur. *Si ab initio rerum, & Milesij oues tonderent, & Seres arbores nerent, & Tyrij tingerent, & Phryges insuerent, & Babylonij intexerent, & Margaritæ canderent, & Ceraunia coruscarent, si ipsum quoque aurum iam de terra cum cupiditate prodisset, si iam, & speculo tantum mentiri liceret. Hæc Eua concupisset de paradiso expulsa, iam mortua opinor?* Expende illud, *iam mortua;* non enim aliter credit illam mortuam mundo, nisi quia vniuersum cultum corporis, & ornatum abiecisset. Necesse est, vt quamcumque mortem comitetur caluitium. Monebat Paul. 1. ad Timoth. 2. (1.Tim.2.) *Similiter, & mulieres in habitu ornato: cum verecundia, & sobrietate ornantes se, non intortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veste pretiosa, sed quod decet mulieres promittentes pietatem.* Cyprianus lib. de cultu virg. legit promittentes castitatem, quasi necessum sit, quod non viuant intorti crines, & auri ornatus in ea quæ mundo, & carni moritur, vt virginem castam se exhibeat Christo. (Apoc.17.) Vbi Apoc. 17. meretrix illa magna supplicio afficitur, è mundóque tollitur: sic dicit Scriptura. *Et negotiatores terræ flebunt, & lugebunt super illam, quoniam merces eorum, nemo emet amplius merces auri, & argenti, & lapidis pretiosi, & margaritæ, & byssi, & purpuræ, & serici, & cocci,* &c. Sed cur nemo emet amplius hæc? Nónne meretricibus ablatis remanent plures fœminæ castissimæ quæ similia possent emere? Absit à castis fœminis: bene mercatum desperant muliebris mundi, vbi meretrix perit; vix enim fieri potest, vt vbi meretricij odor abest, cultus, & ornatus extet.

§. XVIII.

Nil prius in peccatore Christi conspectus elicit, quàm lacrymas.

VBi peccatrix ad Christi venit conspectum, nil prius facit, quam flere, quam lachrymarum imbrem præseferre. (Prou.16.) Prouerb. 16. dicitur, *In hilaritate vultus regis vita, & clementia eius, quasi imber serotinus.* Inde propitius Christi vultus se se incipit pandere, nimirum ex lacrymarum imbre, quo se perfundunt peccatores. (Gualric.) Quod sic docet Gualricus Abb. serm. 3. in Ramis: *Intendite fratres in vultum Serenissimi Regis nostri. Respexit in protoplastum, & mox animatus spirauit in vitam: respexit Petrum, & mox compunctus respirauit animam. Mox enim, vt Dominus respexit Petrum, Petrus de clementia pyssimi vultus suscepit imbrem serotinum, lachrymas post peccatum.* Hic primus index Dei nos aspicientis, hoc statim ex misericordi conspectu Dei concepimus salutis testimonium, quod imbrem concipiamus serotinum, quod in lachrymas resoluamur. Quid in hac peccatrice lachrymis prius? Prius rigat lachrymis diuinas plantas; deinde capillis tergit; tertio osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. De quo Chrysolog. serm. 93. fatur. *Præcesserant interuenientes lachrymæ, vt oscula deuota sequerentur, quia lachrymæ satisfactionis sunt documentis, oscula sunt reconciliationis indicia.* (Chrysol.) Qui peccator est, nil prius agat, quam pro peccatis satisfacere, quam lachrymis peccata abluere, & Deum gemitibus placare. Prius, quæ reorum sunt, deinde, quæ ad amicitiam spectant, partes agat. Perditus ille filius apud Luc. 15. vbi miseram suam conditionem aduertit, ait, *Surgam, & ibo ad patrem meum. Dicam ei: Pater peccaui in cœlum, & coram te.* (Luc.15.) Non ait, amplexabor, osculabor patrem, eius diuitias, & delicias inquiram, sed tantum erroris sui lamentum promittit. Aliter sponsa Cant. 3. dicebat, *Surgam, circuibo ciuitatem, & quæram quem diligit anima mea.* (Cant.3.) Non meminit planctus, tota in dulci inquisitione, & amplexibus sponsi constituta. Quod notans Gilliber. Abb. serm. 3. in Cant. dicit, *Surgam, & vadam ad patrem meum. Iste de quærendo nihil monetur patre, tantum deflectendo solicitus. Quæ sponsa est certa de gratia postulat præsentiam. Surgam, inquit, & circuibo ciuitatem, & quæram quem diligit anima mea, inuentionem sufficere reputans.* (Gillibert.) Qui ream conscientiam agnoscis, abstine paulisper ab inquirendis deliciis diuinis, hoc primum effice, vt flcas, vt errores memineris, vt lacrymosa confessione maculas abstergas tuas. Amicitiæ, & charitatis negotia, imò & otia lacrymis succedant. Quam præclarus est ille ordo, in quo ante ipsa officia charitatis propria rigant lacrymæ peccata! Hunc ordinem inspirauit Iesus, Luc. 23. piis illis fœminis, quæ præ compassione fletum agebant. (Luc.23.) *Filiæ Ierusalem nolite flere super me; sed super vos ipsas flete, & super filios vestros.* Pro se quisque flere, ad satisfactionis negotium pertinet, pro aliis flere ad officium pietatis, vel charitatis spectat; sed ante omnia alia officia, eas lacrymas petit Iesus, quibus propria cuiusque peccata rigentur. Ita D. Bernard. sermon. de Resurrect. 2. inquiens. (Bernard.) *Ordinem diligenter attende. Super vos, inquit, primo: deinde super filios vestros.* Fluant ante omnia lacrymæ, quæ tuas maculas lauent, quæ tua peccata abstergant, deinde ad alia, siue pietatis, siue charitatis opera te extende. Placent in primis Deo lacrymæ nostræ, cum quibus vix alia opera comparari queant. Quis sanctissimi Regis Iosiæ facinora memoret? Memoria eius pretiosissima exæquat pigmenta. Idola euertit, lucos succidit, excelsa abstulit. templum mundauit, denique pro populo fleuit. Tunc Dominus, 4. Reg. 22. *Scidisti vestimenta tua, & fleuisti coram me, & ego audiui, ait Dominus, idcirco colligam te ad patres tuos, & colligeris ad sepulchrum tuum in pace, vt non videant oculi tui omnia mala,* &c. (4.Reg.22.) Itaque vbi Deus misereri vult Iosiæ, aliis omnibus operibus relictis, solum meminit lacrymæ illius. Quod ponderans Theodoretus, quæst. 24. inquit, *Tantum iuuat compunctio, & lacryma eos, qui vtuntur iis.* (Theodor.) Hæc prima est hominis apud Deum commendatio: huius in primis Deus meminit ad salutem.

§. XIX.

Animosè vincenda nimia verecundia ab his, qui cupiunt obtinere salutem.

NOlo mirari Magdalenam pro delictis lugentem, pedes Iesu lauantem, osculantem, aureis crinibus detergentem, sed valde miror, quod ea omnia in extranea domo, in seruorum frequentia, in oculis omnium perficiat. Vbi est ille innatus pudor, validus in fœminis effectus? Vbi verecundia nimia, potentissima diaboli tyrannis? Præclare Magdalena apud Diuum Ennodium lib. 7. epist. 27. (Ennod.) responderet. *Eligo iacturam pudoris; ne subeam dedecus non amantis: sciens facilius posse sarciri frontis damna, quam fidei.* Proh nobis pro Christo pugnatrix, primo in congressu validissimum diaboli cornu contriuit! Nisi fallor, de verecundia facit diabolus durissima omnium tormenta ad debellandas animas. Durior est verecundia morte ipsa. Castissima Susanna in lauacro nuda, à nefariis senibus impugnata, sed minimè expugnata, de falso crimine accersitur ad tribunal. Ecce tibi indices accusant innocen-

tem

tem fœminam, nobilissimum infamant maritum, luget vniuersa ciuitas. Quid tunc Susanna? Irascitur in iudices? Rem narrat? dicit se inuentam in lauacro nudam, vane fuisse à iudicibus expetitam? Absit: ea enim erat verecundia, quæ puellæ mentem occupabat, dum se memorabat visam à viris nudam, vt minus malum putaret mori, quam talia in tanto conuentu edicere. D. Ambros. de offic. libr. 1. cap. 18. ait. *Iacebat in periculis Susanna, & grauius verecundiæ, quam vitæ damnum putabat, nec arbitrabatur periculo pudoris tuendam salutem.* Sic verecundiæ tormentum se se extollit super omnes alios cruciatus, & vitæ discrimina. Sic salutis amissio, sic mors ipsa contemnitur præ verecundia. Effrontem Iudam, à quo tandem laqueo putas suffocatum? A verecundia facinoris sui. De Absalon dicitur 2. Reg. 14. *Ponderabat crines suos pondere publico.* Quibus verbis Iudæ perniciem à verecundia suffocati meditatur Drogo lib. de Sacramento Pas. inquiens. *Ecce Absalon, ecce Iudas, fur erat, & loculos habebat semel in anno tonsus, quando argenteos proiecit in templum, quos ponderauit ducentis siclis, & hoc pondere publico, non pondere sanctuarij; pœnitentia enim ductus, ait, Peccaui tradens sanguinem iusti: singula verba plena sunt ponderibus, sed pondere publico, non pondere sanctuarij, quia plus erubuit infamiam, quam conscientiam.* Proh vanissima verecundiæ laqueum! Nouit diabolus istius verecundiæ ingentem vim ad superandas animas, quia sæpissimè quod ingentia alia tormenta non possent, conficit vna verecundia, & ideò, vt arietet mundum, hoc sibi cornu in primis effingit. Quod præcauens Dominus apud Marc. cap. 8. inquit. *Qui me confusus fuerit coram hominibus, & ego confundar eum coram patre meo.* Quibus ego maxime expendo, quod Dominus suis proponat cauendam solam verecundiam, quasi ea sit validissima omnium tormentorum ad negandam fidem. Cur non potius meminit ardentes fornaces, vngulas ferreas, inauditas laniationes, sartagines, rotas, bestias frementes, & alia dæmoniorum ingenia, quæ quotidie homines à fide in infernum agunt præcipites? Cur maluit illis omissis solius verecundiæ meminisse? Sanè prima, & præcipua vis diaboli aduersus humana corda, in verecundia nimia consistit. Ita Tertull. aduersus Gnosticos fatur. *Sciebat enim à confusione, vel maximè negationem formari; mentis statum in fronte consistere: priorem esse pudoris, quam corporis plagam.* Expende illud, *priorem esse pudoris, quam corporis plagam:* quippè prima, & præcipua plaga in Christi milites à nimio pudore proficiscitur. Vnde præclare D. Bernard. epist. 185. ait. *O verecundia expers rationis, inimica salutis, totius ignara honoris, & honestatis.* Non sic obscura, & tetra nubes segetem grandinat, vt nimia hæc verecundia solet verbi Dei albentes messes in animis nostris penitus exturbare. Quo eleganter respexit Ecclesiasticus cap. 32. fatus. *Ante grandinem præibit coruscatio, & ante verecundiam præibit gratia.* Vt enim inter tenebrosas nubes duro prægnantes grandine, solent crebræ coruscationes fulgere, quæ oculos perstringunt, & quodam fulgore recreant, & interea mortalium labores misere grandinantur. Sic nimia verecundia, de modestiæ virtute præsefert quandam speciositatem & gratiam, quæ dum nos fallit, & deludit, misere perduntur virtutum segetes, quæ nostris animis alebantur. Felix qui hæc cauet, & pro salute animæ suæ, nouit etiam pudoris iacturam facere. Quot bona parturire solet honestus pudoris nimij contemptus? Punienda Thamar ob adulterij crimen, socero Iudæ suæ impudicitiæ signa obiecit, Genes. 38. dicens, *Cognosce cuius sit baculus, & armilla, & annulus.* Agnouit bonus vir suæ intemperantiæ testimonia, nec confunditur, manifestare delictum, vt nurum liberet. De quo S. Dionys. Alexand. epist. contra Samosatenum, quæst. 10. inquit. *Tunc Iudas confusione contemta confessus est, quod iustior se esset Thamar: atque ita liberata est à morte. Nisi enim Iudas confusionem contempsisset, interfecta esset Thamar.* O quot pereunt, quia non contemnitur pudor & confusio! Equidem secundo adolescenti Iesu, pudori erat, & confusioni, quod nudus inter latrones videretur in cruce. Quid tunc? Ait Paul. ad Hebr. 12. *Sustinuit crucem confusione contempta.* Nisi enim confusionem contempsisset Iesus, totus mundus periisset: sustinuit autem contemnere confusionem, vt & nos confusione contempta euolemus in vitam.

Ambros.
Drogo.
Marc. 8.
Tertull.
Bernard.
Eccles. 32.
Genes. 38.
Dionys.
Hebr. 12.

Text. Videns autem Pharisæus, qui vocauerat eum, ait intra se, dicens: Hic si esset Propheta, sciret vtique, quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum: quia peccatrix est.

§. XX.

Vt cauenda fœminarum familiaritas viris sanctis.

Inter mille Pharisæi errores, id verum recognoscas, velim, nimirum omnibus religiosis viris cauendam maximè fœminarum familiaritatem. Adeò vt non solum viri religiosi, & Prophetæ fugiant lasciuæ fœminæ congressum, vt parum castus Pharisæus putabat; sed etiam sanctissimarum fœminarum, vel manus tactum exitialem habeant. Paul. 1. ad Corinth. 7. ait, *Bonum est homini mulierem non tangere.* Quod ponderans D. Hieron. lib. 1. aduersus Iouinianum, ait. *Non dixit, bonum est vxorem non habere; sed bonum est mulierem non tangere, quasi & in tactu periculum sit, quasi qui illam tetigerit, non euadat.* Liceat in præsenti recolere Achillis fabulam; qui vt immortalis fieret, petiuit à Dea Thetide stygio submergi lacu. Annuit Dea, arripiénsque plantam hominis totum illum baptizat aquis, & dum totus intingitur, sola pedis planta, quam Dea tenebat, non fuit abluta stygiis, quo factum est, vt postea ibi vulneratus occumberet. Audistis fabulam: accipite modo Thetidem plorantem filij casum per plantam apud D. Ennodium Ethic. 2. his verbis. *Quid profuit stygiæ paludis auxilio nati corpus armatum? In membris prolis nostræ, quem Dea tenuit, locus est vulneris.* Proh virulenta fœminarum manus! Licet Dea sit, qua parte tangit, locum vulneri parat. Non equidem necessum est magno insigniri prophetiæ spiritu, vt noscas lethalem fœminarum congressum; qui enim religiosus Propheta est, quam longè fugit ab illis, vt securus ducat vitam. Iezabelis flammam fugit Elias, & fugit itinere quadraginta dierum, 3. Reg. 17. Quod ponderans D. Petrus Damian. serm. de sancto Vitali, inquit. *Et audiuit Elias, & timuit, ac fugiens abyt. O violentiam verbi! O formidinis eminentiam! Audito mulieris verbo fugit Elias; & fugit non vno, non duobus, non tribus diebus, sed potius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Rectè Propheta iudicauit, rectè se muniuit, quando tam longum posuit itineris spatium inter se, & fœminam. Prophetica est formido, quæ à fœminarum congressu cauit, Prophetica est formido, quæ in pulchra fœminæ facie præcauet iacturam cordis humani. Iudith sanctissima fœmina arduam prouinciam aggressa est; pulchra, & decora mulier audet se militum conspectui dare, insuper audet sola cum Principe Holopherne manere: denique vbi Principi assidet, cap. 13. sic ad Deum loquitur. *Confirma me Domine Deus Israël, & respice in hac hora ad opera manuū mearum, vt sicut promisisti, Ierusalem ciuitatem tuam erigas: & hoc quod credens per te posse fieri cogitaui, perficiam.* Vnde bona fœmina cogitauit tantam Holophernis iacturam futuram fore? An reuelationem habuit diuinam, vt Prophetæ solebant habere de Israëliticis victoriis? Nullus est auctor, qui hoc asserat, vt videre potes in quæstionibus nostri Serarij. Non itaque Iudith à Deo responsum habebat, non reuelationem illam, & tamen certò prophetabat Holophernis ruinam, & vnde certo prophetabat? Sanè vbi pulcherrima fœmina decreuit assidere Principi, iam erat vnde certissima iactura Principis posset prophetari. Huc eleganter spectat D. Prosper part. 2. de promissionibus, & prædict. cap. 38. fatus. *Exuta igitur veste viduali, se se omni ex parte mente, corpore, moribúsque componens, mirabilem cunctis exhibuit: eo vsa consilio, quo, custode Deo, credebat pulchritudine captum hostem esse perimere.* Ecce totum fiduciæ propheticæ fulcrum, nimirum credebat pulchritudine captum hostem posse perimere. Propheticus est halitus, qui in vicina pulchritudine ruinam hominis dicit: vt videas, quam prophetica sit formido, quæ sibi cauet à fœminarum vicinio. Quæ formido adeò propria est viris iustis, vt hinc sua bona cognoscant iusti, si neque attingi possint à manu fœminea. Quo spectauit illud toties in hac materia decantatum Iosephi facinus, quando relicto pallio in Dominæ manibus aufugit. Cur relicto pallio? An strenuus iuuenis, & pallium suum non possit eripere à manibus delicatæ fœminæ? Cur ergo pallium suum reliquit? Equidem reliquit pallium, quia non putauit suum, quod tangi potuit manibus meretricis. Ibi D. Ambros. cap. 15. *Reliquit tanquam non sua, quæ adultera suis manibus detinebat: & aliena iudicauit, quæ tactu impudicæ potuerant comprehendi.* Non putat bona sua vir iustus, quæ sic vicina sunt fœminis, vt impossibile sit, vel ab illis attingi.

1. Cor. 7.
Hieron.
Ennod.
3. Reg. 17.
Iudith 13.
Prosp.
Ambros.

§. XXI.

§. XXI.

Summa Dei bonitas in trahendis indignis.

MAgna Pharisæi stultitia, quæ peccatricem à Deo abigebat, quasi alienum esset à purissima mente peccatoribus subuenire. Quinimo, hoc est diuinæ bonitatis præconium Psal. 86. datum. *Psalm.86.* *Memor ero Raab, & Babylonis, scientium me.* Vbi D. Cyril. Ierosol. Catech. 2. paulo immutans lectionem, fatur. *Memor ero Raab, & Babylonis, & postea cognoscent me. O magnam Dei benignitatem! etiam inhonesta mulieris meminit in peccatis.* Adhuc in peccatis agentem conuenit Deus, vt ad sui amorem, & cogitationem trahat. Adhuc Raab meretricem agebat: adhuc Babylon de vino fornicationis suæ propinabat, & iam Deus memor erat Raab, & Babylonis, vt illis suæ diuinitatis cognitionem traderet. *Genes.28.* Quid plura? Ecce vobis, Genes. 28. Iacob dormiebat in vtramuis aurem, & iuxta illum apparet scala cœlestis, in cuius summitate innixus Dominus hæc verba ad dormientem faciebat. *Ego sum Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac,* &c. Sepultus somno est Iacob, & tamen non dedignatur Deus illum alloqui, illi suam promittere gratiam. ne putes alienum à Deo, quod peccatoribus adsit, etsi multo sepultis somno peccati. Cellens. Abb. Vnde dicebat Cellensis Abb. lib. 7. epist. 17. *Iacobi oculus sursum palpebras erexit, & videt Dominum innixum scala vocantem, & expectantem male separatum.* Non iam Deus ad solos vigilantes respicit; dormit homo, alto peccatorum sopore grauatur, nec dedignatur Deus cum dormiente miscere colloquia. Imò, vt amplius miretur Pharisæus, ipsa hominum peccata, ipsa iniustitia, ipsa fornicario sæpè occasionem dat, qua quis ad Dei notitiam accedat. Accipite Abimelechum Regem Geraræ, Genes. 12. is captus pulchritudine Saræ, & putans illam esse Habrahami non vxorem, sed sororem, sibi eam rapuit. Quid tamen ex hoc raptu percepit? Audit Deum sibi minitantem in somnis, loquitur cum Habrahamo, & totam veri Dei ebibit prouidentiam, & religionem. Nouit equidem iniustitia aliquando occasionem præstare, quo homo ad veri Dei cognitionem accedat. Theodor. Id quod notans Theodoretus in præsenti serm. 10. de prouid fatur. *Iniustitia, Abimelech pietatis viam aperuit, atque iniqua, illegitimáque cupiditas Dei cognitionem conciliat.* Quis iam miretur, quod Deus ad peccatores accedat?

§. XXII.

Ex sanctorum societate innocentia hominis probatur.

INiquus Pharisæus male offenditur, quod Propheta recipiat peccatricem fœminam, cum potius deberet minimè iam illam peccatricem iudicare, quã tanti Prophetę pedibus obuolutam videbat. Vbi enim de Ionathæ moribus ferenda erat sententia, quẽ vidit Dauidis amicũ, non ausus est damnare Hieron. lib. 2. contra Iouin. Hieron. Ibi enim sic ait. *Inter Dauid sanctum, & Saul Regem pessimum. Ionathas medius fuit. Quem nec inter bados possumus ponere, quia Propheta amore dignus est.* Hoc vnum innocentiæ testimonium inuenit sanctus Doctor in Ionatha filio Regis perditissimi, quod amicus erat Dauidi, eiúsque amicitia, & societate dignus; & ex hoc solum testimonio non audet in illum sententiam dicere. Etenim præclare aiebat S. Ennodius lib. 3. epist. 11. Ennod. *Proximus est innocentiæ, qui sanctorum meretur alloquia.* Aut innocens omninò es, aut innocentiæ quam proximus, vbi in animum induxeris consuetudine, & alloquiis vti bonorum. Fugit sanctorum consuetudinem error, vt vel inde vniuersus fœmineus sexus caueatur à dæmone, quod ad vnam fœminam Angelus accesserit. *Luc.1.* Quippe sic intonat Lucas 1. *Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galileæ, cui nomen erat Nazareth ad virginem.* Ecce tibi virgo cum Angelo, fœmina non per paradisum errans, non ad poma vetita spectans, sed cum Angelo verba faciens. Quid plura? Iam diabolus suspectas sibi habet omnes fœminas, ab illísque cauet, vbi cum Maria loquitur Angelus. Gregor. Ita D. Gregor. Thaumat. serm. 3. de Annunt. ait, *Angelus cum virgine loquitur, vt non amplius cum muliere serpens loquatur.* Adeò potens est cum bonis consuetudo, & familiaritas ad ipsam vitiorum radicem extirpandam. Fit equidem iustorum congressus damnnibus, & vitiis exitialis, adeò vt impii, etsi in bello cum iustis congrediantur, si tamen cum iustis congrediantur, ex eo congressu præclarum salutis auspicium soleant capere. *Mich.4.* Do Michæam cap. 4. sic apud Sept. sanrem. *Et nunc congregatæ sunt super te gentes multæ dicentium: Insultemus, & videant in Sion oculi nostri: ipsi autem nescierunt cogitationes Domini, & non intellexerunt consilium eius: quia congregauit eos, vt manipulos areæ. Surge, & tritura eos filia Sion, quia cornua tua ponam ferrea, & vngulas tuas ponam æreas, & comminues populos multos, & vouebis Domino multitudinem eorum.* Expende, quid sit consilium Domini in impiorum præliis aduersus iustos. Furiunt impij in sanctos, exercitus parant, vt congrediantur cum iustis: at consilium Dei sic præliatores impios congregat, *vt manipulos areæ.* Quid est, congregat eos, vt manipulos areæ? De gentium conuersione locutus, Ioan. 4. ait, *Ioann.4.* *Videte regiones, quoniam albæ sunt ad messem.* Trahuntur gentes ad Christum, vt manipuli ad aream, vbi expurgatis paleis, munda grana seruẽtur horreis æternis. Ecce vobis totum consilium Dei in permittendis impiorum præliis aduersum sanctos, vt si impij congrediantur cum iustis, ex illo congressu, quia congressus cum iustis est, id emolumentum percipiant, vt areæ Dei aptentur, in qua & expurgentur & diuinis horreis asseruentur. Tam salutaris est iustorum congressus. Hinc eleganter admodum D. Prosper lib. 1. de vocatione gent. cap. 33. fatur. Prosper. *Ex omni gente, ex omni conditione adoptantur quotidie millia senum, millia iuuenum, millia paruulorum: & effectibus gratiæ Christianæ, etiam ipsa, quibus mundus atteritur, arma famulantur. Quidam Ecclesiæ filij ab hostibus capti, Dominos suos Christi Euangelio manciparunt, & quibus conditione bellica seruiebant, eisdem fidei magisterio præfuerunt. At alij barbari, dum Romanis auxiliantur, quod in suis locis nosse non poterant, in nostris didicere regionibus, & ad sedes suas cum Christianæ religionis institutione remearunt.* Seruiunt ergo prælia impiorum diuinis consiliis, quando præliorum occasione congressus inter pios, & impios: quo posito necessum est, vt impij maximam vtilitatem capiant, & consuetudine iustorum discant salutis æternæ veritatem. Id quod ostendebat Angelus ille Persarum Princeps, qui apud Danielem cap. 10. curabat, ne captiuus populus Hebræorum assereretur in libertatem, quia ex istis captiuis apud Persas sperabat fore, vt Persæ illorum consuetudine exuerent mores barbaros, & veræ religioni approximarent.

Text. Et respondens Iesus dixit ad illum: Simeon habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magister dic. Duo debitores erant cuidam fœneratori; vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisque.

§. XXIII.

Quàm pauci diuinæ misericordiæ solicitandæ dant operam.

VBi de debitoribus faciendus erat sermo, miraberis, quod Dominus duorum tantum meminerit: duo, ait, debitores erant. Deus bone! Vtinam non essent amplius, quam nullia millium; excedit sane censum debitorum numerus, sed è tot debitoribus, qui Domini solicitandæ misericordiæ incumbant, qui officiis suis veniam acquirant, rari sunt, multum est, si inueniantur duo. Hinc apud Matth. cap. 18. aiebat Dominus, *Matth.18.* *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à patre meo, qui est in cœlo.* Et cur in duorum tantum consensu tam ingentia bona constituuntur? Præclare D. Ennodius epist. 6. inquit. Ennod. *Credo Redemptorem raritate perspecta, pro mundi salute petituros duos dixisse sufficere.* Rari sunt, qui apparent in vastissimo diuinæ misericordiæ mari; cateruatim homines in perditionem currunt, nec parum est, si in via veritatis inueniantur bini. *Singulariter sum ego, donec transeam,* aiebat ille: quamuis enim innumerabilis multitudo ciuium inueniatur in patria, verum dum in via sumus, dum viam mandatorum currimus, rari inueniuntur, qui currant. Psalm. 66. *Psalm.66.* *Pauper, & dolens sum ego.* Vnde qui diues est in misericordia, se dicit pauperem? Chrysost. in Psalm. 9. ait. *Pauper erat, quia nos esuriebat.* Adeò pauci sunt, qui ad Deum confluunt, vt semper Deus in hominibus habendis pauperem ageret. *Oleum effusum nomen tuum,* dicit sponsa, dum dilecti sui profusissimam pietatem considerat. *Cant.2.* *Sed cur oleum effusum?* Vidua illa Elisæi, vbi somem olei nanciscitur, nec guttam effundi patitur, sed quæsitis vasis è vicinis, plura vasa implet, & impleta seruat, vt debita soluat, & de reliquo viuat. Cur nos, qui debitores sumus, oleum Christi effundi patimur?

patimur? Cur non potius in vasis seruatur? Sanè pauci sunt debitores, qui cupiunt pretiosum oleum acquirere, quo pro debitis satisfaciant. Rara sunt vasa, quæ applicantur diuino oleo excipiendo, & sic necessum est, vt oleum super-
Cellens. effluat, & sese effundat. Pulchrè Cellensis Abbas lib. 3. epist.12. ait. *Supercurrit oleum, quia vasa deficiunt. Hic manus dantis largior, & accipientis rarior. Sola hæc ministrorum indignatio, quia pauci sunt, quibus fiat ferculorum distributio.* Qui indigeant, innumeri sunt, qui debitores Deo sint, excedunt pulueris numerum, nec capit arena nocentes, at qui dent operam satisfactioni, rarissimi inueniuntur in mun-
Isai.13. do. De his dicebat Isaias cap.13. *Pretiosior erit vir auro, & homo mundo obryzo.* Vt enim inter immensas terræ moles inuenitur subtilis auri vena, & inter infinitas fluminum arenas aliquando rara grana aurea inueniuntur; sic inter densissimas hominum perditorum segetes, quandoque appa-
Ælred. ret vir, qui rationis regulis viuat. Quod explanans D. Ælredus serm.11. in Isaiam, inquit. *Profectò pretiosior erit vir auro, id est rarior; & homo scilicet, qui secundum rationem, non secundum bestiæ sensum viuat, mundo obryzo.* Rari sunt, qui iustitiæ dent operam, nec est res, quæ sic homines pelliciat ad vitia, vt raritas, & paucitas eorum, qui sectantur iustitiam.
Num.23. Num.23. Balaam vocatus, vt populo Dei imprecaretur dura, cum primum Israëlitici exercitus multitudinem aspexit, non potuit illi non benedicere. Cui Rex Balac ait. *Veni mecum in alterum locum, vnde partem Israël videas, & totum videre non possis, inde maledicito ei.* Expende impij astum, quærebat locum maledictionibus aptum, & illum putat aptissimum, à quo non tota multitudo iustorum videretur, sed pars aliqua parua illorum. Quasi ratus, quod nulla res sic vatem in praua pelliceret, quam si pauci, & rari ex iustorum exercitu viderentur ab illo.

§. XXIV.

Deus ab hominibus bona sua exigit cum fœnore.

NOn otiosè dictus est Dominus fœnerator; verè enim fœnerator ipse est, qui bona, quæ dat, non solum petit, sed & cum fœnore exigit. Nunquam non in suis muneribus fœnus spectat Deus, adeò vt vel hinc puniat debitores, & seruos, si fœnori reddendo operam minimè nauent. Psal.103. *In spiritu vehementi conteres naues Tharsis.* Vbi naues Tharsis conteruntur, quis iam suam contritionem non expaueat? Quæ rates ira Dei flante, imò reflante portum attinget, quando perduntur Tharsis naues? Illa equidem rates in tanto nauium naufragio, salua erit, quæ acceptas merces cum fœnore, & lucro, Deo reportauerit. Ira enim Dei sæuire desinit, vbi fœnus ex muneribus capit.
Paulin. Ita D. Paulin. epist.4. fatur. *Ecce maior Salomon hic. Qui non conteret nos inter naues Tharsis, si illi bono actu vitæ nostræ lucrum (quod est pretiosissimum mercimonium Deo) conuehamus.* Redde accepta ex Deo munera cum fœnore; negotiare cum acceptis muneribus, vt ex illis Deo lucrum parias, & secundis ventis, medias inter naufragas naues huius sæculi mare tranes. Is enim est Deus, qui ex suis bonis lucrum semper expectat anxius. Hic est, quod profusurus vitam pro hominibus, inter alia genera mortis, in cruce suspendi maluit, & cur in cruce suspendi malui? Vt pateret, quod in sanguine suo exhibendo, non solum donatorem agebat liberalem, sed mercatorem agebat, qui omnibus suis bonis sub hasta positis, de singulis lucrum ab hominibus exige-
Venant. bat maximum. Quo spectat Venantius in Symbol. aiens: *Ideo Dominus in cruce suspenditur, vt pro captiuitate nostra pretium sui corporis mercator in statera pensaret.* Omnia in statera pensat auarus mercator, nihil sine statera largitur: quia ex omnibus certum lucrum, & fœnus cupit reportare. Sic in cruce Dominus mercatorem agit sub hasta, nihil non statera pensatum largitur, vt nemo audeat tantum bonum, nullo reddēdo lucro, reportare. Scire cupis, quanto studeat fœnori acquirendo ex hominibus Saluator? Cum ad iudiciū veniet, non tam debita requiret, quàm fœnora; non enim interrogabit, an quod debuimus facere fecimus, sed an aliquid supererogationis dedimus. Nō si debita soluimus, sed si
Matth.25. fecimus opera largitatis de nostris donādo. Ait enim Matt. 25. *Esuriui, & non dedistis mihi manducare.* Id quod notans D.
Ambros. Ambros. lib.2. de gent. vocatione, cap.2. ait. *Nihil aliud sinistris obycitur, quam misericordiæ, beneuolentiæque neglectus. Acceperant ergo etiam isti fidem, sed non sectati fuerunt dilectionem: nec de non seruato, sed de non aucto munere damnabuntur.* O Deum exactissimum fœneratorem suorum bonorum! Damnat, non quia perdidisti solum, sed quia non auxisti, quia supra debitum aliquid pro fœnore non donasti. Quò spectat Dei incarnati apud Ieremiam querimonia: ait enim c.15. *Væ mihi mater mea, quare me genuisti virum rixæ?* D. Hie- Ierem.15.
ron. etiam legit, *virum iudicij.* Quippe dolet Saluator se iudicem constitutum esse ad irascendum, & damnandum, qui mallet omnes homines saluos facere. Timet autem vehementer iram suam, vbi ad iudicium venerit. Et cur timet iram suam? An quia non inueniendi sunt, qui debitis satisfecerint? Minimè: sed quia non inueniendi sunt, qui vltra debita aliquid pro fœnore erogauerint. Etenim ait: *Non fœneraui, nec fœnerauit mihi quisquam.* Vbi D. Hieron. ex per- Hieron.
sona Christi, ait. *Nullus se præbuit, qui digne mea æra susciperet: nec fœnerauit mihi quisquam in sanctis, atque pauperibus confouendis me sibi faciens debitorem.* Inde se dolet in iudicio futurum virum rixæ, quia pauci erunt, qui opera supererogationis in pauperibus fouendis habeant, pauci qui vltra debitam præceptorum adimpletionem, vellent addere prorogationem ad pauperes sustentandos, quo necesse rixabitur, & irascetur diuinus fœnerator, qui vltra debita, fœnus exoptat capere.

§. XXV.

Diuina misericordia æquè facilis ad plura, ac ad pauciora condonanda.

ETsi humana scelera numero, & grauitate vincas, non te ab speranda venia multitudo deterreat peccatorum, quando & qui quinquaginta tantum, & qui quingentos denarios debebant, eadem facilitate veniam obtulisse dicuntur. Hominum est maiora debita difficiliùs dimittere; Deus autem, cuius misericordia omni peccato maior est; & qui diues est in misericordia, eadem promptitudine, & facilitate plura condonat, ac pauciora. Ioan.1. aiebat: *Ecce agnus* Ioann.1.
Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Aliter legit Græcus, dicens: *Ecce qui tollit peccatum mundi.* Ibi peccata pluraliter dicuntur, ne videatur peccatorum multitudo posse exhaurire misericordiam: hic singulariter dicitur peccatum: quod quæstionem fecit Theoph. in Cat. vbi sic dubitat. *Quare non di-* Theoph.
xit peccata mundi, sed peccatum? An putauit Deum duriorem ad multitudinem peccatorum, quam ad paucitatem? Absit: imò, penes Deum idem est, quod plura, siue, quod vnum remittat. Sic multitudinem peccatorum dimittit, ac vnum; & sic vnum condonat, ac multitudinem. Dauid Psal.50. *Mi-* Psal.50.
serere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam. Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Sic petit Dauid misericordiam, quasi reū se agnoscat vnius solum peccati. Dixisset satius, ab innumeris peccatis meis munda me, sed ille solum ait, à peccato meo munda me. Id quod notans D. Hieron. epist. ad Rusticum, ait. *Adulterio* Hieron.
iunxerat homicidium, & tamen conuersus ad lacrymas: miserere, inquit, mei, secundum magnam misericordiam tuam: à peccato meo munda me. Duobus obstrictus peccatis adulterij, & homicidij, à peccato se petit liberari, & non a peccatis: cur non potius peccata numerat? Cur solum dicit peccatum? Sanè vbi ait, secundum magnam misericordiam tuam, adeò ingentem Dei meminit pietatem, vt nihil magis in illa faciant mille, quam vnum peccatum. Nouit hoc Mich. c.7. vbi di- Mich.7.
cit. *Reuertetur, & miserebitur nostri, deponet iniquitates nostras, & proyciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Sic peccata per pœnitentiam accedunt, quasi flumina, quæ immensam pelagi voraginem intrant. Quid ad mare, quod plura, aut pauciora flumina intrent? Sic omnia sorbet, quasi omnia essent vnum. Sic in pelago misericordiæ diuinæ nil magis occupat criminum multitudo, quàm paucitas, æquali facilitate absorbet cuncta cœlestis vnda.

Text. Quis ergo eum plus diligit? Respondens Simon, dicit: Æstimo, quia is, cui plus donauit. At ille dixit ei: Rectè iudicasti.

§. XXVI.

Inæqualitas mercedis non à Deo prouenit, sed à nobis.

VBi textus dicit: *Diligit, siue diliget*, intelligendum est iuxta August. mentem & lectionem, verbum præteriti August.
temporis, nimirum, *dilexit*: quærebantur enim antecedentia opera, quibus venia fuerit obtenta. Id quod mihi persuadetur primo, ex adducto exemplo non cuiuscumque

hominis condonantis, sed fœneratoris. Et sanè, qui multus est in fœnoribus acquirendis, non tam inæqualia dimitteret debita, nisi inæqualibus etiam officiis obligatus, quod rectè iudicauit Simon. Rursus id solum ad Christi mentem faciebat, qui adducto exemplo inæqualia officia Magdalenæ, & Simonis ponderabat, ne sibi imputaretur, quod propensior esset vni, quam alteri. Equidem mercedis inæqualitatem non Deus ex se, sed morum humanorum inæqualitates faciunt. Ad Zebedæi filios dextram, & sinistram

Matth.20. petentes, ait Dominus Matth.20. *Sedere autem ad dexteram, & sinistram non est meum dare vobis.* Sanè non omninò negat suum esse sedes dare, qui duodecim Apostolis ante mandauerat, sed negat suum esse tam inæquales sedes suis dare, nimirum dextras, & sinistras, quando ipse ex se æquali omnes mercede ditaret. Ita D.Chrysost. hom. de Petr. fil.Zeb.

Chrysost. fatus. *Non ipsius est solius dare, sed eorum, qui decertant, accipere. Nam si solius esset ipsius, differentes honores non essent: omnes enim ipse condidit, & æqualiter est illi cura de omnibus.* Bonus præmiorum distributor Dominus, quantum est ex se, eadem omnibus largitur; nulli minus, sed omnibus æqualia distribuit. Vnde Apoc. 7. *Ex tribu Iuda duodecim millia*

Apoc.7. *signati. Ex tribu Ruben duodecim millia signati. Ex tribu Gad duodecim millia signati.* &c. Sic vniuersæ tribus summã æqualitatem in omnibus præseferunt. Et vnde ortum habuit tanta æqualitas? Hanc ponit, & soluit quæstionem Orig.hom.1.

Origen. in Exod. fatus. *Ad quos patres iste numerus referendus sit, tam æqualis, tam integer, támque compositus, ita vt nullus alio superior, aut inferior numeretur? Apostolus subiecit, cum dicit. Propter quod flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur.* Itaque diuinus pater ex se coronis, & mercedibus largiendis nullam inæqualitatem facit, omnia singulis proponit, æquales vellet habere filios in honore, & dignitate. Filiorum ingenium est, & meritum, quod inæqualitatem facit, quod alios aliis præfert in dignitatibus. Et sanè meritissimè inæqualitatem mercedis in filiorum reliquit Pater potestate,

Genes.37. ne in illis studium plus placendi sopitum maneat. Gen.37. *Israël diligebat Ioseph super omnes filios.* Nec id Israëli vitio tribuo, quod non omnes fratres æquales faceret, imò crediderim in quauis domo, siue Republica aliquam oportere esse inæqualitatem, quam faciant filiorum merita inæqualia. Quod sic confirmat D.Ambros.lib.de Ioseph, cap.2. fa-

Ambros. tus. *Quid ergo? Reprehendendus Iacob, quia præferebat vnum cæteris? Sed nec libertatem possumus auferre parentibus, ne eos plus dirigant, quos plus credunt mereri, nec filijs resecare debemus studium plus placendi.* Equidem vbi omnia omnibus æqualia necessario futura sunt, omninò studium plus placendi resecatur, & in malæ indolis animis amplior delinquendi licentia datur. Semper enim, vt nihil speratur, impudentiæ datur occasio. Ecce tibi dæmonis impudentia in Christo

Matth.4. tentando, Matth.4. *Si filius Dei es, dic, vt lapides isti panes fiant.* rursus: *mitte te deorsum.* insuper: *hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me.* Cur non timet diabolus sic fieri importunus, si forsan accidat, quod veretur, nimirum, quod Iesus filius Dei sit? Pulchrè Imperfectus, homil.5.in Matth. ait, *Nec timuit cogitans, ne fortè si inuentus fuerit filius Dei, inueniat illi fecisse iniuriam. Sed nihil dubitat dicere, nec facere, qui nihil sibi reliquit, quod speret.* Vbi nihil sperat, nihil veretur, nihil dubitat aggredi. Vnde non otiosè in suæ scholæ initiis permisit Iesus illud Petri, *Quid ergo erit nobis?*

Text. Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lacrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit. Osculum mihi non dedisti: hæc autem ex quo intrauit, non cessauit osculari pedes meos. Oleo caput meum non vnxisti: hæc autem vnguento vnxit pedes meos. Propter quod dico tibi: remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui enim minus dimittitur, minus diligit.

§. XXVII.

Periculosum est inter virtutum exempla adhuc virtutis studiosum non fieri.

A Principio Dominus Simonis officia desiderabat, nec tamen illi vllum facit verbum; sed tunc illum reprehendit, quando inter Magdalenæ amoris plena officia, ille adhuc ingratus, & murmurator perseuerat. Esto, quod ante non lauerit pedes Iesu Simon, non vnxerit, non fuerit osculatus. Id forsan vel iniuriæ, vel obliuioni possit dari. At videns à Magdalena lauari, & vngi, & osculis honorari, non inde iniuriæ suæ pœnitet, non verecundatur se victum fuisse in obsequiis Deo præstandis; quod Dominus vehementer reprehendit. Nec miror reprehensione dignum esse, imò supplicio, qui vel exemplo non mouetur ad vitam mutandam. Matth.22. intrauerat ille ad regis nuptias, & sordidis vestibus intrauerat, & inter splendentes conuiuas ipse ausus est accumbere prandio. Tunc Rex iratus in hominem, ait illi: *Quare huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* Sed, ô bone Rex, te vellem interrogare, quare tam serò irasceris in hominem adeò sordentem? Cur cum primum domus limen attigit, non eiecisti eum? Cur expectasti, vt consideret? Sanè, quod intrauerat sordidus, aliqualem excusationem inaduertentiæ, vel ignorantiæ potuit habere; at quando ibi manens, & videns cæteros omnes conuiuas splendescere; non tamen ad se reuertit, & vel de eorum exemplo sibi cauet, tunc dignè damnatur, & miseratione indignus excluditur à prandio. Hanc eius exclusionis rationem dedit D.Cyrill.Hierosol.in Præfat. sic ex ore Regis ad illum fatus. *An ignorabas, quali amictu ingrediendum esset ad conuiuium? Sit ita sanè. Sed cum iam intraueras, vidisti splendida discumbentium vestimenta, nónne te oportuit vel ex his, quæ cernebas, discere? Et iubet ministris: ligate pedes illius*, &c. Vbi ob oculos habes aliorum exempla virtutis, inexcusabilis es, ô homo, si te non conformes illis. Hinc volo aliquantulum penses, & prudentiam, & virtutem Mariæ Virginis. Decreuerat Deus, è virgineis matris visceribus Ioannem præcursorem suum inuisere, sed qualiter posset abditissima virgo adduci, vt domo egrediatur, vt longam ineat viam, vt longè distantem cognatam inuisat? Mittitur primo ad Mariam Angelus, qui à cœlis veniens ingressus domum salutauit Mariam, arcanum ei mysterium annuntians. Quid tunc? Vt est cognata Angelis virginitas, Angeli nouit viam, vbi salutationem percepit, statim ipsa & viam arripit, & cognatam inuisit. Præclarè D.Gregor.Thaumat.serm.2. *Cum festinatione ad Elizabeth cognatam suam contendebat. Et ingressa domum Zachariæ, salutauit Elizabeth, Angelum imitata.* Non potuit non tangi Mariæ sanctitas exemplo Angeli, & vbi vidit ad cognatas virtutes virginitatis aduolare Angelos, statim ipsa aduolat, vt visitet cognatam. Turpe omnino est, & reprehensione dignum consortium exemplo non moueri ad similia virtutum opera perpetranda. Quippe vbi Magdalena peccata deflet, Pharisæus oblatrat, tunc ait Matth. quod Iesus *conuersus ad mulierem, dixit Simoni.* Cur, vt cum Simone loquatur, conuertitur prius Dominus ad mulierem? Quia exempla virtutum in fœmina à Simone contempta, vehementer iram Dei aduersus Pharisæum excitabant. Ita Chrys.ser.97. *Quid est, quod conuersus ad mulierem Simoni loquitur Christus? Quia cum pœnitentem respicit, arguit oblatrantem.* Nulla res sic in te diuinam iram (citra peccata) exacuit, quam exempla virtutum, quæ despicis in fratre. Nouerat id diabolus, qui eodem tempore, quo milites Christianos coronis Martialibus redimiri persuadebat, simul faciebat, vt Ethnici milites in honorem idoli Mithræ à talibus abstinerent coronis. Quo id astu faciebat? Sanè vt coronati Christiani vehementius iram Dei irritarent, ab ipso Ethnicorum exemplo damnati. De quo Tert. lib. de corona militis, sic finit. *Statim creditur Mithræ miles, si deiecerit coronam, si eam in Deo suo esse dixerit. Agnoscamus ingenia diaboli, idcirco quædam de diuinis affectandis, vt nos de suorum fide confundat, & iudicet.* Sic ille.

Matth.22. Cyrill. Gregor. Chrysol. Tertull.

§. XXVIII.

Cauendum, ne accipiat alter coronam nostram.

PVlchrè Magdalena in domo Pharisæi diuinam præripit gratiã: quãdo enim à debitis officiis Pharisæus abstinet, intrat mulier, quæ omnia implens, coronã desidiosi sibi accipit. Quippe etiã in donis diuinis verũ habet illud Horatij,

Viuitur ex rapto, non hostes ab hospite tutus. Horat.

Subiectæ sunt furibus coronæ iustorum, quando Dominus dicit, quod & ipse ad nos veniet tanquam fur. Cur tanquam fur? Quia & piis furibus suffragabitur, desidiosorum illis coronas adscribens. Hinc bene aiebat D.Paulinus epistol. 4. *Si vel in domo Pharisæi audiam iustum venisse; contendam præripere hospitij gratiam, præripere, si possem,* Paulinus.

Regna

Regna caelorum. Soot eqoidem omnes viri pij furea cœlestium coronarum, væ qui desidia torpet, væ qui pro tanto thesauro seruando minimè vigilat, in fures incidit, à quibus misere spoliatur. Et quidem Christi Ecclesia non aliter dicat suos, nisi quod ex prædis, ex furto viuant, quando ait Prouerb.30. *Deditque prædam domesticis suis.* quod prædatus fuerit solum accipiet domesticus fidei; caue tibi, qui inter hos prædones thesaurom habes cœlesté in vasis fictilibus. Impiè, sed verè ignorantes Iudæi, vt celarent Iesu
Matth.28. resurrectionem, dicebant custodibus monumenti Matth.28. *Dicite, quia discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus.* Et verè dormisti Iudæe, quando cœlestem thesaurum inter latrones posuisti, qoid inde reliquom erat, oisi quod pius latro, quod piootissimi prædones tibi
Chrysol. coronam salutis præriperent. Eleganter D.Chrysol. ser.37. *Errat Iudae: ipse se furatus est, qui videbatur occisus, sed miror, quod Iudaus Christum requirit, quem inter duos latrones feraliter collocarat: committit male, custodit impiè, sanguinis quærit.* Thesaurum inter latrones ponis, & dormis; & quæris illum? Equidem dum in præsenti vita sumus, inter latrones degimus, & latrones pissimos, qui coronas nobis præripiant, si oscitamus, si dormimus, si vel paululum à
Luc.10. debito vitæ cursu decidimus. Apud Lucam cap. 10. *Homo quidem descendebat ab Ierusalem in Iericho. & incidit in latrones. qui etiam despoliauerunt eum.* Qoi Ierosolymis agebat diues, & ornatus, ecce tibi cum primum descendit ab alto illo tramite vitæ, latrones adsunt, qui omoia ei glo-
Basil. riæ ornamenta præripiant. Sic D.Basil. concione in Laicis. *Ab alto igitur ad inferna venit homo, vt in prædones incideret.* Proh cœlestis semitæ periculum! Ex rapto viuitur; tene quod habes, ne accipiat alter coronam tuam, si ab alto deflectas, si deorsum vergas: ecce quam protinus alter tuom occupat locum, vt tuam coronam accipiat. Zaram primogenituræ Abrahami pene inauguratus ab vtero matris ma-
Genes.38. num exerit primus. Genes.38. cui apposuit signum obstetrix dicens; *Hic exiet prior.* Nihilominus tamen adhoc illo in vtero agente, exit prior Phares, cur Phares prior exit, cum Zaram primus contenderit exire, & manum emiserit? Sanè quam misit manum, retraxit Zara. Et vbi ab incepto destitit, protinus Phares occupat locum illius, primoge-
Ambros. niúmque præripit. Pulchrè D.Ambros. lib.3. in Lucam. *Vt autem manum reuocauit puer in matris vterum statim exiuit frater eius.* Non frater à fratre, non hospes ab hospite rutus si dormitet.

§. XXIX.

Is verè amat Deum, qui nescit cessare ab amoris operibus.

MAgdalenæ facinora referens Dominus ait, quod rigauerit lacrymis pedes suos, quod vnguento vnxerit, verum vbi eius memorat oscula diuinis impressa pedibus, mutata phrasi inqoit, *ex qua intrauit, non cessauit osculari pedes meos.* Equidem verè Dei amatorem animum definit, qui paucis amoris sui sigois contentus non quiescat; sed potius cessare nesciat ab his operibus, quæ intimum animi
Cant.1. affectum manifestant. Ille verè Dei amatrix, Cantic 1. apud Sept. aiebat, *Osculetur me ab osculis oris sui.* Quod meditans
Ambros. D Ambros. lib. de Isaac, c.3. inqoit. *Non vnum osculum quærit, sed plura, vt desiderium suum possit explere. Quæ enim diligit, non est vnius osculi parcitate contenta, sed plura exigit, plura vendicat. Denique & illa in Euangelio sic probata est. Quia non cessauit, inquit, osculari pedes meos, & ideò dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum.* Nescit amare Deum, qui inuenit in amore finem, qui ponit amoris sui mensuram; vnus est diuini amoris affectus, qui nunquam sufficit, qui nunquam
Psal.104. cessare nouit. Psal.104. ait, *Quærite faciem eius semper.* Quo-
August. modo semper? D.August. *Vt non huic inquisitioni, qua significatur amor, finem præstet inuentio, sed amore crescente inquisitio crescat inuenti.* Nullis finibus coarctetur amor, nouis semper insistat operibus, vt Christi lucrum faciat; efficax est charitas, quæ solet diffundi in cordibus humanis; nullo quiescit opere, sed multiplici sese operatione quotidie acuit. Vt di-
Gregor. cat D.Gregor lib.10. Moral. *Cum vna eademque sit charitas, si mentem plenè ceperit, hanc innumera opera multiformiter accendit.* Multa semper est charitas in operando; quicumque charitate impletur, fallar, si nouerit quiescere, si vna aut alia
Apoc.2. operatione quiescit satiatus. Apocal.2. ad Ephesi Angelum dicit Dominus, *Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam: & quia non potes sustinere malos, & tentasti eos, qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt: & inuenisti eos mendaces: & patientiam habes, & sustinuisti, propter nomen meum, & non defecisti; sed habeo aduersum te pauca, quod charitatem tuam primam reliquisti.* Inter tot virtutes vnicus charitatis primæ defectus obiicitur, vna charitas desideratur; quid ergo? *Memor esto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac.* Expende illud, *& prima opera fac.* Sola prima charitas desiderabatur, multa alia bona opera aderant. & nihilominus cum primæ charitatis desiderium resarcire cupit, non primum opus, sed prima opera exigit. Nescit charitas meotibus nostris inesse, oisi operationum multitudine ful-
gens. Cant.2. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Non sustinet amor esse, nisi fructibus stipatus, & floribus, instar fœcundissimæ arboris: quippe communes plantæ flores habent, & post flores ad fructus deueniunt: sunt autem aliquæ præstantissimæ arbores, quæ simul & fructus, & flores habent, & simul fructuum messem offerunt, & reflorescunt ad alios, ne vnqoam viuida eorum virtus otiosa maneat. Sic cyprus arbor: sic amor diuinus nostris insitus animis nescit otiari. & fructus simul, & flores habet; non quiescit vnis exhibitis operum fructibus, sed cum semel fructificat, iam se accingit ad illos, & alios fructus præstan- Cantic.2.
dos. Huc spectat illud Eccles. *Obaudite me diuini fructus, & quasi rosa plantata super riuos aquarum fructificate. Quasi Libanus odorem suauitatis habete. Florete flores, quasi lilium.* &c. Ad fructus loquitur, & ab illis petit, vt fructificent, vt floreant; vbi tales inuenientur fructus, à quibus flores expostulare possis, cum fructus potius fiot florum ruina? Sanè is est diuinus amor, cuius fructus, & flores, & alios semper fructus parturiunt; is est diuinus amor, qui & albentibus messibus, & exortu floris nouo simul viget, adeò vt nequeat otiosus esse, sed primi bonorum operum fructus sint flores ad alios exhibendos. Eccles.39.

§. XXX.

Perfectissimus dolor de peccatis nullum terminum sibi præscribit in satisfactione peragenda.

PRoh nobilis Magdalenæ pœnitentia! magna equidem velut mare contritio tua, cum & à propriis vapulas fluctibus, & io immeosom porrigis satisfactionis terminos. Contentus est peccator, qui vel lacrymis lauat crimina, vel misericordiæ dat operā vel religioni incumbit paucis semper operibus præscribens sibi terminum. Verum Magdalena & lacrymatur, & capillorum fuscat pulchritudinem, & pretiosa vnguenta in Dei obsequium profundit. & pedes Domini osculari non cessat. Sic qui perfectè dolet de peccatis, incessanter doleat, sine termino contritionem suam manifestet. Sanè Dauid, 1.Paralip.21. correptus a Propheta 1.Paral.21.
de censu populi, *peccaui nimis*, ait; ingentémque animi sui dolorem ostendit. Cui statim Dominus: *Trium tibi optionem da: vnum, quod volueris elige.* Proposita namque fuit Dauidi pro peccato vel fames, vel pestis, vel bellum; ipse verò dolens, sed summe confidens in Deo, pestem elegit. Miraberis tantum pœnitentem vno fuisse supplicio contentum? Cur Dauid è tribus suppliciis, propositis saltem duo oon eligis? An peccatum non merebatur omnia illa? Ee peccatum merebatur nimia, & id Dauid recognoscebat, & non solum tria, sed incessanter supplicia omnia sumeret, nisi à Deo ipso cohiberetur. D.Ambros. Psal 37. ait, *Elegisse quidem lego sanctum Dauid flagelli genus, quod æquanimiter sustineret; sed elegit, quia de tribus ei conditionibus, vnius eligenda necessitas mandabatur. Vbi autem non mandatur, ad omnia paratus est Dei seruulus.* Debuit nobilis pœnitens diuino coërceri præcepto, vt vnico pœnitentiæ, suppliciíque genere contentus subsisteret; alioquin nullom castigationis faceret finem. Sic qui verè dolent de peccatis, nullis somptis pœnis franguntur, semper & vbique pœnitentiæ faciendæ student. Quas pœnas non pertulerant inclyti illi iuuenes Hebræi, qui in Regis Babylonij palatio seruiebant? Quas preces non fuderant Deo suo? Quæ ieiunia noo euoluerant, inter regias dapes contenti leguminibus? Quas tyranni iras non sustinuere, quia adorare auream statuam nolunt? Tandem ligantur, & in fornacem ardentem coniiciuntur. ecce vobis in flammarum medio sunt, & io mediis flammis lamentom pro peccatis adhuc sumunt. Dan. 3. *Et am-* Daniel.3.
bulabant in medio flammæ laudantes Deum. Stans autem Azarias orauit sic, aperiénsque os suum in medio ignis, ait. Quid in medio ignis oraret? Quid post tot tormenta diceret ad Dominum suum? *Iudicia vera fecisti iuxta omnia, quæ induxisti super nos, & super ciuitatem sanctam patrum nostrorum Ierusalem,*

quia in veritate, & iudicio induxisti omnia hæc propter peccata nostra. Peccauimus enim, & iniquè egimus. O bone, si peccasti, etiam ieiunasti, etiam orasti, & persecutionem tulisti, & vincula, & inter flammas degis, cur adhuc lamentis instas? Cur adhuc peccati repræsentatione affligeris? Nescis bonus iuuenis pœnitentiæ suæ ponere finem. Cyprian. Pulchrè D.Cyprian. lib.de Lapsis. *Tres pueri quoniam exomologesim facerent Deo, nec inter flammas, & caminus exæstuantis incendia quieuerunt. Et Domino satisfacere, nec inter ipsa gloriosa virtutum suarum martyria destiterunt. Loquitur scriptura. Stans, inquit, Azarias precatus est, & aperuit os suum, & exomologesim faciebat Deo in medio ignis.* Non ieiunia, non vincula, non flammæ potuerunt satisfaciendi pro peccatis famem satiare. Quod exemplum iure me docet in sanctissimum Iob. Iob 2. Is omnibus spoliatis bonis, filiis orbatus, a planta pedis vsque ad verticem capitis verberatus, cap.2. *Testa saniem radebat sedens in sterquilinio.* Cur Iob noua ingenia malum exacerbandi requiris? Cur non satiatus pœnis, testam ad carnes radendas, vel rodendas addis, & in sterquilinio sedes? Sessio in stercore pœnitentis ostendit habitum; & vbi Iob se peccatorem meminit, nullis asperitatibus satiatur. Apoll. Apoll. in Cat. Græc. ait. *In sterquilinio, quod in conspectu vrbis erat, considebat, Deumque exorabat, ob ea satisfasse, quæ per inscitiam peccarat, cupiebátque sibi vindicem in his sordibus iacenti fore propitium.* Timet peccata, & nullis sordibus parcit, quibus possit Deo satisfacere.

§. XXXI.

Popularis plausus fugiendus est, & iactantia verba.

QVam cauet Dominus vbique auram popularem! Ipse propria auctoritate, qua Deus erat, & Saluator mundi Magdalenæ peccata dimittebat, tamen in tanta principum frequentia maluit demissius se gerere, hec ait, Ego dimitto tibi peccata tua, sed dimittuntur ei peccata multa, vt vel iactantiæ suspicioni omninò ostium clauderet. Ioann.11. Similiter Ioann.11. aiebat: *Lazarus amicus noster dormit, & ego vado, vt excitem eum.* Rursus non intelligentibus discipulis repetit, *Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos.* Cum illum quasi dormientem proponit, ingenuè ait, quod ipse excitabat eum; non enim magnum sibi attribuere videbatur, quod diceret à se dormientem excitandum. Verum cum apertius loquitur, fatetúrque Lazarum vita functum, quod restabat, silet, nimirum, quod ipse daturus esset illi vitam, vt nobis modestiæ, & summissionis præberet exemplum. Basil. Ita D.Basil.Seleuc.in serm. de Laz. inquit. *Dum ait, Lazarus dormit, subdit: & ego vado, vt excitem illum. Cum autem dicit, mortuus est, non apponit illud, & ego vado, vt exsuscitem illum: vbique enim ab inanis gloriæ, & iactantiæ studia abducit.* Vbique suas virtutes Dominus celat, vbique minuit magnalia operum suorum. Luc.8. Similiter apud Luc.cap.8. puellæ defunctæ refusurus vitam, ait, *Non est mortua puella, sed dormit.* Maluit mortem, quæ cito fuganda erat, vocare somnum, vt sic vel vocabulo obtegeret facinus, quod ad gloriam, & laudem sui nominis maximè faciebat. Vnde Sedul. eleganter Sedulius lib.3. Paschali cap 12. fatur. *Cunctis corpus videbatur extinctum, soli Christo, qui ad vitam venerat largiendam, sopor apparebat infusus. Et hoc ad eius gloriam pertinuit singularem, quod defunctum dixerit dormientem, vt admirabilia facta viuentium monstraturus, minus se donare pronuntians, quam donabat, humana laudis declinaret iniuriam.* Itaque vbique signa præfert Dominus modestiæ suæ, vbique celat opera, ex quibus parturire solent laudes humanæ, sicque à laudibus cauet, quasi ab iniuriis illatis. Imò, qui tormentorum iniurias sustinet, lenocinantis laudis iniurias expauet, & docet nos, minimè nostra facinora prædicare, exaggerare. Et quod mirere magis, non solum in gratiæ temporibus hæc nobis modestia commendatur, sed etiam Exod.4. in lege: vbi enim Moyses rubi signo clarus, in liberatorem Israelis electus, profectionem in Ægyptum parat, ait socero suo, *Vadam & reuertar ad fratres meos, in Ægyptum, vt videam, si adhuc viuant.* Ecce viri modestiam, non loquitur magnalia, non miracula rubi manifestat, non in Ægyptios acceptam effutit potestatem, ad magna iturus, vt Israelem liberet, & Ægyptum perdat, solum ait, ibo, vt Rupert. videam, si fratres mei viuant. Rupertus in Cat. fatur. *Non dixit, vadam, vt fratres meos educam de Ægypto, iuxta imperium eius, qui mihi apparuit: sed secretum hoc tenuit, Vadam, inquiens, ad fratres meos, vt videam, si viuant. Non enim suam, sed Dei gloriam quærebat: quam ille suo opportuno tempore, sinа vocis suæ nuatia visurus erat. Igitur quicumque hunc imitatur, huic superfluum sit propalare gratiam sibi collatam coram hominibus, vt videantur ab eis, sed opportunum tempus expectet, donec vltra clarescat secretum Dei, & opportunè lucescat lux eius coram hominibus, vt videant, & glorificent Patrem Dei, qui in cælis est.*

§. XXXII.

Insignia virtutis opera à charitate in Deum proficiscuntur.

POst tot insignia pœnitentiæ, & religionis, & sæculi contemptus opera numerata pulchrè asserit Dominus multo Magdalenam Dei amore sauciam. Ais namque, ô Domine, Magdalenam plorasse, vnxisse pedes, eos fuisse osculatam, & statim infers, *dimittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum*; formalius inferres à dictis remissa fuisse peccata, quia plorauit, quia capillis tersit, quia vnxit vnguento. Sed vbi maxima refers virtutum facinora præclarè agnoscis imperium charitatis, quæ sola tanta virtutum culmina potest parere. Fidenter Paul.ad Rom.8. dicebat: *Quis nos separabit à charitate Christi, tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* Vide ex aduerso charitatis qualem hostium cuneum proponit, omnium durissima, & acerbissima in certameo vocat, cur & aliorum non meminit inimicorum, scilicet, diuitiarum, cultus, voluptatis, & similium? Parua hæc sunt ad charitatis duellum, quæ cum durissimorum omnium culminibus confligere potest, & durissima quæque suo subiugat imperio. Chrysost. homil.63. ad Popul. *Non dixit pecunia, an diuitiæ, an ornatus, hæc enim valde vilia, & deridenda sunt. Sed quæ videntur esse grauia posuit, fames, persecutiones, mortes, & illa quidem, & hæc tanquam nihil essent, contempsit.* Chrysost. Quippe nobilis hæc virtutum Regina charitas semper ponit in arduis locum suum: nescit viuere, nisi inter celsissima facinora iustorum. Prouerb. 31. Prou.31. de muliere forti dicitur, *Accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit brachium suum. Manum suam misit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fusum.* Ecce tibi in forti muliere, in brachio, & manu roboris & fortitudinis arma sunt, in digitis fusus. Magna, & ingentia facinora in brachio sedem habent, parua, & minuta opera delitescunt inter digitos. Vtra istarum partium, nempè brachij, an digitorum charitati sedem parabit? Assidebit ne charitas fuso, vt inter calathos agat? Hoc faceret turpis, & effœminatus amor, qui & Hercules mundiales ad fusum coegit, & sedere facit inter calathos puellarum. At charitas sancta mentibus nostris infusa & effusa, non digitos fusi, sed fortissimorum facinorum brachia sibi petit dari. Ait enim: *Pone me, vt signaculum supra cor tuum, signaculum supra brachium tuum.* Cant.8. Non in digitis, vbi fusus, sed in brachio vbi robora, vbi celsa sunt facinora, ibi diuinus amor petit locari, qui vbicumque est, semper spirat ad magna. D.Bernard. ad sororem, serm.51.ait, *Super cor, & super brachium sponsa dilectus, vt signaculum ponitur, quia in sancta anima, quantum ab ea diligatur, & actione designatur, quia amor Dei nunquam est otiosus. Si verè est amor, magna operatur.* Bernard. Scit solus Dei amor in magnis ambulare, manus mittere semper ad fortia. Prouerb.8. sapientia post constructam domum, *misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem, & mœnia ciuitatis.* Prou.8. Ancillulæ citius vocarent ad fusum, vocarent ad calathum, sed nouit Dei sapientia, quas mittat ancillas suas, nimirum Dei, & hominum charitates, vbicumque sunt, nesciunt nisi ad fortia vocare, adeò vt hinc censeatur, si adsit Dei amor. Ita D.Laurent.Iustin.de Char.cap.3.ait, *Amor Dei nunquam otiosus est, operatur magna, si est: si autem operari renuat, amor non est.* O quam fastidit parua Dei amor, qui semper mente sua molitur magna. Apoc.3. exaggerat Dominus insignia facinora Angeli Philadelphiæ, dicens: *Seruasti verbum patientiæ meæ.* Apoc.3. Quod est verbum patientiæ Christi? An fuit verbum vnum adeò potens, quod vniuersa patientis Christi opera imperaret? Fallor, nisi hoc verbum fuerit charitas: ita Rupert. ibi: *Seruasti verbum patientiæ meæ, id est, verbum, propter quod passus sum. Quod est illud, nisi dilectio?* Rupert. Equidem solus dilectionis nutus in talia facinora posset impellere.

§. XXXIII.

Humilitas Dei amorem adauget.

MIror, quod peccatrix mulier tam subito in tantã diuini amoris celsitudinẽ creuerit, quod absolutè dicatur à Deo

à Deo dilexisse multum. Modo tota in peccatis, iam in diuino amore mulier? Equidem sic diuini amoris peruolat ad culmen, quæ se nouit deiicere ad pedes diuinos. *Apoc.4.* Apoc. 4. In circuitu diuinæ sedis erant, *sedilia vigintiquatuor: & super thronos vigintiquatuor seniores sedentes.* Hi omnes pleni gloria, & maiestate nulla verba dabant, nec vllum affectum voluntatis exprimebant circa agnum, quantumuis illum tota anima sua amarent. Verum vbi ventum est ad libri apertionem, tunc cap. 5. *Vigintiquatuor seniores ceciderunt coram agno, habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum: & cantabant canticum nouum, dicentes: Dignus es Domine, accipere librum, & aperire signacula eius, quoniam occisus es.* Ecce quot amoris signa, & odores spargunt, & noua effingunt carmina, & dulciter canunt. Vnde tam ingentes amoris flammas concipiunt, quas tot iubilis, tot canticis odoribus cogantur explicare? Expende illud, *ceciderunt coram agno.* Quippe vbi ad pedes se dimittunt agni, necessum erat, vt in immensum crescerent amoris diuini flammæ. *Ambros.* Ita D. Ambros. ibi: *Quantum se per humilitatem deiiciunt, tanto amplius in amore eius exardescunt, quia humilitas, quæ fit in conspectu Dei, nutrit amorem Dei.* Paruulum est dium amoris humilitas; quo quis se minuit, se deiicit, se exinanit, eo magis accendit inhabitantis charitatis flammas. Vis, charitatis viuidissimam formam tibi ostendam? *Cant.8.* De illa Cant. 8. *Lampades eius, lampades ignis, atque flammarum.* Ignea lampas charitas, quæ nesciat crescere, nisi de cineribus eius, cuius animum depascit. Rediguntur arbores in cineres, in fauillas, cum flammas nutriunt, in immensúmque excrescere faciunt; sic necessum est, vt cinis, & puluis fiat, quisquis flammantes charitatis suæ pennas in altum velit concitare. Quãta Habrahami charitas in Deum fuit, quando proprio filio non parcebat, vt eum Deo litaret? *Rom.8.* Sanè Dei Patris charitatem inde extollit Paul. ad Rom. 8. quod *proprio filio non pepercit, sed pro omnibus tradidit illum.* Tanta ergo Habrahami charitas fuit, vt ardentissimæ Dei charitatis imitatrix existeret. Sed vnde peruenit ad tantum culmen charitatis? Ex eo, quod se in conspectu Dei humiliauit, vsque ad fauillas deiecit. *Genes.18.* Genes. 18. aiebat Abraham: *Loquar ad Dominum, cum sim puluis, & cinis.* Cinis fit vir sanctus, in quo statim ingentes charitatis vires agnouit *Laur.Iust.* D. Laurent. Iust. de charit. cap. 3. sextus. *Ignis in puluerem redigit, illud idem facit charitas, loquar ad Dominum, ait Abraham, cum sim puluis, & cinis.* Ecce tibi, & ignis, & charitas nesciunt crescere, nisi de cineribus, nisi de exinanitione eius, *Isai.62.* in quo manent. Huc respiciebat Isaias cap 62. aiens, *Propter Sion non tacebo, & propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur, vt splendor, iustus eius, & Saluator eius, vt lampas accendatur.* Cupit Propheta in mundo fieri ingens illud charitatis opus ante sæcula prædestinatum, & ab origine mundi promissum, nimirum, quod factum est, vbi Deus *exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens, & habitu inuentus vt homo*, propter nimiam in homines charitatem. Expende modo, quam eleganter de exinanitione per charitatem loquatur Isaias, dicens quod *Saluator, vt lampas accendatur.* Bene vt lampas emicat, & splendet charitas Saluatoris, quando de exinanitione, de subiecti sui cineribus ingens crementum capit, & tunc ardentiores emittit flammas, quando *humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Quo enim se deiecit in cruce Dominus, eo amplius charitatem suam quoad nos auxit. Et Synagoga, quæ charitatem diuini Sponsi in Ecclesiam inuidens, eum turpissimæ morti tradidit, potius studuit augmento, quando in humiliato animo maiorem fortitudinem accipit charitas. *Chrysol.* Ita Chrysol. serm. 164. *Synagoga occidit Christum, si vel sic amorem furibunda valeret extinguere, sed ex morte totum resurrexit in Ecclesiæ tanquam Christus, vt probaret charitatem morte non separari, sed crescere.* Ea est charitas, quæ de sub pedibus exurgat in flammas, quæ tunc maius incrementum accipit, quando qui illam habet, profundius se nouerit humiliare.

§. XXXIV.

Iuuentutis excessus sæpissimè diuitias preferunt maturioris ætatis.

SÆpe grandioris ætatis fructus ostenduntur per iuuentutis excessus, si liceat ad maturitatem peruenire. Amoribus totæ dedita Magdalena, nil nisi luxuriantes amores parturit, dum iuuenili flore nitet. Adoleuit tamen felix planta inserta pedibus Christi, cuius doctrina, & opera sic exculti eius amores sunt, sic castigati, vt ad maturitatem perducti in dulcissimos, copiosissimósque fructus exurgant. Etenim ait, *Dilexit multum.* Exsiccata luxuries est, ablata acerbitas, & amor maturauit. Isai. 27. *In die illa vinea meri cantabit ei.* *Isai.27.* Quid est vinea meri cantabit ei? An non male audit vinea apud Isaiam? An non vineæ partus primi acerbissimè vuæ sunt: vnde cantus inter tam acerbæ initia? Expende Prophetæ verba, *vinea meri cantabit*, fundet vinea dulcissimum vinum, & quia vina fundet, etiam acerbitates eius gratæ sunt, & omni plausu digna, quando ad maturitatem perductæ pretioso liquore Christi torcularia perfundent. Non equidem contemnendæ acerbitates, quæ maturæ vindemiæ ferunt auspicium: hi sunt iuuenum excessus, ait Origen. hom. 19. in Matth. *Acerbescunt, quando malitia est in iuuentute, non autem permanet, sed necessario superuenit propter ætatem, sed, vt ita dicam, semper ad virtutem pergens.* *Origen.* Vt vua acerba vineis, sic excessus iuuenibus bonæ indolis accidunt, qui bonus affectus non acerbescit in iuuentute? Ibi amor luxuriat, iustitia furit, vua fellis vua eorum, & botrus amarissimus. Quid ergo repellendi sunt dulces fructus propter acida initia? Absit. imò ardor ille, & acerbitas prospicienda, vt quæ ferat auspicium maturioris ætatis diuitiis. Pulcrè dicebat D. Synes. lib. de Regno, *Non de iuuenili ætate despero intuitibus illam iucemmenti capacem esse, tantum ipsam aliquis ad virtutis æmulationem stimulet: iuuentus siquidem valido vtrimque momenta prægrauatur, vti flumina, quibus via facilitas datur, impetu vehementiori prorumpunt.* *Synes.* Papæ, si iuuentus excolatur, si stimuletur, luxuriantes in vitia, vires ad virtutem conuertit, & in præmaturos fructus multiplicat. Accipite ingenuum iuuenem Moysem: is Exodi 2. *Egressus ad fratres suos vidit afflictionem eorum, & virum Ægyptium percutientem quemdam de Hebræis fratribus. Cumque circumspexisset huc, atque illuc, & nullum adesse vidisset, percussum Ægyptium abscondit sabulo.* *Exod.2.* Proh adolescentis facinus! Sic sanguinarius in homines existit Moyses? Vbi est illa ingens virtus animi, & iustitia, qua placuit Deo, vt eligeretur in ducem populi? Homicidium video, quomodo in homicidio iustitiam videre possum? Sanè acerbescunt in iuuene virtutes, & pampinis luxuriantibus, maturioris ætatis præferunt diuitias, si excolantur. Elegãter D. August. 22. contra Faustum, cap. 70. ait, *Anima virtutis capaces, vt fertiles præmittunt sæpè vitia, quibus hoc ipsum iudicent, cui virtuti sint potissimum accommodatæ, si fuerint præceptis excultæ. Sic enim, & agricolæ, quam terram viderint, quamuis inutiles, tamen ingentes herbas progignere frumentis aptam esse pronunciant: sic ille animi motus, quo Moyses fratrem inultum esse non pertulit, non virtutum fructibus inutilis erat, sed adhuc incultus, vitiosa quidem, sed magna fertilitatis signa fundebat.* *August.* Hi sunt sæpissimi iuuenum excessus, qui exculti, & maturati ingentem pariant Domino vindemiam, repleántque omninò fructibus torcularia Christo. Talis erat ardor ille Pauli adolescentis, qui Act. 9. *Adhuc spirans minarum, & cædis in discipulos Domini accessit ad Principem Sacerdotum, & petyt ab eo epistolas in Damascum, &c.* *Actor.9.* Quid plura? Dum amplius furit, dum iter arripit, media via adest Saluator, & Paulum vocat, in terram deiicit, vt super astra sublimet. Quid agis Domine? Quem vocas? Furentem vides, & ad te trahis? Luxuriabat zelus in iuuene, qui excultus aptissimus esset Christiano mundo. August. supra, ait. *Saulum Ecclesiam persequentem de cælo vocauit, prostrauit, erexit, impleuit, tanquam percussit, amputauit, inseruit, fæcundauit. Illa namque Pauli sæuitia putans officium Deo se facere, tanquam siluestre erat vitium, sed magnæ fertilitatis iudicium.* *August.* Hæc ille.

Text. Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata tua. Et cœperunt, qui simul accumbebant, dicere intra se: Quis est hic, qui etiam peccata dimittit? Dixit autem ad mulierem: Fides tua te saluam fecit: vade in pace.

§. XXXV.

Vna Dei fides macerationes, & pænitentiæ opera potest carneis cordibus persuadere.

VNde homo carneus sese ferro mactandum traderet? Quis delicatam peccatricem in sui lanienam cogeret? Sanè fides diuina, qua Deo credimus, hæc flammantibus oculis aquas, mellitis labiis felles, totique voluptuosæ carni mortificationem indicit, & suadet. Vnde meritò D. Paulin. *Paulin. epist.4.*

epist. 4. de Magdalena sese ad pedes Christi excrucianre fatur. *Non tanto ambitu seruitutis, & impendij, & lacrymarum remissionem peccatorum sperasset, nisi Deum credidisset in Christo.* Vna illa fides, qua Christum Deum esse credebat, potuit Magdalenam in tot sui corporis lanienas ferre. Mirari soleo in sanctissimo viro Iob tempus abundantiæ, quando petra fundebat illi riuos olei, quando vallata à Deo vniuersa eius substantia est, quando ipse pulcherrima filiorum corona cinctus placidam agebat vitam. Tunc video sanctissimum virum solicitudine discruciari, audio eius antelucanas vigilias, & preces, & sacrificia. Iob 1. *Consurgens diluculo offerebat holocausta pro singulis; dicebat enim: Ne forte peccauerint filij mei.* Cur dubia peccata filiorum in Iob causant ingentem adeò solicitudinem? Cur eliciunt tam matutina suspiria? Cur antelucanam à somno excitationem inferunt? Vna veri Dei notitia tantum ambitum seruitutis pro filiorum delictis in sanctissimi viri animo inscripserat. Didym. Didymus in Cat. Græc. fatur: *Quemadmodum ille dixit, De nocte ad te, de mane vigilat spiritus meus, ò Deus: ita Iob nullam aliam ob rem, nisi propter Deum de mane surgebat, vt illi sacrificium pro liberis facturet.* Cur delicatus, & nobilis vir antelucanas subiret vigilias, nisi Deus verus eius afflaret animum? Audio etiam molles Niniuitas durissimè sese macerantes, omnia fletu lamentisque replentes, & quæ res à mollissimis viris tanta macerationis opera potuit elicere? An mors imminens? An ciuitatis pulcherrimæ instans euersio? Solus verus Deus, dum innotescit ipsorum animis, illis tantam carnis lanienam persuasit. Iona 3. Accipite Ionæ cap. 3. *Et cœpit Ionas introire ciuitatem, & clamauit, & dixit: Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur. Et crediderunt viri Niniuitæ in Deum, & prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis à maiori vsque ad minorem.* Non ait, & crediderunt Niniuitæ imminens excidium, & expauerunt ruinam properantem, & ideò cucurrerunt ad ieiunia, cucurrerunt ad saccos. Sed notanter posuit, quod post auditam ruinam, *crediderunt in Deum*, qui solus innotescens hominibus, potuisset illos impellere in asperrimæ opera vitæ. Sic qui Dei gustu saporantur, bellum acerrimum publicant aduersus carnem, & sanguinem. Ezech. 3. Ezec. 3. ait, *Spiritus quoque leuauit me, & assumpsit me, & abij amarus in indignatione spiritus mei.* Cur vbi leuatus, & assumptus est à diuino Spiritu, vt magnalia Dei videret, amarus, & indignans abiit? Cur non potius dulcis, & gratus? Gregor. D. Gregor hom. 10. in Ezech. insinuat causam, aiens: *Si quis iam cordis ore gustauerit, quæ sit illa dulcedo cælestium præmiorum, qua incomprehensibilis visu sancta Trinitatis: huic in amaritudinem vertitur omne, quod foris sustinet. Reuatur secum de his, quæ male egisse se recolit: & ipse sibi ipsi iam displicet, cum ei ille iam placere cœperit, qui omnia creauit. Reprehendit se de cogitationibus, insequitur de verbis, & punit flendo de factis.* Has libens arripit amaritudines ille, qui Dei halitu afflatur.

§. XXXVI.

A fide diuina scaturiunt pœnitentiæ fontes, qui ignea peccatorum tela extinguant.

DVm audis Magdalenam saluam factam à fide, ne tantum tribuas fidei, vt in illa sola salutem putes fuisse constitutam. Est quidem salus à fide, quia in fide sunt radicatæ viuidæ venæ salutis, nimirum pœnitentiæ, & aliarum virtutum scaturigines, quibus peccatorum incendia penitus extinguuntur. Vbi trium puerorum fides ad flam- Daniel. 3. mantem Nabuchodonosoris fornacem accedit Dan. 3. sic illos aduersus flammas armauit. Etenim aiunt: *Peccauimus, iniquè egimus.* quasi de fluuio pœnitentiæ remedium quærerent aduersus ignem. Cyrill. Accipite D. Cyrill. Ierosl. catech. 3. ita fantem. *Qui cum Anania erant, quales effoderunt fontes? Quot vasis aqua quadraginta nouem vlnarum flammam extinguere potuerunt? Sed vbi ascendit flamma, illic flumentum effudit fides, & illi dixerunt pro remedio malorum: Iustus es Domine in omnibus, quæ fecisti: peccauimus; inique egimus. Et pœnitentia dissoluit flammas.* Sane fides occurrit flammis, sed occurrit non per se ipsam solam, sed adaperta pœnitentiæ scaturigine, cum lacrymarum, & compunctionis fluuiolo. Ait Iesus Magdalenæ: *Fides tua te saluam fecit.* vbi erat Magdalenæ fides? Erant illi fluentes lacrymæ, erant ardentia suspiria, erant oscula Christi plantis infixa, erat vnguentorum effusio: hæc signa sunt dolentis, & amantis fœminæ, vbi sunt signa fidei. Equidem fides erat, à qua tanta lacrymarum scaturigo, vbi enim fides adest, & lacrymæ scaturiunt, & pœnitentiæ fontes erumpunt, qui peccatorum flammas extinguant. D. Hieron. aduersus Luciferianos, inquit. Hieron. *Indubitata ad Deum fides ardue reperitur: v. g. ad orationem assisto, non orarem, nisi crederem; sed si verè crederem, illud cor, quo Deus videtur, mundarem, manibus tunderem pectus, genas lacrymis rigarem, corpore inhorrescerem, ore pallerem, iacerem ad Domini pedes, eosque fletu perfunderem, crine tergerem, hærerem trunco crucis, nec prius amitterem, quam misericordiam impetrarem.* Ecce tibi, quibus armis vera fides peccatum extirpet, in lacrymis, in tunsionibus, & similibus. Hæc fides Magdalenæ salutem offerebat: fides, inquam, quæ stimulos applicauit, quibus tot lacrymarum riuuli dimanarunt. Nónne vides Magdalenam ad Iesum currentem, Iesu pedibus prostratam, largos ex oculis nimbos emittere, ingentia suspiria halare? Vnde hilaris quondam fœmina currit ad lacrymas? Currit ad suspiria? Adhibitum est fidei diuinæ calcar, applicati sunt fidei stimuli, & quia durum esset contra stimulum calcitrare, maluit mollescere in lacrymas, vt ignita diaboli spicula extinguat. Quò spectat Tertull. lib. 4. contra Marc. Tertull. aiens. *Pœnitentia stimulus ex fide acciderat, per pœnitentiam ex fide iustificatam ab eo audit, Fides tua te saluam fecit.* Tunc solum nouit fide salutem præstare, quando calcar adhibet, quando stimulos applicat, qui faciant currere ad lacrymas, qui planctum excitent, & viuidæ mortificationem carnis.

§. XXXVII.

Verus charitatis amor minimè pendet à præsentia dilecti corporali.

DVrissimum verbum illud putabitur amatrici dictum, nimirum; *Vade in pace.* Domine, quo ibit à te felix amatrix? Scis illam tui ardere dilectione; fateris dilexisse multum, & nihilominus dicis: *Vade?* Siquidem ardenter amat, vehementer dolet à te abire, & timere posses in dilecta absentiæ notissima damna. Non is est charitatis amor, qui pendeat à præsentia corporali; vt intimum animorum depascit, sic nullibi non præsens habet suarum flammarum pabulum. Accipite duos præclaros amatores Dauidem, & Ionatham, de quibus 1. Reg. 18. dicitur, 1. Reg. 18. *Anima Ionathæ conglutinata est animæ Dauid.* Ibi est perfecta dilectio, vbi animæ conglutinantur; quæ non de præsentia corporali solicitæ sunt, quia purè, & spiritualiter se se amantes, vbique se præsentes habent. D. Gregor. Thaumaturgus orat. ad Origen. ait, Gregor. *Non simpliciter conglutinatus est Ionathas Dauid: sed illa ipsa, quæ Principem locum tenent, anima; quæ nec sensibilis ijs, quæ apparent, & conspiciuntur in homine, separari tamen ipsa vi illa cogantur.* Is est amor verus, ea est perfecta charitas, quæ ignorat absentiæ damna, quæ cum minimè hæreat corporali speciei, locorum ridet interualla, nec timet disiungi, etiamsi in maris extremis iubeatur peregrinari. Habebat nobilis amatrix Magdalena animo Iesum infixum; nil reputat, si eius corporali aspectu careat. Sansoni & rasi fuerunt crines, & oculi ab inimicis obcæcati, Iudic. 16. Quid plura? Iudic. 16. *Iam capilli eius renasci cœperant, & Principes Philisthinorum conuenerunt in vnum, &c.* Pergit textus narrans qualiter Sanson se de inimicis vindicauerit. Nobis tamen expendendum est, cur capillos sibi restitui videt Sanson, non expectauit, & petiit, vt oculi restituerentur, vt sic commodius triumphum ageret? Cui quæstioni pulcrè satisfacit D. Paulinus epistol. 4. fatus. Paulinus. *Forsitan Sanson receptis, propter futurum mysterium, crinibus, recipere simul, vt amiserat, oculos ideò non desiderauit; quia virtus illa cælestis gratiæ internis sana luminibus, corporeo non egebat obtutu.* Vbi quis animo infixum habet, quod cupit, non pendet ab oculorum contuitu; habebat Sanson interiora lumina clarissima, quibus cœlestia cernebat, & futurum Saluatorem præuidebat: ideò nil curat corporeos oculos, nil de exteriori contuitu meminit. Externa quæque despicies, si animis fixum habeas amatorem diuinum. Hunc semel menti tuæ sculpe, & nulla indigebis corporali præsentia, nulla exteriori teneberis pulchritudine. Sponsa, vbi offendit custodes murorum, ait illis Cantic. 3. Cantic. 3. *Numquid, quem diligit anima mea, vidistis?* De amato quærit, & vide quam parum curiosa existit; quæsiuisset alia de sponso suo, qualis visus esset, an decorus? An forma speciosus? An candidus? An rubicundus? quæ sub lingua eius mella? Qui annuli in manibus? Qui fulgor vestium? Quis odor? Hæc autem nil horum meminit, nil horum curat, vnum sponsum sibi visum nuntiari desiderat. Vnde tam incuriosa amatrix? Non corpore amabat; sed anima, & sic omnibus dimissis,

quæ

quæ apparent, & conspiciuntur in homine, solum id quærit, quod animo habet iofixum, à quo oulla vi, nullo interuallo, Gillibert. abscentia nulla corporali separari quibit. Gillibert. in Cant. serm. 6. *Non quærit, qualem viderit, sed si viderit. Sufficit nuntiare qualem ipsa nouerit.* Procul esto corporea omnis pulchritudo, corporei ornatus, corporea præsentia, oon his gaudet amor diuinus, cui sufficit dilectus, per se, à quo nulla absentia, nulla rerum separabitur iactura. Is enim Matth. 8. est amor spiritualis, vt solus se se æternare sciat. Matth. 8. *Audistis, quia dictum est: Diliges proximum tuum. Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.* Et cur inimicorum amor solet quasi præponi amori amicorum? Amor, qui ad inimicos extenditur, spiritualior est, omninò indepeodens à Euseb. rebus sensibilibus, & inde longè diuturnior. Ibi Eusebius Emis. ait. *Non diligomus eos tantum, qui nos diligunt; & non propter hoc tantum, quia nos diligunt; hoc enim est vicem reddere: sed quia eiusdem corporis membra sumus, & eiusdem patris filij sumus. Tolis enim amor spiritualis est, & ideò indeficiens: carnalis enim amor cito dilabitur, sicut & ipsa caro.* Vix vnius diei absentiam sustinet.

§. XXXVIII.

Pax Christiana in pugna, & bello consistit cum vitijs.

CVm nobilis peccatrix, & felix sponsa iubetur in pace abire, ne putes ideò illam à bello cessare. Imò ideò in pace abit, quia ex tunc acrior est in debellandis inimicis. Bellatrix est pax Christiana, ibique eius exaltantur vexilla, vbi quotidie instauratur pugna aduersus hostiles in- Prosp. cursus. Præclarè aiebat D. Prosp. lib. 1. de vocatione gent. cap. 35. *Pax quæ est à Deo, & cum Deo, numquid hoc quieta est, si ooo discordat à mundo?* Non est pax à Deo, nisi quæ in arena est, vt manus conferat cum vitsis. Non est pax à Deo, nisi quæ vsque ad sanguinis effusionem persequitur vitia, quæ crebris pugnis hostiles debellat, & castigat impulsus. Primæui fidei negatores pacem petebant à Christi martyribus, qua accepta contenti, & quieti sedebant, nihil iam arma aduersus commissum æstimantes. Quos sic Cyprian. pungit D. Cypr. epist. 54. inquieos. *Hoc in tempore pacem nos non dormientibus, sed vigilantibus damus: pacem non delicijs, sed armis damus: pacem non ad quietem, sed ad aciem damus.* Mundialis pax & vana est, quæ otio torpet, quæ arma deponit, quæ nec gladium exerit; pax enim, quæ à Deo est, quæ nos securos tenet, non est pax ad quietem, sed est pax ad aciem struendam, ad impugnandas & expugnandas rebelles cupiditates, ad omnes hostiles euertendas phalan- Iud. 6. ges. Gedeon Iud. 6. antequam Dux populi crearetur, antequam in aciem prodiret, imò cum vel hostium vmbras timeret, triticoque purgando operam daret, de iussu Domini ædificauit altare: ait enim text. *Ædificauit ergo ibi Gedeon altare Domino, vocauitque illud Domini pax.* Itaque altare vocatur a Gedeone pax Domini, oimirum pax à Domino accepta. quid tunc? Statim assumptis secum decem viris Baalis statuam strauit, nemusque eius succidit. Rursus cum hostiles phalanges videret imminere sibi, *clangens buccina conuocauit domum Abiezer, vt sequeretur se,* &c Ecce tibi quot prælia peperit vnum altare pacis. Via se à Deo pace perfusom nouit Gedeon, & in perditionem hostium exultat. A pace ad arma, ab euersione idoli ruit; quippè ea est Dei pax suis exhibita, quæ succisionem, & euersionem idolorum inspiret, quæ aduersum vitiorum gentes ignem, gladiúmque ministret. Caue, ne pacis nomine decipiaris, ne tibi eam pacem effingas, qua locum des hostibus tuis; sed omninò belligerantem pacem amplectere, à qua ad debellationem cupiditatum, rebelliumque motuum exsurgas. Quotidianis pugnis pax tenenda, & instau- Ioan. 16. randa Christianis est Ioan. 16. *Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis.* Quæ est ista pax? Iam dicit, *In mundo pressuram habetis, sed confidite, ego vici mundum.* Si in mundo pressura, si bellum, si pugnæ manent, quomodo haberi pacem postulas? Ea est pax in Deo, quæ mille prælia in mundo parit, quæ mille adducit hostiles conflictus; ne ergo deterreat pugna, quem cœlestis pacis tenet possessio. Laurent. Pulchrè D. Laur. Iust. in Fasciculo Amoris cap. 16. *Si pacis victoris placet, nequaquam displiceat mundi conflictus. Vtrumque necessarium est. Arma ergo certaminis spiritualis arripite, & viriliter contra mundum, & vitia præliamini.* Eia agite veri Christi pacifici, in arenam prosilite, vitia percutite, in hoc tota ita est pax vestra, quod tota studet certamini, quod tota est in se se aptando, vt bella aduersus illecebras instauret. Argute satis pingebat Papinius 8. Thebaida, de- Papin. sidiosos milites, qui vt a prælio reuertuntur io pace:

——— Abijcere madentes,
Sicut erant, clypeos: nec quisquam spicula tersit,
Nec laudonis equum, nitida nec cassidis altam
Comsit, adornauitque iubam.

Gloriosiores milites Christiani, qui vt io pace sunt, nihil prælij contemnunt, omnem armaturam Dei tentant, acuunt spicula, vt expaueant, vel à longè, vitia. Non tam equum, quam totam salutis quadrigam prosequuntur laudibus, dum sub saluatoris vexillis se toties vicisse gloriantur. Beatificat Dominus pacificos, dum ait, *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Qui sunt isti pacifici adeò felices? D. Laur. Laurent. Iustin. Iust. lib. de humilit. cap. 10. ait. *Pacifici non incongrue censendi sunt illi, qui omnes cordis sui inordinatos affectus, seu motus rationis subijciunt seruituti: semper gladium spiritus tenentes euaginatum aduersus aereas potestates: minimè templum Dei maculare permittentes.* Tunc vera pace frueris, cum gladium aduersus vitia semper habeas exertum. 4. Reg. 20. dicebat 4. Reg. 20. Ezech. *Sit pax, & veritas in diebus meis.* Pacem rogat, noo qua desidiosus agat, sed qua aduersus impugnantes hostes mille militaria machinamenta moliatur. D. Isidor. Pelus. Isid. Pelus. lib. 1. epist. 452. fatur. *Sit pax in diebus meis, dicebat Deo charissimus Ezechias, non quod hostibus cederet, aut à precatione absisteret: verum hanc quidem supplicem ad Deum adhiberet, hostibus autem hac ratione cladem quæreret.* Ad id pacem quærebat, vt maiorem hostibus moliretur ruinam, dum precibus incumbit. Præclarè Gedeon Iudic. 8. ad Phanuelitas: Iudic. 8. *Cum reuersus fuero victor in pace, destruam turrim hanc.* De quo Philo Iudæus, lib. de confusione linguarum fatur. *Egregia* Philo. *comminatio docens animam hostiliter affectam erga malos, & impios fore vt subruantur omnes rationes, quæ ducunt ad impietatem. Cum enim mens conuertitur, destruitur, quod aueisum fuerat. Et quod iure mireris huius demolitionis tempus, ait esse non bellum, sed pacem.* Sic in Magdalenæ conuersione ipsa omnes voluptatum turres demolitur, ad quam demolitionem perficiendam in pace à Domino mittitur.

CAPVT VII.

De muliere Chananæa.

VOCAT nos Sirophœnicis fœminæ ingens fides, quæ etsi Gentilis, & ex reprobatis Chananæorum populis esset, vbi Iesum vicinum fuit nacta, filiorum etiam commounicauit diuitiis. Vbi enim Tyri, & Sidonis fines Dominus attigit, in Galileæ vltimi oppidi domo moratus, ibi mulier accedit, filiæ à dæmooio illatam molestiam publicat, nec semel contempta recedit tristis: sed egredientem è domo Christum sequitur clamans, & orans ea fide, & humilitate, quibus à Deo percipit omnia, quæ requirit.

Matth. 15. Egressus inde Iesus secessit in partes Tyri, & Sidonis.

§. I.

Vicinis vt debeamus accurrere: vbi etiam quòd in purgatorio existentibus subueniamus.

MOrale est, valdéque humanum, quod bona nostra noo adeò reclusa sunt intra domus propriæ parietes, vt saltem vicinis non prosint. Nónne panis viuus Iesus de cœlo descendit, vt filios Israël saturaret intra domus Iacob limina? Sed ecce vicinæ gentes eius odore excitantur, vt vel de micis capiant; quapropter Tyro, & Sidoni vicinus Dominus ait: Potens est vicinitas, vt humana corda ad benefaciendum trahat, quæ etiam cœlestia tangit. Altissimos potestatum choros, vt Dauid euocaret, & faceret, quod pernici volatu Domino ascendenti adessent, sic ait Psalm. Psalm. 23. 23. *Attollite portas Principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ: Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.* Cur noo dixit potius, Dominus vester ipse est Rex gloriæ, sed dicere maluit, Dominus virtutum ipse est? Quid virtutum chorus ad chorum potestatum? Sanè vicini sunt hi duo chori, post virtutes immediatè sequuntur potestates, quæ per vicinorum commoda sufficienter vocatæ ad-

Chrysol. uolarunt. Ita D. Chrysol. serm. 8. de Ascens. fatur. *Potestates igitur, vt dici audierunt, Dominus virtutum; concordibus vocibus solita glorificatione exclamantes, cum gaudio Dominum suscipiebant, & deducebant vsque ad excelsum, & altissimum thronum.* Sic felicissimi spiritus communicant vicinorum gaudiis, sic nouerunt vicinis accurrere; nescit bonum non Genes. 3. ad vicinos extendi. Genes. 3. *Plantauit Dominus paradisum in Edem ad Orientem:* & sic statim paradisi delitiæ ad omnem vicinam plagam eruperunt, vt in vniuersa Orientis regione cœperit balsamus, aliaque aromata sudare. Id notat Athanas. D. Athanas. quæst. 47. fatus. *Huius rei gratia omnia aromata suauissimi odoris circa orientalia loca proueniunt, vtpote quæ sunt vicina paradiso. Et quemadmodum palma mascula propinquas faemellas aspiratione ventorum contactas fructuosas reddunt, sic etiam ex paradiso ventorum aspiratione fragrantia exhalans propinquiores illis loci arbores aromaticas efficit.* Non sibi suas delicias clausit paradisus, de illis vicinas terras ditat: totus Oriens aromatibus diues bonitatem, & præstantiam prædicet vicini. Vtinam sic de nostris bonis semper ditescant vicini. Porrò cum vicinos nomino, statim se se mihi offerunt nobilissimi illi spiritus, qui ab hoc sæculo discesserunt, & adhuc sunt nostri vicini, & propinqui, nimirum, qui in purgatorio degunt. Purgatorius locus situs est, vt putat D. Thom. & alij Theologi, quibus fauet Concil. Flor. in inferni limine, in loco hominibus viuentibus viciniori, vt sic vel iure vicinitatis debeamus animabus illic existẽtibus communicare bona nostra, præcipuè sacrificia Eucharistiæ. De Exod. 12. agni sacrificio cauebat lex Exod. 12. *Sin autem minor sit numerus, vt sufficere possit, assumet vicinum suum, qui iunctus est domui suæ.* Quasi piaculum foret de magnitudine agni, quam tu consumere non potes, non participare vicinum. Nimis diminutus es quisquis sacrificium facis, quisquis agnum Eucharistiam sumis, nec recordaris nobilium vicinorum, qui apud purgatorium degunt. De tuis participent sacrificiis nobiles hi vicini, si velis integrum, & perfectum sacrificium Deo litare. Quod grauiter monebat Eusebius Alexand. citatus à nostro Turriano de Euchar. in hæc verba, *Memento in oblatione tua sancta Eucharistia fratrum, & parentum, qui è vita discesserunt: hoc si feceris, magnum eis requiem præbes, comple preces tuas.* Expende illud; *comple preces tuas:* sunt enim nostræ preces, nostra sacrificia incompleta, mutila, imperfecta, dum de illis non implentur vicini, qui igne purgatorio affliguntur. Hi si impleantur tuis orationibus, maximum inde incrementum percipies. Vidua illa ære alieno premebatur, habens parum olei sibi 4. Reg. 3. reseruatum in lenticula. 4. Reg. 3. sed de Elisæi mandato, *petijt mutuo à vicinis suis vasa vacua non pauca*; & hæc de August. oleo implet, & ipsa fit diues. De quo agens D. August. serm. 2. in Domin. 5. post Trinit. ait, *Considerate fratres charissimi, quando vidua illa oleum in vasculo proprio habuit, nec sibi sufficiebat, nec debitum reddere poterat: cum verò in alienis vasculis, id est, in omnibus vicinis cœpit oleum charitatis infundere, tunc & sibi sufficere, & ab omnibus debitis potuit liberari.* Ecce tibi, vnde parua opera tua, quæ vix tibi sufficient, poteris augere, si illa non tibi solum, non in vase proprio, sed in vasis vicinorum serues. Mitte opera tua vacuis vasis vicinorum, qui in purgatorio sunt, & ea ibi non perdes, sed multiplicabis adeò, vt à tuis debitis liberatus æternum viuas. Et quis non misereatur nobilium, vicinorum igne purgatorio flagrantium? Chananæa hæc fœmina, vt vicinum Iesum ad misericordiam trahat, proponit filiam quæ *malè à dæmonio vexatur.* Durum sanè est, & omni misericordia dignum, quod filia sub carnifice dæmonio agat, sub quo etiam mancipia nos mouerent ad pietatem. Ecce vobis nobiles spiritus in purgatorio existentes, & vicini nostri sunt, & filij Dei omnes, & tamen à dæmonibus malè vexantur, ipsis dæmonibus carnificibus maximè torquen-D. Syn. tur. Rem prodit D. Synesius epist. 44. fatus. *Dæmones quidam expiandis sceleribus præsunt, tandem in animos hominum artem exercentes, quam in sordidis vestibus fullones habent. Quod si quis vestibus sensus inesset, quid eas demum facturas arbitraris cum & calcibus subiguntur, & nitro præfricantur, & omni ratione depellantur? Quanto verò cum cruciatibus veteres sordes, & insitas penitus maculas eiuntur iri?* Eu tristis filiorum Dei conditio! Qui velut sordida vestis sub fullone, sic sub dæmonis potestate subiguntur, præfricantur, depectuntur, excruciantur. Horum vicem non doles? His vicinis charissimis non fanes? Et quidem, etsi multum impendendum esset, deberes impertiri, vt nobiles vicinos, & filios Dei à dæmonum eripias vnguibus. Sed & paucissimis rebus poteris subuenire, si vel micas offeras pro illis. Nam & catelli comedunt de micis dominorum suorum, aiebat Chananæa, vt acciperet liberationem filiæ à dæmonum vexatione; & tu cum micis, cum paruis orationibus, cum parua eleemosyna, cum participatione cælestis mensæ poteris filios Dei ab igne purgatorio, à potestate dæmonum eripere.

Text. Ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa, clamauit, dicens ei: Miserere mei Domine fili Dauid, filia mea malè à dæmonio vexatur.

§. II.

Christianum est, quòd parentes filiorum peccantium pœnis afflicti, eorum proclament incolumitatem.

Iam virtus ostenditur Christi Domini accedentis Tyro, & Sidoni, quando ab illis finibus egrediens mulier filiæ dæmonis pœnis vexata, eius petit magno clamore incolumitatem. Hanc sanè parentum in filios pietatem ingerit Christus veniens in mundum Matth. 27. vbi Christi diuinissimum cadauer iam terræ mandabatur, *terræ motus magnus factus est:* cuius causam inueniens D. Chrysol. serm. Chrysol. 8. de Ascens. ait, *Terra corpus Domini non ferens in tolerando tremore compressa æstuabat, dum propter incompositam filiorum viuendi rationem, inuisibiliter flagellabatur. Et sicut mararum ora, aperiens rupturas occulti doloris proclamabat magnitudinem, & parce capiens peccatoribus velut mater pro filijs supplicabat.* Expende, quod vbi Christi Domini ad se venientia sensit terra cadauer, simul & filiorum peccantium pœnas sensit, & pro illis clamore valido in plurimas dissecta buccas exorabat. Fuit magna semper parentibus pro filiis solicitudo, sed quod patres in peccatis filiorum dolerent, raro conueniebat. Quis pater filium carceri, vinculis, torturæ traditum non lachrymis, & gemitu prosequutus est? At filium Satanæ laqueis irretitum, dæmonis vitiorum nervo detentum quis pater fuit lachrymatus? Hanc indidit parentibus Christus virtutem, vt dæmonis in filios suos doleant astus; vt peccantium filiorum pœnas putent suas, & illis afflicti veniam clament. Lamentatrices suas sic Dominus monebat Luc. 23. *Filiæ Ierusalem nolite flere super me,* Luc. 23. *sed super vos ipsas flete, & super filios vestros.* Sanè si flendi sunt à parentibus filij; cur non flendus Iesus? Siquidem pium est, quod parentes filiorum ruinam lachrymis prosequantur, & piissimum erit, quod Iesu mortem deplorent: cur vetantur lachrymari pro Iesu, & iubentur flere pro filiis? Non vetantur omninò lachrymari, sed docentur, quid præcipuum Iesus in parentibus requirat, nimirum, non damni temporalis luctum, sed æterni dolorem supplicij. Ita D. Bernard. serm. in obitu Humberti, ait. *Fi-* Bernard. *liæ Ierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Etenim ea, quæ de me sunt, finem habent. Quæ videtis mihi præparari, temporalia sunt; quæ non videtis, æterna.* Vanissimum equidem est, quod temporalis dolor lachrymas cieat, & filiorum æterna perditio siccis oculis videatur. Notissimum est facinus in vrbe Gabaa perpetratum à Benjamitis Rachelis filiis, Iudicum capite 19. notissima est etiam fœdissimi facinoris vltio, qua penè vniuersi Benjamitæ periere: sed nusquam inuenies fœdum hoc filiorum facinus, & filiorum ruinam à matre deploratam: donec nascente Iesu pueruli Bethlehem Liæ filij, & Rachelis cõsobrini nascentis Christi causa interempti fuerunt. Tunc in morte filiorum Liæ, Rachel incipit plorare Benjamitarum facinus, & miseram ruinam. Ita Matth. 2. Matth. 2. *Tunc adimpletum est, quod dictum est per Ieremiam Prophetam dicentem: Vox in Rama audita est, ploratus, & vlulatus multus, Rachel plorat filios suos.* Sed cur tot sæcula dilatæ lachrymæ tunc funduntur? Cur nequissimorum filiorum facinora nullis vsque adhuc lanaea lachrymis, nunc deplorari cernantur? Sanè vbi Christus teneros infantes coronant, vbi iustitiæ Solis ortus de innocentium sanguine purpurascit: quæ mater siccis oculis spectabit filiorum crimina? August. August. quæst. 62. noui Testam. ait, *Tunc plangere filios suos cœpit, quando filios sororis suæ in tali causa vidit occisos.* Quando rapi vidit infantes à Christo, tunc non potuit cohibere fletus, quod filij sui criminibus infecti præda diaboli fierent.

§. III.

§. III.

Quilibet parentum pro filijs dolor & debitus, & religiosus est, & solus miserandus.

MIraberis fœminam à finibus patriæ suæ ingressam, post Iesum multa clamantem. Cur non clamaret mulier, vbi filiam videt male à dæmonibus vexari? Ille æneus vir Iob ruinam bonorum omnium imperterritus excipiebat, sed cum filiorum oppressionem audiuit; *tunc surrexit Iob, & scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram adorauit.* Vbi Iob robur? Vbi virilis fortitudo abiit? Quæ calamitas tantum virum in fœmineos compulit eiulatus? Olymp. Olympio. in Cat. Græ. fatur: *Credibile est, ob superiores narrationes eum in tacita cogitatione versantem, rerum euentus admiratum fuisse. Vbi verò de tantæ, ac tam speciosæ prolis audiuit interitu, ne doloris communis expers videretur, quod debetur, naturæ largitur; vestémque descindit, ac comam ad speciem luctus tondit.* Cieat parentum lacrymas filij calamitas; debent hoc naturæ vniuersi patres, quod filiorum doleant ærumnas: quod pro filiis dolores subeant. Maria sub flagellis renugum gemens, indebitum sibi malum sustinuisse queritur, quod id non subeat pro filiis. Isai.23. Sic apud Isaiam, cap. 23. *Erubesce Sidon, ait enim mare, fortitudo maris, dicens: Non parturiui, & non peperi, & non enutriui iuuenes, nec ad incrementum perduxi virgines.* Sane dolores partubus annexi sunt, quando antiquitus dicitur, in dolore paries; cui non datur partus, cur dolor relinquitur? Cur non erubescendus sit dolor, qui pro filiis non subitur? Erubescat Sidon sine partu dolere non pro partu; & mare verecunde vexetur, quando vexatio non est pro filiis. Ambros. Sic apud D. Ambros. lib. de Helia, cap. 19. *Non parturiui, inquit, neque peperi, nec iuuenes enutriui; quid me inquietant, quos nescio, quos non agnosco?* Quasi hunc velit mare omnibus iniicere pudorem, si dolores sustineant pro his, qui filij non sunt: quasi pro solis filiis non pudeat etiam virum fortem lacrymari. Ego non dixerim virum, nedum amicum Dei, qui Thren.4. filiorum ærumnas obliuiscitur. Thr. 4. dicit Ierem. *Filia populi mei crudelis, sicut struthio.* Notissimus struthio est de contemptu filiorum, & sanè ideò quis obliuiscitur miserias filij, quia struthio est, quia nimirum non perpes auis est, non Aquila, quæ cœlestia volatu petit, & solem intuetur, sed quasi struthio grauibus alis terrena solum cu- Gillibert. rat. Bene Gilliber. Abb. serm. 14. in Cant. fatur. *Struthio pennæ speciem habet, caret tamen effectu volandi. Nescit per mentis excessum volare, propterea speciem non visitat suam; sed derelinquit in terra oua sua. Obliuiscitur, quod pes conculcet ea, bestia conterat.* Et quidem non videt cœlum, qui sic ad filios duratur, non de cœlestibus cogitat, qui nescit ad filiorum calamitatem lacrymari, qui nescit suum facere, quidquid filius patitur. Magnus ille Abraham ideo magnus, quod proprio filio non pepercerit, vt eum Deo litaret; sed inde maximus, quod filij necem suam faciens se in filio macta- Chrysol. bat. Pulchrè D. Chrysol. serm.... ait, *Se in filio immolabat; vt esset idem & victima, & Pontifex: Sacerdos, & sacrificium: patris erat ibi passio tota, vbi filius immolabatur.* Expende ab illis verbis; *Patris erat ibi passio tota:* quippe in filij calamitate quod prius eminet patris est calamitas, patris est dolor, & passio. Sic pater præoccupat filij dolorem, vt totus dolor, & tota miseria videatur solius esse patris. Hinc nota, quam sapienter Chananæa mulier in filiæ suæ ærumna ad Iesum ait, *Miserere mei Domine fili Dauid.* Quasi sola illa esset misera, quia tota ibi erat passio matris, vbi filia vexabatur.

§. IV.

Atrociora hominis tormenta à dæmonio habent ortum.

EA summa hominis miseria est, nimirum à dæmonio vexari, quidquid ab alio pateris, leue est; vnus diabolus atrocissima humani corporis tormenta sciuit præparare. Hinc vbi accepit facultatem Iobi perdendi, putatur ipse diabolus per se ipsum omnes calamitates parasse: ipse ignis fastus pecora absumit, ipse ventus & domum & filios prostrauit, ipse vt Chaldæus latro pastores confodit, ipse nuntius malorum ferebat famam. Et cur non per alias creaturas, sed per se ipsum ea mala patrat? Infirmas, & suspectas habebat creaturas omnes, vt hominem perderent, sic Chrysost. non audet tantum negotium alteri tradere. Chrysost. in Cat. Græc. ait. *Cum enim nemo reperiatur immanior, earum rerum negotium dare alijs verebatur.* Quidquid alij nocere possent, pro nihilo haberet diabolus; vnus ipse crudelitatem summam tenet, illámque in homines exercere valet. De quo Dominus apud Isaiam cap. 19. ait, *Et tradam Ægyptum in manus dominorum crudelium.* Isai.19. Et quis crudelissimus omnium, nisi diabolus? Omnium creaturarum furiis appetitus, nondum nouisti crudelitatis vires, dum fugias manus diaboli, qui solus nouit esse crudelis. Vnde Hieronym. Hieron. ait. *Pulchrè dæmones crudeles Dominus vocat: quibus nihil crudelius est.* Horum miser, qui cadit in manus, eo ipso diram, & crudelissimam perditionem patitur. Quando Dominus bonum semen in agro suo seminauit, Matth. 13. so- Matth.13. lum dicitur, *Quod inimicus homo superseminauit zizania, & abijt.* Cur tam cito abis inimice, perdere intentas Dei segetem, & vix è manu tua emittis zizania, & statim abis? Non ne fieri potest, vt zizania emoriantur? vt paruum aut nullum inferat damnum? Non ergo tam cito abeas, sed expecta paulułum, an necessum sit zizaniā addere. Equidem securus abiit diabolus, quod malum à sua manu dilapsum extremam perditionem operabitur. Hoc sufficit ad summam humani agri calamitatem, quod vel semel diabolus applicet suam manum. Hinc censebat D. Cyrill. Iero- Cyrill. solym. Catech. 15. duritiem martyriorum extremi temporis, quo carnifice diabolo sint patranda. Ait enim, *Numquid enim beatus martyr erit, qui Antichristi tempore pro Christo martyrium pertulerit? Ego vero illum super omnes martyres dixerim. Nam qui præcesserunt, cum hominibus tantum certamen erat, qui verò tempore Antichristi patientur, personaliter cum Satana pugnabunt.* Et omnia tormentorum genera, quæ inuenit Tyrannorum feritas, siue hæc sint Pharalis taurus ferrei, pectines aut nauicularum rotæ, quid hæc sunt ad solum diaboli tactum comparata? Equidem vna diaboli immanitas longè superat omnes tyrannorum immanitates. Pulchrè aiebat D. Petrus: *Inimicus noster diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens, quem deuoret.* 1.Petr.5. Expende belluæ ferocitatem; quem deuoraturus est, non subito vorat, sed prius prædam circuit, rugitúque edito perterrefacit, vt amplius excruciet. Quam diaboli feritatem notabat Dominus Luc. 22. aiens, *Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum.* Luc.22. Sic expetit Satanas homines in cibos, vt nolit subito vorare, sed prius mille modis conterere, vt fieri solet in tritico manducando, quod priusquam ad os perueniat, mille ventilationes, mille pressuras, mille contritiones est passum. Ait Augustin. in Psalm. 100. *Quid est* August. *vexare, sicut triticum? Quomodo ab homine triticum non manducatur, nisi primo attritum, vt panem faciat: sic neminem manducat diabolus, nisi primum per tribulationes exerit, conterit, vt manducet.* Proh immanissimæ belluæ ferociam! Proh nequissimi hostis duritiem! Quando in filium hominis non potuit per se sæuire, assumptis lapidibus, ait, Matth. 4. *Dic, vt lapides isti panes fiant.* Vbi D. Paschasius, *E lapidibus apte elegit panem poscere, vt quam durus sit, qui loquitur, tali signaretur exemplo.*

§. V.

A tuis egredi debes, qui magna à Christo velis comparare. Et quòd solus verus Deus agat prædicatores suos in exteras prouincias.

AVspicatissimus mulieris fuit ad Christum introitus, quando in primis à Tyri, & Sidonis finibus recessit; is enim Christi Domini lucrum facit, qui suis nouerit dicere longum vale. Christianæ erat ille fidei candidatus, qui Matth. 8. dixit, *Puer meus iacet in domo paralyticus,* Matth.8. quasi in eo poneret animarum paralysim, quod domi iaceant. Bene D. Paschas. lib. 5. in Matth. ait. *In domo, inquam, de qua* Paschas. *legimus dictum ad animam: Obliuiscere populum tuum & domum patris tui. In hac quippe domo omnis anima paralytica iacet.* Dedi hunc locum supra, cap. 1. §. 27. in fine: accipite modo alium ex Genes. 12. vbi ad Abrahamum dicitur, *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui.* Genes.12. Quid plura? *Egressus itaque est Habraham sicut præceperat ei Dominus.* Cur sic festinauit egredi? Nondum sciuerat, ad quam terram iret, & nondum, quam viam caperet, norat; cur ante hoc egreditur? D. Hieron. epist. 28. ad Lucinium Hieron. ait. *Relinquit Mesopotamiam, quærit quod nescit, ne perdat, quod inuenerat. Non enim arbitratus est simul se habere posse patriam, & Dominum; sed iam tunc illud Dauidis complebat: Aduena ego sum apud te, & peregrinus.* Qui sic à patria à suis nouit exulare, non paralyticus iacet, sed de angusta domo ad

ad diuinam euolat possessionem. Dicebat Dominus ad Moysem Exod.2. *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob.* Ecce quorum fiat Deus possessio, nec tantus gloriarum thesaurus erubescit dici possessio pauperũ hominum. Cur hoc? Paul. ad Heb. 11. causam notat his verbis. *Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes, & salutantes, & confitentes, quia peregrini, & hospites sunt super terram: ideò non confunditur Deus vocari Deus eorum.* Itaque nouerunt sic à suis excuti, vt quasi aduenæ, & peregrini sint super terram, in tantam excreuerunt sublimitatem, vt sine rubore, imò cum ingenti gloria fiat Deus eorum possessio. Sic expendit Chrysost. illud, *ideo non confunditur Deus*: ait enim Psalm.113. *Propter quam causam? Quoniam confessi sunt esse hospites, & peregrinos, & nihil habere commune cum præsentibus, sed subiuncti ab his, quæ ad hanc vitam pertinent, ita degebant in aliena.* Da mihi homines, qui sciant patriæ, & suis valedicere, & aduenarum instar Deo seruiendo studere; & sanè hi verum Deum possidebunt, & vel ex hoc capite, diuino Spiritu censebuntur moueri. Quod in Paulo persequente Ecclesiam licet aduertere: de quo Act.9. *Accessit ad Principem Sacerdotum, & petijt ab eo epistolas, quas perferret Damascum.* Nihil tale rabidissimi Christianorum persecutores Iudæi cogitarant, sed domi manentes in Christum sæuiebant, vnus Paulus & patriæ, & suis valedicens ad exterorum ciuitates abit, legis zelo exagitatus. Quid plura? Vel ex hoc Paulo veri Dei zelus apparuit Chrysostomo, qui sic ibi fatur. *Hic igitur sic faciebat, non vt Iudæi; absit. Nam quod zelo faciebat, manifestum ex eo, quod in exteras ciuitates abibat.* Solus equidem veri Dei zelus potest homines a patria separare, & per exteras regiones peregrinari facere. Solus verus Deus potest facere, vt viuamus in hoc sæculo tanquam aduenæ, & peregrini.

Exod.2. Hebr.11. Act.9. Chrysost.

§. VI.

Labores, & ærumnæ miserè, & seruiliter ad Deum trahent.

IAm seruile Chananæorum ingenium in præsenti patet: vide enim, quo mulier ad Christum impellebatur; ait, miserere mei: filia mea male a dæmonio vexatur: nouit iam dudum seruis sola vexatio dare intellectum, & quot calamitates, tot sunt restes, quibus Christo illigamur: sed quam miser ille, qui nescit ad Deum accedere, nisi calamitatibus actus! Quam longissimè abscessit ille paternæ substantiæ dissipator, Luc.15. sed illi fidus latero stetit calamitas, & fames, quibus ad Patrem reuocatur. Vnde Aug. Psal.138. ait. *Haud verè in illa egestate contereretur, haud porcos pascere poneretur: nisi pater vellet flagellare longinquum; vt acciperet propinquum? Ergo tanquam deprehensus fugitiuus, sequente se vindicta Dei, quocumque ierit, & quocumque deprehensus fuerit, agnoscitur.* Fugit aliquando seruus a domino suo: quod damnum præuenientes domini, ne quando sine seruis fiant, illis notas in facie inurunt, propter quas fugitiui noti, & deprehensi, quam primum dominis restituuntur. Quo igitur sunt inustæ notæ seruis, hoc esse putat Aug. labores & pressuras peccatoribus, vt quam primum vt fugitiui serui ad Deum reuertatur. Et sanè facit hoc ad summam peccatorum miseriam, quod non nisi malis prementibus Dominum meminerint. Thren.1. ait Ieremias: *Et recordata est Ierusalem præuaricationis omnium desiderabilium suorum, quæ habuerat in diebus antiquis, cum caderet populus eius.* Quam deploranda erat Ierosolymæ miseria, quæ tunc solum felicitatis suæ meminit, cum caderet populus eius; id quod notat Rupert. lib.1. in Ierem. cap.19. dicens, *Hoc verè lamentabile est quod non aliter huius tacolatus sui recordari poterat, nisi malis prementibus; nisi conculcaretur ab hostibus, nisi in manus gentium traderetur.* Equidem misere sapiebant, qui à solis flagellis edocebantur: qui solum sub flagello Deum sapiunt, non ingenui, non filij sunt, sed fugitiui seruuli. Deuteron. 27. transgressoribus legis multæ sanè maledictiones proponuntur, innumera flagella Deus minatur: legis autem obseruatoribus pauculæ benedictiones dantur. Cur, qui tam diues est in misericordiis, tam se ostendit in benedicendo parcum, tam in maledicendo largum? Faciebat hoc seruile ingeniũ illius populi, qui nesciebant Deum quærere, nisi flagellorum testibus tracti. Accipite Theodoretum in Cat. Græca, vbi sic fatur. *Cur execrationes plures numero videntur, quam quæ bona exoptantur? Quoniam vernas improbos, & fugitiuos magis exterrent intentamentum plagarum, quam vindictiarum promissiones.* Sic flagellorum notis fugitiui seruuli reducuntur ad Dei caules, sic seruus Chanaam discit Dominum quærere a flagellis tractus.

August. Thren.1. Rupert. Theodor.

§. VII.

Maximè fugiendi sunt labores, qui fructum spiritualem non pariunt.

SEd age videamus, quo vltimam miseriam suam sapiens mulier statuat, quippe ait: *Filia mea malè à dæmonio vexatur.* est enim vexatio, quæ cooperatur in bonum, quando ex illa spirituale lucrum nanciscimur: est item vexatio sine spirituali lucro, tota pœnalis tota in malum ordinata. Hæc maximè expauenda, & abijcienda est, vtpote quæ summam miseriam afferat. Hanc miseriarum vltimam insinuat Matth. 24. de extremo hominis excidio fatus: *Tunc duo erunt in agro: vnus assumetur, & vnus relinquetur. Duæ molentes in mola: vna assumetur, & vna relinquetur.* Malum sanè est, quod quis à Deo derelinquatur in agro, sed aliquod emolumentum habebit, quando ex agro temporales fructus percipere poterit, vel saltim deliciari: quod autem pessimum est, quod in mola derelinquatur, vbi sine fructu vexetur, excrucietur. Hinc miseriam Iudaici populi ponderat D. Hilar. Canone 24. aiens. *Alius in infructuoso legis opere relinquetur, molens in cassum, & non facturus cœlestem sibi panem.* Quid miserabilius stulto, & proteruo Iudæo? Adhuc sub iugo incomportabili legis laborat, adhuc sub cultro circumcisionis, sub ieiuniis legalibus, relinquitur, quando è tot pressuris nullum alium educet fructum, nisi gemitum. Eu quam malè torquentur impij, dum mille torturas subeunt, nec vllum percipiunt spiritualem fructum? Pijssimo Abrahamo dicebat Dominus, Gen.15. *Scito prænoscens, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subycientes eos, & affligent quadringentis annis. Veruntamen gentem, cui seruituri sunt, ego iudicabo: & post hæc egredientur cum magna substantia.* Audiuit bonus senex filiorum suorum ærumnas audiuit captiuitatem generis sui, & tacui, libénsque illas acceptauit. Non sic paulò post c.18. vbi resciuit imminentem Sodomis cladem: *Appropinquans, ait. Numquid perdes iustum cum impio?* Cur ad filiorum ærumnas adeo ferreus existit, vt nec verbulum pro eis loquatur; verum ad extraneorum mala sic mitescit, vt pro eis roget, totisque viribus conetur illa auertere? Sanè filiorũ ærumnæ fructuosæ erant; dicuntur enim postmodum exituri, *cum magna substantia.* verum Sodomorum clades penitus infructuosa, & solum ad perniciem erat excogitata. Vnde qui fructuosa mala acceperat in suis, meritò infructuosa mala etiam in exteris expauet. Cauendi enim maximè sunt labores, qui minimè conducunt ad æternam felicitatem. Quo spectauit Dominus, quando inter innumera mortis genera, mortem crucis præ aliis elegit, nimirum, vt doceret nos contemnere eos cruciatus, qui nos minimè extollunt, vt ad sublimia possimus euolare. Id quod attigit Diuus Thomas opusc 2. cap.228. vbi reddens rationem, cur mortem crucis elegerit Dominus, ait: *Voluit Christus ostendere sua morte, vt sic moreremur vita carnali, quod spiritus noster in superna eleuetur.* Hi soli amplectendi sunt a Christianis cruciatus, quibus in superna promoueantur, quos solum nobis Dominus à cruce propinat. Ait enim sponsa Cant. 5. de dilecto suo: *Labia illius lilia distillantia myrrham primam.* Expende, quæ myrrha à Dominicis labiis veniat, nimirum myrrha prima. Sunt in fundo vasis liquoris fæces, at quod in primis est, id perfectius est, & defæcatius. Sic in myrrheis doloribus, qui infructuosi sunt, fæces dolorum sunt, at myrrha prima, ea est floridior, defæcatior, quæ multas vtilitates parturiat. Itaque à Domini labiis nulla fæx, nullus dolor infructuosus venit, sed myrrha prima, myrrha defæcatior, & vtilissima. Accipit Psalm. 74. *Calix in manu Domini vini meri plenus misto. Et inclinauit ex hoc in hoc: veruntamen fæx eius non est exinanita.* Inclinat sanè Dominus calicem iræ suæ, & labores defæcatos, qui vtiles sint, & ad superna subleuent: at fæces laborum, quibus torqueantur infructuosè miseri, à Deo minimè immittuntur.

Matth.24. Hilar. Genes.15. Genes.18. D. Thom. Cant 5. Psalm.74.

§. VIII.

Princeps ametur: ne timeatur, caueat.

PRudentissima fœmina misericordiæ beneficia postulans, & Dauidem Regem, & filiam a dæmonio vexatam suggerit, vt inde pateat, quàm principi prosit subditorum

solicita

ſollicitare beneficiis corda, quam noceat eoſdem afficere timore. In filia à dæmonio vexata, inde quid ſubditi metu correpti audeant in dominos. Dedit enim Deus hominibus poteſtatem conculcandi leonem, & draconem, hoc eſt, poſuit ſub pedibus noſtris dæmonum ceruices vt confringantur, & conculcentur à nobis. At tantus timor in ſeruulis quid aliud, niſi odium gigneret aduerſus dominos.

Tertull.

Accipite Tertull. Apol. capit. 27. vbi ſic. *Licet ſubiecta ſit nobis tota vis dæmonum, vt nequam tamen ſerui, metui contumaciam miſcent, & lædere geſtiunt, quos alias verentur: odium enim etiam timor ſpirat.* Hoc lucrantur homines de dominio in dæmones, quibus nequeunt benefacere, quot enim ſeruos timentes habueris, tot rebelles, tot tuæ perditionis ſtudioſos habes: non enim timor aliud generat, quam odium. Ipſe Dominus vbi romphæam igneam ad portam paradiſi ſtatuit, ſeueritatíſque in primordio iudicium dedit, à ſuo principatu, & cognitione fugauit vniuerſos. Vt

Chryſol.

dicat Chryſolog. ſerm. 147. *Sic diuinus pauor amorem dominantis excluſit, Angelos fugauit ad terram, homines traxit ad idola, mundum vanis erroribus occupauit, fecit omnes creatorem fugere, colere creaturas. Hinc eſt, quod mundus perire maluit, quam timere.* Et ſanè innumeri Deum abnegant, ne ſub timore viuant. Amorem conciliat amor, & totas ad ſe

1.Reg.18. Ambroſ.

rapit ſubditorum voluntates. Bene canebant illæ 1.Reg.18. *Saul percuſſit mille, Dauid decem millia.* de quo D. Ambroſ. Pſalm. 43. *Saul in millibus, Dauid in decem millibus: quia durus in paucis, manſuetus in pluribus.* Qui duritiem præſefert, inter paucos floret, qui manſuetior, & amantior eſt, ſubditos multiplicat. Stultus ille Dauidis nepos, vt incepit non amari, ſed timeri, maiorem regni partem amiſit. Di-

3.Reg.12. Baſil.

cebat enim, 3. Reg. 12. *Pater meus cecidit vos flagellis, ego cædam vos ſcorpionibus.* Sed præſtat audire D.Baſil. concione de humil. vbi ſic. *Qualis erat delirus ille Salomonis filius, ætate iuuenis, mente prudentia adhuc iunior: qui populo mitius imperium quærenti grauiter minatus eſt, & per minas regnum amiſit; per quas regaliorem ſe fore ſperabat, per eas depoſitus de dignitate, quam habebat.* Non minueretur Dauidis regnum, ſi non timeretur, vbi timeri incepit, amiſit decem tribus, & inter paucos homines manſit illa Dauidis regia, quæ dum amabatur, replebat terram militibus. Nulla enim vis ſic regna firmat, ſic trahit homines ad iugum, vt amor

Iſai.7.

Principis. Ecce apud Iſaiam 7. vt trahat Achaz, exerit Propheta Dei horribilem potentiam. *Et adiecit Dominus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo in profundum inferni, ſiue in excelſum ſupra.* Quaſi obiiceret Dei exertam poteſtatem in cœlo, & in inferno, qua hominem perterrefactum traheret in iugum. Sed quid ille ad inferni Dominum? *Non petam*, inquit rebellis adhuc, & Deo infeſtus. Tunc mutato ſtylo maieſtatem horribilem celans, ait. *Audite ergo Domus Dauid. Numquid parum vobis eſt moleſtos eſſe hominibus, quia moleſti eſtis & Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum: Ecce virgo concipiet, & pariet filium.* Cur maximus regum, qui paulo antea ſe in dominatorem cœli, & inferni dabat, nunc dat ſe in mulieris filium, hominum miſerorum fratrem, & Redempto-

Bernard.

rem? Pulchrè D.Bernard. ſerm. 2. de Aduentu ait, *Diſſimulat ille Achaz poteſtatis excelſa, ſeu incomprehenſibilis profunditatis ſapientiæ quærere ſignum, & propterea ſignum bonitatis, & charitatis domus Dauid ipſe Dominus promittit, vt quos nec poteſtas, nec ſapientia terruit, alliciat ſaltem exhibitio charitatis.* Et quidem exhibitio charitatis eam fortitudinem habet, cui nemo reſiſtere poteſt, quæ ſic omnes debellat, & trahit, vt nullus velit abire contra Et quando Principis durities ſubiectos minuit, eos multiplicat manſuetudo amica. Cuius amabilis poteſtatis exhibitio operata eſt in Romanorum

Luc.2.

Imperatore Auguſto, à quo Lucæ 2. *Exijt edictum vt deſcriberetur vniuerſus orbis: & ibant omnes, vt profiterentur ſinguli in ciuitatem ſuam.* Quæ poteſtas ſic totum orbem traheret ſub tributo, niſi regia humanata poteſtas, quæ in puero Ieſu erat exhibita, & operabatur in Auguſto? Do pulchram

D. Thom.

aſſertionem D. Thomæ lib. 3. de regimine Princip. opuſc. 20. capit. 9. vbi de hac orbis inſcriptione fatur. *In hac deſcriptione ſoluebatur cenſus, ſiue tributum in recognitionem debitæ ſeruitutis, non ſine myſterio, quia ille natus erat, qui verus erat mundi Dominus, & Monarcha, cuius vices gerebat Auguſtus, licet non intelligens, ſed nutu Dei, ſicut Caipha propheta.* Ita ſicut Caipham diuinus halitus mouebat, vt inſcius veritatem halaret, ſic exhibitio diuinæ charitatis in Ieſu, ſic regia, & vera poteſtas humanata prophano Imperatori, minimè id intelligenti, inſerebatur, & in illo operata eſt illam totius orbis tractionem. Non ergo Auguſtus Romanas exerens aquilas, ſed vicem humanæ poteſtatis exhibitæ in Ieſu charitate gerens, vniuerſi orbis inſcriptionem confecit. Ecce vobis rete, quo Rex regum Ieſus omnem ſubiecit mundum, aiebat enim Matth. 11. Matth.11.

Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, ego reficiam vos. Cui voci tribuit vniuerſi tractionem D.Baſil. Sel. orat. Baſil.

29. fatus. *O vocem, quæ commune de hominibus trophæum ſtatuit! O verbum vnica adſenſione terram captiuam agens! Huius vocis hæreditatem obtinuit Apoſtolorum cœtus, hanc in manibus habentes, non inflato tuba cælum hominibus peruium reddiderunt: terras integras peruaſit ea vox, inſulas occupauit, ſine vi captæ ſunt ciuitates, prouinciæ concurrerunt, ceſſit in prædam Græcia, admiſit eam Barbaria, Reges adorauere, Imperatores ceruici iugo ſubiecere.* Sic manſuetudo Principis omnia domat, vniuerſos ad ſe trahit, rigor autem, & ſeueritas, vt pariunt metum, ſic fugant vniuerſos. Vnde a ſapienti Principe minus oſtendatur rigor, quam manſuetudo. Act. 2. *Factus eſt* Act.2.

repente de cælo ſonus tanquam aduenientis, & ſpiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant ſedentes. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ, tanquam ignis. Ecce tibi cœleſtis aura ſic abundat, vt domum repleat, ignis autem menſuram linguæ non excedit. Cur hæc? OEcumenius ait. *Ignis non* OEcum.

repleuit totam domum, ne omnes terreret, ac videntes fugere compelleret. Sanè igneus rigor ſemper in parua eſt menſura exercendus, ne nimis terreat, & fugere compellat: vt enim amore trahuntur, etiam rebelles; ſic terrore compelluntur fugere etiam qui amici poterant videri. Sit ergo rigor quam minimus: verum aura cœleſtis perfundat domum vniuerſam, vt nemo ſit, qui non obediat voci eius.

Text. Qui non reſpondit ei verbum. Et accedentes diſcipuli eius rogabant eum, dicentes: Dimitte eam, quia clamat poſt nos.

§. IX.

Deus differt, vt duplicet beneficium.

VNum à Deo beneficium, vnum verbum fœmina petit, Deus autem tacet, nec vnum ei verbum facit, malens, ſi perſeueret petendo, multa donare. Non reſpondit ei verbum primo petenti, at perſeueranti plurima verba facit: dúmque ab eius mente, & à corpore filiæ dæmonium abigit, beneficium exhibet Dominus duplicatum. Vt bene dicat D.Ennod. lib. 2. epiſt. 12. *Geminantur Dei dona ſperantibus, & duplici exuberant ſuperna gratia beneficio.* Magnum Ennod

equidem lucrum in longanimi ſanctorum expectatione poſitum eſt: nouit lucra duplicare, qui nouit ſuſtinere Dominum: duplicata enim dona ſequuntur noſtram expectationem. Apoc. 6. ſubtùs Dei altari viſæ ſunt ſanctorum Apoc.6.

Martyrum animæ clamantes ad Dominum, & anxie petentes ſanguinis ſui vindictam. Et quid illis Dominus? *Et datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ: & dictum eſt illis, vt requieſcerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conſerui eorum.* Putas, quod liberalis fuerit Dei bonitas cum martyribus ſuis, quando ſanctis illorum animabus ſingulas dederit ſtolas & modicum iuſſerit ſuſtinere? An domeſtici mulieris fortis feliciores ſunt, quàm domeſtici Dei? Illi enim Prou. 3. *ve-* Prou.3.

ſtiti ſunt duplicibus; vbi ergo eſt ſeruorum Dei duplex veſtis, quando modo ſingulæ ſtolæ dantur ſingulis? Equidem ſingulæ ſtolæ dantur animabus iuſtis, Dei domeſticis, & dicitur illis, quod adhuc modicum ſuſtineant, ſi velint duplicibus veſtiri; duplicata enim bona longam expectationem, & ſufferentiam requirunt. De his Bernard. ſerm. 3. Bernard.

omnium ſanct. ait. *Acceperunt iam ſingulas ſtolas, ſed non veſtientur duplicibus, donec veſtiamur & nos:* tunc in duplici erunt ſtola. Expectent adhuc modicum ipſi ſpiritus domeſtici Dei, & in regeneratione duplicibus ditati erunt conſpicui. De quo Iſai. 61. *In terra ſua duplicia poſſidebunt.* Quis Iſai.61.

dicat magni Iobi expectationem, & ſufferentiam? Accipite Iob 2.

vxoris eius vocem, cap. 2. iuxta Sept. *Quouſque ſuſtinebis,* LXX.

dicens: Ecce expecto tempus; adhuc puſillum præſtolans ſpem ſalutis meæ? Ea iam videbantur Iobi mala, ſic auxilium Dei exterius dilatabatur, vt vel ahenea ſpes, ſiue expectationes poſſent millies defeciſſe: & tamen Iobi expectatio, & Iob 42.

ſufferentia nullis dilationibus labat, nullis ictibus ruit, digna ſane, quod illi omnia bona duplicata recurrant. Sic capit. 42. *Et addidit Dominus omnia, quæcumque fuerant Iob duplicia.* Non enim alio differret Deus Iobi auxilium, niſi vt duplicaret bona illius, quando hoc præcipuum habet bona expectatio, & longanimis ſufferentia iuſti, vt duplicia

bona

Matth.1. bona parturiat. Hinc crediderint non otiosè à Matth.1. dictum illud, *Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar.* Vna enim Thamar duplici prole insignitur, quia vna fciuit longæuam fustinere viduitatem, vt de fanctorum femine conciperet. Quippè iuxta legem Moyfis debebatur Thamari fecundus filius Iudæ in maritum, post mortuum pri-
Genes.38. mum: cui focer dixit Genes.38. quod federet in domo patris fui vidua paulisper, donec crefceret maritus: *Sto vidua in domo patris tui, donec crefcat Sela filius meus.* Fecit, & hoc illa, fedit vidua, & diu fedit, & quamuis videret focerum promiffi oblitum, tamen fedebat expectans: & quò fedenx expectabat, eò feftinantius ad duplicata munera
Chrysost. ibat: quod pulchrè in rem præfentem expendit D. Chryfost. in Cat. dicens: Talibus promiffionibus pafcebatur Thamar, inque domo patris fui fedebat, expectans quando fieret promiffio adimpleretur: *Et videns Iudam non velle implere promiffa, manfuete tulit, non eligens alterum coniugem, fed amans viduitatem, & tempus congruum expectans, feftinabat enim, vt filios procrearet ex focero.* Expende illud, *feftinabat, vt filios procrearet.* Vnde feftinaret ad multiplices filios, quæ vidua manens fuftinebat foceri repulfam, nifi quia expectatio, & fufferentia duplicia femper munera feftinant?

§. X.

Sanctorum patrocinium humilitate acquiritur.

Dominicam patientet ferens repulfam mulier, adhuc clamabat, cuius vocibus commoti Apoftoli fe fe patronos, & aduocatos mulierculæ apud Deum egunt. Quam
Matt.25. aliter quinque illæ virgines, Matth.25 habitæ funt, & virgines erát, & apud focias virgines a Deo repulfæ, & tamen in toto fociarũ agmine non eft, quæ pro illis ad Deum loquatur. Cur ergo virgines repelluntur à Deo, nec experiuntur fociatum patrocinium, & hæc fœmina omnem Apoftolorum chorum patronũ habet, cum eius clamorem Dominus non exaudit? Crediderim difcriminis rationẽ infinuari illis verbis, quia *clamat poft nos*: vbi fœminæ humilitas prædicatur, cuius defectus etiam virgines in perditionem agit. Ita D. Chryf. hom.22. ad pop. *Refpice mihi, quinque virgines exclufas, & æquales pro ipfis non deprecatur; propterea quod feruato magno*
Chrysost. *virginitatis munere mandatum humilitatis paruum non cuftodierant.* Odiofus omnibus eft fuperbus, nemo eft, qui illius fubeat patrocinium, qui in eius auxilium loquatur. Quando fu-
Genes.11. perbiffimam illi homines torrim ædificabant, Genes.11. hoc illis fupplicium Deus infixit: *Confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnufquifque vocem proximi fui.* Quafi proprium fit fuperborum hominum, quod nullius patrona voce, & auxiliatrice poffint vti: è contra verò humiles vniuerfos experiuntur aduocatos, & patrocinantes. vnde pu-
Rupert. tat Rupert. confufionem linguarum curatam fuiffe in humilibus Apoftolis, quando apparuerunt fuper fingulos eorum difpertitæ linguæ. Quas enim auxiliatrices linguas fuperbia diuiferat, & fugauerat, eas fibi humilitas patronas conciliat, & aduocatas. Venit Dominus ad fernendam fuperbiam, patrocinium linguarum exfuflans, venit ad humiles linguas reuocans: quare? Crediderim, quod fic venerit, vt humiles per omnium linguas patronum fibi, & aduocatum eredant adeffe. Quam egebat Dauid patrono, & aduocato apud infenfiffimum fibi Regem Saulem, a quo petebatur in mortem. Qnid tunc Dauid? Acceffit humilis
1.Reg.20. ad Ionatham, 1. Reg. 20. & eius humilitas de hoftis filio fecit aduocatum, & patronum, qui diceret, *Non morieris; neque enim faciet pater meus quicquam grande, vel paruum, nifi*
Ambros. *indicauerit mihi.* Quocirca ait D. Ambrof. ferm.14. in Pfalm. 118. *Golia fuperato occurrerant iuuenculæ pfallentes, Saul in millibus, Dauid in decem millibus. Commotum eft fel Regis, & quærebat eum occidere, & humiliauit fe Dauid ante Ionatham filium Regis, & conuertit eius affectum vt quem fucceffurum patri Regno poterat habere fufpectum, eundem aduerfus ftudia paterna feruaret.* Vbi non inuenit humilitas patrocinium,
X L I quando & filium hoftis fecit aduocatum? Componamus modo duarum fœminarum aduerfus regias leges peccata; altera Vafthi vxor Affueri ab illo iuffa in publicum procedere, imperium regis contempfit. Rex iratus coegit fapientum fuorum Senatum, & omnes vnanimiter fententiam repudij ferunt aduerfus Vafthi. Altera Efther contra regis decretum aufa eft intrare Regis penetrale. Quid tunc? Pauidam, & trementem Rex ipfe, & omnes eius
Esther 15. optimates confolantur tutantur. Sic cap.15. *Conuertit Deus fpiritum Regis in manfuetudinem, & feftinus, ac metuens exiuit de folio, & fuftentans eam vlnis fuis, donec rediret ad fe, his verbis blandiebatur: Quid habes Efther? Ego frater tuus fum, noli metuere.* Infuper addit textus: *& omnes miniftri eius* (regis) *confolabantur eam.* Ecce tibi Vafthi, & Efther, vtraque Regina, vtraque Affueri vxor, vtraque regis legem, & imperium frangit; & Vafthi Regem, & omnes eius optimates fortitur accufatores, nemo eft, qui pro illam damnet: Efther autem & Regem, & omnes eius miniftros fortitur patronos, & aduocatos, qui vnanimiter pro illa loquuntur! Vnde hoc? Rupertus id tribuit Vafthi faftui, & arrogantiæ, & Rupert.
Efthers humilitati, qua regiam gloriam temperauit, qua coram rege, & optimatibus fe deiecit. Ita lib.12. de diuinis officiis, cap.25. *Efther pro temperantia ponitur, quæ, repudiata ob arrogantiam Vafthi Regina, in regnum fubrogatur. Nam ipfius temperantia hoc iudicium eft fingulare, quod leonem illum, de quo ipfa dicit: & da mihi gratiam in confpectu leonis, id eft Affueri Regis, in manfuetudinem conuertit.* Et pulchrè, cum humilitas, & fubiectio etiam leones frangat.

§. XI.

Caueant impij, dum impij viuunt, gloriari de fanctorum patrocinio: illum fancti patrocinantur, qui eorum imitatur virtutes.

Mvlier, aiunt, clamat poft nos, quafi eius fubeant fancti patrocinium, qui eorum hærens veftigiis, virtutes etiam fequitur. Male enim gloriatur quis a fe electum effe patronum, cuius moribus vita ipfa repugnat. Ifraelitæ læti de arcæ patrocinio, illam educunt aduerfus Philiftæos, 1. Reg. 4. *Inito autem certamine, terga vertit Ifrael & percuffus* 1.Reg.4.
eccubuit. Sed cur cæduntur, qui arcæ vtebantur patrocinio? Pulchrè Theodor. ferm. 10. de Proud ait, *Non enim oportebat legem propugnatorem fuum fieri ab eis, qui legem palam tranf-* Theod.
greffi fuerant. Periculofum valde eft, illum vitæ patronum eligere, cui vita, & moribus te magis contrarium exhibes. Clamabis fæpè patronos, quos carnifices experiris. Timere maximè debes, dum vitam fanctis omninò contrariam agis, de eorum gloriari patrocinio, ne dum ipfi veniant ad alumnum, inueniant, quem perdant inimicum. Nefcio quis Virgini Mineruæ deuotus, ftatuam eius in lupanari conftituit, aduerfus quem pulchrè integra oratione inuehitur D. Ennod. fic fatus. *Virginum oculos, & impuram* D. Enn.
feruire violauit; & in vtroque facrilegus, nec flagitia veneratur, quibus inimicam Deam teftem adhibuit: & caftitatis profligat ruborem, quam indignum affociat. Sic impij, & fcelefti homines faciunt, dum infra omnium vitiorum fpeluncas patronos fanctis aras conftituunt; & fe fe penitus tradentes libidinibus, cœleftium virginum vane oftentant patrocinium Et fibi nocent, & fanctos offendunt; fibi nocent, dum criminum fuorum hoftes teftes adhibent; fanctos offendunt: quia eos indignis affocient & quafi prædicant fcelerum amicos. Quam ftulte diues ille, cum effet in tormentis, Luc.16. pa- Luc.16.
tronum fibi elegit: quippe ait, *Pater Abraham, miferere mei.* Neminem magis moribus fuis contrarium poterat inuenire: nec alio magis fuam caufam deploratam oftendit, quam dum ipfe crudelis mifericordem Abrahamum vocat in patrocinium. Qui potius fententiam ferret in auaros, quam auxilium? Qui humilior, & fanctior, quam Iacob? It tamen mille artibus ftuduit patrit præripere benedictionem, & fibi fratrem natu maximum poftponere. At non fatius effet, quod Iacob fratris patrocinium fumeret, quam illum fibi præferret? Ambrof. lib.1. offic. cap.33. ait, *Sanctum* Ambros.
Iacob paternæ degenerem domus virtuti præferre non poterat. Equidem depelluot fanctorum patrocinium degeneres mores. Pulchrè monebat lex homines illos. qui non fufficiebant ad efum agni, vt pararent fibi auxiliatores de vicinis, de confanguineis. Ait enim, Exod. 12. *Affumet vi-* Exod.12.
cinum fuum, qui coniunctus eft domui fuæ; vbi bene notat Caietanus, quod vicinus deberet effe ex eodem genere Ifraelitarum. Sed cur eiufdem generis vicinus quæritur ad efum agni? An quia adiutorium non fperandum, nifi ab his, quorum virtutibus fuerimus maximè fimiles? Ita Nazianzen. orat. 2. de Pafch. dicit. *Datur eorum faltim* Nazian.
opera, atque adiumento ad eam rem vti, qui virtute nobis confanguinei funt, moribúfque perfimiles. Hoc enim mihi fignificare videtur, quod facrificij participes fieri propinquos Deus præcipit, fi ita opus fuerit. Caue diffimilium, & contrariorum auxilium aucupari auxilia; fi vt Den facrificees, vt cœleftibus vefci poffis, vt mala deuites, fanctorum indiges auxilio, illorum cura appropinquare virtutibus, & fic de confanguineis, & fimilibus certum habebis auxilium. Abraham Genef. 18. vt ab oftio tabernaculi fui vidit tres Genes.18.
viros

viros viuentes, *cucurrit in occursum eorum*, &c. Et quidem non lente iuit, sed cucurrit, accelerauit auxilium præstare peregrinis, quia & ipse aduena, & peregrinus erat. Quod Chrysol. notat Chrysolog. serm.121. inquiens. *Peregrinus ipse iugiter laborauit, ne peregrinus peregrinum se esse sentiret; sub tentorio manens ipse, sine tecto aduenam manere non est passus: & hospitem hospes semper ipse suscepit.* O quam accelerat auxilium morum, virtutúmque similitudo! Nullo mihi crede, sic trahes sanctos, quam si eorum virtutes æmulaberis. Leo. Quod eleganter docebat D. Leo, serm.5. in Epiphan. *Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribúsque sociamini. Vnde & illi gaudent, inde gaudete. Horum diuitias concupiscite, & per bonam æmulationem ipsorum ambite suffragia. Cum quibus enim vobis fuerit consortium deuotionis, erit & communio dignitatis.* Hæc ille.

Text. Ipse autem respondens ait: Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël.

§. XI.

Dignissima Euangelici ministri solicitudo est de temporalibus populi ruinis restaurandis etiam minimis.

SÆpè aliàs meminit Deus filios Israël, nunc mauult meminisse oues; an quia alij filij, aliæ oues erant in Israëlitica domo? Absit, quos enim infra vocat filios, eosdem vocat oues, sed notanter crediderim Dominum in præsenti meminisse ouium; vt nimirum significaret eam habere solicitudinem propopulo suo, qua non solum filiorum bonis, sed etiam minimæ ouiculæ, vel cuiusuis rei temporalis reparationi anxius incumberet, quando temporalium defectus maxima Reipublicæ damna pariunt. Mihi hanc Isai.1. mentem suggessit Isaias, c.1. vbi sic ad populum concionatur. *Argentum tuum versum est in scoriam: vinum tuum mix-* LXX. *tum est aqua.* Quæ verba explicatius resonant apud Sept. vbi dicitur. *Argentum vestrum non probum; caupones tui miscent vinum aqua.* Expende, quò sese diuertat tantus Propheta, nimirum vt suggerat de argento, de vino adulterato; cur non potius inuehitur in execranda cum diis gentium adulteria? Cur his omissis meminit leuidensia illa de argento, de vino mixto aqua? Id de Euangelici ministri more factum repu- Chrysost. tans D.Chrysost. ibi fatur. *Et vnigenitus Dei non pauca disseruit de mensuris, de salutationibus, de intermedijs contractibus, primísque recubitibus. Hæc enim, quæ in specie videntur esse leuis momenti, interim neglecta, plerumque magna exhibent incitamenta ad peccandum. His siquidem neglectis plerumque contingit ciuitates euerti, Principes è solijs deijci. Bella insuper citra spem vllam ineundi fœderis, promota sunt*, &c. Dignum equidem Euangelici ministri est ad hæc temporalia descendere, quando illa, & contempta militum obesse, & seruata multum possunt prodesse ciuitati.

§. XII.

Dignissima Principe vox, quòd etiam subditorum ouiculis prospiciat.

VEre Rex regum, & Dominus dominantium Iesus, qui non solum populi sui filiis sed vel eorum ouiculis paratus est occurrere. Cum enim filios metaphoricè oues vocat in præsenti, proprietatem simul veri Principis insinuat, qui vel de subditorum ouiculis debet esse solicitus. Apud Cœlium Rhodigin.lib.5.cap.1. Rex Philippus maximo cinctus exercitu in pulcherrima deuenit nemora, cuius amœnitate captus, ibi figere tentoria imperauit. Restiterunt œconomi Regiæ cupiditati, propter soli sterilitatem; non enim ibi fœnum erat, quo vescerentur caballi. Tunc Rex ait: *O Hercules, cuiusnam modi est vita nostra, si ad asellorum occasionem viuendum nobis est.* Et quidem ea est Regis optimi Deut.25. vita, quæ vel subditorum asellis prospiciat. Deut.25. cauebat lex: *Non ligabis os bouis terentis in area tua.* Ex quo Re- Tertull. giam Christi in homines magnificentiam educit Tert.lib.4. in Marc. Quasi à nullo alio possent homines sperare ingentia bona, quæ habent ex Christi Domini Regno, nisi ab eo, qui & hominum iumentis nouit prospicere. Ait enim sic, *Boui terenti os non colligabis. Quis tam præstans in homines, nisi qui & in pecudes?* Ille bene subditis hominibus prospiciet, quem pecorum solicitat cura. Præstantissimus quidem est ad hominum gubernaculum, qui de bobus in area terentibus est solicitus. Regia illa summi Imperatoris Dei sapientia, quæ Eccl.24. *Posuit Dauid puero suo excitare Regem ex ipso fortissimum, & in throno honoris sedentem in sempiternum.* Hæc, inquam, sapientia Regum mater, & nutrix, inter alia sui signa, quibus dominium obtinuit omnium, hæc ponit. *Memoria mea in generatione sæculorum.* Quæ verba D.Vincent. Ferrer. ser.2. de Natiu. Mariæ, refert ad primam vtriusque orbis cœlestis, & terreni generationem; quasi ex eo velit agnosci Regum creatrix sapientia, quod in primo creaturarum ortu opera operata est. Ibi in prima rerum conditione, sapientiam suam ebibant regnorum institutores, & moderatores. Quid ibi regale? Hominis tunc vita, & conditio à creatore in primis prospiciebatur, & quia homo erat totius conditionis finis, & scopus, vide quam erat solicitus creator, circa pecora condenda, circa animalium pabula præparanda: vt inde nouerint reges, quibus hominum demandatur cura, quàm debeant circa pecora, & animantia hominis solicitudinem amplexari. Quò respexit D.Thom.lib.1.de D.Thom. regimine Princip. opusc.20.c.13. inquiens. *Ratio autem institutionis regni ab exemplo institutionis mundi sumenda est. In quo primo consideratur ipsarum rerum productio: deinde partium mundi ordinata distinctio. Vlterius autem singulis mundi partibus diuersæ rerum species distributæ videntur: vt stellæ cœlo, volucres aëri, pisces aquæ, animalia terræ. Deinde singulis ea, quibus indigent, abundanter diuinitus prouisa videntur*, &c. Eam Rex vitam agat, qua consulat etiam minimis agnellis subditorum. Et fallor si quid sit magis proximum Regni excidio, quam vel pecorum, & iumentorum abiiciatur cura. Sapientissima Iudith c.11. sic extremum populi sui discrimen exaggerat. Iudith 11. *Denique hoc ordinant, vt interficiant pecora sua, & bibant sanguinem eorum. Et sancta Domini Dei sui, quæ præcepit Deus non contingi in frumento, & vino, & oleo, hæc cogitauerunt impendere, & volunt consumere, quæ nec manibus deberent contingere: ergo quoniam hæc faciunt, certum est, quod in perditionem dabuntur.* Meritò putat perditionem imminere Reipublicæ; in qua pecora perduntur.

§. XIII.

Optima Regum politia est, agricolarum, & operariorum ruinis operandis studere.

VIde, quo mittatur creaturarum Princeps, & Rex, nimirum ad oues, quæ perierunt; sunt in magna Israëlis domo, & perpetes Aquilæ, & Regij leones, hoc est, sunt Principes, sunt diuites homines, suffragio bonorum, & diuitiarum sese super omnes extollunt: sunt item agricolæ, sunt pastores, qui terram vel fructibus pariendis, vel ouibus pascendis solicitant. Horum ergo in primis curam habeat optimus Rex, vt qui sint & fulcra, & sustentacula totius Reipublicæ. Amos cap.7. ait, *Hæc ostendit mihi Dominus: & ecce Dominus stans supra murum litum, & in manu eius trulla cæmentarij.* Ecce tibi supra murum inter pinnas, inter turrium coronides stet Rex regum, & Dominus dominantium: & tamen non pinnis elaborandis, non coronidi perficiendæ, sed cæmentis, quæ longè inferiora sunt, & terræ inclusa, totam præstat operam, & studium. Id solum habet præ manibus, nempe cæmentariam trullam: quasi id solum debeat esse præcipuum regis studium non de faciendis magnatibus, & dynastis, sed de sufficiendis agricolis, qui terram solicitent. Periculosè ornarentur mur ipinnæ, vbi cæmenta contemnuntur; periculosius Principes in promonẽdis magnatibus, augendísque diuitibus desudant, & agricolarum pauperies non visitur. Mille nouos dynastas fecisti, sed nec vnum reparasti cadentem agricolam, vnde optimi Principis studium perdidisti. Hoc erat ius Regibus innatum aiebat Samuel 1.Reg.c.8. *Hoc erit ius Regis, qui impe-* 1.Reg.8. *raturus est vobis, Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis: faciétque sibi equites, & præcursores quadrigarum suarum: & constituet sibi tribunos, & centuriones, & aratores agrorum suorum, & messores segetum*, &c. Itaque ille Rex est, qui non solum faciendis tribunis, ducibus, dynastis equitibus dat operam: sed & qui studet facere agricolas, aratores, messores. Imò militiæ honores bonus Rex ideo inuenit, vt agricolis faueat: id quod asserit D.Synes.lib.de regno fatus. Cum bel- Synes. lo pax felicior sit, quoniam pacis causa bellum instruitur; consulto sanè fecerit Rex, qui se toti imperij corpori armato, & inermi tradiderit: ac post milites ciuitatibus, populisque suis copiam faciat, quibus *militum opera, & agriculturæ, & Reipublicæ securitatem conciliabimus.* Non vtique regnum stat sine agricolis, nec Rex supra muros inter pinnas videbitur, cui non sit præ manibus trulla cæmentaria, hoc est, quem inter duces agentem non solicitet cura agricolarum: &

& inter nobilium stemmata, sciat oculos vertere ad rusticanam segetum culturam, & arborum. Ioann.1. dixit Iesus Nathanaëli: *Cum esses sub ficu vidi te.* Cui statim Nathanaël respondit stupefactus. *Tu es filius Dei, tu es Rex Israel.* Non miror, quod ex prophetica Iesu visione, illum Nathanaël filium Dei nominarit; verum miror, quod Regem Israëlis vocarit. Quid regium ostendunt ea verba, cum esses sub ficu vidi te? Cur ex his Rex appellatur? Sanè Regium erat, quod oculos converteret ad hominem sub ficu agentem, & forsan de rurali satione ficus cogitantem. Et maximè regales facit Reges ea cura, quæ illos trahit ad consulendum his qui agriculturæ operam navant. At non fieri potest, vt Rex omnia etiam rusticorum norit, quid tunc Rex non erit? Pulchrè D. Synes. lib. de Regno fatur. *Verum & id, quod collapsum est, etiamsi non videret, restaurabit, & in egestate laborantes populos largitionem faciet, & publicis sumptibus iam dudum vexatis publica munera remittit.* Indignum sanè est regia virtute, quod Rex totus sit in magnatibus Regni promovendis; & vix horam terat in agricolis deficientibus restaurandis, in pauperibus sublevandis. Quam indignitatem lamentatur P. Blesensis epist.14. dicens: *Elisæus implebat vasa vacua; & deficientibus vasis stetit oleum. Incuria verò contemnuntur vasa vacua, & plena implentur: lingua in syluas, & aqua in maria deferuntur.* Et quidem vereor, ne Reges maximè Deum irritent, quod ab agricolis, & rusticanis hominibus ingentia bona percipiant in quotidianis exactionibus, & tributis, quibus regie vivunt: de horum tamen ruina reparanda, & egestate sublevanda nihil omninò curent. Notate vnde dives ille purpuratus maximè Deum irritat. Luc.16. quippe ait, quod positi Lazari ante fores, *canes veniebant, & lingebant vlcera.* Cur permittit Deus canes divitis de vulneribus Lazari saturari? Vt crudelitas divitis appareret, & eius damnatio, quia cum videret canes suos saturos sanguine pauperis, adhuc non movetur ad sublevandum pauperem. Chrysolog. serm.121. *Soluit Deus pauperi manus à suis artubus, vti nec abigeret canes, quos vulneribus suis divitis erat pasturus ad vulnus: fit humana mendicitas, vt cupiditas prodatur inhumana.* Quid humanius, quam quod pauper sanguinem fundat, vt alat diviti venaticos canes. Quid magis ferale, quam quod purpuratus dives videat canes suos à pauperis sanguine saturos, nec curet pauperi referre gratias? Ecce vobis reges, quam humana est mendicitas, & paupertas erga vos: pauperculi agricolæ de sudore suo, de sanguine suo, dant vobis canes saturos, quibus venationum delitias potiamini: exactionibus, & tributis pressi faciũt vobis amplissimas domos, regales pompas quibus efferimini, & vos inhumani, & efferati nihil curatis causas vestrarum opum, & deliciarum, nec vnquam ad gemitum respicitis pauperum. Hos pungit D. Basil. serm. de humil. fatus. *Dignitatibus ex populi consensu oblatis super naturam se extollant, si plebs dignitatem dederit, si præeminentiæ dignitatem suis suffragijs decreverit. Atque hi sanè, velut humanam naturam excedentes tantum non in nubibus sedere se putant, subiectos homines, tanquam pulverem decentes, & contra eos, qui ipsis dignitatem dederunt, se attollentes, & contra eos arrogantes, per quot contigit ipsis, vt aliquid esse viderentur.* Quippe inhumanum est non prospicere suorum bonorum causis.

Ioann.1. | Synes. | P.Bles. | Luc.16. | Chrysol. | Basil.

Text. At illa venit, & adoravit eum, dicens: Domine adiuva me. Qui respondens ait: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.

§. XIV.

Nemo prætextu auxilij divini se operibus excuset.

PRudens fœmina non se labori eximit, solum petit auxilium, cui ipsa cooperetur, si fas esset, etenim ait: *Adiuva me*, quasi & ipsa, quod in se fuerit, factura. Ea quippe sunt divina dona, quæ requirunt accipientium laborem, & cooperationem, vt eleganter cecinit D. Alcimus lib. de cast. ad Fuscinam sororem, vbi sic.

Alcim.

Nam quid dona iuvant hominem, si mente soluta
Turpia collatum disperdant otia munus?
Auxilium conatus amat; quis namque vocantem
Adiuvet, aut somno virtutem iungat inerti?

Ille divinum expectet auxilium, qui sese cooperandum accingit. Nihil fecerat Iosue, & operante Deo ceperat vrbem Iericho, cuius muri ad tubarum sonitum corruere. Continuo iussus est à Deo ad civitatem Hai contendere, vt capiat illam. Pergit strenuus dux, & ad duces exercitus locutus cap.8. ait, *Ponite insidias post civitatem, nec longius recedatis: & eritis omnes parati. Ego autem, & reliqua multitudo, quæ mecum est, ascendemus ex adverso contra vrbem. Cumque exierint contra nos sicut ante fecimus, fugiemus, & terga vertemus, donec persequentes ab vrbe longius protrahantur: putabunt enim nos fugere, sicut prius. Nobis ergo fugientibus, & illis persequentibus consurgetis de insidijs, & vastabitis civitatem: tradetque eam Dominus Deus vester in manus vestras.* Ecce vobis post quot stratagemata, post quot fugæ simulationes, post quot pugnas docet sperare divinum auxilium. Sed vbi Deus auxiliator est, cur tot belli astus excogitantur? Quia Deus auxiliator est, & non totius rei effector. Ait Theod. q.10. *Docet etiam fideles vsos esse commentis humanis, nempe vt auxilio divino. Cum enim solo tubarum sono primam vrbem cepissent, merito sane discunt certare, labori incumbere, & suppetias divinas expectare. Confestim ergo dimicantibus illis succurrit Deus.* Quippe gaudet Dominus diligentia humana, illósque homines iuvat, qui otium, & inertiam noverunt excutere, & quidquid in se est ingenij, aut virium, operi applicare. Genes.2. sic habes, *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus, & vniversis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, vt videret, quid vocaret ea.* Quibus illud aliqui notant, quod pro animantibus terræ, legendum sit, *bestijs agri*, ad distinctionem pecoris domestici, & cicurati, quasi Deus solas bestias feras, & volatilia curarit adducere ad Adam: verum mansueta, & domestica pecora Adami diligentiæ fuisse relicta, vt ipse quod posset facile, id faceret. Ita D. Ambros. in cat. Lypp. ait, *Qua autem ratione hoc factum est, cum tantummodo bestias agri, & volatilia cæli ad Adam adduxerit Deus? Erant enim, & pecora iuxta genus suum. Denique infra habes: Quia imposuit Adam nomina omnibus pecoribus, & omnibus bestijs agri. Quæ igitur absolutio est, nisi quia indomitæ bestiæ, & volatilia cæli divina potestate ad hominem deducantur? De pecoribus autem domitis congregandis, & homo habuit potestatem. Ita illud divinæ operationis fuerit, hoc humanæ diligentiæ.* Sic Deus amat, quod quisque quod in se est, faciat, nihil enim vult sibi committi ex his, quæ possumus facere nos. Deut.22. iubet lex, *Cum ædificaveris domum novam, facies murum tecti per circuitum: ne effundatur sanguis in domo tua* &c. Pericula semper sunt in constructione ædificiorum, quibus vel transeuntes offendant ad lapides, vel deciduis feriantur lignis; quæ damna vt præveniantur, bene iubet lex, quod domus cingatur muro. De quo sic ait Auctor Caten. Græc. *Murus vero circa domum novam extruendus est ad evitanda pericula. Non enim quemadmodum stulti, & ignavi homines opinantur, omnia curæ divinæ committenda. Tunc exoptandum à Deo auxilium, quando nobis ipsi non defuerimus.*

Iosue 8. | Theod. | Genes.2. | Ambros. | Deut.22.

§. XV.

Oratio divinitatem Christi commendat, & exaltat.

DVas fœminas, inter alias, ad Iesum accessisse reperio matrem filiorum Zebedæi, & hanc Chananæam, ambas matres, ambas pro filiis exorantes, Deum adorantes ambas. Sed de illa dicitur, quod accessit: *Adorans, & petens.* quasi aliud fuerit opus adorationis, quod petitio comitabatur: hæc autem *adoravit eum dicens; Adiuva me*: non adoravit, & dixit, sed adoravit dicens, quasi adorationis opus fuerit ipsa petitio, & obsecratio. Et quidem tum maximè divinitas adoratur, & commendatur, quando ab ea aliquid per orationem postulatur. Delirus Origenes & Christum Deum fatebatur, & simul negabat ab illo aliquid esse postulandum, cuius blasphemum os retundens Theoph. Alex. aurea illa epist. Pasch.2. ait, *Quis tantis Christum afficit contumelijs, vt Origenes hic, qui ausus est dicere, non debet orari, cassum tantum ei divinitatis nomen indulgens?* Expendo illud, *Cassum nomen divinitatis indulgens*: quasi vellet, quod Deus cassus, inanis censeatur esse, qui orantibus non adest. Vna enim oratio potens est quoad nos, & commendare, & extollere divinitatem. Erat Christus Origeni miraculorum patrator, erat mortuorum suscitator, & tamẽ quamvis multa alia efficeret mirabilia, dum orationes non exaudit, putat Theophilus in illo divinitatem esse cassam. Et quidem tunc maximè divinitas claret, tunc in superiore exaltatione divinitatis gloria apparet, cum orationibus sanctorum circumdatur. Felices illi divinitatis speculatores Angeli sic magnitudinem Dei mirantur, vt Apoc.4. *Requiem non habebant die, ac nocte, dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus*

Theoph. | Apoc.4.

Deus

Deus omnipotens. Qoid tunc? Paulo post cap. 8. audio quod *factum est silentium in cælo, quasi dimidia hora.* An obierunt acclamatores diuinæ omnipotentiæ? Absit, cur modo Dei omnipotentiam non prædicant, sicut antea? Nisi fallor, modo omnipotens diuinitas orationibus sanctorum pulsatur, quo ita in sublime effertur, vt nec Angelica lingua illo possit scandere, ait enim textus: *Alius Angelus venit, & stetit ante altare habens thuribulum aureum: & data sunt illi incensa multa, vt daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei. Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu Angeli coram Deo.* Ecce tibi modo omnipotens diuinitas orationibus pulsata Sanctorum, eam exerit magnitudinem, & exaltationem, quæ omnes superet linguas creatas, & quæ antea in throno eleuato sedens, regibus cincta, celebrabatur tamen Angelorum vocibus: modo inter orationes agens non potest, nisi silentio celebrari. Vt hinc pateat, quam rectè a Theophilo dicatur diuinitatis nomen cassum, dum orantibus non astat. Sed hoc elegantius explicat illud Dei orationibus deuicti
Luc. 11. exemplum, Luc. 11. nimirum: *propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi.* Improbitas orantis Deum exsurgere facit & dona mittere. Sed quæ improbitas tantum valet, vt propter illam Deus exurgat, & manifestetur amplius? Sanè in præsenti, improbitas sumitur pro quadam vexatione, & quasi molestia ordinata ad præstantiores fructus obtinendos, vt agricolarum assidui sudores vocantur labor improbus, quo terra solicitata vires suas exerit, & expandit. Dicitur enim terra, dû sibi relinquitur otiari, & cassa esse, quãuis multas herbas, & plantas à se producat, sed vbi accedit labor improbus agricolæ, & terra aratro finditur, & solicitatur, seminibus grauis, iam non cassa, sed fructifera fœcundam suam prætendit bonitatem: sic Deus, dum non adest orantibus, & si multa alia faciat, quasi otiosus sedet, & cassus: verum vbi improbus orantium labor accedit, Deúmque quasi vexat, statim exurgit diuinitas, suæque valentioris
Ennod. bonitatis præstantissimos fructus pandit. Huc spectat D. Ennod. epist. 3. fatus. *Pulsanti sæpe surgit Deus, & tribuit, si non propter meritum, vel propter importunitatem. Sic vsuram cultoribus vexata reddit terra cespitibus. Sic ad vocem vnius hominis montis secreta respondent, & dum angustum clamor vincitur, valetudinem suam elementa manifestant.* Itaque, vt vox humana montium angustiis deuicta sese per echum multiplicat: vt ager labore vexatus improbo fructuosior, & excellentior apparet, sic Deus oratione pulsatus in gloriosiorem Deitatis manifestationem exurgit.

§. XVI.

Filiorum cura habenda præ alijs omnibus.

VT probet Dominus, quam debite priùs saluti Iudæorum studeat, communem suggerit doctrinam de cura habenda filiorum. Quæ sic parentes obligat, vt illi postponenda sint cætera omnia pietatis opera. Pium sanè est, & commendabile debitorem non vrgere commendatæ pecu-
Tob. 4. niæ repetitione, & nihilominus piissimus Tob. c. 4. sic fatur filio suo. *Iudico etiam tibi fili mi, dedisse me decem talenta argenti, dum adhuc infantulus esses, Gabeli in Rages ciuitate Medorum, & chirographum eius apud me habeo, ideo perquire, quomodo ad eum peruenias, & recipias ab eo supra memoratum pondus argenti.* Sanè piissimus vir extrema pressus egestate, non adductus fuit, vt debitum sibi requireret: at vbi filij causa erat agenda, posthabitis aliis, debitum indicat, chirographum exhibet, & de pecuniis solicitat repetendis. Id pon-
Ambros. derat D. Ambros. epist. 60. fatus. *Exemplum vobis sit Tobias, qui nunquam requisiuit pecuniam, quam dederat, nisi extremo vitæ suæ tempore, magis ne fraudaret heredem, quam vt depositam pecuniam cogeret, & recuperaret.* Habeant hoc parentes optimi præ oculis, ne filios fraudent, quin potius filiorum in primis vtilitati consulant. De illo enim homine possunt de iure amici expectare beneficium, qui nouit prius filiorũ suorum
Iob 1. attendere bona. Audisti Iob. pro filiis suis valde solicitum fuisse, de illo c. 1. dicitur: *consurgénsque diluculo offerebat holocausta per singulos.* quasi nihil primum sibi existimaret faciendum, quam filiorum commodis vacare. Ergo post ærũnas, post felicitatis restitutioné dicit Dominus ad Iobi amicos, c. 42. iuxta Sept. lectionem. *Nunc autem sumite septem vitulos, & ite ad seruum meum Iob, & faciet sacrificium pro vobis.* Ad Iob mittuntur amici, & amici qui valde Iobum in ærumnis pupugerant; quomodo à Iobo offenso sperabunt sacrificium amici qui offenderant? Ea sanè fiducia, quod Iob esset, qui filiorum suorum in primis commoda agebat, qui manum assuetum habebat offerendis sacrificijs pro filiis. Pulchrè D. Chrysost. in Cat. Græc. ait. *Fit igitur Iobus sacerdos, amicis victimam adducentibus. Et illud attende, vt is, qui pro suis liberis sacrificium facere solitus erat, nunc etiam pro amicis faciat.* A filiis ad alios præclarè descendit pater, ita tamen vt prius filiis prospiciat, filios prius attendat. Hic ne affectus indebatur homini in prima sua conditione? Tunc ait Deus pater ad filium Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Ecce tibi in homine non vnius personæ diuinæ imago imprimitur, sed plurium, nam pluralitatem sonat illud, *ad imaginem nostram.* Quot personæ diuinæ inseminantur homini? D. Zeno in Caten. ait, *Vnus homo ad duorum imaginem, & similitudinem fingitur*, putat enim hic auctor cum aliis homini Dei patris, & filij imaginem indi. Et sicut nulla persona creata, aut increata Patri est prior quam filius, imò post filium cætera omnia aut procedunt, aut gignuntur; sic de hac patris, & filij imagine tusitum est hominibus, vt cum nomine Patris, & Filij, & primos horum affectus subeant. Quo spectat D. Basil. Sel. orat. 1. fatus. *Homo fit pater, & filius progignitur diuinis solus ornatus honoribus, & nominibus: intemporalem patrem tempore imitatur, & appellatione, & filius partus dolores agnominatur,* &c. Ex omnibus, quæ sunt patris, & filij nomen solis hominibus attribuitur, sed & honor patris, & filij, vt discat pater nihil prius respicere, quam filium; filius sit primus in delictis, & curis patris. Quam patrum ad filios primam curam adeò sanctam voluit esse Deus, vt se non alio, quam in filiorum ordine esse velit, vt dicat Isaias 9. *Paruulus natus est nobis, filius datus est nobis*; venit enim Deus nobis, vt filius, filiorúmque vult intrare ordinem. Inde quando percussi fuere Ægyptiorum primogeniti, similiter omnes illorum gentium Dij corruere, vt testatur Diuus Hieron. ad Fabiolam mans. 1. Euseb. lib. 9. de Præpar. cap. vlt. vt ostenderetur quælibet diuinitas vera, aut ficta nobis in ordine filiorum esse. Ex quo pulchre, & eleganter pungit Diuus Valerianus omnes qui bona sua filiis testamento legant, penitus immemores Dei cui vt filio partem suam in primis mandare debebant. Sic enim loquitur hom. 4. de promissis, & non redditis. *Videtis nihil præferendum Deo, nec plus filium cogitandum esse, quam Deum. Si enim cum vnum filium habeas, alium tibi vxoris partus exhibeat, nónne vtrumque tibi vnum successionis gradum pietas paterna commendat, & vt superuenienti locum facias, etiam testamenti iura rescindis? Ita hæreditatem, cui solet vnus inhæreditare, frequenter videmus inter multas numero accrescente sufficere. Qui ergo habet vnicum filium, cogitet Christum sibi natum, atque inter duos aut tres, aut plures, ita opes suas diuidat, ne Christus exhæredatus abscedat. Fac ergo locum Christo tuo inter filios tibi dilectos.* Qoid pulchrius?

Chrysost.
Genes. 1.
Basil.
Isai. 9.
Valerian.

Text. At illa dixit: Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.

§. XVII.

Auspicium victoriæ Christianæ, & quòd humilitas Christiana acras potestates detriumphat.

ADuersus dæmonem, quo filia cruciabatur, præclara gerit arma, dum de catelli vilitate humilis Christo Domino accedit, Quid plura? Iam nobis triumphator Iesus totas diaboli confringet machinas, ecce canis ista humillima nobile victoriæ auspicium dedit. Maximilianus ille maximus Romæ Imperator, vt auctor est Paul. Iouius, Paul. Iou.
lib. 11. castra fixerat aduersus ingentem Gallorum exercitum. Hi alacres, & animosi pugnam expectabant, quando in nocte ad pugnam proxima, ecce tibi vniuersi canes, qui cum Gallis erant, subito ad Romanos aduolarunt, quorum castra vt intrant, singulis militibus adgaudent. Rem notat miles nomine Iacobus Motinus, qui lætabundus certam victoriam promittit Maximiliano. *Quod à maioribus* (inquit) *gentibus esset obseruatum in auspiciis præliorum, eorum fore victoriam, ad quos hostium canes, tanquam ex infelicibus castris, ad certa, fortunatáque hospitia peruenissent.* Quæ iam Satanæ castra aduersus Christum stabunt, quando tales hostium canes reperiuntur in agmine Christiano? Semper enim canes victores odorantur. Ille Philisthæus 1. Reg. 17. contemnens 1. Reg. 17.
Dauidem ait, *Quasi ad canem existi cum lapidibus.* Illum vero sic mordet Chrysostom. homil. propria, inquiens. *Tu si* Chrysost.
canis fuisses, nunquam in hoc pugna dimicare auderes, nunquam

constanter in hoc prælium processisses: sed vt canis prælium declinares, interitum tibi futurum metuisses. Odorantur enim canes suorum ruinam, & ad victores fugiunt, vt euadant. Vnde ex aduentu catelli huius, clarissimè ostenditur victoria Christi. Reperiuntur sanè plurimi, qui fugientes ab infelicibus diaboli castris, vt canes ad dominos, sic humiles ad tuta, & fortunata confugiant Christianorum receptacula, quo non amplius metuant tyrannicam Satanæ potestatem. Venit ad te humilitas? Victoriam sanè à diabolo reportabis. Inuincibilis Iob, vt strictum in se dæmonis ferrum animaduertit, isto se clypeo humilitatis munit, vt triumphum ageret de dæmone, ait enim c.1. *Tonso capite, corruens in terram adorauit,* vbi aliter ponit Origen. lib. 1. *Aspersit terram super caput suum.* Ecce clypeum aduersus dæmonem, quo munitur, minimè aëreas potestates expauescit. Ita Origen. ibi: *Ob hoc aspersit terram super caput suum, vt doceat omnes mortales, quia & ipsi possunt similiter stare aduersus nequissimum.* Cadent profectò vires diaboli, vel ad solum odorem humilitatis, ex quo in Christiana castra humilitas venit, qua se homines canes, & puluerem prædicant, nullæ manent vires Satanæ. Sed age, vbi Iob dicitur inuincibilis stetisse aduersus diabolum, quid est illud, *corruens in terram adorauit?* Si inuincibilis stetit, qualiter corruit? Si corruit, qualiter inuincibilis? Pulcre D. Chrysost. ad Olympiadem, inquit. *Tanta clade affectus de pietate erga Deum, ac religione minimè recessit, sed humi adiectus diabolo compedes iniecit.* Non victus est etiam cum serpit humi, sed tunc victoriam potitur, tunc abiectione, & humilitate sua diabolum coniicit in vincula, ponderosisque compedibus ligat. Nescit humilitas in Dei seruis esse, nisi cum ingenti diaboli ruina.

Origen. — Chrysost.

§. XVIII.

Humilitas animum firmat, ne vllis ictibus frangatur.

CAnini nominis vilitate percussa fœmina non frangitur, sed adhuc Domino hæret, & instat: Etiam Domine, nam & catelli, &c. O vox humillima cæterarum virtutum firmitudo, & prænuntia! Quam virtutem non consequitur, & custodit humilitas? Psal. 81. *Ego dixi, Dij estis, & filij Excelsi omnes: vos autem sicut homines moriemini.* Vide celsarum virtutum firmitatem, ad quam vocamur: *Ego,* ait, *dixi, Dij estis, & filij Excelsi.* ad diuinas virtutes vocamur, ad eámque celsitudinem, ad quam nullum accedere posset flagellum. Et qua via ituri? *Vos autem, sicut homines moriemini.* Si inaccessibilem virtutum celsitudinem pertingere vultis, vt sitis Dij, viles vos homines reputate cani mortuo non absimiles. Pulchre D. August. tract. 1. in Ioann. Ego dixi, Dij estis. *Ad hoc ergo vocat nos Deus, ne simus homines. Sed tunc in melius non erimus homines, si prius nos homines esse agnoscamus: id est, vt ad illam celsitudinem ab humilitate surgamus: ne computemus nos aliquid esse, cum nihil simus, non solum non accipiamus, quod non sumus, sed & amittamus quod sumus.* Infra hominem se constituat, qui vult diuinas pertingere virtutes. Nosce te hominem moriturum non absimilem cani, & Deus esto, & filius Excelsi superior omni malo incursu. Centurio ille Luc. 7. sic suam exerit potestatem: *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites,* &c. Nónne vides, quam secure suam potestatem ostentat, & numerat milites suos? Semel Dauid respexit ad milites suos, eósque recensuit, & tantus rex vanitatis flabris labare cœpit, imò & corruit misere. Centurio de potestate sua gloriatur, & militum suorum obedientiam trutinat, minimè vanitatem timens, ab omni ictu securus. Sed nota, vnde incipiat. *Nam & ego,* ait, *homo sum,* nouit se in primis hominem, aspexit ad humanum puluerem, quo firmus, & securus pericula ridet. D. Bernard. epist. 42. *Homo, inquit, sum, & homo sub potestate, iam quid subinferas, suspectam non habemus iactantiam. Præmissa siquidem est humilitas, ne altitudo præcipitet.* Quæ præcipitia. Quæ tela possunt offendere humilem? Vbi humilitas, vbi securitas est, ibi confirmata fortitudo. Vbi superbia, ibi imbecillitas, ibi ruina, fulgeas licet omnibus ornatus virtutibus, armatus licet sis omni Dei armatura, si tibi superbia subrepat, vitrea arma sunt, & splendor vitreus, quem vel digitulus confringet. Eleganter id ponderat Damian. epist. 97. inquiens. *Humanam mentem superbia vitream reddit, vt correctionis ictum per impatientiam ferre non possit. Vitrum quippè, si robur haberet soliditatis, cæteris poterat eminere metallis: sed quia citius rumpitur, vili pretio taxatur.* Ecce Chananææ animus humilis, quam fortis, quam inconfusibilis, mille patitur Christi repulsas, opprobria sustinet, nec frangitur ictibus ahenea humilitas. At superbia sic vitream facit animam, vt quolibet ictu frangatur. Nónne vides vas vitreum, & eius splendentem leuitatem miraris? Sed in tanta pulchritudine mirabilis magis est eius fragilitas, quæ icta quouis minimo impulsu frangitur. Sic splendentem virtutibus virum facit superbia vitreum, vt quo magis splendescit, propior illi sit contritio. Quam splendebat ille Psalm. 29. *Ego dixi, In abundantia mea non mouebor in æternum.* Et quidem is erat virtutum splendor in Dauide, vt totus videretur factus adamantinus; verum statim plorabundus ait: *Auertisti vultum tuam à me, & factus sum conturbatus.* Vnde tanta mutatio? Modo immutabilis, iam labat? Modo æternus, iam temporibus seruiens? Sanè afflauit vanitatis ventus, & adamantem in vitrum commutauit. Accipite Origenem homil. 9. in Ezech. *Recedente quippe præsidio Dei ille castissimus, ille admirabilis in pudicitia, qui audierat: Si mundi sunt pueri maximè à mulieribus, & acceperat Eucharistiam* (scilicet propositionis panes) *quasi mundus, non potuit perseuerare, sed in eo repertus est crimine, in quo sibi quasi continens applaudebat.* Expende damnum in illo, *sibi applaudebat,* etsi enim castitas eius spirituali esca nutrita, innumeris virtutibus adornata adamante fortior videretur, vento vanitatis afflata apparuit vitro fragilior. Potest quis cœlesti mensa nutriri, potest castimonia, imò virginitate splendescere, sed totus hic splendor erit vitreus, fragilitate fragilior, si locum vanitati dederit. Hæc Dauidem fortissimum fecit fragilem, ex abundantia traxit in inopiam, & fecit conturbatum. Quod acute meditatus Gillibert. Abbas serm. 9. in Cantic. fatur. *Dixi in abundantia mea, Non mouebor in æternum, ibi quidem manifesta præsumptio, quia vicina vltio. Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Vicinus equidem est præsumptioni casus, nullúmque manifestius signum vanitatis afferri potest, quam vicina ruina. Otiosè igitur virtutibus construendis instas sine cæmento humilitatis. Vidisti virum Dei, 3. Regum 13. & virtute conspicuum, & insigni fortitudine animi præstantem. Is ausus est Israëlitarum Regi mala denunciare, nec regiis minis, nec precibus adduci potuit, vt Dei mandatis aliquid subtraheret, semper impauidus, & infractus. Ad hunc immediatè accessit falsus propheta, *& fefellit eum, & reduxit secum; comedit ergo panem in domo eius, & bibit aquam,* puta contra mandatum Domini, quo sibi ruinam comparauit. Vnde infractus ille, & inconcussus, siue minis regiis, siue precibus, tam fragilis inuentus est à falso propheta? Post tantarum virtutum ostensionem, iam illum præsumptionis aura impleuerat, qua vitreus factus fractioni proximauerat. Do Eucherium lib. 4. in Reg. sic fantem. *Et seductus comedit, & pastus interijt. Qua in re colligimus, quod forsitan apud semetipsum tacitus, & pro præceptis dominicis Regem se contempsisse gloriatus ab interna mox soliditate quassatus est, & inde ei in opere culpa subripuit, vnde gloria in corde subrepsit.* Quassatur soliditas, vbi humilitas abest.

Psal. 81. — August. — Luc. 7. — Bernard. — Damian. — Psalm. 29. — Origen. — Gillibert. — 3. Reg. 13.

Text. Tunc respondens Iesus illi: O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa hora.

§. XIX.

Fides humilis Christi viuentis ex mortuis arguit filios, imò primogenitos in Dei populo.

ECce tibi panis, qui negabatur, datur fœminæ Chananeæ: datur ergo diuinus panis canibus? Absit: imò, vt præclarè Diuus Cyprianus de Cœn. Domini: *Vna est domus Ecclesiæ, in qua agnus editur: nullus ei communicat, quem Israëlitici nominis generositas non commendat.* Sed est fides quæ faciat Israëlis filios. Etenim vbi mulier Chananæa confracti panis micas, hoc est patientis Christi vitalia credit facinora, iam non canis ab idololatria, sed per fidem Abrahæ, & Dei filia efficitur. Nónne Abrahæ dictum est, quod sit pater multarum gentium? sed quomodo gentes filij Abrahæ? D. Cyrill. Ierosol. Catech. 5. ait. *Neque enim nostrum omnium est pater secundum carnem, sed figura illius omnes vos Abrahæ filios facit. Quemadmodum incredibile est apud homines à mortuis resurgere aliquem, sic etiam credibile non est ex senibus mortificatis filios procreari. Sed Christo annuntiato, quod in ligno crucifixus esset, & mortuus, & quod resurrexisset, credimus: similitudine igitur fidei deuenimus* in

Cyprian. — Cyrill.

in adoptionem Abrahæ. Quo viuam Christi fidem haurimus, eo adoptionem filiorum accipimus, iam non canis, non alienigena mulier, quæ de humilitate, & abiectione credit posse Deum splédescere, & coruscare miraculis. Hoc proprium filiorum signum, quod humilis credas, quo enim magis de filiorum adoptione habes, eo humiliori, & ardentiori fide ad Deum clamas. D. Paul. ad Gal. c. 4. (Galat. 4.) *Quoniã autem estis filij, misit Deus spiritum filij sui in corda vestra clamantem: Abba pater.* Quid illud Abba? Chrysost. Theophyl. & alij, putant illud, Abba, esse vocem puerorum pusillorum, rudi adhuc lingua patrem clamantium. Itaque qui filij Dei sunt, non altos agunt spiritus, non magnalium voce tonant, sed instar gregis pusilli, instar pueri humilis clamant Abba simul, & patrem, vt sic filiorũ Dei adoptio constet de fidei magnitudine, & humilitate. Ecce vobis, quid in hac muliere faciebat filiorum adoptio: ait Dominus: *Non tollendus est panis filiorum, & mittendus canibus.* Audit mulier, opus salutis, quod optabat, vocari panem filiorum, & filiis promittit. Quid tunc illa? *Etiam Domine, nam & catelli comedunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Audis panem filiis dandum, & inter seruos te statuis, vt illum potiaris? Cura Abrahamides habere fratres, non dominos, cura videri filiam, non ancillam, vt panem potiaris. Equidem, quod ancilla sit, quod dominos reputet alios, id non habebat ex vili aliqua generatione, sed ex spiritu adoptionis filiorum iam illa clamante Abba pater, vt fidei humilitate, & magnitudine Deum capiat. (Cantic. 3.) Cant. 3. aiebat illa, *Filiæ Ierusalem ne suscitetis dilectam,* &c. Filias pleno ore vocat, quas iubet suscitationem à somno dilectissimæ charitatis nostræ Iesu expectare. Sed de forti muliere Ecclesia dicitur Prou. 31. (Prou. 31.) *Dedítque prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis.* Vbi hic filiæ? Nónne credebant domestici Ecclesiæ, & Abrahami finem æmulabantur? cur ergo omnes ibi ancillæ, & nulla filia? Imò omnes filiæ, sed quo magis de filiorum adoptione habebant, eo magis de ancillarum opere gloriabantur. (Gillibert.) Præclarè Gillib. Abb. serm. 14. in Cant. fatur, *Eadem ergo ancillæ sunt, & filiæ, quia vbi maior est in adoptione dignatio, ibi subiectior in subiectione.* Iam cuius spiritus simus arguere possumus ea humilitate, & fide nostra: qui verè spiritum filiorum habet, suam fidem per humilitatem, & abiectionem corroborat.

CAPVT VIII.

De Zachæo.

ACCIPITE camelum per acus foramen introeuntem, nimirum diuitem Christianæ paupertatis angustum superantem. Is erat Zachæus diues, & inter publicanos diuites facile princeps: pusillus corpore, sed scientia, & pietate maximus, qui de arboris culmine ad totius boni scruis peruenire radicem. Quid murmuras Pharisæe? Ad publicani domum accedit Christus, vt iam misericordiæ suæ lampas ardeat in publico; nec intra Synagogæ modium, sed supra candelabrum luceat omnibus, qui in domo sunt.

Ex Luc. 19. Ingressus Iesus perambulabat Iericho. Et ecce vir nomine Zachæus: & hic erat princeps publicanorum, & ipse diues.

§. I.

Æqualitas circa subditos decet præstantes dominos.

VEtus Iesus iterum circuit, & perambulat Iericho saluti prospiciens ethnici, & publicani. Et cur publicano salutem oblaturus Iericho perambulat? Rationem pulchris (Gaudent.) verbis perstringit D. Gaud. tract. 2. de Paral. fatus. *Iesus filius Naue iubente Domino circuit ciuitatem Iericho, & cadunt hostiles muri motu diuino, vt animæ Iudæorum de belli discrimine liberentur.* Pro Iudæorum animis circuiuit Iesus Iericho, simili ter modo circuit Iesus Iericho pro anima publicani, vt idem sit Iesus Iudæis, & Græcis, ne sub tanti Domini signo inueniatur gens minus habens. De tota Saluatoris œconomia (Ephes. 4.) illud iactat D. Paul. ad Ephes. 4. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma.* Omnia indiuisa sunt in summi principis domo, (Zeno.) quod mirans D. Zen. ser. 4. ad Neoph. ait. *O magna prouidentia Dei nostri! O bona matris charitas pura! Ne quid adulterum patiatur, aut ne quem plus amare videatur, aut minus, vnam natiuitatem, vnum lac, vnum stipendium, vnam Spiritus sancti præstat omnibus dignitatem.* Omnia sua æqualiter omnibus proponit Iudæis, & Græcis, pauperi, & diuiti, ne quis tanto principe plus videatur amari, aut minus. Vt habeant in eo formam mundiales principes, qui æqualiter omnibus prospiciant subditis. Duo lumina Senatus Romani sic pingebat, imò & pungebat Sidonius Apollinaris epist. 9. (Sidon.) *Auienus siquid poterat in filijs, generis, fratribus prouehendis moliebatur, cumque semper domesticis candidatis destringeretur, erga expediendas forinsecus ambientium necessitates minus valenter efficax erat: & in hoc Coruinorum familia Deciana præferebatur, quod qualia impetrabat tinctum Auienus suis, talia conferebat distinctius Basilius alienis, Auieni animus tectus, & citus, sed infructuosius. Basilij patens, & sero, sed commodius aperiebatur. Neuter aditu difficilis, neuter sumptuosa, sed si vtrosque coluisses, facilius ab Auieno familiaritatem, à Basilio beneficium consequebare.* Libuit hæc hic ponere, vt videant, quàm sculptę silice maneant principum virtutes, & vitia; & quam semper pungitur ille, qui in suis promouendis, & ditandis incumbit, alios non curans; & quam æternum laudatur ille, qui & domesticis, & cæteris æquè distribuit beneficia. Fallitur, qui putat amicis, & cognatis suis principatum accepisse, omnium debitor est, omnium rationem reddet sæculorum Principi, & Regi: quare vehementer timendum, ne alij aliis macilentiores existant. Prudenter dicebat Princeps Eunuchorum, Dan. 1. *Timeo ego Dominum meum regem, qui constituit vobis cibum, & potum: qui si viderit vultus vestros macilentiores præ cæteris adolescentibus coæuis vestris, condemnabitis caput meum regi.* (Daniel. 1.) Sic similiter timeant vniuersi mundiales principes Regem sæculorum, qui omnibus hominibus cibum, & potum constituit; is dum videat alios regiis beneficiis infarcinari, alios spoliari, & despici: profectò damnabit caput seruorum suorum, etiam regnum. Nullus enim ex his principibus, qui sub Deo est, aliter potest sine ingenti periculo administrare regnum. Exod. 16 vbi parauit Dominus populo suo escam in deserto, ait ad Principem populi Moysem. (Exod. 16.) *Colligat vnusquisque ex eo, quantum sufficit ad vescendum; Gomor per singula capita, iuxta numerum animarum vestrarum.* Nullum inter diuites, & pauperes discrimen, non inter notos, & ignotos, omnibus eadem taxatur mensura: sed cur eadem omnibus dabatur mensura? D Basil. Sel. orat. 33. hanc indigitat rationem aiens. (Basil.) *De cœlo manna quondam Israelitis dabatur, sed quia miraculi administer seruus erat, necessitati quoque donum seruiebat.* Eapẽde illud, quia minister seruus erat, ideo taxatam haber mensuram, quam omnibus æqualiter concedat, ne in alios plus, in alios minus ipse conferret, & alij macilentiores, alij grossiores magistri caput damnarent summo Regi. Et quis Regum non seruus est summi Regis? Caueant ergo omnes principes, ne fauores inæqualiter distribuant, adeo vt alij triumphent, alij miserè viuant. Sanè Iesu familiarissimus erat Ioannes inter omnes discipulos, sed & cognatus erat secundum carnem, & iuuentute fortè, & ingenio gratiosior, nec ideo auctoritatem habebat plura petendi, quam cœteri. Id quod notans Chrysost. hom. 23. in (Chrysost.) Ioann. ait, *Quòd Ioannes eximiè à Christo diligeretur, ambigit nemo; non tamen, neque loquendo, neque rogando precipuam apud Iesum auctoritatem habuisse apparet, vt sæpe numero Petrus, vt Philippus, vt Iudas, vt Thomas, nisi semel tantum, cum obsequi, & obtemperare condiscipulo Petro voluit.* Nesciunt sic mundiales potestates temperare se in affectibus, si quem diligunt, quanta huic auctoritas petendi, & impetrandi omnia? Non sic Rex regum Iesus, qui, etsi dilectum habebat, tamen æquè apertum aditum cæteri suis petitionibus inueniebant. Nec magis curabat Iesus, quã vt nemo è suis minus gratus videretur præ cæteris. Vnde ad gloriam iturus transfigurationis, etsi vellet omnes secum ducere, tamen quia vnus indignus erat, reliquit plures, ne ille minus gratus, & minus muneratus appareret. Id quod attigit D. Procl. ibi aiens. (Procl.) *Cum Iudas, qui ipsum erat proditurus, indignus esset, qui diuinũ hoc spectaculum, & tremendam visionem spectaret; hac de causa ipsum, & reliquum Apostolorum chorum infra reliquit, vt hac ratione illi tanquam non solo relicto amaris excusationis prætextum eriperet.* Excusatur culpa in eo, qui se prę aliis videt à principe despici.

§. II.

Iesus pro vno solo homine impenderet pro omnibus Vbi quàm regium est singulis subditis prospicere.

PErambulauit quondam Iericho Iesus Naue, vt animæ Iudæorum de belli discrimine liberarentur; perambu-

lat modo Iesus Iericho, vt vnius publicani anima salua fieret. Illic Iesus, hic Iesus, illic in pluribus, hic in vno suum laborem impendens. Non enim grauatur Christus, quidquid pro omnibus laboris impendit, & pro vno solo impendere. Nónne vna erat ouis, quæ perierat? An, quia vna erat, contemnitur a Christo? Proh ingentem Dei nostri charitatem, & benignam, & patientem, quæ nouit tot sustinere labores
Tertull. pro vna ouicula, quot sustineret pro grege integro. Tert. lib. de Patient. *Erroneum ouem patientia pastoris requirit, & inuenit. Nam impatientia vnam facilè contemneret.* Nescit patientissima nostri pastoris charitas vnam contemnere ouem, sed & pro vnaquaque oue sua se totum impendere, & superimpendere cupit. Quo respiciebant illa Angeli verba post Christi
Marc. 16. resurrectionem fœminis data, nimirum, Marc. 16. *Ite, dicite discipulis eius, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis.* Cur Petrum specialiter nominat, nisi vt ostenderet omnem diuini amoris sumptum pro grege integro fa-
Euseb. ctum, pro vna erratica ouicula velle accommodare. Euseb. apud Damascenum lib. Paralellorum. *Tu Petre, quem admissi peccati pœnituit, cum reliquis omnibus in conspectum meum prodire non verearis. Ob eam caussam nonaginta nouem oues reliqui, atque ad vnam cucurri.* Quod vt magis restatum relinqueret, non antea inter Ierosolymitanam frequentiam crucem ascendit, quam totum crucis suæ sumptum vni, & pauperi, & fugitiuo homini pro tutelæ securitate applicuisset. Is erat Iacob à patria profugus, medio in deserto peregrinus, lapi-
Genes. 28. de capiti supposito dum cubaret homi Gen. 28. *Vidit scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum, Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ dicentem sibi: Ego sum Dominus Deus Abraham,* &c. Ecce tibi pro vno solo homine dormiente excubat Dominus cœlesti exercitu cinctus, excubat, inquam, scalæ innixus, hoc est crucis suffultus brachiis. Sed cur vni soli homini tutando cruci se ostendit suffixum? Sic hominum Rex homines amabat, quod vniuersum crucis sumptum vni homini porrigeret, & porrigit, qua voluntate porrigit multis.
Zeno. Huc respicit D. Zeno, serm. 8. de somnio Iacob, vbi inquit. *Scala proprio nomine crux vocatur, quia per ipsam Dominus Iesus Christus, ministerin vniuersa conficiens, patri, & Adam reportauit, & iter ad cœlum omnibus sequentibus se patefecit.* Expende illud, *patri, & Adam reportauit*, quippe suffecisset, quod omnibus cœleste aperiret iter: vbi enim omnes, ibi & Adam; vbi omnes, ibi & vnus homo; sed maior fuit Christi charitas, quæ crucem ascendit, non solum pro omnibus, sed & pro vno, adeò vt si solus esset homo, si solus maneret Adam, illi soli præstitit, quod præstat omnibus post illum. In toto reproborum mundo solus Noë inuentus est iustus
Genes. 6. in generationibus suis, de quo item Gen. 6. *Noë inuenit gratiam corã Domino.* Nec miror quod ideo deletis omnibus hominibus seruaretur vnus Noë iustus, sed quod in immẽsum stupeo, est, quod in seruando Noë excogitaret Deus, & depingeret totam ligni angustissimi salutem, dum illum saluat per lignum. Deus bone, quando vnus solus homo tibi placet, excogitas ligni pretiosi salutem? Equidem in vno homine victoriæ suæ erigit signum charitas Christi. Pulcre
Rupert. Rup. lib. 2. de Vict. c. 30. inquit, *Attamen vnus ille omnipotenti verbo Dei sufficit ad retinendam, siue perficiendam victoriæ suæ palmam. Porrò verbum Domini obedientem sibi manere fecit hominem vnum, gubernauit eum per contemptibile lignum.* Cur non excogitaret Dominus crucis salutem, oactus hominem vnũ, cui proficeret, pro quo chirographum peccati rumperet, & affigeret cruci? Verè regnat à ligno Dominus, quando ligni somptus etiã vni ex istis minimis porrigũtur. Vtinam mundiales principes sic Christum induerẽt, vt non solum regna, & ciuitates, sed & minimus ciuis, eorum magnificentiam
Synes. sentirent. Sic monebat D. Synesius lib. de Regno, Arcadium suum. *Tibi verò consentaneum in primis est, vt quem semel accepisti ordinem, nunquam deseras, neque ei nominis affinitati rem pudendam facias, sed ad eius imitationem te conferas, ciuitatésque non solum omni bonorum genere cumules, sed etiam felicitatem, quantam potes, in vnumquemque subditorum effundas.* Hæc ille. æquum enim est, ne solæ ciuitates, sed & minimus ciuis experiatur magnificentiam principis.

§. III.

Etiam diuites regnum cælorum possunt intrare.

Diuitiæ adeò suspectæ sunt viro Christiano, vt crediderim notanter ab Euangelista Zachæum, & publicanorum principem, & diuitem fuisse propositum, ne viderentur diuites ab angusta cœli porta eliminari. Sanè in Zachæo & principem, & diuitem capit angusta porta, & ibi amplitudini diuitiarum patens linquitur aditus. Bene ait D. Bonau. Bonauent.
Zachæus cum esset camelus intrauit per foramen acus. Et foramen dedit diuitibus intrandi in cœlum. Quisquis diues habes qua cœlum ingrediaris, nimirum qua diues Zachæus intrauit. Elias melote contentus pauperem vitam egit, & diuitum despiciens glorias ante Achabi currus, ipse pedes procedebat, alacer quod pedes deberet curribus præripere cœlestẽ aditum. Ipse tamen, vbi ad cœlũ rapiendus fuit, ecce tibi adest igneus currus, quo rapitur, vt in astra feratur. Cur pauperi, & pediti prophetæ currus datur? Vt nouerimus quod angusta cœli porta, non solũ capit pedites, & pauperes, sed etiam capit excelsos principum currus, nec soli nudi pedes calcaturi sunt astra, sed & curules sellæ habent in cœlestibus aditum. Arguté D. Ambros. Psal. 40. diuites consolatur, Ambros.
aiens. *Ne te moueat, quod legisti, Hi in curribus, hi in equis, nos autem in nomine Dei nostri magnificabimur: ipsi obligati sunt, & ceciderunt. Sed Elias non cecidit, qui curru introiuit, & legis in Ierusalem illam, & equites multos, & plurimos cum quadrigis introire.* Equidem capit angusta cœli porta diuitum currus, & summa Christi nuditas pomposas principum sellas sibi socias acquirere non dedignatur. Miratur D. Chrys. Candacis Reginæ Eunuchum, etiam in regiæ ambitionis curru lectioni sacræ operam dare; ambitiosa septus familia, curru vectus, diuitias vndequaque halans Isaiam versabat. Quis inter palatinos virtutis studium crederet? sed accipe, quod mirere magis, Act. 8. *Dixit autem Spiritus Philippo: Accede, &* Actor. 8.
adiunge te ad currum istum. Accurrens autem Philippus audiuit eum legentem Isaiam Prophetam, & dixit: Putas ne intelligis, quæ legis? Qui ait: Quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi? Rogauitque Philippum, vt ascenderet, & sederet secum. Locus autem scripturæ, quam legebat, erat hic: Tanquam ouis ad occisionem ductus est, & quasi agnus coram tondente se, &c. Quibus maximè ponderandum est, quis sit, & sub quo habitu sit, qui se tanto principi reuelat; is est Iesus non æquitatui suo similis in curribus Pharaonis; non rediuiuus spolians principatus, & potestates, sed vt agnus tonsus omnibus spoliatus diuitiis, pauper, & inops factus, sic se præsentat diuiti, & dum talis legitur, non dedignatur Principis currus, nec fastidit splendores regios, imò paupertatem suam fulgenti adiungit currui, vt & paupertas, & diuitiæ videantur famulari virtuti. Hinc noto præcipuã gloriam voi Iosepho Patriarchæ attributam, nimirum, quod ipse solus inter fratres suos, duas tribus in populo Dei fundet. Cæteri Iacob filij quisque suam tribum dedit popolo Dei; Ioseph autem duas tribus, nimirũ Ephraim, & Manassem constituit: sed cur ex Ioseph duas sibi tribus assumere placuit Deo? Ioseph solus è fratribus pauper fuit, & diues. Pauper fuit, dum seruus Ægyptius factus, etiam in carcerẽ proiicitur, omnibus bonis spoliatus, & amicis. Diues fuit, cum Prorex creatur Ægypti. Ne ergo sola Ioseph paupertas Deo videretur placuisse, & non diuitię, duas ab illo elegit Deus tribus, alteram pauperi respondentem, alteram diuiti; possunt etiam Deo maximè placere diuites. Huc spectat D. Hier. ep. ad Saluinam, dicens. *Ioseph, qui in egestate, & in diuitijs dedit experimenta virtutum, qui & seruus, & Dominus docuit animæ libertatẽ: nónne post Pharaonem regis ornatus insignibus, sic Deo charus fuit, vt super omnes Patriarchas duarum tribuum pater fieret?* Duplici honore muneratus fuit pauper, & diues; ne videretur minus meruisse propter diuitias, & regni fastus, sed vt eius paupertas, sic eius diuitiæ Deum sibi gratum, & remuneratorem nanciscerentur. Neque vnquam mihi persuadere potui, casu accidisse id, quod in tribus pueris apud Babyloniam fornacem factum est. De quibus Dan. 3. dicitur. *Confestim viri illi vincti* Daniel 3.
cum braccis suis, & tiaris, & calceamentis, & vestibus missi sunt in medium fornacis ignis ardentis: nam iussio regis vrgebat. Cur nobiles viri, palatino habitu fulgentes, sic in fornacem mittũtur, vt nec tiaris nudari permittantur? Si cæterarum vestium spoliatio moras faceret. Sanè tiaræ ablatio à capite nil moraretur carnificem; verum qui tales inter diuitias regum inuenti sunt, non debuerunt spoliari diuitum insignibus, quãdo ad Deũ festinant, imò & filius Dei paupertatem postea prædicaturus, voluit ibi præostendere, quàm etiam pateat virtuosis diuitibus, cum dat se socium inter adolescentes diuiti fulgentes amictu. Huc reuoco illud Isai. 66 aientis: *Et* Isai. 66.
adducẽt omnes fratres vestros de cunctis gentibus donũ Domino, in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis ad montẽ sanctũ meum Ierusalem, dicit Dominus. Quis crederet quod lecticæ, & quadrigæ mittãtur à Deo, vt homines cœlũ scandant? Hæc inuenta sunt humana ad diuitum põpas efferendas,

rendas, sed solet Deus per hæc humana adiutoria, homines
August. ad cœlũ trahere. Id quod insinuat August. lib. 20. de ciuit. c. 21. satus. *Et emissurum se dicit ex illis saluatos in gentes diuersas, adducturos autem ex omnibus gentibus munus Domino in iumentis, & vehiculis, quæ iumenta & vehicula bene intelliguntur adiutoria esse diuina, per cuiusque generis ministeria Dei, siue angelica, siue humana.* Itaque, quæ humana ambitio excogitauit adiutoria, & ministeria curruum, quadrigarum, lecticarum, etiam sumuntur à Deo pro mediis, quibus deferat homines in cœlestem ciuitatem.

Text. Et quærebat videre Iesum quis esset: & non poterat præ turba, quia statura pusillus erat.

§. IV.

Conspectus Iesu sæcularia negotia abiurat.

Zachæus publicanorum princeps, & ipse diues solum dicitur, quod quærebat videre Iesum, nondum enim viderat Iesum, qui sæcularibus fortunis operam nauabat. Huc adest in cat. Tytus sic aiens: *Quærebat videre Iesum, vtpote, qui numquam eum viderat, quia si vidisset, iam se recepisset à nequitia publicaua. Si quis enim Iesum videt, non potest nequitiis immorari.* Sordent sæcularia omnia, vbi Iesus oculis paret mortalium: & ad tanti Solis iubar tenebrarum opera prorsus euanent. Sanctissimus ille Simeon nihil in hac mundiali luce amabat, nisi quod illa aliquando videndus erat Saluator: quem vbi intuitus est, sic æmulatur cygneos can-
Luc. 2. tus. *Nunc dimittis seruum tuum in pace, quia viderunt oculi mei*
Hieron. *salutare tuum.* Quę verba notans D. Hier. de vera Circunc. ait, *Forma est vtique, quod qui Christum videt, iam sit sæculo moriturus.* Vnus Christus est, qui conspectus homines mundo mactet; vnus Christus est, qui possit homines à mundialibus ne-
1. Cor. 5. gotiis eripere. Paul. 1. ad Corinth. cap. 5. *Itaque ex hoc neminem nouimus secundum carnem.* Expende illud, *ex hoc*, nimirum ex Christo viso, & cognito carnalia omnia penitus à me-
Leo. moria eliminamus. Vnde D. Leo serm. 1. de Resur. ait, *Non ergo nos rerum temporalium occupent species, nec ad se contemplationem nostram à cœlestibus terrena deflectant. Pro transactis habeantur, quæ ex maxima parte iam non sunt, & mens intenta mansuris, ibi desiderium suum figat, vbi, quod offertur, æternum est.* Apage carnalia negotia à mente, in qua Christi radius effulgeat. Ipse solus est, qui vel aspiciens potest vniuersas
Bernard. mundi fugare solicitudines. Pulchrè D. Bernard. lib. 4. de consideratione vultus Pontificis effingit, vt possit singulis peccatoribus subuenire. Ait enim: *Regibus Ioannem exhibe: Ægyptys Moysem: fornicantibus Phinees: Eliam idololatris: Elisæum auaris: Petrum mentientibus: Paulum blasphemantibus; Negotiantibus Christum.* Ecce tibi singulis peccatis singulos opponit medicos, qui curent, qui scindant: sufficit enim furenti regi vel conspectus Ioannes Baptista; sufficit fornicario, vel Phinees gladium vindictæ vibrans: sufficit si idololatra videat Eliam octingentos sacerdotes idolorum trucidantem, vt vel sic in veri Dei cognitionem se recipiat. Vt mendacium expauescas, sufficit quod videas Ananiam, & Saphiram ob mendacij crimen à Petro percussos. Quis non fugiat blasphemiam cum vel Paulum videat? Verum, vt sæculi negotiis renunties, tabellisque te eripias, nec Ioannes, nec Moyses, nec Elias, nec Elisæus, nec Petrus, nec Paulus sufficiunt; sufficit tamen vnus conspectus Christus. *Exhibe negotiantibus Christum.* Vnus Christus potens est à terrenis curis, sæcularibúsque negotiis homines eripere. Vnus Christus non patitur mentes humanas immergi negotiis mundi. Vbi videris homines totos terrenis deditos studiis, dubita, an sit in illis Christus. Sane sponsa, quando non inuenit
Cant. 3. Christum, aiebat Cant. 3. iuxta Sept. *Quæram in ciuitate, in fo-*
Ambros. *ro, in plateis.* Quod meditatus D. Ambros. lib. de Isaac cap. 5. ait, *Fortasse ideo non inuenit adhuc, quia in foro quæsiuit, vbi lites sunt; in plateis, vbi nundinæ.* Ecce tibi signum præsentiæ Christi, si à terrenis curis te extractum videris. Hoc signum ipse
Osee 11. Dominus dederat apud Oseam cap. 11. inquiens. *Pendebit populus meus ad reditum meum.* Pendebit, ait, quippe, vt qui pendet, à terra separatur; sic qui vel Christi odore imbuitur, hoc
Gualric. habet in primis, vt à se excutiat terrenas curas. Ita Gualricus Abb. serm. 1. de aduẽtu. *Pulchrè omnino, & propriè pendebit, tanquam inter cœlum, & terram: vt licet adhuc apprehendere cœlestia non valeat, non velit tamen tãgere terrena.* Felix qui sic à terra separatus, quasi aëre pendet ad Christũ; habebit Christum,
1. Thess. 4. non amittet Christum, Paul. 1. ad Thessal. cap. 4. ait, *Nos qui viuimus, qui residui sumus, simul cũ illis rapiemur in nubibus obuiam Christo in aëra: & sic semper cum Domino erimus.* Expende felicitatem illorum, qui obuiam eunt Christo in aëra, qui à terra ad aëra, à terrenis ad spiritualia procedunt auspice Christo, semper cum Christo erunt; siue dormientes, siue vigilantes, siue sedentes, siue ambulantes spirabunt Christum, solum sapient Christum. Ita D. Hier. epist. 152. *Si quis rapitur* Hieron. *ad Christum, ascendit super nubes legis, & Euangelij: occurrit non deorsum, sed in aëre, spirituali intelligentia scripturarum. Occurrens autem in spiritualibus, & terrena dimittens, siue ille sit dormiens, siue in Christo mortuus, siue viuens, & in illius præsentia reseruatus, semper cum illo erit.* Nescit Christus non ad se rapere alumnos suos.

§. V.

Popularis multitudo numquam non à Deo separat.

Multus est D. Bonau. hic in ostendendo, quod semper turba impedimento erat eis, qui ad Christum accedebant. Hæc turba eum impediebat, quæ semper impedire consueuit venientem ad Christum. Hæc namque turba impediebat illuminationem cæci: *Cum audiret turbam prætereuntem, &c. & increpabant eum, vt taceret.* Curationem paralytici: Luc. 18.
venerunt ad eum ferentes paralyticum, qui à quatuor portabatur. *Et cum non possent offerre eum illi præ turba, &c.* Libe- Marc. 2.
rationem surdi, & muti: *Apprehendens eum seorsum à turba, &c.*
Curationem mortui: *Et cum eiecta esset turba, intrauit, & tenuit* Marc. 7.
manum eius. Impedit etiam approximationem Zachæi, sicut Matth. 9.
dicitur hic, quia non poterat præ turba. Turba enim prona ad malum à Iesu reuocat potius quam ad Iesum perducat. Hæc ille. & quando popularis multitudo sic sapuit, vt ad Dei amorem duceret? Multus est Aggæus in monstranda via Aggæi 1.
salutis, in monstranda via, qua possint Israëlitæ diuitiarum sibi acquirere cumulum, qua possint sibi Deum deuincire, & reddere propitium. Quid tunc populus? Sic cap. 1. *Et timuit populus à facie Domini.* Timuisses à facie Leonis rugientis, vt te deuoret; timuisses à facie hostis dura te seruitute premẽtis: timuisses à facie mortis, à facie Dei quid times? à facie Dei cur fugis? Abscondere potius in abscõdito faciei illius, quo verber non potest peruenire. Ama faciem, quæ vitam spirat. Sed mirarer, nisi popularis multitudo non potius à Deo meditaretur fugam, quam amorem. D. Hieronymus ibi Hieron.
ait. *Quia populus erat, nondum ad Dei venerat charitatem, quæ foris mittit timorem.* Quasi suspectum sibi habet Deum turba, numquam non à facie Dei timet, si turbis te ingeris, sero & difficulter, vel certe numquã accedes ad Christum. Cant. Cant. 1.
1. *Trahe me, post te curremus in odorem vnguentorum tuorum. Introduxit me rex in cellaria sua.* Nónne plures currebãt; cur vna sola introducitur in cellaria Christi? Multitudo penetrale Christi non pulsat. Orig. hom. 1. in Cant. *Non ait, introduxit* Origen.
nos plures in cubiculum suum. Plures foris remanẽt. Caueat turbas, qui velit accedere ad Christum. Tunc Christus inuenitur, quando te separaueris à turbis. Quæ Deum quærebat, inuenit custodum turbas Cant. 3. an mansit illic? an diu per- Cant. 3.
mansit apud custodum cuneos? *Paululum cum pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea.* Tantum dilata fuit Dei inuentio, quantum durauit apud multitudinem mansio, vt dicat Amb. lib. de Isaac c. 4. *Ergo cum transierit custodes, verbum* Ambros.
inuenit. Timeat Deo orbari, qui apud multitudinem sedem figit. Dum homo vnus in paradiso erat, peccatum nõ nouerat, vbi plures facti sunt, statim obrepsit apostasia à Domino.
D. Cyrill. Alex. lib. 1. Glaphyrorum, ait, *Peccandi adhuc nulla* Cyrill.
erat in terris ratio, vno existente, ac solo. Cum multitudine veniunt simul & defectio, & peccata.

Text. Et præcurrens ascendit in arborem Sycomorum, vt videret eum: quia inde erat transiturus.

§. VI.

Insensibilis creatura nos docet satisfacere Deo pro commissis.

Non otiose Euangelista expressit arboris speciem, nimirum Sycomorum, quæ vulgo ficus fatua dicitur, vt videre potes apud D. Aug. serm. 8. de verbis Domini. Et bene ficus à diuina prouidentia eligitur, quæ brachiis suis exhibeat Zachæum oculis diuinis; quando ficus foliorum opacitate eripiebat Adamum Deo inspectori. Quæ occultauit arbor, modo peccatorem prodit; pœnitentiam in se hominibus docens, & satisfactionẽ. Mirabar ego, quod ad Eliam famelicum veniret in dies coruus afferens alimoniam. Vnde ad Eliam coruus, & coruus qui semel à Noë dimissus,

 nunquam

numquam ad Noë reuertere voluit? Inde sanè, quia ad Noë non fuit reuersus, modo ad Eliam venit, pristinā ingratitudinem castigans, & satisfactionē docens. Id attigit Sedulius lib. 1. Pasch. cap. 13. dicens. *Nunc Eliæ corum bonus, ac fidus, qui Noë quondam malus, ac perfidus, in terris abluit culpam in aquarum inundatione contractam.* Quis iam tardet conuerti ad Dominum, & pro culpis integram satisfactionem præstare Deo, quādo vel ipse coruus emēdat errores pristinos? Nulla est creatura, ô homo, quæ tibi non prædicet pœnitentiam, quâ fugias à ventura Dei irâ. Ecce tibi iudex in ianuis ad est, ecce tibi Deus se se accingit, vt veniat ad iudicium, vt appareat tuarum iniquitatū vltor. Quid tūc creaturæ mūdi? Quid tūc Sol, quid stellæ facient? Quid aliud clamabunt, & ostēdent tibi muta cœli signa, nisi pœnitētiæ sagos? Apo. 6. *Ecce terræmotus magnus factus est, & sol factus est niger, tanquam saccus cilicinus: & luna tota facta est, sicut sanguis, & stellæ de cœlo ceciderunt in terram.* Meritò appropinquante iudicio seuero Dei, nil aliud ostendūt cœli lumina, quàm cilicia, sanguinis effusiones, humi cubationes, vt vel ab insensibili creaturâ doceatur peccator per satisfactionem pœnitētiæ, fugere à vētura ira. Et puto deploratam esse salutem illius, qui à creaturæ insensibilis voce adhuc nō mouetur in pœnitentiam pro delictis. Vt Deus traheret pristinos peccatores ad eam pœnitentiā, quâ diluuium fugerent, hoc fecit suæ misericordiæ præconium vltimū. Gen. 7. *De animantibus quoque mundis, & immundis, & de volucribus, & ex omni, quod mouetur super terram, duo, & duo ingressa sunt ad Noe in arcam, &c.* Iam non Propheta, non vir sanctus Noë pœnitentiam prædicat, & minatur diluuium: vniuersitas creaturarū hoc annūtiat; tot sunt prædicatores, quot animātia se ad arcam recipiunt, vt docerētur pessimi illi, vbi haberent refugium. Proh duritiam peccatoris, qui nec tantis vocibus moueris! quid tibi vltra restat, quam excidium? D. Basil. Seleu. orat. 5. *Interea bruta diuersi generis videbant illi ad Noëmum cōcurrentia, nec eorum bruta viuendi ratio detorquebatur in melius: volatilium turmas, vt ad commune quoddam hospitium, & receptaculum deuolantes; rēmque adeò miram despiciebant. Contra tumultu, ac trepidatione compicebantur omnia.* Equidem digni perire, qui insensibili creatura insensibiliores sunt, & brutaliores brutis.

Sedul. — Apoc. 6. — Genes. 7. — Basil.

§. VII.

Humilis pudor index est Christi animo inhabitantis humano.

POsset princeps publicanorum, & diues sequentium turbas abigere, & fieri Christi Domini latero; sic enim diuitiæ solent sibi ad omnia vias facere, primósque inter populares accubitus occupare. Sed iam Christianus pudor mentem Zachæi tenebat & quātum pecuniæ dilatant animos, tantum ille cōtrahit, faciens, vt populari cedat potiora loca diues, contentus, si liceat aspicere vel de arbore Christum. Quis in hoc pij hominis pudore nō abominetur iam impudentiam, & frontositatem Iudæ? Perfidus hic nō veretur magistrum, ipse latero fit Iesu, ipse prope accumbit, & cum vel metus cōscientiæ propriæ cæteros discipulos habet pudibūdos, habet cōfusos ne audeant sumere de Christi catino; Iudas effrons manum simul mittit cum Christo. Ait enim Dominus, Matth. 25. *Qui intingit mecum manum in parapside, hic me tradet.* O nefarissimi hominis frontositatem! Meritò D. Leo ser. 7. de Pasch. in Iudæ impudētiam scandet. *Tu Iuda, in trepidatione sanctorum abuteris Domini patientia, & abscōdi te tua credis audacia. Addis impudentia sceleri, nec signo euidentiori terreris. Cumque se à cibo alij, in quo iudicium Dominus posuerat, continerent, tu manum non retrahis à parapside, quia animam non auertis à crimine.* Totum Iudam occupabat peccatum, nihil in eo remāserat de spiritu Christi, sic non contentus proditione tanto crimini impudentiam accumulat. Ne parum iniurius accedat Christo, si solum proditor sit, si etiam effrons & impudens. Compone modo in animo tuo Iudæ ausum, & Magdalenæ reuerentiam. Vterque peccatis scatebat; vterque Dominum osculabatur. Iudas coram accedens intrepide facie ad faciem loquitur: *& osculatus est eum.* Magdalena accedit quidem, sed per quādam ambagem, & retro stans osculabatur pedes Domini. Vide discrimen veri pœnitentis, & pessimi proditoris. hic coram stat, & faciem osculatur; cauet illa, & nisi retro non audet ad pedum accedere osculum. Præclarè Euseb. apud Damascen. lib. 2. Parallelorum ait. *O mulieris sapientiam! O discipuli inscitiam! Meretrix pedes Iesu exosculata perditam animam recuperauit: Iudas autem eundem osculatus de vitæ libro expunctus est. O fraudulentum osculum gehennæ cruciatum concilians!* Quid non faceret impudentia? Nimis iniurij Deo sunt impudentes peccatores, qui cum criminibus scateant, nihil vereantur, sed perfricata fronte accedunt ad Christum, minus tales offenderent, si penitus fugerent. Antiquus ille refuga Lucifer fugæ suæ mercedem æternis reportabat suppliciis. Et quæ supplicia sufficerent ei, qui à Deo suo recessit libens? Qui in paradiso Dei sui creatus, meditatur à Deo fugam? Quid hac nefaria fuga criminosius? Fortasse magis iniurium fuit Deo, quod de illo meminit Matthæus cap. 4. vbi Iesum apud desertum memorans, inquit, *Et accedens tentator dixit ei.* Tentator plenus criminibus audet accedere ad Iesum! Proh diaboli impudentia Deo magis iniuriosa, quam fuga! Acute D. Chrysol. ser. 11. *Accessit peius impudens, quam recessit.* Minus offendisset, si à Deo recessisset peccatis onustus, si verecundaretur se immundum apponere coram totius fonte munditiæ. Is est pudor, qui sanctitatis præbet indicium, quo peccator, nec ad cœlum audet respicere, nec Deo appropinquare præsumit, contentus, si vel à longe positus mereatur audiri. Hanc verecundam humilitatem in primis Deus felicibus peccatoribus inspirat. Primi illi peccatores, Genes. 3. *Cum audissent vocem Domini Dei deambulantis ad auram post meridiem, abscondit se Adam, & vxor eius à facie Domini in medio ligni paradisi.* Cur à Deo fugiunt? Cur arborum latebras quærunt? cur sic verecundantur Deo approximare? An verecundam hanc fugam meditati sunt, afflati iam ex aura Dei deambulantis? Accipite Theodoretum in eat. Lyppomani fantem. *Per auram quandam aduentum Domini intellexerunt. Nam postquam peccauerunt, statim Dominus apparuit, qui & sensum peccati illis præstitit, & ad pœnitendum illos prouocauit.* Itaque Dei accedentis aura, quos afflat, in primis verecundos facit, vt Dei accensum reuereantur, quo se ad pœnitentiā parant. Vbi rediuiuo Domino mittuntur mulieres resurrectionis testes, dicitur illis Marci 16. *Ite, dicite discipulis eius, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis.* Cur nominatim ponit Petrum? Sanè cauebat in Petro affectum veri pœnitentis, quo sui peccati conscius non auderet accedere ad Christi præsentiam. Euseb. apud Damascenum, lib. 2. Parallelorum fatur. *Verebitur forsan Petrus in conspectum Christi venire, quod peccatum suum solutum non esse existimet: ac proinde dixit, & Petro, vt sine vlla cunctatione cum reliquis Apostolis Iesum videat.* Est sane verè pœnitētibus hæc reuerentia adnata. Prodigus ille Luc. 15. in meliorem frugem conuersus, an prosiliuit statim ad mensam patris? Imò ait: *Fac me vnum ex mercenarys tuis.* Quæ verba sic expendit S. Titus Bostrensis. *Obsecro, Domine, ne me rursus ex aula tua proscribas, ne forsan inimicus oberrantem deprehendat. Neque tamen, vt mysticæ tremendæque mensæ tuæ me adiungas, peto: quandoquidem eo animo sum, vt sancta illa sanctiorum ne aspicere quidem prophanis oculis audeam.* Hic est adnatus virtuti pudor, hæc reuerētia mentis inhabitatæ a Deo: mens enim peccati conscia, nunquam nō timeat appropinquare Deo. Quis virtutes sanctissimi Regis Ezechię non nouit? Huic tamen viro tā sancto, tot facinoribus pleno edicta fuit mors ab Isaia: quo nuntio accepto, 4. Reg. 18. *Conuersus ad parietem fleuit.* De quo D. Hieron. lib. 2. aduersus Pelagianos ait, *Iustus erat Ezechias, & coram perfecto. Iturus erat ad Dominum, plorare non debuit. Quæris rationem fletuum? si cogitaueris hominem, non miraberis causam doloris. Nullus enim intrepidus vadit ad iudicium Domini habens conscientiam peccatorum.* Semper pudor, & reuerentia mentes sanas comitetur.

Matth. 25. — Leo. — Euseb. — Matth. 4. — Chrysol. — Genes. 3. — Lyppom. — Marc. 16. — Euseb. — Luc. 15. — S. Tit. Bost. — 4. Reg. 18. — Hieron.

Text. Et cum venisset ad locum suspiciens Iesus, vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe festinans descende: quia hodie in domo tua oportet me manere.

§. VIII.

Nostra desidia est, quod à Deo non respiciamur.

CVr non videret Iesus illum, qui adeò laborauerat, vt se se diuinis obtutibus præsentaret? dum Zachæus desiderio Iesu flagrat, dum currit ad arborem, dum scandit, dignus fit, qui à Iesu conspiciatur. Hi merito Iesu oculos capiunt, qui strenue nouerunt pro Iesu laborare. De Ieremiæ virtutibus illud in primis à Deo fuit elogium vulgatum, *Priusquam te formarem in vtero, noui te.* Quid hoc affert de Ieremia singulare? An Deus non nouit omnes antequam formentur? Nouit sane, sed non omnes strenuis suis operibus antequam plene formentur in vtero oculos diuinos nouerunt capere. Id singulare fuit priuilegium Mariæ, & Ioannis Baptistæ, & Ieremiæ, qui in vtero existēs pene informis vsum rationis accepit, qui ita in Dei gloriam ex eius

Ierem. 1.

eius gratia vsus est, vt statim oculos diuinos ad se raperet. Id notans Orig. hom. 1. in Ierem. sic totã excogitationẽ claudit: (Origen.) *Multu te oportet laborare, vt nosse incipiaris à Domino. Ieremiam quidem priusquam plasmaueris in ventre cognouit: alium vero de prophetis triginta anos cœpit, alium quadraginta.* Tunc Dei oculis apparere incipis, cum præclaris operibus te diuino aspectui aptas. Dum inter gregales hominum turbas agis, dum nullo egregio facinore nobilitaris, ignotus Deo es, cuius oculos ad te statim trahes si velis optimis studiis dare operam. Ad Sodomam accessurus Dominus dicebat, Genes. 18. (Genes. 18.) *Descendam, & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint.* Quid ais Domine, videbo? Nónne tuis oculis parent vniuersa? Est ne alibi res, quæ ibi nota non sit? Sanè is solum à Deo dicitur cerni, qui bonis operibus se exercet, isque à Deo etiam in Sodomis ornandus erat diuino aspectu. D. August. in cat. Lypp. ait: (August.) *Descendi, vt videam, non vt quid agunt sciam, sed vt ipsos scientia mea dignos efficiam, si quos ipsorum inueniam iustos, si quos inueniam pœnitentes, si quos tales, quos debeam scire.* Illi homini debentur oculi diuini, qui in vitæ palæstra nouerit se præclaris facinoribus exercere: virtutum incumbere operosis studiis, & licet mediis nefarissimis hominibus viuas licet inter totius naturæ euersores degas, ibi Deum allicies, vt te videat, vt de tuis prælius hilares fiant oculi diuini. Ieremias Thren. 4. ait, (Thren. 4.) *Spiritus oris nostri Christus Dominus.* quæ verba leguntur apud D. Laurentium (Laurent.) Iustin. de conflictu interiori, cap. 8. (Iustin.) *Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus.* ex quibus nititur nobis persuadere, vt viriliter arma capiamus aduersus aereas potestates, quando nostrorum prælium Deus spectator ante faciem nostram aderit. Etenim ait, *In spiritu decertandum tibi est, vt placeas ei, qui videt in spiritu testante propheta: Spiritus ante faciem nostrum Christus Dominus. Non est hora, neque temporis momentum, quo te non cernat Deus tuus. Caue ne segniter dimices, ne coram tanto iudice astantibus ministris Angelis succumbas, & triumphi amittas palmam.* Quocumque pugnatum ibis, te sequentur oculi diuini, claudendi protinus, vbi inceperit segnities.

§. IX.

Quisque suæ gentis virtuti acquirendæ det operam.

MIraberis quot modis, quamque diuersis se se Christus Dominus exhibeat hominibus; Magdalenæ per ingentem fluuium lacrymarum se offert: Chananeæ se dat quasi respiciens illam: Marthæum trahit pertransiens; cæteros solum verbulo rapit. Verum vbi ad Ierichuntinam ciuitatem ventum est, vbi vt Zachæum sibi acquirat, ait: *Quia hodie in domo tua oportet me manere.* Et cur Ierichuntinus ciuis per hospitium oportuit à Christo capi? Sane auspicatum erat hospitiũ Iericho ciuibus, quando Raab meretrix recipiens domi Iesum Naue, & reliquos exploratores, fuit salua. quo docemur numquam citius ad Deum peruenire, quam dum illis incumbimus virtutibus, quas genti nostræ, seu patriæ, seu familiæ experimur fuisse proficuas. Hinc Angelus ille, qui Saluatorem natum pastoribus annuntiabat, nullam magis virtutem in illa natiuitate commendat, quam illam cui Angelorum profectum debitum expetebatur. Etenim ait, Luc. 2. (Luc. 2.) *Inuenietis infantem pannis inuolutũ, & positũ in præsepio.* Quæ verba vbi excipiunt pastores abeunt, *& inuenerunt Mariam, & Ioseph, & infantem positũ in præsepio.* Plures inueniunt pastores, quã dixerat Angelus, nam vltra infantis abiectionem inueniũt Mariæ puritatẽ. Iosephi robor, & obsequium; cur Angelus Mariæ immemor, solius meminit exinaniti infantis? Id pulchrè attigit D. Ber. serm. 4. in nat. fatus. (Bernard.) *Quid est quod sola ab Angelo commendari videtur humilitas; nec tamen sola à pastoribus inueniri? Forte specialius commendat Angelus humilitatem, quia ruentibus cæteris per superbiam ipse in humilitate stetisset.* Hæc Angelorum erant gentilitia, nempe exinanitio, humilitas: his ingentem gloriam suam referebat acceptam gens Angelorum. ideo Angelus præ omnibus aliis humilitati studet. humilitatis meminit. Prudens ille Abrahami seruus, vbi sponsam Isaaco explorabat, ait, Genes. 24. (Genes. 24.) *Puella, cui ego dixero, Inclina hydriam tuam: vt bibam, & illa responderit, Bibe, quin & camelis tuis dabo potum, ipsa est, quam præparasti seruo tuo Isaac.* Ecce bonus seruus omnes alias honestæ fœminæ virtutes præterit, non inquirit, vnam solam hospitalitatem liberalissimam spectat; quæ forsan in puella virginali pudore prædita non adeò solet clarere. Nihilominus hanc vnam virtutem explorat prudens homo, sciens hanc auspicatissimam esse vniuersæ dominorũ suorum prosapiæ: hanc genti suæ ingentia bona parere. Quod sic insitum est bonis viris, vt celebres illi apud Ieremiam Rechabitæ, tunc se duro captiuerio pressos putarunt, cum aliquantulum à gentis suæ virtutibus videntur deflexisse. De illis titulus Psalm. 70. sic ait, *Ipsi Dauid filiorum Ionadab, & eorum qui primi in captiuitatem ducti sunt.* (Psalm. 70.) Quæstionem facit multis, cur Rechabitæ ij dicantur primi sustinuisse captiuitatem, cum potius Ieremiæ 35. videantur prædicari à captiuitate liberi? (Ierem. 35.) Vnde ergo ij primi captiui? Rem pulchrè attigit D. Hieron. (Hieron.) epist. ad Paulinum de institut. Monachi fatus. *Iste est Ionadab filius Rechab, & huius filij sunt, qui in tabernaculis semper habitantes, ad extremum propter irruptionem Chaldaici exercitus Ierosolymam intrare compulsi, hanc primi captiuitatem sustinuisse dicuntur, quod post solitudinis libertatem vrbe, quasi carcere sunt reclusi.* Quippe hæc erant Rechabitarum gentilia, hæ familiæ virtutes, quod extra vrbem in tabernaculis degerent: vbi autem hostium metu se se in vrbem recipiunt, & seruos se reputant, & captiuos, vtpote qui ab ingenua gentis suæ libertate, & virtute deficerent habitantes in vrbe. Et sanè nihil gloriosius est viro, quam si ipse non degeneret a gentis suæ virtutibus, sed vel illis cognoscatur, cuius sit gentis, & familiæ.

§. X.

Multum prodest ad alliciendum Deum locus, in quo semel aliquod ingens accepit seruitium Vbi de templis.

AD Principes Ierosolymitanos multum rogatus diuertebat Iesus, & nõ aliter: & ecce modo apud Ierichuntem ipse ex se suscipi, & hospitari à Zachæo postulat. Quæ inerat Ierichũtino solo gratia, vt quod toties fastidiebat Ierosolymis, ibi gratius haberet Dominus hospitium? Crediderim Ierichuntinum etiam solum maximè conduxisse ad trahendum Dominũ, ex quo ibi celebris illa Raab patriam salutẽ postposuit exploratoribus Israelis. Is enim est Deus, cui gratiores solẽt esse virtutes factæ loco in quo semel aliquod ingẽs acceperunt seruitiũ. Quando Dauid sacrificia, & holocausta parabat, accepit à Deo responsũ, 2. Reg. 24. quod altare cõstrueret in area Areuna Iebusæi, quasi inde pergratius Deo futurum esset sacrificiũ. Sed vbi Dauidis deuotio, & bestiæ aderant selectissimæ, quid areæ illius solum conduceret? Quid habebat solum illud, quo gratiora redderet sacrificia? Rem attigit Iosephus lib. 7. cap. 10. inquiens, *Erat autem is locus in quo olim Abrahamus filium, vt holocaustomata faceret, adduxerat.* (Ioseph.) Concipiunt loca nescio quam sanctitatem ex virtutibus exercitis ibi: qua vel lapides ipsi iuuant te, vt oculis possis magis placere diuinis. Quando non auspicatus principi locus in quo regni accepit insignia? Quando non gratus Deo locus, in quo alicuius Athletæ sui spectauit facinora? Ieiunauit Moyses in eremo quadraginta diebus, totidem vt ieiunaret, Elias ad Eremum confugit. Cur necesse erat ad Eremum confugere, vt sic dilataret ieiunium, an locus Moysi ieiunio sacratus conceperat virtutem, qua faueret ieiuniis? Annuit Eucherius de laudibus Eremi, dicens: (Eucher.) *Moyses quadraginta continuos se in Eremo dies, totidémque post se illic Elias ieiunio dedit. Deinde Dominus idem, sed in desertis, abstinentiæ tempus exegit: præterea vsquam legimus spatia eadem exacta ieiunio, vt putandum sit aliquem tribus per Dominum locis illis etiam vigorem.* Quid nõ possint loca, quæ tot virtutes sustinuere? Quid neget Deus locis, in quibus tot suorũ spectabit facinora? Hinc iam Christiana templa suam produnt virtutem, sed non templa, sed arces vocem munitissimas. An non arx est vbi toties resonant cœlestes tubæ? vbi apparet Christianum vexillum? Arx est, & locus munitissimus, Deóque gratissimus, ex quo tot indies vnigeniti sui Deus accipit sacrificia. Apoc. 3. Episcopo Philadelphiæ dicitur: *Ecce dedi ostium apertum coram te.* (Apoc. 3.) Et post pericula, & certamina ostensa, sic cauet. *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* Timeat quisquis in ostio est decorrentia pericula, metuat tentationum impulsus, tunc sic: *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius.* Expende modo in ostio metus ingerit solicitudinem, & vigilias notificat, at intra templum securitatem columnarúmque robur, & firmitatẽ promittit: quasi ex eo, quod in templo sistaris, columna fias aduersus omnes inimicorum impetus. Do Rupert. ibi. (Rupert.) *Quoniam quidem in ostio est, quod dedit apertum coram eo, solicitus sit, ne labatur. At vbi per remunerationem intus quasi columna fuerit stabilitus, non erit cur timeat.* Te ipsi templi lapides stabiliunt, & fulciunt, te pauimentum templi firmat, & ipsi parietes auxilia spirant, quibus tentationibus resistas, & oculis diuinis gratior extes. Et cur in Christianis templis columnarum non imbibemus firmitudinem, quando inibi firmissime stat Dominus vsque ad con-

summa

summationem sæculi? Argure satis Euseb. Emiss. homil. 3. de dedicatione Ecclesiæ, componit felicitatem maximam templorum Christianorum ex indefectibili præsentia Christi cum felicitate templi Hierosolymitani. De hoc ait Ioan. c. 10. Ioan. 10. *Iesus autem ambulabat in templo in porticu Salomonis*, de nostris autem dicitur Matth. vlt. *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem saculi.* Illic ambulat, hic firmiter & immobilis est, vt faciat alumnos suos colũnas in templo Dei sui. Eusеb. Accipite Eusebij verba: *Aduerte quia in illius templi exterioribus adhuc deforis ambulabat Iesus. Nec sedem ponit, sed deambulabat, nec intus ingreditur: huius autem exteriora perpetuo habitaturus intrauit, sicut ipse dixit: Ecce ego vobiscum sum vsque ad cõsummationem saculi.* Quid illustrius? Nil mobile admittit, omnia firmas Deus in Christianorum templis. Sed scire amplius cupis ab vtriosque columnis? Pergit Euseb. *Illius autem templi machina super bases argenteas & tmiaeneis columnas, ac super capita illa aurea recumbebat. Hic verò bases Propheta, columna apostoli, caput aureum Christus est. Hic, inquam, columna Sanctorum merita sunt, qui mutantis mũdi statum orationibus sustinent.* Sanè vbi tépla Christiana susceperunt, Iesum factum immobilem columna ad sustentandum suos, quoscumque recipit vertit in colũnas. Antiqua est terræ virtus tales suos Matth. 13. filios parturire, qualem in se habet Christũ. Matth. 13. *Tunc fulgebant iusti sicut sol.* Vnde lutea vasa, lucem Solis habent emittere? terra, quæ in se recepit solem iustitiæ, de illius radiis nouit etiam soles parturire. Auctor Græcus Nicolaus Cabasilla lib. 6. de vita in Christo, ait. *Ille quidem coruscans in terram è cælo descendit: terra verò soles alios solis iustitia vicissim producit.* Quæ habet terra solem Christum, soles efficit columnas. In templis sol diuinus adest Iesus, immobilis etiam astans columna, vt omnes ibi parturiamur soles, & columnæ.

Text. Et festinans descendit, & excepit illum gaudens. Et cùm viderent omnes, murmurabant dicentes, quòd ad hominem peccatorem diuertisset.

§. XI.

Qui creatoris placitis famulatur, ab omni iuuatur creatura.

ZAchæus arboris in cacumine positus, vt creatoris sui placitis seruiret festinus descẽdit, nulla ramorum diffi- 2. Reg. 18. cultate præditus. Quod vt ponderes, memento Absalonem illum fugitiuũ, qui medio in velocissimi equi cursu, a ramis arborum fuit detẽtus, ne vltra progrederetur, sed ibi misere Chrysost. occumberet. Cur sic arbor festinantem implicat? Chrysost. Psal. 3. ait. *In alto ligno suspensus est, qui aduersus patrem erigebatur, qui cum radice pugnabat.* Sic conatus in creatorem impediunt aliquãdo creaturæ, quæ alioquin iuuant eos, qui creatoris placitis obsecundant. Hinc arbor, quæ Absalonem detinet, & impedit, Zachæo facilis est, vt acceleret cursum, & Christo vocãti accurrat. Quæsiuit Antiochus, in quo posset homo noscere gratum esse Deo opus, quod meditatur effi- Athanas. cere. Cui respondet D. Athanas. q. 131. inquiens. *Quæ Deo placent, non Deus solum, sed & omnis creatura ad ea producenda adiuuant, & concurrunt, veluti ad nutum, & arbitrium Dei. At contra, quæ Deo displicent, non ea structio suo dignatur creatura, sed amoliuntur.* Gaudẽt vniuersæ creaturæ Deo famulari & promouere opera, quæ ad Dei honorem conducunt, & ideo sese aptant, vt possit crescere diuinum seruitium. Ionas vbi à Deo fugit præsto est tempestas, ocyssimi adsunt venti, astas piscis, mare feruet, vt tot difficultatibus impediatur iter, & Ionæ. 2. fuga. Tandem voratur à pisce, è cuius ventre ait cap. 2. *Clamaui de tribulatione mea ad Dominũ.* Non ait, clamo nunc, sed clamaui, nimirum tũc cum aquis absorbebar, & a pisce vorabar: id quod facit quæstionem aliquibus, qualiter aquis absorptus clamare posset. An inter aquas, vel mediis cete faucibus daretur clamori locus? Quomodo vndique tectus Hieron. aquis posset clamare? Respondet D. Hieron. ibi: *Ex eo tempore, quo præcipitatus in mare vidisset cetum: & tantam corporis molem, & immanes rictus aperto ore se sorbere, clamauit vel aquis cedentibus, & clamore inuenisset locum.* Vbi Prophetæ clamor ad Deum ibat, a Deo ipso in salutem hominis ordinatus, prærupti aquarum montes cederent, & locum darent clamanti, imò quoad possent, facerent, vt citius ad æthera perueniret. Huc adest arca illa Noëmi, quæ sola diluuij tempestates euasit, quãdo aquarum vertices gluttiebant regna, Genes. 7. quando montes vorabantur, Genes. 7. *Arca ferebatur super aquas.* Quæ omnia superabant aquæ, vni se submittebant arcæ, & inter tot mortis semitas salutis viam illi demonstrabant. Quod miratus D. Basil. Sel. orat. 5. sic fatur. *Creatura naufragium facientis, placidè Noe solus enauigabat: qui fide & ligno diluuioni vim afferebat. O res inopinabiles! Quomodo arca montibus illisa non est? Arca ferebatur, inquit, super aquas velut curriculo vndis inuecta, non proscindens fluctuum profunda: sed equitans in salo velut in solo, vice basis erat pelagus, & arcæ sternebatur mandato, quasi via publica.* Basil. Sel. Inter angustias montium, furentibus fluctibus, hinc inde lignis animalium cadaueribus congredientibus, viam securam ipsæ aquæ offerebant arcæ, & inter tot prædas, quas absorberẽt, recognoscebant lignum illud Deo gratum, cui famulatum præstarent, & incolumem obseruabant. Nec miror quod creaturæ famulentur suo creatori, quando & rabidissimos hostes in contraria vergentes, per idipsum sibi Dominus seruire faciat, Cant. 7. *Dixi, Ascendamus in palmam, & apprehendam fructus eius.* Cant. 7. Hæc erat voluntas Dei Christo suo ascensionem prætendere triumphalem. Iudæi autem è contra nituntur illum æternæ obliuioni dare, apud Ierem. *Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium.* Ierem. 11. Itaque rabidi hostes auerni descẽsum, Deus autem triũphales ascensiones Christo suo meditabatur. Vbi ad rem acceditur, furentes Iudæi sic in Elisæo Dominum exsibilabant, 4. Reg. 2. 4. Reg. 2. *Ascende calue, ascende calue.* Quid ais vanissima gens? Nonne à te totus Caluarius locus paratur, vt Christũ, eiusque memoriam æternum sepelias? Dicito potius, descendat in infernũ, non memoretur amplius, cur clamas, ascende? Ascendere debebat filius Dei ad palmam, & ideò hostes rabidissimi etiam cum procurant contrarium, non possunt non seruire diuinæ voluntati. Ita Gualticus Abb. serm. 2. in Palmis fatus. *Vbi insusurrat Iudas, clamabatis quidem: Ascende calue, ascende calue; ordinationi eius liberrima, qui sponte decreuerat ascendere, non potuit furor vester non seruire.* Quis non seruiat Dei voluntati?

§. XII.

Deo seruire debes in lætitia, si placere cupis.

DOminum excepturus Zachæus festinat, sed & gaudens recepit in domo sua, commendat enim maximè apud Deum obsequia famulantis lætitia. Quod prænoscens Habrahamus sciscitanti filio de victima, non reuelat mysterium, sed ait, *Dominus prouidebit sibi victimam.* Quasi metuens Genes. 22. ne filius tristaretur, sciens quod ipsi victima erat futurus. Quod notauit D. Ephrem orat. de Iona dicẽs. *Non mysterium reuelauit Habrahamus, ne illo tristitia affectio, ipsius donum inquinaretur.* Ephrem. Tristitia multum lædit officia nostra erga Deum, qui amat seruos hilares, & lætantes. Vbi raptus fuit Elias 4. Reg. 4. Reg. 2. 2. plenus dolore discipulus eius Elisæus clamabat, *Pater mi, pater mi, currus Israël & auriga eius*, & sic clamans lacerabat vestes præ ingenti cordis tristitia. Hinc est quod abeũtem Dominum Iesum à terra in cœlo, Act. 1. *Nubes suscepit eum ab oculis eorum*; quippe interposita nubes fecit, ne abiens Act. 1. Iesus videri posset à discipulis, qui forsan tristarentur de tanti absentia magistri. Quo respiciens Chrysost. homil. 2. in Chrysost. Act. inquit, *Ad illam missum est regale vehiculum, ne quid triste loquerentur: nec idem illis accideret, quod accidit Helisæo, qui magistro assumpto in cælum, dilacerauit tunicam suam.* Cauet Dominus, ne suorum discipulorum mentes aliqua subrepat tristitia, quæ maximè lædat seruorum Dei officia. Imò addam quod tristitia faciat à Deo deficere. Adolescens ille, qui tot Dei præcepta impleuerat, vt accepit Christi consilium de vendendis possessionibus suis Matth. 19. *abijt tristis*, Matth. 19. ideo abiit à Christo, quia dedit locum tristitiæ. Quò videtur respexisse D. Hieron. in Cat. dicens, *Abijt tristis. Hæc est tristitia, quæ ducit mortem.* Hieron. Nec multum interest quod non abeas, sed adhuc maneas in consortio Christi, si manes tristis. Tristitia enim vt abeuntem impellit, sic manentem opprimit. Pulchrè Gillibert. Abb. serm. 39. in Cant. triste reli- Gillibert. giosi cuiusdam tyrocinium cum hoc iuuene a Christo abeunte, componit, dicens. *Planè similis erat euangelico iuueni, qui apud Dominum de legis obseruatione gloriatus, euangelica perfectionis conflatione proposita tristis abscessit. Nisi quod ille tristis, accessit tamen.* Ecce vobis vbi tantum erat discrimen inter istos duos iuuenes, nimirum quod vnus accessisset ad Christum, alter à Christo abscessisset, tamen quia accedentem, & recedentẽ tenebat tristitia; nõ dubitat accedentem vocare recedenti similem. Amica est & familiaris tristitia desertoris spiritus; at cum lætus agis in iis, quæ Dei sunt, te metuendum proponis immundis spiritibus. Pulchrè Tertul. Tertull. delineat habitum, & formam patientissimi viri lib. de Patient.

tient. dicens: Vultus illi tranquillus & placidus, frons pura, nulla mœroris, aut iræ rugositate contracta: remissa æquè in lætum modum supercilia. Oculis humilitate, non infelicitate deiectis. Os taciturnitatis honore signatum. Color qualis securis & innoxiis. *Motus frequens capitis in diabolum & minax risus.* Expēde vbi minacia spicula aduersus diabolum constituuntur, nempe in risu, risus & lætitia constantis viri est, qui magis minetur dæmoni ruinam. Est sanè lætitia diabolici spiritus ruina, & totius virtutis fomentum. Miseri illi peccatores primi vbi tristem statum incurrerunt, ad folia ficus confugiunt, quibus se operiant. Cur de foliorum vmbris cogitant, & non potiùs de fructibus? Ambr. de Parad. cap. 13. *Iustus fructum eligit, folia peccator. Fructus, inquit Paul. ad Gal. 5. spiritus est charitas, est gaudium, pax, patientia, benignitas, modestia, continentia, dilectio, non habebat fructum, quia non habebat gaudium.* Quasi gaudium omnes spiritus sancti fructus promoueat. Ambrof.

§. XIII.

Linguæ labes plena contagio.

MVlta erat hominum turba, quæ Dominum comitabatur, quem cum omnes viderēt ad publicanum diuertisse, omnes cœperunt murmurare. Expende modo, quam serpat linguæ malum, omnes murmurant, omnes derident. Quid ni? Pestilens est linguæ labes, cuius contagium, vbi incipit, simul omnes peruadit. Pulchrè Dauid Psalm. 1. *In cathedra pestilentiæ non sedi.* Aquila explicationis gratia posuit in Cathedra *derisorum.* quasi vna linguæ lues pestilens sit plena contagio. Ibi D. Ambr. ait, *Specialiter refert ad irrisores bonorum, quod isti morbi sunt, qui irridēdo bonos, plurimum animis operantur errorem, mentésque corrumpunt.* Fugiat ergo murmuratorum consortium, qui nolit tanto fœdari contagio. Hieron. cap. 1. cum eligitur ad prophetandum ait, *Extendit Dominus manum suam, & tetigit os meum,* longe aliter Isaias de se loquitur cap. 6. vbi dicit: *Volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forceps tulerat de altari, & tetigit os meum.* Cur Deus, qui manu sua tetigit Hieremiæ os nō tangit similiter os Isaiæ, sed Seraphim mittit, qui etiam non audet manu sua tangere illius os, sed solum tangit forcipe mediante? Quid habebat os Isaiæ, à cuius tactu sese arcent diuinæ, & angelicæ manus? Ipse indicat, dum ait, *Vir pollutus labys ego sum, & in medio populi polluta labia habētis, ego habito.* Erat quidem in Cathedra pestilentiæ, erat linguæ morbo affectus, à cuius præsentissimo contagio purissimæ Dei, & Angeli manus sibi cauent, non quod Deus sibi timeat, qui omnino incontaminabilis est, sed vt moneat quam ab hominibus cauendum sit linguæ contagium. Origenes hom. 1. Hierem. *Quoniam Isaias confessus est non habere facta immunda, sed verba, non extendit Dominus manum suam, neque vnum ex Seraphim manu sua labia eius tetigit, sed forcipe solum tangens: Ecce abstuli iniquitates tuas.* Sic cauet sibi à lingua mala, siue à præsentissimo veneno, quo timet, vel solo tactu protinus infici. Nec miror, nullum vsque adhuc venenum, nulla pestis perniciosior grassata est in mūdo. Prouerb. 18. dicebat. *Mors, & vita in manibus linguæ.* Ecce tibi quale sit venenum linguæ, non est mortiferum, sed mors ipsa. Quod ponderans D. Valerianus hom. 5. de oris insolentia ait, *Quid mihi aliquis in comparatione malitiosæ linguæ artificium veneficij increpet, & noxias poculorum compositiones accuset? Excessit illa res omne genus veneni, quæ non potest, nisi morte cōpesci.* Quod virus citius ad corda festinat, quam linguæ iacula? Quæ noxia pocula sic inficiūt vrbes? Puto quod nec publici fontes, si inficiantur, perniciosiores sunt quam est perniciosa mala lingua.

Psalm. 1. Ambrof. Hieron. Isai. 6. Origen. Prou. 18. Valer.

Text. Stans autem Zachæus dixit ad Iesum: Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.

§. XIV.

Eleemosynæ prouentus multiplex est.

QVæstionem fecit multis expositoribus, quod post datum bonorum dimidium pauperibus, adhuc quadruplicem promittat Zachæus pro singulis rapinis. Cito finienda essent integra bona, si publicanus vellet solum ad æqualitatem restituere: qualiter ergo post erogatum pauperibus dimidium, posset singulis rapinis quadruplum remanere? Sane iam insinuabatur eleemosynæ virtus, quæ præmissa, non minor, si prouentus quadruplices efficiat, facit quidem multiplices. Viduæ illi, quæ Eliam pascit, dicitur, 3. Reg. 17. *Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur.* Vbi Euagrius apud Damasc. lib. 3. Parallelorum. c. 99. ait, *Ita dextera viduæ manus torcular facta est, & sinistra area, & manipuli necessario fructum suppeditantes.* Vide apud Ioan. cap. 6. ex paucis panibus erogatis quot colligunt discipuli Christi panis cophinos, non ne colligunt duodenos? De quo D. Hildeph. lib. de virg. cap. 9. inquit, *Extra pastum, & saturitatem tot millium, per quaternum facta ter ductum complent numerum cophinorum, quæ intacta vnum complere non poterant cophinum.* Omnia auget benignitas in pauperes, manus enim largiētis habet secum inuisibilem Dei manum, quæ faciat bonorum perennitatem. Vt mihi fidem facias, accipe Isai. c. 58. *Cum effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris, tenebræ tuæ erunt sicut meridies. Et requiem tibi Dominus dabit semper, & implebit splendoribus animam tuam, & ossa tua liberabit, & eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ.* Nota illud, *requiem tibi dabit Dominus semper,* quorum loco ponit D. Damascen. lib. 2. Parallelorum, c. 6. hæc: *Et erit Deus tecum semper.* Quid est, quod erit Deus tecum semper? Nimirum omnes tuos gressus, omnes actiones tuas Deus comitabitur, tuæ manui largienti aderit simul Dei manus, largissime fundens suos thesauros. Quō spectabat D. Leo serm. 10. de Quadrag. fatus. *Non timeatur in his expensis defectio facultatum, quoniam ipsa benignitas, magna substantia est, non potest largitatis deesse materies, vbi Christus pascit, & pascitur. In omni hoc opere illa interuenit manus, quæ panem frangendo auget, & erogando multiplicat.* Nunquam sola hominis manus perficit eleemosynæ opus, simul sunt Deus & homo, manus hominis & manus Dei; illa largiens, hæc augens; illa spargēs, hæc multiplicans, ne tantum largiaris, quo non recipias plura, & maiora. Adest Deus largitoribus suis, vt ex elargitione acquirant copias, quod experiētur præcipuè mundiales principes. Nefarius ille tyrannus Abimelech Iud. 9. accepit septuaginta pondo argenti ex fano Baalberit. *Qui conduxit sibi ex eo viros inopes, & vagos, secutique sunt eum.* An impiissimus potuit in hoc sapere, quod argento templi ex pauperibus sibi militares copias compararet? Vtinam hoc Christiani imitarentur principes, & Ecclesiasticorum accepta bona in militibus pauperibus alendis insumerent. O quàm certo Deus illis adesset, qui eorum copias multiplicaret, exercitus augeret, & fieret omnium dux! Dicebat Clemens Alex. apud Damascenum lib. 2. parallelorum cap. 16. *Fac, contra quam alij solent, exercitum tibi ipsi contrahas, inermem nempe, imbellem, incruentum, ab ira alienum, pios senes, Deo charos pupillos, viduas lenitatis armis instructas, viros charitate adornatos. Hos, inquam, opibus tuis & corporis, & animæ satellites acquire, quorum dux atque imperator est Deus.* Habebat princeps in pauperes beneficus Deum & commilitonem & imperatorem exercitus sui, qui & copias augeat, & vires. Quod si scire cupis victoriarum seminarium, & regnorum, ego in eo crediderim situm esse, quod princeps pauperes alat ad euangelizandum. Id quod in vno Dauide videre licet, qui 1. Reg. 18. exiens in singulare certamen cum Goliath, in primis inquit, *Ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum Dei agminum Israël.* Sic de Deo differit: quasi certamen esset literarū, nec otiosè: inde enim manus suas aptabat ad victoriam, quæ aduersus infideles semper stat penes eum, cui curæ est fidei propagatio. Id insinuat Basil. Sel. orat. 15. fatus. *Lingua de fide cum incredulo disputas, manus autem fundam in vsum certaminis pro fide susceptí aptabat* Feliciter certamine contra infideles agit, qui illis curat veritatem euangelizare. Ne miremur Regem Hispaniarum tot regnis auctum, apud quem tot seminaria euangelizantium sustentantur.

3. Reg. 17. Hildeph. Isai. 58. Leo. Iudic. 9. Clem. Alex. 1. Reg. 18.

Text. Ait Iesus ad eum: Quia hodie salus domui huic facta est, eo quòd ipse sit filius Abrahæ. Venit enim filius hominis quærere, & saluare quòd perierat.

§. XV.

Eleemosyna peccata iudici operit, & facilem salutem causat.

TOta publicani domus integerrimo iudici indemnis apparet; & vnde hoc sibi comparauit domus publicani? Sane ex eo, quod aiebat, Dimidium bonorum meorum do pauperibus. vbi tāta in pauperes benignitas apparebat, non poterat non propitius esse iudex. Vbi dimidium bonorum videbat in paupere suo acceptum à publicano, quomodo non esset salutaris iudex publicano; iudex inquam, qui vel puluerem

puluerem domus suæ videns in suo paupere, deponit seueritatem. Ideò, quando pauperes sui malè accipiebantur ab aliqua domo, siue ciuitate, anxius curat, vt egre-
Matth.10. diantur, imò ait, *Excutite puluerem de pedibus vestris.* Quid interest, quod immisericordis oppidi puluis in discipulis maneat? Cur tam serio & puluerem excuti mandat? Sanè durum iudicium exercere volebat in homines duros, quod non posset præstare, si vel puluis acceptus in
Tertull. pedibus suorum videatur. Pulchrè Tertull. lib. in Marc. ait, *Cum iubet puluerem excutere de pedibus in eos, à quibus excepti non fuissent, & hoc in testimonium mandat fieri: inhumanitatem quã in testationem redigi iubet, iudicem minabatur.* Equidem minacem iudicem agere volebat, qui inhumani hominis vel puluerem à suis pauperibus excuti mandat, quasi si vel puluis illius domus in paupere appareret, & posset minas depellere, & iudicem temperare. Excæcant eleemosynæ nostrum iudicem, neque sinunt, quod videat peccata. Id
Damasc. quod elegãti exemplo explicat D. Chrysost. apud Damasc. lib. 2. Parallel. cap. 16. fatus. *O singularem eleemosynæ vim! Sola ad diuinum tribunal irrepit. Ne iudicem timeamus, ante iudicium manus protendentem. Ne iudicem metuamus, qui se accepisse minime inficiatur.* Qui ante oculos protendit manus, non vult videre; sic iudex, qui ad accipienda munera manus protendit, parũ curat de delictis videndis. Præstat hoc eleemosyna; sola ad seuerum Dei tribunal irrepit, facit vt iudex manus protendat, & sic peccata non videat, imò facilem, & illaboriosam impertiatur salutem. Expende modo verba Domini ad Zachæum data. *Hodie salus huic domui facta est: eo quod ipse sit filius Abrahæ.* Quomodo filius Abrahæ? Quot montes sacrificandus superauit? Quot ligna humeris portauit? Quot gladios super ceruices expectauit suas? Nónne hæc omnia pertulit filius Abrahæ? Insuper seros eius conceptus meditare: quot annos se steriles luxere parentes? Quot fastidia ancillulæ sustinuit Sara? Quot vota peregit, & adhuc filius legitimus Abrahæ non dabatur? Quomodo Zachæus tam cito filius Abrahæ? Omnes difficultates tol-
Laurent. Nouar. lit, omnes moras curtat eleemosyna. Ita D. Laurent. Nouariensis Hom. de Pœnit. fatur. *Zachæus pusillus corpore, factus est præclarus opere. Flagitiosus conceptus, felix subitò de eleemosyna nascitur.* Sine parentum fastidiis, sine longis moris, sine laboribus felix hic Abrahamides salutem sibi acquirit, & incolumitatem. Illæ pauperũ preces, quæ largitoribus suis bona, & felicia espirant, omnes curas & solicitudines nouerunt amputare. Viduæ illi, quæ de necessariis sibi, famelico prophetæ impertiit paruulum, sic saturatus vates an-
3 Reg. 17. Eucher. nuntiat 3. Reg. 17. *Hydria farinæ tuæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur,* &c. De quo Eucher. lib. 4. in Reg. ait, *In vero Prophetæ tota domus viduæ piorum cellarium facta est: ubi ibi ros, non pluuia, non verni auræ, non calidi soles, non nimbus necessarius, non aratrum, non agricola, sed omnia in omnibus sermo Prophetæ ministrabat.* Duret eleemosyna in manu sua, & facilem, & sine labore tibi salutem para in prece pauperis. Quod si eleemosynam facere contemnas, metuo, quod nullis laboribus possis æternam tibi salutem parare. Audio
Matth. 25. Matth. 25. Virgines dicentes ad alias, *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur.* Sanè totis laboribus virginitatis non poterant lumen retinere, quæ oleum mise-
Chrysost. ricordiæ contempserant sibi parare. Ad hæc D. Chrysost. Hom. de verbis Apostoli, habentes eumdem spiritum fidei sic loquitur. *Sicut enim lucerna lumen oleo retinetur, & consumpto eo ipsum quoque lumen consumptum euanescit: ita etiam spiritus gratia, quantisper habemus opera bona, & crebris eleemosynis animam rigamus, manet non aliter, quam flama oleo retenta. Quæ si non adsint, recedit à nobis, & abit: quod etiam quinque illis virginibus accidit: etiam illæ post multos labores, ac sudores, cum nullum haberent ex sua benignitate præsidium, nõ potuerunt apud se retinere spiritus gratiam: atque ideo sunt à thalamo repulsæ.* Hæc ille. quibus paret immisericordes virgines minimè potuisse placere Domino, à quo repulsæ sunt. Et cur sponsus non repellat sponsas, quibus deficit misericordia, quandoquidem hæc facit pulcherrimas animas. Nefarius Balaam vbi vidit Israëliticas phalanges, quarum nouissima
Num. 24. sibi præoptabat, ait Num. 24. *Quam pulchra tabernacula tua, ô Iacob, & tentoria tua, ô Israël, vt valles nemorosæ vt horti iuxta fluuios irrigui, quasi cedri prope aquas.* Ecce tibi pulchritudinum, & formositatum epilogum, nimirum *quasi cedri.* Cedrus semper viridis, semper foliis vestitus, semper in brachiis suis præbet gratum passerculis hospitium. Sic de ho-
Rupert. spitalitate nascitur Christiana pulchritudo. Ita Rupert. lib. 2. in Num. cap. 21. ait, *Ergo pulchra tabernacula vt cedri prope aquas, videlicet in quibus aues nidificant, quarum abundantia cum sint diuites homines, pauperum inopiam supplet.* Hæc est pulchritudo fœditates peccatorũ tegens oculis diuinis.

§. XVI.

Veri filij non tam in sanguinis propagine, quam in æmulatione paternarum virtutum.

INuenitur etiam in publicani domo ingenuus nobilissimi Abrahami filius, qui Abrahami beneficentiam mundo exceptam restituat. Præclare Isaias dicebat, cap. 58. de viro Isai. 58.
illo, qui pauperibus erogabat. *Et ædificabuntur in te deserta sæculorum, fundamenta generationis, & generationis suscitabis.* Sic à sententia Adami, & Pinti. qui censent ædificari fundamenta nihil esse aliud, quam instaurari aut reuiuiscere virtutes, quæ superioribus sæculis floruerunt. Benefici itaque hominis in domo virtutes, à quibus desertus videtur mundus, efflorescent: redibunt hospitia Abrahami, dum primorum Christianorum collectæ, & elargitiones. Vnus homo beneficus totam Abrahami progeniem nobis ponit ob oculos, seque inter Abrahamides locat. O quam legitimi filij sunt, qui beneficentiam maiorum nouis in se largitatis operibus colorant. Quid in veteri lege patentius Dei beneficentia in suos? Eos in beremo pauit cælesti pane, pauit & carnibus vsque ad satietatem, de petráque melle saturauit eos. Tam benefici Dei filius vbi venit in mundum, nactus famelicam multitudinem semel, & bis impleuit panibus, ita vt quæ superfuere fragmenta duodecim cophinos potuerint ditare. Cur tam diues ostenditur in beneficentia? Cur necessitatis legibus non vult teneri, sed pergit vsque ad redundantiam? Filius erat Dei, & inde verum se filium probat, quod paternam beneficentiam in omnibus æmulatur. Tertul. lib. 4. in Marc. 3. ait, *Adeo autem ea fuit maiestas,* Tertull.
vt paruulis exiguitatem, nõ tam sufficere, verum etiam exuberare, de pristino voluerit exemplo. Et quidem diuini illius patris filium omnimodo testatur similitudo exuberantis beneficentiæ. Benefica illa Christi manus, quæ multitudines satiauit, ostendebat illum filium esse illius Dei, qui in eremo tot hominum millia satiauit cælesti pane. Cur patrem non vocem etiam Deum, si eius æmulor beneficentiam in pauperes? D. Chrysost. Hom. proximè citata sic ait, *De ieiunio* Chrysost.
& virginitate disserens Dominus, regni cælorum meminit: vbi verò de eleemosyna ex liberalitate, & vt misericordes exhibeamus, præcipit, longè amplius quam regnum cælorum præmium proponit: vt fiatis, inquit, similes patris vestri qui in cælis est. Itaque liberalitas in pauperes potens est nos facere non solum reges in cœlo, sed, quod est amplius, filios Dei, simillimósque tanto parenti. Sed qualiter pusilli vermiculi tãti patris exprimere beneficentiam possumus? Id eleganter ostendit D. Hieron. epist. ad Saluinam dum Nebridij bene- Hieron.
ficentissimi principis virtutes in filio eius expressas sic nouit. *Nebridius pusio patrem quærentibus exhibet. Sic oculus, sic ille manus, sic ora ferebat. Scintilla vigoris paterni lucet in filio: & similitudo morum per speculum carnis erumpens ingentes animos angusto in pectore versat.* Sic ille. & quidem quisquis es ad magnos illos Patriarchas, ad Deum ipsum comparatus, pusillus etiam adeo vt de morum similitudine, dici possis Abraham pusio, imò Deus pusio. Sic tamen viuas, vt per speculum carnis erumpant pristinorum mores, & dicant, qui te operantem viderint, sic Abrahamus, sic Deus manus in pauperes liberales habebat; sic Deus, sic Abrahamus os habent plenum beneficentia. Censentur itaque filij virtutum similitudine, non natura. Inde Genes. 28. locutus Dominus ad Iacob dicit, *Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac.* Satius dixisses Ego sum Deus Abraham & Deus Isaac patris tui, si quidem non Abraham pater, sed auus erat Iacobi; cur ergo præteriens nomen patris in Isaac, qui verè pater erat, patrem vocat solum Abrahamum qui pater secundum carnem non erat, sed auus? Non natura, sed virtutes & labores Iacob attendebantur, vt notat Philo Iudæus lib. de somnis, quibus Iacob magis referebat Abrahamum quam Isaacum; & ideò potiùs dicitur habere illum, quàm hunc patrem.

LIBER

LIBER SEPTIMVS, DE DÆMONIBVS EXPVLSIS.

A Dæmonis potestate ereptas Christi Domini potentia vidimus animas, nec ibi stetit tanti triumphatoris victoria, adhuc pergit, vt vniuersa eripiat tyranno vasa. Itaque tyrannidem passa dæmonis hominum corpora, dum Dominus liberat, penitus à domo sua, ab atrio suo eliminat fortem armatum, adeò vt nec illi maneat terra arida, in qua possit ambulare Quatuor in primis se nobis offerunt Christi cum hoc tyranno congressus, apud Euangelistas celebriores, ad quos referuntur alij, vel quod idem sint, vel quod perstrictim tractantur.

CAPVT I.

De dæmoniaco in Synagoga curato.

AD vrbem quoque Capharnaum nomine Dominus cum venisset, in qua plurimos Synagogæ populos edoceret, subitò per humanæ vocis ministerium nequissimus ille diabolus talem fremuit in clamorem: Quid tibi & nobis Iesu Nazarene, venisti perdere nos? Scio qui sis, sanctus Dei. Móxque Domino minaciter dicente perterritus audit: Obmutesce & exi de homine spiritus immunde. Magno reboante cum mugitu, qui diuino se fateretur imperio verberatum, reliquit humana præcordia fugiens in auras.

Marc. 1. Erat in Synagoga eorum homo in spiritu immundo.

§. I.

Christi facinorum veritatem ipsi inimici testantur.

NOn calculo, sed media furentium Sacerdotum & Pharisæorum frequentia Dominus cum Satana descendit ad certamen. Synagoga Iudæorum palæstra est; Sacerdotes & seniores ipsi Christi crudeles hostes testes adsunt, qui è turba sua dæmoniacum hominem norunt, & clamantem sub Iesu virtute audiunt. Optimè prorsus commendatur diuinum facinus existentibus contrarijs. Præ
1.Cor.13. cæteris discipulis aiebat vnus Paulus: *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur, Christi?* Et cur in Paulo Christus loquacior? Cur à Pauli lingua profusiores Christi sermones dimanabant? Nónne Paulus persecutor fuit & acerrimus Christi hostis? Ideò præ cæteris eligitur Paulus luculentior Christi testis, quia fuerat vehemens ini-
Cyrill. micus. Rem ponderat Diuus Cyrill. Hierosolymitanus Catechesi 10. loquens. *Magna quidem Petri & Ioannis testimonia, sed suspiciosus aliquis diceret, quod erant domestici: de illum autem qui hostis antea fuit, deinceps verò pro illo moritur, quis dubitet amplius illum esse verum testimonium? Miratus sum certè sancti Spiritus dispensationem, quod aliorum quidem epistolas paruo numero circumscripsit, Pauli autem antea sui persecutoris, quatuordecim esse concessit. Non enim eo, quod minor esset Petrus aut Ioannes, absit; sed quod dubia non esset doctrina illius, qui autem esset inimicus & persecutor.* Non solùm commensales Christi Domini, sed & inimici & persecutores eius facinora testantur, quæ tanta sunt, vt nihil sibi à rabido inimicorum ore caueant. Imò quod magis mirere, ipsi dæmones à gentibus culti & adorati pro Christiana parte asseruntur, à quorum fœtidissimo ore clarissima Christi fluenta ebiberunt multi. De illis eleganter Ter- Tertull.
tullian. in Apolog. farit. *Hæc denique testimonia Deorum vestrorum Christianos facere consueuerunt, quia plurimum illis credendo, in Deo Domino credimus. Ipsi litterarum nostrarum fidem accendunt, ipsi spei nostræ fiduciam ædificant.* O almam Christi vel gloriam, quæ fluenti, puro, ab ipsis hostibus tuis nosti scaturire? Quis dubitet verum esse sermonem, cui inimici & hostes testimonium perhibent? Huc spectauit diuina illa prouidentia, quæ Iudæorum regna omnino dissipans, Iudæos dispersit per orbem, vt nimirum Iudæi per orbem ferrent secum diuinas scripturas annuntiantes Christum. Et quidem prudentissimè scripturæ de Christo permittuntur Iudæis hostibus Christi, ne fuerit suspectus nationibus sermo ille, qui à maioribus seruabatur inimicis. Ita Theodoretus sermone 10. de Prouiden- Theod.
tia, partim datus alibi fatur. *Si quis diligenter rem contueri vellet, Iudæorum resistentiam, gentium fidem plurimum adiuuisse inueniet. Disceptatio enim cum Iudæis & è lege, & Prophetis desumpta demonstratio manifeste illorum insaniam arguit: gentibus autem demonstrabat Christianorum politiam, olim prædicatam esse. Et testimonium, quod ab hostibus ferebatur, eum, qui prædicabatur, sermonem fide dignum reddebat.* Hæc ille.

§. II.

Nullis iustorum hominum cœtibus non se inserit diabolus, nullibi ab illo eris securus.

IN Synagoga loco sancto, vbi Sacerdotum cœtus, cui Iesus aderat, ibi sese inserit diabolus, ibi enim homo erat in spiritu immundo, hoc est spiritum immundum habens. Qui locus? Qui sanctitatis gradus? Qui iustorum ordo, cui non se inserat diabolus? Ipsis sese dabit Angelorum cuneis; sic apud Iob habes cap. 2. *Factum est autem cum quadam die venissent filij Dei & starent coram Domino, venisset quoque Satan inter eos.* Iob 2.
Expende non quod venerit Satan, sed quod inter Angelos venerit, neque enim Angelicum veratur chorum, sed nullibi nocere desistens se etiam beatis immiscet Angelis. Id demiratur Nazianz. in cat aiens. *O impu-* Nazianz.
dentiam eius, qui talia audeat! Iam inde à principio in paradisum ille contra figmentum irrepserat, núncque inter Angelos medius consistit. Non veretur impudentissimus spiritus dum hominibus nocendi inueniat aditum. Cur vereatur loca sacra, qui in ipso cœlo ausus est serere scandala, & apostasiam prædicare? Meritò cauet Paul. ad Ephes. 6. *Non est nobis* Ephes. 6.
colluctatio aduersus carnem & sanguinem: sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus. Aliter apud D.Thom. dicitur, D.Thom.
nimirum, *aduersus spirituales astutias in cælestibus.* Quippe is est inimicus noster, qui nulli loco parcat, nullius loci vereatur sanctitatem, in ipso cœlo astutias suas & laqueos, & regnans dedicauit, diaboli astutias & laqueos sustinuere cœlestia non minori parte stellarum vacuata; quis ergo nõ vigilet aduersus hostem, qui & in beatitudinis penetrali tetendit laqueos, quibus millia asseclarum traxit? Qui nesciet templorũ immunitatẽ, qui in ipso sanctuario virus spargit

ſanè Zacharias intra ſanctuarium erat, vt tempore orationis incenſum poneret, & dum impetrat colloquium Angeli, ibi incurrit laqueos diaboli, ibi inter Angelorum voces excipit diabolicæ perfidiæ iacula: dicitur enim illi Luc. 1. *Eris tacens, & non poteris loqui, vſque in diem, quo hæc fiant: pro eo quod non credidiſti verbis meis.* Id quod ponderãs D. Chryſ. ſerm. 88. inquit. *Caro nuſquam de ſua conſcientia eſt ſecura. Zacharias ipſo placationis tempore offendit, dum credit, dubitat; dum poſtulata promeretur, incurrit; condemnatur, munera ipſa cum ſuſcipit.* Et quo in loco erit ſecura caro, quæ in luctæ ſtadio eſt aduerſus principes tenebrarum, aduerſus ſpiritualea aſtutias in cœleſtibus? ſanè qui cœleſtia nouit infeſtare, nullum verebitur locum, nec ſanctuarij, nec paradiſi. Intra ſanctuarium, intra angelica colloquia, caue diaboli aſtum: vnus abſit diabolus, & medijs patentibus tempeſtatibus liber, ac ſecurus agis. Compone tibi totam paradiſi tranquillitatem, vitalium arborum halitum, trahentes Deum auras, alio ex capite arcam Noëmo fabricatam, leonibus grauem, tempeſtatibus actam, fluctuum rabie percuſſam. Attamen hic ſecurus homo portum attigit, illic homo exitiali veneno percuſſus mille incurrit mala. Vnde hoc? irreſperat in paradiſum diabolus, & tota loci ſanctitas & ſalobritas non potuit non cadere diabolico contagio, abfuit ab arca diabolus, & hoc abſente paruum lignum potuit vniuerſas ridere tempeſtates. Pulcrè D. Baſil. Seleuc. orat. 5. *O arca Paradiſo firmior! illic namque cum alijs nauigabat ſerpens, illic lignum mortis fuit inſtrumentum: hic lignum ſalutis fuit gubernaculum: illic Adamum præuaricari docebat; hic perfugio Noemum petit.* Vbi ſerpens irrepſerat, omnia ſimul cum illo mala, quæ nullius loci vincuntur ſanctitate, vbi aditus ſerpenti occluditur, facili negotio cætera mala ſuperantur.

Luc. 1. — Chryſoſt. — Baſil.

Marc. 1. Et exclamauit dicens: Quid nobis & tibi Ieſu Nazarene, veniſti perdere nos. Scio qui ſis, ſanctus Dei.

§. III.

Peccator præfefert multitudinem, iuſtus vnitatem.

PRæcipuum iuſti, & peccatoris diſcrimen in pluralitate, & vnitate conſiſtit: vnde ait princeps peccatorum. Quid nobis & tibi Ieſu? ſibi pronomen multitudinis adſcribens, alterum ſingularitatis, vnitatis Ieſu relinquens. 1. Reg. 1. Vnde 1. Regum 1. de iuſto Samuelis patre notanter dicitur, *Erat vir vnus de Ramath.* Dixiſſet, erat vir de Ramath, cur additur, erat vir vnus? Non ſuperflue, nec incongrue, ſed vt perfectam hominis ſanctitatem oſtenderet, illúmque Origen. à peccatoribus innueret maximè diſtinctum, ibi Origen. ait, *Pertinet ad laudem iuſti, quod dicitur de eo: erat vir vnus. Nos qui adhuc peccatores ſumus, non poſſumus illum titulum laudis acquirere, quia vnuſquiſque noſtrum non vnus eſt, ſed multi.* Vbi peccatum adeſt, omnis ſtatim abſcedit vnitas, ibi permixta, & confuſa intrat multitudo: neſcit peccator ſub vnitate viuere, tot vultus induit, quot vitioſos affe-Pſal. 74. ctus emittit. Pſal. 74. *Confitebimur tibi Deus, confitebimur tibi.* Cur Dauid non potius de ſe vno loquitur, ipſe peccauerat, ipſe ouiculam pauperis rapuerat, ipſe vanitate deceptus populum numerat, ipſe ergo dicat: Confiteor tibi Deus, cur mauult multitudinem præſeferre? Quàm longè ab hoc il-Act. 4. li primitiui Chriſtiani, de quibus Actor. 4. *Erat cor credentium vnum, & anima vna.* Hic in multis vnitas, ibi in vno Auguſt. multitudo, quia hi fideles & iuſti, ille peccator erat. Aug. *Multa ſunt corda confitentium, vnum credentium. Quare multa ſunt corda confitentium? Diuerſa enim peccata homines confitentur, vnam fidem homines credunt. Iam ergo cùm cœperit Chriſtus habitare in interiori homine per fidem, cœperitque inuocatus poſſidere confeſſum: fit totus Chriſtus, caput & corpus, & ex multis vnum.* Expende illud, *cœperitque Chriſtus poſſidere,* quaſi hac vna iure incipiat clarere poſſeſſio Chriſti, nimirum in vnitate. Duplici corde viri abominabiles Deo, quàm longè abominabiliores illi, qui ſunt corde multiplici? Hinc clarè oſtendes, cuius poſſeſſio ſis, Dei, an diaboli, ſi fueris multi, vel vnus: ſupra cum de Samuelis patre diceba-tur, quod erat *vir vnus*, ſtatim nomen additur, *& nomen eius Elcana.* Quid ſignificat Elcana? Noſtris idem eſt ac poſſeſſio Dei, quippe vir, qui vnus erat, ob poſſeſſionem Origen. Dei debuit agnominari. Origen. homil. vnica in lib. Reg. ait, *Certum eſt quia illo, de quo dictum eſt, quod vnus eſt vir, poſſeſſio Dei eſt, & non poſſeſſio dæmonum. Quem enim dæmones poſſident, non eſt vnus, ſed multi, ſicut ipſi dæmones, de eo quem poſſidebant, reſponderunt, quia legio nomen eſt ei.* In corde à dæmone poſſeſſo meditare equi Troiani viſcera, meditare hoſtiles phalanges, myriades armatorum, quæ turbent vnitatem & pacem. Quo reſpiciebat D. Iacob. ep. can. c. 4. *Vnde bella, & lites in vobis? Nonne ex concupiſcentijs veſtris, quæ militant in membris veſtris?* Ecce legiones, ecce militares phalanges in vnoquoque peccatore clauſæ, ſicut in equo Troiano. Qui tunc è dæmonum recedunt poteſtate, in Dei poſſeſſionem ſe recipientes, quando incipiunt fulgere vnitate. Hinc eſt, quod dominus omnes homines à ſe ſuſceptos vni ouiculæ comparat, Luc. 15. *Quis ex vobis homo, qui habet centum oues, & ſi perdiderit ex eis vnam, nónne dimittit nonaginta nouem in deſerto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inueniat illam?* Cur tot myriades hominum vni aſſimilat oui? Pulcrè D. Chryſol. ſerm. 168. ait, *Vt inueniret in vna omnes.* Quaſi nihil ſibi acquirere nouerit Dominus, in quo vnitas non effulgeat. Nihil magis Deum oſtendit, quam vnitas; nihil magis Deo contrarium, quam diuiſio, adeò vt ex diuiſione veræ Deitatis abſentia ſignificetur. Hinc Eccleſiaſticus c. 42. de creatione elementorum locutus dicit, quod fecit Dominus *omnia duplicia, vnum contra vnum.* Cur vnum contra vnum? Chryſoſt. in Pſalm. 2. attigit rationem, aiens. *In creatione quidem, mundíque opificio, quæ ſunt inimica natura, concordiam amplexa ſunt, & mundum perfecerunt mutuis opificijs parentia: in vniuerſi autem prouidentia ſunt ſibi inuicem infeſta, impium multorum deorum cultum refellentia, vt omnes ſciamus, quod quæ bello impetunt, & impetuntur, dij eſſe non poſſunt.* Nunquam Deus in diuiſione eſt.

Luc. 15. — Chryſol. — Chryſoſt.

§. IV.

Mundus, & diabolus ſuos peccatores penitus ignorant: Ieſum, & eius ſeruos agnoſcunt.

AN putas ſingularem fuiſſe Ioannis laudem, quod eſſet notus Pontifici? Hæc eſt ſeruorum Ieſu haud infima excellentia, quod neminem lateant, quod de ſingulis poſſit dicere diabolus ipſe: *Scio qui ſis.* Hoc dicit de iuſtis diabolus, à quo proprij ſerui ignorantur. Act. 19. inuidi ſacerdotum filij, quod Ieſu diſcipuli tot miracula facerent, tot dæmonia eijcerent, accedunt ipſi ad dæmoniacum, & aiunt, *Adiuro vos per Ieſum, quem Paulus prædicat.* Riſit diabolus, imò irriſit perfidorum adiurationi; & reſpondens, dixit, *Ieſum noui, Paulum ſcio, vos autem qui eſtis.* Explicatius ait D. Cyprian. *Vos autem penitus ignoramus.* Ecce mancipia ſua ignorat dæmon. ſuæ ſeruituti addictos homines minimè cognoſcit. Ieſum autem, & Paulum, ſingulóſque Dei ſeruos, hos ſolum cognitos habet. Hoc obliuioſum ingenium erga ſuos accepit etiam mundus de diaboli halitu: quod maximè patuit in Saul, cui adeò placuit Dauid, vt illum dilexerit nimis, & fecerit armigerum ſuum, 1. Reg. 16. inſuper: *Miſit Saul ad Iſai, dicens, Stet Dauid in conſpectu meo, inuenit enim gratiam in oculis meis. Igitur, quandocumque ſpiritus Domini malus arripiebat Saul, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saul.* Is erat Dauid in Saulem, valde ſalutaris, valde officioſus, ob quod amauit eum valde Saul, cuius fauoris cauſa neceſſum erat, vt notiſſimus eſſet apud omnes palatinos; adde quod Saul literas bis dederit ad Iſai Dauidis patrem: rurſus, & ipſe Dauid celebris erat antea inter Saulis ſeruos ob incredibilẽ animi fortitudinem robúrque corporis maximum, & pſallendi dexteritatem, ob quas gratias in ore omnium verſabatur. Quid plura? Hic notiſſimus adoleſcens, & Regi chariſſimus diſceſſit breui tẽpore a Saule, & ſeceſſit in montem, vt patris greges paſceret: receſſit, inquam, Dauid tam adoleſcens, iam notus ob robur corporis, & intra ipſius adoleſcentiæ metas, vix duobus tranſactis annis, adhuc adoleſcens robore, adhuc puer decore, accedit iterum ad Regem, facultatem petit deſcendendi in arenam cum Philiſthæo: deſcendit, init certamen. Quid tunc? c. 17. *Eo autem tempore, quo viderat Saul Dauid egredientem contra Philiſthæum, ait ad Abner principem militiæ: De qua ſtirpe deſcendit hic adoleſcens? Dixitque Abner, viuit anima tua Rex, ſi noui.* Miraris iam mundi obliuionem de dilectis ſuis, de chariſſimis ſeruis ſuis, de notiſſimis familiaribus ſuis: ſed vt mireris amplius, ait rex ad Abner, *interroga tu, cuius filius ſit iſte puer,* hoc mandatum accepit Abner, abdubium quin diligentiam aliquam faceret, nec inuẽtus eſt, qui noſceret Dauid, adeò vt cum victor rediret: *Ait ad eum Saul: De qua progenie es, ô adoleſcens? Dixitque Dauid: Filius ſerui tui Iſai Bethlehemitæ ego ſum.* Neque his auditis

Act. 19. — 1. Reg. 16.

venit Rex in memoriam charissimi, & officiosissimi armigeri sui. Vnde tanta obliuio in rege? Assentior Lyrano, qui putat tantam obliuionem recentis serui adeò familiaris, profectam fuisse à diabolica perturbatione. Et quidem hoc habet mundus ingenium acceptum à diabolo, vt suorum penitus obliuiscatur, vt minimè noscat suos. Verum Dei serui hi notissimi sunt etiam diabolo, quantumuis lateant, sese occultent, in oculis, & ore omnium versantur. [*Iudith 7.*] Qui magis absconditus ab oculis mortalibus, quam Iudith? Hæc, c.7. *In superioribus domus suæ fecit sibi secretum, in quo cum puellis suis clausa morabatur.* An ideò incognita? Ait textus, *Et erat hæc in omnibus formosissima: quoniam timebat Dominum valde.* Expende causam, ob quam fœmina sepulta domi, non poterat ignorari, imo in ore omnium versabatur, nimirum: *quoniam timebat Dominum valde.* Non alius, nisi Dei timor facit homines celebres, & notissimos apud omnes. Pulchrè [Ambros.] de homine iusto D. Ambros. lib.3. offic. cap.1. ait, *Quæ æstimatione definitur, qui nusquam opinione comprehenditur? Etenim quasi ignoratur, & cognoscitur.* Clausus est iustus, & absconditus, amans nesciri, & pro nihilo reputari: & eius fama nusquam clauditur, vbique locorum viget, ab omnibus præ oculis habetur, & amatur.

§. V.

In laudabilibus ne solus esse velis, & singularis.

VNdequaque se prodit diaboli superbia, vbi supplicium à Iesu in se recolit, non se solitarium, sed quasi vnum è multis ostendit, dicens: *Quid nobis, & tibi, Iesu?* Verum vbi quid laudabile meminit, nimirum Dei cognitionem, quasi ipse solus, & singularis, ait, *Scio quis sis sanctus Dei.* Quippe diabolicus affectus est, nullum laudis socium admittere, sed solitarium in laudibus velle esse. Ante diuinum thronum [*Isai.6.*] vniuersi Angelorum Principes stabant, ait enim Isai. *Seraphim stabant super illud.* Tunc illorum vnus ampliores meditatus honores se defectionis à Deo ducem præbens, fatur Isai.14. *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti.* Efficacius machinationem persuaderet superbissima mens, si alios simul ad thronum vocaret, si dixisset, Eia agite Principes, quid statis, venite, exaltabo solium vestrum super astra, sedeamus in monte testamenti. At non loquitur sic, vnam suã sedem, & thronum meminit, nec fictè, nec simulate patitur consortes in laude. [Bernard.] Innuit Bern. ser.3. de verbis Isaiæ. *Qui sedere præsumpsit, se solo voluit esse contentus.* Vbi ad sedem aspirat, obliuiscitur, imò despicit alios, se solum respicit, sibi soli & laudabilia, & prima meditatur. Non hoc habuit de creatoris manu, non id [*Cant.4.*] sumpsit de sapientia increatæ nutricis lacte. De illa sic Cantic.4. dicitur: *Duo vbera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis.* Ecce à Dei vberibus qui pendeant, nimirum gemelli pendent omnino pariles, inter quos nulla prærogatiuæ inæqualitas, dum enim alteri te præferre cupis, iam à Dei vberibus decides, & fame enecaberis. Gillib. Abb. [Gillibert.] serm.27. in Cantic. fatur. *Ideo dicuntur gemelli, quia fides nullis gradibus separat, quos æquè regenerat. Alioquin, qui nesciunt esse gemelli, effecti sunt nulli, & in conuiuio locum occupantes primum, iam nec habent nouissimum.* Quam saginati de Christi Domini lacte erant illi duo amoris gemelli Petrus & Ioannes, ambo inibant tẽplum orare, ambo inueniunt claudum, [*Actor.3.*] cui volens sanitatem impertiri Petrus Act.3. ait, *Respice in nos.* Cur in nos? Cur non te solum? An tu non sufficeres sanitatem largiri, cuius vmbra tacti infirmi sanabantur? An tu non eras omniũ Christianorum princeps? Cur non potius ostentas tuam singularem præ omnibus potestatem? Verus Christi hinnulus eius innutritus lacte, non amat solitudinẽ in laudibus, sed mirabilium suorum consortes, & gemellos [Basil.Sel.] habere gaudet. S. Bas. Sel. orat.20. *Rectè, communis siquidem cum vtroque miraculi effectio, ex vtroque curationis profecta est gratia.* Non singulares amant, sed communes reputant gratias, & excellentias, quicumque implentur diuino lacte. Christi [*Matth.1.*] Domini prosapiam recensens Matth. c.1. inter alios ait, *Iacob autem genuit Iudam, & fratres eius.* Cur addidit Iudæ fratres? Et Isaac habuit fratrem Ismaëlem, & Iacob habuit fratrem Esau, & inter Iesu progenitores non recensentur Isaac, aut Iacob fratres, & recensentur Iudæ fratres. Cur recensentur Iudæ fratres? Sanè Ismaël, & Esau nomẽ suum celebrare cupierunt præ fratribus suis, regiásque sedes, sibi soli quisque fundauit. Verum Iudæ fratres omnes in eundem populum, & regnum conspirarunt, sub vnico Israëlis vocabulo quisque suum nomen obscurans, & claudens. Hinc Deo grati merito recensentur in Christiana prosapia. Annuit D. Pasch. [Paschas.] ibi fatus. *Illi tanquam alieni à populo Dei, merito repelluntur. Hi verò quasi hæredes in libro vitæ collectim scribuntur, & quasi Patriarchæ duodecim tribuum, quia de populo Dei non sunt exclusi, etiam de generatione Christi non merentur excludi.* Vt repellit Deus eos, qui se præferunt fratribus, sibique solis honores aucupantur, sic amat eos, qui adunati, & collecti in vnum populum omnes glorias communes faciunt.

§. VI.

Deus honorabilibus titulis nominandus.

NVmquam in ore dæmonum Iesus sine honoris titulis apparet, nunquam nefarissimæ belluæ Iesum audent nominare, nisi honorum plenis vocabulis, aut Iesum Nazarenum, id est, floridum, aut filium Dauid, aut sanctum Dei vocantes: vt vel hinc erubescant fideles, qui Deum, & Christum sæpe nominant absque honorifici memoria vocabuli. Nónne ideò offendit Moyses? Ipse iussus de petra elicere aquam, sic expectanti populo fatur, Num.20. *Audite* [*Num.20.*] *increduli, nunquid ex hac petra aquam eiicere poterimus?* Hæc dicens percussit petram, & fluxit aqua, verum ira Dei maximè in Moysem scandit. Ecce tibi causam: *Quia non credidistis, nec sanctificastis me in populo, non introducetis hos populos.* Expende illud, *nec sanctificastis me*, hoc est, non me sanctum prædicastis, ideò pœnas dabitis. Naz. apud Cat. Græc. ait, *Do-* [Nazianz.] *minus irascitur Mosi, quod cùm iuberetur accepta virga populum in concione vocare, corámque petram alloqui, ille perculsus animo nihil de Deo (vti solitus erat) magnificè præfatus, paucis & quidem subobscuris vsus est.* Nil magis cordi debet esse fideli homini, quam magnificè vbique Deum præfari, eiúsque magnitudinem honorificis titulis, & agnominibus prædicari. Nullibi enim amat Deus esse sine ingentis gloriæ suæ vocabulis. Isai. c.49. ait Pater ad filium: *Parum est, vt sis mihi seruus* [*Isai.49.*] *ad suscitandas tribus Iacob?* Quæ verba sic in rem præsentem exprimunt LXX. fantes. *Magnum est tibi, vt voceris puer meus.* Magnum ait, quasi Deus, nec in forma serui patiatur esse sine magnificis gloriæ suæ vocabulis. Ambr. in tit. Psal.35. id [Ambros.] attigit. *Magnum, inquit, est tibi vocari puerum meum: seruat vbique suæ vocabula dignitatis. Magnus Deus, magnus puer, nec in carne magnitudinis suæ nomen amittit.* Vbique filius à Patre magisicè vocatur, vbique gloriæ vocabula à Patre accipit. Sed & ipse filius, nunquam non Patrem suum fatur sub ingentis gloriæ titulis. In cruce erat iam animam agens, & ecce clamat, *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Quereris te derelictum à Patre, & dimisso paterno vocabulo magnificum profers nomen deitatis: cur id, bone Iesu, facis? Victor Antioch. ibi fatur: *Vt planum ex hoc fiat, ad vl-* [Vict.Ant.] *timum vsque vitæ halitum Patrem honorasse.* Nec in summa derelictione, passionísque tædio præteriit diuinæ maiestatis titulos in Patre agnominando.

§. VII.

Qui Iesum percipere cupis in hac vita, non tam scientiæ de Iesu, quam amori da operam.

QVis iam totum se expendat scholis, & cum diabolum gloriantem se audiat, quod sciat Iesum? Ait enim: *Scio, quis sis sanctus Dei.* plus saperes, si manasses; quippè Iesus non sic percipitur scientia, vt percipitur amore. Felicius aiebat Dauid Psalm.138. *Et nox illuminatio mea in deli-* [*Psal.138.*] *tiis meis.* Quæ verba ponderans Gillibert. Abb. ser.1. in Cant. fatur. *In deliciis, ait, non in scientiis. Et in hac nocte potest Iesus meus magis dulci quodam affectu suauiter sentiri, quam sciri ad purum.* Scientiam remittamus in æternitatis diem, quando clara visione defæcatus animus Iesum comprehendet; dum in hac nocte sumus, amori demus operam, qui melius nobis reuelabit Iesum. Aiebat Dominus, Luc.12. *Ignem veni* [*Luc.12.*] *mittere in terram, quid volo, nisi vt ardeat?* Ecce tibi ad Christi ignem quamplurimi accedunt, sed longè alia est voluntas illorum in isto igne, ac Domini voluntas. Vniuersi de igne Christi perfundi, illustrari cupiunt, & sub tanto fulgore lucere maximè cõcupiscunt, siue in scholis, siue in pulpitis. At Iesus nihil de luce fatur, sed de ardore, quid volo, nisi vt ardeat? Remittant lumen in terram visionis, nunc amoris sentiant ardores, qui Iesu volunt habere saporẽ. Acutè D. Bern. [Bernard.] ser.3. de verbis Isai. loquitur. *Quid lucere festinas? Nondum illud aduenit tempus, in quo fulgebunt iusti, sicut Sol in regno Patris eorum. Interim perniciosus est iste appetitus lucendi; feruere enim multo melius.* Non te totum scientiarum lumini tradas, da

da primas amori in hac vita, da primas ardori. Felicior eris, & securior, si ardeas, quam si luceas: si ames, quam si scias. Hoc habet Iesus præstantissimum, quod vniuersis proficuus sit, quod nulla sit creatura, quæ de Iesu vtilitatem non percipiat; sed non illa felix, quæ de vtilitate, sed quæ
Philip. 4. de amore Iesu habet plurimum: *Propter quod & Deus donauit illi nomen, quod est super omne nomen: vt in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum.* Sic Paulus commendat Iesu vtilitates communes vniuersis, non solum cœlestibus viris, sed & terrenis hominibus, & diabolicis. Infernorum gens Iesum precatur, & gloriatur de Iesu cognitione, terrenorum mentes sub Iesu radiis florent; feliciores his cœlestes homines, qui sese de Iesu amore æternare
Gillibert. norunt. Accipite Gillib. Abb. serm. 5. in Cant. sic loquentem. *Tractatur Iesus in consiliis, disceptatur in iudiciis, in scholis disputatur, cantatur in Ecclesiis. Religiosa sunt hæc negotia, sed vade ad exitus aquarum, & pensa, quam generalior sit finis istorum operum. Vide si non per hæc omnia quædam exerceantur mercimonia de Christo. Quæstuosa res nomen est Christi. Nihil pensius, nil optatius. Felix tamen, qui nominis huius virtutem sectatur. Apud illos tractetur, disceptetur, disputetur super hoc nomine. Nobis satis est, si in nobis adametur: nusquam commoditas maior.* Ne multum inuideas de Iesu scientias, & alias lucri faciendi artes quæ vel repetiuntur in hominibus terrenis, vel in ipsis diabolis; Iesum ama, & omnes superasti; & de Iesu amore vniuersis creaturis, etiam dæmonibus inuidiam facies. Quam sapienter
Tertull. Tertull. æstimabat signa amoris Christi cordibus nostris impressa? Is enim lib. de Pudicitia sic commendat plagas ob Christi amorem acceptas, vt putet ipsos vi tormentorum à fide deficientes, indiuisos exituros diabolo, non quod Iesum nouerint, sed quod propter Iesu amorem fuerint vulnerati. Etenim ait, *Et tamen illæ cicatrices Christiano prælio insculptæ, & vtique inuidiosæ apud Christum, quia vicisse ceperunt, & sic quoque gloriosæ, quia non vincendo cesserunt. In qua adhuc, & diabolus ipse suspirat.* Sic Christi amoris vestigia, vel vmbra, faciunt inuidentem diabolum.

Text. Et comminatus est ei Iesus, dicens: Obmutesce, & exi de homine.

§. VIII.

Lingua semel mala non credendum salutis negotium.

SApienter illa frænatur lingua etiam in veris Iesu laudibus prædicandis, quæ antiquitus mendaciis effingendis dedita est. Quid enim sapientius est, quam semel lapsæ, imo omnium lapsuum occasioni, linguæ salutis negotium minimè credere? Petrus post linguæ perniciosam licentiam à Christo Domino respectus, *egressus foras fleuit amarè.* Cur Petre adeò silenter egrederis? Peccasti in cœlum, & coram magistro tuo dulcissimo Iesu: surge ergo, & accede ad magistrum, & dicit ei: Iesu bone, peccaui in cœlum, & coram te, iam non sum dignus vocari discipulus tuus, fac me sicut vnum ex mercenariis tuis. Cur siles Petre? Cur & alia in tuæ salutis causam non loqueris? Prudenter salutis negotium nequit linguæ credere, quæ negationi se-
Maxim. mel, & ter seruiuit. Ita D. Maximus de Pœnitent. Petri, ait, *Ideò Petrus tum non vtitur sermone, quo fefellerat, quo peccauerat, quo fidem amiserat, ne per id ei non credatur ad confitendum, quo vsus fuerat ad negandum: ac per hoc maluit, & causam suam flere, quam dicere.* Suspectam habet linguam, qua offendit, qua in lapsum incurrit; nihil ei linguæ committit in salutis negotio, quæ fuit causa ruinæ. Quod mirere magis: ipse hominum Saluator Iesus, inter ferentium Iudæorum calumnias, inter accusationes nefarias, inter falsa testimonia, serpentúmque sibila, *tacebat ita, vt miraretur*
Matth. 27. *præses*, Matth. 27. dat manus, pedésque clauis, dat caput spinis, dat pectus lanceæ, dat dorsum verberibus, vt vniuersa membra aliquid moliantur circa humanam salutem. Vna lingua silet, & cur in tanto salutis nostræ negotio vna
Ambros. lingua silet? Ait Ambros. serm. de accusato Domino apud Pilatum. *Taceat lingua in bono negotio, quia & malas causas obtinere consueuit.* Expende, vnde etiam in salutis negotio silentium Dominus linguæ suæ indicit: quia lingua in peccatoribus malas suscipit causas, lingua enim, quæ in impiis ruinæ deseruit, iustè frænanda est, & silentio premenda in quolibet etiam bono negotio. Equidem ipsa teriaca suspecta est, si per vas suspectum præbeatur. Vera, & Deo digna clamabat dæmon, vbi ait ad Iesum: *Scio, quis sis sanctus Dei*, & tamen iubetur obmutescere, ne & veræ laudes de lingua nefaria veneni aliquid trahant. Ita Diuus
Athanas. in cat. D. Thom. ad cap. 4. Lucæ fatur. *Quamuis igitur vera fateretur, compescebat tamen eius sermonem, ne simul cum veritate etiam suam iniquitatem promulgeret.* Difficile erat à noxia lingua, innoxias omninò veritates prædicari, quæ aliquid nociuum ea illa non afferant.

Text. Et discerpens eum spiritus immundus, & exclamans voce magna, exiit ab eo.

§. IX.

Diaboli manus acerbissima homini.

VÆ, qui in diaboli incidit manus, minimus illius digitus grossior est ad percutiendos homines, quam manus terribilium omnium. Cædunt alij flagellis, diabolus autem cædit scorpionibus. Quis numeret sanctissimi Iobi plagas? Iob 2.
Quis æstimet dolores? Ait cap. 2. *Percussit Iob vlcere pessimo.* Vbi cum bonis externis Iobi pugnandum erat, vide quot pugnæ socios adiungat sibi diabolus, armatas Chaldæorum turmas excitat, quæ pastores inuadant; ignem trahit è cœlo, qui absumat segetes: furentes agitat ventus, qui filiorum concutiat domum. Verum, vbi nocendi virum accepit potestatem, ipse solus percussit, quasi ipse solus instar omnium tormentorum sufficeret ad discerpendum, dilacerandum. Quæ non faceret fornax vlcera, quæ non faceret sartago ardens, quos non causarent rabidissimæ pestes cruciatus, hos faciebat in Iob vnus tactus dæmonis.
Chrysost. in Caten. Græc. *Manus dæmonis acerbiore sensu doloris, quam qualibet sartago, fornax, & quæuis flamma eum assumeret; & qualibet fera immanior vndique corpus circumroderet, ac deuoraret.* Ne quæras in viro patientissimo cruciatuum causas, ne fingas tibi in eius doloribus Babylonias fornaces; non Machabæorum sartagines, non rugientes feras, vnam ibi interesse puta dæmonis manum, & hæc vna præ cunctis omnibus durior, & immanior est, ad homines discerpendos, excruciandos. Meritò Apoc. 12. plangitur: *Væ* Apoc. 12.
terræ, & mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam. Solum diaboli descensum in terram meminit, & terræ calamitates expauet: non minatur mortes, crucésque non percenset carnificinas hominum; membrorum lanienas tacet, vnum lamentatur, quod diabolus descendit, quia vel solus eius tactus præ omnibus lanienis, & carnificinis terrenos homines discerpet, dilacerabit. Trucissimam, & immanissimam apud Smyrnam Christianorum lanienam sic depingit Angelus Apocal. 2. *Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem, vt tentemini: & habebitis tribulationem diebus decem.* Non facile ab hominum laniena abstrahitur fera hæc pessima, sed morositatem in torquendo amat, diebus decem affligit, vt cruciatuum varietate exacuat nocendi famem, & tormentorum cumulum crescere faciat. Cum iuxta duritiem cordis sui nefarissimus Pharao torquendus fuit, non vno die, non duobus, non septem, aut octo, sed per decem dies, decem diuersis plagis torquebatur. Quod notans D. Saluianus lib. 6. de gubernatione Dei, inquit. *Pharaonis inobedientia verberatur, & quidem non vno modo, scilicet, vt plus sacrilegus torqueatur diuersitate suppliciꝫ.* Lassata equidem tortoris crudelitas in vno tormentorum genere, vehementer acuitur, si transit ad aliud: semper enim varietas affectus exacuit. Vnde hominum carnifex diabolus non vno tormento, sed decem diebus, hoc est, varietate cruciatuum sese exacuit, ad discerpendos homines, & dilacerandos. De hac dæmonum in homines rabie sæpe per totum hunc librum.

§. X.

Non censentur tormenta, quibus peccatum pellitur.

QVæstionem facit in præsenti Beda, vt Marcum, & Lucam concordet: Marcus enim dicit quod discerpens eum diabolus exiit; Lucas autem solum dicit: *Et cum proiecisset eum dæmonium in medium, exijt ab eo, nihilque ei nocuit.* Vbi hic laceratio, & vexatio? Vbi quod discerperet? Nulla prorsus horum mentio apud Lucam, imò nullum factum nocumentum monuit. Quid tunc? Nouerat & Lucas, quod exiens diabolus discerperet, laniarétque hominem, sed meritò non putauit lanienam, non putauit nocumentum illud, quo diabolus eiiciebatur: non enim censenda sunt tormenta, quibus peccatum expellitur. Gen. 5. Genes. 5.

Vixit Lamech annos centum octoginta, & genuit filium, & vocauit nomen eius Noë, dicens: Hic nos quiescere faciet. Quomodo quiescere faciet, qui annuntiauit diluuium? Sub Noë vniuersa castigabitur caro, orbis terrarum pœnas dabit, vnde quies? Cur non potius ruina dicitur? Cur non potius flagellum mundi? Sed præstat, quod vocetur quies flagellum Chrysost. illud, per quod à mundo peccatum eliminatur. Ita Chrysost. homil. de nomine Abrahæ fatur. *Quare non dixit: Hic occidet nos; hic faciet diluuium fieri, sed dicit: Hic faciet nos requiescere? Creatura omnis resoluitur, abyssi desubtus erumpunt, in luto quasi communi sepulchro promiscua hominum, & equorum corpora occultabantur: & tantam calamitatem quiem vocas? Profectò dicit: Nam homines in magna malitia viuebant. Diluuium, quia malitiam resecuit, ideò liberati à malitia quiescere dicuntur.* Non flagellum, non calamitas censetur, quæ peccata ablegat, imò iustè quies, & refrige- Genes.16. rium vocatur. Genes.16. Agar vehementer castigabatur, & affligebatur a domina sua; dicitur enim: *Affligente eam Sara, fugam iniit.* De Ismaële autem ait, cap.21. *Cum vidisset Sara filium Agar AEgyptiæ ludentem cum Isaac filio suo*, &c. Sara itaque Agarem affligit, & fugat: Ismaël puer cum pue- Galat.4. rulo Isaac ludit, & vtrumque spectans Paul. ad Galat. 4. ait, *Quomodo tunc is, qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundum spiritum, ita, & nunc.* Quod puer Iudat cum Isaac, vocatur persecutio, quod Agar affligatur, & castigetur à domina sua, non vocatur persecutio, nec meminit Paulus illam pressuram, & afflictionem, cum alioquin multus sit in explicanda persecutione ab Ismaële inflicta. Cur Paule ludum persecutionem vocas? Cur afflictionem duram, nec meministi, nec talem reputas? Ludus Ismaëlis saporem idololatriæ referebat. Afflictio, qua Agar vexabatur, ideò erat, vt ancilla dominæ subderetur, superbúmque exueret. Meritò afflictio, qua peccatum tollitur, non censetur afflictio, illa solum afflictio est, & ingens persecutio, qua peccatum introducitur. Hæc est Diui Augustini mens, tract.1. in cap.4. Ioan. vbi inquit. *Ecce libera afflixit ancillam, & non illam vocat persecutionem Apostolus. Ludit seruus cum Domino, & persecutionem vocat. Afflictio ista non vocatur persecutio, & lusio illa vocatur persecutio. Ad hoc ergo affligitur, vt reuertatur*, &c. Minimè dicenda est persecutio, aut tribulatio illa, quæ mores corrigit, quæ peccata, & eius occasiones expellit Zach.1. ab anima. Zachariæ 1. dicit Dominus: *Ira magna ego Dominus irascor super gentes opulentas: quia ego iratus sum parum.* Et quando Deus iratus fuit parum? Non ne mundum diluuio perdidit? Non ne opulentissimas Sodomæ ciuitates fulminauit? Non ne populum situm semel, & iterum longa captiuitate oppressit? Quando ergo fuit ira Dei parua? Rupert. lib. 9. de victoria verbi Dei putat paruam, aut nullam iram Dei fuisse, quando fortissimos Machabæos Antiochi rabies contudit, lacerauit. Et meritò tanta tyranni rabies, tanta Israëlitarum strages, tanta iuuenum laniena, aut nulla, aut parua ira censetur, quæ solum circa temporalia erat, nullum animis nocumentum faciens, Rupert. imò ingentes glorias Machabæis pariens. Accipite Rupert. cap.23. *Direptio thesaurorum, & cædes hominum, planctus magnus in Israël, & in omni loco gemitus Principum, & seniorum, infirmatio iuuenum, & virginum, lamentum maritorum, plaga magna ciuitatis, & perditio populi. Hæc, inquam, omnia pertinent ad iram paruam, iuxta quod ait ipse, quia ego iratus sum parum. Parua namque hæc fuerunt, quia circa corpus omnia versata sunt.* Dum persecutio vitam animæ non tollit, dum ira in gehennam non præparat, aut parua, aut nulla censetur.

Marc.1. Et mirati sunt omnes, ita vt conquirerent inter se, dicentes: Quid nam est hoc? Quænam doctrina hæc noua? Quia in potestate etiam spiritibus immundis imperat, & obediunt ei.

§. XI.

Quàm perniciosè sapiunt, qui in primo veritatis fulgore hærent, cum semper progredi debeamus in virtutis studio.

VAna Iudæorum sapientia nouit excitare quæstiones, & ad veritatis radiantis fulgorem pulchrè moueri, veritatem verò despicit comprehendere. Christiana lux miraculis comprobata illis nouo effulsit exhortu, ibi tamen hærentes misere pereunt: quia quam incipiunt inquirere nouam lucem, nouámque doctrinam, non comprehendunt. Profectò Synagoga clamat illis verbis, Cantic. 1. Cant.1. *Indica mihi, vt pascas? Vbi cubes in meridie?* Sic ait tota in inquirendo posita, sed non in consequendo: tota nouo lucis exortu exhilarata, sed perfecti diei prorsus ignara, & ideò à tenebris comprehensa. Horum verborum mentem sic in Synagogæ nomine educit D. Ambros. serm.2. Psalm.118. Ambros. *A me recessisti, quia ego crucem tuam non suscepi, vt mundi redemptionem, sed vt noxiæ damnationem. Qui autem receperunt sicut salutis auctorem, in meridie sunt. Illis luces, illis refulges, illis calet gratia tua, sicut meridies. Mihi matutinus eras, eum adhuc crederem, sed non credebam plenè, quia non sum inuenta in meridie.* Misera Synagoga hæsit ad primos veritatis fulgores, lucis nascentis radiis percussa nouitatem mirata, non ad perfectum diei peruenit, sed ibi obnubilata perfidiæ nubibus hæsit: vt dicat Oseas cap.6. *Quid faciam tibi* Osea 6. *Ephraim? Quid faciam tibi Iuda? Misericordia vestra, quasi nubes matutina, & quasi ros mane pertransiens.* Matutinis splendoribus delectata despicit transire ad perfectam claritatem. Hinc æstimat Paulus Christianorum felicitatem, 2. ad Corinth. cap. 3. qui non ad primum veritatis fulgo- 2.Cor.3. rem sistimus, sed nulla claritate, & luce contenti ad aliam festinamus, pergentes semper vsque in perfectum diem. *Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem.* Non primo claritatis gradu sistimus, non primo sapientiæ gustu saturamur, sed vsque in perfectum diem gradus facimus, ascensionésque in corde nostro paramus. Cantic. 2. Cantic.2. *En dilectus meus loquitur mihi, surge propera amica mea:* vel si mauis, iuxta aliorum lectionem dicito, *Surge veni.* Ne surgas, & stes, sed semper ascende superius, semper ad altiora scande. Nolo debere D. Gregor. Nyssen. homil.5. sic Gregor. Nissen. fantem. *Neque ei, qui verè surgit, vnquam deerit semper surgere: neque ei, qui currit ad Dominum, vnquam consumetur amplum, & latum campi spatium ad diuinum cursum conficiendum. Oportet enim semper surgere, & excitari, & per cursum appropinquando nunquam cessare. Quamobrem quoties dicit: surge, & veni, toties ad id, quod est melius ascensioni, ea, quæ deinceps sequuntur, à verbo adijciuntur: nam qui pulcram ex pulcra iubet fieri, apertè admonet illud Apostolicum iubens eandem imaginem à gloria transformari in gloriam: adeò vt semper videatur esse gloria, quod accipitur, & quod semper inuenitur.* Infeliciter ad lucem venit, qui à luce ad lucem non transit, à gloria in gloriam, à claritate in claritatem non ascendit. Ea est enim diuina lux, is est iustitiæ Solis radius, vt semper ad maiora impellat animos, qui dum luce Dei suffunduntur, nesciunt sistere, sed feliciter contendunt à claritate in claritatem. Magi illi Orientales stellarum cultores, & obseruatores, Matth.2. apud Ierosolymitanos aiunt. *Vbi est, qui natus est* Matth.2. *Rex Iudæorum? Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus cum muneribus adorare eum.* Venimus, aiunt, non hæsimus in stellæ contemplatione, sed cur stellarum interpretes non potius sederunt, stellam nouam, & miram contemplantes? Cur de more non se totos stellæ studio dederunt? Expende illud, *vidimus stellam eius*; hoc est, vidimus non quancumque stellam, non stellam vnam è multis, quibus contemplandis insedebamus, sed stellam eius, stellam noui, & diuinissimi Solis recens orientis, quo non permittit nos sedere, sed vrget, vt veniamus à claritate in claritatem, ab stella in Solem verum. Pulcrè D. Chrysol. serm.87. *Tenuiter micans stella assuefacit ad lucem, & gradatim pertrahit ad ipsum fontem luminis, & dierum.* Nescit hærere, qui veri Solis lumine agitur, à mane sereno graditur ad meridiem, ab stella ad Solem, à claritate in claritatem: Ioann. 12. ait, *Ambulate dum lucem* Ioann.12. *habetis, ne vos tenebræ comprehendant.* Ad quæ D. Bernard. Bernard. serm.49. in Cant. dicit. *Ergo non ambulantem, sed sedentem à mortis tenebris comprehendi periculum est. Et quis sedens, nisi qui non curat proficere?* Id caueto, etsi morte præoccupatus fueris, in refrigerio eris.

§. XII.

Non veterascendum in Christiana disciplina, sed quasi exortu nouo in dies proficere debemus.

MIrantur Iudæi nouitatem doctrinæ Christianæ, non quod ipsa nouitiis niteretur inuentis, sed quod nemo facinorum exortu quotidie iuuenesceret. In Rachele quis Patrum non agnouit Ecclesiam, quam sibi Dominus despon

desponsauit? Recolite modo eius sepulturæ locum, qui fuit Bethleem, hoc est domus panis. Et cur Ecclesia apud Bethleem sepelitur? Nónne melius apud Caluariæ locum, siue apud Caluariæ hortum, vt de sepulchro Domini disceret in vitam exultare? Quid amplius posset præstare sepultæ Ecclesiæ domus panis, quam resurrectionis locus? In horto sepulchri semel resumpsit vitam Dominus; verum in domo panis, quæ est Eucharistia, quotidie renascitur, quotidie nouo se multiplicat exortu. Ideò Ecclesia non apud hortum, in quo semel resumitur vita, sed apud domum panis, vt inde nouis natiuitatibus quotidie augeri discat, sepelitur. Diuus Paschasius lib.2. in Matth. sic inquit. *Rachel figuram gerens Ecclesiæ, ibidem sepulta legitur, vt in eodem loco plena requies eius signetur, vbi Christus panis viuus, qui de cælo descendit, quotidie exortu nouo, sine defectu versatur.* Illam edificat vitam Ecclesia, qua quotidie in nouum exortum, nouámque natiuitatem exurgat. Sic timeat Christianus veterasci, vt detrimentum putet, si quo temporis momento, nouo se exortu non induat. Isaias 40. *Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem.* Quid est, mutabunt fortitudinem? Non vnam fortitudinem habebunt, sed plures fortitudines, vt murmuratoriæ vestis instar, quotidie nouam fortitudinem induant. Ita Gillibert. Abbas sermone 14. in Cantica. *Mutabunt fortitudinem, non quidem, vt veterem perdant, sed vt nouam adijciant, qui senescentem deuotionem, & quodam languentem tædio, nouum denuo feruorem reducant, & perseuerantiæ studia nesciant reparatione frequenti. Mutatio hæc profectuum videtur innouatio iugis, sine defectu, sine fatigatione.* Hinc se prodit Christianæ spei non debile fulcrum, nimirum, noua, & frequens natiuitas, iugis renouatio profectuum. Pœnitens ille filius ad Patrem reuertens, Luc. 15. mercenarij status desiderio tenebatur. Ait enim, *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus!* Quid habet, quod inuideat in mercenario legitimus filius? Cur mercenarij status tenetur amore? Mercenarius hoc sibi proprium vendicat, quod vel singulis diebus, vel singulis mensibus, vel ad summum singulis annis renouet pactum de mercede laborum cum domino suo. Hoc inuidebat in mercenario filius, qui forsan lapsus, quod semel tantum natus est, cupiebat natiuitates renouare, vt apud Patrem viueret, dicens: *Fac me vnum ex mercenariis tuis.* De mercernariis ait Chrysologus sermone 4. *Vt locatione annua seruitus innouetur, vt labore ingi conditio conducta deteratur.* Hoc sibi approprient de mercenarij more etiam Dei filij, qui velint in parentis amplexu durare. Ne nimis æstiment, quod semel nati à tanto parente Deo sint, sed vt nunquam natiuitas illa veterascat, exortu nouo, siue annua locatione sese obsequio illius discant obligare. Video apud Iosue, cap. 9. Gabaonitas viros ab ingenuitate filiorum Israël exclusos, perpetuæ seruituti mancipatos, cuius sententiæ rationem fallor, nisi ipsi insinuent, cum aiunt. *En panes quando egressi sumus de domibus nostris, vt veniremus ad vos, calidos sumpsimus, nunc sicci facti sunt, & vetustate nimia comminuti.* Non in Dei domo placere poterant, quorum bona laborabant vetustate, nec de innouatione curabatur. Huc Origenes homilia 5. in Leuit. ait, *Gibaonitæ illi propterea condemnantur, & ligni cæsores fiunt, vel aquæ gestatores, quia panes veteres ad Israëlitas detulerunt, quibus lex spiritualis iubebat semper vti recentibus, & nouis.* Illi placent in Dei domo, qui quotidie noui recentésque veniunt, & prorsus nesciunt in obsequio diuino veterasci. Nil magis cordi debet esse illis, qui ad Deum properant, quam si vetustatem expuant, & senium, & nouis quotidie operibus additis se in virtutum studio renouare contendant. Cantic.1. aiebat sponsa, *Lectulus noster floridus*, nec inscienter gloriatur se lectulum floridum præstare sponso, sed in eo monstrat singularem curam, & studium renouandi in dies flores. Quippe flores in lectulo necesse est, vt marcescant, imo vt penitus putrescant, nisi frequenter addantur noui. Id quod attigit Bernard. serm. 47. in Cantica, fatus. *In campo quidem, & in horto oritur flos, in thalamo autem minimè, sed iacet, tanquam qui illatus, non innatus. Propterea, & necesse est reparare frequenter, & recentiores apponere flores, quod diu odorem suum minimè retineant, nec decorem. Quod si lectulus respersus floribus conscientia est bonis referta operibus, vides certè, vt similitudo seruetur, nequaquam sufficere semel, vel secundo operarij, quod bonum est, nisi incessanter addas nouas prioribus.*

Hæc ille.

Paschas.
Isai.40.
Gillibert.
Luc.15.
Chrysol.
Iosue 9.
Origen.
Bernard.

CAPVT II.

De dæmonibus in porcos immissis.

RELICTO nauigio, per oram vicini littoris incedebat Iesus, cum repente duo viri sæuissimi, dæmonum legione possessi, de sepulchralibus monumenti fremitu profiluere terribili. Conuenienter enim spiritus ille nequissimus inter busta magis habitabat, & cineres, cui nihil est cum vita commune. Tunc Domino veniente perterritus alter in humanam rursus figuram, quam Christum videbat gerere, metuens intrare, pecus immunda sordium obscœnitate lætissimum, & olentis cæni semper amicitiis inuolutum, pro suis adire meritis impetrauit. Tristísque continuo phalangis incursus gregem peruasit, impulit, & necauit in marina præcipitem fluenta porcinum. Hoc totum in duobus narrat Matthæus peractum: Lucas, & Marcus solum meminit vnius, quia hic è duobus insignior erat, apud quem tota dæmonum legio morabatur.

*Ex Matth.*8. Cùm venisset Iesus trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes sæui nimis, ita vt nemo posset transire per viam illam.

§. I.

Nimia dæmonum auiditas hominis perdendi, in quo nullus dæmon alteri cedit.

VIx Gerasenorum terminos attigit Iesus, & duo demoniaci occurrunt ei: occurrunt, inquam, quia vagabantur par viam, & putabant Christum aliquem esse, cui nocere possent. Sic vbi apparet, ambo nocituri concurrunt, nullus segnis esse vult in perdendo homine, nullus tardus, & piger. De filiorum Iobi clade à dæmonibus peracta dicitur, Iob 1.
c.1. *Ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quem corruens oppressit liberos tuos.* Et mirum est, quod ventus ab vna determinata regione deserti veniens quatuor domus angulos concutiat simul, quis vnquam tale vidit? Et esto, quod dæmon ipse in vento veniret, quid necessum erat, quatuor angulos concutere, cum vel vnum angulum quatiens posset domus ruinis Iobi filios opprimere? Non vnus, sed multi dæmones concurrebant, quorum nullus segnior esse volebat in perdendis hominibus, & ideò ex æquo per omnes angulos domum concutiebant. Id quod notat Origen. lib.1. in Iob. *Si per vnum angulum poterat cadere, cur omnes quatuor angulos tetigit? Quatuor angulos tetigit, vt ostenderet ferociam, atque animum suum homicidialem. Nam omnes dæmones mox vt relaxati sunt, & permissionem acceperunt, continuo omnes generaliter ab omnibus partibus super domum irruerunt festinantes, atque aduersum inuicem rapientes, quis primus hanc iniquitatem acciperet, quis primus hoc homicidium perpetraret. Ingentem vnusquisque eorum sibi reputans dolorem, si prior illo alter procederet ad eius perditionem.* Ea est singulis dæmonibus sæuitia in homines, vt nullus patiatur videri segnior in hominibus perdendis; ingentémque sibi dolorem illarum putet, si minus possit nocere. Omnes simul currunt, & concurrunt in hominem, hoc sibi quisquam magnum reputet, si nullus præcurrat. Eorum rabiem eleganter exaggerat iuxta D.Basil. explanationem, Psal. 61. inquiens. *Quousque irruitis in hominem? Interficitis vniuersi vos, tanquam parieti inclinato, & maceriæ depulsæ.* Magna equidem dæmonis rabies, & crudelitas, quod omnes in hominem vnum exurgant, in hominem vnum irruant. Sed illa maior rabies eorum, quod omnes illi vnum hominem interficiant, *Interficitis vniuersi vos*; vos vniuersi interficitis, vel vt Chaldæus explicatius ait, *cuncti euaditis homicidæ.* Sed iam acutè addubitat D. August. quomodo tot hostium turmæ, tot inimicorum myriades vnum hominem solum possunt interficere? Sanè ab vno interfectus iam reliquos non timebit; iam reliqui omnes non habebunt, quem occidant. Cur ergo dicuntur cuncti occidere? Rationem huius reddunt ipsius Aug. verba, vbi sic sonant. *Quousque apponitis super hominem?* Quibus expendendum est verbū, *appono*, hoc est simul, & iuxta pono; non enim dæmonum rabies patitur,

Origen.
Basil.
August.

patitur, vt alicuius telum aduersus hominem præponatur; vt aliquis eorum ocyor currens, præponat hastæ suæ onus super hominem; omnes simul irruunt, omnium tela simul posita, & apposita apparent, præpositum nullum; quia nullus est, qui in perdendo homine cedat alteri primas. Immensum ab hoc distat nostri Dei bonitas, qui studiose remunerat illum, à quo se videt præueniri in castigandis hominibus. In populum Israëlis vehementer irascebatur Dominus, Num. 25. ob idololatriam. & fornicationes eorum cum Madianitis. Tunc surrexit Phinees, & arrepto pugione perfodit Israëlitem virum, simul cum Moabitide muliere, quo sibi Deum maximè deuinxit: ait enim Dominus, *Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipsi, quam semini eius pactum sacerdotij sempiternum.* Sic Deus munerat hominem fratrum percussorem? Sic honorat eum, qui homines perdit? Non sanè munerat homicidam, sed eum, cuius zelo præuenitur ira diuina; cuius zelo fit, vt iam non necesse habeat Deus accedere ad hominem in ira. Ita D. Isid. Pelus. lib. 3. epist. 159. inquit, *Diuina natura eum qui ante se diuina iracundia exarserat, honore affecit.* Espende illud, *Eum, qui ante se exarserat:* quasi ideò honoretur, quod in ira aduersus hominem primas ferat Deo ipsi.

Num. 25. — Isid. Pelus.

§. II.

Summa miseria illius peccatoris, qui in eos exurgit, à quibus medela ei porrigebatur.

DÆmoniorum pleni miseri homines nudi, ab hominibus deserti, & omni auxilio destituti inter fœtida sepulchrorum cadauera cubabant. Et quis illorum miserescat, quando illi omnes auxilij vias occluderent, in vniuersos pertranseuntes crudeliter, & hostiliter insultantes? Eu, quot sunt huiusmodi in præsenti dæmoniaci; homines peccatorum fœtoribus incubantes, quasi æternæ iam morti deputati, qui feritate sua, & sæuitia eos persequuntur, à quibus medelam deberent sperare. Hos deflet Hier. Thren. 2. aiens: *Magna est velut mare contritio tua, quis medebitur tui?* Furentes fluctus, tempestate commotum mare quis non Neptunus audeat componere? vecors erit, qui accedat compositurus inquietum, & summe alteratum mare, accipiet enim pro mercede naufragium. Huiusmodi est peccator spumantibus libidinis fluctibus inquietus, ira percitus, amentia raptus, in monitores & medicos animæ suæ furiosus, is omnes auxilij vias occlusas habet. Is furentis maris similitudinem exprimit, ait Rupert. *Quia quicumque accedit ad medendum, persecutionem, & mortis patitur naufragium.* Deploratus est ille, cui nequit præstari auxilium, sine auxiliatoris ruina. Qui in salutis suæ procuratores tempestates mouet, naufragia minatur, metuo ne sibi ineuitabilem perniciem pariat. Amos cap. 5. ostendit Deum in robustissimos peccatores implacabiliter iratum. *Qui subridet vastitatem super robustum, & depopulationem super potentem affert.* Et quis est ille robustus, quis est iste potens, super quos Dominus, quasi per risum, vastitatem, & populationem affert? Iam explicat aiens: *Odio habuerunt in porta corripientem, & loquentem perfectè abominati sunt.* Ecce tibi, qui vastitatem, & popolationem à Deo sustineant, nimirum qui potestatis fibulis, & throno elati oderunt corripientes, & perfectè loquentes abominati sunt. Sic D. Hieronym. ibi inquit, *Hi super quos Deus subridet vastitatem, & affert in eos populationem: qui in malo robusti sunt, & ad opprimendum potentes, odio habuerunt in porta, id est, in iudicio corripientem.* Hoc vno saluti aditum occludis; hoc vno vastitatem, & populationem à Deo sustinebis, si de portæ, aut throni sede elatus aduersus eos escandescis, qui te bono animo corripiunt. Igitur qui salutem speras, da operam, ne timearis in correctione. Imò vt apud Matth cap. 5. ait Dominus, *esto consentiens cum aduersario tuo cito dum es in via cum eo.* Iuberis, ne viatores offendas: imò etsi viatorum aliquem contrarium tibi repereris, da operam cito cum illo consentiente. Quem si contemnas periculum incurres, quod meminit Luc. 12. iuxta Augustin. *Si vadis cum aduersario tuo ad Principem, da operam in via liberari ab illo, ne fortè tradat te Principi, & Princeps ministro, & mittaris in carcerem: vnde ne exies donec soluas nouissimum quadrantem.* Scire cupis, quis sit iste aduersarius noster viator, cui cito consentire, & submitti debemus, ne in carcerem, & supplicia incidamus? aduersarius hic est sermo nos corripientis, vitiáque nostra castigantis, quem aduersarium si in via percutiamus, & oderimus, saluti occludimus aditum; si verò illi omninò pareamus, & consentiamus, magnis periculis liberabimur. Do D. August. serm. 1. super Matth. santem. *Aduersarius tuus sermo Dei est. Esto consentiens aduersario tuo cito, cum es cum illo in via. Consenti illi, non enim poteris liberari ab illo, nisi ei consenseris. Vis liberari ab illo, consenti illi. Non homicidium facies, audis & concordasti. Non furtum facias, audis & concordasti. In his omnibus cum tuo ista aduersario concordasti, dic mihi, quid perdidisti? Non solum nihil perdidisti? sed & te ipsum, qui perieras, inuenisti.* Tam longè abesse debes, ab eo quod viatores offendas, quod eos oderis, à quibus ob errores tuos, quibus deuias, corriperis, vt prorsus illis assentiri debeas, non aliter liberari poteris à periculo, quod imminet. Huc aspiciebat Beat. Isai. Abb. orat. 4. afferens Oseam de Ephraim dicentem, cap. 5. iuxta Sept. *Oppressit aduersarium suum, & conculcauit iudicium. Quæsiuit Ægyptum, & in ductus est ad Ægyptios.* Ecce tibi Ephrain apud Assyrios captiuus, à patrio solo irreuocabiliter eiectus, sed vnde in tantum malum incidit? Quid peccauit? Oppressit aduersarium suum, nimirum, noluit consentire cum aduersario suo, imò illum oppressit. Sic dictus Abbas ait, *Hæc Ephraim contigerunt, quia oppressit aduersarium suum*; existimat autem cum August. aduersarium hunc esse bonum monitorem, & correptorem.

Threni. 2. — Amos 5. — Hieron. — Matth. 5. — Luc. 12. — August. — Isai. Abb. — Idem.

Ex Marc. 5. Videns autem Iesum à longè cucurrit, & adorauit eum.

§. III.

Maiora crimina maior sequatur humilitas, si vis Deo placere.

QVidquid Lucas, & Marcus dicunt, non de duobus dæmoniacis asserunt, sed de altero tantum: quia in hoc vno singularia multa inuenerunt, quæ magis & miraculum commendarent, & homines instruerent. Hic vnus legionem dæmonum patiebatur; hic longiorem habuit cum Iesu sermonem; & forsan ipse solus humi stratus Iesum adorauit. Qui enim plurium dæmonum factus erat habitaculum, maiora humilitatis, & summissionis debebat præstare signa, si ea Deo aliquid sperabat, vt vel à dæmone discerent maximi peccatores Deo ea humilitate commendari. Beat. Isaias Abb. orat. 9. ait, *Labor, & paupertas, & afflictio, & silentium & hospitalitas humilitatem pariunt. Humilitas verò veniam impetrat omnium peccatorum.* Quò peccator maior, magis humilitas appareat, quando peccatorum venia filia est humilitatis. Christo recens nato duo se se præsentant fidelium agmina: hinc pastores Iudæi; illinc pagani Magi: de illis solum dicitur, quod gaudio pleni glorificabant Deum, de his habes apud Matth. cap. 2. *Et procidens adorauerunt eum.* Cur hi soli procidunt, & adorant? An quia Magi idololatriæ dediti nocentiores erant, quam simplices Iudæorum pastores? Ita D. August. fatur, serm. 64. *Illi Deum, ex eo quod Christum viderant, laudauerunt, isti autem visum Christum etiam adorauerunt. In illis gratia prior, in istis humilitas amplior. Fortasse erga illi pastores minus rei, de salute alacrius exultabant: isti autem magis multis onerati peccatis submissius indulgentiam requirebant.* Qui pluribus erant sauciati peccatis, maiora referunt signa submissionis, & humilitatis; necessum enim est, vt vbi superabundauit delictum, superabundet pro delicto humiliatio, sicque iustis ponderibus respondeat humilitas peccato. Dauid quondam peccauit, dum se se alienæ immiscuit vxori, & Vriam occidit; sed quis dicat, quantum se pro peccato humiliauit? in cinere, & cilicio versatus est, stratum lacrymis rigauit, filij mortem sustinuit, rebellem filium etiam patitur, à regia cogitur exire pedes; imò fugam init nudis plantis per abrupta montium, & post humilitatem tantam adhoc instat supplicium temporale peccati. Quid plora? Fortissimus, & potentissimus olim Rex sic se abiicit, sic se humiliat, vt in illum puluerem & maledicta vilis homuncio Semei filius congerere audeat. Quæ maior regis humiliatio? Cur Rex sic te pateris humiliari? Pulchrè, 2. Reg. 16. ex D. Ambros. lectione, ait, *Dimittite vt maledicat, quoniam Dominus dixit illi, vt videat humilitatem meam: & retribuet mihi Dominus bonum pro maledicto hoc.* Et quidem vbi summa regis potentissimi appareret humilitas, præclarè prædicebatur omnimoda abolitio peccati, & gratiæ remuneratio. Non antea bonus Rex tribulationem peccatorum suorum finiendam putauit, quam vbi se in eo humilitatis vidit statu, quo abiectior esse non possit alius. Tunc præcipuè peccati præcisionem sperauit, cum non habuit, quid amplius faceret humilitatis, & abiectionis. Am-

Idem. — Matth. 2. — August. — Ambros. 2. Reg. 16.

Ambrof. brof. in Pfalm. 118. Octonario decimo, fic ait, *Dimitte illum, vt maledicat, quoniam Dominus dixit illi, vt videat humilitatem meam: & retribuet mihi Dominus bona pro maledicto hoc. Quod prophetico dixit fpiritu,& probauit euentu.Cum enim repleta fuerit humilitas,peccatum foluitur.* Expende illud, *repleta fuerit humilitas.* eft enim certa humilitatis menfura iuxta menfuram peccatorum; magna perpetrafti peccata? magnam neceffe eft congeras humilitatis molem. Tunc folum euacuabitur omne veftigium peccati, cum æqualis humilitatis mēfura repleta omninò fuerit.Cui accinit Dominus in Ifaiæ cap.40.apud Septuag.dicens. *Confolamini populum meum dixit Dominus,loquimini ad cor Ierufalem,confolamini eam,quia repleta eft humilitas eius,folutum eft peccatū eius.* Quafi tunc de foluto peccato confolationem poffis fperare,cum omnem humilitatis menfuram impleueris.Humilitati ergo ardentius ftudeat,quifquis peccator eft,quam inter omnes alias virtutes præcipuè colat. Quot facinora virtutum Hebræi illi pueri fecerant? Se fe flammis permittunt, & inter flammas humilitatis plena vox illorum refonat. Sic Dan.3. *Peccauimus enim,& inique egimus recedentes à te.* Quod ponderans D.Cyprian. de lapfis alibi etiam datus,ait, *Bene licet fibi confcij,& Dominum fidei,& timoris obfequio fæpè promeriti,humilitatem tamen tenere, nec inter ipfa gloriofa virtutum fuarum martyria deftiterunt.*Non poterat enim dimitti humilitas,vbi de peccatis fermo erat.

Ifai.40.

Daniel.3.

Cyprian.

*Matth.*8. Et clamauerunt dicentes: Quid nobis, & tibi Iefu fili Dei.

§. IV.

Maximè fe ab impiorum moribus viri pij fecernant, ne vel minima illorum in fe habere velint veftigia.

PVdeat viros pios cum impiis communionem habere, vel in calceorum corrigia, quando & impios pudet de bonorum confortio,& fimilitudine. Nónne alienum,& indignum fibi querebatur dæmonū fuperbiffimus Iefu confortium,dum ait in præfenti, & apud Lucam, cap.8. *Quid mihi,& tibi Iefu fili Dauid?* Ideò meritò monet D. Ambrof. lib.de Helia, cap.20. *Et tu dic, fi fortè videris pugnare aduerfum te diaboli tentamenta. Quid mihi, & tibi eft Belial? Ego Chrifti feruus fum:illi me totum mancipaui; quid mihi,& tibi eft? Non noui opera tua, nihil tuum quæro, nihil tuum defidero. Quanto magis nos oportet feparare à diabolo, fi fe ille difcernit à Chrifto?* Pudet prophanos, fi vel in minimis religiofi videantur, cur non pudeat pios,vel prophanorum in fe præferre vmbram? Quis impiorum non fugit iuftorum mores, & confuetudines? Quis mundanus non verecundatur, religiofum vel dici, vel haberi? Quis paganus non maximè abhorret à fanctorum cœtibus? Et tanta eft noftra defidia, vt qui Chrifto nomen dedimus, qui virtuti ftudemus, non omninò fugiamus impiorum & mores,& conuentus. Grauiter pungebat Tertull. lib. de idololatria, veteres Chriftianos, qui ethnicorum feftis intererant, his verbis. *O melior fides nationum in fuam fectam, quæ nullam folemnitatem Chriftianorum fibi vendicat, non Dominicum diem,non Pentecoftem, etiamfi noffent, nobifcum non communicaffent; timerent enim, ne Chriftiani viderentur.* Quid pulchrius? Nullus eft impius, qui non timeat fibi vel ab vmbra virtutis; folus Chriftianus non timet de confortio impiorum impius videri. Nullus eft impius, qui te non fugeret, fi illum velis ad virtutis ftudia trahere, vel per breue tempus; & tamen tu non refugis flagitiorum omnium confuetudinem, & damnofum contubernium. Quid Ægyptia ornamenta Ifraëlitico populo in deferto attulere? Sanè iuffi funt Ifraëlitæ à Deo ex Ægyptiis vafa aurea, & ornamenta pretiofa accipere: Exodi 12. ait, *Fecerunt filij Ifraël,ficut præceperat Dominus Moyfi, & petierunt ab Ægyptijs vafa argentea, & aurea,veftémque plurimam.* Itaque Deo monente, & præcipiente,Ægyptia ornamenta accipit, & feruat Ifraël, quæ ornamenta, quia Ægyptia erant, tandem fcandalo fuerunt Ifraëli,quem in Ægypti idololatriam traxerunt. Sic Aaron cap.32. *Quibus ego dixi: Quis veftrum habet aurum?Tulerunt, & dederunt mihi; proieci illud in ignem, egreffúfque eft hic vitulus.* Non ait, ego feci vitulum, fed ego petij, aurúmque folum igni dedi,& ecce vitulus egreditur;vbi enim aurum Ægypti afferuatur, omnis alia ars, omnis induftria vacat, ipfum per fe fufficit Ægypti idola parere. D. Macharius fenior, hom.11. *Compulfus eft Aaron ducere Ifraëlitis, vt aurea, & pretiofa vafa afferrent: poftea autem illud,& vafa, quæ coniecerant in ignem, in idolum verfa funt.* Equidem quidquid commune cum peccatoribus habeas, quidquid de impiorum confuetudine acquiras,non quiefcet donec in te à vero Deo defectionem parturiat. Non aliud expectet Ifraëlita ab Ægyptiorum ornamentis. Non aliud fperet homo pius ab impiorum communione. Quam putas honeftam confuetudinem: quam putas ciuilem, & vrbanam amicitiam: quem putas ornatum politicum; accedet aliquando diabolicus ignis, quo illa impiorum confuetudo,illa amicitia vrbana, ille ornatus politicus conuertentur fubito in idola, quæ te decipiant. Hinc meritò monebat Ioan. 1. Canonica 5. *Filioli cuftodite vos à fimulacris.* Putarit aliquis, quod Chriftiani fatius monerentur,vt fe ab idololatria cuftodirent, & ab omni cultus errore, quam vt fe cuftodirent ab idolis, & fimulacris, cum potius idola, & fimulacra Chriftianos cōfirmare in fide poffent. Quæ fimulacra ridicula non funt viris prudentibus? Vidi ego fæpè idola gentium, quæ irrifionem potius, quàm cultum elicerent. Quis non rideret Iouem factum taurum ob Europæ amores; Mauortem cum Venere artibus captum à Vulcano in cachinnos deorum, & fimiles alias imagines. Nihilominus nō ait Ioannes,quod cuftodiamur ab idololatria,ab errore, fed ab idolis,à fimulacris ipfis,ab vmbra eorum, quæ æque erit nociua nobis.Id expendit Tertull.lib.de corona militis, aiens. *Filioli, inquit, cuftodite vos ab idolis,non iam ab idololatria, quafi ab officio,fed ab idolis,id eft ab ipfa effigie eorum.* Caueat pius vel impietatis vmbræ communionem.

Luc.8.

Ambrof.

Tertull.

Exod.12.

Exod.32.

Machar.

Ioann.1.

Tertull.

*Matth.*8. Venifti ante tempus torquere nos.

§. V.

Peccatoris hominis propria cæcitas, & intolerabilis eft, errores proprios in fe non videre,in alijs videre & reprehendere.

QVi nihil fciuit facere,nifi tempore, & hora fua Iefus, & omnia temporum momēta difponit,vt fructus fuos reddat tempore opportuno: is à dæmoniaco intempeftiuus rotatur,& nimis properè fuccenfetur.

Non eft Iefus, qui tempus non obferuat, fed tu diabole, es, qui omnia peruertis, & ante tempus hominis elaboras ruinam, quando illum adhuc viuum nigro detines in fepulchro. Sic intempeftiuam à te inuentam ruinam, illam imputas Deo,& quereris, quafi in illo exiftat. Hoc ingenium biberant cum dæmonum cultu Gentiles, qui omnia horrenda. & execranda vitia à fe inuenta primis Chriftianis attribuebant, non alio argumento, nifi quia illa inuenerant ipfi, & in fe non agnofcebant. Quibus ita Tertull. Apolog. cap. 9. *Si hæc in vobis effe confideraffetis, proinde in Chriftianis non effe perfpiceretis,ijdem oculi renuntiaffent vtrumque. Sed cæcitati duæ fpecies concurrunt,vt qui non vident,quæ funt,& videre videantur,quæ non funt.*

Tertull.

Duplex cæcitas in fe nullum videre malum,quod eft; & in aliis videre quod non eft;& hæc illius eft foboles. Qui fe non videt,fic in aliorum caligat operibus,vt in ipfa luce tenebras videat. Sunt quidem & in oculis corporeis duæ cæcitatis fpecies, altera caliginem homini adducit, altera facit impofturam. Verbi gratia fi pupilla oculi aliquo colore per morbidum humorem inficiatur, & obfcuretur, tunc quidquid exprimit tali colore affectum videt, nihílque aliter poteft videre. Et cum color ille pupillæ illapfus ibi, vbi eft,non videatur, in omnibus aliis rebus, vbi non eft,videtur. Ita prorfus mentis oculi à cordis affectibus prauis folent infici, vt proprias quas in fe ignorant prauitates, in aliis, in quibus minimè funt, velint effe. Hoc fe morbo liberum aiebat S. Iob cap.31. *Si fequutus eft oculus meus cor meum.* Is eft impiorum oculus,qui in repræfentando non fequatur veritatem rerum, quæ videntur, fed prauos proprij fui cordis affectus,fine quibus neminem poteft videre. Quò fpectabat D.Ennod.lib.2.epift.16.fatus. *Improborum natura eft, hoc fentire de omnibus, quod ipfi merentur, & in malis folatium nufquam videre innocentiam. Tormenta funt maculatæ confcientiæ non fibi credere effe participe.* Hic eft impiorum turbidus,& infectus oculus nufquam innocentiam videre,fed omnia exprimere, omnes repræfentare illis maculis, quas ipfe habet, nec aliter vnquam impij fciunt cernere.

Iob 31.

Ennod.

Quis magis iniuftus quam Pharifæus ille de fuperbia in Euangelio notus? Ipfe tamen,vbi in cæteros omnes homines coniicit oculos,neminem innocentem vidit,fed omnes

iniuftos

Luc.18. iniustos exprimit. Ait enim Lucæ 18. *Deus gratias ago tibi, quia non sum, sicut cæteri hominum: raptores, iniusti, adulteri: velut etiam hic publicanus*,&c. Sed vnde iste in omnibus aliis tantã inuenit iniustitiam? An tanta erat iniustitia in Abel? an in Abraham? an in Iob? an in Ieremia? Cur neque hos excipit? Cur vel in his putat esse tantam iniustitiam?

Bernard. Pulchrè D. Bernardus de gradibus humilitatis propè initium ait, *Nondum de suo trabem eiecerat. Nam subdit: iniusti, raptores.* De suo sanè habebat, quod neminem videre posset, nisi sub iniustitia; sua erat, non aliorum hæc iniustitia.

Ecce modo duo dæmonia habentes occurrunt Christo Domino, de monumentis exeuntes; habebant enim in monumentis cum mortuis domicilium: & aiunt, *venisti ante tempus torquere nos*. Vnde isti nequam intempestiuitatem

Chrysol. potuerunt videre, imò suspicari in Christo? Chrysologus sermone 16. *Tempus abscindit, prauenit mortem, sepelit viuos crudelitas immatura, & de tempore queritur.* In se ipsis habent intempestiuitatẽ, quam notant in Domino, in quo nulla potest esse intẽpestiuitas, qui solus regnat tempestiuitate sua.

§. VI.

Iniustè queritur quis de sibi illata pœna illa, quam ipse alteri dat.

Nil nouit diabolus loqui, nisi iniustitiam: ecce ipse ante tempus sepelit hominem, illum viuum trudens sepulchro, & tamen queribundus opponit Deo, quod ante

Idem. tempus adueniat punitutus. Pulchrè in illos ait Chrysologus sermone 16. *De tempore sic queruntur, quasi ipsum cum tempore fecerint, vt viuos condiderint in sepulchris.* Quam alteri das pœnam, eandem tibi puta iuste venturam. Qui omnia tempore fecisset suo, nusquam non tempestiuus, nusquam non maturus, subitos & intempestiuos casus à se merito putarit alienos. At, qui vbique intempestiuus, cur similem casum sibi non expectet? Quando vitium non habet parem pœnam? Quando iniustitia non æqualem, & omninò similem tulit supplicij pœnam? iussus Saul à Deo funditus perdere Amalech, ipse speciosa quæque pecorum reseruabat, Regique Agag pepercit. Pro quo ecce tibi di-

1.Reg.15. uina sententia 1. Reg. 15. *Pro eo ergo, quod abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus, ne sis Rex.* Quis tale crederet? Vnde Saul posset sibi timere tam festinatam amissionem regni propter vnam inobedientiam? Equidem is erat Saul, qui occidere voluit filium propter transgressionem vnam proprij præcepti, quando debilitatus Ionathas, & fractus labore belli, inscius paterni præcepti comedit tantum mellis, quantum virgæ cuspide accipere potuit. Qui ergo propter vnicum suum præceptum etiam ignoranter fractum tam seuerus extitit, merito propter obedientiam a se Deo negatam seuerum iudicium sustinere meretur. Hanc red-

Theodor. dit rationem Saulis expulsi Theodoretus quæst. 34. dicens, *Ipse quidem eum anathemate sanxisset, vt nemo sumeret cibum, aut potum, illum quidem, qui ex ignorantia decretum erat transgressus, voluit interimere: cum Deus autem vniuersorum Amalech subiecisset anathemati, non pauca, ac parua aliqua, sed plurima accepit ex anathemate. Non fuit ergo paruum, sed maximum peccatum*, &c. Digna quidem erat Saulis inobedientia tanto supplicio, quando ipse in subditos sibi inobedientes sic sæuiebat.

§. VII.

Væ miseris peccatoribus, qui à Dei patientia securitatem in vitijs sumunt.

Mira dæmoniaci impudentia est post tot miseri hominis carnificinas adhuc causari de Dei aduenientis iudicio, quasi a tam longa impunitate, sæuiendi præscriptionem sibi arriperet. Ait enim, *Quid nobis, & tibi Iesu fili Dei? Venisti ante tempus torquere nos.* Cur ante tempus? an non permissum est tibi per plures annos in homines sæuire? Ideò ante tempus putat: quia cum pluribus sæuierit annis, iam

Chrysol. sæuiendi præscriptionem se habuisse existimat. Ita Chrysolog. serm. 16. *Agnoscit Deum, iudicem confitetur, clamat iudicium se debere, & de tempore præscribit.* Sanè debitum negare non potest, sed ex præscriptione longæ permissionis se se falsò putabat immunem. Ea est impiorum mens, quæ, quia nullum supplicium experitur, sed mediis peccatis suis ingentes percipit felicitates, & diuitias, quo felicitas crescit, & impunitas, eo diuturniores vitæ annos sibi determinat. Impius ille apud Luc. cap. 12. aiebat animæ suæ: *Habes multa bona posita in annos plurimos.* Tam longos præscri- Luc.12.

bit vitæ suæ annos, quàm longam videt rerum abundantiam, & copiam sibi obueuire, ex felici impunitate, de tempore præscribens. Huc spectat Ecclesiastes, cap. 8. inquiens, *Etenim quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore vllo filij hominum perpetrant mala.* Nil sibi timent, nil verentur, dum impunitas, & felicitas suppetit, & vitam longissimam sibi persuadent suppetere: vt apte expendit Catena Græc. dicens, *Quoniam Dei prouidentia propter immensam in tolerandis malis clementiam, non statim in improbos grassetur, nec pœnas illico scelerum expetat, idcirco vir nequam, quasi sit impune laturus, peccandi sibi licentiam diutius persuadet.* Quasi longæuitas addicta sit, & annexa scelerum impunitati, sic impij diutinam sibi præfigunt vitam ex impunitate experta: Oseas 4. *Sicut vacca lasciuiens declinauit Israel: nunc* Osee 4.

pascet eos Dominus, quasi agnum in latitudine. Quæ grandis vacca erat, quomodo statim est agnus? An potest homo repuerascere? Sanè lasciuissimus populus dum se à Deo pasci videbat etiam mediis sceleribus suis, longa facilitate impunitatis, adeò lata vitæ spacia sibi determinabat, vt singulis horis renasci, & repuerascere crederet. Felicior multò est, qui sibi vbique & semper præsentissimum reputat Dei iudicium, & flagellum. Leuit. 10. de duobus filiis Aaron Leuit.10.

dicitur, quod *imposuerunt ignem, & incensum desuper offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat. Egressusque ignis à Domino deuorauit eos, & mortui sunt coram Domino.* Non dilata vltio, sed statim data, vt discamus, vbique præsentissimum Dei iudicium habere. Sic D. Saluia- Saluian.

nus lib. 1. de Guber. ait, *In quibus non iudicium tantum, sed præsens Deus ostendere voluit, imminénsque iudicium. Quid enim aliud, quam extentam super nos dexteram suam, & imminentem iugiter gladium voluit ostendere, qui errorem supradictorum statim in ipso opere puniuit, nec pene prius peractum est facinus peccantium.* Ne putaremus homines aliquod tempus, aut locum esse securum à diuina vindicta.

§. VIII.

Quæ corde tuo tractas facinora, quàm facilè in alijs, vel ab vmbra cognoscis.

Qvi intempestiuam hominum perditionem moliebantur, dum adhuc viuos sepulchris amandabant, in præmaturo Domini aduentu tenebrarum imperium iam perditum ire suspicantur. Vnde hæc tam præscia suspicio dæmoniacis aduenit? Vnde perceperunt, in sui ruinam venisse tam omnibus beneficum, & salutarem Dominum? Sanè non tam aliunde, quam ex eo, quod ipsi in animo suo omnium ruinam & perditionem machinantur. Ea enim est omnium maleuolorum indoles, quæ se in aliis, vel ex vmbra præcognoscat. Accipe Iesum apud Lucam, cap. 18. di- Luc.18.

centem discipulis suis, quod *Filius hominis tradetur gentibus ad illudendum: & flagellabitur & conspuetur*, &c. Quid discipuli? *Et ipsi nihil horum intellexerunt.* Adeò manifestè, & clarè propositam magistri passionem non percipiunt. Aliter apud Ioan. cap. 12. obscurissimè loquutus Dominus Ioan.12.

de sua morte, aiebat: *Ego si exaltatus fuero à terra.* Ad quæ statim Iudæi respondent: *Nos audiuimus ex lege, quia Christus manet in æternum: & quomodo tu dicis, oportet exaltari filium hominis?* Non multum morantur, sed statim, etiam per vocabulum exaltationis percipiunt mortem, & à viuis discessionem. Vnde, quæso, discipuli non percipiunt Domini mortem, quam obscurè propositam statim callent Iudæi? An quia isti acutiores, & sapientiores? Imò quia nocentiores Iudæi, nil animo suo frequentius voluebant, quam mortem, & ruinam Saluatoris, statim illam, vel ex vmbra præsentiunt. Sic Aymon homil. in Quinquag. fatur: *Iudæi* Aymon.

iam conspirauerant in necem Domini, & decreuerant in corde, vt interficerent eum in cruce: & ideò quotiescumque Dominus loquebatur eis de sua morte, facilè intelligebant, quia hoc loquebatur, quod illi corde cogitabant. Discipuli autem credebant eum verum Deum esse, & verum filium Dei: & in tantum diligebant eum, & credebant verum Deum esse, vt non putarent eum omnino posse mori. Quod quisque in se præhabet, facillimè cognoscit in aliis; quisque per suas aliorum metitur cogitationes, & opera. Non meminit in aliis mala, qui totus in beneficentia est educatus. Quidquid accepit Eua, beneuolentiæ signum erat, quando audit, *propter hanc relinquet homo patrem, & matrem*, & inde pergens ad serpentem audit: *Eritis sicut dij, scientes bonum, & malum*: & malum audiens,

non tamen suspicatur ibi latere malum. Cur non suspicatur malum. Ambros. Ambros. lib. 1. de offic. cap. 32. *Si Eua serpenti credidit, quoniam qua beneuolentiam acceperat, esse maleuolentiam non opinabatur.* Quæ beneuolentiæ illudebat, non potuit, vel serpentem de maleuolentia præiudicare. Quod tuo versas animo, id facili negotio præcognoscis in alio. Da nefario spiritu dixit Iob cap. 41. *Omne sublime videt*, vel juxta Theodotion: *Omne superbum intuebitur.* Sed qualis est hæc diaboli malitia, quod omne sublime videat? Non ne etiam sanctissimus Angelus sublimia potest videre, & de facto videt? Sed expende illud, *omne sublime*, vbi per, *omne*, exprimitur quidquid ad sublime tendit, licet à longe, licet remote adhuc eo spectet; quasi diceret, sic totus est diabolus in superbia, in sublimitatibus vt nec superbiæ vmbra, nec fumus, nec paruus conatus, nec minima inclinatio in aliquo incipiat eminere, quam statim malignus spiritus non oleat, non penetret, & vel ex vngula leonem se glorietur videre. Quò spectat Nicetæ paraphrasis aientis, *Omne sublime intuebitur. Totus enim superbia est, nihil humile mente percallet.* Hoc proprium eius, qui excelsa omnia, & alta mente voluit semper, & tractat, qui sublimes agit animos, vt quidquid ad hoc tendere possit, præcognitum habeat, vt ad nullum celsitudinis fumum conniueat, sed vel tuberulæ maculam percalleat.

Iob 41. Theodot. Nicet.

§. IX.

Peccati expulsio maximè exitialis diabolo.

NOn adeò insipiens adulator erat diabolus, qui velit beneficentissimo Domino, & Saluatori orbis, de tormentis, & suppliciis gratulari. Non honori ducit Saluator, quod diaboli torqueantur, sed quod peccata expellantur sic crediderim à dæmonibus non putari tormentum, quod ipsi affligantur, & ab hominibus expellantur, sed quod videant peccata mundi a Saluatore iam obliterari. Nouerunt regnum Dei annuntiari a Iesu, peccatores absolui, vitia eliminari, hoc torquentur maximè, de hoc magis queribundi clamant: *Venisti torquere nos.* Id quod notat Chrysost. homil. in cap. Matth. 13. aiens, *Multo magis dæmon dolet, si peccato superiorem animam prospexerit, quam si ob homine fuerit eiectus.* Peccatis homines implicare maximum, & primum studium diaboli est: hoc si desit, omnia plena tormentis, & cruciatibus habet. Vbi amplissimam a Deo obtinuit potestatem sæuiendi in Iob, mirabile est, vnde incipiat maximè concupitam sibi stragem. Ait enim Iob 1. *Nuntius venit ad Iob, qui diceret: Boues arabant, & asinæ pascebantur iuxta eos: & irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia & pueros percusserunt gladio.* Expende, quibus commisit diabolus primum belli impetum, nimirum Sabæis, cur non potius dæmonum furias vocauit ad certamen? Cur non vsus est carnificibus infernorum? Cur maluit hominibus vti? Non habet diabolus solatium, nisi vbi interest hominum peccatum; nullum ex tota sanctissimi Iobi laniena gaudium, imò immensum tormentum percepisset, nisi in illa peccatum hominis intercederet. Ideò totam illam tragœdiam vt incipiat, Sabæos excitat, qui & latrociniis, & homicidiis, suis in Iobi armenta furiant. Quod notabat D. Zeno serm. de Psalm. 118. *Cum diabolus potestatem Iob tentandi postulasset per direptionem substantiæ eius primum desæuiturus, homines ad pastorum cædes, & ad direptionem pecorum excitauit: vsque in hanc voluntatem latrocinij ascendit.* Hoc vnum æstimat diabolus, hoc vnum anxie prætendit, vt peccatis homines implicentur; cum peccata videt, tunc gaudet, tunc viuit; at vbi virtus floret, ibi suum habet cruciatum, & interitum. Parum curat cætera omnia tormenta, dum excluso peccato virtus floret, in qua sola suum interitum pertimescit. Iob 41. de diabolo, ait, *Repudiauit quasi paleas ferrum, & quasi lignum putridum, &c. Quasi stipulam æstimabit malleum, & deridebit vibrantem hastam: non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est, vt nullum timeret.* Quæ expendens Euagrius in Cat. Græc. sic ait, *Sane nihil Satanam sauciat. Temperantia autem, & charitas eum interficit.* Ecce vobis, qui ridet tormenta, qui vulnerum cruciatus non timet, sub vnius virtutis hasta transfossus ingemit. Quam molem extruxit diabolus, vt Susannæ castitatem expugnaret, vel saltem eius innoxio sanguine turparet populum Israelis! Iam nobilis castitatis propugnatrix fœmina ducebatur ad mortem, iam nefarium illud homicidium instabat, sed per os pueruli Danielis, dum explicatur veritas, adducti sunt senes impij, Dan. 13. *Et interfecerunt eos, & saluatus est sanguis innoxius in illa die. Helcias autem, & vxor eius laudauerunt eum.* Duo simul fiunt facinora in illa die; & Susanna liberatur, & iudices impij interficiuntur: in illius liberatione gaudent omnes, in horum supplicio quis dolet? An credendum est, posse interfici duos senes nobiles sine alicuius luctu, sine alicuius dolore? Crediderim solum diabolum ibi doluisse, qui solus cruciatur, vbi peccata non perficiuntur in homine. Pulchrè D. Zeno sermon. 6. de Daniele, ait, *Gaudent Angeli quod oppressa veritas defendatur in terra; triumphat maritus, quod castam inuenerit coniugem. Lætatur familia omnis, quod in ea nihil insuetas fama, quod ferat. Cruciatur diabolus, quod nulla ex parte suam perfecerit voluntatem: nec adulterium, quod falsum diffamabat, exercuit: nec homicidium, quod procurabat, inuenit.* Hi sunt diaboli vehementiores cruciatus.

Chrysost. Zeno. Iob 41. Euagr. Daniel. 13. Zeno.

Ex Marc. 5. Et interrogabat eum, quod tibi nomen est? Et dixit ei: Legio mihi nomen est, quia multi sumus.

§. X.

Peccantium multitudo tum iuuat ad misericordiam obtinendam, cum pœnitentia iungitur.

QVia multi dæmones miserum homuncionem diuexabant, non ideo Dominus in eos redditur placabilior, quem minimè rebellium multitudo placat. Monebat sic Paul. 1. ad Corinth. 10. *Nolo vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari: & omnes eundem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt (bibebant autem de spirituali, consequente eos petra: petra autem erat Christus) sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo. Nam prostrati sunt in deserto.* Expendit D. Basilius illud, *non in pluribus.* plures enim fuere, qui in Deum rebellarunt, non tamen illis vicit multitudo rebellium; nec quia plures, ideò non adeò seuerum vltorem suarum iniquitatum Deum inuenerunt, imò omnes ab illo castigati sunt Merito ait Basil. regula 11. in titulo cap. 5. *Non est multitudo peccatorum illa, quæ exoret Deum.* Vane confidit peccator in multitudine sociorum, quia multi sunt, qui rebellant, quia omnes; tunc enim solum multitudo rebellium iuuat, quando multitudini accedit pœnitentia, & cor hominis contritum, & animus humiliatus. Iob cap. 7. *Peccaui, quid faciam tibi, o custos hominum? Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam?* Quasi miratur vir sanctus, quod Deus illius nonsemet peccata, & non potius statim soluat. Sed vnde hoc miratur? Plane ex eo, quod iam suggesserat dicens: Peccaui, quid faciam tibi, ô custos hominum? Hoc est, peccaui, & peccatum meum pono coram eo, qui custos hominum est, qui nouit apprimè, quid faciunt omnes homines; qui debet ex officio custodis ad omnes homines respicere illorúmque scire errores. Quod si omnes sciuntur peccatores, cur, qui peccatum fateor, non statim recipio peccati curationem. Ita apud Cyrill. Alex. in Apolog. ad Theodos. se explicat Iob. *Etenim si fieri potest, vt nullo pacto mens humana præuaricetur, inquiras exactissime iuden, obliges iniquitates. Si vero plurimum impingimus omnes & prorsus inculpabiles esse, ipsi soli competit, delictorum oblitionem largiatur ijs, qui imbecilles esse confiterentur.* Vbi enim peccator dolet, vbi pœnitentiam agit maximè iuuat, quod non fuerit in peccando solus, sed potius vnus è pluribus extiterit. Peccantium enim multitudinem in pœnitente iam pridem respexit Deus, vt festinaret medelam. Ita post Niniuitarum saccos, & lamenta ait Dominus ad Ionam cap. 4. *Tu doles super hedera, in qua non laborasti, neque fecisti, vt cresceret: quæ sub vna nocte nata est, & sub vna nocte periit, & ego non parcam Niniuæ ciuitati magnæ, in qua sunt plusquam centum viginti millia hominum qui nesciunt, quid sit inter dexteram suam, & iumenta multa?* Ecce vim argumenti, in eo sita, quod vbi tot millia miserorum sunt, nequeat Deus, & creator illorum suam cohibere misericordiam: sed quando multitudini accedit facti pœnitentia. Quod expressiùs dicitur apud D Basil. Seleuc. orat. 12. apud quem, ait Dominus Ionæ, *Flosculi misereris, ego ciuitati non parcam? Tu quidem peccantes signas oculis: ego vero meorum, quibus, vt peccarent, opportunitas defuit, supra duodecim myriades video. Esto peccatores damnes, quid habes, quo recens natos incuses? Et peccatores facti pœnitentes venerere, & recens natorum rationem habe, me orante.* Expende illud, & *peccatores pœnitentes*: vbi enim pœnitentia intercedit, multum minuit

1. Cor. 10. Basil. Iob 7. Cyrill. Alex. Iona 4. Basil. Sel.

nuit delictum multitudo peccantium, imò multum trahit Dominum, & allicit, vt faciat condemnationem peccati. Theoph. Id quod obseruat etiam Theophylactus ibi apud Glossam aiens, *Grandis erat Niniue, & propterea apud Deum quoque ingens erat, plurimique faciebat eius salutem, vt qui non parum multos homines in eo finxisset, quos omnes seruatum iri vellet.* Quoniam enim plures sunt, qui saluari possunt, eo accepta-bilior Deo eorum pœnitentia.

§. XI.

Sola virtus triumphare nouit, adeò vt etiam diabolus cogatur vti virtutis armis, dum vincere satagit.

VOcauit se legionem nomine bellicæ congregationis: in qua tota firmitudo in ordine stat, vt de virtutum Cant. 6. agmine dicatur Cant. 6. *Terribilis, vt castrorum acies ordinata.* Sed dæmoniorum gens cum sit, in qua nullus ordo, sed sempiternus horror inuitat, cur de virtutum agmine ordinem æmulatur? Cur sub legionis militaris ordine censetur? Sanè non audet sperare victoriam, nisi vbi aliquid in se Iob 1. virtutis studet adumbrare. Iobum debellaturus sic machinas componit cap. 1. *Nuncius venit ad Iob, qui diceret: Boues arabant, & asinæ pascebantur iuxta eos: & irruerunt Sabæi, tulerúntque omnia, & pueros percusserunt gladio, & euasi ego solus, vt nuntiarem tibi. Cumque adhuc ille loqueretur, venit alter, & dixit: Ignis Dei cecidit è cælo, & tactas oues, puerósque consumpsit, & effugi ego solus, vt nuntiarem tibi. Sed, & illo adhuc loquente, venit alius, & dixit: Chaldæi fecerunt tres turmas, & inuaserunt camelos, & tulerunt eos, necnon & pueros percusserunt gladio, & ego fugi solus, vt nuntiarem tibi. Adhuc loquebatur ille, & ecce alius intrauit, & dixit: Filijs tuis, & filiabus vescentibus, & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repente ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos,* &c. Vidisti inuadentium ordinem? Non populariter, non cateruatim, & tumultuosè, sed miro seruato ordine, quisque suum tempus & locum expectat, vt telum telum sequatur, & vulnus vulnus excipiat, feri bellatores nobilem virum oppugnant. Nihil enim audent in iustum, nisi de boni ordinis auxilio, tametsi nihil illis magis contrarium sit, quam ordo, vt qui est inseparabilis comes virtutum. Vo-Chrysost. de rectè fatur Chrysostom. in Caten. Græc. *Sic is qui nostræ saluti inuidit, ordine quodam, cum tamen nihil apud Deum non sit inordinatum, & impium; turri pietatis periculorum machinas admouet.* Ecce vobis diabolus, vt sanctos expugnet, non audet prodire in certamen, nisi prius de sanctitatis castris ordinem mutuetur. Antiquum erat hoc diaboli ingenium, vt à virtute sumat colorem, quo fallat, imò & spicula, quibus penetret animas. Ad primos hominum pa-Genes. 3. rentes sic inquit, Genes. 3. *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno paradisi?* Expende illa verba in fine posita, nimirum, *ex omni ligno paradisi*, quæ vt iacent, dicta fuerant à Deo supra capite 2. vbi sic: *Ex omni ligno paradisi comede.* Cur ergo diabole, Dei verba mutuaris? Cur illa in fine tuæ fallaciæ locas? Nouerat Dei sermonem penetrabiliorem esse omni gladio ancipiti, & ideò in fine sermonis sui verba ponit diuina, vt diabolicum telum de virtutis armis habeat spiculum, quo tutius vulneret, & in Chrysost. captiuitatem abducat. Ad hæc D. Chrysostom. homil. 5. ex varijs in Matth. ait, *Verbis suis quædam dicta Domini sociauit, vt faciliùs suaderet, & suadendo deciperet. Immiscuit verbis diuinis verba nequitiæ suæ, vt per dulcedinem mellis veneno mortis infunderet.* Infirmus diabolus est dum non se armat vel aliqua saltim specie virtutum. Sola virtus est, quæ nouit vincere, adeò, vt vel vna sola virtus multam vitiorum gentem fugere faciat, & integro dæmoniorum exercitui negotium facessat. Id quod in præsenti patet, quando integra dæmoniorum legio in vno homine occupabatur, quæ Idem. tot porcos valuit opprimere, vt notat Chrysost. homil. 5. in Marc. inquiens. *De vno homine expellitur, & in duo millia porcorum mittitur.* Vnus homo, vel de vmbra vnius singularis virtutis armatus negotium facessit dæmonum exercitui. Paul. 1. ad Titum monet Episcopum debere esse, *non vinolentum, non percussorem; sed modestum.* Vbi acutè notat Hieronym. libr. de vnius vxoris viro, & vitiorum infirmitatem, & victoriam virtutis, quando & temulentiæ & iræ vna tantum modestia ab Apostolo adstruitur. *Duabus malis vnum opposuit bonum, vt temulentia, & ira modestiâ refrenentur.* Sufficit vna virtus contra multam dæmonum gentem, & quidem virtus in nullo casu cedit, semper vincit. Habebant Iudæi Apostolos ligatos, & tamen aiunt Actor. 5. *Quid faciemus hominibus istis?* Act. 5. Quæ verba licet in rem similem ponderarim 1. tomo, sed non ita succinctè & arguté, vt Chry-Chrysost. sostom. ponderat homil. 23. in Genes. vbi sic. *Quid dicis? Flagellatis, innumeris malis subornatis, & adhuc dubitatis? Tam fortis, inuictáque res est virtus, dum patiuntur, constringentes vincit.* Quid præstantius virtute?

Ex Luc. 8. Et rogabant illum, ne imperaret illis, vt in abyssum irent.

§. XII.

Locus damnatis deputatus quàm ex se horribilis.

FAteor abyssum propriè significare aquarum immensæ profunditatis voraginem: verum in nouo Testamento abyssus communiter stat pro loco illo profundo damnatis deputato, vt rectè notat Salmeron tomo 6. tractat. 13. cuius loci habitatio adeò ipsis dæmonibus horrenda est, vt tota contentione contendant à Deo ne illuc mittantur. Sed cur tam anxie petis diabole, ne detrudaris in abyssum? Si homines nocere cupis, & ibi eris crudelissimus hominum tortor, ibi laxatis habenis odij poteris in homines sæuire; ibi urdebis, & hic ardes, ibi cruciaberis, & hic cruciaris, vnam hîc potes fingere fortunam, si homines torqueas, quam ibi latissimam habebis. Cur ergo sic exprobras locum, qui tibi fortunatissimus deberet esse, propter hominum tormenta illic peracta? Equidem nihil non horribilissimum est ipsis spiritibus in loco, vbi sempiternus horror inhabitat, qui damnatos omnes, siue Angelos, siue homines ita obseruet, vt non liceat inde emergere amplius. Pulchrè D. Synesius Synes. epistol. 48. amico ad curiam confugienti, ait, *Quod ad Regiam te ciuitatem confers, bene facis. Tametsi enim, vel inter Isaurorum montes prospera fortuna vtereris, nihilominus felicitas ipsa propter locum infelicior est.* Quod si locus aliquis potest facere, quod ipsæ fortunæ ibi & nomen, & rem habeant infelicitatis, is est locus damnatis deputatus, ita per se horribilis naturæ rationali, vt etiam plenus delicijs horrorem causaret. Sanè Virgilius de Ethnicorum errore putabat apud inferos esse amœnissimos campos, Ditis aurea regna, Plutique imperium florentissimum, tamen propter vnius loci subterranei horrorem sic Geor. 1. ad Augustum Cæsarem Virgil. fatur:

——Te nec sperent Tartara regem,
Nec tibi regnandi veniat tam dira cupido,
Quamuis Elisios miretur Græcia campos,
Nec repetita sequi curet Proserpina matrem.

Dira equidem regnandi cupido est, quæ facit creaturam rationalem in inferno esse, etiam vt aurea possideret regna, vt inter floridissimos paradisos vitam ageret. Adde, quod nulli ibi regna, sed perpetua seruitus est; nullæ deliciæ, sed immensi cruciatus, nullus paradisus, sed locus horroris, & vastæ solitudinis. Quis non horreat locum, vbi clausus semel non amplius hanc clarissimam cœli speciem videbit? Vbi clausus ignorabitur in æternum à Deo? hanc inferni clausuram expauebat, Psalm. 68. *Neque vrgeat super me puteus os suum.* Psalm. 68. Quæ verba pulchrè elucidat D. Hilar. Hilar. serm. 2. de Nupt. fatus. *Ideò dixit, neque vrgeat super me os suum: quia cum susceperit reos, clauditur sursum, & aperietur deorsum, dilatabitur in profundum; nullum spiramen, nullus liber anhelitus claustris desuper vrgentibus relinquetur: detrudentur illuc maledicentes rerum naturæ: vltra nescientur à Deo, qui Deum scire noluerunt morituri vitæ, & morti sine fine victuri.* Quis talem non horreat locum? Longè isto erat latior, & solutior leonum lacus, vbi Daniel mittebatur; longè lenior erat teter ille carcer, quem exhorret Calp. Flacci de-Calp. clamabat. 4. *Video carcerem saxis ingentibus structum, angustis foraminibus tenuem lucis vmbram recipientem. In hunc coniecti robur Tullianum prospiciunt, & quoties stridentes ferrati postis stridor excitat, exanimantur, & alienum supplicium spectando suum discunt.* Eu niger carcer abyssus, ingentibus saxis obstructus desuper, ne cœlum videatur inde: nullum spiramen, nullam lucis vmbram habens. In hunc coniecti immensum Dei robur in torquendo experiuntur, & dum semper adiacentium è flagelli stridore, blasphemo gemitu excitantur, continuo sine morte moriuntur, & hinc inde aliena spectando, supplicia sua discunt.

Matth. 8. Erat autem non longè ab illis grex multorum porcorum paſcens : dæmones autem rogabant eum, dicentes : Si eicis nos, mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis : Ite.

§. XIII.

Luxuriæ cœno inuolut, quàm patent hoſtilibus incurſibus.

COnſtricti dæmones ab homine exire, nihilominus audent petere à Deo, vt in porcos mittantur, quaſi id obtinere, fuerit omninum facillimum. Nec falſi ſunt, annuit ſtatim Dominus. Sed vnde hoſtilis legio audet in porcos exurgere? Et cur facilè permittuntur? Rationem ſpiritualem inſinuant Chryſoſtom. & Auguſt. nimirum, quia in porcis homines carnalis voluptatis luto ſepulti arguuntur, qui hoſtilibus dæmonū patent incurſibus. Ideò Dauid poſt adulterium dicebat Natham 2.Reg.12. *Irritaſti inimicos Domini.* quæ verba expendens Cyril.Ieroſol.Catech. 2. fatur, *Multos enim inimicos habebas, ſed cuſtodiebat te temperantia: traditis autem his armis, promptos habebis ſtantes aduerſus te. & inimicos conſurgentes contra te.* Dum Dauid temperantiæ operam dedit, dum caſtè vixit, ſic munitus erat, vt videretur inacceſſibilis inimicis; at vbi ſe cœno voluptatis implicuit, illico patuit hoſtibus, illico inſurgit hoſtis, illico in eum aditum inuenerunt innumeræ hoſtium turmæ. Quid infirmius ciuitate incontinentium? Quid patentius hoſtibus, quam ciuitas fornicatorum? Etſi plena populo ſit, quaſi ſolitudo reputabitur, in qua liceat hoſtibus ingredi, & exire pro libito. Eccleſ. cap. 9. *Ne des fornicarijs animam tuam in vllo, ne perdas te, & hæreditatem tuam. Noli circumſpicere in vicis ciuitatis, nec oberraueris in plateis illius.* Moneris fugere à fornicariis, adeò vt in ciuitatem eorum nec aſpicias, nec teras limina eius. Sed aptius in rem præſentem legit Clemens Alexand.lib.3. Pædag. cap.4. *Ne reſpicias in vicis ciuitatis, nec erres in eius ſolitudinibus.* Expende, quod, vt iubeat, nec in plateis ciuitatis fornicariorum ſis, ait, nec erres in eius ſolitudinibus. An platea ciuitatis frequentiſſimæ ſolitudo eſt? An vbi militat omnis amans, & habet ſua caſtra cupido, ſolitudo eſſe poteſt? Equidem ſola eſt ciuitas incontinentium, & ſine munitione vlla patens omnibus hoſtium incurſibus. Ita Clemens Alexand.ſupra. *Eſt enim verè ſolitudo, etiamſi ſit turba incontinentium, vbi non eſt homo pudicus.* Pudicitia cuſtodit ciuitates, propugnat; incontinentium ciuitas non aliter, ac ſolitudo expoſita omnibus eſt, nemini poteſt reſiſtere : inermis omninò, & ſola patet hoſtium turmis. O quam inexpugnabilis es quicumque pudicitiam non amiſiſti? Recole tibi caſtiſſimam illam fœminam Suſannam, ecce inter nefariſſimos iudices, iā damnata, iam à populo expetita in ſupplicium, iam à ſuis deſerta, iam facta hoſtium præda, & nihilominus, Dan.3. *Erat cor eius fiduciam habens in Deum.* Adhuc inter inimicorum cuneos fidit, cum ſciat caſtitatis murum eſſe integrum, qui, dum integer eſt, ridere ſolet inimicorum incurſus. Pulchrè in rem præſentem dicebat D.Zeno, ſerm.9.de Dan. *Non reſpexit caſtitas, quod falſi dicerent teſtes, aut qualiter iudices circumuenti damnarent : non denique qualiter diabolus infamaret, qui non potuit pudoris fundamenta ſubuertere.* Omnia erant hoſtibus inacceſſa, vbi fundamentum pudoris in Suſanna ſtabat. Tolle caſtitatis pudorem, & etiam in ſecuritate lababis; in pace hoſtiles incurſus paueſces, & de hoſti ſibilo exanimaberis. Impudica illa fœmina, Matth.14. ab Herode petebat in conuiuio : *Da mihi in diſco caput Ioannis Baptiſtæ.* Cur petit ſacrilega fœmina Ioannis caput in diſco ſibi afferri? Cur non potius petit, vt Ioannes ipſe afferatur, ibique in præſentiarum decolletur? Equidem laſciua fœmina, vel morientis hoſtis vocem extimeſcebat. Chryſoſt. homil. 49. in Matth. *Nec poſtulat, vt coram producatur, atque interficiatur. Neque enim etiam ad mortem euntis, libertatem ferre potuiſſet, ſed exhorruiſſet, etiam dum necaretur vocem illius.* Inter regios ſatellites, à regis præſentia cuſtodita, & magnatum, adhuc laſciua puella extremam hoſtis ſui vocem expauit, tantum licet hoſtibus aduerſus impudicos animos.

Chryſoſt. Auguſt. 2 Reg.12. Cyrill. Ieroſol. Eccleſ.9. Cl. Alex. Idem. Daniel.3. Zeno. Matth.14. Chryſoſt.

Text. At illi exeuntes abierunt in porcos, & ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare, & mortui ſunt in aquis.

§. XIV.

Bona temporalia crebris ruinis, & defectibus monent homines, vt caueant diuinam iram.

IN maximum Geraſenorum bonum permiſit Dominus, imo procurauit hanc porcorum ruinam, vt per rerum temporalium defectum de gladio iræ Dei ſtricto moniti Geraſeni, ſe in bonam frugem recipiant. Monebant ſanè bruta, dum ſe in abyſſum dabant, poſſeſſores ſuos fugere à ventura Dei ira, monebant item à peccatorum via reſilire, ne ſimile naufragium facerent. Inſuper proprio præcipitio monebant gladium Dei euaginatum eſſe aduerſus peccatores, in quem ſine dubio incident, qui à peccatis non abſtinent. Num. 22. vbi Balaam ibat maledicturus Iſraël, *cernens aſina Angelum ſtantem in via euaginato gladio, auertit ſe de itinere, & ibat per agrum.* Angeli fugiens gladium fugiebat ipſa, & ne Dominus ſuus in gladium incideret, nullum gradum aſina in via facit, ſed bis, & ter percuſſa ſtat, decumbit humi, reptari patitur, & fuſtibus, & maledictis ab inſcio Domino agi. Ille videns aſinam ſolo ſtratam valde iraſcitur, fuſtibus inſtat, quid plura? *Aperuitque Dominus os aſinæ, & loquuta eſt. Quid feci tibi? Cur percutis me ecce iam tertio? Non ne animal tuum ſum, cui ſemper ſedere conſueuiſti vſque in præſentem diem? Dic quid ſimile fecerim tibi?* &c. Hoc tunc euenit Balaam cum aſina ſua humi proſtrata, ne ipſe incurreret in gladium Angeli, quod quotidie accidit nobis in præſenti cum bonis temporalibus, quæ deficiunt & cadunt monentes nos à gladio Dei ſtricto fugere. Quam allegoriam eleganter tractat Philo Iudæus lib. de Cherubin fatus. *Qualis Balaam, talis vnuſquiſque non perpurgatus, ſemper inaniter culpans negotiatoriam puto, aut ruſticam, aut aliam quamuis facultatem victus parandi. Illæ vero quamuis vocis inſtrumentis careant, re ipſa erumpunt in clariorem, quàm qui per linguam fit, an non nos ſumus illæ, quibus tanquam iumentis inſidebas elata ceruice? Nos ne contumacia noſtra in præſentem calamitatem te coniecimus? Vide reſiſtentem ex aduerſo Dei ſermonem armatum, qui ſolet malum, bonumve definire : non ne vides?* Sic pecuniæ deficientes, ſic officia, negotiatio inutilis, ſic agri ſterileſcentes, ſic vniuerſa bona temporalia in interitum vergentia clamant ad poſſeſſores ſuos, vt videant ex aduerſo diuinum gladium ſtrictum, & ſe recipiant, nec culpent defectus bonorum, ſed potius laudent, à quibus hoc accipiunt monitum, ne diuinam iram incurrant. Habet enim hoc de more diuina iuſtitia in inferendis ſuppliciis, quod ab externorum bonorum ruina incipit, vt inde ſibi caueat peccator, & ab iniquitatibus ſuis fugam ineat. Puniturus Iudæorum peccata, vniuerſum populum intra ciuitatem coëgit, tunc hoſtilem exercitum adduxit, qui ciuitatem vndique cingens, ſegetes, vineas, hortos, olineta, pomaria, lucos, & ſuccidebat coram, & vaſtabat quotidie. Quid in his rebus intendebat Deus? Sanè vt Iudæi ſuorum bonorum ruinam ſpectantes, & notantes hortos deliciarum ſuarum, & lucos, in quibus idola coluerunt, perditum ire, ſtrictum aduerſus ſe gladium diuinum viderent, & erubeſcentes peccata fugerent à Dei ira. Huc ſpectat Iſaias cap.1. *Sion in iudicio redimetur, & reducent eam in iuſtitia, & conteret ſceleſtos, & peccatores ſimul, & qui dereliquerunt Dominum, conſumentur.* Expende illud, *conteret ſceleſtos ſimul*, hoc eſt, ſimul in vnum congregatos, intra mœnia vnius ciuitatis illos tenebit contritio : ſed in tam rigoroſo iudicio, & punitione, adhuc erit vna ſpes redemptionis, & ſalutis, quæ hæc erit? Hortorum lucorúmque primo facta ab hoſtibus vaſtatio, quam concluſi homines videntes, *confundentur ab idolis ſuis, quibus ſacrificauerunt, & erubeſcetis ſuper hortis, quos elegeratis.* Itaque vbi viderint hortorum, lucorúmque vaſtationem, vbi viderint idolorum ruinam, iam credent denuntiatam ſibi perditionem propè eſſe, & antequam veniat, moniti à bonorum ſuorum ruinis, confuſionem peccatorum incurrent, qua iram Dei effugiant. Inde D. Baſil. ibi. *Ingens beneficium confundi, ob rem, priuſquam fieret, denuntiatam. Confundi ergo ab idolis fit hoc cauſa boni eorum, qui ſic confunduntur.* Equidem magnum eſt Dei in nos beneficium, ſic omnia bona temporalia, ſic omnia idola noſtra in primis ferire, vt ab eorum ruinis cum ruborem incurramus, quo maiora in nobis fugiamus mala.

Num.22. Philo. Iſai.1. Baſil.

Text.

Text. Paſtores autem fugerunt, & venientes in ciuitatem narrauerunt omnia, & de his, qui dæmonia habuerant. Et ecce tota ciuitas exiit obuiam Ieſu, & viſo eo, rogabant, vt tranſiret à finibus eorum.

§. XV.

Prudentia carnis malè à Ieſu timet bonis ſuis temporalibus.

DE Græcorum viciniaate ſcioli Geraſeni, vt ſibi in Reipublicæ adminiſtratione ſapientes videantur, ſic deſipiunt, vt Ieſum à ſuis finibus eiiciant, ne plura incommoda eius præſentia bonis temporalibus ſint futura. Graſſata eſt hæc lues per multas ciuitates, quæ Chriſtum, id eſt, eos, qui Chriſtum ſequuntur, ſimili ſpecie humanæ prudẽtiæ ex ſuis expellunt finibus. Quos non tetigit hæc peſtis, qui Deum bonis ſuis temporalibus habent ſuſpectum? Qui ſæcularis non timet ſuis bonis à Chriſto, & à Chriſti miniſtris? Non ſemel reſpublicæ mundiales audierunt illam impiorum vo- Iob 21. cem apud Iob 21. *Qui dixerũt Deo, Recede à nobis, & ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Nunquam putat impius proſperitates ſuas temporales à Deo venire, ſemper in exercitio virtutum timet bonorum ruinam. Si Reſpublica paupertate premitur, hæc eſt ſæcularium vox, quod miniſtri altaris omnia poſſideant. Pauci ſunt, qui non dicant Deo, Recede à nobis, qui virtuti, & Deo acceptas referant proſperitates Rei- Geneſ.27. publicæ. Geneſ.27. Iacobo diſſimulanter inferenti cibos, ait Pater eius. *Quomodo tam cito inuenire potuiſti fili mi? Qui reſpondit: Voluntas Dei fuit.* Quid plura? Poſt experimentum factum, ait Pater. *Vox quidem Iacob eſt: ſed manus, manus ſunt Eſau.* Vnde ſanctus vir nouit vocem non eſſe Eſau, ſed Iacob? An ex ipſo vocis ſono? Credo quod illud nouit ex ipſis verbis Deo tribuentibus, quod felix in cibi inuentione fuerit, dum ait, *Voluntas Dei fuit.* Non enim hæc poterat eſſe vox Eſau ſæcularis, & terreni hominis, qui potius Deum ſuſpectum haberet in inuentione cibi, illa eſt vox piiſſimi, & ſanctiſſimi viri omnia à Deo ſperans, omnia Deo tribuẽs. Baſil. Accinit S.Baſil. in Cat.Græc. vbi ait, *Piam hanc vocem agnoſcens pater in Iacob, vocem eſſe Eſau merito negabat.* Non ſic loquuntur ſæculares, non ſic loquuntur terreni homines, quibus Dei cauſa ſemper ſuſpecta eſt; & cum nihil timeant ſibi à peccatis, & ſceleribus, quæ ſola Deum, & omnia bona tandem fugant, multum ſolent timere rebus ſuis, à ſumptu, qui in Dei cultu, & miniſtrorum eius inſumitur. Vis ſcire, Geneſ.13. quam parem ſibi à peccatis timeãt homines terreni, Gen.13. vbi habitationem electurus Loth introducitur, ait. *Vidit omnem circa regionem Iordanis; quæ vniuerſa irrigatur, antequam ſubuerteret Dominus Sodomam, & Gomorrham, ſicut paradiſus Domini, & ſicut Ægyptus venientibus in Segor. Elegitque ſibi Loth regionem circa Iordanem, & receſſit ab Oriente, diuiſique ſunt alterutrum à fratre ſuo. Abraham habitauit in terra Chanaam: Loth verò moratus eſt in oppidis, quæ erant circa Iordanem, & habitauit in Sodomis. Homines autem Sodomitæ peſſimi erant, & peccatores coram Domino nimis.* Diues regio erat, & amœniſſima, tota deliciis, diuitiis manans, hoc tamen inter tot diuitias erat & ſuſpectum, & metuendum maximè, quod eius habitatores multis ſcatebant ſceleribus, & peccatis. Quid ergo faceret Loth opimitate regionis tactus, nónne rectè metuiſſet opimitati terræ à peccatis inhabitantium? At ille, vt vidit diuitias, non metuit peccata, nec reputat illa ditiſſimam re- Chryſoſt. gionem amplexatus. Præclarè facinus ponderat Chryſoſt. in Cat. Lyppom. fatus. *Vides Loth tantum ſpectantem terræ naturam, & non aduertentem inhabitãtium malitiam? Quæ enim vtilitas, dic oro, ſi terra ſit fructuoſa, & ferax, homines autem adeò mali? Quid damnì ex ſolitudine, & infrugifera terra, ſi homines ſint humaniores? Caput enim & ſumma bonorum eſt inhabitantium gratitudo. Cæterum Loth ad vnum tantum reſpexit, nemoe fertilitatem terræ.* Nihil aliud curant terreni homines, nihil aliud reſpiciunt nihili æſtimantes peccata, à quibus tandem ruina & perditio naſcitur. Debuiſſet equidem bonus vir prius peccata inhabitantium æſtimare, & ex illis conſilium ſuæ electionis trutinare quando ſola peccata, & faciunt ruinas, & ſuſpectas reddunt felicitates. Optarim in quauis Republica plures eſſe cõſiliarios Achiori Ammonitæ ſimiles, qui Iudith 5. Iudith 5. tale conſilium Holopherni dedit. *Nunc ergo mi Domine, perquire, ſi eſt aliqua iniquitas eorum, in conſpectu Dei eorum, & aſcendamus ad illos, quoniam tradens tradet illos Deus eorum tibi, & ſubiugati erunt ſub iugo potentiæ tuæ. Si verò non eſt offenſio populi huius coram Deo ſuo, non poterimus reſiſtere illis, quoniam Deus eorum defendit illos, & erimus in opprobrium vniuerſæ terræ.* Optimus conſiliarius experientia didicerat in populo Dei non poſſe eſſe alios ruinarum fontes, niſi peccata, & ſcelera, quibus Deus offendebatur.

Marc. 5. Cumque aſcenderet nauim, cœpit illum deprecari, qui à dæmonio vexatus fuerat, vt eſſet cum illo.

§. XVI.

Pulchrum gratitudinis exemplum, à Deo benefactore tuo nunquam diſcedere.

QVam gratus permanſit homo iſte, qui à dæmonio vt ſe liberatum vidit per Ieſum ſic Ieſu adhæſit, vt anxiè contenderet, nunquam ſeparari ab illo. Amabat benefactorem ſuũ, cui ſemper adhærere cupiebat. Præclarus enim gratitudinis affectus eſt, benefactori ſuo ſemper adhærere. Cant.2. *Surge amica mea, ſpecioſa mea, & veni. Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.* Cant.2. Expende, vbi habitet Chriſti amatrix, de eius vulneribus redempta, nimirum: *In foraminibus petræ*, quia in his foraminibus diuinæ petræ percuſſæ inuenit pretium redemptionis ſuæ, adeò illis grata extitit, vt nunquam inde ſeparari vellet, ſed ibi cubat, ibi habitaculum ſibi fecit. Quod ponderans D.Iuſtus Orgilitanus, ait, *Habitat in foraminibus petræ, quia ſemper receptaculum habet in his, ex quibus ſanata eſt, vulneribus Chriſti.* Neſcit à tanto benefactore recedere, tunc ſibi putat optimè prouidere, ſi beneficij accepti fontibus adhæreſcat. Non abſimilis huic ſtetit ille gratiſſimus claudus, Act.3. qui vbi pedes ab Apoſtolis accepit: *Intrauit cum illis in templum, ambulans, & exiliens, & laudans Deum.* Actor.3. Non abiit, ſed gratus ſuis ſanatoribus hæſit, nolens ab his ſeparari, Deum ſibi ex gratitudine obſtringens. Chryſoſt. hom.8. *Et qui ſanatus eſt, deinde cum Apoſtolis erat, gratias agens Deo. Et ingreſſus eſt, inquit, cum illis ambulans in templo exultans, & laudans Deum.* Chryſoſt. Habet hoc gratitudinis affectus; nos cum benefactore noſtro adeò iungit, vt ægrè, & difficulter aliqua ſeparatio queat fieri: ſanctiſſimus Ioſeph, vbi Dominæ ſuæ voluptuoſa tyrannide cogebatur à Domini fidelitate diſcedere, quibus ſe armis muniuit, vt nefariam diſceſſionem impediat? Sanè ſolum in auxilium vocat gratitudinis affectum, quo armatus, à benefactore ſuo ſeparari nequit. Etenim in Gen.39. *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat, quid habeat in domo ſua: nec quicquã eſt, quod non in mea ſit poteſtate, vel nõ tradiderit mihi præter te, quæ vxor eius es: quomodo ergo poſſum hoc malum facere?* Geneſ.39. Non eſt potentia, quæ gratum animum à benefactore ſuo ſeparet. Non eſt violentia, quę non frangatur, vbi animũ gratum inuenit. Præclarè D.Greg. in Iob lib.30. c.18. ait, *Bona, quæ aſſecutus fuerat, repente memoria intulit, & malum, quod pulſabat, euicit. Et quia præcepta gratiæ meminit, vim culpæ imminentis fregit.* Gregor. Felix, qui ſummi benefactoris noſtri Dei meminerit, ſic illi adhærebit, vt nulla violentiæ tyrannide poſſit ab eo diuelli: ſic Deum ſibi obſtrictum habebit, vt pene ſeparari nequeat. Ingratus autem animus à ſe longiſſimè fugat benefactorem Deum. Exod.32. *Videns populus, quod moram faceret deſcendendi de monte Moyſes, cõgregatus aduerſus Aaron, dixit: Surge fac nobis Deos, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit.* Exod.32. Expende illud, *fac nobis deos.* Vbi verus Deus erat? Cur verus Deus ab illorum mente adeò fugerat, vt nec memoriam ſui relinqueret? Sanè ingratiſſimi beneficium, quo ab Ægypto erepti erant, non Deo Auctori, ſed Moyſi tribuunt, quo longiſſimè à ſe ablegant Deum. Chryſoſt. hom.17. in Acta, fatur. *Quid dicis? Moyſi, qui eduxit nos; non ſpectas eum, qui eduxit, ſed negas beneficium, & benefactorem fugas? Moyſi, illi inquiunt, qui eduxit nos de Ægypto, nuſquam Dei nomen, ſed omnia Moyſi tribuunt.* Chryſoſt. Cur adeo ingrati Deum à ſe non fugarent, & longiſſimo ſepararent ſpatio?

Text. Et non admiſit eum; ſed ait illi: Vade in domum tuam ad tuos, & nuntia illis, quanta tibi Dominus fecerit, & miſertus ſit tui. Et abiit, &c.

§. XVII.

Non impatientes, ſed conformes Dei voluntati ſimus, in quauis minima ſanctitatis menſura conſtituamur.

NOn vocat, imò nec admittit hominẽ in ſui ſequelam, ſed potius mittit illum in domum patrum ſuorum,

vt ibi agat inter sæculares curas. Nec ille repugnat, nec tristitia afficitur, quod inter sæculares relinquatur, sed Dei voluntatem abiens sustinuit. Vtinam discant omnes sic Deum sustinere in parua sanctitatis mensura, quando ad altiora non vocantur, nec admittuntur. Hæc erat illa otiositas, quam sustinebant, qui vltimi ad Christi vineam vocati sunt: quibus dicitur, *Quid statis tota die otiosi?* Non otiosi erant, ita vt desidia torperent, sed qui vellent conduci, & vocari ad opera, relinquebantur otiosi, nec tamen ipsi in conductorem, & conuocatorem irascebantur, quod eos non vocaret, sed patienter sustinebant otiositatem illam, quod non paruum pondus virtutis habebat. Vnde meritò Origen. homil. 10. in Matth. 1. ait, *Nos non portauimus pondus diei, & æstum; portauimus autem pondus, eo quod stetimus otiosi, antequam pater familias veniret ad nos, qui dixit: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis. Onus erat enim otiositas ipsa, & quod non iudicabamur vtiles ad opera vineæ digni.* Felix, qui nouit hoc onus patienter sustinere, nimirum, quod relinquatur, ab operibus perfectionis otiosus, quod non putetur dignus trahi ad præstantissima facinora Christiani laboris. Qui hanc vacationem, & otiositatem sustinet, non mediocre habet virtutum pondus. Huc spectat Dominus apud Isaiam, cap. 56. fatus. *Non dicat Eunuchus: Ecce ego lignum aridum. Quia hæc dicit Dominus Eunuchis. Qui custodierint Sabbatha mea, & elegerint, quæ ego volo, & tenuerint fœdus meum: dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis, & filiabus*, &c. Sanè, qui longo filiorum examine vident repleri Ecclesiam Dei ab Apostolicis viris, possent dolere si sese videant à simili opere excludi, nec ad tanta facinora vocari. Minimè tamen doleant, etiamsi steriles habeantur, & inoperosi, imò sustineant suam vacationem; hoc tantum ab illis petitur à Deo, *vt custodiant Sabbatha mea, & eligant, quæ ego volo*, ne velint operari, quod Deus non vult, sed potius sabbatizent, & vacationem facinorum sustineant, se diuinæ voluntati conformantes, quo non mediocris laboris præmia reportabunt. Ab hoc stat D. Basil. lib. de vera virginitate aiens. *Qui custodiunt, inquit, Sabbata mea, & eligant, quæ ego volo. Sabbatum verò non in opere, sed in operum cessatione intelligitur.* Hi ergo in diuina domo & locum, & nomen celebre habebunt, qui nouerint, se in operum cessatione diuinæ voluntati conformare. Caueat autem quis ad se altiora prosilire non vocatus, forsan, vbi coronam quærit, inueniet damnum. Luc. 19. vbi Zachæus arborem ascenderat, dicitur illi à Deo, *Festinans descende.* Cur hominem ab arbore descendere iubes adeò festinanter? Nónne vniuersis dicis: Tollat crucem suam, & sequatur me? Hic in cruce est, & iubetur, quod festinus descendat. Planè ascenderat ante vocationem, ascenderat adhuc cruci ineptus, ideò iubetur descendere, ne offensionem inde capiat. Chrysolog. serm. 54. *Descende, vt deponas tanta fraudis onera, pondera cupiditatis, vsurarum molem, magisterium publicani, expeditus intres paupertis scholam, discipulatum misericordiæ, studia virtutum, philosophiam mortis, atque inter vitalis ligni ardua iam perfectus ascendas.* Non ardua crucis negotia prosunt, sed officium viris imperfectis; non cuiuscumque est ad crucis ardua prosilire, vt dicat Diuus Isaias Abbas Apophthegmate 8. *Si mens antequam sensus domet, velit in crucem conscendere, prouocat iram Dei. Rem enim viribus suis maiorem aggreditur.* Consultius equidem agit, qui cessationem ab opere patienter sustinet, quam qui imparatus, & minimè vocatus ad altiora se porrigit. Mare olim scissum fuit in duas partes, vt Hebræi ingressi vocationem Dei sui sequerentur; vidit Pharao scissum mare, vidit & Hebræos gradientes per illum, & ipse audet etiam mare ingredi, vbi miserabiliter periit. Multa aduersus Deum Pharao fecerat, & nunquam mulctatus est, sed tunc mulctatur, cum audet eandem, quam sanctis mare fecerat, viam, ipse pergere. Pulcrè D. Basil. orat. qua probat Deum non esse malorum authorem, ait: *Comperit Deus Pharaonem patientia, ac lenitatis suæ esse contemptorem, ipsoque vsu aduersus plagas occalluisse. Et tamen, non si quidem illum morte mulctauit, donec se ipse submergeret: cum ausus esset præ superbia, eadem, qua iusti, via insistere prorsus vt Dei populo sic etiam sibi peruium fore mare rubrum.* Caueant non vocati in sanctorum fauores, & vias prosilire, nec velint ibi misere confundi. Prudentius agent, si sanctitatis gradus diuinæ voluntati permittant. Matth. 8. dicebat ille, *Sequar te, quocumque ieris.* De quo Chrysolog. sermone 19. *Dixisset cautius, sequor te quocumque iusseris: humanius certè, quocumque volueris.*

Origen. Matth. 1. — Isai. 56. — Basil. — Luc. 19. — Chrysol. — Isai. 8. — Basil. — Matth. 8. — Chrysol.

CAPVT III.

De dæmonio muto.

TER dicitur Iesus hominem à dæmonio mutum sanasse. Primo apud Matth. cap. 9. Secundo apud eundem, cap. 12. Tertio apud Lucam cap. 11. An, quia tres distincti fuerint à Domino sanati? Negant plurimi tres fuisse homines sanatos, sed nec vnum tantum fuisse, certissimum est: non enim Matth. idem id à se narratum miraculum repeteret. Itaque alius est, qui Matthæo sanatur, cap. 9. alius, qui sanatur, cap. 12. vter horum sit, qui refertur a Luca, in dubium vocari potest, quando multi Doctores ex Matth. 12. & Luc. 11. idem miraculum attribuunt Saluatori: quibus consonant adiectæ vtrobique circunstantiæ, nimirum Iudæorum calumnia, Christi Domini responsio, & doctrina: verum Maldonato nostro, qui à Matth. cap. 9. & qui à Luca in præsenti refertur, mutus idem habetur. Ego in adeò similibus distinguendis non multum moror, eundem ex vtroque doctrinæ succum eliciturus.

Luc. 11. Erat Iesus eiiciens dæmonium.

§. I.

Iesus semper dæmonio exitialis, hominibus salutaris.

ECce tibi iuxta nostri Maldonatus sententiam, qui primo offertur Domino dæmonij infestatus hospitio: sed non tunc primo Iesus dæmonio exitialis extitit; notanter enim dicitur, erat Iesus eius eiiciens dæmonium, vbique illud, *erat*, antelucanam, imò æternam dæmonum impugnationem & expugnationem pro hominibus à Iesu susceptam, explicant. Non enim est Iesus eiiciens dæmonium, nec fuit, sed quo erat verbum apud Deum, erat eiiciens dæmonium; sic ipse fatetur apud Luc. c. 10. *Videbam Satanam, sicut fulgur de cælo cadentem.* Vbi Rupert. lib. 1. de Vict. Verb. c. 23. expendit illud, *videbam*, de æterna à verbo peracta Satanæ reprobatione, & eiectione. Nunquam Satanas verbi Dei non sensit spicula, nunquam non sustinuit verbi Dei impugnationem. Vix primo vitæ mane Lucifer radiauit, & hominibus inuidiosus ausus est in humanam salutem excandescere. Proh Deus immortalis! Statim prosiluit Dei sermo, vnigenitus Patris, tanquam durus debellator, & omnia morte repleuit. Id quod meditatus D. Bernard. serm. 17. in Cantic. sic finit descriptionem duelli. *Quomodo me amas Deus meus, amor meus? Quomodo me amas, vbique recordaris mei, vbique zelans salutem egeni non solum aduersus homines superbos, sed etiam aduersus sublimes Angelos? In cælo, & in terra iudicas Domine nocentes me, expugnas impugnantes me.* Siue in cœlo furiat hostis in homines, siue in terra homines violenter subiiciant; vbique Dominus salutaris hominibus, exitium dæmonibus parat. Sanè Matth. 8. sic Saluatorem hominum dæmones euolgabant, *Quid nobis, & tibi Iesu Fili Dei. Venisti huc ante tempus torquere nos?* Sed vnde pessimi hi filium Dei norant? An, quia se torqueri vident, & excogitari? Prorsus Orig. hom. 3. in Exod. *Vbi tormenta*, inquit, *senserunt, sciunt Dominum.* Vbique Dominus pro hominibus stat. Vbique dæmonibus exitialis. Vbi hominum salus, extortis, & expugnatis dæmonibus paratur, signa Deum nosco per sua, Deus, Deique filius astat. 1. Reg. 16. maximè Saulem dæmon vexabat, in cuius remedium adducitur Dauid, de quo sic ibi: *Quandocumque Spiritus Domini malus arripiebat Saulem, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & leuius habebat, recedebat enim ab eo spiritus malus.* Vnde Dauid tam exitialis diabolo? Vnde diabolus sic timebat Dauidem, vt ab eo fugeret? Sanè erat iam in lumbis Dauid Iesus, cuius vel vmbra deterret vniuersas dæmonum phalanges. S. Basil. Sel. orat. 14. *Ne mireris, si tam regno in dæmonem etiam vires acceperit. Nam Christi Pater Dauid fuit, vnaque cum regia dignitate, dominicæ incarnationi promissiones accepit. Vbi enim Christi memoria, dæmonum est pernicies.* Quid plura? Vide à principipio Deum occupatum in parando hominibus regnū, exitium diaboli. Etenim, vbi cœlestia cōdebat, vbi immortales glorias in cœlestibus conglomerabat, non aliū, quam hominem, in primis meditabatur: vbi autem in terræ visceribus atros ignes, duros carceres,

Luc. 10. — Rupert. — Bernard. — Matth. 8. — Origen. — 1. Reg. 16.

catena

catenatósque labores recludebat, non hominem, se hominum aggressorem diabolum mente agitabat. De vtroque Matth. 25. apud Matth. c. 25. loquitur ipse Dei filius; saluandis enim hominibus ait, *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum ab origine mundi.* Et deinde ad perituros conuersus, ait, *Discedite à me maledicti in ignem aeternũ, qui paratus est diabolo, & Angelis eius.* Quibus maximè expendo, quò tenderet vniuersum Dei opus, nimirum, vbi ignem, vbi carcerem, & supplicium condebat hominum immemor, diabolum, & Irenæus. Angelos eius spectabat. Vt merito dicat Iren. lib. 3. cap. 35. *Non homini principaliter praeparatus est aeternus ignis: sed ei, qui seduxit, & offendere fecit hominem, & his Angelis, qui Apostatae facti sunt cum eo.* Vniuersus Dei nasus pro hominibus vindicandis aduersus dæmones acuebatur, eò tendebant Dei iræ, eò verbera; at eiusdem magnifica bonitas nec Angelorum meminit, quin prius de hominum coronis cogitaret; ait enim, *quod vobis paratum est ab origine mundi.* Id quod pulcrè, Damasc. & sapienter meditatus Damasc. serm. de defunctis, ait: *Num Angelis honorem, & coronas hac praeparauit? Num, vt caelestes meates saluaret, in terra comparauit? Num Angelis dicet: Venite benedicti Patris mei, regnum vobis paratum in haereditatem accipite? Non potest hoc dicere, ô contradictor, sed omnia propter hominem, sicut posset est, ita & procreauit.* Itaque hoc in primis alta in Dei mente repostum erat vt homines bearentur, nec vnquam hominum hostis appareret, qui diuinas in se non experiretur manus. Prius nouit propter homines cadere eorum hostis, quam vincere, antiquitus à Dei verbo prostra-Isai. 14. tus. Hinc eius contemnens vires Isai. c. 14. aiebat *Quomodo cecidisti Lucifer, qui mane oriebaris?* Quasi rideret potestatem hostis à primis incunabulis docti cadere. Qui mihi hostis es, qui mihi venis aduersarius, primo vitæ lumine sic cæcotis, vt offendas ad angularem lapidem. Eo respiciebat D. Antoninus Episcop. Constantiensis epist. ad Arcadium Christi exulem, dum sic illum in exilio consolatur. *Ipse tecum Archangelus, qui cecidit, pugnat, ipso tecum luctatur, sed tecum est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.* Expende illud, *qui cecidit*, vt rideas hostem, qui simul cum vita inuenit casum, cui adnata ruina est in hominum causa, qui antiquitus sui euersorem, & hominum defensorem Deum habuit.

§. II.

Ante nobis erat Saluatoris auxilium, quàm hostium impetus.

O Quam antiquitus nobis aduersus diabolum Christus aderat! Sanè antelucani, & præmaturi auxilij sapor, in verbo illo, omnium, *erat Iesus*, licet cogitari. Ecce primum Dei opus homines aduersus diabolũ iuuare; ait enim Genes. 1. Genes. c. 1. *In principio creauit Deus caelum, & terram.* Quid per cœlum, & terram, nisi cœlestis, & terrenus, Deus, ho-Anastas. mo Iesus significatur? Ita D. Anastasius Sinaita ait, *placuit Deo, vt fieret caelum, tanquam Deus, & terra Iesus homo.* Nondum casuros Angelos fecerat, nondum hortus conditus erat, nondum serpens fabricatus, & iam Iesus homo monstrabatur. Qua rei causa? *Sciebat Deus*, ait ille, *fore, vt haec sensibilia paterentur, & male afficerentur, & contemperentur à peccato Adae: quare sua benignitate praeuenit malis, quod mundus erat passurus incursionem; ante vitium, & morbum parans remedium.* ante diaboli in homines incursum, nobilem Saluatorem Iesum meditans; quamuis enim bellum aduersus homines diabolus maturarat, non prius sagittas igneas contorsit, quam esset nobis præ manibus, non plus festinauit captiuitas, quam Saluator, de cuius antelucano remedio hostiles omnes incursus eneruantur. Habes apud L X X. Prou. 8. Septuag. Prouerb. 8. hæc verba, quibus se genita sapientia iactat. *Ante saeculum fundauit me.* Hoc est, præuentra est humana ædificatio, antequam hostiles pateretur incursiones, imo antequam fieret, ab angulari lapide Iesu, quo ruinas Cyrill. eliminaret. Ita eleganter D. Cyrill. Alexand. lib. 5. Thesaur. c. 8. fatus: *Persundatur ante nos Christus, & in ipso nos omnes superaedificamur: idque ante initium mundi in praescientia Dei, vt cum ordine diuino benedictio maledictionem antecesserit, & damnationem in mortem vitae pollicitatio, seruitutem diaboli adoptionis libertas, possit natura humana superatis malis, in pristinam per gratiam Christi, dignitatem recurrere, & talis fieri, qualem Deus ex charitate per filium suum futuram constituit.* Quibus pondero, quanto nostro bono Christi auxilia antecedant hostiles incursus. Eò Christus tendebat, ne suorum præueniretur malis, ne quid aduersi suos premeret, quod ipse ante non præcauerat auxilius. Hinc centurio ille apud Matth. c. 8. vt vidit puerum à morbo excruciari, & nihilominus notauit Christum aliò diuertisse, & quasi per alia negotia distrahi, illi occurrens, ait, *Domine puer meus iacet in domo paralyticus.* Dixisset vrbanius, & modestius, puer tuus, seruus tuus, siquidem cum omnium Domino loquebatur, maluit tamen rusticitatis notam incurrere, dum ait, puer meus iacet. Cur non potius puer tuus? Pulchrè, & acutè apud Chrysol. serm. 15. se excusat. *Hunc tuum dicerem, quem iacentem tua benignitas non requirit?* Solet Christiana benignitas suorum præuenire mala, minime putarim suum esse, quem nec dum requirit infirmum, quem infirmum non meminit, & aliò transiit. Matth. 8. Chrysol.

§. III.

Vnus Iesus pro vniuersis armis aduersus diabolum.

VBi aduersus diabolum Iesus stat, nil requiras aliud: in vno enim Iesu habes omnia, quæ timeat diabolus, arma. Hoc monebat D. Paul. ad Ephes. 6. *Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli.* quæ verba explicans D. Athan. quæst. 13. legit, *totam armaturam Dei*, quasi vnus is possit aduersus diabolum stare, cui nil desit de Dei armis, qui totam armaturam Dei sibi nouerit aptare. Sed vbi totam Dei armaturam inuenies? Iam loquitur D. Hieron. fatus. *Induite vos omnia arma Dei. Quae autem alia arma Dei possumus existimare, quibus induendus est qui habet aduersus diaboli dimicare versutias, excepta virtute, quae Christus est?* Vnus Christus in mundum veniens, omnem Dei armaturam, quam fugiat, & expaueat diabolus, nobis attulit. Hanc Christianam armaturam crediderim ostendi ab sponsa militanti, Cant. 1. dum ait: *Ordinauit in me charitatem.* quasi præseferens diploidem, qua à Christo aduersus hostes vndique cincta, & armata est. Armata, inquam, ex charitate Christiana, seu ipso Christo: in quo, & per quem vniuersæ armaturæ genus accepit, vt possit omnem hostilem impetum effugere. Huc spectat D. Isidor. Pelus. lib. 4. epist. 5. dicens. *Deus verbum in terras venit, nobisque charitatem, quasi quandam Angelicam stolam construxit, in qua vniuersam virtutis armaturam fabricauit.* Hoc nobis attulit numinem Christi aduentus, ne qua armatura indigeremus, sed in eius charitate radicati, omnibus communiti armis, nullum diaboli incursum expaueamus. Accinit D. Athanas. lib. 3. contrà Arianos, fatus, *Sed omnia in omnibus erit Christus. Vbi porro Christus, quod genus ibi metus, aut periculi fuerit?* Lateronem Christum habes? Omnia Dei arma in promptu habes, nullum telum hostis expaueas, pugnabit diabolus, ignita in te eiaculabit tela, sed fortior tibi astat Christus, qui antiquitus nouit hostem supplantare. Accipite D. Cæsar. Arel hom. 19. pulcrè in hæc verba disserentem. *Si Deo coniuncti sumus, quomodo potest fieri, vt diabolum timeamus? Talem imperatorem tecum habes, & diabolum times? Sub tali rege militas, & de victoria dubitas? Aduersatur quidem quotidie diabolus, sed praesto est Christus, ille vult premere, iste leuare, ille vult occidere, iste viuificare, sed securi state, plus valet ad egrediendum Christus, quam ad deprimendum diabolus.* Iam non timebo in medio vmbræ mortis, in ipsis draconis faucibus, dum mihi Christus adsit. Nónne vna præsentia Christi fidelium patrum animas apud inferos delitescentes, ibi in ipso carcere reddidit tyrannis dæmoniacis formidabiles? Sed quando de Christi præsentia, etiam intra inferos præualebant sancti, vide ob eiusdem absentiam, quam male apud homines diabolicos haberent Apostoli, propter metum Iudæorum clausi. Id ostendit Psalm. 10. ex lect. August. aiens. *Peccatores intenderunt arcum, vt sagittent in obscura Luna rectos corde.* In medio tenebrosi carceris, in regione vmbræ mortis, vbi iustitiæ Sol Christus splendebat, sanctorum res erant in toto; at in mundo, vbi sancta humanitatis Luna intra sepulchrum ab oculis abscondebatur humanis, eu, quam nubila erant omnia Apostolorum! Quot tela, quot igneæ sagittæ aduersus illos volabant! Ita D. August. meditatur. *Obscurata est caro Christi de cruce deposita, & in sepulchro posita, & illi, qui occiderunt, insultauerunt, & nondum surrexerat, & sagittare sunt discipulis rectis corde, sed in obscura Luna.* Etsi in hostis vnguibus sis, etsi nodus, omnibus te crede Dei armis munitum, si vnum lateronẽ habeas Christum. At è contra, omnia licet habeas arma nodi, inermis patebis, vbi defuerit tibi Christus. Ecce tibi Philistæus ille 1. Reg. 17. ferro vndique tectus, in fronte accepit à Dauidico lapide mortiferum vulnus. De quo D. Ambros. serm. 88. ait, *In qua corporis parte percutitur? In fronte scilicet.* Ephes. 6. Hieron. Cant. 1. Isid. Pelus. Athanas. Psal. 10. August. 1. Reg. 17. Ambros.

Gentilis enim homo, & sacrilegus ibi percutitur à Christo, vbi deerat Christus, & ibi ei infertur mortis exitium, vbi signum salutis non inuenitur. Quamuis enim esset Golias vndique armorum protectione munitus, fronte tamen eius patebat ad mortem: quia signaculum Saluatoris non gestabat. O te felicem hominem, cui adstat Christus! nihil tibi deerit ea tota Dei armatura, vt possis te ab hostilibus incursibus facilè expedire.

§. IV.

Sola Iesu præsentia vniuersas fugat incursiones malas.

Cæsar. CVr ad Iesu præsentiam auderet stare diabolus? Non ne ait Psaltes, *mare vidit, & fugit.* Quid vidit? Cæsarius Arelat. homil. 4. de Pasch. ait, *Sine dubio illud terribile profundum assistentis inhorruit maiestatem, & ad præsentiam sui cessit auctoris.* Non sustinet malus genius Iesu præsentiam, adeò, vt ea eo, quod mors auderet in Lazarum, Fulgent. confundat D. Fulgentius eos, qui Iesum vbique præsentem statuunt. Sic enim ait lib. 2. ad Thrasymund. Regem, cap. 17. *De Lazaro quoque cum dixisset: Lazarus mortuus est, adiunxit dicens: & gaudeo propter vos, vt credatis, quia non eram ibi.* Quia non credat Iesum minimè adfuisse Lazaro, Nissen. vbi illum à morte correptum vidit? Sanè prudenter Nyssenus lib. de creat. hom. cap. 26. ait, *Lazarum Dominus quamuis amicum distulit visitare, & ab ægrotante procul affuit, vt absente vita, mors aditum reperiret.* Præsente quidem Iesu, non aditum quærit reperire malus genius, sed exitum, sed effugium, quo sese fugæ committat. Id nouerat mulier Matth. 9. illa infirma, quæ apud Matth. cap 9. *Dicebat intra se, si tetigero tantum vestimentum eius, salua ero.* Non magnos Saluatoris conatus, non grandes in Ieso artes, non longa in tanto medico insomnia requirebat, vt aduersam fugaret valetudinem. Tantum stet Iesus, nihil agat, me appropinquare patiatur, & me infirmitas fugiet. Præclarè id Isid. Pel. notat D. Isidorus Pelus. lib. 3. epist. 120. dicens. *Ea fimbriam tetigit, Christus id passus est, ac morbus profugit.* Expende illud, *Christus id passus est:* nimirum passiue se habuit Christus, non sese in arma egit aduersus hostem, vnam permisit suæ præsentiæ appropinquationem, & statim morbus profugit. Non eget Christus Dominus maximam suam vim exerere, vt mala depellat, dum se tantum passiue habeat, seu permissiuè, ipsa mala, quasi in eius præsentia violenta stent, protinus aufugiunt. Violentorum est, cum permittuntur, summa celeritate discedere, sic mala omnia adeò violenta erant in conspectu Iesu, vt sine nouo impulsu, solo permissu fugam quàm primum arripiebant. Luc. 17. Leprosi illi septem, vbi conueniunt Iesum, iubentur ire, vt se sacerdoti ostendant, Luc. 17. *Et factum est, dum irent, mundati sunt.* Cur in via abit lepra? Cur non spectat accessum templi? Vbi oculos Iesu passa est, non sustinet moras, sed celeriter contendit abscedere. Audi D. Basil. Se- Basil. Sel. leuc. orat. 36. ita fantem. *Quæ ad oculos vsque Domini tyrannidem exercuerat lepra, videndo tyrannidem desijt, nec vltra apparet celeriter ad imperium fugiens patientem.* Vidi ego sæpe influxibus, & refluxibus maris, cum mare exundat, quam lentè fluctus serpunt, quam blandè, & plumbeo pede ostendunt augmentum; at vbi ad præfinitum terminum accedunt, & lineam vident, quam præterire nequeunt, statim præcipiti, rapidóque refluxu, summa celeritate in proprium locum recedunt. Sic mala, quæ lento passu, plumbeo pede homines occupabant, vbi Iesum vident omnium malorum finem, rapidissimè abscedunt. Abac. 3. Notanter aiebat Abacuc cap. 3. *Egredietur diabolus ante pedes eius.* Nondum Iesus potentiam in brachio suo facit, solum mouet pedes, vt accedat, & ecce diabolus fugit pernix, vnde interlinealis posuit, *eo intrante fugit diabolus.* Pro quo expendo, quod vt Deus dona sua largiatur, gratiam infundat, ibi manus suas applicat, quasi id sit pro- Psal. 144. prium eius opus, Psalm. 144. *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Verum, vt peccata fugentur, vt diabolus abscedat, quasi abscondit manus suas Deus, & solum memorantur pedum eius gressus: *Dimittuntur,* ait, *peccata tua.* Vbi ibi manus? *Egredietur diabolus ante pedes eius:* sufficit Iesu accessus, vt vniuersa mala fugam Bernard. meditentur. D. Bernard. in Cantic. serm. 6. *En secus corporales pedes iacens audit peccatrix: Remittuntur tibi peccata tua, & recognoscit eum, de quo legerat: Egredietur diabolus ante pedes eius.* Recognoscit Iesum, qui sine manibus, sola sua præsentia, noxias fugat vniuersas.

§. V.

Væ cui non adest Iesus, cum in manus dæmonis incidit.

DOlenter spectas hominem à Satana vexari, & quasi absorberi, an magna huius miseria est? Non equidem magna, quando simul illi Saluator adstat. Minimè timeas, & efferas draconis fauces, vbi senseris tecum Domini manus. Ionas cap. 2. absorbendus mittebatur in ma- Ion. 2. re, *& præparauit Dominus piscem grandem, vt deglutiret Ionam:* siccine Deus figmento tuo, belluam inhiantem paras? Naufrago astas, & fauces illi præparas, quibus glutiatur? O felix hominis naufragium, vbi Deus adest, vbi Domini sentitur manus præparans belluam! Quid Dominus in bellua præpararet? Pulchrè Diuus Hieronym. *Vt* Hieron. *pro morte præberet habitaculum: vt qui in naui iratum senserat Deum, in morte propitium sentiret.* Habet homo in belluæ faucibus, & habitaculum, & propitiationem, de Domini astantis manu. Nónne canebat Ionas, vbi supra, *Proiecisti me in profundum in corde maris, & flumen circumdedit me?* Quomodo mari obrutus, circundatur flumine? Quomodo flumen dulce in mari amaro? Sic de fontibus Saluatoris ridebat amaritudines maris: licet à mari absorptus, licet felleis vndis vndequaque submersus, limóque profundi infixus: tamen eius dulcescebant labia de fluminis impetu lætificantis Dei ciuitatem. Ita Hieronym. fatus: *cum inter amaras aquas fuerit, & tentatus sit iuxta omnia absque peccato, non sensit amaras aquas, sed flumine circundatus est, de quo legimus, fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Nec in felleis vndis, nec in faucibus belluæ miserandus est; vbi de Saluatoris fontibus lætificans flumen accurrens habuit, vbi de Domini manu expertus est belluam parari. At ille prorsus est miserabilis, cui adest Iesus Saluator, & draco adest, id quod maximè pertimescebat Psaltes, dum ait, *Ne quando rapiat, vt leo, animam* Psalm. 7. *meam, dum non est, qui redimat, neque qui saluum faciat.* Pro cuius rei explicatione sufficiat vnus Petrus Damianus Damian. epistola 10. Apolog. ad Pap. Gregor. VII. vbi hanc horribilem historiam narrat. *Quidam pœnitens sub peregrino habitu in nostris partibus exulabat. Qui perquisitus, quæ eum exulare culpa compelleret. Cum conuicaneo meo, inquit, ad ligna cædenda pergebam, & ecce trabalis magnitudinis serpens, duobus attollens squammosis cella capitibus, sinuosis flexibus obrepebat. Qui nos, vt eò ambulantes aspexit, continuo scintillans oculis, & tanquam linguis exacuens ora trisulca, in nos impetum fecit. Cui protinus conuiator meus librata securi, vnum caput abscidit, móxque ferramentum ex eius manibus cecidit. Protinus serpens in furoris rabiem implacabiliter efferatus, in sublime se erigit, quod solum remanserat caput attollit, auctorémque proprij vulneris mordicus apprehendit; quem mox, vt inuasit, sinuosis eum spiris implicuit, & inuoluit, totúmque hominem suis viribus vindicans, in subterranea specus asportauit. Sed dum traheretur ille (quod solum poterat) me flagitat, in me clamosas voces ingeminat, vt vel ipsi sibi promptus adiutor accurrerem: vel securim, quæ in meis erat manibus, porrigere festinarem. Ego autem infelix, & degener, visceribus flammis abnoxius, & ipse potius à serpentibus deuorandus, væ mihi homicida, contremui: & cum manibus esset agendum, causa dictante, non pedibus, fugam parani: ideoque à sacerdotibus iniunctum mihi hoc exilium patior, meque, vt reuera mortis illius auctorem deflere compellor. Quæ gemendæ calamitatis historia ita totam per meum canentis, vt immensam cordis mei formidinem, neque stylo tradere, nec valeam sermone proferre. Meditor enim sæpe: ecce homo, & bestia, duo pariter in spelunca. Non mediator adest, non ereptor accedit, ferinum sane vt pietas non emollit, præsertim cum rabidæ voracitati, etiam superadditur, vt illata contumeliæ grauis vltio compenseiur. Quæso, quæ vt tunc species erat, sub qua mens miseri hominis esse poterat, cum præda factus esset hostis infesto miserari: cum euadendi spes nulla superesset, sed potius cruentis dentibus in escam traditus forinam potius ingluuiem satiaret? Huius ergo formidolosi casus speciem in mea sæpe mente depingo, moxque draconem illum tetrius crudelitatis auctorem, quomodo rapiat, ac deuoret animas, pauida consideratione pertracto, illum sæpe versiculum repetens. Ne quando, inquit, rapiat, vt leo, animam meam, dum non est, qui redimat, neque qui saluum faciat.* Quid horribilius?

Text. Et illud erat mutum.

§. VI.

Væ illi cuius os obstructum est ne Deum inuocet, ne Deum sonet.

DEum ore tonas? Salua igitur res est. Felix es, beatus es, planè innocens es, qui Deum vbicumque sonas. Christiani de Christo prædicato rei vocabantur, sistebantur iudicibus, & diré torquebantur, vt Christum abnegarent. Proh ingens diaboli peruersitas! Reorum crimina tormentis exquiruntur, adeò, vt rei cogantur, de quo accusantur, facinus ore propalare. Timet hoc in Christianis iniquitas, & ideò tormentis suis non vocales reos quærit, sed mutos, non confitentes, sed negantes, non qui ore libero Christum sonent, sed qui muto silentio taceant. Hinc acutè pungit Tertull. ad Scapulam fatus, *Quid amplius tibi mandatur, quam nocentes confessos damnare; negantes autem ad tormenta reuocare? Videtis ergo, quomodo ipsi vos contra mandata faciatis, vt confessos negare cogatis. Adeò confitemini innocentes esse nos, quos damnare statim ex confessione non vultis.* Sanè tota hominis innocentia est Dei confessio, & inuocatio, tota item est hominis sanctitas, tota potentia, & fortitudo, quando ipsi aduersarij sanctissimos confessores timentes, mutum silentium peruerso iudicio extorquere nauant. De Christi inuocatione accusamur, & accusatus palam Christum clamat, quo iudex deberet gaudere, vtpote qui ab ipso accusatore videt crimen obiectum publicari. Sed heu crudele nefas! Diabolicus iudex innocentiam Christianæ inuocationis, imò vim, & potestatem expauens, tormentis instat, vt mutos reos faciat. Nulla enim res, ita impietatis regnum labefactat, vt diuini nominis inuocatio. Vidisses Elisæum 4. Reg. 2. de duplici spiritu gaudentem sese torrenti fluminis opponere, vt sisterentur aquæ; excutit in primis magistri pallium, siue cilicium, quo fluctus præcipites tangit, tamen fluctus silentis, & muti vatis imperio minimè parent. Quid plura? *Et dixit, vbi est Deus Eliæ? Etiam nunc, percussitque aquas, & diuisæ sunt.* Vna Deum sonans vox flumen sistere fecit. Vna diuisit aquas. Notauit hoc Theodoretus quæst. 10. in 4. Reg. fatus. Cum vellet Elisæus transire Iordanem, imitatus est magistrum, *& pelle ouium percussit aquam, nihil dicens. Postquam autem non obedit natura aquarum, vocauit Deum sui magistri, & diuisæ sunt aquæ.* Expende illud, nimirum, nihil dicens: etenim vbi alto mutus silentio accessit, etsi pelle, ciliciòve magistri munitus, nihil effecit. Verum rupto silentio, vbi Deum inuocauit, natura statim cessit aquarum, fluctúsque vocem Deo plenam mirantur stupefacti. Et cur non obstuperent aquæ vocem, quam stupet ipse diabolus. Non ne is erat, qui sanctissimum Iob spoliauerat? Igitur spoliatus Iob signa edidit doloris maxima, quæ exultans hostis spectabat. Surrexit, scidit vestimenta sua, sternitur humi, capillos siue vellit, siue radit. Sic textus apud Orig. lib. 1. *Surrexit, prostrauit se in terram, & orauit ad Dominum.* Equidem prostrauit se, sed non obmutuit, non præ dolore siluit, imò statim se ad inuocationem Dei conuertit, & orauit ad Dominum. Quid tunc diabolus? Pulcrè Orig. ait, *Quem cum prostratum videret, diabolus gauisus est, cum autem orantem, atque adorantem vidisset, obstupuit, atque expauit.* Dum sub verbere tacebat, & humi sternebatur, gaudebat hostis, de silentio victoriam ominatus: at vt orantem, vt Deum inuocantem excepit, hominem Deo inclamantem expauit. O Dei sapientiam! ô vafriciem diaboli! diabolus hominum obtundit ora, mutos facit, & elingues, Deus vocalissimos amat sanctos, illud in homine erat mutum hic dispertitis linguis suos facit coronari. Ait enim Act. 2. *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tanquam ignis, seditque supra singulos eorum: & repleti sunt Spiritu sancto, & cœperunt loqui.* &c. Itaque Deo pleni homines capitibus suis insidentes linguas habent, instar radiorum coronæ: quod animaduertit D. Cyril. Ierosol. Catech. 17. fatus. *In specie linguarum ignearum sedit supra singulos, vt noua coronæ spirituales per linguas igneas imponantur capiti illorum.* Sed cur ex linguis coronæ? An quia nulla virtus coronatur, nisi per suffragium orationis? Sic Iob 1. in certamine, *corruens in terram orauit ad Dominum*; vt paulo ante diximus. De quo Orig. hæc fatur: *Imperatores, qui victores extiterunt, non stantes, sed durum adorantes coronam accipiunt. Sic, & B. Iob in prima tentatione, quam per peculium, & filios, victoriam de aduersario est adeptus, ad orationem se prostrauit, vt perfectæ tolerantiæ suæ à Deo acciperet coronam.* Vt ingentem tolerantiam coronaret, se

Margin: Tertull. — 4. Reg. 2. — Theod. — Origen. — Act. 2. — Cyrill. — Iob 1. — Origen.

Iob ad orationem prosternit, quasi de orationis suffragio omnium victorum sint parturiendæ coronæ.

§. VII.

Muto agitur spiritu, qui terrenis, & caducis rebus inhiant.

HEu quot muta dæmonia obuersantur nobiscum! cœlestium rerum oblitus, totus in acquirendis terrenis, qui incumbit, is sanè dæmonio agitur muto. Hunc miserabili prosequitur lamentatione Ier. Thren. c. 2. inquiens. *Sederunt in terra, conticuerunt senes.* Ecce, qui conticuit, qui obfirmato obmutuit ore; qui veteris hominis sectatur lucra, qui totus terrenis insidet bonis. Hæc vilia, & caduca bona, vocalissimo hominum generi spiritum mutum infundunt. Mutos habe, quoscúque videris terrenis inhiare, etsi alioquin clamosis precibus cœlum impleant. Psal. 31. *Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea, dum clamarem tota die.* Expende vetusti hominis miseriam, dum tota die clamat, taciturnus habetur, & mutus. Sic eleganter D. Pasch. lib. 2. in lament. Ier. vbi dicit. *Qui dum ab eis, quæ satus sunt, veterasciunt, dum veteris hominis lucra sectantur, quid aliud, quam cæcosi senes de specula cœlestis vitæ prolapsi, in terram conticescunt à bono, etsi videantur tota die clamare?* Non clamor est, non vox hominis est; sed ferale mutæ belluæ silentium, quo expetuntur bona temporalia. Psal. 2. *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania?* Meritò gentium clamores fremitus ferales vocantur, quando miseri gentiles nihil cœlestes suspicantes, de terrenis, & temporalibus bonis deos sibi effingebant, eósque adorabãt, eisque preces suas offerebant. Sic D. Chrysost. ibi ait. *Fremuerunt gentes, Græci scilicet, qui elementa Deos appellauerunt; terram quidem Cererem, aquam Neptunum; aërem autem Iunonem, ignem autem Vulcanum, pluuiam verò Iouem.* Et sanè, qui nihil non mũdiale, & terrenum in suis precibus meditantur, non censentur verba facere humana, sed ferales edere fremitus, & grunnitus. Hinc vox sanguinis Abel non orasse dicitur, sed solum clamasse, quando clamor etiam mutis animantibus conuenit. Etenim Gen. 4. ait, *Ecce vox sanguinis fratris tui de terra clamat ad me.* Notanter sanguini de terra clamanti, hoc est, terrena petenti non dantur loquentis verba, quæ exaudiantur, sed mutorum animalium clamor. Id exprimit D. Paschas. in lament. Ierem. lib. 3. fatus. *Quid est dicere, de terra clamat ad me, nisi, quia terreno cogitatio facit, ne possit nostra oratio transire ad Deum, quæ magis contra nos clamare, quam exorare videtur?* Non rationalis sermo is ad Deum, sed quasi brutorum confusus clamor, quando sola terrena mens, terrenus animus, terreni affectus explicantur. Et metuendum est, ne terrenis his clamoribus seu sibilis obueniat illa vindicta, cuius meminit Sap. cap. 11. *Quod quidam errantes colebant mutos serpentes, & bestias supervacuas, immisisti illis multitudinem mutorum animalium in vindictam.* Immissum habet mutum in se animal, quicunque de terra clamat, quicunque pro terrenis suspirat: clamor enim is, potius videtur muti serpentis sibilus, quàm vox humana. Non sermo hominis est, sed ferale, & mutum silentium illud, quo ea petuntur bona, quæ grato Dei non excipiuntur auditu. Vt dicat Hier. in Epitaph. Nepotiani. *Quidquid dixero, quia ille* (nẽpe Deus) *non audit, mutum videtur.* Et vtinam solum mutum esset, verum & maximè censetur diuinæ iræ prouocatiuum. Apud Malach. c. 2. sic opponit Deus Israelitis. *Et hoc rursum fecistis: operiebatis lacrymis altare Domini fletu, & mugitu. Ita vt non respiciam vltra ad sacrificium, neque accipiam placabile quid de manu vestra.* Quæ verba sic ponderat Rupert. ibi *Quales sunt lacrymæ, quales fletus, quales mugitus miserorum, qui tam grauiter offendit misericordia Dominum? Sed non miremur. Nam illorum fletus sceleratus, & criminosus est, quia venit de amore præsentis sæculi, contemptum habens futuri.* Non censentur hæ lacrymæ, quæ placant Deum, sed boum mugitus taurorúmque qui à se vendicent, & excutiant auxilium diuinum.

Margin: Thren. 2. — Psal. 31. — Paschas. — Psal. 2. — Chrysost. — Genes. 4. — Paschas. — Sapient. 11. — Hieron. — Malach. 2. — Rupert.

Text. Et cùm eiecisset dæmonium, locutus est mutus. Et admiratæ sunt turbæ.

§. VIII.

Vbi Deus sanat, omnia pelluntur mala, omnia dantur bona.

NIhil non sanatum relinquit Dominus in homine suo, & dæmonium eiicit, & aures aperit, & silentiũ tollit

nociuum. Id notat D.August.lib.de vera, & falsa pœnit.inquiens. *Laudatus est Dominus, quod eiecto dæmonio locutus est mutus. Numquam aliquem sanauit, quem omnino non liberauit.* Ea est Christi manus, quæ vbi applicatur, nescit morbum relinquere, nescit habere modum in præstanda salute, nec resistit, donec omnia bona refundat. Paulus ad Rom.8. de largissima Dei manu fatur. *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui: vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit: quos iustificauit, hos & glorificauit. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Nullum malum, quod timere possimus, vbi Deus nobis adest, nullum bonum est, quod sinamur desiderare, non enim sciet manus diuina cessare in bonis præstandis.

Rom.8.

Ambrof. Doctè Ambros.lib.1.de Iacob.c.6. *Nihil est igitur, quod negari nobis posse vereamur: nihil est, in quo de munificentiæ diuinæ diffidere perseuerantia debeamus, cuius fuit tam diuturna, & iugis vbertas; vt primo prædestinaret, deinde vocaret: & quos vocaret, hos iustificaret, & quos iustificaret, hos & clarificaret.* Nil reliquit desiderandum, sic omnia bona dedit catenatis fauoribus, vt nullum locum relinqueret timori mali. Solet mundus aliquod bonum præstare, sed id tot defectibus plenum, tot aliorum desideriis anxium, vt vix bonum appareat. Verum Deus in donis suis nihil relinquit desiderandum, nullum defectum esse patitur. Aiebat Psalt.5. *Domine vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* Quid scutum ad coronam? Quid scuti horror, ad coronæ pulcritudinem? Scutum aheneum est, corona aurea, scutum ad belli puluerem comparatur, corona ad victoriæ lætitiam. Qui dat scutum, bella clamat, sudores, vulnera innuit: qui coronam offert, victoriam, pacem, lætitiam prædicat. Hoc est in mundi stadio, at Deus omnia simul largitur athletis suis, cum dat scutum, non finit desiderari coronam, sed & de scuto armat, & de corona condecorat, vt nihil desit, quod tibi non veniat in munere diuino.

Psalm.5.

Chrysost. Accipite D.Chrysost.pulchrè aientem. *Quod est scutum bonæ voluntatis? Quod dicit tale est: optimo auxilio iustum munis, & neque eius pulchritudo priuata est securitate, neque eius securitas gloria deficitur. Quid enim fortius, quid rursus formosius eo viro, qui à dextra superna munitur? Hæc corona etiam à misericordia contexitur, vt Dauid dixit:* Qui te coronat in misericordia, & miserationibus. *Hæc etiam est iustitia, quemadmodum dicit Paulus,* reposita est mihi corona iustitiæ. *Est etiam corona gratiæ, sicut dicit alius:* corona gratiarum defendet te. *Iam vero est corona gloriæ, sicut dicit Isaias:* Erit corona spei ex gloria contexta. *Corona enim hæc habet omnia, benignitatem, iustitiam, gratiam, gloriam, decorem. Est enim Dei donum, quod variam producit gratiam. Talia sunt enim Dei dona, valida, & decore plena, tales sunt coronæ.* Quid pulcrius? Felix, qui Iesum habes sanatorem tuum, ab illo omnia bona spera, qui solus non patitur in se venam siccari largiendi, qui nullum semisanatū relinquit, imò suis omnes cumulat beneficiis.

Psal.102. Eccles.32. Isai.28.

Luc.11. Luc.11. *Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice commoda mihi tres panes: dico vobis etsi non dabit illi surgēs, eo quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios.* Non tres solum, sed quotquot habet necessarios præstat petenti Deus, non numeros, sed necessitatis est mensura muneris diuini; vbi enim Deus præstat, nescit dimidiatè præstare.

Caietan. Argutè Caiet.ibi: *Petierat tres mutuo, victus importunitate amicus non mutuat, sed dat, non tres, sed quotquot indiget, panes.* Ne vllus cum munere diuino defectus maneat.

§. IX.

Lingua Dei inhabitantis indicium.

Electo per Deum diabolo, loquutus est mutus: inhabitantis enim Dei gratia non potuit non in lingua publicari. Nulla res tam diuinum prodit accessum quam lingua, diuina in corde tuo salus latitans, mirum erit, si à lingua statim non prodatur. Mille figuris sese obumbrat Dominus apud veteres patres, semel luctatorem agebat, rursus peregrinum, non semel Angelum, aliquando sub flammantis ignis specie in viridi rubo se Moysi præsentauit. Sed ecce ait origo Hebræa Exod.3. *Apparuit autem illi Angelus Domini in flamma ignis de rubo.* Non sufficiebat speciem ignis induisse, adhuc sumit & nomen Angeli, vel sic latebat, sic obumbratur specie flammantis ignis, vt solum videretur non creator, sed ipsius Angelus. Verum statim subditur: *Cernens autem Dominus, quod pergeret ad videndum, vocauit eum de medio rubi, & ait: Moyses, Moyses.* Expende modo, vbi videtur, solum apparet Angelus, vbi autem loquitur, & vocat, iam Dominus Deus apparet, quod enim species ignis occultabat, statim lingua manifestauit.

Exod.3.

Hilar. Id quod pulchrè notat D.Hilar.4. de Trinitate, fatus. *Qui Angelus Dei est, cum videtur, idem, cum auditur, est Dominus, ipse vero, qui auditur, Dominus Deus est.* Nequit virtus diuina, vbi adest, non sese per linguam manifestare: sit semper lingua index inhabitantis Deitatis. Hinc Dominus Iesus, vbi diuinitatis suæ veritatem voluit patefacere, ad signum linguæ recurrit, aiens Ioann.5. *Venit hora, & nunc est quando mortui audient vocem filij Dei.* Ioann.5. Expende illud, *audient vocem filij Dei*, cur non addit sibi familiarius cognomen, nimirum, filius hominis? Cur modo morem suum obliuiscitur, quo se passim vocabat filium hominis? Cur non potius dixit, audient vocem filij hominis, sed maluit dicere vocem filij Dei? Sanè vbi vox audienda erat, non poterat non diuinitas euulgari. Vbi linguæ negotium interuenire debebat, necessum esset, quod prodiret veritas paternæ æqualitatis. Ipse, cum videtur, est homo, cum auditur, Dominus est.

August. Accinit D.August.serm.64.de verbis Domini. *Talis ergo ad nos venit filius Dei, filius hominis: secundum id, quod filius Dei est, ait: Venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei: non dixit, filij hominis: veritatem enim commendabat, in qua æqualis est Patri.* Vbi diuinitatis veritas commendatur, voci commendatur, linguæ commendatur, quæ audita præsentissimam Dei virtutem exprimit. Etenim lingua sonans non relinquit dubium de Spiritu diuino assistente. Vbi Dei spiritus Apostolorum mentibus infundebatur, *apparuerunt dispertitæ linguæ.* Act.2. Cur iam non in columbæ, sed in linguæ specie apparet, nisi ne sineret de eius afflatu dubitari? Ita D. Prosper epist. ad Demetriadem circa finem. *In specie linguarum apparuit ignearum, vt dubium non esset, per ipsius inspirationem vtilem affectum, rationabilem sermonem animu fidelium ministrari.* Vbicumque enim ingreditur Dei virtus, statim lingua proditur: adeò, vt Græcus auctor Nicolaus Cabasil. Cabasil. lib.6.de vita in Christo, hinc pungat eos, qui ad Eucharistiam accedunt, nec à malis verbis desistunt, quod putet, dominicum tactum necessario exprimi debere in lingua. Ait enim: *Os ad sermones cum scelere coniunctos non aperiemus, si mensæ cordabimur, & qualis sanguis linguam benè purpurauerit.* Nesciet sanè lingua de Christi sanguine purpurata non loqui regiè, nesciet non prodere virtutem, quam accepit.

*Luc.*11. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub Principe dæmoniorum eiicit dæmonia. Et alij tentantes signum de cœlo quærebant ab eo. Ipse autem, vt vidit cogitationes eorum, dicit eis.

§. X.

Quam salutare contumeliosis verbis nil respondere.

Non ne clarè dicebant conuitia? Non ne aiebant, In Principe dæmoniorum eiicit dæmonia? Cur ergo dicitur, vt vidit cogitationes eorum, & non potius, vt audiuit contumelias eorum? Et erant, qui lingua conuitiabantur, & qui mente solum talia ruminabant: Iesus ergo cogitationes respiciens conuitia præterit, docens Christianos, quam salutare erit, si conuitiis respondere caueant. Dum alius aperto ore te maledictis ferit, nil perdidisti, dum clausum os tuum contineas. Si verum similiter os tuum aperias, & totidem ex aduerso maledicta remittas, omnia mentis bona exsufflantur, & spiritus extinguitur. In domo, in qua duo sunt ostia ex aduerso se respicientia, dum alterum sit clausum, etiamsi alterum sit apertum, & tempestas circumcirca furiat, & rabidissimi venti instent, omnia intra domum pacata sunt, & secura. At vbi primum ambo ostia fuerint aperta, ecce tibi domus perturbatio: ecce inquietudo, nihil ibi securum est, omnia à ventis feruntur, lumina apparent extincta. Hoc pulchro exemplo monebat suos Chrysostomus, ne conuitiatori responderent, si vellent in se habere Spiritū Dei inextinctum. Huic crediderim exemplo annuebat beatissimus Iob c.31.inquiens: *Si expaui ad multitudinem nimiam, & despectio propinquorum deterruit me, & non magis tacui, nec egressus sum ostium.* Iob 31. Erant aliquando multi conuitiantes sanctū virum, & despicientes illum; hinc tot ostia aperta, quot hominum ora contumeliosa, circumcirca maligni spiritus furentes, & expectantes occasionem, qua sanctitatem Iobi

internam exturbarent. Quid tunc Iob? Ipse dixit: *Tacui, nec egressus sum ostium meum.* ostium, inquit, meum, hoc est, os meum, quod ex aduerso erat, occlusum habui, nequid responderem, quo meam innocentiam integram conseruaui. S.Gregor. lib.22.c.16. *Quidnam hoc in loco nisi os debemus accipere? Hi quippe ostium egredi, qui pulsati contumeliis, quam magni apud se lateant, loquentes denunciant. Dumque impatientiam vitiis, quædam de se, quæ nesciebantur, produnt, tanquam per oris ostium egrediuntur. Vnde beatus Iob dicturus, quod oris ostium non fuerit egressus, bene præmisit: tacui.* Et quidem quot ora conuitiis, opprobriis, aperiuntur, tot aperiuntur ianuæ malignis spiritibus, qui omnia turbent, omnia commoueant, nihil quietum relinquant. Quod notabat D. Isidor. Pelus. epist. 309. ad maledicum hominem scribens. *Te caducam vitam fugisse audio, atque interim tamen procacem, ac petulantem linguam habere, ac temere loqui. Quod nil aliud est, quam murum firmissimum, atque hostibus inaccessum extruere, ipsisque portam ad ingressum relinquere.* Patet ostium, patent fores hostilibus incursibus, dum os aperis maledictis; miser erit, qui ex aduerso similiter suum ostium cœperit aperire, intima illius tempestatibus replebuntur, nulla ibi manebunt Spiritus sancti lumina inextincta. Caue tibi, quisquis aduersarium os vides aperiri in contumeliam tuam, claude tuum, & omni diligentia occlude illud, sic ipsæ contumeliæ non iniuriam, sed iuuamen, sed felicitatem inferent. Ita Dauid, vbi vilissimi hominis contumeliis petebatur 2. Reg. 16. ait. *Dimitte illum, vt maledicat: si fortè respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac die hodierna.* Expende, *die hodierna*, non solum pro maledictis patienter susceptis expectat remunerationem a Domino; sed festinissimam remunerationem expectat, quasi contumeliæ sint felicitatis calcaria, quæ illam faciant festinanter venire. Eucherius ibi lib.2. cap.9. *Contumeliosa verba, non tam conuitia, quam adiutoria credidit.* His oculis respexit bonus Rex contumelias, vt in illis sibi iam videret mille adiutrices phalanges, quarum pernici occursu hostes caderent, & victoria festinanter veniret.

Idem. Isid.Pelus. 2.Reg.16. Euchez.

Text. Omne regnum in se diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet. Si autem Satanas in seipsum diuisus est, quomodo stabit regnum eius. Quia dicitis in Beelzebub me eiicere dæmonia.

§. XI.

In diuisione summa innuitur perditio, & miseria. Vbi de partialibus factionibus familiarum.

VBi diuisio intrat, extremam desolationem expecta: nil sic perdit regna, nil sic perdit domos, nil sic ingenuos ciues funditus extinguit, vt diuisio. Genes. 15. iubetur Abraham offerre Deo vaccam diuisam, & dissectam in partes, similiter & aues, sed integras, & omnis diuisionis expertes. Cur vacca diuiditur, & non diuiduntur aues? In vacca Ægyptia seruitus exprimebatur, in auibus à seruitute liberatio, vbi ergo libertas, ibi indiuisio, ibi vnitas; diuisio enim & seruitutem signat, & miseram captiuitatem. Ita Theodor. q. 65. *Aues quidem minimè diuisit, vt liberationem à seruitute significantes. Quadrupes autem partitas est, eo quod indicarent, quam malè tractandi erant in Ægypto.* Quid diuisio protenderet nisi ruinam, nisi excidium, nisi perditionem? Et nota quam prudenter dicatur, *Omne regnum diuisum desolabitur*: vbi enim multitudo hinc inde scissuras facit, irreparabilis est ruina, necessarius est propè casus. Innuebat hoc Psalm. 61. *Quousque irruitis in hominem, interficitis vniuersi vos, tanquam parieti inclinato, & maceriæ depulsæ?* Quæ verba sic explicat Bas. nimirum quousque in varias turmas partiti, altera alteram prosequitor, & vos ipsos interficitis, non absimiles parieti inclinato, & materiæ depulsæ? In quibus expendenda maximè est pulcherrima similitudo diuersorum à pariete, seu maceria inclinata desumpta. Cum enim trabs aliqua, seu columna ex vno lapide constans inclinatur, facilem reparationem habet, quia facilè potest restitui in primam rectitudinem; verum si paries ex multis lapidibus constans inclinetur, necessariam penè minatur ruinam, cum nulla vi possit in pristinam restitui figuram. Ita prorsus in regno, in Republica, vbi multorum adunatio ab aliis faciat scissuram, & in vnam inclinetur partem, funditus perditur bonum regni, siue Reipublicæ. Ecce vobis Basil. *Paries tantisper, dum rectitudinem conseruat sui status & positura, solidus stat, ac firmus: mox vbi in alterutram inclinat partem, prorsus necesse sit, dissolutus vt concidat. Equidem pondera vnita, quæ sint, & agglutinata post inclinationem eriguntur: verum, quæ ex pluribus contexuntur, & coalescunt particulis, vbi in aliquam partem se reclinarint, non iam admittunt correctionem.* Deploratum regnum est, deplorata ciuitas, deploratus conuentus quilibet, vbi ex multis adunata phalanx alteram in partem inclinat; nullam iam admittet correctionem; res semper in peius ibunt. Vtinam non tam euidens experientia esset excidium hoc, vt indigeremus multis id testimoniis diuinis illostrare; verum adeo conspicuum est, vt sufficiat vel leuiter attigisse. Io qua familia, partialis hæc inclinatio, & diuisio correctionem admisit? Pristinum maiorum excitauit decorem? Imò, in qua non perdidit virtutis disciplinam? Miraberis cœlestem etiam ciuitatem desertam factam hac vna lue. Non ne Lucæ 15. venturus in mundum diuinus pastor dicitur reliquisse nonaginta nouem oues, *in deserto*? Desertum equidem vocat cœlum, vbi Angeli relinquuntur. Sed & desertum fecit cœlum partialis inclinatio, & diuisio Angelorum: vbi Lucifer noluit vnum esse cum omnibus spiritibus, sed cum sequacibus suis in partem inclinauit, factum non habuit correctionem, & sequuta ruina vacuum, & desertum pluribus ciuibus cœlum reliquit. Hinc Psalm. 81. diuisioni & partiali inclinationi tribuit Dominus humani generis, & humanæ œconomiæ ruinas. *Ego dixi, dij estis, & filij Excelsi omnes; vos autem, sicut homines moriemini, & sicut vnus de principibus cadetis.* Expende luem, nimirum, *vnus de principibus*, non vnus cum principibus; quippè, dum vnus cum principibus erat Lucifer, veram cum omnibus vnitatem, & communionem seruans, immutabilis erat, omnes contemnebat casus. Sed vbi amauit vnum de principibus fieri, séque in partem attollere, ecce casus. Argute D. Anastasius Sinaita lib. 7. Exaemeron, ait. *Fuit autem aliquando quoque Satanas in cælis discipulus Christe, cum cæteris sanctis discipulis (Angelicis, inquam, virtutibus.) Sed erat vnus de principibus; de eo enim scriptum est: & tanquam vnus de principibus cadetis.* Planè diuisionem, & partialem inclinationem sequitur propè necessarius casus. Væ tibi homo, qui enixe contendis vnitatem scindere, partiales inclinationes excitare, vt vnus non cum cæteris, sed de cæteris fias, sicut vnus de principibus cades. Experta hoc excidium gens Angelorum enixe ambit terrenorum hominum societatem, vt quod vacuauit diuisio cœlum, impleat adunatio. Huc spectabat illud Iacobi somnium, Genes. 28. *Viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes.* In vna cœlesti scala simul sunt qui ascendunt, & qui descendunt Angeli; qui ascendunt terreni homines sunt Angelicis virtutibus decorati: qui descendunt Angeli sunt cœlestis ciues patriæ. Sed vnde tam diuersas rationes cœleste regnum capit? Sunt omnes, etsi diuersi intima vnitate fundati, idem terunt iter, easdem affectiones habent, & sic de vnitate perfecta regnum cœlorum instaurant. Ad rem facit D. Zeno serm. de somnio Iacob. sacus. *Vnde dubium non est, vnum esse iter aerei culminis Angelis lucis, & hominibus iustis. Hæc igitur omnia combinata vnius fructus rediguntur in summam, quoniam vniuersa quamuis geminam esse noscantur, tamen vna radice fundantur.* O vnitas omnis reparationis radix regnorum omnium fundamentum stabile!

Theodor. Psalm.61. Basil. Luc.15. Psalm.81. Anastas. Genes.28. Zeno.

Text. Si autem ego in Beelzebub eiicio dæmonia, filij vestri in quo eiiciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt. Porrò si in digito Dei eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei.

§. XII.

Inter paternas impietates, & insanias relinquit Deus filijs, vnde possint in agnitionem veritatis venire, & sibi cauere, parentes diiudicando.

QVos non decipiat filios paternus error, præcipuè cum non solum à Patre, sed & ab auis, & atauis sit fundatus? Mirabar ego sæpè, si inter parentum impietates, & effrænes mores aliqua possit filiis innotescere scintillula virtutis, & veritatis. Et quidem is est Deus, qui non sinit homines sic funditus perire, sic penitùs à vitiis absorberi,

quin aliqua simul relinquatur nota, quæ filij parentum vestigia diiudicantes, auia relinquentes eam possint arripere viam, quæ patentes damnet suos, & illis æternam felicitatem pariat.
Exod.20. Exodi 20. sic lex cauet Sabbathi obseruantiam. *Memento, vt diem Sabbathi sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem die Sabbathum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo, tu, & filius tuus, & filia tua, seruus tuus, & ancilla tua, iumentum tuum, & aduena, qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Deus cælum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt, & requieuit in die septimo, idcirco benedixit Dominus diei Sabbathi, & sanctificauit eum.* Quibus non solum Deus imperat Sabbathi obseruantiam, sed rursus, quod in aliis non solet, rationem præcepti addidit, nimirum, quod Deus illo die à mundi fabrica cessarit. Sed cur in hoc præcepto de Sabbatho obseruando rationem illam reddidit Dominus? Crediderim id factum esse, vt inter parentum errores, & idololatrias haberent filij, vnde in veri Dei venirent agnitionem, impietatem con-
Anastas. demnantes patrum suorum. Rem attigit D. Anast. Sinaita lib.7. in Exaëmeron. *Vt, cum videret filius te colentem idola, & deinde otium agentem Sabbatho, & nihil operantem, ex te exciscitaretur propter quam causam quiescis Sabbatho nihil operans? Cui necesse habebis dicere, quod sex diebus creauit Deus cælum, & terram, & omnia, quæ in eis sunt: septimo autem die Sabbathi quieuit ab omnibus operibus suis. Ad quæ omninò respondebit filius tuus dicens: Et si Deus creator cæli, & terræ, & omnium, quæ in eis sunt, oportet te magis adorare eum, & colere vt creatorem, & non creaturas.* Itaque relicta sunt inter Iudæos idololatras Sabbathorum legalia festa, in filiorum bonum, vt ex his, qui ab idololatris nascuntur filij, accipiant veri Dei lucem, parentúmque impietates iudicent, & abominentur. Quod similiter factum audio in hanc vsque diem apud septentrionales hæreticos, qui omnem Christianitatis ritum exuentes, adhuc habent antiquorum Christianorum dies festos: quorum mysteriis auditis possint filij diiudicare impietates parentum. Felices filij, qui parentum impietates, & mores impios claro trutinarint iudicio, abdubium quin inuenirent multa, quibus timorem Domini, & vitiorum fugam docerentur. Superbissimi tyranni Na-
Daniel.5. buchodonosoris filius, siue nepos Balthasar, Danielis 5. vidit digitos scribentes in pariete; ignorabat tamen quid scriberent, quærit interpretes, nec inuenit vllum inter ministros suos, & seruos. Tunc Regis mater adest, quæ dicit, *Est vir in regno tuo, qui Spiritum Deorum sanctorum habet in se; & in diebus patris tui scientia, & sapientia inuenta sunt in eo, nam & Rex Nabuchodonosor pater tuus Principem magorum, & incantatorum Chaldæorum, & aruspicum constituit eum, pater, inquam, tuus, ô Rex.* Non otiosè toties repetitur, & inculcatur illud, pater tuus, nisi vt moneatur filius consilium virtutis in paternis viis inuestigare, quando, & impiissimus pater Nabuchodonosor inter vanissimas magorum, & incantatorum, & aruspicum turbas, etiam Danielem seruauit, cuius sapientia filius paternis erroribus damnatis, veniret in agnitionē veritatis. Vtinam miser iste filius alto iudicio patris sui facinora trutinasset, superbias, prædationes, & lucra ex his asportata; sed nihil horum memorans iisdem se vitiis dedit, & qui deberet esse iudex, similium reus factus, supplicium tulit ineuitabile. Quod sanè incurret quisquis nullo facto iudicio, consuetis parentum suo-
Cant.1. rum subscribit peccatis. Vnde Cant.1. *Si ignoras te, ô pulcherrima mulierum egredere, & abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hædos tuos.* Quibus expendo connexionem illam, *abi post vestigia gregum tuorū, & pasce hædos tuos.* ex eo enim, quo ignoranter, & cæcè relinquatur sequi maiorum vestigia, quasi necessario consequitur, vt inter hædos inueniatur. Non equidem parentum personæ inspiciendæ sunt, vt propter illas inconsultè amplas vias sequaris. Sed illorum opera in iudicium vocanda sunt, & examen, & quod re-
Nyssen. ctum dederit iudicium, id imitandum. Prudenter Nyssenus homil.2. in Cantic. hæc verba expendens fatur, *Quid ergo non ex ipsis rebus discernit, id quod bonum est, & honestum, ab eo, quod est malum, sed sequens vestigia eorum, qui præcesserunt, præteritam vitæ consuetudinem asciscit sibi pro vitæ magistra, sæpè fallitur tempore discretionis, & impudens hædus pro oue efficitur. Quid autem ad id, quod est proprium humanæ naturæ; hoc autem est ratio, despicit quidem rationis expertem consuetudinem; nullum autem bonum eliget, quod non afferat lucrum animæ.* Felix ille, qui iudicium semper permittit, vt parentum mores examinet, is mauult iudicem esse, quam reum. Sic faciebat prudentissimus ille Ionathas, qui vbi patrem vidit hostiliter persequentem Dauidem, non sit reus cum patre, sed potius iudex factus in iudicium vocat paternum odium, & illud examinat. 1.Reg.20. Respondens 1.Reg.20.
autem Ionathas Sauli patri suo, ait, *Quare morietur Dauid? Quid fecit?* Ecce prudentissimum filium factum iudicem patris sui, & ab eius odio iniusto in Dauidem declinantem. Vbi enim præmittitur iudicium, necessario damnabuntur scelera patrum, & inuenietur via veritatis. Dan.5. Daniel.5.
de Rege Babylonio dicitur, *Præcepit ergo iam temulentus, vt afferrentur vasa aurea, & argentea, quæ asportauerat Nabuchodonosor pater eius de templo, quod fuit in Ierusalem: vt biberet in eis Rex, & optimates eius, vxorésque eius, & concubinæ illius. Bibebant vinum, & laudabant Deos suos aureos, & argenteos, ferreos, ligneósque, & lapideos.* Quis talia crederet, quod aurea vasa à veræ diuinitatis templo ablata, in obsequium lapidei, & lignei dei afferri potuissent? An quot erant vasa aurea Iorosolymis sacrata, non erant tot potentissima testimonia, & præconia, quæ à lapidis, & ligni adoratione remouerent? Cur ergo ab auro non didicit contemnere lignum, paternosque Deos ex lapide, & ligno confectos damnare? Iam textus rationem hanc indicauit dicens: *Præcepit iam temulentus*, ebrietate iudicium amiserat; si enim filius patris sui prædas in iudicium vocaret, videréque Ierosolymorum vasa aurea, non posset non lapideos, & ligneos patrum suorum deos condemnare. Rectè Diuus Hieronymus ibi, *Et hoc considerandum, quod sobrius ista non faciat, sed temulentus: oblitúsque pœnæ, quæ Nabuchodonosor proauum illius consequuta est. Et quanta stultitia, in aureis vasis bibentes, deos ligneos laudabant, & lapideos.* Non Hieron.
ebrius sit filius, iudicij scintillula polleat, qua parentum impietates, & illarum lucra, & stultitias trutinet, & examinet; & moriat, si illas non damnet, & abominetur.

CAPVT IV.

De puero lunatico.

POSTQVAM à Thaboris gloria communem Dominus resumpsit aspectum, carnísque velamine rursus ætheram protexit effigiem, séque palam populis demonstrauit, quidam repente vir humilis genibus inclinatus, mœrore deiectus, supplicans sic orabat. Vnicus mihi Domine superest filius, quem spiritus nimirum debellat immundus, eúmque per Lunæ menstrua dilacerans, aut flammis exurere, aut aquis nititur frequenter extinguere. Hunc oro, depulsa mentis insania, mihi redde, vel sibi præsta, quod tui minimè præstare potuerunt discipuli. Hæc adhuc fletibus ille, gemitúque fundebat, & Dominus pio in pectore puerum sospitabat. Tunc prędo furibundus migraturus in iram stimulatur accensam, correptáque mēmbra discerpere Domino vetante, non præualens in infernum puero peruolauit illæso.

Marc.9. Et veniens ad discipulos suos vidit turbam magnam circa eos, & scribas conquirentes cum illis. Et confestim omnis populus videns Iesum stupefactus est, & expauerunt, & accurrentes salutabant eum.

§. I.

Religiosus timor in virtutum facinora trahit, virtutésque custodit.

VIdeo homines stupore, & pauore correptos, & miror, quod sic affecti queant accurrere, & salutare Christum! Quoscumque possidet timor, & excordes facit, & planè inutiles, vt erant illi, de quibus Sap.17. dicitur: *Hi cum derisu pleni timore languebant.* Quorum perturbationem omnigenam Sap.17.
pulchre exprimit Nahum cap.2. fatus, *Dissipata est, & scissa, & dilacerata, & cor tabescens, & dissolutio geniculorum, & defectio in cunctis renibus.* Quomodo ergo homines pauore, & timo- Nahum 2.
re correpti tam sui compotes manent, támque roborati ad virtutem, vt accurrant, & Dominum salutent? Equidem perturbationes illas, inutilésque languores efficiunt timores huius mundi, timores dicti nocturni; at religiosus timor robur indit, & mentem, hominésque trahit in virtutum facinora. Vbi nautæ illi Ionam in naui receperunt, cap.1. ecce Iona 1.
tibi sæua, & furiosa tempestas vrget nauim, imminet quasi necessarium naufragium: *Timuerunt, qui nauigabant: & clamauerunt*

mauerunt vnuſquiſque ad Deum ſuum, & iactum fecerunt vaſorum nauis in mari. Nec tamen mare quieſcit, ſed adhuc feruet, adhuc fluctus inſtant, & nauicula penè ſummergitur. Tunc mittitur Ionas in mare, voratur à piſce, tranqoillitas fit, Ibidem. mare ſerenum appparet, & quietum: *Timuerunt viri timore magno Dominum, & immolauerunt hoſtias, & vouerunt vota.* Vtrobique fuit timor, & in tempeſtate, & in tranquillitate timent nautæ, ſed in tempeſtate non immolant hoſtias, nulla ſacrificia offerunt Deo, nulla emittunt vota: hæc omnia præſtant cum maris tranquillitatem vident. Sed cur in tranquillitate ira metuunt, vt ſacrificia, & vota peragant, & non antea? Antea erat metus ſeruilis, metus imperfectus, qui ſolum metuebat damna corpori; at in tranqoillitate erat magnus ille metus, quo Deus à ſuis perfectè timetur, qui in virtutum præſtantiſſima facinora trahit Hieron. homines. Id inſinuabat D. Hieronym. ibi aiens, *Non timent ſimpliciter, vt in principio legimus, ſed timuerunt timore magno Dominum.* Non eſt timor, niſi ſolus timor Dei perfectus, qui virtutum faciat opera. Perfidus ille Herodes vo-Matth.14. luptate cæcatus ſuâ non ferens Baptiſtæ lumina, Matth.14. *Volens occidere eum, timuit populum.* Non ne timor iſte potuit nefarium hominem à ſacrilegio remouere? Non ne potuit ſanctiſſimi Ioannis vitam ſeruare incolumem? Minimè: ſed aliquando diſſimulauit venenum, quod tandem contemnens timorem, in publicum produit, & abſciſſo Ioannis Chryſol. capite, tanto virtutum ſpeculo priuat orbem. Acutè Chryſolog. ſerm. 157. *Facilè deuiat à iuſtitia qui in cauſis non Deum, ſed hominem pertimeſcit. Hic timor peccandi facultatem differre poteſt, auferre non poteſt voluptatem: vnde etiam, quod ſuſpenderit à crimine auditoris, redit ad crimen, & aſtuat animo, quouſque perſiſtat, quod cogitat malum. Solus eſt Dei timor, qui mentes corrigit, fugat crimina, innocentiam ſecurat perpetem, tribuit facultatem.* Felix, qui Deum timere nouit, timorem is habet, quo maxima virturum facinora perpetrabit; quo nullis tentationibus cedet, quo virtutes factas viriliter & inof-Pſalm.8. fenſe cuſtodiet. Pſalm. 8. ait: *Videbunt iuſti, & timebunt.* Quaſi non audeat iuſtus gradum facere, nec oculos conuertere, ſine ſocio Dei timore, à quo habent, & iuſtitias Nyſſen. facere, & factis dare cuſtodiam. Ita Nyſſenus dicto Pſalmo 8. fatur, *Iuſtus, dum oculos ad totum Dei benignitatem conuerterit, metuit. Nam cuſtodiendis virtutibus non modicum præſidium eſt timor.* Iam fortiſſimus ille Ioſuë agmen vltra Iordanem duxerat, iam ſtrenua opera aggreſſus, ſe parabat ad maiora, cap. 5. *Cum autem eſſet Ioſue in agro vrbis Iericho, leuauit oculos, & vidit virum ſtantem contra ſe euaginatum tenentem gladium; perrexitque ad eum, & ait; Noſter es, an aduerſariorum?* Miror in forti viro, Deumque maximè metuenti inter tot exercitus poſito, quod vnum ſolum hominem èa aduerſo ſtantem cum gladio vereretur; quod non deſpiceret illum, quod ipſe per ſeipſum accederet ad illum explorandum. Siccine veretur quemlibet vir fortiſſimus? Siccine cauet ab vno homine? Non timet ſanè Ioſue armatum hominem; ſed timebat Dominum, cuius bella ipſe adminiſtrabat, cuius exercitus ducebat, & iſto timore Dei ſolicitus, & vrbium expugnationem aggreditur, & vnius Gualric. hominis acceſſum inexcuſum veretur. Hinc pulchrè Gualricus Abb. ſerm. in S. Benedictum omnes monebat. *Si quaſi violenta irruunt noxiæ cogitationes, pone tibi virilem, & fidelem cuſtodiam, quæ omni cuſtodia ſeruet cor tuum; dico autem timorem Dei, qui nil negligit, qui nullum indiſcuſſum: atroie permittit, ſæpiùs interrogans etiam Angelum lucis: Noſter es, an aduerſariorum?* Parum eſſet ad timorem Dei, ſi ſolum ad præſtantiſſimas virtutes obtinendas alliceret, niſi & obtētas inoffenſas cuſtodiret; & in tantum cuſtodit, in quantum nihil negligit, nihil indiſcuſſum permittit. Sed, vt amplius mireris, non ſolum nouit Dei timor ſuos in virtutem trahere, & ibi eos cuſtodire, ſed inſuper illos inacceſſos reddit cunctis periculis. Vide tres pueros Hebræos in fornacem Babyloniam ia-Daniel.3. ctatos, Dan. 3. *Et non tetigit eos omnino ignis, neque contriſtauit, nec quicquam moleſtiæ intulit.* Quo ſe munierunt carmine aduerſus vim ignis? Quo medicamine vorantia flãmarum ora Hilar. valuerunt obtrudere? Iam meminit D. Hilar. ſerm. 1. de Nuptiis Cha. vbi dicit. *Quanta iuſtis corporibus reuerentia debeatur, arbitor ignis agnoſcit, & ingeſto ſibi pabulo circumfuſus aſlambit: nibilque ſibi licere miratur in corpora Dei timore, & caſtis ieiunijs conſecrata, & precioſum depoſitum non violat occulta diſpenſatione, ſed vindicat.* Parum equidem, aut nihil licet periculis, in homines Dei timore munitos. Vnde enim emanat Dei timor, inde ſcutum venit fortiſſimum ad repellenda Cant.2. ignea tela diaboli. Quo non miror ſponſæ verba Cant. 2 vbi ſic: *Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Nil prius æſtimat, quam quod læua ſponſi fulciatur: cur de læuæ fulcro ſic gaudet? A læua nil non metuendum procedit; illinc iudicij rigor, illinc verbum aſperum tonabit: cur ergo de læua ſic gloriatur? Equidem à manu, à qua tot timores proſiliunt, neceſſe eſt, vt etiam veniat fortiſſimum ſcutum ad depellenda omnia mala. Equidem ſunt in læua timores; ſed & ſcutum in læua eſt: vt dicat Aponius lib. 3. in Apon. Cãt. *Læua ſub capite, fides eſt ſcutum, quod pugnantis ſiniſtra continetur manu, quo aduerſarius repellatur.* Itaque ſemper cum Dei timore ſcutum venit, quo muniamur, defendamur.

Text. Et interrogauit eos. Quid inter vos conquiritis? Et reſpondens vnus de turba dixit: Magiſter attuli filium meum ad te habentem ſpiritum mutum, &c.

§. II.

Magiſtrorum inſtitutio, & diſciplina parentum in filios operam ſuperat.

PRæclare pater magiſtrum vocat, vt reformet filium, quod enim parentis nomen non poteſt in filiis, id perficit bona magiſtri inſtitutio. Sub patre mutus eſt filius, prauiſque correptus paſſionibus in præceps ruit; verum dum adeſt lima magiſtri, & teſtimonium facundiæ, & morum ſplendor, & dos ſanguinis maximè acuitur. Sic ad magiſtros loquebantur parentes optimi apud D. Ennodium, orat. 4. Ennod. *Fiant inſtitutione veſtri, quos nobis natura conceſſit. Tunc incipit tantum ſibi ſtudiorum lima vindicare, quantum origo vix prævalet: penè enim non iniurium eſt vinci pro ſapientis collatione doctrinæ. Quia patris officium habet luxuriam comitem; præceptoris ſolicitudinem: genitor fit delicijs, inſtitutor laboribus; libertatem tribuit origo, dignum libertate facit monitor: ergo magis eſt quod laudatur in homine.* Ecce tibi quantum magiſtri largiantur hominibus, & quantum homines debeamus magiſtris. Parentibus debemus, quod naſcimur, id ingenue confiteor, ſed niſi accedat lima magiſtri, habebimus ſpiritum mutum, erimus elingues, impoliti, rudes trunci. Leæna, vt fœtum ſuũ rudem carnem, molémque informem videt, linguæ tradit ſuæ, quæ lambendo, quod nõ potuit partus, fœtum perficit, figurat; vt leunculus plus debeat linguæ, quam partui; qui enim informis à partu extitit, linguæ beneficio habet, & viribus, & forma parentes referre ſuos. Leænæ linguam requirebat Dominus in orbis magiſtro Petro, quando illi belluinis corporibus plenum linteum apponit, & ait Act. 10. *Occide, & manduca.* hoc eſt, applica magiſterium, & limam linguæ, vt quos Act.10. natura belluas peperit, de linguæ beneficio homines fiant. Pulchrè Auguſt. Pſalm. 73. *Quid eſt macta, & manduca? Occide, quod ſunt, fac, quod es.* Non partui debemus, quod homines Auguſt. ſumus, ſed linguæ magiſtri; natura infecta nos belluas peperit efferos, & viperinos fœtus, acceſſit lingua magiſtri, abſumpſit belluinos mores, & inſpirauit rationalem vitam. Hinc penitus calleo ſenſum verborum, cap. 5. Apoc. Chriſti Apoc.5. Domini gloriam prædicant Angeli, dum aiunt: *Ecce vicit leo de tribu Iuda radix Dauid aperire librum, & ſoluere ſeptem ſignacula eius.* Quid leo cum libro? Non antea in tota Apocalypſi memorant leonem, niſi vbi aperiendus eſt liber. Dicitur antea α, & ω, principium & finis, dicitur filius hominis, & alia huiuſmodi, vbi de apertione libri agendum eſt, dicitur leo. Non ne ſatius leo comparetur ad prædam, quam ad librum? Egregie per leonem ſignificatur ſumma efficacia magiſterij Chriſti; vt enim non partui, ſed linguæ debent leunculi, quod parẽtum perfectam ſpeciem induant. Sic homines, qui à natura infecta belluinis obrutiſque moribus deformes parturimur, Chriſti magiſterio & doctrinæ debemus, quod regalem hominem, decorem induimus. Quò reſpiciebant ſenum voces ibi dicentes: *Dignus es Domine, accipere librum, & aperire ſignacula eius: quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione: & feciſti nos Deo noſtro regnum, & Sacerdotes?* Pulchrè leonem refert magiſter noſter Chriſtus, qui doctrinæ ſuæ beneficio, informes & belluinos ſuos catulos transfigurat in homines regios, in Dei Sacerdotes. Hoc debemus cuncti non parentibus, ſed magiſtris, quorum diligentia parentes à ſolicitudine filiorum redduntur immunes. Parum dixi; ipſi Angeli cuſtodes noſtri maxima liberantur cura, vbi nos vident bonis traditos magiſtris. D. Gregor. Thaumatur. orat. Gregor. in laudem Origenis, immenſe gloriatur, quod talem præce- Thaumat. ptorem habuiſſet: & pergens ait, *Curam huius tendens diuinus Angelus, hic fortaſſe conquieuit, quia tradidit hoc homini, qui amacm,*

omnem, quæ adhiberi poterat, prouidentiam curámque esset expleturus. Expende, quod Angelus tunc putatur quieuisse, cum alumnum suum tradidit tanto magistro. Quam quiescunt Christianorum Angeli, vbi penè omnem iuuentutem traditam vident Societatis Iesu magistris?

Matth.7. Domine miserere filio meo: quia lunaticus est, & malè patitur: nam sæpe cadit in ignem, & crebrò in aquam.

§. III.

Dæmon anxiè curat nobis odiosa, & inuisa facere cœlestia.

EA erat Dæmoois astutia, vt in torquendo puero Lunæ vices spectaret, vt quod diabolici erat furoris, lunæ tribueretur, & inde cœlestia omnia sibi inimica homines reputarent. Nil magis curat dæmon, quam vt homines suspecta, & inuisa sibi habeant cœlestia, vt neque illuc oculos veliot conuertere.
Iob 1. Iobi 1. *Venit alter, & dixit: Ignis Dei cecidit è cælo, & tactas oues, puerósque consumpsit, & euasi ego solus, vt nuntiarem tibi.* Sic dæmon præuenit, & cauet, ne afflictus oculos leuaret ad cœlum, cum facit à cœlo fulminari ignes, qui rem iusti viri consumunt, vt putet sibi, & Deum iratum, & cœlestia omnia exardescentia implaca-
Olymp. Polychr. Chrysost. biliter in suam vltionem. Ita Olympiodorus, Polychronius, & Chrysost. in Catena Græca. Nec miror, quod tanto studio curet diabolus hominum oculos à cœlestium auertere aspectu: scit enim à cœlo omnia bona, & amica spectare homines. Quid in cœlo est, quod humanas spes non firmet? Quod non amicum habeat homo? Vt Paulo omnia amica, & secura ostenderet Dominus, eum de cœlo alloquitur. Ecce tibi
Act.9. Act.9. *Subito circumfulsit eum lux de cælo, & cadens in terram audiuit vocem dicentem sibi: Saule, Saule, quid me persequeris?* Cur de cœlo? Vt cœlestis locus hominum amicus securum redderet hominem, & vel ipse facit Paolom certo sperare
Maxim. omnia bona promissa. Do D. Maaimum homil. 1. in Natal. Pet. & Paul sic de Iesu ore loquentē. *Cur me persequeris Saul? Quos meo odium ergo tuum excitauit iniquitas? An quia de tumulo mortuos suscitaui? An forte magis, quia fidelibus meis regnum cæleste promisi? Sed si prostare me posse dubitas, quæ promitto, aspice, si tamen potes, vnde te vel quolo appello.* Expendo illud, *vnde te appello*, quasi vel cœli aspectus sufficiat ad confirmandas spes humanas: quasi à cœli aspectu non habeat homo, quod timere posset; sed omnia speret bona, & amica. Post ingentem calamitatem tyranni Babylonici, qui brutescens à regno eiectus, inter camporum feras ambulauit, dicit
Daniel.4. Dan.4. *Igitur post finem dierum, ego Nabuchodonosor oculos meos ad cælum leuaui, & sensus meus redditus est mihi: & Altissimo benedixi, &c.* Dum oculos in terram belluarum more ferebat, similiter, vt bellua pascebatur; at vbi oculos ad cœlum leuat, ecce tibi ad hominem redit, & in pristinum,
Hieron. & feliciorem multo restituitur statum. Quod notat D. Hieron. ibi aiens: *Nisi oculos leuasset ad cælum, sensum pristinum non recepisset.* Inde omnium bonorum sumpsit initium, quod oculos ad cœlum leuauit; cœli enim non possunt non
Isai.45. stillare in homines bona. Pulchrè Isaias aiebat, cap. 45. *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum; aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* A oubibus determinate petit, vt pluant iustum; à terra, vt germinet Saluatorem; a cœlis solum petit, vt rorent ipsi, non determinat quod rorent, quando à cœlis nouit oulla mala, sed omnia bona in homines parturiri. Qui ad mulctandos homines confusione linguarum, & ad damnandos Sodomitas descendit de cœlis Dominus, quasi cœli hominum impedirent eacidia, vbi ad
Psalm.52. fauores veniendum erat Psalm.52. *Dominus de cælo prospexit super filios hominum.* Et quidem sufficeret de cœlo super homines prospexisse, vt inde iam cunctæ felicitates sperentur
Hilar. in homines. D. Hilar. ibi, *Prospectro Domini de cælo frequens fuisse cognoscitur, quoties peccatis humani generis commotus, salutis nostræ causa, aut Noë ante diluuium eligit, aut Abraham iustificat, per fidem, aut Isaac sponsionis suæ promittit heredem, aut Mosem Prophetam, & ducem præficit, aut dum Prophetas in omni tempore legis inspirat.* Quid salutare hominibus non distillarent cœli?

Marc. 9. Et dixi discipulis tuis, vt eiicerent illum, & non potuerunt.

§. IV.

Impius totus est in dissimulandis peccatis suis.

DIscipulorum impotentiam succenset homo iste, nil memorans de infidelitate sua, nam vt ait Chrysost. in Cat. etsi iofidelitas eius occasio extiterit dæmonem non pelleudi; incusat tamen discipulos. Hæc enim impiorum mens est, vt dissimulare, & pertransire studeant peccata sua. Matth. 25. vbi accusati reprobi de immisericordia sua *Matth.25.*
audiunt illud: *Esuriui, & non dedistis mihi manducare. Sitiui, & non dedistis mihi potum. Hospes eram, & non collegistis me.* Tunc illi, quasi ad peccata cæcutientes sua non singula ponderant, sed cursim pertranseuntes, aiunt. *Quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non ministrauimus tibi?* Id quod grauiter ponderans Origen. homil. 24. in Matth. ait, *Origen.*
Iniusti non ita per singula, sed cursim dicunt, Quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut peregrinum, aut nudum, & non ministrauimus tibi? Verbum ministrauimus, ad omnia referentes, & quasi præcidentes, & prætereuntes crimina sua: quia proprium malorum hominum est, culpas excusationis causa, aut nullas velle ostendere, aut leues, & paucas. Hæc est tota impiorum hominum natura cæcutire ad proprias culpas, nec eas curare, sed quasi nihil ponderis habeant, aut nihil sint eas omninò præterire. Nec dubitat impius parui ducere proprias, dum æstimat alienas: sic improbissimi Pharisæi, qui Iesu sanguinem emerant profundendum, audiunt venditorem ipsum pœnitentia ductum clamantem: *Peccaui tradens sanguinem iusti.* Quis emptor non similiter clamaret: Peccaui? Vtrumque testabatur vox illa nefarium & emptorem, & venditorem. Sed audiunt Pharisæi, & prætereuntes emptionem suam, sic miserum venditorem exagitant Matth. 26. *Quid ad nos? Tu videris.* Nihil in se miseri cognoscunt mali, obnubilatam credunt emptionem suam, & securam in emptorem transmittentes reatum. D. Hilar. ibi, *Professio audax atque cæca est. Emisse se iusti sanguinem audiunt, & extra iudicij reatum futuros esse se credunt, cum dicendo, tu videris, facinus suum in vendente constituatur.* In alium totius culpæ causam, tanti criminis reatum iacientes, ipsi securi excæcantur ad culpam propriam, nec eam meminisse volunt. Quod quam sit impiorum proprium, ostendit illud Exodi 9. vbi post innomera *Exod.9.*
peccata perpetrata, postquam septies plagis acceptis se se indurauerat Pharao aduersus Dominum, tandem grandine afflictus, ait ad Moysem: Orate Dominum, vt desinant tonitrua Dei, & grando, vt dimittam, & nequaquam hic vltra maneatis. *Peccaui etiam nunc. Dominus iustus, ego, & populus meus impij.* Proh egregiam nefarissimi hominis confessionem! *Peccaui etiam nunc.* vnius peccati se reum fatetur, qui innumera peccata fecerat; nunc se solum peccasse meminit, qui errauit a vulua, qui in peccatis natus, altus, & educatus est. Sic impius etiam coactus confiteri, aut peccata dissimulat, aut paucissima, leuissimaque ostendit. Pro illo verbo, *peccaui nunc*, legitur ex Hebræo, *hac vice* ex quo Lyppom. in Cat. *Lyppom.*
ait, *Inter confitendum peccatum perfidiam suam prodit, dicens: Hac vice peccaui, quasi prius non æque peccauerit.* Nequiuit à se impius homo desciscere, dum sua peccata etiam confitendo non æstimat, sed dissimulat, & proterit. Quo id lucrantur solum miseri, vt tandem æterna confusione omnia reuelentur. Oseas 13. *Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum eius, dolores parturientis venient ei.* Ecce tibi reprobus *Osea 13.*
Ephraim iniquitatem suam ligat, dum peccata sua abscondit, & dissimulat, & quid ex hac peccatorum absconsione lucratur? Pulchrè addit: *Dolores parturientis venient ei.* Fœmina nefarium concubitum potest aliquaodiu celare, & abscondere, sed tandem veniet tempus pariendi, & dum viuit fœtus, ignominiam suæ poblicat matris. Rupert. ibi, *Rupert.*
Mulier conceptum suum ad tempus quidem dissimulare potest, sed tamen parturiendo, doloribus ostensionibus, occulto prodit: sic quisquis impius est, peccatum suum vtcumque dissimulare ad tempus, & abscondere potest, sed in tempore suo cuncta cordis eius occulta cum dolore manifestabuntur. Felix, qui non dissimulat, sed prodit peccata; hic non prodit peccata, sed perdit; quia peccata publicata a pœnitente, à Deo in æternum iam nouerunt abscondi. Se peccatorem confitebatur filius prodigus,
cui cœlestis Pater occurrens. Luc.15. *Cecidit super collum eius, & osculatus est eum.* Cur cecidit Pater super collum? Chry- *Luc 15. Chrysol.*
sol. serm. 3. *Ne nudaret Pater filij crimine, Pater filium ne sudaret. Pater sic curat filij vulnera, ne filio cicatricem, næuum filio, ne relinquat.* Non solum verè confitentis peccata cœlestis Pater absumit, sed nec illorum næuus, aut cicatrix permittit manere, sic reddidit confitentem filium, quasi peccata commiserit nulla. Ioan. 1. epist. 3. aiebat: *Omnis, qui natus est* *1. Ioann 3.*
ex Deo, non peccat. Et quis est, qui non peccet, etsi natus, & renatus ex Deo? Sanè quos cœlestis Pater filios per pœnitentiam regenerat, ait D. Bern. serm. 23. in Cant. *Hos ego adeo vereor, quasi nunquam peccasse, quoniam & si qua deliquisse vi-* *Bernard.*

deatur

dentur in tempore, non apparent in æternitate: quia charitas Patris ipsorum cooperit multitudinem peccatorum. Sic penitus disparent peccata, quæ pœnitens fructuose publicauerit.

Text. Qui respondens eis dicit: O generatio incredula, quandiu apud vos ero? Quandiu patior? Afferte illum ad me, & attulerunt eum.

§. V.

Patientia, & longanimitas euidens diuinæ omnipotentiæ signum.

Recte præposuit Dominus patientiæ, & longanimitatis signum signo expulsi dæmonis, nullo enim magis claret diuina omnipotentia, quam longanimitate, qua incredulos sustinet, & peccantes. Itaque petiturus puerum sanandum præsefert longanimitatem, dicens: *Quandiu vos patiar?* Vt
Exod. 9. hinc eius effulgeat potentia maxima. Exod. 9. ait Dominus ad Pharaonem: *Idcirco autem posui te, vt ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra.* Quæ magna fortitudo, siue potestas Dei ostenditur in Pharaone? An adeò ostenditur Deus potens in perdendo vno homine? An est potestatis magnæ ostensio, quod decem plagis verberet hominem rebellem? Absit: non tam ostenditur fortitudo, & potentia Dei in perdendis, quam in expectandis peccatoribus ad pœnitentiam. Quod bis, & ter, & septies fallentem Deus adhuc longanimis expectet, & non statim perdat, ea est incredibilis pene Dei fortitudo, & summe excellens po-
OEcum. tentia. Ita OEcum. in cat. Lyppomani fatur. *Quia in hoc ipsum excitaui te, id est, in hoc te regnare permisi, vt demõstraretur, quam sim longanimis. Potentia enim Dei longanimitatem interpretatur.* Quis non omnipotens sustinere posset homuncionis repetitas fraudes, & mendacia? Quis se cohiberet à serui ter nequam flagellatione, nisi qui potens est? Equidem sola poten-
Iob 13. tia longanimitatem facit. Obiiciebat Deo Iob. cap. 13. *Contra folium, quod vento rapitur, ostendere vis potentiam tuam?* Quæ verba pulchrè elucidant LXX. legẽtes. *Numquid quasi folium, quod mouetur à vento, vereberis?* Lõgissimè distant vereri aliquem, & in illum ostendere potentiam, qui enim aliquem veretur, non ostendit potentiam, sed infirmitatem, sed metum. Præclarè ergo Iob, dum se timet peccatis adolescentiæ suæ absumi, obiicit Deo quod inde malum nomen oriri potest. Potentia enim, quæ nimis cita est in peccatis puniendis, quæ expectare lõganimiter non nouit, ægre, & difficulter repellet suspicionem infirmitatis & metus. Non ostenditur potentia, sed metus, vbi nescitur hostis sustineri. Ille omnipotens, qui longanimis sperat peccatores ad pœniten-
Nahum 1. tiam. Nahum cap. 1. *Deus æmulator, & vlciscens Dominus, & habens furorem, vlciscens Dominus, in hostes suos, & irascens ipse inimicis suis. Dominus patiens, & magnus fortitudine.* Expende, quam virtutem sequatur magna fortitudo Dei, prius dicebatur æmulator, & vlciscens, & habens furorem & irascens, nec inter hæc mentio fit de fortitudine, de potestate Dei: dicitur Deus patiens, & continuo subditur, magnus fortitudine, in longanimi Dei patientia magna eius fortitudo po-
Psalm. 7. sita est. Vt merito dicat Dauid Psalm. 7. *Dominus iustus Iudex, fortis, & patiens, numquid irascitur per singulos dies?* Ideò fortis apparet, quia iram continere nouit, ne passim irascatur. Psal. 14. *Viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.* Expende quo tendat tota illa commonitio, nimirum, *viriliter age, & confortetur cor tuum.* Cur iuberis confortari? Ad quid tanta confortatio, tot vires requirũtur? Expugnanda ne sunt ænea mœnia? Superandi hostiles incursus? Ad nihil horum iuberis confortari. & viriliter agere, sed vt sustineas magna enim fortitudo, magna potentia requiritur, vt
Athanas. quis sustinere paulisper possit. Sic D. Athan. citatus in Cat. Græc. ad cap. 2. Iob. *Viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum. Nam, qui sustinet, fortis est, idoneus ad sustinendum.* Numquam enim poterit inueniri longanimitas, & sustinentia, nisi cum adsit ingens animi fortitudo.

Text. Et cùm vidisset eum, statim spiritus conturbauit illum, & elisus in terram volutabatur spumans.

§. VI.

Fiducia in Deum nullis contrariis euentibus mutet.

Insinuarat Dominus se puero salutem daturum, quando illum adduci iussit, & vix puer accedens vidit Iesum, & ecce tibi à dæmone in terram eliditur, mirisque cruciatibus torquetur. O bone Deus, hoc est curare puerum? Quis credat à Iesu curare posse, cum videat in Iesu aspectu durius torqueri, quam ante aspectum Iesu? Ante quietus erat, vbi Iesum vidit, ibi spumæ, ibi ingentes cruciatus, ibi ad terram elisio, & adhuc salus speranda est à Iesu? Equidem ea fiducia nostra debet esse in Deum, quæ in contrariis etiã euentibus firma sit, & secura. Ioann. 11. dixerat Iesus de Lazaro Ioan. 11.
infirmante, *infirmitas hæc non est ad mortem,* quod à Iesu dictum accipiunt sorores Lazari, & tamen fratrem vident mori, imo & sepeliri: & quarto die venit Iesus, vt fauorem præstet amico. Quid tunc fœminæ? Exclamant ne in Iesum? Obiiciunt promissum datum? Absit, quin potius ait Ioan.
Martha ergo, vt audiuit, quia Iesus venit, occurrit illi: Maria autem domus sedebat. Dixit ergo Martha ad Iesum, Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Sed nunc scio, quia quæcumque popósceris à Deo, dabit tibi Deus. Ibidem.
Adhuc credit, adhuc fidit in Iesu, etiamsi vidit mortuum illum, de quo dixerat Iesus, quod eius infirmitas non esset ad mortem. Quod rectè pon-
derat D. Basil. Sel. orat. 4. aiens. *Sorores illas admirari est, quod vbi audissent ægrotationem illam non esse lethalem, ipsum vidissent emortuum, contrario rei euentu non sunt offensæ, & sine mendacij suspicione ad Dominum adierunt.* Basil. Sel.
Contrarius penitus successus non potuit flectere sanctarum fœminarum animum, quominus in verbis Iesu fiderent. Quam fiduciam in Deo præstare debet quisquis magna ex eius manibus sperat, adeo vt nullis contrariis euentibus frangatur, nullis remoneatur successibus, quominus firmam in Deo spem nitatur habere. Ioseph ille Patriarcha, quas non concepit spes regij culminis per somnia diuinitus immissa commonitus? Gen. 37. Genes. 37.
Ecce illius primum somnium. *Putabam nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum, & stare, vestrósque manipulos circunstantes adorare manipulum meum.* Similiter, & secundo dicit: *Vidi per somnium, quasi Solem, & Lunam, & stellas adorare me.* Hæc dedit Dominus Iosepho somnia ex quibus ingentem gloriam præ cæteris fratribus sibi credidit imminere. Quid post hæc venit? Venit venditio, venit seruitus, venit carcer, ferrum pertransit animam eius, & humiliauerunt compedibus pedes eius. Hæc accipiebat Ioseph pro somniorum spe: interea, dum simul vincti de somnio, quod viderant, vehementer contristati essent, accedit ipse Ioseph, tristitiæ causas quærit, audit tristitiam à somnio viso profectam. Quid tunc ille? Audito ne somniorum nomine risit, & irrisit somniorum vanitatem, & mendacia? An exhibentibus lacrymis calamitatẽ suam fleuit à somniis profectam. Tantum ait, *Numquid non Dei est interpretatio? Referte mihi, quod* Genes. 40.
videritis. Quæ verba eleganter expendit Theodor. serm. 8. de Theodor.
Prou. fatus. *Non in miserabilem luctum diuinus ille vir erupit, vbi somniorum mentio facta est: nec propriæ calamitatis memor plorauit. Sed etiam, neque in immensum risit, postquam de somniis illi dixerunt quorum mendacium antea manifestè perspexerat. Quin sic ait illis: Non ne per Deum horum annunciatio est? Et vbique Dei nomen circumfert.* Tot contrarij euentus, tot afflictionum aggeres, tot catenarum pondera non potuerunt minuere sanctissimi viri fiduciam in Dei promissionibus per somnia acceptis constitutã. Sic firmus, sic fidus erga Deum est, cum se seruum videt, cum se catenis affligi sensit, qui sperabat culmen regium, ac si tunc iam ad regni ianuam positum se videret.

Text. Et interrogauit Patrem eius: Quantum temporis est ex quo ei hoc accidit? At ille ait: Ab infantia: & frequẽter eum in ignem, & in aquam misit, vt eum perderet.

§. VII.

Quod ab infantia nobiscum creuit, siue malum, siue bonum, potius parentibus tribuitur, quàm nobis.

Minus nostrum est, quod cum lacte parentis fugimus, siue bonum, siue malum, hinc, qui omnia sciebat Iesus, tempus morbi perquirit, vt cum constet ab infantia puerum sub diaboli flagello fuisse, in eo parẽtum eius succenseatur culpa. Pulchrè Chrysol. serm. 51. inquit. *Interro-* Chrysol.
gatione tempus aperit, reuoluit infantiam, vt tanti mali causa non tangat sobolem, sed parentem. Parentes in culpa sunt, quod tenelli filij prius diabolum, quam Christum induant, prius vitia fugant, quam ebibant pietatem. Parentes inde acriter in ipsis filiis castigantur. 4. Reg. 2. *Cum Elisæus transiret iuxta* 4. Reg. 2.
Bethel, pueri parui egressi sunt de ciuitate, & illudebant ei (scilicet Elisæo)

Elisæo) dicentes: Ascende calue, ascende calue. Qui cum respexisset, vidit eos, & maledixit eis in nomine Domini: egressique sunt duo vrsi de saltu, & lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros. Indignũ videretur homini cordato quod tanti fecisset contumelias à paruis pueris acceptas, quod sic de puerorum crepitacillis offenderetur. Sed prudẽs Elisæus iniurias illas puerorum non à pueris considerat profectas, sed a parentibus eorum, & sic non in pueros, sed in eorum parentes excanduit, quãdo pueros morti tradidit. D.Iust. Ita D.Iust.Mart.q.80. ad orthodoxos ait, propterea irascitur Elisæus, quod *voces illas, quas dicebant pueri, prophetam contumelia afficientes, à parentibus suis, qui semper infensi fuerant prophetis, didicissent.* Merito in infantium iniuriosis linguis peccatũ parentum æstimatur, nisi pater dissimulet, nisi foueat, nulla est malitia in infantili ætate, in qua per os pueri, & iurat pater, & maledicit pater, & spurca, & contumeliosa verba iacit. Nil sibi scit attribuere infantilis ætas, sed omnia parentibus tribuit siue bona, siue mala. Celebres illi pueri, qui ne statuã adorarent, cõstanter ingrediuntur fornacem, sic in fornace accensa precantur, *Daniel.3.* Dan.3. *Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum.* Non sibi veri Dei religionem, sed parentibus suis acceptã referunt, adeò se obliuiscũtur, vt vel ipsum Deum, Patrum suorum Deum vocent, quasi nihil suum habeant, quod non acceperint à patribus. Theod. Vbi Theod. de puero Azaria sic orante fatur. *Mentis præfert modestiam, cum etiam patrum prædicat virtutem, laudamus enim te Domine nos, quibus patres illi fuerunt, quorum Deus vocari voluisti.* Quippè modestissimus puer maluit parẽtum religionem commemorare, quorũ educationi tribuebat, quidquid ipsi in præsenti fornace præstabãt. Huc accedit fortis illa Machabæorum mater, quæ 2.Machab.7. videns iuniorem filium, & blanditiis, & metu tormentorum à tyranno tentari, sic ait. *Fili mi, miserere mei, quæ te in vtero nouem mensibus portaui, & lac triennio dedi, & alui, & in ætatem istam perduxi.* Cur non potius dixit puero, tui miserere, sed mei inquit, miserere? An non potius pueri causa agebatur, quam matris? An non puer vel perdendus erat vel munerandus, & non mater? Cur ergo mater ait, miserere mei? In virtutum duello præcipua erat matris causa, & eius matris, quæ puerum aluerat, educarat, & per totam infantilem instruxerat ætatem. Ideò & pueri error matri tribueretur, vt attributa est eorum victoria, & palma. Gallic. Vnde eleganter Euseb.Gallican. homil.4. de Epiph. horum puerorũ victoriæ causas expendens, fatur. *Quæ causa alia, nisi quia statim post transacta cunabula inter annos infantiæ religionis affectum de institutione, & conuersatione piæ matris acceperant. Et de tam sanctæ matris pectore Deum traxerant, & in nomine Domini vincula linguæ trepidantis absoluerant? Exempli enim fœmina in pignoribus suis animas magis cupiens nutrire, quam corpore: fidem primam teneris sensibus vice lactis infuderat, vt rudes eorum mentes, & mali nescia in ipso vitæ limine vitam ebiberent: eósque primitus agnitio diuini timoris impleret, vt in noua viscera sacris studijs occupata, locum vana sæculi non haberent.* Hæc ille: quibus eleganter demonstrat, quãtum valent parentes efficere in teneris filiorũ sensibus, & quam propriè patribus tribuantur puerorum certamina. Eusebio præfero Nazianz. Nazianzenum sic de Machabæorum parente fantem. *Adduxit autem filios septem, institutionis suæ indicia, hostiam viuentem, sanctam, beneplacitam Deo, omni legali sacrificio splendidiorem, & puriorem: siquidem legitimum est & iustissimũ, vt filiorum praeclara gesta patri referantur accepta.* Hucusque Nazianzenus.

Text. Sed si quid potes, adiuua nos, misertus nostri. Iesus autem ait illi: Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Et continuò exclamans Pater pueri cum lacrymis aiebat: Credo Domine, adiuua incredulitatem meam.

§. VIII.

Cœlestis muneris educendi potestas penes nos est, vbi de oratione.

SI quid potes adiuua nos dicebat ille, cupiens vt potestatem suam Dominus exerceret, at Dominus, quasi in se nulla esset talis potestas, ostendit, vbi inueniri possit, dicens: *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.* Non à me solo, sed à fidei tuæ meritis cœlestis muneris educendi potestatẽm quære. An possit tuo subuenari filio, inquiris? Non in me solo inuenies hanc potestatem, quam à me in tuæ fidei *Matth.20.* opera dilapsam inuenies. Similiter apud Matth. 20. filiis Zebedæi dicebat. *Sedere autem à dextris, siue à sinistris, non est meum dare vobis.* Paulo ante clamabat: Sedebitis super sedes duodecim, & nũc dicit: Non est meum dare vobis. Cur Domine ais, non est meum? An in manu tua non sunt vniuersa posita? Non ne in tua potestate sunt cœli, terræque thesauri? Iam do pulchra D.Basil.Seleu.verba, qui orat.24. Basil.Sel. *Non est meum dare. Cur? Quia remuneratio accipientis meritum consequitur, nõ solum facultatem donantis. Thronus laborum præmium est; nõ ambitionis donum gratuitum, ex rectè gestis thronus comparatur: nudam postulationem datio non sequitur.* Expende illud, *nudam postulationem datio non sequitur, & remuneratio accipientis meritum consequitur*, quippè Dei munus sequitur postulationem operum meritis confirmatam. Vbi postulantis merita sunt, ibi potestas est diuini muneris educendi. Postulabat Elisæus ab Elia spiritum duplicem 4. 4.Reg.1. Reg. 1. & qui solum habebat simplicem, quomodo poterat duplicem præstare? Et tamen ait, *Si videris me, quando tollar à te, erit tibi, sicut vis.* Quod ipse non habet, promittit Elias, in Eliæ potestate simplex spiritus est, non duplex: in quo est potestas ad spiritum duplicem excitandum? Iam ipse monebat Vates, dum ait, *Si videris me, quando tollar à te*, si postulationi addas vigilias, addas solicitudinem, qua discedẽtem comiteris, certo habebis, quod petis, quando donum in postulantis meritis habet, quod possit præstari. Alibi datus Ambr.ser.87. hic denuo expen- Ambros. dendus, dum fatur. *De Elisæi meritis quid dicamus? Dum à Patre plus exigit, quam habebat, facit eum meritis suis, plus præstare, quam poterat.* Ecce quantum possit oratio operum meritis confirmata, ipsa in se habet potestatem efficiendi donum, quod petit, & quod non erat in potestate datoris, id fecit esse meritum iusti postulantis. Merito monebat Angelus Tobiam c.12. *Bona est oratio cum ieiunio, & eleemosyna.* quasi Tob.12. tot potestates adhibeas ad diuina dona obtinenda, quot meritorum opera auxiliatricia addas. Quocirca D.Cypr.de Cyprian. orat. Domin. *Orantes autem non infructuosis, nec nudis precibus ad Deum veniant: inefficax omnino petitio est, cum precatur Deum sterilis oratio. Nam cum omnis arbor non faciens fructum excidatur & in ignem mittatur: vtique & sermo non habens fructum promereri Deum non potest, qui nulla est operatione fœcundus.* Facili negotio facies ad te diuina dona venire, si orationi operationis merita adhibeas. Quod impiissimi homines licet inuiti confessi sunt apud Iob c.21. aientes. *Quid prodest nobis,* Iob 21. *si orauerimus illum?* Vbi Septuag. reddunt: *Quæ vtilitas quoniam obuiam ibimus ei?* Quibus non solum verbis facta oratio, sed & factis confirmata exprimitur; non enim otiosi stantes orabant, sed & diligentiam addebant, qua obuiam ibant; & vere dicunt, quod sic orantes obuiam eunt Deo; qui enim operatione fœcundus erat, obuiam it Deo viuenti iam, & accurrenti, vt omnia postulata adimpleat. Quo respexit D.Isid.Pelus.lib.4.ep.12. inquiens. *Præcedant ea,* Isid.Pelus. *quæ tuarum sunt partium, quæ à te exiguntur, & tunc demum ea, quæ sunt auxilij diuini, subsequentur. Nam si non solum verbis imploratum fuerit, sed etiam factis aduocatum, quasi sua sponte accurret.* Adeò in nostra potestate est facere ad nos venire donum diuinum.

§. IX.

Fides Iesu de lachrymarum, laborúmque societate omnia potest.

LOngè aliter efficaciam fidei nouit homo hic, ac nuperi hæretici nouerunt. Iesus ait, quia omnia possibilia sunt credenti, hinc Nouatores virtutum opera, lacrymásque contemnunt; hinc bonus iste infirmi Pater, in clamores, lacrymásque effusus, suam fidem exerit. *Et clamans pater pueri cum lacrymis aiebat: Credo Domine.* Non ne dictum est; omnia possibilia sunt credenti? An lacrymanti? Percepit sanus homo fidei potestatem mirabilem esse, sed de coniunctis lachrymis, & operibus. Præclare id notat D.Hieron. in præsenti Hieron. dicens. *Quæ autem sunt omnia, quæ possibilia sunt credenti: nisi quæ in nomine Iesu, id est, salutis, postulantur cum lacrymis?* Ea poterit credens obtinere, quæ sciuerit laboribus, & lacrymis ob Iesu nomen negotiari: non qui de fide habita securus stertit lecto ructat crapulam, & vitiorum sepultus somno leuiter, & obiter precatur: sed qui Iesu nomen præseferet, eiúsque puluerem, & labores æmulatur, is immortalitatis obtinebit palmas. Moyses pugnans remittens Iesu Naue contra Amalechitas ascendit montem orare. Exodi 15. Exod.15. *Cúmque eleuaret Moyses manus, vincebat Israël: sin autem paululum remisisset, superabat Amalech. Manus autem Moysis erant graues.* Cur tam laboriosæ eleuationi victoria dabatur?

Non

Nónne firmiter Deo vltori credebat Moyses? Nónne Moyses Deum precabatur, cur adhuc requiritur, vt tanto labore extensas habeat manus? Nec aliter illi victoria datur? Equidem vbi Iesu præibat in certamine, non otiosis, non oscitantibus, sed his, qui se cum vitiis crucifixerunt, datur victoria, & palma. Quod innuebat Iust. Mart. dial. aduersus Iudæos, fatus. *Neque enim, quod ita Moyses precabatur, superior erat populus; sed initio pugnæ cum nomen Jesu esset, ipse signum crucis edebat.* Non sufficit nuda fidei oratio ad palmam, quando Iesus præit in puluere, quando in se dedicauit certamina, necessum est, vt in nobis signum crucis in labore, & sudore edamus, qui cœlestis triumphi palmam speramus. Nullus ostendi potest, qui de peccatis aliter triumphauit. Exerant nouelli Theologi aliquem, qui certo sciatur peccata sepeliuisse, & non in lacrymis suis, & non in labore suo. Nullus talis poterit designari. Acuta sanè est obseruatio illa, quod Moysis triumphus non erat de peccatis, non erat de inimicis animæ. Cur non erat de inimicis animæ? Vt
Exod.17. triumphus reportaretur. Exod.17. *Sumentes lapidem posuerunt subter eum, in quo sedit.* Non est triumphus de peccatis; quando triumphatori sedere vacat; & sedet, ne laboret amplius. Non enim, qui sedet, non qui sectatur quietem, pro peccatis facit satis: sed qui laborat, qui gemit, qui se excruciat, qui fundit lacrymas. D.Iustin. vbi supra, ait. *Quis enim vestrum ignorat, maximè quidem, ac primum eas preces, quæ cum labore, & lacrymis coniunctæ sunt, Deum demulcire, ac placare solitas, & quæ demisso in terram vultu, flexísque genibus funduntur? Hoc autem non in lapide sedens, neque alius postea precabatur.* Expende ab illis; *hoc autem:* id est, hoc quod est Deum placare, hoc quod est, Deo facere satis, nullus vnquam obtinuit sedens, nullus vnquam obtinuit quiescens, sed laborans, sed gemens, sed se excrucians. Vel si quis quiescens, & nihil faciens pro peccatis fecit satis, prodatur in medium. Dubitari licet nemini, quod labores, quod cruces, quod lacrymæ peccatum expugnent, Deum placent, & placeāt. Ita Iesus noster, & placuit, & placauit; ita post hūc Apostoli vniuersi, & sanctissimi viri, de quorum gloria nemo Christianus dubitat. Sed nullus potest ostendi, qui sic pateat per otium, & quietem peruenisse ad æternam palmam. Quæ igitur dementia est, notam, & tritam viam relinquere, vt incertas semitas sequaris.

§. X.

Iustitia humanæ sine Iesu vt peccata sunt. Et vt Iesus in omnibus est aspiciendus.

POsset dicere, Adiuua debilem fidem meam, aliqualem enim fidem habebat, etsi infirmam, qui fassus est se credere, sed maluit dicere, Adiuua infidelitatem meam, quasi omnes humanas iustitias sine Iesu pro peccatis haberet. Et quis credit virtutum munditiem esse posse, vbi Christi gratia non aspirat? Tot sunt vitiorum paleæ, quæ non afflante Christo omnia humana opera conspurcent. Pro quo
Rom.14. Paulus ad Rom.14. ait. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est.* Omne quod Christi aura non purgat, & ægrè, & difficulter sine vitiorum immunditia reperitur, immundum est, peccatum est. Quod ita ponderat ex August. doctrina Di-
Prosper. uin. Prosper aduersus Collatorem, cap.28. *Manifestè patet in impiorum animis nullam habitare virtutem, sed omnia opera eorum immunda, atque polluta habentium sapientiam non spiritualem, sed carnalem, non cœlestem, sed terrenam; non Christianam, sed diabolicam; non à Patre luminum, sed à Principe tenebrarum, cur per eam, quæ non haberent, nisi dante Deo subdantur ei, qui primus recessit à Deo.* Ecce tibi quot spurcitiæ, quot paleæ terrenorum affectuum fœdent sapientias humanas,
Concil. Arausic. vbi Christus non adest? Meritò Concil. Arausicanum dixerit Canon. 22. *Nemo habet de suo nisi mendacium, & peccatum: si quis autem habet homo veritatem, atque iustitiam, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, vt ex eo, quasi guttis quibusdam irrorati non deficiamus in via.* Miser, qui Christum non habet aspirantem, qui Christum non respicit viarum directorem suarum, de suo solum parturiet peccatum, solū parturiet mendaciū, quo in præcepitia feratur. Aiebat Dominus
Matth.8. Hieron. Matt.8. *Fiat tibi secundum fidem tuam.* Quam vocem adeò expauit D.Hieron. vt dicat lib. aduersus Luciferianos. *Hanc ego vocem audire nolo. Si enim secundum fidem meam fiat mihi, peribo.* Quidquid meum est, nescit me aliò deducere, quam in præcipitium. Quod amplius expendens Hieron. sic pergit: *Conueniat vnusquisque cor suum, & in omni vita inueniet, quam rarum sit fidelem animam inueniri, vt nil in gloriæ cupiditatem, nil ob rumusculos hominum faciat.* Sunt, sunt innumeræ vitiorum paleæ circa quæque opera volitantes humana: mirum erit si homo non potius in cœnum, quam in limpidissimos fontes eat, non potius in præcipitia, quam in vias planas Christo conducente, & deducente feratur. Ideò aiebat Paul. 1. ad Cor. 1. *Paulus seruus Christo Jesu per voluntatem Dei.* 1.Cor.1. In bona causa excludit suam voluntatem, à qua nihil procederet, nisi peccatum. August. serm. 74. de diuersis ait. August. *Nunquid per voluntatem? O Saule per voluntatem tuam scimus, vidimus fructus tuos. Occisus est Stephanus per voluntatem tuam. Per voluntatem Dei videmus fructus tuos: Vbique legeris, vbique recitaris, vbique ad Christum aduersantia corda conuertis.* Quis non se suspectum habeat? Quis affectus suos non reputet immunditiam, & peccata? Quis non acceptum referat Deo, quod bene viuat? Sanè non solum peccatum habeo, quidquid non habeo à Christo, sed etiam maximum Christiani hominis piaculū puto, si quando Christum in opere suo nō respiciat. Pro quo stat Nyss. lib. de perfecti Christiani forma, Nyssen. sic ex 14. ad Rom. supra dato fatus. *Vt quidquid nō est ex fide, Paulus peccatum dicit, ita nō eodem modo cogitantes planè possumus affirmare, quæcumque non respiciunt Christum, seu verba, seu opera sint, seu cogitationes, illa omnia ad id spectare, quod Christo contrarium est. Qui enim extra lucem, & vitam est, is in tenebris prorsus, & morte non esse non potest.* Christum respiciat, qui velit in luce ambulare, qui velit fugere præcipitia, qui per huius vitæ pelagus secretum cupit tenere vitæ curriculum.

Text. Et cùm vidisset Iesus concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi: Surde, & mute spiritus, ego præcipio tibi exi ab eo, & amplius ne introeas in eum.

§. XI.

Vnus Dominus per seipsum facit diabolum irreuocabiliter abire.

CVius imperio fractus, cuius virtutibus victus abscessit diabolus irreuocabiliter? Quoties à sanctis viris deuincitur, videtur abire, videtur quam longissimè eiici; at dū abesse creditur, tūc molestior instat, quasi vulnera senserit, nec imperia audierit. Solo à Iesu irreuocabiliter compellitur ire. quod docens Saluator, ait: *Surde, & mute spiritus, ego præcipio tibi,* &c. Qui ad omne surdescis, vide, quis modo loquatur, ego sum, qui præcipio, ego, cui non poteris resistere, cuius imperio irreuocabiliter parendum. De hoc surdo spiritu aiebat Ps. 57. *Quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter.* Psal.57. Ea est fera hæc pessima, quæ nec à sanctissimorū victoriis fracta aufugiat mille triūphos canes, & ipsa obsurdescit. Dum Iesus non iuuet, sapiētissimos ridet incantatores. Ita D.Hilar. ibi, *Illam contumaciam, atque insolentem antiqui serpentis inobedientiam aduersus sanctos cantus, & medicata à sapiente medicamina obsurdescentis: cū ei quotidie, ne fallat, ne subrepat, ne mordeat etiam sub diuini nominis denunciatione mandetur, & tamen obstructo desæuit auditu.* Non veretur sanctos, ad quorū cantos surdescit fera hæc, & quasi nihil audierit, quo abire cogatur, sic instat, sic certamina instaurat, sic renouat tela, vt cum victa crederetur tunc pugnare incipiat. Cum autem Iesu imperium instat, tunc irreuocabiliter cogitur abire. Semel, & iterum ausus diabolus aduersum Iesum certamen instaurare; at vbi tertio accepit diuinum imperiū, non potuit amplius subsistere, sed irreuocabiliter abiuit. Matth.4. *Vade retro Satanas; scriptum est enim: Dominū Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Tunc reliquit eum diabolus.* Matth.4. Cur nō antea reliquerat, sed quasi nihil audisset, sic semel victus iterū ad certamen redibat. Antea quasi hominis responsa, sic audiebat Iesu voces, & ad sapientis carmina obstructo desæuiebat auditu, mortiferóque silentio paulisper oppressus statim exurgebat acrior in pugnā. Tandem, vt accepit Iesu imperium, nimirum, *vade retro.* non potuit non cedere, nō potuit à Deo iussus nō abire. Acutè D.Max. Maxim. hom.2. *Quid plura? Dum nefanda tentator loquitur, dúmque incōcessa præsumit, quasi ab homine victus obmutuit, & quasi à Deo iussus abscessit.* Nulla hominū etiā sanctissimorū manus, nulla hominum victoria, sic diabolum abigit, vt non veniat iterū. Valent sancti viri cantus diabolū sopire, diabolo silentium imponere, sed vnus Iesu cantus potest illū irreuocabiliter abigere. Etenim quasi ab homine victus surdescit malus, obmutescit; verū manet ibi expectans occasionē, qua nouas excitet pugnas: à Deo iussus prorsus abscedit, nec reuertēdi spes

ſpes manet vlla. Quæſtionem fecit antiquis fidelibus, cur cum familiare ſit diabolo, pro libito abſcedere ab homine, quem torquet, & pro libito reuertere ad illum; quando tamen pellitur Dei virtute, ita abſcedit, vt non timeatur amplius eius reuerſio? [Iustin.] Huic reſpondet D.Iuſt. Mart.q.4 ſatus, quod diaboli eiecti à Deo ſemita penitus obliteratur; *nec eius adſunt veſtigia. Nam abigens eum poteſtas inuiſibilis, metum ei incutit, ne amplius accedat ad cucasum.* Vnus Ieſus penitus diabolum excludit, penitúſque reuertendi aditum intercludit. [Matth. 12.] Semel exclusus diabolus apud Matth.12.ait, *Reuertar in domum meam, vnde exiui. Et veniens inuenit eam vacantē.* Quid eſt, inuenit eam vacantem? Inuenit eam Chriſto vacuatam, ideò abiit, & redit ſemel, & iterum; ſi enim Chriſtus ibi adeſſet, excluderetur diabolus omninò. [Nazianz.] Ita Naz.orat.in ſanctū Baptiſma, inquit, *Rurſus cōuertitur ad domum ſuam, vnde egreſſus eſt: impudens eſt, pertinax eſt, iterum periculum facit, iterum experitur, quod ſi locum, quem ipſe vacuatum reliquit, Chriſtum inhabitare, & impleſſe ceperit, iterum repellitur, infecto negotio diſcedit, miſerandus errore redditur.* Felix qui ſibi in intimis præcordiis theſaurizat Chriſtum, de tam pretioſo lapide choes nullam ſemitam, nullum veſtigium dabit, quo poſſit accedere incurſus malus; vt dicat illud Iob 28. [Iob 28.] *Locus ſapphiri lapides eius, & gleba illius aurum. Semitam ignorauit auis, nec intuitus eſt eam oculus vulturis. Non calcauerunt eam filij inſtitorum, nec pertranſiuit per eam leæna.* Sic Chriſti lapis cordi infixus fugat omne malum.

Marc. 9. Et exclamans, & multum diſcerpens eum exiit ab eo, & factus eſt ſicut mortuus, ita vt multi dicerent, quia mortuus eſt.

§. XII.

Peccator etiam gratia reſtitutus, adhuc de priſtina mortis infectione proſtratus iacet.

MOrtiferum iam aberat venenum, iam lethalis inimicus fuerat exſibilatus, nihilominus puer vt mortuus iacet, non quidem verè mortuus, qui ſanitate gaudebat vitali, ſed ad mortui ſimilitudinem proſtratus. Equidē in diutino peccatore exſibilata morte peccati reddita vita gratię, adhuc manent vmbrę mortis, adhuc ſub priſtini habitus cōprimitur imagine. Iuſtificatus erat ille, qui dicebat ad Rom. 7. [Rom. 7.] *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantē me in legem peccati. Infelix ego homo, quis me liberabit à corpore mortis huius?* Peccati mortem ab anima eiecerat recepta vita gratiæ, & nihilominus gemit ſub corpore mortis huius. Quod eſt corpus mortis peccati? Corpus mortis peccati eſt caro affectionibus diſpoſita prauis, fomes peccati irritatus, paſſiones in deteriora aſſuefactæ, quæ quaſi ſepulcralia hominis peccatoris ſunt, & etiā ablato peccato, manent, adeò vt vel ex illis homo, quaſi mortuus appareat. Eiecimus quidem peccatum ab anima: ſed ipſum abiens nō penitus nos reliquit, ſed in nobis fecit permanere mortalia ſua, ſuum cadauer, nimirum, affectiones prauas cōſuetudine praua roboratas. Quò reſpiciebat ipſe Apoſt. ad Rom. 3. aiēs, *Qui enim mortui ſumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo?* Eſpēde, *qui mortui ſumus peccato.* Quippe in cuiuſuis animalis morte non penitus euanet totum animal, manet ſemper mortis corpus, nimirū cadauer, quod mortis exprimat dāna. Si cū peccator moritur peccato, perit culpa ingrediēte gratia, ſed nō penitùs perit totū peccatum, manet enim peccati corpus, manēt praui habitus, inordinati affectus, effrenes appetitus, ex quibus cōſtat mortis huius cadauer funeſti peccati repræſentans dāmna. [Chryſoſt.] Pulcrè Chryſ. ſer. 113. ait, *Quod autem dixit: Qui enim mortui ſumus peccato. Præſentis temporis loquitur hic figura: quia mortuos nos dixit eſſe peccato, nō nobis iam in toto mortuum dixit eſſe peccatum, quia etſi peccatum ipſum actu operis ſanctis, & fidelibus eſt defunctum; viuit tamen, & adhuc in noſtram deſæuit mortē.* Manet in nobis peccati corpus in affectibus prauis, qui tantam mortis ſæuitiam ob oculos faciūt obuerſari. Hoc nobis ſuggerebat Lazarus cum rediuiuus è ſepulcro ſurgit, Io. 11 adhuc tamen funereis ſindonibus obuolutus, *& ligatus inſtitis.* [Auguſt.] De quo D. Aug lib. 83. q. 65. inquiēs, *Quod verò exiuit inſtitis obuolutus, hoc eſt, quod etiā à carnalib. recedētes; adhuc tamē in corpore conſtituti alieni à carnalibus moleſtiis eſſe nō poſſunt.* Abeūte morte ſepulcralia adhuc exoloēda, & cōfringenda manent. Abeunte peccato manet corpus mortis huius, manet adhuc ligatus inſtitis, cum quibus tibi pugnādū eſt & acriter decertādū, ne te iterū reuocēt in ſepulcrū, ſed ruptis illis liber omninò proſilire poſſis in vitā.

§. XIII.

Præclarum vitæ ſpiritualis fundamentum, quod velut mortuus agas.

IS Chriſtianæ in ſe virtutis experimentum dabit clariſſimum, qui ſe ita componit, vt ab omnibus reputetur huic ſæculo iam defunctus. Is erat Paul. ad Galat. 6. *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Hoc primum ſui ſignum imprimit Ieſus illis, qui à diaboli poteſtate in ſpem Salutis eriguntur, vt dicat D.Machar.hom.1. [Machar.] *Sicut corpus mortuum eſt, cum exierit anima, nec vltra viuit ea vita, qua viuebat, non audit, neque ambulat: ſic vbi Chriſtus per gratiam virtutis ſuæ mactauerit, & occiderit mūdo vitam noſtram, extincto eſt quoad improbam vitam, qua viuebat, nec amplius audit, aut loquitur, neque conuerſatur in tenebris peccati: propterea quod nequitia affectionum, quæ erat tanquam anima eius, per gratiam deceſſit. Quod Apoſt. clamans ait: Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Elicit Chriſtus per gratiam ſuam à nobis diabolum, occidit in nobis peccatum, vt penitus intereat mundialis vita, & conuerſatio mundialis, vt homo per virtutem Chriſti ſic maneat æternæ affixus vitæ, vt a ſæcularibus reputetur defunctus. [Cl. Alex.] Pulcrè Plato apud D.Clem.Alex.lib.3. ſtromatum hominis ſapientis hoc putat eſſe iuge ſtudium, inquiens, *Euenit enim, vt qui rectè philoſophantur, non animaduertantur ab aliis in vllam rem aliam ſtudium ſuum conferre, quam vt emoriantur, & ſint mortui.* Ecce ſtudium veri ſapientis, nimirum, vt emoriatur mundo, & ſit mortuus, quaſi non ſufficiat, quod ſemel obtinuerit, vt ſit mortuus, ſed adhuc inſtare debet, & toto conatu ſtudere, vt amplius emoriatur. Mortuus mundo es, vbi Chriſti accepiſti virtutem, ſed non ideò debet ceſſare ſtudium moriendi in Chriſti ſchola, quod non ceſſat in ſchola Platonis. Imò vt in Chriſto viuere cupis, ſic prius ſæculo debes mori. Quod præſtabat Paul. 1. ad Cor. 15. dicens, *Quotidie morior.* Quid eſt, quotidie morior? An non ſufficiebat ſemel mūdo abiiſſe? Tā neceſſaria mors eſt Chriſtiano, vt toties debeat mundo mori, quoties ſpē ad vitam æternā erigere cupit, vt dicat Niſſ. hom. 12. in Cant. [Niſſen.] *Quotidie moriebatur, ex quo ſemper ad nouam quandam vitam cōtendebat.* Sic profectus in Chriſtiana diſciplina ſemper auget moriēdi ſtudiū quo ſe quis per ſingulas horas magis eripit mundo. Gen. 49. ait Iacob ad filios ſuos: [Geneſ. 49.] *Ego congregor ad populum meum, ſepelite me cum patribus meis in ſpelunca duplici.* Nō caſu ſanctiſſimi patres amabant ſepeliri in duplici ſpelunca, niſi vt vel morte, & ſepultura ſua inſtruerent Chriſtianorū vitam, quæ non vna, ſed duplici iam & multiplici morte ſe mundo debebat eripere. Quod duplex ſepulcrū ſic commētatur D.Greg.lib.6.in Iob.c.25. [Gregor.] *Actiua quippe vita ſepulcrū eſt, quia à prauis nos operibus mortuos tegit, ſed contemplatiua perfectius ſepelit, quia a cunctis mundi actionibus funditus diuidit.* Quocumque ſe vertat Chriſtianus, vt placeat Chriſto, mori debet mundo: hinc incipit actiua vita, hinc promouetur cōtēplatiua; quo perfectius Deo viuere cupis, eo magis, ac magis mūdo moriendū eſt tibi: ſi virtutis incunabula ſequaris, te tradens actiuæ vitæ, primum in illa gradū faciens, morieris mundo: ſi perfectionis ſummitatē attigeris, & contēplatiuæ inſiſtens, ſecus pedes Ieſu te ſtraueris, ibi neceſſum eſt, vt creſcat moriendi ſtudiū, vt totus Deo ſepultus, à cunctis mundi actionibus maneas diuiſus. Subſcribit in præſenti illa P.Bleſen. exaggeratio; qui de contemplatiui morte ſatus, ſer. 9. in Hyppon. *Audeo ego & dico. In diſtrictiore cruce pendet vir contēplatiuus, quā Chriſtus: quia & diuturnior, & in pluribus torquens eum. Chriſti membra ſic clauis confixa ſunt vt officiis ſuis vti nō valerēt: lingua tamē libera à crucifixione loquebatur, orauit enim pro crucifixoribus. &c. Vir autē contemplatiuus, omnia mēbra ſua clauo obedientiæ arctauit, vt nec etiā lingua loqui valeat.*

Luc. 9. Et ſanauit puerum, & reddidit eum patri eius.

§. XIV.

Nullum reputat triumphum Ieſus, niſi vbi munera largitur.

IAm nobilis bellator Ieſus domum fortis intrauerat, & fortem alligauerat, imò relegauerat in Tartarum. Iā omnia vaſa diripuerat, & à lupi faucibus ouiculam extraxerat; nec his contentus, vt ſuam victoriam commendaret ſanatū puerum parenti tradidit; nullum enim triumphum reputat, niſi vbi munera hominibus commodauerit. Iacob cum paululum a ſuis ſeceſſiſſet Geneſ. 32. [Geneſ. 32.] *Ecce vir luctabatur cum eo vſque mane.* Qualis lucta, vbi Deus luctator inuenitur? Quis

dubitet

dubitet penes Deum fuisse victoriam, quando ad solum tactum eius neruus femoris Iacob illatum emaruit? Tamen dicitur ibi de Deo: *Videns quod eum superare non posset*, non quod imbecillitas in Deo sit; sed, quod Deus fastidit triumphos, nisi vbi cœlestia munera spargit. Sic Chrysol. ser. 131. *Iacob viantis comitator occurrit Deus, & ita se humano collegio socium praebet, vt prouocati hominis Deus totus in luctam inferuntur, & tunc vinceretur verum, aut lacessitu vincere. quando victor cœlestia dat dona, munera dat diuina.* Non cum hostem premit, cum rebellem iugo subdit, sed cum munera sua largitur, tunc se vincere putat Dominus, & tunc æstimat suos triumphos. D. Paul. ad Eph. 4. sic admirabilem ascensionis triumphum, ex Ps. 67. decantat. *Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatē, dedit dona hominibus.* Duo ibi exprimuntur Christi magnalia & quod ascenderit patrem ducens secum humanitatem redemptam, quam vocat captiuam captiuitatem, iuxta Aug. mentem aientis, lib. de essentia diuinitatis: *Filius Dei carnem de nobis assumptam in cælum velut captiuam adduxit, sicut est in Psal. captiuam duxit captiuitatem.* Et quod inde Spiritus sancti dona in filios adoptionis effuderit, quam effusionem respiciunt, iuxta communē Doctorum expositionem, verba illa, dedit dona hominibus. Quibus positis expendendum maximè est, quod in triumphali Christi ascensione dicatur caro eius duci in cœlū velut captiua. Cur ibi dominica caro captiua? An non illius hominis diuini opus fuit mortis debellatio, inferorum spoliatio, vectis ferrei confractio? An non ille homo iā dicebatur spolians principatus, & potestates, triumphans eas in semetipso, hoc est, in carne sua? Cur ergo triumphatrix caro, dum triumphū agit, dum ascendit ad patrem victrix, dicitur ferri velut captiua? Si triumphat, si vincit, quomodo adhuc captiua? Non reputat victoriam, nec reputat triumphum, dum dona seruat, dum dona S. Spiritus non effundit hominibus. Adhuc velut captiua ascendit, tunc reputanda victrix, & triumphatrix, quando cœlestia det dona, munera effundat diuina. Nouit hoc D. Petr. Act. 2. vbi sic de Iesu loquitur, *Dextera igitur Dei exaltatus, & promissione Spiritus sancti accepta à Patre effudit hunc quem vos videtis, & auditis. Non enim Dauid ascendit in cælum*, &c. Quibus expendo illud, *dexterā Dei exaltatus*, & illud, *ascendit in cælum.* vtrobique triūphalē meminit Christi ascensionē. sed primis verbis subobscure, quasi demonstraret potius Iesum ascēsionem pati, quam agere: at enim quod dextera Dei exaltatus sit. Secundo clariùs, & patentius audet insinuare, & prædicare ascensionem. Vnde hic ausus? Vnde iam subito audaciā sumpsit, vt iam gloriam ascendentis patefaceret? Expende verba illa in medio posita, nimirum, quod exaltatus, *promissione Spiritus S. accepta, à Patre effudit hunc.* Quippe vbi de cœlo effundens Spiritus sancti dona Iesus proditur, cōtinuo eius ascensionis triumphus clarè denotatur. Chrysost. ibi, *Effudit, inquit, hunc. Hic dignitatem euidenter tradit, & non simpliciter, sed & cum vbertate. Postea enim liberè, & de Assumptione in cælos loquitur. Non enim Dauid ascendit in cælum: dicit autem ipse: Dixit Dominus Domino meo*, &c. Vbi dona dat, non puer Iesus, non seruus, non captiuus, sed nobilis triumphator & Dominus orbis claret. Sēper hoc Iesus habuit, suas glorias augere ex donis effusis in genus humanū. Paul. ad Rom. 10. *Qui diues est in omnibus, qui inuocant eum.* Vbi eleganter Chrysost. apud Damasc. lib. 3. Paral. c. 100 fatur, *Apud homines debita exposcere, conueniens est, apud Deum autem eadem condonare, diuitiæ sunt. Ac nos cum debitam pecuniam accipimus, facultatibus augemur: Deus autem cum scelerum gratiam facit, tunc denique maximè ditescit. Diuinæ siquidem bonitatis opes in hominum salute positæ sunt, quemadmodum Paulus: qui diues est in omnibus, qui inuocant eum.*

Ephes. 4. *Psal. 67.* August. *Actor. 2.* Chrysost. *Rom. 10.* Chrysost.

Marc. 9. Et cùm introisset in domum, discipuli eius secretò interrogabant eum: Quare nos non potuimus eiicere? Et dixit illis: Hoc genus in nullo potest exire, nisi oratione, & ieiunio.

§. XV.

Ieiunium virtutum custos est.

ADditur orationi ieiunium, quasi ieiunium sit custos cæterarum virtutum. Ne putes casu interdictum fuisse homini esum arboris, sed summa prouidentia factum id, vt qui in paradiso constituebatur, vt plurium ibi virtutum sibi infusarum exerceret facinora, de abstinentia à cibo illatum custodiam efficeret. Ait enim Gen. 3. quod positus sit homo in paradiso, *vt operaretur, & custodiret illum.* Non solum operatio virtutum, sed custodia mandabatur; operatio sumenda erat à paradiso, & Dei cultu: custodia harū rerum à ieiunio. Ita Ruric. Episcop. lib. 2. epist. 14. inquiens, *Adam Paradisi, & custos delegatur, & colonus, scilicet, vt haberet operantis materiam libertatis arbitrij, & quod orationum obtinuisset industria parsimoniæ abstinentia custodiret.* Fortissima custodia est ieiunium, vel illo armatus non timeas hostes, quos exsufflat ieiunium, virtutum ascende cacumina, ad quæ præit ieiunium. Recole famem illam durissimam, quæ Israelitas premebat. 3. Reg. 17. tunc consumptis fame Israelitis, Elias *sedit in torrente Carith, qui est contra Iordanem. Corui quoque deferebant ei panem, & carnes mane similiter & panem, & carnes vesperi.* Credo, quod nec reges minus tunc ieiunassent, quam Elias commissus coruis. Sed ecce tibi ad mortem Elias petitur, fugit ipse, & lassitudine fractus sub vmbra arboris inclinat, & dormit. Tunc c. 19. *Ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: Surge, & comede. Respexit, & ecce ad caput suum subcinericius panis, & vas aquæ: comedit ergo, & bibit, & rursus obdormiuit. Reuersusque est Angelus Domini secundo, & tetigit eum, dixitque ei: Surge, comede, grandis tibi restat via. Qui cum surrexisset, comedit, & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus vsque ad montem Dei Oreb.* &c. Compone modo corui, & Angeli ministeria apud Eliam. Vterque committitur Propheta, vterque Prophetam pascit: sed coruus bis in die apponit mēsam eámque, & pane, & carnibus fartam: Angelus semel offert cibum, & cum cibum, qui durissimum præseferat ieiunium in pane, & aqua; cur coruus magnificentior? Cur Angelus apparere vult illiberalior, quam coruus? An infirmior Angelus coruo, non habuit vnde eliceret dapes? Absit, sed Angelus accepit prophetam ab hostibus fugientem, & simul progredientem in montis cacumina, vbi erat diuinis contemplationibus exercēdus. Ideo maluit ieiunium ministrare, quo in vtroque Propheta custoditur, dum hostium metus esuit, & in diuinarum contemplationum via roboratur, munitur. Rem differit Tert. lib. de Ieiuniis. *Cum Eliam corui pane, & carne saturare consueßent, cur postmodum excitato ei è somno quidni Angelus panē solum, & aquam obtulit? Defecerant corui, qui eum liberalius pascerent: an difficile Angelo fuerat aliquem aliunde de conuiuio Regis ministrum cum instructissimo ferculo raptum ad Eliam transferre? Sed consilium oportebat exemplum docens in tempore persecutionis, & cuiuscunque circumstantiæ Xerophagus esse viuendum.* Ad coruum pertinuit sola Prophetæ mensa quam ille opipare instruxit; ad Angelum pertinebat eiusdem Prophetæ custodia: ideò ieiunium ministrabat, quod hostes repellit, & virtutes confirmat, & animum in oratione parat. Dux, & Princeps militiæ Christianæ Iesus noster, vbi voluit, & orationibus vacare, & cum hoste confligere, eremum abiit, nec prius congressum hostis admisit, quam longa expleuit ieiunia. *Et cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit: & accedens tentator.* Quod expendēs D. Bas. hom. 1. de laudib. ieiunij, ait, *Dominus non prius in carne, quam sumpserat, diaboli insultus excepit, quam eam ieiunio communiuisset, simul & nos erudiens, vt nos aduersus tentatoris insultus vngamus, & exerceamus.* Præsentissimum habemus præsidiū in ieiunio aduersus hostes vniuersos & corporis, & animæ; & quos vix aliæ virtutes terrēt, ieiunium penitus frangit. Israëlitæ sæpe ab Allophilis bello fracti, 1 Reg. 7. *Conuenerunt in Masphath, hauseruntque aquam, & effuderunt in conspectu Domini, & ieiunauerunt in die illa.* Quid tunc? instaurant Philisthiim certamen aduersus Israël, concurrunt: *Intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim & exterruit eos, & cæsi sunt à filijs Israel.* Pulcrè Tert. lib. de ieiuniis *Ceciderunt palos impelli, armatos inermes. Hæ erunt vires ieiunantium, Deo cælum pro eiusmodi militat; habes formam præsidij etiam spiritualibus belli necessariam.* Ecce tibi ad omnia præsidiū habes in ieiunio, siue hostes occurrant, siue audiēda diuina oracula, ieiunij præsidium accipe, quo ad omnia munieris. Saul. 1 Reg. 14. sic populum iurabat. *Maledictus vir, qui comederit panem vsque ad vesperam, donec vlciscar de inimicis meis. Et non manducauit vniuersus populus panem.* Si omnia prospere agebantur; donec inscius Ionatha accepto fauo comedit de illo, & ieiunium fregit, & Dei responsa cessarunt. D. Ambr. ser. 25 de Quadrages. recensito ieiunio à Ionatha fracto, sic pergit. *Denique nec bello finis imponitur, nec Regi responsum propheticum datur. Vnde intelligimus, quod Saul hostes non tam virtute militum, quam militis abstinentia superabat. Vnius culpa cunctis confertur ignominia, & vnius dilectio cunctis generatur infirmitas: deficit enim virtus in exercitu, vbi deficit in obseruatione ieiunij.* Vt hostes superes, & cum Deo familiariter agas; ieiunij capessenda tibi sunt arma

Ruric. 3. Reg. 17. Tertull. Matth. 4. Basil. 1. Reg. 7. Tertull. Ambros.

LIBER OCTAVVS, DE MORTVIS SVSCITATIS.

POST diaboli, & peccati ruinam accedit cum morte certamen, quæ etsi postremo destruenda omninò est, tamen semel, & ter cum illa conseruit Iesus manus; illi tres prædas eripuit: illam in Archisynagogi filia, in filio viduæ, & in Lazaro conculcauit. Age ergo, & Saluatoris nostri triumphos de morte videamus.

CAPVT I.

De suscitata Archisynagi filia.

AMISERI pignoris clade Princeps Synagogæ sauciatus excurrens, cui finis extremus spem generis auferebat iam florentem, lachrymans, ingeménsque Domini voluebatur ad pedes. Vix verba precantia singultu quatiente confirmans, miserere patris orbati, miserere senis, inquiens, destituti. Vnicam habeo, vel magis habui filiam, quæ modo deficiens in annis, nec dum puberibus constituta paterni mihi nominis cernitur auferre vocabula, confer operam, dilapsámque animam membris restitue iam frigentibus, cui totum posse suppeditat, cui totum posse nihil obuiat. Interea ventum erat domus ad tecta lugentia: plangebant gemitu modulante tibicines, & illætabilis multitudo discurrens, crebris clamosa doloribus, ædes confuderat infelices. Vetat dominus flere; vetat mortuam lugeri victuram. Tunc cadauer immobile, corpúsque gelidum, & frigidæ mortis rigore constrictum spiritus igne remolliens imperiosæ vocis arbitrio virginem suscitauit à Tartaro, semélque progenitam viuere præstitit bis puellam. Hæc apud Matth.9. Marc.5. Luc.8.

Ex Luc. 8. Ecce vir cui nomen Iairus, & ipse Princeps Synagogæ erat, & cecidit ad pedes Iesu, rogans eum, vt intraret in domum eius, quia vnica filia erat ei, & hæc moriebatur.

§. I.

Non bene conueniunt Sacerdotium, & sæcularis magistratus.

NOn possum hic innotatum relinquere, quam splendeat in vno viro vna, & sola dignitas sacerdotalis, quando ait, *Et ipse erat Princeps Synagogæ.* Etenim sæcularis magistratus iunctus Sacerdotio semper mihi fuit instar næui, & ymbræ inter decora sacerdotalia. Id mihi etiam persuasit magnus ille Ptolemaidæ Episcopus D.Synes.qui cum ad sæcularem magistratum vocaretur, sic rescripsit epist.57. fatus. *Reipublicæ administrandæ vim cum Sacerdotio coniungere, perinde est, atque ea nere, quæ nendo connecti nequeant. Prisca tempora eosdem Sacerdotes, ac iudices tulerunt. Nam Ægypti & Hebræi longo tempore Sacerdotum imperio vsi sunt. Deus ambo vitæ genera separauit: vnumque horum sacrum, alterum ad regimen, atque imperium constitutum est. Alios ad infimarum rerum faces conuertit, alios sibi sociauit. Quid tu igitur iterum reuocas? Quid tu coniungere vis, quæ sunt à Deo separata?* Maximus, & primus omnium gubernator Deus munus ciuile separauit, & sacrum: alios fecit iudices, alios Sacerdotes, alios constituit sæcularibus, alios præfecit æternis. Absorbent totum hominem temporalia, & bona mater Ecclesia diuidi filium non patitur: aut integrum & totum sibi tradi vult, aut integrum, & totum remittit extraneæ. Mauult perdere, quam diuidere: quia in sola diuisione certam perditionẽ existimat. Vnus ergo Ecclesiæ nubat, alius Reipublicæ, & sic optima gubernationis administratio proficiet. Gen.1. *Fecit Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præesset diei, luminare minus vt præesset nocti.* Noluit maximus mundi rector, quod negotia diei, & noctis ad vnum præsidem pertinerent, sed suum cuique distinctum præsidem assignauit, vt sic melius prouideret vtrique. Ex quo D.Ælredus ser.16. in Isaiam sic in rem præsentem edisserit. *Sunt in sanctæ Ecclesiæ firmamento à Domino creata duo luminaria, Sacerdotium, & regnum: Rex, & Episcopus: Princeps, & clericus, luminare maius Sacerdotium, vt præesset diei, id est, spiritualibus; luminare minus regnum, vt præesset nocti, id est, sæcularibus. Contra naturam proinde est, si Sol nocti, si præsit Luna diei, si Princeps ad spiritualia Sacramenta conficienda se ingerat, si Sacerdos sæcularium negotiorum tenebris conscientiæ suæ serenum obnubilet.* Quid grauius dicam? Horret natura ipsa Sacerdotis, & magistratus munere cõiungere, præsit Sacerdos diei, agat negotia luminis, non tenebrarum: sit ponderator spirituum, non carnium, absoluat peccata, non obstringat ferrea vincula, stolam primam restituat, non curet terrenos funiculos. Rursus pergit D.Ælred. *O quam bene conueniebant hæc duo luminaria! quam splendide ex hoc spirituali firmamento lucebant, quam optimè inter dies, & menses, & tempora, & annos distinguebant. Rex scilicet, & Sacerdos in suis se gradibus continentes.* Vtinam possint Christianæ Reipublicæ hæc semper munera ostendere separata, ô quam serenas noctes, ô quam claros dies numeraret, ô quam radiarent Ecclesiæ Soles, ô quam lucerent de Lunæ lumine regna sæcularia!

Synes. — Genes.1. — Ælred. — Idem.

§. II.

Humilitas est proprium Dei facinus.

CHristiano iam agebatur spiritu Synagogæ Princeps, quando non de pharisaico fastu stat orans, sed humilis se se ad pedes Iesu abiicit. Numquam enim magis Christianum apparet facinus, quá vbi humilitas, & abiectio triumphos parant. Recolite Dauidis lapidem, & lapidem Danielis, Dauid ponens lapidem in funda iacit, & Gigantem percutit in fronte, & perimit alienigenam. Apud Danielem, vbi ingens statua siue Colossus apparet, c.2. *Abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & comminuit eos.* Quid plura? Vterque lapis Christum referebat, cur ergo, vt percutiat Goliam expectat fundam, & Dauidis manum, vt comminuat statuam, sine manibus ipse se propria grauitate per decliue rotat? Equidem, vbi per altum frontis euolandum erat, & victoria de exaltatione sperabatur, quasi alieno impulsu, & peregrini motu fertur Dominus; at vbi per humilitatem sese deiiciens ad pedes superbos, & mundiales fastus erat contriturus, id non ab alio, sed à se efficit, nec adeò proprium est lapidi deorsum vrgere, vt est propria Christi actio se ad pedes demittere, vt triumphos peragat: id acutè notabat Drog. lib.1. de

Daniel. 2. — Drogo.

de Sacram. Pas. inquiens. *Lapis est abscissus de monte sine manibus: iactus est lapis, & percussit Goliam in fronte, & statuam in pedibus. Iste est iactus tuus Domine.* Iste, inquam, est iactus tuus, nimirum, quod percutias statuam, te dimittens ad pedes statuæ; nihil magis proprium eius, qui à Deo venit, quam per deiectionem, & humilitatem triumphos agere. Ignis omnium elementorũ superbissimus nulli primas cedit, toto nixu ad superiora anhelat, tunc solum naturæ suæ conuenientem triumphum agit, cum se super omnia extollit. Is tamen vbi Deo plenus apparet, innatam oblitus ambitionem totum se dimittit, & humi stratur, vt Deo digno triumphos agat. Compone modo ignem, & ignes; ignem, inquam,
Daniel.3. in Babylone accensum: hic Dan.3. habuit flammam, *quæ erecta est supra fornacem cubitis quadraginta nouem.* Erecta est flamma Babylonici ignis, nescit Babylonicus ignis non ire
Exod.19. in alta. Verum Exod.19. *Totus mons Synai fumabat, eo quod descendisset Dominus in igne.* Ecce tibi ignis, qui non erigitur, qui non se exaltat, imò descendit, imò se dimittit, imò gloriosiori ambitione se deiicit. Vnde hæc noua in igne proprietas? Habet ignis Deum, à quo habet, vt oblitus altitudinem Satanæ sibi innatam humi repat, se ad pedes di-
Damian. mittat. Id ponderat P.Damian. epist.112. fatus. *Ignis iste descendit, quia de cælo venit, ille autem non descendisse legitur, vt de carnalis concupiscentiæ petulantia procedere videatur.* Hinc censendus est Dei impulsus, Dei iactus, quo Deus per demissionem, & humilitatem parat sibi, & suis diuiniores triumphos. Carnalis petulantia in aëra euanet, & penitus disparet, at diuina virtus humilis ad pedes inclinat, vt gloriosiores coronas de humilitate, & certiores acquirat, vnde ait diuinus pater ad filium humano latitantem sub puluere,
Isai.49. Isai.49. iuxta lectionem Lxx. *Magnum est tibi, vt vocetis puer meus, vel seruus meus.* Et qualiter magnum potest esse filio, quo vocetur seruus? Nónne maior est in quauis domo filius, quam seruus? Ergo qui vocatur filius Dei, & verè est Dei filius, non pro magno, sed pro paruo habebit, quod vocetur seruus? Sed est tam Dei proprium per humilitatem, & abiectionem magnos triumphos acquirere, vt Dei filius pro magno habeat humilitatis vocabula, quibus ingentem glo-
Origen. riam, & magnitudinem sibi acquirit. Orig. in Ioan.1.tom. ait, *Audiendum est dicere maiorem, diuiniorémque Christi bonitatem apparere, quando humilem præbuit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, quam si rapinam arbitratus esset, se esse æqualem Deo, neque voluisset pro mundi salute fieri seruus, ob eam causam volens nos docere magnum donum accepisse se à patre, quod sic seruierit, inquit. Et dixit mihi, magnum tibi est, vt voceris seruus meus: nam si seruus non esset factus, non excitasset Iacob, neque dispersionem Israëlis conuertisset.* Hic est Dei iactus, quo se ad pedes deiicit, ad humilia demittit seruitia, vt ingentes agat triumphos, & gloriosiores victorias acquirat. Nihil magnum Deo speres, nisi per deiectionem, & humilitatem. Agar fugitiuam conuenit Angelus Domini, Genes.16. & ait illi. *Reuertere ad dominam tuam, & humiliare sub manu illius.* Et rursum: *Multiplicans*, inquit, *multiplicabo semen tuum, & non numerabitur præ multitudine.* Nota structuram, & ordinem sermonis, prius consulit humilitatem, vt se serua dominæ submittat, vt seruam agat: deinde ingentem prolem, numerosumque populum promittit, quasi non posset sperare
Tertull. magna, nisi de humilitate præmissa. Id attingit Tertull. lib. de Trinitate, aiens. *Agar ancillam Saræ de domo eiectam pariter, & fugatam Angelus conuenit, fugæ causas interrogat, atque accipit, postquam humilitatis consilia porrigit, spem præterea illi materni nominis facit, quodque ex vtero eius multum semen esset futurum, spondet.* Non antea iubet sperare magna, quam consilia porrigit humilitatis.

§. III.

Ærumnæ ducunt ad Christum.

IAm Princeps Synagogæ relicto Moysis velamine Iesum conuenit, & Christum adorat: & vnde tantum velamen ab oculis Synagogæ principis reseratum est? Causam indigitat illud, *quia vnica filia erat ei, & hæc moriebatur.* Intellectum illuminat vexatio, & ablato litteræ velamine, præstat ad Christum ducatum. Sic habes apud Lxx. Cantic.7. *Offenderunt me custodes, qui custodiunt ciuitatem, percusserunt me, vulnerauerunt me, abstulerunt peplum à me custodes murorum.* Quærebatur sponsus, sed quærebatur sub Moysis velamine, & ideo non inueniebatur, accessit percussio, & vulneratio, & statim obductum velum scissum est, & pulchritudo reuelatur. Nyssen. homil.12. *Præclarum vulnus per quod sponsæ peplum ademptum sit, ita vt iam animæ pulchritudo sit reuelata non offundente illi caliginem amictu.* Non amplius caligabunt sub velamine oculi à vexatione illuminati, vt videant Dei salutare. Inspirant ægritudines, & vulnera à sæculo aliquid Christianum, ab origine mundi mortes, & calamitates halant agnum occidendum, halant Christum ex mortis faucibus eripientem Christianos. Huius notitiæ causa Iob æternam memoriam suis ærumnis, & calamitatibus exoptat, quasi illis acceptum referat, quod venerit in cognitionem Saluatoris Christi Domini, cap.19. Iob 19.
Quis mihi tribuat, vt scribantur sermones mei? Quis mihi det, vt exarentur in libro stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice? Amabat sanè suarum ærumnarum memoriam: amabat tantarum calamitatum monimenta nunquam obliterari; sed cur id adeò amabat? Huius rei ipse rationem dedit statim aiens. *Scio enim, quod Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursus circundabor pelle mea, in carne mea videbo Saluatorem meum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius.* Cur obliuiscar calamitates, quæ me in cognitionem redemptoris mei impulerunt? Non alius, non qui ab his ærumnis alienus, sed ego ipse, qui affligor, qui angor, à carnis vlceribus, filiorum calamitatibus doceor scire redemptorem: hunc noui ex calamitatibus. Huc spectat lectio Septuag. *A Domino hæc mihi consummata sunt, quorum* L X X.
ego mihi conscius sum, quæ oculus vidit, & non alius. Quorum sensum sic exprimit Nicetas ibi. Non humana est vexatio, Nizetas.
calamitatem enim pecoribus, liberísque importatam diuinitus esse è corporis mei ærumnis planè cognosco, in morbum naturalem referri hæc non possunt, Deus hæc mihi tulit, egomet, quem dolores percellunt, noui. Ita in sua carne putrescente Deum videbat, & ex vulnere corporis sui plagáque filiorum redemptorem Christum, & malorum omnium liberatorem odorabatur. Multum ad hoc possunt ærumnæ: Eua ad tertium partum accedens, Ge- Genes.4.
nes.4. *Peperit filium, vocauítque nomen eius Seth, dicens: Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain.* Adhuc de mortuo Abele dolor, adhuc parentes pulsat filij calamitas. Sed cur Eua tantæ calamitatis pondere pressa quiescit in Seth? Cur oculos non leuat ad semen aliud, nempe ad Christum omnium calamitatum verum solatium? Nónne facilè poterat ex filij calamitate ad Saluatorem mundi euolare? Pulchrè ibi Eucher. in Cat. Lypp. ait, *Potuit quippe, & Adam diuinitus admonitus dicere: Suscitauit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain, quia talis futurus erat, qui impleret illius sanctitatem.* Filij calamitatis memor pater dispositus erat, vt Christum spectaret. Semper enim calamitates viam astruunt, qua ad Christum veniatur. Sic Daniel captiuus apud Babylonicos Christi tempora præcognoscit: sic Achaz etiam si pessimo regi datur solatium de venturo Iesu, vbi duorum regum exercitibus affligebatur. Quippe Isai.7. Nunciauerunt domui Da- Isai.7.
uid dicentes. *Requieuit Syria super Ephraim, & commotum est cor eius, & cor populi eius.* Syria, & Ephraim fœdere inito, iunctis copiis venerunt aduersus domum Dauid, quod vbi domus Dauid nuncium accepit, exercitus vidit, deploratum suum regnum putauit. Tunc rursus Vates, *Audite ergo domus Dauid: Ecce virgo concipiet, & pariet filium.* Vide quam diuersos nuncios in domo Dauid, & qui ingerat regum iniquorum fœdera, & minetur calamitatem, & ob oculos Christum proponat liberatorem. Rupert. lib. 1. Rupert.
in Isai. in titulo cap. 32. *Cum annuntiatum esset domui Dauid, quia requieuit Syria super Ephraim, annunciatur conceptus, & partus Virginis.* Qua via calamitas, eadem Christi Domini agnitio intrabat. Psalm. 44. *Deducet te mirabi-* Psal 44.
liter dextra tua, sagittæ acutæ, populi sub te cadent. Ecce, quæ sint Christi deductores, nimirum sagittæ vulnerantes, hæc dum feriunt, populi cadent, Christum adorantes. Ita Ter- Tertull.
tullian. lib. aduersus Iudæos, ait, *Populi sub te cadent, vtique adorantes. Sic belli potens, & armiger Christus accipiet spolia non solius Samariæ, verum & omnium gentium.* Itaque acutissimas afflictionum sagittas immittit Dominus, quibus fit, vt populi in agnitionem Iesu cadant, Iesum adorantes.

§. IV.

Manus creatoris in nobis non potest occultari.

MAtthæus, & Marcus addunt ab hoc Principe id fuisse postulatum, nimirum. *Veni, impone manum tuam super eum, & viuet.* Alias diuinas Christi dotes ignorans manum

manum in eo creatoris recognoſcit, quod petit, vt filia reformari poſſit eiſdem, quibus formata fuit manibus. Vnde Chryſol.ſerm.33. *Cognoſcimus quid ſit: Veni,& impone manum tuam ſuper eam, vt qui ſponte poſuit ad creandum, ad reparandum iterum exoratus imponat. Credidit ergo Deo, quia eadem manu, qua creatam ſenſerat filiam, recreari, & reduci poſſet ad vitam.* Quantumuis alia Chriſti ignorauit, non potuit non ſentire, & recognoſcere illam manum, qua primo ad vitam filia fuit tracta. Adeò enim conſpicua eſt Dei manus, qua viuimus, vt vel ab incredulis non poſſit non publicari. Luc.15. Prodigus ille filius apud Luc.cap.15.aiebat, *Pater peccaui in cœlum, & coram te, non ſum dignus vocari filius tuus.* Vbi expendendum eſt,quod dum credidit ſe Dei filium non debere reputari, tamen dicit:Pater peccaui. Si non es dignus, qui voceris filius, cur vocas Patrem? Occulta potius,quod Pater ſit, vbi Dei filius indignus es vocari. Sed nequit manus creatoris occultari, quamuis diſſimulare velis, tamen Hieron. in te conſpicua erit Dei Patris manus. Accinit D. Hieron. epiſt.146. aiens: *dicit ſe non eſſe dignum filium nuncupari, & tamen ex naturæ voce, ex illa ſubſtantia, quam illi fuerat aliquando pater largitus, in nomen trepidus veritatis erumpit. Pater, inquiens, peccaui in cœlum.* Quot membra habes, tot linguæ ſunt, quæ publicant creatoris tui manus. Dixerat iſte indignum eſſe filium vocari, & tamen quem humilitas oris ſilentio tegebat, ipſa ſubſtantia opificem ſuum publicabat. Non enim poterat natura non recognoſcere creatricem manum quando alia ignoraret. Cant.5. Sponſa illa Cant.5.concluſa domi timens in conſpectum ſponſi venire,non potuit tamen ob oculos non habere illius manum. Ait enim, *Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen.* Cur ſponſa ſolum nobis teſtaris ſponſi manũ? Cætera ſponſi magnalia incomprehenſibilia ſunt ei,quæ in luteis domibus incluſa manet; manus autem operatrices, quibus ipſa debet, quod ſit, non Gregor. Niſſen. potuit non habere perſpectas. Ita D.Greg.Niſſen.hom.11.in Cantic. *Solam tunc manum aſpexit,per quam intelligitur virtus eius operans, non enim ſuſtinet humana natura inopia, vt eum capiat, qui eſt infinitus, & incomprehenſibilis.* Quis enim non Atheus operaturas Dei manus ignoret? Quis factus auctores ſuos digitos non agnoſcat?Sanè,& inſenſibiles creaturæ ſemel à Dei voce profectæ non potuerunt non agnoſcere vocẽ,cui totum ſuum eſſe debebãt.Vbi enim Ieſus nauigat, & dormit,à tempeſtate iactatis diſcipulis excitatur,*& imperauit ventis,& mari, & facta eſt tranquillitas magna.* Cur tam cito fluctus ſilẽt?Cur mare vndas comprimit ad ſonũ vnius Baſil.Sel. vocis?S.Baſ.Sel.orat.22.*Recognoſcebat enim mare veterè vocem, recordabatur antiqui præcepti, Congregentur aquæ in vnum locum.* Non potuit inſenſibilis etiam creatura ſui opificij auctricem præterire, quam experta fuit manum,& vocẽ,dum fiebat,eandem,vt videt,agnoſcit,& publicat obedientia ſua.

Text. Venit quidam à Principe Synagogæ, dicens ei: Quia mortua eſt filia tua: noli vexare illum. Ieſus autem audito hoc verbo reſpondit patri puellæ: Noli timere, crede tantum, & ſalua erit.

§. V.

Solius virtutis diuinæ eſt ſtare in fide, vbi cernitur multitudo cadens.

IVxta D. Lucam, acceſſit quidam Iairo filiæ mortem annuntians, cum quo etiam alij plures conuenerant, vt teſtatur Marcus c.5. Marc.5. omnes inutilem aduentum Ieſu reputantes, quia minimè credebant ab illo mortuam ſuſcitari poſſe, quam nuntiorum infidelitatem,vt percepit Ieſus principis fidẽ,ipſe robur addit,illúmque maximè confirmat aiens, *Noli timere,crede tantum,& ſalua erit.* A ſolo enim Dei robore venit, quod quis non labatur, vbi labentes plures fuerit conſpicatus. Id quod in Angelorum ruina,quando poſt reproborum lapſus, Fulgent. Michaëlis pars ſtabat,notat D.Fulg.lib.2. ad Thraſym.Regem,c.2. fatus. *Cum verò quædam pars eius de cœleſti beatitudinis culmine in imam perpetuámque cernitur deuoluta miſeriam, profectò cognoſcitur vniformi cunctos opprimi potuiſſe ruinæ conſortio, niſi quos velles à caſu virtus illa defendere,quæ ſola naturaliter mutari non poteſt.* Quis tot furibus currentibus, & corruentibus, non curreret, & corrueret? Quis ad aſpectum tantæ multitudinis errantis, & labentis non ſaltem commoueretur ad lapſum,egerétque ne laberetur,ſuſtentamine? Aut ſolus Deus,aut Dei virtute munitus potuit ſine motu labentem multitudinem ſpectare.Hinc diuinitatis ſuæ infirmitatem probans Dominus ait,Luc.10. Luc.10. *Videbant Satanam, ſicut fulgur de cœlo cadentem.* Quid hoc magnum ad Ieſum, quod vidiſſet cadentes Angelos. Nónne & Michaël vidit? Nónne,& Gabriel?Sanè maximum vnius Ieſu encomium eſt, potuiſſe tantam multitudinem cadentem ſpectare. Nullus alius potuiſſet id, imò neque potuit, niſi de Ieſu virtute confirmatus. Rupert. Rupert. lib.1. de victoria verbi Dei, cap.23. *Solus iſte videbat ſecuros ſui. Angeli autem viderunt in magno terrore poſiti.* Adeò efficax eſt multitudo cadens ad trahendos ſecum creatos animos, vt ſola Dei manus poſſet ibi afferre firmitatem. D.Petrus epiſt.2.cap.2. mirabundus proponit iuſtum Loth inter Sodomitas. *Aſpectu enim, & auditu iuſtus erat: habitans apud eos, qui de die in diem animam iuſtam iniquis operibus excruciabant.* Sed vnde infirmus homo inter tot cadentes adeò firmus potuit exiſtere, vt nec aſpectu, nec auditu laberetur? Notanter cauſam firmitatis ex immediatè poſitis verbis inſinuat D. Ephrem. Ephrem Parænesi 9.inquiens. *Sed quid infert audi: nouit Dominus pios detentione eripere.* Solius eſt Dei nouiſſe firmitatem præſtare ei, qui inter labentes ad vitia. agit vitam.Vnde anxius Dauid Pſalm.69.*Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me feſtina.. Confundantur,& reuereantur, qui quærunt animam meam.* Quæ verba, ſi titulum Pſalmi ſpectes, dicta fuere à Dauide, vbi deuictis hoſtibus, pace fruebatur, & quiete. Etenim ait Titulus, *in rememorationem, quod ſaluum fecerit eum Dominus.* Itaque poſt hoſtes confractos,poſt ſalutem obtentam, adhuc timet Deum ſaluti ſuæ, adhuc hoſtilem perſecutionem metuit, in qua pereat: niſi Deus auxilium feſtinet. Quod hoc periculum Dauidis? Euanuerant hoſtes, ſed ob oculos verſabantur palatini in vitia ruentes: præ oculis erat popularium in voluptates conſenſus, à quibus grauius, & certius periculum timebat ſibi Dauid, quam ab hoſtibus, niſi manus diuina feſtinauerit fulcimentum.Non adeò extimeſcendus eſt crudelium hoſtium conflictus, quam hominem in peccata ruentium ſcandala. Non adeò damnoſa tyrannorum ſæuitia,quam labentium exempla praua.Matth.18.ait Dominus: Matth.18. *Væ mundo à ſcandalis.* non ait, væ mundo à bellis, nec væ mundo à tyrannis, ſcandala vtpote nocentiora quam tyrannorum ſæuitiem indicabat. Omnia pulcrè attigit D.Auguſt. Auguſt. in præfatione dicti Pſalmi expendens Martyrum pugnas, & noſtras cum exemplis prauis fatus. *Illi tam coronati ſunt: nos adhuc periclitamur, non quia tales nos perſecutiones vrgent, quales ipſos vrgebant: ſed fortaſſe peiores in omnimodis generibus tantorum ſcandalorum. Noſtra enim tempora magis abundant illo væ, quod clamauit Dominus: Væ mundo à ſcandalis. Fremunt dentes impiorum aduerſus pacem Chriſtianorum. Et quia non habent quid agant ſæuiendo, ſaluando, blaſphemando, luxuriando, non impellunt corpora Chriſtianorum, ſed lacerant animas. Clamemus ergo omnes: Deus in adiutorium meum intende*, &c.

§. VI.

Firma Deo fides, ſeu fiducia non fallitur.

TAntum, inquit, *crede,& ſalua erit*, quando firma de Deo opinio,certáque præſumptio nunquam ſciuit falli.Vnde monebat D.Chryſoſt. Pſal.94.fic. Chryſoſt. *Nullus ergo ex cultoribus Dei dubitet, quamuis beneficia difficilia ſperet, quamuis miracula ſuper ſe venientia poſtulet, deſeri à ſummo Deo non poteſt.* Dubitatio noſtra ſola derogat promiſſis diuinis: abſit dubia fides, ſtet noſtra in Deo ſpes firma, non nutet,& quaſi acceptas reputa omnes promiſſiones diuinas,omnia quæ ex Deo accipere cupis.Gen.15.ad Abrahã dicit Dominus: *Qui egredietur de vtero tuo ipſum habebit hæredem.* Quid tũc Abraham? *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.* Expende promiſſionem diuinam, nimirum,*habebis hæredem*, ſimul & fiduciæ mercedem,ſcilicet,*reputatum eſt illi*,&c. ibi habebis; hic reputatum eſt, ibi per verbum de futuro, hic per verbum de præterito; quod enim promiſſio retardat,id facit ſpes firma, vt currat, imo præcurrat. Pulcherrimè in Baſil. præſenti fatur D.Baſil. Sel. orat.7. *Accepta promiſſione habuit filium ante filij partum, & ſpes ipſa prius Iſaacum peperit quam alnus,loquutus eſt Deus,& hæres in victo eſt,ſpes ipſa res comitatur.* Non ſequitur ſpem res,ſed comitatur, nequit eſſe firma in Deo fiducia ſine re, quam ſperat. Hæc eſt vnica fidelis ſpei gloriatio,quod non confundat,quod non ſit effœta, quod ſi accedat ad rem,quaſi iam illam præceptam habeat. Huc reſpiciebat Paul. ad Hebr.cap.3. *Quæ domus ſumus nos,* ſi

fiduciam, & gloriam spei vsque ad finem firmam retineamus. Expende illud, gloriam spei, numquam spes in gloria, nonquam fiducia confusa, vbi spes firma in te fuerit de obtinendo aliquo, iam spes poterit quasi de obtento gloriari.

Chrysost. Chrysost. ibi. *Gloriam spei. Bene dixit spei, quoniam omnia bona ipsa sunt constituta. Oportet autem illam certam tenere, vt non secus gloriemur, quasi iam confecta essent, qua speramus.* Validissima est in Deum fiducia, & petit, & quasi de iam accepto gloriatur, quia in se nouit omnia esse bona constituta. Non dubitat de imbecillitate creaturarum, quia & ipsa robur idem pro se habet, quo Deus ipse per imbecillia mundi triumphos suos agit. Vnde dicebat Apostolus ad

Rom. 8. Rom. 8. *Spe enim salui facti sumus, spes autem, qua videtur, non est spes. Nam quod videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus. Similiter autem spiritus adiuuat infirmitatem nostram.* Quibus verbis Apostolus spem vocat qua fiducialiter à Deo aliquid speramus; & item spem vocat rem ipsam speratam, quando dicit, spes quæ videtur. Sic enim res comitatur spem, vt noluerit Apostolus hæc duo separari vocabulo. Insuper espende illud. Similiter & spiritus adiuuat. Cui enim spiritus dici potest plus similis in adiuuando infirmos, & roborando, vt mirabilia possint, quam fiduciæ? Equidem & spiritus diuinus, & fiducia similiter concurrunt, robur, & potentiam mini-

Anselm. strantes, qua omnia difficilia possint separari. Ita D. Anselm. aiens, *Non solum enim spes nos adiuuat, sed etiam Spiritus sanctus similiter adiuuat infirmitatem nostram.* Non alio robore, non alia potestate vtitur Spiritus sanctus, vt per mundi infirma fortissima agat, quam ea, qua vtitur spes. Gaudet Spiritus sanctus similis videri fiduciæ in potestate; quando fiducia in Dei robore, & fortitudine nihil veretur aggredi, nihil

Iudith 13. non obtinet ea his, quæ obtinere maluit. Hinc Iudith cap. 13. iam iam iugulatura Holophernem, ante fiduciæ arma caerit, quam pugionem arripit; sic enim ait: *Confirma me Domine Deus Israël, & respice in hac hora ad opera manuum mearum, vt sicut promisisti, Ierusalem ciuitatem tuam erigas: & hoc, quod credens per te posse fieri cogitaui, perficiam.* Nihil veretur firma in Deo fiducia, quæ pro se habet diuinam potestatem Addo Ierosolymitanum Regem Assam, qui dum contra Æthiopum Regem Zaram, à quo decies centena hominum millia, treceotique falcati currus ductabantur,

2. Par. 14. pergeret, ait 2. Paral. 14. *Domine non est apud te vlla distantia, vtrum in paucis auxilieris, an in multis. Adiuua nos Domine Deus noster. In te enim, & in tuo nomine habentes fiduciam, venimus contra hanc multitudinem.* Contemnit fiducia in Deo omnes difficultates, docta semper vincere, docta clarissimos semper triomphos reportare.

Text. Et cùm venisset domum, non permisit intrare secum quemquam, nisi Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & patrem, & matrem puellæ.

§. VII.

Nihil puella ornatius est, quàm omnem vel mendaci suspicioni aditum occludere.

DImissa turba non omnes dimittit Dominus, nec sine testibus defunctam puellam vult inuisere, imò tribus septus discipulis, & matre, & patre puellæ comitatus cubiculum ingreditur; æstimans nihil puellæ ornatius, & pretiosius tribui posse, quam si vel mendaci suspicioni aditum

Hieron. occludat. Id pulchro exemplo expendit D. Hier. lib. 1. in Iouinian. dicens, *Claudia virgo vestalis cum in suspicionem venisset stupri, & simulacrum matris Idea in vado Tiberis hæreret, ad comprobandam pudicitiam suam fertur cingulo duxisse nauem, quam multa millia hominum trahere nequiuerant; melius tamen, inquit Lucius poëta patruus, cum illa esset actum, si hoc, quod euenit, ornamentum potius explorata fuisset pudicitia, quam dubia patrocinium.* Minus consulitur fœmineo pudori, quando eget ipsa ab aliis testimonium, & patrocinium emendicare. Tunc præclarum habet fœmina suæ pudicitiæ ornamentum, cum adeò claret, vt ne in suspicione quidem alterius conspurcetur. Sic adornatur publica fœmina, Apoca-

Apoc. 12. lyps. 12. *Signum magnum apparuit in cœlo: mulier amicta Sole,* &c. Nouum planè amictus genus; amictus tegit, operit, custodit: Sol detegit, explicat, manifestat. Cur cœlestis

Psalm. 88. mulieris amictus è Sole? Iam explicat Psalm. 88. *Thronus eius, sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum, & testis in cælo fidelis.* Ecce tibi cœlestem fœminam Sol vestit, Sol ornat, Sol, inquam, testis in cœlo fidelis, quia fœminæ decus, & ornamentum ab indubitato, & euidentissimo Solis testimonio deuenit. Huc accedit Tert. Tertull.

lib. de cultu fœminarum, agens de indubitatæ pudicitiæ operibus. *Hæc sunt, quæ nos luminaria mundi faciant, bona scilicet nostra, pudicitia Christiana satis non est esse, verum & videri.* Tunc habet pudicitia suum decus, & ornamentum, quando indubitatio ab omnibus, & euidenter cernitur, quando non emendicatum, sed conspicuum in se habet testimonium. Ambros. lib. 8. epistola 64. ait, *Virgo Domini suis* Ambros.

est nixa fulcris ad sui probationem, nec alienis dotibus eget, vt se virginem probet, sed obuia omnibus modestia adstipulatur integritati. Tunc omninò secura apparet, cum nemini euidenter non probatur. Ideò Apostol. ad Ephes. 4. *Modestia* Ephes. 4.

vestra nota sit omnibus hominibus. Notissima debet esse modestia, sed ad quid tam conspicua? Ad quid tam omnibus nota? Tertull. supra: *Ad quid nisi, vt malitia ad vos accessum* Tertull.

omninò non habeat, vt malis exemplo, & testimonio sitis? Expende in qua re accessum malitiæ penitus excludat, nimirum in euidentissimo, & prorsus indubitato pudicitiæ testimonio. Semper enim boni nominis obscuritas, malique rumores sparsi aditum malitiæ relinquunt prorsus patentem. Abdubium enim est, quin præmissi rumores, etiamsi falsi sint, insensibiliter minuant erubescentiam ad futurum actum, & consequenter inde aditum patefaciunt. Dan. 13. Daniel. 13.

Susannæ pudicitia à nefarissimis senibus notatur: tunc sic, *Postquam autem senes loquuti sunt, erubescunt serui vehementer: quia nunquam dictus fuerat sermo huiusmodi de Susanna.* Quibus nota vehementissimæ erubescentiæ ratio in quo ponatur, nimirum, quia non dictus fuerat sermo huiuscemodi de Susanna: quasi non adeò erubuissent, si alias similes excepissent de domina sua fabulas. Mollit equidem erubescentiam facti sparsus rumor, nec adeò refugis, & expaues facinus, quod semel & iter de te potuisse credi percepisti.

§. VIII.

Patres familias filiarum adolescentularum norint omnes congressus.

NOn otiosè ingreditur pater, & mater puellæ, sed vt discant patres nunquam filiabus abesse, earum congressus perspicue noscere, & vel passus metiri. Madianitides illæ septem puellæ, Exodi 2. adaquare volebant greges patris sui: superuenientes autem pastores impediebant eas. Tunc accessit fortè Moyses, qui & rusticitatem, & iniuriam pastorum repellens iuuencculis adaquandi copiam permisit. Quibus ad patrem continuo redeuntibus sic pater ait mirabundus, *Cur velocius venistis solito?* Vbi ego pondero optimam patris disciplinam, qua filias ita gregibus pa- Exod. 2.

scendis præficiebat, vt simul omnes illarum & congressus, & passus trutinatos haberet: adeo, vt omnes illarum morulæ, vel festinationes illum non latere possent. Sic ait: *Cur velocius solito venistis?* De quo eleganter Lyppom. in Lyppom.

Cat. ait, *Bona patrisfamilias est curare, si sedula sit familia in agendis: morarum quoque causas inquirere maximè filiarum.* Præclari parentes, qui adeo filiabus custodiendis inuigilabant, adeo earum extra domum gressus numeratos, & ponderatos habebant, vt nec parua morula nociter accidere posset, quæ fugeret censuram patris. An sic filiæ suæ gressus nouerat Iephthe, dum ait Iudic. 11. *Quicumque primus* Iudic. 11.

fuerit egressus de foribus domus meæ, mihique occurrerit reuertenti cum pace à filiis Amon, eum holocaustum offeram Domino? Notissimi erant parenti filiæ passus quam rari extra domum, vnde votum vouens non dubitauit, non veritus est filiæ occursum. Quid plura? Victori redeunti filia prima occurrit, quam ipse præter opinionem sibi occurrentem conspicatus, flebiliter ait, *Heu me, filia mea decepisti me, & decepta es: aperui os meum ad Dominum, & aliud facere non potero.* Minimè se deceptum ab occurrente filia extra domum lugeret, nisi longe aliam de filiæ gressibus habuisset existimationem. Excessit filia solitos, & parenti notos passus: quo deceptionem suam luget pater, sed & illa tulit plurima deceptionis damna. Tulit, inquam, nobilis puella deceptionis damna, quod vltra patris conscientiam pedes mouere præsumpserit. Feliciores illæ, quæ numquam nouerunt vel pedem mouere extra parentum disciplinam. Tales puto filias Lothi: dicunt enim Angeli illum à Sodomorum incendio liberaturi, Genes. 19. *Tolle vxorem tuam, & duas filias,* Genes. 19.

quas habes, ne & tu pariter pereas in scelere ciuitatis. Sufficisset dicere, tolle vxorem, & filias tuas, sed non otiosè ad-

diderunt illud, *filias quas habes*, hoc est quæ tibi curæ sunt, quæ sub tua disciplina inueniuntur, nec oculos tuos declinant. Quod expressit Chaldæus aiens: *Tolle vxorem tuam, & duas filias tuas, quæ inuentæ sunt fideles tecum.* Saluatur vxor, vel solum quod vxor Lothi sit, verum filiæ vt salutem acquirant non sufficit, quod sint filiæ Lothi, sed vltra id insinuatur ratio specialis salutis, nimirum: *Quæ inuentæ sunt fideles tecum.* Vbi acute Caiet. in cat. Lypp. ait. *Tamquam & istæ filiæ relictæ fuissent nisi inuentæ fuissent cum Loth.* Saluauit filias, quod fideliter fuissent sub oculis, & parentum, nec aliunde salutem sibi præscribat filia, quæ tunc salua est, cum inuenitur semper esse sub oculis patris. Vnde prudenter D. Ambr. virgines hortabatur, aiens, *Nullus sit tibi, sine matre progressus, quæ sit anxia tui custos pudoris.* Districtior adhuc D. Hieron. epist. ad Demetriadem sic illa monebat. *Esto auiæ, matrique subiecta. Nullum virorum, & maxime iuuenu, nisi cum illis videas, nullum scias, quem illæ nesciunt.* Hæc est via adolescentulis maxime salutaris, si neque oculorum nutu à parentum fugiant disciplina: si neque pedem figant extra parentum obtutum. Habrahamo viro, & strenuo, & forti dicitur Gen. 12. *Exi de terra tua, & de cognatione tua.* Verum vbi ad adolescẽtulas fit sermo diuinus, solum dicit Psal. 44. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, obliuiscere populum tuum, & domũ patris tui.* Non iubetur de domo patris exire, sed solum domum patris obliuisci; ille iubetur patres penitus relinquere, hæc solum obliuisci, ne filiæ adolescentulæ prætextum habeant in Dei verbis, quo sine parentum oculis velint viuere.

Chald. | Caietan. | Ambros. | Hieron. | Psalm. 44.

Text. Flebant autem omnes, & plangebant illam. At ille dixit: Nolite flere; non est puella mortua, sed dormit. Et deridebant eum scientes, quòd mortua esset.

§. IX.

Virginitatis dos est immortalitas.

NOtanter dictum est, *non est puella mortua.* Virgineus enim decor semper de immortalitatis splendore radiat. Pro quo stat D. Hier. lib. 2. in Iouinian. fatus, *Si in Moysi nuptias, in Elia virginitatem dixerint demonstrari: breuiter audiant Moysem mortuum, & sepultum; Eliam igneo curru raptum, antè immortalem esse cepisse, quam mortuum.* Nouit virginitas immortalitatis speciem oculis humanis infundere, & semper virentis vitæ odorem afflare. Abfuit statim virginitas, vbi mors cœpit regnare: non enim potest mors regnare, vbi virginitas habet principatum. Quod D. Lucæ c. 20. exprimũt verba sic à D. Cypr. lib. 3. ad Quirinum exarata. *Filij sæculi huius generant, & generantur: qui autem habuerunt dignationem sæculi illius, & resurrectionis à mortuis, non nubunt, neque enim incipient mori: æquales enim sunt Angelis Dei.* Expende verba illa; *neque enim incipient mori.* Quippè vbi mors cessar, ibi absunt nuptiæ, ibi virginitas candicat, quo solum abscondita est, quãdo oportuit mortem regnare, verum vbi virginitas se se explicat, mors vlterius neque apparere audet. Accipite D. Greg. Nyssen. de virg. cap. 13. *Certe huiusmodi vita, quæ vim mortis superat, potior est ab his habenda, qui mente præditi sunt. Corporea enim liberorum procreatio non vitæ magis, quam mortis occasio hominibus extitit: siquidem ab ortu initium habet interitus, à quo virginitatis causa, qui immunes futuri sunt, mortis in se terminum constituerũt, cum vltra in se illã progredi prohibuerunt: & vitæ, & mortis se terminos constituerunt, ne vltra prorumperet.* Non equidem patitur virginitas mortis imperium, terminos illi præfigit, quos ipsa mors veretur, & non audet, neque potest transilire. Vt frementes maris fluctus arenam transilire non possunt, sed osculantes terminum suum retrocedere coguntur; sic mors, vbi apparet virginitas, vel ad virginitatis vmbram subsistit. Vidisti aliquando marinos fluctus ita efferbuisse, vt vniuersos terminos contempserint, totúmque submerserint mũdum. Vna sola Noëmi arca supernatabat, illàm vnam solam fluctus verebantur, qui vniuersos alios terminos contemnentes transiliebant. Sed cur, quando nulla arena terminat furẽtes fluctus, quando nullus terminus vndarum agnoscitur, vna agnoscitur arca? Erat in arca virginitatis vmbra, erat inter separatos mares, & fœminas castitas, quæ sola terminus mortis est, qui nullo modo valet separari. Ecce vobis Genes. 7. dicitur, *In articulo diei illius ingressus est Noe, & Sem, & Cam. & Iaphet filij eius: & vxor illius, & vxores filiorum eius.* Hinc viri, illinc fœminæ separatim, cur separatim? Damascen. lib. 4. de Fide ortho. cap. 25. *Vt castitatis adminiculo pelagus atque vniuersum illud mundi naufragium effugerent.* Quod nulli potuerunt termini, potuit castitas furentes mortis fluctus frænare. Non enim mors potest, vbi virginitatis flos viret, cuius vel odor omnia mortis excedit conamina, & in vitam æternam salit. Virgineæ sponsæ processum speculatus Dominus non potuit eius immarcescibilem vitam non odorari; ait enim Cant. 4. *Odor vnguentorum tuorum super omnia aromata.* Quid est super omnia aromata? Aromatibus condiebantur mortuorum cadauera, vt illis aliquis carnis vigor possit conseruari, sic caro Domini aromatibus condita est, sed parum valet aroma ad virorem præstandum, vbi virginitas adest, quæ super omnia aromata maciem, & putredinem mortis ablegat, & virorem immortalitatis alit. D. Ambros. lib. 1. de virginit. *Vide, quem nobis tribuas virgo processum. Primus enim odor tuus super omnia aromata, quæ in Saluatoris missa sunt sepulturam, & mortuos corporis motus, membrórumque redolet obiisse delicias.* Abeunt mortis pabula, vbi virginitas adest, in qua negotia immortalitatis initiantur. Nec immerito virginitas eligitur, vt futuri sæculi patrem pariat, sed debitum erat, vt à virgine acciperemus primum pignus nascentis immortalitatis. Id quod attingit Richard. Victor. lib. 1. de Emanuele, part. 1. cap. 12. aiens, *Accepit ergo natura humana in beata Virgine Maria quasi quasdam arrhas, vel primitias futuræ incorruptibilitatis suæ, integritatem incorruptibilitatis virgineæ.*

Hieron. | Luc. 20. | Cyprian. | Nyssen. | Genes. 7. | Damasc. | Cant. 4. | Ambros. | Richard. Victor.

Text. Ipse autem tenens manum eius, clamauit dicens: Puella surge; & reuersus est spiritus eius, & resurrexit continuò: & iussit illi dare manducare.

§. X.

Fœmina præsentissimum virus est ad perdendos homines.

NVllius viri manum tenuit Dominus, vt suscitaret illum, etiam cum suscitat amicum Lazarum, suscitaturus tamen puellam, eius primum accipit, & tenet manum. Quanto id mysterio factum est, noscet, qui præsentissimum fœminæ virus ad perdendos homines nouit. Cum enim tantum virus excitatur in Apostolorum cõspectu, suis prospiciens Dominus non patitur, vel momento temporis fœmineum virus esse sine antidoto diuinæ manus repellentis contagium. Simile quid accidit apud Matth. 8. cum Dominus sanaturus Petri socrum, *tenuit eius manum*, de quo D. Chrysolog. serm. 18. ait, *Quæ necessitas tangendi erat, vbi imperat ius iubendi? Sed Christus tenuit manum mulieris ad vitam, quia Adam de manu mulieris acceperat mortem.* Lethale erat homini mulieris consortium; mortiferæ eiusdem manus, quæ nisi diuinæ manus antidoto præuenirentur, mortem omnibus præsentibus exhalarent. Mirabar ego aliquando Lothi felicitatem, & diuinam cum illo prouidentiam, non quod à flammis eriperetur, sed quod à fœminæ consortio non traheretur ad flammam. Eua respexit vetitã arborem, & comedit ipsa, & dedit viro suo, & omnes perdidit viros: vxor Lothi respexit etiam ardentes ciuitates, cur vt ipsa respexit, non etiam virum traxit ad respiciendum? Vnde Loth non trahitur? Sanè traheretur Loth, nisi diuina manus præueniens tanti mali antidotum subito, antequam vxor loqui posset, vel extendere manum ad virum, illam verteret in statuam salis. Id pulchrè cecinit D. Alcinus lib. 2. de peccato origin. fatus:

Hoc tamen hic mirum est, quod Loth non flectitur ipse,
Nec sociam sequitur primo constantior Adam:
Quamquam id credo magis factum, quia visa referre
Iam nequit elinguis: quæ si comperta referret,
Forsan & in similes ausus temeraria traxit.

Ea est vis fœminis ad trahendum, imò ad perdendum homines, vt nisi quam primum, & celerrimè earum virus præueniatur, nõ possit ruina vitari. Non Iosephum castissimum, sed eius pallij extremũ apprehẽdit fœminea manus, & ecce tibi subito adolescens fugit relicto pallio. Cur relicto pallio? Equidem pallium, quod fœminea manus tetigerat, abiecit, ne paulatim virus serperet: prudentissimè sibi cauit à manu fœminea vel filium vestis suæ tangente. Condemnas nimis scrupulosum, & meticulosum virum? Sed accipe, qui laudẽtur à Deo. Apoc. 3. *Habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt vestimẽta sua, & ambulabunt mecũ in albis; digni enim sunt.* Tota dignitas nominatorum virorum in eo sita, quod vel vestes suas seruauerunt alienas à fœmineo contactu.

Matth. 8. | Chrysol. | D. Alcin. | Apoc. 3.

tactu. Id explicatius cap. 14. *Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati; virgines enim ſunt.* Non ſunt coinquinati cum mulieribus, quia vel ab eis tactas veſtes ſuſpe-
Tertull. ctas habent, & à ſe protinus ablegant. Sic Tertull. lib. de Reſur. carnis coniungit vtrumque, aiens: *Hi ſunt, qui veſtimenta ſua non coinquinauerunt cum mulieribus, virgines ſcilicet ſignificat.* Quaſi deploranda iam ſit pudicitia, quæ ſuſtinet veſtis extremum fœminea tangi manu. Eu quam fugiendum conſortium fœminarum eſt illis, qui velint liberi euadere!
Pſal. 140. Pſalm. 140. *Diſſipata ſunt oſſa noſtra ſecus infernum.* Pro verbo illo, *diſſipata*, ponunt alij, *emollita ſunt oſſa noſtra ſecus infernum.*
Arnob. Vbi Arnob. ait, *Iuxta infernum ſunt, quando ſocietatem noſtram diuerſitas ſexus inquietat.* Eo ipſo, quod te ſocium fœminæ offeras, iuxta infernum degis: ſumma eſt
Prou. 30. vicinitas inter fœminam, & infernum. Prouerb. 30. *Infernus, & os vuluæ*, nihil mediat, coniunctiſſimæ ſunt, & fœminæ mollitudo, & infernus. Equidem à mulieris conſpectu ſic fit homo totus carneus, vt pene obliuiſcatur animæ ſalutem, nec ſi habeat animam meminerit. Da huius rei teſtem Adamum, qui cum primum Euam aſpexit, ſic fatur
Geneſ. 2. Gen. 2. *Hæc nunc os de oſſibus meis, & caro de carne mea.* Ecce tibi quid meminerit in ſe eſſe Adam, poſtquam Euam vidit, nimirum oſſa, & carnes, quaſi ſpiritum habeat nul-
Origen. lum, ſic præterit illum. Acutè Origen. homil. 5. in Exod. *Velim mihi diceres Adam, ſi omnia, quæ in te erant, tradidiſti, cur non etiam animæ cum cæteris facis mentionem, quæ melior hominis pars eſt?* Obliuiſcuntur animam ſe habere, quicumque mulieres amare incipiunt.

Text. Et ſtupuerunt parentes eius: quibus præcepit, ne alicui dicerent, quod factum erat.

§. XI.

Extraordinaria, & rara miſericordiæ opera non populariter publicanda.

MAldonatus apud Matth. 9. animaduertit de ſolis mortuis ſuſcitatis, & curatis cæcis Chriſtum, ne id ſciretur, præcepiſſe: cuius rei rationem ipſe aſſequi nititur docta coniectura; ego aliam pro moribus reddiderim. Ea eſt, quod rariora miſericordiæ facinora non paſſim euulganda ſunt popularibus ineruditis, ne ſcandalū accipiant. Memini enim D. Auguſt. vel ſi mauis Ambr. dolentem, quod latronis beati felicitas multis ſtiterit occaſio ruinę, qui perſuaſi, quod ſummus peccator in extremis poſſet inuenire miſericordiam diuinam, iis ſe vitiis implicarunt, quibus miſerè perierunt. Vnde Deus rariora miſericordiæ ſuæ facinora cauet, ne po-
Geneſ. 8. pulariter ſciantur. Sic dicitur Gen. 8. *Ait Dominus ad Noe, nequaquam vltra maledicam terræ propter homines: ſenſus enim, & cogitatio hominis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua.* Quibus ponderanda eſt ingens diuinæ miſericordiæ vis, promittit ſe non puniturum, quia homines mali ſunt, & peſſimi ab adoleſcentia ſua, quaſi quo maior eſt hominum peruerſitas, eo magis ſe ſa accingat ad parcendum diuina mi-
Chryſoſt. ſeratio. Id quod expendens D. Chryſoſt. ſtatim ſic notat: *In Hebræo habetur, & dixit Dominus in corde ſuo, vel in mente ſua, & non ad Noe.* Sanè nocentiſſimis hominibus veniam promittebat, & his, qui ab adoleſcentia mali, vitiis innutriti, hoc autem Deus ſolus intra ſe muſſitabat, minimè id euulgabat, nec Noë dicebat. Alto tegit Deus ſilentio ſuæ miſericordiæ magnalia, ne homines inde occaſionem ſumant ſe amplius vitiis, & peccatis tradendi. Hinc vbi Publicanum hominem telonio accumbentem trahere voluit,
Matth. 9. Matth. 9. inquit, *Cum tranſiret inde Ieſus*, &c. obiter, & quaſi ad aliud feſtinans vocat, ne ſentiatur, ne videatur talibus
Chryſol. ſuos offerre theſauros, id quod notabat Chryſolog. ſerm. 28. aiens, *Non dixit: cum fluret ibi, tranſiuit, & pertranſiuit inde.* Noluit videri Dominus ad tanti peccatoris oſtium pulſans, ne nimis publicarentur eius miſericordiæ, & homines fatui amplius peccandi ſumerent occaſionem, inter has Dei miſericordias abſconditas numerabat ſanctiſſimus Iob illam, qua ipſe à Deo iuſtificandus erat; neſcio, an tunc de ſuis meritis nimis humiliter ſentiret. Ait enim cap. 8. *Audite ſermonem meum, & ænigmata percipite auribus veſtris, ſi fuero iudicatus, ſcio, quod iuſtus inueniar.* Cur ænigmata vocat? Loquitur de omnimoda Dei miſericordia, qua ſe tractandum ſperabat: quo ipſe homuncio vilis confidenter, & intrepidè rigidum illud Dei iudicis examen ingreſſurus erat. Hoc merito ænigma vocat, quando Deus in iudicio ſuo, nihil non tremendum, nihil non pauendum ipſiſſimis viris iuſtis manifeſtat, vt ſemper rigor diſtricti iudicis ſit in timore, nec videant infirmi homines, quo occaſionem præbeant offenſæ. Non longè abeſt Iſaias cap. 33. vbi iuxta Septuag.
ait, *Repleta eſt Sion iudicio, & iuſtitia, in lege tradentur, in theſauris ſalus noſtra.* Antiquitus in Eccleſia Dei ſplendet pro foribus iudicium, ſplendet iuſtitia: ſi enim tempora legis ſpectes, quid ibi non metuendum? Quoties peccatores trucidantur? Quoties hoſtibus traduntur vexandi ob ſua ſcelera? De his exemplis plena eſt Eccleſia, pleni prophetarum libri: verum ſalus noſtra, nimirum, quod peccatores peſſimi ad ſalutem recipiantur, in theſauris latet abſconditum, quaſi res pretioſiſſima, non pro foribus eſt, nec patet omnibus, ſed occultè in theſauris aſſeruatur. Iſai. 33.

CAPVT II.

De filio viduæ ad portam Naim ſuſcitato.

VRBEM, quæ Naim dicitur, properabat Dominus intrare, diſcipulis, populiſque vallatus; cum repente iuuenis aſpicit cadauer efferri ambitioſis exequiarum muneribus triſti myſterio ſublimatum. Demeſſum iuuenis florem iam oculi diuini prætererant: ſteterunt tamen ſacri ſoles in vidua matre ingētem luctus cauſam contemplantes. Quid plura? Nihil remorata pietas vitale protinus commodauit auxilium, feretróque manu redemptionis attacto, adoleſcenti ſpiritum, & matri reddidit filium; quo in ſe populorum reuerentiam maximam acquiſiuit.

Luc. 7. Ibat in ciuitatem, quæ vocabatur Naim, & ibant cum eo diſcipuli eius, & turba copioſa. Cùm autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur, filius vnicus matris ſuæ; & hæc vidua erat, & turba ciuitatis multa cum illa.

§. I.

Reſurrectio carnis a limine diuinæ œconomiæ effulget.

DIuini Imperatoris ſtemmata, vt Chriſtiani regni portas nobilitent, ad Naim portas effertur reſuſcitandus defunctus. Qui enim duodecim Apoſtolos, totidem cœleſtis Ieruſalem portis deſignatos in teſtes reſurrectionis eligit; ipſe modo Naim portas reſurrectionis fecit radiare flexuris. Et quando inter diuina facinora reſurrectio non effulget à limine? Terra in primis aquis ſuperfuſa, & ſepulta condita eſt, ſed tertio die dicitur: *Congregentur aquæ, & appareat arida.* Ecce primis in vniuerſi liminibus iubetur arida ex aqua apparere quaſi è ſepulchro. Id ponderat D.
Anaſt. Sinaita in Exaëm. lib. 1. dicens, *Oportebat terram à Deo factam ſtatim ab initio abyſſo, tanquam inferis traditam, tertio die exſurgere, dicendo: Congregentur aquæ, & appareat arida.* Anaſtaſ.
Sic clariùs pateret omnia per ipſum facta eſſe, quando vniuerſi limina reſurrectionis nobilitabantur figura. Quis reſurrectionem non ſperet, quando in ipſo limine creati orbis reſurrectionis præfulgeat ſtemma? Nec ipſe homo antea nouit mortem, quam vel ipſius ianuis ſpem ebibit re-
ſurrectionis. Geneſ. 2. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ.* Cur de limo terræ hominis formatio? An vt Geneſ. 2.
quando audiret, quod in terræ puluerem eſſet conuertendus, ſperaret reſurrectionem, doctus a primordio potuiſ-
ſe de terra ſurgere in vitam? Accinit Procopius aiens: *Ex* Procop.
ipſis ſtatim iam inde exordijs reſurrectionis ſpes denunciatur, nam homo in puluerem reſoluendus erat. Pſalm. 21. & in puluerem mortis deduxiſti me. Ne quis igitur puluerem in ſepulchris cernens deſperet de reſuſcitando genere humano, propterea in primi hominis creatione confirmauit reſurrectionis ſpem. Vides omnia maioris, & minoris mundi limina reſurrectionis flexuris radiare? Nullis credo ſtemmatibus amplius nobilitarentur
diuini imperij valuæ. Da pulchra verba D. Baſil. Sel. 4. occiſi Baſil. Sel.
Abelis rationem dantis. *Primus iuſtus Abelis limina portas intrat: Abelis ſecundum Paulum Chriſti vmbra, ad Hebr. 12. ſanguinis aſperſionem melius loquentem, quam Abel: conueniens erat iuſti ſanguine reſurrectionis columna adumbrari. Si enim mortis cauſa eſt præuaricatio: quis morti materiam non ſufficit, vel inter vita functos liber manet, ò res inopinatas! In mortis veſtibulo*

bulo resurrectionis tabula legitur. Interea mundi prima plantatio diluuio dissoluitur, nouus alius mundus instituitur, cuius fundatores in area Noemi asseruati iam iubentur exire. Genes. 8. *Egredere de arca tu, & vxor tua, filij tui, & vxores filiorum tuorum.* Expende, quam aliter hi ipsi in aream introducebantur, quippè iubentur ingredi Noe, & filius eius, & vxor Noë, & vxores filiorum eius. Hinc deinde fœminæ, & viri separati ingrediuntur; sed egrediuntur vir, & fœmina pariter coniugati. Equidem in noui fundamine mundi, iam apparere incipit resurrectionis status, vbi carnis, & spiritus desidiis expunctis summa pace, & vnione videbuntur spiritus, & caro. Eucherius in Cat. Lyppomani: *Car autem de arca coniuncti exeunt, qui disiuncti intrauerunt seorsum viri, & seorsum fœminæ, nisi quod in hoc tempore caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem? Sed in resurrectione iustorum omnimoda, & perfecta pace spiritui corpus adhærebit.* Æquum erat vt resurgentium habitus & species in noui mundi instauratione affulgeret. Sed age accedamus ad tempora Christiana, de quo magis insigniuntur Christiani imperij valuæ, quam de hac renouatione aquilatum sanctarum? Taceo ipsius imperatoris summi Iesu resurrectionem; quæ posita est vt columna, & fulcrum totius Christianitatis. Primus lapis qui ad Ecclesiæ ædificiū sculptus est, non ne resurrectionis flexuris insignitus apparuit? Is erat Stephanus primus martyr in principio nascendi Ecclesiæ coronatus, de quo apud carnifices constituto dicitur Act. 6. *Viderunt faciem eius quasi faciem Angeli.* Quid est illud, quasi faciem Angeli? Id perspectum habes apud Luc. c. 20. vbi sic loquitur Saluator: *In resurrectione non nubunt, neque nubentur, sed erunt quasi Angeli Dei.* Et merito, cum in Angeli specie resurrectionis species appareat, ea primi sculpturæ martyris imprimitur, vt primus lapis iniectus Christiano ædificio præseferat resurrectionis flexuris adornatā faciem. Vt de illo dicat D. Fulgent. serm. proprio. *Beatus, qui in ipsa colluctatione pugnantis, iam præfert speciem resurgentis. Splendore Angeli enim Deus sanctificatum circumfudit aspectum.* Digna Christiana ædificij facies de resurrectionis stemmatibus radians.

Genes. 8. — Euchet. — Act. 6. — Luc. 20. — Fulgent.

§. II.

Mors ante oculos omnium versari debet.

NIhil magis commune nationibus est, quam quod suos quæque mortuos efferat, inuenies forsan gentes apud quas reges arcanis lateant penetralibus, se se ambitiosis regij cubiculi vmbris tegant, ab oculisque hominū arceant. Nunquam tamen inuenies gentes, apud quas mortui non statim efferantur, publicisque conspectibus donentur; quod minimè naturæ tribuerim, quam potius mortis pudeat, necessum est, sed diuinę prouidentiæ, cuius ea est maxima cura, ne mors ab oculis remoueatur humanis. Hinc natū fuit, quod vbi Enochi vita prolonganda erat per multa tempora, statim eum arceret Dominus ab oculis hominum. Sic enim habes Gen. cap. 5. *Ambulauit Enoch cum Deo, & non apparuit: quia tulit eum Deus.* Itaque à Deo translatus, & occultatus Enoch disparuit à viuis, cuius rei rationem reddit Chaldæus aiens: *Et non ipse, quia non mori fecit Deus eum.* Ideò enim ab hominum oculis ereptus est, quia longissima fruiturus erat vita, quasi vereretur Deus, ne homines metum mortis amitterent videntes non mori Enochum, & ideò illum occultauit. Sic putat D. Chrysost. homil. 21. in Genes. aiens, *Mortis in humanum genus iam suum reliquit Deus. Propter hoc obiuè, & latenter reuocare vult sententiam, quam contra Adam protulit, sed manifestè hoc non facit, vt timor illum emendationi seruiat: ideò Enoch cum sibi placeret, transtulit.* Enoch, ne ab hominibus videatur æternare vitā. Cauit enim maximè Dominus, ne mortis instantia non adeò obuersaretur ob oculos, quando ea sola est Deo pro mille exercitibus, vt possit de hominum cordibus triumphare. Apud Habac. 3. depingitur nobilis totius orbis triumphator, sed quo apparatu? *Splendor eius vt lux erit, cornua in manibus eius: ibi abscondita est fortitudo eius. Ante faciem eius ibit mors.* Quibus maximam mihi incutit admirationem nouus triumphatoris, debellatorisque habitus: exit inclytus dux, vt mundum debellet, & eum præsefert habitum, in quo eius fortitudo prorsus lateat, & occultetur, ait enim: *Ibi abscondita est fortitudo eius,* equidem pugnatoris fortitudo in primis manifestanda, & reuelanda videretur, vt triumphum ageret. Ita Psal. 92. *Dominus regnauit, decorem indutus est, induit Dominus fortitudinem, & præcinxit se.* Non tegitur fortitudo, imò quasi externa vestis omnibus explicatur, cum dux se accingit in triumphos. Cur ergo Dominus expugnaturus orbem abscondit fortitudinem suam? Quid poterit fortitudo abscondita? Non ne si fortitudo abscondita est, dubius erit triumphus? Absit: vide enim, quid post absconditam fortitudinem innuat, nimirum, *ante faciem eius ibit mors.* Sine periculo dissimulatur fortitudo, vbi mors præmittitur ob oculos omnium versatura. Præmissa mors ob oculos hominum, ipsa sufficit, vt vniuersos opponat inimicos scabellum pedum Christi, dicit noster, *ante faciem eius ibit mors.* Sed Septuag. posuere, *ante faciem eius ibit verbum,* quasi ex nulla re sensibili efficacius reddatur verbum Dei, quam ex morte obiecta ad hominum animos debellandos, penetrandos. Danielis cap. 2. id somnium infundit Deus Nabuchodonosori, cuius ipse penitus oblitus requirebat à regni sui sapientibus, qui nullo modo poterat diuinare, quale fuisset somnium. *Quo audito, rex in furore, & ira magna præcepit, vt perirent omnes sapientes.* Quid tunc agitur? *Et egressa sententia sapientes interficiebantur: quærebanturque Daniel, & socij eius vt perirent.* Interea Daniel diuinitus illustratus cognouit somnium, quod, & explicationem eius audiente rege, & vniuersis sapientibus prædicauit. Somnium erat de statua aurea, argentea, ærea, & ferrea, cuius pedes percutiebat lapis de monte sine manibus lapsus. Quibus regnum Dei super omnia mūdialia imperia annuntiabatur. Sed iam quæritur, cur Deus cum voluisset regnum suum annundiari per illud somnium, fecit somniū penitus à regis memoria euolare; non antea dedit eius reuelationem Danieli, quam mortis sententia in omnes sapientes præmissa esset? Crediderim Deum voluisse de regno suo verbum reddere efficacissimum, & venerabilissimum apud barbaros homines, ideò antequam prædicaretur, permisit, vt omnes præ oculis mortem haberent, essentque sub gladio. Id quod ponderat Rupert. lib. 6. de victoria verbi Dei, cap. 13. *Dum inter indutias à Daniele postulatas cuncti sapientes sub gladio pendent morituri, nisi saltem ille referendo somnium commune periculi ferat præsidium. Per hæc cuncti à maiore vsque ad minimum cum rege ipso attenti fiunt ad audiendum, parati ad suscipiendum, desideratissimi, & valde dociles ad intelligendum, beneuoli ad collaudandum. Ita demum dignum duxit verbum Dei semetipsum in media proferre, quia profectò tempus, & causa talem tanti sacramenti margaritam non sinerent conculcari.* Dignè suscipitur Dei verbum, dignè tractatur, vbi mors præuissa ante oculos omnibus obuersatur.

Genes. 5. — Chrysost. — Habac. 3. — Psalm. 92. — Daniel. 2. — Rupert.

§. III.

Aufert Deus vnicum filium à parentibus, vt debitam diuini Patris affectus æstimationem habeant, qui vnicum filium pro nobis dedit.

NEmo debitè æstimaret ingentem Dei charitatem tradentis vnicum filium pro nobis, nisi is, qui vnicum, & dilectum filium nouit amittere: amittat ergo mater vnicum animæ pignus, vnicum solatium, vt sic diuini Patris affectus debitam æstimationem habeat. Abraham dicitur Genes. 22. *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum.* Cur Deus sancto viro tam magnam probationem immittis? Cur amici animum sic discrucias morte vnici pignoris? Cur tam citò eripis, quem dudum ipse dederas filium? An id solum cupis, vt humani patris viscera perfodiantur? Absit. Sed cupit Deus, vt dignus æstimetur affectus Patris diuini tradentis vnicum filium pro hominibus. Ita D. Cyrill. Alexand. homil. Pasc. 5. inquit. *Vt ex sua dolore discas, quænam illa communis omnium parentis iactura sit, cum vnicum filij, quem dilexit, vitam pro generis humani incolumitate offerret.* Is est Pater diuinus, qui sustinuit sibi eripi vnicum, & summè dilectum filium pro humana salute: hunc dolorem, hanc iacturam is sufficit ponderare, qui nouerit, quid sit auferri filium vnicum matri suæ. Huc aspiciebat charitatis diuinæ nobilis trutinator Paul. 8. ad Rom. aiens, *Qui proprio filio suo non pepercit.* quæ verba pulcherrimè expendens D. Ambros. lib. 1. de Iacob, &c. cap. 6. fatur. *Pulchra verba vsa est scriptura, vt Dei Patris ergo te pium propositum declararet, qui se mortis pro te totum obtulit. Quod in Patre fuit, nihil sibi ipse reliquit: pro te obtulit, quod in plenitudine diuinitatis non amisit, & ipse te redemit. Considera affectum patrium. Quod piè actum est, quasi morituri filij susceperit periculum, quasi arbitratu hausit dolorem ne tibi periret fructus redemptionis.* Quisquis pater es in vnici pignoris periculo, id æstima periculū, quod pater subiit cœlestis, vt de filij sui sanguine te redimeret.

Genes. 22. — Cyrill. Alex. — Rom. 8. — Ambros.

Quiſquis parentis in amantiſſimum filium affectus nouerit æſtimare, is ſolus æſtimabit dolorem parentis in tanti filij orbitate. Quiſquis potuit videre filium ſuum ſub mortis gladio, is condolere poterit cœleſti Patri, dum pro hominibus dedit vinci pignoris ſanguinem. Iacob ille magnus Ioſephi ſanguinolentam tunicam videns in lacrymas pro-
Geneſ.37. rupit. Geneſ. 37. *Congregatis autem cunctis liberis eius, vt linirent dolorem patris, noluit conſolationem accipere.* Cur noluit conſolationem accipere? An tot filij, & nepotes minus idonei erant, vt vnici pignoris iacturam temperent? An inter tot filios non inueniebatur, qui paterni affectus leuamen prænoſceret. Sanè vbi inter conſolatores reperiebatur nullus, qui ſimiliter filium amiſiſſet, non mirum, quod non reperiretur, qui iuſtam æſtimationem paterni affectus filij iactura faceret, quæ ſola æſtimatio poſſet inuenire patri
Rupert. lenamen. Accinit Rupert. lib. 8. de Trinit. & eius operibus, cap. 25. fatus. *Quonam inſtrumento filij eius congregati aderant ad leniendum patris dolorem? Quis enim dolorem eius mitigare poterat, niſi quem medullitus dolor ipſe mordebat?* Niſi qui ſimilem iacturam effecerat, niſi quem dolor ipſe de filij amiſſione ortus ſolicitabat, non poterat patris affectum æſtimare: non poterat præſentire patris orbitatem. Is bene poterit ſummi, & cœleſtis Patris affectum erga homines præſentire, qui vnici pignoris nouerit aſpicere profuſum ſan-
Luc.23. guinem. Piis fœminis dicebat Dominus, Lucæ 23. *Filiæ Ieruſalem, nolite flere ſuper me, ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros. Quoniam ecce venient dies*, &c. Cur Dominus vetat flere ſuper ſe? An non amat in hominibus ſuorum dolorum compaſſionem? Amat compaſſionem, ſed vt hæc dignior habeatur, iubet, quod matres prius oculos conuertant ad filiorum ſuorum calamitates maximas: cum enim filios ſuos dura internecione confectos videant, tunc ex iſto dolore dignius ediſcent æſtimare in Dei filij paſſione affectum diuini Patris.

§. IV.

Nihil exigit Deus præcepto generali, quod ipſe vel in ſe, vel in ſuis non probauerit.

HOrret animus in vnici pignoris morte matris viduæ vel reſpicere orbitatem, vel meminiſſe dolorem. Quis credat humanas vires tanta iactura non penitus ſuperari? Sed abſit, nihil enim Deus à nobis exigit, quod prius ipſe penitus non explorauerit, ne exceſſiuum ſit. Ad Abraha-
Geneſ.22. mum primo illa fuit vox facta, Geneſ. 22. *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis, Iſaac, atque offeres eum in holocauſtum.* Hic primus? An eius fides vel obedientia tentaretur? Id multis placet patribus, verum ego crediderim, quod ibi Deus non tam obedientiæ, quam virium humanarum experientiam intenderet, vt inde poſſet præceptum de poſtpo-
Tertull. nendis Deo filiis promulgare. Ita eleganter Tertull. de orat. dom. fatur. *Abraham non tentandæ fidei gratia de filio iuſſerat, ſed probandæ, vt per eum faceret exemplum præcepto ſuo, quod mox præcepturus erat, neque pignora Deo chariora habenda.* Nihil a nobis modo petit Dominus non examinatum, non probatum exemplo, & iuxta vires humanas trutinatum. Petit à parentibus relinqui filios propter Deum. Sed non id petit anteaquam feciſſet experientiam, & probaret quod homo libenter Deo filium vnicum litaret. In quam ſententiam
Proſper. coincidit etiam D. Proſper de prædictionibus par. 1. capit. 17. fatus. *Sed Abrahami, qui tentatur in filio, non tantum collata fidei virtus demonſtratur, quantum etiam nobis imitanda proponitur, & vt præcepti noui ex Euangelio maneret auctoritas: Qui amat filium, aut filiam ſuper me, non eſt me dignus.* Magna quidem eſt diuinorum præceptorum auctoritas, quod nihil Deus generaliter petat, niſi prius in ſe, vel in ſuis experientia facta, vt ſemper ſuperſit nobis de exemplis poteſtas ad
Hebr.12. Dei mandata. D. Paul. ad Hebr. 12. poſt veterum teſtium nubem recenſitam, qui circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, afflicti, anguſtiati: poſt Chriſti Domini crucem propoſitam, ſic finit. *Recogitate enim eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem: vt ne fatigemini animis veſtris deficientes, nondum enim vſque ad ſanguinem reſtitiſtis aduerſus peccatum repugnantes.* Expende, quando exprobrat nobis, quod nondum profudimus ſanguinem reſiſtentes peccato, nimirum poſt expoſitam nubem teſtium pluentium ſanguine, poſt expoſitum Ieſum ſanguine ſudantem, ne putes à te exigi aliquod ſupra hominem à ne-
Chryſoſt. mine vnquam probatum. Id notabat Chryſoſt. ibi. *Non confeſtim intulit conſequentia: ſed poſtquam illis oſtendit omnes eos, qui vſque ad ſanguinem reſtiterunt.* Is erat antiquitus Dei mos, quod nihil inexpertum, & non probatum prius populis ſuis mandaret. A primordio ſe in peccatores oſtendit ſeuerum, cum primo in crimine deprehenſum Adamum paradiſo eliminat, morti tradit, Cainum etiam ſtatim ſubdit pœnæ, totum mundum iratum ſubmergit aquis. Verum vbi ſeruatus Noë ſacrificium Deo obtulit, Gen. 8. *Odoratus eſt Dominus odorem ſuauitatis, & ait ad eum: Nequaquam vltra maledicam terræ propter homines: ſenſus enim, & cogitatio humani cordis prona ſunt ad malum.* Non putat homines meliores futuros, & tamen, quaſi pœnitens facti promittit nunquam ſimile facturum. Cur tam cito ſeueritatem tandiu exercitam coërcet, & conuertit in humanitatem? Volebat deinde, quod homines pœniteret facinorum ſuorum, & à viis peſſimis declinarent: quod non petit, quin prius in ſeipſo pœnitentiam dedicet, & probet, quid ſit priſtinos affectus retractare. Tertull. lib. de pœnit. ait. *Poſt condemnatum hominem cum ſæculi dote, poſt eiectum paradiſo, mortique ſubiectum, cum rurſus ad ſuam miſericordiam maturauiſſet, iam inde in ſemetipſo pœnitentiam dedicauit, reſciſſa ſententia irarum priſtinarum, ignoſcere pactus operi, & imagini ſuæ. Itaque & populum congregauit ſibi, & ad pœnitentiam ſemper adhortatus eſt.* Tertull. Non antea pœnitentiam petit, quam in ſe pœnitentiam priſtinorum actuum dedicet, & probet, ne quid minus examinatum, & probatum exquirat à popularibus. In id recidit præceptum de parcendo inimicis ſolum exhibitum populo Chriſtiano. Quia ſolo Chriſtianitatis tempore Deus inimicis ſuis idololatris miſericordiæ ſuæ pandit Theſauros. Idem. De quo Tertull. lib. 4. in Marcionem. *Quandiu intra Iſraëlem erat Sacramentum, merito in ſolos fratres miſericordiam mandabat: at vbi Chriſto dedit gentes in hæreditatem, & cœpit expungi, quod dictum eſt per Oſeam, Non populus meus, populus meus, & non miſericordiam conſequuta, miſericordiam conſequuta: exinde Chriſtus in omnes legem paternæ benignitatis extendit.* Prius in ſe charitatem erga inimicos experiri incepit, & tunc de illa tanquam de reprobata, & iuxta humanas vires trutinata dedit præceptum.

Text. Quam cùm vidiſſet Dominus, miſericordia motus ſuper eam, dixit illi: Noli flere. Et acceſſit, & tetigit loculum. Hi autem, qui portabant, ſteterunt.

§. V.

Promptiſſima Dei miſericordia, vt ad afflictos proſiliat.

NEſcit Dei miſericordia ſe ſe continere, dum eius viſcera miſeri hominis conſpectu tanguntur. Et miſeriæ malum foras erumpit, & ſtatim Dei miſerentis oculi ſuper illud; id nouerat feruidus ille diuinæ gloriæ zelator Elias, & dum cupit Iſraëlitas ſub flagello diu continere, cauſam ad ſe vocat dicens 3. Reg. 17. *Viuit Dominus Deus Iſraël, in* 3.Reg.17. *cuius conſpectu ſto, ſi erit annis his ros, & pluuia, niſi iuxta oris mei verba.* Cœlum claudis, ô Propheta, & ſaltim claues non vis credere Deo? Cur tibi eripis diuinum imperium? Cur ceſſationem ſupplicij diuinæ non committis voluntati? Pulchrè D. Baſil. Seleu. orat. 11. ait. *Propenſam Dei in* Baſil.Sel. *homines beneuolentiam metuit. Ipſum nouit, vt cito lacrymis concilietur, nouit, vt modica conſilij fractiue retractatione pœnas contrahat, ne præmaturum det ab imbrium carentia laxamentum, metuit.* Non audet ſeuerus vltor iniquitatum cœli claues tradere Deo, refugit miſericordiæ diſpenſationem Deo credere, cuius ingenium eſt ad miſeri hominis lacrymas enodare, neſciens dilationes texere, ſed ſtudens pœnitentium, & afflictorum præmaturare leuamen. Per Samariam iter agebat Dominus, Luc. 17. & ecce tibi decem viri leproſi Luc.17. occurrunt Saluatori, ſanitatem flagitant: quibus Dominus ait, *Ite, oſtendite vos ſacerdotibus: & factum eſt, dum irent, mundati ſunt.* Merito dubitat Tertull. cur hos remiſerit Dominus ſacerdotibus Ieroſolymitanis, cum nullum alium remiſerit? Erat inter hos vnus Samaritanus, & res agebatur apud Samariam; Samariæ autem vehementer gloriabantur de puteo accepto à Iacob, apud quem poſt longum iter cum veniret Ieſus, longo itinere fatigatus, ſic ſedebat ſpectans aquam, quia puteus altus erat, nec habebat, quo hauriret, Ioan. 4. Volens ergo Dominus Samaritis oſtendere ſalutem ex Iudæis eſſe per Chriſtum, illos ſacerdotibus templi remiſit, vt veram Dei cognitionem ex propriiſſimo Dei ingenio perciperent. Quo non altum puteum exhibet

hibet fatigatis ex itinere, vt post longum iter, & post longam afflictionem, adhuc nō habeant, quo hauriant salutem; sed patulum exhibet fontem, qui viuo fluuio præmaturet leuamen defatigatis primo itineris puluere. Pulchrè Tertul. lib. 4. in Marcionem, inquit. *In Samariæ regionibus rei agebatur, vnde erat & vnus interim ex leprosis, iam de industria iubet ostendere se sacerdotibus, subyciens Samariam Iudæo: tota enim promissio tribus Iudæ Christus fuit: vt scirent Ierosolymis esse, & Sacerdotes, & templum, & matricem religionis, & fontem non puteum salutis.* Expende ab his, *& fontem, non puteum:* quippè non habet verus Deus salutem in puteo, quam nec longo itinere fatigati possint haurire. Sed habet salutem suam in fonte, qui flumine viuo currit ad eos, qui in vitæ defatigatione sunt. Dum iter ad Deum arripias, in viæ puluere sis, non se continet misericordiæ fons, iam obuiæ saliunt tibi salutis vndæ. Hoc Dei miserentis ingenium sic exprimit Hierem. c.18. fatus. *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eam, agam & ego pœnitentiā super malo, quod cogitaui, vt facerem ei. Et subito loquar de gente, & de regno, vt ædificem & plantem illud.* Subito, inquit, loquar, quasi nequeat se continere, vbi lacrymas pœnitentium, & afflictorū videt. Ex hoc Dei ingenio aperitur mihi ingens doctorum difficultas sumpta ex cap.3. Ionæ, vbi dicitur Ionas prædicasse. *Adhuc quadraginta dies sunt, & Niniue subuertetur.* Quæ verba Septuag. legunt longe aliter, dicentes, *adhuc tres dies sunt, & Niniue subuertetur.* Videtur ergo mendacium esse, vel apud vulgatam, vel apud Septuaginta: Propheta enim non vtrūque dixit, sed aut vnum, aut aliud, & quod dixerit quadraginta, textus Hebræus cum vulgata affirmat. Cur ergo Septuaginta dicunt tres dies tantum? Multa multi commiscuntur, vt possunt videri apud nostrum Riberam in præsenti, sed si mihi inter tantorum doctorum placita aliquid liceret, putarim Septuaginta non spectasse verba Prophetæ, sed vt sæpe alias mysterium, & Dei intentum illis contentum. Intendebat enim Deus per minarum voces misericordiam suam erga pœnitentes ostendere moræ impatientiorem, quam iustitiam, vtpote quæ cum iustitia post tot peccata adhuc quadraginta dies, se posset cohibere, ipsa ad triduum lacrymarum iam se continere non posset, quominus salutem infunderet in afflicto, & pœnitentes. Itaque Septuaginta, non verba minarum attendentes, propositum Dei ibi latens, de miseratione facienda reddiderunt, dicentes. *Adhuc tres dies sunt, & Niniue subuertetur.* Agnouit ex hoc triduo sanationem per minas intentam D. Ephrem de pœnit. fatus. *Christus suscitare in triduo promittebat, Ioannis 2. & hic euersionem comminabatur, nisi pœnitentiam egisset. Non minus terruisset pœnitentia, nisi futurum fuisset, vt sanaretur. Non excitasset Christus ciuitatem peccantium, nisi resipiscentiæ eorum spes fuisset. Christus resuscitat ad pœnitentiam inuitans, tres dies lex & Euangelium peccatoribus ad pœnitentiam prædicans, &c.* Latebat in verbis vindictæ misericordiæ propositum, & in verbis ostendentibus pœnam, latebat exhibitio gratiæ, qua vltra tres dies non se contineret, quin salientes in vitam effunderet suos latices.

Tertull.

Hier.18.

Ion.3.

Ephrem.

§. VI.

Solus Deus veram lætitiam, & consolationem in malis affert.

TVrba ciuitatis multa funus, & matrem defuncti comitabatur, vt de dolentium multitudine daretur afflictæ qualecunque solatium, sed neque amicorum luctus, nec creaturarum chorus miseræ matri afferebāt leuamen, vnus Deus, qui fluctibus imperat, sic iubet cessare lacrymas, & lætitiam, & gaudia reuolare. Senior ille filius apud Lucam cap.15. vt vidit fratrem iuniorem cum patre epulantem inter gaudia, inter musicorum choros, ipse queritur apud patrem, *Nunquā dedisti mihi hædum, vt cum amicis meis epularer.* Vana querela, perniciosa extitit ignorantia, gaudia, quæ frater habebat cum patre, stultus iste inter amicorum cuneos desiderabat nec amici, sed cœlestis pater potest afferre solatia. Vnde D.Hieron. epist.146. sic stultitiam damnat. *Erras Israël: dic potius vt tecum epularer. Non potest esse tibi aliqua iucunditas, nisi patre tecum celebrante conuiuium.* Non ab amicis, à cœlesti patre sperandum leuamen. Te licet amicorum cunei circumsteut, licet vniuersa bona affluant, licet hinc inde voluptates prosiliant, nullum verum tibi afferent solatium, si vnus solus Deus absit. Quæ hominum florentiorem locum obtinuit, & deliciis abundantiorem, quam Adamus? Locus illi erat paradisus voluptatis, socia formosissima puellarum, & gratiosissima, mensæ lautissimæ, quibus cum dimidio animæ suæ vesci poterat. Inter hæc tamen solatii fulcra, ecce tibi Adam trementem, fugitantem inter aspera ficus se abdentem. Quid agis Adam? Nonne tibi tot fructus dati sunt, quibus cum dilecta sponsa vescaris? Non tibi tot deliciæ parturiuntur, quibus quietus, & securus oblecteris? Epulare ergo, oblectare, gaude, dum tibi tam floridum nemus arridet. Pulchre, & vere Arnoldus Carnot. de opere sex dierum fatur. *Non statim post præuaricationem eiectus est homo de paradiso voluptatis, sed conscio sceleris, nihil deliciæ paradisi cōferebant.* Aberat vnus Deus per peccatum eiectus ab animo, & si omnes aliæ deliciæ, omnia voluptatum incitamenta aliunde præsentia erant, nihil lætitiæ nihil solatij poterant causare. Merito Isa.c.52. clamat, vt captiui populi luctus, & lamenta soluantur. *Excutere de puluere, consurge, sede Ierusalem, solue vincula colli tui captiua filia Sion.* Sed quis poterit à captiuis luctum tollere? An tyrannis mollior factus illis copiā redeundi in patriam facit? An permissi sunt inter amicorum choros conuiuia celebrare, festos dies agere? Vnica, & certior est causa, quæ possit captiuorum luctum eliminare; quam innuens Propheta addit. *Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa: quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsum.* Non patria diues, non amici chori effusi, non tyrannorum fauor, non vniuersa mundi bona possunt verè lacrymas miserorum temperare, nisi ipse Deus per se adsit. Rupert. lib. 6. in Genes. cap. 18. *O pium desiderium, pia spes, longa suspiria populi sanctorum! Quomodo in gaudium sublenatus, & in risum est dilatatus? Quomodo abstersa est omnis lacryma ab oculis eius? Testatur Isaias cum dicit: Excutere de puluere, consurge, sede Ierusalem, solue vincula colli tui, captiua filia Sion. Quia hæc dicit Deus: propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsum.* Vnus Deus est, qui nostras lacrymas potest siccare; & quasi hoc opus solum sit diuinæ potestati reseruatum. Sic Apocalyps. cap. 21. dicit, *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Et ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus. Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Expende illud, *absterget Deus*, &c. Non creatura aliqua, non legatus, non Angelus, sed Deus ipse officium lacrymas abstergendi sibi reseruat; alia aliis credidit, Angelis enim suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum; similiter, vbi mendicus moritur, factum est, vt portaretur ab Angelis in Abrahæ sinum; verum nulli creaturarum nec Angelo credit, quod lacrymas abstergant. Id proprium est munus manus diuinæ; vt dicat Bernard. in declamationibus. *Felices lacrymæ, quas benigna manus conditoris absterget.* Vnam Dei manum spectant nostræ lacrymæ, qua verè, & solidè possunt omninò abstergi. Rem ita finit Bernard. epist.104. *Illud verum solum est gaudium, quod non de creaturis, sed de creatore concipitur. Cui comparata omnis aliunde iucunditas mœror est: omnis suauitas dolor est; omne dulce amarum, omne decorum fœdum: omne postremò quodcumque aliud delectare possit, molestum.* Sic ille.

Luc.15.

Hieron.

Arnold.

Isai.52.

Rupert.

Apoc.21.

Bernard.

Idem.

§. VII.

Fœminarum lacrymæ suspectæ sunt inanitatis.

SEmel, aut bis, lego lacrymas sisti iussas ab illo Domino, qui alioquin lugentes beatificat; & cum ad mortem duceretur, & cum velit hunc iuuenem suscitare: verum vtrobique sistuntur fœmineæ lacrymæ, vt quæ semper præseferant suspicionem inanitatis. Parum resurrectionis credula Magdalena defunctum Dominum lacrymis ad monumentum prosequebatur: cuius planctus pertæsi Angeli aiunt Ioan.20. *Mulier, quid ploras?* Et possit quis merito mirari, cur Angeli proprium Mariæ nomen dedignantur appellare, & commune vsurpant mulieris vocabulum? An ignorant nomen, quod scriptum est in cœlis? Absit: sed lacrymarum illarum taxantes inanitatem, eam ex communi natura educunt fœminarum. Præclarè D.Hieron. epist.105. quæst.5. ait. *Dicunt ei Angeli, quos cernebat: Mulier quid ploras: vt ex eo, quod appellarunt mulierem, arguant frustra plorantem, & dicerent: Quid ploras?* Non multum fidas fœmineis lacrymis; imo vtplurimum suspectas habe inanitatis: videbis sæpè fœminas se peccatrices plangentes, longísque fletibus, & eiulatibus ad altare accedentes, & inde ad amici amplexus deuolare. Ruth cap. 1. cum Noëmi rediret ad Israëlem, iubebat, vt nurus suæ reuerterentur ad populum Moabitarum gentilem earum patriam: *Quæ eleuata voce flere*

Ioan.20.

Hieron.

Ruth 1.

flere cæperunt, & dixerunt, Tecum pergemus ad populum tuum. Ecce lacrymæ ſalutares fœminarum cum firmo propoſito accedendi ad populum Dei. Nihilominus ſocrus earum miſereſcens paupertatem, iterum obſecrabat, vt redirent in patriam. Quid plura? *Eleuata igitur voce rurſus flere cæperunt. Orpha oſculata eſt ſocrum, ac reuerſa eſt.* Expende illud, quod Orpha flens, planctus agens, & eiulatus ſocrum oſculatur, & ad idololatram reuertitur patriam. Siccine ſunt mulierum lacrymæ, eiulatus; plorant, lacrymantur in fletu, & planctu Deum inuocant, accedunt ad altaria, & vt figunt oſcula altari, inde ad priſtini idoli amplexus gradum faciunt. Hinc ſponſus commendans pulchritudinem oculorum ſponſæ à lacrymis, ſimul oſtendit, ſuſpectas eſſe
Cant.7. inanitatis aliarum lacrymas. Ait enim cap.7. *Oculi tui, ſicut piſcinæ in Heſebon, quæ ſunt in porta filiæ multitudinis.* An ideò laudatur ſponſa, quod habeat lacrymantes oculos, vt habet quælibet filia multitudinis? Quid hoc magnum ad ſponſæ commendationem? Magnum ſanè eſt, quod eas lacrymas fundat ſponſa, quibus ſibi peculiarem decorem, ſpecialiſſimámque pulchritudinem faciat, quando lacrymæ communiſſimæ res ſunt cuilibet filiæ multitudinis. Sponſam decorant lacrymæ, & illam ſponſam dilectam amatam faciunt, quando lacrymæ in aliis fœminis, non illas à multitudinis grege abducunt, ſed priſtinis fœditatibus cubantes relinquunt. Huc ſpectabat D.Bernard. ſerm. de duobus diſcipulis euntibus in Emaus, fatus: *Videat aliquem ſequenter in oratione deuotum, cuius oculi ſunt ſicut piſcinæ in Eſebon præ multitudine lacrymarum: ſed recuſat ferre iugum obedientiæ; ſuam plangit in oratione ſuperbiam, ſed hora compunctionis tranſacta, ita ſuperbus eſt, ſicut antea, vel ſi leuis in moribus, poſt orationis ſuæ deuotionem, in eandem recidit leuitatem, oſſa eius replentur vitijs adoleſcentiæ eius.* Tales ſunt lacrymæ in filiabus multitudinis, in animis muliebri infirmis leuitate, quæ nullum emendationis, ſiue profectus incrementum afferunt. Hæ contemnuntur à Deo, à quo ſolæ ſponſæ lacrymæ laudantur, quæ decorem augent, & ſpecialem ſemper pulchritudinem addunt.

Text. Et ait: Adoleſcens tibi dico, ſurge. Et reſedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui. Et dedit illum matri ſuæ.

§. VIII.

Beneficia ſine vllius iniuria facienda.

OMnibus prodeſt Saluatoris noſtri beneficium, adoleſcenti defuncto vitam infundit, matri filium reddit, ne tu à ſano Principe beneficia ſperes cum iniuria alterius. Erronea Origenis mens inter alias inſanias, illud excogitauit, quod Deus ſimul omnes animas in beatitudine fecerit, vt inde, quæ male ſe geſſerint, in pœnam peccati in corpora detruderentur. Errorem hunc penitus eliminat ſancta
1.Reg.1. Samuelis mater Anna, quæ 1.Reg.1. precibus, & lacrymis obtinuit à Deo filium maternæ pietatis donum: quod ſi, vt filius daretur Annæ, neceſſum erat, vt anima pueri prius à beatitudine deuiaret, & felicitate poſſeſſa priuata in corpus mitteretur, ſanè impia eſſet Annæ precatio, & non multum iuſtus benefactor, qui vt mulierculæ lacrymulis proſpiceret, tam ingens damnum faceret animæ
Theoph. pueri. Id quod eleganter in Origenem ponderat S.Theophilus Alexand. epiſt. Paſch. 2. his verbis. *Et culpa ſubiacebit Anna vxor Helcanæ, ſemen virorum poſtulans: vt propter deſiderium muliercula, animæ in cœlis periclitentur, & vna earum peccato graui labatur in terram, ac priſtinam beatitudinem deſerat.* Non huiuſmodi putanda ſunt Saluatoris noſtri beneficia, quæ vt maternis lacrymulis proſpiciant, filiorum animis noceant, imò ea ſunt, quæ filij animæ penè perditæ occurrētia adoleſcenti vitam, & filium matri referant. Egregiè dolebat D.Syneſius peſſimorum iudicum, &
Synes. Principum corruptelam, etiam in donis exhibendis, & proponens ſibi Herodis ambitionem qua puellam Ioannis capite munerauit, ſic finit epiſt. 72. *Pleraque verò, & alia inde mala oriuntur: verſantur in conuiuijs calumniæ, mulieris donum ſit ciuit alicuius calamitas.* Heu quoties hoc malum luxit Chriſtiana Reſpublica, quot damna, quot calamitates pepererunt muliercularum donaria? Quantis ſæpe ciuitatum, & regni ruinis comparant Principes, vt vnico ami-
Eccles. 13. co ingerant beneficia? Eccleſiaſt. 13. *Venatio leonis onager in eremo, ſic paſcua ſunt diuitum pauperes.* Quæ verba eleganter
Saluian. in rem præſentem tractat Saluian. lib. 1. de guber. Dei fatus. *Tyrannidem hanc non pauperes tantum, ſed penè vniuerſitas patitur generis humani. Quid enim omnium aliud dignitas ſublimium, quam proſcriptio ciuitatum, aut quid aliud quorundam, quos taceo, præfectura, quam præda? Nulla ſiquidem maior pauperculorum eſt depopulatio, quam poteſtas. Ad hoc enim honor à paucis emitur, vt cunctorum vaſtatione ſoluatur. Vt pauci illuſtrentur, mundus euertitur. Vnius honor, orbis exidium eſt.* Hæccine ſunt mundialium tyrannorum beneficia vt vnum illuſtrent, pro nihilo habent innumeros alios vaſtare, & vix eſt in mundo, qui augmentum recipiat, quod non oriatur de aliorum calamitate. Longè aliter bonus Ieſus, qui mundum redempturus irato Petro in ſeruum Pontificis inquit Matth. Matth.26.
26. *Recondε gladium tuum.* Cur recondat gladium? Eratne quis dignior vulnere, quam nequiſſimi hominis miniſter? Pulchrè D.Ambroſ. lib. offic. 3. cap. 4. *Quis latro deteſtabilior,* Ambros.
quam perſecutor, qui venerat, vt Chriſtum occideret? Sed noluit ſe Chriſtus perſecutorum defendi vulnere, qui voluit ſuo vulnere omnes ſanare. Indignum planè eſt, ſi neſcias ad ſalutem alicuius ire, niſi de vulnere alterius: illud præclariſſimum omnium, quod ſuis appropriat D.Iſidor. Peluſ. lib. 21. epiſt. 7. in- Isid.Pelus.
quiens. *Apud nos etiam ſancti viri coronas ſuas ex alienis calamitatibus retexere minimè volunt.* Hinc factum fuit, quod Ieſus oſtenſurus ingens beneficium reſurrectionis omnibus hominibus largiendum, excitaturus Lazarum, Ioan. 11. *La-* Ioann.11.
crymatus eſt. Quod ſi diuinarum lacrymarum cauſam vis noſſe, ea eſt, quia cogitabatur Lazarum à quiete abducere, vt aliis beneficia ſua monſtraret. Ita D.Hieron. epiſt. ad Thaſiam, ait, *doluit Lazarum non dormientem, ſed potiùs reſurgentem, & flebat cum cogebatur propter ſaluandos alios, ad ſeculum reuocare.* Quaſi eſſet indignum optimo principe de aliorum ærumnis alios ditare.

§. IX.

Bonus vir non habet beneficia, quæ aliorum officiant ſaluti ſpirituali.

CRediderim hanc pueri huius ſuſcitationem proficuam fuiſſe eiuſdem ſpirituali ſaluti, etenim ait, quod Dominus dederit illum excitatum matri ſuæ. Non eſſet enim piæ fœminæ donum ſi à portu ſalutis in vitæ huius incertum reuocaretur, nec viduæ lacrymæ quæ meruerunt Dei compaſſionem & miſericordiam, acceptum haberent beneficium, quod noceret filij ſpiritualis ſaluti. Sic Deus promittit populo ſuo apud Iſaiam cap. 48. *Vtinam attendiſſes* Isai.48.
mandata mea, facta fuiſſet ſicut flumen pax tua, & iuſtitia tua ſicut gurgites maris, & fuiſſet quaſi arena ſemen tuum, & ſtirps vteri tui, vt lapilli eius. Ecce tibi filiorum multitudo promittitur à Deo: quaſi donum, & præmium matris obſeruantis diuina præcepta. Quid tunc? Ex hoc S Theoph. Alex. ep. paſc. 2. Origenis errorem confutat, qui aſſerebat animas noſtras ad corpora deſcendere ob ſuæ conſcientiæ ruinam. Etenim ait ille: *Qui enim Dei præcepta conſeruant, non debent accipere præmium animarum de cœlo ruinas, quæ ligatæ corporibus ſobolis eorum incrementa multiplicent.* Nemo equidem bonus à prolium multitudine ſolatia quæreret ſua, ſi ſciret id illorum animabus maximum nocumentum exiſtere. Simplex, & iuſtus Iob, qui & ruinam omnium bonorum, & filiorum mortem perpeſſus eſt, vbi poſt calamitatem vidit omnia reſtitui duplicia, potuiſſet ſperare mortuorum filiorum reſurrectionem. Sed abſit, quod vir prius acciperet virtutis præmium tantum filiorum nocumentum, quantum eſſet ſi à felici vita iterum in hanc lacrymarum vallem deueniſſent. Ideo ne filiis quieſcentibus officeret, maluit integrum gaudium ſuum differre in ſæculum venturum. Quem ſenſum, & catholicum, & elegantem intendit Tertull. lib. Tertull.
de patientia, cap. 14. inquiens. *Iob ſi filios quoque reſtitui voluiſſet, pater iterum vocaretur: ſed maluit in illo die reddi ſibi tantam gaudij;* ne videlicet putaretur gaudia ſibi interim comparare de animarum filiorum ruinis, & præmium habere virtutis aliorum ſpirituale nocumentum. Cur hoc in filiis non ſpectaret Iob, cuius dignitati proſpicitur, quando amicorū incolumitas initium ſit præmiorum eius? Illi enim amici, qui mali, & onerosi conſolatores ſanctiſſimo viro extiterunt, peccati ſui veniam à Deo impetrant, ne pœna ſua Iobi gloriam læderet. Quippe cap. 42. ait. *Abierunt ergo Eli-* Iob 42.
phaz Themanides, & Baldad Suhites, & Sophar Naamathites, & fecerunt ſicut locutus fuerat Dominus ad eos, & ſuſcepit Dominus faciem Iacob. Expreſſius Septuagint. aiunt. *Et ſoluit peccatum ipſis propter Iob.* Quid eſt illud, *propter Iob?* Nimirum proſpiciens Iobi authoritati, & gloriæ pepercit Dominus iniuriæ

iniuriosis amicis Iob, quando illum in pristinam gloriam restituebat. Minueretur enim multum Iobi beneficium, si de ruinis amicorum fieret. Sic Olympiodor. in Cat. Græca fatur. *Etenim ea res damno Iobo fuisset, si amici, qui consolationis adhibendæ causa ad ipsam commearunt, pœnas interim persoluissent.* Luctuosum esset Iobi beneficium, quod cum flagello, & pœna aliorum veniret, quo se Dauidis virtus maximè extulit, cum enim sibi infensissimi Saulis miseram mortem
2.Reg.1. accepisset 2.Reg.1. *Apprehendens vestimenta sua scidit, omnesque viri, qui erant cum eo, et planxerunt, & fleuerunt.* Quid Dauid in morte Saulis? Cur non potius beneficium à Deo profectum recognoscit, quando pacem, & regnum cum tyranni morte recipiebat? Erat quidem pijssimo homini maximè luctuosum beneficium de calamitate, & ruina æterna Sau-
Cant.3. lis profectum. Quam pie gentium Ecclesiæ Cant.3. aiebant. *Inueni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Sed Ecclesiæ mater Synagoga est à Deo repulsa, & eiecta, ex cuius repulsione, & eiectione venit, quod sese Dominus inueniendum præbet Ecclesiæ gentium. Ingens Ecclesiæ beneficium, quod Deũ inuenerit, quod sibi teneat, quid amplius optat, quid amplius instat, nec quiescit, donec illum introducat in domum genitricis? Quid interest Ecclesiæ, quod Deus reducatur ad Synagogam? Multum per omnem modũ, quippe vis reputat beneficium suum ruinam,
Rom.11. & calamitatem alterius. Quo respexit D. Paulus ad Rom. 11. *Cæcitas ex parte contigit Israel donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israël saluus fieret.* Quasi gentium gratia non reputetur plena, dum de Israëlis ruinis impletur, donec com-
Bernard. munis salus veniat. Pulchrè D. Bernard. serm. 79. in Cant. *Magna Ecclesiæ charitas, quæ nec æmulæ Synagogæ suas delicias inuidit. Tenet itaque firmiter Ecclesia salutem, quam Iudæa perdidit, ipsa apprehendit, donec plenitudo gentium introeat, & sic omnis Israël saluus fiat. Velit in commune communem venire salutem, quæ sic ab omnibus capitur, vt nihil singulis minuatur.* Imo multum minuitur Ecclesiæ salus, quæ veniat de alterius ruina.

§. X.

Matris disciplina salutaris adolescentibus.

SVscitato Lazaro fecit Dominus facultatem libere abeundi, ait enim, *Soluite illum, & sinite abire*, vt adolescentem cùm resuscitat, nec primum gradum facere permittit, sed eum statim matri tradit. Valde enim proficiunt adole-
Prou.7. scentes de disciplina matris. Sic Prouerb. 7. Salomon: *Nam & ego filius fui patris mei tenellus, & vnigenitus coram matre mea, & docebat me, atque dicebat: Suscipiat verba mea cor tuum: custodi præcepta mea, & viues.* Sic materna consilia, & disciplina hærent filiorum animis vt nihil magis corde infixum
Cellens. habeant, nulla re magis armentur, adeo, vt Cellensis lib. de Panibus, cap. 5. sic quosque viros componat, vt velit infantili more ab vberibus matris semper pendere. Ait enim. *Assuescat igitur paruulus matris collo pendere brachiolis: vultum pendulum, & pauidum ab omni occursu malo retorquere in faciem parentis, omnes tanquam inimicos (præter alumnos) fugere, aduersus omne infortunium ad vbera reuolare, & in gremio matris assidue cubitare.* Multum prodest filiis, si sub disciplina nutriantur matris: sic matris consiliis, blandísque moribus adolescant. Nihil tam cordi matri est, quam filiorum bona institutio, quam filiorum morum ornatus, & vitæ felicitas. Ex modestia filij, ex morum facilitate, & simplicitate clare prospicies studium, & disciplinam matris. Sese statim duo obiiciunt gemelli fratres, Iacob, & Esau diuersissimi tamen moribus, Iacob omni virtute ornatus, Esau prorsus impudens, & efferus. Vnde tantam morum differentiam ebibe-
Genes.25. runt vterini fratres? Genes. 25 ait, *Factus est Esau vir gnarus venandi, & homo agricola. Iacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis. Isaac amabat Esau, eo quod de venationibus illius vesceretur. & Rebecca diligebat Iacob.* Ecce ubi mores Iacob, & mores Esau, hic vt patri morem gereret venationi vacans, ferus cum feris fiebat: ille domi sedens totus matris, eius disciplinam referebat in morum simplicitate, & facilitate, & de matris consiliis viuebat, sciens aduersus omne
Rupert. infortunium ad verba reuolare. Rupert. in Cat. Lyppomani ad c. 27. Genes. sic notat. Vides quod omne consilium pro Iacob à Rebecca initium sumit? *Ipsa ad surripiendam benedictionem ipsum summisit, ipsa fugæ consilium prius porrexit, ipsa demum coniugem procurat.* Omnia, & saluti, & moribus salutaria habuit Iacob, sedens in tabernaculis, sedens domi apud matrem eius institutionibus, & vigiliis educatus. De simili institutione, & materna disciplina gloriabatur Psal- Psal.115.
tes 115. aiens, *O Domine, quia ego seruus tuus, ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Vbi se Dei seruitio meminit mancipatum, non patris meminit, sed matris, cuius disciplinæ, & educationi debetur communiter filiorum deuotio, & modestia in moribus. Quod notans Chrysost. ibi in confirmationem ad- Chrysost.
dit. *Id etiam Paulus posuit in Timotheo pro maximo ornamento, dicens: Recordationem habens fidei, quæ est in te non fictæ, quæ habitauit primùm in auia tua Loide, & matre tua Eunice: certus sum autem, quod & in te.* Quod in matre vidit, non potuit filius non transmittere in se: quasi naturalis enim est, & necessaria in filiis, quæ à matre venit disciplina, & morum integri- 2.Tim.1.
tas. De quo in præsenti Timothei loco fatur D. Bruno. *Quæ fides habitauit etiam primum in auia Loide, & in matre tua Eunice. Quod si in progenitricibus tuis, & in muliebri sexu exemplum habes fidei, quasi iam naturalis tibi sit, debes vtique per hoc plurimum seruere in fide.* Naturale est, & quasi necessarium in filio, quidquid virtutis, & pietatis venit illi de institutione materna. Bruno.

Text. Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum, dicentes: Quia Propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitauit plebem suam.

§. XI.

Non leuiter suscipienda, & acclamanda cuiusque sanctitas.

SApienter hi Deum laudantis Christi virtutem compuncti, & timorati dum cognoscunt mundialium hominum pungunt leuitatem, qui ob leuissima signa stupent, & mirantur sanctitates. Cum Iesu accubuisset in domo Simonis, accessit mulier famosa, mulier tota in ciuitate peccatrix, & stans retro cœpit lacrymis lauare pedes Iesu, Luc. c. 7. quid Luc.7.
tunc Simon? *Hic si esset Propheta, sciret vtique, quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum.* Vide quid magnum requirit Simon iste in Iesu, quod si Iesus haberet, Propheta magnus agnosceretur, à Simone prædicaretur, nimirum, quod agnosceret fœminam, quæ ab vniuersa ciuitate agnoscebatur. Acutè satis Chrysol. serm. 94. *Pharisæus Christum Pro-* Chrysol.
phetam crederet, si exposita oculis, nota populis si videret. Heu Pharisæorum vanitas! Heu mundialium hominum leuitas! Hos sanctos mirantur, hos Prophetas stupent, qui nihil suggerant salutare, sed nota oculis prædicent, leuissima, & popularibus sanis, & insanis dæmoniacis possibilia signa ostentent. Hos pungebat Psalm. 4. *Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Sic ad vanissima, & leuidensia Psal.4.
propensi estis, vt veritatis soliditatem fastidiatis, respuatis. Tunc beatum populum, tunc vos beatos putatis, cum nacti estis non exemplum vitæ, sed oculorum spectaculum, siue spectrum. Pulcrè D. August. hic ait, *Vt quid vultis bea-* August.
ti esse de infimis? Sola veritas facit beatos, ex qua vera sunt omnia. Vanissimi homines non infima suspiciatis, vt veneremini culmina sanctitatis. Fœminei raptus, ecstasis minima sunt, & infimæ sanctitatis symbola, imò sæpe sunt spectra solum, & phantasmata sanctitatis, nolite de his infimis beatos esse, amate potius illam veritatem virtutum, à qua mores reformentur vestri; & vniuersæ vanitatis vmbræ à vobis absint. Theod. apud Anast. Nycen. q. 18. innuit: *Deo con-* Anastas.
cedente Pseudo Propheta prodigia faciat. Docemur autem non adhibere mentem signis. Periculosum est semper æternis his signis, & leuidensibus apparentiis inhiare: periculosissimum prorsus adhærere exterioribus infimi ordinis spectaculis, à quibus nihil compunctionis, nihil morale ebibatis. Isai. 59. *Manus vestræ pollutæ sunt sanguine, & digiti ve-* Isai.59.
stri iniquitate: labia vestra loquuta sunt mendacium, & lingua vestra iniquitatem fatur: non est, qui inuocet iustitiam: nec est, qui iudicet verè; sed confidunt in nihilo, & loquuntur vanitates. Quoties hæc mente voluo, cum video frequentissimos concursus, & nobilium, & popularium ad mulierculæ, seu indocti hominis spectacula. Arripis iter, vt videas mulieris raptum, & eius totus stupens narras sensuum alienationem, rusticana verba, siue inurbanitates laudas, plenus peccatis, & fastidiens prorsus vera iudicia illorum, qui te ad iustitiam capessendam traherent. Sanè non est, qui innocet iustitiam, non est, qui iudicet verè, sed confidunt in nihilo, loquuntur vanitates, de infimis, & leuidensibus sanctitates æstimantes.

CAPVT

CAPVT III.

De Lazaro suscitato.

PROXIMVS morti Iesus diuinæ suæ potentiæ edidit signum singulare, Lazarum in monumento fœtidum restituens sanitati. Is erat Domino familiaris, illique in primis notus, tum propriis, tum sororum Mariæ, & Marthæ officiis, & obsequiis quotidianis. Hunc talem, & tantum virum, vt corripuit moribus, dilectoris, diuinique hospitis Iesu à sororibus fuit præsentia desiderata: & quem Iudæorum odium à Iudæa ablegauerat, infirmantis amore nituntur reuocare. Literæ protinus fuere missæ, Iesu dantur, qui vt videt, ægrotum visere moratur, mortuum quatriduanum, & sepultum abiit suscitaturus. Proh ingens Iesu potentia! Quod fideles sorores, nec audent sperare, præstat ipse, & mitante Ierusolyma vitalem calorem gelidis Lazari membris inspirat, & quem tenuit sepulchrum, mortuum efficit, vt apud suos maneat viuus. Rei historiam sic Ioannes propinat.

*Ex Ioan.*11. Erat autem quidam languens Lazarus à Bethania de Castello Mariæ, & Marthæ sororis eius.

§. I.

Utile, & gloriosum viro, sanctorum insigniri cognominibus.

BEthania oppidum erat, seu castellum, non cuius dominarentur, sed quod & Lazarus, & Maria, & Martha incolerent, vt rectè noster Maldonatus probat. Sed quem non moneat oppidum ab Euang. vocari Mariæ Marthæque castellum, hatúmque cognomine & castellum, & Lazarum prædicari. Sic equidem honorant præstantissimos viros sanctorum nomina, sic illustrantur viri, fiúntque de sanctorum nominibus illustriores, & clariores. Quin & sanctitatis apex vnigenitus Dei filius, voluit de sanctorum suorum agnominatione clarescere, & illustrari. Hunc miratos Hero-
Marc.6. des ait Marc.6. *Ioannes, quem ego decollaui, ipse est.* Quid plura?
Chrysol. Herodis cæcitati subscribit perspicacissimus Chrys. ser.173. fatus; *Maleuolo quidem, sed veraci sensu testis ipse criminis sui extitit. Ioannes, inquit, quem ego decollaui, ipse est. Verum dicit.* Verum ais, quod vnigenitus Dei sit Ioannes ab Herode decollatus? Nónne hoc summi imperatoris dedecus est de militis titulis, & cognominibus exaltari? Quo veraci sensu dici potest Iesus Ioannes decollatus? Sanè eo sensu verum est, quod Iesus sit Ioannes ab Herode decollatus, quo clarissimorum Herouum nominibus, viri illustres appellantur, decorantur. Adeò gloriosum est hominibus de gentilitiis sanctorum agnominibus appellari, & publicari, quando Dei filius nomine decollati Ioannis verè prædicatur. Nec apud Christianos ferendus est ille mos, quo clati viri barbaricis, non tam decorantur, quam fœdantur nominibus. Præstans ille adolescens, qui apud Hebræos de gentili sanctorum nomine vocabatur Daniel, vbi captiuus Babylona attigit, di-
Daniel.5. misso Dan. vocabulo, vocatus est à rege Babylonio de nomine Dei sui Balthasar. De quo regis mater inquit filio regi parietis scripto maximè perturbato. *Rex Nabuchodonosor pater tuus, Principem magorum constituit eum, quia spiritus amplior, & prudentia, intelligentiaque, & interpretatio somniorum, & ostensio secretorum, ac solutio ligatarum inuenta sunt in eo. Cui rex posuit nomen Balthasar. Nunc itaque Daniel vocetur, & interpretationem narrabit.* Quibus expendo illud, nimirū quod dicatur à rege nominatus de nomine Dei sui Balthasar; deinde quando est ad diuinam literarum interpretationem vocandus dimisso Babylonico Balthasaris nomine, iubeatur
Theod. Daniel vocari. Quæ huius rei causa? Pulcrè Theod. orat.5. in Danielem ait, *Neque dicit, vocetur Balthasar: cum enim experientia docti cognouissent Prophetæ virtutem, anteponunt Chaldæa Hebræam appellationem, quare in reliquum ipsum Danielem nominant.* Quasi veriti diuinum virum, nisi de gentilitiis sanctis nominare; fœdum erat idoli agnomine turpare virum, à quo diuinorum facinorum miracula sperabant. Pun-
Hieron. gebat meritò D. Hieron. perfidum Iouinianum, qui sub veri Dei disciplina, adhuc à Ioue agnominari non verebatur. Ait enim, *Caue Iouiniani nomen, quod de idolo deriuatum est. Squalet capitolium templa Iouis, & cæremonia ceciderunt. Cur vocabulum eius, & vitia apud te vigeant?* Familiare putat Hieronymus cum nomine fugi facinora eius, à quo nomen deducis; vt idoli nomen fers, sic & vita circumfers; amantur facilè mores, cuius amatur vocabulum. Non potes non intueri cum affectu præsentem illum, cuius nomen vbique præsens, & familiare habes. Hinc D. Chrysost. ho- Chrysost.
mil. de sancto Meletio ponderat, huius sanctissimi viri amor quàm afficiebat conciues suos, aiens: *Nam, cum eum à principio in ciuitatem ingressum excepissent, vnusquisque filium suum appellabat ab illius appellatione, per appellationem existimans vnusquisque in domum suam sanctum introducere.* Sanctorum tecum habes patrocinantes virtutes, quoties intra limina tua eorum agnomina vides.

Text Miserunt ergo sorores eius ad eum, dicentes: Domine ecce quem amas, infirmatur.

§. II.

Dei amasij ærumnis exercentur, laboribúsque ditantur. Qui ideo habentur equites, de la llaue dorada.

IAm iuxta Aponium, hominum amatris Christi humanitas, suum ingenium moreíque diuinos erga dilectos ostē-
derat, Cant.8. aiens, *Ego murus, & vbera mea turres.* Quippe Cant.9.
murorum a turribus, æreæ ignescunt machinæ, plumbea iaculantur fulmina, nil non lethale, & bellicum apparet. Ea est igitur Christi Domini humanitas, cuius vbera, nimirum, cuius amor crebrus euomit ignes, acutos emittit gladios, instarque turris muralis continuo pluit arcum, & bellum.
De his, qui mundialium regum in deliciis sunt, aiebat Ec- Genes.22.
clesi.c.9. *Super dolentium arma ambulabis*, hoc est, iuxta Iansenium, ô quanta suspiria. quot ægritudines regius fauor parit, si amaris a rege, medius ibis inter dolentiū grabata, seu, vt aptiùs Michaël de Palacios, *ambulabis inter pilas, & gladios hostium iratorum frementium, & in cædem tuam ruentium.* Hiccine est amoris, fauorísque regalis partus? Sic equidem afficiuntur qui à regibus mundialibus amantur, imo sic afficit, quos Deus vehementer amat. Electum a millibus om-
nium Abrahamum qualiter tractat? Gen.22. *Tentauit Deus* Genes.22.
Abraham. Tentauit, inquam, illum ea tentatione, qua fortissimi quique nutarent: vnicum filium ab ipso patre petit occidi. Quale hoc tormentum? Et cur tanto dolore amicum premit Deus? Nullo equidem minori pretio amicitiam suā
nouit Deus vendere; vt dicat D. Basil. Sel. orat.7. *Natura fi-* Basil.Sel.
ctam in vicum nullum sustollit: amicitia diuinæ nundinatorem miretur. Expende illa pulcherrima verba, *amicitiæ diuinæ nundinatorem*: ne putent homines amicitiam Dei gratis euolare: nundinator est Deus suæ amicitiæ, quam nullus obtinebit, nisi magno laborum, & dolorum pretio. Nónne Ioseph amabat fratres? Sed vide, vt illos mille tormen-
tis angat. Id quod ponderans D. Gregor. homil.31. in Ezech. Gregor.
fatur, *Scyphus in sacco iunioris fratris absconditur, furti post eos quæstio mouetur. Mittitur, vt reducantur addidit; in seruitutem decernitur, apud quem scyphus fuisset inuentus. In sacco vltimi fratris inuenitur; tunc Beniamin reducitur, afflicti omnes fratres sequuntur. O tormenta misericordiæ, cruciat & amat.* Amantior erat Benjamin, & quia amantior, ideò illius sago regalis scyphus immittitur, qui & dolorum escitet maiores, & lacrymarum causas. Miratis scyphum regalem dolorum causam apponi amantissimo fratri? Non equidem id mirandum, cum sciamus dolores, & passiones pro claui aurea donari, qua exornantur selectiores Principes, & amantiores, qui frequentiores visuntur apud summi regis
palatium. Ioann. Apocalyps. 6. cum vidisset triumphans Apoc.6.
Dei templum, notassétque frequentiores ibi Principes, os solum meminit, aiens: *Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei.* Non erant ibi aliæ animæ? Non erant innumeri alij spirituum exercitus? Non erant millia millium ministrantium ei? Erant equidem, sed qui præ oculis habebantur, qui frequentiores apud Deum, qui cariores, vtpote qui clauem auream habebant, qua ad regē accederent singulis momentis, hi erant mortificati, excarnificati, laboribus, & pressuris interempti. Hinc traho illam
Tertul. escogitationem lib. de anima, vbi agit de Inferis, & Tertull.
tandem fatur, *Ioannes in spiritu paradisi regio reuelata, quæ subijcitur altari, nullas alias animas apud se præter martyrum ostendit: quia nullis romphæa paradisi ianitrix cedit, nisi, qui in Christo decesserint. Agnosce differentiam: si crucem tuam tollas, & sequaris Dominum, vt ipse præcepit. Tota paradisi clauis sanguis tuus est.* Regi frequentiores, & chariores à claui aurea noscuntur.

Principes : apud Regem regum Deum tota palatij æterni clauis sanguis est, labor est, dolor est. Hac claui insigniti fulgeant, qui cupiunt haberi summi regia amici.

§. III.

Summa fœminæ laus, cui Deus subdat virum, vbi pulchra de B. Tharasia Carmelitarum restauratrice.

NOtanda item summa Mariæ, & Marthæ commendatio, de quarum castello dicitur Lazarus, quasi eo gloriæ peruenerint mulieres sanctissimæ, vt dominarentur viris, illóque clariores, & præstantiores existerent. Sic mina- *Isai.3.* batur populum Isaias c.3. iuxta Sept. *Auferet Dominus à Iudæa fortem, & validum.* Et quæ hæc erat adeò valida, cuius *Basil.* ablatione a Deo populus terretur? Explicat D. Basil. *Auferet validum, cuiusmodi erat Sara, robusta plane, & Princeps inter viri Abraha iuxta præceptum Domini dicentis, Omnia quæcunque dicet tibi Sara, audi eam.* Hoc robur, hæc virtus in fœmina admirabilis, cui à Deo subdatur vir, validissima Sara, cui iussus est Abraham à Domino obtemperari, validissimæ illæ fœminæ, quibus subduntur viri. His omnibus validior, & robustior Tharasia, Princeps tantorum Abrahamidum, nimirum, clarissimorum virorum, qui primogenia sua Deo litarunt, quibus Tharasia leges dedit, & quibus dictum est à Domino, Omnia quæcunque dicet vobis Tharasia, audite eam. Hinc fœminæ incredibilem fortitudinem, *Prou.30.* & præstantiam pensabat diuinus spiritus Prouerb.30. aiens, *Mulierem fortem quis inueniet, procul, & de vltimis finibus pretium eius confidit in ea cor viri sui.* Ecce vobis fœmina, in qua confidunt innumerabilium virorum, & fortissimorum & sanctissimorum corda, sub cuius militant disciplina. Cui *Alcim.* consonat illud D. Alcimi ad sororem:

——— Vt Debbora quondam
Duceret instructas post fortia classica turmas,
Et mulier sumpto præcederet agmina signo,
Mirantes hortata viros: quos vsu ferocem
Exemplo verbóque mouens accendit in hostem.

Et quidem si quæ fœmina inter Christianæ militiæ duces, & imperatores nomen sibi fecit, ea est Tharasia, gloria *Philipp.4.* totius Carmeli, & Libani. Paulus ad Philippen. 4. inquit, *Euodiam rogo, & Syntichen deprecor, & te germane compar, adiuua illas, quæ mecum laborauerunt.* Datæ sunt imperatori Paulo fortissimæ viragines adiutricea, quæ non carnis mollitiem, sed osseum originem sequentes, æmulæ sint fortissi- *Basil.Sel.* morum imperatorum gloriæ. Ad hæc D. Basil. Seleuc. orat. 2. *Vides fœmineum genus tangi Paulini cursus æmulatione? Vides Apostolicos sudores in mundi stadio imitatione exprimere? Faciamus ei adiutorium simile sibi.* Ecce tibi Tharasiam, ecce adiutorium cœlesti Adamo simile, quæ osseum exercitans originem Apostolicos exprimit sudores, Pauli æmula doctrinæ radiis, & morum disciplina orbem illustrat. Nobili Israelitæ Imperatori Iosue dictum est, vbi ad pugnam accedit, quod soluat calceamétũ de pedibus suis, quis hoc crederet iussum Principi militiæ, cui potius calceamenta ferrea mandanda erant aduersus hostiles ictus? Sed iam dedicabamur discalceatorum pugnæ, quas de Iesuitarum halitu (si Tharasiæ scriptis credimus) instruait Tharasia, vt ipsa. & domi residens, & in puluere dimicans multiplici victoria Ecclesiam adornaret. Audisti Debboram agminum Israelitarum ductricem fuisse, aduersúsque Sisaram conseruisse manus in campo. Non tamen ibi interemptus hostis, sed fugatus, qui ad Domum Iahelis accedens se somno dedit: tunc Iahel domi residens hostem penitus prostrauit. De quarum victoriis *Alcim.* pulchrè D. Alcim. cecinit vbi supra:

Mox animosa Iahel peragit, quod Debbora victrix
Cœperat, inque solo strati terráque iacentis
Tempora transfixo penetrans immania clauo.
Fœmineus duplex fit vno ex hoste triumphus.

His præstantior Tharasia, quod duæ fecere quondam, vna ipsa peragit; ea fortissimorum virorum instruens aciea, & ducit, & hortatur in campo, rabidósque hostes hominum ab orbe fugat; fugatósque filiorum suorum labore, & doctrina, ipsa domi residens transfigit clauo. Nec enim otiose donata est clauo à cœlesti sponso arrhabonis nomine, sed vt illo domi sedens hostem transfigeret, & perderet, quem ipsa à toto orbe, ducta filiorum acie fugauerat. Vt sic non duplex tantum, sed & multiplex fit fœmineus triumphus ab vna Tharasia peractus. Cum hæc de D. Tharasia loquor, non putetis vos pristini sæculi viragines Agnes, Catherina, Cæcilia à me minus ardenter amari. Feror animo, & affectu in vestros triumphos omni celebratione maiores, sed de sociatis spiritu hunc ebibi, vt nostri æui sanctorum glorias, qua possum contentione, cantem. Quare liceat Tharasiæ aptare verba, quæ virginum principi aptauit D. Am- *Ambros.* bros. de instit. virginis, cap. 5. inquiens, *Veni Eua iam sobria: veni Eua, etsi tu te aliquando intemperans, sed iam in prole strenua, veni Eua iam sata, vt non de paradiso excludaris, sed rapiaris in cælum. Veni Eua iam Sara, quæ parias filios non in tristitia, sed in exultatione: non in mœrore, sed risu. Isaac tibi multiplex nascetur. Veni iterum Eua iam Sara, de qua dicatur viro: Audi Saram vxorem tuam. Sit tu licet viro subdita, quia esse te decrat: ei tamen soluisti sententiam, vt vir te audire iubeatur.* Ecce vobis Eua in Tharasia, sobria, ieiuna, parturiens filios in lætitia, quoties Tharasiæ denuo filia, aut filius asciscitur, toties Isaac renascitur, toties spiritualis lætitia, toties risum facit Dominus sponsæ suæ. Adde in Tharasia solutionem legis, vt viri iubeantur illam audire. Quo illius multiplicatur gloria, & triumphus. Quis tantæ viraginis triumphos cantet? Quis dicat, quæ ab illa pennatæ mortea in tenebrarum Principea euolarunt? Huic libens subscribo, quod Sidonius Apollinaris de Iudith dedit carm. ad Faustum *Sidon.* Reiensem, inquiens: *Apoll.*

Et fragilis valido latuit heu sexus in ictu.

Et quidem a nemine minus, quàm a fœmina videbantur iacta fortia Tharasiæ tela in Christi inimicos.

Text. Maria autem erat, quæ vnxit Dominum vnguento, & extersit pedes eius capillis suis, cuius frater Lazarus infirmabatur.

§. IV.

Paruula Deo etiam exhibita seruitia, quàm gloriosa æternum manent.

QVam verè dictum iustis, Capillus de capite vestro non peribit: adeò enim æstimat Deus quidquid sibi à viris iustis offertur, vt vel capillum memoriæ diuinæ arcanis repostum habeat. Vide modo quid Mariæ Magdalenæ commemoret Spiritus sanctus, nimirum, *Maria erat, quæ extersit pedes eius capillis.* Sic capillorum etiam seruitium æstimabat. Sanson Nazaræorum lege comam nutriebat, & eius crinibus tanta diuini spiritus gratia inerat, vt eum prorsus redderet inexpugnabilem. Proh Deus immortalis! Cur sic capesis crispante iuuenis crine! Cur adeo à capillis teneris? Vnde vilissimus capillus sic te afficere potest? Equidem Nazaræus Sanson Deo capillitium suum dicauerat, & vel capillus à viro iusto dicatus Deo, pretiosam æstimationem capit. Rectè Procopius relatus à Serario in c.16. *Procop.* Iud. quæst. 16. ait. Filij hæreticorum rident, quod in capillis gratia est. Rideant igitur, quod in Apostolorum vmbra gratia est: in fimbria item vestimenti Christi, in luto denique, quod cæcum illustrauit. *Quapropter voti nomine, pretiosa apud Deum fuit coma.* A voto viri iusti etiam capillus eam acquirit æstimationem, qua in pretio habeatur apud Dominum, in eiusque scriniis asseruetur, vt res pretiosa. Cætera omnia etsi magna, etsi splendida, velut vmbra prætereunt; quod Deo offers, in æternum stat, & vel minimum illius in corruptibilibus asseruatur thesauris Pro quo recole tibi quatuor illos celebres fluuios egredientes à paradiso voluptatis, Genes. cap. 2. *Nomen vni Phison:* *Genes.2.* *ipse est, qui circumit omnem terram Heuilath: vbi nascitur aurum: & nomen secundi fluuij Gehon: ipse est qui circuit omnem terram Æthiopiæ. Nomen vero fluminis tertij Tigris: ipse vadit contra Assyrios. Fluuius autem quartus ipse est Euphrates.* De quibus maximè id expendendum est, quod tres priores auro lapidibusque pretiosis diuites dicantur circumire, transire, vadere, currere; solum de Euphrate non dicitur, quod transeat, quod circumeat; quippe Euphrates idem est, ac, *fructificatio eorum*; hi autem, qui ex Christi gratia fructus pariunt Deo, nihil vnquam amittunt, nec lacrymula perditur, sed æternum asseruatur mansura. Acutè Diuus Anastasius Sinaita lib. 8. Exaemeron *Anastas.* id notabat addens. *Non scriptum est Euphratem nec transire, nec vadere, nec circumire, sed esse stabilem, & immobilem.* Fluunt cæteræ hominum rea, & tandem ab ipsa terra bibuntur, vel marinis sorbentur à fluctibus. Verum de bonorum operum fructibus nihil præterit, nihil, nec aquæ frigidæ guttula perfluit, sed stabili thesauro asseruata perdurat. Ita apud Matth. capit. 10. *Quicumque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ,* *Matth.10.*

tantum

tantum in nomine discipuli, amen dico vobis non perdet mercedem suam. Nec guttula deperditur ex his, quæ in Dei seruitio peregisti: omnia simul tibi asseruantur; Apocalyps.14. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur, amodo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis. Opera enim illorum sequuntur illos.* Non solum mors pro Christo Domino suscepta, non solum sanguis effusus pariunt hominum beatitudinem, sed & omnia anteactæ vitæ opera, vel minima sequuntur illos, id est, non prætereunt, non defluunt, sed æternum comitantur illos. Ibi D. Ambros. *Opera igitur sanctorum sequuntur illos, quia merces operum illorum comitatur illos in perpetuum.* Cui pulchrè annuit Andreas cap.42. in Apocalyps. inquiens, *Quod ex operibus nascitur, illud immarcescibilium coronarum causa existit.* Nullum opus quantumuis minimum Deo oblatum marcescit, sed æterno decore viget. Hinc etiam natum fuit studium illud, quo maledicturus ficui, ob defectum fructuum, Matth. 11. accessit ad illam, cum non erat tempus ficorum, vt notauit Marcus. Sed cur accessit cum ficorum tempus non esset? Ne fortè esset aliquis parua ficus, qua maledictionem subiret, & periret. Quippe solent etiam steriles arbores, vnũ, aut alium paruulum exhibere pomum; & adeò gratus est Deo, quiuis paruulus etiam fructus vt caneret ad maledicendam ficum accedere, cum per tempus posset aliquis esse fructulus. Pulchrè aiebat D.Cyrill.Hieros. catech.13. *Venit in tempore, in quo cibus non inueniebatur. Quis ignorat, quod tempore hyemis ficus non fert fructum, sed solis folijs circundatur? Quod omnes sciebant, nunquid hoc Iesus ignorabat? Sed venit sciens; quæsijt non ignorans, quod non esset inuenturus, sed figuram maledictionis vsque ad folia tantum faciens.* In solis foliis voluit vt resisteret maledictio, recepturus semper quemcumque fructum, quamuis minimum, qualem solent gignere steriles arbores.

Apoc.14.

Ambros.

Matth.11.

Cyrill.

Text. Miserunt ergo sorores eius ad eum dicentes: Domine, ecce quem amas, infirmatur.

§. V.

Perfectus amor impatiens moræ in suorum ærumnis depellendus.

PRudentes fœminæ, vt fratris sui accelerarent leuamen, id solum curant, vt in Saluatore circa infirmum excitetur amor. Ea est enim perfecti amoris flamma, quæ suos in laboribus morari minimè patiatur. Mater illa, quæ de sibi erepto filio, cum socia fœmina contẽdebat 3.Reg.3. nullum non mouit lapidem, vt sibi filius restituatur: causam ad regem defert, ibi clamat, ibi vociferatur: at cum primum de regis iussu affertur gladius, quo filium suum diuidendum audit, statim à causa recedit, & laborat ipsa, vt quam primum integer, & viuus filius adiudicetur alteri. *Obsecro, date huic infantem viuum.* Subito accusatrix transit in aduocatam, & quæ omnes iuris terminos subiret, vt de sententia iudicis filium acciperet, modo instat, & petit, vt detur alteri filius. vt sic festinet dilectum filium à gladio liberari. De quo D.Ælred. in speculo charitatis, lib.3.c.14. *Oblato ense, cum diuisionem pueri regia sublimitas induxisset, matrem affectus prodit naturalis, & effit affectui, quæ non efferat improbitati; & quæ laborauerat, ne vera mater proprio pignore frustraretur, laborare cœpit, vt alteri traderetur. Obsecro, ait, date huic infantem viuum, & non occidatur.* Non inducias petit, non dierum terminos postulat dari sibi, vt probet sibi vni deberi integrum filium, sed vt gladium infanti immineri videt, festinat credere omni iuri suo, vt puer periculo liberatus viuat. Hinc perfectus hominum amator Deus, vt suos videre possit aliquandiu ærumnis afflictos, ærumnis, inquã, quæ parituræ sint ingentes glorias, sese prius munit, & armat patientia penè incredibili. Nónne seruus Dei erat Ionas? Is tamen à tempestate requisitus, frementibus traditur fluctibus, ab immani voratur pisce; Deus videt, & moras agit, & tardat auxilium, & potest hoc perfectus Dei amor in homines? Potest talia amici spectare infortunia amor diuinus? Potest, sed de incredibili patientia sibi adiuncta, magna bona obtenturus erat Ionas per labores illos, ideò vt diuinus amor sustineret paulisper laborantem amicum, patientiam inducit, & de patientia adiuncta auxilium distulit. Quo spectabat D.Iren.lib.3.c.22. inquiens. *Dominus patienter sustinuit absorberi Ionam à ceto, non vt absorberetur, & in totũ periret* (quasi ad hoc, nec de adiuncta patientia posset amor diuinus) *sed vt enomitus magis subigeretur Deo, & plus glorificaret Deum, qui*

3.Reg.3.

Irenæus.

insperabilem salutem ei donasset. Nullo modo sustinet amor perfectus in amico labores inutiles; quod si aliquando ob maiora bona Dei amicus laboribus exercendus est, vt id amor diuinus sustineat, patientia comes asciscitur. Ideò Eccles.35. *Et Dominus non elongabit, sed vindicabit iustos, & faciet iudicium: & fortissimus non habebit in illis patientiam.* Is est diuinus amor in suos iustos, vt non elonget auxilium, nec habeat patientiam in illorum ærumnis, nisi vt prudenter addit glossa, *ad vtilitatem postulantis,* tunc solum, cum afflictorum vtilitas, & maius bonum postulant, nouit diuinus amor auxilium elongare, & permittere parumper suos affligi à tyrannis, sed vt id præstet, adiungit sibi comitem, & sociam patientiam: vt dicat D. Nyssen. in orat. de occursu Domini. *Quosdam ex iussu non imperare, sed barbaris, & impijs viris parère, Dei efficit lenitas, & patientia.* Adiungitur amori diuino patientia incredibilis, de qua virtute possit suos sub ærumnis afflictos spectare.

Eccles.35.

Nissen.

§. VI.

Non tam festinat in nos malum, quod non à Dei amore præueniatur.

VEnit infirmitas in Lazarum, sed longè antea venerat in illum Dei amor; prius à Deo dilectus dicebatur, quam corriperetur ab infirmitate. Nunquam sanè adeò festina veniet in nos calamitas, quam non præueniret diuinus amor. Ad homines aquilis velociora venerunt mala, vt innuit Ierem.4. sed iam præuenerat bonitas diuina. Eleganter Tert.lib.2. in Marcionem, malorum tardam originem edisserit, fatus. *Statim mulier in doloribus parere, & viro seruire damnatur: sed quæ antea sine vlla contristatione per benedictionem incrementum generis audierat, Crescite tantum, & multiplicamini: sed quæ in adiutorium masculo non in seruitium fuerat destinata. Statim, & terra maledicetur, sed ante benedicta. Statim tribuli, & spinæ, sed ante fœnum & herbæ, & arborum fructuosa. Statim sudor, & labor panis, sed ante ex omni ligno victus immunis, & alimenta secura. Exinde homo ad terram, sed ante de terra. Exinde ad mortem, sed ante ad vitam. Ita prior bonitas Dei secundum naturam, seueritas posterior secundum causam.* Quid pulcrius dictu? Primas equidem cedunt amoris operibus, quæ accidunt hominibus calamitates. Nouit semper diuinus amor primas ferre, vt dicat Ps.20. *Præuenisti in benedictionibus dulcedinis.* Antea benedictio, quam maledictio; antea dulcia amoris pocula, quam potiones amaræ. Id quod experiebatur Ion. c.2. *Proiecisti me in profundum in corde maris, & flumen circundedit me.* In flumine agnoscit D.Hieron. dulcissima fluenta; quibus circundatus Ionas venit in amaritudinem maris: ne possent dici amari fluctus obuenisse Ionæ, quin prius, & immediatius illum benedictionis dulcedo inundasset. Et fanè solemnissimum hoc diuinæ beneficentiæ, quæ non permittit furere mala, quin prius signa sui amoris in nobis appareant. Quo refero illud Apoc.7. *Et vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis habentẽ signũ Dei viui, & clamaui voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocere terræ, & mari, dicens: Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus; quoad vsque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.* Non immerito hic Angelus putatur à Rupert. Iesus Dei filius, in quo est paternæ charitatis signaculum, vt dicat D.Ambros. de Isaac, & anima, c.8. *Ipse est signaculum nostrum, quod est charitatis insigne, qua diligens pater signauit filium, sicut legimus Ioan. quem pater signauit Deus.* Prius ergo charitatis diuinæ per Christum signa visuntur in nobis, quam prosiliant ærumnæ. Non fert Dei erga suos homines charitas præueniri à calamitatibus, prius conspicienda erant diuini in nos amoris signa, quam liceret calamitatibus, vel mundi limina tangere. Nulla hostilis manus insurgit, quæ Dei præuenientis suos non inueniat signa, & vestigia, vnde sæpiùs euanent hostiles incursus. Hinc illustro sententiam communem, quæ putat Dauidem 2.Reg.21. vocari Adeodatum, eiúsque pugnam cum Goliath ibi memorari sub illo nomine. Ita Abulens. q.35. 36. & 37. Lyra, Dionysius, Hugo, Angelomus, Glossa. Textus verba sic dicunt. *Percussit Adeodatus filius saltus Polymitarius Bethleemites Goliath Gethæum,* &c. Sed cur notissimus Dauid in præsenti pugna recensetur sub nomine Adeodati? Nónne clarius diceretur Dauid Isai filius? Cur nusquam dicitur Adeodatus, nisi in præsenti? Equidem vt Dei præueniens cura, & solicitudo explicaretur, quod non potuit hostile malum insurgere, quin prius à Deo bona data essent profecta, quæ possent mala ipsa in felicitatem transmittere.

Tertull.

Psal.20.

Apoc.7.

Ambros.

Text. Audiens autem Iesus dixit eis: Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eam.

§. VII.

Malum non censetur, quod citò repellitur. Vbi de festina peccatorum reparatione.

TAndem Lazari infirmitas in morte desiit, & nihilominus verè dictum est, quod infirmitas non erat ad mortem; non enim censenda mors, quæ tam citam habuit reparationem. Quis enim illam animam mortuam putet, quæ
Ennod. cita reparatione obliterat casum? Pulchrè D.Ennod. lib.5. ep.17.ait, *Bene dum origini,& moribus præstas obsequium,emendationem sine interuallo coniungis errori: & quod peccatum sapienter intelligis, priusquam alteri denuntietur, auertis. Quis credat deliquisse in correctione velocissimum? Pene non vocandus est testator excessuum, qui obuiam manum ponit in surrectione culparum.* Cita facinoris emendatio, sic omnia facinoris vestigia obliterat, vt non videatur aliquando extitisse facinus. Nunquam censetur fuisse lapsus, qui propter celerrimam repa-
Prou.24. rationem vix apparuit. Prouerb.24. merito dicitur: *Septies in die cadit iustus.* Quibus mirabile est, quod in tot lapsibus nomen iusti non amittat: septies peccat in die,& peccator non censetur, sed adhuc iustus dicitur, quia non habetur ratio lapsuum, qui habent reparationem festinam. Vt dicat D.Hier.ep.46.*Iusti vocabulum non amittit, qui per pœnitentiam semper resurgit.* Imò ipsi lapsus cito reparati per Dei gra-
Bernard. tiam, quasi partes censentur iustitiæ. D.Bern.ser.2. in Psal. Qui habitat, sic fatur, *Iustus septies in die cadit. Verum hoc interest inter eorum casus, quod iustus suscipitur à Domino, ideoque resurgit fortior. Super manum Domini cadit,& miro quodam modo etiam ipsum ei peccatum in iustitiam cooperatur.* Lapsus ipsi celerius reparati miro quodam modo pertinent ad iustitiam,vt videantur stare pro parte iustitię, eiúsque causam
Matth.1. agere. Hinc D.Matth. legitimam Dauidici regni prosapiam audet à Bersabeth exprimere,c.1.fatus, *Dauid autem Rex genuit Salomonem ex ea,quæ fuit Vriæ.* Non veretur adulterium meminisse, vt legitimam,& regiam prolem narret. Et quid magis suspectum ad regiam prolem, & legitimam, quam adultera coniux? Quam thorus adulterio fœdatus? Tamen adulterium hoc tot lacrymis reparatum, adeò obliteratum fuit, vt quasi nunquam extitisset; sic nihil nocuit, quo minus legitimam, & regiam familiam inde Dauid stabiliret.
Ephrem. D.Ephr. de Pœnit. ait, *Dauidis vera pœnitentia effecit, vt ne vestigium quidem in illo remaneret: quippe quæ ita adulterij cicatricem deleuit, vt etiam à constuprata Bersabeth Salomonem Regem constituerit.* Quando vel sola adulterij cicatrix regiæ proli officere posset,regiámque dignitatẽ fœdare: ab adulterio per pœnitentiam reparato regia dignitas in toto suo splẽdore perseuerat,& Dauid quasi Ioseph habetur,& Bersabeth censetur Susanna, & adulteri patres quasi castissimi semper reges pariunt. Sic reparatio festina facit, quasi non fuisset peccatũ.Vir Dei accedit aliquando ad Ieroboam,cui prædicit imminentia mala, & iussus à Deo non comedere panem ibi,reuertebatur:sed ecce fallitur à Pseudo Propheta,panem comedit,incurrit Dei offensam,& supplicium acceptans pro offensa à Leone in via occiditur.Tunc qui supplicium prædixerat,audiens occisum à Leone,fatur,*Vir Dei est,qui inobediens fuit ori Domini,& tradidit eum Dominus leoni.*Expẽde,quod in offensę supplicio vocatur,*vir Dei est.*Leonis sub vnguibus erat,luens, quod incurrerat peccatum, & adhuc vocatur vir Dei;culpa enim tam cito castigata,& expurgata non potuit offendere virtutis,& iustitiæ vocabulũ.
Gregor. D.Greg.Pap.lib.4.dial.c.24.*Punita inobedientia erat iam iustus ex morte.* Sed clariùs Lyra expendit,quod vir Dei appelletur in leonis faucibus,*vir scilicet Dei,quia diuinam sententiam supra se auditam acceptauit, & voluntati diuinæ se committens peccatum inobedientiæ morte corporali expiauit.*semper vir Dei, semper iustus,semper sanctus, quãdo culpæ tam citam abo-
Cant.5. litionem acceptauit. Cant.5. *Qualis dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum?*Quis non miretur sponsam vocari pulcherrimam?An non aliquam habuit fœditatem?An nõ peccatis maculata,& deformata est? Fateor peccati fœditatem
Gillibert. incurrisse,sed quia cito abluit,nec vestigium apparuit.Gillib.Abb.ser.47.in Cant. *Pulcherrima mulierum Ecclesia est,quæ singularum animarum pulchritudo est.Pulcherrima est,in qua omnis pulchritudo est, & deformitas non inest. Denique,& qua parte de Ecclesia sunt, deformes non sunt. Si quibus videtur inesse deformitas, etsi aliquibus de membris eius ad horam respergitur deformis macula, non tamen imputatur, dum non immoratur.* Et rectè non imputatur, quod non immoratur.

Text. Diligebat autem Iesus Martham, & sororem eius Mariam, & Lazarum.

§. VIII.

Obsequia capiunt etiam diuinissimas mentes.

CVr non amaret Iesus Martham,cuius frequens ministerium excipiebat? Et Isaac Genes.25. *Amabat Esau, eo quod de venationibus illius vesceretur.* Quocirca ait Theodor. Theod.
quæst. 77. *Obsequium autem potest etiam crudelissimos quosque mitigare: maximè patrem, patrem, inquam, humanissimum. Cæterum reperimus etiam diuinum Apostolum copiosis benedictionibus remunerasse eos,qui illu obsequium præstitissent.* Inhumanus est qui obsequiis non obligatur, non deuincitur. Sanè humanissimus Iesus, vt omnes humanitate superabat, sic affectus suos gratiores ostendebat in eos, quorum obsequia frequentius accipiebat. Duodenis mansit Hierosolymis, & à parentibus requisitus,non tulit non sese parentibus exhibere,Luc.3. *Post triduum inuenerunt eum in templo.*Qui inueniunt Iesum? Pulcrè D.Ælredus ibi, *inuenerunt eum; abdubunt quis Maria, & Ioseph altera mater, alter nutritius.* Non enim diu potuit Deus se subtrahere his, quorum obsequia accipiebat in dies. Non potuit negare præsentiam suam, amorem suum nutritiis suis; quando obsequia mentes capiunt etiam diuinissimas. Ioan.15. *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ mando vobis.* In quæ verba D.Chrysost.Hom.2.ait, Ioann.15. Chrysost.
Proponitur familiaritatis sublimitas officiorum fœnore comparanda, ad amicitiarum cœlestium potentiam seruitutis obsequio peruenitur. Ecquid non præstet obsequium humile?Vidisti aliquando Dauidem maximè iratum in rusticissimum hominem, & inofficiosum Nabal, nec vanè irascebatur Dauid, sed ita percitus arma sumens vna cum armatis pueris ibat Nabalis bona populaturus. Irruentem pene Abigail prudens fœmina moratur,1.Reg.25. quæ escam officiosè Daui- 1.Reg.25.
di ministrat, sed & pueris eius largissimè præbet cibos, & audet vna fœmina sese opponere mille armatis,& irascentibus viris. Et quibus fidit machinis, vt speret à ferocientibus militibus lenitatem? Præmittebat ciborum munera, sese officiosam exhibet, officiisque & obsequiis munita meritò audet stare aduersus armatos. Ecce tibi officiorum victoriam. *Suscepit ergo Dauid de manu eius omnia quæ attulerat ei, dixitque ei: Vade pacifice in domum tuam, ecce audiui vocem tuam,& honoraui faciem tuam.*Rideres fœminæ prudentiam,quæ armatorum hostiles incursus in domum suam concitatos, vt frangat, panes quærit, coctas carnes, vuas passas, vinum apponit, quæ præmittens ipsa sola in aciem prosilit. Quo fœmina tendis, vides hostem iratum venire, cur pueros tuos non conuocas?cur arma eis non ministras? cur facta domesticorum turma nõ occurris hostili congressui? Cur solum pro munimento adhibes cibos? Sanè quæ nulla armata manus efficeret, effecit officiosa manus, prudentis fœminæ hostem leniuit,amorem sibi conciliauit obsequio & regale coniugium. Pulchrè D.Isidor.Pelus.lib.4. Isid.Pelus.
ep.137. *Quæ vis efficere nequit,officium effecit.* Ingens est officiorum, & obsequij potestas, fallor si quod est machinamentum adeò efficax ad deuinciendas mentes, ad humanitatem & charitatem etiam ex silicibus excitandam. Quis magis silex quam Elias in Israëlitas Idololatras? Cœlum clausit, ne plueret,& abiit, nulla suorum miseria cõmotus. Hunc non emollit Achabi metus,non regia omnis potestas: eundem, vt emolliat, & ad charitatem trahat, multa fecit Dominus ipse, sed tandem 3.Reg.17. illi opponit vnam viduam,quæ sibi & filiis suis deesse maluit,vt Prophetæ obsequium præstaret;hæc Eliam hospitem suscepit,Eliam famelicum pauit,quæ dum Eliam pauit,filium vnicum suum raptum morte defleuit. Quid tũc Elias?Ait ad Dominũ:*Etiam ne viduam, apud quam ego vtcumque sustentor, afflixisti, vt interficeres filium eius?* Expendo illud, etiam ne,quasi ad multa alia hoc tandem addiderit Dominus omninò efficax machinamentum,vt Eliæ præcordia debellet,& in charitatem trahat; qui enim nulla vi donaretur, viduæ obsequiis penitus edomitus & expugnatus sese ad charitatem præstandam præparat. Arguté satis D.Basil. Seleuc. orat.11. *Dubius hærebat tanto in casu Elias, & hospitalitatem mulieris admiratus inuenit pueri mortem vnam diuinarum contra se machinarum esse. Deo accedit supplex: Hei mihi Domine, etiam ne* 3.Reg.17. Basil.Sel.

viduam afflixisti? Video quo me machinamento petas? Sentio quibus à te artibus circumretitus sum. Sum tandem tuæ in homines charitatis discipulus, sum mansuetissimus administer. Quid elegantius? Nullum equidem est machinamentum efficacius ad excitandam charitatem è lapidibus, quam obsequium, quod nulla vis potest, efficit officium.

Text. Vt ergo audiuit, quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus.

§. IX.

Non dolendum de malo, quod reparari potest. vbi quam dolenda amissa gratia.

NOn multum mouent Iesum amici infirmitantes, & si lethales essent, quin potius audita infirmitate immobilis manet, se se eodem modo ac antea gerens. Quo docemur indigna esse dolore mala, quæ soluenda, & reparanda certo veniunt. Hic se se mihi obiiciunt, & Iesu discipuli, & Heliæ discipulus, & hic, & illa magistri sui raptum in cœlum viderunt, sed quanto discrimine? Discipuli Iesu videntes euntem magistrum, nullis tamen lacrymis eius absentiam prosequuntur: at Heliæ discipulus, vt magistrum
4.Reg.2. rapi videt, & luget, & clamat dolore plenus 4.Reg.2. *Pater mi, pater mi, currus Israël, & auriga eius?* Cur solus iste lacrymis comitatur magistri discessum? Sane Apostoli præ-
Act.1. uenti sunt, ne dolerent, verbis angeli dicentis Act. 1. *Hic Iesus, qui assumptus est in cœlum, sic veniet*, vbi enim absentiæ malum reparandum noscunt futuri præscientia, nil, quod doleant, habent: at Elisæus in magistri absentia nul-
Chrysost. lum simile leuamen accepit. Ita D. Chrysost. serm. 9. de Ascens. fatur, *Elisæus aspiciens magistrum suum assumi, discidit vestimenta sua, non enim habebat aliquem astantem sibi, atque dicentem, quod iterum venturus esset Elias.* Irreparabilem magistri absentiam flebat Elisæus à lacrymis statim cessaturus, si audiret magistri reditum, si speraret tantum patrem iterum ad se reuersurum. Verum Apostoli dolere non possunt de damno, cuius reparationem sperant, cum Iesum rediturum audiunt. Sæuientes Antiochiæ iudices, propter imperatoris statuas solo deiectas à ciuibus egregia hac vna
Idem. ratione emolliebat vir sanctus, apud D. Chrysost. homil. 17. ad Popul. *Statuæ quidem deiectæ rursus erectæ fuerunt, & propriam receperunt formam, & factum correctionem habuit celerrimam. Si vos autem Dei imaginem occideritis, quomodo rursum poteritis commissum reuocare? Quomodo perditos resuscitare, & animas corporibus reddere?* Quis iam propter statuas deiectas ita doleat, vt homines occidat, cum statuæ facile erigi possent, imo erectæ sint, occisi autem homines nequeant reuocari ad vitam? Equidem indignum est, quod Antiocheni iudices doleant deiectionem imaginum, cuius deiectionis facinus celerrimam habuit correctionem, & quod non doleant occisionem hominũ, quæ occisio reparari non potest. Ecce tibi ostendit vir sanctissimus, quid doleas, & quid minime doleas. Imagines sunt, & vmbræ vniuersa bona temporalia, quarum deiectio, & facile reparari potest, & sæpius celerrime reparatur. Verum Dei imago, & similitudo animo tuo impressa, nimirum gratia, si per peccatum deiiciatur, quomodo poteris commissum reuocare? Quis
Bernard. scit, an iterum recepturus est amissam gratiam? D. Bernard. serm. de triplici misericordia fatur, *Difficilis prorsus res, & soli diuinæ virtuti possibilis, susceptum semel peccati iugum à ceruicibus excutere: quoniam qui fecit peccatum, seruus est peccati, nec est iterum liberari, nisi in manu forti.* Non de facili reparari potest damnum peccati, id cauendum maximè: cupis scire, quam difficile reparetur istud damnum? Accipe do-
Luc.23. minum sic dicentem Petro lapsuro Luc. 23. *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Expende illud, *aliquando*, quod non significat tempus certum, quasi velit Dominus ostendere incertitudinem conuersionis, & curationis, quæ co-
Ambros. mitatur peccata. Vnde D. Ambros. in Lucam lib. 10. ait, *Si Petrus aliquando conuertitur, qui ad primam Domini secutus est vocem, quis poterit dicere citò se esse conuersurum?* Quis certum conuersionis tempus sibi statuet, cum nec Petro tale datur.

Text. Et post hæc dicit discipulis suis: Eamus in Iudæam iterum. Dicunt ei discipuli: Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc. Respondit Iesus: Nónne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulauerit in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt. Si autem ambulauerit in nocte, offendit, quia lux non est in eo.

§. X.

Nil stabile in vita humana, aduersis rebus assuta veniunt secunda, & è contra.

NOn prætereo Lyrani mentem, quæ pluribus recentioribus placuit, putans Iesum suam in Iudæa ostendisse securitatem ex facili rerum humanarum mutatione. Etenim nunquam humana stant, continuo cientur motu, singulis horis omnia mutantur; nunc aduersitas, immediatè post venit prosperitas: nunc nubilum, iam serenum est; sic secunda nectuntur aduersis, & aduersa secundis. Dei omnia moderantis quadrigam videns Ezech. notauit sub Ezech.1.
altero iugo hominem & leonem esse: sub altero vitulum & Aquilam. Ferox dum rugit leo, de vicina hominis humanitate sub eodem iugo existente, temperatur. Seruitium tolerat durũ virulus, sed illi latero astat liberrima ales Aquila, nullibi vnum sine altero, seruituti assuitur libertas, feritati humanitas. Id quod notauit D. Iust. Mar. q. 44. aiens. *Ciuur animal est homo, ferum leo: graue vitulus, volatile, & leue aquila. Illis ergo regni ex fero in mansuetum translationem significat: his autem seruitutis in libertatem mutationem, iugum enim fert vitulus, aquila iugi expers est.* Non longe distant aduersa, & prospera; se se inuicem comitantur, in aliis aliorum æstima vicinitatem. Felix es? Expecta quasi accurrentem, & iam iam assidentem calamitatem. Calamitosus es? Vide iam tibi è vicino felicitatem, Iob 17. *Dies mei transie-* Iob 17.
runt, cogitationes meæ dissipatæ sunt torquentes cor meum. Noctem verterunt in diem, & rursus post tenebras spero lucem. Argutius in rem nostram, & significantius ex Septuag. in Cat. Græca ait, *Noctem in diem posui, lumen prope à facie tenebrarum.* Omnia prope sunt, & sibi inuicem vicinissima aduersa, & prospera, sub eodem iugo à diuina prouidentia immittuntur in orbem terrarum. Nulla nox non vicina diei, nullus hominis dies, cur nox non astet. Ionæ prædicationem referentes Septuag. quos sequuntur fere omnes patres
Græci, vt alibi notauimus, & explicauimus, aiunt, *Adhuc* Ioann.3.
tres dies sunt, & Niniue subuertetur. Tres dies ait, sunt, an & tres noctes? De noctibus tacet, quia ternarij memoria suggerere volebat mysterium Trinitatis, in qua sola non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Pulchre D. Ephrem de Pœnit. fatur. *Tribus diebus Ionas prædicauit, & per nullam noctem: quoniam in Trinitate non est mutationis obumbratio.* Vnus Deus mutationum vices non habet: res omnes mundiales noctem in diem ponunt, & lumen prope à facie tenebrarum; sub eodem axe excipiunt noctem, & diem; prospera, & aduersa, quæ nunquam in se ipsa desinũt transmutari. Zacharias 9. vt deiectis peccatorum pon- Zachar.9.
dere Iudæis iam iam appropinquantem salutem annuntiaret, ait, *Et saluabit eos Dominus Deus eorum in die illa, vt gregem populi sui: quia lapides sancti eleuabuntur super terram eius.* Expende rationem aduenientis salutis, quia nimirum lapides sancti eleuabuntur, nulla est infirmitudo in statu, & si lapis sis terræ firmiter infixus, tamen eleuationem expecta, non potest non vicina esse deiectioni eleuatio. Explicatius Septuag. dicunt, *Saluabit eos Dominus Deus suus, sicut oues populum suum: quia lapides sancti voluentur super terram eius.* Etiam lapidibus non conceditur eodem iacere latere, sed voluentur, & mutationem capient status sui, dum in terris agunt.

§. XI.

Nullum malum accidere potest, nisi ex Dei permissione.

VEnio ad clariorem explicationem, quam à Rupert. accipiunt Mal. & Tol. qui per horas diei tempus diuinæ protectionis accipiunt, sub qua nullum timendum est malum; per horas autem noctis, tempus intelligunt permissionis diuinæ, qua posita ingentes hominum ruinæ prosiliunt. Dum adhuc dies est, dum nondum accessit diuinæ permissionis hora, furiant licet aëreæ potestates, nullum tibi metuas damnum. Vide furentem Dæmonum tempesta-
tem. Iob. 1. *Ventus vehemens irruens, è regione deserti, &* Iob 1.
concussit quatuor angulos domus, &c. Ventus adeo ferox, adeo

rabidus in tota ciuitate vnam ſolum inuadit domum filiorum Iob, quia vna ſola ſub nocte permiſſionis erat, vt notat Olympiodorus. Sed in præſenti illud quæſtionem facit, cur qui Chaldæorum exercitus effinxit, vt paſtores Iobi inuaderet, non etiam ſimili cinctus exercitu acceſſit expugnaturus, & demoliturus filiorum domum? Quam quæſtionem Chryſoſt. & mouit, & ſoluit D. Chryſoſt. ad Olymp. fatus, *Quid fiet tandem, cur in liberorum interitu, non hoſtium manum comminiſcitur? Nempe vt irruptione ciuitas non perturbaretur. Nam in Iob tantum, non in cæteros poteſtas belli erat.* Non poſſet fieri, quod ciuitas non afficeretur metu, ſi hoſtiles turmas videret mœnibus ſuis approximare; fuiſſétque ruina Iobi, & filiis, & ciuibus horribilis, quare Dæmon acceſſurus ad domum ciuitatis ab exercitu abſtinuit, ne vltra Dei permiſſionem, vel metus mali poſſet affligere ciuitatem. Cum hæc mente gero, non poſſum non mirari illud, quod accidit Viro Dei 3. Reg. 13. Cui à Ieroboamo in ſuum populum reuertenti leo immittitur, rapit fera hominem, interficit, ſed nec cadauere paſcitur, nec contingere audet. nec iumento, cui inſidebat homo, vllam moleſtiam affert, & cum innatum ſit omnibus animalibus ad leonis viſum pauere, trepidare; aſinus, vt notat Eucherius, leoni iunctus intrepidus ſtat. Cur leo non incutit metum aſino? Cur qui viuum hominem aggreſſus eſt, non vorat occiſum? Gregor. D. Gregor. Papa lib. 4. Dialog. cap. 24. *Qui occidendi auſum habuit, ille occiſi cadauere comedendi licentiam non accepit.* Nullum malum, nullus timor audet proſilire, ſine Dei licentia, ſine diuina permiſſione, nec pilus læditur, qui intra ea non ſit deſignatus, & explicatus, quæ Deus lædi permittit. Notaſti aliquando vniuerſas creaturas in vnum Ionam furere, hunc cœlum nubium tenebroſa caligine, & fremitu, hunc aër ventorum rabie, hunc mare fluctuum flagellis, hunc marina bellua hiante ore inſequitur, & tandem ſub his diris glutitur. Quouſque tota hæc creaturarum rabies? Nonne vt perderent vnum hominem? Abſit: licuit creaturis furere, licuit belluæ hominem vorare, at vel capillum eius Alcim. comminuere minime licuit. Pulchrè cecinit D. Alcimus, lib. 4.

Deglutire virum, fauces implere capaces
Ardenti monſtro cum ſit permiſſa poteſtas.
Non licuit mordere tamen, nil dentibus actum.

Licebat creaturis omnia turbare, vt fugitiuus Dei voraretur à Ceto, vbi autem voratus eſt, nulli permiſſa eſt poteſtas, vt lædat virum, in quem nec impabulata belluæ viſcera aliquid poſſunt. Vnus Deus eſt, cuius nutu omnia eueniunt,
Iſai. 45. ſiue mala, ſiue bona, vt apud Iſaiam 45. *Ego Dominus faciens*
Amos 3. *lucem, & creans tenebras.* Et Amos cap. 3. *Si erit malum in ciuitate quod Dominus non fecerit?*

Text. Et poſt hæc dixit eis, Lazarus amicus noſter dormit, ſed vado vt è ſomno excitem eum. Dixerunt ergo diſcipuli eius: Domine ſi dormit, ſaluus erit. Dixerat autem Ieſus de morte eius, illi autem putauerunt, quia de dormitione ſomni diceret.

§. XII.

Quæ vera amicitia.

PRopriam ſecuritatem amantes diſcipulos eo trahere ſtudet Dominus, vt Lazari bono poſtponant ſuum. Sed qua id ratione conuincit? ea qua dicit: *Lazarus amicus noſter.* ſunt enim amici cauſa ſpernenda pericula, & propria commoda poſtponenda illius ſaluti. Multa in rem præſentem congerunt humaniores litteræ, quorum omnium me tædere facit vnum aut alterum ex diuinis. Primus Ionathas Saulis filius & regni princeps, hic amicum Dauidem fera
1. Reg. 23. regis perſecutione iactatum ſic alloquitur 1. Reg. 23. iuxta D. Ælredi lectionem, *Tu quidem eris Rex, ego autem ſecundus poſt te?* Quorum verborum ſalem eleganter exprimit ipſe
Ælred. Ælredus in ſpeculo charitatis lib. 3. cap. 19. dicens, *O virum ſummis laudibus efferendum! virum expertem inuidiæ, qui amicum regno prætulit, qui quod videbatur ſuum, eſſe voluit alienum. Ego ero, inquit, ſecundus poſt te. O ſummæ humilitatis pectus! Vir regij ſeminis, cui ex ſucceſſione ſperabatur hæreditas, cui ſpem auxerant culminis potiundi, genus, virtus, militum gratia, populi fauor, ipſius etiam mirabilis fama triumphi, quo vno tantum munitus comite armatos cuneos agminis hoſtilis inuaſit, ac ſuæ genti inſpiratam victoriam reportauit, infra ſeruum ſemet deyciens, Ego, inquit, ero ſecundus poſt te.* Pulchra hæc ſunt, ſed accipite alia, quibus ipſe pergit, haud iniucunda. *Tu, inquit, eris Rex, & ego* Idem.
ero ſecundus poſt te. Quis rogo hæc etiam de vterino ſuo fratre ſine immani ſaltem cogitaret inuidia? Quis amici cauſa tantam ſpem in deſperationem deduceret? Filij Iacob, paternæ gratiæ, qua vnus cæteris dulcius fouebatur, immoderatius inuidentes ſeruitutem fratri, patri ſummam inuexere triſtitiam. Sapientiſſimus Salomon fratrem æmulum regni, accepta qualibet occaſione, deleuit. Ionathas ſolus infra amicum, patrem, patriam, regnúmque deſpiciens, Tu, inquit, eris Rex, & ego ero ſecundus poſt te. Qui ſi dixiſſet, Ego ero Rex, tu autem eris ſecundus poſt me, nec legem amicitiæ, nec amici gratiam violaret. Hæc ille: nec enim apicem tantæ pōderationis volui vobis debere. Sed iam aliud amicitiæ exemplum proferamus. Id inuenies in Dauide: etenim vbi duo amici Ionathas & Dauid ſe ſe viderunt in agro 1.
Reg. 20. in amplexus mutuos ruentes, *fleuerūt pariter, ſed Dauid amplius.* 1. Reg. 20. Cur inter amici amplexus lacrymæ? Cur laxiores protendit habenas lachrymarum? Sanè vbi regnum ab amico in ſe transferendum audit; vbi ſe pro Ionatha regnaturum excipit, ſic ægre id fert, vt dolori & lachrymis nunquam parcendum iudicauerit. Ita D. Ælredus vbi ſu- Ælred.
pra. *Cur igitur Dauid amplius? prædixerat nimirum Ionathas ſuum quodammodo defectum, amici profectum; ſe regno priuandum, Dauid aſſumendum: idcirco lex amicitiæ exigebat, vt ille compaſſione amici fleret iniuriam.* Exerat mundialis vanitas ſuas amicorum penè innumeras bigas, quibus ego oppono vnum hoc amicorum par, duo amicitiæ lumina, qui de veri Dei charitate limpidiſſimos hauſerūt latices amicitiæ. Id eſt amicorū præcipuum, vt bona ſua amici poſtponant, & amicorum calamitatibus & miſerationem, & leuamen afferant. Quod docebat Iob amicos ſuos cap. 19. aiens. *Miſeremini mei, vos ſaltem amici mei.* Quocirca D. Ambroſ. 3. *Iob 19.* Ambroſ.
officiorum cap. 16. fatur. *Non quaſi abiecti iſta vox, ſed quaſi cenſoria. Nam cum iniuſtè argueretur ab amicis, reſpondit: Miſeremini mei amici mei: hoc eſt miſericordiam debetis præſtare. Opprimitis autem vos & impugnatis hominem, cuius ærumnis compati pro amicitia debeatis.* Lædit amicitiæ iura, qui læſum amicum totis viribus non nititur leuare, & nunc magis, cum læſio ſpiritualis eſt, in animáque fixa latet.

Amicus nos excitet à ſomno peccati.

CRediderim amicos nobis à Deo datos, vt per illos ab animæ morbis liberemur, à lethalíque peccati ſopore excitemur in vitam gratiæ. Dicebat Dominus amicis Iob 42. *Iob 42.*
Iob autem ſeruum meum orabit pro vobis: faciem eius ſuſcipiam, vt non vobis imputetur ſtultitia. Sed cur noluit Deus amicis parcere, niſi Iob interueniret? D. Ambr. vbi ſupra ait, *Igno-* Ambroſ.
ſcere his per amicum maluit Dominus, vt amicitiæ ſuffragium remiſſio fieret peccatorum. Proficit illis amicitia, quibus affuit inſolentia. Oſtendebatur, quo deberent fœdera amicitiæ ſpectare, nimirum, vt amicorum peccata de medio tollerent. Et quando non eſt bonus, qui non dormitet, qui non corripiatur peccati ſopore, felix erit, ſi habeat amicum, qui accedat, vt excitet eū à ſomno, vt amicitiæ ſuffragium fiat abolitio vitiorum. In quo ſupremum amicitiæ genus ponit merito Clem. Alex. lib. 2. ſtromatum inquiens. *Amicitiæ primum qui-* Cl. Alex.
dem genus eſt, idque optimum, ac præſtantiſſimum id, quod eſt ex virtute. Valida enim eſt, quæ eſt ex ratione dilectio. Quæ rationis legibus obſeruandis ſeruit dilectio, ea pro muro eſt hominibus à Deo conceſſa. Aiebat Nazianz. Nazianz.

Fidis amicis nihil puta præſtantius:
Qui profutura conſulunt, non quæ placent.

Quorum munus præclare exprimebat Angelus Eliæ cuſtos, & familiaris: ait enim 3. Reg. 19. *Proiecitque ſe Elias, & ob-* 3. Reg. 19.
dormiuit in vmbra iuniperi, & ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi, ſurge & comede. Reſpexit, & ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis, & vas aquæ: comedit ergo, & bibit, & rurſus obdormiuit. Reuerſúſque eſt Angelus Domini ſecundo, & tetigit eum dicens, ſurge, &c. Vidiſti ſomniculoſum Prophetam iterum, & iterum dormientem, ſed felix fuit, cui amicus fidus Angelus Domini aſtitit, toties excitans, quoties dormitaret. Vtinā tales amicos excitatores habeamus quando de fragilitatis humanæ more, in via Domini dormitemus. Sic Dominicus ait, *Amicus noſter dormit, vado vt è ſomno excitem eum.*

Amicitia, quæ ex Deo venit, nunquam creſcit, à principio perfectiſſima eſt.

AMicum diuturna conuerſatione probatum iam Dominus poſſet vocare amiciſſimum, ſed non habet augmen

augmentum amicitia Christiana, à primo enim exortu nascitur perfectissima. Ita scribebat D. Paulinus ad Pamachium epist. 35. *Nec volo amicitiam nostram tempore metiaris, non enim hæc vt sæcularis est, quæ spe sæpius quam fide paritur: sed spiritualis illa, quæ Deo authore generatur, & arcana spirituum germanitate coalescit. Quo fit, vt non diuturnitatis vsu crescat ad amorem, neque documenti expectatione pendeat, sed vt filia veritatis dignum est, statim firma, & magna nascatur, quia de pleno incipit orta per Christum.* Paulin.

§. XIII.

Felix qui nouit rebus secularibus obdormire.

PRæterea modo rem per somnium in præsenti significatam, nempe per mortem naturalem, vt de somno salubri, & noxio aliquantulum agam. Bene enim cum Dominus somnum amici sui excutere velit, discipuli è contra asserunt somnum esse salutarem. Est enim somnus qui omnino abigendus est, vt maxime noxius: nimirum, quando oculi obnubilantur crassis terrenarum rerum vaporibus ne cœlestia prospiciant: est item somnus salutaris maximè, vbi sæculo dormimus, & Deo vigilamus. Discipuli Iesu oculos grauatos habebant in Getsemani, altóque somno sepulti semel, & vix à Iesu excitantur, somno enim grauabantur. Tandem vbi tertio ad illos accessit, ait, *Dormite iam & requiescite.* Expende verba, dormite, & requiescite, quasi ex tunc somnus fuerit salutaris, & requietis causa. Sed quis somnus hic est? Somnus, qui dum mundialia depellit, sic ad Iesu bona nouit vigilare. Drogo lib. de Sacram. pass. ait. *Quid est Domine, quid tertio rediens copiam dormiendi præstas? Dormite iam, inquis, & requiescite. Numquid alium concedis somnum, vbi requiescitur, & alium prohibes, in quo oculi grauantur? Ita est. qui enim vigilat in te, suauiter dormit, & silet, & somno suo requiescit: qui autem dormit à te, sicut ebrius nocte, nesciens grauiter agitatur.* Est somnus, & somnus: somnus, inquam, maxime salutaris, nempe somnus, quo rebus secularibus nũtium remittimus, & quieti sumus in Christo: somnus est etiam nociuus, quo rerum mundarum fumo consopiti in mortem grauamur, & affligimur. Felix est, qui sic rebus sæcularibus obdormit, vt nullum illarum sensum percipiat, hic prorsus vigilabit in vitam. Hoc somno sopiebatur Christi amasia, de qua ipse Cant. 3. *Adiuro vos filiæ Hierusalem, per capreas, ceruósque camporum, ne suscitetis, nec euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Mirarer sponsæ somnum placuisse, nisi scirem somnum esse diuinis sponsis salutarem, quo nuntium remittunt mundo, quo intimius illustrantur, & aluntur in vitam. D. Ber. serm. 25. in Cant. de hoc somno sponsæ ait, *Ab illa alienus existit somnus, quo obdormitur in mortem, cum videlicet in peccato, quod est ad mortem, irreuocabiliter perseueratur. Magis autem istius modi vitalis somnus vigilque sopor sensum interiorem illuminat, & morte propulsata vitam tribuit sempiternam.* Hic est vitalis somnus qui facit homines viuos, mundo mortuos, quo quieti, & tranquilli, sic viuemus, vt videamur nullum magis vitæ sensum habere, quam habent mortui. De hoc somno necesse est suscitari in vitam. Psalm. 3. *Ego dormiui, & soporatus sum, & exsurrexi.* Non sic impij dormiunt, quos ipsa vera mors adhuc vigiles tenet, adhuc vigiliis premit, vt dicat Iob cap. 21. *Ipse ad sepulchra ducetur, & in congerie mortuorum vigilabit.* Vide sancti, iustique viri quietem, cui & vita, & mors somnus est, à quo suscitatur in vitam, impius autem etiam in sepulchro, in ipsa congerie mortuorum vigiliis premitur. Vnde D. Ambros. lib. 1. offic. cap. 16. inquit. *Pulchrè vigilare in sepulchro impios Iob dixit, quia soporem quietis habere non possunt, quem ille dormiuit, qui resurrexit.* Non sic soporantur impij vt quietem habeant, sed vt magis grauentur, quando, & in mortis sopore nociuas patiuntur vigilias, peccatorum strepitus, mundialium rerum imagines quasi per insomnia illos perturbant. Qui nouit obdormire sæculi rebus, ipse illum quietis soporem ebibit, quo excitantur in vitam.

Matth. 26. Drogo. Cant. 3. Bernard. Psalm. 3. Iob 21. Ambrosl.

Text. Tunc ergo Iesus dixit eis manifestè: Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, vt credatis, quia non eram ibi, sed eamus ad eum. Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiscipulos: Eamus & nos, vt moriamur cum eo.

§. XIV.

In ærumnis & laboribus, qui vtilitatem salutis afferant, gaudendum est.

DE amici morte gaudet Dominus, vt inde nobis chara sint ea mala quæ salutem afferunt, vt minime iam miremur Thomæ ausum, & fortitudinem, vbi ait, *Eamus & nos, vt moriamur cum illo.* Etenim videbat Dominum in amici morte gaudentem, quo audet appetere mala, à quibus videt parturiri gaudia, cuiusmodi sunt mala Christo Domino familiaria. Hinc Dominus vastissimo dolorum gurgite immersus Thren. 1. sic designat, qui sint dolores amputandi, quæ amanda mala. *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor similis sicut dolor meus.* Quippe cum vniuersæ carnis via plena sit spinis, plena doloribus, curet quisque discernere inter dolores & dolores, & videat, an dolores, quos patitur, sint sine salutis vtilitate, imò cum animi dispendio, an verò sint æternæ saluti vtiles, illos putet dolores inferni, hos amet, & amplexetur vt dolores Christianos, qui Iesu doloribus similes sunt. Sic prædicta verba expẽdit Drogo lib. de Sacram. pass. aiens. *Transite ad me in vos, & videte si similis dolor in vobis sit, sicut dolor meus. Et nolite flere super me, sed super vos ipsos flete. Nam ille, quem transitis, & non attenditis, magis est flendus quam dolor meus: propter scelus enim vestrum percussus sum.* Et quidem vix attenduntur dolores, qui cum vitiis nascuntur, & adolescunt, qui soli & flendi, & respuendi sunt; & dolores qui ordinantur ad peccata tollenda, & salutem generandam, hi Christiani sunt, amandi sunt. Non expuendi labores. Quis enim non sub labore gemit? quis non verbere agitatur ex his, qui in mundo sunt? Videndus igitur est labor noster & examinandus, an labor sit similis labori Christiano, & tunc dole, cum te agitari videris alienis ærumnis. Dicebat Dominus ad suos Lucæ 22. *Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum.* Ecce iustorum agitatio qualis sit, sicut triticum? & triticum & paleæ agitantur, ventilantur in area mundi, nullus est siue iustus, siue impius, qui sub malorum agitatione non sit. Iniustus doleat, quod agitatur sicut palea, vt post longam agitationem mittatur in ignem: iustus gaudeat, qui agitatur sicut triticum, vt post agitationem asseruetur in vitam. Rem attigit D. Ambros. lib. 2. de interpell. cap. 5. dicens. *Iniusti sicut paleæ ventilantur, iusti sicut triticum. Audi dicentem Petro Dominum. Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum, ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Deficiunt qui sicut paleæ ventilantur, non deficit, qui ad similitudinem illius grani est, quod cecidit plurimorum fructuum accessione cumulatum.* Optandum nobis est, quod sicut vitalis tritici granum, quod cadens in terram & emortuum multum fructum attulit, tundamur & nos, quod dolor noster sit similis Christi dolori, vt sic reseruemur in vitam, Psalm. 6. aiebat, *Domine, ne in furore tuo arguas me.* Vbi Asterius in cat. Græca fatur. *Quomodo beatitudinem non recusas, qui correctionem metuis, & disciplinam detrectas? Atqui non argutionem, inquit, detrecto, sed furorem metuo, quo soles arguere, nec correctionem fugio, sed eam, quæ cum ira fit.* Timebat ventilari, vt paleæ ventilantur, sed amabat ventilari, vt ventilatur triticum. Timebat experiri flagella in mortem, sed flagella in vitam amabat. Accedit D. Isidorus Pelus. lib. 1. epist. 249. fatus. *Iracundiæ poculum Deus peccantibus comminatur. Quæ quidem ab Hebræis epota eos quidem temulentos reddit: meliore autem vita non donauit.* At verò Christus exhausto vno in cruce poculo & amaritudinem sanauit, & voluptatem inuexit. Excipe tu labores, qui pariant felicitatem.

Thren. 1. Drogo. Luc. 22. Ambros. Psalm 6. Aster. Isid. Pelus.

§. XV.

Pericula à Iesu suscepta quàm auidè amplectenda sunt.

NOn dubitat Thomas in mortem ire secuturus Iesum, ait enim, Eamus & nos & moriamur cum illo. Habent equidem hoc pericula à Saluatore suscepta, vt auide appetantur à creaturis. Mortuo Iesu in cruce, terræ motus magnus factus est; cœlum tenebris suffunditur, terra tremit, lapides sese quatiunt; & quid tam inusitatis moribus putas intendi à natura? Crediderim vniuersas creaturas festinare, vt simul commorerentur cum Christo. Ita Sedulius lib. 5. Pasc. cap. 16. inquit. *Dubio pependit natura sub termino, ne summus apex, ad inferna descendens, omnem protinus molem secum iugiter inclinaret in mortem, atque proprium comitatus authorem,* Sedul.

thorem praeceps in chaos mundus effueret. Vbi Christum in mortem ire vident, vniuersæ res sese in mortem præcipitant; nulla est tam insensibilis creatura, quæ non festinet mori, postquam videt creatorem suum morti succubuisse. Quis mortem non despiciat, quam videt in Christo calca-

Cyprian. tam? D. Cyprianus de laude Martyrij fatur. *Porrò autem contemnenda tibi mors est, vbi Christus occisus est.* De Iesu sanguine habet mors, habent vniuersi cruciatus, quo ab hominibus expetantur. Nec enim ærumnarum mortísque tolerantia efficacius persuadetur, quam si Iesu effusus sanguis

Apoc. 6. ostendatur. Apocal. 6. ait Ioan. *Vidi, & ecce equus albus, & qui sedebat super illum, habebat arcum,* &c. Non sic apparuit

Zachar. 1. Dominus apud Zachariam, imò albedine quasi deposita, aut tincta sanguine ostenditur cap. 1. *Ecce vir ascendens super equum rufum, & ipse stabat inter myrteta, quæ erant in profundo: & post eum equi rufi,* &c. Cur qui albedine gaudet, albísque stolis donat domesticos suos, modo totus rubeus & sanguineus, sanguinolentísque fucis stipatus apparet? Veniebat modo captiuum populum apud Babylonios consolaturus, captiuitatis autem immensus labor & dolor nulla ex parte possit leuari, imò & appeti quàm vel adorato Saluatoris

Hieron. effuso sanguine. D. Hieron. id innuebat aiens, *Qui nunc captiuo populo rufus ostenditur, in Apocalypsi in candidis vestibus, & in candido equo sedere describitur.* Quæ captiuitas, quis dolor, quæ mors non auidè sustinetur, vbi Iesus ob oculos ponitur sanguine madidus? vbi Iesu commilitones videntur tincti sanguine? Iesus equum rufum ascendit: post Iesum equi rufi plurimi, & primi apparent, non sessores adhuc videntur, sed equi tantum demonstrantur. Mira res; cur Domine vbi ascendis equum rufum, statim te equi similiter sequuntur sine sessoribus? Post Iesum ascendentem super equum rufum, necessum iam erat similes equos apparari, non enim poterant deficere innumeri, qui velint similiter equitare. Imo prius deficerent equi rufi, nimirum prius deficerent equulei sanguinei, gladij, terrores, quam deficere possent innumeri, qui ad equuleos, ad sanguinis effusionem aduolarent. Hinc quasi vrgebat Christianos ad Martyrium

Cyprian. D. Cyprianus fatus. *Si iustus es, & Deo credis, quid pro eo sanguinem fundere metuis, quem pro te toties passum esse cognoscis. In Isaia sectus, in Abel occisus, in Isaac immolatus, in Ioseph venundatus, in homine crucifixus.* Is est Iesu labor, is est Iesu effusus sanguis, vt non possit non persuadere similia peri-

Isai. 63. cula, si videatur Isaias 63. *Quis est iste, qui venit de Edom? Tinctis vestibus de Bozra! Iste formosus in stola sua gradiens, in multitudine fortitudinis suæ.* Quæ fortitudinis multitudo est hæc in adeo formoso viro? Siue quæ formositas hæc in sanguinolento vestimento? Habet sanguinolenta Iesu facies eum decorem, qui violentiam seminet in omnibus, quibus apparet. Id quod clarius Septuag. fantur. *Sic decorus in stola sua, qui violentia incedit cum fortitudine.* Quid speres à viso Iesu sanguine, nisi violentiam, quam patiaris, vt similem

Theodor. trophæum rapias? Annuit Theodoretus relatus hic à Leone de Castro, qui exprimens passi Iesu decorem, ait, *Et violentam habet pulchritudinem, qua vniuersos cogit intuentes.* Nescit videri Christi sanguis, quin statim ad suas pluat

Apoc. 19. violentiam, scutum, bellum, & arcum. Apocal 19. *Et vestitus erat veste aspersa sanguine: & vocatum est nomen eius verbum Dei. Exercitus, qui sunt in cœlo, sequebantur eum.* Iam non chori, sed exercitus, quia visa sanguinea veste, nemo est, qui non ambiat bellica certamina. De hoc supra lib. 6. c. 3. §. 44.

Text. Venit itaque Iesus, & inuenit eum, quatuor dies iam in monumento habentem. Erat autem Bethania iuxta Hierosolymam, quasi stadiis quindecim. Multi autem ex Iudæis venerunt ad Martham, & Mariam, vt consolarentur eas de fratre suo.

§. XVI.

Vt religiosus est luctus pro mortuis.

MInime à religiosa disciplina alienus est pro mortuis pius luctus, imo is non parum pietatem commendat,

Eccles. 38. & religionem auget, Ecclesiast. 38. *Fili produc lacrymas in mortuo, & quasi dira passus incipe plorare, & non despicias sepul-*

Paulin. *turam illius.* Ex quo D. Paulin. epist. 35. Pamachium laudat, qui honesto luctu vxorem defunctam parentauit. *Quam, inquit, non vacuam fletibus, nec vano pomparum inanium honore comitatus, sed remedijs salutaribus, & viuis operibus, (hoc est eleemosynis) prosecutus es, debito ordine primum charo funeri iusta persoluens pijs lacrymis, & largo charitatis rore perfusus religiosas exequias honorasti. Itaque illius pietatis opus in te laudabo. Nam id quoque Deo placitum monstrat scriptura, cum dicit: Fili produc lacrymas,* &c. Hoc piis hominibus innatum fuit, charorum mortes lamentis honestare, & largo lacrymarum rore funestam incantare mœstitudinem. Id etiam con-

fulebat Ecclesiastici 22. *supra mortuum plora, defecit enim lux* Eccles. 22.

eius. Vnde D. Bernard. serm. 26. in Cant. sic fratrem defun- Bernard.

ctum lamentabatur. *Plango primum super mea ipsius plaga, atque huius iactura domus. Plango deinde super pauperum necessitatibus, quorum Gerardus pater erat. Plango certe & super vniuerso statu nostri ordinis, nostræ professionis, qui de tuo Gerarde zelo, consilio & exemplo non mediocre robur capiebat. Plango postremo, & si non super te, propter te tamen.* Quis dilectissimi pignoris absentiam non doleat? Quis auulsionem charorum contubernio siccis oculis ferat? Pulchrè D. Basil. Sel. Basil. Sel.

orat. 2. de Lazari suscitatione fatur. *Interdictum ne est hominis mortuorum causa lacrymas fundere? Istud ego non dico, non enim, ne lugeas, inhibeo. Non exui hominis sensum, non sum immanis, aut crudelis quispiam, noui naturam dolore pressam, solamen, familiarumque consuetudinem inquirere solere. Fas est vtique dolore tangi; nam sui hoc Christus exemplo ostendit. Fleuit is enim super Lazarum.* Sed quando Iesu lacrymas pro ami-

co mortuo memini, præstat addere D. Paulini verba epist. Paulin.

ad Pamachium id elegantius notantia. Etenim ait, *Bonæ lacrymæ charitatis, in quibus pater Abraham mortem repromissionis eluxit. Bonæ lacrymæ pietatis, quas Ioseph iustus impendit patri. Sed quid sanctorum mortalium prodimus fletus? Fleuit & Iesus amicum: hanc etiam passionem de nostra infelicitate dignatus, vt mortuo infunderet lacrymas.* Debemus hoc naturæ nostræ, debemus hoc infelicitati, in qua nascimur, debemus & sanctissimorum exemplis virorum, vt fratrum funera honestemus lacrymis: vt dira passis fletu nostro aliquale de-

mus leuamen. Ecclesiast. monet capit. 7. *Mortuo non prohibeas* Eccles. 7.

gratiam. Non desis plorantibus in consolatione, & cum lugentibus ambula. Honos est aliqualis defunctorum lugubris pompa, sed & luctus præsentissimum est ad virtutem cal-

car. Vnde Ecclesiastes cap. 7. *Cor sapientum in domo luctus.* Eccles. 7.

Equidem luctus, funebrisque apparatus sapientes facit.

Ibi Olympiodorus: *Vir sapiens & funebri lucta secum animo* Olymp.

deputans sese natum de corruptibili carne breui ex hac vita migraturum, mortales cæteros, qui eadem sunt nati conditione, affectu pio prosequitur. Contemnit autem quæcumque ob oculos obuersantur, vt casui mortique subiecta. Hæc pariunt bona funebris lacrymæ, concursúsque in domum luctuosam, qualis fit in morte Dynastarum.

§. XVII.

In aliorum interitu nostra agnoscenda mors.

COncurrunt Hierosolymitani proceres in Castellum Bethaniæ, vt Martham & Mariam de illarum fratris morte consolentur; solemnissimum enim est mundialibus hominibus semper mortem alienam, nunquam suam esse cogitare. Dolebát Iudæi mortem fratris Mariæ; nullus erat, qui in mortuo Lazaro communem mortem videret, propriámque suam ibi latitantem & appropinquantem notaret. Cum Iosaphat rex Iuda, & Achab rex Israel cum ingenti exercitu irent aduersus Moab, factum est vt tam ipsi quam vniuersus exercitus siti & aquarum penuria premerentur maximè. Tunc Elisæus afflictis regibus promittit in crastinum & aquarum abundantiam, & Moabitarum vastationem. Venit manè: & ecce sibi imprimis inundans torrens aquarum Israëliticus exercitus pertransit, nec sistit ibi, sed pergens vsque in Moab colorem sanguineum induens Moabitis vicinam mortem & occisionem propinauit. Quid

plura? 4. Reg. 3. dicitur: *Primo mane surgentes, & orto iam sole* 4. Reg. 3.

ex aduerso aquarum, viderunt Moabitæ è contra aquas rubras, quasi sanguinem, dixeruntque, Sanguis gladij est: pugnauerunt reges contra se, & cæsi sunt mutuo: nunc perge ad prædam Moab. Perrexeruntque in castra Israël: porro consurgens Israel percussit Moab. Expende illud: *Sanguis gladij est, reges pugnauerunt contra se, & cæsi sunt,* &c. Nouerunt Moabitæ occisionis signum, nouerunt mortem præcurrentem largo flumine, sed putauerunt mortem & occisionem esse Israelitarum, non suam, indéque misere decepti currentes ad spolia, in gladios inciderunt. Ah quoties currentem mortem per plateas, per compita videmus! Quoties feretra funeralia nobis ob oculos obuersantur, sed putamus vicinorum mortem,

minimè

minimè nostram, & sic repente inuadimur. Vides domi feretrum, vides cadauer parentum, fratrum mortem sentis, non tuam, & dum itur ad spolia, ad hæreditatem misere & improuise à morte raperis. Frequentissimum sanè est hominibus videre mortem, & putare illam alienam, nunquam
Daniel.4. cognoscere suam. Nabuchodonosor, Dan. 4. & florentem suum statum, & contritionem eius per somnium vidit. Florebat arbor procera & sublimis de cœlestium luminum amicitia superba, de fructuum copia ditissima, de frequentia populorum celeberrima. Interea, *ecce vigil & sanctus de cælo descendit; clamauit fortiter & sic ait: Succidite arborem, & præcidite ramos eius.* Quid euidentius? Audit præcisionem, audit ruinam, audit mortem, non tamen putat suam, nec
Richard. percipit qualiter ad se poterat pertinere præcisio. Richar. Victor lib. 2. de erud. interioris hominis parte 1. capit. 3. ait, *Nonne Nabuchodonosori hoc idem contigit, qui diuinam sententiam de arboris abscissione ex Dei reuelatione cognouit: verum tamen ostensæ arboris similitudinem ad se ipsum trahere ignorauit?* Nemo est qui secum loquentem mortem audiat; nemo est qui mortem aliis non attribuat, & ignoret suam. Pulchre
Seneca. Seneca in epist. 102. ait, *Nauigationes longas, & peregrinationes alieni seros in patriam reditus proponimus, cum interim ad latus mors est: quæ quoniam non cogitatur nisi aliena, nobis subinde ingeruntur mortalitatis exemplo non diutius quam dum miramur hæsura.* Hinc piissimus ille Abraham vt hoc caueret periculum, tota animi contentione curauit exhibito
Genes. 23. pretio emere sibi sepulchrum. Etenim ait Genes. 23. *Intercedite pro me apud Ephron, filium Seor: vt det mihi speluncam duplicem, quam habet in extrema parte agri sui: pecunia digna tradat eam mihi coram vobis in possessionem sepulchri.* Cur tam anxie curauit emere sepulchrum, quando nullam aliam terram emisset? Equidem pius vir quod ad mortem pertinebat, nolebat illud, vt alienum respicere, sed vt proprium
Ambros. suum. Annuit D. Ambros. lib. 1. de Abraham capit. 9. *Festinauit pro loco sepulturæ pretium soluere, cum gratis daretur, vt non in alieno loco, sed nostris potius ædificemus tumulos.* Sit sepulchrum nostrarum possessionum fructus, vt mors inde existens videatur loqui nobiscum, & quotidie vocare nos ipsos. Vnde soli Iesu vt fuit mors aliena, sic aliena debuit esse sepultura.

Text. Martha ergo vt audiuit quia Iesus venit, occurrit illi. Maria autem domi sedebat. Dixit ergo Martha ad Iesum, Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.

§. XVIII.

Peccatoris vitam citius dilatat Deus quam iusti vitam.

ET fides, & sapientia in Martha parua visitur; fides, quia absentiam putat impedimento fuisse, quo minus frater a Iesu sanaretur; sapientia, quia nimis securè appetit amici mortem Deo intolerandam fuisse. Et fidelius & sapientius putaret Dei amicum vrgente Deo in mortem præcurrisse. Rapiuntur enim in breui Deo dilecti, & crebriùs peccatores à periculo mortis eripiuntur. Dauid secundum cor diuinum effectus homo, cum parricidam filium interfectum
2. Reg. 18. audiuit 2. Reg. 18. sic clamat, *Absalon fili mi, fili mi Absalon, quis mihi det, vt moriar pro te.* Quasi bonus pater vellet ipse mortem subire, vt filius nequam adhuc superuiueret. Dilectissimum sibi Ionatham longè aliter flebat, nũquam enim petiuit pro illo mori. Cur ergo vt Absalon viuat, cupit ipse mori. & non vt Ionathas viuat, & si huius mortem vehementissimè dolebat? Sanè iusto viro molesta esset reuersio ad calamitosam vitam, non sic filio parricidæ, qui cum vita spem poterat pœnitentiæ concipere. Ita eleganter D.
Ælred. Ælredus in speculo charit. lib. 1. cap. 30. vbi inquit, *Dicebat quidem hoc de filio parricida sanctus Dauid; quis mihi det vt ego moriar pro te? Numquid hoc dixit de Ionatha amico suo? De parricida dici debuit, quia more peccatorum pessima. Pium erat velle mori pro impio, vt esset quem pœniteret, esset cui misereretur Deus ne in æternum periret. At ille translatus ad requiem, non erat vlterius in hanc miseriam reuocandus.* Imò gratificandum maximè Deo est, qui amicos suos florente adhuc ætate ad se rapit, vt securos teneat; & qui tam auarus est in demetendis iustis, largissimus est sæpius in proroganda vita tyrannorum, longissima illis concedens tempora, si fortè resipiscant. Memento Abelum & Cainum, ille iustus erat, hic peccator: ille Deo amicus, hic hostis; ille florenti æuo vitæ eripitur, ad Deum rapitur: huic autem largissima promittitur vita. Genes. 4. *Posuitque Dominus in Cain signum, vt non interficeret eum, omnis, qui inuenisset eum.* Genes. 4. Demetitur florens Abel, Caino datur longæua vita, illi signum ponitur, sub quo longa temporis spacia impleat. Pulchre D. Basil. Seleu. orat. 4. *Celerem Abelo mortem Cain adduxit, sicut mortem appetijt.* Basil. Sel. Sed adhuc explicatiua D. Ambros. lib. 2. Ambros. de Abel & Cain cap. 10. ait, *Ecce iustus innocens, prius propter gratiam deuotionis odia fratris incurrens, immaturus adhuc æui sublatus est parricidio: & iniquus, sceleratus, impius etiam fraterna cæde pollutus longæuam duxit ætatem, duxit vxorem, posteritatem reliquit, vrbes condidit, & hoc meruit permissione diuina.* Facilior est Dominus & liberalior ad dandam longæuitatem peccatoribus, quam iustis: quando iusti immature abripiuntur, vt Deo fruantur, peccatori longæuitas datur, vt viam emendationis capiat. Psalm. 117 aiebat pec- Psal. 117. cator, *Non moriar, sed viuam: & narrabo opera Domini. Castigans castigauit me Dominus, & morti non tradidit me.* Longè missa morte, reseruor in vita, vt emendationi dem locum. Ita Cypr. lib. 3. ad Quirinum ait, *Fidelem emendari & re-* Cyprian. *seruari in Psalm. 117. Emendans emendauit me Dominus, & morti non tradidit me.* Sed age vide Deum in danda vita iustis parcissimum. Sap. 4. *Placita erat Deo anima illius: propter hoc pro-* Sapient. 4. *perauit educere illum de medio iniquitatum.* Expende illud, properauit, & verte animum ad id, quod fit cum peccatoribus apud Malach. cap. 3. *Et sedebit conflans & emundans argen-* Malach. 3. *tum, & purgabit filios Leui.* Ibi properat, hic sedet; properat vt iustos ad se abducat, sedet moras trahens longas, vt prolongata vita peccatores mundentur, & purgationem accipiant.

Text. Dixit illi Iesus: Resurget frater tuus, dicit ei Martha, scio quia resurget in resurrectione in nouissimo die.

§. XIX.

Maximum in morte solatium est memoria resurrectionis.

BEne Dominus dilectis suis hoc primum & omnis solatij fundamentum prætendit, nimirum à mortuis resurrectionem. Huius vel odore pessimus ille vates Balaam, Num. cap. 23. *Moriatur anima mea morte iustorum.* Quæ ver- Num. 23. ba expendens D. Ambros. lib. de fide Resur. ait, *Qui vide-* Ambros. *rat ortum Christi, vidit eius triumphalem mortem, vidit in eo perennem omnium resurrectionem: & ideo mori non timet resurrecturus.* Mortis horror, & metus omnis tollitur, vbi resurrectio claret; quis non contemnat malum, à quo & ditior & gloriosior est egressurus? D. Paul. ad Corinth. 2. cap. 5. 2. Cor. 5. ait, *Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, æternam in cælis.* Morale est omnibus hominibus veteris domus dissolutionem gaudenter spectare, cum nouam & illustriorem sibi inde reputent acquirendam. Habet animus noster corpus pro domo sua, qui vbi sperat illustrioris habitationis reædificationem, gaudet in depositione & ruina veteris tabernaculi huius. D. Macha- Machar. rius Hom. 5. *Idcirco enim qui re vera & strenuè Christiani sunt, confidunt & gaudent migrantes è corpore, quia domum habent illam non manufactam: quæ quidem domus est virtus Spiritus sancti in illis habitans. Itaque si fuerit dissoluta domus corporea, non metuunt, quia cælestem habent domum Spiritus sancti, & gloriam illam incorruptibilem, quæ in die resurrectionis reficiet, & glorificabit domum corporis.* Non metuit dissolutionem domus, qui reædificationem augustiorem, & gloriosiorem videt. Vnde D. Paul. ad Thessalonicens. cap. 4. vt omnem Thessal. 4. mortis tristitiam eliminet, *Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus, vt non contristemini, sicut & cæteri qui spem non habent. Si enim credimus, quod Iesus mortuus est, & resurrexit: ita & Deus eos, qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo.* Vbi post triduum resurrexisse Dominũ credimus, & resurrectionem eius confitemur, cur tristabimur in morte? Cur à morte timemus? Cur potius salutem non amamus? Da- uid 1. Reg. cap. 20, Saulis insidiis exagitatus, totus paui- 1. Reg. 20. dus, in tantum mortem timebat, vt diceret coram Ionatha, *Viuit Dominus, & viuit anima tua, quia vno tantum (vt ita dicam) gradu ego & mors diuidimur.* Quem Ionathas totis viribus conatur consolari, & securum efficere; & semel & iterum iubet metum mortis deponere, & sperare salutem. Cui Dauid: *Dimitte ergo me, vt abscondar in agro vsque ad vesperam diei tertiæ.* Ecce tibi sub quo signo, sub qua conditione

ditione à metu mortis velit Dauid liberari,nimirum, quod per triduum abscondi liceat. Sed quid videbat in illa triduana absconsione, qua metum mortis à se volebat omnino eliminare? Fallor, nisi hic aliquid odorabatur de Saluatore nostro, qui post triduum resurgens, spem resurrectionis omnibus cōcedens, nullum sinebat tremere mortis sub falce. Huc accedit D. Athanas. Hom. de semente fatus, *Dauid cum videret se insidijs appeti, per triduum se in latebras abdidit. Quid ni! qui etiam vim tridui, eiusque mysterium nouerat.* Efficax omnino est quælibet resurrectionis lux, vt mortem & latibula, & mundiales contemptus, & persecutiones, & ærumnas animose & alacriter subeamus. Athanas.

Text. Dicit ei Iesus: Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet: & omnis qui viuit & credit in me, non morietur in æternum.

§. XX.

Ab vno Iesu resurrectio, & vita.

Sciebat Martha resurrectionem mortuorum, sed fraternæ resurrectionis dilationem verebatur, quem metum expellens Dominus, simul & docens non ab alio pendere resurrectionem, quam à se, ait, *Ego sum resurrectio, & vita, &c.* Quasi diceret, non potest resurrectio Lazari tardare, quando ego adsum qui resurrectio, & vita sum, quis cohibere potest calorem, ne calefaciat, dum adest? quis vitam detinere, ne viuificet? Quis resurrectionem, ne resurgere faciat? Proculdubio resurget, qui Christo approximauerit, in vitam immortalem. Num. 16. Sæuiente flamma, populus vorabatur, tunc cucurrit Aaron, *& stans inter mortuos, ac viuentes pro populo deprecatus est, & flamma cessauit.* Id effecit Aaron Deum precatus, quia non ipse resurrectio, & vita erat, & ideo oratione eguit, verum Iesus resurrectio & vita stans omnia ipse per se viuificabit. Pulchrè D. Ambros. lib. 1. epist. 5. *Aaron quidem semel stetit in medio, ne mors transiret ad viuentium agmina. Hic autem Iesus stat quasi qui in hunc mundum venerit, vt aculeum mortis hebetaret, deuoratorium eius obstrueret, viuentibus æternitatem gratiæ daret, defunctis resurrectionem concederet.* Non præualet mors vbi Iesus est, quascumque mors habuit machinas, vt homines perderet, amittunt efficaciam suam & penitus hebetantur, dum ad præsentiam Iesu deueniunt. Sonet vox Iesu & sepulchra mortuorum vitam halabunt. Ioan. 5. dicebat Iesus de patre suo Deo: *Sic dedit & filio habere vitam in semetipso: & potestatem dedit ei etiam iudicium facere, quia filius hominis est. Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem eius.* Quid quod mortui audiant vocem filij hominis? Quid magnum dicitur de filio hominis per id, quod vox eius audiatur à mortuis? Equidem magna mortuorum felicitas est, quod vocem filij hominis excipiāt, cuius somno percussa halabunt vitam ipsa sepulchra, & ossa arida reuiuiscent. Huc referendum illud ab Ezechiele exaratum cap. 37. *Dimisit me in medio campi, qui erat plenus ossibus. Et circumduxit me per ea in gyro: erant autem multa valde super faciem campi, siccáque vehementer. Et dixit ad me: Fili hominis, putas ne viuent ossa ista?* Quæstionem fecit D. Hieron. quod Ezechiel supra omnes Prophetas frequentius filius hominis diceretur. Sed ego amplius dubito, cur cum inter aridorum ossium cumulos constituitur, & ibi maximè vocabulo filij hominis nobilitatur? Vocanda erant in vitam ossa illa, quæ etsi aridissima erant, in vitam vocata ab eo, qui filius hominis dicebatur, non poterant non sentire tanti agnominis efficaciam. Ita D. Iustin. Mart. q. 45. *Quoniam ab Ezechiele per visum scribenda erat mortuorum resurrectio, quæ futura est re ipsa, vt filij hominis, ex illo quod scriptum est, Veniet hora, quando omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filij hominis: sic Ezechiel filij hominis nomē accipit, & visione mortuos vi nominis excitat.* Vel si Iesu nomen tenet, sufficit, vt vitam frigidis cineribus instillet.

Num. 16.
Ambros.
Ioann. 5.
Ezech. 37.
Iustin.

Text Credis hoc? Ait illi: Vtique Domine, ego credidi, quia tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti. Et cùm hæc dixisset, abiit, & vocauit Mariam sororem suam silentio, dicens, Magister adest, & vocat te.

§. XXI.

Pro fratrum salute à diuinæ contemplationis gaudijs supersedendum.

Miraberis quod Martha Christi præsentiam nacta, ad sororem vocandam recesserit. Quid mirum? Nonne hoc ipsa cōtemplabatur in verbo Dei, dum ait: Tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mūdum venisti? Filius enim Dei, qui erat in sinu patris, vt fratres sibi cohæredes acquirat, venit in mundum. Quod Martha cōfessa, vbi ipsa Christi præsentia potitur, non manet, sed statim sororis memor inde abscedit, vt illam tanti gaudij faciat participem. Id notabat D. Cyrill. cap. 19. fatus, *Aliquanta consolatione accepta doluit ipsius medici, & optimi consolatoris præsentiam, sororem suam latere: sed eam huius boni participem effícere studuit.* Sic fratrum amor facit perfectissimos quosque anathema fieri à Christo. Deo dilecta sponsa felix in dilecti sui sinu cubabat, & felicior ibi obdormiebat illo somno, cuius custos ipse sponsus factus sic clamat Cant. 2. *Adiuro vos filiæ Hierusalem, ne suscitetis dilectam, donec ipsa velit.* Et fieri potest vt ipsa aliquando à dilecti sui sinu suscitari vellet. Vellet quidem, quia eo ipso quod quiescat in sinu dilecti, non poterit non excitari, & pungi fraternæ salutis memor. Eleganter id expendit D. Ælredus serm. 18. In Isaiam dicens, *Rogo quando ipsa volet? Quando his carere amplexibus, ab his auelli vberibus, insuper sinu, vel pectore volet separari? Certe quando charitas ipsa, qua eam hoc cœlesti somno sopiuit, excitare voluerit, stans ad ostium & pulsans: Aperi mihi soror sponsa. Audiens illa caput amici plenum rore, euigilat, surgit, relictis delicijs, ad capillos illius, id est, qui fide illi adhærent, erudiendos, charitate suggerente pertransit.* Hinc censeri debent Christi amatores, quod prosiliant in fratrum salutem comparandam; quod sciant fieri Christi anathema pro fratribus suis. Quem spiritum hausit simul cum aqua viua felix illa Samaritana, quæ vt Iesum nouit, nil morata Iesum reliquit, vt illum fratribus annuntiaret. Ioan. 4. *Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abijt in ciuitatem, & dicit illis hominibus, Venite, & videte, &c.* De qua D. Chrysost. homil. 33. in Ioan. *Credidit continuo mulier, longe Nicodemo sapientior, & fortior. Illa huiusmodi pluribus auditis, neminem aduocauit, neque sibi confidit: hæc Apostolico officio functa est, omnibus audita annuntians, & populum extra ciuitatem ad Christum aduocans.* Nacta Iesu præsentiam nihil sibi primum faciendum putauit, quam fratres suos, conciues suos vocare, vt Iesu conspectu fruantur.

Cyrill. Alex.
Cant. 2.
Ælred.
Ioann. 4.
Chrysost.

§. XXII.

Maria virgo quasi obligat Deum, ne ab hominis salute supersedeat.

In mortuo Lazaro, & fœtente luxuriosi hominis miserum statum cōsiderant. Ad quem antequam veniat Dominus, non sine mysterio quæritur, & vocatur Maria, quasi sola Deiparæ virginitatis vmbra potēs sit Deum trahere ad humanam efficiendam salutem. Accipite aureum Chrysol. os in rem præsentem aiens, ser. 64. *Martha mittitur ad Mariam, quia sine Maria nec fugari mors poterat, nec vita poterat reparari. Veniat Maria, veniat materni nominis baiula, vt veniat homo Christum virginalis vteri habitasse secretum: quatenus prodeant ab inferis mortui, mortui exeant de sepulchris.* Sic secretum virginalis vteri Deum adduxit, vt de hominis reparatione cogitaret. Vbi de Mariæ virginitate Deus hausit, qua tenetur peccatores non repudiare. Ne pro libito dimitteretur vxor ab Hebræis, cauet lex, vt parentes signa virginitatis apud se retinerent: quando autem vir iratus à se fœminam dimiserit, tunc ait Deuter. 22. *Tollent eam pater & mater eius, & deferent secum signa virginitatis eius ad seniores.* Quo nullo modo poterit talis fœmina repudiū pati. Itaque peccatrix anima, quando audit à Deo nomen pessimum, quādo timet à verbo aspero, curet Marianæ virginitatis signa in se habere, illáque Deo obiicere, nec amplius timeat repelli, quādo Virginis Mariæ haustus sanguis Deū peccatoribus propitium reddit. Do Rupert. lib. in Deuter. c. 19. sic dicentem. *Prius quam incarnaretur Christus Dominus, amorem Ecclesiæ gentium professus fuerat Dominus in omnibus Prophetis. Sed inquam mutato consilio obijciebat illi nomen pessimum. Non inueni eam Virginem, sed multorum Deorum, tanquam multorum virorum millibus prostitutam. Verum id frustra fuit. Nā in ipsa incarnatione filij Dei sacrosancta vestigia virginitatis præclara reposita sunt.*

Chrysol.
Deut. 22.
Rupert.

Frustra

Frustra equidem rigor repellere nititur peccatrices animas, vbi virginea Deipara mediauit, de cuius sanguine habet Dominus ad peccatores inclinari. De cuius Virginis patrocinio habent quicumque sub eius signis militant. Dei misericordiam sperare. Quo alludens Celleus. Abb. lib. 6 ep. 32. fatur, *Sublunarem regionem arentem mediante nube virginea, vnus de sanguine, & doctrina irrigauit Dominus. Collectanea eius misericordia mitiores leges impetrauit.* Expendo illud, *Collectanea eius misericordia*, quasi à lacte virgineo, quod Iesus hausit, & misericordia eius adoleuisset, vt mitiorem Deum in peccatores faceret. Cant. 2. *Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque ceruorum.* Cur non solum hinnuli, sed & capreæ similitudinem exprimit? Sanè quia vel in iudicio vult, non obliuisci, quam in matris vberibus habuit misericordiam.

Celleus.

Bernard. D. Bernard. serm. 73. in Cant ait, *Vult itaque, etsi in iudicium venire, non tamen ibi in forma Dei apparere, sed in ea, qua nobis natus est, idque de solo fœmineo sexu. Cur hoc? Nempe vt ex vtroque admencatae infirmo misceftere in die iræ.* Caro enim illa de muliere, hoc est de Maria facta, etiam in die iræ misericordiam consulet.

Saluian. Habebat Saluianus parentes suos valde iratos in filios, sed vt patres emolliat, inducit natu maiorem filiam sic ad eos loquentem in epistola. *Aduoluor vestris, ô charissimi parentes, pedibus, illa ego vestra palladia. En ego illa sum, per quam vobis illa primum, & parentum nomina, & auorum gaudia contigerunt, & quod vtroque præstat, vtrumque feliciter cum fructu adipiscendi, & beatitudine perfruendi.* Multo efficacior Maria pro omnibus, & pro singulis stat apud Deum iratum. Quid negabit Deus Mariæ, diuinis pedibus aduolutæ pro peccatore? Hæc illa est, per quam prima Patrix Dei nomina claruerunt, dum peperit dilectissimum filium denso cinctum fratrum examine. Illa est, per quam pater omnium Deus repleuit domum suam filiis, qui beatitudinis æternitate fruantur. Qualiter ergo timeamus repulsam, vbi pro nobis tantam virginem exhibeamus? Rectè

Arnol. Carnot. Arnol. Carnot. in tract. de laudib. Mariæ, ait, *Illa ostendit Christo pectus, & vbera, nec potest vllo modo esse repulsa.*

Text. Illa, vt audiuit, surgit citò, & venit ad eum, nondum enim venerat Iesus in castellum: sed erat adhuc in illo loco, vbi occurrerat ei Martha. Iudæi ergo, qui erant cum ea in domo, & consolabantur eam, cum vidissent Mariam, quia citò surrexit, & exiit, secuti sunt eam, dicentes: Quia vadit ad monumentum, vt ploret ibi.

§. XXIII.

Vanitas plures habet sequentes, quàm Christus.

Vide, qua consideratione ducti vniuersi Iudæi sequantur Mariam abeuntem, nimirum, dicentes: *Quia vadit ad sepulchrum, vt ploret ibi.* & quidem si sciretur Maria ad Christum ire, ab omnibus esset derelicta.

Cyrill. Accinit Cyrill. dicens: *Si audissent Iudæi eam vocatam fuisse à Iesu, non ipsam fortè sequerentur.* Sequuntur homines auidissimè vanitates, & amant mendacia. Videas vanitatum aras frequentissimas, fumosas hominum imagines plenas populo; Dei templa deserta.

Ierem. 2. Metuo, ne his temporibus repetat Dominus illam apud Ierem. cap. 2. querelam, fatus, *Quid inuenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongauerunt à me, & ambulauerunt post vanitatem, & vani facti sunt? Et non dixerunt, Vbi est Dominus, qui ascendere nos fecit de terra Ægypti.* Hæc est inuiscerata malitia hominum; intimis prorsus imbibita medullis, vt ad vanissimæ gloriolæ, siue voluptatis fulgorem prosiliant, curràntque siue per Syrtes, siue per inhospitalem Caucasum. Ad verum gloriæ lumen Deum nec gradum faciant.

Cl. Alex. Pulcrè D. Clem. Alex. 2. pædag. cap. 12. ait, *Ecce totum cælum apertum est, & Deum non quæritis: absconsum autem aurum, & lapides hi scrutantur apud eos, qui sunt capitis damnati.* Concurritur populatim ad mundialia bona, etsi abstrusa, etsi apud damnatos incarcerata: patientissima Dei bona contemnuntur, Deus ipse omnium honorum artifex, vt suspectus cauetur.

Isai. 5. Subscribit Isai. c. 5. *Væ, qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & potandum vsque ad vesperam, vt vino æstuetis: cithara enim, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuiis vestris, & opus Domini non respicitis.* Nec gradum faciunt vanissimi homines propter Deum, vt opus Domini respiciant; consurgunt tamen; & concurrunt ad ebrietatem sectandam.

LXX. Septuaginta expressius, *Væ, qui consurgitis manè, & siceram sequentes*, &c. Non Deum, sed potum, & escam, sed gloriolas, & voluptates humanas sequuntur homines. Quæ lues adeò per omnes homines grassatur, vt dicat

Psal. 13. Psal. 13. *Dominus de cælo prospexit super filios hominum, vt videat, si est intelligens, aut requirens Deum. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Vsque ad vnum ait; vnus enim, aut alter inueniri potest, qui Deum sincere requirat, hominum autem frequentia non sequitur, nisi vanitatem.

Philipp. 2. Quo spectat Apost. ad Philip. 2. *Spero autem in Domino Iesu Timotheum me citò mittere ad vos: neminem enim habeo tam vnanimem, qui sincera affectione pro vobis solicitus sit. Omnes enim quærunt, quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi.* Et quidem Apost. non loquebatur de communi hominum fæce, sed de selectiori parte, de eis, quos ipse socios habebat sub signo crucis.

Bruno. Quod explanans amplius D. Bruno, ait. *Verè neminem habeo, omnes enim, qui meum modo sunt, quærunt, quæ sua, non quæ Iesu Christi.* Quis non doleat, quod etiam ex his, qui cum Paulo Christi crucem sequebantur, vnus, aut alter post Christum ibat, omnes post vanitatem.

Saluian. Rem finiat Saluian. lib. 3. de Gubern. Dei, de his, qui sequuntur ad Iesum fatus, *Qui renunciare diuitiis videntur, non sic renunciant, vt penitus renunciasse videantur. Et qui putantur crucem portare, si portant, vt plus habeant in ipsius nomine dignitatis, quam in passione supplicii.* Ecce tibi etiam ex his, qui portant crucem Christi, rapit ad sui sequelam vanitas.

Text. Maria ergo cùm venisset, vbi erat Iesus, videns eum, cecidit ad pedes eius, & dicit ei: Domine si fuisses hîc, non esset mortuus frater meus.

§. XXIV.

Durandum inhumanitatis actibus est ei, qui Deum sibi amat deuincire.

Semper Maria ad pedes visitur confugere Iesu, semper se statuere ad pedes, primo stans retro secus pedes, deinde secus pedes audiebat, nunc etiam cecidit ad pedes, nullo successu pedum obliuiscitur, quia semper placitura Deo humilitatis meminit.

Daniel. 3. De tyranno Babylonico dicitur, quod vbi supplicium sibi imminens ex Daniele percepit. *Tunc cecidit Rex in faciem suam, & Danielem adorauit.* Expendit paruam humilitatis moram in illo *tunc*, Richard. Vict. lib. 1. de erud. interioris homin. part. 1. c. 63. inquiens, *Tunc cecidit Rex in faciem suam, cum Daniele prædicante periculum suum agnouit. Sed illa humiliatio, quæ sine perseuerantia est, imminenti periculo repugnare non potest.* Radices agat humilitas in corde eius, qui velit Dei affectum solicitare.

Genes. 27. Sanè reprobatus ille Esau de amissa benedictione paterna multum doluit, multum lacrymatus est, ait enim Genes. 27. *Audita Esau sermonibus patris, irrugiit clamore magno, & consternatus ait: Benedic etiam & mihi pater mi.* Expende illud, *consternatus*, quasi diceret magna animi consternatione sese dimittens, humique procumbens summisse, & humiliter patrem precabatur, vt benedictionē impetraret: nec tamen Deo inde potuit placere. Cur Deo non placuit? Quia summissio illa, & consternatio nō in animos radices agebat, sed leuissima erat, & leuissimo vento inde exibilanda.

Ephrem. D. Ephr. de Pœn. fatur, *Esau pœnitentiam non legitimè fecit, ideò reprobatus est. Quamobrem non pœnitentia imbecillior fuit ad reconciliandum peccatorem: sed leuitas actionis radicem acerbitatis continebat in mente.* Expende illud, *leuitas actionis*, leuissima erat tota illa consternatio, leuissima humiliatio, leuissima humi cubatio, & ad momentum solum duratura. Et adeò leuis consternatio, & humiliatio non tollebat vitiorum acerbitatem è mente.

Luc. 3. Hinc argutè monebat Ioan. apud Luc. c. 3. *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Quid est, facite fructus? Sanè vitis, quæ tantum acerbas profert vuas, quasi sterilis habetur, & infructifera; illáque solum arbos dicitur dare fructus, quæ acerbitate deposita, in maturitatem deducit fructus suos. Inde præcursor Christi in pœnitentia fructus requirit, hoc est illos humilitatis, & consternationis actus, qui acerbitatem omnem deponentes vsque in maturitatem durent: & maturi vbilibet persistant.

Tertull. Tertull. lib. de pudicitia, ait, *Facientes dignum pœnitentiæ fructum. Quid enim ex pœnitentia maturescit, quam emendationis effectus?* Nulla humilis pœnitentiæ operatio censetur, nisi quæ durat, nisi quæ perseuerat, quando emenda conspicua est

est per virtutum longum studium, tunc dicitur pœnitentia ferre dignos fructus.

Text. Iesus ergo, vt vidit eam plorantem, & Iudæos, qui venerant cum ea, plorantes, infremuit spiritu, & turbauit semetipsum, & dixit: Vbi posuisti eum? Dicunt ei: Domine veni, & vide.

§. XXV.

Incauta bonorum temporalium receptio sæpe hominem desperatum iam, & deploratum designat.

LAcrymis circunstantium permotus sese Dominus accingit, vt resurgentis Lazari signum populo exhibeat; interea tamen infremuit spiritu, hoc est, quid minax, & superciliosum in populum Iudaicum ostendit. Cur minæ & supercilium proditur, quando tātum exhibetur beneficium? Perfidia apparebat Iudæorum, quę nondum contenta signis, & virtutibus tantum morientis, & resurgentis Lazari cogebat signum; quibus iam desperatis, & deploratis dabatur hoc ingens beneficium. Siccine qui temporalibus indiscretè inhiant, accipiunt ingentia sæpe bona, sed à Deo indignante, sed quæ deploratæ præstantur saluti. Proiiciens Abraham Agar ancillā figurat expressè Synagogam à Deo repulsam; ergo Gen. 21. *Tollens panem, & vtrem aquæ imposuit scapulæ eius* (nempe Agar) *tradiditque puerum, & dimisit eam.* Non quidem indonatam dimisit, sed noto domorum genus, nimirum, vtrem aquæ, ex quo deplorata eius salutem sic colligit D. Ambr. ser. in c. 1 Isaiæ, dicens: *Non cum vino, sed cum vtre aquæ de tabernaculis effugatur. Aqua sola æger protrahitur, languidus sustentatur. Conucniens enim erat vt quæ vinentu non merebatur alimoniam, vel solatium morientis acciperet.* Dantur moribundis, & deploratis aquæ, vel aliorum solatia, quæ valentibus, & victuris minimè conceduntur; sic Synagogæ, sic homini terrena incautè, & discretè quærenti, sæpissime ab indignante Deo dantur, vt deploratæ salutis solatia Numer. 22. præmonuerat Dominus Baalam, ne vllius boni prætextu ad regem Balac iret, vt populum Israëlis execraret. At ille munerum cupiditate captus semel, & iterum consulturus Deum accessit, an liceret ire. Cui tandem Dominus: *Surge, & vade cum eis.* Ecce tibi datur homini nequam, & munerum aspectu corrupto facultas à Domino, vt optata perficiat, vt viam concupitam ineat, & ad regem abeat, regalibúsque fauoribus magnus fiat. Sed quæ hæc facultas? An veniens à Deo dilectore in dilectum suum? Absit, imò à Deo valde irato descendit permissio illa in hominem deploratæ iam salutis. Eleganter Anastas. Nyssen. q. 32. inquit. *Indignatus ergo Deus dicit: Surge, & eos sequere. Quod sæpe solet etiam fieri à medicis, qui nonnunquam quidem iubent abstinere à cibis noxijs: cum autem de eo propensi sunt ægroti, & quodammodo vim afferunt medico, vt eis permittat sumere, tunc medicus irascens permittit: scit enim eos nolle corrigi.* Quid pulchrius? Væ, qui indiscrete, & intemperanter semper inhiant bonis perituris, dantur sæpe multa huiusmodi, & optata permittuntur à Deo vehementer irato, qui nouit deploratam iam, & desperatam miseri hominis salutem.

Genes. 21.

Ambros.

Num. 22.

Anastas.

§. XXVI.

Creaturæ omnes diræ sunt in peccatores, quorum mala longissimè à Deo sunt.

NOn ignorantis est illa Domini interrogatio, Vbi posuistis eum? Sed potius interrogatio est pōderantis, & demonstrantis lanienam, in quam creaturæ omnes peccatorem hominem trahunt. Vbi posuistis eum? Vbi ponitur peccator à creaturis? In qua miseria? In quo carcere? In qua laniena, in qua carnificina? Diræ equidem creaturæ vniuersæ peccatores tractant. Ionas ille à Dei mandato fugitiuus quales creaturas expertus est? Venti, & mare, & cœlum, & omnia commouentur donec eum Ceto tradant. Cur cœlum, cur venti, cur mare tam malè fugitiuum miserum tractant? Pulcrè Claudianus Mamertus in carmine contra Poëtas vanos, ait.

Claud.

Omnipotentis enim Domini natura rebellem
Cognoscens, timuit per se quasi conscia tutum
Ferre reum, & ventis fugitiuum vinxit, & vndis.

Timent creaturæ per se transire peccatores innocuos, & tutos, & ideo in illos insurgunt, totísque viribus nituntur illos plectere, illos variis malis constringere. Exod. c. 14. mare hinc inde scinditur, vt seruis pandat iter: *Et ingressi sunt filij Israel per medium sicci maris: erat enim aqua quasi murus à dextra eorum & læua. Persequentésque AEgyptij ingressi sunt post eos*, &c. Ecce tibi, ô mare, per te transiit peccatorum exercitus, an securus transibit? An innocuus peccator intra te aget? Cur non vniuersos inuadis? Arguite Saluianus lib. 1. de gubern. Dei Israëliticum transitum miratur, aiens. *Pharao ad fugientes peruenit, castra iungitur, siccatur pelagus, Israel traditur, officiosa vndarum patientia liberatur.* Expende argutum illud verbum; officiosa vndarum patientia: quippe vbi per mare transibit etiam Pharao, patientiam eámque maximam præstulerunt vndæ, ne sæuirent, ne omnia peruerterent, vt peccatorum ruinam accelerarent, sed magis officium seruis Dei præstarent. Patientiæ insuetatæ opus fuit, illúdque exhibitum Israëlitis, quod vndæ, vel vnum gradum tutum per se facere permitterent Dei hostibus, quin illos submersos allidèrent ad cautes. Quando autem peccator minimè securus transit per creaturas, sed vniuersæ illum infestant, illum corrodunt, non miror, quod in breui eius locus ab approbantis Dei scientia penitus disparcat. Quippe Psal. 36. *Adhuc pusillum, & non erit peccator, quæres locum eius, & non inuenies.* Quis sciat peccatoris locum, qui etiam à Deo quæritur; & non inuenitur? Non dixit, quia non est locus peccatori; est equidem, vt optimè D. August. notat, peccatori locus, *quomodo est in fornace artificis locus paleæ*: vt affligatur, & torqueatur, vbicunque fuerit peccator: non tamen Deus istum peccatori pœnalem locum inuenit, quia longissimus & remotissimus à Deo est locus damnosus homini. Nahum c. 3. aiebat, *Sol ortus est, & auolauerunt; & non est cognitus locus earum, vbi fuerint.* Mirum quod ita euaneant mundiales potestates vt vel tota luce Solis non appareat locus earum, nec Soli cognitum sit, vbi fuerint. Sed quod mireris magis, hæc verba explicat Rupert. adducto exemplo ex 4. Reg. 18. quando vna nocte interfecta sunt ab Angelo centum octingenta millia Assyriorum. Qui occisi nocte oriente sole apparuerunt iacentes per castra. Cur ergo dicitur eorum locus minimè cognitus orienti Soli? Nónne Sol oriens eorum cadaueribus plenum locum vidit, & manifestauit? De alio Sole, nempe Deo loquitur, cui sanè incognitus est, & absens locus tanta hominum plenus strage. Huc spectat Rup. statis. *Ortus est sol, & locustæ auolauerunt, quia propitius factus est Dominus, & vna nocte interfecta sunt castra Assyriorum. Nónne velociter auolarunt locustæ eiusmodi, & non est cognitus locus earum vbi fuerint?* Non est sanè cognitus à Deo, quia nocuus homini. Quidquid enim nociuum est hominibus, quasi à se Deus ablegat, & remouet vt longissime absit. De benefactore suo Deo aiebat Ps. 138. *Ecce Domine tu cognouisti omnia nouissima, & antiqua: tu formasti me, & posuisti super me manum tuam.* Verum, vbi Deum infensum homini cupiebat diabolus, ait Iob 2. *Alioquin mitte manum tuam, & tange os eius, & carnem.* &c. illi dicitur Deus manus suas nobis imposuisse; hic petitur non quod ponat manus, sed quod mittat manus: ponit manus, qui iuxta & prope se agit, & locat eas; mittit, qui se ablegat, & longè remouet: vbi ergo percussio hominis postulatur, rectè petitur à Deo, vt mittat manum, quia quidquid homini damnosum est debet à Deo longè esse remotum, & ablegatum. Didymus in Cat. *Potestas Dei est qui munit, & protegit, ad quam illud pertinet: Posuisti super me manum tuam. Igitur, mitte manum tuam, pro illo est, malè illum accipe, & affige.* Quasi enim missum facit Deus, & à se alienum, quidquid homini est damnosum.

Exod. 14.

Saluian.

Psal. 36.

August.

Nahum 3.

Rupert.

Psal. 138.

Iob 2.

Didym.

§. XXVII.

Quisque per seipsum suæ salutis negotia peragat, ne omnino fidat aliorum officijs.

QVanta solet esse vanissimis peccatoribus de aliorum meritis spes? Noui nobiles, & Principes homines nimium fidentes in aliorum orationibus & vigiliis, & lacrymis, & ieiuniis, cum nihil ipsi horum efficerent. Vtilissima fateor iustorum hominum officia, etiam tibi, sed semper requiritur à Deo opus tuum, ieiunium tuum, lacrymæ tuæ. Misericordiam impertiturus Dominus Lazaro, vidit Mariam, & Martham deuotas Deo fœminas, & supplicantes, & lacrymantes pro illo, & nihilominus dicunt: *Vbi posuistis eum?* Quid Dominus requiris in mortuo? Nónne piæ sororum lacrymæ commouent viscera tua? Nónne ad illarum vota respiciens fratri mortuo vis impertiri salutem?

ſalutem? Cur moraris adhuc, & requiris videre defunctum? Equidem inter aliorum officia ſemper a Deo requiritur videri aliquod, quod ſit proprium eius, qui ſalutem eſt adepturus. Pulcherrimè D. Ambroſ. lib. 2. de Pœnitent. inquit. *Veniet ad monumentum Chriſtus, etſi viderit flere pro te Martham bonæ fœminam miniſterij, & flere Mariam, quæ attente audiebat verbum Dei: mouebitur miſericordia, cum viderit in tuo obitu lacrymas plurimorum, & dicet: Vbi poſuiſtis eum? Hoc eſt, in quo reorum ſtatu eſt, in quo pœnitentium ordine? Videam quem fletis, vt lacrymis ſuis ipſe me moueat.* Præter aliorum lacrymas, adhuc requiritur lacryma tua, vt ſalutem accipias. Is equidem apud Deum valet plurimum, quem propriæ lacrymæ, proprius ſanguis commendat effuſus. Vnde D. Nazianz. extollit Baſilium ſuum, & præponit Abrahami ſacrificio, dicens: *Abraham ſacrificium promptum ſuo obtulit datori, & ad iugulationem vſque produxit: ſed nec Baſilius illo minus fecit: ſeipſum enim Deo obtulit, & nihil, tanquam idem eſſet, ſuperpoſuit: quid enim erat victimam offerre?* Magnum obtulit Abraham, ſed obtulit affectu filium, & ſub gladio poſuit; ſed nec in effectu obtulit filium, ſed arietem iugulauit vice filij. At Baſilius non alium, non vicarium ſui quæſiuit, ſed ſeipſum Deo obtulit, ſeipſum Deo litauit, & proprio ſudore, & puluere brauium immortalitatis ambiuit. Non ſic impij, ſed alienis laboribus cœleſtia refrigeria ſibi obuentura falſiſſimè putant. Peſſimus ille diues cum eſſet in tormentis, adhuc hanc vaniſſimam præſumptionem non exuerat: clamabat enim Luc. 16. *Pater Abraham mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aqua, & refrigeret linguam meam.* Errat miſerè, & nec vexatione capit intellectum, vt ſciat mundialium nobilium renuntiare nefariæ conſuetudini, qui de pauperum laboribus & ſudoribus ſemper voluit viuere. Non alieno digito, ſed propria manu peccator obtinebit ſalutem. Cellenſ. Abb. lib. de panibus, cap. 25. *Conſcientia de grauibus conſitentibus non alterius, ſed proprio digito velit amouere pœnam.* Vide infra lib. 10. cap. 3. §. 13.

Ambroſ. — Nazianz. — Luc. 16. — Cellenſ.

§. XXVIII.

Miſerrimus ſtatus illius, qui nullos habet apud Deum patronos, nullos interceſſores.

QVid miſerius, quam ſic ſolum in mortem ire, vt nullos habeas interceſſores apud Deum? Quatuor dies egit Lazarus in ſepulchro catenis inferni vinctus, & cur non amplius agit? Sanè habebat ſorores, cuius lacrymæ apud Deum clamabant, & tandem impulerunt Ieſum, vt illum redderet viuis. Vidit Ieſus eam plorantem, vidit ſororum, & totius populi lacrymas, & ad Lazari reſurrectionem feſtinat. Non habuiſſet Lazarus ſorores, non habuiſſet patronos, & in ſepulchri carcere forſan manſiſſet. Recole tibi duriſſimam ſeruitutem Iſraëlis apud Babylonios, & mirare, cur Dei populus tandiu fuerit à Deo derelictus in tam horribili ſeruitute. An non habebat patronos, qui apud Deum intercederent? Accipe Daniel. 12. vbi Gabriel Angelus, dum de libertate populi agit, ſic ait, *Nemo eſt adiutor meus his omnibus: niſi Michael princeps veſter.* Quæ verba ſic explanat Theodor. aiens, *Non ſolum Perſarum, & Græcorum Principes vobis aduerſantur, quinimo nulla earum virtutum, quæ ſuper cœlo ſunt, vult populum veſtrum bonis alicuius compotem fieri, propter multa videlicet ſcelera, niſi ſolus Michaël, cui veſtri tutela credita eſt.* Quid miſerius, quàm eò deueniſſe propter peccata, vt nullus cœlitum velit eorum partes apud Deum agere? Meritò aiebat Eccleſiaſtes 4. *Conſiderans reperi aliam vanitatem ſub ſole. Vnus eſt, & ſecundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non ceſſat.* Ideò laborare non ceſſat, quia vnus eſt, quia non curauit ſibi fratres acquirere, quorum officiis poſſet à laboribus releuari. Non diſſentit Græcus author. *Si quis fratrem non habet, hic proculdubio ſpiritum adoptionis filiorum non accepit. Is autem merito, ne vitioſitate quidem exſatiatur.* Semper in vitiorum ærumnis, & laboribus voluetabitur, cum nulli fratres ſint illi, qui apud Deum pro illo intercedant. Ille felix, qui fratres, qui propinquos ſibi nouit apud Deum facere, horum officiis multa obtinebit bona. Qui amiſerit ſeptem filios in laboribus ſuis Iob, recepit poſtmodum alios ſeptem. Cur etiam, & primi illi reſtituti non fuerunt? Cætera bona duplicia dabantur, vt & prima amiſſa, & totidem alia reſtituerentur. Non ſic in filiis, ſed alios ſeptem accepit, priori autem non reſtituuntur, ſed apud Deum manent. Cur non reſtituuntur? Tertull. putat non reſtitui, vt ſanctiſſimus vir etiam in felicitate patientiæ exercitium haberet non ſanato illo vulnere de morte filiorum primorum accepto. Ego crediderim id ad maiorem felicitatis cumulum factum fuiſſe, vt haberet vir ſanctus quatuordecim filios, quorum ſeptem conſpectu ſuo parentem recrearent, alij verò in cœleſti curia aſſiſtentes negotia parentis agerent apud ſupremum iudicem. Huc reuoca D. Baſil. in Græca fantem. *Ergo cum rurſus recente filiorum, filiarumque prole ornatur diuinitus: geminatam quoque filiorum poſſeſſionem accepit. Ipſi enim, qui parenti erant ad oculos oblectandos, manebant in vita: qui vero antegreſſi fuerant liberi, ei, à quo ſati erant, præſtolabantur: tunc illi coram aſſuturi, cum iudex humanæ vitæ cœtum omnem collegerit, &c.* Quis Iobo felicior, cui apud Deum ſunt tot filij, qui negotia parentis efficiant? Inacceſſibilis prorſus eſt iam calamitatibus, Dæmoniaciſque incurſibus, qui tantum apud Deum habet filiorum patrocinium. De hoc patronorum apud Deum officio dicebat Amos 6. *Nunquid currere queunt in petris equi?* Quot ſanctos habes apud Deum pro te loquentes, tot lapides iuxta te cumulas, ne poſſis inuadi Dæmoniorum incurſibus. Ita D. Hieron. ibi: *Petra Chriſtus eſt, qui donauit Apoſtolis ſuis, vt ipſi quoque Petræ vocentur: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram, &c. Qui in iſtis Petris fuerit, aduerſariæ poteſtates, quæ appellantur equi, perſequi eum non poterunt curſibus præpediti, & per ſingulas petras corruentibus.* Tantum intereſt ſanctorum ambire patrocinia, quorum officiis, & liberamur a Dæmonio, & incurſu meridiano & ſummum iudicem delinimus.

Theod. — Eccleſ. 4. — Baſil. — Hieron.

Text. Et lacrymatus eſt Ieſus. Dixerunt ergo: Ecce quomodo amabat eum. Quidam autem ex ipſis dixerunt: Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere, vt hic non moreretur?

§. XXIX.

Vita hæc temporalis odioſa eſt, & inuiſa iuſtis viris.

AMabat Ieſus Lazarum, & plorat, illum in vitam euocaturus, fundit amaras lacrymas, vitæ ſpiritum eum refundit. Hæccine eſt humana vita, magis ſane flenda, quam appetenda: vt præſenti ponderat D. Iſid. Pel. lib 3. epiſt. 173. *Quoniam ipſum ob ſuam gloriam à morte ad vitam excitaturus erat, collachrymauit, his prope verbis vtens. Eum, qui portum iam appulerat, rurſum ad fluctus, & procellas voco: eum, qui iam coronam conſecutus erat, ad certamina rurſum duco.* Hinc profanda eſt mortis, & vitæ noſtræ conditio, quod mors amicorum lacrymas noſtras eliciat, fletus cogat, verum vita noſtra lacrymas trahat etiam diuinas. Ploramus merito in morte charum, ſed in vita ipſe Deus lacrymas refundit, qualis ergo erit noſtræ vitæ conditio? Quam inuiſa viris iuſtis? Bethleemiticia infantibus interfectis dicitur, quod *Rachel plorat filios ſuos, & noluit conſolari.* Non miror quod ploret mater de filiorum interitu, ſed valde miror, quod noluit conſolari, quod nullum lacrymarum ſolamen concupiſcat, præcipuè eo tempore, quo exiſtente in mundo hominum vita Ieſu, poſſet ſperari quod eius vi infantes omnes reuiuiſcerent? An non eſſet maximum materni planctus ſolatium, quod reuiuiſcerent? Quid de hoc ſolatij genere Rachel? Adhuc noluit ita conſolari, maluit enim filiorum lamentari caſum, quam triſte illud ſolatium accipere, quod à felici morte in vitam, à corona in arenam euocentur filij. Pulcrè D. Ælred. in ſpeculo char. lib. 1. cap. 34. inquit. *Conſolaretur, ſi filius à morte reuocaretur, ſi eius aſpectibus iterum mater frueretur. Hoc noluit Rachel. Quia ſi ille à mortuis reuocaretur, de beatitudine ad miſeriam deuolueretur. Ideò Rachel plorans filios ſuos, noluit conſolari.* Noluit pia mater conſolationem accipere pignoribus ſuis tam detrimentoſam, propter quam ipſi cogerentur ad hanc miſeram vitam reuocari. Sanè ſpiritus ille, quiſquis erat, ſiue Samuelis eſſet (quod verum abſolutè reputo) ſiue alius, qui 1. Reg. 28. apud Saulem, perſonam Samuelis repræſentabat iam defuncti, præclarè iuxta ſancti viri prudentiam aiebat. *Quare inquietaſti me, vt ſuſcitarer?* Moleſtum erat viro piiſſimo, vel ad breue tempus ad hanc vitam iterum euocari. Ne iam miremur, quod ſcriptura meminit de magni illius Tob. filio, cap. 14. *Et completis annis nonaginta nouem in timore Domini, cum gaudio ſepelierunt eum.* Non luctus protrahunt, vt Deum timentis funus agant, ſed potius in gaudia vertunt lamenta ſepulturæ, quando timentibus Deum lætiſſima adeſt

Iſid. Pel. — Ælred. — 1. Reg. 28. — Tob. 14.

Psal.104. mors,& vita molestissima. Ps.104.Israëlis à seruitute egressionem memorans,inquit,*Eduxit eos in argento,& auro.* Quæ
Euseb. verba ponderans Euseb.Gallic.fatur. *Ecce filios Israel inimica Ægyptus mundi speciem præferens, dum incolitur, afflixit, dum relinquitur, locupletauit.* Hæccine est vita humana, dum incolitur, affligit, dum relinquitur, locupletat, & maximis bonis auget.

§. XXX.

Lacrymis homo reparatur in vitam æternam.

INtulit Dominus peccatori homini mortem, non vt figmentum suum totaliter disperderet, sed vt fragmentis solo iactis posset iterum in vitam immortalem reparari: non fragmenta vasi testacei, figuli arte sæpius in nouum vas reformantur.Reformantur sanè:sed per adiunctam humiditatem aquæ. Vide modo qualiter diuinus figulus reformaturus Lazarum illacrymetur; irrorat equidem testacea fragmenta, vt inde vas splendidum repullulascat. Sic impius, vt puluis factus de lacrymarum aqua speret in vi-
Psal.2. tam æternam reformari. Dauid Psal.2. huc spectabat aiens.
Athanas. *Tanquam vas figuli confringes eos.* Vbi Athan.in cat.Græc. sic expendit.*Conterit figulus vas,quod è manibus cadit,non delens, sed reformans,non aliud lutum,quam vetus,aquam tantù addens: quod & Christus fecit.* Itaq; sola adhibita aqua poterit Christi virtute peccatorum puluis in vitam coagulari. Misera peccatorum conditio est, felicitatis integritas vni iusto cōpetit viro,vt dicat de eo Psal.1. *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suū dabit in tempore suo.Et foliū eius non defluet,& omnia quæcumque faciet, prosperabuntur. Non sic impij, non sic, sed tanquam puluis, quem proyeit ventus à facie terræ.* Tota iusti felicitas ab adiunctis oritur aquis;impius perit,qui puluis est facile à quouis vēto exsufflabilis.Sed puluis vnde poterit acquirere sibi soliditatem? Sanè ab adiuncta lacrymarum aqua:adde hanc aquam pulueri, in quem te redigunt peccata, & ita solidaberis, vt possis viuis lapidibus reædificari. Annuo D.Hier. qui putat vnicum restaurationis remediū,& defensionis subministrari
Nahum 3. prorsus dirutę ciuitati,dum ait Nahum 3.*Aquam propter obsidionem hauri tibi,extrue munitiones tuas:intra in lutum,& calca, subigens tene laterem.* Quasi dicat,dum aqua tibi suppetat,ne nimium expaueas hostiū incursus, de ipso puluere concussi muris poteris adhibita aqua lutum facere,subigere,coquere in lateres,quibus reparas vniuersas ruinas, & te in noui ædificium exaltes.Hanc vnicam aquarum curam habe,quisquis hostes expectas;vt reparationem possis citissimam sperare. Vbi aqua suppetat in obsidione hostili, quot accipias
Luc.19. ruinas,tot reparabis. Dominus Iesus apud Luc.c.19.ibat Ierosolymam:*Et vt appropinquauit, videns ciuitatem fleuit super illam,dicens:Quia si cognouisses & tu,& quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi,nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.Quia venient dies in te,& circundabunt te inimici tui vallo,& circundabunt te,& coangustabunt te vndique,& ad terram prosternent te.* Ecce tibi miseram Ierosolymæ obsidionem Dominus præmeditatur, qua gloriosa illa ciuitas à Deo dilecta solo æquanda erat,& in puluerem redigēda. Et quod remedium tantæ ruinæ & spirituali,& temporali suggerit. Hoc vnum remedium præparat,nimirum ab oculorum fontibus haurire aquam:ait enim, *fleuit super illam,*quo in sola præuentione lacrymarum, præuentione aquæ, tanti casus reparatio-
Ambros. nem futuram meditabatur.D.Amb.lib.2.de Pœn.c.6.ait,*Ipse Dominus Ierusalem fleuit,vt quia ipsa flere nolebat,Domini lacrymis ad veniam pertineret.* In tanta hostium insurgentium obsidione,in tam ingenti excidio ciuitatis vnū erat remedium si suppeterent aquæ,quibus puluis humectaretur, & fierent lutum,& fierent lateres ad reparandas ruinas,vnum scilicet erat medium,vt suppeterent lacrymæ,quæ ex puluerulentis peccatorum ruinis possent nouam Ierusalem reædificare. Has aquas, quia non curabant Ierosolymitanæ, Dominus præmittebat,ne deficeret,vnde reliquiæ Ierusalem saluę fierēt,sed potius haberet collapsa ciuitas,vnde possit reparari.

Text. Iesus autem rursus fremens in semetipsum venit ad monumentum.

§. XXXI.

Misericordia semper præueniat rigorem.

A Lacrymis & compassione transit Dominus ad fremitum minacem, quo rebellibus Iudæis multa minatur. Etenim quamuis necessum sit rigoris gladium exerere, supplicia prætendere; nunquam id à bono fit iudice,nisi prius misericordiam, & benignitatem protestatus. Memini Ægypti Proregem Iosephum non adeò asperum in fratres se exhibuisse, quin sæpe inter seueritatis fabulam prosilientes non cohiberet lacrymas, quem Christo Domino adiungens sic fatur D.Ælred. Speculo charitat. lib.3. cap.26. *Io-* Ælred.
seph sanctus prius lacrymis naturalem erga fratres protestatur affectum, quem si vir sanctus naturali postposita ratione sequeretur, nequaquam fratres salubri dolore à proditionis crimine purgarentur. Saluator quoque pium erga suos indutus affectum, ruituram ciuitatem compassione mirabili deplorauit; nihilominus tamen ciuitatis scelera summæ calamitatis iniuria ex rigore iustitiæ castigauit. Protestatus prius lacrymis agninam mansuetudinem, si scelera vrgent, immediatè ad leoninum fremitum transit, quo iram peccatoribus & minatur, & infligit. Inuenies quidem in Deo misericordiam, inuenies viscera pietatis, sed caue tibi à peccatis, ni velis iudicium, idque durissimum extremum pati. Psal.32. *Diligit misericordiam, & iudicium.* Vbi D.Basil.ait, *Ante iudicium misericor-* Basil.
diam diligit, & post eam prærogatam ad iudicium venit. Is est mos diuinus,semper misericordiam præmittere iudicio,beneficentiam seueritati, amorem iræ. Isaias cap.51. *Prope est* Isai.51.
iustus meus, brachia mea populos iudicabunt. Tunc venitur ad iudicium, cum prius salus, & misericordia orbem peruaderent. Quippe ea est misericordia, quæ primum semper locum in omnibus velit occupare. 3. Reg. 17. sic monebat 3.Reg.17.
Elias viduam. *Vade, & fac,sicut dixisti: veruntamen mihi primum fac de ipsa farinula subcinericium panem.*Cur sibi primum postulat? S.Prosp.lib.de Promiss.cap.29.*Ex hoc ipso Propheta* Prosper.
sibi prius offerri iubet, vt misericordia primum occupet locum, quam praire ante faciem Dei Scriptura testatur. Hinc narrat D.Ambros. à Iosue optimi Gubernatoris munus adimpletum; cum enim c.6.militibus suis de Ierico mandasset,ait, *Sola Raab meretrix viuat,* &c. De quo Ambros. lib.7.in Lu- Ambros.
cam, fatur, *Meretricis prius mandat salutem, quam exeidium ciuitatis.* Sic apud bonum gubernatorem misericordia primas habet. Attamen non ideò contemnamus iudicium, sed amplius extimescamus, ne misericordia præmissa, illud durissimum maneat. Id quod monebat D. Isidorus Pelus. Isid.Pelus.
lib.3. epist.71. *Quod quidem Deus ad misericordiam propensius sit perspectissimum habeo. Quod autem acerbissimas etiam ab his, qui ipsius misericordiam contemnunt, pœnas exigat, tum scriptura, tum res ipsæ testantur. Quisnam enim diluuium induxit? Quis sodomiticam terram vna cum incolis concremauit? Quis Ierosolymam persecutus est? Quamobrem, ne benignitate, ac misericordia sola freti peccemus, verum iustitiam quoque cogitantes resipiscamus.*

Text. Erat autem spelunca, & lapis superpositus erat ei. Ait Iesus: Tollite lapidem.

§. XXXII.

Rigor, & iustitiæ asperitas viam misericordiæ astruit.

EXpaueram leoninos, & minaces Saluatoris fremitus, & cum mille cædes metuissem,ecce audio sepulcra reserari, & mortuum in vitam reuocari. Hi sunt diuinæ iræ fremitus? Hæ sunt Dei minæ? Facit & hoc diuina ira,vt sæpè misericordiæ diuinæ viam pandat. Irato Domino in Israëlitas peccantes,stetit Phinees, & Dei irascentis succensus zelo iuuenē cum scorto transfodit, tunc Deus Num.25. Num.25.
ait, *Phinees filius Eleazari, filij Aaron Sacerdotis auertit iram meam à filijs Israël.* Quod expendens D.Cyrill.Alex.lib.con- Cyrill.
tra Iul.ait, *Hic oro, vide misericordem Deum, qui sæpius, vt occasio mansuetudinis sit,asperitatem amplectitur.* Non semel tantum asperitas, & rigor nouit, misericordiæ viam astruere, imò efficacissima res est aduersus peccatores ira,& punitio, vt deinde possit venire benignitas, & misericordia. 3.Reg. 17. vide Eliam irascentem, & minantem: *Viuit Dominus Israël, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros, & pluuia, nisi iuxta oris mei verba.* Quò hæc spectant Eliæ? An vis funditus delere Israëlem? An cupis vniuersos omnes interimere? Imò cupit, vt super vniuersos Dei misericordia deueniat, & ideò omnes concludit sub ira, vt omnium misereatur Dominus. Diuus Basil. Seleuc. orat. *Videns Propheta Iu-* Basil.Sel.
dæorum populum, cultum Deo debitum in dæmonia transferentem, ira pietatis auxiliatrice adsumpta,voce,quæ cœlo legem siccitatis imposuit, claustra nubibus iniecit. O ira pietatis plena. Nescit ira in peccatores durare, exardescit aliquando Dei ira,

&

& populos vastatura pergit, sed medio in itinere mille vias misericordiæ pandit. Exod.32. dicitur. *Percussit Dominus populum pro errore vituli, quem fecit Aaron.* Nec est parua quæstio, quando hæc percussio facta sit? Crediderim percussionem factam, vbi Leuitæ à porta in portam iuuerunt percutientes quotquot obuios inueniebant. Sed, quæ percussio hæc pro tanto scelere? Nónne omnis peccauerat populus? Nónne à Domino percussio mandabatur in populum, cur interfectis solum his, qui obiter veniebant, quieuit? Sanè ea est ira Dei, quæ cum omnia vastatura egreditur, tamen medio in itinere ab inceptis desistit, viam misericordiæ aperiens. Saluian. lib.1. de Gubernat. Dei. *Quod potuit maius, & euidentius de peccatoribus Deus ferre iudicium, quam vt statim consequeretur pœna peccantes? Et tamen cum omnis populus reus fuerit, cur non est in omnes emissa damnatio? Quia pius scilicet Dominus partem percussit sententiæ suæ gladio, vt partem corrigeret exemplo.* Quasi nesciret ita progredi, nisi vt misericordiæ viam panderet. Incipit ira sæuiens, sic puniens, vt remedia præbeat peccantibus, vt possint misericordiam sibi comparare. Pulchrè Psalm.59. *Deus repulisti nos, & destruxisti nos; iratus es, & misertus es nobis. Commouisti terram, & conturbasti eam, sana contritiones eius, quia commota est. Ostendisti populo tuo dura: potasti nos vino compunctionis. Dedisti timentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus.* Ecce tota ira Dei repellens, destruens, commouens orbem, conturbans, sed misericordia veniat. Pro quo Berengos. Abb. serm. in natali martyrum, fatur, *O ira misericors, & salubris indignatio. O ira misericors, quæ sic irascitur, vt subueniat: sic minatur, vt parcat; sic aufert, vt restituat: sic tradit, vt eripiat: sic destruit, vt muniat: sic abijcit, vt recipiat.*

Exod.32. — Saluian. — Psalm.59. — Bereng.

§. XXXIII.

Homo peccator durior lapide ad Dei vocem excipiendam.

QVæstionem omnibus facit, cur Iesus asserit remoueri lapidem ab ostio monumenti? Cur non potius ipse verbo, & lapidem, & defunctum extra vocauit? In Lazaro faciens peccatori verba saluator, noluit simul loqui cum lapide, ne lapis videretur promptius obedire Dei voci, quam homo peccator. Promptiores sunt lapides, vt Deo obedientes fiant, suscitentur in filio Abrahæ, quàm peccator, qui solus potest diuinæ resistere voluntati. Missus Propheta 3.Reg.13. vt sacrilegum regem emendaret, ille relicto rege, sermonem conuertit ad lapides dicens: *Altare, altare.* Quod meditatus D.Chrysost. Procem. in Isaiam, ait, *Cum lapide verba facis? Etiam, quando Rex minus est compos sensuum quam lapis. Et audiuit lapis: ipse lapis in scissuras disfractus est, & victimam effudit. Homo ille non exaudiuit.* Longè equidem insensibilior est homo peccator, quam lapis, quam res inanimatæ ad hoc, vt voci diuinæ obediat. D.Paul.1. ad Corinth.15. sic ait, *Ecce mysterium vobis dico: omnes quidem resurgemus; sed non omnes immutabimur, in momento, in ictu oculi, in nouissima tuba (canet enim tuba) & mortui resurgent incorrupti.* Cum primum diuinæ tubæ vox sonuerit, ipsi lapidei mortui, & prorsus insensibiles vocem filij hominis audient, vocique primæ parentes euigilabunt. Cum hoc audeo, & simul noto illa verba D. Paul. data Thessalonicensibus 1.epist.cap.4. in hunc modum. *Quoniam ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendit de cœlo: & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos, qui viuimus, qui residui sumus,* &c. Supra dixerat Paulus, quod ad sonum solius tubæ mortui euigilabunt, modo addit, præter sonum tubæ, & iussum, & vocem Archangeli, an quia sola tuba non sufficiet? Et cur non sufficiat tuba? Cur necesse est addi vocem Archangeli, & imperium? Primo in loco solum agit Paulus de mortuis, qui euigilaturi erant: secundo loco, non solum mortuos meminit, sed etiam viuos, qui superstites erunt, cum veniet Christus, vt fert multorum opinio. Vbi autem res cum mortuis agitur, sufficit vox tubæ, vt audiant ipsi: vbi autem ad viuos etiam, & peccatores venitur, & iussus, & vox Archangeli, & tubæ addantur, vt velint audire. Ita D.Hieron. epist.152. *Forsitan simplicius tubæ clangor dormientibus, & mortuis in Christo necessarius est: vox autem Archangeli, & tubæ Dei ijs, qui viuunt, & in præsentiam Dei reseruantur.* Possunt quidem inanimatæ res, & insensibiles calcaria adhibere hominibus, quibus ad vocem Dei audiendam currant. Hinc est, quod Tertull. siue alius quisque auctor lib. de Trinitate rationem reddens, cur fluctus maris ad arenæ littoris nutum se contineant, inquit, *Fines littoribus conclusit; quo cum fremens fluctus, & ex alto sinu spumans vnda venisset, rursum in se rediret, nec terminos concessos excederet seruans iussa præscripta: vt diuinas leges tanto magis homo custodiret, quanto etiam illas elementa seruassent.* Vtinam peccator homo disceret à lapidibus, ab elementis voci obedire cœlesti. Non enim insensibilia solū, sed & belluæ docent homines obedire Deo. Nónne refugam Ionam Deus tradidit Ceto? Et cur inuiscerauit Dominus prophetam Ceto? Ne posset refugere Dei mādatum; sed quantocius voci diuinæ obediret. Theod. ser.10. de Prouid. *Fugam stulte molientem Ceto tradidit. Irrationalis autem piscis rationalem hominem eo deduxit, vbi prædicare iussus erat.* Incorporari debuit Ionas belluæ, vt quantocius Dei vocem sequeretur.

3.Reg.13. — Chrysost. — 1.Cor.15. — Hieron. — Tertull. — Theod.

§. XXXIV.

De vana sepulchrorum ambitione, & simul de illorum vtilitate.

NOn casu Euangelista meminit sepulchri structuram in spelunca elaborato lapide conclusam, sed vt passim miremur humanam ambitionem, quæ tunc magis profunditur, quando cætera omnia humana coarctantur. Hanc pungebat Ps.48. *Et sepulcra eorum domus illorum in perpetuum.* quasi diceret, sic sepulchris struendis incumbunt, quasi sibi æternum duraturis construant palatia. De quo D.Chrysost. ibi fatur, *Quid hac amentia posset esse deterius, quam putare sepulchra esse domum perpetuam? Quam in his gloriam ambitiose persequi? Multi sæpe sepulchra construxerunt magnificentiora domibus.* Hi fuere vanissimi Ægyptij, vt ex Herodoto lib.3. & Diodoro lib. 3. cap. 5. constare potest. Maior his vanissimis cura fuit sepulchrorum, quam domorum. Nónne cineribus recludendis illa barbàra pyramidum miracula exædificabantur? Quam barbariem sic pungit Plin. lib.36.c.13. Adeò vesana dementia quæsiuit gloriam, impendio nulli profuturo. Et quidem ossibus aridis quid conferant gloriæ sepulchrales? Illas piorum animæ exosas habent. Pulchrè D.Hieron. epist. ad Paulum de morte Blesillæ, fatur, *Postquam autem sarcina carnis abiecta, ad suum anima reuolauit auctorem, & in antiquam possessionem diu peregrinata conscendit: ex more parantur exequiæ, & nobilium ordine præeunte, aureum feretro velamen obtenditur. Videbantur mihi tunc clamare de cœlo: Non agnosco vestes, amictus iste non est meus, hic ornatus alienus est.* Sic grauant pias animas pomposi fueris ambitiones; sic gloriæ sepulchrorum exosæ sunt animabus, quæ solidas iam glorias prægustarunt. Vana ergo semper sepulcri gloriosi fames? Absit: imò sæpius in his construendis naturalis quidam est æternæ animæ affectus, & conatus, qui vt cætera mundi bona ad corporis cultum, & ornatum, & ordinate appetit, & temperate quærit, sic etiam bonum laudis, & famæ præclaris facinoribus debitum sibi vbi vixit præoptat æternare. Ex quo naturali affectu testatur immortalem animam Tertull. cap.4. lib. de testim. animæ, fatus, *Quis non hodie memoriæ post mortem frequentandæ ita studet, vt literaturæ operibus, vel simplici laude morum, vel ipsorum sepulchrorum ambitione nomen suum seruet.* Halat anima immortalitatem suam, dum bonum nomen, quod habere potest, etiam post mortem, & ruinam aliorum bonorum sepulchrorum flexuris curat æternare. Huc spectabat Simon Machabæus lib.1. cap.13. de quo, *Aedificauit Simon super sepulcrum patris sui, & fratrum suorum ædificium altum visu, lapide polito retro, & ante. Et statuit septem pyramidas, vnam contra vnam patri, & matri, & quatuor fratribus. Ex his circumposuit columnas magnas: & super columnas arma ad memoriam æternam.* Honestè quæritur rectè factorum memoria, & laus perpetua, quæ æternos defunctorum animos ornet, & viuentes excitet ad similia facinora perpetranda. Sic huiusmodi factum honestat Carthusianus in præsenti fatus, *Ad memoriam æternam strenuissimorum operum bellicorum Mathathiæ, filiorúmque eius, imò in recordationem auxiliorum diuinorum, ac triumphorum eis desuper concessorum, atque ad intuentium ædificationem, vt considerarent qualiter sit pugnandum pro defensione legis diuinæ, & pro conseruatione iustitiæ, ac pro bono communi.* Non absimili honestate in re dissimili Iacob, vt vidit sponsam Rachelem, Genes.35. *Erexit titulum super sepulcrum.* Vnde Lyppom. in cat. *Non ergo improbantur tituli sepulchrorum, qui charitatis monumenta sunt.*

Psal.48. — Chrysost. — Plin. — Tertull. — 1.Mac.13. — Carthus. — Genes.35.

Text. Dicit ei Martha soror eius, qui mortuus fuerat: Domine iam fœtet: quatriduanus est enim.

§. XXXV.

Carnales fratres, & consanguinei nil promptius faciunt, quàm impedire nobis diuina beneficia.

PRæclarè notatum est officium sororis defuncti, quæ sola ex omnibus circunstantibus fratris resurrectionem retardat, & vna Saluatori proponit obstaculum. Id quod in præsenti Origen. notauit, vt iam suspecta habeamus officia carnalium fratrum, quicumque ad Dei dona excipienda euolamus. Nescio, an sit aliqua res, quæ magis diuina beneficia exsufflet, quam amor iste carnalis propinquorum, consanguineorum. Luc. 9. aiebat quidam adolescens: *Sequar te Domine, sed permitte mihi primum renuntiare his, qui domi sunt.* Non magna mora, non grandis permissio erat, quod liceret coram renuntiare domesticis, consanguineis, fratribus. Nihilominus ait illi Iesus: *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Sed ille nolebat retro respicere, imo suis coram renuntiare volebat, cur ergo tam dira sententia deterretur? An renuntiare suis coram est, respicere retro? Sic nocinus est consanguineorum conspectus his, qui sequuntur Christum, vt quouis prætextu ad illos venias, merito censeri posses à via cœlesti deflexisse. Quam sententiam sic claudit D. Basil. in regulis breuioribus interrogatione 179. inquiens, *Quod si de eo, qui renuntiare tantum voluerat, tale iudicium est, quid de alijs dicendum est?* Fugiendi prorsus sunt carnales propinqui, quando neque illis coram renuntiare possumus, quin incurramus periculum diuinæ iræ. Vix audio imprecatum fuisse illud horrendum væ alicui non sceleratissimo citius, quam carnali propagini, quam omnis propinquitatis, & necessitudinis radici. Ait Dominus Matth. 24. *Væ autem prægnantibus, & nutrientibus.* Dictum fuerat aliquando, *Væ tibi Corazain, væ tibi Bethsaida.* nec miror; sceleribus erant plenæ ciuitates; sed quæ scelera? Quæ facinora in prægnantibus? In nutrientibus? Cur illis deploratorum væ occinitur? Non propter scelera manifesta, sed propter impedimenta necessaria, quæ in necessitudinum, & cognationum propugnatione fundantur, quibus multi irretiti, brauio æternæ retributionis ablegantur. Ab hac sententia stat Tertull. lib. 1. ad vxorem fatus, *Cur Dominus væ prægnantibus, & nutrientibus cecinit, nisi quia filiorum impedimenta testatur, in illa die expeditionis incommodum futura?* Quos non iste carnalis amor suorum in via Domini retardauit? Quos non à via salutis retraxit? Merito exclamat D. Bernard. epist. 4. in iuuenem ab auunculo ad vitam sæcularem reuocatum. *O puer insensate! O puer magis sensu, quam ætate! quis te fascinauit ab incepto itinere tam cito deflectere? Auunculus, inquis. O auunculum crudelem, qui statim moriturus, nepotis animam prius interfecit, quem vt peccatorum suorum haberet hæredem, à Christi sorte priuauit.* Maluit in suis facultatibus habere successorem, quam pro iniquitatibus intercessorem. Vtinam hæc lues non vsque ad nos serperet: vtinam cognatorum impedimenta, sanguinísque laqueos non experirentur nostrates. Huc cognati omnes, huc fratres, huc parentes spectant, vt à suis arceant Christum. De vnico Abrahamo ait Dominus Genes. 18. *Scio quod præcepturus sit filiis suis, vt timeant nomen meum.* Quando Deus à carnali parente simile sperauit? Sanè viderat Abrahami dextram gladio armatam, vt filium redderet Deo, inde colligit Abrahami dum felicitatem non impediendam esse a consanguineis. Eusebius Gallicanus homil. 4. de Epiphan. ait, *Prædicatur, quod posteros suos eruditurus esset in Domino, qui iam ad hoc fidei virtute peruenerat, vt filium posset immolari pro Domino.* Ille solus parens non officit filiorum saluti, quæ præuidebatur audenter filium pro Deo iugulaturus.

Luc. 9. Basil. Matth. 24. Tertull. Bernard. Genes. 18. Eusebi

§. XXXVI.

Diuturni peccati comes infamia.

IN quatridnano mortuo peccati consuetudinem notans Cyrill. lib. 3. cap. 13. pulchrè ait. Bene de illo, qui peccare consueuerat, dicitur, fœtet, *Incipit enim habere pessimam famam tanquam odorem teterrimum.* Quis est homo, in quo peccata degant, quem non sequatur famæ odor teterrimus? Sanè nihil prius peccatum agit in homine, quam eius boni nominis æstimationem turpare, & vertere in vituperium. Ecclesiastes 10. *Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti.* Etsi olei effusi instar sit nomen tuum, etsi ea floreas fama, quæ vniuersis comparetur pigmentis, vbi tetricæ peccatorum muscæ in te putrescant, necessum est, vt pessimus statim tuæ famæ erumpat extrinsecus fœtor. Chaldæus Complutensis id exprimit, dicens: *Appetitus autem malus, qui moratur ad portas cordis, sicut musca adducit mortem in sæculo, eo quod fœtere faciat sapientem in tempore, quo peccat, & disperdit nomen bonum, quod ante hoc simile erat oleo vnctionis, quod confectum est aromatibus.* Vane fidis præteritæ famæ de bono nomine, vane gloriaris, vbi malus appetitus, vt musca animo tuo insederit, nullis aromatibus, nulla bona æstimatione præcedenti facies, quod ad peccati putredinem non sequatur pessimus nominis fœtor. Ecclesiasticus cap. 47. sic monebat. *Inclinasti femora tua mulieribus. Potestatem habuisti in corpore tuo; dedisti maculam in gloria tua.* Vbi noster habet, *maculam,* posuit Græcus, μῶμον, dedisti Momum in gloria tua, Momos tibi aderit. Est autem Momos vocalissimus, & malignissimus Deus, qui Deorum commissa publicabat. Haud dubium quin peccatoribus Momos adsit, qui gloriam fœdet, & de bono nomine corrupto fœtorem pessimum exire faciat. Quis nesciat æternum nomen, quod sibi, & suis comparauit sanctissimus Iosias? De illo Ecclesiastici 49. *Memoria Iosiæ in compositionem odoris facta opus pigmentarij, in omni ore quasi mel indicabitur eius memoria, & vt musica in conuiuio vini.* Moritur Iosias, ascendit regnum Ioachaz filius eius, & tribus solum mensibus regnauit, statim à Pharaone spoliatus, & in Ægyptum ductus. Sed præstat modo audire Ezechielem capit. 19. de isto Iosiæ filio fantem. *Leo factus est, & didicit capere prædam, hominémque comedere. Et audierunt de eo gentes,* &c. Quid est, & audierunt de eo gentes? Vbi se facinoribus impleuit, statim Momos adfuit, statim famæ fœtor orbem peruasit; tota illa odoris compositio, & opus pigmentarij familiæ Iosiæ perdita est, corrupta est de vitiorum Ioachazi muscis, & malitia mordaci rumore, vt ait Lyranus, publicata fuit. *Quisquis enim peccat, disperdit nomen bonum, quod ante hoc simile erat oleo vnctionis.* Nec grauabor notare, quam perdatur, & corrumpatur boni nominis vnguentum peccatis, ex obseruatione doctissimi viri Gasparis Sanchez circa filios Iosiæ; Iosiæ, inquam, cuius memoria compositio odoris, & opus pigmentarij. Etenim religiosus Rex, vt familiam suam condecoraret, filiis suis ea nomina imposuit, quæ ex alicuius nominis Dei notis coruscarent: verum propter peccata eò deuenerunt filij, vt quidquid Dei erat, amitterent ex nominum suorum vocabulis. Habes apud 4. Reg. 23. *Regémque constituit Pharao Nechao Eliacim filium Iosiæ, pro Iosia patre eius, vertitque nomen eius Ioacim.* Ecce vobis, qui de Dei nomine El, vocabatur Eliacim, expuncta Dei nominis parte, vocatur Ioacim. Merito effecit hoc diuina prouidentia in impiissimo viro, vt notum sit omnibus, quam perdant vnguentum muscæ morientes, quam corrumpant, & turpent bonum nomen peccata. Qui enim de patre veniebat, cuius memoria in compositione odoris, vbi patriam religionem adiurauit, & idolorum imagines corpori suo inussit, nihil boni Dei meruit habere in nomine, sed potius eius corrupto nomine fama pessima ab eo volabit.

Cyrill. Eccl. 47. Ezech. 19. Lyran. 4. Reg. 23.

Text. Tulerunt ergo lapidem. Iesus autem eleuatis sursum oculis dixit: Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam, quia semper me audis; sed propter populum, qui circumstat, dixi, vt credant, quia tu me misisti.

§. XXXVII.

Qui viuimus, defunctorum onera possumus tollere, eósque iuuare.

POsset Christi virtus, vt Lazarum è sepulchro, sic & sepulchri lapidem simul tollere; sed maluit id operis aliis mandare, quod & ipsi fecerunt, & lapidem ab ostio monumenti remouerunt. Cur hoc maluit Dominus, nisi vt innueret, quod defunctorum leuamen possunt, & debent viui homines procurare? Diuus Damascen. orat. de defunctis sic loquitur. *Hic rursus benignitas Dei latam sententiam vicit: sempérque vsque ad extremum referendæ mercedis tempus sperabit. Nam tum nundinæ soluentur, nec ferendi auxilij tempus erit, sed vnusquisque sarcinam suam gestandam habebit. Nunc verò, & opus ferendæ tēpus est, & tempus negotiandi.*

Damasc.

Nam hoc misericors ille vult, gratúmque habet, vt nos omnes, tum in vita, tum post confectum vitæ curriculum mutuo alij ab alijs iuuemur. Hæc Damascenus ait, pulchre docens peccatorum pondus, sub quo etiam vita functi premuntur, leuari à viuis posse. Et sane paruis laboribus nostris ingentes defunctorum labores possumus tollere, quibus vel maximis sumptibus deberemus præstare opem. Nota est historia 2. Reg. 21. de septem filiis Saul actis in cruces à Gabaonitis; suffiguntur ergo in cruce filij regis: *Tollens autem Respha filia Aia cilicium substrauit sibi supra petram ab initio messis, donec stillaret aqua super eos.* Quid est, donec stillaret aqua super eos? Cur bona fœmina tandiu defunctis astitit, donec aqua cœlesti perfunderentur. An innuitur ibi officium pro defunctis præstandum à nobis, donec ipsi cœlesti rore perfusi refrigerium capiant salutis? Ita Bachiarius epist. ad Ianuarium ait. *Mulier fuit concubina Saulis, quæ corpora defunctorum, quos Dauid pro Gabaonitarum vltione percusserat, eo vsque accincta sacco, hoc est, cilicio custodiuit, donec eis roraret aqua de cælo: idest donec pro venia eorum misericordiæ cælestis stilla defluerer.* Debitum sane officium filiis regis à piissimo rege internecioni traditis fœmina hæc persoluit, quo nos docuit, idem præstare omnibus in Christo defunctis, quos credimus torqueri purganti igne. Nónne quotquot in purgatorio sunt, filij Dei sunt? Quis ergo sciat filios Dei vehementer torreri, & nolit assistere illis in cilicio, in eleemosynis, in precibus, donec cœlesti rore refrigerium accipiant? In inferni tormentis existenti epuloni nec gutta aquæ à Lazari digito stillans permittitur: at his, qui in purgatorio sunt, maxima refrigerij flumina parant virorum virtutes. Iudith cap. 10. vbi discrimen illud subibat pro patria salute, dicitur, quod *induit se vestimentis iucunditatis suæ.* Notanter dictum est, quod vestes iucunditatis suæ confugerit, nimirum ad eas, quibus vti solebat, vt iucundaret viuentem maritum. Ad eas, inquam, notanter dicitur confugisse, vt videretur similiter tantæ virtutis opus à Iudith assumptum iucundandorum marito vita functo, vt iucundabant splendida ornamenta viuo. Ambros. lib. de viduis inquit. *Vestem illam iucunditatis suæ, quam viuente viro vestire solebat, induit quasi placitura viro, si patriam liberaret.* Quis neget defunctos sanctos ex suorum facinoribus, & virtutibus ingens accipere leuamen, ingentémque lætitiam? Vnde merito D. Paulinus epist. 31. Alethium Senatorem vxoris funus eleemosynis prosequentem laudans, ait, *Egena corpora fouens redeuntibus in meliorem tui partem operibus tuis, retributione diuina, tuum potius spiritum saginasti, & benedictæ coniugis animam refecisti (in illam transfundente Christi manu, quæ tuâ pauperibus erogabantur) cum intuitu oculi permutata, in cælestes cibos carnalis esca transiret.* Hæc ille. & insuper finit totam epistolam pergens ita. *Coniux tantum tibi gratiæ in cælestibus parat, quantum tu illi à terrenis opulentiæ tribuis: non illam luctibus cassis honorans, sed viuis muneribus accumulans, quibus illa nunc gaudet: iámque illi huius operis tui vsus in fructu est. Iam honoratur tuis illa meritis, iam pascitur tuis panibus, & affluit tuis opibus in vestitu deaurato circumamicta varietate. Non eget aliena manus digito refrigerari, proprijs ipsa digitorum suorum roribus, (id est, dextræ tuæ operibus) infusa.* Hæc & alia fatur.

Bachiar.

Iudith 10.

Ambros.

Paulin.

§. XXXVIII.

Gratiarum actio multiplicat beneficia diuina.

MIraberis postea in vno hoc miraculo resurrectionis Lazari plura miracula conuenire, ad vocem enim Iesu reuixit mortuus, ligatísque adhuc pedibus ambulat, vnde hæc multitudo miraculorum, quando verba Saluatoris nil aliud videbantur sonare quàm viuificationem Lazari? Crediderim quod multiplicationem hanc beneficiorum causarit præmissa gratiarum actio. Memini in Iesu manibus paucos panes adeo fuisse multiplicatos, vt ingentem hominum multitudinem satiarent, cuius rei causam moralem quærenti statim sese mihi obtulit Ioan. cap. 6. sic rem memorans. *Accepit ergo Iesus panes, & cum gratias egisset, distribuit, &c.* quasi de actione gratiarum manasset tota illa panum multiplicatio. Eleganter Franconius Abb. tom. 19. de gratia fatur. *Tanta autem post gratiarum actionem secuta est vbertas benedictionis, vt de paucis panibus tot millibus satiatis fragmenta, quæ superfuerant, decem cophinos exuberarent.* Quid non sibi acquirat animus gratus? Fœcundissima est gratitudinis virtus, nescit sterilescere, quin potius multiplicatos semper fructus capit, nouisque in dies augmentis gloriatur.

Ioann. 6.

Francon.

Post vnicum obtruncatum Philistæum miro iuuencularum plausu cantatur Dauidis facinus 1. Reg. 18. quippe aiunt: *Percussit Saul mille, & Dauid decem millia.* Cur Dauid decem millia? Cur ab vno hoste reportata victoria tot induit vultus, quibus ab eo multiplex, & videatur, & cantetur? Ex quo fonte vnum facinus habuit, quod multiplicibus regis Saulis victoriis æquetur, imo plurium victoriarum speciem habeat? Crediderim id natum fuisse ex animi gratitudine, qua nobilis Dauid totam victoriam adhuc cum in arena esset, Deo attribuat, illique libens sacrabat. Etenim ait ad hostem, capitulo 17. *Ego venio ad te in nomine Domini exercituum Dei agminum Israël: & dabit te Dominus in manu mea.* Ecce nil suæ dextræ tribuit, omnia Deo accepta refert, illique soli victoriæ spolia sacrat. Id quod meditatus D. Basil. Seleu. orat. 15. ait. *Prædicit victoriam ac victorem contestatur. Gratus seruus, qui vel ante operam operæ fructum offert Domino.* Tota victoria de gratitudinis fonte manauit: tanta fuit Dauidis gratitudo ad Deum, vt ante acceptum munus, iam muneris fructus Deo sacraret, quo sic fructus auxit, vt vna victoria multarum victoriarum gloriam sibi vendicaret. Multa equidem conficiuntur in vno gratitudinis actu. Sanaturus Dominus decem leprosos misit illos ad Sacerdotem iuxta legem Moysis, ex quibus sanatis in via vnus, qui erat Samaritanus Lucæ 17. *Regressus est cum magna voce magnificans Deum, & cecidit in faciem suam ante pedes eius gratias agens.* Quid tunc Dominus imperaret leproso sanato? Qui ante sanationem miserat ad Sacerdotem, vt legem leprosus impleret; post sanationem legis actum magis commendaret, nimirum vt munus Sacerdoti offerret? Sed nihil horum meminit Dominus, sed vt vidit gratias agentem; nihil aliud exigens remisit in pace, quasi in actione gratiarum omnia legis officia viderentur peracta. Pulchrè Tertull. lib. 4. in Marcionem ait: *Vnde & vnum illum solutum ex decem memorem diuinæ gratiæ Samaritem miratus Dominus, non mandat offerre munus ex lege, quia satis iam obtulerat gloriam Deo reddens.* Vbi gratitudo vigebat, nil amplius requiritur, quandoquidem gratitudo sola instar multorum facinorum ipsa speciem capit.

1. Reg. 18.

Basil Sel.

Luc. 17.

Tertull.

Text. Hæc cùm dixisset, voce magna clamauit: Lazare, veni foras.

§. XXXIX.

An fidelium animæ apud sepulchra sui cadaueris aliquando degant?

GEntibus error fuit mortuorum animas in sepulchris etiam cum cadaueribus suis degere, quem errorem expulsurus Iesus, vt ait Cyril. in præsenti, magna voce vsus est ad Lazarum suscitandum, vt ostenderet animam Lazari à longinquo, & separato loco euocari. Acceinunt Theophyl. Leont. Euthy. apud Maldonatum. Sed age missum faciamus errorem & quæramus, an aliquando saltem sanctæ fidelium animæ apud sepulchra degant? Pro quo celebris est illa historia à Cæsario relata lib. 12. cap. 46. vbi fatur. *In ciuitate Bonnensi quædam inclusa erat habitans, religiosa satis atque deuota: hæc cum nocte quadam rimulis cellæ suæ splendorem immitti cerneret, & diem esse putaret, territa propter horas nondum dictas surrexit, fenestram versus cœmeterium aperuit: & ecce iuxta caput sepulchri cuiusdam scholaris, recenter illic sepulti, miri decoris fœminam stare conspexit, gloria corporis eius eandem lucem creauerat, stabat & columba niuea super tumulum, quam illa rapiens misit in sinum suum. Inclusa verò, licet iam intelligeret, quæ esset, tamen cum reuerentia, quænam foret, requisiuit. Cui illa: Ego sum mater Christi, & animam scholaris huius qui verè martyr est, tollere veni.* Huc vsque Cæsarius. quibus constat animas fidelium, dum ob culpas aliquas detinentur in terra, sæpe reliquias sui corporis conuenire, ibíque aliquandiu degere. Accedens enim Beata virgo ad sepulchrum adolescentis dicti non voce magna vtitur, vt à longinquo euocet animam, sed manu solum extenta inde rapit illam. Id quod probat etiam mos apud fideles pios receptissimus, quo aqua benedicta sepulchra aspergunt, aliaque sacramentalia ibi applicant, non sanè vt cineribus aliquam vtilitatem inferant, qui incapaces sunt omnis vtilitatis: sed vt animabus defunctorum ibi aliquando conuenientibus refrigerium non paruum impetrent. Pro quo accipe quid anima Sacerdotis cuiusdam dixerit nouitio canonico regulari apud cœnobium S. Isidori Legionensis degenti: *Dominicu, inquit, diebus propter gloriam Dominicæ resurrectio*

Cyrill.

Maldon.

Cæsar.

Luc. Tud.

ferrestibus, & præcipuis anni solemnitatibus, atque quando pro nobis Sacerdotes in Missæ ministerio immolatur Deo hostia salutaris; malis nostrûm nulla pœna afficimur; & ad loca quo corpora nostra iacent venire permittimur: quæ si incenso vel aqua benedicta inuenimus aspersa, tanto perfundimur refrigerio, vt nobis ferè quasi paradisiaca requies videatur. Hæc narrat Lucas Episcopus Tudensis in historia miraculorum sancti Isid. cap. 31. [Tobiæ 4.] quibus lucem accipit consilium illud Tobiæ cap. 4. vbi sic: *Panem tuum & vinum tuum super sepulturam iusti constitue.* Vel vt Hebraicè habetur: *Non sit durus oculus tuus panem tuum, & vinum tuum effundere super sepulchra iustorum.* Et cur panes effunduntur super sepulchra? An hoc ex gentium ritu! Absit. imo plures existimant cómendari eleemosynas, quæ pauperibus fiant ob salutem animarum apud Purgatorium degentium. Sed ego crediderim præcipuum aliquod officium ibi mandari ad defunctorum sepulturam faciendum; nimirum oblationes panis & vini, quæ a fidelibus constituuntur super sepulchra, quas accepturus Sacerdos sepulturam adit, ibique defuncti animam Deo commendat, & reliquiarum loculum benedicta aqua aspergit benedictionibúsque munit. Hac oblationum occasione lustrata sepulchra abdubium quod accedentibus ibi animabus inferant [Ambros.] refrigerium. Quo spectat D. Ambros. relatus à Glossa his verbis. *Est & illa Prophetica, vt supra sepulturam iustorum ponamus quædam: non quo cibus impertiatur, aut potus, sed sacra oblationis venerando communio reueletur.* Quasi vellet Ambr. ibi prophetiam contineri panis, & vini a fidelibus constituendi in iustorum sepultura.

§. XL.

In nullo magis, & sublimius ostenditur Dei regnum, quàm in viuificandis hominibus, in nullo minus, quàm in vlciscendis, & vindicandis.

VItiue voce magna iubens Lazarum viuere, quasi tunc diuini magnitudo imperij exhibeatur, quando hominibus vitam Deus elargitur. Huc adest D. Cyrill. in Cat. Græca dicens *Deo dignum, & regium imperium est, Lazare veni foras.* Nil enim tam digne ostenditur, quam dum viuificandis incumbit hominibus. Magnitudini Dei adeò respondet beneficentia in homines, vt quo quis plus habeat de Deo, eo beneficentior inueniatur. Elizæus 4. Reg. 2. ad Eliam aiebat. *Obsecro, vt fiat in me duplex spiritus tuus.* Cur potius non petit eumdem spiritum Heliæ? Quod si austerum, & seuerum spiritum non amabat, sed beneficentiorem cupiebat, cur non petit alterum ab Helia spiritum? Sanè hoc petebat, vt spiritus Dei in Helia habitans in se cresceret, & duplicaretur, sciens quod spiritus Dei duplex, hoc est, magnus haberet sibi propriam, & annexam beneficentiam in homines. Rigor, & seueritas à paruo nascitur, à magno & duplicato Dei spiritu tota beneficentia manat. Huc [Iustin.] spectat Iustinus martyr quæst. 84. aiens. *Elisæus ostendit duplicem abundantiam diui spiritus, quo præditus erat. Atque ab Elia quidem ad vsum factum est ille instrumentorum: ab Elisæo autem etiam vltra vsum. Helias enim deuocauit de cælo ad vlciscendos hostes: at Elisæus equos, & equites igneos deuocauit de cælo ad auxiliandum Israelitis.* Simplicem Dei spiritum signat seueritas, duplum beneficentia. Hæc magnificat Deum, illa [Isaias 3.] quasi minuit. Isa. cap. 3. *Propterea expectat Dominus, vt misereatur vestri, & ideò exaltabitur parcens vobis.* Se exaltat parcens, se humiliat vindicans. Id ex eo lucem accipiet, quod [Dan. 5.] apud Daniel. accipit cap. 5 vbi inter epulas Regi Balthasari adeo diminutè obiicitur diuinitas, vt solum parui eius digiti appareant. *In eadem hora apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis.* Cur solum digiti apparent? Cur nô potiùs ingentem suam magnitudinem exerit Deus, vt percutiat potentissimum tyrannum. Equidem percussio hominis non est opus magnificûs, sed potiùs demittens & exinaniens immensam Dei boni- [D. Isidor. Pelus.] tatem. Sic D. Isidor. Pelus. lib. 3. Epist. 161. fatur. *Illic Deus per inanigentiam se demittentis cõsilio, manus visa est, vt illud ostenderetur omnium regem calculum aduersus tyrannum efferre, ac sententiam subscribere.* Vbi expende illud, *Dei se admittentis*, quippe suam demittit, & angustat magnitudinem Deus, vbi ad hominum internecioné procedit. Huc refero illud Isaiæ [Isaio 11.] cap. 11. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Expende quam aliter loquatur vates de virga, & de flore: vbi de virga loquitur, ait solum quod virga egredietur, nullos virga meminit ascensus: verum de flore apertè fatetur quod ascendet. Angusta est virgæ seueritas, & humilis, & quasi humi repens: florida autem beneficentia sublimis est, ingentésque sibi comparat assensus. Nota ad [Origen.] Orig. Hom. 9. in Numer. vbi sic finit. *Sic ergo qui verberibus indiget, exit ad eum virga, qui autem proficit ad iustitiam, ascendit in florem.* Nunquam Deus in flore non sublimis, non altissimus, nunquam in misericordia, & beneficentia non meditatur ascensiones in corde suo. At in virga furoris semper humilis apparet, & demissus. Genes. 11. aiebat Dominus, [Genes. 11.] *Venite descendamus, & confundamus linguam eorum.* Nunquam non ostenditur descensus Dei & demissio, vbi inferendum est supplicium homini. Ad hæc D. Greg. Papa lib. 2. in Iob. [Gregor.] cap. 5. *Ascendunt Angeli in eo quod creatorem conspiciunt, descendunt angeli in eo quod creaturam sese in illicitu erigentem examine districtionis premunt.* Et cur non descenderent Angeli quando & homines descensum, & humiliationem putant, quod teneantur peccatores vindicare. Sic Paul. 2. ad Corinth. 12. ait, *Ne iterum vbi venero humiliet me Deus meus apud vos, & lugeam multos eorum, qui antea peccauerunt.* Minatur aduentum suum in virga, in quo, si accidat, putat se humiliari à Deo. Sic Œcumenius ait, *Vltionem sumere de sontibus, vocat suam humiliationem.*

§. XLI.

Vel Christi Domini halitus sufficisset ad omnium hominum reparandam vitam.

VBi Christus Dominus vocem emittit, cur omnes defuncti non prosiliunt in vitam? vbi ad sepulchrum clamat, cur non deserta manent tartara? Is sanè erat Dominus, cuius vel labiorum motus sufficeret vitam vniuersis comparare; ni ipse per se vnum Lazarum eligeret & nominaret. Mortuo adolescenti Lucæ cap. 7. similiter ait, *Adolescens tibi dico surge.* [Luc. 7.] Vbi non otiose puto appositum illud, *tibi dico*, sed noscens vocis diuinæ efficaciam, & cauens, ne omnes mortui viuificarentur, vnum eligebat, & nominatim signabat. Scat D. Basil. Seleu. orat. 10. aiens, *Cur addit* [Basil. Sel.] *illud, tibi? Simpliciter enim dictu fuit: Heus mortue surge: sed Saluatoris vox alios fuisset etiam virtute sua mortuos excitatura. Ideo adiecit illud, tibi: vt ad eum tantummodo adolescentem mortuum gratiæ suæ vim explicaret.* Sufficisset, quod vnus Iesu halitus inferna tangeret, vt omnibus mortuis vitam daret. Nisi ipse actiuitatem suam ad vnum determinasset, nullis aliis legibus posset detineri, quo minus omnia impleret vita & sanitate. Merito paralyticus ille, qui accusabatur, quo contra legem in Sabbato fuisset Sanatus, aiebat Ioan. cap. 5. *Iesus est, qui me fecit sanum.* Quæ [Ioan. 5.] verba explanans S. Gaudentius tractat. 2. ait, *Ille ergo, in-* [Gauden.] *quit, me fecit sanum, cuius & nomen salus est. Et quomodo poterit salus per præscriptam legem prohiberi, ne sanet?* Nullis legibus teneri potest Iesus, quo minus vitam omnibus & sanitatem haber. Semel exerta Christi virtus vel in voce, vel in vmbra omnium fugaret mortes, omnium infirmitates. Quis neget discipulo Christi Petro virtutem inesse magistri, in cuius nomine & ipse operabatur? Accipite Actor. cap. 5. *Ita vt in plateas eiicerent infirmos, & ponerent in* [Actor. 5.] *lectulis, ac grabatis, vt veniente Petro saltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur omnes ab infirmitatibus suis.* Expende illud, *& liberarentur omnes.* quis enim cohibeat virtutem Christi exortam ad vnum, ne peruaderet vniuersos? Habet hoc vox Christi, habet vel ipsa vmbra Christi, vt vniuersas creaturas suas reparet, Isaias 51. [Isaia 51.] *In vmbra manus meæ protexi te, vt plantes cælos, & fundes terram, & dicas ad Sion, Populus meus es tu.* Quid pulchrius? diuini brachij, id est, Christi vmbra promittitur ad fundanda vniuersa cœlorum & terrarum, ad euocandos, trahendósque in vitã populos. Accinit explicatius Forerij translatio noua, vbi sic. *Vmbra manus meæ protexi te ad plantandos cælos, ad fundandam terram*, &c. Nullis terminis diffinitur Christianæ potestatis vmbra, cui & cæli & terra parent, & in nouum splendorem, nouámque vitam reuocantur. Quis legem imponet Iesu virtuti? Aut quomodo salus per legem poterit impediri ne sanet? Leprosis decem dicebat Iesus Lucæ 17. *Ite, ostendite vos Sacerdotibus. Et factum est,* [Luc. 17.] *dum irent, mundati sunt.* Impertiendæ saluti præponere studebat adimpletionem legis Mosaicæ, & ideò sanandos sacerdoti mittebat, quasi reueritus ipsam legem; verum eius virtus sanandi non contineri quiuit, vt legem expectaret, sed dum illi ad obseruantiam legis eunt, mundati & sanati sunt. Cur ante legem obseruatam sanantur? Cur Iesus ad legem mittit sanandos, & ante legem sanat? Equidem non

non poteſt ſalus per præſcriptam legem detineri, ne ſanet.
Nullam legem veretur virtus Chriſti, vt effundat ſanitates;
vnam ſolam fidem ſolet Dominus expectare, qua poſita
Tertull. vniuerſas leges tranſilit virtus Chriſtiana. Tertull. lib. 4. in
Marcionem. *Vt vidit Dominus illos agnouiſſe legem Ieroſolymis
expungendam, ex fide iam iuſtificandos ſine legis ordine reme-
dauit.* Quos fide carentes videbat, legi remittebat, vt au-
tem fidem in illis notauit, nulla lex potuit impedire, aut
cohibere eius virtutem, ne efficeret ſanitates.

Text. Et ſtatim prodiit qui fuerat mortuus, li-
gatus pedes & manus inſtitis: & facies eius
ſudario erat ligata.

§. XLII.

Viuere vt mortuus debes, qui mortem vincere cupis.

VIde quam vitam recipiat mortuus Lazarus, ait enim,
prodiuit mortuus ligatus pedes & manus, quaſi eam vitam
eligat ſeruatis ligaminibus funeralibus, quæ vbique præſe-
ferat mortis imaginem Optandum omnibus eſſet bis mori,
vt quod primo errauit, ſecundo homo reſtauret. Ecce tibi
Lazarum, cui bis mori datum eſt, ipſe poſt primam mor-
tem, verſùs ſecundam cœpit ambulare ligatus pedes, &
manus inſtitis. Quid nobis loquitur hæc noua forma viuen-
di, & ambulandi? An quod in imagine mortis ad mortem
properemus? An vt ſic viuamus, ſic in hac miſeriæ valle
ambulemus, quaſi funeris inſtitis illigati, quaſi defuncti
ſæculo pedes manúſque ligatas habeamus? Hic ſanè habi-
tus victores nos per veræ mortis anguſtias deducet. Quò
Chryſol. ſpectabat Chryſol. aiens, *Mox Lazarus ab inferis reuerſus oc-
currit apportans vincenda mortis formam.* Hæc eſt vincendæ
mortis forma, nimirum defuncti habitus, quo quis velut
ſæculo mortuus ligatus pedes & manus vitam agat, hoc eſt,
eam rationem vitæ inſtituat, quaſi mortuus ſit, quaſi ſepul-
Auguſt. chrali habitu adornatus. Quod Auguſt. Hom. x. innuebat:
*Lazarum ideo Chriſtus vita noſtra reſtituit, vt vnus homo ſe-
mel naſci, & bis mori diſceret.* Felix qui bis mori nouerit, felix
qui & in vita ſic moritur mondo, ſic conſepelitur Chriſto,
vt fere nihil quod agat, in eo habeat mors futura. Apud
Nazianz. Nazianzenum fratres Machabæi ſeſe ita eshortantur ad
mortem ſubeundam. *Non ne aliquando, nolimus velimus, mo-
riendum nobis erit? Proinde quod facere neceſſe habemus, vltro,
liberaliterque faciamus, callidum conſilium circa mortem ineamus.
Nemo veſtrum huius vitæ amore flagret.* Ecce tibi callidum
conſilium contra mortem initum, nimirum vt vitam hanc
contemnamus, nóſque mortuis in illa conformemus. Cum
audio illud callidum conſilium, non me tempero, quin tale
conſilium acceptum referam callidiſſimo omnium animali,
nimirum vulpi. Hæc vt omnis calliditatis mater ſic aduerſus
mortẽ callidiſſimè ſeſe armat. Cum enim ſic à venatoribus
circumuenitur, vt nullum effugium videat, tunc ſpiritus in-
tra pectus cohibens, corruit velut prorſus exanimis. Quam ſi
calces, ſi vulneres, ſi hinc inde pellas, iacias, penè mortuam
experieris, nullum vitæ ſignum, nullum ſenſum notabis, quo
aſtu vbi te ſecurum reddit de fuga, protinus effugit. Hanc
vulpis ebibat calliditatem, qui mortis velit ridere pericula,
ſic ſe in vita componat quaſi mortuus ſit penitus mundo.
Extremæ mortis pericula & tormenta ſic præueniat, vt an-
tea velut mortuus ſeſe exponat inſenſibilis contemptui,
conculcationi, vulneri, vt vrbs non tam viuendi ſtadium ſit
illi, quam ſepulchrum. Ex quo lucem capit non facilis Iobi
Iob 6. locus apud Septuaginta cap. 6. vbi ſic. *Si enim dederit, & mea
venerit poſtulatio, & ſpem meam dederit Dominus, cùm cœperit
Dominus, vulneret me: in finem autem non me interficiat. Sit au-
tem mea vrbs ſepulchrum, in qua ſuper muros ſaliebam in ipſo.*
Expetebat iuſtus vir mortem extremam, illámque aſſidue
petebat à Deo, non tamen audet accedere ad illam, quin
prius callidum aduerſùs illam conſiliũ ſuſcipiat, quin prius
ad mortis ſimulacrum ſe effingat, & ſenſum in contemptu,
in vulnere diſſimulet, & in vrbe inter viuos degat, velut
tumulatus inter ſepulchra Ideò ait, Si Deus optatis meis
annuat, & mortem velit inferre, incipiat iam me præpa-
rare, incipiat priorem mundo mortem infundere, incipiat
me vt mortuum inculcationi & vulneri exponere; faciat
quod viuẽdi vrbs ſit potius mortui ſepulchrum. Quo etiam
Act. 20. retulerim acutam interpretationem loci ex Actorum 20.
quam crediderim inſinuatam a Lorino. Quippe ait Paolus:
*Ecce alligatus ego ſpiritu vado in Ieruſalem, quæ in ea ventura
ſint mihi, ignorans. Niſi quod Spiritus ſanctus per omnes ciuita-
tes mihi proteſtatur, dicens: Quoniam vincula & tribulationes
Ieroſolymis me manent.* Vincula imminentia ſibi Ieroſolymis
præuidebat, ad illáque ibat, ſed qualis ibat? Alligatus
ſpiritu; nimirum, quæ verè ventura erant, vincula ſibi ipſe
in ſpiritu antea iniecerat, iam velut vinctus catenísque con-
ſtrictus agebat, quo abſque dubio ventura vincula contem-
neret, & mortem ipſam. Sic ligatus manus & pedes inſtitis
ſeſe armabat imagine mortis in mortem venturam.

§. XLIII.

*Expeditiſſimum ſe quis experitur inter virtutum
laqueos.*

NOuum virtutis diuinæ miraculum, quod ligatos ha-
bens pedes, & faciem ſudario obnubilatam nihilo-
minus expedite ambulet Lazarus. Quo mihi ſeſe ſtatim
obiiciunt virtutum ligamina, inter quæ expeditiſſimus quiſ-
que inuenitur, vt ingentia facinora patret. Quæ ſolutior &
diſſolutior vita, quam vita illius Ægyptiæ, quæ Ioſeph ca-
ſtitatem ſoluere cupiebat? huius inter laqueos, vt expedi-
tior eſſet, ſeſe caſtiſſimus adoleſcens temperantiæ reſtibus
alligauit. Quod ponderans Clem. Alex. 3. Pædag. cap. 11. Cl. Alex.
*Non ita conculcauit Ioſeph illa mulier, victa eſt autem Ægyptia
fornicatrix & ſumens vincula temperantiæ potentior apparet ſolu-
ta poteſtate.* Non impediunt, ſed potius expediunt virtutis
vincula, ea enim ſunt, quæ homines ad Deum quam ex-
pedite volare faciunt. Aiebat Pſalm. 78. *Introet in conſpectu* Pſalm. 78.
tuo gemitus compeditorum. Expende illud, *introet*, quippe ille
poteſt intrare, cuius pedes ſoluti ſunt: at qui compeditus
eſt, qualiter poterit intrare? Aut qui ſunt compedes iſti,
qui quos premunt pedes, permittunt in gemitu ad Deum
intrare? D. Auguſt. ibi, *Poſſunt intelligi compediti, qui præ-* Auguſt.
cepta ſapientiæ colligati ſunt. Vbi vinculum virtutis habes, ex-
peditiſſimus ad Deum euolabis. Ex hoc do lucem ſomnio
Eſdræ lib. 4. cap. 3. *Poſt hæc vidi ipſum hominem deſcendentem* 4. Eſdr. 3.
*de monte, & vocantem ad ſe multitudinem aliam pacificam: &
accedebant ad eum vultus hominum multorum, quorumdam gau-
dentium, quorumdam triſtantium: aliqui vero alligati, &c.* Ec-
ce tibi vacanti filio hominis occurrunt viri alligati, non
dubito quin alligati virtutis vinculis, quæ ſola ſecurum ho-
minem reddunt, & expeditum, vt ad Deum vadat. Quo
reſpiciebat pulchro exemplo D. Hieronym. epiſtol. 49. ad
Ruffinum aiens. *Delectatus eſt Vlyſſes ſymphonia Sirenum, ſed
quia Sirenum voces, & Circes pocula cognouit, virtutis vincu-
lis ſibi vim fecit, vt vitaret voraginem. Ego autem in Domino
ſperans aduerſa, quod Vlyſſis imitator ero.* Ecce tibi Vlyſſes ex-
peditionem ſuam à virtutis vinculis commeodat: imò D.
Hieron. de Vlyſſis exemplo docet, quam expedire viam Hieron.
noſtram ad patriam inter Sirenarum voces, & lenocinia
voluptatum conficere poteſt, quiſquis ſibi virtutis vinculis
vim facit. Non premunt, non implicant nos virtutum vin-
cula, ſed & fortiores, & lætiores reddunt. Iſaias cap. 45. Iſai. 45.
parum à vulgata diuerſus apud D. Ambroſ. lib. 1. de fide Ambroſ.
cap. x. ait. *Labor Ægypti & mercatus Æthiopum & Sabaim,
viri excelſi ad te tranſibunt, & tui erunt ſerui, & poſt te ſequen-
tur alligati vinculis.* An in eo labor Ægypti ſitus eſt, quod
Ægyptij alligati poſt Chriſtum abierunt. Apage: imò vin-
cula hæc Chriſtiana gentes à labore liberarunt, & à ſerui-
tute in libertatem expeditiſſimam traxerunt. Id quod pon-
derans D. Ambroſ. Pſalm. 37. ait. *Labor Ægypti & mercatus
Æthiopum & Saboim, viri excelſi ad te tranſibunt. Laborauit
Ægyptus antequam cognoſceret veritatem, ſed iam non laborant,
poſtquam tranſiuit ad Chriſtum. Sequuntur volentes Sabæi, qui
ante fugiebant: quia tenent eos vincula charitatis* Nullus eſt
labor, nulla ſeruitus, vbi ſunt virtutum vincula, vbi cha-
ritatis in Deum laqueis conſtringeotur, à quibus id potius
emolumenti accipimus, quod ſecuriùs, & expeditius ad
Dei regna euolamus. Vt merito clamet Zacharias 9. *Con-* Zachar. 9.
uertimini ad munitionem vincti ſpei. Vanè enim vocaſſet vin-
ctos, niſi ſciret virtutum vincula calcaria eſſe, imo alas,
quibus curras & euoles in via. Quo reſpiciebat Oſeas cap. Oſea 11.
11. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* Dixiſ-
ſet aptius, in calcaribus, in alis: ſed ſciebat Dominus ſuo-
rum vinculorum virtutem, qua ſuper pennas ventorum
euolamus.

Text. Dicit eis Ieſus: Soluite eum, & ſinite
abire.

§. XLIV.

§ XLIV.

Meditatio mortis fidelissimus dux est ad vitam.

NOn ad se trahi petit rediuiuum hominem Saluator, sed liberâ abeundi præstat facultatem, *sinite*, ait, *abire*, sciebat enim hominem mortis memoria septum non perditum ire; fidelissimus dux est mortis meditatio, quæ nos in vitam deducet. Sichimitarum mortem speculatus Clemens Alex. nunquam satis miratur, quod Deus iter agenti Abrahamo in terram promissam, tam lacrymabilem hominum mortem obiecerit: vt quid Deus tot sepulchris Sichimitarum seruum contristaris abeuntem? Sanè non pro tristitiæ symbolis posuit Deus Sichimitarum sepulchra, sed
Cl. Alex.
pro itineris fidelissimis ducibus. Ita Clem. lib. 3. Pædag. 2. *Sepulcrum eis est supplicium, & pœnæ monimentum nos ducit ad salutem.* Huc spectant vniuersa defunctorum monimenta, vt nos in viam salutis dirigant, vt humani itineris laudabi-
Tob. 14.
liter conficiendi duces fiant. Senior Tob. cap. 14. sic moribundus ad filios & nepotes suos aiebat: *Quacunque die sepelieritis matrem vestram circa me in vno sepulchro, ex eo dirigite gressus vestros, vt exeatis hinc.* Expende illud, *ex eo dirigite gressus vestros*, ex eo, inquit, nimirum ex sepulchro materno gressuum directionem accipere iubet. Est equidem sepulchrum optimum humanæ viæ directorium, quo proposito ob oculos nemo ferè inuenietur, qui declinet a via. Trucidabant tyranni sanctissimos parentes, eorúmque concisa cadauera obiiciebant filiis, vt parentum morte territi, à via veritatis resilirent. Sed cur non magis parentũ morte
Psalm. 78.
conspecta hærerent Deo filij? Psalm. 78. *Secundum magnitudinem brachij tui posside filios mortificatorum.* Expende illud, *posside.* quasi nil iam habeat, quod agat Deus, vt sibi acquirat filios, qui parentum mortis cóspectu armati sunt. Alios adiuua, conforta, confirma, libera, illos posside, qui à sepul-
August.
chris parẽtum prodidere. Non multum abest August. acumen innuens, *Filios mortificatorum dicit, quia non solum non sunt territi præcedentium passionibus, sed in eum, pro cuius nomine passos esse nouerant, accensi.* Non est mortis conspectus talis vt à Deo separet, sed potius, vt iungat nos, & alliget Deo. Quàm alius est in Dei via, qui memoria mortis comitante, iter arripit! Compone modo pristinos Hebræos ab Ægypto exeuntes, & ad terram promissam pergentes, & eorum strenuissimum ducem Moysem. Illi sæpè pro Ægyptiorum escis suspirant, sæpe Deum offendunt, sæpe mulctantur: hic autem ad Dei colloquium vocatur, pro suis stat, fidelissimus inuenitur. Vnde tantum discrimen simul gradientium? Hebræi se præparant ad viam vasa aurea petentes ab Ægyptiis, de Moyse autem singulariter dicitur
Exod. 13.
Exod. 13. *Tulit quoque Moyses ossa Ioseph secum,* &c. Quod dum expendis, & quæris rationem tanti discriminis, cur Moyses sic Deo charus, Hebræi sic infensi? Meritò respondet
Lyppom.
Græcus in cat. Lyppom. *Præterea quod Iudæi vtpote infantibus similes aurum, atque argentum detulerunt; Moyses vero intemeratæ animi vir, Ioseph ossa deportauit.* Cur non redderent acceptum Deo portatorem aridæ Ioseph ossa? Cur mortuo cinere comite non pergeret homo Deo semper gratus? sanè vt Deus faceret omnes Hebræos sibi obsequentissimos cum ex Ægypto liberat, cum siccos per mare ducit, cum ad ripam maris lætos & victores statuit suffocatis Ægyptiis, protinus illorum cadauera ad eandem ripam mira-
Exod. 14.
culose trahit, Exod. 14. Liberauitque Dominus in die illa Israël de manu Ægyptiorum, & viderunt Ægyptios mortuos super littus maris. Sic ibi. Non solum suffocat Ægyptios, sed cadauera eorum (quod fieri non solet in aliis suffocatis) facit statim supernatare vt videantur ab Hebræis, vt à tanto mortuorum conspectu sic gressus dirigerent, ne toties aberrarent. Vnde desperatam Hebræorum conditionem præ Ægyptiis peponibus suspirantem
Origen.
hinc exaggerat Origen. Homil. 7. in Exod. fatus, *O populus ingratus, desiderat Ægyptum, qui Ægyptios vidit extinctos! Carnes Ægypti requirit, qui Ægyptiorum carnes vidit maris piscibus, & cæli alitibus datas!* Desperata conditio est illorum qui nec visa morte emendantur, quando meditatio mortis fidissimus dux est viæ salutis. Id quod do-
Euseb.
cet Euseb. Gallicanus Homil. 2. de Epiphania inquiens, *Per salutiferas gradimur vias quando anima damnatis voluptatibus, id potius cogitat, quando sepositura sit tabernaculum sui corporis.*

LIBER

LIBER NONVS, DE PARALYTICIS ET LEPROSIS CVRATIS.

POST mortem deuictam, nos vocant morbi illi, qui & totum hominem inficiunt,& aut nunquam aut difficulter curantur. Hi sunt & Paralysis & Lepra, quæ mala Iesus noster ab hominibus suis depellens, eorum speciem subit, vt dicat Isaias cap.53. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit, & nos putauimus eum quasi leprosum.* Quis non amet medicum,qui non veretur pro infirmis infirmari?

CAPVT I.

De Paralytico per tegulas dimisso.

IAM dudum Capharnaum ciuis factus Dominus, quod ideò patriam suam nuncupauit, oppidum intrauit. Tunc ad eum quatuor viri quendam detulere languentem, vix adhuc hominem, iam cadauer. Quem vt Dominus supernæ virtutis egere virium restitutione conspexit, peccatis priùs curauit absoluere, quæ malorum omnium sunt radices,vt in hominem depulso sortium squalore mundatum, tanquam præparatam sibi solus introiret in domum. Nec non vt murmura Iudæorum comprimat, dicit iacenti: Surge, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam.Non moratus ille parere iussis,assurgit ex imbecilli validus, ex desperato confisus, ex moriente victurus, & mente, & corpore diuina Christi virtute, persectè sanatus.

Luc. 5. Et factum est in vna dierum & ipse sedebat docens: & erant Pharisæi sedentes,& legis Doctores, qui venerant ex omni castello Galilææ & Iudææ, & Hierusalem. Et virtus Domini erat ad sanandum.

§. I.

Christi verbi suauitas & beneficentia congregat,& cicurat efferatissimos quosque. Vbi de ornatu sermonis.

ET doctrinæ explicandæ, & infirmis curandis dans operam Iesus ad se populos adlectabat: & cur populi non currerent ad Iesum, apud quem viuidi & sapientiæ, & beneficentiæ fontes largis effundebantur canalibus? Et rurales turbæ & Ierosolymitani superbissimi Dynastæ Iesu operante, quasi vnius moris in domo sedem habent. Huc spectat illud Isaiæ cap. 12. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris.*Per aquam Procop.in præsenti intelligit Spiritum sanctum; & quidem Spiritus sancti dona & scientiæ, & gratiarum è viuido Iesu fonte, dum omnes hauriunt,nemo exhaurit. Quid inde Isaias? *Confitemini Domino, & inuocate nomen eius; notas facite in populis adinuentiones eius.*Expendo quod dicat, *notas facite in populis.* quippe apud Oseam cap. 1. ait, *Voca nomen eius, non populus meus, quia vos non populus meus;*sed quasi iam efferi homines & non populi in populum sint effecti, lætabundus Isaias ait, Notas facite in populis adinuentiones eius.Iam sibi Deus adinuenit populum, iam Dei ars & inuentio patet in populo congregato. Sed quæ hæc ars & adinuentio Dei? Sanè in eo,quod antè dixit, consistit, nimirum,haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. Non vane & casse Saluatoris fontes hauriuntur: adinuentio est, quæ tanti fontis haustibus nouit populos lactare, & adlectare, vt efferis moribus dimissis, iam vnius moris in domo viuant Christiani. Memini Sarmacidem fontem Tertull. aduers. Valent. qui Isaiæ verbis haud obscuram præferet faciem.De illo sic Vitruuius etiam datus lib. 6. cap.3.§.49. lib.2.Architect. *Cum Melas & Areuanias ab Argis & Trœzene coloniam communem eò loci deduxerunt, barbaros Caras & Lelegas eiecerunt. Hi autem ad montes fugati, se congregantes discurrebant, & ibi latrocinia facientes crudeliter eos vastabant. Postea de colonis vnus ad eum fontem propter bonitatem aquæ, quæstus causa, tabernam omnibus copijs instruxit, eamque exercendo, eos barbaros allectabat. Ita singillatim decurrentes, & ad cœtus conuenientes, è duro feróque more commutati in Græcorum consuetudinem & suauitatem sua voluptate reducebantur.* Hæc ille aiebat de Sarmacidis fontis adinuentione, quem ego libenter memini, vt in nostri Saluatoris fontibus, eas pietatis adinuentiones explicarem, quibus populi suauiantur,alliciuntur, & inter doctrinæ latices & beneficentiæ circa egentes,suauitates,mores etiam imbibunt Christianos.Accinit Prouerb.9.*Sapientia ædificauit sibi domum,scidit columnas septem,miscuit vinum,& posuit mensam suam. Misit ancillas suas,vt vocarent ad arcem & ad mœnia ciuitatis.* Vbi enim incarnata sapientia cœpit homines diuina doctrina pascere,communésque & verbi & sacramentorum pastus omnibus exhibere, sacrificia veri ritus explicare,non amplius homines efferi & errabundi per deserta, sed in ciuiles,& humanos mores efformantur. Iam à Christi verbo pasti vocantur, imò reuocantur ad arcem, & ad mœnia ciuitatis, hoc est, abiectis speluncis ferarum, ciuilissimæ hominum vrbes ædificantur. Vbi incarnata sapientia Triclinium adornauit in terris, verbi panibus plenas mensas apposuit,iam non domus vna, sed ciuitati condendæ mœnia amplissima, & arces parabantur. Iam à mensis allecti ad cœtus conuenientes è duro feróque more commutati fastuosissimi, & barbarissimi in consuetudinem humanissimam reducebantur. Id quod spectabat Isaias cap. 11. *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit: vitulus & leo & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos.* Argutius in rem præsentem Septuaginta pro illis verbis, *habitabit, accubabit, morabuntur,* ponunt vbique, *pascentur*, vt innuerent tantam ferorum cordium humanitatem, comitatem, ciuilitatem à Verbi diuini pastu fuisse deriuatam. Cui suffragatur Procopius relatus à Leone de Castro in præsenti fatus, *In Ecclesia vitulus & leo & pardus mutatis ferinis moribus simul pascentur,eiusdem spiritualis esca participes, idest reges & principes viri, dimisso illo fastu, & fœditate simul cum pauperibus versabuntur.* Sic Saluatoris latices, sic diuini Verbi pascua cicurant efferocissimos homines, lupósque conuertunt in agnos, faciúntque & leones & oues in vno grege sub eodem pastore commorari. Quem non cicurent, & mansuefaciant viuida Saluatoris verba? Dan.c.4.*Ecce arbor & folia eius pulcherrima:& fructus eius nimius,& esca vniuersorum in ea,subter eam habitabant animalia & bestiæ.* Miraberis tot fera animalia, tot bestias carniuoras adeò mansuete & pacifice ibi simul habitare & vitam agere; quo id carmine

Isaia 12.
Ibidem.
Osea 1.
Tertull.
Vitruu.
Isai.11.
Procop.
Daniel.4.

carmine factum est? Verte oculos ad fructus arboris, verte oculos ad pulcherrima folia illius, nimirum ad sapientiæ verba, quæ sola cicurare valent efferos mores, & in mansuetudinem humanam reducere. D.Thom. Opusc.58.cap.3. *Sub folio pulchro animalia sibi inimica, vt lupus & agnus, columba & visus pacifica erant. Quia verba sapientum inimicos reconciliant.* D.Thom. Hoc à D.Thom. libentissimè accipio, vt liberem disertas, & ornatas linguas à rustica censura multorum, qui pulchritudinem dicendi contrariam putant Christiano spiritui. Imo vitæ arbor Christus & dulci sapientiæ esca, & pulcherrimis verborum foliis, inimica & fera animalia ad humanitatem reducit. Quantum in hoc possunt sapientiæ verba, nouit prudens illa Esther quæ astitura infensissimo Hebræorum hosti Assuero sic precatur cap. 14. Esther 14. *Tribue sermonem compositum in ore meo in conspectu Leonis.* Vel Leonem cicurare sperabat, & flectere in mansuetudinem, si sapientiæ diuinæ reciperet sermonem compositum in ore suo. Qui est sermo compositus? Carth. Carthusianus ait, *Sermonem ornatum, ac audientis beneplacitum.* Vtilissimum Christiano est, de fontibus Saluatoris haurire, quo ornate dicat; quando & ipse Saluator splendenti flumine orationis lapideos, & feros homines trahebat in mores humanissimos. Ioan.4. Ioan.4. ad discipulos dicebat: *Videte regiones, quia albæ sunt ad messem. &c.* Nec tunc in priuato sermone à figurata locutione, oratorumque pulchris metaphoris voluit desistere. Quod si quæras, cur etiā tunc figurate, & cum ornatu loquitur? Respondet Chrysost. homil.23. in Ioan. *Vt iucundior narratio esset, & diutius animo immoraretur.* Habet hoc sermonis ornatus, vt sententiam altius animo infigat, præterquam, quod allectat homines, & cicurat. Psal.141. Psalm.141. *Audient verba mea, quoniam potuerunt.* Alij legunt apud D. Chrysost. *Quoniam speciosa fuerunt.* Multum possunt verba speciosa, vt se audiri, & percipi faciant. Cant. 1. dictum est sponso: Cant.1. *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Vbi noster posuit murenulas, ponunt alij similitudines aureas, quas reducit Bernard. ad diuinas inspirationes, cordisque loquelas, quibus angelorum ministerio mouemur ad virtutes. Sed cur hæ similitudines dicuntur argento vermiculatæ? Bernard. Bernard. serm. 41. in Cant. ait, *In quo mihi significare videtur, non modo similitudines intus per Angelos suggeri: sed nitorem eloquij per ipsos extrinsecus ministrari, quo congrue, atque decenter ornata ab auditoribus facilius capiantur, & suauius.* Hæc ille de ornatu, nitoréque sermonis. Act.15. Act. 15. *Iudas autem, & Silas, & ipsi cum essent Prophetæ, verbo plurimo consolati sunt fratres, & confirmauerunt.* Vbi noster ponit, *verbo plurimo*, legit Syrus, *sermone diuite*, quasi efficacia persuasionis a diuite ornatu orationis veniat.

Marc. 2. Venerunt ad eum ferentes paralyticum, qui à quatuor portabatur; & cùm non possent offerre eum illi præ turba, nudauerunt tectum, vbi erat, & patefacientes submiserunt grabatum; in quo iacebat paralyticus.

§. II.

Proximorum virtutes ponderet, & ampliet Christianus, qui in defectibus cæcutiat, & taceat.

PVlchrum charitatis facinus fuit, cum aliter non possent infirmum ex aperto tecto dimissum Christo Domino præsentare; sed quanta id molestia eorum, qui Iesu aderant, factum est? Equidem crediderim, non potuisse tectum nudari tegulis, & tabulatis sine metu, & molestia eorum, qui intra domum erāt, præcipue cum tanta esset hominum frequentia, vt tenerentur, & puluerem, & deciduos lapillos, & lignorum particulas excipere. Hanc facti molestiam auditoribus exhibitam dissimulant Euangelistæ, cum multi sint in charitatis opere explicando. Plurimum enim docet Christianum ad defectum, & inconsiderantiam proximorum cæcutire, & corū virtutes maxime ponderare. Id quod seruabit magister noster Christus, etiam cum index sederit ad iudicandum mundum. Matt.25. Math.25. *Tunc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti patris mei, percipite paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere. Hospes eram, & collegistis me. Nudus, & operuistis me. Infirmus, & visitastis me. In carcere eram, & venistis ad me.* Quis non videat, quam largus hic rex in ponderandis sibi præstitis officiis? Quam memoret, & expendat singula singillatim, ne quid iunctum cum alio videatur? Non sic cum malis operibus agit; ibi aliqua confundit, aliqua miscet: quippe ait: *Hospes eram, & non collegistis me. Infirmus, & in carcere, & non visitastis me.* Expende illud, infirmus, & in carcere. De quo sic fatur Origen.hom.34. in Matth. Origen. *Iustis quidem de infirmitate dicit. Infirmus fui, & visitastis me. Separatim autem de carcere, in carcere fui, & venistis ad me. Ad iniustos autem præcidens, & compendians narrationem, subnexuit vtrumque, dicens, Infirmus fui, & in carcere, & non visitastis me. Quoniam misericordis iudicis erat benefacta hominum largius prædicare, & ampliare: male facta autem eorum transitorie memorare, & breuiare.* Sic maximus bonorum operum ponderator, & prædicator, etiam in pessimis hominibus, & omnino deploratis cæcutit ad scelera, illáque breuiat, & pertransit. Quis fratris non prætereat peccata, vt virtutes exaltet? Quis respiciat festucas errorum, cum possit magnalia virtutum fraternarum prædicare? Vrgebatur D. Hieronymus, vt sanctorum virorum aliquales, etsi leuissimas culpas exereret, alioquin Pelagius roboraretur aduersus fidem, asserens posse hominem viuere absque aliqua labe peccati. Quid tunc Hieronymus? Hieron. Causa fidei erat, vt minuta aliqua peccata in sanctis viris quæreret, nihilominus sanctissimus vir hac prudenti ratione ab illa inquisitione abstinet, lib.2. contra Pelag. *Quæris vbi Abel, vbi Enoch, vbi Iesus Naue, vbi Helisæus peccauerint? Non est necesse in scripto quærere. Vtinam possem manifesta reticere peccata.* Absurdissimum est, vbi floridissimæ vigent virtutes, fragilis naturæ indagare, & publicare errores, & imperfectiones taxare, & celebrare. Audistis Magdalenæ facinus, quo effudit in Christum totum vnguēti alabastrum? facinus sane, non adeo illustre, (si consideretur in Christi schola) verum vt factum fuit à fœmina pietate, & deuotione plena maius omni laude. Hoc vbi viderunt multi, respuerunt Matth.26. Matth.26. *Vt quid perditio hæc? Potuit enim istud venundari multo, & dari pauperibus.* Qui neget hanc imperfectionem in facto illo secundum se considerato? Et nihilominus magister, & Dominus virtutum sic pro muliere: *Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me.* Et quidem ô Domine, nemo negat bonum fuisse opus, sed solum carpunt inutilitatem, & imperfectionem; cur ergo reprehendis, & molestos vocas eos, qui imperfectionem carpunt. An non imperfectum erat opus illud in se spectatum? Erat sane, sed summa charitate, & deuotione fœminæ factum & molestissimum, & indignissimum in opere bono quærere, quid vituperes, & videre imperfectiones, cum possis totū habere, quod laudes. D.Isid.Pelus.lib.2.epist.88. D.Isidor. Pelus. *Quoniam mulier oleum effundere ausa fuerit, absurdissimum esse diuina sapientia iudicauit, ipsius fidem obterere, atque ipsius patrocinium suscepit, his verbis: Bonum opus fecit. Non enim dixit, Bonum opus factum est: sed fecit. Nec enim ipsum facinus priuatim expendit: verum vna cum muliere persona.* Et quidem opus in se consideratum non adeò à Iesu laudaretur, ideo illud Dominus considerat, qua parte illud debet laudari, & aliud præmittit. Is enim est spiritus Christianus laudare bona, cæcutire ad mala.

§. III.

Nullum vitium incurabile, vbi diligentia adsit.

INterclusi viderentur omnes salutis aditus huic paralytico, quando propter constipatam multitudinem hominum nō poterat ad Christum intromitti: sed interclusi communes aditus nullā desperationem faciunt diligētissimis portitoribus, qui nulli parcentes diligentiæ, nec labori nouam inueniunt viam obtinendæ sanitatis. Sic quidem Deus sanabiles facit omnes nationes, quæ diligenter student obtinendæ sanitati: nullum vitium, nullum peccatū incurabile est, vbi diligentia adsit. Amalecites ille 2.Reg.cap.1. Saulem 2.Reg.1. lancea transfossum inuenit, quem & ab ipso persuasus interfecit, factique rationem reddens, ait: *Stans super eum occidi illum, sciebam enim, quod viuere non poterat post ruinam.* Hinc miserum Saulis interfectorem statim interfecit Dauid. Sed cur miser homuncio sententiam mortis incurrit? Sane debuerat percusso regi suam prius præstare diligentiam, vt illum à morte eriperet, quam desperasse de remedio dicens, sciebam, quod viuere nō posset. Eleganter Bachiarius epist. Bachiar. de recipiendis lapsis ait, *Illū Dauid statim in morte damnauit, cum percussum ab hoste desperasset esse victurum, & eum sublata spei fiducia iugulasset.* Citius credidit nō esse victurum, quam diligentiā adhiberet, vt viueret. Merito offendit Dauidem, qui

qui maluit deſperare de percuſſi vita, quam diligentia adhibita procurare illum retinere in vita. Quippe nunquam deſperandum eſt de peccatoris vita, dum licet aliquam adhiberi diligentiam, vt viuat. Id quod pulcherrimè docet

Cyprian. D.Cypr.ſerm.de cœna Domini prope finem inquiens, *In eodem articulo temporis, cum iam anima feſtinet ad exitum, & egrediens ad labia ſpirantis emerſerit, pœnitentiam clementiſſimi Dei benignitas non aſpernatur: nec ſerum eſt, quod verum; & quæcunque neceſſitas cogat ad pœnitudinem, nec quantitas criminis, nec breuitas temporis, nec horæ extremitas, nec vitæ enormitas (ſi vera contritio ſi pura fuerit voluptatis mutatio) excludit à venia.* Nullis carceribus, nullis difficultatibus, nullis anguſtiis intercluditur aditus ad ſalutem, vbi à diligentia faciẽda prorſus non impedimur. Quorum ſalus magis deplorata, quam Niniuitarum? Sic Dei ſententia tulerat

Ion.2. Ion.c.2. *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur.* Hanc ſententiam excipiunt Niniuitæ; hãc audit rex, nec tamen deſperat, imo ad nouam, & inauditam pœnitentiam prædicandam feſtinat. *Homines, ait, & iumenta, & boues, & pecora non guſtent quicquam, nec paſcantur, & aquã non bibãt, & operiantur ſaccis homines, & iumenta, & clament ad eũ fortitudine, & conuertatur vir à via ſua mala, & ab iniquitate, quæ eſt in manibus eorum. Quis ſcit ſi conuertatur, & ignoſcat Deus, & reuertatur à furore iræ ſuæ, & non peribimus?* Sanè lata mortis ſententia obſtructiſſimus videbatur aditus ad ſalutem, non tamen deſperat bonus rex, dum habet quid agat ex his, quæ ſolent negotiari veniam. Ad hominum lacrymas brutorum lamenta adiungit; & dum tam nouæ diligentiæ ſtudet, iratum Deum conuertit in manſue-

Baſil. tudinem. Pulcrè D.Baſ.orat.4.de Pœnit.fatur. *Talis erat diligens illa Niniuitarum pœnitentia, & ſapiens ac coaceruata illa tribulatio, quæ nec bruta quidem animantia ſupplicij expertia eſſe voluit*, &c. Expende illud, *diligens pœnitentia*, quippe ſola indiligentia, & incuria perdit miſeros peccatores, qui ſi diligentiam adhiberent, abdubium quin reciperent ſalutem. Dum adeſt diligentia, non intercluditur aditus ſaluti; per tectum intrabit, quando per oſtium non poteſt: verum vbi diligentia deficit, prorſus venia excluditur. Id quod manifeſtè patet in Nabuchodonoſor, cui præciſionem à Regno Daniel prophetans, ſtatim ſubiicit c.4. Quamobrem conſilium meũ placeat tibi, Rex, & peccata tua eleemoſynis redime: forſitan ignoſcet Deus delictis tuis. Bonus conſiliarius etiam ſententia lata non deſperat omnino; ſed diligentiam

Daniel.4. conſulit, qua depelli poſſit. Et quid tandem factum eſt? *Poſt finem menſium duodecim aula Babylonis deambulauit, reſpondénſque rex ait: Nónne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei. Cumque ſermo adhuc eſſet in ore regis, vox de cœlo ruit. Tibi dicitur Nabuchodonoſor rex, regnum tranſibit à te*, &c. In qua re expendendum eſt illud, *poſt finem menſium duodecim.* Sententia lata erat, conſilium Danielis de eleemoſynis faciendis regis exhibitum, cur poſt hæc duodecimus menſis expectatur ad ſupplicium? Cur non ſtatim immediatè poſt ſententiam contigit Nabuchodonoſori ſupplicium, vt contingit Balthaſari filio eius? An acquieuit Danielis conſilio & eleemoſynas fecit? Equidem acquieuit conſilio Danielis, & dum per annum eleemoſynis incumbit, aditum inuenit ſaluti: qui prorſus intercluditur, vbi duodecimò menſe eleemoſynarum oblitus ad priſtinã redit ſuperbiam. Quip-

Hieron. pe re in arcto poſita eleemoſynarum diligentia inuenit ſalutem, quam funditus perdit ceſſatio, & incuria. Do D.Hieron.ſic fantem. *Fecit Nabuchodonoſor iuxta Danielis conſilium miſericordias in pauperes, & idcirco vſque ad menſem duodecimum in eum eſt dilata ſententia. Sed quia poſtea ambulans in aula Babylonis gloriatur & dicit: Nónne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificaui? Bonum miſericordiæ perdidit malo ſuperbiæ.* Dum eleemoſynarum perſiſtebat operatio, & diligentia pauperibus alendis adhibeatur, inter ſententias latas erat ſaluti aditus, quem obſtruxit ceſſatio. Quiſquis ergo ſalutem cupis, nullis cedas anguſtiis, diligentiam adhibe, & erit ſalus. Non te difficultas & incertitudo premat, ſed quo difficilior videatur ſalus, eo maiorem diligentiam ad-

Ionæ 2. hibe, & magis extraordinariam. Sic dicebat Rex Niniue Ionæ 2. *Operiantur ſaccis homines, & iumenta, & clament ad Deum in fortitudine. Quis ſcit ſi conuertatur, & ignoſcat Deus?* Dubiam veniam proponit, & fortiores clamores petit? Cur non magis certam veniam promittit? Vt quo difficilior, & incertior videretur ſalutis aditus, eo fortius, & vehementius ad extraordinarias pœnitentiæ diligentias euolarent. Remig. apud Gloſſ. ait. *Ideo ambigue profert, vt dubij de ſalute fortius agant pœnitentiam.* Solet ſæpe dubia ſpes nouos parere conatus.

§. IV.

Charitatis ingenium, & acumen maximum in iuuandis proximis.

QVando ſalutis communes viæ occluſæ paralytico erãt, nouam aliam viam excogitauit portitorum charitas, qui per oſtium non poterat, per rectum intraret. O charitatis ingenium! Artificioſa planè eſt, & acuta charitas in proximis iuuandis. Sed præſtat recolere Micholis facinus, vt Dauidem liberaret. Hæc vt nouit à rege Saule peti in mortem Dauidem, aſtu curat deludere conatus regios. Quid plura? 1.Reg.19.dicitur. *Tulit autem Michol ſtatuam, & poſuit eam ſuper lectum & pellem piloſam caprarum, poſuit ad caput eius, & operuit veſtimentis. Miſit autem Saul apparitores qui raperent Dauid: & reſponſum quod ægrotaret.* Quis hanc artem, hoc ingenium dedit fœminæ, niſi charitas, qua impellebatur vt virum ſuum iuuaret & defenderet? Argutè D.Baſ.Sel.orat.16.fatur. *At mihi qua ſolertia, qua charitate mulier in virum fuerit. Perſuaſit quoque lectulo, vt in valetudinis ſimulationem adiuuaret.* Quid argutius? eo peruenit charitatis ars, charitatis ingenium, vt lectulo ipſi perſuaderet ſimulationem facere, vt conatus ſuos iuuaret. Quæ lectulo potuit perſuadere, cur non audeat hominem ſuis trahere artibus? Ea eſt charitas quæ doceat fœminas perſuadere lignis: & doctas orationes cõficere, vt proximis ſalutem adipiſcatur. De venefica illa, quam Saul penè deploratus conſuluit, ſic loquitur 1. Reg.28. *Ingreſſus eſt itaque mulier illa ad Saul, dixitque ad eum: Ecce obediuit ancilla tua voci tuæ, & poſuit animam meã in manu mea, & audiui ſermones tuos, quos locutus es ad me. Nunc igitur audi & tu vocem ancillæ tuæ, & ponam coram te buccellam panis, vt comedens conualeſcas.* Non ſimpliciter petit ab infirmo, vt comedat; ſed argumenti vim exerit, & pulchro orationis filo ſic reluctantem conatur conſtringere, vt non poſſet abſtinere à cibis. P.Dam.ep.34.fatur. *Argumentis vtuntur homines, vt è proprijs domibus hoſpitari nolentes eijciant. Si quidem locus iſte depretiatur. Hic per inclementiam annonæ tempeſtatis ægra ſeges negare fertur agricolis victum. Hæc autem prudens, & ingenua mulier rhetoricatur, vt ita loquar, & oratorum orationibus vtitur, vt inimicus eius, dum reſpuit, ad edulium prouocetur.* Fœmina charitate docta vincit rhetorum flumina, ſuperat oratorum ingenia, ſophiſtarum acumina, vt egentibus etiam reluctantibus præſtet auxiliũ.

1.Reg.19. — Baſil. — 1.Reg.28. — Damian.

Matth.9. Et videns Ieſus fidem illorum dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.

§. V.

Præſtantiſſima, Deique digna ea fides, quæ operibus charitatis viſibilis exhibetur.

MAgna fides baiulantium fuit, Deóque gratiſſima, quæ non ſolum mentis oculos ſed & corporeis oculis potuit percipi, quando per inſignia charitatis opera lucidior apparuit. Cur fidem non commendarent ea opera, quæ Deũ ipſum videntur quaſi extollere, & commendare? Iſai. c.35. inquit, *Ipſi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei noſtri.* Et vt explicet, quæ ſit Dei gloria, & decus, continuo addidit eius charitatis opera infirmis iuuandis, dicens: *Confortate manus diſſolutas, & genua debilia roborate.* Quem locum ſic tractat Tertull.lib.4. in Marc. *Videbit, inquit Iſaias, populus ſublimitatem Domini, & gloriam Dei. Quam ſublimitatem, & quam gloriam? Conualeſcite manus dimiſſæ, & genua diſſoluta.* Etenim clarior fit & lucidior ſublimitas, & gloria Dei ex immenſæ charitatis operibus, quæ præferunt debilibus ſanitatem. Vt hinc conſtet, quam pateat decor, & gloria fidei, vbi per charitatis opera viſibilis apparet. Exod. cap.12. vbi agni mandatur ſacrificiũ, ſic lex cauet. *Erit autem agnus abſque macula, maſculus anniculus.* Cur cauet, vt ſit maſculus? An opera digna viro requirebantur in anniculo? Rup. in Exod. c.8. ſubſcribit, fatus. *Erit, inquit, abſque macula, ſanctus, innocens, impollutus, ſed parum haberet gloriæ ſola innocentia, ſi non adeſſet fortitudo quoque ad agenda perfectæ iuſtitiæ opera.* Quæ obiiciuntur oculis virtutum facinora, ea gloriam publicant fidei, reddúntque illam veri Dei gloriæ non abſimilem. Nõ multum gloriæ eſſet fidei, quæ charitatis operibus non eſſet conſpicua, quando inter alia charitatis ſunt opera, & miſericordiæ, quæ Deo faciunt fidem noſtram conſpicabilem? Iſaias c.58. *Frange eſurienti panem tuum, egenos vagóſque*

Iſai.35. — Tertull. — Exod.12. — Rupert. — Iſai.58.

indue in domum tuam, cum videris nudum, operi eum,& carnem suam ne despexeris. Et qualis erit homo fidelis inter tot misericordiæ, charitatisque facinora? *Tunc erumpet quasi mane lumen tuum,& sanitas tua citius orietur,& anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria Domini colliget te.* Vel apud Septuag. *Et gloria Domini circumdabit te* Bene per illud lumen erumpens innuitur à Glossa veritas errores dispergens, ex illóque, & cæteris subsecutis notat Adamus hominem fide,& operibus charitatis conspicuum. Quibus expensis, ecce tibi vbi proximis iuuandis incubueris, rutilat in te fides, matutini luminis instar, formam,& speciem tibi reddens, qua gloria,& pulchritudo tua talibus illustrata misericordiæ operibus oculos spectantium omnium possit implere. Nónne communiter dicitur matutina lux reddere formas, & specié rebus? Quæ noctis fuligine inuisibilis erant pulcritudines, nónne à matutino splendore gloriosas facies induunt, quibus possint discerni? Sic cuius fides in opera misericordiæ excreuit, fit quasi matutinum indués homini formam,& speciem, sic illustrans faciem charitatis operibus, vt iam videatur homo sub diuinæ gloriæ speciosus podere,& ab vniuersis fœditatibus detersus. Miraris forsan fidelis faciem illustrari, conspicabilémque reddi operibus charitatis, sed accipite fidelissimi hominis faciem, vt opera illustrant, & gloriosam faciunt apparere. Nónne Abraham fidei exemplar est? De illo sic Gen. 22. habes, *Tentauit Deus Abraham.* Quid est, tentauit Deus? Erat fides Abraham obducta caligine, nondum aspectabilis erat omnibus, quare Deus in ardua,& difficilia opera Abrahamum vocauit, vt iret ante faciem iustitia eius, & gloria Domini circũdaret eam, hoc est, vt per insignia opera fides reciperet & gloriosam,& aspectabilem faciem. Ad hæc D. Basil. Sel. orat. 7. *Tentat ergo Dominus, vt iustum populo innulget, vt seruus virtutem pluribus faciat tollatiorem. Tentatione purgat Abrahamum patientia*(forte melius fidei)*simulacrum, vt nitidiore opere ostentato spectantem rapiat in admirationem.* Ideo opera peruntur à fideli, vt de operum facie rutilet fides, & spectatorum impleat oculos. Quod penicillus obscuræ imagini, hoc est tentatio fidei, hoc charitas, & misericordia, vt nimirum nitidiori opere ostentato gloriosior spectantibus oculis appareat fides.

Genes. 22.

Basil. Sel.

§. VI.

Fidei vltra debitum plura beneficia à Deo exhibentur.

ET paralyticus, & eius baiuli corporalem à Saluatore expectabant sanitatem, sed Saluator beneficentior exoptatam præstiturus salutem, de suo addidit peccatorum solutionem. Cuius id rei gratia factum? Nota consequentiam verborum. *Videns illarum fidem, ait paralytica: Dimittuntur tibi peccata tua.* qui fidem vider, qui ad fidem attendit, non petito munere arctatur, imò ad plura sese accingit beneficia præstanda. Hanc fidei excellentiam notauit Paul. ad Rom. c. 4. fatus. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Distinguit ibi Paulus Abrahami munera ab illorum muneribus, quæ ex debito acquiruntur, temperantur operi, vt minimè excedant: at in Abrahamo, cuius fidei opus non secundum debitum, sed secundum iustitiam, hoc est, gratiam censentur, plura fuerũt munera,& beneficia diuina exhibita. Sic pulcrè S. Theodul. ibi fatur. *Vides, quod operanti merces secundum opera tribuitur, credenti verò iustitia imputatur: innumeras autem merces iustitia continet.* Cur iustitiam inquit, non quæ munerat, vel punit, sed quæ iustificat, nempe gratia intelligitur. In fide ergo non solum debiti expectes solutionem, sed plures ibi spectabis gratias,& beneficia, quæ superabundanter credentibus præstantur. Cui dantur gratiæ, nisi fidelibus? Super quos amplissima effunduntur dona quotidie, nisi super eos, quos fides designat? Paul. ad Hebr. c. 11. inter fidei commendationes hanc ponit. *Fide plurimam hostiam Abel, quam Cain obtulit Deo, per quam testimonium consequutus est, esse iustus, testimonium perhibente muneribus eius Deo,& per illam defunctus adhuc loquitur.* Expende illud, *hostiam fide plurimam,* id est plurimarum gratiarum, multiplicisque doni occasionem. Et quis numeret dona, & gratias, quas Deus Abelis fidei præbuit? Non solum dedit illi Deus esse iustum, sed & illum iustum ore proprio nominauit, eius hostiam ab hostia Cain discreuit, & cœlesti igne absumsit. Quid plura? Adhuc loquentem eius sanguinem post mortem audiuit Dominus, vt vna Abelis fides videatur conciliasse omnigena Dei dona,& munera. Pulcrè D. Ambros. lib. de Nabuthe c. 16. *Fides est, quæ dona conciliat, humilitas est, quæ oblata commendat. Fide Abel plurimam hostiam obtulit Deo.* Et meritò, quam sit donorum conciliatrix fides, ex Abelis hostia confirmat sanctus Doctor, vt quæ sola innumeris gratiis,& priuilegiis valuit insigniri. Iam non miror, quod D. Cyprian. in expositione symboli omnium bonorum fontem putet situm in ipsius symboli initio, vbi dicitur: *Credo in Deum.* Etenim in verbo illo, *credo,* agnoscens fidem inquit, *Fons, & origo omnium bonorum ponitur, cum dicitur: Credo in Deum.* Nulla enim crediderim bona, nulla munera, nullas Dei gratias esse quas non trahat fides. Nobilis ille Candacis Reginæ Eunuchus Act. 8. quot gratiarum nimbos suscipit? Audit Christi baptisma,& statim prõptissima illi aqua subsilit, via catechumenus iam baptismi puritate perfusus est, à fonte ascendentem illum suscipit ingens lætitia. *Ibat autem per viam suam gaudens,* vnde tantus gratiarum cumulus? Accipe scaturiginem, *credo filium Dei esse Iesum Christum.* Argutè Chrysol. ser. 61. *Hunc fides ante rapuit ad gratiam, quam currus ad Indiam.* O fidei thesauros Indiarum thesaurorum præstantissimos, ditissimos, ad Indos thesauros tardè,& difficulter peruenies, etsi pernici raptus curru, & si alatis vectus nauigiis. Fides autem est, quæ te ocyssime in omnium cœlestium gratiarum thesauros deducat.

Rom. 4.

Theod.

Hebr. 11.

Ambros.

Cyprian.

Actor. 8.

Chrysol.

§. VII.

Carere peccato maximum est Dei beneficium.

TAntisper dilaturus Dominus paralytici curationem his illum verbis delinit: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Magnum enim est beneficium, si à peccatis liberemur, quamuis in doloribus,& infirmitatibus adhuc relinquamur. Præstantissimi iuuenes Hebræi hoc vnum pro maximo habebant beneficio,& præmio suorum facinorum. Enim vero Dan. 3 sic ad tyrannum loquuntur. *Ecce enim Deus noster, quem colimus potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex, liberare. Quod si noluerit, notum sit tibi Rex, quia Deos tuos non colimus, & statuam auream, quam erexisti, non adoramus.* Quasi dicerent, duo nobis possunt euenire, aut inter flammas viuere, aut comburi, vtrumque beneficium erit, vtrumque Deo nostro acceptum referemus; si viuimus, id non alienum est à Dei nostri potestate, qui seruis suis solet subuenire: si exurimur, non minus beneficium habemus, quod idololatria, & peccato erimus immunes. Hoc debebimus flammis, quod deos tuos non colimus, quod in tantum nefas non poterimus iam adduci. Ita D. Chrysost. 1. ad Cor. hom. 18. *Quod si noluerit, inquiunt, deos tuos non colimus. Habemus enim hanc remunerationem, quod digni videamur, quod ab impietate liberemur, & idcirco exurere corpora nostra eligimus.* Adeò nobiles adolescentes pro magno habent peccatis carere, vt vel caustione corporis sui, vili emptum putent tantum beneficium. Sese flammis dedunt, mediis quibus à peccatis immunitatem vident. Quæstionem mouerunt plurimi circa Sodomiticum incendium, cur Deus flammis tradiderit tantam ciuitatem, in qua erant plurimi innocentes pueri? Idem ignis nocentissimos homines allambit, & simul pueros omnis flagitij immunes, cur pueris non pepercit in Sodomis? Sanè de oblata Niniuitis venia sic Dominus loquitur Ion. c. 3. *Et ego non parcam Niniue ciuitati magnæ, in qua sunt plusquam centum viginti millia hominum, qui nesciunt quid sit inter dexteram,& sinistram suam.* Sic doli expertes infantes Niniue Deum afficiebant, vt parceret,& infantes Sodomitici pœnam subeunt, eisdem parentum flammis combusti. Sed merito Alcuinus quæstionibus Gen putat beneficium etiam extitisse Deum erga pueros Sodomorum, dum illos tradit flammis, inter quas habent quod sine peccato sint. *Nonne, inquit, promissum est illis, ne diu viuentes exempla sequerentur patrum? Est quodcumque beneficium, etiam non tibi, qui gloriosus non est.* Equidem beneficium erat, quod pueri raperentur in breui à vita, ne malitia mutaret intellectum, beneficium erat, antequam peccati proprij labe inficeretur, morte absorberi. Hoc semper Deo acceptum referent hi pueri, (si aliquando huius vitæ pericula nouerint) quod ab illa peccati expertes exierint.

Daniel. 3.

Chrysost.

Iono 3.

Text Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra se: Hic blasphemat. Et cùm vidisset Iesus cogitationes eorum, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?

§. VIII.

§. VIII.

Soli Creatori patentissima omnia cordis humani secreta.

QVis neget Creatorem Deum illum, cui intima sui cordis patent penetralia? Vnum illum sæculorum Regem, & Monarcham, cui, & à quo omnia viuunt, nullum secretum latet. Ridere modo ethnicam dæmoniorum Theologiam, cuius magna pars diuinitatis haustum quærens in fibris, & præcordiis animalium scrutandis, meditandis, oleum perdebat & operam. Non occisor, sed creator est, qui non nouit præcordia ruminari: cui nihil viuit, non se iactet de cordium scrutinio, mentitur, si se iactat. Præclara illa D.
Chrysol. Chrysol. huius egregij vaticinij irrisio: *Occidebatur pecus, vt quod viuus nihil scierat, diuinaret occisum: & loqueretur ex fibris mortuum, quod nunquam fuerat ore proloquutum.* Vafer, & astutus Angelus, dum se Deum mentitur, signa diuinitatis præsefert, cum sacrificulis suis gloriatur ostendere latentia arcana intra præcordia, & animalium fibras. Sed male arcana cordis reuelat, qui cordis est destructor & vitæ; nisi iam Lynceus in videndo cedat Regulo primas, quod huius oculi perimunt quoscumque vident. Dices notum à Regulo, quem primo ictu oculi occidit? Nec credas posse cognosci arcana, quorum notitiam præcedit occisio. Verba sunt Adami illa Psal. quibus secreta vxoris cordis perspicua fatetur oculis diuinis, dicens. *Non est occultatum os meum à te.* Placuit sapienti viro Deitatis perspicaciam commendare, de fœminæ percallendis malitiis, vt quæ sit in meditandis technis, & simulandis illis animal omnium dolosissimum. Sed cur maluit dicere os suum, quam vxorem suam? Equidem cum dicit os suum, celebrem à Deo mulieris fabricationem meminit, ne videretur vana effutire, cum ait omnia fœminei cordis patere secreta illi Deo, à quo prius non destructio processit, sed generis ædificatio fœminei.
Isid. Pelus. Accipe pulchram verborum Adami paraphrasim à D. Isid. Pelus. lib. 1. epist. 330. excogitatam, dum inquit. *Non te fugit vxoris meæ lapsus, quam ex osse meo, cum me somno graui oppressisses, occultè condidisti. Verum animorum nostrorum latebras perspectas habes, qui eam occulte procreasti.* Sit creator, necessum est, qui occultas cordis nostri latebras lustrat. Quis creatoris sui oculos fugiet? Prodigus ille filius partem ac-
Luc. 15. cepit suam, & patris præsentiam fugiens Luc. 15. profectus
Chrysol. est *in regionem longinquam.* Chrysol. serm. 2. *Peregre profectus est ille, & in regionem longinquam fugit, sed accusatores suos, sed testes suos diuini Patris oculos non refugit. Hoc David clarius aperit dicendo, Psal. 138. Quo ibo à spiritu tuo? Et quo à facie tua fugiam? Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me.* Fugit sanè oculos, qui patris non erant, sed semper super se habuit oculos eius, à quo fuerat creatus. Eo accedunt oculi, quo creatoris manus: is creatoris fugit oculos, qui potest fu-
Hebr. 4. gere creatoris manus. Ad Hebræos c. 4. *Non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius, omnia autem nuda, & aperta sunt oculis eius.* Quid est illud, nuda, & aperta? Cum audis nuda, recole victimarum oblationem, quæ pelle nudabantur, & earum viscera aperiebantur, vt quidquid internum erat, per se pateret oculis creatoris, cui soli victimæ, & sacrifi-
Isid. Pel. cia debentur. Quod notabat D. Isidor. Pelus. epist. 94. *Hæc verba, nuda, & aperta, translatione ducta à victimis, quæ ad sacrificium adhibentur, à Paulo ingenti sapientia prædito viro scripta sunt. Quemadmodum enim illæ, cum pelles detrahuntur, omni conspicuo indumento spoliantur, abditarúmque internæ partium flatum, & affectionem indicant, atque ad ossium omnium, & membrorum indagationem dissecatur. Sic*, &c. Quibus expendo non solum, quod nostra omnia pateant Dei oculis, sed quod insuper intendit incredibilis sapientia Pauli, nimirum, quod pateant, & nuda sint, & aperta, vt victimæ, & hostiæ. Quippe hostiæ, & victimæ nulli aperiuntur, & nudantur, nisi omniū Deo Creatori, vt in eo secreta cordis nostri victimis similia sint, quod soli creatori Deo nudari possint.

Text. Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata, an dicere, Surge & ambula.

§. IX.

Præstantius Dei facinus apparet in peccatoribus conuertendis, quam in cæteris miraculis patrandis.

QVis dubitat difficilius persuaderi posse homines peccata alicuius de facto esse dimissa, quam membra re-

Baeza in Euang. Tom. II.

stituta fuisse sanitati? Hoc oculis patet, illud tantum consistit in credito attestantis. Licet enim verum sit facilius homines loqui de rebus, quę in opinione solum manent quam de his, quæ debent oculis repræsentari; & sic facilius erat Iesu dicere, remissa fuisse peccata paralytici, facilius, inquam, respectu externæ effectus probationis, quam dicere illum ad sanitatem fuisse reuocatum, quin de illo solum opinio; de hoc euidentia facti requirebatur. Tamen vtrumque potens difficilius ad peccatum expellendum attingitur, quam ad vitam defuncti reuocandam: præstantius enim est Dei facinus peccatores ad gratiam, quam ad vitam trahere. Facilius quis dicere potest se dimisisse peccata, quam à se morbos fuisse curatos: quia dictum hoc euidentia facti debet commentari, illud non ita. At de facto dimittere peccata, plus est, quam miracula facere. Matth. 2. *Ecce Magi ab oriente venerunt Jerosolymam, dicentes: Vbi est qui natus est rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Duo magna filij Dei facinora, quod noua stella appareat in cœlo, fiátque dux hominum, & quod Magi veniant ad Christum. Verum maius Dei opus? An quod stella per cœlum, an quod Magus ad Christum veniat? Non dubitare licet, si Chrysolog. audimus serm. 156. vbi inquit. *Plus cœleste de Magis, quam de stella signum est: quod Iudæx regem, quod legis authorem Magus scit.* Fortior manus applicari debuit, vt Magi ad Christum traherentur, quam vt noua fieret stella, quam vt totius cœli terræque natura alteraretur. Exod. 7. ait Dominus ad Moysem: *Multiplicabo signa, & ostenta mea in terra Ægypti, & non audiet vos.* Ecce tibi ad Ægyptij regis emolliendum cor; ea Dei manus applicatur, quæ cœlum, terrámque, & mare miraculis replet, & portentis ea Dei applicatur manus, quæ virgam vertat in colubrum, aquam in sanguinem, & millia alia efficiat miracula, Pharaonem tamen meliorem non fecit. Fortior quippe est adhibenda manus ad conuertendum humanum cor ad pœnitentiam, quam ad commutandam vniuersitatem rerum. Pulcrè Cellens. Abbas, lib. de Panibus cap. 17. sic finit Ægyptia hæc portenta ad conuertendum regem effecta. *Decimo percussit Dominus omne primogenitum Ægyptiorum, & tunc licet commotus vehementer rex fuerit, non tamen ad pœnitentiam reuersus est. O quam ponderosum, quam graue ad leuandum, seu reuelandum cor hominis! Laborat manus omnipotentis eripere, nec liberat; verbis præmonet, & verberibus vrget, nec tamen de foues sua bestiam sæuientē extrahere potest.* Non equidem extrahere potuit efficaciter à duritia cordis Ægyptium regem omnipotentis manus, ea sola vi, qua tot miracula fecit tota illa fortitudo, & valida Dei manus, quæ procedebat victrix omnium creaturarū, omnes mouens, & conuertens, & euertens, vbi ad Pharaonis cor accedebat, ibi quasi hærebat in salebra, & quasi impotens putabatur. Fortissima omnium est illa virtus diuina, quæ nos à peccatis saluat, fortissima, inquam, & cantatissima à Prophetis, Ps. 76. *Hæc mutatio dexteræ excelsæ*, Psal. 117. *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me.* Quasi maioris virtutis, & sublimioris dextera requiratur, vt trahamus à peccatis ad gratiam. Paul. 1. ad Thessal. 4. *Nos qui viuimus, qui residui sumus simul rapiemur in nubibus obuiam Christo in aëra.* Quæ verba sic à D. Hieron. explicantur, epist. 152. vt velit ibi agi de immutatione qua quis in virum abit spiritualem, quo posito expende illud, *rapiemur*, vt enim ab animali in spiritualem vitam conuertamur, qua Christo accedamus: non qualibet potestate opus est, sed extraordinaria, & peregrina vis adhiberi debet, vt adhiberi solet ad faciendos raptus. Accipe modo Eusebium Gallicanum hom. 2. de Epiphania fantem, *Videamus quanto plus est, quod præstat gratia. Qui in Christo (inquit Paulus) sunt, resurgent primi, & tunc simul rapiemur obuiam Christo. Ecce vera miracula, ecce prædicanda miracula, stupendas immutationes, quas quotidie in nobis operatur redēptor noster, quando de pessimis bonos facit, castos de luxuriosis, humiles de superbis, de sectatoribus sæculi amicos Dei. Quæ potest maiora exercere miracula, quam quando hominē de substantia pulueris in Angeli statum prouehit?* Hæc sunt cantatissima Christi Domini miracula, hæc excelsæ dexterę eximia sunt facinora, qui modo puluis eras, qui à facie terræ proiiciebaris, sic potēti manu Dei raperis, vt inter spirituales exercitus Christo obuius appareas. Hoc facinus spectabat triūphalis ille currus, quo Elias 4. Reg. 2. ad cœlum ferebatur, non enim triumphus ille respōdebat miraculis, quibus mortem fugarat, quibus cœlesti flamma armatos milites adsumpsit, quibus cœlum clausit, sed miraculis excellentioribus dabatur tantus triūphus, nimirum his, quibus peccata, prauósque mores excluserat ab anima. Ita D. Ambros. ser. 2. de Eliseo, ait, *Elias nonne Angelis ducem*

Marginalia (right column): Matth. 2. — Chrysol. — Cellens. — Psal. 76. — Psal. 117. — 1. Thess. 4. — Euseb. — 4 Reg. 2.

ducentibus ad cælum raptus est, & quadriga ignea impositus in quodam triumpho victor ascendit? Victor enim extiterat non gentium barbararum, sed sæcularium voluptatum. Siquidem grauiores inimici sunt praui mores, quàm hostes.

Text. Vt autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.

§. X.

Non dimittendus pœnitentiæ labor peccatoribus, dum sunt in via.

COntinent Saluatoris verba argumentum à clariori, & sensibiliori probatione externa ad minus claram: quando potestatem dimittendi peccata manifestare per effectum sensibilem non poterat; poterat verò manifestare potestatem miracula patrandi. Per hanc probat illam, & simul instruit nos, quæ sunt patientissima signa aboliti peccati, dum ait, Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam; non enim dimittitur regulariter peccatum, nisi adhibito pœnitentiæ onere, quod nullo iam condonati peccati prætextu remittere debemus, dum sumus in via ad cœlestem
Psal.6. domum. Dauid Ps. 6. *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* Dicebat hoc peccator, æterno se luctu obstringens, & quod mireris magis, dicebat hoc peccator ille, qui confessus fuerat peccatum suum, imò qui ex Dei nomine audierat sui absolutionem peccati, & pœnam à Nathan impositam libenti sustinuit animo. Ita
2.Reg.12. 2.Reg c.12. *Et dixit Dauid Nathan: Peccaui Domino; dixitque Nathan ad Dauid: Dominus quoque transtulit peccatum tuum,* &c. Ecce tibi confessionem peccatoris, ecce absolutionem, & veniam, nihilominus adhuc Dauid sub pœnæ onere præmittitur, hoc in se habens signum remissi peccati, quod peccatoris onus, nimirum pœnitentiam semper curauit susti-
Basil.Sel. nere. D.Basil. Seleuc. orat.17. *Concurrit cum culpæ confessione pœna absolutio. Sic doctus Dauid, & accepta per confessionem gratia non quieuit, sed quod pœnitentiæ stadium capessiuerat, modicum iuuit. Medicamentum, ne quidem post curationem, abiecit: at fleuit per omnem vitam clamabat: Lauabo per singulas noctes lectum meum.* O præclarum dimissi peccati signum! An certo credam dimissum esse peccatum illi homini, qui sceleribus plenus, lasciuus factus semel in anno cursim confitetur peccata, & multum grauatus paucis orationibus pro pœnitentia, vix & ægrè illas transcurrit, nec amplius peccatorum meminit, nec amplius sub pœnitentiæ gemit iugo? Equidem vix video signa dimissi peccati, nisi cum post confessionem, & verba, opera longæ pœnitentiæ, & pœnalis mortificationis onera video. Prætereo apud
Luc.18. Lucam cap.18. Pharisæum illum gloriabundum; & aduerto pœnitentem publicanum, *qui percutiebat pectus suum. dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.* Quid hic à Deo obtinuit? An remissionem peccati accepit? De illo Dominus fatur: *Descendit hic iustificatus in domum suam ab illo.* Non dicitur absolutè, & simpliciter iustificatus descendisse, sed solum dicitur iustificatus descendisse ab illo, hoc est, præ
Ezech.16. illo, præ Pharisæo. Sic per Ezechiel.cap.16 dicebat Dominus Ierosolymæ: Vicisti sorores tuas Sodomam, & Samariam peccatis tuis sceleratius agens ab eis: *Iustificatæ sunt enim à te.* Etiam Sodoma iustificata dicitur ab Ierusalem: cur ergo publicanus hic solum dicitur iustificatus à Pharisæo, quod sanè peccatorum præcisionem, & remissionem non designat? Non ne humilis pectus tundebat? Nonne se peccatorem confitebatur? Quod aliud requirebatur signum patentius remissi peccati? Requirebatur equidem pœnitentiæ diuturnæ susceptum iugum: requirebantur pœnalium operum onera diu exercitata. Tota hæc pondera-
Ephrem. tio, & doctrina est tradita à D.Ephrem de pœnitentia aliquanto à fine: vbi sic de publicano finit. *A verbis inchoat pœnitentia principium: quoniam, quæ verbo fit confessio, initium pœnitentiæ est. Propterea, & salutis initia dantur publicano, nec perfectè ipsum debito liberarunt: quia nondum perfectè pœnitentiam fecerat. Non dixit, quod à condemnatione iustificatus sit; sed plusquam Pharisæum iustificauit ipsum, vt discamus resipiscendum esse, non solo verbo, sed etiam opere* &c. Multa deinde addit sanctus vir de subeundo pœnitentiæ onere etiam post confessionem; nequit enim remissio collucere peccati, nisi inter pœnas longas, inter diutinos dolores. Compone tibi modo paralyticum in lecto cubantem, & Matthæum sedentem in telonio; paralytico dicit Dominus, *Dimittuntur peccata tua*; Matthæo autem, *sequere me*, nec verbum vllum dicitur de peccati remissione. Cur hoc? Chrys. ser 30. *Merito* Chrysol.
paralytico dicitur; Dimittuntur tibi peccata tua, quia compensaras delicta doloribus: publicano autem dicitur, Sequere me; vt sequendo me repares, quod sequendo pecuniam perdidisti. Vbi diutini dolores erant, & angustiæ; bene cadit remissio peccatorum, quæ in nullo nominatur, nisi post longos pœnitentiæ labores, vbi illos sustinere licet. Ideò Niniuitæ sic se pœnitentiæ tradiderunt, vt etiam postquam liberationem vident, adhuc in illa perseuerant, vt notat D.Bal.Sel. Basil.
orat.12. *Niniuitæ soluto in eos edito decreto, pœnitentiam solutam sociam non reliquerunt.* Ex quibus D.Ephrem de Pœnit. fatur. Ephrem.
Toto corde debet resipiscens pœnitentiam agere, semperque eundem sese exhibere, vt inceperat, nam si defecerit, iudicium imperfectæ conuersationis præbet.

§. XI.

Iesus vbique modestissimus, & vanæ gloriæ osor. Vbi de vana gloria.

EBibe in facinoribus Christianam modestiam, non paralyticum circumcidit Iesus, nec illum populis ostentat, sed iubet abire domum ne passim popularibus, sed domesticis obtentam à Deo salutem proponat. Hinc doctus D. Petr. vbi ruptis miraculosè catenis sese vidit liberum à carcere Herodis Act.12. ait. *Annuntiate Iacobo, & fratribus* Actor.12.
hæc. Id quod notans Chrysost.hom.27. sic fatur. *Non dixit,* Chrysost.
Vbique manifesta facito hæc: sed fratribus, & abscessit in alium locum. Vere Christi discipulis intra suorum septa maluit virtutum occultare thesauros, quam alienorum oculos illis pascere. Hanc animi Christiani modestiam crediderim commendari Prouerb.6. Vbi ex lect. Septuag. dicitur, *Vade ad* Prou.6.
apem ô piger. Quid doceat apes? Pulcrè D.Antioch.hom.43. Antioch.
Vir intelligens ingeniosam, & solertem imitatur apiculam. Quos externè selegerit flores, defert in aluearium, internè mellificium fauumque operosius conficit. Ne labores tuos humanæ illi gloriolæ exponas. Quisquis Christianus es, apicula esto, quos exteriora tractans, collegeris virtutum flores, occulta intra corticem, ne ventorum flabris tuos exponas labores, ne dulcedinem tuam iactes in auras. Ezechias 4.Reg.20. quos 4.Reg.20.
ostentauit thesauros Babyloniorum oculis, amisit, crede mihi, nil tibi tuum manebit, quod ostentationis gratia obieceris oculis peregrinis. Mercenarij Pastoris hæc insignia exerebat Dominus Ioann.10. *Mercenarius autem, cuius non* Ioan.10.
sunt oues propria. Euidens signum hominis illius, qui inanis gloriæ mercede operatur, nimirum, quod nihil suum habeat, quod perdat omnia. Quod docet in hæc verba D.Au- Anselm.
sel. fatus. *Cuius non sunt oues propria: quia virtutes, quas in se ipso custodire videtur, ab eo sunt aliena, dum eas ob transitoriam gloriam seruat, & non quasi proprias amat.* Omnia tua exsufflat bona inanis gloria, dum intrat, nihil tibi relinquit tuum, sed vniuersa tradit in manus inimici, Ps.77. *Tradidit in capti-* Psal.77.
uitatem virtutes eorum, & pulcritudines eorum in manus inimici. Quod malum sic perdit virtutes, & hominum pulcritudines? Eucher lib.4.Reg. *Virtus, & pulcritudo arrogantium ini-* Eucher.
mici manibus traditur: quia omne bonum, quod pro concupiscentiam laudum ostenditur, occultis aduersarij viribus mancipatur. Hostes namque ad rapinam prouocant, qui suas eorum noctiæ diuitias denudant. Et vtinam hoc sibi solum malum comparassent, vt hostium paterent rapinis, qui gloriosam ostentationem suorum bonorum faciunt: metuo enim, ne potius ipsi in hostilia, mortiferaque vulnera incurrant. Ecce vobis, quid de Herode dicatur Act.12. *Statuto autem die Herodes* Act.12.
vestitus veste regia, sedit pro tribunali, & concionabatur ad eos. Populus autem acclamabat: Dei voces, & non hominis. Confestim autem percussit eum Angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo, & consumptus à vermibus expirauit. Quid terribilius? Quid gloriosa ostentatione hominis dignius? Sic pereût, qui gloriantur, & non in Domino. Notanter D.Chrys. hom.27. Chrysost.
fatur, *Vides quando Apostolum occidit, nihil tale fiebat.* Pessimus erat iste Herodes, multa, & grauissima commiserat scelera, Iacobum Christi Apostolum occidit, Petrum occidendum incarcerauit, nec terra illum absorbuit, nec cœlũ illum fulminauit; & cui tot sacrilegia pepercerunt, vna gloriæ vanæ ostentatio funditus exterminauit. Hoc minabatur suppliciũ Psalm 52. aiens, *Deus dissipauit omnia ossa eorum, qui homini-* Psal.52.
bus placent, confusi sunt, quoniam Deus spreuit eos. Propone tibi ob oculos Nabuchodonosor quietum, & immunem post

Iudæo

Iudæorum ſtragem, poſt templi ſpoliationem, poſt vaſorum ſacrorum captiuitatem, poſt ſtatuam auream erectam, poſt
Daniel. 4. iuuenes flammis datos, qui Daniel. 4. *Poſt finem menſium duodecim in aula Babylonis deambulat. Reſpondétque Rex, & ait: Nonne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? Cum ſermo adhuc eſſet in ore regis, vox de cælo ruit: Tibi dicitur Nabuchodonoſor Rex, regnum tranſibit à te*, &c. Vide quando vaſa aurea templi prophanis manibus tractat, quando ſtatuam adorandam erigit, quando pueros innocuos dat flammis, nihil tale audit, nihil tale patitur. Durior illi extitit tiranis gloriatio, quam tot ſcelera, & peccata.

Text. Surrexit, & abiit in domum ſuam. Videntes autem turbæ timuerunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus.

§. XII.

Quiſquis cœleſtis domus teris viam, caue, ne deflectas ad diuerticula.

SAnatus paralyticus iuſſus fuit à Domino ire in domum ſuam; ipſe autem dicto citius paternæ domus arripuit rectam viam, nil curans diuerticula, nilque magis in optatis ferens, quam vt domum accedat, domeſticiſque manifeſtet propriam ſalutem. Vtinam ſic omnes, qui cœleſtem petimus domum, omnia fugeremus diuerticula. Vaccæ illæ, quibus arca Domini impoſita fuit Philiſtinis, eam viam arripuerant, nemine ducante, à qua nec paululum declina-
1. Reg. 6. bant. Etenim dicitur 1. Reg. 6. *Ibant autem in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethſames.* Quod ibi myſterium ſitum ſit, noſces ex ſignificatione vocabuli illius Bethſames, quod ſonat, *domum Solis.* Quis ergo, etſi boue craſſior ſit, non fugiet diuerticula, dum ſciuerit ſe ad radiantem cœli domum
Gregor. contendere? Pulcrè D. Gregor. lib. 7. in Iob c. 18. ait, *Bethſames quippe dicitur domus Solis, & Propheta ait: Vobis autem, qui timetis Dominum, orietur Sol iuſtitiæ. Si igitur ad æterni Solis habitationem tendimus, dignum profectò eſt, vt de Dei itinere pro carnalibus affectibus non declinemus.* Cur quærat diuerticula, qui ad Solis domum contendit? Qui regiam Solis occupaturus feſtinat? Vt audacem filium regia ſua poſſit re-
Ouid. uertentem excipere Sol pater, ſic monebat apud Ouidium lib. 1. Metamorph.

——— Medio tutiſſimus ibis,
Neu te dexterior tortum declinet ad anguem,
Neve ſiniſterior preſſam rota ducat ad aram,
Inter vtrumque tene.

Quæuis declinatio ad Solis domum eunti perniciosa eſt. Nouerunt id nobiles aſtrorum obſeruatores Magi illi, qui
Matth. 2. Matth. 2. ad Solis iuſtitiæ domum feſtinabant ſtella duce.
Ambroſ. De quibus Ambroſ. Pſalm. 47. *Magus, vt Deum inueniret, cælum aſpiciebat. Non ergo quærebat in terris, quem de cælo fulgens ſtella monſtrabat.* Non terrarum amœnitatibus hærebant, non ſemitas aſpiciebant in terris, ne diuerticula inuenirent, ſed ducenti ſtellæ confixi, recta in veri Orientis domum feſtinabant. Vtinam hos ſequutus fuiſſet If-
Oſeæ 4. raël, ſed de hoc Oſeas cap. 4. lamentatur ruinam, *Quoniam ſicut vacca laſciuiens declinauit Iſraël.* Quid eſt, declina-
Carthuſ. uit? Carthuſianus ait, *A rectitudine viæ Dei per omnium diuerticula vitiorum enormiter euagando.* Laſciuiens vacca nunquam rectam ſequitur viam, tot diuerticula amplectitur, quot paſcua videt; hinc inde rapitur à virentibus herbis, quæ obiiciuntur. Sic miſer homo toties euocatur à recta via, quoties illum vocant mundialium voluptatum diuerticula. Viam arripit aliquando ſalutis, ſed ecce apparent inde florentiſſimæ mundi voluptates, ad quas dum decli-
Luc. 4. nat, hæret ibi miſere moriturus. Sic Ieſu Domino in Heremo agenti adfuit tentator Luc. 4. *Et oſtendit ei regna mundi.* Cur hæc repræſentatio mundialis regni fit Domino?
Chryſol. Chryſolog. ſerm. 3. *Sic diabolus, quemadmodum ſimplices decipiret, confitetur.* Manifeſtauit tentator artes ſuas, qualiter, vt faciat declinare homines à via ſalutis, obiicit mundanas delicias, vt ibi hærentes ad cœleſtem domum minime poſſint peruenire. Age ergo, non hæreas diuerticulis, quiſquis cœleſtia cupis lumina pertingere, quiſquis commilitonem Deum cupis habere in via, vt feliciter te in
Iſai. 43. domum ſuam deducat. Iſaias 43. *Cum tranſieris per aquas,*
Ambroſ. *tecum ero.* Pulcrè D. Ambroſ. Pſal. 47. *Cum tranſeunte eſt Deus,*

non cum deſiſtente. Dum non deflectas, dum non deſiſtas à via, tibi adeſt Deus, qui te ad domum lucis reducet; verum vbi voluptatum diuerticulis captus declinaueris, ſimul Deum amittes. Pſalm. 52. Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt.

§. XIII.

In cœleſti domo maximi huius vitæ labores parui, aut nulli videbuntur.

IVſſus eſt paralyticus ſurgere, & portare lectulum humeris, & ire in domum; & ſtatim dicitur ſurrexiſſe, iuiſſeque in domum ſuam; reticetur autem quod humeris portarit lectum. Cur id putas factum? Quia cum peruenimus ad domum illam noſtram cœleſtem, maxima etiam laborum onera, quibus in via premebamur, quaſi nihilo reputantur; nec digna cenſu videntur. Iſaias cap. 54. *Noli timere, quia non confunderis, neque erubeſces. Non enim te pudebit, quia confuſionis adoleſcentiæ tuæ obliuiſceris, & opprobrij viduitatis tuæ non recordaberis amplius.* Tempus equidem fe- Iſai. 54.
liciſſimum expectat fideles; vbi cœleſtem patriam fuerint ingreſſi, tanta lætitia, tot gaudiis exundabunt, vt nullius præteriti laboris recordationi pateat aditus. Explicatius adhuc ipſe Iſaias cap. 65. apud Septuagint. dicebat, abdubium, quin de incolis æternæ ciuitatis. *Obliuiſcatur tribulationis ſuæ primæ, & non aſcendit ſuper cor eorum. Erit enim cælum nouum, & terra noua: & non recordabuntur priorum, nec venient ſuper cor eorum: ſed gaudium, & exultationem inuenient in ea.* Vbi expendendum eſt illud, *& non recordabuntur priorum.* quippe non ait, non recordabuntur priorum laborum, nec priorum ærumnarum, ſed tantum priorum, quia inter tot lætitiæ exundationes, nec ærumnarum poſſint meminiſſe vocabula. Quo ſpectat Abbas Cellen- Cellenſ.
ſis lib. de panibus cap. 7. fatus. *Nomen mortis, nomen languoris, nomen paupertatis, nomen doloris, nec nominatur apud vos, ciues cæli, domeſtici Dei. Quid autem? Vita, iucunditas, iubilatio, exultatio, glorificatio.* Abſorbet gloria domus Dei omnem priſtinorum laborum recordationem, adeò, vt nec eorum nomina cœleſtium ciuium ſubeant memoriam. Accinit Dominus apud Ioann. cap. 16. *Mulier,* Ioann. 16.
cum parit, triſtitiam habet, quia venit hora eius. Cum autem peperit puerum, iam non meminit preſſuræ propter gaudium. &c. Tantum eſt regenerationis æternæ gaudium, vt non ſinat nos meminiſſe ærumnarum, quas ſuſtinuimus in ſtadio. Alcuinus in cat. Diui Thom. *Cum devicto laborum certa-* D. Thom.
mine, ad palmam peruenit, iam non meminit preſſuræ propter gaudium perceptæ retributionis. Hinc eſt, quod Dominus reſurgens à mortuis, vt eat in domum paternam, vulnerum cicatrices impreſſas in carne ſua ſeruauit; niſi enim ſic impreſſæ manerent cicatrices, vix fieri poſſet, vt inter gloriæ gaudia maneret memoria preſſurarum. Sic Auguſt. Auguſt.
ſerm. 156. de tempore, acutè obſeruat. *Neceſſarium enim erat, vt manifeſtarum præſens expreſſio cicatricum crucifixi corporis faceret fidem, quia ſplendor nouæ lucis priſtinam obduxerat veritatem, & cognitionem quodammodo obſcurauerat.* Tot ora, quot vulnera fuerunt, manere debebant impreſſa rediuiuæ carnis, ne veritas anteactæ paſſionis periclitaretur inter cœleſtia gaudia. Equidem tot erant luminum radij, tot gaudiorum exundationes; vt pene videretur impoſſibile paſſioni vnquam ibi fuiſſe aditum. Nec miror ſic ærumnarum memoriam funditus abſorberi in illa domo, vbi tot patiuntur deliciarum examina. Multa de hac domus Dei felicitate Patres; do in præſenti Venantium in Venant.
orationem dominicam fantem. *Magis illud regnum quærendum eſt, vbi ſemper liliorum, roſarúmque blandior lux arridet. Vbi pictura floris odoriferi non marceſcit: vbi loci fœcunditas, neque nube premitur, neque ſole ſiccatur, vbi non finitur cum poſſeſſore poſſeſſio: vbi quidquid deſiderat animus, dat aſpectus: vbi iuſtus gemmas calcabit in plateis, quas modo reges non habent in coronis: vbi mortalitas tranſlata in immortalitatem cum Angelis ſorte ſimili glorietur. Vbi hominibus, & Deo ſit vna poſſeſſio.* Quid ſuauius? Vnde huc poteſt intrare memoria ærumnarum? Quis in hac poſſeſſione conſtitutus dabit locum laboris priſtini recordationi? Addit Da- Damian.
mianus epiſt. ad Blancam cap. 15. *Et certè de illa Ieruſalem beatitudine ſempiterna incomparabiliter plus eſt in te, quam poſſit humana mens concipere. Quid ergo plura de illis beatorum ciuium gaudijs eloquor: quandoquidem eorum feliciſſimæ voluntati cuncta prorſus elementa deſeruiunt, & cuncta ad eorum nutum, ad totum vertuntur arbitrium.*

CAPVT II.

De paralytico ad piscinæ probaticæ ripas sanato

Eror in celebrem Ierosolymorum piscinam, cui greges loti nomen dederunt probaticæ: confluxus aquarum ex templo denominant Bethsaidam; sed præ cæteris illam nominatissimam faciunt omnigenæ salutes, quæ Angelo mouente aquas in hominum vitam saliunt. Felix, qui motam aquam attingit, vnus is fit sanus, & vnius solius salus sic cunctorum tenebat spes infirmantium, vt quinque porticus ad ripas piscinæ elaborati vix infirmos caperent. Veteranus ibi paralyticus agebat trigesimum octauum annum in infirmitate, quem humani auxilij penuria dum arctat, auxiliatrix diuina manus adest. Surgit iuuante Christo sanus, erectóque salutis trophæo, lectum sustollens humeris triumphum agit. Quid plura? Festus is erat dies, siue Pascha, siue Pentecostes, cur examinem, quod Euangelista aliàs festorum notator, hic non putauit declarandum? Maldonatus Pentecostem mauult. Toletus Pascham, quodcumque illud esset, de festi religione arma sumunt Iudæi aduersum Iesum paralytici sanatorem. Sed dum legisfragum persequuntur, legislatorem publicant de miraculo; non ne veræ requiei erit stator, qui laborum est propulsator, & expulsor omnium infirmitatum? Non festum violat, qui triumphum agit, nec sarcinam portat, qui sanitatis trophæa exaltat.

Ioan. 5. Est autem Ierosolymis probatica piscina, quæ cognominatur Hebraicè Bethsaida, quinque porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum.

§. I.

Gratissimum Deo opus est templorum ædificatio, monasteriorúmque erectio.

HOc mihi in primis accidit ponderandum, nimirum quinque illæ porticus, quibus lacuna coronabatur; porticus, inquam, factæ in illorum commoditatem, qui cœlestem salutem ab Angelicis manibus expectabant. Sic
Rupert. notat Rup. fatus. *Porticus illas habebat, ne multitudo languentium ad cœlestis remedij opificem piscinam excubans, tectum non haberet, ne opem supernam expectare non liceret, æstu vrente, vel turbine, aut pluuia vrgente.* Ex quo nunquam non laudabo fidelium hominum curam, qui suis pecuniis porticus, domos, templa ædificant, ne æstu vrente, vel turbine vrgente non liceat opem supernam implorare; quin potius habeant homines, vbi ad cœlestem opificem excubent, & æternam implorent sanitatem. Prætereo bona, quæ tulit Salomon propter templi ædificationem, quando, & quia ligna ceciderunt, & miserunt Tyrij, ingentem apud Deum gloriam
Psal. 86. consequuti sunt, & in Ecclesia Dei fuerunt adscripti. Ps. 86. *Et Tyrus, & populus AEthiopum; hi fuerunt illic.* Ad quæ verba
Bruno. D. Bruno de laudib. Ecclesiæ c. 6. sic fatur, *Gloriosa sunt hæc, quæ, & iustis, & peccatoribus magnam spem dare possunt, & immensam ferre lætitiam. Vis in Ecclesia suscipi? Tyrios imitare, quorum ope, & auxilio templum ædificatum est.* Auxilium præstiterunt Tyrij, vt templum ædificaretur, quo maximè sibi Deum deuinxerunt, & ingentem reportarunt mercedem, ascripti in Dei Ecclesia. Quid gloriosius dici potest de ciuitate Dei, quam quod in ea angeantur hi, qui nauant operam construendis porticibus, vbi diuinum auxilium imploretur? Solet equidem Deus non solum templa sibi sacrata grata habere, sed & lignum oblatum, & lapidem in scriniis suis adscriptum habet, vt pro illo immẽsa beneficia faciat. Quid
Genes. 28. aliud obtulit Iacob in Bethel præter lapidem? Gen. 28. *Tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum.* Quid plura? Maritus iam factus Iacob, & ingentis familiæ Dominus, multísque pecoribus ditatus, accepit à Deo responsum vt reuerteretur in terram suam securus, & diues. Scire cupis propter quale seruitium sic Dominus propitius fit
Genes. 31. Iacob? Ipse ait Genes. 31. *Ego sum Deus Bethel, vbi vnxisti lapidem, & votum vouisti mihi. Nunc ergo surge,* &c. Nónne vides, quam manet alta Dei mente repostus lapis ille Deo oblatus? Felix, qui in domo Dei, vel lapidem vnum offerat, eo sanè habebit Deum sibi deuinctum. Qui, quem posueris lapidem, æternum meminit, & tibi acceptum refert. Vt construeretur tabernaculum, petita sunt munera ab vniuerso populo, & ea munera, quorum aliqua nullus esset pauper, qui offerre non posset, quando, & pili caprarum petebantur Exod. 25. insuper Exod. 35. dicitur, *Omnes viri, & mulieres mente deuota obtulerunt donaria, vt fierent opera, quæ iusserat Dominus per manum Moysen.* Omnes offerunt aliquid, nec vllus pauper est. qui non habet aliquid suum in tabernaculi opere; quod ad maximum singulorum popularium donum fuisse dispositum pulchrè expendit Origen. hom. 13. in Exod. fatus, *Iustum est enim, vt in tabernaculo Domini inueniatur vnusquisque habere portionem suam. Non enim latet Deum vnusquisque quid ei offerat. Quum gloriosum tibi est, si dicatur in tabernaculo Domini: Aurum illud (verbi gratia) quo arca testamenti obtegitur, illius est; argentum ex quo bases, & columnæ, illius est: æs, de quo annuli, & candelabrum, & nonnullæ columnarum bases facta sunt, illius est: & cætera quæque per singula!* Nec lapis vnus à te offeretur construendo Dei tabernaculo, qui in magnam tui commendationem, & vtilitatem non stet semper in oculis diuinis. Et quam salutare tibi putas, quod non possit Deus oculos ad sancta sua conuertere, quin ibi statim videat lapidem tuum, lignum tuum, aurum tuum, lanam tuam. Et quam miserum, quod nec vllus lapillus videatur in templis Dei oblatus ab illis, qui quotidie mittunt innumeras lapidum segetes in aceruos Mercurij, ædificantes regias, & Babylonicas turres, vt faciant nomen suum magnum in terris! Finiat rem Orig. supra. *& rursum quam indecorum, quam miserum erit, si Dominus veniens requirere ædificium tabernaculi, nihil muneris tui inueniat in eo, nihil ad te cognoscat oblatum? Sicut enim Princeps huius mundi venit ad vnumquemque nostrum, & quærit, si quid de suis actibus inueniat in nobis, & si quidem inuenit, sibi nos vendicat: ita & è contrario si veniens Dominus aliquid tuum inuenit in tabernaculo suo, sibi te defendit, & suum te dicit.* Hæc ille. quibus vides. quam magnum emolumentum sit, quod diuino tabernaculo ędificando operam naues. Diuinissima, & vtilissima res est homini templorum ædificatio, quo etiam ethnici diuinum nomen sibi compararunt: de duobus enim Samariæ regibus sic loquitur Ioseph. lib. 11. cap. 2. *Vsque in præsens tempus tam Adadus, quam Hazaël eius successor diuinis apud Syros coluntur honoribus, tum propter aliam beneficentiam, tum quia magnificè templis extructis Damascenorum vrbem ornatiorem reddiderunt.*

Exod. 25. — Origen. — Idem. — Ioseph.

§. II.

Magna peccatoris infirmitas inde substantiam quærere vnde cœlum non videat.

VErè languentes, qui sanitatem ex aquarum motu nituntur expiscari. Nónne homo præ cæteris animalibus os sublime accepit? Nónne iussus est rectum ducere ad astra caput, ne cœlestia vnquam obliuiscatur? Quis hominem ad ima deflexit? Quis in ferarum morem eius curbauit ceruicẽ, ne pascatur in altis? Sanè languor, & infirmitas peccati. Homo sanus escas in lignis Paradisi accepit, vt simul manũ fructibus, oculósque cœlo daret, verum dum infirmitatem incurrit, deorsum ad terram vergit, ex imísque elemẽtis escas quærit, quæ totum ad se hominẽ rapient, & oculos, & manus. Digna hæc ponderatio Tertul. lib. de cibis Iudaicis vbi Tertull. fatur. *Nam & innocentia decerpturos alimenta ex arboribus, adhuc sibi bene conscios homines ad superna subrexit, & commissum delictum ad conquirenda frumenta terræ, solóque deiecit.* Is erat incolumitatis humanę status, qui & inter cõquirendas escas cœlum inspiciendum dabat, ô quam salubriter decerperetur fructus ab eo, qui simul cœlum, inque cœlo Deum prospectabat! Post epulas continuo surrexit Anna, vt oraret Dominum, 1. Reg. cap. 1. & vt videret Dominum, vnde Chry- 1. Reg. 1. sost. viri cuiuspiam felicitatem sic notat. *Qui se conuersus est ad orandum, non audet quicquam absurdè loqui ne in medio quidem conuiuio.* Sic conuiuia, sic epulas condit directio oculorum in Deum, quæ fit per orationem; quid si inter ipsas epulas cœlestibus intenderentur oculi? Hoc confirmatæ salutis signum notabat illa in dilecto Canticor. 2. dum ait: Cant. 2. *Similis est dilectus meus capræ,* expendit similitudinem Diuus Ambros. Psalm. 118. in hæc verba: *Merito sicut capreo-* Ambros. *la, quia in altu pascitur.* Non aliorum brutorum more ca-

prea dimittit oculos ad terram, vt metat herbas; ſed erecto corpore ad armorum ramos ore folia carpit,& oculis miratur cœlum. Sic bene ſanus homo, dum ſalubres potuit epulas metere, in altis paſcuam habebat. Verum commiſſum delictum ad conquirenda frumenta terræ,ſolóque deiecit, brutorúmque de more fecit ab imis elementis victum, ſubſtantiámque expectare. Eu hominum pecuinos mores! Eu infirmum pecus, cœli immemor, & totum ſe terrenis tradens. Fallor, niſi hos pungat Hieronymus (Hieron.) epiſt.ad Marcel.fatus. *Vbi ſunt inſtar palatij opibus priuatorum extructæ baſilicæ,vt vile corpuſculum pretioſius inambulet,& quaſi mundo quicquam poſſet eſſe ornatius, tecta magis ſua velint aſpicere, quam cælum?* Et cœleſtem faſtidientes rorem,turbidis, & cæno plenis inſiſtunt aquis. Turbidis, inquam, inſiſtunt aquis, & quanto hoc fit ſalutis diſpendio? Accipe Dauidem, qui 2. Reg. cap. 11. (2. Reg. 11.) *Cum deambularet in ſolario domus regiæ, vidit mulierem ſe lauantem.* Sanè deiecit oculos ad ciſternas diſſipatas, ſpectauit aquæ motum, & bibit pelagus infirmitatum. (Theodor.) De quo Theod. quæſt. 25. ait, *Vidit mulierem quæ lauabatur, & forma inteſcatus pulchritudine deuoratus bumum peccati.* (Dan. 13.) Huic ſimiles ſenes illi apud Danielem c. 13. qui paradiſum nobilis viri introeuntes non altos arborum fructus,ſed reptantis laticis ſtagna proſpicientes,illius vxoris Suſannæ amore infatuati, miſeram ſibi mortem venantur.Sic de illis notanter textus inquit. *Exarſerunt in concupiſcentia eius, & euerterunt ſenſum ſuum, & declinauerunt oculos ſuos, vt non viderent cælum.* Ecce ruinam, ecce caſum, & infirmitatem, *declinauerunt oculos ſuos vt non viderent cœlum.*pecuino more inclinati,nó quæ in altis erat paſcua,ſed turbidam aquam ſpectantes fuerunt mortem adepti. Latet equidem anguis in herba,latet Leuiathan in aquis,languor eſt, infirmitas eſt ab imis his ſubſtantiam inueſtigare. Expende in Nabuchodonoſor, quid afferat homini oculos ad (Daniel. 4.) terrenum fœnum dimittere, ſeu ad cœlum leuare. Dan. 4. *Ex hominibus abiectus eſt,& fœnum vt bos comedit, & rore cæli corpus eius infectum eſt: donec capilli eius in ſimilitudinem aquilarum creſcerent, & vngues eius quaſi auium. Igitur poſt finem dierum, ego Nabuchodonoſor oculos meos ad cœlum leuaui, & ſenſus meus redditus eſt mihi, &c.* Tandiu bruruit Rex, quandiu oculis ad inferiora coniectis humi repentes herbas paſcitur. Vbi autem cœlum aſpexit, vbi tulit in aſtra caput, ſtatim brutum exiuit ad hominis formam reuocatus Ab altis cibum quærat homo, ab altis eſcam expectet, quo videat cœlum, à quo in cœleſtia ſolicitetur.De impio Achab (3. Reg. 21.) dicitur 3. Reg. 21. *Loquutus eſt ergo Achab ad Naboth, dicens: Da mihi vineam tuam, vt faciam mihi hortum olerum.*Ecce tibi poſſeſſio iuſti vinea eſt, altis plantata palmitibus, vt ab altis expectet iuſtus fructus ſuos:poſſeſſio autem impij hortus eſt olerum humi repentium,vt cœlum non videns æternam vituperationem incurrat. D. Baſil. in cap. 1. Iſaiæ. *In vituperationem cadit horti memoria, cum Achab vineam Naboth concupiſceret, vt illam conuerteret in hortum olerum.*Non amat impius ab altis expectare ſalutares cibos.ſed irrigua prata, humi repentia olera ſpectans, cœleſtia omnia obliuiſcitur. (Sapient. 2.) Sic illi Sapientiæ 2.aiebant: *Nullum ſit pratum,quod non pertranſeat luxuria noſtra;*nihil aliud expectant quam aquæ motum, quo olera creſcant, minìmè oculos tollunt ſupra hæc infima elementa, vnde nihil lucrantur præter ruborem, & (Iſai. 1.) gemitum, vt dicat Iſaias c. 1. *Erubeſcent ſuper hortis ſuis, quos concupierunt.* Cur non erubeſcant, qui nil viderunt vltra motum aquæ rigantis olera hortorum Altiora proſpiciat, cœlum ſpectet, qui prorſus felix eſſe velit.Hinc monemur à Domino inceſſanter precari illud: *Adueniat regnum tuum,* ante omnia alia ob oculos nobis proponamus cœlorum regnum, quo nil timendum reſtabit, ſic Venantius ait, ibi: *Veniat in corde noſtro regni tui ſincerum deſiderium, vt poſſimus diaboli vincere blandimentum:tunc enim in nobis hoſtis non præualet,quando nos conſtanter reſpexerit diuini regni deſideria concupiſſe.* Felix ille, cuius ab oculis nunquam regnum cœlorum abeſt.

§. III.

Caduca bona caducos,æterna æternos faciunt ſuos ſpectatores.

LAnguentes expectabant aquæ motum,cur non languerent, qui mobilium, fluxarúmque rerum erant ſpectatores. Induunt ſpectatores naturam rerum,quæ ſpectantur, quippè æterna, & ſolida bona æternos, & ſolidos faciunt ſpectatores ſuos, à caducis, & fluxis rebus nihil poteſt venire, & obuenire tibi, niſi languor, niſi infirmitas, niſi vertigo capitis. Huc refero quæſtionem propoſitam ad Chryſoſtom. ſuper cap. 5. ad Epheſios, vbi ſic: (Chryſoſt.) *Cum tantam celſitudinem à tellure in cælum vſque videntes nihil mali patiamur, in turri tamen aliqua ſublimi conſtituti, mox atque terram deſuper, vel modice deflexi intueri voluerimus, vertigo quidem nos,& caligo deprehendit.Dic mihi huius rei cauſam:* Sane poſſum firmus, & ſecurus immenſam pene cœli altitudinem ſpectare, quia cœleſtia, & æterna, ex quacumque diſtantia appareant, ſuis ſpectatoribus conferunt firmitatem.Non ſic firmus ſum,ſi oculos ab alto in terram vertero, ſed tunc & vertigo, & caligo me deprehendit, quia fluxæ res ad ſe trahunt ſpectatores ſuos, eoſque præcipites agunt.Hinc Exodi cap. 34.ex colloquio diuino,dum affert Moyſes ſplendentem faciem, non datur Iſraëlitis, vt poſſint videre gloriam vultus Moſaici, cum tamen poſteriores Chriſti Domini gloriæ ab Apoſtolis fuerint viſæ, & prædicatæ. 1. Petri epiſt. cap. 1. (1. Petri 1.) *Pronuntians eas, quæ in Chriſto ſunt paſſiones, & poſteriores glorias; quibus reuelatum eſt, &c.* Sed cur Moyſis gloria non permittitur videri reuelata facie, Chriſti autem poſteriores gloriæ apertiſſime reuelátur?Gloriæ Chriſti poſteriores æternæ erant, & ideò reuelabantur, vt ſpectatores ſuos æternum glorioſos facerent. Gloria autem Moyſes fluxa erat, & remouenda, ideò nequit videri ſpectatoribus ſuis conferens caliginem oculorum, & vertiginem capitis. Elegantee hoc inſinuat D. Damaſcenus ex 2. Cor. 3. orat. de transfiguratione fatus. (2 Cor. 3.) *Iſraëliticus populus in Moyſis faciem, quæ abolenda erat, intendere non potuit. Nos autem reuelata facie gloriam Domini intuemur, à gloria in maiorem gloriam transformati.* Ecce tibi quid fluxæ res, quid æternæ efficiant, in ſe ſingulæ ſuos ſpectatores conuertunt, & ad ſe rapiunt; cœleſtis gloria viſa nos transformat a gloria in gloriam,æternitatémque affert: verum illius faciei gloria, quæ abolenda erat,quæ volubili rerum ſtatui ſubiecta erat, vt terrena vorago nequit aſpici; caliginem enim, & vertiginem facit, vt ad ſe trahat. Merito Eccleſiaſt 3. (Eccleſ. 3.) *Beatus diues, qui inuentus eſt ſine macula, & qui poſt aurum non abijt.* Quid eſt, poſt aurum non abiit? Habet aurum caducarum rerum proprietatem, quod dum ad ſuam naturam ſpectatores ſuos trahit, eos in profundiſſimam voraginem præcipites agit. De quo Chryſol.ſerm. 29. (Chryſol.) *Naſcitur aurum in terra profunda, ſectatur ipſa montium fundamenta: pérque ima venarum cæcis diſcurrit anfractibus, & dum ſuam ſemper repetit ad naturam, cæleſtes animos ad inferna deponit, obſcurat ſenſus, ſemper alta mentium, ſemper in terrena demergit.* Sic mobilia bona ad ſe trahunt ſpectatores ſuos, obſcurant oculos caligine, vertiginem faciunt, præcipitia aſtruunt, omnéſque naturæ propriæ defectus noſtris inſerunt animis. Sic cœleſtia, & æterna bona, vel ſolo aſpectu ſpectatoribus ſuis induunt æternitatem. Gen. 15. de Habraham dicitur, quod (Geneſ. 15.) accepit *tria animalia, arietem trimum, vaccam trimam, capram trimam, & turturem, & columbam.* In ſolis animalibus numerantur anni, cur in auibus non numerantur anni? D. Auguſt. Pſalm. 13.concione 3.ait. (Auguſt.) *Significantur in auibus quidam ſpirituales, quorum ætas temporalis propterea tacetur, quia æterna meditantur.* Et verè, vbi æterna præ oculis ſunt, ſic in ſe transformant ſpectatores ſuos, vt in illis videantur conſumpſiſſe quidquid erat temporale. Dicebat Pſalm. 88. (Pſalm. 88.) *Quis ſimilis erit Deo in filijs Dei?* Quaſi à ſimilitudine Dei etiam perfectiſſimos quoſque excluderet. Ioannes tamen 1. (Ioann. 1.) epiſt. Can. 3. ait, *Scimus quoniam, cum apparuerit, ſimiles ei erimus.*Dauid negat eſſe nos Deo ſimiles,Ioãnes aſſerit nos Deo ſimiles futuros, & vterque vera dicit;licet enim nulla poſſit creatura ita Deo aſſimilari,vt ſit in perfectione æqualis;tamen ſi Dei bona oculis appareant creatis,non poſſunt non aſſimilare ſibi ſpectatores ſuos. Vnde D.Gregor.lib.18. (Gregor.) in Iob. cap. 31. fatur. *Huic ſapientia diuina, & ſimiles erunt ad imaginem, & tamen non erunt ſimiles ad æqualitatem: aſpiciendo quippè æternitatem Dei, fit eis, vt æterni ſint: & dum viſionis eius donum percipiunt, ex perceptione beatitudinis imitantur, quod vident.* Sic æternæ æternant, dum caduca faciunt caducos ſpectatores ſuos.

§. IV.

Efficaciora ſunt mala ob Chriſtum ſumpta ad trahendum homines, quàm bona omnia ſecularia.

ECce ſalutem ſcaturientem in aquis Bethſaidæ,& ab his tantum quæritur hæc ſalus, quos quinque porticus capiunt. Sed in aquis Baptiſmi Chriſtiani mors eſt, ad quam ex tunc initiamur imò expoſtulamur, dum commori, &

consepeliri cum Christo Iesu iubemur, & innumeras Ecclesias replent, qui ad has euolant aquas. Fortius sanè pelliciunt, & trahunt homines mortes Christianæ, quam deliciæ, quam sanitates corporales. Sibi Menander confinxerat de vndis stygiis lauacrum, quod hominibus dabat immortalitatem, & immortalitate obiecta rarissimi, aut nulli inueniebantur indagatores tanti lauacri. Menandrum sic ridet Tertul. lib. de anima, fatus. *Vbi nam ista felicitas aquarum? Quod hoc Menandri balneum? Comicum credo. Sed cur tam infrequens, tam occultum, quo paucissimi lauant? Suspectam enim faciam tantam raritatem securissimi, atque tutissimi Sacramenti, apud quod, nec pro Deo ipso mori lex est: cum è contra omnes iam nationes ascendant in montem Domini, & in ædem Dei Iacob, mortem per martyrium flagitantis, quam de Christo etiam suo exigit.* Videte lauacrum, & lauacrum: imò componite Menandri lauacrum cum Christi Domini lauacro, illud mortem ablegabat, delicias scaturiebat, & tamen raros, paucissimos trahebat. Sic omnes prophanæ balneæ, omnes voluptuosissimorum hominum sectæ, vitam promittunt, delicias, voluptates, & nihilominus si ad illarum sectatores spectes, apparent rari nantes in gurgite vasto. At Christi lauacrum mortem, sepulturámque flagitans, vniuersas ad se nationes rapuit. Quæ gens ad halantis mortem lauacri portum non se recepit? Quæ non doluit videns suos pro Christo morte priuatos? Apud Matth. cap. 2. *Rachel plorans filios suos.* Cur Rachel filios suos ploret, cum illos videat incolumes, dum videt sororis filios ab Herode morti datos? Orig. homil. 3. in diuersos: *Plorauit Rachel filios quasi nihil passos pro aduentu Domini, & quasi non essent existimauit ad illos, qui pro Christo mortui sunt, & martyrij tulerunt coronam.* Sic curritur ad mortem pro Christo, vt dolendos reputemus eos, qui vini manent. Non negabo in præsenti verba illa religione plena, quibus Castellæ Rex Alphonsus insignem victoriam de Mauris scribit Pontifici Max. apud Marianam lib. 11. cap. 25. *De exercitu autem Domini, quod non sine grandi gratiarum actione recitandum est, vix viginti quinque Christiani, aut triginta de toto exercitu occubuerunt. O quanta lætitia! O quot gratiarum actiones! Nisi de hoc dolendum sit, quod tam pauci martyres de tanto exercitu ad Christum martyrio peruenerint.* Expende quid dolendum putet pius Rex, nimirum, quod pauci pro Christo mortui fuerint, quando omnibus talis mors esset appetenda. Currunt sanè pro Christo ad mortem Christiani. Sed quæ huius ratio? Sanè, quia salus, quæ à prophanis est, aut vana est, & fallax, aut mille motibus, mille curis emitur, ait enim, *expectantium aquæ motum.* Verum mors ipsa, quæ in Christi lauacro propinatur, placidissimum offert & ab omnibus malis tutamen. Id quod expressum inuenio Apoc. 14. vbi sic habetur, *Beati mortui, qui in Domino moriuntur, à modo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos.* Ex illa particula, à modo iam dicit spiritus, vt requiescant, colligit acutè, & verè Alcazar, notari in præsenti, non qui vita functi sunt, sed qui se exponunt morti, vt ille, qui dicebat 1. Corinth. 15. *Quotidie morior.* Hi ergo, qui adhuc in sæculo degunt, & mortem pro Christo sibi eligunt, imò appetunt, non funereas presbyterorum voces expectant, quibus cadauera iubentur requiescere in pace, sed a modo, à momento, quo animo suo mortem amplexati sunt, sibi requiem omnimodam, & à laboribus vacationem cani audiunt per spirituum voces immortalium. Huc spectat nobilissimus Christi Athleta D. Gregor. Nazianz. Apol. 1. fatus. *Licet ignem minetur, licet gladios, licet feras, licet præcipitia, licet omnes, qui furiate acti sunt, sæuitia, & crudelitate superet, licentiam inuentis suppliciys acerbiora tormentorum genera comminiscatur. Vnum mihi aduersus hæc omnia in promptu est remedium. Vnum ad palmam iter, nimirum, vt pro Christo mortem appetam.* Expende, quo remedio vtatur, quo balneo aduersus dolores, tormenta, cruciatus, nimirum quod *pro Christo mortem appetat.* O mors omni salute prophana quietior! O Angeli mortis vox, non commouens, sed tranquillans amaricantes feri maris fluctus! Huic mortuo omnis Angelorũ chorus iubet, vt requiescat à laboribus suis, vt viuens adhuc vacationem habeat ab huius vitæ doloribus. Accinit D. Chrysost. homil. 1. ad illud Apostoli, *salutate Priscam*, vbi sic: *Qui semel vitam despexit præsentem, magna cum facilitate conficit omnia, cœli municeps est, & ad futuram festinat vitam.* Vbi ergo mors, vel concupita, tutamen est aduersus omnes infirmitates, portus est, qui tranquillitatem, & quietem habet, quid mirum, quod efficacius homines trahat, quam mundiales voluptates?

Tertull. | Matth. 2. | Origen. | Rex Alph. | Apoc. 14. | Alcazar. | 1. Cor. 15. | Nazianz. | Chrysost.

§. V.

Corporalia bona rapidissimo motu euanent, non sic spiritualia.

Vide cuius à vulua corporalia bona parturiantur, ait enim, expectabant *aquæ motum*, vt nimirum, cum motu prosiliret salus, hoc omnium bonorum corporalium ingenium est, quod rapidissimo motu tradantur. Hinc felicitatem illius, qui ad spiritualia sese conuertit, commendat Psaltes 24. dicens. *Anima eius in bonis demorabitur.* Vbi Hugo Victorinus in annotatione elucidatoria fatur. *Quidquid carnaliter dulce est, suæ delectationis experientiam fruentibus præstat, sed diu cum eis morari non potest, quia dum gustu appetitum prouocat, transitu desiderium fraudat. Spirituales autem deliciæ, quæ nec gustatæ transeunt, nec deficientes decrescunt, nec satiantes tædium gignunt, diu cum frequentibus permanere possunt.* Hæc ille: id æternum habes, quod spirituale est, quod ab hac corporali specie defœcatum: quæ autem sunt bona corporalia, pernicissimo pertranseunt volatu. Psalm. 126. putatur a Salomone cõfectus, eo ipso tempore, quo templum ædificabat, & ciuitatem Regiis ampliabat. Equidem inter ædificandum, nil prius, quam ædificij ruinas aspexit, fatus. *Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.* Ad hæc eleganter D. Zeno ait, *Sit inutiles esse humanarum custodiarum vigilias, scit incessum esse consurgentium matutinas fortitudines. Ciuitas, & à se instituta, & ab alijs restituta, iam nulla est, non proficit ædificatio, vel prima, vel consequens. Et rectè ipse ille euertendæ ciuitatis Propheta est, qui auctor fuerat extruendæ.* Sic fluunt humana omnia, vt in ipso initio ciuitatum, & regnorum, nil prius videatur, quam finis. Accedens tentator ad Iesum Matth. 4. *Ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum.* Et cur Dominus passus est accedere tentatorem non solum, sed cum omnibus regnis, & gloriis mundialibus? Vt velocius euanesceret tentatio, quippe mundialia bona adeo fluxa sunt, tam pernici aguntur motu, vt qui cum illis venit, nequeat diu permanere in eodem statu, sed citissime necessum est, vt euaneat. Ita D. Chrysost. in Psal. 2. fatur. *Quando Christus ascendit in montem, vt tentaretur à diabolo, tunc Archidæmon in puncto temporis omnia regna mundi coegit, & gloriam eorum, & cum omnibus visus est, vt cum omnibus euanesceret.* Quasi à regnis mundialibus habiturus esset diabolus, vt non staret, & permaneret, sed statim euanesceret, & fugam caperet. Nescio, an sit aliqua creatura fugacior, & mobilior, quam bona omnia mundialia; vento comparauit Iob vitam hominis: sed quæ vento æquari potuit vita, bonorum mundialium vincitur velocitate. Eccles. cap. 11. id demonstrat satis. *Fili, ne in multis sint actus tui: & si diues fueris, non eris immunis à delicto, si enim secutus fueris, non apprehendes, & non effugies, si præcurreris.* Quid est illud, si enim secutus fueris? Hugo Cardinalis subintelligit ibi diuitias, quæ adeo velociter fluunt, vt si ad illas ventorum pennis curras, non tamen apprehendes, & si quando præcurreris, anteque ipsa bona cursum inceperis, te ipsa quam citissime præteribunt. Lucem his verbis affero ex Ouidio Metamor. vbi Hippomenes certans de velocitate cum Atalanta, semel, & bis, quam non assequebatur puellam, aureis pomis obiectis nititur remorari:

Obstupuit virgo, nitidique cupidine pomi
Declinat cursus, aurumque volubile tollit.
Præterit Hippomenes, resonat spectacula plausu:
Illa moram celeri, cessatam tempora cursu,
Corrigit, atque iterum iuuenem post terga relinquit.
Et rursus pomi iactu remorata secundi,
Consequitur, transitque virum.

Nescit aurum tardare, nescit vinci velocitate, si sequaris, non apprehendes, si expeditus iuuenis præcucurreris, facili negotio moram corrigit, & te semel & bis post terga relinquet, & pertransibit. Quò pulchrè spectat illud Ecclesiastici cap. 31. *Beatus vir, qui post aurum non abijt.* Cur non etiam beatus dicitur, qui ante aurum non abiit? Cur maluit dicere, post aurum? Equidem auri proprium est vniuersos præterire, & post terga relinquere sua. Sic currunt bona mundialia, sic aurum volat, vt quamuis velocissimus accedas, sola eius terga nota habeas. Psalm. 67. *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri.* Cur solum dorsum meminit aureum? Non ne columbæ pectus, & collum rutilat, & fulget, cur ad solas scapulas, & dorsum aureum aspexit? Crediderim ibi in colũba figurari bona terræ, quæ à globis euolutis in cleros parturiuntur, quæ bona adeò volant, vt quantumuis

Psal. 24. | Hugo. | Psal. 126. | Matth. 4. | Chrys. | Eccles. 11. | Hugo. | Ouid. | Eccl. 31. | Psal. 67.

occurras citus ſpectator, ſola earum dorſa notabis. Huc
Exod. 33. reuoco illud Exod. 33. *Cum tranſibit gloria mea, videbis poſteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.* Omnis enim gloria tranſitoria, quæ in hac valle lacrymarum habetur, ea velocitate tranſit, vt nulli niſi à tergo pareat. Et cur non rapidiſſimè tranſeat humana gloria, quando homo
Pſal. 110. ipſe omni raptu velocior tranſit. Pſal.101. *Dies mei ſicut vmbra declinauerunt.* Ecce ſumma ponderatio velocitatis quod tranſeat dies ſicut vmbra, hoc eſt, ſicut ipſe homo, illi om-
Auguſt. nino ſimiles. D. Auguſt. ibi. *Quid mirum, dies cui facti ſunt ſimiles tui?* Nil amplius poteſt dici de rerum mundialium mobilitate, quam quod ſicut homo tranſeant.

Text. Angelus autem Domini ſecundùm tempus deſcendebat in piſcinam, & mouebatur aqua.

§. VI.

De Angelorum miniſterio honoratur à Deo, & ſeruatur natura humana.

PRoh ingens Dei in homines dilectio, quorum morbis in infirmitatibus Angelos medicos deputauit. Maximo ſanè in honore eſt apud Deum homo, cui mittit Angelos
Act. 12. ſuos, vt famulentur infirmitati. Act. 12. Herodes Principem Apoſtolorum coniecit in carcerem, vbi dum iacet Petrus ferreis obſtrictus catenis, loci pædore vexatus: *Ecce Angelus Domini aſtitit, & lumen refulſit in habitaculo, percuſſoque latere Petri excitauit eum dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus eius,* &c. Sed cur Angelus mittitur Petro liberando? Nónne ipſe Petrus virtutem & poteſtatem habebat, qua poſſet & vincula rumpere, & aperire carceres? Qui alios à mortis caligine, à ſepulchro viuos educebat, non ſe poterat à carcere liberare? Equidem, ſed principis Apoſtolorum honor & dignitas hoc ſibi obſequium requi-
Chryſ. rebat ex Angelis. Id quod D. Chryſoſtom. Hom. 26. in Acta attigit, fatus. *Quare non illos per ſe ipſos ſic liberat? Quare etiam hac re honorat illos Deus, per Angelos eripiens.* Maximus honor hominum eſt, Angelos ſibi officioſos experiri, quorum beneficia & officia in homines tunc incipiunt, cum incipit
Gen. 21. cuiuſque hominis vita. Vnde Gen. 21. cùm Agar filius penè eſſet exanimis, *vocauit Angelus Dei Agar de cælo dicens, Quid agis Agar? Noli timere: exaudiuit enim Deus vocem pueri.* Cur ibi Angelus adeò præſto adfuit? quia cauſa pueri penè exanimis agebatur, cuius cura & tutela à primis vnguiculis
Theod. Angelis deputatur. Ita Theodoretus q. 2. *Aptiſſimè profectò Deus per Angelum, quæ ad puerum procreandum pertinebant, effatus eſt.* Vbi primùm hominis cunabula videbantur, iam neceſſum erat, quod appareret cura patroni Angeli, ſic enim nobiles hi ſpiritus erga homines affecti ſunt, vt ſimul homo vitam, & Angelus eius curam accipiant. Aiebat Ia-
Gen. 31. cob ad vxores ſuas Gen. 31. Dixítque Angelus Domini ad me in ſomnis Iacob.: *Ego ſum Deus Bethel, vbi vnxiſti lapidem, & votum vouiſti.* Quibus verbis quæſtionem mouet D. Baſil. lib. 2. aduerſus Eunomium, cur, qui ſe Deum vocat, vocatur à Iacob Angelus Dei? Enimvero qui loquebatur, modo ait, Ego ſum Deus Bethel, & idem in Bethel, ait, Ego ſum Deus Abraham, &c. & nihilominus Iacob de illo eodem agens fatur, *Dixítque Angelus Domini ad me.* Cur, quem Deum ſcis, Angelum nominas? Sanè de naturæ in homines beneficentiſſimæ vocabulo, de notiſſimi hominum patroni curatoris nomine maluit diuinum numen appellare. Sic gaudent paſſim homines beneficas ſibi excellentias de notiſſimorum benefactorum & patronorum appellare vocabulis. Sic in Athenæo ſupremi principes conſueuere vocari Mæcenates. Sic Iacob Deum Optimum Max. quem tutorem, & curatorem rerum ſuarum ſingularem experitur, vocat Angelum, cuius eſt hominibus patrocinari. Quippe vbi homines promouentur, clarè cernitur officium Ange-
Dan. 10. li. Danielis 10. ait Gabriel Angelus quod poſt Danielis orationes Domino præſentatas, & prælium commiſſum cum Perſarum Angelo: *Ego remanſi ibi cum rege Perſarum.*
Rupert. Quod ſic exponit Rupert. *Quid autem commodi Gabrielis remanſio iuxta regem Perſarum attulerit, patet ex ſacra hiſtoria, quæ docet Cyrum, inſtinctu Dei captiuitatem Iudæorum ſoluiſſe. Et qualiter multis annis poſt Aſſuerus retentus fuerit à Deo, ne peſſimum Amani conſilium perficeret. Vnde hæc tam feliciter euenerunt, niſi quia bonus ille Angelus remanſit iuxta regem Perſarum?* Vbi enim hominum ſalus dabatur, conſpicua erat negotiatio Angeli, de quo ſupra.

§. VII.

Non ſtatim quis ad ſuprema ex imis: ſed trahendus per media.

TRahendi homines à terrenis cupiditatibus ad cœleſtia, vide prius qualiter paulatim, & per gradus promouentur. Terrenum ſupplementum aqua eſt, ſed terræ proximam habet ſedem, inde à terra iubentur prius expectare aquæ motum homines terreni, vt ſic paulatim promoueantur in cœlum. Inde pulchrè D. Auguſt. miratus Chri- Auguſt.
ſtum Dominum ambulantem in fluctibus, lib. 3. de mirabilibus ſacræ Scripturæ inquit. *Dominus de terra diſcipulos petens, neceſſe habuit in vndis ambulare.* Non enim imis adhærentes terris, ſtatim ad cœli alta raperentur, ideò in aquis ſubſtitit Dominus, vt à terra parum leuati vſque ad aquam iam diſponerentur ad altiſſima cœli. Sanè Paulus adhuc ſpirans minas, nihilque niſi terrenum ſapiens, ſubito ad cœlum euocatus eſt, ſed quanto id accidit oculorum diſcrimine? Accipite verba ex Act. cap. 9. *Cum iter faceret,* Act. 9.
contigit, vt approximaret Damaſco; & ſubito circumfulſit eum lux de cælo. Et cadens in terram audiuit vocem dicentem ſibi, Saule, Saule, cur me perſequeris, &c. Expendo quod perſecutor ſubitò euocetur ad colloquium diuinum, ſubitò ei lux de cælo affulgeat. Quid inde? *Surrexit*, ait, *Saulus de terra, apertiſque oculis nihil videbat.* Sic ſic feruntur etiam hi, quos bonus Deus amat, ſi repente ab imis euolent ad ſuprema. Vnde meritò monet Nazian. orat. in ſanctà lum. Nazian.
dicens. Quocirca ſe quiſque priùs purget neceſſe eſt, atque ita demum cum puro colloquium ineat, alioquin, *verendum ne oculorum ſenſu orbemur, quemadmodum Paulo accidit, cum priuſquam à perſecutionibus expiatus eſſet, colloquium cum eo, quem perſequebatur, miſcuiſſet.* Adhuc terrenus ſubitò ad cœlum euocatur, adhuc ſpirans minas, & ſubitò tranſit ad colloquium diuinum, ideò oculos admittit, quos ſeruaſſet, ſi à terra ad aquas, autequam ad cœlum, proſpexiſſet. Feliciſſimis illis Magis, vt venirent ad Chriſtum, data eſt ſtella, quam à cœlo ducentum ſequerentur: aiunt enim Matth. 2. Matth. 2.
Vidimus ſtellam eius in Oriente, & venimus cum muneribus adorare eum. Cur data ſtella? Equidem ne ab Idololatriæ tenebris ſubitò in patrem luminum, veriúmque Iuſtitiæ ſolem conuerſi, tanto lumine offenderentur, iuſſi ſunt prius ſequi ſtellam, vt inde ad ſequendum ſolem faciliùs, & ſecurius promouerentur. Ita D. Chryſoſtom. ſerm. 87. *Hinc* Chryſ.
eſt, quod & Magos adhuc noctis incolas, & totis obſtupeſcentes oculis, tenuiter micans ſtella aſſuefacit ad lucem, & gradatim pertrahit ad ipſum fontem luminis, & dierum. Non enim ſecurè quis proſilit à tenebris immediate ad lucē clariſſimam; mediet aliquid inter tenebras & lucem, per quod paulatim, & per gradus proficiat. Iſaiæ 9. *Sedentibus in regione* Iſaiæ 9.
vmbræ mortis lux orta eſt. Non ſedentibus in regione tenebrarum, ſed in regione vmbræ lux oritur: vmbra enim media eſt inter tenebras, & lumen, ideo qui velit ad lucem ire à tenebris, in vmbram proſiliat, & inde in lucem. Orig. Origen.
Hom. 2. in Cant. *Sedentibus enim in regione vmbræ mortis lux orta eſt. Et tranſeamus ab vmbra mortis ad vmbram vitæ. Semper illius modi ſunt profectus, vt in exordio deſideret quiſpiam ſaltem in virtutum vmbra conſiſtere. Ego puto ideò natiuitatem Ieſu ab vmbra cœpiſſe.* Spiritus, *inquit*, Sanctus veniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. *Non ſolum in Maria ab vmbra eius natiuitas cæpit, ſed & in te, ſi dignus fueris, naſcitur filius Dei.* Pulcherrimus ordo, vt à minimis per media aſſuefacti gradatim aſcendamus ad ſublimia: non enim is eſt homo, qui poſſit ſubitò ſumma capere. Id quod notauit D. Irenæus, lib. 4. cap. 74. & 75. vbi eo refert, quod filius Dei venerit nobis carne occultus, puſio, & tenellus infans, quia nimirum, homo perfectionem ſummam quam ex clarà Dei viſione accipere debebat, capere non poterat, niſi prius gradatim aſſueficret ad illam. Enim verò ait Irenæus Irenæus.
ſupra cap. 75. *Initio Deus potens fuit dare perfectionem homini; ille autem nuper factus non poterat illam accipere vel accipiens capere, vel capiens continere. Et propter hoc coinfantiatum eſt homini Verbum Dei, non propter ſe, ſed propter hominis infantiam: ſic capax effectus homo, quemadmodum illum capere potuit.*

Itaque per mediæ gradatim homo dedit aſcendere ad ſumma, ſi ſecure velit proficere. De hoc ſupra.

§. VIII.

§. VIII.

Baptiſmi Chriſtiani præſtantia, dum homines facit Angelos, & ad cœleſtia promouet.

MIraris piſcinæ virtutem, quæ Angelum Domini reci-
piebat, & ſalutem hominibus donabat. Sed mirare
Chriſtiani Baptiſmi præſtantiam, in quo vnda recipit ho-
mines infirmos, ſerpentino viro afflatos, & parturit Auge-
Zeno. los. Quod eleganter ponderat D.Zeno ſerm.2. ad Neoph.
fatus, cum omnium aquarum natura ſit talis, vt cum in
profundũ homines ſuſceperit viuos, vomat mortuos, *noſtra
aqua ſuſcipit mortuos, & euomit viuos, ex animalibus veros ho-
mines factos, ex hominibus in Angelos tranſituros.* Ea eſt ſacri
baptiſmi vnda, quæ non recipiat, ſed potiùs Angelos par-
turiat, à qua homines Angeli facti in cœleſtia ferantur &
ſublimia. Matthæus Chriſti natiuitatem dicturus ab Abra-
hamo per Patriarchas & reges, & duces deſcendens, eò
peruenit, vt dicat, *Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariæ, de
qua natus eſt Ieſus.* Longè aliter D.Lucas, qui poſt baptiſmum
Ieſu, eius genealogiam ediſſerens à Ieſu per omnes eius
maiores aſcendit ſuper omnia vſque ad Deum ipſum. Cur
quam Matthæus per deſcenſum, Lucas per aſcenſum docet
Genealogiam Chriſti? Sanè Lucas ſuſcipit Ieſum à baptiſ-
mo, quo factum eſt, vt nihil niſi aſcenſiones poſſit Lucas
Auguſt. excogitare de Chriſto. Accipite Auguſt.ſerm.15. de verbis
Domini, vbi ſic ait, *Matthæus generationem Chriſti memorabat,
qua deſcendit ad nos, ideo quando natus eſt Chriſtus, cœpit nume-
rare deſcendendo. Lucas autem, quia tunc cœpit numerare, quando
baptizatus eſt Chriſtus, ibi eſt initium aſcenſionis.* Quaſi vnda
Baptiſmi Chriſtiani non poſſet non homines in ſuperiora
& cœleſtia agere. Hanc Chriſtiani baptiſmi efficaciam
adumbrauit in Geneſi vox illa diuina ad aquas maris facta
Geneſ.1. cap.1. *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper
terram ſub firmamento cœli.* Ecce tibi in aquis priùs reptile,
deinde volatile vſque ad cœlum: vt terrenis repens mens
humana vbi aquã baptiſmi attigit, volucris fiat, quæ aſcen-
dat obuiam Chriſto in aëra. Id quod acutè notabat D.
Anaſt. Sinaita. Anaſt. Sinaita lib.5. Exaëm. fatus, *Collocat piſces ante volu-
cres, dicens nobis Deus, quod reptilia, & quæ humi, & in terra
verſantur animæ, ſiunt volucres cœli volantes ſuper terram ſe-
cundum firmamentum cœli; & ad imitationem omnium, ſpiritua-
lem Angelorum oſtendunt vitam. Cuius modi eſt illa volucris,
quæ volauit vſque ad tertium cœlum, & dixit, Noſtra conuerſatio
in cœlis eſt.* Quid pulchrius dici poteſt pro piſcina baptiſ-
maris Chriſtiani? Hæc eſt, quæ non expectat motionem An-
geli, vt ſalubris ſit, quin potiùs adeò ipſa ſalubris eſt, vt
quos repentes humi accepit, reddat pennatos, Angelico-
rúmque imitatores volatuum. Neſcio an viderat hunc fon-
Cant.1. tem illa, quæ dicebat Cant. 1. *Botrus Cypri dilectus meus in
vineis Enggaddi.* Quipe Enggaddi ſignificat Carthuſiano &
aliis fontem hædi, qui procul dubio fons Baptiſmi eſt pro
hædis ſuſcipiendis inſtitutus. Sed qui hædi in Dei ſiniſtris
ad deſcenſum, & præcipitium æternum parabantur, tanti
fontis beneficio aſcendunt agni facti, qui in dextris Dei lo-
Apon. cum habeant. Ita Aponius lib. 3. in Cant. vbi fatur, *Vineæ
ſunt multarũ gentium nationes, quæ vineæ agnito Chriſto habent
in medio fontem hædi, qui eſt ſacroſancti baptiſmatis fons, vbi
hædi deſcendunt, qui erant deputati à ſiniſtris ante tribunal iu-
dicis æterno igni tradendi: & aſcendunt agni immaculati, qui à
dextris iudicis congregentur æterno regno donandi.* Hæc ille.

Text. Et qui primus deſcendiſſet in piſcinam, ſanus fiebat, à quacumque detinebatur infirmitate.

§. IX.

Rari ſaluantur ex his, qui prius turbationem mortis incurrunt, quàm pœnitentiam velint agere.

INnumeri aquæ turbationem expectabant, vt ad ſalutem
currerent, ſed poſt turbationem aquæ ſanabatur tantum
vnus. Quis iam expectet turbationem, vt quærat ſalutem?
Quis raritatem ſanatorum non expaueat? Sanè multi ho-
mines adeò ſalutem animæ ſuæ negligunt, vt prius expe-
ctent ſe lethali corripi morbo, membra diſſipari, turbari
totam familiam, clamare medicos, & poſt has anguſtias, &
mortis appropinquantis turbationem tunc ad ſalutem fe-
ſtinant. O fallax pœnitentia! ô ſalus maximè dubia! Acci-
Ioſue 7. pite apud Ioſue c.7. Acham filium Charmi, qui furatus de
Anathemate lineam auream ſic obtegit furtum, vt quamuis
Deum iratum in vniuerſum populum videret, ipſe taceret,
nec confiteretur peccatum ſuum. Caſtigatur à Deo popu-
lus, turbatur exercitus, conſulit dux ſapiens Dominum,
mittit ſortem, & ſors cecidit ſuper domum Acham, mani-
feſtatur reus, conuincitur Deo perſequente, fatetur tunc
ipſe delictum ſuum, & ſine venia ex præcepto Dei iubetur
obrui lapidibus. Cur non parcitur illi? Non ne tandem hu-
milis confeſſus eſt delictum? Grauiter rem attigit Rupert.
lib.1. in Ioſue cap.21. dicens: *Non tamen vllam mereri veniam
debuit, quia videlicet confeſſio nimis tarda fuit. Ante enim tur-
batus eſt Iſraël quàm ille reatum agnoſceret, & ante ſors veridica
Deo auctore prodidit perſonam, quam ipſe culpam.* Væ qui mor-
tis turbationem expectant, vt culpas recognoſcant, væ qui
prius de morte inſtante familiam turbari vniuerſam, pro-
pinquos gemere, feſtinare medicos, & ſe reum lethali
morbo ſignari expectat, quam delictorum confeſſionẽ ſa-
lutem quærat. Metuo ne rariſſimi ſint, qui ex his ſaluen-
tur. Nabuchodonoſorem iam pene excidium inuadebat,
iam in ſomnis audierat imperij ſui ſucceſſionem, iam ſecu-
ris ad radicem poſita erat, & vigil de cœlo dixerat, *ſucci-
dite arborem.* Tunc ad illum Daniel cap.4. *Peccata tua elee- Dan 4.
moſynis redime, & forſitan propitiabitur Deus delictis tuis.* Ex-
pende illud forſitan, quo etiam inter eleemoſynas & vir-
tutes ſalus proponitur dubia à Propheta. Quod notat Sal- Saluian.
uianus lib.1. ad Eccleſ. fatus, *Hoc ipſum, quod dicit forſitan,
opem indicat, non fiduciam pollicetur.* Cur miſericordi non fi-
duciam pollicetur? Cur peccata ſua flenti, & eleemoſynis
redimenti ingerit dubium de ſalute acquirenda? Sanè ni-
mis ſerò hæc agebantur, ante enim rex in ſomnis turbatus
erat, antè præciſionem regni viderat, ante ſe gladio dari
audierat. Pergat Saluianus inquiens. *Ex quo intelligi poteſt, Idem.
quam difficile iam in extremis conſtituti peccatores, qualibet mu-
nificentia ad perfectam indulgentiam peruenire poſſint: quando
Propheta ipſe, qui ſuadet propitiationem Dei inquirendam, pro-
mittere non auſus eſt promerendam, dat conſilium de actu, & ta-
men dubitat de effectu: hortatorem ſe agendi, non impetrandi
auctorem facit.* Hæc ille & pulchre & verè; dubia eſt ſa-
lus, quæ non quæritur, niſi poſt turbationem mortis, niſi
poſt commotum vitæ flumen. Dubiam dixi, quia ſcio vnum
latronem ſaluatũ: at aliis deſperata eſſet ſalus illa. Etenim
Oſeas 5. ait, *Et vidit Ephraim languorem ſuum, & Iudas vin- Oſea 5.
culum ſuum, & abijt Ephraim ad Aſſur, & miſit ad regem vlto-
rem, & ipſe non poterit ſanare eos.* Priùs ſe vinculis conſtri-
ctos viderunt, quam auxilij petendi meminiſſent. Quid
plura? ipſe non poterit ſanare eos, ipſe Rex regum, ipſe Do-
minus peccatorum vltor, non poterit illis ſalutem dare, ſed
qualiter qui omnipotens eſt, non poterit? Auctor apud D.
Hieron. inquit; *Quod ſanare non poſſit Dominus, nequaquam Hieron.
ſua imbecillitate, ſed eorum merito, qui ſero auxilium poſtulaue-
runt.* Quid mirum, ſi nullus aut rarus ſalutem recipiant, ſi
illam non quærunt, niſi poſt mortis conturbationem, poſt-
quam ſeſe rudentibus inferni iam trahi experiuntur. Putat
D. Alcimus quod ipſe Pharao cum ſe marinis fluctibus cir- Alcim.
cumſeptum videret cognouerit ſtultitiam ſuam à Deo me-
ritò puniri: ſed quid illi profuit illa cognitio, tam ſera,
tot concurrentibus fluctibus, tot lethi vicini ſpectris in-
terrupta? Vnde ſapienter ille monet lib.5. de tranſitu maris
rubri.

O ſi compunctas humana ſuperbia mentes
Ante obitum mutare, nec expectare ſuprema
Fata velit, quanto infelix felicior eſſet!
Pœnitet ambigue, quem ſero pœnitet.

Ambigua ſatis & dubia, & minime ſecura pœnitentia, quæ
ſero extorquetur.

§. X.

Quàm rari ſanctitatem adipiſcuntur ex his, qui ſeſe immergunt curis ſæcularibus.

VIderes forſitan plures ad piſcinam deſcendiſſe, turba-
tiſque obrui aquis, vnumque ſolum extuliſſe caput ſa-
nitate lætatum. Eu, doluiſſes tunc eorum vicem, qui ſeſe
implicant, & mergunt curis ſæcularibus: equidem aiebat
Iob, *Gigantes gemunt ſub aquis,* vix eſt vnus ex his, quos ob-
ruit mundana vnda, quos non ſtimulet gemitus, & dolor,
quibus nõ difficillima maneat ſalus. Apoſtolus 1. ad Cor.7. 1.Cor.7.
ait, *Innupta cogitat, quæ Dei ſunt, vt ſit ſancta & corpore & ſpi-
ritu: quæ autem nupta eſt, cogitat, quæ ſunt huius mundi, quomo-
do placeat viro.* Quibus in verbis illud maximè notandũ eſt,
quod

quod cogitationem huius mundi nulla sequatur sanctitas, etenim definit Apostolus de ea, quæ Deum cogitat, quod est sancta corpore & spiritu: at, quæ mundus cogitat, quæ curis immergitur sæcularibus, quam pertinget sanctitatem? Sixtus. De eo silet mysterio Apostolus, id quod ponderat S. Sixtus Papa epist. de Castit statu. *Innupta cogitando quæ Dei sunt, vtriusque substantiæ sanctitatem dedit, & corpore & spiritu. Nupta verò solius mundi solitudinem, & vt marito placeat, dispensauit; de sanctitate vtriusque partis penitus siluit. Subtiliter enim Apostolus videtur diffidere, quod reticet.* Adeò rarum est, quod vlla sanctitas obtingat his, qui curis sæcularibus merguntur. Diffidit equidem Apostolus quòd reticuit: quasi diffidit sanctam euadere mentem, quæ cogitat, quæ mundi sunt, mundialibúsque curis est occupata, & ideo de huius sanctitate omnino tacet. Metuo, ne mundialibus curis coniun- Eccles. 11. ctior sit culpa, quam sanctitas: quippè Ecclesiasticus cap. 11. sic monet. *Fili, ne in multis sint actus tui; & si diues fueris, non eris immunis à delicto.* Innatum est mundialium bonorum solicitudini suffocare verbum Dei, imò culpas & defectus contrahere. Et scire cupis, quam sit annexa culpa curis sæcularibus? Expende structutam orationis Dominicæ, qua sic à Domino iubemur postulare. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Dimitte nobis debita nostra.* Adhuc panem petis, & iam solicitus es, quod remittantur debita, quod dimittantur peccata, quasi non liceat vel ad hæc temporalia bona respicere, quin sentiamus laqueos peccati, à quibus curemus liberari, ne bonis his ad macellum aptari Tertull. videamur. Id quod acutè expendens Tertull. de orat. Dominica fatur. *Cõsequens erat, vt obseruata Dei liberalitate in postulato pane etiam clementiam eius precaremur. Quid enim alimenta proderunt, si illis reputamur reuera, quasi taurus ad victimam:* Etiam quid efficiunt bona temporalia, ad macellum præparant, quod solum euadit, qui simul vna manu panem curat accipere, & altera iam tundit pectus, postulans à Deo remissio- Eccles. 3. nem peccati. Et quis est hic? Pulchrè Ecclesiasticus 3. *Beatus diues, qui inuentus est sine macula, & post aurum non abijt, nec sperauit in pecuniæ thesauris. Quis est hic?* Rarus est qui hoc Ambros. facit, vnus è mille est, & adhuc penè ignoratus. Ita D. Ambros. lib. de Nabuthe cap. 13. *Quasi his cognitus esse non possis, cum sibi desideras demonstrari, aiens: Quis est hic?* Non vulgaris est homo, sed rarus, sed vnus è multis, soli Deo notus, qui à mundialium bonorum fluctibus incolumis euadat.

§. XI.

Peccatorum adunatio difficulter expungitur, illam tamen Christi virtus euertit.

NE tribuas Sanatoris impotentiæ quod vnus sanabatur, imò ibi summa Christi Domini potentia exprimebatur & virtus, quando generis humani vnitum peccatum à mundo eliminauit. Huc spectabat vnius salus, quo nullum Christiferæ virtutis potuit exemplum figurari viuidius. Ecce clarissimum testimonium de Christo apud Ioannem cap. 1. vbi sic, *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Proh Deus immortalis! mundus scarebat peccatis, quid magnum dicitur de Christo Domino, quod tollat peccatum? non maius esset, si diceretur tollere peccata mundi? Eleganter Cyprian. respondit D. Cyprianus lib. de duplici mart. inquiens: *Plus est tollere peccatum, quam peccata: & peccatum non huius, aut illius, sed mundi.* Et sanè omne regnum diuisum desolabitur, vnitas vero etiam peccati firmius hæret, intimius figi- Genes. 11. tur, difficiliùs expugnatur. Genes. 11. de illis, qui turrim ædificare volebant post diluuium, dicit Dominus. *Ecce vnus est populus, & vnum est labium omnibus. Cœperúntque hoc facere, nec desistant à cogitationibus suis, donec eas opere compleant.* Inde hominum obfirmatio in malum, sine resipiscentia caue batur, quia populus erat vnus, & vnum erat omnibus labium. Quis enim dissolueret facinus tanta concordia firmatum? Quis adeò vnum peccatum exterminabit? Iam vocat Dominus peccati istius peremptorem, aiens: *Venite igitur, descendamus & confundamus ibi linguas eorum.* Sed scire cu- Procop. pis, cui dicat Dominus, venite? Procopius, & Glossa Græ- Glossa. ca, & alij plures, quibus non repugnat Augustin. lib. 16. de ciuit. cap. 6. putant ibi filium Dei à patre fuisse vocatum, & quidem rectè, vt qui assumpta carne humana, expugnaturus erat vniuersas vires peccati, etiam de vnitatis muni- Prosper. me confirmati. Pulchrè D. Prosper lib. 2. de vocatione Gent. cap. 14. *Quam mirabiles erga cohibendam hanc insolentiam fuit diuinæ censura iustitiæ. Quæ vnam illorum populorum loquelam septuaginta duarum linguarum varietate confudit, vt inter dissonas voces operantium pereunte concordia insana molitionis machina solueretur. In isto autem opere prouidentiæ Dei præordinabantur miracula gratiæ Christianæ.* Et meritò ibi adunati populi scelus curabatur, gratia illucescebat Christiana, cuius virtus vnitum mundi peccatum valuit eliminare. Nulla peccatorum concordia, nulla adunatio est, quam non superet Christi gratia. Psalm. 2. *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.* Psalm. 2. Quid tunc Dominus? Quando sic peccatores furiunt, quando sic adunantur aduersus Deum, poterit gratia Christi locum inuenire, vnde illis medeatur? Iam dicit Psaltes, *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius, præceptum eius.* Populi furiunt, populi in vnum conueniunt aduersum me, ait Dominus, ego autem illorum rex constituor, illos sub meis recipio alis, & legibus traho. Quid Christo Domino dignius? Præclarè D. Leo serm. 11. de Pass. Leo. ait: *Furit in vnum populus, & miseretur omnium Christus.* Ea est Christi misericordia, quam non effugit vlla peccatorum adunatio.

Text. Erat autem homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate sua.

§. XII.

Tollit Deus ærumnas ab his, qui earum lucra nesciunt facere.

NOn satis laudatus est languidus hic ab Euthymio, & aliis, quod longissima infirmitate correptus, patienter, & inoffense perseuerauerit, à Deo expectans sanitatem. Vis videre patientissimi hominis præclarum exemplar? Mirare hunc, qui interrogatus an sanari vellet, vt ponderat Theophylactus, *nil blasphemum respondit, non arguit Christum, vt stultam interrogationem interrogantem, sed mansuete & placide responsum dat.* Theoph. O nobilem vitæ æternæ negotiationem! O strenuum virum etiam de ærumnis ditescentem? His equidem ærumnarum credit Dominus talentum, qui sic negotiantur, & lucra faciunt cum illo. Componite modo duos inter se sanctissimos viros Petrum & Paulum, vterque in carcerem coniicitur, vterque vinculis ferreis alligatur, Petrus Actorum cap. 12. dum in carcere dormit, excitatur Actor. 12. ab Angelo, & à vinculis eripitur. Ait enim textus, *in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus. Et ecce Angelus Domini astitit, & excitauit eum*, &c. Paulus autem cap. 16. coniectus in interiorem carcerem, & vinculis præpeditus, noctem orans, & Deo gratias agens transegit, quo in carcere per multos dies mansit, nec Deus festinauit illam eripere. Cur ita factum est? Cur Petrus statim liberatur à Deo, & Paulus tandiu in vinculis relinquitur. Pulchrè rationem reddit D. Chrysost. Hom. 26. in Acta Chrysost. dicens. *Illic Paulus hymnos dicit, hic autem Petrus dormit.* Non dormienti, sed negotianti credit Deus ærumnarum talentum diues. liberat Petrum vbi catenarum talentum somno sepeliri vidit, vbi infirmitatum lucrum cessare notauit. Linquit in vinculis Paulum diutius commorari, quia vidit illum negotiantem, gratiásque agentem. Ex quo languidi præconium maximum æstima, cui Deus triginta & octo annos credidit ærumnarum, quibus non dormiebat ipse, sed negotiabatur, & ditescebat dies. Non iam miraberis piissimi Tobiæ tentationem: is enim post proximi sepulturam defatigatus extra domum se somno dedit, & incurrit cæcitatem. Dormiebat sane ante tentationem at postquam tentationem incurrit, non in somno, sed solicitus nundinator se laudibus diuinis tradit, ne acceptum tentationis talentum otiosum habeat, sed mirum in modum augeat. Ait enim cap. 2. *Non est contristatus contra Deum, quod plaga cæcitatis euenerit ei, sed immobilis Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ.* Tob. 2. O felicem nundinatorem, qui de accepta tentatione tantum nouit lucrum facere. D. Cypr. lib. de mortalitate ait. *Et Tobias post opera magnifica cæcitatem luminum passus, timens & benedicens Deus per ipsam corporis sui cladem creuit ad laudem.* Cyprian. Bonus negotiator nouit nullam præterire occasionem augendi virtutum substantiam. Hinc explico illa verba Angeli Tob. 12. Tobiæ 12. *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te.* Expende illud, *necesse fuit*, quippe cum tentationum talentum tradere Dominus consueuerit illis amicis suis, qui illo negotiari rectè noscunt; inde necessum erat illud talentum tradi à Deo negotiatori tanto, nimirum Tobiæ. De quo Auctor quæstionum ex vtroque Testamento quæst. 119. ait.

Vnde

Vnde quorundam deuotio minuitur, inde augmentum facit laude dignus Tobias. Cur non necessum fuerit dari huic tentationum talentum.

§. XIII.

Ærumnarum dies integri, & completi apud Deum sunt.

ECce quam exactè & integrè numerentur infirmitatis anni, ait enim triginta & octo annos habens in infirmitate sua. Verum Saul, qui quadraginta annis fuit in solio
1. Reg. 13. regni Israël, dicitur 1. Reg. 13. *Duobus annis regnauit super Israël.* cæteris omnibus obliuioni traditis. Ex quadraginta enim regni annis vix duo permanent apud Deum, triginta & octo euanent; at ex annis ærumnarum & laborum omnes integri & constantes apud Deum numerantur. Notanter dicebat Paulus ad Philemonem, *cum sis talis, vt Paulus senex, nunc autem & vinctus Christi.* Tunc enim ætatis suæ longæuitatem audet numerare, cum patitur vincula & car-
Ambros. ceres pro Domino suo. Id quod notans D. Ambros. in Psal. 35. inquit. *Iste se senem esse gloriatus est, vbi iam in vinculis tenebatur* Plenam ætatem, plenos annos vitæ suæ confidit, quando se in vinculis videt, ærumnarum enim dies pleni
Ioan. 21. & integri habentur in censu diuino. Sic Ioan. 21. ait Dominus ad Petrum: *Cum eras iunior cingebas te, & ambulabas, vbi volebas: cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius cinget te, & ducet, quo tu non vis.* Ecce tibi venerabilis Petri senectus, & dierum plenitudo vnde censetur, nimirum ex
Ambros. vinculis, ex laboribus, ex cruce. Similiter D. Ambr. in Psal. 36. ait. *Ante certamen iunior dicitur, in certamine senex, quod omne certamen impleuerit.* Equidem ærumnarum certamina dat homini completos dies, vt ætas senectutis perfectissimæ sit labor, & sudor, & infirmitas, qua in mundi stadio homo
Genes. 25. probatur. De Abrahamo dicitur Genes. 25. *Deficiens mortuus est in senectute bona, prouectaque ætatis, & plenus dierum.* Illud verbum, *deficiens*, putat D. Hieron. in Cat. Lyppom. malè fuisse additum à Septuag. quia tanto viro non videtur conuenire vllus defectus, cuius anni non possent deficere, vt qui in senectute bona, id est perfecta & completa defunctus est. Sed tanti Doctoris venia crediderim illud *deficiens* fuisse positum, vt fundamentum sequentis elogij, nimirum quod mortuus sit plenus dierum & in senectute bona. Etenim ideo dicitur deficiens mortuus fuisse, quia infirmitatis labore ad mortem peruenit, infirmitas autem & labor, etsi minuant corporales vires, dies complent, senectutémque omnino perfectam & bonam efficiunt. Ita Richard. Victo-
Richard. Victor. rinus de differentia sacrificij Habr. & Mar. fatur. *Senectus bona quando exterior sensus decrescit, interior verò excrescit. Senectus bona quando eo ipso interior homo roboratur, quo exterior homo infirmatur.* Ecce tibi ætas senectutis, & plenitudo die-
Sapient. 4. rum est infirmitatis labor. Ab hac sententia stat Sapient. 4. *Consummatus in breui expleuit tempora multa.* vbi Vatablus legit, *Defunctus paucis longa impleuit tempora.* Et qualiter defunctus paucis, potest longa implere tempora? Non ne mors potius assumit tempora, consumit aureos annos, qualis ergo mors festinanter suscepta tempora longa implet? Non hic de qualibet morte loquitur, sed de morte, quam in fidei & virtutis stadio Martyres subeunt. Sanè laborantibus Martyribus ipsa lanienа, ipsa mors immatura longis-
Rabanus. simas annorum ætates implet. Vt pulchrè dicat Rabanus apud Hugonem: *Ipsa mors fuit ætas annosa, quæ eis peperit vitam æternam.* Quid magnum, quod ærumnarum dies completi sint, quando ipsa mors ætas annosa est viris iu-
Iob 2. stis? Et sanctus Iob cap. 2. recolens pristina felicitatis suæ tempora, vt mauult D. Thom. ait. *Sic & ego habui menses vacuos*, quasi ad solam tribulationem, & labores sequatur die-
Psal. 90. rum plenitudo, vt Psalm. 90. *Clamauit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum & glorificabo eum. Longitudine dierum replebo eum.* Prior à tribulato exit clamor, deinde longitudo, & plenitudo dierum adest.

§. XIV.

Id solum te habere reputa, quod ex laboribus, & ærumnis habes.

NOtanter dicit textus de languido hoc, *triginta & octo annos habens in infirmitate sua*, quasi id quisque solum habere certo æstimetur, quod ex ærumnis habet. Porrò nihil magis hosti nostro cordi est, quam si nobis dies eri-
Exod. 5. piat, namque Exod. cap. 5. dicebant Hebræi ad Pharaonem, Dominus præcepit nobis, *vt eamus viam trium dierum in solitudinem, & sacrificemus.* Rex autem per plagas aliquanto mollior factus permittebat, quod sacrificarent in ciuitate sua, & illis instantibus de itinere trium dierum, tandem ait cap. 8. *Ego dimittam vobis vt sacrificetis in deserto, veruntamen* Exod. 8.
longè ne abeatis. quasi de tribus illis diebus aliquid minuere conaretur. Quod ponderans Origen. Homil. 3. ait. Hoc cu- Origen.
pit impetrare, ne longius abeant, ne totum triduum proficiscantur, & dicit, ne longè abeatis. *Non vult longè à se fieri populum Dei: non vult totum à se triduum proficiscantur. Vult in nouis vel vnum diem suum habere, in alijs duos, in alijs totum triduum ipse possidet.* Ecce quanto studio curat hostis habere sibi nostros dies, & nobis aut plures, aut vnum saltem eripere. O te felicem, qui nullum diem tuum amisisti, qui triginta & octo annos habes in infirmitate tua. Et sanè ideò habes integros dies. quia in infirmitate habes, solum enim securè habetur, quod ab infirmitate, quod ab ærumnis custoditur. Mirabar Iobum omnibus spoliatum bonis, in sterquilinio positum sic clamantem cap. 29. *Rursus cir-* Iob 29.
cumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum, quem visurus sum ego ipse, & non alius, & oculi mei conspecturi sunt. Expende illud, pelle mea, in carne mea, & oculi mei; etenim mirabile est, quod omnibus spoliatus, tot sua adhuc numeret. Nec non & de quolibet iusto post ærumnas dicitur Psalm. 90. *Oculis tuis considerabis, & retributionem peccatorum videbis.* Vtrumque locum ponderans Ber. Bernard.
serm. 8. in Psalm. Qui habitat, sic fatur. *Considerandum attentius quod Iob ait, oculi mei, sicut in Psalmo, oculis tuis considerabis. Numquid enim mei esse oculi nunc videntur? Planè non mei. Occupauit membra omnia lex peccati, liberè intrabat mors per fenestras, cuius nimirum factus eram seruus etiam ego ipse.* Vnde ergo tanta præsumptio, vt dicantur oculi mei? Vnde oculorum possessor dicat: Venundata sunt omnia sub peccato, quis me habere, possideréve oculos credat? Pulchrè ipse Bernard. rationem attingit, fatus. *Non simpliciter oculis, sed* Idem.
oculis, ait, tuis considerabis: istis vtique qui nunc languent præ inopia; ipsis planè qui toties interim flaunt lachrymis, ac crebris compunctionibus atteruntur. Ecce quæ bona certò habeas, quorum possessor fias, quæ verè tua sunt, nimirum quæ langüor, quæ infirmitas, quæ dolor tibi permittit. Id solum tibi seruatur inamissibile, quod custodiunt ærumnæ. Meritò quis dubitari posset, cur populus Israëlicus post transitum maris rubri non statim numerati sunt, certósque in catalogos deducti? Cuius rei causam assignat Orig. Homil. 1. in Origen.
Num. dicens. *Sed, nec cum mare rubrum transiens venit ad desertum, meretur numerari. Nondum ab hoste fuerant impugnati.* Nullus censebatur haberi à Dei populo, quem nondum probauerat tentatio, quem non exagitauerat labor hostilis & ærumna. Notanter de Iesu locutus Lucas cap. 2. inquit, *Iesus* Luc. 2.
autem proficiebat sapientia, & ætate. Et quis est autem, qui potius non deficiat, quam proficiat ætate? Quos vixisti annos, eos minus habes, & Iesus meus ætate proficit, omnes dies Dionys.
suos habet integros. Quod expendebat S. Dionys. Alexand. Alex.
epist. contra Paulum Samos. aiens. *Non enim accessio horarum, aut annorum est accretio vllius hominis, sed potius quotidie deficit. Puer autem Iesus Deus Israel, Deus est idem ipse, & anni eius non deficiunt.* Et qualiter deficerent anni, quos continua crux, & tentatio custodiebant? Vt solus Iesus à conceptionis suæ puncto nesciuit a passione, & gemitu vacare, sic solus Iesus semper omnes dies, & horas vitæ perfectæ suas habuit: vt de hora passionis dicitur Ioan. 13. *Sciens Iesus,* Ioan. 13.
quia venit hora eius. Qui non habebat, vbi caput suum reclinaret, non potuit non habere, & æstimare vt suum, quod tot infirmitatibus, & ærumnis comparauerat. Hinc bonus ille senex, vbi Israëlis consolationem, & manibus, & corde accepit, statim cecinit Lucæ 2. *Nunc dimittis seruum tuum in* Luc. 2.
pace. Expende illud, *seruum tuum*, quasi iam se alienum reputat, quasi nihil in se suum inde videt. Et cur se reputat alienum, & non suum? Sane finita videt suspiria, quibus quotidie ad Deum clamabat; finitas videt dolentes illas voces, & se totum lætitiæ immersum, indéque non amplius suus, sed totus æstimatur Dei esse. Id quod innuit D. Methodius explanans dicta verba his verbis: *Hinc bonus* Method.
ille senex totus in lætitia: non amplius suus, sed totus eius, qui ab ipso sperabatur. Vide illud, non amplius suus, vbi non, enim res in lætitia erant, vbi pro gemitibus gaudia successerant, non amplius suus, quasi ex ærumnis, & laboribus haberet, quidquid suum habebat.

§. XV.

Huius vitæ ærumnæ diuiſim, & paulatim accidunt: illarum præmia non ſic.

ECce magnum infirmitatum leuamen, triginta & octo annos, ait, habens in infirmitate ſua: per tot annos diuiſa infirmitas, per tot dies doloris malitia diſpertita, haud dubium quin tolerabilis ſit. Si tot annorum dolor ſimul iunctus inuaderet, quis ſuſtineret? Quæ illi non ſuccumberet vita? Vnde monebat Dominus Matth.6. *Nolite ſoliciti eſſe in craſtinum; craſtinus enim dies ſolicitus erit ſibi ipſi. Sufficit enim diei malitia ſua.* Quaſi præueniat ſuos, ne plurium dierum ærumnas ſimul, & in vno die ſumant, ſed dum ſub hodierna ærumna ſunt, nil cogitent de craſtina; ſufficiat vnius diei ærumna, dum hæc eſt, non addatur, quam venturus dies afferet. Intolerabilis fiet multorum dierum malitia ſimul ſumpta: at vt eius minor, & tolerabilis ſit impetus, quaſi in fruſta diuiditur, & per momenta plura attenuatur in vitam. Liceat modo nouiter eliquare vobis illud Paulianum ſatis tritum 2. ad Cor.4. vbi ſic. *Id quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Fallor, niſi hic lateat aliquod Philoſophicum de continuo rerum mundialium motu: quod enim per continuum motum habetur, nunquam integrè poſſidetur, ſed tantum eſt ſecũdum aliquid ſui; vel ſi mauis iuxta Zenonis ingenium continua omnia per indiuiſibilia, vel momenta partiens, continuæ, fluxæque rei nihil præſens habes, niſi momentaneum, adeo, vt per momenta amittas, & acquiras alia, & alia. Ex fluxis ergo nihil tibi aderit magnum, quando ſolum momentanea pars poteſt tibi adeſſe, & prius abire debeat vna, quam alia veniat. Ecce tibi modò Pauli acumen, aiens, quod in præſenti eſt momentaneum tribulationis noſtræ, hoc eſt, quod tribulatio, quod infirmitas huius vitæ adeo diuiſa, & paulatim venit nobis, vt per minutiſſimas, & momentaneas particulas adueniat. Quidquid infirmitatis in præſenti habes momentaneum eſt, id quod præterit momento, vt aliud veniat, nunquam ſimul habes doloris totum, ſed diuiſim per momentaneas particulas. At doloris, & infirmitatum præmium æternum eſt, hoc eſt, iuxta Boëtij æternitatis definitionem, totum ſimul, & perfectè poſſidetur. Huc me D.Bern. minatur ſerm. de Fallacia præſentis vitæ, vbi explicans illud tribulationis momentaneum, & præmij æternum, ait, *Guttatim pœna bibitur, ſiquando ſumitur, per minutias tranſit: in remuneratione torrens eſt voluptatis, & fluminis impetus, torrens inundans lætitiæ, flumen gloriæ, flumen pacis. Flumen vocatur, non quod tranſeat, vel pertranſeat, ſed quod abundet. Æternum, inquit, gloriæ pondus.* Sanè tranſit cum tempore res temporalis, manet cum æternitate res æterna, hæc tota ſimul perfectè habetur, & poſſidetur, illa per minutias diuiſa, & per plurima annorum liquata momenta guttatim ſubitur, & tranſit. Compone modo rurſus iſtum infirmitatis cenſum: ait enim, triginta & octo annos habens in infirmitate ſua: cum alio remunerationis cenſu à D.Paul.2. ad Tim.4. prolato, vbi ait, *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die.* Quid ſibi vult tot annorum labor, & vna dies coronæ? Dixerim in multitudine annorum, infirmitatum ſignificari leuamen, & attenuationem in vnius diei corona ingentem gloriæ poſſeſſionem demonſtrari. Accipite D.Bernard. vbi ſupra dicentem. *Quid tibi dies, & annos numeras? tranſit hora, tranſit & pœna, nec accedunt ſibi, ſed potius ſuccedunt. Sufficit enim nunc cuique diei malitia ſua, nec laborem ſuum poterit reſeruare ſequenti, ſed omnium merces laborum in vna illa die reddetur, cui altera non ſuccedit. Repoſita eſt mihi, ait, corona iuſtitiæ, quam reddet mihi, non in illis, ſed in illum diem iuſtus iudex.* Ecce quam guttatim, quã diuiſim per minutias multorum annorum temporalis pœna ſubitur, quam integrè, quam pleno ore, quã iunctim remunerationem poſſidemus, non per plures dies diuiſam, ſed ſimul æternè habitam. Compone iterum pœnam temporalem Iſraëlitis ab Oſea propoſitam, & felicitatem iuſtis à Zacharia decantatam. Oſeas enim c.5. ait, *Nunc deuorabit eos menſis cum patribus noſtris.* Quid eſt, deuorabit eos menſis? Nónne plurium annorum ſuſtinuere miſeri calamitates? Nónne pœnę æuiternos hoſtiles incurſus paſſi ſunt? Cur ſolùm ait, deuorabit eos menſis? Sane diuturnæ erant præliorũ calamitates aduerſus Iſrael, ſed tamen ſic diuiſæ veniebant, vt non viderentur vnquam excedere vnius menſis calamitatem, ait D.Hier. *Per ſingulos menſes hoſtis adueniet, & cuncta vaſtabit.* Totus certaminis impetus & finietur, & inſtaurabitur ſingulis menſibus, & calamitas, quaſi ardentiſſima potio, per plures hauſtus diuiſa temperabitur. Non ſic felicitas iuſtorum, de qua Zach.4. ait, *Et erit dies vna quæ nota eſt Domino, non dies, neque nox, & in tempore veſperi erit lux.* Non erit dierum numerus, vt fiant hebdomadæ, aut menſes, aut anni, ſed vna ſimplex, & indiuiſa lux omnium plena bonorum. Vbi nihil præteritum euaneat, neque futurum ſperetur, & omnium ſimul perfectiſſima poſſeſſio detur. D.Ephrem de Pœnit. *Quis igitur vſus amplius rerum temporalium in ſtatu illo ſempiterno? Quis annorum numerus in æternitate temporis erit? Quomodo porro erunt anni, quando nullæ erunt noctes? Aut hebdomadarum numerus, cum menſes non fuerint? Nam vnum habet diem ſæculum futurum. Atque Propheta: Non erit nox, neque dies, ſed veſperi lux erit.* Felix, qui per amaritudinum ſorbitiunculas comparat ſibi interminabilem vitæ ſalutem! Dauid Pſalm.89. ait, *Et exultauimus, & iucundati ſumus in omnibus diebus noſtris.* Hoc eſt in die illo, in quo nobis omnes ſimul dies veniunt. Vbi enim diſiuncti veniunt, non eſt plena iucunditas. Auguſt. *Dies ille, dies eſt ſine fine. Simul ſunt illi omnes dies, ideò ſatiant. Non enim ſuccedentibus cedunt, vbi non eſt aliud, quod non veniendo nondum ſit, & veniendo iam ſit. Omnes ſimul ſunt, quia vnus eſt qui ſtat, & non tranſit, ipſa eſt æternitas.* Hæc ibi, & alia plura.

Matth.6. 2.Cor.4. Bernard. 2.Tim.4. Bernard. Oſea 5. Hieron. Zach.14. Ephrem. Pſal.89. Auguſt.

§. XVI.

Venturæ vitæ pœna tota ſimul miſeros diuexat.

VIdiſti temporalis pœnæ ſolatium aliquale, quod per plures annos ſuum amatorem diuidit, & attemperetur per plures, breuéſque hauſtus diuiſa. Quod leuamen in ſuis laboribus notabat ſponſa Cant.3. *In lectulo meo per noctes quæſiui, quæ diligit anima mea.* Expende illud, *per noctes*, quod notans Gillib. Abb. ſer.2. in Cant. ait, *Per noctes, inquit, multæ ſunt noctes eius, non eſt vna nox illi iugis, & continua.* Diuiſæ equidẽ dantur in hac vita calamitates, multæ nos premunt noctes, quia ſingulis horis minuitur, & deperditur aliquid de ærumna. Miſeri illi, quos vna iugis, & æterna premit nox, quos nulla pœna præterit, ſed omnes dolores ſimul præſentiſſimi ſunt, & iuncti ſimul afficiunt. Ionæ ærumnam, dum clauſus tenebatur in ventre lethi, ponderans Diuus Alcimus lib.4. ſic ait apud Franciſci Rureti notas in Tertul.

Inuaſúſque cibus ieiunia vixit in aluo.
Dum tres luce dies, vna ſub nocte Propheta
Sol ageret.

Et quidem rectè expenditur, Prophetæ labor, quem vna nox trium dierum malitias complectens diuexabat in piſcis aluo. Quis ergo dicat damnatorum tormenta, quos vna iugis, & perpetua nox infinitorum annorum malitias ſimul continens, mandit? Nullius diei malitia præterit, ſed ſimul omnes ſunt inferentes miſero damnato malum. Ex quo ponderanda ſunt illa D.Pauli ad Rom. verba c.2. *Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei.* Mirabar ſæpe, quod Apoſtolus, vt exaggeret ingentes iræ theſauros à peccatoribus acquiſitos, ſolum dicat, theſaurizas tibi iram in die iræ. Qualis eſt theſaurus, qui vnico die exhauritur? vna dies quomodo tantam multitudinem rerum prætendet, quæ ſaciant theſaurum? Aliter theſauros ſuos exaggerabat ille diues apud Luc.12. dicens. *Deſtruam horrea mea, & maiora faciam; & illuc congregabo omnia, quæ nata ſunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ, Anima habes multa bona poſita in annos plurimos.* Vter maior theſaurus, qui in annos plurimos aut qui in vnam diem aſſeruatur? Impius theſaurizat bona in annos plurimos, & theſaurizat iram in die iræ, nonne felicior eſt ex theſauris, qui ad plures annos, quam infelicior ex theſauro, qui in die vna, etſi iræ ſit, & calamitatis? Abſit, imo exinde decreſcit felicitas impiorum, quod eorum bonorum theſauri ad plurimos annos ſint, nec valeant ſimul haberi, ſimúlque ſuos poſſeſſores oblectare: ſed neceſſaria eſt aliorum bonorum perditio, vt alia ſuccedant. Et exinde accreſcit vehementer impiorum labor, quod irarum, & dolorum theſauri ſimul in vna die ſint, in qua nulla malorum ſucceſſio, nulla diminutio, ſed tota malorum congregatio in defectibus premat, & affligat damnatos. Huc ſpectat Diuus Ephrem de Pœnitent. *Statuit Deus diem, quã iudicaturus eſt orbem terrarum in iuſtitia: non dies multos, ſed vnum. Sanctis vna dies eſt, æterna lucis fruitio, & peccatoribus vna nox æterna cuſtodia, & carcer; ideo Ieſus dicit: Ibant hi in vitam æternam: iniqui autem in ſupplicium æternum.* Nihil mali voluit Deus abeſſe ab impiis, & nihil boni à piis, quando non

Cant.3. Gillibert. Alcim. Rom.2. Luc.12.

non in pluribus diebus, sed in vna die, & iræ, & misericordiæ claudit thesauros, vt sicut interminabilis lucis tota simul, & perfecta possessio iustos beat, sic peccatores vna, & tota simul, & iuncta diuexet malorum congregatio: vna illos affligat, nox infinitos annos dolorum simul claudens. De hoc infra lib.15.cap.4.§.3.

Text. Hunc cùm vidisset Iesus iacentem, & cognouisset, quia iam multum tempus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri? Dicit ei languidus: Domine, hominem non habeo, vt cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam, dum enim venio ego, alius ante me descendit.

§. XVII.

Ea sit cura præcipua laborantibus, vt peccatum tollant ab anima, ni velint omnia remedia frustrari.

ERat tota causa infirmitatis huius peccatum, vt ostendit Iesus infra dicens. *Iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* dum ergo peccatum non remouebatur, frustra languidus tot aquæ motus expectabat. Quid iuuat mouere omnia, tentare omnia, vbi solum peccatum in quo tota erat causa mali, quietum, & immobile manebat in anima? Ionæ cap.1. *Dominus misit ventum magnum in mare: & facta est tempestas magna in mari, & nauis periclitabatur conteri.* Sed quid fit à nautis in tanto hoc periculo, & iactatione nauis? Quid fit in naui hac vt possit saluari? *Timuerunt nautæ, & clamauerunt viri ad Deum suum, & miserunt vasa, quæ erant in naui: & Ionas descendit in inferiora nauis, & dormiebat sopore graui.* Ecce vobis irritus nautarum labor: Ionas, qui auctor erat tempestati, cubabat quietus, somno stertebat, à nemine inquietabatur, sed potius illo relicto curritur ad preces, curritur ad effusionem bonorum in mare. Proh nautarum ignorantia! Quid prodest omnia mouere pro salute, si immotum seruatis authorem tempestatis? Pulchre D.Basil. Seleu. orat. 12. ait, *Quid hoc? mare iactatur, & fortem in medio nominas, & auctorem tempestatis sinu consideres?* Hæc est peccatorum inscitia, periclitatur illorum salus, corpus crebris infirmitatum fluctibus iactatur, quæ dum sustinent, currunt ad sanctos, currunt ad Deiparam, vota emittunt; medicos adhibent, remedia quærunt, pecunias effundunt, sagos vacuant, nullum non mouent lapidem sub dolore gementes, solum peccatum totius mali authorem, & causam immotum, & prorsus intactum relinquunt in fundo animæ. Quid mirum, si nihil lamenta vtilitatis afferant, si mali radix medullitus immota asseruatur? Mirabar ego Esau vehementem dolorem ob amissam benedictionem, quippe is Gen. 27. vbi se benedictione paterna vidit orbatum, ad gemitus currit, ad lacrymas, ad preces. *Quippe irrugijt clamore magno, & consternatus ait: Benedic etiam & mihi pater mi.* Rursus addit. *Numquid non reseruasti & mihi benedictionem.* Insuper: *Num vnam tantum benedictionem habes pater? Mihi quoque obsecro, vt benedicas. Cumque eiulatu magno fleret, &c.* Quæ salus tot lamentis, tot precibus non posset instaurari? Quæ ruina non possit reparari? Et tamen non reparatur Esau ruina, quia cum totus currit ad preces, currit ad lacrymas, omnémque lapidem mouet, vt flectat patrem, sola immota relinquit cordis peccata, quæ prius remouere deberet, vt benedictionem cœlestem sibi traheret. D.Ephrem de Pœnit. *Lacrymatus est Esau, non quia peccauit. Occupabat mentem malitia, & per solam linguam volait benedictionem impetrare. Sed illa cur dico? Vt tu si amaritudinem in anima habeas, primum eam radicitus euellas, & postea sic ad Deum accedas.* Id in primis tibi curandum est in qualibet calamitate, vt conscientiam euoluas, & peccatum remoueas, alioquin vane confugis ad vota, ad lacrymas. Vane effundis thesaurum, cœlúmque tangis eiulatu. Apud Malachiam cap. 2. *Operiebatis lacrymis altare Domini fletu, & mugitu, ita vt non respiciam vltra sacrificium, nec accipiam placabile quid de manu vestra. Et dixistis: Quam ob causam? Quia Dominus testificatus est inter te, & vxorem pubertatis tuæ, quam tu despexisti*, Quid prodest ad lacrymas currere, ad aras euolare, ad sacrificia, & nihil immotum relinquere, quando despectus vxoris Deum testem habet? Omnia sanè irrita sunt quæcumque facias, dum in medio cordis serues peccatum. Quo etiam respicit illud Mich.c.6. *Ego cœpi percutere te perditione super peccatis tuis. Tu comedes, & non saturaberis, & humiliatio tua in medio tui. Et apprehendes, & non saluabis.* Ecce tibi perditio instat, & percussio, hinc inde hostes vrgent, & fames: horum causa, nimirum peccatum in medio tui cordis est, tu autem peccatum in medio cordis præteriens, apprehendis arma, confugis ad remedia, sed omnia tentas vane, non enim obtinebis sanitatem. Non est hoc absimile illis hominibus, qui cum habeant in medio ciuitatis hostes, illos prætereunt, & euolant ad arces, ad mœnia ciuitatis, vbi arripiunt arma, ignea fulgura, tela & totum belli opus dirigunt in campos. Quando hi saluabunt ciuitatem? Quando hi victoria potientur?

Basil. Sel. — Genes. 27. — Ephrem. — Malach. 2. — Mich. 6.

§. XVIII.

In temporalibus pœnis aliquam æterni supplicij speciem immittit aliquando Deus, vt nos cautiores reddat.

ECce homo miser in diuturniori morbo constitutus, omni auxilio penitus desolatus, adeo vt inter triginta & octo annorum dolores, non haberet in quem respiceret, a quo aliquale auxilium speraret? Charissima sanè imago est & repræsentatio supplicij post vitam hanc venturi, in quo eminent inter alia & dolorum diuturnitas, & omnimoda desolatio. Sic Dominus assolet in pœnis temporalibus æterni supplicij ingerere speciem aliqualem, quæ nos reddat magis cautos. Ioan. 2. volens Dominus prophanatores templi castigare, dicitur fecisse *quasi flagellum de funiculis*, &c. Cur funiculos in flagellum assumpsit? Cur non potiùs fuste aliquo vsus est? Sanè funiculi repræsentabant laqueos illos æternos, quibus peccator ligatus pedes & manus mittendus est in tenebras exteriores, vt habet Matt. 22. Voluit igitur Dominus in supplicio temporali aliqualem æterni speciem prætendere, cuius metu absterrerentur homines à peccatis. D.August.tract.10.in Ioann. ait. *Fecit flagellum de resticulis, & ad hoc admonet eos, vt mutent se, & ne sint negotiatores: nam si se non mutauerint, audient in fine, Ligate illis manus, & pedes, & proijcite in tenebras exteriores.* Videant peccatores in temporali flagello funes, siue rudentes infernales, quibus æternum constringendi sunt, ni sibi caueant. Ventura inferni vincula expaueant, dum se temporali vident affligi verbere peccatores. Psalm.10. *Pluet super peccatores laqueos ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.* Expende illud, *pars calicis eorum:* temporale enim flagellum, quo miseri in præsenti affliguntur, pars quædam est illius æterni quod post vitam manet. Quippe misericors Deus partem seu guttulam æternæ amaritudinis peccatoribus propinat, vt aliqualem gustum & saporem habeant æterni calicis, quo sunt in inferno potandi. Huc spectabat D.Gregor.lib.15.in Iob. cap.21. fatus: *Non totum calicem, sed partem calicis dixit: quia eorum passio hic quidem per dolorem incipitur, sed in vltione perpetua consummatur.* Hic solum pars est calicis, solum datur gustus & sapor aliqualis æterni illius supplicij, quod in inferno expectat eos, qui illud non metuunt, nec expauent, dum sustinent temporale. Nihil enim magis curat Deus in inferendis supplicijs, quam vt peccatores æterna illa, & ineuitabilia odorentur, & sibi caueant. Genes.19. *Dominus pluit super Sodomam, & Gomorram sulphur & ignem à Domino de cælo; & subuertit ciuitates has & omnem circa regionem.* Cur ad igneam pluuiam recurrit Dominus? Nonne, vt mundum perderet Deus, cœlum manauit aquis, cur modo ad paucas vrbes perdendas maluit ignem à cœlo mitti, non aquas? Sanè modo partem æterni sulphurei calicis propinabat vniuersis peccatoribus, non vt inebrientur ira diuina, sed vt gustarent aliquid de sulphuris inferni flammis, & ab illis fugere procurarent. Id quod docebat Saluianus lib.1. de Gubernatione Dei, fatus. *Dum cum iudicio malos perdidit Dominus, iam ad instar futuri iudicij iudicauit. Cum enim ad supplicium malorum gehennam in futurum arsuram esse manifestum sit, Sodomam, & vicinas eius vrbes cælestis flamma consumpsit. In præsenti autem illud, quod futurum est, Deus voluit declarare iudicium, quando semper impium populum gehennam misit è cælo.* Et simul peccatores in præsenti castigabantur, & simul futuræ gehennæ species mundo explicabatur, vt saporem haberent homines aliqualem supplicij illius, quod post vitam manet, cuius expauentes immensam ardorem rectam vitam agerent, qua se ab illius incendio liberarent.

Ioann. 2. — August. — Psal. 10. — Gregor. — Genes. 19. — Saluian.

§. XIX.

§. XIX.

Dilectis ſuis non ſinit Deus creaturas, quas reſpicere poſſint, & quibus fidant, ſed ipſe pro omnibus rebus adeſt.

QVis credat per tam longum infirmitatis tempus non adfuiſſe hominem huic paralytico, à quo auxilium poſſet ſperare; niſi qui nouit Dei curam, & ſolicitudinem in remouendis creaturis, vt ſolus ipſe pro omnibus apud dilectos ſuos & adſit, & valeat? Is eſt Deus, qui nihil aliud à ſuis videri ſinat præter ſe, ſe vbique præponens, omnia omnibus factus. Quam Dei naturam expertus Dauid fatur
Iſai.138. Pſal. 138. *Quò ibo à ſpiritu tuo? Et quo à facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlum, tu illic es; ſi deſcendero in infernum, ades; ſi ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Sic à Deo præoccupamur, vt nihil aliud videre liceat prius quàm Deum. Quoquò te vertas, ſtatim Deus ipſe in cœlo, ipſe in terra, ipſe in mari, ipſe itineris ſocius, ipſe in periculo adiutor, ipſe in omnibus omnia, non dabit, vt videas alium. Accipite pulcherrima commentaria huius loci, quæ dedit author Græc. Nicolaus Cauaſil. lib. 1. de vita in Chriſto, fatus. *Saluator in ipſo viuentibus ſic ſemper, & omnimodò adeſt, vt ipſis ſit omnia, nec alio prorſus ſe vertere, nec aliunde quærere ſinat. Et cum ſit altor, ſimul eſt alimentum. Et ipſe eſt qui panem vitæ dat, & vita eſt viuentibus, & vnguentum ſpirantibus, & veſtimentum operiri cupientibus. Ipſe eſt, per quem ambulare poſſumus, & ipſa via, inſuper & terminus viæ, adeoque & diuerſorium. Membra nos ſumus? Ipſe caput. Certamus? Vnà certat. Præclarè certamus? Præſes & arbiter eſt. Vincimus? Mox corona eſt. Sic vndecumque mentem noſtram ad ſeipſum aduertit, nec ad aliud patitur effundi, nec vllius rei amore implicari. Seu illuc eas, ibi eſt, ſeu alio, etiam ad aliam occupat, tranſeuntéſque manus comprehendit.* Si aſcendero in cœlum, inquit, tu illic es, ſi deſcendero in infernum, ades, ſi ſumpſero pennas diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. *Coactu quodam admirando, & ſuaui tyrannide ad ſolum nos trahens, ſibique copulans, & aſtringens.* Quid pulcrius? Sanè ſtudet Dominus facere, ne quid ſalutare tibi inuenias præter ipſum. Ipſe vbique adeſt, omnia factus, imò homo factus, vt vndique conueniat ocu-
Luc.2. los tuos, & ſpes tuas, ne reſpiciat aliò. Senex ille felix Luc. 2. canebat. Nunc dimittis ſeruū tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace. *Quia viderūt oculi mei ſalutare tuum, quod paraſti ante faciem omnium populorum.* Attende verba; paraſti, inquit, ſalutare, hoc eſt, aptaſti, carnem induiſti, hominem feciſti ante faciem omnium populorum. Diceres Hiſpanicè, *Hizoſe Dios hombre parallenarſe los ojos, y las eſperanzas de todos. Para que no huuieſſe hombre aquien boluer los ojos.* Vt ad ſe mentes oculóſque omnium raperet. Id quod attigit D.
Athanaſ. Athan. orat. de Incarn. verbi fatus. *Ideo hominum amator Deus, & communis Saluator corpus ſibi aſſumpſit homo inter homines verſaturus, vt hominum ſenſus præoccuparet. Vt homines humana ſola cogitantes, quocumque ſuos ſenſus conferrent, ibi ſe anticipari, præoccupari que animaduerterint.* In id totū incumbit Dominus, vt ſolus ipſe ſalutaris appareat, vt nemo alius ſpectari
Iſai.26. poſſit, in quo ſpes hominis innitatur. Iſai. 26. *Vrbs fortitudinis noſtræ, Saluator ponetur murus, & antemurale.* ſuffeciſſet quod Saluator murus poneretur. Cur etiam ponitur antemurale? Ne vnus quidem lapis ſit præter ipſum, in quo humana ſpes nitatur, & non ſolum ſeptē iuxta Zachariam, ſed vniuerſi oculi ſint ſuper lapidem vnum, qui verus Saluator eſt. & non alius præter eum. Inde omnem creaturarum fortitudinem, & auxilium euacuat, vt ipſe locus ſpectetur,
Daniel.3. qui eſt vera ſalus, Daniel. 3. vbi miſſi ſunt tres pueri in fornacem. *Flamma erupit, & incendit, quos reperit iuxta fornacem de Chaldæis. Angelus autem Domini deſcendit cum Azaria,* &c. Supponendum eſt, quod hic Angelus erat ille magni conſilij Angelus, qui iam tunc gentibus reuelabatur, iuxta
Hippol. D. Hippol. commentaria, quod etiam confirmat ipſe Nabuchodonoſor aiens. *Video quatuor viros ſolutos: & ſpecies quarti ſimilis filio Dei.* Quo poſito notandum eſt, quod non prius ſeſe videndum præbeat magnus hic ſalutis Angelus, quam flamma Chaldæos conſumat. Et quos Chaldæos conſumit
Hieron. flamma? Iam dicit Hieron. *Viri conſumpti flamma erant, de quibus ſupra dixerat. Et viris fortiſſimis de exercitu ſuo iuſſit, vt ligati pedibus Sidrach, Miſael, Abdenago mitterent eos in fornacem ignis ardentis. Non ergo fortuito quoſcumque miniſtros perdidit Nabuchodonoſor, ſed viros fortes de toto exercitu ſuo, & ad bella promptiſſimos.* Merito rex videt totam exercitus ſui fortitudinem defeciſſe, vt rapiantur oculi eius ad viden-

dum verum auctorem ſalutis. Nec aliter ſe reuelet Saluator, niſi prius euacuans omnem aliam virtutem, illámque ſuſpectam reddens hominibus. Infenſiſſimus Niniuitis Propheta Ionas, illis ſuæ ciuitatis ruinam annunciauit. Quid tunc Niniuitæ? Ionæ cap. 3. *Et crediderunt viri Niniuitæ in* Ion.3.
Deum: & prædicauerunt ieiunium, &c. Nullus in tota Niniue, qui Prophetam conueniat, nullus eſt, qui vt in periculis ſolet fieri, ad Prophetæ pedes conuoluatur, qui Prophetæ verbum faciat, ſed omnes, relicto Propheta, ad vnum Deum confugiunt. Cur ergo ad ſolum Deum reſpiciunt, nec de Prophetæ patrocinio curant? Sanè Deus, qui ſe ſolum reſpici à Niniuitis optabat, adeò in illos durum Prophetam immiſit, vt ab illo fugientes nullum alium Saluatorem præter Deum ſpectarent. Id quod inſinuans D. Ephr. Ephrem.
in Ionam fatur. *Videbant Niniuitæ prophetam durum ac ſæuum: relictóque duro ad Deum miſericordem confugerunt.* Ea ſemper eſt Dei prouidētia, quæ creaturas omnes, aut imbecilles, aut duras, & aſperas, in ſuos faciat, quo ipſi in vnum Deum currant, ab eiúſque ſolius auxilio pendere valeant. Hinc docemur dicere in oratione Dominica: *Pater noſter, qui es in cœlis.* Cur dicimus, qui es in cœlis? Vt abiuremus omne auxilium, quod mortales pertinaciter à ſtellis ſolent expectare. Sic enim hæret medullis hominum fixus error, quo bona ſua ſtellis ferant accepta, vt nolit Deus audire quemquam, qui prius non abiurauerit omne auxilium creaturarum, etiam ſtellarum. D. Thom. opuſcul. 3. c. 7. *Sunt ali-* D.Thom.
qui, qui res humanas fatali neceſſitati ſyderum ſubdunt. Vt igitur, ne hoc orantium fiduciæ obſit, dicimus: qui es in cœlis, tanquam motor, & gubernator eorum. Et ſic per virtutem cœleſtium corporum, auxilium, quod à Deo ſperamus, impediri non poteſt. Sic infirmat Deus omnes auxiliatrices creaturas, ſic ſtudet ſtellarum fauores ab hominis remouere oculis, vt homo feratur in ſolum Saluatorem. Malach. 3. *Orietur vobis timentibus* Malach.3.
nomen meum Sol iuſtitiæ, ſanitas in pennis eius. Oritur enim nobis Saluator, vt ſalutaris Sol, quia ablegatis ſtellis, ſolus ipſe ad ſe rapit oculos hominum. Vt oriente Sole, nemo eſt, qui ad ſtellas aſpiciat, ſic oriente Chriſto, & ſtellæ, & quæuis alia auxilia fallacia eripiuntur homini. Nónne Magos ſtella deduxit? Pulcrè Tertul. de Idol. *Ideò nunc, & Ma-* Tertull.
thematicus patrocinabatur illorum magorum religio? At ſcientia iſta vſque ad Euangelium fuit conceſſa, vt Chriſto edito, nemo exinde natiuitatem alicuius de cœlo interpretetur. Vanus es, impius es, qui ad ſtellas auxiliatrices reſpicis, vbi habes Chriſtum, quem ſolum auxiliatorem reſpicias.

§. XX.

Omnia deſunt, cui deeſt Ieſus.

NOn miror paralytice, quod hominem non habeas, non enim habes Ieſum, etiam ſi iuxta te poſitus ſit, inde iam conſequens erat, quod nihil proficuum tibi haberes. Piſcantibus vndecim diſcipulis, appropinquauit triumphator mortis Ieſus, & ait illis Ioann. 21. *Pueri num-* Ioan.21.
quid pulmentarium habetis? Reſponderunt illi: Non. Vbi eleganter Chryſol. ſer. 78. *Et quid haberent, qui Chriſtum iam ſecum poſitum non habebant?* Dum aſtantem tibi Dominum non habes, omnia te fugient bona, nihil tibi proficuum aderit. Cuncta veniunt bona pariter cum Dei ſapientia, nec quicquam eſt, vbi non habetur Dei filius. Speculaturus puer Eliæ, an cœleſtis nubes appareret, de Domini præcepto aſcēdit, 3. Reg. c. 18. Qui cum aſcendiſſet, & ſpeculatus eſſet, 3.Reg.18.
ait, *Non eſt quicquam.* Vbi Ioan. Ieroſol. de inſtit. Monach. c. 33. inquit. *Quia nubecula illa, mater Ieſu non fuit à puero viſa naſci in illa prima ætate mundi; ideò puer dicit, Non eſt quicquam.* Quando enim non erat, ex qua Ieſus eſſet, ex qua nobis filius Dei veniret, rectè dicitur, quod non eſt quicquam, nihil namque eſt, cui non eſt Chriſtus. Quoquo verſus oculos conieceris, nil boni inuenies, ſi Ieſum non inuenias. Gen. 1. Geneſ.1.
In principio creauit Deus cælum, & terram: terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, & Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Dixitque Deus: Fiat lux, & facta eſt lux. Et vidit Deus lucem, quod eſſet bona, &c. Donec ad lucem ventum eſt, nil bonum dicitur vidiſſe Dominus, cætera omnia potius præſeferebant inanitatem, & vacuitatem, quia dum verus Patris ſplendor Ieſus non apparet, nec quicquam bonum apparet, ſed terra inanis, & vacua, & tenebræ ſuper faciem aquarum. Eleganter D. Anaſt. Sinaita Anaſtaſ.
lib. 1. Exaēm. *Si omnia, quæ fecit Deus, ſunt valde bona, quo modo non dicit ſcriptura illas tenebras, quæ erant ante lucem, eſſe bonas? Sed neq; aquas illas bonas, neque abyſſum, quæ obſcurabatur,*

...dicit. Dicens ergo, & vidit lucem, quod esset bona, ostendit, quod omnia illa, quæ venerunt ante veram lucem Iesum, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & terram obscurarunt, demerserunt, & suffocarunt, non esse bona. Quod sine Iesu venit, vanitas est, tenebræ sunt. Quod sine Iesu venit, ruina est, & perditio, sub qua gemas misero suffixus grabaro.

§. XXI.

A Iesu nemo discedit vacuus, si tamen ad illum iuerit.

ECce communem miseriam illorum, qui cum creaturis negotiantur, non cum Deo. *Dum enim*, ait, *venio ego, alius ante me descendit*, si vel vnus te præueniat, exhaurit totam substantiam, quam tu superabas, si seruus accedas, laborem perdis itineris, & redis vacuus præuentus ab alio. Non sic in Christiano stadio, si cum Iesu negotieris, etsi multi alij præueniant, & Christi fores præoccupent, & tu
Ioann.19. iam serus accedas, si tamen accedas, redibis vacuus. Ioan.19. vbi felicissimi illi viri memorantur, qui corpus Iesu obtinuerunt, illúdque sepulturæ mandarunt, dicitur, *Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primum, ferens mixtu-*
Ioann.3. *ram myrrhæ*, &c. Habes ex cap.3. Ioannis, quod Nicodemus ad scholam Iesu nocte accesserit, quod in præsenti non sine mysterio voluit Ioannes meminisse, quando Nicodemus dicebatur adeò felix, vt ipse præ omnibus Apostolis mereretur accipere corpus Iesu, illúdque mandare sepulturæ. Sed cur, vbi tam ingens beneficium accipit Nicodemus, eius occultus, & serus ad Iesum accessus notatur? Dicit Ioan. venit & Nicodemus, quia venerat ad Iesum nocte primum, quid necessum fuit hoc exprimere? Merito id notat Ioannes, vt inde exprimat felicitatem illorum, qui ad Christum accedunt, quantumnis enim seri, & tardi accedant, non mane-
Ambrof. bunt vacui. Vnde D.Ambrof.lib.23. in Lucam ait, *Veni, & tu vel sero, vel nocte, vel quacumque hora: quandocumque veneris, inuenies Iesum ad suscipiendum paratum, nec minorem seruis venientibus mercedem, pia largitate soluentem.* Quis neget ingentia comparasse bona, qui Deo matutinus accessit? Qui primus faciem eius præocupauit? Sed non ideò alij tardiores recedent vacui. Non exhauritur pietatis fons à primo accedente, etsi tardius, etsi serius, etsi post vniuersos acce-
Cant.1. das, si tamen accedis, multum habes, quod haurias. Cant.1. *Post te curremus in odorem vnguentorum tuorum. Introduxit me Rex in cellaria sua, exultabimus, & lætabimur in te.* Ecce tibi multæ currunt ad Christum, multæ exultant, & lætantur, vna verò dicitur introducta in cellaria. Vnde hæc differentia, quod vni cellaria dentur, exultatio, & lætitia concedantur aliis? Currebant omnes, sed non omnes currebant æqualiter, vna, quæ cęteris præcucurrit, preoccupauit Domini cellaria, cæteræ serius accedunt, nulla tamen redit vacua, sed omnes accipiunt, vnde possint lætari, & exultari. Do
Origen. Origen.hom.1.in Cant.fantem. *Currunt ergo adolescentulæ post ipsum, & in odorem eius, vnaquæque tamen pro viribus, alia quidem velocius, alia paulò tardius; alia etiam inferius cæteris, & vltimo, alia primo loco. Verum tamen currunt omnes, sed vna est perfecta, quæ currit sic, vt praueniret, & acciperet palmam. Sola est, quæ dixit, Introduxit me Rex in cubiculum suum. De his autem adolescentulis, quæ post ipsam currunt, & procul ab ea in currendi spacijs remanserant, dicitur: Adducentur regi virgines post eam, adducentur in lætitia, & exultatione.* Sic omnes qui accedunt ad Christum, etsi tardius, etsi serius, etsi omnium postremo accedant, habent quod accipiant.

§. XXII.

Vbi homo deficit, peculiari iure tenetur Deus prouidere.

MAgis iustè, quam scienter languidus hic Dominum conuenit de defectu subleuantis hominis; si enim sciret Deum esse illum, cum quo loquebatur, iustius arguere posset hominis defectum, cui vices suas Dominus ad
Chrysol. cuncta subleuanda dederat. Hoc venuste docuit D.Chrysol. serm.148. his verbis. *O homo, qualiter sic honoratus à Deo teipsum taliter inhonoras? Quare tibi tam vilis es, qui tam pretiosus es Deo? In te imaginem suam posuit, vt terris inuisibilem conditorem visibilis imago præsentem poneret, & in terrenis dedit tibi vices suas, vt non fraudaretur Domini vicario mundi tam larga possessio.* Enim vero queri posset mundus defraudatus homine, quasi Domini vicarius officio, munerique suo, in subleuandis rebus, deesset. Nónne dominorum est prospicere suis, vel per se, vel per vicarios suos? Vbi ergo homo Dei vicarius deest, ne possessio fraudem patiatur, Dominus illi subuenire tenetur. Nefarie Marcion obiiciebat Christo Domino, quod discipulos mitteret sine sacculo, & sine pera, & sine calceamentis, ex quibus illum diuersum asserebat à Deo Israëlis, qui cum suos ex Ægypto educebat, simul iussit, vt vasa aurea, argentea, oues, & boues, imò & farinam asportarent secum. Hæccine Dei, & Christi differentia? Imò in hoc putarim maximam vtriusque identitatem, non enim sine magno mysterio tollitur, & exhibetur commeatus illud subsidium. Namque Dominus omnium, vbi vicarios suos prouidit, qui cuncta possint, & debeant ministrare, subsidia tollit sua: vbi autem vicarius deest, iam iam ipse per se de suorum commeatu prouidet. Sic mittens discipulos per mundi ciuitates, diuersaturos apud homines, nullo subsidio grauari in via permittit, vtpote qui vicarios Domini sui haberent, à quibus refici deberent. At populum ducturus per deserti inuia, & inaquosa, vbi vicarius deerat, tunc ipse Dominus per se prouidet, iubens asportari quidquid à longi itineris subsidium videbantur egere. Accipite hæc à Tertull. acutè notata lib.5.in Marc. his verbis. *Profe-* Tertull.
ctionem filiorum Israël creator, etiam illis spolijs aureorum, & argenteorum, vasculorum, & vestium præter onera conspartionum offarcinatam eduxit ex Ægypto: Christus autem nec virgam discipulis in viam ferre præscripsit. Illi enim in solitudinem promouebantur: ij autem in ciuitates mittebantur. Considera causarum differentiam, & intelliges vnam, eamdémque potestatem. Et quidem verè; quando quidem vnius est Domini, & vicarios habere, & defectus illorum supplere, & subditos vicariis permittere, & vbi vicarius deficit, per seipsum subuenire, & prouidere. Vbi iter agēdum erat per ciuitates, apud quas tot Dei dispensatores, & vicarij erant, quot homines, merito mittuntur discipuli sine sacculo, & pera, vt quos vicarij Dei homines alere tenerentur. Vbi per inhospitale desertum iter instituebatur, adest Domini cura, & prouidentia, quia omnino deficit hominum cura. Dan.c.7. *Videbam in* Daniel.7.
visione mea nocte, & ecce quatuor venti cæli pugnabant in mari magno. Et quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diuersæ inter se. Prima quasi leæna: bestia alia similis vrso: alia quasi pardus; bestia quarta terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis. Ecce tibi bestiæ ferissimæ sunt, quæcumque apparent in terra, nullus videtur homo, qui humane agat, qui humane viuat, in bestias mutatis hominibus, hinc leo, inde pardus, & vrsus prosiliunt, vt dominentur terram, & luctuosam exerceant carnificinam. Quid tunc? *Aspiciebam ergo in visione noctis, & ecce cum nubibus cæli, quasi filius hominis*, &c. Quid magis connexum, & coniunctum? Vbi nullus non bestia apparebat in terra, statim filius hominis è cœlo dilapsus claret. Vbi in terra nil respicis præter feras, leones, vrsos, pardos, statim Deus aduolat, qui sui vicarij hominis erga homines officium agat. Huc spectabat D.Chrysol.serm.156. Chrysol.
fatus. *Merito, quia humana desunt, diuina succurrunt, & adest Deus ipse, cui homo non erat, qui adesset.* Abeunt homines in feras, vt efferati nihil non crudele, & ferum efficiant? Necessum inde est, quod Deus in hominem veniat, vt humanus hominis exerceat officia.

Text. Dicit ei Iesus: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Et statim sanus factus est homo ille, & sustulit grabatum suum, & ambulabat.

§. XXIII.

Firma est salus, quæ per opera pœnitentiæ roboratur.

NOn solum sanat Dominus languidum, sed & firmissimæ, robustissimæque salutis testimonium commendat ex comportatione grabati. Sic salutis firmitudo monstratur, sic sanitatis robur nobis inseritur, cum pœnitentiæ oneribus exercemur, grauamur. Quam pessimè nefarius Nouatus pœnitentiam æstimabat, à qua casus ansam præberi humanæ imbecillitati prædicat. Cui pulchrè S. Pa- Pacian.
cian.epist.3.ad Tymph. respondit, fatus. *Fortasse pateret hoc credi, si pœnitentia deliciæ putarentur, cui labor tantus imponitur, cui carnis interitus imperatur, cui inges lacrymæ, cui gemitus sempiterni. Volet ergo sanatus iterum se secari, rursus exuri?* Sanè pœnitentiæ grauedo salutem non infirmat, sed confirmat, sed roborat. Qui enim duriter in se căstigauit peccatum,

peccatum, qui flagellis confodit, qui lacrymarum abſinthio
ſe potauit, haud dubium eſt, quin ſe ſanum amplius nitatur
conſeruare. Poſt largiſſimam lacrymarum effuſionem in
1.Reg.1. templo dicitur de Samuelis matre 1.Reg.1. *Vultuſque eius non*
Gregor. *ſunt amplius in diuerſa mutati.* De quo D. Gregor. in Paſto-
rali p.3. cap. 31. ait, *Quia videlicet mens eius nequaquam poſt*
preces inepta lætitia laſciuiendo perdit, quod orationis ſuæ tempo-
re gemituum rigore exquiſiuit. Non enim facilè perditur, quod
Paulus. rigor fletuum acquirit; præclarè D.Paul.2.Cor.cap.2.poſt-
quam illos vehementer obiurgauerat, ait, *Quis eſt, qui læ-*
tificat me, niſi qui contriſtatur ex me? Cur Paule in triſtitia
proximorum lætificaris? Triſtantur illi, & tu gaudes? Lu-
gent illi, & tu in luctu eorum lætaris? An exuiſti huma-
nitatem, vt læteris de proximorum doloribus, & calamita-
tibus? Lætabatur equidem Apoſtolus in Corinthiorum la-
crymis, quas ipſe reprehenſione extorſerat, vt ſalutem il-
lorum, & miſericordiam à Deo obtentam magis confir-
Ambroſ. maret. Pulchra ſunt Diu. Ambroſ. verba Pſalm.38. vbi ait,
Obiurgando enim Apoſtolus, dolorem, triſtitiam, gemitus excita-
bat, vt agerent pœnitentiam, quæ irreuocabilem veniam, & ſa-
lutem, cuius Deum non pœniteret, mererentur. Non ſolum cu-
rabat Paulus Corinthiis ſalutem, & peccatorum remiſſio-
nem, ſed eam ſalutem, & remiſſionem procurabat, quæ non
reuocaretur, quæ diutius duraret. Ideò dolores, triſtitias,
lacrymas in peccatoribus excitabat, quæ pœnitentiæ one-
ra valent ad ſanitatem confirmandam. Equidem tunſioni-
bus, & gemitibus accepta gratia confirmatur, roboratur.
Cant.7. Cantic.7. *Comæ capitis tui, ſicut purpura regis vindicta canali-*
bus. Cur additur illud, vindicta canalibus? Cur non ſuffe-
ciſſet dicere, ſicut purpura regis? Non ſolum commenda-
bat coloris nobilitatem, ſed & ipſum opificium, & labo-
rem, quibus lana diſponitur, vt adhibita tincturæ canali-
bus eum ſplendorem imbibat, quem non deponat amplius.
Ex quo pulchrè inſinuatur, vnde confirment, & æternent
Chriſti fideles ſplendorem gratiæ deriuatum à Sacramen-
torum canalibus. Lana enim poſt mille fuſi torturas, poſt
mille terentium preſſuras, poſt mille ferreos pectines li-
gneo traditur malleo, quo ſemel, & bis tunditur, pre-
mitur, conſtipatur, & tunſionibus conſtipata purpureo
inficitur decore, quem nunquam perdere valeat. Quiſquis
de Chriſti canalibus inficiendus es, premere tunſionibus,
flagellis, luctibus, & quam ſemel imbibis, diu retinebis
Ephrem. gratiæ nobilitatem. Huc ſpectabat D.Ephrem de pœnitent.
fatus: *Conſtringamus nos ipſos pœnitentes, vt veniæ gratiam*
tanquam veram tincturam non reſpuamus: ſic enim innatus no-
bis flos, mentibuſque noſtris inuſtus non amplius recedet. Lacry-
mis te ipſam ablue, ſicut tinctores lanam, te ipſum humilitati,
& angori, atque mœrori trade: ſic enim Deo te ipſum aſtrin-
gens, paratus accedes ad ſuſceptionem gratiæ. Adhæret equi-
dem mentibus noſtris amplius gratiæ tinctura, & vix re-
cedit ab eo, qui contritionem, & onera pœnitentiæ ad-
implet exactè. Propone tibi ob oculos Dei ſpiritum adhæ-
rentem Sanſonis comis, his reciſis à fœmina recedit ſpiri-
tus à Sanſone: verum vbi renatæ ſunt comæ, ſpiritus non
amplius receſſurus remeauit, quo Sanſon, & Dagonis
templum, & plures hoſtes interfecit moriens, quam vi-
uens. Sed ſcire cupis, cur Spiritus Dei fortius hæſerit in
renatis Sanſonis crinibus, quam hæſerat antea? Poſt cri-
nium tonſionem, & ſpiritus diſceſſum Sanſon carcere in-
cluſus totam ergaſtuli molem verſabat Iudic.16. ſub qua
mole afflictus pœnitentia, (vt auctor eſt Arias, & Auctor
mirabilium ſacræ Scripturæ 2. cap.6) ſpiritum ſolicitabat,
Paulinus. & in renatis crinibus vehementiùs firmabat. Hinc D.Pau-
lin. epiſt. 4. Sic vniuerſos monet, vt pœnitentiæ ſubeant
onera peccatum. *Homo*, inquit, *qui præuentus fuerit in ali-*
quo peccato, & ſalubriter pœnitendo ad inſtaurationem gratiæ,
quaſi capillis renaſcentibus reuertitur: ponens vt arcum æreum
brachia ſua: id eſt, fidem ſpei veræ, & ſpem fidei non fictam,
exercens idem ad prælium manus ſuas operibus pietatis: tum, vt
quibuſdam fidei firmæ lacertis, audebit inuadere, & poterit ver-
tere inimicorum columnas, &c. Hæc ille.

§. XXIV.

Obedientia noſtra paſſibili aduentu Deum leuat.

SAlutem homo languidus nanciſcitur, ipſe grabatum
ſuum portans, mirabile dictu! Nonne lignum, & infir-
mitates portaturus noſtras venit Ieſus, vt inde ſalutem præ-
ſtaret hominibus? Eia age Saluator mundi, quando homi-
nem ſanas, grabatum ipſe tu porta, grauare ligno; quis te

hoc onere leuat, ô bone Ieſu? quis eſt adeò bene ſanus, vt
Saluatorem, quantum eſt ex ſe, paſſibili liberet onere? Sanè
de hoc paralytico dicebat D.Cyril.Alex. quod *obedientia, &* Cyrill.
fide, quod longis temporibus optauerat, fuit conſequutus. O mira
obedientis præcellentia, & ſalutem habet, & nullum onus
præbet Saluatori, ſed ipſe ſibi portabat onus, & crucem. Vbi
obedientiam memini, fateor me vobis debere exemplar il-
lud huius virtutis, nimirum Abrahamum. Is dum parat iu-
gulare filium, dum gladium ſtringit, dum dexteram tendit,
ecce Geneſ.22. *Vocauit Angelus de cœlo, dixitque, Abraham,* Geneſ.22.
Abraham. Sed cur modo, ô magni conſilij Angele, Abraha-
mum vocas de cœlo? Aliàs, vt cum Abrahamo loquereris ad
terras venire conſueueras, eius intrare domum, peregrinum
habitum induere; modo cœlum minimè linquis, cuius rei
cauſa? Pulcrè notat Chryſoſt. hom.47. fatus. *Quia videbat* Chryſoſt.
iuſtum iam accinctum, & paratum ad immolationem, & volentem
implere mandatum Domini, idcirco vocat eum de cœlo. Non ne-
ceſſarius eſt Domini à cœlo in terras aduentus, non neceſ-
ſaria Dei paſſibilis peregrinatio, ligniique ſuper humeros
portatio, vbi homo inuenitur obediens. Ecce vobis Matth.
27. vbi Ieſus incidit in Simonem Cyrenenſem, à Crucis
onere leuatur, quod ſubiit ipſe Simon. Rem pulcre attigit
Victor Antiochenus in Marc.15. fatus. *Dominus noſter crucis* Vict.Ant.
ſuæ molem baiulauit, donec obuiam venit Simon Cyrenæus, qui
delaſſatum Ieſum ab onere illo ſubleuauit. Sed cur Ieſum vnus
ſubleuat Simon ab onere? Iam id explicat Orig. in Matth. Origen.
tract.35. dum inquit. Simon autem interpretatur obedientia.
Cui autem magis conueniebat, vt crucem Chriſti portaret, niſi obe-
dientiæ? Ille à cruce Chriſtum leuat, qui obediens eſt, ô
homo cuſtodiuiſſes obedientiam, & lignum tolleres à Ieſu
humeris. Hinc coniicere licet, cur Petrus, & alij Apoſtoli
orbi terrarum præficiuntur poſt Domini in cœlos aſcenſio-
nem, cur non antea iubentur portare orbem, quando Domi-
nus ſimul cum illis vitam agebat paſſibilem, & poſſet pro-
prios etiam adhibere humeros? An Petrus melior Moyſe,
melior Prophetis? Namque Moyſes dum præficitur populo,
humeros Chriſti requirebat, dicens, *Mitte, quem miſſurus es.*
ſimiliter Ieremias infantiæ ſuæ prætextu ſe ab onere excu-
ſabat expectans, qui patiatur Chriſtum. Sanè obedientior
his Petrus iubetur portare orbem poſt Chriſtum in cœlos
aſſumptum, præſtans etiam obedientia in cœlo Deum quie-
ſcere ſinit, non ſub onere premit gemebundum. Accipite
Chryſoſt. hom.4. in Acta ſic fantem. *Quod mirabilius eſt, Apo-* Chryſoſt.
ſtoli, cum mitterentur, nihil excuſarunt, neque dixerunt ſe gracili
voce eſſe, linguæque inexplanatæ. Siquidem Moyſes illos in hoc
erudierat. Non dixerunt ſe iuniores eſſe: nam Ieremias hic illos
reddit verecundos. At qui multa audierant terribilia, multoque
plura, quam illi, & tamen veriti ſunt contradicere. Ex quo liquet
illos lucis Angelos fuiſſe, & cœleſtium negotiorum adminiſtrato-
res. Attamen illis quidem nullus è cœlo apparuit adhuc agentibus
in terra. Sed poſtea quàm abijt homo ſuperna petens, ſimul ſpiri-
tus è ſupernis dilabitur. Hæc ille.

Text. Erat autem Sabbatum in die illo; dice-
bant ergo Iudæi illi qui ſanatus fuerat, Sab-
batum eſt, non licet tibi tollere grabatum
tuum.

§. XXV.

Feſtum agit Deo hominum ſalus.

MAle nouerant malitioſi illi Dei feſta, cum miraculo-
ſæ ſalutis ſignum exprobrabant, ſanè multus eſt Epi-
phanius Hær.66. Tert.lib.4. contra Marc. in demonſtrando
minimè nocuiſſe feſtis, quod hominum conducebat ſanita-
ti corporis, vel animæ. An infirmi non curabantur? An vi-
ctimæ non cædebantur, & aſportabantur? Et quidem quid-
quid ſaluti conducit hominum, id feſtiuiſſimum eſt Deo, id
ſolum dies feſtos Deo agit. Num.28. ait Dominus de ſacrifi- Num.28.
ciis offerendis. *Quæ offeratis mihi in diebus feſtis meis.* Ex
quo pulcrè Origen. hom.23. *Habet ergo Deus dies feſtos ſuos?* Origen.
Habet. Eſt enim ei magna feſtiuitas humana ſalus. Hoc erat in-
ter ſummos labores Saluatori maximè feſtiuum, ſi homines
ſanaret, iam diu Neomenias Iudæorum & Sabbata exhor-
reſcens Dominus eos ſibi faciebat dies feſtos, quibus ho-
minum incumbebat ſaluti. Sanè Ioann.7. cognati Ieſu, vt Ioan.7.
ad feſtum irent, petebant, quibus ipſe ait, *Ego non aſcendo*
ad diem feſtum iſtum, quia meum tempus nondum impletum eſt.
Hæc cum dixiſſet ipſe, manſit in Galilæa, vt autem aſcenderunt
fratres eius, tunc & ipſe aſcendit ad diem feſtum. An contrarius

ſibi

sibi Dominus fuit? An aliud fecit ab eo quod promisit? Non ne iuit ad festum, ad quod negauit se iturum? Absit. expendenda enim sunt verba Euangelistæ, Ego, ait, non ibo ad festum illud; quale istud? Ad istud, quod vobis festum habetur, nimirum festum otiosum, & delitiosum. Veruntamen postea ipse ascendit ad festum, non ad istud festum, sed ad festum quale ipse sibi ex hominum salute fecerat. Sic D. August. q. 78. Noui testam. explicat dicens, *Ascendit non quasi ad diem festum, sed quasi ad latentem: illi enim omnes læti ascenderunt, quasi ad perfruendas delicias diei festi. Certum est enim, quod non ascendit ad diem festum. Is autem illi fuit dies festus, quo passione sua redemit mundum. Hic dies festus eius, in quo vicit mortem.* Ecce qualiter ascendit, & non ascendit ad festum: non ascendit ad festum Iudæorum otio, & gaudiis constans, sed ascendit ad festum suum, quando laboribus suis, & sanguine proprio humanam erat comparaturus salutem. Hic dies festus eius, in quo vicit mortem, in quo redemit mundum, in quo hostibus deuictis hominis aut obtinere aut sperare potuit salutem. Psalm. 75. *Cum exurgeret in iudicium Deus, vt saluos faceret omnes mansuetos terræ. Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.* Equidem salutem consecuti homines, & confidentes, laudantes Deum festum agunt Domino, qui nunquam magis festiuus, quam vbi se videt causam humanæ salutis.

August.

Psal. 75.

§. XXVI.

Festa diaboli, vitiorum, & peccatorum fomenta.

ECce Euangelium, & videbis Iudæos occasione festorum in Deum, & in Christum eius petulantiores, impudentiores. Quisquis hæc videas, fallar si Iudaica Sabbata iam non Dei, sed Dæmoniorum festa facta prædices; quandoquidem non Dei festi est seruire & turpitudini, & errori. Isaiæ c. 1. ait Dominus Iudæis: *Neomeniam, & Sabbatum, & festiuitates alias non feram: iniqui sunt cœtus vestri: Kalendas vestras, & solemnitates vestras odiuit anima mea: facta sunt mihi molesta, laboraui sustinens.* Ecce tibi Sabbata, & festa, quæ peccatis seruiebãt, minimè ea vocat sua Deus, aliena à Deo sunt festa vitiis seruientia: & nullum indicium euidentius est festi, & Sabbati; quod non sit Dei, quam si hominum libidinibus seruiat. Merito illud, Kalendas, & Sabbata vestra, expendit Tertull. 2. contra Marcionem his verbis. *Vestra dicendo, quæ secundum libidinem suum, non secundum religionem Dei celebrando, sua iam, non Dei fecerant.* Inde incipiunt festa à Deo esse aliena, vnde incipiunt prauis hominum seruire appetentiis. Inde non Dei, sed diaboli festa censentur; vnde liberius peccandi subministrant materiam. Genes. 39. *Accidit quadam die, vt intraret Ioseph domum, vt operis quicquam absque arbitris faceret, & illa apprehensa lacinia vestimenti eius diceret: Dormi mecum.* Audis hoc quadam die fuisse perpetratum scelus, & scire cupis, quæ fuit illa dies, vt eam nigro notes calculo, vt illam vehementer horrescas, quæ tantum laqueum parauit animæ innocentis. Putatur hæc dies fuisse vna ex festis his diebus, quæ dæmonibus in Ægypto consecratę erant, nec melior index diabolicæ solemnitatis potest esse, quam quod tanto sceleri subseruierit. Annuit D. Basil. Sel. orat. 8. fatus, *Mulieris insidias adiuuans diabolus solitudinem hominum per dæmonis festiuitatem inuexit. Accidit, inquit, quadam die,* &c. Ex hoc nosces diaboli festiuitates stemmate, si parent laqueos innocentibus: si festorum solemnitate abutaris, vt Deo bellum facias, quæ sunt Dei, tua festa facis, imò omnino à Deo aliena, & prorsus festa diaboli.

Isai. 1.

Tertull.

Genes. 39.

Basil. Sel.

Text. Respondit eis: Qui sanum me fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula.

§. XXVII.

Beneficia diuina sequi assolet labor, & ærumna.

ECce qui à Domino sanatus fuerat, mortis periculum incurrit propter Sabbati violationem; si enim parua ligna colligens antiquitus lapidatus est; cur qui totum grabatum ligneum Sabbato portabat, non timeret sibi à Pharisæis, ne occideretur? Rursus, qui Lazarum suscitatum volebant occidere, vt resurrectionis obnubilarent auctorem, cur homuncioni parcerent, præcipuè quod legum suffragio possent facinus defendere? Has in angustias mortis coniecit hominem salus diuinitus acquisita; vel hinc salutis auctorem Deum demonstrans, cuius beneficium fere semper sequitur labor, & ærumna. Proprium signum est diuinitus acquisitæ sanitatis, quod grabatum in Sabbato iubeatur tolli sine legisfragio, sed non sine periculo legalis supplicij. Nullum beneficium à Deo habebis in hac valle lacrymarum, quod non exoluendum sit laboribus, & ærumnis. Quis dicat triumphũ & gloriam, quo Iesus exceptus fuit à Ierosolymitis cum palmarum ramis, cum lætissimis populi acclamationibus? Sed quis siccis oculis aspiciat ingẽtes passionis tempestates, quæ statim obortæ sunt? Hodie acclamationes, laudes, Pæana, cras continuæ accusationes, contumeliç, blasphemiæ. Pulcherrimè de hac re ipsa Dominus apud Gualt. Abb. ser. 3. in Ramis philosophatur. *Iustum quidem est, ô pater, vt qui se exaltat, humilietur; sed nunquid similiter iustum erat, vt quem tu exaltaueras, ita confusibiliter humiliaretur? Et gloriam, quam humilitas meruerat, tanta sequeretur contumelia? Numquid mihi pater iratus fuisti, quo vel ad horam hic me passus sum honorari? Et illud etiam perexiguum, quod susceperam de bonis huius mundi, exoluendum erat ante mortem in pœnis, & contumelijs, ne postea mihi posset obyci: Fili recepisti bona in via tua?* Et quidem huiusmodi est hominis cuiuscumque conditio in hac lacrymali vita, quæ vniuersum bonum acceptum stãtim exoluat calamitatibus, & ærumnis. Psalm. 101. *Eleuans allisisti me:* vbi argutius legit D. August. *Quoniam leuasti, & elisisti me;* quippe propinqua semper est eleuationi elisio, altitudini deiectio, gloriæ humiliatio. *Non ait, quoniam leuasti, & elisisti me, sed quoniam leuasti, elisisti me, ideò elisisti, quia leuasti: vnde hoc? Homo in honore positus, factus est ad imaginem Dei. Leuatus in hunc honorem erectus à puluere, erectus à terra.* Exoluenda erat tanta leuatio, tantus honor, tanta sublimatio, tot calamitatibus, & ærumnis, quas homo patitur. Ea sunt beneficia diuina, & exundationes gratiarum diuinarum, quæ semper secum afferant calamitatum arenas, ad quas elisæ possint conseruari. Hinc ingentem Christianæ Ecclesiæ gloriam miratus Moyses in Zabulonis benedictione, ait Deut. 33. *Inundationem maris, quasi lac suges, & thesauros absconditos arenarum.* Inundantur sanè Christiani lacteis cœlestium gratiarum fluctibus, bibunt totum, quod super cœlos est, mare; mare, inquam, gratiarum, sed cum thesauris absconditis arenarum. Qui sunt isti arenarum thesauri, qui mare gratiarum circumcingunt? Glossa moralis ait. *Per thesauros arenarum intelliguntur sancti, qui contempti sunt in hoc mundo, & conculcati, vt arena.* Nullus sanè fluctus gratiæ venit, quem non excipiat elisio, & conculcatio arenæ. Vt tumentibus mundialis maris fluctibus opponuntur arenæ, ad quas blandè elisæ cohibentur. Sic gratiarum exundationibus elisiones arenæ dantur, quæ teneant lacteas vndas, & thesauros augeant. Sic dicebat de se Paul. 2. ad Corinth. 12. *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est stimulus carni meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet.* Ecce exundans gratiarum mare in Paulo, cuius tamen lactei fluctus, quo magis eleuabantur, eò citius ad arenas siue persecutionum, siue tentationum, siue infirmitatum elidebantur.

Gualtic.

Psal. 101.
August.

Deut. 33.

2. Cor. 12.

§. XXVIII.

Animæ salutem consequatur pœnitentia labor.

COnueniant hunc paralyticum nuperi dogmatistæ, qui de Iesu Saluatore confisi rident nostra opera pœnalia. Quam præclarè hic ait, *qui fecit me sanum, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula.* Non sanauit, & gaudere, & otiosum esse iussit, sed me in has coniecit angustias. Non enim is est Iesus, qui sanet, vt stertas in lecto, sed vt sublato lecto laborem capias; non sanitatem animæ propinat, vt rideas, sed vt fleas amarè. Multum doluerat Dauid pro peccatis commissis, & nihilominus mittitur ad illum Propheta, qui trium suppliciorum optionem det, nimitum famis, mortis, belli. Cui Dauid 1. Paral. 21. ait: *Ex omni parte me angustiæ premunt: sed melius mihi est, vt incidam in manus Domini, quia multæ sunt miserationes eius: misit ergo Dominus pestilentiam.* Quibus nunquam satis miratus sum Dauidem, qui noscens multitudinem miserationum diuinarum, supplicium sibi pro peccato elegit, & non magis contendit, vt omne supplicium tolleretur! Cur nobilis peccator, qui culpæ veniam obtinuerat, non etiam instat pro condonatione pœnæ, sed magis supplicium elegit, nisi quia impudentissimi hominis est sic abuti Dei misericordia, vt velit omni afflictione satisfactoria carere? Diuus Ambros. in

1. Paral. 1.

Ambros.

in Psalm. 37. *Numquid donari sibi pœnam poposcit erroris? Quod si fecisset, impudentia notaretur, quod moderationi diuinæ fuisset ingratus. Elegit, non quod a flagella esset immune, sed quod moderatius iudicaret, vt Dei lenitati se committeret.* Impudens est, & ingratus Deo, qui animæ salutem non ostendit per aliquam corporis pœnam; qui sanari à peccatis vult, vt in lecto liberius stertat, vt funditus se committat otio; qui pœnitentiæ iugum, quasi graue onus a se repellit, nesciens in iugo pœnalis satisfactionis non onus, sed alas esse, quibus peccator facilius ascendit ad excelsa.

Psalm. 17. Psal. 17. *Quoniam in te eripiar à tentatione; & in Deo meo transgrediar murum.* Nescio quo fundamento verbis illis, *in Deo meo*, præposuit D.

D. Ephr. Ephrem hæc, nimirum, *in pœnitentia*; & tamen illa præposuit, fortè, quia putauit peccatori necessarium esse pœnitentiæ iugum vltra Dei gratiam, vt auibus est necessarium alatum onus, quo possint altissimos scandere, & superare muros. Sic enim loquitur sanctus vir de pœnit. *Rectè quoque ait; In pœnitentia, & in Deo meo transgrediar murum. Nam lex veluti murus impium vetat ad Deum accedere: at pœnitentia alas ei præbens, efficit vt altius euolet vsque ad conspectum Dei.* Cur ait, in pœnitentia, & in Deo meo? Suffecisset, in Deo meo; vbi enim Deus adest, omnia sana sunt, omnia integra, cur onus aliud mandatur? Sufficit, fateor, Dei gratia ad salutem, sed vt confirmetur salus, superaddendum est pœnitentiæ onus, quæ salutem ostendat, & præbeat alas, quibus possis ad Deum vsque euolare. Quis credat te ab infirmitate sanum, dum onus nullum sustinere vales? Dum per misericordiæ opera non exsurgis aliquanto? Ille verè sanus est, qui aliis veretur oneri esse, sed ipse portat onera

Tertull. sua. Quo spectat Tertull. lib. de Pœnit. sic fatus, *Plerique naufragio liberati exinde repudium, & naui, & mari dicunt, & Dei beneficium, salutem suam, scilicet memoria periculi honorant. Laudo timorem, diligo verecundiam, nolunt iterum diuinæ misericordiæ oneri esse.* Quippe onus est diuinæ misericordiæ, quod a naufragio peccatorum eruimur; semper enim, quæ perierat ouicula, premit pastoris humeros, dum ipsa per se arduas, & asperas non terit virtutis vias. Onus fuit Dei quod humeris suis nos a peccato leuauit, ideò ne maneremus ibi otiosi, & delicati nimis ab omni asperitate fugientes, humeros prementes diuinos? Absit hoc a Christiano, qui æstimat salutis beneficium. Is vereatur adhuc esse oneri misericordiæ diuinæ, ipse sua onera portet, se se asperis, & arduis virtutum committat, ab omni pristino abstineat luxu. Qui enim nimis delicatus ab onere pœnitentiæ abstinet; illud totum committens misericordiæ diuinæ, aut impudentiæ, & inuerecundiæ, aut male sanati notam incurrit.

Text. Quis est ille homo, qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum, & ambula? Is autem, qui sanus fuerat effectus, nesciebat, quis esset. Iesus enim declinauit à turba constituta in loco.

§. XXIX.

Diuinitatem prædicat beneficentia in homines.

BEneficium sibi non ausus est paralyticus vocare hominem; dicit enim solum: *Qui me sanum fecit dixit: Tolle grabatum tuum, &c.* Malitiosè Iudæi vt hominem dicant, occultant beneficium illarum, & solum meminerunt onus impositum in die Sabbati. Quis est ille homo, qui dixit tibi, Tolle grabatum tuum? Non beneficium memorant, sed legis fragium, quo miser homo pœnæ criminali expositus erat; vt sic omnem diuinitatis suspicionem tollerent à Iesu qui non tam beneficus, quam iniurius, & causa angustiæ & damnationis videbatur. Vt enim nil magis prædicat Deum, quam beneficentia; sic nil magis tollit diuinitatis suspicionem, quàm damnum illatum. Vnde eleganter Iob suam sapientiam commendans, qua nullam in Sole

Iob 31. Deitatem adorarit, fatur, cap. 31. *Si vidi Solem, cum fulgeret, & Lunam incedentem clarè.* In Sole & fulgur, & ardor est; fulgur gratissimus oculis, suauis & vitæ perquam vtilis, ardor autem molestus, iniurius, qui viuidis animantium fibris corruptionem affert. Itaque Iob, vt omnem speciem Deitatis Soli eriperet fulgorem eius præteriit, non vidit, beneficium dissimulauit, quo ardoris eius malitia, & in-

Theod. iuria Solem a deorum consessu eliminauit. Accedit Theodoreti obseruatio lib. 3. de diis, & Angelis, vbi fatur. *Deus tamen, ab eodem Sole vehementiores radij nonnunquam intenderentur, instituit, qui & hominum, & cæterorum animantium corporibus permolesti essent, satusque corrumperent a seminibus, arboribusque prosectus. Nullamque aliam ob rem ita instituit, nisi ne Solem vitæ causam esse, auctorémque opinemur.* Quis credat Deum Solem, cuius radij multis vitam eripiunt, & omnibus permolesti sunt? Nihil a Deo magis alienum ex his, quæ infert creaturis, quam interitus hominis. Dauid infensissimum sibi hostem Saulem dormientem inuenit 1. Reg. 1. Reg. 24.

24. cui statim milites sic inquiunt, *Ecce dies, de qua locutus est Dominus ad te: Ego tradam tibi inimicum tuum, vt facias ei, sicut placuerit in oculis tuis.* Facilè Dauid contempsisset occasionem tantam securitatis suæ, faciliùs contempsisset suorum militum verba cædem hostilis adhortantia; at multum erat ad Dauid, quod illi Dei voluntas proponeretur, Deique promissio adimpleta, cum dicunt, *Ecce dies, de qua loquutus est Dominus, &c.* Quid ageret Dauid fidissimus, & pijssimus vir, Deique virtutis æmulus? Quia Dei æmulus erat, quia secundum cor diuinum habebat cor, etsi audit Dei promissionem in cæde illa adimpleri, non sibi potuit persuadere Deo placiturum interitum hominis, & non magis salutem, & incolumitatem. D. Basil. Seleu. orat. 16. *Nec* Basil. Seleu.

verò Dei commemoratio Dauidem ad cædem faciendam excitauit. Hominis interemptio Dei donum non est, neque oculus diuinus arridet. Ista inimicum tradiderit, Dominum suum satis nouit humanitate delectari. Nunquam non placet Deo sui hominis salus; nunquam hominis ruina Dei donum est. Alienus prorsus, & extraneus à Deo est, qui iniurius est homini, adeò, vt Iob 1. post acceptam in hominem potestatem volens diabolus illa abuti, dicitur: *Egressusque est Sathan à facie Domini,* quasi non ferat Deus aspicere quemquam homini male affectum suo. Sic Didymus in Catena Græca, fatur, *Nisi extra Deum fuisset diabolus, contra Iobum is nihil moliturus fuisset.* Didym.

Non licet ipsi infensissimo generis humani hosti nocere hominibus, dum Deo vicinus est, se à Deo separare, & maximè alienare debet, qui homines cupit infestare. Vt enim Deus a se ipso non potest desciscere, sic ab hominum nunquam cessat charitate. Psalm. 105. *Obliti sunt Deum, qui saluauit eos, qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra* Psal. 105.

Cham, terribilia in mari rubro. Et dixit, vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius. Expende summa Dei ira, quousque peruenit, dixit vt disperderet eos, si non Moyses stetisset; quippe totam iram, totum furorem ad vnius hominis preces mitigabat. Cur sic Domine hominem vnum respicis, quando te vniuersi offendunt? Cur sine respectu non perdis eos, qui sine respectu peccarunt? Pulchrè D. Cyril. Ierosol. catech. 4. *Vitulum populus* Cyrill. Ierosol.

fabricauerat, sed non destitit Dominus à sua benignitate. Negauerunt Deum homines: sed Deus seipsum non negauit. Negaret seipsum Deus, si homines sua non amplecteretur benignitate.

§. XXX.

Felicitas temporalis mentem obtenebrat, ne auctorem bonorum nostrorum cognoscamus.

QVam innatum est felicitati temporali auctoris sui obliuionem, & ignorationem facere. *Is autem, ait, qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset.* nimirum suæ salutis auctor. Sic felicitas temporalis, sic Dei ipsa beneficia nouerunt mentem hominum implere, ne ibi locum habeat eorum auctor, vt meritò dicat Lactantius lib. 2. instit. diu. Lactant.

cap. 1. *Tunc maximè Deus ex memoria hominum elabitur, cum beneficijs eius fruuntur.* Misera hominum mens adeò impletur felicitate quadam temporali, vt nec auctorem felicitatis capiat, imò quasi necessum sit, vbi nos implent Dei beneficia, Deum ipsum excludi, & nostra memoria penitus elabi. Exod. 32. Israelitæ religionis cultum vitulo aureo exhibentes sic clamant. *Hi sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Suffecisset dicere, hi sunt dij tui; cur adducunt beneficiorum diuinorum recordationem, quæ lippis, & tonsoribus notum erat à vitulo aureo non fuisse profecta? Cur ingentem illam felicitatem, qua submersis in mari hostibus ipsi triumpharunt, meminerunt, eo præcipuè tempore, quo ab auctore felicitatis deficiunt? Meritò tunc tantam memorant felicitatem, quia felicitas temporalis, & tantorum beneficiorum acceptio in fragili natura humana nefariam illam defectionem, & Dei obliuionem causabat. Vbi tanta felicitas, & gloria implebat homines, iam illorum effectoris notitia excludebatur. Lucem affero huic ex cogitationi pulchris verbis D. Cyrill. Ierosol. catech. 6 notantis, quæ pepererint in mundo Dei ignorantiam. At enim: Exod. 32. Cyrill.

Vinum datum est, vt exhilaret cor hominis, & Bacchus pro Deo celebratur. Frumentum Deus fecit, cum diceret: Producat terra herbas graminis, quod seminet semen secundum genus, vt panis cor hominis confirmet: vnde est, quod Ceres colitur, &c. Sic quò plura veniebant homini beneficia, eò plures veri Dei ignorantiæ, & apostasiæ ingerebantur; singulis beneficiis singuli errores ex hominum abusu veniebant coniuncti; sic implebant vtiaquæque bona hominum mentes, vt Auctoris sui notitiam excluderent. Quò respiciens Moyses

Deut. 32. Deuteron. 32. ait, *Constituet eum super excelsam terram, vt comederet fructus agrorum, vt sugeret mel de petra, oleúmque de saxo durissimo: butyrum de armento, & lac de ouibus, cum adipe agnorum, & arietum filiorum Basan, & hircos cum medulla tritici, & sanguinem vuæ biberet meracissimum. Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit: incrassatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem suum.* Ecce tibi in quantam sui Auctoris ignorantiam, & obliuionem rapiant humanas mentes abusus felicitatum temporalium! Hinc non

Genes 40. miror Iosephi cautelam, qui Genes. 40. cui Pharaonis ministro felicitatem diuinarat, eumdem sic monebat, *Tantum memento mei, cum tibi bene fuerit, & facias mecum misericordiam, vt suggeras Pharaoni.* Quæ verba significantius exprimunt

Lxx. Septuag. apud D. Ambros. fautes, *Memor esto mei per temetipsum, cum bene tibi fuerit, & facies in me misericordiam, & memor eris mei.* Non semel tantum, sed & bis petit, vt sit sui memor; nouerat enim quantum felicitatis potest ad effectoris sui, siue excitatoris memoriam euacuandam. Do

Ambros. Ambros. lib. de Ioseph cap. 6. vbi fatur, *Ideò secundo repetiuit: Memor eris mei, quia sciebat non recordaturum, cum potentiam recepisset.* Sic temporalis felicitas mentes implet humanas, vt auctori suo nullum locum sinat: sic obumbrat, imò obcæcat oculos, ne videatur verum omnium bonorum principium. Vnde quasi rarissimum mirari debemus, quòd stellarum interpretes, fortunarúmque inspectores, vel semel viderint Auctorem diuinum: aiunt enim apud

Matth. 2. Matth. 2. *Vidimus stellam eius in Oriente.* Quid magnum dicunt stellarum inspectatores, & adoratores, quod stellam eius viderint? Sanè rarum erat, & singularissimum, nō quod viderint stellam; sed quod viderint stellam eius, hoc est, quòd viderint, cuius opus sit stella, à quo effecta existat, quando stellarum felicitas, & fortuna solet protsus excæcare contemplatores suos, ne auctores videant quo spectās

Chrysol. Chrysol. serm. 156. ait mirabundus, *Aliquando videt Magus.* Non semper, nec communiter, sed aliquando, & rarissimè potest inter stellarum fortunas Magus sic claros habere oculos, vt auctorem stellarum videat; quod enim frequentius accidit, est, quod huiusmodi splendor, & felicitas obcæcent spectatores suos.

Text. Postea inuenit eum Iesus in templo, & dixit illi: Ecce iam sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

§. XXXI.

Reincidentia in peccatis quam timenda.

VÆ qui semel, & ter diuinam expertus vindictam adhuc ad peccata reuertit; timere merito potest, ne funditus

Osea 5. pereat. Oseas 5. *Facti sunt Principes Iuda quasi assumentes terminum: super eos effundam quasi aquam iram meam.* Magna Dei ira effunditur super Iuda, non absimilis iræ, quæ alias effusa est per aquam super vniuersum mundum, vel super Ægyptios in mari rubro. Quid fecerunt Principes Iuda, propter quod tam magnam iram meruerunt? *Facti quasi sunt assumentes terminum* siue vt explicatius aiunt Septuag. *Facti sunt quasi transferentes terminos.* Nullum terminum iniquitatis fixum, & immobilem habebant. Sed sæpè conuersi ad cor iniquitatibus suis terminū ponebant, quem iterum transferebant nunquam fixi, nunquam in virtute perseuerantes, sed semper alio, & alio translatis terminis in

Theoph. noua peccata ruentes. Hinc Theophyl. in præsenti fatur, *Quando verò quisque Princeps Iuda existens confessus fuerit, ac promiserit se non eisdem prauis studijs admoturum mentem, idque secum decreuerit, & interim transmouerit tales fines, atque decretum suum fecerit irritum, ac reuersus fuerit instar canis ad proprium vomitum; ita Dei super talem prorsus effunditur: perinde ac rubri maris aqua super Pharaonem, quia sæpius fuerat mētitus.* Quoties Pharao ponebat malitiæ suæ terminum plagis cōstrictus, toties à plaga leuatus reuocabat, & transmouebat terminū quo meruit maris rubri aquis suffocari. Caue tibi, quisquis decretos malitiæ tuæ terminos trāsponis, quisquis ad vomitum redis, quisquis nescis durare in recta virtutis via, sed quoties incipis, toties declinas: decreta tibi Pharaonis pœna est, qua miserum interitum incurras. Exemplum timoris istius nobis præbuere Iuda Principes toties malitiæ terminos assumentes, toties a peccatis conuersi, toties pœnitentiam agentes, & toties ad similia prolapsi, imò relapsi delicta, quo se tandem incapaces fecerunt recipiendi vitæ suæ auctorem Christum. De illis Sulpitius lib. 1. hist. Sulpit.

fatur, *Reputare animo soleo populum tot beneficijs obligatum, tot cladibus, cum peccaret, coërcitum, expertumque misericordiam, & seueritatem Dei, nequaquam emendatum: & cum semper veniam erroris acciperet, semper peccasse post veniam. Nihil mirum videri potest Christum ab his non esse receptum.* Cur reciperet Christum, qui durare non poterat in venia accepta? Qui nullum firmum terminum iniquitatibus suis præfigunt, sed totum virtutis ædificium super arenam fundant, vt quoties exsurgat, toties ruat: procul isti a Christo excipiendo, cuius domus firmis, marmoreisque amat stare columnis. Matth. 27. Matt. 27.

Vbi de sepulchro excepturo Christum agitur, dicitur: *Posuit illud in monumento suo nouo, quod exciderat in petra*, non puluis, sed petra recipit Christum, hoc est ille, qui firmitudinem habet in virtute. Pulchrè D. Damascen. orat. de Sabbato sancto inquit, *Lapis ille angularis, quiq; nulla manu scindi* Damasc.

poterat, in petra scissa occultatur. Molles enim, & quæ facile in voluptates effunduntur animæ, diuinum verbum admittere non sustinent: sed firmæ tantum, & masculo quodam robore ad virtutem amplectendam, exercendamque præditæ. Non superædificatur Christus in arena, in qua lapsus, & relapsus frequentes sunt, sed in marmoreis pectoribus, quæ semel acceptum Christum conseruent immobilem aduersus tempestates, & hostium incursus. Vnde maxime doleo illorum vicem, qui tam cito post veniam ad peccata recurrunt, vt videantur, ideo ad salutem venisse, vt validius, & vehementius se iterum dedant vitiis. Similes hi sunt Sauli reprobo; qui cum spiritu nequam exagitaretur, psallenteque Dauide, aliquantulum leuatus, & refocillatus 1. Reg. 19. *nisus est configere* 1. Reg. 19.

Dauid lancea in pariete. Id quod ponderans D. Basil. Seleu. Basil. Sel.

orat. 15. fatur, *Paullum à Dæmonis exitu leuatus Saul, & aduersorum detersa caligine in Dauidem, quem præsentem cognouerat, hastam eiaculatus medicinæ pretium eadem abtulit, quasi ad mentem sobriam ideo se recepisset, vt iterum seruiret inuidiæ.* Sic vidi sæpissime homines sub infirmitate gementes, ad Deum clamantes, peccata expuentes, & cum recepta animæ salute conualescunt, sic iterum se se in vitia effundunt, vt ideo videantur, se ad salutem recepisse, vt vehementius ruant in peccata; Saulis vitæ similes, Saulis interitum sibi caueant. Quando enim reincidentibus deterius aliquid non contingit? Vide 1. Reg. 5. vbi capitur arca Dei, constituitur iuxta 1. Reg. 5.

idolum Dagon, sed subito Dagon inuentus est in terra iacens. Erigitur Dagon à suis, & iterum redditur altari iuxta arcam. Quid tunc? *Ecce Dagon ceciderat in faciem suam in terram, coram arca Domini. Caputque Dagon, & duæ palmæ manuum eius abscissæ erant ad limen: porro Dagon solus truncus remanserat.* Hebraicè significantius, & expressius dicitur: *Tantum Dagon relictus est.* Quid est, tantum Dagon relictus est? Dagon, teste Caietano, idem est ac piscis: erat autem idolum piscis habens hominis caput, & manus, vbi autem secundo ponitur ante arcam, iam non solum cecidit, sed ablatis capite, & manibus hominis, tantum piscis mansit, crebra enim reincidentia quidquid rationale est, videtur absumere, & solum relinquere animale, vt potius bellua, quam homo videaris. Et dicat merito Habacuc cap. 1. *Facies homines quasi pisces maris*, ablato enim per reincidentiam, quod est hominis, quod est belluæ tantum manet.

Text. Abiit ille homo, & nuntiauit Iudæis, quia Iesus esset, qui fecit eum sanum.

§. XXXII.

Muneris æstimatio ex Deo dante incomparabiliter crescit.

ET benefactori Iesu gratus, & sibi gratulans hic homo Iesum propriæ sanitatis auctorem Iudæis prædicat. Maxime enim commendabat donum, quod non fuerit à communi, & noto homine profectum, sed quod illud acceperit perit ex Iesu clarissimo viro, imò Deo, vt tot miracula, & facinora eius demonstrabant. Sane felix homo non erubescebat benefactorem suum, imo magis de datore gloriosus, quam de dono sanus exultabat. Samuelis mater, vbi quem

quem negauerat natura, filium ex cœlesti fauore accepit, [1. Reg. 2.] tota effunditur in diuinas laudes, sic aiens 1. Reg. 2. *Non est sanctus, vt est Dominus, & non est iustus, sicut Deus noster.* Solent matres suauis suos delinire exoptatos infantulos, non est puer, vt puer hic meus; hic pulcer, hic formosus, hic bonus: at Anna delinimenta pueruli ad Deum transfere, & vni Deo præstat, quæ dictura erat filio suauia: *Non est sanctus*, ait, *vt est Dominus.* Cur mater filio adeò optato non [Chrysost.] facis hæc verbula? Chrysostom. ibi homil. 5. rationem attigit, dicens, *Accepta gratia, magis de datore gaudebat.* Multum gaudebat in munere adeò exoptato, sed multo magis gaudebat, quod munus accepisset à Dei manibus. Offendit enim viros sanctos munus, quod à Deo non est, vnde no- [Daniel. 5.] bilissimus Daniel cap. 5. Regi Babylonio multa offerenti ait: *Munera tibi sint, & dona domus tuæ alteri da: scripturam tuam legam tibi, Rex.* Munera respuebat, quæ à Deo suo sibi venire non videbat, quasi alienum esset à fidelis hominis mente in munere gaudere, quod à Deo suo non habeat. Vnde [Tertull.] vehementer pungit Tertull. Marcionitas hæreticos, qui Deum creatorem cœli, & terræ & stellarum diuersum putabant à Deo suo, & nihilominus gaudebant acceptam referre vitam suam stellis, quæ alieni Dei erant munus. Sic enim ait lib. 1. in Marcionem. *Sunt Mathematici plurimum Marcionitæ, nec hoc erubescentes, de ipsis etiam stellis viuere Creatoris*; quippè maximè erubescendum est homini, quòd munus aliquod acceptum referat alij quàm Deo suo. Inde enim incomparabiliter crescit muneris etiam exigui æstimatio, quod acceptum à Deo sit. Miraberis Iacobum moriturum tam anxie à filio petiuisse sepeliri in Chanaam, non in Ægypto; ait enim Genes. *Non sepelias me in terra hac, sed dormiam cum patribus meis.* simili desiderio Ioseph petebat transferri ossa sua. Vnde sanctissimi viri in cœlum iam iam euolaturi, tanti æstimabant Chananeæ telluris sepulturam? Acceperant à Deo promissionem terræ illius, adeóque lætabantur in munere ex datore Deo, vt etiam, cum in cœlum auolabant, æstimationem ostenderent diuini mu- [Rupert.] neris. Id quod expendit Rupert. lib. 9. cap. 21. dicens. Quid autem Patriarcha tantus cœli ciuis, cui viuenti totus mundus exilium fuit, tantoperè de suo corpore curauit, & serio scire voluit, quo loco puluis in puluerem, & cinis reuerteretur in cinerem? *Videlicet, quia terra repromissionis Domini erat, dicentis: Terram, in qua dormis, dabo tibi, &c. Donum autem Dei, qualecumque sit, siue magnum, siue paruum, siue cœleste, siue terrenum, pro honore, vel charitate dantis pretiosum est, & debet esse in oculis sapientis.* Hoc vnum præ omnibus debes æstimare in munere, quod illud à Deo Optim. Max. accipias, ex quo minutissima quæque ingens pretium apud sapientes viros recipiunt. Hinc Psalm. 9. *Qui exaltas me de portis mortis, vt annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion. Exultabo in salutari tuo.* Inde exultat, inde gaudet, quo Dei beneficio salutem obtinuerit: quasi nihil aliud spectabile inueniat in obtenta salute, nisi quod illam per [Chrysost.] Deum acceperit. Chrysost. ibi, *Hoc est mihi corona, hoc diadema, propter te trophæum erigere, propter te salutem adipisci.*

CAPVT III.

De Centurionis seruo sanato.

CENTVRIO Romanorum nobilis, Israëlitarum fidem superans, apud Iesum stat pro puero paralytico. Non medici sperat manus; imò nec præsentiam, sed summi Dominatoris vocem requirit, cuius vel nutu non dubitat & pelli posse morbum, & salutem reuocari. Mirabilis in hoc signo paralytici salus, absentis Christi verbulo reuocata, sed multo mirabilior Centurionis fides, quæ ipsi Domino extitit ad miraculum.

Matth. 8. Accessit ad eum Centurio rogans eum, & dicens: Domine puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur.

§. I.

Ille solus nobilitatis verus titulus, qui neque in morte exuendus.

AVdiuntur sæpe in theatro Consules, Reges, Centuriones, Imperatores, quos nihilominus spernunt, & ridentur omnes, quia finita comœdia, nobilem exuunt personam. Sane non est verus nobilitatis titulus, qui cum infamia expectatur exuendus. Ille vere Imperator, & Rex, & Consul, & Centurio, qui sic viuit, vt nec in morte deponat, sed perpetuo nobilitatem æternet splendore. Sic in præsenti Chrysol. serm. 15. *Verè Centurio, qui stipendia terreni centenarium cœli mutauit in fructum, & seruitutem militiæ temporalis in diuinam sustulit dignitatem.* [Chrysol.] Verè hic erat Centurio, non quia sub se habebat milites, non quia inter militares copias præcellenti fulgebat dignitate, sed quia Christi fide, & fideli humilitate, & charitate in seruum suum sic nouit in se dignitatis splendorem æternare, vt nullo interitu spoliandus sit, sed à gloria in gloriam transmutandus. Isaias cap. 32. *Non vocabitur vltra insipiens princeps*; quæ ver- [Isai. 32.] ba sic ex originali redduntur; *non vocabitur vltra stultus princeps.* Vox originalis stultitiæ instabilitatem semper, & mobilitatem refert; vnde illam posuit quasi stulti paraphrasim Ecclesiasticus 27. dicens, *Stultus vt luna mutatur*, & [Eccles. 27.] diuiti illi Luc. 12. *Stulte hac nocte repetent animam tuam*, quasi [Luc. 12.] stultitiæ comes sit instabilitas, & mutatio. Is ergo, qui certæ mutationi subiectus est, qualem principatus dignitatem, qualem nobilitatem habebit? Nullus vere princeps, nullus nobilis, nisi cuius nobilitas iuuenilibus semper virescet annis. Quo reuoco Ecclesiastem cap. 4. vbi sic, *Melior est* [Eccles. 4.] *puer pauper, & sapiens rege sene, & stulto, qui nescit præuidere in posterum*; siue vt argutius vertit Symmachus apud D. Hieronym. *qui nescit præcauere vicissitudinem.* Nulla equidem dignitas, nullus splendor est ille, qui senescit, qui mutatur, qui vicissitudinem patitur irremediabiliter: è contra illa est vera nobilitas, quæ despectis mundialibus bonis, scit iuuenili splendore æternum repuerascere. Hinc D. Pau- [Paulin.] linus epist. 31. de Alethio Senatore Romano ingentes diuitias in pauperes effundente sic fatur, *Poteras, Roma, intentatas tibi in Apocalypsi minas non timere, si talia semper ederent munera Senatores tui. Vere nunc tibi nobilis esset illa nobilitas, quam sacrati patres Abraham, Isaac, & Iacob paternis sinibus excipiunt, quam cœli Senatus agnosceret; quam post togam nulla immundi sanguinis sanie funestam regali promissa lucis stola Christus indueret: & in libro albo, hoc est, libro vitæ perennis adscriberet.* Vna illa vere nobilis nobilitas, quæ scit præcauere vicissitudinem, quæ nouit splendorem suum facere perpetuum, æternáque iuuenta vigere. Ille vere princeps, & vere nobilis, qui sibi cauet in posterum, ne sentiat damna senij vel interitus. Pulchreè ad hæc respicit D. Ephrem [Ephrem.] in imitatione Prouerbiorum fatus, *Rex fidelis semper in memoria habet iudicium æternum, & qui iustis meminit iudicij, non obliuiscetur liberationis animarum, quæ in necessitatibus constitutæ sunt, & angustijs, quæque in carceribus, & exilijs detinentur. Beatus vir, qui in temporaria, ac momentanea sua potestate permanentem gloriam possidet. Nam qui hodie Rex, cras morietur: at qui facit voluntatem Domini, manet in æternum.* Expende illa verba, nimirum, *in momentanea sua potestate permanentem gloriam possidet.* Quomodo in momentaneis dignitatibus permanentium potest esse quis possessor? Si ita vtatur temporali gloria, vt sit iungenda cum æterna, qui hoc facit, vere nobilis est, & principatus possessor, quem nunquam perdet. Cæteri autem ea splendentes purpura, quam depositiuri sunt, nullum nobilitatis habent nomen: vel dic, qui vocabatur diues ille purpuratus, aut ille alius epulo, cuius anima nocte repetitur? De his D. Paulin. epist. 31. *Hi* [Paulin.] *diuitiis inuisi Deo obliterati memoriæ, qui æterna caduca peruerterint, qui maluerunt terræ potius, quam Deo credere. Talium nomina non scribuntur*; vt pote minime nobiles, sed omnino putantur similes illis de quibus Dio. orat. 4. de regno: *Accipiunt Persæ vnum ex captiuis ad mortem, collocántque regis thronum, & eundem illi dant vestitum regium, & imperare sinunt, ac viuere, & deliciari, & concubinis vti illis regni diebus. Post hæc autem exutum, virgisque cæsum suspendunt.* Non nobilem, sed miserum vocem, cuius purpuram, & regium splendorem nuditas, & æternus sequetur interitus. Vnde bene monebat Sap. cap. 6. *Si ergo delectamini sedibus,* [Sapient. 6.] *& sceptris, ô Reges populi, diligite sapientiam, vt in perpetuum regnetis.* Quæ verba sic explanat Saluianus lib. 1. ad Eccles. [Saluian.] fatus, *Si vsu vestrarum rerum penitus carere non vultis, id agite, ne aliquando careatis. Delectosam à vobis rem, & voluptuariam poscimus: qui sine diuitijs omnino esse non acquiescitis: id agite, vt diuites semper esse possitis, secundum illud: Si ergo delectamini sedibus, &c.*

Luc. 7. Seruus malè habens erat moriturus, qui illi erat pretiosus.

§. II.

Vel ad vnius perditionem sic Christus Dominus afficitur, ac si omnes amittat.

ID proprium habent, quæcumque sunt hominibus pretiosa, vt in vnius amissione sic afficiamur, quasi omnia perditum iuerint. Auaro mercatori instar omnium bonorum est amissio aurei vnius, parenti optimo non sufficit filiorum caterua superstes, vbi vnum amittat. An Iacobi lacrymas abstulit turba nepotum, quando Iosephum perdidit? Et bonus senex in amarore vixit, ac si nullus ei filius superuiueret. Accipite de Centurione loquentem S. Basil. Basil Sel. Seleu. orat. 19. *Non seruus contempsit afflictionem heris fasta turgens, neque pro voluptate, quam ex numerosa satellitio capiebat, pueri immobilis oblitus est, verum abibat inuestigans periculo remedium.* Sic pretiosus puer Centurioni, vt in amissione illius nullam voluptatem præstaret numerosum militum satellitium. Non militum phalanx superstes, & obediens vnius pueri tolleret orbitatem, quia puer pretiosus erat Domino suo. Vis homo videre, quam pretiosus sis Christo? Adeo pretiosus es, vt vel in amissione seruuli vnius, Matth. 22. quasi reputet se viduari omnibus seruis. Matth. 22. Inter plures discumbentes nuptialibus mensis accessit vnus non habens vestem nuptialem, quem, vt vidit Rex, ait ministris suis; *Ligatis manibus, & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium. Multi enim sunt vocati, & pauci sunt electi.* Ecce tibi multi fuisse dicuntur vocati, multi ad mensas procumbebant, & pauci eliguntur. Sed statim suboritur quæstio, cur dici possint pauci electi, cum è multis, qui aderant, vnus tantum exclusus videtur? Vt multi ad paucitatem redigantur, maiorem sui partem debent perdere alioqui pauci non erunt. hic solum vnus deperditur, & vnus, qui deperditur, paucitatem adeo facit magnam, vt ille quasi omnes, vel plures perdidisset, sic paucitatem remanentium lamentatur Dominus. Huc August. accedit D. August. sermon. de Nuptiis filij regis inquiens, *Certe vnus erat ille, qui non habebat vestem nuptialem. Proijcite eum. Quare proijcitur? Multi sunt vocati, pauci vero electi. Dimittite paucos, proijcite multos: & certe vnus erat.* Quippe in vnius perditione sic cœlestis Dominus afficitur, ac si multos perderet: non æstimantur nonaginta nouem oues apud diuinum Pastorem, vbi perditur vna, pro qua sic afficitur, quasi alias haberet nullas: cœlestis pater, aut omnium, aut multorum iacturam factam putat in iactura vnius filij. Quò reuoco figuram illam excogitatam à Ioab 2. Reg. 14. 2. Reg. 14. & positam in ore mulieris viduæ, qua faceret, ne Dauid perditioni Absalomi consentiret. Etenim ait: *Ancillæ tuæ erant duo filij, qui rixati sunt aduersum se in agro, nullusque erat, qui eos prohibere posset, & percussit alter alterum, & interfecit eum. Et ecce consurgens vniuersa cognatio aduersus ancillam tuam, dicit: Trade eum, qui percussit fratrem suum, vt occidamus eum pro anima fratris sui, & deleamus heredem: quærunt extinguere scintillam meam, quæ relicta est, vt non supersit viro meo nomen, & reliquiæ super terram.* Tota hæc figura efficta est, vt Dauid traheretur ad hoc, vt parceret Absalomo percussori fratris sui: sed nulli videbitur recte efficta figura, quando tota rixa constituitur inter duos solos fratres, qui ambo si extinguerentur, nulli alij remanebant, qui hæreditatem, & nomen paternum stabilirent. At Dauid plures alios habebat filios, imo & nepotes, & quando Absalon periret, multi alij supererant, quibus pater orbitatem vnius non sentiret. Cur ergo adeo inepte figura effingitur, vt dicat, Quærunt extinguere scintillam meam, vt non supersit viro meo nomen? Non superest patri nomen, vbi extincto vno filio centum alij remanent filij? Equidem, qui vere pater est, sic afficitur in vnius cuiusque filij interitu, & perditione, quasi multos, vel omnes perdidisset, omnium se reputat filiorum orbatum, eo ipso, quod vnum amittit.

§. III.

Opera nostra correspondere debent pretio pro nobis exhibito à Christo Domino.

ILle pretiosus est Domino suo seruus, qui magno pretio emptus sic fideliter seruit, sic res Domini curat, vt pretio dignas reddat Domino vsuras. Quis vilior, quam qui nihil proficit, etiamsi mille aureis constiterit? Quis pretiosior, quam qui pretium, quo emptus est, vtilitate æquat, aut superat? Pudeat seruum Christi de pretiositate sua malis operibus aliquid minuere: pudeat ipsum vilescere, quando sæculari seruo honor est, quod sit pretiosus Domino suo. Hinc Christi seruos, & terret & monet D. Petrus Canon. 1. Petr. 1. 1. capitul. 1. dicens, *Et si patrem inuocatis eum, qui sine acceptione personarum iudicat secundum vniuscuiusque opus in timore, incolatus vestri tempore conuersamini.* Haud dubium, quin Deus pater noster sit, sed & iudex rectissimus est, vnde qui sapitis, non anticipetis illaboriosam filiorum hæreditatem: sed dum hoc in incolatu estis, potius sub humili timore debitæ seruitutis officium perfecte implete, ne apud exactoris iudicium minus habentes inueniamini. Vnde hoc? *Scientes, quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi.* Hinc sane seruitutis officio adimplendo monemur studere in omni timore, quia magno pretio empti sumus; cui respondere debet operum vtilitate, qui veretur à Domino inueniri minus habens. Nouit enim ille pretium, quo sibi stamus, nec patietur, quod in vtilitate operum vilescamus. Huc pulchre spectat Euseb. Euseb. Emiss. Hom. 1. de Symbolo fatus, *Ille pro commissa nobis salute rationem exacturus est, qui pro nostra redemptione damnatus est. Qui tantum contulit, scit quantum reposcat. Nouit quanti ei constiterit homo suus: non ergo viles nobis simus, qui tam pretiosi Deo fuimus: nihil ille à nobis abiectum, nihil mediocre suscipit: vult consentire cum generositate pretij, dignitatem redempti. Tale conuersationis nostræ expectat meritum, quod sanguinis sui possit valere commercium.* Quid dici potuit pulchrius? Multum derogat emptori seruus, qui vtilitate sua non adæquat pretium, quo emptus est; vilis factus in opere, qui pretiosus fuit in emptione. Siquidem sanguinem suum pro nobis fudit Dominus, ille pretiosus vtilitate est Domino suo, qui se & omnia pro Domino effundit. Psalm. 111. *Dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in sæculum sæculi.* Psal. 111. Erogatio in pauperes ad misericordiam spectat, vnde potest iustitiæ esse fundamentum? Cur dicitur manere iustitia illius, qui sua dispersit? Quia bonus seruus tanti sanguinis dispersione emptus iustitiæ satisfacit, cum pretio emptionis suæ curat operum vsuris respondere. Et nunc respondit iustitiæ, quando non vilescit in opere, sed qua potest æquale reddet pro se effuso pretio, & effusioni pretij effusio bonorum respondit. Hinc dicebat Ambros. in Psalm 37. *Vilis est pecunia, cum conditur; pretiosa cum dispergitur. Sic enim scriptum est: Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi. Si igitur talis fueris, vt possis contemnere non solum omnia tua, sed etiam carnem tuam pro iustitia; contemne, quia nulla potest esse locupletior possessio.* Ambros. Tunc homo non vilescit Domino suo, non derogat emptionis suæ pretio, quando & se, & sua effundit, tunc Dominicis pro se impensis satisfacit; tunc adæquat pretium, qua parte potest, & fit locuples, & pretiosa Domino suo possessio. Pretiosa, inquam, cum dispergitur, quæ esset vilis, si clauderetur, vt quæ derogaret effuso pro se pretio. Vnde sapientissime ignorantia Pharisæorum dicebat Matth. 27. de nummis a Iuda refusis in templum. *Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est. Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum.* Matth. 27. Quasi derogaretur effuso sanguini Saluatoris, si pretium eius concluderetur, & non penitus effunderetur in pauperum commoda. Quippe non licet tibi non effundi, & supereffundi pro Domino tuo, qui pretij diuini effusi sanguinis es. Inde quasi ex iure D. Paul. Hebræos conueniebat Hebr. 12. cap. 12. *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus contradictionem, vt ne fatigemini animis vestris deficientes. Nondum enim vsque ad sanguinem restitistis.* Videntes Iesu sanguinem effusum pro nobis, deficimus, & derogamus debitis nostris, donec sanguinem effundamus pro illo. D. Ambros. lib. de Ambros. Ioseph. cap. 7. *Ergo id pretium debes, quo redemptus es, & si ille non semper exigat, tu tamen debes. Suum est quod à te Christus reposcit. Ipse vitam omnibus dedit, ipse pro omnibus mortem suam obtulit. Solue pro auctore, quod soluturus es lege.* Dum hæc peruoluit Saluianus lib. 2. ad Eccles. Cathol. sic audientium aures suauiat Saluian. *Quid soluere homo poterit, cui se per vltimam pœnarum acerbitatem Christus impendit? Aut quid pro se dignum Domino rependabit, qui ipsum Deo, à quo redemptus est, Deum debet? Hæc ergo causa est, quæ deuotiores esse nos Dominus sibi vellet: quia tam magno deuotionem nostram pretio comparauit. Ideo Paul. Quis, inquit, nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? An angustia? An persecutio? An fames? An gladius? Non Apostolus solas pecunias, nec solas deberi à nobis diuitias Deo ducit; sed tribulationem, angustiam, famem, gladium, mortem denique omni pœnarum genere conditam.*

Hæc ille.

Matth. 8. Et ait illi Iesus: Ego veniam & curabo eum.

§. IV.

Solus Iesus apud peccatores existens, illos securos, & incolumes reddit.

FElix infirmus, qui non remittitur ad alios, sed veri & vnici medici solatur aduentu. Non me contineo, quin in præsenti infirmi hominis à peccato felicitatem commendem; quod non propheta, neque legatus, neque Angelus, sed ipse Iesus ad illum venerit. Quis ferret peccatorum infirmitates videre, nisi solus Iesus? De magno Elia, pecca- *Eccles.* 48. torum flagello, dicitur Ecclesiastici 48. *Elias qui in turbine tectus est.* Cur ait, tectus est? Sanè tegitur Elias ne peccatores videat, & sic tectus abducitur à Deo ne saltem passim, dum rapitur, oculos ad peccatores coniiciat, & non possit sustinere illos; solus enim Deus peccatores cernere, & inter illos agere, & illorum sustinere infirmitates sciuit. Basil. Sel. Pulchrè apud Diuum Basil. Seleu. orat. 11. Deus ad Eliam, cum raperetur, & tegeretur, dicit. *Tibi peccantes cernere graue spectaculum: mihi vero qui sum Dominus, lex de humanitate præscripta est; me ipsum debitorem clementia constituo. Tu ergo subi diuersorium à peccato liberum, carne vestitus cum Angelis conuersare. Ego vero ad homines per incarnationem veniam, ego ut eorum salutem curram.* Vnus Deus nouit inter peccatores versare; vnus Deus si adsit peccatoribus infirmis, eorum curat infirmitates, eorum negotiatur salutem. Ve- *Genes.* 18. niat ipse ad nos, & omnia sunt nobis tuta. Genes. 18. Sodomæ clamoribus excitatus ait Dominus, *Descendam, & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non est ita, ut sciam.* Felices fuissent miseri illi peccatores, si vt sonant Dei verba, sic impleta fuissent, & Deus ad illos per se ipsum descendisset, fallor nisi vindictam differret, misericordiam recordatus, verum non descendit per se ipsum, sed descendit per Angelos, qui non sustinuere pessimorum hominum conspectum, sed statim omnes *Ibid.* 19. tradiderunt flammis. Quippè ait c. 19. *Veneruntque duo An-* Gregor. *geli Sodomam, &c.* Ad quæ respiciens D. Gregor. 19. Moral. 23. citatus à Lyppom. in catena fatur. *Ecce ut per Angelos ad cognoscenda mala descendit, mox facinorosos percussit.* Non est pacificus ad peccatores creaturarum aduentus; solus Deus, qui potest sustinere, & portare infirmitates nostras, & peccata. Cuius accessus ad peccatores, & salutis, & gaudij occasionem affert. Audisti postquam Iesus in cruce spirauit, terram mirabiliter commoueri; ait enim Matth. *& terra mota est, & petræ scissæ sunt.* Et quales istos terræ motus putas? D. Damascenus credit motus illos fuisse quosdam lætitiæ saltus; quod non possum non valde mirari, præcipuè cum audio terræ prauam dispositionem à Dauide can- *Psal.* 105. tatam Psalm. 105. *Infecta est terra in sanguinibus, & contaminata est in operibus eorum.* Terra malis operibus infecta, cur sanguinem Saluatoris excipiens exultaret? Cur lætitiæ saltus ederet terra, dum Iesu excipit sanguinem, quæ vindictæ suppliciique voces audiebat, dum Abelis sanguine aspergebantur? Ad sanguinem iusti hominis vindictæ vocibus quatitur, & ad sanguinem iusti Dei gaudio exultat? Equidem solus Deus peccatrici terræ adesse nouit, illi securitatem & indemnitatem illargiens, vnde quæ timeret cuiuscumque creaturæ accessum, vehementer gaudet susceptura Dei sanguinem, à quo non vindictam, sed mede- Damasc. lam sperat suæ infirmitati. Non longè ab hoc abest Damascen. Hom. 10 Sabbat. sanct. fatus. *Terra concussa est Dominico respersa cruore, tabem, sordésque idolorum ex sese excutiens, lætáque ob hanc suam lustrationem exultans.* Nil sibi cauet à Dei accessu terra peccatrix, non timet voces vindictam clamantes in Iesu sanguine, sed potiùs præsentit medelam infirmitatum, & excussis peccatis, de salute exultat & re- *Soph.* 3. pletur. Quo respiciens Sophonias cap. 3. ait. *In illa die dicetur Ierusalem, Noli timere Sion, non dissoluantur manus tuæ. Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse saluabit.* Non timeat ciuitas peccatrix, etsi mille referta sceleribus, quod Deus ille accedat, vbi enim Deus est, ibi salus omnium medela infirmitatum.

Text. Et respondens Centurio: Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus.

§. V.

Vbi veri Imperatoris Iesu humilis est fides & confessio, facili negotio, verbulo inimica mala propelluntur.

NEminem absentis Christi verbo sanatum noucrat, nisi forsan cuiusdam principis filiam, cur ergo hic Centurio de solo absentis verbo sperat serui morbum depellere? Cur tam facili telo committit de infirmitatibus victoriam? Profectò has illis spes parturiebat fides, qua diuinum Imperatorem apud se versebatur agentem. Dominum cœlestium exercituum fide videt, & humilis confitetur, cur vel leuiori telo victoriam de malis omnibus non speret? Nobilis ille Imperator Israel Iosue cap. 5. vbi principem *Iosue* 5. exercituum Domini ad se venientem nouit; *Cecidit pronus in terram, & adorans ait: Quid Dominus meus loquitur ad seruum suum?* Quid plura? Ibi iussus est de solo turbarum sonitu sperare victoriam: etenim ait cap. 6. *Cum sonuerit vox tubæ longior atque concisior, & in auribus vestris increpuerit, conclamabit omnis populus vociferatione maxima, & muri funditus corruent.* Sic sola venit victoria voce, vbi summi Imperatoris Christi fides humilis & reuerentia præcesserit. Id expendet D. Ambros. in prolog. libr. 1. de Fide ad Gratia- Ambros. num fatus. *Iesus Naue hostes, quos totius exercitus manu valida superare non poterat, septem tubarum sacerdotalium sono vicit: ubi ducem militiæ cœlestis agnouit. Ergo iam vincere paras, qui fidem vindicas.* Non potest non ingentes parturire victorias vel verbulo obtinenda humilis fides: non tibi magna manus necessaria ad expellendos hostiles incursus, ad mala vniuersa exsibilanda; vna fides humilis adsit, & vel verbulo potest sperare victorias. Numerorum cap. 20. vt in- *Num.* 20. gentis populi sitim extingueret Dominus, id solum monet seruum suum Moysem: *Tolle virgam, & congrega populum tu & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas.* Vel ad solam verbuli prolationem promittit de petra aquarum fontem, & solum verbum ex Dei imperio ortum ingentes posset fideli populo facere scaturire fontes miraculorum. Sed accipite quid faciat Moyses, accedens ad petram ait, *Audite rebelles increduli. Nunquid de petra hac vobis aquam poterimus eiicere? Cumque eleuasset Moyses manum percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ.* Qui iussus fuerat verbo aquam educere, non verbo, sed duplicitatis ictibus vtitur, & adhuc dubitat an ictibus daret petra aquas, quas expectabat populus. Cur hoc facit Moyses? Cur tantum miraculum non sperat, vel à verbulo, vt iusserat Dominus? Cur ictus duplicat, cur geminas percussiones? Totam ipse causam exponit cum ait, *audite rebelles & increduli.* non erat fides in populo, non humilis subiectio suo Saluatori, vnde non audet soli verbo credere tantam aquarum copiam, sed addit maiorem vim, maioremque conatum vt semel & bis percussus lapis si non aquarum, saltim de vulnere fundat lacrymarum fontes. Quo minor est fides, & humilitas, maior vis & conatus necessarius est, vt fiant opera, quæ leui verbo faceret humilis fides, & fidelis subiectio cuiuscumque hominis. Promiserat item Dominus se daturum carnes populo vsque ad satietatem, Numerorum cap. 11. at Moyses *Num.* 11. inquit. *Nunquid ouium & boum multitudo cædetur, vt possint sufficere ad cibum? Vel omnes pisces maris in vnum congregabuntur vt eos satient? Cui respondit Dominus: Nunquid manus Domini inualida est?* Cur Domine manus tuæ fortitudinem prætendis, vt carnium esum, & capturam piscium firmam facias? An non vel verbo tuo quoduis facinus consistere posset? Non ne vt pisces exhauriret maris, aiebat Petrus: *In verbo tuo laxabo rete*, Luc. 5. sciens à solo Dei verbulo posse omnes pisces in capturam trahi? Cur ergo Moysi non verbum ostendis, sed manum, ais enim, Nunquid manus mea inualida est? Præclarum huius rei attigit rationẽ Lyra aiens: Lyra. *Hæc Dei responsio erat ad dubitantem.* Nõ fuit tunc fidelis subiectio in Moyse, quæ erat in Petro, & ideò Moysi tota Dei manus & potentia obiicitur, qua innixus speret, Petrus autem eam fidem & subiectionem habebat, qua vel vno verbulo potuit miracula præstare ingentia.

Text. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic, Vade, & vadit, & alij, Veni, & venit, & seruo meo, Fac hoc, & facit.

§. VI.

Vanissimus dominorum titulus, vbi subditi ineuitabiliter miseri, mortique subiacent.

QVi sub se milites & subditos habebat, posset splendenti aliquo dignitatis titulo compellari, quasi diceret, Ego dux sum, ego centurio sum, ego dominus sum, verum sapientissimus ille omnes dominationis titulos dimittit, & se tantum hominem sub potestate constitutum meminit. Et quidem vanum esset de dominatus titulis gloriari, qui seruos nouit tot subiectos calamitatibus. Sic post transmissum *4. Reg. 25.* Israëlem in Babylonem 4. Reg. 25. *Populo qui relictus erat in terra Iuda, quem dimiserat Nabuchodonosor rex Babylonis, præfecit Godoliam filium Ahicam.* Non dicitur quod factus fuerit dux siue princeps populi; sed tantum quod præfectus fuerit, hoc est quod sub se habuerit calamitosas populi re- *Sulpit.* liquias. Quod notans D. Seuerus Sulpitius libro primo Historiar. ait. *Nabuchodonosor abducto populo, residuisque quos belli conditio vel præda facilitatum relinquit à victoribus fecerat, Godoliam eiusdem gentis præposuit absque vllo insigni regio, aut imperij nomine: quia pauci, & calamitosi nulla dignitas erat.* Cur nobilitaretur dominatus titulis, qui miseris, & calamitosis hominibus præficiebatur? Vanissimus titulus est regni, vel dominij, vbi subditi omnes pauperes, & calamitosi homunciones sunt. Lege secundum caput Ge- *Genes. 2.* neseos ab illis verbis: *Formauit igitur Dominus Deus hominem.* quippe exinde per totum caput, vbi homo ditissimo statu constituitur, vbi paradisus fundatur, vbi pulchra sponsa creatur, vbi primæ nuptiæ explicantur, nunquam non dicitur Dominus Deus, gaudens ipsa diuinitas splendenti dominatus titulo decorari. Verum vbi homo paradiso eiectus sudori, tribulis, spinis datur, tunc ablato Domini titulo iuxta Lyppomanum, & D. Anastasium Sinaita, solum Deus nominatur. Dicit enim in horum lectione cap. 3. *Emisit eum Deus de paradiso voluptatis, vt operaretur terram de qua* *Sinait.* *sumptus est.* Quocirca præclare addubitat Sinaita lib. 7. Exaemet. aiens. *Quamobrem autem, ô Iudæe, diuina scriptura, quæ in septendecim capitibus, consequenter in paradiso Deum duplici nomine nominabat, & eum Dominum, & Deum appellauerat; statim post hominis è paradiso egressum, ipsum Deum appellauit, sed non Dominum, & Deum.* Non ignorabit causam, qui miserum hominis statum non ignoret, vt enim gaudebat Deus dici Dominum hominis opulenti, felicis, tota ditati possessione paradisi. Sic hominis ærumnosi, depauperati dominum nequit appellari. Indignum prorsus est dignatuum dominatúsque titulos ostentare, vbi subditi calamitate pressi *Isai. 3.* iacent. Vnde merito dicebat ille apud Isaiam cap. 3. *Nolite constituere me principem populi: ruit enim Hierusalem, & Iuda concidit.* Quis ruinarum & deiectorum principatus amabit? Aliter Septuag. reddidere prædicta verba, nimirum. *Non ero dux populi huius,* quasi non solum petat sibi non deferri, sed omnino illum contemnat, & expuat. Sed vnde priscis temporibus tantus regni contemptus ortus est? Iam explicat aiens, *Quia dissoluta est Hierusalem, & Iudæa concidit.* Non absolute principatum, sed principatum deiectorum expuit. *Basil.* Ita D. Basil ibi fatur: *Non absolute ait: Non ero dux populi huius, sed causam subiunxit: Quia dissoluta est Hierusalem, &c.* Nihilo æstimanda regia dignitas, ridendus principatus, vbi subditi pauperem, & infirmam vitam agunt, vbi pro ciuium infirmitate, & paupertate ciuitates ruinam minantur.

§. VII.

Vnus Deus potest homini imperium parare.

HOmo, inquit, sub potestate constitutus habens sub se milites, &c. Etenim quis homo est, qui non à se, sed à superiori potestate habet, quod sibi subiiciantur creaturæ. Superioris est potestatis, imò operis est diuini, quod sub homine aliqui viuant, eiúsque seruiant nutui. Huc spectat *Ioan. 5.* illud Ioan. c. 5. *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.* Et sane post condita sæcula dicitur Deus ab opere requieuisse, omne operis negotium dimittens causis secundis. Quod ergo opus est, cui perpetuo Deus per se insudat? Sane vt conditæ creaturæ sub hominis potestate valeant viuere. S. *Gaud.* Gaud. tract. 10. sic præcedentem locum edisserit: *Quod elementa, tam cælestia, quam terrena humano generi seruiunt, ipsius opus est. Quomodo enim non contemnerent exiguum terrenumque hominem, nisi creatoris sui imperio obedirent?* Quæ creatura sub hominis potestate, & dominio velit viuere, nisi Deus id indies procuret? Quis homo homini nomen daret, nisi id negotiaretur Dei nutus? Merito diuina sapientia Prouerb. 8. *Prou. 8.* ait, *Per me Reges regnant,* quippe solus Deus hoc potuisset imponere iugum super filios Adam, vt velint homini seruire. Matth. 1. de Iesu Domino locutus Angelus ait: *Saluum* *Matth. 2.* *faciet populum suum.* ex quibus verbis agnoscit S. Proclus de Fide ad Armenos, diuinitatem Iesu, quod dicatur saluaturus populum suum; quis enim homo populum haberet suum? Quis non Deus sibi populum adscriberet? Quippe ait ille: *Populus autem non potest esse populus hominis, sed Dei.* *Procul.* Tota vis, & industria humana non posset cogere homines in vnum populum, vt sub vno principe viuerent, id potestatis est diuinæ. Nulla hominum potestas, & sapientia posset sibi vnum regem præficere. Ideò 1. Reg. cap. 16. vbi inau- *1. Reg. 16.* gurandus erat Dauid, sic loquitur Dominus ad Samuelem. *Imple cornu oleo, & veni: mittam te in Bethlem ad Isai, prouidi enim in filijs eius mihi regem.* Cur non explicat nominatim, quem sibi prouiderit? Cur iubet ire Prophetam ad filios Isai, vt vngat regem, nec dicit, quis sit vngendus? D. Basil. Seleu. orat. 14. hanc reddit rationem, nimirum, *Ne* *Basil Sel.* *humana videatur esse gratiæ vnctio, neve Samuelis electio videretur regni adiectio, communi filiorum appellatione filium illum tegit.* Derogaretur sanè veritati, vel suspicio esse posset, quod reges crearentur ab hominibus, cum regis inuentio penes Deum sit. Ille solus posset facere, quod hominū imperium subeat homo vnus, qui voluntates hominum vitiis purgatas in vnitate spiritus fecerit ambulare. Hic est Deus, & præter Deum nemo alius. Vnde D. Paul. ad Rom. cap. 13. *Rom. 13.* ait, *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi à Deo.* Maluit dicere, omnis anima, quam omnis homo, vt doceret, quod qui humanam politiam colit, sub principibúsque vitam agit, à carnalibus affectibus debet esse purgatus. Solus enim, qui carnalibus vitiis non immergitur, suaue, & leue putat iugum potestatem: alioquin quo modo ferret homo carnalis, alterius legibus, & dictis stare? Quo posito præclarè educit Apostolus illud, *Non est enim potestas nisi à Deo.* Cui subscribens D. Anselmus ait, *Anselm.* *Numquam enim posset fieri nisi operatione solius Dei, vt tot homines vni seruirent, quem considerant vnius secum esse fragilitatis, & naturæ. Sed quia Deus subditis inspirat timorem, & obediendi voluntatem, contingit ita.* Qui solus humanis mentibus virtutes potest indere hic solus potestates in mundo valet introducere. Equidem carnalium & impiorum hominum illa est vox Sapientiæ cap. 2. *Circumueniamus ergo iustum, quoniam* *Sap. 2.* *inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & infamat in nos peccata disciplinæ nostræ.* Quis impius legislatorem ferat? Iniquitatum vltorem, iustitiæ vindicem quis sustineat non sanus? Solus ergo, qui nouit virtutes perficere, nouit Reges creare. A Deo pendentes ô Reges, ideo hominum dominamini, quia Dei imaginem portatis, vt dicat D. Ambros. in Epist. ad Rom. 13. *Reges* *Ambros.* *propter corrigendam vitam creantur, Dei habentes imaginem, vt sub vno sint cæteri.* Hinc pessimo Regi, qui fortitudini suæ regnum attribuebat, vox de cœlo ait Daniel. 4. *Regnum* *Dan 4.* *tuum transiit à te, & ab hominibus eijcient te: donec scias quod dominetur excelsus in regno hominum, & cuicumque voluerit, det illud.*

§. VIII.

Quàm reuereantur creaturæ hominis regale ingenium.

EX tot pulcherrimis corporibus, quæ oculis cernuntur, vnios hominis iussa fiunt, vnius hominis nutum creaturæ sequuntur: sane quia vni homini regale ingenium inest. Is est homo rex à Deo constitutus, cui omnis creaturarum orbis militat, quem nunquam non veretur creatura. Quæ creatura magis in homines rebellat, & insultat, quam gehenna? Hæc hominem à regio culmine deiectum suscipit, vt puniat; peccati seruum videt, vt ignorans eius regiam naturam, vt seruum verberet, imò exurat. Sed adeò notum est regale ingenium hominis vniuersis creaturis, vt ipsa gehenna, dum punit, simul & reuereatur hominem; eiúsque conseruationem ministret. Vnde pulchra verba Eu- *Euseb.* sebij Emisseni serm. 2. de symbolo, vbi inquit. *Hanc solam debet damnatis hominis rationabilis ille ardor, ac vindex flamma reuerentiam, vt traditos sibi reos, cum possit punire, non possit extinguere, sed deputatis in pœnam suam corpora, & consumat & nutriat.* Nec licet æterno igni omnem reuerentiam negare homini etiam reo, sed in ipsa carnificina reuerentiam habet suo principi. Ex quo lucè capit illud Sapient. cap. 12. *Sap. 12.*

vbi

vbi sic: *Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia disponis nos.* Disponit nos Dominus cum magna reuerentia, quando nullo casu permittit, quod aliqualis reuerentia non habeatur homini à creaturis. Nullibi non habent homini reuerentiam creaturæ, etiam in pœnis constituto, etiam in gehenna posito, gehenna reuerentiam habet aliqualem, qua non potest extinguere reos, sed nutrit. Vt meritò dicat Saluian.lib.2.de gubern.Dei. *Ecce habes igitur disponentem Deum, iugiter gubernantem: quamuis in illo loco non gubernatio tantum sacra, sed etiam dignitas declararetur humana? In hoc autem, quod ait, disponis nos, vis diuinæ gubernationis; in hoc autem, quod cum magna reuerentia, culmen humanæ ostenditur dignitatis.* Ingens proculdubio est hominis dignitas, cui nunquam licet creaturis non habere aliqualem reuerentiam. Imò nihil non sustinent creaturæ, vt hominum commodis studeant. Ecce tibi Elias quam durè propter homines vniuersas creaturas percutit. 3.Reg.17. *Viuit Dominus Deus Israël, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros & pluuia, nisi iuxta oris mei verba.* Id quod ponderans Eucherius lib.4.in Reg.ait: *Commouit omnem creaturam vnus sermo Prophetæ, & miro modo humi sonans aëra; cœlumque concussit: turbatus est humani ministerij ordo, & à sæculis instituta elementorum harmonia contabuit: sed elementa pœnam suam læta suscipiunt, dummodo vel in salute hominum, vel in honorem proficiat conditoris.* Nil sibi durum reputant creaturæ, quod hominum saluti sit proficuum: sic Regi suo operam impendere habent ab ipsa natura.

Saluian. | 3.Reg.17. | Eucher.

§. IX.

Subditi non instar famulorum, aut seruorum tractandi sunt.

PRæfectus erat centurio hic militum, insuper & domesticorum dominus seruorum, vt ergo suæ potestatis ostenderet vsum, non indiscretè ait, Dico meis, facite hoc, & faciunt, sed distinctione vtitur, & aliter cum subditis militibus, aliter cum famulis se ostendit habere. Odi enim prælatos illos, siue dominos, qui etiam ingenuos subditos instar famulorum tractant, hi equidem & ipsi Deo odiosi sunt, qui pastores Israëlis minitans apud Ezech. cap. 34. hanc minarum rationem ponit. *Cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia.* Meritò odibiles sunt Deo præfecti, qui ingenuos subditos despotice, & cum austeritate vt seruos moderantur. Bonus iste Centurio seruis iubebat, verum militibus non iubet, sed dicit: quippe ait, *dico huic, vade & vadit*, nec verbo potentiam, & imperium exerit, ne tam dux quam commilito appareat. Sapient.12. aiebat ad Deum: *Et cum magna reuerentia disponis nos.* Reuerentia non habetur nisi superiori, Deus autem cum natura sit omnium Dominus, non potest creaturæ reuerentiam habere, tamen in exterioribus effectibus sic se gerit, cum causas hominum disponit, ac moderatur, quasi illos superiores reuereretur, & metueret illos offendere. Cur hoc nisi vt mundialibus principibus, & prælatis imperandi præbeat præclarum exemplum? Quod enim respectu Dei fieri nequit, id respectu mundialium præfectorum passim accidit: quod nimirum habent subditos sibi longè præstantiores, & superiores omni sapientia, omni fortitudine, omni rerum agendarum dexteritate; hos norint duces, & prælati, & illos magna cum reuerentia disponant. Ecce vobis Maria & Ioseph accipiunt imperium in Iesum: ait enim Lucas cap. 2. *& erat subditus illis.* Imperabat quidem Ioseph Iesu, homo Deo, vas figulo, sanctus vir longè sanctiori & sapientiori; conueniant huc vniuersi prælati, & discant à Ioseph ingenuis, & præstantioribus subditis imperare. De quo Origen.hom.20. in Lucam ait, *Puto quod intelligebat Joseph, quod maior se erat Jesus, qui subijciebatur sibi: & sciens maiorem esse subiectum, trepidus moderabatur imperium. Videat ergo vnusquisque quod sæpe melioribus præpositus sit inferior, &c.* Oculatissimi sint mundiales principes, & prælati, videántque quos superiores & præstantiores sibi habeant subiectos, imo pro modestia Christiana, quasi sibi superiores reputent vniuersos, quos trepidi moderentur magna cum reuerentia. Nec quod necessum sit punire, & castigare subditorum errores, ideò obliuiscantur prælati reuerentiæ subditis debitæ, sed si puniant, sic castigent peccata, vt immediatè post punitionem, quasi sanctissimis exhibeant honorem. Do huius rei præclarum exemplum 3. Regum 13. exhibitum: vbi cum homo Dei ignoranter contra Dei præceptum egisset, expertus est se subiectum esse Leoni, à quo castigaretur, & puniretur propter peccatum. Sed qualiter Leo accipiens potestatem in hominem Dei, illa vsus est? *Inuenit eum Leo in via, & occidit, & erat cadauer eius proiectum in itinere, & Leo stabat iuxta cadauer.* Castigat sibi subiectum hominem Dei immanis bellua, imo occidit, vt morte corporis expleat mentis culpam; & post iustum supplicium inflictum, nil amplius audet, imo stans iuxta cadauer veretur iustum, & honorem exhibet vel illius cineri. Pulcrè D.Greg.lib.4. Dialog.cap.24.ait, *Qui occidendi ausum habuit, de occisi cadauere comedendi licentiam non accepit, quia is, qui culpabilis in vita fuerat, punita inobedientia erat iam iustus ex morte. Leo ergo, qui prius peccatoris vitam necauerat, custodiuit postmodum cadauer iusti.* Sic quicumque in ingenuos & præstantes viros accipiunt potestatem, dum errantes & peccantes nouerint, illos puniant, illos corripiant, sed caueant, ne inde insultent, imo post punitam culpam, iustos & sanctos habeant, eósque reuereantur, & metuant, quod illis offendere valeant.

Ezech 34. | Sap.12. | Luc.2. | Origen. | 3 Reg.13. | Gregor.

Text. Audiens autem Iesus miratus est, & sequentibus se dixit: Non inueni tantam fidem in Israël.

§. X.

Christus Dominus longè superat laudatores suos in laudum retributione.

CEnturio diuinam Christi odoratus potestatem, se solum postposuit potestati diuinæ, à minori enim arguens ait, & ego homo sum, & dico huic, Vade, & vadit: suum solum imperium confert cum diuino, vt inde extollat diuinum. Quam largior Dominus respondit, fidem centurionis præferens non vnius hominis, sed omnium Israëlitarum existentium fidei? *Non inueni tantam fidem in Israël.* Sic semper nouit Dominus excedere & superare laudibus vniuersos laudatores suos. Ioann.1. Vidit præcursor Domini Iesum ambulantem, & ait, *Ecce agnus Dei.* Sed Dominus nactus occasionem loquendi sic præcursorem suum extollit laudibus Matth. 11. *Hic est de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum.* Ioannes vocat agnum Iesum; Iesus autem vocat Ioannem Angelum. Id quod ponderans Diuus Chrysostom. homil.27. in Matth. fatur. *Ioannes quidem testificatus erat de Christo: Ecce Agnus Dei. Sed amplius recepit à Christo quam praestitit. Joannes enim Christum glorificans, humanam illi contulit laudem. Christus autem Ioanni diuinam contulit gloriam. Nam iste illum agnum ostendit, ille autem istum Angelum prædicauit. Iste minus laudauit in Christo, quam erat. Nam non solum peccata mundi abstulit, sed etiam vitam æternam mundo donauit. Jlle autem istum supra quam videbatur, erexit: vt qui homo erat, Angelus diceretur.* A nemine patitur Iesus vinci, maiora semper retribuere nouit, neque in laudibus par pari, sed magna minimis refert. Et quando Iesus non retulit maiora suis laudatoribus? Post illustrem illam confessionem, quam Petrus à Patre acceptam reddidit Iesu Matth. 16. vide quàm se effundat Iesus in Petro laudando: *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Non potuit Saluator in præsenti maiora Petro referre, siquidem ab illo dictus fuerat filius Dei viui, quo maius esse nequit. Verùm qui breui sermone suam diuinitatem ex ore Petri percepit, longissimis sermonibus, & laudum incrementis Petri concinit excellentiam: ex parte saltim laudatoris maius quid refert Petro, cum ait: *Et ego dico tibi.* Id quod ponderans Diuus Leo serm.3. ait, *Et ego, inquit, dico tibi, hoc est, sicut pater meus tibi manifestauit diuinitatem meam, ita & ego tibi notam facio excellentiam tuam.* In quo possum te excedo, dum qui laudes per hominem accepi, Deus cum sim, hominis fio laudator egregius.

Ioann.1. | Matth.11. | Chrysost. | Matth.16. | Leo.

Text. Dico autem vobis quòd multi ab Oriente, & Occidente venient & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cœlorum, filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.

§. XI.

In Heroum genealogijs non propagatio carnis, sed virtutum similitudo attendenda.

VAnè de patre Abraham gloriantur, qui eius fidei minimè adhæserunt, non enim in Heroum familiis censentur filij ex propagine carnis, sed ex virtutum facinorumque imitatione. Nec otiosè cautum est in lege, in Isaac vocabitur tibi semen; sed vt omnes iam excluderentur ab Abrahamidum censu, qui Isaaci minimè existerent æmuli. Nónne Ismaël Abrahami fuit proles? Cur ergo solum dicitur, in Isaac vocabitur tibi semen? Cur solum iuxta Isaaci censum Abrahamides habentur? Isaacum non tam fecit natura filium Abrahami, quam gratia, quam Dei promissio, vnde ex illo iam innuebatur, quod non spectandi erant magnorum filij iuxta carnis propagationem, sed iuxta gratiæ
Theod. facinora, & spem ingentis promissionis. Notat Theodulus in c. ad Rom. 9. *Nam Isaac non est natus lege naturæ, sed virtute promissionis, igitur qui sic nati sunt, filij sunt Abrahæ.* Non parit natura Abrahamides, sed gratia; magnorum proles non adolescunt de carnali lacte; sed de cœlestium expectatione, de virtutum operatione. Hinc Matthæus Genealogiam Saluatoris depingens, eum patrem apposuit, nimirum Iosephum, qui secundum carnem minimè fuit Iesu pater. Quid agis nobilis scriba? Genealogiæ lineis interseris, quos minimè nouit natura patres? Odorabatur Euangelista Abrahamidum nobile stemma, quod non per naturæ, sed
Rupert. per gratiæ facinora erat euulgandum. Rupert. de Trinit. lib. 1. in Euang. c. 4. *Quæ ratio est, vt generationis linea contingat Iosephum, qui Iesum Christum non genuit? Euangelista diuinus generationem carnis Christi minus curauit, quæ paucorum erat, nisi eisdem ad salutem solam sufficiebat, sed ad generationem gratiæ intendit, quæ multorum est, vel esse potest, & eis ad salutem sola sufficere valet.* Cur in Christi genealogia non poneret, quem Christianæ gratiæ virtus commendabat? vidit Iosephi virtutes propinquissimas Saluatori, & non dubitauit inter Iesu parentes Iosephum annumerare. Nesciunt sacri historiographi aliorum filiorum ordinem, nisi quem dant virtutes patriæ, inter illos agnoscunt filiorum & parentum ordinem, inter quos virtutum similitudinem adno-
4. Reg. 23. tant. Hinc est quod 4. Reg 23. duos Ierosolymæ reges memorans textus, nimirum Ioachaz & Ioachim à sanctissimo piissimóque Iosia satos, de Ioachaz ait, *Fecit malum coram Domino, iuxta omnia, quæ fecerant patres eius.* Rursus de Ioachim eadem repetit, *Fecit malum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerant patres eius.* At Iosias, à quo geniti sunt, sanctissimus religiosissimúsque fuit, cur absolutè dicuntur fecisse malum iuxta omnia, quæ fecerant patres eorum? Nonne pater eorum Iosias? Absit; non enim carnis propagatio, sed animi virtus Heroum hominum genus facit. Illius filius quisque est in diuino censu, quem moribus refert; modus viuendi aut facit aut abiurat filios, aut patres. Conueniant huc qui in luctu sunt, quod successoribus careant carnalibus, & discant longè veriores & præstantiores filios sibi
Hieron. procreare. Ad quos præclarè loquitur D. Hier. lib. 1. aduersus Iouinianæs sententia Theophrasti satus. Porro liberorum causa vxorem ducere, vt vel nomen nostrum non intereat, vel habeamus senectutis præsidia, & certis vtamur hæredibus, stolidissimum est. Quid enim ad nos pertinet recedentes à mundo, si nomine nostro alius nominetur: cum & filius non statim patris vocabulum referat, & innumerabiles sint, qui eodem appellentur nomine? Aut quæ senectutis auxilia sunt, enutrire domi, qui aut prior te forte moriatur, aut peruersissimis sit moribus? Aut certè cum ad maturam ætatem venerit, tarde ei videaris mori? *Hæredes autem meliores & certiores amici sunt & propinqui, quos iudicio deligas, quàm quos velis nolis habere cogaris.* Quis hoc neget? Quis adeo animalis homo est, qui non sibi melius putet iudicio quam natura filios facere? Is sanè melior & certior filius est, qui sic omnes bonas exequitur patris voluntates, vt super summis laudibus dignum conseruet & iudicium & electionem patris. Illos æstima filios, quos non caro & sanguis, sed maiorum tuorum virtutes tibi pariunt: inter multa
Tertull. mala hoc bonum dicebat Tertull. lib. de Monogamia. *Quid si de posteritate quis cogitet ijsdem animis, quibus oculis vxor Loth: vt ideo quis repetat matrimonium, quia de priore liberos non habuit: hæredes scilicet Christianus quæret, sæculi totius exhæres? Habet fratres, habet Ecclesiam matrem.* Quæ post se relinquebat lasciuis oculis vxor Loth aspexit, & periit: vereor ne lasciuus sit etiam animus, qui ex carnali copula quærit, quos post se relicturus est. Habet Christianus tot filios & patres, quot sunt in Ecclesia Christiani eiusdem fidei nomine & moribus sese inuicem repræsentantes. Hos quære filios, quos virtus parit.

§. XII.

Felicissimum homini est, quod præstantissimos viros, parentes possis facere suos.

NEscio an sit aliquid magis adnatum humanæ naturæ, quam sibi grandes parentes affingere, nec in nulla re magis naturaliter homines mentiuntur. Parum est, mentiuntur, imò infami nota non dubitant verorum parentum infamare nomen, dum se grandibus aliis adscribant. De Alexandro & Augusto pulchrè cecinit Sidonius in Paneg. Sidon.
Anthemij.

Magnus Alexander, nec non Augustus habentur,
Concepti serpente Deo: Phœbumque Iouémque
Diuisere sibi: namque horum quæsiit vnus
Cyniphyra sub syrte patrem: maculis genetricis
Alter Phœbigenam sese gaudebat haberi.

Est ne modo aliquis qui etiam suæ genetricis maculis quærat Heroes parentes? Equidem plurimi sunt; his feliciorem & faciliorem modum, quo se grandibus adscribát familiis, Dominus propinat; illorum enim se possint facere filios, quorum æmulentur virtutes; quorum effulgeant gloria facinorum. *Multi, ait, ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham*, & si extremis mundi oris, à terra vel à syrte aliqua nascaris, tibi Abrahamidum genus adscribes, æmulus Abrahamidum fidei & facinoris. Mulier illa Chananæa Marc. 7. vt a Domino audiuit, nō licet tollere panem Marc. 7.
filiorum, & mittere illum canibus, & Israëlitas filios, & se canem æstimauit; & illo spiritu quo aiebat Abraham, *loquar ad Dominum cum sim puluis & cinis*, aiebat illa; *Etiam Domine, nam & catelli comedunt de micis, quæ cadunt de mensis dominorum suorum.* Quid tunc? Dum humilitatis Abrahamidis spiritum æmulatur, se à cane filiam fecit Abrahæ. Sedul. Sedul.
lib. 3. Paschal. c. 25. fatur. *Vox humillima, fides excelsa, quæ sospite filia canem transtulit in ouem, inque sentibus sua gente exortam Hebræi graminis fecit introire per pascua.* Venit mulier Chananæa, & dum se cani assimilat, inter Abrahamidum heroea renascitur. Vbique gentium humilitas & fides regenerat, & parit Abrahamides. Apud Luc. 18. adest humilis publicanus, stat Pharisæus de generis superbus nobilitate; hic heroum stemmatibus gloriosus, ille de tabellis abiectus, vterque Deo supplicabat. Publicanus autem percutiens pectora sua aiebat; *propitius esto mihi peccatori.* Verum Pharisæus longè aliter profert verba plena superbiæ, plena fastus, aiens: *Non sum sicut cæteri homines.* Ad quæ statim D. Basil. Sel. orat. 25. Basil. Sel.
fatur, *Nō sic olim ad Deum loquebatur progenitor tuus Abraham, vel potius publicani progenitor, nam sibi Abrahami genus publicani mores adiungunt.* Non natura, sed mores, sed virtutes Heroum familiis filios parturiunt. Tibi licet & genua & paucos eligere, dum naues operam eorum efficiendis virtutibus. Similiter contundit Pharisaicum fastum peccatrix illa mulier ad pedes Christi procumbens, illosque lacrymis lauans, & tergens capillis, quo se præ Pharisæo asseruit Abrahamidum filiam. Sic D. Paulin. epist. 4. *Tu Pharisæe,* Paulinus.
pedes Christi nec linteo, illa crine detersit. Quos tu indigne, nec manibus contingere voluisti: illa oculis mulcere non dubitat. At certè tu potius hoc ministerium in domo tua recepta hospiti debuisses, si vel exemplo patrum fas hospitale seruasses. Sed sufficit vobis ad superbiam iactare patrem Abraham: & ideo te illa præuenit, quæ affectu fideli, se potius patris tui filiam comprobauit: à quo te degenerem etiam ista inhumanitas arguit, quæ dedignatus es lauare pedes Dominicum & Abraham Angelorum, & ipse Dominus lauerit seruulorum. Nemo deinde queratur abiectis se parentibus ortum fuisse, cum ipsius potestatis per æmulationem virtutum Heroum se familiis adscribere. De hoc supra lib. 6. cap. 8 §. 16. & alibi.

§. XIII.

Quod possessa habentur ea, quæ à Deo nobis promissa sunt.

ECce regni filij, hoc est, quibus regnum cœlorum promissum erat, eiiciuntur foras; & quomodo foras eiicitur, qui nunquam intus erat? Sed intus erat, qui promissionē Dei habebat, quasi enim in possessione sumus eorum, quæ

nobis

Psal.104. nobis à Deo sunt promissa. Psalm. 104. locutus Dauid de Abrahamo, Isaac,& Iacob,ait: *Transierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum.* Nondum in terra Chanaam regnabant,nondum Hebræorum erat regnum, cur ergo dicuntur transiisse de regno ad populum alterum?Quia illius terræ regnum promissum erat Iudæis, quod in Dei promissione habebant, quasi in eiusdem possessione reputantur
Auguft. esse.August. *Merito quæri potest, de quo regno transierunt? Nondum enim regnabant in terra Chanaam,quia nondū fuerat regnum constitutum in populo Israël. Quomodo ergo intelligi potest, nisi forte,quia ibi regnum futurum erat semini eorum?* Quod à Deo promissum erat regnum, adeò certo futurum erat, vt de illo quasi iam possesso, & habito loqui possent. Reputa tibi iam obtigisse, quidquid in Dei habes promissione, quocirca
Isai.54. ca aiebat Isaias cap.54. *Lætare sterilis, quæ non paris, decanta laudem, & hinni, quæ non pariebas, quoniam multi filij desertæ magis, quam eius,quæ habebat virum, dicit Dominus. Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas, longos fac funiculos tuos, clauos tuos consolida, ad dexteram enim, & ad lauam penetrabis, & semen tuum gentes hæreditabit.* Expende verbum, hæreditabit,quod proprie dicitur de bonis, quæ ab vno possessore ad alios ex testamento deuoluuntur, at quando quis de nouo acquirit bona,quæ à nullo antea suorum possessa fuerunt,nescio quomodo illorum hæres possit dici. Et quando genus Abrahæ gentes possedit, quando sub ditione sua habuit nationes? Quod si patres nullam nationum possessionem habuere, non dicantur filij hæreditaturi, sed acquisituri de nouo illas. Habebant tamen antiqui patres nationum promissionem,& quia in promissione Dei erant gentes, quasi iam in possessione essent, merito gentium hæredes dicuntur filij, qui modo possident illas. Adeò enim certa est Dei promissio, vt res à Deo promissæ, quasi iam possessæ putentur à sanctis viris.
Genes.28. Gen.28. dormienti Iacobo apparet Dominus, illique ingẽtes glorias,ingentémque substantiam promittit.Etenim ait: *Terrā, in qua tu dormis,tibi dabo,& semini tuo. Erit semen tuum quasi puluis terræ:dilataberis ad Occidentem,& Orientem, & Septentrionem,& Meridiem. Benedicentur in te omnes gentes.* Ad hæc autem Iacob expergefactus,gratitudine plenus,gratias Deo referens,erigit lapidem in titulum,vouit votum,& ait, *Si fuerit Deus mecum,& dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum: erit mihi Dominus in Deum.*Valde miratur Chrysost.quod sanctus Iacob, vbi tantarum rerum promissiones accepit,nihil illarū meminerit,nec regna, nec populos, nec gentium benedictionem, sed solius panis; & vestimenti meminit, panémque solum, & vestitum à Deo petit.Cur non potius vt firma,sanctáque habeat ingentium gloriarum data promissa? At sanctus vir quas glorias in promissione accepit,adeò æstimat illas vt possessas & habitas,vt magis pro acceptis illis vota facere,quam petitiones
Chrysoft. curet instituere. Chrysost.hom.25. in Genes. *Iam fidei oculis non multo post futuram præuidens abundantiam,suam declarabat gratitudinem:& qui nihil adhuc acceperat, vouet, digniorem fide æstimans promissionem Domini quam rerum possessionem. Neque enim ita fidere debemus his, quæ in manibus habemus, & videmus, vt promissionibus Dei etiam, si non eueniant statim primo tempore.* Sic æstimant sancti viri promissiones diuinas:sic il-
Matth.8. las æstimabat nobilis Centurio Matth.8. *Dic verbo,& sana-*
Basil.Sel. *bitur puer meus.* Quid est, *Dic verbo?* D.Basil.Sel.orat.19. *Pollicentem videam, & optata consequar.* Nullum est dubium de rerum consecutione, vbi auditur promissio diuina.

Text. Dixit autem Iesus Centurioni, Vade, & sicut credidisti fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora.

§. XIV.

Valde gloriosum est, quod tibi & alijs vtilis sis ad salutem.

QVis non extollat Centurionis huius fidem, quæ sic exundauit meritis, & non solum sibi, sed & seruo suo
Euseb. attulerit salutem? Pulcrè aiebat Eusebius Gallicanus hom. de Quadrag. *Felix per quem etiam in alienam salutem exundant merita propria: felix in cuius mentem redundat salus aliena.* Quam magna sunt merita,quæ propriis subducta limitibus,
Isai.4. ad aliena egredi consueuerunt! Isaias c.4. ait, *Omnes reges gentium dormierunt in gloria.* Quæ verba explanans D. Ælredus serm.18. putat gloriosum illum somnum,quando qui dormit, non sibi vni vacat, sibi vni attendit, sed aliis etiam proficere potest. Etenim ait, *Obdormiuit diues in contumelia, & sepultus est in inferno; Lazarus obdormiuit in misericordia,qui in sinum deducitur Abrahæ. Ipse Abraham in gloria, qui non solum sibi, sed etiam Lazaro potuit esse consolationi.* Bene res dicuntur,qui tanta gloria nobilitantur, qua & sibi sufficiunt & aliis. Memini apud Lucam cap.16.sic esse consultum di- Luc.16.
uitibus huius sæculi. *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, vt cum defeceritis,excipiant vos in æterna tabernacula.* Et dum scire cupio, qui sunt hi tam felices,tam gloriosi amici, qui in æternis tabernaculis non solum ipsi degunt, sed & aliis possunt locum præstare; sic indigitat ipse Saluator, dum ait: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Ad solos illos, qui reges sunt, posset tanta gloria pertinere, quod sibi habeant & aliis. Pulchrè ad hæc D. Bernard. in declamationibus ait, *Communicate eam* Bernard.
pauperibus, quorum est regnum Dei: vt cum venerit hora eorum, reminiscantur, & deficientes vos recipiant in tabernacula sua, & consolationem suam: mensuram enim bonam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinus eorum, nec erit illud pallium breue, quod duos operire non posset, aut stratum coangustatum, vt decidat alter. Sic nobilitantur illi, qui regio in cœlis fulgent decore, vt sibi & aliis abundent. Fallor si fuit reginarum vox illa apud Math.25. *Ne fortè non* Matth.25.
sufficiat nobis, & vobis: ite potius ad vendentes. Feliciores equidem, & regaliores, & gloriosiores si sic mereris exundarent, vt sibi & aliis sufficere, imo abundare possent. Habent equidem gloriosi reges mensuram bonam, coagitatam, & supereffluentem, vt ad alios perueniat. Regnum abiurat, cuius pallium adeò breue est, vt neminem præter illum capiat, cuius tabernaculum adeò angustum vt non sufficiat sibi & aliis. Illa regalium hominum demonstratio est, quam exhibet sponsa Cantic.1. aiens, *In-* Cant.1.
troduxit me rex in cellaria sua. Rex est regalique gloria insignitus, qui non sibi vni prouidit cellarium, seu tabernaculum, sed multa habet, quibus excipiat alios. S.Bernard. Bernard.
serm.23.in Cant. *Innuit hoc etiam sermo quem dixit, quia introduxit me rex in cellaria sua; dum non in vnam aliquam cellam, sed in cellaria pluraliter se introductam ostendit.* Regalis gloria supereffluens est, & exundans ad alios, & multis abundans.Vnde merito nos omnes monebat D.Cæsar.Arel. Cæsar.
hom.18.fatus, *Taliter vos exhibere debetis, fratres; tam sancte, & iuste, tam pie, vt merita vestra non solum vobis sufficere, sed etiam peccatoribus alijs in hoc sæculo possint veniam impetrare.* Hæc ille. Hoc nouerat Moyses quando offensum Deum, & iratum aduersus Israëlitas sic orabat, Exod.32. *Aut dimitte eis* Exod.32.
hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo. Cur cum tanto sui dispendio suorum quærit Moyses salutem? An non bonum illi erat, si solus ipse apud Deum regnaret? Chrysostom.homil.79.ad Popul.ait, *Nullum meritum esse ma-* Chrysoft.
gnum posset, nisi lucrum & alijs communicaret; siue ieiunas maneas, siue dormias humi, siue fauillam comedas, siue lugeas continue, & nulli prosis alteri, nihil magnum efficis. Imò iustè timere sibi potest, qui adeò aliorum curam dimisit, vt vni sibi consulens, ab aliorum abstineat salute, cum res tulerit, procuranda. Huic darem verba, quæ Estheri dedit Mardo- Esther 4.
chæus cap.4. *Si enim nunc silueris, per aliam occasionem liberabuntur Iudæi: & tu, & domus patris tui peribitis. Et quis nouit vtrum idcirco ad regnum veneris, vt in tali tempore parareris?* Et quidem alij pro aliis in vita stamus, quare dum nobis soli consulimus, metuendum est, ne aliter salus veniat proximis, & nos in pericula deueniamus. Quod in Iona animaduertens D.Chrysost. supra, ait: *Ionas vero, quo-* Chrysoft.
niam propriam vtilitatem quæsiuit, etiam periclitatus est; & ciuitas quidem stabat,ipse verò submergebatur. Non eris securus, vbi non es proximis salutaris, sed tibi vni vacas, aliorum negligens necessitates.

CAPVT IV.

De Leproso mundato.

CHRISTO descendenti de monte leprosus dicebat,Domine,si vis, potes me mundare. Nec fuit istius parua fides in verbo,qui suę mundationis effectum in diuina tantum voluntate tradiddit institutum. Namque vt eum Dominus sacra contigit manu,dicens, Volo,mūdare,confestim bicolor ęgritudo discessit,ponénsq; miraculosè cutis horrorē peregrina corpus caruit fœditate.

Matth. 8. Ecce leprosus veniens adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare.

§. I.

Vbi spirituale negotium agitur, noli temporalibus commodis incumbere.

HOc dixerim propter eos, qui in alto religionis monte, inter ipsas religiosæ disciplinas vitæ, inter Ecclesiasticos apices, inter festorum solemnia hoc in primis agunt & moliuntur, vt sese temporalibus commodis augeant. Nescio, an satius illi ab alto sanctissimæ disciplinæ descenderent, si velint semper sæcularibus commodis incumbere? Sanè Iesus in monte erat docens, & dum ibi erat, non accessit leprosus, verum cum primum finito sermone descendit Iesus, tunc videres leprosum currentem per decliue, & venientem ad Iesum, ab illóque postulare munditiem. Non enim in montis alto, vbi spiritualis disciplina tradebatur, ausus est meminisse temporalis salutis, sed vt meminerit, prius descensionem expectat, & sese, vt postulet, deorsum mittit. De quo Origen. hom. 1. de diuer. ait, *Deorsum currens rogas, ô homo, in monte nil dicis.* Quare sic? Quia tempus, & tempora omni rei sub cœlo tempus doctrinæ, & tempus curationis in monte docuit, illuminauit, animas curauit. Ecce vobis in monte animæ curantur, non corpora; in alto sacerdotij culmine, in religiosæ disciplinæ sublimi spiritualia negotia aguntur, non carnalia. Adulteros planè vocat D. Paul. eos, qui in alto disciplinæ spiritualis vehiculos conuciunt ad carnalia: ait enim 2. ad Corinth. 2. *Non enim sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei*; vel si manis legere cum Septuag. *cauponantes verbum Dei.* Tam longè abesse debet à viris religiosis, à Sacerdotibus Dei cauponatio, hoc est, temporalis quæstus, & emolumenti inquisitio, vt adulterium. Adulter enim est, qui in spiritualis vitæ culmine quæstus sectatur temporales. Vnde D. Thom. sic hæc verba explanat. *Adulterantes verbum Dei, id est, prædicantes, vel propter quæstum, vel propter fauorem laudis. Sic enim mulieres adulteræ dicuntur, quando recipiunt semen ex alio viro ad propagationem prolis. In prædicatione autem semen nil aliud est, quam ... seu intentio tua, vel fauor gloriæ propriæ.* Iure adulterij accusantur, imò damnantur, qui ad sacerdotij, & religiosæ vitæ montem aduolant, & ibi non animarum, sed temporalium bonorum mercatum faciunt, & spectant quæstum. Hi vehementer reprehenduntur ab Isaia, quasi potissima essent causa ruinæ Israelitici populi. Etenim ait cap. 1. *Argentum tuum versum est in scoriam. vinum tuum mixtum est aqua.* Explicatius Septuag. reddidere; *caupones tui miscent aquam vino.* Infelix permixtio, quando purissimis spiritualis vitæ negotiis adduntur fluentium bonorum quæstus: rectè D. Ambros. serm 78. *De cauponibus loquitur, qui ... aiunt Ecclesiæ, non tabernam: qui sitientibus populis non concupiscentia calicem porrigunt, sed virtutis. Illos ergo caupones Propheta arguit, & queritur eos vino aqua ... permiscere. Hoc increpabat in eis, cum functionum diuinarum essent præsules; sectatores rerum facti sunt humanarum.* Perniciosissima hæc permixtio, tantarum ruinarum causa, fallor, nisi magnam partem spiritualium mentium peruadat. Sanè Saluianus lib. 1. ad Ecclesias ita loquitur, *Maxima quippe nunc filiorum Ecclesiæ portio mortiferarum rerum negotiatrix est: propolisque & cauponibus similis terrenis, imò tartareis, perituris simul, atque perdentibus studet nundinis. Lucro enim pecuniæ damnum vitæ ementes, vt iniquitant, quæ non sunt sua, prodigunt, quæ sua sunt*, &c. Nec miror quod mercatus iste tam iunctus perditionis æternæ asseratur; quando qui propter vitæ statum propinquant magis diuini Solis radiis, si luteis rebus inhiant, facti & ipsi lutei. necessum est, vt cordis duritiem nanciscantur, qua miserè perdantur. Nonne audistis sæpe cor Pharaonis à Deo fuisse obduratum? Ac ipse modo Origen. hom. 2. in Cant. afferentem huius obdurationis causam. *Erat vtique cor eius secundum ea, quæ cogitabat, luteum, & limosum. Et sicut visibilis stringit, & indurat, ita sol iustitiæ iisdem radiis, quibus illuminat populum Israel Pharaonis cor, cui inerant luteæ cogitationes, pro ipsis motuum suorum qualitatibus indurabat.* Caue tibi, quisquis iustitiæ Solis propinquus es, ne de rerum lutearum solicitudine luteus fias; in cordis enim duritiem incides, qua funditus perdaris.

Origen. — 2. Cor. 2. — D. Thom. — Isai. 1. — Ambros. — Saluian. — Origen.

§. II.

Vna Dei voluntas in omnibus spectanda est, & adoranda.

QVam pulcrè leprosus hic munditiem suam in Dei connectit voluntatem, illámque, quæcumque fuerit, venerabundus adorat. Siue lepra aberit, siue aderit, vnam suspicio causam, nempe Dei voluntatem, quam etiam in vtroque extremo adoro. Si sanctissimus Iob macie, & tabe confectus, cap. 23. iuxta Sept. aiebat. *Vias eius custodiui, & non declinem à mandatis eius, & non transgrediar: si autem & ipse iudicauerit me, quis est qui contradicat ei? Ipse enim voluit & fecit.* Quasi dicat, non adeò grauor peccatis, vt cogat sub tanto reticere flagello, sed nec adeò innocentiæ meæ fido, vt indignè patiar, vnum sciens, nimirum quodcumque bonum, vel malum pœnale à Dei voluntate pendere, quam solam suspicio, & adoro, pro omnibusque rationibus mihi voluntas Dei est. Quod sic exprimit D. Chrys. in cat. Græc. *Nouit Deus viam meam, nec non tenet illud, me diligenter laborasse, vt sibi morem gererem. Verum si iudicium de aliquo statuerit, quis ei aduersetur? Nempe mea quibus sum ipse conscius, sunt huiusmodi, sed tamen illius vincat decretum, nec quisquam illius iudicijs obsistat. Nam si me vel iuste agentem condemnauit, quis ei contradicat? Certè nullus, si quidem illius voluntas potestatem comitem habet, nec aliud atque visum fuerit illi, fit. Sane illud vnum est mihi intellectu, nullius me rei conscientia opprimi: tametsi huiusmodi exerceat mala, nihilominus rationem, quemadmodum administret humana non perquiro. Verum iam ea res me fugiat, hoc tantum affirmo ea demum, quæ voluit ipse, fecisse: valtuque demisso eum adoro.* Vna in omnibus Dei voluntas suspicienda, & adoranda est, siue altitudo, siue profundum, siue mors, siue vita, siue diuitiæ, siue extrema paupertas obueniat; nil horum respiciat homo iustus, sed vnum hoc, nimirum, quod voluntas Dei fiat. Ecce vobis ardens fornax obiicitur tribus Hebræis pueris Dan. 3. Tunc illi voraces videntes flammas vno ore inquiunt, *Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô rex, liberare. Quod si noluerit, notum sit tibi, ô rex, quia Deos tuos non colimus.* Expende illud, *quod si noluerit*, quippe tantis mediis angustiis, non liberationem spectant, sed vnam Dei voluntatem; quam in omni euentu suspiciunt, & vnam adorant. Id quod expendens Theod. ait. *Ne ab his quidem malis temere liberari petimus, sed ipsi Deo omnem nostri gubernationem & prouidentiam permittimus, & eius quod futurum est, quasi gubernatori nostro, quocumque ei libuerit, nauem dirigendam committimus. Pro certo enim habemus posse illum nos è manibus tuis eripere, vtrum vero id facere velit, ignoramus. sed cum sapiens sit ei rerum nostrarum moderationem committimus, quamlibet eius sententiam, tanquam meliorem, nobísque vtiliorem libenter accepturi.* Hic sit vnus nobis scopus, vt in omni euentu voluntati diuinæ nos subdamus, & ita pro Dei voto viuamus, vt inde filiorum spiritum demonstremus, qui in omnibus faciunt voluntatem patris. Vnde Chrysost. hom. 1. in Symbolum, ex eo quod Deum Patrem omnipotentem confitemur, sic fatur. *Ecce patrem Deum vocatis. Ad honorem patris venite; mores patris custodite, eius voluntatem implete, si vultis hæreditatem eius accipere. Quis est filius contemnens patrem qui mereatur accipere eius hæreditatem? Ergo si desideratis ea, quæ promisit mereri, viuite pro voto eius.* Pro voto patris viuat filius in omnibus subditus paternæ voluntati, siue placentia iubeat, siue mala dura portari. Hoc est enim legitimi filij signum, quod non solum faciat, sed & sustineat patris voluntatem. Nonne hæc erat filij Dei oratio Luc. 22. *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat?* An voluntas filij non erat pro nobis mori? Nihilominus hæc dicens, voluit ostendere, quam proprium filiorum Dei sit sustinere & in aduersis voluntatem patris. Ita Tertull. lib. de orat. ait. *Ipse erat voluntas, & potestas patris, & tamen ad demonstrationem sufferendæ debitæ, voluntati se patris tradidit.* Nihil pro Deo facis, dum non te committis eius voluntati.

Iob 23. — Chrysost. — Daniel. 3. — Theod. — Chrysost. — Luc. 22. — Tertull.

Text. Et extendens Iesus manum tetigit eum, dicens, Volo: mundare, & confestim mundata est lepra eius.

§. III.

Summa Christi Domini mundities expenditur.

INter lepræ contagia extensa Christi manus munditiem extendit suam, cui nulla potest officere labes. De quo

Tertull.

Tertull. Tertull.lib.4.in Marc.fatur. *Tetigit leprosum, à quo etsi homo inquinari potuisset, Deus vtique non inquinaretur, incontaminabilis scilicet.* Diuina est mundities, quæ nec lepræ attactu inquinatur, quam munditiem, vt in se Dominus prætendat attacturus leprosum, extendit manum, vt vel digituli incontaminatio omnibus clareat. Frequentissimum semper in Christo Domino fuit diuinitatis iudicium, innocentiæ & incontaminabilis vitæ reuelatio; quam vt pleniorem faceret, id mortis genus elegit, quo expansus in cruce, & manus, & pedes, & vniuersa membra nuda inimicorum oculis exposuit, vt illis afferentibus suam munditiem relinqueret testatam. *Psal.21.* Ait enim Psalm. 21. *Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. Ipsi verò considerauerunt, & inspexerunt me.* Extenduntur in cruce, & Christi manus, & pedes, & vniuersa membra, vt nuda & distincta singula inimici inspicerent, & considerarent, in singulisque diuinam munditiem prænotarent. Quod pulchrè *Theod.* expendit Theodor.ser.10.de Prouid.fatus. *En diligentius nunc nudum in cruce, hoc videns scrutare. Inspice linguam omni probro carentem, & auditum omni noxia liberum: oculos item, qui nullam extrinsecus corruptionem senserunt; & manus ab iniustitia quidem alienissimas, omni autem iustitia ornatas: pedesque non in malitia occurrentes, sed virtutis stadium emensos, scrutare quam diligentissimè omnia corporis membra:* omnia extensa sunt, & manifesta omnia patent, vt singulorum possit munditiae euidentissime constare. Equidem de illo dicebat Pro- *Prou.3.* uerb. 3. *Viæ eius viæ pulchræ, & omnes semitæ eius pacificæ.* Vbi D.Salonius ait. *Quæ sunt istæ viæ sapientiæ? Viæ sapientiæ sunt actiones Domini, quas gessit in carne, quæ viæ pulchræ sunt, quia diuinæ.* Quacumque ex parte Iesum videas, scruteris, sese pandit diuinitatis mundities, & pulchritudo, nullibi non sanctus, innocens, impollutus, & immaculatus, & à peccatoribus segregatus. Nō prius Iesus oculis paret, quam se ostendat omni liberum macula, & expeditum laqueo. *Cant.2.* Cant.2. *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Non nego his verbis eius munditiem posse commendari. Sed explicatius id fiet, si eadem verba *Origen.* iuxta lectionem receptissimam Patribus Origen. Ambrosio, *Ambros.* & aliis expendantur. Ea sunt: *En ipse stat post parietem nostrum, eminens super retia.* Non aliter nouit Dominus apparere, quam eminens super retia, omnino immunis, & expeditus ab omni retis macula, hinc docens suos, qualiter fugiant *Idem.* omnem immunditiem peccati. D.Ambros.ser.6. in Psal.118. ait, *Bene eminens, quia solus est, quem retia non inuoluerint peccatorum. Omnes intra retia erant; imò adhuc intra retia sumus: quia nemo sine peccato, nisi solus Iesus. Talis ergo necessarius erat, quem vincula generationis humanæ delictis obnoxia non tenerent: non cepisset auaritia, non ligasset dolus. Is solus erat Iesus, qui cum huius carnis se circumdedisset vinculis, captus non erat alligatus: sed disrumpens ea, atque dissoluens ad se magis vocauit Ecclesiam prospiciens per laqueos, eminens super retia, vt & ipsa disceret vincula non teneri.* Et quando non possumus laqueos non incurrere, saltem discamus à duce nostro Iesu non diu in illis detineri; si quidem vni illi omnimoda à laqueis im- *Tertull.* munitas, & mūdities reseruata erat. Vnde Tert.lib.de præscr. fatur. *Saul bonus præ cæteris, liuore postea euertitur. Dauid vir bonus, secundum cor Domini postea cædis, & stupri reus est. Salomon omni gratia, & sapientia donatus à Domino, ad idololatriam à mulieribus inducitur. Soli enim Deo filio seruabatur, sine delicto permanere.* Imò omni repletum esse virtutum splendore, & munditie.

§. IV.

Quæ peccati labes non est, facili negotio tollitur; illa ægrè, & difficulter nunquam sine igne.

Extensa Dei manus tangit leprosum, & lepra fugit; sic vniuersæ maculæ, quæ peccati maculæ non sunt, leui tactu tolluntur; at peccati maculæ ferro indigent, & igne. Vt Isai. 6. os purum redderetur, quod opus? Qui labor? Accessit vnus è Cherubin, & forcipe tulit prunam de altari, qua Prophetæ purificantur labia: verum de se loquens *Ierem.1.* Ierem. ait, *Extendit Dominus manum suam ad me, & tetigit os meum, &c.* Cur ad Isaiam, & ferrum, & ignis, ad Ieremiam solus extensæ manus tactus applicatur? Isaias vir erat pollutus labiis, Ieremias sanctus ab vtero matris, in quo, quia nulla peccati macula resideret, sufficiens erat, vel leuis *Origen.* tactus diuinæ manus. Origen. hom.1.in Ierem. ait. *Ieremiæ autem, quia sanctificatus fuerat in vulua, non forceps mittitur, neque de altari carbo succensus: nihil quippe habebat igne dignum: sed ipsa manus Domini tetigit eum, propter quod dicit, Extendit Dominus manum suam, & tetigit os meum, &c.* Vbi culpa non erat, vel leuis diuinæ manus attactus sufficiebat, qui vniuersa omnia alia mala eliminaret. Verū ad peccata expurganda, & forceps, & ignis mandatur, quia malum culpæ non de leui expungitur; igne, & ferro opus habet, quisquis peccati vulnera cupit delere. Ierem.c.2. *Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua coram me, dicit Dominus.* Non quæuis lotio nos mundat à maculis peccatorum, sunt maculæ, quæ vel leui manus attactu, vel ad summum nitro addito penitus expurgantur, non sic peccatorum lethalium maculæ, quæ non leui manuum tactu, non leui lotione nitri, vel cuiusuis herbæ, sed igne, & ferro indigent, vt tollantur. Ita D.Hieron. *Hieron.* *Qui leui sorde maculatus est, leuibus mundatur monitis. Porro peccata grauia, quæ ad mortem trahunt, nec herba borith dilui possunt, sed grauioribus tormentis indigent. Vniuscuiusque enim opus quale sit ignis probabit.* Fallitur qui leui satisfactione pro peccatis facta contentus est, sumat, oportet, pro grauibus delictis grauia tormenta, non enim nitro, sed igne purgatur. Miraris, quod dicat Hieronymus grauia esse tormenta sustinenda pro grauibus sceleribus? Sed quod mirere magis, ego addo nulla esse tormenta adeo grauia, quæ pro peccatis diluendis, non videantur quasi leuia, & ipse igneus cruciatus quasi aquæ perfusio appareat. Marc.10. Saluator *Marc.10.* locutus ad Ioannem, qui ardenti oleo immergendus erat, & ad Iacobum, qui erat capite truncandus, ait. *Baptismo, quo ego baptizor, baptizamini.* Quid ais Domine, baptismum, hoc est aquæ tinctionem vocas gladium, oleum ardens, & durissimam tuæ passionis crucem? Vnde gladius, & ignis, & durissima crux potuit videri quasi tinctio aquæ? Fallar, nisi huius causam insinuat Theophylactus in caten. *Theoph.* dicens. *Baptismum crucem nominat, tanquam emundationem nostrorum facientem peccatorum.* Vbi peccatorum labes emundantur, & gladius, & ignis, & crux adeo leuia videntur, vt censeantur quasi tinctio aquæ. Huc accedit pulcra Diui Synesij excogitatio, qui locutus de pœnis in Repu- *Synes.* blica statutis ad vindictam scelerum ait epistol.121. *Publicus gladius, non minus quam lustralis aqua, quæ in templorum vestibulis collocatur, ciuitatis est piaculum.* Quibus id expendendum venit, quod gladios, ignes, cruces comparet aspersioni aquæ lustralis, quæ poni consueuit in templorum vestibulis. Quid grauius gladio & igne? Quid leuius aspersione aquæ lustralis? Et tamen pro peccatis mundandis grauissima quæque supplicia sic æstimari debent, & sumi, quasi essent aspersio aquæ lustralis. Ex quo lucem capit Oseas cap.5. vbi sic, *Facti sunt principes Iuda quasi assumentes terminum, super eos effundam quasi aquam iram meam.* *Osea 5.* Effusa fuit ira Dei super Iudam in captiuitate Babylonia, tamen ibi potius effusa fuit ira quasi ignis, quam sicut aqua. Cur ergo tanta pœna dicitur effusio aquæ, nisi quia erat pro peccatorum munditie, pro qua leuia reputantur grauissima? Rupert. ibi: *Captiuitas Iudæ fuit peccatis debita, sed sicut aqua mundat sordes, sic illa captiuitas mundauit populi peccata.* *Rupert.* Cur ergo non censeantur quasi aspersio aquæ lustralis.

§. V.

Non qualibet eleemosyna mundantur peccata.

Extendit Dominus manum, vt leprosi misereatur, & vix extremis digitorum tangit, quando tota lepra mundatur, non sic à peccatis mundamur, sed quisquis mundari velit, extendat quidem manus ad sublevandos pauperes, nec putet quamlibet extensionem manuum sufficere, sed tantum eroget, necessum est, quantum est debitum peccati. Balthasar ille Babyloniorum rex salutis suæ cupidus extendit manus, vt Dei Prophetam ditaret, sic Daniel cap 5. *Daniel.5.* *Tunc iubente rege, & indutus est Daniel purpura, & circumdata est torques aurea collo eius: & prædicatum est de eo, quod haberet potestatem tertius in regno suo. Eadem nocte interfectus est Balthasar rex, &c.* Sic cum regia liberalitate in Dei Prophetam venit coniunctum ipsius regi excidium? Et manus dat rex, vt ditetur captiuus, & simul perit? Vbi est efficacia beneficentiæ? Vbi quod eleemosynæ mundent peccata? Equidem eleemosynæ immunditiem peccatorum afferunt, sed debent tantæ esse eleemosynæ, quanta fuerunt peccata? Præclarè D. Hieron. in præsenti ait, *Balthasar dum Dei Prophetam honorat, sperat se veniam consecuturum. Quam si non impetrabit, maius fuisse credendum est sacrilegium in Deum, quam honorem in hominem.* *Hieron.* Debent equidem peccata,

& satisfactio æqua lance librari. Tunc munditiies omnimoda peccatorum causatur, quando eleemosynæ exæquant peccatorum debita: & tam extensa est manus ad largien-
Daniel.4. dum, quam extensa fuit ad peccandum. Vnde ipse Daniel c.4. sic Nabuchonosori suggerebat: *Consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime.* Expende illud, *redime*, quippe tunc res dicitur redimi, quando tantum pro illa soluitur, quantum ipsa valet. Sic peccata redimenda eleemosynis, vt quanta sunt peccata, tantæ eleemosynæ soluantur.
Saluian. Do Saluian.lib.1.ad Ecclesiast. santem. *Quid est aliqua redimere. Opinor pretium rerum quæ redimuntur, dare. Hoc facito, quod Propheta dicit. Peccata tua in misericordia redime. Noli tantum Deo relinquere, quantum habes, si pro peccatis tuis necessarium non putas quantum habes. Æstima diligentissime culpas, quas admisisti, æstima peccatorum diuersitates: cumque omnium supputaueris numerum, expende pretia singulorum, & post hæc non quæro, vt pro peccatis totum Deo reddas, quod habes: hoc solum redde quod debes, si potes æstimare quod debes.* Dumque totum peccatorum debitum non adæquas, noli esse securus, quod extenderis manus ad pauperem.

§. VI.

Diuina voluntas saluti hominum studet, nec indiget aliquo ad præstandum.

ECce tibi totus scopus diuinæ voluntatis, nimirum, *volo, mundare*: eo enim semper spectat, id satagit, vt homines salutem, & animæ munditiem adipiscantur. Iubemur in orat. Dominica postulare indefinite: *Fiat voluntas tua.* Cur non potius, fiat voluntas tua in me bona? mihi salutaris? An non posset esse voluntas Dei hominum saluti contraria? Absit: imò nescit omninò voluntas diuina homini
Tertull. non esse salutaris. Tert.lib.de Orat. *Petimus ergo substantiam, & facultatem voluntatis suæ subministret nobis, vt salui simus & in cælis, & in terris: quia summa est voluntatis eius salus eorum, quos adoptauit.* Hæc est diuinæ voluntatis summa, hic scopus, scilicet hominum salus. Quidquid in voluntate Dei est,
2.Cor.1. & vtile, & salutare est suis hominibus. D.Paul.2.ad Cor.1. *Dei enim filius Iesus Christus, qui in vobis est, qui per nos prædicatus est, non fuit in illo*, est, & non, *sed*, est, *in illo fuit.* Ad quæ verba D.Ambros.ait, *In Christo Iesu non fuit, Est, & non, sed est, in illo fuit: quia nunquam aliud voluit, quam quod est vtile, semper enim voluntas eius cum vtilitate est.* Tota Dei voluntas ex se in hominum salutem incumbit, hominum vtilitati, & commodis studet; & vna sine alterius adminiculo potens nos in summam felicitatem promouere. Vt eleganter dicat
Francon. Franconius Abb.tom.11. de Gratia. *Quantus putas est iste artifex, qui puluerem aridum, & stabilem sic solidat, tantum exaltat, vt non solum terrenis, sed & cælestibus eum præficiat? Quid putas de electa materia artifex hic faceret, qui de vili, ac pene nulla tanta facit, ac talia? Sed artifex noster materia, nec vili, nec pretiosa indigebat, cui pia voluntas sua materia est, ad omnia sufficiens.* Felix, qui vni nouit se committere voluntati, in qua omnia simul bona habet, quæ sola sine alterius adminiculo poterit illi vniuersa præstare.

Text. Et ait illi Iesus: Vide, nemini dixeris: sed vade, ostende te Sacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyses in testimonium illis.

§. VII.

Nec minima obseruantia prætermittenda est prætextu vanæ gloriæ fugiendæ.

SEcretum facinoris sui commendat Dominus, vnique iubet Sacerdoti id notum fieri, sed secretius esset, & occultius opus, si nec Sacerdoti reuelaretur: fateor, verum lepræ munditiem Sacerdoti probandam lex canebat, nec tam nimius debet esse quis in fama fugienda, vt huius prætextu abstineat ab obseruantia legis. Fuge vanam nominis claritatem apud homines, cela facinora tua, sed qua via legum obseruantiæ non deroges. Ita de Christo Domino in
Tertull. præsenti fatur Tertul.lib.4.in Marc. *Quantum enim ad gloriæ humanæ auersionem pertinebat, vetuit eum diuulgare, quantum autem ad tutelam legis, iussit ordinem impleri.* Nec vnum legis apicem passus est præteriri, vt gloriæ humanæ auersionem
Matth.5. prætenderet. Matth.5. sic monebat Dominus: *Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in Synagogis, & vicis.* Quis non crederet per hæc verba eleemosynas publicas vetitas esse Christiano? Sed absit: maximum esset malum, si pauperi misericordiam neges, eo quod in plateis postulauit. Pulcrè D.Chrysol.ser.9.ait, *Ergo in conuentu, in plateis, in triuijs neganda est misericordia? Non præbendus est victus? Planè & in omni loco, & in omni tempore facienda est misericordia, præbendus est victus, nuditas est tegenda: sed sic, vt misericordia non terræ sit nota, sed cælo, non hominibus insinuata, sed Deo.* Ne adeò sis animo pusillo, vt vanæ gloriæ metu à debitis te contineas officiis, ne metu lapsus, adeò talentum occultes, vt a lucris abstineas, nisi velis Dei indignationem incurrere. Imò ita compone mores tuos, ita vnũ Deum respice in operibus bonis, vt nullus timor te à negotiatione debiti officij detineat. Bonus negotiator, & ventis, & mari credit nauim; nec ventis terretur, nec fluctibus, dummodo lucra conquirat. Sed cur non terretur ventis? Quia secreto claui motu nõ ventos, sed Arctoum sydus aspiciens nauem dirigit: sic tu non ad terrenos vanitatis ventos aspicias, sed secreta cordis intentione vnum Deum conspice, non homines, non terram, sed cœlum, & lucris spiritualibus faciendis te committe. Hinc lucem capit illud Prou.30. vbi de muliere forti dicitur. *Quæsiuit lanam, & linum. & operata est consilio manuum suarum. Facta est, quasi nauis institoris de longè portans panem suum.* Ecce vobis fortis mulier dedita negotiationi, dedita lucris, nullis operibus parcens, à nullis ventorum sibilis sibi timens. Et cur non timeat à vanitatis ventis? Cur non magis opera sua tegat? Iam dixit: *Facta est quasi nauis*, secreto cordis motu cœleste solum sydus spectans, sic suos cursus dirigit, vt non solum sibi à ventis non timeat, quin potius ipsis ventis abutitur, vt viam suam felicius in portum insinuat. Non multum abest Glossa sic præsentem locum edisserens. *Sancta anima quasi nauis institoris transit desiderio fluctus sæculi, sola quæ in cælis sperat gaudia, meditatur æterna, quidquid occurrit aduersi, superare contendit.* Dum enim æterna sola spectat, non abstinet à via metu reflantium ventorum, imo illos superare contendit, vt negotietur.

Chrysol. [margin, beside "plateis postulauit. Pulcrè D.Chrysol."]
Prou.30. [margin, beside "te committe. Hinc lucem capit illud Prou.30."]

CAPVT V.

De decem leprosis à Christo Domino sanatis.

A SAMARITIS repulsus Dominus, vt meminit Luc. cap. 19. & à Iudæis mille affectus iniuriis, adhuc non cessat percurrere Samariam, & Iudæam pertransiens benefaciendo. Nouerant id decem viri leprosi, qui ab hominum conuictu de more ablegati transeunti Domino quoddam oppidum siue castellum, à longè occurrentes, sanitatem deprecabantur. Quos iubet Iesus, vt confestim se sistant Sacerdotibus, etenim penes sacerdotes erat iudicium de his, qui lepra mundatos se prædicabant. Igitur hi eam de Iesu conceperant opinionem, qua adhuc lepra affecti audent ad Sacerdotes quasi sani properare. Nec fefellit eos sua opinio, quando euntes se experiuntur mundatos. Inter decem vnus Samaritanus erat, qui de munditie exultans statim ad Iesum rediit, immortales illi referens gratias. Ad hæc Iesus sociorum ingratitudinem carpit, fidelem Samaritam recipit, eiúsque fidei à se concessam attribuit sanitatem.

Ex Luc. cap. 17. Et factum est, dum iret Iesus in Ierusalem, transibat per mediam Samariam, & Galilæam. Et cùm ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longè: & leuauerunt vocem, dicentes: Iesu præceptor, miserere nostri.

§. I.

Ille sis, qui duro insudans labori, felleisque curis confractus, dulcedinem aliis noueris manare.

QVam pauci sunt, quorum dulcedinis non siccetur fons inter amaras vitæ curas à duris laboribus exagitari. Cur ficus laboriosum ligni imperium non accipit sibi oblatum?

Iudic. 9. oblatum? Sic illa inquit Iudic. 9. *Nunquid possum deserere dulcedinem meam, fructúsque suauissimos, & ire vt inter cætera ligna promouear?* Et si melleus sit, & si ingenti madidus suauitate, vbi humeros oneri subdis, vbi mordendi cura pungeris, vbi laboriosam viam arripis, eu, in quantam amaritudinem mutaueris? Deseritur dulcedo, siccatur suauitas, vbi subitur labor, vbi sub amaricantibus gemitur aquis, vbi ligni regno insudatur. Hæc indita fuit hominibus conditio à ficu illa, ad quam Dei profugi confugerunt; vtinam non ad ficum, sed ad vitæ arborem irent, quam longè aliam conditionem caperent, qua summis etiam exasperati laboribus sciuerint dulcedinem exundare. Ecce tibi arbor vitæ Iesu, mediis curis laborans; non dulcedinem deserit, imo quando longis itineribus frangitur, quando Ierosolymam durissimi ligni imperium humeris subiturus pergit, tunc dulcior, & suauior, tunc dulcedinem manat, qua languidi, & leprosi recreantur. Felix eris quisquis hanc Iesu ebiberis conditionem, vt labori incumbas, & dulcis maneas aliis, & suauis. Sanè docens Dominus Abrahamum, quod
Genes. 15. sibi sacrificium pergratum existeret, ait Gen. 15. *Sume mihi*
Richard. Vict. *vaccam triennem, & capram trimem, &c.* Quod meditatus Richard. Victorinus tract. de dif. sacrif. Dauid, & Habr. acute inquiric. *Quid, quæso est, quod Dominus à summo Patriarcha non bouem, sed vaccam quærit?* Gratior masculus esse debuisset, gratior enim extitit aries, gratior agnus, gratior vitulus. Cur modo reiecto masculo in vna vacca complacet Dominus sibi? Scimus, ait ille. de boue, quod iugum portare potest, lac autem dare non potest. Contingit vero vaccam vtrumque facere, & lac dare, & iugum Domini sui portare. *O quale sacrificium, & obedientiæ iugum humiliter portare, & inter qualibet obedientiæ ardua cordis dulcedinem seruare: & nihil aliud quam lacteum dulcorem per verba distillare!* Qui etiam sub iugi onere pressus dulcedinem stillat, simúlque & iugum, & vbera amplectitur, doctus diligere trituram, & suauitatem manare, is gratissimum Deo extitit sacrificium. Non absque mysterio apud Luc. cap. 19. notatur ex nomine, arbor, quæ Zachæum Domino commendauit, etenim ait, *& præcurrens ascendit in arborem Sycomoram.* Cuius naturam arboris D. Basil. ait in cap. 9. Isaiæ Sycomorus arbor est supra modum fructuum vbertate redundans, qui nullius qualitatis obtinent dispositionem, nisi siquis eos fructus punctim vellicando, qualemcumque succum ex ipsis exprimat, qui gustum suauitate oblectet. *Vnde, & opinamur hanc arborem symbolum præferre eius congregationis, quam si quis acrimonia verbi compungere potuerit, felici immutatione indulcata conuertitur ad resoluendam Deo gratiarum actionem.* Iam non mirabor ampliùs, quod pusillus Zachæus Domino gratiosus extiterit, quem sycomorus sustollebat; arbor inter puncturas dulcescens, quam ea virtus commendabat, qua sub ferientibus loris, sub grauanti iugo pressa, minimè suam dulcedinem desereret, sed tunc dulcior extiterit omnibus,
Iob. 2. & suauior. De bono illo virtutum athleta Iob dicitur cap. 2. quo vlcere percussus, *sedit in sterquilinio.* Septuag. explicatius posuerunt: *Et ipse sedebat in sterquilinio extra ciuitatem.* Cur patientissimus vir extra ciuitatem sedet? Non permittebatur esse, vel in angulo domus, vel in porticu aliquo ciuitatis? Absit: sed qui vlcus suum nouerat, saniémque manantem, & fœtorem plagarum senserat, elegit extra ciuitatem viuere, ne cui posset esse molestus. Sic inter acer-
Origen. bissimos dolores sibi durus, aliis dulcis erat. Orig. lib. 2. in Iob. *Sedebat super aceruum stercoris extra ciuitatem. Non quod habitationem deserere voluerit: sed vt, qui in ciuitate erant, molestiam ingerere non est passus. Sedebat extra ciuitatem, me solum, inquiens, circundant mala mea, mihi soli molesta sunt mea vulnera.* Hunc ebibant affectum sapientes viri, ne malis suis alios opprimant, ne mordicante ipsi affecti humore alios ipsi mordeant, ne suarum asperitatum alios participes esse velint.

§. II.

Omnes, qui Dei viam currunt, salutis brauium obtinebunt, si tamen currunt, nec desistunt.

Ecce vobis decem viri leprosi munditiem obtenturi Christo Domino occurrerunt, & sane felices, qui Domino occurrerunt, nullius vanus cursus extitit, omnes inueniuntur mundati. Hinc pensat Apostolus eorum felicitatem, qui in Euangelij currunt stadio. Sic enim ait 1. ad Co-
Corinth. 9. rinth 9. *Nescitis, quoniam hi, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium? Sic currite, vt comprehendatis.* Expendo, quod omnes moneat: sic currite, vt comprehendatis; non ait, vt comprehendat vnus, sed vt omnes currentes comprehendatis. Sed iam quæris, qua id consequentia dicat Apostolus, nimirum, qui dixerat, quod in stadio omnes currunt, sed vnus accipit brauium? Si ergo ex omnibus vnus accipit, cur monet omnes currere, vt omnes apprehendant? Sanè, & est stadium, in quo ex pluribus currentibus vnius cursus coronatur, quale est rerum mundialium stadium, & est aliud longè præstantius stadium, nimirum, virtutis, in quo omnes, qui currunt, coronam salutis capiunt. Sic in præsenti D. Thom. fatur, com- D. Thom.
parans cursum temporalis brauij, cum Euangelij præmio. *Non sic est de Euangelij præmio, vel de cursus brauio, quia hic vnus accipit brauium, ibi omnes accipere possunt.* Quotquot currunt, obtinent cœleste brauium. Quis cucurrit, & currens perseuerauit, & sine pallio in cœlesti via mansit? Accepto Dominicæ Resurrectionis nuntio, ecce vobis Petrus, & Ioannes ad sepulchrum contendunt; de quibus ait Ioan. Ioan. 20.
cap. 20. *Currebant autem duo simul, & ille alius discipulus præcucurrit citius Petro, & venit primus ad monumentum. Et cum se inclinasset, vidit posita linteamina: non tamen introiuit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & vidit linteamina, &c.* An quia Ioannes præcucurrit, ideò Petrus cursus præmium non habuit? Absit: etsi enim præcucurrit Ioannes, tamen Petrus cucurrit, & nemo, qui in via Dei currit, redit vacuus. Notanter Origen. ait, *Intrat Petrus in monumentum; deinde* Origen.
Ioannes: ac sic ambo currunt, ambo intrant. Non currunt ambo, & vnus intrat, sed quotquot currunt, intrant in Domini gaudia. Vnde D. Augustin. sermon. 97. de diuersis sic August.
monebat. *Vocamur, veniamus, & ne non perueniamus, curramus.* Nemo qui currat, non perueniet, non accipiet coronam. Quò iterum spectat Paulus 1. ad Corinth. 9. *Ego igitur* 1. Cor. 9.
sic curro, non quasi in incertum. Quasi si hoc sit discrimen inter eum, qui currit in Domini stadio, & eum, qui currit in mundi stadio, quod hic non omnes certi de corona currunt, quando vnus solus est illam accepturus; vbi autem quotquot currunt, certi sunt, quod coronam capient. Ita D. Anselm. *Non curro, quasi in incertum, sicut illi, qui currunt* Anselm.
ad sæculare brauium, nec si potuerunt accipere, sunt certi. Nos autem, qui currimus in Dei stadio, etsi præueniamur, tamen certi sumus, quod nisi à cursu desistamus, coronam capiemus spectatam. Ad hæc D. Bernard. sermon. 2. de Natiuit. ait, *Ergo, quia paratæ sunt nuptiæ, & omnis nos curiæ cœlestis frequentia desiderat, & expectat, curramus, non quasi in incertum, curramus desiderijs, & profectu virtutum.* Nulla est incertitudo de præmio, vbi in cursu duras.

§. III.

Ne Deum tibi quasi obligatum expectes, sed eius gratiam inquirere festina.

Ea erat Christi clementia erga infirmos, vt etiam non quærentibus salutem offerret ipse, non tamen ideò hi leprosi pigritant, sed soliciti de salute, cum primum norunt prætergredientem Iesum, ocyssimi aduolant in occursum. Minimè se se de nimia in Deum fiducia falluntur, vt alij plurimi, quos pungit Tertull. lib. de Pœnit. dicens, *Quidam sic opinantur, quasi Deus necesse habebat præstare etiam indignis, quod spopondit, & liberalitatem eius faciunt seruitutem.* Tertull.
Adeò perniciose de Deo miserturo sibi blandiuntur, quasi eum sibi obstrictum, & obligatum habeant, ipséque teneatur eorum placito, & voluntati inseruire. Qua fallaci præsumptione, superuacaneum putant in eius inquirenda gratia insudare, illi quæ clamantes occurrere, sed pigri, & desidiosi degunt, de venia & salute securi. Hos pulchra similitudine monet Psaltes 102. fatus: *Renouabitur, vt aquila iuuentus tua,* nimirum aquila dum senio laborat, pigrósque emittit volatus; ipsa de vita solicita se se renouare curat, & nouas induta plumas aëra tranat, perpetiíque volatu sublimia quæque solicitat. Quem morem meditatus D. Am- Ambros.
bros. lib. de Isaac capit. 3. inquit, *Vnde ad animam dicitur, Renouabitur vt aquila iuuentus tua. Et ideò festinauit ad verbum, & rogat, vt trahatur, ne fortè derelinquatur; quia festinat Dei verbum, & non est alligatum.* Caue veteris aquilæ volatus pigros, quicumque Dei verbum indiges, irreuocabile verbum, etsi benefaciet omnibus, tamen benefaciendo pertransiit, nusquam alligatum est, nusquam subsistit, de renouatæ aquilæ more tibi festinandum est, omníque grauedine deposita curandum, vt festinantem præcurras, vel illi saltem occurras. Capitur, & tenetur Dei verbum aliquando, sed ab ea, quia sciuit lectum dimittere, & per

vicos, & plateas currere, & illi occurrere. Dormiens erat in lecto sponsa, vt placet Aponio & Ludouico Legionensi, Cant. 2. LXX. & Delrio nostro, Cant. 2. & somnians ait iuxta Septuag. *En ipse stat post parietem nostrum, eminens super retia.* Cogita totam sponsæ domum cinctam retibus, & ostia, & fenestræ omnes mille retia prætendebant, adeò, vt nec passerculus possit accedere, quin retibus implicaretur, & teneretur. Nihilominus Dei verbum adest, nec alligatur, nec tenetur, imò super omnia retia eminet superior. Et sane non se patitur illigari Dei verbum dormientibus, & in lecto quiescentibus. Relinquat sponsa lectum, percurrat vicos, & plateas, hac, illacque quærens solicita Dominum, & fallar, nisi Amos 3. eum capiat, teneatque manibus. Huc spectabat illud Amos cap. 3. *Nunquid cadet auis in laqueum terræ absque aucupe?* Insufficientia sunt retia ad aues capiendas, vbi abest diligentia, & solicitudo aucupis. Auceps enim, vt aues capiat, nulli loco, & tempori fidit pro suo arbitratu, nec quasi certam habeat fiduciam, quod aues ad laqueos venturæ sint, ipse domi securus iacet. Imò foras egreditur, occurrit prædæ, passim retia mutat, & alio transfert, prout videt aues frequentius euolare; nec ideò, quod heri hoc in loco cepit multas aues, ideò hodie, & cras pertinaciter eidem loco assidet: scit enim non ibi esse aues alligatas, sed libero frui cœlo, & ad longè remotiora, prout libet, euolare. Sic quisquis Deum spectas, esto auceps, occurre prædæ, volat Dei verbum libero cœlo, nusquam est alligatum, nisi festines occurrere, & quærere, & eius inuestigare volatus, nullum fructum salutis ab eo capies.

§. IV.

Diuinum præceptorem sortiti stultè corporalia meminerunt.

Miraberis immensam Iesu misericordiam se continuisse, & beneficium salutis distulisse, dum istos adhuc lepra affectos ad Sacerdotes remisit. Cuius hoc culpæ supplicium? Sanè hi stultissimi homines diuinum nacti præceptorem, & magistrum, nil de eius doctrina curant, sed toti saluti corporali obtinendæ inhiant, dum dicunt: *Iesu præceptor, miserere nostri.* Præceptorem fatentur, & non doctrinam, sed corpoream flagitant salutem. Pulchrè mone-
Basil. bat virgines D. Basil. lib. de vera virginit. dicens, *Vt is, qui in sole magistrum alloquitur, non magnopere curat intueri vmbram manuum, ipsius motum consequentem, sed totus ex ore præceptoris pendet: ita & virgo nil penitus lineamenta corporea, formosa illa sint, an informia curat, sed illa, & quæ illarum sint irridens, & ad præceptorem, sponsumque suum tota intentione conuersa, hunc semper in luce candidissima per vitæ conuersationem alloquitur.* Par stultitia est, dum sortiris magistrum, & præceptorem diuinum mundialium harum pulchritudinum, seu bonorum meminisse, quam si ad eloquentissimum, dulcissimúmque oratorem in sole verba dantem minimè respiciens, totus solicitus sis in notandis vmbris, quas motu manus, vel corporis depingit. Nonne, qui sic vmbris intentus est, præceptorem offenderet, quonis supplicio dignus? Papæ, ridiculus est, & vt puerulus verberandus, qui præceptorem nactus, in quo summam posset spectare felicitatem, ipse ad illius euadendas spectat vmbras, relictaque vera, & solida gloria, gaudet vmbratili imagine. Hinc cognoscite durissimum verber, quo Salomon à Deo flagellatus est, vt in tantum peccatorum barathrum decideret,
3. Reg. 5. quo dubiam reliquit salutem. 3. Reg. 5. *Apparuit autem Dominus Salomoni per somnium nocte dicens: Postula quod vis, vt dem tibi.* Quid peteret homo à tam potenti datore? Quid spectaret in adeò magnifica oblatione? Spectaret ad veras, & solidas glorias, an ad vmbras gloriæ? Ecce vobis ait Salomon: *Dabis ergo seruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare possit.* Nil malum petit, sed non petit, vt potuit, summum bonum, imò prætermittens veram cœlestis regni gloriam, ad hanc gloriæ temporalis
Rupert. adumbratam imaginem vertit oculos. Accipite Rupert. lib. 4. de vict. 24. *Cum Dominus dixisset illi: Pete quod vis, vt dem tibi, & tanta sibi oblata gratia, possit æternitatem gloriæ cœlestis vna petitione adipisci, quæ summa beatitudo est. Ille temporali gloria delectatus, & apud homines volens haberi gloriosus, leue, seu mediocre bonum petiuit. Dabis, inquiens, seruo tuo cor docile, vt iudicare possit populum tuum. Sed cur non dixit, sicut dixerat pater eius Dauid: Vnam peti à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ? Videlicet, quia cor eius non erat perfectum cum Domino Deo suo.* Merito dimittitur in desideria cordis sui ire, qui tantum muneratorem, tam diuinum præceptorem nactus, non gloriæ veritatem, sed vmbratiles spectauit imagines. Quam aliter Magdalena, quæ nobilioribus Ierosolymæ principibus circumsepta domi sedens, vbi accepit venisse Iesum, nemine salutato, egreditur foras, Ioann. 11. & cecidit ad pedes eius. Cur Maria tam inciuilis fit Ierosolymitanis? Cur non respicis tot Principum personas, sed vniuersos oblita, vni Iesu assides plantis? Equidem vbi præsentem tantum præceptorem nacta est, omnia præteriit humana, & temporalia. D. Basil. Seleuc. Basil. Sel.
serm. 2. de Lazaro, ait, *Præceptore præsente humana omnia posthabuit, totàque in vnum hoc incubuit, vt suus magistro constaret honos.*

§. V.

Plurium concordia in precibus efficacissima ad impetrandum.

Non otiose factum est, vt cum nouem leprosi Iudæi, vnus Samaritanus esset, inter quas gentes consuetudo nulla erat, Ioan. 4. 9. in vnam tamen societatem coiissent: non solum conciliante eos, atque cogente communi morbo, vt Theophylactus, & Euthym. obseruarunt, sed studio etiam coniungente: vt quasi facta manu Christum expugnarent. 1. Machabæorum cap. 3. post ingentem ho- Mach. 3.
stium concursum visum dicitur, *Et congregatus est conuentus, vt essent parati in prælium; & vt orarent, & peterent misericordiam, & miserationes.* Expende illud, *vt essent parati in prælium, & vt orarent:* quippe res videbantur maximè disiunctæ prælium, & oratio; bellicus tumultus, & quies orationis; excursus militum, & humi cubationes orantium. Cur ergo res adeo dissitas simul ponit sapientissimus auctor? Cur conspirationes ad bellum vocat simul conuentus ad orandum? Equidem oratio multorum conuenientium germanissima est bellatrix, imò debellatrix diuinarum misericordiarum. Non resistet Deus oranti in concordia multitudini, sed quasi deuictus adest. Id quod meditatus D. Chrysost. homil. 3. de incomprehensibili Dei natura sic Chrysost.
monet suos, *Cur quoties ad cælestem Imperatorem placandum ire pergitis, vt eius iræ eximatis vniuersos peccatores terræ, omnes dæmone agitatos à flagello liberetis diaboli, foris sedetis, non vniuersi concurritis, & Ecclesiam penetratis, vt Deus vestram reueritus, atque exosculatus concordiam, & illis pœnam dimittat, & vobis peccata absoluat?* Veniunt in præsenti notanda verba illa, nimirum, *Deus reueritus, atque exosculatus concordiam:* solet enim deuictus, & confractus homo victores suos reuereri, & dominantium sibi manus exosculari: sic Deus vnanimi multorum prece expugnatus, quasi deuictus victricem concordiam reueritus, & exosculatus, nil inde negabat. Iudith cap. 4. *Clamauerunt ad Dominum Deum Israël* Iudith 4.
vnanimiter. Vbi merito interlinealis ait: *Quod charitatis vnanimitate petitur, cito impetratur.* Quasi nesciat Deus diu resistere, vbi multitudo concors in oratione clamat. Sic 2. Paralip. cap. 20. piissimus Iosaphat orabat ad Dominum vniuersa eius beneficia memorans, præsentissimam misericordiam postulans. Sed quo in apparatu faciebat? *Omnis verò Iuda stabat coram Domino cum paruulis, & vxoribus, &c.* Quibus clamantibus statim Deus auxiliator venit. Ita notabat Theodoretus citatus in Glossa. *Hæc cum dicerentur à* Theod.
Rege, tota stabat multitudo cum clamore Deo supplicans. Deus autem misericors soluit metum bonorum promissione. Quando multitudini in nomine Domini concordi Deus non annuit? Non est auxiliatus? Ionæ cap. vlt. sic Prophetam trahebat suum in Niniuitarum commoda: *Ego non parcam Niniue ciuitati meæ magnæ, in qua habitant plures centum viginti millia hominum?* Promptissima semper est Dei misericordia ad audiendas suorum orationes, ad ostium domus suæ cubat, vt vel leuiter pulsans exaudiatur: verum cum plures sint, qui in oratione conueniant, tunc mirum est, si se vel paruo temporis contineat Dominus, quin respondeat. Chrysost. homil. 3. de incomprehensibili Dei natura, ait: Chrysost.
Non sine re amplum populi numerum tibi proposuit; sed vt intelligas plurimum eam pollere orationem, quæ cum consensu agitur, & iugi concordia plurium hominum.

Text. Quos vt vidit, dicit: Ite, ostendite vos sacerdotibus.

§. VI.

Qui Christiana via incumbit, quæ sunt illius communia, perficere contendat, nil curans præ illis singularia.

PEnes Sacerdotes erat iudiciũ de lepræ sanitate,& munditie, nemo se mundum profitebatur absque Sacerdotum calculo. Quod vt communissimum in populo erat, sic obseruandum leprosis proponitur à Domino ante sanitatem exhibitam, quasi monens, quam sint amanda, & obseruanda communia quæque his, qui velint Dei inescare voluntatem. Aliquando discipuli, vel nomine Iesu inuocato, dæmonia ab humanis expellebant corporibus, quæ læti Luc. 10. gratia singulari, Luc. 10. sibi apud magistrum congratulantur. Quibus ille ait: *Nolite gaudere super hoc, sed potius gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in cælo.* Vtrumque sanè erat mirandum,& lætitiæ plenum & quod dæmonia exibilarent, & quod nomina in cœlo scripta haberent: cur de vtroque vetantur lætari? Cur non liceat Apostolis gaudere, quod expellant dæmonia,& liceat, quod sint scripti in cœlo? Gregor. Ad hæc D. Gregor. homil. 20. in Ezech. fatur: *Admonentur priuatam lætitiam deponere: de communi autem, & perpetua felicitate gaudere. Non enim omnes electi dæmonia eyciunt, sed electorum omnium nomina cælo tenentur scripta.* Nil cures singularia, sed quæ sunt status communia, ea amplectere, quo Deum maxima afficies voluptate. Non tam respicit Deus ad singularia facinora, quam ad ea, quæ communia Matth. 9. sunt status, quem vnusquisque habet. Matth. 9. dicitur, *Et cum transisset inde Iesus, vidit hominem sedentem in telonio.* Cur vidit hominem? Cur non potius Matthæum? Cur non magis de particulari, quam de communi vocabulo virum Chrysol. notat? Pulchrè D. Chrysolog. serm. 28. *Vidit Deus hominem, scilicet, qualem condiderat suo prototypo, & creatori persimilem.* Hoc gratissimum diuinis oculis accidit, quod commune est omnibus cuiuscumque status: tunc rapis diuinos oculos, cum communibus tui ordinis legibus conformaris. Nec mirum, quod quis adeò placeat diuinis oculis ex communi modo viuendi, quando talis hæc vita communis, & habitus, vnde euanescere posset, non habet. Hinc se commen- Cant. 3. dabat sponsa Cant. 3. *In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea.* In lectulo, ait sponsa, non in arena, non in stadio, non in eremi habitu; sponsis enim communior lectulus, quam arena, quam stadium. Nec solum ait, in lectulo, sed addit, per noctes; vita enim communis sic de multorum similitudine obtenebratur, vt oculos mortalium fugiat, eo securior ad palmam, quo minus eius perfectio pa- Gillibert. tet. Do Gillibertum Abb. serm. 2. in Cantica sic fantem, *In lectulo meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea. Illorum videtur vox ista maximè fratrum, qui & quieti ex solitudine, & quasi perditi, & absconditi sunt à multitudine, habentes in altero lectulum, in altero noctis obscurum. Quodammodo enim absconditur cuiuslibet, quantumlibet excelsa conuersatio, vbi in altitudinem æqualem tota se fratrum numerositas attollit. Iuxta illud Isaiæ cap. 50. Ambulant in tenebris, & non est eis lumen, sed humanæ laudis lumen, vt liberiùs sperent in nomine Domini, & nitantur super Dominum suum, quorum absconditus est vultus eorum.* Et quidem, vbi te communibus tui status regulis tradis, minus vanitatem flabris times, & magis in Dei tui nomine confidis.

§. VII.

Nulli periculo debent sacerdotes parcere pro hominibus saluandis.

EA erat lepra, quæ vel halitu propinquos inficiebat, cui prospiciens periculo lex, ab hominum commercio leprosos arcebat: vni Sacerdotes tenebantur leprosos expectare, vt iudicium ferrent, siue de illorum immunditie, siue sanitate. Quod enim cum hominum salute coniunctum periculum est, minimè à Sacerdote refugiendum, sed subeundum, & amplexandum. Bonus ille pastor Paulus 2. ad 2. Cor. 12. Corinth. 12. aiebat, *Ego autem lubentissimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris.* Superimpendar ipse, ait, hoc est, nulli parcam sumptui post bona omnia consum- Chrysost. pta, se ipsum consumendum tradere est animus. Chrysost. homil. 28. ibi. *Quod dicit, impendar, insinuantis est. Si & ipsam carnem suam insumere oporteat, non parcam propter vestram salutem.* Vbi animarum periclitatur salus, cur metuat pastor sumptibus, quando & vitam propriam debet insume- Bernard. re bonus pastor? Ad hæc D. Bernard. lib. 4. de Consid. ait, *Fuerunt autem, qui se totos ouibus pascendis exponerent, pastoris opere, & nomine gloriantes: nil sibi reputantes indignum, nisi, quod saluti ouium obuiare putarent: non quærentes, quæ sua sunt, sed impendentes. Impendere curam, impendere substantiam, impendere seipsos. Vnde vnus illorum, & ego, ait, superimpendar pro animabus vestris.* Non solum bonorum, sed & sanguinis impensis, & sumptibus tenetur bonus pastor saluti suorum prospicere gregum. Genes. 31. sic officij sui rationem apud socerum Genes. 31. dabat Iacob, *Oues tuæ, & capræ steriles non fuerunt. Arietes gregis tui non comedi, nec captum à bestia ostendi tibi: ego damnum omne reddebam: quidquid furtim peribat, à me exigebas: die, noctúque æstu vrgebat, & gelu, fugiebátque somnum ab oculis meis.* Ad hæc optimi pastoris verba sic de se solicitus aiebat Cellensis Abbas lib. 3. epistol. 1. *Hæc lego, & non* Cellens. *inconsolabiliter inertiam meam lugeo! Vbi namque oues curæ meæ? Vbi capræ non steriles? Vbi Iacob, vbi Abbas tam seruidus redargutor, tam cautus prouisor, tam beneuolus persuasor, tam contra rabiem luporum potens, tam contra morbos sapiens, tam ad æris intemperiem patiens, tam ad latronum insidias prudens, tam fidelis in commisso, tam vigil in custando damno, tam perseuerans in seruitio?* Timeat pastor, qui nihil nouit pati pro gregibus, qui nulli se opposuit lupo, qui nullas vigilias fecit, qui nullam intemperiem, seu iniuriam passus est. Zacharias cap. Zach. 11. 11. *Hæc dicit Dominus Deus: Pasce pecora occisionis, quæ qui possederant, occidebant, & non dolebant: & vendebant ea, dicentes: Benedictus Dominus, diuites facti sumus, & pastores eorum non parcebant eis. Et ego non parcam vltra, &c.* Vbi noster posuit; *Et pastores eorum non parcebant,* ex Septuag. transtu- LXX. lit Nazianzenus Orat. Apolog. vt vniuersos pastores deter- Nazianz. reret; *Et pastores earum nil patiebantur, nec dolebant pro his. Propterea non parcam vltra.* Quasi hoc maximè diuinam irritet iram, quod pastores animarum nihil patiantur, nulli se se damno committant, dolori item nulli, vt gregum suorum saluti prospiciant.

Text. Et factum est dum irent, mundati sunt.

§. VIII.

Firma in Deo fiducia nequit frustrari.

NOn multum itineris conficiunt,& ecce leprosi omnes sani facti sunt; tanta enim eos fiducia in Iesu verbis impleuerat, vt media vix calcata via, iam integram obtinuerint salutem. Fallor si tardior fuerit, & angustior bonorum possessio, quam pes in Domino confidentis. Deut. 11. Deut. 11. *Omnis locus quem calcauerit pes vester, vester erit.* Tam cita bona venient, quàm citus fuerit pes ad illa obtinenda. Sed cuius pes requiritur, nisi pes confidentis. D Bernard. serm. Bernard. 32. in Cant. ait, *Quemcumque locum calcauerit pes vester, vester erit. Magna siquidem fides magna meretur, & quatenus in bonis Domini fiduciæ pedem porrexeris, catenus possidebis.* Nescit fiducia in Deo repulsam pati, imò ipsa sola potest accelerare bonorum exceptionem. Quis sperauit in eo, & fuit confusus? Quis Deo fidit, & non festinanter accepit, quidquid præstolatus est? Dauid vbi in arenam descendit cum Philistæo, ait, 1. Reg. 17. *Ego venio ad te in nomine Domini* 1. Reg. 17. *exercituum Dei agminum Israel, & dabit te Dominus in manu mea, &c.* Quam Deo fidit, qui in limine arenæ iam victoriæ palmam prædicat! Et quidem tantæ fiduciæ vox non poterat non sonare vel ante pugnam victoriam, vt dicat D. Basil. Seleu. orat. 15. *O plenas amoris diuini voces, vel ante vi-* Basil. Seleuc. *ctoriam potitas victoria.* Vox adeò secura de Deo, non poterat non palmam optatam præferre in ipso primo per stadium ingressu: non enim pes ad victoriam velociter currit, quam fidenti in Deo venit felicitatis concupitæ possessio. Propone tibi ob oculos Annam Samuelis matrem, quæ 1. Reg. 1. fiducia plena orationem, & vota fundebat Do- 1. Reg. 1. mino, tanta animi contentione,& affectu, vt ab Heli Sacerdote putaretur ebria. Excusat se nobilis fœmina & ebrietatis notam depellens, orationes suas, & preces Sacerdoti exponit; tum Sacerdos ait: *Vade in pace, & Deus Israel det tibi petitionem tuam.* Quid ais Sacerdos? Audis non ebrietatis ructus, sed humiles preces, sed fide plenas orationes, & iubes, vt abeat, vt ab oratione desistat, & prolem spectet? Cur non magis orare iubes? Cur non consulis precibus ardentius instare, sed mauis, vt oratio cesset? Si ab oratione abeat, in quo accipiet, quod postulat? Abiit ab oratione, sed non à fiducia, qua orabat, & quam tanta comitatur fiducia, etiam dum abeat, accipiat postulata. Pulchrè D. Chrysost. hom. 1. in præsenti fatur. *Consta est obedire* Chrysost.

ſacerdoti,& ab oratione ceſſare. Et vox quidem illi interclusa eſt, ſed non eſt excluſa fiducia. Quid ſi ab oratione abeat, dum fiducia maneat? Oratio ceſſat, ſed abeuntem fiducia comitatur, cui ſine dubio Deus Iſrael petitionem ſuam dabit. Quid aio, petitionem dabit? Satius dixiſſem, quod Deus fidenti petitionem reſtituit; quamtumuis enim currant poſtulata ad hominem Deo fidentem, non poſſunt non tardare. & ius fiduciæ quaſi lædere, dum non præcurrant vocem poſtulantis. Accipite Chryſoſt. ſupra in principio. *Se*, inquit, *ad magnam reſtituit fiduciam, dum è petra quemadmodum infrugifera ſpicam meſſuit comantem.* Expende illúd, *ad magnam ſe reſtituit fiduciam, &c.* Quippe ex quo fidens fuit in Deo, quaſi vis inferebatur fiduciæ, & illi ius aliquod eripiebatur, dum ad prolem Anna non accipiebat fœcunditatem, quæ obtenta fecit ſatis fiduciæ; debitum ius illius celeritate doni reſarciens. quod quaſi læſum erat, dum vel momento poſtulata tardabant. Idem.

Text. Vnus autem ex illis, vt vidit, quia mundatus eſt; regreſſus cum magna voce magnificans Deum. Et cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens. Et hic erat Samaritanus.

§. IX.

Cæcus eſt, quia in acceptis bonis Deum auctorem non vidit.

EX decem, qui munditiem acceperunt, vnus ſolum memoratur vidiſſe, quod mundatus eſt, qui & Deum ſalutis acceptæ Auctorem magnificat. Et merito qui Deum recognoſcit Auctorem, ſolus dicitur vidiſſe ſalutem; excæcatur enim acceptis bonis, qui ſic illis tenetur, vt Deum non meminerit. Matth.2. Magi Ieroſolymam veniunt, natum regem inquirunt, & aiunt, *Vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Non ne ſtellarum cognitioni dediti. ſtellas antea viderant? Quid magnum dicunt, quòd viderint ſtellam eius? Magnum ſanè eſt quod ſtellarum adorator ſtellam videat, nec illam videre poſſet, niſi ea Auctorem eius Deum viderit, quem muneribus ſuis magnificat. Do pulchra verba Chryſologi ſerm. 156. aientis. *Aliquando videt Magus? qui habet ſtellam, non habetur à ſtella: & ſtellam iam non credit eſſe Deum, ſed iudicat eſſe conſeruam, quam cernit ſuis obſequiis mancipatam.* Adorabat Magus ſtellas, earum pulchritudine irretitus, & tunc non videbat ſtellas, quæ illi erant ſcandala, & inſaniæ falſæ. Cum autem non adorator, ſed poſſeſſor fit ſtellæ, & donum, & obſequium illarum ſibi à Deo veniſſe credit tunc videt ſtellas, tunc, cæcitate ablata, claris oculis dicitur ſtellas nouiſſe, & aſpectaſſe. Cæcus es homo, dum bonorum temporalium ſplendore teneris: affectus illi, qui te dimiſſo Deo creaturis ſubiiciunt, qui te in deſideria cordis rapiunt, te protinus excæcant, ne videas, ne cognoſcas ipſa bona, quibus totus inhæres. Quis dicat infinita pene bona illius dititis, cuius Lucas meminit, cap.12. Is ſic tenebatur bonis poſſeſſis, vt nihil amplius videret, imò nec bona ipſa videbat, nec hæredes, qui iam in foribus erant. Etenim ait: *Deſtruam horrea mea. & maiora faciam, & illuc congregabo omnia, quæ nata ſunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, epulare: Dixit autem illi Deus? Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ paraſti cuius erunt?* Ecce vniuerſitas illa bonorum vix erat vnius noctis, & putabatur ab illo, quaſi plurimorum annorum: rurſus nata erant alteri, & miſer ille dicebat ſibi nata fuiſſe; inſuper erant bona corporis, at ille putabat illa animæ pabula. Cur ſic errat? Cur ſic ignorat ſubſtantiam bonorum? Cur non videt, ad quem pertinerent bona illa? Sanè nòn habebat oculos ad videndum, qui in bonis ſuis acceptis nullam mentionem Auctoris Dei faciebat. Ita S. Paulin. ep.31. *Conſumpta iam vita de vitæ apparatibus cogitanti dictum eſt: Stulte, hac nocte expoſtulabitur anima tua: quæ paraſti, cuius erunt? Cui theſaurizant ignorant, quia nolunt intelligere, cui debeant theſauros ſuos: digni, qui neſciant, quo ſucceſſore dimittant; quia neſciunt, quo largitore poſſideant.* Simul coëunt obliuio Auctoris Dei, & cæcitas, ne videatur qualitas temporalium bonorum. Vbi Deum non meminiſti, ſic cæcaberis bonis, vt illorum eſſentiâlem fluxum non videas, vt ſit iam in foribus tuis poſſeſſor alter, nec tamen cernere poſſis illum.

Matth.2. Chryſol. Luc.12. Paulin.

Text. Non ne decem mundati ſunt, & nouem vbi ſunt? Non eſt inuentus, qui rediret, & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena. Et ait illi: Surge, & vade; quia fides tua te ſaluum fecit.

§. X.

Gratiarum actio minus placet Deo, vbi non ab omnibus ſimul exhibetur, qui beneficia receperunt.

TOtus in gratiarum actiones effuſus accedit Samaritanus hic felix, & inuenit Deum excandeſcentem in eos, qui non ſimul ad gratias accedebant. O bone, cur ſic excipis gratum hominem? Sed alii ingrati ſunt, illos corrige, modo huius gratitudini applaude, huic te benignum exhibe, cur te ſeuerum facit aliorum abſentium ingratitudo, & non magis placabilem, & dulcem reddit gratitudo præſentis? Equidem minus Deo placet gratitudo, quæ non habet ſocios omnes eos, qui beneficium acceperunt. Fallor, niſi huc ſpectauit D. Maximus ſerm. 8. de beneficentia, & gratia, vbi ex Plutarcho dicit. *Gratia tanquam Luna, cum plena eſt, & perfecta, tunc pulchra videtur.* Non adeò pulchreſcũt in oculis diuinis gratiarum actiones, quæ per partes fiunt, quæ habent admixtum plurium defectum, illa gratiarum actio Deo acceptior, quæ ab omnibus partibus, ab omnibus participantibus beneficium exhibetur. Daniel. cap.3. de tribus pueris in caminum coniectis notanter dicitur. *Et ambulabant in medio flammæ laudantes Deum, & benedicentes Domino. Stans autem Azarias orauit, &c.* In quibus, vt bene notat Lyra, primo tres ſimul pueri Deum laudant, Deo benedicunt: deinde vnus Azarias ſtans orat. Cur vnus Azarias orat, & non vnus Azarias laudat? Cur ad orandum vnus ſufficere videtur, & non ad laudandum? Azariæ oratio ſatisfactoria erat, ideóque à D. Cypriano, & Paciano vocatur exomologeſis, hoc eſt, pœnitentium oratio, idque demonſtrant ipſius verba dicentis: *Peccauimus. iniquè geſſimus.* Vbi ergo peccatorum, & luctus meminiſſe oportet, vnus Azarias ſufficiebat, qui omnium os eſſet; verum vbi ad gratiarum actiones pro accepto beneficio ventum erat, non vnus, ſed omnes ſimul qui beneficium participarant, in laudes diuinas decantandas perueniunt. Merito D. Bern. ſer.12. in Cant. ſtatuit. *Neque, qui peccatorum recordantur, in vnum habitant, cum quiſque peccata propria lugeat, atque deploret. Qui verè in gratiarum actione verſantur, ſolum Deum intuentur, & cogitant, ac per hoc ipſi verè habitant in vnum.* Vera gratitudo non gaudet ſingularitate, ſed toto conatu procurat, vt copulentur in actione gratiarum, quicumque beneficij acceperunt partem. Non enim adeò gratæ ſunt gratiarũ actiones, niſi beneficij ſociis fiant plenæ. Hinc eſt, quod Noë Geneſ.8. ereptus à diluuio, *ædificauit altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, ac volucribus mundis obtulit holocauſta ſuper altare.* Cur obtulit de cunctis? Non ne ſuffeciſſet, par vitulorum, aut agnorum? Cur neceſſum fuit, vt cuncta animalia munda tam de pecoribus, quam de volucribus holocauſto inſeruirent? Erat holocauſtum hoc gratiarum actio pro accepta ſalute, quam, quia ſimul & homines & animalia acceperant, voluit iuſtus vir, vt aliquis in gratiarum actione requireretur à Deo, quo minus placeret ſacrificiũ. Non longe abeſt ab hac ſententia Rup lib.4.c.27. inquiens. *Holocauſta quæ obtulit Noë Domino. gratiarum actiones fuerunt; ſua præſentia beneficiorum memoriam confitentes, vt diuinum erat. Et quia non ſolum hominem, ſed propter hominem iumentorum quoque; & cunctorum animalium reliquias in eadem arca ſeruauerat, merito illi de cunctis pecoribus & volucribus mundis ſuper altare ab homine offeruntur holocauſta.* Ne ex his, qui participauerunt beneficia, deſideretur vel minimus paſſerculus in actione gratiarum, vt ſic relatæ ſint omni ex parte perfectæ. Cauit hoc diuinus ſpiritus, quando primum canticum pro actione gratiarum inſpirauit. Id fuit Exodi 15. vbi dicitur: *Tunc cecinit Moyſes, & filij Iſrael carmen hoc Domino, & dixerunt: Cantemus Domino. &c.* Non Moyſes ſolus, ſed vniuerſus populus canit, adeò, vt nec infans deſideretur: ſic notat Auguſt. de mirabilibus, cap.21. aiens. *Cuncti ſenes pariter cum pueris, & omnes ætates eodem inſpirati famine vno quaſi ex ore eaſdem concinentes litteras, conſpirarunt in vnum.* Quaſi in hoc eſſet decus gratiarum actionis, ſi nec paruulus deſideraretur eorum, qui beneficia receperũt. Vnde Iudith, quæ ſola in arenam deſcendit, vbi victoriã reportauit, pro gratiarum actione, ait c.13. *Sine pollutione peccati reuocauit me vobis*

D.Max. Dan.3. Cypr. Bernard. Geneſ.8. Rupert. Exod 15. Auguſt.

gaudens

gaudentem in victoria sua, in euasione mea, in liberatione mea. Confitemini illi omnes, quoniam bonus. Omnium petit gratiarum actiones, ne gratitudo sua minus placere posset. Id quod cauit etiam Anna Samuelis mater, quæ eum ob sterilitatem oraret 1. Reg. 1. vt excusaret suspicionem temulentiæ, quod postulabat, reticens, animi sui amatorem Heli Sacerdoti ostendit, cuius compassione tactus Sacerdos ipse, & cum illa, & pro illa simul orauit. Post acceptum orationis pignus, cum primum licuit, grati animi fœmina filium Domino attulit, túncque sic ad Sacerdotem fatur. *Ego sum illa mulier, quæ steti hic orans Dominum. Pro puero isto oraui, & dedit mihi Dominus petitionem meam, &c.* Cur accepto filio tam fuse explicat Sacerdoti postulationes suas, quas antea secretas habuit? Nimirum id eo modo explicat, vt Sacerdos, qui fuerat petitionis socius, esset etiam socius gratitudinis de filio habito, nec deficeret in gratitudine, qui in oratione affuit. Ita D. Chrysost. Hom. 1. in præsenti: *Deo dante quod postularet, tunc demum Dei beneficentiam aperit Sacerdoti, cupiens illum in agendis gratijs habere consortem, quemadmodum prius habuerat in precando.* Sic curet omnes participes beneficij etiam gratiarum actionum esse consortes, quisquis vellet dignas Deo referre gratias.

1. Reg. 1.

Chrysost.

§. XI.

In solis virtutis facinoribus vera laus,

QVid homini commendabilius, quam à se ipso habere, quo cæteros excedat? Sanè mundiales homines de alienis semper extolluntur, solos virtutum studiosos sua commendat. Ait enim: Fides tua te saluum fecit: non ab Indis allata pigmenta; non Arabum medicatæ herbæ, sed quæ in te fides adoleuit, ea tibi salutem acquisiuit. Hinc D. Hier. de Virg. ad Demetriadē sic loquitur. *Habes hic per quæ meritò præponaris alijs, imo & hic magis. Nam corporalis nobilitas atque opulentia tuorum intelliguntur esse, non tuo. In his ergo iure laudanda es: in his merito cæteris præferenda es: quæ nisi ex te, & in te esse non possunt.* Vt nihil magis nostrum Dei munere habemus, quam virtutum opera, quæ ipsi facimus, sic nullum laudis fundamentum præstantius nobis est. Cætera laudum fomenta, aut sors efficit, aut tulit casus, & ideò vanissimus est, qui illis fidit, aut gloriatur, quas ex virtute habes laudes, ita à te sunt, vt sine te nequeant esse. Deut. 10. *Ipse est laus tua, & Deus tuus*: quasi innuat Dei bonitatem erga homines, qui laudum fundamentum, nempe, virtutem voluit esse nostrum. Sese nobis Deus donauit, se nostris actibus inseruit, vt de nobis nasceretur, quo laudari possimus. Quo spectabat Nazian. orat. 1. Apol. dicens, *Summa ac singularis Dei bonitatis argumentum est, facere vt virtus nostra aliqua ex parte sit.* Itaque hoc fecit Deus hominibus magnum, quod Deum suum habeant, quod nimirum virtutem verè suam efficiant; vt sic verum & solidum fundamentum laudis habeant. Id quod explicatius posuit Nazian. Scholiastes Elias Cret. inquiens. *Tam excellens fuit ergo genus humanum Dei benignitas, vt virtutem non beneficio tantum suo hominibus contingere voluerit, verum etiam effecerit, vt ad ipsam adipiscendam ipsi quoque partes suas adiungant: atque ita rerum gestarum laus non tota sit Dei, sed aliqua ex parte hominum.* Et si enim omnes virtutes Deo inspiratori debemus, nihilominus ex Dei munere venit vt etiam ex voluntatis humanæ actione aliquam proprietatem habeamus in illis, qua veræ laudi immortale ponimus fulcrum, vt dicat Prouerb. cap. 10. *Memoria iusti cum laudibus.* Vnde D. Ierony mo in principio dato annuit Bernard. epist. 13. sic ad nobilem virginem fatus. *Proinde benedicta tu in nobilibus, quæ pro gloria certantibus cæteris de contemptu gloriæ gloriosius sublimaris, & sublimius gloriaris. Insignior plane, atque illustrior, quod de paucis facta es, quam quod orta de magnis. Illud namque Dei munere tuum est, hoc tuorum. Porro quod tuum est, tanto carius est, quanto rarius. Nam si in viris virtus, raro est aui in terris, quanto magis in fœmina fragili, & nobili?* Hoc equidem illustrius & laudabilius in nobis est, quod nostrum est, quod de munere Dei à nostra voluntate venit profectum. Quapropter Dauid Psalm. 114. aiebat. *Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me; tribulationem, & dolorem inueni, & nomen Domini inuocabo.* Vide nobilis athletæ præstantiam, non est contentus se inuentum esse a periculis, à doloribus, sed vltra ipse operam dat laboribus inueniendis, & portandis. Cur si à laboribus inuentus est, aliis ipse inueniendis operam dabat? Sanè illos inuitus pati cogebatur, in quo minor erat laus, & ideò ipse voluntarius aliis se tradit, vt ex se habeat fundamentum laudis. D. Basil. ait. *Nihil mediocre se passum dicit, sed ad periculum vsque descensus ad inferos deductum. Num hac semel tulit, de quibus gloriatur? An eadem quidem sæpè, ac inuitus? Nihil autem eorum, quæ inuiti subimus, laudabile est. Sed vide athletæ huius magnanimitatem. Postquam pericula inferni inuenerunt me, tantum abfuit, vt concederem animo, vt multo pluribus perferendis me voluntarium obtulerim. In his, quæ mihi retro contigerunt, pericula inuenerunt me; hic vero tribulationem, & dolorem voluntarius inueni.* Tunc solum contentus cum à mea voluntate habui laudis & gloriæ fundamentum: quia quæ me inuenerant mala, peregrina erant, & non mea erant, sed potius ego eram illorum, ab illis possessus; quæ autem ego inueni, pro voluntate, mea feci.

Hieron.

Deut. 10.

Nazianz.

Prou. 10.

Bernard.

Psal. 114.

Basil.

LIBER DECIMVS, DE COECIS, ET ALIIS MORBORVM GENERIBVS.

NON est animus quotquot curauit morbos Dominus, in præsenti expendere, qui omnem excludunt censum, & plurimi illorum adeò similes sunt, vt ex his, quos illustrabimus, fiant etiam manifesti. Seruaui in finem cæcitatum curationes, vt quæ post resurrectionem mortuorum superiorem teneant locum, & maxime diuinam potestatem in Iesu latentem manifestent. His adduntur varia alia circa infirmos facinora, quæ omnia ex summa breuitate temporis, felicitate, imperio, & modo, quo efficiuntur, diuinitatem Auctoris, natura obstupescente, commendant.

CAPVT I.

De duobus cæcis illuminatis.

DVOS Iesus conspicit viros, amissis luminibus sauciatos, talibus à tergo vocibus deprecantes: Miserere nostri, fili Dauid. Illam scilicet beneficentiam deprecabantur, quæ noctem segregans caliginem, ex cunctis diem vultibus præformauit. Quam tutum est credere quam sanum est in Deo studiosè confidere! Corde si quidem iam videbant, qui Christo gradiente, lucis semitam sentiebant. Tunc oculi mœsta cæcitate compressi, tactu muneris diuino dextráque serenitatis applicita, suis lucernis radiarunt ora videntia.

Matth. 8. Transeunte inde Iesu, secuti sunt eum duo cœci clamantes & dicentes, Miserere nostri, fili Dauid.

§. I.

Prosperitas diuisionem, aduersitas vnitatem, & concordiam parit.

CVm duos audio omnino conformes, & vnanimes post Iesum clamantes, simul scio aliqua illos aduersitate constringi, nouit enim vna aduersitas miseros adunare, & conglutinare, felicitas autem discordiarum & diuisionum mater, omnes socios fastidit, nec vnius consortium patitur. Vide apud Luc. capit. 18. tumentem Pharisæum, quam à se abiiciat vel vnum publicanum, qui fortuito simul ad Deum orabat. Quippè ait fastidiosus ille, *Non sicut cæteri homines, vel vt etiam publicanus hic.* Quid ais homo? Cur tecum orantem publicanum pungis? Cur fastidis vel vnius consortis orationem? Non contenta est ambitio humana, nisi ab omnibus se diuidat, omnes à se ableget. Ait Chrysost. in cat. *Non satiauerat contemptum eius tota humana natura, sed & publicanus aggressus est.* Iam se ab omnibus discreuerat, cum dixit, Non sum sicut cæteri homines, ibi omnes contempserat, sed quia aduertit sibi orationis socium publicanum adesse, non contentus communi omnium reiectione, publicanum aggreditur, vt à se faciat quam longè esse. Humanior sanè est aduersitas, qua intime miselli homines aduniantur, sibique inuicem adhærescunt. Hanc fidelium ex aduersitate vnionem laudabat ille Cant. 4. *Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro.* Commendantur præcipuè dentes ab æqualitate, & stricta inter se vnitione; quæ vnitas tunc maximè cernitur in fidelibus, quando facti oues occisionis stolas suas in sanguine agni dealbant. Quippè oues de lauacro venientes solent frigus metuentes inter se stipari, & corpora corporibus applicare; vt qui de longinquo prospiciat vnum corpus album continuum putet moueri. Sic frigus, sic aduersitas constipat, & vnit inter se oues Christianas. Quò spectauit Zachar. c. 11. fatus. *Et assumam mihi duas virgas, vnam vocaui decorem, alteram vocaui funiculum.* Assentior Cyril. qui in prima virga legem veterem, in altera euangelium intelligit; nec miror, quod euangelium virga vocatur, quãdo Psal. 2. etiam virga ferrea dicitur. Ait enim: *reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.* Meritò virga ferrea, sub qua tot cruces, tot persecutiones, tot lupi insequuntur oues Christi; sed quo ipse plures persecutiones patiuntur, quo pluribus feriuntur virgis, eo magis inter se constipantur, vniuntur. Adeò vt ferrea virga iure possit à Deo vocari funiculus, quia oues Christianas arctissimè facit in vnum constringi. Sic Ioan. 20. *Erant discipuli congregati propter metum Iudæorum*: quippè à Iudæis excitata persecutio Christi discipulos cogebat in vnum; & quo magis furiebat hostium rabies, eo arctiori charitatis vinculo sese constringebant discipuli. Fallar, nisi huc respexerit D. Paul. ad Rom. cap. 16. vbi inquit: *Salutate Andronicum & Iuliam cognatos & concaptiuos meos*; nullibi enim arctioris cognationis vinculum inuenitur, quam illud quod nascitur ex simultanea captiuitate & passione: vt canat Ecclesia de Ioanne & Paulo martyribus, *quos eadem fides & passio verè fecit esse germanos.*

Luc. 18. — Chrysost. — Cant. 4. — Zach. 11. — Psal. 2. — Ioan. 20. — Rom. 16.

§. II.

Quod non vales omnis sapientia creata, Iesu humanitas sola misericordiam persuades Deo seuerissimo.

NObiles oratores cœci hi multa Dei magnalia congerere possent, propter quæ sperarent posse ad misericordiam flecti seueritatem diuinam, sed omnibus aliis dimissis, solum Dauid filium oculis diuinis obiiciunt. Quippe aiunt: *Iesu fili Dauid miserere nobis*: erat etiam Iesus Dauidis parens & Dominus, vt ipse Dauid testatur Psalm. 109. *Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis; donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Ibi Dauidis Dominus dicitur, vbi conculcandi ponuntur inimici: verum cœci hi missa facientes magnalia, nimirum Dominum, potestatem, victorias: id malunt attingere, quod ad blanditias spectat, vt inde flectant, & inclinent ad misericordiam seueritatem diuinam. Hinc aiunt, fili Dauid, miserere nobis, Dauidis filium obiiciunt, qui seuerum cupiunt flectere Dominum & iudicem. Non absimilem rem meminit Saluianus epist. ad Parent. his verbis. *Perorans in Romano foro Seruius Galba, consumptis iam cunctis oratoriæ artis, & ingenij subsidijs, cùm parum se promouisse intellexisset: paruulum, quem secum habebat, Galli clarissimi, & nuper mortui filium, & paruas ante subsellia auditorum indoles suas, in consessu iudicum produxit; quas cum laturi sententiam commendaret, fractæ affectu omnium mentes & inclinatæ sunt.* O quot blanditias in filio Dauidis,

Psal. 109. — Saluian.

quam

quam gratiosas eius indoles nouerunt, qui demissis aliis orationis copiis, & subsidiis, vnum obiiciunt Dauidis filium, quo solo flectere diuinam seueritatem sperant! Sanè ad miserorum leuamen vnus filius hic Dauidis sufficiet.
Isai.9. Notate modo tuta Isai. verba c. 9. *Paruulus natus est nobis, filius datus est nobis, & factus principatus super humerū eius. Et vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi*, &c. Vbi expende, quod id, quod nobis in præsenti datum dicitur, solus est paruulus filius, is natus, & datus est iam nobis: cætera omnia de futuro promittuntur, ait enim non quod vocatus est, sed quod vocabitur admirabilis, Deus fortis, pater futuri sæculi. Enim verò quæ maiestatem sonant, ea potius ad futurum sæculum spectant, vbi omnia ex iustitiæ calculo administrantur: in præsenti autem, quando nobis misericordia diuina, & inclinatio negotianda est, & paruulus & filius Dauid datur nobis, quo vno obiecto Dei misericordiam pulsabimus. Vnde noscens Dominus filij Dauidis sanguinis efficaciam & voces ad extorquendam misericordiam compositas, cauit, ne intra Hierosolymorum ciuitatem pateretur, sed ciuitate relicta pergeret in montem nouus, & verus Isaac sacrificandus.
Leo. Id quod notans D. Leo serm. 10. de Passione fatur. *Eunte itaque dilectissimi, Domino ad locum clarificationis suæ; & misericordia ab impiorum tabernaculis exeunte, vt adimpleretur, quod scriptum est Psalm. 118. Longè est à peccatoribus salus, sequebatur eum multitudo magna.* Quibus id pondero, quod idem fit, quod exeat Iesus ab Hierosolymis, & quod exeat misericordia, & salus, quasi hoc solum sufficeret ad extorquendam misericordiam, & salutem à patre, quod vnus Iesus cerneretur intra illam infelicissimam ciuitatem. Felix ille qui vnum Iesum sibi habere, & acquirere præsumit, qui vnico Iesu contentus est, quia inde & patrem, & omnia patris bona sibi putet donata.
Luc.14. Luc. 14. aiebat Philippus rudis adhuc: *Domine, ostende nobis patrem, & sufficit nobis.* Non ad Patrem solitariè, sed per istum Dauidis filium spectasses, & acceptior esses patri. Dissimula paulisper patrem, adhuc recurre filium, quo solo contentus
Cellens. esto, & omnia habes. Pulchrè Cellens. Abb. lib. 3. epist. 12. ait, *Qui cum Jesum haberent, patrem nihilominus videre cupiebant. Nondum nouerant, quia cui filius non sufficit, nec patrem habere poterit.* Sufficit equidem vnus hic nobilis Dauid filius, vt patri gratiam, & misericordiam persuadeat erga genus humanum, & nobis patrem acquirat, & omnia bona patris.

Matth.9. Cùm autem venisset domum, accesserunt ad eum cœci. Et dicit eis Iesus: Creditis, quia hoc possum facere vobis?

§. III.

Virtutum facinora occultanda sunt.

NOn in via, sed intra domum voluit Dominus oculos duobus his hominibus præstare; vt domus secreto facinora sua aliquo modo regeret, doceretque fidelibus, quam debent omnes splendentis virtutis decora obumbrare. Quod in præsenti notarunt Chrysost. Euthym. Theophyl. Quis iam non discat illustria sua ab oculis mortalium ce-
Psal.6. lare facinora? Psal. 6. *Laboraui in gemitu meo.* Totus gemitibus plenus Deo assistebam, sed id mihi maximum facessebat laborem, vt intra pectora abscondita, & occulta frangerentur dulcia suspiria, ne gemitus foras erumpentes possint
Ephrem. ab hominibus sentiri. Ita D. Ephrem de Pœnit. inquit, *Laboraui in gemitu meo. Cur ita? Vt nullus planè audiat. Nam gemitum prodeuntem retinere negotium facessit.* Hæc cura viri iusti, hic labor, hoc opus sit, vt opera virturum celet, mil-
Iud.16. léque velaminibus occulret. Sanson ille fortissimus Iud. 16. sic explanat virium suarum fundamentum, vnde toties deuastabat inimicos. *Ferrum nunquam ascendit supra caput meum, quia Nazaræus, id est, consecratus Deo sum de vtero matris meæ: si rasum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea.* Itaque tanta vis, & fortitudo inerat Sansoni, à capillis, quanta nulli mortalium vnquam fuit, licet memores fabulosos labores Herculeos. Sed cur sic fortis erat propter Deo consecratos capillos? Quæstionem tractat D. August. serm. 107.
August. quam simul definit, *Quid est, quod & in capillis virtutem Sanson habebat? Et hoc, fratres, diligenter aduertite. Virtutem non habuit in manu, non in pede, non in pectore, non in ipso capite: sed in capillis, in crinibus. Quid sunt capilli, quid comæ. Et nos vidimus, & interrogatus Apostolus respondet nobis: coma velamentum est. Et in velamento Christus habet virtutem.* Ecce vobis vnde Christianæ virtutes vires sumant, nimirum, à velamentis. Quo plus occultæ, quò plus celatæ sint virtutes hominis Christiani, eò plus valentiores ad resistendum hostibus, vno ad hostes funditus exturbandos. Componite modo præceptum Christianū, & Iudith nobile facinus, vt hostiles exercitus expugnaret. Matth. 6. ait Dominus, *Tu autem cum* Matth.6.
ieiunas vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans. Hoc fecit Iudith, ieiuniis enim & tristitia confectam faciem, vt in atenam descendat, lauat & mille lætitiæ ornatibus operit latentem animo mœrorem: sic enim cap. 10. *Factum est autem, cum cessasset clamare ad Dominum, surrexit de loco, in quo iacuerat prostrata ad Dominum, vocauitque Abram suam, & descendens in domum suam, abstulit à se cilicium: & lauit corpus suum, & vnxit se myrto optimo, & discriminauit crinem capitis sui: induit se vestimentis iucunditatis suæ*, &c. Quid plura? Accipite Chrysost. hom. 10. Chrysost.
ex variis in Matth. sic fantem. Sanctissima Iudith cum magno mœrore pro populo esset afflicta, post solemnitatem triduani ieiunij, capite vncto & lota facie ira internæ afflictionis tristitiam texit, vt simulato gaudio lætari hostibus videretur: *ac si dum lætitia vultus ieiunium texit, de hoste triumphum victoriæ reportauit.* Tota ergo vis, & hostium expugnatio à velamento venit, quo sciunt operiri virtutes Christianæ. Quis hostium non vereatur virtutes latentes?
Iob cap. 19. *Fugite ergo à facie gladij*: vbi significantius Septuag. posuere: *cauete & vos à tegmine.* Fortissimus enim est, Iob 19.
& hostilium incursuum detriumphator, quisquis nouit virtutes suas tegere. Pulchrè D. Ambros. lib. 3. offic. cap. 5. post Ambros.
illud fabulosum commentum de Gigæo annulo, quo homo occultabatur, vt quid vellet, faceret impune, sic monet, *Vir iustus non personam suam, indutus annulum, sed vitam suam, Christum indutus abscondat, sicut Apostolus ait Coloss. 3. Quia vita nostra abscondita est cum Christo in Deo. Nemo ergo hic fulgere quærat, nemo sibi arroget, nemo se iactet. Nolebat Christus hic cognosci, nolebat prædicare in Euangelio nomen suum cum in terris versaretur: venit, vt lateret sæculum hoc. Ergo & nos simili modo abscondamus vitam nostram Christi exemplo, fugiamus iactantiam, prædicari non expetamus.* Hæc ille. De hoc etiam infra §. 7. & cap. 2. §. 8. & lib. 12. cap. 4. §. 6.

§. IV.

Iesus in Ecclesiæ domo inuentus salutaris est, non extra.

VAne extra Ecclesiæ domum lumen fidei Christianæ requiris, in domo sua, in Ecclesia sua conueni Christum, & illum experieris salutarem, & de Christianæ fidei radiis micabis. Marc. 4. ascendens Dominus nauiculam post Marc.4.
longos sermones ad turbas factos, petit aliò transferri: tunc, *dimittentes turbas, assumunt eum, ita vt erat in naui.* Meritò non aliter placet Christum assumi, nisi ita vt erat in naui, quia Christus solummodo est accipiendus, vt est in Ecclesia. Id quod notans Chrysol. serm. 21. aiebat, *Lauti fidei est* Chrysol.
ita Christum recipere, vt est, & habetur in naui, hoc est, in Ecclesia. Quis linquat nauim, vt inter fluctuantes hominum mentes, sine spumantes voluptatum appetitus quærat Christum? Ostendunt terrena hominum corda in nouo Euangelio suum Christum; ostendunt & Christum suum bellulini homines, penitus exleges, non aspicio, non fero, nec aliter amo Christum, nisi vt est in Ecclesia. Si extra hanc cœlestem domum, vel pedem exerere debeo, vt Christum inueniam, non amo Christum extra Ecclesiam decumbentem. Luc. 15. dragmam perditam, vt inueniret prudens Luc.15.
fœmina, intra domum se continet, ait enim: *Euerrit domum, & quærit diligenter donec inueniat.* Id quod notans Tert. adhuc Tertull.
sui compos, lib. aduers. Hæret. vbi quærendus Christus sit, docet: *Non apud hæreticos, vbi omnia extranea, & aduersaria nostræ veritati, ad quos vetamur accedere. Quis seruus cibaria ab extraneo, ne dicam ab inimico Domini sui, sperat? Quis miles ab infœderatis, ne dicam ab hostibus regibus, donatiuum, & stipendium capiat, nisi planè desertor, & transfuga & rebellis? Etiam anus illa intra tectum suum dragma requirebat.* Suspectum tibi sit sit extra Ecclesiā aliquid inuenire; vnius Ecclesiæ septa sint tibi præfinita, vt Christum inuenias; huc veni, hanc nauim ingredere, hanc domum intra, ibi accende lucernas, ibi volumina euolue, ibi lætare de Christo inuento. Luc. 2. Luc.2.
parentes Iesum quærunt, & triduum consumunt in quærendo, tandem eum inueniunt: quippe ait, *& inuenerunt illum*

illum in templo sedentem in medio doctorum. Vbi inueniendus erat Iesus, nisi inter Doctores, inter magistros, sapientia plenos? Sed non inter vniuersos Doctores, & magistros inuenitur, nisi inter magistros, & Doctores, qui sedebant in templo, qui erant in Dei Ecclesia. Origen. Ita Origen. homil. 20. *Vbicumque magistri fuerint in medio magistrorum inuenitur Iesus, si tamen magister sedeat in templo, & nunquam egrediatur ex eo.* Doctores extra Ecclesiam positos caue, quorum cathedræ procul dubio sunt pestilentiæ, quæ plenæ mortifero veneno omnia inficiunt, omnia morte replent. Si audisti aliquem à diluuio saluum ex his, qui foris extra arcam manserunt, puta salutem inueniri posse extra Ecclesiam. Verum sicut salus solis illis obtigit, qui intra arcam fuerunt, sic solus ille saluabitur, qui nullo prætextu exierit ab Ecclesia. Non vacat multa in hanc rem congerere, hæc prælibasse Gaudent. sufficiat, quibus fidem astruit D. Gaud. serm. 9. vbi sic fatur, *Periisse constat in illo diluuio omnes ipsius temporis homines, præter eos, qui intra arcam, quæ typum gerebat Ecclesiæ, reperiri meruerunt. Nam similiter etiam nunc omnino salui esse non poterunt, qui ab Apostolica fide, & ab Ecclesia Catholica fuerint alieni. Elaboret ergo omni studio vnusquisque nostrûm permanere in domo Domini exercens opera præcepta gratia congrua.* Hæc ille.

Text. Dicunt ei, Vtique Domine: tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundùm fidem vestram fiat vobis: & aperti sunt oculi eorum.

§. V.

Fides viatorum in cælesti domo parit Dei visionem.

Requiritur in cœcis his fides, vt eisdem conferatur visus, vt hinc meminerimus, quam proprium est fidei viatorum, quod in Dei domo clarissimam gloriæ visionem 2. Cor 4. pariat. Quo spectauit Paul. 2 ad Cor. dicens: *Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illuminatio Euangelij gloriæ Christi.* Hoc sibi asciscunt malum infideles, vt æterna cœcitate pereant. Quando, dum abest fides, non est vnde gloriæ visio censeatur parturiri. Et notanter positum est illud verbum, *fulgeat*, vt expendit Theophylactus, quo denotatur fulgor ille sublustris, & subobscurus Auroræ similis: est enim illuminatio fidei ad gloriam visionis beatificæ, quod Lucifer, siue Aurora ad solem, vt Aurora sublustris dicitur solem parturire, sic subobscurus fidei fulgor parturit visionem beatificam. Cui sensui pul- Chrysost. chrè annuissem, nisi esset mendosa Chrysostomi lectio, quæ in codice Venetiis excuso ad signum Spei anno 1594. sic habet, *Ne illucesceret illis illustratio Solis gloriæ Christi.* Ecce tibi Euangelica fides sic comparetur ad visionis gloriam, vt ad Solem matutinus crepusculus. Non longè abest D. Petrus 1. epist. cap. 1. vbi sic, *Quem cum non videritis, diligitis: in quem nunc quoque non videntes creditis, credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili.* Credentes, ait, non exultatis de præsenti, sed exultabitis de futuro lætitia inenarrabili, nimirum, quæ ex clara Dei visione percipitur. Sic fides parit visionis beatificæ inenarrabilem lætitiam: sic subobscurus nostræ fidei fulgor non sinet nos sub tristissima noctis imagine cæcutire, imo impellet in illam æternitatis diem, qua nobis donetur conspicua Dei visio, Irenæus. & gloriæ Christi. Id quod perpendens D. Iren. lib. 5. cap. 7. ait, *Credentes autem exultabitis gaudio inenarrabili. Facies enim nostra videbit faciem Dei viui, & gaudebit gaudio inenarrabili: videlicet, cum suum videat gaudium.* Facit equidem hoc fulgor fidei, vt annuntiet, imo pariat nobis visionem, in qua & perfectum gaudium consistant, & beatitudo. Vn- August. de August. 2. de Symbol. monebat, *Gaudeamus & nos credendo in eum, quem non videmus, vt securi illum videamus, cum ad ipsum peruenerimus.* Hæc vna nobis cura sit, vt videat in nobis fides, quam sequantur clarissimi illi oculi, qui Psal 44. Deum vident. Sic Psalm. 44. *Audi filia, & vide*, cum dicit audi, fidem commendat, quæ intrat per auditum, sine qua nemo ad visionem venit: impleatur primo fide auditus, & Bernard. consequenter oculi acuentur ad visum. D. Bernard. serm. 41. in Cant. *Audi filia, & vide, videre desideras, sed audi prius, gradus est auditus ad visum. Proinde audi, & inclina aurem tuam, vt per auditus obedientiam peruenias ad gloriam visionis.* Non aliter manantem gaudiis visionem expectes, nisi subdas fidei auditum. Hinc Psal. 50. *Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam*; & mirum est, quod gaudium de auditu speret, qui nouerat plenam saturitatem in visione consistere: etenim aiebat Psalm. *Satiabor, cum apparuerit.* Et quidem Psalm. 36. in visione saturitas est, gaudij est plenitudo, sed quæ pariatur per auditum fidei. Bernard. Bernard. serm. 28 in Cant. *Auditus quæ tulit, reparet visum, quoniam nisi crediderimus, non intelligemus. Ergo auditus ad meritum, visus ad præmium. Vnde propheta: Auditui meo, inquit, dabis gaudium, & lætitiam, quod fidelis retributio auditionis beata visio sit.* Merito datur fidei visio Dei, vt qui sub obscuris fidei carceribus nonit intellectum tenere captiuum, in claritatem visionis exurgat, & de collyrio fidei eam munditiem oculorum accipiat, vt Deum videat. Matth. 5. Beati mundo corde, quo- Matth. 5. niam ipsi Deum videbunt. Sed a quo veniet ista cordis mundities, nisi à fide? Ideò D. Paul. Actor. 15. dicebat, *Et qui* Actor. 15. *nouit corda Deus, testimonium perhibuit, dans illis Spiritum sanctum, sicut & nobis, & nihil discreuit inter nos, & illos, sed purificans corda illorum.* Ecce cordis mundities, quæ Deum videat, venit per fidem.

§. VI.

Dei manus non sinit otiosas esse creaturas, sed eas in opera mouet.

Christi manus, vt tetigit cœcorum oculos, ecce tibi sese aperiunt palpebræ, pupillæ reformantur, & se in lucis negotium accingunt. Odit torporem otij manus diuina, nihilque ab illa dilapsæ creaturæ citius discunt, quam ad opera surgere. Recens natum Adamum audio Dei manibus sublatum in paradisum: ait enim Genesis 2. *Tulit er-* Genes. 2. *go Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis.* Felix homo, qui meruit & tangi, & baiulari manibus diuinis. Et quam virtutem attacto homini prius imprimunt diuinæ manus? Multæ sane impressæ fuerunt animo eius, sed quæ exterius imprimi dicitur, ea est; nimirum, *vt operaretur, & custodiret illum.* Nil enim, quam expulsionem otij a diuina manu ediscunt creaturæ. Huc spectabat S. Bas. Basil. Sel. Seleuc. orat. 12. dicens, *Exundans bonitatis diuinæ opulentia, mox vt creatæ res fuerunt, mouit ad operationem, fecitque creaturarum sua bonitatis instrumentum: propterea hominum manibus terram fecit excoli*, &c. Sic manus diuinæ quamcumque rem tangunt, mouent illam ad operandum. Matth. 4. Matth. 4. dicitur, quod *ductus est Iesus à spiritu in desertum, vt tentaretur à diabolo.* Quippe baptizatum a Ioanne Iesum ducit Spiritus sanctus in desertum, & ad quid ducunt manus diuinæ cœlestem Adamum in desertum? Desertus non admittit culturam paradisus, quia coli petebat: ideo ponitur ibi Adam, & positum ad opus inclinant diuinæ manus. Verum secundus Adam in deserto ponitur, an vt otio indulgeat? Absit; nequeunt enim manus diuinæ aliquem tangere, cui non imprimant ad operationis impulsum. Ponitur ergo Iesus in deserto, vt nobilis athleta in stadio, vt magister in armorum ludo, qui hostiles impetus retundat, & certamina instituat, & de ictibus coronas faciunt parturiri. Huius rationem reddens D. Paschas. lib. 3. in Matth. ait, Paschas. *Nescit enim spiritus sanctus quoscumque possederit, inefficaces atque inexpeditos relinquere: sed prouehit ad certamen, vt post victoriam quicumque ab illo aguntur, per eum Christo conspirati felicius requiescant.* Expende illud, quod nesciat spiritus diuinus, quoscumque attingeret, & possederit, inefficaces, atque inexpeditos relinquere. Imò vix quæuis creatura tactum in se diuinæ manus sentit, & tota ipsa manus fit, vt in operationes exurgat diuinas. Quis non credat aquas vim regenerationis habere, vt quos se in peccatores recipiunt filios Dei factos reparturiant? Sed vnde tantæ operationis virtus aquis potuit infundi? An ex eo, quod semel Iesu tactum præsenserunt in baptismo Ioannis? Accipite D. Anselm. ser. in 3. cap Luc. sic loquentem. *Baptizatus est* Anselm. *Dominus, non ipse aquis mundari, sed ipsas mundare cupiens aquas: quæ abluta per carnem eius, peccati vtique nescient, baptismi ius assumerent, & quod sub lege baptismata nequiuerant contra præuaricationis malum, vim regeneratione sanctificationis conciperent.* Ecce vobis Iesu tactus aquis imprimit eã dispositionem, qua ad tantæ operationis virtutem possint assumi. A Iesu tactu in aquas ea vis descendit, qua eam actiuitatẽ, & efficacitatem possint induere, vt aduersus præuaricationis malum se accingant, & filios Dei parturiant. Nec miror, quod Iesu tactus tantam rebus efficacitatem tribuat, quando vel eius vmbra potest similes virtutes, & efficacias indere. Quam inualidus erat Israel aduersus Philisthæum? Vnius Goliathi voce sic omnes defecerant Israelitæ quasi nulla esset manus, quæ possit illi resistere. Quid tunc? Prodiit in

arenam

arenam adolescens David puer adhuc ætate, exercitio militari tyro, sed brachiatus miles, sed totus manicatus in hostium vindictam. Vnde puero, & tyroni tanta brachia? 1.Reg.17. Vnde tot manus ad victorias? 1.Reg.17. *Erat autem adolescens rufus & pulcher aspectu.* Sanè rosea pulcritudo, purporeus genarum rubor aptior est ad amoris otia, quam ad belli negotia, cur ergo brachiati iuuenis virtutes maluit diuinus auctor à genarum rubore, & pulchritudine commendare? Latebat sub illo purpurascenti splendore sanguis Christi, à Franc. quo Dauidis manus ad prælia docebantur. Sic Francoiius Abb tom 5. de gratia Christi fatus, *Dauid aspectu pulcherrimus, rosea rubore in mysterio sanguinis Christi suffusus, expauescere non nouit populi Dei inimicum.* Vel de mysterio Christi sanguinis perfusus Dauid nullum facinus veretur aggredi, nulli operi magno non applicat manus.

Text. Et comminatus est illis Iesus, dicens: Videte, ne quis sciat.

§. VII.

Non omnibus licet Dei magnalia in se peracta prædicare.

PLacet D. Hilarius, qui ideò putat his hominibus serio impositum fuisse silentium, ne quilibet putaret homo licere sibi Dei magnalia, etiam in se peracta, prædicare. Non equidem cuilibet homini, etsi spectatæ sit virtutis, concedit Dominus publicare reuelata sibi cœlestia arcana. 2.Cor.12. Ecce vobis quid de se Paulus loquatur 2. ad Corinth.12. *Et scio huiusmodi hominem, quoniam raptus est in paradisum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Fiunt Paulo magna, & Indicitur silentiũ ipsi Paulo, reuelantur illi cœlestia arcana: & non datur facultas, qua possit illa populis explicare. Origen. Hinc extollit Orig. fauores diuinus præstitus Ioanni, fatus hom.2. in diuer. *In tertium cœlum raptus, ô vas electionis, audisti verba, quæ non licet homini loqui. Ioannes intimæ veritatis inspicitor vltra omne cœlum, id est, in paradisis paradisorum audiuit vnum verbum, per quod facta sunt omnia, & licuit ei illud verbum dicere, hominibusque prædicare.* Conueniant huc magistri spirituales, & noteot differentiam eorum, quibus Deus se communicat, suáque liberaliter pandit arcana. Non omnibus æqualiter id præstat, sed aliquibus quasi secreto, vt non liceat illis de fauoribus cœlestibus verbum facere sine metu elationis, imo & derelictionis à Deo. His non ab- Isai.24. similis Isaias cap.24. vbi clamat: *Secretum meum mihi, secretum meum mihi.* Id quod etiam Isaias c.16. monebat dicens, *Ini consilium, coge concilium, pone sicut noctem vmbram tuam.* Quid est quod iuberis ponere sicut noctem vmbram tuam? 3.Reg.19. Quæ hæc vmbra? Memior es 3.Reg.19. de Elia quod *obdormiuit in vmbra Iuniperi: & ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: Surge, & comede,* &c. Vmbra ergo hæc, in qua Angelus apparet, & arcana reuelat, abscondenda est, & toto no- Ælred. cturno silentio obnubilanda. Ita D. Ælred. serm.28. ait, *Ini consilium, id est, discretionis disce virtutem, & sic coge concilium, multis videlicet colligens ad salutem, qui cum Elia sub vmbra Iuniperi, angelico delectaris colloquio, vbi omnia opera tua, quasi in nocte celebrantur.* Audiant hæc qui prætextu acquirendæ salutis animarum, fauores sibi à Deo factos publicant; sane minimè permittimur concilium cogere, populos cõgregare ad salutem, nisi vbi vmbra nostra, hoc est cœlestis fauor, & Angelicum colloquium nocturno silentio maneat obnubilatum. Porrò alij sunt, nescio, an in hoc feliciores, quod diuina non secretò patiuntur, sed vt illa ad Dei gloriam publicent: e quibus vnus Ioannes hoc præstantissimum habuit, vt quæcumque arcanissima Dei verba exciperet, possit illa securissimè & felicissimè alloqui & prædicare. Quid plu- Act.7. ra? Do in præsenti re Stephanum, de quo Act.7. *Cum autem esset plenus Spiritu sancto intendens in cœlum vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei. Et ait: Ecce video cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei.* Quis non miretur sanctissimum, humillimúmque virum sic suas reuelationes publicantem? Sic non vereris Stephane, popularibus manifesta tibi arcana patefacere? Is erat Stephanus, cui non secreto Deus magnalia sua pãdebat, sed ita vt ea eloqui pos- August. sit, & securè publicare. D. August. ser.94. de diuers. ait, *Vidit Iesum stantem ad dexteram patris: vidit, vt non taceret. Non tacuit ille, quod vidit, vt perueniret ad eum, quem vidit.* Fiebant hæc Dei magnalia coram Stephano, non vt celarentur, sed potius vt notissima essent popularibus, ideò sanctus vir illa prædicat, imò ex illorum publicatione sibi coronas parat. Magna equidem visio fuit Isa. facta c.6. vbi Deus sublimi Throno eleuatus apparuit inter Seraphinorum cantus. Tunc Isaias ait, *Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labijs ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito, & regem Dominum exercituum vidi oculis meis.* Totus Prophetæ fletus est in eo, quod tantam visionem obtineat, & labia parata ad loquendum non habeat, sed ne sit homo in populo tam puris labiis, vt illam possit euulgare. Sed cur tantopere deflet immunditiem labiorum? Profecto sancti viri in Dei reuelationibus, & visionibus non adeò labia requirunt, non adeò labiorum officia otiosa deflent, plures inuenias, qui fleant habuisse labia, quibus visiones, & reuelationes euulgarunt, quo illis manserunt priuati. Cur ergo Isai. in tanta visione solum deflet, & requirit labiorum officia tam perniciosa sanctis? Præsenserat propheta tantam fieri sibi visionem, vt non taceret, sed vt illam prædicaret. Ideo tanto studio requirit labia.

§. VIII.

Periculosum est, si non vocatus te Apostolicis muneribus ingeras.

NOn simpliciter imposuit Dominus silentium hominibus istis, sed comminatus est eis, si loquerentur, vt innuat, quam timere debet, nec incidat in Dei manus, quisquis non vocatus muneribus Apostolicis se ingerit. Comminatus est eis: quare comminatus? Quale peccatum esset, si hi Dei in se magnalia publicarent? Non ne impune quisque potest diuinæ misericordiæ præco existere? Absit: imò periculosè se quis non vocatus obsequiis diuinis ingerit. D. Paul. ad Rom.12. *Obsecro vos per misericordiam Dei, vt* Rom 12. *exhibeatis corpora vestra, hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* Quod est rationabile obsequium? Ita obsequium præstes Deo, vt possis reddere rationem particularem, cur ad te pertineat tale obsequium præstare. Equidem nõ impune quis se ingerit illis obsequiis Deo præstãdis, quæ ab eo non petuntur, ad quæ ipse minimè deputatur. Pulcrè D. Chrysol. ser.109. fatur. Quantum placet Chrysol. obsequiũ, quod ratione subnixum est: tantũ, quod rationem non habet, exacerbat. Rationabile obseqiũ, quod non præsumptione turbatur, non temeritate confunditur. Ad obsequium regis militantis status cõtremiscit; quia & cauta deuotio præmiũ iustæ remunerationis acquirit, & temeritatis pœnã præsumptrix seruitus non euadit. *Quis non vocatus ad aulæ regis se proripit seruitutem? Quis sine titulo militari militem se ausus est profiteri? Quis sine dignitatis insulis nomen dignitatis inuadit? Et si hæc penes homines solicita, cautáque sunt, si ratione constant, si conualescunt ordine, si tremore seruantur, quanto penes Deum magis cauta est deuotio, magis tremenda seruitus, magis solicitus cultus, vt diuinis ratione præstet obsequium?* Quid pulcrius dici potuit, vt quis caueat obsequium non rationale præstare Deo? Vt quis metuat regi maximo non vocatus adesse, placiturus de munere præsumpto? Hos iustissimos timores illustrant verba illa Esth.c.4. data Mardochæo. *Vade, & con-* Esther 4. *grega omnes Iudæos, quos in Susam reperteris, & orate pro me. Non comedatis, & non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus, & ego cum ancillis meis ieiunabo.* Cur tot preces requiruntur? Cur tot ieiunia indicuntur? An vt damnatus à rege populus absolutionem obtineat, & salutem? Minimè, pro vna tantum Esther tot bonorum operum auxilia petuntur, vt non vocata ingrediens ad regem possit viuere. Sic ipsa post precum, & ieiuniorum postulationes, immediatè subdit: *Et tunc ingrediar ad regem contra legem faciens non vocata, tradénsque me morti, & periculo.* Adeò sibi periculosam putabat Esther ad regẽ non vocata accedere, alioquin illi gratissima: quanto penes Deum magis cautus quis esse debet: quanto magis timere debet sibi, ne pro obsequio præsumpto mortẽ incurrat? Quis neget Ozan cadenti arcæ obsequium præstitisse, sed quanto id fecit malo suo, qui statim vitam amisit? Quam cautus Isaias se diuino obsequio obtulit: cap.6. Isai.6. ait, *Audiui vocem Domini dicentis: Quem mittam? & quis ibit nobis? Et dixi: Ecce ego, mitte me.* Duo quærebat Dominus; primo, quem mitteret: secundo, quis iret: Isaias tamen ad vnum respondens, ait, Ecce mitte me, de cætero omnino silet, non dicit, *& ego ibo.* Cur vt se mittendum offert, non addidit illud, & ego ibo? Sanè cautissimus Propheta ad obsequium diuinum, nihil suum audet offerre, ne executio tanti muneris videatur opus sui arbitrij, sed vnam electionem, & vocationem expectat diuini numinis. D. Basil. in præsenti ait: *Non adiecit, & ego ibo. Siquidem susceptio istius*

Apostolicæ legationis penes nos sita est, & à nostro pendet arbitrio: confirmare autem ad perfectionem, eius est, qui infusione gratiæ nos corroborat. Se ad obsequium paratum ostendit, & mitti, & vocari postulat; paratus munus suscipere. Verum quod ingredietur, aut ibit, id non audet promittere, nolens se de facto ingerere muneri, sed a Deo mittente expectat ingeri. Iuata Apost. ad Hebr. 5. *Non præsumit sibi honorem, nisi à Deo vocatus, vt Aaron*: vt sic Dei iram caueat, qui Oseæ 8. fatur. *Ipsi regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt, & ego non vocaui eos.* Circa quæ verba D. Bernard. de conuers. ad Clericos cap. 27. fatur. *Vnde tantus prælationis ardor? Vnde ambitionis impudentia tanta? vnde vesania tanta præsumptionis humanæ? Audeat ne aliquis vestrum terreni cuiuslibet reguli, non præcipiente, aut etiam prohibente eo occupare ministeria, præripere beneficia, negotia dispensare?*

Hebr 5. — Bernard.

Text. Illi autem exeuntes diffamauerunt eum in tota terra illa.

§. IX.

Gratitudo fortissimus, & vigilantissimus est custos. Vbi de gratiarum actione in Eucharistia.

VRget hos viros hæreticus nescio quis, quod non paruerint Domino serio silentium imponenti, qui religiosius excusantur a D. Chrysost. Beda, & Theophylacto; putarant enim silentium sibi indictum non tam ab imperio obligante, quam à modestia, & humilitate Saluatoris profectum, quod frangunt, non tam, vt non obedirent, quam vt grati essent. Sed otiosæ sunt aliæ rationes defensionis, pro illis viris, pro quibus stat præcelsa animi gratitudo. Quis virtutem illius carpet, aut corrodet, quem defendet gratitudo? Pulchrè D. Paulus ad Coloss. cap. 3. post innumeras congestas virtutes, sic finit. *Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis: & pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua & vocati estis in vno corpore, & grati estote.* Primum omnes virtutum manipulos colligit, & apponit, deinde singulorum vinculum addit charitatem, ne absque vinculo inuenti manipuli, vt paleæ exsufflentur. Denique post ligatos manipulos charitatis vinculis, ne fur rapiat, ne fera corrodat, videte qualem adhibeat in fine custodiam, quippe ait, *& grati estote.* Id quod notans Chrysost. hom. 26. in Matth. dicit. *Optima quippe beneficiorum custos est ipsa memoria beneficiorum, & perpetua gratiarum confessio.* Nullo sic defenduntur in te Dei beneficia profecta, quam si gratitudine custodiantur, murus est gratitudo, quo cinctus à nemine lædi potes. Miraberis, quod putem gratitudinem adeò validum murum, quem nullus incursus hostilis superet? Et vt mirere magis, non tam murum, quam panopliam quandam, seu cassidem putem gratitudinem, qua indutus omnia pericula facile deuinces. Matth. 26. descensurus Iesus in passionis suæ arenam, inter alia humilitatis, & charitatis exempla, quibus nos armari debere docet, ad securitatem de periculis comparandam, hac etiam gratitudinis casside sese armat. *Accipiens enim calicem, gratias egit, & dedit illis.* Expendite illud, gratias egit, quasi ad passionis calicem subeundum, & beneficia diuina conseruanda inter pericula, & incursiones malas securissima custodia, & fortissimum munimentum consistat in actione gratiarum. Ait Franconius Abb. tom. 10. de gratia Christi fatus. *Vbique gratias egit, maximè autem in articulo passionis: vbi quanto magis ex infirmitate sua caro nutat, ac trepidat, tanto magis manu diuinæ consolationis indiget.* Itaque pro confirmatione trepidantis carnis ad pericula, merito confugit ad actionem gratiarum. Potens enim est gratitudo quasi nutantem carnem confirmare, imò penè labentes animos tenere, ne mediis tentationibus & periculis labatur. Nondum finita cœna vltima, cum nondum a mensa Dominus exurgeret, sed adhuc suis manibus escam suæ carnis porrigeret, dicitur de Iuda, Ioann. 13. *Cum ergo accepisset ille bucellam, exiuit continuo.* Nihil moratus est, non gratiarum actionem expectauit, sed bucella in ore posita, exiuit, quo suum miserum exitium præmonstrauit. Chrysostom. homil. de Baptismo Christi: *Quando vltima cœna communicauit Judas nocte illa postrema, cæteris omnibus recumbentibus, ipse se proripiens excessit: illum imitantur & illi, qui ante vltimam gratiarum actionem discedunt. Nisi enim exiisset ille, proditor factus non esset.* Ibi tantus Doctor ponit occasionem tantæ proditionis, tanti lapsus, quod dimissa gratiarum actione excesserit Judas a Christi Domini altari. Potuisset gratiarum actio illum tenere, ne tantum raperetur ad lapsum: potuisset gratiarum actio illum custodire, ne tantis se dederit proditionis laqueis. Verum miser nullas agens gratias, pernix currit ad præcipitium, & pernitior descendit in barathrum. Caueamus & nos quicumque diuina mensa refecti, nihil temporis damus actioni gratiarum, nulla in re tantis beneficiis nos ostendimus gratos. Fallor, si huius gratitudinis defectus non publicant & miseri, & frequentes lapsus. Pulchrè D. Ennodius lib. 5. epist. 10. ait. *Pro impensis gratias non referre, & Deus in carne constitutus exhorruit.*

Coloss 3. — Chrysost. — Matth. 2. — Matth 26. — Francon. — Ioan. 13. — Chrysost. — Ennod.

CAPVT II.

De cæco Bethsaidita.

APVD Bethsaidam offertur cæcus Iesu, qui illum extra populum educens, & sputo, & manus impositione, ea in primis restituit lumina, quibus imperfectè & confusè videat. Qui posset verbulo perfectos oculos restringere, maluit multa facere, vt cæcum curet, & dum curam iterat exsufflata cæcitatis nocte, ab aurora ducit hominem in perfectum diem.

Marc. 8. Veniunt Bethsaidam, & adducunt ei cæcum, & rogabant eum, vt illum tangeret. Et, apprehensa manu cæci, eduxit eum extra vicum.

§. I.

Misericordia Dei, vbi effunditur, nescit vicinos non pertingere.

PErfidia Bethsaiditis iratus Dominus, eorum vicum fugit cæcum curaturus, ne de benignitatis Thesauro aperto, necessum sit aliquid affluere ad indignos. Ita alibi datus D. Leo serm. 10. de passione putat, quod Iesus ideò extra Ierosolymam passus est, ne cum salutiferi sanguinis effunderentur thesauri, propè esset reprobata ciuitas, sed longè esset à tabernaculis peccatorum salus. Misericordia enim Dei, vbi effunditur, nescit non tangere vicinos, multâ licet illi alioquin indignitate repellantur. Mirabar, quas decantet viro bono Psalm. felicitates, quas sic finit. *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum.* Non ait, erit tanquam rosa, nec tanquam oliua, aut quæuis alia pulchra, & formosa arbor in particulari; id quod de se dicebat diuina sapientia Eccles. 24. *Et quasi platanus exaltata sum iuxta aquas.* Cur igitur iustus ille non assimilatur siue platano, siue oliuæ, siue rosarum plantationi, sed tantum dicitur similis ligno plantato secus decursus aquarum? Equidem dummodo diuinis fluentis proximè assistat, non multum est, quod dicatur platanus, aut rosæ plantatio; lignum quodcumque sit, quamuis aridum, & siccum in flores, & in fructus aletur immortales. Quando prosiliens misericordiarum vena vicinam plantationem non tangit? Hinc laudanda Chananææ fœminæ prudentia est, quæ tunc credidit se non posse repulsam pati, cum audit inter filiorum Dei conuiuia, se saltim canem reputari. Matth. 15. *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa dixit: Etiam Domine, & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Prudenter equidem expectauit, nam sicut nequit filiis mensa apponi, ex qua deciduæ micæ non dentur etiam accedentibus canibus: sic nequit misericordia diuina effundi, quin vicinos quosque, & proximos aliquo modo tangat. Pulchrè apud D. Basil. Sel. orat. 20. fatur ipsa fœmina. *Canem vocasti, cum sim familiæ pars, Domini fruar mensa; inter filios partem micarum adipiscitur canis.* Felix qui vel quasi canis sinitur appropinquare filiorum conuiuiis; non enim adeò parca est Dei manus, quæ dum frangit filiis panem, non sinat & micas prosilire assistentibus canibus. Genes. 8. *Recordatus autem Deus Noe, cunctorumque animantium, & omnium iumentorum, quæ erant cum eo in arca, adduxit spiritum,* &c. Quasi nesciat à Dei manu effundi misericordia super hominem, quæ non pertingat vniuersos illi proximos & vicinos. Hoc diuinæ beneficentiæ ingenium præsenserat peccatrix illa apud Lucam cap. 7. quæ, *vt cognouit,*

Psalm. 1. — Eccles. 24. — Matth. 15. — Basil. Sel. — Genes. 8. — Luc. 7.

quod

quod accumberet Dominus in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum vnguenti, & ſtans retro, &c. Qua fiducia acceſſit peccatrix ad Ieſum menſis accumbentem Simonis Phariſæi? Vnde accedit adeò perdita fœmina à Ieſu ſperare ſalutem? Expende verba, vt cognouit quod Ieſus accūberet in domo Phariſæi; hæc illi extitit cauſa fiduciæ, quod videret pietatis, & miſericordiæ fontes in domo Simonis pleno amne decurrere, meritò credidit ibi, ſi adeſſet, poſſe ipſam perfundi. Chryſol. Pulchrè D. Chryſol. ſerm. 93. *Inclinem ad miſerandum ſupernam didicit maieſtatem, & ideo credidit, quod eſſet ad veniam ſibi promptus, qui Phariſæi tam promptus venit ad menſam.* Neſcit diuina beneficentia tam anguſto amne diffundi, vt dum ad vnum properat, non aſpergat, & riget quos ibi inuenerit proximos ſibi & vicinos. Felix qui adſit, vbi miſericordiæ diuinæ vena ſeſe alicui pandit, etiam de profilienti, exundantique fluctu fœcundabitur. Felix qui adſit, vbi Dominus conuiuia filiis parat, haud dubium quin de micis cadentibus etiam catellus alatur. Meritò canebat Pſal. 78. Dauid Pſal. 78. *Introeat in conſpectu tuo gemitus compeditorum, ſecundum magnitudinem brachij tui poſſide filios mortificatorum.* Sic pro ſuis orabat; ſic erga ſuos diuinam miſericordiam ſolicitabat, erga ſuos, inquam, qui egebant, qui afflicti erant, & pene enecti à vicinis gentibus. Et quid tunc? *Redde vicinis noſtris ſeptuplum in ſinu eorum.* Redde ſeptuplum, hoc eſt, iuxta D. Brunonem, acceptam exomologeſim, & pœnitentiam veram ſuorum peccatorum. Sed cur non potius petit Dauid vltionem & vaſtationem hoſtium vicinorum? Equidem nouerat Dei miſericordiæ mores, quæ neſcit ad vnum fluere, quin ſupereffluat ad vicina & proxima: ideò & ſi à vicinis percuſſus, petit, vt veniat in auxilium ſuum Dei bonitas, quamuis neceſſum ſit, vt etiam vicini communicent miſericordiæ bonis.

Text. Expuens in oculos impoſitis manibus ſuis interrogabat eum, ſi aliquid videret.

§. II.

A bona lingua ſplendor, & lux oritur.

Chryſol. PVlchrè D. Chryſol. ſerm. 176. hoc Saluatoris facinus expendit, aiens: *Dominico ſputo vacuas oculorum replet lacunas, diuino ore luciferam dat ſaliuam.* Et cur luciferam ſaliuam? Sanè lux & ſplendor legitimæ ſobolis ſunt ortæ à bona lingua, diuinóque ore. Nil bona lingua emittit, nec ipſam ſaliuam ſeu ſputum, in quo lux, & ſplendor non ſit. Ecce vobis vbi pimum Dei lingua ſonuit; vbi primum creatrices omnium voces dedit. Geneſ. 1. ait, *Fiat lux*, non potuit lingua diuina perſonare, quin ſimul lumina offunderet oculis mortalium. Baſil. Sel. Pulcrè notabat D. Baſil. Sel. orat. 1. aiens. *Prima iam vox à Deo mittebatur, & lux naſcebatur.* Quidquid enim lucidum eſt, primum locum obtinet in bona lingua. Hic eſt primus bonæ linguæ iudex, quod lumina fundat. Philip. 2. Ad Philipp. cap. 2. *Inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes.* Quod eſt verbum vitæ? D. Thomas ait, verba vitæ æternæ, à quibus lumina enaſcuntur. Neſcit iuſtì lingua luminis, & claritatis materiam non ſecum verſari. Ecce tibi poſt diluuij caliginem, poſt ſerenatum cœlum mittitur columba Noëmo nuntia ſerenitatis. Geneſ. 8. Ait enim Gen. 8. *At illa venit ad eum ad veſperam portans ramum oliuæ virentibus folijs in ore ſuo.* Et quidem nil aptius oſtendebatur ab ore columbæ, quam oleæ ramus, ſicut nil aptius oſtenditur ab ore iuſti venire, quam materies luminis, & claritatis. Ambroſ. Id quod notans D. Ambroſ. lib. de Noë, & arca cap. 19. ait. *In ore quoque, non fruſtra ramulus oleæ videtur eſſe delatus, eo quod virtus, & ſapientia in ſermone ſui habeat claritatem, & ipſa ſtatim ſpecie lumen eius effulgeat.* Neſcit diſſimulari ſanctitas, dum lingua loquatur, quæ tot faces emittit, quot verba, & quot ſonos dat, tot exerit fomenta luminis, & claritatis. Pſal. 44. De quo loquutus Dauid Pſal. 44. ait. *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis.* Cur linguam comparat ſcribentis calamo? Lingua iuſti lucem parit, ſplendentes emittit ſermones: calamus vero non lucem, ſed atramentum, non ſplendorem, ſed nigredinem promit. Melius ergo ſolari radio, lucenti flammæ lingua compararetur, quam ſcribentis calamo. Sed cum calamo comparat Dauid linguam ſuam calamum, intelligit à fulgenti, & flammanti diuini ſpiritus ſplendore illuſtratum, qui non atramentum, ſed radios, ſed flammas pariat. Baſil. Accinit D. Baſil. in præſenti fatus. *Lingua iuſti, ſpiritu ſancto [illegible] cordis credentium verba inſcribit vitæ æternæ, tincta quidem non atramento, ſed ſpiritu Dei viuentis.* Impiorum linguæ, & ora, more ſepiarum atramentum ſpuunt, quo omnia inficiunt, & proximorum obſcurant famam; verum iuſti lingua, & ſi velut calamus ſit, eſt tamen calamus à Spiritu ſancto motus, à quo nihil in linguam venire poteſt, quod ſplendidum non ſit, & lucidum, vt non ad obſcurandum, ſed ad illuminandum valeat. Huc reſpiciebat ratio reddita à D. Proſpero, cur ſpiritus ſanctus venerit in Proſper. ſpecie linguarum ignearum, nimirum, vt ex ſplendore, lucéque ſermonum cognoſcantur qui à Diuino ſpiritu mouentur, inſpirantur. Sic ille epiſt. ad Demetriadem ait. *Ideo in ſpecie linguarum, & loquelis omnium nationum eos, ſuper quos inſederat, fecit affari: vt dubium non eſſet per ipſius inſpirationem, vtilem affectum, rationabilem ſermonem miniſtrari.* Sed clarius D. Leo ſerm. 1. in Pentecoſt. id docet aiens. Leo. *Ab hoc die ad veteres tenebras abigendas nouæ lucis fulgura coruſcabant cum micantium ſplendore linguarum, & verbum Domini lucidum, & eloquium conciperetur ignitum.* Vbi ſpiritus Domini inhabitat, nihil in lingua videbit, non lucidum, non mille ſplendoribus illuſtratum. Bene inde colligit, qui tenebrarum plagam Ægypto allatam fuiſſe ab iniurio eorum ore, potius quam ab alio ſcelere dicat. Ita D. Alcimus Alcim. lib. 5. de tranſitu maris rubri ait,

——— Tres perdidit iſta
Nocte dies, digna prudens periuria tellus
Quæ Phario regi ſuberat: nec ſenſerat vllas
Sole fruens ſolito plebes Hebræa tenebras.

Itaque tellus periuria, tellus, inquam, os habens periuriis plenum, quid niſi tenebroſum parturiat.

Text. Et aſpiciens ait: Video homines vt arbores ambulantes.

§. III.

Profuſiſſimam Dei miſericordiam creaturarum anguſtiæ coarctant.

MAnum cœli lumina parientem omnia excipiunt huius hominis oculi, & tamen adeo paruo lumine perfunduntur, vt nihil clare, confuſe, & obſcure omnia videant. Quæ luminis parcitas non à diuina manu parata omnes luminis theſauros effundere, ſed ab hominis imperfecta fide proficiſcitur. Quippe creaturarum anguſtiæ profuſiſſimam Dei beneficentiam iam pridem nouerunt reducere ad anguſtias. Memini apud Exod. cap. 16. cœlum manna Exod. 16. pluentem. ibi profuſus cœleſtis panis imber vaſtiſſimam complebat Eremum, ait tamen Moyſes: *Colligat vnuſquiſque ex eo, quantum ſufficit ad veſcendum: Gomor per ſingula capita*, &c. Cœlum immenſe, Moyſes præſcribit panis menſuram. Cur cœli largitatem ad parci Gomor menſuram reducis? Sanè anguſtiæ imperfecti temporis cœleſte donum anguguſtant. Ita D. Baſil. Seleuc. orat. 33. fatus. *Eſcam librans cœlum Iudæis dimittebat, & tempus donum vincebat, at intra modum gratiæ cohibebatur.* Cogitur Dei donum anguſtari, & minui ab anguſta noſtri cordis capacitate: nos ſumus, quo profuſiſſimam Dei miſericordiam cohibemus, ne niſi guttatim ad noſtra pectora proficiſcatur. Vnde Pſalm. 8. ait Pſal. 8. Dominus. *Ego enim ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti; dilata os tuum, & implebo illud.* Non ſiccati ſunt beneficentiæ diuinæ fontes, qui plenis amnibus rigarunt Iſraëlem proficiſcentem ab Ægypto; non arctata eſt manus illa, quæ pluit manna in abundantia, quæ largiſſimos ſciuit bonorum cumulos profundere. Illa ipſa manus, ille ipſe Deus beneficentiſſimus adeſt nobis; quidquid minus ab illo acceperimus, non in eius parcitate, ſed in noſtri cordis conſiſtit anguſto. Noſtra incapacitas vincit donum, & cogit gratiam ad modum cohiberi. O quant creſcunt dona, & gratia diuina, vbi cordis humani campos dilatatos inuenit? D. Hieron. in præſenti. Hieron. *Dilatate ora veſtra, ipſe eſt, & Dominus, & panis. Ipſe hortatur nos, vt comedamus, & ipſe noſter cibus eſt. Quantumcumque dilataberis, tantum accipies. Non eſt igitur in mea poteſtate, ſed in tua eſt. Si volueris, totum me accipies; ſi nolueris, accipe ſaltem partem.* Expēde penes quem ſit poteſtas curtandi, ſiue augendi dona diuina. Non eſt in mea poteſtate, ait Dominus, hoc eſt, in dandis muneribus non ſpecto, quod abſolutè poſſum, ſed quod capiunt creaturæ, quod vult humana voluntas. Quo hæc ſe dilatauerit, eo profuſior veniet ad illam gratia diuina; & ſumus tam miſeri, vt noſtra malitia vincat donum, & ad curtiſſimam menſuram gratiam reducat, Cant. 1. *Oleum effuſum* Cant. 1. *nomem*

nomen tuum: ideò adolescentulæ dilexerunt te. Cur oleum effusum? Cur necessum fuit diuini nominis oleum effuodi, spargi, exinaoiti? Expende insinuatam rationem verbis illis: *Adolescentulo dilexerunt te.* Patuulæ adhuc sponsæ cogebant oleum effundi, & spargi, minimè alioquin illud captoræ. Bernard. Ita D. Bernard. serm. 19. in Cantic. inquit. *Hic fructus, ò sponse, effusi nominis tui, quod propterea adolescentulæ dilexerunt te. Effusum siquidem sentiunt, quod integrum capere non possent: propterea dilexerunt te. Effusio quippe nomen facit capabile, sed adolescentulis duntaxat. Qui capaciores sunt, integro gaudent, effuso non indigent.* Pueritia nostra, imperfectio nostra; aut guttatim spargit, aut omninò exinanit nominis diuini virtutes, & gratias; quo refert Chrysost. Chrysost. præsentia temporis inefficaciam tanti nominis. Ita enim fatur hom. 27. ad pop. *Quare quæso sub Apostolis virtutes edebantur, sub nobis verò nequaquam, cum idem sit Deus, idem nomen? Sed non est par vsus.* Nomen Dei in Apostolico ore mira operabatur dona curationum, dona gratiarum cumulabat, in nostro ore adeò exinanitum est, vt nil horum faciat, quia pueritia nostra, seu imperfectio ooo id paritur.

§. IV.

A Christi rore perfusa mortis caligo virentes præsefert paradisos, vbi mortuorum resurrectio.

ECce tibi Iesu saliua oculorum depellit caliginem, hominésque, vt virentes arbores apparere facit. Quid plura? Dum Christus irroret, reuiuiscent speciosa deserti, & campi replebuntur vbertate, imò ab ipsis cinereis sepul- Isai. 26. chris exurgent florida ligna vitæ. Aiebat Isaias cap. 26. *Interfecti mei resurgent: expergiscimini, & laudate, qui habitatis in puluere: quia ros lucis, ros tuus.* Expendo fundamentum spei resurgentium hominum, nimirum, quia ros lucis, ros tuus; quia irrorans Iesus lucem causat, lucem cœcis infundit, iam nullus sit sepulchralis puluis, qui de tanto rore non germinet ligna vitæ. Pulchrè in præsenti Chrysol. Chrysol. vtrumque coniungens, inquit. *Nemo ergo dubitet diuino imbre tota arefacta mortalia membra posse reuiuiscere: cum videat parua Domini sputi gutta oculos caecitate sopitos subito sic suscitatos in lucem. Exurgent, inquit Isaias, mortui, & resurgent, qui in monumentis sunt. Quomodo? Ros enim, qui à te est, sanitas est illis: quod est pluuia seminis, hoc est, resurrectionis Dominicus imber.* Vidisti à pluuia campos fœcundari, virescere, in plantas, & in arbores ire, sic Christi Domini rore omnia vegeta virtute florent, & arentia hominum ossa conuertuntur in ligna paradisi. Quis non miretur in tenebris, & in regione vmbræ mortis paradisos reflorescere voluptatis? Et facit hoc ros, qui à Iesu venit, qui vt ros lucis est, & tenebras depellit, & lumina creat, & facit, vt post mortis tenebras homines velut arbores floridæ æternúmque virentes appareant. Dabo in præsenti pul- Guarric. cherrima Guarrici verba, qui serm. de scripturæ vtilitate, sic fatur. *Etsi sepulchra in hortis, numquid tamen horti in sepulchris? Ita fortassis; sed in sepulchris iustorum. Ibi plane vernabit gratissima quadam amœnitate sanctorum, verno scilicet illo tempore resurrectionis eorum; cum reflorebit caro eorum, & non solum ossa iusti, sicut herba germinabunt, sed & totus iustus germinabit, sicut lilium, & florebit in æternum ante Dominum.* Ecce tibi in sepulchris hortos: ecce tibi post tenebras, & mortis caliginem hominis velut virentes, floridissimæque arbores ambulantes apparent. Sed cur sic non appareant, quando Christi rore riganturr? Sanè ex quo Christi ros suorum oculos linitur, iam nihil in homine funestum vident, nihil lethale, sed omnia florent, omnia vireot, & sicut lilium florebunt in perpetuas æternitates. Hæc sunt iustorum sepulchra instar hortorum ger- Genes. 35. minantia. Genes. 35. post Rachelis sepulturam celebratam dicitur: *Erexitque Iacob titulum super sepulchrum eius.* Vni Rachelis sepulchro titulus erigitur ex omnibus fœminis, quæ antea decesserant, nimirum quia vna Rachel præ aliis clariùs significat Christi Ecclesiam, in qua sepulchra non luctus, sed trophæos paritura erant. Ita auctor Cat. Græcæ, ait. *Cum plures sanctorum patrum mulieres dormierint, soli Racheli cippus erectus est. Ea enim typum gessit Ecclesiæ, quæ sola victrix trophæum mortis tulit in Christo.* Merito, vbi Christiana sepulchra delineabantur, tituli erigebantur, quibus constaret Christi potentia, quæ abolita morte è sepulchris hortos constitueret, vbi mille germinarentur arborea vitæ.

§. V.

In amicorum morte debemus parare nos ad eandem viam.

HOc primum Dominicus tactus fidelium animis suggerit, vt videant homines non firma radice stare, sed sicut arbores ambulare, & in interitum ire. Non est homo columna in mundo, sed arbor ambulans, & annuis mutationibus subiacens, eóque quisque affectu se componere debet, vt semper sit præcinctus ad vniuersæ carnis viam. Sic de ipso omnium Domino dicitur Psal. 1. *Et erit tanquam* Psalm. 1. *lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum.* Lignum equidem erat Iesus, arbor erat vitæ plantatus secus decursus aquarum, hoc est, iunctus populis concurrentibus in mortem. Sunt hominum vitæ, instar rapidissimi fluctus, qui sese in mortem præcipitant. His accessit Iesus factus arbor vitæ, sed nihilo magis quietior in vita, quam cæteri homines; currebant illi in mortem, currebat hic, & velocissimus alios omnes sequens, & ipse ibat. Ita fatur D. Brun. Bruno. inquiens. *Quamuis Iesus lignum esset vitæ, tamen erat sic conceptus, vt notoram haberet in mortem decurrendi, vt populi: qui aquæ idea dicuntur, quia labiles, & defluentes sunt in mortem, vt aquæ defluunt.* Ambulabat quotidie nobilis arbor vitæ in mortem, noscens naturam humanam defluentem, videns multos singulis momentis effluere, sese ipse accingebat ad similem viam. Non absimilis tanto filio fuit pater Dauid, qui cupiens puerum detinere in vita, mille preces ad Deum fudit, mille vota emisit; sed postquam puerum è vita nouit effluxisse, abstinuit à luctu, lauat faciem, comam pectit; cur hæc facit Dauid? Cur non magis plorat? Cur non magis lamentatur defunctum? Ipse dicit 2. Reg. 12. aiens, 2. Reg. 12. *Ego vadam magis ad eum, ille vero non reuertetur ad me.* Pulchrè egregius Vates definiuit, quid nobis restet faciendum, & meditandum in amicorum morte: nimirum, quod ad illos veniemus cito, quod in eadem sumus via, adeo vt ad illos consequendos debeamus curare accingi. S. Pauli- Paulinus. nus epist. ad Pamachium, inquit, *Docuit Rex Propheta, quam post nostros sollicitudinem debemus induere, videlicet, vt de nostro itinere laboremus.* Hæc sit prima cura, & prima solicitudo nostra in charorum funere, vt ad eandem viam tereodam nos accingamus; vt idem iter mente, & cogitatione arripiamus, vel nos ita geramus, quasi in eodem itinere versemur. Nónne ita se gerebat Abraham in dilectissimæ vxoris funere? Is vbi defunctam vidit coniugem, Genes. 23. Genes. 23. *Surrexit, & adorauit populum terræ, filios videlicet Heth, dixitque ad eos: Si placet animæ vestræ, vt sepeliam mortuum meum, audite me, & intercedite pro me apud Ephron filium Seor, vt det mihi speluncam duplicem, quam habet in extrema parte agri sui.* Cur vocat speluncam duplicem? Placet auctori historiæ scholasticæ, & non displicet Abulensi, duplicem speluncam vocari, quia duos habebat loculos, in quorum altero viri inferretur cadauer. Ergo Abraham in morte vxoris eodem studio, eadem cura parat vxori sepulcrum, & sibi; tam solicitus de suo sepulcro, quam de sepulcro vxoris; vt qui nouerat, quam curreret ad illam.

Text. Deinde iterum imposuit manus super oculos eius, & cœpit videre, & restitutus est: ita vt clarè videret omnia.

§. VI.

Quæ posteriora à Deo veniunt dona, prioribus illustriora sunt.

NOn is est Deus, qui donando defatigetur, & quia multa dederit, iam dona minuat, imò semper augmentum est in donis diuinis, semper quo posteriora, eo illustriora sunt dona diuina. Bis manus oculis hominis imponit infirmi, bis dona tribuit lucis, sed posterius donum, quo clarè omnia videt, longè superat primum. Creator orbis, quantis replet orbem diuitiis? Dat orbi cœlum, & terram, dat lucentia sydera, dat arbores fructiferas, dat viuida animalia, postremo hominem concedit mundo. Cur hominem concedit postremum? Basil. Sel. orat. 2. rationem indi- Basil. Sel. gitat. *Extremus ille quidem fabricatione, verum dignitate primos emicuit. Sic porro diuinæ bonitatis imber dilatus posterioribus donis obscurat priora.* Hæc est diuini sponsi mens, quæ in posterum seruet melius vinum: quæ non deficiat in

in munere; ſed quo poſterius venit à Deo munus, eo largiur fiat. Quid apud Iudæos Salomone ſapientior, & felicior? Quid templo ſanctius, & diuinius? Tamen mentionem ingerens Ieſus de Meſsiæ aduentu, ſeque indigitans ait Matth. 12. *Dico autem vobis, quia templo maior eſt hic.* (Matth. 12.) Sed vnde conuinci poſſent Iudæi, Meſſiam quid auguſtius, & diuinius templo eſſe? Nimirum, quia poſt Salomonem, & templum erat venturus, poſtremáque dona, & maiora, & auguſtiora ſolent eſſe primis. Elegangter D. Irenæus hoc argumentum ediſſerit lib. 4. cap. 22. (Irenæus.) inquiens, *Vnus, & idem Dominus, qui pluſquam templum eſt, & pluſquam Salomon, & pluſquam Ionas, donans hominibus, id eſt, ſuam præſentiam, & reſurrectionem; ſed non Deum immutans, nec alium prædicans patrem, ſed eundem ipſum, qui ſemper habet plura metiri domeſticis, & plura, & maiora donans.* Tam longè abeſt, vt queat exhauriri beneficentia diuina, vt ab vno dono ad alia plura, & maiora exurgat. Sic loquebatur per Nathan ad Dauid. 2. Reg. cap. 12. (2. Reg. 12.) *Ego vnxi te in regem ſuper Iſrael, & ego erui te de manu Saul, & dedi tibi domum Domini tui, & vxores Domini tui in ſinu tuo, dedique tibi domum Iſrael, & Iuda: & ſi parua ſunt iſta, adyciam tibi multo maiora.* Ecce tibi, quæ prima fuerunt a Deo in Dauidem profecta munera, etſi magna, etſi ſplendida, etſi regia, nihilominus adhuc reſtabant alia multo maiora, quæ proculdubio Deus in poſterum largiturus eſſet. Ita Abul. quæſt. 4. in præſenti. (Abulenſ.) *Non ſolum Deus dederat ei illa bona; ſed etiam erat paratus dare alia maiora.* Quando enim ea primis donis non exurgat Dominus ad maiora? Quando non obſcurat prima ſequentibus? Felix es, quiſquis aliquid à Deo recepiſti, aude inde multo maiora, & illuſtriora expectare. Apud Lucam cap. 15. (Luc. 15.) ſub paſtoris parabola, hoc Dei beneficum ingenium depingitur. Quippe ait, *Quis ex vobis homo, qui habet centum oues: & ſi perdiderit vnam ex illis, non ne dimittit nonaginta nouem in deſerto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inueniat eam? Et cum inuenerit eam, imponit in humeros ſuos gaudens, &c.* Suffeciſſet, quod diuinus paſtor ad ouem perditam iret, illiúſque reductionem curaret, ſed qui diues eſt in miſericordia, minimè his contentus conſiſtit; inſuper maiora multò dedit, oui portandæ humeros ſubmittens. Quid miraris? Ea eſt beneficentia Chriſti Domini, quæ dum ſemel incipit, neſcit non creſcere in elargiendo maiora beneficia. Ad quæ pulchrè ſpectabat D. Alcimus lib. 3. (Alcim.) de ſententia Dei, de hac oue, & quæſita, & humeris ſuſcepta ita loquutus:

Sureina ſit, quæ cura ſuit: neque quærere tantum
Illa ſatis cæleſtis habet clementia Chriſti.

Nullo ſatiatur dono exhibito Dei clementia, nec nouit quieſcere, ſemper plura, & maiora propinans.

Text. Et miſit illum in domum ſuam, dicens: Vade in domum tuam, & ſi in vicum introieris, nemini dixeris.

§. VII.

Vaniſſimi hominis eſt de paruis velle æſtimari.

QVi in hominum conſpectu mortuos euocabat in vitam, dum cœcum ſanat, vt alia minoris ponderis patrat facinora, multus eſt in illis occultandis; magnanimi enim, & generoſi eſt cordis, vbi magna efficit, de paruis nolle æſtimari. Vaniſſimus ille Phariſæus, qui tanta iactarat apud Lucam cap. 17. (Luc. 17.) ſic tandem finit. *Non ſum, ſicut cæteri homines, raptores, iniuſti, adulteri: vel vt etiam hic publicanus.* Quid magnum quod vir adeo inſignis, qui tot Deo obſequia exhibita publicabat. vel vno homuncione publicano videretur maior? Cur miſer poſt tot facinora non erubeſciat e vni publicano abſimilem oſtendere? Ea eſt vaniſſimi hominis conditio: quem parua, & minima inflant D. Baſil. Seleu. (Baſil. Sel.) orat. 35. *Vel publicani præſentia rapitur in alimentum ſuperbiæ Phariſæi.* Nihil adeò minimum, & paruulum eſt, quod non auide arripiatur à vaniſſimis hominibus in alimentum vanitatis, & ſuperbiæ ſuæ. Orabat Mardochæus ad Dominum, Eſther 13. (Eſther 13.) dicens, *Scis quia non pro ſuperbia, & contumelia, & aliqua gloria cupiditate fecerim hoc, vt non adorarem Amam ſuperbiſſimum.* Niſi fallar, crediderim nullum alium in ſacra ſcriptura vocatum fuiſſe ſuperbiſſimum. Videbis apud Iudith cap. 4. Holophernum ſuperba iactantem: videbis 4. Reg. 18. (4. Reg. 18.) Rabſacem aduerſus Dei auxilium ſuperbientem, multaque Iſraëlitico populo minantem: videbis apud Danielem 3. in eam ſuperbiam deueniſſe Nabuchodonoſor, vt ſtatuam ſuam auream erigeret populis adorandam. Et inter hos, & alios incredibilis pene ſuperbiæ homines vnus Aman ſuperbiſſimus æſtimatur, & vocatur: an quia maiores in Deum blaſphemias congeſſit? An quia vires ſuas Deo præpoſuit Holopherne audacior? An, quia ſibi aras ſtruxit, ſtatuas erexit Nabuchodonoſore inſanior? Sanè nihil horum dicitur feciſſe, non tantos ſuperbiæ apices attigit, hoc de illo audies celebrari, quod exaltatus inter regni primos, captiui hominis Mardochæi ciuilem adorationem ſic requireret, vt propter illius defectum in nomine Iudæorum genus exarſerit. Et merito, qui inter tot regni decora captiui hominis reuerentiam adeò requirebat ſuperbiſſimus, vaniſſimuſque omnium habebatur. Vaniſſimus enim, & ſuperbiſſimus eſt, qui neſcit contemnere has minutias, & gloriæ paruitates: imò inter magnalia ſuæ ambitionis decora amat de minimis æſtimari, celebrari. Horum vaniſſimum genus carpit Amos capit. 6. fatus, (Amos 6.) *Qui lætamini in nihilo: qui dicitis: Nunquid non in fortitudine noſtra aſſumpſimus nobis cornua?* Ecce tibi quouſque pertingit inſania, vt fortitudinem, & regium ſplẽdorem ſibi adſcribant & hi iam potentes robore Dominico, nihilominus lætantur in nihili vaniſſimis auris.

§. VIII.

Iuſtus celet iuſtitias ſuas.

IVbetur homo, nemini ſalutem oſtendere ſuam, quaſi ei diceretur, ait Hieron. in cat. (Hieron.) *Si in vicum introieris, nemini dixeris, id eſt, cæcitatem vicinis enarra, non virtutem.* Quippe hoc eſt iuſtorum inſigne, quod multi ſint in virtutibus ſuis minuendis, celandis. Matth. 25. (Matth. 25.) iuſti vbi ſua opera audiunt a ſummo iudice duplicata, ſic mirabundi loquuntur. *Quando te vidimus eſurientem, & cibauimus, aut ſitientem, & potauimus, aut nudum, & veſtiuimus, aut peregrinum, & collegimus?* Sic per ſingula diſcurrunt opera, & ſingula quaſi refutare, & occultare nituntur. Id quod notat Orig. homil. 24. (Origen.) in Matth. aiens, *Sed & iuſti immorantur in vnoquoque verbo dicentes. Quando te vidimus eſurientem, & cibauimus, aut ſitientem, & potauimus, aut nudum, & veſtiuimus, aut peregrinum, & collegimus? Quoniam proprium eſt iuſtorum beneficia ſua diligenter, & per ſingula refutare cauſa humilitatis.* Hoc propriiſſimum iuſtorum ſtudium eſt, quod ſua occultent facinora; quod virtutes propriæ magis vigeant celatæ, quam in ore hominum floreant commendatione ſublimes. Aiebat illa Cant. 3. (Cant. 3.) *In lectulo meo per noctes quæſiui, quem diligit anima mea.* Ecce quo tempore quærit, vt poſſit inuenire Deum, per noctes, inquit; per noctes quærit illa, quæ Cant. 1. (Cant. 1.) ardenter clamabat: *Indica mihi, vbi cubes, vbi paſcas in meridie.* Meridianam Dei cubationem ſcire cupiẽs per noctes quærit; ſed per noctes quærens offendet diuini meridiei lucem. Cooperatur plane ad lucidam ſponſi accubationem inueniendam ſecretum noctis, quo ſe, & ſtudium ſuum, & opera ſua quis obtenebrat, ne videatur ab hominibus. Pſalm. 138. (Pſal. 138.) *Nox illuminatio mea in delicijs meis.* Et quando hæc nox non traxit nox in meridianam lucem? In illa ſe ambulaſſe vt Deum quæreret, faſſus Hieron. cap. 17. (Hieron.) ait, *Et diem hominis non deſideraui, tu ſcis.* Ecce tibi modo dies diei contrarius, & nox diei amica, vt inueniant cubantẽ in meridie, fugiunt diem homines, & ſe ſe nocti tradũt, cuius ſecreto tecti, & celati feruntur in lucem. Huc ſpectat Gillib. Abb. ſerm. in Cant. (Gillib.) *Miraris, quod bona nox, & dies malus? Diem hominis, inquit Propheta, non concupiui. Neſcio, quo pacto ſibi aduerſantur, & alterutro ſe obſcurant dies Domini, & dies hominis. Siquidem, dum alter exoritur, alter reconditur. Diem, inquit, hominis non concupiui, hoc eſt humanum fauorem, hominum gloriam, & inter reliquos, imo præ reliquis ſpectabilis videri.* Rectè hanc diem Propheta abiurat. Melior ergo hæc nox die. Omnes ſuperat dies illa nox, qua ſe quis ab hominum oculis ſubducit, qua hominum oculos. & laudes fugit. De hoc ſupra cap. 1. §. 3. 7. & lib. 12. cap. 4. §. 6.

CAPVT III.

De cœco nato.

PERTRANSIENS Dominus cœcum conſpicit naturalem, qui miſeræ matris ea vtero in lucem, ſine luce peruenit. Tunc humani ſator principij, ſui oris ſabrica non paſſus eſt, vt iaceret in tenebris, ſed lutum diuina aſperſum ſaliua adhibens, quaſi de adhibito oleo lumina accendit. Nec prius tamen ille ſumpſit aſpe-

ctum, quam Domini præceptis admonitus Siloe salubrem venisset ad laticem, & totos consanguinei medicamento iam luti vnda oculos habuisset infusa. Mox itaque sanis ex vultibus acies gemellæ fulserunt, dignæ conspicere, quem prorsus ignotum habuerunt primitus diem. Proh lumina, cœco nato exhibuistis lucem, sed inuidis Iudæis ministratis ignem!

Ioann. 9. Et prætereiens Iesus vidit hominem cœcum à natiuitate.

§. I.

Gratuitum Dei munus est perfecta corporis species humana. vnde, quod pulchritudo non causet peccatum.

NOn casu, sed attenta diligētia coniecit Dominus oculos in cæcum natum quasi quid ibi notarit, animóque voluerit. Et quid notaru in cæco nato speciosus forma præ filiis hominum? Crediderim id nobis voluisse maximè prænotari, nimirum, vniuersam speciositatem, non homini adnatam necessario, sed gratuito Dei munere ad nos dilabi. Ecce (sic diceret) homo sine oculis nascitur, vel sine mente, vel defectibus aliis, ne quis putet naturæ deberi suæ, quod speciosus, quod ingeniosus sit, sed id gratuito Dei muneri acceptum habeat. Similiter Adamus creatur à Deo finius extra paradisum, ne cum pulcherrimam illam paradisi possessionem frueretur, putaret sibi à natura debitam, Basil. Sel. sed potius illam Deo referret acceptam. Ita D. Basil. Seleu. orat. 2. rationem reddit, cur homo extra pulchritudinem paradisi creatus sit, scilicet: *Ne cognationi naturæ donum adscriberet, quia gratuitæ patuit munificentia.* Si plures homines nascuntur deformes, orbati oculis & mentis, & corporis, ne cognationi naturæ ascribamus vtriusque hominis pulchritudinem, & decorem. Sed illam acceptam referamus crea- Sap. 13. tori: dicamusque cum Sap. cap. 13. *Species enim generator hæc omnia constituit.* Et quidem nulla species, nulla pulchritudo est, quæ Deum non clamet suum progenitorem. Vnde me- August. ritò D. August. serm. 143. de tempore, ait. Interroga pulchritudinem terræ, interroga pulchritudinem maris, interroga pulchritudinem dilatati, & diffusi aeris, interroga pulchritudinem cœli: interroga ordinem syderum, interroga Solem fulgore suo diem clarificantem, interroga Lunam fulgore suo sequentis noctis tenebras temperantem: interroga animalia, quæ mouentur in aquis, in terris, quæ volant in aere, latentes animas, perspicua corpora, visibilia regenda, inuisibiles regendas: interroga ista. *Respondent tibi omnia: Ecce vide pulchra sumus, pulchritudo eorum, confessio eorum est. Ista pulchra mutabilia quis fecit, nisi incommutabilis pulcer in se ipso?* Quidquid pulchritudinis venit ad creaturas, ab illo summo bono, & pulchro Deo dilapsum venit, illique soli debet referri, cui soli est essentiale, cum nobis sit accidens, Dionys. Areopag. vt D. Dionysius Areopag. notat lib. 4. de diuinis nominibus, part. 1. vnde nemo sui lapsus vocet in culpam pulchritudinem, quæ cum gratuitæ beneficentiæ diuinæ sit opus, nisi Genes. 6. ex nostra abusione, nunquam esset causa peccati. Genes. 6. *Videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt* Chrysost. *vxores sibi.* Ad quæ verba D. Chrysost. homil. 3. in 6. Isaiæ caput, ait, *Quid igitur? Num pulchritudo causa est peccati? Absit. Est enim diuinæ sapientiæ, apud autem Deus nunquam possit esse causa peccati.* Non pulchritudine, quæ a Deo venit, sed in Iudith 10. prauitate videntium laqueus est. Iudith 10. *Cui etiam Dominus contulit splendorem; quoniam omnis ista compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat, ideò Dominus hanc in illam pulchritudinem amplianit, vt incomparabili decore omnium oculis appareret.* Ecce tibi totam hanc pulchritudinis segetem à Deo datam, sed datam, vt peccatum causaret? Absit: Iudith 9. expende verba Iudith orantis, cap. 9. *Capiatur laqueo oculorum suorum in me, & percuties eum ex labiis charitatis meæ.* Nō dubitat linguæ suæ attribuere Holophernis flagellum; at pulchritudini suæ nullum tribuit malum, sed totum illud male aspicientis oculis attribuit, quando pulchritudo in nullius perniciem, sed in auctoris laudem ordinatur. Chrysost. Chrysost. in Psalm. 43. *Formam eo vsque mirare, vt gloria, & honore afficias artificem, vlterius autem ne progrediaris, animi perturbationem excitans. Pulchrum opus. Is ergo, qui fecit est adorandus, non contumelia, & probra afficiendus.* Hoc in singulis pulchritudo clamat, vtpote Dei donum, licet ex infimis donorum gradibus.

Text. Et interrogauerunt eum discipuli eius: Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cœcus nasceretur? Respondit Iesus: Neque hic peccauit, nec parentes eius, sed vt manifestentur opera Dei in illo.

§. II.

Non est diuinæ benignitatis supplicium inferre, an peccatum.

NOn quærebant discipuli, an homo ille peccauerit ante cæcitatem, quem cœcum natum sciebat, sed, vt probabiliter putat Leontius, quærebant, an ideò cœcitatem illi intulerit Deus, quia prænidit postea inficiendum esse peccatis. Quod non solem discipulis, sed & multis post doctioribus quæstionem fecit asserentibus sæpe infantes male perire, quia adulti peccaturi præuidebantur. Sed absit hoc à diuina bonitate, quod supplicia præueniant peccatum. Equidem præsciebat Deus Adæ peccatum, & tamen illum in paradiso constituit. Id quod notans Theodoretus, Theodor. ait: *Qua de causa Deus hominem in paradiso posuit, cum paulò post inde esset eum ex paradiso expulsurus? Primum quidem, quia Deus neminem ex præscientia damnat. Sed postea quam peccauerit.* Quis crederet Deum adeò procliuem in suppliciū, vt ante ab eo infligeretur verber, quam peccatum existeret? Antea pœna veniret, quam oriretur culpa? Imò potius is est Deus, qui nesciat offendi, nec irasci nisi tunc cum existentia iam peccata illum cogant in supplicium venire. Non ne Saulem beneficiis cumulauit? Non ne eundem regno honestauit? Cur tanta congerit beneficia in hominem, quem sciat rebellem sibi futurum? Eucherius respondet in quæstione ve- Eucher. teris testamenti. *Quia Deus incorruptum iudicium ex æquitate depromit, non ex præscientia eligit: quempiam cum meretur reprobat, cum electione indignus efficitur. Cæterum nequaquam conuenire sacrosanctæ veritati. rectitudinique eius videbatur, vt peccatum offensa præcederet.* Indigna prorsus Deo est tam antelucana peccatorum damnatio: aiebat crudelis Pharao, Exodi 1. *Quando obstetricabitis Hebræas, & partus tempus aduenerit:* Exod. 1. *si masculus fuerit, interficite eum.* Hoc crudelissimi regis iudicium est. quod præcedit reorum natiuitatem, de quo eleganter D. Augustin. serm. 80. de temp. ait: *O prodiga furoris* August. *audacia. Nec dum nato pœna mandatur, & ante principium vitæ periculum concitatur. Cohibe nefarie homo, insaniam tuam, quos nec dum vides existentes insequeris. Quid scelestissime? Nondum natos occidis? Seruet ordinem seritas tua, nascantur ante, quos punias.* Quid pulchrius? Hic est ordo punitionis, vel à ferociente Principe præstandus, quod prius existat, quod puniendum est. Absit, quod in Deo sit tam prodigus furor, qui in solis crudelitatis apicibus inuenitur. Iudæi tunc, cum ferale cor induunt, sic loquuntur Matth. 27. *Sanguis* Matth 27. *eius super nos, & super filios nostros.* Vbi notanter D. Maximus D. Max. homil. 3. de Pal. inquit, *Crudelis impietas Iudæorum, qua facinore suo non solum præsentes liberos, sed etiam non natos occidit.* Quam crudelis manus, quæ Christi sanguinem iaculat in nondum natos, vt ante damnatio contingat illis, quam culpa! Et putabit non nemo eam esse manum diuinam, a qua damnationis, & punctionis iudicium antea oriatur quam decretum vitæ? Antea verber, & supplicium accedat, quam sciatur, an natus sit verberandus, & an debeat in supplicium ire? Meritò ridet Rupert. lib. 8. de victoria, cap. 11. Rupert. Amani ferocientem animum in Iudæos, qui antequam sciret voluntatem regis circa illorum internecionem, sortem mittit de die, quo melius occiderentur, habes enim Esther 3. *Missa est sors in vrnam coram Aman. quo die, & quo mense* Esther 3. *gens Iudæorum deberet interfici; dixitque Aman regi Assuero: Est populus per omnes prouincias regni tui dispersus, &c.* Prius diem occasionis, & patibuli decernit, & inde vadit expostulaturus regem, de quo præclare conficit Rupert. *Nondum* Rupert. *sciebat stultus, vtrum deberet gens Iudæorum interfici, & forte quærebat, quo die.* Metuo ne huius stultitiæ notam inurat Deo, qui velit ab illo prius damnationem hominis decerni, antequam videat, vtrum nasciturus sit homo qui damnationem incurrat; antea pœnam cæcitatis instituit, quam noscat vtrum oriturus sit, qui debeat peccatis suis cæcus venire in vitam. Hoc Marcionitarum placitum refutat Ter- Tertull. tull. lib. 3. in Marcion. inquiens. Quid faceret creator, ne à Marcionitis reprehenderetur? *Bene adhuc agentes prædamnaret iam propter futura delicta, sed Dei boni non erat nondum merentes prædamnare.*

§. III.

§. III.

Ferè semper mala aliqua praeueniunt peccatum.

REctius dubitare possent discipuli, an tam antelucana hominis cæcitas, anteambulo esset futuri alicuius peccati; solent enim malorum vigiliæ præcedere peccatorum festiuitates. Perpetraturus diabolus nefarium illud scelus, quo Adamum supplantaret, se serpenti immiscuit, & cur superbissimus spiritus passus est validissimi repentis animalis societatem? Regnabat sanè vafer ille per aëra, vt Paulus fatur ad Ephesios 2. *Secundum Principem potestatis aëris huius, spiritus, qui nunc operatur.* Ergo, qui aëris sceptra tenet, cur altiores mentes in se non alit? Cur aquilinis non se se inserit pennis? Cur vocalissimo non miscetur psittaco? Cur rostra canora auium despicit, & sibilos serpentum amat? Cur perpetes ardeæ alas obliuiscitur, vt repter cum turpissimo animali? Sanè vilitas hæc, & abiectio Angeli iam notabat scelus meditatum: iam in tanto dedecore vi-sebantur vigiliæ futuri peccati. Pulchrè D. Basil. Seleu. orat. 3. inquit, *Post aëris vectionem serpentis vector Angelus constituitur; turpi facinori turpiter adrepens. Nam qui Deum offendit, satis ei supplicij est dedecus, vel ante supplicium.* Expende illud, turpi facinori turpiter adrepens, quippè in multas se deiiciunt homines vilitates, & dolores, vt ad peccati alicuius facinus possint peruenire. Quas tenebras, quas fames, quæ vulnera, quæ dedecora non subit homo, vt de voluptatum cæno bibat? Fallor, si aliquod scelus perpetratum est, quod non præcesserint mille laboris, & dedecoris, & tenebrarum vigiliæ. De Achab ante perpetratum scelus, quo vineam Naboth eripuit, quid dicitur? Sic habes 3. Reg. cap. 23. *Turbatus est spiritus eius, & dormiuit in lecto suo, & velauit faciem suam, & non manducauit panem.* Ecce sceleris perpetrandi vigiliæ; ecce quam se deiicit Rex, quam miserè laborat, affligitur, quantis se dat tenebris velans faciem, obcæcans oculos, vt turpi facinori inuigilet. Eleganter D. Ambros. lib. de Nabuthe cap. 4. has Achabi vigilias meditatus, inquit, *Diuites eripitis quidem pauperibus vniuersa: pœnam tamen pauperum vos diuites sustinetis. Illi ieiunant, cum non habent, vos cum habetis. A vobis igitur pœnam exigitis, quam pauperibus erogatis.* Quem non prius pœna torqueat, & labor, quam ipse peccati facinus adimpleat! Quis ante peccati iucunditatem laboriosas non sustinuit vigilias? Actor. cap. 23. dicitur: *Facta autem die collegerunt se quidam ex Iudæis, & deuouerunt se dicentes, Neque manducaturos, neque bibituros, donec Paulum occiderint.* Quasi nesciat venire festum peccati, quin præcedant vigiliæ, quin prius peccatorem opprimat fames, dedecus, & alia mala.

Ad Eph. 2. — *Basil. Sel.* — *3. Reg. 23.* — *Ambrof.* — *Act. 23.*

Text. Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies: venit nox, quando nemo potest operari. Quandiu sum in mundo, lux sum mundi.

§. IV.

Peccatum nox est, & tenebra, in quo nil operaberis saluti æternæ per se aptum.

QVidquid Dei est lucidum est, vndique radiat, splendet; fruentur enim Dei opera perpetuo die, imo ipsa diem efficiunt, & bonos semper dies faciunt videre; sola diaboli operatio tenebrosa est, & hominum peccata longas effingunt tenebras, sic de Ægyptiis diras tenebras sustinentibus loquitur Sap. 17. *Solis autem illis superposita erat grauis nox, imago tenebrarum, quæ superuentura illis erat. Ipsi ergo sibi erant grauiores tenebris.* Quippè dum peccatis obdurabantur, densiorem, & grauiorem caliginem sibi offundebant, quam erat caligo tenebrarum externa. Post primum hominis lapsum auditi sunt gressus Domini, *ambulantis ad auram post meridiem.* vbi Septuag. legunt, *ambulantis ad vesperam.* Ecce post peccatum iam vespera fit, & nox, quia nunquam peccatum sine tenebris. D. Ambros. Psalm. 89. fatur: *Denique in paradiso, vbi semper matutinus erat dies, vesper est factus, quoniam omnia peccata tenebrosa sunt.* Non tantus ab igne fumus, quantæ à peccato prosiliunt tenebræ, quæ & mentis oculos obcæcant, & miseros homines, quasi densa caligine oppressos reddunt ad omnia inefficaces. Quis iam caliginosam peccati faciem non facilè deuitet? Quis non contendat tam atram lucem à se di-mittere? Iob cap. 3. loquens de tempore, in quo sub peccati debito conceptus est, inquit. *Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus desuper, & non illustretur lumine. Obscurent eum tenebræ, & vmbra mortis: occupet eum caligo.* Quibus expendo quot tenebrarum species congerat Iob, quibus offendatur peccati dies. Et tenebras, & carentiam luminis, & vmbram mortis, & caliginem vocat, vt vel tot obscuritatum nominibus ostendat, quam sit omnium tenebrosissimum peccatum, & quam vel à caligine noscendum, & euitandum. Seuerianus in cat. Græca, ait: *Illud ad hanc sententiam Iobi pertinet; vt peccatum per se ipsum quale sit nempè omni priuatum luce, ab hominibus cognoscatur, ne aut insimulatam se se virtutem induat, aut specie quadam lucis rudioribus animis fucum faciat; sed quo cæca eius perspecta caligine vitari facilè possit.* Quippè hoc solum si attendissent homines in peccato, nimirum cœcam eius caliginem, atram faciem, imaginem tenebrarum, quæ superuentura illi sunt, facili negotio peccati laqueos deuitarent. Sed præterquam quod peccati tenebræ omnium obscurissimæ sunt, hoc insuper habent, quod homines, quasi truncos reddunt, vt nihil ad salutem conducens possent operari. Hæc est nox peccati, in qua nemo operari potest, opus nimirum, quod ad salutem valeat. De quo intelligerem illud Exod. 10. *Factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Ægypti, tribus diebus nemo vidit fratrem suum, nec mouit se de loco, in quo erat.* Nulla operatio, quæ illis lucem, & salutem afferret præ densitate tenebrarum permittebatur. Quo respiciens Sap. 17. ait. *Vinculis tenebrarum, & longæ noctis compediti, &c.* Quasi tenebræ pro vinculis essent, quibus præpeditæ manus nihil valerent operari. Fallor, nisi ex his tenebris ligantibus pedes, manúsque non pateant peccati mala, quæ sic obtenebrant mentes humanas, vt illas omnino reddant inefficaces ad opera salutis æternæ, & sic ligant miseros, vt nil iam liceat nisi tenebras expectare. Vtrumque respexit Dominus Matth. 22. cum ad eum, qui sine veste nuptiali, hoc est in peccato accesserat, loquitur. *Ligatis manibus, & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores.* Vbi enim deficit gratia, & peccatum adest, nullum opus esse potest, quod ad salutem æternam valeat, omnia opera redduntur inutilia, laqueis, & tenebris apta. Annuit D. Hilar. homil. 1. in Ascens. dicens. *Ligatis, inquit, manibus, & pedibus, id est, damnatis operibus, & cursu totius vitæ eijcite eum in tenebras.* Nullum opus fit sub peccato luci æternæ aptum; vnde merito monebat D. Paul. ad Ephes. 5. *Nolite communicare infructuosis operibus tenebrarum*: vt vmbrosæ arbores, quæ luce Solis non gaudent, infructuosæ sunt, & steriles, sic opera existentis in peccato.

Sap. 17. — *LXX.* — *Psal. 89.* — *Iob 3.* — *Seuerian.* — *Exod. 10.* — *Sap. 17.* — *Matth. 22.* — *Hilar.* — *Ad Eph. 5.*

Text. Hæc cùm dixisset, expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius.

§. V.

Seruis Dei etiam aduersantia mala opitulantur.

QVis lutum ad oculos venire cerneret, & non sibi cæcitatis perpetuitatem timeret? Quis in perniciem oculorum non crederet puluerem excitari? Sed semper aduersitates militant seruis Dei; sic contraria, & hostilia mala exurgunt sæpe, & in bonum auxilium glomerantur. Vidisti Philisthæum illum Goliath horrendo præcingi ense, quo præcinctus in arenam descendit, pauorem maximum, & metū inermi puero Dauidi incussurus. Siste parumper, & dum vides Philisthæum gladio armatum, irruentem in puerum inermem, quære ab eo, ad quid gladium acuit? Ad quid præcinxit? Ad quid fortè strinxit? An vt periret Dauid? Absit: imò, vt Dauid haberet, quo possit hostē trucidare. 1. Reg. 17. *Cumque gladium non haberet in manu Dauid, cucurrit, & stetit super Philisthæum, & tulit gladium eius, &c.* Ferratus hostis nō ruinam, sed arma ministrat, quibus ipse trucidatur. Pulcherrima do verba D. Basil. Sel. orat. 15. fantis. *Cum igitur Goliath arma fabricaret, id se in vsus Dauidis facere, & proprij iugulatoris baiulum in aduersarij habitu se Dauidi venire subsidio ignorabat.* Aduersarij habitus erat, cum Goliath gladio procedebat armatus, sed in illo aduersarij habitu Dauidi veniebat subsidio, & in Dauidis vsus ensem portabat. Sic aduersantia quæque mala nouerunt seruis Dei militare; sic hostiles incursus, sic ignita diaboli tela in aduersarij habitu veniunt subsidio iustis hominibus, illoque magis muniunt, & armant. Exod. 17. de Israëlitico populo dicitur, postquam mare rubrum pertran

1. Reg. 17. — *Basil. Sel.* — *Exod. 17.*

pertransiit. *Et pugnauit contra Amalech.* Sed quorum armorum auxilio pugnauit? Cum enim ab Ægypto egrediantor, audio ab illis aurea, & argentea peti vasa; gladios, lanceas, scutos peti non audio, vnde ergo habuerunt arma, quibus audent Amalech expugnare? Hanc mouit quæstionem, & simul soluit Theodoretus citatus in Cat. Græca, vbi ait. *Pugnauit contra Amalech. At quibus armis? His nempè, quæ tum Ægyptiorum cadaueribus ad littora deuoluta sustulerant.* Proh ingens diuinæ prouidentiæ miraculum! Expugnaturi gentes idololatras exeunt ab Ægypto inermes Israelitæ populi. Quid tunc? Furit Ægyptus, ingens exercitus armatur, & plenus furore, & armis insequitur abeuntes Iudæos. Cur Deus tantam tentationem permittis populo tuo excitari? Cur tantam armatorum manum post illos finis inuadere? Vis, vt tui pereant inter tot arma? Absit: imò vult, vt suffocatis Ægyptiis Israelitæ habeant arma, quibus possint cæteras nationes debellare. Quis crederet ab exercitu hostium inuadente nō inferendam mortem inermibus hominibus? Et sanè non inferebatur mors, sed dabantur arma. Totúsque ille hostilis incursus ideò furere finitur, vt Dei populus habeat arma, quibus armetur, muniatur. Sic aduersantia mala norunt Dei seruis opitulari; sic hostiles incursus, contrarietates, mors ipsa fouet, & armat sanctos, vt inde muniti, & roborati maiora audeant. De Abel dicitur Genes. 4. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra?* Expende illud, *clamat*, qui viuus quasi agnus coram tondente se obmutuit, tunc audet grandia verba, imo clamores dare, & altè loqui, vnde sic roboratus est? Vnde sic audet? An de ipsius passionis telis armatus? Ita D. Basil. Seleu. orat. 4. fatus. *Mortali vita per cædem iusti priuantur; spe tamen bona per mortem non detrubantur, quinimò mortis patrocinio fulti, contra eum, qui iniuria affecit, plus possunt.* Expende illud, *mortis patrocinio fulti*, quasi tela hostilia, & mors non tam ruinam, quam patrocinium, & munimen afferant.

Theod. Genes. 4. Basil. Sel.

§. VI.

Ex humilitatis puluere magnalia virtutum facinora illustrantur.

ITerum puluis ad hominis decora conficienda venit; nihil enim in hominem magnum, nihil illustre, nihil decorum esse potest, quod non stet humilitatis puluere confirmatum. Pulchrè Sedulius lib. 4. cap. 18. hominis lumina per lutum à Christo infecta notans, ait. *Lutum generum claustra illiniens, quidquid in homine minus esse conspexerat, de veteri bonus opifex cemento suppleuit.* Quippè fallitur, qui magna in se cupit struere, & illustrare, quin meminerit cementum vilitatis, à quo solo, & decus, & ornamentum facinorum apicibus dabit. Ex his non paruam lucem capit Amos cap. 7. fatus. *Dominus super murum litum, & in manu eius trulla cementarij.* Cur cementarij trulla in manu Domini super murum agentis? Quod nouum opificij genus, quod murorum pinnis adhibeatur instrumentum cementi? Inter pinnas supremæ effulgent vexilla, decora ædificij eniitent clariora, ad quid ibi cementi trulla? Equidem diuinus opifex, quidquid decorum in homine, quidquid supremum, & illustre efficit, illud de pristini cementi cognitione facit exurgere. Nullum aptius instrumentum inueniri potest ad decora humana polienda, extollenda, quam est humilitatis, primæuæque vilitatis puluis. Dauid post gloriosissimos victoriarum trophæos, post illustrissima perpetrata facinora se se coram Deo adeò deiecit, vt non dubitaret ante arcam inter saltatores ire. Cuius rei rationem hanc reddit, 2. Reg. cap. 6. *Viuit Dominus, quia ludam ante Dominum, qui elegit me potius, quam patrem tuum, & quam omnem domum eius, & præcepit mihi, vt essem dux super populum Domini in Israel: & ludam, & vilior fiam plusquam factus sum.* Quo se magis exaltatum cernebat, vt firmaret facinora, decoráque sua, se magis humiliabat, vt de cementi puluere illustria magis redderet gloriosa facta. Sic dicebat D. Gregor. lib. 5. In Iob cap. 10. *Coram Deo egit debilia, vel extrema, vt illa ex humilitate solidaret, quæ coram hominibus gesserat fortia.* Sic fortia, & illustria facta de humilitatis puluere extolluntur, solidantur. Inde clamabat Dominus Matth. 11. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde* quibus communiter monent sancti Patres, quid Deus nobis proponat ediscēdum, nimirum, humilitatem, & abiectionem. In manu enim sua habet Dominus lutum in præsenti, & similiter Apocalyp. 1. *Habebat dextera sua stellas septem:* & nihilominus non stellarum, sed luti opus nobis ediscendum proponit. Cur non stellarum, sed luti opus proponit? Pulchrè Vrbanus IV. Pont. Max. in Psalm. 50. ait. *O humilis celsitudo! quam verè, si voluisses dicere potuisses: Discite o me fabricare Auroram, & Solem: siue, Discite à me quatriduanos mortuos suscitare! Sed quia potentior est solidissima humilitas, quam ventosissima sublimitas: idcirco potius dicere voluisti, Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Expende illud *potentior est solidissima humilitas*; quippè à puluere humilitatis ea potestas exsurgit, qua & clarissima, & solidissima facinora efficiantur. Dauid vbi audiuit à Deo magnalia sibi promitti, 2. Reg. 7. prudenter clamat: *Quis sum ego Domine Deus, & quæ domus mea?* Quasi diceret: Ego ille pastor, ille de gregibus assumptus, ille minimus in tribu mea; sic non refugit humilia memorare, & abiecta, vt inde magna, & splendida à Deo fiant. Chrysost. homil. 2. de Dauid, inquit. *Quam suaue, quam dulce in auditione vera confessionis, vt diceret se minimum in tribu sua: nec erubuit, quod erat, vt esset, quod non erat.* Nihil enim tam solidam parit celsitudinem, quam humilitatis puluis.

Sedul. Amos 7. 2. Reg. 6. Gregor. Matth 11. Apoc 1. Vrban. Pont. 2. Reg. 7. Chrysost.

§. VII.

Præsentissimum hominis remedium ad suam terrenam originem confugere.

NOn multis, nec pretiosis rebus indiges quisquis aduersus mala confirmari cupis, præsentissimum tibi remedium ostendit Dominus lutum, hoc est, si primæ originis tuæ ob oculos habeas puluerem. Quæri solet cur Adamus à Deo conditus sit extra paradisum? Si enim statim in paradiso locandus erat, cur non magis ibi & conditus? Sanè id iam faciebat Dominus ex præscientia peccati, ne peccatori expulso ea paradiso deficeret præsentissimum suæ reparationis remedium, nimirum, contemplatio terreni soli, vnde originem traxit. Id quod notabat glossa dum putat ideò non fuisse conditum Adamum in paradiso: *Quia Deus præsciebat Adamum peccaturum, & inde pellendum ad hanc terram, vbi eum condiderat.* Ne paradiso expulsus careret peccator visione originalis pulueris, ideò extra paradisum creatur, vt eiectus terram originis suæ præsentissimum remedium inueniret. Quis dicat mala, & tentationes, & pericula, quæ draco magnus excitauit aduersus cœlestem mulierem, Apocal. cap. 12. etenim ait: *Et misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen: vt eam faceret trahi à flumine. Et adiuuit terra mulierem. & aperuit terra os suum, & absorbuit flumen, &c.* Ecce tibi in tanto periculo adiuuit terra mulierem, & absorbuit draconis fluctus: vbi enim cœlestis mulier terram habet adiutorium, se se terræ adæquat recognoscens vilem natiuitatis originem, omnes draconis fluctus ridet. Andreas Cæsariensis annuit, sic fatus. *At terra, inquit, iuuit illam Iuuit autem sanctorum submissione qui verè, rectèque dicere solent: Ego sum terra, & cinis, omnes superbi diaboli vires eneruant. Nihil enim diaboli vires ita frangit, vt humilitas.* Nihil sic cœlestes hominum mentes confirmat, vt pulueruIentæ consideratio originis. Hic sic absorbet vniuersos diaboli incursus, mala omnia, vt vix appareant vlla illorum vestigia. Nec caret particulari gratia, quod cœlestis mulier dicatur habuisse terram adiutricem aduersus inuadentes fluminis impetus. Videre enim est, quæ opponuntur saxorum moles maris fluctibus, quanto stridore, quanto verbere fatigentur: quippè furens fluctus, vbi saxum sublime sibi oppositum inuenit, immani illud verbere contundit, horrendóque ibi stridore confringitur ipse. Verum vbi terra mollis, & plana se se subiicit inuadentibus fluctibus, quiete, & sine contusione fluctibus sistit; fluctúsque ipsi non tam verberant, quam placidis allambunt terram linguis. Sic prorsus cœlestis homo, qui terram habet adiutricem, hoc est, qui aduersus omnia mala sese terræ æquat, pulueruIentamque originem memoriæ mandat, tutè, & sine aliquo fragore mala venientia consumit. Quò eleganter spectauit Eusebius Gallicanus serm. 1. de Epiphania, inquiens. *Qualibet tribulatio ita ab humilitate mitigatur, ac vincitur, sic in planis littoribus, sine aliquo fragore vnda consumitur.* Terram natiuitatis tuæ adiutricem adhibe, quisquis cupis absumere omnes malorum fluctus. Se ita muniuit Iob cap. 1. *Tunc surrexit Iob, & scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram, adorauit, & dixit: Nudus egressus sum de vtero matris meæ.* Non qualemcumque ortum suum recogitauit, sed vt Chrysost. notat in Cat. Græca, particulariter primi illius opificij meminit, quo ab vtero terræ, & limi primi parente coagmentatus est, vt sic terræ æquatus, innatæque nuditatis, & vilitatis memor

Glos. Apoc. 12. Andr. Cæsar. Eusch. Iob 1. Chrysost.

omnes

emoes maligni superaret incursus: vtinam ad hoc confu-
Ezech. 7. gisset illa, de qua Ezechiel cap. 7. inquit. *Et post omnes abominationes tuas, & fornicationes, non es recordata adolescentia tua, quando eras nuda, & confusione plena, conculcata in sanguine tuo.* Quasi etiam post mille peccati tenebras, & vulnera hoc haberet remedium præsentissimum, si vilitatem primæ meminisset originis.

Text. Et dixit ei: Vade, & laua in natatoria Siloë, quod interpretatur missus. Abiit ergo, & lauit, & venit videns.

§. VIII.

Vera pulchritudo à pœnitentia lacrymis. vbi, quantam addat exterius pulchritudinem pulchritudo interna.

NIl magis vendibile apud patres, quam si natatoriis Siloe intelligamus sacramenta Baptismi, & pœnitentiæ adumbrari; ad quæ Dominus mittit quoscumque à fœditate vitiorum transferre vult ad pulchritudinem sanctitatis. Quisquis peccator est, quæcumque alia munera, etiam à Deo data, vt lutum reputet, quo magis conspurcetur si pœnitentiæ contemnat lauacrum. In pœnitentiæ aquis lutum dimittitur, turpitudo reiicitur, & vera, primogeniáque pulchritudo reoouatur. Cum duodecim tribus Israel per desertum Deo militabant, ternæ, & ternæ tribus figebant castra, ita, vt Iuda, Isachar, & Zabulnn versus Orientem manerent sub illa cœli plaga, quæ signis Geminis, Libra, Aquario depingitur. Id quod escogitans Venetus in Armo-
Cant. 2. nia, Cant. 2. capit. 13. expendit amplius, quod Iudas sub Gemini sedens geminam denotabat naturam in Christo inde oriundo. Isachar, qui significat mercedem, sub Libra degebat, vt paruum mercenariis præmium denotaret. Zabulon ea in parte erat. quæ magis respondebat Aquario. Quid plura? Zabulon significat *habitaculum pulchritudinis*, quasi nullibi melius pulchritudo resideret, quà sub Aquario, quam sub pœnitentiæ lacrymis. Quippè à lacrymarum fontibus tota venit species, & pulchritudo nostris animis.
Psalm. 44. Psalm. 44. *Specie tua intende, prospere procede & regna.* Nec aliam pulcritudinem in peccatoribus agnosces, quàm eam, quam pariunt pœnitudinis lacrymæ. Vnde D. Laurentius Nouariensis homil. de Eleemos. ait. *Et quæ est ista species, quam virtus animæ, & in ea plena plenitudo? Quæve est pulchritudo, quam lacrymæ oculorum, & largitas eleemosynæ?* Immensam proculdubio pariunt pulchritudinem oculi, qui non tam lumina mouent, quam lacrymas fundunt; non tam stellarum instar fulgurant, quam velut columbæ resident supra fluenta plenissima; non tam fulmina iaciunt, quam
Psalm. 95. lacrymarum lauacra præmittunt. Psalm. 95. *Confessio. & pulchritudo in conspectu eius.* Equidem confessio de compunctione, & sociis lacrymis afficit pulchritudinem. Id quod D.
Bernard. Bernard. expendit epistola 113. inquiens. *Re vera, vbi confessio, ibi pulchritudo, ibi decor. Si peccata sunt, in confessione lauantur, si bona opera, confessione commendantur. Cum mala tua confiteris, sacrificium est Deo spiritus contribulatus.* Inde ex spiritu contribulato, ex luctu, & lacrymis habet confessio,
Ezech. 27. quod pulchritudinem parturiat. Ezechiel cap. 27. ad ciuitatem peccatricem, ait. *Dixisti: Perfecti decoris ego sum in medio maris sita.* Et quis peccator non perfectum decorem, & pulchritudinem habebit, dum in medio amaritudinis
Num. 24. lacrymarum consistat? Numer. 24. aiebat ille. *Quam pulchra tabernacula Iacob, & tentoria Israël! Vt valles nemorosæ, vt horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula, quæ fixit Dominus,*
Origen. *quasi cedri propè aquas.* Malo hæc aliter legére cum Origen. homil. 17. in præsenti, vbi sic Iacobi pulchritudinem extollit: *Vt nemora vmbrantia, vt paradisi super flumina, & sicut tabernacula, quæ fixit Dominus, sicut cedri iuxta aquas.* Ecce tibi tota Iacobi, imò tota peccatoris hominis pulchritudo ex eisdem fontibus, ex quibus paradisus, & arbores vitales exsurgit, nimirum, ex lacrymarum profluuio. Quò
Cellens. spectabat Cellensis Abb. lib. de Panibus cap. 12. inquiens, *Aqua hæc paradisum rigat: Ecclesiam, vt sit sine macula, lauat. Cum enim profusione lacrymarum tota irrigatur conscientia, ligna producuntur, fructum vitæ facientia.* Et quidem lacrymæ, vt paradisum, & fructiferas vitæ arbores faciunt, sic hominis pulchritudinem, & perfectum decorem parturiunt. Non enim minimum solet conducere ad decorem externum in-
Iud. 10. terna animæ munditiεs. Iudith 10. post exterius ornatum assumptum dicitur: *Cui Dominus contulit splendorem, quo omnis compositio non ex libidine, &c.* Ecce tibi externus splendor additus est, propter intimam animi pudicitiam. Sic
Act. 6. de Stephano: *Viderunt faciè eius, quasi faciem Angeli.* De Act. 6.
quo D Fulgent. serm. proprio, ait: *Abundantia cordis transit in decus oris: in exteriori gloriam candor interioris exundat, & absconditis peccatoris ornamentis speculum frontis irradiauit, habens intra se Spiritum sanctum, ut præ se gestet Angelicum.* Fulg.
Nescit interne claudi animæ pulchritudo, sed sæpe sæpius pulcherrima in facie se manifestat. De Dauid dicebatur 1. 1. Reg. 16.
Reg. 16. *Quod erat rufus, & pulcer aspectu.* De quo Rupert. in lib. Reg. cap. 26. ait. *Pulcer erat aspectu, & facie decora, videlicet non ea pulchritudine, qua lasciuos prouocat, sed qua sapientes creditorem pudice delectat, dum lucet in vultu ipsius, quæ spirat in mente, gratia.* Sic animæ decor, exterius solet in corporis pulchritudine apparere.

§. IX.

Dei gratia otiosos odit, operatores amat.

CVr cœcum istum mittit Dominus in natatoria Siloe, cum posset illum statim sanare? Sanè susceptum iter in natatoria, & laboriosum, & verecundum illi erat; laboriosum, quia natatoria Siloe non parum distabant: verecundum, quia per mediam ciuitatem iturus erat homo luto conspurcatus. Cur igitur hic cœcus solus iubetur, & verecundum, & laboriosum iter suscipere? Huic vni præ aliis ipse Dominus nulla obsecratione rogatus se se vltro exhibuit, obtulitque sanitatem; sed non licebat saluatoris gratiam nihil agenti communicari, ideò præ aliis homo iste iubetur laborare. Actor. 8. iubetur Philippus accedere Act. 8.
ad Eunuchum, & salutis aquam offerre, nil tale cogitanti, siccine dabatur gratia non petentibus, nec cogitantibus? Sed non dabatur nisi cooperantibus: ait enim, *Accurrens autem Philippus audiuit eum legentem Isaiam.* Id quod meditatus Tertull. libr. de Baptismo, dicit. *Spiritus Philippo præceperat in eam viam prætendere, spado, & ipse inuentus est non otiosus, nec qui subito tingi concupisceret; sed ad templum orandi gratia profectus, scriptura diuina impressus. Sic oportebat deprehendi, quem vltro Deus Apostolum miserat.* Non enim vltro Tertull.
datur gratia nisi eis, qui illam operibus nouerint illustrare. Otiosos semper Dei gratia odit, quæ nisi inter opera & facinora decorem non habet. Compone tibi modo paralyticum delatum ad Iesum, Lucæ 5. & Matthæum, cui Luc. 5.
sedenti ad nummorum mensam Iesus adest. Illi dixit. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*: huic autem solum ait, *Sequere me.* Cur à paralytico nil petens, sed remissionem peccatorum faciens, à Matthæo sequelam petit? Paralyticus clamoribus, & gemitibus operam dabat, quibus exorabat gratiam, Matthæus otiosus sedebat, nullam salutis memoriam habens. Paralyticus iam Christum requirebat, Matthæo autem sedenti se se vltro Christus dabat, ideò hinc ad opus vocabat, nec illi aliquid prius impendit, quam surgere a telonio, & post se ire faciat. Chrysol. serm. 30. Chrysol.
Meritò igitur paralytico dicitur: Confide fili, dimittuntur tibi peccata tua, quia compensarat delicta doloribus, publicano autem dicitur: Veni sequere me. Hoc est, vt sequendo me reparet quod sequendo pecuniam perdidisti. Non in sedente, & otiante perseuerat gratia. necessum est, quod ad opus exsurgas, & te operibus exerceas, quisquis cupis possidere Dei gratiam.
Cant. 1. aiebat sponsa: *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus. Lectulus noster floridus, tigna domorum nostrarum cedrina.* Cant. 1.
Cui statim cap. 2. respondet Dominus. *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Idem.
Illa & lectulum meminit, & domos; hic campos, & valles: illa quietem amans mauult lectulos, & domesticas sedes meminisse, sed sponsus quietem pertæsus exercitia mauult, & ideò ad campum vocat & valles, quasi de operibus & laboribus viuat eius gratia. Bernard. Bernard.
serm. in Cant. *Ego flos campi, & lilium conuallium. Illa ergo monstrante lectulum, ille vocat ad campum, ad exercitium prouocat.* Iam dudum se se in virtutis curriculo exercentes amat diuina gratia; & eos magis amat, qui operibus nesciunt finem dare. Ex hoc censebat Dominus Dei amicum, Lucæ 11. fatus. *Quis vestrum habet amicum, & vadit ad illum media nocte.* Ecce amicitia diuina in eo sita est, quod vadas Luc. 11.
ad eum media nocte. Cur media nocte? Pulchrè Chrysolog. serm. 39. ait. *Hoc tempus est, quod inter præteritos & futuros labores ordens animus ad diuina nihil indulget corpori, nihil quieti: sed antequam finiat transacti diei opera, inchoat, & anticipat iam futuri. Illa satis hora est efficax impetrandi.* Nulla Chrysol.
aptior hora ad diuinam gratiam habendam quam illa, in qua

qua otio, & quiete absente, se se iungunt, & labores præteriti,& futuri. De hoc sæpe alias.

Text. Itaque vicini, & qui viderant eum prius, quia mendicus erat, dicebant: Non ne hic est, qui sedebat,& mendicabat? Alij dicebant, quia hic est; alij nequaquam, sed similis ei est.

§. X.

A Christo Deo ad altiora semper transire discimus.

QVam alius factus est hic homo, ex quo ad Christum accessit, ex quo licuit ei colloquia miscere cum Christo! Verè supra se ipsum videtur terminis suis transiuisse. Hæc prima est notio Christianæ disciplinæ, quod non hæreamus in limine, sed ad altiora semper properemus transire. Lucæ 12. *Beati serui illi, quos, cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes. Amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Et si venerit in secunda vigilia,& si in tertia vigilia venerit, beati sunt serui illi.* Nota seruorum Christi felicitatem in eo esse sitam, quod inuenti sint a Domino vigilantes in secunda vigilia,& in tertia vigilia. De quo elegantem mouet quæstionem Chrysolog. serm. 24. inquiens: *Quare tamen a secunda vigilia cœpit, & tacuit primam?* Potuit dicere, etsi venerit Dominus in prima vigilia,& ita inuenerit, beati sunt serui illi; sed omissa prima vigilia maluit incipere a secunda, vt moneat tunc censeri Christi seruos, cum proficiũt, cum ad altiora incipiunt trãsilire. Habet enim hoc Dei halitus, vt suos alumnos semper agat in sublimia, nec hærere sinat in limine. Genes. 25. dicitur: *Abijt Rebecca interrogare Dominum.* Quod quæstionem facit Origeni sic dubitanti homil. 12. *Abijt. Quo abijt? Ex eo loco, in quo erat Dominus, ad locum in quo non erat? Non ne vbique est Deus? Quo ergo abijt Rebecca? Ego puto, quod non de loco ad locum, sed de vita ad vitam, de actu ad actum, de bono ad meliora transierit, de sanctis ad sanctiora properarit.* Vbi de halitu tangeris, nescis hærere pristinis, sed alia meliora,& excellentiora transiens protinus videris a te excessisse, & mutatus esse in alterum virum. Apparet aliquando sponsa Cant. 3. circumiens ciuitatem,& per vicos, & plateas quærens dilectum suum, apud custodes, & vigiles illius exquirens notitiam,& paululũ cum eos pertransit, inuenit sponsum, tenet, alloquitur. Quid plura? Sic mutatur, vt qui modo viderant illam, admiratione pleni hæreant dubij,& dicant. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, quasi virgula fumi ex aromatibus:* Modo viderant, imò allocuti eam fuerant, & eam vix agnoscunt imo prorsus dubitant de illa; vnde tanta mutatio? Quid medium intercessit? Equidem inuentio sponsi a cuius manibus adeo profecit vt ægre,& difficulter videatur sui similis. Gillibertus Abb. serm. 15. in Cant. *Quid si & ipsi, quasi noua, & insolita de secreto dilecti sui protrahat? Noua plane. Nam ipsa nouitas admirationem inducit. Quæ est ista, quæ ascendit? Quasi dicant, non est tam illa, quæ heri, & nudius tertius. Non enim amplius circuit ciuitatem; non discurrit per vicos, per plateas, per vigiles, sed itinere directo ascendit. Quæ est in hac ipsa tam subita nouitas? Quid nisi ut noua procedat de complexu dilecti?* Felix est quisquis Dei in se manus experitur; non hærebit in salebra; non veteri adhærebit vitæ, sed prorsus mutabitur in virum alterum renouatus de die in diem. Ad Dominum clamabat Psaltes. *Tange montes, & fumigabunt,* nec montes fumigarent ad tactum diuinæ manus, nisi manus diuina ignea esset. Miraris dixisse manum Domini igneam? accipe quid Gillibert. dicat vbi supra. *Puta caminus est: aurum admone. Si parum est, purgatius reddit. & vt claus metallum recentem de fornace fulgorem educit. Hoc camino decoqui non potest, nisi nouus, & velut noua prodire creatura in Christo.* Quid mirum, si cœcus expertus manum diuinam, velut alter appareat, non tam ipse, quam sui similis?

Luc. 12. Chrysol. Genes. 25. Origen. Cant. 3. Gillibert. Psal. 143. Gilliber.

Text. Ille verò dicebat: Quia ego sum.

§. XI.

Innatam vilitatem non erubescunt iusti.

QVi diuino afflantur spiritu, non erubescunt abiecta secundum carnem natalitia memorare; nec fauoribus diuinis euecti dedignantur primæuam mendicitatem confiteri, dicentes, Quia ego sum ille panperculus, ille mendicus, ille abiectis ortus parentibus. Magnus ille Moyses inter regias proles cooptatus in captiuorum parentum cognitionem venit, nec dedignatus est vilia natalitia, imò præ illis aspernatus est regios fastus. Quod Moysis facinus post Paulum maximè extollit Diuus Gregorius Nyssenus, de vita Moysis fatus, *Cum vero in regia educatione, doctrinaque sæculari ex ephebis iam esset egressus, inglorius degere apud suos maluit, quam fictam illam, cuius adoptatus in filium erat, matrem profiteri.* Plures sunt, qui inglorios, sed veros natales erubescentes de effictis propinquis gloriantur. Moyses autem regium adeptus genus, vt fictum aspernatur, & inter aulæ decora, splendorémque dignitatum captiuos, & pauperes, sed veros parentes suos amabat, minimè dedignatus humiles, abiectos natales. Libet in præsenti non præterire Dauidis felicissimi facinus. Is post regnũ post victorias mille, post ingentes Dei promissiones sibi, & filijs suis à Deo datas, hæc verba facit, 2. Reg. cap. 7. aiens, *Quis ego sum, Domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxisti me huc-usque?* Quasi diceret, memini Deus meus, à qua paupertate, & abiectione me in regnum sublimasti; ego sum ille pauperculus, ille minimus fratrum meorum, ille pastor ouium, qui nunc diuino beneficio populos pasco. Præclarè D. Chrysostom. homil. de Dauid, hæc verba commentatus ait: *Nouerat se pastorem esse ouium, & non genere nobilitatum. Sed quando factus est nobilis, agnouit se ex nihilo fuisse sublevatum: & quia non est oblitus, qua natus erat, perseuerauit in culmine regali.* Nullus honor, nullus triumphus, nullus thronus potuit facere, quod Dauid obliuisceretur, qualis fuerit natus, quibus ortus pauperum natalibus, quo sibi regum æternauit dignitatem. Vereor, ne multorum pariat ruinas abiectæ originis obliuio. Quæ dignior principe vox, quam illa, qua se extollis Sapiens, cap. 7. *Sum quidem, & ego mortalis homo similis omnibus, & ex genere terreni illius hominis, qui prior factus est, & in ventre matris figuratus sum caro.* Quibus notat Lorinus noster, quod in natalitij commemoratione, matris, ac mulieris mentio distincte fiat a regalissimo rege. Et cur distinctius meminit matris, nisi quia totus ille splendor regalis maxime ex matrum vilitate,& abiectione claudicabat? Quippè in Regia Iudæ linea ignobiles matres fuere notissimæ Raab meretrix, Ruth paupercula, & mendica, Bersabe vxor vnius de grege militis. Hos non dedignatur sapiens, imò inter cæteras natalium vilitates, has quasi digito ostendit, dum distinctius meminit matris. Quid plura? Tantæ confessionis præmium explicans pergit adhuc. *Propter hoc optaui, & datus est mihi sensus, & inuocaui & venit in me spiritus sapientiæ.* Quò refero non absimilem confessionem D. Pauli 1. ad Timoth. 1. *Qui prius blasphemus fui, & persecutor & contumeliosus, sed misericordiam Dei consecutus sum.* Ille se vilem à natalibus meminit, hic blasphemum, & contumeliosum: ille non erubescit abiectiones suas in medium proferre, hic peccata, & vilissimos mores suos. Sed neuter absque præmio, quando ille media confessione ad spiritum sapientiæ, hic ad Dei misericordiam peruenit, vt dicat D. Chrysost. homil. 2. de Dauid: *Vides quomodo remuneratur omnis, qui non obliuiscitur, quod erat, & efficitur, quod non erat?* Laudabile est, & magno præmio dignum, si melior effectus memineris, quod habuisti vile.

Nyssen. 2. Reg. 7. Chrysost. Sap. 7. 1. Ad Timoth. 1. Chrysost.

Text. Dicebant ergo ei: Quomodo aperti sunt tibi oculi?

§. XII.

Virtutes aliorum edifcenda, vt similia adimpleas.

QVisquis sanus esse cupis, interroga eos, qui sani facti sunt, quibus peruenerint ad salutem; ne tua contentus sis sapientia, aliorum respice,& inquire virtutes,& earum æmulus, cura etiam præstare similia. De Maria Magdalena dicitur Ioan. 20. *Maria autem stabat ad monumentum foris.* Non inueniebat intus Iesum, & stabat foris, nimirum ea, quæ foris erant circumspiciens, si fortè ab aliquo doceretur ire ad Iesum. Vnde Orig. ibi monebat: *Si non inueneris in corde tuo Iesum, sta foris, & plora, permane in fide, & respice foris ad alios, si fortè in aliquo videris eum, & plorando ora Iesum, ut dignetur intrare in te, & habitet ibi.* Multum proficies, si ad virtutes quę in aliis factæ sunt, prospicias, si cures doceri aliorum profectus, qua cura, & diligentia dimissa, mirabor

Ioan. 20. Origen.

Psal.26. mirabor si multum itineris confeceris in via virtutum. Psal. 26. *Circuibo, & immolabo in tabernaculo Dei hostiam iubilationis.* Expende, qua se præparet diligentia Dauid ad immolationem faciendam; circuibo, ait, cur non magis sese in cubiculo abdat? Cur non magis secretum quærat? Cur non magis quietem procuret? Quando circuitus non suspectis? Quando qui foras egreditur, non indiget salem, vt pedes lauet? Attamen optimus ille circuitus est, qui non ad vagandum, sed ad virtutes aliorum inspiciendas, & æmulandas instituitur. Sic circumeat, qui præclaram Deo cupit

Gregor. hostiam parare. D. Gregor. hom. 17. in Ezechiel. accinit. *Ecce vt immolaret iubilationis hostiam, circuibat: quia nisi animum huc, illucque ad bonorum vitam exquirendam mitteret, ipse vsque ad iubilationis sacrificium non perueniret.* Equidem efficacissimum est medium ad proficiendum, si aliorum inquiras, & obserues virtutes. Et adeò efficax est alienarum virtutum inspectio, vt imperitet animis nostris similem virtutem, vt vel ipse nocentissimus Cain fieret innocens, si Abelis obseruasset virtutes. Interrogatus enim à Deo de Abele

Genes.4. fratre, impudenter respondit, Genes. 4. *Nescio: numquid custos fratris mei ego sum?* Qualis ista responsio Caini? Sanè responsio hæc non solum ostendit impij cordis malitiam, sed & radicem, & occasionem, ea qua in tantum barathrum peruenit, omnium, quia ab obseruatione, & inquisitione fraternarum virtutum oculis auerterat, quas si respexisset, si inquireret, posset ipse scelestissimus pietatem bi-

Ambros. bere. D. Ambros. lib. 2. de Ab. & Cain c. 9. *Fiso contumeliosum prodat hic sermo; sonat tamen, quasi bonum fratrem considerasset, custos debuit esse pietatis.* Pietatem, & innocentiam Abelis imbiberet, si vel ad tantas virtutes respexisset. Nouerat profectò Christi sponsa, quantum ipsa posset de aliorum obseruatione proficere, ideo non vaga, sed prudens per vi-

Cant.3. cos, & plateas dilectum quærens, Cant. 3 ab omnibus sciscitatur: *Num quid quem diligit anima mea, vidistis?* Et quid ad sponsam, quod illi vidissent? Nonne vtilius curaret ipsa vi-

Gillibert. dere, quam quæreret, an alij viderint? Pulcrè Gillibert. Abb. ser. 10 Cant. *De visione illorum se vt faciam præsumit, ideò diligentes inuestigat culledum visionem, eorum sperans alloquio, vel in secretiore deducet, vel dulcioribus officijs.* Non inaniter quærit, an alij viderint: sed ideo de alijs inquirit, vt similia præsumat sibi, quando aliorum virtutes, si noscantur, potentes sunt sui similitudines, etiam duplo grauiores animis nostris

Ennod. imprimere. Quò refero illud à B. Ennod. lib. 7. ep. 13. in Boëtij laudem decantatum, nimirum. *In cuius manibus duplicato igne rutilat, quo veteres face fulgerant. Nam quod vix maioribus circa extremitatē vitæ contigit, hoc tibi abundat in limine.* Equidem iustorum lumina nesciunt ad sectatorum manus delabi, nisi duplicato ibi crescentes lumine. Ex quo illustra illud

Luc.12. D. Luc. 12. *Lucernæ ardentes in manibus vestris.* Cur lucernæ in manibus, & non lucerna; quandoquidem de seruorum more aptius, & vsitatius venit, quod portent in manu lucernam? Sed vbi de lucernis illis sermo est, quas Deus posuit supra Ecclesiæ candelabra, hæ nesciunt à candelabris suis in sectatorum manus venire, nisi duplicato igne fulgentes.

Text. Respondit: Ille homo, qui dicitur Iesus, lutum fecit, & vnxit oculos meos, & dixit mihi: Vade ad natatoria Siloë, & laua; & abij, & laui, & vidi.

§. XIII.

Felix ille, qui salutis suæ negotium non alteri committit.

Expende illud felicissimi hominis insigne; *Vade, & laua; & abij, & laui, & vidi.* Cui datum est, vt salutis suæ negotia ipse per se ipsum perficiat, nulli illa credat, nulli

Nazianz. committat. Quam sapienter Theologus Nazianz. orat. in Baptismum monebat, dicens: *Quandiu mentis adhuc compos es, ad baptismum accurre; quamdiu bonum tuum non in alijs situm est, verum tui ipsius est arbitrij.* Quis alius omnino viam suam credat, cum ipse per se illam possit habere in tuto? Quis in summo discrimine velit ab aliorum pendere diligentia eum ipse possit sufficere? Hoc quod insanissimum reputatur in discrimine vitæ temporalis, quotidie fit ab hominibus in summo æternæ salutis discrimine. Remittunt infelicissimi homines negotia animæ suæ in id temporis, quando vel ipsi morbo correpti vix verbum facere possunt, nec aggredi opus vllum, vel defuncti in purgatorio igne constituti, nihil

protsus sibi salutare possunt efficere, sed omnia sibi salutaria in aliorum diligentiis sunt constituta. Felicissimus ille sanè est, qui non alijs tanta negotia committit, nec vult aliorum egere diligentia, sed ipse per se omnia salutis suæ administrat. Vbi de agni sacrificio lex dabatur, Exod. 12.

fic monet Deus, *Tollat vnusquisque agnum per familias, & domos suas.* Cur vnusquisque tollere agnum iubetur? Nonne magis ad festum conducere, si vnus agnum sumeret, & cæteris omnibus pararet magnificum conuiuiū? Nonne lautiores essent in fratrum conuiuiis, quam singuli domi sedentes, & tristes manducassent? Equidem in tanto discrimine, vbi sacrificia agebantur, salutis, optimum erat, vt vnusquisque agnum sibi prouideret, nec dependeret ab aliorum etiam fratrum conuiuio. Ita Nazianz. orat. 2. de Pascha, in- Nazianz.
quiens, *Mirandum non est, quod maxime quidem per singulas domos agnus requiritur: quandoquidem optimum est, sibi vnumquemque ad perfectionem sufficere, eique hostiam sanctam, viuamque vocanti Deo offerre.* Et quis Israelitarum, quando intempesta nocte transiens Angelus Domini & calles, & plateas, & vicos replebat morte, non vellet magis apud se habere, quo se ipse muniret, quam ab alijs expectare munimen? Gladius euolabat percutiens, quid si frater tardasset agninum sanguinem afferre? Quid si impeditetur ne posset offerre sacrificium? Sanè in tanto discrimine ille erat felix, qui nullius moras pateret, nullius timeret tarditatem auxilij, sed ipse ex se haberet præparatum, vnde liberari posset à periculo. Hanc mentem bibat, quisquis sapit, & negotia salutis suæ alijs non credat, sed ipse perficiat. Gen 18. Genes.18.
Abraham vbi Dominum in peregrinis recipit hospitio, etsi multa esset seruorum cinctus familia: *Ipse ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum. Tulit quoque butyrum, & lac, & vitulum, quem coxerat, & posuit coram eis: ipse verò stabat iuxta eos sub arbore.* Nihil non perficit per se ipsum: quod forsan alias notauero; sed modo pergo ad cap. 24. vbi Genes.24.
Abraham cum de vxore filio suo quærenda agit, totum negotium seruo suo committit. Etenim *dixit ad seruum seniorem domus suæ, qui præerat omnibus, quæ habebat: Pone manum tuam subter femur meum, vt adiurem te per Dominum Deum cæli, & terræ, vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito: sed ad terram, & cognationem meam proficiscaris.* &c Ecce tibi de peregrinis excipiendis nihil seruo mandat, ipse per se excipit, de vxore filio quærenda non ipse per se tractat, sed id negotium, etsi graue, etsi parentibus omnibus potissimum, seruo penitus committit. De quo Chrysost. tom. 6. ad illud Psalm. 48. *Nolite timere,* Chrysost.
cum diues factus fuerit, sic fatur, *Abraham hospitalitatis rus, & manus executus est, & non seruo id onere imposuit, sed sibi, atque vxori. Cum autem & vxor, & nuptiæ filij apparuerunt, seruo, vt abeat, præcipit. Hi contra faciunt. Si enim cum pauperibus agere velint, nullo pudore prohibentur, sed per se exeunt. Sed non ita Abrahamus, verum cum peregrinos vellet excipere, per se, & per vxorem hoc officium præstabat. cum autem nuptiæ facturæ sint, seruum adhibuit.* Sic felicissimus vir virtutum officia, salutis negotia nulli mandat, sed ipse per se ipsum curat perficere, quæcumque alia sunt temporalia negotia, non illi, sed seruis, & amicis mandat. Vide supra lib. 8. c. 3. §. 27.

§. XIV.

Is est Iesus, qui breuissimi temporis angustijs ingentem nouit operari salutem.

Expende maximè, quàm breui curatur cœcus natus; ait enim, *Abij, & laui, & vidi.* Ea est Dei clementiæ efficacia, quæ breuissimo, imò instantaneo tempore ingentem nouerit operari salutem. Ante effusionem diluuij, vt homi- Genes.7.
nes sibi procurarent salutem, sic Genes. 7 Clementia diuina prædicabat: *Adhuc enim, & post septem dies ego diluuium inducam.* Qualis est ista clementiæ diuinæ prædicatio? quale salutis acquirendæ proponit vniuerso orbi spatium? Quomodo intra solos septem dies tanta hominum multitudo; tot peccatorum myriades possent salutem negotiari? Vel quomodo etsi cœlum plueret salutes, possent totum orbem attingere intra septem dierum spatia? Equidem ea est misericordia Dei, quæ non egeat tempore ad miserandum, dum homo velit, quam breuissimè accipiet à Deo sanitatem. Sic Basil.Sel.
D. Basil. Sel. orat. 5. fatur, *En quot salutis occasiones excogitat, siquidem fortè solutu expeditum tenemus. Adhuc enim, & post dies septem. Sufficit mihi, inquit, vel breue tempus ad peccatorum salutem.* Nullæ temporis angustiæ officient venturæ sanitati, modo illam velit capere; non ad tempus respicias, etsi

breuissi-

breuissimum, etsi festinatissimum, etsi pene transactum, ad Dominum clama, cui vel momentaneum tempus sufficit, vt *Ione 2.* immentam salutem largiatur. Ionas c. 2. ait, *Clamaui de tribulatione mea ad Dominum, & exaudiuit me.* Non ait, clamo, *Hieron.* sed clamaui: quando clamaui? Benè notat Hieron. quod *ex eo tempore, quo præcipitatus in mare vidit cetum, & tantam corporis molem, & immanes rictus aperto se ore sorbere: Domini recordatus fuit, & clamauit.* Cum iam sorbebatur, inter ipsas belluæ fauces, tunc in memoriam clamandi ad Dominum venit, & tunc clamauit, & tunc salutem, & immunitatem accepit. Non miror, quod inde egressus doctus, quam arcto in tempore possit Deus salutem præstare, ad Niniuitas prædicet iuxta Septuag. lectionem c. 3. *Adhuc tres dies sunt, & Niniue subuertetur.* Tres dies proponuntur, vt tam ingens ciuitas possit salutem obtinere, sed ab illo Deo, qui vel triduo, vel breuissimo alio tempore valet vniuerso mundo *Ephrem.* medelam afferre. Vnde exclamat D. Ephrem lib. de pœnit. in hæc Ionæ verba; *O pœnitentia gratiam, quoniam mundum tribus diebus instaurauit.* Cur dicam tribus diebus? vel temporis momento id nouit diuina gratia præstare. Quod vt *Chrysost.* probet D. Chrysost. Niniuitis adiungit latronem, in quo etsi sera petitio, celerrima extitit gratia. Sic hom. 28. in Genes. fatur, *Niniuitæ tanta multitudine peccatorum aggrauati, quia magnam, & veram pœnitentiam egerant, non indigebant amplioris, quam trium dierum spatio ad promerendum Dei bonitatem. Et quid dico Niniuitas? Latro in cruce, neque vno die opus habebat. Et quid dico, die vno? Neque breui hora. Tanta est Dei erga nos misericordia: nam vbi viderit voluntatem nostræ firmum propositum, & feruenti nos desiderio ad accedere, non retardat; sed accelerat, dicens: Adhuc loquente te, dicam, Ecce adsum.* Non tam ocyus volat verbum ab ore, quam ingens a Deo venit *Isai. 63.* sanitas, vt meritò dicat Baruch, cap. 4. *Sicut enim viderunt vicinæ Sion captiuitatem vestram à Deo: sic videbunt & in celeritate salutem vestram à Deo, quæ superueniet vobis cum honore magno, & splendore æterno.* Adiuncta enim est summa celeritas saluti, quæ à Deo in homines proficiscitur. Vnde vbi *Esth. 8.* diuina prouidentia factum est, quod Esth. 8. secundæ epistolæ darentur, quibus Iudæi salui esse mandarentur, ait text. *Egressique sunt veredarij celeres nuntia perferentes.* Quæ verba *Carthus.* argutius in rem nostram legis, & construis apud Carthus. nimirum, *Egressique sunt veredarij celeres nuntios perferentes.* Quid est celeres nuntios perferentes? Id explicans Carthus. ait: *Veloces ambasiatas ferum portantes*; quippe hoc est propriissimum, & naturalissimum epitheton salutis missæ à Deo, quod dicatur celer nuntius, vel (vt cum Carthus. barbarè loquar) ambasiata velox, quasi Hispanè diceres, *Lleuar salud, es embaxada que se haze en vn punto.*

Text. Et dixerunt ei: Vbi est ille? Ait, nescio. Abduxerunt ad Pharisæos eum, qui cœcus fuerat: erat autem Sabbatum, quando lutum fecit Iesus, & aperuit oculos eius.

§. XV.

Iesu nomen fœdas aufugit linguas, vt quod à limpidissimis amet nominari.

Dixerat bonus homo se à Iesu fuisse illuminatum: at pessimi Iudæi, nominis Iesu osores, non quærunt, vbi est Iesus? Sed vbi est ille? Fugiebat enim diuinissimum nomen fœdis Iudæorum pronuntiari linguis, vt quod à pu- *Matth. 1.* rissimis Angelorum labiis debuit nominari. Matth. 1. sic loquitur, *Christi autem generatio sic erat.* Cur non dixit Iesu generatio, sed Christi generatio? Equidem humilis Euangelista tantum nomen Angelo pronuntiandum reseruauit. *Paschas.* Ita D. Paschas. lib. 1. in Matth. ait, *Christi nomen solum sine adiumento Iesu hic posuisse creditur, vt eum intelligeres, de quo propheta dixerat: Vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Et nomen Iesu, quod substantialiter illi inerat, Angelo dicendum reseruaret.* Cur non fugeret fœdas Iudæorum linguas Iesu nomen, & quod ab Euangelista sancto Angelis *Luc. 2.* nominandum reseruatur? Similiter Luc. c. 2. dicitur; *Et vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in vtero conciperetur.* Nulla lingua, nisi Angelica esset, valuit tantum nomen prius in mundum inferre. Id quod *Origen.* ponderat Origen. hom. 14. in Luc. fatus, *Vocabulum Iesu gloriosum, omni adoratu, cultuque dignum, non debuit à parentibus, aut alio homine appellari, neque ab eis afferri in mundum, sed ab excellentiori quadam, maiorique natura.* Quærenda erat lingua omni libera fœditate, omni puluere pura, quæ tantum afferret mundo vocabulum. Vnde Isaias, cap. 62. ait, *Et vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit.* *Isai. 62.* Quasi hæc esset propria nominis notio, & explicatio, quod non nisi à purissimo ore clareat. Quod enim nomen illud nouum, quod non nisi ab excellentiori quadam, superiorique natura amat nominari, nisi Iesu nomen? Id asserit D. Cyrill. *Cyrill.* Alexand. lib. 5. de Trinit. aiens, *Nomen enim nouum verbo, Iesus, concurrens cum carnali natiuitate. Et propheticum oraculum iterum adstipulatur, cum dicit, Et vocabunt nomen eius nouum, hoc quod Dominus nominauit. Nonne, ô amice, Gabriel Virgini voluntatem Dei, ac patris conspicuam fecit, dicens: Ne timeas Maria: ecce enim concipies in vtero, & paries filium & vocabis nomen eius Iesus.* Sic cautum semper est a Deo, vt venerabile Iesu nomen per purissimas superioris, excellentiorisque naturæ linguas ad nos perueniret, quasi inde ostendens, quam a fœdis labiis abhorreat, quam ab omni puluere alienis linguis tantum nomen amet tractari. Malach. 1. *Malach. 1.* *Ab ortu enim solis, vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Notanter dixit Deus offerri nomini suo oblationem mundam, vt ostendat, nimirum, munditiem præclarissimi, & celebratissimi nominis Iesu, quod est super omne nomen, & quod nisi mundatis, & puris labiis non amat celebrari. Sed cur nomen hoc Iesus suum vocat Deus pater, Dominus exercituum? Sanè, quia ab eius ore purissimo ortum duxit, vnde habet purissimis linguis, & labiis velle tractari. Accipite D. Irenæum, lib. 4. *Iren.* cap. 33. sic in verba dicta fantem, *Quemadmodum si quis rex ipse filij sui pingat imaginem, iuste suam illam dicit, quoniam filij eius est, & quoniam ipse fecit eam: sic & Iesu Christi nomen suum esse confitetur pater, & quoniam filij eius est, & quoniam ipse scribens id, ad salutem dedit gentibus. Bene ergo ait secundum vtrumque. Et in omni loco incensum offertur nomini meo, & sacrificium purum.* Hæc Irenæus, aliquantolum varians lectionem vulgatæ in Malachiæ verbis; quibus eleganter deducit pura sacrificia, & oblationes mundas deberi nomini Iesu, ipsumque inter pura, & munda versari ex eo quod ortum habuit a purissimo ore Dei patris. Nec oscitanter Paul ad Philipp. 2. de Iesu nomine ait: *Vt in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus, &c.* *Philipp. 2.* Vbi de genuflexionibus loquitur, expressè ponit cœlestium, terrestrium & infernorum; vbi de linguis Iesum celebrantibus, illud prætererit, & maluit potius intelligi, quam dici ne videretur tantum nomen amare, a minus puris linguis celebrari.

Text. Iterum ergo interrogabant eum Pharisæi, quomodo vidisset? ille autem dixit eis: Lutum mihi posuit super oculos, & laui, & video.

§. XVI.

In iudicio nuda facti veritas attendenda est.

Præclarus cœcus hic iudicum doctor, qui apud vicinos multa edixit de Iesu, eiusque verbis, quibus missus fuerat ad fontem; modo, vbi Pharisæorum iudicio sistitur, omnia reticet, solum sine auctoris nomine, sine artificij mentione facinus proponit. Etenim ait: *Lutum mihi posuit super oculos, & laui, & video.* Non dicit; Iesus fecit lutum, &c. sed simplicem positionem luti repræsentauit. Sic integerrimi iudices, non personam respiciant, sed solum factum examinent, ex quo solo, & doctrinam, & veritatem percipiant. Dominus dum tabernaculi opus commendat, & artifices nominat, & materiam præscribit, passim dicens: facies hoc, vel illud & tamen Exod. 28. aliter loquitur, dicit *Exod. 28.* enim, *Pones autem in rationali iudicij doctrinam, & veritatem.* Iuxta sermonem solitum, dixisset, *facies*, in rationali iudicij doctrinam: sed quia in iudicio nuda veritas ponenda est, auctoris nec suspicionem præfert, nec artificium meminit. Quod notans D. Seuerianus in Cat. Græc. ait. *Seuerian.* *Rectè, inquit, impones, non autem facies, perrude, ac de aliis iubetur. Non enim hæc pertinent ad artificium aliquod; sed neque Dominus admonuit, quibus doctrina hæc, & veritas conficienda erant?* Vbi veritas clarere amat, ipsa per se ipsam simplex inspicienda proponitur, nullas artificum refert manus, ne artificum bona, vel mala opinio aliquam iudicibus imposturam faciat. Numquam rectius iudicium fit, quam cum res

per ſe ipſam ſine auctore, ſine artificis ſuco ob oculos proponitur. Vnde ille bonus cenſor habebitur, qui reſpiciens propoſitas res, illarum auctores, & artifices penitus ignorat.
Matth.7. Ecce tibi iuſtiſſimum omnium iudicem, apud Matth.c.7. ſic loquentẽ. *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: quia nunquam noui vos.* Expende illud, nunquã noui vos: quippe bonus, & rectus iudex, non ſolum poſt damnationis ſententiam, à damnatis oculos auertit, ſed & ante ſententiam, & cũ opera proponebantur, examinabantur, nunquam nouit perſonas, nunquam vidit, aliquo odij, vel amoris affectu inclinatus in illas.
Apon. Quæ verba latè ponderans Aponius lib.1. in Cant. poſt medium, ſic tandem finit. *Quid tam rectum, niſi, vt in iudicando nulla veritati præponatur perſona?* Rectiſſimè ſanè iudicat ille, cui non perſona obiicitur, ſed nuda, & ſimplex facti veritas proponitur. Et vanè aduerſus iudicem queritur ille, cuius opera ſine perſona, & viſa, & damnata fuerãt. Quam iudicij rectitudinem in damnatione populi ſui crediderim oſtendi à Deo, apud Abacuc, cap.1.
Theoph. iuxta lectionem Theophylacti, vbi ſic. *Videte contemptores, & intuemini, & admiramini mirabilia, & obſcuramini. Nam rem ego arduam perficiam in diebus veſtris, cui haudquaquam adhibebitis fidem, ſi quis recenſeat. Propterea ego excito Chaldæos gentem amaram*, &c. Sic pergit vates annuncians punitionem Iudæorum à Chaldæis peractam. Sed ponderandum eſt illud verbum ante expreſſionem damnationis poſitum,
Idem. nimirum, *obſcuramini*, quod idem eſt Theophylacto ac, *contegimini*, quaſi oſtendat Deus in eo iudicij ſui rectitudinem, quod non prius ad illud acceſſerit, quam oculos à perſonis præuaricatricibus auerteret; quibus prorſus contectis, facinora ſola per ſe ſumpta iudicarit. Cuius rectitudinis gloriam in iudiciis ſuis fortaſſe ambiebant illi, apud quos erat mos, vt reorum obnubilarentur capita, de quo habes apud
Eſther 7. Eſther, cap.7. *Nec dum verbum de ore regis exierat, & ſtatim operuerunt faciem eius.* hoc factum fuit ante ſententiam latam, ne videretur hæc prodiiſſe ab ira, & odio perſonæ; ira enim, & amor vehementer excœcant iudicis animum.
Bernard. Quò ſpectat illud D.Bernard. lib.3. de conſid. vbi ait. *Porro caliginis duæ ſunt cauſæ: ira, & mollior affectus. Is iudicij cenſuram eneruat; illa præcipitat. Quomodo enim ab altero non periclitetur, aut pietas clementiæ, aut zeli rectitudo? Turbatus præ ira oculus clementer nihil intuetur: ſuffuſus muliebri mollitie animus rectum non videt.* Vtraque hæc præcipitia cauet iudex, cui non perſona præponitur, ſed facinus nudum per ſe ipſum, & ſimplex.

Text. Dicebant ergo Phariſæi quidam: Non hic homo à Deo, qui Sabbatum non cuſtodit. Alij autem dicebant: Quomodo poteſt homo peccator hæc ſigna facere? Et ſchiſma erat inter eos.

§. XVII.

Semper veritas aliquale inuenit patrocinium, etiam inter peſſimos viros.

QVando veritatis cauſa omnino cecidit. Quando etiam inter impios homines non inuenti ſunt aliqui, qui ſubſcribant veritati? Impiiſſimi erant Phariſæi, & tamen inter Phariſæos inueniuntur, qui dicant, Quomodo poteſt homo peccator hæc ſigna facere? & aliquale ferant veritati ſuffragium, & patrociniũ. Proiectus fuit in terram cal-
Apoc.12. lidiſſimus ille coluber, de quo Apocal.12. dicitur, quod ſit *accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri die, ac nocte.* Hic igitur nequam accuſationis ſpiritus impiorum cordibus inſeminatus, quot metit ſegetes calumniarum aduerſus virtutem, & veritatem? Sed ſimul immiſſus nobis eſt ſpiritus paracletus, quem miſit pater, vt vel inter malorum accuſationes, & calumnias erumpat ſemper aliquod pro veritate ſuffragium. Huc re-
Irenæus. fero D.Irenæum ſupra lib.3.cap.8.§.44. aliter relatum, qui lib.3.cap.19. ſic loquitur. *In omnem terram miſit è cœlis paracletum, vbi & diabolum tanquam fulgur proiectum, ait Dominus. Quapropter neceſſarius nobis eſt ros Dei, vt non comburamur, neque infructuoſi efficiamur: & vbi accuſatorem habemus, illic habeamus & paracletum.* Itaque inter mille calumnias, inter innumerabilia mendacia, inter peſſimos errores à ſpiritu nequam diſſeminatos, vt veritas ſuffocetur, & comprimatur, non adeò deſerta manet veritatis cauſa, quando cœleſtis pater prouidit nobis in terris veritatis aduocatum Spiritum ſanctum, quo mouente, & ſpirante nunquam non cernitur aliquale pro veritate ſuffragium. Matth.18. ait Matth.18.
Dominus, *In ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum.* Cur in ore duorum? Nónne inuenti ſunt duo falſi teſtes, qui omnino comprimant veritatem? Nónne contra Suſannam duo nequam viri inſurrexerunt, vt falſum teſtimonium dicerent? Non ergo veritatis cauſa in ore duorum ſtabit? Sed nota illud, quod additur, nimirum, *In ore duorum, vel trium*, non enim otioſè additum eſt, *vel trium*, ſed vt inſinuetur officium, & munus beatificæ Trinitatis, cuius eſt pro veritate ſtare, ita vt nuſquam deficiat aliquod veritati ſuffragium. Stabit quidem veritas in ore duorum, vel ſi quando contingat, quod duo opprimant veritatem, pro illa ſtabit diuina Trias prouidens aduocatum, qui excitet, & educat ſuffragia veritatis. D.Auguſt. tract. Auguſt.
36. in Ioann. cap.8. ſic explicat illud, *vel trium*, aiens. *Per hoc myſterium Trinitatis commendata eſt, in qua eſt perpetua ſtabilitas veritatis. Vis habere bonam cauſam? Habeto duos, vel tres teſtes, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum. Denique quando Suſanna caſta fœmina, fideliſque coniux duobus falſis teſtibus vrgebatur, Trinitas illi in occulto ſuffragabatur; illa Trinitas de occulto vnum teſtem Danielem excitauit, & duos conuicit.* Quando erit veritas ſine aliquo patrocinio, ſiquidem cœleſtis pater, imò tota Trinitas illi ſuffragia prouidet? Et nobiſcum in terris aduocatus, qui non ſinat veritatem ſuffocari calumniis, & mendaciis, ſed vbicumque faciat veritatis exilire ſcintillas etiam inter peſſimos viros. Quò fortè reſpiciebat Eſdras, lib.3.cap.4. aiens. *Omnis terra veritatem inuocat, cœlum etiam ipſam benedicit.* 3.Eſdr.4.
Non eſt terra, nec ſunt homines adeò terræ mandati, & ſepulti, inter quos veritas aliqualiter non fulgeret, vt dicat Nicetas apud Nazianz. orat.40. *Vndecumque veritatis lumen irradiat, tum à mundo, tum à ſcripturis, tum à nobis ipſis*, &c. Expende illud, *tum à mundo*, quaſi vellet, quod etiam in mundanis cordibus non deficiat aliquale ſuffragium veritati.

Text. Dicunt ergo cœco iterum: Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit: Quia Propheta eſt.

§. XVIII.

Qui miſericordia fulget, prophetet neceſſum eſt, & diuinet ad pauperum neceſſitates ſubleuandas.

NVllam audierat cœcus à Ieſu prophetiam, ſed viderat opus propheticum; quando enim abſque ſuis precibus ſenſit lutum à Domino impoſitum, & viſum oblatum, exiſtimabat ſuam videndi voluntatem fuiſſe à Ieſu diuinatam. O quàm verè miſericors ille, qui non precum ruborem expectat, ſed præoccupat, & ſilentis egeni diuinat, & prophetat neceſſitatem! Bonus diuinus, bonus propheta, qui prius miſericordiam exerceet, quam audiat vocem pauperis; quaſi ante vocem, pauperis deſideria, & voluntates præcognoſceret, diuinaret. Pſ.40. *Beatus vir, qui intelligit ſuper egenum, & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.* Pſal.40.
Expende illud, *intelligit*; non enim tam beatificat hominem exanditio precis pauperis, quam præſaga ſolicitudo, & intelligentia, qua quis ſupra id, quod homo eſt, ſe eleuat, vt diuinet deſideria, & voluntates pauperum. Id quod præclare animaduertens D.Th. ait. *Qui intelligit, non dicit, qui ſubuenit, quia debet eſſe miſericors ad modum Dei: ſed Deus non expectat, quod ſemper petatur. Vnde ſubuenit deſiderio, antequam petatur; & ideo ille eſt miſericors, qui non ſolum potentibus ſubuenit, ſed etiam indigenti ſubuenit, priuſquam petatur.* D.Thom.
Ille verè miſericors, qui Dei halitum habet, vt non tam audiat, quam præintelligat, & diuinet, & prophetet deſideria pauperum, & præparationes cordis eorũ. Nullus ad ſubueniendum miſeris præſtantior, quam qui nouit ſic anteuertere pauperum neceſſitates, vt videatur illa præſagiſſe, & diuinaſſe. Vnde libet in ſumma miſeria D.Petri expendere felicitatem; quid miſerabilius, quam peccatum? Videte modo Petrum obſcuriſſimis peccati negationum tenebris totum immerſum, omni paupere, omni mendico, omni afflicto miſerabiliorem. Sed in tanta miſeria, hoc maximè felicitatis habuit, nimirum quod oculos præſtantiſſima omnium miſericordia pollentes incurrerit. Ait enim Luc.22. *Conuerſus Dominus* Luc.22.

respexit Petrum. Quid magnum, quòd Dominus respexit Petrum misere egentem, non ne Psalm. 103. *Respicit terram, & facit eam tremere?* Sanè modò Petrum respiciunt, non quicumque Dei oculi, sed illi oculi, qui eius miseriam, & casum diuinarunt; qui præsaga vigilantia prophetarunt ruinam, vt simul suo tempore medelam pararent. Accipite
Leo. D.Leonem serm. 3. de pass. sic fantem. *Respexit ergo Dominus Petrum, & inter calumnias Sacerdotum, inter falsitates testium, inter cædentium, & conspuentium iniurias constitutus, illis turbatum discipulum conuenit oculis, quibus eum præuiderat esse turbandum.* Ea veniebat Petro misericordia in illis Saluatoris oculis, quæ & miseriam diuinarat, & antequam pauper clamaret, iam præsagiebat compediti gemitus, & desideria pauperis. Felix esset hoc sæculum, si ex huiusmodi oculis plures haberet, qui præintelligerent clamorem pauperum, & diuinarent pauperum voluntates. Is extitit Ægypto magnus ille Ioseph; cui vbi narratum somnium Pharaonis fuit de macris vaccis, & tenui spica, statim beatus vir intellexit super egenum, & pauperem, & præaudiens inopum desideria, eorum incipit adimple-
Genes.41. re voluntates. Sic habes Genes.41. *Sequentur septem alij anni tantæ sterilitatis, vt obliuioni tradatur cuncta retro abundantia, consumptura est enim fames omnem terram, & ubertatis magnitudinem perditura est inopiæ magnitudo. Nunc ergo prouideat rex virum sapientem, & industrium, & constituat eum terræ Ægypti,* &c. Quærebatur ex Ioseph somni explicatio, ipse autem præter somni explicationem insuper addidit consilium de frumento comparando, & asseruando: solicitus enim de afflictione terræ misericordia plenus, non potuit non diuinare pauperum necessitates, & præintelligere super desideria, & voluntates pauperum: adeò, vt antequam ipsi damnarentur, ipsi clamarent, iam ipse curaret de eorum pabulis, quasi diuinans eorum voluntates, quæ vellent habuisse cibos asseruatos.

Text. Non crediderunt ergo Iudæi de illo, quia cœcus fuisset, & vidisset, donec vocauerunt parentes eius, qui viderat. Et interrogauerunt eos, dicentes: Hic est filius vester, quem vos dicitis, quia cœcus natus est? Quomodo ergo nunc videt?

§. XIX.

Clarissimè, & iustissimè damnatur filius, quem vterque parens commendat.

MAlitiosè Iudæi vocant parentes cœci, non patrem, aut matrem seorsim, sed vtrumque simul, cupientes ab vtroque elicere aduersus filium testimonium, vt clarius
Deut.21. damnatio eius pateret. Cauebat Dominus Deut 21. sic. *Si genuerit homo filium contumacem, & proteruum, qui non audierit patris, ac matris imperium, & coercitus obedire contempserit, apprehendent eum, & ducent ad seniores, & ad portam iudicij,* &c. Iubetur filius adduci in iudicium non à patre
Auctor Cat.Græc. solo, non à sola matre, sed ab vtroque. Quod notans auctor Cat. Græcæ, sic ait. *Ad damnandum filium, cur exequitur vtriusque parentis consensus? Vt accusationis concordia veritatem contestetur. Accidit enim frequenter, vt accusanti matri aduersetur pater, & è contrario mater non subscribat damnationi liberorum. Quando conuenerit, occidatur.* Quæ spes saluris potest esse filio, qui ab vtroque parente reiicitur, ab vtroque accusatur? Ferus Esau haud gratus matri suæ, Deo odiosus, cur potuit viuere? cur prauis suis moribus penitus non fuit obrutus? Sanè habebat pro se saltem patris sui suffragium; quo solo immunem vi-
Philo. tam potuit peragere. Sic enim Philo apud Lypponianum reddit rationem, cur Isaac noscens prauos Esau mores, quibus & matrem suam offendebat, nihilominus illi benedictionem impartiri maluit. *Malum filium*, ait, *benedictione adiuuare volebat, sine qua non nisi infelicissimus esse poterat.* Iuuit filium nequam vnum suffragium patris, sine quo necessum erat, quod periret, qui & Deo, & matri propter mores suos minimè erat gratus, quippe si vt mater aduersabatur Esau, similiter ei aduersaretur pater, non nisi infelicissimus esse poterat, vt est ille filius, qui ab vtroque pa-
Zach 13. rente damnatur. Quam summam infelicitatem præsagit
Hieron. Zacharias cap. 13. teste Hieron. Cyrillo, Theodoreto, illis
Cyrill. qui in Christi Ecclesia propheteant mendacia. Etenim ait,
Theod. *Et erit cum prophetauerit quispiam vltra, dicent ei pater eius & mater eius, qui genuerunt eum, Non viues: quia mendacium locutus es in nomine Domini. Et confingent eum pater eius, & mater eius, qui genuerunt eum.* Hæc extrema calamitas eorum, qui loquuntur mendacia in nomine Domini, quia ab vtroque damnati parente, non nisi infelicissimi esse possint. Vnde monebat Sapiens, Prouerb.23. *Audi patrem* Prou.23.
tuum, qui genuit te, & ne contemnas, cum senuerit mater tua. Vtriusque curam habe, valet enim plurimum vtriusque suffragium, siue ad damnandum, siue ad promouendum; infelicissimus eris, si tibi contrarientur pater, & mater, & in summas te extollent felicitates, si adsint tibi vtriusque suffragia. Quo refert D.Ambros. lib.2. offic c.16. exaltationes Ioseph super omnes fratres suos, quia nimirum in benedictione eius patris, & matris explicentur suffragia. Sic enim ipse legit benedictionem Iosepho impertitam,
Genes.49. *Adiuuet te Deus meus, & benedicat te benedictione* Genes.49.
cœli à summo, benedictione terræ habentis omnia propter benedictiones patris tui, & matris tuæ. Maiores omnibus felicitates habuit, qui præ omnibus tulit simul benedictiones patris, & matris, vt inde meritò dicatur filius ampliatus.

Text. Responderunt eis parentes eius, & dixerunt: Scimus, quia hic est filius noster, & quia cœcus natus est: quomodo autem nunc videat, nescimus; ipsum interrogate, ætatem habet, ipse de se loquatur. Hæc dixerunt parentes eius, quia timebant, &c.

§. XX.

Graue est parentibus se esse causam damnationis filijs suis.

AVdio cœci parentes præ timore Iudæorum inquisitionem in ipsum filium conuertisse, quia ipse ætatem habebat, qua pro se stare posset in iudicio. Sed quid timebant parentes? Conspiratio Iudæorum in illos erat solum, qui Iesum confiterentur esse Christum, ab his autem solum quærebatur, quis, & quomodo aperuit filij oculos. Vnde ergo timebant respondere curatum filium à Iesu per impositionem luti? Quæ timoris ratio ex hac confessione? Sanè timendum erat parentibus, ne dum filij curationem diceret, similiter cogerentur dicere filij gratitudinem, & reuerentiam erga curatorem suum, quæ filio damnosa, & causa damnationis existeret. Et nescio, an quid sit magis timendum parentibus, quam quod ipsi causa damnationis existant filij. Ecce vobis qualem timorem incutiat Dominus, quo parentes à peccatis abhorreant.
Sic ait Deuteron. 5. *Ego enim sum Dominus Deus tuus, Deus* Deut.5.
æmulator, reddens iniquitatem patrum super filios in tertiam, & quartam generationem. Ad deterrendos patres, non mortes, non ignes, non cruces minitatur, sed hoc, quòd illis maximè erat timendum, nimirum, quod propter sua peccata futuri ipsi erant filiis suis causa damnationis, &
mortis. Id quod ponderans Tertullian.lib.2.in Marcionem, Tertull.
hæc pulchra dedit verba. *Noli reprehendere iudicem, sed retractate malum iudicem. Nam & patrum delicta ex filijs exigebat. Duritia populi talia remedia compulerat, vt vel posteritatibus suis prospicientes, legi diuinæ obedirent. Quis enim non magis filiorum salutem, quam suam curet?* Sanè nouum genus supplicij, nouum, & maximè horrendum, quod parentum delicta filiis suis, charissimisque pignoribus damnationem conciliarent. Sed totum hoc tormentum exegit duritia illius populi, quæ nullo alio minore metu posset arceri à peccatis, ideo illi ponitur hæc rerum parentibus timendarum maxima. Vt vix inuenitur pater, qui non magis curet filiorum salutem, quam suam, sic non est qui filiorum cladem magis timeat, non doleat magis, præcipuè illam, cui ipse præstitit causam. Peccatori Dauidi
hoc supplicium iniungitur 2. Reg. 12. *Quia blasphemare fe-* 2.Reg.12.
cisti inimicos nomen Domini, filius qui ex te natus est, morietur. Et quantum putas in patrem supplicium, quod eius pec-
catum & error mortem inferat filio? Pulcrè Saluian. de Gu- Saluian.
bern. Dei, lib. 2. inquit. *Præter pœnam acerbæ orbitatis, etiam hunc addi pijssimo patri intellectum summi supplicij. Deus voluit, vt dilectissimo filio causa mortis pater ipse existeret, qui doleret.* Inde parentis affligebat animum Dominus, quod non solum videret mortem filij, sed quod sciret se occasionem & causam extitisse talis mortis; in quo summus dolor, summique supplicij intellectus erat positus.

Text.

Text. Vocauerunt ergo rursus hominem, qui fuerat cœcus, & dixerunt ei: Da gloriam Deo: nos scimus, quia hic homo peccator est. Dixit ergo eis ille: Si peccator est, nescio: vnum scio, quia cœcus cùm essem, modò video.

§. XXI.

Gratus animus in benefactore suo id solum attendit, quod beneficium fecit.

COgebant Iudæi hominem, vt ipse Iesum peccatorem profiteretur, quasi ex tali professione magnam Dei gloriam redderet: verum prudentior illis cœcus maluit in benefactore suo illud solum & spectare, & meminisse, quod beneficium dederat, quam nondum in scirpo quærere. Huc respiciunt illa. *Vnum scio, quia cæcus cum essem, modo video*, quasi dicat, vnum ad me pertinet scire de benefactore meo, nimirum, quod ab illo beneficium accepi, alij alia scrutentur, ego hoc vnum considero, hoc vnum video, quod ad meum beneficium spectat. Disce ab hoc cœco, quisquis beneficium accepisti, in benefactore tuo, illud solum spectare, quod tibi salutare extitit. Exploratores Israelitæ sic dicebant ad Raab Iosue 2. *Innoxij erimus à iuramento hoc, quo adiurasti nos, si ingredientibus nobis terram, signum fuerit funiculus iste coccineus, & ligaueris eum in fenestra, per quam demisisti nos.* Quid necessum erat, quod funiculus ille ligaretur in illa ipsa fenestra, per quam dimittebantur? Sane in domo meretricis multæ erant portæ, & luxuriæ, & auaritiæ patentes, propter quæ peccata merito domus illa, & sicut reliquæ, hostilibus gladiis esset obnoxia, verum exploratores grati tanto beneficio, nihil in illa volunt respicere, nisi fenestram, quæ illis salutaris, & commoda fuerat. In hanc vnam volunt oculos coniicere; vnam hanc fenestram cupiunt scire, ne quid in benefactrice videant, quod beneficij accepti memoriam non excitet. Non longè abero, si hunc referam illud D. Pauli 1. ad Corinth. 2. vbi ait. *Non enim iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Dominum Iesum Christum, & hunc crucifixum.* Quasi nobilis hic explorator, cætera prætereiens intentus solum sit ad fenestras illas diuinarum cicatricum, per quas saluus, & incolumis extitit. Hoc vnum mente voluebat, ab hoc vno oculos numquam auertit, nimirum, à salutis beneficio. Magnus Isaac post iurgia mille, post excitatas inimicitias puteorum causa, continuo, Genes. 26. *profectus inde fodit alium puteum, pro quo non contenderunt: itaque vocauit nomen eius, Latitudo, dicens: Nunc dilatauit nos Dominus, & fecit crescere super terram.* Ecce tibi gratus animus non meminit iurgia, non meminit pressuras, & hostiles inimicitias, sed vbi liberè puteum accipit, hunc solum respicit; illud se solum putat scire, quod pertinet ad beneficium, ad omnia alia cœcutiens. Id quod notans Chrysost. hom. 5? fatur. *Vidisti piam mentem, quomodo non facta mentione tam atrocium difficultatum, quæ obsisterant, bonorum tantum meminit, & pro illis gratiam Deo offert.* Hoc est verè piæ mentis indicium, quod nihil aliud de benefactore suo velit inquirere, velit scire, velit meminisse, nisi illud, quod peperit beneficium, quod sibi extitit causa salutis.

(margin: Iosue 2. — 1. Cor. 2. — Genes. 26. — Chrysost.)

Text. Dixerunt ergo illi: Quid fecit tibi? Quomodo aperuit tibi oculos? Respondit eis: Dixi vobis iam: & audistis, quid iterum vultis audire? Numquid & vos vultis discipuli eius fieri? Maledixerunt ergo ei, & dixerunt: Tu discipulus illius sis: nos Moysi discipuli sumus.

§. XXII.

Solius Christiani proprium est, quod sit discipulus Dei, in quo signum vera Ecclesia.

HÆc seruata est gloria creditoris in Christum, quod discipuli Dei sint, eiúsque imbuantur verbo. Inde est, quod filius Dei in mundo degens, docens in Synagoga, se nomine principij manifestabat: ait Ioann. 8. *Ego principium, qui loquor vobis.* Verum vbi fidelibus proponitur Ioan. 1. ait, *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum.* Illis principium dicitur, nobis verbum proponitur, quia verbum illis solum traditur, qui illo sunt instruendi. Accipite D. Brunon. Carth. ser. 1. de Trin. *Idem ergo per verbum, & principium significatur. Sed nobis verbum vocari debuit, qui docibiles sumus, qui ipsum verbum, & doctrinam audire, & discere parati sumus. Illis vero certè debuit vocari principium, qui eum principium esse non credebant*, &c. Nobis filium Dei verbum apparet, qui eius vitæ verbis edocti, eum habemus vitæ magistrum, & doctorem. Quos spectabat Isai. c. 54. fatus. *Vniuersos filios tuos doctos à Domino*, vbi Septuag. reddidere: *Vniuersos filios tuos discipulos Dei.* Magna Christianæ Ecclesiæ laus, & excellentia est, cuius filij vniuersi discipuli Dei sunt, salutarémque, & veram ebibunt sapientiam, magistro ipso Deo. Nec fuit aliquando, qui ad hunc discipulatum ascendere possit, nisi Christi virtute. Exod. 24. ait Dominus ad Moysem: *Ascende ad me in montem, & esto ibi, dabóque tibi tabulas lapideas, & legem, ac mandata, quæ scripsi, vt doceas eos. Surrexeruntque Moyses, & Iosue minister eius*, &c. Vnus Moyses vocatur à Domino, vt excipiat disciplinas legis, nec tamen Moyses solus ascendit in Dei scholam, sed Iosue ministrum suum fert secum. Cur sine Iosue non ascendit Moyses? Quoniam, nisi Iesu comitante, & aspirante, & ducente, nemo Dei discipulus, legísque diuinæ auditor potest fieri. D. Ambr. Psal. 47. *Moyses ille peritus in omni sapientia Ægyptiorum, in montem ascendit, atque in nubem intrauit, vt operta, & occulta cognosceret, adhærente sibi socio Iesu: quia nemo, sine vero Iesu, potest incerta sapientiæ, & occulta comprehendere. Et ideo in specie Iesu Naue, veri saluatoris significabatur affuturi præsentia, per quem fierent omnes dociles Dei.* Vanè de sæcularibus disciplinis, & de Moysis disciplinis gloriatur, qui Iesum non habet, quando nec ipse Moyses in omni sapientia Ægyptiorum peritus, nisi de Iesu socio non potuit ad diuinam legis scholam peruenire, nec fieri docibilis Dei. Sapientia, quæ à Deo traditur, sic halat Iesum, sic halat Christum, vt nequeat imbui illa non Christianus. Ioan. c. 6. dicebat ipse Iesus: *Omnis, qui audiuit à patre meo, & didicit, venit ad me.* Vnde egregiè & acutè argumẽtatus D. August. lib. 1. de Gratia contra Pelag. & Celest. c. 14. ait. *Omnis, qui didicit, venit, quisquis non venit, profectò non didicit.* Sapientia diuina demonstrat Christianum, & Christianus ostendit sapientiam, quæ à Deo est. Ille neget in Christi Ecclesia, & docibiles, & doctos simul à Deo esse, qui immensas doctorum segetes nõ videat in dies illic parturiri. Ex doctorum segete prænoscitur manifestè schola Christi, & eius vera Ecclesia, sicut fons ex riuulis. Vbi plures Dei docibiles, ibi certus Iesus est, quia vera sapientia à Deo veniens cum Iesu. Nec te moueat, quod signũ Christi dicantur esse Dei discipuli, Dei docibiles, & non potius docti; vbi enim Deus magister est per Christum, idẽ est, & docibilem esse, & doctum. Ea enim est Dei doctrina, quæ nesciat manere, vel in lectione, vel in auditu, sed sic auditores suos imbuit, vt etiam per opera manifesta fiant. Paul. 1. ad Thess. 4. *De fraternitate autem charitate non opus habetis vobis scribi. Nam ipsi vos à Deo didicistis, vt diligatis inuicem: etenim facitis illud in omnes fratres.* Vbi D. Aug. lib. 1. de Grat. aduersus Pelag. & Celest. c. 13. notat. *Vt probaret eos à Deo didicisse, subiunxit: Etenim facitis illud, tanquam hoc sit certissimum, quo à Deo didicerint, si id quod didicerint, fecerint. Illo modo sunt omnes, secundum propositum, docibiles Dei. Qui autem nouit, quid fieri debeat, & non facit, nondum à Deo didicit secundũ gratiam, sed secundum legem.* Hinc noscuntur Dei discipuli per Christum ex doctrinæ segete, cum operum fructibus coniuncta qui non faciunt, non Dei, sed Moysis sunt discipuli.

(margin: Ioann. 8. — Ioann. 1. — Brunon. — Isai. 54. — LXX. — Exod. 24. — Ambrof. — August. — 1. Thess. 4. — August.)

Text. Respondit ille homo, & dixit eis: In hoc mirabile est, quia vos nescitis, vnde sit, & aperuit oculos meos: scimus autem, quia Deus peccatores non exaudit; sed si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit.

§. XXIII.

In Deo colendo tota vis felicitatis humana posita est.

ILlud insipienter dixerit homo hic illiteratus, nimirum, quod Deus peccatores non exaudit; verum negari non potest hoc prudentissimè dixisse, quod si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc Deus exaudit, hunc beat, hunc ingentes bonorum copias facit reportare. Afferam nullam

nullam à te posse ditiorem institui negotiationem, & feliciorem,quam si Deum colas totis viribus animæ. Nautæ illi Iona 1. Ionam examinant, cap.1. *Indica nobis, cuius causa malum istud sit nobis,quod est opus tuum?* (aliter apud Theophylact.) *Quæ est negotiatio tua? Quæ terra tua?& quo vadis?vel ex quo populo es tu?* Sic in naui degentem Ionam interrogant nautæ de patria,de causa itineris,de studio,de negotiatione, quasi ille, vt cæteri qui adnauigabant, esset mercator,& per mare negotiaretur quæstus gratia.Quibus ipse respondit,apud LXX. Septuag. *Seruus Domini ego sum, & Deum cæli ego colo: qui fecit mare,& aridam.* Pulcrè ad interrogantium mentem respondit,qui omnia eius negotia scire cupiebant, optimam, & ditissimam omnium negotiationem suam explanans, his Theoph. solis verbis, *Deum cæli ego colo.* Quæ sic apud Theoph. expenduntur. *Hoc,* inquit, *studium meum,hæc mea negotiatio est, seruire Deo vero per mea opera,& colere ipsum per fidem in ipsum.* Negotiationem quæritis,qua bonis acquirendis instem,portus scire cupitis,à quibus soluo,& ad quos appello,vt inde merces meas æstimetis;ecce vobis totum meum studiũ,ecce vnicam,eámque ditissimam, & felicissimam negotiationem meam, nimirum, seruus Domini ego sum, & Deum cœli ego colo. In Deo colendo sum totus, qua nulla negotiatio ditior: quis Deum ex animo coluit,& non habuit sibi Deũ propitium ad omnia sua promouenda studia? Quo solo ar- Iud.11. gumento conuicit honestissima fœmina Iudith c.11. Holophernem,sibi omnia à Deo prospera futura, etenim ait:*Ego enim ancilla tua Deum colo, etiam nunc apud te, & exiet ancilla tua, & orabo Deum. Et dicet mihi, quando eis reddat peccatum suum.* Preces suas, studia sua à Deo promouendas fidenter, & securè promittit, ex eóque tantam suam securitatem, & fiduciam confirmat,quod ait, *Deum colo etiam nunc apud te.* Nulla enim felicitas, nullum lucrum dubitari potest in eo, Tobia 3. qui toto animo suo colit Deum.Quo spectat Tob.c.3.aiens, *Hoc autem pro certo habet omnis, qui te colit, quod vita eius, si in probatione fuerit, coronabitur; si autem in tribulatione fuerit, liberabitur,& si in correptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit.* Nullo in casu inglorius manebit ille, qui ex toto corde suo cultor est Dei, siue in probatione, siue in tribulatione, siue in correptione fuerit, diuina misericordia circundabitur,& in maximas felicitates venire licebit.Quare Hierosolymitani Hebræi hoc primum felicitatis funda- 2 Mach.1. mentum suis fratribus exoptabant.2.Mach.1. dicentes:*Benefaciat vobis Deus, & meminerit testamenti sui, quod locutus est ad Abraham,& Isaac, & Iacob seruorum suorum fidelium:& det vobis cor omnibus, vt colatis eum, & faciatis eius voluntatem corde magno, & animo volente.* Quid tunc? *Et exaudiat orationes vestras, & reconcilietur vobis.* Ecce, quibus gradibus perueniatur ad misericordiam diuinam, si corde magno, & animo volente colamus Deum, nihil non obtinebimus. O cultura! O negotiatio!Fallor,si alia est negotiatio ditior, si alia est cultura felicior, quam colere Deum. Quis ager, quæ merces copiosius respõdit cultoribus suis quam Deus? Prou.31. Prou.31.de muliere forti dicitur, *Considerauit agrum, & emit eum; de fructu manuum suarum plantauit vineam. Accinxit fortitudine lumbos suos,& roborauit brachium suum. Gustauit, & vidit, quia bona est negotiatio eius.* Ipse Deus nobis ager proponitur, vbi ait Psalm. *Pulchritudo agri mecum est,* cuius agri cultura quæstuosissima omnium est;pro certo enim habeat, quisquis colit eum corde perfecto, quod in omnibus, & semper prosperabitur. Inde illud gustauit, & vidit, quia Chrysost. bona est negotiatio eius. Quo spectant illa D.Chrysostom. verba,hom.de fide Annæ, *Tantùm autem hac negotiatione lucrum fecit, quantum facere par est eam, quæ cum Deo habuerit commercium. Etenim postquam vnum fœtum acceperat, Deus reddidit illi alterum.* Sic Anna ex eo quod colit Deum, negotiationis fructus metit quam largos.

Text. Responderunt, & dixerunt ei: In peccatis natus es totus,& tu doces nos? Et eiecerunt eum foras. Audiuit Iesus, quia eiecerunt eum foras, & cùm inuenisset eum, dixit ei: Tu credis in filium Dei?

§. XXIV.

Nihil æstimet à parentibus, & omnibus creaturis deseri, vbi Deo cura es.

OMnes deserunt cœcum hunc;parentes illum in manus Iudæorum derelinquunt, cum dicunt, ætatem habet, ipsum interrogate, Iudæi omnes illum à se abiiciunt; sed Dominus abiectum, & reiectitium ab ipsis parentibus hominem suscipit. Quid noceat relinqui à parentibus, abiici ab omnibus creaturis, si suspiciaris à Iesu? Canebat lætabundus Dauid, Psal.29. *Pater meus, & mater mea dereliquerunt me,Dominus assumpsit me.* Psal.29. Et quidem parum eget parentum cura, qui Dei commissus est tutelæ. Multis facit quæstionem illud, quod Abraham solus è veteribus patribus filio suo Isaac,& dilectissimo filio moribundus benedictionem non impertiuerit. Quid magis solemne parentibus moribundis, quàm benedicere filiis? Sic Isaac benedictionem Iacobo impertiuit: sic Iacob duodecim Patriarchis. Solus Isaac à parente optimo relinquitur sine benedictione, quia solus ille Deo in holocaustum oblatus, ibíque acceptus apparuit. Rem totam sic expendit Theodoretus cita- Theod. tus in Cat.Græc. *Cum quemadmodum Isaac filio suo Iacob, deinsépsque Iacob filijs suis benedixerunt,non eodem pacto Abraham benedixerat Isaac? Superuacaneum hoc illi fortè videbatur, cum post oblationem filij monumentum illud seruaret in pectore certæ promissionis.* Hoc habuit insigne proprium Isaac,quod à Deo postulatus fuerit in holocaustum sibi, quod & sic ipse Deo denouens immolandum posuerit à parente, quod ex tunc sic acceptus fuerit Deo, vt in illo totum firmaret arcanum repromissionis. Qui ergo sic erat Deo acceptus, nihil egebat. Sine benedictione, sine tutela parentum, quamuis omni patris terreni auxilio destitutus, imò ab omnibus creaturis reiectus Deum sibi auxiliatorem habet præsentẽ, quo nihil mali nouit timere, sed omnia bona sperat. Hinc ipse Isaac qui paternæ benedictionis dedit exemplum, è duobus filiis nequiori illam impertiri curabat.sic enim ait, Gen.27.in Esau:*Affer,vt comedam,& benedicat tibi anima mea,* Genes.27. *antequam moriar.* Cur Esau parat benedicere? An latebant sanctissimum parentem Esau efferi mores? Cur potius ad illum dirigit benedictionem, & non ad Iacob? Eo ipso, quod nouerat prauos Esau mores, & nouerat Iacob virtutes, pro nihilo ducit Iacob benedicere, qui enim Deo erat acceptus,parum egebat paterno auxilio,& tutela. Ita Philo Philo. apud Lypp. *Nouerat Isaac bonum filium bonitate propria sibi ipsi satis auxilio fore.* Imò,qui Deo accepti sunt,quo magis à parentibus derelinquuntur, eiiciuntur, eò citius, & felicius diuinum sibi congerunt auxilium,& protectionem.Puer ille Ismaël Abrahami filius, & semel à Deo exauditus legitur;& tunc exauditur,cum à paterna domo expulsus matris brachiis,per solitudinem errabat.Errabat equidem iusti semen per solitudinem à patre eiectus,& siti vehementi premebatur inter matris brachia, nec Deus exaudit eum flentem.Quid plura?Gen.21.*Mater abiecit puerum subter vnam ar-* Genes.21. *borem,quæ ibi erat,& abijt. Seditque è regione procul, quantum potest arcus iacere. Dixit enim: Non videbo puerum morientem: exaudiuit autẽ Deus vocem pueri.* Non antea exaudiuit à Deo puer, quam eiectus à patre,simul appareat ab ipsa derelictus matre. Eadem siti premebatur in brachiis matris, & non dubito, quin tunc puer præ siti largas funderet lacrymas, & tamen non exauditur à Deo: cum vero primum mater abscessit, relicto puero,ecce tibi Deus adest, qui derelictum à parentibus suscipit, & in magnas spes alit.

Text. Et dixit ei Iesus,& vidisti eum,& qui loquitur tecum,ipse est. At ille ait:Credo Domine, & procidens adorauit eum.

§. XXV.

Munera diuina non finiuntur in prima beatitudinis visione.

MAgnum beneficium, quod cœcus Iesum viderit, & ideò maius, quia inde efficitur capax alia recipiendi. Adhuc post primum illum aspectum, restat tibi, quod à visionis tuæ auctore accipias,dum sese magis aperit tibi. Is enim est Deus,cuius munera, nec in prima beatitudinis visione finiuntur. Ps.4. *Signatum est super nos lumen vultus tui,* Psal.4. *dedisti lætitiam in corde meo.* Magna,& suprema hominis felicitas est,reuelata facie gloriam Dei contemplari, hoc est, teste Hieron.apud Nahum cap.2. lumine diuini vultus insi- Hieron. gniri. Hoc quasi supremũ spectant spes humanæ,vt lumine illo donentur,quo diuinissimam Dei videant faciem. Ecce iam dicunt æterni candidati, signatum est super nos lumen vultus tui,non solum iam donati rude,sed & supremo gloriæ luminis munere sumus donati.Quid tunc?*Dedisti lætitiã*

in

in corde meo;adhue poſt lumen dona, adhue bona data ſunt
in cœleſti theſauro , quibus in dies beati nouiter illumi-
Rupert. nantur,recreantur. A quo non abeſt illa Ruperti exclama-
tio lib. 6. de Proceſ. Spir. ſancti , capit. 9. vbi hæc verba
Pſalmi explicans fatur, *O quantu pater habet, & quanta ſpiri-*
tus veritatis hinc accipere poteſt , vt annunciet nobis de his, qua
filio ſuo theſaurizauit pater , quoniam eo ingreſſu tam fulgi-
dus, tamque ordinatus proſpectus ſacramentorum , in quibus vi-
tam habemus , ornatus eſt. Equidem quando in primo lumine
tanto lumine inſignimur, tanta viſione arcanorum ditamur
neceſſum eſt, vt inde de cœleſtibus theſauris noua in dies
dona , noua lumina proſiliant , quibus felices recreentur
1.Cor.13. animi. Paul.1.ad Corinth.13.ait, *Nunc cognoſco ex parte : tunc*
cognoſcam, ſicut & cognitus ſum. Nunc autem manent fides, ſpes,
& charitas. Expendo , quod etiam poſtquam venerit illa
plenitudo temporis , in quo cognoſcemus Deum , ſicut ab
eo cogniti ſumus. hoc eſt, videbimus Deum, ſicuti eſt, ad-
huc in eo ſtatu viſionis inſinuantur aliquo modo manere
fides , ſpes , & charitas. Ad quid maneat ſpes , cum adſit
poſſeſſio ? An poſt viſionem Dei reſtat aliquid ſperandum?
Equidem is eſt Deus.cuius munera neſciunt vſquam finiri,
etiam poſt clariſſimam Dei viſionem , eſt quid ſperes, quia
Irenæus. Deus adhuc habet. quod cupit præſtare.Sic D.Irenæus lib.
2. cap. 77. ait. Reliquis partibus deſtructis , hæc tantum
perſeuerant,quæ ſunt fides, ſpes, & charitas : ſemper enim.
fides.quæ eſt ad magiſtrum noſtrum,permanet firma ; aſſe-
uerans nobis,quoniam ſolus verè Deus,vt diligamus Deum
verè ſemper : quoniam ipſe ſolus pater : *Et ſperemus ſubin-*
de plus aliquid accipere, & diſcere à Deo , quia bonus eſt. & di-
uitias habens indeterminabiles , & regnum ſine fine, & diſcipli-
nam immenſam. Etiam poſtquam viderimus Deum , ſicuti
eſt , manet in nobis ſpes , quia plus aliquid reſtat ſemper
donandum ; non poſſunt enim exhauriri diuini theſauri,
ſed ſemper noua munera ſunt , quibus beatorum animæ
recreantur.

§. XXVI.

Infirmitas humana non poteſt notitiam diuinitatis ſuſtinere.

VBi audita eſt Ieſu vox aientis , & qui loquitur tecum,
ipſe eſt;ſtatim procidit cœcus & adorauit eũ;procidit,
inquam,ſtatim;non enim infirmitas humana ſtare poteſt in
Ioann.18. conſpectu diuinitatis ſe ſe manifeſtantis.Ioan.18.memorans
Chriſti virtutem in ipſa ſui comprehenſione , ait : *Vt ergo*
dixit eis : Ego ſum ; abierunt retrorſum.& ceciderunt in terram.
Et quis ſtaret ad vocem Dei ſe reuelantis ? Non equidem
valet infirmitas humana tantam vocem audire, quin prona
Rupert. in terram cadat. Hinc pulchrè Rupert. lib. 6. de Proceſ.
Spiritus ſancti , cap. 14. ſic ad Ieſum fatur , *Latebat vultus*
tuus in illa humanitate , vt crucifigi poſſet ; niſi enim latuiſſet,
niſi ſe continuiſſet , & ceſſaſſet dicere : Ego ſum , omnes abirent
retrorſum.& caderent in terram, nec poſſent comprehendere eum.
Nulla eſt humana virtus , quæ poſſet à Deo audire , ego
ſum , quin cadat in terram , quin humi proſternatus , mi-
nimè ſuſtinens tantum gloriæ pondus. Quam alacer Moy-
Exod.3. ſes ibat Exod. 3. vt videretur rubum incombuſtum ardere?
Et ecce tibi vox de rubo : *Ego ſum Deus Patris tui,Deus Abra-*
ham , & Deus Iſaac , & Deus Iacob. Abſcondit Moyſes faciem
ſuam. Non enim audebat aſpicere contra Deum. Tantæ vocis
ſono correptus ibi ſubſtitit, oculos deiicit, nec audet vltra
reſpicere.ſed maieſtatem reueritus faciem obtegit.Id quod
Caietan. notabat Caiet. fatus , *Audita præſentia Dei, timuit oculos ſuos*
verſus flammam illam, in qua loquebatur Deus, dirigere, & pro-
pterea ad cautelam , ne reſpiceret , faciem ſuam obtexit. Et me-
rito tam ſibi cauet Moyſes à voce Dei ſe manifeſtantis;quæ
enim natura non conſternatur in cognitione tantæ maie-
Iſai 64. ſtatis ? Iſai. 64. *Vtinam diſrumperes cœlos , & deſcenderes ; à*
facie tua montes defluerent. Quaſi ex eo,quod cœli aperiren-
tur , & Deus pateret , conſequens eſſet , quod creatæ alti-
tudines ad terram deſiderent. Id quod expreſſiùs inſinuat
Cyril. Ier. lectio D. Cyrilli Ieroſolymitani catecheſi 9. aiens , *Si*
aperueris cœlum , tremor à te capiet montes , & deficient. Non
inutiliter latet diuinitas intra cœlum ; cœli enim be-
neficio habent creaturæ , quod poſſint caput erigere;
quod non neceſſum ſit ſemper terræ adhærere , ſed etiam
Idem. liceat negotia tractare vitæ. Ita Cyrill. ait , *Propterea*
ſecundum maximam ſuam benignitatem Deus velum propria
Deitatis cœlum extendit , ne periremus. Non meus hic ſer-
mo , ſed Propheta qui dixit : Si aperueris cœlum , tremor à te
capiet montes , & deficient. Niſi ceſſaſſet Dominus ſe mani-
feſtare , omnes creaturæ ad terram deiectæ , ibi hæſiſſent.
Nec miror, quod a reuelatione Deitatis creaturæ ſe ſe hu-
mi proſternant , quando idem facit, vel Dei gloriæ vmbra
Ezechiel. capit. 2. *Hæc viſio ſimilitudinis gloriæ Domini. Et* Ezech.2.
vidi , & cecidi in faciem meam. Ad quæ verba eleganter D.
Cyrill. Ieroſolymitan. vbi ſupra ait : *Non ipſum Dominum,* Cyril. Ier.
ſed ſimilitudinem gloriæ ; neque ipſam gloriam vt re vera eſt,
ſed ſimilitudinem tantum gloriæ vidit & cecidit per terram præ
timore.Si ergo gloriæ ſimilitudo conſpecta timore, & extremo tre-
more afficit prophetas:ipſum Deum,quis tandem cernere ſuſtineat?
Sanè non eſt creaturarum virium ad Deitatis maieſtatem
non pauere. Non eſt poteſtatis humanæ tantum diuinita-
tis pondus ſuſtinere. Et diuinitas manifeſtata , quem non
ponat ſcabellum pedum ſuorum ? Et iuſti volentes , & in-
iuſti trementes, vbi Deus intonuerit, in terram corruent.

CAPVT IV.

De cœco apud Iericho ſanato.

MATTH. cap. 20. Marcus cap. 10. Lucas cap.
18. tres prope Iericho cœcos ſanâſſe Chri-
ſtum ſcribunt. Et ſunt tam pauca diſſimilia
in ſingulorum hiſtoria, vt credam non tres,
ſed vnam.& eandem hiſtoriam ab omnibus
fuiſſe conſcriptam. Curatus ergo à Ieſu notiſſimus cœcus,
quem ſolum attenderunt Marcus, & Lucas ; curatus eſt &
alter minus notus , & ambos expreſſit Matthæus Difficiliùs
illud , quod Lucas dicat curationem factam , cum appro-
pinquaret Dominus Iericho , alij , cum exiret. Ego quidem
ſi placet, poſtulata fuit curatio à nobiliori cœco , cum Ie-
ſus appropinquaret Iericho, obtenta autem à duobus, cum
exiret. Ita Maldonatus. Pergo ad hiſtoriam vt eam tradit
D. Lucas.

Luc. 18. Factum eſt autem cùm appropin-
quaret Iericho , cœcus quidam ſedebat ſe-
cus viam mendicans : & cùm audiret tur-
bam prætereuntem, interrogabat, quid hoc
eſſet ? Dixerunt autem ei , quòd Ieſus Na-
zarenus tranſiret.

§. I.

Non longè abeſt à recta ſalutis via , qui proximus eſt, vt oret Deum.

REctè notatur cœcus hic ſecus viam eſſe , cum iam re-
lictis creaturis oraturus erat Deum.Non enim per de-
uia errare , ſeu perdi poteſt, qui orationi ad Deum facien-
dæ iam approximat. Quam eſt perditus , qui ad creatura-
rum fores mendicus errat ? Quam longè abeſt à recta via?
Præclare ad rem dicebat Dauid 2. Reg. 7. *Propterea inuenit* 2. Reg 7.
ſeruus tuus cor ſuum, vt oraret te oratione hac. Expende illud,
inuenit cor ſuum ; dum Deum non orabat , ſed creatura-
rum pulſabat fores,mendicus errabat per deuia, factus bo-
tho perditus , factus quaſi miſeri errones , incertis ſedibus
vagus:ſed cum ſe recepit,& Deum orare, ab illoque opem
decreuit petere, iam inuenit cor ſuum, non amplius errat,
non amplius deuiat , ſed tam proximus eſt viæ rectæ,quam
proximus orando Deo aſtat. Præclare aiebat Tertull. in Tertull.
exhort. ad Caſtit. *Si orationem facit ad Dominum, in prope eſt*
cœlo. Quaſi parum ſit , quod orationis factæ ad Deum vir-
tute ſecus rectam viam ſis , niſi & incertus etiam inuenia-
ris ipſi ſalutis termino. Erras in via,vagus incertis ſedibus,
quoties creaturarum opem mendicas;vbi vni accedit Deo,
iam non erraticis viis latitas , ſed de via ſalutis , immò de
prope ipſo termino te poteris inuenire.Audi ſpõſam oran-
rem Cant. 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Non creaturarum Cant 1.
perit pulchritudines . nil amat , nihil exoptat quod ſit in
poteſtate creaturarum , ſola petit ſibi diuiniſſimi ſponſi la-
bia, & ſtatim ait : *Introduxit me Rex in cellaria ſua.* Introdu-
xit , ait , de præterito , via labia monet, vt flagitet, & iam
ſe meminit introductam in cella vinaria, quaſi non de ora-
tione veniret ad cellam , ad domus Dei abundantiam , ſed
de Dei domo ad orationem illam exierit. Non enim prius

relictis creaturis ad vnum Deum spectant, quam iam se, quasi in salutis termino senserit collocatam. Non longe Bernard. abest Bernard serm. 7. in Cantica, vbi fatur, *Osculetur me, ait, osculo oris sui: ipsum quem amat, quærit, non aliud quidquam ipsius. Quid enim? Respicit terram, & facit eam tremere, & ista se ab eo palulat osculari. Ebria ne est? Ebria prorsus. Et fortè tunc, cum ad istu prorupit, exierat de cella vinaria, quo se introductam postmodum gloriatur. Nam Dauid de quibusdam dicebat: Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ.* Et quidem cum sic se se aptabat, vt relictis omnibus aliis vnum Deum sibi peteret, vnum Deum spectaret, illique suas funderet preces, iam quasi in via, immò in termino salutis præextitisse gloriatur. Adhuc Dauid erat in arena, nondum aduersus hostem Goliath arma mouerat, & iam non solum, quasi in via certa victoriæ esset, sed quasi esset in ipsa victoriæ pos-1.Reg.17. sessione, sic loquitur 1. Reg. cap. 17. *Ego venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israel, quibus exprobrasti hodie, & dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum à te.* Nondum certamen inis, & iam te reputas, non solum secus viam victoriæ, sed ipsa potitum victoria? Vnde ante conflictum, te canis adeò victoriæ proximum? Vnde scis te habiturum gladium, quo caput hostis amputes, quando nullum ferrum, sed paucos lapides pro armis congeris? Ipse explicat, dum ait: *Ego venio ad te in nomine Domini*, hoc est, à nulla iam creatura emendico robur, solum Deum confugio, me iam reputo prope ipsam Chrysost. victoriam. Ita Chrysost. homil de Dauid, & Goliath loquitur, *Tu venis ad me fidens in gladio, ego in Deo, tu in clypeo, ego in prece, tu venis in armorum virtute, ego in potentissima genitare. Denique in te tua arma vertentur.* Merito inde se saluti, & victoriæ reputat proximum, quia ab omnium creatorarum ope abhorrens, & preces, & spes suas vni præparat Domino.

§. II.

In via omnes ad omnia cæcutiant, mors reuelat, quod habuerit homo.

ECce vobis cœcum hominem secus viam positum mendicantem a transeuntibus vitæ subsidium; quo nulla clarior effigies inueniri potest hominis cuiuscumque positi in huius vitæ via. At non mendicant omnes homines? Voluptates, diuitias, honores vniuersi ambiunt: à cibo, à pecunia, à spectaculo, ab agro, ab ædibus, à veste, à tecto, à mercatura, a potentiori, a mari, à terra, à cœlo, à ventis subsidium petunt. Nulla est dies, qua non mendicet à creatura miserrimus homo; & cum tantopere egeat, quid tandem accipiat, infelix idem non sentit: quippe qui & mendicus, & cœcus fit. Accipit mendicus cœcus, & quid accipiat, nescit, quæ putat munera, ludibria sæpe sunt, & vnde capere multum credit, vacuum remanere contingit. Cum nox venerit, vitæ præsentis die peracta, quid bonorū congesserit, ignorat, æs, an aurum, argentumvè sit, quod habet, discernere visu non potest. Et cum ad examen ventum est, quantum stipis collegit clamore multo, prolixis votis; id vix ad teruntium peruenire patet, & longè plura ludibria inueniuntur, quam dona: plura venena quam subsidia. Vnus pro 1.Reg.17. mille adsit Goliath ille 1. Reg. 17. se se armans aduersum Israëlitas, trucemque ensem sibi postulans dari, quo se muniat, quo se roboret. Quid tunc? Ensem accipit manibus, ensem sibi accingit, quid tamen accipiat, penitus ignorat, ipse putat defensionem suam accipere. finietur via, & patebit non defensionem, sed mortem accepisse. Id quod medita-Basil Sél. tur alibi datus D. Basil. Seleu. orat. 15. inquiens. *Cum Goliath arma fabricaret, ad se in eius Dauidis facere, & propriæ iugulationis baiulum in aduersariis habiens se Dauidi venire subsidium ignorabat.* Adeò cœca est conditio nostra, dum sumus in via, prorsus ignoramus, quid accipimus: veniet nox, & à via in domum regressi cum simus, ibi apparebunt venena, quæ putabantur munera, apparebunt ludibria, quæ solida putasti dona. Et è contra aliquando, quem via tenet mendicum, domus ostendit diuitem. Quem in via putabat ludibriis, & opprobriis plenum, in termino apparebit muneribus insignis. Qui in via nihil putabatur accepisse, in fine videbitur bonorum cumulatissimus. Non via, sed vitæ terminus ostendit, & reuelat bona, quæ habuimus. Quis cum viderit ad Heliæ vocem, ignem de cœlo venire, & quinquagenos vorari milites, non putaret Heliam ruinam esse Israëlis? Hunc tamen à viuis exemptum vo-4.Reg.2. cat Elisæus 4. Reg. 2. *Pater mi, pater mi, currus Israël, & auriga eius.* Et quidem, qui in via ruina Israëlis videbatur, & flamma consumens, dum à viuis abscedit, clarè videtur non ruina, sed currus Israëlitas custodiens fuisse. Ad Philadelphiæ Episcopum dicitur Apocal. 3. *Ecce dabo de Synagogu Sathana, qui dicunt se Iudæos esse, & non sunt, sed mentiuntur. Ecce faciam illos, vt veniant, & adorent ante pedes tuos, & scient quia dilexi te.* Apoc 3. Quando seruus suis parauit Dominos tantum triumphum, vt sciantur, & adorentur? Non equidem dum sunt in huius vitæ via, in qua prorsus ignoti, & mendici, & despecti, adeò vt nec ipsi sciant, an odio, vel amore digni sint; recedent à via in domum, & tunc apparebunt, & scientur, & adorabuntur ab hostibus suis. Rupertus ibi explicat verba dicta. *Conuertentur ex eis, & famulabunt tibi: ita vt veniant, & adorent ante pedes tuos, si non interim, num viuo, certe cum mortuus fueris, & placebunt tua, cum tu dispirueris. Tunc scient, quia ego dilexi te.* Rupert. Non via, sed vitæ terminus est, qui facit te apparere felicem, qui reuelat, quæ congesseris munera: vnde de morte aiebat Dominus Matth. 10. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, & baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* Matth. 10. Merito vocat mortem baptismum, hoc est, tincturam; sicut enim tinctura, quas lanas accipit viles, inconspicabiles, reddit conspicuas, & rutilas, eo splendore aspersas, quo earum pretium apparet; sic mors in Dei seruis facit splendescere virtutes. Ita Imperfectus homil. 35. in Matth. *Baptismum est ipsa mors; dictum est autem baptismum, secundum similitudinem lanæ intinctæ. Sicut enim lana intingitur naturalem habens colorem, vt coloretur purpura, aut alicuius accipiat dignitatem, sic & nos in morte seminamur in ignobilitate, resurgimus in gloria.* Imperf. Ecce tibi, qui in via pauper, & pannosus videbatur, vbi ad vitæ terminum accedit, totus clarescit purpureus. Et ne mireris sic à Domino esse dispositum, vt via Dei seruos mendicos, & pannosos ostendat, in qua vel ipsi cæcutiant, & nesciant pretium congestarum virtutum, vt in domo eorum pretium, & valor rutilet. Id pulchro exemplo expendit D. Macharius homil. 16. inquiens. *Itaque sicut faber argentarius, & cum inne, quum discum insculpit, aliquatenus operit varia illa animalia: vbi verò perfecit, tunc discum splendentem profert in lucem: ita Dominus, qui verus est artifex, corda nostra insculpit, & mysticè renouat, donec è corpore decedant, & tunc eminet dignitas animæ.* Machar. Perficimur sub pannoso habitu, sub tenebris huius vitæ, sub paupertatis, mendicitatis, aliorumque malorum latibulis, cum hinc discesserimus ad domum, tunc clarescet vniuscuiusque dignitas.

Text. Et clamauit dicens: Iesu fili Dauid, miserere mei. Et qui præibant, increpabant eum, vt taceret. Ipse verò multo magis clamabat: Fili Dauid, miserere mei.

§. III.

Deus in hominem misericordem illapsus, nescit non misereri omnium.

DAuidis propaginem proponit Deo homo hic, & inde contendit misericordiam accipere à Deo; quantumuis enim Dominus seuerus, & iratus sit, vbi ad misericordem hominem peruenerit, nescit inde non misereri omnium. In quem magis iratus Dominus, quam in Saulem iam suis præceptis rebellem? Illum regno priuat, morti adiudicat, & quod magis mireris, prophetam prohibet, ne pro illo fleat, nec fundat preces. Sed ecce tibi, dum Dauid in spelonca latebat a facie Saulis, ipse Saul casu ingreditur in speluncam illam, nesciens ibi latere hostem suum. 1. Reg. 1.Reg.24. cap. 24. Quid tunc fecit Dominus? An excitauit latentes, vt adeò infestum hostem trucident? An, vt toties irruit in Sansonem spiritus Domini, vt perimeret Dei inimicos, sic modo irruit in Dauidem, vt adeò reprobatum hominem morti traderet? Equidem irruit & hic spiritus Domini in Dauidem, sed reprobi Saulis miserescens, illique vitam impartiens. Quamuis enim iratus erat Dei spiritus, vbi Dauidis visceribus misericordiæ plenis illabitur, non potest non leniri, & ad miserendum aptari. Debeo hanc excogitationem D. Chrysost. homil. de Dauid, & Goliath. Vbi inter Chrysost. alia fatur. *Denique Saul Dauidem persequitur innocentem: Dauid verò traditum sibi illæsum exhibet peccatorem, vt & in Dauide Spiritus sanctus misereceret. &c.* Itaque ille Dei spiritus tam iuste in reprobum hominem irritatus, vbi in Dauidis pientissimis visceribus hæsit, non potuit inde non mitescere,

&

& plena misericordiæ flumina irrorare. Nouerane id, qui dicebant Exod. 20 ad Moysem [Exod. 20.] *Loquere tu nobis, & audiemus, non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* Quid intererat, quod loqueretur Dominus, vel loqueretur Moyses? Nónne & in Moyse ipse Domini spiritus loquebatur? Equidé & in Moyse loquebatur Dominus, sed Dominus in adeò misericordi, & pientissimo viro existens, non poterat inde vitam, & misericordiam non instillare. Psal. 11. ait, [Psalm. 11.] *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exsurgam, dicit Dominus. Ponam in salutari.* Ponam, inquit, in salutari. Quid pones Domine, in salutari propter pauperes, propter peccatores? An ponea iudicij thronum? An pones militiæ gladium? Acutè D. August. fatur. *Non dixit, quid ponat, sed in salutari.* Quasi hoc vnum necesse habeamus scire, nimirum in quo ponat Deus; quidquid enim à Deo positum fuerit in salutari, non poterit non salutem, & misericordiam pauperibus, & miseris peccatoribus halare. Si vel ipsa Dei ira scandens, in salutari, & benefico ponatur corde, mitescet statim, & totum suum robur in lenitudinem conuersum instillabit. Fallor, si aliò spectant illa D. Zenon. serm. de Fide, Spe & Charitate, vbi ad charitatem [Zeno.] loquutus, sic finiuit. *Rectè Deus diceris, quia Trinitatis potentiam sola conuertis.* Adeò potens est diffusa in cordibus humanis charitas, adeo diuinas vires æmulatur, vt etsi tota Trinitatis potentia in peccatores armata sit, si tamen limen hominis charitate affecti tangat, statim in mansuetudinem, & misericordiam conuertatur. Huic excogitationi astipulatur id, quod Genes. 18. accidit, quando diuina Trinitas [Genes. 18.] armata in Sodomitas, & valde irascens, adeo se conspicuam ostendit Abrahamo, vt dicatur de illo quod *tres vidit, & vnum adorauit.* Ecce tibi Trinitas stragem Sodomitarum mente voluens, nihilque potius meditans, quam ignem, sulphur, flammas, accedit ad Abrahami domum, ibique risum facit Saræ. Habrahamum lætificat, & quod mireris magis, petenti misericordiam propter quinquaginta iustos, & propter viginti, & propter decem annuit, nullamque misericordiam postulatam negauit. Vnde tam cito obliuisceris, ô beata Trinitas, iustissimæ iræ tuæ? Quò abiit armata tua potestas, furor ille tuus spirans sulphureas flammas? Vbi limen viri misericordis Trinitas tangit in dulcedines, & risus & misericordiam conuertit flammas. Rupert. [Rupert.] lib. 6. cap. 1. *Penes ipsa piorum tabernacula, cælus indulget delicijs, & ridentibus pene arridens atque congaudens moerorem, causamque confirmat risus æterni,* Tota Trinitatis armata potestas conuertitur in dulcedinem, & pietatem, iuxta pij, & misericordis hominis tabernacula. Durasset ibi & pietas, & misericordia duraret. Vide lib. 1. cap. 5. §. 8.

§. IV.

Multum prodest filijs quòd à strennis parentibus gignantur. Vbi de gloria vnigeniti à Patre.

INstat cœcus iste clamoribus, qui multiplicati non aliud sonant, quam *Fili Dauid miserere mei,* quasi certo speraret virtutes ad prolem nō dilabi. Præexistens enim in genitore excellentia, & virtus merito speratur; quod in filios transeat. Ideo Dominus, qui misso verbo omnem creaturarum multitudinem perfecit, vbi ad hominem faciendum accedit, ait: *Faciamus hominem,* non verbo, non alteri tantum opus manda, sed ipse Dominus per se ipsum accedit hominis genitor, & creator. Cur ipse per se ad hominem accedit gignendum? Creandus erat homo Dominus, & Rex creaturarum visibilium, ideò debebat habere genitorem non seruum, sed Dominum, vt à parente facilius, & citius imprimeretur proli virtus dominandi. Aiebat Tertull. lib. [Tertull.] de Resurrect. carnis, aiens. *Merito igitur, vt famula iussa, & imperio, & sola vocali potestate vniuersa processerant. Contra homo, vt Dominus eorum in hæc ab ipso Deo extractus est, vt Dominus esse possit dum sit à Domino.* Dum genitor Dominus est, regalique fulget ingenio, vix fieri potest, quod filius regale genitoris ingenium non sapiat: quando paterna ingenuitas haud dubium, quin in filiis clareat. Id non illepidis similitudinibus ostendit Esdras lib. 4. cap. 9. fatus. [4. Esdr. 9.] *Qualis ager, talia & semina; & quales flores, tales & tincturæ: & qualis operator, talis & creatio; & qualis agricola, talis cultura.* Vnde quas in filiis Dominus requirebat virtutes, sapientissimè illas in parentibus seminabat, vt quæ inde maiori impetu deuenirent ad filios, Deut 18. petebat a Leuitis [illegible] is, vt omnibus fæculi bonis, & cognatis renuntiarent, quam [illegible] ttorem vt facilius ebiberent Leuitæ Genes. 12 sic [Genes. 12.] aie ad eorum satorem Abrahamum, *Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui.* Cur tanta virtus ab Abrahamo petitur? Ambros. de fuga, cap. 2. [Ambros.] *Itaque relinquunt parentes, filios, omnem cognationem, vt adhæreant vni Deo: denique & Abrahæ dictum est: Exi de terra tua, & de cognatione tua; sed fructè aiebat, Leuita non erat; sed habebat in lumbis suis Leui.* Et multum intererat Leuitis, quod in parente præexisterent tantæ virtutes, vt ad illos deuenirent. Vnde apud iuris prudentes viros illud merito decretum est, vt præsumatur filius esse eiusdem voluntatis, & affectus cum patre. De quo Tiraquellus l. 7. connub. num 8. ex l. si operarum iudicio. D. de ope. lib. Nec minuit id filiorum gloriam; quippe qui virtutes adnatas potius, quam acquisitas habeant. Ideo diuini Præcursoris præcellentias narraturus Lucas cap. 1. sic ab eius parentibus inchoauit, *Erant* [Luc. 1.] *ambo iusti.* Sed cur parentum virtutes narrantur ad filij commendationem? An non gloriosius est rosam à spinis nasci? Do commentatorem Chrysolog. serm. 89. sanctum. [Chrysol.] *Oratores magni, & excellentes ingenio, quoties illustrium virorum panegyricas narrare virtutes, auos, atauosque commemorant, vt ad honorem præsentium accedat dignitas antiquorum, & laus patrum filiorum redundet ad gloriam. Maior est innata gloria, quam quæsita, præcedit, quod venit ab origine, quod sequitur ex labore. Gloriam beatius est habere, quam quærere; hinc est, quod Euangelista, qui extollat Ioannis gloriam, Zachariæ patris, Elizabeth matris genus dicit: Auos memorat, stirpis merita.* Decuit tantum virum non adscititiam, sed virtutem habere hæreditariam: quò respicit illud de Saluatore encomium, Ioan. 1. [Ioan. 1.] *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre.* Conspicua erat in Iesu gloria, quam non sudor pepererat; videbatur in illo super omnes creaturas diadema, ad quod non venit tritus casside crinis; & purpura, quæ non deposuit thoracem, & manus nullis vacuanda clauis, vt sceptrum tenere possit, sed totius paterni imperij hæres, & possessor videbatur ipse, cui non rapinæ regnum dederunt, sed regia dignitas adnata illum in prædas egit, vt suorum hostes penitus spoliaret. Nescio, an inde laudabat D. Synesius lib. de regno, gloriosiorem dignitatem Regis Theodoreti, inquiens. [Theod.] *Nata ab eisdem primordijs tibi, & parentis vita processit, huic militia regnum conciliauit: et ad militiæ laborem regia dignitas impellit.* Non conquisita, sed adnata gloria est præstantior, illud regnum gloriosius est, quod tecum adnatum te in prælia ducit, vt tuos à raptoribus tuearis, quam illud, ad quod te vocant, & prædæ & prælia mille. In quo extollebat Paulus ad Philipp. 4. Iesu gloriam, [Philipp. 4.] *qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, &c.* Non militia, non prædæ dignitatem, & diuinam gloriam Iesu compararunt, sed illum in prædæ laborem regia dignitas traxit.

§. V.

Summa viri laus sit hæreditariam dignitatem possidere, vt ad illam omnium etiam habeat suffragia.

VEre Iesus erat ille Dauidis filius, qui ab vniuersis sperabatur, quam hæreditariam dignitatem sic administrabat, vt etiam illiterati homines, qui rem ignorabant, illi sua præberent suffragia, vbique clamantes, Iesu fili Dauid. Merito Sydonius canebat in carmine 2. panegyr. ad [Sydon. Paneg.] Anthemium Augustum:

——— *Sors tibi contulit vni*
Hæc fortuna decus, quamquam te posceret ordo
Vt lectus Princeps mage, quam videare relictus.

Quippè magnum viri decus est, vt post iuris hæreditarij ordinem, sic trahat populorum suffragia, vt omnium acclamatione electus Princeps videatur fuisse. Quod in Principe nostro ostendebat sponsa Cant. 5 aiens: [Cant. 5.] *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus.* Cur electus, & non potius hæres ipse inter omnes dicitur? Rebelles illi agricolæ Matth. 21. aiebant: *Hic est hæres,* Ioan. 1. simpliciter cernitur gloria eius, *quasi vnigeniti à patre:* [Ioan. 1.] si ergo regis filius est, si hæres naturali iure habetur, cur vocatur electus? Haud dubium quin hoc ille habuerit decus singularissimum, quo, etsi hæres, tamen omnium calculo, omnium acclamatione electus videatur. Huc refero acclamationes illas factas ab vniuersa creatura occiso agno, Apoc. 5. vbi [Apoc. 5.] sic. *Et vidi, & audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & seniorum, & erat numerus eorum millia millium dicentium voce magna: Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & benedictionem.* Sanè nihil illi attribuunt, quod ipse

ipse non habeat in se naturaliter, ipse enim, vt filius Dei est, habet, & virtutem, & diuinitatem, & sapientia est, & fortitudo, & honor, & gloria, & benedictio; sed sic omnibus his vtitur ad vtilitatem omniũ, vt quod ipse est per se, videatur etiam esse de omnium creaturarum calculo, & suffragio.

Text. Stans autem Iesus, iussit illum adduci ad se. Et cùm appropinquasset, interrogauit illum, dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine, vt videam.

§. VI.

Vt magnes ferrum, sic diuinitas pauperes ad se trahit.

VBi mendico cœco appropinquauit, substitit Dominus, & iussit illum adduci ad se; non expectauit, vt ipse veniret, nec venientem excepit solum, sed maluit, vt adduceretur, & traheretur, vt ostenderet in diuinitate virtutem quandam præcipuam esse ad trahendos pauperes, sicut in magnete ad trahendũ ferrum. Me in hanc mentem conChrysol. iiciunt verba Chrysol. serm. 28. dicentis de Deo. *Habentes suscipit, & ad se attrahit non habentes.* Hoc propriissimum est bonitatis diuinæ, quod vniuersos suscipiat; quod eos, qui ad se veniunt non eiiciat foras, sed plenis charitate visceribus admittat. Verum aliquid aliud peculiarius habet erga pauperes, hos etiam non venientes trahit, facitque, vt ad se adducantur. De paupertatis Israëlis reliquiis sic aiebat Do- *Ierem.* 31. minus Ierem. 31. *Ideò attraxi te miserans. Rursus ædificabo te, & ædificaberis virgo Israël? adhuc ornaberis, &c.* Se se mutuo inferũt miseria humana, & attractio diuina: quippè ait Dominus: Attraxi te miserans; & hoc ad spoliatam ciuitatem, penitusque egentem, & nudam dicitur, quasi diuina virtus illud peculiarius spectet, vt attrahat ad se pauperes, sicut attrahit paleas succinum, sicut magnes ferrum attrahit, & sibi arctissime iungit. De multorũ patrum sententia Dauid pauperes spiritu contemplans sequutos Christum, in eius- *Psal.* 140. que glorias trãsformatos, sic ait Psal. 140. *Absorpti sunt iuncti petræ iudices eorum.* Magna equidem pauperum hominum gloria, quod absorpta paupertate rapiantur ad sedes indicum; quod vbi omnes homines iudicandi cum timore apparebunt, illi assideant iudici, similiter facti iudices. Vnde hoc tantum munus obueniet pauperibus hominibus? Ipse Psalmus insinuat verbis illis, nimirum, *iuncti petræ*, vbi diuina illa magnetis petra, Iesus appareat, necessum est, vt ad se rapiat, sibique arctissime iungat pauperes suos. Audite D. Bernard. Bernard. ser. 8. in Psal. Qui habitat, vbi sic fatur. *Iuncti, inquit, petræ, quam profectò soiam, vt sequerentur, cætera omnia reliquerunt. Nempè hoc est, quod interroganti Petro, quid nam accepturi essent, petra ipsa respondit. Cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes. Felix paupertas sequentium te, Domine Iesu. Felix plane, quæ tam securos, imò tam gloriosos faciat in illo singulari elementorum fragore: & in illo tremendo examine meritorũ, in illo tanto discrimine iudiciorum.* Quis toto corde non amet paupertatem, etsi duram, etsi ferream, quam sic diuinus magnes ad se rapit, sibique vnit, & propriis muneribus ditat? Quis non pauper esse velit, quando hi in tremenda discussione, petræ firmissimæ iunguntur, nectuntur? Sed vides aliquando à *Psal.* 48. magnete diuino trahi & pauperes, & diuites: Psal. 48. *Audite hæc omnes gentes: auribus percipite omnes, qui habitatis orbem: quique terrigenæ, & filij hominum simul in vnum diues, & pauper.* Ecce tibi & vocatur, & trahitur à Deo, & diues, & pauper; verum notanda maximè est illa particula ibi posita, nimirum, *simul in vnum*, quasi diues non per se trahatur, sed per concomitantiam, prout est vnitus cum paupere. Ad verba Sacerdotis cõsecrantis Corpus Christi venit, & trahitur totus Christus, corpus & anima, imò & Pater, & Spiritus sanctus, verum certum est ex vi verborum solum corpus trahi, cætera trahuntur per cõcomitantiam, propter intimam vnionem, quam cum diuino illo corpore habent. Similiter si ferrea spicula infixa sint ligneæ virgæ; & ferrum, & lignum trahitur à magnete, tamen ex vi occulta, & peculiari magnetis, solum ferrum trahitur, lignum ex concomitantia, quod affixum ferrum habeat. Ita prorsus diues, quando trahitur à Deo, trahitur non per se, sed per concomitantiam ex vi intimæ coniunctionis cum paupere, qui pauper solus trahitur ex vi peculiaris affectus diuinitatis: adeò, vt ex attractione pauperum demonstraret Tertul. Iesu *Matth.* 5. æternam cum patre diuinitatem. Matth. 5. orditur Dominus sermonem, inquiens. *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Primi in Iesu ora veniunt pauperes, nempe, vt propinquiores Iesu, vt illi magis in corde, magis familiares, magis præ manibus. Quod si scire cupis, vnde hic in Iesum venit ad pauperes peculiaris affectus, non aliunde, quam ex consubstantialitate patris. Ita Tertul. lib. Tertul. 4. in Marc. *Quid ergo mirum, si & ab affectibus Creatoris ingressus est per huiusmodi dictionem, semper mendicos, & pauperes, & humiles, ac viduas, & pupillos vsque diligentis, consolantis, asserentis, vendicantis? Vt hanc Christi, quasi priuatam benignitatem, riuulum credas de fontibus Saluatoris.* Adeò est priuata, & propria, & peculiaris Deo benignitas in pauperes, vt inde merito agnoscatur diuinitas alicubi esse, si ad se trahat pauperes.

§. VII.

Perfectus Christi assecla nihil magis in optatis habet, quàm videre Christum, in quo salus, & vita.

DIsce homo, quid cupias, disce quid insatiabiliter esurias, hoc nimirum esuriendum nobis est, vt videamus Christum. Si millies interrogatus fuero, quid cupiam, quid esuriam, vnum hoc responsum mihi erit; Domine, vt videam; vt Iesum aspiciam, quo nunquam satiabor visu. Hæc mihi cogitanti adest Petrus, qui dum post magistri resurrectionem piscationi operam daret, vt accepit Iesum esse in maris littore, Ioan. 21. *Tunica succinxit se (erat enim nudus) & misit se in mare.* Ioan. 21. Non sustinuit volantis nauigij moras, sed periculoso etiam compendio se tradens fluctibus festinauit ipse videre Christum. Cur adeò curat videre Christum, non ne antea viderat? Equidem antea viderat, & sæpe viderat, nunquam tamen satiatur visu, imò quò magis videt, eò minus parcit laboribus, parcit periculis, vt Iesum videat. D. Ambros. in Luc. lib. 1. cap. 24. *Non contentus Petrus* Ambros. *vidisse, quæ viderat, repetit intuenda: & quærendi Domini amore succensus, non satiatur videndo. Vidit solus, vidit cum vndecim, vidit cum septuaginta, vidit & quando Thomas credidit, vidit cum piscaretur: sed non vidisse contentus, impatiens desiderij, negligens captionis, immemor periculi, vbi Dominum vidit in littore, serum æstimat, si cum cæteris nauigio perueniret.* Hoc vnicum est Petri desiderium, nimirum, vt Iesum videat; hac visione viuit, quam vt habeat, contemnit securitatem, amat pericula. Nec mireris sic amari Christi aspectum à Petro; quando nec oculis percipi Iesus potest, quin videntibus se præsentissimam salutem infundat. Luc. *Luc.* 19. 19. *Ecce vir nomine Zachæus quærebat videre Iesum, quis esset, & præcurrens ascendit in arborem sycomorum, vt videret illum.* Amabat Iesum videre, nondum Iesum sequi curabat, nondum à Iesu sanari cupiebat, sed eo solum contentus erat, si videret. Optata complet, Iesum videt, quis eius felicitates inde ortas numeret? D. Laurentius Nouariensis Laurent. homil. de Pœnitentia, inquit. Ascendit festinus arborem, & vidit. *Quid vidit? Saluatorem sæculi. Bene festinauit, optimè ascendit: qui dum auidus cupit videre Saluatorem, salutem ipsam, quam ignorabat, inuenit.* Dum Iesum videt oculis, haurit salutem; nec quis adeò improbus, cui Saluatoris visio non proficiat: vt sapienter dicat D. Ambros. lib. 2. de Abel, Ambros. & Cain, cap. 3. *Improbus quisque Redemptorem suum, dum suscipit frequenter, imitatur. Certè veneratur, plerumque etiam diligit.* Nec nouum tibi erit, quod Saluatoris visio adeò sit salutaris, quando sponsa etiam ab aliorum oculis videntibus Iesum, sibi sperabat salutem. Etenim ait Cant. 3. *Num-* Cant. 3. *quid, quem diligit anima mea, vidistis?* Non solum cupit noscere, an de illo audierint, an sciuerint, sed hoc petit enixe, an viderint? Gilliberetus Abb. ser. 6. in Cant. *De visione illorum* Gillib. *se visuram præsumit; ideò diligenter inuestigat custodum visionem, eorum sperans alloquio dulcioribus affici.* Sic implentur dulcedine oculi videntes Christum, vt etiam aliis possint sufficere; vt fieri nequeat, quin ex oculis, qui viderunt Iesum, mille salutis gustus ad alios non prosiliant.

Text. Et Iesus dicit illi: Respice, fides tua te saluum fecit. Et confestim vidit, & sequebatur illum, magnificans Deum.

§. VIII.

Illuminatio oculorum, & Dei sequela connexa sint.

ECce obtenti visus euidens signum; *Vidit, & sequebatur illum*: nascitur equidem ab illuminatis oculis Dei sequela,

Euseb. sequela, vt præclare dicat D.Euseb. Emis. *Cœci non sequuntur Iesum; illi eum sequuntur, qui illuminati sunt.* Cœcus est quisquis non sequitur Christum, quem sequi solus definit ille, qui densa tenetur tenebrarum caligine. Simul concurrunt & illuminatio oculorum, & Christi sequela, imò illi illuminantur oculi, vt videat, qui se Christo sequendo committit. Magna oculorum premebatur caligine & velamine Moyses, quando clamabat: *Ostende mihi faciem tuam.*

Exod. 33. Cur Dominus respondit Exod. 33. *Ostendam tibi omne bonum, ponam te in foramine petræ; cum pertransierit gloria mea, posteriora mea videbis.* Ipse cupit illuminari, vt faciem videat, & dantur illi videnda posteriora. Cur videnda posteriora dantur cupienti videre faciem, nisi, quia quò clarius cernimus, eò alacrius currimus post Deum? Sunt equidem maximè inter se connexa, illuminatio oculorum, & Dei sequela.

Gregor. Ad hæc D.Gregorius Nyssenus homil. 12. in Cantic. *Is, qui videre Deum cupit, desiderij compos fit semper sequendo; & diuinæ faciei contemplatio est ad Deum nunquam interrupta progressio, quæ tunc demum nobis præclare succedit, cum verbum à tergo sequimur.* Tandiu illuminaris, vt videas, quandiu sequeris Deum; non tibi deficient lumina, dum non deficiat in te Dei sequela. Ioan. 8. aiebat Dominus: *Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* Lucem se vocat mundi, & merito, quando cœcos nouit illuminare, quando cœcorum lumina emortua reaccendit. Sed quæ lux ista est? Lux, quæ numquam deserit sequentes, quæ æternum comitatur illos, qui à diuina sequela non deflectunt. Hinc pulchrè D. August. tract. 34. in Ioan. iustitiæ Solem, cum

D. Thom. mundi Sole cōponit, cuius verba sic à D.Thom. in Catena concinnantur, *Sequere istum solem visibilem, si ipse tenaus ad occidentem, quo & ille tendit, & si nolueris tu illum deserere, ipse te deseret in occasu. Deus tuus vbique est totus, si non ab illo facias casum, nunquam à te ille faciet occasum. Qui enim, inquit, me sequitur, non ambulat in tenebris.* Fugat tenebras sequela Christi: nec vllus potest gloriari de illuminatione vultus sui, de claritate oculorum suorum, nisi qui se totum tradit sequendo Christo. Vnde illius amatrix, Cant. 1. enixe contendebat: Trahe me post te. Non antea faciem petit sibi ostendi, quam terga, noscens visum sine sequela non consistere, quia ille tenebras exerit, qui sequitur Iesum:

Bernard. adeò, vt dicat D. Bernard. serm. 21. in Cantica. *Dilecta tua Domine, relictis omnibus propter te, concupiscit semper ire post te, semper tuis inhærere vestigijs, ac sequi te, quocumque ieris, sciens quoniam viæ tuæ pulchræ, & semitæ tuæ pacificæ: & quia, qui sequitur te, non ambulat in tenebris.* Expende illud, *semper, & semper,* bis repetitum: interrupta enim post Deum progressio lucem conseruat, quæ à tenebris obseruetur, vbi desinas

Ioan. 12. ire post Christum. Quippe moneris, Ioan. 12. *Ambulate, dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant.* Sunt tenebræ in procinctu, & instant, vt quasi ruptis carceribus suffundant illum, in quo videant minimè profici sequelam

Isai. 59. Christi. Apud Isaiam 59. dicebant illi: *Palpauimus, sicut cœci parietem, & quasi absque oculis attrectauimus, impegimus meridie, quasi in tenebris, in caliginosis, quasi mortui.* Vnde tanta cœcitas venit Dei populo? Iam ipse Propheta reddit ratio-

Hieron. nem, vt notat Hieron. *Multiplicatæ sunt enim iniquitates nostræ coram te, peccata nostra responderunt nobis. Quia scelera nostra nobiscum, & iniquitates nostras cognouimus, peccare, & mentiri contra Dominum: & auersi sumus, ne iremus post tergum Dei.* Merito cœci, merito caliginosis nubilis obuoluti, qui cessant ire post tergum Dei.

CAPVT V.

De Reguli filio sanato.

QVISPIAM Regulus, seu regius ipse sanguine esset, seu palatinus officio, Domino flebiliter supplicat, vt ægrum morientis filij releuaret incōmodum, animámque iam agentis ardentem febrim reprimeret. Tunc, qui credenti nil denegat, nec donum dilatione suspendit, plenam puero sospitatem concessit, dum inquit: Vade, filius tuus viuit. Quam imperiosa Domini potestas est quamque magnifica, non victurum annuit, sed iam viuere designauit.

Ioan. 4. Erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Hic cùm audisset, quia Iesus adueniret à Iudæa in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat eum, vt descenderet, & sanaret filium eius; incipiebat enim mori.

§. I.

Solus Iesus nullis parcit impensis, & laboribus propter salutem, & commodum suorum.

A Iudæa in Galilæam venienti Christo occurrit Regulus pro filio precaturus, qui etsi filium amabat; non tamen decreuerat pro illo Iudæam petere. Nemo est, qui vel in impensarum dimidio non sistat, nisi Christus. Mundialis ille, & prodigus Rex Herodes amatæ puellæ, & tunc denuo placenti pollicetur, Marc. 6. *Quidquid petieris, dabo* Marc. 6.
tibi, licet dimidium regni mei. Vnde carpit Chrysolog. serm. Chrysost.
173. parca mundialium dona, dicens, *Ingratus, inhumanus Rex, qui virtuti tantæ, iam glorioso labori, iam memorabili facto non totum suum regnum, sed dimidium dedit.* Non is est mundialis spiritus, qui omnia, quæ potest, faciat etiam pro dilectissimis. Sed nec legalis cultura tantum affectum inferuit suis sequacibus, vt vltra parua aliqua velint facere, pro salute. Etenim singuli, Exod. cap. 30. iubebantur offerre, Exod. 30.
dimidium didrachma, hoc est, teste Hieronym. *dimidium sicli.* Hieron.
Cur dimidium? Ambros. epist. 1. *Vix enim in Iudæo, vel por-* Ambros.
tio deuotionis poterat inuestigari. Non prophanus, non lex, non patens pro salute dilectissimi filij omnium, quæ potest, dimidium efficiet; vnus Christi spiritus, vbi salutem elaborare incipit, non sistit in dimidio, sed pergit vsque in absolutissimum finem. Elegantissimè D.Iacobus in Cant. cap. 5. Iacob. 5.
hanc Christi ab omnibus differentiam proponit, his verbis, *Sufferentiam Iob audistis, finem Domini vidistis.* In Iob enim sufferentiæ enituit singulare exemplum, sed tota Iobi patientia habuit pugnam, à qua cessauit, vel in congressuum dimidio, cum iterum bona amissa reciperet, cum nunquam fine limitatione traderetur Sathanæ potestati: Christi autem patientia, & tolerantia pro dilectorum salute, in finem dilexit eos, non antea cessauit, quam consummaret omnia, quæ saluti essent proficua. Guarr. Abb. serm. 3. in Ramis, Guarr.
Sufferentia Iob fuit vsque ad reditum substantiæ, sufferentia Domini vsque ad exitum vitæ, qui in extrema, atque grauissima finem fortitus est calamitate. Nemo ad potentiæ vltimum peruenit in suscipiendis laboribus pro suis, nisi Christus: vnus Iesus nullis parcit impensis, sed se totum impendit, se totum pro hominibus effundit. Pulchrè aiebat Ioannes cap. 13. de Iesu: *Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos.* Ioan. 13.
Non incepit, & destitit: non paruis contentus est, sed nihil non fecit, quod nostræ posset proficere saluti, etiam si à paterna sede peregrinandum esset, etiamsi longum, & Deo incognitum pro nobis mortis suscipiendum iter. Bene Rupert. lib. 11. ait, *Quem vsque in finem dilexit* Rupert.
suos? Sic vsque tam dilexerat eos, vt de cœlo ad terram descenderit propter eos, & vt, qui erat Deus inuisibilis in sinu patris, homo visibilis de ventre fœmineo factus fuerat. Sed non erat consummata ista dilectio. Nihil enim suis profuisset, quod homo fuerat factus, si non pro illis etiam pateretur. Igitur, & vt oportebat, in finem dilexit eos, id est, dilectionem erga illos eo vsque perfecit, vltra quod non posset augeri, videlicet vt animam suam poneret pro illis. Sic nouit Iesus diligere suos, vt omnibus viis, omnibus impensis, eorum vellet comparare salutem, quin labori parceret vlli. Stupebam sic homines à Iesu amatos, vt vsque ad crucis mortem veniret, dum quæreret illos, sed cum video cœlestem illum thesaurum à cruce depositum terræ mandari, longè maiorem admirationem sustineo. Cur amantissime Iesu, vis nigro claudi sepulchro? Cum latronibus moreris in cruce, sufficiat id, rectè operatus es nostram salutem per lignum, cur cum fœtentibus peccatorum cadaueribus vis sepeliri? Non ne impletum est paternum præceptum in cruce? Sic ait Paul. ad Philipp. 4. *Factus obe-* Philipp.
diens vsque ad mortem, mortem autem crucis. In crucis morte absoluitur & obedientiæ & nostræ opus; cur adhuc vadis ad sepulchrum? Eleganter Chrysol. ser. 95. *Crucifixus est Iesus.* Chr.
Vt quia per lignum mors venerat, rediret vita per lignum. Et sepultus est, vt officia tota mortis impleret. Expende illud, *officia tota mortis*; quasi enim integratur mors & completur doloribus, exhalatione animæ, corporis sepultura. Vnde Iesus, qui se morti pro nobis tradidit, nihil mortis voluit dimittere, sed & post crucem, sepulturam accepit, ne dimidiaret, sed tota mortis impleret officia.

§. II.

Regnum Christi singuli possidebunt appropinquantes Christo, nec inde minus in multis.

NVnquam aut raro apud Hebræos Regulus quis nominabatur, quare non vana suspicio est Regulum hunc eo mysterio vocari, vt regnum innuat omnium appropinquantium ad Christum. Equidem, vbi Christus in regno suo parebit, quis non Rex illi appropinquabit? Ad hæc

Origen.

scienter Origen. in Cat. *Filium Reguli ad mortem pene deductum suscitat, id est, populum Iudæorum, qui accedet saluandus in fine. Magnus autem Rex regum, qui constitutus à Deo est in monte Sion sancto eius: huius, qui viderunt diem, gauisi sunt, Reguli dignoscuntur.* Ecce tibi, vbi Christus Rex constitutus appareret, similiter de eius regno omnes approximantes Reguli cognomen, & splendorem sortiuntur. Tandiu non es Rex, quandiu non approximas Christo, vbi ei approximaueris, nihil citius, quam regium splendorem videris

4. Esdr. 2.

consequutus. Esdras lib. 4. cap. 2. post incredibilis multitudinis visionem, ait: *Et in medio eorum erat iuuenis statura celsus, eminentior omnibus illis, & singulis eorum capitibus imponebat coronas, & magis exaltabatur; cumque interrogaret, qui visionem videbat, Angelum: Ille iuuenis quis est, qui eis coronas imponat, & palmas in manibus tradit? Responsum accepit ab Angelo: Ipse est filius Dei, quem in sæculo confessi sunt.* Quotquot Christo Domino appropinquant, coronas accipiunt, sub regio splendore refulgent. Nullus Iesu aderit, cui desit re-

Luc. 12.

gium sedile, dicebat ille apud Luc. 12. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum.* Non solum magnis, sed & pusillis venit regnum à Christo, vt ele-

Chrysost.

ganter dicat Chrysol. serm. 23. *O bonitas effusa, ô inaudita pietas, ô ineffabilis affectio, in societate census pastor oues assumit, atque consortium dominationis seruos Dominus adsciscit; ad participium regni Rex gregem populi totius admittit: sic dat, cui deficere census non potest, cui regni minui, cui vacuari potestas non potest largiendo.* Infelix est, qui tanto regi non approximat, vt Rex sit; sic enim regale occupat solium Iesus, vt omnes accedentes reges afficiat, nec inde regnum minuat. Quam magnus, quam sublimis Rex est, quem dum cernis, dum suscipis, Rex efficeris.

Matth. 13.

Matth. 13. *Fulgebunt iusti sicut Sol in regno patris eorum.* Non solum alia erit claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas stellarum, hoc est, alius erit splēdor Regis, alius Principum, alius popularium, sed & stellæ solaribus fulgebunt radiis, & populares insigni regali patebunt

Nicol. Cab.

amicti. Vnde Græcus auctor Nicolaus Cabasila lib. 6. de vita in Christo fatur, *Quale spectaculum innumerabilis multitudo luminum supra nubes, homines sublime elati & volantes, celeritas, cuius nullum extat exemplum: populus deorum circundans Deum nō inuidentem illis splendoris communionem, nec arbitrantem gloriam suam imminutum iri, si multos regni sui socios admittat.* Itaque quot apud iustitiæ Solem erunt homines, tot Soles visentur; quot apud increatū lumen, tot lumina: quot apud Deum, tot dij: quot apud cœlestē regem, tot reges: nec

Luc. 15.

ideò in singulis regnum minus. Quippe Lucas, dum maior filius quæreretur de iuniori adscito ad paternas sedes, tale à patre responsum sustinuit, *Fili, tu semper mecum es, omnia mea tua sunt.* Qui enim apud Deum manet, nihil amittit omniū, quæ in Deo sunt; omnia Dei bona, & titulos, & res ipsas habet, quantumuis plurimi sint, qui ad eadem debeāt

Beda.

admitti. Pulchrè Beda ait: *Quomodo possunt esse omnia maioris, si habeat ibi etiam iunior partem suam? Sic enim à perfectis, & perpurgatis, & iam immortalibus fiunt, vt habentur omnia à ut sint omnia singula, & omnia singulorum.* Non minuitur Dei regnum, eo quod habeatur à pluribus.

Text. Dixit ergo Iesus ad eum: Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis.

§. III.

Nouatorum leuitas Christo Domino odiosa valde est, qui de nouis mutationibus gaudent.

NOn quia visis miraculis credunt, reprehenderunt Iudæi, sed quia reiectis visitatioribus, & communioribus discendæ veritatis viis, nouis prodigiis, insperatis mutationibus instent. Adeò enim leuitas, & inconstantia suspecta, & inuisa est Christo Domino, vt illi ex hoc capite minus placeant etiam miracula diuina, quod nouas, & peregrinas mutationes efficiant. Id quod in præsenti ponderat D. Aug.

D. Thom.

citatus à cat. D. Thom. dum inquit, *Adeò autem Dominus supra omnia mutabilia vult mentes credentis attollere, vt neque ipsa miracula, quæ quamuis diuinitus de mutabilitate fiunt, à fidelibus quæri velit.* Diuinitus equidem fiebāt miracula Christi, & quamuis inde placere poterant Iesu, quatenus Patris erant opera paternāque patrabantur virtute, nihilominus, quia per illa nouæ mutationes apparebant, inde minus placebant, qui flagitabant illa. Nunquam enim leuis nouitas potuit placere Christo, qui vsitatioribus semper studuit. Mirabar ego, quod Magdalenæ obsequium vngentis & Iesu pedes, & caput pretioso vnguento, potuisset placere Iesu, qui adeò aspernabatur, & aspernari docebat humanas delicias. Vnde puluerulento, & lacertoso duci placuit mollicies vnguenti? Placuit equidem non de mollitie, sed de communiori vsu gentis. Hæc dūm meditor, incidi in D.

Pet. Dam.

Petri Damiani epist. 106. vbi sic monebat, *Ne peregrinæ adinuentionis studeas superinducere nouitatem. Nam & ipse, qui est magister Angelorum in cælo, morem in terra tenuit, quem inuenit, nec dedignatus est terrenam seruare consuetudinem. Nam, cur sibi caput, ac pedes vnguento conspergi, muliebri ministerio, passus est, nisi quia Palæstinæ, atque Iudaicæ regionis mos erat, vt eius accolæ crebrius vngerentur?* Sic amabat veterum vsibus adhærere, sic respuebat peregrinas nouitates. Et quidem nunquam nobile vulgus hominum in Iesu habuit alicuius nouitatis inducendæ fundamentum, nihil in illo viderant, quod non veterum mores oleret: ideò si vulgarium opi-

Matth. 16.

niones spectes, de Iesu habes apud Matth. 16. *Alij Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij verò Ieremiam, aut vnum ex Prophetis.* Nemo in Iesu cernebat quid non permanens, non veterum moribus confirmatum, quando ipsi omnis leuiter in-

Tertul.

troducta nouitas vehemēter displicebat. Hinc Tertul. lib. 4. in Marc. fatur, *Nullis Deum nouum à Christo probatum illa etiam opinio declarauit, quia Christum Iesum alij Ioannem, alij Eliam, alij vnum ex veteribus Prophetis asseuerabant.* Alienum prorsus est à vero Deo, quidquid mutationem, quidquid noui-

Act. 17.

tatem sapit: vnde qui irridebant Paulo Actorum 17. dicebant, *Nouorum dæmoniorum videtur annuntiator*; vbi verti etiam potuisset, vt notat Vatablus, *nouorum deorum*, sed prudentissimè nostra editio, *dæmoniorum*, vertere maluit, quia leuis nouitas inimica est semper veræ diuinitatis, & prauorum spirituum assecla.

§. IV.

Stultissimum in periculo mortis de alio cogitare, quàm de iudicio futuro.

EXprobrat Dominus paruam Reguli fidem, quando iam filio animam agente, totus est in remediis corporis adhibendis, nihil solicitus de iudicio, quod filio imminebat. Huc refero, *nisi signa, & prodigia videritis, non creditis*, quasi dicat, vbi est fidelium fides de morientibus? Quando aderit de iudicio solicitudo? Non, credo, memineritis illius examinis, donec illius signa, & prodigia perci-

Anselm.

piatis sensu. Ita Anselm. in præsenti: *Non creditis iudicium futurum securitate torpes, nisi mirabilibus excitemini.* Verè miseri homines, dum patentibus signis non mouentur, nil curant iudicium futurum, sed pene in ipso tribunalis seueri limine solum agunt de augendis bonis huius vitæ.

Iacob. 5.

Hos spectabat Iacobus in Canonica cap. 5. vbi post multa diuitibus annuntiata, illorum causam subiicit, dicens,

Saluian.

Thesaurizastis vobis iram in nouissimis diebus. D. Saluianus lib. 1. ad Ecclesias, solum legit: *Thesaurizastis in nouissimis diebus.* quasi tota causa ruinæ hæc sit, quod instante morte totus occuperis in bonis huius vitæ, nil curans futura. Quippè ait, *Thesaurizastis, inquit, in nouissimis diebus: ac per hoc duplex, & cupiditatis noxa est, & infidelitatis; quia thesauros, quos crimen vtique fuit, & alio tempore concupiscere, maius absque dubio, crimen per infidelitatem est, etiam in mundi fine cumulare.* Magna equidem noxa est, vbi vitæ finis instat in ipso penè mortis limine, nihil futurum metuere, sed adhuc vitæ bonis, & temporali saluti inhiare. Quam felicius nobilem latronem in cruce agentem, inter cruciatus, inter dolores mortis, non leuaminis cura, sed vna de iudicio solicitudo pungebat. Qua Saluatorem adiens, non incolumitatem temporalem petit, nō dolorum, & cruciatuum expulsionem, sed omnia obliuiscens, ait: *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Quæ verba notans D. August. ser. 119. *Quam cito tum repleuit Spiritus sancti eruditio, per quam futuri examinis dieta cogitans, etsi intolerabile probat esse, quod sentit; grauius tamen intelligit esse, quod metuit.*

Plenus

Plenus doloribus in cruce positus, sic venturi examinis metu afficiebatur, vt nil aliud quærere, nec dum cogitare poterat. Non ad corporis liberationem, nec ad dolorum imminutionem attendit, vnum solum respiciebat inter dolores, inter mortis pericula, nimirum iudicium imminens, de hoc interpellabat, propter hoc Iesum conueniebat, cætera parui pendens. Docuit hoc suos Dominus cum morti
Luc.22. vicinus, Lucæ 22. *Factus in agonia prolixius orabat.* Et quid tanto tremore, tam ingenti agonia Dominus oraret? Quæ res tantum Dominum mœrore afficit? Equidem agnus innocens tot iudicibus, tot tribunalibus sistendus horrore, tremoréque suffunditur, ostendens, quæ debeat esse anxietas suorum in mortis articulo, nimirum, quod sistendi sunt ante
Gregor. seuerissimi iudicis tribunalia. D.Gregor.lib.24. in Iob c.17. *Quid pro se ille cum in agonia esset, peteret, qui in terra positus cælestia cum potestate tribuebat? Sed appropinquante morte nostra mentis in se certamen expressit: qui vim quandam terroris, ac formitudinis patimur, cum per solutionem carnis æterno propinquamus iudicio. Crescit pauor vicina retributione iustitiæ, & vrgente solutione carnis: quanto magis districtum iudicium iam iámque quasi tangitur; tantum vehementius formidatur.* Ecce tibi iustorum solicitudo, & cura in mortis articulo, non de alio, quam de imminenti iudicio, propter hoc & metus, & angor, & sudor, & anxietas, & vota, & orationes, & solicitudo, cætera omnia ad vitæ commoditates pertinentia obliuioni funditus dantur.

Text. Dicit ei Regulus: Domine descende priusquam moriatur filius meus.

§. V.

Descensus Christi post mortem maximè metuendus, & ideo præcauendus.

QVam prudenter Regulus hic prostratus contendit, vt descendat Iesus antequam moriatur filius, descendit vtique Iesus ad vniuersos homines in mortis momento, vt iudex seuerissimus, vt durissimus iniquitatum vindex. Quem
Isai.13. descensum notans Isaias cap.13. ait, *Ecce dies Domini veniet crudelis, & indignationis plenus, & iræ, furorísque ad ponendam terram in solitudinem, & peccatores eius conterendos de ea.* Hic est habitus, hæc facies Iesu venientis ad iudicium post mortem; facies spirantis minas, indignationis, furorísque plena. Damnabiliter ergo peccator non timet sibi à Iesu post mortem veniente, nec illi ante mortem curat prosterni.
Amos 5. Amos cap.5. *Væ desiderantibus diem Domini, ad quid eam vobis? Dies Domini ista tenebræ, & non lux. Quomodo si fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei vrsus.* Loquitur Propheta de die extrema, in qua iudicium fiet de homine; & dignum asserit lamentatione illum, qui hanc diem spectat, illámque desideranter præstolatur. Cur non desideremus hanc diem?
Philip.1. Nónne illa est vox Pauli ad Philipp.1. *Cupio dissolui, & esse cum Christo?* Sanè, cui prostrato, & subiecto Christus ante mortem descenderat, non miror, quod etiam post mortem veniat desiderabilis. Ille miser, & maximè lamentandus, qui ante mortem Christum non curans post mortem venturum Christum expectat. vt sub iudicis seueri experientia clamet. Hic fugiens leonem scientem misereri subiectis, & prostratis, incurrit vrsum misericordiam prorsus ignorantem; vt dicit ille, lib 5. de tristibus, elegia 5.

Corpora magnanimo satis est prostrare leoni,
Pugna suum finem, cum iacet hostis, habet,
At lupus, & turpes instant morientibus vrsi.

Est Leo Dominus in primo aduentu, vt placet Ruperto in præsenti, qui prostratis per pœnitentiam parcit, & dat locum, vt effugiant iram; in secundo aduentu est vrsus morientibus instans, nesciens, iam tunc misereri, & omne effugij ostium intercludens. Felix, qui antequam finiatur vita tua, ad Christum curris, illíque prostratus pectora tundis, gemitus emittis pœnitentiæ: & maximè miserabilis est ille homo peccator, qui intrepidus omnia momento mortis remittit, expectans mali annuntianti experientiam, quando iam nulla spes misericordiæ restat, sed abeunte leone, vrsus
Theod. venit misereri nescius. Pulchrè Theodoret. ad verba Amos, fatur, *Qui prophetiæ finem videre expetunt, nihil differunt ab homine, qui cum Leonem impetentem effugisset, mox in vrsum incurrit: nam quemadmodum ille tenebras, & non lucis splendorem in illa die videt: sic isti altissimis tenebris in illa die vltionis traduntur.* Quomodo non miser, qui leonem, quem humilitate posset delinire, nactus, mauult expectare vrsum, quem audit alienum ab omni misericordia? Quomodo non miserior, qui valens Christum misericordem ante mortem trahere, audiens seueritatem iudicis, calamitatis postremæ horæ mauult expectare finem, vt de annuntiati mali experientia clamet? Heu clamor irritus? Heu clamor æterna lamentatione continuus. Ionæ c.3. dicitur ad Niniuitas: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.* Quid tunc factum est? *Et* Iona 3.
peruenit verbum ad Regem Niniue: & surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere. Audit euersionem, & mortem nuntiare post quadraginta dies, & statim pœnitentiæ dat operam. D.Bas.Sel. orat.12. Basil.Sel.
Quid ergo? Prophetiam sperauit? Et surrexit, inquit, de loco, & indutus est sacco. Non equidem expectat calamitatis diem, non expectat prophetiæ finem vt qui maluit cum leone, quam cum vrso confligere; qui maluit ad Deum clamare quando illum humilitate, & pœnitentia flectere posset, quando adhuc erat locus effugij, quam vbi iam sub mali experientia, & completa diei malitia omnes conatus, & lacrymæ essent irritæ. Bene monebat Iob.c.35. *Iudicare coram* Iob 35.
Domino, & expecta eum. Quasi vellet, vt quisque aduersus se ipsum iudicium exerceat, se mulctet, & castiget, antequam Dominus in morte veniat. D.Gregor. lib. 25. in Iob cap.6. Gregor.
Coram Domino iudicatur, qui corde Dominum conspicit, & actus suos sub eius præsentia solicita inquisitione discernit. Quem tanto quis securior expectat, quanto quotidie vitam suam suspectus examinat. Qui enim ad extremum eius iudicium venit: non iam coram illo, sed ab illo iudicatur.

Text. Dixit ei Iesus: Vade, filius tuus viuit.

§. VI.

Tunc filij incolumitatem, & vitam pater procurat, cùm illum in Deo sperare docet.

QVi Iesum conuenerat pater pro filij sui rogans vita, iubetur ad filium redire de eius certus salute; nunquã enim pater certius vitam filij sui procurat, & incolumitatem, quam si ad Deum accedat, illíque doceat astare filium. Cur non viuat filius, cuius pater Deo astitit, illíque omnia filij commisit? Vtinam parentes hac angerentur cura, vt Deum filiis suis conquirerent, hoc vno illorum incolumitatem, & vitam æternam stabilirent. Psalm.77. *Quanta manda-* Psal.77.
uit patribus nostris nota facere ea filijs suis, vt agnoscat generatio altera. Vt ponant in Deo spem suam: & non obliuiscantur operum Dei, & mandata eius exquirant. Ecce vobis, quod mandata dedit Dominus patribus pro filiis: nimirum, vt ponant in Deo spem suam, hoc vnum si pater filio prouideat suo, illi omnia prouidit, & substantiam, & incolumitatem, & vitam. Pulcrè Salu.lib.1. ad Eccl. fatur. *Videtis, quas parari opes à pa-* Saluian.
rentibus, filijs Deus iubeat non pecuniarios thesauros, nec graues metallo aureo saccos, non superbas, ac præminentes excelsis vrbibus domos, non supra humanos visus elata culmina, nec inserta nubibus aëreo habitatore fastigia: non denique fundos interminabiles, & notitiam possessoris sui excedentes, qui consortes pati indignum æstiment, & vicinitatem iniuriam putent. Non ergo hæc Deus præcipit, nec in seruilia terrenæ procurationis officia, curam patriæ pietatis extendit. Pauca sunt, quæ mandat, sed salutaria, scripto breuia, sed beatitudine sempiterna: vt ponat, scilicet, in Deo spem suam, & mandata eius exquirant. Cum enim Deus viuorum sit, nec mortuorum, rectè illa parari filijs iussit, per quæ in æternum viuerent, non per quæ in æternitate morerentur. Hucusque Saluian. quibus aliquid decerpsisse piaculum esset: non enim melius depingi potest, vnde patres filiis suis hauriant incolumitatem, & vitam. Ille pater nouit filium in felicitate æternare, qui nouit illum Deo credere, de Deóque fidei cõmittere. Non ne hinc Abraham æternauit filiũ dilectissimũ? Is de mandato Dei, quem victurum credebat, iugulaturus filium; vbi ad necem properat, interrogatus de victima, inquit Genes.22. *Deus prouidebit sibi victimam holocausti, fili mi.* Genes.22.
Quem morti destinat, non veretur vocare filium, nec superperuicturum putat: scit enim à paterna in Deum fide, & deuotione, quasi necessario venire in filios incolumitatem, & vitam. Ambros. lib.1. de Abraham, c.8. *Deuotionis minister vo-* Ambros.
care filium frequenter non timet: hoc se meliorem patrem putabat, hoc sibi in perenne mansurum iudicabat filium, si eum immolaret Deo. Equidem à paterno fidei, & deuotionis exemplo vita, & incolumitas filiorum sumit auspicium: se, & filium pater Deo credat, & filius felix inter ipsas mortes viuit. Non aliò specto, quam ad ipsius Abrahami facinus, cuius à gladio fideli exurgit tota filij felicitas. Sed accipite D. Zenonem, Zeno.

ferm. de Patientia, dicentem. *Quid hoc est? Ecce parricida incruentus redit, & qui immolatus est, viuit. Ambo sibi gloriæ, ambo sibi charitatis exemplum. Felix orbis fuerat, fratres, si omnes sic fierent parricidæ.* Et quidem si omnes patres Abrahami fidem, & spem haberent, quam proponerent filiis, qua Deo filios crederent, pignoribus repleretur orbis felicibus.

Text. Credidit homo sermoni, quem dixit ei Iesus, & ibat.

§. VII.

Christi fides hominis regium splendorem instaurat.

NOn iam dicitur Regulus, sed homo, quia vbi Christi imbuitur fide, diminuti regni exuit appellationem, & pristini hominis regni incipit plenam gloriam expectare.
Anselm. Pro quo stat D. Anselmi excogitatio, qui Reguli appellationem expendens, sic fatur. *Hominem ad excellentissimi regis imaginem, dum bene se rexit, regem fuisse, quis dubitet? Regnum istius regis, paradisus Dei fuit, in quo rex, & Dominus, vt dominaretur, ac præesset bestijs, & piscibus, tanquam rex in folio collocatus est: in eo autem, quod amisit, rex esse desijt: in eo autem, quod præ cæteris animalibus sibi relictum est, tanquam Regulus vicitauit.* Eu miseram hominis conditionem! A regno lapsus est, & vacuati regni appellationem subiit, dum Regulus appellatur. Ecce tamen modo reiecta Reguli appellatione dicitur, credidit homo sermoni, quem dixit ei Iesus. Cur non potius credidit Regulus? Cur relicto Regulo homo credidisse notatur? A saluatoris fide desiit Regulus, & homo suam pristinam recuperat regis dignitatem. Huc
Euseb. spectat Eusebius Emiss. in præsenti fatus. *Iam non regulus, sed rex iste discedit est. Regulus erat quando venit, sed rex plenus fide recedit.* Sic fides Christi diminuti regni replet dignitatem regiúmque hominis splendorem restaurat. Vbicumque fides sedem fixerit, ibi totam regalis decoris puta inesse amplitudinem. Sic enim ad fideles suos dicebat Do-
Luc. 17. minus, Luc 17. *Regnum Dei intra vos est.* nascitur equidem humanis cordibus, siue potius renascitur regia dignitas, regius splendor, cœlestium principum non absimilis; quem regium splendorem non natura seminat in nobis, sed super-
Chrysol. seminat fides. Vnde elegãter Chrys. ser. 71. ait. *Et vbi est illud: Regnum cælorum intra vos est? Intra nos est fides.* De fidei beneficio habemus, quod intrinsecus reges simus, vt mundiales principes, quorum regnum extrinsecus est, sed vt cœlestes reges, quibus principatus nascitur ab intrinseco. Hoc nobis regnum iam promittebatur in omnium fidelium patre
Genes. 17. Abrahamo, Gen. 17. vbi sic. *Et ponam te in gentibus, regésque a*
Rupert. *te egredientur.* Qui reges ab Abrahamo egrediuntur? Rupert. lib. 5. in Gen. c. 29. ait. *Reges hic recto accipiuntur, qui apud Deum pro fidei merito reges sunt.* Operosa est Dei fides, Domini adauget familiam, gentes multiplicat, & singulorum animis regnum indit. O quantum valet fides ad suscitandum regnum in hominibus! De fideli populo locutus Dominus ad
Cantic. 6. sponsam, Cant 6. inquit: *Comæ capitis tui sicut purpura regis.* Nihil in fidelium Ecclesia adeò exile, adeò minimum quod regio splendore non fulgeat: vel capillus minimus totã re-
Chald. giam dignitatem imbibit. Hæc verba sic explanat Chald. *Pauperes populi futurum est, vt induantur purpura, propter meritum Abrahæ, quem regem constituit ab initio.* Nescit stagnari fidei purpura, vbi Abrahamum inficit, ad minimum eius filium vsque transmittitur; quis filius Abrahæ, quis Abrahæ fidem hæreditauit, etsi pauper, etsi humilis, etsi vilis, & non regio splendore Dei oculis nitet? Huc spectabat
Isai. 13. ipse Dominus apud Isaiam, cap 13. locutus. *Ego mandaui sanctificatis meis, & vocaui fortes meos in ira mea, exultantes in gloria mea. Vox multitudinis in montibus, quasi populorum frequentium: vox sonitus regum, & gentium congregatarum.* Expendo illud, *vox multitudinis in montibus.* &c. Quibus verbis putat Basil. significari numerosam multitudinem vndequaque gentium congregatam, & eiusdem fidei vocem vnam depromentium. Sed qualis hæc multitudo vulgaris, & ignobilis? Absit: erat enim *vox regum, & gentium congregatarum.* Quippe vbi fides tonabat, non poterant regij splendores non effulgere.

Text. Iam autem eo descendente serui occurrerunt ei, & nuntiauerunt, dicentes: Quia filius eius viueret. Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit.

§. VIII.

Filiorum incolumitatis famuli sunt præclarissimi indices.

NEmo viuentis filij posset præbere auspicium melius, quam famuli; in famulorum vita apertè claret, vt viuant filij, circa famulorum manum pulsus est, qui indicet filiorum sanitatem. Filium Salomonem vbi ex Bethsabee accepit Dauid 2. Reg. 12. *Misit eum in manu Nathan prophetæ, & vocauit nomen eius amabilis Domino.* Quid est, misit eum 2. Reg. 12.
in manu Nathan prophetæ? Acutè satis id explicat pater Pineda in Salomonis pueritia ex illo Oseæ 12. dicentis. *In* Oseæ 12.
manu prophetarum assimilatus sum; quippe prophetarum manus, & opera qualem vitam Dei filius apud homines haberet, iudicabant. Sic Dauid nato filio prouidit famulum, prouidit ministrum, cuius in manu perspicuam filij notaret incolumitatem. Et quando circa manum famulorum non est pulsus filiorum incolumitatis? Meritò monebat D. Hieronym. Furiam. *Nec procurator calamistratus, nec* Hieron.
formosus collectaneus, nec candidulus, & rubicundus assecla adhæreat lateri tuo. Interdum animus dominarum ex ancillarum habitu iudicatur. Sunt equidem famulorum manus, totius familiæ indices; heu, quoties in famulæ manu scripta inuenta est amantissimæ filiæ infamia. Non id indolenter prætériit Hieronymus ad Gaudentium fatus. *Solent lasci-* Idem.
ui, & comptuli iuuenes blandimentis, affabilitate, munusculis aditum sibi per nutrices, aut alumnas quærere. Et cum clementer intrauerint ex scintillis incendia concitant. Hæc non famulæ manus, sed hostilis manus est, quæ deuastet familias, depopuletur ciuitates. Felix pater, cui illi contigerunt famuli, in quorum manibus euidenter semper appareat filiorum sanitas. Hinc Tobias cap. 12. consolabatur vxo- Tob. 12.
rem pro filij incolumitate anxiam, aiens. *Tace & noli turbari, sanus est filius noster: satis fidelis est vir ille, cum quo misimus eum.* Filij sanitatem indubitanter asseuerat ea eo solum, quod scit illi assistere semper fidelem famulum. Vnde D. Chrysost. hom. 9. in epist. 1. ad Timoth. sic omnibus Chrysost.
parentibus verba facit. *Magnum habemus, pretiosumque depositum filios, ingenti illos seruemus cura, atque omnia faciamus, ne fur id nobis ablatum auferat. At vero nunc contra penitus facimus. Nam vt fundus quidem sit optimus, cuncta molimur, eumque fideli viro, magna cum studio tradimus, & agasonem, ac mulionem, procuratorémque, ac dispensatorem, qui nobis magna beneuolentia affectatus, inquirimus; cæterum, quod nobis charissimum omnium est, omnino negligimus: neque curamus, quemadmodum filium nostrum fideli cuipiam viro permittamus.* Vtinam sic saperent omnes parentes, & filiis suis eos famulos prouideant, in quorum manibus perennem filiorum salutem esse gratam videant.

§. IX.

Famulorum secreta habita cum filijs, siue de filijs suspecta sint patrifamiliâs.

BEne parenti optimo occurrunt serui, & nuntiant filij vitam, nunquam enim seruorum de filiis denuntiatio apud parentes non est filiis ipsis salutaris. Caueat bonus pater, non quæ apertè nuntiant, sed quæ mandunt famuli inter se de filiis, siue cum filiis murmura. Mortuus erat adulterij filius, & nemo famulorum Dauidi renuntiabat, sed omnes id inter se clanculo mussitabant. Tunc 2. Reg. cap. 12. 2. Reg. 12.
Cum ergo Dauid vidisset seruos suos mussitantes, intellexit, quod mortuus esset infantulus. Quam rectè prudentissimus pater mortem filij præsagiit ex clandestinis famulorum mussitationibus, & murmuribus. Velim hoc obseruent vniuersi parentes, vt quoties viderint famulos clam de filiis aliquid mandere, seu murmurare, siue quod peius est, quoties famulos viderint cum filiis clandestina seruare secreta, id filiis suis reputent omnino lethale. D. Hieron. ad Gauden- Hieron.
tium, de filia educanda sic scribit: *Voces dulcedines per aurem animam vulnerantes, puellarumque lascinia repellatur. Quæ quanto licentius adeunt, tanto difficilius euitantur, & quod didicerunt, secreta docent, inclusámque Danaem vulgi sermonibus violant.* Ecce tibi quam cauenda secreta susurra puellarum cum filia tua. Nihil habeant filij cum famulis, quod non possit, & debeat audiri, & conspici ab ipsorum parentibus. Id quod crediderim insinuatum verbis illis iam datis, ex 2. Reg. cap. 12. vbi de filio Dauidis dicitur. *Misit eum in* 2. Reg. 12.
manu Nathan prophetæ. Expende illud, misit eum in manu, quippe iuxta verbi, *misit*, constructionem deberet dicere,
misit

misit eum in manum Nathan, sed ne pater videretur omnino à se remouere filium, maluit dicere, in manu Nathan, vt pateat, quod filius etiam dum famulis erudiendus traditur, non longè remouetur à patre, sed & ibi manet sub cura, & oculis patris, vt nihil cum famulis habeat, quod non audiatur, & percipiatur à patre. Quando non suspecta famulitia secreta? Petrus Damian. epist. 12. ad Nicolaum Pop. cap. 1. sic lasciuos mores prodit. *Testimanto sunt; discursio nuntiorum, secreta loca, & colloquia.* Sed apertius D. Hieron. ad Lætam de filiæ institutione, ait: *Nolo de ancillulis suis aliquam plus diligat, cuius crebro auribus insusurret. Quid vni loquitur, hoc omnes sciant.*

Damian.

Hieron.

Text. Et dixerunt ei: Quia heri hòra septima reliquit eum febris. Cognouit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Iesus: Filius tuus viuit, & credidit ipse, & domus eius tota.

§. X.

Non sine studio, & inquisitione Christianam obtinebis iustitiam.

A Seruis horam sanitatis filij diligenter pater asciscit, & illam conferens cum hora, qua ipse accesserat ad Iesum, ex vtriusque collatione colligit virtutem diuinam, & Christianis imbuitur virtutibus. Accinebat Isaias, cap. 26. dicens: *Cum feceris iudicia tua in terra; iustitiam discent habitatores orbis.* Expendo illud, *iustitiam discent*, quasi iustitiæ opus diligenti studio, & meditatione egeat, & quælibet alia facultas, vt obtineri posset. Ibi Theodoretus dicit. *Non enim, sicut vnum quid rerum naturalium, sic etiam hoc innatum est nobis, vt sine meditatione ipsam iustitiam habeamus, sicut est videre, & ambulare, sed cuilibet studio opus est ad mentem ab iniustitia seiungendam, & ad iustitiam accipiendam.* Quippe virtus, eiúsque disciplina non nascitur, sed addiscitur: ita vt quisquis iustitiæ acquirendæ debeat studere, non enim sine oleo tantum bonum comparatur. Sic vbi hominem Deus iustitia ornatum facere cupit, ecce tibi statim ingeritur consultatio, ingeritur studium: sic enim habes Genes. 2. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Qui omnia verbulo iam condiderat artifex diuinus, facturus hominem, vt Nyssenus notat, consultationem instituit, & quasi studium adhibet; qua id difficultate præcipua? Sanè, quia homo iustitia originali, virtutibúsque animæ fiebat creatori similis, quod bonum non repente, sed multo oleo, magnóque studio deberet acquiri. Quo spectans Rupert lib. 2. de Trinitat. cap. 2. fatur. *Non dicit scriptura, quia dixit Deus: Fiat homo ad imaginem, & similitudinem nostram: & factus est homo; sicut dixit: Fiat lux, & facta est lux. Quare? Videlicet, quia non repente, sed operose agendum erat, vt consummatus homo staret ad creatoris sui imaginem, & similitudinem* Quis hominum speret in se virtutem, & iustitiam nascituram, cum ipse artifex diuinus non aggreditur hominem iustum facere, sine consultatione, sine studio? Equidem oleum, & operam debes adhibere, quisquis cupis iustitiam adipisci: adeundi, & consultandi sunt alij, eorúmque placita conferenda, & meditanda, quo facile peruenies ad iustitiam. De illa amatrix Cantic. 3. bene consulebat, cum vel à ciuitatis custodibus quærebat, num, quem diligit anima mea, vidistis? Et ecce vobis post istam inquisitionem statim subdit: *Paululum cum pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea.* Dilectum inuenit, sed post inquisitionem, post operam datam, post acceptum custodum consultum. Eleganter Gillibert. Abb. serm. 7. in Cantic. expendit illud, pertransissem, dicens. *Quod pertransimus, intelligimus illud discutere, & quasi disquirere, & penetrare: nec inutilis hæc pertransitio. Paululum enim cum pertransisset, inuenit dilectum. Videtis fratres, quid proficiat consultatio custodum? Deuotam, sed vagam animam ad inuentionem dilecti perducit. Vtilis quidem consultatio, & frequenter, quod non confert eorum, qui consuluntur, eruditio, consulentis meretur humilitas.* Itaque vt iustitiam obtineas, præmittendum tibi studium est, inquirendi alij, eorum discutienda, examinanda, conferenda placita sunt; discitur enim iustitia, non nascitur.

Isai. 26.

Theod.

Genes. 2.

Rupert.

Cant. 3.

Gillibert.

§. XI.

Verè Christianus Princeps, cuius ope & famuli ducuntur ad Christum.

ECce verè credentis Reguli euidentissimum signum, nimirum, *credidit ipse, & domus eius tota*, nesciuit sola esse eius fides, sed adeò fœcunda fuit, vt de illius exemplo, famulorum omnium examina renascerentur Christo. Qualis est fides principum Christianorum, de cuius cura, & exemplo via accidit, vt inter famulorum greges, vel agnellus Iesum intonet? Psalm. 20. clamat regius Vates. *Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum.* Prouocantur à Dauide filij Dei, siue, vt alij legunt, proceres, principes, hoc est familiarum capita, vt afferant Deo filios arietum, nimirum, vt inde se filios Dei ostendant, quod iouigilent, vt domi suæ renascantur agnelli, qui Iesum resonent. Hoc est enim clarissimum Christiani Principis insigne, si de eius cura famuli Christum quærant. Hoc eleganter Chrysol. serm. 10. *Afferte Domino filij Dei, afferte quos fides concipiat, non caro: afferte quos Dei gratia generet, non mundana natura. Quomodo se Christianum credit, aut quomodo domum suam iudicat ouile Dei, vbi non pascuale germen Dei pecus dat balatum?* De tua diligentia, nec pusio famulus, nec agnellus vnus Iesum balat, & habeberis Christianus Dominus, Christianus Princeps? Nõ mirabor Esther à Deo in regnum sublatam esse, quam video in hoc incubuisse, vt famulas ad Deum perduceret. Quæ cap. 4. sic Mardochæo mandabat. *Vade, & congrega omnes Iudæos, quos in Susan repereris, & orate pro me. Non comedatis, & non bibatis, tribus diebus, & tribus noctibus: & ego cum ancillis meis similiter ieiunabo.* Nobilis, & vera regina pro populi sui bono ieiunium promisit, non solum à se peragendum, sed a famulis, & ancillis. Sed quis credat gentiles ancillas tam grande ieiunium subituras? Gentiles erant ancillæ auis, atauísque gentilibus cum ad Esther accesserunt, illas tamen Esther iam ad veri Dei cognitionem traduxerat. Id quod asserit Carthus. ibi: non enim sulit nobilis fœmina fidem suam sterilescere, sed inde se fidelem ostendit, quod famulas suas Dei gregibus adscripserit. De Cornelio Centurione Romano dicitur Actor. 9. *Vir pius, ac timens Deum cum omni domo sua.* Ex quo D. Chrysost. homil. 23. sic vniuersos monet principes. *Audite omnes, qui regibus assistitis. Pius, inquit, erat, ac timens Deum. Et quod maius, talis erat cum omni domo sua. Ita erat huic rei intentus, vt non solum sua bene constituerat, sed etiam in ministris suis, istud etiam faceret.* Hoc sit Christianorum Principum insigne, hoc singulare studium, vt & famuli venerentur Christum, & fulgeant Christiano cultu. Alioquin metuant, ne propter famulorum crimina vapulent ipsi. Audi D. Tertull. lib. de Idol. cap. 15. sic dicentem. *Scio fratrem per visionem eadem nocte castigatum grauiter, quod ianuam eius subito annuntiatis gaudijs publicis serui coronassent. Et tamen non ipse coronauerat, aut præceperat: nam ante processerat, & regressus reprehenderat factum, adeo apud Dominum in huiusmodi etiam disciplina familia nostra æstimatur.* Numquam non æstimatur apud Dominum bona famulorum institutio, quando etiam in Domino punit, quod famuli delinquunt.

Psal. 20.

Chrysol.

Esth. 4.

Carthus.

Act. 9.

Chrysost.

Tertull.

CAPVT VI.

De Petri socru sanata.

PETRI socrum violenter affectam anhela febris vrgebat, validique lampas ardoris æstuantibus acriter medullis insederat. Pendebat sors animæ trepidantis ambigua inter funus, & vitam, gelidæque mortis aduentu nimis coquebatur flamma membrorum. At vbi Dominus ægram periculis inuolutam tactu salurifero visitauit, lethale subito fugit incendium, surgénsque mulier sospitata, quæ modo languerat, sui medici fit ministra.

Matth. 8. Et cùm venisset Iesus in domum Petri, vidit socrum eius iacentem, & febricitantem, & tetigit manum eius, & dimisit eam febris, & surrexit, & ministrabat ei.

§. I.

Concordia inter focrum, & nurum Deum trahit.

IAm omnia Petrus reliquerat, vt Iesum sequeretur; & nihilominus dicitur Petri domus, non quod Petri esset, sed socrus, & quam socrus habebat domum, ea etiam dicebatur Petri, sic omnia erant indiuisa inter socrum, & generum. Cur ergo domus, quæ sic habebat concordes socrum, & generum, non traheret ad se Dominum domesticæ concordiæ amatorem? Miraberis a Matth. in Christi genealogia, illud non otiosè notatum, quod *Booz genuit Obed ex Ruth.* Cur Ruth Moabitis, & alienigena assumitur in Iesu parentem? Nescio, an alia in vita fuerit nurus, quæ adeò se concordem socrui præberet, cui ait. *Populus tuus, populus meus, Deus tuus, Deus meus*, &c. Vnus Deus, vnus populus, vna domus, vnum sepulcrum nos indiuisa tenebit.

Hieron. Id quod sic adnotat D. Hieron. de vera Circumcis. fatus. *Cur tantum peregrina conceditur, vt sua vtero destinata benedictionis semen accipiat, & Israëli non Israelita parturiat dignitatem? Vnde illud, oro, promeruerit? Credo, quia dicit socrui suæ: Populus tuus, populus meus, Deus tuus, Deus meus.* Fallor, si quid habet gratius nupta, quam cum socru concordiam, hac Deum sibi, domuíque suæ maximè acquirit, & honestum maritum deuincit. Maximus ille Patriarcha Isaac inde æstimauit prius mores sponsæ suæ, si socrui essent conformes,

Genes. 24. ideo ante omnia Genes. 24. *Introduxit eam in tabernaculum Saræ matris suæ, & accepit eam vxorem.* Meritò dedicabat sibi sponsam, eam in tabernaculo matris introducens, vt non antea duceret, quam nouerit, ne minimo a socrus moribus

Chald. desciscere. Quo spectans Chaldæus, fatur. *Et introduxit eam Isaac in tabernaculum, & vidit, & ecce opera eius recta erant, sicut opera Saræ matris suæ. Et accepit Rebeccam, & fuit ei in vxorem.* Ecce vobis trutina, per quam Isaac felicitatem coniugij trutinabat, an scilicet Rebeccæ mores socrui Saræ essent similes, & tunc accepit eam coniugem, quando vidit esse talem, quæ à socru, nec apice discordaret. Id quod quasi primum boni coniugij fulgorem constituebant alterius Rebeccæ patres, dum filiæ iuniori Tobiæ

Tob. 10. nuptæ hæc monita dabant. Tob. 10. *Monentes eam honorare soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & se ipsam reprehensibilem exhibere.* Expende, quod primum ponatur connubilia monita, nimirum, *honorare soceros*, quasi exinde totius œconomiæ nuptialis felicitas nascatur. Quod vt rarum, sic in quocumque inueniatur maximè laudan-

Iud. 5. dum, & prædicandum; vnde venit quod Debbora Iudicum cap. 5. referens Sisaræ matrem, & vxores colloquentes, sic ait: *Vlulabat mater eius: & de cœnaculo loquebatur; cur moratur egredi currus eius? quare tardauerunt pedes quadrigarum illius? Vna sapientior cæteris vxoribus eius hæc socrui verba respondit: Forsitan nunc diuidit spolia.* Et cur cæteris vxoribus hæc sapientior dicitur, quæ adeò errabat? Sanè cæteris omnibus tacentibus, & minimè curantibus socrus dolores temperare, hæc vna in socrum pia, illam consolabatur, auspiciisque bonis demulcebat: vnde sapientissimè nomen à diuino Spiritu meruit sibi comparare. Vna est & rara, & sapientissima nurus, quæ consolatur socrum; & similiter vna est, & rara, & sapientissima, quæ pœnas su-

Genes. 19. perbiæ suæ non capiat. Genes. 19. *Egressus est Loth, & locutus est ad generos suos, qui accepturi erant filias eius, & dixit: Surgite, & egredimini de loco isto, quia delebit Dominus ciuitatem hanc. Et visus est eis, quasi ludens loqui.* Quibus apertè claret bonum concordiæ inter generos, & soceros, & discordiæ malum. Bonus socer generorum periculis prospiciebat, illósque salubriter monebat, & illos sibi vnire cupiebat, vt saluos faceret; illi è contra senem ridebant, subsannabant. Quæ stulta nurus non ridet socrum vetulam, non subsannat, quo discordiæ, quo rixæ excitantur? Sed prudens, & pius socer subsannationem fert, ne desit

Chrysost. pietati, ne separentur generi, & pereant. Præclarè D. Chrysostom. homil. 44. fatur. *Cum audirent generi à iusto terribiles illas minas, quasi subsannabant, & putabant deliramenta esse, quæ dicebantur: verumtamen iustus, quod suum erat, faciebat. Et quia semel illis filias desponsarat, voluit eripere eas à plaga: at illi noluerunt, & re ipsa didicerunt, quod magna suo damno consilium iusti reiecerunt.* Heu, quanto damno vnio inter socrus, & nurus reiicitur.

§. II.

Castitas vt dominari facit.

SEd esto, quod ad socrum pertineret domus, cur, cum Petrus omnia reliquisset sua, imò, & ab vxorio conuictu recessisset, adhuc tamen socrus domus dicebatur Petri? Quia Petrus Christi amore ab vxorio discesserat conuictu; ideo potiori iure & socrus, & vxor, & quælibet illarum res illi subiiciebantur, & Dominũ agnoscebãt. Non absimile illud,

Genes. 21. Genes. 21. vbi Dominus subiicit Abrahamum vxori suæ Saræ, propter huius insignem castitatem, ait enim: *Omnia quæcumque dixerit tibi Sara, audi vocem eius.* Vnde vir subditur vxori? Sanè audierat Sara Angelos marito suo filium promittentes, & memor castissimi sui propositi, quo ab vxorio conuictu recesserat, ait: *Postquam consenui, & Dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo?* Quasi causaretur à castissimo mentis proposito vlla promissione recedere, quo meruit, vt mulier viri dominaretur. Sic proxima verba re-

Damian. censens, fatur Damian. epist. 137. *Quibus vtique verbis perspicuum est, Saram castitatis iam tunc tenuisse propositum. Et post hæc dixit Deus Abraham: Omnia, quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius. Ecce cui prius Abraham imperauerat, & Dominus dicebatur, iam illi per castitatis meritum obedire præcipitur, vt eius verbis iam in cunctis obediat.* Sic castitatis propositum euexerat Saram in sublime, vt illam ipsius Abrahami dominam constitueret. Inest equidem castitati dominatus, cui omnia

Genes. 1. subiiciuntur creata. Id quod ostendit diuina vox, Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, omniq; reptili, quod mouetur in terra.* Non aliter ad principatum omnium creaturarum aptatur homo, nisi cum fit ad Dei imaginem, & similitudinem, quæ similitudo primi hominis, cum Deo consistebat in corruptibilitate, & puritate castitatis, vt auctor est D. Sixt. Papa, lib. de Castit. Quippe ex castitatis insigni homo iam inde habet omnium dominari. Quo spectabat D.

Mart. Martial coætaneus Apostolorum, epist. 1. ad Burdegalenses, c. 5. fatus, *Beati verò eritis, si cum exaltatione Deo seruientes, libidini restiteritis, vnde maxima corona remunerationis impertietur vobis. Nec bestiales mores oportet vlterius esse in eis, quia vasa Domini munda sunt in adoptionem filiorum æternæ hæreditatis, sed honestate rationabili ad omnes homines vti. Hæc enim agentes, securi terram possidebitis, & omnia irrationabilia subiecta erunt vobis. Ipsa quoque elementa, quibus ante seruiebatis, seruient vobis.* Ea est castitas, quæ sibi omnia subiiciat, quæ in homine regium splendorem instauret, quæ nullibi nesciat dominari. Castissimus Ioseph in seruitute, & carcere detentus, tandem ad regnum erigitur castitatis suffragio; illi enim dicit Pha-

Genes. 41. rao, Gen. 41. *Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: vno tantum regni solio te præcedam.* Non potuit vir castissimus diu manere in seruitute, cui propter

Zeno. castitatem diadema regni debebatur, vt dicat D. Zen. ser. de pudicitia. *Pudicitiæ splendore vestitus post calumniosam damnationem, & liberatus à Deo est, & honoratus. Denique rex iure secundus factus est regni; qui insignis rex erat iam ante pudoris.* Et cur tanta castitas Iosephum ad regnum sublimaret? Vide lib. 1. cap. 7.

§. III.

Prætextu perfectionis quærendæ, non relinquenda sunt opera aliis titulis debita.

QVi de perfectionis calculo omnia bona reliquerat, & patrem, & matrem, & vxorium conuictum, pauperculam, & fabricantem socrum retinebat, & curabat. Sic qui perfectionem scandunt, eò addicant animum, vt in primis debita opera omnino sibi adimplenda existiment. Non enim in communi sæcularium contemptu derelinquendi

Genes. 12. sunt ij, quorum obligatione teneris, Gen. 12. cum de egressione Abrahami à patria, & cognatione sua ageretur, ait textus, *Egressus est itaque Abraham, sicut præceperat ei Dominus, & iuit cum eo Loth.* Quæ verba magnam statim faciunt quæstionem; quomodo verum sit, quod Abraham egressus sit, sicut præceperat ei Dominus, quãdo & consobrinum suum Loth portabat secũ? Præceperat quippe Dominus. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui.* Quomodo relinquebat cognatos, qui sobrinum retinebat? Sanè secum habebat Lothum, non vt cognatos retineret, sed vt opis egenti cognato debitum officium exhiberet. Id quod attigit

Chrysost. D. Chrysost. hom. 31. inquiens *Quare cum Dominus dixerit: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, Lothum assumpsit,*

non

non fuit inobediens Domino? Sed fortè, quia Loth iuuenis erat, & Abram patrus loco illi præfectus. Erat Loth consobrinus Abrahæ iuuenis adhuc paruulus, cuius cura penes ipsum Abraham erat; vnde nullus perfectionis prætextu debuit deleri à suo auunculo. Nec inde putatur Abram, non reliquisse perfectissimè cognatos, iuxta Dei præceptum, & vocationem, cum secum habuit cognatum, non vt sibi reseruaret, sed vt egenti debita officia præstaret. Quo similiter magnifaciunt Patres euangelicam Zachęi perfectionem, qui dimidiũ substantiæ suę dabat pauperibus. Sed quæ perfectio est, quæ dimidium retinebat? Nónne dictum fuit alteri: *Si vis perfectus esse, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus?* Vbi omnia vendenda, & danda essent, quomodo perfectus, qui dimidium retinebat? Omnia reliquerat Zachæus, quæ posset sine iustitiæ næuo, retinebat enim dimidium, non vt retineret, sed vt diebus satisfaceret. [Psal.126.] Aug. in Psal.126. *In Zachæo magna voluntas, in Zachæo magna charitas. Suscepit Dominum hospitio, gaudens suscepit, & dimidium patrimonij sui pauperibus promisit se daturum, & si cui aliquid abstulerat, quadruplum redditurum, vt intelligas propterea sibi eum tenuisse dimidium, non vt haberet, quod possideret, sed haberet, vnde debita redderet. Magna voluntas, multum dedit, multum seminauit.* Perfecta omnium rerum abrenuntiatio non minuebatur ex eo, quod dimidium substantiæ suæ sibi reseruaret, quando id reseruabat, non vt possideret, sed vt debitis satisfaceret. Quis enim debitis officiis incumbens à perfectionis via deflexit?

§. IV.

In Christi Ecclesia laboribus proficimus, quibus in Deos cooptamur.

QVid est in domo Petri, quod Dominum trahat? An familiæ concursus? An salutantium pompa? An aureus ornatus? An plenæ mensæ, pretiosæ dapes, senescentia vina? Absit, in tota Petri domo nihil aliud esse memeratur, quam fabricantis fœminæ suspiria, & lacrymæ. Sic notabat [Chrysol.] Chrysol. serm.18. fatus, *In domo Petri non vina, sed lacrymæ fundebantur: turbabat ibi familiam non cura conuiuij, sed cura languentis.* Hæc sunt stemmata Christianæ familiæ, nimirum, tribulatio, & lacrymæ. [Iud.11.] Iudicum, cap.11. Iephte filia Deo immolanda sic patrem precatur: *Dimitte me, vt duobus mensibus circumeam montes, & plangam virginitatem meam cum sodalibus meis.* In quibus verbis Christianæ Ecclesiæ [Chrysost.] signa agnoscit Chrysostom. ibi aiens: *Quid enim potest inueniri fortius integritate, & virginitate Ecclesiæ, quæ concipit in incorruptione, creat in integritate? Virgo est ista, quæ virum non nouit. Plangit autem sexaginta diebus virginitatem suam, id est, omnibus diebus suis. Nec enim mittit ad Dominum, qui in ipsa proficiunt, nisi ex magna tribulatione, nisi ex planctu, & fletu, & lacrymis.* Expendendum inprimis est, quod domestici Ecclesiæ non dicantur proficere, nisi ex magna tribulatione: quò enim maior tribulatio nostra fuerit, eò magis perpetes alæ induntur nobis ad euolandum. Compone modo D. Lucam [Luc.4.] c.4. de Petri socru fantem, *Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.* Non sic nauis iactis anchoris tenebatur, ne gradum faciat, vt tenebatur anus hæc febrium magnitudine, vbi ergo sunt tribulationis decumanæ calcaria? Vbi alæ? Sanè tribulationes aptiores videmur ad detinendum; potius remoris, quam alis similes aptantur. Nihilominus de domesticis fidei locutus Angelus, [Apoc.7.] Apoc.7. ait, *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna.* Imus equidem per tribulationes, non detinemur? dum putas teneri te tribulationum rudentibus, tunc ocyor volas, tunc cœlestia scandis. Id quod de Iob [August.] notabat August. in Psal.103. *Iob ille sanctus sedebat in stercore, & currebat in via.* Credebatur dolorum rudentibus loco esse illigatus, & tamen tunc percurrebat stadium: videbantur dolores illi esse funes, & laquei, & erant pro alis, quibus ad cœlestia festinabat. Quid plura? Dolorum vincula non solum domesticis Petri sunt pro alis ad euolandum, sed adeò sunt nobis salutaria, vt nos in Deos trãsferant. Miraris? [Act.11.] Accipe Petrum Actorum cap.11. in vinculis constitutum Herodianis, & ab illis ereptum virtute Angeli. Tunc vident custodes vincula vacua; tunc stupent: *Tunc non parua turbatio inter milites, quidnam factum esset de Petro.* Explicatius Græcè dicitur, quod dubitabant; *quid tandem Petrus factus esset.* quasi à tantis vinculis non posset, nisi aliquid magnum, & diuinum euadere. Id quod amplius expendens Caietanus, introducit milites dubitantes: *An conuersus fuisset Petrus in aliquod numen.* Equidem prudenter meditantur, quando in tota domo Petri vincula, & carceres eam virtutem habent, quæ homines in Deos transferant. Non absimile id, quod accidit Iosepho, seruatoris typo: is in carcere cum esset, vt concaptiuos tristes vidit ob insomnia, ait, Genes.40. *Nunquid non est Dei interpretatio? Referte mihi, quod vidistis,* &c. [Genes.40.] Primo supponit solius Dei esse somniorum interpretationes, deinde petit, vt sibi narrentur somnia, interpretaturus ea. Si solius Dei est interpretatio, cur sibi narrari somnia petis? An, quia ad Deum pertinet interpretari, ideo ad te, qui Deus sis? Equidem sic iuuenem vincula, & carcer euexerant, vt posset ad ea quæ Dei sunt, ipse suam opem spondere, quasi à vinculis terrenus Deus creatus esset.

§. V.

Peccati malitia manifestata fugit. Vbi de confessione.

VIde celeritatem curationis in febricitante fœmina, ait enim Matth. *Quod Iesus tetigit manum eius, & dimisit eam febris.* non sustinuit febris, quod manus infirmæ tangeretur à diuino medico. Sed cur infirmæ manum tangi à Iesu non sustinuit febris? Tota febris malignitas panditur per sapientem medici tactum, nec prius aliquid facit medicus, quam apprehensa infirmi manu per pulsum febris qualitatem percensere, quam si bene cognoscat, magna inde salutis spes adolescit. Fugit ergo febris tactu manus, quia nequit stare malignitas manifesta: inde medicamentum habet peccator, si nudam malitiam suam exhibeat oculis diuini medici. Notanda sunt pulchra verba Chrysost. homil.6. in [Chrysost.] Marcum fatus de Iesu in præsenti, *Apprehendit manum eius, quasi medicus, tentauit venas, vidit magnitudinem febrium ipse medicus, & medicamentum.* Cæteri medici dum sapienti tactu vident vim febris, currunt ad noua remedia; nobilis autem medicus Iesus, ipse est medicus, & medicamentum, sed si videat morbi malitiam, si eius oculis peccator suam putredinem manifestet. Quippe omnis peccatorum malitia in sui manifestatione habet medicamentum. Dan.13. Susanna ferebatur ad supplicium, damnata erat innocentia; verum [Daniel.13.] coactus populus in vnum voce pueri, ecce tibi iterum innocentiæ examen instauratur. Quæ tunc facies rerum? Quæ turbatio falsorum testium? Aiebat D. Zeno ser.9. in Danielem. [Zeno.] *Falsos testes pauor inuadit, tremuit diabolus, quod ipsius commenta nudentur.* Hic est totus diaboli metus, hæc tota malitiæ desperatio, quod nudetur, quod eius virus ob oculos proponatur, inde etiam non potest stare. Felix Dauid suorum vulnerum medicinam inde ostendit Psal.37. dicens, [Psal.37.] *Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ.* Ideo felix, qui sapientium mundialium calculo nõ abscondit peccata, non deaurauit, ob oculósque omnium proposuit. Ibi eleganter D. Ambros. *Est ergo & sancto Dauid spes, & remedium sanitatis: quia non vnguentum redolent, sed fœtorem suorum vulnera peccatorum.* [Ambros.] *Refugit propheta sapientiam istius mundi, quia tegit sua vulnera, non reuelat ad Dominum. Melior insipientia, quæ oculos habet, vt videat vlcera sua, quam sapientia, quæ non habet.* Ibi spes, & remedium sanitatis, quod fœtor vulnerum non lateat, quod virus morbi totus prodeat, & pateat oculis. Nónne etiam sanaturus mortuum, aiebat Dominus, Ioan.11. *Lazare, veni foras?* Quasi nulla esset infirmitas incurabilis, dum potest manifestari, & prodire ob oculos. D. Greg. lib.22. Moral. c.12. *Mortuo dicitur, veni foras,* [Gregor.] *vt nimirum homo in peccato suo mortuus, & per molem malæ consuetudinis iam sepultus, qui intra conscientiam suam absconsus iacet per nequitiam, à se ipso foras exeat per confessionem.* Hoc vnum peccatori suffugium, quo non timeat mortem, si malitiam promat, constituátque ob oculos. Etenim dum malitia occultatur, nescit non augeri. Id quod patet Genes.27. [Genes.27.] *Oderat ergo semper Esau Iacob pro benedictione, qua benedixit ei pater: dixitque in corde suo; Venient luctus patris mei, & occidam Iacob.* Expende ab illis, dixitque in corde suo: quippe dum intrinsecus in corde malum occultat, magnum suscipit incrementum; antea odium erat aduersus fratrem, sed dum odium hoc latitat in corde, non ibi sistit; & ad patrem vsque protenditur eius optans interitum, dum ait, venient luctus patris mei. Ita D. Ephr. de Pœn. ait, *Patrem mori optabat,* [Ephrem.] *dicens, Quando morietur pater meus, & occidam Iacob? Non solum fratricidam eum iracundia fecit, sed etiam parricidam: nam semper malitia occultata scelus adauget.* Emittat foras per confessionẽ malitiam, qui cupit illi adhibere medicinam. Tunc enim solum desperata est hominis salus, quando peccatum occultatur silentio, ne per confessionem eius virus appareat.

Ad illum qui nefariè intranerat ad conuinium, ait Dominus, Matth. 22. (Matth.22.) *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit rex ministris, Ligatis manibus, & pedibus eius, mittite eum in tenebras*, &c. Expende quando miser perdatur, non quando nefarie intrat, non quando male sedet, sed tunc cum obmutescit, nec peccatum confitetur. (Galfrid.) Ita Galfridus apud Tilmanni allegorias, fatur, *Tunc ait rex ministris, Ligatis manibus eius, & pedibus*, &c. *Tunc videlicet, non vbi ille sine nuptiali veste introiuit, sed postquam admonitus siluit, interrogatus obmutuit, & noluit confiteri.*

§. VI.

Opera bona spiritualis indicia sunt.

(Chrysost.) VRgenda amplius sunt Chrysost. verba in principio §. præcedentis posita, nimirum: *apprehendit manum eius, quasi medicus.* An medicorum est apprehendere infirmi manum, & non potius brachiale, scilicet eam brachij partem vltimam, qui manui coniungitur? Medici id apprehendunt, in quo est pulsus, index sanitatis vel infirmitatis; hic autem est in brachiali, non in manu, cur ergo dicitur Iesus, vt medicus apprehendisse manum infirmæ, & non potius brachiale? Medicus hic erat præcipuè animarum, quarum sanitatis index, & pulsus in manibus est, adeo, vt inde censeantur, si agant, si operentur. De adolescente illo prodigo dicitur, Luc.15. (Luc.15.) *Peregrè profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè.* Expende illud, dissipauit substantiam, summi enim, & pene deplorati infirmi est substantiæ resolutio, substantiam iste consumpserat, id est, eam vitam instituerat, tam operibus bonis vacuam, vt totam vitæ spiritualis substantiam prorsus habeberet dissipatam. (Ambros.) D. Ambros. lib. 2. de Pœnit. cap. 3. ait, *Consumpsit, inquit, substantiam suam. Merito consumpsit eam, cuius fides in operibus claudicabat.* Opera sunt, quæ ostendunt substantiam spiritus, prout deficiunt opera bona, deficit substantia vitæ spiritualis: quæ solum consistit, vbi operibus publicatur. De fidelibus mundo mortuis, Christo viuis dicit Apocalyps.14. (Apoc.14.) *Amodo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis.* (Gillibert.) Quæ verba acutè ponderans Gillibert. Abb. serm. 11. in Cant. fatur, *A laboribus, inquit, requiescant, non ab operibus. Opera enim illorum sequuntur illos: opera sequuntur spiritum, sicut calor ignem, vmbra corpus, lux solem, effectus causam.* Itaque in operibus notanda est tota substantia spiritus, tunc robustus est Dei spiritus in animis nostris, cum robusta facinora patrantur; vt semper in manuum pulsu, vitæ spiritualis innotescat qualitas. Psalm.47. (Psal.47.) *In spiritu vehementi conteres naues Tharsis.* Nescit non publicari spiritus facinoribus manuum; vbi fortis & vehemens spiritus nostris insederit animis, sic inualescent manus, vt inimicas conterant classes. Ex manuum fortitudine robur, & valorem spiritus meditaberis. Quod spectat Ambros. in præsenti, aiens, *Dum ad fidei persecutionem Dei famuli venire desiderant, commacerant corpus suum castigando seuerius, & religendo in ministerio seruitutis. Hoc autem faciunt in spiritu valido, atque vehementi. Est enim spiritus consilij, atque virtutis, vt omni abstinentia dissoluant corpus suum, quo omnes eius euacuent voluptates, vt dicatur illis: Conualescite manus remissæ*, &c. Ecce vobis tota substantia, & robur spiritus, vnde claret, & consistit, nimirum, ex illis operibus, quibus vitia expurgentur, & manus ad virtutes conualeant. Non potest esse vehemens spiritus, & remissa manus: sed vbi crescit spiritus robur, crescit etiam manuum fortitudo, & valor.

§. VII.

Ecclesiastici, vt fugiant otium, plura virtutum opera tenentur exhibere.

IN domo Petri infirmantis manus à Christo sumitur, vt sanitatem infundat; vt doceamur illos Ecclesiæ ministros æternæ seruari saluti, quorum manus, vt vacuantur ab operibus seruilibus, sic implentur Christo. Non enim Christi ministri feriati esse iuuentur, vt otio indulgeant, quod illis lethale est; sed vt à temporalibus remoti dent operam diuinis. Non absimile est, quod fecit Dominus cum populo suo Israëlita, vbi illum de Ægypto eduxit, & per eremum duxit; nullum tunc temporis opus manuum à populo fiebat; & ecce tibi statim illi mandata præcepta legis pene innumera; sacrificiorum cæremoniæ, ac ritus infiniti. Cur populo tot legum, rituúmque myriades à Deo dantur? Rem attigit Cardin. Petrus Damianus lib. 6. epist. 5. (Damian.) dicens, Deus hoc humanæ salutis dignatus est vti argumento, cum populo per deserta gradienti, tot mandata proposuit: operosum videlicet tabernaculum fabricari, diuersa sibi sacrificia per tot cæremonias, ac ritus offerri, ipsum castrorum ordinem siue residentium, siue commeantium, tam artificiosa, quam mystica varietate distingui: quatenus dum sese in his iugiter exerceret, resolui carnalis plebs ad idola colenda non possit. *Sanè dum populus ille non operibus textrinis insisteret, non coriariæ arti operam daret, non denique studium agriculturæ dependeret, non vllus prospicienda necessitas laboribus insudaret; multiplibus occupandus erat, Deo legem promulgante, mandatis, vt dum hæc cum labore persolueret, nequaquam otio resolutus in sacrilegium declinaret.* Vtinam scriberentur in silice, vngue adamantino; vel vtinam Dei digito scriberentur Ecclesiasticorum animis, & innumera mala vitarent. Sanè Ecclesiasticorum gens, quæ ab omni temporalium sudore vacat, multiplicibus occupanda est mandatis, multiplicibus orationum pensis implenda, ne resoluta otio, in sacrilegia labatur. Hoc spectat sacerdotis instituendi phrasis passim in scripturis notata, nimirum, quod alicuius impleatur manus, vt Iudic. 17. dicitur Michæ, *Quod impleuit manum Leuitæ*, (Iud.17.) hoc est sibi Sacerdotem initiauit, & 3. Reg. 13. dicitur, *Quicumque volebat, implebat manum suam, & fiebat Sacerdos.* (3.Reg.13.) De quo aiebat Caietanus: *Sæpe legitur actus iste implendi manum ad constituendum Sacerdotem, sed adhuc non comperi, quid esset.* Sed planè pulchrè notatur, quam debeat esse Sacerdos deditus sacris operibus, quam alienus ab otio, cuius manus numquam debent esse vacuæ, ita vt idem sit habere sacerdotium, & habere manus prorsus diuinis operibus plenas, & occupatas, non aliquo opere insignes, sed multiplicibus operibus plenas. Non sint sacerdotales feriæ otiosæ, sed plenæ operibus, Dei meditatione occupatæ. Non longè abest D. Bernard. serm. de Obedientia, & (Bernard.) Patient. fatus, *Nulla vobis hic nutriendorum liberorum cura, nulla solicitudo, quomodo placeatis vxoribus, non de nundinis, non de negotiis secularibus, non de ipso victu, & vestitu necessum est cogitare; procul à vobis magna quidem ex parte diei malitia, & solicitudo vitæ. Vacate itaque dilectissimi, & videte, quoniam ipse est Deus.* Non ideo à sæcularibus sudoribus vacent Sacerdotes, vt otio torpeant, sed vt diuinis impleantur, ideo manus à pulnerolentis negotiis excutiunt, vt eas Deo impleant, ne otio resolutæ in sacrilegio labantur. Quod periculum præclarè illis obiiciebat Dauid Psalm. 72. In labore hominum non sunt, & cum (Psal.72.) hominibus non flagellabuntur. Ideò tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate, & impietate sua. Antiquitus notum est illud omnes homines mundans flagellum, quod labori, & sudori subiiciuntur, vt vescantur pane suo. Inde sudant agricolæ terram solicitantes: patitur miles, circumeunt mare, & aridam negotiatores; fabri, cementarij, aliique plures huius generis victum labore quærunt. Hoc laborum, sudorúmque flagellum D. Petri tabernaculo non appropinquat; quippe Ecclesiastici, vt explicat D. Bernard. in Declamation. omni hominum sudore vacant, quo metuendum est, ne in mille sacrilegia ruant; ne operiantur iniquitate; ne apprehendant mendacia, & insanias falsas, nisi multiplicibus diuinorum operibus impleant manus. Rectè sacerdotes monebat Ezechiel cap. 43. (Ezech.43.) *Et vitulum de armento, & arietem de pecoribus immaculatos offerent. Septem diebus expiabunt altare, & mundabunt illud, & implebunt manum eius.* Explicatius Septuag. legunt, *& implebunt manus suas*, suffecisset numerum hostiarum, & speciem præscribere, insuper dies expiationis designare; & totum mundationis negotium mundare: cur denique addidit, *& implebunt manus suas?* Crediderim id additum esse, vt discamus, quam cauendum sit diuinorum operum, vel paruum vacuum in sacerdotis manibus. Hoc vnum facit sacerdotem beatum, si nunquam diuinis operibus sint vacuatæ eius manus; an non summus sacerdos erat ille, & sacerdotum exemplar, cui dictum est Cant. 5. (Cantic.5.) *Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis?* Quò igitur terrenis sudoribus vacant sacerdotum manus, eò cœlestium operum splendore impleantur; terram excutiant, sed hyacinthos præferant: mundum dimittant, sed Christum apprehendant.

§. VIII.

§. VIII.

Ecclesiasticos viros dedecet iuuencularum famulatus, & imperium.

SAnatur Petri socrus, vt discumbentibus ministret, etenim ait: *Tetigit manum eius, & reliquit eam febris, & surrexit, & ministrabat ei.* Nónne vides, cuius in domo Petri requirebat Dominus ministerium? An deerãt famulæ? An calamistratæ vernulæ? Absit. In Petri domo vna anus reperitur, quæ famulatum & Petro, & Iesu præbeat. Pulchrè D. Chrysolog. serm. 18. (Chrysol.) *Et Christus mulieris indigebat obsequio, & mulieris prouectæ ætatis, senectute summa: sic in domo Petri non erat vernula?* Indigebat tunc Dominus vetulæ fœminæ obsequio, quia & semper indiget illis sacerdotibus, in quorum famulatu nulla inueniatur adolescentula, nulla fœmina, quam non commendet prouectæ iam ætatis, & senectutis grauitas. Nulla castitatis puritas, non nigricat inter quotidianos puellarum aspectus, quando in domesticis negotiis, vbiuis puella ministrans arridet. (Sapient. 4.) Sapientia, cap. 4. sic laudat castitatis apices, *Quam pulchra est casta generatio cum claritate.* Tunc pulchritudo extollitur, cum vndique nitidissimus eius splendor claret; quasi non iam censenda castitas sit, quæ vel remotam admittit materiam fumigantem, ex quo (Cyprian.) D. Cyprianus de singularitate clericorum, argumentatur, illius tantum posse esse claram castitatem, qui, sacerdos cum sit, omnino alienus, & singularis est a contubernio puellarum. *Non est, inquit, casta cum claritate, nisi singularitas sola, quam non solum conscientia sua nullis sordibus maculat, sed etiam nulla opinione suspectæ pluralitatis infamat. Nam si castitas, quod est difficile, masculum, & fœminam pariter in virginitate conseruet, non habet claritatem, quam communitas ipsa non potest, nisi quibusdam probrositatis tenebris obscurare.* Vbi enim diuersi sexus calor sub vno tecto clauditur, nequit omnino fieri, vt si non flamma, saltim fumus aliqualis appareat. Memini sacerdotum illum apicem Martinum Turonensem Episcopum, qui dum regiam Maximi imperatoris adit, coactus est in secreto aulæ cubiculo imperatricis famulatum suspicere. Ex quo facto sic reliquos Sacerdotes monet (D. Seuer.) D. Seuerus Sulpitius, Dialogo 2. cap. 7. *Videant enim, quia Martino semel tantum in vita sua, iam septuagenario non vidua libera, non virgo lasciuiens, sed sub viro viuens, ipso viro pariter supplicante regina seruiuit, & ministrauit: hac credenti astitit, non cum epulante discubuit, nec causa est, participare conuiuio, sed deferebat obsequium. Disce igitur disciplinam, seruiat tibi matrona, non imperet, & seruiat, non recumbat, sicut Martha illa ministrauit Domino, nec tamen est adscita conuiuio.* Multa hinc discere possunt sacerdotes Christi, & quam cauere debeant famulatum, & dominarum imperium. Vt enim lethalis est domesticis Petri iuuenis famulæ contuitus, sic etiam est lethale dominarum imperium. Cur non pereat merito sacerdos ille, qui lasciuientis iuuenis more, sese puellarum imperio subdit? Cur non pereat domesticus Petri, qui aliquando lætatur dominæ placuisse suæ? (Chrysol.) De his D. Chrysol. serm. quod regulares fœminæ viris non cohabitent, sic loquitur, mores Ecclesiastici viri, pessimæ seruituti subditi proponens, *ancillis sæpe tardius paratis & assidet, & alia curat, neque ob illa pudescit, sed gloriam putat: neque ipse erubescat, sed magis gaudet, & tanto magis, quanto fœdiorem seruitutem subijt, & apostolicum illud verbum, quod dicit: Gloria in confusione ipsorum re ipsa monstratur.* Vbi magis est gloria in confusione, quam vbi sacerdos compulorum more puellam circuit, eique præbet seruitutem? Vbi sacratus vir totas curas absumit, vt placeat fœminæ, de eiúsque imperio viuat?

§. IX.

Indecorum est viris Ecclesiasticis, quòd fœminæ, vel aniculæ feruentiores sint in diuino obsequio.

ECce tibi, quis in domo Petri ministret Iesu, nimirum, illius socrus, anicula, & vilis mulier ministrabat ei. Cur Petre, pateris in domo tua tantum ministerium aniculæ fœminæ committi? Cur non potius tu ipse ministras? Metuo, ne verecundum sit Petri domesticis, quod in diuino obsequio promptiores, & feruentiores fœminæ inueniantur. (Chrysol.) Meritò Chrysolog. serm. 18. aiebat: *Petrus ipse causas suæ verecundiæ non videbat, vt hoc anus, hoc socrus faceret, magistro discipulus quod debebat?* Quanta id mea verecundia fateor, quod feruor diuini famulatus, non tam apud Petri domus columnas quam penes abiectas fœminas hodie inueniatur. Video plures Ecclesiæ apicibus insignitos, splendentium dignitatum infulis exultantes, sed quæ ardenter, & auidè Christo seruiat, vix inuenitur anus vna, fœmina vna. Discumbebat aliquando Iesus in domo Simonis Pharisæi, & inter discumbendum accedit peccatrix mulier, cuius obsequia Dominus suspiciens, ait ad Simonem, Lucæ cap. 7. (Luc. 7.) *Vides hanc mulierem? intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lacrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit,* &c. In domo Principis Synagogæ, & principis illius, qui Iesum excipiebat conuiuio, totum eius confundit obsequium vna fœmina, quæ sola præ omnibus nouit Iesu seruire: si qua sola, & feruor diuini famulatus, & auiditas propriæ salutis, sibi Iesum deuincit. Vnde notabat D. Paulinus epist. 4. dicens, (D. Paulin.) *Meritò prælata & Pharisæo pascenti licet Christum, quæ Iudæo exultante, seruiua non sibi, sed saluti auida seruiebat.* Multos Ecclesiæ principes, insignésque viros confundit passim vnius fœminæ in Iesum deuotio, & salutis auiditas, & dum illi dignitatum culmina tenent, clauésque regni, & sapientiæ administrant, lautásque doctrinæ mensas ostendunt, aniculæ vnius famulatus a Deo præfertur illis, & sibi eligitur. En, quoties non vna mulier Hebræa, sed mille mulieres Christianæ faciunt confusionem in domo Ecclesiæ Principum? Quanto cum dedecore audient Petri hæredes, Ecclesiæ principes, doctrina, & sapientia pleni viri audient a Iesu: *Vides hanc mulierem? tu aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lacrymis rigauit pedes meos.* tu ille fastidia prætulisti salutis; hæc semper auida seruiebat: tu totus ad splendorem dignitatis intentus; hæc vnum Deum suspirabat. Quis venerabilium virorum inuerecunde ferat, sic a Deo exprobrari? sic à muliercula vinci? Præclarè aiebat D. Chrysologus serm. 4. in (Chrysol.) Matth. *Et verè magna confusio est Sacerdotum, & omnium clericorum, quando laici inueniuntur fideliores esse, aut iustiores.* Quid si feruentior sit muliercula? quantum id dedecus debet infundere viris magnis? Sanè quantum debeat mordere virorum animus virtus fœminarum, nouerat satis sapientissima, & fortissima Iudith: quæ sacerdotibus, & ducibus Israëlis deficientibus, audet in exercitus Assyriorum venire; ibique intrepida Holofernis succidit caput, nec tanto facinore contenta abscissum caput assumens secum, ad suos redit, quibus fatur, cap. 14. (Iud. 14.) *Audite me fratres, suspendite caput hoc super muros nostros,* &c. Non permittit suos exire in campum, antequam caput fœminea abscissum manu in mœnibus suspendatur. Cur hoc? An non satius esset propitius exire in hostes, quam in his parui momenti rebus immorari? Quid intererat, quod caput illud suspensum mœnibus pareret prius? multum per omnem modum: nam Bethulienses milites, viso illo capite à fœmina abscisso, non poterant non incredibili pudore compungi, & excitari in certamina. Caput illud Bethuliensibus pudoris, verecundiæ calcar adhibebat, Assyriis autem metum, & horrorem incomportabilem. Pulchrè D. Ambros. de viduis inde (Ambros.) Iudith sapientiam exaltat, fatus, *Nec dexteræ tantum hoc opus, sed maioris trophæa sapientiæ. Nam manu solum Holofernem vicit, consilio autem hostium vicit exercitum; suspenso enim Holofernis capite, suorum erexit animas, hostium fregit, suos pudore tuentans, hostes quoque terrore percellens.* Non sine ingenti pudore, & verecundia venerabilium, fortissimorúmque virorum oculi possunt fœminarum facinus spectare.

§. X.

Ecclesiæ dignitates ne dentur iure consanguinitatis.

QVam deserta erat domus Petri, in qua anus socrus debuit sanari, vt ministraret hospitibus: id bene notans Chrysolog. serm. 18. ait: (Chrysol.) *Sicut in domo Petri non erat vernula, non minister, non familiaris, non propinquus.* Inde iam Petri successores initiabat Dominus, iuxta quos ad munera Ecclesiastica largienda nullum sit ius familiaritatis, & consanguinitatis. Hinc Auieni viri consularis gloriam postponebat Basilio consulari Sidonius Apollinaris, epist. 9. fatus, (Apollin.) *Auienus si quid poterat, in filijs, generis, fratribus prouehendæ moliebatur: cumque semper domestico candidatu distingueretur, ad expediendas forinsecus ambientium necessitates, minus valenter efficax erat: & in hoc Corsiniorum familia Deciana præferebatur, quod quantum impetrabat cinctus Auienus suis, tantum conferebat Basilius discinctus alienis.* Quod si minus decorum erat sæculari Principi, in sæcularibus muneribus largiendis, propinquos, & familiares respicere, quam id indecorum, imò quam turpe futurum putas Principibus Ecclesiæ? Id flebat

D. Isidor.

Isidor. D. Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 250. aiens, *Cælestis sacerdotium fidei nostræ commissum est, ac per lubricum, & periculosum iudicium illud corrumpimus, ille per vim episcopatum accepit: & genere sua rerum statum onerat. Ille famulorum gregibus altare obturbat: hic ad illius familiaritatem se adiungit, & pauperum bona intervertit. Papæ! quot maculis divinum sacrarium contaminatur?* Quot propinquos, quot familiares, quot famulos, hoc solum iure, quod tui sunt, ad patrimonium crucifixi promo-
Bernard. nes, tot maculas sacerdotio inuris. Non inuenuste D. Bernard. in declamat. carpebat sui temporis Episcopos, cùm recensens illos, qui ad sacras dignitates euolabant, sic fatur, *Ille dignus archidiaconatu, utpote filius Principis: magis autem, si sit Episcopi consobrinus: in quo, nimirum, tota est episcopata progenies.* Et quidem, quando in patruo Episcopo, non episcopatur vniuersa eius familia? Quod quam sit alienum à
Psal. 109. Christi Ecclesia, ostendit Psalm. 109. dum de Iesu ait, *Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedec*, non secundum ordinem Aaron, cuius sacerdotium per familias propinquorum desetebatur, sed secundum ordinem Mel-
Hebr. 7. chisedec, qui, vt notat Paulus ad Hebræos 7. *est sine patre, & sine matre, & sine genealogia*; ne apud Petri hæredes valeat
Leo. aliquod ius familiaritatis. Ex quo D. Leo, serm. 2. in anniuersario assumptionis suæ, ait, *Denique huius diuini sacerdotij Sacramentum non per generationum tramitem currit, nec quod caro, & sanguis creauit, eligitur: sed cessante priuilegio patrum, & familiarum ordine prætermisso, eos rectores Ecclesiæ accipit, quos Spiritus sanctus præparauit.* Quàm pulcer erit Sacerdotum ordo, in quo nullus appareat sanguinis electus suffragio, sed diuino spiritu præparatus in doctrina, & virtute.
Isai. 3. Illud extremæ ruinæ signum ponebat Isaias, cap. 3. in capite magnæ calamitatis. *Apprehendet enim vir fratrem suum, domesticum patris sui, dicens: Vestimentum tibi est, Princeps esto noster; ruina autem hæc sub manu tua, respondebit in illa die, dicens. Non sum medicus, & in domo mea non est panis.* Hæc ingentis calamitatis, extremæque ruinæ descriptio est. Sed vnde in his apparet tanta ruina? In illo, *apprehendet vir fratrem suum, &c.* Quippe extrema est totius politiæ ruina, quod solum ius propinquitatis, & familiaritatis spectatur, vt ad communis status munera eligantur illi, qui in se nihil habent sapientiæ, nil virtutis, sed hoc tantum habent, quod fratres, vel propinqui, vel familiares, vel famuli sunt
Basil. electoris. Ibi D. Basil. fatur, *Non item cum eligunt, qui est dignus: sed domesticum, & familiarem. Neque, qui salutaris esse posset Reipublicæ, sed qui in sua gente, ac familia, vt facultatum præpelleret. Apprehendet enim, ait, homo fratrem suum, & domesticum patris sui. Id quod absit, vt contingat in creatione, ac delectu præsulum Ecclesiæ.* Magna equidem est hæc ruina vniuersi ordinis, & summæ calamitatis indicium; magnámque vbiuis parit infamiam potentibus viris, quod suorum tantum augmentis desudent, eósque consanguinitatis calculo promoueant, qui vndenis emendicare cogantur sapientiam, nec illis in domo sua panis sit sufficientis doctrinæ, ita vt necesse habeant de aliorum talentis viuere.

CAPVT VII.

De sanata muliere à profluuio sanguinis.

CHRISTVS ad Archisynagogi filiam dum iret: ecce nunc fœmina cruentæ, longæque passionis desperata venit ad medicum; non obsecrans, non gemens, sed tacens abstulit quod quærebat. Mediis se cateruis vehementer inseruit, paruam saltem desiderans summitatem dominici contingere vestimenti, laténsque posterius ab extrema pendentis ore laciniæ furtiuam subito rapuit sospitantem. Vnde si sanguinis riuos maior fidei desiccauit alluuio, cunctísque gratiæ muliebris ignaris, Christum non latuit sui muneris donum, de cuius fonte emanauit, quod spes confidentis impleuit, furtúmque publicans tam fidele, donis salutaribus remuneratur vis rapinæ.

Matth. 9. Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius. Dicebat enim intra se: Si tetigero tantùm vestimentum eius, salua ero.

§. I.

Notantur, qui Dei flagellum in membrorum sanie non erubescunt, sed vane iactant. Vbi pudefactionis efficacia.

VTinam, vt multi luxuriæ fluxibus hausti similes sunt huic infimæ mulieri, sic & in pudore de morbis non fuissent dissimiles. Hæc enim immundæ passionis languida comparare veretur, & pudet illi Dei flagellum in se oculis videntibus præsentare. Ait enim Chrysolog. serm. 33. *mulier stabat eminens, quam natura pudore præfuderat.* Quam ef- Chrysol.
frontes illi sunt, qui luxuriæ saniem sudantes, pædore confecti in munditiam suam iactant, illáque gloriantur. Quam melius sibi consuluissent, si diuinum in se flagellum cognoscentes, illud erubescerent? Illa quondam florentissima, & luxuriosa ciuitas Sidon, dum pene iaceret, de verecundia solum monebatur. Etenim ait Isaias cap. 23. *Erubesce Sidon, ait mare.* vbi non solum pondero, quod sub fla- Isai. 23.
gello Dei vnum pudorem doceatur Sidon, sed quod is doceatur à mari. Et quidem omnes nos docet mare pudorem in diuinis flagellis; nam Exodi 14. *Cum extendisset Moyses manum super mare*, subito mare fugam arripuit, vt di- Exod. 14.
cat Psalm. *Quid est tibi mare, quod fugisti?* Fugit mare Moysis manum expertum, & vbi virgæ flagellum in se sensit, eo se se affecit pudore, quo oculos spectantium vereretur. Id quod notans D. Cyrill. Ierosolym. in catech. 3. ait, *Mare tempore Moysis, videns virgam, erubuit eam, qua percussus est.* Cyr. Ier.
Cur homo videns in se luxuriæ pædorem, carnes exesas, membra mutila, non erubescat virgam, qua percussus est? Non præ pudore amet latere? Maria soror Moysis, vbi in fratrem linguæ iaculæ torsit, statim sensit in se lepræ flagellum, quo pene exesæ eius carnes apparebant. pro qua vbi frater orat, hoc accipit diuinum responsum, Num. 12. *Si pater eius spuisset in faciem illius, nonne debuerat saltem septem diebus rubore suffundi? Separetur septem diebus, &c.* Ecce tibi quid Num. 12.
Dominus prius requirit in eo, qui peccatorum suorum sustinet flagellum, nimirum, vt erubescat illud; vt tanto pudore afficiatur, ne velit sub flagello apparere, sed, quantum est in se, amet latere. Quippe debet peccator maximè confundi sub Dei indignatione experta. Id quod spectat Lyranus, ita verba citata explanans: *Si pater carnalis ostendisset et indignationem, & reprehendisset ei, sicut & Deus fecit, debuisset esse confusa septem diebus; multo magis debet esse confusa de indignatione Dei.* Quæ virgo non erubescet præseferre, Lyran.
faciem à parente optimo verberatam, & homo cordatus non erubescat habere in se manantes saniei vibices a diutino peccatorum verbere effectos? Hunc abominabatur peccatorem Dominus Ierem. 3. *Polluisti terram in fornicationibus tuis, & in malitiis tuis. Quamobrem prohibitæ sunt stillæ pluuiarum, & serotinus imber non fuit.* Et quid ille sub tanto ver- Ierem. 3.
bere, tot flagelli vibicibus plenus? *Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Quippe hoc maximè abominandum Deo in meretricibus, quod non erubescant peccatorũ suorum flagella: quod vel putrescentes iam libidines non illis pudorem afferant & confusionem, qua pudefactæ ad medicum animarum confugiant, quippe efficacissimum hoc confusionis remedium in pene deploratis peccatoribus Dominus procurat, quo trahantur ad vitam. Ideò 1. Reg. cap. 5. *Aggrauata est manus Domini super Azotios, & demolitus est eos, & percussit in secretiori parte natium Azotium.* Cur in secretiori 1. Reg. 5.
parte percussisset, nisi, vt obstinati, & desperati peccatores tanti flagelli opprobriũ erubescentes tandem resipiscerent? Id quod notans Abul. q. 15. ait, *Fuit ista plaga dura, & opprobriosa: dura quidem, quia multi moriebantur: opprobriosa verò, quia erat in turpi loco, quod Deus faciebat ad ignominiam Philisthinorum, vt sic saltem cognoscentes potentiam eius, & opprobrium suum, ingerentur remittere arcam.* Quis erubescendam ignominiam ferat, & nõ potius pudefactus ad honestatem confugiat. Psalm. 82. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* Nunquam non salubris ignominiæ pudefactio. Abul. Psal. 82.

§. II.

In Deo non potest displicere actus, qui à corde perfecto proficiscitur.

NOn in multiloquio, nec in externorum operum vano fulgore sibi complacet Deus, qui, quæ cordi sunt homini, ea æstimare, & accipere gaudet. Hinc sapiens mulier fiduciam,

fiduciam, quam de Deo concipit, corde retinet, *Dicebat enim intra ſe: Si tetigero tantum veſtimenta eius, ſalua ero. Iam placitura apparebat*, vt ait Chryſolog. *Cui cordi erat fiducia in Deum.*

Chryſol.

Quippe à tam humili,& perfecta cordis officina nihil exire poterat haud gratum oculis diuinis. Compone modo Phariſæum illum,cuius meminit Lucas,& Ezechiam Regem, qualiter vterque opera iactat, & prædicat; Phariſæus ait: *Ieiuno bis in Sabbato, decimas do*,&c. Ezechias autem ſic loquitur, *Obſecro Domine,memento,quomodo ambulauerim coram te corde perfecto.* Vterque,inquam,ſuam commendat operam,vterque facinora ſua prædicat; indéque repulſam ſuſtinet Phariſæus;& Ezechias præmium reportat;quia ipſe non externum ſplendorem, ſed internum cordis affectum diuinis præſentabat oculis. Ita Eucher. lib.4. in lib. Regum,inquit,*Ecce Phariſæus ſe iuſtificauit in opere; Ezechias iuſtum ſe aſſeruit etiam in cogitatione; atque vnde ille offendit, inde iſte Domino placuit. Cur itaque hoc niſi, quia Deus ſingulorum verba penſat, & in eius aure ſuperba non ſunt, quæ humili corde proferuntur?* Quod loquitur cor hominis, id ſolum auſcultat Deus, ibi applicat aures, vbi cordis vox ſonat, & dum cordis intima perfecta ſunt, nihil exterius poteſt Deo non placitum perſonare. Ioël.2. *Scindite corda veſtra,& non veſtimenta veſtra.* Cur non ſcindant veſtimenta ob dolorem diuinæ offenſæ? Vſus erat apud Iſraëlitas,quod audita Dei blaſphemia, in ſignum doloris veſtes ſcinderent: vſus hic pius erat, & ob pietatem inſtitutus, multúmque faciebat ad Dei venerationem externam. Cur igitur prohibet propheta talem vſum? Cur vetat ſcindi veſtes, & mauult ſolius cordis ſciſſuras eſſe? An non melius diceret,ſcindite corda veſtra & veſtimenta veſtra? Similiter aiebat paulò ante,*Conuertimini ad me in toto corde veſtro,in ieiunio,& fletu.* quaſi non ſolam cordis conuerſionem vellet, ſed inſuper adderet externorum actuum virtutes, nimirum, & ieiunium, & lacrymas. Igitur eodem modo diceret, Scindite corda veſtra,& veſtimenta, quaſi vnum ſine alio non multum placeat. Cur maluit dicere, *& non veſtimenta veſtra?* Et quidem id conſequenter puto dictum fuiſſe: vbi enim intima cordis contritio petebatur, neceſſum erat, vt in exterioribus actibus nulla ſciſſura, nihil non integrum, & perfectum appareret, & Deo placitum. Accipite modo D.Bernard. ſerm.2. in cap. ieiunij ſantem, *Scindamus itaque corda noſtra,quatenus integra proinde veſtimenta ſeruemus.Veſtes enim noſtræ virtutes ſunt. Scindamus corda, vt hæc veſtimenta ſeruemus integra, quemadmodum integra ſeruata & tunica Saluatoris, integram ſeruat veſtem ſciſſio cordis.* Perficiendum in primis nobis eſt cor,ſi enim eius malitia ſcindatur, & eius componantur affectus, nihil non integrum in exterioribus actibus apparebit. Hinc Dauid cum ſentit cor ſuum bonis, & rectis ebullire affectibus,tunc primum,& non antea audet opera ſua proponere oculis diuinis: ait enim Pſalm.44. *Eructauit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi.* Quippe non eſt cur timeat opera ſua Deo proponere,cuius cor bonis, & perfectis affectibus commoueri ſentitur.

Eucher.

Ioël.2.

Bernard.

Pſalm.44.

§. III.

Non publicandum eſt, quod Deo ſeruitium præſtare decreueris.

Bene hæc mulier itura per turbas ad Chriſtum dicebat intra ſe, *Si tetigero*, &c. Non exerta voce animi decretum publicabat,ne impediretur,ſed ſecretum ſuum ſibi retinebat.Vtinam tacuiſſet Eua,ſed ſecreti voti impatiens,ait ſerpenti,Geneſ.3. *De ligno boni,& mali præcepit Deus,ne comederemus.* Ad quod reſpiciens D.Baſil.Seleuc.orat.5.ait,*Exarmaſti te mulier Dei voce diabolo credita.* Quam pulchrè ait, *exarmaſti te*: quippe dum virtutis propoſitum intimo cordis ſecreto clauſum manet; inſtar caſſidis eſt,qua aduerſus hoſtiles incurſus inſuperabiliter armamur. Verum ſi publices ſtudia virtutis, arma abigis, & quaſi inermem te mille hoſtium ſpiculis tradis. Iudicum 6. vbi nefaria fœmina Samſonem in gremio dormientem habuit, antequam crines eius raſerit: *Videns illa, quod confeſſus eſſet ei omnem animum ſuum, miſit ad Principes Philiſtinorum, ac mandauit: Aſcendite adhuc ſemel, quia mihi aperuit cor ſuum.* Expende, vnde peſſima fœmina ſecuros faciat Philiſtæos de Samſonis ruina,*quia mihi*,ait,*aperuit cor ſuum.* Non inquit,quia illum ligatum fortiſſimis habeo vinculis: nouerant enim omnes, quam parui penderet vincula Samſon; hoc vnum proponit,quod aperuerit cor ſuum, quaſi illum tunc maximè infirmauerit, inermémque reddiderit, cum ſecretæ virtutis ſpolia rapuit. Pulchrè D.Chryſoſt.homil.15. ex variis in Matthæum ait: *Et hunc tantum,& talem virum,& pulchritudine, & virtute, & ſanctitate vxor ſua, ſicut inimicum decipiens,alligans Apophylis tradidit. Vnde illa mulier, illi tam forti viro præualuit? ſubdola irrepſit in præcordia mariti ſimplicis, & importunis obſecrationibus fatigatum arcano illo virtutis ſuæ martyrio ſpoliauit: atque ita detaſis crinibus, virtute nudatum funditus euertit.* Omnis fortis viri armatura corruit, vbi ſecretum virtutis ſuæ teſtimonium patuit. Vbi intima Samſonis præcordia patuerunt, nihil in illo forte, nihil validum,nihil quod vel à fœmina non ſuperari poſſet,permanſit. Exarmamur omnes, qui arcana virtutis ſtudio publicamus. Vnde amatricem animam ſic monebat Dominus, Cantic.3. *Pone me vt ſignaculum ſupra cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum, quia fortis eſt vt mors dilectio.* Expende cauſalem illam; cur ſe vt ſignaculum poni ſupra cor mandat, nimirum, quia dilectio fortis eſt. Non enim poſſet dilectionis fortitudo conſiſtere, niſi corde obſignato, niſi, vt ait Anſelmus, *inimicis pateat ab eis ſecreta,quæ habes,eſſe clauſa, & ignota?* tunc fortis eſt. Tunc fortis eſt dilectio, tunc validis armis confirmata, cum cordis bona ſtudia claudimus habentes Ieſu ſignaculum. Nec longè abeſt Hieronymi lectio, quæ in fine epiſt. ad Euſtochium ſic habet, *Pone me, ſicut vmbraculum, ſuper corde tuo, ſicut ſignaculum ſuper brachio tuo.* Quaſi non bene armata, & fortis eſſet dilectio, dum ſolo ſignaculo vno haberet cordis ſtudia clauſa, niſi pro tegumento inſuper immenſam caliginem addat. Quò reſpiciebat illud Angeli ad Mariam, Luc.1. *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te,& virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Cur tanta virtus requiritur, vt obumbret Mariæ? an ne ſecreta ſæculorum illi credita poſſint hoſtibus reuelari? Ita D.Bernard. ſerm.4. in Pſalm. Qui habitat. Vbi fatur, *Obumbratio Mariæ facta eſt ab Spiritu ſancto, ad celandum videlicet tam incomprehenſibile Sacramentum.* Tota ergo vmbrarum vis, quæ in Maria tantum ſecretum celatur, iubetur à quolibet adhiberi cordi ſuo, ſi velit fortem habere in Deum dilectionem, & bene armatam.

Baſil.Sel.

Iudic.6.

Chryſoſt.

Cant 3.

Anſelm.

Hieron.

Luc.1.

Bernard.

§. IV.

In minimis virtutum exercitijs ad maxima facinora paramur.

Vide, quibus ſibi perſuadeat mulier ſe ad obtinendam ſalutem peruenturam,*Si tetigero*,ait,*fimbriam veſtimenti eius, ſalua ero.* De leui fimbriæ tactu pene innato morbo ruinam parat. Sic de leuiſſimis virtutum exercitiis ad illuſtres victorias ſæpe aptamur,& inſtruimur. Prouerb.3. *Mulierem fortem quis inueniet? Procul, & de vltimis finibus pretium eius.* Et vt mulieris fortis decantet facinora, ſic tandem ait, *Manum ſuam miſit ad fortia,& digiti eius apprehenderunt fuſum.* Hæccine fortia illa ad quæ miſit manum, nimirum,quod apprehendit fuſum? Quid fuſus habet cum fortibus facinoribus? Sanè fortiſſimi etiam viri in ſpirituali ſtadio per leuiſſimarum rerum exercitia ſe ſe accingunt, vt ingentes ſibi ſalutes accumulent. Huc reuoco Iudith gloriam, quæ à puellarum calathis non dubitauit ad militum tentoria pro Iſraëlis ſalute prodire,& nacta Holophernem dormientem,acceſſit ad columnam,cap.13. *Et pugionem eius, qui in ea ligatus pendebat,exſoluit.Cumque euaginaſſet illud*,&c. Quid audis? Puella delicata gladium arripit? Gladium ſtringit? Vnde ad hæc virtus,& fortitudo? Pulchrè D.Auguſt.ſerm.229. *Bellatoris crines implicuit pulchritudine digitorum, poſt teneritudinem fuſi euenit, ſcapulum quærit.* Non poſt proſtratos leones,poſt vrſos ſtrangulatos, vt Dauid ad Gigantem, ſed poſt fuſum, & per fuſum ad gladium accedit, & ſalutem totius Iſraëlis ſperat. Licet equidem nobis in minimis virtutum exercitiis ad magna perpetranda, & conſequenda parari: nec ægrè inuenies, qui paruis exercitati,magni,& illuſtres fiant. Matth.5. ſic docebat Dominus: *Qui ergo ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines,minimus vocabitur in regno cælorum. Qui autem fecerit,& docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Quibus illud acutè notat Rupert.lib.4.de gloria,& honore filij hominis, quod vbi de non adimpletis præceptis loquitur, ſpeciatim dicit. *Qui ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis.* Vbi autem de adimpletione fatur, ſolum ait, *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur*, non determinat, qui fecerit magna,vel minima,quia etiam de minimarum rerum exercitiis ad magnarum venitur triumphos. Vnde egregie monebat Chryſoſtom.homil.5.ad Theod.lapſum. *Cum videmus* egregia

Prouerb.3.

Iudith 13.

Auguſt.

Matth.5.

Rupert.

Chryſoſt.

egregia facinora superare caput nostrum, minora perfecisse nihil pudeat. Reijcere enim parua, vbi magna consequi non vales, extremæ est dementiæ. Nam absurdum apparet, quod iudex quoque frigidi poculi mercedem spondit? Atqui nos solidiores, nisi magna facta possimus, minorum curam omnem abijcimus. Minima qui non despicit, accurato studio vel maxima perficiet. Per minima proculdubio ad maxima itur: quò spectans Paulus scribit ad Titum cap. 3. Admone illos principibus, & potestatibus subditos esse; dicto obedire: *ad omne opus bonum paratos esse.* Non tam petit, quod præcellentibus, arduisque operibus incumbant: hoc enim non semper petere licet, nedum expedit; petit tamen, vt prompti, & parati ad illa fiant. De quo ita edisserit D. Dorotheus doctrina 12. *Quid est autem paratos? Ædificaturus quis nauem, primum præparat, quæcumque necessaria ad eam sunt, & picem, & stupam, & clauos. Et mulier cum textrinum erigere voluerit, vel telam texere, disponit primum quæcumque necessaria, etiam calamos, & fila minutissima parat. Vt igitur nos simus parati in omne opus bonum, habeamus omnem curam*, &c. Ille equidem magnis rebus iam promptus, & vicinus est, qui vel minutissimis operam etiam nauauit, quando per has minutias ad præstantissima consequenda exercetur animus. Iudicum 17. ait Samson ad vxorem: *Si rasum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea.* Ecce quantam fortitudinem debiles capilli tenebant; tota cura, totum Samsonis studium in pilis paruis seruandis de Nazaræorum lege erat, vt fortissimus haberetur. Sed cur fortissimus haberi poterat per curam rei tam parui momenti? Anctor mirabil. script. lib. 2. cap. 6. ait. *Non quia insensibili capillo virtus inerat, sed mandati dominici obseruatio donum fortitudinis obseruabat.* Itaque per obseruationem rei paruæ mandatæ ad ingentia facinora paramur.

Doroth.

Iud. 17.

Marc. 5. Et statim Iesus in semetipso cognoscens virtutem, quæ exierat de illo, conuersus ad turbam aiebat: Quis tetigit vestimenta mea? Et dicebant ei discipuli sui: Vides turbam comprimentem te, & dicis, quis me tetigit? Et circumspiciebat videre eam, quæ hoc fecerat.

§. V.

Gratia Christi promptissimè exilit, vbi subiectum aptum inuenit.

NOn magnis percussionibus opus habes, vt à Christo fluenta gratiæ prosiliant, solum expectant, vt parata sint vasa, quibus recipi possint. Quod si aptatum sit vas ad recipiendum, adeo prompta est gratiarum vena, vt vel leui tactu, vel oculorum ictu pulsata statim se se profusissime effundat. Iussus erat Samuel, 1. Reg. 16. accipere cornu olei, & è filiis Esai vngere Israëlis regem, quod dum peragit Propheta, & per singulos fratres à maiori incipiens discurrit, oleum intra cornu clausum erat, nec vel guttulam stillabat: verum vbi accessit Dauid, qui solus inter fratres erat imperio suscipiendo aptus, *tulit Samuel cornu olei, & vnxit eum.* Quid plura? Vix Dauid apparuit, & ecce tibi oleum iam effluebat, & quod antea clausum tenebatur, vbi inuenit Dauidem, ruptis carceribus, properabat. Quod notans D. Basil. Seleu. orat. 14. inquit. *Gratia statim ad vnctionem mouit manum. Nondum cornu inuergebatur et oleum properanter effluebat.* Nequit gratia teneri, vbi inuenit subiectum aptum, sed vel ad leuem tactum, vel ad verbulum, vel ad solam præsentiam recepturi, se se profusis venis properat communicare. Equidem stat gratia Dei, tanquam in carceribus, vt obice rupto properet in salutem humanam: non bis percuti expectat ictibus virgæ petra Iesus: verum si vel ictu oculi tangatur, largissima mittit fluenta gratiarum, vbi subiectum fuerit aptum. An Zachæus multum clamauit? An fortiter pulsauit Iesu ostium? Rem dicit cap. 19. *Præcurrens ascendit arborem sycomorum, vt videret eum, quia inde erat transiturus. Et cum venisset ad locum, suspiciens Iesus, vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Non verbum fecit Zachæus, non manibus pulsauit, sed nec oram vestimenti tetigit, solum ab arbore oculorum ictibus egit, & in ictu oculorum se se illi tota effundit Iesu charitas. Id quod expendit eleganter D. Laurentius Nouariensis, homil. de Pœnit. fatus. *Domine, quid est hoc, quod dicis? Publicanus est Zachæus, videre te solum cupit, numquid de sola visione iam debet saluari? Ascendit in arborem, vt videret, nec dum ingemuit: numquid confessus est maculam suam, aut flagitia replicauit? Numquid fleuit ante te, & dicis illi: Hodie in domo tua me oportet manere? Vix adhuc vel videre te meruit, & iam angulos eius visitas. Verum hoc officij tui est, & indulgentissimæ curæ.* Hoc propriissimum est indulgentissimi Iesu, quòd vix pulsetur vel oculorum ictibus, & se se totum apti vasis plenitudinem effundat. Psalm. 33. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ: torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te est fons vitæ: & in lumine tuo videbimus lumen.* Expende, quid faciemus nos, & quid Deus: nos solum videbimus, oculorum ictibus tangemus vitæ fontem: ille statim exundantes voluptatum torrentes emittet. Equidem viuidus ille fons, non virgarum flagellis, sed oculorum ictibus percussus dabit bonorum fluenta plenissima. Id quod innuebat ipse Cantic. dicens. *Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum.* Moyses ille virga vulnerauit bis silicem, vt fluenta educeret: fidelis anima, vel vnius oculi radio immisso, viuidum fontem vulnerat, & gratiarum fluenta educit. Vt dicat Isaias, cap. 60. *Tunc videbis, & affluæs.* Tunc cum Iesus apparuerit, sic se se hominibus communicauit, vt vel ictu oculorum percussus ingentem emittat affluentiam gratiarum.

1. Reg. 16.

Basil. Sel.

Luc. 19.

Laurent.

Psal. 33.

Isai. 60.

§. VI.

Amat Deus se humanorum bonorum Auctorem sciri.

INterrogat Dominus à quo fuerit tactus, non ignorans, sed publicans fœminæ sanitatem à sua fuisse profectam virtute. Quippe à nemine voluit ignorari effectum esse virtutis suæ, quod homines recipiant salutem. Similiter Exod. 17. vt petram faceret aquis manare in potum Israëlitarum, aiebat Dominus Moysi: *En ego stabo coram te tibi, supra petram Horeb, percutie que petram, & exibit ex ea aqua, vt bibat pop...* Datur Moysi facultas, quod pulset petram, & ex percussione prodeuntes aquas suscipiat: sed interim vult Deus stare coram Moyse, etenim ait: *En ego stabo coram te*, ne quis dubitet exhibens aquarum domum à Dei virtute venire, & alij tribuat. Ita Lyppom. in Cat. *Iubetur Moyses astante Deo percutere petram, ne gratia tanti beneficij homini, & non Deo transcribatur.* Sic amat Deus se beneficiorum in homines labentium auctorem cognosci, ne gratia sua tribuatur creaturis. Post ingentem illam aquarum illuuionem, quæ vniuersam terram absorbuit, dicitur Genes. 8. *Aquæ ibant, & decrescebant vsque ad decimum mensem: decimo autem mense, prima die mensis apparuerunt cacumina montium.* Quod si consulas sacris interpretibus, qui fuerit iste mensis decimus, quo aquæ cessant, & serenitas redditur; ille est mensis Nouembris, media constitutus hyeme, vt inde clareat magis Dei potestas, à quo solo potuit serenitas eo tempore trahi, quo causæ naturales in tempestates, & pluuias magis esse solent propensæ. Et quid inde elicere amabat Deus? Sanè, vt innotesceret omnibus ab illo solo venire recreationem humani generis. Sic loquitur D. Basil. Seleu. orat. 6. *Æstate cœpit inundatio, & elata est, montiumque vertices demersit: hyeme adulta aquarum abundantia remisit: contrarium naturæ legi sequuta est ordinem, vt nequis ex posteritate, inaudito diluuio terrorem fortuitum opinaretur, neve imbrium nubem conciperet, & inundationem sub horam hyberni temporis accidisse ratus, formidinem minueret, & diuinitus allatam recreationem tempestatum successioni malè adscriberet.* Sic amat Deus se se beneficiorum Auctorem ab omnibus recognosci, & præsentiri. Quo affectu dicebat Iesus Lucæ 10. ad discipulos: *Ite: ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos.* Agni dantur lupis, & cupit Dominus, vt aduertant agni, à quo id accipiant; ne eum sibi lupos subiici agni videant, putent id sua effici fortitudine, sed clarè ibi agnoscant munus diuinum. Pro quo stat Chrysost. homil. 4. in cap. 6. Isaiæ inquiens. Oppugnati sunt vndecim discipuli, totus orbis pugnabat, verum qui oppugnabantur, vicerunt. Oues deuicere lupos. *Vidisti pastorem oues in medio luporum emittentem? Quis pastor hoc fecit? Christus hoc fecit, quo sibi demonstraret, quæ rectè geruntur, non accidere iuxta nostrarum actionum tenorem, sed præter naturam, præterque rerum tenorem.* Supra omnem rerum ordinem, & naturam à Deo in nos quotidie proficiscuntur beneficia, quæ nobis auctorem suum patentissimis vocibus publicent.

Exod. 17.

Lyppom.

Genes. 8.

Basil. Sel.

Luc. 10.

Chrysost.

Textu.

Text. Mulier verò timens, & tremens, ſciens, quod factum eſſet in ſe; venit, & procidit ante eum, & dixit ei omnem veritatem.

§. VII.

Timor humilis in Dei conſpectum abeundum inclinat: ſuperbia à Deo ſeparat.

TImoris plena mulier non fugit conſpectum Ieſu: imò ad illum vadit. Quis hoc crederet de timore? Nónne timor ipſiſſima fuga eſt ab eo, qui timetur? Quomodo mulier timens mauult eum conuenire, à quo ſibi timet? Expende illud: *Timens venit, & procidit*; & timor erat, & humilitas erat. Vnde nil mirum, quod ad Ieſum timens currat, quia timor humilis non fugit Dei conſpectum, ſed in illum inclinat. Iam animaduertam illam ſuperbientis Adami vocem, Geneſ.2. *Vocem tuam audiui in paradiſo, & timui, eo quod nudus eſſem, & abſcondi me.* Quia times, Adam, fugis Dei conſpectum? Imò potius, quia times, Deum conueni, fugientem detine, cum Dauide clama: *Ne declines in ira à ſeruo tuo:* hoc eſt, quamuis iratus ſis, tamen adſis: te etenim, quia iratum expaueſco, requiro. At non ſic Adam loquitur, ſed totus timore ſolutus, latebras quærit, quibus Deum fugiat. Equidem timor iſte à ſuperbiente Adamo. Præclarè D. Gregor. lib.4. Moral. in Iob. cap.28. inquit. *Qui quidem per timorem ſemetipſum abſconſurus fugerat, ſed tamen requiſitus innotuit, quantum etiam timens tumebat. Cum enim ex peccato præſens pœna metuitur, & amiſſa Dei facies non amatur; timor ex tumore eſt, non ex humilitate.* Superbia mixtus eſt ille timor, qui latebras quærit, ne Deum videat. Verum timor humilis ſemper ad Deum euolat, eiúſque diuino conſpectui ſiſtitur. Id oſtendebat ſponſa Cantic. 1. inquiens: *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum.* Expendo vbi nardus puſilla herba ſe ſe inſerit, ſe ſe audet conſtituere, & virtutem exerere ſuauitatis ſuæ: nimirum, dum eſſet Rex in accubitu ſuo. Regem ſolent cauere puſilli, à quo territi longe abſcedunt; nec amatrix hæc terrore vacat, & metu cum regem nominat: imò tanto eſt metu affecta, vt oblita ſponſum, regem ſolum, & culparum vindicem appellet, & nominet. Sed dum ſic territa eſt, dum ſic timet, vſque ad intimum penetrale regis ingreditur, cur non potius fugit? Cur non potius abſcedit? Vnde timens animus audet conuenire regem? Iam ipſa explicat, quando dicit: *Nardus mea dedit odorem ſuum*, hoc eſt, puſillitas mea, humilitas mea non ſinit me timentem oculis non præſentari diuinis. Pulchrè D. Bernard. ſerm. 42. in Cant. ait. *Regem nominat, nam ſponſum interim territa increpatione non audet, & in alto habitare fatetur, nec ſic tamen accedere diffidit humilitas.* Vbi timor humilitati fuerit admixtus, Dei conſpectum amat amplius, & quo maior eſt timor, eò ſtudet anxius ante Dei faciem præſentari. Vt dicat Pſal.30. *Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ.* abſconduntur timentes: qui enim nil timet, non habet, vnde abſcondatur. Sed vide quales abſconſiones, quales latebras quærant, pie, & humiliter Deum timentes: nimirum, ipſam Dei faciem quærunt, quia humilis timor ad nullum citius confugit, quam ad Dei faciem. De Chananæa dicebant diſcipuli ad Ieſum Matth. 15. *Dimitte illam, quia clamat poſt nos.* Verum Chryſoſt. homil.7. de diuerſis, relatus à Damaſceno lib.2. Parallelorum cap. 15. putat alium Euangeliſtam dixiſſe: *Dimitte illam, quia clamat ante nos. Vtrumque enim, ait, faciebat. Ante à tergo clamabat, poſtquam autem nihil ei reſpondit Chriſtus, à fronte venit clamans: Miſerere mei. Grauis tempeſtas affectio, & timor!* Sed pulchrè timoris tempeſtate à tergo iactatur in faciem Dei. Geneſ.29. peperit Lia progenitum, & vocauit illum Ruben: in quo eleganter Richardus Victor depingit ſpiritum timoris: ſicut enim Ruben initium fuit filiorum Iacob, ſic initium ſapientiæ, omníſque virtutis eſt timor Domini. Quo poſito, expende Liæ verba poſt natum Ruben, nimirum, dicit. *Vidit Dominus humilitatem meam.* Nunc primum loquuta Lia, & nobis oſtendit diuinos oculos ſuper ſe, & gaudet ſe experiri ſub diuinis oculis, quia vbi humili cordi adnaſcitur Dei timor, nil tam amat, quam eſſe ſub diuino conſpectu. Ita Richardus Victor lib.1. de Præparatione ad contemplation. cap.8. vbi ſic finit. *Rectè, eo nato, mater eius exclamat. Vidit Deus humilitatem meam, eo quod tunc veraciter incipiat videre, & videri: Deum cognoſcere, & à Deo cognoſci: videre Deum per intuitum formidinis; videri à Deo per reſpectum pietatis.* Timor ipſe iam deſinit eſſe fuga, & vbi humilitati miſcetur, alas ſumit, nec quieſcit, vſque dum veniat in conſpectum mei: ſola eſt ſuperbia, quæ homines à Deo fugere compellit. Vnde Pſalm.35. *Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Prætende miſericordiam tuam ſcientibus te; & iuſtitiam tuam his, qui recto ſunt corde. Non mihi veniat pes ſuperbiæ.* Hæc dicebat adhærens Deo anima, & dum ſic Deo adhærebat, vnum à Deo poſtulabat, nimirum, *non veniat mihi pes ſuperbiæ.* Cur ſuperbiæ pedes maluit tunc deprecari à ſe? Quia pes ſuperbiæ fugam ſemper à Deo meditatur; & ſuperbiæ ſubſtantia tota eſt in fugiendo à Deo. Accipite pulchrum teſtimonium D. Auguſt. tract.25. in Ioannem, hæc Pſalmi verba explanantis. *Quia ergo apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen, intus bibamus, intus videbimus. Quare enim inde exitum eſt? Audi, quare. Non veniat mihi pes ſuperbiæ: ergo ille exiit, cui venit pes ſuperbiæ.* Nequit ſuperbiæ pes à Deo non recedere; nunquam non videbis ſuperborum veſtigia Deo auerſa, vt aliò ſe conferant. Lucæ 18. *Homo quidem deſcendebat ab Ieruſalem in Iericho, & incidit in latrones.* Deſcendebat, ait, ab Ieruſalem, & quis ab Ieruſalem deſcendit? Ieruſalem cœleſtis curia eſt, vbi regalis Dei thronus cernitur. cur non magis inibi homo immorari amat, cur à Dei ſede diſcedit? Sanè inditus fuit huic miſero pes ſuperbiæ, & non potuit ſtare cum Deo, non potuit à Deo non diſcedere. Ita Rupert. lib.3. in Geneſ. cap.1. ait. *Deſcendebat, quia mente tumebat.* Non poterant ſuperbi veſtigia non eſſe Deo auerſa, ab illóque in latrones deſcendere. Ait enim Euagrius apud Damaſc. lib.3. Parallel. cap.96. *Superba anima latronum hoſpitium eſt.*

Geneſ.2. Gregor. Cant.1. Bernard. Pſalm 30. Matth.15. Chryſoſt. Richard. Victor. Pſalm.35. Auguſt. Luc.18. Rupert.

§. VIII.

Dei conſortium timorem incutit, qui timore paramur ad regia Dei excipienda beneficia.

QVæ intrepida ad Ieſu fimbriam acceſſit, vt ſuraretur ſalutem, modo timens, & tremens iam ſana Ieſu oculos ſubiit. Et cur non timeat mulier, quæ in Dei conſortium aſſumitur? Iob cap.23. rectè exprimit, quam timenda res eſt in Dei conſpectum etiam venire mundiſſimos. Etenim ait. *A facie eius turbatus ſum; & conſiderans eum, timore ſolicitor,* Græcè dicitur, *conſiderabor, & terrebor ab eo.* Nulli ſe videndum præbet Dominus, neminem in conſpectum admittit, cui ſuum timorem non imprimat. Explicatiùs auctor Catenæ Græcæ, fatur. *Me Deus ſuo vultu, ſuo me terret aſpectu. Cum autem ipſum tantum modo cogitaro, metu concutior.* Vbi adeſt Deus ibi ſtatim Dei timor: nec enim in mentem venire nouit Dominus, quin timore ſuo omnia, etſi mundiſſima perfundat. Iſai.6. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum: & ea, quæ ſub ipſo erant, replebant templum: Seraphim ſtabant ſuper illud: ſex alæ vni, & ſex alæ alteri, duabus velabant faciem.* Ad conſortium tantæ gloriæ Seraphim admittuntur, & ipſa velant faciem ſuam, cur potius in tanti boni conſpectu, & participatione oculos in immenſum non aperiunt. Chryſoſt. ibi ait. *Timoris, ac ſtuporis erant plena, ipſa etiam ſpecie metum ineffabilem declarantia. Duabus enim alis velabant faciem.* Et totam ſeraphicam puritatem, & munditiem habebant, & nihilominus à Deo in illa maximus timor proficiſcebatur. Nunquam non timori eſt ſeruo, Domini ſui ſubire conſpectum. Nunquam creaturas non ſolicitat timor, vbi ad magnalia Dei ſe vident promoueri. Dum dormit Iacob, & cœlum apertum, & Deum ibi, & ſcalas appoſitas ad aſcendendum vidit. Quid plura? Geneſ.28. *Cumque euigilaſſet Iacob de ſomno, ait, Verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam. Pauénſque, quam terribilis eſt, inquit, locus iſte non eſt hic aliud, niſi domus Dei, & porta cœli.* Nullibi cœlum ſerenius, & patentius, nullibi Deus propitior, milléque dulcedines manans, & tamen Iacob nunquam timidior, nunquam pauidior apparet. Quid times Iacob? Caietanus ait: *Timuit diuinum iudicium.* A Dei conſpectu, à largitoris, benefactoríſque Dei facie indignus ſerunlus timorem ebibit, & ingentem tremorem haurit. Non enim poſſunt ingentia Dei dona in vilibus homuncionibus timorem, & tremorem non generare. Iſaias cap.60. *Tunc videbis, & afflues.* Vbi ſignificantius, D. Hieronymo inuito, Septuaginta reddidere. *Tunc videbis, & timebis, & ſtupebis corde.* Quaſi nulla à Deo bonorum affluentia veniat, quin & timorem incutiat, & tremorem. Hinc Dominus Lucæ 12. cauebat: *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit patri veſtro dare vobis regnum.* Regnum illis promiſſum, imò iam iam datum à Patre oſtendit Dominus. & nihilominus monet, ne timeant. Quid neceſſum eſt monere de timore, quando

Iob 23. Cat. Græc. Iſai.6. Chryſoſt. Geneſ. 28. Iſai.60. Luc.12.

quandò tanti regni donum ostendit? An regni donum per se non excluderet timorem? Immò, quia necessum erat, vt à tanto Dei dono exhibito timor in seruulis nasceretur, ideò bene admonentur, vt modum ponāt timori. Ita Chrysolog. serm. 23. fatur. *Promissionem regni, sine timore seruulus status audire non sufficit, quia qui libertate vix dignus est, capere non vales insulas principatus. Dominus ergo seruorum mentes tali voce confirmat, ne eos repentinus promissi regni prosternat auditus. Regnum velle seruum crimen est: audire periculum, temeritas non timere. Sed hoc ad Christum quantum? Aut quam mirum, quod dat seruis regnum, quod sibi seruos facit in dominatione consortes?* Is sanè est Dominus, qui seruulos ad se alliciat, & sui regni ditet consortio: sed istud consortium regni nescio quomodo non magnum timorem seruulis incutiat. Necessum est, vt ad Regni largitorem Deum timens, & tremens seruulus accedat, ideò curet timorem moderare, non omninò tollere, quando inter munera, inter largienda regna tremendus haberi Dominus cupit. Cant. 7. ad fidelem animam Deo nuptam dicitur. *Comæ capitis tui purpura regis vincta canalibus.* Quæ cum Hebræis à Septuagint. leguntur, vt alibi notauimus: *Comæ capitis tui purpura, Rex ligatus in transcursibus.* Sed in præsenti examinanda venit lectio peculiaris, quam scribit D. Philo Carpathius, inquiens. *Comæ capitis tui purpura. Rex tremendus in excursibus.* Et præclare, vbi regiam dignitatem fidelium asserebat, cum ait comas vniuersas capitis Ecclesiæ purpureas esse, statim, vt indigitet, vnde regium illum splendorem ebiberit, ait. *Rex tremendus in excursibus.* Non enim aliter venit purpura, venit regius splendor pauperculis fidelibus nisi cum tremore & timore simul. Timor, & tremor à Deo ortus facit seruulos etiam regno dignos, illósque purpura inficit. Huic excogitationi lucem afferunt verba pulchra Clem. Alex. 1. Pædagogi cap. 9. vbi notans qualiter Deus ad se homines trahat, inquit. *Acerbissimo constipamento vtitur, nempè metu, per ipsum simul aperiens, & conuertens populum ad salutem, quemadmodum lanæ, quæ tinguntur, solent constringi, ac constipari, dum parantur, vt colorem melius recipiant.* Itaque sumpto de lanæ constipatæ ictibus, exemplo, non antea regni purpuræ in Dei seruulos decurrunt, quam illos Dei timor, & tremor à magnitudine largitoris profectus corripiat, & quò sanctius hoc timore, & tremore corripiuntur, constipantur, eo citius regias tincturas excipiunt, & tenacius retinent. Illud solum notandum hic superest, quod non solum timendus proponatur Deus, sed & tremendus, & non solum ad illum accedat fœmina hæc timens, sed & tremens, hoc est, maximè timens. Ait enim D. Fulgent. ad Thrasymundum lib. 1. cap. 2. *Deum si quis parum metuit, valdè contemnit.*

Chrysol. | Cant. 7. | Lxx. | Phil. Carpa. | Clem. Alex. | Fulgent.

Matth. 9. At Iesus conuersus, & videns eam, dixit: Confide filia, fides tua te saluam fecit. Et salua facta est mulier ex illa hora.

§. IX.

Singulæ virtutes in singulis hominibus diuersitatem habent, & dissimilitudinem.

NOui spirituales viros ita proprio spiritui credentes, vt minimè sibi persuadeant aliter aliis virtutes inueniri posse, nisi eo modo, quo ipsi in se experiuntur. Non ea est Saluatoris mens, dum ait mulieri huic, *fides tua te saluam fecit.* quasi diceret, fides quæ in te est indiuidua, & singularis, adeò propria, adeò tua, vt non sic in aliis reperiatur. Sicut enim humores vniuscuiusque indiuidui hominis diuersi sunt ab aliis: sic & ipsæ virtutes diuersissimæ sunt, & in singulis diuersissimas habent notiones, & proprietates. Sic iubebat Dominus Num. 2. iuxta Septuag. *Homo secundum ordinem suum, & secundum signa sua, & secundum domus familiarum suarum castra collocet.* Quid illud secundum signa sua? Origen. Hom. 2. putat ibi intelligi notiones indiuiduæ, & singularis cuiuscumque virtutis. Vt cuiusuis hominis indiuidui vox, eam habet notionem, qua noscitur potius esse huius vox, quam alterius. Et sicut ex eisdem elementis A. B. C. sic suam scripturam effingunt singuli homines, vt per illam facilè noscatur manus. Sic etiam virtutes singulis hominibus diuersissimas habent notiones, & proprietates. Quod finiens Origenes ait. *Intuere singulorum virorum chirographa: & vide, quomodo (verbi gratia) animus Pauli proposuit castitatem, & animus nihilominus Petri: sed est propria quædam castitas Petri, & alia castitas Pauli, etiam si vna, eadémque videatur. Denique alterius ipsorum talis castitas est, quæ requirat macerari corpus suum, & subiicere seruituti, & quasi dicat: Castigo corpus meum, ne fortè aliis prædicans ipse reprobus efficiar; alterius autem castitas talis est, quæ istud fortasse non timeat. Similiter, & iustitia habet aliquid proprietatis in Paulo, habet & in Petro. Eodem modo, & sapientia, cæteræque virtutes, quæ Moyses mysticè perspiciens scribit in lege, vt vnusquisque secundum signa sua incedat in castris.* Equidem sic virtutes transformantur à subiectis, quibus insunt, vt tot inter se differētias habeant, quot sunt subiectorum indiuidua. Hinc eadem iustitia in homine strictæ, rigidæque naturæ seuerissima est, fere semper misereri nesciens: in alio, cuius indoles blanda sit, & humana, nihil non humanum, & blandum sapit iustitia. Paupertatis spiritus in aliquo nec obolum secum admittit, & acquisitionem sanæ putat thesauros Midæ: in alio perfectissima inuenitur etiam inter pecunias. De manna Israëlitis præstito dicit Sapient. 16. *Paratum panem de cœlo præstitisti illis, sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem. Substantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filiis habes, ostendebat; & deseruiens vniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat, cōuertebatur.* Itaque subtilissimus hic, & diuinissimus cibus non tā suum, quam recipientis saporem præferebat, ad cuiusque voluntatem commutatus. In his, quorum gustus auidus erat dulcedinis, manna melleos succos referebat: in aliis verò, quos piper delectabat, manna, quasi aculeos proferens, videbatur. Id quod ad virtutes cuique inspiratas præclarè transfert D. Gregor. lib. 6. Moral. cap. 7. fatus. *Manna quippè omne delectamentum, atque omnis saporis suauitatem in se habuit, quod videlicet in ore spiritualium iuxta voluntatem edentium saporem dedit: quia diuinus sermo, & omnibus congruens, & à semetipso discrepans, qualitati audientiæ condescendit. Quem dum electus quisque vtiliter iuxta modum suum intelligit, quasi acceptum manna in voluntarium saporem vertit.* Quis iam neget in ipsis virtutibus excipientis gustum? Sapit iustitia in Dauid dilationem cordis, iuxta diuinam latitudinem: in Elia autem strictissima. Abstinentia in Ioanne vltra locustas, nihil aliud potest intueri: in Iesu autem inter ipsas diuitum mensas manet conspicua. Hunc Paulus spectat 1. ad Corinth. cap. 7. inquiens. *Vnusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius verò sic.* Quasi vnum, idémque virtutis donum varietur in singulis indiuiduis iuxta eorum indoles.

Num. 2. | Origen. | Sap. 16. | Gregor. | 1. Cor. 7.

§. X.

Vita spiritualis infantia in Dei timore consistit, & quod ab illo spes maxime adolescit.

NOn immerito dicit Dominus timenti, trementique fœminæ huic. *Confide filia, fides tua te saluam fecit.* Cupiens enim illius infantilem ostendere virtutem, maluit dicere, confide filia, potius quam, confide mulier; quia natorum cunabula nondū reliquit, quæ solo timore ad Deum adducitur. Similiter Zachar. 9. dicebat. *Exulta satis filia Sion.* vbi aliter legit Drogo Hostiensis libro de Sacramento Dominicæ Passionis, inquiens. *Noli timere filia Sion.* quasi filiorum cunabula propriora sint timori, quam gaudiis. Ideò dum timorem meminit, filiam nominat. Noli, inquit ille, timere filia Sion, & ne grauaretur filiæ appellatione, statim subdit. *Timere pusillorum est: ideò adhuc filia, quia times.* Dum sub timore quis est, nondum virtutum cunabula dereliquit, adhuc pusillus est, adhuc filius. Vnde Eccl. 1. *Initium sapientiæ timor Domini: & cum fidelibus in vulua concreatus est, & cum electis fœminis gradietur.* Equidem timor per se non format virum perfectum, secundum ætatem plenitudinis Christi: format autem fideles à vulua vt quasi geniti infantes lac concupiscant, in quo adolescant ad salutem. Quò respiciebat Richard. Victor. lib. 1. de Præpar. ad contemplat. p. 1. cap. 8. fatus. *Initium sapientiæ timor Domini. Hæc ergo est prima virtutum proles, sine qua cæteras habere non potes.* Non iam finem, sed initium habes virtutis, dum sub timore viuis, adhuc pusillus es adhuc proles, adhuc proximus vuluæ, adhuc filius. Et pulchrè adhuc filius dicitur, qui timore suffunditur, vt illius pusillitās non aspernatur, sed ametur, vt via ad ingentem, & perfectam magnitudinem. Quippè pusillus filius in spe perfectus, & magnus est vir: sic timor Dei, etsi pusillus est, tamen magnas alit spes perfectissimæ salutis. Hinc ad timentem fœminam ait Dominus: *Confide filia*, quasi infantia virtutis à timore indita in spe ingentem magnitudinem debeat pertingere. Compone

Zach 9. | Eccles. 1. | Richard. Vict.

modò

Eccles.1. modò illud Eccles.1. *Initium sapientiæ timor Domini.* & aliud eodem capite exaratum, nimirum. *Corona sapientiæ timor Domini.* Si timor Domini initium est sapientiæ, quomodo, & corona potest esse illius? Nónne initium, & corona sibi opponuntur, vt principium, & finis? Verum tamen est, quod timor Dei sit initium, & corona sapientiæ: initium in re, corona in spe, quia ab infamia timoris coalescit ma-
Laurent. xima spes salutis. Annuit D.Laurent. Iustin. in ligno vitæ, c.1.inquiens. *Corona sapientiæ timor Domini. Magna enim salutis spes, & maxima in profectu virtutum causa est timor Domini.* Vt infantia habet in spe virilitatem, ad quam tendit: sic timor Domini in spe habet perfectionem salutis: adolescit
Iud.13. enim semper spes ex timore. Iud.13. post visionem Angeli totus timebundus Manue aiebat: *Morte moriemur, quia vidimus Dominum.* Quem vxor protinus consolatur, dicens: *Si Dominus nos vellet occidere, de manibus nostris holocaustum non suscipere.* Ecce tibi, & vir timet, & vxor consolatur vi-
Gregor. rum. Id quod animaduertens D.Gregor.lib.5.Moral.cap.22. inquit. *Quid est hoc, quod ad visionem Angeli vir sit timidus, & mulier audax, nisi, quod nobis, quoties cœlestia demonstrantur, spiritus quidem pauore se concutit; spes tamen præsumit. Inde namque spes ad maiora audenda se erigit, vnde turbatur spiritus.* Bene virtutis infantia timore Domini formatur, vt inde perfecti status spes sese erigat ad maiora audenda. Qua-
Luc.12. propter Dominus Luc.12. suorum timorem attemperans sic aiebat, *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum.* Pusillus est, qui timet: pusillus, inquam, est, & adhuc infans, sed qui in spe coronam habet, vt cui
Chrysol. regnum à patre promittitur. Sic Chrysol.serm.22.ait. *Pusillus grex nascentis Ecclesiæ sic designat infantiam, quam venire ad regni sui infulas incrementis cœlestibus mox promittit.* Infantia enim, quæ à timore formatur, & initium est simul, & corona sapientiæ: hoc est, iam in spe habet ætatem perfectam plenitudinis Christi.

§. XI.

Vbi ad Deum accesseris, semper inuenies, quid in te purges, quasi nunquam antea sordes ablueris.

NOtanter post Iesu verba addit Euangelista, *& salua facta est mulier ex illa hora.* Quæ verba quæstionem faciunt multis, quandoquidem ante hæc, mulier furtiuo tactu munditiem receperat virtute Domini exeunte ad illam. Quippe, quando timens, & tremens requisita accessit ad Iesum, iam mundata fuerat, iam receperat salutem, quam à se receptam in conspectu Domini fatetur. Cur post hanc coram Domino confessionem, post Iesu verba dicitur, quod ex illa hora salua facta est? Quippe nunquam adeò quis mundatur, vt si coram Deo appareat, non se adeò sordidum videat, vt quasi nunquam vllam mundationem fecerit, sese ad nouam recipiendam munditiem ac-
Cant.5. cingat. Id videre licet Cantic.5. vbi sponsa, cum primum dilecti sui vocationem audit, sic fatur: *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa?* Nónne his omnigenam nuditatem, & puritatem ab exterioribus sordibus significat? Equidem non solum sordium expoliationem, sed & perfectam innuebat munditiem pedibus ablutis. Quid deinde? Vix ea fata fuit, & circuiuit quærens sponsum, ait: *Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatem: percusserunt me, & vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum mihi.* Qui se adeo mundauerat, vt & tunicam vltimam abiiceret, vbi ad sponsum vadit, inuenta est cum pallio. Vnde pallium hoc venit tibi, ô Dei amatrix, nónne vsque ad tunicam dimiseras, vt pura, & lota appareres oculis diuinis? Sanè in hac inquisitione, qua ad Deum proximius accedebat, sic afficitur, vel sic affecta inuenitur, vt nihil sordis
Gregor. antehac videatur dimisisse. Rem pulchrè attigit D. Gregor. Nyssen. homil.12. in Cantic. *Quomodo ergo nudata vestimentis omnibus, pallium adhuc habet, quem & nunc custodes ciuitatis adimunt? Ea, quæ iam antea tunicam veterem exuerat, & ab omni pallio immunis erat, vsque adeò seipsa fit purior, vt ad priora comparata hac recenti puritate, non exuisse antehac pallium videatur, sed rursum inuenisse post nudationem illam, quod deponat. Sic descensus ad sublimitatem illam diuinam, semper aliquid ostendit rei crassæ, præter id, quod quouis tempore deprehenditur.* Numquam, mihi crede, adeò purus, adeo sanus, adeò sordis expers accedes ad Deum: vt non in tanti luminis præsentia aliquid, quod deponas, inuenias, & quasi nunquam antea fuerit rectè mundatus, ad nouam munditiem, & sanitatem velles parari. Ille pec-

cantium hominum malleus Isaias, qui sæpissimè populum obiurgarat, manúsque suas ab illorum sanguine lauerat, tandem ad Dei oculos rapitur, cap.6. vbi sic. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum.* Quid tunc? Totus inde flebilis sic se incipit deplorare. *Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labys ego sum.* An tacuerat vsque adhuc Isaias? An negatæ obiurgationis reus fuerat habitus? An pessima taciturnitate sese polluerat? Nónne hac se purgauerat labe, muneri suo satisfaciens? Id crediderim. Sed vbi ad Deum proprius accedit, sic se inuenit sordibus obuolutum, quasi nihil vnquam fecisset. Nazianz. in Apologet. Nazianz.
ad patrem, ait. *Isaias priusquam videret gloriam Domini, ac thronum excelsum, & eleuatum, ad populum clamat Israëliticum, sibi ipsi autem parcit, & indulget tanquam minime reus. Postquam autem visionem vidit, vocémque audiuit sanctam, tanquam sibi magis conscius, Væ mihi misero, inquit, quia tacui, & reliqua.* Nihil reputat se antea fecisse: nec verbum inuenit datum antea, quo se purgatet à crimine, etsi verum sit, quod clamauerit. Tantam enim requirit diuina præsentia puritatem in nobis, vt omnis antecedens puritas videatur quasi pannus menstruatæ, qui necesse habeat amplius expurgari.

CAPVT VIII.

De manu arida sanata.

VAnissimos Sabbati obseruatores Dominus sæpe patitur calumniantes: sed nunquam propter eorum calumnias destitit à beneficiis præstandis. Id testatur homo dexteram habens aridam, quam atræ calumniantium nubes à roscido Iesu aspectu eripuerant, ne viresceret, nisi verus iustitiæ Sol, & nubes, & fulgura in pluuiam fecerit, hoc est, calumniis dissipatis, beneficentiæ suæ rore arenti manui virentem restitueret sanitatem.

Matth.12. Ecce homo manum habens aridam, & interrogabant eum, dicentes: Si licet Sabbatis curare? vt accusarent eum.

§. I.

Suspectus zelus, qui benefaciendi studium carpit.

PAtentissima est malitia Iudæorum, vel in eo, quod insidias struunt, & laqueos parant Christi studio beneficentiæ pleno. Hinc enim sese prodit, & infamat cuiusque zelus, si beneficentiæ opera mordeat. Hi sanctissimi, & religionis maximè zelotes eò intenti erant, vt obseruarent à Iesu sanitates peractas, *vt accusarent eum.* Proh egregia religio, & iustitiæ zelus! Quam patenter eius vitus ostenditur, vbi non peccata, sed beneficentiæ, sed pietatis opera vocat in examen! Rectè Chrysol.serm.31. *Ad infamiam* Chrysol.
iudicis, & nequitiam cognitoris, quæritur de cura crimen, de pietate accusatio, reatus de virtute, de salute supplicium. Sed mirum non est: semper offendunt bona malos, pia impios, sancta prophanos, aut quando non lacessiuit disciplinam, virtutem vitiosus, innocentiam criminosus accusat? Hinc sese statim zelus infamat, si proficuos, si benefactores homines, si pietati studentes in iudicij laqueos trahat. Quam amari zeli infamiam trahere consueuerunt sermonales illæ declamationes, quæ perditissimos Reipublicæ mores, luxuriantes viros, fœneratores & alias pestes vix tangunt, & religiosorum hominum instituta, studia, virtutis opera, & orationem ipsam cauillant. Non absimiles his Babylonij magistratus Dan.5. de quibus dicitur: *Viri ergo illi curiosius in-* Daniel.5.
quirentes, inuenerunt Danielem orantem, & obsecrantem Deum suum, & accedentes loquuti sunt regi super edicto. Ecce vobis populorum magistri, vrbium moderatores quas quæstiones instituant, quæ iudicia agant, quæ studia ad forense examen deducant. An mercatorum fraudes? An piraterium, siue latrocinia? An puellarum lenocinia? De his nec verbum faciunt, sed prorsus muti fiunt; vnam solam Danielis orationem traducunt: de hac quæritur, hæc vocatur in crimen, hanc regi deferunt. Meritò tales non iudices, non Satrapæ, *sed inuidi exploratores*, vocantur à Lyra. Patentissimè prodit zelus infamiam suam, vbi totus inhonestatis, & virtutis studia excandescit, & furit, & circa pietatis, & beneficentiæ opera curiosior explorator inuenitur. Talem

Iacob. 3. zelum traduxit D. Iacobus in sua Canonica cap. 3. inquiens. *Quod si zelum amarum habetis, & contentiones sint in cordibus vestris: nolite gloriari, & mendaces esse aduersus veritatem. Non enim ista sapientia desursum descendens: sed terrena, animalis, diabolica.* Expendo illud. *Nolite mendaces esse contra veritatem.* quasi amari zeli hæc sit indiuidua proprietas, vt in veritatem, & virtutes insiliat. Patentia peccata, & scelera præteribit zelus amarus, & se totum effundet, vt beneficentia opera corrodat, & traducat. Vnde Ecclesiast. cap. 4. aiebat. *Eccles. 4.* *Omnes labores hominum, & industrias animaduerti patere inuidiæ proximi.* *Olymp.* Id quod explicatius transfert Olympiodorus, *& vidi ego omnem laborem, & omnem fortitudinem operum, quod æmulatio est hominis.* Itaque, vt zelus bonus circa manifestatissima scelera versatur, nec quicquam audet, vbi inuenit vel speciem pietatis: ita zelus malus, & amarus totus est circa omnem fortitudinem operum, & laborem proficuum. Vt inde suspectum habeas zelum tuum, qui in externis virtutis operibus quærit semper, & inuenit prauitatem. Sanè in sacra pagina vnius zelus Phinees maximè decantatur, & à Deo summo sacerdotio muneratur; sed huius zelus in virum Israëlitam publicè cum Madianitico scorto *1. Mach. 2.* fornicantem, excanduit. Huic similis Mathathias 1. Machabæorum 2. videns Iudæum litantem idolis media in platea ciuitatis, doluit. *Et accensus est furor eius, secundum iudicium legis, & insiliens trucidauit eum super aram: & zelatus est legem, sicut fecit Phinees Zamri filio Salomi. Et exclamauit Mathathias voce magna in ciuitate, dicens: Omnis, qui zelum habet legis, statuens testamentum, exeat post me.* Vidisti zelum virorum excandescentem: immò furentem in proximos suos, & nihilominus tantum zelum laudari? Accipe modo ze- *Act. 5.* lum alium ex Actor. c. 5. vbi sic. *Concurrebat & multitudo vicinarum ciuitatum Ierusalem, afferentes ægros, & vexatos à spiritibus immundis: qui curabantur omnes. Exurgens autem Princeps Sacerdotum, & omnes, qui cum illo erant, quæ est hæresis Sadducæorum, repleti sunt zelo. & iniecerunt manus in Apostolos.* Ecce modo viri dicuntur repleti zelo, quem zelum explicans Syrus posuit, *inuidia.* Sed vnde præ superiorum virorum zelo iste se infamat? Nónne & legem eandem zelant, & mitius se gerunt, vnde proditur istius zeli malitia? Sanè ea patentissima est, quia non in publicè fornicantes, nec in publicè idololatrantes, sed in virtutum, & sanitatum operatores insanit. Primi, quia viderunt publica peccata, zelo repleti sunt, & zelus eorum probatus est: posteriorum zelus inde se infamat, quia non manifesta peccata, sed manifestas virtutes insequitur, illásque carpit, & corrodit. Vtinam hinc zelatores metuant aliud, quam euidens scelus zelare.

§. II.

Periculosè bona opera relinquuntur.

APud Lucam expressius dicitur huius hominis manus dextera aruisse. Quid plura? Illius dextera est arida, qui contentus, quod à malis declinauerit, nullam bonis operibus operam nauat. Periculosè viuit, qui se totam dextram arere patitur, à qua vel vulnus totis viribus erat reiiciendum. Iesus qui tot vulnera excepit viuus, vnum dextri lateris vulnus reiicit, nec illud passus fuit accipere nisi mortuus. Vt hinc metuamus omnes, dextera opera interrumpi, & in his aliquod vulnus pati. *Bernard.* D. Bern. serm. in Psal. Qui habitat. *Nec lateris vulnus excipere voluit, nisi iam soporatus in morte, vt moneret te quandiu viuis, in huius semper lateris vigilare custodia, sed & mortuam iudicari eam animam oportere, quæ quidem perniciosa insensibilitate dissimulet in dextere sibi vulnus infligi.* Quis credat animam viuere, cuius dextera his patet vulneribus, quibus nullum dextrum opus, nullum opus memoria dignum efficiat? Lethale est dexteræ vulnus, & ab opere bono cessatio summum adducit discri- *Psal. 136.* men. Id meminerat Psaltes 136. tali se pœna obstringens. *Obliuioni detur dextera mea.* Quid est, obliuioni detur dextera? Sic vacet ab operibus, vt censeatur, quasi non sit, vt nullum memorabile opus edat; sed omnino manca, & ari- *Hilar.* da sit. Vnde D. Hilar. ait. *Et magni periculi res est, si dextera nostra fiat obliuio.* Vbi dextera opera vacant, vbi non est, vnde memoria sit nostri apud Deum per bona opera, magnum ibi est periculum, nisi mauis omnimodam iam ibi perdi- *2. Thess. 3.* tionem inueniri. Paul. 2. ad Thessalon. 3. ait. *Si quis non vult operari, non manducet.* Quippe inertes manus nusquam non extremam famem, & perditionem inducunt. Id quod no- *Paulin.* tat D. Paulin. epist. 5. ad Sulpitium Seuerum, inquiens. *Vnde præscriptum arbitror, vt piger operarius non edat panem; non videlicet illum pereuntem cibi panem, sed illum, qui viuitur in verum vitam, quia vnusquisque de fructibus suis manducabit, & in operibus suis viuet: ac proinde suum cuique opus panis est, & panis verus, ac vnus (heu) ille est, quem non potest manducare operarius piger.* Heu, quantam famem, & perditionem parit manus iners! Insanit, qui sine dexteræ operibus sibi aliud, quam perditionem promittit. Quando ariditas, & sterilitas Deo non odiosa? Genes. 1. *Genes. 1.* *In principio creauit Deus cælum, & terram.* Et post pauca statim subdit: *Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum vnum, & appareat arida.* Expende, quod infimum elementum duplici vocatur vocabulo, & terra, & arida. Vocatur terra, hoc est, frugifera, cum cœlo iuncta profertur; vocatur arida, cum rudis, & sterilis ab aquis suffocata, & obtenebrata apparet. Nihil enim non fructiferum cœlo proximum est; quod enim a cœlo distat, id solum est aridum, & emortuum, & nullis fructibus pollens. *Anastas.* Anastas. Sinaita in Hexaem. lib. 1. iam alibi datus ait. *Quando cum cælo Deus fecit terram, non appellabatur arida: frugiferam enim, ac fertilem Deus fecit hominem, & non aridum. Quando autem fuit suffocata à tenebris, quæ supra eam erant, & aquis, tunc facta est arida, & emortua.* Nihil non frugiferum, & fertile Dominus cœlis aptauit, siue homo, siue limus cœlo adiunctus appareat, fructibus diues est, germinibus clarus. Ariditas enim, siue sterilitas morti proxima est, crebrisque commendata. Caueat sterilitatem, caueat dexteræ ariditatem, qui cœlestibus cupit aptari. Paul. ad Rom. 11. *Rom. 11.* *Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis, & socius radicis, & pinguedinis oliuæ factus es.* Quasi hoc sit primus diuinæ vocationis gradus, quo ex oleastro fias oliua, hoc est, ex sterili frugifer, immò fructibus diues appareas. Vt docet D. Cyrill. Hierosol. Catech. 1. *Cyrill.* *Transplantaris rursus in spirituales oleas, oleaster in oleam frugiferam insertus: ex peccatis in iustitiam, ex pollutione in puritatem, & particeps sanctæ illius vineæ efficeris. Fructum ergo ita, vt æquum est, feramus, ne sic agatur nobiscum, vt actum est cum illa ficu sterili: ne fortè veniens Iesus, etiam nunc propter sterilitatem maledicat tibi: sed vt possimus omnes illi dicere: Ego sicut oliua fructifera in domo Dei.* Timeat sibi sterilitas à Iesu, cuius semper maledictioni manet obnoxia.

Text. Ipse autem dixit illis: Quis erit ex vobis homo, qui habeat ouem vnam: & si ceciderit hæc Sabbatis in foueam, non tenebit, & leuabit eam? Quanto magis melior est homo oue? Itaque licet Sabbatis benefacere.

§. III.

Quàm damnabiles sunt illi, qui pauperes homines sinunt perire, dum equis, & canibus ornandis operam nauant.

VIdeo his verbis diuini iudicis gladium strictum, non solum, qui superstitiosos Sabbati obseruatores conuincat, sed qui innumeros Christianos confodiat. Quippe homini carior debet esse hominis subleuatio, quam ouis, quam equi, quam canis: verum ad Christiani diuitis limina videbis equos obesos, vigili seruorum cura fulgentes, pretiosis phaleris graues: & pauperculos homines fame tabescentes omni penè auxilio desolatos. Illis horrea superefluunt, his recolitur sterilitas anni temporum iniuria, filiorum, & consanguineorum prima fames. Fallar, si hæc inhumanitas à diuitibus lacrymas non cieat. Zach. 11. ait: *Zach. 11.* *Vlulate quercus Basan:* Explicatius Chald. fatur. *Vlulate satrapæ prouinciarum.* quasi idem sit inter homines vir potens, & diues, quod inter arbores quercus. Quippe quercus frugifera est, sed suibus alendis, non hominibus: fame enim dispeteribat ille adeò, vt cuperet Luc. c. 15. ventrem implere de siliquis, *& nemo illi dabat.* Non dat fructum suũ hominibus quercus, lignum saxoso in monte plantatum, sed suibus, sed feris cãpi. Sic diuites prouinciarum instar quercus canibus, equis, brutisque alendis inuigilant: verum pauperibus hominibus nullum fructum afferunt, quo metuant æternum sibi comparare vlulatum. Ad hæc pulcrè D. Ambr. lib. 1. de Nabuthe, c. 13. ait. *Clamat ante domum tua nudus, & negligis: clamat homo nudus, & tu sollicitus es, quibus marmoribus pauimenta vestias. Pecuniam pauper quærit, & non habet: panem postulat homo, & equus tuus aurum sub dentibus mandit. Quantum à diues sumis tibi iudicium!* Ecce ante ciuiles quercus, ante sæculi diuites, & est pauper famelicus, & est equus obesus; equus accipit,

quo

quo ſplendeat amplius, & dum huic dant ſuas dapes vniuerſi diuitis famuli, nemo illi dabat. Quid inhumanius? Quid ſeueriori iudicio dignius? Humanitatem exuit, & ingentem ſibi parat luctum, qui quam pecori præbet opem, negat homini. Vnde Nazianz. orat. 16. monet ex Deut. 22. *Non ſit homo tibi homini pecude vilior, quæ in foueam cecidit, vel aberrauit. Illum enim te lex extrahere, & reducere iubet.* Qua lege iuberis pecudi proſpicere, eadem à fortiori teneris opem ferre tuæ conſortibus naturæ. Nec Dei euadet iram ille, cuius ſub cura homo fameſcit, & impinguatur mulus. Vnde ſapiēs Niniuitarum rex legem tulit, quæ potuit ſtrictiſſimum Dei euitare iudicium. Ea enim erat Ionæ c. 3. *Homines, & iumenta, & arbores pecora non guſtent quicquam, nec paſcantur, & aquam non bibant. Et operiantur ſaccis homines, & iumenta.* Cur ieiunium, cur ſqualor, & luctus, vſque ad pecora extēdi mandatur? Prudentiſſimè ſanè, non enim imminens ſupplicium euitaret rex, cuius ad ianuam viderentur equi ructantes pabula, aureis tapetibus conſpicui, dum homines ieiunio premerentur, & ſaccis pecoris ora plena, & ſimul hominis vacua miſeranda fame, non poſſunt iram diuinam deuitare. Ita aiebat D. Baſil. hom. 1. de laudib. ieiunij fatus. *Niſi apud Niniuitas ſimul cum hominibus ieiunaſſent, & bruta animantia, haudquaquam effugiſſent ſubuerſionem, quam Deus per Jonam fuerat comminatus.* Acuis Dei iram, & cum potior tibi cura eſt de pecoribus, quam de hominibus ſubleuandis: cum obtemperas legi, quæ curam pecoris mandat, & mille legibus, & prophetis pauperum, & miſerorum curam mandantibus non obtemperas. Immò vt pecora alas, homines deſpicis. Meritò in hos inuehit D. Ælred. lib. 3. ſpecul. c. 26. inquiens. *Vt iſti habeant currentes canes, aues volantes, equos ſpumantes, nudantur, Domine Ieſu, in pauperibus latera tua: rident verbera tua: effunduntur viſcera tua.*

Nazianz. — Ionæ 3. — Baſil. — Ælred.

Marc. 3. Et dicit eis: Licet Sabbatis bene facere, an malè? animam ſaluam facere, an perdere? At illi tacebant.

§. IV.

Perditio eſt Deo illa religio, & virtus, quæ inhumanitate fouetur.

QValis eſt illa religio, qualis Sabbati obſeruantia quæ miſeris hominibus non ſuccurrit, ſed in dolore, & infirmitate confici ſinit? Videre fuit ventos, mareque Ionam depoſcentes, & dum furentibus fluctibus quæritur Ionas, & ſorte deſignatur, à nautis in medium adducitur, quis ſit, interrogatur, quibus ille reſpondit cap. 1. iuxta Septuaginta lectionem. *Seruus Domini ego ſum, & Deum cæli ego colo.* Quid religioſius? In tanto diſcrimine nautis Deum verum prædicat, ſeſéque eius diuinitatis oſtendit cultorem: & adhuc mare fremit, adhuc à tempeſtate petitur, adhuc Deus non placatur. Cur Deum non placat tantæ religionis profeſſio? Latebat in religioſo propheta crudelitas, & inhumanitas in miſeros Niniuitas, ideo Deum non placat, qui nihili æſtimat iuſtitias ipſas inhumanitate laborantes. Ita D. Baſil. Sel. orat. 12. ait. *Neque prophetæ parcit Deus, veniam flagitioſis dare nolenti, neque eorum veretur iuſtitiam, qui ab inhumanitate laborat.* Nullus cultus, nulla religo, nulla iuſtitia Deo placet, quæ habet odorem inhumanitatis, quæ denegat opem perituris. Quando Deo non placuit magis miſericordia, quam ſacrificia? Sanè, & ſolemnitates, & holocauſtomata, & Neomenias, & vniuerſos templi cultus odiuit aliquando Dominus. Nihil apud Iſaiam, apud Ieremiam, apud Oſeam clarius patet. Quod ſi cauſam tanti odij velis agnoſcere, illa oſtenditur Iſaiæ c. 58. vbi dicitur. *Ecce in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra, & omnes debitores veſtros repetitis.* Inde tota ieiuniorum, & Sabbatorum religio claudicat, quod ibi inuenitur voluntas adeò dura, & ſeuera, vt nullis debitorum precibus ad miſericordiam frangatur; ſed in repetundis debitis, ſibi religionem velit ſeruire. Horum religionem inhumanitatis ſeruam, & inmiſericordiæ fugiat quiſquis Deo odioſus nolit inueniri. Ex quo ſic monebat D. Iuſtin. Martyr epiſt. ad Zenam, & Serenum, inquiens. *Non deſunt certè quidam, qui iuxta carnem proficiunt, iracundiæ ſuæ patrocinantes ex Euangelio, & ſententiæ, & in quam proniores ſunt, accommodantes Seruatoris noſtri oracula; in quorum poteſtate ſi eſſet ſitum gehennæ quoslibet addicere, totus mundus exhauſtus eſſet eorum ſæuitia: attamen quantum in ipſis eſt, & condemnant, & ignis fornacem aperiunt. Ideo nos non ſimiles.* Quis non videat mundum eſſe plenum talibus peccatorum vindicibus, qui Tartara euocent, qui cruces clament, & ignes, quibus peccata abſumantur, & eliminentur à mundo? Cur his nō ſimiles erimus? cur non ſimili tonabimus voce? Nónne hæc clamant ex prophetis, ex Chriſti oraculis, ex ipſa religionis veræ natura? Abſit. Tam rigidi enim, & immiſericordes cenſores non patrocinium in religione vera habent, ſed potius ipſi religionem, & diuina oracula propriæ duritiei, & immiſericordi voluntati faciunt ſeruire. Nullum Chriſti oraculum eſt, nulla Dei veri religio, quæ miſericordiam medullitus non inſpiret, adeò vt inde gratior religio Chriſtiana Deo accidat, quam antiqua religio: quia hæc durior, illa ſuauior profuſiorem miſericordiæ venam effundit. Ideo D. Laurent. Nouarienſ. hom. de Pœnitentia ait. *Signum acceperunt Iudæi. Quale? Circumciſionis. Signum acceperunt & Chriſtiani: quale? Miſerationis. Ibi plaga carnis: hic palma pietatis. Ibi obſeruantia rigida: hic indulgentia regia.* Itaque quò gratior religio Deo, eò indulgentior, nec illi ipſa potuerunt placere Sabbata, niſi quandiu, & miſericordiæ primas dabant. Exod. 20. *Memento, vt diem Sabbati ſanctifices. Non facies omne opus in eo tu, & filius tuus, & filia tua, ſeruus tuus, & ancilla tua; iumentum tuum*, &c. Non contentus fuit Sabbati commendare ſanctitatem, ſed & inſuper addidit ſingillatim, quod & ſerui, & ancillæ, & iumenta in eo requieſcerent, vt inde religio Sabbati videretur ſanctior, quòd iuncta erat cum miſeratione laborantiū. Id quod notans Lypp. in Cat. fatur. *Quandoquidem noſtræ ſaluti diuina benignitate conſultum videmus, debemus & nos ſaluti conſulere eorum, qui nobis conuerſantur, vt & ſerui noſtri, & ancillæ, & domeſtici omnes, immò iumenta ipſa ab omni opere ceſſent: hoc enim charitas expoſtulat, & magis homines excitat ad commiſerationem.* Quaſi nullius Deo placeat cultus, quo excitemur ad miſericordiā.

LXX. — Baſil. Sel. — Iſai. 58. — Iuſtin. — Laurent. — Exod. 20. — Lyppom.

Text. Et circumſpiciens eos cum ira, contriſtatus ſuper cæcitatem cordis eorum, dicit homini.

§. V.

Iram Dei ſedant miſericordiæ opera.

IN medio erat infirmus, quem circumdabat magna Iudæorum corona: nemo tamen agit de eius ſubleuatione, omnes tacent, & calumnias muſſitantes, impedimenta opponunt miſericordiæ operi. Quid tunc Dominus? Iratos oculos in vnumquemque coniiciens pene iam eorum damnationem fulminat. Non poſſum hic obliuiſci hiſtoriam illam, Ioann. 8. Ponitur in medio mulier de adulterio conuicta, circunſtant Phariſæi accuſatores multi, à Ieſu ſententiam inquirunt. Ipſe autem oculos ad terram deiiciens, *digito ſcribebat in terra.* Ecce vobis infamem adulterio mulierem, & nocentiſſimos accuſatores videre diſſimulat Saluator, oculóſque miſericordiam ſtillantes ad terram deiicit, vt talibus fœcunda terra luminibus indulgentiam parturiat. Verum in præſenti cunctos circumſpicit, in ſingulos oculorum vibrat lumina, & iram ſpirat. Cur talis in Ieſu differentia vultus? Cur in hos Sabbati obſeruatores iratos oculos mittit, ab adultera verò, & nocentibus accuſatoribus oculos declinat, & videre eos diſſimulat. Rationem adinuenit D. Ambroſ. ep. 76. inquiens. *Hoc adulteræ iudicium in templo Dei poſitus exercet, ſicut ſcriptum eſt infra: hæc verba locutus eſt Ieſus in Gazophylacio docens in templo. Quid eſt Gazophylacium? Collatio fidelium: ſumptus pauperum, requies egenorum.* Vbi miſericordiæ opera congeruntur, vbi tot miſerorum ſubleuationes circunſtant, etiam adulteria videre diſſimulat iudex diuinus, & quaſi nocentes quoſque conniuet. Verum vbi inmiſericordia regnat, vbi humanitas in egentes apparet nulla, ibi oculatiſſimus Dominus omnia in lucernis viſitat, ibi eius oculi eructant ignem. Matth. 10. *Quicumque non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros, exeuntes foras de domo, vel de ciuitate, excutite puluerem de pedibus veſtris. Amen quippe dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum in die iudicij, quam illi ciuitati.* Expende diligentiam illam de puluere pedum excutiendo. Cur nec puluis illius domus, quæ inhoſpitalis eſt, ſinitur in pedibus manere? Quid ſi illic puluis inueniretur? Sanè id explicant ſequentes minæ de die iudicij, tantum enim valet apud cœleſtem iudicē miſericordia in pauperes, vt ſi vel puluis hoſpitij appareat in calceis pauperum in die iudicij; is ſolum puluis ſufficeret, vt iudex obcæcaretur ad videnda peccata. Quare nihil ſic exaggerat rigorem iudicij in miſericordes, quam tanta illa cautela de puluere excutiendo, vt nulla res ſit, quæ poſſit ſeueritatem temperare. Huc reſpiciebat Tertul. lib. 4.

Ioann. 8. — Ambroſ. — Matth. 10. — Tertull.

in Marc. fatus. *Cum iubet puluerem excutere de pedibus in eos, à quibus excepti non fuissent, & hoc in testimonium mandat fieri: inhumanitatem, qui in testationem redigi iubet, iudicem minatur.* Expende illud, *iudicem minatur:* quasi non iudex fit, dum vel puluis hospitalis in pauperum pedibus appareat: at dum excussio pulueris inhumanitatem designat, statim iudicis acies acuuntur, ne quid graue commissum prætermittat. Meritò prudentes illæ virgines Matth.25. sic pene iam ad iudicis aduentum euocatas socias consulebant. *Ite potius ad vendentes.* Iam clamor aduenientis Domini factus erat: iam pene sonuerat nouissima tuba, iam aderat iudex, & nihilominus imparatæ virgines ad vendentes mittuntur, quid prodessent vendentes hi in tanto discrimine? Puto vendentes istos pauperes esse, ad quos rectè confugit, qui cupit Deum habere semper pacificum mercatorem, immò debitorem, nunquam iudicem, totus in quæstus negotiis constitutus. Non longè abest D.Cæsar. Arel. serm. in præsenti, inquiens. (Cæsar.) *Pauperes sunt negotiatores, qui oleum lampadibus necessarium vendunt. Per ipsos hoc negotium Christus exercere consueuit. In ipsis accepit terrena, repensaturus æterna.* Itaque apud pauperes mercatoris negotia agit Dominus, non iudicis: ad pauperes confugiat, qui nihil iudicij spectare cupit. De misericordi viro dicitur Psal.1. (Psal.1.) *Quod fructum suum dabit in tempore suo.* In tempore, inquam, suo, hoc est, in tempore iudicij, iuxta multorum placitum. Sed acutè addubitat Euseb.Gallican. cur in iudicio dicatur illud, *dabit:* (Euseb.) etenim dare ad gratiam pertinet: in iudicio autem non gratia spectatur, sed iustitia. Verum misericors vir, nunquam iudicium videt, quouis tempore gratiæ quæstus facit. Ita Euseb.hom.de vidua, quæ duo æra misit in Gazophylacium, ait. *In tempore etiam illo erit quoddam commercium dandi, & accipiendi inter Deum, & hominem.* Nusquam iudicium cum misericordi, sed gratiæ commercium.

Matth.12. Extende manum tuam. Et extendit, & restituta est sanitati, sicut altera. Exeuntes autem Pharisæi consilium faciebant aduersùs eum, quomodo perderent eum. Iesus autem sciens, recessit inde.

§. VI.

Extensio manus ad pauperem, ariditatis expulsio est, & alienum nunquam requirit auxilium.

HOc Dominus arenti manui applicat salutis pharmacum, quod extendatur: dum enim manus ad pauperem extensas habeas, nulla cruciaberis ariditate, totus roscidus reputaberis. (Genes.1.) Genes.1. *Dixit Deus: Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum vnum, & appareat arida, & factum est ita. Et vocauit Deus aridam terram.* Quæ verba sic ponderat Anastas.Synait.lib.3.Hexaëm. *Vide diuina mysteria, terram in profundo ab aquis suffocatam nominat aridam. Cum autem aquæ ab ea recesserunt, non amplius nominat eam aridam, sed terram.* Et quod mysterium istud est, nisi quia terra dum nihil operatur, dum nulli hominum indigentia succurrit, ariditatis vitium incurrit: at vbi iussa est germinare, famelicósque suo (Psal.1.) fructu satiat, & nudos vestit, iam amplius non est. Psal.1. *Erit sicut lignum, quod plantatum est secus decursum aquarum, quod fructum suum dabit.* Notanter non dixit germinabit, sed fructum dabit, vt munera largitatis innueret, quibus nunquam norant ariditatem paradisi ligna, sed copiosis fluentis irrorantur. Euseb.Gallican. §.præced.datus, inquit: *Qui ergo in refrigeria pauperum aperuerit manum suam, audire merebitur; erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursum aquarum*, &c. Non est vnde vir misericors ariditatem timeat, cœlestibus vndis vndequaque circundatus, sed potius plenus virtutis propriæ succo, nullius alterius creaturæ manus requirat. Vnde merito dicitur huic: *Extende manum tuam:* ne iam alterius manum requirat, qui ad pauperes extensam habet suam. Arentibus fibris, æterni incendij (Luc.15.) æstu diues ille apud Luc. c.15. roscido Lazari digito cupit refrigerari, sic ait. *Mitte Lazarum, vt intingat digitum.* &c. Vnde misero tanta ariditas, vt nec roscidum digitum habeat? Non extendit manus, immò illas à misericordiæ operibus arctauit. (Paulinus.) Præclarè Paulin.ad Elethium, ep.3. ait. *Non eget alienæ manus digito refrigerari, qui propriis digitorum suorum roribus (id est, dexteræ suæ operibus) infusus est.* Sit dextera tua extensa ad misericordiæ opera, & eo virtutis propriæ rore erit perfusa, quo nullam alienæ manus guttam exquirat. Quò spectat præclarum illud monitum, quod reliquit nobis Naz.orat.16.inquiens. (Nazianz.) Tu qui non collapsus es, iacenti, & contrito subueni: quia lætus es, contristato; qui dextera polles, illi, qui sinistra languet. Da aliquid Deo, quo te gratum ostendas, ac inter illos recenfearis, qui benefacere possunt, & non eos, qui beneficio indigeant. *Quo non alias manus respicias, sed alij tuas.* Hoc beneficentiæ præmium præstantissimum, quod benefieus homo alienas manus non respiciat, nullius ope indigeat creaturæ, sed potius ipse dexteræ suæ habeat supereffluentem mensuram. Psal.72. aiebat Dauid. (Psal.72.) *Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me. Quid enim mihi est in in cœlo? & à te quid volui super terram?* Ecce quanta munera accepta refert Dauid, quorum omnium illud est principiū, nimirum, *tenuisti manum dexteram meam.* Vbi dextera Dauidis à Deo extensa est, & deducta, sic abundat, vt omnia creata fastidiat, vt non solum alieni digiti guttulas non respiciat, sed & omnia creaturarū expuat adminicula. D.Ambros.ibi. (Ambros.) *Quæ est dextera, nisi actuosa animæ virtus? Quæ si voluntate Domini dirigatur, nihil aliud desiderat, nihil quærit, nullas mundi huius opes, nulla adiumenta deposcit. Ideo dicit sanctus Dauid. Quid mihi enim in cœlo restat, & à te quid volui super terram?* Sic expuit alienas manus dextera benè extenta, vt operibus pietatis incumbat. Et cur alienas manus non expuat vir misericors, quando & illius dextera sic in omnibus abundat, vt nec consortis suæ sinistræ ministerium requirat? Quò refero illud Matth.25. (Matth.25.) *Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quod faciat dextera tua.* Numquam adeò laborat misericordis dextera, vt adiumentum consortis, nedum alienæ requirat.

§. VII.

Inuidia crudelissimum malum.

QVò saniores languidi videbantur, eò magis Iudæi insaniunt, adeò vt perdere vellent, à quo tot miseri sanabantur. Omnia bona perdunt, vbi aliquid, quod inuideāt, habent. Nec sine magna ponderatione prætereundum est, quid post tanta beneficia miraculorum, decernant isti pessimi facere: ait enim textus post curatam aridam manum: Exeuntes Pharisæi consilium faciebant aduersus eum, quo modo perderent eum. Non alio quiescit inuidia, sine perditione, & ruina: quod vt penitus calleas, reuoca in memoriam illud Iesu facinus, quo Ioann.2. flagello eiecit è templo ementes, & vendentes. (Ioann.2.) Quid tunc Iudæi flagellati facerent in eum, quem sanati interficere moliebantur? Qualiter excandescunt? Qualiter furunt? Immò nec malum verbum pro flagello faciunt, sed solum dicunt: *quod signum ostendis nobis, quia hæc facis.* Vides patientiam in flagellis, & in beneficiis rabiem? Cum flagellantur, patienter agunt, cum beneficia sanitatem sentiunt, nunc mortem, crucémque minantur. Proh inuidiæ rabies, longè crudelior, & sanguinolētior omni alia rabie! Cum flagellanrur, habent quid doleant; at cum beneficium vident, habent quid inuideant; & ideo rabidiores, & truculentiores existunt. Rem pulcrè ponderat D.Chrys.hom.22.in Ioan.fatus. (Chrysost.) *Cur Iudæi, qui in collatu beneficijs Christum accusabant, & persequebantur; cum credibile esset tam acri castigatione grauius excandescere, aquo animo tulerunt? Nulla enim contumelia in eum vsi sunt, sed quod signum, inquiunt, ostendis nobis, quia hæc facis? Animaduertis inuidiam incredibilem, & quonam pacto in alios collata beneficia magis eos irritabant?* Ita quos dolor à flagellis iniuriosis profectus vix commouet, benefactricis virtutis inuidentia sic exagitat, vt nullo quiescant, nisi benefactoris sanguine. Et quando inuidiæ rabies sine sanguine potuit quiescere? Iosephi pueruli fratres inuidia pleni in fratrem armantur, quem dum occidere cupiunt, meliori consilio vendunt Ismaëlitis, Genes.37. (Genes.37.) *Tulerunt autem tunicam eius, & in sanguinem hadi, quem occiderant, tinxerunt, mittentes, qui ferrent ad patrem.* Quid necessum fuit patri tunicam filij sanguinem madidam præsentari? Nónne minus funestum commentum possent effingere? Possent equidem, immò deberent ipsam veram mortem aliis commentis dissimulare, vt patris dolorem lenirent, nec dum falsam obiicere mentito filij sanguine: verum inuidia cordibus insita, non potuit sine aliqua sanguinis effusi specie sopiri? D.Basil.Sel.orat.8. ait, (Basil.Sel.) *In speciem cadis vestem compositam patris offerunt manibus, quasi sine sanguine inuidentiam nequeant extinguere.* Hæc est fera pessima, nimirum, inuidia. quæ nescit sine benefici sanguine satiari, *& cibus eius*, electus: iuxta Abacuc vaticinium c.1. quomodo electiores & præstantiores viri ab inuidentia roduntur.

dunrur. Si Saul oderat Dauidem, contentus esset, quod iantus vir fogitiuus ageret, errans in solitudine, cur anxius eius sanguinem petit? Cur non veretur filiam vxorem Dauidis? beneficia ab illo accepta, viri fortitudinem necessariam populo Israelitico? Erat in Saule iouideotia, quæ quò præstanrior, & electior Dauid apparebat, eò mious placari poterat, sine sanguine illius. Vnde bene exclamat
Athanas. D. Athan. hom. de Semente, inquiens. *Heu mihi, qualis centario inuidiæ insidiatur ei, quem in generum accepit; ne filiæ parendum putat, vt per speciem magnificæ affinitatis filia marita insidietur.* Quis non fugiat adeò truculentam belluam inoidiæ?

Text. Et sequuti sunt eum multi, & cutauit eos omnes, & præcepit eis, ne manifestum eum facerent. Et adimpleretut, quod dictum est pet Isaiam prophetam dicentem: Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacui animæ meæ. Ponam spiritum meum supet eum, & iudicium gentibus nuntiabit.

§. VIII.

Ad iudicem spectas per beneficentia opora ad bonam frugem homines trahere.

CVm iudiciom audimua, & seueritatem, & rigorem io vindicandis criminibus expauescimus, quasi id præcipuum sit in iudice, & non potius per beneficentiam homines ad booam frugem trahere. Pulcrè ergo verbis præmissis, quod primum debet in iudice præstari, notatur: quando Saluator omnes curabat, omnibus infirmitatibus medebatur, vt illud Isaiæ in se adimpletum osteoderet, oimirum. *Ponam spiritum meum supre eum, & iudicium gentibus nuntiabit.* quia omne iudiciom dedit filio pater, quia veri, & diuini iudicis spiritus in eo manebat, ideo infirmos sanabat,
Genes. 1. mortuos suscitabat. Sic notanter Moyses fatur Genes. 1. *In principio creauit Deus cælum, & terram*, &c. siue vt in originibus habetur: *In principio creauit Iudices cælum, & terram.* quasi nihil prius in iodice apparere debeat, quam id, quod ad beneficentiam spectat, vt per bona opera, insignia benignitatis, trahat hominum animos ad salutem. Idem clamat
Saluian. Saluian. in fin. lib. 1. de Guber Dei, inquiens. *Vis vidrre Deum seuerum iudicem? Ecce iudicium est. Nam vt iudex arguit, & iudex regit. Iudex promit sententiam, iudex noxios perimit, iudex innoxios muneratur.* Ecce tibi diuini, & veri iudicis officium, quod & arguat, & regat; percutiat, & sanet: ferat sententiam, & det munera; adeò vt iam spectet ad iudicem bo-
Iud. 3. norum largitio, quam scelerum punitio. Iudic 3. *Et clamauerunt ad Dominum: qui suscitauit eis Saluatorem, & liberauit eos, Othonielem videlicet filium Cenez, fuitque in eo spiritus Domini, & iudicauit Israel.* Ecce tibi suscitatur Saluator, vt iudex sit in Israele, io quo & iudices vocabantur, & simol saluatores, vt osteoderetur, quam sit germana iudicis largitio
Rupert. gratiæ. De illis Rup. lib. 4. de Vict c 6. *Erant ergo iudices in disciplina, duces in bello, in vtroque Saluatores. Sicut enim speculum oppositum soli similem reddit imaginem, ita & Saluatorum, & iudicum illorum lucida fides, Saluatori, & iudici æterno similem prætulerunt in gestu suo pulcritudinem.* Nihil enim pulcrius iudici, quam saluti popularium operam nauare. Immò quo magis sine sanguine Rempublicam statuit suam, eò perfectior iudex prædicabitur. Ille perfectus omnium iudex Iesus, cui pater dedit omne iudicium, qui veoturus est iudicare viuos, & mortuos, cum iam morti suæ appropioquaret,
Ioann. 12. ait Ioan. 12. *Nunc iudicium est mundi.* Quid ais Domine, nunc iudicium est mundi? Nunc potius remissio est omnium reorum: nunc potius absolutio est peccatorum: nunc potius liberatio est hominum, redemptio captiuorum, libertatis assertio. Hoc iudicium est? Equidem illud vocatur iudiciũ, & perfectissimum, quo tantam beneficiorum segetem res
August. hominum capiunt, & in pace asseruntur. D. August. tract. 55. in Ioan. *Per Christi fidem, quæ morte eius, & resurrectione firmata est, per eius sanguinem, qui in remissionem fusus est peccatorum, millia credentium à dominatu liberantur diaboli, Christi corpori copulantur, & hoc vocabat iudicium.* Hoc iudicium est diuinissimi, perfectissimique iudicis, quo beneficiis Rempublicam statuit, quo subditos à morte liberat, quo millia ho-
Franc. minum in salutem, & vitam trahit. Inde Franc. Abb. lib. 12. de Gratia Christi, expendens Apostolorum, & maxime D.

Petri facinora, quibus gentes ad Christi caules trahebat mille factis sanitatum, curationúmque miraculis; omnia hæc putat oon à parente optimo, sed à præstantissimo iudice fuisse inspicata. Ait enim. Quantus erat rugitus Petri, cum habita concione tria millia infidelium sermone strauit, numeróque fidelium adunauit? Quantus, & ille rugitus, quando solidatis basibus, plantisque votus claudi ad inuocationem nominis Iesu solidatæ sunt quinque millium bases, & plantæ in fide Christi? *Qua demum virtute, aut sapientia patrata sunt hæc omnia? Nunquid humana? Immò potius concionatoris gratia, atque intus præsidentis iudicis, ac de ore Apostolico gladium vtrimque acutum vibrantis, peracta sunt potentiâ. Non enim vos estis, ait, qui loquimini, sed spiritus patris vestri,* &c. Expende illud, *intus præsidentis iudicis potentia peracta sunt.* Qoippe ad optimum iudicem spectabat tot beneficiorum cumulis Rempublicam statuere Christianam: iudicisque erat hominum animos beneficiis collatis expiscari.
Quò refero illud Isai. c. 63. *Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus, quæ reddidit nobis Dominus, & super multitudinem bonorum domus Israel, quæ largitus est eis secundum indulgentiam suam, & secundum multitudinem misericordiarum suorum.* Vidisti ingentia bona à Deo in populum fuisse profecta; & vt mireris magis omnia hæc booa largiens Deus sese optimum iudicem ostendebat. Quod Isai. 63.
esplicatius Septuaginta fatur. *Misericordiæ Domini recordatus sum, virtutes Domini in omnibus, quæ nobis reddit Dominus, iudex bonus domus Israel, inducit nobis secundum misericordiam suam.* Ecce tibi iodex bonus io misericordia, io largitionibus prædicatur. LXX.

Text. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius: arundinem quassatam non confringet, & lignum fumigans non extinguet, donec eiiciat ad victoriam iudicium, & in nomine eius gentes sperabunt.

§. IX.

Dissimulanda, immò aperienda proximorum peccata.

IS est Dominos Iesus, qui oon eleuat vocem, vt hominum prædicet peccata, sed neque peccatores eleuat, vt eorum scelera pateant: immò suorom peccata dissimulat, & operit, ne quassati penitus confringantur, ne bonæ spei parua scintillula estinguatur. Sanè bonus ille pater Lucæ Luc. 15.
15. vt vidit prodigum filiom, & nudum, & plenum macie, accurrit: *cecidit supra collum eius, & osculatus est eum.* Sic erat affectus in peccatorem filium, sic eum habet exceptum inter brachia; sic totus pater super filij collum recumbit. Qnid tunc? *Dixit autem Pater ad seruos suos: Cito proferte stolam primam, & induite illum.* Expende, quod adhuc filium inter brachia habet, adhuc super collum eius recumbit. & sic mittit seruos, vt stolam afferant. Eò ampleaus patris spectabat, & super collum filij cubatio, vt lateret filij nuditas, vt operta esset eius macies, ne vel à domesticis videretur famulis. Chrysol. serm. 4. *Cecidit super collum, clausit amplexu, ne* Chrysol.
nudaret pater filij crimina, patet filium ne sudaret. Cito proferte stolam, & induite illum, à seruis ante vestiri filium voluit, quam videri, vt soli patri nota esset nuditas. Pudeat hinc prælatos, qui subditorum prædicant peccata; podeat, & singulos homines, qui quouis zelo proximi eleuant crimina, eleuata exaggerant, vt sic veniæ quærendæ aditus intercludatur. Iustior Dominus Iesus, qui nec in feruore iudicij obliuiscitur, hæc viscera pietatis, quibus quasi conniuet ad hominum peccata. Huc refero verba data Matth. & Isaiæ, nimirum. *Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius, arundinem quassatã non confringet, lignum fumigans non extinguet, donec eiciat iudicium ad victoriam.* Vbi crediderim per illud, *donec*, non significari, quod in iudicio iam obliuiscetur misereri Deos, iam ibi clamabit, & publicabit peccata, iam ibi, nihil culpæ sciet dissimulare ad pœnam. Immò puto per illud, *donec*, benignissimi Iesu ingenij perseuerantiam, etiam in iudicio denotari. *Sunt enim vbi dicitur: Maria viro incognita, donec peperit*; non asseritur post partum maculata, vt notissimum est viris Catholicis: sic modo Iesus dicitur ad peccata conniuere, donec iniudicio triumphet, non quod ibi relicturus sit hanc benignitatem. Immò in ipso iudicij feruore, hanc Deo dignam indolem ostendet. Accipite in iudicio loqueotem Dominum, Matthæi 25. Matth. 25.

Quod feciſtis vni ex minimis iſtis fratribus meis, mihi feciſtis. Hæc iuſtis verba dabit: ad peccatores autem dicet. *Quod non feciſtis vni ex minimis iſtis, nec mihi feciſtis.* Vbi ponderandum eſt, quod pauperculos à iuſtis confotos, & ſuſtentatos vocat fratres ſuos, vt ſic iuſtorum facinora exaltet, quod benigni extiterint in Chriſti fratres, eoſdem ab impiis contemptos, & deſpectos, nec vocat ſuos fratres, ne exaggerentur impiorum crimina, nec creſcat offenſio. Id quod Origen. notat Origen. homil. 24. in Matth. fatus, *Volens autem iuſtorum benefacta oſtendere grandia: peccatorum verò culpas non grandes, ad iuſtos quidem dicit, Ex eo quod feciſtis vni ex minimis iſtis fratribus meis, mihi feciſtis. Ad iniuſtos autem ſic: Ex eo quod non feciſtis vni ex minimis iſtis, nec mihi feciſtis, non adiiciens, fratribus meis.* Quis non miretur præſtantiſſimam Ieſu charitatem erga ſuæ naturæ conſortes, quando vel in ipſo iudicij feruore potius diſſimulat, quam exaggerat peccatorum grauitatem? Hanc æmulemur Chriſtiani, & quoad fieri poterit, proximorum errores non videamus. Qui enim Dei agitur halitu, etiam manifeſta cœcutit ad proximorum peccata. De Ieſu Domino permittente pedes Luc. 7. ſuos tangi à peccatrice aiebat Phariſæus, Luc. 7. *Hic ſi eſſet Propheta, ſciret vtique, quæ, & qualis eſt mulier, quæ tangit eum.* Chryſol. Ad quem acutè in rem præſentem, reſpondet Chryſolog. ſerm. 95. *Phariſæe, erras, neſcire magis potuit ſi fuiſſet Propheta: quia prophetia non eſt humani arbitrij, muneris eſt diuini.* Et quidem vbi diuinitas agit, manifeſta etiam proximi peccata non videntur.

§. X.

Vnà cum iudiciaria poteſtate omnimodam impeccabilitatem ſibi iudex aſſumat, neceſſum eſt.

ECce tibi optimi iudicis proprietatem, immò ipſiſſimam eſſentiam, nimirum, *Non clamabit, non contendet, non audietur vox eius,* ſic mitius fiet, ne leui ſaltem maculare vitam famine poſſet. Calamum quaſſatum non confringet, neminem lædet, linum fumigans non extinguet, ſed ab omni culpa immunis totus erit in virtutibus promouendis. Cum virgæ poteſtatem in ſe peccati radicem abſcindat iu- Rom. 8. dex, qui proprio muneri ſatisfacere velit, Paul. ad Rom. 8. *Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne.* Itaque filius Dei aſſumpſit non carnem peccato obnoxiam, ſed ſimilitudinem carnis peccati; accepit carnem, ſed omnino intercluſit aditum peccato. Et cur omnino peccato aditum intercluſit? cur non admiſit carnem, quæ obnoxia eſſet peccato. Cui perfectioni id repugnaret? Sanè, vt alias repugnantias, & dedecora Theologis omittam, illud in præſenti notarim, quod caro peccatrix maximè fœdaret iudiciariam Chriſti poteſtatem. Id quod innuebat ratio illa Pauli: *Et de peccato damnauit peccatum,* quaſi eo ipſo, quod damnaturus peccatum carnis veniret, factum eſt, vt veniret non in carnem peccati, ſed in ſimilitudinem carnis peccati. Etenim iudiciaria poteſtas, quaſi ſupponit in iudice impeccabilitatem. Do Ambroſ. D. Ambroſ. in Pſal. 37. ſantem, *Damnauit Chriſtus in carne, de ipſa carne peccatum, quæ iudicabili quadam vigore, & auctoritate cenſoria adit vitia, quæ amare conſueuerat, & horret impudicitiam, quam voluptatem putabat.* Expende, à quo ebiberit Chriſti caro repugnantiam cum peccatis, nimirum, à iudiciali vigore, & cenſoria auctoritate accepta, quaſi eo ipſo, quod omne iudicium ſibi à patre oblatum acceperit, mille ſimul in ſe repugnantias, & contradictiones imbiberet cum peccatis. Cum damnandus eſſet blaſphemus, ſic lex caue- Leuit. 24. bat Leu. 24. *Et lapidet eum populus vniuerſus:* non ab vno, ſed à tot iudicibus, quot ciuibus damnari, & caſtigari iubebatur tantum peccatum. Sed cur aduerſus ſcelus ſolius blaſphemiæ vniuerſo populo poteſtas mandabatur? Vt vniuerſus populus ebiberet horrorem, & contrarietatem in blaſphemiam, quam vniuerſus caſtigabat: nec eſſet à quo iam timeri poſſet tantum nefas, cum omnes illud condemnaſſent. Ita Saluian. fatur Saluian. lib. 1. de Gubernatione Dei. *Ne quis poſtea admitteret, quod omnis in vno populus vindicaſſet,* &c. Adeò iudiciaria poteſtas ex ſe trahit impeccabilitatem, vt ex eo videantur populi aduerſus peccatum obfirmati, quod vindices illius conſtituantur. Quis non repugnat peccato, quod Exod. 18. vocat in examen, & de quo vindictam facit? Exod. 18. ſic Moyſem monebat ſocer eius. *Prouide autem de omni plebe viros prudentes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam.* Hoc ſit creandis iudicibus innatum, quod virtutibus ornentur, quod vitia oderint, nimirum auaritiam, ſiue vt Septuaginta habent: *Odio habentes ſuperbiam,* ne vlla LXX. radix vitiorum in corde iudicis maneat. Pro quo expendendum illud, quod ait, nimirum, *qui oderint auaritiam.* Non enim contentus eſt, quod in iudice non ſit auaritia, non ſit de facto peccatum, ſed inſuper vult, vt ſit in illo aliquid oppoſitum, & omnino repugnans peccato, quale eſt odium peccandi. Vnde acutè hæc verba ponderat Caietan. aiens, *Quamuis ſufficiat homini non eſſe auarum, non ſufficit tamen iudici; ſed oportet, tam alienum eſſe ab auaritia, vt oderit ipſam. Minus dixi, quia participium habetur in Hebræo: puta odiens auaritiam, ſignificans affectione continuo odio auaritiæ, & non quaſi ad horam oderint illam.* Quaſi eo ipſo, quod temporanea ſit, & nõ perpetua in iudice repugnantiam cum peccato, non tam ſit, quam appareat iudex, vt peſſimi illi ſenes, apud Dan. 13. Daniel. 13. *Qui videbantur iudicare Iſraël:* videbantur iudices, ſed non erant, vtpote qui locum dederant iniquitati.

CAPVT IX.

De ſurdo, & muto ſanato.

SIDONEO Dominus gradiens in littore, curauit oblatum gemina quendam calamitate miſerrimum; qui vocis, & aurium priuatus officiis, nec ſua dare, nec aliena poterat verba ſuſcipere. Sed tactu manus ætheræ, cunctis penetralibus, quæ pernici clauſit violentia, diſruptis, repente fores patuere impulſæ, venarúmque cuſtodiis protinus relaxatis, qui modo mutus videbatur, ac ſurdus, & ipſe loqui meruit, & alios loquentes audiuit.

Marc. 7. Et adducunt ei ſurdum, & mutum, & deprecabantur eum, vt imponat illi manum.

§. I.

A Deo magna petenda, qui ſolum magna munera ſua æſtimabat.

CVm verbo Ieſus poſſet ſanare, nec magis moratur ſalus, quam dum verba dat Saluator. Illi non ſolum verba requirunt, ſed & quod maius humanitatis ſignum eſt, poſtulant, nimirum, impoſitionem manus. Nec is eſt Ieſus, qui tanta dignatione grauetur, immò votis annuens oſtendit quam ſibi complacet, in eo, quod a ſe videat magna poſtulari. Magna enim qui poſtulat, munera poſtulat diuinæ propria manus; quandoquidem parua à nobis ſunt, non à Deo profecta manu. Hoc docebat ille miſer diues purpuratus, qui cum eſſet in tormentis tales Abrahamõ preces dabat, Luc. 15. *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in* Luc. 15. *aquã, & refrigeret linguam meam.* Non manum, non dignum, ſed digiti extremum tinctum aqua petit miſer ſibi applicari. Sed vnde tam vile donum petendum proponitur? Quis dedit tam minimum refrigerium petit? Non equidem à Deo id factum eſt, qui nullum, niſi magnum donum nouit inſpirare. In minimis poſtulatis non Dei munera, ſed vitia cognoſcuntur voluntatis humanæ. Pulcrè D. Chryſol. ſer. 66. Chryſol. fatur, *Qui diuitias ſuas non miſerando pauperi dedit, ſibi miſericordiam minorat.* Diuitis ſemper Deo odioſa crudelitas facit, vt ea munera petantur, quæ non à Dei manu, nec à digito, ſed ab extremo digituli, vt minima ſiant. Tum vitium, tua miſeria eſt, quæ Dei gratias minorant, quæ nobis ſemper magnæ proponuntur, & inſpirantur. Non ad Dei digitulum ſpectat, qui Deo placet, ſed, vt ait Pſal. 144. *Oculi om-* Pſal. 144. *nium in te ſperant Domine.* Hoc eſt, te petunt, te intuentur totum non digitum manus tuæ. *Et tu das eſcam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Nihil minus, quam apertionem manus ſuæ vult Dominus à fidelibus ſpectari, qua vbertate repleantur, & ingentia munera capiant. Inde clauſæ ſponſæ, Cant. 5. *Mi-* Cant. 5. *ſit manum ſuam per foramen peſſuli:* per quod vix digitulus mitti poterat, tota Dei intromittitur manus, ne fidelis anima quid paruum à Deo flagitet, qui neſcit donare minima. Quo ſpectat illud D. Pauli ad Rom. 1. *Iuſtus autem ex fide* Rom. 1. *viuit:* quaſi oſtendat ingentem iuſti ſubſtantiam, ex qua viuat. quippe iuſtus non ex rapto, non ex minimo, ſed ex ingenti viuit ſubſtantia, nimirum, ex fidei oculis, qui in Deum intenti non poſſunt nõ magna expectare, & adipiſci.

Accinit

D.Theod. Accinit D.Theodulus in epist. ad Roman. cap.3. inquiens, *Enim vero qui ex fide viuit,& iustificatur,secundum gratiam iustificatur. Vbi porrò Deus donat,omnia grandia donat.* Hi sunt fidei oculi,qui cum ad Deum donatorem intendant, numquam non adipiscuntur grandia,ex quibus vitam agant, & Ioan.17. abundantiùs agant.Ioan.17.sic ad fideles loquitur Iesus ingentia illorum munera à Deo dilabenda ostendens, *Qui credit in me,sicut dicit scriptura,flumina*,non pocula,non riuuli,sed flumina, *de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant, credentes in eum. Nondum enim erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* In quibus verbis, præterquam quod illud fidelium bonum notatur,quod non poculis,siue guttulis inhient, sed plena, & exundantia flumina sperent: insuper ponderandum est, quod dicat,vsque tunc Spiritum sanctum nulli fuisse datum à patre. Quomodo non fuit datus spiritus vsque tunc? Nonne prophetæ spiritum Dei habuere, nonne Ioannes, nonne Simeon,nonne Anna?Defuitne antiquissimis illis parentibus spiritus gratia? Absit. Sed quia in illis non fuit spiritus in grandi illa abundantia, & copia, qua effusus est fidelibus post Christi resurrectionem, dicitur non fuisse spiritum datum; non enim attingebat rationem doni diuini, dum non ostendebat maximam abundantiam; quasi August. à Deo nulla dona habeantur, nisi maxima.Do D.Aug.tract. 52. in Ioann.vbi fatur, *Non sine Spiritu sancto futura pronuntiauere prophetæ:aut non etiam sine Spiritu sancto Simeon senex, & Anna vidua,& Zacharias, & Elisabeth, qui tanta per Spiritum sanctum prædixerunt. Sed spiritus nondum erat datus, idest, illa abundantia spirituali, &c.* Equidem iam diuinæ gratiæ riuuli inter aliquos fideles ebullierant; iam cœli multa rorarant; iam vel Pharaonis Magi Dei virtutes viderant clamantes Exod.8. *Digitus Dei est hic*.sed quia nondum manus diuina omnimode aperta fuerat, nondum gratiarum flumina effusa,non reputatur vnum Dei donum communicatum, qui fidelibus suis omnia donat grandia, quæ à se expectari,& postulari gaudet. Nec miremur quod refugiat Isai.7. à Deo petere, qui magna petere nescit. Isaias 7. *Et adiecit Dominus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi signum à Domino Deo tuo.*Quid homini felicius esse potest quam iuberi,quod petat à Deo? Sanè eo ipso, quod Deus iubeat,vt petamus, dare desiderat.Pete ergo Achaze: at ipse ait, *Non petam,& non tentabo Dominum.* Sed vnde putat, aut metuit tentare Dominum, si peteret, quando ipse Dominus iubet quod petat? Planè nesciebat adhuc ipse, vt paruulus,magna petere, & dum magna petere nescit, merito metuit à Deo D. Basil. petere. Ita D. Basil. ait, *Achaz, vt qui nondum esset edoctus quærere magna,idest, cœlestia, cò renuit quærere signum, ne prætergredi videretur mandatum, quod dicit: Non tentabis Dominum,&c.* Deum tentat,& offendit,qui ab illo minimè petit quæ ipse præstare nescit.

§. II.

Nostrum solum est, proximorum studere spirituali saluti, Dei est illam impertiri.

VIri boni surdum,& mutum inuenientes, hoc illi præstant auxilium, quod possunt, nimirum ad Iesum ducunt,& Iesu manus precibus exorant. Dei enim erat sanare, hominum enim solum est proximorum saluti aliqualem impendere curam.Sic bonus ille Samaritanus,vbi percussum hominem stabulario commendabat, Lucæ 10. ait: Bernard. *Curam illius habe.* Ex quo Eugenium suum monet D.Bern. lib. 4. de considerat. ne vrbem peccatricem incurabilem dimittat, ait enim, *Noli diffidere, curam præstare exigeris, non curationem. Denique audisti: Curam illius habe,& non cura, vel sana illum.* Numquam enim ad hominem pertinet,siue subditis,siue proximis salutem impertiri: hoc Dei munus est, hominis autem, illam procurare. Sanctæ illæ fœminæ vbi vident Iesu diuinissimum cadauer, Marci cap.16. *Emerunt aromata,vt venientes vngerent Iesum.* Id quod omnibus ani- Idem. marum curatoribus proponit etiam D.Bernard. serm.2. de Resurrect.inquiens,*Ecce igitur Christus in sepulchro, fides mortua est in animo. Quid faciemus ei? Quid fecerunt sanctæ mulieres, quæ solæ ex omnibus suis ampliori tenebantur affectu? Emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum. Numquid vt suscitarent? Et nos scimus,fratres,quia suscitare nostrum non est, sed vngere nobis incumbit.* Ecce tibi munus eorum, qui animarum curatores sunt; tunc muneri suo satisfaciunt, si vnguentum adhibeant, non si infundant, aut si refundant vitam. Vnus Deus est,qui mortuas animas suscitat,qui errantes,& efferas mentes mansuetudini,& sanitati restituit. Vane gloriatur homo, quod peccatores ad vitam traxerit, cum id vni diuinæ manui deberet adscribere. Quò refero prouerbium illud,Genes.10. adductum, vbi de famosissimo Gen.10. Nemrod,sic desumunt, *Quasi Nemrod robustus venator coram Domino.*Quibus verbis meritò putat Caietanus piorum hominum celebrari virtutes: robustus enim hic venator,ideo robustus coram Domino dicitur, quia, vt auctor est Auen Ezra, aram erexit, in qua captas feras Deo litabat, saxus non arcu,& arte sua,sed Dei virtute omnem ingentem venationem fieri.Indeque non inepte transfertur prouerbium ad vniuersos animarum curatores, & venatores, quorum quilibet, quasi Nemrod robustus venator coram Domino est: quippe non ipse propria virtute feras capit,& cicurat, sed ipse coram apparet,verum Deus inuisibiliter rem conficit.Fallar,nisi hoc lucem capiat ex solita principum venatione,qui,vt feras capiant, mansuetissimum bouem pascentem coram præmittunt, post quem ipsi occulti accedunt, sagittas dirigunt,& venationem conficiunt. Sic animarum curatores,sic Apostolici viri,velut mansuetissimi boues eliguntur, non solum,vt dorso totum æneum mare sustentēt, ad lauandas oues dominicas, sed vt in venationem coram prosiliant,quibus præmissis Deus peccatores sagittet,& sanitati restituat.Non bos est,qui rem conficit, sed venator, boue coram præmisso:non homo est,qui peccatores saluat, sed homine coram posito Deus solus dat peccatoribus salutem. Non me tempero,quin audiam Psalmum 28.de effi- Psalm.28. cacia diuinæ vocis, sic tandem differentem. *Vox Domini confringentis cedros, & confringet Dominus cedros Libani: comminuet eas, tamquam vitulum Libani.* Significantius in rem nostram D. Hieronym. non dixit comminuet, *vt vi-* Hieron. *tulum*, sed comminuet, *vt vitulus.* Quippe loquitur Dominus de gentium conuersione, quando fortitudo gentium in bonum dissipanda, & comminuenda Euangelica voce erat: & quidem vox Dei conterit, & sanat superbissimos, & elatissimos peccatores, sed conterit, & sanat illos, vt vitulus Libani. Quid est,vt peccatores conuertat Deus,vt vitulus? Sanè ad conuertendos peccatores Euangelicos boues coram præmittit,non vt ipsi rem faciant,sed vt dum ipsi coram apparent, diuina manus sibi peccatores acquirat, faciatque iustos.

Text. Et apprendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas eius, & expuens tetigit linguam eius.

§. III.

Impossibile est quòd sint tot hominis vulnera, quot adsunt diuinæ misericordiæ remedia.

SVffecisset, si Saluator digitum auriculis applicasset surdentibus, sed ne auriculæ caperent plusquam vnum, aut alterum digitum: misit tamen sine discrimine Iesus digitos suos in auriculas eius,insuper expuens linguam tetigit, vt sic longius remediis superarentur vulnera, nec tot esse possint morbi, quot diuinæ miserationis remedia. Et quando remedia à Deo miserenti applicata non excedunt peccatorum vulnera? Matth.18. quasi fines miserendi con- Matth.18. stitueret Dominus, aiebat, *Non dico tibi vsque septies,sed vsque septuagies septies.*Sed cur hunc numerum miserendi præfiniuit? An quia voluit aliquod posse manere peccatum sine venia? Absit. Immo eum numerum miserendi posuit, qui longè maior peccatorum numero esset.Ita fatur D.Hie- D.Hier. ronym.*Cui respondens Dominus,ait:Non vsque septies,sed vsque septuagies septies,id est,quadringentis nonaginta vicibus:vt toties peccanti fratri dimitteret in die, quoties ille peccare non posset.* Ipsam potestatem peccandi vincit multitudo miserationum à Deo dilapsa; nescit enim Dominus fons pietatis, non scaturire tot miserationibus, quot exhauriri nequeant à peccatoribus. Post primos parentes à paradiso amandatos, ait text. Gen.3. *Eiecitque Adam,& collocauit ante para-* Genes.3. *disum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium,atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ.* Non solum gladius opponitur peccatori homini oculos reducenti ad paradisum, sed & insuper proponitur Cherubim: cuius nominis explicationem ponit D.Hieronym. de nominibus Hebraicis, quod sit Cherub, idem, quod *quasi plures*, siue *quasi multitudo.* Cur ergo in eiectione peccatorum hominum proponitur ante paradisi fores, & gladius versatilis, &

Cherubim significans multitudinem? An vt ostenderetur per multitudinem difficultatum, & impedimentorum necessaria impossibilitas reuertendi ad pristinam felicitatem deperditam? Nunquam id mihi solum persuadeam, qui noui Deum adeò misericordem, vt aditum salutis occludat nemini, quin potius ideo etiam ante paradisi ianuam præmittit gladium, & Cherubim, vt ostendat multitudinem remediorum; quibus possit peccator ad vitam reuertere.
Bachiar. Hoc excogitabat Bachiarius, epist. ad Ianuar. de lapsis recipiendis, fatus, *Ideo primi peccatores temporarie, sub typo mœroris, tribulationibúsque damnati sunt, vt malagmate pœnitentiæ sanarentur: & eo vsque de ligno vitæ*, id est, *de Christi participatione exules fierent, donec ad eum per romphæam flammeam, id est, ignitam martyrij passionem, aut per Cherubim Domini, qui interpretatur multitudo scientiæ, remearent.* Non vnicum remedium proponitur peccatoribus ad salutem recuperandum; sed multiplex: & est gladius, & ignis, & infinita alia, quæ ab infinita Dei scientia possunt excogitari, & excogitantur. Non erunt tanta peccata, quanta sunt sanitatis media à Deo oblata, per quæ possis ad vitam remeare. Huc spe-
Psal 50. ctabat Psaltes 50. quando petebat liberari: *Secundum multitudinem miserationum tuarum.* Non enim solum est Deus misericors, & clemens, sed & qui habet tantam multitudinem mediorum & remediorum ad sanandum tot miserationes,
Ion. 4. quot nullis possint exhauriri peccatis. Similiter Ionas c. 4. ait, *Scio enim, quia tu Deus clemens, & misericors es, patiens, & multæ miserationis, & ignoscens super malitia.* Non quacumque misericordia pollet Deus, sed adeò multiplici, vt tot exerat remedia, quot non possint esse peccata. Quod fatebantur
Isai. 63. ipsissimi Iudæi, apud Isaiam cap. 63. *Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus, quæ reddidit nobis Dominus, & super multitudinem bonorum domui Israël, quæ largitus est ei secundum indulgentiam suam, & secundum multitudinem miserationum tuarum.* Nulla tanta possunt esse peccata, quæ superent misericordiam Dei, maior semper est miserationum multitudo, quàm multitudo culparum. Vbi maior cul-
Ion. 1. parum cumulus, quàm apud Niniuitas? Ionæ 1. *Vade in Niniuem ciuitatem grandem, & prædica in ea: quia ascendit malitia eorum coram me.* Adeò malitiæ augmentum exaggeratur, vt dicatur ascendere coram Deo, & nihilominus tantæ ma-
Basil. Sel. litiæ remedium Deus parat. Ex quo D. Basil. Seleuc. orat. 12. ait, *Niniue peccatis naturæ terminos supergressa est; non tamen diuinæ clementiæ metas exsuperabat.* Semper Dei clementia peccatis maior.

Text. Et suspiciens in cœlum, ingemuit, & ait illi: Epheta, quod est adaperire.

§. IV.

Gratia lacrymis comparata diuturnior est, & magis durat.

NVnquam pœnitenda dona largitur Dominus, quæ à gemitibus proficiscuntur: hoc enim habent gemitus, & lacrymæ præcipuum, quod cœlestia munera confirment. Creationi hominis vix Dominus vltimas imposuit manus, & post pauca: ecce tibi Dominum de beneficio pœnitentem. Etenim ait Gen. 6. *Pænitet me fecisse hominem.* Vt hinc de mutabilitate suspectæ sint extrinsecus diuinæ manus, quæ firmatæ non sunt lacrymis, & gemitibus. At vbi reparandis hominibus, cum gemitu, & lacrymis manus adhibuit, adeo sibi complacuit in opere, vt de operis puluere, & labore manus noluerit excutere: sed sic affectas eas æternum custodit, præ oculis habiturus. Quò respiciens Græcus ille
Nicol. Nicolaus lib. 1. de vita in Christo aiebat, *Pro nobis sæpius Dominus excruciari cupiebat: quod, quia non poterat, quod corpus eius corruptionem semel effugisset: saltem notas suæ necis in corpore seruandas, & vestigia vulnerum, quæ semel cruci affixus acceperat, perpetuis sæculis gestanda censuit.* Æternum placet beneficium comparatum gemitibus, quando lacrymosi operis æternum placiturus asseruatur puluis. Quippe iam diu lacrymæ nouerunt æternare diuina beneficia. Vide, à quo
Psalm. 1. æternantur virtutes, Psalm. 1. *Et erit sicut lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium eius non defluet, & omnia quæcumque faciet, prosperabuntur. Non sic impij, non sic, sed tanquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ.* Iustus manet firma radice: impius excutitur à facie terræ: illum lacrymarum aquæ firmant, & stabiliunt; hunc ariditas reddit facilem ruinis.
Cell. Abb. Ex quo dicebat Cellensis Abb. lib. de Panib. cap. 12. *Nunquam virtutes, aut veniunt, aut diu viuunt sine cordis irrigatione. Nam si in corde viridi quotidie irrepunt tentationes, in arido quid fiet? Si etiam post lacrymas vermis corruptionis mentem corrodit, quæ consumptio ariditatis illius, vbi Dominus nusquam pluit?* A corde trahenda est lacrymarum irrigatio, vt diu possint viuere, & perseuerare virtutes; dum cordis gemitus non submittitur, nullum firmum ponitur fundamentum: super arenam manet virtutum ædificium. Vbi cordis irrigationes irrumpũt, vbi Dominus de superioribus pluit, firmantur, & stabiliuntur virtutes. Psalm. 103. *Qui emittis* Psal. 103.
fontes in conuallibus, inter medium montium pertransibunt aquæ. Potabunt omnes bestiæ agri: expectabunt onagri in siti sua. Super ea volucres cœli habitabunt, de medio petrarum dabunt voces. Ecce tibi virtutes cœli aliter de petris canunt, non de arena, non de ramulis flexibilibus. Cur non de ramulis, sed de petris? Præmissæ sunt scaturigines aquarum, quæ rigant terram, & humilia corda fœcundant, & vbi cordis datur irrigatio, nesciunt virtutes firmissimo non inniti habitaculo. Et quando cordis irrigatio non facit virtutes in nobis perseuerare, firmitérque consistere? Ioël 2. *Nunc ergo dicit* Ioël 2.
Dominus, Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu. Et scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. Ecce tibi in fletu, & in planctu mandatur cordis scissio, ne vestimenta scindantur. Sed quæ sunt hæc vestimenta, quæ integra iubentur durare, dum cordis scissio fit in planctu? Crediderim his vestimentis intelligi posse virtutes, quibus animus noster ornatur, quæ quidem integræ perseuerant, dum fundantur in vera cordis contritione, & planctu. Præstat audire D. Bernard. serm. 2. in cap. ieiunij Bernard.
sic fantem. *Bona vestis charitas, bona vestis obedientia: beatus qui custodit vestimenta hæc, vt non ambulet nudus. Denique beati, quorum tecta sunt peccata, quia charitas operat multitudinem peccatorum. Scindamus corda, sicut prædictum est, vt hæc vestimenta integra seruemus. Nec modo integram seruat vestem scissio cordis, sed & talarem eam facit. Hinc enim virtutum perseuerantia, &c.* Nunquam equidem firmius virtutes manent, quam vbi subest cordis irrigatio.

§. V.

Bona lingua fœtus est Dei parturientis.

IN cœlum respicit Dominus ad Patrem, & gemit, muti linguam, vt rectè loquatur, soluturus. Bona enim lingua nixus diuini est index; & à solo Deo patre potest parturiri. Nullo æterni patris fœcunditas clarius explicatur, quam lingua, quam voce, quam verbo. Matth. 4. in Iesu baptismo Matth 4.
apud ripas Iordanis beatificæ Trinitatis personæ pulchris notionibus demonstrantur, ait enim. *Baptizatus autem Iesus confestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt ei cœli, & vidit spiritum Dei descendentem, sicut columbam, & venientem super se. Et ecce vox de cœlis dicens, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Ecce tibi, & Christi humanitas, & columba reuolans, & vox de cœlo tonans, quorum singula singulas personas beatificæ Trinitatis denotant. Quamuis enim à totius Trinitatis virtute singula fiant, non tamen singula totam Trinitatem repræsentant, sed sua quæque persona figura, & signo distinguitur: vt Christum filium Dei solum caro designet assumpta, Spiritum sanctum columba, Pater voce exprimatur de cœlo: nullo enim Patris fœcundissimi præsentia melius potuit exprimi, quam voce cœlesti. Huc spectat D. August. serm. 63. de verbis Domini, August.
aiens. *Trinitas fecit carnem Christi, sed non pertinet, nisi ad solum Christum. Trinitas fecit de cœlo columbam; sed non pertinet, nisi ad solum Spiritum sanctum. Trinitas fecit de cœlo vocem, sed non pertinet vox nisi ad solum patrem.* Sicut per columbam Spiritum sanctum intelligis adesse, & per carnem filium Dei, sic per vocem cœlestem vnus intelligitur exprimi pater diuinus, ad cuius nixum pertinet parturiri verbum, formari linguam cœlestem. Vnde Ioannes Euangelista, qui generationem in diuinis adstruere voluit, cum posset dicere: *In Patre erat filius*; maluit dicere: *In principio erat Verbum*, quasi nullo patentius, & euidentius exprimi posset diuinissimus genitor, & pater esse, quam si diuinum verbum adstrueretur. Nunquam enim cœlestis lingua non monstrat patrem cœlestem. Isai. cap. 50. iuxta Septuag. lectionem ait: *Dominus* Isai. 50.
dat mihi linguam disciplinæ, vt sciam quando possim loqui verbum. Quo loco sapienter vrget Leo à Castro Iudæos, vt cognoscant diuinum Parentem, quem singulariter ostendit lingua diserta: dat enim Dominus, non alius quam Pater linguam disciplinæ, quasi à solo Patre veniat, quod tempestiuè,

Matth.10. stiuè,& aptè proferri queant verba. Vnde Dominus Matth. 10. ait, *Nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Non ait: spiritus meus, sed spiritus Patris. Cur ibi non suum, sed Patris promittit auxilium? Promittebat auxilium ad bene, tempestiuéque loquendum, quod munus peculiari appropriatione sibi Pater diuinus vendicat, à quo semper venit. Pulchrè Tertul. lib. 4. in Marcion. vtrumque Isaiæ, & Matthæi locum interpretans sic fatur. (Tertull.) *Nec mirum, si is cohibuit praecogitationem, loquendi scilicet, qui & ipse à patre excepit pronuntiandi tempestiuè subministrationem, Dominus, ait, mihi dat linguam disciplinæ, quando debeam proferre sermonem.* Ecce vobis vbicumque bona lingua introducitur, statim diuinissimi Patris ponitur mentio, cuius munere proprio lingua tempestiua venit, adeò vt ipse Dominus peculiariter acceptam referat Patri linguæ disciplinam. Quò refert D. Hieron. illud Ioan. 12. (D.Hier.) *Qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar.* totum tempestiuæ loquelæ munus Patri adscribens. Quo etiam refert D. Antiochus homil. 28. illud ad Philipp. cap. 2. dictum: (Antioch.) *Omia facite sine murmurationibus, & hæsitationibus, vt sitis sine querela, & simplices filij Dei.* Quasi abscisso linguæ murmure vitioso, statim ibi splendeat partus diuinus.

§. VI.

Lingua maximè obest saluti.

FOrtè quis vellet Dominum ingemuisse, vbi ad soluendum linguam accessit, quasi prænoscens, quantum obsit lingua saluti. Et nescio, an tantum obsit æneus murus interpositus, vt obesse solet vitium linguæ. Moysi gradienti cum Israëlitico populo obstitit interiectum mare rubrum. Verum Exod. 14. (Exod.14.) *Cum extendisset Moyses manum super eum, abstulit eum Dominus, &c.* Ecce tibi totum mare obsistere Moysi non valuit gradienti ad terram promissam. At postmodum Num. 20. dum eleuat manum, vt percutiat petram ad extrahendas aquas, statim se diuina sententia impeditum sentit, ne terram promissionis ingrediatur. Cur modo paruus fons aquæ impedit, quem vastissimum non impediuit mare? Ibi tacitus Moyses eleuabat manum, & fugiebat mare; hic eleuat etiam manum cum virga simul, aiens. *Audite rebelles, & increduli,* &c. Et inordinata locutio illi obstitit, ne terram ingrediatur, quod non valuit mare. Pulchra sunt in præsenti Diu. Ephremi verba de linguæ malo, (Ephrem.) vbi inquit. *Plurimis licet signis claruisset Moyses, vbi modice lingua lapsus est, è terra promissionis excidit. Magnum, & horrendum mare ei viam præcludere non potuit, sed verbum vnicum iniquè ab eo prolatum, velut murus aliquis ipsi obstitit, ne vlterius progredi posset.* Cui mare cessit, cui vastissima eremus non potuit impedire, quo minus in terram pergeret promissam, vbi iam proximior erat regioni, Num. 20. irritatus (Num.20.) aduersus populum ait, *Audite rebelles, & increduli: numquid de petra hac vobis aquam poterimus eiicere?* Quid plura? Ecce propter hæc diuinam sententiam: *Non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* Sic lingua, quod facere non potuit fremens mare, ingressum in terram promissionis tantis viris impediuit. Sic linguæ lapsus deiecit Moysem; quod vastissimi eremi tractus nequiuerunt efficere. Merito Ecclesiast. capit. 14. ait. (Eccl.14.) *Beatus vir, qui non est lapsus in lingua sua,* non ait, cuius lingua non labitur, sed qui non est lapsus in lingua, quasi ab vno linguæ lapsu nascatur totius hominis pene irreparabilis ruina. Id quod notans D. Isidorus Pelusiota lib. 1. epistol. 459. ait. (Isidor. Pelus.) *Optabilior est enim lapsus è pauimento, quam à lingua; multi quippè cùm cecidissent, surrexerunt, ob prolatum autem sermonem interierunt.* Adeò insanabilem plagam linguæ æstimabat D. Valerianus hom. 5. vt dicat. (Valer.) *Non difficilè est medico vlcera, quamuis tumentia in oculis posita herbarum beneficio castigata mollire: habet & vis veneni remedium suum; quod antequam in vltima viscerum sede dominetur; salutaris tamen poculi vnda peruiniritur; linguæ vero insanabilis plaga est.* Quasi vna lingua difficiles prorsus reddat vniuersas vias salutis, illas obcludens. Vnde non otiose insanabilis ille epulo proponitur, Lucæ 15. postulans ex Lazaro, (Luc.15.) *vt intingat extremum digiti sui in aqua, & refrigeret linguam suam.* Cur miser non postulas manus aliquod refrigerium? Cur non potius petis, vt Iordanis influat in os tuum, quam petis, vt veniat guttula in linguam? Nouerat miser, quam arcta semper est, quamque difficilis salutis via ad linguam, vt vix locum præbere possit stillatæ refrigerij guttulæ. Numquam linguæ ardor non arctauit; & penè occludit vias salutis; lingua sit, & omnem viam patere relinquit vniuerso vulneri. Ecclesiast. cap. 10. (Eccl.10.) *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit.* Et merito serpentinus homo habetur, homo detractor. Sed maximè in rem præsentem notanda est lectionum varietas; pro detractore enim ponit Chaldæus apud regiam, *fraudulentum.* Syriacus. & Arabicus, *maleficum.* Biblia Veneta *linguosum.* Biblia Froschoueri, *abeuntem lingua, conuitiatorem.* Tigur. *maledicum.* Vatab. *blateronem.* Campensis, *delatorem.* Et pro his omnibus D. Hier. ex Hebræo ponit, habentem linguam, etenim legit sic totam clausulam. (Hieron.) *Si momorderit serpens in silentio, non est amplius habenti linguam.* Quasi eo solo, quod quis linguam habeat, his omnibus malis sit proximus, nec habet aliud amplius, quod præstet, quam vulnera, quam crimina, quam pestes. Et merito D. Ambros. in Psalm. 118. in octonario 17. explicans literam (Ambros.) *Phe,* ait, *Phe litera decima septima latinè significat, erraui, siue os aperui.* Quasi idem sit aperire os, linguam exerere, & in errores deuenire. De Pharisæo dicitur Luc. 18. (Luc.18.) *Hæc apud se orabat: Deus gratias tibi ago, quia non sum, sicut cæteri hominum, raptores, adulteri* &c. Nemini parcit, nullum non iniuriat, quid mirum si semel linguam exerit? D. Zeno in Psal. 130. (Psal.130.) *Lingua intonat, caretque nunquam veneno serpentis.* Quasi nesciat lingua non offendere.

§. VII.

Lingua sæuior, & durior in Iesum, quàm omnia tormentorum genera.

ACcedit Dominus Iesus miseri hominis soluturus linguam, & ingemit, qui alioquin inter durissima mortis spicula, sicut agnus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum. Deus bone excruciaris tormentis, & non gemis, & ad linguæ solutionem gemis? Est ne tibi impiorum lingua sæuior omni mortis telo? Accinit D. Bernard. (Bernard.) serm. de triplici custodia fatus. *Nec verò huiusmodi linguam ipso etiam mucrone, quo dominicum latus confossum est, crudeliorem dicere verearis. Fodit enim hæc quoque Christi corpus, nec iam examine fodit. Ipsis quoque nocentior est spinis, quas illi tam sublimi capiti furor militaris imposuit, seu etiam clauis ferreis, quos sanctissimis manibus illis, & pedibus consummatio Iudaicæ iniquitatis infixit.* Est equidem longè horribilius Iesu linguarum spiculum, quam omnia alia tela à perfidis Iudæis contorta. Vnde sic Psalm. 63. patrem exorat. (Psalm.63.) *Protege me à conuentu malignantium, multitudine operantium iniquitatem. Quia exacuerunt, vt gladium linguas suas. &c.* An non significantius diceret, quia exacuerunt gladios suos, parauerunt lancearum spicula, cuspides spinarum, cur relictis veris lancearum, & spinarum spiculis, ad mystica linguarum tela transiit? Præclarè Gillibert. Abbas serm. 20. in Cant. (Gillib.) fatur. *Horret Christus magis asperitatem morum, linguæ stimulos, quam aculeos spinarum.* Vnus linguæ aculeus, quod non fecerunt millia spicula lethalia, à Iesu pectore gemitus, & suspiria traxit. Vis id videre manifestius? Accipe Matthæum (Matth.22.) cap. 22. fantem. *Prætereuntes autem blasphemabant eum, mouentes capita sua, & dicentes: Vah qui destruis templum, & in triduo illud reædificas: salua temet ipsum: si filius Dei es, descende de cruce. Similiter & Principes,* &c. Quid ad hæc Iesus? Vix talia Iudæi fantur, & Iesus clamans voce magna, ait. *Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Ecce tibi, quod spicula non potuerunt, Iudæorum linguæ faciunt queribundum Iesum. Id quod notans D. Cyprian. de Psalm. ait. (Cyprian.) *Clauis sacros pedes terebrantibus, fossisque manibus, de vulnerum anxietate non loqueris, de spinis sacrum caput pungentibus non quereris, sed satagis, vt innotescat posteris, quare derelictus à Deo videaris, expositus contumelijs, & ludibrijs Iudæorum.* Nec mireris, quod adeò Iesus præ omnibus aliis linguarum spicula sentiat; nam quæcumque alia tela, etsi atrocia in vnius hominis ordinantur interitum: verum linguæ telum in totius orbis ruinam extenditur. Transuerberat lancea pectus Iesu; claui, spineæ, & alia corpus illius perdunt, verum Iudæorum linguæ petunt crucis descensum, quo totus orbis intereat. Ecclesiastes cap. 10. (Eccl.10.) *Labia insipientis præcipitabunt eum.* Ad quæ verba Chaldæus Complutensis ait. (Chald.) *Labia viri stulti plena sunt increpationibus; propterea consumitur omne sæculum.* Et Chaldæus Costi similiter ait. *Labia autem insipientis hominis increpationem inuehunt, atque adeo vniuerso orbi interitum.* Sic linguæ tela ad totius orbis tenduntur ruinam, quod Iesus orbis assertor sentit.

Marc.8.

*Marc.*8. Et ſtatim apertæ ſunt aures eius, & ſolutum eſt vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè. Et præcepit illis, ne cui dicerent. Quanto autem, &c.

§. VIII.

Nulla res tam excitat diuinas laudes, quàm obedientia à creaturis præſtita verbo Dei.

NOn exprimitur quid loqueretur homo iſte à Ieſu curatus; ſed ſolum dicitur, quod loquebatur rectè: & quidem nil rectius loquebatur, quàm Saluatoris laudes. Vbi enim Ieſu verbo auriū vectes, linguæ vincula paruiſſe viſa ſunt, non poſſum adduci, ne credam, & ſanatum hominem, & portitores illius in Dei laudes effuſos eſſe. Imò ait: *Quanto magis eis præcipiebat*, ſcilicet, ne cui dicerent, *tanto magis plus prædicabant*. Obedientia enim Dei verbo præſtita à creaturis hoc habet præ omnibus ſingulare, vt vel in mutis lapidibus Dei laudes excitet. Iob 38. Apud Iob cap. 38. ſic Dominus loquitur. Vbi eras, quando ponebam fundamenta terræ? Indica mihi ſi habes intelligentiam. Quis poſuit menſuras eius, ſi noſti? Vel quis tetendit ſuper eam lineam? Super quod baſes illius ſolidatæ ſunt? Aut quis dimiſit lapidem angularem eius? *Cum me laudarent omnes filij Dei.* In his hoc mihi ſolum expendas velim, quod in tota admirabili terræ conditione non meminetit Dei laudes, niſi vbi ad luminaria cœli ventum eſt. Conditur firmamentum, & ſilet; conditur terra, firmatúrque, & ſe premit ſilentio; conduntur luminaria, & ſtatim vox laudis auditur, & aſtra, & planetæ, & Angeli portitores ſeſe effundunt in laudes Dei. Cur quæſo ſolum inter luminum creationes Dei laudes boant? In ſolis luminibus condendis ſentitur obedientia à Geneſ.1. creaturis præſtita Dei verbo. Etenim ait, Geneſ.1. *In principio creauit Deus cœlum & terram: & Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Dixitque Deus, fiat lux, & facta eſt lux.* Expēde, cui dixit Deus, vt fieret, nempè luci, & ſtatim lux diuino obediuit verbo, quæ obedientia lucis Dei verbo præſtita vbi apparuit, diuinas laudes non potuerunt amplius ſileri. Baſil Sel. Huc ſpectat D. Baſil. Seleu. orat. 1. inquiens. *Cælum productum eſt, & terra, cum aquis, cum vox anteuerteret nulla. Lux verò cum producebatur, Deus voce præiuit. Merito nunc loqui occupat, vt eius, quod fit, ſenſu, & admiratione Angelorum turbas moueas, quo imperium effectione rei comitatum conſpicati, eóque perculſi ſpectaculo ad cognitionem, & hymnum creatoris conuertantur. Dicit enim Deus cum Iob diſſerens, cum aſtra faciebam, laudabant me omnes Angeli mei.* Quaſi vnum Dei imperium effectione rei comitatum efficaciſſimum omnium eſſet ad diuinas laudes extorquendas. Poſſet tota orbis creatio, imò ipſa lucis conditio illaudata manere, niſi imperium Dei voce manifeſtaretur: at vbi verbo diuino creaturæ parent, iam Deus non poterit manere illaudatus.

§. IX.

Silentium bonam linguam facit.

MVti lingua dicitur, quod iam ſanata loquebatur rectè: facit hoc ſæpe mutum ſilentium, à quo naſcitur, quod lingua in bonos ſoluatur ſermones. Vt præclare loquitur Gregor. D. Gregor. ſerm. 30. in Iob cap. 11. aiens. *Ille ſcit rectè dicere, qui & ordinate nouit tacere.* Hac ſilentis arte parabatur vox illa clamantis in deſerto. Vt enim munus, & officium vocis præcurſor Domini inculpabiliter exercere poſſet, non aliter, quam ſilentij beneficio in lucem prodiit. Etenim pater Luc.1. eius Zacharias talem accepit ab Angelo ſententiam, Luc.1. *Ecce eris tacens, & non poteris loqui*, quod & factum eſt, nam ex tunc *permanſit mutus.* Sed, & mater eius Eliſabet h *occultabat ſe menſibus quinque.* De quo pulchrè, & acutè Chry- Chryſol. ſolog. ſerm 92. ait. *Pater tacet ex pœna, ex verecundia mater celat. O quanto ſilentio vox naſcitur! O quanta taciturnitate tuba ſæculis inclamatura generatur.* Neceſſe erat, vt tanta ſilentia præmitterentur ad hoc, vt innocens vox parturiretur. Niſi enim de ſilentij nutritiis vix nouit bona lingua excre- Pſalm. 38. ſcere. Ideò Dauid Pſalm. 38. dicebat: *Dixi, cuſtodiam vias meas vt non delinquam in lingua mea, poſui cuſtodiam ori meo.* Vt lapſus linguæ caueat, proponit vniuerſas vias ſuas cuſtodiendas; & tamen de facto vni ori dicit cuſtodiam adhibuiſſe. Si omnes viæ tibi cuſtodiendæ, & occludendæ ſunt, cur ſolum os cuſtoditur, & occluditur? Equidem hac vna ſilentij cuſtodia fient vniuerſæ linguæ viæ rectæ. Hic Ambroſ. *Nec inter abſtrepentium crebra certamina, & diſceptationum tumultus, ſermo aliquis ſibi offenſionis excideret, tacere ſanctus propheta propoſuit. O validum ſcutum circumſpectæ munitionis ſilentium! O fidiſſimum ſtabilitatis fundamentum, in quo ſi quis potuerit ſtare, lubricum verbi timere nō poſſit! Multi enim etiam ſtabiles corde firmati; incauti tamen ſermonis fluctuantis errore ſæpe ceciderunt.* Et merito lubricitas linguæ non metuitur, vbi præceſſit fundamentum ſilentij; quo poſito, & confirmatur lingua, & inoffenſa ad ſermones procedit. Et quidem ſilentio maturari linguam oſtendit Eccleſiaſtes Eccleſ.3. cap. 3. inquiens. *Tempus tacendi, & tempus loquendi:* quaſi nonquam vox plenis diebus naſcatur, niſi ortum habeat à præſuppoſito ſilentio. Id quod aduertebat Nyſſen. homil. 8. in Eccleſiaſtem, dicens. *Priori loco collocatum eſt tempus tacendi, & poſt ſilentium dedit tempus loquendi.* Nyſſen. Nunquam bene ad ſermonem rectum itur, niſi per longum ſilentium, quo attendantur, & quaſi concoquantur verba. Pſalm. 140. *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labijs meis.* Pſal. 140. *Ne declines cor meum in verba malitiæ.* Ecce tibi, vt rectè loqui poſſit, quanta prærequirit fulcra ſilentij, & prius ſibi optat dari cuſtodiam oris, & oſtium circunſtantiæ labiis, ſiue, vt argutiùs Chryſoſt. *Et portam attentionis circa labia mea.* Chryſoſt. Non enim ſilentium prærequiritur, vt otij comes, ſed vt attentionis porta, in qua diſcat homo nihil non attentè, & maturo conſilio proloqui.

CAPVT X.

De muliere contracta.

SABBATIS non ſemel Ieſus noſter opera præſtitit ſanitatis, ne infauſti hominis morbi dies feſtos Domini fœdarent. Sabbato nunc etiam erigitur in figuram humanam fœmina, quam morbus brutorum more ad terram inclinarat. Quid fremis [illegible] non habes hic quid reprehendas: quæ brutorum inſtar caput ad terram habet inclinatum, cur etiam brutorum inſtar, beneficas manus non experietur in Sabbato? Vt ſectata eſt brutorum morbos, ſectetur etiam ſaltem de brutorum lege ſanitatem.

Luc. 13. Erat autem docens in Synagoga eorum Sabbatis. Et ecce mulier, quæ habebat ſpiritum infirmitatis annis decem & octo, & erat inclinata, nec omnino poterat ſurſum reſpicere.

§. I.

Salutare eſt homini in multis tentari, & inquietari. Qui inde Deum habet.

EXpende huius fœminæ infelicitatem, quæ habebat ſpiritum infirmitatis annis decem & octo: habebat quidem, non ſuſtinebat; habet, qui moleſtiam, qui pœnam non ſentit, ſed quaſi poſſeſſionem potitur: ſuſtinet, qui moleſtiis angitur, qui ictibus moleſtatur, & affligitur. Quid miſerius quam morbum habere, & morbi pœnas conſuetudine non ſentire? Quid infelicius, quam hoſtem intrinſecus tenere, nullámque eius impugnationem experiri? ſatius dicebat Dauid Pſalm. 128. *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea: etenim non potuerunt mihi* Pſal. 128. Chaldæus explicatius ait. *Multi fuerunt, qui moleſtias intulerunt mihi à pueritia mea.* Nuſquam pax, nuſquam quies, vndique ſpicula, tela, iacula, quæ moleſtarent. Et adhuc clarius, & potentius dixit D. Zeno. Zeno. *Sæpe impugnauerunt me.* Nunquam non ſenſi nouos hoſtium impetus. Quæ hæc gloria Dauid, quæ felicitas? Magna equidem, *etenim*, ait, *non potuerunt mihi*: tot, tantæque impugnationes, & moleſtiæ meam inuincibilem clamabant fortitudinem, ſuſtinebam tot hoſtium tela, quia me hoſtibus tradidi nunquam. Inde D. Zeno in Pſalm. 128. Idem. *Maneamus ergo, vt ſæpe impugnemur, & ſæpe impugnati habeamus hanc gloriam, ne aliquando cedamus: & hinc ſuit impugnatoris noſtra aſſiduitas, quia non ſit impugnantium præpotens fortitudo.* Non infamiæ ſigna, ſed gloriæ noſtræ ſunt præconia ſæpius repetita hoſtium iacula, ſæpius inſtauratæ hoſtiles impugnationes. Sanè mulier hæc, quæ nullos impetus ſentiebat hoſtiles.

les. *Habebat spiritum infirmitatis*: at qui crebris affiguntur impulsibus, qui frequentibus tentationibus anguntur, sollicitantur, Deum habent, suum proprium clamitant. Quo nihil homini gloriosius potest excogitari. De muliere illa Apoc. 12. cœlesti dicitur Apocalyp. 12. *Et in vtero habens, & clamabat parturiens, & cruciabatur, vt pariat.* Per clamores hos & cruciatus parturientis bene intelligit Rupert. tentationes, & persecutiones, quas iusti anima sustinet, dum est in carne; sed inter molestias, & tentationes illud ponitur ad solatium, nimirum, *in vtero habere.* Quid est, in vtero habens? Habet equidem anima iusti, quæ tentationibus affligitur, Deum tamquam sibi datum, ac filium ex legitimo throno Rupert. conceptum. Pulchrè Rupertus lib 3. de Vict. cap. 11. ait. *Quid habens, & vnde habens? Habens, inquit, semen, in quo benedicentur omnes gentes: & hoc habens ex creatore Deo creatura rationalis tanquam de proprio viro vxor legitimo.* Felix anima, quæ tentationum, & dolorum nouit sustinere molestias, ob quas Deum facit suum, & vt bonum proprium Psalm. 90. habet. Psalo 90. *Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur. Dicet Domino, Susceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus sperabo in eum. Quoniam ipse liberauit me de laqueo venantium & à verbo aspero.* Verba sunt hominis, qui multiplices sentiebat hostium impetus, inter quos non aliter agebat, quam damula inter voces, & spicula venatorum hinc, inde agitatus. Tunc dicit Domino, *Susceptor meus es tu Deus meus.* Cur Deus meus, & non potius Deus noster, nisi quia hoc est priuilegium eorum, qui ab hostili impugnantur incursu, quod Deum habeant suum. Bernard. Accipite D. Bernard. serm. 3. in illa verba fantem. *Cur non Deus noster? Quia in creatione, & in redemptione, cæterisque communibus beneficiis est Deus omnium, sed in tentationibus suis, tamquam proprium eum habent singuli electorum. Sic enim paratus est suscipere cadentem, & eripere fugientem, vt videri posset relictis omnibus aliis, & soli operam dare.* Hæc est gloria illorum, qui crebras sustinent hostium impugnationes, & tentationes, quod non confundatur Dominus Deus illorum esse quod sic habeant Deum, quasi ad illos solos Deus pertineret.

§. II.

Vix malum aliquod accidit homini, in quo diabolus causa præcipua esse non velit.

PAter auctor nostrarum infirmitatum. nimirum, spiritus ille nequam, qui meritò in præsenti vocatur spiritus infirmitatis, cuius ea est cura, vniuersa in homines deuoluere mala. Ipse morbos nobis immittit, ipse pestes trahit, quas Psal. 77. Dauid vocat Psal. 77. *Immissiones per Angelos malos*: vt vix detur causa laboris, & afflictionis humanæ, quam non moueat vel saltem non comitetur spiritualis causa diabolus. Psal. 118. Psalm. 118. aiebat. *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi.* Expugnatum à iuuentute queritur, non tamen causam, vel manum per quam expugnatur, explanat. An quia in omni impugnatione, & labore hominum manus sit inuisibilis, nimirum, nequitia spiritualis? Zeno. Ita D Zeno in eo Psalm. fatur. *Causa nescendo est, cur auctoris impugnationis silentue. Omnes humanæ iniuriæ, quæ religiosis viris inferuntur, non eosdem habent auctores, quos habent ministros. Executio quidem hominum est, sed diaboli instinctus est.* Noscamus primam manum nostrarum infirmitatum, & laborum, qui licet executioni mandentur ab aliis causis, tamen omnes has causas solet mouere, & incitare in homines ipse diabolus. Raro creatura sola in homines insurgit, nisi iuncta diabolo, nimirum, spiritui omnis humanæ infir-Psalm. 2. mitatis. Pulchrè Psalm 2. meditatus Dauid impetum factum Ierosolymis in Iesum Dominum nostrum, ait. *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt Reges terræ; Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.* Sanè vnus Rex Herodes, & vnus princeps Pilatus dicitur astitisse aduersus Christum Dominum: quod si vnus Pilatus, & vnus Herodes astiterunt in Iesum quomodo dicit Dauid, & Reges, & Principes astitisse? Et erat Rex, qui videbatur vnus Herodes, & Rex, qui non videbatur diabolus; & princeps, qui videbatur Pilatus, & simul spiritualium nequitiæ, mundi rectores, qui nunquam desunt, vbi alicui hominum dam-Chrysost. num paratur. Id attigit D Chrysostom. ibi aiens. *Nunquid Herodes Reges; nunquid Pilatus principes? Sed non errarunt Apostoli, sic sunt interpretati. Cum Rege enim Herode peccati quoque regem diabolum ostenderunt, & cum Principe Pilato dæmonum potestates, & principatus significarunt.* Non poterat homini venire malum sine diabolo, & non poterat creatura hominem offendere, nisi de socio diabolo: non poterat morbus hominem diuexare, nisi solicitante spiritu infirmitatis humanæ. Vnde pulchrè monebat D. Paulus ad Ephes. Ephes. 6. cap. 6. nostrum certamen esse, *aduersus spiritualia nequitiæ.* Quasi vnus nequissimus spiritus sit auctor, & motor malorum, quæ homines diuexant, adeò vt ipse Deus Optim. Maxim queratur se à diabolo in hominem commotum. Quippè ait Iob. 2. ad diabolum. *Tu autem commouisti me aduersus* Iob. 2. *eum, vt affligerem eum frustra.* Quem lapidem non moueat diabolus, vt homines affligat, quando commouet Deum ipsum, illum solicitans in homines.

§. III.

Quòd terrenis se dedant homines, ex diabolo venit.

NOsce iam spiritum infirmitatis; vel ab ipsa infirmitate, qua mulier ita ad terram prorsus erat inclinata, vt cœlum non aspiceret. Quis hoc in homine faceret, nisi diabolus, de quo solo venit, vt homines terrenis, & paruis se se penitus tradant? Exemplo sunt nobis in hac re Ananias, & Saphira terrenis sic deditis, vt de substantia Apostolis oblata solarium sibi paruum procurarent. Quibus Petrus ait, Actor. 5. *Cur tentauit Satanas cor tuum?* &c. Argu- Actor. 5. tius Syrus posuit. *Cur sic impleuit Satanas cor tuum?* Expende illud, *impleuit*, in quo rectè explicatur spiritus infirmitatis, quo homines, diabolo operante, ad terrena, & minima inclinantur. Id quod pulchra similitudine explicat D. Si- D. Sim. meon Iunior, orat 6. inquiens, *Quemadmodum videmus mulierem vterum plenum ferentem, sordida quæque appetere, & ipsam solam ea vt iucunda aspicere, atque comedere.* Sic qui diabolo implentur, nihil appetunt cœleste, nihil iucundum, & dulce putant, nisi terrenum, nihil nouerunt, nisi cordes, & infimas quisquilias mandere. Huc totus respicit diaboli conatus, vt ad terrena homines inclinet, quos inter ipsa terrena bona facilius opprimat & allidat. Docuit id Dominus apud Lucam cap. 22. dicens, *Ecce Satanas expetiuit vos,* Luc. 22. *vt cribraret sicut triticum.* Hæc erat tota Satanæ cupiditas, vt ponat homines in terrena bona, vt nihil aliud respiciat, quam triticum quam escam, quo illos misere affligat. Inde D. Macharius homil. 5. ait, *Quemadmodum enim triticum in* Mach. *cribro eius, qui tractat illud, allidetur, & agitatum in ipso assiduè vertitur: ita princeps nequitiæ cunctos homines rebus terrenis occupatos tenet; & eiusmodi occupationibus eos agitat, turbat, & commouet, efficitque, vt vanis cogitationibus allidatur, dum obscænis desideriis, & terrenis, atque sæcularibus laqueis vniuersum genus Adæ captiuat.* Pulchrè nouerat vir sanctus Satanæ studium, quo homines ad terrena deprimat, & temporalibus curis captiuet, captiuosque vt triticum, huc, illuc ventilet, & allidat. Eu, quoties ego iudiciale forum pertransiens, hoc Satanæ studium obstupui. Ibi pro rostris iudices, throni positi, libri aperti, oratores disertissimi, causarum procuratores, rei, actores, atria frequentissima, feruet opus, agitantur hinc, inde ministri, curritur ad strategemata ad strophas, tota res de pecuniis potiundis, & repetundis; horæ momento huic mors, illi victoria. Ecce vobis non atrium, non forum, sed cribrum, cuius motorem si quæro Deum, minimè inuenio: ait enim Cant. 3. iuxta Septuag. quod quæsiuit sponsa Deum. *In ciuitate, in foro, & in plateis, & non inueni.* De quo Ambros. lib. de Isaac, c. 5. Ambros. inquit. *Fortasse non inueniat; quem in foro quæsiuit, vbi lites, in plateis, vbi nundinæ rerum temporalium.* Non ibi Deus: sed mihi videor videre diabolum ab angulo totum illud forum manibus habere, vt cribrum, quo miseros illos, terrenis rebus occupatos, immò immersos agitat, mouet hinc, inde, vanisque cogitationibus turbat. Do tibi huius rei exemplum etiam in domo illius diuitis, cuius ager multos tulerat fructus, Lucæ 12. Igitur hic totus, dum mergitur Luc. 12. fructibus, *cogitabat intra se dicens. Quid faciam? quod non habeo, quo congregem fructus meos. Et dixit; Scio, quid faciam, destruam horrea mea, & maiora faciam: & illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, bona mea, & dicam animæ meæ: Anima habes multa bona in annos multos, requiesce, manduca, bibe, epulare.* In hoc vide in primis studium, & affectum totum in terrenis positum, nihil curans præter cibum, potum; deinde expende illud, *dicam animæ meæ, quiesce*, in futurum promittit sibi quietem; de præsenti enim minimè quiescit, immò totus cogitabundus, angitur, affligitur. variis torquetur consiliis de destruendis horreis, de reædificandis,

de

de asseruandis fructibus, nonne hoc est ventilari? Hoc est allidi? Hoc est cribrari? Sed quis hominem in has curas deiecit? Quis illum posuit in cribro? Diabolus hoc fecit, qui intus versabatur in pectore. Ita Chrysolog. serm.104. dum hominis verba pensat, inquiens, *Quid faciam? Interrogantis vox esset. Et quem putat interrogat iste? Erat in illo alter, quia ad eius penetralia iam diabolus possessor insederat.* De solius diaboli cura venit, quod homines nihil aliud præter terrena bona videant, in illisque asseruandis, & procurandis mille turbationes, mille allisiones subeant.

Chrysol.

Text. Quam cùm videret Iesus, vocauit eam ad se, & ait illi: Mulier dimissa es ab infirmitate tua. Et imposuit illi manus, & confestim erecta est, & glorificabat Deum.

§. IV.

Solus Deus ex se ad nos venire nouit, cætera res potius nouerunt abire.

NOn expectat Dominus rogari, & conueniri ab infirma muliere, ipse ex se adit, & vocat illam, & salutem offert. O quam se in hoc Deum ostendit, qui solus non quæsitus, non rogatus, sed ex se ad egentes nouit venire, & secum afferre omnimodam salutem. Quod summum obtinere posse putauit Iosue à cœlestibus astris, hoc erat, vt nec pedem mouerent. Ait enim c.10. *Sol non mouearis contra Gabaon:* & dum ægrotabat Ezechias, dum signum salutis à sole petitur, non petitur vt festinet venire, sed potius, vt reuertatur retrorsum, & recedat decem lineas. Sic 4.Reg.20. *Inuocauit itaque Isaias Propheta Dominum, & reduxit vmbram per lineas, quibus iam descenderat in horologio Achaz retrorsum decem gradibus.* Hoc potius nouerunt facere creaturæ, nimirum, vel non moueri ad egentes, vel recedere longius ab illis. Vnus Deus non vocatus, non quæsitus, immò sæpè eiectus, & dimissus nouit ex se ad egentes venire, illisque omnium bonorum impertiri plenitudinem. Notabat id D.Chrysostom. homil.27. in epistol.ad Hebræos, inquiens, *Quanam sunt, quæ nobis Christus promisit? Non solem sistere, non Lunam, non repedationes Solis. Sed veniemus ad eum, inquit, ego, & pater, & mansionem apud eum faciemus. Quid mihi opus est Sole & Luna, & istis miraculis ipso Domino apud me habitante, & permanente, &, quid mihi opus est cæteris? Ipse mihi erit Sol, ipse lumen.* Equidem solius Dei potes expectare aduentum, solus Deus promittit, quod ad te veniet, & veniet citus, & omnimodam afferet salutem; in Sole, & in cæteris creaturis non aduentum quæras, sed moram, sed repedationem, sed recessum, sed fugam. Non nouerunt creaturæ egentibus accedere, sed potius longius recedere. Quo spectabat Centurio Romanus, dicens Matth. cap.8. *Ego homo sum sub potestate constitutus habens sub me milites: & dico huic, Vade, & vadit: & alij Veni, & venit.* Expende, quod non eidem, cui dixit vade, dixit veni, & quidem magis eorum obedientia monstraretur, si eidem contraria mandaret, nimirum modo vadere, modo venire, qui enim contrariis mandatis æque prompte obediret, absque dubio obedientior esset. Cur ergo, cui dixit, vade, non dixit, veni, sed alteri dixit, vt veniret? Rationem adumbrat Nyssenus homil.10. in Cant. fatus, *Expulsus quidem fuit miles vitij socius, cuius autem loco ingressus fuit miles virtutis.* Equidem res etiam ibi agebatur mystica inter eos, qui militabant temporalibus rebus vitij sociis, & eos, qui militabant diuinis sociis virtutibus. Vnde temporali rei solum dicitur vade, quia vniuersæ creaturæ, quæ militant concupiscentiis humanis, id solum norunt, nimirum abire, recedere: verum rei diuinæ, hoc est, illi rei, quæ stat à vexillis diuinis, quæ vel Deus est, vel eius socia virtus, dixit, veni, quia solus Deus, & quæ Dei sunt norunt ad gentes venire.

4. Reg.20.

Chrysost.

Matth.8.

Nyssen.

§. V.

Exterior gestus, & bona compositio corporis intimam animi compositionem refert.

QVis fuerit interior, cuius fœminæ spiritus, clarè monstrabatur exteriori corporis compositione, prauus, incompositusque membrorum vsus, siue abusus spiritum infirmitatis latentem repræsentabat; sicut erecta, & aptè composita figura etiam internam salutem repræsentat. Cernitur equidem interna animi compositio per exteriorem corporis habitum modestum. De Sapientia dicitur, cap.6. *Qui de luce vigilauerit ad illam, non laborauit: assidentem enim foribus suis inueniet.* Non euiscerandus est homo, vt in intimis animi recessibus inueniatur eius sapientia; si qua est, præ foribus est, quidquid de sapientia incarnati Verbi habes, nescit latere, statim ab exteriorum sensuum compositione splendet. Præclare aiebat Gillibert. serm.5. in Cant. *Vtique venerabile est nomen Iesu, & vtinam quod vox sonat, vita depromat, exprimat imitatio, emineat, & eluceat in moribus. Qui penes te sapientiam quærit, assidentem inueniat illam in ipsis foribus suis, in ipsis sensibus, in modestia, & compositione hominis exterioris. Nam quasi fores sunt, per quas interioris prodeunt habitatoris indicia.* In eo credas Iesu sapientiam, Iesu sanitatem, & virtutem intimam esse, in cuius foribus, hoc est, in cuius externis sensibus, & compositione totius hominis exterioris splendeat ipsa. Vanè aliquid de Iesu sapientia, & virtute intrinsecus se iactat habere, quod sensuum valuæ non ostendunt, quod non manifestat externa quæ cernitur, compositio. Nefarius ille Marcion, ne quid in Christo suo concederet à creatore acceptum, negabat illum verum hominem fuisse, sed solum confictitium hominem, nimirum hominis phantasma oculis prætulisse, sub quo eius diuinitas inuisibilis latebat. Hunc errorem eleganter euertit Tertull. lib.3. in Marcion. vel eo solum, quod impossibile prorsus videatur, quod Deus verus intrinsecus sit, vbi omnia externa, quæ oculis cernuntur, falsa sunt, & commentitia. D. Tertulliani verba in nostram rem etiam pulcherrimè venientia. *Inde Christus Marcionis, ne hoc modo forsitan creatoris deputaretur, non erat, quod videbatur, & quod erat, mentiebatur, caro, nec caro, homo, nec homo, proinde Deus Christus, nec Deus. Cur enim non Dei phantasma portauit. An credam ei de interiori substantia, qui sit de exteriori frustratus? Quomodo verax habebitur in occulto tam fallax repertus in aperto? Quomodo autem in semetipso veritatem spiritus fallacia carnis confundens, negatam ab Apostolo lucis, id est, veritatis, & fallaciæ, id est, tenebrarum commisit communicationem?* Et merito, qui dum videbatur, & dicebatur caro, nec tamen caro erat, etiamsi diceretur Deus, non putandus erat Deus: non enim est, vnde credam intrinsecus esse veritatem, quando omnia externa præseferunt mendacium, siue intrinsecus esse lucem, quando quidquid inde prodit tenebrosum est. Vanè ergo cupit intrinsecus haberi benè ordinatus, moribúsque ornatus compositis, cuius externa omnia non ordinem, sed horrorem causant. Cur compositus in occulto habebitur, qui in aperto ipsa est incompositio? Accinit D.Ambros. lib.1. offic.cap.18. aiens, *Meministis si quemdam amicum, cum sedulis se videretur commendare officys, hoc solo tamen in clerum à me non receptum, quod gestus eius plurimum dedeceret. Alterum quoque cum in clero reperissem, iussisse me, ne vnquam præiret mihi, quia velut quodam insolentis incessus verbere oculos feriret meos. Nec fefellit sententia. Vterque enim ab Ecclesia recessit, vt qualis incessu prodebatur, talis perfidia animi demonstraretur. Habitus enim mentis in corporis statu cernitur.* Sic Ambrosius.

Sap 6.

Gillib.

Tertull.

Ambros.

Text. Respondens autem Archisynagogus indignans, quia Sabbatis curasset Iesus, dicebat turbæ: Sex dies sunt, in quibus oportet operari, in his ergo venite, & curamini, & non in die Sabbati. Respondens autem ad illum Dominus dixit: Hypocrita, &c.

§. VI.

Non omnia possumus omnes, ideoque attemperanda sunt viribus, quæ mandantur.

VIdeo fœminæ huius salutem indignè acceptam fuisse à principibus Synagogæ, sed & salutem cœci nati, Ioan.9. Vtrumque enim tam hanc mulierem, quam cæcum illum conueniunt Pharisæi, vtrumque reprehendunt. Sed cœcus ille se illis opponit, cum illis disputat, & eiectionem à Synagoga propter Iesum sanatorem suum patitur, Mulier autem hæc tantum glorificabat Deum, vbi autem ad reprehensionem venitur, nihil ipsa, totius rei causam suscipit Iesus, & pro illa stat ante Archisynagogum. Cur Domine Iesu, qui cœcum, & reprehendi, & castigari finisti propter te, non similiter finis, quod fœmina hæc aliquid patiatur? An, quæ glorificabat te voce, non & te glorificaret

caret passione? Nouit sapientia incarnata vniuscuiusque vires, & non eadem facinora petit ab omnibus indiscretè, sed ab infirmioribus amat voce laudari, ab illisque remouet occasiones certaminum, nec periclitentur in illis, in quæ coniicit viros fortissimos, vt clariores reportent triumphos. Post Domini mortem currunt deuotæ fœminæ ad sepulchrum valde diluculo: & ad quid currunt? Quid ferunt? Quæ Iesum viderunt mortuum, forsitan putarentur ferre suas cruces, ferre lanceas, ferre clauos, quibus & ipsæ excrucientur, & interimantur pro Christo. Sed nil horum ferunt; ait enim Luc. cap. 24.

Luc. 14. *Vna Sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum mulieres portantes, quæ parauerant, aromata.* Ecce tibi ad quod eligitur officium animus fœmineus, vt portet aromata, non cruces, & quæ in aromatibus perficiendis, & portandis adeò extiterunt impigræ, forsitan ad cruces, ad verbera conciderent. Miraris à mulieribus superatos fuisse Apostolos, quæ prius maturauerunt aromata portare ad sepulchrum? Ne mireris; solet enim fragilis animus in blandis obsequiis superare etiam Apostolicos viros, qui dum superantur in conficiendis aromatibus, maximè excedunt in subeundis discriminibus, in

Chrysol. cruce portanda, in effundenda vita. Argutissimè Chrysolog serm. 59. sic antelucanam harum fœminarum profectionem explanat, *Non est hic præposterus ordo, sed mysticus. Non postponuntur Apostoli fœminis, sed ad maiora seruantur: fœminæ obsequium Christi suscipiunt, Apostoli Christi passiones: illæ portant aromata, isti flagella; illæ intrant sepulchrum, isti carcerem: illæ ad obsequium festinant: isti peruolant ad catenas; infundunt illæ oleum, isti sanguinem fundunt; mortem stupent illæ, suscipiunt hi mortes, & quid multa? Residens illæ domi, ad acies isti tendunt, vt deuoti milites probent aduersis fidem, virtutem laboribus, iniuriis patientiam, vulneribus tolerantiam. Mulieres ergo ferunt pro Christo lacrymas: Apostoli diabolo superato, & victis hostibus, Christo & victoriam referunt, & triumphum.* Nil pulchrius dici, excogitarive potuit, vt insinuetur, quid possint vires fœmineæ, quid viriles lacerti; da infirmis, & fœmineis animis prælia, & bellorum puluerem, obrues illos. Da aromata conficienda, carmina canenda, mollia obsequia præstanda, mollésque honores exhibendos, quam diligentissimi, & feruidissimi inueniuntur in illis. Hæc est diuinissima Dei sapientia, quæ electorum viribus accommodat postulata sua, ne fortiores implicentur in minimis; sed ad præstantissima prosiliant, & ne infirmiores impar onus suscipiant, cui succumbant. Quò etiam spectant duæ illæ parabolæ de grano sinapis, & de fermento, de illa Lucas cap. 3. ait,

Luc. 3. *Simile est regnum cælorum grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, & creuit, & factum est in arborem magnam.* Ecce opus arboris in agro alendæ, & excolendæ viro mandatur; de fermento verò dicitur, *Item simile est fermento, quod acceptum mulier abscondit*, &c. Vtramque parabolam sic ponderat

Chrysol. Chrysolog. serm. 99. fatus, *Vir in agro sinapis arborem serit: domi mulier fermentum procurat, & panes præparat alimoniæ, quia virum foris expectat labor, intus mulier domestica cura constringit.* Infirmus animus non ad puluerem mittitur, nisi fortè ad pigmentarij puluerem, vt aromata, nimirum, laudes, Deo confingat.

CAPVT XI.

De Hydropico.

MVRMVRAT Pharisæus semper, quod Iesus in Sabbato sanet, eiúsque largitrici pietati insidiatur quotidie: at Christianus miratur, non quod sanet in Sabbato, sed quod, dum mensis accumbit, hydropicum curet. Accumbenti Domino hydropicus adstat à limine, & continuo ab hydropisi dimittitur; non potest enim gulæ morbus non fugere, vbi abstemium Iesum accumbentem viderit.

Luc. 14. Et factum est, cùm introisset Iesus in domo cuiusdam Principis Pharisæorum Sabbato, manducare panem, & ipsi obseruabant eum. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.

Baëza in Euang. Tom. II.

§. I.

Diuitiarum inextinguibilis sitis est.

NOn vanè positum est, quod dum Iesus Principis domum ingreditur, plenísque mensis accumbit, ibi hydropicus homo oculis se præsentat diuinis. Nullibi enim hydropisis frequentior, quam in diuitiarum domo, cum ipsæ diuitiæ perniciosissimam hydropisim efficiant. Quis diues non hydropicus est? Quando diuitiarum sitis potuit extingui? Luc. 12. dicitur, *Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager tulit, & cogitabat intra se, dicens: Quid faciam? Quia non habeo, quo congregem fructus meos.* Largitus erat Deus imbres vberes agris hominis istius diuitis: Solē præstitit ad nutriendas segetes, multiplicandásque fruges, aceruos conglomerauit fructuum. Quid tunc diues? An satur mansit? Imò quasi nihil habentis, & adhuc sitientis sola in eo vox auditur, cum dicit: *Quia non habeo, quo congregem fructus.* Arguté D. Zeno ferm. de duplici tentationum specie, Zeno.
ait: *Parum putat omne, quod nescitur, cuius abundantiæ deesse aliquid computat.* Proh fœda diuitum hydropisis, inextinguibilis sitis! Bene aiebat S. Theoph. Alex. epist. Paschali 3. *Eget* Theoph.
semper qui auarus est, nescit mensuram: nescit satiari; cui D. Sa- Salon.
lon. similabat alteram sanguisugam ex Prou. 30. vbi sic ait, *Sanguisugæ duæ filiæ, quæ semper clamant, affer, affer*, vel si manis ex originali vertere, *da, da.* Hæc est quotidiana auari diuitis vox, da, da, præbe, affer affer, *quanto sibi diuitias accumulat*, ait Salonius, *tanto magis ea semper augmentare desiderat*, tanto magis clamat illud egentium proprium, da, da. Id videre licet 3. Reg. 19. in rege Achab, qui inter regias diuitias constitu- 3. Reg. 19.
tus, adhuc vineam Nabothis esuriebat, pro qua sic Rex ad ciuem clamat. *Da mihi vineam tuam.* Non regno saturatur hydropicus hic diues, sed adhuc egens, quo plus habet, eo magis sitit, eo magis, & vehementius clamat instar egentium, *da, da.* De quo eleganter D. Ambros. lib. de Nabuthe, Ambros.
c. 2. ait: *Audiamus ergo, quid dicat. Da mihi, inquit, vineam. Quæ alia vox egentis est? Quæ vox alia stipem publicè postulantis, nisi, da mihi?* Adeò nescit extingui diuitiarum sitis, nescit saturari auarus, nescit non egere diues plenus facultatibus, vt non sit mirandum, quod dicit, Psalm. 33. *Diuites eguerunt,* Psal. 33.
& esurierunt. Vbi D. August. inquit, *Egent ergo illi diuites, ni-* August.
mirum pleni auro, egent, & quod est grauius, pane egent. Ne fortè putetis, quia auro egent, & argento, quamquam & hoc egeant. Quantum habuit quidam, & quis eum satiauit? Sic mortuus est egens, quia plura volebat accipere, quam tenebat. Hanc perpetuam indigentiam, hanc inextinguibilem sitim causant diuitiæ in corde positæ humano. Hic hydrops conficit vniuersos ditescentes, quo tunc sanaberis, cum diuitias à corde propulsaberis. Hanc æternam sitim hominibus minabatur Isai. nisi velint cor à diuitiis auertere, dum ait cap. 5. *Væ,* Isai. 5.
qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vsque ad terminum loci, numquid habitabitis vos soli in medio terræ? In Hebræo, vt notat Forerius, nulla est interrogatio, sed simpliciter explicatur, quo tendat diuitum cupiditas, nimirum, vt soli inhabitent in medio terræ, vt nihil non suum videant, vt ita omnia suæ subiiciant ditioni, vt nullius rei valeant indigere. Cuius rei impossibilitatē simul indigitans vulgata maluit per interrogationem verba reddere, aiens, *Numquid habitabitis vos soli in medio terræ?* Misere vos conficiunt habitæ facultates, dum vna domus acquisita ad aliam desiderandam compellit, vnus ager ad alium; cum enim impossibile sit, vt non sit semper alius, impossibile erit, in qualibet acquisitione adhuc non egere, dum penitus facultates omnes à corde non eradicatis. Non absimile canit Horatius, Horat.

Latius regnes, auidum domando
Spiritum, quàm si Libyam remotis
Gadibus iungas, & vterque pœnus
Seruiat vni.
Crescit indulgens sibi dirus hydrops,
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis, & aquosus albo,
Corpore languor.

Sed longè grauiùs explicans superiora Isaiæ verba fatur, & D. Cyrill. Alexand. *Profectò, sicut inopia materiæ incendium* Cyrill.
extinguit; ita & cor immodica cupiditate acquirendi flagrans, & oculum in ea hausta auiditatis nulla ante alia coërcere poteris, quam si diffinieris tecum, nihil omnino possidere. Itaque scriptura hac è longinquo mederi cupiens hæc proponit animæ inhianti operibus. Nunquid habitabitis soli super terram? Impossibile est finem acquirendi videri, domo licet iungas, regna conglomeres, remotissima licet tibi acquiras, crescet semper

dirus hydrops, nec alio curabitur, nisi materia auferatur à corde, nisi definieris tecum nihil possidere.

§. II.

Aulicorum auaritia quanta, & quanta eorum impudentia.

IN Principis Pharisæorum penetrale audet hydropicus introire, & coram apparere non veretur, quidni? Siti auri laborantes nunquam vereri nouerunt faciem Principis Dominíque sui, immò tanta illorum est impudentia, vt vel in Principis oculis auro bibendo inhient. Illustris erat ille, vtpote magni Principis œconomus. De quo apud Luc. c. 16. agitur. Ait enim, *conuocatísque singulis debitoribus Domini sui dicebat primo. Quantum debes Domino meo? At ille dixit: Centum cados olei, dixitque illi, Accipe cautionem tuam, & sede cito, scribe quinquaginta.* Nolo modo ponderare hominis furta, quod dimidiam partem bonorum Domino eripiat, quod maximè familiare est, etiam apud regios ministros, sed modo auarissimam hominis impudentiam, qui nô veretur, dum furatur, Dominum meminisse, eiúsque memoriam coram trahere, dum ait, *quantum debes Domino meo?* Cur dum furtis incumbis, non caues nomen Domini tui adducere? Ea est auri sitis inextinguibilis, quæ nihil veretur, nec ipsius Domini oculos cauet. Arguté satis D. Petrus Chrysol. ser. 126. ait, *Nec in oculis Domini desinet, cœpit semel qui furari.* Impudentissima est auri sitis, in ipsis regiis, in ipsis tribunalibus, non veretur se prodere, ipsius Principis oculos non cauet. Immò nil magis publicum, & manifestum esse solet in ministris aulicis, qui vni inhiant auro. Esth. 2. conueniebant in Assueri Regiam formosissimæ puellæ, quæ tradebatur Egeo Eunucho, penes quem illarum custodia erat, & cura: & inter alias accidit, vt veniret Esther formosissima puellarum, virgóque pulcherrima. De qua dicitur; *quæ placuit ei, & inuenit gratiam in conspectu illius.* Sed scire cupis, quantum placuerit Esther Egeo? An placuit illi, vt placere solet formosissima puella nobili, & ingenuo adolescenti? Et quantum esset hoc ad aulicum virum? Ex maioris rei momêto pensat Estheris gratiam Caiet. lectio, inquiens. *Obtulit se gratiosum Esther in conspectu Egei, tanquam munus aliquod eidem obtulerit.* Nil aulicorum gustui gratius, quam munerum oblatio: sic sitiunt munera, sic inhiant auro. vt eorum sapor, & gustus, nullo alio possit explicari, nisi per similitudinem accipientis munera: quando illud gratius est aulicis, quod maiorem habet saporem muneris aurei. Vtinam gula hæc non serperet ad omnes regum, Principúmque aulas. Illam pulcrè detestatur in Romanis Palatinis, S. Bernard. epist. 42. fatus de aulicis curiæ. *Non valde Romani curant, quo fine res terminentur: sed valde diligunt munera, sequuntur retributiones. Nude nuda loquor, nec retego verenda, sed inuerecunda confuto. Vtinam in cameris, & priuatim hæc fierent; vtinam soli viderimus, & audierimus, vtinam nec loquentibus crederetur; vtinam nobis reliquerint moderni Noë, vnde à nobis possint aliquatenus operiri.* Fallor, si aulicorum auri sitim viuidius posset explicari; tantam enim dicit esse hanc labem, & adeò impudentissimam, quæ non per montium recessus, per lucorum tenebras, per cubiculorum secreta, vel in prædonibus inueniatur, sed & in ipsa curia, in regum palatiis, in oculis ipsius Principis audeat apparere apud Regios ministros. Quæ turpissima lues eo peruenit audaciæ, & impudentiæ, vt ebrij Noë, & soporati vincat turpitudinem. Hic enim sui compos prouidit filiis suis necessaria circa victum, & vestitum, prouidit & pallia. quibus potuerunt filij turpitudinem patris velare. At isti auri helluones, siue struthiones, sic omnia populantur, vt nec pallium relinquant popularibus, quo possint tantam aulicorum curialium dissimulare maculam. Ad rem loquitur Saluian. lib. 4. de Prouidentia, aiens. *Quid est omnium aliud dignitas sublimium, quam proscriptio ciuitatum, aut quid aliud quorundam, quos taceo, præfectura, quam præda? Vt pauci illustrentur, mundus euertitur. Vnius honor orbis excidium est. Deniq; sciunt hoc Hispaniæ, sciunt Africæ, sciunt Galliæ.* In hoc gratior mihi est Saluianus, quam Bernardus, qui turpem hanc luem. non vni genti, sed omnibus communem prædicat. Vbique fiunt in curia Principes ex sanguine popularium, vbique videre licet hoc monstrum, siue miraculum, quod in summa rerum inopia, in summa regalium thesaurorum tenuitate, accedant mulri è populo ad regia negotia, siue ocia tractanda, & statim ditissimi Principes euadunt. & cum omnia sanguine ludant, ipsi soli affluunt auro. Et videt hoc Princeps; & in oculis regis hæc fiunt? Equidem, & nihilominus agitantur Senatus consulta, vt regni excidentis causæ noscantur: sed cum ad hos Senatus non facilè credatur Iesus venire, nunquam hic hydrops, hæc sitis auri, quæ à capitibus totum corpus Reipublicæ deuastat, sanatur. *Immò*, vt S. Sixtus ait lib. de diuitiis, *eo amplius ab his diligitur, quo magis augetur, & cum suis amatoribus venerata succrescit.* Quando tolletur lues, quæ veneratur? Qui ob aurum acceptum venerationi sunt, & honori omnibus, non miror, quod ardentius inhiant muneribus.

Luc. 16. — Chrysol. — Caietan. — Bernard. — Saluian.

§. III.

Christi mensa comessationes fugat, & crapulas.

COnuenienter in hydropico helluones, & ebriosi notantur, vt noscas mysterium, quo Christus Dominus pransurus panem in domo huius Principis, hydropicum hominem sibi sisti prouiderit. Ait enim textus: *Et ecce homo hydropicus erat ante illum.* Cur hydropicum ante se, cum mensis assidet, esse Dominus prouidit? Si sanare cupiebat, cur etiam non prouidit, vt hydropicus salutem deprecaretur, vel aliquid aliud efficeret, quo sanitatem solicitaret suam? Cur omni opere vacuum, ab omni deprecatione mutum adesse coram solum voluit? Equidem, vt omne gulæ vitium sanetur, sufficit si vel intuearis Christi conuiuium. Inde ebriosum hominem monebat D. Isidorus Pelus. lib. 1. epist. 313. inquiens: *Mentem ac rationem bibendo, nec absorbe. Verum illud in mente habe, quod diuinus spiritus ex vini primitiis Christi sanguinem effecit.* Quasi non fieri possit, quod gula siet, quod ebrietas maneat, vbi inter prandia videris Christum, vbi inter calices efferuescere noueris sanguinem diuinum. Ex quo Iesus se mensis dedit, inter epulas apparet, quis eum potest videre, & ebrietati, & gulæ adhuc seruire? D. Paul. ad Cor. 11. *Conuenientibus vobis in vnum, iam non est Dominicam cœnam manducare. Vnusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum; & alius quidem esurit: alius autem ebrius est. Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? Aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos in hoc? Non laudo. Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit,* &c. Nota vnde ortus, ad quid deueniat Paulus: animus erat comessationum abusus in Ecclesia capere, & eradicare, & ideò acriter pondetat fœdas ebrietates Corinthiorum cum pauperum confusione, & templorum contemptu: pro quarum castigatione cum dubius hæreret, quid diceret, statim omnia alia dimittens de Eucharistiæ institutione tractat proponens illis, quod Dominus Iesus accepit panes, fregit, dedit discipulis, similiter, & calicem. Quorsum hæc? Dubitas quid dicas ebriis, & deliciosis epulatoribus, quo illos emendes, & dicis illis mysteria panis, & calicis diuini? Qua id consequentia ingeris Paule? Sanè, qua consequentia ingeritur infirmanti pharmacum, medela vulnerato. Videat ebrius, videat gulosus epulator Iesu mensam, Iesum inter species panis, inter esculenta, & poculenta, & fallar, si velit gulæ delitiis indulgere amplius. Pulchrè in præsenti D. Chrysost. fatur. *Ne igitur hæc fiant*, nimirum gulæ crimina, & fœditates, *dexteram tuam, linguam, labia considera, quo pacto vestibulum Christo facta sunt, vt ingrediatur. Considera, quo tempore accedis, & cum sensibilem mensam apponas, ad illam mensam, & cœnam dominicam animum dirige.* Quam liber ab ebrietatis, & gulæ luxu erit, cuius ob oculos sit Christi mensa, qui inter epulas, & vina, in mente habuerit sub vini specie sanguinem Christi. Nescio an possit esse quid magis contrarium helluonum mensis, vel vt melius dicam dæmoniorum mensis, quam est Christi mensa. Hæc dum apparet, statim disparent vniuersæ ebriorum mensæ: id quod aiebant notissima illa verba Psal. 22. haud vulgariter intellecta, nimirum. *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me.* Chaldæus ait, *Aduersus molestatores meos:* referetúrque hæc molestia, & tribulatio non ad illam, quæ hostilibus, sanguinolentísque incursibus à Martis puluere: sed ad illam, quæ poculentis concertationibus à Bacchi propinationibus proficiscitur. Cuius molestiæ liberum suum esse conuiuium Assuerus vult, de quo Esth. 1. *Nec erat, qui nolentes cogeret ad bibendum.* Molestissimum enim est, & à dæmone inuentum in perniciem hominis poculorum bellum. Quæ poculorum certamina, & Chrysost. & Basilius, & Ambros. graphice describunt, placet pauca ex Ambrosio decerpere, qui lib. de Elia cap. 13. ait post multa belli prælusia; post

Isid. Pelus. — 1. Cor. 11. — Chrysost. — Psal. 22. — Esth. 1.

post concursus,& impetus poculorum multos. At vbi consummatæ fuerint epulæ, tunc de integro potum instaurant suum, tunc deferuntur phialæ, tunc maximi crateres, quasi instrumenta bellorum. Ac ne immoderatum hoc arbitreris, mensura proponitur, certatur sub iudice, sub lege decernitur. Agonothetes illic furor est, stipendium debilitas, victoriæ præmium culpa, pendet anceps diu, & dubius belli euentus. Cedunt pincernarum manus vina fundentium, non cedunt bibentes. Sola illa sunt sine excusatione certamina. In bello Martis, si quis se inferiorem viderit, arma conuertit, & meretur veniam, hic si quis calicem conuertat, vrgetur ad potum. In scammate, si quis te manu leuat, exors quidem palmæ, sed immunis iniuriæ es: in conuiuiis, etsi manum reuocet à vino, ori eius infunditur. Plura prosequitur Ambrosius, ex quo hæc pauca desumpsi, vt molestissima poculorum certamina videas, vt calicum phalanges, quam sint timendæ, prænoscas. Igitur aduersus harum concertationum impetus, comparatam fuisse à Deo mensam ait Psaltes: sufficit enim, vt coram appareat diuini calicis, & panis mensa, vt penitus dæmoniorum illa mensa dispareat. Pulchrè D. Cyrill. Hierosf. catech. 4. mystagog. *Parasti,* Cyrill. ait, *mysticam hanc, & spiritualem mensam, aduersariam illi, quæ nobis antea parabatur à dæmonibus.* O quam dæmonum calices fugerunt, vbi Deus inter calices, & epulas apparuit. Ferales illæ epulæ, quibus helluones, & ebriosi sacrificuli ventri litant, & gulæ, aduersariam vim, & vastatricem senserunt; ex quo mysticis mensis Iesus assidet. Et quando dæmoniorum calix non cedat Domini calici? Ait Psalm. 22. Psal. 22. *Calix tuus inebrians, quam præclarus est.* Cyprianus legit, *quam* Cyprian. *peroptimus est.* Quibus verbis putat intelligi quendam excessum bonitatis, quo diuinus calix omnino subiiciat virtuti, & sobrietati. Sic epist. 63. fatur. *Addidit quam peroptimus, quod scilicet calix dominicus, sic bibentes inebriat, vt sobrios faciat.* Erigit ergo sobrietas vexillum, cadit exercitus Bacchi, vbi Iesum inter pocula veneramur, vbi mensa Christi ob oculos apparatur. Quapropter nolo hic præterire victoriam à patribus Societatis IESV excogitatam, imo reportatam, dum Bacchanalibus opposuerunt mensam hanc Christi spiritualem. In quos liceat conuertere verba à D. Chrysost. Chrysost. in D. Paulum scripta, nimirum: Absentem Paulum amplectimur, & inuisum diligimus, potissimum, cuius virtutis diligimus argumenta tam magna, támque egregia in omnibus vbique terrarum Ecclesiis. Nempe impietatem dissipatam, malam vitam in meliorem versam, errantes in viam reductos, *intemperantium sacra, vt Bacchanalia, & id genus explosa, abdicata templa, obmutescentes dæmones.* Singula hæc alius aptaret D. Ignatij filiis, ergo sola illa, videlicet, quod intemperantium sacra, vt Bachanalia eorum arte sunt explosa, dum dæmoniorum mensis illis diebus Christi mēsam opponunt. Dum enim Pascha nostrum immolatus est Christus, hoc est agnus ille diuinus mensis Eucharistiæ apponitur, simul azymorum ieiunium, & sobrietatem amplectuntur omnes. Vnde D. Gaud. ser. 4. de manducatione agni Gaudent. Paschalis, ait. *Vos qui estis ad beatæ huius, ac spiritualis Paschæ epulas inuitati, videte quomodo ab omni pollutione escarum vestras animas conseruetis. Seruate ornamentum gratiæ salutaris, sobrij estote per omnia, ne illud inebriati perdatis.*

§. IV.

Conuiuiorum solemnitates plenæ sunt laqueis, & insidijs aduersus sanctitatem.

Vides à Principibus Ierosolymæ conuiuia parari in Christi Domini honorem, & gratiam. Sed nota quid sub conuiuiorum honore lateat, nimirum conuiuia faciunt, *vt obseruent eum.* Quando in conuiuiis non laqueus, non insidiæ aduersus Deum? Isai 5. *Cithara, & lyra, & tympanum,* Isai. 5. *& tibia, & vinum in conuiuiis vestris, & opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis.* Etenim conuiuiorum solemnitates ad minus Dei pariunt ignorantiam, immò à conuiuiorum festis idololatria extulit caput. Sic notat Gaudent. D. Gaudent. ser. 4. de manducatione agni Paschalis, vbi sic fatur. Partes idololatriæ sunt veneficia, præcantationes, auguria, sortes. *Parentalia, inquam: vnde idololatriæ malum extulit caput erroris. Nam gulæ suæ causa primum cœperunt homines prandia mortuis præparare quæ ipsi comederent: post hoc etiam sacrificia ausi sunt eis sacrilega celebrare: quamuis, nec ipsi mortuis suis minus sacrificent parentalia, dum super sepulchrorum mensas tremulis ebrietate manibus vina fundentes, spiritum balbutiant.* Qualis mater, quæ talem peperit filiam? Quis non metuat solemnitates conuiuiorum, à quibus idololatria, vel aucta est, vel sumpsit initium? Et sanè etsi tantum nefas absit à conuiuio, nunquam absunt aliquæ sanctitati insidiæ. Eccles. c. 7. aiebat. *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuij.* Quæ verba explanans Chaldæus Complutensis, ait. *Melius est viro ire in domum lugentis, ad consolandum eum, quam in domum conuiuij vini, in qua deridetur.* Quippe licet textus solum dicat, *in domum conuiuij*, maluit explicationis gratia addere illud, *in qua deridetur*, vt explicet quid sint conuiuia, nempe derisionum, aliorúmque peccatorum fomenta; vt merito timeret Iob filiis suis hoc conuiuiorum malum, quod sacrificiis expiabat. Quando homo conuiuiis adfuit sine damno conscientiæ? Iudith 12. vbi Holophernes captus est pulchritudine honestissimæ fœminæ: *Iussit illic manere eam, & constituit quid daretur illi de conuiuio suo. Cui respondit Iudith, & dixit: Nunc non potero manducare ex his, quæ mihi præcipi tribui, ne veniat super me offensio.* Ecce tibi laqueos, ecce insidias, nimirum, *constituit, quid daretur ei de conuiuio suo*, sine, vt latius ait Græc. *iussit sternere ipsi de obsoniis, siue lautitiis, & delitiis suis, & de eodem vino bibere.* Verum nobilis fœmina nouit laqueos conuiuij, & eo solum potuit vitare delictum, qua valuit cauere sibi à Principis cōuiuio. Vnde sapienter D. Ambros. lib. de viduis ait. *Si Iudith bibisset, dormisset cum adultero.* Incurrisset laqueos, si conuiuio frueretur Principis, adeo insidiosa sunt, & periculosa conuiuia. Accinit Clem. Alex. lib. 2. Pædag. c. 1. ex particulari lectione, quam ex 1. ad Cor. 6. ipse profert, inquiens. *Ne desideres, inquit scriptura, cibos diuitum: ij enim vitæ non veræ, & turpi sunt conuiuæ.* Nunquam non inter conuiuia latent hostiles incursus. Exod. 32. dicebat Iosue Moysi, quando reuertebatur de monte. *Vlulatus pugnæ auditur in castris. Qui respondit: Non est clamor adhortantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fugam, sed vocem cantantium ego audio.* Aliter legit Philo fatus. *Clamor iste quantum ego audio non ad pugnam, aut fugam adhortator est, sed ad pocula.* Itaque clamor ad pocula visus est Iosue esse clamor pugnantium, quando enim hostiles impetus sub poculis non latent? Pulcrè Philo lib. de Temul. ait. *Non negat clamorem esse bellicum, alterius tamen esse generis putat, qualem nimio vino grauati solent attollere.* Quis dicat quam proxima sunt vitia omnia cōuiuiis? Quam periclitetur virtus inter pocula? De his passim Doctores, & ipsi Philosophi profanissimi. Mihi solum vacat notare ex his, quam stulte faciant, qui largis epulis, conuiuiisque lautissimis nituntur celebrare festos sanctorum dies. Pro quo vnus mihi producendus est D. Paulin. qui Natali 9. S. Felicis, sic ait de rusticanis epulis celebrantibus sanctorum nataliria.

Eccles. 7. Iudith 12. Ambros. Cl. Alex. 1. Cor. 6. Exod. 32. Philo. Paulin.

Verum vtinam sanis agerent hac gaudia votis,
Nec sua liminibus miscerent pocula sanctis.
Quamlibet hæc ieiuna cohors potiore resultet
Obsequio, castis sanctos quoque vocibus hymnos
Personat, & Domino cantatam sobria laudem
Immolat, ignoscenda tamen puto talia paruis
Gaudia, quæ ducunt epulis, quia mentibus error
Irrepit rudibus, nec tantæ conscia culpæ
Simplicitas pietate cadit, male credula sanctos
Perfusis, halante mero, gaudere sepulchris.
Ergo probant obiti, quod damnauere magistri?

Canent potius, quam amant sancti viri conuiuia, nec nisi de stultitia, aut errore potest venire, quod epularum solemnitates suspectæ non sint sanctis viris.

§. V.

Inter pocula excandescitur in res leuissimas.

Non possum innotatum relinquere ad quod crimen deprehendendum paret Princeps iste cōuiuij insidias, nimirum ad explorandum, an Iesus Sabbato conferat salutem infirmis. Esto quod deprehendatur Iesus Sabbatis curare contra legem, quale hoc crimen? Nónne omnium minimum? Nónne maximè commodum reipublicæ? Nónne mille ex partibus excusabile? Cur ergo non in homicidas, & latrones, & adulteros, sed in eum, qui Sabbatum videtur frangere ob commune bonum insurgetis? Sanè iam antiqui pepererunt hoc monstrum, conuiuia, & compotationes, vt faciant furere homines ob res leuissimas. Deut. 32. *Fel* Deut. 32. *Draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.* Quibus verbis probat D. Ambros. de Elia cap. 5. quam sint noxia Ambros. conuiuia, & compotationes super omne venenum draconum, & aspidum, & meritò furenti, & venenoso aspidi

comparantur conuiuæ lautissimis epulis saturi. Quippe furor aspidis accenditur vel ab vmbra hominis spectata: sic saturi ob res leuissimas maximè turbantur. Id quod notauit gentilis homo Seneca, lib. 3. de ira fatus. Quod accidere vides animalibus mutis; idem & in homine deprehendes, friuolis turbantur, & inanibus. Taurum color rubicundus excitat, *ad vmbram aspis exurgit*. Est itaque in conuiuiis fel draconum, & ira aspidis, quæ ob inania, & friuola maximè irritatur. Id quod maximè ostendebat Assueri conuiuium Esther 1. celebratum, vbi sic. *Itaque die septimo cum rex esset hilarior, & post nimiam potationem incaluisset mero, præcepit septem Eunuchis, qui in conspectu eius ministrabant, vt introducerent reginam Vasthi coram rege, posito super caput eius diademate, vt ostenderet cunctis populis, & principibus pulchritudinem illius, erat enim pulchra valde.* Vide quale regis conuiuantis decretum, quod quia puduit honestam fœminam exequi, quid plura? *Iratus est, & nimio furore succensus interrogauit sapientes.* Nónne vides iram, & furorem regis? Nónne audis sapientes conuenire in senatum? Sanè ex his magnum aliquod facinus in regem, & rempublicam commissum auspicari. Quod scelus non grauissimum sic regem in furorem verteret, tam senerum cogeret, & intempestiuum senatum? Sed ira tota, & seueritas iudicij à conuiuio agitur, eo quod reginam puduit venire in conspectum tot hominum. Non maioris momenti sunt crimina, quæ conuiuantium iras, immò furores acuunt. In hos conuenit illud Domini ad Pharisæos dictum Matth. 23. *Duces cæci, excolentes culicem, camelum glutientes.* Quibus notat feritatem illorum, qui ob culices, hoc est, ob nimia peccata maximè scandent. Sed cur ad hoc significandum vsus est vocibus comestionem, & potationem significantibus, ait enim excolentes, glutientes? Crediderim id notanter factum fuisse, vt simul tanti furoris, & tam intempestiui radix ostendatur, nimirum gula, à qua prouenit, vt magnæ excitentur iræ ob res momenti parui.

Senec. — Esth. 1. — Matth. 23.

§. VI.

Decet sapientem virum conuiuijs interesse, cuius præsentia componantur conuiuantium mores.

Miraberis Iesum omnis virtutis magistrum frequentem inuitantium mensis adesse: & quidem id faciebat summo virtutis exemplo. Decet enim conuiuiis interesse illum virum, cuius aspectu, & obseruantia possunt componi omnium discumbentium affectus. Quo spectabat Philonis monitum, lib. de profugis, vbi ait. *Tu contra cum omnibus dignis communicabis honorem, securitatem parans bonis viris, reliquos admonendo corrigens. Quod si ad compotationem, aut sumptuosum conuiuium eundum erit, ito cum fiducia, intemperantem pudefacturus tua dexteritate.* Cuius tanta est fiducia sapientiæ, quæ vel inter pocula stare possit, immò quæ intemperatissimos quosque frænare, & intra regulas rationis queat coërcere: is conuiuia adeat, & vtinam frequens accumbat sumptuosis mensis. Filiorum Iob conuiuantium hæc erat haud secunda virtus, cap. 1. *Quod mittentes vocabant tres sorores suas, vt comederent, & biberent cum eis.* Vide iustissimi hominis filij, quibus se dedant studiis, nullum agebant diem sine conuiuio, sine compotatione. Et hoc bonum erat? Accipe Deuteron. cap. 21. vbi iubentur parentes filium nequam ferre ad iudicem, sic dicentes. *Filius noster iste proteruus, & contumax est, monita nostra audire contemnit, comessationibus vacat, & luxuriæ, atque conuiuijs, lapidibus eum obruet populus*, &c. Philo lib. de Temulentia, nihil meminit de luxuria istius nequam filij, sed solum ait, *conuiuijs vacat, & compotationibus.* Ecce tibi quantum crimen est conuiuiis se dedere, & compotationibus, ob quod iubetur filius à parentibus traduci, & dari excidio. Vnde ergo Iob excusari poterit, qui filios permittebat conuiuiis, & compotationibus vacare per singulos dies? Nec multum hoc erat: id enim maximum est, quod filiæ, pulcherrimæ, honestissimæ virgines, etiam dicantur quotidianis interesse conuiuiis, & compotationibus. Sic enim ait textus. *Vocabant tres sorores suas, vt comederent, & biberent cum eis.* Quis pater esset adeò exlex, vt & filias tanta ornatas pudicitia, conuiuia frequentare permitteret, quæ etiam masculis filiis dantur crimini? Quo sine honesto venerandæ virgines fratrum compotationibus assidere permittuntur? Sanè maximo id conuiuarum bono fiebat, & virginalis pudor, & honestarum puellarum modestia conuiuiis inserebatur, ne inter pocula discumbentium inordinatus affectus prosiliret, sed intemperantia ipsa vereretur tantarum conspectum virginum. Eleganter rem tractat D. Chrysost. homil. 2. de Iob inquiens. *Suscipiebant autem & tres sorores, vt comederent cum eis, & biberent, & quid ad vtilitatem hac audientis? Quare & sororum addit esum? Vt ostendatur scilicet, quod ad pudicitiam conniuium agebatur: quodque ibi non risus intercedebat dissolutus, immodestiáque effusus mensam iniurians. Inducit ergo & comedentes virgines, quo speciem, figurámque conuiuij ostenderet ebrietate non deformatam.* Non crimen, non dedecus erat, quod tantæ virgines adessent conuiuiis, & compotationibus, quarum incredibili pudicitia, etiam intemperantissimorum hominum immodestia sopiretur, & ipsa redolerent temperantiam conuiuia.

Philo. — Iob 1. — Deut. 21. — Philo. — Chrysost.

Text. Et respondens Iesus, dixit ad legis peritos, & Pharisæos, dicens: Si licet Sabbato curare? At illi tacuerunt. Ipse verò apprehensum sanauit eum, ac dimisit.

§. VII.

Turpiter tacet ille, cuius est legis fragium carpere.

Inexcusabiles prorsus sunt Iudæi sua malitia, siue cum loquuntur, siue cum tacent: si putant Sabbati religionem lædi, tum sanitas infirmis impertitur, cur modo tacent. Vbi Iesus meus interrogat, an curare licet? Fortasse tacent, ne videantur, aut ne cogantur consentire impertienda saluti? Sed sane si reus est, qui salutem præstat Sabbato, magis sunt rei, qui tuenda religionis causa, nec verbum emittunt, sed prorsus silent, ideoque maiori digni supplicio. Genes. 42. vbi Ioseph Ægypti prorex, fratres suos sub potestate accepit sua, Simeonem, qui erat post primum natum secundus, in carcere detinuit. Ait enim Scriptura, *Tollénsque Simeon, & ligans illis præsentibus*, &c. Cur præ omnibus Simeon in carcerem mittitur, catenísque ligatur. Si pro crimine venditionis res agebatur, nónne omnes fratrem vendiderant? Quid magis peccauit Simeon? Post Iudæ consilio dato de venditione Ioseph, cum non interesset Ruben, qui maior natu erat, penes Simeonem, qui erat secundus, erat maior auctoritas inter fratres, qui deberet reclamare nefario consilio: at ipse omnino tacuit, & eius silentium dedit occasionem, vt venditio fieret; ideo merito præ omnibus aliis punitur. Ita D. Isidor. Pelus. lib. 2. epist. 115. inquiens. *Quoniam igitur tuendi iuris causa, ne vocem quidem mittere ausus est Simeon, idcirco, tanquam pro fratribus obsidem futurum, vinculi constringi iussit, non tam vt de ipso supplicium sumeret, quam vt documentum ipsi præberet, ne posthac eiusmodi quicquam moliretur.* Numquam erit silentium immune à pœna, vbi leges franguntur, vbi pietas, & religio calcatur. Et sanè sanctissimus erat Isaias, ab omni nequam facinore perpurgatus, vbi autem ante Dei tribunal stetit cap. 6. sic lamentatur. *Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labijs ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito.* Inter malos, & peccatores fatetur se habitare, à quibus tamen non deflet se alia macula, aut labe coinquinatum præter taciturnitatem. Non ebibit consortium mores pessimos, non infectus est peccatorum circumstantium peste, & tamen habet quid lacrymis prosequatur, nimirum, quod inter legis fragia extiterit tacitus. Ita D. Bernard. epist. 7. aiens. *Redarguit se ipsum, dixerim, non quia cum malis habitauerit, sed quia mala non redarguerit, sic namque ait. Væ mihi, quia tacui.* Tota causa doloris, & pœnæ non est alia, quam taciturnitas, qua tacuit. Vnde D. Chrysost. hom. 25. in Matth. aiebat. *Non solum ille transgressor est veritatis, qui palam denegat veritatem, sed etiam ille, qui propter timorem tacet veritatem. Tu autem, etsi non denegaueris palam veritatem, tamen non contendis cum persona negantis; vt non perdas spem patrocinij: veritatem, quam oportebat te libere defendere, tacens confundis eam in conspectu inimicorum eius, vt videatur à te tacente falsa, quæ vera est. Et quomodo non tu es proditor veritatis?* Pulcrè satis proposuit damna, & crimina intempestiuæ taciturnitatis. Vbi enim Dei causa agitur, non est prudentia tacere, sed proditio, sed confusio legis, & veritatis. Notanter enim dixit, *Tacens confundis eam*, vt lucem afferret Marc. c. 8. vbi sic. *Qui me confusus fuerit, & verba mea, in generatione ista adultera, & peccatrice, & filius hominis confundetur eum*, &c. Ecce tibi Dei verba, diuinæque leges confundi possunt ab hominibus, hoc est, sic affici quasi ingentem patiantur confusionem, & verecundiam; sed quomo

Genes. 42. — Isidor. — Isai 6. — Bernard. — Chrysost. — Marc. 8.

quomodo homo poterit tanta afficere verecundia, & confusione leges diuinas? Eo solum, quod coram frangente, & impugnante taceat ipse. Non sic diuinæ leges verecundantur fractionem, quam taciturnitatem, qua à timido, & pusillanimo viro coram inimico absconduntur. Quo eleganter respiciebat Tertullianus aduersus Valentinum, inquiens, *Nihil veritas erubescit, nisi solummodo abscondi.* Patiatur veritas, patiantur diuinæ leges mille fractiones, mille scissuras, hac vna in re maxima suffunduntur verecundia, si sub nefario silentio absconditæ existant. Tertull.

§. VIII.

Quando proximorum scandala possunt, & debent contemni.

SCiens Iesus Iudæorum scandala, & offensiones, quod Sabbatis curaret, earum offensionum materiam facillimè posset tollere, in alium diem differens sanitatem, vel illam anticipans ante Sabbatum, & nihilominus id non facit, sed paruipendens scandala, & hunc Sabbato apprehensum sanauit, & passim alios sanabat. Cur hoc faciebat? Nónne charitas monet, vt facilè cum possumus, proximorum deuitemus scandala? Sanè si rem grandem postulassent Iudæi, vt occasio tolleretur ne inciderent in tantam tabem aduersus Iesum, & illam deberet bonus vir facere. Nónne, & Paulus post circumcisionem abolitam, immò postquam ipse Petrum reprehenderat, quod legalibus instaret, facit, vt Timotheus circumcideretur, ne vlla scandali daretur Iudæis occasio? Cur ergo, ô Domine, tu solus nihilo ducis Iudæorum scandala. Quando bonum inde nasciturum longè maius est, & præstantius, quam scandali malum, tunc quisque prudens homo debet præ illo contemnere scandala. Et ex eo quod Iesus Sabbatis curaret, se & verum doctorem, & promissum Sabbatorum Dominum publicabat; longe autem maius bonum erat, quod verus Saluator, & magister, mundo innotesceret, quam quod Iudæi nefarie scandalizati perirent, & ideo parui ducenda erant eorum scandala. E contra verò cum bonum nasciturum inde minus est, quam damnum scandali, ad bonum virum pertinet, cauere scandalum. Iuxta quod D. Paul. 1. ad Cor. 8. ait, *Si cibus offendit fratrem meum, non comedam carnes.* parum enim salutem spiritualem proximi æstimaret, qui illam non compararet aliquali abstinentia à carnibus. Velim ego, vt hanc doctrinam vniuersi notarent, & ne parui momenti virtutibus adhærentes magnas scãdalis occasiones proximis parerẽt, aut nimis scandalis metuentes ingentia dimitterent opera pietatis. Præstat in hac re audire D. Chrysost. in Psal. 49. ea datis verbis Pauli, sic dicentem, *Si fuerit damnum maius salute, sanitemne eum, qui offenditur, si minus, ne contempseris. Hoc enim fit generale decretum, & regula docens, quando oporteat cõtemnere eos, qui offenduntur, & quando non. Quemadmodum, v.g. offendebantur Iudæi, quod Paulus legem non seruaret, & propterea multa millia resiliebant, & in fide claudicabant. Quid ergo fecit? Volens mederi offensioni (maior enim erat salus tot millium) tunc prohibuit offendere, quod legem non seruaret. Rursus offendebantur, quod crucifixum prædicabat. Hic contempsit eos, qui offendebantur maius enim erat lucrum prædicationis.* Ita pensandum, ponderandúmque est lucrum, quod potest nasci, vel ex ablatione materiæ offensionis, siue scandali; vel ex contemptu scandali per exercitum alicuius operis pietatis, & semper eligendum est lucrum maius. Vbi cauenda maximè est aliquorum prælatorum imprudentia, qui vt custodiant integram parui momenti obseruantiam, vel vt eius defectum castigent, non dubitant virga ferrea subditos in mortem præcipitare. Et dum quærunt subditorum bonum spirituale aliquale, non verentur occasionem præbere incurrendi millia mala lethalia. De his alibi.

4.Cor.8.

Chrysost.

Text. Et respondens ad illos dixit: Cuius vestrûm asinus, aut bos in puteum cadet. Et non poterant ad hæc respondere illi.

§. IX.

Ebrietatis malum quantum, & quàm insanabile.

NOtantet Dominus Iesus hominem hydropicum pecori decidenti in puteum comparauit, vt bene meditatus est Diuus Augustin. in Catena: ex illa enim similitudine apte explicatur, quantum sit gulæ malum, & quam insanabile. Non ne casus in puteum dicit vtrumque, nimirum & magnitudinem vulneris, & difficultatem, vt possit lapsus ad sanitatem reuocari? Igitur gulæ malum magnum est, quod solet excipere tantus casus. Exodi 32. *Comedebant, & bibebant, & surrexerunt ludere.* Vbi Diuus Hieronym. lib. 2. in Iouinianum ait, *Tot dierum labor vnius horæ saturitate perit.* Nec miror, quod gulosus sic cadat, cum ex eo quod gulæ seruit, impulsibus dæmonum patet. Iob 1. *Filys tuis, & filiabus vescentibus, & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti repente ventus irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt.* Mirabar, quod tanti viri filij, tot ipsi virtutibus ornati, tot Dei gratiis muniti potuerint à furente dæmone sic expelli. Nónne nobiles, & præstantes adolescentes, vndique vallati erant virtutum munimine; vnde dæmonis furor potuit illos in casum impellere? Insinuant id præfata verba, dum aiunt, *Filys tuis, & filiabus vescentibus, & bibentibus vinum.* Inter pocula non potest quis non patere dæmonibus impellentibus. Præclarè Origenes in Catena Græca ait, *Si precautos eos diabolus inuenisset, nihil contra eos efficere potuisset. Verum cum ei fuit oblata occasio, tunc demum potuit, sed quale tempus fuit opportunum, qualis ve opportunitas? Potus erat.* Heu quam fallitur quisquis gulæ inseruit, si a dæmonum impulsibus cupit liberum esse. Quæ comessatio modestior, quæ compotatio temperatior, quam fuit illa filiorum Iob, cuius exteriora omnia sic erant composita, vt sanctissimus pater solum, siquid lateret criminis in corde, vereretur, pro quo hostias Domino offerebat? Et nihilominus, quia comessatio, & compotatio erat, statim illos patere fecit impulsibus dæmonum. Quem inde gula in turpitudinem non impellat? His adde Noëmum sanctissimum virum, cuius inuoluntaria turpitudo decantatissima est apud omnes. De illo eleganter S. Ephrem de virginit. sic loquitur, *Iustus igitur hic Noe, qui inundationes aquarum tempore vniuersalis diluuij vicerat, à modico vino victus est dormiens. Aquæ infinitæ non potuerunt vincere ipsum: vinum autem vile inter dormiendum virum iustum nudauit.* Sic potuit incauta gula, & inuoluntaria impellere; immò deiicere virum sanctum. Quæ dum meminero, non erit abs re, quod cauere moneam religiosos viros, qui furtiue comessationibus vacant: timere enim debent, ne inde grauibus diaboli impulsibus pateant, quibus in maiora præcipitia deiiciantur. Ad hos aiebat Cellensis Abb. lib. 3. epist. 1. *Sanctitatis opprobrium, religionis abominatio est, non quidem carnes edere, sed cum sanguine inobedientia. Vnde à sanguine, & suffocato iubet lex abstinere. A suffocato non abstinent, qui furtim sedere non timent.* Nec mirum, quod à furtiuis comessationibus sanctitatis opprobrium, & religionis abominatio, & ruina nascantur, cum filiorum Iobi mensa, & Noëmi calix tales peperit casus. Nec solum in gula spectanda est magnitudo casus, sed & difficultas sanandi, non absimilis ei, qui in profundum puteum cadit, à quo se minimè potest reuocare. Sanè inde gulæ malum pensabat in impiis Deut. 32. aiens, *Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.* Ad quæ verba D. Ambros. lib. de Elia, cap. 14. ait, *Et pulchre additur, insanabile. Multi enim reliquorum serpentino veneno curantur, nemo ebrietate.* Raro videbis illum, qui gulæ indulget, ab illo morbo posse reuocari. Id quod Ierem. fatur, cap 25. *Bibite, & inebriamini, & vomite, & cadite, neque surgetis.* Seu vt explicatius in rem nostram transfert, & adducit Ambros. supra cap. 16. *Bibite, & inebriamini, & vomite, & cadetis, & non surgetis.* Sic pecuinum hominem impellit gula in puteum, à quo non se possit reuocare. Inde Isai. cap. 5. *Væ, qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum, vsque ad vesperam.* Quasi hoc sit proprium comessationum, quæ nesciant finem habere, sed qui a primis annis sese illis tradidit, non aliter desistet nisi moriatur: morte enim ipsa præsente clamabit Isai. 22. *Comedamus, & bibamus, cras enim moriemur.* Immò iam mortui, & sepulti in inferno vnina refrigerium gulæ postulabit, vt epulo ille Lucæ 16. postulabat.

August. Exod. 32. Hieron. Iob 1. Origen. Ephrem. Cellens. Deut. 32. Ambros. Ierem. 25. Ambros. Isai. 5. Isai. 22. Luc. 16.

Barr. t. Euang. Tom. 3 1.

LIBER VNDECIMVS, DE POTV, ET VICTV, ET ALIIS IESV FACINORIBVS.

FINIO Christi Domini miracula, dum vinum memoro, quo nuptias lætificauit, panésque, & pisces, quibus semel, & bis tantum hominum multitudinem saturauit. Vbi melius epularum refectio, quàm in fine facinorum? Et ne quid desit ad magnifici Imperatoris nostri commendationem, post mensas populis exhibitas, ponuntur varia alia miracula; ambulationes super aquas, capturæ piscium, & alia, quæ conuiuas delectent, & in Auctoris reuerentiam trahant.

CAPVT I.

De aqua in vinum conuersa.

VIRGINITATIS præco Iesu nuptiis interesse dignatus virtutis suæ documenta patefecit, vbi conuiua præcipuus diuinam referans potestatem, non pasci visus est, sed pascere. Defuerant namque vina solemnibus: terrenúsque abscesserat potus, vt cœlestis intraret. Conuertit Christus ad matris precem latices in vini substantiam; amiserunt aquæ, quod natæ sunt, vndaque nobilior facta, quam genita, colorem mutauit, pariter & nomen. Cunctis denique mustum dulce rudebat in poculis, ac per omnia iucunda mensarum, captos suauitate conuiuas haustus fluminei nectaris ebriabant. Stupebant fontium ministri sex hydrias, quas aquis impleuerant vino redundante fuscatas, subitóque Christi tota feruisse vindemia, quippe qui vitis aderat virtutis colona sub æthere frondis vmbraculo nutriens racemos spiritualis pampini semper amœnitate victuros.

Ioann.2. Nuptiæ factæ sunt in Cana Galileæ, & erat mater Iesu ibi. Vocatus est autem & Iesus, & discipuli eius ad nuptias.

§. I.

Castitas coniugia fœcundat ad filiorum procreationem.

FElices coniuges, quorum in nuptiis locum habent castissimæ virginitatis duces, Iesus, & Maria. O quam multa parantur filiorum examina, vbi Iessæi flores præsentia sua infundunt nectara pudicitiæ. Quid ad nuptias Iesus, & Maria? Quid virginitatis satores ad liberorum officinam? Multum per omne modum: quos aufert passim lascmia, hos
Cant.7. præstat filios castitas pudica. Bene laudabat ille Cant.7. *Venter tuus aceruus tritici vallatus lilys.* Vbi enim circumflorent lilia pudicitiæ, tot numerantur filij, quot in areis ditissimis grana tritici. Cur ventris aluear floribus circumdatum non emittat filiorum examina? Sanè quisquis examina filiorum
Deut.34. capit, addat pudicitiæ flores, fuget libidinum fumum. Deut. 34. moritur Moyses dux ille populi augẽdi, sicut stellæ cœli, & arena, quæ est in littore maris, & vbi putas fuisse sepultum? *Sepeliuit eum Dominus in valle terræ Moab contra domum Phegor.* Erat Phegor idolum Priapi, & rectè contra impudicitiæ idolum sistitur dux populi, qui multiplicandus erat filiorum examinibus. Quò spectabat D. Hieron. lib. 1. in *Hieron.*
Iouinianum, inquiens. *Quia apud Iudæos gloria erat in partubus, & in parturitionibus, & maledicta sterilis, quæ non habebat semen in Israel, idcirco sepulcrum eius positum in valle describitur contra domum idoli, quod propriè libidini consecratur.* Nullo medicamine melius sterilitas depellitur, quam si bellũ inferas impudicitiæ, & libidinum flammis; quo populos in luxuriam plus armas, eò pluribus filiorum examinibus paras aditum. Exod. c. 1. dicunt, *Non sunt Hebrææ, sicut Ægyptiæ mulieres, ipsæ* *Exod.1.*
enim obstetricandi habent scientiam, & priusquam veniamus ad eas, pariunt. Et vnde fœminæ Hebræorum præ cæteris fœminis habebant & feliciores, & faciliores partus, nisi quia apud Hebræos maior vigebat castitas, & longius libidinum turpitudo aberat? Quod notans Lyppom. in Cat. ait, *Hebræo-* *Lyppom.*
rum fœminæ, sicut castiores erant, sic & in partu fortunatiores, Domino promouente opus suum in fidelibus: Viuidiores, hoc est, fœcundiores esse dicuntur, quia à maritis suis religiosius amatæ, & tractatæ castius. Comes est castitatis, & temperantiæ fœcunditas, ne mireris tot familias nobilium, immò & principum in nostra Hispania sterilescere, facit hoc effrænis voluptatum intemperantia, seu rabies, quæ in huius generis viris grassatur. Abscedat lues hæc à nobilium penetralibus, & felicibus replebuntur familiæ partubus. Diuinissimi præcursoris hic erat ad Regem Herodem clamor, & Matth. 14. *Matth.14.*
Non licet tibi habere vxorem fratris tui. Cur adeo præcursor Christi in regiam libidinem scandit? Nónne tunc erat Iudæorum in Iesum durities, & perniciosior, & reprehensione dignior, cur hæc omissa regiam insequitur voluptatem? Equidem quem imbiberat zelum in vtero matris aduersus impedimenta, & retardationes partuum, non potest non exerere, vbicumque se tulerit occasio. Dum in vtero esset matris, Iesu gratia præuentus, & illustratus nouit Iesum verum Saluatorem mundi similiter in vtero Mariæ existentem, quo ita Ioannes affectus est, vt exultaret in vtero, hoc est, iuxta D. Chrysost. mentem saltibus, & calcibus natu- *Chrysost.*
ram concuteret, vt felicem partum properaret, moleste ferens quamlibet tarditatem, & impedimenta partuum. Vnde innatus illi est zelus aduersus partus impedimenta, & cum inter præcipua impedimenta numeretur lasciua intemperantia, in illam acriter inuehit insectans adulteros regis thalamos. Huc reuoco D. Basil. Seleuc. orat. 18. expen- *Basil.Sel.*
dentem illud: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Sic loquitur Ioannes. *Et linguam vibrabat, vt olim in vtero saltum edebat: tunc in parturitionem naturam impellebat, & ante parturitionem parturitionis accusabat lentitudinem; & nunc adulterantem accusat naturam, vocémque tacit temperantiæ fulgure coruscantem.* Idem petebant Ioannis in vtero saltus, & in Herodem voces: sicut tunc in vtero, sic modo diuinus præcursor afficiebatur. Sicut ibi impedimenta partuum, sic modo regia adulteria insequitur, pro eodem reputans adulteras voluptates, & parturitionis impedimenta. Et meritò idem telum iacitur aduersus regias libidines, quod aduersus partuum impedimenta: vna enim est libido, quæ regum principúmque familias partubus orbat, populatur.

§. II.

Matrimonium confert saluti.

NOn abest à nuptiis carnis opus; prope luxuriæ incendia nuptiæ constituuntur, & tamen in illis Iesus, salus

salus in illis. Miraris? Accipe Loth de Sodomis fugientem, qui vbi omnia sulphuriis incendiis consumi sensit,
Gen.49. sic ait ad Dominum, Genes.49. *Est ciuitas hic iuxta, ad quam possum fugere, parua, & saluabor in ea.* In parua ciuitate iuxta Sodomam sita, prope flammantes agros posita, sperat vir bonus inuenire salutem. In quo eleganter nuptiarum suf-
D.Greg. fugium noscit D.Gregor. in Pastorali 3.part.capit.18. sic ibi. *Iuxta igitur dicitur, & tamen ad salutem tuta perhibetur, quia coniugalis vita, nec mundo longe diuisa est, nec tamen a gaudio salutis aliena.* Fateor iuxta eructantes igneum, & sulphur vrbes positum esse matrimonij asylum, sed tamen matrimonium asylum est, quo cauentur pericula, & salus inue-
Abac.3. nitur. Abacuc, cap.3. *Qui ascendis super equos tuos, & quadrigæ tuæ saluatio.* Siue, vt Septuag. loquuntur, *vt equitatio tua salus.* Vbi audiuntur quadrigæ, statim matrimonij iuga apparent. Sed vbi partitur Dominus iugum Christianum; hinc iugum continentium, illinc iugum coniugatorum; sub continentium iugo, & virginitas est, & vidualis castitas: sub matrimonij iugo duo item adsunt in vna carne, & hinc duæ bigæ coniugatorum, & continentium quadrigam perfectam faciunt, in qua venit mundo salus. Id notans
D.Hier. D.Hieronym. epist. ad Pamachium socrus illius familiam sic extollit, *In tribus mulieribus sanguine, & virtute coniunctis: tria Christi præmia recognosco. Eustochium virginitatis flores metit. Paula laboriosam viduitatis aream terit. Paulina castum matrimonij cubile seruat. Et vt quadrigam domus vna emitteret sanctitatis, & fœminarum virtutibus responderent viri; additur comes Pamachius, cognatus, gener, maritus, imò frater. Huic quadrigæ Iesus præsidet: de his equis, & Abacuc canit. Ascende super equos tuos, & equitatio tua salus.* Quis audeat coniugium informare, quando coniugium bigæ triumphali salutis quadrigæ aptantur? Qui nuptiis operam nauant, abdubium est, quin subeant iugum graue, sed iugum, quo Saluatoris quadriga componitur; cui Iesus præsidet, & super quod ipsa commoratur salus. Et cum audis in quadriga Saluatoris esse coniugatorum iugum, hinc elicere debes, quàm sibi mutui coniuges indulgere debent, &
Idem. condescendere. Quippe illos inde monebat Hieronym. ad Lætam, aiens, *Qui sub iugo est, ita debet currere, ne in luto comitem derelinquat.* Tunc enim feliciter coniux currit, cum condescendit comparis infirmitati. Non est coniugium virginitati comparandum, fateor, longè inferiorem gradum attigit, sed nihilominus, simul cum virginibus ad sa-
Marc.8. lutem coniuges seruantur. Inde Marc.cap.8. de salutis verbo, seu semento dicitur, *Aliud cecidit in terram bonam, & dabat fructum ascendentem, & crescentem, & afferebat vnum triginta, vnum sexaginta, & vnum centum.* Tres ordines fru-
Cæs. Ar. ctuum constituuntur. D.Cæsarius Arelat. homil.19. fatur. *Tres enim professiones sunt in sancta Ecclesia Catholica. Sunt virgines, sunt viduæ, sunt etiam coniugatæ. Virgines exhibent centesimum, viduæ sexagesimum, coniugatæ vero trigesimum. Alius quidem habet amplius, alius quidem habet minus, sed omnia in cœlesti horreo reconduntur, & æterna beatitudine feliciter perfruuntur.* Non solum præstantissimæ virgines, sed & coniuges seruantur in vitam. Immò ideò matrimonium etiam datur, vt infirmi plenam inueniant viam, qua in salutem
1. ad Cor. 7. abeant. Ita D.Paul. 1. ad Corinth.cap.7. *Ad vitandas fornicationes quisque vxorem suam habeat.* Quocirca Chrysost. ho-
Chrysost. mil. *Quales vxores sint ducendæ,* fatur, *Non dixit, vt euitetur paupertas, & parentur diuitiæ, sed quid? Vt fornicationem euitemus, vt moderemur concupiscentiam, vt viuamus sobrie, vt Deo placeamus contenti vxore propria; hoc nobis affert coniugium; hic eius fructus, hoc inde lucrum est.*

§. III.

Vna sola virgo omnes fidelium nuptias valet illustrare.

ET nuptiæ erant, & purissima virgo Maria ibi, & Iesus ibi. Cur nuptiæ Iesu non placeant, inter cuius castra tanta virgo inuenitur? Sanè inde solum vniuersæ fidelium nuptiæ sacrantur, illustrantur, quod ex illis, vel vna sola
D.Prosp. virgo clareat. Sapienter dicebat D.Prosper epistol. ad Demetriadem. Valde mirabile est, & inter præcipua diuinæ gratiæ exempla numerandum, quod virgo Anitia super omnes euecta beatæ nobilitatis fastigium trahens, de cuius fœcunditate auis, atque atauis responsura posteritas, & familiæ votis expectabatur & patriæ, conuerso repente animo, desiderio cœlestium nuptiarum, declinasti mortale coniugium, *& vt omnem prosapiam tuam, etiam huius v[illegible] consecrares, primam stirpis tuæ perpetuam, & virginem filio virginis spopondisti.* Expende illud, *vt omnem prosapiam tuam consecrares.* Quippe tanta est virginitas, quod largissimam coniugiorum seriem, & prosapiam vna sola virgo valeat consecrare, & illustrare. Fallor, nisi huc respiciebat etiam Paulus 1. ad Corinth.15. vbi cœlestis Ierusalem 1.Cor.15.
gloriam, splendoremque meditatus, ait: *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum.* Sunt equidem in Dei regno stellæ, est & Luna, est & Sol: stellæ multæ sunt, cuius incredibili multitudini comparantur Abrahamides, sed Sol vnus est; vnus tamen cum sit, & stellarum multitudinem, & omnia alia illustrat, nouáque, & splendenti vestit claritate. Sic in Dei regno tres sunt gloriæ gradus, nimirum, stellarum, Lunæ, & Solis. Sed gloriosus Solis gradus, etsi minor numero, etsi singularis videatur, tantus tamen est, qui cæteros omnes noua repleat illustratione, & claritate. Et quis est tantus gloriæ gradus? Crediderim gradum esse virginitatis, quando è virginibus Christi vna sola immensam coniugiorum seriem, vt Sol stellas, valet decorare. Accinit D.Isidorus Pelus. lib.3. epist.351. fatus, D.Isidor.
Soli enim eos, qui virginitatem amplexi sunt; Lunæ autem eos, qui continentiam; ac denique stellis eos, qui honorabile coniugium amplexi sunt, atque consectarunt, comparare licet, maximè cum D.Paulus calculum suum addat, & dicat: Alia gloria Solis, alia gloria Lunæ, alia gloria stellarum. Sic vna è virginibus Christi, instar Solis stellas illustrantis integram fidelium coniugatorum multitudinem decorat, sacrat. Quò etiam refero illud 2. ad Corinth.11. nimirum, *Despondi enim vos vni viro* 2.Cor.11.
virginem castam exhibere Christo. Quibus verbis loquitur Paulus non ad vnum, vel alium, sed ad vniuersam multitudinem popularium, & continentium, & coniugatorum, vt notat Chrysostomus, quos omnes virginitatis candore decorandos ait, vt Christi oculis placeant. Sed mirum, quod illos non virgines exhibet, sed virginem, quia sanè vel vna virgo sufficit ad coniugatorum turbas huius virtutis titulo consecrandas, decoranda. Propterea, dum de coniugatorum felicitate agit, etiam Paulus, 1. ad Timoth. 1.Tim.2.
cap.2. sic de vxorata fœmina loquitur, *Saluabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione, cum omni sobrietate.* D.Anselm. ex Hiero- Hieron.
nym. putat legendum: *cum omni castitate.* quasi tota spes, & splendor matrum consistat in eo, quod virgines Deo pariant. Sic enim ait: *Vbi ergo nuptiæ videbantur prædicari ad conferendam salutem; ibi prædicatur virginitas. Tunc enim saluabitur mulier, si eos filios genuerit, qui virgines sint.* Sic virginitas nouit totam familiam illustrare, & sanctificare.

§. IV.

Maria Virgo non sufficienter honorata esset sine Iesu filio, nec Iesus sine Maria matre.

ECce tibi plenum Mariæ decus, nimirum, quod & sit, & dicatur Iesu mater: dum enim tantæ excellentiæ virtutum non dabatur Iesus filius, aliquid illi debebatur: quod etiam deberetur Iesu, nisi illi concederetur hæc mater. Parua essent proculdubio omnia dona in Mariam profecta, nisi & illi daretur, quod Iesum filium habeat, illiusque sit perfectissima causa. Quod desumo ex non multum absimili argumento, quo Nazienzen. probat Patrem diuinum debere esse principium diuinitatis in filio existentis, ne eius principatus paruus, indignus, & mutilus habeatur. Do verba Nazianzeni, in quibus admoneo, ne mouearis, quod vocet Patrem diuinum causam filij; frequentissimum enim est apud Græcos nomine causæ, non aliud in diuinis significare, quam nos latini nomine principij significamus. Igitur orat. de statu Episcop. sic ait. *Neque ita Christi amatores sumus, vt non hoc obseruemus, quod sit filius. Cuius autem filius erit, si non ad causam referunt patrem? Neque patri principatus, hoc est, principij referat dignitatem tanquam patri, & genitori? Paruus enim, & indignus esset principatus, si non diuinitatis causa existeret, quæ in filio, & spiritu contemplatione deprehenditur.* Petebat equidem Patris excellentia infinita ne quid indignum, & mutilum haberet, principium esse diuinitatis in filio, & spiritu existentis. Et cum Maria sit prima post Deum excellentia omnium suprema, & præstantissima, ne quid paruum, & indignum, & mutilum pateretur, petebat similiter matrem esse, & fontem excellentiæ in Iesu existentis. Vnde non bene amant Iesum, qui non obseruant, quod sit filius Mariæ, & quod sit Mater eius. Memini etiam alia verba Nazianzeni, quibus, & Basilij, & eius parentum excellentias memorat, quæ Mariæ, & Iesu pulcherrimè

conueniunt. Etenim ait oration. in Basil. *Si necesse fuisset, vt omnino mas gereretur natura & is, quem nunc laudamus, hominibus daretur: nequaquam conuenisset, vt ex aliis potius, quam talibus nasceretur parentibus, nec vt hi ab alio magis, quam hoc parentes nominarentur.* Et quidem certius dixissem, quod tanta est Mariæ excellentia, & virtus, quod plurimum conuenisset cum partu Iesu esse, & Iesum illa vna matre gaudere. Origen. Quo spectat Orig. hom. 1. in diuers. ponderans Matthæi verba, cap. 1. *Cum esset desponsata mater eius Maria.* Vbi sic loquitur: *Vnigeniti Dei dicitur hæc mater Virgo Maria, digna digni, immaculata sancti immaculati, vna vnius, vnica vnici. Neque enim aliter vnigenitus super terram venit, aut alia virgo vnigenitum genuit.* Decuit igitur maxime, quod vnicæ creaturarum excellentiæ daretur ille filius, qui solus vnigenitus est Patris, & quod is, qui vnigenitus est Patris, haberet matrem perfectionum vnicam.

§. V.

Nemo citius à morte, quam à Christo præuenitur, nec infans, qui in vtero decedit matris.

Est ne ita velox malum in corripiendis hominibus, quod non à Christo præuentum fuerit, immò sæpè sæpius supplantatum? Præteriens Iesus iuxta Ioan. c. 9. vidit hominem cæcum à natiuitate, quod expendens S. Basil. Seleuciæ Episcopus orat. 21. ait: *Vitium natiuitatem non expectauit, sed mixtum anticipauit nova.* Basil. Sel. Equidem summa hæc vitij velocitas est, quando ante nixum, ante natiuitatem iam inuadit infantem. Sic mors festinat quandoque, vt in primo vitali halitu, venenum infundat, & vterum conuertat in sepulchrum. Tamen festinior Christus, qui nixum anticipat, & pueri conceptionem, ipsis nuptiis insertor, vt parentum animis remedia suggerat, quibus præueniri in vtero possint infanticidia. Cyrill. Huc respexit S. Cyrill. Ioan. 2. cum ideo Iesum Cana nuptiis interfuisse dicit. *Oportebat enim, quoniam totam naturam hominis ad melius restaurabat, non solum natis iam hominibus benedicere, verùm etiam nascituris gratiam præparare.* Ante nixum, ante natiuitatem malos omnes incursus præuenit gratia Christi, quando nascituris infantibus ipsas præparatur inter nuptias. Equidem Dei gratia omnia præuenit mala, & noxia præcauet nascituris antequam nascantur in parentibus, ea præparans remedia, quæ Iudic. 13. sufficerent filiorum perditioni occludere aditum. Iudicum 13. Manue vxorem sic alloquebatur Angelus. *Concipies & paries filium. Caue ergo, ne bibas vinum, ac siceram, nec immundum quicquam comedas.* Cur his instruitur fœmina ab Angelo? Sanè quod Deus Optim. Maxim. tacitis impulsibus facit in parentibus pro bono filiorum, id aliquando ostendit externis miraculis, vt inde colligamus, quam vincantur in diligentia omnes incursus mali à diuina gratia. Nulli enim dubium est, quin prauæ affectiones, & indispositiones parentum, quando copulantur, causas darent morbis conceptorum infantium. Deus igitur, qui omnia nouit, nunquam pro suis non vigilat, non maturat gratiam, suggerens parentibus, quod bonum, & vtile esset filiis nascituris, siue in moralibus, siue in physicis, ne vnquam medica Dei manus non inueniatur præuenisse mala, quamtumuis immature fœtus abripiantur. Quas Dei tacitas Nyssen. vigilias, siue excubias pro suis agnouit D. Gregor. Nyssen. orat. de his qui præmature abripiuntur, fatus: *Sæpe numero vita eorum, qui bene vixerint, iam his, qui ex ipsis nati sunt, causa melioris conditionis est. Atque sexcenta horum ex diuina scriptura testimonia sunt, quibus aperte docemur eius curæ, beneficijsque quod digni à Deo consequuntur, etiam ex ipsis progenitus vna parti spes esse.* Itaque eadem peculiaris Dei cura, qua parentes à Deo instruuntur, gubernantur, promouentur, nascituros attingit filios. Insertitur namque sæpe numero diuinos halitus nuptialibus otiis, siue negotiis, suggerens parentibus vel abstinentiam, vel cibum, vel continentiam, vel copulam, prout nouit conuenire posse filiis nascituris. Hoc qui videt, & certo nouit ex scriptura, cur non putet semper à Deo fieri, vt nullus sit parens, nulla mater, cui Deus non suggerat id per quod, si fieret, filius minimè in perditionem veniret. Sanè nullus ita propere abripitur à malo, nec infans in vtero, circa quem non prius fuerit Christi Domini particularis cura, & benefica eius manus extiterit. Hinc ad perditissimos Iudæos loquitur Ioannes Matth. 3. Iesu præcursor Matth. 3. *Progenies viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ, & ne cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham,* &c.

Expende quod vocantur progenies viperarum; vt eorum antelucana, & innata ostendatur malitia, quos sic perditionis virus infecit, vt a conceptu ipso appareant perditionis filij geniti à viperis. Sed nihilominus insinuat, aliquod etiam habuisse salutis initium, quo ad Abrahamidum genus pertinuissent. Quomodo ergo, qui a vipera nati sunt, viperinóque ab ipso exortu infecti veneno aliud potuerunt habere salutis initium? Sanè non tantum manicauit noxa, quantum gratia: conceptos potuit sibi rapere culpa, & viperæ virus: verum benefica Dei manus longè prius in causis, in parentum nuptiis sic se ostenderat munificus, vt nullus esset filius qui non posset citius ad Abrahamides pertinere, quam ad viperas. Bene Chrysolog. serm. 137. *Progenies viperarum, quia quos Deus creauerat homines, fecerat filios Abrahæ; malitia peperit, & conuertit in viperas.* Chrysol. Numquam non prior diuina beneficentia, semper noxa, semper perditio inuenit non solum homines, sed & Abrahæ filios, hoc est, illi radici adnatos, a qua possent imbibere salutem.

Text. Et deficiente vino dicit mater Iesu ad eum: Vinum non habent.

§. VI.

In nuptiis vix est alius, quam carnalis amor, nimirum, zelotypia.

Vides vini defectum prius apud fœminas præsentiri, inter quas erat Iesu mater. Quare sum a sententia D. Gaudent. Gaudentij, qui per hunc defectum vini intelligit defectum lætitiæ spiritualis nuptialibus congressibus familiarem. Et sanè prius apud fœminas hic defectus sentitur, quia in fœminis primo deficit quidquid ad spiritualem lætitiam amoremque pertinet. Solus apud illas inueniri solet amor carnalis, & zelotes. Sic Iudicum cap. 5. dum Sisara moras Iudic. 5. nimis longas in prælio faceret. *Vlulabat mater eius, & de cænaculo loquebatur. Cur moratur regredi currus eius; quare tardauerunt pedes quadrigarum illius? Vna sapientior cæteris vxoribus eius hæc socrui verba respondit: Forsitan nunc diuidit spolia, & pulcherrima feminarum eligitur ei.* Expende ad quam diuersas res spectent, & mater, & vxores Sisaræ in eius mora. Mater nihil aliud meminit quam pericula, quam discrimina, de filio vehementer solicita: at vxores nihil pericula viri curant: nulla sciunt discrimina metuere, id animo voluunt in mora eius, si pulcherrimam aliquam aliam puellam inuenerit, cuius detineatur gratia. Hoc solum suspicantur, de hoc solum solicitæ sunt, nihil aliud timent, vtpote in quibus verus deficiat, & solus zelotes, & carnalis amor sit. Quod acutè notauit Abul. quæst. 10. in- Abul. quiens. *Magis solicitæ erant vxores Sisaræ, an sumeret aliquam puellam speciosam, quam circa vitam eius. Mater autem Sisaræ diligebat eum, & ideo de sola vita, & persona solicita erat.* Siccine sunt quam plurimæ vxores, apud quas veri amoris, & gaudij defectus frequentissimus est, & carnalis, & zelotypus amor illis familiarissimus. De illis dicebat ex Philone D. Anton. in Melissa part. 2. serm. 3. *Sui amans est mulier & zelotypa immoderate.* Anton. Alius verus amor lætitiæ spiritualis auctor defecit sæpe: hic carnalis, & zelotypus turbationis, & inquietudinis causa nuptiis familiarior. De Rachelẽ dicitur Genes. 30. *Cernens autem Rachel, quod infœcunda esset, inuidet sorori suæ, & ait marito suo: Da mihi liberos, alioquin moriar.* Genes. 30. Putares ob viri amorem sic expetere filios, & quidem hoc honestum esset, sed non tantus amor in fœminis solet inueniri, qui se solas amare nouerunt. Sanè Iacob ardentissimè diligebat Rachelem, adeò vt præ amore illius parui duceret Liæ fœcunditatem, eiusque liberos, hoc solum curabat, vt sua Rachel viueret. E contra autem, Rachel virum pro liberis molestabat, illumque dolore afficiebat dicens. *Da mihi liberos, alioquin moriar.* Quæ ista solicitudo est Rachelis pro liberis? An erat mariti sui amor? Minimè: sed carnalis amor sui, sed zelotypia, quæ frequentior est in fœminis nuptiis. Chrysost. hom. 56. in Chrysost. Genes. *Graue malum est zelotypia: videbat viri erga sororem amorem, & putabat ea de causa illam tot filios habuisse, vnde ait: Da mihi filios.* Non coniugis, non filiorum amor, sed zelotypia erat, non solicitudo de filiis habendis ex dilecto viro, sed zelotypa cura, an magis amaretur Lia. Hæc cura crebrior in fœminis, amoris autem veri defectus familiarissimus.

§. VII.

§. VII.

Gratior Iesus inuenitur inter inopiam, quàm inter superfluam copiam.

HIs mensis lubens accubat Iesus, quas inopia commendat, quia ab illo terreno Adamo, inter superfluentes delitiarum hortos elapso, superabundantia mansit cœlesti Adamo suspecta, & inuisa. Id perspicuum erat tentatori, qui filij Dei claram cupiens habere notitiam, aiebat. *Dic vt lapides isti panes fiant.* Sanè famelico vni sufficeret si vel vnicum panem porrigeret, verum is vt filium Dei tangat, superfluam copiam suggerens, non panem, sed panes voluit præsentare. Pulchrè Theoph. *Non dixit, vt lapis iste panis fiat, sed lapides; volens Christum ad superflua instigare. Esurienti enim vnus panis sufficit, & propterea eum Christus non audit.* Ex hoc Iesus tentatoris etiam depellit consilia, quia ad superflua instigabat; vt scias, quod vel ex hoc capite accidit mensa odiosa Christo, quòd superflua proponit ad cibum. Non adeò infensus, & odiosus Dei filio extitisset, si famelico vnum panem meminisset, sed quia plures memorat, ideò citius patitur repulsam. Non enim sic copia, vt inopia Deum tradit. Cant. 5. Dei amatrix dum exit quærere Deum, inuenit custodes ciuitatis; custodes inquam, nimirum, Angelos datos in custodiam hominum, & ciuitatum. Quid illi? *Tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.* Quæ est ista Angelorum custodia, quæ eripit pallia? Custos potius seruare debebat, & defendere; cur isti vocantur custodes dum post vulnera tollunt & pallium? Equidem nouerant nobiles custodes diuinæ amatricis desiderium, & vota, quæ festinat Deum inuenire, & ad se trahere; quærebat tamen illum diuite ornatu composita, pallio in terram vsque defluente ornata, nec inueniebat, ideo tollunt pallium, vt inopi, & nudæ citius possint Dei copiam facere. Quo spectans D. Ambros. lib. 3. de virg. ait. *Bene tollitur ei pallium, quæ ad Christum propinquat.* Quippe quo nudior, & egentior, eo citius sibi Deum propinquum faciet: qui inopiæ potius, quam copiæ gratior assistit. Genes. 21. malè audiebat apud Abrahamum Sara, quod Ismaëlis exilium peteret, tunc Dominus ad Abraham fatur. *Omnia, quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius, quia in Isaac vocabitur tibi semen. Sed & filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia semen tuum est. Surrexit itaque Abraham mane, & tollens panem, & vtrem aquæ imposuit scapulæ eius, tradiditque puerum, & dimisit eam.* Miraberis, quod tam vili, & paupere viatico Abrahamus & coniugem, & filium à se dimittat. Vbi paternus amor? Vbi tanti viri in extraneos liberalitas? Peregrinos, mensa diuite, & plena excipit; coniugem, & filium pane tantum, & aqua oblato dimittit. De dimittendo filio præceptum acceperat, de viatico nullum præceptũ habuit; cur ergo ita nudum, & pauperem dimittit? Non crudelitas patris hoc faciebat, sed amor, sed fides; vbi enim promissionẽ accepit, quod Deus eiectũ filium suscepturus erat, statim credit, eo citius Ismaeli astiturum Deum, quo is pauperiori, & viliori inuentus fuerit viatico. Do Lyppomanum in Cat. fantem. *Quanta ante Abraham ancillæ in exilium destinandæ pauciora dedit, tanto fidei ardorem maiorem expressit. Nec tentauit Dominum, sed fidem maximam in eo habuit, quod euentum esset moderaturus.* Non credit Abraham posse fieri, quod Deus tardet ad egentem aduolare: immò, quot indigentiæ indicia, tot credit esse illices, quibus Deus ad subueniendum trahatur.

Theoph.

Can. 5.

Ambrof.

Gen. 21.

Lyppo.

§. VIII.

Nuptiales voluptates quando non sequitur tribulatio?

ESt inter nuptialia gaudia vini defectus, instat nuptorum limini egestatis labor; & quando labor, & pœna non premit nuptias, non premit hominum gaudia? Equidem omnes mundiales voluptates pœnarum, & dolorum semina habent. Paulus 1. ad Corint. 7. id enuntiat: si autem acceperis vxorem, non peccasti. *Etsi nupserit virgo, non peccauit, tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi.* Potest esse coniugium sine reatu, sed non potest esse sine tribulatione, sine carnis dolore, & pœna. Pro quo D. Paulinus epist. 39. ait. *Nunquam in carnalibus affectionibus ita quiescit animus, vt cruciatu careat; dum necessitudines suas, aut bonas amat cum amittendi metu, aut malas odit cum amittendi voto, in vtroque miserijs sustinendis semper obnoxius.* Stultus est, qui nuptiarum gaudia quærit, vt fugiat labores, vt se se immunem seruet à tribulationibus: quando & nuptiæ, & vniuersæ mundiales voluptates, & dolorum, & tribulationum sint præsentissimum seminarium. Ezechielis cap. 1. mira electri species profertur, quæ referret hominis conditionem, hanc curiosè notans propheta ait. *A lumbis eius vsque deorsum vidi quasi speciem ignis*, & merito vbi nuptialia gaudia sunt, ignis apponitur; nunquam enim non sequitur tribulatio nuptias, nec gaudiorum negotium à flagello immune aliquando esse potuit. Id ostendit Orig. hom. 7. in Ierem. fatus; *Renes & lumbi igne censentur. Omnia enim, quæ ex voluptate sunt, indigent purgatione, & ipsa purgatio immixta est supplicio.* Hucusque nullæ nuptiæ ab ingenti tribulationum flagello fuerunt omnino liberatæ. Vnde superna ciuitatis gaudia sine vlla malorum admixtione esse, inde confirmat D. Ambros. Psalm. 39. quod ibi non nubent, sed omnes sint sicut Angeli Dei, quasi impossibile esset tribulationes, & metus tolli, nisi tollantur nuptiæ, & gaudia carnalium voluptatum; ait enim ad eum, qui ad cœlestem Ierosolymam festinat, qui supernum paradisum incipit intrare. *Tu iam nullas insidias pertimescas. Et Adam, vt caderet, à serpente deceptus est, & flexus est ab vxore: ideo iam nullæ in paradiso nuptiæ, sed omnes erunt sine celebritatibus nuptiarum sicut Angeli Dei.* Ne metus, ne tribulatio limina posset terere paradisi, ablatæ sunt inde nuptiæ, quas solet comitari dolor, & periculorum, defectuumque metus continuus. Sanè vxorati illud est proprium apud Paul. 1. ad Corinth. 7. *Qui cum vxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est.* Expende illud, *diuisus est*, nempe scissiones patitur, & timulas agit; & quantumuis murus æneus sit, vbi scissuras habet, necessum est vt inde frequentes ingrediantur ruinæ, dolores, tribulationes, anxietates. A quibus in tantum fugitur, in quantum declinantur nuptiarum deliciæ. Prò quo D. Basil. de vera virginitate sic pulchrè extollit prudentissimam Virginem. *Quippe coniugij finem corruptionem, & iniurias esse considerans, ex ipso fine totam nuptiarum tragœdiam prudenti ratione colligit: declinánsque primam tristium causam, manantem quoque ex ea pressuram effugit.* Quid pulchrius? Quando significantius definitæ sunt nuptiæ? Eu quam aptè nuptialis pompæ thalamus tragœdorum theatro comparatur! Tota nuptialis pompa tragœdia est, & prima causa tristium, atque pressurarum scaturigo, vt quam etsi filij deficiant dolores tamen partus nunquam deficiunt. Nuptialibus gaudiis libenter aptarem illud Ecclesiastæ, cap. 2. *Risum reputaui errorem. Gaudio dixi; quid frustra deciperis.* Putat risum errorem, quia vt erranti huc, illúcque deterrent deuiæ latebræ, & præcipitia; sic carnalibus deliciis similes tribulationes imminent. Argute etiam transfert Tigurina dicens. *Ridere statuo esse hominis væsani, & lætitiam nescio. quid parere.* Nunquam enim dolores partus possunt deserere lætitias; illarum fœtus maturus ignoratur, quia vix cernitur bonus deliciarum fructus: verum non ignoratur partus, quandoquidem dolores, & pressuræ manifestissimi sunt socij mundialis lætitiæ.

1. Cor. 7.

Paul.

Ezech. 1.

Origen.

Ambrof.

1. Cor. 7.

Basil.

Eccles. 2.

Tigur.

§. IX.

Deum efficacissimè allicit sola illi proposita nostra indigentia.

NOn multa locuta est Maria, non de serpentis astu rhetorum flumina euomuit, vt filium trahat à flumine, sed simpliciter fatur, *vinum non habet*, quasi idem esset misericordi Deo miseriam detegere, ac flammanti igni pabulum præparatum apponere. Rapit, mihi crede, pietatis fontem, sola per se ipsam, si eius oculis detegatur miseria humana. Adulteram fœminam Christi oculis obiiciunt Pharisæi, Ioann. cap. 8. Accusatores acres accesserant adulterij. Sed vbi propria sua peccata remorari audiunt, diuinissimus iudex incipit illis esse timori, & eius iudicium præcaueri maxime. Quid plura? *Vnus post vnum exibat.* Cur fugitis accusatores rei facti? Quin potius procurate adulteræ absolutionem, vt qui iudicium incurristis illam accusantes, de eius liberatione spem absolutionis capiatis. Sed cum accusant, mulierem adulteram proclamant, & cum non audent damnare, immò cuperent absoluere, illam oculis præsentatam diuinis relinquentes abscedunt. Pulchrum spectaculum, ait D. Ælredus, serm. 2. in Isaiam. *Vnus post vnum exierunt cum sola misericordia solam miseram relinquentes.* Sufficit misero si per se ipsum miserationum pelago

Ioan. 8.

Ælred.

pelago astet. Non multorum suffragia, non rhetorum flumina indiget, sed sufficit, quod indigens anima se se Deo sistat, vt ab illo sibi necessaria consequatur. Quos patronos adhibuit Magdalena? Et erat præsens Simeon, cuius tamen fauorem non curauit. Quæ verba fecit? Et erant illi labia charitatis, quæ demulcerent seuerissimum animum. Et nihil locuta se solum misericordiæ oculis præsentauit, & ingentem retulit gratiam. Nullo equidem eges, si Deo pleno corde sistaris, vt ab eo speres misericordiam, immò, vt petas ab illo maxima. Illa Dei amatrix, Cantic. 1. sic Deo se sistit, & ecce ex abrupto clamat. *Osculetur me osculo oris sui.* Nec nominat sponsum, nec honoris, misericordiæque titulos obtestatur, nec patronos adhibet, & tamen ex eo quod se sistat Deo, ad illúmque sola confugiat, non veretur tam magna postulare. Id quod expendens D. Bernard. serm. 7. in Cant. fatur. Magnum quid à magno petitura, nullo tamen, vt assolet, vtitur blanditiarum fuco: nullis circumuolutionibus ad id, quod desiderat, ambit. *Non facit procemium, non captat beneuolentiam: sed ex abundantia cordis repente prorumpens, nude satis, Osculetur me, ait, osculo oris sui.* Sanè vna sola repræsentatio necessitatis efficacissima est, ad Dei amantis animum expiscandum. Nolo suffragia contemnas, nolo vt verba honoris, maiestatis titulos allectorios parui ducas; sed vt sic immensam Dei bonitatem æstimes: vt putes, quod illam solicitare sufficiat vel simplex amantis postulatio, vel sola egestatis, & indigentiæ repræsentatio. Quos patronos adiciuit mulier illa, Matth. 9. vt ad Iesum accederet? Quos titulos, quæ verborum lenocinia congessit? *Sanè accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti, nihil loquitur, nihil clamat, nihil postulat, tantum vel à tergo Iesu appropinquat, Iesu sistitur, Iesu miseriam suam ostendit.* Quid plura? Iesus conuersus videns eam dixit. *Confide, filia, fides tua te saluam fecit.* Pulchrè D. Ambrosf. lib. 3. de virginib. ait. *Simul vt accessit mulier virtutem sensit, medicinam impetrauit: vt si oculum lumini admoueat, illuminatur antequam sentiat, & operatio lucis præuenit apparatum.* Expende illud vt si oculum lumini admoueas: quippè idem est indigentiam Deo proponere, quod igni pabulum, lumini oculum admouere.

Cant. 1. — *Bernard.* — *Matth. 9.* — *Ambrosf.*

Text. Et dicit ei Iesus: Quid mihi, & tibi est mulier? Nondum venit hora mea.

§. X.

Nullo temporali respectu diuina munera perhibenda, & ostentanda sunt. Vbi contra Principes, qui adeunt deuotas fœminas, vt apud se raptus ostendant.

CVm videris Iesum seueritatis, & quasi reprehensionis verbis vtentem, non putes illum malè erga innocentiam Marianam affectum: solent enim iudices seueros quandoque vultus ostendere, immò mala dare verba his, quorum habent testatam innocentiam, ne quid videantur dedisse naturali affectui; sic Iesum se se austerum Mariæ exhibet, ne in exhibendis diuinis carni, & sanguini videatur acquiescere; & ab alio expectare, nisi à charitate operis imperium. Id quod docebat Dominus Luc. 4. his verbis. *Multi leprosi erant in Israë, sub Elisæo Propheta, & nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus.* Suos præteriens diuinus Vates alienigenis præbet medelam: ne reputetur gentis negotium munus cœleste. Sic enim hæc meditatur D. Ambros. ibi fatus. *Cur igitur non curabat fratres, non curabat ciues, non sanabat Propheta consortes, cum sanaret alienos; nisi quia voluntatis est medicina, non gentis; diuinum munus votis eligitur, non naturæ iure defertur.* Sic absolutus est Dominus in suis muneribus impertiendis, vt nolit is haberi, qui aliquo teneatur iure, aliquo vel necessitudinis, vel reuerentiæ obligetur respectu ad illa impertienda. Non gentis, non necessitudinis, non personarum intuitu diuina munera exhibenda, vt solent facere aliqui insipientes animarum curatores, qui principibus, & magnis viris, siue amicis exhibent subditos, vt coram raptus patiantur, & mentis excessus. Quid stultius, quid à Deo alienius? Hoc idem est, ac velle, quod diuinissima, & absolutissima Dei potestas carni, & sanguini morem gerat, illique seruiat. Caueas ergo tu, ne velis diuinitatis munera temporali aliquo respectu exhibere. Sed & caueant Principes, & alij populares, ne sui gratia, & respectu ament huiusmodi munera diuinitatis ostendi. Hoc factu ostendit Deum Nabuchodonosor, Dan. 3. cum post miraculum à Deo patratum, quo tres pueri illæsi à fornacis flammis fuerunt erepti, sic ad sibi subiectas ciuitates, & prouincias scribebat: *Nabuchodonosor Rex omnibus populis, gentibus, & linguis, qui habitant in vniuersa terra; pax vobis multiplicetur. Signa, & mirabilia fecit apud me Deus excelsus. Placuit ergo mihi prædicare signa eius.* Hæc sunt verba misericordiam, an reprobationem merentis? Hæc verba in laudem, an in vituperium Dei sunt intelligenda? Crediderim per hæc maximè ostensum fuisse reprobum animum superbissimi regis. Vnde hoc? Expende vanissimum illud, nimirum: *Fecit apud me Deus.* quasi Deum inter parasitos, & assentatores regios numeraret, qui illorum more faciem regis, & purpuram vereretur, eiusque gratiam, & fauorem virtutibus exhibitis expiscari niteretur. Quod in quantam Dei offensam venerit, quis non videat? De hoc pulchrè Rupert. lib. 6. de Victoria verbi Dei, cap. 23. ait. Attendite, quia non fuit speciosa laus in ore illius peccatoris, tota namque respersa est fermento tumidæ vanitatis. Quomodo enim laudauit, cum scripsit: Signa, & mirabilia fecit apud me Deus, placuit ergo mihi prædicare signa eius? *Quid enim est, apud me fecit, & placuit mihi, nisi ob gratiam mei fecit: verè sicut Deus non dignatur laudem nisi ex humili spiritu; ita dignum, & iustum fuit, vt reprobaret extollentiam illius regis, qui laudando laudabilem mentiebatur. Non enim apud eum signa fecerat Deus. Non enim is est Deus, qui personam respiciat alicuius in suis muneribus exhibendis.* votis acquiruntur Dei signa, & munera, non iure naturæ, siue sanguinis, siue alterius respectus à Deo veniunt. Nefarie laudas Deum, quisquis illum laudas, quod personam respiciens tuam magnalia sua fecerit, hoc non est laudare, sed blasphemare Deum, cuius sola charitas spectanda est in exhibitis muneribus, & absolutissima eius voluntas, & potestas.

Luc 4. — *Ambrosf.* — *Dan. 3.* — Rupert.

§. XI.

Christi mater antequam defectum etiam originalem incurreret, præuenta fuit Dei gratia.

DEficiente iam vino, hoc est, iam defectu vini imminente, quo nupti erubescerent, Maria, quæ præuenientis filij auxilium sæpe in se nouerat, Iesu astat, vt ante rubo[re]m, & defectum nouè nuptis opem ferat. Iesus autem, qui vt matrem, propter maternitatis honorem ante defectum etiam originalem sui gratia præuenit, sic nisi post defectum nemini aliorum medicatur. Hinc ait quasi nimis festinæ Mariæ: *Quid mihi, & tibi mulier? Nondum venit hora mea.* Quasi dicat, vt tempus subueniendi aliis hominibus anteuertam, vt ante defectum opem feram, aliis non mihi mater es, non suspicio maternitatem. Non enim in tollendo vini defectu agitur matris meæ negotium, & sic post defectum expecto horam, qua remedium afferam. Vbi matris interest honori, ibi non defectum expecto, sed omnes etiam originales defectus præuenio, infero gratiam. Quippe quæ mater in vtero habuit ab Spiritu sancto, vt filios Dei pariat, & non ab ipsa origine plena ipso Spiritu sancto vniuersos defectus ignorauit? Post Mariam aqua concipit ex Spiritu sancto, vt filios Dei regeneret, ait enim Iesus apud Ioan. cap. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Quis hinc memoret aquarum priuilegia, & gratias? Ex eo, quod ab Spiritu sancto fœcundatur, vt filios Dei pariat, hoc habuit aqua, vt nullam vacuitatem, nullam deformitatem, nullam inanitatem in se habuerit, sed ab initio inter communes rerum omnium deformitates ipsa sola Spiritu sancto plena splenderet. Etenim habes Genes. 1. *In principio creauit Deus cælum, & terram, terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi, & Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Ecce tibi in prima rerum conditione, vbi nihil non deforme, non tenebroso errore turpatum, sola aqua de Spiritus sancti assistentia ornabatur, vt ex aqua, & Spiritu sancto filij Dei erant in baptismo regenerandi. Id quod eleganter expendit Tertull. lib. de Baptismo fatus. *Habes in primis ætatem venerari aquarum, quod antiqua substantia. Deinde dignationem, quod diuina spiritus sedes, gratior scilicet cæteris tunc elementis. Nam, & tenebræ totæ, adhuc sine syderum cultu informes, & tristis abyssus, & terra imparata, & cælum rude, solus liquor, semper materia perfecta, læta, simplex, de suo puro dictum vectaculum Deo subiiciebat.* Quid pulchrius? Habent equidem hoc proprium matres, quæ ex Spiritu sancto Dei filios pariunt, habent inquam hoc proprium, quod nullum vnquam defectum, nullam vacuitatem experiantur.

Ioan. 3. — Genes. 1. — Tertull.

Cum nulla alia creatura, nec cum cœlo factum est, vt defectum non sentirent, vel in primo exortu: hoc reseruatum fuit illi matri, quæ de Spiritu sancto concipit, & de Spiritu sancto filium Dei parit, virgo, & mater. Notanter dixi: *Virgo, & Mater*, quia nimirum quæ de Spiritu sancto concipit, virgo, & ex eo capite, quod virgo simul est, nulla debet comprehendi generali lege deformitatis. Hæc erat lex vniuersalis apud Lucam capit.16. promulgata, nimirum, *Lex, & Prophetæ vsque ad Ioannem.* Et nihilominus post Ioannem sunt Prophetæ; dicit enim Actorum 21. *intrantes domum Philippi Euangelistæ, qui erat vnus de septem, mansimus apud eum. Huic autem erant quatuor filiæ virgines prophetantes.* Ecce tibi, & post Ioannem Prophetæ; qua enim ratione virgines erant, non poterant contineri lege aliqua generali. Ita D.Hieron.lib.1.in Iouinian. ait: Lex, & Prophetæ vsque ad Ioannem: istæ, quia virgines erant etiam post Ioannem prophetasse referuntur. Neque enim poterant veteris testamenti lege retineri, quæ virginitatis fulserant claritate. Sic ibi. Vanæ ergo veteris peccati lege teneri volunt tantam virginem, tantamque matrem. Et sanè non potui negare filium Dei Matri virgini potius extitisse antelucanum robur, quam pharmacum: de illa Cant.7. *Venter tuus, sicut aceruus tritici vallatus liliis.* Expende. Quid sit filius Dei Matri florentis virginitatis: nimirum, aceruus tritici: equidem Iesus virgini matri triticum est, cibus est, esca est, quæ roboret: non pharmacum, quod sanet. D.Fulgentius sic distinguit redemptionem hominis, & Angeli, lib.2. ad Thrasymundum Reg cap.3. fatus, *Vna est in vtroque gratia operata: in homine, vt surgeret: in Angelo, ne caderet: ab illo infirmitatem depulit: hunc infirmari non siuit: illius esca, illius medicina.* Sic prorsus Mariæ aceruus tritici, nempe esca, quæ infirmari non sinat, cæteris medicina, quæ infirmitates depellat.

Luc.16.

Hieron.

Cant.7.

Fulgent.

§. XII.

Etiam ipsa innocentia austerè, & durè tractetur aliquando, ne deficiat.

Censorius nimis visus fuit in Matrem Dominus iis, qui effictam illam seueritatis personam nolunt percipere. In immerentem prolem aliquando amantissimus Pater solet excandescere, & supercilium effingere, non vt errores mulctet, sed vt firmiorem suggerat abscedendi ab errore diligentiam. An egebat hac fictitia animaduersione Maria Iesu Mater? Sed egebant innumeri alij innocentes, quos in marre rangebat Iesu efficta seueritas, vt castigati sine culpa, magis culpas venerentur. Accinit sanct. Ennodius lib.5. epistol. 23. his pulchris verbis, *Vide per rerum prouidentiam, quam cauta est seniorum dispensatio, & fabricatu plena sermonibus: præuenitur querelis innocentia, & ne dolorem suum in lucem producat, arguitur, fit rea, ne faciat.* Non semper disciplinæ virga culpas tundit, solet sæpe ipsa innocentia austere, & dure tractari, & flagellis præueniri, ne ruat, sed incontaminabilis perseueret in vita. Vnde monebat Paul. ad Hebr.12. *In disciplina perseuerate. Tanquam filijs vobis offert se Deus, quis enim filius, quem non corripit pater.* Non sisto in eo, quod non moneantur disciplinæ flagella, & dura, & rigida, vt à parente optimo profecta recipere; cum optimi parentis sit filios dilectissimos, amplissimaque hæreditate ditandos duris verberibus ob crimina affligere. Sed illud expendo, quod iubeantur, non solum recipere flagella, sed & perseuerare sub illis; perseuerare, ait, in disciplina: quid est, *perseuerate*? Nulla ratione disciplinæ virgam fugiatis; etsi culpa abscesserit, etsi nulla sit labes etsi omnimoda innocentia iam floreat, tamen innocentissimi, & perfectissimi sub flagello perseuerate, quo vos pater custodit in hæreditatem diuinam. Huc spectat D.Anselm. inquiens, *Sit itaque manus paterna super vos, etsi boni filij estis. Nolite repellere disciplinam eius. Dei disciplinam, dum non auferat misericordiam. Quomodo ergo non flagellat custodiens paruulos Dominus: quos grandes quæris hæredes?* Et quidem disciplinæ rigor, non solum pro reorum curatione inuenta est, sed euidentius à parentibus optimis vocatur in vsum pro innocentiæ custodia. Quo sensu Prouerb.15. vers.10. reddiderunt Septuag. *Disciplina innocentis cognoscitur à prætereuntibus.* quasi dicerent, quod dum sumus in hac via innocentiæ, notissima socia sit disciplina: nullúsque custos, & miles notior in sæculi via, quam est disciplina innocentis custos, & miles.

Ennod.

Hebr. 12.

Anselm.

Prou. 15.

§. XIII.

Non est insolidum mulieribus omnes suas spes, & desideria maritis committere priusquam Deo.

Non purissimæ virginis mentem arguit Dominus verbis prædictis, sed mulierum vxorum succenset studium, quarum multis adeò insolitum est ad Deum recurrere, & non potius ad maritos suos, vt merito dicat Dominus accedenti ad se mulieri inter maritorum multitudinem. *Quid mihi & tibi mulier?* Quasi dicat: ex quo hanc mentem habet mulier, vt ad Deum recurrat, & non potius ad virum? Hoc virginis proprium est, & virginitati soli vsitatum, vt à Deo speret, in illóque ponat spem suam; mulier autem nupta potius coniugis, quam Dei solet meminisse. Vsitatissimum est, & familiare nuptis, quod conuertantur prorsus ad viros suos. Paulus 1. ad Corinth. cap.7. ait: *Qui autem cum vxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori; & diuisus est. Mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore, & spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* Expende quam aliter loquatur Apostolus in viris, & in fœminis: etenim, & vir, qui sine vxore est, & virgo æquè cogitant, quæ Domini sunt. Vir autem qui cum vxore est, non solum Deum respicit, sed & vxorem, quomodo placeat vxori, & diuisus est, hoc est, inter Deum, & vxorem diuiditur. Verum mulier *nupta cogitat, quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* Non additur, quod diuisa sit, forsitan, quia non diuisim, sed sic totam se tradat viro, vt nec Dei meminerit. Sic maritis fidere nuptæ solent, vt potius illis, quam Deo se se committant. Genes.30. Rachel cum infœcunda esset, nec inde fœcunditatis meminit auctorem; quid ergo fecit? Ait marito suo: Da mihi liberos, alioquin moriar. Vide ad quem confugiat, quem spectet mulier, non Deum, sed maritum. Pulchrè D.Chrysostomus homil.56. *Inconsiderata, & muliebris est hæc petitio: Da mihi liberos. Quare à viro petis ea, quæ supra naturam sunt, & relicto naturæ Domino virum arguis, quia ad hoc nihil conferre tibi poterit? Inconsiderata, & muliebris est hæc petitio.* Tales sunt mulierum nuptarum solicitudines, quibus sese adeò committunt viris, vt relicto Deo ad viros in omnibus confugiant. Quid inconsideratius? Quid stolidius?

1.Cor.7.

Gen.30.

Chrysost.

Text. Dicit mater eius ministris: Quodcumque dixerit vobis facite.

§. XIV.

Dei seueritas indicium solet esse appropinquantis misericordiæ.

Non absterretur virgo fabricatis Dei reprehensionis sermonibus, immò vbi quasi exasperatum vidit filium, pignore capto miraculi proximantis, ministros monet, vt in omnibus Iesu pareant. Cananææ postulanti pro filia austerus, & superciliosus respondet Saluator, Matth.15. *Non licet mittere panem filiorum canibus.* Ad hæc sapiens, & fortis mulier: *Etiam Domine, nam & catelli comedunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Repellitur, & vt canis probrose reiicitur, & tamen maiori inde concepta spe, inquit, etiam Domine, &c. Quæ est tua hæc spes mulier? Vocaris canis, & adhuc speras? An percepisti contumeliam? Pulchrè D.Basil. Sel. orat.21. inquit, *Etiam Domine, contumeliam tenet, curationis pignus.* Et quidem, vbi amor est, seueritas, & rigor prudentissimum solet esse pignus gratiarum. Huc vocanda est illa Ioseph calliditas Genes.44. qua se propitium, & gratum erga fratres immerentes ostendere voluit. Iubet enim, vt abeuntibus illis, in vterini fratris Beniamini sacco scyphus aureus absconditus deponatur, vt illum hoc astu tenere possit reum furti. Quid plura? scyphus absconditur, abeunt fratres; sed non multum confecerant itineris, & ecce vobis, qui scyphum requirat, scrutatur omnia, tandem venit ad Beniamini saccum, & ibi scyphus inuenitur. Quæ tunc facies rerum? Quæ tribulatio fratrum? Quales Beniamini angustiæ? Rapitur ante seuerum iudicem, accusatur ingratissimi furti; damnatur misera seruitute. Sic bone Ioseph affligis dilectum? Cur tot congeris iniurias in caput tibi amantissimum? Non iniuriæ censeantur, quæ à tanto dilectore proficiscuntur, sed gratiarum pignora, quibus & illum, & totam familiam statim afficiet. Ambrosius lib.2.offic. cap.16. inquit,

Matth.15.

Basil Sel.

Gen 44.

Ambros.

inquit: *Reum statuit rapinæ, vt obsidem teneret gratiæ.* Tota hæc iniuriarum facies, tribulationum fabula instituebatur, vt ingentium beneficiorum, & gratiarum iam iam aduentantium obses constitueretur, & pignus. Quo respiciebat
Habac. 3. Habacuc capit. 3. aiens, *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Quippe Dei ira, & rigor solet esse signum misericordiæ aduentantis, vt dicat deuotissimus Idiota lib. 2. de Vera patientia: *Cum sentio te iratum, tunc maxime confido te esse propitium: quia cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Prudentissimè, qui iram, & seueritatem Dei sentit, eiusdem misericordiam prospicit aduenientem; cuius certissimum
Luc. 1. pignus, & signum in ipsa ira esse solet. Zacharias Luc. 1. ab Angeli ore ingentes gratiarum promissiones accepit; ideoque propinquum esse beneficiorum omnium thesaurum audiuit, vt dubitaret, an verus esset Angelus, qui loqueretur, & tantam ingentissimi boni propinquitatem annunciaret. Cui Angelus: *Ecce eris tacens, & non poteris loqui, vsque in diem quo hæc fiant, pro eo, quod non credidisti verbis meis.* Qualis erat culpa Zachariæ, quæ adeo seuerè punitur? Sanè, vt placet Maldonato, & aliis, culpa leuis fuit, cur ergo tanta pœna infligitur pro culpa leuissima? Non ea erat pœna, quæ tam dabatur pro culpa, quam pro pignore, pro signo, pro obside appropinquantis gratiarum
Chrysol. fluminis. Chrysologus serm. 90. *Venialiter non credendi Angelus pœnam signi tantum dedit, non perfidiæ.* Attendit Angelus, non iam quid Zacharias peccauerit, quam quid sperare deberet; & vt eius spem firmaret, non pro culpa, sed pro signo, & pignore pœnam dedit; quam qui patitur maiorem debitis, non potest dubitare misericordiam diuinam aduentare, eiúsque gratias iam pro foribus esse.

Ioan. 7. Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ, secundùm purificationem Iudæorum capientes singulæ metretas binas, vel ternas. Dicit eis Iesus: Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas vsque ad summum, & dicit eis Iesus, Haurite nunc, & ferte Architriclino.

§. XV.

In suo quisque munere, & ordine consistens à Deo spectet magna.

QVi vini defectû supplere volebat, satius iussisset, quod aqua in vinum conuertenda infunderetur in doliis, in quibus esse consueuerat vinum, non in hydriis. Verum Dominus non iussit, vt vasa vinaria implerentur; sed aquales, vt discat vnusquisque, quam intra suum ordinem, & statum possit magna Dei opera præsentire. Aqua in suo vase contenta nobilissimum vini statim contingit virtute diuina. Sic in suo quisque ordine manens quæcumque Dei magnalia pertinget. Prudentissimus ille adolescens Dauid insueta prælia visurus, & ad insuetas victorias se accingens, tamen intra assueti muneris arma se continet. Cum vastissimo milite pugnam iniit; & qualia arma sumit? An ad cassidem recurrit? An militares astruit ignes? An gladios accingit?
Fr. Abb. Absit hoc à pastore; pulchrè Franconius Abb. tom. 5. de gratia, inquit, *Bellica autem arma non requirit, baculum pastoralem, vt pastor accepit, & quinque limpidissimos lapides.* Pastorem agit etiam cum militibus præliaturus, & dum intra noti muneris arma se continet, victoriam etiam militum potuit pertingere. Præclare pastor à funda potius, quam à gladio militares etiam triumphos perquiret; quia funda pastori notissima, gladius non item. Vtinam hinc omnes saperemus adeò, vt intra proprium quisque munus se velit continere, nec extra id, quod proprij muneris est, speraret triumphos. Moyses item ille, dum custodiendis ouibus dat operam, illásque per desertum ad pascua ducit, Israëlitici populi dux efficitur; in tanto tamen populi ducatu, nunquam aliud in manu eius video, nisi virgam, qua oues agebat. Si Ægyptus percutienda est, Moyses exerit virgam, si mare diuidendum, & ibi Moysis eleuat virgam, si aquæ è sicco silice hauriendæ, si mirabilia alia patranda, sola interest Moysis virga. Cur omnia conficis, & tam mira, & tam diuina, ô Moysis, vna eleuata virga? Ne extra pastoritiam artem, in qua educatus fuerat, & quam, vt proprium munus coluerat, aliquid videretur sperare subli-
Basil. Sel. me. D. Basil. Seleu. orat. 26. *Neque tum ab ouium oculos Moyses amouisset, artem pastoritiam desiit, sed comprehensa virga elementis imperabat.* Cœlestia, & diuina pertingens, dum te intra proprium munus contineas, in illo, quem elegisti, ordine consistas. Quid magis remotum ad imperandum elementis, quam pastoralis virga? Ad militares triumphos quid debilius, quam sola funda? Et tamen, qui pastor erat, dum à se cultam non deserit pastoritiam, intra fundæ rotam claudit regales triumphos, & in eleuatione virgæ elementis imperat. Magna, mihi crede, conficies, si in ordine consistas tuo, & tuo licet paruo insistas muneri. Nec aliunde euidentius patet appropinquare alicuius finis, & exci-
dium, quam si ab assuetis sibi, in extranea incliuet. Matth. 9. Matth. 9.
Accesserunt discipuli Ioannis dicentes. Quare nos, & Pharisæi ieiunamus, &c. Quibus verbis acutè, & pulchrè colligit Chrysolog. inuidentiæ pharisaicæ finem, & exitium. Quia cum proprium sit inuidentiæ officium dissidia, & separationes seminare; hic inuenitur adunasse Pharisæos, &
Ioānis discipulos, sic enim ait serm. 31. *Cum discipulis Ioannis,* Chrysol.
quæ societas Pharisæis? Nisi quod iunxerat inuidia, quos disiunxerat disciplina. Hic suo iura perdidit iura zelus, iunxit disiungere consuetus. Non durat in munere, quisquis ad extraneum sibi traducitur.

§. XVI.

Diuinissimi hominis esse non inflexibiliter proprio hærere consilio.

PAulo ante dicebat Dominus, *Nondum venit hora mea,* nimirum, qua miracula vellet efficere, & his dictis statim operi incumbit. Si non venit hora, ô bone Iesu, cur statim facis? tam parua enim mora, quæ intercessit inter dictum illud, & opus, non videtur sufficiens: vt communiter dici posset hora iam venisse. Nam quod ego intra horæ quadrantem facturus sum, vsitatius dico me iam id
facere, quam nondum esse tempus. Sic Ioan. 13. dicitur sciens Ioan. 13.
Iesus, quia venit hora eius, & nihilominus non ipse tunc passionis punctus erat, sed quia propè instabat, & iam iam pro foribus erat, ideò iam passionis hora dicitur esse. Sic similiter in præsenti, si tam propè erat hora, nescio quo vsitatu Iesu potuit obiici horæ absentia, præcipuè cum res non agebatur de momentis. Cur ergo dicis Iesu Domine, *nondum venit hora mea,* & statim iubes parari opus? Crediderim in Christo, primam fuisse voluntatem, & consilium, quo non expectata matris intercessione tunc facienda, vellet miraculum longius differre, iuxta quod consilium & voluntatem præclarè dicebat, nondum venit hora mea. At post peractam Mariæ intercessionem crediderim propter illam elicitam fuisse in Christo Domino aliam voluntatem, & consilium, quo absolutè, & simpliciter volebat statim sine mora miraculum perficere. Sapientissimi enim, immò diuinissimi hominis est, nouis attentis circumstantiis
noua variare consilia. Luc. cap. 2. duodenis cum esset Iesus Luc. 2.
Ierosolymis mansit insciis parentibus, vt Ierosolymorum Doctores instrueret de aduentu Messiæ, ibi requisitus inuenitur à matre, cui sic ille respondit. *Quid est, quod me quærebatis? Nesciebatis, quia in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum, quod loquutus est ad eos. Et descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis.* Ecce tibi in primis quæritur Iesus, quod à parentibus quæreretur; nollet enim quæri, sed Patris diuini operibus insistere, & populorum doctrinis; id quod faciebat. Nihilominus, vt vidit Marianas lacrymas statim posito illo diuini Patris opere, nimirum, posita populi doctrina, cum Maria abiit, eiusque voluntati se se tradidit per tot tempora. Cur hoc Domine? Si cupis populorum doctrinis nauare operam; & quidem cupis, siquidem doles te quæsitum fuisse, cur tam cito desistis ab incepto opere? Cur tam cito mutas mentem, & consilium, & relicto patris negotio te totum committis voluntati Mariæ? Sanè id factum à Iesu fuit, vt doceat, quam decet diuinissimum hominem non inflexibiliter adhærere proprio consilio, sed vel propter condescensum scire mutare illud. Rem pulcherrimè
tractat D. Bernard. serm. 3. de Resurrect. vbi sic finit, *Quid* Bernard.
erat, inquit, quod me quærebatis? Nesciebatis, quia in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse? At illi non intellexerunt verbum. Et quid fecit verbum? Non capiatur in se, descendit ita vt esset etiam subditus illis. Quis iam non erubescat obstinatus esse in consilio suo, quando suum sapientia deseruit. Sic mutauit consilium suum, vt quod iam tunc cœperat, ex tunc vsque ad tricesimum ætatis suæ annum prorsus dimiserit. Nil Iesus voluit vnquam, quod bonum ac perfectum non esset; & tamen, vt

notat

Bernard. notat Bernard. à sententia nouit discedere sua, & bona, & perfecta,& ad parternum opus conducenti;ab hac,inquam, sententia discedit, vt maternis lacrymis, & doloribus, & desolationi condescendat, eius voluntati se credens. Et quidem nunquam sapientem,& bonum virum habui illum, qui certis sententiis,& dictaminibus ab omni circunstantia abstractis sic adhæret, vt nulla ratione,nullis precibus,imò nullis damnis imminentibus ab illis possit dimoueri. Satius Prou.11. monebat Prouerb.11.nimirum: *Salus autem, vbi multa consilia.* quasi non solum ad salutem conducat bonitas consiliorum.sed & numerus:vt ille sibi salutem promittat, qui non vnum solum consilium habet, sed & multa alia, quæ pro Esth.1. rerum occasionibus possit variare. Esther 1. Assuetus iratus contra Vasthi: *Interrogauit sapientes, qui ex more regio semper ei aderant.* Hebræus explicatius dicit: *dixit rex sapientibus scientibus temporum.* quippe ille sapiens solus, qui temporum circumstantias, & occasiones scit rectè perpendere, & trutinare, & prout res, tempus,locus, & aliæ circunstantiæ tulerint sententiam vel mollescere, vel exacerbare. Quo Caietan. expectauit Caietanus, fatus:*Consuluit sapientes scientes temporum, hoc est, pollentes notitia occasionum euenientium, in temporibus, ad prouidendum quid facto opus sit.* Et quidem, qui sententiæ vni, siue dictamini sic adhæret, vt nullam rationem temporis, & occurrentium aliorum, siue commodorum, siue incommodorum habeat, misere aberrabit, & eo miserius, quo specie religionis, & melioris boni fallatur. Bernard. Vnde D.Bernard. supra sic monebat, *Lepra proprij consilij eo perniciosior est, quo magis occulta, & quanto plus abundat,tanto sibi quisque sanior esse videtur. Hæc illorum est,qui zelum Dei habent, sed non secundum scientiam, sequentes errorem suum, & obstinate in eo ita, vt nullis velint consiliis acquiescere. Hi sunt vnitatis diuisores, inimici pacis, charitatis expertes,* &c. Et merito rigida horum mens,& flecti nescia dicitur charitatis expers,quæ ne a suo deuiet consilio,nil æstimat aliorũ præcipitia.

§. XVII.

Iudæorum perfidia nullo iam flumine, sed ignium flammis purgari debet.

Vide,com lex pollebât, quam parua aqua sufficiebat ad purganda Iudæorum crimina; quippe ait: *Erant ibi lapideæ hydriæ sex positæ, secundum purificationem Iudæorum.* quasi in hydria, vel aquali esset, quidquid sufficeret, vt Iudæorum tolleret immunditiem. Vbi autem Christus aduenit,& miraculosis operibus cœpit clarere:sic perfidorum creuit inuidia, sic creuerunt crimina, vt maiori iam lauacro egerent; iam non hydriæ, sed vix fluminum fluenta Luc.3. plenissima sufficere possent. Vnde apud Lucam c.3.de Præcursore Domini dicitur: *Et venit in omnem regionem Iordanis prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Non ad hydrias, sed ad Iordanem accessit, vt doceret, quam Chrysol. inde maiori lauacro Iudæorum egerent maculæ. Chrysolog.serm.137. *Venit ad Iordanem, quia Iudaicas sordes non poterat hydria iam lauare,sed flumen. Sicut scriptum est: erant, inquit, hydriæ lapideæ sex, secundum purificationem Iudæorum.* Et vtinam ibi stetisset Iudæorum perfidia, quæ vel integro flumine lauaretur, sed sic creuit, vt non sufficiant nec hydriæ, nec flumina, sed ardentes ignes sint necessario addendi,vt inueteratas adeo maculas consumant, id monebat Dominus antiquitus educens populum ex Ægypto permanere rubrum, & antecedens eum in columna ignis. Exod.3. Etenim habes Exod. cap. 3. *Numquam defuit columna nubis per diem, & columna ignis per noctem coram populo* Cur columna ignis? Ostendebatur iam ex tunc eorum labes sic inueteranda, vt cui non sufficerent omnes maris vndæ, adderen-Zeno. tur flammantes ignes. Non longe abest D.Zeno serm 11. in Exodum,fatus. *Columna nubis Iudææ te pestiluxit per diem, vt ostenderet ... acum, ignis columna per noctem, vt ostenderet arsurum.* Equidem præostendebantur tempora, in quibus nihil valerent hydriæ, nihil flumina, nihil Maria ad purificatio-Ioann.18. nem Iudæorum, sed opus fore ferro, & igne. Sic Ioann 18. vbi ad Iesu comprehensionem ventum est, dicitur: *Iudas ergo, cum accepisset cohortem, & à Pontificibus & Pharisæis ministros: venit illuc cum laternis, & facibus & armis.* Quæ verba Ambros. expendens D.Ambros.eleganter ponderat in laternis, & facibus ibi adductis funestissima incendia, quæ exinde para-Psal 37. bantur ad Iudæorum ... d pellendas ... enim in Ps.37. persecutorum in ma ... in ... ternis & ideo incl... sam eis lucem videre ... tum ... qu ... nere, venit enim facibus, quæ plus habent ... fumo caliginis, quam splendoris in lumine. *Denique facibus mortuorum cadauera ardere consueuerunt. Sibi ergo Iudas iam sciebant incendia, qui persequebantur salutis auctorem.* Nullo flumine potest elui tantum nefas,flammarum voricibus est protinus abstergendum. Nouerint hinc Principes Christiani, qualiter purgandæ sunt Iudæorum fæces, non purgabuntur, etsi in illas influat Iordanis, etsi totum mare accedat;ad ferrum,ad ignes veniendum est, quidquid his minus est, nihil proficit in tam obdurata labe huius gentis. Præclarissima est in hac re D.Au- August. gust.sententia. Is enim tract.11.in Ioann.cap.3.fatur: *Nabachodonosor Rex laudibus trium puerorum commotus, vbi vidit maiestatem Dei præsentis in igne, quid ait? Et ego ponam decretum omnibus tribus,& linguis in omni terra. Quale id decretum? Quicumque dixerint blasphemiam in Deum Sidrach, Misac, & Abdenago in interitum erunt, & domus in perditionem. Ecce quomodo sæuit rex alienigena, ne blasphemetur Rex Israel, qui potuit tres pueros de igne liberare: & nolunt, vt sæuiant Reges Christiani, quia Christus exsufflatur, à quo non tres pueri, sed orbis terrarum cum ipsis regibus à gehennarum igne liberatur.* Ferro equidem, & igne expurganda sunt crimina eorum, qui inueterato odio in auctorem salutis nostræ rebellant.

Text. Vt gustauit Architriclinus aquam vinum factam,& non sciebant, vnde esset; ministri autem sciebant, qui hauserant aquam, vocat sponsum Architriclinus, & dicit ei:Omnis homo primùm bonum vinum ponit, & cùm inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est. Tu autem seruasti bonum vinum vsque adhuc.

§. XVIII.

Deus munera præstantissima, quæ sola nouit Deus dare.

Et vinum fecit Dominus, & non qualecumque vinum, sed præstantissimum vinum; quamuis enim Deus in promptu habeat omnia, & mala, & mediocria, & optima, quasi nescit alia præstare, nisi quæ optima sunt, vt vel ex excellentia doni à Deo profectum cognoscatur. De bono parente querebundus ille filius aiebat apud Lucam cap.15. Luc.15. Numquam dedisti mihi hædum,vt cum amicis meis epularer. Vide, quam egregiam de diuino Patre querelam, quo non dedisset hædum; & quando bonus pater adeo sinistra dona nouit dare, qui,vt nos ab hædis separaret,filium suum vnigenitum vitulum saginatum mactauit,& dedit in pabulum? Præclarè D.Hieron. epist.146.ait. *Numquam Pater dat* Hieron. *deteriora munera, habens vitulum saginatum, ingredere, manduca cum fratre. Non hædum habes à Patre, qui bona dona semper scniit dare.* Sunt equidem a sinistris Dei hædi plurimi; sedet ad dexteram eius vitulus saginatus, seu agnus Dei, qui tollit peccata mundi, & vbi ad dona venitur, nihil de hædis; nihil de sinistris à tanto parente accipimus. Is enim est diuinissimus Pater, qui dimissis deterioribus, semper optima quæque largiatur. De repugnantibus diuinissimo Patri loquebatur Iesus apud Lucam 11. aiens. Luc.11. *Numquid porriget scorpionem?* Non hoc est Dei Patris,qui etsi habeat omnia mala, quibus puniuntur impij, tamen ipse nihil ex his nouit dare, sed quod bonum, & quod optimum est, id ipse largitur. Ait Tertullian.lib.4. in Marcion. Tertull. *Habeat & scorpium non dat. Itaque, & Spiritum sanctum is dabit,apud quem est,& non scorpius.* Ecce tibi,& omnium malorum affluentia sub eius est potestare, & nihilominus, nec paruum ex his nouit dare, sed vbi ad dona descendit, ea præstat ex quorum præstãtia dator ipse Deus clareat.Equidem parentissime Deum prodit munerum bonitas.Hinc dicebat Iacob, Genes c.28. *Si fuerit Dominus mecum, & custo-* Genes.28. *dierit me in via,per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reuersúsque fuero prospere ad domum Patris mei: erit mihi Dominus in Deum.* Quid est erit mihi Dominus in Deum? An Dominus Creator omnium non habebatur vsque adhuc Deus à Iacob? Absit,sed ex mundiali conditione, & gubernatione Dominus, & Rex omnium habebatur, at Deus tunc manifestissimè clarebat, cum ablatis malis omnia bona humanæ vitæ necessaria largiebatur A quo stat Philo Iudæus lib.de plantat. Philo. Noë fatus *Et erit Dominus mihi in Deum: ac si dicat: Iam non herili potestate libero erga me vtetur, sed benefica, propitia, & vsquequaque salutari potestate; sublata dominationis metu,*

anima deuincta beneficys mutuam gratiam conciliantibus. Tunc Deus dignoscitur, cum nihil timendum, nihil horrendum exerit, sed ex optimis beneficia sua cumulat, & munera instaurat. Ab illo nihil sinistrum venit, nihil quod hædos sapiat, sed præstantissima quæque munera illius sunt.
Matth.25. Matth.25.ad dextros agnos loquens Iesus, ait: *Venite benedicti Patris mei,* verum ad læuos, & sinistros hædos solum
Origen. ait: *Ite maledicti.* Quæ verba meditans Origen. hom.24. in Matth.fatur: In sanctis,non solum dictum est benedicti,sed cum additamento non qualemcumque honorem habente; id est,benedicti non alicuius alterius,nisi Patris. *E contrario autem, quibus dicitur, maledicti, non dicitur maledicti patris mei. Nam benedictionis quidem ministrator est pater; maledictionis autem vnusquisque sibi est auctor, qui maledictione digna operatus est.* Nosce homo optimi muneris fontes, vnde primam scaturiginem habeant, nimirum, descendunt à patre luminum, à Deo optimo, & maximo, qui nunquam sciuit dare, nisi ea, quæ præstantissima sunt.

§. XIX.

Vinum nihil veretur.

NOn possum non mirari ministrorum huius conuiuij modestiam, & Architriclini impudentiam. Illi & defectum vini viderant, & aquam intulerant, & miraculosè factum vinum sciebant, & tamen prorsus tacebant, veriti à Iesu consultum fuisse nuptorum honori, ne dum nuptias agunt, improuidentiæ macula affligerentur. At Architriclinus, vt gustauit vinum, statim sponsum vocat in iudicium, eius improuidentiam arguit, quod bonum vinum seruaret vsque adhuc; nec veretur sponsum mediis nuptiis arguere, & offendere; vnde quando infirmi ministri tanta pollebant cautela, & prudentia, eorum dux tam imprudens apparet? Expende illud textus, *vt gustauit Architriclinus aquam vinum factam*, &c. Vini gustus hoc fecit, qui nihil vnquam nouit vereri. Asportata fuerant in Babylonem omnia vasa aurea, & argentea Ierosolymitani templi, & vt asportata sic reposita fuerunt in thesauris Nabuchodonosor, adeò vt nunquam superbissimus Rex illis vti auderet ad prophana ministeria. Tandem Balthasar Rex non est veritus adducere vasa in concubinarum conuiuia. Sed quando id ausus est?
Daniel.5. Accipite Daniel. cap.5. *Balthasar Rex fecit grande conuiuium optimatibus suis mille, & vnusquisque secundum suam bibebat ætatem: præcepit ergo iam temulentus, vt afferrentur vasa aurea, & argentea, quæ asportauerat Nabuchodonosor pater eius de templo, quod fuit in Ierusalem.* Expende quando dedit nefarium præceptum, non cum cogitat de apparatu conuiuij, sed cum in conuiuio positus esset iam *temulentus.* Explicatius
Græc. Græcè dicitur: *Præcipit ergo in gustu vini, vt afferantur vasa templi Dei.* Et sanè gustus vini est, qui nihil vnquam nouit vereri, nulli rei habet reuerentiam. Sic in præsenti fatur
Theod. Theodoret. *His verbis docet nos Daniel, non solum impietatis exuperantiam, sed etiam damnum ab intemperantia vini profectum: bibens enim Rex, dixit in gustu vini. Obruit enim rationem ebrietas, & incontinentia peperit insaniam, & dicata Deo vasa, quæ Nabuchodonosor in honore habuerat, & ab humanis vsibus superauerat, ea Balthasar, vt communia, & prophana impure attractare ausus est.* Quod cauebat, quod veritus est superbissimus hominum Nabuchonosor; id in Balthasare gustus vini minimè veretur, vtpote qui nullo vnquam honoris, reuerentiæque, tangatur respectu: sed omnia impudentissima
Hieron. faciat, & omnia honesta funditus euertat. Merito D.Hieron. *de vnius vxoris* viro; vini mala meditatus, ait. *Noë ad vnius horæ ebrietatem nudat fœmora sua, quæ per sexcentos annos sobrietate contexerat. Loth per temulentiam nesciens libidini miscet incestum, & quem Sodoma non vicerat, vina vicerunt.* Quis iam vel vini gustum non metuat?

Text. Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ, & manifestauit gloriam suam, &c.

§. XX.

Prius quisque in se sentiat, quod in alijs efficere curat.

SIgna incepit Iesus aquas in vinum mutando; sed cur ab aquarum mutatione dedit principium miraculis? Assumendæ erant aquæ, vt homines peccatores in iustos transmutarent; vnde oportebat, quod ipse immutationem à Dei manu præsentirent, quam aliis darent. Quod innuit D.Hilar.hic hom.1. aiens. *Mutantur subito aquæ, homines postmodum mutaturæ.* Consultissimè facit quisquis à se incipit mutationem facere; quam cupit etiam in aliis ipse perficere. Quod enim in te primum expertus, & maiorem, & vehementiorem vim habet, vt possit aliis communicari. Ioan.11. dicebat Dominus: *Ego sum resurrectio*, & cum possit ad rem dicere, ego possum resuscitare; vel ego voco ea; quæ non sunt, ac ea, quæ sunt: vel ego iubeo mortuos venire in vitam, maluit dicere, *ego sum resurrectio*, quibus verbis potius in se esse resurrectionem, quam in aliis monstrabat. Immò inde in se virtutem efficaciorem ad resuscitandos alios ostendit, quod in se ipse sit resuscitandus. Id quod pulchris verbis attigit Chrysol.serm.63.fatus. *Quid est, ego sum resurrectio? Et non, ego resuscito? Quia suscepit hominem, suscepit & mortem, vt qui resuscitat iubendo vnum, resurgendo in se resuscitat omnes.* Efficacissimè instruitur, vt alios in vitam trahat, qui priùs in se nouit ex morte haurire vitales auras. Qui nunquam sciuit se ad vitam mouere, mirum erit si vnum possit toto adhibito conatu in vitam trahere. D.Petro dicitur Luc.22. *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Expende, quod non iubeatur ad orbis conuersionem ire, nisi priùs conuersus ipse, quæ verba sic explanat Arnol. Carnot. *tract.de Christi verbo, sitio.* Vbi sic ad Petrum loquitur. *Exurge, & bibe de fonte misericordiæ, & aliquando conuersus confirma fratres tuos, & in eadem mensura, qua propinatum est tibi, remetire eis, & ad formam tuam, quæ ceciderit, adducat, vt resurgat.* Quis efficacius misericordiam propinabit, quam qui bibit? Quis melius ex morte in vitam impellet, quam qui mortuus nouit haurire vitam? Quis orbis conuersionem aggredi valebit, nisi qui conuersus fuit ipse? Inutilis, & ineptus est, ad Iesu gratiam seminandam, & conuertendas animas, qui in se nihil gratiæ habet, qui se ad Deum conuertere non amat, & mundo renuntiare. Vnde D.Ambros. lib.10.in Lucam expendens, cui committat Dominus munus conuertendi fratres, ait. *Ille confirmare iubetur fratres suos, qui dixit: Omnia dimisimus, & secuti sumus te.* Non antea aptus putabatur ad suadendam vitam fratribus; vitam, inquam, spiritualem, quam ipse mortuus fuerit carni, & sanguini. Et Petrus Damianus sic monebat, epist.105. *Tu fili mi, vt prædicandi fortiaris officium, imitare vel ouis exemplum. Quæ cum viuit, turpiter balat; mortua verò in instrumentis musicis suauiter cantat.* (fiunt enim ex eius visceribus suauissimæ chordæ,) *sic qui carnaliter viuum balare cum ouibus inaniter possunt, nouiter explere prædicatoris officium nequeunt.* Necessum est, vt mortem, vel vitam in te experiatis, quam aliis cupis communicare.

[Right margin: Hilar. — Ioann.11. — Chrysol. — Luc.22. — Arnold. Carnot. — Ambros. — Damian.]

CAPVT II.

De saturatis quinque millibus hominum.

O CHRISTVM, & in nouis veterem! Mare ipse tranans ingentes populi turbas pedites ducit per desertum Bethsaidæ proprium, ad Tiberiadis confines; poterat enim hoc iter, & terra, & mari fieri, vt docet Tol. in præsenti. Iterum mare, iterum desertum, vt iterum parentur diuina pabula. Etenim cum populum in deserta sese secretum verus legislator Iesus aspiceret antiqua victus sterilitate deficere, maximis antiqua solatia reparauit augmentis. Tunc siquidem repentinam multæ volucris carnem, modo duorum piscium redundare fecit quantitatem; tunc vberrimum cœlo manna diffudit; modo quinque panibus distributis totidem virorum millibus epulas abundare concessit. Cæterum numerus turbæ delituit, mulierum paruulorùmque multitudine numerum non habente; quod magis admireris, post expulsam saturatæ plebis esuriem cophinos ablata duodecim fragmentorum moles impleuit. Nec tanta fuit copia cum daret, quanta fuit in reliquiis iam fastidiata, cum tollitur. Denique, qui sic nouit occurrere fami, fugit regnum, vt simul Deus fugitiuam famem, & saturitas Deum faceret fugitiuum.

Ioann.6. Abiit Iesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis. Et sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quæ faciebat, super his, qui infirmabantur.

§. I.

§. I.

Quod impedimentum, quos carceres non rumpunt bona, vt malos possessores fugiant.

IErosolymorum conuentum fugiens Iesus, mare Tyberiadis tranat; non enim mare, non aquarum vortices, non prærrupti saxorum montes ahenea mœnia detinere possunt fugientia bona à possessoribus iniquis. Lege historiam de exitu Israël de Ægypto Exod. c.13. vbi de licentia Pharaonis egrediuntur Iudæi, imò tam gratiosa accidebat vniuersis Ægyptiis hæc Iudæorum profectio, vt illis proficientibus aurea munera donarent. Igitur cum tanta regis, populorúmque gratia proficiscuntur, & iter faciunt versus mare rubrum. Sic enim habes: *In conspectu eius castra ponetis super mare. Dicturúsque est Pharao super filiis Israël, coarctati sunt in terra, conclusit eos desertum. Et indurabo cor eius, ac persequetur vos, & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius, sciéntque Ægypty, quia ego sum Dominus. Feceruntque ita. Et nuntiatum est regi Ægyptiorum, quod fugisset populus*, &c. Expende hæc vltima verba, nimirum, *quod nuntietur populus Israël fugisse*, populus, inquam, ille, qui de mandato eius proficiscebatur, qui, vt abiret, multis donatus est à vicinis muneribus; qui abiens à deserti montibus cernebatur præpeditus, & conclusus; qui vastissimi maris vndis detentus, non putabatur vlterius posse trãsmeare; hoc ipse nuntiatur, imò creditur fugere. Qualis ibi fugæ locus? Quale fugæ indicium? Quis posset tam gratam profectionem tot montibus conclusam, & tanto mari impeditam habere pro irreuocabili fuga? Sanè is, qui Ægyptiorum bona apud Iudæos esse nouerit, quandoquidem bona, vt ab iniquis possessoribus fugiant, nullum montium, marísque, & murorum impedimentum non rumpunt, & superant. Huic excogitationi propior adest Rupert. lib.2. in Exod. c.31. inquiens. *Nónne hic est Pharao, qui supra dixit: Surgite, egredimini, & benedicite mihi. Quomodo ergo nunc dictum est; & nuntiatum est regi, quod fugisset populus? Petierant filij Israël de Ægyptiis vasa argentea, & aurea, vestémque plurimam, & spoliauerant Ægyptios, idcirco sic dictum est; & nuntiatum est, quod fugisset populus.* Nec data abeundi potestas, nec montium conclusio, nec mare vastissimum obiectum potuit tollere suspicionem irreuocabilis fugæ, vbi noscebantur Ægyptiorum bona cum proficiscentibus ire, quæ nihil æstimant maria, nihil æstimant aheneos muros, vt malos possessores fugiant. Audisti fortissimos, & insuperabiles muros, quibus Iericho cingebatur, & seruabatur? De hac tamen habes Iosue c.7. *Igitur omni populo vociferante, & clangentibus tubis postquam in auribus multitudinis vox sonitúsque increpuit, muri illico corruerunt*, &c. Cur muri adeò insuperabiles tam facilè ad tubarum vocem corruerunt? Cur, ô fortissima ciuitas, tam facilè sinis muros cadere? Fecit ne hoc metus hostium? Non id fecit hostium metus, nec hostilia tela, sed ipsa bonorum intra ciuitatem existentium natura, quæ vt iniquos possessores fugiat, facilè excutit aheneos muros. Ita D.Basil. Sel. orat.31. inquit. *Obsessa Iericho murorum orbem exuebat, vt habitatores ipsa fugeret, & ad Israelitas transfugeret.* Quis non ad hæc expauescit? Quis malus fidat custodiæ fortitudini, quando boni, vt malos fugiant, maria superant, muros pessundant? Quid Septemtrioni, Germaniæ, Britaniis expectandum? Non murorum valentia, non maris feritas impediet, quominus à tam iniquis possessoribus bona tandem fugiant. Hinc lucem capit locus Isaiæ cap.16. *Et erit sicut auis fugiens, & pulli nido euolabunt. Sic erunt filiæ Moab in transcensu Arnon.* Meminit in præsenti Vates captiuitatis Moabitarum, quando complanatis scopulis, & siccato Arnon, à Deo, vt latè ostendit Pater Delrius 1. part. Adag. 110. res Moabitarum in manus venerunt Israëlis. Sed illud expendendum, quod vbi capitur miraculosè Moab, dicatur ipsa fugere, sicut auis, & quidem non ab hostili incursu, nec propter hostes tanta captiuitas agebatur, sed vt bona terræ liberarentur à malis possessoribus, quæ vt malos fugiant pennata sunt, & scopulos, & maria superant.

Exod.13.

Rupert.

Iosue 7.

Isai.16.

§. II.

Turpe est homini, quod sibi proficuis creaturis abutatur in aliorum damnum.

PHarisæorum rabies a terra sua abigit Iesum in mare Tyberiadis, quibus mare in tantum profecit, vt a seruitute liberaret, hi maris vndis cogunt molestari Saluatorem, dum illum trans mare abigunt. Proh scelus Iudæis lethale, quod adeò sibi proficuam creaturam in molestiam Saluatoris credere non vereantur. Pulchrè D.Cyrill. Alexand. lib.3. cap.11. fatur. *Generatio praua, & adultera hæc Domino retribuitis? Non erubescitis trans maria illum pellere, qui per medios fluctus à seruitute vos reduxit? Qui per medium mare tutus transijt, & hostem vidit eodem mari submersum, eum à quo salutatus fuit, maria modo transire coegit.* Grandis hæc nefarissimi populi malitia, qui ea meditatur, ob quæ fugienda, maris molestiæ Saluatorem capiunt. Et sanè quandoquidem mare datum fuit Iudæis salutis causa, incredibilis exultationis, & victoriæ initium, hæc debebat esse illis non mediocris cura, ne sua malitia facerent, vt quod sibi ad tantam salutem fuerat datum, alicui esset molestiæ causa. Exod.1. exiit edictum nefarissimum à Pharaone, quo obstetrices Ægyptiæ iubebantur, vt in Hebræarum partubus masculinos fœtus protinus enecarent. Quid vrgente regio edicto fœminæ idololatræ facerent? Quid vererentur, quo minus regi obtemperarent? Tamen ait textus: *Timuerunt autem obstetrices Deum, & non fecerunt iuxta præceptum regis.* Cur regi non obtemperant præcipienti? Nónne Rex ius necis habet in populares? Cur fœminæ regis potestati, & imperio non sese conformarent? D.August. serm.84. de Temp. hanc causam attigit aiens. *Prætiterunt contra regis imperium partuum ministræ; noluerunt exercere ad perniciem, quod didicerant ad salutem.* Meritò prudentissimæ fœminæ ab abusu salutaris muneris cauent: scientiam obstetricandi acceperant in populorum salutem, illáque, & populis vitam, & sibi victum comparabant, vnde meritò timent, ne tam salutare munus earum culpa alicui nocumentum, & perniciem afferat. Non sic impiissimus homo, de quo Psal.15. *Sicut nouacula acuta fecisti dolum.* Non arguit modo, quod fecerit dolum, sed quod fecerit dolum, sicut nouacula acuta, quæ cum totam accipiat virtutem suam, & vim credendi, ad ornatum hominibus præstandum, aliquando solet, & vulnus præstare. Sic impius homo, quod accipit ad vitam, nefarissimè conuertit ad dolores, molestiásque causandas. Ambros. lib.3. officior. cap.11. Dauid quoque ait: *Sicut nouacula acuta fecisti dolum*, nequitiæ arguens proditorem, eo quod instrumentum huiusmodi ad hominis adhibetur ornatum, & plerumque vlcerat. Sic ille, quod & tibi, & aliis salutis, & ornatus fuit, nefarissimè facis, si tua culpa conuertatur in damnum. Murmurabant Iudæi, quod Iesus ad homines peccatores diuertisset: ait enim Lucæ cap.19. *Et cum viderent omnes, murmurabant dicentes, quod ad hominem peccatorem diuertisset.* Errabant miseri, & nocendi materiam faciebant, quæ illis erat salutis occasio. Ingressus enim Iesus ad peccatores, cui hominum non erat salutaris? Nefariè ergo Iudæi rem sibi salutarem conuertebant in perniciem, & damnum. Vnde Chrysol. serm. 54. ait. *Tu ergo, qui reprehendis, qui murmuras, cur ad peccatorem diuerterit Christus, viam salutis, misericordiæ spem de tali ingressu cape: & caue, ne hoc sit tibi blasphemandi materia, quod tibi occasio est salutis.* Quis non insanus suæ salutis occasionem vertat in Saluatoris damnum.

Cyrill.

Exod.1.

August.

Psal.15.

Ambros.

Luc.19.

Chrysol.

§. III.

Certa hominis via in quærendo, sequendóque Deo est.

TRans mare abscedentem Iesum, immò fugientem, multa hominum turba sequitur, & quærit; ideò enim fugit, ideò abscedit sæpe Dominus, vt nunquam non quæratur, vt nunquam non des operam ad illum insequendum. Cant.3. *In lectulo meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea.* Expende illud, *per noctes*. Non enim erat vna nox, sed multæ noctes; tot noctes, quot Dei fugæ erant, & quam frequentibus se fugis dabat Deus, nunquam sponsa desistebat, nec deficiebat à quærendo, & insequendo. Quippe amatoriæ sunt Dei fugæ, quibus, & fugit, & se cupit ante videri, & inde amat indesinenter quæri. Gillibert. Abb. serm.1. in Cant. *Per noctes, inquit. Noctes eius frequenter interpolantur absentia sponsi. Cum adest, lux est, cum abest, non est. Ideò multæ sunt noctes sponsæ: quia multi sunt elapsus sponsi, multæ latebræ. Beata planè, quæ adhæret sponso tota die, & quærit illũ totis noctibus.* Tũc perfectissimæ virtutis dabis specimen non solum cũ semper Deo intimè adhæres, hoc enim impossibile est in hac valle miseriæ, in qua frequentissimæ sunt fugæ, frequẽtissimæ absentię Dei: sed cũ omnes fugas Dei tua comitetur inquisitio. Nunquã fugiẽs Dominus terga vertat, quin appareas, & tu quæreus, & sequẽs post terga: & puta, quod tenes viam

Cant.3.

Gillibert.

viam præstantissimam ad omnia Dei magnalia obtinenda.
Cantic.1. Hanc viam petebat vnicè sponsa Cant.1.aiens, *Trahe me post te.* Cur non potius amatrix anima peteret trahi ante faciem Dei. Quid optabilius sponsæ, quam sponsi facies? Et tamen non ante sponsum trahi petii, sed post sponsum; vtpote quæ sciuerat viam præstantissimam potiendi pulcritudinē sponsi in inquisitione, & iugi sequela esse. Do D.Bern.ser.21.in
Bernard. Cant.fantem. *Scio, inquit, sponse, me nequaquam posse peruenire ad te, nisi gradiendo post te; ideoque precor, vt trahas me post te: quam pauci post te, ô bone Iesu, ire volunt, cum tamen ad te peruenire nemo sit, qui nolit, non curant quærere, quem tamen desiderant inuenire, cupientes consequi, sed non & sequi* Erraot misere omnes isti, nec viam veritatis agnoscunt, com ad Deum peruenire amant, nec vnquam cernuntur Deum sequi. Sola sponsa sciuit tutissimam viam peruenendi ad Deū, & ideò postulat se trahi post Deum Moysi, qui ardenter amabat
Exod.33. Dei faciem intueri, sic fatur diuinum oraculum, Exod.33. *Ego ostendam tibi omne bonum. ponam te in foramine petræ: & cum pertransierit gloria, posteriora mea videbis* Ecce tibi petenti faciem ostenditur tergum pertranseuntis Dei, & id omne bonum dicitur, quia omne bonum datur homini, cui in hac vita datur, vt abeat post Deum, vt numquam non sequatur,
Nyssen. & quærat abeuntem Deum. Ita Nyssen alio datus hom.12. in Cant.fatus. *Quibus verbis docemur eum, qui videre Deum cupit, desiderij compotem fieri semper sequendo.* Sequere Deum semper, & habes quidquid bonum potes amare. In facie Dei irascentis, & præ ira abscondentis forsan periculum est, at in ea sequela, qua fit post Deum ipsum insequendo nullum periculum est: sed via, & tutissima omnibus, & plana,
Isai.2. vnde Isai.c.2. *Ingredere in petram, abscondere in fossa humo à facie timoris Domini à gloria maiestatis eius.* Ecce tibi iuberis abscondi in petra à facie Dei irati, & cur iuberis abscondi in petra à facie Dei irati, nisi vt simul docearis, quid inde facias, nimirum posteriora Dei spectare, & post Deum se-
Procop. qui, vt dictum fuit Moysi posito in petræ foramine? Procop. ibi ait. *Patet hoc vnum superiorum malorum superesse refugium, vt nos in petra tegumentum recipiamus, id est, vt fides in Christum firmamentum subeamus, quo se & Moyses ipse Dominum visurus contulit, itémque, vt ipsi tanquam terræ mandati, consepeliamur: quo tandem cum illo sepulti, & peccato mortui in nouitate vitæ ambulemus.* Vnicum est & Moysi, & nobis malorum omnium refugium, nimirum, vt ad Dei posteriora attendamus, vt post Iesum in nouitate vitæ ambulemus, eius vestigia insectantes.

§. IV.

Usura spes generalissimus trahendi homines ad Deum hamus.

POst Iesum abeunt effusæ ciuitates, quia vident signa super infirmos facta; & quis minimè ad vsuram aspiciens, Deum sequitur? Quis solum Deum, & non se in Deo
Isai.6. quærit? Isai.c.6 ait Dominus. *Quem mittam, & quis ibit nobis?* Duo quasi dubitat Deus, an scilicet futurus sit, qui mitti à Deo possit, & an inueniendus sit, qui accipiat iter soli Deo conueniens, nihilque aliud quærat? Ad hæc promptus Propheta respondit: *Ecce ego, mitte me.* exorat mitti, quod erat primum Dei intentum, sed non promittit secundum, nimirum, tibi soli ibo, quasi hoc penè inusitatum creaturæ
Hieron. sit, quæ semper se vel in Deo quærit. D.Hieron.epist.43.ait, *Notandum quomodo ad id, quod Dominus dixerat, Quem mittam, & quis ibit nobis? Propheta ex parte responderit: Ecce ego, mitte me: & de sequenti tacuerit, intelligens nullum hominem dignum esse, qui Deo pergeret, & omne iter suum eius faceret esse, qui mitteret.* Aut nullus, aut rarus homo est, qui sic Deo militet, vt nullam aliam viarum suarum vsuram spectet, nisi obsequium diuinum. Et forsitan aliquis reperiatur, qui hoc efficiat, nimirum, qui solum Deum, & nullam aliam vtilitatem viarum suarum intueatur, sanè id minimè præstabunt turbæ, minimè id aget multitudo, quæ spe proprij lucri maximè inescatur, & capitur Miratur quispiam, quam aliter se Deus gerat cum Iob, & cum Apostolis; vbi de Iob pugnis agitur, campus à Deo decernitur, conflictus notantur, arma permittuntur diabolo, quibus virum iustum exagitet, nudet bonis, percutiat sanie, domo pellat, & sterquilinio, vt in palæstra statuat. Interea nihil dicitur ad Iob. minimè illi pugna explicatur, nec de coronis duplicandis fit promissio. Verum ibi cum Apostolis res agitur, nulla illis proponitur pugna cū diabolo, quin simul corona, & immortale lucrum
Matth.5. afferatur: sic Matth.5. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum, &c.* Cur ergo Iobo nil de præmio dicitur, & Apostolis dicitur, nisi quia in Apostolis multitudo hominum instruebatur, quæ nisi lucris inescata non capitur?
Pulcrè D.Chrysost.hom.3.de Iob, ait, *Si non dixit Iob, Quare ratione puri Apostolis dimicationem non tacuit? Solus Iob certauit, pro semetipso desudauit, Apostoli autem erant præcones terræ, orbisque Doctores: ipsi occultari poterat lucrum, sed vbi mundo detrimentum fuisset, potuerat Paulus sine coronæ promissione certare: sed non vbique Paulus, non vbique Petrus. Multorum animi infirmæ sunt.* Vbi vnius hominis causa agebatur, cuius virtus rara, cuius fortitudo præstantissima, bene dissimulantur præliorum coronę, negotiorū lucra; at vbi turbarum, vbi multitudinis aguntur causæ, non antea palæstra ostenditur, quam corona; non antea labor intimatur, quam lucrum asseritur inde reportandum Nec aliunde poterit turbarum affectus magis expugnari & rapi, quam ex conspectu vsurarum. Hoc vnum rete in manibus filij sui posuit Dominus, quo verrat orbem terrarum, quo vniuersas populorum ad se rapiat voluntates. Abacuc c.3. *Cornua in manibus eius, ibi absconditu est fortitudo eius.* Quæ sunt hæc cornua? Id est munera, largitiones, trophæa, imperia, regnā data sunt in Iesu manibus, quibus homines ditet, & impleat, in quo posita est tota fortitudo, qua in sui amorem, & sequelam vniuersos trahit. Sept.explicatius fantur, *Et posuit dilectionem robustam fortitudinis suæ:* puta robustam dilectionem, qua diligitur Iesus ardenter à sequacibus suis. Quò spectans D.Hieron.ait: *Idcirco regnum posuit pater in manu filij sui, vt faceret dilectum suum ab hominibus diligi non leniter, sed vehementer, & fortiter.* Qui tales manus habet plenas donis ad largiēdum, & similiter habebit turbas, quæ currant in odorem vnguentorum, in gustum munerum. Nil enim sic communiter rapit humanos affectus, quam spes lucri. Et facilius inuenies in multitudine, qui detestetur peccatum ob inanitatem, & falsitatem lucrorum, quam ob Dei offensam, id quod in prima peccatrice patet, quæ experta miseriam peccati, fallaciam serpentinæ promissionis, Deum offensum, & iratum, sic lamentatur, Genes.3. *Serpens decepit me;* satius diceret serpens me deiecit in peccatum, vel serpens occasio fuit, quòd Deū offenderem, quod Dei amorem amitterem, sed non iam hæc æstimat, quam promissionis, & lucri propositi inanitatem, & falsitatem hanc præ omnibus aliis detestatur, & dolet, vt cuius mens tota erat in lucris posita. Acutè Arnol.Carnot. de opere sex dierum, ait: *Deceptam se dicit, amplius dolens, quod diaboli promissio effectu caruerit, quam quod eius suggestioni assensum præbuerit.* Equidem adeò rapiuntur vsuris humanæ mentes, vt vel inde sequantur, vel detestentur aliquid, si vel vtile, vel inutile sibi inuenerint. Quo iam non miror illam filij prodigi vocem, apud Luc.c.15. nimirum, *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus.* Et meritò vbi multitudine eorum, qui in domo paterna abundabant, se excitare, & mouere cupiebat, mercenarios meminit, non filios, quia filius vnus erat tantum apud patrem, multitudo autem non poterat esse, nisi mercenariorum.

Chrysost. | Abac.3. | LXX. | Hieron. | Genes.3. | Arnold. | Luc.15.

Text. Subiit ergo in montem Iesus, & ibi sedebat cum discipulis suis. Erat autem proximum Pascha dies festus Iudæorum.

§. V.

Vt solus perfectus vir possit sedere, & quiescere; peccator autem, & imperfectus, & virga, & laboribus subiacere.

QVi Dominus à Ioanne in præsenti dicitur cinctus discipulis in montem subiisse, idem dicitur à Matth. Matth.14.
cap. 14. quod *exiens vidit turbas.* Ascendit cum discipulis, sed exiit ad turbas, scit enim perfectis, & imperfectis sese aptare. Et licet semper disponat ascensiones in corde suo, non tamen se alienat ab his, qui non ascendunt, sed solum per terram ambulant; immò, & nouit cum solum ambulantibus ambulare. Nec prætereundum silentio est, quam aliter exeat ad turbas, & ascendat cum discipulis. Ascendit cū discipulis, illos mille modis gratiæ suæ, & doctrinæ recreāt, vt qui sedebat cum illis. Exit ad turbas, quas itineris difficultate, & deserti incommodis affectas trahebat. Ad imperfectos enim exit Dominus, vt stimulus, quo percussi excitētur; ad perfectos autē ascendit totus gratiis, & sanuatibus plenus. De Iesu apud Isai. dicitur: *Egredietur virga de radice Iesse & flos de radice eius ascendet.* Et virga, & flos Iesus est, nō tamen, & flos, & virga eodē modo se gerit: vt virga exiit,
&

& flos ascendit; quia vt virga solum est inter imperfectos, & propter infirmitatem delinquentes, cum quibus pedetentim ambulat, & gradus facit: vt flos autem, quia inter floridos virtutibus viros est, nouas semper ascensiones meditatur.
Origen. Id quod expendit Orig. hom. 9. in Num. aiens, *Non videtur otiosum, quod exire dicitur virga, & flos ascēdere. Quamuis enim vnus sit Christus per substantiam, singulis tamen diuersus efficitur, prout indiget is, in quo operatur. Qui ergo senior est, & negligentior, pro disciplina fit ei Christus virga, & ita virga non ascendere dicitur, sed exire. Exeundum namque ei, qui segnis est, de eo statu, & transeundum ad alium statum. Qui verò iustus est, quia iustus sicut palma floret, in hoc ascendere dicitur Christus.* Sic nouit Dominus sese aptare suorum gressibus, vt cum imperfectis per macerationem, & castigationem carnis gaudiatur paulatim, & pedetentim gradus efficiat, cum perfectioribus
Genes. 28. montes ascendat, & perpetes volatus edat. Hinc Gen. 28. locutus Dominus ad Iacob, inquit, *Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac*, &c. Quibus verbis illud in primis notandum venit, nimirum, quod respectu Abraham dicatur esse Dominus, & Deus: verum respectu Isaac solum dicatur Deus: quod inde magis notandum est, quod in Domino quædam seueritas virgæ exprimatur, in Deo omnimoda sit suauitas, & beneficentia. Cur ergo, qui Isaaco solum se præbuit Deum gratiosum, & suauem, Abrahā Deum se præbuit, & simul Dominum rigorosum, & seuerum? Abraham non semper sanctus, immò in Vr Chaldæorum natus, altus, & educatus inter idololatras, & peccatores egit, is dum adhuc imperfectus erat, Deum seuerissimum, & rigorosissimum Dominum experitur, dum iubetur à patria cognatione egredi, & diu errare, & peregrinari super terram; Isaac verò à parentibus sanctissimis natus, & pie, & sanctè educatus Deum sibi omni gratiarum genere affluentem inuenit; nullàque castigatione egebat, vt proficeret in melius.
Philo. Accipite Philonem lib. de somnis loquentem. *Caue autem putes temere dici hic Abrahami Dominum, Deúmque, Isaaci vero Deum tantummodo: ille enim omissa externa, barbaráque lingua Chaldæorum vertit se ad cultum creatoris rerum omnium, cuiusmodi homini duarum potentiarum opus est auxilio dominantis, & beneficæ, vt & imperio, legibúsque Domini sit obediens, valdéque adiuuetur eius beneficentia. Alter vero sola indiget gratia, nec enim castigatione proficit in melius, innatam virtutem habens*, &c. Itaque turba hominum peccatis innutrita non statim ad sublimitatem quietis eleuanda est, sed paulatim virga agenda, & quasi cum scutica per macerationem, & carnis compunctionem deducenda est, vt idem Iesus exeat in virga ad imperfectos, & vt flos ascendat cum perfectis in requiem. Temere enim odit rigorem Domini, qui adhuc vnus è turba est, & turbatur erga plurima, cum solis perfectis viris detur optima pars sessionis, & quietis.

Text. Cum subleuasset ergo oculos Iesus, & vidisset, quia multitudo magna venit ad eum.

§. VI.

Oculorum custodiæ inuigilandum est.

MIror, quod inter Iesu facinora, id Euangelista meminerit notare, quod oculos subleuaret, rara sanè erat
Beda. in honestissimo Domino oculorum subleuatio. Bene Beda in cat. *Dixit cum subleuasset oculos Iesus, vt disceremus, quia oculos non erigebat huc, atque illuc, sed pudice sedebat attentus cum discipulis suis.* Ea erat in magistro mundi oculorum custodia, & modestia, vt merito posset notari, vbi & quando subleuaret oculos. Notata sit multorum calculo tuorum oculorum subleuatio, quisquis cupis calculum salutis habere. Ecce tibi, vnde generis humani salus primas rimulas
Genes. 3. fecit, & in miseram ruinam deuenit, Gen. 3. *Vidit ergo mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum.* Nota istud, *vidit*, & consue oculos si amas salutem tutius possidere. Grauiter D.
Basil. Sel. Bas. Sel. orat. 2. ait: *Ubi legem scriptam vides, ibi desiderium coërcet, ibi recusa eibi contactum, vt vitæ venenum. Auerte oculos ne ad transgressionem traducant: fuge spectare, vt saluari possis.* Quis obliuiscatur hæc tanti doctoris verba, nimirum, fuge spectare, vt saluari possis: quasi tota salutis spes constituatur in ictu oculi? Nec id nimis durum videbitur, consideranti florentissimorum regnorum excidia sæpe non tam à spiculorum, iaculorúmque ictibus, quam ab ictu oculi fuisse profecta. Scimus regnū Iuda ab Assyriis expugnatum, omniáque regia decora, & templi sanctissima vasa in Babylonē asportata, insuper etiam Assyriorum imperium vnica nocte euersum etiam nouimus; dum enim Balthasari rex in conuiuium concubinarum suarum educit Ierosolymitani templi vasa, manus apparet scribens in pariete regni mox futurum excidium: quod & factum est. Ecce tibi duo florentissima regna successiue perduntur: Assyrius vastat Iuda regnum, & transfert vasa, vnde & vastationem sui emercatur: sed scire cupis, qua ex causa tantorum regnorum excidia dimanarūt?
Accipe excidiorum radicem insinuatam 4. Reg. 20. vbi de 4. Reg. 20.
Assyriis hospitibus locutus Ezech. fatur, *Omnia quæcumque sunt in domo viderunt: nihil est, quod non monstrauerim eis in thesauris meis.* Viderunt, inquit, Assyrij; vbi autem ictus oculorum datur inordinatus, lethalis est, excidia etiam regnorum causat. D. Hieron. ad Eustochium de custodia virg. ait, Hieron.
Ezechias thesauros Dei monstrat Assyrijs, sed Assyrius non debuerunt videre, quod cuperent. Denique frequentibus bellis Iudæa conuulsa, vasa primum Domini capta, atque translata sunt eo; inter epulas, & concubinarum greges Balthasar potat in phialis, &c. Viderunt Assyrij, quod non debuerunt cupere, & inde bella, vastationes, captiuitates, mortes, sacrilegia, imperiorum excidia pullularunt. Et certè parum poterit de salute obtinenda gloriari, qui oculos suos vagare permittit: vnde nefarius ille vates Balaam tale dedit consilium Madianitis aduersus Israëlem, vt positis armis, bellicisque tormentis, totam rem excidij oculis Israëlitarum committant, obiicientes illis pulcherrimas Madianitarum virgines: sed præstat verba nefarissimi hominis ponderare, qui ad Madianitarum
regem sic loquitur Numer. 24. *Pergens ad populum meum dabo consilium, quid populus tuus populo huic faciat*, &c. Itaque Num. 24.
promittit consilium, quo populus Madianitarum obiectis fœminis faciat perditionem in Israël: sed hæc ipsa verba
contrario prorsus sensu reddunt Septuag. fantes, *Consulam tibi, quid populus hic faciet populo tuo.* Ecce tibi circa eadem LXX.
verba contrarissimas translationes, contrarissimos sensus. Vulgata consilium refert ad malum, quod Moab Israëli faceret: id quod intentum, & à rege, & à Balaam fuisse patet manifestè: Septuag. consilium referunt ad malum, quod facerent Israëlitæ Moabitis: & quidem vtrumque malum necessum est, vt nasceretur à consilio, quod rem non armis, sed oculis committebat. Etenim ab oculorum ictibus binæ nascuntur perditiones, & eius qui cernit, & eius qui cernitur. Sic ab hoc consilio, & Moabitarum ruina orta est, de qua Numer. 30. & Israëlitarum perditio,
de qua cap. 25. vt pulchrè dicit D. Basil. Seleuc. orat. 6. *Cum* Basil. Sel.
Madianitas ante deuicissent Israëlitæ, capti sunt amore mulierum velut in acie, cumque armis vincerent, oculis labebantur. Vbi iaculorum nihil faciunt ictus, solus oculorum ictus parauit excidia.

§. VII.

Is est Deus, qui videatur non posse non misereri.

VT vidit Dominus famescentes turbas, quasi nequit Dominus non agere de illorum subleuatione; quod exprimentes Matth. & Marcus, dicunt statim tactum misericordia esse. Non enim patitur esse egentes homines diuina clementia, adeò, vt quando Israëlitæ fame erant puniendi, à se iudicium illud Dominus abdicat, & Eliæ tradiderit,
veritus, quod ipse tandem parceret egentibus. Vnde Elias 3. Reg. 17.
3. Reg. 17. ait, *Viuit Dominus, quia non erit ros, neque pluuia, nisi per os meum.* Cur nisi per os Eliæ? An non satius à Dei ore penderet donum pluuiæ? Sed bene committitur Eliæ pluuiæ negotium illo tempore, non enim diuina pietas posset videre tantam hominum indigentiam, quin statim
subueniret eis. Quod meditans D. Basil. Sel. orat. 11. ait, *O lin-* Basil.
gua, quæ cœlum frænat, ô Domini in homines charitas, seruo permittit, res conditas gubernet! Reueritus siquidem est ardorem pietatis suæ, & Eliæ creaturæ habenas permisit. Vbi etiam egentibus non subueniendum erat, habenas rerum Eliæ Dominus permittit, quasi caueat sibi ab ardore pietatis suæ, nequit enim fieri, vt summa Dei pietas egentes videat, & non
curet statim subuenire. Meritò apud Isaiam cap. 49. aiebat Isai. 49.
Dominus, *Numquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.* Expende illud, *nunquid obliuisci potest*: tam patent materna viscera filiis suis, vt merito in dubium vocetur, an possit mater non misereri pignori ventris sui? quasi misericordia matris in filios, non tam sit opus liberæ voluntatis, quam opus naturæ. Et nihilominus Deus vincit in misericordia vniuersas matres, vtpote cui quasi minus liberum sit miserendi opus, & in quo misericordia erga indi

indigentes sic prompta appareat, vt opus naturæ videatur. 1.Cor.1. Quò spectat illud ad Corinth. 1. vbi Deus vocatur à Paulo *Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis.* Alibi sæpe vocatur Deus dominator terræ, vel Dominus cœli, & terræ, vbi verò de eius misericordia res agitur, non Dominus, sed Pater dicitur misericordiarum. Cur Pater, & non Dominus? An vt ostendatur misericordia in Deo iam prompta esse ad subueniendum, quasi non esset opus voluntatis, sed naturæ. Anselm. Id insinuat D. Anselm. ibi aiens, *ipse dico, Pater misericordiarum, quia ex visceribus eius proueniunt in nos misericordiæ eius.* Sic promptæ, & citæ, & certæ proficiscuntur à Deo in nos misericordiæ, vt plus videantur naturæ, quam voluntatis opus; à visceribus, quam ab arbitrio nasci. Id quod explicatius ait Philo lib. de mundi opificio, vbi fatur: Luc.15. *Deus ad benefaciendum natura propensus est.* Pater hoc Lucæ 15. in cœlesti patre: ab illo recesserat filius, qui post substantias dissipatas ad patrem reuertebat. Quid tunc pater? *Cum autem longè adhuc esset, vidit patrem suum, & misericordia motus est, & accurrit,* &c. Nondum filius terebat patris limina, nondum pulsabat ad ianuam, adhuc erat longè, & iam pater subleuat oculos, & cernit egentem, & misericordiam accelerat, quasi non posset amplius expectare, accurrit filio. Chrysol. Vnde hoc vidit? Pulchrè D. Chrysol. ser. 2. *Apud patrem non intercedit extraneus, intus est in patris pectore, qui intercedit, & exorat affectus. Vrgentur patris viscera iterum filium genitura per veniam.* Ecce tibi, vt est naturæ opus, opus misericordiæ, ad quod non iam arbitrium quam nescio, quo quasi coactu vrgentur, & feruntur viscera patris.

§. VIII.

Diuina misericordia lyncei oculi sunt, ad videnda subueniendi motiua.

NOn prætereundum est, quam cito Iesus vidit omnia motiua, quibus ad miserendum mouerentur, ait enim. *Cum subleuasset Iesus oculos, & vidisset,* &c. In primo oculorum ictu, statim inuenit, cur posset velle subuenire. Lyncea est Dei misericordia; ne prætereat vel leue motiuum, quo possit alicui subuenire. De filio prodigo ad patrem reuertente dicitur Luc.15. Lucæ 15. *Cum autem adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens,* &c. Adhuc longè à Deo erat, & nihilominus à Deo cernitur, & quidem qui longè adhuc à Deo est, vix parua aliqua habet, quæ vellet Deus aspicere, vel quæ in oculis diuinis possint apparere. Vnde ergo venit, quod à Deo parua, & minima opera, quæ minimè valent se approximare, nihilominus respiciantur à Deo. Facit incredibilis Dei misericordia, quæ lynceam vim exerit, ne vlla prætermittantur motiua miserendi, quamuis minima quamuis remota. Pulchrè in præsenti Euthym. Euth. ait: *O visum compatientis acutissimum, simul vt quis resipiscere animo cogitauit, hunc etiam simul ipse vidit: paratus semper ad eorum, qui conuertuntur, susceptionem.* Acutissimus est, lynceus est Dei miserentis visus, quo vel remota, & minima ad vitam aliquomodo venientia vidit, probat, admittit, Ioann.1. & in perfectum ducit. Ioan. 1. ad Nathanaelem dicebat Dominus, *Cum esses sub ficu, vidi te.* Et quidem sub ficu erant vniuersi peccatores, quando Adamus peccauit, & pruriginem carnis sentiens ficus foliis verenda contegit. Adumbrabat tunc ficus latitantes, & fugientes peccatores; nullus homo tunc cernebatur, non fugitiuus à Deo, non sepultus ingenti peccatorum caligine. Omnia tenebrosa tunc erant, omnia inaspectabilia, omnia reiectitia, & nihilominus inter tot tenebras, inter tot caligines peccatorũ, sic erat perspicax & acutus miserentis Dei oculus, vt vel minimum ex his, qui ad salutem venturi erant, cerneret. Et ficus opacabat, & peccatum obtenebrabat, & tamen agnellos suos Deus prospiciebat, & promouebat parua tunc misericordiæ media. Pulcrè Rupert. Rup. lib. 2. in Ioan. ait, *Vidit enim non solum Philippum, sed & omnes electos suos, cum essent sub ficu, vidit misericordiæ suæ oculus, id est, cum primus parens illorum solus mandati transgressor, consutis ficus foliis pudenda contegeret. Iam tunc vidit eos, & misertus est, iam disponebat misericorditer, qua illos ordine à præuaricationis reatu liberaret.* O visum compatientis acutissimum! Inter tot armenta peccati, inter prope infinitas caligines, vidit miserens Deus suos agnellos. Pusillus electorum grex, tam longè positus, & tanta peccatorum caligine, & mortis vmbra circumfusus, miserentis nihilominus oculis tangitur, cernitur. Isai.2. Isai. 2. apud Septuag. ait, *Ingredimini in petras, & abscondimini in terram à facie timoris Domini, & à gloria fortitudinis eius, quando surrexerit frangere terram. Nam oculi Domini sublimes.* Circa hæc verba pulchram quæstionem facit Procopius, cum ex vno capite diuinorum oculorum perspicacia commendentur adeo magna, vt nihil illam possit latere; & ex alio capite iubeamur abscondi a facie Dei confringentis terram. Quid enim est dicere, oculos Dei sublimes esse, nihil non videre, & postea iubere, vt fugiamus ab eis? Quid iuuat fugere in cauernas, si nihil Deum latet? Equidem iubemur fugere à Deo confringente terram, non à Deo miserente; imò fugitiuis, & reiectitiis hominibus hoc datur solatium, quod quamuis longissimè sint, quamuis defossa humo absconditi, quamuis tenebrosis cauernis circumfusi, ne desperent, quia oculi Domini sublimes adeò sunt, vt non possit illos latere vel minimus agnellus suus. Nec dum ibi agniculus primum dat balatum, & simul illum Dominus vidit, & agnoscit suum. Tertull. lib. de Præscript. ait: *Sed oculi, inquit Isaias, Domini alti. Homo in faciem, Deus in præcordia contemplatur. Et ideo cognoscit Dominus, qui sunt eius.* Tertull. Tota oculorum diuinorum perspicacia eo tendit, vt suos vel à minimis signis, vel longissimè positos cognoscat: nullúmque sit adeò paruum, conducens tamen ad suorum salutem, quod non videat; & qualemcumque occasionem salutis promoueat, & augeat. Id quod idem Isai. notabili, c. 42. de Iesu fatus. *Lignum fumigans non extinguet.* Isai 42. Vbi Procopius dicit, quod non desint, qui lini fumigantis appellatione vellent significari hominem terrenum, qui virtutis, aut pietatis scintillam exiguam sibi reliquam fecit. Hanc tamen scintillulam non prætereunt lyncei miserentis Dei oculi, sed potius illam approbant, & promouent.

§. IX.

In eleemosynis faciendis videnda est, & notanda maior necessitas pauperis.

DIsce à Magistro misericordiæ ordinem, quo se ad subueniendum pauperibus accingit, nimirum, prius subleuat oculos, vt videat turbas, antequam panes sumat in manibus. Cur hoc? Vt & tu prius notes oculis necessitates, & deinde minori præferas maiorem, ne exhausto penu circa minus egentes, non possis occurrere grauiter laborantibus. Sic monebat D. Ambros. lib. 3. offic. c. 16. *Non enim solas aures præbere debemus audiendis precantium vocibus, sed etiam oculos considerandis necessitatibus. Plus clamat operatori bono debilitas, quam vox pauperis. Veniunt validi, veniunt nullam causam, nisi vagandi habentes, & volunt subsidia vacuare pauperum: nec exiguo contenti maiora quærunt, ambitu vestium captantes petitionis suffragium, & natalium simulatione licitantes incrementa quæstuum: his si quis facile deferat fidem, cito exhauriet pauperum alimoniis profutura compendia. Modus adsit largiendi, vt neque illi inanes recedant, neque transcribatur pauperum in spolia fraudulentorum. Videndus est ille, qui te non videt, requirendus est ille, qui erubescit videri: ille etiam clausus in carcere occurrat tibi, ille affectus ægritudine mentem tuam personet, qui aures non potest.* Ambros. Hæc Ambros. fatur, à quibus aliquid decerpere piaculum foret, quibus docet non dedecere, quod à misericordi viro maior notetur pauperum necessitas, & quod taliter omnibus præbeat, qualiter maiori, & vrgentiori necessitati videatur prouidere. Id quod insinuat Psalm. aiens: *Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem.* Nimirum, qui cœco modo, & indiscriminatim non tribuit, sed potius aliquem necessitatis ordinem seruat, & attendit: iuxta quem monebat D. Hieron. Furiam de seruanda virginit. fatus. *Intellige super egenum, & pauperem, omni petenti te da, sed maximè domesticis fidei.* Hieron. Maximè attendendi sunt, & spectandi illi, qui specialiorem aliunde accipiendi rationem habent. Vnde Clemens Roman. apud D. Damascenum, lib. 2. Parallelorum, cap. 16. inquit. *Beatum sane est super omnem pauperem, & egenum intelligere: quo nimirum prudenter egeno, ac pauperi quis tribuat, motus videlicet cura, ac diligentia bonis prospiciens, qui ob virtutem & pietatem in paupertatem, & penuriam inciderunt, aut etiam in eos, quos morbi, vel casus aliqui in egestatem coniecerunt, quam in eos, qui ob flagitia, vel profusos sumptus in paupertatem redacti sunt.* Cl. Rom. Subleuandi sunt pauperes, sed cum iudicio subleuandi, ita vt suum quisque ordinem habeat, & seruet; ne dum aliis intendimus succurrere, maior obligatio despiciatur. Id quod cauebat Isai. c. 58. *Frange esurienti panem tuum, cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam non despexeris.* Isai. 58. Explicatius Septuag. *Domesticos seminis tui non despexeris.* LXX. Non sic subleuandi sunt accedentes, & occurrentes pauperes, vt propinqui egentes despectu maneant, sed horũ indigentia præcipue est spectãda,

suble

D. Thom. subleuanda. Quo refert D. Thom. in cap. 5. epist. 1. ad Timoth. illud Cant. 2. *Ordinauit in me charitatem*, vt charitas, quæ à Deo est in subueniendis pauperibus ordinem habeat, sciens, quibus prius, & magis, quibus secundo, & minus oporteat opem præstare.

Text. Dixit ad Philippum: Vnde ememus panes, vt manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eúm, ipse enim sciebat, quid esset facturus.

§. X.

Boni gubernatoris est non velle omnia suo nutu gubernare, sed aliorum etiam expectare consilium.

OMnigena sapientia præditus Dominus dignatur à Philippo interrogare, qualiter turbis subuenire posset, vt in hoc præstantissimi gubernatoris specimen ponat, quod dignetur aliorum consilia petere, & expectare. Clauum Ecclesiæ acceperat Petrus, & volens pro Iuda alium in *Act. 1.* Apostolatu numerare, sic loquitur, Act. 1. *Viri fratres oportet impleri scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os Dauid de Iuda. Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intrauit, & exiuit inter nos Dominus Iesus incipiens à Baptismate Ioannis, vsque in diem, qua assumptus est à nobis, testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis, statuerunt autem duos.* Non enim cum Ecclesiæ gubernaculo electiones sibi faciendas præsumpsit, sed & ad illas aliorum fratrum consilia, & calcula expectauit. De Chrysost. quo sapienter notat Chrysostom. hom. 3. hæc fatus. *Cur non solus à Christo postulauit, vt ipse daret aliquem substituendum in locum Iudæ? Deinde cur non potius per se ipsos perficiunt electionem? iam Petrus erat se ipso factus melior. Hoc ad priorem quæstionem responsum esto.* Quo ergo quis melior fit, eo minus sibi arrogat in principatu, eo plus fidit consiliis fratrum. Sapientissimus, & sanctissimus erat Moyses, & à Deo acceperat ingentis populi principatum, de cuius incrementis cum ipso Deo quotidie ore ad os loquebatur, vt solet amicus cum amico loqui. Huic tamen viro ausus est barbarus homo Iethro dare consilium de populi gubernatione. Et quid Moyses? An ad Deum iuit interrogare de accepto consilio? An suspectum habuit consilium non da- *Exod. 18.* tum à Deo ipso? Audi textum Exod. 18. vbi sic. *Quibus auditis Moyses fecit omnia, quæ ille suggesserat.* Optimus vir non putauit accepisse à Deo populi gubernaculum, vt ipse suo nutu, nullo spectato consilio fratrum etiam inferiorum Origen. gubernaret, & ideo dato consilio statim paruit. Origen. ibi fatur. *Moyses, qui erat homo mansuetus super omnes, accepit consilium inferioris, vt formam humilitatis populorum principibus daret.* Iam inde fideles gubernatores instruebantur, qui nullius consilium detractarent, qui non adeò sibi arrogarent principatum, vt propriæ solum prudentiæ fiderent. Hinc deuastati populi erectionem, & suscitationem pro- *Isai. 1.* mittebat Dominus apud Isaiam, cap. 1. dicens. *Restituam iudices tuos, vt fuerunt prius, & consiliarios tuos sicut antiquitus. Post hæc vocaberis ciuitas iusti, vrbs fidelis.* Expende, quod non promittit se restituturum, siue erecturum ciuitatem; solum dicit, quod restituet iudices cum consiliariis, & post hanc restitutionem iam vocabitur ciuitas, & erit vrbs, vbi enim iudex bonos consiliarios auscultat, hoc solum sufficit, vt restauretur, & confirmetur ciuitas. Huius occasione Basil. ait D. Basil. in cap. 1. Isaiæ. *Sacra quædam res est, consilium, voluntatum vnio, fructus dilectionis, humilitatis insigne. E diuerso intolerabilis est superbiæ argumentum existimare se nullius egere consilio, sed vni sibi attentum esse, quasi solus posset sibi consilio decernere, quæ optima sunt.* Ille princeps præclarissimus est, qui nihil efficit sine sapientum consilio: nec quicquam petit Dominus prius à principibus, quam vt consilia *Sap. 6.* auscultent. Sap. cap. 6. *Audite ergo reges, & intelligite iudices finium terræ. Præbete aures vos, qui continetis multitudines.* Et quidem à consiliorum auscultatione felicitas regum *Iob 1.* sumit auspicium. Inde ad felicitatem Iob dicitur, cap. 1. *Quod erat in terra Hus*, nimirum, in terra consilij, Hugo Card. iuxta interpretationem Hugonis Cardinal. Prou. 8. vt & splendor regius tanti viri commendaretur ab acceptis consiliis.

§. XI.

Pecuniarum amor præcipuè à Christi schola abdicatur.

NOn quærit vnde panes educemus; vnde tantæ fami occurremus, sed notanter ait: vnde ememus panes, vt aduertere faciat, quam longè ab schola Christi sint pecuniarum sacculi. Non difficile discipulis Christi in deserto suppeditari copiam panis, qua ingentem hominum multitudinem satient, sed difficillimum, quod Christianæ disciplinæ non absit pecuniarum sagulus. Quia in denariis erat imago Cæsaris, iubet Iesus Iudæis tributum Cæsari dare, vt sic quæ sunt Cæsaris, Cæsari reddantur: sed & cum ipse postularetur de denario, Matth. 17. ait Petro. *Matth. 17.* *Vade ad mare, & mitte hamum: & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius, inuenies staterem, illum sumens da eis pro me, & te.* In quibus illud venit in primis ponderandum, nimirum, quo mittatur Petrus, vt vel staterem habeat, non ad arcam, non ad sagulum domi clausum, sed ad mare, vt de ore piscis requirat denarium, adeo à Christi limine pecuniæ absunt. Præclarè Origen. homil. Origen. 3. in Matth. *Nam quia neque ipse habebat eam imaginem, quæ petebatur, neque discipulus suus, docet vbi valeat reperiri imago, quæ quæritur. Vade, inquit, ad mare, & mitte hamum, & cum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperies os eius, & cum inueneris staterem, dabis pro me, & te. Neque ego habeo hanc imaginem, neque tu, si tamen verè discipulus meus es, si portæ inferi non præualent aduersum te.* Neminem sic de imagine sua signat mundus, quam in quo pecuniæ amorem inuenerit; is præ cæteris peccatoribus tenebrarum principi obsignatus est, qui pecuniis indormit. Quam longissimè à Christi schola, à Christi discipulatu pecuniarum absit amor: ille verè discipulus Christi est, cui nec stater est in arca, est in sagulo, sed in mari, hoc est, quam longissimè à corde suo. Nec inuenire est in Christi discipulatu, qui vel staterem vnum in crumena sibi reponat, qui & simul non apponat sibi obligationem ingentis supplicij, adeò, vt in domo discipuli Christi, nunquam inueniatur sagulus pecuniarum, sine verberum adiuncto sagulo. De proditore Iuda auarissimo discipulo dicitur, Ioan. 12. *Fur erat, & lo-* *Ioan. 12.* *culos habens, & quæ mittebantur portabat.* Sanè penes auarissimum hominem seruabantur totius collegij Apostolici victualia, ipse autem de suæ auaritiæ calculo loculos habebat, thesauros faciebat, quibus peculiolas occludebat, obseruabat: sed expende illud, *loculos habens.* An non sufficeret, si haberet loculum? Pauperrimi collegij nummi adeò pauci erant, vt vel in parua crumena possint claudi; cur cremenas, cur loculos addit Iudas? Sanè auarus Christi discipulus, nunquam potest vnum solum habere loculum, & thesaurum, necessum est, vt plures simul habeat thesauros; nam vbi vnus est ad pecunias, nequit non esse alius ad verbera asseruanda. Necessum est discipule auare, vt non thesaurum, sed thesauros facias, alterum, quo pecunias, alterum, quo thesaurizes tibi iram in die iræ. Ita D. Bernar. in Declamation. ait: *Iudas non loculum, sed lo-* Bernard. *culos habet, vtinam saperes miser, & intelligeres, cum thesauro pecuniæ, thesaurum iræ pariter cumulari.* Nunquam in Christi discipulatu inuenitur thesaurus pecuniæ sine iræ, & supplicij thesauro.

§. XII.

Non exactiones, & tributa in subditos, sed iusta principum expensa pecunias affluenter ministrant.

PRoh Regem regum, & Dominum dominantium Iesum: populi necessitatibus vt occurrat, vide quid in principum suorum proponat comitiis. *Vnde*, ait, *ememus panes, vt manducent hi?* O bone Rex, non habes pecuniam, & quæris ex quo loco annona emenda sit? Prouide tibi prius pecunias, vel saltem, non vnde emas, consule, sed vnde exigas. Annona meditanda exactio? An ars aliqua, & industria colligendis pecuniis introducenda? Nihil de pecuniis agit nobilis princeps, paratus non exigere aliena, sed impendere sua, qui vnicus, & certus pecuniarum fons solet esse principibus. Tarentinorum Pyrrhique bellis confracti Romani in summam pecuniarum penuriam deuenere, qua egestate pressi Iunonis idolum consulunt, & remedium precantur. Quibus idolum respondit, vt Suidas fert apud Giraldum Syntagmate 3. *Si iustitiæ armis vtamini,* Girald.

pecunia vobis non defutura. Et consilium probauit rerum euentus; dedit enim iustitia pecunias, quæ ad victoriam sufficerent. Id quod eo mirabilius est, quod notat D. Nazian. orat. ad Iulian. exactorem, ex bellis tributa nata fuisse, & exactiones, quasi impossibile putaretur bella sustentari sine tributorum adminiculis. Abscedat hæc persuasio à mente principum, quando & ipse omnis iustitiæ osor non exactiones, sed iustitiam consulit, vt superfluant pecuniæ. *Psalm. 38.* Psalm. 38. *Mutuabitur peccator, & non soluet, iustus autem miseretur, & tribuet.* D. Ambros. lib. 3. offic. cap. 8. *& fœnerat.* Quasi ingentia lucra, & fœnora non ex iniquis pactis, ex impositionibus duris, sed ex iustitia pullulet. Miraris lucra ex iustitia manare? Et quidem ex iustitia hi pecuniarum fontes nouerunt scaturire, qui extinguant omnem auari sitim. Inter prælia mille, & occasiones sumptuum constitutus rex Dauid clamat *Psalm. 22.* Psalm. 22. *Dominus regit me, nihil mihi deerit.* Mille petebatur bellis Dauid, vndique circundabatur hostium exercitibus, quo in puncto, etiam Crœsi, & Midæ peterent exactiones, requirerent subditorum subsidia: & nihilominus hic fatetur, nihil desiderare, omnia sibi suppetere à Deo affluentissimè. Sed quid donauit Dominus Dauidi, quo sic impletus est, vt nihil requirat? Donauit illi virtutum, & iustitiæ thesauros, quibus tanta bonorum copia acquiritur, vt satiari possit auarissimus. *Chrysost.* D. Chrysost. in Caten. Græca citatus, ait. *Nihil deerit*, inquit. *Magnum est cum Deo non peccatur, donat sapientiam, prudentiam, temperantiam, & iustitiam. Cum ista non defecerint, quid quærit amplius?* Dum iustitiam serues, tot scaturient bona, vt nihil maneat, quod auarus sitiat. Et habendi cupiditas satiabitur, auri sitis extinguetur, propter bonorum copiam, vbi iustitiæ custodiendæ totus incumbas. *Rom. 13.* Paul. ad Rom. 13. sic monebat. *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem.* Cur inter tributa, vectigalia addidit, & timorem? Fallor, nisi timorem ideo apposuit tributis, & vectigalibus, vt ostendat quo sale condienda sint tributa, vt ad principum emolumentum conducant, vt vel auarissimi hominis sitim penitus extinguant. Etenim vbi Dei timor intercedit, & per eum iustitia, sic omnia supereffluent, vt non habeat, quid cupiat auaritia. Huc spectat Nazianz. orat. ad Iulian. Exactorem, inquiens, *quia reipublicæ administratione nomen ducitis, quæ Cæsaris sunt, Cæsari reddite, & quæ Dei, Deo; illi vectigal, huic timorem, timorem autem cum dico, auaritiam prohibeo.* Quippe tributorum exactor non permittat, vt exactio fiat sine Dei timore; sine iustitia, vbi enim hæc intercedit non manent, quæ quærat auarus, explebitur ipsa auri sitis. Hæc tua cura sit, nec aliorum iniuria viuas, sed iustitiam serues, & proculdubio impleberis diuitiis. *Deut. 2.* Deut. 2. *Cibos emetis ab eis pecunia, & comedetis: aquam emptam haurietis, & bibetis, Dominus Deus tuus benedixit tibi omni opere manuum tuarum.* Ecce fontes benedictionis diuinæ: fontes vniuersi augmenti, quod nec aquam sumas, quin iustum pretium exhibeas, & hoc dicebat Dominus exercitibus Israel, *Mich. 3.* quia vniuersi politici status fulcrum est iustitia. Michæas cap. 3. *Audite hæc principes domus Iacob. Qui ædificatis Sion* *Theop.* *in sanguinibus, & Ierusalem in iniquitate*, apud Theophylactum, *in iniustitiis. Propter hoc causa vestri Sion arabitur.* Et quidem nullum regnum stare potest, cuius fundamentum est iniuria, & iniustitia.

§. XIII.

Turpissimum est, nec nummis comparare velle vitæ æternæ ingressum.

NEc casu ait Iesus: *vnde ememus panes*, cum posset dicere, vnde adducemus, vel vnde nobis erunt, sed maluit dicere *vnde ememus*, vt ostenderet, & primum, & facilius medium ad vitam æternam habendam in eo etiam esse, quod pecuniis possit emi. Venalis est vita æterna, quam Iesus pretioso sanguine emit; quam post Iesum fortes viri innumeris laboribus, doloribus, contumeliis, vitæ, & honoris professione quotidie emunt, quam & tu, siquidem infirmus ad labores & mortes sustinendas, pecuniis potes emere. *Cyrill.* Quò referendus est D. Cyrill. Ierosolym. Catech. 9. vbi sic loquitur. *Poterit sanè aliquis per pecunias iustificari: Esuriui enim, inquit, & dedistis mihi manducare, omnino id per pecunias. Et vis nosse, quod bonæ, & opes possunt esse ostia regni cælorum? Vende omnia, quæ habes, inquit, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælis.* Quid gratius audire possunt diuites? Potes homo iustitiam, sanctitatem, cælestem gloriam pecuniis emere, si pecunias inter pauperes effundas. Quod vel sanguine multi emunt, tu pecuniis potes emere. Quis tantum mercatum prætereat! Quis nolit emere cœlum, quando tam vilibus pecuniis potest acquiri. Luxi aliquando ego miseram virginum fatuarum conditionem: & virginitatis gloria fulgebant, & non minus vigiles, quam prudentes inueniuntur, & nihilominus extra sponsi domum manent exclusæ. Cur virgines tam miseræ excluduntur, causa notatur à Matth. 25. *Non sumpserunt oleum secum*, hoc est, iuxta multorum explicationem, eleemosynæ opera non exhibuerunt. *Matth. 25.* Sed id attigit pulchris verbis D Ambros. lib. de Ioseph, cap. 7. inquiens, *Denique illæ virgines in Euangelio, quas veniens sponsus exclusit, ideo foris relictæ sunt, quia venale oleum non emerunt, vnde dicitur eis, Ite potius ad vendentes.* *Ambros.* Merito, quæ nactæ sunt iustitiam venalem, quam pecuniis erogatis emere possent, exclusæ ab sponso sunt, quia parentes pecuniis noluerunt emere. Equidem turpissimum est, & damnatione dignum, quod quis negligat pecuniis emere vitam, Genes. 42. *Audiens Iacob, quod alimenta venderentur in AEgypto, dixit filiis suis: Quare negligitis? Audiui, quod triticum venundetur in AEgypto, descendite, & emite nobis necessaria, vt possimus viuere, & non consumamur inopia.* *Genes. 42.* Quippe intolerabilis negligētia est, quod possis viuere in æternum per pecuniarum erogationes, & contemnas tam vili pretio tantam emere salutem.

§. XIV.

Viri vitiosi minimè in consilium adhibendi sunt, etsi prudentissimi videantur.

VIde cum quo de subueniendis turbis agit Dominus nimirum cum Philippo, ait enim ad Philippum, *vnde ememus*. Et ibi aderat Iudas: & ipse custos erat eorum quæ ad victum Apostolici collegij habebantur. Cur ergo non magis procurator, & custos victus adhibetur in consilium de habendis panibus? Sanè bonus princeps, bonus pater familias potuit pati malum ministrum suorum, verum nefarium, & vitiosum virum a consiliis habere non potuit. Pulchrè D. Ambros. lib. 2. offic. cap. 12. hanc rem tractans, *Ambros.* ait. *Quomodo eum potes iudicare consilio superiorem, quem videas inferiorem moribus; supra me debet esse, cui me committere paro. An verò idoneum eum putabo, qui mihi det consilium, quod non dat sibi? & mihi eum vacare credam, qui sibi non vacat; cuius animum voluptates occupent, libido deuincat, auaritia subiuget, cupiditas perturbet, quatiat metus. Quomodo hic consilij locus, vbi nullus quieti?* Vtinam de tanti doctoris halitu vniuersi suspectos habeamus consiliarios, quos praui mores infamant. Seductio enim est, non consultatio, quoties voluptuosum virum, & vitiis plenum consultantem audis, licet alioquin prudentissimus appareat. Et quidem in serpente typum posuit Dominus prudentiæ Christianæ dicens. *Estote prudentes sicut serpentes*, nihilominus, quia serpentis verba Eua auscultauit, inquit Paul. 1. ad Timoth. 2. *1. Tim. 2.* *Adam non est seductus, mulier autem seducta in præuaricatione fuit.* Adam audiuit Euam, & Eua serpentem; cur ergo non dicitur Adam seductus, & dicitur Eua seducta? Quia Adam auscultabat sociam fœminam, mille virtutibus pollentem, in qua nullus apparebat fallaciæ aditus. Eua autem serpentem adit, serpentem auscultat, in quo nihil ordinatæ rationis nouerat esse; vnde seductio erat, quod audiretur serpens, non erat seductio, quod audiretur Eua. Ne dubites seductionem esse, quoties voluptuosum, brutisque moribus viuentem hominem audis, & si alioquin prudentissimus videatur. Vnde monebat Ecclesiast. *Eccl. 37.* cap. 37. *A consiliario serua animam tuam.* Et ne putes omnes consiliarios suspectos, legit Hugo Cardin. *A consiliario* *Hugon. Cardin.* *malo*, & statim explicat, quis sit malus consiliarius, nimirum: *qui malè viuit.* suspectus debet esse, qui male viuit in omnibus suis consiliis, ne seducat. Sit ergo, vt ait Eccles. cap. 6. *Eccl. 6.* *Consiliarius vnus è mille.* Non vnus è corrupta hominum fœce, sed vnus è mille, nimirum, ait Hugo supra, *Aliquis ex perfectis*, quasi bonus, & perfectus vir esse debeat, à quo petam consilium, fieri enim vix potest, vt qui in suis moribus turpiter errat, in aliquo scopum attingat. Saul, 1. Reg. 18. misit lanceam in Dauidem, sed *1. Reg. 18.* non attigit illum, de quo D. Basil. Seleu. ait *Basil. Sel.* orat. 15. *Ab scopo oberrans mores suos manifestauit.*

§. XV.

§. XV.

Alienum ab Ecclesiæ principibus tempus insumere in petenda ratione pecuniarum.

A Philippo quærit Dominus, vnde panes emat, & id non quærit à Iuda, cui commissa erat cura crumenæ, ne videretur rationem pecuniarum creditarum exigere. Indignũ enim esset quod Apostolici viri putarẽt sibi licere tempus insumere in examinandis œconomis, & pecunia-
Bernard. rum rationibus exigendis. Vnus D.Bernard. hæc eleganter edisserit lib.4. de consideratione ad Eugen. vbi sic. *Quid Episcopo turpius, quam incumbere supellectili, & substantiola sua, scrutari omnia, sciscitari de singulis, morderi suspicionibus, moueri ad quæque perdita vel neglecta? Ad verecundiam dico quorundam eiusmodi scrutantium quotidie omnem substantiam suam, numerantium singula, de minutis, & quadrantibus exigentium rationem.* Non hæc cura honorat, sed potius onerat, & turpat Apostolicum virum, cuius est vigilare pro animarum custodia, sese sacturis exponere pro commissi gregis commodis. An non turpissimum est, litteraturis pecuniarum exigendarum, negotiantiúmque scriniis, & venditionum, emptionúmque schedulis occupatum videre hominem, cui populorum doctrinæ, cœlestium clanes
Psalm.70. sunt commissæ? Hanc à se depellebat maculam Psalm.70. dicens: *Quia non cognoui litteraturam, introibo in potentias Domini.* Quid est, introibo in potentias Domini? Hugo Card. explicat, *introibo in prælationem*: quasi hæc sit vox electi ad prælaturam, quem sicut scientia, & rerum diuinarum ornat sapientia, sic etiam valde indecorat ignorantia schedularum, emptionum, & œconomorum literaturæ. Ad gloriam
Genes. 39. Ægyptij principis dicitur Genes.39. quod vniuersam substantiæ suæ curam commiserat seruo Ioseph: *Nec quicquam aliud nouerat nisi panem, quo vescebatur.* cur non potius similis ignorantia ornet Sacerdotem Christianum? Rem pro-
Bernard. sequitur eleganter D.Bernard. vbi supra fatus. *Alioquin ille Ægyptius, qui Ioseph omnibus creditis, ignorabat quid haberet in domo sua. Erubescat Christianus Christiano suo non credens. Mira res satis superque Episcopi ad manum habent, quibus animas credant, & quibus suas committant facultatulas non inueniunt. De pretio escarum, & numero panum cum ministris quotidiana discussio est cura admodum cum presbyteris celebratur collatio de peccatis populorum.* Hæc, & alia congerit Bernard. in eos sacerdotes, qui sic inuigilant in exigendis pecuniarum rationibus.

§. XVI.

Regij consiliarij prorsus alieni sint ab auaritia.

INsuper à Philippo notanter quærit Dominus: quia illa
Ioan.14. est vox Philippi apud Ioann.14. *Ostende nobis patrem, & sufficit nobis.* Ille enim præclarus consiliarius est Regi, qui nouit aliquando dicere, *sufficit*, hoc est, qui habendi plura cupiditate non tenetur, qui quęstus non torretur siti. Memi-
2.Cor.8. nistis D.Paulum 2.ad Cor.8 dicentẽ sic: *consilium in hoc do*, & sępe alias se consiliũ dare manifestė affirmat, & nullus alius Apostolorũ inuenitur, qui ita expresse, & manifestė se consiliarium prædicet. Cur ergo Paulus sic se audet consilia-
Ad Ph.4. rium nominare? Sanè ille ipse de se dicebat ad Philipp.4. *Ego autem didici in quibus sum sufficiens esse*: ne miremur consilium esse penes Paulum, hominem, qui sciebat di-
Ambros. cere, *sufficit*. Ita D. Ambros. lib.2. offic. cap.17. inquiens. *Ideo boni vir consilij dicit: Ego autem didici, in quibus sum, sufficiens esse. Sciebat enim omnium malorum radicem esse auaritiam, & ideo suo contentus erat, alienum non requirebat. Satis mihi, inquit, est, quod habeo, siue parum, siue plurimum habeam, mihi plurimum est: signato verbo vsus est. Sufficit mihi; inquit, in quo sum: idest, nec deest, nec superfluit. Non deest, quia nihil quæro amplius. Non superfluit, quia non soli mihi habeo, sed pluribus.* Ecce tibi quibus se notis prodat boni vir consilij; nimirum, quod sciat dicere, sufficit, quod plura habendi non torqueatur desiderijs. Ille optimorum consiliorum est vir, qui scit in rebus acceptis sufficiens esse; qui nihil nouit
Eccl.37. egere, quia plura habendi cupiditate non solicitatur. Ecclesiast. cap.37. sic fatur. *A consiliario serua animam tuam. Prius scito, quæ sit illius necessitas: & ipse enim animo suo cogitabit; ne forte mittat sudem in terram, &c.* Examinandus est, antequam eligendus, consiliarius; sed in quo examinandus? An in prudentia? An in solertia, & perspicacia? Minimè, sed examinandus est de indigentia, de necessitate terrenorum commodorum. Itaque non in prudentia, sed in necessitate, & indigentia examinetur consiliarius; si plura famescat, si semper indigeat, si in nullis sibi sufficiens sit, & famelico consiliario princeps caueat, *Ne mittat sudem in terram.* Hoc est. ne terrenis suis lucris figat princi-
pis animum. Id quod in præsenti attigit Hugo Cardin fa- H.Card.
tus. *Ideo primo considera, qualis sit consiliarius, quam et conscientias, ne forte sit terrenum eius consilium, & te per cupiditatem figat in terram, & suum consilium confirmet pro terreno commodo.* Cauendi maximè sunt à principibus ij consiliarij, quorum consilia eo tendunt, vt lucra sibi congerant; nec aliò spectant, quam vt principis animus terrenis bonis acquirendis omnino defigatur, quo ipsi maiora sibi lucra acquirant. Hic est scopus in consilijs suis hominum auarorum, hominum, qui in ardenti auri siti sunt, qui nunquam nouerunt non egere, nec sciunt dicere, sufficit. Auarissimus ille diues, cuius ager feraces tulerat fructus, se in
consilium vocabat, Luc.12. dicens. *Quid faciam?* Quæ verba Luc.12.
ponderans D.Basilius homil. in ditescentes, statim arguit Basil.
consilij pernitiem; & hominem exprobrat, quod auari vtatur consilio, à quo nihil vtile poterit emanare. Ait enim: *Ex te ipso capias consilium. Planè imprudentis victus consiliorio.* Meritò imprudentem consiliarium vocat hominem auarum; quid nouum, quod sit imprudens consiliarius? immò stultus, immò crudelis, immò malignus, & perniciosus
est. Sic D.Zeno, in præsenti fatur. *Stulto consiliario vsus es* D.Zen.
temetipso: deliberans enim ais. Quid faciam, consequens vtique erat te de talibus deliberantem dicere: Aperiam horrea mea; & replebo esurientes animas pauperum. Sed tu nihil tale non solum proloqueris, verum ne cogitas quidem, quinimo communia omnibus hominibus inuadis beneficia diuina; tuam vero ipsius animam malignis consilijs excrucias. Et quando auarus homo non stultus consiliarius, non communium bonorum inuasor? Quando ab homine auaro consilia malignantia non prodiere? sanè auarissimus homo Balaam corruptus muneribus regis Moabitarum, totum animum posuit, vt pessima maledictionis verba iaceret in Israel, sed à Deo præuentus nunquam potuit, sed etsi ducebatur muneribus, tamen semper protestabatur se non maledicturum. At tandem vbi audiuit à rege promissa sibi munera negari, nisi male-
diceret, sic ait Num.24. *Nonne nuntijs tuis, quos misisti ad* Num.24.
me, dixi: Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti & auri, non potero præterire sermonem Domini Dei mei: verumtamen pergens ad populum meum dabo tibi consilium, &c. Rex malectionem petebat, non consilium; at auarus homo muneribus illectus negat se posse dare maledictionem, sed confidenter offert consilium pessimum. sed qui sciebat se non posse emittere maledictionem, ideóque illam promittere non audebat, vnde sciebat futurum, vt posset malignum consilium dare? Cur sic audet illud promittere? Faciebat hoc auaritia eius, cui tam essentialia sunt maligna consilia, vt merito posset præsumere, dum se videt auri sitientem, per nullam potentiam esse impediendum, quominus destructiua populorum consilia eueret. Defecerunt in ore auari hominis maledicentia verba; verum non defecit malignum consilium, & Israëlis, & Moabitarum regnis peperit ruinam.

§. XVII.

Non tam magnificat principem multa pecunia, quàm vnus bonus consiliarius.

INdecorum putares, quod Rex regum, & Dominus dominantium in tantas se ostendat redactum angustias, tantamque indigentiam, vt Philippum consulat de emendis panibus quibus tanti populi fami succurrat. Verum nulla principes dehonestat penuria, quibus bonus consiliarius suppetit. Non mihi crede faciunt auri segetes florentem principem. Sed consiliarius optimus. Proponite vobis ob oculos vnum florentissimum Ægypti regem Pharao-
nem. cui Genes. 42. adeò placuit consilium Ioseph, ad Genes.42.
præueniendam famem iam iam regno imminentem. Et dicite, vter gloriosior Regi. thesaurus ingens pecuniarum, an hic vnus consiliarius bonus, nimirum Ioseph? Quæ-
stionem tollit D.Ambros. lib.2. officior. cap. 15. inquiens: Ambros.
Quanta vtilius regem Pharaonem Sanctus Ioseph consiliario prudentia iuuit, quam si contulisset pecuniam. Pecunia enim vnius ciuitatis non redemit vbertatem. prudentia totius Ægypti per septennium famem repulit. Facile autem peruanio consilio mitas, consilia exhaurire nesciunt. Non tam diuitibus regem, si
offeras

offeras ei montes aureos, quam si offeras vel vnum optimum consiliarium. Dauid vbi accepit rebellionem Absaloni, & quod post illum ibat vniuersum Israelis regnum, fugæ se commisit, & hoc vnum videtur curasse, vt cum domesticis, & amicis fugeret, nihil à Deo visus est precari; vbi autem sic fugeret, 2. Reg.15. *Nuntiatum est Dauid, quod Achitophel esset in coniuratione cum Absalon, dixitque Dauid, Infatua, quæso Domine, consilium Achitophel.* Nunc primum verba profert, quibus se superium auxilium ostendit egere; nunc primum pro bono regni preces fundit, quia nunc primum nouit a se præstantissimum Achitophelis consilium deficere, & ad Absalonem transire. Tacitus audit Israelis copias Absaloni seruire, & ad Absalonem transire, at vt audiuit Achitophelem etiam in coniuratione esse, non potuit tacere, & non sentire se tanti hominis consilio destitui, & vereri illo munitum Absalonem magis, quam infinitis prope militibus cinctum. Sic æstimabat bonus rex vnum bonum cõsiliarium præ omnibus alijs regni muniminibus. Adde, quod dum sic pergit Dauid, accessit amicus eius Chusai Arachites fidissimus etiam consiliarius, & prudentissimus, à quo vnam solam rem postulat rex Dauid. Et quod postularet rex a regia electus, iniquo bello petitus, per deuia errans? An postulauit pecunias, quibus se munire posset? An postulauit milites, quibus hosti occurrat? Nihil horum petit, sed vt se simulate ad Absalonem conferat, *& dissipabis, ait, consilium Achitophel.* In summa egestate constitutus, nihili pecunias, nihili thesauros regios, nihili arma æstimat, nec horum meminit; vnum animo voluit, vnum desiderat, vnum timet, nimirum, Achitophelis consilium. Equidem consiliarius bonus præ omnibus diuitijs, & copijs munit principem. Pulchrè Prouerb.8. *Accipite disciplinam meam, & non pecuniam, doctrinam magis, quam aurum eligite, melior est sapientia cunctis opibus, & omne desiderabile ei non potest comparari.* Hæc dicebat optimus consiliarius, cuius sapientiæ plenis consilijs, haud dubium, quod ornetur princeps longè felicius, quam auro Crœsi, aut Midæ.

2. Reg.15. — *Prou.8.*

§. XVIII.

A principum postulationibus ingentes tentationes veniunt in consiliarios.

NOn prætereundum illud textus, nimirum: *Hoc autem dicebat, tentans eum*; & sane postulatio, siue exactio principis vehemens est tentatio eorum, a quibus petitur consilium. Quis ferat principem postulantem? Quis audeat illi non grata respondere? Ecclesiastes cap. 8. *Sermo regis potestate plenus est, nec dicere ei quisquam potest: quare ita facis?* Quæ verba paulò argutius exprimit versio Veneta aiens. *Est in verbo regis potentia quædam, & quis poterit dicere ei: quid facis?* Equidem in singulis verbis regis vis est, & potestas quædam, quæ auditores suos, & consiliarios maxime torqueat, diuexet, reddat anxios; hoc pauide cogitantes, quomodo accipienda sit a rege, vel quem finem habitura sit sua responsio plena periculo: nam cum suæ ipsorum vitæ, & gloriæ arbitrium, & potestas penes regem sit, magni erit discriminis, magnæ solicitudinis ab eius nutu, & libidine posse tantisper deficere. Hunc agonem, hanc solicitudinem inferunt suis consiliarijs singula verba, singulæ postulationes, singuli nutus principum. Quò respicit ille fastus Achaz, Isaiæ cap.7. cum enim moneretur rex improbus, vt peteret à Deo signum, sic ait. *Non petam, & non tentabo Dominum.* In quibus verbis verior sententia apud glossam, superbientem regis animum agnoscit. Et D.Bernard. 2 in Aduentu, ait, quod cum illa diceret: *Elatus erat Achaz fastigio solij regalis.* Equidem superbissime suam regiam potestatem extollens a signi petitione abstinet, quasi Deo parcens, ne Deo, vt cæteris solent, regiæ postulationes inferant solicitudinem, & anxietatem. Putabat impius tantam esse posse vim in regum verbis, vt eorum postulata possent vel ipsi Deo tentationem afferre, & periculum maximum. Quam superbissimi hominis mentem præclarè exprobrat Isaias, apud Septuag. fatus. *Audite iam domus Iuda, numquid parum vobis agonem exhibere hominibus, & quomodo Domino exhibetis agonem?* Impietas est sic præsumere de regijs postulatis, quod tam Deum, quam homines possent æque tentare, & in agonem deducere. Non est Dei, sed hominis tentari, & in angustum deduci propter regum postulata. Contenti sint reges, quod habeant hanc potestatem erga homines; & quidem

Eccles.8. — *Isai 7.* — Bernard. — LXX.

erga hos sic potentes sunt, vt vel ex nutu, & libidine regis difficillimæ tentationes, & agones veniant in consiliarios. Sanè 3. Reg.22. dum rex Israël cuperet profectionem ad bellum, Michæas adductus est ad regem: *Cui rex ait, Michæa ire debemus in Ramath Galaad ad præliandum, an cessare?* Non aliud verbum facit rex, tantum hanc proposuit quæstionem, qua sic torsit animos consiliariorum, sic duriter tentauit, vt ipse Michæas caderet, nisi Dei fortitudine fuisset confirmatus. Id quod alius edisserit Michæas, cap.3. *Verumtamen ego repletus sum fortitudine spiritus Domini, iudicio, & veritate, vt annunciem Iacob scelus suum, & Israel peccatum suum. Audite hæc principes,* &c. Expende illud, *repletus sum fortitudine Dei,* non enim humana fortitudo sustinere posset regium verbum, quin ad nutum voluntatis eius concideret, sola Dei fortitudo in Michæa existens non tentata est verbis regis, sed illis libere, & animose respondit. Cuius rei habeo etiam auctorem Rupert. lib.1. in Michæam componens Vatem vtrumque. Nec mireris solam Dei fortitudinem non tentari verbis Regum, quibus ea est potestas, quæ vim posset etiam fortissimis inferre. Nonne fortissimi erant viri Dauidis? sic erant fortissimi, vt ad exercitum Saulis non pauerent, vt incredibilia pericula animose subirent, vt nullis laboribus frangerentur. Hi fortissimi anxie cupiebant interficere acerrimum hostem Saulem; ad quos sic eorum Princeps Dauid loquitur, 1. Reg. 24. *Viuit Dominus, quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies eius venerit, vt moriatur, aut descendens in prælium perierit, propitius mihi sit Dominus, vt non mittam manum meam in Christum Domini. Et confregit Dauid viros suos sermonibus.* Ex Hebræo legit Caietanus *Et confregit Dauid viros suos verbis.* Non multum esset, quod princeps longo sermone quidquid vellet suis persuaderet, facit etiam hoc priuatus homo, sed ad Regem illud spectat, quod vel verbulo, vel nutu voluntatis suæ eam inferat contritionem viris fortissimis, qualem non inferrent mille prælia; vt nutu Regis sic constantissimi alias viri afficiantur, vt non tam persuasi, quam confracti manere videantur. Et quem non afficiant Regis colloquia, præcipuè si illi obtemperandum est? vis etiam videre columnam Israeliticæ religionis turbatam, & afflictam ex simplici interrogatione Regis? Cupiebat Nabuchodonosor somni interpretationem percallere, cuius rei gratia vocat Danielem nobilissimum, & constantissimum Dei Prophetam, cui ait Dan.4. *Tu ergo Baltbasar interpretationem narra festinus: quia omnes sapientes regni mei non queunt solutionem edicere mihi: tu autem potes, quia spiritus Deorum sanctorum in te est.* Hæc tantum rex, & quid Daniel? *Tunc Daniel, cuius nomen Baltbasar, cœpit intra semetipsum tacitus cogitare, quasi vna hora: & cogitationes eius conturbabant eum.* Cur tantus vates per integræ horæ spatium conturbationem sustinet? An quia interpretationem nesciebat? Absit. Sciebat somni interpretationem, haud iucundam fore Regis libidini, & ideo tanto tempore conturbatur, & solicitatur, qualiter Regi respondeat, quin veritati deroget, & consulat regio culmini. Carthus. ibi: *Cogitabat Daniel, qua ratione regio culmini seruaret honorem, nec tamen absconderet veritatem, ideoque per illam horam præmeditabatur Daniel, quemadmodum sine iniuria veritatis, & offensa regis responsum suum componi, & ordinari oporteret.* In has angustias, & afflictiones coniiciuntur regij consiliarij, incredibiles enim anxietates patiuntur etiam constantissimi, qui vt debent se se opponere inordinatæ regis voluntati, & dura renunciare, mille replentur periculorum curis. Et tunc præclarè muneri satisfaciunt suò, si in angustum redacti diu meditantur qualiter ordinent, siue responsum, siue consilium, siue disciplinam, vt sine offensa regis, regio culmini seruent honorem, & veritati non officiant. Etenim vt peccant, qui morem principi gerunt, sic peccant, qui constantiæ ambitu in principum disciplina nullum honorem habent regio culmini.

3. Reg 22. — *Mich 3.* — Rupert. — *1. Reg.24.* — Caiet. — *Dan 4.* — Carth.

Text. Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, vt vnusquisque modicum quid accipiat. Dicit ei vnus ex discipulis eius Andreas frater Simonis Petri: Est puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces, sed hæc quid sunt inter tantos?

§. XIX.

§. XIX.

Vbi diuina panduntur, bonorum omnes creati fontes arctantur, diſparent.

IAm ſe ſe Dominus accingebat, vt diuinitatis opera in doois exhibendis, & populis ſaturandis exerceret, & io Philippo, & Andrea omnes beneficæ creaturæ coarctantur: ſic ad fulgentiſſimi Solis ortum ſtellæ diffugiunt omnes, diſparent. Abraham iugulaturus filium, iam ſtringit gladium, nihil cunctatur. Cur qui adeò deſiderauerat patrem fieri, & cognoſci patrem, modo paternum diſſimulat affectum, & patrem abſcondit, filium nactans? in filij ſui caſu diutoi filij mortem auſpicatus, vbi Deum nouit patrem eſſe, erubuit ſe ipſe oſtendere patrem. Id quod ponderabat Franc. Franconius Abb. tom. 3. de Gratia fatus, *Quia Deum patrem cognoſcit Abraham, patrem ſe eſſe neſcit.* Fugiunt humanæ charitates, humanæ beneficentiæ ſe ſe abſcon- 3. Reg. 17. dunt, vbi ſe diuina charitas manifeſtat, & pandit. Elias 3. Reg 17. muneraturus viduam, ait, *Hydria farina non deficiet, nec lecythus olei minuetur vſque ad diem, in qua Dominus daturus eſt pluuiam ſuper faciem terra.* Cur Elias non extendit amplius dona ſua, ſed ſolum vult, vt durent, vſque dum Dominus pluat? Equidem vbi Deus daturus eſt pluuiam, iam dona hominis apparere grauantur. De quo pulchrè Baſil. Sel. D. Baſil. Seleuc. orat. 33. ait, *Exiguus farina modius cum tempore non imminuebatur, ſed quantum in vſus natura abſumebatur, tantum gratia refundebat. Vt cecidit pluuia, auolarunt Elia dona.* Equidem creaturarum dona euolant, diſparent, vbi Deus incipit in homines irrorare. Et velim, notes illa pulcherrima verba, nimirum, *auolarunt Elia dona*, quibus lucem afferam non paruam Ezechielis viſioni de animalibus. Iſaia 6. Notiſſimæ enim ſunt viſiones factæ Iſaiæ, c. 6. & Ezechieli, Ezech. 1. c. 1. vtrique Deus apparet, illi ſedens in throno; huic curru vectus, ſub vtrinſque aſpectu veniunt Dei miniſtri pennati: hi apud Iſaiam ſenis prædiri alis: *Duabus alabant faciē eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* Hebraicè, pro *faciem eius, faciem ſuam.* quo apparebant Seraphini facie, & pedibus obuelati, ſed reliquas corporis partes adeò manifeſtas habentes, vt viſæ ſint manus tollere prunam de altari, & mundare prophetæ labia: ſic enim habes, *Et in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari. Et tetigit os meum.* Hæc apud Iſaiam, Ezechieli autem Cherubini pennati apparent minimè, & pedibus obuelati, velabant tamen corpora ſua, & item velabant notanter manus ſubmittentes illas ſub alis, ait enim, *& manus hominis ſub pennis.* Vnde Theod. meritò à Theodoreto vocantur, *Manus ſub alis abſcondita.* Cur ergo throno aſſiſtentes Angeli velant faciem, & pedes, & oſtendont manus? Verum currui aſſiſtentes aperto capite, & pede, manus velant, illaſque ſubmittunt alis? Sanè vtrobique id velant, in quo immenſe exceduntur à diuinis perfectionibus, tunc præcipuè manifeſtatis. Io throno rigor iuſtitiæ pandebatur, quo Deus aduerſus peccatores iraſcitur, & dum ſic iraſcitur, quidquid ab eius Apoc. 1. ore excidit, gladius vtraque parte acutus eſt Apoc 1. Nec à pedibus eius aliud præter calcationem poteſt expectari, Iſai. 63. quippè ait Iſaiæ 63. *Calcaui eos in furore meo*, vbi throni ponantur, & ſedeat iudex, non ſperet peccator gratiarum munera, non ſpectet Dei beneficas manus, ſed pedum calcationem, ſed oris gladios. Ideò Angeli nunc temporis velant facies ſuas, & pedes ſuos, vt qui minimè ſciant ſic in ira vomere gladios, & calcationes facere; verum audent manus oſtendere, quorum dona, etſi minima, etſi calculi menſuram non excedant, tamen non mediocria videbuntur iis, aduerſus quos vniuerſi diuinarum gratiarum habens, tunc temporis clauſi appareot. Longè aliter euenit apud Ezechielem, vbi per currum ſignificatur Dei ad homines aduentus, & inclinatio, ideò ibi ſimilitudo filij hominis, hoc eſt, benignitas, & humanitas ſeruatoris noſtri apparet, & reuelatur hominibus Dei brachium Iſai 53. Iſaiæ 53. in quo facit potentiam, Luc. 1. dum nos ſuis be- Luc. 1. neficiis ditat: propterea Angeli iuxta tantam diuini brachij magnificentiam, non audeot manus ſuas manifeſtare, ſed eas abſcondunt, & ſubmittunt ſub alis, quia vbi Dei largitas ſe pandit, ſubito auolant, & diſparent vniuerſa dona creaturarum.

§. XX.

Ad neceſſitates regias ſubleuandas nullius antea, quàm puſillorum, & pauperum recula à miniſtris proponuntur.

SImulat ſe Rex regum panibus egere, vt venientibus popolis proſpiciat, & conſilium etiam ſimulat a ſuis petere. Quid tunc Andreas Petri frater? *Eſt puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſces.* Sic ſic Principum conſiliarij, ſic regij proceres remedia regni, remedia vrbium Principi ſuggerunt de minimorum pauperum reculis: puſillorum panes, & piſciculi proponuntur, vt Monarchiæ viuant. Veniunt ecce quotidie tot prouinciæ, tot regna ſub Principe, quot vix ingentes Indiarum theſauri ſuſtentare ſufficiant. Vnde ergo ſuſtentabuntur? Iam nota eſt diuitum vox, nimirum, *eſt puer hic habens quinque panes hordeaceos*; exigantur puſillorum panes: pereant pauperes, vt gloria populorum viuat. Non ad altorum, ſed ad puſillorum penum reſpiciunt diuites, vt remedia præſtent inclinatæ Reipublicæ. Pulchrè Saluian. Saluian. lib. 4. Guber. Dei, inquit, *Ecce enim remedia pridem a nonnullis vrbibus data, quid aliud egerunt, quam, vt diuites cunctos immunes redderent; miſerorum tributa cumularent, vt illis demerentur vectigalia vetera, iſtis, vt adderentur noua, illos, vt deceſſio etiam minimarum functionum locupletaret, iſtos, vt acceſſio maximarum affligeret? Illi, vt eorum, quæ leuiter ferebant, imminutione diteſcerent; iſti, vt eorum, quæ etiam ferre non poterant, multiplicatione morerentur: ac ſi remedium illud alios illuſtriſſimè erigeret, alios iniuſtiſſimè necaret; alijs eſſet ſceleratiſſimum venenum. Vnde aduertimus, quod nihil eſſe diuitibus ſceleratius pateſt, qui remedijs ſuis pauperes perimunt: & nihil pauperibus infelicius, quos etiam illa, quæ pro remedio cunctis dantur, occidunt.* Neſciunt crudeliſſimi diuites remedia prouidere malis, niſi de pauperum ſubſtantia, de puſillorum pernicie. Huc reſpiciunt vniuerſa diuitum conſilia, nihil aliud ſciunt, vnde poſſint hauriri bona, niſi de pauperum laboribus. Pſalm. 10. *Sedet in inſidijs cum diuitibus in* Pſalm. 10. *occultis, vt interficiat innocentem. Oculi eius in pauperem reſpiciunt, rapere pauperem, &c.* Expende illud, *ſedet cum diuitibus*, ſignificatur enim diuitum conceſſio, ſiue conuentus, ſiue comitia, quibus quid magnum diuites tractant ad regni confirmationem, & rationem ſtatus conducens, ſed quid prius io his conuentibus, in his comitiis diuites reſpiciunt? *Oculi eius in pauperem reſpiciunt, rapere pauperem, dum attrahit eum.* Vnam ſubſtantiolam pauperum reſpiciunt diuites in conuentibus ſuis, vnde exactiones, ſiue rapinæ poſſint agi. Id pene Theodoretus fatur in Cat. Græca, aiens, *In con-* Theod. *uentibus & in conceſſibus ſedens inſidias quaſdam, & arcus in innocentes parat. Quemadmodum leo, huc, & illuc oculos conuertens, prædam quærit.* Leo nunquam ad leones reſpicit, ſed ad infirmiora animantia, quorum ſanguine leonum ſpecies ſuſtentatur. Sic diuites, & potentes in conſeſſibus ſuis ſolas infirmorum, & puſillorum ſubſtantiolas præ oculis habeot, vnde regnorum negotia debeant ſuſtentari. Epulo ille miſer, adhuc diuitis mentem retinens in ipſis inferni tormentis, videns Abrahamum, & Lazarum, ſic clamat Luc. 16. *Pater Abraham, miſerere mei, & mitte Lazarum,* Luc. 16. *vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam.* Sanè nouerat Abrahamum, & diuitem, & hoſpitalem virum, & ſcientem accurrere peregrinis egentibus, & nihilominus adeo diuites Abrahami manus præteriens ad Lazari confugit digitulum. Id quod in quæſtionem vocans Euſeb. Emiſſen. ibi fatur, guttam aquæ de digito Lazari diues quæſiuit; ſed quare de digito Lazari? Cur non potius de hoſpitalis Abrahami cellariis? Cur non de ſuperſtitum fratrum diuitiis aliquid petit ſibi remitti ad ardoris remedium? Acurè D. Chryſol. ſerm. 125. *Adhuc diuitem ma-* Chryſol. *litia non deſerit; adhuc in Lazarum ſic crudelis.* Equidem facit hoc antiquata diuitum malitia, & crudelitas, quæ pro remediis parandis neſciunt aliud reſpicere, quam pauperum ſubſtantiolas; prætereont ſimilium manus plenas diuitiis, & in digitulos pauperum oculos coniiciunt, vt de damno pauperum ſibi, & Reipublicæ remedia prouideant. De impiis aiebat Pſalm. 57. *Furor illis ſecundum ſimilitudinem ſer-* Pſalm. 57. *pentis.* At de diuitibus queritur Petr. Dam. quod ſerpentes P. Dam. excedant io furore: quippè ait epiſt. 15. ad Alexandrum 2. *In quo, nimirum, nobilior eſt ſerpentina virulentia, quam humana crudelitas; ſerpens enim fugit hominem nudum, aggreditur cum morſibus, quem cernit indutum.* Verum diuites indutis parcunt, & nudos perſequuntur.

§. XXI.

Natura etiam diuina qualiter inuenta est minus habens, vt diuini amoris repleret thesauros.

VBi diuini amoris largitas erga homines adumbranda erat, quid mirum si Philippus, si Andreas, si omnes creaturæ deficiant; ipsissima Dei natura angusta videtur amori. Cur enim apud homines mendicaret potestas creatoris aiens, vnde ememus panes, vt manducent hi? Angusta equidem inueniebatur aliquo modo immensa Dei natura, quæ nisi de homine sibi adiuncto, summæ pro hominibus charitati non satisfaceret. Cum enim duo sint, quæ amantem produnt, & de eo quodammodo triumphant: omnibus rebus (quibus licet) amato benefacere, & atrocia eius causa perpeti: posterius longè maius amicitiæ indicium est, quam prius. Deo autem cum pati non liceret; posset verò homini benefacere, summæ lateret semper documentum charitatis, manerétque ignotus supremus amor, nisi quam ex se non habebat, ab homine adiuncto passionem emendicaret. Id pulcherrimis verbis explicat doctissimus Auctor Græc. Nicol. Cabas. lib. 6. de Vita Christi, vbi post multa fatur, *Adeò magni nos æstimat Deus, vt cum pro nobis fecisset omnia, quæ Dei natura patiebatur, non quiesceret: sed ad aliam naturam se daret, qua ad idem æque vteretur, vt quæ persuadere non poterat, eo quod Deus esset, ea homo factus posset, & per vtraque, tum domestica, quæ veniens afferebat, tum extranea, quæ assumpserat, charum sibi ad amicitiam suam adiungeret.* Maximè sunt expendenda illa verba: *cum pro nobis fecisset omnia, quæ Dei natura patiebatur, non quiesceret; sed ad aliam naturam se daret,* quippè diuina natura nihil non fecit, vt amorem in homines demonstraret; magnis se se facinoribus diuinus amor pandebat, sed dum se passionibus non ostendebat, in nullo diuinitatis opere quiescebat, semper quærens, & emendicans, vnde pateretur. Hac fame patiendi cruciabatur Dominus, cum ait ad Philippum: *Vnde ememus panes, vt manducent hi?* Quasi ostenderet se ipsum frumentum esse, quo Iudæorum dentes molliretur, vt satiarentur homines, & quiesceret ipse; sed vnde hoc fieret, desiderabat. Quod Iesu desiderium nouit Abb. Cellens. lib. de panibus, c. 1. inquiens. *Domine Iesu non quæras id à Philippo, quære à proditore tuo. Hic habet marsupium vnum cum Scribis, & Pharisæis, hic insidiatur sanguini tuo.* Non Philippus, sed Iudas materiam dabit, vnde fames patiendi impleatur, vnde diuinus amor nihil indigeat, sed immensè se prodat pro hominibus. Etenim vbi per Iudæ proditionem, damnationem mortis Iesus incurrat, nil habet, quod famescat eius amor, saturabitur enim opprobriis, & summum opus manifestationis suæ pertinget. Quæ enim maior charitas, quam, vt animam ponat quis pro amicis suis? Vt hanc exhibeat charitatem Deus, non à se, sed ab aliis emendicare, & accipere debet; à Maria virgine petat carnem, à Iuda petat vnde dolores, & mortes capiat, quibus sese summus in homines amor pandat. Hinc est, quod in amatorio illo Eucharistiæ ferculo, inter dulcissimas dapes, inter charitatis Christianæ fomenta, mortis suæ admiscuit memoriam, vt ostenderet, quo maximè quiescit, & triumphat amor. Ait enim Paul. 1. ad Corinth. 11. *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* Cur mortem hominis, potiùs quàm alia facinora Deitatis, nisi mors super omnia facinora amanti gloriosa? Pulchrè D. Petr. Clun. epist. contra Petr. Brusian. ait. *Quare mortem Domini? Quare non similiter dixisti, ò Apostole, incarnationem Domini, natiuitatem, vel quod maius videretur, resurrectionem Domini, Ascensionem Domini, quando dixisti mortem Domini? Quare illa, quæ gloriosa videntur dimisisti, & quod erat ignominiosius elegisti? Vt ostenderem, inquit, istud opus eius præponderare omnibus operibus eius.* In hoc diues summè est diuinus amor, qui indigus videretur in aliis, semper desiderans, & quærens, vnde posset pati.

Græc. — Cellens. — 1. Cor. 11. — Pet. Clu.

§. XXII.

Abstinentia, vt vitiorum regna deuastat.

ECce tibi in Christiana militia qualem suis alimoniam Dominus paret. *Est puer hic habens quinque panes hordeaceos, & duos pisces.* Pisces, & hordeacei panes sunt apud nobilem ducem Iesum; nec miror, quandoquidem hordeacei panes & exercitium confirmarent Christianum, & vniuersa peccati regna deuastarent. Nullo enim sic virtus infirmatur, quam lautis mensis; & nullo sic vitiorum regnum cadit, quam abstinentia. Ierem. 52. *Euertit muros Ierusalem per exercitum Princeps coquorum Babylonis.* Non iam ab æreis machinis, quam à coquina virtus Christiana expugnatur, sed quod mille dapum exercitus in virtutes faciunt, id in vitia conficit abstinentia, imò id conficit vel hordeaceus panis. Apud Iud. cap. 7. dicit vir proximo suo: *Videbatur mihi, quasi subcinericius panis ex hordeaceo volui, & in castra Madiam descendere, cumque peruenisset ad tabernaculum percussit illud, atque subuertit, & terræ funditus coæquauit.* Non sic Princeps coquorum aduersus Ierusalem durus, & vnus panis hordeaceus aduersus Madiam. Ille euertit Ierusalem, hic funditus Madianitas perdit. Pro quo D. Nilus in Ascetico, ait. *Quemadmodum enim muros Ierusale, id est, animæ pacificæ Princeps coquorum Babylonis destruxit, ventris voluptatis obsoniorum condimentis irritans; sic Israelitarum panis hordeaceus voluitur, & Madianitarum tabernaculum subuertit. Frugalis enim victus voluenda proficit, & libidinis vitium prosternit.* Nunquam non sciuit abstinentia vincere; etsi cum fornace vitiorum flammanti congrediendum sit, flammæ deuictæ recognoscent ieiunij, abstinentiæque vires. Non ne tres Hebræi pueri vilibus leguminibus pasti Dan. 3. cum ardenti fornace pugnant, & vincunt? Sed audite D. Chrysost. hom. de Iona santem. Humana corpora cum igne pugnabant, & victoria corporum monstrabatur, vidisti admirabilem pugnam; vidisti admirabiliorem victoriam. Mirare igitur ieiunium: quando enim, & in flamma prodest, & in lacu leonum subuenit, & spiritus propulsat immundos. Vbique abstinentia vincit, vbique parcus, & vilis cibus infractas ostendit vires & vitiorum fornaces, & ardentes cupiditates, & Sathanæ regnũ funditus perdit, sanè aduersus peccatorum pene infinitam multitudinem hæc sola arma suggessit suis Rex Niniue, dicens Ionæ c. 3. *Homines; & iumenta, & boues, & pecora non gustent quicquam.* Niniue malitia maxima erat, peccata plurima, Sathanæ vires ibi penè insuperabiles, discrimina summa; & tamen aduersus hæc omnia vnum ieiunium obiicit Rex sapiens, quasi illud præ omnibus armis valeat ad deuastandum regnum peccati. Sic ad populares suos loquitur hic Rex apud D. Ephr. *Vos in bello reges victi estis, nunc precibus Sathanam vincere studete. Egrediamur deinceps castra nostra; & forte cum ipso bellum committamus. Exuite thoraces, & induite saccos, pharetras abiicite, & ad preces confugite, relinquite enses, & quærite fidem. Tela confringite, & ieiunium suscipite.* Confringantur licet omnia bellica tela, dum ieiunium pro te habes; vere habes, quo ignita Sathanæ tela depellas, eiusdem regnum denastes, & omnia in pace afferas. Nec sua se opinione fefellit Rex Niniue, ieiunium prædicans, vt hostiles peccatorum impetus depelleret, & ciuitatem suam confirmaset. De quo supra aiebat Chrysost. *Videtis, quod non inaniter proclamabat ebrietatem declinandam, non ieiunium formidandum? Nam ebrietas, & luxuria flantem euerterunt ciuitatem: commotam ieiunium solidauit.* Nec iam mirabor, quod Angelus ille, qui Iudic. 13. fortissimi Samsonis natiuitatem præparabat ieiunium in primis matri commendasset, quasi à ieiunio solo posset tanta fortitudo nasci, quæ alienigenarum populos deuastaret. Sic enim habet. *Concipies, & paries filium. Caue ergo, ne bibas vinum, ac siceram, nec immundum quicquam comedas, quia concipies, & paries filium: & ipse incipiet liberare Israel de manu Philistinorum.* Quæ verba ponderanda sunt, vt pateat, quam certo à ieiunio nascatur inuincibilis fortitudo vitiorum expugnatrix. Ad hæc D. Basil. hom. de ieiunio, ait. *Quid fortissimum Samsonem expugnabilem reddidit? Nonne ieiunium per quod in matris vtero conceptus est?* Ieiunium concepit, ieiunium nutriuit, ieiunium fortem effecit. Sic à ieiunio adolescit fortitudo aduersus vitia.

Ierem. 52. — Iud. 7. — Nilus. — Dan. 3. — Iona 3. — Ephr. — Chrysost. — Iudic. 13. — Basil.

Text. Dixit ergo Iesus, Facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco, discubuerunt ergo viri numero quasi quinque millia.

§. XXIII.

Terrena quies populariter à Deo conceditur, non singularibus, & strenuis viris.

SVper fœnum discumbere iubentur turbæ Christum sequentes; populariter enim concedit Deus has terrenorum bonorum quietes. Sic Deut. 5. dicebat Moysi de populo. *Vade, dic eis, reuertimini in tentoria vestra; tu verò hic* Deut. 5.

sta

sta mecum, & loquar tibi omnia mandata. Quod ponderans Damianus epist. 39. fatur. *Cæteris quippè in catam sua tentorio delectabiliter quiescentibus seruus Dei non residere iubetur, sed stare cum Domino.* Permittitur carnis fœnum popularibus, vbi sedeant, vbi terrenis bonis aliqualem potiantur quietem, quando Dei serui solis donantur spiritualibus, & æternis.
Genes. 13. Gen. cap. 13. loquitur Dominus ad Abraham: *Omnem terram, quam circumspicis, tibi dabo, & semini tuo vsque in sempiternum.* Vbi omnem terram promittit, terrena bona omnia intelligit; sed miraberis, quod tantum virum tam religiosum, tam hospitalem, tam Dei, proximique amatorē terrenis delitiis, terrenaq; requie muneret Dominus. Ita ne Abrahamus vilibus munerandus? Absit: immò, vt hanc suspicionem tolleret, dixit Dominus: *Tibi dabo, & semini tuo*, vt ostenderet terrenam illam quietem populis ex Abrahamo nascituris procurari, non ipsi Abrahamo, qui iuxta Paul. ad Hebr. 11. fide demoratus est in terra repromissionis, quasi in aliena: expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex, & conditor Deus. Itaque non Abrahamo, sed populis nascituris promittitur, & permittitur terrena quies.
Stepha. Id quod explicuit D. Stephan. Act 7. aiens. *Et non dedit illi hæreditatem in ea, nec passum pedis, & repromisit dare illi eam in possessionem, & semini eius post ipsum, cum non haberet filium.* Notanter exprimit terrenam promissionem factam esse semini Abrahami, cum non haberet filium, vt monstraretur terrena quies parari populis inde nascituris, non Abrahamo, nec Isaaco, qui in casulis habitando, vt magni, & singulares viri, non terrena, sed spiritualia spectabant, & diuina. Hæc solum nouit Dominus porrigere suis præstantissimis fidelibus, & singularibus amicis, quibus id
Matth 8. solum permittitur petere Matt. 8. nimirum: *Panem nostrum quotidianum.* Vel vt significantius Græce. *supersubstantialem da nobis hodie.* Non humanarum deliciarum fœnum, non terrena, & fluxa gaudia petat fidelis, sed supersubstantialem panem, nempè Christum, hunc petat, hunc spectet; cætera gaudia popularibus à Deo conceduntur. Quo refertur
Tertull. Tertull. de orat. dom. inquiens. Christus panis noster est. Panem enim peti mandat, quod solum fidelibus necessarium est, cætera etiam nationes requirunt. Ita ibi. Se se singulares Dei amici à popularibus discernant, ne caducarum fœnum ament; ne super ollas carnium sedere concupiscant, ne terrenis incumbant, vnum Christum panem viæ
Deut. 32. verum spectent, illique soli inhient. Deut. 32. sic notabat Dominus duorum Israëlis ducum vitam. *Iungeris populis tuis, sicut mortuus est Aaron frater tuus in monte Hor, & appositus populo suo, quia præuaricati estis coram me, &c.* Non otiose dictum est, quod præuaricatores hi carnalis populi duces apponantur populis suis, quasi inter populares, & multitu-
Gen. 35. dinem numerentur, etenim aliter Gen. 35. dicitur Isaac iuxta D. Ambr. lectionem, appositus ad genus suum. Cur hic ad genus suum apponitur, & non ad populos suos? Quippè, qui adeò præstans vir erat, vt terrena omnia gaudia, imò & vitam ipsam pro Deo contempserat, solum Deum spectans minimè inter populares; sed singulariter in spe, & gloria
Ambros. constituitur. D. Ambr. lib. 1. de Abel. cap. 2. ait. *Pulchrè autem ad genus ait, non ad populum, sicut de aliis. Nam illi non tam præstantes; præstantior autem, qui paucorum similis fuerit, & non plurimorum. Qui ergo Dei erat gentius promissione, qui ad sacrificium probandæ pietatis electus superni illius generis, non plebeiæ vilitatis imitator asserendus erat.* Et quidem aliter plebei, aliter strenui viri munerantur à Deo.

Text. Accepit ergo Iesus panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus. Similiter ex piscibus quantum volebant.

§. XXIV.

Iesu manus vincit creaturarum appetitus voluntatum, & omnes indigentias humanas.

HVc accede, quicunque fugientia mundi pocula captas, & cum à Iesu manibus annonam spectas, explica voluntatem, vt appareat: prius voluntas satiabitur, quam Iesu
Cellens. largitas cessabit. Vnus pro mille Cellens. Abb. lib. 3. Epist. 4. hoc pulcherrimis verbis tractat. *O Iesu conuiuatoribus tuis quis sapor in faucibus? Quis odor in naribus? Quis splendor præ oculis? Quæ auditus modulatio? Quæ cordis iubilatio? Nil infra votum, supra omnia abundant gaudia. Explicat se voluntas ad volendum, vel etiam ad volandum, & non sufficit, supercurrit eituin, quia vasa deficiunt. Hic manus dantis largior, & accipientis rarior. Sola hæc ministrorum indigentia, quia pauci sunt quibus fiat ferculorum distributio.* Modo velim componas illa verba, nimirum, *explicat se voluntas ad volendum, vel etiam ad volandum*, cum illis in texu positis; videlicet, *Distribuit discumbentibus, quantum volebant.* Equidem creata voluntas nequit sic se explicare ad concupiscendum, vt à Iesu manibus non appareat satiata; vbi à Iesu manu dona veniunt, sic superabundant, vt nihil, quod voluntas humana posset vltra velle, relinquant. In hoc, sicut in aliis plusquam Salomon est Iesus: de Salomone munerante reginam Saba dicitur 3. Regum 10. *Dedit Reginæ Saba omnia quæ voluit, & petiuit ab eo, exceptis his, quæ vltro obtulerat ei munere regio.* Apud Septuagin. sic vltima verba habent: *Præter ea, quæ dedit ei per manum Regis.* Et manus regis dedit, LXX.
& vlterius data sunt alia quæcunque Regina voluit. Maior equidem Iesus Salomone, vbi namque Iesus manu largitur, non relinquitur amplius, quod velle posses. Explicat se voluntas ad volendum, immò ad volandum, & vt ad manus Iesus peruenit, tanta ibi inuenit, vt nil aliud requirat. Vna est Iesu manus, quæ sic valet explere omnia creata desideria. Esdræ 1. cap. 7. magnificentia Regis Esdr. 1.
Babylonis, dum explicatur in Israelem, dicitur: *Et dedit ei Rex, secundum magnam Domini Dei eius super eum omnem petitionem eius.* Ecce tibi quantum volebat, accepit Esdras à Babylonio rege. Impleuit ille Rex omnes voluntates hominis, sed vnde impleuit, vnde regia manus sic valuit hominis voluntates implere? Insinuat textus, dum ait *secundum manum Domini Dei eius super eum.* Non regis, sed Dei manus fuit, quæ sic voluit implere omnes voluntates. Vnde præclare D. Ambros. in Psal. 43. ait de Iesu manibus. *Manus* Ambros.
quippe eius plenitudo bonitatis est. Nihil vacuum nouit relinquere Iesu manus, ipsa donat, & nihil diminutum nouit dare; immò sic dona eius de manus virtute crescunt, vt vel frustulum panis omnimodam faciat saturitatem. Quo reuoco illud Venantij extollentis poma plantata regis Fran- Venan.
corum manu.

> *De cultore trahit mellitum planta saporem,*
> *Forsan & hic tactos miscuit ille fauos:*
> *Regis honore nouis duplicata est gratia pom ;*
> *Suauis odor nari, dulcis in ore sapor.*
> *Qualiter ille hominum potuit prodesse saluti,*
> *Cuius & in pomis tactus odore placet?*

Id tibi dictum cape de quouis domo à Iesu manu veniente, in qua vel panis frustulum recipit tantum augmentum, vt largior videretur manus dantis, quam accipientium copia; & quidem, cuius manus sic fecit crescere panes ad populorum saturitatem, qualiter ille hominum poterit prodesse saluti? Sanè, vt saluetur homines, nō erit parcus Iesus, immò ipsis omnia fiet, vt dicat D. Ambr. lib. 3. de Virgin. Ambros.
Omnia Christus est nobis: si vulnus curare desideras, medicus est; si febribus æstuas, fons est; si grauaris iniquitate, iustitia est; si auxilio indiges, virtus est; si mortem times, vita est; si cœlum desideras, via est: si tenebras fugis, lux est; si cibum quæris, alimentum est. Gustate igitur, & videte. Adeò non te sinit Iesus egere.

§. XXV.

Prælati æquales sint erga subditos in distributione munerum.

MAgna Christi largitas, & summa Apostolorum laus est, quod vniuersæ multitudini datum sit, quantum singuli volebant: omnibus æqualiter ministrabant Apostoli, singulorum fami prouidebant. Vtinam hæc virtus vsque ad nostri æui prælatos dimanasset, ne fieret passim, quod aliquando abominatus est Paulus in Ecclesia Dei, vt dum alius quidem esurit, & alius ebrius est, alius fauoribus, & muneribus plenus, alius omnino vacuus, & inanis. Tres illi sanctissimi pueri, qui cum aliis regiis pueris apud Babyloniorum curiam alebantur, enixe petierunt ab œconomo, vt liceret eis à cibis regiis abstinere, quibus prudentissimè respondit œconomus Dan. 1. *Timeo ego Dominum meum regem, qui constituit vobis cibum & potum: qui si viderit vultus vestros macilentiores præ cæteris adolescentibus coæuis vestris, condemnabitis caput meum regi.* Expeditius œconomi huius Dan. 1.
mentem ponit Theodoretus, aiens. *Veritus est ne cum illi opipare alerentur; hi autem parce, & continenter victitarent, in eorum vultu discrimen aliquod appareret, & extremum subire supplicium à rege, qui contra iusserat, cogeretur.* O quam debent Theod.
timere prælati! ne cum hos opipare, illos parce alunt, aliquod discrimen subditorum vultu appareat, propter quod

quod extremè puniantur ab eo rege, qui omnibus æqualiter iubet prouideri. Sapienter Rex Niniuæ suo prouidit regno, vbi de imminenti Dei iudicio certior fuit factus. Nullo enim putans citius regnum a Dei ita liberum posse euadere, quam si auferens vniuersas fortunarum inæqualitates, vniuersos subditos suos sub eadem substitueret facie.

Iona 3. Sic lege carit Ionæ 3. *Operiantur saccis homines, & iumenta.* Nullum exitnit, nullius amicitiæ meminit, nullum in ciuium vultibus discrimen apparere permittit; vna enim, & eadem subditorum facies, spem maximam regi salutis dabat.

Ephrem. Ait enim D. Ephrem ibi. *Unus erat aspectus omnium, & vnus amictus. vnus diuitibus, & pauperibus erat cibus. Unus ex æquo erat potus domino, & seruo. In vno opificio concorditer omnes operabantur, vt etiam remissionem vnam à Deo referrent.* Hæc erat tota salutis spes sapiēti regi, quod nullum discrimen cerneret Deus in vultibus subditorum, quod quam in omnes ex decreto regio sūma videretur æqualitas inter subditos, qua proculdubio caueretur regni ruina. Vtinā fic res suas cōponerent vniuersi reges. Vniuersi prælati, vt ex æquo omnibus subditis prospicerent, nec paterentur, quod dū alios replent, alios inedia confici sinunt. Quo & Deum, & creaturas omnes reddūt sibi infensissimas.

Ptolom. Ptolomæus Rex apud Aristeam qu. 23. quærebat ex sapiente viro, *Vt inimicos sperneas?* Cui ille statim respondit. *Si plutedus ergu omnes benignitatem exercueris, nullius amicitia ratione habita.* Absit a principibus amicitiarum respectus, qui tot facit in subditis inæqualitates; & parin pēdent hostiles iras: ille pacificus, & felix Princeps, siue prælatus, qui erga omnes æqualis est, nulloque amicitiæ respectu agitur. Amabat Iesus Ioannem, & forsan ita amabat, vt posset Ioannes quodcunque magnum munus præ cæteris à dilecto suo expectare. Vbi autem ad munera distribuenda ventum est, Ecclesiæ principatus Petro traditur, cur non potius Ioanni?

Hieron. Hier. lib. 1. in Iouinian. ait, *Magister bonus, qui occasionem iurgii debuerat auferre discipulis, in adolescentem, quem dilexerat, causam præbere videretur inuidiæ.* Cauit optimus princeps in regno suo amicitiarum inæqualitates, quæ hostiles iras solent excitare.

§. XXVI.

Erogatio in pauperes facit perennem bonorum abundantiam.

VBi in manus accipit Dominus panes, illosque egenribus diuidit, augmento profluo incipiunt panes redundare;

Ambros. quod notans D. Ambros. lib. 6. in Luc. cap. 9. ait. *Iam illud diuinum est, quod sicut iuges sunt fontes aquarum, ita iuges erat fluminis particularum panis.* Facit hoc misericors erogatio, vt fluuiorum instar scaturiat, & effluat perenniter panis diuisi abundantia. Prouidit Deus seruitui hominum flumina, quæ nullius haustibus exhauriantur, sed quò effusiora, eò pleniora currant. Sic similiter eleemosynam pro fluminibus posuit, quæ sola dum hauritur, non exhauritur, sed pleno, & salutari bonorum exundat fonte. Hinc D.

Laur. Nouar. Laur. Nouar. hom. de Eleem. colligit, quam necessarij sint pauperes in mundo, non minus, quam aluei quà flumina currant. *Prouidentia diuina aperuit nobis peccantibus medicina armarium, vt fatiret, sicut scriptum est, diuites, & pauperes, vt quoniam diuites, & per exuberantiam ad vitia proni sunt, haberent coniunctos sibi indigentes, velut fontem lauacri, aut vt plus dicam, velut flumen Jordanem, in quo Christus tinctus est;* Aluei sunt pauperes, qua flumen influit, & perenniter influit; & vt Iordanis influit, cur præcipuè comparatur eleemosyna Iordani? In Iordane ad præsentiam arcæ facta fuit diuisio aquarum, ita vt dum inferior pars in mare iret ibi perdenda; superior pars retrorsum stans crescentibus fluctibus se se vsque in cœlum tollebat, sic quotidie accidit in eleemosyna: panis, qui diuiditur, dum datur pauperi, quasi perditum ire videtur, at ipse vehementer augetur, & cœlestium bonorum exundatione crescit. Huc respiciebat D.

Gregor. Greg. Nyss. vbi de sancto Ephrem sic loquitur. *Ipse namque, vt Iesus Naue Iordanem quoque diuisit, cum clausas diuitum manus benignitati aperuit* Equidem in diuisione panis renouatur in dies miraculosa illa Iordanis diuisio. Nunquam panis in pauperes diuiditur, quin renouetur diuisio Iordanis, in qua pars videbatur perditum ire, & pars vsq; in cœlum crescebat, & exundabat, & quo illa properantior effluebat, hæc se in maiorem altitudinem dabat. Nunquam, mihi crede, sine augmento maximo diuidis pauperibus panes; videbitur forsan effluere diuisa substantia, sed simul alia ex

Chrysol. parte crescet, & abundabit, vt merito dicat Chrysol. ser. 41. *Negauit sibi fontem vitæ, sitienti aquæ calicem qui negauit.* Sunt equidem connexa, & potus pauperis, & fons vitæ; erumpit protinus fons vitæ, vbi potus defluit ad pauperem; & vt, qui negat potum, perdit amnem, perdit fontem, sic qui potum præbet, sibi perennem vitæ fontem facit exundare. Numquam sine augmento dantis reficitur pauper. Psal. 36. Psal. 36.

de iusto viro dicit: *Tota die miseretur, & commodat, & semen illius in benedictione erit.* Pro illo verbo commodat, intelligunt plures non solum, qui sua dat simpliciter, sed qui sua dat fœnori, quasi nulla largitio a misericordi possit venire, sine ingenti dantis vsura. Vnde Theodoretus in Cat. Theod.

ait. *Qui enim miseretur pauperi, fœneratur Deo, vt etiam sit misericordia, & vsura.* Sic sunt connexa misericordia, & vsura vt pro eadem re merito habeantur, nec per vllam potentiam possint separari. Quis magis misericors quam Abraham? Is beneficentia vsus ait ad Loth Genes. 13. *Ecce vniuersa terra* Gen. 13.

coram te est, recede à me obsecro. Si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo. Sic beneficentissimus homo cedebat Lotho, sic eius electioni committebat quamlibet terræ partem. Quid inde, eligente Loth meliorem partem, mansit Abraham peioris conditionis? *Dixit Dominus ad Abraham, postquam diuisus est ab eo Loth: Leua oculos tuos, & vide à loco, in quo nunc es, Aquilonem, & meridiem, ad Orientem, omnem terram, quam conspicis, tibi dabo.* Non amisit, quod alteri beneficentissimè cessit, immo qui cessit vnam, accipit quatuor terræ partes: sic misericordiæ annexa est semper incredibilis vsura. Chrysost. Chrys.

hom. 34. in Genes. ait. *Vidistis quomodo certat Deus beneficiis? Vidistis magnam diuinæ bonitatis munificentiam? Vidistis quantum cessit, & quantum est assecutus? His erudiamur, vt magna in dandis eleemosynis largitate vtamur, quo dantes paruis adipiscamur magna.* Hæc ille. equidem non perdimus, quod largimur, sed multiplicatum recipimus.

§. XXVII.

Perfectissima misericordia, quæ non aure, sed mente indigentiam videt.

ETot egentium millibus nullus à Domino remedium postulauit, sed nec Apostoli pro eorum subsidiis loquuti sunt: ante Dominus panes habebat in manibus, vt porrigeret, quam audiret clamorē pauperum. Profectò misericordia non expectat clamores, sed vt præintelligit indigentiam, sic ex se curat subsidium præstare. Huc spectat Psaltes aiens; *Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem.* Psal. 40.

qui intelligit ait, non qui audit: quasi misericordiæ gloria in eo sita sit, quod ante spectatam exteriorem manifestationem egestatis mēte præsaga cures subuenire occulto pauperi. Accipite D. Leonem serm. 4. de Eleemosyn. *Beatus, ait,* Leon.

qui intelligit super egenum, ad quem intelligendum sollicita benignitate vigilandum est, vt quem modestia tegit, & verecundia præpedit, inuenire possimus: sunt enim, qui palam poscere ea, quibus indigent, erubescunt, & malunt miseria tacita egestate affligi quam publica confessione confundi. Intelligendi ergo isti sunt, & ab occulta necessitate subleuandi, vt hoc ipso amplius gaudeant, cum & paupertati eorum consultum fuerit, & pudori. Quis beatior, quam ille, qui sic nouit prouidere pauperum necessitatibus, vt eorum consulat pudori. Non expectes audire clamores, videre miserias, sed illas præintellige, & præintellectis remedium cito applica. Bonus ille Booz vbi Ruth Moabitis spicilegium apud seruos suos notauit, Ruth Ruth 2.

2. ait pueris suis. *Etiamsi vobiscum metere voluerit, ne prohibeatis eam: & de vestris quoque manipulis proiicite de industria, & remanere permittite, vt absque rubore colligat, & colligentem nemo corripiat.* Quam consulebat vir bonus nobilis fœminæ pudori; quam intelligebat eius indigētiam, nullam precem audierat, & ante precem studet, quomodo opem ferat, & pudori pareat. vnde D. Ælred. lib. de spirituali amicitia. Ælred.

sic fatur. *Booz cum Ruth Moabitæ aduertisset inopiam: verecundiæ eius ingenuè parcens, iubet messoribus, etiam de industria spicas relinquere, quas illa absque pudore colligeret, sic & nos, &c.* Quam prudens, & sancta misericordia, quæ sciuit, & preces, & pudorem accipientis præuenire. Paul. 1. ad Timoth. capit. 1. Tim. 5.

5. ait: *Si quis autem suorum maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit.* Pro illo, curam non habet, alij explicatius legunt apud D. Thomam. *non prouidet.* Quasi ostendat Paul, quod pauperum cura sit prouidentiæ diuinæ instar, quæ consistit in quadam præscientia, & prænotione, ex qua Deus vult subuenire hominibus: talis ergo sit nostra misericordia, vt præintelligat super egenum, & pauperem, illisque suauissimo, & honoratissimo subueniat modo,

præueniens

præueniens preces, præueniens pudorem: id quod insinuat Pauli præceptum, nimirum, *habere* curam suorum, quia, D. Thom. vt ait Dio. Thom. ex Diuo Ambros. quod fortè esset verecundum sumere ab aliis, non esset verecundum sumere a suis. Et ideò vir misericors instar Dei prouidentis, sic pauperibus consulat, vt preces præueniat, & Luc. 6. pudorem. Quo respiciebat Dominus Lucæ 6. *Estote misericordes, sicut pater vester misericors est.* & qualiter est misericors Deus noster? Ipse ait apud Matth. 6. *Qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos.* Imitetur nostra misericordia misericordiam Dei hominibus prouidentis; prænoscens enim Deus humanas indigentias, sic beneficia ordinat, vt ante pudorem, & precem, immò dormientibus nobis necessaria suppeditet. Sic nos præoccupemus cognitione gemitus pauperum, & ante clamores pudori illorum parcentes, opem feramus indi- August. gentiæ. August. hom. 39. ex 50. ait. Festina pietate succurrere, ne audias rogantem. Imitare Deum tuum, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos. Et ecce venit tibi pluuia, antequam roges, descendit vbertas nocte dum stertis, dum adhuc in lecto es, ex præcepto vigilat dies, excubant elementa, fructus, te nesciente, effunduntur. Iactat cœlum, & parturit terra, tot cellaria messium dum *nescimus sic accipimus, & tantas opes comedimus antequam rogamus. Et tu homo, modicus est ipse panis, & precibus vendis? Non rogauerunt quatuor millia Jesum in deserto septem panes, vt infinita agmina prandecent, &c.* Sic ille.

Text. Vt autem impleti sunt, dixit discipulis suis; Colligite, quæ superauerunt fragmenta, ne pereant.

§. XXVIII.

Dona Dei fidelibus præparata supra cuiusuis hominis vires sunt, etiam ex redundanti possunt mundum implere.

POst tot millium refectionem, post aceruatum à singulis multum panis, vt credi potest, vel in memoriam miraculosi panis, vel in subsidium alterius diei, iubentur residua fragmenta asseruari, sed mirandum quod fragmentorum collectio non vni, aut alteri populari mandatur, immò duodecim viri, iique Apostoli in hanc collectionem fragmẽtorum designantur. Ea sanè sunt diuina dona fidelibus præparata, quæ nullus hominum sustinere posset, multorumque, & Apostolicorum indigeant sustentaculo. Sic de Genes. 15. Abrahamo dicitur Genes. 15. quod Dominus eduxit eum foras, & ait illi: Suspice cœlum, & numera stellas. posset sanè Abraham domi manẽs, & cœlum suspicere, & stellas, vbi tamen repromissionem accepturus erat diuinorum donorum, à domo extrahitur; vna enim domus impar erat fi- Fr. Abb. delium donis. Id notans Franconius Abb. tom 3. de Gratia, ait *Bene Abraham repromissionem accepturus foras educitur, quia fides intra angustias humanæ impossibilitatis non clauditur.* Minores sunt cuiusuis hominis vires, quam quæ immensa diuinarum repromissionum dona possint capere. Ea semper sunt promissionum dona à Deo in fideles suos profecta, vt nisi a pluribus non possint capi. Ita Genes. 13. ait Dominus ad Abraham, omnem terram, quam conspicis, tibi dabo, & semini tuo; cur non solum tibi, cui necessum fuit addere, & semini tuo? Non solum tibi, sed & tibi, & semini tuo: ea enim promissionum diuinarum magnitudo est, vt nequeat intra vnius hominis angustias coarctari, & sem- Chrysost. per ad plures transeat. Pulchrè D. Chrysostom. homil. 34. in Genes. ait, *Magna diuinæ promissionis magnitudo, magna nostri omnium Domini (Vt beneficiis vincat) liberalitas; magna mercedis præstantia, quam dat misericors, & clementissimus Dominus iusto illi, & ex illo nascituro semini.* Non magnum est, quod intra vnius hominis sinum capitur; at, quæ fideli viro datur diuina promissio, quæ dona à Deo dãtur, vt sunt magna, & superefluentia, sic plures requirunt, Psal. 71. qui capiant, & vix à pluribus possunt capi. Psalm. 71. *Descendet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram.* Suffecisset, quod diuinorum beneficiorum fons in vellus descenderet, cur insuper, & super terram vniuersam dicitur descendisse, an qui velleri immittebatur bonorum fluuius non posset ibi stagnari? cur necessum fuit, & super vniuersam terram exire? Habent hoc dona diuina, quæ non coarctari possint intra vnius sinus angustias, sed ne- Philo. que à multitudine possint exhauriri. Quod spectabat Philo Iudæus lib. de Temulentia, inquiens, *Nec donorum quidem largitatis quisquam capax est, ac fortasse, nec mundus hic quidem, sed quasi parua lacuna influente magno gratiarum Dei fonte celerrime repleta superefflueret.* Nullus est homo, qui impar non sit diuinarum promissionum donis excipiendis. immò totus mundus adhuc manet impar, vt possit recipere ea, quæ superefluunt. Ne iam miremur, quod duodecim Apostolici viri mittantur ad colligendas superefluentes ex diuino dono reliquias, quando diuinorum superefluentia fragmenta donorum totum mundum possint implere. Vbi noster legit, *Descendet pluuia in vellus, & sicut stillicidia super terram:* legit D. Chrysost. *& sicut guttæ stillantes super terram,* Chrysost. quasi indigitans id, quod post magnam pluuiam accidere solet, in qua tectorum canales manent diu guttas stillantes in terram, similiter post gratiarum cœlestium exundationes supersunt guttæ quædam cadentes; sed quantæ hæ guttæ? Accipite D. Chrysostom. ibi loquentem, *Guttæ* Idem. *istæ virtutes sunt, quibus idem Dominus noster Iesus dignatus est terram vehementer implere: gutta fuit, quando leprosum mundauit, puerum Centurionis à mortis periculo sanauit, paralyticum curauit, cæcum illuminauit, mortuos suscitauit.* Ecce vobis vna sola diuinæ gratiæ superefluens gutta, quæ homines impleuit, vt terram vniuersam impleret.

§. XXIX.

Creaturæ omnes vt dolent, dum homini non proficiunt.

PVlchre metuitur perditio panis, qui hominibus non profecturus erit, colligere, ait, fragmenta, ne pereant, quasi enim perditionem suam dolent vniuersæ creaturæ, dum vident hominibus non prodesse. Hinc vbi Elias 3. Reg. 16. vetuit, nubes ne pluerent, sic nubes affectæ sunt, 3. Reg. 16. si eos sustinebant cruciatus, quales sustinet mulier parturiens, dum parere nequit. Quod notans Theodoretus quæst. 56. sic de Elia post ignem à cœlo tractum loquitur, *Hoc facto miraculo iussit interfici Prophetas mendaces: & iam liberauit nubes à dolore partus.* Liberantur quidem vniuersæ creaturæ a maximo dolore, dum permittuntur homini seruire, vt nihil tam sibi detrimentosum, & perditioni proximum reputant, quam si impediantur, quo minus haberi possint ab hominibus. Cum homo eiectus fuit à paradiso, sic aditus interclusus est, ne possit vltra illuc reuertere, vt eius rei causa ad paradisi ostium constitueretur Cherubim: sic enim habet Genes. 3. *Eiecitque*, & collocauit ante para- Genes. 3. disum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ. Sic ibi. vt arceantur homines à paradiso, constituitur ante eius ostium, & Cherubim, & flammeus gladius. Pro illa præpositione, ante paradisum, ponit Philo Iudæus, contra paradisum. Et sic explicat, quasi tota illa custodia, quę arcebat homines à paradisi ingressu, nulli esset magis aduersaria & inimica, quam ipsi paradiso: quandoquidem nullo magis perduntur creata bona, quam vbi haberi non possunt ab hominibus. Ita Philo lib. de Cherub. fatur. *Tunc, & flammeus gladius,* Philo. *& Cherubim contra paradisum collocantur. Dicitur vnum contra esse, vel quod inimicum, & infestum est.* Illud contrariatur maximè, & perditioni dat creata bona, per quod impediuntur, ne seruiant hominibus. Vnde volens Dominus vniuersam terram punire propter peccata hominis, induxit funestum illud diluuium. Ait enim Genes. 7. *In anno sex-* Genes. 7. *centesimo vitæ Noe, mense secundo, septimo decimo die mensis rupti sunt omnes fontes, &c.* Expende illud, nimirum, mense secundo, is erat mensis verni temporis, vt placet D. Ambrosio, quando ager parturit, terrarum pariter, atque Ambros. animantium fœtura se fundit; sed cur, vbi terra tota fructibus suis diues erat, vt homini seruiret, diluuium à Deo inducitur. Cur non expectauit fructuum collectionem, & post collectos fructus ab hominibus fontes abyssi rupit? Ne si fructus homo iam collegisset, putaretur diluuium terræ beneficium, quandoquidem permissa fuisset antea fructibus suis, hominibus seruiuisse. Ita D. Ambr. lib. de Noe cap. 14. Idem. inquit, *Ideò non post collectos fructus infunditur aqua, ne beneficium magis, quam diluuium terra sentiret.* Non terræ bonum quærebatur, sed malum, sed supplicium, sed perditio, quæ solum in eo posita erat, quod non sinerentur terræ fructus in vsum, & possessionem hominum venire. Vbi enim semel permitterentur fructus ad hominum thesauros, & vsus transire, quidquid postea veniret, æstimaret terra beneficiũ, non perditionem, non ruinam; vtpote quæ omnem desolationem suam, & perditionem, & luctum in eo solum habet,

Ioël.1. quod non seruiat hominibus. Ideò Ioël c.1.post populũ captiuatum, desertásque vrbes,sic regioni loquitur, *Plange, quasi virgo accincta sacco super virum pubertatis tuæ,peryt sacrificium, & libatio domus Domini. Depopulata est regio, luxit humus,quoniam deuastatum est triticum, confusum est vinum.*Ecce tibi inde confusio, & vastitas, & luctus, vino,& tritico, & humo, quia viduata est hominibus, quia abierunt possessores in captiuitatem.Et expende,quam pulcrè ex eo,quo homines abierint, dicatur terra, quasi adolescentula viduata viro,cuius in domo nihil non luctuosum, nihil non lamentabile cernitur. Etenim quandiu terrena bona in possessionem data sunt hominibus,sic gaudent,ac recens nupta,cum
Isai 62. sponso suo. Isai.62. *Et terra tua inhabitata, quia complacuit Domino in te, & terra tua inhabitabitur.* Ad rem Septuaginta dicunt.Terra tua maritata,quia complacuit Dominus in te, & terra tua maritabitur.Quasi sub marito sunt terrena bona,dum seruiunt hominibus, à quorum seruitute, si abstrahantur,viduitatem incurrunt,& desolationem,& luctum.

Text. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum,& quinque panibus hordeaceis, quæ superfuerunt his, qui manducauerant.

§. XXX.

Numquam sine tuo lucro alterius animæ benefacis.

Cyrill. HIc notat D.Cyril.Alex.Euangeliei ministri vsuram,cui semper beneficia sua in alios collata reliquias pariunt, quibus ditescat amplius. Quis fidelium animabus seruiuit sine ingenti lucro? Cyrillo argutior stat Damasc. serm. de defun. vbi non in reliquis beneficiorum, sed in primitiis eorum ponat benefactoris lucrum. *Quemadmodum enim aït, qui ægrotantem vnguento, vel alio pretioso oleo vult inungere, prior ipse vngendo particeps est vnctionis,& sic postea inungit laborantem morbo: ita, qui pro salute proximi aliquid facit, primo sibi, deinde proximo prodest.* Quidquid pro salute spirituali proximi impendis, non amittis, sed ingenti tuo lucro illud recipies. Prius tibi proficiunt munera tua, oblationes tuæ, & sacrificia tua, quæ pro aliorum impendis spirituali salute;& quantumuis hæc pro aliis videare dedisse, tamen tibi reseruantur integra. In Iesu baptismo, venit super eum verus animarum paraclitus Spiritus sanctus,& venit sub figu-
Luc.3. ra corporali columbæ. Etenim habes Luc.3. *Et descendit Spiritus sanctus corporali specie, sicut columba.* Cur diuinus spiritus venit super Iesum sub specie columbæ? Crediderim ideò venisse tali specie,vt ostenderet ad eundem dona spiritualia integra venire, à quo ipso fuerant profecta, & emissa, sicut diluuij tempore columba à Noë emissa rediit
Dionys. ad ipsum. Hanc rationem attigit D.Dionys.Alexand.epist. contra Samosat. q.5. inquiens, *Cur in specie columbæ Spiritus sanctus descendit?*Scilicet, vt nos doceret, qui misit illum;& qui eum, quem misit, accepit. Sicut enim Noë dimisit ex arca columbam,& ipse eam recepit:nõ equidem Noë amisit columbam,quam à se dimisit,sed ipse,qui dimisit,accepit illam semel, & iterum reuertentem, & reuertentem eum vsura rami fructiferi; eodem modo,qui pro salute spirituali proximi dona offert, oblationes, sacrificia, & munera quæque exhibet,non amittit illa,sed cum redundanti vsura recipiet.Ea enim sunt spiritualia dona,quæ nulli sine ingen-
Isai.53. ti lucro communicas. Isai. 53. *Si posuerit pro peccato animam suam,videbit semen longæuum.*Leo à Castro putat ex Hebræo, non solum semen, sed messem dierum legi posse, sic enim ipse explanat. *Qui posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longinquum dierum.*Quasi nemo pro expiatione peccatorum proximi se suáque possit impendere, quam si pro
Bernard. grano nõ acquirat messem.Quo refert D.Bern.illud Cant.1. *Posuerunt me custodem in vineis. vineam meam non custodiui.* Vbi comparat vineam propriam non custoditam, cum vineis acceptis sub custodia multis pro vna, abiecit vineam vnam suam, quam non custodit, sed non amisit,quam abie-
Idem. cit;imò multiplicatam recepit illam. Ait enim Bern.ser.30. in Cant.de vinea illa non custodita, *Non prorsus non peryt, sed migrauit, etiam creauit, & dilatata est, tanquam cui benedixit Dominus.* Immò hinc notat differentiam eorum, quæ impenduntur pro solis terrenis, & carnalibus, & eorum, quæ impenduntur pro salute animarum; illa semper perditionem,hæc semper vsuras recipiunt.Id quod patet in Moyse, & Apostolis: Moyses, vt custodiret populum suum, amisit fieri in gentem magnam, Exod.32. Apostoli verò & se,& sua exponentes perditioni elucrati sunt mundum.Cur Moysis cura, & solicitudo adeò sancta perdit, & Apostolorum vigiliæ recipiunt vsuras, nisi quia Moysis cura tota erat pro terrenis, & carnalibus promissionibus, Apostolorum dispendia erant pro animarum salute? Pulcrè Bernard. supra. *Graue leges iugum testibus ipsis Apostolis,qui hoc, & sibi, & patribus importabile clamitant.Graue iugum,& vile præmium: nam terra est in promissione. Pro huiusmodi non est Moyses missus in gentem magnam. Verum tu mater Ecclesia promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ, facilè in duplici gratia obtines ab vniuersis te recipi.* Hæc ille,quibus vides, quod Moyses amisit fieri in gentem magnam, quia terrenis populis Israëliticis inuigilabat, verum Christi Ecclesia, qui saluti animarum operam dabat in ipsis dispendiis, & duplicatam gratiam, & plenitudinis gentium dominium recipiebat.

Text. Illi ergo homines cùm vidissent, quòd Iesus fecerat signum, dicebant, quia hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum.

§. XXXI.

Dei munera authorem halant ex superabundantia.

NOn miror, quod rudes homines in Messiæ expectati cognitionem deueniant, post tantum receptum munus,quod tale erat, vt vndequaque authorem suum proderet, imò halaret. Hinc eductum illud elegans Arnulphij Episcop.Lexiouien.carmen. Arnulph.

Cumque datis insit animi donantis imago,
Nec dator affectum dissimulare queat.

Ea sint munera, quæ largitoris semper referant imaginem, referant manum.Ideò Dominus pasturus tot hominum millia tam paucis panibus; non solum largitus quidquid singuli necessarium ad saturitatem habuissent: sed tanta largitate vsus est, vt plures superfuerint panum reliquiæ. Cur ista panum superabundantia non necessaria fuit ad turbarum saginam; verum valde necessaria fuit, vt diuini largitoris manus perspicua foret etiam rudibus hominibus, cuius rationem sic reddit D.Basil.Sel.orat.33. inquiens *Nam si* Basil.Sel.
pro modo necessitatis dationem commensus fuisset, decorem illius gratia adultera esset, neque is, qui fecisset,satis euidenter Dominus agnosceretur, quippe qui necessitati seruisset. Nunc autem profusior, quam necessitas postularet; suppeditatio, auctoris potestatem testatiorem facit. Nulla equidem re magis diuina manus se prodit, quam in superabundanti donorum largitione, vbi superefflnit bonorum suppeditatione, ibi conspicuam agnosce diuitem Dei manum. De augmento Iob post ærumnas, dicitur cap.42.*Dominus autem conuersus est ad* Iob 42.
pœnitentiam Iob cum oraret ille pro amicis suis. Quæ verba argutius in rem præsentem transferunt Græci Patres legentes, *Dominus autem auxit Iob, cum etiam ille orasset pro amicis suis.* Quasi innuant inde perspicuum esse Iobi augmentum à Deo venisse,quòd sic supereffluerit gratia, quod ad alios etiam redundarit; vbi enim donorum respicis superabundantiam vnam, ibi recognosce diuitem Dei gratiam. Vnde Auctor Catonæ Græcæ fatur, *Quare si nos ipsi in his quoque* Græc.
temporibus egentem quempiam hominem videmus, eundemque pro cæteris supplicantem, atque eius supplicationem euentu comprobatam,diuitem Domini gratiam admiremur. Quouis tempore,quo sic replentur, & augentur homines donis,vt ex illis supereffluat ad alios non humana, non Angelica, sed diuina ibi agnoscitur prædiues manus, quæ nescit, nisi affluenter dare. Ex quo lucem capiunt D. Stephani verba Act..4.
quæ sic habent, *Conuenerunt enim in ciuitate ista aduersus sanctum puerum tuum Iesum. quem vnxisti, Herodes, & Pontius Pilatus cum gentibus, & populus Israël, facere, quæ manus tua, & consilium tuum decreuerunt fieri.* Quid est, quod consilium Dei, & manus Dei decreuerunt fieri? copiosissimam hominum redemptionem, cur Herodes, & Pilatus à se ipsis, non a Deo moti materiam dolorum & tormentorum tantam subministrarunt, vt inde redemptio copiosa pullularet. Tunc quæro, cur dicatur, manus tua, & consilium tuum decreuerunt? Decernendi opus ad consiliũ pertinet, non ad manũ;cur ergo manus ipsa decretis astitisse dicitur? Cur ibi diuina manus? Rationem pulchrè insinuat D. Leo Leo.
hunc explanans locum ser. 16.de Pas.aiens, *Vt mirabilior fieret gratia Dei, non secundum merita hominum, sed secundum diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei misericorditer præparata.* Quippe vbi ea redemptio parabatur, quæ ante omnia merita

merita, & supra omnium meritorum capacitates exundaret, & supereffluerer, non potuit non comparere diuina manus, vt quæ sola supereffluenter nouit dare. Cui etiam
Act.1. consonat illud, Act.1. vbi de quibusdam vineæ Domini operariis, dicitur. *Et erat manus Domini cum eis, multúsque numerus credentium conuersus est.* Et erat manus Domini cum eis, multúsque numerus credentium conuersus est. Et nusquam cernitur multitudo misericordiarum, vbi non conspicua sit diuina manus. Et quando à diuina manu largissima dona
Actor.3. suppeditantur? Petrus Act.3. sic claudo dicebat: In nomine Domini Iesu Christi surge, & ambula. Hoc præstare curabat claudo, vt ambularet; at accedens diuina Iesu virtus, vt opus executioni mandaret, quid factum est? *Protinus consolidatæ sunt bases eius, & plantæ. Et exiliens stetit, & ambulabat*, &c. Non opus erat ad perfectam sanitatem claudi, quod saltare posset, quando & multi sani, & perfectè sani, inepti sunt saltibus, & Petrus nihil iubet de saltibus, solum intendebat dare illi sanitatem, qua sicut cæteri expedite ambularet. Vnde non solum ambulat, sed exilit? Sanè cum facinus executioni mandabatur, non Petri virtute, sed diuinæ manus, & cum hæc nihil nesciat præstare non superabundanter, inde est, quod non solum ambulat, sed
August. edit saltus. Vnde D. August. ser.28. de verbis Apost. ait. *Parum erat, quod dicebatur in vsum claudus redisse, vires ei cum sanitate restituitur. Non enim dixit, restituta sunt, sed consolidatæ sunt bases, tam abundantem recipiunt sanitatem, vt ferant laborem. Exiliens, inquit, ambulabat saltus, frequenter etiam sanis grauis est.* Quam agilitatem saltandi etiam sani non habent, hanc diuina Christi virtus communicat claudo, vt vel hic conuincatur non à Petro, non ab homine, sed à Deo facinus fuisse peractum.

Text. Iesus ergo cùm cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent regem; fugit iterum in montem ipse solus.

§. XXXIII.

Indecens Deo est regnum, & honor, qui aliorum egeat.

NOn talis Christus Rex, qui hominum calculo egeat, nec qui subditorum apparatu, exercituum comitatu, externorumque ornamẽtorum splendore constituatur. Hæc non tam regem ostendunt, quam egentem: porrò is est Christus, qui in se solum habeat innatum, & immortale regnum: Cum D. Lucas meminerit Christi regnantis apud
Luc.12. suos, ait cap.12. *Præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Si ergo Dominus in gloria sanctorum, dicitur minister, quorum erit Rex? Vnus ibi stat ipse, vnus ipse ministrat, reliqui omnes sedent, & accipiunt ministerium, vbi Christiani regni signa, vbi compti splendentésque ministri, vbi regium aulæum? ipse Iesus Rex est, & ipse solus est sibi regnum, aliorum nil indiget. Acurè
Græc. satis id ponderat auctor Græcus Nicol. Cabas. lib.4. de vita in Christo, dicens, *Etiam in futuro, quando cum virtute adueniet, & cum paterna gloria apparebit in ostensione, in regno suo: præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Hoc quippe modo germano, veróque regno sibi regnabit, ipse sibi ad regnum sufficiens.* Non in multitudine ministrorum sibi assurgentium regnum suum constituit, immò etsi omnes discumbant, etsi nullus sit, qui ei ministret, qui ei famuletur, ipse sibi ad regnum sufficiet. Neque aliud aliquid esse potest magis regium, quam nulla extra se egere seruitute: ministrorum apparatus, exercituum fortitudo, rhedarum, curruum, ferculorum, equorum pompæ, non tam splendorem, quam regis egestatem diffiniunt. Infirmum sanè est tot rebus, machinísque egere, vt regiam dignitatem ostendas. De paralytico, qui in lecto portabatur ad Iesum Matth. 9.
Sedul. pulchrè fatus Sedul. lib. 2. Pasch. 9. postquam iussus fuit à Iesu assurgere: *Nec moratus ille assurgit, suum tandem plantis incedere alienis se gaudet caruisse vestigiis.* Præstantissimum hoc homini cuiuis alienis non egere, sed propriis gaudere viribus, quo quis minus eget, eo præstantius habet in se regnum. Equidem non illud regnum conuenit Deo, quod totum alienis fulcitur; sed illud, quo externis omnibus nudus se à populis facit spectari, & suscipi. Meritò de Iesu ingre-
Matth.21. diente Ierosolymam ait ex prophetis Matth. cap.21. *Dicite filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus*, &c. A regiis signis verum regem Iesum insinuat, sed à quibus signis? Sanè ab illa virtute, quæ ab omnibus externis, & alienis nuda vniuersos ad se trahit deuinctos. Elegante D. Cyrill. Ie-
Cyrill. rosol. Catech.12. ait: *Ecce Rex tuus venit tibi. Multi sunt reges: de quo dicit hic Propheta? Da nobis signum, quod alij reges non habeant. Si enim dixeris purpuratum regem; præoccupata est huiusmodi dignitas: si dixeris à militibus stipatum, in curribus auratis sedentem; hoc etiam præoccupatum est, da nobis signum regis, quem enuntias.* Ecce Rex tuus venit tibi iustus, & Saluator ipse pauper, & ascendens super asinam & pullum filium asinæ: *Solus regum Iesus super pullo asini sedit: & solemniter cum benedictionibus tanquam Rex in Ierusalem ingressus est.* Et solus Iesus omnium externorum nudum verum se regem demonstrat, & eò elatior Rex est, quò habet minus de alienis, sed sibi ipse ad regnum sufficiens est.

§. XXXIV.

Deus propter se solum quærendus est, vt dicatur regnare.

FVgit Dominus regnum propter escas oblatum, quando, vt bene Paulus notat, regnum Dei non est esca, & potus; vbi enim esca quæritur, aut cauetur metus famis, ibi, aut fames, aut esca dominatur, non Deus: huius regnum est, quando ipse per se solum regit, propter se solum quæritur, & amatur. Pro quo stat Auctor Græc. Nicol. Cabal. Græc.
lib.4. de Vita in Christo, fatus. *Sic iis qui quorum principatum obtinuit. Non timori cedens, non mercede capi se patiens, sed ipsemet sibi potentia regni sui, & solus ipse sibi subditos obstringens; timore eum, aut mercede accepta regnare, profectò non est ipsum regnare; sed spes, & minæ de exacta obedientia accusandæ sunt. Quemadmodum non legitimè regnat, cui regnare est aliunde: sic nec vero Deo seruimus, si aliquo dictorum modorum subditi sumus.* Is verè pertinet ad Iesu regnum, qui nihil aliud spectat præter Iesum, cuius vnica cura est, & solicitudo, vt regnet Iesus, viuatque, præterea nihil. Nec Iesus Dominus aliter æstimat regnare, nisi apud eos, à quibus Ipse per se solus spectatur, & quæritur. Luc.1. de illo sic Angelus fatur. *Regnans in domo Iacob.* Cur non in domo Dauid? Cur non in domo Abraham? Cur, cæteris prætermissis, vnam Iacob domum meminit, quam sibi in regnum addicat? Is erat Iacob, qui in rege, cui sciebat se subiiciendum, nihil aliud spectabat, quam ipsum regem. Acceperat enim ex Ioseph somnio, se eidem, vt regi, præstiturum obedientiam, instabat iam [illegible]pus cum Ioseph Ægypti regnum gubernans agnoscitur à fructibus, renuntiatúrque optimo parenti. Quid tunc Iacob sciens amplissimum Ægypti regnum in manu esse filij sui: sic loquitur Gen.45. *Sufficit mihi, si Ioseph filius meus viuit.* Nil aliud spectat, nil aliud æstimat præter Genes.45.
ipsum regem. Hi sunt, qui ad Christi regnum pertinent, apud hos gaudet Iesus, & gloriatur se regnare. Pulchrè Guarr. Abb. ser.1. de Resurr. extollit Iacobi vocem, vt dignã Guarr.
his, qui Iesu seruiunt. *O vocem fidelem, & planè dignam amicis Iesu! ò castissimum affectum, qui sic loquitur: sufficit mihi, si Iesus viuit, si viuit, viuo, cum de ipso pendeat anima mea, imò ipse sit vita mea, ipse sufficientia mea. Quid mihi deesse poterit, si Iesus viuit; imò desint omnia alia, nihil interest mea, dum modo Iesus viuat, ipse ergo, si placeat ei, desim mihi: sufficit mihi, dum modo viuat ipse, vel sibi.* Sic affici debent erga Iesum, apud quos gaudet se regnare Iesus, cuius regnum ideò dicitur esse in domo Iacob. Et notanter dicitur in domo Iacob, & non in tabernaculis Iacob: erat enim in domo constituta, quando illum affectum in filium regem ostendit. Verum cum in tabernaculis degebat veniens à domo soceri, non sic affectus
erat; imò Gen.32. dum manet in castris, & cum Deo con- Genes.32.
greditur, sic ait. *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Non solum Deum, sed & benedictionem suam respiciebat, vnde
Psal.86. ait. *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.* Non amat Deus apud tabernacula Iacob regnare, Psal.86.
sed apud Sionem; hæc est Ecclesia, quæ dicebat Cant.3. *Inueni, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.* Expende Cantic.3.
differentiam: non ait, *Nec dimittam, nisi benedixerit*, sed solum dicit: *Non dimittam*, vult illum solum tenere, & præterea spectat nihil, nec benedictionis vsuram, & inde plus placuit, plus amatur. Accipite D. Bern. ser.79. in Cant. sic lo- Bernard.
quentem. *Ista non vult eum dimittere; & fortè magis, quam Patriarcha ille non vult: quia nec pro benedictione quidem. Siquidem ille benedictione accepta dimisit eum, hæc autem non sic: Nolo, inquit, benedictionem tuam, sed te.* Cur, quæ sic Deum respiciebat, & præterea nihil, non plus amaretur: non citius eligeretur in regnum Christi? Papæ! ideo Psalm.109. ait. Psal.109.
Virgam virtutis tuæ emittit Dominus ex Sion. ibi enim amat regnare, vbi quæritur ipse, non sua.

CAPVT III.

De septem panum multiplicatione.

ITERVM panis à Iesu multiplicatur in populorum saturitatem, opus penè præcedenti simile, & si quid discrepat, breuiter perstringemus, vt nihil innotatum relinquamus.

Matth.15. Misereor turbæ, quia triduo iam perseuerant mecum, & non habent, quod manducent, & dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via.

§. I.

Vincit in Deo misericordia, & pietas erga multitudinem.

SI diuinitatis insigne erigendum esset, hoc ego trophæum inscriberem: *Misereor turbæ* vincit enim, & triumphat in Deo pius affectus erga multitudinem. Ecce vobis, cum populus Israeliticus captiuus esset apud Persas, Angelorum duellum hinc inde pugnantium de populo Gabriel misericordia diuina imbutus procurabat populi liberationem; sed de oppositione alterius Angeli, qui iustitiæ vindicatiuæ partes agebat, querebundus ait Daniel.32. *Restitit mihi Princeps Persarum*, &c. ille misericordiam, hic iustitiam acoebat; verum, quia populi Deo deuoti causa agebatur, victrix misericordia permanet. Sic D. Isidor Pelus. lib.3. epist 81. *Vtrique diuinæ legi subsidium ferebat, ille nimirum quod improborum odio teneretur, hic autem quod benignitate praditus esset. Deus enim vtramque virtutem laudet: victi autem ad extremum, gratia, & bonitate, vnde vicet iustitiam submouente.* Equidem nusquam non solet vincere Dei gratia & misericordia, vbi integri populi causa ceruntur. Id quod non obscurè demonstratum est, Numer.16. vbi enim Dathan, & Abiron, & Core aduersus Moysem murmurassent, vniuersi cum familiis suis absorpti sunt à terra. Et quid ex tanto supplicio euenit? *Mu[...] autem omnis multitudo filiorum Israel sequenti die contra [...] sem, & Aaron dicens: Vos interfecistis populum Domini.* Nec impunita fuit ista murmuratio, sed oboriens ignis à sanctuario non paucos vorauit, vt omnes consumeret, nisi Moyses preces solicitassent Dei misericordiam, quæ tandem vicit iram, sed cur in præsenti misericordia iram subinouit, non autem quando Dathan, & Abiron absorpti sunt? ibi omnes murmuratores pereunt, hic pauci consumptis, cæteri misericordiam consecuti sunt; cur id? Quia hic vniuersæ multitudinis fuit error & Dei misericordia in multitudinem est proclinis. Accipite Saluian. lib. 1. de Gubernat. Dei. *Cum omnis tunc populi multitudo peccauerit, cur non est in omnibus vindicatum? præsertim cum ex illis, quam supra dixi seditione [...] nullis exasperit, scilicet, quos plecant: & multitudo misericordia Domiaus; & pietati suæ multa donat per indulgentiam, & seueritati per disciplinam. Et iacco ibi præstitit disciplina, vt proficeret emendationi pœna omnium noxorum.* Hic autem misericordiæ suæ tribuit, ne vaine [...] populus deperiret. Quando enim multitudinis causa apud Deum misericordiam non inuenit? Hoc semper videtur diuina misericordia clamare, hoc illi cordi videtur esse ne multitudo pereat, ne vniuersus populus intereat. Scitum est illud Eli, 1. Regum 2. *Si autem in Deum peccauerit vir [...] orabit pro eo:* quasi deterreat homines, ne orent pro illo, qui in Deum peccauit, nihilominus sinus Moyses orasse pro Israële, cum in Deum peccauit, dicens, Exod. 32. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de [...] tuo [...]* nud ais Moyses? Cur non metuis Deum offendere dum ab illo exoras misericordiam in virum diuinitati iniurium? Non pro vno viro, sed pro omnibus orat, & ideo non timet offendere, quod sciat Deum multitudini propitium fore. Huc spectat Ambros. de Pœnitent. aiens. *Omnium memor, sui immemor offendere non timebat ipse, ne plebem ab offensionis periculo eraueret.* Nemini nociua esse potest apud Deum multitudinis defensio, quando ipse Deus sit ad parcendum multitudini propendet.

Dan.32. — Isid. Pelus. — Num.16. — Saluian. — 1. Reg. 2. — Exod.32. — Ambros.

§. II.

Pœna & afflictio voluntaria propter Deum, non indiget aliorum patrocinio.

NOn discipuli loquuntur pro his hominibus, nemo est, qui illorum causam Domino repræsentet, & tamen ipse Dominus illorum miseretur, quia, inquit, triduo sustinent me, neque habent, quod manducent. Ipsa pro se loquitur afflictio, & pœna propter Deum sumpta. Chananæa videns Dominum discipulis iunctum Matth.15. cucurrit, & ait. *Miserere mei Domine: filia mea malè à Dæmonio torquetur.* Satius videretur, si prius ad discipulos iret, eorúmque precibus adiuta conueniret Dominum, at ipsa, vt in se nescio quid laboris, & doloris propter Deum sensit, non alio putauit egere patrocinio. Ita Origen. hom.7. in diuers. *Non petiuit Iacobum, non rogauit Ioannem, non accessit ad Petrum, sed suscepit in se pœnitentia patrocinium, & solo cucurrit ad Dominum.* Expende ab illis; *suscepit pœnitentia patrocinium, & solo cucurrit*; vbi enim quis sese afflictioni propter Deum tradidit, non eget aliis patronis, qui ad Deum clament, ipse in se habet afflictionis patrocinium, quo etsi solus appareat Domino, obtinebit quidquid volet. Ioann. 1. Can. c.2. aiebat, *Filioli mei, hæc scribo vobis, vt non peccetis. Sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum iustum.* Qualis est ista promissio peccatoribus, nimirum, quod habent aduocatum apud patrem? Aduocatus non requiritur apud patrem, sed apud iudicem; cur ergo non dicit peccatores habituros aduocatum apud iudicem, sed apud patrem? Equidem peccatores dum nullam pœnalem satisfactionem ex se Deo exhibent, aduocatum requirunt, qui apud patrem intercedat, vt pater misericordiarum illis conferat suam gratiam, qua io satisfactionem excitentur, moueantur, & Christum passum, & afflictum sequantur. At vbi satisfactionem pœnalem amplectantur, & res cum iustitia agitur, non iam apud iudicem patronos, & aduocatos requirunt, sed ipsa pro se afflictio, & pœnalis satisfactio loquitur, & causam agit. Sic Carthusianus apud Lorinum, & eleganter rem attigit Cellensis Abb. lib. de panibus, cap.12. fatus. *O lacryma [...] tribunal [...] non veriti; audes vbi timet Angelus [...] si intraueris numquam tua mea [...], vel vacua redibis.* Potest per se solam contritio, & afflictio pœnalis seuerissimi iudicis tribunal scandere, nullum patronum ibi, nullum habens aduocatum & non exibit inde vacua, sed largissima mercede cumulata. Quippe afflictio, & angustia, ipsa sibi patronus, aduocatus, & disertissimus orator est, qui intrepide apud iudicem sua peragat negotia. Isai. 25. *Domine in angustia requisierunt te: in [...] in oratione murmuris doctrina tua eis.* Exprimit, quod afflicti, angustiati, & tribulato corde quæsierint Dominum; quæsierint, inquam, non frustra, sed ingentem inde fructum percipientes, ipsos quia aduocatum, tribulationem ferebant, in qua tota oratoriæ ars posita est, ad alliciendos etiam seuerissimos quosque. Ita Forerius ex noua translatione, quæ sic apud illum sonat. *Domine in angustia requirunt te: [...] ndunt [...] atoriam.* Ecce tibi afflictio, & angustia, vt adest tota oratoria ars & vis, qua quisque sibi aduocatus, & orator seuerissimi tribunali intrepidus. & securus astat. Sunt equidem in ærumnis, & afflictionibus fideliium, oratorum fluminum potentia à seuerissimo iudice per se extorquere, quidqui[d] amant. Sed adhuc libet illud nostra vulgatæ verbum exprimere, nimirum, *in tribulatione murmuris*, siue, vt Forerius etiam legit, *in tribulatione incantationis* quasi vis, & efficacia tribulationum exprimatur, per vim murmuris, & incantationis incantatrinbus propriæ, qui dum nescio quæ verba mandunt, & murmurant, elementa turbant & omnia ad se trahunt, sic afflicti hominess per Deum ipsum incantant, & ad se trahunt. Hinc dicebat D. Hieron lib. 2. in Iouinian. *Ciuitas Niniue imminente iam [...] Domini, seiunientum m[...]tione detorsit, quam & Sodoma [...] & Gomorrha, [...] si habuissent agere pœnitentiam, & [...] pœnitentia patrocinante conciliare.* Expende illud *patrocinante* nouit enim afflictio pœnalis disertissimum patrocinium præstare.

Matth.15. — Origen. — Ioann. 1. — Cellens. — Isai. 25. — Forer. — Idem. — Hieron.

§. III.

De sectatoribus facilis, & prompta misericordia diuina est.

ECce tibi, quam facilis, quam promptus Dominus erga sectatores suos, non longas illorum preces expectat, nec

nec finit eos clamoribus defatigari, sed ad primum indigentiæ contuitum, parat opem. Act.7. *Lapidabant Stephanum inuocantem, & dicentem: Domine Iesu suscipe spiritum meum. Positis autem genibus clamauit voce magna dicens: Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Vide differentiam, pro se simpliciter dicit, pro persecutoribus clamat: pro se stat, pro illis procumbit, genuflectit. Cur hæc differentia? non ne eiusdem efficaciæ erat oratio in vtroque casu? Nonne ab eadem exibat charitate? Nonne sanctus vir propriam salutem amplius curabat, quam aliorum? curabat equidem, sed sciebat, quam prompte Deus suis sectatoribus prospicit, quorum vel ad nutum currit, & ideo totum conatum, & solicitudinem pro impiis adhibet. Pulchrè D. August. ser.2. de sancto Stephano, ait. *Paululum quæso te sancte Stephane, expone nobis hoc, quare pro te stans orasti, & pro inimicis genuflexisti? Responderet fortasse, quid intelligimus, pro me stans oraui, quia pro me, qui rectè Deo seruio orando, & impetrando non laboraui, quia qui pro iusto orat, non laborat, ideo pro se stans orauit. Ventum est, vt oraret pro Iudæis, pro interfectoribus Christi genuflectitur*, &c. Peccata nostra sunt, quæ retardant Deum, & difficilem reddunt; qui alioquin summe facilis est, & promptus ad subueniendum, nec finit sectatores suos, & fideles viros clamoribus defatigari, & laborare. Vbi enim quis inuenitur fidelis Dei sectator, vix diuinis oculis astat, & impetrat, quidquid sibi opus habet. Prodigus ille filius, vt pote qui se mille noscebat erroribus implicatum, antequam Deum conueniat, de aptandis precibus agit, sic enim meditabundus ait Luc.15. *Surgam, & ibo ad Patrem meum, dicam ei: Pater peccaui in cœlum, & coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus, fac me vnum è mercenariys tuis.* Ecce quantus est in concinnandis precibus, in aptandis humilitatis verbis, quæ flectant patrem. Aliter sponsa, Cant.3. *Surgam, & circuibo ciuitatem: per vicos, & plateas, quæram quem diligit anima mea.* Nullas præmeditatur preces, nulla facienda verba meminit, solum optat sponsum inueniri, eiusque conspectui subesse, cuius præsentia si gaudeat, omnia sibi bona facili negotio ventura præsagit. Id quod expendit Gillib. Abb. serm.3. in Cant. fatus. *Ille de flectendo patre solicitus. Quæ sponsa est, certa de gratia postulat præsentiam tantum. Surgam, inquit, & circuibo ciuitatem, & quæram quem diligit anima mea, inuentionem sufficere reputans.* Habet hoc fidelis anima, quæ verè Deum sectatur, quod non egeat longis clamoribus, & precibus defatigari, vt Deum exoret, ac si vel eius oculis aster tacens, facili negotio, sine vllo labore Deum trahit. Quod non trahit fugitiuus peccator, is enim, quisquis fuerit, tamen dum longè à Deo separatum se inuenit, & clamoribus, & precibus, & genuflexionibus incumbere tractet, si Deum sibi cupiat attrahere.

Act.7. August. Luc.15. Cant.3. Gillibert.

§. IV.

Ex ærumnis pro Deo susceptis dies hominis censentur.

DE sectatoribus suis ait Dominus, *triduo sustinent me*, iure notans dies sustinentiæ, quia, quæ pro Deo sustinentur, ærumnæ faciunt dies hominis. Nonne apud Ægyptios diu egit captiuus populus Israëlis? Nonne ibi ærumnosus longis temporibus fuit? Sed tandem ipsi clamauerunt ad Deum, & educuntur ab Ægypto, vt conitciantur in labores eremi, & dicit Dominus Exod.cap.12. *Mensis iste vobis principium mensium.* Ex tunc censentur dies Israelis, quando educitur ex Ægypto; sed educitur, & simul coniicitur in labores, & ærumnas deserti. Cur ergo Ægypti dies, vtpote ærumnosi, non censentur; & dies ex tunc incipiunt censeri, & numerari, cum etiam abundent ærumnis, & doloribus? Equidem postremi hi labores propter Deum ferebantur à fidelibus, & ideo ab illis incipiunt dies censeri. D. Gaudentius in Exod. serm.1. *Non sunt imputati Israelitis illi dies, quos consumpserunt in Ægypto. sed quando ingemuerunt ad Dominum conuersi ab operibus duris, & Dominus percussit primogenita Ægyptiorum, qui eos seruire Domino non sinebant: tunc audiuerunt. Mensis hic vobis initium mensium, primus est vobis in mensibus anni.* Vbi gemitus nostri, & labores nostri Deum aspiciunt, ex tunc dies censentur nostri, & incipiunt clarissima ætatis nostræ tempora numerari. Sponsa Cant.3. sic ait. *In lectulo meo per noctes, quæsiui quem diligit anima mea.* Sic se noscit ærumnosam, & laboribus deditam, vt nullum vitæ suæ diem audeat numerare, sed tristibus tenebrarum noctibus se pressam fateatur. Nihilominus tamen non vane consumit laborum noctes, sed per illas quærit Deum, adeò vt quidquid laboris, quidquid afflictionis nox afferat, id sponsa sumit, vt Deum inueniat, vnde Gillibertus Abb. serm.1. in Cant. fatur. *Quære per singulas noctes dilectum tuum. Quid dico per singulas: totas noctes in hoc opus continua; tunc poteris illud Pauli dicere: Nox præcessit, dies autem appropinquauit.* Et quidem vbi ærumnarum noctes Deo quærendo subseruiunt, necessum est, vt dies hominis inde incipiant censeri, & numerari; sit nox qua Dominum sustineas, qua Deum quæras, qua post Deum vadas, & ecce tibi dies appropinquant; immò tibi dies sunt, quibus gaudeas. Nullus enim tibi censetur dies, nisi ille, quo etsi ærumnosus ad Deum vadis. Hinc Iob post filiorum mortem, post bonorum amissionem, summis in ærumnis, & calamitatibus constitutus, non calamitatum, & miseriarum dies perire sibi optat, sed dies natiuitatis. Sic cap.3. *Post hæc aperuit Iob os suum, & maledixit dies suos, & locutus est. Pereat dies, in qua natus sum.* Expende, qualem diem cupit iustus homo delere, non diem præsentē ærumnarum, & dolorum, sed diem qua in domo regia natus est, quam secura fuerunt tot gaudia, tot diuitiæ, tot regiæ voluptates. Hanc diem vocant homines suam, & misere decipiuntur, non enim censentur dies hominis iusti, dies temporalium felicitatum. Id quod notans Olympiodorus in Cat. ait. *Quod enim quemquam delectat, id diem putat suum, ita errore animi decipimur. Quare hanc diem iustus cupit deleri, vt quæ solo nomine vicissitatem lucis imitetur.* Misere fallimur, dum inter dies nostros censemus dies felicitatum temporalium, quem communem errorem damnans Iob, non præsentem diem calamitatum, sed præteritum felicitatum optat deleri, & expungi, & penitus obtenebrari. Nullus enim dies censetur noster, nisi quem sustinentia decoramus. Psalm. 89. *Exultauimus, & delectati sumus in omnibus diebus nostris.* Nullum diem nostrum amisimus, omnes steterunt ad solatium: sed quid dies hi fuerunt, qui sic vniuersi habiti sunt ad solatium? Iam ipse explicans subdit. *Lætati sumus in diebus, quibus nos humiliasti, annis, quibus vidimus mala.* Dies tribulationum & sustinentiæ, dies sunt, quorum nullus nobis deperiit, sed vniuersi reseruantur ad gaudia.

Exod.12. Gaud. Cant.3. Gillibert. Iob.3. Olymp. Psalm.89.

Text. Et præcepit turbæ, vt discumberent super terram. Et accipiens septem panes, & pisces, & gratias agens, fregit, &c.

§. V.

Antiquæ seueritati par gratia in Christo respondit.

NOn otiose septem vtitur panibus Dominus, vt suos alat, sed vt ostendat minime suæ legis gratiam, & benignitatem inferiorem esse antiqua seueritate. Cum Petrus dubitat Matth.18. an vsque ad septies condonationis numerus esset extendendus? Respondet Dominus, non solum vsque septies, sed vsque ad septuagies septies; quod pulchre notans Tertull. de orat. Domini ait. *Cum interrogasset Petrus si septies esset remittendum fratri: immò, inquit, septuagies septies, vt legem in melius reformaret, quod in Genesi de Cain septies, de Lamech autem septuagies septies vltio reputata est.* Pro seueritate Mosaicæ mensuræ sit mensura Christianæ gratiæ, non sit Christus minor ad donandum, quam Moyses ad puniendum. Ex quo lucem affero verbis Isaiæ, c.28. vbi sic. *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum angularem pretiosum in fundamento fundatum. Qui crediderit, non festinet. Et ponam in pondere iudicium, & iustitiam in mensura.* Haud dubium, quin in præsenti loquatur Isaias de lapide primario Iesu, lapide inquam qui abscissus sine manibus creuit in montem supra quo ciuitas Ecclesiæ fundata conspiceretur. Ergo vbi primum lapis hic diuinus Iesus abscissus sit, vide quid sequatur, nimirum: *Et ponam in pondere iudicium, & iustitiam in mensura.* Iudicium & iustitiam in præsenti synonyma non sunt, sed prorsus contrariæ significationis; sumitur enim iudicium pro seueritate, & rigore, iustitia autem pro gratia iustificante, & Dei misericordia. Septuaginta enim reddunt; *At misericordia mea in staterà.* Quippe is erit Iesus, cuius misericordia, & gratia respondeat antiquæ seueritati, per quem iudicium antiquum, & noua gratia in eisdem mensuris reperiantur: immo iuxta Iacobi 13. *Superexaltat autem misericordia iudicium*: vt maius pondus superexaltare solet minus in statera, quia semper misericordia vberius profluit, quam seueritas. Vnde Cant.1. illa, quæ introducta erat in

Tertull. Isai.28. Iacob.13. Cant.1.

cella vinaria, fatur. *Introduxit me in cellaria sua, exultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorum super vinum.* Inter cellaria regis, vbi pateris plenis vina propinantur; ait vberum stillatas guttas vinum excedere, & superare: id quod meditatus Gillibertus Abb. serm. 31. in Cantic. fatur. *Vestra gratia, vbera consolationis [illegible] & dulcia vino meliora sunt, & efficaciora.* Et quidem excedunt antiqua cellaria à Christi vberibus gratiæ. Sic sepulsorinis gratia per Christum data abundat, immò exundat, vt dicat etiam Ioann. cap. 1. *De plenitudine eius omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Quasi pro gratia legis parua & exili venerit nobis ingens Christi gratia velut torrens de plenissimo fluenti exiliens. Quis neget seuerissimæ legi gratiam adiunctam fuisse? Sed gratia nimis parua multo sanguine, multo sudore mixta in lege fuit. At in Christo pro mensura seuerissimæ legis gratia datur, quæ etiam excedat vniuersas antiquæ seueritatis, & gratiæ mensuras. Chrysostom. hom. 13. *Gratia Iudæi autem consequebantur: nos autem omnes salui facti sumus gratia: sed non eodem modo, nec eisdem de rebus, sed longè maioribus, & excellentioribus: sed iustitia, sanctificatio, adoptio, Spiritus sancti gratia in nobis longè clarior, longe vberior.* Nunquam Christi gratia non excedit omnes legis mensuras, vt vel de superabundantia omnes impleat, & quod lex fecit ad vindictam, Christus efficiat ad gratiam, & salutem. Quapropter comparans D. Chrysost. legis promulgationem cum Christi prædicatione ait in Cat. Psalm 48. *Illa erat tamquam [illegible] & ministerium mortis, & condemnationis. Hæc autem [illegible], & pax.* Nihil in lege inuenies, quod non vindictam sonet. Nihil in Christo, quod non dicat gratiam, & misericordiam, vt de illo dicat Isaias 33. *Qui obturat aures suas ne audiat [illegible] potnem.* Septuag. expressius: *vt non audiat iudicium sanguinis*; quasi nihil magis à Christo alienum seueritate.

Gillibert. — Ioan. 1. — Chrysost. — Chrysost. — Psalm 48. — Isa 43.

§. VI.

Iugis recordatio beneficiorum Dei, & gratiarum actio.

GRatias agens frangit panem Dominus, ne procedat à manu Dei mica panis, quin secum adiunctam habeat, & ferat Dei memoriam, iugémque actionem gratiarum. In simili miraculo Ioan. 6. post ingentem saturitatem myriadum superfuerunt duodecim cophini fragmentorum qui & colliguntur, & reponi iubentur à Domino. Sed cur qui sic panes creat, iubet has reliquias in crastinum reseruari? Pulchrè rem attigit D. Basil. Seleu. orat. [illegible] fatus. *[illegible] videlicet [illegible] dum [illegible].* Meritò Dominus non vult, quod sui memoria cum facto simul transiret, sed plures duraret dies & in dies per fragmentorum esum renouaretur, adeò vt nulla esset mica, quæ auctorem tanti facinoris non prædicaret, & publicaret. Et quando non est adiuncta panibus gratiarum actio? Isaias cap. 62. *[illegible] Dominus in dextera [illegible] fortitudinis suæ, si dedero triticum vltra cibum inimicis tuis, & si biberint filij alieni vinum in quo laborasti, quia qui congregabunt illud comedent, & laudabunt Dominum.* Notanter dixit, comedent, & laudabunt Dominum; triticum enim, quod à Deo exhibetur, non potest non habere sibi adiunctas gratiarum actiones, vt dicat D. Hieronym. *[illegible], & hoc vinum, quod non comedent [illegible] laudauit Dominum.* Quasi nec panis mica à Dei manu veniat, quæ non inferat, vt cibum, sic Dei laudes humano ori: nec mireris sic inseri diuinis beneficiis Dei laudes, quandoquidem summum, quod Deus ab homine expectat, hoc est, nimirum, quod homo gratum se exhibeat tanto benefactori. Inde Genes. 29. de Lia dicitur. *Quarto concepit, & peperit filium, & ait modo confitebor Domino, & ob hoc vocauit eum Iudam: [illegible] parere.* Ter pepererat, nec confitetur Domino, nec hymnum dicit nomini eius, nec fundit gratias. vbi autem quarto parturit, tunc iam confitetur Domino, iam fundit gratias: & tunc cessat parere. Post confessionem, post gratiarum actionem, cur statim ponitur cessatio partuum? Nimirum vbi Domino confitetur, ad summum peruenit, nihil amplius habet, quod faciat. Ita Philo lib. de plantat. Noe fatus. *Dicitur destitisse parere; quando non haberet, quo se verteret, iam ad perfectionem progressa [illegible]. Nam inter omnia rectè facta nullum partum est præstantior, quam hominis in Deum patrem omnium.* Qui Deo gratias refert, non est quid agat amplius, quasi omnem obligationem absoluit, & cursum consummauit, vnum restat, vt Dei salutari potiatur. Psalm 49. *Sacrificium laudis honorificabit me; & illic iter quo ostendam illi salutare meum.* Io hymnis, quibus Deum laudamus, completur iter quo ad Dei salutare properamus. Chrysost. hom. ibi ait. *Sacrificium, inquit, laudis [illegible] honorificabit me, protinus addidit, & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei, ac si patenter diceret, illi iter est laudis ad æternam laudem, quæ sine mensuram.*

Ioann. 6. — Basil. Sel. — Isai. 62. — Hieron. — Gen. 29. — Phil. — Psalm 49. — Chrysost.

Text. Et quod superfuit de fragmentis tulerunt septem sportas plenas. Erant autem qui manducauerant quatuor millia hominum, extra paruulos, & mulieres.

§. VII.

Mulierum testimonia de diuinis semper suspecta sint prudentibus viris.

CVr à numero illorum, qui miraculosum panem manducauerunt, excipiuntur mulieres? Nonne mirum est, & diuinæ potestatis opus quod mulierum gula satietur? Nonne explicaretur magis diuinitatis opus, si & paucis panibus duo mulierum millia super quatuor millia virorum saturarentur? Sed parum censeo: fuit semper prudentibus viris mulierum testimonia de diuinis, etsi multæ sint spectatæ vitæ, & sanctimoniæ, Lucæ 24. mulieres [illegible] nitæ notitiam accipiunt dominicæ resurrectionis: *& regressæ à monumento nunciauerunt hæc omnia illis vndecim, & cæteris omnibus. Erat autem Maria Magdalena, & Ioanna, & Maria Iacobi, & cæteræ, quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apostolos hæc. Et visa sunt ante illos, sicut deliramentum, & non crediderunt illis.* Expende quæso ab illis verbis: *Erat autem Maria Magdalena, &c.* Notanter enim ostendit Euangelista, quarum fœminarum testimonia de dominica apparitione deliramenta habeantur ante Apostolicos viros. Non equidem mulier quæuis, sed spectatissima fœmina Maria Magdalena, quæ lacrymis lauit Iesu pedes, quæ non semel habuit Christum patronum aduocatum, [illegible] testem, immò approbatorem suæ virtutis. hæc, inquam, tanta mulier vna cum aliis sanctissimis referebat Iesum ibi viuentem visum, & Angelorum colloquia, & non creditur ab Apostolis, immò prudentissimè non creditur. Ita D. Chrysolog. serm. 9. ait. *Quod Apostoli resurrexisse Dominum mulieribus annuntiantibus, aut non credidisse, aut deliramentum iudicasse [illegible], grauiter nemo arguat: alte dubitat, qui altius credet: decipi non potest, qui non cito fallitur [illegible]: requirens nimis est, qui post exemplum inuenitur incautus: peritia est, non [illegible] milites, cum sensim miles veteranus incedit. Sic Adam nouus cito [illegible], dum cito credidit, & dum facile dat aures ad mulieris auditum, se [illegible] posteros pessimo addixit interitu: at veteranus Petrus fœminam non facile audit, fœminis nunciantibus credit tarde, & vt veteranus [illegible], ne vt puer incurrat.* Hæc sæpe legant, qui fœminis diuinitus factas reuelationes auscultant & metuant, post tot exempla falsitatum non nimis cauti inueniri. Cui vnquam nimis in fœminas seuera illa lex Pauli visa est, quam ad Timoth. 2. dicit. *Mulieres docere non permitto.* Sic Seuerus Apostolus in mulierum doctrinam ostenditur, & grauis, sic fœmina omnis etiam spectatissimæ virtutis à docendi munere remouenda; cur id facit prudentissimus, & sapientissimus Apostolus? Pulchrè D. Chrysostomus homil. 9. ibi rationem insinuat, dicens. *Semel mulier docuit, & cuncta peruertit, itaque viro non audeat.* Ex vno lapsu redditur Apostolo suspecta, & inuisa doctrina fœminarum; cur ergo ex multiplicibus lapsibus, & erroribus suspecta non reddantur de propriis reuelationibus testimonia fœminarum? Expende Dei promissionem apud Ioel, cap. 2. *Effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ: [illegible].* Nullus sexus excluditur à Spiritus sancti charismatibus, tam fœminæ, quam viri implentur eius afflatibus. Sed vt bene notat D. Hieronym. etsi fœminæ dicuntur prophetaturæ, tamen somnia diuina, & visiones non à fœminis, sed à viris strenuis, eisque senibus iubentur spectari. Non periculosum est mulierum prophetias accipere, quarum euentus euidens non sinit locum fallaciæ; at mulierum somniis, & visionibus nimis credere, easque publicare, nescio an prudentis viri sit. Quippe scio Hieronymum sanctissimarum fœminarum magistrum fuisse, apud quem inuenio illarum virtutes descriptas, & prædicatas, sed nullius visiones, aut somnia memini ab illo legisse exaratas, & si quæ sunt, sanè rarissimæ erunt, & sanctissima morte confirmatæ. Hinc prudentissimus Samsonis pater, vt vxori Angelum

Luc. 24. — Chrysol. — 1. Timoth. 2. — Chrysost. — Ioel. 2. — Hieron.

gelum viſum audiuit,ſic clamat Iud. cap. 13. iuxta lectio-
Ambroſ. nem D. Ambroſ. epiſtol.70. *In me Domine veniat Angelus tuus.* quaſi inde vellet Angelicæ apparitionis veritatem à ſuſpicione liberare,quod viro fuerit facta. Sic prudentiſſi-
1. Corinth. mus Paulus, 1. ad Corinth.15. narrans Chriſti apparitiones
15. poſt reſurrectionem,ait. Viſus eſt Cephæ,& poſt vndecim. *Deinde viſus eſt pluſquam quingentis fratribus ſimul. Deinde viſus eſt Iacobo: deinde Apoſtolis omnibus. Nouiſſimè autem omnium tanquam abortiuo viſus eſt & mihi.* Sed cur nullius fœminæ meminit, cum & fœminæ primæ Ieſum rediuiuũ vi-
Thom. derint? D.Thom. ait: *Noluit ponere teſtimonia, niſi authentica, & ideo tacuit apparitiones mulieribus factas.* Iam hinc diſcent ſapientes viri apparitiones mulieribus factas non circumferre.

CAPVT IV.

De piſcium captura.

QVAM nauim non vincat Petri nauicula? Hæc aureo agniculo Dei diues maria ſulcat: & dum in altum ducitur, expanſis ratibus mare verrit, & facit ingentem piſciũ piſcaturam. In captis piſcibus miratur Petrus diuiniſſimam præceptoris ſui virtutem, & totus ſtupore poſſeſſus illud inclamat: Recede à me, quia homo peccator ſum. Satius, ô Petre, quia & peccator, acceſſum Saluatoris requireres, quo ſicut piſces ad retia, ita oues ad caules, & homines trahuntur in vitam.

Luc.9. Factum eſt autem cùm turbæ irruerent in eum, vt audirent verbum Dei,& ipſe ſtabat ſecus ſtagnum Geneſareth,& vidit duas naues: piſcatores autem deſcenderant, & lauabant retia. Aſcendens autem in vnam nauim, quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere puſillum

§. I.

Humanæ vitæ inconſtantia, & miſeria ex comparatione nauis.

DOminus ad ſtagnum Geneſareth oculos conuertens, vidit duas naues, & quid aliud cerni poteſt in vaſtiſſimo pelago mundialis vitæ? Nihil mundus exhibere poteſt aliud præter naues. Nauis eſt quiuis homo furentibus
Pſal. 106. fluctibus vndequaque cinctus, Pſalm.106. eius miſerias apprimè deſcribit. *Qui deſcendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis, ipſi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo.* Sed quæ opera, quæ mirabilia Dei vident iſti in mari? iam explicat, dum ait. *Dixit, & ſtetit ſpiritus procellæ: & exaltati ſunt fluctus eius. Aſcendunt vſque ad cœlos, & deſcendunt vſque ad abyſſos, anima eorum in malis tabeſcebat, turbati ſunt, & moti ſunt, ſicut ebrius: & omnis ſapientia eorum deuorata eſt.* Ecce tibi cuiuſmodi vita humana eſt, nimirum, nauis commendata fluctibus tempeſtate actis. Nihil ſecurum, nihil firmum videt nauta, dum tempeſtas furit, immò nihil non incommodum, & lethale experitur; vndique rapidus ventus, vndique frementes fluctus, vndique mors, & ſubmerſio vicina eſt. Nec id ſummum eſſet diſcrimen, ſi dum externa fierent, interna hominis ſic affecti quieta eſſent, & tranquilla, verum vndarum fluctuationem mentis fluctuatio ſuperat, *turbati ſunt, & moti ſunt, ſicut ebrius*; vt in ebrio cerebri turbatio præeminet;ſic in miſeris hominibus, dum fluctuant, dum procellis quatiuntur, dum naufragiis paſſionis petuntur, mentis turbatio omnes alias turbationes ſuperat. Hanc homi-
Nyſſen. nis miſeram conditionem ſic deflet D. Nyſſen. tract. 1. in Pſalm.cap.8. inquiens. *Homines relicta ſtabili, & nullius tempeſtatis expoſita vita, voluntate, & propoſito, quaſi mare effecti ſunt. Inquit enim, qui deſcendunt in mare nauibus: & loco paradiſi, quem colebant, & in quo prius viuebant, artem factitarunt ſubmerſioni obnoxiam.* Huc ſe deduxit hominis miſeria, vt à florenti,& ſtabili paradiſi vita, vbi quaſi vitalis planta firma radice plantatus erat; firmam & omnis turbationis expertem terram incolebat,inſtar nauis fluctibus commendaretur,crebriſq; daretur procellis,inter quas vix aliud vicinius,& proximius,quã naufragium ſpectare licebit.Hanc
vitæ ingentẽ miſeriam in ſe experiebatur Dauid 1. Reg.20. 1. Reg.20.
aiens. *Viuit Dominus, & viuit anima tua, quia vno tantum (vt ita dicam) gradu ego,morſque diuidimur.* Qualis eſt vita, quæ tam paruo interuallo à morte diſtat? Quæ vita ſimilior naui,quam quæ vno gradu à morte diuiditur? ſic nauis viciniſſima naufragiis, à quibus vna interiecta fragili tabula diuiditur; ſic hominum vita tempeſtatibus, fluctibuſque continuis agitata vix vno gradu à morte diuiſa manet. Vnde merito inter difficilia ponit Salomon Prouerb.30. viam
nauis in medio maris, id quod expendens Galfridus apud Galfrid.
Delrium in adagiis tom.2. ait. *Nihil in rebus humanis terribilius, nihil periculoſius eſt, quam inter flatus aëris, & fluctus maris: inter auras inſtabiles,& vndas mobiles, ligno fragili credere vitam ſuam,& vix duobus digitis à morte diſtare. Sic fluctuant, quos metus agitat, & vana ſolicitudo conturbat,vt nullum inueniat ſpei anchora firmamentum, nullum prorſus, aut penitus ſcopuloſum littus appareat.* Expende hominis,& nauis æqualem miſeriam, nimirum, *vix duobus digitis à morte diſtare*,nihil vicinius, proximius nihil, quam mortem vndequaque videre. Sic omnis homo, ex quo a paradiſi portu ſoluit, velut nauis commendatur proceloſi pelagi mundialis fluctibus, inter quos nullum vſque firmamentum, nullum littus apparet, vna mortis vicinitas vndequaque
ſentitur.Sic Pſalm.37. *Cor meum conturbatum eſt*, vbi legit D. Hieron.
Hieron. *Cor meum fluctuabat*, vt oſtendatur miſer homo ad inſtar nauis mediis procellis fluctuantis. A qua miſeria ſolus ille eripitur, qui Chriſtiana ſapientia viget; vt dicat Eccleſiaſticus,cap.33. *Sapiens non odit mandata,& iuſtitias,& non illi detur quaſi procella nauis.*

§. II.

Nullus principum, aut prælatorum,aut diuitum ſolus pergit in præcipitium. Vbi quam torqueat damnatos clientum ſocietas.

DVæ viſuntur naues in mari, nuſquam enim vna ſola nauis fluctuat in mundiali pelago: nuſquam vnus princeps, aut diues nauis nomine ſignificatus, ſolus nouit
periire.Sic D.Baſilius orat. in ſanctum Gordium fatur. *Gor-* Baſil.
dius ſpretis omnibus vrbanos fugit tumultus, fori clamorem, magiſtratuum ambitionem, tribunalium faſtum, quibus magnæ vrbes refertæ ſunt, multoſque ſecum tanquam naues alligatas puppibus cymbas per æquora trahunt. Ecce tibi, vt magna nauis numquam ſola per pelagus graditur, ſed alias cymbas, & nauiculas ſecum pro miniſterio trahit,cum quibus & patitur naufragium. Ita quilibet mundialium magiſtratuum, quilibet diuitum, & potentium nunquam ſolus ingreditur mortis, aut ſupplicij tempeſtates, ſed & ſecum innumeros alios rapit.Qui princeps, qui potens, qui diues ſolus iuit
ad lacrymas? Bene Iob, cap. 26. ait. *Gigantes gemunt ſub* Iob 26.
aquis, & qui habitant cum eis. Ad Dei incredibilem poteſtatem indicandam, ſuffeciſſet, lamenta, & gemitus potentium virorum explicaſſe; quippe tam potens eſt Deus, *qui auferat ſpiritum principum qui mittat principes in locum*, vbi eſt gemitus,& ſtridor dentium:cur voluit addere illud, nimirum *& qui habitant cum eis*: Crediderim id additum nõ ad oſtendendam Dei potentiam, ſed principum conditionem, qui neſciant ſoli ire in perditionem; ſed ſæpe eant
magna ſtipati caterua.Vnde D.Thom. ait. *Quia non ſoli ipſi* Thom.
perierunt, ſed multi alij cum eis, & tunc poſtea ſubiungit: Et qui habitant cum eis,ſcilicet,ſimiliter gemant. Nemo potentium ſolus perditionem intrat,ſed magna clientum, famulorum, amicorum comitatus turba. Equidem ille Lucifer, qui mane oriebatur, quando aſcenſiones in corde meditabatur
ſuo, ſolus proponitur, dicens Iſai.14. *Aſcendam in cœlum*, Iſai.14.
&c. nullum ſecum ſocium trahit, vt aſcendat; verum vbi deturbatur in profundum, quis numeret ſocios ſequentes illum? Apocalypſ.12. *Ecce draco magnus,& ruſus habens ca-*
pita ſeptem, & cornua decem, & in capitibus ſuis ſeptem diade- Apoc.12.
mata,& cauda trahebat tertiam partem ſtellarum. Rari ſunt aut nulli, qui admittantur ad potentium glorias; ac ingens eſt ſemper multitudo, quæ trahitur à potentibus cadentibus, qui omnes ſuos familiares, & vnanimes præcipitare nouerunt. Sic Ezechielis cap.31. ad Pharaonem regem. *Cui aſſi-* Ezech.31.
mulatus es ô inclyte,atque ſublimis, inter ligna voluptatis ad terram vltimam in medio circumciſorum, dormies cum eis qui interfecti ſunt gladio. Ipſe eſt Pharao, & omnis multitudo eius. Periit equidem Pharao, an periit ſolus? Abſit:immò ingens illa miniſtrorum multitudo, quæ ad inſtar lignorum paradiſi

difi illum vbique obumbrabant, simul periit cum illo, ipseque cum lignis voluptatis ingreditur vltimam terram inferni. Pharao est, princeps est, qui cum ingenti multitudine ministrorum in mortem æternam incidit. Nec otiose dicitur potens in infernum ire cum lignis voluptatis, posset enim explicatius dicere, cum ministris, sed maluit dicere cum lignis voluptatis, ne videantur ex multitudine sociorum solatia creari potentibus pereuntibus, sed potius aggrauari supplicia. An qui in flammam cadit cum adiunctis sibi lignis non potius augebit, quam minuet ignem? sic ministri rapti ad pœnam ligna sunt, qui ignem augeant
Luc. 16. dominis. Hinc nata est illa solicitudo diuitis epulantis Luc. 16. qua dicebat. *Rogo te pater Abraham, vt mittas Lazarum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum.* Quippe flammis possessus timebat suorum aduentum; vt cremandus timet ligna, quibus maior ignis exurgat, & ideo precabatur miser suorum ad se accessum, quasi necessario imminentem alio diuerti, ne
Iob 3. maiori cremaretur igne adhibitis tot lignis. Iob cap. 3. conuocans ad maledicendum nocti natiuitatis suæ illos, qui æternis maledictionibus addicti nunquam nouerunt quiescere à maledictis, sic ait. *Maledicant ei, qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leuiathan.* Aliter multi Hebræi in rem præsentem legunt. *Qui parati sunt orbari, seu comitatu, seu adhærentibus sibi.* Sanè qui æternis maledictionibus addicti sunt, hoc anxie cupiunt quod orbi, & soli relinquantur in flammis sine sociorum, & ministrorum societate; quot enim amici, & voluntatum suarum administri illuc peruenerint, tot ligna sunt augentia vim flammarum. Do
Epiphan. D. Epiphanium in epist. data Hieronymo, quæ habetur in-
Theoph. ter epist. Theophili Alexand. vbi sic. *Audio ad Occidentem quorumdam hominum naufragia peruenisse; qui non contenti perditione sua volunt plures mortis habere participes; quasi multitudo peccantium scelus minuat, & non numerositate lignorum maior gehennæ flamma succrescat.* Equidem quot socios facis sceleris, tot ligna tibi applicas, quæ gehennæ præbeant incrementum.

§. III.

Quidquid præcellens persona loquatur præceptum est.

Miraris quod tantus Dominus rogarit nauiculam à terra reducere, cur non potius iusserit? Equidem rogatus, & obsecrationes, & quælibet Iesu verba ex maiestate personæ in præcepta transibant, quæ non facile licebat contemnere. Paulus 1. ad Corinth. cap. 17. sic fatur. *Mu-*
1. Cor. 17. *lier alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit; quod si dormierit vir eius, liberata est; cui vult nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit, secundum meum consilium. Puto autem quod & ego spiritum Dei habeam.* Itaque vidualem continentiam consulens Paulus, quasi consilium suum minimè reiiciendum vellet, illud ob oculos proponit, quod spiritum Dei habeat. Ego, inquit, qui hæc consulo, spiritum Dei in me inhabitantem, & loquentem & consulentem habeo. Cur in se Dei spiritum inhabitantem obtestatur in his continentiæ vidualis consiliis dandis? Crediderim hoc agi à Paulo, vt vim huius consilij præcipuam ostendat ex ingente consulentis auctoritate, quæ tanta est, vt quodlibet eius vel simplex verbum, velut præceptum suscipi debeat ab illis, qui bona velint confidentius sperare. Sic sana men-
Tertull. te intellectus Tertullianus in exhortatione ad castitatem fatur. *Ita Spiritum sanctum auctoritate ad eandem speciem adire fecit. Apostolus, cui nos magis obsequi voluit? & factum est iam non consilium diuini spiritus, sed pro eius maiestate præceptum.* Vbi enim tantæ maiestatis auctoritas intercedit, nulla vox, nec syllaba esse potest, quæ suscipi, & æstimari, vt magnum
Iosue 1. præceptum non debeat. Hinc Israëlitæ sic ad Iosuè loquuntur, cap. 1. *Sicut obediuimus in cunctis Moysi, ita obediemus & tibi: tantum sit Dominus tecum, sicut fuit cum Moyse. Qui contra dixerit ori tuo, moriatur.* Quasi tanta esset auctoritas hominis, vt vel labiorum eius motus habeatur vt præceptum, cui contradici non potest sine supplicij metu. Qui contra dixerit non solum imperiis tuis, sed ori tuo, hoc est, quamlibet oris vocem, seu halitum contempserit, reus sit legis fragij, & morte puniatur. Quo iustificatur seueritas illa
Iud. 8. Gedeonis in viros Socoth: quippe ait ad illos Iud. 8. *Cum reuersus fuero victor in pace, conteram carnes vestras cum spinis tribulisque deserti.* Sed quale fuit hominum istorum delictum, pro quo tanta pœna plectuntur? An aliquod regium edictum contempserunt? An præceptum impositum confregerunt? Solum obsecranti Gedeoni non annuerunt, quippe Gedeon dixit ad viros Socoth. *Date, obsecro, panes populo, qui mecum est, quia valdè defecerunt, vt possimus persequi Zebee, & Salmana reges Madian. Responderunt principes Socoth. Forsitan palmæ manuum, Zebee, & Salmana in manu tua sunt, & idcirco postulas, vt demus tibi panes? Quibus ille ait, cum reuersus*, &c. Ecce tibi tota istorum hominum causa; illos rogat, & obsecratur dux Gedeon, & ille dux, cui Dominus aderat; illi autem non ad imperium, sed ad obsecrationem, & rogatum tanti ducis surdescunt, & merito quasi legum fractores morte mulctantur. Obsecratio enim tanti viri tali tempore, cum diuinam sibi assistricem habebat potestatem, omni imperio debebat haberi sanctior, & magis obseruanda.

Text. Et sedens docebat de nauicula turbas.

§. IV.

Vacuandum cor hominis à terrenis bonis, vt attingat portum felicitatis.

Dicit quod Iesus de nauicula docebat turbas, & non explicat, quid de nauicula doceret, sanè, quia ea docebat, quæ manifestissimè nos docent vniuersæ naues. Quis nesciat doctrinam, & philosophiam nauium, quæ nimis oneratæ pereunt, & euacuatæ ocyssimè nauigant? D. Basil. D. Basil.
in cap. 2. Isaiæ fatur. *Quemadmodum enim naues onere immodico degrauatæ ad portum multo cum negotio proueh[u]ntur, ac facile subeunt naufragium: pari ratione corpora, quæcumque tandem multa, ac redundanti alimonia ad obesam carnulentiam deuergant per voluptatum illecebras, in imam voraginem perditionis natando immerguntur.* Æmulamur naues in periculis dum cupiditatum oneribus pressi, & grauati, aut in perditionis voragines mergimur, aut hæremus in salebra, aut ægre, & difficulter portum attingimus felicitatis. Sit igitur nobis, vt nauibus portus pretiosior omni alia re, nauis vt portum attingat nullis bonis, nulli auro parcit, omnium iactum patitur, quo superet tempestates, sic & nos pro anima, nihil non contemnamus. Hinc inconcussam hominis prudentiam censebat diabolus, apud Iob cap. 2. aiens. *Pel-* Iob 2.
lem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua. Etenim postquam vidit à Iobi animæ bona extrema despici, hanc didicit malus veritatem; nimirum, quod singula bona apud prudentem hominem, certum gradum æstimationis habent, adeo vt facilè alia pro aliis dimittat. Præ omnibus autem homini pretiosior est anima: deinde salus corporalis, deinde bonum externum, & ideo vt seruet animam facile exponit bona temporalia, nec multum curat diuitias, dum vitam habeat, pro qua cætera omnia despicit, quasi qui multis pellibus vestitus est, semper exteriores exponit, vt intimas sibi valeat conseruare. Sic cordatus homo pellem pro pelle dat, hoc est pro intima animæ salute, exteriorum bonorum iacturam nouit facere instar nauis, vt prædicta verba explicans Origen. lib. 2. in Iob fa- Orig.
tur. *Qui in mari nauigant, cum periculum passi fuerint, omnia, quæ in mari habuerint, contemnunt, atque in mare proiiciunt, vt ipsi euadant. Et quicumque diuitum cum in corporis infirmitatem inciderint, omnem substantiam suam libenter offerunt, tantum vt corporis incolumitatem recipiant. Sic, inquit, & Iob omnes diuitias, & omnem rem familiarem facile contemnit, tantum vt dolores non contingant in carnes eius.* Sic quilibet homo cordatus omnia debet contemnere, dum modo sibi æternam salutem conseruet, nec aliter homo in die turbinis, & tempestatis magnæ incolumis euadet, nisi instar nauis omnia cupiditatum, & diuitiarum onera à se ablegauerit. Id quod insinuans Isaias, cap. 2 ait: *Dies Domini exercituum su-* Isai. 2.
per omnem superbum, & excelsum, & super omnem arrogantem, & humiliabitur. Et super omnes cedros Libani sublimes, & super omnes naues Tharsis, & super omne quod visu pulchrum est. Non miror, quod homines peccatores iudicandi à Deo in die illa tremenda vocentur superbi, arrogantes, & alia huiusmodi, sed miror, quod vocentur naues Tharsis: cur visitandi à Deo, & iudicandi homines naues vocantur? An vt simul ostendatur, qua via possint incolumes seruari? Planè is homo etiam in die turbinis, & extremæ calamitatis saluabitur, qui instar nauis omnia dimiserit, & prorsus vacuus inuentus fuerit à tempestate. Hoc vnum effugium restat hominibus imminente iudicij tempestate, si ade omnia mundialia penitus dimittant. Vnde præclarè aiebat D. Nylus in Ascetico. *Vt naues pondere oppressæ sub-* D. Nyl.
merguntur, cum subieuant, & pretiosissima quæque vel in pro-
fundum

fundum faciunt: cur non etiam nos propter vitam præstantiorem, ea despicimus, quæ animum in profundum detrahunt? Cur idem non possit Dei timor, quod potest timor maris? Hæc ille.

§. V.

Quam velociter transeunt humana.

INsuper aliud nauicula docet, id quod docent vniuersæ naues celeri cursu prætereuntes mare, nimirum, quam velox sit in pertranseundo vita humana. Sap.5. *Transierunt omnia illa, tanquam vmbra, & tanquam nuntius velociter percurrens. Et tanquam nauis, quæ pertransit fluctuantem aquam, cuius cum præterierit, non est vestigium reperiri.* Nauis est quiuis homo in hoc mundiali pelago iactatus, & instar nauis velocissime transit, & pertransit, vt nullibi reperiatur consistens Genes. cap.3. quærebat Dominus, *Adam vbi es?* Nec tamen audio vllum Deo redditum fuisse responsum. Cur id pateris, Deus iuste? Cur pateris te responso frustrari à vili creatura? Cur non cogis reum respondere, hic sum, vel illic sum? sanè inutile esset quodcumque responsum, & fallax: summa enim velocitas hominis in prætereundo faceret, vt homo non esset, vbi diceret quando responsum ad Dei aures accederet, & ita sine fallaciæ suspicione non posset dicere, vllibi esse. Vnde ad rem satis aiebat Philo Iudæus lib. de somniis, *Interdum Deus sciscitatur ex quibusdam, sicut ex Adamo, illud, vbi es? Ad quod propriè respondere poterat, Nusquam: eo quod humanæ res omnes nunquam in eodem statu maneant.* Qui diceret, hic sum, fallax inueniretur, cum non tam cito volaret responsum ad aures, quam cito ille elaberetur in alium locum, & ab hoc in alium, ita magis verè posset dicere nusquam, quam alibi esse. Quò etiam refero Hildebertum episcopum, qui epist.26. de contemptu rerum humanarum, sic ait, *Cæterum hæc aliena esse fuga ipsorum denuntiat. Bona vaga, bona pennata sunt hæc omnia. Eorum est nusquam esse diutius, eorum status nemini statum præfigere certiorem.* Sanè verissimè, & prudentissimè de labili rerum humanarum statu iudicabit, qui nusquam eas esse cognouerit, nec de se aliquid affirmare fuerit ausus, sciens quemlibet statum verbis fugatiorem, cursore velociorem, naui leuiorem. Ideo cordatus ille vir Ecclesiastes cap.1. aiebat, *Ego Ecclesiastes fui Rex Israel in Ierusalem*; nondum regnum amiserat, nondum purpuram posuerat, at sic volantem cognoscebat statum, vt maluerit affirmare fuisse, quam esse. Argute Hugo Victor. homil.5. ibi ait, *Rex fui, iam non sum*: sic labitur humanus status, sic fluunt vniuersæ res hominum, vt verius de vnaquaque possis affirmare, quod fuerit, quam quod sit. De hoc iam diximus alibi, nec in cantatissima, apud omnes, re vacat immorari.

Sap.5. Genes.3. Phil. Hild. Eccl.1. Hug. Vict.

Text. Vt cessauit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam.

§. VI.

Nullis mundialibus commodis immorandum.

NOn multum moratur Dominus vno in loco, sed continuo iubet vela ventis dare & pergere in altum, condemnans eos, qui sic incubat mundialibus, vt toti ibi hæreant. Plane licet bonis temporalibus vti, sed pertranseunter, nec in illis diutius immorari. Psalm.103. *Hoc mare magnum, & spatiosum manibus, illic reptilia, quorum non est numerus. Animalia pusilla cum magnis, illic naues pertransibunt.* Ecce felicitas nauium præ reptilibus, præ maris animantibus, & hæc, & illæ in mari sunt, sed reptilia morantur ibi, nigroque incubant profundo: naues autem minime morantur, sed pertranseunt, & dum transeunter maribus fruuntur, maxime illæ commendantur. Ita ex omnibus commendabiles sunt, non qui penitus immerguntur bonis mundialibus, sed qui per illa pertransire nouerunt. D.Basil. in cap.2. Isaiæ ait, *Quæ mare permeant naues, non item moram trahunt in eo, neque immerguntur vndarum æstu, vndique commendabiles sunt: & qui in carne quidem degunt, non etiam militantes secundum carnem, calcantes huius vitæ æstuosos fluctus, & vndis ipsis superiores effecti faciunt operationes in aquis multis.* Non qui se immergunt mundialibus bonis, illisque toti incubant, sed qui instar nauis per mare, per mundialia bona pertranseunt, aliò spectantes, hi commendabiles Deo sunt, æternæque felicitatis portum attingent.

Psal.103. D.Basil.

Dantur enim homini bona hæc, quasi in transitu, non vt illis inhæreat, & immotetur, sed vt illis pertranseunter vtatur ad solida, & æterna prospiciens. Cuius typo iubebantur Hebræi agnum stantes, & peregre manducare; ait enim Exod.12. *Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinantes.* Sic dantur nobis vniuersa bona mundialia in transitu, ne illis insideamus, aut penitus incubemus, vnde D. Greg. homil.22. fatur. *Festinantes ergo pascha comedamus, id est, ad solemnitatem patriæ cælestis anhelemus. Nemo in huius vitæ itinere torpeat, ne in patriam locum perdat. Nemo moras ad appetenda studia innectat.* Quidquid hic est, transeunter attingendum est; quasi viator qui transit, & festinato furto pomum ab arbore decerpit, totam mentem suam in patria, ad quam tendit statuens. Noli procumbere, noli immorari terrenis, quisquis cupis immortalibus victoriis aptari. Ex ingenti Gedeonis exercitu illi eliguntur ad victoriam, qui manu, & lingua lambebant aquas de flumine, non qui procumbebant, Iud.7. *Fuit autem numerus eorum, qui manu ad os proijciente aquas lambuerunt, trecenti viri: omnis autem reliqua multitudo flexo poplite biberat. Ait Dominus ad Gedeon: In trecentis viris, qui lambuerunt aquas, liberabo vos.* Cur ij potius eliguntur à Deo ad victorias? An quia meticulosiores erant? Sic putauit Theodoretus: verum Lyra aptius in rem nostram ait. *Qui manu, & lingua lambebant aquas. Signum erat, quia nolebant ad terram procumbere, sed statim transire.* Et quidem ad immortales glorias eliguntur à Deo, qui sic ad humana commoda accedunt, vt nollent ibi insidere, ibi procumbere, sed statim inde transire, & leui refectione sumpta, ad solidas immortales glorias peruenire. Non aliter pristini patres, de quibus Paulus ad Hebræos, cap.12. ait, quod confitebantur: *Quia peregrini sunt & hospites super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere.* Quasi hoc signum sit eorum, qui æternæ felicitatis portum contingent, & patriam cœlestem. Ierusalem nimirum, quod terrenis solum fruantur in transitu, vt hospites, qui nec dum hospitium intrant, & iam exire festinant. De illis Chrysostom. ibi homil.25. *Nos terrenis inhiamus, & à terrenis nolumus abscindi, sed veluti vermes quidam ex terra in terram, & iterum ex alia in aliam circum repimus. Illi patriam quærebant, quæ in cælis est, & sic festinabant, vt hinc discederent.* Festinet ergo à terrenis soluere, cui cura est de cœlesti patria potiunda.

Exod.12. D.Greg. Iud.7. Theod. Ad Heb.12. Chrysost.

§. VII.

Obedire sciat, qui vult discere imperare.

NOtanter imperat Dominus Simoni, nauim ducere, vt subdi, & obedire sciat, qui ad Ecclesiæ eligebatur præfecturam. Quando melius imperare discis, quam vbi perfectum subditum agis? Quis aptior ad regni clauum, quam qui obedire, & esse subditum sciuit? Apud Ioannem cap.5. de Iesu dicitur: *Et potestatem dedit ei, & iudicium facere, quia filius hominis est.* Expende ob quam rationem Dominus accepit à patre iudiciariam potestatem, ob eam, nimirum, quia filius hominis erat. Et quidem filius hominis citius præseferebat formam serui, quam Domini; de illo item dicebatur Luc.2. *Et erat subditus illis.* Eundemque antea videres, quod instar rei apud iudices erat, quam instar iudicis super reos. Cur ergo ad imperium, ad præfecturam eligitur, qui formam serui, & subditi, immò, & rei præferebat? Sanè nullus melior præfectus, quam subditus: nullus melior iudex, quam qui reus. Hinc iudicandos consolatur Diuus Augustinus sermon. de verbis Domini 64. inquiens. *Forma hominis ventura est ad iudicium, forma illa hic iudicabit, quæ iudicata est. Sedebit iudex, qui stetit sub iudice. Damnauit reos veros, qui factus est falsus reus. Ille veniet, forma illa veniet.* Quam bonus erit iudex erga reos, qui sciuit reum agere? Quam dolebit vocem reorum adstantium, qui instar rei in tribunalibus coram iudicibus stetit? Quam moderatus præfectus erit, qui perfectè subditum egit. Ne miremur, quod Dominus Iosephum regno destinans, illum etiam & dura seruitute excoluit, & reorum more carceres fecerit subire, & iudicia: quasi nulla esset præstantior officina ad creandos reges, & iudices, quam ea, in qua ipsi & subdi, & subiici aliis edíscunt. Vnde Psal.104. *In seruum venundatus est Ioseph, & dum sic seruiret: Misit rex, & soluit eum, constituit eum Dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ, vt erudiret principes eius sicut semetipsum.* Præclarè, qui in regem & iudicem creabatur, permissus est agere

Ioann.5. Luc.2. August. Psal.104.

agere personam serui, personam subditi, immò personam rei, quamuis fictitij. Sed expende, quod hic talis, non solum ad principatum assumitur, sed & fit principum, & iudicum magister. Cur non solum fit Princeps & gubernator, sed & gubernatorum magister? Rationem illud insinuat, nimirum, *vt erudiret principes eius sicut semetipsum.* quia ipse solus in se habebat totum quod bonus princeps, & gubernator debebat habere; nimirum, qui seruitutem, & subiectionem nouerat, qui iudicium etiam passus fuerat. Ideò ergo fit Ioseph magister iudicum, & gubernatorum, vt illos erudiret sicut se ipsum, sicut ipse eruditus est, & excultus per subiectionem, & durorum dominorum tolerantiam.

Genebr. Id quod explicatius ponit Genebrard. dum pro *erudiret*, explicat se aiens; *vt vinciret, propriè alligaret, sicut semetipsum.* Quasi Ioseph promotio ad regnum, per subiectionem, per durissimorum iugorum tolerantiam optimum esset magisterium creandis iudicibus, & præfectis. Quo

Psalm. 2. etiam spectat Psalm. 2. *Erudimini qui iudicatis terram, seruite Domino in timore.* Ille perfectus iudex existat, qui etiam in subditorum numero fuit computatus, & nouit vnus è subditis, & timere Dominum & correptionem capere.

Text. Et respondens Simon dixit illi: Præceptor per totam noctem laborantes nihil cœpimus: in verbo autem tuo laxabo rete. Et cùm hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam.

§. VIII.

Christi discipulus breui spatio compensatur bonorum copiis, quidquid multis annis laborans sæculo perdiderat.

NOcturni laboris iacturam piscatio reparat facta Iesu nomine; quid enim non reparat tanti præceptoris disciplina? Nonne perditos longissimæ noctis labores vnus retis iactus Iesu nomine compensat? Sane vbi Iesus doctor, & præceptor est, breui spatio potes capere, quidquid per

Ioël 2. longum tempus perdideras. Pulchrè per Ioël cap. 2. fame & sterilitate consumptis Israëlitis dicitur, *Filij Sion exultate, lætamini in Domino Deo vestro: quia dedit vobis doctorem iustitiæ, ac descendere faciet ad vos imbrem matutinum, & serotinum in principio, & replebuntur areæ frumento, & redundabunt torcularia vino, & oleo, & reddam vobis annos, quos comedit bruchus & ærugo, & locusta.* Nullum laborem sinit tantus doctor irreparatum; illius auspicio sterilitas reparatur nouis frugibus, & qui anni fuerunt vacui, copia bonorum replebuntur. Sic ait, *reddam vobis annos, quos comedit locusta*; compensat equidem cœlestis doctor copia donorum quotquot dies inopia, & labor consumpsit. Quis tanti præceptoris fugiat scholas? Quis tanti doctoris non amet disciplinam, cuius vel nomine possit reparare bonorum copia longi temporis labores irritos? Sic in breui nouit compendiare ingentia suæ largitatis bona vt quidquid per longum tempus perdidisti, simul vno momento possis reci-

Isai. 30. pere. Quò etiam reuoco illud Isai. 30. *Et dabit Dominus vobis panem arctum, & aquam breuem. Et non faciet auolare à te doctorem tuum: & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum.* De tempore loquitur, quando præceptor diuinus Iesus hominibus hoc mundi mare nauigantibus, in illoque frustra laborantibus apparebit, tunc inquit, sub isto præceptore obtinebis *panem arctum, & aquam breuem.* Quid significat panis arctus, & aqua breuis? An significatur ibi sterilitas, & inopia aliqua panis? Quin potius significatur ibi ingens bonorum abundantia breuissimis spatiis compendiata. Id

LXX. quod insinuabant LXX. cum reddunt, *Dabit vobis Dominus aquam angustiam*, non vt penuriam ostendant aquarum, sed nimiam illorum copiam, & profunditatem, breui tamen, & angusto spatio conglomeratam; vt accidit in fluminum, seu maris angustiis, quando immensum pene æquor se se angusto in canali arctat, vt paruum intra spatium totam congregationem aquarum videas coarctatam. Sic nobilis præceptor noster Iesus vbi apparuit dedit suis panem arctum, & aquam angustam. nimirum, vt breui spatio immensam gratiarum, & bonorum copiam habeas, totamque illam bonorum segetem compendiatam capias, quam tot annorum sacrificia, & ceremoniæ in veteri lege procurabant. Sic pene Hieron. Procop. & ex his Leo à Castro. Felix Christianus, qui sub tanto præceptore Iesu hoc habet, vt totam bonorum copiam, quam multis annis laborans perdidit, vel horæ momento possit compensare, & intra breuissimi spatij angustias restaurare. In quo Prophetarum plus assimilatus est Iesus, quam in Iona? Igitur Ionas postquam à ventre piscis euomitus est, sic prædicat Niniuitis

iuxta Septuag. lectionem: *Adhuc tres dies sunt, & Niniue subuertetur.* In quibus verbis illud notabis, diuinam illam sententiam fuisse comminatoriam, & allectoriam ad pœnitentiam. Deus enim Optim. & Maxim. cupiens ciuitatem illam ad meliorem frugem conuertere, illam terrore vicinæ mortis voluit commonefacere. Tunc dubito, cur volens Deus tantæ ciuitati pœnitentiæ tempus concedere, tres tantum dies præstat induciarum? Nonne quò terminus magis angustatur, eò difficilior ad pœnitentiam fit via? Absit: immò intra illas termini angustias latissima ad pœnitendum via aperitur, dum per Christum fidelibus detur, vt in breui totam gratiarum copiam obtineant. Tantum non dixit hoc D. Basil. Sel. orat. 12. inquiens: *Angustus dierum terminus comminatio concluditur, lata autem via ad pœnitendum aperitur.* Tota pœnitentiæ latitudo contra parui temporis momenta angustatur, vt in breui compendiatum facile acquiras, quidquid laboris per multos annos perdidisti. Ecce vobis latam pœnitentiæ viam, quæ per longissimæ vitæ spatia solet, & debet extendi, intra trium dierum angustias positam, quia per Iesu mortem in Iona significatam, in breui potes compensare, quidquid laboris plurimis annis perdidisti. Ad otiosos illos homines Matth. 20. dicit Dominus. *Quid hic statis tota die otiosi? Ite & vos in vineam meam.* Si tota dies penè transacta erat otiose, & inutiliter, cur tandem mittuntur in vineam, quando breuissimum laborandi spatium restat? Insuper & mittuntur nulla conducti mercede, nihil enim illis, vt cæteris promittit, an quia in tantis temporis angustiis, impossibile erat, vt possint mercedem aliquam acquirere? Absit: quinimò nulla mercedis noua mentio cum illis facta est, vt sciant primam diurni laboris mercedem omnibus esse propositam, tam his, qui multum, quam his, qui paruum spatium laborandi habent, vt quilibet in breui possit recompensare plures annos inutiliter amissos. Scitè enim Origen. homil. 10. in Matth. ait, *Poterant æquale opus facere eis, qui ex mane sunt operati; quicunque in tempore breui valebant operantem virtutem ad opus extendere, quæ antea non fuerat operata.* Nullis se non arctant angustiis diuina beneficia, vt in breui possint obtineri ab hominibus, vt quandocumque debite manus extendant, accipere possint quidquid multorum dierum malitia absumpserat. Isai. 66. ait. *Quis audiuit vnquam tale, & quis vidit huic simile? Nunquid parturiet terra in die vna, aut parietur gens simul, quia parturiit, & peperit Sion filios suos?* Magnum quippe est, quod gratia non egeat tempore ad partum, sed vbicumque peccator ingemuerit, & plorerit, tempus restaurat amissum, & fit Dei filius in vna die, in vno puncto. Ambros. in exhortatione ad virgines datis a Leone Castro sic ait. *Quis audiuit, si parturit terra vno die? vno die terra non parturit, sed parturit gratia.* De hoc sæpè alias.

LXX. (margin)

Basil Sel. (margin)

Matth. 20. (margin)

Origen. (margin)

Isai 66. (margin)

Ambros. (margin)

Text. Rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt sociis, qui erant in alia naui, vt venirent, & adiuuarent eos. Et venerunt, & repleuerunt ambas nauiculas, ita vt mergerentur.

§. IX.

Vicina sunt pericula fauoribus.

IDeo, teste Hieronymo, Elisæus duplicem magistri sui spiritum postulabat, quia ipse non inter aduersarios, vt Elias; sed inter fauentes reges vitam acturus erat, & noscens fauorum pondus in ima mergens sapienter duplicatas vires curabat apponere. Sic fauores grauant, vt egeas duplicatis viribus ad illos sustinendos; immò vix duplicatæ vires sustinere poterunt. Ecce tibi Petrus duas naues apponit excipiendis cœlestibus muneribus; & duæ naues adeò impares sunt, vt penè mergerentur. Quando enim pericula vicina non sunt muneribus, etiam cœlestibus? Accipe ex Matth. 14. alterum Petri successum, qui vbi ex nauicula vidit Dominum Iesum super aquas ambulantem, sic ait. *Domine, si tu es, iube me venire ad te super aquas. At ipse ait: Veni. Et descendens Petrus de nauicula, ambulabat super aquam, vt veniret ad Iesum. Videns verò ventum validum timuit, & cum cœpisset mergi, clamauit, dicens, Domine saluum me*

Matth. 14. (margin)

ne fac. Quid clamas Petre, nónne fauor est, quod super aquas ambules? Tam ingens donum excipis, vt mare calcare possis, & clamoribus instas? Sanè habent hoc vniuersi fauores, quod grauent humanas mentes, quod trahant secum vicina discrimina. Chrysol. Eleganter Chrysolog. serm. 90. inquit. *Petrus cum per æquora diuinos imitatur incessus, & nouus viator molle iter duro gressibus calcat, ante de lapsu supplicat, quam gaudeat de dominio.* Non equidem prius gaudium doni potitur, quam lapsum timeat, & ruinam. Antea pro lapsus periculo preces, immò clamores fundit. quam plenum excepti fauoribus, & prosperitatibus assiua ingentia pericula. Matth. 20. Matth. cap. 20. dicitur de matutinis illis operariis, qui primo mane conducti sunt ad vineam, quod vbi ad laboris mercedem venerunt: *Accipientes murmurabant aduersus patrem familias, dicentes. Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei, & æstus.* Qui sunt isti, qui dicunt se portasse pondus diei, & æstus? Hi putantur esse homines, qui in prima mundi iuuentute floruerunt, quando argentea saltum ætas mundum occupabat, cunctáque mundi bona omnibus affluebant. Cur ergo queruntur se portasse pondus, & æstum, quandoquidem primum potius mundi florem, prima Dei dona affluenter possidebant? Meritò, & verè queruntur, nunquam enim felicitas sine ingenti pondere discriminum, Imperfect. & iacturarum venire potuit. Imperfectus hom. 34. in Matth. ait, *Mundus in iuuentute constitutus omnibus bonis prosperabatur, & felix erat: nunc autem mundus senescens omnibus aduersitatibus premitur, & ideò concupiscibilis non est. Quo ergo tunc fuerunt homines, cum maiori difficultate, & labore iustitiam seruarunt, quia ipsa felicitas mundialium rerum satis impedimentum est animæ ad iustitiam faciendum.* Sic ponderosa est felicitas, sic grauat homines, vt qui ita non submerguntur, saltem non possint non gemere, & clamare sub ingenti pondere. Rarus est, qui felicitatis, & fauorum oneri, vel non penitus succumbat, vel saltem aliquam minetur ruinam. Hinc nata est illa solicitudo Petri qua videns duas nauiculas impares muneribus excipiendis diuinis, quibus grauatæ submergebantur, currit ad Iesum, dicens; *Exi à me, quia peccator sum ego.* Imò quia peccator es debebas petere, vt tibi agnus appropinquet, qui tollit peccatum mundi. Infirmum te fateris & medicum ablegas? Quid times in medico, bone quando ab illo solo potes salutem adipisci? Nihil timet Petrus in medico, sed timet ab infirmitate sua, quę sine periculi metu tantos Iesu fauores non potest excipere. Ambros. D. Ambros. lib. 3. de virginib. ait, *Vir sapiens, & grauis, in quo esset Ecclesiæ firmamentum, & magisterium disciplinæ, nihil vtilius sibi esse prospexit, quam ne secundantis operis extolleretur euentu. Et ideo: Exi, inquit, à me Domine. Non rogat, vt deseratur, sed ne infletur.* Adeò grauis est secunda, & prospera fortuna, vt qui firmissimum fundamentum Ecclesiæ furentibus tentationibus agitatæ dabat, vehementer sibi a facie prosperitatis timeat.

§. X.

Petrus vniuersis Ecclesiis præficitur.

NE mireris, vno Petri nutu duas in præsenti agi nauiculas; is enim Petrus est, cuius nutui vniuersæ subditæ sunt Ecclesiæ. Do elegans testimonium obseruatum ab Origen. Orign. etenim Matth 8. loquutus Iesus ad omnes discipulos, ait. *Quæcumque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo.* Matth. 16. Verum ad Petrum loquutus Matth. 16. ait, *Tibi dabo claues regni cælorum.* Compone modo potestatem Petri, & potestatem cæterorum Apostolorum. Potestas horum clauret in cœlo, potestas illius patet in regno cœlorum, non cœli, sed cœlorum. vt nullum sit cœlum, nullum cœlorum regnum, nulla Christi Ecclesia in qua non appareat clauis Principis Apostolorum. Id quod ponderat Orig. hom. 6. in Matth. *Non modica differentia est, quod Petro data sunt claues non vnius cæli, sed multorum cælorum, vt quæcumque ligauerit super terram, sciant ligata, non tantum vno cælo, sed in omnibus cælis. Ad vos autem, qui multi sunt ligatores, & solutores in terra, sic dicit, vt soluant, vt alligent non in cælis, sicut Petrus, sed in vno cælo. quia non sunt in tanta perfectione, sicut Petrus, vt alligent, & soluant in omnibus cælis.* Vnus Petrus super omnes Ecclesias, vnus Petrus super omnia cœlorum regna. De quo sufficiant dicta supra lib. 5. c. 9. §. 4.

Text. Quod cùm videret Simon Petrus, procidit ad genua Iesu, dicens: Exi à me, quia homo peccator sum Domine. Stupor enim circundederat eum, in captura piscium, quam ceperant.

§. XI.

Tota peccatoris felicitas, quod sua præueniat sententiam iudicis.

EXpende Petri facinus, quo se, & peccatorem confitetur & durissimo a Iesu exilio se dignum prædicat. Ideò ait: Exi à me Domine, quia homo peccator sum. Non est hæc sententia, quæ pœnam inferat sed gloriam, quandoquidem hoc maximè peccatoribus prodest, quod ipsi in se sententiam ferentes iudicium Dei præueniant. Nathan 2. Reg. cap. 12 parabolam de pauperculi oue occisa profert, & proponit Dauidi, antequam in eum diuinæ iustitiæ gladium exerat, vt Dauid sententiam ferat de tanto diuinis scelere. 2. Reg. 12. Quid agis, ô Propheta, mitteris, vt regem castiges, & tu illi parabolam proponis & parabolas, quibus regem potius iudicem facis, quam reum? Cur tanti criminis reum simplici parabola adducis, vt ipse sit criminis iudex. Pulcrè D. Iren. lib 4. cap. 45. ait, Irenæus. *Vt ipse dans sententiam de semetipso, & semetipsum adiudicans, misericordiam consequeretur, & remissionem à Christo.* Nullo melius sciebat liberari posse hominem à diuina iustitia, quam si ipse in se prior delicta animaduerteret sua, & sententiam ferret aduersus illa, ideò confícta parabola hoc procurat, vt Dauid constituatur sui ipsius iudex, & sententiam contra se ferat, qua euadat manum diuinæ iustitiæ. Quippe cum Dauid pronuntiauit sententiam aduersus diuitem inuasorem ouiculæ, statim Nathan fatur, *Tu ille es, ô Rex.* Quæ verba sic explanat D. Basil Seleuc. orat. 17. inquiens, Basil. Sel. *Regie decrenisti, ô Rex. Tu factum tuum agnosce: vide, quo tuo iudicio sit obnoxius. Volebam iudicem, non reum esse; non in te inquies, sed ferre sententiam.* Expende illud, *volebam te iudicem, non reum.* enim verò quo qui priùs in se iudicis munus exercet, eò citiùs reatum suum meminit, & se à rigido diuinæ iustitiæ tribunali liberabat. Vnde sapiens ille Niniuitarum Rex Ionæ 3, cum primum Dei minas audit, hanc sententiam tulit, *Homines, & iumenta, & boues, & pecora non gustent quicquam: nec pascantur, & aquam non bibant. Et operiantur saccis homines, & iumenta, & clament ad Dominum in fortitudine, & conuertatur vir à via sua mala, & ab iniquitate, quæ est in manibus eorum.* Quid hac sententia durius? Quis hanc rerum faciem in Niniue videret, qui non putaret, duriorem calamitatem tractam esse ab ipsismet, quam posset esse, si ciuitas dirueretur funditus? Verum hæc Niniuitarum pœna, non pœna fuit calamitatem trahens, sed potius Dei irati iudicium præueniens & misericordiá concilians. Vnde D. Paul. Paulinus. epist. 10. aiebat. *Niniuitæ meruerunt denuntiatum euadere excidium, quia se spontaneis luctibus exactorum diuinam sententiam præuenerunt suâ.* Sic quoties iudicem aduersus te agis, reum exuis: quis iam non vellet potius esse iudex, quam reus? Sic monebat Iob c. 22. hominem peccatorem: Iob 22. *Suscipe ex ore illius legem, & pone sermones eius in corde tuo, si reuersus fueris ad omnipotentem ædificaueris, & longè facies iniquitatem à tabernaculo tuo.* Hoc vno incolumis euadet peccator, si ex Dei ore legem suscipiat hoc est, si veluti Deus leges ferat, iudicium exerceat peccatorum suorum. quale petit Deus exerceri à peccatoribus per confessionem. Quo spectat Lectio Græca in Cantic dicens. Lect. Gr. *Accipe ex ore eius confessionem.* Quasi dicat: forenses illas confessionis leges exerce aduersus peccata tua, & iudex esto, ne quando reus fias. Etenim, vt ait Paul. 1. ad Corinth. cap. 11. *Si nos metipsos diiudicaremus, non vtique diiudicaremur.*

§. XII.

Deus Ecclesiæ suæ fidelibus peculiari cura, & prouidentia vt Dominus adest.

MEmini ex Genes. 28. quod Iacob profugus à patria sic orabat. Genes. 28. *Si dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad operiendum: erit Dominus in Deum.* Quasi ex pane, & vestimento accepto hanc rescrat prouisori suo gratiam, vt illum Deum habeat. Verum Petrus ingentem piscium copiam Iesu verbo acceptam stupens, non Dei, sed Domini appellatione illum honorat; ait enim: *Exi à me Domine.* An Petri gratitudo minor Iacobi gratitudine, quando ille prouisorem suum Deum, hic Dominum habet? Imò Petri fides,

vtpote,qui communem Deum omnium creaturarum,particulari prouidentiæ titulo sibi, suisque Dominum accommodat. Deus vtique omnium creaturarum est Deus, omnibus alimenta necessaria prouidens; verum minimè est omnium Dominus, sed illorum, quos intra Petri nauim, hoc est,intra Ecclesiæ suæ septa peculiari cura pascit, ac protegit Gen.c.2.vbi Deus creat cœlos, vbi hominem facit, paradisum plantat, in eóque constituit hominem, semper vocatur Dominus Deus,non solum Deus,sed etiam Dominus. *Tulit ergo Dominus Deus hominem,& posuit eum in paradiso voluptatis.* Verum vbi eiecti homines extra paradisum laboribus premuntur, & in doloribus Eua parit, vocat filium Cain, c.3.dicens. *Possedi hominem per Deum.* non iam vocat Dominum, sed Deum. Nec otiosè puta ab incolis paradisi Deum,& Dominum vocari: à reiectis autem solum Deum; sed factum crediderim, vt ostendatur Deus esse omnium creaturarum,verum Dominus tantùm illorum,qui intra Ecclesiæ septa,vitali fruuntur arbore.Accipite D.Anast.Sinait. lib.7.Hexaëm.sanctem. *Quamobrem autem,ò Iudæe diuina scriptura,quæ in septemdecim capitibus consequēter in paradiso Deum duplici nomine nominarat, & eum Dominum, & Deum appellarat: statim post hominem è paradiso egressum ipsum Deum appellauit,sed non Dominum, & Deum, vt tu discas,quod Ecclesiæ est proprius Dominus,& Deus,& non similiter eorum,qui sunt extra Ecclesiam.Nam hominum quidem,qui sunt extra,Deus est;hoc est, spectator: Ecclesiæ autem Deus est, & spectator, & Dominus ei dominans,eiúsque curam gerens, eámque suscipiens, tuens, ac defendens.* Deum habent cunctæ creaturæ suorum facinorum inspectorem, qui autem intra Ecclesiæ septa sunt, Dominum habent, cui sunt particularis curæ, cuius protectione muniuntur,cuius nutu gubernantur.Matth.26.soliciti discipuli omnes de proditore Iesu, aiunt:*Nunquid ego sum,Domine?*Proditor autem,vt celaret facinus,voluit etiam similiter rogare, & ait, *Numquid ego sum,Rabbi?* Non vocat Dominum,vt cæteri vocabant, vt notat D.Hieron.qui enim extra Ecclesiæ chorum saltabat, iam non poterat Iesum Dominum habere. Non omnes habent hanc gloriam, quod sub tanto Domino gaudeant: soli Ecclesiæ fideles, vt se decorent, clamant illud Isaiæ iuxta Lxx.versionem c.26. *Domine Deus noster posside nos.* Et quantum hoc ad Ecclesiam, quod sit diuinissimi Domini peculiaris possessio? Id explicat D. Ambros.lib.2.de Cain,& Abel,cap.3.fatus. *Ipse Christus nos facit adhærere Deo, de ipso salutem sperare, fugere terrena negotia, in Dei possessione numerari, sicut scriptum est: Domine, posside nos. Ea est enim sola possessio, quæ nullis obnoxia tempestatibus perpetuæ gratiæ fructus ferat.*Huc conueniant vniuersæ Synagogæ Sathanæ,& videant,an ipsæ possint dici Christi Ecclesiæ, in quibus nulla cernitur Dei possessio, quia nulla pars est, quæ perpetuæ gratiæ fructum ferat; quæ mille tempestatibus non sit obnoxia: quæ negotia fugiat terrena, & Deo adhæreat, sub quo Domino, & voluptatum, & auaritiæ tyrannidem repellat.

Genes.2. | Anastas. | Matth.26. | LXX. | Ambros.

Text. Et ait ad Simonem Iesus:Noli timere, ex hoc iam eris homines capiens. Et subductis ad terram nauibus, relictis omnibus, sequuti sunt eum.

§. XIII.

Seruilis timor tollendus tibi est, si vis Iesum magnalia potiri.

NOn antea ad intimam amicitiam trahit Iesus Petrum, quam ab illo prorsus timorem seruilem expellat, aiens: Noli timere. qui enim nimis miraculosus est, instar serui, dominica conuersatione putatur indignus. Hæc est vox seruiliter timentis supra à Petro stupente data, nimirum. *Exi à me,quia homo peccator sum,Domine.* Quis crederet, quod Petrus sic Iesum à se repelleret?Sed non faciebat hoc Petrus, sed seruilis metus in Petro existens illum reddebat indignum Iesu familiari consortio. Quò spectauit Nazianz. orat.de statu Episcop. fatus. *Petrus Iesum à nanicula repellit, tanquam minimè dignus eo ob timiditatem.* Sic seruilis timor Petrum afficiebat, vt illum Christi intimis fauoribus indignum redderet. Numquam enim timor seruilis concedit suis alumnis, vt fruantur Dei magnalibus. Ioël 2. *Effundam spiritum meum super omnem carnem: & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ; senes vestri somnia somniabunt, & iuuenes vestri visiones videbunt. Sed & super seruos meos effundam spiritum meum.* Vide quid faciat diuini spiritus effusio, vbi affectionem filiorum offendit; ad prophetiæ dona, ad visiones diuinas, & cœlestem conuersationem eleuat.Ait enim, *Prophetabunt filij vestri*, &c. Verum vbi spiritum seruitutis offendit, ibi subsistit, nil horum facit; numquam enim timor seruilis charismata meliora non impediet. Pulcrè ibi Hieron.fatur.*Neque verò omnis,qui acceperit Spiritum sanctum, statim habebit & gratiam spiritualem,sed per effusionem Spiritus sancti diuersas gratias consequetur: alij prophetant, vt filij, & filiæ, qui maioris sunt meriti. Serui verò, & ancillæ, quæ adhuc spiritum timoris habent,& non dilectionis, non habebunt prophetiam,non somnia,non visiones*, &c. Semper seruilis timor inuenitur gratiarum impedimentum;quem ab animo suo excludat,quisquis in se præferre cupit fluenta gratiarum. Huc spectabat solicitudo sponsæ Cant.4. dicentis. *Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum,& fluant aromata.* Aquilo timor est seruilis, Auster filialis; ille dum adest, nec flores in horto visuntur, nec aromatum fluenta dantur. Sed à facie rigoris eius omnium corda constipantur,arctantur. Hic totus blandus, & suauis nihil gratiarū non parturit.Vtriusque differentias notat Gilliber.Abb.serm.39. in Cant.aiens. *Ille Aquilonis ingratus, ideò illi tanquam graui, & ponderoso dicit: Surge. Hic Auster tanquam latus gratúsque inuitator, vt venias, & perflet hortulum. Ille pœnam habet, hic proflua gaudia. Ille minax est, hic blandimentis, delitiisque manans.* Ergo, qui Iesu cupit gaudia, timorem seruilem missum faciat,totumque sese aptet ad amandum.

Nazianz. | Ioël 2. | Hieron. | Cant.4. | Gilliberr.

§. XIV.

Christus, & lucri amor nulla in sede simul morantur, sed mutuo se excludunt, vt maxima contraria.

ECce tibi totam illā ingentium piscium piscationem, & totius noctis labore procuratam, & tandem Iesu miraculo partam Petrus relinquit, & sequitur Iesum. Non enim sola retia relicta sunt à Petro, sed etiam ingens piscium possessio modo relicta manet. Sed Domine Iesu, cur non permittis Apostolis,vt fruantur miraculosæ piscationis fructu? Sanè non potest simul esse quæstus amor, & Iesu; alter erat necessario excludendus, & prudentes piscatores lucra dimittunt,vt sibi Iesus æternum maneat. Ps.111.*Dispersit, dedit pauperibus; iustitia eius manet in sæculum sæculi.* Expende, quando iustitia manet in sæculum sæculi, nimirum, quando præmissa est dispersio omnium facultatum. Prius amor lucri, amor pecuniarum à corde dimittitur, & tunc ibi iustitia manet. Chrysost.hom.2. in 2.ep.ad Cor. accinit. *Disperge pecuniam, vt congreges iustitiam; neque enim illa cum pecuniis adesse vult. Non habitant simul pecuniarum cupiditas,& iustitia, sed tabernacula separata habet.* Quid elegantius? Vbi videris insidere lucri amorem, puta ibi non manere Iesum, non manere sanctitatem. Quod si hæc bonorum cupiditas absit, puta statim ibi Iesum intrasse cum iustitia, & sanctitate. Act.3. claudo illi mendicanti ad portam templi dicit Petrus: *Argentum, & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do, in nomine Iesu Christi Nazareni, surge, & ambula.* Fatetur se aurum, & argentum non habere, sed non ideò putat nihil habere; imò aliud quid habere dicit. Sed quid habeat, qui nec aurum nec argentum habet? Equidem,vbi aurum non est, nec argentum, non potest ibi non esse Iesu virtus, non esse sanctitas. Pulcrè D.August.serm.28.de verbis Apostoli, fatur. *Quid igitur hac paupertate ditius, argentum,& aurum non habeo? Videamus, qui aurum non habet,quid habet? Fidem habet, virtutum Iesu habet.* Qua exit amor auri, intrat Iesu virtus, intrat sanctitas: ægrè enim inuenies aliquid, quod magis separet à virtute,quam lucrorum temporalium amor. De viris Niniuitis pœnitentibus, dicitur Ionæ 3.iuxta L X X. *Et reuersus est quisque de via sua mala,& ab iniquitate, quæ erat in manibus eorum.* Iniquitas, quæ erat in manibus, erat lucrorum negotiatio, à quo dicuntur Niniuitæ conuersi ad Deum.Sed si præ manibus hæc iniquitas habebatur, cur dicuntur isti reuersi à via sua mala? Sanè, qui in manibus habet rem,non longas vias agit,vt obtineat illam, verum bona temporalia aurum, argentum, & pecuniæ, adeò sunt damnosa homini, vt vix in eius manibus esse possint, quin faciant illum longissima via à Deo distare. Longa via intercedat, necesse est, inter Deum, & amorem pecuniarum; numquam enim simul possunt stare.Vnde Matth.9.dicit. *Cum transiret inde Jesus, vidit hominem sedentem in telonio.* Expende,quod vbi telonium erat,& nummulariorum mensæ, non ibi Dominus manet, non stat, sed

Psal.111. | Chrysost. | Act.3. | August. | Iona 3. | Matth.9.

sed transit, in longissimam viam pertransit: ne posset diues
Chrysol. non à longè venire ad Dominum. Id notabat Chrysolog. serm. 28. aiens. *Non dixit, cum staret ibi, transiuit: & pertransiuit inde Iesus.* Nulla commoratio Iesu cum pecuniarum sacculis, vbi pecunia apparet longa via ad Iesum intercedat, necessum est. Vnde præclarè Chrysost. hom. 39. in Ioann. fatur ex Matth.
Chrysost. *Non potestis, inquit, seruire Deo, & mammonæ, qui contraria Christo præcepit. Siquidem Christus dicit,* Da indigentibus: *mammona, rape ab indigentibus. Ille pius est, & mansuetus: hic, crudelis, & immanis.* Prorsus Christo contraria, & verba, & facta habet pecuniarum amor.

CAPVT V.

De sedata maris tempestate.

CVm motu carbasi tumentis impulsa, in qua Iesus erat, procul a littore veheretur carina; surgit hyemis immitis, & aspera, totum mare funditus procellis exagitans, ac puppim fluctu recedente submersam vndis iterum tumentibus alleuabat. Turbauerat mœstos salus desperata discipulos, nullúmque remedium in sua prorsus arte consistere fateri cogebantur, & nautæ. Christus autem verus gubernator, ac prouidus, fluctuanti dormiens quiescebat in puppi, sopitus corpore, peruigil maiestate. Cumque discipulis, variis simul vocibus clamantibus suscitatus exurgit, ventis imperat, vt quiescerent, marè præcepit, vt taceret. subitóque ponti patuit iter, & aeris inopinata temperies præsentiæ proditrix sit diuinæ.

Matth 8. Ascendente eo in nauiculam, sequuti sunt eum discipuli eius, & ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus.

§. I.

Ad labores magnates Christiana disciplina trahuntur.

PAulo ante videres Dominum mediis turbis miracula facientem, nunc autem, vbi mare fæuiturum, vbi dura fabcunda erat tempestas, cum solis discipulis charissimis ascendit. Consueuit enim Dominus laborum, & pressurarum solos magnos viros participes facere; quod notabat
Chrysost. Chrysost. hom. 29. fatus. *Vbi miraculorum ostensio erat, plebem permittit adesse. Vbi autem tentationum, & timorum arreptio, athletas orbis terrarum, quos exercitaturus erat; hos solos assumit.* Non equidem labores, & pressuræ dantur à Deo quibuslibet, sed magnis, & præstantissimis viris. quos Deus bonus amat. Cui enim princeps iocundissimum sibi calicem consueuit propinare, nisi magnatibus, nisi primariis viris? Sic Dominus tentationes, & pressuras, quæ sibi dulcissimæ, & suauissimæ steterunt, solis inclytis, & strenuis hominibus
Psal. 35. propinabit. Psalm. 35. *Homines, & iumenta saluabis Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus. Filij autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ; torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Non omnes seruos tuos æqualibus fauoribus cumulas, sed longè diuerse te habes cum primariis, ac cum popularibus; populares enim instar iumentorum carnalibus pascis, & non longè à præsepio illis salutem paras. Verum strenuos, & primarios viros, qui magna nouerunt sperare, torrente voluptatis tuæ potas, id est, admittis eos ad consortium iucundissimi, deliciosissimique tui calicis, quem in cruce hausisti, sed non exhausisti, vt maneret, quid magnatibus tuis propinares. Pulchrè Hesychius in Cat. Græc fatur. *Torrens voluptatis fuere Christi pœnæ. Torrens quidem, quoniam in media hyeme peccatorum nostrorum factum est. Voluptatis merito dictum est, nam Christus in delitijs erat cum pro nobis pateretur, diabolo illudens, & pro salute hominum lætus. Hoc voluptatis torrente mysticè nos potat: nam Domini perpessio martyrium ferum factio est.* Non equidem ignobilis, & vnus è multitudine est ille vir, cui Rex regum Iesus suæ voluptatis poculum porrigit. Magnos, & strenuos, & generosos viros vocat labor, & tribulatio, ad quæ ipsi lætabundi parantur.
Iob 28. De generoso, & egregio equo locutus Iob. cap. 28. ait. *Cum audierit buccinam, dicit, vah:* interiectio est animi gestientis, & lætitiam de nuntio ostentantis. Præstantissimum signum est equi generosi, quod vel mediis gregibus agens, buccinam internoscat, & quasi vni sibi sonitus fuerit datus, sic exultet ad certamina. In quo nó absimiles sunt equis Christianæ disciplinæ magnates, imò quasi ad ipsos solos spectarent conflictus, & certamina, sic ad illorum odorem currunt lætantes. Guillelm. Parisiens. lib de moribus, tract. Guillelm.
de spe, prope finem. *Sicut enim gaudent equi, atque strepunt, cum signum eminentis conflictus audierint, sic & viri sancti huiusmodi gaudia gaudent, cum bellum tribulationum aduersum se consurgere cognouerint.* Rapiuntur equidem generosa præcordia, vel odore conflictus adeò, vt nihil magis timeant, quam carere tribulationum certamine. Vnde maximus ille Abraham, cum ad occisionem primogeniti vocatur, cum iam gladium distringit, vt charissima fondat viscera, hoc solum timebat, hoc solum trepidabat, ne vel vnico ictu, vel alio quouis casu materia sibi eriperetur pœnarum. Id quod in generoso viro notans D. Ambros. lib. de Fide resurrect. Ambros.
ait. *Destrinxit super filium gladium paterno more. Ne periret pœna, trepidauit.* Sic inclyti viri tribulationibus sagittantur, sic ad se solos pertinere putat certamina, vt intra illa, quasi in propriis quiescant, & extra illa, quasi ex propriis edocti patiantur. Compone modo duas nobilissimas viragines Iudith, & Ruth; illa diuitiis, & bonis affluebat; hæc summa inopia premebatur. Vtra patiebatur magis? De illis Damian. lib. 8. epist. 14. ait. *Vtraque, scilicet mente vna,* Damian.
licet diuersa fortuna vni Deo non immerito placuit: quia neque aduersis illa succubuit, neque in prospera, semet abiiciens se illa deiecit. Sed illa tolerabat, quibus abundabat: illa fruebatur, quæ patiebatur. Expende illud, *tolerabat*; & illud, *fruebatur.* Quasi fortibus mulieribus prosperitas fuisset tolerantiæ, & passionis materies: tribulatio autem, & inopia materia fruitionis, & gaudij.

§. II.

Christianum est minima, & abiecta amplexari. Vbi quod is, qui nouit magna contemnere, diuinam cohibeat, ne exeat.

IVxta erant aliæ naues, vt notauit Marcus cap 4. tamen, vt non otiosè indicat Matthæus, maluit Dominus ascendere in nauiculam, sic semper in paruis, & minimis sibi complacet. Non nauis, sed nauicula Iesum capit; hoc enim maximum Christianitatis signum. quod abiectis gaudeas, & minimis. Dauid 2. Reg. 7. sic ad Deum loquitur iuxta D. 2. Reg. 7.
Chrysost. lectionem. *Quis sum ego. Domine mi, quod talem gratiam inuenerim ante faciem tuam? Ego enim minimus sui in tribu mea.* Miraberis, quod Dauid ad regiam dignitatem euectus, & in solio regni constitutus, adhuc ad minima sui pristini status respiciat. Cur, ô bone inter tot magnalia regni, te adhuc implent minima pastoritij muneris? Non sanè ibi loquebatur Dauid ex se, sed loquebatur Iesus in Dauide veniens, cui præ oculis sunt minima, & abiecta.
Chrysost. hom. ad data verba, fatur. *Quod dixit: Minimus sui in tribu mea, significabat perfectam Domini humilitatem in mundo venientis.* Equidem verba illa iamiam venientis in mundo Christi signum erant, vt de cuius solius halitu venit, quod minima, & abiecta homo æstimet. Regium Saulis nomen Apostolum decorabat, qui vbi Iesum in corde radicauit, regium nomen abiurans cœpit vocari Paulus: vnde hæc vox Paulus? An à Latino aduerbio paulo, id est, modico? Et quidem tanto Iesu discipulo nullum potuit placere, nisi abiectionis, & paruitatis vocabulum. Annuit August. serm. 93. de diuers. *Cum vocatus esset à cælo; vocatus, prostratus, mutatus, vbi cœpit Apostolus prædicare verbum Dei: mutauit sibi nomen, & dixit se Paulum. Et hoc quare elegit? Quia Paulus modicus est, Paulus paruus est. Nos solemus sic loqui: videbo te post paulum, id est, post modicum.* Nil prius Christi halitus facit respicere, quam minima; nec manifestius noscitur aliquis, quod ad Christi partem pertineat, quam ex eo, quod
Psal. 130. iuxta Psal. 130. *Nec ambulauit in magnis, nec in mirabilibus super se,* sed potius in paruis, & minimis. Inde Luc. 12. *Nolite timere* Luc. 12.
pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum. Et regni hæreditate gloriosos prædicat, & pusillum gregem nominat; si regni gloria illustras eos, cur illis pusillitatem obiicis? Sanè informabatur grex Christianus, cui vel inter magnalia regni, inter glorias principatus præ oculis sunt minima pusillitatis. Ita Chrysolog. serm. 22. ait. Chrysol.
Grex pusillus mundo, magnus Deo pusillus, quia gloriosos vocat eos, quos instituit ad ouium innocentiam, & mansuetudinem

Christianam. Quasi nihil Christianum inseri possit hominibus, quibus vel inter regni glorias, non applauderet humilitatis pusillitas. Et quomodo à Christi Domini seruatoris nostri in suos non veniret pusillitatis amor, quando per mundi minima, & pusilla certior semper inuenitur salus? Genes. 19. discrimina Sodomiticæ vrbis euadens Loth, vt salutem suam certius firmaret, sic ait ad eductorem Angelum. *Est ciuitas hæc iuxta, ad quam possum fugere parua, & saluabor in ea. Numquid non modica est, & viuet anima mea?* Ecce vobis, vnde saluti spem firmat suam, nimirum, ex paruitate muneris postulatis quasi qui modica, & pusilla petit, & appetit, non possit securiorem vitam non agere. Chrysost. hom. 6. de humilitate Christiana, sic ait. *Vnum ergo minimum de Sodomiticis vrbibus oppidum ad salutis refugium donari sibi poscit à Domino. Et qui altiora petere vitauit; minima autem pro multu petere elegit, in magnis periclitans in exiguo obtinet.* Felix, qui sic nouerit ad parua, & minima respicere; is enim securior viuet, nihilque à Deo non accipiet. Imò tanta est virtus hominis, qui gaudet minimis, vt ipse valeat, non solum obtinere salutem suam, sed & Deum detinere, ne aliis officiat. Vix enim præfatus Loth, minima petere elegit, vt saluetur in illis, & ait illi Angelus Domini: *Festina, & saluare ibi, quia non potero facere quicquam, donec ingrediaris illuc.* Expende illud, *non potero facere*, &c. Sic enim impediebatur vltor Angelus Lothi precibus, vt quasi impotens redderetur ad feriendum. Sed qua id Lothi virtute? Sanè ea, qua altiora petere vitauit: minima autem elegit, vt illis viueret. Sic Dominus ad Moysem Exod. 32. *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra populum istum, faciámque te in gentem magnam.* Dimitte, ait, quasi impediretur Deus à serno suo Moyse, ne possit irasci in populum. Id quod notans Richardus Victor. part. 1. de grad. charit. c. 1. ait. *Audis dimitte, & Deum teneri non dubites: nec aliunde, quam amoris fortitudine. Quæris cuius? Illius vtique serui fidelis, qui in populum maiorem maior fieri, & gloriosior renuit.* Sic potens est, qui maioritates, & celsitudines contemnit, vt possit diuinam iram cohibere, ne quem perimat.

Genes. 19.
Chrysost.
Exod. 32.
Richard.

§. III.

Qui perfectè Christum Dominum sequitur, omnia huius mundi bona despiciat, cœlestibus viuat.

IN naui Christum Apostoli sequuntur; hoc enim habet perfecta Christi sequela, quod nullam terrenarum rerum curam admittit. Quod innuit D. Machar. hom. 44. dicens. *Sicut, qui sunt in naui, non bibunt ex mari, neque ex eo victum sumunt, sed aliunde important in nauem: hoc modo Christianorum animæ non à sæculo isto, sed desuper è cœlo cibum cœlestem capiunt.* Quis nauigantium ex maris aquis sibi potum parat? Equidem aquis maris vtuntur, vt per illas transeant; non vt illis bibant; quæ enim bibendæ sunt, ex salubribus fontibus hauriuntur, & asportantur. Sic similiter terrena bona dantur Christianis, vt transeant per illa, non, vt de illis ventrem impleant. Quisquis sapis, vbi Christum sequeris, mundana transi, cœlestibus tibi victum, & saturitatem para. Dilectum quæsitura, & secutura sponsa, ait Cant. 3. *Surgam, & circuibo ciuitatem.* Circuibo, ait, & nihil amplius; sed Psal. 47. amplius iubebatur; ait enim: *Circundate Sion, & complectimini eam.* Complexus simul continet totum; circuitus de alio in aliud facit transitum. Circuit sponsa ciuitatem mundanam; de Sion autem præceptum habet, vt illam complectatur; quia quod mundanum, & temporale est, ad transitum datur, non ad possessionem, non ad amplexum. Sola diuina dantur, vt illa ad amplexum, immò ad refectionem habeas. Sic ex datis verbis finit Gillibert. ser. 4. in Cant. *Nulla, quæ creata sunt, in conditionis suæ statu infinita sunt, ea ideò mens, quæ circuit vniuersa, pertransiit. Solus ille requies est amanti, & refectio, qui finis est omnium.* Fallitur, qui per mundialia bona, aliud cupit facere quã transitum; nulla ibi refectio, sed hæc ex Deo, eiúsque bonis petenda est. Non longè abest Psalm. 22. aiens; *Dominus regit me, nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit. Super aquam refectionis educauit me.* Notãter dixit, super aquam refectionis, quasi esset etiam alia aqua non refectionis, sed submersionis, non ex qua potum haurias, vt refici possis, sed in qua timere potes naufragia. Mundialium enim bonorum aqua non reficit, sed inficit, ideò sapientes nautæ, qui Iesum pastorem sequuntur, per illam transeunt, sed non bibunt ex illa: habent enim aliunde asportatam salubrem refectionis aquam. Pulchrè in præsenti D. Chrysost. ait. *Magna ista refectionis aqua. Est & alia aqua, quæ non est aqua refectionis, sed aqua consumptionis: de ipsa dixit Ierem. cap. 20. foderunt sibi lacus detritos, aquam mendacem.* Distinguant ergo Christiani inter aquas, & nouerint, quæ sint aquæ maris mundialis, ex quibus minimè hauriant, sed aliunde quærant refectionis aquas, nimirum, ex fontibus Saluatoris, à quibus solis est, & vera refectio, & saturitas animarum. Quo respiciebat Isai. cap. 26. fatus. *Vrbs fortitudinis nostræ. Saluator ponetur murus, & antemurale.* Loquitur de ciuitate cœlesti ad quam tendimus, pro qua viriliter decertamus. Et cur Saluator ponitur murus, & antemurale illius ciuitatis? Quia Saluator nobis inde ostendit tot mysteria futuri sæculi, tot dulcedinum fontes, tot beatæ vitæ arcana, vt illis refecti, & muniti, nullis illecebris, nulla mundialium rerum cupiditate vincamur. Ita Origen. hom. 4. in Cant. ait, *Per id ostenditur, quia euocans sermo Dei animas à corporalibus negotiys, docere eam de futuri sæculi mysteriys cupit, vt spe futurorum munita in nullo possit illecebris vinci.* Huc spectat tota solicitudo Saluatoris, vt humanas mentes ad futura, & cœlestia rapiat, quibus, valde nociua contemnant, & fugiant terrena, & temporalia. Etenim ait Isai. cap. 24. *Et erit in die illa, visitabit Dominus super militiam cœli in excelso, & super reges terræ, qui sunt super terram.* Non, quod Rex terræ sis, sed quod sis super terram, hoc est, quod terrenis procumbas, iræ diuinæ obnoxius eris. Parce ergo terrenis, & cœlestibus viue quisquis non iudicem, sed Saluatorem cupis Deum suscipere.

Machar.
Cant. 3.
Psal. 47.
Gillibert.
Chrysost.
Isai. 26.
Origen.
Isai. 24.

§. IV.

Christianis duplex mortificatio est necessaria, interna, & externa.

QVicumque de interna concupiscentiæ mortificatione sic gloriantur, vt penitus abstineant ab omni externæ asperitatis incommodo, huc accedant, notantes quid innuat Dominus, cum suos ad nauem trahat, vt sæculi mare tranent. Pulchrè Psalm. 106. *Qui descendunt mare in nauibus facientes operationes in aquis multis.* Non enim nauis ascendituer, nisi, vt multiplices aquarum vortices ares, vt multiplices maris angustias pertranseas. Quidquid è naui vides, tibi omnigenam mortem præsentabit, ipsa aqua exterior multiplices amaritudines propinat, ipsa nauis alimonia duplicem mortificationis ignem minatur. Audi Bernardum lib. de Passion. Domini, cap. 43. *Præterire non possumus, quod transituri mare, panem bis coctum necessarium habent. Quicumque ergo se in hoc mari magno huius sæculi esse cognouerit: si securus vult esse, habeat hunc panem bis coctum fortissimum Iesu in naui crucis suæ, quem comedat* (per imitationem) *quo reficiatur, quo consoletur, quo ab omnibus periculis eruatur.* Itaque, qui mundiale mare tranas post Iesum, bis cocto illo cœlesti pane vesci debes, hoc est, mortificationem Iesu externam, & internam in te ipso debes transfigurare. Vt panis nauticus, bis coctus dicitur, quasi à duplici igne fuerit perfectus, sic nullus Christi Domini imitationem agit, nisi interna concupiscentiæ mortificatione, & externa rerum durarum tolerantia, quasi duplici igne excoquatur. Munera pro tabernaculo oblata recolens Exod. cap. 25. ait, *Si quis habebat aurum, hyacinthum, coccumque bis tinctum.* Quæ sigillatim ponderans Origen. homil. 13. hanc excitat quæstionem. *Cur alias materias simplices nominauit, & coccum solum posuit duplicatum?* Coccum passionem, mortificationémque Iesu significabat, quæ, vt duplex erat, interna, & externa, sic etiam dupliciter à nobis debet adamari. Nunquam enim perfectus Christianus existes nisi interne, & externe duplicato passionis murice purpurascas. Ad Gal. 3. ait Paulus: *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt, cum vitiys, & concupiscentiys.* Non solum exterius caro crucifigenda est, sed etiam intimæ cordis concupiscentiæ amputandæ, & resecandæ. Optimè enim ait Guarricus Abb. ser. 2. in Ram. *Nouerat vir multæ scientiæ, & experientiæ, multos esse aut fore, qui crucifigerent concupiscentias carnis, & sinerent regnare vitia cordis: multos è contrario, qui fiducia pacati cordis negligerent mortificationem corporis. Ea propter vult Apostolus, vt crucifixis, tam vitiis interioribus, quam concupiscentiis exterioribus mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus perficientes sanctimoniam in timore Dei.* Duo sunt homini extrema fugiẽda, vel quod sic fidat exteriori mortificationi, vt nihil de moderandis intimis animi vitiis curet; vel quod sic se totum ad intima cordis, & spiritualia nequitiæ conuertat, vt externam mortificationem parui ducat. Et qui sapiens est, nulli mortificationi parceret, vtrâque amplectatur necesse

Psal. 106.
Bernard.
Exod. 25.
Origen.
Galat. 3.
Guarric.

neceſſe eſt, niſi velit diſcrimina vitæ ſubire. Sic æternis pœnalitatis armis incumbat, vt ſimul confligat cum animi vitiis; ſic his expugnandis inſiſtat, vt extremas duritics ſibi in auxilium aſſumat.

§. V.

Hæreſum perſpicua notio eſt, quòd ſupra Eccleſiæ nauim ſe ſe extollant.

BEne Chryſolog. ſerm. 21. in fluctibus ſpumoſis nauim opplentibus, perſpicuam tradit notionem hæreſum; ea enim eſt ſemper hæreſis conditio, quæ à proprij cerebri ſiněo exundans nullum ſuperiorem habere velit, ſed & ſuper ipſam Eccleſiam natare feſtinet. Non illuſtrant, ſed operiunt & obſcurant Chriſti nauiculam hæreſum fluctus, dum ſe ſe extollunt ſuper omne, quod commune eſt, vt propria effutiant. Quam aliter vera Chriſti doctrina, de qua
Pſal. 103. Pſalm. 103. *Inter medium montium pertranſibunt aquæ.* Non ſuper capita fluant, non vt operiant, ſed vt rigent, media, & quieta via currunt, vt omnibus communes ſint orthodoxi
Auguſt. fontes, nullo in priuato cerebro effecti. D. Auguſt. ibi, concione 2. inquit, *aquæ inter medium montium: quia communis illa fides erat, nec quiſquam aquas, quaſi proprias, & ſuas habebat. Si enim non ſunt in medio, quaſi priuatæ ſunt, non publicè fluunt; & ego habeo meam, & ille habet ſuam, non eſt in medio, quod & ego, & ipſe habeat, ſed talis non eſt pacifica prædicatio. At verò, vt inter medium montium fluant aquæ, audi montem: Deus, inquit, pacis det vobis id ipſum ſapere. Quod ſentio ſententia in medio fluit aqua; non habeo quaſi priuatum meum, nec tu priuatum tuum. Veritas nec mea ſit propria, nec tua, vt & tua ſit, & mea: inter medium montium pertranſibunt aquæ.* De hoc medio, & communi curſu laudantur fideles, qui Thyatiræ degebant, qui-
Apocal. 2. bus ſic Dominus ait Apocalyp. capit. 2. *Vobis autem dico cæteris, qui Thyatiræ eſtis. Quicumque non habent doctrinam hanc, qui non cognouerunt altitudinem Sathanæ.* Laudantur equidem fideles, quod deuias falſi prophetæ voces deuitauerint, pro quo rectè dicuntur non cognouiſſe altitudinem Sathanæ; quaſi illa ſit hæreticorum omnium notio, quod non inter medium montium eant, ſed ſe ſe altitudini Sathanæ conforment. Sed, quæ eſt Sathanæ altitu-
D. Thom. do? Iam explicat Diu. Thom. 3. contra gentes, capite 109. fatus, *Voluit Sathanas quodammodo non ſubiici, &*
Auguſt. *voluntatem ſuam à ſuperiore non regulari.* Accinit Auguſtin.
Anſelm. Pſalm. 70. Anſelm. de caſu Diaboli, capite 4. Gregor.
Greg. lib. 34. Mor. capite 3. qui omnes putant eo deueniſſe dæmonum amentiam, vt nullum vellent recognoſcere ſicut caput; ſed omnia proprio cerebro gubernare. Hæc vniuerſæ Apoſtaſiæ mens, huc furentium hæreticorum fluctus confluunt, ne ſe ſubdant Petri naui, ne caput agnoſcant, ſed iuxta Sathanæ altitudinem ſe ſe extollant ſupra nauim, ſupra Eccleſiæ caput. Illos apprimè delinea-
Martial. uit ſanct. Martialis epiſtol. ad Toloſanos 2. in qua fatur, *Venient autem præſumptores abſque gratia Dei loquentes, quorum gloria labiorum procedit ex ſuperbia: ſimiles illi, qui ſuperbus cælum præſumens habitare, mox de cælo cum Angelis ſuis ſequacibus ruit in æternam voraginem.* Non equidem abſimilis hæreticorum ſorentium altitudo altitudini Sathanæ. Vt Sathanas, ſic hæreticus vult non ſubiici, & voluntatem
Pacian. ſuam à ſuperiori non gubernari. Vnde Diuus Pacianus epiſtol. 3. ad Symphonianum hæc non veræ Eccleſiæ proponit ſigna. *Iam & illud attendito, an hæc paſſim uim ædificata ſit in fundamento Prophetarum, & Apoſtolorum ex ipſo angulari lapide Ieſu Chriſto, ſi ante te cœpit, ſi ante te credidit, ſi à fundamento prioribus non receſſit, ſi non illa migrauit, ſi non à reliquo corpore ſeparata ſuos ſibi magiſtros, & propria inſtrumenta conſtituit, ſi quid inſolitum argumentata eſt, ſi quid noui iuris inuenit, ſi corpori ſuo repudium pacis indixit. Planè tunc à Chriſto receſſiſſe videatur, tunc extra Prophetas, & Apoſtolos conſtitiſſe.* Huc conueniant vniuerſi, qui velint, non haberi refugæ lucis, & videant, quod hæc ſigna data ſint in Romanæ Eccleſiæ æmulos multis annis ante atauos Lutheri, & Caluini. Non ibi odium in nuperos nouatores, qui nondum erant, operabatur: ſed ingenium omnium hæreticorum exprimebatur. Qui ſupra antiqua, & ſolida ſe extollentes ſuos ſibi magiſtros, & ſcripturas effingunt, & dum omnia faciunt ſonare, quod volunt, repudium pacis
Hieron. inducunt. Pulchrè D. Hieronymus epiſtol. Apologetica ad Domnionem de quodã vaniſſimo nouatore dixit. *Voluit ſcilicet homo peritiſſimus, vt veteranus miles uno rotatu gladij percutere vtrumque, & oſtendere populis, quod quidquid ipſe vellet, hoc ſcriptura ſentiret.* Impoſſibile eſt hæreticum eſſe ſine hac lue, quod omnia ſuo cerebro ſubiiciat, nec permittat ſcripturas ipſas aliud ſonare, quam id, quod amat ipſe. Meritò hi à Thaddæo epiſt. Can. vocantur, *fluctus feri maris*, vt Thad.
qui ſuper Petri nauim ſeſe extollant, illámque nitantur opprimere: ad quod iuxta D. Pauli aſſertum ad Epheſios ca- Ad Eph. 4.
pit. 4. *Circumferuntur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuentionem erroris.* Non aliter mouentur aduerſus Eccleſiam, quam fluctus à vento aduerſus nauim: ſed erit tempus, quando terræ, maríſque Dominus exerat caput, oſtendatque ſeſe, & ventis imperet ſe nigris inferorum cauernis æternum includere.

Text. Ipſe verò dormiebat.

§. VI.

Numquam non vigilat Deus in ſuorum cuſtodia, etiam dormiens, etiam verberans.

INter vigilantes omnes ſolus tenetur Dominus ſomno, quando imminebat ſuis tam grande diſcrimen, immò quando ipſe tam ingentem procellam immittebat in ſuos. Dormit itaque Deus inter diſcipulorum pericula, ſed dormit in puppi iuxta Marci notatum, quia vel dormiens non deſerit clauum, non deſerit gubernaculum, immo ſuorum cuſtodię inuigilat mediis tempeſtatibus, mediis verberibus.
Videres apud Luc. cap. 8. miſerandum hominem permiſſum Luc. 8.
à Deo non vni, ſed innumeris dæmonibus, etenim ait, *Quod tibi nomen? At ille dixit: Legio, quia multi ſumus.* Quis crederet hominem tot hoſtibus relictum non ſubito periturum? Et tamen, & ſi multa conantur peſſimi tyranni in miſerum mancipium, nil damni efficiunt. Cur nihil
efficiunt? D. Baſil. Seleuc. orat. 8. ait, *Non in præcipitium proiecerunt, non membratim diuiſerunt, non illato ferro diſcerpſerunt* Baſil. Sel.
hominem; verum occultiore virtute ſtetit, reſtititque contra excitatas à dæmonibus procellas, in ipſis etiam ſuppliciis cuſtoditum. Numquam, mihi credite, Deus hominem ſuum ſic, quaſi oblitum à ſe hoſtibus, & procellis permittit, vt eius amittat curam. Imò ſi aduertis in ipſa quaſi derelictione diuina, cum Deus ſe veluti ſomno, & te hoſtibus tradit, inuenieris eius cuſtodia protectus, eius protectione, & munimento cuſtoditus. Non enim ſæpè ſolet Deus mala in ſuos permittere, quin etiam occultiore virtute cuſtodiam, & protectionem immiſceat ſuam. Huc ſpectat Dialogus ille inter Deum, &
creaturam ſuam dilectam apud Iſaiam cap. 21. nimirum, Iſai. 21.
Cuſtos quid de nocte? Cuſtos quid de nocte? Dixit cuſtos: Venit mane, & nox. Equidem vox erat hæc, (vt acute notat Ricard. Victorin. lib. 1. de verb. incarn.) hominis peculiari cura dilecti à Deo, ſub eiuſque cuſtodia poſiti; alij enim vocarent ſiue Deum, ſiue auctorem; anima peculiariter nois merito cuſtodem vocat: ſed, & vt cuſtodem ſolicitat, ne temporo ſomno apto, ipſe obdormiat, vnde ait: Cuſtos quid de nocte? Notanda autem eſt cuſtodis reſponſio; dum enim interrogatur, quid de nocte? Ipſe reſpondit: *Venit mane, & nox.* Qualis hæc reſponſio, vt dicat, quid ſit de nocte? Qui quærebat de nocte, nil de mane curabat, vtpote ſciens cum nocte non poſſe eſſe mane; cur ergo reſpondens cuſtos, nocti miſcet mane? Equidem nox tempus eſt dormiendi; mane tempus eſt vigilandi; vt ergo diuinus cuſtos a ſuis ſolicitudinem, & metum tollat, hoc clamat, nimirum, *venit mane, & nox*, non apud me eſt nox, quæ etiam non ſit permiſta cum mane; ſimul ſunt in dormiendi tempore, & in tempore vigilandi, etiam cum videor maiori in ſomno ſepultus, tum etiam vigilias pro meis dilectis ago. Et quæ maior nox, quam nox peccati? Et qui profundior ſomnus, quam vbi Deus permittit ſuos in peccata incidere? Tunc ait
Ruper. lib. 2. de Victor. verb. dormit Deus, tanquam po- Rup.
tens crapulatus à vino, & tamen in tanto ſopore, adhuc
vigilat pro ſuis, illóſque fortiter cuſtodit. Iob capite 10. Iob. 10.
Si peccaui, & ad horam pepercisti mihi; ad rem præſentem
aptius ex Græco transfert Diuus Auguſtinus in Caten. Auguſt.
Græc. aiens, *Si peccauero, [illegible] me*; dormit enim Dominus cùm tentationibus permittit ſuos, illóſque ſinit incidere in peccata, tamen ibi occulta manu cuſtodit, vt ſeruentur ad gratiam, nec penitus abſorbeantur peccatis, & vitiis. Non eſt Dei ſomnus talis, qui impediat eius, pro hominibus, vigilias, imò & vias. Vnde illud Cant. 2. *Ne ſuſcitetis,* Cant. 2.
ne euigilare faciatis dilectam. Ambroſ. Philo Carpatius, & alij Ambroſ.
legunt; *ne euigilare faciatis charitatem*, quo nomine Deum in- Philo.
telligi putant, quia Deus charitas eſt. Sed cur non ſuſcitem, &

& euigilare faciam Deum, vt ad me liberandum veniat? Quia ea est Dei charitas in suos, vt propria sponte accurrat, & etiam cum putatur dormire, inueniatur suorum clamores præuenisse. Ambrosius in præfat. Psalm. 41. *Non est passus Deus se ab eis excitari, quia sponte properabat.* Ante excitationes vniuersas in ipso profundiori somno, properabat ferre auxilium, & custodire suos.

Ambros.

§. VII.

Conuitia patienter audita maximam quietem, & tranquillitatem causant.

INter furentes ventorum sibilos Dominus in puppi dormit, non qualis Ionas in nauis imo stertit: is enim linguas hominum metuens à Deo fugitiuus, vel sonitum fluctuum ventorumque voces deuitabat: ille autem verus orbis magister nil æstimans voces linguarum sese temporum fremitibus dormiens opponit; fremitus enim, & conuitia patienter, & tacitè audita nil, nisi quietem, & tranquillitatem pariunt. Psalm. 119. *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis.* Quæ verba sic reddit sanct. Chrysostom. *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus in lecti formam constratus?* Quasi inter conuitiorum flabra nil citius prodeat, quam lectum constratum. Furiant inimicorum linguæ, agitentur rapidi conuitiorum venti, fulgurent inter labiorum cautes suffocationis verba; ea, si taces, si quasi obdormiens prætereas, tibi lectum sternent, quo maximam tranquillitatem capias. Sunt equidem linguæ tempestates, furiosa ventorum sibila, flagella sunt procellarum, sunt ardentia iacula, sed in lecti formam constrata, quietem tolerantibus propinantia. Quis nesciat contumeliosa verba ab Heli in Samuelis matrem iaculata? Ait enim 1.Reg.1. *Vsquequo ebria eris? Digere paulisper vinum, quo mades.* Ad quæ verba imperturbata nobilis fœmina tantùm respondit. *Nequaquam Domine mi; nam mulier infelix ego sum, vinum, & omne, quod inebriare potest, non bibi.* Ecce virtutem, ecce mansuetudinem conuiciatorem Dominum vocat, & contumelias sustinet inuicto animo. Quid inde lucratur? *Tunc Heli ait ei: Vade in pace: & Deus Israël det tibi petitionem tuam.* Expende illud, *vade in pace*; nil enim contumeliæ patiëter admissæ citius pariunt, quam pacem, quam immensam quietem, & tranquillitatem animi. Ibi Chrysostom. *Pro contumelia copioso accepto pacis viatico discessit, eumque nacta est propugnatorem, & intercessorem, quem habuerat obiurgatorem.* Tunc solum bella finita esse, & pacem almam tibi adesse puta, cum verba obloquentium sustinueris inuictus. Etsi mille hostes prostraueris; etsi diaboli iacula extinxeris; etsi martyrum cruciatus expleueris, non firmasti pacem, donec contumeliosa verba patienter tuleris. Hinc Iob. cap. 19. ad conuitiatores suos; *Vsque quo affligitis animam meam, & atteritis me sermonibus? Ecce clamabo vim patiens, & nemo audit; vociferabor, & non est, qui iudicet.* Non est iudicij faciendi tempus, air Iob, etsi clamem; quasi loquatur athletarum more, qui vbi in stadio sunt, post finita certamina, post hostem prostratum ad iudicium, & sententiam iudicum, qua victores declarentur, & pace donentur, cum clamoribus abeunt. Sic sanctissimus vir post prælia mille, post mille conflictus cum diabolo, cum vxore, inter amicorum conuitia clamabat iudicium spectans, quo agon solueretur, & victor abiret in pace. Sed ecce ait, vocifero, & non est, qui iudicet, non est, qui sententiam ferat, & bellis finem imponat. Et merito, etsi diabolum toties vicerat Iob; non absoluit certamina, vsque dum conuitiis amicorum configat, illaque sustinendo vincat, in quo vno finiuntur vniuersa certamina, & pax tranquilla rutilat. Ita D. Ambrosius lib. 2. de interpell. cap. 3. ait, *Nunc enim si clamat, nondum iudicium. Adhuc in agone erat, adhuc luctabatur, adhuc certamen supererat illi. Non enim exiuit corona. Debebatur illi certamen tertium, amiserat omnia sua, patrimonium cum filiis. Patiebatur vulnera caro eius; manebat, vt tentationes verborum vinceret.* Et quidem tunc soluitur agon, tunc finiuntur certamina, tunc pax affulget, quietis, & tranquillitatis perpetuæ cum conuiciorum tentationes deuictas habes. Hæc vna victoria omnimodam tranquillitatem, & pacem parit. Paul. ad Hebr. 10. *Magnum certamen sustinuistis passionum, & in altero quidem opprobriis, & tribulationibus spectaculum facti.* Merito vocat magnum certamen illud, in quo opprobria sustinuerunt, & quasi inde nil iam belli maneat, addit, *& rapinam bonorum cum gaudio suscepistis.* Post opprobriorum certamen, iam non restat metus, sed in omnibus gaudia.

Psal. 119. 1. Reg. 1. Chrysost. Iob. 19. Ambros. Ad Hebr. 10.

§. VIII.

Felix qui mundo obdormiens, nihil mundiales curat casus, id verò diuinæ virtutis est, & maximæ difficultatis.

DVm furit tempestas, nauimque viderentur fluctus sorbituri, Dominus obdormiebat, vt tibi normam præberet, qua portum felicitatis teneas, si obdormiens fueris ad vniuersos sæculares sibilos. Sanè maximus ille dux martyrum Stephanus in altitudinem maris deuenerat, & inter scrupulos iactatus fluctibus, penè à tempestate absorptus, Act. 7. quasi nil curaret procellæ rabiem, aiebat: *Ne statuas illis hoc peccatum. Et cum hoc dixisset, obdormiuit.* Obdormiuit, inquam, postquam illud diceret, dum mortuus dulcè occubuit: sed, & cum dicebat, dormiuit; etenim, & verba, & affectus ille dormientis erant, quando inter saxorum nimbos nullum iracundiæ sensum capiebat. Vt dicat Augustinus serm. 92. de diuers. *O somnus pacis! Qui inter lapides inimicorum dormiuit: quomodo in suis cineribus vigilabit?* Nihil sanè illo somno felicius, quo inter inimicorum rabies sic homo se gerit, vt quasi dormiens nullum sensum habeat. Vigilabit in cineribus suis, viuet in morte, qui sic obdormire nouit inter furentes mundi tempestates. Prouerb. 3. *Si dormieris, nihil timebis.* Et quidem verissimè dictum; absoluit enim vniuersas curas, qui salutari somno se se tradit, ne quid sentiat mundanum. Sed hoc opus, hic labor est. Quis poterit inter furentes hominum linguas, inter sæuiëtes mundi tempestates hoc sibi somnum comparare, vt dicat Cant. 5. Ego dormio, cor meum vigilat? Sanè notanter de Iesu, dum tempestas sæuiebat, dicit textus: *Ipse verò dormiebat*, ipse qui Deus, & homo, qui immutabilis, qui omnibus difficultatibus superior; non equidem alius, nisi qui diuina virtute est afflatus, sic dormiret inter tam sæuam tempestatem. Ionæ cap. 1. dicit: *Facta est tempestas magna in mari, & nauis periclitabatur conteri. Et Ionas descendit ad inferiora nauis, & dormiebat sopore graui.* Ecce tibi homo, & homo peccator, à Deo fugitiuus inter sæuientes fluctus somno sepultus iacet. An inde possibile credatur, quod quis à Iesu destitutus possit sic etiam inter furentes hominum linguas, inter vehementes mundi iniurias instar dormientis agere? Absit: immò non alia ratione Ionas dormit, nisi de Iesu virtute, vt Iesu immensam virtutem declararet. Rupertus ibi fatur. *Quomodo in tanta inquietudine quietus dormire potuisset, nisi quia in figura contingebat illi, & Dei nutu agebatur, vt dormiret? Denique futurum erat, vt inter Iudaicas tempestates Dominus noster cum esset fortissimus Deus, valde patiëter se se haberet, quod dormire quodammodo est.* Ostendebat Ionas somno suo, diuino nutu non somnum, quem habere potest homo infirmus; sed quem sibi proprium habet fortissimus Deus, dum instar dormientis non mouetur mundi fluctibus, hostium iniuriis. Sic dormit, non qui infirmitate humana laborat, sed qui fortissimi Iesu gaudet virtute. Matth. 26. postquam non semel à somno excitauit Dominus discipulos suos, tandem ait. *Dormite iam, & requiescite. Ecce appropinquauit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus.* In paucis verbis ingentem repugnantiam videtur loquutus Dominus, & simul ait: dormite iam, & requiescite, & surgite, eamus. Si surgendum est, quorsum illud, dormite, & requiescite? Dixisset fatius, nunc tempus est de somno surgere, venit hora certaminis, surgite, eamus. At, vt notat Chrysost. alium magis salutarem, & præstantiorem somnum in præsenti cõmendat Dominus, nimirum, somnum quietis, & pacis mediis conflictibus; somnum, quo mundiales fluctus, & hominum iniuriæ patienter ferantur, qui somnus à nemine tenetur, nisi de consortio Christi, ideò sapienter ait simul, *dormite, & surgite, eamus*, quasi ille solus instar dormientis transit occursus malos, qui Iesu virtute fuerit, & consortio firmatus. Dicebat sponsa Cant. 5. *Ego dormio*; hoc est, sic æstimo mundiales fluctus, quasi nullius sensum habeam. Sed, vt bene notat Bernard. ad hunc somnum prius præcessit sponsi clamor, aiens: *Bibite, & inebriamini charissimi* quasi solus Iesu calix possit talem soporem causare. Similiter fidelis populus de captiuitate eductus, ait Ier. 31. *Quasi de somno suscitatus sum, & vidi, & somnus meus dulcis mihi.*; quippè in captiuitate calamitates patiens dulciter dormiebat, sed quomodo dormiret inter calamitates? Iam explicat ipse Dominus paulò ante, teste Hieronym. fatus: *Inebriaui animam lassam, & animam esurientem saturaui.* Non enim sic dormiret, nisi qui fortissimi Dei virtute fuerit inebriatus.

Act. 7. Prou. 3. Cant. 5. Ionæ 1. Rup. Matth. 26. Chrys. Cant. 5. Ierem. 31.

Text.

Text. Et accesserunt ad eum discipuli eius, & suscitauerunt eum, dicentes: Domine salua nos, perimus.

§. IX.

Vota etiam metus vi exhibita, & homines obligant, & Deo multum placent.

ECce tibi totus tempestatis scopus, vt nimirum Apostolos ad Deum pericula traherent. Vt Apostoli, nautæque mortis discrimine afflicti eos ederent clamores, eas funderent preces, quibus Deus posset ad subueniendum excitari. Gaudet enim Deus, & multum gaudet periclitantium votis, quibus etiam metu, & dolore extortis se se homines Deo nouerint obligare. Psalm.65. *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea: & loquutum est os meum in tribulatione mea.* Vide, quæ vota Deo haud ingrata futura Dauid promittat à se implenda: nimirum, vota, ad quæ emittenda tribulatio compulit. Vnde eleganter Diuus Fulgent. epist.1. de coniugali debito, ait. *Ne quisquam sibi vellet excusationem tribulationis ad frustrandæ licentiam promissionis assumere: nec se putaret voti reum, si se dixisset ad aliquid vouendum non voluntate, sed tribulatione compulsum; docens Dauid omnia esse reddenda, quæ fuerint legitimè etiam in tribulatione promissa; cum dixisset Deo: Reddam tibi vota mea, continuo subiunxit: Et locutum est os meum in tribulatione mea.* Acceptæ equidem sunt Deo & preces, & vota, quæ tribulationum vi extorquentur. Quis neget acceptissimum Deo votum Annæ Samuelis matris? sed & hoc elicuit tribulatio; ait enim, 1.Reg.1. *Cum esset Anna amaro animo, orauit ad Dominum flens largiter, & votum vouit, dicens: Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, dederisque seruæ tuæ sexum virilem, dabo eum Domino.* Amaro erat animo Anna, æmulæ contumeliis afflicta, quarum vi commota ad Deum confugit, & votum vouit, nec ideo vota tribulationis impulsu exorta Deo non placent, immò illi acceptissima sunt, à quo merentur gratias reportare. Genes. 16. de Agar dicitur, *Affligente igitur eam Sarai fugam init. Cumque inuenisset eam Angelus Domini,* &c. Ne putes tanti patriarchæ famulam vi afflictionis solum à domo fugisse: sed etiam ad Deum confugisse, illumque intimo animi affectu exorasse? Sed qualis oratio illa, quæ non nisi afflictionum vi extorquebatur? Sanè Deo adeò accepta, vt statim miserit consolatorem Angelum. Id quod ponderat D.Chrysostom. homil.38. in Genes. fatus. *Afflictionis fructus in hac ancilla videre licet. Quia postquam à Domina afflicta fugerit, & multum ærumnosa fuit, dolentéque anima Dominum inuocauit, statim cœlestem visionem assecuta est.* Gaudet equidem Deus suorum votis, & precibus, quas vel tribulatio cogat. Ad principum enim gloriam non solum spectat, quod se se ad illos recipiant multi cum gaudio, & voluntate; sed & quod rebelles à littoribus coacti, vel à militibus vincti ad eorum pedes trahantur. Ideo non semel Deus gaudet, vt homines etiam ab externis calamitatibus, tanquam à militibus compellantur accedere, eisque quam primum gloriæ suæ thesauros aperit. Hinc Luc. 14. postquam ingens pauperum multitudo ad cœnam se se Domini receperat, cum adhuc locus superesset, ait: *Exi in vias, & sepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea.* Expende illud, *compelle intrare:* quippe si Deus vellet efficaciter vocare, multi alij venissent minime compulsi, sed omnino gaudentes; verum non id vult Deus, quandoquidem & valde gaudet, cum videt rebelles plurimos à calamitate compelli ad cœlestia venire, illaque exposcere, & pro illis preces fundere. Vnde D.Augustin. in Cat. citatus ex serm. de verbis Dom.33. ait. *Abstrahantur à sepibus, euellantur à spinis. Sed cogi nolunt. Voluntate, inquiunt, nostra intremus. Non hoc Dominus imperauit; coge, inquit, intrare. foris inueniatur necessitas, nascitur inde voluntas.* Quippe gaudet aliquando Deus videre ad se venientes, qui calamitatum externarum, quasi necessitate in bonam voluntatem prosiliant.

Psalm.65. — Fulgent. — 1.Reg.1. — Genes.16. — Chrysost. — Luc.14. — August.

§. X.

Præstantius crudelitatis robur à suis proprijs quisque rebus sumit.

COrpore dormiebat Iesus, sed diuinitate fluctus turbabat, tempestatem ciebat, ventos agitabat, in vitæque discrimen discipulos adducebat, vt ipsi in se ipsis Saluatoris experti manum, credulitati suæ robur adderent maximum. Sæpius in aliis viderant diuinorum beneficiorum miracula, vt ea in se experiantur, affliguntur modo tempestate; valentiora enim sunt ad firmandum cuiusque animum, quæ penes se videt, quam quæ in aliis. Ita D.Chrysostom. homil.29. in Matth. ait. *Cum non pariter aliquis sentiat, quæ in alienis fiunt corporibus, & quæ in se ipso; oportebat discipulos eius, qui plurimos in dies liberari videbant, vt magis obligarentur, in se ipsis omnipotentiam eius inspicere.* Furiat ergo tempestas, vt fidei fundamenta omnimode roborentur in fide, & qui virtutem Saluatoris mirabantur in aliis, omnipotentiam eius canerent propria illustrati salute. Non absimilis casus accidit primo orbis conditori Adamo, de quo Genes. cap.2. *Immisit Dominus Deus soporem in Adam, cumque obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem.* Obdormit Adam cum ex eius costa fit mulier, in somno tamen corporis mens eius diuinitus excitata vigilabat, & clare videbat totum Dei opus, qualiter manus diuina costam extrahebat, mulieremque operabatur. Sed quæres, qua ratione Adamus interius excitatur, vt Dei opera videat? Quæ necessitas fuit, vt videret costam suam ædificari in mulierem? Sanè cultor orbis necessum erat, vt in se, vel in iis, quæ circa se sunt, Dei omnipotentiam animaduerteret. Pulchrè D.Basil.Seleuc.orat.2. fatur. Quare in Adami conspectu vult Euam Deus fingere, & fictricis artis suæ spectatricem desiderat propriam imaginem? Nondum Deum Adamus quicquam fabricantem viderat. Creauit Deus cœlum, & terram; sed Adamus non viderat creantem. Quomodo creatorem cognosceret, qui creantem non spectauit? *Ea propter ipsius ante oculos fœminam struxit, & similis naturæ spectatorem facit; vt in illa, quæ circa se sunt, velut in speculo contemplatus ex visis discat inuisa.* Quid pulchrius? Vnde melius Adamus doceretur, quam ex consorte sua, ex osse suo? Quod in adeò propinqua sibi creatura videret, proculdubio medullitus retineret. Ideo Matth.1. cum trahuntur Magi ad Iesum, notanter dicitur: *Ecce stella, quam viderant in Oriente, præcedebat eos.* Cur stella ad Magos mittitur, nisi vt à familiari sibi creatura Dei sapientiam auidius bibant? D.Hieronym. ibi: *Oportuit prophetas mitti potius, sed nequaquam Magi credidissent prophetis. Aut voce aliqua desuper insonare; hanc quidem tantopere non curassent. Aut Angelum mittere; verum hunc forsitan præterissent. Propterea igitur, omnia huiusmodi derelinquens, per ea illos vocat, quæ familiaria eis consuetudo faciebat, mira quidem dispensatione pietatis ad hominum condescendens salutem.* Audissime homines arripiunt id, quod in sibi familiaribus, & consuetudine notis vident, siue ad virtutem, siue ad vitium. Rapsaces ille Babylonici Regis dux, cum Ierosolymam multo exercitu obsessam haberet, volens Ierosolymitanorum animos solicitare, vt relicto Deo vero, & Ezechia ad Assyrios transirent, ad muros ciuitatis accessit, & Iudaice loquutus multa proponit, minatur multa. Quo sic loquente, 4.Reg.18. pergit text. dicens. Dixeruntque autem Eliacim filius Helciæ, & Sobna, & Ioahe Rapsaci: *Precamur, vt loquaris nobis seruis tuis Syriacè: siquidem intelligimus hanc linguam, & non loquaris nobis Iudaice, audiente populo, qui est super murum.* Cur prudentissimi viri non tam cauent Rapsacis sententias, quam sonum linguæ? Si eadem dicturus erat intelligentibus, quid interesset, quod loqueretur Iudaice, siue Syriace? Multum per omnem modum: eadem enim patriis vocibus proposita maximam vim haberent, vt fingerentur intimis Iudæorum medullis, ab illisque exciperentur auidius. Id quod notabat Nazianz. orat.1. in Iulianum, inquiens. *Rapsaces contra Iudæam exercitum ducens, ac multa vi, & manu Ierosolymam obsidet, assidensque vrbi, postquam illam vi capere nequit, sermonibus blandis, & eiusdem linguæ ciuitatem subigere conatur: quod cum obsessi intelligerent, primum recusasse dicuntur, iubentes, vt Syriace cum illis, non Hebraice loqueretur, ne forte quempiam linguæ blanditijs ad seruitutem solicitaret.* Habent equidem omnia illa, quibus consueuimus, nescio quas blanditias, quæ homines inescant, & trahunt. Quis non facile persuadeatur à rebus, quę sunt sibi familiares, & valde notæ, immò coniunctæ? Non est, qui ad propria non aduolet, & extranea non habeat vt suspecta, & inuisa. Non enim paruum fuit impedimentum ad suscipiendam Euangelicam doctrinam, quod gentes illam audiebant communiter à peregrinis, & extraneis, propter quod, vt suspectam reiiciebant illam. Quod vehementer dolet Theodoretus de curatione Græcanicarum affectionum lib.1. de Fide, inquiens. *Atque alibi quidem videre est, eos qui singularum*

Chrysost. — Genes.2. — Basil.Sel. — Matth.1. — Hieron. — 4.Reg.18. — Theod.

artium quærunt fructus percipere, minus asse solicitos, qua elocutione, quove idiomate sint illarũ artifices. Neque enim Atticae esse sutores curant, neque fabros ferrarios, neque architectos, neque pictores, non ipsos denique factores nautum, non gubernatores. Verum siue Scythæ, siue Sauromatæ, siue Hispani sint, siue Ægypty summa cum voluptate vtuntur illorum artibus, solum ab his fidem, diligentiamque poscentes, minime autem agre ferunt gentium, locorumque differentiam. Item qui citharœdis fidibus oblectantur, solam audire vocum consonantiam quærunt, neque sit is Græcus, an barbarus sciscitari contendunt. Et tamen in solo perdiscenda veritatis studio non curiosi, ac non soliciti esse non possunt, sed ignominiam fieri sibi putant, si quis homo sermone barbarus (id est, extraneus) eos ad veritatem erudiat. Hæc ille, quibus patet, quam innatum impedimentum sit religioni accipiendæ, quod prædicetur ab extraneis; & quam auide suscipitur illa, cuius testimonia vides in tuis.

Text. Et dixit ei Iesus: Quid timidi estis modicæ fidei? Tunc surgens imperauit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna.

§. XI.

Qui secum Iesum habet inter furentes fluctus securus, & tranquillus ibit.

PRæ omnibus diuitiis vnus Iesus quærendus, & tenendus est, qui solus mediis licet tempestatibus, & habetur, & se habentibus fauet. Id nouerat felix ille mercator, qui post repletam nauim mundialibus diuitiis: *Inuenta vna pretiosa margarita, vendit omnia quæ habet, & emit eam.* An putas, id rectè factum à mercatore? Sanè mercatorum ars petit, vt merces variæ sint, & multiplices, vt sic facile emptores inueniantur: alij enim egent his, alij aliis. Lucrum enim videtur contemnere, qui in vnam solam margaritam omnium diuitiarum pretium exhausit. Verum prudentissimus iste mercator optimè calluit, & diuitiarum discrimina, & diuinæ margaritæ securitatem. Vbi enim mare tranandum est, quid valent mundiales thesauri? Primo vndarum fremitu vniuersæ diuitiæ eiiciendæ sunt è naui, vt nauim salues. At vnica illa margarita, quæ Christus est, & mercatorem ditat, & lucrum auget, & insurgentibus tempestatibus tranquillum facit, vt incolumis nauiget portator. D.Paulin. epistol.4. ait. *Ipse Iesus est margarita, tui commenda: si facultas nostra sufficeret, non deprimentem sarcinam, sed leuantem nos per hoc mare magnum, & spatiosam vehemus: dormientem in nobis pro nostra segnitie Dominum. (si vel dormientem vectare mereamur) excitare audebimus, vt increpans ventos saluos nos faciat à pusilla animo, & tempestate.* Adsit Iesus nostris animis, & omnia secura sunt nobis, adsit vel dormiens, & nihil est quod amplius timeamus. Non sic arenam maris verentur fluctus trementes, & concitati, vt omnes mali incursus Iesum in nobis habitantem cauent. Nec multum fallar, si putem, quod diuinus spiritus aliquid huiusmodi de Verbi incarnati virtute meditabatur, cum sapientiam arenæ in littore positæ comparabat. Ait enim 3.Reg.4. *Dedit quoque Deus sapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, quasi arenam, quæ est in littore maris.* Quid habet sapientia commune cum arena maris? Non sic in Salomone patet, vt in eius filio Iesu, qui vera sapientia est incarnata: hic instar arena est, quæ tumentes mundi fluctus repellit, vniuersaque à suis retundit mala. Quo spectauit illud Genes.22. ad Abrahamum dictum: *Multiplicabo semen tuum, sicut stellas cæli, & velut arenam, quæ est in littore maris.* Et quando progenies Abrahami, vt arena maris fuit, nisi quando de verbo vitæ, de sapientia incarnata habent fideles, vt nulla aduersa timeant? Accipite Philonem, & si ignoranter, tamen dicentem lib. de somniis: *Progenies sapientia cum arena confertur, quia marinas vndas littoralis arena obiecta repercutit, sicut peccatorum fluctus recta per verbum diuinum institutio.* Cur fluctus timeat mundiales, qui verbi diuini habet in se disciplinam? Adsit nostris in mentibus Iesus verbum, & sapientia patris, & rideamus omnia mundi pericula. Exodi 25. *Filij autem Israel ambulauerunt per siccum in medio maris.* Quid felicius, quam in medio maris nullas maris tempestates videre? Hanc similiter habet, qui verbum diuinum in se habuerit. Vnde Origen. hom.6. ait. *Si fueris in medio nationis prauæ, & peruersæ, sicut lumen solis verbum vitæ continens ad gloriam, potest fieri, vt medio peccatorum succedentem, te non infundat humor peccati; potest fieri, vt transeuntem te per hunc mundum, nulla libidinis vnda re-*

Paulin.
3.Reg.4.
Genes. 22.
Phil.
Exod 25.
Origen.

spergat, nullus cupiditatis æstus euerberet. Non sic fluctus arenam littoris, vt pericula omnia verbum diuinum habitans in nobis verentur; sit in nobis verbum, sit in nobis Iesus, cum gloria, & honore, & omnes tempestates facile retundemus. Ad hæc pulchrè dicebat D.Machar. hom.17. Christiani licet bello petantur ab hoste, diuertunt ipsi ad diuinitatem, induuntque virtutem ex alto, ac requiem, nec de bello sunt soliciti. Vt enim Dominus relicto omni principatu, corpus induit, ita Christiani induuntur Spiritu sancto. *Quod si bellum etiam ingruat, exterius ferit Sathanas: ipsi verò tuti sunt interius potentia Domini, nec Sathanam curant. Sicut tentauit ille Dominum; quid ille nocuit, quod exterius est aggressus corpus illius? Intus enim Deus erat. Ad hunc modum Christiani licet externas tentationem patiantur, nihilominus interius pleni sunt diuinitate, nec damni quicquam sentiunt.* Quippe, dum mentibus Christianorum Iesus viuit, non est cur metuere debeant mali extrinsecus venientes incursus: nihil enim sic fugit hostis, vt affectum in Christum, vt discipulis suis D.Antonius dixit.

Mach.

§. XII.

A Deo facile obtinetur communis pluribus salus.

MIraberis quod Dominus à somno excitatus à rudibus in fide Apostolis tam facile adductus fuerit, vt tempestate abacta mare tranquillum fecerit. Sane non hoc obtinuit discipulorum fides, quæ modica erat, verum obtinuit eorum concordia, & charitas qua singuli pro omnibus precabantur, dicentes, *Domine salua nos.* Cuique in optatis erat non propria, sed communis salus, quo facile illam impetrarunt. Prædicante Iona excidium Niniuitarum imminens cap.3. *Crediderunt Niniuitæ in Deum: & prædicauerunt ieiunium* &c. Viderentur potius mortis de ruina ciuitatis singuli aufugituri ab illa, singuli de propria salute cogitantes. At illi meliori consilio communem procurarunt salutem, & ibi manentes, & ieiunium, & pœnitentiam prædicant, se mutuo hortantes, & sic facilius obtinerunt communis salus. Ita D.Ephrem in Ionam fatur. *Vnusquisque proximum ad preces hortabatur; & effecta est tota ciuitas velut corpus vnum. Vnusquisque obsecrabat, ne quis laberetur inter ipsas, nullus sibi precabatur, vt solus redimeretur; verum, vt memora singuli pro semetipsis deprecabantur.* Nescio, an sit via facilior ad solicitandam misericordiam diuinam, quam si te ita proximis tuis vnias, vt quidquid ex Deo veniat, non tibi separatim, se omnibus contingat factis vnum. Tunc facilius obtines a Deo quod cupis, quando non solus separatim, sed, & cum aliis accipere procuras. Huc spectat formula orandi nobis à Iesu Domino tradita, cum hac iubemur orare: *Pater noster qui es in cælis.* Cur, cum oro, non dicam, Pater meus, sed Pater noster? Ne putet quis aliquid à Deo facile solus accepturus, quod sibi soli proficiat. Ita Sedulius lib.2. Paschali cap.11. dicens. *Qui cælorum regnatorem patris audemus nomine nuncupare, primum debemus aduertere non separatim singulis, sed communiter vnius id donum tanti muneris attributum. Non quasi semotus à cæteris Dominum quilibet oraturus huius verbis impleret, non inquies, Pater meus, sed Pater noster.* Nil a Deo habebis semotus a proximis, & fratribus tuis, cuius misericordiam solicitat citius, qui cum multis fit vnum, quam qui solus, & separatus cupit esse à multitudine. Isai.6. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum, & ea, quæ sub ipso erant, replebant templum: Seraphim stabant super illud.* &c. Expende, quod in sedente eluceat singularitas, in stantibus pluralitas consortiis appareat. Sed cur in stantibus pluralitas consortiis? In sedente proprietas diuinitatis ostenditur, cui competit omnimoda in omnibus singularitas, & independentia ab aliis. At in stantibus iam creaturarum notio explicabatur, quando creaturæ proprium est aliarum consortium procurare, ne sola, & semota ab aliis à Deo velit accipere aliquid. Sic D Bernard. serm.3. ad illa verba, confundens inde desertorem Angelum, qui fastiditus stantium pluralitatem, sedentis singularitatem affectauit, dum dixit: Sedebo in lateribus Aquilonis, sic fatur: *Sola sedet Trinitas, quæ sola habet immutabilitatem. Seraphim stant. Qui sedere præsumpsit, se ipso voluit esse contentus, tu sedere tentasti, ô improbe; propterea tui mali sunt pedes.* Ecce tota desertoris Angeli insania, tota ruinæ occasio, quod creaturarum aliarum consortium fastidiens, singularitatem amauerit; quod ab stantium pluralitate semotus, eo spectabat, vt solus esset, solúsque immuniretur: idem misere cecidit, quia

Iona 3.
Ephr.
Sedul.
Isai.6.
Bernard.

non

non habuit emolumentum ſocietatis, ſed ſingularitatis damnum.

Text. Porro homines mirati ſunt, dicentes: Qualis eſt hic, quia venti, & mare obediunt ei.

§. XIII.

Homines ex proprio iudicio vix ſciunt non errare.

VBi elementorum obedientia auctorem ſuum Ieſum manifeſtant, adhuc nautæ in errore verſantur, & vt ſapienter notat D.Hilarius, non Deum vocant, nec Deum recognoſcunt, quod intolerabilis dementiæ eſt. Cur quem vides ventis, & mari imperare, non Deum habes? Cauſam tanti erroris notat textus, cum ait: *Homines mirati ſunt, dicentes: Qualis eſt hic.* Vbi enim homines ex ſolo ſuo iudicio agunt, nihil niſi errorem parient. Samuel à Deo præceptum acceperat, quod iret in domum Iſai, ex eiuſque filiis vngeret vnum in regem Iſraël. Igitur abiit Samuel, petit ſibi
1.Reg.16. Iſai filios ſiſti, vt eligat. 1.Reg.16. *Cumque ingreſſi eſſent, vidit Eliab, & ait: Nunc coram Domino eſt Chriſtus eius? Dixit Dominus ad Samuelem, Ne reſpicias vultum eius: & vocauit Iſai Abenadab, & adduxit eum coram Samuele. Qui dixit: Neque hunc elegit Dominus,* &c. Sic ad ſingulos accedit Samuel, & in ſingulis aberrat. Cur id voluit Deus? Cur non magis determinate oſtendit illi puerum vngendum? Vt videretur infirmitas iudicij humani, qui ex ſe nunquam non er-
Hieron. raret. Ita D.Hieronym. lib.1. aduerſus Pelag. *Atque in hunc modum Samuel per omnes errat, per omnes corrigitur, vt pateat humanæ mentis infirmitas.* Quis non metuat aliquid ex ſua ſententia trutinare? Quis non ſuſpectum habeat propriam electionem, quando Samuel prudentiſſimus vir, vbi ex ſe inclinatur ad explicandum Dei voluntatem circa regem futurum, neſcit non errare? Vbi hominum iudicij trutina
Marc.4. accedit, nequit fieri, vt error non ſaliat. Marcus, cap.4. narrans præſens miraculum dicit: *Et facta eſt procella magna venti, & fluctus mittebat in nauim, ita vt impleretur nauis.* Expende illud, *fluctus mittebat in nauim*, in quo conſiderat acutè Chryſologus illos, qui nullam regulam, nullum dogma ſecurum, & ſtabile volunt eſſe in Chriſti Eccleſia, ſed omnia in diſputationem vocant, omnia quæſtionibus turbant, ſed de ſingulis inquirunt, quo nequit fieri, ne mille errores naſcantur, qui opprimant Chriſti nauim. Quid enim humana ratio diſputatrix ex ſe, niſi errores pariat?
Chryſol. Pulchrè Chryſol. ſerm.21. ait. *Merito ſpumoſis fluctibus Euangeliſta refert fuiſſe nauem repletam: cum tot pene hæreſes Eccleſia patiatur, quot diuinæ legis legimus eſſe quæſtiones.* Nihil certum, nihil firmum, nihil ſtabile eſſe poteſt, quod in quæſtionem reuocetur; vbi humana admittitur diſputatio, neceſſario ſequitur in vtramuis partem claudicatio, & error ſerpit inde ſimulatus. Vix humano iudicio iudice, naſcitur, niſi er-
Eccl.8. ror, & opinio falſa. Eccleſiaſt. cap.8. inter multos ab humanis opinionibus ortos errores, etiam dicit. *Sunt iuſti, quibus mala proueniunt, quaſi opera egerint impiorum, & ſunt impij, qui ita ſecuri ſunt, quaſi iuſtorum facta habeant.* Quod ſi ſcire cupias, vnde ſic iuſtorum, & impiorum ſortes confunduntur; notiſſima tanti erroris cauſa eſt humana ratio. Cui
Gregor. Neocæſ. rem attribuẽs D.Greg. Neocæſ. Taumaturgus ſic in ſua metaphraſi verba dicta explanat. *Peſſima, & falſa opinio per homines plerumque graſſatur, tum de iuſtis, tum de ſceleratis. Nam & qui iuſtitia præditus eſt, non talis habitus eſt; & rurſus impius cordati viri opinionem tulit. Quem quidem errorem in primis grauem, & pernitioſum eſſe ſtatuo.* Erroneus inde erit, qui non ſuſpectas habeat opiniones, immò ſententias humanas.

CAPVT VI.

De Petro ambulante ſuper vndas.

IAM nox mundum oppleuerat, vt Matth. Marc. & Ioannes aiunt, & terris magiſtro reſidente, diſcipuli marinum petiuere nauigium: furebatque pontus expoſitam flabris aduerſantibus in carinam. Tunc vmbroſæ noctis quarta fere vigilia calcatas Dominus ſuper vndas obambulans tumidos ſpumoſi gurgitis fluctus placido comprimebat inceſſu, ſacraque Chriſti veſtigia muta pelagus abluuione lambebat. Mirantur nouum ſubito periclitantes aſpectum, pedeſtri ſub calle vias patuiſſe nauigeras. Cunctiſque nutantibus vtrum verè Dominus appareret, an oculos metu diſcriminis obumbratos certa caliginis ſimulacra deciperent? Petrus fidei ſocius, & amicus, cui familiaris gratia ſemper Chriſtum agnoſcere concedebat, vt ad eum pergeret, poſtulauit. Vocatuſque, vel trepidans in marina deſcendit, nulla refluentis vndæ rapacitate ſubmerſus: qui dominicæ manus auxilio ſubleuatus, potentis dexteræ tutiſſimum confugiſſet ad portum; perque vitreos ſalſi maris campos callem ſecuit, pelagi viator exiſtens.

Matth. 14. Et ſtatim compulit Ieſus diſcipulos aſcendere in nauiculam, & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas.

§. I.

Qui ſemel Ieſu dulcedinem guſtauit, difficile ab illo ſeparari ſuſtinet.

NOuum videbitur, quod obedientiſſimi diſcipuli dicantur à Chriſto fuiſſe compulſi nauiculam aſcendere, ſed quomodo à Chriſto Ieſu, vel ad breue tempus diſcederent, niſi compellerentur? Difficile, & ægre auellitur à Ieſu, qui eius guſtauit dulcedinem. Cum ab Ieroſolymis in patriam redirent Maria, & Ioſeph, remanſit puer Ieſus in templo inſciis parentibus. Quis dicat ſanctorum parentum ſolicitudines? Quis æſtimet illorum dolores? tandem poſt triduum inueniunt Ieſum, cui ſic mater fatur, Lucæ 2. cap. *Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus* Luc.2.
te. Sanè nec tridui abſentiam à Ieſu ſine ingenti dolore pati ſuſtinuerunt. D. Ælredus homil. in præſenti ait: *O* Ælred.
Domina mea, quid dolebas? Credo non famem, non ſitim, non inediam timebas puero, quem Deum noueras. Sed tantum ſubtractas tibi, vel ad modicum ineffabiles præſentiæ eius delicias querebaris. Quis ſuſtineat tanti dilecti ſemel guſtatis deliciis, vel ad horam carere? Quis ſiccis oculis recedentem Ieſum ſpectet? Amatrix illa Ieſu, Cantic.2. clamabat. *Re-* Cant.2.
uertere, ſimilis eſto dilecte mi, capreæ, hinnuloque ceruorum ſuper montes Bethel. In Bethel montibus abeuntem videbat dilectum, & illum reuocare conatur, clamans illud, reuertere; & ſtatim cap.3. incipit. *In lectulo meo per noctes quæſiui, quem diligit anima mea.* Modo in montibus, modo in lectulo: quid ſibi vult hæc tam diuerſa coniunctio? Nunc in montibus abeuntem videns, ad montes reuertitur, precatur: nunc in lectulo quærit elapſum. Quis te à montibus in lectum traxit? Quis monti lectum coniunxit? Equidem vbi dulcis ſponſus à montibus, vel ad horam abſceſſit, conſequens erat, vt à montibus ſponſa in lectulum doloris, & lacrymarum caderet; non enim ſine ingenti deiectione, & dolore, præſentiam Ieſu amittit, quam ſemel fuerat nacta.
Argute Gillibert. Abb. ſerm.1. in Cant. *Elapſus erat dilecta* Gillibert.
ſua ſuper montes, quaſi hinnulus vagus, & volitans, & ipſa ad ſe relapſa de montibus illis: in quibus mirabiliter erat illuſtrata viſione dilecti. De montibus, inquam, illis ad conuallem lacrymarum ad lectum doloris relapſa. Quid ni ſic reſidet ipſa, vbi ſic recedit dilectus ſuus? Recedente ipſo, illa recidit ad lectulum doloris, & infirmitatis. Quid aliud ſupereſſe poteſt poſt Ieſum, quam lectulus doloris? Quiſquis Ieſum ſemel habuit, ſemel eius dulcedinem guſtauit, fallor, ſi aliud vellet aſpicere, nec dum cogitare. Pſalm.26. *Exquiſiuit te facies mea,* Pſalm 26.
faciem tuam Domine requiram. Ad hæc D.Bernard. ſerm.74. in Bernard.
Cant. *Quid ni requirat? Neque enim ſubducto ſibi tam dulci ſponſo interim aliquid aliud non dico deſiderare, ſed ne cogitare libebit. Reſtat, vt abſentem ſtudioſe requirat, reuocet abeuntem. Ita ergo reuocatur verbum, & reuocatur deſiderio animæ, ſed eius cui ſemel indulſerit ſuauitatem ſui.* Quid non faciat anima, ne Ieſus abſit, cuius dulcedinem guſtauit? Ne amittat, quem ſemel tenuit? Ne ſeparetur ab eo, cuius conſuetudinem experta eſt? Sanè diſcipuli illi Lucæ 24. qui Ieſum ſocium Luc 24.
itineris habuerunt, etſi peregrinum putarunt, tamen nullo modo illum abire ſuſtinuerunt, quin potius, *Cogerunt illum, dicentes: Mane nobiſcum Domine, quoniam adueſperaſcit.* Sic afficiuntur erga Ieſum, quicunque eius ſuauitate fruuntur, ne patiantur illum à ſe diſcedere, & quamlibet abſentiam eius ingenti dolore proſequuntur. Non Ieſum, ſed manum eius ſemel viderat ſponſa, & quis æſtimet dolores eius, quæ cerneret abeuntem? Cantic.5. *Dilectus meus miſit* Cant.5.
manum

manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius. Pessulum ostij mei aperui dilecto meo, at ille declinauerat, atque transierat. Nec putes simpliciter dictum ab sponsa, quod ille declinauerat, atque transierat, cuius manum viderat. Immò experta donorum magnitudinem, ait Philo Carpath. *Ob idque cupida illius sponsa, quasi dolendo narrat. At ille abierat, transieratque.* Non sine ingenti dolore narrare valebat Iesu absentiam, quæ semel eius manum viderat. Vtinam & nos eius manum experiamur; eius sentiamus dona, & non sustinebimus absentiam illius; & æternam
Ioann. 16. moram putabimus si vel modicum à nobis ausugit. Ioann. 16. aiebat Dominus. *Modicum & videbitis me, iterum modi-*
Bernard. *cum, & non videbitis me.* Quocirca D. Bernard. serm. 74. in Cant. ait: *O modicum longum! Pie Domine, modicum dicis, quod non videbimus te? Saluum sit verbum Domini mei, longum est, & multum valde nimis.* Intolerabilis mora est, & longissima illa, qua à Iesu separatur ille, qui de eius præsentia cœpit
Abac. 2. recreari. Vnde Abacuch cap. 2. *Quia adhuc visus procul, & apparebit in finem, & non mentietur; si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit.* Merito miratur
Bernard. D. Bernard. supra, duo illa coniuncta, nimirum, & morant facere, & non tardare. Quomodo non tardabit, si moram facit, vel quomodo moram facit, si non tardabit? Equidem est mora non in re, sed in opinione expectantium; est mora non quia tarde veniet, sed quia semel visus abiit, & procul est factus; & quænis celeritas in redeundo morosa est, & grauis illis, qui semel eius visionem gustarunt. Quis Iesu immensam dulcedinem vel extremis prælibauit labiis, qui non violenter ab illo separetur? Quis eius gloriam vel à longè vidit, qui possit vel ad momentum sine illo esse inter humanas paupertates? Niueum vestimentorum decorem Petrus in Tabor vidit, & cætera mundialia fastidiens, veritus ab illa visione separari clamat, *Bonum est*
Greg. Nyss. *nos hic esse.* Ex quo sic D. Gregor. Nyssen. hom. 11. in Cantic. sic pergit. *Quis cum vel ipso sole clariorem Domini aspexerit tunicam pertextam per incorruptibilitatem, & puritatem, qualem ostendit in transfiguratione, in monte: mendicorum vestem pannosam libenter induerit, cuiusmodi est ebrij, aut fornicatoris?* Sanè nullus sui compos erit, qui cum semel nouerit Iesu gloriam, velit ab illo separari, vt ad mundiales spurcitias recurrat, quin potius illud Apostolicum inclamabit: *Quis nos separabit à charitate Christi?* Quasi nihil sit in toto orbe terrarum, propter quod velim, vel ad momentum esse à Iesu separatus.

Text. Et dimissa turba ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto solus erat ibi.

§. II.

Orationi efficaciam tribuunt vigiliæ.

VT sola Christi hominis oratio efficaciam habebat maximam ad leniendum patrem, inimicosque deuastandos, sic eam semper comitabantur & vigiliæ, & asperitas montis, & solitudo, à suisque separatio, iam inde astruens cuiuscunque orationis efficacis socias esse debere vigilias
Matth. 26. religiose peractas. Sic monebat suos Dominus, Matth. 26. *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem*, quasi illa oratio potens sit fugare tentationes, quæ cum vigiliis coniuncta est. Vbi autem Apostoli vigiliam abstulere orationi somno indulgentes, nec sustinuerunt hostiles incursus. Vt merito
Tertull. dicat Tertull. lib. de orat. Dom. *Adeo tentati sunt Apostoli, Dominum deserendo, qui somno potius indulserant, quam orationi.* Vtinam non somnum, sed vigiliam orationi iunxissent, & auxilium diuinum exorassent, quo efficacius de
Luc. 11. hostibus triumphum agerent. Luc. 11. ait Dominus, vt fiduciam in orando Deum hominibus persuadeat: *Quis vestrum habet amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice*
Ambros. *commoda mihi tres panes*, &c. Quæ verba ponderans D. Ambros. ibi fatur. *Vides quod iste, qui media nocte perrexit, tres panes ab amico suo postulans, & in ipsa petendi intentione persistens non defraudetur oratis.* Equidem nunquam vacua nouit redire oratio noctis vigiliis comitata; id quod notans in
Chrysol. præsenti Chrysolog. 39. ait: *Ista satis hora est efficax impetrandi: hoc sciens propheta ipsum tempus suæ supplicationis asserit extitisse, cantando: Media nocte surgebam ad confitendum tibi. In hac hora vigilantibus semper sponsus ille occurrit, qui dicit: Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit.* Quasi non posset non impetrare quod voluit, qui precibus, orationibusque suis etiam vigilias addidit. Nec otiose putes di-
ctum de orbis magistro Iesu, Luc. 6. *Et erat pernoctans in* Luc. 6.
oratione, sed vt inde incredibilem Iesu efficaciam in orando ostendat. Sed quanta efficacia esset in Iesu pernoctantis oratione? Chrysolog. Iesu pernoctantis orationis efficaciam comparat cum totius effusi sanguinis efficacia. Quippe ait serm. 24. *Ipse Dominus pernoctat in oratione Dei, vt ante nos oratione liberet, quam redimeret passione.* Quasi ad solutionem peccatorum non minoris esset efficaciæ Iesu pernoctantis oratio, quam tota profusio sanguinis. A quo
non multum abest Chrysostom. hom. 42. ad populum, aiens. Chrysost.
Crede mihi, non ita rubiginem ignis extorquere solet, sicut oratio nocturna nostrorum rubiginem peccatorum. Præsentissimum remedium est ad peccatorum solutionem impatrandam oratio pernoctantis; & raro inuenitur oratio vigiliæ iuncta,
quæ effectum statim non sortiatur. Act. 16. dicit. *Media au-* Act. 16.
tem nocte Paulus, & Silas orantes laudabant Deum. Et audiebant eos, qui in custodia erant. Subito vero terræmotus factus est magnus, ita vt mouerentur fundamenta carceris. Et statim aperta sunt omnia ostia, & vniuersorum vincula soluta sunt. Non facile credam Paulum non antea sæpe orasse, vtpote qui docebat orationem sine intermissione habendam; solutio autem vinculorum, & apertio carceris nocturnam solam orationem necessario secuta est. Plane illa oratio, quæ cum vigilia iuncta est, præsentissimum remedium solutionis, &
liberationis habet. D. Ambros. in Psalm. 118. Octonario 8. ita Ambros.
fatur. *Non otiose Paulus Apostolus & Silas trusi in carcerem, cum in neruo pedes haberent, media tamen nocte surgebant mentis vestigio, exorabant Dominum, & laudis sacrificium offerebant. Ideoque vbi non deficit deuotionis officium, adfuit etiam solutionis remedium. Subito enim media nocte terræmotus factus est grandis, valuæ apertæ, & omnium vincula soluta sunt.* Ecce tibi solutionis remedium necessario pernoctantium orationem comitatur.

Text. Nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus: erat enim contrarius ventus. Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans super mare.

§. III.

Oratio securitatem affert in sustinendis tempestatibus.

DVm mare ventis agitatur, qui in naui erant discipuli sollicitabantur, Iesus autem mediis fluctibus constitutus securus ambulat. In naui metum habent illi, in fluctibus hic habet securitatem. Quid mirum? prater quàm Deus erat & tunc ab oratione veniebat, quæ nullas sinit timere
tempestates. De Iona dicitur, cap. 2. *Et erat Ionas in ventre* Ion. 2.
piscis tribus diebus, & tribus noctibus. Et orauit Ionas ad Dominum Deum suum de vtero piscis, & dixit: Clamaui de tribulatione mea ad Dominum, &c. Vbi expendendum illud verbum, *clamaui*: quippe post trium dierum silentium mediis belluæ visceribus incolumis, & illæsus factus, non ait, clamo, sine precor, sed quasi tantæ incolumitatis indiganis causam, dicit, *clamaui*: id est, non huic labori accessi inermis, sed cum me iam & tempestati, & belluæ mittendum vidi, me orationi dedi, qua ad Deum clamaui. & qua gra-
tulor mihi modo de incolumitate. D. Hieronym. ibi: *Non* Hieron.
dixit, clamo, sed clamaui: nec de futuro precatur, sed de præterito gratias agit: indicans nobis, quod ex eo tempore, quod præcipitatus in mare vidisset cetum, & tantam corporis molem, & immanes rictus aperto ore se sorbere: Domini recordatus sit. & clamauerit. Quid mirum, quod in bestiæ faucibus incolumitatem sentiat, qui se se orationis clamoribus antea armauit? Præteritæ orationi meritò refert, quod incolumis in maris corde, & in balenæ ventre agit; nulli non te verebuntur fluctus tentationum mundialium, si viderint oratione armatum. Parui equidem sunt, & nullius momenti vniuersorum hostium conflictus, vbi ad illos excedas oratione armatus. Quis nesciat magnitudinem exercitus Sirij conflatam à Rege aduersus vnum Samuelem? Et quid Samuel tot, tantisque hostibus petitus egit? An aliquam turbationem passus est? an pauorem ostendit? Absit: immò
mira securitate potitus, 4. Reg. 6. *Orauit Elisæus, & dixit:* 4. Reg. 6.
Percute iam gentem hanc cæcitate. Et percussit eos Dominus cæ-
citate. &c. Vbi eleganter D. Ambros. sermon. 1. de Elisæo, sic Ambros.
orationis immensam fortitudinem exaltat. *Vbi sunt, qui dicunt plusquam preces sanctorum hominum arma posse? Ecce vna*

oratio

oratio Eliſæi totum exercitum vulnerauit. Quæ caterua regum, quæ turba militum talem victoriam perpetrarunt, ita vt hoſtes proſterneret, vt de illis nullus occumberet? Hæc eſt vera, hæc incruenta victoria, vbi ſic aduerſarius vincitur, vt de vincentibus nullus lædatur. Non eam orationis virtutem modo prædico, qua hoſtes deuincit, qua inimicas poteſtates depellit: ſed eam virtutem orationis modo adſtupeo, qua nulli vulneri locum faciat. Solent enim fortiſſimi homines victorias ab hoſtibus reportare, ſed cum aliquo vulnere ſuo; verum qui oratione armatur, ſic mediis certaminibus ſecurus incedit, vt nullum ad ſe permittat vulneribus aditum.

Nyſſen. Id quod etiam ſtupet Nyſſen. orat. 1. de orat. Dom. fatus *Si oratio negotium præcedat, peccatum aduerſus animam aditum non inueniet.* Quod orationi detrahis, id hoſtibus præbes, id præbes tentationibus, quæ minime te poſſent perturbare, ſi viderent orantem. Nota eſt hiſtoria Exodi 17. vbi dum Moyſes leuatas ad Deum manus haberet, omnino aditus hoſtibus intercludebatur, ne populum poſſent vulnerare; verum vbi paululum declinabat manus, iam hoſtibus aditus dabatur.

Chryſoſt. De quo in homil. propria D. Chryſoſtom. ait. *Hoſtis, dum oras, premitur: dum ceſſas, erigitur. Quare orationis inſtantia, hoſtis ſæuitia debelletur: non reſumat vires, dum parcimus: non erigatur, dum aliquando ceſſamus.* Tota noſtra ſecuritas aduerſus mundiales incurſus ab oratione eſt, ſi plene nos videant orantes, non habent hoſtes aditum, quo nobis poſſint officere, ſed ſi ab oratione ceſſamus, mille

Ioan. 3. ſtatim hoſtibus patent. De Iuda dictum eſt, Ioann. cap. 3. *Et poſt buccellam tunc introiuit in eum Sathanas.* Cur poſt buccellam? Quid fecit accepta buccella, quo patentem ad ſe aditum reliquit Sathanæ? Ipſe Ioann. inſinuat, aiens ſtatim. *Cum ergo accepiſſet ille buccellam, exiuit continuo.* Ideo patuit diabolo, quia poſt buccellam non orationem de more expectauit, non hymnum cecinit, ſed continuo abſiuit.

Euſeb. Id docet Euſebius relatus à D. Damaſc. lib. 2. Parallelorum, cap. 15. fatus. *Illi enim exitium, hunc ortum traxit, quod in oratione non perſtiterit. Nam cum panem primus omnium accepiſſet, pedem extulit, ac ſtatim Sathana in ſe ingreſſo in proditionem properauit. Ne igitur committamus, vt ob vnam horam cum Iuda condemnemur. Nihil nobis moleſtiæ permanſio in oratione allatura eſt. Non tempeſtates intus habet, non ignem.* Hæc ille: vt videamus, quam pateat diabolo, qui orationem defraudat, & quam rapide in perditionem feratur.

Text. Et videntes eum ſuper mare ambulantem, turbati ſunt, dicentes: Quia phantaſma eſt. Et præ timore clamauerunt.

§. IV.

Peccatum grauat, & deprimit nos.

NEſcit grauedinem corpus, quod peccatum neſcit; vna enim moles peccati Ægyptios in profundum demerſit, & homines quotidie deprimit. Hinc Ieſus poſt ſatiatam multitudinem in deſerto, maria pedibus ſecurus terit, vt qui ſuam poteſtatem miraculo panum diuinā oſtendit, ambulatione ſuper aquas ab omni peccato munditiē præſeferat.

Beda. Sic Beda in præſenti: *In miraculo panum, quod eſſet rerum conditor, oſtendit, & inambulando ſuper vndas, quod haberet corpus ab omni peccato liberum oſtendit.* Non enim caro peccatrix poſſet ſuper aquam ſtare, quandoquidem peccati ſarcina illam in ima grauaret. Paulo inferius, etiam Petrus ſuper aquas ambulat, ſed vix paucos gradus facit, & ecce tibi mergi cœpit. Cur mergitur ille, qui Ieſu imperio fertur ſuper aquas? Ait textus: *Videns verò ventum validum timuit: & cum cœpiſſet mergi*, &c. Illum vanus timor inuaſit, & cum timore neſcio quæ ſpecies infidelitatis intrauit. Vbi autem vel vmbra peccati intrat, quaſi mille moles plumbeæ intrarent, ſic grauitate faciunt.

Hieron. D. Hieron. in c. 2. Naum fatur. *Qui ante leuis pendulo greſſu calcabat vndas, poſtquam infidelitate aggrauabatur, vorabatur à fluctibus.* Nulla res ſic grauat, ſic deprimit mentes creatas, vt vel vmbra peccati. Pennatum illum ſpiritum noſti, qui mane oriebatur, qui aſcenſiones meditabatur in corde ſuo, qui in magnis no-

Iob. 1. uit ambulare, & in mirabilibus ſuper ſe. Is apud Iob cap. 1. interrogatus vnde veniret, ait. *Circuiui terram, & perambulaui eam.* In terra iaces, qui te ſuper omne, quod Deus eſt, exaltabas. Vbi ſunt antiquæ pennæ? Vbi aſcenſus illi ſupra teſtamenti montem, ſupra nubes, ſupra ſolium Dei? Intrauit peccatum, & non potuit vſque ad ima non grauitare. Pulchrè D. Gregor. Papa, lib. 11. Moralium, cap. 4. ait: Gregor.
Cum ſe non tranſuolaſſe, ſed perambulaſſe inſinuat, quanto peccati pondere in imis prematur, oſtendit. Tota agilitas ſpiritus non potuit non grauari, & deprimi ad ima pondere peccati. Et cur vnam creaturam non deprimat peccatum, quod totam creaturarum vniuerſitatem potens eſt opprimere, & grauare? Accipite D. Anſelm. lib. de excell. Virg. cap. 10. Anſelm.
Homo qui à Deo inter cæteras creaturas ſublimis creatus eſt, dum Deum per ſuæ inobedientiæ reatum inhonorauit, omnia, quæ ſui ſtatus integritatem ſeruarunt, quadam confuſione; ipſa ſui reatus immanitate, quantum in ipſo fuit, vulnerauit. Ingerebatur enim ſic diuinis operibus contumelioſa quædam oppreſſio, & fiebat grauis, & iniurioſa abuſio. Non ſic immenſum plumbi pondus immiſſum opprimeret vniuerſitatem creaturarum, vt illam oppreſſit, & grauauit vnius peccati. Ex quo nullam licet altitudinem ſpectare, ſed voraginum profunditates, per quas ſolum peccata nouerunt reptare. Cant. 2. aiebat ad Cant. 2.
ſponſum: *Reuertere, ſimilis eſto dilecte mi, capreæ, hinnuloque ceruorum ſuper montes Bethel.* Per montes Bethel intelligit humanam naturam peccatis, & Sathanæ altitudine grauem, ad quam, petit, veniat dilectulus, tanquam hinnulus ceruorum, interempturus ſerpentinas progenies, nimirum, vniuerſa peccata, quibus mons iſte ſcatet. Sed notandum, quod pro, *ſuper montes Bethel*, dicitur apud Nyſſenum, Nyſſen.
ſuper montis concauitatem. quaſi diceret, ſuper montem profundiſſimum, vaſtiſſimæque concauitatis. At profunditas non monti competit, ſed valli; montes enim alti ſunt, profundi valles. Verum id eſt, ſi naturam ſpectes; ſed non, ſi ſpectes corruptionem peccati: vbi namque peccatum intrat, non ſinit altitudinem haberi, ſed in ima vergens, nihil nouit oſtendere, niſi profunditatum voragines. Pulchrè Nyſſ. hom. 5. ſic ſponſæ verbis ad Deum loquitur. *Dele peccati generationem, ſicut hinnulus delet ſerpentes, qui conſumit genus ſerpentum. Vides concauos montes vitæ humanæ, quorum ea, quæ aſſurgunt, non ſunt vertices, ſed valles. Currit ergo quam celerrime verbum ad montes concauos. Quidquid enim extollitur aduerſus veritatem, eſt barathrum, & non mons, concauitas, & non aſſurgens faſtigium.* Nunquam nouit ſuperextolli peccator, ſed deiici, ſed in profundum mergi. Idem.

§. V.

Quo citius finienda ſunt mala, magis ingraueſcunt.

TIment Apoſtoli, cum nauim fluctibus turbari vident abſente Domino, qui ſuper aquas gradiens, vt ſoluat timorem diſcipulorum, illum vehementius auget, nam diſcipuli putantes ſe phantaſma videre, ſic pauent, vt exurgant in clamorem. Quid hoc eſt Domine, venis vt metus tollas, & illis occaſionem præbes, qua vehementius metuant? Sic conſueuit Dominus vehementiores labores, & curas immittere velut indices vicinæ liberationis. Tunc magis acuit dolores, quando ſalus iam ſtat in fauoribus. Ita D. Chryſoſt. hom. 61. in Matth. vt habetur in Cat. *Semper, ait, hoc Dominus facit, cum ſoluturus ſit mala aliqua, difficilia, & terribilia inducit. Quia enim non eſt longo tempore tentari, cum finiendi ſunt agones iuſtorum, volens amplius eos lucrari, auget eorum certamina, quod in Abraham fecit, vltimum certamen tentationem filij ponens.* Sunt grauiora pericula, & diſcrimina certiſſima nuntia liberationis, ne enim lucrum maximum, quod ex laboribus iuſti acquirunt, defraudari poſſit, quò magis ſalus appropinquat, eo vehementius acuit Dominus dolores. Magdalenæ luctum pro defuncto Domino, quis ignorare potuit? illa ad monumenti oſtium, & ſæpius ingeminabat illam cauſam doloris, quia tulerunt Dominum meum: nihilominus Angeli accedentes Ioann. 20. aiunt: *Mulier quid ploras?* Quorſum hæc Angelorum interrogatio? An neſcitis, quod afflictus animus vehementius affligitur, & exacerbatur, cum cogitur meminiſſe, & proferre cauſas dolorum? Cur ergo vultis afflictam affligere magis tali interrogatione? Erat iam luctus finiendus, erat lætitia in foribus, & ideo exacerbatur dolor, ne minima lachrymula maneat ex his, quæ poſſunt effundi pro Domino. Pulchrè Drogo Hoſtienſ. lib. de Sacram. Dom. Paſſion. ait. *Equidem bene honoratis, ô piiſſimi Angeli, quid ploraret, & quem quæreret, quare illam iterum commemorando intus excitatis? Sed prope erat inſperatæ conſolationis gaudium; ideo tota vis doloris, & plorationis excurrat.* Ne quid minus haberet lucri, quod lacrymis comparare poſſet; feſtinante lætitia acuitur dolor, vt totius lacrymarum meſſis congregatio nuntium afferat liberationis. Moyſes, & Aaron mittuntur

Chryſoſt. Ioann. 20. Drog.

tuntur à Deo in Ægyptum populi fui liberatores, & redemptores: quid tunc? Magis, & magis fæuit ira Pharaonis, adeò vt hoc ab illo publicetur edictum aduerfus miferos Exod.2. Ifraëlitas. Exod.2. *Paleæ non dabuntur vobis, & reddetis confuetum numerum laterum.* Qualis hic rigor? Nonne hæc feueritas, immò crudelitas regis fignum eft æternæ captiuitatis, & oppreffionis? Immò nullum clarius fignum effe Lyppom. potuit vicinæ liberationis. Ita Lyppomanus in Cat. fatur. *Sic ergo tunc maximè populus Dei affligitur, cum propinqua eft falus, & liberatio. His autem, inquit Dominus, fieri incipientibus, leuate capita veftra, ecce appropinquat redemptio veftra.* Sic femper confueuit Dominus, eo magis permittere ingra-Pfalm.34. uefcere dolores, quo propior eft falus. Pfalm.34. *Iudica Domine nocentes me, impugna expugnantes me. Apprehende arma, & fcutum.* Vbi arma apprehendi petis, cur fcutum requiris? An Deus eget fcuto? Homo cum exerit gladium, neceffe eft, vt etiam fe muniat fcuto, quia dum ferit, poteft feriri; fed Deus cur fe fcuto muniat, qui feriri non poteft? Verum poffunt fui ferui feriri: vnde nunquam gladium exerat Deus, quin fimul opponat fcutum, ad protegendos fuos, aduerfus quos numquam fæuior inimicus, quam vbi à Deo expugnatur, & iam iam cogitur abire. Quod infi-Saluian. nuabat Saluian. lib.3. de Gubern. *Apprehende fcutum, & corripe gladium; fcutum ad protectionem, gladium ad vltionem.*

Text. Statim Iefus locutus eft eis, dicens: Habete fiduciam: ego fum: nolite timere. Refpondens autem Petrus dixit: Domine, fi tu es, iube me ad te venire fuper aquas.

§. VI.

Dei vocatio firmat, & ftabilit greffus eius, qui vocatur.

NOn timet Petrus liquidos fluctus maris calcare, fi à Deo vocetur, nouit enim Dei vocatio fluctuantes firmare calles, & vel in aquæ fluctibus tritas firmis greffibus vias demonftrare. An maria terenda erant, quando apud Ifai 6. Ifaiam cap.6. loquitur Dominus: *Quem mittam? & quis ibit nobis?* Et tunc refpondet propheta iuxta Septuag. *Ecce ego fum, mitte me.* Expende illud; *ego fum*, quod nomen eft firmiffimæ naturæ diuinæ, & tamen fe ita audet Ifaias compellere. Vnde propheta tantam accepit fiduciam, vt firmitatis diuinæ nomen fibi attribuere audeat? Quis imbecillem Hieron. hominem ad eam extollebat firmitatem? D.Hieron. epift. 144. *Deus*, inquit, *qui vocat ea, quæ non funt, quafi fint, & qui dixit: Ego fum, qui fum: quafcumque vocauerit, ftatim facit fubfiftere.* Potens eft Dei vocatio ftabilitatem, & firmitudinem præftare iis, quos ad fe vocauerit. Hoc vnum curet quis, vt vocetur à Deo, vt audiat fuauiffimum illud Dei verbum, nimirum, veni, de quo mirificè confortatus, & confirmatus mediis periculis, mediis difcriminibus aget. Infirma adhuc erat fponfa, lectoque infirmitatis cubabat, nondum apta, vt vigilias ageret, vt in arenam defcenderet, vt vias difficiles ambularet. De qua fponfus aiebat Cant.2. Cant.2. *Adiuro vos, filiæ Ierufalem, per capreas, ceruofque camporum, ne fufcitetis, neque euigilare faciatis dilectam.* Sic infirmitati dilectæ fuæ confulit fponfus, ne permittat ab aliquo illam ad laboriofam vitam excitari. At vix tantam abiurationem complet, & fubit ipfe ftatim. *Surge, propera amica mea, columba mea, formofa mea, & veni.* Nonne modo cauebas, ne excitaretur fponfa ad labores, eius confulens infirmitati? Cur tu excitas? Cur vigilare iubes infirmam animam? Cur quam times per alios trahi ad labores, tu non dubitas trahere? Omnem abfoluit quæftionem verbum illud, *furge, & veni*, vbi enim Deus vocat, & ad fe venire iubet, nulli metuendum eft infirmitati, nulli parcendum difficultati: quippe Dei vocatio valet mediis periculis nutantes ipfos greffus confortare. Pulchre ad hæc D. Bernard. Bernard. ferm.58. in Cant. fatur. *Non parum confortat, quod audit, veni. Quid enim difficile illo comite fibi reputet? Pone me, inquit, iuxta te, & cuiufuis manus pugnet contra me.* Nihil eft, quod timeat, qui à Deo vocatur, in ipfa vocatione munimentum habet, quo fe muniat, & defendat ab omnibus incurfibus malis. Huc me, dicat, Dominus vocauit, hac me duxit, hic me pofuit, cur labentes fluctus expaueam? cur difcrimina pertimefcam? Cur nimis metuam infirmitati? cur non potius de fortitudine vocantis gaudeam, cuius vocationis vi impedimenta quæuis nihil facio? Sanè impeditus erat Lazarus, qui ligatis pedibus, & manibus iacebat defunctus, & quatriduanus; acceffit tamen virtus vocantis: *Lazare, veni foras*, Ioan.11. Quid tunc? Impedierunt vincula, vbi diuinum Ioan.11. illud, *veni*, refonauit? Abfit: immò, *ftatim prodijt, qui fuerat mortuus, ligatus pedes, & manus inftitis.* Ride vincula, ride impedimenta, ride difficultates, vbi Dei vocationem auribus tuis noueris inclamare. Pulchrè Theod. de Prouid. Dei Theod. ferm.10. hæc expendit. *Mortuum, qui & vinculis conftrictus, & fœtidus iam erat, currere, & mortis manus fugere, ad vocantem autem creatorem, nec mortis foribus, nec vinculis impeditum, feftinare fecit.* Vbi diuinæ vocationis fe pandit efficacia, nullum impedimentum eft, à quo poffis retardari, nullum difcrimen, quod animofe non pertranfeas, etiam fi ligatis pedibus fit iter agendum, etiam fi turbatum mare tranandum.

§. VII.

Virtus ftabilis, & firma eft etiam fuper aquas, vel fuper arenam fundata: vitium infirmum, & labile, etiam fuper rupes fundatum.

PVlchrè Petrus fe audet iubente Chrifto aquis commendare, inuenturus in illis firmitudinem, & foliditatem: virtus enim vbi non ftabilis, & firma? Etiam fuper arenam, etiam fuper effluentes aquas fundata habet ftabilitatem. Ifaias cap.33. *Qui ambulat in iuftitijs, & loquitur veritatem, qui proijcit auaritiam, & calumniam, & excutit manus fuas ab omni munere. Qui obturat aures fuas, ne audiat fanguinem, & claudit oculos fuos, ne videat malum. Ifte in excelfis habitabit, munimenta faxorum fublimitas eius.* Ifai.33. Quorum verborum elegantiam oftendit amplius tranflatio adducta ibi à Leone de Caftro, qui pro, *munimenta faxorum*, dicit etiam vertendum ex Hebræo, *retia faxorum fublimitas eius.* Et fanè retibus nihil inconftantius, faxeis munimentis nihil ftabilius effe poteft. Fundamenta faxea æterna funt; retia aquis innatant, fluctibus mouentur, rapiuntur, & alterantur. Qualis ergo ifta coniunctio tam inftabilis, & infirmo fundamento cum adeo forti, & durabili? Pulcherrima equidem coniunctio eft, nam virtutum ftudiofo viro perpetua eft fublimitas, & ftabilitas, fiue aquis, fiue faxis inambulet; vel labentes fluctus, vel ftabiles rupes æque extollunt, & æternant eum, qui virtutibus fit ornatus. Ifte in excelfis habitabit, munimenta faxorum fiue retia fuper aquas fluctuantia fublimitas eius. Pfalm.50. *Benignè fac Domine in voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Ierufalem.* Pfalm.50. Cum audis muros Ierufalem ædificari, nota, quid dicatur Iud.7. de caftris Madian: *Videbatur mihi quafi fubcinericius panis ex hordeo volui, & in caftra Madiam defcendere: cumque perueniffet ad tabernaculum, percuffit illud.* Expende, quod apud Ierofolymitanos fint muri, apud Madianitas tabernaculum; ibi tota ftabilitas, & firmitas; hic nihil firmum, nihil immutabile: nunquam enim firmitas non comitatur virtutem; & vitium nunquam non mutabilitas comitatur. D. Nilus in D.Nil. Afcet. ait: *Apte Scriptura dixit Madianitas habere tabernacula, muros verò Ierufalem. Omnia enim, quæ virtute circumdata funt, firma funt, ac munita. Quæ autem vitijs funt circumfepta, tabernaculi fpeciem habent.* Tota inftabilitas comes eft vitiorum, etiam fi rupes fubfint, fi faxea munimenta fupponantur, non poffunt, quæ vitiis nituntur, non elabi. E contra verò firmitas virtutum eft affecla, adeò vt nullo magis cernatur, qua fuerit quis virtute præditus, quam ex firmitate operum perfiftentiâ. Sic Dauidi promittit Dominus 2. Reg. 2.Reg.7. cap.7. *Et fidelis erit domus tua, & regnum tuum vfque in æternum ante faciem tuam, & thronus tuus erit firmus iugiter.* Quę verba fic ex Hebræo vertuntur: *In facie tua fedes tua dirigetur, vfque femper.* Qualiter fedes Dauid poterat æternum firmari in facie ipfius? Ipfe poft paucos annos moriturus erat, fedes longiffimos poft annos, immò poft multa fæcula ftabilis, & firma permanfura erat, qualiter ergo fedes Dauid permaneret in facie eius? Sanè dum fedes Dauid inter tam fluxas temporum viciffitudines fixa eft, & permanet, fic clare, & patenter hominis virtutes oftendit, quafi eiufdem faciem prætenderet. Quò fpectans Caiet. ibi Caiet. ait, *Facie enim cum cognofcatur homo, cognofcendus promittitur Dauid in duratione fedis regiæ, per hoc quod dicitur, in facie tua.* Non equidem ex facie tam euidenter cognofcitur homo, quis fit, & qualis fit, quam ex duratione, & permanentia operum eius. Cum videas temporum viciffitudines nihil poffe aduerfus hominem, cuius opera firma perfeuerant inter multitudinem labentium, tunc clarius, quam in facie,

hominis virtutes leges. Tunc quasi hominis facies tibi obiiciatur, sic eius virtus tibi perspicua erit. Nihil virtutis magis proprium, quam æterna duratio; nihil vitio magis naturale, quam ruina, quam perditio. Diues ille apud Luc. c. 12. aiebat intra se: Destruam horrea mea, & maiora faciam. Basil. Cui pulchrè D. Basil. ibi ait, *Isti ergo sanè dicerem, bene facis. Nam iniquitatis horrea procul dubio digna sunt, quæ diruantur. Euerte miser tuis ipse manibus, quod malè ædificasti.* Semper enim vitiositas ruinam in promptu habet.

Text. At ipse ait: Veni. Et descendens Petrus de nauicula ambulabat super aquas, vt veniret ad Iesum.

§. VIII.

Lex Christi suos leuat.

QVam grauis lex erat, quam leuis Christi gratia: Moysis manus grauissimæ, vix à duobus viris sustentantur: Christiani pedes super aquas leuantur: Moysi viam fecit mare in profundo, Petrus iter facit in aquarum summitatibus. Ambros. Benè id ponderat Ambros. epist. ad Horontianum, fatus: *Moyses in imo ambulauit mare, in summo Apostoli.* Felices, qui adhærent Christo, cuius non premuntur iugo, sed leuantur, Matth. 11. vt omnia supernarent. Matth. 11. *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* Cur onus leue? Quoniam Christianæ legis onus, non est onus, quod deprimat, sed onus, quod leuat, super Paulinus. omniáque facit tendere. Vnde D. Paulin. epist. 20. fatur. *Iugo tantum ipsius, quod est suaue, & oneri illius, quod est leue, colla subdamus, vt supra omne potestatis inimicæ iugum liberi in cœlestia subuehamur. Nam & ob hoc Domini nostri iugum suaue, & onus leue est, quia è terrenis nos, & inferis leuat, & in excelsa regni cœlestis attollit. Leuitas enim omnis allipeta est, & sursum versus vigore subtilitatis effertur.* Est equidem Christi iugum, siue onus leue, quia quidquid legis, quidquid præcepti nobis imponit, minimè nos submergi, deprimíque terrenorum cœno patitur, sed potius sursum facit leuitate, & vniuersis Psal. 16. rebus fluxis supernatare. Accinit Psal. 16. aiens. *Propter verba labiorum tuorum custodiui vias duras.* Fuerunt ô Iesu, leges tuæ, præcepta tua in causa, quod ego duras, & minimè terendas vias ambulassem. Ipsa ipsa præcepta tua me per vias difficiles ire fecerunt. Sed quomodo me ire fecerunt per vias difficiles? An, quia addiderunt difficultatem? Absit: sic enim potius reuocassent à via; sed quia addiderunt facilitatem. Sic Christi præcepta duritiem omnem leniuere, sic omnia reddidere leuia, & suauia, vt super ea leuis, & ex-Didym. peditus euolarem. Sic Didymus in Cat. Græca fatur, *Hoc asperum, & difficile, dum tuis decretis parui, rectè perfeci. Aspera enim virtutis est via; nam præcepit percutienti vnam maxillam, alteram esse porrigendam. Præcepto autem verbi tui omnia facilia, & leuia redduntur: propter quod illas vias ita æquabiles, & planas efficit, vt nihil amplius asperitatis habeant. Nam & Ioannes scribit: Præcepta eius grauia non sunt; & Iesus ait: Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* Qualis difficultas potest esse in via, per quam Iesus nos iubet ambulare? Venit à Iesu imperio & suauitas, & facilitas, qua sui nequeant omnibus impedimentis non supernatare. Felix ille, qui sese tanto parenti, tanto præceptori subdit, haud dubium quin inde tam subtilis tam leuis renascatur, vt alite pennatior huius mundi Matth. 23. fluctibus superferatur. Quò spectabat ipse Dominus Matth. 23. aiens: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina*, &c. Quemadmodum gallina sub alis suis congregat pullos, sic Dominus sub imperio suo, sub lege sua, sub præceptis suis nos omnes possidere amat. Et quid inde? Profectò, qui sub Christi lege agit; protinus renascitur pennatus, quasi auis, vt in altum euolet, & rebus omnibus mundialibus supernaret. Ad hæc D. Hilar. ait, *Huius familiaris, ac pene terrenæ auis more, congregare eos intra se voluit, vt qui conditione nascendi editi tam fuissent, nunc alterius generationis ortu, & calore consouentis renati, in cœleste regnum, tanquam pennatis corporibus euolarent.* Ea est vis Christiani imperij, vt quos sub se habet, sibique parentes retinet, eos sic renasci faciat pennatos, vt super humanarum rerum fluxus firmati, sursum euolare nitantur.

§. IX.

Solus Iesus siue in ascensu, siue in descensu suis adest.

DEscendit è naui Petrus, vt iret ad Iesum, quantumuis enim descendas, etiam si in omnium infimum venias locum, ibi inuenies Iesum, & habebis Iesum. Si descendero in infernum, ades. O bone Iesu, vbique te habeo, vbique te inuenio, & sursum, & deorsum simul ades. Ioan. 1 dicitur, Ioann. 1. quod visuri simus omnes, *Angelos ascendentes & descendentes super filium hominis.* Siue enim Angeli ascendant, siue descendant, vbique Iesus sua virtute adest, vbique Iesu cernuntur effectus, & assistentia eius gratiæ. Pulcrè D. August. August. ser. 41. de verbis Domini, ait: *Non diceret ascendentes ad filium hominis, nisi sursum esset: non diceret descendentes ad filium hominis, nisi deorsum esset. Ipse sursum, ipse deorsum. Sursum in se, deorsum in suis.* Siue sursum aspicias, siue deorsum vergas, Iesum potes ibi habere ducentem. Nemo sic sublimatur, qui non possit ibi stare de Iesu exemplo, & auxilio; qui cum in forma Dei esset, docuit homines, qualiter sublimitatum solia impeccabiliter possint obtinere, & possidere. Nemo sic deiectus est, & abiectus ad infimum vsque locum, qui etiam præcedentem sibi non habeat Iesum nouissimum virorum factum, opprobrium hominum, & populorum abiectionem. Achazo regi dicebat Isai. c. 6. *Pete tibi signum à Domino Deo* Isai. 6. *tuo, siue in profundum inferni, siue in excelsum suprà.* Habebat tunc temporis Achaz regium Dauidis solium, insuper habebat incredibilem timorem deiectionis ab exercitu Assyriorum iamiam eminente. Regale solium Achazum extollebat, hostium metus nimis deprimebat: & quantum illud dilatabat animus; tantum hic contrahebat, ducebátque in angustum. Eia ergo, ait propheta, pete incolumitatis tuæ signum spectare, siue sursum, siue deorsum vergas, siue ad cœlum vsque exalteris, siue ad infernum vsque descendas. Sed quale erit illud signum, quod vel ascendenti simul præsto sit; & in altis, & in imis inueniri possit ferens opem? Huiuscemodi signum in vtroque siue altitudinis, siue deiectionis impossibile reputans Achaz petere noluit, vt aduertit D. Ber. ser. 2. in Cant. sed quod in creaturis impossibile putat Bernard. Rex, in vno Iesu inueniendum ostendit Vates, dum ait, *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel*, &c. Ecce vobis signum, sursum simul, & deorsum; ecce vobis Deus homo Iesus, qui solus & in summis, & in imis inuenitur, vbique viam certam ostendens incolumitatis. Pulcrè D. Ambros. in Ambros. Psal. 117. ser. 8. ait, *Hoc est magnum signum, quod altitudinis, & profundi tentamenta destruxit. Dominus enim Iesus non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, neque, quæ sua sunt requisiuit, sed formam serui accepit, humiliauit se vsque ad mortem. Itaque neque elatus est potestate, neque mortis quadam deiectione turbatus. Hoc igitur signum proponitur regi, vt petat sibi remedium, per quod nec regiæ potestatis extolleretur supercilio, nec certè ærumnæ alicuius exceptione perturbaretur.* Vtrobique enim, siue regia puppi lætus sedeat, siue descendat ad imū maris, inueniret Iesum, qui solus & in altis, & in imis proponit suis vestigia in incolumitatem. De illo dicitur Cant. 2. *Ecce* Cant. 2. *iste venit saliens in montibus, & transiliens colles*: vt nulla altitudo, & nulla profunditas inueniatur, in qua vestigiis Saluatoris nostri non præueniamur. Quis enim vnquam in tam profundam vastitatem descendit, qui non se præuentū senserit descensu Saluatoris? Luc. 2. *Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Nazareth ad virginem*, &c. Descendit à Deo Gabriel ad domū virginis; quid plura? Et ipse Gabriel in descensu suo, à Saluatoris vestigiis se præuentum miratur: *Et ingressus Angelus ad eam ait: Aue Maria gratia plena, Dominus tecum.* Quid ais Angele, descendis nuntiare Dei aduentum & fateris adesse iam Dominum in Maria? Equidem nullius creaturæ descensus propter Deum dari potest, qui non præuentus à Iesu inueniatur. Hinc D. Bern. serm. 54. in Bernard. Cant. *Denique Dominus transilijt Gabrielem, & peruenit ad virginem, eodem Angelo testante, cum ait: Aue gratia plena, Dominus tecum. Quid? Quam modo reliquisti in cœlo, nunc in vtero reperis. Quo nam modo? Volauit, & prauolauit super pennas ventorum. Victus es, ô Archangele, transiliyt te, qui præmisit te.* Nec Angelus, nec homo sic se dimittere possunt ad ima, quos non præueniant Saluatoris vestigia, vt vel in imis habeam Iesum ducem, & exemplar deiectionis, & humilitatis.

§. X.

Ad Deum nulla securius via, quàm per descensum itur.

NOn possum non meminisse in præsenti duos Simones; alter Simon Petrus est, alter Simon Magus; ille, vt filij Dei consortium ineat, per descensum parat iter, descendit enim è nauicula, vt iret ad Iesum: iste, vt diuinitatis speciē effingat,

effingat, ascensionem sibi parat, qua Roma spectante cœlestia terat curricula. Quid plura? Ab alto decidit miser Ma-
Isid.Pelus. gus, & crura simul amisit, & vitam. De quo pulcre D. Isidor. Pelus. epist.13. fatur, *Ob id ex alto miser in mortem multorum ore celebratissimam ruit: vt ex vna ipsius ruina perspicuum omnibus fiat, quibus supplicijs digni sint, qui cœleste curriculum mentiuntur.* Qui in magnis ambulant, & in mirabilibus super se, qui solum ascensiones in corde suo meditantur, crebris casibus suam stultitiam ostendent castigatam; non enim per ascensus, sed per descensum, & humilitatem diuinitatis
Matth.25. consortium ostentatur. Matth.25. dicebat Iesus, *Quod fecistis vni ex minimis fratribus meis.* expende signa diuinæ germanitatis, nimirum, *vni ex minimis fratribus*; non enim diuinum genus ex magnalium flexuris, sed ex minimorum
Chrysost. humilitate claret. ibi D. Chrysost. ait: *Quid ais? Si fratres tui sunt, quomodo minimos eos appellas? Imo vero ideo fratres, quia humiles, quia abiecti.* Clarissimè ab humilitate claret genus diuinum; ille solus, qui humilis est, potest securè se Deo vocare, & esse propinquum. Qui cœlestia curricula, altitudinésque polorum sibi affingunt, Phaëtontis metuant casus, pauescant ruinas: at qui vsque ad infimum pusillitatis locum nouerunt descendere, ibique constitui, nil ve-
Cant.1. reantur, securissimam ad Deum terunt viam. Cant.1. *Cum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Expende, quæ audet accedere ad regium cubile, imò solium regale intrepida attingit, nimirum, nardus pusilla, nimirum humilitas; vbi enim sponsa se deiecit, & sicut stipula herbæ fit, nil veretur, nil timet, mediis regiis exercitibus secura
Bernard. graditur, vsque ad ipsius regis cubile. Vnde D. Bernard. serm.42. in Cant. *Regem nominat, & in alto habitare fatetur, nec sic tamen diffidit humilitas. Nam quid est aliud, nardus mea dedit odorem suum, quam placuit mea humilitas? Non mea sapientia, non mea nobilitas, non mea pulchritudo, sed quæ sola inerat humilitas dedit odorem suum.* Sola humilitas potest secura peruenire ad regem; & maluit regem dicere, quam sponsum, quia humilitas non tam nuptias, quam necessitudines præsefert diuinas, vt sit regis filia.

§. XI.

Non qui cadit ab alto, sed qui nouit descendere, is felix in Christo.

Descendit Petrus à naui; & qui sedebat in puppi, clauum nauis tenens voluit descendere, vt fruatur Christo. Et quidem sic descendentes ab altis excipit Christus; cadentibus autem à sede vna manet irreparabilis ruina. Huc referrem laudes præcipuas, quibus Luciferum quendam Episcopum insignem virum, qui se ad humilitatem Chri-
Cellens. stianam voluntarius demiserat, prosequutus est Cellens. Abb.lib.7.epist.17. inquiens, *Quis gloriam illam, quam potestatem, quis dominationem, quam veram omnium opulentiam, quis erogationes, & donationes tam largas, tam innumeras enarrare sufficiat? Iam Lucifer ille, qui mane oriebatur, qui inter astra Dei, solium gloriæ, & Archiepiscopatus tenuerat, non sicut fulgur de cœlo cecidit, sed sicut filius hominis semetipsum exinaniuit, formam pauperis assumpsit, Principis mundi exuuias reiecit.* Elegantibus exemplis attigit differentiam illius, qui à sede descendit voluntarius in filij hominis descensu, & in Angeli casu. Filius hominis descendit à regalibus sedibus, & in mundum venit, formam serui assumens, quo descensu, & sibi, & suis ingentes glorias comparauit. Verum Angelus, non ipse descendit, sed deiectus est, sed cecidit sicut fulgur; quippè fulguris ignita materies, vt violenter cadit, sic casu suo innumera trahit mala, quæcumque offendit, perdit, & tandem ipsa terræ sepulta ibi æternum manet. Sic ex mundialibus Principibus, qui ad imitationem filij hominis descendunt, & mundialium culminum exuuias nouerunt voluntarij reiicere, ingentes sibi glorias acquirunt. Verum, qui non descendit, sed à sede deponitur, & reiicitur quot damna secum trahit? Quot amicos, & familiares, & domesticos, & propinquos, & adiunctos in perditionem secum rapit? Vt fulgur est, qui cadit, dum omnes perdit, & sibi æternam iacturam parit. Quis ex illis, qui a mundiali culmine cecidit, aliud inuenit, quam iacturam æternam?
Matth.4 Matth.4. aiebat Princeps mundi huius: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Impossibilia proponit adoratoribus suis, & quod cadant, & quod bonis omnibus potiantur. O stulte tentator, In hoc verum dicis, quod tui adoratores cadunt, sed falsissimum est, quod cadentes rerum potiantur, quandoquidem, qui à culmine mundiali cadit, nil aliud, quam mortem, quam iacturam potest sperare. Pulchrè D. Iren.lib.5. fatur, *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. Ipse confitetur, quoniam adorare eum, cadere est à gloria Dei. Et quid aut suaue, aut boni participare potest, qui cecidit? Aut quid aliud expectare potest, qui talis est, nisi mortem? Etenim, qui cecidit, proxima mors est.* Sanè illum, qui à culmine cecidit, vna mors expectat, nil mundialium bonorum illi manet.

Text. Videns verò ventum validum, timuit: & cùm cœpisset mergi, clamauit dicens: Domine saluum me fac. Et continuò Iesus extendens manum, apprehendit eum, & ait illi: Modicæ fidei, quare dubitasti.

§. XII.

Nouitij virtutis cultores aliquo modo ad difficultates cæcutiant.

Et ventus erat, & mare feruebat, hoc tamen Petrus minimè curans, solum Iesum expectans, sese mari commisit. quid religiosius? An paucis factis gradibus venti furorem aspiciens totus pauidus penè peribat. Quam pulchrè monebat Eccles.c.11. *Qui obseruat ventum, non seminat: & qui considerat nubes, nunquam metet.* Non omnes difficultates examinandæ, & sigillatim perpendendæ, imò expauescendæ sunt, imò ad pleraſque cæcutias, quisquis magnam virtutum, facinorúmque desideras messem. Fortissimum Imperatorem docebat Ausonius: Eccl.11.

Auson.

Insanum quamuis hyemet mare; crudaque tellus
Seminibus; bello nec satis apta manus.
Nil dubites auctore bono. Mortalia quærunt
Consilium, certus iussa capesse Dei.

Quem difficultates obiectæ oculis non prosternunt, vel non saltem labare faciunt? Quos bonus Deus amat, aliquo modo obcæcat, ne visis difficultatibus, moram in virtutum curriculis faciant. Is erat, qui Apoc.1. *Habebat in dextera sua stellas septem: & de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat: & facies eius sicut Sol lucet in virtute sua.* Vbi Sol lucet in facie, cur stellæ in dextera parantur? Stellæ noctis sunt alumnæ, Sol dies facit; cur ergo Sol sese in facie extollit, & relinquuntur stellæ noctis alumnæ præ manibus? In gladio ab ore prodeunte tota est sita ratio, eleuat enim se iustitiæ Sol, radiósque contrahit, noctémque prætendit, ne gladius nimis appareat, ne rigida, strictáque præcepta nimis à tyronibus aspiciantur. Ad hunc Dei morem respicit D. Cyril. Ierosol.catech.9. fatus, *Aspice autem cursum Solis. Imò potius non ipsius, sed illius, qui cursum illi per mandatum definiuit. Quomodo altior quidem æstate dies efficit longiores, dans ad labores hominum opportunitatem. Hyeme verò contrahit cursum, vt frigoris tempus longius non videatur.* Vbi frigoris vis sæuit; lux contrahitur, ne rigor adeò pateat, & videatur, sic homines dum illos minus vident, auidius arripiunt labores, & ebibunt difficultates. Exod.13. *Cum emisisset Pharao populum, non eduxit eos Dominus per viam terræ Philisthim, quæ vicina est, reputans, ne fortè pœniteret eum, si vidisset aduersus se bella consurgere, & reuerteretur in Aegyptum.* Quibus expendenda est Ruperti notatio, quod Philisthini seruabantur, vt crudelissimi Israëlitarum hostes, qui Israëlitas vehementissimè vexaturi erant, vt ex libris Iudicum, & Regum scire poteris; quãdo enim Israël cum Philisthinis non habuit certamina, ab illisque dura passus est? Quo posito vide summam Dei prouidentiam, quo cauit, ne tyrones sui educti ab Ægypto viderent Philisthinorum bella: ne inde timorem, & pusillanimitatem caperent. Fallitur enim qui continuo respicit ad difficultates, qui mala imminentia multum considerat, is non longè abest à casu. Quem non frãgat horribilium aspectus? Qui ergo stare cupit, ad mala cæcutiat, & bona sibi obtinenda prospiciat, necessum est. Nónne vnus Philistæus Goliath vniuersos Israëlitas confringebat, & Saulem ipsum metu atterebat? Sed & vnus puer Dauid audet cum illo manus conserere. Vnde Saul cum exercitu suo prosternitur metu, & Dauid solus impauidus stat. Equidem Saul considerabat, & ponderabat hostis immanitatem, vires, & corporis magnitudinem, quam habebat; ait enim 1.Reg.17. ad illum respiciens: *Hic est vir bellator ab adolescentia sua.* Verum Dauid potius considerabat, quod non habeat hostis, aiens: *Leonem, & vrsum interfeci ego: erit igitur Philisthæus hic circumcisus, quasi vnus ex his?* Ideò Dauid impauidus, & securus, quia nõ ad vires hostis, sed ad defectus respiciebat, ideò Apoc.1.
Cyrill.
Exod.13.
1.Reg.17.

Saul

Saul cum exercitu suo pauidus, quia solum in hostis immanitate figebat obtutus. [Basil. Sel.] Pro quo eleganter D. Basil. Seleuc. orat. 16. ait, *Hostilis aspectus Israelitas vel armatos de statione deturbat.* Quasi inde vel armati cadant, quod vires quas habet hostis, nimis aspiciant, & inde inermis puer, vt Dauid possit impauidus ire in certamina, quod oculos non in difficultatibus, sed in defectibus hostis, & in suis auxiliis statuat. [Genes. 49.] Gen. 49. *Catulus leonis Iuda: ad quod prædam fili mi ascendisti; requiescens accubuisti vt leo, & quasi leæna.* Cur quasi leæna? An non satis laudata fortitudo illius, qui leoni comparatur; cur præterea dicitur, vt leæna? Leæna infirmior est leone; nimis enim pauet & strictos, & fulgentes gladios; verum cum pro catulis pugnat, oculos ad terram dimittit, ne videat fulgentes gladios, & sic impauidior agit. Felix qui de leænæ more oculos claudit, ne videat metus, is fortis stabit.

§. XIII.

Animarum negotium periculosum.

ECce tibi, qui in animarum negotiis Princeps est, quoties labat, quoties fluctuat; securiorem terunt viam, qui otio contemplationis insistunt. Id in Petro, & Ioanne erit manifestum. Petrus enim nobilis animarum mercator super fluctuantes maris vndas graditur, Ioannes quietis contemplationis cupidus super pectus Iesu recumbit, hic dormit securus, ille clamat de periculo, quod in vtroque [Origen.] meditatus Orig. hom. 2. in diuers. ait, *Petrus in forma actionis, & fides ponitur: Ioannes autem contemplationis, atque scientiæ typum imitatur. Vnus siquidem recumbebat supra pectus Domini, quod est contemplationis Sacramentum: alter sæpe titubabat, quasi trepidæ actionis symbolum.* Quis vnquam se actiuæ commisit, sese animarum negotiis tradidit, qui non titubarit, imò sæpius fuerit lapsus? [Leo.] Meritò D. Leo ser. 4. de Quadr. ait, *Dum per varias actiones vitæ huius solicitudo distenditur, necesse est de mundano puluere etiam religiosa corda sordescere.* Numquam [Cant. 1.] non verum illud sponsæ Cant. 1. *Posuerunt me custodes in vineis, vineam meam non custodiui:* eo enim ipso, quod de aliorum custodia tractes, vix id fieri potest, quin in te ipso ho- [Prou. 6.] stiles patiaris incursus. Vnde Prou. 6. ad animarum curatores dicitur: *Fili mi si spoponderis pro amico tuo: defixisti apud extraneum manum tuam, & illaqueatus es verbis oris tui, & captus es propriis sermonibus.* Expende illud spoponderis; pulcherrimè enim animarum curatores comparantur sponsoribus, vt explicentur rei pericula, & discrimina. Quis enim sine ingenii iactura spopondit pro amico? Adi forum, & inter litigantium frequentias, nil frequentius auditur, quam sponsionum pericula & sponsoris suspiria. Pari ergo in discrimine sunt, & sponsor, & qui animarum negotia tractat, [Gregor.] vt dicat D. Gregor. Pap. 3. Pastor. cap. 5. *spondere pro amico est alienam animam in periculo suæ conuersationis accipere.* A quo periculo ille liberabitur, qui fecerit diuinum monitum, [Prou. 6.] quod Prou. 6. innuitur, *Fac ergo, quod dico fili mi, & temetipsum libera, quia incidisti in manum proximi tui, discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, neque dormitent palpebræ tuæ.* Et quis sic vnquam vigilabit? Sanè summis vigiliis opus habet, qui aliis iuuandis incumbit, cuius solicitudo penes aliorum salutem versatur. De anima- [Apoc. 4.] libus sacris, quæ plena oculis ante, & retro apparent Apoc. 4. insuper illud additur, quod *& intus plena sunt oculis.* Cur intus oculi? Vbi tot sunt exterius oculi, qui videant pericula, & proximorum necessitates, ad quid etiam intrinsecus oculi esse notantur? Quippe qui animarum curam suscipiunt, multum debent vigilare; nec sufficit pro aliis vigilias agere, sed & simul proximorum saluti prospiciant, & sui ipsorum custodias agãt: nunquam sic figant oculos in alios, quin simul totidem in se reflectant, ne inermi pedes pericula incurrant, dum externi proximis operam nauant.

§. XIV.

Citius Deus adest illi, qui inter pugnandum victus est.

QVam præsto Domini manus Petro affuit; vix summergendus clamat, & ecce tibi Christi manus, & correctio infidelitatis; ait enim: *Continuo extendit manum Iesus, apprehendit eum: & ait illi; Modicæ fidei quare dubitasti?* Si corripis infidelem, aut tam cito præbes manum clamanti, cur, qui ob infidelitatem labitur, iam citum experitur auxilium diuinæ manus? Equidem ibi cecidit Petrus, vbi alij minimè vellent intrare. Dum se propter Iesum fluctibus committit, dum tempestati, rapidisque ventis obluctatur, tunc cecidit; nec miror, quod illicitum Dei auxilium accidat, quod præsto esse solet his, qui inter præliandum fuerunt vulnerati. Audisti sæpius Dauidis adulterium imò & inde ortum homicidium, & quod sub tantis criminibus Dauid nullam resipiscendi curam habuit. Quid tunc Deus? Siuit ne illum indurari in malitia? Siuit ne quod funditus in perditionis caderet barathrum? Absit: imò, vt occasionem subueniendi inueniret, 2. Reg. 12. *Misit Dominus Nathan ad Dauid, & venit ad eum, & dixit ei, Responde mihi iudicium,* &c. [2. Reg. 12.] Cur Dominus seuerissimus vltor iniquitatum cum sit, sic Dauidis prospicit saluti, quando ipse nihil eam facit? Cur occasiones quærit subueniendi illi, qui immemor omnino est auxilij postulandi? Vide sceleris tempus non otiose notatum 2. Reg. 11. vbi sic: *Eo tempore, quo solent reges ad bella procedere, misit Dauid Ioab, & seruos suos cum eo, & vniuersum Israël, & vastauerunt filios Ammon, & obsederunt Rabba: dum hæc agerentur accidit, vt surgeret Dauid de stratu suo post meridiem, & deambularet in solario domus regiæ, viditque mulierem,* &c. Itaque dum de more Rex Dauid bella instaurat, dum Dei hostes persequitur; dum nulli sumptui parcit, vt idololatræ Ammonitæ extirpentur; dum anxiè curat idololatriam eradicare, noménque Dei sui illustrare; dum hæc omnia agerentur à Dauide, accidit, vt à peregrino voluntatis hospite feriretur; & ideo Deus citius illi subuenire parat. Accipite D. Basil. Sel. orat. 17. sic ex Dei [Basil.] ore fantem ad Nathan, cum ad Dauid mitteretur. *Ne verearis dignitatem regiam, seruum meum noui, noui bellatorem meum, qui inimico terga non dedit, sed depræliatus vulneratus est. Non est ab euentu mente alienatus, nec ea res hominis propositum immutauit; astu, non vi prostratus est. Optimè se gerens, non fugitans ictus est.* Non omnium est sine vulnere vitam ducere; & ille, qui suo muneri incumbens, optiméque se gerens labitur, & feritur, promptiori Dei misericordia dignus est. Et huic Deus promptissimè accurrit, illique manum porrigit, qua à lapsibus erigatur. Non possum non transcribere in præsenti verba Bachiar. epist. ad Ianuarium, vbi de pec- [Bachiar.] catore facile recipiendo sic fatur. *Require primum vtrum iste, qui cecidit, in pugna inuentus, an in domo fuerit vulneratus, quia plus misericordiæ meretur, quem in certamine hostis percusserit, quam ille, quem dormientem latro confoderit.* Equidem quomodò misericordia non præsto erit ei, qui dum viriliter certat, dum omnia sui muneris implet, dum pedem figit aduersus inertiam vulneratus est? Qui imperator non citius medicam manum porrigit militi, qui dum hostes insectatur, labitur in lubrico solo, & ibi vulnus accipit? Virginibus fatuis non miror negatam fuisse sponsi manum, de quibus dicit Matth. 25. *Dormitauerunt omnes, & dormierunt.* non item mi- [Matth. 25.] ror, quod viri diuitiarum pereant, *qui dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt in manibus suis.* vel vt ex Hebræo, *non inuenerunt manus suas.* Qui enim sic se inerti somno tradit, iustum est, vt nec suas nec Iesu manus inueniat, quibus possit salutem recipere. Verum qui inter furentes tempestates mundi vigilat, fluctibus obsistit, hostiles classes persequitur, is etsi aliquod vulnus patiatur, accurrentes Iesu manus habebit. Imò, vt aliquid amplius ex D. Bernard. suggeram, lapsus sic dimicantium aliquo modo gratiores videntur, quam nentium victoriæ. Quippe Eccles. 24. *Melior est iniquitas viri, quàm mulier benefaciens.* [Eccles. 24.] In muliere cogita virtutis studiosos, qui mundi pericula cauentes, vt sibi viuant penitus à mundi tumultibus, & laqueis separantur. In viro, intellige strenuos Christi milites, qui vt animas lucrentur, & tenebrarum Principes ab Ecclesia Dei fugent, mediis fluctibus se committunt, & ibi promptiores inueniuntur, vbi magis vident furere tempestates, & hostilia tela vibrari. Hi etsi vulnera inter dimicandum accipiant: maiores tamen suscipiuntur ad palmas. Vnde D. Bern. ser. 12. in Cant. sic suos contemplatiuos de horum militum lapidibus murmurantes pungit. *Temerariè obiurgat virum de prælio reuertentem mulier nens in domo. Dico enim: Si quis de claustro eum, qui versatur in populo, interdum minus districtè, minusve circumspectè sese agere deprehenderit, non ad iudicandum consilium prosiliat, sed meminerit scriptum: Melior est iniquitas viri, quam benefaciens mulier. Nam tu quidem in tui custodia vigilans benefacis, sed qui iuuat multos, & melius facit, & virilius. Quod si implere non sufficit absque aliqua iniquitate, hoc est, absque aliqua inæqualitate vitæ, & conuersationis suæ, memento, quia charitas operit multitudinem peccatorum.* Sic ille, & quidem quando vehementiores conflictus obsistentis viri clariora non faciunt vulnera, & promiori miseratione digna?

Text. Et cùm ascendissent in nauiculam, cessauit ventus. Qui autem in nauicula erant, venerunt, & adorauerunt eum, dicentes: Verè filius Dei es.

§. XV.

Manus diuina semel extenta nescit contrahi, donec in tuto asserat.

EXtendit Iesus manus, vt Petrum à submersione liberet, & inter fluctus titubantem firmaret; nec firmato iam Petro inter fluctus contrahitur manus diuina, sed eidem adest, vt faciat ascendere in nauiculam. Etenim manus Dei cessare nescit, vbi semel incepit beneficia diffundere: quam
Philo. diuinitatis notionem ponit Philo Iudæus lib. de plantatione Noë, vbi docet, quòd Deus est, *non qui aliquando largitur, aliquando non, sed semper, & continuè: qui sine intermissione benefacit, qui dona donis cumulando continuat: cuius gratiæ inter se coniunctæ, ac vnitæ semper in orbem redeunt: qui nullam occasionem benefaciendi sinit præterfluere.* Inde Deus internoscitur, si dona donis cumulando continuat, si nescit in donando cessare; si manum semel extentam effundendis muneribus, sic semper habeat, donec homo ascendat
Genes. 19. in tutum. Genes. 19. Loth Angelicis manibus à Sodomis eductus, & petiit, & impetrauit à Deo securam Segor habitationem, cumque ibi parum commoraretur, dicitur de illo. *Ascenditque Loth de Segor, & mansit in monte.* Cur in obtento Segor oppido non mansit? Cur inde ascendit in montem? Vnde sciuit, quod exiens inde posset securè ad montem vsque venire? Nouerat manum diuinam, qua muneratus à Sodomis exierat, & Segor acceperat; nec putat posse fieri, vt ibi cesset, quæ sic cœperat munera effundere manus diuina, donec ipsa in summo montis asylo constituat. Et merito prudentissimus vir ex primo Dei munere
Chrysost. audet sibi promittere & secundum. Eleganter Chrysostom. homil. 6. de humilit. Christiana, inquit. *Ex hoc autem munere Dei, quo paruæ ciuitatis habitaculum meruerat à Domino, assumens audaciam ascendit in montem.* Non dubitat de Dei largitate, vt ascendat in montis asylum, qui expertus fuerat Dei munera, vt à Sodomis egrederetur, & in Segor habitaculum figeret. Numquam enim, qui vel pusillum à Deo accipit, cessat accipere, vsque dum salutis culmen
Luc. 22. accipiat. Sic monebat Dominus suos, Luc. 22. *Nolite timere pusillus grex, quoniam complacuit patri vestro dare vobis regnum.* Pusillum vocat, & nihilominus à timore alienum esse iubet; sed cur non timeat pusillus præcipuè inter maximos hostes constitutus? Equidem non est, cur timeat pusillus grex Christi, qui enim, vel pusillum à Deo accipit, iam pignus habet, quo numquam non parata sibi habeat Dei munera, vsque dum integram regni societatem & securitatem
Chrysol. recipiat. Acute Chrysolog. ser. 22. *Pusillus grex est, qui non de magno minuitur, sed crescit de pusillo: pusillus grex nascentis Ecclesiæ sic designat infantiam, quam venire ad regni sui infulas incrementis cœlestibus mox promittit. Sic sic dat, cui deficere census, cui regnum minui, vacuari potestas non potest largiendo.* Expendo illud, nimirum, *sed crescit de pusillo*, quippe vbi vel pusillum à Deo accipis, semper in muneribus accipiendis crescis, vsque dum accipias pacatissimum regnum. Is enim est Deus, qui nesciat cessare largiendo, adeò vt inde col-
Irenæus. ligat D. Irenæus iustorum corpora in vitam æternam resurrectura, quod Deus nesciat cessare, donec ad perfectum deducat. Ait enim lib. 2. cap. 52. *Mortalia corpora nostra custodientia iustitiam resuscitans Deus, incorrupta, & immortalia faciet. Deus enim melior est, quam natura habens apud semetipsum velle, quoniam bonus est, & posse, quoniam potens est, & perficere, quoniam diues, & perfectus est.* Sic dat, qui diues est, cui deficere census non potest, qui ex eo agnoscitur, quod semel muneribus largiendis extensam manum nesciat contrahere.

§. XVI.

Dei filius potius ex factis claret.

NOn multus est in verbis Dominus, sed tantum manum porrigit, vt Petrum saluet, & omnes clamant; *Verè filius Dei es.* Quibus id argumentis asserunt? Sanè manifestissimè patet Dei filius, si vel exerat manum, & salutem faciat. Cum sermonem faceret Iesus de iudicij die, negat ad se pertinere notitiam illius diei: ait enim, quod de illo *neque filius hominis scit.* Sed cur ad Iesu claritatem non magis pertineret, quod diceret se etiam scire diem illum? Nónne ipse est filius Dei, omnia à Patre suo accipiens, quibus se eius asserat, & ostendat filium? Cur non etiam voluit ostendere se accepisse notitiam diei illius? Equidem filius Dei non tam ostenditur promissis de futuro, quam factis exhibitis, & qui facta præsentia habebat, non curat ostendere notitiam de futuris. Do D. Hilar. Canone 26. in Matth. Hilar.
fantem. *Quia ad nos omnia à Patre accepta deueheret, Deique verbum non tam futuri in se fidem contineat, quam facti, ideò extra diffinitionem dies posita est.* Non tã futuri fides, quam facti exhibitio manifestat Dei filium. Et vbi præsentia facta instant, non est cur Dei verbum ad promissiones futurorum recurrat, vt suæ magnitudinis faciat fidem. Similiter Ioan. 11. de Lazaro infirmante, imò mortuo loquutus, ait Iesus: *Lazarus amicus noster dormit, vado, vt à somno excitem eum.* Et, discipulis non intelligentibus, addidit, *Lazarus mortuus est:* vbi dormientem proponit amicum, promittit se ire ad excitandum eum; vbi mortuum dicit, nihil amplius addit, non enim gaudet filius Dei promissionibus futurorum, vbi
insignia facta potest elicere. Accinit D. Basil. Sel. orat. 40. Basil. Sel.
inquiens. *Cum dicebat, dormit, addidit: Vade, vt à somno excitem eum; cum verò dixit, mortuus est, non id adiecit: vado, vt suscitem eum. Quæ enim recomprobaturus erat, verbis ante dicere noluit, docens nihil simpliciter oportere promitti.* Conueniant huc blaterones, seminiuerbij, & discant, quam dedecet Dei filium multa promittere de futuro, cum faciant nihil; ille verè filius Dei est, & ostenditur, qui largus in operibus est, qui nihil committit verbis, vbi opus instat,
& operis occasio frontem monstrare incipit. Luc. 19. exce- *Luc. 19.*
ptus Iesus à Zachæo, ait. *Hodie salus huic domui facta est.* Non dicit se facturum, vt salua domus fiat, sed prius facit, &
opus ostendit. Ambros. lib. 11. de Abel, c. 8. *Festinauit Dominus* Ambros.
ad beneficium, & ideò non expectauit, vt promitteret, & impleret omnia, sed ante fecit, postea declarauit; dixit enim, facta est salus: quod præuenienti seruit, non promittenti. A promissis abstinet, cum instat tempus faciendi. Non tam verbis, quam
factis sese filius Dei oculis mortalibus insinuat. Luc. 2. *Luc. 2.*
aiunt pastores. *Transeamus vsque Bethleem, & videamus hoc verbum, quod factum est, quod fecit Dominus, & ostendit nobis. Et*
venerunt festinantes. Quæ verba sic expendit D. Bernard. Bernard.
serm. 22. in Cant. *Ante non se mouebant, dum verbum erat tantum apud Deum. At vbi verbum, quod erat, factum est, vbi hoc Dominus fecit, & ostendit, tunc venerunt festinantes, tunc cucurrerunt.* Tunc ad manifestum Dei verbũ euolant homines, cum illud factum intelligunt; nullo enim sic patet hominibus Dei filius, quam vbi de factis commendatur eius præsentia.

CAPVT VII.

De eiectis à templo negotiatoribus.

BIs Dominus templi limina terit, & mensas nummulariorum, cathedrásque vendentium ibi conterit; nundinatores vapulant, prophana lucra perduntur, & frendenti flagello nemo obmurmurat. O mira Dei virtus! Sanat cunctos. Pharisæi oblatrant: flagellanti, imò perdenti lucra omnes taciti subiiciuntur, nec audent suspiria dare flagris. Diuinitas adeò conspicua non latuit cæcos, quorum aliqui, vt notat Matth. post vendentium plagas, petunt, & accipiunt oculos; compressa enim benignitas in flagellis, non potuit non erumpere, & suis beneficiis egentes cumulare.

Ioann. 2. Et propè erat Pascha Iudæorum, & ascendit Iesus Ierosolymam.

§. I.

Mundialia gaudia fastidium, immò nauseam creant.

HAud malè Origenes Iudæorum pascha dictum putat, vt à Domini paschate, quod spirituale festum est, carnalia Iudæorum festa discerneret. Quid sapiunt Iudæi non carnale? Non mundanum? Pro quo aptè ipsa textus verba sic cõposuit, vt diceret: *& prope erat Pascha dies festus Iudæorum.* Notanter de carnalibus festis solũ dicitur dies; ea enim

sunt

sunt gaudia, & festa carnis, quod sine ingenti nausea, & fastidio extendi nequeant vltra diem. Iosue 10. cum nobilis dux hostes fugientes persequeretur, deficiebat iam dies; & Iosue 10. adhuc pauci hostes superstites erant, tunc Iosue ait: *Sol, ne mouearis contra Gabaon*, &c. *steteruntque Sol, & Luna donec vlcisceretur se gens de inimicis suis.* Sed scire copis, cur Iosue sic curauit vnico die victoriam suam claudere? Nónne posset illo die de inimicorum confracto exercitu triumphare, & sequenti die de reliquiis residuus alium triumphũ agere? Nónne iucundior & gratior veniret duplex victoria, in duplicem diem dilata? Absit: nulla enim est mundialis lætitia, nullus triumphus, qui vltra diem vnum sustineri valeat. Basil. Sel. Pulcrè D. Basil. Seleuc. orat. 31. *Sol rursum lentare doctus victoriam illis præcipiti cursu conficiebat; diurna spatia producebat, vt vno ipso die pugnantibus trophæum pararet. Producebat cursum, vt victoriæ tempus corriperet, aut potius extrahebat tempus, vt ne diuturniore victoria fatigatis molestiam crearet.* Mundialis omnis lætitia vltra diem dilata non potest non ingentem molestiam creare. Manna cœlestis & in diem colligebatur, & si vltra diem manebat, in vermes conuertebatur. Sic quidquid dulce, quidquid suaue, quidquid gloriosum in mundo est, si vltra diem producitur, nauseam, & fastidia generat importabilia: vermes producit, quibus mortalium viscera corroduntur. Psal. 24. David Psal. 24. gaudia præteriti adulterij commiscens fatur. *Propter nomen tuum Domine, propitiaberis peccato meo; multum est enim.* Non multa fuit duratio nefarij gaudij; se quia vltra diem dilata est, eox vermes gignit, ea August. fastidia creat, vt nihil David magis expaueat. Vnde D. August. lib. de vera, & falsa Pœnit. ait. *Non quia multum erat, sed quia id David multum putabat, sicut qui iam inde satur erat, & fastidiosus.* Sunt omnia mundialia gaudia ad instar puncti, etsi amplius durant nil nouerunt, nisi grauissimas repletio- Tertull. nes, & fastidia causare. Talem depingit Tertull. Adamum post pomi gustum, molestas repletiones, & fastidia ructantem. Etenim ait lib. aduersus Gnosticos: *Abstinentiam rupit, edit illicitum, & transgressione saturatus in mortem eructauit.* Ecce tibi, quam cito mundialia gaudia exsaturant, & fastidia generant lethalia. Ex nescio quo Psalm loco audiui translationem minimè illepidam in rem præsentem, qua David visus est metitus fuisse durationem gaudiorum mundialium, fatus: *Cantus meus sicut cantus cicadæ.* Et quidem & cantus, & vita cicadæ vno die clauditur. vt sic etiam vnico die claudantur mundialia gaudia: de quibus eleganter D. Ambros. Ambros. lib. 1. epist. 6. ait *Verè sicut cicadæ, quia de die in diem viuunt, quasi suo cumpuntur suo.* Instar cicadæ sunt omnia mundi gaudia, quæ non vltra diem protrahuntur; & sic ingentes molestias, imò mortes pariunt.

Text. Et inuenit in templo vendentes oues, & boues, & columbas, & nummularios sedentes.

§. II.

Vbi peccata familiaria fiunt præstantioribus viris, maximè fugienda.

QVæ in foro, & in ciuitatis competis auaritiæ sedes esse solebat; ecce tibi figitur in Dei templo, & nullus locus adeò sacer inuenitur, quem hoc crimen non penetret. Ideò ne minus timenda auaritiæ rabies, quia in templis, quia in præstantioribus viris inuenitur? Absit: imò ex tunc maiori cura fugienda. Cum rapidus fluminis impetus extra sui aluei ripas exundat, & per insueta loca viam arripit, nónne magis timetur? Nónne maiori cura eius exundatio fugitur? Sic peccata, quæ inter sordentes, imò inter exulantes prædones, apud speluncas, & lucorum condensa sedem habebant, vbi ad primos viros accedunt, intérque sacratiores, & nobiliores ordines visuntur, maximè Hebr. 11. fugienda. Ad Hebr. cap. 11. ait Paulus. *Quibus dignus non erat mundus in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cauernis terræ.* Rapacitas, & auaritia, & inhumanitas errabat in solitudine per speluncas, & cauernas terræ; modo sanctissimi viri apud speluncas, apud cauernas terræ errantes audio. Quæ rei causa? Vbi auaritia ad templum peruenit, & relicto alueo, vsque ad primores vrbis exundauit, sic eius impetus timetur à prudentibus viris, vt fugam arripiant, cauernísque sese montium abdant. Id quod Nilus. pulcrè attigit D. Nilus in Asceticо, fatus *Mansuefacta hominum vitia, & rerum alienarum exundationes, quæ in ciuitatibus sunt, fugientes, in solitudinibus errabant, ne ipsi quoque earum vi,* tanquam torrentis impetu in promiscuam populi confusionem raperentur. Duo notanda proponuntur hic à Nilo, quæ fugant viros pios à ciuitatibus: alterum est illud, *mansuefacta hominum vitia*: quippe antea vitia, vt verè fera, & rapida sic odiosa erant, & timenda ciuitatibus, vt compellerentur in speluncis, & cauernis montium exulare: modo verò sic mansuefacta sunt, vt instar mansuefactarum belluarum in vrbium compitis, immò in nobilium, & præsulum, & regum penetralibus visantur. Quis non sibi ab his omnibus caueat? Nónne turbaris, & caues, vbi in principum liminibus vides Leonem, etsi mansuefactum? Sed alterum Nili verbum expendendum magis; nimirum illud *rerum alienarum exundationes.* Bonus Nilus non potuit non timendum proponere exundationum impetum. Et quidem cum flumina extra alueum exundant, nec vetustissimæ quercus vsque ad inferos radicatæ, nec altæ turres, nec ingentia saxa obsistere fluctuum impetibus possunt, sed vi aquarum voluuntur, rapiuntur. Sic vitia vniuersa, sic auaritia, vbi per nobilium domos, per præsulum, per sacerdotum errant penetralia, extra alueum feruntur, & instar exundationum impetus, fugienda nobis maximè sunt, ne tanti torrentis impetu rapiamur. Huc etiam spectat illud apud Matth. c. 25. *Cum* Matth. 25. *videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto. Tunc, qui in Iudæa sunt, fugiant in montes.* Quasi nullus verus Iudæus, verus fidelis, & pius confessor possit obsistere impetui abominationum vsque ad loca sancta, & illustria exundantium. Etenim vbi vitiorum abominatio attingit religionis, & nobilitatis apices, quis pusillus non timeat rapi exundantis torrentis impetu, nisi se fugæ tradat? Prudenter Moyses aiebat Pharaoni Exod. 8. *Abominationes Ægyptiorum im-* Exod. 8. *molabimus Domino Deo nostro. Quod si mactauerimus ea, quæ colunt Ægyptij, coram eis lapidibus nos obruent: viam trium dierum pergemus in solitudinem*, &c. Siue hic de pecoribus fiat sermo, siue de vitiis vt Rupert. mauult, prudentissime ostendit Moyses necessitatem confugiendi ad solitudinem ex eo, quod Israëlitæ perdituri erant ea, quæ apud Ægyptiorum vrbes erant in honore, & cultu. Vbi enim dominorum suorum, & aras, & templa, & regias arces tenebant abominandæ reculæ. nimirum, ouis, hædus, auis, vel auaritia, iniustitia, luxuries; qui seruulus, & captiuus homo auderet illa abiicere, & iugulare, nisi via trium dierum ad minus fugeret à frequentia ciuitatum, & in montium cauernis sese abderet?

Text. Et cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo; oues quoque, & boues, & nummulariorum effudit æs, & mensas subuertit.

§. III.

Prælatorum, Principúmque correctio vni Deo reseruanda, qui solus eos castigabit.

IN his templi mercatibus, Sacerdotum crimina innuũtur, quæ vt puniat Dominus, non discipulorum circunstantium vtitur auxilio, sed ipse solus flagellum arripuit, durúmque intulit supplicium. Qua id mente factum est? Ne quis putet licere sibi in Prælatos & præsules insurgere, sed horum castigationem vni Deo fuisse permissam. Ita Euche- Eucher. rius lib. 2. in lib. Reg. inquiens. *Qui rectores habent iudicem suum, magna cautela subditorum est, non temere vitam iudicare eorum. Neque enim frustra per semetipsum Dominus æs nummulariorum effudit, & cathedras vendentium columbas euertit, nimirum, significans, quia per magistros quidem vita iudicatur plebium: sed per semetipsum facta examinat magistrorum.* Nulli subditorum permittit Deus Prælatorum Principúmque suorum castigationem: nulli licet quouis prætextu in Principem insurgere. Si quis posset Principem suum percutere, maximus esset Moyses, qui à Deo mandatum acceperat, quod educeret populum Israëliticum à Pharaonis tyrannide, sed inde, quid Moyses faciat. Exod. 5. Post Exod. 5. hæc ingressi sunt Moyses, & Aaron, & dixerunt Pharaoni. *Hæc dicit Dominus Deus Israël: Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi in deserto.* Non abiit ad populares, & illos in regem armauit, vt occiderent tyrannum, & irent in patriam; sed regem adit, illúmque, vt subditus debet, verbis delinit, vt ad suum consilium trahat. Id quod notans ibi Lyppom. Lyppom. ait. *Hi tametsi habebant mandatum liberandi Israëlitas à Tyrannide Pharaonis, & Pharao erat Rex longè omnium impijssimus,* atque

atque à Domino manifeſtis verbis condemnatum, non tamen armant Iſraelitas ſuos aduerſus regem, legitimum magiſtratum in Ægyptum, non trucidant tyrannum gladio, ſed continent ſeſe, & obſecrant Pharaonem obedienter. Sanctiſſimè cauent, ne ipſi videantur nocere regi, cuius etſi peſſimi vindicta penes Deum eſt, minimè penes ſubditos. Non minor Moyſe Dauid quoties ſe à nece Saulis continuit? Quoties cum poſſet, nullum intulit damnum? Non ſemel illum in manibus habuit, & dum ſpelunca lateret, & dum dormientem offendit; ſed nec leuiter offendere eum voluit. Quæ rei cauſa? Ambroſ. in Pſalm. 35. ait, quod noluit Dauid interficere ſibi inimicum regem: *Ne malo publico vindicaretur, atque appetendi Principis in malis quoque cauſis, alijs exemplum ederet, cum ipſe vindictam de inſidiatore ſumpſiſſet.* Adeò cauere debent vniuerſi ſubditi, ne vllo prætextu principibus ſuis manus iniiciant; eo ipſo quòd quis vel clauum Reipubl. tenet, vel in regali ſolio eſt, ad Deum ſolum ſpectat illius peccata vindicare, punire; ad cæteros autem homines ſolum ſpectat illum venerari, maximúmque illi honorem habere. Ille Amalecites 2. Reg. 1. ſic de Saule referebat. *Stans ſuper eum occidi illum; ſciebam enim, quod viuere non poterat poſt ruinam; & tuli diadema, quod erat in capite eius.* Hæc vix fatus erat, & iuſſus eſt illic trucidari à Dauide. Sed ſcire cupis, cuius verbi cauſa commotus Dauid, talem tulit ſententiam? An, quia dixit ille, quod precibus motus hominem iamiam animam agentem interfecit? Quantum hoc crimen ad illatam inſtantaneæ mortis pœnam? Forè non ex eo, ſed quod dixit, poſt interfectum hominem, arripuiſſe diadema eius, deberet enim bonus vir diadema ſaltem vereri, nec illam vel tangere audere. Vnde merito Petr. Damian epiſt. 125. ait. *Amalecites ille, qui gloriatur ſe peremiſſe Saul, dum non ſe galeam, ſed diadema de capite velocis abſtuliſſe confingit, gladio Dauid percuſſus occubuit.* Nulla excuſatio, nullus prætextus eſſe poteſt, quo quia impune vim inferat diademati, vim inferat dignitati regiæ.

Ambroſ. Damian.

§. IV.

Caueant Dei iram, qui in Eccleſiaſticis muneribus dant operam lucris.

FOEdè ad templum Dei accedis, hoc eſt, de Eccleſiaſtico cenſeris ordine, vt totam operam impendas lucris, & qui mundo fueras pauper, ſub Eccleſiaſtica Chriſti pauperis diſciplina, diteſcere cures. Poſt Nahamani accepta munera, ſic Eliſæus excandet in Giezi, 4. Reg. 5. *Accepiſti argentum, & accepiſti veſtes, vt emas oliueta, & vineas, & oues, & boues & ſeruos, & ancillas. Sed, & lepra Nahaman adhærebit tibi.* Cur miſer ſeruulus tam dire à Domino ſuo tractatur? Accepiſſet Dynaſtæ munera, meditatus eſſet boum emptiones, quid magis proprium ſeruili conditioni? Quid magis condonabile ſeruo? Seruus erat Giezi ex mundialibus parentibus pauper, & ſub Eliſæi diſciplina nutritus, nec paruum eius crimen fuit, quas in mundo non habuerat, in Prophetæ ſchola amare diuitias. Ait Caſſianus lib. 7. cap. 14. *Giezi eo, quæ nec antea poſſederat, volens acquirere, æterna lepra, ſancti Eliſæi maledictione perfunditur.* Vereor ne has maculas incurrant plurimi, qui quas in ſæculo non habuerant diuitias, eas inuadunt in Eccleſia Chriſti, Eccleſiæque ſedes tantum deſiderent, vt nummis augendis incumbant. Oſeas cap. 13. *Iuxto paſcua ſuo adimpleti ſunt, & eleuauerunt cor ſuum, & obliti ſunt mei.* Quibus verbia acriter notantur, & vituperantur, teſte Rupert. qui Chriſto præſto ſunt, non ob amorem ſacramentorum, quæ celebrant, ſed propter hoc ſolum, vt de altaris ſumptibus viuant. Hi prorſus obliuiſcuntur Dei, & ſolis lucris inſtant. Hi lucrorum guſtu in tantam obliuionem Dei incurrunt, vt nihil aliud percipiant, niſi id, quod poteſt parere lucra. Hos reſpiciebat Ierem. 7. ex lectione D. Chryſoſt. iuxta quam dicit. *Numquid ſpelunca hyænæ facta eſt domus mea mihi?* Et pulcro Hyænæ exemplo vſus eſt, vt multorum Eccleſiaſticorum mores definiat, qualis Hyænæ mos? Accipite Chryſ. hom. 13 in Mat. ſanctem. *Hyæna beſtia eſt ſanguinaria, beſtia, quæ corporibus delectatur, beſtia, quæ ſemper in nocte, numquam in die eſt: non delectatur, niſi cadaueribus mortuorum. Hoc autem dicitur de ſacerdotibus Iudæorum.* Vtinam, & non dici poſſit de ſacerdotibus Chriſtianorum, quorum aliqui, ſic ſe lucris habendis dedunt, vt ex memoria mortis non mundi contemptum, non Dei timorem, ſed ingentem voluptatem percipiant, cum videant plura inſerri cadauera templorum ſuorum ſepulchris. De luce æterna quid neſcientes canunt, ſed Dei vix memores de cadaueribus delectantur. En quanto periculo in mortis cineribus, nil præter lucrorum temporale vident. Amalecites ille 2. Reg. cap. 1. ſuperius datus aiebat de Saule. *Stans ſuper eum occidi illum; ſciebam enim, quod viuere non poſſet poſt ruinam: & tuli diadema, quòd erat in capite eius.* Sed, & tulit præmium facinoris, dum à ſeruis Dauid, eius imperio lethaliter percutitur. Et quidem merito, quia videns hominem moribundum ab hoſte percuſſum, non curauit de armis eius aliquid accipere, quo ſe protegeret, non galeam, non ſcutum, non lanceam tulit, ſed diadema ex quo ſibi lucrum acquireret. Argute Petr. Dam. epiſt. 125. ait. *Dum ſe non galeam, ſed diadema de capite bellantis abſtuliſſe confingit, gladio Dauid percuſſus occubuit.* In galea pugna, in diademate lucrum apparebat; miſer ille nil aliud proſpexit, quam lucrum, ideò mortem incurrit. Metuant modo plurimi tale excidium; dum in proximorum cadaueribus non arma quærunt, quibus ſe protegant à vitiis, ſed lucra, quibus diuites viuant. Et quod Eccleſiaſtici ſunt, qui in moribundis, imò in cadaueribus nihil aliud meminerunt, quam lucra? Qui viſis mortuis non ſcutum fidei, non galeam ſalutis, non gladium verbi Dei, ſed diadema aureum aſſumunt, quo augeant diuitias? Apud Pharaonem Regem Ægypti ſolis ſacerdotibus permiſſæ ſunt terrenæ poſſeſſiones, Geneſ. 47. vbi cæteri alij omnes ſuas poſſeſſiones pro pane vendiderant. Ex quo Origen. hom. 19. ſic ait. *Pharao terras conceſſit ſacerdotibus, Dominus autem ſacerdotibus ſuis partem non concedit in terra, ſed dicit eis: Ego ſum pars veſtra, Num. 18. Obſeruate ergo, qui hæc legitis, omnes Domini ſacerdotes, & videte, quæ ſit differentia ſacerdotum, ne fortè qui partem habent in terra, & terrenis cultibus, ac ſtudijs vacant, non tam Domini, quam Pharaonis ſacerdotes eſſe videantur. Ille eſt enim, qui vult ſacerdotes ſuos habere poſſeſſiones terrarum, & non animæ, ſed agri exercere culturam, iuri, & non legi operam dare. Chriſtus autem, qui non abrenuntiauerit, inquit, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Adeò à Chriſti ſacerdotibus abeſt affectus lucrorum.

Oſea 13. Chryſoſt. Idem. Caſſian. 4. Reg. 5. 2. Reg. 1. Damian. Origen.

§. V.

Calamitoſum eſt hoc in bonis mundialibus quod ipſa depereant, ab eis autem oborta culpa maneant æternum.

NOn opus eſt magno flagello, vt bona temporalia euertantur, quæ vel à quaſi flagelli ſonitu è manibus effugient. Sed vide, vnde flagellum fiat, è funiculis, hoc eſt, è laqueis, quibus venditiitiæ res, & nummorum ſacculi ad templum deferebantur. Hoc enim flagellum adnatum eſt omnibus mundialibus lucris, quòd feſtine è manibus elabantur, relicta ſola ab eis exorta culpa mercator ille peſſimus Iudas, ſic lucrorum cupidus vt magiſtrum venderet ſuum, poſt emptionis contractum, poſt acceptas pecunias, an diu illas retinuit? Equidem feſtinus in mortem, Matth. 27. *Retulit triginta argenteos Principibus ſacerdotum, & ſenioribus, dicens, peccaui.* Nummi proiiciuntur, euertuntur, penitus è manibus elabuntur, ſolum peccatum ab illis ortum manet æterno caſtigandum ſupplicio. Sedul. lib. 5. Paſſ. c. 8. inquit. *Pretio criminis ſe vacuauit, non crimine.* Equidem abeunt reculæ omnes humanæ; abeunt merces gaudiorum; diſparent vniuerſa bona mundialia, ſed funes peccati ibi contracti æternū manent, quibus vapulet miſera anima. Iob c. 20. *Oſſa eius implebuntur vitijs adoleſcentiæ eius, & cum eo in puluere dormient.* Expēde rogo, quandiu culpa maneat, quandiu in peccatorum funes perſeuerent; omnia mundialia abierant, ipſa caro conſumpta erat, ſola nuda oſſa perſeuerabant, & cum ſolis nudis oſſibus adſunt vitiorum funes, peccatorum flagra. Olymp. in Cat. Græc. ait. *Nec quicquam vna excepta libidine, hoc eſt, in qua exceptis facinoribus illum ad ſepulcrum proſequetur.* Hoc pro certo habeant omnes impij, quod poſt multitudinem negotiationum ſuarum, poſt grandia reportata lucra, reſiduos ſolos habebunt laqueos peccatorum, quibus æterna flagella patiantur. Quò reſpiciebat Ezech. c. 28. ad Regem Tyri loquutus: *In multitudine negotiationis tuæ, repleta ſunt interiora tua iniquitate, & peccaſti: eieci te de monte Dei.* Hoc vnum manet de omnibus negotiationibus mūdialibus, nimirū peccatum, hoc eſt, funis, quo à Deo in æternū ſupplicium abiiciantur. Transferuntur omnia extrinſeca bona, ſed intimis abſconditi viſceribus peccatorum funes manent, quibus verberaberis. Geneſ. 42. Ioſephi fratres, vbi ſe apud Proregem Ægypti affligi vident, ſic clamant: *Merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem noſtrum.* Papæ, venditio

Math. 27. Sedul. Iob. 20. Olymp. Ezech. 28. Geneſ. 42.

fratris

fratris transacta erat, pretium acceptum consumptum, sed funes peccati perseuerabant, quos tam longa temporis du-
Theod. ratio non potuit consumere. De quo Theod. in Cat. Græc. ait. *Vide conscius animus quam se non possit absoluere, vel longinquitate tempore; duo & viginti anni erant, cum facinus hoc illi perpetrarant, & tamen eius adhuc memores clamabant: Merito hæc patimur, quia peccauimus.* Eu misera impiorum conditio, finitur tempore mercatus, finitur negotiatio, vacuantur sacculi, transferuntur bona, & quibus vapulent, soli peccatorum funes manent. Non illepida comparatione ipsum
Luc. 22. Iesus Dominus ostendit Luc. 22. *Sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum.* Expetit Sathanas nos omnes, vt ad cribrum reducat. Et quid mali latet ibi? Multum sanè, id at-
Imperf. tigit Imperfectus hom. 38. in Matth. *Quemadmodum si triticum cernas in cribro, dum huc, illucque iactas eum, grana omnia paulatim deorsum cadunt, & in fine in cribro nihil remanet, nisi stercus solum; sic & substantia negotiatorum, dum vadunt, & veniunt inter emptiones, & venditiones minuitur, & in nouissimo nihil illis remanet, nisi solum peccatum.* Hæc igitur est summa diaboli voluptas, quod homines in cribro habeat, vt dum huc, illucque iactantur, euanescentibus bonis, elabentibus granis, maneant solum peccati paleæ, quibus obstringamur, quibus exuramur.

§. VI.

Nil miserius, quàm post visam crebram bonorum mundialium ruinam, adhuc illis fidere.

RAdicitus vt euelleret Dominus fiduciã in bonis mundialibus, & vendentium boues, & oues abigit, & mensas nummorum subuertit: quis iam fidat rebus, quas tam facilè è manibus elapsas videt? Quis non sibi cauebit ab his bonis, quæ effundi, & euerti omninò respicit? Stultissimi inter omnes ethnicos Azotij fuerunt, de quibus dicitur
1. Reg. 5. 1. Reg. 5. *Cum surrexissent diluculo Azotij altera die: Ecce Dagon iacebat pronus in terra ante arcam Domini; & tulerunt Dagon, & restituerunt eum in locum suum.* Non mirandum erat, quo cæci homines colerent idolum Dagon, cum illum aris impositum cernebant; at nunc non in aris positum, sed humi iacentem, deiectum semel, & bis, immò confractum vident, & adhuc in eius cultu perseuerant. Quam extremam
Theod. stultitiam sic grauiter ponderat Theod. serm. 10. de Prouid. *Denuo collapsum vident, & tamen adorant.* Proh intolerabilem hominum insaniam! Nil vident in idolis suis, nisi frequentes ruinas, casus, excidia, & tamen non cessant illis adorationem exhibere. Quoties auarus vidit arcas à latronibus confodi, vestes à tinea corrumpi, domos ab igne flagrari, omnia mundialia bona vento citius disparere, & nihilominus bona adorat? Quoties adolescens vidit pulchritudines marcescere, immò putrescere; vidit puellam semel, & ter, in infirmitatem collapsam, cinereo mortis colore deformem, & tamen adhuc pulchritudines adorat? Quoties Princeps vidit regis supercilio multos à puppi in sentinas deiectos, regios fauores madere sanguine, & adhuc regium fauorem adorat? Quid stultius? Quid insanius? Hi non
Exod. 25. absimiles sunt stultissimis illis Israëlitis, qui Exod. 25. clamabant, *Melius fuerat nos mori in Ægypto, quando sedebamus*
Origen. *super ollas carnium.* De quibus eleganter Orig. hom. 17. fatur. *O populus ingratus! Carnes Ægypti requirit, qui Ægyptiorum carnes vidit maris piscibus datas.* Equidem dum florentes viderant Ægyptios, non mirarer, quod bonorum splendore capti inter Ægyptios maluissent degere, quam per desertum peregrinari: verum vbi Ægyptios viderunt fluctibus submersos, à bestiis marinis dilaceratos, voratos, adhuc Ægyptiorum sortem amare extremæ est dementiæ, & insensibilitatis. Quis non demens videat, vel odoretur bonorum necessaria excidia, & talia bona amet? Sanè Dauid promissionem regni habebat post Saulem, à quo incredi-
1. Reg. 26. bilem persecutionem patiebatur. Interea accidit 1. Reg. 26. quod Dauid nocte veniret in Saulis castra, *& inuenit Saul iacentem, & dormientem in tentorio, & hastam fixam in terra ad caput eius.* Proh Dauidis felicitatem, simul habet in manibus, & crucem hostem, & regni hæreditatem! Nonne eadem manu potest, & perdere inimicum, & coronam regni sibi rapere? Sed Dauid, & hostem & coronam dimittens, solam accepit hastam, & vadit. Quid agis, ô Dauid, finem bellorum tenes, coronam habes in manu, & hac dimissa hasta, quasi malis viuere in certamine, quam coronatus triumphare? Quis tibi militi afflicto, per montes, & speluncas erranti, tantã tradidit philosophiam? Expende textus verba: *Inuenit, ait, Dauid Saul iacentem, & dormientem in tentorio:* eo ipso, quod Dauid vidit fortissimum, & bellatorem regem iacentem, somno sepultum, nihil sentientem, finem rerum humanarum, mortemque recordatus, sic omnia contemsit, vt dimissa oblata regni hæreditate, hastam arripuerit, malens pauperis militis vitam agere, quam illam regiam dignitatem habere, quam semel videbat iacere, soloque prostratam. Pulchrè Chrysost. hom. de Dauide, & Saule, ait. Chrysost.
Dauid intuitus inimici dormientis faciem, hinc maximè sumsit animum philosophicum. Cum enim videret illum manere immobilem, neque quicquam posse facere, sic loquutus est Dauid. Vbi nunc ille furor? Vbi tot technæ, tot insidiæ? Abierunt omnia illa, perieruntque exigui somni incursu. Conspiciebat illum dormientem & de morte omnibus communi philosophabatur. Sic mundialium bonorum finis meditatus, vel semel quasi in vmbra visus potuit cordatum hominem afficere, vt facilè respuerit glorias humanas. Quod considerans Moyses, vbi prima mundi bona incipit narrare, nil prius ante oculos nobis proponit, quam eorum fugacitatem; ait enim Gen. 1. *Factum est vespe-* Genes. 1.
re, & mane dies vnus. Cur in diei primi propositione vespere prius meminit: nisi quia, vbi diei pulchritudinem narrans, eius in primis finem ostendat, ne pulchritudo noceat, considerata prius eius fugacitate, & fine? Ideò D. Basil. in Basil.
Cat. Græc. fatur. *Vt igitur primas diei Moyses partes reddat, finem prius diei memorat.* Quis sapiens nimis curabit dies videre bonos, quorum finis prius apparet, quam facies?

Matth. 21. Eiiciebat omnes vendentes, & ementes in templo; & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit.

§. VII.

Qui munera Ecclesiæ, & publicæ Præfecturæ officia emunt, diuinam iram incurrunt æquè, ac vendentes.

NOnnullæ in simili facinore adduntur à Matth. circunstantiæ, quæ non paruum negotium humanis moribus facessunt, ea in primis ob oculos versatur, quod ira Dei, non solum in venditores, sed etiam in emptores acescit. An qui emit præfecturam, siue prælaturam, non minus peccat, quam qui vendit? Immò sæpè in præfectura emenda nullum erit peccatum graue, quantum ex exterioribus apparet, cur ergo tam emptor, quam venditor sunt sub eodem Christi flagello? Sanè difficile discernis inter emptorem, & venditorem; qui enim prælaturam, seu munus quodlibet emit, ægre, & difficulter sibi persuadet illud non vendere. Vnde sapienter loquitur Arnol. Car. lib. de opere Arnol.
sex dierum: *Excutit ab omni munere mundas manus pura iusti-* Carnot.
tia: nec se venalem exhibet iudex; qui vt iudex fieret, nõ pretio, sed gratis accepit. Quasi dicat, vnus non vendit officium, qui non emit, sunt enim emptio & venditio maximè inter se connexæ. Simon ille Act. 8. solum emebat spiritus gratiam; *Ob-* Act. 8.
tulit eu pecuniam dicens: Date mihi hanc potestatem. Cui Petrus: *pecunia tua tecum sit in perditionem.* Eu Petre cur tam seuere in hominem animaduertis? Cur merum emptorem sic perdis? Quid supplicij relinquis in eos, qui tuam Ecclesiam venalem exhibebunt, quando sic emptorem plectis? Emebat Simon, sed vt venderet, quod notans Aug. tract. 10. August.
in Ioan. ait. *Simon ille ideo emere volebat Spiritum sanctum, quia vendere volebat Spiritum sanctum.* Nequit fieri, vt emptor non fiat etiam venditor muneris; quod si quando accidat, quod emptor non vendat munus; tamen semper verum erit, quod emptores munerum sint perniciosi, & exitiales reipublicæ. Quis vnquam nocentior iudex, & pontifex, quam Cayphas? Cuius malitia pestilentior, quæ in Christum Domini ausa est? sed tantæ malitiæ radicem insinuans D. Isid. Pel. lib. 1. Basil. Sel.
ep. 315. ait. *Caypbas sacerdotium emerat, eum aduersus Christum illum armauit. Quocirca, quisquis sacerdotiam emercatur, hunc Christi carnificẽ Caypham esse constat.* Quasi nequeat fieri, quod ex emptione habeamus munus sacerdotis, vel iudicis, quod Christo Deo non sit exitiale. Hoc pariunt munerũ emptiones, quod Deus offendatur, eiusque nomen vilipendatur, & quod pecunia in summo pretio, & summa æstimatione præ omnibus aliis habeatur. Vt dicat D. Syo. lib. de regno. Synes.
Atqui ille sanè quomodocumque diues magistratum pecunijs mercatus, euiusmodi sit æqui distributor nesciat: videtur is non facile pecunias contempturus. Et credibile non est, eum sublato vultu, toruis ac rigidis oculis aurum ex aduerso intueri posse. Nouit enim se eius beneficio in honore esse, sublimique in solio sedere. Cur non

 contem

contemnat Deum, qui non Dei sed pecuniarum beneficio putat habere solium? Cur non pecunias adoret, quibus refert acceptum præsidendi honorem? Accinit D. Chrysost. (Chrysost.) hom. 3 in Acta, vbi emptorem muneris sic alloquitur, *Quibus oculis intueberis illam, quæ tibi fuit auxilio? Quid habebis quod excuses? Etenim qui vsleue & iunctus compulsus est, habiturus est aliquam excusationem, quamquam maxime, & hic peiturus est venia, nisi quod ad hunc collatum habet aliquid excusationis. Cogita, quid acciderit Simoni. Quid enim refert si non das pecuniam, sed pecuniæ loco adularis, suborneris, multaque machinaris?* Habent hoc quasi necessarium omnes emptores munerum, siue pecuniis, siue obsequiis emant, quod ei, cui debent munera, sacrificent, vt ille alius sacrificauit reti suo Abacuc 1.

§. VIII.

Sacrificia Deo grata, quæ multa præparatione antecedenti fiunt. Vbi de Eucharistiæ præparatione.

SAne, & quæ emebant in templo sacrificia, displicent, quia non ex occasione, quod in Ecclesia occurrit, adeò gratum est, quam quod ex præparatione longa antecedenti Deo litas. In monte sacrificaturus Abraham filium, ignem, & ligna ferebat secum: videretur forsan alicui labor superuacaneus ferre ad montem ligna. Sed bonus ille non in loco sacrificij spectat colligere ligna, sed ex præparatis longe antea placere Deo studet. Vnde iubemur à Deo petere, *panem nostrum quotidianum*. & Græce habes: *panem nostrum crastinum*, vt doceamur à præcedenti die debere incipere præparationem, qua quis expectet diuinum pabulum. Quod si hæc præparatio antecedens necessaria est cuiuis accedenti ad templum, diuinasque escas sacrificiorum inhianti. At ille, qui panem supersubstantialem Eucharistiæ sumpturus accedit, is credat mihi, & non accedat, nisi præparatus, & probatus. Etenim verò Eucharistiæ panis peculiari iure habet, quod sit panis crastinus, nimirum, quod supponat antecedentem præparationem, & temporis distantiam. (Ioan. 4.) Ioann. 4. Accessit virgo mater ad Iesum postulans, vt in nuptiis defectum vini subueniret creans, & immittens hydriis vinum aliud Cui Iesus ait: *Nondum venit hora mea.* Sane alibi sæpius multas postulationes accepit indigentium postulantium salutem, & alia facinora diuinitatis. Et saltem sorores Lazari illi repræsentarunt fratris discrimen, quibus non respondit, nondum venit hora mea. etsi per quatuor dies differret Lazari sanitatem. Cur modo statim vinum daturus, præmittit, nondum venit hora mea? Sanè in præsens adumbratur vinum illud supersubstantiale germinans virgines, vinum Eucharisticum, quod hoc habet præcipuum, vt semper supponat temporalem præparationis distantiam D. August. (August.) serm. 41. de tempore, ait: *Quod vinum est, quod optimum iudicatur, quod architriclinus queritur sero prolatum, nisi sanguis Dominicæ passionis? Hoc est enim, quod Deus in horam suspendit.* Sanè hoc est quod Deus in horam suspendit, hoc est, quod non vult Deus largiri, quin prius tempus transigas in expectatione eius. Si vitam, si misericordiam, si salutem à Deo petas, statim eadem hora qua petis, poteris obtinere: at vbi Eucharisticum poculum petis, expecta horam, suspendi enim debet diuinum poculum, vsque dum optima dispositione constitutus fueris. Nonne tritum est illud Pauli ad Corinth. *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat*; nunquam enim digne bibitur, ni probatione præmissa, & præparatione. Ipse Dei filius, vt carnem sumeret, quoties experimentum in se fecit de humanis affectibus? (Genes. 1.) Audi clamantem Deum, Genes. 1. *Adam. vbi es?* Qualis hic clamor? Nonne Deus sciebat Adami locum? Si sciebat, si ignorare non poterat, cur ignorantis interrogationem præsefert? Assumpturus erat hominem, cuius proprium est ignorare, cuius proprium est sic de ignoratis quærere, & volebat ante susceptionem carnis probare, qualiter exprimeret carnis affectus. Ita Tertull. (Tertull.) lib. aduers. Prax. fatur. *Ediscebat autem, vt nobis fidem sterneret. Etiam affectus humanos sciebat iam tunc, suscepturus etiam ipsas substantias hominis, carnem, & animam, interrogans quasi ignorans, Adam, vbi es?* Non antea assumit hominis substantiam, quam longo temporis interuallo in se probet, qualiter exprimi solent humani affectus; ne quis audeat diuinam substantiam accipere, quin prius se probet, & experiatur, qualiter ostendet diuinos affectus. Edisce prius, & proba linguam, an possit loqui instar linguæ Iesu; & manum, an largiatur, & operetur instar manus Iesu; & pedes, an ambulent instar pedum Iesu; & viscera, an effundantur instar viscerum Iesu; & cum probaueris in te omnes Iesu affectus per aliquod tempus, sic probatus de pane illo ede.

§. IX.

Vt cauenda venialia peccata.

BEne posuit Matth. cathedras vendentium columbas; vt enim venialis templi irreuerentia erat, quod tibi auiculas ad sacrificia essent, sic facilius populus illam doceretur. Hoc enim habent venialia peccata præstantissimi magisterij, quod facillime persuadeantur hominibus, quare omni diligentia sunt cauenda Apud Matth. cap 8. illos homines caueri iubemur à Domino, in quibus post trinam admonitionem adhuc peccata resident Et crediderim ibi, non solum de peccatis mortiferis, sed etiam de venialibus agi, quæ Dei gratiam non expellunt. Quid igitur faciendum de illo homine, in quo post trinam correctionem adhuc peccata venialia habent sedem? Ait textus; *sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus.* Expende illud, *sit tibi*, quasi diceret: fateor talem hominem non esse Deo odiosum, non à Deo reiectum, verum tu illum caue, illum omnino fuge, quasi reputans à fidelium communione eiectum. Suffragetur Origen. hom. 6. in Matth. *Nouissime autem, quia non pariter dixerit, sicut ethnicus, & publicanus, sed ita, sit tibi. Qui in peccato leui correctus ter non se emendat, nos quidem sic eum debemus habere, quasi publicanum, & ethnicum, abstinentes ab eo* Non minori cura caueamus hominem, qui leuibus peccatis scienter obstringitur, quam caueamus ethnicum, & publicanum. Qui magnis sceleribus plenus est, omnibus est inuisus, nemo eius mores non abominatur; verum ille, qui minuta peccata inter iucundissimos mores præsefert, facile illa conuersantium indit visceribus. Quare cauendus omni conamine, & diligentia, & tanquam ethnicus cauendus. Sed quid si leuidensia peccata persuadeantur nobis? An, id magnum damnum erit? Pulchrè ait D. Ephr. tract. de virtutibus, & vitiis, agens de intemperantia: *Væ illis, qui minimis, leuissimisque de causis tunc confundentur.* Et sanè miserrimum est, quod viri fortes ob leuissima vehementer vapulent apud Angelos Dei: quanta confusio erit nobis, cum torreri videamur ob vanissimas gloriolas, ob pomi gulam, & alia huiusmodi? Sed & confusionem ex his natam aliter explicat D. Cæsar. Ael. hom 8 aieos *Quibus peccatis licet occidi anima non credamus, tamen ita eam velut quibusdam pustulis, & quasi horrenda scabie repletam horrendam faciunt, vt eam ad amplexus illius cælestis sponsi, aut vix, aut cum grandi confusione venire permittat.* Ecce tibi media vitæ nocte, clamor fit, ecce sponsus venit, qualis tunc confusio erit scabienti sponsæ? Fallor, nisi anima, quæ se tā horrenda scabie videat infectā, non dicat etiam (licet ex corde perfecto) montibus, cadite super nos, & collibus, operite nos, ne oculis sponsi videamur, donec mundemur Tantam confusionem parient minutissima quæque peccata. Sed esto confusionem eam contemnas, an pericula in illis maiora nō pauebis? De illis periculis accipe dulcem D. Nazian. cantilenam in præceptis ad Virg.

Math. 8. — Origen. — Ephr. — Cæsar. Ael. — Nazian.

Sed neque furtiuos mundi sectere amores,
Atque fidem Christo iuratam perfida fallas.
Hanc porro fallit, sacrataque fœdera rumpit,
Quisquis vel tenuem radicem criminis in se
Excipit. Innumeros nam paruo tempore ramos,
Hinc atque hinc extenta solet diffundere radix.
Et succo exiguo densatur copia lectis.
Ac lapidem si quis tranquillas mittat in vndas,
Præclaros turbat latices, vitiatque colorem,
Multiplicesque orbis summa nascuntur in vnda,
Qui simul, ac pacantur aqua soluuntur inanes.
Quin etiam paruo intumescit vulnere totum.
Corpus, & ingentes subeunt, cruciántque dolores.
Aspidis haud grandis est vulnus; tamen illa soporem
Mortiferum exemplo inducit, vacuúsque dolore
Interit, excepit qui tetrum corpore virus.
Ergo caue, ne vel labes tenuissima mentem
Inficiat, multasque etiam procul abiice noxas.

§. X.

Auari homines fustibus agendi, non enim benignitatem nouerunt.

QVi homines trahere nouit in funiculis Adam, in vinculis charitatis, vbi ad templi nundinatores accessit, funiculos in flagella conuertit, quasi solam flagelli vocem nundina

nundinatores sentiant. Enim verò ea est gens auarorum, quæ benignitas,& venerabile misericordiæ nomen nunquã norint. Quot peccatores à Christo Domino misericorditer tractari Iudas audierat? Quoties immensæ benignitatis diuinæ thesauros apertos meretricibus viderat? Et tamen
Matth.27. peccatum suum agnoscens, Matth.27. *Proiectis argenteis in templo recessit; & abiens laqueo se suspendit.* Non viscera pietatis, sed laqueum auarus meminit, non ad misericordem Deum, sed ad id, quod sibi magis familiare erat, properat flagellum. Cur miser non meminisli Dei benignitatis? Cur non tibi in mentem venit Saluatoris pietas immensa? Pul-
Leo. chre D.Leo serm.11. de Pas. inquit, *Maligno cordi, nunc furtis fraudem addita, nihil vnquam misericordiæ saluatoris insederat: nec pijs acceperat auribus Domini verba dicentis: Non veni vocare iustos, sed peccatores. Nec intellexerat clementiam Christi, qui non solum corporeis infirmitatibus medebatur, sed etiam vulnera debilium curabat animarum, dicens paralytico: Remittuntur tibi peccata tua; dicens oblatæ adulteræ, Nec ego te condemnabo.* Nulla penitus percipit auarus benignitatis documẽta, nihil humanitatis nouit; solum laqueos, funiculos nouit, sicut mulus cui non est intellectus. Duo se mihi obiiciunt in præsenti meditandi adolescens, & adolescentula, Absalon, & Magdalena, ambo pulchritudine insignes, ambo propter crines percelebres. Sed Magdalenæ crines illam ad fontem miserationis vitæque arborem Iesum religant: *lachrymis enim cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergere.* Ibi quot crines, tot charitatis vincula, quæ largam peccatorum trahunt indulgentiam. Non sic Absalonis crines, quin potius, ad quercus sustem religati, durissima exstiterunt flagella misero adolescenti. Sed quæ tam diuersæ sortis ratio? C[illegible] peccatrice fœmina, in misero adolescente cri[illegible] ad misericordiæ fontem, sed ad flagelli fustem per[illegible]nit? Fe[illegible] quidem Magdalenæ crines quam plurimos implicarant, & in voluptatum barathra traxerant; verum Absalonis crines auaritiæ seruierant, sic enim habes 2.
2. Reg. 14. Reg.14. *Ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis pondere publico*, ne mireris, quod auaritiæ materies nesciat hic nisi
Drog. ad fustes,& flagella. Id insinuans Drogo Hostiensis, lib. de Sacram. Passion. Christi fatur, *Absalon crines suos ponderabat pondere publico ducentis siclis, vnde in eodem crine suspensus ad arborem interijt.* Nihil auaritia habet cum pietate, nihil cum misericordia, quorum nomina venerabilia cunctis peccatoribus, nec nouit auarus; ad istos flagella, & fustes applicantur, qui penitus efferati, & brutescentes omnia humanitatis viscera exuerunt,& à se abdicarunt. Vis videre aua-
Genes. 39. ros penitus brutescentes? Ecce tibi, Genes.39. vbi inuidi Iacob filij fratris Iosephi mortem meditantur, audio Ruben nitentem liberare puerum à sanguineis manibus: itaque non omnes acquiescunt perdere fratrem, adhuc inter inuidos appareret aliqua humanitas. Quid plura? Cum inde mercatores transirent, ait vnus illorum: *Melius est vt venundetur Ioseph Ismaëlitis. Acquieuerunt fratres sermonibus illius: & prætereuntibus Madianitis negotiatoribus extrahentes eum de cisterna vendiderunt, &c.* Omnes venditioni consentiunt, non est qui obsistat, non est qui eum liberare contendat; sic vbi intrauit pecuniarum sitis, omnem humanitatem expulit, & homines conuertit in belluas. Ideo
Chrysol. Chrysol. serm.29. ait: *Sic auaritia siccauit mentes, sic corda depressit; sic quod in eis fuerat humanæ sensus, ferinam in rabiem commutauit: vt non offensam Dei, non sancti patris dolorem, non proprij sanguinis sensum meminisse permiserit. Intuere quid auro grauius, quod cum mores hominum perdit, perdit & naturam.* Quando ergo immanis auaritiæ bellua non fustibus, non flagellis agatur? Quando pietatem noscere vellet?

Text. Et his qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc; nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.

Text. Scriptum est: Domus mea, domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum.

§. XI.

Orationis pium latrocinium in aperiendis cœlis.

Lvbet in hac templi iniuria aliquid orationi minime iniuriosum meditari; quid enim mirum, quod domus orationis fiat spelunca latronum, quando & ipsa oratio exercet etiam pium latrocinium? Quãdo enim oratio instar furis non habitat petræ speluncas, donec pertranseat Domini ira,& iudicis furor, indeque exurgens cœlestium fodit macerias, vt thesauros sibi assumat? Cant.2. *Columba mea, in* *Cant.2.* *foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis.* Expende orationis speluncas, & effossiones; speluncas hic habet, quibus se abdit, vt fugiat iudicis iram; effossiones ipsa facit in cœlestibus, vt inde sibi trahat diuitias. Speluncas habet oratio in foraminibus petræ, cum intra Christi vulnerum cubilia compungitur,& gemit, vt caueat seueritatem iudicis. Sic monebat Isaias 26. *Isai.26.* *Vade populus, intra in cubicula tua; absconderi modicum, donec pertranseat indignatio, ecce enim Dominus egredietur de loco suo, vt visitet iniquitatem.* Dum visitat iudex, fures in speluncis latent; sic populus instruitur, vt orans cubilia teneat,& petræ foramina, si velit egredientis iudicis cauere seueritatẽ. Et quid est, ne semper latendum in petræ foraminibus? Absit: immò post latibulum speluncarum, domorum macerias effodiendas proponit ars furandi; sicque gementi columba, hoc est, orationi post petræ foramina, maceriarum cauernæ offeruntur, quas ipsa excauet, & effodiat sibi, vt thesauros hauriat. Quo respexit Ecclesiasticus 35. aiens, *Eccl.35.* *Oratio humiliantis se nubes penetrabit.* Quamuis se se abscondat oratio, profundisque speluncis lateat, ea est eius ars, vt inde cœlos effodere valeat, hoc est cœlestium pectora aperire,& sibi patentia facere. Do D.Bernard. huius loci expli- *Bernard.* catorem, serm.62. in Cant. *Denique oratio iusti penetrat cœlos. Non vtique quasi gladius acutus ipsius firmamenti solidum, cœlsumque verticem perforabit. Sed sunt cœli sancti, qui enarrant gloriam Dei, qui fauorabili pietate nostris se votis inclinant, & sinuatu ad tactum nostræ deuotionis officibus, in sua nos recipiunt viscera, quoties digna ad eos intentione pulsamus. Licebit vtique vnicuique nostrum etiam hoc tempore nostra mortalitatis cauere sibi quacumque parte valet cauo nos superno materia.* Ea est igitur orationi ars furandi, qua dum se humiliat, in petræ foraminibus, in cubilibus suis compungitur, in speluncis latitat, dum iudicis rigor pertransit, indeque exurgens perfodit cœlestem Domum, viuentium terræ macerias excauat, nec inde exit vnquam vacua. Haud dubium quin orationis nos remittebat latrocinijs Isaias, cap.2. fatus, *Ingre-* *Isai.2.* *dere in petra, abscondere in fossa humo à facie timoris Domini, & gloria maiestatis eius.* Non solum speluncarum habitationem, sed & maceriarum effossiones persuadet, vtrumque enim habet orationis cubile,& latibulã a facie iudicis, & artem qua viuentium terram, cœlestium maceriam effodiat. Sed acutè notat Bernar. supra, quod non iubeat ire ad effodien- *Bernard.* dos cœlos, sed ad iam effossos, ad semel effossam humum: habet enim hoc oratio de latrocinij specie, quod effossos relinquat cœlos, & apertos. Dominus qui domum intrat apertis valuis, illas claudit post se; at latro, qui effossa intrat maceria, effossam illam, & patentem relinquit, vt toties quoties voluerit, manifestus sit aditus. Sic oratio, & fodit cœlos, & illos semper apertos sibi, & effossos habet. Matth.25. intrant quinque virgines in sponsi domum, *& Matth.25.* *statim clausa est ianua*, & aditus occlusus manet venientibus post paululum. Verum Actor.7. Stephanus ait: *ecce video* *Actor.7.* *cœlos apertos*, &c. Cur ibi clausa ianua apparuit, hic prorsus aperti cœli manifestantur? Paulo ante latronis oratio cœlos penetrauerat, aiens: *Memento mei*, &c. & hæc est ars etiam pie furantium, quod apertas relinquant effossiones, quas faciunt. Præclarè D.August. serm.95. de diuersis, ait: *August.* *Post passionem Christi latro primus intrauit, postea Stephanus apertum vidit.* Nihil sciuit latro claudere, sed omnia aperta relinquit; sic oratio.

§. XII.

Qui in perfectionis statu deficiunt, sceleſtiora audent.

PRoh dolor! Non medium tenent, qui in schola virtutum, se se vitiosis affectibus committunt, nulla mediocritate contenti sunt. Modo orationis domus, statim latronum spelunca, quæ quasi à sanctitatis summo nesciant, nisi ad vitiorum extrema se se porrigere. Quod innuit Origen. *Origen.* in cap.2. Ioann. dicens: *Sola orationis domus neglecta, latrones etiam recipit.* Caueat, qui altum perfectionis statum tenet, nulla ibi negligentia sit parua, ab orationis negligentia in latrocinia deuenies. A nullo enim grandiora scelera nascuntur, quam ab eo, qui aliquando fuit virtutis studiosus. Genes.6. *Videntes filij Dei filias hominum, quod essent pulchræ,* *Genes.6.* *acceperunt sibi vxores ex omnibus, quas elegerant: Gigantes*

autem

autem erat super terram. Ecce tibi, & luxuriem filiorum Dei, & gigantes simul commorantes; quasi iam dudum peccatorum monstra immania à filiis Dei labentibus nascantur.
Bachiar. Ita Bachiarius epist. de recipiendis lapsis, ait, *Mox vt cupierunt filij Dei filias hominum, nati sunt in terra gigantes, vel quod enormis nimium, & vltra staturam peccantium reliquorum gigantis forma est.* Eu, quoties luget mundus, immò & luit hæc monstra à piis hominibus nata, vbi hi cœperunt in errores labi. Nescit, qui perfectionis culmina tenet, mediocriter errare, sed vbi cadit, se se totum præcipitat in scelerum
Ierem. 7. barathrum. Dominus apud Ierem. c. 7. ait: *Nunquid spelunca latronum facta est domus ista?* Vatablus ex Hebræo. *Num spelunca nebulonum facinorosorum domus hæc?* Sed quid est; quod qui à domo Dei decidit, latro, nebulo, scelus ipsum fiat, nisi & funditus totum ipse se perdat & in flagitia iactet? Ideo
Chrysost. argutius Chrysost. hom. 13. in Marc. legit, *Nunquid spelunca Hyænæ facta est domus mea mihi?* Et pulchrè qui à domo Dei deficiunt Hyænæ comparantur, vt quam se totus funditus
Idem. perdant, appareat. Sic enim Chrysost. de hac bestia fatur, *Hyæna hanc dicitur habere naturam, quia spinam vnicam habet, quæ flecti non possit. Denique si vertere se voluerit, tota conuertitur.* Quid similius ei, qui in perfectionis culmine versatur, qui se brutescere incipit, non parum flecti potest, sed Hyænæ instar, totus conuertitur, & totum se immergit pecca-
1. Cor. 3. tis. Paul. 1. ad Cor. 3. sic monebat: *Nescitis, quia templum Dei estis: & spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus.* Nunquam enim Dei templis, hoc est viris diuinis accidere solet minor, quam ex-
Origen. trema perditio. Orig. hom. 5. in Iosuë ait, *Vide quantum profeceris; ex homuncione terreno in templum Dei progressus es, sine dubio; & qui caro, & sanguis eras, profecisti, vt membrum Christi sis. Sed sicut magnus est iste profectus, ita & discessus terribilis, atque irremediabilis pene lapsus.* Nescit parum deficere, qui à
Psalm. 81. tanto excidit culmine. Vnde Psalm. 81. dicitur, *Deus stetit in Synagoga Deorum; in medio autem eos diiudicat. Vsquequo iudicatis iniquitatem?* Non possum non mirari, quid cœli Deus terrenis diis obiiciat, nimirum: Vsque quo iudicatis iniquitatem? Non obiicit certum aliquod determinatum peccatum, nec dicit, quare sic, vel sic peccatis, sed cum peccantes videt, non dubitans, quod in summam malitiam deuenturi essent, iam summum illis malum obiicit, dum dicit: Vsquequo iudicatis iniquitatem? quasi dicat, video in vobis malitiam, quæ nullum habebit modum, quæ in summum vsque scelus insurget. Sed scire cupis, vnde Deus sic de Deorum malitia testificetur, præcipue cum is sit Deus, qui non facile credat malitiam in suis creaturis, quandoquidem
Genes. 18. Genes. 18. ait Dominus, *Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus est, & peccatum eorum multiplicatum est nimis. Descendam, & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint.* De Sodomitis quasi dubitat Deus, an malitia eorum tanta sit, quam iam audit ipse; & de diis non dubitat, quod malitia in summum vsque scelus exurgat; quæ huius rei ratio? Sanè in Sodomitis homines carnales videbat, qui etsi vitiis se dabant, tamen modum in peccatis habere consueuerunt. In diis autem considerat præstantissimos viros, religionis apices, v. g. Sacerdotes maximos Iudæorum, quos vbi in peccata delabi cernit, dum prophetas occidunt, notissimum est, quod nullum modum habebit eorum malitia, & quod vsque ad summum perueniet facinorum.
Brun. Inde eleganter præsentia verba explanat D. Bruno, inquiẽs, *O principes Iudæorum vsquequo iudicatis, id est, iudicabitis iniquitatem? Iudicauistis iniquitatem interfectione prophetarum: & vsquequo, id est, vsque ad quem modum iudicabitis iniquitatem? Iudicabitis adeo iniquitatem, vt eum, qui fidelium Deus est, dignum morte iudicetis.* Ea est deorum natura, si peccare incipiat, vt flecti nesciat, vt modum habere, & finem minimè sibi præscribere sciat, sed semper deueniat in summum. Sic Israëlitæ, religionis apices, vbi declinare incipiũt occisione prophetarum, quasi certũ dederunt pignus, quod peruenturi erant ad summũ scelus, nimirũ ad mortem filij Dei summi.

Text. Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis?

§. XIII.

Nullo zeli prætextu castigare velis scelera eorum, qui sub tua potestate minimè sunt.

Vnum in tanto supplicio habebant Iudæi, quod Iesu opponerent, nimirum, si nullam in eos habeat potestatem, de qua diligenter inquirunt, dicentes: Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis? Exere potestatis testimonium, scelera noscimus, & flagello digna non negamus, sed demonstra nobis, cur tuum sit illa sic castigare? Nullus enim zelus est, qui possit excusare hominem, qui animaduertit in eos, quorum nullam habet potestatem. Sic cauet Deuter. 7. *Cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, quam possessurus ingrederis, & deleuerit gentes multas coram te: tradideritque eas Dominus Deus tibi: aras eorum subuertite, & confringite statuas.* Sanè prius videbatur à Deo dicendum, Deut. 7.
quod Moyses idololatriam terræ expungeret, lucos succenderet, euerteret aras, confringeret statuas. Cur nõ hoc prius Moysi imperatur? Abi Moyses, cum primum ingressus fueris terram, hoc age, vt nullus supersit locus idolorum, nullum sacrum. Sed non loquitur sic, immò prius ait: Cum terram ingressus fueris, eamque expugnaueris, expugnatamq; à Deo in possessionem receperis, tunc ad expulsionem idololatriæ conuertes animum, vt prius potestatem accipias, quam scelera velis castigare. Pulchrè D. August. serm. 6. de verbis Domini ait: *Audistis, quæ nobis legimus: Cum data, inquit, fuerit terra in potestatem. Prius ait, in potestatem, & sic dixit, quæ facienda sunt. Aras eorum, inquit, destruetis, lucos eorum comminuetis. Cum acceperitis potestatem, hoc facite: vbi nobis non data est potestas, non facimus, vbi data est, non prætermittimus.* August.
Prius de habenda potestate cura, quam de corrigendis peccatis: vbi enim potestatem habens correctioni instas, facili negotio inter rebellium multitudines ages, alioquin quiuis homuncio in te audebit. Moyses ille, qui tanto populo leges dedit, qui Pharaoni Deus fuit datus, illumq; tot plagis mulctauit; vbi ad duos Hebræos rixantes accessit, illosque corrigere audet, quantam accepit contradictionem? Sic habes Exod. 2. *Quis te constituit iudicem super nos, num occidere me tu vis, sicut heri occidisti Ægyptium? Timuit Moyses, &c.* Exod. 2.
Qui non timet Pharaonem toties furentem, qui non timet multitudinem Israëlitarum, quos gubernabat, à solo vno homine reprehensus discedit timens, & pauens. Hoc lucrantur, qui nulla accepta potestate, alios corrigere audent.
Sic Diodor. in Cat. Græca fatur, *Moyses, qui prior inter duos rixantes reiectus iudex, & habitus indignus æqualibus conciliandis: nunc tot inter hominum millia, & inter Pharaonem non iudex quidem, sed Deus constituitur. Scriptura nobis tantum non vociferante non debere quemquam suæ doctrinæ, suæque prudentiæ confidere, priusquam iusta vis, & auctoritas accedat.* Nulla accepta potestate, nec fortissimus quisque prudentissimusque vnum homuncionem gubernabit, sub iugoque correctionis trahet. Verum potestate accepta, vel formica leones Diodor.
subiugabit. Sic 2. Paralip. cap. 9. de regio Salomonis solio dicit. *Fecit quoque rex solium eburneum grande, & vestiuit illud auro mundissimo. Sex quoque gradus, quibus ascendebatur ad solium: & scabellum aureum, & brachiola duo altrinsecus, & duos leones stantes iuxta brachiola.* Quis bene consultum putet, quod leones iuxta brachiola ponantur? Vbi leones ponis, non brachiola, sed brachia robustissima apponenda erant, quibus leones coercerentur. Sed nota, quod brachiola de solio regali procedebant, à quo & in quo potestatem, & auctoritatem mutuabant, & vbi auctoritas, potestasque præcedit, vel brachiolum leones subiugabit. 2. Par. 9.

§. XIV.

Vulnera à Deo inflicta fortitudinem, & tolerantiam ad sustinendum afferunt.

Miraberis quod verberati mercatores isti à Iesu nihil asperum loquantur, nullum impatientiæ aut iracundiæ faciant verbum, solum dicunt, Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis? Quid tolerantius dicere posset homo ab alio verberatus? Sanè in hoc perspicuè cognoscitur flagelli manus. Vbi enim manus diuina per se vulnera infligit, simul imprimit tolerantiam, qua fortiter, & patienter flagella sustineantur. Ex cuius tolerãtiæ testatione aiebat Iob Iob. 19.
c. 19. *Manus Domini tetigit me.* quo conuincit D. Ambr. summam diaboli stultitiam, & cæcitatem. Is enim vt certissimũ Ambros.
euersionis Iobi instrumentum petebat à Deo, cap. 2. *Mitte manum tuam, & tange os eius, & carnem, & tunc videbis, quod in faciem benedicat tibi.* Falleris ô pessime cum putas Iobum euerti posse diuina manu: nõ enim manus diuina scit euertere, sed sanare, non scit vulnera infligere, quin simul non infligat tolerantiam, & sanitatem. Ambros. Psalm. 36. ait: Idem.
Diabolus suo sermone deceptus est. Misit enim Deus manum suam, & confirmatus est Job. Cœpit benedicere, qui maledicere credebatur.

tur. Sanat enim iustos cum tangit manus diuina. Hoc est notissimum vulneris à Deo inflicti signum, quod fortiter & toleranter sustineatur. Vbi multiplicari vulnera vides, & etiam multiplicari in homine tolerantiam, agnosce vulneratoris Genes.32. manum, agnosce Deum vulnerantem. Id quod Genes.32. expressum habes in Iacob; cum enim hic solus maneret, ecce vir luctabatur cum eo vsque mane, *Qui cum videret, quod superare non posset, tetigit neruum fœmoris eius, & statim emarcuit. Dixitque ad eum, Dimitte me; iam enim ascendit aurora. Respondet: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Qualis hic luctator est, in cuius amplexu quò magis Iacob constringitur, eo fit valentior; & dum in fœmore percutitur, sic roboratur, vt nullis precibus, nulla vi cogatur dimittere eum, nisi prius benedictione accepta? Iā inde internoscitur clare Deus sub luctatoris specie, cuius vulnera robur imprimunt Lyppom. fidelibus ad gratias, & benedictiones obtinendas. Lyppom. in Cat. *Nunc Deus grauibus tentationibus, & multis exercet fidelem, corpore, & spiritu, quasique hostis ad casum veluti propellere videtur, claudumque nonnunquam, ac difficilem reddit ad pietatis opera, finitque in multis offendere. Salua tamen semper fide, vincit aduersa, à Domino benedictionem assequitur.* Non sunt Dei vulnera; quæ maledictiones creent, sed quæ vulneratum roborent, vsque dum diuinam benedictionem possit obtinere. Psalm.37. Vnde merito Dauid Dominum exarabat, Psalm.37. *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Quoniā sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, & confirmasti super me manum tuā.* Ex eo quod super se diuinam manum sentiat vulnerantem, sagittantem, à furore, & ira Domini petit liberari. Quando enim manus diuina super aliquem venit, quem sinat furori, & iræ succumbere? Non ea est diuina manus, sed quæ percutiat, vt sanet, quæ vulnerat, vt saluum faciat.

Text. Respondit Iesus, & dixit ei: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud, &c.

§. XV.

Iudæi in Iesu solum suum vident exitium propter suam duritiam.

Cyrill. PVlchrè notat D. Cyrill. signa Iesu Iudæis tentantibus exhibita nulla esse, nisi signa mortis, & passionis Domi- Matth.12. nicæ. Matth.12. dicit, *Signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ,* &c. In præsenti autem pro signo datur eisdem: *Soluite templum hoc,* &c. de solutione templi corporis sui locutus. Cur ergo Iudæis rebellibus sanguinea passionis signa exhibentur? An, quia illis à Iesu solum manet excidium? Sanè D. Bonauent. in 4. reddens rationem, cur Dominus viuens se se sub speciebus panis comedendum præbuerit; post mortem autem resurgens, plagarum fossuras integras reseruarit, ideo id factum putat, quia Dominus ante passionem fuit cum discipulis, vt socius, & ideo tunc reliquit signa amoris. Sed post resurrectionem fuit vt Dominus, & quasi extraneus: ideo reliquit tunc magis signa timoris, vt suarum cicatricum ostensionem. Sic modo, qui fidelibus signa amoris passim præbebant, rebellibus Iudæis vnam præfert passionis suæ ostensionem, in qua nihil non sibi metuen- Ioann.3. dum videant. Apud Ioan. cap.3. significans passionem suam Dominus, ait: *Sicut Moyses exaltauit serpentem in eremo, ita exaltari oportet filium hominis.* Quibus verbis non solum significabat se moriturum, sed & modum mortis, quo in stipite figendus, & eleuandus instar serpentis eleuari coram Israëlitis in eremo. Sed cur meminit serpentis eleuati in eremo? Quia Iudæis non ostenditur Iesus, nisi sub ea specie, quam Chrysol. horreant, & ex qua suum exitium augurentur. Chrysol. serm.55. ait, *Iudæus in serpente videbat Christum, quia impius oculus Deum videre non potest, non potest videre pietatem.* Nihil pietatis, nihil misericordiæ nouerunt Iudæi in Iesu spectare; quidquid in illo vident, lethale est, damnosum est. Hinc etiam est, quo crucifixi latus, dum lancea militis perforatur, *continuo exiuit sanguis, & aqua.* vt testatur Ioan.19. Sed cur sanguis, & aqua? Sanè dabantur ibi signa Gentilibus, & Iudæis peccantibus, gentilis enim homo Pilatus Iesum morte damnauit, sed magis occiderunt Iudæi damnantes: crucifige, crucifige. Vnde de arcario pectoris sui mittit Dominus vtrisque signa, sed in quibus Iudæi videant sanguinem, gentiles videant aquam. Illi nihil spectēt, quod non sit lethale, non sit maximè damnosum: hi spectabant semper viuidum fluentum gratiarum, fontes saluatoris, quibus Cyr. Ier. ablui posset. Ita D. Cyrill. Ierosol. Catech.13. ait, *Iesus aquam emisit de latere vna cum sanguine, fortassis propter duas cædes, alteram iudicantis, alteram clamantium; aut propter credentes & non credentes. Pilatus enim dixit: Innocens sum, & aqua lauit manus suas: clamantes autem dicebant: Sanguis eius super nos. Erant igitur hæc duo de latere, fortassis iudicanti Pilato aqua; clamantibus vero Iudæis sanguis. Iudæis quidem sanguis: Christianis vero aqua: illis quidem, tanquam insidiatoribus ex sanguine condemnatio; tibi vero nunc credenti, per aquam salus.* Nunquam Iesus à Iudæis non videbatur cruentus, non videbatur lethalis. Quoties ad Iesum oculos conuertunt, nihil non mortiferum suspicantur, vndique vident in se eiaculatum sanguinem: semper in Iudæos intonat vox illa Matth.12. *Si-* Matth.12. *gnum non dabitur ei, nisi signum Ionæ:* nimirum signum dissolutionis, signum euersionis.

CAPVT VIII.

De ficu arefacta.

POST tot beneficiorum miracula, vnum venit modo Christi facinus, à quo nō salus, sed indignatio in ficum nascitur. Aruit ficus ad vocem irati Domini, vt ostēdatur de eius munere esse, quod vniuersi peccatores non subito arescant, & penitus dissoluantur.

Matth.21. Mane autem reuertens in ciuitatem esuriit. Et videns fici arborem vnam secus viam, venit ad eam, & nihil inuenit in ea, nisi folia tantùm, & ait illi: Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum.

§. I.

Sic Deus nostram operatur salutem, vt videatur indigere hominibus.

ACcessurus Iesus ad ficum, in illaque quasi in typo operaturus aliquid, quod ad hominum salutem conduceret, famem in se diuina excitauit virtute. Prius enim se esurientem ostendit, & sic conuenit ficum. Sed cur nisi esuriens accedere ad illam noluit, nisi vt ostenderet Dominus, quod in hominum salute, quasi propriæ indigentiæ subueniret, & sibi maximè consuleret. Apud Lucam c.11. ait etiam Luc.11. Dominus. *Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice commoda mihi tres panes: quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo, quod ponam ante illum: & ille de intus respondeat, Noli mihi molestus esse, quonia iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili; non possum surgere, & dare tibi? Dico vobis: si non dabit illi surgens, quia amicus eius est, propter improbitatem eius surget,* &c. Ecce tibi hac parabola adumbratur id, quod intercedere potest inter Deum, & homines, vt alter petat, alter concedat, hominisque succurrat petenti. Homo cogitur ad petendum aduentu hospitis, & panis indigentia. Sed cum homo sic indignus ad ostia diuina pulsaturus accedit, cur media effingitur nox, & cur etiam effingitur Deus sub noctis silentio intra cubiculum suum, cum pueris suis clausus, & quietus? Planè non solum amat Deus subuenire hominibus, sed sic illis accurrere mauult, vt videatur ex propria indigentia, & quasi sibi consulens, id fecisse D. Chrysol. serm.39. ait: *Indicit* Chrysol. *in hac humanitate geminam necessitatis speciem petentis, & dormientis, vt illum petere hospes, dare compellat hunc somnus: vtpote qui propterea se daturum ei dicat in tempore, quod non occurrere amico, sed recurrere videatur ad somnum: vt ei magis dormire liceat sic petenti.* Sic amat Deus hominibus prodesse, vt velit videri, quasi suæ indigentiæ causam agere potius, quam alterius, qui bona largitur. Nonne dormientis lucrum est, quod cito satisfaciat pulsanti? Ideo Dominus dicitur media nocte inquietari clamoribus pulsantis ad ianuam, vt respondens citius videatur, sibi consulere, nō pulsantis saluti.

§. II.

Vt præcox virtutis fructus semper tempestiuus est, sic serus fructus rarò non reiicitur, vt tempestiuus.

MAne esurit Dominus, & ante tempus fici fructus requirit: qui enim homo præuenit in maturitate, & cum vix per tempus licet, iam virtutis præfert fructus, is profecto

fecto attigit punctum diuini gustus. Vide quam cito Deus à fidelium complexu recedat fatur. Genes.32.dicit. *Dimitte me:iam enim ascendit aurora.* Nondum incaluerat dies, nondũ sudor meridianus apparuerat, & iam Deus certaminum satur discedere parat, & iam athletam suum in pace valere iubet. Vnde hæc tam cita victoria Iacobo nascitur, nisi ex eo, quod ipse præuenerit in maturitate, quod solem in arena præuenerit, quod sese Deo citissime præsentauerit? D.Cyrill.Alex. in Cat.Græca fatur. *Vides ne, lucescente die, in pugillatu non perseuerasse? Haud enim luctatur cum illo Deus, qui lumine perfusus meritò dicat: Deus Deus meus ad te de luce vigilo.* Omnia scilicet absoluit, qui sic maturat virtutis fructus Deo præsentare. Sanè qui sic matutinus Deo astat, qui sic maturat virtutis suæ fructus Deo offerre, tempestiuus est, & tempestiuitate sua intendit, prospere procedit, & regnat. Qui autem serus est, nihil affert Deo nisi fastidia, nisi quod repulsam generet, & luctas. Mane esurit Deus, quidquid tunc apposueris boni fructus, tempestiue apponis esurienti: sed cum iam sero est factum, non esurienti, sed saturo apponis, quod fastidiat. Nota est historia duorũ fratrum Esau, & Iacob, Genes.27. vterque cibis patris benedictionem sibi acquirere studet, sed Iacob diligentia matris adiutus, festinus, & alacer matutinos infert patri esurienti cibos: accipit lætus pater, & mille gratias, mille benedictiones refert reficienti cibo. Quid tunc Esau? Nonne parat etiam cibos parenti optimo? Parat, sed in parando cibos tardat, venationi dans operam, & seri cibi cum iam saturo obueniant, nihil citius causant, quã fastidia, quam repulsam. Acute D.Chrysostom. hom.de Iacob, & Esau fatur. *Denique Esau pergit venatum, vt imperata perficeret, moratur, & tardat. Quærit inuenire, quod pater fastidiat, desiderat capere, quod genitor iam saginatus exhorreat.* Felix, qui festinat, qui nouit solem prænenire; fallar si is aliquando Deum non esurientem inueniat, si non adsit semper tempestiuus. Ille infelix, qui tardat fructus offerre suos, is saturato Deo accedet, & non tam cibos portabit, quam fastidia; nec reportabit benedictionem, sed repulsam. Luc.11. talem texit Dominus parabolam: *Quis vestrum habet amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicit illi: Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit ad me,* &c. Notanter ponitur, quod vadat media nocte ad amicum; media, inquam, nocte quando fortis mulier Prouerb. 30. surgit, vt det cibaria ancillis suis, quando diligentia hominis magis elucet, quæ sciat præuenire solem, & esurientium fami occurrere primæ. Vnde Chrysol.serm.59. inquit. *Hoc tempus est, quod deuotum, & inge pernoctantis ostendit indicium: quod antequam finiat transacti diei opera, inchoat, & anticipat iam futuri. Merito sic pulsanti taliter, quotquot necessarios habuit, Euangelicus iste fænerator largitus est panes: quid faciunt, qui se non in exhibili, sed ipso collocant in sepulchro? Qui se non somno, sed morti tradunt? Quos gallus non commouet, lucifer non suscitat, sol ipse non reuocat, & producit ad lucem? Isti, & tempus supplicandi, & hospitii mercedem, & ipsa dies opera perdiderunt.* Hæc facit lucra, qui anticipat opera, qui de fortis fœminæ diligentia didicit ante lucem parare cibaria non ancillis, sed Christo. Et sic omnia perdit, qui adeò serus est, vt nunquam sciat ad Deum vigilare de luce.

Genes.32.

Cyr.Al.

Genes.27.

Chrysost.

Luc.11.

Chrysol.

§. III.

Christi gratia sic solet festinare ad nos, vt nullum sit tempus, in quo non possit spectari eius fructus.

ET manè, & vt Marcus notat, cum non esset tempus ficorum, Dominus ficum requirit, & fructus exigit, nec mirandum est, quod ante tempus fructus à Deo exigantur, cuius gratia nouit tempora anteuertere, vt fœcundet mentes humanas ad operandum. Pro cuius commentario do Chrysol. serm.59. taliter fantem. *Solicitaret me acerbi partus subita, & confusa tempestas, & immatura germinum me pullulamenta turbarent, nisi crebro, & disruptis temporum moris, & rudi latrocinio & fractis viscerum claustris repentina viuendi lucra quærerent, & raperent nasci turi. Hinc est, quod homo sæpe mensis decimi despiciens terminum, septimo mense angustas prima domus, & arctas vteri abiicit, & deserit mansiones, vt præliator nouus ante se tempus euicisse gaudeat, quam dependat ipse suorum temporibus seruitutem. Et si hoc humanæ liceat naturæ, naturæ cælesti quod obsistere poterit, & diuinæ? Aut quomodo gratia superna non efficit, quod fragilitas obtinet, & implet humana?* Et quidem non est, cur gratia morosior sit in operando, & magis pigra, quam natura, sed vt à natura spectari solent adeò præcoces fructus, vt omnia præueniant tempora, & despectis terminis, cum nondum per tempus liceat, festinent nasci; sic gratia faciat præueniri tempora in maturitate. Cur non exigas a gratia, quod vides à natura datum? Dat natura eos, qui despiciant terminos nascendi, qui ante gaudeant se euicisse tempora, quam dependant suam temporibus seruitutem. Det similiter gratia, qui sine tempore renascantur in perfectam ætatem plenitudinis Christi. De se Paulus dicebat 1.ad Corinth.15. *Nouissime autem omnium, tanquam abortiuo visus est & mihi.* Quid est tanquam abortiuo? An quia renascendi tempora compendiauit, & terminos fastidiens vteri, quam non licebat per tempus, plenitudinis Christi obtinuit ætatem? Pulchrè Chrysolog. supra ait: *Cum subito in via nasceretur, meritò se abortiuum nuncupat, & miratur se fuisse natum, qui nouit se nulla conceptus tempora pertulisse. Nam cum adhuc hostis ipse cæderet extrinsecus sanctæ matris vterum, & in ipso ortu pignora veneranda collideret, repente sanctum mutatur in germen, qui ipsius germinis fuerat acerrimus persecutor.* Minimè eget tempore gratiæ parturitio de gratiæ virtute, meritò ante tempus possunt fructus, & vsuræ postulari. Nostra desidia est, quod tempora longa præscribamus gratiæ in nobis operanti, quæ quidem potens est sine tempore fructus dare longissimæ ætatis, & in immaturis annis maturissimos virtutum fructus monstrare. Quod tempus minus aptum virtutum fructibus, quam tempus pueritiæ, quam tempus infantiæ? Matth.14. de his qui Iesum secuti fuerant vsque ad desertum, ait: *Manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum, exceptis mulieribus, & paruulis.* Ecce tibi & paruuli perueniunt etiam ad Christum in maturitate, & quibus per tempus vix aliud licebat, quam sugere vbera matrum, in deserto post Iesum abeunt. Vnde D.Ambros.lib.3.de virginit.ait. *Et quasi incredibile putamus, si puellæ nubiles Christum sequantur ad regnum, quem etiam pueri sequebantur in desertum? Sicut legimus, quia saturata sunt de quinque panibus, quinque hominum millia; exceptis, inquit, pueris. Nolite ergo à Christo arcere infantes; quia & ipsi pro Christi nomine subiere martyrium, talium est regnum cælorum.* Nulla infantia, nulla ætas intempestiua est fructibus gratiæ. Hinc illi Niniuitæ, vt imminens excidium à se arcerent, hoc etiam prudentissimè cauent, ne vlla infantia sine fructibus pœnitentiæ inueniatur. Sic enim habes Ionæ cap.3. *Et crediderunt viri Niniuitæ in Deum: & prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis à maiori vsque ad minorem.* Nullus sterilis in eis; nec etiam minimus, cui vix per tempus habere licebat, fructu caret. D.Basi.Sel.orat.12.ait. *Vide pœnitentium terminos à maiori vsque ad minorem. Omnium ætatem terror incursat, omnes pœnitentiæ iugum subeunt.* O quam felix arbor, quæ & tempestiuè fructum habet, quam hæc longè erit à maledictione.

Chrysol.

1.Cor.15.

Chrysol.

Matth.14.

Ambros.

Iona 3.

Basil. Sel.

§. IV.

Maria Virgo, benedicta arbor, ab ipso conceptu suo fructum attulit.

CVm video ficum Dei maledictionibus exsiccari, eo quod etiam cum non esset tempus ficorum, fructus nõ dedit esurienti Domino; non possum nõ meminisse arboris Marianæ, cuius benedictio hoc efficit, vt ante tempus omne iam à conceptu fructibus exornaretur gratiæ. Illi dicebat Angelus. *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Qualis hæc benedictio, an quæ afficiat, & impleat iam nuptam puellam, & Deo grauidam? Equidem si ex opposita fici maledictione argumentari licet, vt hæc maledictioni obnoxia fuit, quia fructum non habuit, cum per tempus non posset habere: sic Mariæ benedictio ostendit, quod hæc diuina puella, nunquam gratiæ fructu caruit, sed illum exhibuit Deo à conceptus sui momento, quando nulla hominis anima fructum habet. Equidem benedictio fructus diuini prius Mariam suscepit, quam sinus matris includeret. Apud 2. Reg. 2. cum post Eliæ raptum Elisæus moraretur Ierico: *Dixerunt viri ciuitatis ad Elisæum: Ecce ciuitatis huius habitatio optima est, sicut tu ipse Domine perspicis: sed aquæ pessimæ sunt, & terra sterilis. At ille ait: Afferte mihi vas nouũ, & mittite in illud sal. Quod cum attulissent, egressus ad fontem aquarum, misit in illud sal, & ait: Hæc dicit Dominus: sanaui aquas has, & non erit vltra in eis mors, neque sterilitas. Sanatæ sunt ergo aquæ.* Nonne vides optimam habitationem ciuitatis probari? Nonne vides optimam habitationem ciuitatis aquarum sterilium venis infici? Sed Elisæi benedictio immisso sale non solum aquas stagnatas in fonte sanat; verum ipsas aquarum venas sic componit, vt humor ille primus in prima scaturigine deciduus, prius inueniat salutem, quam

2 Reg. 2.

Ambrof. quam fontis finum. Id quod eleganter attingit D.Ambrof. ferm.2 de Elifæo, inquiens. *Non enim fola tantum fluenta benedixit Elifæus, quæ fontium iam gremio tenebantur, fed & illa quæ humano terræ folo adhuc indifcreta paulatim erant in pofterum defluxura. Vnde ait fcriptura, ad exitus aquarum benedixiffe Elifæum, vt ftillantem aquam prius fanctificatio fuf ciperet, quam finus fontis includeret.* Sic, ne optima ciuitatis habitatio inficeretur, valuit Elifæi benedictio præuenire fluxuras aquas, vt ftillantem guttulam prius fanctificatio fufciperet, quam finus fontis includeret, & benedictio diuinifsimi fructus Mariæ data non profpiceret habitationi fuæ, ne illam vlla infectionis fcaturigo poffet maculare? Quin immo, eo ipfo quod in nobis voluit Deus habitare, nihil curauit, quam benedicere generationi matris, ea benedictione, qua ftillatam, fiue conceptam Mariam prius fanctificatio fufciperet, quam finus matris includeret. Vnde venit, quod Marianus in mundo ingreffus magnam faceret Cant.7. admirationem dicenti, Cant.7. *Quam pulcri greffus tui in calceamentis filia principis.* Merito miratur ibi pulcritudinem effe in Maria, vbi omnes homines habent fœditatem, nimirum, Ioann.13. in primo conceptionis greffu. Ioann.13. ad Petrum dicit Iefus *Qui lotus eft, non indiget, nifi vt pedes lauet.* Nullus, quamuis iuftus, quamuis fanctus, qui ab Adamo naturalem originem traxit, adeò mundus eft, quod à primo in-Ambrof. greffu pedes fœdatos non habeat. D.Ambrof. lib. de his qui myfteriis initiantur, c.6. ait. *Mundus erat Petrus, fed plantam lauare debebat. Habebat enim primi hominis de fucceffione peccatum, quando eum fupplantauit ferpens, & perfuafit errorem. Ideò planta eius abluitur, vt hereditaria peccata tollantur.* Nullius pes non nigrefcit in primo vitæ ingreffu, fola Maria hanc ex fructu ventris fui benedictionem habuit, vt etiam in luteo illo ingreffu pedes habeat originariam pulchritudinem balantes.

§. V.

Perit, qui dimidiat folum obligationes, & non illas implet omnino.

Ecce tota ruina ficulneæ vnde ortum habuit, quod inuenta eft habens folia tantum. Et folia, & fructus habent bonæ arbores, hæc dum dimidiat virtutem, non potuit non in perditionem labi. Vafer ille iniquitatis villicus ad hominem, qui debebat Domino fuo centum cados olei, fatur Luc.16. *Sede cito, & fcribe quinquaginta.* Cur potius illi non tollit omne debitum, fed mauult permittere dimidia-Chryfol. tum? Pulcrè refpondit Chryfol. fer.126. aiens, *vt totam fidem perderet, dum mediat captionem.* Et qui nihil reddit, & qui mediat debitum, fimilem damnationem habent; non potes non perdere totum, qui Deo reddis debitum dimidiatum. Audiò à Deo datam effe Moyfi legem fcriptam in duabus tabulis, in altera quod pertinebat ad cultum Dei exaratum erat, in altera quod pertinebat ad proximorum vtilitatem, & commoditates. Sed vix acceperat Moyfes tabulas, & antequam à monte defcendat, confringuntur inter eius ma-Exod.32. nus. Sic enim habes Exod.32. *Proiecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis.* Cur non magis permanent legis tabulæ? Cur tam facilè confringuntur, & perditum abeunt, Sanè neutra illarum integram in fe legem habebat, fed vtraque dimidiatum, inde facili negotio potuerunt confra-Hilar. ctionem pati. Ita infinuat D.Hilar. Canon.27. in Matth. fatus. *Moyfes decem verba duabus tabulis confcripta acceperat. Neceffe enim erat, omnia ea in vtraque confcribi.* Tunc tabulæ illæ firmiores effent, fi vtraque illarum omnia verba legis in fe fcripta, & obferuata haberet, fed cum vtraque dimidiatam habuit legem, facile potuit perdi dimidium. Totum perdere metuat, qui obligationem ad Deum dimidiat. Ille fecuriffimus agit, qui integram legem diuinarum adimplet difcipli-Ildeph. nam Id quod Mariæ Virgini attribuit D.Ildeph. fer. de Affumptione, inquiens. *Rectè arca Sacramentorum Dei Virgo Maria fuit, fupra quam fanè propitiatorium, & Cherubim bine inde obumbrantia figurantur, quia Mariæ nullum extrinfecus obrepfit peccati contagium, fed intus omnis cuftodia legis, & manna fuit,* &c. Ecce tibi tota Mariæ firmitas, & benedictionum ftabilitas vnde fulciatur, nimirum, quia in illa omnis cuftodia legis fuit, & inde fragilis caro de integra cuftodia legis fuffulta longè fuperat firmitate marmores, dum hi legis 2.Reg.7. cuftodiam folùm dimidiatam habent. Similiter Dauid 2. Reg. cap.7. æternitatem, & firmitatem regnorum ab integra legis naturalis cuftodia putat nafci. Ait enim: *Sed & hoc parum vifum eft in confpectu tuo Domine Deus, nifi loqueris etiam de domo ferui tui in longinquum. Ifta eft enim lex Adam Domine Deus.* Nimirum, perpetuitas, & ftabilitas fedis, eft fummum ad quod fe extendit tota fimul iuncta vis legis, & naturalis dictaminis. Quafi inde Dauid extollat mifericordiam diuinam fecum peractam, quod accipiat a Deo durationem regni, cum hæc ftabilitas fit proprius effectus integræ legis obferuantiæ. Ideo curarunt maximi viri fancti, fic omnia fuæ vocationis implere officia, vt nec in minimis obferuantiæ apicibus deficerent. Magnus ille Ifaac & libens, & gaudens paternum expectabat gladium, nihilominus patitur fortibus illigari funibus, ne ictum refugiat. Cur ligaris, ô bone, an times in te aliquam inuoluntariam fugam? Abfit; ideo ligatur Ifaac, ne quid minus habeat, quam cæteræ victimæ. D.Zeno, ferm. 2. *Ne quid* Zeno. *minus ab hoftia videretur, ligatura pedem diftrinxit.* Periculum putabant fancti, fi quid minus egiffent ab eis, ad quæ vocabantur ipfi.

Text. Et arefacta eft continuò ficulnea. Et videntes difcipuli mirati funt, dicentes: Quomodo continuò aruit.

§. VI.

Creaturarum ruinæ à Deo factæ efficaciffimæ funt, vt hominum corda conuertantur.

Qvis videat Dei flagellum ad infenfibiles creaturas perueniffe, & non paueat? Arbor infructifera maledictionis flagello vapulat, & homo audet fterilis perdurare? Fallar fi non efficaciffimum fit ad homines conuertendos, quod videant infenfibiles creaturas flagellari. Ideo Ioann. Baptift. apud Luc. cap.3. ait. *Securis ad radices arborum* Luc 3. *pofita eft. Omnis arbor non faciens fructum eradicabitur.* Quid ais Ioannes, tibi cum hominibus res erat, non cum arboribus; cur relictis hominibus arborum proponis excidia? Sanè arborum proponit excidia, vt efficaciffima ad hominum mentes immutandas. Quis non arbor, aut truncus vellet fterilis perfeuerare, nollet bonos fructus dare cum ob oculos habeat arbores Dei flagello percuffas ob fterilitatem? Merito Ioannes excidia arborum hominibus proponit, quæ hominum mores potentes funt immutare. De quo Chry- Chryfol. folog. fatur, ferm.137. *Exemplo arborum corripit, comparatione notat, figura prodit, vt iam non mores folum, fed ipfam naturam poffit venenofi germinis immutare.* Et quidem potentiffima funt creaturarum infenfibilium excidia ad immutandos, & conuertendos hominum animos. Homo ille Dei, qui iuffus fuit apud Ifraëlis regem prophetare, 3. Reg. cap.13. relicto 3.Reg.13. rege, verba facit ad lapides altaris, & Dei iram hominibus imminentem effundit fupra altare. *Altaréque excifum eft.* Cur ad altare prius, & non ad hominem verba facis? Si vis, vt Regis corda fcindantur, cur potius iubes fcindi lapidem? Efficaciffimum fanè medium proponit, vt hominem confringat ad pietatem, fi vel lapides Dei ira confractos ob oculos proponat; non enim homo erit, imò nec lapis, fed nefcio quid vincens omnium duritiem creaturarum, qui tali afpectu non confringatur. Vnde grauiter D. Chryfoft. Chryfoft. hom. de fancto Herone, id exaggerat fatus. *Vides vt omiffo eo, qui ratione præditus eft, id quod erat rationis expers fit propheta allocutus, vt per illius obedientiam, illius ftuporem malitiámque corrigeret? Fractum eft altare, & regis malitia fracta non eft.* Magnam femper vim habent creaturarum infenfibilium ruinæ, vt homines cauere faciant; quare mos eft Dei diligentis homines prius flagellum ad creaturas infenfibiles mittere, vt homines conuertantur, nifi hi fint omni duriores lapide, omni infenfibili minus fenfati. Quis patiatur fe effe in peccatis, cum videat propter illa cautes fcindi, montes liquefieri, & terram ipfam mille maledictionibus vapulare? Ifaias cap. 24. *Et terra infecta eft ab habitatoribus* Ifai 24. *fuis: quia tranfgreffi funt leges, mutauerunt ius, diffipauerunt fœdus fempiternum. Propter hoc maledictio vorabit terram.* &c. Expende in fummis hominum facinoribus, flagellum quem percutiat, nimirum terram: peccant homines, brutefcunt, lapidafcunt fceleribus, & non in hominibus, fed in terra eft vindex maledictio. Et quid inde nafcitur vtilitatis? Iam dicit vates continuo. *Hi leuabunt vocem fuam, atque laudabunt.* O efficax hominum medela! Feritur terra Dei maledictione, & homines etiam teneriffimi, nocentiffimi clamant ad Deum in voce confeffionis, in fono epulantis.

LIBER DVODECIMVS, DE PRÆDICTIONIBVS IESV ADIMPLETIS.

NON æquum duxi à Iesu facinoribus separare prædictiones, quas ipse de variis rerum euentibus edidit: vt quæ supra omnia miracula virtutem Iesu ostendant diuinissimam. Aiebat Petrus, 2. ep. 1. de Iesu: *Accipiens autem à Deo patre honorem, & gloriam voce delapsa ad eum huiuscemodi à magnifica gloria, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite. Et hanc vocem nos audiuimus de cælo allatam, cum essemus cum eo in monte sancto. Et habemus firmiorem propheticum sermonem*, &c. Quis iam non miretur, firmiorem propheticum dici sermonem voce delapsa è cœlo? Sanè pro Iesu diuinitate certissimum testimonium præbebat vox de cœlo delapsa, & nihilominus, firmior dicitur propheticus sermo. Vnde D. August. serm. 27. de verbis Petri, ait, *Quis non miretur delata voce de cælo certiorem sermonem propheticum ab Apostolo dictum esse? Certiorem dixit, non meliorem, non veriorem; nam verus ille sermo de cælo, quam propheticus, tam bonus, tam vtilis. Cur ergo certiorem dixit? Certè, quod eo magis confirmetur auditor. Dicerent enim infideles vocem illam delatam de cælo magicis cantionibus elici potuisse. Sed prophetæ ante Christi carnem fuerunt, hoc non potest tribui magicis carminibus.* Habes ex August. quanta sit prophetiæ auctoritas, quam superet omnem aliorum mirabilium virtutem, vt fidem ab humanis mentibus eliciat. Sint ergo modo Christianæ prophetiæ pro coronide tantorum à Iesu effectorum facinorũ. August.

CAPVT I.

De statere inueniendo in ore piscis.

QVò se non proripiet exactorum impudentia, quando vel à diuinissimo Iesu exigere audet tributum? Sanè summi regis filius omni erat seruitio liber; tamen, vt occasiones scandali imperfectis auferat, tributum stateris soluit: sed illum staterem, quem piscanti Petro os piscis euomat. Quippe sic soluit tributum Iesus, vt simul ostendat se prorsus ab omni esse immunem tributo. Cui soluat tributum homo ille cœlestis, cui inest tam clara patris imago, quæ præsit piscibus maris, & ab eis stateris seruitium exigat? Cui soluat tributum ille, cuius præscientiæ oculis patent vniuersa, nec stater in ore pisciculi potest illos latere? Pulchrè D. Hieron. *Quid primum mirer in hoc loco, nescio: vtrum præscientiam, an magnitudinem Saluatoris. Præscientiam, quod primus ipse capiendus esset. Magnitudinem, atque virtutem, si ad verbum eius statim stater in ore piscis creatus est, & quod futurum erat, ipse loquendo fecerat.* Potuit, qui in conchylium ore margaritas gignit, & staterem in ore piscis ponere. Sed ad quid hæc tam occulta positio? Quare in hoc facto, non tam virtutem Iesu, quam præscientiam mirarer solam. Hieron.

Matth. 17. Et cùm venisset Capharnaum, accesserunt, qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei: Magister vester non soluit didrachma? Ait: Etiam.

§. I.

Tributa exigenda sunt, quanta fieri poterit benignitate, & humanitate.

NOn possum illaudatam relinquere in præsenti, & humanitatem, & comitatem horum, qui regium exigebant didrachma. Non enim rigidis, & seueris vocibus Iesum conueniunt, & vt soluat, expostulant, sed comiter, & humane ad Petrum accedunt, ab illoque non exigunt, sed interrogant: *Magister vester non soluit didrachma?* Hanc discãt humanitatem, & comitatem tributorum exactores, qua non vexent pauperes homines, sed demulceant, & sine nouis iniuriis tributorum collationem faciant. De qua re eleganter disserebat Nazianz. orat. in Iulianum exactorem, fatus. *Satis, supérque graue est liberis hominibus seruitute premi; tantumque inter eos, qui eadem massa coagmentati sunt, interesse, vt alij imperio teneantur, alij tributa constituant, alij tributi causa describantur: alij iniuriam inferre impune possint: alij, nequid patiantur, precibus contendant: eáque circa vnam, & eandem imaginem, circa vnam, eandémque dignitatis præstantiam contingere, circa eiusdem vitæ hæredes, & pro quibus Christus æquè mortuus est. Satis, inquam, hæc liberis hominibus molestia sunt: ne quid huic iugo grauitatis addatur, ne quid pœnæ illi, quæ primum nostrum peccatum mulctatum est, acerbitatis accedat.* Ingens est liberorum hominum pœna tributum; & quod qui æquè ad imperium nascebantur, & vt præsint piscibus maris, sub tributo fiant, quod sibi æqualibus soluant. Quis ergo pœnam adeò acerbam à fratre suo exigat, sine misericordia, sine humanitatis, & comitatis specie? Nazianzen. similiter accinit eius scholiastes, dum ait. *Tributa satis per se grauia, ne per auaritiam nostram grauiora reddamus: nec mæroris pœnam ob infractum Dei præceptum nobis constitutam augeamus, vitam scilicet hominis, qui nobis genere, & natura sociati sunt insatiabili nostra cupiditate calamitosam reddentes.* Sanè vehementer hominum calamitates augent, qui duri sunt, & inhumani tributorum collectores. Quandoquidem sufficit diei malitia sua, tributorum calamitas non augenda est duritie exactorum, imò sic se debet exactor temperare, tam debet ostendere humanitatem, comitatem, qua allecti subditi ad tributa soluenda veniant, non quasi ad pœnam, sed quasi ad Reipub. asylum. Accipite nobilem illum tributorum exactorem, imò impositorem Iosephum apud Ægyptios loquentem Genes. 47. *Dixit ergo Ioseph ad populos. En, vt cernitis, & vos, & terram vestram Pharao p[illegible]t: accipite semina, & serite agros, vt fruges habere possitis. Quintam partem regi dabitis: quatuor reliquas permitto vobis in sementem, & cibum familijs, & liberis vestris. Qui responderunt: Salus nostra in manu tua est*, &c. Expende, quæso, viri ingenium, & indolem, si ita ponit tributum, vt videatur inferre salutem; sic quintam partem bonorum expostulat Pharaoni, vt subditi non tam putent tributa dare, quam salutem accipere. De illo eleganter D. Ambros. lib. 2. offic. cap. 16. *Iura terrarum regi acquisiuit: non vt omnes exueret suos, sed fulciret, publicum tributum constitueret, quo sua tutius habere possent, quod ita fuit gratum omnibus, quibus terras ademerat, vt non venditionem sui iuris, sed redemptionem salutis putarent. Deni[que] dixerunt:* Nazianz. Idem. Genes. 47. Ambros.

dixerunt: Sanasti nos, inueniamus gratiam in conspectu Domini nostri. Quando tributorum inuentori gratiæ referuntur à ciuibus? Quando tributorum exactores non prosequuntur populi maledicta? Et Ioseph ex tributis impositis populares acclamationes acquirit; felix homo exactor, qui sic humanè, & comiter colligit tributa, vt non videatur auferre bona ciuibus, sed inferre salutes, pro illisque gratias sibi acquirat.

§. II.

Ecclesiæ bona, vt possint seruire regijs necessitatibus.

FOrsan Petrus numquam viderat, quod Iesus soluisset didrachma, & nihilominus interrogatus, an soluat Iesus, indubitanter annuit. Sed cur indubitanter annuit? Sanè vbi regiæ necessitates ad Petrum, eiúsve successores deferuntur, ab illisque trutinantur, & veræ inueniuntur, non est cur dubitet etiam Christi bona temporalibus regni præsidiis adiudicare. Numquam non laudatum fuit illud regis
4. Reg. 18. Ezechiæ facinus, de quo 4. Reg. 18. ait. *Deditque Ezechias omne argentum, quod repertum fuerat in domo Domini, & in thesauris regijs. In tempore illo confregit Ezechias valuas templi Domini, & laminas auri, quas ipse affixerat, & dedit eas regi Assyriorum.* Sanè tempus est, quando religiosissimi reges templa aureis muneribus exornent, argento, gemmisque impleant, & etiam tempus esse potest, quo non minori religione templorũ repetant diuitias, quando videlicet regij thesauri non sufficiunt, vt religionis, & pietatis hostibus obsistant. Id Theodoretus docet in præsenti quæst. 22. Ezechiæ sanctissimi facinus enucleans. *Quando non sufficiebant thesauri regij, mos erat in huiusmodi necessitatibus sacros etiam thesauros consumere, & eos rursus replere ex hostibus. Necessitas autem effecit, vt etiam conflaret portas æneas, quas ipse construxerat, ne si bello superior fuisset Senacherib, & templum, & vrbem incenderet.* Hæc fecit piissimus, & religiosissimus Rex pro tuenda vrbe, necessitate ductus antequam esset Petrus, à quo inquireret, an de Dei bonis posset sperari tributum? Verum postquam Petrus est, & eius successores, religiosi Principes, nil à domo Dei exigunt Petro inconsulto. Et sanè impius ille Abimelech, qui regnum Israëliticum ausus est inuadere trucidatis septuaginta fratribus suis; Baalim sacratas pecunias non ausus est arripere, sed sponte, & liberaliter oblatas sibi accipit. Habes enim
Iud. 9. Iudic. 9. *Inclinauerunt cor eorum post Abimelech dicentes: Frater noster est. Dederuntque illi septuaginta pondera argenti, de phano Baal Berith.* Cum enim Sichimitæ sibi regem constituerent Abimelechum, vt prælia instauraret, regnúmque tueretur, & defenderet: & non haberent ipsi pecunias, vt notat Abulensis, sacratas Baal extraxerunt, & regi obtulerunt. Nulla enim religio vetat, cum aliunde non suppetat, regibus templorum bona seruire; sed quæ non vi, & potestate exigantur, sed sponte, & liberaliter dentur ab eo, penes quem est talium rerum administratio, & potestas. De quo non est huius loci plura congerere.

Text. Et cùm intrasset domum, præuenit eum Iesus, dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ, à quibus accipiunt tributum, vel censum? A filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Iesus: Ergo liberi sunt filij.

§. III.

Iesus in omnibus filius habendus, & ab omnibus.

LEo, agnus, petra, ostium dicitur aliquando Iesus; cum enim vincit mundum Leo est, cum sit vera propitiatio peccatorum, non tunc Leo, sed agnus; induit enim, vel exuit varias nominum formas, pro varietate muneris, quod exercet. Verum filij respectum, quem semel ab æterna generatione accepit, nusquam exuit, nec etiam seruili forma
Concil. Franc. accepta. Id quod notabat Concil. Francofordiense, aiens. *In Dei filium non cadit nomen adoptionis, quia semper verus filius, semper Dominus. Ac per hoc, & post assumptum hominem veri filij vocabulum non amisit, qui numquam verus desijt esse filius.* Semper, & vbique, & respectu cuiuscumque haberi debet filius: cætera omnia dissimulat aliquando; dissimulat Leonem cum tanquam ouis ad occisionem ducitur: dissimulat ouem cum vincit Leo de tribu Iuda: dissimulat regem cum formam serui accipit; sed filium nullo modo dissimulat, in omnibus, & ab omnibus vult haberi filius. Matth. 16. *Quem dicunt homines, esse filium hominis?* Cur non Matth. 16.
potius dicit: Quem me esse dicunt? Vel quem dicunt esse Iesum, vel magistrum vestrum, vel Christum Domini; sed maluit dicere, quem dicunt esse hominis filium? Equidem dum filium hominis se dicebat, & simul se ostendebat Dei filium; cuius proprium erat in omnibus, & ab omnibus dici, & haberi filium. Pulcrè D. Basil. Seleuc. orat. 25. fatur: *Recte filium hominis; quandoquidem Deus erat filius, & cum patre creaturæ olim fabricator extiterat.* Quasi diceret sanctus vir, Basil. Sel.
quod eo ipso, quod Iesus filius erat Dei, à summo patre genitus; nulla poterat esse creatura nec dum humana respectu cuius non deberet haberi vt filius, & filiorum ingenuitatem, libertatémque potiri. In quo immensam Dei bonitatem adstupeo, qui dissimulans, quod sit hominum & factor, & Dominus, vnum nequit dissimulare respectum filij, vt dicat Richard. Victor. in Psalm. 28. *Felix homo est, cui præsto est cum voluerit habere filium, non qualemcumque, sed Deum. O quanta dignitas hominis filium habere Dominum maiestatis!* Richard.
Sed quis est, qui meminerit se talem habere filium? Noui carnales parentes multos esse in numerandis filiis suis, vt illorum incolumitati prospiciant; sed qui inter filios numeret Deum, vt vel hoc respectu Dei cultum procuret, vidi, aut rarum, aut nullum. Hinc pulchrè monebat S. Valerian. iam datus homil. 4. de promissis, & non redditis, inquiens. *Qui ergo habet vnicum filium, cogitet Christum sibi natum, atque inter duos, aut tres, aut plures, ita opes suas diuidat, ne Christus noster exhæredatus abscedat. Fac ergo locum Christo tuo inter filios tibi dilectos.* Nullus sit tam excors, qui Iesu neget vel locum filij, quando Iesu bonitas facit, quod inter filios nostros velit numerari. Valer.

Text. Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum: & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore eius inuenies staterem; illum sumens da eis pro me, & pro te.

§. IV.

Aurum quàm longè debet abesse ab Ecclesiasticorum corde. Vbi paupertatis valor expenditur.

TAm longè à sua schola Iesu aurum facit, vt nec staterem apud Petrum inueniri patiatur; sed si stater opus fuerit, eundum sit ad mare, vt ab ore piscis accipiatur. Longissimè abest aurum ab Apostolico corde, imò & Apostolica manu. Vnde illud Petri dictum Actor. 3. *Aurum, & argentum non est mihi.* Quæ verba expendens Balduinus in allegoriis Tilmanni, ait. *Digna vox principatu Principis Apostolorum, Principis Ecclesiæ. Quid Petro, & auro? Nónne Petrus dixit: Nos reliquimus omnia. Quid ergo erit nobis? De mercede quærenti non aurum repromittitur, vel argentum. Hæc enim contemnebat, quia in gloria egentium superbiebat.* Equidem Christianorum Sacerdotum gloria nullum splendorem, nullam celsitudinem habet ab auro; tunc quasi ad excessum extollitur vir Ecclesiasticus, cũ paupertatis glorias, decoráque amplexatur. Nescio an sit aliqua res populo perniciosior, quã si paulisper moretur auri cultus apud Sacerdotem. Quæ maior calamitas Israëlitico populo fuit, quam illa, quæ ortum habuit à vituli adoratione? Huius autem causam sic narrat Aaron, Exod. 33. *Quibus ego dixi: Quis vestrum habet aurum? Tulerunt, & dederunt mihi: & proieci illud in ignem, egressúsque est hic vitulus.* Accepit aurum Sacerdos à populo, ne inde oriretur damnum, si apud se aurum diu non retineret; retinuit tamen dum conflatorio tradit, dum ignem applicat, dum instat ignitæ auri massæ, eiúsque culturam capessit. Quid mirum, quod vbi sic Sacerdos incubat conflatorio, extollit aurum, caput idololatriæ vt pernicies populo nascatur? Acutè Galfridus in allegoriis Tilmani hoc factum ponderans, tandem ait: *Quæ enim est subuersio maxima populorum? Nónne auaritia Sacerdotum? Inde studium hoc, & cura vehementius terrena colendi, & immoderatius incumbendi eiusmodi lucris augendis, manifesta operis executione profertur.* Non dubites, quin auri negotia apud Sacerdotes corrumpant Christianos mores, perdant populos. Ideo Petrus non ad auri fodinas mittitur, non in conflatoriis iubetur adesse, vt ex auri massa nummum effigiet, Act. 3. Exod. 33. Galfrid.

effigiet, hoc solum illi permittitur, vt ex ore piscis staterem factum extrahat, & statim exactoribus tradat. Tunc enim Sacerdos immunis erit à culpa, cum à se omnia auri negotia ablegauerit, & tunc magis Christianæ nuditatis gloriam fuerit amplexatus. Nemo ignorat Eliæ raptum, qui
4.Reg.2. 4. Reg. 2. igneo curru raptus est, & à corrupta hominum vita separatus: is cum rapiebatur, quod solum habebat pallium à se dimisit, vt nudior iret. Sed cur pallium dimisit, quandoquidem non ad cœlestem beatitudinem ferebatur? Ideò dimisit, vt nuditatis testaretur securitatem, & impec-
Bernard. cabilitatem, qua donabatur. Vnde D.Bernard. ser.in transitu Malachiæ ait. *Posuit Elias pallium, non est, quod timeat: non est quod tangi, nec dum teneri ab adultera vereatur.* Si vel filum habes tuum, non es securus à peccatorum laqueis: ille, qui perfectam colit paupertatem, qui perfectè nu-
Eccl.20. dus est, omnem amputat occasionem peccati. Ecclesiastici 20. *Est qui vetatur peccare, præ inopia.* Circa quæ verba componens paupertatis bonum cum diuitiarum malo, ait S.Sixtus lib. de diuitiis. *Vide ergo, quid eligendum magis sit, quod delinquere prohibet, aut quod nonnunquam peccare compellit?* Vbi aurum, ibi peccatum est: vbi paupertas moratur
Thren.1. Christiana, ibi innocentia moratur. Vnde Threnor. 1. in littera Zain. *Recordare paupertatis, & transgressionis meæ.* Vt oculos diuinos solicitet, vnam ponit ob oculos pauperta-
Paschas. tem, quod ponderans D. Paschas. ait. *Hanc igitur paupertatem magni aliquid esse putat, & ideo quasi per se agens, eius recordari rogat.* Quasi paupertas Christiana efficacissimum patrocinium pro nobis apud Deum habeat.

§. V.

Vniuersæ creaturæ pro crumena sunt Christi pauperibus.

AB ore piscis iussus est Petrus extrahere staterem; sunt equidem vniuersæ creaturæ Christi pauperibus pro crumena; quandoquidem, & piscium ora nouerunt num-
Matth.5. mos suppeditare Petro. Matth.5. dicitur: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Christi pauperes in cœlis regnant, nec ideo sunt vacuati terrenis, immò sicut omnia terrena, & mundialia cœlorum motibus famulantur, sic vniuersæ creaturæ seruitutem, & officium exhibent cœlorum moderatoribus, Christi pauperibus. Ad hæc D.
Bernard. Bernard.serm.21.in Cant.ait. *Non æstimes Christi pauperes sola cœlestia possidere, quia ea sola audis in promissione: possident, & terrena, & quidem tanquam nihil habentes, & omnia possidentes: non mendicantes, vt miseri, sed vt Domini possidentes. Denique fideli homini totus mundus diuitiarum est. Totus planè: quia tam aduersa, quam prospera ipsius æquè seruiunt ei.* Fideli pauperi totus mundus diuitiarũ est; vniuersæ creaturæ sunt illi pro crumena, vel os pisciculi, si aperiatur, suppeditabit
Genes.27. nummos pauperi fideli. Genes.27. ait Isaac filio suo: *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini.* In quibus verbis supernacaneum videbitur, quod post oblatos cœlestes thesauros, adhuc terrenam pinguedinem, & abundantiam filio impetrare vellet. Cur cœlestia subdis, cur etiam addis terrena? Micæ sunt, & fames vniuersæ terrenæ substantiæ, & cum cœlestibus comparatæ non gustum afferunt, sed fastidia parturiunt. Desine ergo, ô bone optare terrena filio; quando illi impetras, & offers cœlestia. Sed post cœlestia dona dum Isaac filio proponat, & terrena; necessitatem consequentiæ ostendit, non explicat indigentiam. Enim verò eo ipso, quod quis terrena despiciat, & cœlestibus incipiat impleri, necessum est, vt habeat etiam terrena, & ab vniuersis mundi creaturis acci-
Tertull. piat, quidquid velit. Quò spectans Tertull. lib.3. in Marc. ait: *Primo ad cœlestia inuitamur, cum à sæculo auellimur, & ita postea inuenimur etiam terrena consecuturi.* Felix Christi pauper est, non solum in cœlesti professione, sed & in terrenis; cœlestium dominatur, & vniuersa illi fructus suos exhibent terrena. Vis homo pro sacculis, pro crumenis vniuersas
Luc.12. creaturas habere? Christi assimilare pauperibus. Luc.12. ait Dominus: *Nolite timere pusillus grex, quia cõplacuit patri vestro dare vobis regnum.* Et statim subdens modum, quo regnum tale acquirendum sit, inquit: *Vendite, quæ possidetis:* Quasi vna sit via ad omnium rerum dominium acquirendum, quod ni-
Chrysol. hil nostrum velimus habere. Ibi Chrysol.ser.22.finit. *Vendite, quæ possidetis: non potest dominari omnibus, nisi is, qui propriis non tenetur.* Vnus ille, qui reliquit omnia, qui Christianam paupertatem amplectitur, omnium acquirit dominium, ab omnibus famulatum recipit, & vitæ suæ commoda ex vniuersis creaturis exigit.

§. VI.

Inter subditos præstantiores socium, & æqualem se exhibeat Prælatus.

QVàm socium Petri exhibet se Dominus, vbi ait: *Da eis pro me, & pro te,* quasi æqualitatem secum haberet Petrus. Nec miror, quod Dominus sic se ostendat socium, & æqualem cum Petro, quando & Petrus Princeps erat inter Saluatoris discipulos, & nihil magis Prælatum deceat, quam inter præcipuos subditos se magis socium, quam prælatum præbere. 1.Reg.8. dum Dauidis exercitus recensen- 1.Reg.8.
tur, sic dicitur: *Banaias autem filius Joiadæ super Cerethi, & Phelethi.* In quibus verbis Hebraicè positis deficit illa præpositio, *super*, & solum dicitur: *Banaias autem filius Joiadæ, & Cerethi, & Phelethi.* nam cum Cerethi, & Phelethi præstantissimi essent militum, Banaias eorum dux, dissimulato potestatis insigni, tanquam eorum socius, & æqualis proponi debuit. Ita Caietan.ibi ait: *Erant illi viri robusti, valdéque fideles Dauidi. Et propter eorum eminentiam, non dicitur, quod Banaias fuerit super eos, cum tamen esset caput eorum, sed dicitur Banaias, & Cerethi, vt tanquam socij supputentur.* Non decet, quod Prælatus velit extolli supra insignes virtute, & sapientia subditos, & inter illos exerat passim virgam potestatis. Tunc enim felicius, & sapientius prælaturam administrabit, quando dissimulata potestate, sapientium, insigniúmque subditorum non caput, sed socius supputetur. De vniuersa cœlesti militia loquutus Genes.1. Moyses, Genes.1.
inquit. *Fecitque Deus duo luminaria magna, luminare maius, vt præesset diei: & luminare minus, vt præesset nocti: & stellas.* Ecce tibi, quot lumina quanto Dei enixu pariuntur: paritur regius Sol, diei princeps; paritur Luna, pariuntur stellæ simul. Sed in tantorum luminum partu, quod fuit primogenitum? Quod secundum? Quod tertium? Absit hoc è luminum nascentium politia: inter adeò clarissimas proles, etsi aliquæ regnum obtineant, nulla tamen est, quæ primatum exerat, quasi æquales, & vterini fratres omnes promuntur. Id quod notabat D. Athanas. serm.3. contra Anastas.
Arrian. inquiens *Omnia pariter cum omnibus ortum suum, originémque adepta sunt. Non enim vllum ex astris, aut magnis luminaribus ita apparuit, vt hoc prius, illud posterius in rerum naturam emergeret, sed omnia eodem die, eodémque iussu ad essentiam vocata sunt.* Indignum est, quod inter clarissimas progenies ostentetur ius primogenituræ, sed hoc sciant prælati, quod cum conspicuis virtute, clarissimisque subditis non primatum, sed societatem, sed æqualitatem in omnibus sunt ostensuri.

§. VII.

Peccator solus caueat sibi à ministris iustitiæ.

IVbetur Petrus exactori satisfacere non solus, sed & pro se, & pro Iesu; ne quis peccator audeat ministris iustitiæ accedere, nisi sociatus Iesu innocentia. 1.Reg.17. superbissimus Philisthæus sic Israëlitas & confundebat, & prouocabat: *Eligite ex vobis virum, & descendat ad singulare certamen.* In quo inuisibilium hostium aduersus homines rabies manifestatur: quorum hæc est quotidie vox, hoc studium, vt vnumquemque nostrum solum ad singulare prouocent certamen. Infelix, qui solus accedit, qui solus pro se stat sine innocentissimi Iesu calculo. Præclarè ex his monet Galfridus in allegoriis Tilmanni, fatus. *Nul-* Tilman.
lus ex nobis animositate proterua ineat hoc certamen. Non est enim, qui ad hoc sufficiat. Non enim timet nos, solos aduersarius noster: idcirco fidenter prouocat ad singulare certamen, sciens, quia væ soli, qui cum ceciderit nullum habeat sublevantem. Quapropter opus erat, vt veniret, & subueniret magnus ille Dauid, &c. Nunquam peccator solus inter seueræ iustitiæ milites incolumis aget; quotiescumque peccator pro debito cupit facere, siue hostes repellendo, siue exactoribus satisfaciendo, caueat sibi, ne solus accedat, sed innocentissimi Iesu patrocinium quærat, quo liber euadet. Vbi innocens, & liber Iesus non adest, qualiter poterit seruus inter exactores, & ministros iustitiæ incolumis euadere? Apud Io- Ionæ 3.
nam cap. 3. vbi Niniuitæ audierunt Prophetam clamantem, iustitiámque diuinam pœnas a peccatoribus exigentem, vehementer commoti, *prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis à maiore vsque ad minorem.* Nulli parcitur ætati, & grandæui, & paruuli infantes in pœnitentiæ satisfactionem vocantur. Cur immerentes infantes?

ploret peccator, & pro sceleribus suis diuinæ iustitiæ satisfaciat, verum puer, qui nihil peccauit, cur necessum est, vt ploret vt etiam satisfaciat iustitiæ? Sanè non audēt soli peccatores se se iratæ iustitiæ præsentare sine innocentium infantium lacrymis. Tunc putant iustitiam diuinam flectendam fore, cum peccatores simul, & innocentes pro debitis satisfaciant. Ibi D. Ambros. ait: *Non sufficiebat ad placandum Deum peccantium satisfactio, nisi seniorum quoque peccata, paruulorum innocentia deploraret, & fletibus alienis delicta sua iuuentus ablueret.* Nisi inter satisfactionem peccatoris, vox etiam innocentiæ audiretur, numquam fieret iustitiæ diuinæ satis. Conueniant simul seruus, & liber, peccator, & innocens, Petrus, & Iesus, & debitorum solutio, & creditorum satisfactio constabit. Ex quo lucem capit Septuag. lectio apud Exod. cap. 12. vbi de paschali victima agens textus ait: *Ab agnis, & hædis sumetis illud.* Sed quî fieri potest, vt vna eadémque victima ab agnis, & hædis sumatur? Et quidem hædus solus non posset Deum placare, nisi de agni innocentia; difficilè verùm in vno possent, & agnus & hædus conuenire. Ex quo putat D. Gaudent. ser. 4. id spiritualiter intelligendum esse in Christo Iesu, in quo inuenta est similitudo carnis peccati ad hædos spectantis, & simul summa innocentia, qualem agnus figurat. Nec aliter tenebrarum regnum euerteretur, & fieret satis diuinæ iustitiæ, nisi ab hædis, & agnis, hoc est, à carne peccatorum simili, & Saluatoris nostri innocentia vna conflaretur pro omnibus victima. Iam hinc obstruatur eorum os, qui volunt, quod vel hædus solus, vel agnus solus sufficiant ad Deum placandum. Crede mihi, quisquis hædus es, ne totum salutis negotium, aut tibi soli, aut agno soli committas, sed ex hædo, & agno, ex peccatore, & Iesu debitorum solutionem confirma.

Ambros.

Exod. 12.

Gaudent.

CAPVT II.

De Magdalena prædicanda.

CVM Christum apud Matth. 26. & Marc. 14. & Ioann. 12. pretiosis audis vnguentis delibutum; id opus reputa vnius dilectæ Mariæ Magdalenæ. Hæc refragrante Iuda immò obmurmurantibus cæteris discipulis, libram nardi pretiosi fracto alabastro super Iesum effudit. Quis fur talem ferat effusionem? Opus probat Iesus, & tanti operis celebritatem in toto orbe prædicans, dilectam fœminam à rabida Iudæ maledicentia liberat.

Ioann. 12. Iesus ergo ante sex dies Paschæ, venit in Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitauit Iesus. Fecerunt autem ei cœnam ibi, & Martha ministrabat: Lazarus verò vnus erat ex discumbentibus cum eo. Maria ergo accepit libram vnguenti nardi pistici pretiosi, & vnxit, &c.

§. I.

A Iesu venit, quod suum quisque opus virtutis peragat, aut mediocre, aut sublime.

ECce Iesu intrante, totum Bethaniæ oppidum commouetur: quique officio instat; Simon leprosus hospitium præbet, alij cœnam procurant, nimirum, vt placet Toleto nostro, vniuersi oppidi ciues: Martha ministrat, Lazarus assidet, Maria vnguentum effundit. Bene omnes officium virtutis implent, sed hæc supergressa est vniuersos, non sine Iesu motione & impulsu. Simile video apud Matth. 16. vbi interrogati discipuli, qui diceretur ab hominibus filius hominis, respondent: Quod ab aliquibus diceretur Ioann. Baptista, ab aliis Elias, ab aliis Ieremias, aut vnus è prophetis. Tunc Petrus ad altiora leuatus, ait: *Tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti.* Ecce tibi omnes suum deferunt aliqualem honorem Christo; Petrus autem supergreditur omnes, & Iesu diuinitatem prædicat. Quis hoc fecit? Sanè ipsius Iesu impulsus qui nouit sic cunctos tangere, & mouere, vt singulorum vocationes decet. Huius rei exemplum tibi sit peritus citharœdus, qui habens in manu sua citharam variis cōpositam chordis, & grauibus, & acutioribus, iam hinc, iam inde grauem, aut acutum facit resultare sonum, prout ictus est, qui à periti citharœdi manu dirigitur. Accipite D. Basil. Seleuc. orat. 25. fantem, *Petro diuinum quodammodo responsum subycit Iesus: & ad quam vocem sponte mouebatur, primatem inclinat, velut citharam quandam, ratione præditam, ictibus exsuscitans.* Quod sublimi vocationi respondeas, & sublimiores virtutū apices attingas, non in tua est sola potestate; id a dexteritate venit Iesu, qui nouit primates tui cordis fibras ictibus exsuscitare. Non semper citharœdus primates chordas tangit, sed aliquando medias, aliquando infimas, nimime tunc mouens efficaciter ad sublimes virtutum actus, sed ad medios, & infimos. Quod hic mediocritatem, ille sublimitatem teneat in virtutibus, à Iesu venit, qui citharam ratione præditā, ictibus exsuscitat, & iam primatem, iam mediam efficaciter attingit. Vnde dicebat Paul. 2. ad Cor. 3. *Fiduciam talem habemus per Christum ad Deum: non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Quæ verba premens D. Prosp. ep. ad Demetriadem, sic pulcrè in rem præsentem dicit, *Implet igitur Spiritus sanctus organum suum, & tanquam fila chordarum tangit digitus Dei chorda sanctorum.* Ipse equidem Dei digitus est, qui attēperat cordis nostri fibras, qui ictibus exsuscitat humanas mentes, vt fila chordarum, vt sic vel medius, vel sublimis sonus fiat. Id quod latius tractandum, & explicandum Theologis relinquo.

Basil. Sel.

2. Cor. 3.

Prosper.

§. II.

Satisfactio debet adæquari culpis commissis.

NOuit Magdalena peccata sua dimissa, non tamen ideò à satisfactione illorum procuranda desistit; nec contenta est semel ad Iesu pedes lacrymabunda procubuisse; sed, & iterum, & fortè sæpius ad eosdem accedit, vt modo accedit, ferens libram vnguenti nardi pistici. Nec otiosè puto notatam fuisse libram vnguenti, sed vt ostendatur, quam æqualis, & iusta debeat esse satisfactio pro culpis commissis. Luc. 3. loquutus Ioannes Baptist. de Iesu ait: *Ipse vos baptizabit Spiritu sancto, & igni: cuius ventilabrum in manu eius.* Non putet peccator, quod leuibus aquæ guttulis poterit lauare ingentia crimina, per ignem transire debet, magnam satisfactionem ab illo exigit Iesus, cuius ventilabrum in manu: sed ad quid habet ventilabrum? Ad ponderandam, & grauitatem culparum, & magnitudinem satisfactionis, ne sit hæc minor illa. Ita D. Laurent. Nou. homil. de pœnit. inquit, *Præpara te venienti Domino, & ipsi te baptizabit Spiritu sancto, & igni, habens ventilabrum in manu sua: quod est inspectio, vel ponderatio grauitudinis, ac peccati. Ipse perpendit in te vtrumque pondus; ipse inspicit in te molem, & molem: vnam pœnitentiæ, & vnam pestilentiæ.* Dum pœnitentia inuenitur minus habens, adhuc supplicium pro foribus est, perpendendæ sunt, & ponderandæ culparum moles, vt eis similis fiat moles satisfactionis. Multis fecit quæstionem pœnitentia Saulis, cui reprobata fuerit? Ipse enim ait 1. Reg. 15. *Peccaui, quia præuaricatus sum sermonem Domini: sed nunc porta, quæso, peccatum meum,* &c. Sed & Dauid dicens: *Peccaui,* abstulit peccatum suum. Cur ergo Saul idem pœnitudinis verbum pronuntians, veniam non adipiscitur? An, quia non æqualis erat satisfactio culpæ? Ita S. Cæsar. Ælred. homil. 29. ait, *Et Saul dicebat: Peccaui; sed non obtinuit illam veniam, quam Dauid vna pœnitentiæ voce promeruit, & hoc quare? Quia confessionem illam nuda magis verba, quam veri gemitus exprimebant. Quia non compensabat magnitudinem criminis leuis humiliatio supplicantis. Non leui agendum est contritione* (id est, compensatione) *vt debita illa redimantur, quibus mors æterna debetur, nec transitoria opus est satisfactione pro malis illis, propter quæ paratus est ignis æternus.* Pœnitentiam habuit Saul, sed quia leuis, & transitoria eius fuit pœnitentia, qua non compensabat culparum magnitudinem, ideò minimè Deum placauit. Heu, quod falluntur in re grauissima, qui quemlibet erga Deum affectum sentientes, & aliqualem culparum compunctionem experientes contenti sunt, & non dubitant de venia impetrata. Fortè talibus ait Apostol. ad Roman. 11. *Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos, vt non videant; aures, vt non audiant,* &c. Ecce tibi, & compunctionis spiritus, & cæcitas, & surditas simul morantur; & quidem leuis affectus compunctionis, quæ vel fœminea aliquali lacrymula exhibetur, solet mentes obcæcare, ne videant culparum magnitudinem, &

Luc 3.

Laur. Nou.

1. Reg. 15.

Cæsar.

Rom. 11.

& pericula, sed inter hæc securè vitam agant. Totum hoc desumpsi ex D. Ælred. lib. 2. speculi charit. cap. 20. vbi sic tandem finit ad verba Apostoli data, *Nam quid non genus hoc compunctionis excæcat oculos, aures obturat illorum dumtaxat, qui immanissimas vitiorum sordes sine pœnitentiæ fructibus, pancis his lacrymis æstimant abluendas?* Sanè leuis compunctio aptior est ad obcæcandum, quam ad veniam impetrandam. Et adhuc Ælred. *O quam miserabiliter falluntur, quam sunt suæ salutis proditores, qui vitijs innumerabilibus implicati, si parum quid huius, de quo loquimur, experiantur affectus: non solum sibi veniam de præteritis pollicentur, imò ad eadem securius quodammodo reuertuntur.* Hæc ille.

Ælred.

Idem.

Text. Dixit ergo vnus ex discipulis eius, Iudas Iscariotes, qui erat eum traditurus: Quare hoc vnguentum non veniit trecentis denariis, & datum est egenis?

Matth. 26. Vt quid perditio hæc? Potuit enim istud venundari multo, & dari pauperibus.

§. III.

Inuidas mentes nulla virtutis vicina fama pertingit.

NOtanter dixit Ioannes, quod *domus impleta est ex odore vnguenti*, vt rabidam Iudæ inuidiam ostenderet, apud quem solum male olet vnguentum, cuius bono odore impleta erat tota domus. Non discipulis aliis, sed soli Iudæ fœtet effusio pretiosi vnguenti in obsequium Saluatoris, vt sapienter probat noster Maldonatus Matth. 26. & quidem meritò Beda hanc Iudæ murmurationem ex inuidia ortam reputat. Vnde non miremur, quod vni illi fœteat vnguentum, cuius odor potens est replere vniuersam domum: antiquum enim est vitium hominis inuidi, quod nunquam illum pertingat vicinæ virtutis fama, quæ potens est vniuersum orbem replere. Marc. cap. 1. post narrata Iesu ingentia miracula, & virtutes, protinus addit, *Et processit rumor eius statim in omnem regionem Galilææ.* Ecce tibi tantarum virtutum rumor solis clauditur Galilææ finibus: cur Iudæam non pertingit? Immò cur nec ad viculum Iudææ peruenisse dicitur odor virtutum, qui Galilæam impleuerat? Occuparat iam mentes Iudæorum inuidia, & ideò virtutum fama, quæ impleſſet mundum in Iudæa, nec viculum attingit. Chrysost. hom. 5. in Marcum, ait: *Processit statim rumor eius in omnem regionem Galilææ: non in Iudæam, non in Ierosolymam. In totam Galilæam peruenerat: & in vnum vicum Iudææ non peruenit. Hic totum quare dico? Quia anima, quæ semel possessa fuerit ab inuidia, difficile est, vt virtutes recipiat. Impossibile penè est remediari animam, quam inuidia possederit.* Semper sui similis est inuidia, semper facit, quod virtutum, & magnalium odor, qui totum replet, & occupat mundum, ad cellulam inuidi minimè perueniat. Sunt semper ad inuidi limina mille virtutis colores, & species, quæ penitus aditum occludant veris vicinorum virtutibus, quibus alioquin impletus est mundus. Quò crediderim respexisse Iacobum illis verbis epist. cap. 3. *Quod si zelum amarum habetis, & contentiones sint in cordibus vestris: nolite gloriari, & mendaces esse aduersus veritatem.* Expende, quid petat Iacobus ab inuidis. Nimirum, ne mendaces sint aduersus veritatem; sufficisse videtur, quod peteret, ne sint mendaces; cur maluit addere aduersus veritatem? Equidem, qui mendax est, non aduersus aliud, quam aduersus veritatem est mendax, idem enim est esse mendacem, & esse aduersus veritatem. Quid ergo innuit, dum inuidis iubet non solum, ne sint mendaces, sed ne sint mendaces contra veritatem? Sanè innuitur ibi quædam positiua, & affectata contrarietas, & oppositio, qua inuidus sese obstruit, & occludit, ne videat veritatem. Est equidem omnis homo mendax, non data opera, sed infirmitate naturali: verum inuidus data opera, totóque animi conatu impedimenta congerit, ne videat veritatem, ne virtutis veritas pateat, sed sub vmbris maneat obnubilata. Quam inuidorum mentem sic depingit D. Basil. hom. de inuidia, fatus, *Inuidi vitæ splendorem, ac rerum bene gestarum magnitudinem minimè quidem respiciunt*; etiam, quæ omnium oculos replent: *Manca verò, & fragilia, & si quid erratum est, tantum obseruant: hæc diuulgant, & per hanc tantum homines cognosci volunt. Fortitudinem audaciam potius appellant, modestiam verò fine sensu hominem prudentem, astutum.* Sapientem periculosum, fructuosum suspectum dicunt. *Denique omnis virtutis species in vicina vitiorum nomina conuertunt, nusquam calumnia rebus laudatis deficiente.* Sic semper inuidus aduersus clarissimos virtutum radios, aduersus lucidissimas veritatis species tenebras mendaciorum conglomerat, errorum, vitiorúmque formas adnectit. Id videre licet in Iesu consanguineis, qui cum viderent illum signis fulgere, incredibilique sapientia plenum esse, sic inter se colloquebantur, Marc. 6. *Vnde huic hæc omnia? Et quæ est sapientia, quæ data est illi, & virtutes tales, quæ per manus eius efficiuntur? Nonne hic est faber, filius Mariæ; frater Iacobi, & Ioseph, & Iudæ, & Simonis? Nonne & sorores eius hic nobiscum sunt?* Ecce tibi quot nubila, quot tenebras conglomerant, cum humiles ortus, vilitatem artis, exercitia seruilia opponunt, ne virtus, & sapientia Iesu lucem accipiat. Ad rem Theophylactus loquitur in præsenti, inquiens: *Tam atrox malum est inuidia: semper enim obscurat bona, nec illa ab inuidis videri sinit.* Quæ omnium oculos rapiebat, & tenebat virtus Iesu, non capitur ab oculis vnius inuidi.

Matth. 26.

Marc. 1.

Chrysost.

Iacob 3.

Basil.

Marc. 6.

Theoph.

§. IV.

Non mala, sed bona perimunt inuidos.

VIde, quo telo transuerberetur cor Iudæ, nimirum, pretiosi vnguenti effusione ad pedes Christi. Habent inuidi hoc summæ infelicitatis genium, quod non à malis, sed à bonis cogantur interire. Huc respiciebat Paulus 2. ad Cor. 2. dicens, *Christi bonus odor sumus Deo in his, qui salui fiunt, & in his, qui pereunt.* Nusquam Paulus est malus, nulli damnosus, & pestifer, sed vniuersos odora, & salutifera vita respergebat. Et quod mirere magis, etiam se vocat bonum respectu pereuntium. Quomodo bonus in his, qui pereunt? Peribant inuidi, quorum misera conditio est, quod non à malis, sed à bonis ruinam suscipiant. Ex quo D. Anselm. in præsenti ait: *Quidam Paulum diligebant, quidam inuidebant. Illi, qui diligebant, bono odore viuebant; illi, qui inuidebant, bono odore peribant. Ideò pereuntibus non malus odor, sed bonus erat. Inde enim magis inuidebant, quia tam bona gratia prænalebat.* Ipsa, ipsa bona per se perimunt inuidum; & quo maiora, & abundantiora sunt, eo citius impellunt illum in ruinam. Non enim telis, sed beneficiis confoditur miser inuidus: non venenis necatur, sed amuletis, sed theriacis: non latronum iaculis cadit, sed vicinorum splendentibus virtutibus. Hinc inuidiam comparat Spiritus diuinus serpentibus, quorum morsus nequeunt curari. Ait enim Ecclesiastes, cap. 10. ex lectione Cassiani: *Si momorderit serpens non in sibilo, non est abundantia incantatori.* Non est potentia creata, quæ serpentinæ inuidæ menti medicinam adhibeat. Sed scire cupis, vnde sit adeò incurabilis inuidia? Non aliunde, nisi quia non à malis, sed à bonis perimitur. Id quod ponderans Cassianus, collation. 18. cap. 12. ait: *Vsque adeò incurabilis est ista pernicies, vt blandimentis exasperetur, inficetur obsequijs, muneribus irritetur. Quanto enim alius amplius, aut humilitatis subiectione, aut patientiæ virtute, aut munificentiæ laude profecerit, tanto ille maioribus inuidiæ stimulis incitatur.* Et quomodo curabitur vulnus, quod vnguentis effusis crescit? Sanè extrema miseria est, quod quis vulneretur rebus, quibus communiter viuitur. Extremam Eli senectutem sic notat textus, 1. Reg. 3. *Eli iacebat in loco suo, & oculi eius caligauerant, nec poterat videre lucernam antequam extingueretur.* Vide vltimam miseriam hominis; lucerna, quæ pro omnium solatio accenditur, vt luceat omnibus, qui in domo sunt, illi dolori, & offensioni erat: verum extincta, immo fumigans, & fœtore, & fumo replens omnia vnius Eli oculos recreabat. Idem prorsus accidit inuidis, vt notat Glossa moralis, & Tilmannus in allegoriis; ea enim est extrema miseria, & infelicitas inuidorum, quod inter lucida, & splendentia facta excrucientur, perimantur: quod in bonis, & amœnis inueniant præcipitia; in malis, & calamitosis viuant.

2. Cor. 2.

Anselm.

Eccles. 10.

Cassian.

1. Reg. 3.

§. V.

Virtus qualis æstimatur ab hominibus, talis fit illis.

MIraris Iudam in Christi schola, inter obsequia Christi ad perditionem vsque decidere? Cur miraris? Iste Christi obsequia perditionem putabat, cur ipse ad perditionem non veniret? Cum in obsequium Christi vnguentũ effunditur, vt probat Maldonatus noster, ab vno ore Iudæ exiuit vox illa: *Vt quid perditio hæc?* Perditionem reputat miser

miser obsequium exhibitum Iesu, & in perditionem incidit: quales enim æstimantur virtutes ab hominibus, tales
2. Cor. 2. fiunt illis. Paulus 2. ad Corinth. cap. 2. *Christi bonus odor sumus Deo in his, qui salui fiunt, & in his, qui pereunt: alijs quidem odor mortis in mortem: alijs autem odor vitæ in vitam.* Vnus, & idem odor Christianarum virtutum aliis omnino vitalis est, aliis extremam notat ruinam. Vnde tam varij, immò tam perniciosi effectus prosiliunt, quando odor vnus est, & bonus, & salutaris, quantum est ex parte sua? Crediderim id malum prouenire ex æstimatione, qua Christi odor recipitur ab hominibus. Sunt enim, qui auditis Christi magnalibus, perceptis Christianarum virtutum regulis maximè arrident; & sibi persuadent inibi esse vitam: hi tali odore viuunt, & æternaliter viuunt. Alij sunt adeò stolidi, vt Christianas virtutes, quasi mortis iacula reputantes, sicque illas suspectas habeant, quasi in illis maximam caueant iacturam; his stolidissimis fama Christianarum vir-
Anselm. tutum perennem mortem insinuat. Accipite Anselm. sic in præsenti loquentem. *Hominibus alijs videmur odor mortis, quia prædicamus crucem, & ministri mortis æstimamur: alijs autem odor vitæ credimur, id est, odor spirans vitam per Saluatoris prædicationem. Et vtrisque fit iuxta, quod æstimant. Nam quibus æstimamur odor mortis, æstimatio hæc vertitur eis in æternam mortem: & quibus videmur odor vitæ, fides eorum ducit eos in vitam æternam.* Qualem facimus æstimationem virtutum Christianarum, talem fructum percipimus. Qui in illis mortem esse existimat, in mortem perueniet, & vltimam sui ruinam. Non absimilis est euentus, qui accidit antiquis Israëlitis, dum apud desertum cœlesti pabulo nutrirentur; cœleste pabulum à Deo accipiunt, & tandem tanto satiati
Num. 21. pabulo, aiunt Num. 21. *Deest panis, non sunt aquæ, anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo. Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes.* Expende culpam, & simul expende eiusdem pœnam; magnam enim conuenientiam putat Abul. quæst. 8. esse inter hoc cœlestis cibi fastidium, & supplicium ignitorum serpentium, in quod miseri deuenere. Et quæ hæc conuenientia fuit? Sanè cum cœlestem cibum, quasi leuissimum reputarent, fructum malæ æstimationis suæ recipiunt per leuissimum omnium igneum elementum percussi ab ignitis serpentibus; vt sic quibus æstimatur manna leuissimus cibus, æstimatio hæc vertatur eis in leuissimum elementum, quo misere intereant. Sic semper qualis æstimatur cœlestis virtus ab omnibus, talis redditur illis, siue in præmium, siue in pœnam. Apud Ioan. cap. 7. post Euangelicam, Christianamque œconomiam prædicatam, & propositam à Iesu, quid inde euenit? Ipse Ioannes ait: *Multi ergo audientes ex discipulis eius dixerunt: Durus est hic sermo.* Durum æstimant Iesum, cum sit ipsa lenitudo, & dulcedo, sed dum æstimatur durus, sic riget, sic durescit, vt fiat illis durissimus lapis, quo misere conterun-
1. Petr. 2. tur, & pereunt. Quò refero D. Petr. 1. Canon. 2. aientem: *Propter quod continet scriptura: Ecce pono in Sion lapidem summum angularem, electum, pretiosum, & qui crediderit in eum, non confundetur. Vobis igitur honor credentibus: non credentibus autem lapis, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: & lapis offensionis, & petra scandali, &c.* Itaque Christianæ virtutes ad gustum, & æstimationem fidei tuæ conuertuntur, & fiunt tibi, quales à te æstimantur, reputantur.

Text. Sciens Iesus, ait illis: Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me. Nam semper pauperes habebitis vobiscum: me autem non semper habebitis.

§. VI.

Præstantissimi gubernatoris est cæcutire ad aliqua subditorum peccata.

Dixi ex Maldonato murmur hoc de effuso vnguento à solo Iuda ortum fuisse, qui in eo se pauperum procuratorem ostentabat. At non pauperum amor, sed auaritia,
Ioan. 12. & rapacitas eius has voces dabant, vt apertè prodit Ioann. cap. 12. aiens, *Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum; sed quia fur erat, & loculos habens, &c.* Quid tunc Dominus? Meminit fortè discipuli auaritiam? Pungit rapacitatem sibi notam? Absit: faciunt hoc homunciones parui animi, qui dum gubernationem subeunt, eo applicant animum, vt videantur omnia percallere, nihil non subodorare. Verum præstantissimus omnium gubernator Iesus magnitudinem animi gubernatori necessariam ostendens, sic respondit in præsenti ad prætextam curam pauperum, quasi nihil sciret, nihil nosceret de auaritia, de incredibili discipuli rapacitate. O quantum valet ad summa discrimina euitanda ille gubernator, qui aliquando falli sustinet, & scit cæcutire ad aliqua peccata! Marc. 4. dum nauigaret Marc. 4.
Iesus cum discipulis suis, vehementissima tempestas excitata est, ita vt fluctuum, ventorumque vi nauicula penè mergeretur. Quid tunc Iesus? Ipse dormiebat. Quid tunc discipuli? concurrunt ad Iesum dormientem, illumque excitant, vt rebellem componat tempestatem. Sic enim ait: *Et erat ipse in puppi super ceruical dormiens: & excitant eum, & dicunt illi, Magister, non ad te pertinet, quia perimus?* Ecce vobis quem moderatorem furentium ventorum excitant, nimirum, dormientem Iesum. A dormiente putant rebelles ventos sedandos, & vltima discrimina nauis moderanda? Equidem dormiebat Dominus non ex socordia, sed ex suorum compassione, & nullus melior moderator potest inueniri, qui vltima discrimina reipublicæ sciat ad salutem reuocare, quam ille, qui ex compassione subditorum scit dormire, & cæcutire ad aliqua peccata. Chrysol. serm. 21. Chrysol.
Ad dormientem confugiunt vigilantes, & credunt obsistere sæuientibus elementis eum, cui somnum dominari sua compassione conspiciunt. Dormiat gubernator ad aliqua subditorum peccata, & dormiat non ex socordia, sed ex prudentia, ex compassione, qua compatiatur subditorum fragilitati, cuius notitia nequit omnia punire, omnia castigare; & inde mirum in modum redditur potens ad summa pericula deuitanda. Quem sic dormientem vident, amant subditi, & in magnis periculis ad illum confugiunt, sperantes illum Saluatorem futurum: cæteros autem, qui omnia scrutantur, & nihil dissimulant, suspectos semper habent, & vt proditores fugiũt. Apud Lucam cap. 15. amplexatus pater cœlestis prodigum Luc. 15.
filium reuertentem, nihil inquirit de eius vita, sed statim ad seruos inquit: *Cito proferte stolam primam, & induite illum.* Cur non quærit de peracta vita, qua in talem miseriam deuenit filius, & totam curam ponit in eo, quod operimentum stolæ adhibeatur? Sanè bonus gubernator vult æstimari pater de operiendis peccatis; non vult timeri vt proditor, dum scrutatur, & inquirit delicta. Chrysol. serm. 4. *Non di-* Chrysol.
xit: Vnde venis? Fuisti vbi? Vbi sunt, quæ tulisti? Delicta, qui discutit, prodit. Qui nimius est in discutiendis, scrutandis delictis subditorum, magis timebitur à subditis vt proditor, quam amabitur vt pater. Et quis ferat in gubernatore, vel leuis suspicio, vel species proditionis? Creauerat iam Dauidem regem super Israëlem Dominus, qui tamen à Saule fugitiuus degebat apud Achis, eo ipso tempore, quo Achis prælium aduersus Israëlem, & Saulem parabat, in quo interemptus fuit Saul, & Israël ingenti percussus plaga, 1. Reg. cap. 29. Sed accidit, quod Dauid, etsi Achis amicus 1 Reg 29.
haberetur, non tamen adfuit cum illo, in tam nociuo certamine. Et cur non adfuit? Rationem hanc reddit Rupert. Rupert.
lib. 2. in lib. Reg. cap. 18. aiens, *Vtique id Deo prouidente factum est, vt Dauid legitimus Rex, neque proditor, neque hostis patriæ iudicari posset.* Si Dauid inter eos, qui percutiebant Israëlem, inueniretur, non ne suspectus esset de proditione? Ideo prouidente Deo, non ibi adfuit Dauid, ne in rege, & gubernatore futuro Israëlis aliqua vel suspicio proditionis posset dari; quæ in gubernatore minimè posset tolerari. Videant ergo qualem sibi inurant maculam, qui nimij sunt in peccatis subditorum scrutandis: & fugiant in se ostendere, vel vmbram proditionis.

§. VII.

Castigatio peccatorum adhibenda est tempore, quo sperentur maiores inde profectus.

Sapientissimè Dominus Iesus de pauperibus sibi postponendis disputans præterit auaritiam, & rapacitatem Iudæ, non enim aptum est conuiuij tempus duris reprehensionibus aptandis, & quod quis, dum operam dat poculis hauriẽdis, censorio sermone feriatur. Sanè, qui in reprehensionibus suis vtilitatem sperat, tempus quærit longè aptius. Exod. 12. vbi Deus vltimo supplicio emollire vult Pharao- Exod. 12.
nis duritiem, vide quod tempus obseruat. *Factum est autem in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, &c.* Cur in noctis medio? Cur non potius inter cœnandum? Præclarè D. Ambros. Psalm. 118. Octon. 8. ait: Ambros.
Non otiose Dominus Deus noster, cum posset quocumque momento

primitiua Aegyptiorum extinguere, hoc tamen tempus dolori, & luctui peccatoribus opportunius iudicauit. Itaque, vbi Deus emollire induratum cor vult, tempus spectat aptius, quo suppliciis illatis peccator in luctum, & bonam voluntatem emolliatur. Et quidem non nego a Deo inferri supplicium etiam inter pocula; etenim habes Dan.5.de conuiuio Balthasaris: *Bibebant vinum, & laudabant Deos suos aureos, argenteos, æreos, ferreos, ligneosque, & lapideos. In eadem hora apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis, &c.* Ecce tibi inter pocula peccatori pœna indicitur a Deo, sed pœna, quæ irremediabiliter statim conterat peccatorem; non pœna, quæ peccatorem emolliat, eumque adducat in bonam voluntatem. Vbi enim Balthasar conterendus funditus est, nil curandum, quod tempore pœnæ adhibeatur notificatio: vbi Pharao emolliendus est, vt Hebræos liberet, tunc obseruetur tempus opportunius, & aptius, vt quis doleat de peccatis. Hinc eleganter aiebat Diu. Chrysostom. in Psalm.141. *Oportet eum, qui reprehendit, multa excogitare, vt accepta sit, & grata eius reprehensio, & magna sapientia opus est ei, qui adhibuerit tale medicamentum: ac maiori quidem sapientia opus est ei, qui reprehendit, quam ei qui corpus scindit.* Et in venarum, membrorum scissione in primis ad sapientem medicum spectat temporis obseruatio: quis bibenti canterium adhibet? Quis mensæ incubantis venam scindit? Simili igitur prudentia polleat, cuius reprehensio, & castigatio seruit subditorum sanitati. Nunquam enim reprehensio infructuose adhibenda est. Fallar si quando vidisti Iesum iratum in Iudam; & tamen in Petrum iratus est. Matth.16. *Vade post me Sathana.* sic Petrum reprehendit, verum Iudam nunquam vel verbulo lædit. Cur id? D.Basil. Sel. orat.31. ait. *Ita, inquit Saluator, vbi vlcus est immedicabile, ibi pharmacum inutile: vbi autem curationis spes, sectionem induco curationi.* A peritissimo animarum medico solum applicatur reprehensionis sectio, quando spes curationis monstratur.

Dan.5. Psal.141. Matth.16. Basil.Sel.

Text. Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit. Amen dico vobis, vbicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur, & quòd hæc fecit in memoriam eius.

§. VIII.

Praeclarè ostenditur quale fuerit opus ex eius perennitate.

Qualis fuerit hæc vnguenti effusio, immò qualis in ea fuerit Magdalena, quam Deo grata, quam spiritu diuino plena, in potenni, & iugi duratione operis palam ostenditur. Ad Danidem sic loquitur Dominus 2.Reg.7. *Et fidelis erit domus tua, & regnum tuum vsque in æternum ante faciem tuam.* Ex Hebræo habetur, *in facie tua.* Quomodo æterna duratio regni potest esse in facie Dauid, qui ante tot sæcula defunctus est? Nonne Dauidis facies consumpta est, & in puluerem redacta, & post hoc durauit regnum Dauid, & nunc durat in Iesu filio eius? Sanè & durat regnū Dauid, & durat Dauidis facies: cum enim facie non cognoscitur homo, duratio operum eius sic eum faciunt semper cognosci, quasi tunc præsentissima esset eius facies. Acutè in præsenti Caietanus ait. *Facie cum cognoscatur homo, agnoscendus promittitur Dauid in duratione regni, per hoc, quod dicitur, in facie tua.* Nulla res sic demonstrat qualis fuerit Dauid, quam eius regni duratio: in longæua solij Dauidici duratione tantum non cernitur ipsissima Dauidis facies. Et quidem solum hominis Dei pleni opus nouit durare, & temporum vincere vetustatem. Id quod prænoscens Anna Samuelis mater in recens nato filio lætabunda nihil iam timet mali puero, cuius opera scit consecranda esse immortalitati. Sed vnde hoc scit? ipsa explicat 1. Reg.2. canens: *Lætata sum in salutari tuo.* Quasi dicat: hæc lætitia mea, & spes mea non nititur in fragili, & mobili rerum mundialium axe, sed in dono Dei, cuius halitu cunctæ res æternantur adeò, vt nullibi possit inueniri duratio, quæ non patenter indicet ibi adfuisse diuinas manus. Ex quo D.Chrysost. sic ibi de Anna Samuelis matre loquitur: *Nihil ipsi cum terra fuit commune, sed omne humanum despiciebat auxilium, & erat eleuata spiritus gratia, & sublimis constituta, & in omnibus ad Deum respiciebat, & incumbentium molestiarum solutionem inde petebat. Nouerat enim, planè nouerat, quod humana quidem qualiacumque sint, dantium imitantur naturam. Opus autem nobis diuino semper auxilio, si velimus anchoram in tuto firmare.* Vtinam hanc mentem ebiberent omnes, qui de perennitate domorum suarum contendunt; sed in parua duratione monstrantur, quam vani fuerint eorum conatus. Vidi regios ministros ingenti solicitudine ad regia munera anhelare, vt de regis muneribus & donis firmam, & durabilem domum faciant: & nesciunt miseri, quod dona omnia humana, *dantium imitantur naturam*, & vt dator mutabilis, & mortalis est, sic vel ad motum datoris, vel ad mortem protinus illa omnia euanent. Ruinæ tantarum domorum sepultos occludunt mille illustres viros, quorum hodie nomina ignorantur, & in cœlo, & in terris: verum, qui Deo, & virtuti studuerunt, nec nisi a Dei manu voluerunt ditari, in iugi, & perenni suorum operum duratione tantum, non ostendunt propriam faciem.

2.Reg.7. Caiet. 1.Reg.2. Chrysost.

§. IX.

Quàm gratificatur honos fidelium funeribus exhibitis.

Insitum est fidelium animis, quod honorem præstent defunctis eorum funera lampadibus, luctuosisque exornando & titulis, & tumulis; nec sine mercede est hic honor, quamuis sit mortuis exhibitus, quandoquidem gratificari solet in hominibus. De nobili Ioseph, qui occultus fuerat discipulus Iesu, & qui petiit audacter eius corpus à Pilato, putat non nemo scriptum fuisse Psal.1. vbi sic. *Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.* In quibus nō tam miror præcelsas virtutes Iosephi decantatas; quam præproperam, & festinantem illarum decantationem. Esto decantandæ fuerunt à Dauide Iosephi virtutes, cur tam cito? Cur ante alia omnia? Cur primus cantoris nixus Iosephi peperit cantilenam? Sanè oportebat iam tunc gratificari honorē exhibendum tanti defuncti funeri. Sic notat Tert. lib.4. in Marc. inquiens. *Iosephi corpus Iesu nouerat, qua tota pietate tractauit: ille Ioseph, qui non consenserat in scelere Iudæis. Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentium non sedit: oportuerat etiam sepultorem Domini prophetari, & iam tunc meritò benedici.* Quando non gratificatur honor exhibitus tanto defuncto? Sanè obsequium sepulturæ dominicæ tunc non celebrabitur, tunc non gratificabitur, quando prophetarum cantus, & Euangelica tuba obmutuerint. Quod si prophetæ cecinerint, & Euangelica tuba insonuerit, non poterit non audiri gratificatio eorum, qui defuncti Domini funus honorificè prosequuti fuerint. Ex hinc maximè Deicida Iudas posset minus displicere, si aliquem honorem relinqueret Iesu Domino sepeliendo. Ideò Dominus, vt proditoris crudelem rapacitatem temperaret, illi obsequium suæ sepulturæ obiecit, dicens quod effusione vnguenti Magdalena, *ad sepeliendum me fecit.* Quæ verba sic tractat D.Bal.Sel.orat.31. *Tantum non ad Iudam hoc effatus est Dominus: Ne mihi ritus sepulchrales inuideas, licet vita spolianeris. Nam mulier hoc sepulchrali ritu mortem, cuius tu author es, præuertit. Honorem para sepulturæ meæ hoc esse: etsi cædem paras, tumulum saltem concede.* Quasi etiam Deicida meus gratificandum posset nihilominus præbere obsequium, si quem turpissimæ morti tradit, honorabili sepulchro inferret: acceptus enim hic honor etiam proditori refertur. Nemo ergo putet immuneratum sibi mansurum obsequium præstitum fidelium sepulturis. Id quod videre licet in Tobia, cui post data ingentia beneficia ait Angelus cap.2. *Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.* Multæ & magnæ erant virtutes Tobiæ, dum apud Babylonios Ierosolymitanam religionem seruabat immunem, & tamen, dum acceptorum munerum causa recensetur, hæc in primis ponitur, nimirum cura, qua extremos honores parabat defunctis. Vnde D. Paulin. epistol. ad Pamachium, sic inquit. *Sanctam ergo, & sanctificatam spem per humandi curam nos Tobias docet, huius specialiter muneris prærogatiua iustificatus à Domino, & Archangeli voce laudatus, quod prætulisset prandio suo pauperis sepulturam.* Et meritò, qui extremum fidelium procurabat honorem, non solum à Domino recepit mercedem muneris, sed & eius laus apud Angelos celebritatem obtinuit.

Psalm.1. Tertull. Basil Sel. Tob.2. Paul.

CAPVT

CAPVT III.

De suorum persecutione.

PRADICIT non semel Dominus suorum persecutionem, vt videre licet apud Matth. cap. 23. & apud Lucam cap. 1. & apud Ioan. cap. 16. & alibi passim. Sed pro omnibus explicanda nobis est prædictio illa, quam dat Matth. cap. 10. in qua explicatius, & genera persecutionum, & grauiores circumstantiæ ponuntur à Saluatore. Quæ grauior, & rabidior persecutio, quam illa, in qua cognati, & parentes ipsi vertentur in suorum filiorum tortores? Hanc rabiem prædicit Dominus, & experti sunt dominici greges, dum ab ipsis consanguineis, & parentibus rapiebantur ad mortem.

Matth. 10. Ecce ego mitto vos, sicut oues in medio luporum. Estote ergo prudentes, sicut serpentes, & simplices, sicut columbæ. Cauete autem ab hominibus.

§. I.

Patientia dolorem temperat, aut abigit in malis.

OVium patientia armantur Christi fideles; nullo enim medicamine magis sopiuntur membra, ne percipiant dolores, quam patientia. Ideò Tertull. vbi reprobum Angelum impudentiæ dolore transfossum notat, statim subinfert: *doluerat, quia patienter utique non tulerat.* quasi dolor abesse soleat ab eo, in quo patientia sedem fixerit. Nescit equidem dolor suos exerere aculeos, vbi patientiam inuenit: adeo, vt dolor ipse reproborum de impatientia illorum acuatur, hebetandus si patientiam inueniret. De his Domi-
Matth. 22. nus Matth. 22. inquit. *Ibi erit fletus, & stridor dentium.* Ecce vnde significat summum dolorem damnatorum, nimirum ex stridore dentium, hoc est, ex furiosa ira, qua miseri concitabuntur, & exardescent longe amplius, quam à flammis
Galfr. æternum duraturis. De hoc Galfr. in allegor. Tilm. ait: *Quid enim stridor dentium, nisi iræ, furoris, nequitiæ & malignitatis indicium? Siquidem, vt ego arbitror, nullum erit tormentorum grauius malum, quam malitia cordis, & iniquitas ipsa peruersissimæ voluntatis. Nimirum sicut passiones omnes patientia sublenat, sic impatientia quamlibet leues aggrauat. Ibi ergo erit fletus, & stridor dentium ex rancore. Alioquin si æquanimiter ferre, si humiliter flere, si dicere possent, nos quidem iuste, nam digna factis recipimus; audeo dicere ignis ille inextinguibilis tamen extingueretur, nisi ipsa ipsorum indignatione accenderetur.* Quid elegantius pro patientia excogitari potuit? Eius vis tanta est, vt si apud inferos esset, ipsos damnatorum dolores aut sopiret, aut tolleret. Non tam ignis, quam impatientia facit intolerabiles pœnas damnatorum, si enim impatientia abesset ab ipsis vrentibus flammis, quasi ros manaret refrigerans, & temperans incendia. Huc reuoco Babylonium incendium, in quod pueri Hebræi missi sunt à tyranno,
Dan. 3. Dan. 3. mediis erant flammis nobiles religionis athletæ, cum vnus illorum Azarias inter orandum, sic ait: *In veritate, & iudicio induxisti omnia hæc propter peccata nostra. Peccauimus enim, &c.* Hæc patientissima verba faciebat Azarias media in fornace cum sociis constitutus. Quid tunc? *Angelus autem Domini descendit cum Azaria, & sociis eius in fornacem; & excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, &c.* Ecce tibi ardentissimæ flammæ non vrunt, sed irrorant; non faciunt incendia, sed refrigeria roris. Vnde ros à flammis manauit? Quia rorem refrigerantem adinuenit mediis incendiis? Patientissima illa vox quæ inter cruciatus immanes reso-
Chrysost. nat dicens: *nos quidem iuste.* Ad hæc D. Chrysost. epist. 3. ad Cyprianum ait: *Vides quomodo patientia sanctorum ignem in rorem commutauit?* Non possunt tormenta suos exerere aculeos, vbi patientem animum offendunt: ibi dolores sopiuntur & cruciatus vehementissimi temperantur.

§. II.

Martyrum Christi sanguis fœcundissimus est, vt nouos Christianos pariat.

NOtanter non vt agni, sed vt oues mittuntur Christi discipuli inter lupos, vt inde innuantur Ecclesiæ fœcundissimi partus ex laniena martyrum. Non sic oues fœcundæ sunt, vt agnos pariant: vt Christiani inter ipsas lanienas regeneratorum in Christo parturiunt agmina. Tres missi fuerant pueri in ardentem fornacem à Babylonio tyranno, & post ingens miraculum, quo ignis pueris parcens tortores ipsos comburebat, Dan. 3. accessit rex ad ostium Dan. 3.
fornacis, vt rem stupendam videret, & totus mirabundus ait: *Nonne tres viros misimus in medium ignis compeditos? Ecce ego video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, &c.* Et quidem merito admiratur tyrannus, quod videat quatuor in medio flammarum, cum tres tantum fuerint iactati; nesciebat enim quam fœcundus sit fidelium sanguis, quorum numerus semper crescit inter ipsos cruciatus. Pulchrè D. Chrysost. hom. de tribus pueris ait: *Ecce,* Chrysost.
inquit, video viros quatuor. Exclude si potes adhuc demens eum, qui crescit ad numerum. Non poteris iam tuos finire damnatos, qui soli esse non possunt. Nulla rabies poterit finire Christianos, qui inter cruciatus nascuntur, & inter tormenta crescunt, adeò vt nulla sanguinis gutta in terram decidat quæ numerosos greges non parturiat. Aiebat Tertull ad Scapu- Tertull.
lam: *Nec tamen deficiet hæc secta, quam tunc magis ædificari sciat, cum cædi videtur. Quisque enim tantam tolerantiam spectans, vt aliquo scrupulo percussus, & inquirere accenditur, quid sit in causa, & vbi cognouerit veritatem, ipse statim sequitur.* Sic vel in ore luporum Christianæ oues nouerunt parere Christianos; nouerunt hædos gentiles regenerare in Christi agnos. Quis ambigat fortissimos hos Christi athletas significari per osseam illam pulchritudinem, quæ in sponsæ dentibus apparet? Illis in primis optime conuenit comparatio adducta ibi Cant. 4. vbi dicuntur quod sint: *Sicut* Cant. 4.
grex tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis. Adeò fœcundæ, vt inter furentium luporum ora adhuc pariant. Id quod notabat scholiastes Tertull. ad verba superius data addens: *Mirifico inuen-* Tertull.
tu. Denique consilio oues lupis videmus occurrere, horum incursionibus non posse terreri, dissipari, consumi, sed potius colligi, ac multiplicari. Tunc multiplicantur, tunc colliguntur ex vniuersis gentibus oues Christianæ, quando videntur aliquæ luporum dentibus laniari. Ex quo lucem capit Ezech. cap. 34. Ezech 34.
vbi sic. *Ecce, ego ipse requiram oues meas, & visitabo eas. Sicut visitat pastor gregem suum in die, quando fuerit in medio ouium suarum dissipatarum: sic visitabo oues meas, & liberabo eas de omnibus locis in quibus dispersæ erant in die nubis, & caliginis: & educam eas de populis, & congregabo eas de terris.* Expende, quando dicat colligendas oues, & congregandas de populis, & terris, nimirum, quando vt pastor fuerit Dominus in medio ouium dissipatarum. Itaque cum Christianæ oues dissipantur, laniantur, tunc medius stat Dominus, & per has lanienas martyrum ex nationum populis congregat oues, vt Christiani gregis numerus in dies augeatur. Vnde scite aiebat Clem. Alex. lib. 4. Strom. *Martyria quoque exemplaria* Clem. Alex.
sunt conuersionis sanctificata.

§. III.

Is esse debet homo, qui sciat irasci in vitia.

NOn adeò bonus, suauis, & columbinus sit homo, qui de felle, & veneno serpentis aliquid non habeat, quo in vitia irascatur. Columba sis simplex, bonus, mansuetus, sed qui de serpentis veneno, & felle scias irasci, quando se offerat iusta irascendi occasio. Marcion pessimus vnum Deum effingebat, in quo nihil fellis esset, nihil iræ, sed vna simplex, & suauis bonitas. In hunc merito Tertull. lib. 1. ex- Tertull.
candet aiens: *Hic sufficit peruersissimum Deum ostendere in ipso præconio solitariæ bonitatis.* Et sanè nemini laudi est solitaria bonitas, in quo aliquid fellis non sit quod vitia insectetur. Præclara est affabilitas columbæ, & mansuetudo, sed serpentis felle attemperata. Genes. 6. sic Deus introducitur in- Genes. 6.
dignatus in homines, antequam apud illum vel vnus Noe haberet gratiam. *Delebo, inquit, hominem, quem creaui à facie terræ ab homine vsque ad animantia, à reptili vsque ad volucres cæli, pœnitet enim me fecisse eos. Noe vero inuenit gratiam coram Domino.* Ecce tibi antequam vnus Noë dicatur gratiam coram

ram Domino, exteri omnes homines dicuntur dira condemnatione mulctari; cur id præmissum est? Vt videretur Dei gratia, & affabilitas cum Noe non remissa, & dissoluta, vt solitaria, sed perfecta, & salutaris, vt felle seueritatis attemperata. Phil. Sic ait Philo lib. Quod Deus est immutabilis, vbi hæc verba facit. *Quapropter nunc ait, Noe inuenisse gratiam apud eum, quia cæteri daturi sunt pœnam ingratitudinis, vt salutaris misericordia temperetur peccatorum damnatione.* Non est salutaris affabilitas, quæ aculeum nō habet contra peccata: sæpe vidi iuuenes nimis affabiles, nullo felle conspersos ad peruersissimorum hominum scelera tractos. Vnde aiebat Eccl. 4. Ecclesiastes cap. 4. *Melior est ira risu: per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis.* O quoties tristitia vultus quam longissime scelerum occasiones ablegauit, quas affabilitas Arist. solitaria traxerat. Hinc de affabilitate locutus Arist. 4 Ethic. cap. 6. ait. *Medium illud laudandum, quo quispiam ea, quæ oportet, acceptabit, similiter, & agre feret.* Tunc affabilitas tua, & mansuetudo salutaris est, quando sic es affabilis ad amplexandos amicos in honestis, vt in turpibus aculeum, & fel habeas, quo repellas illices iniquitatum. Huius rei Cassian. exemplum ponit Cassianus lib. 8. cap. 7. in Dauide viro incredibilis mansuetudinis, & affabilitatis: huic mansuetissimo 2. Reg. 16. viro, 2. Reg. 16. suggerunt amicissimi duces mortem maledicentis Semei. quibus statim rex: *Quid mihi, & vobis est filij Saruia?* Sanè multum erat Dauidi, & ducibus his; quando & consanguinitate erant coniuncti, & amicitia coniunctissimi, vtpote qui illum à filio eiectum sequebantur, & tamen vbi quæ non oportebant, suggerunt, quasi omnes necessitudinis nexus, & amicitiæ oblitus sic in eos excandet aliàs mansuetus homo, & affabilis. Simile virus vellem infundere omnibus virtutis studiosis, quo sciant irasci, nec ferantur dissoluta quadam & solitaria bonitate, siue affabilitate. Sic monebat Psalm. 4. *Irascimini, & nolite peccare*, quasi ira suggeratur pro armis aduersus peccatum, vt sine illa inermis omnino ab hostibus inueniaris. Quæ Isidor. Pelus. verba tractans D. Isidor. Pelus. lib. 5. epistol. ait. *Irascimini huic affectui, qui vobis infestus est, ac præsertim voluptati: & non peccabitis. Nam si vos fractos, ac dissolutos inuenerit, nullo negotio vos superabit: si autem vigilantes, ipsique irascentes, quam primum discedet.* Non audet anceps columbas insequi pro quibus excubat serpens: nec audet scelerum suasor accedere vbi tristem vultum, & amarum inuenturus est animum. Nescio an hunc quæsiturus aculeum mittatur piger ad apem Prouerb. 6. vbi ex D. Hieronym. & aliorum lectione dicitur: *Vade ad apem ô piger.* Cur ad apem? Ambros. D. Ambros. lib. Exaëm. cap. 21. ait. *Inter mella fraudare apes venena, si fuerint lacessitæ.* quod meminerit qui totus mellifluus est, qui totus suauis, & affabilis, & sciat inter ipsa mella aculeum exerere, venenum infundere aduersus scelerum irritamenta, & occasiones peccandi.

§. IV.

Hominis furor in homines nocentior est ipso diabolico furore.

NOn monentur Christianæ oues, vt caueant à famelicis lupis, non à rugientibus leonibus, non ab ipso incursu, & dæmonio meridiano, sed monentur, vt caueant ab hominibus. En quam sæuior est lucta cum homine, quam Matth. 8. cum feris, quam cum dæmone! Matth. 8. *Occurrerunt Iesu duo dæmonia habentes, de monumentis exeuntes, sæui nimis, ita vt nemo posset transire per viam illam.* Prorsus intercludebatur via per horum sæuitiam, non erat qui illac transire auderet, ne cogeretur confligere cum istis. Sed vnde diabolus sic nouit infestare, immò occludere vias? Vbi nactus est homines sæuitia insignes, quibus vtatur, fallar si aditum reBasil. Sel. linquat in virtutis via non pene occlusum. Aiebat D. Basil. Seleuc. orat. 23. *Totam verò viciam inaccessum reddidit, dum hominem contra hominem velut insanientem dæmon immisit.* Tunc quasi inaccessa redditur virtutis via, & inaccessus cœlestis redditur curriculus, cum homo in homines à diabolo commouetur. Non enim sic sæuus, sic in homines exitialis diabolus est, vt sæuus, & exitialis homo inuenitur. Quippe serpens ille antiquus, etsi nocentissimus, tamen excantari potest, doctisque carminibus consopiri, homo nullis cedit carminibus, nullo medicamine curatur eius sæuitia. Acci1. Reg. 18. pe vtriusque rei exemplum in Saule, qui 1. Reg. 18. inuasus à spiritu malo, accersitum Dauidem cui docto cantu, & citharæ pulsu sopiebat per singulos dies spiritus illius sæuitiam. Quid tunc? Dum Dauidis carmine sopitur spiritus malus; *Tenebat Saul lanceam, & misit eam, putans, quod configere posset Dauid cum pariete.* Vidisti rem incredibilem, sæuitia spiritus mali sopiebatur carmine, & sæuitia hominis magis irritabatur? Argute D. Basil. Sel. orat. 16. ait: *O nouum* Basil. Sel. *inauditumque facinus! Dæmon pellebatur, & dæmone liberatus arma capiebat. Dæmon vincebatur, & hominis mores pius famebant audaciæ.* Quo non se proripiat sæuitia hominum, quando dæmonis sæuitiam excedit? Nulla fera sic sæua, nulla pestis sic nociua, vt homo hominibus est. Ecclesiast. Eccl. 10. cap. 10. ait: *Labia hominis stulti præcipitabant eum.* Quæ verba sic in rem nostram exprimit Chaldæus Complutensis, vt Chald. indigitet ab vno homine omni orbi imminere malum: *labia viri stulti plena sunt increpationibus, propter ea consumitur omne sæculum.* Id quod paulò explicatius ponit Chaldæus Costi, aiens. *Labia hominis stulti increpationem struebant, atque adeò vniuerso orbi interitum.* Non ea est sæuitia hominis quæ sopiri nouerit, nec quæ aliter quiescat, nisi vniuerso orbi interitum inferat.

Text. Tradent enim vos in conciliis, & in Synagogis suis flagellabunt vos: & ad præsides, & ad reges ducemini propter me in testimonium illis, & gentibus.

§. V.

Primum in virtutis duello victoriæ auspicium est, Principum siue fauores, siue despectus contemnere.

ECce tibi initia dolorum martyribus Christi imminentium, nimirum, *ad Præsides, & reges ducemini propter me.* Non enim vsu venire solet, quod rei homines in Regum conspectu sistantur iudicandi: verum hoc in Christianorum causis nouum, & singulare accidit, quod ipsis Regibus, & Imperatoribus sisterentur Christiani, ab illorumque conspectu ad tormenta immanissima ducerentur. Id quod singulari prouidentia factum est vt ad superanda tormenta, hoc primum ferrent Christi milites victoriæ auspicium, quod regios vultus potuerint contemnere. Quis mirari desinat trium puerorum Hebræorum victoriam? Quis non stupeat flammantem fornacem ab illis superatam? Sed iam tantæ rei admirationem tollit primus illorum triumphus, quod in conspectu Imperatoris constituti, Imperatoris & fauorem, & sæuitiam contemnerent. Etenim habes Dan. 3. Dan. 3. quod *coniectim adducti sunt in conspectu regis.* Insuper quod post regias blanditias, & minas responderint regi: *Notum sit tibi ô Rex, quia Deos tuos non colimus.* Et sanè qui sic regios vultus contemnunt, non mirum quod fornacem vincant, & reliqua superent tormenta. Vnde videns Nabuchodonosor flammas non vrentes, fornacem accensam irrorantem, hæc solum fatur: *Benedictus Deus eorum, Sidrach, Misach, Abdenago, qui misit Angelum suum, & eripuit seruos suos, qui crediderunt in eum, & verbum Regis immutauerunt.* Non meminit expresse fornacem extinctam; non meminit flammas cohibitas; non meminit exercitos carnificum dissipatos, sed id solum explicite celebrat, & stupet, quod verbum regis immutarint. Qui enim sic regios vultus nouerunt contemnere, quasi necessum est, vt facili negotio superent reliqua omnia certamina. Inde Iosue cap. 10. cum quinque reges Iosue 10. captos in medio produxisset, ait ad milites suos. *Ite, & ponite pedes super colla Regum istorum.* Cur pijssimus dux hanc voluit inferre tantis Regibus infamiam? Sanè, vt à suis formidinem omnem tolleret, qui docti calcare Reges, fortiores inde redderentur ad suscipienda quæuis certamina. Theodoretus quæst. 11. ait. *Iussit quoque propheta suis calcare* Theod. *pedibus ceruices Regum, vt audaciores facti alacrius in acie consisterent. Hoc ipsum etiam Dominus noster Iesus mandauit. Ecce enim, ait, dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici.* Fecit Iosue quod Iesus facit. dum dat potestatem suis, & alacritatem, qua regias ambitiones calcent, & præ Dei nomine Regios vultus ne vereantur. Vnde ad clarissimas victorias in duello virtutum sic firmantur, vt immanissima etiam tormenta parui faciant. Non possum in præsenti non meminisse Gedeonis prudentiam, qua cum coram haberet duos Reges Zebee, & Salmana Iudic. 8. *Dixit Iether primogenito suo: surge, & interfice eos. Qui non eduxit gladium, timebat enim, quia* Iud. 8. *adhuc puer erat.* Circa quæ verba, id expendendum est, quod filio adhuc puero iusserit, vt reges percuteret; cur id puero mandaret, nisi sciret quantum interesset ad fortitudinem,

nem, & robur obtinendum, quod quis reges didicerit calcare? Iuſſit equidem Gedeon id puero filio ſuo facere iuxta Abul. quia volebat ei auferre timorem gentilium, & fortem reddere illum ad prælia ſuperanda. Sed tenellus puèr regali habitu, & maieſtati fulgentes viros timet, nec audet illis officere, malens paterna iuſſa contemnere. Vnde merito Arias putat hunc puerum degenerem, & ignauum ad bella: & merito ex hoc cenſendi ſunt milites Chriſtiani, qui enim ſic verentur, & colunt principum nutus, vt iuſſa Dei diſſimulent, & aliquando infringant, ne illis officiant, hi degeneres, & ignaui homines in virtutum conflictu facile peribunt. Verum qui regios vultus Dei virtutiſque cauſa ſciunt contemnere, fortiſſimis his omnia certamina, etſi duriſſima cedunt. Id nouerat nobilis regina Eſther, Eſth. 4. quando cap. 14. id vnum precatur à Domino, nimirum: *Tribue ſermonem compoſitum in ore meo in conſpectu Leonis.* Leonem vocat regem Aſſuerum, cum quo congreſſura nihil prius timet, quam ſua ipſius verba, vt hæc talia ſint, quæ cum Deo compoſita victoriam obtineant à crudelitate regis. Et quidem maximè virtutis argumentum eſt in conſpectu regum ea dare verba, quæ in eo compoſita ſunt, vt regiis placitis, & edictis ſint oppoſita. Quis hæc dabit, magnas poterit ſperare victorias.

§. VI.

Ad Chriſtianorum triumphum ſpectat, quod quis in ſe peccatum regnans in primis expellat.

SIſtuntur Chriſti milites Regibus, vt inde Chriſtianus ſciat cum quo vitio ſit in primis congreſſus, vt vincat reliqua, nimirum, cum eo quod in eius mente præcipue Ioſ. 10. regnat, & principatum exercet. Sic Ioſue cap. 10. ad ſuos loquitur: *Ite, & ponite pedes ſuper colla Regum iſtorum* & merito dum ſuos victorias docet, iubet in primis calcari Reges: non enim aliter vitiorum phalangeſ vinces, niſi prius, quod vitium in te præcipue regnat, tradideris morti. Ex Origen. quo ſic monet Origen. hom. 11. in Ioſue: *Vtinam & tu talis eſſes, qui poneres pedes tuos ſuper ſerpentes, & conculcares draconem, & baſiliſcum, id eſt, regulum, qui aliquando regnauit in te, & tenuit in te regnum peccati, vt illis omnibus interemptis, qui in te regnabant opere peccati, ſolus in te regnet Chriſtus Ieſus.* Hoc in primis ſpectet miles Chriſti, vt ſuæ mentis regulo ſe ſe opponat, vt nitatur in primis vincere illud vitium, quod in ſe regnum exercet, & cuius legibus ipſe rapitur, vt miſerandus ſeruus. Hunc præſtantiſſimum vincendi modum docuit Dominus dum in crucis ſtadio, etſi vt peccata omnia perimeret, vitam profudit, nihil prius ſpectauit, quam poteſtates omnes, & principatus peccatorum ſubiugare, quibus deuictis facili negotio poſſent ſperari victoriæ quæcumque. Quo reſpiciens D. Paulus ad Coloſſ. c. 2. ait: Coloſſ. 2. *Delens quod aduerſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio affigens illud cruci: & expolians principatus, & poteſtates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo.* Ecce tibi dum mortem crucis præcisè exprimit, ſolum dicit, quod tulerit chirographum decreti, & illud cruci affixerit, non ait quod inde traduxerit confidenter: ſed cum in morte crucis addit ſpoliationem, & expugnationem poteſtatum, & principatuũ, iam inde nihil eſt, quod fieri non confidat, iam inde traduxit confidenter, iam inde ſingularis, & maximus triumphus. Equidem magnum eſt, & præſtantiſſimum virtutis argumentum, ſi te peccatis opponas etiam per profuſionem vitæ: at cum principatus vitij in te debellas, ô quam confidenter properas ad triumphos! ô quam glorioſas victorias obtinere Chryſol. incipis. Non longè abeſt Chryſol. ſerm. 128. inquiens. *Summum eſt fratres pro Domino præſentem vitam, ſi neceſſe ſit, contemnere: ſed glorioſum eſt, etiam cum vita mundum ſuo temnere, & conculcare cum principe.* Vincit equidem qui vitam profundit, vbi res tulerit, ne peccatum admittat: ſed qui inſuper peccati principatus conculcat, is confidenter aſpirat ad nouos quotidie, & glorioſos triumphos.

§. VII.

Patientia martyrum nulli non facit manifeſtam virtutem Chriſtianam.

PRæſidibus, & Regibus offeruntur Chriſti milites, vt ſint illis in teſtimonium. Et quis non percalleat virtutis Chriſtianæ clariſſimum teſtimonium in tolerantia martyrum? De martyrio cuiuſcumque locutus Clemens Alexand. Clem. Alex. lib. 4. ſtrom. ait. *Is vero feret teſtimonium ſibi quidem, quod ſit in Deum ſyncerus, & germanus fidelis: tentatori autem, quod ſit fruſtra æmulatione percitus in eum, qui eſt fidelis per dilectionem. Domino autem, quod à Deo ſit inſpirata doctrinæ perſuaſio, à qua non deſiciet metu mortis: quin etiam facto confirmat veritatem prædicationis, potentem eam eſſe oſtendens, ad quam contendit.* Hæc euidentiſſima teſtimonia virtutum reddunt Chriſti milites ſtantes apud Præſides nationum, & Reges, vt nullus ſit, vel Deus, vel homo, vel perſecutor, vel amicus, qui ſanguine teſtatas virtutes, immo rubricatas non videat. Quis homo non videat ſe ſyncere, & fideliter virtutem colere, pro qua non dubitat, & in carcerem, & in mortem ire? Quis non putet diuinitus inſpiratam doctrinam, à qua nullus mortis metus deterret? Quis neget in dilectione Dei eſſe firmatum illum, cuius in ore diuinum nomen etiam inter tormenta laudatur? Sapienter D. Cyprian aiebat Cyprian. lib. de laude martyrij: *Etenim chariſſimi fratres, vt tam eſt tanta martyrij, vt per illam credere etiam ille cogatur, qui te voluit occidere.* Ipſi tyranni, Nerones ipſi & Diocletiani non poterunt non videre, & confiteri inter effuſos martyrum ſanguines, ſplendores virtutum Chriſtianarum, quo ipſi miſere à ſupremo iudice damnabuntur. Ad hos planè pertinet dialogus inter Gedeon, & Reges Madianitarum apud Iud. Iud 8. cap. 8. Etenim verò Gedeon, poſtquam Zebee, & Salmana reges coram adduci fecit, ſic ait ad illos. *Quales fuerunt viri quos occidiſtis in Thabor? Qui reſponderunt: Similes tui, & vnus ex eis, quaſi filius regis*, hoc eſt, vnuſquiſque ex eis quaſi filius regis. *Quibus ille reſpondit: Fratres mei fuerunt, filij matris meæ. Viuit Dominus, quia ſi ſeruaſſetis eos, non vos occiderem.* Merito inexcuſabiliter pereunt Gedeonis gladio miſeri reges qui percuſſerunt viros adeò illuſtres, & conſpicuos, vt vel ipſiſſimi tyranni fateantur fuiſſe perſimiles maximo duci, & regum filiis. Similiter vbi Chriſti milites a tyrannis occiduntur, adeò ſe ſtrenuè gerunt, adeò conſpicuum teſtimonium reddunt Chriſtianarum virtutum, vt ipſiſſimi tyranni ad tribunal diuinum adducti, & interrogati de occiſis, quales fuerint, dicturi ſint ſummo iudici: *Similes tui, & vnuſquiſque ex eis, quaſi filius regis.* Illa erat illis tolerantia in pœnis; illa ſerenitas in vultu, illa tranquillitas in animo, illa integritas in verbis, quæ regios, immò diuinos deceret ſpiritus. Nec tyrãni barbariſſimi, ſiue obcæcati Iudæi, ſiue ignorantes gentes poterunt diffiteri in tremendo iudicio à ſe interfectos ſummi, & diuiniſſimi principis Ieſu virtutibus floruiſſe, de quarum vel vmbris ipſi, & philoſophos, & ſtrenuos viros ſuos reputabant diuinos. Quis neget hoc inſuperabile eſſe martyrum teſtimonium aduerſus gentes, quod in Chriſtianis diſcerperentur, eas virtutes notabant, ob quas ipſi plurimis honores diuinos offerebant. Ideò Tertul. in Apologet. ait: *Propterea enim deſperati, & perditi* Tertull. *exiſtimamur. Sed hæc deſperatio, & perditio penes vos in cauſa gloriæ, & famæ vexillum virtutis extollunt. Mutius dexteram ſuam libens in ara reliquit*, &c. Pergit alios numerare, qui ob conſtantiam qua ſe morti, & cruciatibus deuouerunt, diuinos, apud nationes, obtinuerunt honores, quorum de virtutibus glorioſa vexilla ciuitates gemium extollebant. Et quanta id damnatione ſua? Equidem inde maxime damnandi Romani, quod triumphis ab igne reportatis in Scæuola adorarentur, cum fortiſſimum Laurentium maiori, & glorioſiori triumpho viderint coruſcare. Et ſanè conuincentur ex ſuis, quanto maiores glorias, & virtutes præſe tulerint viri Chriſtiani.

Text. Cùm autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis.

§. VIII.

Tribulationes pro Ieſu ſuſceptæ ex Deo hulant verba fortitudinis, & ſapientiæ.

NOn vetat Dominus, quod qui in cauſa fidei iudicibus ſiſtuntur, meditentur ea, quæ dicturi ſunt, vt bene notat Maldonatus, ſed illam meditationem vetat, quà homines meticuloſi, & formidinis pleni nimiam diffidentiam ſuam ſolent monſtrare. Et quidem Chriſti milites, dum ſiſtuntur tribunalibus, longe faciant a ſe formidinis, & diffidentiæ

dentiæ meditationem, scientes quod Christianum stadium, vbi Dei causa agitur, ex Deo verba fortitudinis, & omnigenæ
Paul. sapientiæ halat D. Paul. ad Philipp. cap. 1. ait dum vinculis teneretur. *Quæ circa me sunt, magis ad profectum venerunt Euangelij, ita ut vincula mea manifesta fierent in [illegible] omni prætorio, & in cæteris omnibus, ut plures [illegible] fratribus in Domino confidentes in vinculis meis, abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui.* Expende vnde sapientiæ, & fortitudinis verba abundantius emanent, nimirum ait: *confidentes in vinculis meis:* vincula Pauli, & passiones confidentiæ, & fortitudinis verba, tanto impetu profluunt, vt illis alij repleti verbum Dei sine formidine loquatur. Et bene notat Chrysost. quantam verborum affluentiam in Paulo ipso vincula parturirent quando talem copiam faciunt redundare in vicinos? Mihi credite nunquam ex Rhetorum ore tanta effunduntur verborum flumina quanta ex vinculis, & vulneribus facit diuinus spiritus parturiri. Iob coram regibus calumniantibus, & reprehendentibus constitutus, quam pulchras orationes texuit? Quanta sapientia plenos sermones edidit? Quod si cupis [illegible] causam facundiæ, ipse textus in-
Iob. 3. digitat, c. 3. inquiens. *Post hæc aperuit Iob os suum.* Post quæ? Post spoliatum bonis omnibus: post orbatum filiis, post percussum à dæmone; postquam reges obiurgatores coram vidit, aperuit os suum & indè non potuit non ornate, &
Olymp. sapienter, & facunde dicere. Ita Olympiod. in Cat. Græc. ait. *Post hæc ergo Iob os aperuit, id est [illegible] calamitates. Toto autem corpore excruciatus haud improuidam format orationem, neque animi rationem lingua præcurrit, sed sapientibus vocibus moderatur. In eo enim ipso, quod os aperuit, decorem orationis præstitit.* Faciunt hoc vincula, & pressuræ propter Deum, vel susceptæ, vel acceptatæ; ne verba incomposita elabantur corā principibus, ne linguæ præcipitatione fiant lapsus linguæ: sed aperto sapienter ore, & composita & ornata, & fortitudinis plena verba prosiliunt. Iam dudum nouit diuinus spiritus linguis insidere fidelium, qui sistendi erant Principibus mundi, pro Christi nomine contumelias passu-
Actor. 2. ri. Actor. 2. *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tanquam ignis.* Quæ verba cum præsentibus Matth. verbis componens D.
Prosp. Prosper inquit epist. ad Demetriad. *In specie linguarum apparuit igniarum, vt dubium non esset per eius vim rationem, rationabilem sermonem animis fidelium ministrari, sicut ipse Dominus discipulis suis insinuans: & dixit: Cum tradent vos, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Non enim vos estis [illegible] loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.* Ecce [illegible] iam dudum spiritus diuinus sibi sedem parauit in linguis, ne cum sistuntur principibus, deficiat sapientiæ verba Dei famulis.

§. IX.

Dei est apud Principes sæculi pro causa iusta verba inspirare.

VBi seruorum Dei negotia apud sæculares potestates aguntur, non ibi requiritur facundia humana; ad Deum enim spectat, tunc verba sapientiæ inspirare, & ministrare. Hinc illa sapiens regina Esther pro liberatione sui populi, etiam cum proprio discrimine aditura seuerissimum regem non ipsa meditatur, & componit sermones, quos loquatur, non a patruo suo Mardochæo instructionem requirit; quod faciunt etiam prudentes viri in negotiis sæcularibus, in quibus consulunt alios; & tractatus scribunt, & singula verba pensant, & bis, & ter renocant ad limam, præcipue si ad
Esth. 14. regem sunt locuturi. Nihil horum audio fecisse Estherem, sed omne studium remittens Deo, sic orat. c. 14. *Da mihi fiduciam Domine rex Deorum, & vniuersæ potestatis: [illegible] sermonem compositum in ore meo in conspectu leonis.* Non sermonem petit, quem ipsa, vel sua, vel Mardochæi studio componat, sed sermonem compositum, & elaboratum, beneque concinnatum à Deo exigit ea fiducia, qua ipsa parata est venire in conspectum leonis, nempe regis. In quo puncto, pro tali causa non ad hominem, sed ad Deum spectat totum concinnare sermonem, & singula inspirare verba: adeò, vt maleficus Balaam neget se coram rege posse loqui alia verba in causa populi Israëlitici, nisi quæ à Deo inspi-
Num. 22. rata habuerit. Sic Numer. 22. vbi vocatus à rege Balac fuit ad maledicendum populo Israëlitico, cum primum à rege vrgebatur, vt maledictionem exerceret, ipse ait. *Numquid loqui potero aliud, nisi quod Deus posuerit in ore meo?* Sed cur non poterit perfidus homo loqui aliud, nisi quod Deus posuerit in ore eius? An non ipse [illegible] qui consueuit male mendacia? Equidem cum alias loquebatur, mendacia consuebat mendaciis; verum vbi coram rege de salute populi Israëlitici agendum erat in puncto illo nouit quod fœtidum os ex te manaret, sed quod ibi Deus posuerit verbū, erat prodendum, quando ad Deum spectat in salutis causa coram regibus inspirare verba. Hinc concludit Tertull. aduersus Marc. lib. 4. concordiam veteris, & noui testamenti, eo quod similiter ad Iesum, & ad Deum spectat componere verba, quæ pro salute populi fidelis coram regibus dici debent.
Et rursum post adducta Iesu verba hic data, ait Tert. *[illegible] prophetes in Arabiam accersitus à Rege Balac ad maledicendum Israel, cum prælium inibat, simul spiritu implebatur, non ad quam venerat maledictionem, sed quam illi ipsa hora suggerebat spiritus benedictionem pronunciabat, ante professus auto nuntijs Regis mox etiam apud ipsum, id se pronunciaturum, quod Deus in os eius indidisset. Hæ sunt nouæ doctrinæ noui Christi, quas olim famuli creatoris initiarunt.* Tertull. Vbicumque pro salute populi verba coram regibus dentur, ad Deum spectat illa verba dare, cuius est in ore ponere sermones, qui saluti conducere valeant.

§. X.

Ab humana lingua cauendum est, vbi ab errore victoria est reportanda.

QVam prouide Dominus vetat nobis parare ex nobis ea, quæ dicenda sunt pro veritate coram tyrannis tuenda; & soli diuino spiritui remittit tunc pro nobis, & in nobis verba facere. Equidem nunquam certius ab errore victoria est reportanda, quam vbi nostra silet lingua, & solus Deus in nobis loquitur. Quanta erat solicitudo fortissimæ illius fœminæ, & matris tot sæculis decantatæ quæ septem filios Machabæos pro Deo vero vidit mactari? Anxia erat mater, & solicita vehementer ne inter cruciatus vehementissimos aliquis filius laberet, & errori succumberet.
Inter quas solicitudines Machab. 2. cap. 6. Rex impius *iussit ei, qui prior fuerat locutus, amputari linguam.* Id quod medita- 2. Mach. 6.
tus Stephanus Cantuariensis apud Tylmannum allegorias sic Cantuar.
ponderat, & matris felicitatem & securitatem. *R[illegible] iussit ei linguam [illegible] putari. Q[illegible] obiit [illegible] matri contri[illegible]?* Equidem matri anxiæ & solicitæ, ne in filiis error iouet et aditum, [illegible] de errore veritas triumpharet, nihil [illegible] cius, nihil felicius accidere potuit, quam videre in filio humanam linguam mortescere, imo eradicari. Pulchre Pru- Pruden.
dentius [illegible] de Sancto Rom. ait

[illegible] linguam tyrannus amputauit impius
[illegible] ex [illegible] mater [illegible]. Satis
Iam parta nobis [illegible] est.

Quasi haberet iam secura de errore victoria, vbi linguæ lapsus eradicantur. Vbi humana lingua est, quot lapsus, quot errores, quot nascuntur mendacia? Præclare Eccle- Eccl. 25.
siasticus cap. 25. ait. *Beatus qui lingua [illegible] non est lapsus [illegible]* quidem quam difficulter potest [illegible] beatitudo [illegible] le miserijs, pene tam difficulter lingua humana potest libera inueniri a lapsu. Vnde nihil tam fugit Spiritus veritatis, quam humanam linguam nihil tam amat spiritus erroris quam linguam humanam. Ecce tibi de spiritu veritatis quid dicitur in præsenti: *Non enim vos estis [illegible] spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.* Non ait, qui loquitur in ore vestro, in lingua vestra, sed quasi vehementer sibi caueat ab humana lingua, nec illius voluit meminisse, tantum asserit, *qui loquitur in vobis.* E contra spiritus erroris
ait 3. Reg. 22. *Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium* 3. Reg. 22.
prophetarum eius. Et [illegible] Dominus: Decipies, & præualebis. Non dixit, ero spiritus mendax in omnibus prophetis, sed in ore omnium prophetarum, quasi ex eo sibi promittat errorum, mendaciorumque efficaciam, quod in ore, & lingua hominum fuerit. Amat erroris spiritus humanas linguas, vt quæ erroribus apprime seruiant: quas studiose fugit spiritus veritatis, & ideo ait, quod loquetur in nobis, immo quasi sem-
per nostra lingua caueret, dicit Aggæi 1. *Factum est ver-* Aggai 1.
bum Domini in manu Aggæi; & nescio an aliquando verbum Dei factum esse dicatur in ore hominis. Semel illud audio apud Ierem. 1. *Ecce dedi verba mea in ore tuo.* Sed quanta id factum est Dei solicitudine, & cura, ex sequentibus patet, quando statim subdit. *Vigilabo ego super verbum meum, vt faciam illud.* Quippe dum traditum est Dei verbum hominum linguis, opus est diuinis vigiliis, & curis magnis, vt bonum possit effectum sortiri. Eu quam errant hi, qui in verbo Dei prædicando, multum volunt tribuere propriæ linguæ cultui. His similis erat Balaam, cuius in ore cum posuisset

posuisset Dominus verbum suum, vide, quam inepte tractet Num. 23. illud Nom. 23. *At ille assumpta parabola sua, ait: Sta Balac, & ausculta, audi fili Sephor. Non est Deus quasi homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur. Dixit ergo, & non faciet? locutus est, & non implebit?* Expende quot verba conglomeret: Balac, filius Sephor: Ausculta, audi, Non est Deus quasi homo; nec quasi filius hominis. Dixit: loquutus est: non faciet, non implebit. Vix aliud percipitur, quam crebra eiusdem verboli repetitio, vt vocularum cultu, magis quam iniuriæ spinis suffocetur, & adulteretur Dei verbum. De isto Rupert. Ruper lib. 2. in Num. cap. 19. ait. *Bene ergo & ipso locutionis modo formam illorum exprimit, qui verbum Dei adulterant, qui dum benedictiones cantitant, de virtute verborum non curant, magisque vocula sua tripudium, quam diuinorum maiestatem attendunt sensuum.* Cesset ergo humana lingua, vbi error ablegandus est, vbi Dei verbum non adulteratum, non suffocatum, sed viuidum, & penetrabilius omni gladio ancipite manifestandum est. Merito dicebat, Psalm. 31. Psal. 31. *Quoniam apud te est fons vitæ.* ad quæ August. tract. 25. in Ioann. August. *Apud te fons est vitæ, non apud nos. Ideo intrare debemus, vt viuamus, non quasi de nostro velle satiari, vt arescamus, sed ad ipsum fontem potare, vbi aqua non deficit.* Non in humana facundia, & linguæ humanæ cultu confidamus, ne erremus, ne arescamus de nostro, solum enim apud Deum fons vitæ est, vnde verba vitæ æternæ saliunt in salutem propriam, & animarum.

Text. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & insurgent filij in parentes, & morte eos afficient; & eritis odio omnibus hominibus propter nomẽ meum: qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.

§. X.

Maximus dolor est, quod à tuis affligaris.

PAucis verbis proposuit Dominus summam persecutionis acerbitatem, nimirum quod filij a parentibus, & frater a fratre agendus est in mortem. Non enim tantum dolorem explicaret, si flammantes lectulos, si nouacularum rotas, si crudelissimos tortores exhiberet, quam dum persecutionem à parentibus, & fratribus, & propinquis excitandam proponit. Hic est summi doloris aculeus, hæc omnium acerbitatum summa est, quod ab his mortem recipias, a quibus spectares tutamen. Hinc æstimat Abulensis extremam Abimelechi calamitatem, in quam incidit, vt paruam nominis euitaret infamiam. De quo Indic. 9. dicitur. Iudic. 9. *Ecce vna mulier fragmen molæ desuper iaciens illi fo capiti Abimelech, & confregit cerebrum eius. Qui vocauit cito armigerum suum, & ait ad eum, Euagina gladium tuum, & percute me, ne fortè dicatur, quod à fœmina interfectus sim.* Expende quò illum immanissimæ gloriolæ ambitio deiecit, vt ab eo mortem peteret, à quo auxilium deberet expectare. Cur miser à tuis postulas interfici? Nónne velis nolis à muliere in has angustias deuenis, vt moriendum tibi sit necessario? Cur vltra lethalem à fœmina plagam acceptam, adhuc petis Abulens. aliam ab armigero tuo? Rem attigit Abulens. ibi quæst. 53. aiens. *Deus perturbauit Abimelechi iudicium, vt magis pateretur, & efficeretur calamitosior: quia à viro suo interficiebatur. Sed miserrimum est ab eo occidi, à quo quis tuendus est.* Hæc sanè est inter calamitates maxima & à qua maximè humanum cor abhorret. Quapropter Dominus illam discipulis suis venturam prædicit, flammis, crucibus, gladiísque tortorum relictis. Hanc similiter calamitatem primitiua Ecclesia lamentatur, Cant. 1. dum ait Cant. 1. *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* Pugnauerunt equidem contra Ecclesiam extranei, & pugnarunt acerrime, & crudeliter Nerones Diocletiani, & innumeri alij barbarissimi tyranni, & horum durissimis pugnis dimissis solum meminit sponsa persecutiones à parentibus, a fratribus susceptas; & quidem non casu has meminit, sed vt ostendat summam in dolore suo Bernard. differentiam. Id quod tradit D. Bernard. 29. in Cant. aiens. *Sola exprimitur persecutio à domesticis, & tacentur tot, & tam grauia, quæ vbique terrarum ex omni natione, quæ sub cœlo est, ab infidelibus, ab hæreticis, & schismaticibus pertulisse cognoscitur. Noat sponsæ prudentiam, nec putaueris casu hæc illam, aut quasi immemorem præterijsse. Sed proinde id expressim plangit, quo & sentit differentius.* Vix est vlla comparatio inter persecutionem à tuis excitatam, & persecutionem ab extraneis profectam; hæc etsi maxima videatur, prorsus euanet ad illius conspectum. An non maxima erat miseria, quod potentissimus Rex Dauid à vili homine Semei conuitia, & opprobria exciperet? Sed ecce tibi quid loquatur Dauid sub tanta miseria constitutus, *Ecce filius meus, qui egressus est de vtero meo, quærit animam meam: quanto magis hic filius Iemini? Dimitte eum, vt maledicat.* Nihil æstimat opprobria, & maledicta Semei comparata cum his, quæ patitur à filio; vt filij in se crudelitatem meminit, cætera omnia præterit, & paruipendet. Hinc oriebatur illa eiusdem vox, Psalm. 54. *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique. Et si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset: abscondissem me forsitan ab eo. Tu verò homo vnanimis, dux meus, & notus meus.* Psal. 54. Quid tunc? D. Bernard. vbi supra explicat: Bernard. *Hoc est, quod à te patior contubernali meo, id molestius sentio; fero ægrius.* Inde est, quod Iesus Dominus, cum toties lapidibus peteretur, ipse nunquam voluit pati lapides. Cur qui passurus erat crucem, noluit pati lapides? Ne in singulis lapidibus cogeretur cognoscere, & aduertere suorum duritiam. Hæc me fecit cogitare Diuus Augustinus sermone 92. de diuersis, vbi de Iudæis Stephanum lapidantibus, ait: August. *Cum ad lapides cucurrissent, duri ad duros, iactabant in illum pares suos.* Equidem nullus esset iactus lapidis, qui non repræsentaret Iudæorum manum, & Iesu dolorem exacerbaret, sentiens suorum duritiem, & crudelitatem.

§. XI.

Vera Ecclesia persecutores prorsus exleges.

ET si non aliud esset, hoc in primis do signum veræ persecutorum Ecclesiæ, quod apud illos nulla valeat lex, nec naturæ, sed prorsus inueniantur exleges. De illis sic pronuntiat D. Iudas in sua Canonica: *Væ illis, qui in via Cain abierunt.* Quasi hoc sit maximè adiunctum, quòd qui à vera Christi Ecclesia abeunt, continuo in viam Caini errent. Quid est ire in viam Caini? Ille abit in viam Cain, apud quem nulla lex valet, nec ipsius naturæ, sed sic brutescit, & efferatur, vt frater fratrem perdat. Quærebat Dominus ex Cain, Genes. 4. *Vbi est Abel frater tuus?* Sed Genes. 4. bone Deus cur primum reum vocas ad iudicium, ab illóque delictum quæris? Cur non prius testes examinas, & post horum testimonium ad reum accedis? Soli Adam, & Eua testes esse poterant homicidij, sed noluit Auctor naturæ, quod, qui ad propagationem naturæ ordinabantur, parentes nimirum, aduersus filium, testimonium dicerent. Id quod pulchris verbis exprimit D. Ambros. ibi inquiens: Ambros. *Parentes tuos accusatores esse non passus est, ô Cain. Noluit enim, vt ea necessitudo, quæ est auctor salutis, fiat auctor periculi. In te sola natura leges amisérit.* Et quidem vbicumque verus Dei datur cultus, veràque seruatur religio, nullum filium accusant parentes; nec propinquitas, & necessitudo, quæ est auctor salutis, fit auctor periculi. In solis infidelibus, in solis his, qui à vera religione defecerunt, natura leges amittit, & prorsus exleges crudelissimi abeunt in viam Caini. Apud quos necessitudo fit auctor periculi, & natura leges amittit suas, non quæras veram religionem, veri Dei cultum. Nihil enim magis verus Deus persequitur, quam similia parricidia. Apud Ezech. cap. 23. sic Ezech. 23. Deus queritur: *Cum immolarent filios suos idolis suis, & ingrederentur sanctuarium meum in die illa, vt pollueret illud: etiam hæc fecerunt in medio domus meæ.* Non solum parricidia abominatur Dominus, sed & illud ad augendam offensionem suam accumulat, quod hi qui in filios suos prætextu religionis adeò crudeles extiterunt, auderent veri Dei domum pertingere. Similis enim crudelitas in filios suos inuenitur extra Dei veri domum, & quasi illa insigniuntur, qui à vera religione deficiunt. At qui tantæ impietatis sunt rei, si vel Dei domus limen pertingere ausi fuissent, in extremum audaciæ, & impudentiæ deuenissent. Sic Theodoretus ibi; *Multa est impietatis exuperantia; primum enim quod ipsi filios iugularent, extremus est impietatis terminus. Sed quod post eiuscemodi facinus etiam ad diuina vestibula conscenderint, hoc verò extasim talis exuperandæ impietatis locum relinquat.* Pene inseparabilis est impietas illius, qui in domo Dei audeat gloriari de filiorum parricidio alicuius religionis prætextu: quandoquidem huiusmodi crudelitas eos solum designat, qui prorsus exleges à vera Ecclesia deficiunt.

§. XII.

Magnum Dei est beneficium, quod carnalium propinquorum adfectus emortuus nobis appareat.

VIde ingentem persecutionis vim, quod parentes, quod propinqui sibi inuicem tortores existant. Pater tradet in mortem filium, & filius patrem. Quid durius? Quid perniciosius? Sanè durius longè esset, & perniciosius, si pater non tortor, sed pater carnalis existeret; & non in mortem durissimam, sed in requiem temporalem filios alliceret. Sunt equidem validissimi carnalium propinquorum affectus ad humanas mentes trahendas: vix audeo vnum separatum à Christo propter propinquorum persecutionem; sed sunt innumeri, quos propinquorum mellita lingua, suasoria verba in perditionem eiecerint. Nouit hoc hostis hominum dum post mille dolores, post tormenta mille, post ingentes calamitates, vnum adhuc, & validissimum telum parat in Iob, nimirum vxoris suadelam. Hæc iuxta
LXX. lectionem Vaticanam Septuag. sic fatur cap. 2. *Quousque sustinebis, dicens. Ecce permaneo, tempus adhuc paruum expectans spem salutis meæ? Tu verò ipse in putredine vermium sedes pernoctans sub dio: & ego errans, & ancilla, locum ex loco, & domum ex domo expectans solem, quando occidit, & requiescam ab ærumnis, & doloribus.* Quem adamantem non frangerent hæc verba? Quæ tela penetrabiliora excogitari possent? Fallar si tormenta omnia excogitata à tyrannis sic valent corda humana turbare: merito de hoc telo dicit Chrysost. in Ca-
Chrysost. ten. Græc. *Cum in malis huiusmodi Iob esset, & quasi in sartagine versaretur vndique, atque intestinis externisque premeretur ærumnis, vxoris illi machina admouebantur; & quæ coniux erat, diaboli efficitur telum, dumque diabolo linguam commodat suam, in virum sagittas contorquet, multòque in eum atrociùs, & perniciosius, quam ille ipsa, quæ exposita sunt, iaculatur.* Et sanè atrocius, & perniciosius impugnatur miles Christi propinquorum siue labiis, siue oculis, quam vniuersis tormentis diaboli. Vnde cum aduersus fideles propinquitatis, & necessitudinis iura exuuntur, ipsique parentes, non parentes, sed tortores agunt: beneficium Dei est, vt sui milites emortuum videant validissimum naturæ affectum, & sic securiores pertranseant. Cum exercitus Israelitici vellent transire Iordanem, cuius vitalissimi fontes aditum impediebant, ad præsentiam arcæ fœderis factum est miraculum grande, nimirum, quod superiores vndæ steterint, instar montis intumescentis; de inferioribus autem expende,
Iosue 3. quod dicat textus Iosue cap. 3. *Quæ autem inferiores erant in mare solitudinis (quod nunc vocatur mortuum) descenderunt.* Itaque viuidi fontes aquarum, quæ viuida vena profluentes viam Israëlitis impediebant, vbi in mare mortuum deuenerunt, & securam, & facilem relinquunt viam Israëlitis, qua in terram promissionis pertranseant. Quis iter ad Deum faceret si dulcissimi vitæ fluctus pereunterent, viuoque profluuio ripas allamberent? Quis ad Deum securus iret si à cognatorum ore verborum flumina ebullirent, mulcerent aures viuidósque necessitudinis, & amoris affectus præsentarent? Felix cui hæc flumina in mare mortuum dilapsa obiiciuntur, in quibus nihil non mortem crucémque minitans non possit spectare. Is securus ad Deum pertran-
Galfrid. siret. Iam assero Galfridum apud Tilmanni allegorias, sic fantem. *Fatear mare est, sed mare mortuum in quo nauigas. Et quantas debes gratiarum actiones Deo, quod mare viuum seruens, & fremens altissimum, & intrans meabile, mari mortuo commutaret? Vtinam per mortuum mare ad terram viuentium valeas peruenire. Vtinam mortuum magis transuehat te, quam viuum absorbeat te.* Quis neget inter fluctus maris esse illum qui ab ipsis parentibus, & propinquis petitur ad mortem, sed id mare mortuum est, dum viuerent fluctus, dum viuos affectus ostenderent, maximè traheretis a flumine, & viuido fluenti compeditus, vix posses gradum facere. At postquam quidquid vides mortem spirat, securior vadis: non te fluctus absorbebit, sed mare mortuum magis te in terram viuentem transuehet.

§. XIII.

Christi athletæ in stadio passionis à diuino nomine accipiunt & tutamen, & delicias.

TOr tantaque mala à parentibus, à cognatis, ab vniuersis hominibus profecta in Iesu seruos, & repelluntur, & sopiuntur vno Dei nomine obiecto, propter quod sufferuntur. Quippe ait: *Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum.* Vbi enim Dei nomine armantur fideles, quæ spicula non repellant? Et quibus fellibus dulcorem non eliciant? Psal. 108. ab hostibus circumseptus, aculeisque mille Psal. 108.
appetitus aiebat, *Circumierunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis, & in nomine Domini quia vltus sum in eos.* Expende quantum Dei nomen sit, in quo aduersus ardentes flammas, furentes hostium cuneos audet Dauid, & sumit vindictam.
Chrysostom. ibi: *Eos adeò vehementer accensas non solum subterfugi, sed etiam vltus sum. Tanquam ignis enim accurrebant, tanquam apes cum magna animi alacritate inuidebant; intus interceptum tenebant, nec aliquid potuerunt facere. Arma enim inuicta auxilium inexpugnabile Dei nomen omnes expulit.* Vbi Chrysost.
Dei nomen tibi proponis, propter quod pugnes, cur non rideas hostes? Cur non contemnas flammas? Arma inuicta, auxilium inexpugnabile est Dei nomen quo inter ipsa pericula, inter carceres, & lanienas quasi inter festos ludos effulges adornatus. In carcere erat Ioseph, ferro oppressus, vinculis præpeditus, & dum sic est, nihil magis in ore habet quam Dei nomen: hoc sæpe sæpius pronuntiat,
cum loquitur, cum respondet. Etenim Genes. 40. interro- Genes. 40.
gatus à concaptiuis suis de somnio, quod illis contigit, hoc primum fatur, *Numquid non Dei est manifestatio?* Cur toties miser captiuus Dei nomen versat in ore? Sanè, vt inter miserias, inter carcerum calamitates, inter vinculorum dolores, de nomine Dei appareat, & munitus & adornatus. Ita Theodoretus ser. 8. de Prouidentia, fatur, *Vbique Dei nomen circumfert, & hoc animam suam simul atque sermones suos exornat.* Non sic aureis armis adornatus media in arena exultat miles, vt inter ipsos carceres, inter vincula, inter lanienas ipsas effulget de Dei nomine adornatus athleta Christianus. Cum propter Dei nomen quis percutitur, sic inter percussiones agit, quasi ornatus sponsus me-
diis dilectæ amplexibus. Diuinæ sponsæ est vox illa Cant. 2. Cant. 2.
Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. In læua tormenta sunt, passiones sunt, persecutiones sunt, & nihilominus dum in his versatur sponsa, solos sui dilecti amplexus meditatur, & non tam agit vt puluerolenta bellatrix in tormentorum stadio, quàm vt pulcherrima virgo inter dilectissimi sponsi brachia. Vnde hoc? Quia pro no-
mine Dei patitur. Ita Aponius lib. 3 in Cant. fatur, *Catasta* Apon.
quippe, & diuersarum pœnarum tormenta impiis & stultis ignominiosa, & detestabilia videbantur: martyribus autem deliciarum gaudia, & lassantium requies lectuli deputantur. Vbi pro ludibrio arrident incendia, vbi animi probati, conuertuntur amphitheatra in Paradisum, craticula, & sartagines in mollissimam plumam, flammarum globi in gratissimas flores, liquefactum plumbum in balsamorum vnguenta: flagellorum virgarumque, & vngularum solatium in pinaculis delicatissimis; quibus anima ab omni peccatorum sorde extersa ad antiquum pulchritudinem reuocata suo redditur creatori. Ipsa quoque mors pro Christo suscepta omni gaudio, omnique iucunditati, & diuersa pretiosissime lapidi pretiosior anteponitur. Hæc ille.

§. XIV.

In ærumnis, & laboribus patientia trahit perseuerantiam, quæ à Deo venit.

POst explicatas multiplices persecutiones, multiplicia tormenta, sapienter additur illud: *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* quandoquidem laborum toleran-
tia, & patientia mater est perseuerantiæ. Paul. 1. ad Corinth. 1. Cor. 13.
cap. 13. ait: *Siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur.* Et post pauca subdit: *Nunc autem manent fides, spes, charitas.* Prophetiam, linguam, scientiam abolitio sequitur: fidem autem, spem, charitatem permanentia, & perseuerantia comitatur. Cur magis euacuabuntur illæ, & hæ magis perseuerabunt? Quia fides, spes, & charitas dum hic sunt, in hac valle miseriarum, in hoc mundi stadio, patientiam, laborum tolerantiam adhibent sibi sociam, de qua habent, vt firmius radicatæ perseuerent,
& maneant. Tertull. lib. de Patientia, ait: *Exhauriuntur lin-* Tertull.
guæ, scientiæ, & prophetiæ; permanent fides, spes, charitas; fides, quam Christi patientia induxit: spes, quam hominis patientia expectat: dilectio, quam Deo magistra patientia comitatur. Nulla virtus perseuerat diu quæ non habet patientiam matrem, vel sociam. Hæc est quæ firmat, quæ stabilit cæteras virtutes; facitque, vt eas vniuersæ radices mittant, quibus difficillimè possunt deturbari. Vnde de regina omnium virtutum Charitate asserit Paulus vbi supra: *Charitas numquam excidit.*

&

& vnde Paulus tantam firmitatem potuit adscribere charitati? Sanè ex eo, quod paulo ante notabat, nimirum, *Charitas patiens est, benigna est: omnia suffert, omnia sustinet.* Ex quo acutè argumentatur cum Apostolo Tertull. supra, *Ideo, inquit, dilectio omnia sustinet, omnia tolerat, vtique quia patiens. Merito ergo nunquam excidet.* Et quidem quæ tam continuo habet secum sociam patientiam, parum metuet casus. Hinc vide quam prudenter monebat D. Iacobus in sua canon. c. 1. *Patientia autem opus perfectum habeat: vt sitis perfecti, & integri, in nullo deficientes.* Nemo non deficiet in pluribus, nisi patientia fulciatur; si verò fueris patiens, non excides, non deficies, vt meritò à D. Bernard. epist. 126. vocetur perseuerantia *soror patientiæ*. quasi perseuerantia sola sine patientia non inueniatur. Patientia est, quæ firmitudinem in bonis præstat: quapropter Psal. 26. aiebat, *Expecta Dominum, & viriliter age, & confortetur cor tuum.* Græci posuerunt: *sustine Dominum*, quasi ad firmitudinem cordis, hoc semper prærequiratur, vt quis sustinere sciat. Vnde Theodor. in Caten. Græc. ait: *Mens virilitate armata, & per hanc ingruentium calamitatum victrix corrobatur, & vincit.* Quò tolerantia creuerit, eò firmitas nostræ mentis augetur, adeò vt perfectissimè corroborata non deficiat. Inconcussum Iobi robur vniuersis creaturis accidit ad miraculum, & eius vxor mirabunda, quod nec tanto ariete labaret, sic affatur virum c. 2. iuxta Septuag. lectionem, inquiens, *Quousque sustinebis?* & bene interrogat, quousque? quia vbi tanta est patientia ad sustinendum, nemo est, qui possit videre roboris finem; sed & patientia, & firmitas nesciunt finiri: id quod innuebat D. Athan. in Cat. Græc. inquiens, *Itaque Iobus sustinendo confirmabatur.* patientia addebat robur, & firmitatem, qua Iob in bono persisteret. Et vnde potest patientia sic confirmare humanas mentes, ne deficiant? Sanè ex Deo id potest: nulla enim perseuerantia venit quæ non à Deo non proficiscatur. Quod in Petro Dominus nobis ostendit: cum enim Petrus Matth. 14. de imperio Iesu inciperet super aquas maris ambulare: *Videns ventum validum timuit, & cum cœpisset mergi, clamauit dicens: Domine saluum me fac*; quod ideo accidit, ne putemus perseuerantiam in bono ab alio, quàm à Deo posse venire. De quo Victor Antioch. in Marcum, c. 6. *Initio quidem intrepide super aquas ambulat, verum vbi primum fluctibus iactari, ventoque vehementiori flante, metumque augente animum despondere cœpit, inceptum iter deseruit: Domino per hoc docente, non sua, sed sola Christi virtute, id quod inchoauerat, explere potuisse.* Hæc ille.

Tertull. — Iacob. 1. — Bernard. — Psal. 26. — Theod. — Athanas. — Vict. Ant.

CAPVT IV.

De signis euersionis Ierosolymæ.

VT Ierosolymæ florentissimæ ciuitatis euersio, sanctissimique templi destructio maximè Iudæorum in Iesum facinus damnatura erat: sic Dominus multus est non solum in illa prædicanda, sed & in signis, & apparatibus, qui tantam ruinam præcedent, explicandis. De illis Matth. c. 24. Marc. 13. Luc. 21. vt luculenter explicat noster Salmeron tomo 4. variis tractatibus, & præcipuè tract. 37. vbi prælia, & seditiones numerat, quæ à Iesu passos miseros Iudæos afflixerunt. Nos ex Luca partem in præsenti dabimus, quæ nostro proposito magis conducant.

Matth. 24 — Marc. 13. — Luc. 21. — Salmer.

Luc. 21. Et quibusdam dicentibus de templo, quod bonis lapidibus, & donis ornatum esset, dixit: Hæc quæ videtis, venient dies in quibus non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur.

§. I.

Cultus exterior abominatio est Deo, quando interior deficit.

NOn pretiosis lapidibus, nec aureis tectis gaudet Dominus, sed aureis animabus, pretiosaque vita, & morte iustorum. Abominatio est Deo pompa, & cultus exterior, quando interior deficit. Sic gloriosissimi templi ædificatori loquebatur Dominus, 3. Reg. 9. *Si autem auersione auersi fueritis vos, & filij vestri non sequentes me, nec custodientes mandata mea: auferam Israël de superficie terræ, quam dedi eis, & templum quod sanctificaui nomini meo proijciam à conspectu meo.* Si interior animorum cultus deficiat; quidquid magnum, quidquid sublime exterioris cultus est, Deus abominatur, & à se proiicit: vnum hoc æstimans, nimirum in animis recipi virtute adornatis, & insignitis. Cum horrore accepi à Babylonio Rege templum Ierosolymitanum traditum fuisse igni; sed & tres pueros in ardentem fornacem coniectos fuisse. Et quod mirere magis: Ecce tibi templum ardet, totúmque abit in fauillas: tres autem pueri, & sibi adstantem ostendunt Deum, & innocuum ignem. Bone Deus in amplissimo tuo templo non ostenderis, sed illud sinis redigi in cineres, & inter puerulos captiuos manifestatus ab illis arcens molestiam ignis? Cur tam inæqualiter templum tractas, & pueros? Rem attigit Rupert. lib. 6. de vict. c. 25. inquiens: *Non poterat hic Deus excelsus templum suum, quod erat Ierosolymis, illæsum custodire à flammis incendij Babylonij, qui tres pueros taliter custodiuit in camino ignis? Poterat: sed erudiendus erat mundus vt sciret, quod Deus excelsus non pulcris lapidibus, aureísue parietibus templi manu facti delectatur; sed fidei claritate, & mundis cordibus. & ille est ei optabilis locus.* Illum locum, illud templum respicit Deus, in quo fidei claritas radiat, in quo candicat pudicitia; in quo fulget charitas, & multæ aliæ virtutes assistunt: quod si harum ornatus absit, pretiosos lapides, aureos parietes, omniáque pretiosa diuitum ornamenta parui ducit, imò despicit, & abominatur. Misere se fallunt, qui suis voluptatibus traditi satis se putãt honorare Deum muneribus aureis magnificis erectis templis, pretiosis vasis appositis: æstimat equidem Deus hos cultus, cum ab interiori pietate proficiscuntur, verum vbi cætera interna deficiunt, & hæc pretiosissima spernit, illáque à conspectu proiicit suo. Dan. 1. dicitur: *Venit Nabuchodonosor Rex Babylonis in Ierusalem, & obsedit eam: & tradidit Dominus in manus eius Ioachim regem Iudæ, & partem vasorum domus Dei: & asportauit ea in terram Sennaar.* Cur talem cladem permisit Deus? Cur non magis templi sui vasa defendit? Nónne hæc ibi populi religio, & pietas posuerat Domino suo, & ea pretiosissima? Sic despicit munera pietatis? Sanè aurea munera dum offerentium pietatem testantur, placent Deo; dum autem succedit impietas, prorsus illi à Deo despiciuntur. Sic fatur Theod. ser. 10. de Prouid. *Quando pietati studemus, à nobis oblata suscipit Deus, nos curare volens: quando verò ad impietatem impegimus, ipse etiam oblata à nobis reijcit munera.* Non ex pretiositate, & gloria externi cultus, externorum munerum, sed ex pietate, ex fide, ex internis virtutibus metienda ex Dei gratia. Gratissimi sunt Deo gloriosi cultus exterioris apparatus cum grandi pietate coniuncti: gratissimi aurei tapetes, pretiosi lapides, templa orbis miraculis haud dissimilia, si cum ornatu interno virtutum à fidelibus offerantur, dedicentur. Verum vbi pietas deficit, & succedit impietas & intrant cætera vitia, pretiosissimum munus vilescit, & sic apparet Deo quasi rude, impolitúmque opus, & omnino reiectitium. Quod munus ditius, & pretiosius, & ornatius Salomonico templo? Vbi vitia in eius ministros intrant, vide quid de illo dicat Dominus, Matt. 21. *Domus mea, domus orationis vocabitur, vos autem fecistis eam speluncam latronum.* Ecce tibi amplissima domus multo elaborata studio, summis artis pulcritudinibus exornata, ab impietate & vitiis habitantium eam faciem sumit, qua rudis, & inculta spelunca Deo appareat. Orig. in c. 2. Ioan. 11. ait: *Sola domus orationis neglecta latrones etiam recipit, quæ non eorum domus facta est, sed spelunca, res, quæ non ab architectura & rationis industria facta esset.* Sic est Deo quodlibet munus seiunctum ab animi pietate; nimirum, opus nullius pretij, nullius artis, nullius laboris, & industriæ, & prorsus abominabile.

3. Reg. 9. — Daniel. 1. — Theod. — Matth. 21. — 3. Reg 9.

§. II.

Hoc est timendum semper in diuinis donis, quod amitti possunt, & auferri.

HOc habent onus cuncta Dei dona, & beneficia, nimirum, quod homines in illis non eas agant radices, quæ non possint euelli, & funditus extirpari, vbi peccatum intrauerit. Data fuit Ierosolyma Israëlitis, & tandem propter eorum peccata euanuit. Repete verba præcedenti §. data ex 3. Reg. 9. *Si autem auersione auersi fueritis vos, & filij vestri non sequentes me, nec custodientes mandata mea: auferam Israël de superficie terræ, quam dedi eis, & templum &c.* Itaque Dominus dedit Ierosolymam Iudæis post mille promissiones; quam illi multis sæculis incoluerunt, tamen vbi illam

amittere digni sunt, expende quid dicat Dominus: *Auferam Israel de superficie terræ, quam dedi eis.* non ait: eradicabo Israel de intimis terræ, sed auferam de superficie. Cur non potius de intimis? Nonne terreni homines per tot sæcula habitantes terram, altas in illa egissent radices? Absit, non enim ea sunt Dei dona, quæ patiantur in se radicari peccatores: imò quisquis peccare potest, quasi in superficie est diuinorum donorum, vt intrante peccato, facilè ab illis exturbetur. Sic loquitur altissimi filius ille iuxta Isai. datus hominibus Eccles. 24. *Et qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo, & dixit mihi, In Iacob inhabita, & in Israel hæreditare, & in electis meis mitte radices.* Equidem iubetur a patre bonus hic filius cum hominibus datus, in Israel hæreditare, & in electis mittere radices; in Iacob autem solum inhabitare iubetur. Quæ differentia euidentissimè patet, in eo, qui habitat domum hæreditario iure acceptam, aut solum mercede conductã. Huic ita licet inhabitare domum, vt nullum ius habeat manendi ibi, nisi prout res tulerit, paratus semper habitationem mutare. Verum, qui iure hæreditatis habitat, sic firmiter, & permanẽter ibi est, vt neutiquam ab ea domo possit expelli, in qua habet tantas iuris, & possessionis radices. Ergo diuinum donum in Israël electo iubetur hæreditare, & altas mittere radices, verum in Iacob solum inhabitare iubetur, nimirum, quod ibi non sit ius aliquod permanendi imperturbabiliter. Sed scire cupis, cur diuinum donum in Iacob solum inhabitat, in Israël electo, & hæreditet, & mittat radices? Quia per Iacob luctatores intelliguntur, & per Israël videntes Deum, dum autem in luctatorum stadio sumus, sic veniunt ad nos diuina dona, vt possint amitti, & alio transire: in beatis non sic, imò ibi iam altæ aguntur radices, & est æterna securitas. Ad hæc D. Ansel. fatur, *Iacob, qui supplantator interpretatur, designat luctatores, qui vitia cum labore supplantant, & deijciunt. Israel autem vir videns Deum dicitur. In Iacob ergo, id est, in luctatoribus habitat, vt ait Apostolus habitare Christum per fidem in cordibus vestris, quatenus illi eius virtute confortati possunt victores fieri: in Israel verò hæreditatur, id est, perfectos iam non omissurus iure hæreditario possidet. qui iam supernæ vitæ optimam sibi partem elegerunt, quæ non auferetur ab eis.* Dum conflictus cum vitiis est, dum sumus in pugnæ discriminibus, non altas in nobis diuina dona agunt radices, nec nos in illis, sed ita sunt, vt facile possint elabi, & amitti, & intrante peccato funditus euertuntur. Ex quo lucem capiet locus 2. Reg. 7. vbi Dominus sic ait ad Dauid. *Prædicit tibi Dominus, quod domum faciat tibi Dominus. Cumque completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius.* Et post pauca. *Qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, & in plagis hominum. Misericordia autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli à Saul.* Ecce tibi datur Dauidi thronus Israëliticus: datur idem thronus filio Dauidis; & Dauidi nihil dicitur de amissione regni, si ipse peccauerit; si autem peccauerit eius filius, statim subditur supplicium, & maioris partis regni amissio. Cur hæc amissio nõ proponitur ipsi Dauidi? An quia etsi peccaret nihil amitteret? Absit: sed Dauidi viuenti, & peccanti nullã speciatim explicat amissionem regni Dominus relinquens illum in communi lege donorum diuinorum, quæ funditus per peccatum perduntur: Dauidi autem iam mortuo, & apud Deũ existenti in filio peccatore prædicitur aliqualis ruina regni, sed non omnimoda, imò in qua solium Dauidis absolutè sit permansurum, quod funditus euerteretur, nisi secura Dauidis iustitia altas in illo egisset radices Id quod notauit Caiet. dicens: *Aduerte diligenter, quod non dicit de Dauide inique agente, sed Salomone inique agente, ad continendum Dauidem in timore, quod si ipse inique egerit, irrita erit omnis promissio: filio autem inique agente locus erit subiuncto moderaminis castigandi.* Postquam Dauid è viuis excesserit, se ab stadio receperit, sic firmatum habebit regni donum, vt nec filio peccante poterit euerti funditus; at dum adhuc currit, dum adhuc in via est, nulla ibi securitas. imò vt peccare potest, sic debet timere supremum imminens regni excidium.

Eccl. 24. Anselm. 2. Reg. 7. Caietan.

§. III.

Maxima Dei ira est expectare, vt omnia supplicia inferat simul.

Ecce tibi quid pariat lõga peccatorum impunitas, quod nimirum veniant dies vindictæ simul, in quibus nihil non durũ, nihil non calamitosum appareat. Etenim ait: *Venient dies, in quibus non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur.* Sic venient cuncti malorum dies, vt nulla quies, nulla interruptio detur, sed simul certatim omnia concurrãt mala, vsque ad extremum exitium, & irreparabile damnum. Id quod exhorrescebat Psal. 136. aiens. *Memor esto Domine filiorum Edom, in die Ierusalem. Qui dicunt: Exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea.* Quibus ostenditur ardentissima ita punientis, quæ singulis momentis velit omnia simul inferre mala, nec interruptionem admittere, sed irreuocabiliter euersioni instare. Nouit hoc incomportabile telum diabolus, & cum accepit facultatem nocendi Iobum, in eo irreparabilis excidij successum posuit, quod omnia mala simul faceret inuadere iustum. Vnde Chrysost. in Cat. Græc ait. *Quod commune omnium vicit existimationem, illud fuit vnũ, quod mala omnia, quæcumque in vita hominum immittuntur, hic vnus exsorbuit. Erat alterum, quod sine inducijs, nulla, ut interposita mora, cuncta sustinuit.* Et quidem, hoc genus mali omnem existimationẽ vincit, quod simul omnia sine induciis, sine interruptione concurrant. Apoc. 18. *Væ, væ ciuitas illa magna Babylon, ciuitas illa fortis, quoniam vna hora venit iudicium tuum.* Expende exaggerationem calamitatis, scilicet, quia vna hora veniet simul cuncta omnis eius calamitas. Ibi Rupert. lib. 10. *Et hoc miserum, atque miserrimum erit videre eos, qui tantopere amant hoc nequam sæculum, quia tot dierum, vel temporum opera mala iudicabuntur, & gaudia peribunt succedente interminabili quantitate tormentorum, vna hora iudicij, vna hora destitutionis, vna hora desolutionis.* Semper ad summam iram spectat, quod sic omnia mala disponantur, vt inferantur simul; est enim hæc aggeratio, & simultas malorum connexa cum extremo peccatoris excidio. Quod monuit Paul. ad Rom. 2. aiens. *Secundum duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ.* Non miror, quod peccator thesaurizet iram, hoc est, nouis peccatis, nouas iras Dei sibi accumulet, sed illud horrendum, quod hæc accumulatio, & obseruatio pœnarum comuncta & connexa sit cum die iræ, hoc est, cum die, in qua ira totum occupabit, nullumque dabit locum pœnitentiæ, sed vindictæ extremæ. Sic D. Ansel in præsenti: *Accumulas, & reponis tibi vindictam exercendam in die iræ, id est, in die vltimo extrema.* Pœna, quæ non infligitur immediatè post peccatum, non euanet, sed reponitur, & asseruatur, vt cum vltione extrema veniat ad irreparabile excidium. Felix ille est, cui non reseruantur iræ diuinæ, vt simul cum extrema vindicta veniant, sed singulis momentis quibus peccat, sentit statim peccati sui supplicium. Hoc in se experiebatur Ieremias quandoquidem ait Thren. 3. *Ego vir videns paupertatem meam, in virga indignationis eius. Me minauit, & adduxit in tenebras, & non in lucem. Tantum in me vertit, & conuertit manum suam tota die.* In extremo suæ gentis excidio, suam incolumitatem expendit in eo constitisse, quod non longam distinuerit impunitatem culparum suarum, sed quod præ aliis hoc habuerit à Deo beneficium, quod ipse tantum per totam vitam semel, & iterum manus experiretur diuinas, adeò vt nullum peccatum sine flagello extitisset. Rupert. in Hierem. cap. 59. ait. *Quidquid ... tantum de me ... suam in me vertit, & ... non ad horam, ... tota die in me conuertit. Quot in anima mea peccati vulnera ... manus eius in me sunt vulnera.* Quid mirum si Ieremias incolumis euaderet commune gentis excidium, quando ipse solus non impune peccabat, sed vbi erat culpa, statim erat pœna; adeò, vt nulla, aut fere nulla esset reseruata in die iræ? Sic nos petamus à Deo affligi pro culpis, ne postea veniant simul omnia supplicia, quibus extremo tradamur excidio.

Psal. 136. Chrysost. Apoc. 18. Rupert. Rom. 2. Thren. 3. Rupert.

Text. Interrogauerunt autem illum dicentes: Præceptor quando hoc erunt: & quod signum cum fieri incipient? Qui dixit: Videte ne seducamini, multi enim venient in nomine meo dicentes, quia ego sum: & tempus appropinquauit, nolite ergo ire post eos.

§. IV.

Non se elonget ab Ecclesia, qui etiam in multis sceleribus non vult amittere spem salutis.

Hoc Iesu monitum ab aliis putatur datum his, qui imminente excidio apud Ierosolymam manerent; ab aliis etiam datum putatur his, qui propè Christi aduentum secundum victuri sunt. Et quidem semper verum est, quod exurgent multi Pseudo Christi, a quibus in errorem inducantur (si fieri posset) etiã electi. Quare nõ ait Dominus:

nolite

nolite errare, nolite peccatis vos dedere. *Sed nolite ire post eos*, quasi in eo sit prorsus desperata salus, qui se ab Ecclesia elongat, vt seductorum inambulet viam. Dum in Ecclesiæ matris gremio sis, etsi mille peccatis confossus, & prorsus defunctus, adhuc potes sperare salutem; caue tibi, ne à tali gremio effugias, sine dubio, si effugis, peribis. Accipe histo- 3.Reg.17. riam ex 3.Reg 17. notissimam; vidua illa hospitalis, quæ tot bona ab hospite suo Elia susceperat, tandem filium amisit moritur ergo filius viduæ: conuenit vidua Eliam, luctum suum exponit, cui Elias: *Da mihi filium tuum. Tulitque eum de sinu eius, & portauit in cœnaculum, vbi ipse manebat.* Quid plura? Ibi puer restitutus in vitam, redditurq; matri suæ. Sed expendo, quod resuscitandus in matris gremio, & sinu inuenitur, de quo tollitur, vt extollatur in vitam. Felix ille est, cui etsi mori contingat, tamen in sinu matris moritur, & iacet ibi, etsi defunctus, sæpius enim datur matri vita filij, & omnipotens suscitator ad vitam eleuat illum, qui etsi mortuus non Gillibert. deserit matris sinum. Ad hæc Gillib. Abb. ser.16. in Cant inquit. *Non expedit tibi extra materni sinus ambitum reperiri, ne forte non tollat te verus Elias in cubiculum suum. Quas resuscitat Christus, mulierum vbique fletibus donat. Sic viduæ filium sic sanctarum fratrem mulierum si parentum precibus suscitauit puellam. Tolle bone Iesu, & hunc mortuum nostrum de matris gremio.* Habet hoc verus, & diuinissimus suscitator Iesus, quod frequentissimis vitæ spiraculis afflat mortuos suos; mortuos inquam, qui in matris gremio iacentes & precibus, & lamentis iuuantur illius. Quapropter cum tempestas instat, cum vitia exundant, cum pestilens mors animæ instar maris furit, vehementius desæuit: hoc maximè cauandũ, ne extra maternũ cadas sinum; dum enim in sinu matris iaces, mille a Iesu afflaberis spiraculis vitæ, quibus efficaciter reuiuiscas. Ex quo 2.Thess.2. lucem capient obscurissima verba D.Paul 2. ad Thess. c.2. vbi præueniens nos ad extremum mundi excidium, ait: *Mysterium iam operatur iniquitatis: tantum, vt qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat.* Quasi dicat, & doceat, quid maximè cauendum, dum nubila tempora instant, dũ iniquitatis lues grassatur; dum vitia exundantia extremã euocant perditionem: dum refrigescente charitate scatent lethalia vlcera. Inter hæc hoc vnum moneo, hoc vnum tantum à fidelibus contẽdo, vt qui tenet sanctæ Matris Ecclesiæ sinum, teneat firmiter, donec pertransit, & tollitur de medio lues. Non longè Anselm. abest D. Ansel. fatus. *Tantum est, vt qui tenet nunc fidem Christianæ religionis, teneat illam, id est, tenaciter perstaturet in eadem, donec de medio Ecclesiæ exeat mysterium iniquitatis, quod nunc occultum est.* Et quidem dum nubila sunt tempora, & dæmonũ rabies furit, & animarum pestes sæuius grassantur, vnum debet esse, & maximum studium fidelibus intra maternum inueniri sinum, in quo, etsi mortui iaceãt per matris voces, habent spem salutis, & de Iesu afflatibus poterũt reuiuisce- Gaudent. re. Vnde D. Gaud. ser.11. ait: *Periisse autem constat in illo diluuio omnes ipsius temporis homines, præter eos, qui intra arcam, quæ typum gerebat Ecclesiæ, reperiri meruerunt. Nam similiter etiam nunc salui esse non poterunt, qui ab Apostolica fide, & ab Ecclesia Catholica fuerint alieni. Elaboret ergo omni studio vnusquisque nostrum permanere in domo Domini, exercens opera præcepta gratia congrua.* Hoc elaborandum homini mediis tempestatibus furensibus, mediis excidiis regnorum, vt permaneat in domo Domini, vel transuerso pede à limine matris Ecclesiæ, à patrum tabernaculis exeat, vt videat alienigenas. Sic Dauid Psal.10. Ps.10. *Quomodo dicitis animæ meæ, Transmigra in montem sicut passer? Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde.* Euocant Pseudo Christi filios Ecclesiæ, vt vel metu persecutionum, vel nubilis tẽporibus coacti, vel à concupiscentiis attracti, & illecti nouis doctrinis aures præbeant, dicentes, Hic est Christus, aut illic est. Iã in vnitate labantes: perfecti has rident euocationes, imperfecti dum ad illas exeant, pereunt. Eușeb. Ita Euseb. 10 Cat. Græc. ait. *Perfectus ergo est, qui illa dicere potest: at imperfectus, qui ex hoc in illum locum emigrando circumuersat, tempore afflictionum & persecutionum surripitur.* Quapropter nihil illis temporibus prius monendum, quam quod fideles sese contineant intra Ecclesiæ domum, nec inde pedem exerant.

§. V.

Hinc censetur Christianus, si nominis virtutes omnibus adimpleat.

HOc primum, & sufficiens Pseudo Christorum iudicium ponit verus Iesus, aiens: *Multi venient in nomine meo dicentes, quia ego sum.* Veniunt equidem Pseudo Christi in nomine, non in virtute, non in vita, vt sapienter Origen. dicat Origen. homil.27. in Math. *Considera etiam illud, quod multi veniunt in nullo alio, nisi in nomine meo. Solum enim nomen Christi Antichristus suscipit, nec opera facit, nec verba veritatis docet, nec sapientiam eius ostendit in se.* Videant modo, quid in se habeant hæretici Christianum præter nomen? Ipsi nec Christi opera faciunt, quando nullo opere mortificationis peccata à se expungunt; nec verba veritatis docent, quando mendaciis scatet eorum doctrina, nec sapientiam Dei ostendunt in se, quando ab vniuersis hæreticorum gregibus per tot sæcula, nec vnus Theologus exiuit, qui sciat Theologica commentaria de Deo trino, & vno, de verbi incarnatione, & de aliis ad Deum pertinentibus intelligere. Fallar si his non conueniant verba, quæ de Iudæorum excidio Isaias loquitur, cap.4. dicens. *Apprehen-* Isai 4. *dent septem mulieres virum vnum in illa die, dicentes, Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur: tantummodo inuocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum.* Haud dubium quin ita vniuersi hæreticorum ad verum Iesum loquantur: Nos panem nostrum comedemus, nolumus tuum panem Eucharisticum, nolumus tuas vestes nuptiales, sed nostris intrabimus, vt in tenebras exteriores mittamur: nil suum in nobis volumus, tantum inuocetur nomen tuum super nos; dicamur Christiani, sub quo nomine lateat opprobrium vitæ Turcis, & Athæis similioris. Sanè iam dudum Antichristi solum nomen Christi suscipiunt. Similiter videant male Christiani, an aliquid aliud habeant Christi præter nomen? Fidelium Ecclesia horret vnum Antichristum venturum: sed proh dolor, modo habet tot Antichristos, quot fideles, non opera faciunt, sed solum Christi nomen suscipiunt. Hos monebat D. Cyrill. Ierusol. catech. 10. aiens. *Christianus vocatus es, parce huic nomini, ne propter te blasphemetur Dominus* Cyrill. *noster Iesus Christus filius Dei: sed luceant bona opera tua.* Vbi enim Christianus non habet opera Christiani, blasphemias congerit in Christum, Christi blasphematoribus, & persecutoribus fauet: Antichristus est, qui nomen Christi suscipit, & de operibus, aut nihil, aut parum curat. Inde enim censetur Christianus, si impense desudet pro virtute acquirenda, si à vitiis non paruos, sed magnos triumphos reportet. Id quod docebat D. Procl epist de re- Proclus. cta fide ad Armen. *Omnis itaque Christianus, qui non est diues fide, spe, & charitate, id quod dicitur non est; sed etsi videtur suum castigare corpusculum, & ab animæ passionibus liber esse, in moralem virtutem tantummodo iste proficiens, nequaquam coronam victoriæ consequitur: vtpote, qui non ad illam semper agnitionem diuinitatis extenderit, quæ coronas tribuit iis, qui fortiter per virtutem lactantur.* Non contentus sit Christianus, quod victoriolas agat ex vitiis, nam vel ethnicus, vel Athæus solet aliquas victoriolas à vitiis reportare. Inde censendus Christianus est, si fortiter per virtutem luctetur, si maximas victorias tantóque nomine dignas in stadio vitiorum nouerit obtinere. Sic de maximo Christianorum duce dicitur Psalm.47. *Secundum nomen tuum, ita &* Psal.47. *laus tua.* Quæ verba tractans Cellens. Abb. epist. 4 ait. Quod hoc nomen? Iesus. *Quæ illa laus? Saluauit Dominus populum suum à peccatis eorum. Re vera hic Jesus: hic virtutem non inferiorem nomini suo implet: quantum, & tempore, & pondere excellentiorem. Parum dixi, & tempore: melius dicerem æternitate. Virtus hæc ab æterno, nomen hoc ab anno. In pondere nihilominus omnia virtus diuinitatis operatur, ipsum quoque nomen Jesu.* Non datur tantum nomen, nisi in pondere, vt sibi, & nomen, & opera iustis ponderibus mutuo respondeant; Iesu opera ponderentur, haud quaquam inferiora nomini inuenientur, sed longè superiora, & præstantiora. Vt hinc pateat non esse à Iesu, qui operibus inuentus est minus habens. Qui tantum nomen suscipit, & nihil operis, veritatis, sapientiæ, aut paululum apponit, timeat ne magis videatur Pseudo Christus, quam Christianus. 1. ad Corinth. 1. dicitur in primis Christus, *Dei vir-* 1 Cor.1. *tus*, deinde *sapientia ex Deo*, vnde argumentatur Nyssen orat. de perfect. Christian. quam debet Christianus nomini respondere dicens. *Quare ille, qui nomen habet à Christo, virtus, & sapientia est: virtus quidem, dum aduersus peccatum strenuè, ac fortiter pugnat: dum verò id, quod melius est, eligit, in se ipso sapientiam ostendit.* Dum enim non strenuè pugnando aduersus vitia, & meliora eligendo virtutem, & sapientiam ostendit, longè à nomine Christiano est.

§. VI.

Christi spiritus in laudabilibus amat latebras.

SApienter norat Origenes supra spiritum Antichristianum in illis verbis: *Dicentes: ego sum.* eo enim spectant Pseudo Christiani, vt sese prædicent, sibique laudes captent humanas. At qui vero Christi spiritu aguntur, nil anxius quærunt, quam se nomenque suum in laudabilibus occul-
Apoc.5. tare. Apocal. 5. post libri apertionem procidentes viginti quatuor seniores depositisque coronis aiebant: *Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula eius: quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione: & fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes, & regnabimus super terram.* Pro illo verbo, *regnabimus*, habetur in margine, *& regnabunt super terram:* quasi nobilissimos Christianos puderet se regnaturos prædicare, & publicare, ideo propter Christianum pudorem, & modestiam in censu regum proprias occultantes personas, quasi de aliis dicunt. *Et regnabunt super terram.* Id quod
Rupert. notans Rupert.lib.4.ait. *Religiosa valde transitio hæc est, declinans etiam in sono vocis vanæ gloriantium similitudinem. Etenim cum vtraciter dicere possent: & regnabimus super terram, magis humiliter dicere placuit, & regnabunt super terram. Itaque, & fecisti nos Deo nostro regnum, sit laudatio omnium communiter confitentium, & regnabunt super terram, dictum sit singulorum humili se reuerentia deprimentium.* Hic est semper Christi spiritus infidelium cordibus inhabitans, quo nobilissimi Christianorum suarum gloriarum prædicationem, & publicationem caueant, immò nihil magis, quam delitescere, & occultari ament. Huc spectat totus affectus Christianus, vt homo lateat: nec in magnis ambulet; solúsque cœlestis
Luc.12. Patris gloria pandatur. Ad suos aiebat Iesus Luc. 12. *Nolite timere pusillus grex, quoniam complacuit patri vestro dare vobis regnum.* Expende locum, & compone hæc verba cum verbis immediatè datis ex Apocal. ibi ad occisum agnum loquuti seniores dicunt; *Fecisti nos Deo nostro regnum.* Hic ipse agnus ait: *Complacuit patri vestro dare vobis regnum.* Et quidem vtrumque verum est, & agnus occisus dedit suis regnum, & pater dedit, verum Iesus se præteriens solius meminit patris, ostendens qualis debeat esse affectus Christianus in se occultando, & cœlestem Patrem publicando.
Chrysol. Ita Chrysol.serm.23. ait. *Ecce, qui dat, dare loquitur patrem, nunquid largitatem suam denegat, sic dicendo? Absit, non minuit potestatem, sed pandit affectum.* Nullus magis Christianus, quam affectus ille est, quo sese quis occultat, dum magnalia præstat: & quo sub humanarum vilitatum latebris amat latere etiam, dum maximis, & clarissimis illustratur muneribus. Dauid euectus in regnum sic Deo dice-
2.Reg.7. bat 2.Reg.7. iuxta lectionem D.Chrysost. homil. in eadem verba. *Quis sum ego Domine mi, quod talem gratiam inuenerim ante faciem tuam. Ego enim minimus fui in tribu mea, & elegisti me ex ouibus.* Expende viri humilitatem, & modestiam, regno donatus præterit omnia vocabula regia, & omnia vilia exerit; ad magna subleuatus minimum statum suum præfert: insuper, & inter oues se computat. Nónne sufficeret, quod magnus factus minimum se prædicet, cur præterea addit illud, ex ouibus elegisti me? Sanè dum se ouem meminit, ostendit Christianum esse affectum, quo ad magna euectus in minimis delitescebat, quandoquidem ouis
Chrysost. diuinissimi pastoris Iesu moderamina refert. Ita D. Chrysost. vbi supra, ait. *Videte quomodo subiunxit humilitati innocentiam, vt cum esset homo, diceret: Elegisti me ex ouibus. Significabat enim illum pastorem bonum, qui animam suam ponit pro ouibus suis; illum agnum Dei, qui venturus erat, vt tolleret peccatum mundi.* Equidem quo magis potentissimus Rex se humiliabat, vt inter oues constitueretur homo, eo magis se ostendebat spiritu imbutum Christiano, & quod iam sub tanti pastoris gubernaculo agebat pascua; de hoc lib.10. cap.1.§.7. & cap.2.§.8.

Text. Cùm autem audieritis prælia, & seditiones, nolite terreri: oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis.

§. VII.

Mundus nescit irasci, nisi in innocentiam.

QVid necesse erat Iesu discipulos moneri, ne terrerentur cum audirent prælia, & seditiones esse? Si dixisset, cum audieritis prælia aduersus vos consurgere, prudenter moneret, ne terrerentur; at nunc quid timerent, cum non aduersum se, sed tantum audiunt prælia esse? An eo ipso, quod prælia sunt, non possunt non esse aduersus sanctos Dei? Equidem nescit mundus præliari, nescit irasci, nisi in innocentes: & quo est aliquis innocentior, eo magis ad se putet spectare mundi iras, mundi prælia. Accipite exemplum ex 2.Reg.17. vbi sic. *Dixit ergo Achitophel ad Absalon: Eligam mihi duodecim millia virorum, & consurgens persequar Dauid hac nocte.* 2.Reg.17. Ecce tibi cui parantur insidiæ; aduersus quem armantur exercitus. qui petitur ad mortem; nimirum Dauid: erat tunc in populo parricida Absalon, erant innumeri rebelles, scelestissimi quamplurimi, & bella, & mortes vnum Dauidem petunt, fortè, quia hic solus inter tot myriades hominum innocens erat. Chrysost.hom.de Absalon, ait. Chrysost. *O innocentia, quantum apud reos periculi suscipis: quantum malitiæ per flagitiosos incurris! Dauid sanctissimus tot dementes exercitus, quia non deliquit, offendit: tot populorum rabies, quia non læsit, incurrit. Absalon vnus est reus, & vniuersus contra patrem conspirat exercitus. Armantur in cædem, funestæ manus multorum prouocantur in innocentem vlcisci.* Expende cur tot armatorum phalanges Dauid sustinuit, nimirum, *quia non deliquit, quia non læsit*, quasi mundi prælia solos petant innocentes. Hæc est continua mundialium irascentium vox data Sapient. 2. *Circumueniamus iustum.* Sap.2. Huc spectant vniuersi exercitus Psalm.9. *Vt sagittent in obscuro rectos corde.* Potest fieri, vt aliquando impius præliis castigetur, at non potest fieri, quod mundialia prælia non petant semper innocentem. Psalm.52. *Non scient omnes, qui* Psal.52. *operantur iniquitatem, qui deuorant plebem meam, vt cibum panis?* Dei populus, Dei filij innocentissimi, sanctissimi, vbique laniantur, vorantur, vt cibus panis. Quid est vorari innocentes, vt cibum panis? Acutè, & sapienter August. August. in rem præsentem, quæstionem soluit, aiens. *Tanquam panem manducant populum Dei. Cætera enim, quæ manducamus, possumus modo illa, modo illa, non semper hoc olus, non semper hanc carnem, non semper hæc poma, semper autem panem.* Equidem, quod panis in conuiuiis, est innocens, & sanctus in mundialium iris, & præliis. In conuiuiis contigit aliquando esse perdicem, aliquando gallinas, aliquando palumbos, aliquando alia vel pro gustu inuitantium, vel pro temporis differentia: panis autem numquam potest à conuiuiis abesse. Sic in iris, & præliis mundialibus, aliquando raptores virginum, aliquando scelesti infideles persecutionem patiuntur, sed innocens nunquam potest deesse à pressuris prælij mundialis. Vbicumque agmina videas mortes crucésque minitantia, puta ibi iustum perdendum, & innocentem. Ecclesiastes cap.4. *Verti me ad alia, & vidi calumnias.* Eccles.4. Syriac. *Oppressiones, quæ sub sole geruntur.* Quid tunc? *Et lacrymas innocentium.* argutius ad rem Septuaginta: *Et ecce lacryma*, &c. Quasi inter mundiales pressuras nil prius emineat, nil prius in oculos prosiliat, quam innocentium lacryma. Quisquis in alto constituatur, vt videat mundialium bella, calumniæ, oppressiones, quo tendant, eo videt vniuersa hæc tendere, vt innocentem in fletum mittant, & lacrymas.

§. VIII.

Minus nocent externa prælia, vbi pax interna, & domestica floret. Vbi de fortissimis internæ pacis armis.

QVid magnum est, quod audiantur prælia esse? Sed magnum, & prorsus timendum, quod præliis addantur seditiones; hoc est, quod externis addantur interna prælia. Quisquis præliator venis, caue internas seditiones, caue internas turbationes, floreat in te pax, & non erit, cur timeas hostilia prælia. Apud 2. Reg.11. vt adulterium occultaret suum Dauid fecit Vriam à bello in regiam reuerti. *Et venit Vrias ad Dauid. Quæsiuitque Dauid, quam rectè ageret Ioab, & populus, & quomodo administraretur bellum.* Tunc temporis Ioab aduersus Ammonitas ingentem eduxerat exercitum. Dauid autem, vt solicitudinem de suis militibus ostenderet, ex Vria quærit omnia bona, quæ suo exoptabat exercitui; quærit enim, quam rectè ageret dux Ioab, quam fortiter se gererent milites, quam firmarentur in rebus bellicis spes felicium euentuum. Sed, vt de his omnibus certior fieret Dauid, explicatius dicitur quæsiisse iuxta Hæbræum Caietani his verbis. *Et interrogauit Dauid* Caietan. *de pace Ioab, & de pace populi, & de pace belli.* In bellum erat missus

missus Ioab,& nihil apud illum non bellicum volebat Rex esse, & nihilominus, vt bonum nuntium accipiat de bellatoribus suis, quærit de pace Ioab, de pace militum, & quod mirere magis, de pace ipsius belli. Quid pax cum milite? Quid pax cum bello? Equidem ille facilè superat hostiles exercitus, quem pax tenet interna: qui in se, & in suis, & in ipsis bellicis apparatibus omnia pacifica seruat, is maximum præbet felicitatis venturæ fundamentum. Cur prælia mille, cur hostiles incursus metuat ille, in quo nulla
Psal.147. seditio, nulla turbatio, sed intima pax floret? Hinc Psalm. 147. ait: *Lauda Ierusalem Dominum, qui posuit fines tuos pacem.* Et cur æstimaret ciuitas, quòd in finibus eius esset posita pax? Cur non felicius ciuitati foret si pax in meditullio constitueretur? Sane in meditullio habet pacem Ierusalem, à qua omnis turbatio abest, sed pax, quæ intima est ciuitati, hoc etiam habet, vt in finibus circumquaque instar
Cæsar. muri prorsus inexpugnabilis appareat. Inde D. Cæsar Arel. hom. 11. ait: *Ergo vt ipsi videtis, Ierusalem illa cælestis muros de pace constructos habet.* Tota fortitudo murorum cœlestis Ierusalem, quibus inexpugnabilis est, quibus prælia externa ridet, de intima pace venit. Hæc sola inexpugnabilem reddit, quemcumque possidet, & ibi omnem Dei potestatem facit assistere, qua facilè superantur omnes exercitus hosti-
Eccl.24. les. Ecclesiastici 24. dicebat Dominus: *Et in Ierusalem potestas mea.* Ecce tibi, vt tota Dei potestas firmatur aduersus omnes aduersarias potestates, non in valle Achor, hoc est,
Osea 2. in turbationis valle; de hoc enim ait Oseas cap. 2. *Dabo eis vallem Achor ad aperiendam spem*, vel vt ex Hebræo multi transferunt: *Ad filium spei*, quia vbi turbatio est intrinseca, nulla potestas radicatur, omnia velut à tenuissimo filo pendent. Est igitur confirmata potestas non in valle Achor, sed in Ierusalem, quæ sonat visionem pacis, quasi in vno pacis internæ asylo possit omnis potestas confirmari. Ad
Anselm. hæc verba Anselm. fatur. *In superna Ierusalem, quæ non frustra dicitur visio pacis, quia semper ibi vera pax cernitur, est potestas redemptoris nostri.* Simul in eodem loco sunt, & pax, & potestas Iesu; sed & pax, quasi fundamentum est potestatis, qua omnia aduersa facili negotio superantur. Nec te moueat, quod cœlestis Ierusalem pacem assero fundamentum potestatis, quasi velim inde infirmos iudicare, qui longe inferiori pace gaudent. Absit hoc: non enim cœlestis Ierosolymæ pax sola potens est, & inexpugnabilis, sed & minor pax, quæ cordibus nostris inseminatur, validissima, & potentissima est ad bellicos terrores exsibilandos. Ascensu-
Ioan.14. rus Iesus ad Patrem sic suos consolatur Ioann. 14. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Quibus verbis illud in primis venit ponderandum, quod ait: *Pacem relinquo*, quasi reliquiarum instar communicaret discipulis pacem. Bone, Discipulis in mundo manentibus, ad tot prælia paratis, cum tot Tyrannis conflicturis, tot tela repulsuris non integram pacem, sed reliquias pacis tantum communicas? Qualiter aduersus tot hostes confirmari poterunt de solis reliquiis diuinæ pacis? Equidem tanta vis, & potestas est pacis ad contraria omnia extrinseca debellanda, vt vel si reliquiæ cœlestis pacis nostris seruentur in animis, nil vltra timen-
Anselm. dum maneat. Anselm. in cap. 5. Matth. fatur: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis, in cælo do, hic relinquo, quia illa pax,* (nimirum plena) *non potest haberi, nisi in futuro: sed tamen aliquæ reliquiæ dantur in præsenti, quod potest videri in illis, qui ita habent sedatos illicitos motus corporis, quod nullum ciuile bellum patiuntur in se, sed habet anima requiem suam in hac vita, nec etiam conturbari posset quolibet modo, vel quantumcumque verberentur, sed etiam quieti sunt.* Felix est, qui in corde suo habet has pacis reliquias, quibus internum abscedat bellum, is inter prælia inter furentes milites, inter flammantia tela omnino inexpugnabilis existet.

§. IX.

Iesus nulla potentia potest expelli à corde diligentium.

HOc curat enixe Dominus, quod sui expellant spiritum seruitutis, cui annexi sunt vanissimi terrores, vbi enim non vt seruus terroribus agaris, sed vt ingenuus filiorum imbibas spiritum; nulli exercitus, nulli milites, nullæ potestatum tenebrarum phalanges tibi Iesum eripient. Pulchrè
Ecclef.24. sapientia incarnata loquitur de se Ecclef. 24. inquiens. *Et radicaui in populo honorificato.* Quid est, in populo honorificato? In populo minimè seruili, qui seruorum, mancipiorumque terrores, nō semel à se exclusit; & spiritum adeò ingenuum induit, vt patrem vereatur offendere, prout decet amatorem filium. In hoc ingenuo populo Iesus eas mittit radices, quibus omni resistat incursui, inde exturbari difficilis. Ansel- Anselm.
mus ibi ait: *Radix sapientiæ est timere Deum. Radicauit ergo sapientia, quæ Christus est in hoc populo, quia Dei timorem credentibus dedit, per quem peccare desistant, quia timor Domini expellit peccatum.* Timor, inquam, ingenuus, seu timor filialis, qui charitas est in Patrem Deum, is Iesum facit nostris in animis radicari adeò, vt per nullam potentiam possit exturbari. Et per quam potentiam exturbaretur Iesus à nostris animis, nisi per peccatum? Sed timor filialis, qui charitas est, prorsus excludit peccatum: immò penè reddit ho-
minem impeccabilem. Aiebat illa Cant. 2. *Fulcite me floribus,* Cant.2.
stipate me malis, quia amore langueo. Infirma sponsa, & languore possessa petit floribus redimiri, floribus coronari; sanè flores dantur valentibus, dantur victoribus, cur sponsa languens petit flores, qui fortibus, & validis debentur? Languor hic non est infirmitatis, sed potestatis, est amoris languor, qui vires adimit peccandi. Ita Apon. lib. 3. in Cant. Apon.
fatur. *De amore Christi nascitur gloriosus sanctitatis animæ languor, qui ei omnes vires subtrahat ad peccandum. In tantum enim anima in omnibus mandatis legis meditando semper, aut quomodo possit, vel quibus operibus Christo coniungi, numquam membra sui corporis diabolo arma parauit: nec vires in se tribuit facinorum ad æternum interitum.* Et quidem vbi filialis Dei timor est, omnes pene subtrahuntur vires ad peccandum, nil enim volumus militare in membris nostris diabolo, sed & omnes affectus, & actus Deo ordinantur. Vnde monebat Paul. ad Rom. 3. *Sicut in die honestè ambulemus: non in co-* Rom.3.
messationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione, & æmulatione; sed induimini Dominum Iesum Christum. Itaque vnum Iesu Christi indumentum, quale per charitatem fit, opponit vniuersis vitiis, & peccatis: quasi enim, qui Christum per charitatem induerit, nullis viribus externis ad vitia trahentibus queat à Christo sepa-
rari? Ita Græcus auctor lib. 6. de gratia in Christo fatur. Græc.
Christi indumentum indutis plusquam ipsæ compages, ipsa ossa coagmentatur, & coalescit. Nam hæc vel nolentibus quis ambutauerit: Christum autem semel indutos nemo neque homo, neque dæmon inuitos, ac nolentes exuerit. Non instantia, inquit Paul. non futura, neque mors, neque vita, neque fortitudo, &c. Sic radicatur Iesus in cordibus habentibus spiritum filiorum, vt nullis inde exturbetur dæmonum, siue hominum potestatibus. Componite modo Petrum, & Petrum vel ab ancilla pulsatum, vel à Christo. Accedit ancilla Matth. 27. di- Matth.27.
cens: *Et tu cum Iesu Galilæo eras. At ille negauit coram omnibus.* Verum apud Ioann. 21. ait Iesus: *Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei: etiam Domine.* Ab ancilla pulsatus, vt infirmus negat, à Iesu autem requisitus fortis amat; vnde hoc discrimen, nisi quia ab ancilla pulsatur timor seruilis, à Iesu ingenuus, & filialis, qui est amor? Ita D. August. August.
tract. 92. in Ioann. ait. *Ante passionem Domini seruilis timor Petri interrogatus est à fæmina seruitutis: post resurrectionem verò Domini, liberalis eius amor ab ipso principe libertatis: & ideò ibi turbatur, hic tranquillabatur: ibi quem dilexerat negabat, hic quem negauerat, diligebat.* Fugiat seruilem timorem, qui negationem fugit; & ingenuum filij spiritum induat, quo pene inseparabiliter Iesus radicabitur.

§. X.

Solum extremum iudicium timendum.

INter furentia prælia, inter durissimas pugnas iubentur Christi discipuli terrores ponere, quia etsi furiant creaturæ, non tamen finis statim est, non instat vltimi iudicij pugna. Et quidem. vbi extremus non reuelatur iudex, nihil timendum relinquitur in omnibus mundi pressuris. Quid præter extremum iudicem timeas? Psalm. 52. *Illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* Sed vbi non est timor in Psalm.52.
mundo? Chaldæus explicat: *Ibi timuerunt timore inter idola sua, in quibus non est causa cur timeatur.* Sanè idola pro se habent ingentes promissiones deliciarum; habent crudelissimos tyrannos, habent durissima exilia, bonorum spoliationes, tormenta mille. Sed quid hæc? Nonne transeunt? Bene ergo, *In illis non est causa cur timeantur.* Vnus solus timendus est, qui vltimo iudicabit, pro quo vniuersæ in fine creaturæ pugnabunt contra insensatos. Ad hæc monebat Ecclesiastic. cap. 7. *Fili memorare nouissima tua.* Sanè Eccles.7.
etiam à primordio vitæ innumera in nos bella excitantur, mille dolores, persecutiones quamplurimæ, pestes, mortes quotidianæ, quas omnes prǽterit, & sola nouissima mala

Bernard. mala nobis proponit, quæ sola timere debeamus. D. Ber-
nard. sermon. de primordiis, mediis, & nouissimis, ait: *Time*
quod in terribili iudicio es præsentandus est, in cuius manus hor-
rendum est incidere, & eo examinante, quem nihil latet, si quidem
inuentus fuerit in te iniquitas alienandus ab vniuersitate quietis,
& gloriæ. Time, quod in gehenna cruciatibus æternis, & immensis
exponendus es, in sorte diaboli, & Angelorum eius, in igne æter-
no, qui præparatus est eis. Hic ergo timor, initium sapientiæ dici-
tur. Vnde est, quod non dicitur memorare primordia, aut media,
sed nouissima. Hæc sola ob oculos ponenda sunt Christiano,
hæc sola meditanda, & maximè timenda. Quamuis enim in
primordio, & medio durissimi insurgant incursus, arden-
tissima tela iaciantur ab hostibus nostris, quæ sunt hæc ad
nouissima? Dum ad nouissimum damnum non venitur,
nunquam deest consolatio; sola est inconsolabilis ruina,
Tertull. quæ extrema est. Sapienter Tertull. lib. de anima ait. *Cum sit,*
quod iudicium animas manet, grauius debeat credi in dispunctio-
ne vitæ, quam in administratione, quia nil plenius, quam quod
extremius, quam quod diuinius, Deus itaque iudicabit plenius,
quia extrem as per sententiam æternam supplicij. Hoc habemus
solatium in plagis primis si euadere possumus liberi a no-
uissimis, in nouissima plaga nullum solatium manet, sed
perditio. Vna est plaga, quæ est extrema, primæ curabiles
Ezech. 7. sunt. Vnde Ezechiel cap. 7. *Hæc dicit Dominus Deus: Afflictio*
vna, afflictio ecce venit. Finis venit, venit finis. Nunc de propin-
quo effundam iram meam super te, & complebo furorem meum in
te: & iudicabo te, &c. Expende illud, nimirum, *Afflictio vna,*
& statim, *finis venit, venit finis.* Quasi sola sit afflictio illa,
quam sequitur finis, quam sequitur finale iudicium, in cu-
ius comparatione antecedentes omnes non censentur affli-
ctiones, nec timeri debent. Fallor si Christianum pectus
capere possit timorem alium, præter timorem futuri iudi-
2. Cor. 7. cij. Paul. 2. ad Corinth. 7. ait. *Cum venissemus in Macedoniam,*
nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi
sumus. Foris pugnæ, intus timores. Et qualis timor Paulum
vrgebat foris pugnas, inter prælia constitutum? An terror
erat de pugnarum externarum terribilitate? An de perse-
quentium rabie? Absit: non capit vanissimos illos terrores
Pauli animus; vnum tamen capiebat timorem de futuro
iudice. D. Thom. ibi: *Foris extra me ipsum pugnæ persecutionem:*
sed tamen intus in corde est timor de malo, timens persecutio-
nem de futuro. Non tyrannorum iras, non hostium fremen-
tium rabies timebat Paulus, quibus in carceres, in vincula,
& in mortem rapiebatur, sed inter has externas pugnas,
vnico solum timore solicitabatur, qui erat de futuris ma-
lis, de futura ira Dei iudicantis. Hic solus timor permittitur
à Deo in corde suorum fidelium. Quem timorem omnibus
Psalm. 33. suggerere volebat Psalm. 33. aiens. *Venite filij, audite me, ti-*
morem Domini docebo vos. Promittit docere timorem, quem
in suis vult Dominus; quem solum debent fideles habere.
Et qui timor est iste? Chrysostom. in Cat. Græc. fatur. *Cogi-*
ta mihi horrendum illud, & non ferendum Christi iudicium, in
quo præsidet quidem iudex in excelso, & elato solio. Adducuntur
autem singuli ad quæstionem, & examen vitæ: horribiles qui-
dem, & tristes Angeli astabunt, igneam faciem præferentes,
ignem efflantes ex propositi acerbitate. Deinde profundum bara-
thrum, & tenebræ impenetrabiles, & ignis luce carens, mox vi-
rulentum, & carniuorum vermium genus, inexplebiliter come-
dens, intolerabiles cruciatus corrodenda inferens, postremo sup-
plicium omnium grauissimum opprobrium illud, & confusio æter-
na. Hæc timeas. Non aliud timendum est, nisi hoc, vbi ex-
trema sententia fertur, & irremediabiliter potest homo
perire. Quicumque alius timor vanissimus est, & pericu-
losissimus, à fideliumque corde prorsus ablegandus: ille
solum perseueret, qui Dei iudicaturi est timor, vt qui so-
Ecclesi. 12. lus vera damna vereatur. Id quod monebat Ecclesiastes
cap. 12. vbi ex lectione Veneta ait. *Deum ergo time, & præ-*
cepta eius custodi: siquidem hoc omnis homo facere debeat. Nam
omne opus adducet Deus in iudicium. Quando extrema ho-
minis sententia à Deo erit, quis alium timeat præter
Ephr. Deum? D. Ephr. tom. 3. de Iuliano Anachor. ait. *Quæ enim*
acciduat vnicuique nostrum in hoc sæculo, siue tristia, ac grauia,
siue bona, ac læta finem habent: quapropter etiam à tempore
consumuntur: at quæ post vitæ huius exitum remanent, æterna
sunt, & immortalia. Diem ergo iudicij, & retributionis in
mente habeamus. Solum finale iudicium cum
tremore meditandum, in quo de
æternitate lis est.

§. XI.

Exardescentem iram suam Deus interrumpere solet, vt
misericordiæ det locum.

PRæclarè post mundi flagella, post supplicium Ieroso-
lymitanum inceptum, ait, *non statim finis.* Equidem is
est Deus noster, cuius ira moretur crebris interruptioni-
bus factis, vt possint peccatores resipiscere, & vt miseratio
diuina locum habeat. Similiter irascebatur Dominus in
populum suum Isaiæ 1. vbi hæc fatur. *Audite verbum Do-* Isai. 1.
mini Principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri
populus Gomorrhæ. Quo mihi multitudinem victimarum vestra-
rum dicit Dominus? Et post pauca: *Ne offeratis vltra sacrifi-*
cium frustra, incensum abominatio est mihi. Neomeniam, & Sab-
batum, & festiuitates alias non feram, iniqui sunt cœtus vestri.
Insuper addit: *Et cum extenderitis manus vestras, auertam*
oculos meos à vobis, & cum multiplicaueritis orationem, non exau-
diam. Quid seuerius dici potuit? Quando Deus magis iratus
aduersus Israëlem, quem Sodomam, & Gomorrham vocat,
cuius sacrificia abominatur, cuius orationes repellit? Sed
ecce tibi inter has iras diuinas immediatè subiungit. *Laua-*
mini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab
oculis meis: quiescite agere peruerse, discite benefacere, &c. Si fue-
rint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur. Vbi est
illa Dei ira? Vbi illa orationum repulsa? Sapienter D. Hila- Hilar.
rius in Psalm. 2. ait. *Sequitur terrorem benignitas, & in quibus*
iam vltio criminis debita est, vt adhuc superest pœnitentis con-
fitentia beata confessio. Non enim statim Deus in ira sua perimit,
sed loquitur, & dissimulata pœna tantum in indignatione per-
turbat. Non vbi irasci incipit, statim finis, statim in ira sua
perimit Deus, sed paulisper moratur, & extremam pœnam
iam debitam differt, vt peccatores quærant effugia, & di-
stant fugere à ventura ira. Quem Dei spiritum elabit Moy-
ses cum primum factus fuit Deus Pharaonis: quippe dum
rebellem tyrannum castigaturus virgam exerit Exodi 7. Exod. 7.
versa est in colubrum. Cur non potius in leonem, aut vrsum?
Nempè quia ira Dei non adeò est cita in perdendis pecca-
toribus, sed tarde, & morosè procedit, vt serpens solet. Ita
D. August. quæst. 8. ex veteri testam. aiens: *Vtique serpentem* August.
fecit, qui & terrorem incuteret, non tamen abesset, per id, quod
stupore quodam ad nocendum tardior sit. Si enim leonem fecisset,
aut vrsum, quomodo euaderent, qui aderant? Non sic pœnas
sumere de Ægyptiis volebat Deus, vt omnia illis euaden-
di occluderet effugia, ideo serpentem tardum obiicit in
primis, deinde plagas decem per tot tempora interruptas
immittit. Quod si quæras, cur non magis sine interruptio-
ne castigat? Cur diebus plagarum dies quietis immiscet?
Statim eleganter D. Basil. Seleu. orat. 9. inquit. *Pœniten-* Basil. Sel.
tiæ spe supplicium differt, procrastinatque punitionem, vt sensum
notitiamque sui daret Ægyptijs. Expende illud, *procrastinat,*
quandoquidem Deus soleat supplicia procrastinare, nec
vbi irasci incipit, irascitur vsque ad finem, sed finis pro-
crastinationem inducit. Non equidem à Deo venit homi-
nibus statim finis, sed cum magna procrastinatione. Id
quod patet ex 6. Genes. vbi ait: Cumque vidisset Domi- Genes. 6.
nus terram esse corruptam, dixit ad Noë. *Finis vniuersæ car-*
nis venit coram me. Quid tunc? Immisit statim vniuersæ
carni peccatrici finem? Absit, non enim à Deo statim ve-
nit finis; immò moras nectit quamplurimas, arcæ fabrica-
tionem instituit, & post arcam fabricatam, post punitio-
nem iam dispositam: insuper ait Genes. 7. *Adhuc enim, &* Genes. 7.
post dies septem, ego pluam super terram quadraginta diebus, &
quadraginta noctibus. Vidisti procrastinationem finis im-
mittendi? Et quorsum per tot dies diluuium? Vt inter in-
ceptionem supplicij, & finem detur spacium effugiendi, ne
instantaneus finis viam euadendi concludat. Chrysost. ibi. Chrysost.
Quid? Non erat ei possibile, vt vno die totam pluuiam indu-
ceret? Vno momento posset, sed hoc dedita opera facit, volens fi-
nal, & timorem incutere, & occasionem præstare, qua possint
pœnam, quæ in foribus, effugere. Sic Dominus misericors solet,
& post incepta supplicia, dilatare finem.

Text. Tunc dicebat illis: Surget gens contra
gentem, & regnum aduersus regnum. Et
terræ motus magni erunt per loca, & pesti-
lentiæ, & fames, terroresque de cœlo, &
signa magna erunt.

§. XII.

§. XII.

In populum exlegem vniuersa audent, & præualent mala.

MOra, fames, pestilentiæ, & vniuersa mala insurrexerunt in populum Iudæorum, sed quando populus à ceruicibus suis diuinæ legis reiecerat iugum. Prius Iudæi Mosaicæ legis vitam Iesum peremerunt, & tunc reiecto legis spiritu, & vita, nullum est malum, quod non insurgat aduersus adeo exlegem Rempublicam. Apud epist. Canonicam D. Iudæ dicitur. *Cum Michaël Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore: non est ausus iudicium inferre blasphemiæ, sed dixit: Imperet tibi Dominus.* In quibus maxime ponderanda est diaboli impudentia, quæ audet insurgere aduersus Michaelem Archangelum Iudæorum protectorem, & propugnatorem. Ecce vobis inter Archangelum, & diabolum altercatio, & hinc inde reluctatio; & quod mirere magis, Michaël non audet iudicium inferre blasphemo, & diabolus audet reluctari Angelo. Rem prudentissime expendit D. Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 85. inquiens. Isidor. Pelus. *Existimo dæmonem, nec probè quidem, ac sancto viro reluctari posse. Idque tunc ex eo constat, quod Apostoli dæmones in fugam agebant; tunc ex eo, quod Paulus Pythonem gentilium cultum furiam, eiusdemque miscentem sermone profligauit, ac depulit. Quin in martyrum quoque templis gratis ea, quæ sanctorum corporibus insunt, eos excruciat. Si igitur hæc ita se habent, quonam pacto dæmon Angelo reluctari potuisset?* Adde ad maiorem diabolicæ audaciæ ponderationem, quod Michael ille erat, qui facto impetu omnes dæmonum exercitus à cœlo præcipitauit in abyssum. Quare ergo modo Michael protector Iudæorum factus sic non audet in prostratos suos? Aut quare diabolus sic audet reluctari vastatori suo? Equidem lis erat de Moysi corpore, seu cadauere & vbi Moyses tantus legislator iacet exanimis, quid audeat Iudæorum protector Angelus? Quid non audeat diabolus, & vniuersæ calamitates? In populo illo, in quo lex diuina exanimis est, in quo vita legum ablata turpe iacet, & fœdum librorum cadauer: insurgent pugnæ, insurgent calamitates, nullum erat malum, quod non audeat, & præualeat aduersus Rempublicam talem. Apud Michæam cap. 1. sic habes: Michæ. 1. *Ecce Dominus egredietur de loco suo: & descendet, & calcabit super excelsa terræ. Et consumentur montes subtus eum, & valles scindentur, sicut cera à facie ignis, & sicut aquæ, quæ decurrunt in præceps. In scelere Iacob omne istud.* Expende verba, *omne istud*, quasi parum sit, quod vbi scelus est, vnum sit malum, aut alterum, sed necessum est, vt omne malum inueniatur ibi. Ea est iniquitas in corde hominum posita, quæ vniuersis malis vires tribuat, vt audeant, & præualeant aduersus robustissima quæque, aduersus celsissimos montes, aduersus valles fructiferas. Quod vt magis ponderetur, recole id quod dicitur Iudic. cap. 1. vbi sic. Iudic. 1. *Fuit Dominus cum Iuda, & montana possedit, nec potuit delere habitatores vallis, quia falcatis curribus abundabant.* Ecce tibi Iuda à Domino confirmatus potuit quidem aduersus montana præualescere, non aduersus valles. Verum apud Michæam, calcatio, & vastitas, & contritio, & omnia mala, non solum aduersus montes, sed aduersus valles præualent, quod si quæras, vnde, & tot mala, & adeò valentia vires sumant? Ipse respondet: *In scelere Iacob omne istud.* Solum peccatum, sola iniqua, & exlex vita sic roborat vniuersas calamitates, vt audeant & præualeant aduersus quoscumque. Huc referendus est Isaias c. 30. sic inquiens. Isai. 30. *Filij mendaces, filij nolentes audire legẽ Domini; qui dicunt videntibus, Nolite videre & aspicientibus, Nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt, loquimini nobis placentia. Auferte à me viã, declinate à me semitam, cesset à facie nostra sanctus Israel.* Quæ vita magis exlex? Sed ecce, quæ pariat mala. *Propterea erit vobis iniquitas hæc, sicut interruptio cadens, & requisita in muro excelso.* Et quidẽ non vnum malum exlex iniquitas trahit, sed tot mala opprimunt iniquum, quot lapides rupto altissimo muro solent cadere. Ad quod respiciens Forerius sic Isaiam cum Michæa componit. Forer. *Quis quæso peccator tantam inesse vim peccatis, in quibus sibi complacet, aduersus semetipsum vnquam putasset? Hoc verè illud est, quod apud Michæam dicitur, In scelere Iacob omne istud. Ergo iniquitas murum subruit, regna perturbat, & ne euertit.* Murorum casus, populares turbationes, mortes, fames, regnorum vastitas, & omne illud aduersus scelerates venit. [illegible] mecum mirar[illegible]bam, qui fieri potuit, vt super Iesum Dominum tor[illegible] tam breui spacio venirent. [illegible] tempus perhibe[illegible], tempus vnius diei [illegible]ste, verum mala [illegible] ob[illegible]rrisiones, alapas, spinas, verbera, crucem, tertium quis memorando percenseat? Non fuit dolor, qui in eum non veniret, non fuit vilis homuncio, qui non auderet, & præualeret, nunc aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Quod si huius rei causam quæro, ecce Michæas ait: in scelere Iacob omne istud; ecce Isaias cap. 5. *Propter scelus populi mei percussi eum:* ecce Isai. 5. Paul. ad Rom. 8. ait, quod venit Dominus, *in similitudinem carnis peccati.* Rom. 8. Et eo vbi similitudo, vel vmbra nostræ peccatricis carnis erat, omnes calamitates, velociores quam aquilæ ad cadauer deuenerunt. Hinc Drogo lib. de sacram. Pas. ait ex Psalm. 31. Drog. *Augentur flagella, plagæ multiplicantur; multa enim flagella peccatorum.* Nullum est flagellum, quod non audeat in eum, in quo est vel peccati vmbra: quasi nesciat malum, nisi coniunctum cum alijs venire in peccatores: adeò vt dicat Isaias cap. 40. *Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis*, Isai. 40. quod dicerent Hispani: *Vinieronse al pecador los males à pares.* Nullum malum est, quod non audeat concurrere ad peccatorem perdendum, nulla creatura, quæ non velit esse crudelis in hac causa, vndè licet hic dicere, quod alio dicebat Paul. ad Rom. 2. *Qui sine lege vixerunt, sine lege peribunt.* Rom. 2. Quia nullam respicis Dei legem, vt viuas, sic nulla naturæ lex respicietur a creaturis, vt pereas. Id quod notabat D. Alcimus lib. 4. de diluu. Alcim. vbi expendens, quod mare exiret fines suos ad homines perdendos, ait:

Ni pater Oceanus mundum indignatus in ipsum
Exiret, rumpensque fidem perfunderet arua.
Ergo, vt peruersi vindex crudelior orbis
Dissipat æternas leges, & sede reuicta
Regna aliena petens naturæ fœdera turbat.

Sic leges omnes pietatis rumpentur aduersus homines, qui sine lege viuunt.

§. XIII.

Dei manus omnium grauissima ad vexandum.

TOt malorum causæ, nimirum prælia, pestis, fames, terrores panici ponuntur, vt apertè cognoscatur Iudæorum perditionem diuinæ esse iræ. A qua sententia stat Euthymius, & meritò, quandoquidem tam crudelis hominum vexatio nequiret fieri, nisi a manu diuina. Sola diuina manus potens est omnium grauissimas strages causare: quod nouerat ille hominum rabidissimus carnifex, cum circa tentationes Iobi sic ad Deum cap. 1. fatur. *Sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ possidet.* Iob. 1. Non proprijs fidit manibus ad affligendum Iobum, sed a Deo petit, vt sua manu flagellet hominẽ, quasi etiam dæmonũ manus nouerit esse infirmas ad flagellandũ præ diuinis. Ita ibi Didymus in Cat. Græca ait. Didym. *Vide quam veteratorie, quamque simulate non dicat, mihi permitte, sed, tu facito. Imbecillitatis enim suæ probè sibi conscius est.* Vbi magni Dei potentissima via non adest, imbecillia sunt omnia; sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum, non est ira creata magna. Ideò Deus non manui suæ, sed dæmonum manibus committit iusti viri probationem, quando ad diabolum ait Iob 1. *Ecce vniuersa, quæ habet, in manu tua sunt.* Iob. 1. Quid est, in manu tua sunt? Chrysostom. in Cat. *In manu, inquit, tua pusilla.* Grauior est Dei manus ad affligendum, quam probatio patiatur, ideò diaboli manui permittitur iustus, vtpote, quæ pusilla est, quæ infirma est, ne possit inferre extremam cladem. Apud Ioel cap. 1. memorans Dominus suæ gentis clades per Nabuchodonosor, per Antiochum, & per Romanos ventoras, ait. Ioël. 1. *Residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo.* Ecce tibi, quibus comparet carnificinas Iudæorum, dum à Nabuchodonosor misere captiuantur, ab Antiocho laniantur, à Romanis perduntur. Locustæ ne sunt Babylonicæ fornaces? Bruchus ne est crudelissimus Antiochus? Rubigo ne est exercitus ferreus Romanorum? Cur non potius vocentur ferocissimi leones, vrsi, pardi, tigrides & alia crudelissima, & fortissima animalia? Pulchrè Rup. ibi: Rupert. *Eiusmodi contra hominem maximè Iudæorum imbecillitatem: regna illa, quasi bestiæ fortes, atque feroces extiterunt; sed coram omnipotentia diuinitatis infirma, & fragilia, sine etiam exigua tanquam locusta, velut eruca, quasi bruchus, & ceu rubigo reputata sunt.* Credo, in hi[illegible] quæuis creata ira etsi rabidissima appareat, in comparatione iræ diuinæ pusilla est, & exigua, qu[illegible] totum potest mundus, eiusque tyranni imm[illegible] & diabolus ipse sæuire in homines, non excedit pan[illegible], & vilissimi vermis morsum. Sola manus diuina inge[illegible]es no[illegible] inferre clades. Id bene callebat nobilis athleta ille Iob, qui omnibus orbatus bonis,

inter incredibilia mala, ingentesque dolores constitutus,
Ioan. 13. adhuc dicebat cap. 13. *Duo tantum ne facias mihi.* siue vt apud
LXX. LXX. *Duo mihi præbeas, & tunc à facie tua non abscondar. Manum tuam longe fac à me, & formido tua non me terreat.* Quasi tolerabilia habeat vniuersa suscepta mala, & diabli tela, dum non accedat punitura diuina manus, terroresque de cœlo superueniant. Hæc duo si absint, parui duco cæteras calamitates, tyrannos rideo, diabolos expuo. Nihil mihi à Deo timeam; à creaturis enim parua, & exigua erunt
Ruth. 1. quæcumque timebo. Merito socrus Ruth non aliunde suam calamitatem exaggerabat, aiens cap. 1. *Egressa est manus Domini contra me.*

§. XIV.

Acerbissimum supplicij genus, quòd plagas tuas cogaris videre.

NOn pauci sunt auctores, qui putent prælia in præsenti à Iesu prædicta, non esse vltima illa, quibus Romani Iudæos vastabunt, sed esse prælia exorta in confinibus Iudæorum, quibus vicinæ gentes se se mutuo petent, & confodient. Et quid hæc ad Iudæorum calamitatem? Quid quod vicinæ gentes insurgant aduersus gentes, vt inde Iudæi affligantur? Multum per omnem modum, quandoquidem in vicinorum stragibus, & calamitatibus cogentur miseri Iudæi videre suas proprias strages, & calamitates, quod ingentis supplicij genus est. Audisti Absalonem in Dauidem rebellem, sed & audi parricidæ supplicium. 2.
1. Reg. 18. Reg. cap. 18. *Et cæsus est ibi populus Israel ab exercitu David, factaque est plaga magna in die illa viginti millium. Accidit autem, vt occurreret Absalon seruis David sedens mulo, &c.* Ecce tibi in parricidæ parte fit magna plaga, ibi mors, ibi gladius deseuit, ibi passim milites cadunt, & totus pene exercitus interemptus est, & adhuc parricida manet superstes mulo sedens. Cur non potius ipse prius periit? Cur ante illum exercitus misere cadit? Vt inde eius supplicium cresceret, dum videt in suis interfectis suam interfectio-
Chrysost. nem, & miseriam. Chrysostom. homil. de Absal. ait. *Igitur commisso bello prosternuntur hostes, aduersarij Dauidis cadunt, inimici vincuntur, nudatur hostis, deseritur parricida: iam suam in suis conspicit pœnam, iam supplicium debitum sibi suorum interitu recognoscit. Iam timet, iam formidat, iam proprium meditatur interitum.* Solent reorum oculi claudi ne videant instrumenta lanienæ, ne videant socios supplicij animam agentes: non enim dubium est, quin pertineat ad maximum supplicij incrementum, quod miser in sociis suis suam conspiciat pœnam, suum videat tormentum. Quæ vires non franguntur tali spectaculo? Hoc sciebat tyrannus ille An-
2. Mach. 2. tiochus lib. 2. Machab. cap. 2. de quo ibi dicitur: *Iratus itaque Rex iussit sartagines, & ollas æneas succendi. Quibus statim succensis, iussit ei, qui prior fuerat loquutus, amputari linguam, & cute capitis abstracta summas quoque manus, & pedes ei præscindi, cæteris eius fratribus, & matre inspicientibus.* Et sanè crudelissimus homo cogebat fratres inspicere, vt in laniena fratris inspiciens quisque suam magis torqueretur, vehementiusque sentiret supplicium. Sic in singulis vehementissimè torti fratres cum fuissent: *Nouissimè autem post filios mater consumpta est.* Cur nouissima mater, an vt fœmineo generi parceretur? Immò vt ex crebra repræsentatione interitus in suis visi magis eius constantia concuteretur, &
Chrysost. doloris sensus exacueretur. Ad hæc Chrysostom. homil. de septem Machab. *Immundi dæmonis maligna calliditas non primum eam traxit in agonem, sed post filios eam duxit in prælium. Qua causa hoc? Ob hoc vtique, vt præuenientibus septem filiorum suppliciis deijceret sensum eius, eum virtutem mentis in matre fregisset varia crudelitate, proposito ei spectaculis orbitatis suæ.* Quasi malignus dæmon nullum crudelius telum ad conterendam inclytam fœminam inuenisset, quam si orbitatis suæ spectaculum ante eius oculos poneret. Non sic ollæ accensæ, non sic cruciatus immensi, non sic dolores lanienæ, quam visio supplicij confringunt mentem pa-
Thren. 3. tientis. Vnde calamitatem suam exaggerabat Ierem. Thren. 3. aiens. *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius.* Ac si diceret: ego inter omnes meos infelicissimus, quandoquidem aliqui eorum, nimirum Prophetæ præuiderunt suorum calamitates, non tamen sustinuere; alij sustinuere, sed non præuiderunt, ego magis miser omnem calamitatem video, & sustineo, quam antea aspexi; patior, simul & oculis, & dorso flagra fero. Quid infeli-
Iob. 21. cius? Iob 21. de impio dicit. *Videbunt oculi eius interfectionem suam.* Vbi Philippus ait. *Duplex tormentum est, videre pœnas, quas sustineas.*

Text. Sed ante hæc omnia iniicient vobis manus suas, & persequentur tradentes in Synagogas, & custodias, &c. Trademini autem à parentibus, & cognatis, & morte afficient ex vobis.

VIde supra cap. 3. vbi plura habes circa ea, quæ in præsenti dicuntur.

§. XV.

Dei magno beneficio ducat, qui mundi malis præripitur.

ANte hæc omnia, nimirum ante prælia, ante pestes, ante fames, ante terræ motus, cœlique terrores afficientur morte quamplurimi ex discipulis Christi. Quis non putet hoc illis pro magno beneficio accidisse? An non beneficium est, calamitatibus subtrahi, à certaminibus abduci, & adhuc hostibus sæuientibus rapi ad triumphum? Componite vobis fortissimos veteris testamenti iuuenes, septem Machabæos, & tres Danielis socios, omnes calamitosam obtinuerunt rempublicam, omnes ad tyrannum ducuntur religionis causa, omnes sententiam damnationis incurrunt & excipiunt. Illi ab Antiocho iubentur ardenti sartagine torreri, hi à Nabuchodonosor mittuntur in flammantem fornacem. Ecce prælium, hinc carnifices, hinc Dei athletæ, omnes dantur pueri ignibus, sed quam alter fuit eorum euentus? Machabæi crudeliter cruciati inter ardentes sartagines occumbunt: tres pueri in fornace vinculis soluuntur, & viuidiores apparent, indeque longos in annos educuntur victuri. Quos ergo feliciores putes? quos maiori à Deo donatos beneficio? an qui occubuerunt in igne, an illi qui viui, & incolumes eripiuntur? Rem explicat August. serm. 110. de diuersis, cap. 3. vbi sic ha- August.
bet. *Quare illi ab ignibus consumuntur? Ergo illis Deus aderat, hos deseruerat? Absit. Immò vtrisque affuit. Illis in aperto, istis in occulto: illos visibiliter liberabat: istos inuisibiliter coronabat. Illi quidem de morte liberati sunt: sed in huius vitæ tentatione manserunt. Ab igne liberati, ad pericula reseruati. Vno tyranno victo; adhuc certaturi cum diabolo. Fratres mei sicut Christiani intelligite. Machabæi melius, & tutius liberati sunt. Ab illis tribus viris, cæteris remanentibus illa vna tentatio superata est: ab istis ista vita finita, quæ tota tentatio est.* O quam felicior ille, qui primo in congressu omnia certamina absoluit, inamissibilemque coronam assumit! Quid magnum, quod morti eripiaris reseruandus innumeris perditionis periculis? Vicisti semel mortem dum viuis, sed restant prælia mille, restant incursus hostiles, restant incendia, restant pugnæ, restant calamitates, restant mortes mille. Nos Christiani putemus, & melius, & felicius liberari, qui abripiuntur certaminibus gloria donari, quam qui in stadio relinquuntur. Sanctissimo Iosiæ dicitur, 4. Reg. 22. *Colligeris ad sepulchrum* 4. Reg. 22.
tuum in pace, vt non videant oculi tui omnia mala, quæ introducturus sum super locū istum. Pacifica illi à Deo promittitur mors ante calamitates Ierosolymitanas, & tamen moritur Iosias in bello percussus à Nechao rege Ægypti, vt habetur supra cap. 23. & in Paralip. cap. 35. Qualiter ergo vera est Dei promissio, quod Iosias moriturus erat in pace, siquidem hostiliter percussus occubuit. Vbi est beneficium pacificæ mortis promissum? An benefica, & pacifica mors est in bello cadere? Equidem vbi duriora prælia restabant & grauiora excidia, templi incendia, vrbis ruina, populi perditio, pacifica & plena gratiarum erat mors, qua rex tor conflictibus eripiebatur, etiam si inter hostiles incursus occumberet. Sic putat Abulens. ibi quæst. 20. inquiens: Abulens.
Quia mala, quæ euentura erant super Hebræos, valde maiora erant, & quanta nunquam euenerant, ita vt fierent in stuporem, & maledictum, ideo Iosias quamquam moreretur in bello, dicebatur mori in pace, quia per hoc excusabatur videre mala maxima. Ille donata pace fruitur, quem triumphantem nulla duriora certamina spectant, nulli vocant conflictus: ille ingenti beneficio quiescit, quacumque morte occumbat, qui ad coronam abit eo tempore, quo adhuc sæuiunt hostes in arena, & adhuc instauranda prælia sunt, & nocentiores instant perditiones, & ruinæ.

CAPVT

CAPVT V.

De obſidione Ieroſolymitana.

DVM turbæ effuſæ lætis cantibus celebrant Saluatorem, & ramis palmarum exhibitis ouantem comitantur Regem manſuetiſſimũ: ipſe pacis rex Ieſus oculis excipit Ieroſolymam florentiſſimam vrbem. Quid tunc? Simul oculi diuini vrbem regiam excipiunt, & ſimul ſe ſe in lacrymas fundunt. Infelix vrbs aquas de oculis Saluatoris expellis, vt ſolus inibi tibi maneat ignis. Non vnum vt malus
Apoc.12. coluber, Apocalypſ.12. ab ore flumen; ſed duo ab oculis mittit bonus Saluator flumina in Ieroſolymam, vt eam faceret trahi à flumine. Terrena autem Iudæorum mens tanta lacrymarum abſorbuit flumina, & parui ducens præſaga ſui Saluatoris ſuſpiria prætendit in ſe iam ſuam deploratam ſalutem.

*Luc.*19. Et vt appropinquauit Ieſus videns ciuitatem fleuit ſuper illam, dicens.

§. I.

Tunc maximè lugendus peccator cùm non Dei iram, ſed teneritudinem, ſed indulgentiam prætendit non emendatus.

QVis non miretur Chriſtum Dominum flentem ſuper Ieruſalem, eo tempore, quo ouationem illam, &
Matth.21. triumphum manſuetudinis, & pietatis facit, de quo Matth. 21. dicitur. *Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi manſuetus.* &c. Manſuetus venis Ieroſolymis, ô Ieſu, & eius vicem defles? Cur lacrymas fundis ſuper ciuitatem, cui manſuetiſſima, & pientiſſima viſcera pandis? Equidem nunquam magis lugenda rebellis, & peccatrix vrbs, quam vbi in ſceleribus non iram vindicis, ſed manſuetudinem, non duritiem ſupplicij, ſed teneritudinem compatientis in Deo
Iſai.26. ſentit. Nonne lamentandus eſt impius, de quo apud Iſaiam, cap.26. ait Dominus: *Miſereamur impio, & non diſcet iuſtitiam facere?* Immò nunquam magis lamentandus impius eſt, quam vbi nimis miſericordem ſentit iudicem, quem magis deberet ſentire vltorem iniquitatum. Non enim tantam perditionem traheret Ieroſolyma à vibratis in illam telis Ieſu manu, quantam traxit à manſuetudine, à teneritudine, à lacrymis. Vidimus ſæpe Dauidem Abſalonis mi-
2. Reg.18. ſeram lugentem cladem, 2. Reg.18. *Contriſtatus itaque rex, aſcendit cœnaculum portæ, & fleuit. Et ſic loquebatur vadens, Fili mi Abſalon, Abſalon fili mei.* Quid tenerius? Quid affectuoſius? Quis non amabit hanc Dauidis teneritudinem, & compaſſionem in filium? Quis timeret cladem Abſaloni ab hac teneritudine patris? Sed, vt obſtupeſcas, ſunt, qui prudentiſſimè putent adeò noxiam fuiſſe Abſaloni patris teneram affectionem, & diſſimulationem, vt ab illa totum
Chryſoſt. ſuum exitium miſer iuuenis traheret. Sic ait Chryſoſtom. hom. de Abſalone. *Offendit enim Dauid filium, quia fratris in eum noluit vlciſci parricidium, ſemper enim ſcelera, dum non reſecantur, increſcunt, & in augmenta facinorum proſilitur, quoties ſecura impunitate peccatur.* Quò maior fuit Dauidis in Abſalonem teneritudo, & indulgentia, eo minus Abſalon leuatur, eo magis offenditur, eo maius incidit in excidium. Adeò vt dicere poſſet, id quod vulgo dicunt nocentes ad indulgentiſſimos parentes: *Patris indulgentia, & teneritudo me offendit, me perdidit, me diſſipauit.* Quibus ſimilia dicunt
Iſai.63. Iudæi miſeri Iſaiæ 63. ad Deum flantes. *Quare errare nos feciſti Domine de viis tuis, indurasti cor noſtrum, ne timeremus te?* Sed Deus neminem indurat, neminem in errorem trahit, verum quia errantibus parcit, & largam indulgentiam oſtendit, abſtinens à flagellis: inde noſtrâ malitiâ naſcitur in peccatoribus perditio maior. Sic data verba explicat
Origen. Orig. lib.2. Periarch. cap.1. aiens: *Vt quid in tantum pepercisti nobis, nec requiſiſti nos cum peccaremus, ſed reliquiſti nos, vt per hoc increſceret malum, & propagaretur licentia peccandi, animaduerſione ceſſante? Sic equus, ſi non aſſidui ſeſſoris patitur calcem, & ſi anu ora ferratis obteritur, indureſcit. Sic pueritias, ſi nulla plagæ aſſiduitate curuetur, inſolentem ſimul, & ad vitia præcipitem iuuenem reddit.* Eu quoties peccatores ex indulgentia diuina, ſibi æterna præcipitia trahunt! Eu quoties à compaſſione, & teneritudine paterna homines nequam æternum luctum, & excidium venantur! Ipſe Iſaias paulò ante dicebat: *In dilectione ſua, & indulgentia ſua ipſe redemit eos, & portauit eos, & eleuauit eos cunctis diebus ſæculi. Ipſi autem ad iracundiam prouocauerunt, & afflixerunt Spiritum ſancti eius, & conuerſus eſt eis in inimicum, & ipſe debellauit eos.* Ecce diuina dilectio, diuina indulgentia, diuina teneritudo, quot mala, quot bella improbis hominibus propter ipſorũ
malitiam pariat. Prudentiſſime ad hæc reſpiciens Philo lib. Phil.
quod deterior inſidietur potiori, ait. *Arbitror eos, qui non omnino ſunt inexpugnabiles, optare puniri, potius quam dimitti. Nam hæc dimiſſio facile ſubuertet eos.* Inde non inexpiabilis, & prorſus deploratus oſtenditur homo, ſi correctionem ſupplicij amet, ſi flagellum pœnæ pro culpis experiatur; diſſimulatio enim & indulgentia in omnibus, & timenda,
& cauenda eſt: vt monet D. Greg. lib.17. in Iob cap.3. fatus. Gregor.
Neceſſum eſt, vt cum nos diu expectari conſpicimus, ipſa prærogatæ pietatis tempora, quaſi damnationis argumenta timeamus; ne ex clementia iudicij creſcat ſupplicium peccatoris, & vnde quiſque eripi à morte poterat, inde grauius ad mortem tendat. Ex quibus illud maximè ponderandum eſt, quod prærogatæ pietatis, & indulgentiæ diuinæ tempora, quaſi damnationis argumenta caueri iubeat, & timeri. Quippe indulgentia paterna peſſimis exhibita filiis, maiorem ſæpe ſæpius in il-
lis damnationem arguit. A qua fugiebat Dauid Pſalm.50. Pſalm.50.
aiens: *Miſerere mei Domine, ſecundum magnam miſericordiam tuam.* Notanter petit miſericordiam magnam, vtpote qui ſciebat poſſe aliam miſericordiam venire à Deo, quæ non eſſet miſericordia magna, ſed adeò parua, vt in illa poſſent peccatores ſuam ruinam, & excidium autumari. Ad hæc
D. Bernard. ſerm. de triplici miſericordia, fatur. *Hanc ego* Bernard.
miſericordiam Domini, qua tardat ferire, paratus ignoſcere, paruam nominaui, quia hæc ſiquidem ſola fuerit, nullatenus ſufficit ad ſalutem, immò verò iudicium damnationis accumulat: vt dicatur Pſalm.49. Hæc feciſti, & tacui. Caueat peccator huiuſmodi miſericordiam, in qua ipſe oſtendat deploratam magis ſalutem.

§. II.

Nihil à perfecta rerum humanarum cognitione citius emanat, quàm lacrymæ.

CVr non fleret ſuper Ieruſalem, qui illam, & fines eius perfectiſſimè videret, vt Ieſus vidit? Neminem puto ſic lapidaſcere poſſe, qui ſi res viderit, apprimeque cognouerit, quæ circa ſe ſunt, aliud vellet, quam ingentes lacrymas profundere. Ex quo explicarim cohærentiam verbo-
rum ſatis difficilem. Cant.1. vbi ſic ſponſa fatur: *Indica mihi,* Cant.1.
quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie. Huic petitioni, & humilitatis, & amoris plenæ, ſic Dominus reſpondet. *Si ignoras te ô pulcherrima mulierum, egredere, & abi,* &c. Concors eſt patrum ſententia, quæ hæc verba de defectu propriæ cognitionis intelligit, vt bene notat Gilleſius in præſenti. Sed vnde Dominus ſuſpicatus eſt defectum propriæ cognitionis in ſponſa? Quibus verbis, aut ſignis oſtendit ſponſa, quod ſe ſuaque non optimè callebat? Sanè ex eo, quod totum eius deſiderium verſatur circa quietem, & paſcuam; qui enim verè cognoſcit, & callet humanam conditionem, rerum humanarum caſus, præcipitia, pericula, & ipſos lapſus; fallor ſi aliud meditatur, quam luctum, quam lacrymas. Meditaris quietem? Perſpicua eſt mentis cæcitas, & ignorantia, quæ ſi abeſſet, ſolum amares ploratus. Hinc eſt quod Saluator videns Ieruſalem flebat, & flens aiebat. *Si cognouiſſes & tu,* quaſi ideò fletus ſocios non haberet, quia nec cognitionis; quotquot enim cognitionis ſocij fuerint, proculdubio ſimul extitiſ-
ſent & fletuum. Sapienter Vrbanus IV. Pont. Max. in Vrban.4.
Pſalm.50. aiebat ad hæc. *Et verè ſi cognouiſſem, ſicut & tu, peterem à te vt aperirentur cataractæ capitis mei, & diluuium lacrymarum mearum faceres abundare, ita vt anima mea tota eſſet lacrymis liquefacta, & iniquitas mea in hoc diluuio deleretur.* Eius qui ſe, ſuaque cognoſcit, & mundialia pericula callet, hoc eſſe vnicum votum, hoc vnicum deſiderium per-
petuis ſe ſe fletibus dare. Quo non pauci referunt illud Ec- Eccleſ.1.
cleſiaſtæ 1. *Qui addit ſcientiam, addit & dolorem.* Quaſi neſciant lacrymæ à rerum humanarum cognitione, & propria
cuiuſque ſui notitia ſeparari. Pro quo D. Salonius ait. *Quàto* Salon.
quiſque plus in ſapientia proficit, tanto magis ſibi iraſcitur de malis operibus, quæ geſſit, & contriſtatur, & dolet ſuper peccatis ſuis, ideoque addit & laborem, quia quanto amplius cœleſtia, & æterna cognoſcit, tanto magis dolendo, & flendo laborat, vt

errorum

errorum laqueos euadere possit, & liberari valeat de huius sæculi molestia. Nihil non lugendum videt, quicumque videt, mundialia omnia si cognoscamur, & quot in se laqueos mortis habeant, nihil prius elicient ab oculis quam Luc. 17. lacrymas. Felix illa peccatrix Luc. 7. *Vt cognouit*, statim conuiuia, & mundiales pompas præteriens, *lacrymis cœpit rigare pedes Iesu*; cœpit, inquam, & fallar si dum vixit luctum finierit. Nec otiose inditæ sunt oculis lacrymarum fontes, sed vt ostendatur, quam socium habeat visio humana lamentum, & quod idem sit apertos oculos habere, & cupiam dare maximam fletibus. Quo etiam crediderim Isai. 33. spectasse Isai. dum ait, cap. 33. *Videntes clamabant foris; Angeli pacis amare flebunt.* Siue homo sis, siue Angelus, siue hostibus cinctus agas, siue pace floreas, dum tamen obcæcatos non habeas oculos, sed clare videas, proculdubio clamabis, flebis. Laur. Iust. Hinc merito colligit D. Laur Iust. lib. de triumphali Christi agone. cap. 19. ingentem Christi Domini luctum, & amarissimas lacrymas, vt quæ nascebantur ab eo, in quo perspicacissima erat Dei visio Etenim ait. *Vno Iesus tempore Dei fruebatur visione, & intolerabili passione gemebat, vt tota diuinæ fruitionis gloria in eo militaret ad pœnam. Nam quemadmodum amaris cognitione antecessit, ita etiam, & mærore. Apposita est illi scientia. appositus est dolor.* Sic semper visionem sequuntur fletus, sequuntur mœrores.

§. III.

Christi lacrymæ triumphum perfectissima ostendunt charitatis.

SImul videbat Iesus dolores, & passiones suas instare, & persecutorum suorum escidia, & calamitates, nec super se plorar, sed super illos. Sua præterit mala, hostium vero suorum ruinas prosequitur lacrymis. Iesus equidem est, qui primus triumphum erexit charitatis, dum inter orationem, qua Ierosolymam intrat, suorum hostium intime dolet, & Iob. 19. defler calamitates. Sanctissimus ille Iob, cap. 19. de se mira, & inaudita loquitur aiens: *Ecce video in opprobrijs, & non loquar, neque respondebo.* Huc potuit peruenire nobilis triumphator Iob, vt inter calumnias hostium rideret, sed cur non addidit, & lacrymas propter hostium calamitates? Hic maximus erat triumphus charitatis vni Iesu reseruatus. Pul- Ambros. chrè Ambros. lib 3. de interpel. cap. 2. ait: *Iob ergo videbat, quia nondum venerat Christum, cui soli seruabantur magnarum prærogatiuæ virtutum.* Sanè in solis Iesu lacrymis, & passione hoc inuenitur triumphantis charitatis argumentum, quod pium exhibeant suis persecutoribus, & inimicis officium. Vnde ille ipse, qui hostes suos Pharisæos sæpe acriter pun- Matth. 3. gebat, vt cum ait Matth. 3. *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ.* Vbi ad Salomonium ferculum, nimirum triumphalem crucis currum peruenit, in quo medius ibat eius amor, Heb. 5. sic orat cum clamore valido, immò, vt ait Paulus ad Hebr. 5. com lacrymis dicens: *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Quasi & lacrymæ passionis Christi hunc in inimicos halarent triumphum charitatis. Id quod eleganter innuit August. August. serm. 29. de diuersis. aiens. *Dominus amarè. & acerbè arguit Iudæos, sed amando. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ. Quando dicebat ista: quis non diceret, quia oderat illos? Venit ad crucem, & ait: Pater ignosce illis.* Alias potuisset Dominus inimicos mordere, eorum impia facta acerbe pungere, & sub aculeis reprehensionis suam dilectionem occultare; verum vbi dolor, vbi passio, vbi crux, vbi lacrymæ sunt, non potest non ostendi triumphus charitatis, hostes etiam amplexantis. *Venit ea'os ad crucem, & ait: Pater ignosce illis.* hæc resonat vox inter lacrymas, inter passiones, qua Iesus vel ipsis dolorum lacrymarumque auctoribus parcit, eosque amat. Quam alia est nostra consuetudo inter dolendum, tunc enim tantum abest. vt hostes amemus, Ion. 1. vt etiam charissimos mordeamus. Apud Ionam cap. 1 inter sæuissimæ tempestatis discrimina inuenerunt nautæ doloris, periculique sui auctorem Ionam esse ob scelus commissum in Deum. Quid tunc? *Et dixerunt ad eum: Quid faciemus tibi, & cessabit mare a nobis?* In quibus verbis nautarum humanitatem, & nostram stultitiam ponderat Theo- Theoph. phylact. illi inter tot mala, tot afflictiones deprehendunt auctorem suorum malorum, & nihil ei male loquuntur, sed humaniter tractant, & ab eo amanter remedium sciscitantur: nos quouis dolore sic amarescimus, vt etiam in amicos irascamur. Itaque ait: *Vel sic etiam imitandi sunt nautæ isti, vbi sæpenumero nos in calamitates incidentes plane efferamur, ac dum aduersum calamitatum auctores solos, verum & contra ipsos familiarissimos nostros in calamitatibus consolatores.* Pudeat Christianum inter dolendum in familiares suos irasci, quando nautæ inter tot mala illorum auctorem adeò humaniter tractant. Quando Iesus in lacrymis, in doloribus, in passionibus suis, nihil aliud ostendit, quam charitatem pertingentem vsque ad aduersarios, & auctores suarum calamitatum.

§. IV.

Supplicia quæ cum lacrymis, & dolore Dei veniunt, interminabilem pacem pariunt.

QVid in Iesu lachrymis euidentius monstratur, quam sceleratæ vrbis excidium: sed excidium, quod tantis fœcundum lacrymis interminabilem postea in conuersione Iudæorum pacem parturiat. Nunquam enim Dei lacrymæ, & dolores mouerunt aliud excidium inferre mundo, nisi quod æterna postea indulgentia sit restaurandum. Delirus ille Valentinus aiebat, quod sapientia à cœlis in terram dilapsa multos fletus, & lacrymas profunderet, quæ lacrymæ diabolum genuissent. In quem D. Cyrill. Ierosf. ca- Cyrill. Ierosf. tech. 16. insurgens ait. *Vides impietatem Valentini? Quomodo enim ex lacryma diabolus generaretur?* Et quidem impossibile est, quod diabolus, quod irremediabilis perditio orietur a lacrymis sapientiæ de cœlo venientis. Nunquam cœlestes lacrymæ possent omnimodam perditionem mundo parturire. Isais 1. *Heu consolabor super hostibus meis, & vindi-* Isai. 1. *cabor de inimicis meis.* Ecce tibi in his verbis inimicorum durissima vltio simul cum Dei lacrymis proponitur. Perdam, inquit, hostes, vastabo: sed cum hæc dicit, simul præmittit illud Heu, quasi inter perdendos inimicos lacrymas fundat, vt notat Glossa, inquiens: *eos plangit, & percutit.* Et qualis est hæc vindicta, & perditio, quæ cum lacrymis Dei venit? An perditio irreparabilis est? Absit: immò immediatè ait: *Et conuertam manum meam ad te, & excoquam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum. Et restituam iudices tuos, vt fuerunt prius, & consiliarios tuos sicut antiquitus: post hæc vocaberis ciuitas iusti, vrbs fidelis.* Sic restaurantur ruinæ, quæ veniunt lacrymis cum diuinis; sic vbi Deus plangens præmittitur, nescit irreparabiliter perdere, quin potius perditio, quæ à lacrymis Dei proficiscitur, etsi extrema videatur, tandem inexterminabilem pacem gignit. Genes. 6. de Deo in mundum irascente, dicit: Genes. 6. *Tactus dolore cordis intrinsecus: Delebo, inquit, hominem, quem creaui à facie terræ.* Ecce Dei ira aduersus omnem carnem, sed quæ nascatur simul cum intrinseco dolore Dei, & lacrymis cordis. Quid tunc! Effunditur ira, fit sceleratorum hominum perditio, & post hæc Dominus, cap. 8. ait. *Nequaquam vltra maledicam terram propter homines.* Similiter, cap. 9. *Statuam pactum meum vobiscum, & nequaquam vltra interficietur omnis caro, &c.* Vix sub aquis homines perierant, & iam Deus firmat fœdus amicitiæ, & promittit pacem perpetuam cum vniuersitate hominum. Et quidem vbi perditio cum lacrymis Dei, doloreque cordis venit, non potuit reparationem mali non inferre. Potuit aqua fluens perdere terras, sed quia manauit illa ex corde diuino condolente, simul & traxit in Deo excidij pœnitentiam, & pacem parturiuit perpetuam. Rem canebat D. Alcimus lib. 4. de dilu- Alcim. uio sic ex ore diuino locutus.

Hactenus infectus contagia traxerit orbis,
Sufficiat tranasse nefas, mundata lauando,
Perpetua maneat tellus: haud amplius vllis,
Perturbata malis moles humana fatiscat.

Sufficiat gigantes sub aquis gemuisse; sufficiat à Iesu oculis manasse lacrymarum diluuia, quibus Iudæorum nefas lamentabili excidio deletum est. Vbi sub talium aquarum diluuio populus ille perit, mundata lauando perpetuo maneat tellus, & instaurata gens Iudæorum in Christiano ouili recepta nullis amplius malis fatiscat. Non sic Nilus fœcundat, quam inundat Ægyptum, mediisque fluctibus semina refert, quibus arua replet; vt in lacrymarum Iesu fluentibus, *relictum est semen*, quo gens Iudæorum regerminet, & meliori conditione, quam Sodoma refloreſcat. Quid fieri poterit, vt pereat filius tantæ matris lacrymis comparatus? Baruch 4. dum dabantur Israelitæ Babylonijs, aiebat Baruch 4. mater Sion. *Ego speraui in æternam salutem vestram, & venit mihi gaudium à sancto super misericordia, quæ veniet vobis ab æterna salutari nostro. Emisi enim vos cum luctu, & ploratu.* Ideo bona mater misericordiam futuram in filios suos præsensit, quia emisit illos in captiuitatem cum luctu. Cur ergo

noo

non sperabimus misericordiam futuram io Iudæos, qoando illos Iesus cum luctu, & ploratu emisit?

Text. Quia si cognouisses, & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.

§. V.

Summa miseria hominis peccatoris, quòd ipse solus non præsentiat imminentem ruinam.

MEritò plangit Dominus Ierosolymitanorum insensibilitatem, qui præsentium bonorum gustu possessi nihil nouerunt metuere, nullum imminens excidium nouerunt præsentire. Vtinam non præsentibus raperentur, sed & futura præsagirent, præcognoscerent, sed ea est hominis peccatoris stoliditas, quæ nihil in se præsentiat imminentis excidij futuri. Cum illud immiocebat orbis excidium per diluuium, Genes. 7. (Genes. 7.) *De animantibus quoque mundis, & immundis, & de volatribus, & ex omni, quod mouetur super terram, duo, & duo ingressa sunt ad Noë.* Quod si quæras, quis adduxit omnia animantia ad Noë? crediderim illa adducta Dei nutu, qui illis quendam terrorem præsagum futuri excidij impressit, quo simul diuino instinctu petebant illud arcæ confugium. Ecce tibi dum adhuc dies serena esset, cœlum sudum, & terra tota in flores, fructúsque abiret; inter hæc imminentis excidij solicitat pauor vniuersa terræ animantia, vniuersas volucres aëris, solus homo peccator securus omni metu, omni solicitudine posita nihil mali præsagit. (Alcim.) Id quod pulcrè notat D. Alcim. lib. 4. de diluuio, fatus.

Tunc ipsa accurrant volucres, tunc bestia quæque,
Deposita feritate venit, sésque tenendam,
Ingerit occurrens, & libertate relicta,
Ore adit, gaudet; tantum decreta futuri
Vis valet: occultus bruta in sensibus ardet
Terror, & expectans agitat formidine mentem.
At homines, quos sors certi discriminis vrget,
Vicina nec morte pauent. Sic vindice cælo
Securos lætósque reos tellure Gomorrhæ,
Iam prope sub flamma sententia dicta videbat.

Superat peccatoris insensibilitas cœli volucres, superat campi bestias. Inuenies volucres, quæ tempestates præsagiant, & effugia quærant; inuenies animalia, & vilissima quæ venturos casus præsentiant, & caueant, solus peccator brutis insensibilior, dum voluptatibus incumbere licet, nullum malum futurum meminit, & pene sub ipso supplicio, nihil metuit superbissimus ille Philisthæus, vt vidit ad se (1.Reg.27.) Dauidem cum funda venire, duellū ridens aiebat 1.Reg 27. *Quasi ad canem existi cum lapidibus, & virga.* Sic causabatur, quod velut canis haberetur; sed miser ille cane longè inferior, & stolidior erat; canis enim solet præsagire excidia imminentia, ille verò pene iam sub gladio constitutus nihil (Chrysost.) nouit metuere. Vnde D. Chrysost. homil de Dauide, & Goliath, fatur. *Si canis fuisses, nunquam diuinitatem contra te Dominam prouocasses, sed vt canis iaterituram futuram, & dignam supplicium metuisses. Peior es cane, qui nec virgam metuis, nec lapidem quo moriturus es, extimescis.* Magis insensibilis est peccator, quam canis, siquidem sæpissimè coram habet lapidem quo claudendus est, coram habet mortem imminentem, & nihil metuendum præsentit, totus possessus præsentis pacis voluptate. In quo non solum peior est cane, sed & (Luc.8.) dæmonibus peior. Hi apud Luc. c.8. videntes Iesum accedentem statim clamant: *Venisti ante tempus perdere nos.* Nondum eius audiunt imperium, nondum verbum asperum vllum percipiunt, & nihilominus clamant ob metum Etenim sciebant aliquando mittendos esse à Deo in Tartareos carceres, & quamuis in præsenti libertate potiebātur, qua possent hac in luce esse, & hominum corpura affligere, tamen in hac pace non possunt imminentis supplicij obliuisci, sed sic sunt soliciti de pœna, vt vel ad aspectum Iesu præsagiāt (Basil.Sel.) ruinam. De quo eleganter ait D. Basil. Sel. orat. 23. *Norant ex his quæ perpetraturi se tormentis obnoxios. Neque tantum apud eos morum potuit improbitas, vt illata ob flagitia pœna obliuionem inducat.* Ecce tibi non tanta est dæmonum improbitas, quæ etiam dum pace fruuntur, imminentis pœnæ obliuionem inducat. De quo peccatore homine id dici potuisset? Non tanta est dæmonum improbitas, sed tanta est Iudæorum, siue cuiusuis peccatoris hominis improbitas, qua si tantilla pace fruantur, etiam si Iesum videant, si Iesum præ manibus habeant, nihil sciant timere, nihil imminentis supplicij meminisse: nihil de his, quæ post hæc erunt, meditari. Pia fuit, & regio homine digna illa Nabuchodonosor meditatio, de qua Dan.2. *Tu rex cogitare cœpisti in statu tuo, quid esset futurum post hæc.* (Daniel.2.) Theodor. ait: *Cogitabas an esset victurus semper, an vero humana naturæ lege moriturus?* Pia equidem, & regio homine digna ista cogitatio: ne totus præsentibus hæreat, sed aliquando meminerit malorum futurorum, quæ poterunt peccatoribus euenire. O quam saperet, qui sic meminit mala ventura.

§. VI.

Infelicitas vita humana ex ignorantia futurorum.

FLenda, & dolenda, imò abominanda est nostra conditio, quod nesciamus id quod nobis imminet venturum. Et quis non oderit vitam, in qua nihil est securum, & prorsus nescitur, quid debeat post hunc diem euenire? Apud 3.Reg 18. dicitur: *Abdias autem timebat Dominum valde. Nam cum interficeret Iezabel prophetas, & abscondit eos quinquagenos in speluncis, & pauit eos pane, & aqua.* (3.Reg.18.) Scio Abdiam Dei timore permotum fuisse, vt prophetas absconderet, & pauerer; sed nunquid in hoc spectauit simul ad aliquod commodum suum? Equidem Theod. putat prudentissimum virum eo etiam spectasse, vt vitæ humanæ miseram conditionem aliquomodo leuaret, quæ minimè sustineri potest, cum (Theod.) omnimoda futurorum ignorantia. Etenim ait ille, serm. 8. de Pronid. *Propheta sufficientem cibum offerebat Abdias, illorum salutem propria securitati præferens, & vitam, quæ sine illa transigenda esset, mortis loco ducens.* Contemnit vir nobilis periculum vitæ suæ, & contra tyrannidem Iezabelis prophetas abscondit, & alit; non æstimans vitam, sed mortem eam, cui nulla futurorum euentuum notitia adest. Vbi defuissent prophetæ, vbi nullus esset, qui possit nunciare, quæ imminent mala, vel quæ bona manent, non vult viuere homo sapiens, quasi pro summa miseria, & calamitate habeat incertitudinem, & ignorantiam humanorum casuum. Ecclesiast. c.9. hanc vitæ nostræ miseriam perpendit aiens: (Eccl.9.) *Nescit homo, vtrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futuram seruantur incerta.* Nihil certum est homini in hac vita, quidquid à futuro pendet, prorsus est ab oculis hominum alienum Misera vita est, cui nulla notitia futuri est adiuncta; sic Chaldæus Complutens. (Chald.) *Non est propheta Domini, qui sciat, quod futurum est in homine.* Et vita sine propheta, cui sapienter non reputabitur omnium miseriarum miserrima? Seneca epist. 102. subscribit: (Senec.) *Nihil est miserius dubitatione venientium, quorsum euadant? Quantum sit illud, quod restat, aut quale ment collecta inexplicabili formidine agitatur.* Quando omnes aliæ miseriæ abessent à vita humana, hanc ego incertitudinem, & dubitationem venientium, quorsum tendant, semper æstimaui omnium maximam miseriam. Hoc vnum in me omnia vitæ huius commoda perdit, quod passim mihi Prouerb. 27. suggerit: *Ignoras quid superuenturo pariat dies,* (Prou 27.) imò vt Chaldæus habet, *quid hodierna pariat dies.* (Chald.) Inter mundiales omnes felicitates miser sum, & quasi prægnans laboro, nesciens an abortus erit, an partus; an qui modo felix, cras ero miser? Ideo Dauid inter immensa munera, quæ Deo refert accepta, hoc posuit præstantissimum, & sibi iucundissimum, quod & futurorum donorum præacceperit notitiam. Sic 2.Reg.7. *Propter verbum tuum, & secundum cor tuum fecisti omnia magnalia hæc, ita vt notum faceres seruo tuo.* (2.Reg.7.) Beneficia æstimat, quasi a Deo profecta, & quod eum illis frueretur, nec cœcus esset, & ignarus venturi, nec ignorans ad illa perueniret. Vbi Caietan. (Caietan.) *Prius gratias egit de beneficio affirmato, modo gratias agit de notificatione tanti beneficij.* quod scilicet, nunquam esset illi dubia vita, sed quidquid venturum erat, semper ipse ex Dei reuelatione præsentiret, quo felicissimam agebat viam.

§. VII.

Qui tempus præsens lucrari nouit, nullo alio indiget.

NOn plures annos prædicat necessarios Saluator, vt ingens ciuitas sibi possit consulere, hoc vnum dicit; *si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua.* Vnius diei cursus petitur, vt tota saluris sapientia acquiratur. Et quidem qui sciuerit temporis instantias lucrari, in quolibet momento acquiret, quidquid opus habet. Non iniucundum erit hanc excogitationem ex prophano auctore (quod facio raro)

Lll i prælibare.

Senec. prælibare. Is eſt Seneca epiſt. 103. fatus. *Qui quotidie ſuæ vitæ ſummam manum impoſuit, non indiget tempore. Ex hac autem indigentia timor naſcitur, & cupiditas futuri excedens animum. Ille enim ex futuro ſuſpenditur, cui irritum eſt præſens. Ideo mi Lucili propera viuere, & ſingulos dies, ſingulas vitas puta. Qui hoc modo ſe aptabit, cui vita ſua quotidie fuit tota, ſecurus eſt. In ſpe viuentibus proximum quoque tempus elabitur.* Horum nec verbum innotatum relinquas ſi velis moralem doctrinam præſtantiſſimam ebibere. Equidem inde naſcitur tanta indigentia temporis, quanta mundiales viuunt, vt poſſint viuere, quod illis præſens tempus irritum ſemper eſt. Cui enim præſens irritum eſt, totum futurum non ſufficit; at cui cordi eſt temporis vſura, & ſic vnam diem exegit, quaſi ſolam illam haberet, hic non eget tempore, hic vel vna

Iob 7. hora plenus dierum efficitur. Iam dicit Iob c. 7. *Sic ego habui menſes vacuos, & noctes laborioſas enumeraui mihi. Si dormiero dicam: Quando conſurgam, & rurſus expectabo veſperam.* Hanc vnam menſium, & annorum perditionem enumerat, nempe ſpem ſemper iactam ad futura; nihil de præſenti fatur, ſed totus occupatur in expectatione futuri, & hinc menſes, & anni, & ſæcula vacua euolant; quando *in ſpe viuentibus proximum quoque tempus elabitur*, cum enim proximum, & præſens numquam ſolum eſſe ſibi reputant, ſem-

D. Thom. per appellant ad futurum. D. Thom. ibi: *Quomodo habueris menſes vacuos oſtendit ſubdens: ſi dormiero dicam; quando ſurgam? Rurſus expectabo veſperam: ſic ſemper in futurum per deſiderium tendens.* Vacuum eſt, & inane ſæculum illis, quibus vel præſens dies eſt irrita; felix ille eſt, qui ſingulos dies, ſingulas vias putat, intra præſens ſuam componit vitam; is nullius temporis indiget; huic ad beate viuendum

1. Reg. 24. ſatis ſunt momenta ſingula. Huc ſpectabat Dauid 1. Reg. 24. vbi ad perſecutorem Saulem, ſic inquit. *Ecce hodie viderunt oculi tui quod tradiderit te Dominus in manum meam.* Aliàs etiam pepercerat Dauid Sauli, ſed quod ſolum proponit videndum, erat illud præſens. ecce hodie: quippe apud rectum iudicium non eget alterius teſtimonio qui præſens habet opus, qui præſens temporis inſtantias nouit ſtrenuè

Chryſoſt. adimplere. Ita D. Chryſoſt. hom. de Dauide, & Saule, ait: *Non ſumit excuſationem, niſi ab his, quæ hodie acciderunt. Nam hoc innuit, cum ait: cognoſce, & vide hodie. Nihil enim loquor de ante actis, mihi ad probationem ſatis eſt hic dies.* Non eget multorum temporum labore, cui præſentis adeſt vſura; hoc vnum cura, ne tibi irritum præſens ſit, & nullius alterius temporis egebis, ad probationem, & ſecuritatem, & felicitatem præſens ibi dies ſufficit.

Text. Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coanguſtabunt te vndique, & ad terram proſternent te, & filios tuos, qui in te ſunt; & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem, eo quòd non cognoueris tempus viſitationis tuæ.

§. VIII.

Non ſolicitetur futurorum curis, qui in ſe habet, & ſuſcipit Ieſum.

Optabat Dominus quod Ieroſolyma in die ſuæ felicitatis tangeretur ſolicitudine imminentium malorum, & cognoſceret aliquid de bellis, quæ poſt præſentem pacem erant ventura. Ait enim: *Si cognouiſſes & tu, quæ ad pacem tibi; quia venient dies,* &c. Deinde tantorum malorum cauſam proponens, ait: *quod non cognoueris tempus viſitationis tuæ.* Non ideo afflicta, & perdita, quod non habuit præcognitionem illam optatam malorum futurorum, ſed quod non habuit cognitionem Ieſu in ſe exiſtentis. Quia enim non cognouit Ieſum, ideo mala illa ventura erant, ideo optabatur illi, vt tangeretur aliqua cura, & ſolicitudine prænoſcendi, quæ mala imminerent futura. Is ſolus, qui Ieſum habet, qui Ieſum perfecto ſuſcipit corde, non neceſſe habet

Ioſue 5. ſolicitari curis futurorum. Apud Ioſ. c. 5. ait Dominus: *Hodie abſtuli opprobrium Ægypti à vobis.* Sed expēdendum eſt, quod ſit illud opprobrium Ægypti, quo liberantur Iſraëlitæ Ieſum ducem ſequentes. Et inter alia in primis ſeſe nobis offert opprobrium, quo Ægyptij præ omnibus nationibus, auguriis & ſortilegiis dediti erant; adeò vt illorum Principes, & duces prorſus penderent ab ore augurum, & maleficorum, ſoliciti ſemper de malis imminentibus. Vtinam vanus hic error non ſerperet vſque in noſtra tempora; in quibus non deficiunt principes viri, qui vt non à Deo regnant, ſic ſolicitantur ſingulis momentis de futurorum cognitione a ſtellarum interpretibus, ſiue ab auguribus tempora felicitatis, aut nubili quærentes. Hoc opprobrium ablegant à ſe, qui Ieſum totis viſceribus amplectuntur, ſequuntur: cui ſe committentes nulla futurorum cura torquentur. Pulchrè Orig. homil. 5. in Ioſue dicens. *Eſt & illud opprobrium Ægypti, obſeruare auguria, requirere ſtellarum curſus, & euentus ex his futurorum rimari, ſeruare ſomnia, cæteriſque huiuſmodi ſuperſtitionibus implicari. Sed ſi quando te talis curioſitas interpellat, & de corde tuo huiuſmodi hoſtis erumpit, dic ei. Quia Ieſum ducem ſequor, in cuius poteſtate ſunt, quæ futura ſunt. Quid mihi ſcire, quæ futura ſunt? Quæcumque ille vult, hæc futura ſunt.* Origen.

Cur Ieſus eſt in corde, nullam neceſſitatem habet futuros ſibi euentus cognoſcendi, horum enim deſiderium, & cura non vexat animos eorum, qui ad Ieſum pertinet, ſed eorum qui longè à Ieſu abſcedunt. Pro quo ſtant duo inclyti Reges, alter Ieſu hoſtis, alter Ieſu pater; ille Nabuchodonoſor, hic Dauid Rex. Ambo victoriis partis celebres, ambo in domo ſua ſedent, ſed diuerſa illos ſolicitudo tenet. De Nabuchodonoſor, ait Dan. c. 2. *Tu rex cogitare cœpiſti in ſtratu tuo, quid eſſet futurum poſt hæc.* quæ explicans Theodoretus, ait: *Cogitabas an ſemper victurus eſſes, an vero humana lege moriturus, cupiebáſque ea, quæ nondum acciderat, cognoſcere.* Hæc eſt ſolicitudo eius, qui Ieſum ignorat, ideo Aruſpices, Ariolos, Magos, Aſtrologos conſulit frequenter, & eorum prædictiones vanas auide haurit. Non ſic qui Ieſum habet, non ſic Dauid, cui promiſſus erat Ieſus. Imò cum ſederet in domo, vnum animo voluebat, nimirum, templum Deo ædificare, de futuris autem prorſus immemor. Sed dum Nabuchonoſor futura ſua meditatur, ſcrutatur, incidit in perditionem regnorum: cum autem Dauid nihil de futuris meminit, ſed totus occupatur in Dei templo ædificando, accipit à Deo promiſſum regni duraturi in perpetuum. Pro quo ipſe ait, 2. Reg. cap. 7. *Sed & hoc parum viſum eſt in conſpectu tuo Domine Deus, niſi loquereris etiam de domo ſerui tui in longinquum; iſta enim eſt lex Adam Domine Deus.* Quaſi diceret: ego prorſus alienus a meditatione regiæ poſteritatis accepi à te Deo meo regnum, inſuper accepi promiſſionem, quod Dauidis regia in longinquum poſt me duratura erat, hæc eſt lex Adam, hoc pactum inter Deum, & hominem conſtitutum; vt quo homo magis Deo ſe dedat, eò minus neceſſe habeat curare de futuris euentibus, omnia enim illius proſperabuntur à Deo, & futura, & præſentia. Ita Abulenſ. ibi ait: *Iſta eſt lex, quam dicitur homo tenere cum Deo, ſcilicet, quod homo humiliet ſe coram Deo, & colat Deum quantum potuerit, & Deus erit ſolicitus pro eo.* Hæc vna ſit ſolicitudo hominis, qua Deum colat, qua Ieſum intimis affigat viſceribus, futura enim omnia, quæ euenient, nihil curat, in manu Dei omnia ſunt, nec aliter poterunt euenire, niſi moderatore Deo. De Magis dicitur Matth. 2. *Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? Vidimus ſtellam eius in Oriente, & venimus.* Verum vbi Ieſum inuenerunt, & receperunt, non amplius ad ſtellam aſpiciunt, vt reuertantur ad patriam, & euadant eminentes metus Herodis. Cur iam non ad ſtellam aſpiciunt? Cur Herodis technas non inde ſpeculantur, vt ſecurius redeant? Tertull. lib. de Idololatria, ait: *Scientia iſta, vſque ad Euangelium conceſſa, vt Chriſto edito nemo exinde natiuitatem alicuius de cœlo interpretetur.* Poſtquam enim Deus terris aduenit, poſtquam Ieſus datus eſt nobis, vaniſſimus, qui ab ſtellis, & auguribus, & prognoſticis quærit, quæ erunt, vnum curet Ieſum ſibi retinere, illum corde perfecto colere, in cuius manu ſola ſunt omnes futuri euentus, & à tali manu, quid mali proueniet Ieſum ſequentibus? Daniel. 2. 2. Reg. 7. Abulenſ. Matth. 2. Tertull.

§. IX.

Ieſus eſt bellorum princeps, & vnicus moderator.

Non putes Ieſum merum prophetam agere in præſenti dum obſidionem Ieroſolymitanam prædicit, ſed potius principem ſe bellorum, & Dominum demonſtrat exercituum, obſidionem ſimul, & Romanorum phalanges in Ieroſolymitanos diſponens ipſe. De quo apud Iſai. 29. *Et circumdabo quaſi ſphæram in circuitu tuo, & iaciam contra te aggerem, & munimenta ponam in obſidionem tuam. Humiliaberis, de terra loqueris.* Ieſus eſt, qui exercitus diſponit, Ieſus eſt qui ius bellorum tribuit, Ieſus eſt, cui omnis militat orbis, & à quo regnorum bella diriguntur. Ioſue cap. 5. apparuit vir ſtrictum gladium tenens, & interrogatus, quis eſſet, ait: Iſai. 29.

Sum

Sum princeps exercitus Domini, & nunc venio. Cecidit Josue pronus in terram, & adorans, ait: Quid Dominus meus loquitur ad seruum. Cur Iosue adoraret principem militiæ, & vocaret Dominum, nisi putaret illum Dei filium esse Iesum Saluatorem mundi? Sanè Angelum audio vocari principem Persarum, vel alterius prouinciæ, quia prouinciarum commoda dantur Angelis administranda. Verum bellorum res Iesus curat mundi saluator, verè princeps exercitus Do-
Origen. mini, & Dominus exercituum. Origen. hom. 6. in præsenti: *Non adorasset Josue, nisi agnouisset Deum. Quis enim alius est princeps militiæ virtutum Domini, nisi Dominus noster Iesus Christus? Omnis namque cæli militia, & omnia hæc, quæ per ipsum facta sunt, sub ipso principe militant, qui est principum princeps, & qui largitur principibus principatum. Ipse est, qui dicit in Euangelio: Esto potestatem habens supra decem ciuitates; & alibi, Esto tu potestatem habens supra quinque ciuitates.* A Iesu venit bellorum administratio, ab ipso habent mundiales principes virtutem, & potestatem, qua dominetur regnorum, & ciuitatum. Ipse solus est omnis militiæ princeps, & vt talis agnoscitur ab vniuersa creatura. Hinc recens nato astat
Luc. 2. Luc. 2. *multitudo militiæ cælestis*, & Matth. 26 dicit ipse posse ex patre habere *plusquam duodecim legiones Angelorum.* Sic
Matth. 8. etiam Matt. 8. cum Dominus Iesus in nauiculam ascenderet, & vela ventis daret; ecce tibi ingens tempestas suboritur, venti furunt, fluctus fremunt, & iaciuntur in nauim. Sed miraris, quod sic audeat mare sæuire in creatorem suum? An non cognoscit aqua Iesum? Absit: cognoscit mare Iesum. & tempestate excitata non furit, sed lætatur, militarémque principatum præsentiens in Iesu, dum illum excipit, facit etiam lætitias militares. Quippe cum militiæ princeps excipitur, non aliis lætioribus excipitur cantibus, quam æreis machinis tonantibus, sulphus, ignémque spirantibus, terráque à machinarum tonitribus trepidante. Sic princeps militiæ pro ingenti lætitia à mari excipitur militaribus frementiũ fluctuum terroribus datis. Hæc aiebat Sedul. lib. 3. Paschal. c. 7. farus. *Et cuncta Christi virtutibus humili deuotione subiecta, potius confessione, omne creditur fretum dominicæ nauigationis lætissimum, quod venerit obsequens, ac præcurrens ex imis vndarum sedibus æstu candidiore feruescens. Sic etiam leuiũ prapes natatu ventorum puppim qua Christus insederat, alis volucri iocunditate diffusis, tanquam regia ducis castra cum famulantis vallauerat.* Nihil triste, nihil audax mediteris in illa tempestate, sed omnia gaudiorum plena; quando enim principes militiæ excipiebantur, nulla aptiora iocunditatis signa danda erant, quã illa, quæ simul furores bellicos repræsentaret.

§. X.

Quodlibet punitionis tempus, & vabis, & Deo longum, & molestum apparet.

FElicitatis Ierosolymitanæ tempus diem vocat Dominus, aiens: *Et quidem in hac die tua.* vbi verò ad tempus vltionis accedit, iam non diem, sed dies numerat, etenim ait: *Venient dies in te, & circundabunt te inimici tui.* Nullum enim
Genes. 49. tempus pœnæ est, quod non longissimum appareat. Gen. 49. dicitur: Vocauit autem Iob filios suos, & ait eis: *Congregamini, vt annuntiem, quæ ventura sunt vobis in diebus nouissimis*; hoc est, quæ ventura sunt per omne tempus, vsque ad nouissimos dies. Quid tunc? Rubeno dicit: *Effusus es, sicut aqua, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui.* Expende modo, quam larga sit vltio sceleris Rubeni, quam rapida, & velox sceleris iocunditas: hæc sic præterit, vt aqua cum effunditur: illa durauit, vsque ad nouissimos dies. Semel effusus est Ruben sicut aqua, hoc est, festinatissima effusione, sed tam festinata effusio peperit longos, & multos vltionis dies. Breuissimæ, festinatissimæ sunt omnes impiorum effusiones, sicut aquæ, quæ in præceps ruunt: at pœnæ, vindictæ tar-
Alcim. dissimæ morosissimæ. Quo refero pulchra D. Alcim. carmina alio, sed non multum absimili scripta. Is enim, vt notauit citissimam aquarum effusionem in diluuio, & tardam reparationem, quandoquidem intra quadraginta dies tot aquæ effusæ sunt, quæ nec post septem menses sunt exsiccatæ, ait lib. 4 de diluuio.

Nec tamen, vt breuiter concreuerat, vnda recessit,
Siccat non pauci longo sub tempore menses,
Quod pauci sudere dies.

Dixissem similiter, quod non tam, vt breuiter concrescit, culpa recedit; nec pauci menses, imò nec pauci anni vindictæ siccant, quod pauci sudere dies. In breui effusus est quis in voluptates. Vnde Dominus, vt excusaret adulteram,

Ioann. 8. scribebat in puluere. De quo Ambros. epist. 76. Ambros.
Scribebat in terra. Quid? Festucam, quæ est in oculo fratris tui, vides. Libido enim velut festuca est, cito accenditur, propere consumitur. Sed largos sustinet vltionis menses. Ruit dies voluptatum; & tardat immensum vindictæ dies, siue annis. Iosue 10. fecit Solem stare, vt percurreret hostes Dei, Iosue 10.
& ait textus: *Stetit itaque Sol in medio cæli, & non festinauit occumbere spatio vnius diei: non fuit antea, & postea tam longa dies.* Sed ad quid moratur dies? Ad quid Sol festinatissimos cursus suos obliuiscitur? Iam dicebat ipse textus: *Steteruntque Sol, & Luna, donec vlcisceretur se gens de inimicis suis.* Vnum tempus vltionis sciuit morari, & tardare, gaudiorum enim, & voluptatum dies instar puncti euanent, disparent. Ad hæc Rupert. ibi, cap. 23. de ventura generali Rupert.
vindicta peccatorum, sic infert. *Quid in omnibus his, nisi futuri vniuersalis iudicij figura est; quando is qui in multitudine misericordiæ iudicandus aduenit, in fortitudine iustitiæ gladium quaginatum tenens iudicaturus aduenit? Tunc profectò sole stante, & non festinante occumbere, longus dies erit, donec vlciscatur se gens de inimicis suis.* Heu quam longa erit dies illa, quam tardabit Sol, quam plumbeos pedes habebit tempus! Sed adest Paul. 1. ad Cor. 15. asserens futurum iudicium, *In momento, in ictu oculi.* Papæ! nullum momentum vltionis reperitur, quod non sit instar annorum plurium misero qui patitur vindictam. Imò is est Deus, cui etiam longissimum 1. Cor. 15.
tempus, quo peccatores punit. Apud Ezech. c. 4. ait Dominus. *Ego autem dedi tibi annos iniquitatis Iudæorum, numero dierum trecentos, & nonaginta dies, & portabis iniquitatem domus Israel. Et cum compleueris hæc, dormies super latus tuum dexterum secundo, & assumes iniquitatem domus Iuda quadraginta diebus, diem pro anno.* His verbis explicat Deus, & punitionem Iudæorum, & Dei expectationem, & sustinentiam. De expectatione locutus, dicit illam esse quadraginta diebus, diem pro anno, quia post mortem Iesu expectauit Dominus quadraginta annos ante supplicium inferendum, quæ expectatio Dei, & impunitas Iudæorum, adeò breuis visa erat Deo, vt annus pro die esset. Non sic dies vindictæ, dies obsidionis, de quibus ait; *Dedi tibi annos iniquitatis numero dierum trecentos, & nonaginta dies.* & quidem trecenti nonaginta dies non faciunt annos, sed annum, & paucos dies, at quia dies punitionis erant, à Deo instar annorum habebantur, cui quodlibet punitionis tempus longissimum accidit. Hinc Isaias c. 40. locutus de supplicio peccatoris, ait: *Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis.* Et qualis iustitia, quod supplicia duplo maiora sint, quam commissa? Non duplo maiora erant supplicia, sed ea erat Dei misericordia in peccatores, vt quodlibet supplicium, etsi paruum, etsi mensuram delicti non excederet, à Deo æstimaretur duplo maius. Sic Theodor. apud Leonem à Castro ait: *Cum Deus bonus sit, & bonitatis pelagus, cum valde minorem pœnam, quam pro grauitate scelerum infligat, propter summam humanitatem duplo maiorem peccata appellat.* Hæc ille. Ezech. 4. Isai. 40. Theod.

CAPVT VI.

De templi Ierosolymitani prophanatione.

DEI erat illa vox ad vastatores ministros Ezech. 9. *A sanctuario meo incipite:* nec nouum aliquando fit, quod à Dei sanctuario clareant excidiorum initia. Et quando sanctuarij maculæ extremis perditionibus non sunt vicinæ? Iunctæ sunt, & catenatæ abominationes sanctuarij, & desolatio, & perditio: ne mireris, quod proximum vastationis Ierosolymitanæ signum tangat locum sanctum, tangat venerabile templum, quandoquidem à sanctuario initium habent excidia. Imò sic instat iam vltima perditio, cum sancta tanguntur, vt qui saluari cupiat, omnes moras contemnat necesse est, vt vel nudus possit effugere. Sic monebat electos suos Iesus, quorum salus in eo erat posita, quod visis templi frequentibus, & ruinis & contemptibus, & prophanationibus, siue ab hostibus, siue à ciuibus, omnes moras rumpentes fugam arriperent.

Matth. 24. Cùm videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat.

§. I.

Maiores in primis à vastatione inueniuntur.

QVæ magis notæ fulminibus, quam turres? Etsi intempesta nocte, etsi inter nigra nubila iaciantur fulmina, nunquam errant à turribus, semper altissimæ turres primæ vident rigorem fulminum. Sic desolatio, & perditio sacratiores, & nobiliores abominationes primum attingunt. Ecce tibi abominatio in primis desolanda, & pendenda in loco sacro stat, in templo illo Dei Opt. & Max. primogenito. Nec miror, quia maiores, & primores notissimi sunt vastatoribus furiis. Apud Ezech. cap.9. misit Dominus furentes suos ministros, qui vniuersos Ierosolymitanos perderent à minori, vsque ad maiorem, exceptis quibusdam quos Tau designaret, ait enim: *Super quem videritis Tau ne occidatis.* Verum vbi Exod. 12. mittitur vastator in Ægyptum, vt primogenitos vniuersos perimat, relinquendi Ægyptij nullum signum accipiunt, præcipuè cum nocturnis tenebris mors peragenda esset, quippe dicit: *Factum est autem in noctu medio percussit Dominus omne primogenitum.* Cur ergo Ægyptiis saluandis non datur signum, quod percussor videat, & prætereat, & Israëlitis saluandis signum datur? An oculatior erat vastator Ægyptiorum? Absit: sed perimendi Ægyptij notiores erât vastatori, vt vel cœcis oculis illos in primis inueniret. Quippe in Israële omnes maiores, & minores perimendi erant, & vbi simul minimi perimuntur, necessarium fuit signum eis, qui saluandi erant. Verum in Ægypto soli maiores dantur morti, & perditioni; perditio autem sic notos habet omnes maiores, vt nullo signo, nulla luce egeat, ad hoc, vt ab illis non aberret, sed vel mediis
Alcim. tenebris illos in primis agnoscet. Pulcrè D. Alcim. lib.5. de Transitu maris rubri ait.

Non hic luce opus est, clarè longéque videtur,
Quem petit in tenebris præfixi funeris ordo,
Maiores natu pereunt.

Quò illustriores, & maiores quique sunt, eò notiores mor-
Iob.28. ti, & perditioni. Ex quo lucem capit locus Iob.28. semper mihi, vsque in hanc horam difficilis. Miratur enim nobilis vir sapientum hominum præexcellentiam, & altitudinem tantam, quantam oculi creati nequeant pertingere. Quippe ait. *Sapientia vbi inuenitur? Et quis est locus intelligentiæ?* Haud dubium quin sapientis locus altissimus, & sanctissimus sit, etenim: *Excelsa, & eminentia non memorabuntur in conspectu ei.* Quidquid excelsum, & eminens, & eleuatum excedit locus sapientiæ. Et cui notus est adeò excelsus, & eminens locus? Vni perditioni, & morti inuenitur notus. *Abyssus dicit, non est in me; & mare loquitur, non est mecum. Abscondita est ab oculis omnium viuentium, volucres quoque cæli latet. Perditio, & mors dixerunt. Auribus nostris audiuimus famam eius.* Equidem potest aliqua loci altitudo, & præstantia tanta esse, vt ignoretur prorsus ab oculis creatis, vt volucres cœli lateat, sed non poterit non cognosci à morte, & perditione. *Perditio & mors dixerunt, auribus nostris audiuimus famam eius.* non potest perditio non scire alta, & sub-
Prou.17. limia loca: quo respiciebat Prouerb.17. *Qui altam facit domum suam, quærit ruinam.* quo enim locus remotior, & eleuatior ab aliis est, eo & notior, & vicinior ruinæ: adeò vt nullibi tam conspicuus, & notus, & familiaris casus appa-
Psal.81. reat, quam in illustribus dominus; vt dicat Psal.81. *Sicut vnus ex principibus cadetis.* Quasi principes sic familiares habeant casus, vt ab illis sumi possit similitudo cadendi.

§. II.

Perijt citius peccator dum inter virtute conspicuos perseuerat.

MEritò dicitur abominatio desolationis, hoc est, abominatio desolanda, quæ stat in loco sancto; cur enim desolationem, & ruinam non speret, quæ in sanctitatem halantibus locis adhuc abominabilis perseuerat? Mihi credat peccator, & caueat inter sanctos peccator esse, nisi velit maiorem sibi conciliare ruinam. Psalm.3. sic ait titulus: *Psalmus Dauid, quando fugiebat à facie Absalon.* Hanc Dauidis
Chrysost. fugam meditatus D. Chrysost. non desinit mirari, cur tantus dux fugam arripiat. An Dauid infirmior Iuda Machabæo? Is à suis derelictus, fortissimum in se exercitum irruere vi-
1.Mach.9. dens, ait Machab.1.cap.9. *Absit istam rem facere, vt fugiamus ab eis: & si appropinquauit tempus nostrum, moriamur in virtute propter fratres nostros, & non inferamus crimen gloriæ nostræ.* Machabæus eligit mortem antequam fugam, & Dauid vult potius fugam. Vnde Dauid adeò infirmus, vt sic timeat mori? Non infirmus Dauid, sed fortis, non timet ipse mori, sed timet ne fortè filius parricida in tanti patris præsentia occumbat: fugit sanctissimus vir ne tantarum virtutum præsentia perniciem afferat scelesto, & abominabili filio.
Ita Chrysost. ait: *Fugiebat Dauid non vt qui timeret, sed vt qui filium caueret occidere.* Non equidem poterat nefarissimus Absalon, etsi magno exercitu cinctus, iuxta sanctissimum Dauidem esse, quin magnum sibi à Deo compararet excidium. Hanc inter multas alias ruinæ causam impiis hominibus proponit Sophar Naamathides, Iob.20. vbi post multa, & horrenda mala illis annuntiata sic ait: *Eductus, & egrediens de vagina sua, & fulgurans in amaritudine sua.* Hoc est, illis aderit gladius è vagina eductus, & quod aliud fulgurans, quod vltimam inducat amaritudinem. Pro his Sept. reddunt. *Pertranseat os eius iaculum; stellæ in tabernaculis eius ambulent.* Sed quod malum impij hominis, quod excidium illi est, quod stellæ in tabernaculo eius ambulent? Nónne lucidæ stellæ potius ad lætitiam & claritatem pertinebunt? Quæ stellæ non lætitiam, sed amaritudinem impiis conciliabunt? Græcus Scholiastes ait. *Stellas iustos nominat, qui tanquam luminaria sunt in mundo.* Et quidem quot socij, & laterones iusti adsunt scelesto & impio homini, tot illi sunt infelices stellæ, nihil aliud quam ruinam, quam excidium, quam extremam condemnationem illi conciliantes. Nullus erit Astrologus, qui sub his stellis te videat penitus immersum operibus tenebrarum, qui simul ex illis tuam non præsagiet calamitatem. Felices illi Magi Matth.2. aiunt. *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum, vidimus stellam eius in Oriente, & venimus.* &c. Felices isti Magi ab stella visa, & gaudium sibi magnum pariunt, & ingentem Iudæis annuntiant felicitatem. Non sic Iudæi, quin potius *turbatus est Herodes, & omnis Ierosolyma cum illo.* Magi gaudia, Iudæi ab eadem stella turbationem habent; cur stella, quæ tot gaudia peperit Magis, Iudæis timorem incussit, & turbationem maximam? Nónne potius nata erat Iudæis? Nónne in tabernaculis Iudæorum visebatur, cur illis sic videbatur exitialis? Veniebat stella cum iusto, & sancto in terram Iudæorum, & ex tanti iusti consortio extremæ desolationis timore concutitur impietas Iudaica. Chrysost. hom.2. in Matth. *Ecce, & Judaicus populus turbabatur, quia magis de auditu isto gaudere debuerat: quia rex Iudæus surgere dicebatur, designatus à Deo. Sed turbabantur, quia de aduentu iusti non poterant iniqui gaudere.* Non poterant non timere furcam, qui sub talibus stellis furabantur; quia iuxta hoc lumen amabant opera tenebrarum. De hoc supra lib.6.cap.7.§.27.& lib.5.cap.1.§.16.

Right margin: Chrysost. / Iob 20. / LXX. / Matth.2. / Chrysost.

§. III.

Vbi peccata vulgo ob oculos versantur, non tardabit supplicium.

CVm videritis, ait, abominationem desolationis: ne miremur, quod abominatio talis, & impietas iamiam desolanda, & euertenda sit, quandoquidem adeò erit publica, vt ob oculos omnium ambulet. Et quidem Dominus, quæ occulto latent peccata, solet aliquandiu dissimulare, verum vbi in publicum prodeunt, non tardat illa horribiter castigare. Iniquus erat villicus, & cœlestium bonorum dissipator, & tamen nunquam pœnas dedit iniquitatum suarum: verum vbi eius iniquitates publicantur, tunc ecce tibi supplicium ineuitabile. Apud Luc.cap.16. *Hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius: & vocauit illum, & ait illi. Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ: iam enim non poteris villicare.* Ecce tibi à Deo, quæ castigantur confestim, nimirum, quę publicabat fama; etiam ante famam viderat oculatissimus Deus iniqui villici opera, sed tacitus velabat, & dissimulabat, quæ nondum publica erant. Verum vbi nouit hominis iniquitates per omnium ora volitare, iam non dissimulat, sed statim supplicia parat. Ita Chrysolog. ser.125. ait: *Ergo Deus famæ credidit? Fama nunciante cognouit? Absit. Sed quia illa quæ nouerat, qua pietate velabat, quærere tunc cœpit, quando accusabat terra. Vox sanguinis fratris tui clamat de terra: clamabat terra, clamabat cœlum, dolebant Angeli, quando iam tota sæculi fama loquebatur.* Expende ab illis, *quærere tunc cœpit.* & quidem nondum vulgo nota erant delicta, & Deus misericors, & patiés dissimulabat, velabat: vbi primum audiri cœpit delictũ, immò & videri, tunc statim diuina inquisitio, diuinum iudicium adest, & pœna intimatur, dum ait, *iam non poteris villicare.*

Luc.16.

vilificare. Numquam fama scelera loquitur, quæ non simul *Isai.3.* referat pœnam illatam. Isaias 3. *Peccatum suum, quasi Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt. Væ animæ eorum, quia reddita sunt eis mala.* Apud Forerium aliter dicitur. *Peccatum suum sicut Sodoma annuntiauerunt, non absconderunt: væ animæ ipsorum, quia retribuerunt sibi mala.* quasi simul cum publicatione scelerum, iuncta sit retributio pœnarum; ab eodémque nascatur & fama, & supplicium. Vnam publica- *Genes.18.* tionem solet diuina ira expectare; vt de Sodomitis ait Genes.18. *Descendam, & videbo.* Quæ hæc Dei visio? An ipse non viderat iam, & cognita habebat Sodomorum peccata? Viderat equidem Deus diuinis oculis, sed detinet iram, donec peccatores sic impudentes, & effrontes fiunt, vt nec oculos humanos vereantur. Tunc cum sic visibilia apparent peccata, non moranda pœna est, sed statim ruptis etiam forensibus terminis intimanda. Populares Israëlitæ Moabitarum illecebris capti peccarunt; tunc iubet Deus *Num.25.* reos inquiri, & castigari, Numer. 25. *Dixitque Moyses ad iudices Israël: Occidat vnusquisque proximos suos.* Iubentur occidi rei, sed per iudices, & seruato iudiciali ordine, vt prius inquirantur, deinde audiantur, tunc conuincantur; tandem damnentur. Interea: *Ecce vnus de filiis Israël intrauit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem vidente Moyse, & omni turba filiorum Israel. Quod cum vidisset Phinees filius Eleazari filij Aaron sacerdotis, surrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione ingressus est post virum Israelitem in lupanar, & perfodit ambos,* &c. Certum est hoc à Phinee perpetratum fuisse impulsu, & motu diuino, nec enim priuatus homo sic in Principem totius tribus Simeonis auderet, nisi indutus esset fortitudinem ex alto. Sed cur Deus reliquis peccatoribus iudices opponit, qui forensibus moris causam agant, & inferant supplicium; huic autem Principi prorsus inaudito etiam citam, & præcipitem mortem inspirat? Sanè in publicis peccatoribus nescit tardare supplicium. *Gloss.* Procopius citatus in Glossa ait: *Hic scortator impudicitiæ suæ atrocitate ad iustam iram prono. . . Phinees. Quod videlicet in conspectu Moysis, & Principum libidine exercuit. Quapropter animus Phinees æstuauit, adeò vt nec interrogaret Principem, nec consilium expectaret.* Euolat diuinus furor in vindictam eorum, qui in abominationibus suis non verentur oculos hu- *Philo.* manos. Aptius ad tempora nostra rem proponit Philo lib.1. de vita Moysis aiens. *Conspicatus Phinees quendam sua gentis hominem post prophana sacra ad meretricem ingredi non fucatè, vt mos est verecundis scortatoribus, sed propalam erecta ceruice, quasi ostentantem impudentiæ multitudini suam turpitudinem, nec minus sibi placentem, quam in aliquo præclaro facinore, admodum exasperatus, & ira iusta repletus irruit iacentem in complexu adumata meretricis, & vtrumque peremit.* Quot sunt nostrates iuuenes non absimilis impudentiæ, qui ceruice erecta ostentant passim suam turpitudinem, nec minus sibi complacent, & gloriantur in turpissimis actibus, quam in aliquo præclaro facinore? Vereor quod in illos diuina vindicta non tardabit.

§. IV.

Non diutius patitur Deus peccatores iuxta se.

Clarissimam desolationem crede venturam abominationibus illis, quæ in sacris locis iuxta Deum ipsum peraguntur; non enim is est Deus, qui diu patitur peccatores sibi approximare. Quocirca aduertenda est sententiarum extremarum structura; & singula earum verba sunt *Matth.25.* nobis maximè ponderanda. Nimirum Matth.25. loquutus diuinus Iudex ad iustos ait: *Venite benedicti patris mei,* &c. Verum ad reprobos ita fatur: *Discedite à me maledicti.* &c. Non ait, ite, vt dixerat ad iustos, venite, sed discedite, insuper addidit, discedite à me. Cur tot verba reiectionis addit? Vt iustos voces, tantum dicis, venite, non addis, accedite, nec accedite ad me, quod magis explicaret tuum beneuolum erga illos animum: & vt impios repellas, nullo verbo repulsæ contentus es: sed ea multiplicas, & ingeminas, quæ te in illos magis seuerum ostendunt? Nónne sufficisset dicere, discedite maledicti, cur mauis addere, discedite à me? Sanè vt ostendat quanta sui violentia patiatur esse impios iuxta se, vel breuissimo tempore, vel instanti illo, in quo sententiam damnationis addunt. Sapien- *Chrysost.* ter, & acutè D.Chrysost hom 54. in Matth. *Peccatricos animam quasi grauatim non sufficit. Tanquam si dicat eis: quasi putredo, & spurcitia estis, nec tandiu vos sustineo quandiu statis in iudicio meo.* Summè grauatur Deus, vel ad breue tempus iuxta se habere impios, sicut deficit puluis à facie venti, sic peccatores a Dei conspectu expelluntur. Psal.5. *Neque habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos.* *Psal.5.* Chaldæus similiter loquitur: *Non commorabitur tecum malus. Non permanebunt irrisores coram oculis tuis.* Non equidem is est Deus qui longas moras permittat impiis apud se facere, qui velit simul cum peccatoribus aliquandio commorari. Increduli Iudæi videntes Iesu miracula dicunt mirabundi Matth.13. *Nónne mater eius dicitur Maria, & fratres eius Iacobus, & Ioseph, & Simon, & Iudas, & sorores eius nónne omnes apud nos sunt?* *Matth.13.* Et Iesu Matrem, & fratres, & propinquos propriis nominibus vocant, & fatentur apud se esse: patris autem Iesu non meminerunt, nec dicunt, qui vocetur nec quod apud se moretur. Et quidem in hac re sapiunt: Deus enim Iesu Pater non commorabatur cum illis, nec tam pessimos homines poterat apud se sustinere. Ita acutus Chrys.ser.48. *Chrysol.* inquit. *Si mater, si fratres, si sorores apud vos sunt, pater vbi est? Vobiscum non est; quia Deus odit fictos, inuidos deserit, declinat ingratos, sibi non sinit crudeles, & impios commorari.* Tantum apud Deum commoraberis, dum iustus es, dum pietatem colis; verum vbi à iustitia declinaueris, peccatis, sceleribúsque deditus fueris, non longas facies moras apud Deum Ierem. 22. *Viuo ego, dicit Dominus; quia si fuerit Iechonias* *Ierem.22.* *filius Ioachim Regis Iuda annulus in manu dextera mea, inde euellam eum.* Nil proximius homini, quam annulus, qui in digito est, qui ob oculos Domini semper versatur: sed & nil citius reijci potest, si displiceat Domino, quam annulus. Sic omnes, qui Deo propinquant, annuli sunt, & pretiosi, & chari, sed etiam eam annuli conditionem habent, quod vbi displicuerint, absque mora à Deo reijciantur.

Text. Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes.

§. V.

In peccatorum vindicta, maximè caueant, & timeant iusti.

Vbi templi desolatio inceperit, vbi ferrati milites cœperint sacra occupare, insimulatum Dei imperium portantes, vt omnia repleant morte: tunc Christiani innocentes non moreantur, fugam arripiant, altissima montium cacumina scandant. Cur innocentes Christiani in montes fugient? Nónne soli rebelles Iudæi petuntur ad necem, cur ad montes Christiani? Nihil magis innocentium proprium, quam in peccatorem vindicta, & cautelam, & timorem monstrare maximum. Recole seuerissimam peccatorum stragem per diluuium factam; tunc submersis peccatoribus, dum Noëmi iusti familia saluatur in arca, Gen 8. *Requieuit arca mense septimo vigesimo primo die mensis super montes Armeniæ.* *Genes.8.* Cur diluuio facto, pereuntibus peccatoribus, qui saluantur iusti super montes apparent? Sanè dum arca salutis non alio, quam super montes apparet, ostendit, & terrorem, & cautelam suam, quam iusti cauent sibi, & timent ab ira diuina, dum in peccatores ardet, quandoquidem nisi à longè non audent vel illius vestigia spectare. Sapienter D.Basil.Sel.orat.6. ait. *Sed celsitudine altiori terrorem metitur, veteris supplicij monumentum recentes minas conseruans.* *Basil.Sel.* Quam timent, & cauent fluctus, quibus submergebantur impij qui vel transacta tempestate non audent nisi ab altis apparere montium cacuminibus? Quam cauent sibi, qui vel raptos à fluctibus peccatores nolunt aspicere, nisi super altissimos montes constituti? Quanto maiori timore afficerentur si furentibus vndis iuxta ipsos sceleratos se vidissent? Apud Ionam, cap.1. dum ipse à facie Dei fugeret, & illum vindicta diuini sequeretur excitata vehementi maris tempestate; & rursus ipse tantorum fluctuum causa deprehenderetur, & requisitus quis esset, dixisset se veri Dei esse cultorem, à cuius imperio fugebat. Tunc: *Et timuerunt viri timore magno,* &c. Ecce vobis, qui aliquanto timebant antea nautæ tempestatem, cum norunt illam excitatam fuisse, vt Ionas Dei fugitiuus puniretur, timore magno timent. Cur non potius à timore desistunt, cur noscunt causam tempestatis, quam facile ipsi possent interimere? Cur tunc magis timent, maiori pauore anguntur? Vident se iuxta reum diuinæ maiestatis, & timent, & ne si vel paulisper cum illo maneant, simul absorbeantur à tempestate cum illo. Theophyl ibi, ait: *Terrefacti sunt igitur, quandoquidem arbitrarentur potentem illum Deum esse, cuius manibus quisquam euadere non possit; iuxtóque metuerent, ne vna cum* *Theoph.*

transfuga illa interveant. Meritò crescit pauor, & timor eorum, qui circa peccatores sunt, vbi Dei vindicta sese ostendere incipit. In montes fugiant iusti, hoc est, longissimè stent à peccatoribus, alioquin peribunt cum illis. Ideo vbi Sodoma comburenda erat, dicunt Angeli ad Loth, Gen.19. *Nec stes in omni circa regione, sed in monte saluum te fac, ne & tu simul pereas.* Ibi Chrysost. *Festina, & longe fuge, vt effugere queas pœnam eis infligendam.* Quasi eo ipso, quod iusta reos inueniatur, simul diuinæ iræ subiaceat, quæ cum exardescere incipit, quos simul inuenit, simul perdit. Quo spectauit illud Ezech.21. *Occidam in te iustum, & impium. Pro eo autem quod occidi in te iustum, & impium; idcirco egredietur gladius meus de vagina sua ad omnem carnem ab Austro, vsque ad Aquilonem: vt sciat omnis caro, quia ego Dominus eduxi gladium meum de vagina sua irreuocabilem.* Is est diuinus gladius, qui semel districtus, & in necem datus a nemine velit reuocari; sed vniuersos quos simul inuenit ex æquo trucidat, nullius respectu habito. Solet ante gladij strictionem separatio dari inter iustos, & reos, inter hædos, & agnos; verum vbi non separantur, vbi iusti à reis quam longissimè non absunt, timeant simul ab ira diuina deuorari.

Genes.19. Chrysost.

Text. Et qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua; & qui in agro, non reuertatur tollere tunicam suam.

§. VI.

Qui securius ad salutem contendit ire, hoc vnum curet in omni mundialium rerum euentu, ne quid mundi intra cordis affectus recipiat.

NOn vetatur quis à tecto descendere, nec ab agro regredi, vt euadat hostium periculum; sed vetatur & descendere, & regredi, vt tollat aliquid sibi, quandoquidem multi periculis occurrentibus pereunt potenti affectu bonorum, quæ saluare cupiunt. Hos igitur affectus caueat, qui ad salutem aspirat, & hoc vno poterit rerum mundialium superare pericula, in quouis illorum successu, si ne quid illorum intra cordis arcana recipiat. Sunt equidem rerum mundialium status volubiles, hodie triumphus, cras misera visitur captiuitas; hodie vsque ad astra tollimur, continuo ad abyssum deiicimur: modo amici adsunt chori, & statim nihil præter hostiles facies vides. Sed quid mutabilius, quam fluxus maris? Quid ipsi mari iniquius? Et tamen lignea nauis hoc vno portum attingit, si cedens impellentibus fluctibus, nihil amaricantis aquæ intra se recipiat Sic quisquis sapit nihil mundiale intra cordis affectus recipere, proculdubio ab omnibus euadet mutationibus liber. Propone modo tibi ob oculos sæuientē illam tempestatem, quæ vniuersum perdidit mundum, & in illa superuacantem arculam viræ semina seruantem, quæ tunc species rerum erat? Qui arcæ successus? Sanè nihil aliud faciebat arca, quam fluctibus non resistere, prout impetus erat fluctuum, gradiebatur arca, modo sublimis visebatur, modo nimis demissa, & interea tota arcæ incolumitas in eo sita erat, quod nihil aquarum recipiebat intrinsecus. Rem pulchrè attigit, & ad humanos mores trahit, D. Alcim. lib.4. de diluuio, inquiens:

Alcim.

Quòque vocant vndæ, sequitur iam mobile pondus.
Sic nos seruati meliora in tempora, munda
Cedere discamus, dum ducimur; omne resistens
Si flecti nescias, metuat vel pondere frangi:
Sed sic cedamus, fluxum ne sentiat intus,
Peccatumve trahat mens impeccabilis vllum.

Felix qui sic mundialibus rebus inest, vt facilè mundo cedat, & quò vocent vndæ, siue in sublime, siue in profundum æquo sequatur animo: huic salutem dabit hoc vnum studium, quod nimirum, vel dum extollitur, vel dum deprimitur, vel dum prosperatur, vel dum affligitur, nil intra cordis affectus mundi perituri, nequid fluxum, & ruiturum sentiat intus. Sic monebat Iosue milites suos, ne de spoliis Ierico aliquid sumerent, c.6. *Vos autem cauete, ne de his, quæ præcepta sunt, quippiam contingatis, & sitis præuaricationis rei, & omnia castra Israël sub peccato sint, atque turbentur.* Cauendum est ei, qui nolit perire, ne quispiam etiam minimum de rebus perditionis destinatis contingat, seu, vt Hebraicè legitur, *ne tollas*, vel vt Orig. legit, *ne concupiscas, & tollas*, quasi affectus animi velit esse in primis immunes. Sed quæ sunt, quæ vel tacta, vel concupita adeò celerem afferunt perditionem? Explicat Orig. hom.6. inquiens. *Tale est, quod indicatur hoc verbo. Videte ne quid in vobis sæculare habeatis.* Nihil equidem magis curandum est properanti ad vitam, quam ne quippiā sæculare, & fluxum, periturum intus recipiat Siue per cacumina montium volandum sit, siue per terræ ima rependum; hoc curandum, ne quid in nobis sæculare sit, ne quid fluxum, & periturum intus afficiat animum. Hinc est, quod Paulus in hoc maximè incumbit, vt quidquid sæculare, & fluxum est in nobis resecet, quasi hoc facto secura restet animæ via. Ideò ad Rom.12. ait. *Obsecro vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuam* &c. Quæ verba pensans Chrysol valde miratur, quod Paulus vbi nos Deo vult sacrare, corporum tantum meminerit, & non magis animarum. Nónne, vbi de hostiis Dei exhibendis agit Psal. 50. dicit. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus?* Si ergo placens Deo hostia spiritus est, cur Paulus non meminit spiritus, sed solum ait: *Exhibete corpora vestra hostiam viuam?* An quia minus æstimat spiritus hostiam? Absit; sed in corpore sistit, quia in illo totum periculum est, nisi prorsus à fluxis, & terrenis abstrahatur, & puro iungatur spiritui, ne quando anima descendat corporis ad seruitium, & dum condescendit corpori, interitum incurrat. Ita Chrys. ser.109. *Fratres hic Apostolus honorat corpus, non minorat animam. Nam corpus, quod capiunt peccata, quod vitia corrumpunt, quod deiiciunt passiones: hoc Apostolus cupit soluere, liberare studet, laborat attollere: vt corpus ad originem animæ condescendat, non anima descendat corporis ad naturam; & corpus animam comitetur ad cælum, non animas corpus sequatur ad terram.* Quid sapientius? Quasi hæc debeat esse cura Christiani hominis, qui velit habere vitam, sic corpus attollere ab his caducis, & morticinis, & illud spiritui conformare, vt animæ affectus nunquam habeat necesse descendere ad ea, quæ corporis sunt, sed magis corpus animam sequatur ad sublimia.

Iosue 6. Origen. Rom.12. Psal.50. Chrysol.

Text. Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus.

§. VII.

Mundialia bona potius in mentis conceptu, quam in re existunt.

SVbscribo illis expositoribus, qui hæc non ad fœminas prægnantes referunt; miserabiliores enim his sunt in fuga claudi, & infirmi: vnde potius diceret, Væ claudis in diebus illis. Intelliguntur ergo prægnantium nomine homines deliciosi, & mundi diuites, qui bonis acquirendis inhiant, & voluptatibus indulgent. Et quidem aptissimè huiusmodi homines prægnantes dicuntur, quandoquidem mundialia omnia bona magis sunt in mentis conceptu, quam re vera existunt. Hanc mihi excogitationem iniecit diues ille, cuius ager feracissimus dicitur a D. Luc. c.12 de hoc enim ait. *Cogitabat intra se dicens. Quid faciam? Quod non habeo, quo congregem fructus meos? Et dixit, hoc faciam, destruam horrea mea, & maiora faciam; & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, bona mea, & dicam animæ meæ: Anima habes multa bona posita in annos multos, manduca, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte repetent animam tuam, quæ autem parasti, cuius erunt?* Ecce tibi ditissimus homo vitæ eripitur, misere perdit omnia bona sua, & fructus omnes agri sui amittit: sed vbi erant hæc diuitis bona, & fructus, an erant horreis iam clausa? Minimè, quia ipse fatetur se non habere, quo illa possint colligere; sed erant in eius possessione. Abnuo, quandoquidem nec verbum audies, quo significentur bona possideri ab illo, solum dicitur: *Cogitabat intra se;* &c. Tota illa bonorum congeries, totus ille fructuum cumulus non in possessione, sed in cogitatione solum existebant, & iam miser diues ab illis eripitur. Pulcrè Chrysol. ser.103. ait. *Vnde diues sic præuentus est, vt magis cogitata perderet, quam parata.* Hæc est mundialium bonorum conditio, quæ magis in cogitatione, quam in re existunt, quæ nunquam extra conceptum mentis à suis dominis visuntur. Quo respicit illud Sap.9. *Et terrena inhabitatio deprimit mentem multa cogitantem.* In quibus notandum est illud, *multa cogitantem*, hoc est, vt ait Hugo, *bona temporalia cogitantem*; & non dicit, quod terrena habitatio deprimat mentem multa bona temporalia possidentem, sed multa cogitantem: quasi hoc sit terrenorum hominum proprium, quod non grauentur possessis bonis, sed cogitatis. Quæ cum in re parua, & exilia sint; at in cogitatione ibi multa sunt, vt vanissimè dominos suos grauēt. Fallar nisi huc respexit D. Bas.

Luc.12. Chrysol. Sap.9.

hom.

hom. in ditescentes, relatus apud Dam. lib. 2. Parallelor. cap. 17. vbi ait. *Quidnam aurum cernis, quidnam aurum tibi animo fingis. Hoc dormiens somniat, hoc vigilans cogitat. Vt enim hi, quibus furor rationis vsum ademit, non res ipsas cernunt, sed ea, quæ morbus obijcit, imaginantur; sic animus tuus auaritia correptus, quidlibet aurum, quidlibet argentum totoetur.* Non enim re ipsa sunt mundiales diuitiæ, sed in imaginatione, & cogitatione diuitum versantur, siue, vt cum Logicis loquar, ad illa entia pertinent diuitiæ, quæ non tam à parte rei inueniuntur, quam obiectiue in intellectu repræsentantur.

Ecclef. 14. Ex quo lucem capit Ecclesiastici cap. 14 vbi sic. *Qui acerbat ex animo suo iniuste, alijs congregat.* Expende illud: *acerbat ex animo suo*, quasi non ex rebus ipsis acerbus diuitiarum existat, sed ex imaginatione, & cogitatione animi: id quod

Dam. expressius reddit Damasc. lib. 2. Parallel. cap. 17. *Est qui ab attentatione, & cordis compressione diuitias colligit.* non quia sic verè sunt diuitiæ in rebus, sed tota earum substantia, & abundantia apparet ex attentione, & compressione cordis, hoc est, ex modo tendendi, & attendendi cogitationis humanæ. Exempla notissima sunt, siue apud Logicos, siue apud Philosophos, nimirū in cœlis color pulcherrimus visitur, & tamen cœli colorem non habent: in aqua apparet virga curuata, quæ in se recta omnino est. Quod si quæras, vnde nascitur illa virgæ curuitas, & cœlorum color? Rursus nascitur non è rebus, sed ex modo tendendi, & attendendi visionis humanæ: sic similiter accidit diuitibus, quibus diuitiæ congeruntur non in re, sed ex attentione

Iona 3. cordis. Ionæ 3. *Præparauit Dominus Deus hæderam, & ascendit super caput Ionæ, vt esset vmbraculum super caput eius* De quo

Tilman. Tilmannus in allegoriis ait. *Hædera est vitæ temporalium, & ascendit super caput eius vmbra, non verum corpus.* Quippe temporalia bona potius pertinent ad adumbratas capitis

Iob. 21. imagines, quam ad res verè existentes. Vnde sapienter Iob cap. 21. ait. *Veruntamen, quia non sunt in manu eorum bona sua, consilium impiorum longè sit à me.* Absit à nobis desiderium illarum diuitiarum, quæ veræ non sunt, quæ in manu non sunt, sed in cogitatione, & mentis attentione, vt inde fallant: quapropter non immerito fallaces vocantur.

§. VIII.

Diuitum cupiditates instar fœminarum prægnantium.

APtissime item mundi diuites vocātur similes prægnantibus, vt quæ saniora, & meliora fastidientes, luteis, & vilibus ferantur cupiditatibus. Pulchrè ad illos dicebat

Basil. D.Basil. apud Damascenum lib 2. Parallel. cap. 17. *Non te pudet lapidea pro fastidio appetere, quemadmodum mulieres, quæ vterum gerunt? Vt enim illæ lapillos vorant, eodem modo tu quoque lapides maiorem in modum appetis, sardonyches, vnionum, & iaspides, atque amethystos requirens.* Sanè prægnantium fœminarum notissima sunt fastidia, notissimæ cupiditates, fastidiunt pretiosas escas; terram, luctum, carbones, lateres auide mandunt. Sic misere homines huius mundi diuites ad cœleste prandium vocati fastidiunt, quidquid cœleste est, & nauseant supra beatorum Angelorum cibo; at auidissime conquirunt sibi temporalium bonorum vilitates, immundicias, lutum, cinerem. Merito dicitur. Væ his prægnantibus, quos absque dubio diabolus implet, vt ali-

Thren. 4. bi notauimus. Horum vicem deplorat Ierem. Thren. 4. aiens *Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.* Et cur non ploret tantam hominis calamitatem? Ille ipse homo, qui immortali stola fulgebat, qui de paradisi regno radiabat, cui vitalia poma à Deo ipso parabantur; ille, inquam, ipse amplexatus est stercora, non ad stercora deiectus, id quod initium fuit calamitatis non paruæ in Iobo, sed ipse auide stercora mundialium bonorum amplexatur,

Bernard. mandat D.Bernard serm de Obed. patien. sapien. ait. *Hoc maximè Propheta deplorat, oblitus propriæ conditionis ingenuas creaturas tantam dissimulare miseriam: nec modo non reputare, quod tolerant, sed tanquam bona magna amplecti, quæ paulo minus extrema sunt mala.* Sic stultissimi affecti sunt ventris causa, vt quæ à sapientibus, vt stercora reputantur, abiiciuntur, ipsi vt summa bona perquirant, & amplectantur. De

Prouer. 30. his Prouerb. 30. dicitur: *Per tria mouetur terra, & quartum non potest sustinere. Per seruum cum regnauerit; per stultum cum regnauerit; per stultum cum saturatus fuerit cibo.* &c. Ecce vobis inter vrbium excidia, hoc numeratur secundum, nimirum stultus saturatus cibo: & quis est stultus iste? Ille, qui sic affectus est ventris causa, vt nihil æstimet nisi ca-

Galf. duca, & temporalia bona. Ita Galfrid. citatus in adagialibus Delrij ait. *Stultum satiatus cibo, & supperentibus sibi subsidijs temporalibus intentus pariter, & contentus.* Huiusmodi improperat stultis Apostolus dicens: *Iam saturati estis, iam diuites facti estis.* Sic erga stercora mundialium bonorum sunt affecti, vt præterea nihil aliud meminerint; his hominibus, cur non moueatur terra, vt glutiat illos? Non longè ab hac mente aberat Abacuc cap. 2. dum ait. *Væ ei, qui multiplicat non sua, vsque quo aggrauat contra se densum lutum?* Ad *Abacuc.* 2.

hæc D.Gregor. lib. 34. moral. cap. 8. *Denso luto se aggrauat, qui per auaritiam terrena multiplicat.* Et cur venter non perdat eum, qui ventris causa densum lutum, lateres ipsos manducat? Gregor.

§. IX.

Ecclesiastici deliciosi peribunt.

CRediderim, cum væ prægnantibus, væ nutrientibus dicitur, non in genere tangi viros opulentos, & deliciosos, sed specialiter ibi agi de opulentis, & deliciosis templi ministris, à quibus in Domino pariuntur fideles, & nutriuntur, iuxta Apostolum dicentem: *Filioli mei, quos iterum parturio.* Et sanè inter omnes opulentos, & deliciosos, maximè Dei iram incendunt deliciosi Ecclesiæ ministri, qui in ministerio regenerationis vnum spectant, vt potiantur prægnantium, & nutrientium non fastidia, non sarcinas, sed delicias His ipsis dicebat Amos cap. 4. *Audite hoc ver-* *Amos* 4.

bum vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ, quæ calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes, quæ dicitis dominis vestris, Afferte, & bibemus. Iurauit Dominus Deus in sancto suo, quia ecce dies venient super vos, & leuabunt vos in contis, &c. Ecce sub vaccarum nomine reprehenduntur Sacerdotes, & extremum illis denuntiatur excidium, sed eæ vaccæ dicuntur, quæ regeneratorum fidelium onera minimè curantes, delicias nutritiorum sectantur, vt in otio pinguescant, & opulenti fiant. Rupert. ibi. *Non paruum ponderis habet, quod* Rupert.

dicit: Audite hoc verbum vaccæ pingues. Simul namque vehementer astruit turpem ventris impensionem, quam in otio fouebant affluentibus de cuncto populo diuitijs, veraciter incrassati, impinguati, dilatati, & exinde recalcitrantes, vt vaccæ pingues. Metuant Ecclesiastici viri, dum vitam suam sic animaduertunt depingi: sese matres, & nutrices populorum prædicant, & ministerium parturientium fideles Christo assumunt, sed qui partu comitantur dolores, curæ solicitudines de filiis prorsus à se depellunt, solum amplexantes delicias, otia, munera, quibus à cuncto populo susceptis ipsi ditescant in dies. Metuo, ne qui sic viuunt, potius ad macellum, & victimam, quam ad regenerationem fidelium seruentur à diuina ira. Michæas cap. 2. *Mulieres populi mei* *Micha.* 2.

eiecistis de domo deliciarum suarum. Quorum verborum sensum explicantes LXX. pertingunt; *Duces populi mei proijcientur de domibus deliciarum suarum.* Itaque idem dux populi, & mulier; sed qui populi dux vocatur mulier? Hic est vir Ecclesiasticus ad id ministerium vocatus, vt pariat, & nutriat, & foueat fideles, illosque brachiis suis portet tanquam mater, is in tantum stat in Dei conspectu, in quantum de Ecclesiastico munere non sibi delicias parat, proiiciendus à Deo de domibus deliciarum. Accipite Hiero- Hieron.

nym. sic fantem: *Ecclesiæ Principes, qui delicijs affluunt, & inter epulas, atque lasciuias pudicitiam seruare se credunt, propheticus sermo describit, quod eijciendi sunt de spatiosis domibus, lautisque conuiuijs, & multo labore epulis conquisitis. Et si vis scire, quo eijciendi sunt, Euangelium lege. In tenebras scilicet exteriores, vbi erit fletus, & stridor dentium. An non confusio, & ignominia est Iesum crucifixum, magistrum pauperem, atque esurientem farsis prædicare corporibus, ieiuniorumque doctrinam rubentes buccas, tumentiaque ora proferre?* Equidem indignissimum est, & horrore plenum, à Christi crucifixi, & ieiuniorum prædicatione ad lautissimas mensas prosilire: & de crucifixi, & pauperis ministerio deliciarum domus construere. adeo, vt qui munus habet Euangelicam paupertatem suadendi, defendendi vsque ad sanguinem, nihil non diues, & opulentum in domo sua velit respicere. Luc. 13. *Luc.* 13.

venient multi, nimirum Ecclesiastici, & dicent: *Manducauimus coram te, & bibimus.* Quid tunc Dominus? *Discedite à me omnes operarij iniquitatis.* Et merito repelluntur, vt operarij iniquitatis, qui Ecclesiæ bonis abutuntur ad delicias. D. Basil. reg 282. *Cur enim non illi operarij iniquitatis appellantur, qui donis Dei ad mercaturam voluptatum suarum abutantur? Cuiusmodi erant illi, de quibus est apud Apostol. Non enim sumus, sicut multi adulterantes verbum Dei.* Hoc viderint Ecclesia- Basil.

ficiel viri, & notent, an ita viuant Ecclesiasticis diuitiis, vt aptiores videantur ob pinguedinem ad macellum, & victimam, quam ad parturitionem regeneratorum in Christo.

Text. Orate autem, vt non sit fuga vestra in hyeme, vel Sabbatho, erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modò, neque fiet. Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro, sed propter electos breuiabuntur dies illi.

§. X.

A solo Deo cita, & praepropera salus potest venire.

QVi velocem cursum ad salutem consulit, non ait, cauete, ne fuga vestra in hyeme, aut Sabbatho fiat; sed orate, quasi à solo Deo obtinendum sit, quod quis nullum impedimentum, nullam moram sentiat, quando ad salutem sit illi confugiendum. Non humanæ diligentiæ est, sed solius muneris diuini, quod cita, & festinata salus nobis paretur. Ideo Paulus non alio, quam orationibus ad Deum
Hebr. 13. celerem restitutionem suam petit tractari. Quippe ad Hebræ. 13. ait. *Orate pro nobis. Amplius autem deprecor vos hoc facere, quo celerius restituar vobis.* Celeritatem enim salutis
Genes. 27. solus Deus causat. Prudenter Iacob Genes. 27. de cibo festinatissime inuento, & parato dicit patri suo. *Voluntas Dei fuit, vt cito occurreret mihi, quod volebam.* Cur non magis expeditionem suam, & venatoriam artem commendat? Cur impigritiæ animi sui scientis omnes moras, omnia impedimenta rumpere, non tribuit; sed omnem celeritatis causam in Deum refundit? Nouerat vir sapiens festinatam benedictionem, & salutem, a nullo alio obuenire posse nisi a Deo.
Ambros. Ambros. lib. de Fuga sæculi, cap. 8. ait. *Iacob, & cito inuenit, & inuentorum suorum auctorem testificatus est Deum, in quo, & diligentiæ palma, & ingenij significatur vbertas. Quod inuenitur, quæritur: & quod quæritur, temporis est; quod temporis est, vtique diligentia est, quod autem præuenit vsum temporis Deus infundit, Deus dat.* Vbi necessum sit salutem breuissimo tempore, summa celeritate operari, non id ab aliqua creatura speres, non id committas humanæ diligentiæ, solus Deus dat, solus Deus infundit, quod præuenit vsum tem-
Baruch 4. poris. Dicebat Baruch cap. 4. *Sicut viderunt vicinæ Sion captiuitatem vestram à Deo; sic videbunt, & in celeritate salutem vestram à Deo.* Expende in quo videndam promittat salutem à Deo venturam, & non ab alio, nimirum, *in celeritate*; habet enim salus quæ à Deo venit, celeritatem sibi propriam, adeò vt vel inde cognoscatur Deus, nimirum ex celeritate, quam præstat. Propterea Dauid Psalm 17. *Quoniam quis Deus præter Dominum? Aut quis Deus præter Deum nostrum? Deus qui præcinxit me virtute, & posuit immaculatam viam meam. Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum.* Hebraicè: *Coæquans pedes meos ceruis.* Ille sanè Deus, & non alius, qui solus nouit celeritatem ad salutem infundere; nulla creatura est, quæ temporibus non impendat seruitutem, morasque faciat, & impedimenta caperiatur: vnus Deus dat, quod præueniat tempora, & celerrimam salu-
Abac. 3. tem afferat. Similiter Abac. cap 3. *Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos tanquam ceruorum.* Fatetur Dominum esse fortitudinem suam vnicam, & solam, sic enim expli-
Hieron. cat Hieronym. quasi dicat, *Nullam aliam, nisi in te illo habeo virtutem*, cuius rei signum illud euidens est, nimirum *& ponet pedes meos tanquam ceruorum.* Chaldæus Isai 35. explicatius ait. *More ceruorum velocissimorum, ita vt non detineantur.* Et quidem non ab alio, nisi à Deo possunt humani pedes sic ad salutem festinare, vt nec moras temporis, nec viarum difficultates, nec abrupta montium experiantur, sed & moris, & difficultatibus ruptis festinatam obtineant
Isai. 35. incolumitatem. Hinc Isaias cap. 35. fatur: *Dicite pusillanimis.*
Chald. Chaldæus verum aliter: *Dicite festinis corde.* Et quidem, qui tot obstricti erant difficultatibus, & calamitatibus, vt nil videre iam possent nisi mortem vndequaque imminentem, molestissimè ferebant quamlibet etiam minimam moram suæ liberationis, & vltra quam credi potest, festinabant desideriis suis in libertatem. His ergo nimis festinis nuntium mittitur, & quale nuntium? *Confortamini, & nolite timere, ecce Deus vester vltionem adducet retributionis: Deus ipse veniet & saluabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut ceruus claudus.* Quippe festinis corde nullum lætius nuntium mitti potuit, quam illud: *Deus ipse veniet, & saluabit vos*, quia nullus alius nouisset adeo festinam illis infundere salutem, quæ posset æquari festinationi illam desiderantium. Vnus Deus dat, quod præueniet vsum temporis, dante enim Deo, tunc saliet sicut ceruus claudus, nullum erit impedimentum, quod detineat nos, quo minus velocissimè ad salutem prosiliamus.

CAPVT VII.

De Iesu morte prædicta.

POSTQVAM Iesu diuinitas Apostolis innotuerat per Petri confessionem, iam palam de morte sua Iesus loquitur. De morte, inquam, loquitur Ierosolymis subeunda, à Principibus, & Sacerdotibus populi procuranda, quam ipse animo suscipiet habenti. Sed qui Deum prædicarat Petrus, non patitur audire mortalem, & vt fidelis originem confessus est diuinum, sic amator à suo Iesu mortem nititur ablegare. Repellitur à magistro Petri suadela, in qua, etsi nesciens, tamen, vt ait Theophylactus, Satanæ subscribebat placitis. En conditionem humanam! Modo Petrus beatus, iam dicitur Satanas. Beatus qui Iesum Deum prædicat; Satana qui nequit illum esse mortalem.

Matth. 16. Exinde cœpit Iesus ostendere discipulis suis, quia oportet eum ire Ierosolymam, & multa pati à senioribus, & scribis, & Principibus Sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere.

§. I.

Diuinitas in homine clarescit de subiecto puluere humilitatis.

EXinde mortem, & ignominiam suam Iesus ostendit, & publicat; ex quo? Ex Petri confessione, qua prædicatus est Dei filius, & sic ab Apostolis creditus, & adoratus. Et quidem diuinissimè ea quo filius Dei innotescit, incipit passionis ignominiam reuelare, non vt obnubilet Deitatis suæ splendorem, sed vt euidentiorem faciat: nullo enim magis apparet diuinitas, quam ex subiecto puluere humilitatis. Sapien. 7 de Dei filio carnem humanam induto di- Sap. 7.
citur: *Candor est enim lucis æternæ, & speculum Dei maiestatis.* Cur speculum Dei maiestatis? Speculum imagines rerum reddit clarissimas, sed de stanno, plumbo, vel alio denso corpore sibi adiuncto. In crystallo enim solo lucem vides, imaginem rerum vides nullam, verum vbi puluerem chalybis, seu stanni supposueris crystallo, de adiuncto puluere imagines reddit euidentissimas. Sic diuinitatis maiestas per se solam lucem habitat inaccessibilem, verum de adiuncto humilitatis, & fragilitatis humanæ puluere redditur prorsus conspicua, & euidentissima. Ad hæc eleganter
Franconius de gratia Dei tom. 2. ait. *Diuinitatis luce tanquam imago in speculo refulget, & totum in Deum solidatum est.* Facit humilitatis, vilitatisque humanæ puluis, vt diuinæ maiestatis imago euidentius appareat. Quo quis vtilitatem suam ob oculos proponit, eo euidentius, & clarius, si qua in eo est, diuinitatis species manifestatur. Genes. 1. ait Franc.
Dominus: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Rursus cap. 2. post hominem factum subditur: *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Expende modo quid intenderit Deus facere, & quid fecerit: intendit in homine Dei imaginem conspicuam reddere, & hominem ex limo terræ facit. Nonne terræ limus magis fuscabit, obscurabit Dei imaginem? Immò limus terræ additur operi humano, vt de humilitatis humanæ puluere, sicut de stanno adiuncto in speculo euidentius Dei imago conspiciatur. Pulchrè Genes. 1.
D. Leo serm. 4. de Nat. ait. *Homo carnis substantiam accepit à terra, & rationali spiritu per insufflationem creantis animatus est, vt ad imaginem sui creatoris viuens, formam Dei, bonitatis, ac iustitiæ in splendore imitationis tanquam in speculi nitore seruaret.* Ecce tibi rationali spiritui additur puluis, vt ab illo, D. Leo.
tanquam

tanquam ab speculo diuinitatis imago manifestius in conspectum saliat. Quò spectat S.Isaac presbyter lib. de mundi contemptu, cap.13. inquiens. *Vilipende te ipsum, & videbis gloriam Dei in temetipso. Nam vbicumque humilitas nascitur, ibi gloria oritur Dei. Quod si habes humilitatem in corde tuo, ostendet tibi Deus gloriam in corde tuo.* Itaque humilitatis puluis suppositus animis nostris, id facit, quod Dei gloriosa imago appareat in nobis; de humilitatis puluere venit, quod Deus se se medio cordis nostri prospectet. Cant. 1. *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur.* Modo erat Deus in alto regalis maiestatis accubitu, sublimis, & eleuatus regio visebatur in throno, & subito medio sponsæ in pectore, vt fasciculus apparet, qui tam subitam, & præproperam Dei apparitionem inter sponsæ vbera causauit? Ipsa explicabat, dicens: *Nardus mea dedit odorem suum*; nardus est D.Bernardo, & aliis Patribus humilis affectus sponsæ, quæ humilitas vbi nostris animis applicatur, inibi Deum apparere facit. Pulchrè Bernard. serm. 43. in Cant. *Ante in accubitu regio, modo inter sponsæ vbera. Magna humilitatis virtus, cui etiam Deitatis maiestas tam facilè se inclinat.* Adde humilitatem, & non poterit in te non videri diuinitas.

S.Isaac.
Cant.1.
Bernard.

§. II.

Gloriosius homini est intra fragilitatis suæ terminos prædicari, & turpius vltra dignitatis mensuram honorari.

Ex quo Iesus Petri prædicatione adeo extollebatur, vt filius Dei viui diceretur, mortis passionisque suæ conditionem auidius ipse publicat: quo reuocatur vanissimorum hominum audacia, qui Iesum Deum solum dicebat, maior enim Iesu gloria est, si de humana passibilitate etiam intra hominis conditionem laudetur. Romanis Imperatoribus triumphantibus sistebatur seruus, qui clamaret: *Memento te hominem esse.* Ex quo non mediocris quæstio apud sapientes viros esse potest, vtra gloriosior esset Imperatoribus, an huius serui vox, an vox Senatus illos inter Deos statuentis? Quæstionem dirimit Tertull. Apol. aduersus gentes asserens gloriosiorem longe fuisse triumphatoribus hominibus vocem serui his verbis. *Suggeritur ei à tergo. Respice post te, hominem memento te. Etiam hoc magis gaudet tanta se gloria coruscare, vt illi admonitio conditionis suæ sit necessaria. Minor erat, si tunc Deus diceretur, quia non verè diceretur. Maior est, qui reuocatur ne se Deum existimet.* Et quidem minoraretur Iesus, si solus Deus diceretur, quia non verè diceretur. Maior eius gloria, qui carnis passibilitate reuocatur, ne solus Deus credatur; turpe enim cuiuis est vltra veritatem laudari, & etiam creaturis insensibilibus valde molestum est, quod superent honore accepto dignitatem suam. Hier.2. *Obstupescite cæli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas,* &c. Apud Eucherium non solum lego, quod cœli obstupescere iubeantur à Deo, sed & quod ipsi iam verè obstupuerint, sic enim legitur: *Expauit cælum in istud, & terra commota est,* &c. Et non desino mirari cur cœlum expaueat, & cõtremiscat Israëlitarum videns idololatriam, & non magis inde lætetur, & gaudeat, quandoquidem ipsis cœlis datur diuinus cultus, vero Deo negatus. Ierem.7. *Vt faciant placentas Reginæ cæli*, & cap.29. *Sacrificauerunt enim militiæ cæli.* Cur ergo cœli stupeant, contremiscant, & non potius lætentur, gaudeant, quod diuino honore digni censeantur à creatura rationali? Cæterum turpissimum est, & molestissimum etiam insensibilibus vltra dignitatis suæ terminos honorari. Vnde dicebat Eucher. lib.4. in lib.Reg. *Turbata ergo erant elementa, turbata non officio, sed affectu, quod vnicum, vt dixi, nomen Deitatis hominum eis error imponeret, famulatumque debitum conditori cæca deuotione præberet.* Hoc potens est etiam insensibilis turbare, si vltra dignitatis mensuram maioribus honoribus afficiantur: quam labem, & turpitudinem maxime ab amico suo Moyse ablegare Dominus procurauit. Etenim habes Deuteron.34. *Mortuusque est ibi Moyses seruus Domini, in terra Moab, iubente te Domino: & sepeliuit eum in valle terræ Moab contra Phogor: & non cognouit homo sepulchrum eius vsque in præsentem diem.* Quod si quæras, cur voluit Deus, vt Moysis cadauer sic lateret omnes Israelitas? Rem attigit Petr. Dam. serm. de translatione sanctæ Hildeg. satis. *Moysis corpus ipse per se Dominus sepeliuit, & tamen sepulchrum eius innotescere hominibus noluit, vt tollatur occasio, ne qui tam Deo charus extitisse cognoscitur, diuinus honor illi ab Israëliticæ plebis perfidia præbeatur.* Quibus positis velim quærere cur Deus tam solicitus in occultando Moysi ne diuinus à populo haberetur, & non sic solicitus fuit in occultandis vitulis? Equidem maior occasio Idololatriæ vitulus erat, vt qui apud Ægyptum, & in heremo honores diuinos sibi à populo Israelitis præripuerat; & non curat Deus vitulos à populo ablegare, imò duodecim vitulos fusiles supponit mari æneo in templo suo existenti. Cur ergo qui occasiones adeo vehementes vituli adorandi non cauet, minores occasiones Moysis adorandi tam sedulo cauit? Iam ipse prædictus author indigitabat causam illis verbis: *Ne qui tam Dei charus extitisse cognoscitur, diuinus honor illi præbeatur.* Magna Dei in amicum suum Moysi charitas id effecit, quæ non patiebatur, vt adeo sibi charus, & amicus homo tanta turparetur infamia, vt vltra id quod erat, posset celebrari. Ideo cauit Dominus, ne sciretur Moysis cadauer, vt occasiones amputet, ne homine maioribus plausibus potius turpitudinem quam gloriam reportaret. Iunior ille filius, & prodigus, hoc est gentilis populus, dicebat apud Lucam 15. *Pater peccaui in cœlum.* Sed quomodo in cœlum peccabat, quandoquidem adeo cœlum colebat, vt Soli, & stellis diuinos daret honores? Ideo peccabat in cœlum, & cœlum prorsus concutiebat, quia illi indebitos dabat honores. Chrysolog.serm.5. *Peccauit in cælum dum in cælo Solem, Lunam, sydera, deos esse blasphemat, & hæc eadem prophanat adorando.*

Tertull.
Hier.2.
Ierem.7.
Eucher.
Deut.34.
Petr.Dam.
Luc.15.
Chrysol.

§. III.

Diuina virtus est, gloriæ conspectu non cæcutire ad fragilitatis casus.

Et suam diuinitatis gloriam à Petro prædicari audit Iesus, & simul rediuiui sui corporis immortales triumphos aspicit, dum ait, *& tertia die resurgam*, & tot gloriarum splendoribus affectus non cæcutit ad mortem videndam, sed clarissimis illam oculis spectat, & eius sigillatim recenset iniurias. Id potuit diuina Iesu virtus, qui enim creaturarum sunt oculi sic bonorum splendore afficiuntur, vt inter splendentia bona obscurum casum minime videant. Isaias cap.14. dicitur ad refugam Angelum: *Dicebas in corde tuo: In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Verumtamen ad infernum detraheris.* Nunquam ego mirari desini, quomodo Angelus acutissimus, perspicacissimus in deliciis paradisi constitutus, inter tot culmina, inter tot ascensiones cogitatas, nec ruinam, nec casum vicinũ expauerit, imo nec meminerit? Cur Angele ascensus vides? Cur vt meditaris principatuum solia, non simul prospicis vicinum casum? Iam dudum splendentia culmina sic creatos oculos nouerunt obcæcare, vt minime latens ibi casus videatur. Sic Ber. tract. de gradibus humilitatis in 1. gradu ait. *Viso principatu statim in oculo trabes superbiæ excreuit, quia interposita casum videre non potuit.* Ab splendenti principatu solio, à perspectis bonis nil citius acquirunt oculi creati quam cæcitatem, ne vicinam ruinam possent aspectare. Fortior Angelo sit, diuinus sit qui inter bona, & culmina non cæcutiat ad videndum vicinum casum. Maximus ille virtutum athleta Ioseph sic somniabat Gen.37. *Vidi per somnium, quasi Solem, & Lunam, & stellas vndecimò adorare me.* Sic sanctus vir celsitudinem solij sui inter soles, & astra meditabatur; sed qui tot lumina gloriæ suæ vidit, & narrat, nec minimam suspicionem habet seruitutis, & carceris, quo illa erant comparanda: semper enim splendentia bona malorum inferunt cæcitatem. Vnde Ber. vbi supra aiebat: *Sic Ioseph cum præuidisset exaltationem suam, non tamen præsciuit sui venditionem, quamuis propior esset venditio, quã exaltatio.* Nil citius faciunt prosperitatum soles, quam obcæcare oculos, ne videant casus: vt solis materialis claritas sic solet occupare oculos, vt si subito ad subobscura loca conuertantur, nihil prorsus videant: ita prosperitatum soles occupant mentes creatas, vt ad obscuros casus videndos minimè valeant. Psalm. 29. *Ego dixi in abundantia mea, Non mouebor in æternum.* Id quod expendens Nicephorus in Cat. Græc. ait: *In prosperitate mea non putaui me iterum agitari, & stabilitate dimoueri.* Nullius enim motus, & casus suspicionis relinquunt locum prosperitates. Vnde monebat Sap.cap.18. *Memento paupertatis in tempore abundantiæ, & necessitatem paupertatis in die diuitiarum.* Quæcumque prosperitate

Isai.14.
Bernard.
Genes.37.
Bernard.
Psalm.29.
Niceph.
Sap.18.

prosperitate fruaris, & si vndequaque bonis circumseptus sis, semper cura ob oculos habere, quæ solet prosperitates comitari, paupertatem; nec sic rapiaris culminum splendore, quod non simul videas inde præcipitia, & coactos casus. Quod dicebat D. Ephrem de Humilit. comparan. cap. 97. *Dum gaudium aduenerit, angustias speciemus: ne ob nimium gaudium obliuiscamur luctus.* D.Ephr.

Text. Et assumens eum Petrus, cœpit increpare illum, dicens: Absit à te Domine, non erit tibi hoc.

§. IV.

Ille solus dolor censendus, qui ab amore perfectæ salutis procedit.

NOn putes Petrum Iesu reprehensorem, sed amatorem: amabat plus omnibus Petrus Iesum, & non tolerat audire, quod tantus magis interficiatur; immò sic exacerbatur audita Iesu morte, vt maximi amatores exacerbari solent, cum dilecti se se periculis tradunt. Non equidem hæc increpatio fuit reprehendentis, sed dolentis pro ardenti Iesu amore, vt Beda, & Euthymius cum Chrysostom. & Hier. notarunt. Sed scire cupis, cur dolor hic, & amaritudo Petri profectus à tanto amore in Iesum, debuerit potius vocari ab Euangelista increpatio, quæ vox, nescio quid indignum in Petro facit suspicari? Dolebat Petrus propter temporariam salutem Iesu, & ideo nec censetur dolor, nec amaritudo illa, quæ non proficiscitur ab amore perfectæ salutis spiritualis. Equidem alibi ingenue proponit nobis Euangelista Petrum dolentem, ingentique amaritudine plenum: quippe Luc. xx. vbi victi Iesu oculis
Luc. 22. conuenitur, negationis perpetratæ recordatus. *Egressus foras fleuit amarè.* Ecce tibi, & hic, & illic amaricatur Petrus, & vtrobique propter Iesu amorem: & nihilominus illic non dicitur doluisse, sed increpasse; hic totus dolore, & amarore plenus pronuntiatur. Quæ discriminis causa? Primus amor Petri adhuc sapiebat carnem, & sanguinem, erat enim solum circa salutem corporalem; & ideo non censetur dolor, qui ab illo procedebat: modo dolet ex perfectissimo amore salutis spiritualis, & inde est, quòd hic dolor, & amaritudo censeatur, explicetur, publicetur: pulchrè
August. D. August. serm. 121. de tempore, att. *Flere cœpit amarè, quia Dominum suum cœpit amare.* Non dolebat Petrus, quando sola corporalia, & temporalia amat; tunc videns Iesum traditum hostibus flere cœpit amarè, quia cœpit spiritualiter amare; & dolere etiam cœpit, amaricari cœpit pro salute spirituali: nullus enim alius dolor, nulla amaritudo
Genes. 49. censetur, nisi quam saluti impendis spirituali. Hinc Genes. 49. accedens Iacob ad benedictionem Ruben sic ait. *Ruben primogenitus meus tu fortitudo mea, & principium doloris mei.* Cur Ruben principium doloris Iacob? An Iacob nullus antea dolor? Nulla amaritudo? Equidem ille est Iacob, qui tam acerbam pertulit persequutionem à fratre, vt exulare à domo fraterna fuerit coactus; is plurimis annis Laban seruiuit vigiliis multis, laboribus multis, insuper ipsius Labani mille dolores pertulit, & hæc omnia, & alia plurima, ante ortum Ruben; cur ergo Ruben dicitur princi-
Rupert. pium doloris? Rem ponderat, & explicat Rupert. in Genes. lib. 9. cap. 26. *Vade principium doloris mei? Ex eo, quia effusus es, sicut aqua, ascendendo cubile patris tui. Hoc enim principium doloris eius extitit, non quod is nullo antea doluerit, sed quia verus dolor de plaga peccati, primum in domo eius de isto accidit.* Expende illa verba, *verus dolor de plaga peccati:* nullus alius dolor censetur, nisi dolor hic, qui de amore salutis spiritualis nascitur. Etsi vehementissimi ibi dolores fuerunt pro re temporaria, pro corporis plaga, pro charorum amissione; hi in censu diuino non inueniuntur, immò crebrius apud Deum male audiunt. Non ne male audit præsens Petri dolor? Quippe dolebat Petrus mortem Iesu audiens, & dum ob amatoris animi dolorem Iesum à morte reuocat, tantum abest, vt dicatur doluisse, quod dicitur increpasse. Quid magis contrarium? Dolor de damno alterius pius est, acceptus est illi, pro quo dolemus: increpatio autē nulli non molesta est, & cum in superiorem fit, audax, & temeraria solet reputari: in Deum, blasphema. Cur ergo dolor Petri, non dolor, sed increpatio in Deum vocatur, nisi quia nimis temporarius amor, & dolor frequenter apud Deum male audit. Accipite exemplum non iniucun-
Esth. 7. dum ex Esther 7. vbi post manifestatam a Regina Amanis malitiam, cum Rex ira exardescens in hortum se reciperet: *Aman quoque surrexit, vt rogaret Esther Reginam pro anima sua; intellexit enim à rege sibi paratum malum. Qui cum reuersus esset de horto nemoribus consito, & intrasset conuiuy locum, reperit Aman super lectulum corruisse, in quo iacebat Esther, & ait: Etiam reginam vult opprimere, me præsente in domo mea.* Ecce tibi cum Aman miserè dolens rogabat reginam, habetur à rege, quasi reginam opprimeret: sic dolentis, & rogantis pro anima sua dolor, & postulatio putatur oppressio. sic & apud Deum dolor, & affectus pro temporali, & caduca reputabitur oppressio, quicumque stratum suum lacrymis rigarit, nihilque aliud respexerit in petitionibus suis, in doloribus suis, in affectibus suis, quam temporale, & carnale, is non miretur, si male audiat apud regem, qui tales affectus velut oppressiones æstimat.

Text. Qui conuersus dixit Petro: Vade post me Satana, scandalum es mihi, quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum.

§. V.

Nulli sanctitatis culmini securitas est in hac miseriarum valle.

QVis non exhorreat hanc hominum etiam sanctissimorum vitam ob mutabilitatem? Quis vellet hic morari, etsi se videat virtutum aggeribus communitum, sanctitatis culmina tenere? Ecce Petrus paulo ante beatus à Deo publicatur, & modo Satanas dicitur. Eu humanæ vitæ incertitudo! quis sciat etiam à sanctissimis viris, si postmodum erit diabolus, quando Petrus tam breui interuallo, & beatus est, & Satana? Nullus, mihi crede, sanctitatis gradus est, à quo non possis decidere; nunquam sic sanctus eris, qui non possis continuo fieri diabolus. Hinc est, quod diabolus nunquam è sanctissimo viro desperat se posse facere Satanam. Non ne Iesu Domini sanctitas ab ipsis incunabilis tanta apparuit, quæ omnes dæmonum vires eneruaret? Quomodo posset superbissimus spiritus intueri humilitatem illam, qua Iesus inter peccatores accessit baptizandus Ioanni? Quomodo triumphator hominum per gulam non perderet sua arma, cum videret Iesum in deserto ieiunantem quadraginta dierum? Et nihilominus immediatè post hæc virtutum culmina ait Matth. cap. 4. *Et accedens tentator,* quando accedit? Pulchrè D. Leo D.Leo.
serm. 3. de Quadrag. *Viderat suam superbiam baptizati Domini Iesu humilitate calcatam, intellexerat quadraginta dierum ieiunio omnem cupiditatem carnis exclusam.* Quid tunc? Non ne omnem omittit spem victoriæ? Non ne putat se operam, & oleum perdere in tali conflictu? Non ne desperatus prorsus abiit? *Et tamen non desperauit de artibus suæ malitiæ spiritualis improbitas, tantumque sibi de natura nostræ mutabilitate promisit, vt quem verum expectabat hominem, crediderit posse fieri peccatorem.* Nulla virtus est, nulla sanctitatis culmina visuntur in homine, dum in hac viuit valle, quæ non possint mutari in barathra peccati. Quisquis homo hic viuis, etsi sanctissimus hodie sis, etsi summis virtutum fastigiis eleuatus, non est cur non possis timere, quod cras à tua fragilitate fias ipso peior diabolo. Propterea non miror, quod summæ sanctitatis culmina, dum hic sunt, non adeò videantur æstimari à summo rerum æstimatore Iesu, qui loquutus de præcursore suo Matth. 11. ait. *Amen dico vobis,* Matth. 11.
non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista: qui autem minor est in regno cælorum, maior est illo. Quomodo, qui minimus est in regno cœlorum, est maior Ioanne Baptista? In regno cœlorum sunt infantes, qui nullo suo merito, sed propter Iesu merita coronam reportarunt; at Ioannes innumeris virtutum facinoribus adornatus fulgebat, adeò vt meritorum, virtutúmque splendore etiam sanctissimos Patriarchas, qui obierant, longè superaret. Quomodo ergo horum minimus est maior Ioanne? Sanè est tanta hominis infirmitas, vt quæcumque sanctitatum culmina, qua parte subiecta sunt mutationi, & casui, minora videantur, quam sunt minimi etiam infantes iam æterna securitate donati. Huc respexit D. Hieron. hic aiens. *Nos* Hieron.
autem simpliciter intelligimus, quod omnis sanctus, qui iam cum Deo est, maior sit illo, qui adhuc est in prælio. Aliud est enim coronam victoriæ possidere, aliud in acie pugnare. Cor enim non maximè minuetur quæuis felicitas, quæ potest mutari? Cur non infimi ordinis sit virtus, quæ potest cedere pec-
cato?

cato : & sanctus, qui potest esse diabolus? Sapienter mo- Eccles. 11. nebat Ecclesiasticus, cap. 11. *Ante mortem, ne laudes hominem quemquam.* Cur ante mortem nemo laudandus? Hugo ibi: *Quia adhuc est in pugna* Et quæ variis belli euentibus subiecta sunt, non prorsus laudibilia, eum habeant vnde vituperationem timere possent.

§. VI.

Indecora, & detrimentosa venit corona nusquam pugnanti, laboranti.

VOcatur Petrus Satana, & scandalum Iesu positum, quia passionis pugnas eripere tentat ad triumphos, & immortales coronas properanti. Rationalis creaturæ regnũ spirituale vt adipiscatur Iesus sese mortis pulueri, crucis stadio tradit, & Petrus contra suadet, vt sine puluere triumphet, sine labore coronam rapiat : quid magis indecorum, quid magis detrimentosum nobili imperatori, quam sine pugna triumphare, sine facinorum meritis coronari? Hanc maculam, & ruinam Iesu inurere curabat Satanas, Luc. 4. eum iuxta Luc. cap. 4. secundo accedit tentare: sic enim ibi dicitur. *Duxit illum diabolus in montem excelsum, & ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis, & ait illi : Tibi dabo potestatem hanc vniuersam, & gloriam illorum, quia mihi tradita sunt, & cui volo, do illa. Tu ergo si adoraueris coram me, erunt tua omnia.* Ecce tibi totum humanæ creaturæ regnum, quod diabolus tyrannicè vsurparat, factus mundi rector, iuxta Apostolum, & Princeps tenebrarum harum, id quam gratis affert Iesu, quam sine certamine, & puluere, propter semel exhibitam adorationem. Et quidem totum inter Iesum, & diabolum duellum de regno humanæ creaturæ erat, hoc solum intendebant vniuersæ Iesu pugnæ, & sudores, vt spoliarent diaboli principatus, ab eiusque tyrannide eductum hominem sibi assereret. Ergo quod Jesus totis passionis suæ pugnis intendit regnum diabolo eripere, hoc Iesu gratis sine vlla pugna diabolus offert. Quæ hæc tentatio? Equidem multum indecora, & detrimentosa Iesu, cui indecorum esset regnum illud gratis, & sine sudore acce- Origen. ptum. Rem expendit Origen. homil. 30. in Lucam, vbi ait. *Dicit ergo ad Dominum diabolus ; Ideo venisti, vt aduersus me dimices, & tollas de imperio meo, quos nunc subiectus habeo. Nolo contendas, nolo nitaris, ne habeas vllam in certando molestiam. Vnum est, quod precor, procidens adora me, & accipe regnum omne, quod teneo.* Hoc diabolus petit, hoc offert, huius gratiosi regni cupiditate tentat. *Verum Dominus noster, atque Saluator vult quidem regnare, & omnes gentes subiectas esse iustitiæ, veritati, cæterisque virtutibus : sed vult regnare iustitia, vt nihil faciat indecorum, & non vult absque labore subiectus diabolo coronari.* Huc conueniant, qui vilissimarum subiectionum compendio, absque digno labore ambiunt honores, & præmia, quæ solis strenuè pugnantibus debent parari. Indecorum est, & turpe nobili athletæ, quod tali compendio sibi velit honores. Id quod eleganti stylo D. Ennod. docebat D. Ennodius orat. in Episcop. incipientem ait. *Illa sunt vera præconia, quæ longus sudor elicuit, blandimentum est, non iudicium, quoties laborem gloria ingesta præcesserit; inter maculas numerat, quoscumque triumphos ante discussionem campi miles acquirit.* Itaque non honor, sed macula est, qui ante laboris, operumque commendationem obtinetur. Nec solum honor obtentus ante pugnam maculat possessores, sed & illis est maximè detrimentosus : adeò vt inde putet ortam D. Leo. generis humani ruinam. D. Leo serm. de Natiuit. 4. quippe de Adamo verba faciens, ait *Quia repositum honoris augmentum occupare maluit, quam mereri, non solum ille homo, sed vniuersa posteritas eius audiuit ; Terra es, & in terram ibis.* Sic ex notissima ruina hominis, metuant omnes sibi cauere à bonis obtinendis absque vllius puluere prælij.

§. VII.

Ignorantia humana nihil sibi gloriosum sciuit parare.

SÆpe vides in Petro, quam ingloria sint, quæ nouit parare ignorantia humana. Eo tendit in Thabor, vt vltra tria tabernacula in deserto peracta nihil amplius requireret; modo dum fugam a morte suadeat, nil æstimat mundi remedium, cœlestium reparationem nihili facit. Sic sic desipiunt, qui ad diuina obcæcantur, cæcisque ignorantiæ humanæ oculis omnia volũt trutinare: nihil vnquam splendidum, nihil gloriosum meditantur. Stet pro mille vnus Samson, qui Iudic. 13. ex ore leonis fauum mellis elicuit, verum cap. 15. post mille trucidatos hostes ex asini maxilla aquam Dei virtute acquisiuit. Equidem leonis os dulcissimas escas parturit; sed ab asini ore, hoc est ab humana sapientia, siue stultitia, quid aliud præter aquam expectes? Elegantet concinebat Prudentius in Enchiridio: Prudent.

———*Ab ore leonis*
Mella fluunt; maxilla asini fontem vomit vltro.
Stultitia exundat lymphis: dulcedine virtus.

Si quæ virtutis sunt, sapias, dulcissimos colliges fructus, splendenti gloria ornaberis; si terrenam mentem habueris, & instar mundi sapientum stultescas, nil præter aquas, id est, vilissima, & vltro oblata bona meditaberis. Non multum abest Prouerb. 14. vbi sic : *Possidebunt paruuli stultitiam & expectabunt astuti scientiam.* Prouer. 14. Vel ex Hebræo : *Coronabunt se scientia.* Coronæ splendorem, & gloriam vnus nouit expectare, qui sapit ea, quæ Dei sunt: verum paruuli sensu, hoc est, qui præter vilia, & vltro oblata nihil norunt, hi coronas, & glorias nesciunt, sola sua stultitia contenti, qua præsentia bona æstimant præ futuris. Accipe modo quid de his paruulis, & mundi stultis sentiat Hugo in hæc verba. *Sapientes huius mundi, ideo paruuli appellantur à sanctis, quia quasi paruuli pueri abecedarij, seu elementarij in libro vniuersi pulchritudinem creaturarum, quæ sunt litera huius libri, admirantur, & stupent : sensum autem earum, scilicet Dei potentiam, sapientiam, bonitatem, & alia attributa omnino non capiant.* Quæ se se vltro offerunt oculis bona hęc temporalia, & visibilia literæ sunt, & characteres, qui enarrant Dei glorias immortales : sapientia siue stultitia mundi nil gloriosum meditatur, nil sublime percipit, sed instar paruuli pictis literis hæret, & vltra hæc visibilia nescit gradum facere. Vnde loquens spiritus diuinus Sapient. 7. de sapientia mun- Sap. 7. diali prudentissime illam inter vilitates arenarum constituit, vt quæ nihil sapiat non terrenum. Ait enim: *Omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æstimatur argentum.* Quem locum tractat Origen. hom. 19. in Ioannem, sumens aurum pro sapientia huius mundi, argentum pro eloquentia; quarum vtraque lutum, & arenam non excedit, sed semper ibi sepulta iacet, nec quid gloriosum, aut splendidum pertingere valet. Id quod ipse Origen. confirmat in epist. ad Rom. lib. 4. cap. 5. aiens. Origen. *Humana verò sapientia non potest scire, & intelligere Dominum, neque cognoscere iudicia, & misericordiam, & iustitiam eius, quam fecit super terram.* Vbi aliquid diuinum tractatur, vel pertinens ad solicitandam Dei misericordiam, vel iustitiam, stultissimum est suffragium carnalis sapientiæ.

§. VIII.

Væ qui auertunt homines à virtutum sequela, celeri vindicta afficientur.

PEtrus ille Deo charissimus, familiarissimus, primus diuinitatis Iesu præco, qui beati agnomen ab ipso Dei ore accepit, mox vbi licet ignoranter curauit Iesum ab stadio passionis reuocare, vt Satanas a conspectu Iesu repellitur. Quis iam audeat aliquem licet bono prætextu ab stadio virtutis auertere? Sane fallor si ob aliud scelus citius Dei ira exardescat, & ad vindictam procedat. Tandem dimissi Israelitæ à Pharaone, vt irent sacrificaturi Deo vero, pertexerunt vsque ad mare rubrum; ibi illos nititur reuocare Pharao; sed Deus seruis suis mare siccauit, vt viam inceptam sequerentur. Nec Pharao tanto miraculo terretur, sed insaniens per siccum mare Israelitas ipse insequitur, vt ad Ægyptum reuocet. Quid tunc? Sic res narratur Exod. 14. Exod 14. *Reuersæque sunt aquæ, & operuerunt currus, & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare, nec vnus quidem superfuit ex eis. Filij autem Israël perrexerunt per medium sicci maris, &c.* Ecce tibi adhuc Israëlitæ erant intra maris alueum, & iam à tergo sentiunt Ægyptios reuertentibus aquis submergi. Cur Deus non expectauit, quod Israelitæ ad littus peruenissent, vt reduceret aquas maris super Ægyptios? Quia Ægyptij nitebantur Israelitas a Dei via reuocare, & ea solum ratione, eo vsque peruenerant, sic Dei ira exarsit in illos, vt amplius morari renuerit, sed statim antequam Israëlitæ extra mare essent, ad vindictam procedere. August. serm. 89. de tempore, ait. August. *Confestim iussu diuino, impetu facto Ægyptij rapiuntur, & ruina aquarum oppressi fluctu voluente in littore proijciuntur, ante mortui Ægyptij, quam incolumes peruenirent Hebræi. Hæc vindicta debebatur, vt citius periret, qui consequi denegauit salutem.* Cu-

petem

perem hæc legi ab innumeris, qui nescio quibus prætextibus à Dei via curant reuocare fideles: eos præcipuè fideles, quibus Deus mundiales aquas siccauit, vt ab Ægypto fugiant,& in portu religionis se recipiant. Metuo ne eiusmodi hominibus hæc debeatur vindicta, *vt citius pereant, qui consequi denegarunt salutem:*& antequam vel filij sui, vel propinqui, vel amici incolumes in salutis portum perueniant, illi celeri præripiantur interitu, à Iesuque cum Satana ablegentur. Id quod horrendo amplificat exemplo D.Hieronym. epist. ad Lætam, vbi cum virgo Eustochium se se Deo vouerat, sacraratque, indigne id ferens patruus eius Hymetius, iubet vxori, vt virgunculam Christi sæculari ornatu vestiat.facit illa nihil verita. Quid tunc? Ecce Angelus Domini apparens sic minatur: *Tu caput virginis Dei, tuis sacrilegis attrectare manibus ausa es, quæ iam nunc arescent, vt sentias excruciata, quid feceris:& finito mense quinto, ad inferna duceris.Sin autem perseueraueris in scelere, & marito simul orbaberis, & filys. Omnia per ordinem expleta sunt,& seram miseræ pœnitentiam velox signauit interitus. Sic vlciscitur Christus violatores templi sui.*Sic velox designat interitus eos, qui à virtutum sequela reuocant Christi alumnos. Vnde aiebat Dominus Matth.18. *Qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt,expedit ei,vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Quibus verbis non aliud magis crediderim significari, quam summam ruinæ, & interitus velocitatem scandalizantibus imminentem, quæ velocitas ruinæ tanta est, vt non sic rapiatur in præcipitium homo asinaria mola raptus, quam rapitur ille, qui à Dei seruitio retrahit alios. Et si vtriusque oneris daretur optio, eligibilior esset mola asinaria ei, qui morosum præcipitium desiderat, quam vel minima petra scandali posita aliis. Hinc est, quod ostendens textus sacer festinatissimam ruinam familiæ Eli, hanc vnam in illa peccatorum circunstantiam exaggerat.1.Reg.1.vbi ait. *Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino, quia retrahebant homines à sacrificio Domini.* Ne mireris cum domum Eli videas festinatissima adeò volui ruina, vt vnius diei spatio, & Eli, & filij eius, & nurus rapiantur è vita,1.Reg. cap.4. erat enim peccatum eorum grande, quia retrahebant homines à sacrificio; & similia peccata velocissimus interitus designat.Sic ruunt, qui tanto se onere volunt opprimere.

D.Hier. Matth.18. 1. Reg.1. 1. Reg 4.

§. IX.

Diuina indutus virtute facili negotio scandala à se repellit.

QVam facili negotio Dominus se ab scandalo expedit, scandalique auctorem a se pellit. *Vade post me Satana, scandalum mihi es.*Et sane scãdalum erat ipse Petrus, Petrus, inquam,Ecclesiæ Christianæ fundamentum:& quando à talibus scandala proueniunt, mirum est, si omnia non peruertant. Cupis scire, quam nociua sint Prælatorum scandala? Apocalyps. 3. ad Angelum Ecclesiæ Sardis dicitur, quod mortuus prorsus sit, hoc est, quod peccatis, & vitiis concupiscentiæ deditus, vt mauult Rupert. Quid tunc? Vnum tamen in hoc Prælato gratum habet Dominus, nimirum: *Sed habes pauca nomina in Sardis, quæ non inquinauerunt vestimenta sua.* Ecce tibi, quid æstimet Dominus in Prælato scandaloso, quod vnus, aut alter non contaminati sunt scandalo eius; & certe mirum est, & valde æstimandum, quod vbi Prælatus scandalo est, aliquid etsi paucissimi non simul rapiantur. Et si ergo tanta sit vis scandali a magnatibus positi, nihilominus pauca nomina, hoc est, illi qui de paruo numero, & raritate commendantur, perfecti viri, diuina virtute induti facili negotio se ab scandalis expediunt. Cum de scandalo filiorum Eli textus loquitur,1.Reg.2. ait. *Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino, quia retrahebant homines à sacrificio.* Expende, qui rapiebantur scandalo, qui retrahebantur à sacrificio, nimirum,*homines*,hoc est infirmi, & nil diuini roboris in se præferentes; quos enim Dei robur confirmat, facile a se dimittunt.D.Greg. ibi,lib.2. ait. *Detrahebant quippe à sacrificio homines: quia ad confessionem rectæ fidei progredi infirmorum corda prohibebant. Et notandum, qui retrahebantur à sacrificio,homines dicuntur: quia si in vera confessione persisterent, hos diuinus sermo filiorum Dei appellatione signaret.* Equidem qui diuinitatis robur in se præhabent, non sic rapiuntur pessimis aliorum, siue persuasionibus, siue exemplis: infirmi homines, & pusilli sunt, quos scandala perdunt. Matth.

1. Reg.2. D.Greg. Matth.18.

18. *Qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis.* quasi solis pusillis debeant scandala timeri. Vnde Origen. tract.5. In omni credentium multitudine sunt quidam nuper conuersi, vt fiant sicut paruuli, non autem sunt facti: *hi pusilli habentur in Christo,& sunt scandali receptores.* Itaque scandali vis aduersus solos infirmos, & pusillos potest, non aduersus illos, qui dij dicuntur,& filij excelsi.Vide modo discrimen Psalm.49. assignatum: *Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum.* Aliter aduersus fratrem, & aliter aduersus filium matris suæ,huic scandalum ponit;illi non audet, sed verbis illum corrodit. Quippe frater est iam virili ætate perfectus secundum mensuram ætatis plenitudinis Christi, aduersus hunc nihil valent scandala: filius matris est adeò paruulus, vt nondum ab vberibus sit matris separatus, huic ponuntur scandala, & aduersus hunc præualent scandala. Id quod latè differens August. sic finit. *Sedebant, & aduersus lactandum illum filium matris suæ ponebant scandalum.*quasi scandala solum noceant lactentibus, illaque facile depellant, qui diuini patris vigore concreuerint.

Origen. Psalm 49. August.

CAPVT VIII.

De Iesu morte, & filiorum Zebedæi.

SÆPE alias Iesus passionis suæ circunstantias discipulis prænumerat, sed cum iam tempus instaret,& vltimum Pascha propinquum fieret, dum Ierosolymam petit, quæ ibi passurus est sigillatim prædicit. Quid tunc discipuli? Sanè vt Marcus notat, omnes timebant sibi ab imminentibus magistri mortis periculis, & eo magis illi timebant, quo Iesus alacrior, & lætior Ierosolymam ibat.Sed & duo discipuli Ioannes, & Iacobus interea Christiani regni primas sibi meditantur acquirere. Minus verè dixi, quod id discipuli meditarentur, verius crediderim maternæ solius curæ pro filiis fuisse, quod tunc Iesum conueniret. Equidem mater negotiatur pro filiis, filij autem animose pretium sanguinis spondent, dum Christiani throni comparticipes fiant. Hæc illi animose spondent, Iesus autem innuit concedens, quod mortem subeant; remunerationem autem regni Patri datum remittit.

*Matth.*20. Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum, & scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die resurget.

§. I.

Summa Iesu laus in amplectenda morte sibi manifestissima.

IErosolymam ibat Iesus ibi moriturus, & crudelissima morte damnandus, & nihilominus sic alacer, & festinus ibat, vt iuxta Marci notatum præiret omnibus discipulis suis. Vnde tanta alacritas, & festinatio in via, cuius finis cruentissimus erat interitus? An funestissimæ mortis amaritudo latebat illum? Absit: immo ab ipso conceptionis momento ob oculos habeat vniuersa dolorum suorum, & momenta, & fomenta, quæ nullatenus eius alacritatem minuere potuerunt,nec retardare cursum.De Sole id canebat Psalm. 103. *Sol cognouit occasum suum.* Solent equidem fortissimi, & constantissimi quique imminentis interitus conspectu affici, immutari:non sic Sol,sed eadem luminum coma rutilans,eodem aureo vultu nitens ad interitum currit, cum nihil prius ab ipso ortu suo, quam suum occasum videat. Vt dicat D.Ambrof.lib.4.Exaëmer. cap.2. *Cum enim dies horas suas complere cœperit, Sol debitum sibi cognoscit occasum.* Ne putes Solis pulchritudinem, & alacritatem in cursu inde oriri, quia nesciat finem, quin potius sic pulcher est, sic alacer currit cum ab ipso primo lucis ortu, occasum,& interitum prospiciat. Id quod pulchrè notabat D. Zeno, serm. de Resurrect. vbi inquit: *Sol quotidie nascitur, eadem die qua nascitur moritur: nec tamen instantis finis sorte terretur,*

Psal.103. Ambrof. D. Zen.

terretur, suos vt repigret cursus, vt horas, aut momenta producat, vt saltem paulò diutius dies sui demoretur in vita: sed fidelis semper, semper intrepidus ad sepulchrum nostu contendit. Quis etsi fortissimus instantis finis sorte visa non pigritaret, vt iret? Quis, si posset finem aliquandiu remouere, non produceret horas, non diei terminos longiores efficeret? Et minimè id Sol facit, sed intrepidus currit ad notum sibi finem, in quo non solis materialis, sed veri solis iustitiæ grandis laudatio exprimitur. Equidem vidit diuinus hic sol occasum suum, vidit horribilissimum interitum, quem etiam diuina caro expauesceret, & non terretur, suos vt repigret cursus, vt horas, aut momenta producat, sed alacer, & festinus Ierosolymam ascendit, ascensurus ibi crucem.

1.Reg.28. Pugnaturus Saul cum Philistæis, 1.Reg.c.28. cupiens euentum belli scire, Pythonissam consuluit, & hoc responsum accepit siue à Samuele, siue à Samuelis spectro; *Cras autem tu & filij tui mecum eritis, sed & castra Israël tradet Dominus in manus Philisthym.* Quid tunc Saul, an certæ mortis responso accepto, pugnam distulit? pigritauit conflictus? inducias petiit? Nihil horum fecit, sed ab oraculo certus de interitu certamen iniit: ex quo suum regem maximè extollit

Ioseph. Ioseph lib.6. Antiq.c.15. inquiens. *Quid magni est communem Martis aleam subire inter spem, ac metum fluctuando, si fortuna affulserit, fauore eius vti? Contra nihil lætum sperantem, & præscium, quod necessum sit in pugna cadere, intrepide tamen, & imperculso animo, fato minaci occurrere, id verò generosi, & fortis viri facinus esse credo. Hæc est Sauli nostri laus.* Sed longè sapientius Iudæus homo veri regis sui Iesu inde laudem, & summam gloriam perquireret, quod ad passionis duellum præscius veniret: quod prænoscens, imò prædicens vniuersa suorum tormentorum momenta, nihilominus illis intrepide, & impercusso animo occurrerit.

§. II.

Qui nusquam deiectiones, sed ascensiones meditetur in corde suo, ad se faciet vltro descendere cœli altissima.

AVdio Iesum ascendentem Ierosolymam, & alibi audio Ierosolymam descendentem: *Ecce*, ait, *ascendimus*

Apoc.21. *Ierosolymam, & filius hominis tradetur.* Sed & in Apoc.cap.21. dicitur: *Et ego Ioannes vidi sanctam ciuitatem Ierusalem nouam descendentem de cœlo*, &c. Quorsum ille ascensus, & hic descensus? Ad quid ascendamus Ierosolymam, quando Ierosolyma ea est, quæ magis ad nos descendet? Sed non descendet ad nos, nisi prius viderit ascendentes: qui enim in hac lacrymarum valle, nihil non humile, deiectum, & humi serpens meditari nouit, non ad se videbit Ierosolymam descendentem; at vbi quis inter has miseriarum, & tribulationum valles ad superiora ascenderit, fallar nisi ad se ocyssimè faciat totam cœlestem Ierosolymam descendere.

Ambros. Ideo sapienter monet Ambros.lib.3. de virgin.aiens. *Ascendamus ergo spiritu, quia caro ascendere ad eam non potest. Ascendamus nos interim ad cœlum, vt ad nos postea de cœlo illa descendat.* Ascendendum nobis in primis est, & ab humi deiectis rebus leuare mentem debemus ad superiora; & exinde quidquid altum, quidquid sublime est, ocissimè ad nos

1.Reg.14. descendere festinabit. Ecce tibi 1. Reg.14. Ionathas, cum post occisos hostes pene defecisset; *Extendit summitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in fauum mellis, & conuertit manum suam ad os suum, & illuminati sunt oculi eius.* In fauo venit illi virtus ex alto, sed non venit, nisi prius summitas virgæ fuerit applicata; sic vbi ad altiora te erexeris, venturi boni dulcedinem præuenientem gustabis. Quo re-

Cellens. spiciebat Cellens.Abb.lib.3.epist.2.aiens: *Inuenit, qui in agone fideliter, viriliterque decertat, in virga videlicet iustitiæ summitate futuram dulcedinem prægustare.* Pugnæ sufficiunt ad coronam obtinendam, sed vt coronæ gustus præueniat nos, & festinet ad nos descendere, non sufficit, quod pugnes, sed necessum est præterea aliquam prætendere sublimitatem, vt ostensa in te sublimitate, te dulcediones, & virtutes præueniant ex alto. Felix Zachæus miro desiderio afficiebatur

Luc.19. videndi Iesum Luc.19. *Et præcurrens ascendit in arborem Sycomorum, vt videret eum: quia inde erat transiturus. Et cum venisset ad locum, suspiciens Iesus vidit illum.* Vbi ascendit ille arborem, sic celeres ad illum descenderunt oculi diuini, vt

Theoph. prius ipse videretur, quam videret. Id notans Theoph. ait: *Cum ascendisset in arborem, priusquam videret, prius ipse spectatur à Iesu. Sic igitur omnibus locis præuenit nos Dominus, tantum vt nos alacres, & promptos videat.* Vnum hoc expectant diuina bona, vt profusè ad nos descendant, nimirum, vt ascensus meditemur ab humi deiectis rebus. Sic de se ipso testatur Ion.c.2. *Clamaui de tribulatione mea ad Dominum, & exaudiuit me, de ventre inferi clamaui, & exaudisti vocem meam.* In Ceti erat ventre, & se iam exauditum à Deo miratur, imo ibi eius dulcedine præuentus: *Proiecisti me in profundum in corde maris, & flumen circundedit me.* Quid est illud, & flumen circundedit me? Id explicabat Isai. c.66. vbi sic: *Ecce* Isai.66.

ego declinabo super eam, quasi fluuium pacis. Itaque à Deo descendit, & declinatus est super Ionam fluuius pacis; sed scire cupis, quid fecerit fluuium, & affluentiam bonorum declinare super Ionam, nónne ipse tunc per mare, per terras fugitiuus erat? Vnde ergo fugitiuus homo, sic potuit placere Deo, vt ad illum profusissimè cœlestia dona descenderet? D.Ambros.in hac Ionæ fuga meditatur fugam à seculo, qua virtutum studiosi humi repentibus rebus se eripiunt, & ad cœlestia ascendunt; in quo autem hic ascensus ostenditur, nō mirum, quod statim profusissimè ad illum cœlestia dona descendant. Sic Ambros. lib.de Fuga sæcul. c.4.ait. *Audeo* Ambros.

dicere: sic fugit Ionas in Tharsis, non corporis fuga, sed mentis ascensione, qui vsque ad Christi ascendit similitudinem. Nam si sic non fugisset, numquam de ventre Ceti fuisset auditus. Respice in illa Ionę fuga exteriori, & culpabili vmbram fugæ, quæ sese filij Dei rebus terrenis educunt, & mentis ascensione Christo se conformant, vbi hic ascensus Iesu, vel eius similitudo, vel vmbra cernitur, flumij pacis declinantur à Deo, hoc est, largissimè, & profusissimè cœlestia dona descendũt. Exod.17. Exod.17.

dicitur: *Cumque leuaret Moyses manus, vincebat Israël*; quasi hoc vno ilice trahatur cœlestis victoria, si nos deiectis rebus eripiamus, & sublimibus applicemus. Vnde D.August. August.

serm.93. de tempor.monet. *Si ergo talia sint opera tua, vt illa possis in altum in conspectu Dei leuare, potes etiam & tu in te ipso aduersarios tuos extinguere.* Non dubites de cœlesti auxilio, qui ascensiones meditaris in corde tuo.

§. III.

Qui à mundialibus, vel paululum ascendit, facili negotio aspera quæque amplectitur.

AScendit Iesus Ierosolymam, vbi tradetur, & crucifigetur; nec exhorret passionis aspera, sed magis labores, lachrymas, pœnas amplectitur, qui ab his mundialibus nouit vel paulum ascendere. Psalm.83. *Beatus vir, cuius est* Psal.83.

auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit. In valle lacrymarum in loco quem posuit. Ecce tibi vbi ascensiones in corde suo disposuit, quid deinde arripiat, nimirum lacrymas, luctus, dolores, ait enim, *in valle lacrymarum*, quasi ascendentes ab his mundialibus, nihil lubentius accipiant quam lacrymas: in nullo gratius sint, quam in dolore. Pulcrè Theo- Theod.

doretus ait: *Qui ascensiones in corde suo admisit: non risui, delicijsque, sed luctui, & lacrymis se ipsum dat, ex hoc corpore liberari cupiens.* Et quidem qui ad altiora ascendit, non miror si hæc infima despiciat bona, & non multum exhorreat, imò magis amplexatur aduersa. Etenim quæ apparent minima bona, facile contemnuntur à viris; & vtilia mala, quæ etiam minima apparent, auidè procurari solent; qui autem ab his mundialibus ascendit, si paulisper in altis consistit, necesse est, vt terrena, & infima minima reputet, siue prospera, siue aduersa, vnde illa contemnet, hæc libenter tenebit. Isaias Isai.33.

cap.33. *Iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius: panis ei datus est, aquæ eius fideles sunt. Regem in decore suo videbunt oculi eius, cernent terram de longè.* Expende illud, *cernent terram de longè*, quibus & contemptus terrenarum prosperitatum, & aduersitatum innuitur: quippe vtraque minima videbuntur homini parum eleuato à terrenis, proinde necessum est, quod minimæ prosperitates abiiciantur ab illo, & quod minimas aduersitates sibi vtiles amplecti velit. Ad hæc D.Bernard.de Ascens. Dom.serm.4. Bernard.

inquit. *Non solum super te, sed super omnem mundum fastigio mentis colloceris, vniuersa, quæ in terris sunt, deorsum aspiciens, sicut scriptum est. Cernent terram de longè. Nulla te mundi oblectamenta inclinent, nullæ aduersitates deijciant. Absit tibi gloriari, nisi in cruce Domini: vt quæ mundus appetit, crucem reputes, & illis, quæ mundus crucem reputat, tota inhæreas amore.* Sic respicit res mundiales, qui sese leuat, & alto mentis fastigio sublimatur, vt nullas delicias non abiiciat; nullis asperitatibus non inhæreat. Cant.3. *Quæ est ista,* Cant.3.

quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij. Ecce tibi, vt bene notat Gillibert.serm.15.in Cant. ex quo sponsa ascen- Gillibert.

dit, ex quo mentis fastigio sese supra mundialia erigit, mundum

dum desertum reputat, nihil videt in illo iocunditatis, voluptatis: in se autem solum ostendit fumi virgulam, hoc est disciplinam lacrymarum, myrrhæ & pigmentarij pulueris odorem, hoc est, mortificationem, & crebram cordis contritionem. Hæc solum amat, hæc amplectitur, qui nouit ascensiones in corde suo meditari. Matth.17. *Assumpsit Jesus Petrum, & Jacobum, & Ioannem fratrem eius, & ducit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos.* Sed scire cupis, quæ fuerint Iesu supra hunc montem posito familiaria? Quid ibi adduxit Dominus de rebus omnibus mundialibus? Luc.9. rem attigit fatus: *dicebant excessum eius, quem completurus erat in Jerusalem.* Et quidem qui sic prius super montem ascenderat, nihil aliud sibi proponi fuit ex rebus mundialibus, nisi passionis suæ stadium. Vnde dicebat Bernard. ser.4. de Ascens. *Vt quid enim ascendit, vt transfiguraretur, nisi vt doceret nos cogitatione ascendere ad futuram illam gloriam, quæ reuelabitur in nobis? Felix, cuius meditatio in conspectu Domini est semper. Quid enim graue illi poterit videri, qui mente tractat, quod non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam? Quid concupiscere poterit in hoc sæculo nequam, cuius oculus semper videt bona Domini in terra viuentium?* Fallar si mundialia bona non respuat, si lachrymas, mortem, crucem, & tormenta non amplexetur, quisquis hunc mentis verticem ascenderit, quisquis illa non in his imis, sed in altis habitans respexerit. Mihi credat, quisquis sapere cupit, & quidquid mundiale est, non in mundo intueatur, sed supra mundum, & nihil inueniet sibi vtilius quam fletus, quam lacrymæ, quam tormenta. Do simile in Tobiæ cap.6. vbi dum Tobias iunior cum Angelo pergeret, & in littore fluminis subsideret: *Ecce piscis immanis exiuit ad deuorandum eum. Quem expauescens Tobias clamauit voce magna dicens: Domine, adiuua me. Et dixit ei Angelus: Apprehende brachium eius, & trahe eum ad te; quod cum fecisset, attraxit eum in siccum, & palpitare cœpit ante pedes eius. Tunc dicit ei Angelus: Exentera hunc piscem, & cor eius, & fel, & iecur repone tibi.* Sic prorsus mundi aduersa, quæ extimescimus, extrahenda sunt in siccum, hoc est, extra mundiales fluxus consideranda in superiori statu; quod si ita feceris, & illa extraxeris ad littus, & euisceraueris, fallar si de omnibus mundi bonis, siue malis, aliud tibi reposueris, quam fel, quam amarorem lacrymarum. Quid reponit sibi Tobias de illo pisce, nónne fel? Ita similiter, qui in superiori statu mundialia siue prospera, siue aduersa consideras, amaritudines solas, vt tibi vtiliores asseruabis. Quò respiciebat Psalm. 136. *Super flumina Babylonis, illic sedimus, & fleuimus*; quasi necessum sit, quod vbi quis paulum super mundiales fluxus ascendat, nihil citius dum hic sedet, eligat, quam flere, lacrymari.

Matth.17. Bernard. Tob.6. Psal.136.

§. IV.

Christi Domini sectatores semper in altis sint.

ILle sibi potest persuadere, quod si verus discipulus Iesu, quod Iesu spiritu viuat qui nouerit nunquam non ascendere, non in altis considere. Non enim otiosè dicebat Iesus: *Ecce ascendimus Ierosolymam*; sed vt ostenderet suos sequaces non inter deiectos esse, sed in altis habitare, & excelsis, Ioann.6. post montis ascensum dicitur: *Cum subleuasset oculos Iesus, & vidisset, quia multitudo maxima venit ad eum, dicit*, &c. Quibus illud valde notandum est, quod supra montem positus Dominus adhuc dicatur subleuasse oculos, vt videat ad se venientes. Sanè oculi leuantur, vt quæ in altis sunt, videantur, qualiter ergo ad videndos venientes ad se Iesus subleuaret oculos, nisi vt ostenderet, quam sint in altis, & excelsis, qui Iesum sequuntur. Origen. in Ioan. tom.28. *Nunc autem cum sustulisset oculos suos sursum, dixit: A primo namque dicto monemur discipulos suos inferne non esse, quam ob causam eleuantur magistri oculi in eos.* Quis non in altis habitet vbi cœperit ipse post Iesum? Immò crediderim hoc esse ire post Iesum, nimirum infima hæc & virulenta transire, calcare; & in excelsis verticibus gressus figere, inhabitare: fideli enim homini celsissima ad inhabitandum debentur culmina, Psalm.17. *Qui perfecit pedes meos, tanquam ceruorum, & super excelsa statuens me.* Duo hæc signa inuenienda sunt in eis, qui Christiano feruntur spiritu, primum quod habeant pedes perfectos, quasi ceruorum, hoc est, quod humi serpentia, & virulenta facile, & celeriter calcent; deinde quod in excelsis gressus figat; in huius mundi amœnis & planis habeat Christianus ceruorum pedes, quibus pertranseat velocissimus, verum in excelsis cœlorum ibi sedem figat, quasi in proprio domicilio. Sed scire cupis, cur pedes dantur ceruorum in mundi planis, at in excelsis non ceruorum pedes, sed status fixus, immobilis sedes offertur, ait enim: *& super excelsa statuens me.* Sanè habet hoc per Christum fidelis anima, vt excelsa cœlorum sibi vt propria asserat domicilia, in quibus solis appareat subsistens. Ita Euseb. in Caten. Græca, fatur. *Etsi alij nos trahere, & in abrupta, & profunda vitiorum deprimere, obuenire quærant; Deus tamen noster, certaminis præses, docet nos ad cursum celeres esse, & illius gratia ad summa, & excelsa nobis consentaneæ impellit. Consentanea dico: quoniam anima secundum naturam cœleste domicilium, & excelsa, quæ illic sunt, non vt à se aliena, sed vt propria habet.* Itaque anima quæ nis tracta, & impulsa à Christo Iesu non finitur morari in infimis, sed hæc velocissimo cursu cogitur calcare, & pertransire coactu quodam voluntario; at in excelsis, & sublimibus verticibus cœlorum, ibi tanquam in propriis, & consentaneis sibi locis moratur, & consistit. Inde mulier illa felix, quæ habebat in vtero, & clamabat parturiens Apocal 12. non in terris, sed in summis cœlorum visa est, ait enim: *Signum apparuit in cælo, mulier amicta Sole*, &c. Vbi namque Christum in se conceperat gens fidelis, alibi quam in cœlorum summis non poterat consistere. Quo respicit Tertull. in Apolog. cap.1. inquiens. *Nihil gens Christiana de causa deprecatur, quia neque de conditione miratur: scit se peregrinam in terris agere, inter extraneos facile inimicos inuenire. Cæterum genus, sedem, spem, gratiam, dignitatem in cœlis habere.* Quidquid infimum est, quidquid infra cœlum est, extraneum est, alienum est genti, quæ de Christi conceptu gaudet, ideo ab his velocissima se eripit fuga, quasi qui inter inimica versetur. verum super excelsa, & sublimia, & cœlestia ibi statuitur, & sedem figit, quasi in consentaneo domicilio. Propterea apud Isaiam, cap.3. dicit Dominus. *Ego mandaui sanctificatis meis, & vocaui fortes meos in ira mea, exultantes in gloria mea. Vox multitudinis in montibus, quasi populorum frequentium, vox sonitus regum, & gentium congregatarum.* Quibus verbis D. Basilius agnoscit vocationem gentium ad fidem Christi, vt barbara, & immanis gens verbi gladio trucidans mundiales voluptates, fieret gens sancta, regale sacerdotium, populus acquisitionis. Sed expendo modo verba: Deus mandatum suum, siue fidei Christianæ vocationem mittit, & quid tunc? *Vox multitudinis in montibus*, &c. vix Christianam vocationem accipiunt, & ecce vniuersi apparent in montibus, in excelsis verticibus constituti, Christi enim gratia nunquam in alta, & excelsa impellit suos tanquam in propria domicilia.

Ioann.6. Origen. Psal.17. Apoc.12. Tertull. Isai.3. Basil.

§. V.

Iudex extraneus seuerior esse solet in subditos.

MIraberis, quod principes Iudæorum, penes quos erat etiam ius gladij in suos ciues, maluerint Iesu causam à se ablegare, & illum externo iudici tradere, nimirum, Pilato gentili. An id fecerunt, ne viderentur ipsi condemnare Iesum? Minimè: quandoquidem, vt ait præsens textus, principes Iudæorum condemnarunt Iesum morte, & post mortis sententiam à se latam, illum tradunt extraneo iudici. Cur ergo Iesum tradunt extraneo iudici? Sanè crudelissimi homines metuebant in se ipsis naturæ vim, ne in ciuem suum, & fratrem suum cogerentur esse leniores, & ideo illum iudici gentili, & extraneo tradunt, vt qui raro sciant non crudeliores existere in sibi subditos. Sapienter D. Leo. ser 3. de Pass. ait. *Tanquam extenuanda esset furoris vestri immanitas, si eius sententia, qui prouinciæ vestræ præsidebat, vteremini, vinctum Iesum ad Pilati iudicium deduxistis, vt clamoribus improbis trepido cognitore superato interfectorem hominem eligeretis ad veniam, & Saluatorem mundi peteretis ad pœnam.* Supponit sanctus vir habuisse Iudæos etiam de gente sua iudices, qui causis mortis præsident, vt similiter habebant sub Babylonio, Daniel. 13. Verum in Iesu causa non expectant naturalis iudicis sententiam, sed ad extraneum confugiunt; existimantes quod etiam in rabidissimis Iudæorum cordibus posset natura lenitudinem aliquam inspirare erga conciuem suum. Metuūt ab eiusdem gentis iudice posse frangi, & extenuari conceptum furorem, & ideo naturali relicto ad extraneum confugiunt, à quo nihil non feritatis in subditum posset sperari. Equidem extraneos iudices non infrequenter solent comitari Reipub. extrema excidia. Luc. c.2. aiebat: *Fuit in diebus Herodis regis Iudæa sacerdos*, &c. Ad quæ verba miserum sub illo rege Iudæorum statum

Leo. Dan.13. Luc.2.

Chrysol. statum notans Chrysol.serm.86.sic pergit. *Vsque ad Herodem Judaicæ gentis sacerdotalis sanctitas, summum grauitas præsidebat: ius erat lex diuina. Sed Herodes veniens ex gente aliena inuasit regnum, violauit sacerdotium, confudit ordinem, mutauit mores, tribus miscuit, deleuit stemmata, corrupit genus, tulit, quidquid erat diuinæ, & humanæ funditus disciplinæ.* Hæc solent facere alienigenæ, & extranei iudices, cum clauum tenent: propter quod pulcherrimo exemplo monebat D.Synesius, lib.de Regno, principem suum, ne permitteret, vt in sua ciuitate extranei, & alienigenæ rerum potirentur. (Synes.) *Neque à Pastore*, inquit, *inter canes lupi collocandi sunt, etsi catuli olim sublati cicurati esse videantur, alioquin male illis gregem crediderit: vbi enim in canibus aliquam imbecillitatem, aut ignauiam esse senserint, statim in illos, & gregem, & pastorem desæuient. Neque à legislatore danda arma sunt his, qui in ipsius legibus nati, aut instituti non fuerint. Non enim ab eiusdem hominibus vllum habent beneuolentiæ pignus.* Equidem quando securè liceat pastoribus inter canes constituere lupos, etsi cicures, & canum lacte nutritos; tunc licebit principibus, absque timore inter suos indices ponere extraneum, & alienigenam. Ausim dicere: ex humanis rebus sola natura est, quæ docet mansuete, & tranquille imperate in subditos. Ex quo lucem accipit quæstio à me aliquandiu exagitata, nimirum, cur Moyses ante legem scriptam præposuerit Genesim, quo omnium rerum auctor Deus introducitur? Sanè id factum est, vt legis imperium non ab alieno, & extraneo crederetur, sed ab ipsissimo naturæ auctore, & gubernatore. (Seuer.) Id quod docebat D.Seuer. in Cat. Græc. inquiens: *Duo sibi præcipua Moyses proposuit, & fabricam mundi exponere, & legem promulgare: ac primum quidem Deum voluit ostendere totius naturæ conditorem, & Dominum, vt suis legem ferre, non alienis iure videretur.* Sic cauebatur ne ipse Deus alienigena, & extraneus, sed natura is Dominus videretur eorum, quibus volebat legem dare. (Tertull.) Quocirca dicebat Tertull.lib.de Resurr.car. *Interim talis est noster merito iudex, quia Dominus: merito Dominus, quia author.* Felices homines, quorum author, & naturalis Dominus simul, & iudex illorum est. Inde non cessat Bernard.gratias Deo agere, eò quod Angelus non acceperit hominum principatum. Quippe multorum fuit Patrum sententia, hominum principatum ambitum fuisse ab Angelo ex illis Isa.14. (Isai.14.) *Super astra Dei exaltabo solium meum. sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis.* Sed non tulit Deus homines subdere superbissimo huic alienigenæ, sed maluit ipse naturalis Dominus creaturarum suarum regnum accipere. Pro quo Bernard.serm.17. in Cant. *Ascendam, inquit, super montem excelsum, & sedebo in lateribus Aquilonis, quo altissimi quandam proinde similitudinem obtineret, si quemadmodum ille super Cherubim sedens gubernat omnem Angelicam creaturam: ita & ipse altus sederet, regerétque genus humanum. Absit: iniquitatem meditatus est in cubili suo. Mentiatur iniquitas sibi. Nos alium non cognoscimus iudicem, quam auctorem.* Quasi inde Bernard. excluserit, & abiurauerit omnem alienigenam, & extraneum iudicem: & tunc solum cum hominibus bene actum esse putarit, cum sub naturali gubernantur iudice.

§. VI.

Cui sese perfectissimè conformat Christi passioni, celerrima debetur resurrectio.

ECce tibi innumera pene lacrymarum, & dolorum Christi semina, quam cita consequatur resurrectionis seges: etenim ait, *& tertia die resurget.* Post tot Christi vulnera, & passiones non potuit non citissima venire resurrectionis gloria. Et quidē vbicumque apparuerint exantlati Christi labores, fallar nisi etiam resurgentis gloria ibi festinarit. Vnum enim est quod in nobis Christi glorias retardat, & facit morose appropinquare, nimirum, quod passioni eius non penitus conformamur. Sed age videamus quam se conformauit patienti Iesu expressissima eius figura Isaac. Pleni sunt sanctorum libri hac Isaaci figura; quod vt Dei filius fiat à patre hostia, quod humeris sacrificij portet ligna, quod montem onustus ligno ascēdat, quod super lignorum struem sistatur sacrificandus, quod sese paterno ictui aptet. Quid plura? Non permisit Deus vt Isaac feriretur, & interimeretur, vt Iesus interemptus est; sed cur non permisit Deus Isaac interfici, an ne teneretur etiam eius resurrectionem accelerare? Equidem adeò exprimebat in se passionem Iesu Isaac, vt nisi mors illi abfuisset, & festinatissima illi resurrectio deberet immitti; sed qui festinatam resurrectionem filio suo reseruabat Deus, Isaacum non sinit in mortem cadere. Accipite D. Prosperum 1. parte de promiss. cap. 27. sanctum. (Prosper.) *Diem passionis filij Dei in suo filio figuratum vidit Abraham. quod velut ad aram crucis triduo conuolauit, quod patiens, ac sine voce coram tondente se filius patri, vt percuteret, colla præbuit, quod se ligno, quod portauerat ipse, suspendi Isaac non reluctatus est: quod ideo Isaac immolatus non est, quia resurrectio filio Dei reseruata est.* Sic festinat resurrectionis gloria ad eos, qui perfectissimè sese dedunt passioni Christi subeundæ, vt quasi nullo alio posset retardari resurrectio, nisi mors posset impediri: adeò vt non impedita morte, nec resurrectione quiret impediri. Similiter de David loquitur August. Prosperi magister; David enim passionis Dominicæ expressa fuit figura in laboribus, & persecutionibus suis, & nihilominus iamiam pene perimendus ab hoste, à mortis periculo sæpe eripitur: cur à mortis eripitur periculo? August. in Psalm.51. enarratione, ait: (Psal. 51.) *Non est autem occisus, sicut neque Isaac, cum & ipse passionem Domini figuraret. Nec enim occidi oportuit eos, quos tunc resurgere non oportebat, sed eorum vitam à mortis periculo liberari. Quia verò Domino seruabatur resurrectio.* Adeò assueta venit resurrectionis gloria Christianæ perfectæ passioni, vt nisi mors suspendatur, videatur non posse suspendi & illa gloria. Hinc est quod Sol in die resurrectionis plus solito oriri festinauerit, iuxta D.Chrysol.notissimum assertum. Quia enim cum Christo occubuit, nulla lege potuit teneri quominus properatissimam etiam Christi resurgentis gloriam exciperet. Id quod asserit D. Anast. Synaita lib. 4. Hexaëm. inquiens: (Anastas.) *Sol tanquam verus Christi typus, simul cum Christo eius miserescens, est passus; & cum defecisset impolluta eius anima ex corpore, simul etiam defecit Sol ex cœlesti suo corpore; & cum Christus subijsset inferos, simul etiam cum eo Sol subijt nocte aduentante. Vnde etiam Christo exoriente, & surgente à mortuis mane vna Sabbatorum, vna cum eo oritur, etiam Sol à terra faciens diem.* Non amplius morabuntur Christi gloriæ ad te venire, quam tu moratus fueris ad eius passionem perfectissimam, & exactissimam imitationem ire. Quo refero D.Francisci incorruptibilitatem, & immarcescibilitatem à Pontifice maximo, & altis visam, vt refert noster Ribadeneira in eius vita. (Francisc.) Sicut enim sanctissimus hic vir omnium perfectissimè, passionem in se Christi expressit, sic omnium primus immarcescibilis regni in se perhibet signa, vt de illo, & de Iesu cadauere dicatur illud Psalm. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.*

Text. Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis adorans, & petens aliquid ab eo.

§. VII.

Tunc grati parentes Deo, cùm filios religionis, & obsequij habent comites.

SApiens fœmina vbi adoratura, & precatura Deum accedit, non ipsa sola accedit, sed adhibito filiorum comitatu, sciens ex eo parentes bene apud Deum audire, quod religionis, & obsequij filios ferant comites suos. Inclytam illam Machabæorum matrem ex gratia apud Deum per filiorum certamina comparata commendans Iosephus, ait: *Non ita Luna in cœlo venusta stat cum astris, quemadmodum tu, quæ stellas septem filios ad pietatem illuminasti, gloriosa coram Deo stas.* Tunc enim parentes confidentius, & gloriosius coram Deo astant, cum filios suos, vel præmittunt, vel secum afferunt. Hanc sibi gloriam, & confidentiam restitui suspirabat Iob dum orbus in sterquilinio degens, cap.26.ait. (Iob 26.) *Quando erat omnipotens mecum, & in circuitu meo pueri mei.* Septuaginta in Cat. Græc. (LXX.) *circum autem me erant filij mei.* Fuit equidem tempus in quo Iob omnipotentem Deum sibi familiarissimum, præsentissimum experiebatur, sed eos Dei fauores solus ibi colligebat vir sanctus? Absit, imò ait, *circum autem me erant filij mei.* Quomodo apud omnipotentem acceptus esset pater, nisi de filiorum comitatu in virtutum opere? Pulcrè Nicet.ibi: *Res meas Deus visitatione sua dignabatur; multa mihi materies diuitiarum suppetebat; ipsius vero diuitias, ac nobilem sobolem virtutis materiem mihi ego met statuebam, cùm, & diuitias in egenos conferrē, & liberos Dei arbitrio, ac voluntate educarem.* Prudentissimè totam materiem negotiandi cum Deo refert eo Iob, quod filios virtutum suarum comites curaret habere, quod nunquam

numquam Deo sine filiis accederet. Nullo enim magis parentum sactificium exornatur, quam filiorum consortio: vnde Psal.127. *Filij tui quasi nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ.* quasi cœlestis, viuificique sacrificij mensa non adeo gratè capiat parentes, qui siue filus suis accedunt. Quis neget parentibus dulciores esse dapes in mundialibus conuiuiis, cum epularum consortes habent filios in circuitu? Quis parens non putet sibi felicissimum diem, quo vna cum filiis adest conuiuiis? Id sciens Psaltes parentes monet, in quo sit eorum felicitas, non in eo quod in conuiuio mũdiali habeant filios in circuitu suo, sed in mensa, in qua pabulum ministratur diuinum, ibi summa est patris felicitas, quod habeat filios in circuitu suo. Ad hæc D. Hilarius ibi inquit. *Non in conuiuiȷ circuitu futuros ait esse filios; sed mensæ. Mensa enim Domini ex qua cibum sumimus, panis scilicet viui est, & mensa lectionum, in qua spiritualis doctrinæ cibo alimur.* In circuitu harum mensarum habet pater filios suos, si velit placere in illis: fœdum enim est patrem frequentem esse cœlesti mensæ, & filios permittere interdum comessationibus, & ebrietati, & scœnis seruire. Samuelis mater, 1.Reg.1. rogata vt in templum adoratura iret, respondit: *Non vadam, donec ablactetur infans, & ducam eum, vt appareat in conspectu Domini.* Cur renuit sine filio coram Domino comparere? Chrysost. hom. in præsenti hanc reddit rationem. *Non existimabat esse tutum, relicta domo ascendere in templum, quod cum accepisset domum, non sustineret absque dono comparere.* Præclarissimè dictum hoc est, quia cum certum sit, patres ex Dei dono filios habere, nunquam satis illis tutum est sine filiis in Dei conspectum venire: hoc est nunquam est tutum parentibus, non sic filios instituere, vt illos possint habere comites religionis suæ. Nec miror malè audire apud Deum patres, qui cum ipsi virtutis studiosi sint, filios relinquunt in vias desideriorum suorum abire, Ezech. c.23. hoc scelus obiicit Israëlitis. *Filios suos quos genuerunt mihi obtulerunt eis* (nempe idolis) *ad deuorandum. Cumque immolarent filios suos idolis suis, & ingrederentur sanctuarium meum in die illa, vt polluerent illud: etiam hæc fecerunt in medio domus meæ.* Scelus erat maximum, & vindicta dignum, quod parentes auderent accedere ad domum Domini, & in conspectu Dei apparere nullis filiis religionem suam comitantibus, imò relictis filiis idolorum seruituti addictis. Cur modo non timeant parentes Dei templis adesse, cœlesti interesse mensæ: & filios interim relinquere, vt post idola sua abeant, Veneri, Bacchoque indulgeant, ludisque indefensam operam incumbant? Eli sacerdos erat, in Deum ipse piissimus, & indignationem incurrit diuinam propter filios, vt inde caueant omnes, præcipuè qui Dei altaribus frequentiores sunt, filios non æquè obstrictos habere Dei seruituti. Cum enim filij sint parentum pars maxima, reus maculæ apparebit in diuino conspectu parens, qui maculatos vitiis ferat filios. Quocirca aiebat D.Hieron.epist.ad Lætam. *Qui claudam, aut mutilam, & qualibet sorde maculatam obtulerit hostiam, reus est sacrilegij,* ex Deut.15. *quanto magis qui partem corporis sui* (puta filium) *& illibatæ animæ paritatem regis amplexibus parat, si negligens fuerit, punietur?* Hæc est parentum cura, vt se, & dimidium animæ suæ, & partem corporis sui, nimirum filios cœlestis regis amplexibus parent; cur non puniatur, qui partem maximam sui sordescere liquerit, nec diuino intuitu fecerit dignam?

Psal.127. Hilar. 1.Reg.1. Chrysost. Ezech.23. Hieron.

§. VIII.

Parentes filij spiritualia bona prouideant, si velint à filijs in temporalibus subleuari.

NOtanter dicitur mulier hæc petere aliquid à Iesu, vt significetur spirituale quid postulare, vt placet Chrysost. & Imperf. sola enim spiritualia bona aliquid sunt, temporalia quasi nihil habentur. Ex quo discant parentes quæ bona prouidere debent filiis suis, non equidem hæc bona temporalia, quæ naturalem affectum solent perdere, & filios aduersus patres concitare: sed spiritualia, quæ dum à parentibus procurantur filiis, & hoc lucrantur parentes, quo in temporalibus à filiis suis leuamen accipiant. Quis erga parentes suos gratior, & liberalior quam Tobias iunior? Is longum iter suscipit, in summa parentum paupertate pecuniam perquirit, & interim in cognatæ nuptias deueniens ingentes acquirit diuitias. Diues, & opulentus factus non obliuiscitur pauperrimorum parentum, etsi absentium, immò vix summis soceri precibus detineri potuit paucos dies, & statim cum omni substantia properat, parentésque & lumine, & diuitiis ditat. Sed scire cupis quibus officiis, quibus muneribus hi parentes adeo sibi deuinxerunt filium? Lege totum Tobiæ librum, & nihil datum inuenies à parentibus filio, nisi salutaria consilia & monita, quibus spirituales thesauros posset acquirere. Hæc erant præstantissima munera, quibus patet sibi deuinciebat filium c.4. *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & caue ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Domini Dei nostri. Ex substantia tua fac eleemosynam,* &c. Sic pater cœlestia, & spiritualia bona procurabat, vnde factum est, quod filius patrem ditaret terrenis. Pulcrè D.August.serm.18. de verbis Domini secundum Matth. ait. *Filius patri porrigebat manum, vt ambularet per terram, & filio, vt ambularet in cœlo.* Hoc sibi persuadeant patres, quod nullo magis sibi deuincient filios, vt senectutis baculi existant, quam si eis ad bona spiritualia per virtutum opera docuerint respicere. Non si filius a parente ditatus sit temporalibus bonis, sed si virtutis studium acceperit, parentibus infirmis, & senibus prospiciet. Noui filios, qui integram substantiam à parente viuo susceperunt, qui parenti extiterunt ingratissimi, dúmque ab illius ferula fugiunt, nec de eius infirmitate, nec senectute, nec indigentia nouerunt meminisse. Feliciores sanè stetissent parentes, & filiis chariores, si non tam in conquirendis diuitiis, quam in conquirendis virtutibus, & bonis cœlestibus, pignoribus suis tempus insumerent. De coniugata fœmina aiebat Paul.1. ad Tim.c.2. *Saluabitur autem per filiorum generationem; si permanserint in fide, & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate.* Quod si quæras, quæ sit hæc salus ad quam mater perueniret, per filiorum generationem? D.Thom.ibi putat etiam ibi intelligi debere temporalem salutẽ, quam filij parentibus infirmis senibus, egentibus subministrant, sed tunc parentes hæc temporalia commoda a filiis accipiunt, quando eos filios facere, & instituere curant, qui permaneant in fide, & sanctificatione cum sobrietate. Quam sancta, & spiritualia bona sanctissimus Iacob filiis suis procurabat, inde claret, quia in eius deliciis erat Ioseph, qui fratres vbi criminibus pessimis irretitos videbat, coram parente accusabat. Et hoc extitit vanum Iacobo? Absit: imò hic ipse filius, qui talem educationem a patre acceperat, qui patriis virtutibus splendescebat, hic ipse, inquam, à Deo asseruatus, vt extremam paternæ familiæ penuriam tritici leuaret, patrísque senectutem sustentaret. Sed de hoc accipite verbum, Gen.c.46. vbi postquam Iacob in penuria frumenti, & senectute audit Iosephum viuere opulentum apud Ægyptum, ab illóque vocari, pergit lætus ad filium diuitem pater senex: interea Deus illi apparet, & ait: *Noli timere, descende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi. Ioseph quoque ponet manus suas super oculos tuos.* Qui timor solicitabat sanctissimum virum, quem Deus tollit, insuper & addit promissionem temporalis gaudij, & leuaminis à Ioseph præstandi tanto patri? Nónne filius viuebat? Nónne filius immẽsis, & regalibus diuitiis plenus erat? Quid ergo timet pater? Cur adhuc de filio solicitabatur? Solicitabatur bonus vir non pro bonis temporalibus filij sui, sed pro bonis spiritualibus illius, ne inter Ægyptios errores fidem amisisset, ne inter splendores palatinos charitatem perdidisset, & gratiam, ne tot diuitiis onustus oblitus esset bona immortalia, inde est quod patri sic curanti pro bonis filij spiritualibus Deus apparet, metum iubet deponere, & insuper promittit tanto parenti inferendum extremum à filio leuamen. Philo Iudæus lib. de Ioseph, ait. *Metu solicitabatur Iacob, ne desererentur mores patrij, notat enim iuuentutis lubricum, & apud exteros peccandi licentiam, præsertim Ægyptijs circa Deum cæcutientibus; sciebat etiam honores, dimitiásque insidiari parum cautis mentibus, ideo metuebat filio, quod solus semotus à paterna familia videbatur egere castigatore, qui ad virtutem reuocans non fineret eum corrumpi tot prosperitatibus. Hæc cogitantem videns Deus miseratus apparet Ne dubites, inquit, descendere in Ægyptum, ipse itineris dux ero, restituam tibi desideratissimum filium,* &c. Et sanè parenti infirmo, & seni, & egenti non potuit non adesse filius; pro cuius bonis spiritualibus sic pater solicitabatur.

Tob.4. August. 1.Tim.2. Genes.46. Philo.

§. IX.

Palatini, & curiales, vt in hominibus confidunt, sic proximi sunt idololatriæ.

IAm me vocant plures expositorum, qui in præsenti nullum rei spiritualis saporem inueniunt, imo tam in matre, quàm in filiis Zebedæi terrenam mentem, terrenumque

affectum meditantur. Equidem temporale Iesu regnum statim à resurrectione credebant futurum, ideo anxie properant, per matrem obtinere supremas in regno potestates. Sed vide quam illos afficiebat temporalis regni excogitatio, quando mater eorum ad Iesum non quasi ad Deum, sed quasi ad hominem accedit, *adorans, & petens aliquid ab eo:* adorationem præmittit postulatis, vt pateat, quam vicina sit idololatria nimiæ terrenorum bonorum cupiditati. Sic vniuersi palatini, & curiales non multum distant ab adoratione creaturarum dum pro terrenis bonis hominum patrocinia sectantur. Iudæi illi pristini terrenis penitus dediti sic Moysi confidebant, cuius ducatu in terram promissam deuenirent, vt paululum cum abesset Moyses, statim currerent ad idola adoranda. Etenim ait Exod.32. *Videns autem populus, quod moram faceret descendendi de monte Moyses, congregatus aduersus Aaron, dixit: Surge, fac nobis Deos, qui nos præcedant.* Vide quam facilè ruit populus hic in idololatriam, vnde tanta facilitas idololatrandi? Sanè nihil diuinum eorum mens respiciebat, sed tota fidens Moysi pro terris obtinendis, nihil mirum quod post idola abeat. Accipite D. August. tract. 3. in Ioannem sic fantem. *Cum Moyses homo Dei recessisset ab oculis eorum, idolum petierunt, & dixerunt: Fac nobis Deos qui nos præcedant, quia ille homo dimisit nos. Tota spes eorum in homine posita erat, non in Deo.* Facile in adorationem creaturarum deueniunt, qui pro terrenis hominibus fidunt, homines colunt. An tu putas multum ab idololatria distare palatinorum, & curialium obsequia, officia, genuflexiones, adorationes, quæ à minoribus exhibentur maioribus pro obtinendis temporalibus bonis? Sanè prudentissimus Mardochæus principi Amano, regis amico, & rerum moderatori negauit politicam illam vsu receptam adorationem, quam talibus potentatibus vulgo exhibeant. Sed cur vsu receptam, & solum politicam illam denegaret homo prudens adorationem, nisi intimam palatinorum, & curialium cultus, & idololatriæ coniunctionem prænosceret? Ita ipse fatetur Esth.13. aiens. *Scis, quia non pro superbia, & contumelia, & aliqua gloriæ cupiditate fecerim hoc, vt non adorarem Aman superbissimum. (Libenter enim pro salute Israel etiam vestigia pedum eius deosculari paratus essem:) sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quemquam adorarem excepto Deo meo.* Sic palatinorum, & curialium cultus, & adorationes exhibitæ principibus, & amicis regum pro temporalibus bonis facilem imò præcipitem faciunt viam ad idololatriam, vt merito piissimus vir sibi timere posset, ne ab illis ad hanc transiret, & à cultu, & adoratione quæ videbatur politica, deueniret eo, vt creaturis exhiberet diuinum honorem. Sapienter timet, ne dum adorat Amanum, ad cuiusquam non Dei adorationem deueniat. Ex enim sunt adorationes, & cultus curialium, quibus patrocinium principum venantur, vt idololatriæ coniunctissimæ videantur. Adeò vt nisi fallar Zachar.11. principum mundialium patrocinia taxans asserat. *O pastor & idolum.* Tanta enim vis est temporalis pascuæ, vt illa illectæ mentes humanæ dum pastorem colunt, non multum distent vt post idola abeant. Quo respiciebat Abacuc cap.1. *Totum in hamo subleuauit, traxit illud in sagena sua, & congregauit in rete suum. Super hoc lætabitur, & exultabit: propterea immolabit sagenæ suæ, & sacrificabit reti suo.* Per sagenam, & rete intelligit D. Hieron. potentissimum exercitum, quo tyrannus Babylonius innumera acquisiuit imperia; ego etiam per analogiam quandam intelligerem potentem quemquam principem, & amicum regum, cuius fauore nituntur minores alij, vt prouincias, & honores, & bona alia nanciscantur, & fallor si multum distet, quominus his sagenis, & retibus palatini omnes, & curiales immolent hostias, & sacrificent.

Exod.32. — August. — Esth.13. — Zach.11. — Abac.1. — Hieron.

Text. Qui dixit ei: Quid vis? Ait, dic vt sedeant duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, vnus ad sinistram.

§. X.

Parentes studeant, vt filij perseuerent in diuino seruitio.

Dum piam, & religiosam fœminæ mentem cum Chrysost. Ambros. & Beda contemplor, eius animaduerto sapientiam, qua non offert filios Deo nisi vt sedeant, hoc est persistant immobiles coram ipso. Id enim est quod maximè parentes curare debent, & quod à parentibus exquiritur, nimirum vt eorum filij immobiles perseuerent in via diuini seruitij semel arrepta. De parente sic aiebat Paulus 1. ad Timoth. c.2. *Saluabitur autem per filiorum generationem, si permanserint in fide, & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate.* Quibus id expendendum est, nimirum quæ filiorum virtus ad parentum conducat salutem; non equidem ea, quæ vna cum prætexta, & toga deponitur, sed in qua ipsi permanent, & perseuerant in diuino seruitio. Ad hæc aiebat D. Anselm. *Tunc ergo saluabitur mulier, si filios religione nutriat, & instruat, vt teneant fidem, vt non deserant charitatem, vt sanctificationem, quam in baptismo perceperunt, seruent cum omni castitate mentis, & corporis.* Vix putantur parentes satisfecisse officio suo, nisi cum ita filios instruunt, vt in virtutum semitis permaneant, & nesciant vllis illicibus reuocari. Hinc est quod Samuelis mater vbi filium à Deo accepit 1.Reg.1. noluit etiam rogata ascendere in templum, vt sisteret filium Domino, sed ait. *Non vadam, donec ablactetur infans, & ducam eum, vt appareat ante conspectum Domini, & maneat ibi iugiter.* Antequam puer ablactaretur, etsi Deo offerretur, necessum erat à parentibus reuocari iterum in domum suam, ideo prudens femina nihili æstimat filium offerre Deo tunc temporis, quando necessario reuocandus erat ad domum, sed expectat tempus quo puer ablactatus, & rectè institutus sic possit Deo sisti, vt maneat ibi iugiter. Non enim aliter videretur satisfecisse officio suo parens, nisi curaret, vt filius immobiliter permaneret in Dei seruitio. Ad hæc præclarè D. Chrysost. ait. *Non existimabat esse tutum relicta domo ascendere in templum, quod cum accepisset donum, non sustineret absque dono comparere. Rursus adducto illo, & mox recepto, descendere verebatur.* Et merito verebatur teneri renocare à Dei seruitio infantem, etiam prætextu tenerrimæ ætatis, & ideo vt postea firmius remitteretur Deo. Sunt enim hi prætextus forsan pij, antequam puer in Dei via cœperit ambulare: sed post arreptam virtutis semitam etiam ab infante, vereantur parentes illum ad se recipere, & descendere cum illo. Imò optent, vt filius æternum in Dei seruitio consideat, vt mater filiorum Zebedæi optabat: de qua Ambros. lib.5. de fide cap.3. ait. *Mater ætate longæua studio religiosa, solatio destituta, quæ tunc temporis, quando vel iuuanda vel alenda foret valida prolis auxilio, abesse sibi liberos patiebatur, & voluptati suæ mercedem sequentium Christum prætulerat filiorum.*

1.Tim.2. — Anselm. — 1.Reg.1. — Chrysost. — Ambros.

§. XI.

Humana origo in lapsibus manifestè apparet.

Sedes à Domino petit mulier filiis suis aiens: *Dic vt sedeant hi duo filij mei*; & sanè vt sorores Lazari non dixerunt Iesu; ecce fratrem nostrum, sed *ecce quem amas*, Ioan.11. & ipse Ioannes de se locutus dicit c.21. *Discipulus ille quem diligebat Iesus.* Sic mulier hæc posset dicere. Dic vt hi duo à te dilecti, & tibi propinquitate coniuncti, & qui communiter tui vocantur fratres, sedeant, &c. Sed maluit illis omissis suos tantum filios vocare. Cur ergo non potius, vt Iesu fratres, & dilecti proponuntur, quam huius mulieris filij? Vbi proponebantur in ambitionem lapsi, & à Christianæ perfectionis culmine deficientes, merito non dicuntur fratres Iesu, nec ab illo dilecti, sed mulieris filij, sola enim humana origo in defectibus claret. De peccato filiorum Eli locutus textus sacer 1.Reg.2. sic ait. *Erat ergo peccatum grande nimis, quia detrahebant homines à sacrificio.* Expende, qui dicantur detrahi à sacrificio, nimirum homines; tunc enim humana origo maximè claret cum defectioni aliqualis panditur aditus. Quod ponderans D. Gregor. in præsenti lib.2. inquit. *Notandum, quia qui detrahuntur à sacrificio, homines dicuntur, quia nimirum si in fidei vera confessione persisterent, hos diuinus sermo filiorum Dei appellatione signaret. Quibus Psalmista dicit: Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes. Vos autem sicut homines moriemini, & sicut vnus ex principibus cadetis.* Humanam originem notat casus, frater Christi est, & excelsi filius, quisquis in virtutum semitis perseuerat; vbi autem à recta via declinas, nihil aliud ostendis, quam humanam originem. Tentator ille perfidus diuinissimas Christi virtutes minimè sustinens, nihil magis procurabat, quam in eo monstrare, quod homo sit: inde accedens, ait Matth 4. *Si filius Dei es, mitte te deorsum.* Ad quæ verba acutè D. Chrysolog. serm.12. ait. *Itaque diabolus aperit, quid conetur. Satis hominem probare vult, cui non ascensum prouidit, sed ruinam: humana conditio ad ascensum difficilis, facilis inuenitur ad lapsum.* Non filium Dei, non diuinam conabatur diabolus experiri originem, sed humanam; ideo lapsum suadet, vt dum laberetur Iesus, non Deus, sed homo probaretur, quod

Ioann.11. — Ioann.21. — 1.Reg.2. — Gregor. — Matth.4. — Chrysol.

quod diabolus maximè exoptabat. Tota conditio hominis ibi apparet, vbi apparet & lapsus. Ille solus stare nouit, imò ascendere semper valet, qui nouerit in se humanam totam originem immolare. In præsenti aiebat Iesus; *Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum, & scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum.* Quibus expressum habes, quid faciendum sit de filio hominis, vt ascendat Ierosolymam, securúsque reddatur à lapsibus. Quippe tunc securæ ascensiones parantur in cordibus humanis, cum ibi origo interit humana, cum filius hominis & cruci, & morti traditur. Id quod ibi docebat

Isaac Abb. Isaac Abbas apud Tilmanni allegorias aiens. *Itaque ad pacis visionem properantibus (hoc est enim Ierusalem) tradendus est filius hominis, homo exterior ab interiore gentibus alienis, abstinentiæ, vigilijs, cineri, & cilicio, laboribus, & alieno imperio, vt ab his affligatur, & cruci affigatur, donec funditus à proprio sensu, & veteris vitæ consuetudine moriatur.* Tunc solum firmaberis in Dei pace, tunc in huius vitæ conflictu minimè deficies, minimè cades, cum in te filius hominis iugi mortificationi, & cruci fuerit traditus. Sed proh dolor! crebri lapsus, frequentes defectus à virtutum curriculis manifestè ostendunt, quam in nobis filius hominis viuat, quam vigeat origo humana, & quam à diuina filiatione distamus.

§. XII.

Concordia, & vnitas fratrum potentissima virtus ad trahendum Deum.

NOta structuram fœmineæ orationis: *Dic vt sedeant hi duo filij mei vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram.* Non ait, vnus ad dexteram, & alius ad sinistram, sed vnus, & vnus, vt vel intenta vnitate fratrum Iesus non posset non medius stare. O bona! hoc cura, vt sint duo filij tui vnus, & vnus, hoc est, concordi fulgeant vnitate, & Iesum

Matth.18. regem regum in medio habeant. Matth.18. ait Dominus: *Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Sic amat Deus duorum fratrum vnitatem, vt me-

Hieron. dius illorum esse amet. D. Hier. hic fatur: *Se dicit inter duos, vel tres medium fore; iuxta illud tyranni, qui duos amicos captos, cum vnus ad visendam matrem reuertisset, & amicum pro se vadem dedisset, sic probare voluit, vt vno tento, alterum dimitteret. Cumque reuertisset ad condictam diem, admirans amborum fidem rogauit, vt se haberent tertium.* Sic Deus vbi fratres sancta vnitate, & concordia fulgere videt, non solum non negat, vt sibi assideant, sed potius se tertium habere velint, contendit. Nescit abesse Deus ab his, qui sunt fraterna vnitate connexi. Iacob descendens ad Ægyptum, vt filium vi-

Genes.46. deret, Genes. 46. *venit ad puteum iuramenti, & mactatis ibi victimis Deo patris sui Isaac, audiuit eum per visionem nocte vocantem se, & dicentem sibi, Iacob, Iacob. Cui respondit: Ecce adsum. At illi Deus: Ego sum fortissimus Deus patris tui. Noli timere, sed descende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi: Ego descendam tecum illuc,* &c. Ecce tibi, quam facile Deus se viro sancto manifestat, atque se illi lateronem offert, ingentésque exprimit benedictiones. Sed quæres cur ibi potius Deus se lateronem Iacobo offert? Cur non id potius in illius domo factum est, antequã viam arriperet? Causam indigitat locus, nimirum, puteus iuramenti, habes enim ex Gen.26. quod ibi æternam sibi pacẽ, & concordiam iurarunt duo potentissimi principes & Abimelec, & Isaac; vbi ergo tantæ concordiæ, & pacis signa inter duos potentissimos homines claret, meritò se Deus alterius filio lateronem of-

Gloss. fert: milléque benedictionibus illum replet. Ait Glossa interlinealis: *Meritò in loco pacis, & concordiæ videtur Deus, quia ibi mandauit Deus benedictionem.* Vbi concordiæ, & pacis effulgent signa, facili negotio Deum lateronem habebis. Vnitas est, quæ Deũ allicit, & qua Deus in cõsortium, & socie-

Matth.27. tatem asciscitur. Sic Matth.27. dicitur: *Erunt duo in agro, vnus assumetur.* Quid est, vnus assumetur? An quia relinquendus sit alter è duobus? Absit: sed quia cum è duobus fiat vnus,

Paulinus. hic à Deo in societatem assumitur. Ita S. Paul. ep.5. ad Seuer. inquit. *Non simus ingrati Deo, qui non vnum ex nobis, sed vnum assumpsit in nobis.* Ille solum relinquitur, qui ab vnitate discedit, qui concordi mentis affectu fratribus vnitis, ad Deũ assumeris, qui solum gaudet esse inter vnitos. Adeò, vt nec tunicam suam inconsutilem velit portari, nisi ab vno. Cæteris enim vestibus distributis, super inconsutilem tunicam missę sunt sortes; cur tunica hæc sortibus subiicitur? Sors designare solet, quid ferat vnus è multis, ideo Christi tunica sortibus subiicitur, vt pateat nihil Christi habere posse, nisi qui fuerit vnus. Accipite S. Prosperum lib. de Promiss. part.1. cap.26. fantem. *Tunicam etiam milites diuidere noluerunt, vnitatem Ecclesiæ firmantes, à cuius sorte excluduntur hæretici, quoniam sortè prouenit, vt eam vnus, id est, vnitus possideret.* Nihil Christi Domini inuenies, nisi in vera vnitate, de quo passim dicimus. Prosper.

§. XIII.

Fœminea impatientia est, suos velle paruulos in summis dignitatibus constituere.

TOta hæc petitio matris erat, vt filij sui in Christi disciplina infantes, & prorsus rudes, cæterísque iuniores suprema iam dignitatum tenerent culmina. Fœminea sanè est illa impatientia, quæ paruulis suis non prætextas, & togas, sed amplissimas dignitatum infulas, palliáque mediatur purpurea. Pulchrè in præsentem matrem dicebat Ambros. lib.5. de Fide, cap.3. *Nesciunt materna viscera patientiam.* Impatientia est matris nihil filiorum ætati dare, nec sorti, quem amant filium, non sustinent matres in paruis videre, sed statim illi vellent congerere omnia culmina dignitatum. Apud Isaiam, c.3. aiebat Dominus: *Et dabo pueros principes eorum, & effœminati dominabuntur eis.* Expende, vnde credibile faciat, quod pueri teneant supremas dignitates, nimirum, inde quod effœminati dominabuntur. Vix enim fieri posset, vt dignitates supremæ pueris darentur, nisi ab impatientia fœminarum: virilis virtus annos spectat, grandiorem semper reueretur ætatem, non sic fœminea virtus. Id quod patet in promotione Iacob: cum enim Deus vellet iuniorem hunc Isaaci filium, ad primogenij dignitatem, maiori filio contempto sublimare, totum promotionis negotium inspirat. Rebeccæ matri, eiúsque ingenio vtitur, vt Iacob præripiat dignitatem. Et cur non magis vtitur Patris voluntate? Cur non potius rem tractat cum Isaac; nisi quia fœmineum ingenium aptius est, vt pueri, & iuniores supremas præripiant dignitates, quando virilis virtus semper spectat maturiorem ætatem? Rem illustro ex D. Bernard. qui Theobaldo comiti petenti ab Eugenio Papa dignitatem quandam Ecclesiæ, quam susciperet puerulus filius, sic rescripsit epist.271. *Honores, & dignitates Ecclesiasticas non ignoro deberi his, qui eas dignè, ac secundum Deum administrare & velint, & possint. Porro eas acquiri paruulo filio vestro precibus meis, vel vestris, non vobis iustum, nec mihi tutum esse noueritis. Sanè VVillelmulo nostro cupio bene per omnia: sed ante omnia Deum. Vos verò emerseritis, quod secundum Deum habere possit, probabo me amicum. Apud amatorem iustitiæ in excusando eo, quod pro iustitia est, non multum mihi laborandum. Vos autem apud comitissam per ea, quæ vobis rescripsi, habete me excusatum.* In quibus non solum velim aduertas, quam refugiat piissimus vir paruulos rudes ad dignitates obtinendas iuuare, sed etiam quod hoc persuadere curet, non tam comiti Theobaldo, quam comitissæ vxori: vtique nouerat impatientiam fœminarum in filiis nobilitandis. Huic meritò virilis animus Annæ à Patribus commendatur: hæc enim filium Samuelem in templo, Domino seruiturum statuit, 1.Reg.2. *Et tunicam paruam faciebat ei mater sua, quam afferebat statutis diebus,* &c. Prorsus virilis mater, quæ paruulo filio in templo existenti non magna dignitatum pallia, sed paruam tunicam infanti aptam parabat. Ex quo D. Greg. lib.2. in 1.Reg. sic monet matres. *Paruam itaque paruo filio tunicam mater deferat, & pro modo corporis mensura indumenti tendatur: quatenus pro temperatæ conuersationis mensura dimicat, hûc hostis inæquali armorum sarcina non substernat.* Fortior, & felicior extitit puer Dauid inermis, quam existeret sub ingenti Saulis armorum sarcina: sic felicius consulent parentes filiis, quibus paruulis non procurant supremas dignitates. Excipiendi ab hac regula sunt hi Principum filij, in quibus augendis, regnorum bonorum, & Catholicæ politiæ augmentum, siue conseruatio spectatur.

Ambros. Isai.3. 1.Reg.2. Gregor.

§. XIV.

Deipara Virgo matris affectum erga Iesum quomodo dissimulat, vt nobis prospiciat.

DVm video duorum Apostolorum anxiam matrem, vt filios suos conspicuos faciat, illósque ad dexteram virtutis Dei considentes ostentet: simul & matrum omnium incredibilem affectum in filios noto; & Deiparæ Virginis adstupeo

adstupeo charitatem in vniuersos Christianos. Quid magis cordi matribus est, quam filiorum throni? Mortem elegit Neronis mater, dum filius imperaret: quid non eligat Ioannis, & Iacobi mater, vt filij ad Dei dexteram considentes videantur? Sed Deipara virgo filium sedentem ad dexteram virtutis Dei dissimulat, imperatorem creaturarum tacet, vt possit pro fidelibus trucidari. Debes hoc Christianæ Mariæ, quod maternum in filium affectum cohibeat, vt habeant homines vnde redimantur. Nonne Maria sciebat filij gloriam? Nonne illum nouerat imperantem Angelis, à Regibus adoratum? Cur id non publicat? Cur clariore voce, quam Stephanus non intonat: *Ecce video cælos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei?* Cur de Isaiæ oraculo non clamat in templo: *Ecce virgo concepi, & peperi filium, & vocatur nomen eius Admirabilis, Deus fortis?* An Simeone, vel Stephano infirmior timebat sibi, Iesu thronos celebrare? Absit: timebat autem fidelibus, ne totus in Iudæa Deus, morti eriperetur, & Redemptioni
Ambrof. Christianæ. Accipite D.Ambros. serm. de Purificatione, in eius operibus excusis Parisiis, anno 1586. fantem. *Cur abscondit Maria conceptionis, & natiuitatis filij Sacramentum, quæ nouit immensum? Quia vt spiritu prophetiæ repleta redemptionem mundi impijs non aperiret. Sciebat enim iam tunc gratia plena, quia si hunc huius sæculi Principes agnouissent, nunquam pro salute nostra crucifixissent.* Dissimulat, & cohibet Maria affectum matris, quo ferebatur, vt filij notas glorias publicaret; quia nequit eripere redemptionem Christianis: vt vel hinc Christiani cognoscant, quantum debeant Dei Matri, & timeat se esse indignum Christiani nominis, qui se Mariæ non præbet gratum.

Text. Respondens autem Iesus dixit: Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus.

§. XV.

Ambitionis animositas, vt charitatis potentiæ comparata.

Quid non patiatur ambitio, vt optatos possideat honores? Nullo periculo, nulla molestia, nullo sumptu terretur ambitiosus, sed omnia se facere, & pati pollicetur, vt suæ cupiditati satisfaciat. De maxima virtutum charitate
1. Cor.13. aiebat Paul. 1. Corinth. 13. *Charitas patiens est, benigna est.* & paucis interiectis sic de eadem pergit: *Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* His se se exaltat charitas super omnes alias virtutes: charitas, inquam, illa, quæ scit etiam animam ponere pro amicis suis. Sed ecce vobis ambitio eò se extendit, vt omnipotentiæ charitatis videatur æquari: quando quidquid Dei charitas pro hominibus bi-
Petr. bit, sese bibituram spondere audet. Pulchrè Petrus Blesensis
Blef. epist. 14. ad Sacellanos aulicos Regis Angelorum sic cum charitatis potentia componit ambitionis animositatem. *Nihil ambitioso difficile: ideoque ambitio est quædam simia charitatis. Charitas enim patiens est pro æternis, ambitio patitur omnia pro caducis. Charitas benigna est pauperibus, ambitio diuitibus. Charitas omnia suffert pro veritate, ambitio pro vanitate. Vtraque omnia credit, omnia sperat, sed longe dissimili modo, hæc ad gloriam huius vitæ, illa ad gloriam sine fine.* Sanè nihil refugit ambitio, nulli se labori subtrahit, ad omnia audet, & quidquid charitas potest, ambitio se etiam posse iactabit: adeò, vt sicut tormenta ipsa pro deliciis haberi, & reputari consueuerunt ab strenuis dilectoribus Dei, vt nos alibi probauimus: sic & ambitiosus pro deliciis, & gloriis suis habet ipsos inferni cruciatus, si sub vmbra regni, & dominatus sibi proponantur. Ambitionis pater Lucifer, dum adhuc inter cœlestes Principes inueniretur, in hæc prorum-
Isai.14. pit verba Isaiæ cap. 14. *In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum.* Sed quod cœlum, & quæ astra hic vocat? Ipse in cœlo tunc erat, & super astra Dei gratia locatus; in quod igitur cœlum se ascensurum pollicetur? Crediderim ibi ab ambitioso Angelo infernum cœlum vocari, & cruciatus pro cœlestibus deliciis reputari. Rem explico ex D.Bernard. sententia: quippè, Angelicis spiritibus in Dei gratia recenter creatis data fuit optio, an mallent Dei filio subiici, illumque in præsepe adorare, quam inter cruciatus inferorum cruciandus præesse? Quid tunc Angelus refuga? vidit vtrumque & se vel inter Iesu subditos stare; vel super infernorum mancipia sedere, ibique Principem agere tenebrarum harum, & sic deceptus fuit dominandi affectu, vt sedem inferni totis visceribus amplecteretur, illamque sibi instar cœlestium deliciarum haberet. Sic prorsus D. Ælredus serm. 17. in Isaiam inquit, Ælred. *Tentati sunt Angeli vtrum mallent subdi Deo in humilitate, quam reprobis præesse in potestate. Vnde ille nequissimus omnium iniquitatem meditatus est in cubili suo, in cælum inquiens ascendam. Sicut societatem illam sanctam, in qua regnaturus erat Deus, cælum vidit nominandum, ita ipsos, in quibus ipse dominari affectat, suum cælum arroganter appellat.* Quid miserius quam quod sic afficiat ambitio suos asseclas, vt propter speciem dominandi pro cœlestibus delitiis, & diuitiis habeat ipsos cruciatus inferni? Eu crudelissimum ambitionis virus! Hi sunt ambitiosi, vt pro cœlestibus delitiis habeant æternos cruciatus, totúmque infernum paradisum putent in causa dominandi. Huc tendebat Pauli perfectissima charitas, vt damnatorum pœnas amplecteretur pro fratribus suis. Sic habet ad Rom. 9. *Optabam enim ipse ego anathema fieri à Christo pro fratribus meis.* Et credo quod & in delitiis essent æter- Rom 9.
næ flammæ Paulinæ charitati, dum fratrum multitudo sanaretur. Quem charitatis excessum commendant, & stupent multi Patres apud nostrum Cornelium à Lapide. Sed & ambitio eo tendere nouit, vt sub dominatus specie pro cœlestibus delitiis habeat ipsa inferni tormenta.

§. XVI.

Iesus omnium etiam bonorum iactura emendus est.

In Iesu calice intellige totius sanctissimæ eius vitæ paupertatem, ieiunia, fames, opprobria, tormenta, & sanguinis effusionem. Omnia hæc proponit Iesus Apostolis subeunda pro accipiendo Iesu latere dextro, nec miror: pretiosissimus thesaurus est Iesus, omnium bonorum iactura emendus. Sed quam pretiosus est, qui à Iuda venditur, & à Iudæis emitur triginta argenteis? Domine Iesu, pretium tuum, pretium, inquam, appretiati, quem appretiauerunt Iudæi, non excedit argenteos triginta; cur ergo apud pauperes Apostolos tanti te æstimas, vt nec latus tuum concedas, nisi pro iactura omnium bonorum, cum apud diuites Iudæos sustineas emi triginta argenteis? Equidem triginta illi argentei à Iudæis exhibiti indicant Iesum pretiosissimum esse, & dignum, qui à sapientissimis mercatoribus omnium bonorum ematur dispendio. Accipite Guarri- Guarr.Ab.
cum Abbat. serm. 1. in Ramis, apud quem sic loquitur Iesus de immenso suo valore. *Vile quidem mancipium videor, sed, etsi noctu, & clanculo distrahar quasi res furtiua: etsi ab auarissimis Iudæorum Sacerdotibus emar: attamen triginta argenteos appretiari potero.* Vniuersæ concurrerunt circunstantiæ, quibus res etiam pretiosæ solent adeò vilescere, vt nec flocci æstimentur. Nempe venditio clanculo tractabatur, & properanter, & inter tenebras noctis, & mercatores auarissimi erant, apud quos aurum pro Deo colebatur, & inter hæc nihilominus Iesus habuit aliquale pretium, & triginta argenteis emitur ab his, quibus singulæ drachmæ Deus erant. O bone Iesu, quantus est valor tuus! Cur non omnia patiar pro Iesu illo habendo, pro quo auarissimi homines, quibus nummus Deus erat, sustinuerunt perdere triginta argenteos, totidem sui cordis Deos? Et hoc fecerunt Iudæi nocte, & clanculo ementes; verum Iudæus ille, quem in via circumfulsit lux è cœlo, omnia mundi bona meriro arbitratus est vt stercora, vt Christi lucrum faciat. De quo accipite locum ad Rom. 9. vbi ait. *Optabam & ego* Rom.9.
ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis. Ad hæc adiungenda sunt verba cap. 8. ab ipso prolata, nimirum: *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo.* Si ergo tot hæc bona, siue mala non poterunt Paulum separare à Iesu, qnomodo fieri poterit; vt amor fratrum illum à Iesu separaret? An cum optat separari à Christo pro fratribus, tantum tribuit fratrum amori, vt pro illis sustinuerit à Iesu abesse? Nec longè à vero abest, qui negat in Paulo tam potentem amorem pro fratribus, sed pro ipso Iesu: quandoquidem qui bene fratres suos Iudæos nouerat in Iesum murmuratores, in Deum blasphemos, putabat fore, vt Iudæi insurgerent maledictis in Iesum, eo quod ab illo se exclusos viderent. Propter quod sic afficiebatur Paulus, vt vel omnium bonorum cœlestium, & mundialium iactura, immò malorum omnium, etiam æternorum sustinentia

emeret, quod Iesus nullo in casu à maledicis Iudæis possit *Theod.* vili pendi. Ita Sanct. Theodor. in epistol. ad Rom. ait. *Optarim anathema fieri, id est, expetem à gloria Christi segregari, vt Dominus meus non vituperaretur. Propterea quod audiret multos tali Christum maledicentia petere. Res ipsæ factæ sunt irritæ, nam alius promisit, alius vero præstitit. Lubens autem nihil non periculorum sustinuissem, ne ita obloquerentur, & male sentirent de eo, qui est desiderabilis præ filijs hominum.* Prudentissimus mercator, qui inuenta vna pretiosa margarita omnia bona sua vendit, vt emat eam, qui pretiosissimum Iesum noscens omnia bona perderet, omnia mala etiam sustineret, dum illi Iesu suus integer extaret honos, & à nemine malediceretur. Pauli æmulator erat parens meus D. Ignatius, qui dum viuens ad inferni tormenta descendebat, vnum ibi sibi molestissimum præ omnibus cruciatibus afferebat, nimirum in Deum blasphemiæ. Sanè hi non calicem, sed tormentorum calicem biberent, vt Iesum acquirerent, vt Iesus apud omnes io summo pretio haberetur.

§. XVII.

Iesu asseclæ soli potentissimi.

NOtate piscatorum hominum nobilissimam vocem, nimirum, *possumus*, & quidem id soli habent sectatores *Exod. 17.* Iesu, quod sint viri poteotissimi. Exod. 17. *Dixit Moyses ad* *August.* *Iosue: Elige tibi viros, & egressus pugna contra Amalech.* D. August. legit: *Elige tibi viros potentes.* Sed cur Moyses virorum potentium electionem remittit Iesu Naue? Cur non magis *Idem.* eligit ipse, & duci tradit? Pulchrè D. August. serm 93. de tempore, ait. *Non poterat Moyses eligere viros potentes; Iesus solus est, qui potest viros potentes eligere.* Infirmitas est, & imbecillitas, quæ in Iesu non stat, & per Iesum non venit: *Cant. 2.* ille vere, & solide potens est, qui Iesu afflatur spiritu. Cant. 2. *Adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas, ceruosque camporum.* Aliter Theodoretus legit aiens: *Adiuraui vos, filiæ Ierusalem, per potentias, & fortitudines agri.* Sed miraberis, quod a diuino spiritu proponantur potentiæ, & fortitudines agri, vt verbis suis reuerentiam conciliaret: nonne potentiæ & fortitudines agri, potentiæ, & fortitudines mundi sunt? Quales ergo sunt mundi potentiæ, & fortitudines, quas possit diuinus spiritus recordari? An mundi potentia est bellicus ardor, strenui duces, qui innumera sibi imperia subiugarunt? Minimè: nulla est in toto mundi agro fortitudo, nullus potest, nisi Iesu verbo afflatus nouerit in primis sui cordis tyrannos debellare. Eò respiciebat Psellus *Theod.* apud Theodor. dum ait. *Ager ibi it mundus: [illegible] us fortitudo, potestas Domini, verbi, ac sponsi.* Quippe, vbi diuinus naturæ humanæ sponsus Iesus non aspirat, nulla est potentia, nulla fortitudo. An potentes erant illi orbis expugnatores, qui fœdissimis animi affectibus rapiebantur? An potens erat Alexander, orbis domitor, sed subiectus crapulæ? An Nabuchodonosor potens erat, qui cadens in terra seruum Danielem adorarat? Et quod mirere magis, nominatissimus ille in Dauidis prælijs, Ioab, qui tot victorias reportauit, tot perdidit exercitus hostiles, tot ciuitates expugnauit, qui vnica spes, & fortitudo Dauidis videbatur, inter ipsius Dauidis fortes non iouenitur oumeratus. Lege fortissimorum virorum catalogum, 2. Reg. 23. vbi post Danielem, ponitur Elearar, Semma, Abisai quoque frater Ioab, & alij plurimi; Ioab aotem prorsus siletur. Cuius ratio- *Rupert.* nem minimè silet Rupert. lib. 2. cap. 37. aiens. *Porro Ioab interfecerat duos viros iustos, melioresque se, Abner filium Ner Principem militiæ Israël, & Amasa Principem exercitus Iuda, & effuderat sanguinem belli in pace, id est, in dolo, vel pacis simulatione. Rectè ergo in numero fortium Dauid conscriptus non est.* Quæ enim vitiorum secum admittit dominatum, imbecillitas est, fortitudo non est. Vera fortitudo, & potentia, quæ vincit regna, quæ repellit omnes potestates, quæ retundit ipsos mortis aculeos, non nisi Iesu habetur. Hanc *Ambrof.* ostendebat D. Ambros. lib. 1. offic. cap. 16. aiens. *Hæc vera fortitudo est, quam habet Christi athleta; qui nisi legitimè certauerit, non coronabitur. Quod præceptum non dat, nisi qui est confortatus in Christo Iesu; cuius caro requiem non habebat, afflictio vndique, foris pugnæ, intus timores. Et quamuis in periculis, in laboribus plurimis, in carceribus, in mortibus positus: animo tamen non frangebatur, sed præliabatur, adeò vt potentior suis fieret infirmitatibus.* Non aliunde fortitudinem, & potentiam quæras, nisi à Iesu, in quo solo potes dicere cum Apostolo: *Omnia possum in eo qui me confortat.* Nec vlla est potentia, quæ comparari possit cum eo, quem Iesu virtus commendat. Iudic. 5. aiebat Debora. *Clypeus, & hasta si apparuerunt in quadraginta millibus Israel. Cor meum diligit Principes Israel.* *Iudic 5.* Quæ verba sic legit, & expendit Theodoretus, *Theod.* quæst. 11. *Si videro hastatorum quadraginta millia, tamen cor meum propensum est in acies Israel. Hoc autem firmauit lex diuina.* Vnus enim homo sanctitate, & iustitia conspicuus, & potentior, & fortior est, quam hastatorum myriades. Vnde dicebat Ioann. epist. 1. cap. 2. *Scribo vobis iuuenes, quoniam* *1. Ioan. 2.* *fortes estis, & verbum Dei manet in vobis, & vicistis malignum,* quasi tota fortitudo, & potentia in eo solo sit, qui cum Christo, & propter Christum descendit in arenam.

Text. Calicem quidem meum bibetis; sedere autem ad dexteram meam, & sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à patre meo.

§. XVIII.

Non nisi ex Dei vocatione, & designatione particulari dantur vires ad munera virtutum obeunda.

AVdenter dixerant Apostoli se posse bibere Domini calicem, quam potestatem ortum habuisse à Dei electione, & designatione, vt ostendat Dominus, ait: *Calicem quidem meum bibetis.* Bibetis, inquit, calicem meum, hoc est, ex hoc vos designo, & eligo euidenter meæ passionis commensales, qua designatione, & electione facta, verum est quod poteritis bibere calicem; aliter enim minime poteratis. Non enim sufficit quæuis sanctitas, & virtus vt muneri alicui particulari, siue Doctoris, siue Martyris, siue Prædicatoris, siue Virginis satisfacias, nisi Dei vocatio, & electio adsit. Quis sanctior Stephano? De illo sic habes Actor. 6. *Et elegerunt Stephanum virum plenum fide, & Spiritu* *Actor. 6.* *sancto, & Philippum, & Nicanorem, &c.* & post pauca electionis huius verba sic finit. *Stephanus autem plenus gratia, & fortitudine faciebat prodigia, & signa magna in populo.* Ecce tibi ante electionem Stephanus plenus erat fide, & Spiritu sancto, non tamen robur habebat, quo possit in stadium prosilire, & sese in munere administrando opponere ipsis tyrannis; verum post electionem, & designationem, iam non solum dicitur fidelis, & sanctus, sed & plenus gratia, & fortitudine, & potens mira efficere, & pati. OEcumenius ibi ait. *Qui ante electionem prodigia non faciebat, [illegible] nec satis cognitus erat, vbi per electionem cognitus [illegible] est, tunc etiam donum, quod electionem consequutum erat, demonstrabat [illegible]. Vt manifestum fiat, quod non suffi[illegible] est qu[illegible] addi electionem.* *OEcum.* Non equidem suffi[illegible] in[illegible]ens cumulus gratiæ, & virtutum, vt cuiuis muneri satisfacias, [illegible] adsit vocatio, & Dei electio: vnde nascitur, qu[illegible] alioquin vir[illegible] in actiua vita, nihil proficiunt, immo [illegible] turbine labant, & etiam cadunt; cum eam viam alij [illegible] fectiores, & fructuose, & inoffense percurrant. Et si alij in mundi stadio, mediaque in arena inclyti duc[illegible] valens mira efficere, & maiora pati in dome[illegible] co[illegible] & pace magnam experiuntur imbecillitatem. Non enim [illegible] tiæ cumulus sufficit, nisi adsit Dei electio, & voc[illegible] hac venit robur, & fortitudo, & facilitas, & dexteritas, qui- *Matth. 26.* bus muneri satisfacias. Matth. 26. tradendus Domin[illegible] tenebrarum potestatem, sic ad suos fatur: *Dormite iam, & requiescite: ecce appropinquauit hora, & filius hominis [illegible] in manus peccatorum. Surgite, eamus.* Expende, quam con[illegible] simul mandet Dominus: quippe, & dormire iubet eos, & simul surgere. Nonne contrarium est dormire, qui[illegible] & surgere ad stadij pugnam? Minimè: nulla enim in his est contrarietas, si Dei vocatio, & electio adsit, qu[illegible] designeris ad certamina. Caue tibi ne in arenam descendas non vocatus, at si vocatus fueris, arena tibi lectum [illegible], & stadium pro quiete reputabis, sic facile omnia ministrabis. Hanc excogitationem, & ponit, & finit D. Laurent. Iustin. *Laur. Iust.* de Triumphali Christi agone. cap. 7. aiens. *Facit enim quisque, quod acquisiuit, amittet, [illegible] non vocatus se inconsulte exponat. Nullus itaque inconsulte Dominum in passionibus imitari præsumat, nisi impellente spiritu, aut vocatus quiescat.* Expende illud, *vocatus quiescat.* Hoc enim signum sui semper affert Dei vocatio, & electio, quod quietem etiam med[illegible]is periculis instillet. Qui enim à Deo vocatur, & eligitur, [illegible] omnia facile superat, vt inter ipsos bellicos tumultus, & mortis turbationes, quietem, & somnium inueniat. Quò spectat illud Cant. 3. *Cant. 3.* *En lectulum Salomonis sexaginta [illegible] ambiunt*

biunt ex fortissimis Israel: omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi, &c. Plane apud armatos validosque pugnatores, quos Deus ad prælia docet, & vocat cum mundi potestatibus, lectulus est illis pro stadio, & arena; sic æstimant prælia, quasi quietem placidam cernant.

§. XIX.

Prompta hominis voluntas pro facto habetur apud Deum.

SEd qualiter verum est, quod hi duo Apostoli, calicem Domini bibent, quando alter illorum, nempe Ioannes in pace, & quiete defunctus est? Sanè illius prompta, & ardens voluntas, qua sese, & gladio, & cruci, & feruentis olei baptismo pro Christo obtulit, apud Deum habetur pro opere exhibito. Solet enim, & cælestibus mentibus voluntas pro opere accidere gratissima. Vterque Tobias conferentes beneficia accepta ab itineris socio, decernunt illis
Tob. 12. dare dimidiam partem substantiæ, quo consilio, cap. 12. *rogare cæperunt, vt dignaretur dimidiam partem omnium, quæ attulerat, acceptam habere? Tunc dixit eis occulte: Benedicite Deum cæli, & coram omnibus viuentibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam. Etenim sacramentum regis abscondere bonum est: opera autem Dei reuelare, & confiteri, honorificum est.* Sic pergit Angelus sese manifestare, & ostendere, pro quo expendendum est tempus, quando se, & totum rei secretum manifestat, nimirum, quando Tobias offert illi dimidiam substantiæ partem. Cur non magis ante? Cur non rem explicat, vbi probatio Tobiæ finem accepit? Cur expectat oblationem muneris? An res oblata illi grata erat? Minimè: sed offerentium voluntas, illi omni munere ex-
August. hibito gratissima erat. Vnde D. August. serm. 226. ait: *Continua Angelus gaudet de cogitata mercede, qui missus fuerat gratis facere pietatem.* Non munus exhibitum, non merces proposita, sed cogitata merces, sed gratum animi propositum Angelum gaudio affecit: & hoc est, quod cœlestes mentes afficit, immò & ipsum Deum. Post templum maximum Deo à se ædificatum sic Salomoni inspirat Deus, vt
Psal. 131. oret ad Dominum, Psalm 131. *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis eius. Sicut iurauit Domino, votum vouit Deo Iacob. Si introiero in tabernaculum domus meæ. Si ascendero in lectulum strati mei. Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis. Donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.* Sanè David non ædificauit templum, nec permissus a Deo est, vt lapidem poneret: Salomon ædificauit, ornauit, ditauit. Et totum Salomonis opus tacetur, in mediumque producitur Dauidis votum, & animi propositum, vt hinc videas, quam Deus
Chrysost. æstimet bonas suorũ voluntates. Id quod notabat D. Chrysost. [illegible] aiens. *Eum quidem, qui est ædificatorius, præterit; eum autem, qui est pollicitus, in medium adducit, vt scias, quantum boni sit rectus animus, & quomodo Deus semper cõsueuerit recto animi instituto, & bonæ voluntati mercedem constituere, & ideo eius potius meminit, quoniã ipse est potius, qui ædificauit, quam filius. Hic enim pollicitus est: ille verò iussus est.* Merito Deus voluntatum nostrarum scrutator, voluntatis affectus, & animi propositum intuetur, quo maximè obligatur, & illi mer-
Luc. 2. cedem parat. Vnde dicebant Angeli Luc. 2. *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Quasi & ab æterna, & a temporali natiuitate habeat Dominus huma-
Cæs. Arel. nas acceptare, & munerare voluntates. Vt dicat D. Cæsar. Arel. hom. 19. *Quis potest omnibus hominibus benefacere? Potest [illegible] dicere aliquis: Facultatem non habeo, numquid potest dicere, bonam voluntatem habere non possum?* Inexcusabilis est iam homo, qui Deo obsequium acceptabile non præstiterit, quando is est Deus, qui nouit voluntates promptas pro effectibus acceptare.

§. XX.

A iudicibus nunquam respiciendæ personæ sunt, si velint illas honorare.

NEgat Dominus suum esse dare thronum regni Ioanni, & Iacobo; sed illis, quibus a patre paratum est, se eum posse dare affirmat. Etenim ait: *Sedere autem ad dexteram meam, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à patre [illegible].* Sed statim suboritur quæstio, cur non possit Iesus dare regnum Ioanni, & Iacobo, cum possit illud dare, quibus paratum erat a patre? An Ioannes, & Iacobus non erant inter eos, quibus pater regnum parauerat? Erant sanè, siquidem & ipsi erant in libro vitæ scripti, & ad gloriam electi: proprium ergo erat Iesu illis dare regnum, imò & debebat ipsis Iesus dare regnum, vt quibus paratum erat à patre. Cur igitur negat Iesus suum esse Ioanni & Iacobo regnum dare? An ignorat illos inter regnaturos annumerari? Planè integerrimus iudex sic ad sola merita respicit, vt in muneris distributione videatur prorsus particulares personas ignorare, ne si sciret, elargitio aliquam suspicionem habeat. Non enim parum gloriæ minuit in præmij acceptione, quod illud à tibi notissimo habeas. Vbi ex filiis Isai eligendus erat Rex Israel, mittitur Sa-
muel à Deo in Bethleem; dicit enim 1. Reg. 16. *Imple cornu tuum oleo, & veni: mittam te ad Bethlem ad Isai: prouidi enim in filiis eius mihi regem*, &c. 1. Reg. 16.
Ecce tibi electurus vnum filium Isai in regem, mittitur ad omnes filios, nec dicitur ei qualis sit eligendus, vt vadat, & vocet omnes, & despiciat singulos, & inquirat, qui desit inspiciendus: cur non magis dicitur ei nominatim, qui eligendus est, qui à Deo tanta dignitate donandus? Pulchram huius rationem reddit D.
Basil. Seleu. orat. 14. aiens. *Communi filiorum appellatione tegit illum filium Deus, & ad populum mittit vnctorem Samuelem. Ibi ô Propheta, expecta vnctionem gratiæ, ne ex temporalis regis proclamatione dignitatis euadat imminutio, neve gloriam adulteret regnantis notitia.* Basil Sel.
Prospiciebat Dominus electi sui gloriæ, & ornamento, dum personam celat, & occultat electori: si enim Samuël nosceret Dauidem eligendum, statim nulla inspectione aliorum facta, Dauidem vocasset, & regem proclamasset, quod non tam liberum esset ab affectus humani suspicione; ideò rectè a Deo prouisum est, quod eligendum ignoret Samuël, *ne gloriam adulteret regnantis notitia.* Cum huc peruenio non possum non dolere electiones in aliquibus Collegijs Academicis a nescio quibus malè veræ gloriæ æstimatoribus introductas, qui nisi notis, & compatriotis suis aditum collegij pene occludunt. Adeo insipientissimum, & inglorium vitium serpit, vt ex eo ipso die, quo quis collegij stemmate, seu fascia donatus iam sciat ex patria, & fere ex nomine, quibus sit præstiturus per totum tempus suffragia. Quo non vident quam adulterent, & infament sui ordinis gloriam; quæ enim erant decora, & infulæ dignitatum candidatorum, iam factæ sunt signa nationum, & tabellæ pro diuersorijs gentium variarum. Qua fascia te sublimem designat, & gloriosum puluis literarius, per electorum inconsideratum affectum erga notos, & compatriotas solum nosceris Cantaber, siue Bæticus, siue Castellanus. Sic regnantis notitia adulterat gloriam, quæ proculdubio exaltatur in eo, qui nullo alio, nisi ex meritis notus thronum scandit. Quis non miretur pulchritudinis Estheris magnitudinem? Ipsa inter innumeras alias virgines ob speciem electas, pulchritudinis præmium regnum rapuit. Magnum hoc: sed accipe aliquid maius & longè gloriosius, & præstantius. Ipsa Esther sola erat, cuius genus, & patria penitus ignorabatur; & virgo adeò ignota nihilominus in pulchritudinis certamine ad coronam rapitur, quo maximè eius pulchritudinis gloria exaltatur. Etenim cap. 2. vbi inter cæteras
omnes ministro regio traditur Esther, sic habes: *Quæ placuit ei, & inuenit gratiam in conspectu illius. Et præcepit Eunucho, vt acceleraret mundum muliebrem. Quæ noluit indicare ei populum & patriam suam.* Esth. 2.
Vbi noster ponit, *placuit, & inuenit gratiam*, ex Hebræo legit Caietanus: *Et placuit puella in oculis eius, & eleuauit gratiam in conspectu eius.* Expende illud: *Eleuauit gratiam.* Cur non sufficeisset dixisse, quod placuit, quod regni suffragia sibi statim captauit? Cur maluit dicere, quod gratiam eleuauit, vel vnde eleuauit gratiam? Pro eius eleuatæ gratiæ causa putarim illud additum, nimirum: *Quæ noluit indicare ei populum, & patriam suam.* equidem facit ad summam gratiæ eius exaltationem, & gloriam, quod ignota ex genere, & patria suffragia regni captaret. Et merito Caietanus, non solum Estheris, sed & Regis Assueri gloriam in eo putat maximè exaltatam, quod vbi regnum propositum erat pulchritudinis præmium, illud detulerit non notiori, & propinquiori, sed prorsus ignotæ, quia hæc pulchritudine præstabat. Hæc est integra gloria iudicis, qui neminem noscat, nisi meritum; non absimilis Pharao ad regni elatum eleuans Iosephum ignotum peni-
tus hominem, hoc solum respiciebat Genes. 41. *Numquid sapientiorem, & consimilem tui inuenire potero? Tu eris super domum meam.* Genes. 41.
Vbi sapientia requirebatur, illam solum spectat bonus Rex, cætera omnia patriæ generis prorsus reliquit ignota. Ridiculum, & stultæ iuuentutis piaculum est,

quod

quod sapientior requiratur vir, & suffragia dentur, non quia sapientior es, sed quia familiaris Cantaber, vel Bæticus notus. Prærerquam quod nescio cur non exlex velit iuris læsi esse reum, vt de sui reatus vtilitate alij viuant. Hac vna ratione volebat Moyses à se depellere suspicionem, quod in dando sacerdotio respexerit sibi familiares, & propinquiores. Sic enim habet apud Iosephum lib. 4. *Nisi enim ius, & fas præ oculis habuissem, nequaquam ablitus mei, dedissem alteri: cum nemo sit mihi me ipso propinquior: & alioqui qualis erat prudentiæ, me violati iuris reum facere, & huius facinoris præmium alteri cedere?* Sanè stultissimum est propter aliorum vtilitates me iuris violatorem statuere.

Ioseph.

§. XXI.

Qualem se quisque Deo exhibet, talem erga se Deum inueniet.

REmittit Iesus Ioannem, & Iacobum ad id, quod paratum est a patre, dum ait: *Sed quibus paratum est à patre meo.* Quid mirum, quod ad patrem remittantur, quando ipsi non aliter accedunt ad Iesum, nisi per matrem; & is est Dominus, qui talem se exhibet hominibus, quales inuenit homines erga se. Felicissimi Magi postquam recens natum Iesum adorauerunt, Matth. 2. *Responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt.* Postquam verò hi recesserunt furente iam Herode aduersus puerum: *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge, accipe puerum, & Mariam matrem eius, & fuge in AEgyptum.* Et Magi, & Ioseph in somnis admonentur: Ioseph per Angelum, Magi non per Angelum, sed per ipsum Dominum immediatè responsum accipiunt. Sed cur Deus, qui per Angelum admonuit Ioseph, maluit per se ipsum Magos admonere? Sanè Magi per se ipsos venerunt recens natum regem adorare: & cum regum, principumque mundialium mos sit, alios reges non per se ipsos, sed per ministros, & legatos suos salutare, nobiles hi reges, non per legatos, sed per se regem regum salutare maluerunt: quo factum est, vt Deus talem se illis exhibens non per Angelos, sed per se illos etiam admonere curarit. Ex quo dicebat D. Hieronym. lib. 1. in cap. 2. Matth. *Qui munera obtulerant Domino, consequenter responsum accipiunt, non per Angelum, sed per ipsum Dominum.* Expende illud, [illegible], quasi enim necessario consequitur, quod Deus [illegible] se tibi præbeat, qualem tu te præbueris ipsi Deo. [illegible] dicebat etiam Psalm. 17. loquutus ad Dominum. *Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris. Et cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris.* Nunquam aliter se Deus præbet hominibus, quam homines se præbent Deo; id quod exemplis notat Chaldæus prædicta Psalmi verba explanans. *Cum Abraham, qui repertus est pius ante te, multiplicasti facere pietatem, & cum semine eius Isaac, qui fuit perfectus in timore tuo, perfecisti verbum voluntatis tuæ cum eo. Cum Iacob, qui ambulauit in puritate coram te, elegisti filios eius de cunctis populis, segregastique stirpem eius ab omni falsitate: & cum Pharaone, & AEgyptijs, qui cogitauerant cogitationes malas aduersus populum tuum, conturbatos reddidisti eos in cogitationibus suis.* Sic sese attemperat Deus hominibus, vt illis reddat siue bona, siue mala; vt illis illo, vel alio modo appareat. Qualis tu fueris cum Deo, talis proculdubio Deus tibi aderit. Pro quo Bernard. serm. 70. in Cant. ait. *Igitur qualem te paraueris Deo, talis, oportet, appareat tibi Deus. Cum sancto sanctus erit, & cum viro innocente innocens erit. Quid ni æque, & cum amante amans, & cum vacante vacans, & cum intento intentus, & solicitus cum solicito.* Hanc inter te, & Deum puta correspondentiam futuram; tu examina, qualem Deum tibi adesse velles; finge eum Deum, qui tibi magis arrideat; talem te præbe, & talem habebis Deum. Fallor si aliud dicebat sponsa Cant. 2. cum ait. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Sic monstrabat, quam paria, quam similia essent omnia inter se, & Deum, qualis Deus, talis illa, & qualis illa, talis Deus; non talis futurus, tunc solum quando illa non inueniatur talis. Do etiam Bernard. serm. 70. in Cant. fantem. *Ille mihi, & ego illi. Ille mihi, quia benignus, & misericors est: ego illi, quia non sum ingrata. Ille mihi gratiam ex gratia: ego illi gratiam pro gratia. Ille meæ liberationi; ego illius honori. Ille saluti meæ, ego illius voluntati. Ille mihi, & non alteri, quoniam vna sum columba eius; ego illi, & non alteri. Nec enim audio vocem alienorum.* Sic sibi in omnibus correspondent homo, & Deus; nec Deus alius erit, nisi quando alium inuenerit hominem.

Matth. 2. — Hieron. — Psalm. 17. — Chald. — Bernard. — Cant. 2. — Bernard.

CAPVT IX.

Sepultura Iesu prædicitur.

AQVILA nobilissima, diuinissimaque magni Dei proles Iesus inter Romana signa apparere gaudens adulteros, degeneresque pullos Israelitas abiicit. Et cur non abiiciat vt adulteros eos, quos tot Iesu lumina condemnant? Ad Ionæ facem viderunt Niniuitæ; & Regina Austri longam arripuit viam splendenti Salomonis doctrina tracta. In quibus condemnationis suæ dantur signa Iudæis, quando ipsi doctiorem Salomonem nacti, nec pedem mouent: & adhuc cæcutiunt aspicientes verum Ionam, qui non solum in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus egit, sed & in corde terræ iacens tantum consumpsit temporis spatium.

Matth. 12. Tunc responderunt ei quidam de Scribis, & Pharisæis: Magister volumus à te signum videre.

§. I.

Vbi voluntas propria dominatur, ibi perditio.

ECce quo ductore accedunt miseri Iudæi, vt cœlestia expostulant signa; respuunt signa sanitatum in præsentiarum facta, & abeunt petituri tonitruum mugitus, fulgurum gyrationes, imbrium nimbos petrosos, mille alias meteororum horrendas figuras. Non ne potiora, & euidentiora erant sanitatum signa? Cur signa metuenda malunt, quam signa salutum? Ipsi explicant, dum aiunt; *volumus:* & quidem vbi voluntas propria dominatur; nunquam ibi salus, sed perditio. Ad Tyrium Regem dicitur Ezech. 28. *Perdidisti sapientiam tuam in decore tuo.* An tam nociuus est decor, qui perditionem sapientiæ inferat? Non dicitur sapientiæ perditio venisse absolute à decore, sed notanter additum est illud, *à decore tuo,* vbi non decor, sed propriæ voluntatis dominatus pro perditionis ponitur causa. Id notabat D. Bernard 74. in Cant. aiens. *Si aduertisti, non in decore, sed in suo decore dictus est ille perdidisse sapientiam. Proprietas in causa est. Quod sibi sapiens fuit, quod non dedit gloriam Deo, quod non retulit gratiam [illegible] gratia [illegible] non secundum veritatem ambulauit in ea, seu [illegible] eam retorsit voluntatem: istud est, cur eam perdidit, immo istud [illegible], quod eam perdidit.* Patentissima est perditionis causa, vbi cernitur voluntas propria dominari: nescit enim voluntas propria, nisi & nocentiora, & damnabiliora sibi eligere. Nota fuit illa popularis seditio in Samuelem, & filios [illegible]: quippe Samuelis filij in iudicando populo non fideles, non iusti erant: sed auaritiam sectabantur; accipiebant munera. Quid tunc populus? An Deum consulit? An iudicum iniustitias coram Deo proponit, ab illo spectat audire, quid faciant? Minimè, sed ipsi ex proprio marte, ex propria voluntate regem petunt, & regem prorsus similem gentium tyrannis. Aiunt enim 1. Reg. 8. *Ecce tu senuisti, & filij tui non ambulant in vijs tuis: constitue nobis regem, vt iudicet nos, sicut & vniuersæ habent nationes.* Acutè notat Caietanus qualem regem eligat voluntas propria, nimirum regem petit, qualem habent nationes; non qualem lex diuina constituit, non qualem Deus antiquis patribus Abrahamo, Isaaco, & Iacobo promisit, sed qualem tyrannides apud gentes effinxerunt. Sic petitum regem depingit Samuel ibi: *Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis. Agros quoque vestros, & vineas, & oliueta optima tollet, & dabit seruis suis.* Sic se præcipitat voluntas propria; sic cæca est, vt semper ad durius aliquod impingat. Sed præstat in præsenti audire D. Gregor. lib. 4. expositionis suæ: vbi ponderat, & malum, quod fugiunt Israëlitæ, & quid petant. *De filijs Samuelis dicitur. Acceperunt munera, & peruerterunt iudicia. De eo autem Rege, quem filij Israel petunt, terribiles valde minæ [illegible]; quia dicitur: Agros vestros tollet, & oliueta, & dabit [illegible]. Et quis sapiens non attendat, quia nequius sit, pub[illegible] agros, & vineas tollere, quam vt acciperent munera?* Sed nunquam melius sibi prouidere norunt, qui propria voluntate gubernantur. Quo enim ducet cæca voluntas, nisi in foueam? Vnde non illepide D. Ephrem in Ascetico faciens volunta

Ezech. 28. — Bernard. — 1 Reg. 8. — Caietan. — D. Greg. — D. Ephr.

voluntatem nostram cordis agricolam, monet illam, quod sacras litteras consiliarios habeat, nisi velit in præcipitia cadere. *Cæterum si contumacia, atque arrogantia ductus agricola ille noster, magistrum, atque consiliarium suum relinquere voluerit, diuinas dico scripturas: errabit vagus, & in cogitationes malas, & affectiones noxias incidet.*

§. II.

Voluntatis errores ex eo nascuntur, quod nolis ad Deum respicere.

CVr non se præcipitabit voluntas horum, qui nihil Dei meditantur, sed toti ad ludicra creaturarum spectacula feruntur? Sic enim aiunt, *volumus à te signum videre.* non in te, non in tuis manibus signum quærimus, qui nihil de Deo volumus suscipere; sed à te exeant signa, & longè à te fiant, vt nos videamus illa. Hæc est impiorum mens, oculos conicere ad ea, quæ à Deo producuntur, nihil diuinum, sed creata solum velle suscipere, ex quo omnes voluntatum suarum errores nascuntur. Vtinam eorum oculi ad Deum essent & non exorbitaret voluntas à diuinis curriculis. Cum Israelitæ peterent regem à Samuele 1.Reg.8. (1. Reg.8.) dicit textus: *Displicuitque sermo in oculis Samuelis.* Et sanè displicentia in corde est, non in oculis; cur ergo dicitur displicentia illa in Samuelis oculis fuisse? Fuit illa Samuelis displicentia non exorbitans, sed prorsus conformis voluntati diuinæ; vnde merito tribuitur oculis, quandoquidem ex oculis ad Deum positis nascitur omnis conformitas, & compositio voluntatis humanæ cum diuina. Quo respiciebat Paul.1. ad Corinth.6. (1. Cor.6.) *Qui adhæreret Deo, vnus spiritus est.* ex eo enim, quod quis sic nouerit mente, & cogitatione Deo approximari, vt solum Deum sciat, vt solum Deum spectet, in illoque mentis oculos fixos habeat, vnus spiritus fiet cum illo, adeò vt sicut vna mens, & vna in duobus esse voluntas videatur. (Gregor.) Sic D. Gregor. lib.4. in lib.1.Reg. ait. *Vnus spiritus cum eo fit, quia ex diuturna denotione diuini operis, in tantam gratiam diuinæ cognitionis assumitur, vt ab interni eius æquitate iudicij per errorem mundani spiritus dissentire vltra non possit.* Et sanè quo crescit in te gratia diuinæ cognitionis, vt Deum videas, vt Deum spectes, eo crescit voluntatis tuæ cum diuina conformitas, ne voluntas tua erret, ne à Deo, & virtute dissentiat, ne exorbitet. (Psal.104.) Ideò anxie monebat Dauid Psalm.104. *Quærite Dominum, & confirmamini, quærite faciem eius semper.* Inde firmitudinem, & robur humanæ voluntatis proponit, si Deum ob oculos habeamus; iungere mente Deo, & non erras, (Ioan.1.) non exorbitas, sed firmus es, & immobilis. Apud Ioann.1. non magis tardat terreuus homo in soliditatem petræ transire, quam tardat accedere ad Dominum, eiusque virtutes alta mente reponere. Is fuit Petrus de quo sic: *Et adduxit eum ad Jesum. Intuitus autem eum Iesus dixit: Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Vnde Petro tanta firmitudo? Vnde homini venit immobilitas (Nyssen.) petræ? Pulchrè Nyssen. hom.15. in Ecclesiastem ait. *Simul, & fratrem audit, & agno credidit, & per fidem est consummatus, & petræ agglutinatus Petrus factus est.* Vbi ad Iesum adducitur, sic ad illum afficitur, sic Deo mente, & corde fideli adhæret, vt à visione tanti boni, pene firmus, & immobilis perseueret, ex coniunctione ad petram factus Petrus.

§. III.

In creaturarum contuitu fieri vix nequit, quod affectus voluntatis non erret.

MIraberis imperiosam illam, & fastu plenam Pharisæorum voluntatem, qua dicunt: Volumus à te signũ videre? Sic labitur voluntas humana, ex eo, quod non Deum, sed id, quod à Deo creatum venit, spectet. Quando voluntas circa res creatas versatur, etsi strenue se gerat, & non errat? Et non claudicat? Sanè Iacob ille validissimus, & robustissimus vir post vnius noctis pugnam, immò post (Genes.33.) victoriam reportatam Genes.33. *claudicabat pede*; quod mihi maximum argumentum est, Iacobum ibi non cum Deo creatore, sed cum creatura aliqua conseruisse manus, quandoquidem à creaturarum congressu sine affectus ali- (Num.31.) quali vulnere, nec victoria venit. Numer.31. ad Israelitas victores loquutus Moyses ait: *Lauabitis vestimenta vestra die septimo, & purificati postea castra intrabitis.* Cur victores post prostratos hostes, post triumphos cantatos iubentur purificari antequam in castris recipiantur? Dabantur ibi simul in lege perfectæ vitæ documenta, ne qui cum rebus sensibilibus congressus, etsi strenuè pugnauerit earum lenocinia à corde fugare, putet se omnino illæsum manere, fieri enim vix nequit, vt à congressu creaturarum affectuum humanorum pedes non eas sordes contrahant, quæ egeant lauacris. Origen. hom.25. *Ergo hi qui pugnant, pro eo* (Origen.) *ipso, quod contigerunt hostes immundos, & quod ingressi sunt contra eos, polluti sunt. Et ego etiamsi vincere potuero diabolum, etiamsi cogitationes immundas, & malas quas cordi meo suggerit, vel repellere venientes, vel ingressas necare intra me, ne ad effectum perueniant, quiuero; etsi calcare potuero caput draconis: hoc ipso tamen pollui me, & inquinari necesse est, quo eum, qui pollutus, & inquinatus est, contigi: & ero quidem beatus, quod eum superare potui: immundus tamen sum, & pollutus, qui pollutum contigi, & ob hoc purificatione egeo.* Sic res creatæ, nec hostiliter à me respici possunt, quin ex earum conspectu, vel vulnus, vel aliquam maculam recipiam? Sic afficitur voluntas humana ex creaturis? Id cauebat sponsa Cant.1. (Cant.1.) *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vacari incipiam post greges sodalium tuorum.* Non enim ad creaturarum greges audet respicere sine vagationis periculo: quasi eo ipso, quod incipiat ire post creaturas, iam saltem vagationis ream se accuset; numquam non gignit inordinationem affectibus congressus cum creaturis. Vnde pro innocentia sua illud adducit Ierem. cap.17. (Ierem. 17.) *Et ego non sum turbatus, te pastorem sequens: & diem hominis non desideraui.* Tota innocentiæ probatio in eo consistit, quod Deum intuitus est, quod Dei ducatu non declinauerit, quod diem hominis fugerit: quibus enim oculis dies hic materialis cum omnium creaturarum specie eluxerit, vix fieri posset, quod inde affectus aliquos voluntatis inordinatos non rapiat. Ad hæc Gillibert. serm.1. in Cant. fa- (Gillib.) tur. *Malus dies, qui vitiorum denudauit semitas, illicientes species demonstrauit, sollicitantem ingessit materiam. Heu quomodo me circumfulsit dies ista, quomodo affectum meum ad se abripuit. Vbique erumpunt in cogitatum cuncta, quæ spiritum turbent, vel deturpent. Licet enim animus castigatiori repellat proposito; solo tamen irruentium cogitationum sordidatur attactu.* Nequeunt creaturarum decora in conspectum venire, quin voluntatis affectum aliquali puluere non maculent. Pugnes licet viriliter, vt creaturarum lenocinia extinguas, dum cum illarum aspectu manus conserueris, saltem de congressu puluis exurget, quo etsi victor maculatus existas. Cant. 5. de laudabilibus cogitationibus sponsæ dicitur; (Cant.5.) *Comæ eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus.* Inter tot palmas, cur non potius aurum rutilet? Cur ibi nigredo, aut vnde potuit venire? Sanè victrix cogitatio sponsæ creaturarum splendores repræsentabat, quos dum rebellat anima, dum detriumphat, de conflictu vincentis, & fuga victorum puluis aliqualis exurgit, qui palmas nigredine fuscat. Vt dicat D.Paulin. epist.4. *Nigræ vero, de interioris* (Paulin.) *exercitationis, quasi bellico puluere: vel puluerulento sudore nigrantes.* Vbi conflictus est inter humanam mentem, & exercitum creaturarum, non potest non esse puluis, non esse macula, qua effectus conspurcentur humani. Quod si mens humana non sibi caueat, iam non puluerem, sed lethalia vulnera contrahet, quibus misere pereat, in deuia, & præcipitia voluntatum suarum abiens. Quo spectat D.Paul. ad (Rom.1.) Rom.1. notans quid contraxerint terreni homines de aspectu creaturarum. *Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum.* Inde nascitur, quod in homine non regnet ratio, sed cæca voluntas, nimirum ex eo, quod homo non Deum, sed creaturas suspiciat, in illisque cor suum ponat.

Text. Qui respondens ait illis: Generatio mala, & adultera signum quærit.

§. IV.

Maxima peccata præteritorum omnium memoriam in Deo renouant, vt castigentur.

GEneratio mala, & adultera vocantur impudentissimi hi Pharisæi à Deo sic notante, & proferente antiquata illorum ab vtero, ab auis, & atauis peccata. Maximum enim scelus id solet facere, vt præteritorum omnium criminum memoria in Deo ad maiorem vindictam renouetur.

1. Reg. 7. Sic 1.Reg.7. vbi Israëlitæ petebant sibi Regem dari, Dei regnum fastidientes, ait Dominus ad Samuëlem. *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos: iuxta omnia opera sua, quæ fecerunt a die, qua eduxi eos à terra Ægypti.* Ecce tibi, vbi ad præsens crimen inspiciendum accedit Dominus, simul memorat omnia alia peccata per gentem illam perpetrata
Gregor. à primo die egressionis ab Ægypto; ex quo educit D. Gregor. lib.4. expositionis, grauitatem peccati Israëlitarum in petendo rege. Ait enim: *Summum namque crimen agnoscitur, ad cuius discussionem in Dei memoriam præterita cuncta peccata reducuntur.* Solet Deus sic cum peccatoribus se gerere vt videatur vel nô aspexisse illorû scelera, vel illorum penitus esse oblitus, sic peccatoris auget diuitias, sic beneficia cumulat in domo eiusdem; verum quod post hæc venit grande scelus, omnia dissimulata peccata ob oculos ponit diuinos, vt quasi nouiter apparentia, & rememorata Deum
Oseas 8. faciant exurgere in vindictam. Oseas cap.8. *Quia multiplicauit Ephraim altaria ad peccandum: facta sunt ei aræ ad delictum. Scribam ei multiplices leges meas, quæ velut alienæ computatæ sunt. Hostias offerent, immolabunt carnes, & comedent, & Dominus non suscipiet eas: nunc recordabitur iniquitatis eorum, & visitabit peccata eorum.* Aliquando dicitur Deus iniquitatum eorum recordari, sed quando? Theophylactus id ad Ephraim putat dictum cum vitulis immolabat: Rupertus ad totum Iudæorum populum cum obcæcatus Iesum morti tradidit. Sed in vtroque siue idololatria, siue Iesu persecutio fecerunt, vt omnia anteacta crimina simul in Dei memoriam reuocarentur, quibus memoratis, & ob
Theoph. oculos habitis, non vlterius parceret. Ait Theophylact. ibi: *Postquam enim, quæ immolant super altaribus suis multis, idola immolant, non suscipiet, & Dominus: quin potius per ea, & alias ipsorum iniquitates recordabitur, & ad vindictā prouocabitur.* Expende illud: *Et per ea alias iniquitates recordabitur, &c.* Solent enim crimina etiam in præsentissimis mentibus aliorum omnium criminum memoriam reuocare, & sic miseri-
Rupert. cordiam ablegare. Similiter Rupert. aiebat promens illud: *Nunc recordabitur. Nunc enim, id est in hoc ipso, quod nolunt intelligere leges Dei* (quæ supr de Christo) *recordatus Dominus iniquitatis eorum, & excæcatio hæc, visitatio est peccatorum eorum, quæ fecerunt à die, quo primum in deserto vitulum formauerunt, vsque ad illum diem, quo Christi sanguinem fuderunt.* Itaque Iudæorum obcæcatio in Iesum non sola apparuit in oculis diuinis, sed secum traxit memoriam omnium vetustissimorum criminum, & idololatriæ: quibus memoratis sic Deus in vindictam infallibiliter inferendam paratur.
Psalm. 49. Quo etiam respiciebat Dominus Psalm 49. aiens. *Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas; os tuum abundauit malitia: & lingua tua concinnabat dolos. Sedens aduersum fratrem tuum loquebaris: & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum: hæc fecisti, & tacui.* Ecce tibi inter tot scelera Dei dissimulatio, & quasi obliuio, quid tunc? *Existimasti inique, quod ero tui similis: arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Pro illo verbo, *statuam*, posuit Theodotion, *stipabo*, quasi innueret iuxta Apollinaris interpretationem confertissimum omnium peccatorum cumulum ob oculos proponendum. Et quidem vbi tanta peccatoris impudentia extitit, sic Deum excitauit, vt vetustissima omnia dissimulata, & pene obliterata peccata recordaretur, ob oculósque poneret, ne amplius parceret. Vnde
Euseb. Eusebius in Cat. Græc. ait. *Statuam verò ad arguendum te, ante oculos tuos peccata, quæ vnquam fecisti, quæ tu quidem existimasti, non amplius esse, nec in alicuius memoriam esse ventura. Verum ego tanquam Deus illa traducam,* &c. Caue tibi homo à peccatis, ne noua addas veteribus; illud enim, quod modo impudens cupis perpetrare, illa vetustissima pene obliterata, quæ tu putas non esse, in Dei memoriam re-
Oseas 7. uocabit, & grande supplicium traher. Similiter apud Oseam cap.7. Ephraim idololatriam taxans Dominus sic fatur iuxta LXX. versionem. *Omnia scelera eorum recordatus sum nunc: circumdederunt eos cogitationes suæ.* Vide malum recentis idololatriæ, non solum ipsa oculis diuinis apparuit, sed & cum illa, quæ Deus, quasi non videns prætererat, dissimularat, vniuersa peccata rememorata appareant, adeò vt nec occultissimæ, & remotissimæ cogitationes, ibi ab-
Theoph. sint. Theophylactus sic: *Quandiu, inquit Dominus, conniximsem, nec longanimitate mea iudicatus sim cernere ab ipsis ausa, nunc tandem apertè ea contueor, vt quæ in conspectu meo fuerint consistuta. Siquidem omnia simul collecta sunt, & in circuitu eorum steterunt, ne dum opera, sed & cogitationes, quæ demonstrant eos esse dignos, quibus irrogetur pœna.* Quis non metuat noua veteribus addere peccata.

§. V.

Castus, & legitimus à Deo affectus nihil præter Deum spectat.

Meritò dicitur adultera generatio, quæ excutiens ad Deum tota est in signis medio aëre videndis, ea solû æstimat, quæ oculis spectare possit, & cum voluptate admirari. Hæc, inquam, merito generatio adultera dicitur, quandoquidem qui legitimus à Deo affectus venit, nil primario, & per se nouit spectare, & inquirere, quam ipsum Deum. Prætereo Theologorum scholas, quorum alij hoc diuino filio innatum putant, quod ex cognitione solius paternæ substantiæ procedat: alij saltem hoc illi esse naturale dicunt, quod primario, & per se ex vi generationis suæ essentiam diuinitatis spectet. Quippè nulli dubium est ex prospectu Dei verbum diuinum, legitimúmque diuinitatis partum censeri, adeò vt non sit si alio spectet. Iam inde censendus est quicumque à Deo legitimus venit affectus, si Deum spectet, vel si relicto Deo ad alia creaturarum decora inclinetur. Eccl. 24. sic diuina sapientia legitimas suas proles explicat: *Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis & sanctæ spei.* In quibus expendendum est, cum quibus fratribus, imò gemellis nascatur castus, & legitimus à Deo affectus; huius primus frater ponitur timor filialis; tunc agnitio, hoc est, iuxta D. Anselm. ibi, cognitio paternæ diuinitatis; insuper sancta spes, videlicet iuxta Hugon. *Quæ nihil spectat, nisi Deum.* Qui hos gemellos fratres non habet, qui nescit Deum spectare, Deique bona sperare, is adulter, & degener affectus est: ille solus castus, & legitimus à Deo venit affectus, qui nihil spectat præter Deum. Hinc monebat D. Augustin. hom.9. *Amor castus in te esse debet, quo amore desideres videre non cœlum, & terram, non campos liquidos maris, non spectacula nugatoria, non fulgores, & nitoresque gemmarum, sed desideres videre Deum tuum, amare Deum tuum.* Vane se legitimam Dei prolem reputat, qui auide fertur in nugatoria spectacula, qui rapitur pulchris creaturarum splendoribus, siue spectris. Ille regenerationis suæ legitimum thalamum exhibet, qui non creaturarum ludicra, sed verum, & solidum bonum, nempè Deum suum toto virium conatu spectat. Sapientér dicebat D. Cyprian. lib. de spectaculis circa finem *Nunquam humana opera mirabitur, quisquis se cognouerit filium Dei. Deijcit se de culmine generositatis suæ, qui admirari aliquid post Deum potest.* Proculdubio est degener oculus, vel affectus, qui aliud nouit respicere præter Deum; vt cuius ouis sit filius agnellus ostenditur ex sequela quo ille alias lactantibus vberibus etiam graues præterit, & despicit, vnique soli adhæret, quam vel à longinquo prospicit: sic filius Dei legitimus noscitur, qui solum sciuit currere ad Deum. Apud Ierem. cap.3. ait Dominus: *Ego autem dixi: Quomodo ponam te in filios, & tribuam tibi terram desiderabilem, hæreditatem præclaram, exercituum gentium? Et dixi: Patrem vocabis me, & post me ingredi non cessabis.* Expende medium, quod offert Deus hominibus peccatoribus, vt possint numerari inter legitimos Dei filios. nimirum ait: *Post me ingredi non cessabis,* in tantum filius legitimus habeberis, in quantum vni adhæseris Deo, Deumque in omnibus spectaueris. Non sic, qui suæ se committunt voluntati, qui oculos suos, & spes suas ad creaturas habent. De his apud Isaiam cap 57. *Accedite huc filij augurationis; semen adulteri, & fornicariæ super quem lusistis?* Vel vt ex Hebræo Forerius reddit: *Super quem habuistis voluntatem:* Equidem super Deum habere volebant voluntatem, cum aiunt: Volumus à te signum videre; & cum Deo ludere volebant, cum signa petunt faciendo medio aëre; sanè vt illi nô ex Deo diuinent suas felicitates more augurum, in quo ostenduntur, quam longè sint ab spiritu adoptiuorum, vtpote spurij, & degeneres, qui totas suas spes in creaturis fixas habent.

Eccles. 24.

Anselm.

August.

Cyprian.

Ierem. 3.

Isai. 57.

§. VI.

Petitio de rebus paruis insinuat animum degenerem à prosapia diuina.

Adultera proculdubio erat generatio, quæ ad sanitatem corporum, & animarum miracula excutiens meteororum inania signa petebat, quæ sanè minima sunt, & nullius momenti inter supernæ virtutis signa. Vnde dicebat Chrysol. serm.132. *Qui vilia, & indigna precatur, præstantis potestatem, & potentiam degener petitor ignorat.* Non legitimus

Chrysol.

gitimus est, sed adulterinus, & degener, qui sic ignorat diuinarum diuitiarum altitudinem, vt non petat nisi vilia, & parua. Sanè ex magnarum rerum petitione censebat legitimos Dei filios Paul. ad Rom. 8. aiens: *Accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei: in quo clamamus. Abba Pater.* Io spiritu filiorum accepto clamamos ad Patrem; sed quid est clamare? An externos clamores edere? Absit: clamor in præsenti vocatur à D. Anselm. petitio de rebus cœlestibus, de iustitiæ, virtutisque magnalibus. Exod. 14. metienticulosum populum Ægypti exercitu perterritum sic Moyses affatur. *Nolite timere: state, & videte magnalia Domini, qua facturus est hodie; Ægyptios enim quos nunc videtis, nequaquam vltra videbitis vsque in sempiternum. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Dixitque Dominus ad Moysem: Quid clamas ad me?* Expende quæso, quod nondum Moyses fecerat verbum ad Dominum, nondum labia mouerat, & iam censetur clamare. Qui clamor erat in Moyse? Non cum Domino, sed cum populo agebat de sperandis à Deo magnalibus, dum ait: *videte magnalia Domini, &c.* & merito in meditata petitione de magnalibus iam Deus filiorum suorum clamorem reputabat. Ad hæc Diuus Ambros. in Psalm. 118. Octon. 19. ait. *Clamabat affectu pio, & sensu profundo, & perscrutabat in cælo, mirabilia petens digna cœlestibus vt mundi elementa mutaret.* Non parua à magno sciuit petere filialis clamor, similiter & nos, qui filiorum adoptionem accepimus, non seruorum mussitationem, sed audentem clamorem edamus, non vilia, sed magnalia à Deo magno petentes, & spectantes. Nos filios ostendat clamor hic, non adulteros, degenerésque promat de vilibus, & paruis postulatio. His designabat filium Sol pater dum ait. *Magnum petis Phaeton*, & quidem adulterinus esset, & indignus magno parente, qui minimis, & paruis posset delectari. Quapropter monebat supra Ambros. *Et tu cum orat, magna ora: id est, ea ora, quæ æterna sunt, non qua caduca. Ora qua diuina sunt atque cælestia, vt sis sicut Angeli in cælo. Noli orare pro pecunia, quia ærugo est; noli pro auro, quia metallum est; noli pro possessione, quia terra est. Ista oratio ad Deum non peruenit. Non audit Deus, nisi quod dignum suis ducit beneficiis.* Inde quis domesticus, & filius Dei censetur, si nouerit ea magnalia petere, quæ non sit indignum à Deo præstari. Vide lib. 10. cap. 9. §. 1. & lib. 11. cap. 1. §. 18. & alibi.

Rom. 8.

Exod. 14.

Ambros.

Idem.

§. VII.

Pene detestabilior Deo est adulter, quàm Idololatra.

Non semel Dominus vocat Iudæos adulteros, quia post deos falsos abierunt; Isaiæ 57. *Accedite huc filij augnratricis; semen adulteri, & fornicaria.* Et statim: *Qui consolamini in diis super omne lignum frondosum.* Cur non potius vocat idololatras, quam adulteros? Nonne detestabiliores illos ostenderet obiectum crimen idololatriæ, quam adulterij? Non possum negare idololatriæ crimen grauissimum esse, & longe grauius adulterio; verum sic Deus adulteros detestatur, vt quandoquidem velit videri minoris facere idololatriæ abominationem, quam adulterij. Facile hoc mihi persuadent voces frequentissimæ apud prophetas, quæ populi sui idololatrias sub vnico adulterij nomine exaggerant, vt patet legentibus sacram paginam. Rursus vbi, & matrimonia indissolubiliter seruanda, & repudia permittenda statuit, non vult vxorem à viro idololatra separari: verum ab adultero, & scortatore illam separati permittit. Sic enim habes 1. Corinth. capit. 7. *Si qua mulier habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum.* Ecce tibi non permittit Dominus repudiari idololatram à coniuge fideli. Sed de adulteris habes Matth. 5. *Si quis dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari.* Non criminis alicuius magni, non idololatriæ, sed adulterij causa repudium coniugis impunitum est apud Deum. Ex quibus sic ait Diuus Basil. Seleuc. orat. 41. *Tam enim facinus adultery Deo videtur detestabile: vt si vxor ab idololatra, illo inuito distrahatur, puniat tam Deus: non si ab scortatore.* Dei lege obligatur coniux communionem habere tori cum idololatra, minime autem cum adultero, propter quod solum crimen licitum est per Deum inter coniuges separatio. Fieri enim potest, quod idololatra bene audiat apud Deum propter consortem fidelem, non sic adulter, sed semper detestabilis Deo accidit. Ad Corinth. 1. capit. 7. ea assignatur ratio, cur mulier nupta maneat etiam sub idololatra viro: *Sanctificatur enim vir infidelis per mulierem fidelem.* Potest idololatra vir aliquomodo vincere de fide vxoris; adulter omnem ipsam, & vitæ & sanctitatis excludit. Id quod expendit D. Basil. Seleuc. supra dicens. *Ex his colige quantum hoc malum alia excedat: qua enim cum infideli habitat, non est immunda. Sanctificatur enim vir infidelis per mulierem fidelem. De meretrice autem non ita res habet: quid enim ait? Tollens igitur membrum Christi faciam illud membrum meretricis. Ibi enim sanctimonia manet; neque ob contubernium, mutuamque consuetudinem excidit; hic autem recidit. Dirum proinde execrandumque malum est.* Et cur non execrandum est malum quod Deus adeo detestatur? Quod sic opponitur sanctitati, quandoquidem apud idololatras propter fidelem comparem potest manere aliqualis sanctitas, quæ nec eius vmbra apud adulteros manet? Paul. ad Roman. 7. vt explicaret extremam ruinam naturæ humanæ dicebat: *Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato.* Vnde scimus carnales homines venundatos esse sub peccato; redemptos à Christo Iesu per preciosum sanguinem suum: sed nescimus per quid eos diabolus emerit: qua mercede, qua pecunia venundati sunt homines, vt misera sint dæmonis mancipia? Pro quo Origen. homil. 15. in Genes. ait. *Rectè quidem dicitur redemisse nos Christus, quos pretium nostri sanguinem suum dedit: quid tale autem, vt nos mercaretur diabolus, dedit? Ergo si videtur, ausculta. Adulterium pecunia diaboli est. Diaboli enim in eo imago est, & superscriptio. Commisisti adulterium, accepisti diaboli numisma.* Quale malum est adulterium ex quo diabolus pecuniam sibi thesaurizat, qua liberas mentes conuertat in misera mancipia? Nec miror quod dicat in adulteris imaginem, & superscriptionem diaboli esse, sicut in proprio numismate, quandoquidem quod adulterio pene coniuncta est Dei exclusio, & atheismus. Vbi Matthæus capit. 6. incipit triumphaleio Ioannis mortem edicere ait: *Herodes misit, ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcere propter Herodiadem vxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam vxorem.* Quasi indigitet adulterium tanti criminis causam: id quod notans D. Basil. Seleuc. orat. 18. ait. *Herodiadis tripudium nobis hodie inuulgat Euangeliorum vox, & atheum mulierum illarum publicitus pandit insanium.* Pulchrè adulterarum rabiem vocat atheam insaniam: quasi adulteris propinquus sit, & maximè proximus atheismus, quo protsus sine Deo sunt.

Isai. 57.

1. Cor. 7.

Basilius Seleuc.

1. Cor. 7.

Basil. Sel.

Rom. 7.

Origen.

Matt. 6.

Basil. Sel.

§. VIII.

Peccatum semper in aliud grauius impellit.

Notate verba: *Generatio mala & adultera.* prius mala, sed cum malitia nesciat quiescere, quin potius semper impellit in grauius malum, ideo statim additur adultera. Quod id omnes persuasum habeamus, nimirum à semel recepto malo impellendos esse ad aliud grauius. Crudele illud crimen erat quod Dominus Israelitis obiicit Psalm. 105. *Immolauerunt filios suos, & filias suas dæmoniis.* Quid crudelius? quid magis impium quam quod pater iugulet filium dæmonibus? Cum eo malitia peruenit, nonne stetit ibi? Minimè: sed adhuc impulit eos ad aliud grauius, quando nunquam sciat malitia cessare. D. Hieronym. in capit. 57. Isaiæ ait. *A parricidio liberorum, ad prophetarum sanguinem peruenerunt.* Omnis malitia non terminus, sed via est ad aliam: eo ipso quod in eodem sit, nescit quiescere, nescit non impellere nos in quid grauius. Matth. 6. *Herodes misit, ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcere propter Herodiadem vxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam vxorem.* Expende initium criminis in Herode, prius fratris vxorem duxit, nec ibi malum quieuit, sed inde ad sacrilegium properauit, vt Ioannem trucidaret. Non enim in tantum facinus auderet, nisi prius recepta in animo nefandi concubitus malitia, de cuius impulso venit, quod & in sacrilegij recideret barathrum. Etenim ait D. Basil. Seleuc. orat. 18. *Mihi vide diaboli artem, vt ad impietatem exsilientibus crenis extrahat. Primum fraternis cubilis possessorem fecit, & subsessorem, vt ex adultery fossa ad Baptista cædem transilire faciat. Malum verò tempore altum crescit in quamum libertatem.* Non equidem obscurum signum est abolitæ malitiæ, quod quis aliquandiu abstineat ab sceleribus perpetrandis; quandoquidem vbi malitia adest, non quiescit, sed semper impellit in aliquid grauius.

Psal. 105.

Hieron.

Matth. 6.

Basilius Seleuc.

Text. Et signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ.

§. IX.

Adulteri extremam Dei derelictionem, & expulsionem metuant.

QVod Ionæ signum minatur Dominus Iudæis, non est aliquod particulare Ionæ factum, sed vniuersa omnium actio, quæ in Iona à Deo repræsentata est; ea autem erat derelictio, & repulsa populi Iudaici, & gentium vocatio. Hanc ergo derelictorum Iudæorum in Iona præsignatam minatur modo Iesus eisdem quasi præsentem, & iam iam instantem. Nec vacat mysterio, quod adultera vocetur generatio, cui Deus extremam derelictionem minatur, quin potius crediderim in eo ostendi, derelictionem extremam supplicium proprium adulterorum esse. Quo

Ezech. 16. spectat illud Ezech. 16. *Et iudicabo te iudiciis adulterarum, & effundentium sanguinem, & dabo te in sanguinem furoris, & zeli.* Et post nonnulla supplicia in particulari designata, subdit immediate. *Et requiescet indignatio mea in te: & auferetur zelus meus à te: & quiescam, nec irascar amplius.* Ecce tibi adulterorum iudicium à Deo statutum, nimirum, tale repudium, quo penitus à Deo pro derelictis habeantur, nec quid illis præstet, quod veniæ efficaciter impetrandæ seruire posset, sed omnia illis in malum conuertantur. Solet enim indignatio Dei, & zelus dilectis filiis monstrare salutis callem; quæ omnia ab adulteris Deus aufert, relinquens eos ire post desideria sua, quibus obcæcati misere

Prouerb. 9. perdantur. Quo respiciebat Prouerb. 6. *Qui autem adulter est; propter cordis inopiam perdet animam suam. Turpitudinem, & ignominiam congregat sibi: & opprobrium illius non delebitur. Quia zelus, & furor viri non parcet in die vindictæ.* Expende adulterorum pœna vnde ostendat grauitatem suam, quia nimirum, *zelus, & furor viri*, hoc est, iuxta Hugonem, *Christi, non parcet in die vindictæ*; quasi vnicus solum, & extremus dies sumatur à Deo pro vindicandis adulteris, quod summæ iræ argumentum est: quos enim Deus amat, castigat frequenter, & crebris punitionibus agit in viam salutis: non sic in adulteris, sed illos relinquit in desideriis suis, vt congregent, & thesaurizent iram, in diem iræ. Ad

Chrysost. hæc D. Chrysostom. homil. 3. in verba Isaiæ ait: *Quemadmodum gubernator in portu faciens naufragium, haudquaquam vllam impetraret veniam: sic neque is, cui cum per coniugium concessum sit, quo lapsum effugiat: tamen aliena perfodit matrimonia, habere quicquam posset, quo semetipsum excuset, nec apud homines, nec apud Deum.* Et quidem pulchro exemplo explicat extremam adulteri derelictionem: dum enim gubernator vastissimum mare tranat, & cum ventis, fluctibusque obluctatur, vt ad portum perueniat, omnes aspicientes in miserationem flectit, & trahit in auxilia, quibus modis possint: verum vbi quietissimo, tranquillissimoque iam portu vtitur ab omnibus auxiliatoribus deseritur; nec est vllus qui illius solicitetur periculo, in quod tunc, absque vlla aliorum miseratione incurret: sic prorsus accidit in salutis via; in qua à Deo & auxilia, & subsidia mille parantur his, qui cupiditatibus obluctantes gradimur; verum à coniugatis, quibus concessum est, quo concupiscentias sedent, & ducant in tranquillum, si tamen adhuc instent alienis, omnem curam, & solicitudinem, & efficacem prouidentiam merito auferat Deus, & prorsus illos destitutos relinquat. Quin etiam ab illis caueat gregem suum, tanquam à pestilentibus viris.

Ierem. 3. Ierem. 3. *Si reliquerit vir vxorem suam, & recedens ab eo duxerit virum alterum, nunquid reuertetur ad eam vltra? Nunquid non polluta, & contaminata erit mulier illa?*

LXX. Septuaginta posuere: *Nunquid non polluta erit terra illa?* Quasi non solum adultera, sed & vniuersa terra, quam calcat, contaminetur, & polluatur contagio adulterij, propter quod adulteri, & arcendi sunt, & repellendi ab hominum fidelium conuictu. Id quod cauebat D. Basil. Seleuc.

Basilius Seleuc. orat. 41. inquiens. *Quare hortor vos hoc adulterij morbo liberetis. Sin id minus vultis, templorum adyta ne ineatis. Nam & coopertæ scabie oues non sunt cum sanis congregabiles: sed à grege abigendæ, dum morbum deponant: Christi enim membra sumus, ne igitur membra meretricis simus. Non est hic locus lupanar, sed Ecclesia. Quod si meretricis membra habeas, in Ecclesia ne steteris, ne locum ipsum contaminaueris.* Adeò perniciosum est adulterium, vt adulteros Deus quasi pestilentia laborantes viros à suorum fidelium grege, & communione separet & separatos relinquat. Solent contagiosæ febres eam derelictionem, & separationem causare; qua filij, & separentur, & derelinquantur ab ipsis parentibus; sic Deus omnium parens adulteros detestatur.

§. X.

Peccatori proteruo nihil in Iesu restat, nisi iudicium.

MEritò obduratissimis Iudæis vnum Ionæ signum relinquitur; a Iona enim peccator nihil posset sperare, nisi ruinam, & perditionem; quandoquidem vnus hic propheta inuenitur doluisse, quod venia peccatoribus daretur, qui mallet, vt omnes perirent. Igitur quam immisericordiam Ionas volebat peccatoribus conuersis, inueniunt obdurati peccatores in Iesu; dum enim peccatis hærere malunt, nullum illis relinquit Iesus benignitatis signum. Talis erat etiam ille qui Matth. 19. ait: *Magister bone, quid boni faciam, vt habeam vitam æternam?* Huic statim seuerissimus Iesus respondit: *Quid me interrogas de bono? Vnus est bonus Deus.* Ecce vobis Iesus nihil boni patitur spectari in se à iuuene isto, an quia ipse bonus non erat? Absit: sed quia iuuenis hic obduratus erat in cupiditatibus suis; illis autem qui sic hærent obstinate vitiis, totum quod in Iesu relinquitur, non bonitatis est, sed seueritatis, & iudicij. Ita D. Hilar. canon. 19. in Matth. inquit: *Cum necesse sit impia, & iniqua punire, nomine bonitatis abstinuit, solo hoc nomen Deo patri reseruans; non quod bonus ipse non esset, sed quod congrua in eam seueritate iudex esset futurus.* Miseri illi sunt, quibus tantum bonitatis, & clementiæ pelagus omnino occluditur; & solum quod seuerissimi iudicis est, relinquitur. A nomine bonitatis, à benignitatis signis abstinet Iesus, & solum sese ostendit iudicem his qui obstinato animo volunt suis desideriis seruire. Apud Ezech cap. 9. post ostensas Ierosolymitanorum abominationes, & scelera quibus omnes pertinaciter adhærebant, dum ad vltores Angelos locutus est Dominus, dicitur: *Et gloria Domini Israel assumpta est de Cherub, quæ erat super eum ad limen domus.* Quibus expendendum est, quod, vt ministros suos loquatur Dominus, relinquat Cherubinorum sedes, relinquat arcæ propitiatorium, immò à toto templo suo egrediatur; & sese constituat in limine ostij. Cur non magis de interiori templi, de super Cherub, & propitiatorio loquitur? Et templum, & Cherub, & propitiatorium signa erant hominibus salutaria, quæ salutem hominum præsignabant. Merito ergo Dominus abstinet ab vniuersis his signis dum ministros suos mittit ad peccatricem, & obstinatissimam ciuitatem. Pulchrè Theodoret. ait. *Cum enim sit contra ciuitatem laturus sententiam, extra sancta loco id facit, quæ non supplicia, sed salutem suppeditant.* Nihil prius facit Deus, quam omnia salutis signa dimittere, & ablegare cum ad obstinatos peccatores exit, vt solum ipsi seueritatis iudicium videant. Impudentissimi sunt illi qui scientes, & volentes sese vitiis immergant, & dum nolunt à peccatorum laqueis expediri nihilominus quærunt in Iesu salutis signa, quibus sese tutos credunt: non his manent in Iesu signa salutis, sed seuerum iudicium, sed horrenda repulsio. Peccaturo Petro dicebat Iesus Matth. 26. *Antequam gallus cantet, ter me negabis.* Ecce vobis galli cantus datur Petro pro signo cessationis negationum, immò pro signo obtinendæ salutis post peccatum; vbi enim gallus cantauit, expergefactus Petrus egreditur foras; & flet amarè, & reunitur vitali Iesu arbori. Sed cur galli cantus ponitur pro salutis signo, & non magis cæterarum auium cantus? Cur non dicit, antequam passerculi cantent, sed maluit exprimere galli cantum? Solus gallus canit ante lucem; cæteri passerculi post ortum solis canunt: & peccator ille merito habet signa salutis, qui intra tenebras infirmitatis humanæ & ignorantiæ indulget peccatis: qui autem post ortum solem iustitiæ, post eius frequentes radios, noscens pericula inferni adhuc pertinaciter, & obdurare sese suis tradit desideriis: is impudentissimus est, si tunc signa salutis vane sperat, cui nulla prorsus sunt, sed solum iudicium, & repulsa manet. Accipite Origen. tract. 35. in Matth. santem. *Forsitan autem, & omnes homines quando denegant Iesum, ita, vt peccatum denegationis eorum recipiat medicinam, ante galli cantum denegare eum videntur nondum eis nato sole iustitiæ, nec appropinquante eis oriri ipsius. Si autem post ortum huiusmodi solis ad animam, volentes peccauerimus, postquam accepimus scientiam veritatis, iam non relinquitur nobis sacrificium pro peccato, sed terribile iudicium, & zelus ignis, qui consumpturus est inimicos.* Hæc legant, qui dum sese obstinate, & pertinaciter post Iesum cognitum tradunt vitiis, supra dorsum eius ea signa salutis ædificantes, quibus prolongent iniquitates suas: insuper hæc legant, qui post multam

Matth. 19. · Hilarius. · Ezech. 9. · Theodor. · Matth. 26. · Origen.

scientiam de Iesu magnaliis, de merito, de prædestinatione, de malitiæ infinitudine, de inferni pœna minori culpis, adhuc se volunt committere voluptatibus, in illisque inhærere, metuo ne hi sint, quibus in Iesu non relinquitur signum salutis, non relinquitur sacrificium pro peccato, sed terribile Iudicium, & zelus ignis.

§. XI.

Periculosè, immò exitialiter, non correspondes illis auxiliis diuinis, cum quibus alij maximè proficerent.

NOn solum Ionas, sed & multi alij prophetæ Iudæorum excidia, & gentium vocationem præsignarunt; cur ergo solus Ionas relictis aliis in medium adducitur? Ionas non solum verbis, sed & factis ipsis ostendit transmigrationem diuinæ gratiæ ad gentes. Quippe is propheta cum esset apud Israëlem, populumque de peccatis admoneret, viamque salutis aperiret, nihil proficiens, iubetur à Deo ire in Niniuem, quæ ciuitas prædicatione Ionæ accepta pœnitentiam egit, & inuenit salutis viam. Merito enim Iudæis nihil agentibus, sed impedientibus, & occupantibus otiose prophetam, eripitur Ionas, vt tradatur Niniuitis eius prædicatione egentibus, vt salui fiant. Semper enim periculose contemnis diuina auxilia aliis necessaria ad salutem; eripientur enim tibi, & dabuntur illis. Apud Luc. 13. proponitur huius rei similitudo in habente ficul-
Luc. 13. neam sterilem plantatam in vinea sua. *Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio. Succide ergo illam: vt quid etiam terram occupat? At ille respondens, dicit illi: Domine dimitte illam & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora, & siquidem fecerit fructum: sin autem, in futurum succides eam.* Hæc dicta sunt de ficulnea hac, vt extirpetur, & eradicetur à vinea Domini, non tamen dicitur, nec explicatur an Dominus annuerit cultoris precibus, & illam tibi reliquerit? Et cur hoc non explicatum est, sed prorsus incertum relictum? Rationem huius incertitudinis crediderim fundari illis verbis: *Vt quid terram occupat?* Quippe ægrè non eripit omnia Deus infructuosè occupati auxilia diuina, & vocationis statum, quibus alij egent, vt possint multiplices fructus dare. Sapienter enim aiebat ad hæc Nazian-
Nazianz. zenus orat. in sanctum Baptisma fatus. *At incertum est, eò ne adduci poterit Deus, vt illi parcat, vtpote etiam locum occupanti, cum interim alius misericordia egeat.* Et cur non malè audiat apud Deum ille, qui, & locum, & auxilia, & media salutis otiosa tenet, & occupat; quando illis egent alij, qui magnos inde fructus compararent? Innumeri proculdubio hodie sunt extra Ecclesiam, extra ordinem egentes magna Dei misericordia; egentes magnis auxiliis, siue externæ, siue internæ disciplinæ; quæ habemus omnes qui sumus in Ecclesia, vel in hoc ordine vocationis; habemus, inquam, illa prorsus vacua fructus, & inaniter occupata. Quis credat Deum permissurum quod tantorum bonorum merita sint inaniter occupata, quin potius illa auferet, & tradet egentibus: vt fructum capiant? Cum huc peruenio, non possum non proferre, quæ sæpe animo voluo de reprobatione Iudæorum, & translatione gratiæ Dei ad gentes. Sanè grandia erant Iudæorum peccata; sed gentium peccata erant multo minora? Apud gentes abominationes erant, idololatriæ, præposteræ libidines, homicidia. immo & deicidia, & vniuersa scelerum genera, cur ergo Iudæorum peccatum sic Deum offendit, vt conniuere Deum faceret ad gentium abominationes, adeo vt gentes præ Iudæis vocaret? Inter alias hæc sese mihi obtulit ratio, quod Iudæi peccatis suis tantam Dei gratiam habebant occupatam, & vacuam, quæ posset ditare fructibus orbem terrarum. Paul.
Rom. 11. ad Rom. 11. aiebat: *Amissio eorum reconciliatio est mundi.* Expende, quid apud Iudæos amittebatur gratiæ, nimirum, quod sufficiens erat totum mundum Deo reconciliare, &
Anselm. copulare. Ansel. ibi; *Tanta fuit in hac gente gratia, quæ sublata ab ea mundum vniuersum Deo reconciliare sufficeret.* Inde maiorem offensionem, certiorem repulsam Iudæorum præ tendebant peccata, quod vacuam facerent gratiam; cuius rore vniuersus orbis posset fœcundari. Hinc metuant multi similem expulsionem, in quibus gratia vacua & otiosa est, quæ plurimos alios ditaret. Apud Iudic. 6. habes Gedeonis vellus cœlesti rore madidum, sed statim vellere sicco manente, exiens inde ros, totam vicinam aream fœcundat. Sed cur sic exsiccatur vellus? Erat in vellere obscurus, & ignotus ros, qui possit spatiosam aream, & latissimam fœcundare, vnde merito à vellere in aream transfertur roris gratia. Hinc in rem præsentem aiebat D. August. sermon. 2. de verbis Apostoli. *Repete tempus veteris testamenti, gratia occulta est* Iud 6.
in nube, tanquam imber in vellere. Attende modo tempus noui testamenti, discute gentem Iudæorum, quasi vellus siccum inuenies: orbis vero totus, tanquam illa area plenus est gratia non occulta, sed manifesta. Et cur à vellere occultantem & obscurantem gratiam tantam, non auferatur ros suffecturus orbi terrarum? Sanè quilibet Christianus tantam in se gratiarum copiam recipit, quanta si daretur infidelibus, multi eorum conuerterentur, & operarentur in fide. Caueat ergo ne vellus sit, ne in se obscuret, & abscondat talentum gratiarum, quando circa est area sicca, hoc est, multi alij, qui possent illo ditari. Id quod in religiosis viris magis timendum est, quia nullus illorum est, qui non habeat in se occupatos ingentes fontes gratiarum, qui possent replere orbem terrarum.

Text. Sicut enim fuit Ionas in ventre Ceti tribus diebus, & tribus noctibus: sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.

§. XII.

Luxuria semper sæuit in Christum.

NOn oscitanter Dominus Iesus paulo ante notabat generationem adulteram, dicturus modo mortem, & sepulturam suam, sed vt ostenderet, à quibus in sepulchrum deiectus est, nimirum ab adulteris. Et quidem inter omnia vitia carnalis voluptas acerrimè contrariatur Dei virginisque filio, illumque mandauit quondam, & quotidie nunc quantum est ex se, mandat sepulturæ. Quò spectabat Iacob Genes. 49. aiens. *Simeon & Leui fratres vasa iniquita-* Gen 49.
tis bellantia. In consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea: quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum. Ecce tibi totam Iesu tragœdiam à Leuitis, & Simeonitis actam; hi coegerunt concilium, vt Iesum morti, & terræ traderent; horum furori, & prauæ voluntati tribuitur Iesu mors, & sepulturæ claustrum. Sed scire cupis vnde hi venerint in tam exsecrandum facinus; quod manifestat clare lectio Tertull. lib. aduersus Iudæos, inquiens: *Simeon & Leui per-* Tertull.
fecerunt iniquitatem ex sua secta, qua scilicet Christum sunt persecuti. In concilium ne veniat anima mea, & in stationem eorum ne incubuerint viscera mea: quoniam in indignatione sua interfecerunt homines, id est, prophetas, in concupiscentia sua subneruauerunt taurum, id est, Christum. Expende quod à Leuitarum indignatione dicatur orta interfectio prophetarum; verum occisio Christi à concupiscentiis eorum habet ortum. Quippe carnalis concupiscentia est, quæ maxime in Iesum desæuit. Nullibi apparet vel vmbra concupiscentiæ carnalis, vel fœmineæ mollitudinis halitus, qui aliquid non nitatur detrahere Christo. Is Petrum Christianorum primatem oculatissimum Iesu discipulum fecit aliquando in Christi cognitione cæcutire. Nota est historia Ioan. capit. 21. vbi rediuiuus Iesus piscantibus discipulis apparet, iubet retia in dexteram nauigij mitti: piscibus replet: tunc, *Discipulus ille, quem diligebat Iesus, dicit Pe-* Ioan 21.
tro, Dominus est. Simon Petrus cum audisset, quia Dominus, &c. Quibus valde miranda est Petri tarditas in cognoscendo Iesu, Petrus, inquam, qui & diuinam Iesu generationem cognouit, cum adhuc ille esset mortalis, & inde accepit Ecclesiæ primatum, modo tardus, & Ioanne tardior in cognoscendo Iesu? Vnde hæc hebetudo circa Iesum in Petro? Nihil in illo video Iesu contrarium, nisi forte recurram ad ancillulæ in domo Cayphæ colloquium, quandoquidem, vel fœmineæ mollitudinis habitus Christianis semper solet esse lethalis. Accipite Chrysolog. sermon. 78. fantem. *Petrus vt audiuit. Quæ res illam Petri sic tardauerat mentem,* Chrysol.
vt ab alio audiret Dominum, qui cæteris consueuerat nuntiare? Vbi est illud ipsius singulare: tu es Christus filius Dei viui, vbi est? In domo aufugerat Cayphæ principis Iudæorum, tardius suum Dominum videbat, qui vocem facile ancillæ susurrantis audiuit. Et quidem raro fœminea mollitudo non infert nocumentum rebus Christianis. Audisti diabolū ausum fuisse per se ipsū semel, & ter Iesu in deserto prælia inferre; sed quoties per se accedit, victus abit, nec vllum damnum potuit rebus

Christianis comparare. Quid tunc? Lasciuientium hominum ingreditur animos, & inde tanquam ex armata bellua de Christi exercitu morti tradit antesignanum, nimirum, Basilius Seleuc. præcursorem Ioannem. D. Basil. Seleuc. orat. 18. *Primum cum abluto Christo confligit; vbi cum victoriam desperasset, in Ioannem vertit arma, & Herodianis affectibus pro armis vsus, viam aperit ad Baptistæ mortem.* Imbecillis est diabolus aduersus milites Christianos, dum carnalibus concupiscentiis non vtitur pro armis; has si assumat, nunquam non parat excidia Christo, rebusque Christianis. De hoc etiam lib. 1. cap. 7. §. 5. & alibi.

§. XIII.

Iusti in morte maximè protecti, & muniti.

FVit Iesus in sepulchro tribus diebus, & tribus noctibus, vt Ionas in ventre Ceti; sed Ionas vt in ventre Ceti totidem dies perseuerasset, quanta ad id ope, & protectione diuina indiguit? Astitit equidem diuina omnipotentia Ionæ, qua vallatus, & munitus potuit in ventre Ceti tandiu perseuerare viuus. Disce ex hoc Christiane, quam protecti sunt, & muniti iusti, etiam inter mortis fauces, inter ipsas tenebras sepulchri. Iob de morte sua fatur, Iob 3. capit. 3. *Nunc enim dormiens silerem, & somno meo requiescerem cum regibus, & consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines.* Pulchrè mortem suam comparat iustus vir, non morti regum, sed eorum somno; in morte enim principes terræ accessibiles sunt, & patentissimi omnibus; fores palatiorum tunc patent, nulla custodia domus, pene omnibus licet intrare illoc, & quanta tunc licent seruis, & domesticis? Quis est qui non furetur aliquid propter custodiarum incuriam? At in somno, vt principes dormiant, quam se protegunt? quam se muniunt? tota familia vigilat, ne vel strepitus fiat, qui dormienti damnum inferat. Huic ergo regio somno simillima est iustorum mors, in qua sic iusti proteguntur, sic muniuntur à Dei exercitibus, vt videantur reges, & terræ principes esse, qui somno & quieti indulgent. De Pharisæis circa sepulturam Christi Matth. 27. dicitur Matth. 27. *Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrum, signantes lapidem cum custodibus.* Dum miseri putant suo furori seruire, seruiunt magis Iesu, cuius sepulchrum muniunt armata militum custodia, vt ostendant non mortem, sed regium somnum ibi custodiri. De hoc præclarè D. Damasc. Damascen. homil. de sepultura Christi, inquiens. *Iacet ergo mortuus in sepulchro, excubitoribus, signaculisque obseratus, qui abyssum creauit, obsignauitque, qui posuit mare arenam pro termino, sicut Leo requieuit: vt catulus leonis obdormiuit, vt rex dum somnum capit custodibus septus.* Ecce tibi, qualis est in sepulchro mortuos diuinus, non vt homo interfectus patens elementorum ruinis, & hostium incursibus, sed vt princeps, vt rex quieti & somno indulgens, armatis custodibus vndequaque munitus. Sic iusti omnes in morte custodiuntur, muniuntur plusquam reges, cum Luc. 16. viuunt, Luc. 16. de purpurati, & mendici morte ait. *Factum est autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Diues autem mortuus est, & sepultus in inferno.* Chrysol. De vtroque Chrysolog. sermon. 121. ait. *Pauperem portant Angeli diuitem dignitas inferuat. En fratres, mors pauperis tantum vitam diuitis vicit, & elatio sola pauperis totam diuitis pompam transcendit, & gloriam.* Nulla est regum maiestas, quæ non sordeat, si comparetur iusti sepulturæ.

Text. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ: & ecce plusquam Ionas hic. Regina austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam, quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis, & ecce plusquam Salomon hic.

§. XIV.

Qui peccatores sunt ex fidelibus, innumeros habent vindices, & carnifices.

NOta quod carnifices exurgant in miserum Iudæum; & vniuersi viri Niniuitæ, & Regina austri surgent in iudicio vt Iudæum perdant; qui enim ex populo Dei perditioni dantur, innumeros semper experiuntur carnifices. Apud Ezechielem capit. 9. vbi Iudæorum paratur interitus: *Ecce sex viri veniebant de via portæ superioris, quæ respicit ad Aquilonem, & vniuscuiusque vas interitus in manu eius.* Ezech. 9. Nonne sufficeret vnus Angelus ad Iudæorum perniciem, cur sex mittuntur? Vt perirent primogenita Ægypti, immò vt perirent Assyriorum exercitus, vnus Angelus mittitur, ait enim Isaias 39. *Egressus est autem Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octaginta quinque millia.* Isai. 39. Cur ad Iudæorum perniciem non vnus, sed multi mittuntur? Ethnicorum peccata sufficienter puniuntur per vnum Angelum; verum fidelium peccata adeò immania sunt, vt non vnum solum, sed multos vltores sollicitent. Ita aiebat Theodoretus ibi: *Et profectò Assyriorum multa millia vnus Angelus iaculis confecit, & Ægyptiorum primogenitos Angelus vnus iussus est interficere. Hic vero propter impietatis exuperantiam sex Angelis Iudæorum puniendorum munus est impositum.* Theod. Habent hoc scientium Deum peccata, quòd ad vltionem sui solicitent pene vniuersas creaturas: nunquam non conueniet multitudo accusatorum, & carnificum, vt puniant eum, qui Dei lege nutritus neglexit obtinere salutem. Iuxta hoc dicebat Diuus Paul. ad Hebr. 10. *Irritam quis faciens legem Moysi sine vlla miseratione duobus, vel tribus testibus moritur. Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit?* Ad Hebr. 10. Quibus verbis explicat Paulus deteriorem conditionem Christiani peccatoris: quæ deterior conditio consistit in duobus, nimirum, in quantitate pœnæ, & numero accusatorum, & vltorum: veteris legis peccator habet pro pœna mortem; mortem, inquam, quam recipiat duobus, vel tribus accusantibus, condemnantibus; verum Christianus peccator grauius punietur, non duos, vel tres, sed vniuersam multitudinem Angelorum aduersos se accusatricem, & condemnatricem conuocans. Pulchrè Anselm. ait: *Ille conuictus duobus, aut tribus testibus interficiebatur, propter legis transgressionem, in qua non recipiebant obseruatores diuinam gratiam. Ergo quanto magis putare debetis deteriora, & acerbiora mereri supplicia eum, contra quem in iudicio perhibebunt testimonium Angeli sancti, & propria conscientia, quod filium Dei conculcauerit? In lege enim duo, vel tres adhibentur testes, sed hic erit testis multitudo Angelorum, atque sanctorum, & ipse peccator contra se.* Anselm. A quo non accusabitur homo ille, qui post veritatis scientiam, post Saluatoris beneficia nota, post præmia ventura credita, adhuc vitiis se se credit? Quis non condemnet hominem fidelem, qui sciens diuitiarum cœlestium altitudinem, Dei veri magnalia, inferni pericula, nihil æstimat hæc incurrere, & illa perdere, dum liceat paulisper voluptatibus indulgere? Hunc non duo, non tres, sed vniuersi Angelorum exercitus, sed cunctæ creaturæ cœlestium, & terrestrium accusare, & condemnare non cessant. Huiusmodi erat ille iniquitatis villicus, de quo Luc. 16. dicitur, quod *diffamatus est apud Deum, quod dissipasset substantiam eius.* Luc. 16. Sed quomodo diffamatus est? Sane vbi eius peccatum aduersus Deum bonorum tantorum authorem innotuit: & cælum, & terra, & omnes sæculi creaturæ clamantes accusabant eum. Sic Chrysol. serm. 125. *Clamabat terra, clamabat cælum, dolebant Angeli, quando iam tota sæculi fama loquebatur.* Chrysol. Vniuersæ creaturæ clamant, & condemnant peccatum hominis, qui accepit à Deo fidem Christianam.

§. XV.

Summa sanctorum omnium altitudo, quòd se Christo Domino inferiores recognoscant.

IEsus non derogat sanctitati Ionæ, nec sapientiæ Salomonis, eo quod se illis maiorem, & præstantiorem prædicat, quandoquidem summa omnium sanctorum altitudo inde manifestius claret, quod se Iesu inferiores recognoscant. Dum fortissimorum Israelitarum facinora recoluntur 1. Reg. 7. dicitur. *Egressique viri Israel de Masphath persecuti sunt Philisthæos, & percusserunt eos, vsque ad locum qui erat subter Bethchar.* 1. Reg. 7. Diuus Gregorius putat Bethchar significare, *domum agni:* vnde expendendum est, quo perueniant grandia fortissimorum ducum facinora, nimirum vsque ad locum qui erat subter domum agni: ibi eorum virtus conspicitur, ibi eorum victoriæ clarent, quia

in

in eo summa sanctitatis altitudo consistit, quod quis se immaculato agno redemptori nostro subditum, & inferiorem
D. Greg. declarauit. Ad hæc D. Gregorius lib. 3. expositionis ait. *Locus subter Bethchar communem sanctorum summam exprimit sanctitatem. Qui eidem redemptori se obediendo humiliant, & eius gloriæ per studium vitæ innocentis appropinquant.* Tunc equidem gloriosiores sancti apparent cum redemptori agno Iesu sese humiliter summittunt. Vnde non parum ad gloriam cœlestium principum conduxit illud Apocalyp. 5. vbi sic: *Viginti*
Apoc. 5. *quatuor seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli cytharas, & phialas aureas*, &c. Quid est, ceciderunt coram agno? Anselm. *Ceciderunt coram agno nihil de se præsumendo, sed humiliando coram agno.* Quasi in eo se, & reges, & principes, & thronis dignos ostentarent; nullus enim est apud Deum conspicuus thronus, qui sessores suos non summittat tanto agno, vt inde illustriores reddantur. Sanè Moyses cum descendit de monte post acceptam legem Exodi 34. luci-
Exod. 34. dam, & gloriosam præferebat faciem: etenim ait: *Videntes Aaron, & filij Israël cornutam Moysi faciem*; siue vt legit Orig.
Origen. *vidit Aaron, & omnes filij Israël Moysem, & erat glorificata facies eius.* Illustris, & gloriosus è facie tunc videbatur Moyses: verum vbi post sæcula in Thabor monte obsequium Iesu præstans apparuit, non solum eius facies, sed totus ipse
Luc. 9. gloriosus & illustris visebatur. Sic habet Luc. 9. *Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyses, & Elias visi in maiestate.* Quo enim Iesu propinquiores, & obsequentiores, eò de Iesu gloria, & maiestate illustriores reddebantur, vt
Origen. dicat Orig. hom. 12. in Exod. *Hic non refertur, quia glorificatus est vultus eius, sed quia totus apparuit in gloria.* Quippe nunquam illustrior, & gloriosior Moyses, quam vbi seruiens, & ministrans Iesu apparuit.

§. XVI.

Principes pœnitentes Deus curat particulari honore afficere, & decorare.

NOn semel in Euangelio audio Salomonem à Iesu nominari, nec inde paruum argumentum pro eius pœnitentia desumo: solet enim Deus particularem rationem habere principum pœnitentium, & occasiones quærere, quibus illos honore afficiat. Id quod in ipsius Salomonis
Matth. 1. parentibus manifestè perspicitur: de quibus Matth. 1. *Dauid autem rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ.* Multi fuerunt Dauidi filij, & quidem eorum species digna imperio, idque aliquis natiuitatis iure procurabat, sed voluit Deus, vt domus regia Dauidis non fundaretur, nisi in filiis natis ex Bersabeth vxore Vriæ. Sed cur maluit Deus honorare regio splendore nuptias illas, quæ ab adulterio sumpserunt originem? Sane vt ostenderet in peccatoribus pœnitentibus se rationem habere personarum, & quas videt potentia sæculari florentes, & nihilominus sub luctu esse, eas semper honoribus implere. Ita D. Iustin. martyr, quæst. 87. *Ergo Da-* D. Iust.
uid qui pœnitentia delicta sua correxit, propterea inuentus est ex animi Dei sententia, qui non vult mortem peccatoru, sed magis, vt conuertatur, & viuat. Ac benigne potentiam honorans Deus in vxoris Vriæ progenie collocauit genus Dauidis, eadémque de causa fecit, vt ex ea genus Christus duceret. Expende illa: *potentiam honorans Deus.* quippe humana potestas, & thronus iunctus cum pœnitentia maximè sollicitat Deum, ab illóque ingentes honorum cumulos meret. Sic de Henrico II. Anglorum rege, cui imputata fuit mors Sanctæ Thomæ Cantuariensis, dicit Petrus Blessensis epist. 66. *Eadem siquidem die,* S. Thom.
qua primum tumulum Martyris visitauit, Regem Scotiæ persecutorem, & impugnatorem fortissimum captum vinculis carceribus mancipauit. Continuato deinceps fauore successuum ope Martyris de vniuersis hostibus gloriosissime triumphauit. Non solum humilitate, & pœnitentia veniam obtinuit bonus rex, sed & maiori regni amplitudine, & illustrioribus triumphis continuato ordine fuit illustratus. Id quod euidenter patet in Manasse impiissimo rege, qui ob scelera sua, & prophetarum mortes à Babylonio expugnatus, nigrisque carceribus occlusus, vbi cœpit delictorum pœnitere, non solum veniam scelerum impetrauit, quod summum esset bonum peccatori, sed & ingentes glorias, & regno restitutionem obtinuit. Sic enim habes 2. Paralipom. 33. *Cœperuntque Manassem: & catenis vinctum, atque compedibus duxerunt in Babylonem. Qui postquam angustatus est, orauit Dominum Deum suum, & egit pœnitentiam valde coram Deo patrum suorum. Deprecatúsque est eum, & obsecrauit intentè, & exaudiuit orationem eius. Reduxitque eum Ierusalem in regnum suum.* Adeò potens est regnum pœnitentia, & humiliatio, quæ ingentes glorias, & honores semper acquirat ex Deo.

Hæc selegi Christi Domini facinora, vt pro modulo meditarer; nec inter tot Iesu facinora minus putabit, qui me norit, quod ego possim de illis verba facere. Sed qui sciuit mutorum linguas soluere, posuit in mente mea rudis hominis, quæ dedi hactenus, & vt spero ponet, quæ dabo sequenti tomo de sermonibus Iesu, & parabolis, aliisque diuini oris miraculis.

FINIS TOMI SECVNDI.

INDEX
Locorum Scripturæ ſanctæ, quæ enucleantur.
Iuxta numerum foliorum, & paragraphorum.

EX VETERI TESTAMENTO.
Ex Geneſi.

CAP. 1. IN principio creauit Deus cœlum & terram. 345,3. 435,2. 495,20. 554,2. 557,8. 562,8. 574,11
Germinet terra herbam virentem, &c. Faciat luminaria in firmamento. 367,35
Ad auram poſt meridiem. 4,3
Spiraculum vitæ. 12,5
Congregentur aquæ in locum vnum. 306,4. 556,6
Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. 7,11. 290,9. 326,9. 411,6. 543,10. 656,1
Tulit de lapidibus qui iacebant, & ſupponens capiti ſuo dormiuit. 389,7.
Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. 389,7
Fecit Deus duo luminaria magna. 448,1. 628,6
Fluuius autem quartus ipſe eſt Euphrates. 460,4
Producant aquæ reptile animæ viuentis. 490,8
Factum eſt veſpere & mane dies vnus. 619,6
Adam vbi es? 620,8. 599,5
2. Hoc nunc os ex oſſibus meis. 13,8. 453,10
Non eſt bonum hominem eſſe ſolum. 19,1. 117,5
Non manducabitis ex eo, neque tangetis ex eo. 38,27
Qui inde diuiditur in quatuor capita. 45,46
Et præſit piſcibus maris, 290,9
De omni ligno paradiſi comede. 346,6
Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ. 410,14. 453,1. 504,6
Tulit ergo Dominus Deus hominem. 518,6
Vocem tuam audiui in paradiſo, & timui. 551,7
Immiſit Dominus Deus ſoporem in Adam. 607,10
3. Fecit eis Dominus tunicas pelliceas. 119,1. 53,10
Ne fortè mittat manum ſuam, & ſumat de ligno vitæ, & viuat in æternum. 214,7
Timui, & abſcondi me. 242,22
Deditque viro ſuo, & comedit. 360,22
Et fons aſcendebat in medio Paradiſi. 374,49
Plantauit Deus paradiſum in Edem ad Orientem. 404,1
Cur præcepit vobis Deus. 431,11
Cum audiſſent vocem Domini Dei deambulantis ad auram poſt meridiem. 416,7
Serpens decepit me. 580,4
Vidit ergo mulier, quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum. 581,6.
4. Peccaſti? quieſce, 126,5
Egreſſus eſt Cain à facie Domini, & habitauit in terra Naid. 224,21.
Septulum vltio dabitur de Cain. 245,31
Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra. 231,20
Eamus in campum. 289,2
Vt offerret Cain de fructibus terræ. Abel quoque obtulit de primitiuis gregis. 290,8
Ecce vox ſanguinis fratris tui de terra clamat ad me. 437,7. 526,5
Numquid non Dei eſt interpretatio. 443,6
Peperit filium, vocauitque nomen eius Seth. 449,3
Poſuitque Dominus in Cain ſignum, vt non interficeret eum, omnis qui inueniſſet eum. 467,18
Neſcio: numquid cuſtos fratris mei ego ſum? 529,12
5. Vixit Lamech annos centum octoginta. 425,10
Ambulauit Enoch cum Deo. 454,2
6. Noë inuenit gratiam coram Domino. 414,1
Videntes filij Dei filias hominum. 524,1. 621,12
Delebo, inquit, hominem. 633,3
7. Vehementer inundauerunt, & leuauerunt arcam in ſublime à terra. 250,4
De animantibus quoque mundis & immundis. 416,6
Arca ferebatur ſuper aquas. 418,11
In articulo diei illius ingreſſus eſt Noë. 452,9
Adhuc enim, & poſt ſeptem dies ego diluuium inducam. 529,14
In anno ſexcenteſimo vitæ Noë, menſe ſecundo, &c. 591,29
8. At illa venit ad eum, ad veſperam portans ramum oliuæ. 13,8. 521,2
Nequaquam vltra maledicam terram propter homines. 159,18
Dimiſit coruum qui egrediebatur, & non reuertebatur. 379,2
Expectatis autem ſeptem aliis, turſum dimiſit columbam. 384,16
Loquar ad Dominum, cum ſim puluis & cinis. 401,33
Ait Dominus ad Noë. 453,11
Egredere de arca tu. 453,1
Ædificauit altare Domino. 514,10
Recordatus autem Deus Noë, cunctorúmque animantium. 520,1
Aquæ ibant, & decreſcebant vſque ad decimum menſem. 550,6
9. Terror veſter, ac tremor ſit ſupra cuncta animalia. 290,9
Et nudatus in tabernaculo ſuo. 303,3
10. Quaſi Nemrod robuſtus venator coram Domino. 559,2
Venite deſcendamus & confundamus linguam eorum. 408,9. 476,40
Ecce vnus eſt populus, & vnum eſt labium omnibus. 491,11
12. Noui quòd pulchra ſis mulier, & quòd cùm viderint te Ægyptij, dicturi ſunt: Vxor illius eſt, & interficient me: & te reſeruabunt. Dic ergo obſecro, quòd ſoror mea ſis. 117.4
De deſcenſu Abrahami in Ægyptum cum vxore. 6,7
Egredere de terra tua, & de cognatione tua. 343,28. 537,4
Veni in terram quam monſtrabo tibi. 343,28
Egreſſus eſt itaque Abraham, ſicut præceperat ei Dominus, & iuit cum eo Loth. 544,3
13. Vidit omnem circa regionem Iordanis. 433,15
Omnem terram quam circumſpicis, tibi dabo, & ſemini tuo. 589,23
Ecce vniuerſa terra coram te eſt, recede à me obſecro. 590,16
14. Da mihi animas, cætera tolle tibi. 209,41
15. Tu autem ibis ad patres tuos in pace. 14,10. 298,4
Sepultus in ſenectute bona. 32,11
Qui egredietur de vtero tuo, ipſum habebit heredem. 450,6
Tria animalia, arietem trimum. 487,3
Sume mihi vaccam triennem, & capram trimam. 511,1
Suſpice cœlum, & numera ſtellas. 591,28
16. Affligente igitur eam Sarai, fugam init. 607,9
17. Erit omnis anima, quæ non circuncisa fuerit, exterminabitur à populo ſuo. 68,1
Loquar ad Dominum, cùm ſim puluis, & cinis. 307,7
Et ponam te in gentibus, regéſque à te egredientur. 542,7
18. Loquar ad Dominum, cùm ſim puluis & cinis. 389,7
Appropinquans ait: Nunquid perdes iuſtum cum impio. 406,7
Cucurrit in occurſum eorum. 409,10
Deſcendam & videbo. 417,8
Scio quod precepturus ſit filiis ſuis, vt timeant nomen meum. 474,35
Tres vidit, & vnum adorauit. 537,3
Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus eſt. 622,12

19. Cur

19.Cur damnatur vxor Loti. 8,13
Nunquid non modica eſt ciuitas,& ſaluabor in ea? 139,9
Tolle vxorem tuam,& duas filias. 451,18
Veneruntque duo Angeli Sodomam. 503,4
Egreſſus eſt Loth,& locutus eſt ad generos ſuos. 544,1
Eſt ciuitas hæc iuxta,ad quam poſſum fugere , parua , & ſaluabor in ea. 604,2
Aſcenditque Loth de Segor,& manſit in monte. 616,15
Nec ſtes in omni circa regione. 654,5
21.Puella decora nimis , virgóque pulcherrima, & incognita viro,deſcenderat ad fontem,& impleuerat hydriam , & reuertebatur. 23,10
Riſum fecit mihi Dominus. 337,13
Vocauit Angelus Dei Agar de cœlo. 349,12.489,6
Tollens panem, & vtrem aquæ impoſuit ſcapulæ eius (nempe Agar) tradiditque puerum,& dimiſit. 470,25
Mater abiecit puerum ſubter vnam arborem. 534,24
Omnia quæcunque tibi dixerit Sara,audi vocem eius. 544,2
22.*De Abrahamo, vt ſtrinxit gladium in filium.* 3, 5. *vt ligat filium.* 3,2.
Dominus prouidebit ſibi victimam holocauſti , fili mi. 65, 6. 518,11.541,6
Sedete vos hic,ego verò , & puer tranſibimus vſque illuc , & cùm adorauerimus,reuertemur ad vos. 156,11
Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli. 13,9.608,1
Surrexit Abraham manè,& ſtrauit aſinam ſuam. 333,4
Tolle filium tuum vnigenitum , quem diligis Iſaac. 358,17. 454,3 455,4
Dixit Iſaac patri ſuo:Pater mi. At ille reſpondit:Quid vis fili. 359,19
Tulit eum Dominus,& poſuit in paradiſo voluptatis. 359,20. 360,20
Abraham de more conſurgens ſtrauit aſinum ſuum. 375,1
Egredere de terra tua. 405,5.418,11
Tentauit Deus Abraham. 439,2.482,5
Vocauit Angelus de cœlo. 497,14
23.Intercedite pro me apud Ephron. 467,17
Surrexit,& adorauit populum terræ. 521,5
24.*De Rebecca,vt ſe pallio tegit.* 1,2
Nec dum intra ſe verba compleuerat,& ecce Rebecca. 214,6
De quærenda ſponſa Iſaaco apud fontem,cur? 270,28
Pone manum tuam ſuper femore meo,& iura per Deum cœli. 361,23
Dixit ad ſeruum ſeniorem domus ſuæ. 393,15
Introduxit eam in tabernaculum matris ſuæ , & accepit eam vxorem. 544,1
25.Collidebantur in vtero. 54,14
Iſaac amabat Eſau,eo quòd de venationibus illius veſceretur: & Rebecca diligebat Iacob. 212,3
Factus eſt Eſau vir gnarus venandi. 458,10
Deficiens mortuus eſt in ſenectute bona. 492,13
Abiit Rebecca interrogare Dominum. 528,10
26.Deſpexit dominam ſuam. 64,2
Profectus inde fodit alium puteum. 533,21
27.In me ſit iſta maledictio,fili mi. 59,10
Fac mihi inde pulmentum , ſicut velle me noſti , & benedicat tibi anima mea. 64,3
In pinguedine terræ , & in rore cœli deſuper erit benedictio tua,fratri tuo ſeruies. 128,11
Frumento,& vino ſtabiliui eum ; tibi vltra quid faciam? 198, 15
Ecce odor filij mei ſicut odor agri. 209.41
Det tibi Deus de rore cœli. 347,7.628,5
Affer mihi duos hædos optimos. 382,10
Quomodo tam citò inuenire potuiſti fili mi. 433,15
Auditis Eſau ſermonibus patris. 469,24.
Quippe irrugiit clamore magno. 494,17
Affer vt comedam,& benedicat tibi anima mea. 534,24
Oderat ergo ſemper Eſau Iacob pro benedictione. 545,5
Voluntas Dei fuit , vt citò occurreret mihi quod volebam. 656,10
28.Verè Dominus eſt in loco iſto. 27,8
De ſcala Iacob. 188,18
Tulit lapidem quem ſuppoſuerat capiti ſuo,&c. 334,5
Ego ſum Deus Habraam patris tui. 396,21.581,5
Vidit ſcalam ſtantem ſuper terram. 414,2.439,11
Terram,in qua tu dormis,tibi dabo. 507,13
Si fuerit Dominus mecum,cuſtodiuit me in via. 177,18
Si dederit mihi panem ad veſcendum,&c. 601,12
29.Quam cum vidiſſet Iacob, & ſciret conſobrinam ſuam,oueſque Laban,auunculi ſui amouit lapidem. 51,6
Quartò concepit,& peperit filium. 596,6
30.Cur quæris nomen meum. 386,19
Cernens autem Rachel , quòd infœcunda eſſet. 572,6.575,13
31.Si ſcirem, proſequerer te cum gaudio,& tympanis. 32,12
Cur ignorante me fugere voluiſti,&c. 333,4
Oues tuæ,& capræ ſteriles non fuerunt. 513,7
32.Sine me, iam enim aſcendit aurora. 51,5.118.7
Manſit ſolus,& ecce vir luctabatur cum eo. 136,2
Abiit itinere quo cœperat, fueruntque ei obuiam Angeli Dei. 173,14
Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas. 9,2
Ecce vir luctabatur cum eo vſque mane. 369,40.446,14
Non dimittam te,niſi benedixeris mihi. 593,34
Qui cum videret,quòd ſuperare non poſſet. 623,14
Dimitte me,iam enim deſcendit aurora. 624,2
35.Mortua eſt Rachel , & ſepulta eſt in via, quæ ducit Ephraim, hæc eſt Bethlehem. 266,37
Erexit Iacob titulum ſuper ſepulchrum eius. 522,4
37.Vidi per ſomnium quaſi ſolem, & Lunam. 1,2.657,3
Veſtros autem manipulos circumſtantes adorare manipulum meum. 245,23
Qui cum vidiſſent eum procul antequam accederet ad eos cogitauerunt eum occidere. 260,2
Iſrael diliges Ioſeph ſuper filios. 398,26
Congregatis autem cunctis liberis eius. 455,3
Tulerunt autem tunicam eius , & in ſanguinem hædi quem occiderant,tinxerunt. 556,7
38.Nunciauerunt Iudæ dicentes , fornicata eſt Thamar nurus tua,& videtur vterus illius intumeſcere. 53,12
Inſtante partu apparuerunt gemini in vtero,atque in ipſa effuſione infantium vnus protulit manum. 55,16
Cognoſce cuius ſit baculus. 395,19
Hic exiet prior. 399,18
Sto vidua in domo patris tui. 408,8
39.Quaſi primogeniti tauri pulchritudo eius. 58.9
In argumentum ergo fidei retentum pallium oſtendit marito reuertenti domum,*&c.* 361,22
Nec quidquam eſt quod non tradiderit mihi præter te , quæ vxor eius es. 367,36
Accidit quadam die,vt intraret Ioſeph domum,*&c.* 498,26
Nec quicquam aliud nouerat , niſi panem quo veſcebatur. 585,15
40.Tantum memento mei. 500,50
Numquid non Dei eſt manifeſtatio. 545,4.638,13
41.Tu eris ſuper domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet. 544,2
Nunquid ſapientiorem , & conſimilem tui inuenire potero. 669,20
42.Quare pigri eſtis? Ecce audiui quia frumentum eſt in Ægypto. 118,9
Tollénſque Simeon & ligans illis præſentibus. 568,7
Meritò hæc patimur , quia peccauimus in fratrem noſtrum. 618,5
44.Scyphum autem meum argenteum , & pretium quod dedit tritici,pones in ore ſacci iunioris. 251,7
45.Venerunt fratres Ioſeph, & gauiſus eſt Pharao, & omnis familia eius. 349,11
Sufficit mihi ſi Ioſeph filius meus viuit. 593,54
46.Feſtinate, & adducite patrem meum. 296,14
Noli timere,deſcende in Ægyptum. 664,8
47.Facies mihi miſericordiam , vt non ſepelias me in Ægypto, ſed dormiam cum patribus meis. 124,13.204,29
Adducite pecora veſtra,& dabo vobis pro eis cibos. 201,22
Dixit ergo Ioſeph ad populos. 626,2
49.Ad prædam fili mi aſcendiſti. 28,20
Quaſi primogeniti tauri pulchritudo eius. 58,9
Accubans inter terminos. 244,29
Ego congregor ad populum meum. 446,13
Catulus Leonis Iuda:ad prædam fili mi aſcendiſti. 615,12
Ruben primogenitus meus tu fortitudo mea , & principium doloris mei. 658,4
Simeon & Leui fratres vaſa iniquitatis bellantia. 675,12
50. Pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem, 398,6

Ex Exodo.

1. Non ſunt Hebrææ ſicut Ægyptiæ mulieres. 383,11.570,1
Timuerunt autem obſtetrices Deum. 579,2
2. Solue calceamenta de pedibus tuis. 311,3
Dixitque ei qui faciebat iniuriam,Quare percutis proximum tuum. 177,5
Cernénſque in ea paruulum vagientem , miſerta eius , *&c.* 216,1
Egreſſus ad fratres ſuos vidit afflictionem eorum. 401,34
Cur velocius veniſtis ſolito? 451,18
Paleæ non dabuntur vobis,& reddetis conſuetum numerum laterum. 612,5
Quis te conſtituit iudicem ſuper nos. 622,13
3. Et nunc veni,mittam te ad Pharaonem. 48,53
Mitte quem miſſurus es. ibid.54
Apparuitque ei Dominus in flamma ignis : vadam , & videbo viſionem hanc. 51,5
Vidi afflictionem populi mei in Ægypto , & clamorem eius audiui propter duritiem eorum , qui præſunt operibus , & ſciens dolorem eius deſcendi vt liberarem eum. 287,15
Ducam vos in terram lacte,& melle manantem. 198,15

Ne appropies huc, ſolue calceamenta de pedibus tuis, locus enim in quo ſtas,terra ſancta eſt. 218,5
Apparuit autem illi Angelus Domini in flamma ignis de rubo. 438,9
Ego ſum Deus patris tui,Deus Abraham. 535,26
Nunquam defuit columna nubis per diem. 577,17
4. Non ſum eloquens: neque ex quo cœpiſti loqui famulo tuo. 312,5
Proiice eum in terram: proiecit, & verſa eſt in colubrum. 376,3
Poſtulauit mulier à vicina ſua vaſa argentea & aurea. 380,6
Obſecro,Domine,non ſum eloquens ab heri,& nudius tertius. 389,1
Vadam & reuertar ad fratres meos. 400,31
5. Et nomen meum Adonai non indicaui eis. 57,5
Vt eamus viam trium dierum in ſolitudinem, & ſacrificemus. 492,14
Hæc dicit Dominus Iſraël:Dimitte populum meum,vt ſacrificet mihi in deſerto. 617,3
7. Ecce conſtitui te in Deum Pharaonis. 214,8
Caput cum pedibus eius,& inteſtinis vorabitis. 193,3
Omnis qui manducauerit fermentum à primo die vſque in ſeptimum,diſperiet anima eius ex Iſraël. 162.26
Verſa eſt in colubrum. 644,11
8. Abominationes Ægyptiorum immolabimus Domino Deo noſtro. 618,2
9. Peccaui etiam nunc. 442,4
Idcirco autem poſui te. 443,5
12. Aſſumet vicinum ſuum. 408,10
Erit autem agnus abſque macula maſculus anniculus. 481,5
Menſis iſte vobis principium menſium. 595,4
Renes veſtros accingetis,&c. 599,6
Ab agnis & hædis ſumetis illud. 629,7
Factum eſt autem in noctis medio percuſſit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti. 631,7
13. In columna nubis per diem,in columna ignis per noctem. 297,15
Erit tibi ſignum ſuper manum tuam. 304,6
In conſpectu eius caſtra ponetis ſuper mare. 579,1
Cùm emiſiſſet Pharao populum, non eduxit eos Dominus, &c. 614,12
14. Et ingreſſi ſunt filij Iſraël per medium ſicci maris. 470,26
Cùm extendiſſet Moyſes manum ſuper mare. 548,1.561,6
Nolite timere. 673,6
15. Submerſa ſunt quaſi plumbum in aquis. 49,2
Introduces eos,& plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmiſſimo habitaculo tuo,quod operatus es Domine. 163.28
Sanctuarium tuum Domine, quod firmauerunt manus tuæ. 155,8
Si autem paululum remiſiſſet,ſuperabat Amalech,manus autem Moyſis erant graues. 217,2
Tunc cecinit Moyſes. 514,10
16. Colligat vnuſquiſque ex eo. 413,1
17. Cúmque eleuaret Moyſes manus,vincebat Iſraël. 361,23. 444,9
Elige viros,& egreſſus pugna contra Amalech. 390,9
Sumentes lapidem,poſuerunt ſubter eum,in quo ſedit. 445,9
Et pugnauit contra Amalech. 525,5
En ego ſtabo coram te ibi ſupra petram Horeb. 550,6
Dixit Moyſes ad Ioſue: Elige tibi viros. 668,17
18. Prouide de omni plebe viros prudentes, & timentes Deum. 558,10
Quibus auditis Moyſes fecit omnia quæ illi ſuggeſſerat. 583,10
19. Eſtote parati tribus diebus, & ne acceſſeritis ad mulieres. 32,12
Totus mons Synai fumabat. 449,2
20. Septima die non facies opus, quòd in ſeptima die requieuit Dominus ab omni opere. 47,52
Memento,vt diem Sabbati ſanctifices. 440,12.555,4
Loquere tu nobis,& audiemus. 537,3
21. Quando obſtetricabitis Hebræas. 524,2
22. Cernens aſina ſtantem in via euaginato gladio. 432,14
23. Eſt nomen meum in illo. 100,3
Hi ſunt dij tui Iſraël,qui te eduxerunt de terra. 499,30
Aſcende ad me in montem, & eſto ibi. 533,22
24. Omnia quæcumque dixerit Deus,faciemus,& audiemus. 47,52 65,6
25. Præcipiam & loquar ad te ſupra propitiatorium, 300,9
Omnes viri, & mulieres mente deuota obtulerunt donaria. 345,1
Si quis habebat aurum,hyacinthum, coccúmque bis tinctum. 604,4
Filij autem Iſraël ambulauerunt per ſiccum in medio maris. 6 8,11
Melius fuerat nos mori in Ægypto, quando ſedebamus ſuper ollas carnium. 619,6
28. Pones in rationali iudicij doctrinam & veritatem. 530,16
31. Solue calceamenta de pedibus tuis. 241,24
Dedit quoque Dominus Moyſi completis ſermonibus in monte Sinai duas tabulas lapideas ſcriptas digito Dei. 344,1
32. Dimitte illis hanc noxam,aut dele me de libro vitæ. 30,8. 507,14.594,1
Quas cùm ille accepiſſet, formauit opere fuſorio, & fecit ex eis vitulum. 45,47
De vitulo aureo cur? 145,23
Ite,& redite de porta ad portam per medium caſtrorum, & occidat vnuſquiſque fratrem,& amicum. 165,33
Quibus ego dixi:Quis veſtrum habet aurum? 428,4
Videns populus quod moram faceret deſcendendi de monte Moyſis. 434,16
Percuſſit Dominus populum pro errore vituli, quem fecit Aaron. 473,32
Vlulatus pugnæ auditur in caſtris. 567,4
Dimitte me vt iraſcatur furor meus contra populum iſtum. 604,2
Proiecit de manu tabulas. 625,5
33. Ponam te in foramine petræ, & videbis poſteriora mea. 131,2
Tranſi hinc tu,& populus tuus, quem eduxiſti ex terra Ægypti,& ſimul mittam ante faciem tuam Angelum meum,non ſimul aſcendam tecum. 34,17
Ioſue filius Num puer Moyſis non recedebat à tabernaculo. 338,15
Tollam manum meam,& videbis poſteriora mea. 390,9
Ego oſtendam tibi omne bonum. 539,8.580,3
Quibus ego dixi:Quis veſtrum habet aurum. 617,4
34. Videntes Aaron filij Iſraël cornutam Moyſis faciem. 676,15
35. Sumite à vobis ipſis redemptionem Domino. 385,17
38. Quæ excubabant ad oſtium tabernaculi. 26,7
40. Pones altare aureum, in quo adoleatur incenſum coram arca teſtimonij: tentorium introitus tabernaculi pones,& ante illud altare holocauſti. 44.43

Ex Leuitico.

4. Inferet Sacerdos,qui vnctus eſt de ſanguine eius in tabernaculum teſtimonij, tincto digito, aſpergens ſepties contra velum. 295,11
6. Offeret eam calidam in odorem ſuauiſſimum Domino Sacerdos,qui patri iure ſucceſſerit. 9,1
Ignis in altari ardebit ſemper,quem nutrit Sacerdos,ſubiiciens mane ligna per ſingulos dies,& impoſito holocauſto,deſuper adolebit adipes pacificorum. 51,7
10. Impoſuerunt ignem,& incenſum deſuper. 429,7
21. Ad omnem mortuum non ingredietur omnino. 46,48
23. Feretis manipulos ſpicarum primitias meſſis veſtræ ad Sacerdotem. 164,31
24. Si homo maledixerit Deum, peccatum accipiet, qui autem nominat nomen Domini,morte moriatur. 184,9
Et lapidet eum populus vniuerſus. 558,10
26. Ponam tabernaculum meum in vobis;& non vos abominabitur anima mea. 97,4

Ex Numeris.

6. Inuocabitis nomen meum ſuper filios Iſraël, & ego benedicam eos. 199,16
10. Si ſemel clanguerit, venient ad te principes,& capita multitudinis. 74,7
11. Coloris bdelij. 201,22
Nunquid ouium & boum multitudo cædetur. 503,5
12. Si pater eius ſpuiſſet in faciem illius. 548,1
16. Fortiſſime Deus num vno peccante contra omnes ira tua deſæuiet? 57,6
Et ſtans inter mortuos, ac viuentes pro populo deprecatus eſt, & flamma ceſſauit. 468,20
19. Colliget autem vir mundus cineres vaccæ,& effundet eos extra caſtra in loco puriſſimo; cúmque lauerit, qui vaccæ portauerit cineres, immundus erit vſque ad veſperam. 202,14
20. Audite rebelles & increduli. 413,7.561,6
21. Nauſeat anima noſtra ſupra cibo iſto leuiſſimo. 208,37
22. Obſecro vos vt hic maneatis etiam hac nocte,vt ſcire queam quid mihi rurſus reſpondeat Dominus. 179,10
Non proficiſceris,nec execraberis. 264,11
Moriatur anima mea morte iuſtorum. 467,19
Surge & vade cum eis. 470,25
Nunquid loqui potero aliud, niſi quod Deus poſuerit in ore meo. 636,9
23. Orietur ſtella ex Iacob. 338,16
At ille aſſumpta parabola ſua, ait: Sta Balac, & auſculta, &c. 637,10
24. Dixit auditor ſermonum Dei, qui viſiones omnipotentis intuitus eſt, qui cadit, & ſic aperiuntur oculi eius. 112,14
Quàm pulchra tabernacula tua Iacob. 312,5.420,5.527,8

24. Et videns Balaam, quia bonum est benedicere Israel, non abiit ex more in occursum auspicijs. 333,4
Quàm pulchra tabernacula tua Iacob. 420,15
Pergens ad populum meum dabo consilium. 381,6.585,16
25. Suspende eos contra Solem in patibulis. 132,6
Erat nomen viri qui occisus est, cum Madianitide, &c. 387,3
Ecce do eis pacem fœderis mei. 427,1
Phinees filius Eleazari, filij Aaron Sacerdotis auertit iram meam à filiis. 472,32
28. Murmurauit autem omnis multitudo filiorum Israël. 594,1
Quæ offeratis mihi in diebus festis meis. 497,25
31. Lauabitis vestimenta vestra die septimo. 671,3
34. Vidisti eam oculis tuis, & non transibis ad illam, mortuúsque Moyses, &c. 513,6

Ex Deuteronomio.

2. Cibos emetis ab eis pecunia, & comedetis. 584,12
5. Ego sum Dominus Deus tuus, Deus æmulator. 532,20
7. Cum introduxerit te Deus tuus in terram. 622,13
10. Ipse est laus tua & Deus tuus. 515,21
11. Omnem locum quem calcauerit vestigium pedis vestri, vestri erit. 144,21.356,12
15. Cùm tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus, & sex annis seruierit tibi, in septimo anno dimittes eum liberum: & quem libertate donaueris, nequaquam vacuum abire patieris: sed dabis viaticum de area, & de torculari tuo. 208,38
21. Quando peccauerit homo, quod morte plectendum est: & adiudicatus morti appensus fuerit in patibulo, non permanebit cadauer eius in ligno, sed eadem die sepelietur. 276,6
Si genuerit homo filium contumacem. 532,19
22. Non ligabis os bouis terentis in area tua. 409,12
Cum ædificaueris domum nouam. 410,14
Tollent eam pater, & mater eius, & deferent secum signa virginitatis eius ad seniores. 468,22
25. Eris perditus in prouerbium. 215,9
26. Et nunc Israel, quid Dominus Deus tuus postulat à te, nisi timere Dominum tuum, & ambulare in omnibus viis eius. 39,32.129,18
Exultate gentes cum populo eius, & adorent eum omnes filij Dei, quoniam sanguinem filiorum suorum vlciscetur. 121,7
32. Sicut aquila prouocans ad volandum filios suos. 335,7
Fel draconum vinum eorum. 567,5
Iungeris populis tuis, sicut mortuus est Aaron frater tuus. 589,23
33. Benedictio illius qui apparuit in Rubo, &c. 2,2.4,4
Ascensor cæli auxiliator tu. 315,11
Date Leui veros suos, date Leui manifestus eius, date Leui sortem suffragij eius. 331,1
Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius. 355,10
Inundationem maris, quasi lac suges. 498,27
34. Sepeliuit eum in valle Moab contra Phogor. 160,21
Mortuus est Moyses seruus Domini. 172,11.657,2

Ex Iosue.

2. Innoxij erimus à iuramento hoc. 533,21
3. Quæ autem inferiores erant in mare solitudinis descenderunt. 638,12
5. Fac tibi cultellos petrinos nimis acutos. 223,18
Solue calceamenta de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est. 152,2
7. Postquam filij Israël inualuerunt, & fecerunt Chananæos obedientes: exterminio autem eos non exterminauerunt. 306,3
8. Ponite insidias post ciuitatem. 410,14
10. Non fuit antea, & postea tam longa dies, obediente Deo voci hominis. 129,12
Tunc locutus est Iosue ad Dominum in conspectu filiorum Israel: dixitque coram eis: Sol ne mouearis. 169,4
Habitatores Gabaon vrbis obsessæ miserunt ad Iosue: & dixerunt ei, ne retrahas manus tuas ab auxilio seruorum tuorum, accede cito & libera nos. 169,5
Sol ne mouearis contra Gabaam, &c. 617,1
Ite & ponite pedes super colla Regum istorum. 834, 5. & 835,6
13. Morte moriemus, quia vidimus Dominum. 353,8
Concipies, & paries filium. Caue ergo ne bibas vinum. 572,5. 588,12
18. De translatione tabernaculi ad Silo. 49,1
24. Nunc ergo timete Dominum, & seruite ei perfecto corde, &c. 345,4

Ex libro Iudicum.

2. Fuit Dominus cum Iuda, & montana possedit, nec potuit delere habitatores vallis. 124,12
3. Ipse quoque defendit Israel. 17,20
Et clamauerunt ad Dominum qui suscitauit eis saluatorem. 557,8
Vlulabat mater eius, & de cœnaculo loquebatur. 572,6
4. Iaël aperuit vtrem lactis, & dedit ei bibere, & operuit illum: tulit Iaël clauum tabernaculi, assumens pariter & malleum, & ingressa abscondité, & cum silentio posuit supra tempus capitis clauum, percussumque malleo defixit. 68,2
5. Forsitan nunc diuidit spolia, & pulcherrima fœminarum eligitur ei. 11,14.275,4
De cœlo dimicatum est, stellæ manentes in ordine suo contra Sisaram pugnauerunt. 66,10
Cecinit pronus in terram, & adorans ait. 503,5
Hodie abstuli opprobrium Ægypti à vobis. 650,8
Clypei, & hastæ si apparuerint in quadraginta millibus Israel. 668,17
6. Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israël. 55,16
Videns illa quod confessus esset ei omnem animum suum. 549,3
7. Non poterit Israël stare ante hostes suos. 341,23
Videbatur mihi quasi subcinericius panis ex hordeaceo volui. 588,22
8. Conteram carnes vestras cum spinis, tribulisque deserti. 245,32
Cùm reuersus fuero victor in pace, destruam turrim hanc. 403, 38.598,3
Quales fuerunt viri quos occidistis in Thabor? 835,7
9. Ierunt ligna syluæ, vt vngerent sibi regem. 342,14
Capiatur laqueo oculorum suorum in me. 392,11
Qui conduxit sibi ex eo viros inopes. 419,14
Ecce vna mulier fragmen molæ desuper iacens illi fit capitis Abimelech. 617,10
11. Qua visa scidit vestimenta sua, & ait, Heu me filia mea decepisti me, & ipsa decepta es; aperui enim os meum ad Dominum, & aliud facere non potero. 68,3
Dimitte me vt duobus mensibus circumeam montes. 545,4
14. A forti egressa est dulcedo. 27,19
De comedente exiuit mel. 138,8
16. Et ipse nesciuit, quia Dominus ab eo recessisset. 168,2
Si septem crines capitis mei cum licio plexueris. 189, 20. 288,3
Consurgens à somno extraxit clauum cum crinibus, & licio. 290,8
17. Impleuit manum Leuitæ. 546,7
Si rasum fuerit caput meum recedet à me fortitudo mea. 550,4
19. Mulier recedentibus tenebris venit ad ostium domus, vbi manebat Dominus suus, & ibi corruit. 8,13
Recedentibus tenebris, venit ad ostium domus. 364,30
20. Qui fugam arte simulantes, inierunt consilium, vt abstraherent eos de ciuitate. 35,22
21. Præceperuntque filiis Beniamin, atque dixerunt: Ite, & latitate in vineis. Cùmque videritis filias Silo ad ducendos choros ex more procedere, exite repente ex vineis, & rapite. 28,2

Ex Ruth.

2. Etiam si vobiscum metere voluerit, ne prohibeatis eam. 590,27
3. Surrexit antequam homines se cognoscere possent, & dixit Booz, Caue ne quis nouerit, quod huc veneris. 29,6
4. Cedo iure propinquitatis, neque enim posteritatem familiæ meæ delere debeo. 203,7

Ex I. Regum.

1. *De Anna offerente Samuelem templo.* 27,8
Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, dederisque seruæ tuæ sexum virilem, dabo eum Domino. 64,2
Surrexit Anna postquam illi comederant, & biberant in Silo, constitit in conspectu Domini. 311,2
Erat vir vnus de Ramath. 422,3
Precibus & lacrymis obtinuit à Deo filium maternæ pietatis donum. 457,8
Vultusque ei non sunt amplius in diuersa imitati. 497,23
Vade in pace. 513,8
Vsquequo ebria eris? Digere paulisper vinum quo mades. 606,7
Non vadam, donec ablactetur infans. 664,7.665,10
2. Nolite filij mei: non est enim bona fama. 269,26
Non est sanctus vt est Dominus. 501,32
Ego sum illa mulier, quæ steti hic orans Dominum. 515,10
Lætata sum in salutari tuo. 632,8
Erat ergo peccatum puerorum grande nimis. 660,9.665,12
Et tunicam paruam faciebat ei mater sua. 666,13

4. Iugit

4. Fugit Iſraël coram Philiſtim,&c. 343,28
5. Aggrauata eſt manus Domini ſuper Azorios. 548,1
Cum ſurrexiſſent diluculo Azotij altera die,&c. 619,6
6. Si remittitis arcam Dei Iſraël, nolite dimittere eam vacuam. 354,9
Ibam autem in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethſames. 485,12
7. Non te abiecerunt,ſed me. 672,4
Egreſſique viri Iſraël de Maſphat perſecuti ſunt Philiſthæos. 676,15
8. Acceperunt munera,peruerterunt iudicium. 165,33
Hoc erit ius Regis. 409,13
Banaias autem filius Ioiadæ ſuper Cerethi,& Philethi. 457,8
Ecce tu ſecuiſti. 670,1
13. Filius vnius anni erat Saul cum regnare cœpiſſet. 158,17
Erit anima Domini mei cuſtodita, quaſi in faſciculo viuentium apud Dominum tuum. 357,15
Cum ſis talis,vt Paulus ſenex, nunc autem & vinctus Chriſti. 492,13
14. Applica arcam Dei, erat enim arca Dei in die illa cum filiis Iſraël. 235,5
De Ionatha, cur inſcienter periculum mortis incurrit. 68,1
Inito autem certamine. 408,10
Maledictus vir, qui comederit panem vſque ad veſperam. 347,15
Extendit ſummitatem virgæ. 661,2
15. Præcepit populo,& recenſuit eos quaſi agnos. 31,10
Peccaui quia præuaricatus ſum ſermonem Domini, & verba tua:ſed nunc porta,quæſo,peccatum meum,vt adorem Dominum. 53,19.114,19.629,2
Pro eo ergo,quod abieciſti ſermonem Domini. 429,6
16. Surge,& vnge eum,ipſe eſt enim. 188,19
Vnxit eum in medio fratrum ſuorum. 172,11
Imple cornu oleo & veni. 504,7.669,20
Tulit Samuel cornu Dei,& vnxit eum. 550,5
17. De qua ſtirpe deſcendit hic adoleſcens. 7,9
Paſcebat ſeruus tuus patris ſui gregem,& veniebat leo, & vrſus,& tollebat arietem de medio gregis, & perſequebar eos & percutiebam. 136,2
Cœpit tentare,ſi armatus poſſet incedere. 369,40
Quaſi ad canem exiſti cum lapidibus. 411,17.649,5
Conuenerunt in Maſphat. 447,15
Ego venio ad te in nomine Domini. 513,8
Erat autem adoleſcens ruſus & pulcher aſpectu. 519,6
Cùm gladium non haberet in manu Dauid. 525,5
Hic eſt vir bellator ab adoleſcentia ſua. 614,12
Eligite ex vobis virum. 628,7
18. Tenebátque Saul lanceam. 374,50.834,4
Anima Ionatha conglutinata eſt animæ Dauid. 502,37
Saul percuſſit mille,Dauid decem millia. 407,3.475,38
19. Peperceit Saul,& populus Agag. 5,5
Tulit autem Michol ſtatuam, & poſuit eam ſuper lectum, & pellem piloſam caprarum poſuit ad caput eius, & operuit veſtimentis. 48,4
Niſus eſt configere Dauid lancea in pariete, 500,31
20. Non morieris. 408,9
Fleuerunt pariter,ſed Dauid amplius. 464,12
Dimitte ergo me, vt abſcondar in agro, vſque ad veſperam diei tertiæ. 467,19
21. *De panibus propoſitionis à Dauid manducatis.* 7,9
23. Tu quidem eris Rex,ego autem ſecundus poſt te. 464,12
24. Ego tradam tibi inimicum tuum. 499,29
Viuit Dominus, quia niſi Dominus percuſſerit eum, &c. 586,18
Ecce hodie viderunt oculi tui quod tradiderit te Dominus in manum meam. 650,7
25. Erit anima tua cuſtodita quaſi in faſciculo viuentium. 216,1
Nunquid vox tua,fili mi Dauid? Et leuauit Saul vocem ſuam, & fleuit. 261,5
26. Cumque ingreſſi eſſent,vidit Eliab,& ait,&c. 609,13
Et inuenit Saul iacentem,& dormientem in tentorio,& haſtam fixam ad caput eius. 619,6
28. Nunc igitur audi & tu vocem ancillæ tuæ, & ponam coram te buccellam panis,vt comedens conualeſcas. 269,26
Ingreſſus eſt itaque mulier illa ad Saul, dixitque ad eum: Ecce obediuit ancilla voci tuæ, & poſui animam meam. 481,4
30. Iura mihi in Domino,ne deleas ſemen meum poſt me, ne auferas nomen meum. 39,31

Ex II. Regum.

1. Stans ſuper eum occidi illum,ſciebam enim, quod viuere non poterat poſt ruinam. 480,3.618,3,4
2. Saul & Ionathas amabiles, & ſpecioſi, qui in vita ſua non fuerunt diſiuncti; ita neque in morte ſua ſeparati ſunt.71, 10.311,4
Ego magis vadam ad eum. 522,5
3. Manus tuæ non fuerunt ligatæ, nec pedes tui in compedibus, coram viro iniquitatis cecidiſti. 224,22
6. Vidit Dominus quia ludam ante Dominum. 526,6
7. Vade,& loquere ad ſeruum meum Dauid. 172,11
Ego minimus ſui in tribu mea. 189,19
Quis ſum ego, quòd talem gratiam inuenero in oculis tuis. 307,7
Quis ſum ego Domine Deus. 526,6.528,11.603,2.642,6
Propterea inuenit ſeruus tuus cor ſuum, vt oraret te oratione hac. 535,1
Et fidelis erit domus tua, & regnum tuum vſque in æternum. 612,7.632,8
Sed & hoc parum viſum eſt in conſpectu tuo Domine Deus. 625,5
Prædicit tibi Dominus, quod domum faciat tibi Dominus. 640,2
Propter verbum tuum, & ſecundum cor tuum feciſti omnia magnalia hæc. 649,6
Iſta eſt lex Adam Domine Deus. 650,8
8. Parcite filio meo Abſalon. 182,6
11. Eo tempore quo ſolent reges ad bella procedere, miſit Dauid Iacob. 615,14
12. Dimicaui aduerſus Rabbath, & capienda eſt vrbs aquarum. Nunc ergo congrega reliquam partem populi, & obſide ciuitatem,&c. 102,4
Pater meus cæcidit vos flagellis. 407,7
Irritaſti inimicos Domini. 432,13
Cum deambularet in ſolario domus. 487,2
Et dixit Dauid ad Natham:Peccaui Domino. 484,10
Ego vnxi te in regem ſuper Iſraël. 513,6
Quia blaſphemare feciſti inimicos nomen Domini. 532,20
Cùm ergo Dauid audiſſet ſeruos ſuos muſſitantes. 542,9
Miſit eum in manu Nathan prophetæ. 541,8,& 9
14. Cùm autem detonſus eſſet,ponderabat capillos. 113,18
Semel autem tondebatur, quia grauabat eum cæſaries. 197,11
Ponderabat capillos capitis ſui ducentis ſiclis pondere publico. 621,10
15. Reduc arcam Dei in ciuitate,& ſedeat in loco. 211,44
Reuertere,& habita cum Rege. 261,5
Nuntiatum eſt Dauid, quòd Achitophel eſſet in coniuratione cum Abſalom. 586,17
16. Tetenderunt ergo Abſalom tabernaculum in ſolario, ingreſſúſque eſt ad concubinas patris ſui. 388,4
Dimitte illum,vt maledicat. 427,3.439,10
Quid mihi,& vobis eſt filij Saruiæ? 634,3
17. Dixit ergo Achitophel ad Abſalon: Eligam mihi duodecim millia virorum. 642,7
18. Abſalonis manus. 220,11
Abſalon fili mi, fili mi Abſalon, quis mihi det vt moriar pro te. 467,18
23. Sedens in cathedra ſapientiſſimus inter tres,ipſe eſt quaſi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit vno impetu. 152,2.311,3
Quis mihi potum aquæ daret de ciſterna, quæ eſt in Bethleem. 171,8
Libauit eam Domino. 138,9.354,10
24. Perambula omnes tribus Iſraël, à Dan vſque ad Berſabe, & numera populum,vt ſciam numerum eius. 102,4.123,12

Ex III. Regum.

3. Et tunc Domine Deus,tu regnare feciſti ſeruum tuum pro Dauid patre meo:ego autem ſum puer paruulus ignorans egreſſum & introitum meum. 172,11
Non mihi,nec tibi,ſed diuidatur. 374,49
Obſecro,date huic infantem viuum. 461,5
Apparuit autem Dominus Salomoni per ſomnium nocte, dicens. 512,4
4. Dedit quoque Deus ſapientiam Salomoni,& prudentiam multam nimis,quaſi arenam,quæ eſt in littore maris. 608,11
6. Lapidibus perfectis ædificata eſt. 101,3
9. Templum quod ſanctificaui nomini meo proiiciam à conſpectu meo. 639,1
13. Exaruit manus eius. 221,12
Et fefellit eum,& reduxit ſecum. 415,18
Altare,altare. 473,33
Inuenit eum leo in via,& occidit. 505,9
Altaréque ſciſſum eſt. 625,5
17. En colligo duo ligna,vt ingrediar,& faciam illud mihi, & filio meo,vt comedamus,& moriamur. 103,26.371,44
Viuit Dominus,in cuius conſpectu ſto. 56,2
Hydria farinæ non deficiet vſque ad diem, in quo Deus daturus eſt pluuiam. 248,40.419,14.420,15
Viuit Dominus tuus quia non habeo panem,&c. 360,38
Corui quoque deferebant panem,& carnes manè. 385,18
Eliam ne viduam afflixiſti,vt interficeres filium eius. ibid.
Et audiuit Elias,& timuit,& fugiens abiit. 395,20
Sedit in torrente Carith. 447,15
Viuit Dominus Iſraël,in cuius conſpectu ſto, ſi erit annis his

tos,& pluuia,&c. 455,2.472,32.505,8.581,7
Etiam ne viduam. 462,8
Vade,& fac, ſicut dixiſti : verumtamen mihi primum fac de ipſa farinula ſubcinericium panem. 472,31
Da mihi filium tuum.Tulitque eum de ſinu eius,& portauit in cœnaculum. 641,4
18. Non eſt quicquam. 19,1.495,20
Ecce nubecula parua quaſi veſtigium hominis. 19,2. 23,10. 52,9
Anima Ionathæ conglutinata eſt animæ Dauid. 387,2
Abdias autem timebat Dominum valde. 649,6
19. Operuit vultum ſuum pallio. 131,2
Non in igne Dominus. 54,13
Timuit,& ſurgens abiit quocũque eũ ferebat voluntas. 54,15
Reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui non curuauerunt genua Baal. 360,20
Hi ſunt dij tui Iſraël. 364,29
Proiecitque ſe Elias, & obdormiuit in vmbra iuniperi,& ecce Angelus Domini tetigit eum,& dixit illi,ſurge & comede. 464,12
Da mihi vineam tuam. 561,1
21. Num inueniſti me,inimice mi? 180,10
Benedixit Deum,& Regem. 214,6
22. Rex autem Iſraël,& Ioſaphat Rex Iuda,ſedebat vnuſquiſque in ſolio ſuo, veſtiti cultu regio in area iuxta oſtium portæ Samariæ,& vniuerſi Prophetæ prophetabant. 241,20
Rex ait : Michæa,ire debemus in Ramoth Galaad ad prælian dum,an ceſſare? 586,18
23. Turbatus eſt ſpiritus eius,& dormiuit in lecto. 525,5

Ex IV. Regum.

1. Si videtis me,quando tollar à te,erit tibi,ſicut vis. 444,8
2. Si videtis me quando tollar à te, erit quod petiiſti, ſi autem non videtis,non erit. 152,3.104,9.27,9
De Helia pallium dimittente. 113,18
Fiat in me duplex ſpiritus tuus. 369,39.373,48
Aſcende calue,aſcende calue. 418,11
Et dixit,vbi eſt Deus Eliæ? 437,6
Cum Eliſæus tranſiret iuxta Bethel. 443,7
Dixerunt viri ciuitatis ad Eliſæum. 614,4
3. Arripiens filium ſuum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo,obtulit holocauſtum ſuper murum, & facta eſt indignatio magna in Iſraël,ſtatimque receſſerunt ab eo. 141, 14.225,2
Petiit mutuo à vicinis ſuis vaſa vacua non pauca. 404,1
4. Tolle baculum meum in manu tua, & vade, & pone baculum meum ſuper faciem pueri. 186,14
Si occurrerit tibi homo, non ſalutes eum, & ſi ſalutauerit te quiſquam,non reſpondeas illi. 33,15
Poſuitque os ſuum ſuper os eius. 121,6
Incubuit ſuper puerum,&c. 339,18
Poſuit os ſuum ſuper os eius,& oculos ſuos ſuper oculos eius. ibid. 19
Numquid habes negotium,& vis vt loquar regi, ſiue principi militiæ. 363,27
5. Vade & lauare ſepties in Iordane. 355,12
Accepiſti argentum,& accepiſti veſtes,&c. Sed & lepra Naaman adhærebit tibi. 618,4
6. Vidit:& ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Eliſæi. 316,16
Viuit Dominus,quia hydria farinæ tuæ non deficiet. 359,19
Orauit Eliſæus & dixit:Percute iã gentẽ hanc cæcitate.610,3
18. Conuerſus ad parietem fleuit. 416,7
Precamur vt loquaris nobis ſeruis tuis Syriacè. 607,10
19. Cùm adoraret Deum ſuum,Adramalech, & Saraſar filij eius percuſſerunt eum gladio. 140,12
20. *De Ezechia,vt ſanatur per Solis ſignum.* 50,4
Sit pax & veritas in diebus meis. 403,38
Omnia quæ ſunt in domo mea viderunt. 581,6
Inuocauit itaque Iſaias propheta Dominum. 564,4
21. Vides Achab humiliatum coram me. 301,12
22. Miſit ad Holdam prophetidem. 22,8
Idcirco colligam te ad patres tuos,& colligeris ad ſepulchrum tuum in pace. 299,6.646,1
Scidiſti veſtimenta tua. 394,18
23. Fecit malum coram Domino. 506.11
25. Populo qui relictus erat in terra Iuda. 504,6

Ex I. Paralipomenon.

10. Aſcendit primus Ioab,& factus eſt princeps. 152,2
21. Et vidit currus & equos. 349,12
Melius mihi eſt vt incidam in manus Domini. 384,15
Ex omni parte me anguſtiæ premunt. 498,28

Ex I. Eſdræ.

7. Et dedit ei Rex ſecundùm manum Domini Dei eius. 587,23

Ex III. Eſdræ.

4. Omnis terra veritatem inuocat. 531,17

Ex Tobia.

2. Non eſt contriſtatus contra Deum. 491,12
Quando orabas cum lacrymis,& ſepeliebas mortuos. 632,9
4. Indico tibi etiam fili mi. 411,16
Panem tuum & vinum tuum ſuper ſepulturam iuſtè conſtitue. 476,39
Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum. 664,7
5. Inuenit iuuenem ſplendidum ſtantem, præcinctum, & quaſi paratum. 89,12
6. Apprehende brachium eius,& trahe eum ad te,exentera hunc piſcem. 143,18
7. Ipſe exponit,ſciens quid euenerit illis ſeptem viris. 347,8
10. Monentes eam honorare ſoceros,diligere maritum. 544,1
12. Bona eſt oratio cum ieiunio, & eleemoſyna. 444,8
Tace & noli turbari,ſanus eſt filius noſter. 542,8
Rogare cœperunt, vt dignaretur dimidiam partem illorum. 669,19

Ex Iudith.

4. Clamauerunt ad Dominum Deum Iſraël vnanimiter. 512,5
7. Erant autem non longè à muris fontes. 565,32
8. Quod eſt hoc verbum,in quo conſentit Ozias,vt tradat ciuitatem Aſſyriis,ſi intra quinque dies non venerit vobis adiutorium? Expectemus humiles. 63,7
Erat hæc in omnibus famoſiſſima. 423,4
9. Domine Deus patris mei Simeon,qui dediſti illi gladium in defenſionem alienigenarum. 263,10
Percuties eum ex labiis charitatis meæ. 35,22
Capiatur laqueo oculorum ſuorum. 524,1
10. Cui Dominus contulit ſplendorem. 524,1.527,8
12. Iuſſit illic manere eam, & conſtituit quid daretur illi de conuiuio ſuo. 567,4
13. Et pugionem eius, qui in ea ligatus pendebat, exſoluit. 549,4
14. Audite me fratres,ſuſpendite caput hoc ſuper muros noſtros. 547,9
16. Iam capilli eius renaſci cœperant. 402,37
Ferrum nunquam aſcendit ſupra caput meum. 517,3
Factum eſt autem cùm ceſſaſſet clamare ad Dominum. ibid.
20. Induit ſe veſtimentis iucunditatis ſuæ. 475,34

Ex Eſther.

1. Vaſthi quoque Regina fecit conuiuium fœminarum in palatio,&c. 364,20
Nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum. 566,3
3. Miſſa eſt ſors in vrnam coram Aman. 524,2
5. Si Regi placet, obſecro vt veniat ad me hodie, & Aman tecum ad conuiuium. 213,4
7. Necdum verbum de ore regis exierat. 531,16
8. Egreſſique ſunt veredarij celeres nuntia perferentes. 530,14
13. Scis Deus, quia non pro ſuperbia, & contumelia, & aliqua gloriæ cupiditate fecerim hoc, vt non adorem Aman ſuperbiſſimum : ſed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem,& ne quemquam adorem,excepto Deo meo. 123,12.523,7
14. Tribue ſermonem compoſitum in ore meo in conſpectu leonis.. 480,1
15. Conuertit Deus ſpiritum Regis in manſuetudinem. 408,9

Ex Iob.

1. Vir erat in terra Hus. 1,1
Factum eſt autem, quaſi dies hæc,& venerant Angeli aſſiſtere coram Domino. 28,1
Sic faciebat Iob cunctis diebus. 100,5
Circuiui terram,& perambulaui eam. 57,7.611,4
Nonne vallaſti eum,& domum eius,vniuerſamque ſubſtantiam per circuitum. 246,34
Et repentè ventus irruens venit è regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus, quæ corruens oppreſſit liberos. 136,8
Filiis tuis, & filiabus tuis comedentibus, & bibentibus apud fratrem ſuum ſeniorem. 51,6.229,14.569,9
Tunc ſurrexit Iob, & ſcidit veſtimenta ſua, tonſoque capite corruens in terra adorauit. 43,41.67,12.53,10.278,11
Quouſque ſuſtines. 43,42
Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ. 15,13
Tunc ſurrexit Iob,& ſcidit veſtimenta ſua. 526,7
Conſurgens diluculo offerebat holocauſta pro ſingulis. 402, 35
Ventus vehemens irruit è regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus. 426,1.463,11

Nuntius

Nuntius venit ad Iob, qui diceret: Boues arabant, & asinæ pascebantur iuxta eos & irruerunt Sabbæi. 431,11
Corruens in terram orauit ad Dominum. 437,6
Venit alter, & dixit: Ignis Dei cecidit è cælo. 442,3
Quod erat in terra Hus. 583,10
Ecce vniuersa quæ habet, in manu tua sunt. 645,13
2. Et diabolus venit, vt in medio eorum assisteret coram Domino. 146,26
Sedebat super aceruum stercoris extra ciuitatem. 67,15.284,14
Pellem pro pelle dabit homo pro anima sua. 137,6.598,4
Homo innocens verus Dei cultor, abstinens se ab omni malo, & adhuc perseuerans in innocentia sua. 254,15
Sparserunt terram super caput suum, & sederunt cum eo. 298,3
Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est, conceptus est homo. 266,16
Testa saniem radebat sedens in sterquilinio. 400,30
Factum est autem cum quadam die venissent filij Dei & starent coram Domino. 421,2
Percussit Iob vlcere pessimo. 424,9
Sedit in sterquilinio. 511,1
3. Dies ille vertatur in tenebras. 585,4
Post hæc aperuit Iob os suum. 595,4.636,8
4. Corpus illius quasi scuta fusilia. 141,15
7. Cur non tollis peccatum meum. 5,6
Quid est homo, quia magnificas eum? Aut quid apponis erga eum cor tuum. 349,13
Memento, quia ventus est vita mea, &c. 378,7
Peccaui, quid faciam tibi. 430,10
Sic ergo habuit menses vacuos. 650,7
10. Si peccaui, & ad horam pepercisti mihi. 605,6
13. Dum tantum ne faciat mihi. 646,13
16. Percusserunt maxillam meam, satiati sunt pœnis meis. 227,6
Terra ne operias sanguinem meum, nec habeat locum latendi clamor meus. 257,22
19. Quis mihi tribuat, vt scribantur sermones mei. 449,3
Miseremini mei, vos saltem amici mei. 464,12
Fugite ergo à facie gladij. 517,3
Vsquequo affligitis animam meam, & atteritis me sermonibus. 606,7
Manus Domini tetigit me. 622,14
Ecce clamabo vim patiens, & nemo audiet, vociferabor & non est qui iudicet. Ecce rideo in opprobriis, & non loquar, neque respondebo. 648,3
20. Ossa eius implebuntur vitiis adolescentiæ eius, & cum eo in puluere dormient. 618,5
21. Veruntamen quia non sunt in manu eorum bona sua, consilium impiorum longè sit a me. 185,11
Quid prodest nobis, si orauerimus illum. 444,8
Ipse ad sepulchra ducetur, & in congerie mortuorum vigilabit. 465,13
22. Suscipe ex ore illius legem, & pone sermones eius in corde tuo, si reuersus fueris ad omnipotentem, &c. 601,11
23. Vias eius custodiui, & non declinaui a mandatis eius. 508,2
26. Quando erat omnipotens mecum, & in circuitu meo pueri mei. 463,7
28. Semitam ignorauit auis. 596,13
29. Si quando ridebam ad eos, non credebant mihi. 141,15
Rursus circumdabor pelle mea. 491,14
31. Quis det de carnibus eius vt saturemur. 212,3
Si expaui ad multitudinem nimiam, & despectio propinquorum deterruit me: sed non magis tacui, neque egressus sum ostium. 240,18.242,52
Si abscondi quasi homo peccatum meum, & celaui in sinu meo iniquitatem meam. 263,10
Si secutus est oculus meus cor meum. 418,5
Tacui, nec egressus sum ostium meum. 438,10
34. Nunquid volet Rhinoceros seruire tibi? aut morabitur ad præsepe tuum. 8,12
Vana eis euadent clamasse, & orare virum, abusi sunt enim ex honoratis infirmis. 167,37
40. Nunquid feriet tecum pactum, & accipies eum seruum sempiternum. 178,6
Respondens autem Dominus Iob de turbine dixit. 358,18
41. Feruescere faciet quasi ollam profundum mare: & ponet, quasi cùm vnguenta bulliunt. 372,47
Reputauit quasi paleas ferrum. 430,9
42. Non sunt autem inuentæ mulieres speciosæ. 350,2
Nunc autem sumite septem vitulos. 421,16
Iob autem seruum meum orabit pro vobis. 464,12
Dominus autem conuersus est ad pœnitentiam Iob, cùm oraret ille pro amicis suis. 592,31

Ex libro Psalmorum.

1. In cathedra pestilentiæ non sedi. 419,13
Et erit tanquam lignum quod plantatum est. 471,30. 520,1. 552,5.156,5.& 6.560,4
Beatus vir, qui non abiit in concilio impiorum. 632,9
Psalmus Dauid, quando fugiebat à facie Absalom. 652,2
2. Postula à me, & dabo tibi gentes. 171,8
Apprehendite disciplinam. 207,36
Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania. 437,7.491,11.563,2
Tanquam vas figuli confringes eos. 472,30
3. Psalmus Dauid, cum fugeret à facie Absalonis. 119,2
4. Annuntient in Sion nomen Domini. 175,17
Vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium. 458,11
Signatum est super nos lumen vultus tui. 534,25
5. Mane astabo tibi. 247,36
6. Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos. 294,9.438,8
Conuertere Domine, & eripe animam meam. 352,5
Domine ne in furore tuo arguas me. 465,14
7. Ne quando rapiat. 436,5
Viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum. 443,5
8. Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem tuam. 169,3
Omnem escam abominata est anima eorum. 196,11
Videbunt iusti & timebunt. 441,1
Ego sum Dominus, &c. dilata os tuum, & implebo illud. 511,2
9. Propter quid irritauit impius Deum? Dixit enim in corde suo non requiret. 259,12
10. Ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro. 32.55.435,3
Sedet in insidiis cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentem. 587,20
Quomodo dicitis animæ meæ: Transmigra montem sicut passer. 641,4
11. Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum exurgam. 537,3
13. Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. 357,25
Dominus de cælo prospexit super filios hominum. 442,3
14. Circumdederunt me dolores mortis. 315,11
15. Sicut nouacula acuta fecisti dolum. 579,2
16. Propter verba labiorum tuorum custodiui vias duras. 613,8
17. Quoniam in te eripiar à tentatione. 499,28
Qui perfecit pedes meos, tanquam ceruorum. 662,4
Cum sancto sanctus eris. 670,11
18. Nox nocti indicat scientiam. 153,5
Ego dixi, dij estis. 439,15
19. Exaudiat te Dominus in die tribulationis, & protegat te nomen Dei Iacob. 100,5
20. Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum. 543,11
21. A manu canis vnicam meam. 17,19
Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ. 208,36
Foderunt manus meas, & pedes meos. 509,3
22. Deduxit me super semitas iustitiæ propter nomen suum. 100,4
Parasti in conspectu meo mensam. 566,3
Calix tuus inebrians quam præclarus est. 567,3
Dominus regit me, nihil mihi deerit. 584,12
Super aquam refectionis educauit me. 604,8
23. Hæc est generatio quærentium Deum, quærentium faciem Dei Iacob. 38,28
Tollite portas Principes vestras. 277,9.403,3
24. Propter nomen tuum Domine, propitiaberis peccato meo, multum est enim. 617,1
Circuibo, & immolabo in tabernaculo Dei hostiam iubilationis. 559,15
25. Cibauit illos ex adipe frumenti: de petra, melle saturauit eos. 34,18
26. Ne declines in ira à seruo tuo. 3,1
Exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram. 609,1
28. Vox Domini præparantis ceruos. 12,4.58,8
Vox Domini confringentis cedros, comminuet eas tanquam vitulum libani. 58,9.355,10.559,2
Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum. 263,9
Vox Domini præparantis ceruos, & reuelauit condensa. 349,1
29. Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum. 412,18
Pater meus & mater mea dereliquerunt me. 534,14
30. Abscondes eos in abscondito faciei tuæ. 551,7
31. Quoniam tacui. 437,7
Quoniam apud te est fons vitæ. 637,10
De cælo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum. 386,19
33. Diuites eguerunt, & esurierunt. 565,1
34. Iudica Domine nocentes me, & impugna expugnantes me. 612,5

35. Quo

35. Quoniam apud te eſt fons vitæ,& in lumine tuo videmus lumen. 200,20.551,7
Homines & iumenta ſaluabis Domine. 603,1
36. Adhuc puſillum,& non erit peccator,quæres locum eius, & non iuuenies. 470,26
Satiabor cum apparuerit. 578,5
Tota die miſeretur & commodat. 590,26
37. De poſt fœtantes accepit eum. 338,14
Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ. 545,5
38. Nox illuminatio mea in deliciis meis. 367,35.523,8
Dixi, cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. 562,9
Mutuabitur peccator,& non ſoluet. 584,12
40. Propter innocentiam meam ſuſcepiſti me. 74,8
Beatus vir qui intelligit ſuper egenum. 531,18
41. Quare triſtis eſt anima mea. 335,9
44. Aſtitit Regina à dextris tuis. 31,10
Audi filia,& vide,& inclina aurem tuam. 35,19.528,5
Specioſus forma præ filiis hominum. 260,2
Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus. 20,6
Myrrha,& gutta,& caſſia à veſtimentis tuis, à domibus eburneis. 41,38
Deducet te mirabiliter dextera tua. 449,3
Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis. 521,2
Specie tua intende,proſperè procede. 527,8
Eructauit cor meum verbum bonum. 549,2
46. Rex magnus ſuper omnem terram. 348,10
Omnis gloria eius, filiæ regis ab intus, & in fimbriis aureis, circumamicta varietate. 392,14
47. In ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis. 546,6
Circundate Sion & complectimini eam. 604,3
48. Audite hæc omnes gentes. 173,12
Et ſepulchra eorum domus illorum in perpetuum. 473,34
Audite hæc omnes gentes: auribus percipite omnes. 538,6
49. Sedens aduerſus fratrem tuum loquebaris. 660,9
Si videbas furem. 672,4
50. Miſerere mei Domine,ſecundùm,&c. 397,25
Benigne fac Domine in voluntate tua Sion,vt ædificentur muri Ieruſalem. 612,7
51. Non eſt autem occiſus,ſicut neque Iſaac. 663,6
52. Non ſcient omnes,qui operantur iniquitatem. 642,7
54. Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ. 535,7
58. Conuertentur ad veſperam,famem patientur vt canes. 332,1
59. Deus repuliſti nos,& deſtruxiſti nos. 473,32
61. Quouſque irruitis in hominem. 439,11
63. Protege me à conuentu malignantium. 561,7
64. Benedices coronæ anni benignitatis tuæ. 181,3
65. Reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea. 607,9
67. Currus Dei decem millibus multiplex,millia lætantium,Dominus in illis. 115,1
Si dormiatis inter medios cleros,erunt pennæ columbæ deargentatæ. 26,6.251,6
Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem. 248,39. 447,14
68. Neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum. 431,12
Pauper & dolens ego ſum,ſalus tua Deus ſuſcepit me. Laudabo nomen Dei cum cantico. 199,18
70. Ipſi Dauid filiorum Ionadab. 417,9
Quia non cognoui litteraturam, introibo in potentias Domini. 585,15
71. Suſcipiant mõtes pacem populo,& colles iuſtitiam. 159,20
Orietur in diebus eius iuſtitia,& abundantia pacis,donec auferatur luna. 298,4
Deus iudiciũ tuum regi da,& iuſtitiam tuam filio regis. 348,11
Deſcendet ſicut pluuia in vellus. 591,28
72. Tenuiſti manum dexteram meam:& in voluntate tua deduxiſti me. 556,6
76. Excita potentiam tuam,& veni,vt ſaluos facias nos. 37,24
77. Ædificauit ſicut vnicornium ſanctificium ſuum. 335,8
Tradidit in captiuitatem virtutes eorum. 484,11
Quãta mãdauit patribus noſtris nota facere ea filiis ſuis. 541,6
78. Introeat in conſpectu tuo gemitus compeditorum. 477,43. 521,1
Secundum magnitudinem brachij tui poſſide filios mortificatorum. 478,44
81. Ego dixi: dij eſtis,&c. 334,7.412,18
83. In valle lacrymarum in loco quem poſuit. 661,3
84. Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi,iuſtitia & pax oſculatæ ſunt. 255,17
86. Et Tyrus,& populus Æthiopum. 386,1
88. Thronus eius,ſicut ſol in eo reſpectu meo. 451,7
89. Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur. 341,14
Et exultauimus,& iucundati ſumus in omnibus diebus noſtris. 493,15
90. Qui habitat in adiutorio Altiſſimi in protectione Dei cœli commorabitur. 563,1
91. Induit Dominus fortitudinem,& præcinxit ſe. 182,5.279,1
95. Confeſſio & pulchritudo in conſpectu eius. 363,28.527,8
99. Iubilate in conſpectu eius in exultatione. 380,4
101. Cinerem tanquam panem manducabam. 382,10
102. Renouabitur vt aquilæ iuuentus mea. 280,3.511,3
103. Cedri Libani quas plantauit,illic paſſeres nidificabunt. Herodij domus dux eſt eorum. 66,11.315,13
Extendis cœlum ſicut pelles. 353,7
Rigans montes de ſuperioribus tuis. 372,46
Dominus regnauit,decorem indutus eſt. 381,7
Inter medium montium pertranſibunt aquæ. 605,5
Sol cognouit occaſum ſuum. 660,1
104. Quærite faciem eius ſemper. 399,29
Eduxit eos in argento,& auro. 472,29
Tranſierunt de gente in gentem,& de regno ad populum alterum. 507
In ſeruum venundatus Ioſeph eſt. 599,7
105. Fecerunt vitulum in Oreb,& adorauerunt ſculptile. 137,5
Obliti ſunt Deum,qui ſaluauit eos. 499,29
Infecta eſt terra in ſanguinibus. 503,4
Immolauerunt filios ſuos,& filias ſuas dæmoniis. 674,9
106. Qui deſcendunt mare in nauibus,&c. 597,1.604,4
107. Fiant filij eius orphani. 379,1
108. Circuerunt me ſicut apes,& exarſerunt ſicut ignis. 638,13
109. Dixit Dominus Domino meo,&c. 76,31.516,2
Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. 548
Tecum principium in die virtutis tuæ,in ſplendoribus ſanctorum,ex vtero ante luciferum genui te. 13,7
110. Dies mei ſicut vmbra declinauerunt. 488,5
111. Diſperſit,dedit pauperibus; iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi. 502,3.602,14
113. Quid eſt tibi mare quod fugiſti? & tu Iordanis quod conuerſus es retrorſum. 147,27.166,36.392,7
117. Non moriar,ſed viuam; & narrabo opera Domini. 467,18
118. Deduc me Domine in viam iuſtificationum tuarum, & exquiram eam ſemper. 161,24
Fiat miſericordia tua vt conſoletur me. 371,44
Præueni ante horam. 382,11
125. Sagittæ potentis acutæ,ita filij excuſſorum. 35,19
126. Niſi Dominus ædificauerit domum,in vanum laborauerunt, qui ædificant eam. 296,15
127. Labores manuum tuarum quia manducabis,beatus es, & bene tibi erit. 51,5
Educens nubes ab extremo terræ, fulgura in pluuiam fecit. 159,20
Filij tui quaſi nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ. 664
128. Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea 562,1.563,2
130. Nec ambulaui in magnis, nec in mirabilibus ſuper me. 603,2
131. Memento Domine Dauid. 669,19
136. Super flumina Babylonis illic ſedimus. 189,19
Beatus qui tenebit,& allidet paruulos ſuos ad petram. 393,16
Obliuioni detur dextera mea. 554,2
Memor eſto Domine filiorum Edom,in die Ieruſalem. 640,3
138. Quò ibo à ſpiritu tuo. 337,13.495,19
Tu formaſti me,& poſuiſti ſuper me manum tuam. 470,26
140. Diſſipata ſunt oſſa noſtra ſecus infernum. 453
Abſorpti ſunt iuncti petræ iudices eorum. 538,6
Pone Domine cuſtodiam ori meo. 562,1
146. Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. 197,13
147. Qui poſuit fines tuos pacem. 299,6
150. Omnis ſpiritus laudet Dominum. 12,5

Ex Prouerbiis Salomonis.

Prouerbia Salomonis filij Dauid Regis Iſraël. 165,33
3. Veſtiti ſunt duplicibus. 407,8
4. Stultus homo deſpicit matrem ſuam. 42,40
Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens. 130,1
5. Cerua chariſſima. 11,4
6. Vade ad apem ô piger. 484,11
Fili mi ſi ſpoponderis pro amico tuo, defixiſti manum tuam, &c. 615,13
Qui autem adulter eſt,propter cordis inopiam perdet animam ſuam. 674,9
7. Non eſt vir in domo ſua,&c. 388,5
Nam & ego filius fui patris mei tenellus. 458,10
8. Miſit ancillas ſuas. 400,32
Ante ſæculum fundauit me. 435,2
9. Miſcuit vinum,& miſit ancillas ſuas, vt vocarent ad arcem. 201,22.300,8
10. Memoria iuſti cum laudibus. 515,11
14. Vbi plurimæ ſegetes manifeſta eſt fortitudo bouis. 202,25
Poſſidebunt paruuli ſtultitiam. 659,7
18. Mors,& vita in manibus linguæ. 419,13
23. Accedens ad menſam potentis,conſidera quæ ibi opponuntur tibi,ſciens quia & talia te oportet parare. 203,26
Audi patrem tuum qui genuit te. 532,19

24. Septies in die cadit iuſtus,& ſepties reſurgit. 215, 11. 120,3. 462.7

25. Si eſurierit inimicus tuus,ciba illum,ſi ſitit,potum da illi, ſic enim carbones congeres ſuper caput eius. 102,5

30. Byſſus & purpura indumentum eius. 2,2

Nobilis in portis vir eius. 44,44

Mulierem fortem quis inueniet ? procul, & de vltimis finibus precium eius. 13,9.460,3.599,4

Viam colubri ſuper petram. 16,15

Talis eſt via mulieris adulteræ, quæ non comedit, & tergens os ſuum dicit: Non ſum operata malum. 390,8

Dedit prædam domeſticis ſuis,& cibaria ancillis ſuis. 336,11. 413,19

Conſiderauit agrum,& emit eum. 534

31. Digiti eius apprehenderunt fuſum. 240,17.368,37

Ex Eccleſiaſte.

1. Eccleſiaſtes filius Dauid Regis. 149,3.165,33

Feci mihi hortos & paradiſos. 160,21

Initium ſapientiæ timor Domini. 552,10

2. Quis ita deuorabit,& delitiis affluet vt ego. 37,26

Riſum reputaui errorem. 573,8

4. Conſiderans reperi aliam vanitatem ſub ſole, vnus eſt, & fratrem non habet. 125,3

Vnus eſt,ſecundum non habet, non filium,non fratrem,& tamen laborare non ceſſat. 471,28

Qui neſcit præcauere viciſſitudinem. 501,1

Omnes labores hominum,& induſtrias animaduerti patere inuidiæ proximi. 554

Melior eſt ira riſu. 634

5. Poteſtatemque ei tribuit,vt fruatur parte ſua. 193,3.198,15

Cor ſapientum in domo luctus. 466,16

6. Si genuerit quiſpiam centum liberos,& vixerit multos annos, & plures dies ætatis habuerit, & anima illius non vtatur bonis ſubſtantiæ ſuæ, ſepulturaque careat,de hoc ego pronuntio quod melior illo ſit abortiuus. 235,7

7. Vtilior eſt ſapientia cum diuitiis. 246,34

Melius eſt ire ad domum luctus,quàm conuiuij. 567,4

8. Sermo Regis poteſtate plenus eſt. 586,18

Sunt iuſti,quibus mala proueniunt,quaſi opera egerint impiorum. 609,13

10. Labia inſipientis præcipitabunt eum. 561,7.634,4

11. Da partem ſeptem,nec nõ & octo. 237,11

Qui obſeruat ventum non ſeminat. 368,37.614,12

Ex Cantico Canticorum.

1. Oſculetur me oſculo oris ſui. 108,3.399,29.535,1

Si ignoras te ô pulcherrima mulierum. 15,14.331,1

Indica mihi vbi paſcas, vbi cubes in meridie, ne efficiar ſicut velata. 111,11.152,3.15,14.41,37.320,9

Si ignoras te ô pulcherrima mulierum egredere,& abi poſt veſtigia gregum. 65,6.440

Ecce tu pulchra es propinqua tua. 85,1

Oleum effuſum nomen tuum. 95,1.389.521,3

Equitatui meo aſſimilaui te. 160,21

Botrus Cypri dilectus meus mihi. 61,4.208,38

Formoſa ſicut tabernacula Cedar,ſicut pelles Salomonis 250,5

Cùm eſſet Rex in accubitu ſuo. 309,11

Sed cur oleum effuſum. 396,23

Meliora ſunt vbera tua vino. 365,32

Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi. 371,44

Nolite me conſiderare quòd fuſca ſim. 384

Trahe me poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum. 415,5.496,21.580

Indica mihi,vbi paſcas. 425,11.523,8

Ordinauit in me charitatem. 435,3

Odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata. 452,9

Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento. 480

Botrus Cypri dilectus meus in vineis Enggaddi. 490,8

Introduxit me rex in cellaria ſua. 507,14

Lectulus noſter floridus. 527,9

Dum eſſet rex in accubitu ſuo, 551,7.657

Filij matris meæ pugnauerunt contra me. 637,10

2. Columba mea. 16,16

Amica mea. 16,18

Qui paſcitur inter lilia. 40,34

Adiuro vos filiæ Hieruſalẽ per capreas ceruoſque camporũ ne ſuſcitetis,neq; euigilare faciatis dilectã donec ipſa velit.63,7

En ipſe ſtat poſt parietem noſtrũ reſpiciens per feneſtras.111,11

Introduxit me Rex in cellam vinariam. 193,2

Sicut roſa inter ſpinas,ſic ſoror mea inter filias: ſicut pomum in lignis ſiluæ,ſic patruelis meus in filios. 197,14.261,4

En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum reſpiciens per feneſtras. 341,14.509

Ecce iſte venit ſaliẽs in montibus,tranſiliens colles.345,3.614

Similis eſt dilectus meus capreæ. 346

Surge,propera amica mea,columba mea,&c. 375, 2. 379,3. 425,11.433,16

Vox turturis audita eſt in terra noſtra. 392,14

Læua eius ſub capite meo. 441.& 668,17

Adiuro vos filiæ Ieruſalem,ne ſuſcitetis dilectam, donec ipſa velit. 468,21.612,6

Ego flos campi,& lilium conuallium. 518,9

Ne ſuſcitetis,nec euigilare faciatis dilectam. 605,6

Reuertere, ſimilis eſto dilecte mi capreæ, hinnuloque ceruorum ſuper montes Bethel. 609,1.611,4

Dilectus meus mihi,& ego illi. 670,21

3. Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum tanquam virgula fumi ex aromatibus myrrhæ,& thuris, & vuiuerſi pulueris. 23,10.241,20.377.& 661.3

Nunquid quem diligit anima mea vidiſtis.28,2.393,26.402,3

Ferculum fecit ſibi rex Salomon de lignis Libani. 337

Egredimini, & videte filiæ Sion regem Salomonem in diademate. 349,13

Aſcenſum purpureum. 371,44

Inuenerunt me vigiles,qui cuſtodiunt ciuitatem. 372,46

In lectulo meo per noctes quæſiui quem diligit anima mea. 377,6.493,16.523,8.579,3 284,13

Surgam,& circuibo ciuitatem. 394,18.595.& 604,3

Quæram in ciuitate. 415,4

Paululum cùm pertranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea. 415,5.543,10

Adiuro vos filiæ Hieruſalem. 465,13

In lectulo meo quæſiui per noctes,quẽ diligit anima mea.513,6

Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum. 549,3

Inueni quẽ diligit anima mea,tenui eum,nec dimittã. 593,34

Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate quo coronauit eum mater ſua. 42,40.87,7.300,8

Septuaginta fortes,&c. 147,28

Videte Regem Salomonem in diademate quo coronauit eum mater ſua. 218,5

Inuenerunt me cuſtodes ciuitatis. 231,21

4. Capilli tui ſicut greges caprarum. 141,14

Veni coronaberis de capite Sarmana. 146,26

Odor veſtimentorum tuorum,ſicut odor thuris. 241,20

Sicut fragmen mali punici genæ tuæ. 266,16

Duo vbera tua ſicut duo hinnuli capreæ. 423,5

Surge Aquilo,& veni Auſter. 601,13

5. Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto. 2,3

Soror noſtra paruula eſt,& vbera non habet. 24,2

Faſciculus myrrhæ dilectus meus inter vbera commorabitur. 31,11

Dilectus meus miſit manus per foramen, & venter meus intremuit. 36,24.195,7.& 450

Comę eius ſicut elatę palmarũ nigrę quaſi coruus.174,15.671,3

Adiuro vos filiæ Hieruſalem, ſi inueneritis dilectum, vt annuntietis ei,quia amore langueo. 183,6

Vinum bibi cum lacte meo. 270,29

Manus meæ diſtillauerunt myrrham. 266,16

O pulcherrima mulierum. 462,7

Dilectus meus candidus & rubicundus. 537,5

Manus illius tornatiles,aureæ,plenæ hyacinthis. 546,7

Exſpoliaui me tunica mea,quomodo induar illa. 553,11

Vox dilecti mei pulſantis. 365,32

Tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum. 573,7

6. Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens.267,18. 375,2

Pulchra eſt amica mea,ſuauis,& decora ſicut Hieruſalẽ.241,20

Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis. 360,22

Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum ad areolam aromatum. 389

Comæ capitis tui ſicut purpura regis. 542,7

Sicut grex tonſarum,quæ aſcenderunt de lauacro omnes gemellis fœtibus,& ſterilis non eſt in eis. 633,2

7. Comæ capitis tui purpura Regis. 18,20.31,10.447.& 552

Pone me vt ſignaculum ſuper brachium tuum. 99,2

Capite nobis vulpeculas paruas. 365,32

Venter tuus ſicut aceruus tritici vallatus liliis. 200,21.575

8. Ego murus. 6,8

Si murus eſt,ædificemus ſuper eũ propugnacula argentea.24,12

Alæ eius,alæ ignis. 102,5

Qui habitas in hortis amici auſcultant, fac me audire vocem tuam.Fuge fuge dilecte mi. 124,1

Vt inueniam te foris, & deoſculer. 254,14

Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto delitiis affluens,ſupra pectus recumbens dilecti ſui. 267,18

Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum. 400,32

Ex libro Sapientiæ.

1. Venite, fruamur bonis quæ ſunt,& vtamur creatura tanquam iuuentute celeriter. Coronemus nos roſis antequam marceſcant. Nullum ſit pratum, quod non pertranſeat luxuria noſtra. Circumueniamus iuſtum, morte turpiſſima condemnemus eum. 29,5

2. Circumueniamus ergo iuſtum. 504,7

4.Vide

4. Videbunt finem sapientis, & non intelligent quid cogitauerit de illo Deus,& quare munierit illum. 166,35
Defunctus paucis longa impleuit tempora. 491,13
Quàm pulchra est casta generatio cum claritate. 547,8
6. Si ergo delectamini sedibus & sceptris. 501,1
Qui de luce vigilauerit ad illam,non laborabit. 564,5
7. Sum & ego mortalis homo. 518,11
Candor est enim lucis æternæ,& speculũ Dei maiestatis 656,1
9. Et terrena inhabitatio deprimit mentem multa cogitantem. 654,7
11. Misereris omnium,quoniam potes omnia. 348,10
Quod quidam errantes colebant mutos serpentes. 437,7
12. Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate iudicas. 505
15. Speciei generator hæc omnia constituit. 524,1
16. Angelorum esca nutriuisti populum tuum , & deseruiens vniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat conuertebatur. 88,10
Propter hoc,& tunc in omnia transfigurata omnium nutrici gratiæ tuæ deseruiebant ad voluntatem eorum,qui à te desiderabant. ibid.11
Paratum panem de cælo præstitisti illis. 552,9
17. Solis illis superposita erat grauis nox. 525,4
Vinculis tenebrarum & longæ noctis compediti. ibid.
18. Gladius acutus insimulatum imperium tuum portans,& stans repleuit omnia morte. 105,11

Ex Ecclesiastico.

3. Beatus diues qui inuentus est sine macula. 487,3
4. Melius est esse duos quàm vnum , habent enim emolumentum societatis suæ:si vnus ceciderit,ab altero fulcietur ; si dormierint duo,fouebuntur mutuo : & si quispiam præualuerit contra vnum,duo resistunt ei. 103,17
6. Consiliarius vnus è mille. 584,14
7. Fili memorare nouissima tua. 445,10
9. Ne des fornicariis animam tuam in illo. 432,13
10. Si mordeat serpens in silentio , nihil eo minus habet qui occultè detrahit. 561,6
11. Fili,ne in multis sint actus tui. 488,5
13. Venatio leonis onager in eremo. 457,8
14. Beatus vir qui non est lapsus in lingua sua. 561,6
Qui acerbat ex animo suo iniustè,aliis congregat. 655
16. Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti. 474,36
20. Et qui vetatur peccare,pro inopia,*&c.* 628
Si momorderit serpens non in sibilo , non est abundantia incantatori. 630,4
22. Supra mortuum plora,defecit enim lux eius. 466,16
24. Ego ex ore altissimi prodiui primogenita omnium creaturarum. 12,5.20,4
Quasi platanus exaltata sum iuxta aquas. 74,7.520,1
Quasi palma exaltata sum in Cades,& quasi plantatio rosæ in Hiericho ; quasi oliua speciosa in campis , quasi platanus exaltata sum iuxta aquas. 188,19
Posuit Dauid puero suo excitare Regem ex ipso fortissimum. 409,12
Melior est iniquitas viri,quàm mulier benefaciens. 615,14
Et radicaui in populo honorificato. 643,9
25. Timor Dei super omnia se superposuit. 86,4
32. Est enim corona gratiæ. 438
35. Et fortissimus in illis non habebit patientiam. 461,5
Oratio humiliantis se nubes penetrabit. 621,11
37. A consiliario serua animam. 584,14.& 16
38. Fili produc lacrymas in mortuo. 466,16
39. Audite me diuini fructus,florete flores quasi lilium. 282,9
48. Elias qui in turbine tectus est. 503,4

Ex Isaia.

1. Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen. 13,9
Filios enutriui & exaltaui,ipsi autem spreuerunt me. 164,30. 221,14
Argentum versum est in scoriam. 409,11.508,1
Sion in iudicio redimetur. 432,14
Neomeniam ad Sabbatum. 498,26
Restituam iudices tuos vt fuerunt priùs. 583,10
2. Non sum medicus. 50,4
Ingredere in petrã,abscondere in fossa humo. 580.582,8.621,11
3. Aufert Dominus à Iudæa fortem & validam. 460,3
Nolite constituere me principem populi. 504,6
Apprehendet enim vir fratrem suũ,domesticum patris sui. 548
Ego mandaui sanctificatis meis , & vocaui fortes meos in ira. 662,4
4. Apprehendent septem mulieres virum in illa die,dicentes, panem nostrum comedemus. 651,5
5. Væ,qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam , & potandum vsque ad vesperam,vt vino æstuetis. 469,25
Væ qui coniungitis domum ad domum. 565,1
Cithara , & lyra , & tympanum,& tibia,& vinum in conuiuiis vestris. 567,4
Propter scelera populi mei percussi eum. 645,12
6. Ea quæ sub ipso erant replebant Templum. 34,18.307,7
Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum. 44,43.552,8.608,12
Quem mittam. 48,45.580,4.612,6
Ecce ego,mitte me. ibid.44.56,4
Clamabant alter ad alterum,Sanctus,Sanctus,Sanctus. 108,3
Seraphin stabant super illum. 391,11
Vir pollutus labiis ego sum. 419,18
Væ mihi quia tacui. 568,7
7. Pete tibi signum. 122,15
Ecce Virgo concipiet,& pariet filium. ibid.
Et adiecit Dominus loqui ad Achaz,dicens:Pete tibi signum à Domino Deo tuo. 407.613,9
8. Antequam sciat puer vocare patrem,aut matrem,*&c.* 380,6
9. Paruulus natus est nobis,filius datus est nobis,cuius Principatus super humerum eius , & vocabitur nomen eius admirabilis,consiliarius,Deus fortis,Pater futuri sæculi. 81,7.94,4.121,6.421,16.& 517
Sedentibus in regione vmbræ mortis lux orta est. 489,7
Non petam,& non tentabo Dominum. 586,18
10. Væ Assur : virga furoris mei , & baculus ipse in manu eorum indignatio mea. 21,8
11. Egredietur virga de radice Iesse. 21,8.476,40
Et flos de radice eius. 282,9
Requiescet super eum spiritus Domini,spiritus sapientiæ & intellectus,spiritus consilij & fortitudinis,spiritus scientiæ & pietatis,& repleuit eũ spiritus timoris. 58,8.163,29.226,3
Habitabit lupus cũ agno & pardus cum hædo accubabit.479,1
12. Confitebor tibi Domine,quoniam iratus es mihi : conuersus est furor tuus,& consolatus es me. 21,8
13. Pretiosior erit vir auro. 397
Ecce dies Domini venit crudelis,& indignationis plenus.541,5
Sedebo in mõte testamenti,similis ero Altissimo.334,7.356,13
14. Ex radice colubri egredietur regulus. 154,5
Sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis. 161,23
In cælum conscendam,supra astra Dei exaltabo solium meum. 423,5.597,2.667,15
16. Et erit sicut auis fugiens. 48,56.579,2
Emitte agnum Domine dominatorem terræ , de petra deserti, ad montem filiæ Sion.& erit sicut auis fugiens. 16,25
18. Ite Angeli veloces ad gentẽ expectantẽ & conculcatã.189,20
19. Et tradam Ægyptum in manus dominorum crudelium.405,4
Quomodo cecidisti Lucifer. 435
21. Si quæritis quærite. 126,6
Custos quid de nocte ? Custos quid de nocte. 222,17.& 605,6
22. Comedamus & bibamus,cras enim moriemur. 581,4
23. Credo esse Sidon. 405,5
Domine in angustia requisierunt te. 594,2
26. Interfecti mei resurgent. 522,4
Cum feceris iudicia tua in terra , iustitiam discent habitatores orbis. 621,1
Vrbs fortitudinis nostræ Saluator ponetur & antemurale.604,5
27. In die illa vinea meri cantabit ei. 401,34
28. Qui crediderit,non festinet. 294,7
Expecta,reexpecta.Modicum ibi,modicum ibi. 352
Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem. 595,5
29. Misereamur impio & non discet iustitiam. 184,9
Expergiscimini & laudate qui habitatis in puluere , quia ros lucis,ros tuus. 290,7
30. Erit transitus virgæ fundatus. 99,2
Exaltabitur parcens vobis. 251,4
Propterea erit vobis iniquitas. 645,12
31. Non transibit pollutus per eam. 583,14
33. Oculi tui videbunt Hierusalem ciuitatem opulentam, tabernaculum,quod nequaquam transferri poterit.Nec auferetur claui eius in sempiternum , quia solum ibi magnificus Dominus. 55,1.99,3.350,2
Qui ambulat in iustitiis,& loquitur veritatem,*&c.* 612,7
Videntes clamabant foris,Angeli pacis amarè flebant. 648
Iste in excelsis habitabit. 661,3
35. Ipsi videbunt gloriam Domini,& decorem Dei nostri. 481,5
36. Et dabit Dominus vobis panẽ arctum,& aquam breuem.600,8
39. Egressus est autẽ Angelus Domini,& percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. 676,14
40. Qui autem sperant in Domino,mutabunt fortitudinem. 426
42. Linum fumigans non extinguet. 582,8
43. Cùm transieris aquam,tecum ero. 485,12
45. Hæc dicit Dominus Christo Cyro , cuius apprehendi dexteram. 320,9
46. Nunquid tolletur à forti præda. 27,19
An quod ablatum fuerit à robusto saluabitur. 27,20
48. Impius quasi mare feruens. 222,9
Vtinam attendisses mandata mea. 457,9
49. Non esurient,neque sitient. 199,17
Vocans ab Oriente auem. ibid.18
Parum est,vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob.423,7
Magnum est tibi vel voceris puer meus,vel seruus meus. 449

Numquid mater potest obliuisci infantem suum. 581,7
51. Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra. 555,4
52. Quam pulchri pedes euangelizantium pacem. 82,10.228,8
53. Vidimus eum,& non erat aspectus. 44,43
In sapientia sua iustificauit ipse iustos seruos meos multos. 128,12
Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum. 592,30
56. Non dicat Eunuchus: Ecce ego lignum aridum. 454
57. Generationem eius quis enarrabit quoniam abscissus est de terra viuentium. 11,2
58. Ascenditque Loth de Segor,& mansit in monte. 375
Cum effuderis esurienti animam meam. 419,14
Frange esurienti panem tuum,&c. 481,5.582,9
Annuntia populo meo scelera eorum. 386
59. Palpauimus sicut cæci parietem. 539
60. Ambulabunt gentes in lumine tuo,& Reges splendore ortus tui. 91,18
61. In terra sua duplicia possidebunt. 407,8
62. Ecce saluator tibi aderit. 227,7
Propter Sion non tacebo. 401
63. Iste formosus in stola sua gradiens,in multitudine fortitudinis suæ. 466
Calcaui eos in furore meo. 587,19
Quare errare nos fecisti Domine de viis tuis. 647,1
64. Vtinam disrumperes cœlos,& descenderes. 535,26
65. Obliuiscentur tribulationis suæ primæ. 485,13
66. Ego autem opera eorum,& cogitationes eorum,venio vt congregem. 370,42
Et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino. 414,5
68. Et ædificabuntur in te deserta seculorum. 420,16

Ex Ieremia.

1. Ollam succensam ego video,& faciem eius à facie Aquilonis. 184,9
Priusquam te formarem in vtero noui te. 416,8
Extendit Dominus manum suam ad me. 509,4
2. Et non dixerunt, Vbi est Dominus,qui ascendere nos fecit de terra Ægypti. 469,23
Si lauerit de nitro. 509,4
Obstupescite cœli super hoc. 657,2
3. Tu fornicatus es cum amatoribus multis. 389,8
Polluisti terram in fornicationibus tuis, & in malitiis tuis. 548,1
Si reliquerit vir vxorem suam. 674
7. Nunquid spelunca latronum facta est domus ista. 612
11. Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium. 201,25
Verbum quod factum est à Domino ad Ieremiam. 277,8
15 Væ mihi mater mea. 397,44
17. Et ego non sum turbatus. 671,3
31. Fœmina circundabit virum. 48,54
Ideo attraxi te miserans. 538,6
52. Euertit muros Ierusalem per circuitum princeps coquorum Babylonis. 588,22

Ex Threnis.

1. Quomodo sedet sola ciuitas plena populo. 211,12. 232,14
Sacerdotes,& senes mei in vrbe consumpti sunt, quia quæsierunt cibum sibi,vt refocillarent animam suam. 50,3
Et recordata est Ierusalem præuaricationis omnium desiderabilium suorum. 406,6
2. Magna est velut mare contritio tua. 213,6.220,9
Deduc quasi torrentem lachrymas. 231,23
Consurge,lauda in nocte,in principio vigiliarum,effunde,sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini: leua ad eum manus tuas pro anima paruulorum tuorum,qui defecerunt in fame in capite omnium compitorum. 50,3.168,3
Proiecit de cœlo in terram inclytam Israel. 389,7
O vos omnes,qui transitis per viam,attendite & videte, si est dolor similis,sicut dolor meus. 465,14
3. Bonum est viro,qui portauerit iugum ab adolescentia sua. 24,1
Ponet in puluere os suum si forte sit spes. 228,10.94,6
Venatione ceperunt me quasi auem. 224,22
Tantum in me vertit,& conuertit manum suam. 133,7
Manus mulierum per misericordiam coxerunt filios. 159,18
Ego vir videns paupertatem meam, in virga indignationis eius,&c. 177,4.640,3
Sordes eius in pedibus eius,nec recordata est finis sui;deposita est vehementer non habens consolationem. 187,2
Spiritus oris nostri Christus Dominus, captus est in peccatis nostris. 360,21.& 417
4. Filia populi mei crudelis sicut struthio in deserto. 127,7. 405,3
7. Oculus meus deprædatus est animam meam. 393,25

Ex Ezechiele.

1. *De curru ex carbonibus.* 37,16
Duæ pennæ singulorum iungebantur,& duæ tegebant corpora eorum. 59,10
Et super firmamentum quod erat imminens capiti eorũ. 172,10
Hæc visio similitudinis gloriæ Dei. 295,20
2. A lumbis eius vsque deorsum vidi quasi speciem ignis. 81,6.573,8
Fili hominis sta super pedes tuos,& loquar tecum. Et ingressus est in me spiritus postquam locutus est mihi, & statuit me super pedes meos. 281,5
Hæc visio similitudine gloriæ Domini. 535,26
3. Propone ænigma ad populum Israel. 215,9
Spiritus quoque leuauit me. 402
4. Fili hominis sume tibi laterem, & pones illum ante faciem tuam,& describes in eo ciuitatem Hierusalem. 191,26
8. Et ecce ab Aquilone portæ altaris idolum Zeli. 233,1
9. Heu heu Domine Deus, ergo ne disperdes omnes reliquias Israel. 196,9
Vir quoque vnus in medio eorum vestitus erat lineis, & atramentarium scriptoris ad renes eius. 207,35
Et gloria Domini Israel assumpta est de Cherub. 674,10
16. Iustificatæ sunt enim à te. 484,10
17. Aquila grandis magnarum alarum,longo membrorum ductu, plena plumis,& varietate,venit ad libanum,&c. 49,1
19. Leo factus est & didicit capere prædam,hominemque comedere,& audierunt de eo gentes. 474,36
23. Cum immolarent filios suos idolis suis. 637,11
Filios suos quos genuerunt mihi obtulerunt. 664
24. Erit clausa principio. 40,34
Ecce,ego ipse requiram oues meas. 653,2
27. Ventus Auster contriuit te in corde maris. 39,30
Transtra tua fecerunt tibi ex ebore. 173,13
Leua planctum tuum super Regem Tyri. 237,10
28. Et foramina tua præparata sunt. 381,9
Perdidisti sapientiam tuam in decore tuo. 670,8
43. Et vitulum de armento, & arietem de pecoribus immaculatos offerent. 546,7

Ex Daniele.

1. Fuerunt ergo inter eos de filiis Iuda,Daniel,Ananias,Misael, & Azarias. 48,45
Timeo ego Dominum meum Regem, qui constituit vobis cibum & potum. 589,25
2. Tunc Rex Nabuchodonosor cecidit in faciem suam,& Danielem adorauit,& hostias, & incensum præcepit vt sacrificarent ei. 66,10.173,15.178,16
De statua aurea. 145,23
De ferreis tibiis. 313,18
Abscissus est lapis de monte sine manibus. 448,2
Quo audito rex in fusore. 454,2
3. *De tribus pueris.* 6,9.273,35
Cur Nabuchodonosor vidit filium Dei inter pueros? 7,11
Species quarti similis filio Dei. 29,4.81,8.149,5
In hora qua audieritis sonitum tubæ, & fistulæ, & citharæ, & sambucæ psalterij,& symphoniæ, & omnis generis musicorum,cadentes adorate statuam. 54,14
Ne tradas nos in perpetuum propter nomen tuum. 175,17
Tunc Nabuchodonosor obstupuit,& surrexit properè. 319,7
Sidrach,Misach, & Abdenago serui Dei altissimi, egredimini. 171,11.239,16
Benedictus Deus Sidrach,Misach,& Abdenago. 107,1
Qui misit Angelum suum,& eripuit seruos suos,qui crediderunt in eum,& verbum Regis immutauerunt. 140,19
Peccauimus,iniquitatem fecimus. 254.15
Abscissus est lapis de monte. 351.4
Et ambulabant in medio flammæ laudantes Deum. 399, 30. 514,10
Peccauimus,inique fecimus. 401,36.428
Erat cor eius fiduciam habens in Deum. 432,15
Et non tetigit eos omnino ignis. 441
Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum. 444
Deus noster,quem colimus. 481,7
Flamma erupit,& incendit. 495,19
Nabuchodonosor Rex omnibus populis, gentibus & linguis. 574,10
In veritate,& iudicio induxisti omnia hæc propter peccata nostra. 633,2
Nonne tres viros misimus in medium ignis compeditos. ibid.
4. Deus magnus ostendit Regi quæ ventura sunt post ea. 236,9
Ex hominibus abiectus est,& fœnum vt bos comedit. 168,2
Tibi dicitur Nabuchodonosor rex,regnũ transibit à te. 370,42
Igitur post finem dierum. 442,3
Succidite arborem,& præcidite ramos eius. 467
Ecce arbor & folia eius pulcherrima. 479,8
Post finem mensiũ duodecim in aule Babylonis deambulabat. 481
Peccata tua eleemosynis redime. 490,9
Consilium meum placeat tibi. 510

Tu

Tu Balthasar interpretationem narra festinus. 586,18
5. Munera tua sint tibi,& dona domus tuæ alteri da, scripturam autem legam tibi Rex. 132,5.& 501
In eadem hora apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis. 264,11
Librauit Dominus regnum tuum. 355,11.370,41
Tunc iubente rege indutus est Daniel purpura. 571,43.510
Præcepit ergo iam temulentus. 440
Vocatus est à rege Babylonio, de nomine Dei sui Balthasar. 419,1
Viri ergo illi curiosius inquirentes, inuenerunt Danielem orantem. 353,1
Balthasar Rex fecit grande conuiuium optimatibus suis mille. 578,19
6. Placuit Dario,& constituit super regnum Satrapas centum viginti, vt essent in toto regno suo. Et super eos principes tres,ex quibus Daniel vnus erat. 60,12
Vt omnis qui petierit aliquam petitionem à quocumque Deo, & homine,vsque ad triginta dies,nisi à te, Rex, mittatur in lacum Leonum. 217,2
De Daniele à Leonibus libera. 55,16
7. Aspiciebam donec throni positi sunt. 346.585,15
Videbam in visione mea nocte. 496,22
9. Benedictus Deus eorum, Sidrach, videl. Misac & Abdenago. 342,25
10. Et ecce quasi similitudo filij hominis tetigit labia mea, & aperiens os meum locutus sum. 166,36
Ego remansi ibi cum Rege Persarum. 489,6
13. Mundus ego sum à sanguine huius. 29,5
Surgens Daniel comedit. 176,1
Et interfecerunt eos. 430,9

Ex Osea.

1. Voca nomen eius,non populus meus. 479,1
2. Dabo eis vallem Achor ad aperiendam spem. 36,24.& 643
4. Et erit populus meus tanquam Sacerdos, cui contradicitur. 229,13
Turbo spiritus tu es in alis eius. 268,22
Quoniam vacca lasciuiens declinauit Israël. 485,12
5. Pascet eos Dominus sicut agnum in latitudine. 263,8
Et vidit Ephraim languorem suum, & Iudas vinculum suum. 490,0
Nunc deuorabit eos mensis cum partibus suis. 493,15
Facti sunt Principes Iuda quasi assumentes terminum. 500,51. 509,4
6. Ego capiam,& vadam,& tollam,& non est qui eruat:& reuertar ad locum meum. 309,11
7. Quasi columba seducta non habens cor. 183,7
Ephraim factus est subcinericius panis. 222,15
In vtero supplantauit fratrem. 291,1
Omnia scelera eorum recordatus sum nunc. 672
8. Quia multiplicauit Ephraim ad peccandum. 672
9. Scito te Israël stultum. 241,21
Ex diebus Gabaa peccauit Israel. 5,7
11. In funiculis Adam traham eos. 196,10
Ero eis quasi exaltans iugum super maxillas eorum; & declinaui ad eum,vt vesceretur. 204,28
Non faciam furorem iræ meæ, non conuertar, vt disperdam Ephraim, quoniam Deus ego sum,& non homo,in medio tui sanctus,& non ingrediar ciuitatem. 355,17
Pendebit populus meus ad reditum meum. 415,4
12. In manu prophetarum assimilatus sum. 542,8
13. Collegiata est iniquitas Ephraim. 442,4
14. Ego quasi iuniperus coopertum. 245,32
Radix eius vt libani, ibunt rami eius,& erit quasi oliua gloria eius:viuent tritico. 204,29
13. Iuxta pascua sua adimpleti sunt,& eleuauerunt cor suum, & obliti sunt mei. 618,4

Ex Ioële.

1. Plange quasi virgo accincta sacco super virum pubertatis tuæ. 592
Residuum erucæ comedet locusta. 645,13
2. Ecce ego mitto vobis frumentum,vinum,& oleum,& replebimini in eo. 210,42.211,44
Scindite corda vestra,& non vestimenta vestra. 549
Nunc ergo dicit Dominus, conuertimini ad me in toto corde vestro, 560,4
Effundam spiritum meum super omnem carnem. 596,7
3. Sol, & Luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum. Et Dominus de Sion rugiet, & de Hierusalem dabit vocem suam,& mouebuntur cæli,& terra. 179,8

Ex Amos.

4. Auertam faciem meam ab ipsis. 230,15
Audite hoc verbum vaccæ pingues. 655,9

5. Qui subridet vastitatem super robustum. 427,2
Væ desiderantibus diem Domini. 541,5
6. Nunquid currere queunt in petris equi. 471,28
Qui lætamini in nihilo. 523,7
7. Ecce Dominus stans super murum litum,& in manu eius trulla cementarij. 14,18.35,20.526,6

Ex Iona.

1. Indica nobis cuius causa malum istud sit nobis:quod est opus tuum?quæ terra tua? & quo vadis? vel ex quo populo es tu? 138,14.& 534
Remigabant viri,vt reuerterentur in aridam. ibid.15
Et tulerunt Ionam,& miserunt in mare,& stetit mare. 553,7
Timuerunt viri timore magno Dominum. 440,1
Vade in Niniuem ciuitatem grandem,& prædica in ea. 560
Facta est tempestas magna in mari,&c. 606,8
Quid faciemus tibi,& cessabit mare. 648,5
2. Præparauit Dominus piscem grandẽ,vt deglutiret Ionã. 59,50
Et ascẽdet de corruptione vita mea,Domine Deus meus. 504,5
Erat Ionas in ventre piscis tribus diebus & tribus noctibus. 360,21
Et orauit Ionas de ventre piscis, ad Dominum Deum suum. 385,18
Clamaui de tribulatione mea ad Dominum. 530
3. Prædicauerunt ieiunium,& induti sunt sacci. 156,10.628,7
Adhuc tres dies sunt. 558.541,5
Homines,& iumenta,& arbores, & pecora non gustent quicquam. 555.588,22
Operiantur saccis homines,& iumenta. 589,25
Crediderunt Niniuitæ in Deum,& prædicauerunt. 608,12
Præparauit Dominus Deus hæderam. 655,8
4. Tu doles super hædera. 430,20
Et afflictus est Ionas afflictione maxima, & iratus est. 230,17
6. Et timuerunt viri timore magno. 655,5

Ex Michæa.

1. In scelere Iacob omne istud. 645,12

Ex Nahum.

1. Consumentur quasi stipula,ariditate plena. 577
2. Quoniam auertit Dominus contumeliam Iacob, sicut contumeliam Israel. 34,7
Diripiebant argentum,diripiebant aurum. 373

Ex Habacuc.

1. Totum in hamo subleuauit,traxit illud in sagena sua. 665
Tyranni ridiculi eius. 246,33
2. Circumdabit te calix iræ Domini. 123.10
Qui adhuc visus procul,& apparebit in finem,&c. 610
Vsquequo aggrauat contra te densum lutum. 655,8
3. Cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius. 173,12.182,5.582,4
Aspexit, & dissoluit gentes, & contriti sunt montes sæculi. 232,22
Egredietur diabolus ante pedes eius. 436,4
Qui ascendis super equos tuos & quadrigæ tuæ saluatio. 571
Dominus fortitudo mea. 656,10

Ex Sophonia.

1. Scrutabor te in lucernis. 42,56
Verbum Domini,quod factum est ad Sophoniam filium Chusi, filiæ Godoliæ. 189,19

Ex Zacharia.

1. Ira magna ego Dominus irascor super gentes opulentas. 425
Ecce vir ascendens super equum rufum. 466
2. Qui tangit vos,tangit pupillas oculi mei. 69,4
Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ. 84,14
3. Ecce ego cælabo sculpturam eius. 95,2
4. Educet lapidem primariũ,& exæquabit gratiã gratiæ eius. 19,3
Exulta satis filia Sion, iubila filia Hierusalem, quia Rex tuus venit tibi. 572,11.552,10
11. Sume tibi vasa pastoris stulti. 255,5
Hæc dicit Dominus Deus. 515,7
Vlulate quercus Basan. 554,3
14. Et in tempore vesperi erit lux. 495,15

Ex Malachia.

1. Ab ortu Solis vsque ad occasum magnum est nomen meum. 530,15
4. Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ,sanitas in pennis eius. 96,3.117,1.495,19

Ex I. Machabæorum.

2. Tulerunt illis bellum Sabbatis : & mortui sunt ipsi,& vxores, & filij eorum. 39,10
Omnis homo qui venerit ad nos in bello in die Sabbathorum : pugnemus aduersus eum, & non moriemur omnes sicut mortui sunt fratres nostri. ibid.
5. Congregata est ad eos Synagoga Assidæorum,omnis voluntarius in lege,& facti sunt illis ad firmamentum. 90,16
9. Absit istam rem facere,vt fugiamus ab eis. 652,2
13. Ædificauit Simon super sepulchrum patris sui, & fratrum suorum ædificium altum visu,lapide polito retro, & ante. 473,34

Ex II. Machabæorum.

1. Benefaciat vobis Deus, & meminerit testamenti sui. 534
6. Iussit ei, qui prior fuerat loquutus,amputari linguam. 636,10
8. Qui liberauit eos in isto die, misericordiæ initium stillans. 362,25

EX NOVO TESTAMENTO.

Ex Matthæo.

1. Liber generationis Iesu Christi filij Dauid. 136,3
Vbi est qui natus est rex Iudæorum. 340,21
Iacob autem genuit Iudam & fratres eius. 423,5
Dauid autem Rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ. 462,7 677,16
Rachel plorat filios suos. 488
Saluum faciet populum suum. 504,7
2. Vbi est qui natus est Rex Iudæorum. 8,12.348,10.650,8
Gauisi sunt gaudio magno valde. 34,18
Stetit supra vbi erat puer. 51,7
Surge, & accipe Puerum, & Mariam matrem eius, & fuge in Ægyptum. 34,17
Accepto responso in somnis ne redirent ad Herodem, &c. 333,4.337,13.670,21
Vidimus stellam eius in Oriente. 349,12.489,7.500,514,9
Tunc adimpletum est. 404,2
Et procidentes adorauerunt eum. 427,3
Sequar te,quocumque ieris. 434
Ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam dicentes ? Vbi est qui natus est Rex Iudæorum ? 483,9
Progenies viperarum, qui ostendit vobis fugere à ventura ira? 572,5
3. De cœlo intonante apud Iordanem. 3,1
Baptizatus autem Iesus confestim ascendit de aqua. 560,5
4. Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me. 327.378,1.614,11
Et accedens tentator dicit ei. 416,7
Vade retro Satana. 446
Et cum ieiunasset quadraginta diebus. 447,15
Ostendit ei omnia regna mundi,& gloriam eorum. 488,5
Ductus est Iesus à spiritu in desertum. 518,6
Si Filius Dei es,mitte te deorsum. 665,11
Beati pauperes spiritu. 95,7.538,6.580,4.628,5
Beati mundo corde,quoniam ipsi Deum videbunt. 188,17
Beati eritis, cum maledixerint vos homines, & persecuti vos fuerint,& dixerint omne malum aduersus vos. 228,10
Vos estis sal terræ. 183,8.
Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis. 181,2.549,4
Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio. 190,21.117,5
Vos estis lux mundi. 109,6
Non potest ciuitas abscondi supra montem posita. 266,15
5. Si quis te percusserit in dexteram,&c. 333
Cum ergo facis eleemosynam. 510,7
6. Sicut & nos dimittimus. 5,7
Dic vt lapides isti panes fiant. 347
Qui solem suum oriri facit super bonos & malos. 591
Vnde huic hæc omnia? 630,3
Herodes misit,ac tenuit Ioannem. 673,8
7. Multi dicent mihi in illa die,Domine,Domine. 531
8. Ipse verò dormiebat. 56,4
Qualis est hic homo,quia venit,& mare obediunt ei. 293,5
Cùm venisset Iesus in domo Petri. 79,2
Tenuit manum eius,& dimisit eam febris. 243,15
Puer meus iacet in domo paralyticus. 110,9
Dic verbo & sanabitur puer meus. 169,4
Occurrerunt ei duo dæmonia habentes. 278,12.634,4
Quid nobis & tibi Iesu fili Dei ? 108,4
Puer meus iacet in domo paralyticus. 343,405,5.435,2
Dic verbo,& sanabitur puer meus. 345,4.507
Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum. 357,15
Venisti ante tempus torquere nos. 383
Audistis,quia dictum est. 403
Quid nobis,& tibi Iesu fili Dei. 334,1
Fiat tibi secundum fidem tuam. 445,10
Tenuit eius manum. 451,10
Ego homo sum sub potestate constitutus. 564,4
Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. 589,23
Sit tibi sicut Ethnicus & publicanus. 620,9
9. Circuibat Iesus omnes ciuitates,& castellas, docens. 50,3
Cùm transiret Iesus. 109,6.387.453,11.602,14
Vidit hominem sedentem in telonio. 182,6
Cùm transiret inde Iesus,vidit hominem sedentem in telonio. 387.453,11.602,14
Accessit retro,& tetigit fimbriam vestimenti. 388,5.574
Et cum eiecta esset turba intrauit. 415,5
Dicebat intra se : Si tetigero tantùm vestimentum eius,saluus ero. 436,4
10. Veni separare hominem aduersus patrem. 8,12
Tradet frater fratrem. 51,6
Nec calceamenta,nec virgam ferant. 141,14
Primus Simon Petrus. 107,15
Estote prudentes sicut serpentes. 52,8
Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. 331,1.333,4
Capilli capitis vestri numerati sunt. 334,5
Gaudete,quia nomina vestra scripta sunt in cœlo. 339
Excutite puluerem de pedibus vestris. 410
Baptismo,quo ego baptizor,baptizabimini. 509,4
Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? 536,2
Quicumque non receperit vos,nec audierit sermones vestros. 555,5
Nolite cogitare quomodo,aut quid loquamini. 561
11. Confiteor tibi Pater,Domine cœli,& terræ. 66,9
Regnum cœlorum vim patitur. 91,18
Non surrexit maior Ioanne Baptista. 242,23
Iugum meum suaue est,& onus meum leue. 250,4.613,8
Discite à me,quia mitis sum,& humilis corde. 278,11
Venite ad me omnes qui laboratis. 342,25
Amen dico vobis non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista. 658,5
Ecce ego mitto Angelum meum. 501,10
12. Abiit Iesus per sata Sabbatho. 56,2.134,9
Sic luceat lux vestra coram hominibus. 102,4
Quæ est mater mea. 128,10.123,19
Reuertar in domum meam,vbi exiui. 446
Dico vobis quia templo maior est hic. 523
13. Alij Ioannem Baptistam,alij autem Eliam,&c. 346.540,3
Fulgebunt iusti sicut Sol in regno Patris eorum. 540
Nonne mater eius dicitur Maria. 653,4
14. Ascendit orare. 366,33
Da mihi in disco caput Ioannis Baptistæ. 432,13
Volens occidere eum,timuit populum. 441
Exiens vidit turbas. 580,5
Non licet tibi habere vxorem fratris tui. 570,1
Domine si tu es,iube me venire ad te. 601
Manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum. 624,3
Videns ventum validum timuit. 639
15. Etiam Domine,nam & catelli comedunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. 66,9.211,43.194,3
Iam triduo sustinent me. 239,15
Præcepit turbæ,vt discumberent super terram. 254,13
Populus hic labiis me honorat, cor eorum longè est à me. 338,16
Non est bonum sumere panem filiorum. 520,1
Dimitte eam,quia clamat post nos. 551,7
Miserere mei Domine, filia mea à dæmonio torquetur. 594,2
16. Absit à te Domine,non erit tibi hoc. 161,24
Quem dicunt homines esse filium hominis ? 293,5.627,3
Quam dabit homo commutationem pro anima sua. 265,14
Duxit illos in montem excelsum. 51,6
Et ego dico tibi. 505,10
Tibi dabo claues regni cælorum. 601,10
Vade post me Satana. 632
17. Ecce apparuerunt illis Moyses,& Elias. 4,4
Bonum est nos hic esse,faciamus tria tabernacula.97,17.131,2.335,9
Aperto ore eius inuenies staterem. 311,5
Vade ad mare,& mitte hamum. 583,11
Assumpsit Iesus Petrum & Iacobum. 662
18. Nisi efficiamini sicut paruuli,non intrabitis in regnum cœlorum. 286,19
Inuentus est in Azoto. 356,12
Exterriti sunt custodes,& facti sunt veluti mortui. 377,6
Si duo vobis consenserint super terram. 396,23
Væ mundo à scandalis. 450,5
Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies. 559,9

Qui

Qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis. 660,9
Vbi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo. 666,12
19. Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, sedebitis. 86,5
Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Quid ergo erit nobis? 133,8
Abiit tristis. 418,11
Magister bone, quid boni faciam, vt habeam vitam æternam? 1005,8
20. Dic vt sedeant duo filij mei, vnus ad dexteram, alius ad sinistram. 161,23.226,5
Non est meum dare vobis. 86,5.218,2.309.18
Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum. 362,26
Sedere autem ad dextram. 398 444,8
Quid hic statis tota die otiosi. 601
21. Osanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini. 46,50
Intrauit Iesus in templum Dei, & eiiciebat omnes ementes, & vendentes in templo, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit, & accesserunt ad eum cæci, & claudi in templo. 45,45
Etenim dixerunt Domini eius ad discipulos, cur soluitis pullum. 378,8
Dicite filiæ Sion, ecce Rex tuus venit sibi mansuetus. 593,33
Domus mea, domus orationis vocabitur. 639,1
22. Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem. 310,43.335,10.398,17.546
Multi enim sunt vocati & pauci electi. 502,2
Ibi erit fletus & stridor dentium. 633,1
23. Vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine iusti Abel vsque ad sanguinem Zachariæ, &c. 259,1.374,50
Surrexit, sicut dixit. 378
Duces cæci, excolantes culicem, camelum glutientes. 568
Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina. 613,8
24. Cùm videritis abominationem stantem in loco sancto, tunc qui in Iudæa est, fugiat ad montes. 177,3
Orate ne fuga vestra fiat hyeme, vel Sabbatho. 179,9
Vbi fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ. 199,17
Tunc parebit signum Filij hominis. 268,21
Ab arbore fici discite parabolam. 373
Tunc duo erunt in agro. 406,7
Væ autem prægnantibus, & nutrientibus. 474,35
25. Simile est regnum cœlorum decem virginibus. 19,4
Dormitauerunt omnes, & dormierunt. 47,7.615,14
Non dixit capras, quia possunt habere fœtus. 338
Esuriui, & non dedistis mihi manducare. 397,24.442,4
Clamat post nos. 408,9
Qui intingit mecum manum in paropside. 416,7
Date nobis de oleo vestro. 420
Venite benedicti Patris mei. 435.480,2.578.653,4
Quando te vidimus esurientem. 523,8
Quod fecistis vni ex minimis istis, mihi fecistis. 557,9.614
Non licet mittere panem canibus. 575,14
Non sumpserant oleum secum. 594,13
Cùm videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto, &c. 612,2
26. Vt quid molesti estis huic mulieri? 61,4
Mitte gladium tuum in vaginam. 67,22
Transeat à me calix iste. 72,1
Vnus vestrum me traditurus est. 175,17
Tunc abiit vnus ex duodecim Iudas Iscariotes ad Principes. 122,8
Ad sepulturam meam hoc fecit. Tunc profectus vnus ex duodecim, &c. 181,4
Vbi vis paremus tibi pascha? 210,43
Conuerte gladium in locum suum. 457,8
Dormire enim iam & requiescit. 465,13.606,8.668,18
Vt quid perditio hæc, &c. 480,2
Accipiens enim calicem, gratias egit & dedit illis. 520,9
Numquid ego sum Domine? 608
Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. 610,2
Antequam gallus cantet ter me negabis. 674,11
27. Laqueo se suspendit. 167,1
Hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus Iesu. 382
Emerunt ex illis agrum figuli. 383,12
Tacebat ita vt miraretur præses. 424,8
Posuit illud in monumento suo nouo. 500,31
Prætereuntes autẽ blasphemabãt cũ mouẽtes capita sua. 561,7
Retulit argenteos triginta Principibus Sacerdotum, & senioribus, dicens, peccaui. 618,5
Proiectis argenteis in templo recessit, & abiens laqueo se suspendit. 621
Sanguis eius super nos. 524,8
Erunt duo in agro, vnus assumetur. 666,12
Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrum. 676,13
28 Quotidie sedebam in templo docens, & non me tenuistis. 127,7
Terræmotus magnus factus est. 195,7
Reuoluit lapidem, & sedebat supra lapidem. 349,13
Dicite, quia discipuli eius nocte venerunt. 399

Ex Marco.

1. Et processit rumor eius in omnem regionem Galilææ. 630,3
3. Obseruabant Pharisæi, si Sabbatis curaret. 355,22
4. Dimittentes turbas, assumunt eum. 517,4
Et facta est procella magna venti, & fluctus mittebat in nauim. 609,13
Et erat ipse in puppi super ceruical dormiens. 631,6
5. Vidit Iesum a longè, cucurrit, & adorauit eum. 281,4
Interrogabat eum Iesus, quod tibi nomen est. 238,14
Exeuntes spiritus immundi introierunt in porcos, & magno impetu grex præcipitatus est in mare. 66,8
Non sciebat quid diceret. 125,8
Noli timere, crede tantum, & salua eris. 450,5
6. Cum placuisset Herodi. 54,14
Ioannes, quem ego decollaui, ipse est. 459,1
7. Ab intus de corde hominum procedunt cogitationes malæ. 393,16
Loquar ad Dominum cum sim puluis & cinis. 506,22
8. Vidi homines vt arbores ambulantes. 376,4
Qui me confusus fuerit coram hominibus, & ego confundar eum coram patre meo. 395.568,7
Aliud cadebat in terram bonam, & dabat fructum. 578
10. Non erat tempus ficorum. 45,45
14. Vnus ex vobis tradet me, qui manducat mecum. 205,38
Posset vnguentum istud venundari plusquam trecentis denariis. 234,3
16. Iesum quæritis Nazarenum crucifixum, non est hic. 256,18
Ite, dicite discipulis eius. 414
16. Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome, emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum. Et valde mane vna Sabbatorum veniunt. 169,5

Ex Luca.

1. Et non erat illi filius. 65,7
Apparuit illi Angelus Domini stans à dextris altaris. 28,8
In spiritu, & virtute Eliæ. 54,15
Virtus altissimi obumbrabit tibi. 60,8
Concipies, & paries filium. 64,4
Et regnabit in domo Iacob. 14,12
Turbata est in sermone eius. 195,7
Vna de filiabus Aaron. 18,5
Ambo iusti apud Deum. 286,19
Exultauit infans in vtero meo. 32,18
Ipse enim saluabit populum suum. 98,10
Et tu puer Propheta altissimi vocaberis. 131,2
Missus est Angelus Gabriel a Deo. 335,9.396,22
Quomodo fiet istud. 360,22
Dominus tecum. 389
Et eris tacens, & non poteris loqui. 412.562,9.576
Spiritus sanctus superueniet in te. 549,3
Regnabit in domo Iacob. 593,34
2. Quod vocatum est ab Angelo, priusquam in vtero conciperetur. 11,8
Vt putabatur filius Ioseph. 358,17
Angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos. 381,7
Exiit edictum. 407
Nunc dimittis seruum tuum in pace. 415,4.692,14
Inuenietis infantem pannis inuolutum. 417,9
Iesus autem proficiebat sapientia & ætate. 491,14
Quia viderunt oculi mei salutare tuum. 495,19
Et erat subditus illis. 505,9
Et inuenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum. 517,4
Erant ambo iusti. 537,4
Quid est quòd me quærebatis. 576,16
Et venit in omnem regionem Iordanis prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. 577,17
Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. 609,1
Fuit in diebus Herodis regis Iudæ sacerdos. 662,5
Gloria in excelsis Deo. 669,19
3. Qui fuit Adam, qui fuit Dei. 11,2
Qui fuit Nathan, qui fuit Dauid. 383,14
Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. 469,24
Simile est regnum cœlorum grano sinapis. 565
Et descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba. 598,30
Securis ad radices arboris posita est. 625,6
Ipse vos baptizabit Spiritu sancto. 629,2
4. Quid nobis, & tibi. 3,8
Duxit illum diabolus in montem excelsum. 659,6

Et oſtendit ei omnia regna mondi. 485,12
Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus. 545,4
Multi leproſi erant in Iſrael ſub Eliſæo Propheta. 574,10
5. Recede à me Domine. 3,1
Confide fili,remittuntur tibi peccata tua. 527,9
6. Et erat pernoctans in oratione. 610,2
7. Nam & ego homo ſum ſub poteſtate. 412,28
Hic ſi eſſet Propheta. 458,13
Vt cognouit quód accumberet Dominus in domo Phariſæi. 320,1
Vides hanc mulierem? intraui in domum tuam. 547,9
Hic ſi Propheta eſſet, ſciret vtique quæ, & qualis eſt mulier quæ tangit eum. 558
8. Semen eſt verbum Dei. 369,39
Non eſt mortua puella,ſed dormit. 400,31
Quid mihi,& tibi Fili Dauid. 418,4
Quod tibi nomen? At ille dixit, Legio: quia multi ſumus. 605,6
Veniſti ante tempus perdere nos. 649,5
9. Hic ſi eſſet Propheta, non fineret hanc mulierem tangere ſe. 5,5
Oſculabatur pedes Domini. 221,14
Permitte mihi primùm ire,& ſepelire patrem meum. 130,1
Inuentus eſt Ieſus ſolus. 319,19
Sequar te Domine,ſed permitte mihi primum renunciare his, qui domi ſunt. 474,35
Et ecce duo viri loquebantur cum illo. 677
10. Ipſa ſedens ſecus pedes Ieſu,audiebat verbum illius. 56,3
Homo quidam deſcendebat ab Ieruſalem in Iericho. 399
Videbam Sathanam ſicut fulgur de cœlo cadentem. 454,1. 450,5
Nolite gaudere ſuper hoc. 513,6
Ite.ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos. 550,6
11. Et ibit ad illum media nocte. 316,14
Cùm immundus ſpiritus exierit ab homine. 36,21
Cogitabat intra ſe. 385,18
Propter improbitatem tamen eius ſurget,& dabit illi. 411
Quis veſtrum habebit amicum. 438,517,9.610,1.625,1.624
Numquid porriget ſcorpionem. 577,18
Vendite,quæ poſſidetis. 618,5
12. Sint lumbi veſtri præcincti. 7,9.35,21.89,18
Lucernæ ardentes in manibus veſtris. 101,5
Nolite timere,puſillus grex, quoniam complacuit patri veſtro dare vobis regnum.171,15.540,2.517,4.553.603,2.616,15. 642,6
Quid faciam? quod non habeo quo congregem. Deſtruam horrea mea. 183,7.378,1
Dic fratri meo,vt diuidat mecum hæreditatem. 258,13
Baptiſmo habeo baptizari. 352,3
Ignem veni mittere in terram. 423,7
Si vadis cum aduerſario tuo ad Principem. 427,2
Habes multa bona poſita in annos plurimos. 419,7.493,16
Deſtruam horrea mea. 514,9
Beati ſerui illi,quos cùm venerit Dominus,inuenerit vigilantes. 518,10
Cogitabat intra ſe dicens,quid faciam, quod non habeo quò congregem fructos meos. 563,3.585,16.654,7
Præcinget ſe,& faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis. 591,31
Exi in vias & ſepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea. 607,9
13. *De ſtercore imponendo ficui.* 213,5
Diſcedite à me omnes operarij iniquitatis. 655,9
Dixit autem ad cultorem vineæ. 675,11
14. Cum intraſſet Ieſus in domo cuiuſdam Principis Phariſæorum,vt manducaret panem. 103,1
Iuga boum emi,& eo probare illa. 160,21
Et compelle intrare,vt impleatur domus. 263,8
15. Domum euertit. 63,1
Dimiſit illis ſubſtantiam. 167,1
Ego hic fame pereo, ſurgam, & ibo ad patrem meum. 198,16
Oſculatus eſt eum. 82,9.301
Cito afferte ei ſtolam primam. 229,13.631,6
Indignatus eſt autem,& nolebat introire. 226,4
Mitte Lazarum vt intingat extremum digiti. 334.5
Pater peccaui in cœlum,& coram te. 363,18.450.657,2
Cecidit ſuper collum eius,& oſculatus eſt eum. 363,18.442,4. 557,9
Surgam,& ibo ad Patrem meum. 366,34.394,18
In ſe reuerſus dixit: Surgam,&c. 368,37
Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, & ego hic fame pereo. 373,48.416
Erant appropinquantes Domini publicani. 383,14
Fac me vnum ex mercenariis tuis. 416,7
Quis ex vobis homo qui habet centum. 422,2.523
Numquam dediſti mihi hædum,vt cum amicis meis epularer. 456,6.577,18
In regionem longinquam. 483,8
Euertit domum,& quærit diligentes donec inueniat. 517,4
Peregre profectus eſt in regionem longinquam. 546,6
Cum autem adhuc longè eſſet,vidit eum pater ſuus. 581
Surgam,& ibo ad patrem meum. 593
16. *De villico.* 159,18
Factum eſt autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis. 163,18
Pater Abraham,miſerere mei. 142,17
Mitte Lazarum,vt intingat extremum digiti ſui in aqua. 185,11.194,3.275,5.289,5.471.556,6.558,1.561,6
Vt mittas eum in domum fratris mei, habeo enim quinque fratres, vt teſtetur illis. 61,2
Pater Abraham miſerere mei. 408,10.587,10
Canes veniebant,& lingebant vlcera eius. 410
Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. 507,14
Conuocatiſque ſingulis debitoribus domini ſui, dicebat primo. 560,2
Lex & Prophetæ vſque ad Ioannem. 575
Hic diffamatus eſt apud illum. 652,3 676,14
Factum eſt autem vt moreretur mendicus. 676,13
17. Emebant, vendebant,& plantabant, & ædificabant, & pluit ignis de cœlo. 144,12
Cùm feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis,&c. 333
Et factum eſt,dum irent mundati ſunt. 436,4.476,41
Ite,oſtendite vos ſacerdotibus. 455,5
Regreſſus eſt cum magna voce magnificans Deum, & cecidit in faciem ſuam ante pedes eius gratias agens. 476,41
Adoleſcens,tibi dico ſurge. ibid.
Non ſum ſicut cæteri homines. 523,7
Regnum Dei intra vos eſt. 542,7
18. *De Phariſæo,& Publicano.* 190,11
Non ſum ſicut hic publicanus. 242,13.516,1
Ieſu fili Dauid miſerere mei. 260,2
Vende omnia,& da pauperibus. 340,12
Ieiuno bis in Sabbatho. 374
Propitius eſto mihi peccatori. 374,50.382
Phariſæus ſtans hæc apud ſe orabat: Ieiuno bis in Sabbato. 390,10
Deus gratias ago tibi. 419
Homo quidam deſcendebat ab Hieruſalem in Iericho. 551,7
19. Præcurrens Zachæus aſcendit arborem ſicomorum,vt videret Ieſum. 131,1.661,2
Zachæe, deſcende hodie, namque in domo tua me manere oportet. 238,22.390,9
Dixerunt domini eius ad Diſcipulos. 167,1
Si cognouiſſes & tu quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi. 129,12
Cùm autem Ieſus veniſſet ad locum, ſuſpiciens vidit eum 339,18
Soluentibus autem illis pullum dixerunt domini eius. 364,29
Zachæe feſtinans deſcende. 9
Et vt appropinquauit, videns ciuitatem fleuit ſuper illam. 472,30
Ecce vir nomine Zachæus quærebat videre Ieſum. 538,7
Et cùm viderent, omnes murmurabant, dicentes quód ad hominem peccatorem diuertiſſet. 579,1
Hodie ſalus domui huic facta eſt. 616,16
20. In reſurrectione non nubunt. 414
21. Verè dico vobis,quia vidua hæc pauper,pluſquam omnes miſit. 393,15
22. Occurreret vobis homo amphoram aquæ portans,ſequimini eum. 102,14
Tecum paratus ſum,& in carcerem,& in mortem ire. 38,17
Ego autem rogaui pro te,ne deficiat fides tua. 129,14
Ecce ſatanas expetiuit vos,vt cribraret ſicut triticum. 370,42. 405,4.465,14.563,3.619
Veruntamen non mea voluntas,ſed tua fiat. 508,2
Conuerſus Dominus reſpexit Petrum. 331,18
Factus in agonia prolixiùs orabat. 541
Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. 578,10
Egreſſus foras fleuit amare. 658,4
23. Tolle,crucifige eum. 83,11
Neque tu times Deum. 58,8.1 1,18
Domine memento mei dum veneris in regnum tuum. 62,6. 130,1. 363,28.379,4
Blaſphemabat eum, dicens: ſi tu es Chriſtus, ſaluum fac temetipſum. 377 6
Hodie mecum eris in Paradiſo. 481
Manducauimus coram te,& bibimus. 385,12
Filiæ Ieruſalem nolite flere ſuper me,&c. 394,18.404,2
Et tu aliquando conuerſus,confirma fratres tuos. 465,9
24. Et accepit panem, benedixit, ac fregit, & porrigebat illis, & aperti ſunt oculi eorum,& cognouerunt eum. 142, 16. 200,20
Domine oſtende nobis patrem,& ſufficit nobis. 517
Vna Sabbati venerunt ad monumentum mulieres. 565
Et regreſſæ à monumento nunciauerunt hæc omnia illis vndecim. 596,7

Au

Ex Ioanne.

1. In ipso vita erat,& ipse erat lux hominum. 53,12
Intuitus autem Iesus eum dixit: Tu es Simon filius Iona,tu vocaberis Cephas,quod interpretatur,Petrus. 56,4
Cùm eras sub ficu,vidi te. 65,1.410
Cuius non sum dignus corrigiam calceamẽti soluere. 166,36
Ecce vox clamantis in deserto. 365,32
Inuenimus Messiam,& adduxit eum ad Iesum. 381,7
Ecce agnus Dei. 397,25
Filioli custodite vos à simulacris. 428,4
Omnis,qui natus est ex Deo,non peccat. 442,4
Scimus,quoniam,cum apparuerit similes ei erimus. 487,3
Vidimus gloriam eius gloriam quasi vnigeniti à Patre. 557,4
De plenitudine eius omnes accepimus , & gratiam pro gratia. 596
Videbimus Angelos ascendentes & descendentes super filium hominis. 615,9
Et adduxit eum ad Iesum. 671,2
2. Vocatus est autem Iesus, & Discipuli eius ad nuptias. 59,10
Quid mihi & tibi,mulier ? 64,2
Implete hydrias aqua. 207,35.574,18
Clamaui de tribulatione mea ad Dominum. 418,11
Quasi flagellum de funiculis. 494,18
Quod signum ostendis nobis,quia hæc facis. 556,7
Nisi quis renatus fuerit ex aqua,& Spiritu sancto. 574,21
4. Ego misi vos metere quod non laborastis. Alij laborauerunt,& vos in labores eorum introistis. 62,6
Voca virum tuum,& veni huc. 30,8
Erat quidam regulus. 189,20
Reliquit ergo hydriam suam mulier : & abiit in ciuitatem, & dicit illis hominibus, Venite,& videte,&c. 468,21
Nondum venit hora mea. 620,8
5. Venit hora. 438,9
Apparuerunt dispertitæ linguæ. ibid.
Nolite mirari hoc,quia venit hora,in qua omnes , qui in monumentis sunt,audient vocem eius. 468,20
Iesus est qui me fecit sanum. 476,41
Pater meus vsque modo operatur,& ego operor. 504,7
Et potestatem dedit ei iudicium facere , quia filius hominis est. 599,7
6. Eum qui venit ad me,non eiiciam foras , qui de cœlo descendi,non vt faciam voluntatem meam: sed eius qui misit me. 162,24
Vade ememus panes,vt manducent. 405,25
Quot panes habetis. 334,5
Fugit iterum in montem ipse solus. 559
Cum accepisset Iesus panes,&c. ibid.19
Cùm cognouisset , quia venturi essent,vt raperent eum , &c. 393,15
Accepit ergo Iesus panes , & cum gratias egisset distribuit. 475,58
Omnis qui audiuit à Patre meo,& didicit. 533,22
Cum subleuasset oculos Iesus,& vidisset. 662,4
7. Nunquid ex Principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis ? 91,18
Ego non ascendo ad diem festum istum. 497,25
Sicut Moyses exaltauit serpentem in eremo. 625,15
8. Hæc verba locutus est Iesus in Gazophylacio,docens in templo Salomonis,& nemo apprehendit eum. 131,5
Principium qui & loquor vobis. 345,3.533,22
Iesus autem inclinans se deorsum digito scribebat in terra. 380,5.555,5
Vnus post vnum exibat. 573,9.555,5
Digito scribebat in terra. 287,6
9. In hoc mirabile est,quia vos nescitis vnde sit,& aperuit oculos meos. 91,18
Qui sine peccato est vestrûm,primus in illam lapidem mittat. 383,13
10. Dimitte oues,& lupus rapit. 229,13
Et lupus rapit,& dispergit oues. 299,4
Et cognoscunt me meæ. 351,1
Iesus autem ambulabat in templo in porticum Salomonis. 418
Mercenarius autem cuius oues non sunt propriæ. 484,11
11. Lazarus amicus noster dormit , & gaudeo propter vos. 138,6.400,31
Lachrymatus est. 217,3.317,2
Vbi posuistis eum ? 44,43
Statim prodiit,qui fuerat mortuus ligatus pedes, & manus institis,& facies eius erat ligata. 120,2
Mansit eodem loco. 375,48
Infirmitas hæc non est ad mortem. 443,6
Ego sum resurrectio. 578,20
Fur erat,& loculos habens. 583,31
Lazare veni foras ! 612,6
12. Cùm exaltatus fuero,omnia traham ad meipsum. 351,4
Ambulate dum lucem habetis. 425,11.539
Ego si exaltatus fuero à terra. 419,8
Pueri numquid pulmentarium habebis. 495,20
Nunc iudicium est mundi. 557,8
13. Cùm intinxisset panem,dedit Iudæ. 117,6
Quod facis,fac citius. 118,7
Et cùm accepisset ille buccellam,exiuit continuò. 126,5.520,9.& 611
Cùm hæc dixisset Iesus,turbatus est spiritu , & protestatus est dicens , Amen dico vobis , quia vnus ex vobis me tradet. 179,8
Cùm dilexisset suos,in finem dilexit eos. 539,1
Qui lotus est,non indiget,nisi vt pedes lauet. 625
14. Si quis diligit me , sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum,& ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. 106,13
Pater maior me est. 107,14
Philippe,qui videt me,&c. 7,10
Ostende nobis Patrem,& sufficit. 585,16
Pacem relinquo vobis,pacem meam do vobis. 643
15. Vos amici mei estis. 462,8
Mundus gaudebit,vos autem contristabimini,sed tristitia vestra vertetur in gaudium. 178,7
16. Hæc loquutus sum vobis. 403,38
Mulier , cum parit tristitiam habet , quia venit hora eius 485,13
Modicum & videbitis me , iterum modicum & non videbitis me. 610
Qui credit in me,sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. 559
17. Pater,quos dedisti mihi,&c. 154,14
18. Vt ergo dixit eis,Ego sum,abierunt retrorsum. 555,26
Iudas ergo cùm accepisset cohortem. 577,17
19. Si hunc dimittis,non es amicus Cæsaris , omnis enim qui se Regem facit,&c. 50,4
Et accepit eam Discipulus in suam. 1,1
Venit homo quidam diues nomine Ioseph. 9,2
Exiuit sanguis & aqua. 332,2
Venit autem & Nicodemus. 496,21
Quorum remiseritis peccata,remittuntur eis. 384,15
Mulier,quid ploras. 456,7.611,5
Currebant autem duo simul. 511,2
20. Vidit Iesum stantem,& non sciebat quia Iesus est. Dicit ei Iesus,mulier,quid ploras ? quem quæris ? 49,56
Et post dies octo iterum erant Discipuli eius intus , & Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis,& stetit in medio. 87,5
21. Petre amas me ? Cùm senueris,extendes manus tuas , & alius cinget te. 72,1
Et ducet quò tu non vis. 251,8
Cum eras iunior cingebat te. 492,13
Tunica succinxit se,& misit se in mare. 538,7
Discipulus ille,quem diligebat Iesus dixit Petro,Dominus est. 675,12

Ex Actis Apostolorum.

1. Quid statis aspicientes cœlum ? 52,7
Hic Iesus,qui assumptus est à vobis. 248,39
Perseuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria. 6,8.287,1
Nubes suscepit eum ab oculis eorum. 418,12
Erat cor credentium vnum,& anima vna. 420,3
Viri fratres oportet impleri Scripturam , quam prædixit S.S. per os Dauid de Iuda. 583,10
2. Quia musto pleni sunt isti. 233,26
Apparuerunt dispertitæ linguæ,quasi ignis. 544,1.357,15.337,6.636
Adhuc spirans minarum. 401,54
Factus est repente de cœlo sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis. 407
Dextera igitur Dei exaltatus. 447
3. Tunc Petrus & Ioannes ascendebant circa horam orationis nonam. Et quidam vir,qui erat claudus. 358,18
Respice in nos. 423,5
Intrauit cum illis in templum. 453,16
Protinus consolidatæ sunt bases eius & plantæ, & exiliens stetit,& ambulabat. 593
Argentum & aurum non est mihi. 602,14
4. Ponebant ante pedes. 238,12
Conuenerunt enim in ciuitate ista aduersus sanctum puerum Iesum,&c. 592,31
5. Factum est autem quasi horarum trium spatium,& vxor illius nesciens quod factum fuerat introiuit. 214,8
Quid faciemus hominibus istis. 432
Cur tentauit Satanas cor tuum ? 563.3
6. Ecce video cœlos apertos. 350,1
Viderunt faciem eius quasi faciem Angeli. 527,7

Et elegerunt Stephanum virum plenum fide. 668,18
7. Date mihi potestatem, vt cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum. 61,2
Cùm esset plenus Spiritu sancto, intendens in cælum. 175,18 519,7
Video cælos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei. 154,6
Lapidabant Stephanum inuocantem. 595
Ne statuas illis hoc peccatum. Et cum hoc dixisset obdormiuit. 606,8
Ecce video cælos apertos, &c. 621,11
8. Orate pro me ad Dominum, vt nihil horum, quod dixistis, eueniat in me. 355,8
Accurrens autem Philippus audiuit eum legentem Isaiam Prophetam. 372.527,9
Dixit autem Spiritus Philippo. 414,3
Accurrens autem Philippus audiuit eum legentem Isaiam. 527,9
Obtulit eis pecunias dicens. Date mihi hanc potestatem. 619,7
9. Vas electionis est iste mihi, vt portet nomen meum. 96,2
Accessit ad Principem Sacerdotum. 406
Subito circumfulsit eum lux de cælo. 442,3
Et cadens in terram audiuit vocem dicentem. 489,8
10. Ascendit superiora domus, vt oraret. 50,2
Nunquam manducam commune & immundum. 364
Occide & manduca. 441,2
12. Tunc non parua turbatio inter milites, quidnam factum esset de Petro. 545,4
12. Statuto autem die, Herodes vestitus veste regia. 484,11
Et Angelus Domini astitit. 489,6
In ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites vinctus duabus catenis. 491,12
16. Subito terræ motus factus est, & statim aperta sunt omnia ostia, & vniuersorum vincula soluta sunt. 243,13
Lætatus est cum omni domo sua. 266,18
Media autem nocte Paulus, & Silas orantes laudabant Deum. 610,8

Ex Epist. Pauli ad Romanos.

1. Mutauerunt gloriam immortalis Dei, &c. 346
Iustus ex fide viuit. 558,1
2. Non enim qui in manifesto Iudæus est, sed qui in abscondito. 156,10
Secundum duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ. 640,3
Qui sine lege vixerunt, sine lege peribunt. 645
3. Qui enim mortui sumus peccato. 445,12
4. Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. 482,6
6. An ignoratis, quod quicunque baptizati sunt in Christo Iesu, &c. 343,28
Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius. 392,14
7. Ego autem carnalis sum, venondatus sub peccato. 673,7
8. Nam expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat. Scimus enim quòd omnis creatura ingemiscit, & parturit. 62,5.316,16
Deus misit filium suum in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum. 392.558,10
Quis nos separabit à charitate Christi. 400,32
Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui. 438
Qui proprio filio suo non pepercit. 454,3
9. Optabam & ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis. 867,16
10. Qui diues est in omnibus, qui inuocant eum. 447
11. Cæcitas ex parte contigit Israel, donec plenitudo gentium intraret. 458
Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cùm oleaster esses, insertus es in illis. 554,2
Dedit illis Deus spiritum compunctionis. 629,2
Amissio eorum reconciliatio est mundi. 675,11
12. Obsecro vos vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem. 7,9
Obsecro vos per misericordiam. 519,8
Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. 504,7
Reddite ergo omnibus debita. 584
14. Omne, quod non est ex fide, peccatum est. 445,10

Ad Corinth. I.

1. Paulus seruus Christi Iesu per voluntatem. 445,20
3. Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem. 40,33
Si cuius opus manserit, quod superædificauit mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. 276,7
Cum enim diceritis: Ego sum Pauli, ego Apollo, nonne homines estis. 357,15
Nescitis, quia templum Dei estis. 622
4. Qui autem iudicat me, Dominus est. 380,5
5. Pascha nostrum immolatus est Christus; itaque epulemur. 194,5
Itaque ex hoc neminem nouimus secundum carnem. 415,4
6. Qui adhæret Deo, vnus spiritus est. 671,2
7. Qui virginem suam tradit, bene facit, & qui non tradit, melius facit. 27,9
Bonum est homini mulierem non tangere. 395,20
Innupta cogitat, quæ Dei sunt. 490,10
Ad vitandas scortationes, quisque vxorem suam habeat. 571
Et si nupserit virgo, non peccauit. 573,8
Qui cum vxore est, solicitus est quæ sunt mundi. ibid. & 575,13
Si qua mulier habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum. 673,7
Sanctificatus enim vir infidelis per mulierem fidelem. ibid.
8. Nobis tamen vnus Deus Pater, ex quo omnia; & vnus Dominus Iesus Christus. 65,7
Si cibus offendit fratrem meum, non comedam carnes. 569,8
9. Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi sicut & cæteri Apostoli. 49,56
Nescitis, quoniam hi. 511,2
Ego igitur sic curro, non quasi in incertum. ibid.
10. Petra autem erat Christus. 16,15
Bibebant de spirituali consequente eos petra; petra autem erat Christus. 195,6
Et panem quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? 206,33.212,3
Nolo vos ignorare fratres. 430,10
11. Ideo debebat mulier potestatem habere in capite propter Angelos. 48,56
Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis. 203,26
Conuenientibus vobis in vnum, iam non est Dominicam cœnam manducare. 566,3
Quotiescumque manducabitis panem hunc. 588,21
12. Non potest oculus manui dicere, Opera tua non indigeo. 287,10
13. Siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur. 638,14
Charitas patiens est, benigna est. 667,15
15. Omnia enim subiecit sub pedibus eius. Cùm autem dicat, omnia subiecta sunt ei, sine dubio propter eum, qui subiecit ei omnia. Cùm autem subiecta fuerint illi omnia: tunc & ipse filius subiicietur ei. 48,55
In Christo omnes viuificantur, vnusquisque in ordine suo, primitiæ Christus. 65,6
Seminatur in corruptione, surgit in incorruptione; seminatur in infirmitate, surgit in virtute: seminatur corpus animale, surgit spirituale. 201,22
Insipiens tu quod seminas non viuificatur; nisi prius moriatur. 289,7
Christus mortuus est pro peccatis nostris secundùm scripturas. 344,2
Tunc & ipse filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia. 346,6
Quotidiè morior. 488
Alia claritas solis, alia lunæ, alia stellarum. 571,3
Visus est Cephæ, & post vndecim. 597
Nouissime autem omnium. 614,3

Ad Corinthios II.

1. Dei enim filius Iesus Christus, qui in vobis est. 510,6
Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis. 582
2. Non enim sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei. 508
Christi bonus odor sumus Deo in his, qui salui fiunt. 630, 4. & 5
3. Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamus. 379,3
Fiduciam talem habemus per Christum ad Deum. 629,8
4. Id quod in præsenti est momentaneum. 493,15
Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium. 518,5
5. Scimus enim; quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, æternam in cœlis. 467,19
8. Consilium in hoc do. 585,16
12. Datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Sathanæ, qui colaphizet: propter quod ter Dominum rogaui. 216,8
Virtus in infirmitate perficitur. 255,9
Ego autem lubentissimè impendam. 513,7
13. An experimentum quæritis eius. 420,8
12. Et scio huiusmodi hominem. 519,7

Ad

Ad Galatas.

1. Cum autem placuit ei qui me ſegregauit de vtero matris meæ,& vocauit per gratiam ſam,vt reuelaret filium ſuum in me,vt euangelizaret illum gentibus. 164,32
Si nos aut Angelus de cælo euangelizauerit vobis præter id quod accepiſtis,anathema ſit. 162,25.333,4
4. Dico autem quanto tempore hæres paruulus eſt, nihil differt à ſeruo cùm ſit Dominus omnium, ſed ſub tutoribus, & actoribus eſt. 78,1
Quomodo tunc is,qui ſecundùm carnem,&c. 425
5. Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis. 604,4
6. Mihi abſit gloriari,niſi in cruce Domini. 250,3.254,15
Ego enim ſtigmata Domini mei in corpore meo porto. 303,4
Mihi mundus crucifixus eſt,& ego mundo. 446,13
9. Miſit filium ſuum factum ex muliere,&c. 332,2

Ad Epheſios.

2. Secundùm principem poteſtatis aëris huius. 525,3
3. Propterea flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti. 366,33
4. Induite vos armaturam Dei. 335,2.369,40
Vnus Dominus,vna fides. 413,1
Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus. 451,7
Circumferuntur omni vento doctrinæ. 605,5
5. Surge qui dormis,& illuminabit te Chriſtus. 145,24. 279, 1. 292,3
6. Gladium ſpiritus aſſumit,quod eſt verbum Dei. 342,26
Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem. 411,2

Ad Philippenſes.

1. Subminiſtratio,inquam,Ieſu Chriſti. 59,11
2. Qui cùm in forma Dei eſſet,non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo,ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens. 88,8
Factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. 99,1.288,4
Sed & ſi immolor ſupra ſacrificium, & obſequium fidei veſtræ,gaudeo,& congratulor vobis : id ipſum vos gaudete, & congratulamini. 117,4
Stigmata Ieſu porto in corpore meo. 390,19
Spero autem in Domino Ieſu Timotheum me citò mittere ad vos,neminem enim habeo tam vnanimum, qui ſincera affectione pro vobis ſolicitus ſit. 469,23
Lucetis ſicut luminaria,verbum vitæ continentes. 521,2
Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur. 530,15
4. Propter quod & Deus donauit illi nomen. 424
Adiuua illas,quæ mecum laborauerunt. 460,3
Factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. 539,1
Ego autem didici in quibus ſum,ſufficiens eſſe. 585,16

Ad Coloſſenſes.

1. Nobis donatum eſt à Deo, vt non ſolum in eo credamus, ſed etiam pro eo patiamur. 153,4
2. Dolens quod aduerſus nos erat chirographum decreti. 835,6
3. Super omnia autem hæc charitatem habete. 520,9
4. Ad orationem incumbite vigilantes in ea gratiarum actione, ſimul etiam pro me orate. 358,18

Ad Theſſalonicenſes I.

4. Nos qui viuimus,qui reſidui ſumus,ſimul rapiemur in nubibus obuiam Chriſto in aëra. 483,9
Quia ipſe Dominus in iuſſu,& in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendit de cœlo. 473,33
De fraternitate charitatis opus habetis nobis ſcribi. 533,22

Ad Theſſalonicenſes II.

2. Myſterium iam operatur iniquitas. 641
3. Si quis non vult operari,non manducet. 554,1

Ad Timotheum I.

1. Manifeſtè magnum eſt pietatis ſacramentum, quod manifeſtum eſt in ſpiritu, apparuit Angelis; prædicatum eſt gentibus, creditum eſt in mundo,aſſumptum eſt in gloria. 40,14
Qui priùs blaſphemus fui & perſequutor, & contumelioſus, ſed miſericordiam Dei conſequutus ſum. 528,11
Mulieri docere non permitto. 227,5
Volo viros orare omni loco,leuantes puras manus. 114,19
2. Saluabitur per filiorum generationem. 571,3.665,10
Adam non eſt ſeductus,mulier autem ſeducta in præuaricatione fuit. 584,14
5. Si quis autem ſuorum,maximè domeſticorum,curam non habet,fidem negauit. 590,27

Ad Timotheum II.

4. Erit enim tempus cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, &c. 333,4
Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ. 493,15
5. Quæ habitauit primum in auia tua Loide, & matre tua Eunice. 458,10

Ad Titum.

3. Apparuit benignitas,& humanitas Saluatoris. 53,12

Ad Hebræos.

2. Vt gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem. 180,2.187,15
3. Quæ domus ſumus nos,ſi fiduciam,& gloriam ſpei vſque ad finem firmam retineamus. 450,6
4. Non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius, omnia autem nuda & aperta ſunt oculis eius. 483,8
5. Didicit ex his,quæ paſſus eſt,obedientiam. Et conſummatus eſt omnibus obtemperantibus ſibi. 185,12
Non præſumit ſibi honorem niſi à Deo vocatus vt Aaron. 510
Pater ignoſce illis,quia neſciunt quid faciunt. 648,3
9. Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum per amplius & perfectius tabernaculum non manu factum, ideſt, non huius creationis. 12,6
10. Ideò ingrediens mundum dicit, Hoſtiam,& oblationem noluiſti,corpus autem aptaſti mihi. 93,2
Ideoque non confunditur vocari Deus eorum. 154,7
Iuxta fidem defuncti ſunt omnes iſti non acceptis repromiſſionibus,ſed à longè eas aſpicientes,& ſalutantes. 166,22
Habemus fiduciam,fratres,in introitu Sanctorum,in ſanguine Chriſti,quem initiauit nobis viam nouam, & viuentem. 186,14
Irritam quis faciens legem Moyſi ſine vlla miſeratione duobus,&c. 674,14
11. Moyſes grandis factus negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iocunditatem. 146,25
Et hi omnes teſtimonio fidei probati,non acceperant promiſſionem; Deo pro nobis melius aliquid diſponente, vt non ſine nobis conſummarentur. 86,5
Fide plurimam hoſtiam Abel,quam Cain obtulit Deo. 482,6
Quibus dignus non erat mundus,in ſolicitudinibus errantes, &c. 607,2
12. Acceſſiſtis ad teſtamenti noui mediatorem Ieſum, & ſanguinis aſperſionem,meliùs loquentem,quàm Abel. 195,6
Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus contradictionem. 415,4.502,3
In diſciplina perſeuerate. Tanquam filiis vobis offert ſe Deus : quis enim filius quem non corripit pater. 575,12

Epiſt. D. Iacobi.

1. Suſcipe inſitum verbum. 15,15
Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum & deſcendens à patre luminum. 37,26.317,3
Quod ſi zelum amarum habetis, & contentiones ſint in ordinibus veſtris. 630,3
5. Sufferentiam Iob audiſtis,finem Domini vidiſtis. 539,1
Theſaurizatis vobis iram in nouiſſimis diebus. 640,4

Epiſt. D. Petri I.

1. In quem deſiderant Angeli proſpicere. 153,4.380
Quaſi modo geniti infantes,lac concupiſcite,&c 336,6.347
Etſi patrem inuocatis eum qui ſine acceptione perſonarum iudicat ſecundum vniuſcuiuſque opus in timore. 502,3
Quem cùm non videritis diligitis:in quem nunc quoque non videntes creditis. 518,5
2. Si guſtaſtis quoniam ſuauis eſt Dominus. 193,2
Genus electum,regale ſacerdotium,gens ſancta,populus acquiſitionis. 263,9

Epiſt. D.Petri II.

2. Aſpectu enim,& auditu iuſtus erat. 450,5

Epiſt. D.Ioannis I.

1. Quod erat ab initio,quod audiuimus, quod vidimus, oculis noſtris

noſtris perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ. 38,27
2. Filioli mei hæc ſcribo vobis vt non peccetis. 594,2
3. In hoc cognoſcimus charitatem, quoniam ille pro nobis animam ſuam poſuit. 70,6
Similes ei erimus,& videbimus eum ſicuti eſt. 379,3
5. Hic eſt qui venit per aquam,& ſanguinem Ieſus Chriſtus, non in aqua ſolum; ſed in aqua,& ſanguine. 275,5

Ex Apocalypſi.

1. Habebat in dextera ſua ſtellas ſeptem. 526,6.614,12
2. Vincenti dabo calculum candidum, & in calculo nomen nouum ſcriptum. 96,2
Ecce miſſurus eſt Diabolus aliquos ex vobis in carcerem. 424,9
Vobis autem dico qui Thyatiræ eſtis. 605,5
3. Seruaſti verbum patientiæ meæ. 400,32
Ecce dedi oſtium apertum coram te. 417,10
4. Et intus plena ſunt oculis. 615,13
Sedilia viginti quatuor. 401
Habes pauca nomina in Sardis. 452,10
Ecce dabo de ſynagoga Sathanæ,qui dicunt ſe Iudæos eſſe, & non ſunt. 536,2
5. Vicit Leo de tribu Iuda,radix Dauid: & vidi,& ecce agnum. 172,12.441,2
Et omnem creaturam,quæ in cœlo eſt,& ſuper terram & ſub terra,&c. 331,1
6. Vidi ſubtus altare animas interfectorum. 361,23.459,2
7. Ex tribu Iuda duodecim millia ſignata. 398
Et vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis habentem ſignum Dei viui. 461,6
Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magna. 545,4
9. Aperuit puteum abyſſi,& aſcendit fumus putei. 347,9
10. Accipe librum,& deuora illum. 164,32
12. Mulier amicta Sole. 15,13.62,5
Luna ſub pedibus eius. 32,12
12. Et miſit ſerpens ex ore ſuo aquam. 526,6
Et in vtero habens,& clamabat parturiens. 563
Signum apparuit in cœlo,mulier amicta ſole,&c. 662,4
13. Occiſus eſt ab origine mundi. 346
14. Nomen eius,& nomen patris eius ſcriptum in frontibus ſuis. 31,10
Opera enim illorum ſequuntur eos. 461
Beati mortui,qui in Domino moriuntur. 488
Amodo iam dicit ſpiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis. 546,6
15. Vidi tanquam mare vitreum mixtum igni, & eos qui vicerunt beſtiam,& imaginem eius ſtantes ſupra mare vitreum, habentes citharas Dei,& cantantes canticum Moyſi. 103,5
17. Hi cum agno pugnabunt,& agnus vincet eos. 110,8
Habens poculum aureum in manu ſua. 361
18. Vidua non ſum,& luctum non videbo. 376,4
Væ,væ,ciuitas illa magna Babylon. 640,3
21. Vidi ſanctam ciuitatem nouam,deſcendentem de cœlo, adeo paratam ſicut ſponſam ornatam viro ſuo, & audiui vocem magnam de throno dicentem:Ecce tabernaculum Dei cum hominibus. 22,10
Veni, oſtendam tibi ſponſam vxorem agni,& ſuſtulit me in ſpiritu in montem magnum, & altum,& oſtendit mihi ciuitatem ſanctam Hieruſalem. 28,2
Ciuitas non eget ſole,neque luna,&c. 332,2
Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum. 456,6
22. Qui audit,dicat,veni. 52,7

F I N I S.

INDEX

INDEX
RERVM, ET VERBORVM.

A

Abiectio.

ABIECTIONES & vilitates voluntariæ, vt gloriæ fructus pariant. 55,2

Abnegatio.

Abnegatio bonorum temporalium filios Dei facit. 186,13

Absconsio.

Abscondi virtutes debent. 155,10

Absentia.

Absentia Iesu durissima amanti. 232,14
Absentia Dei per peccatum, vt timenda. 288,3

Abstinentia.

Abstinentia vitiorum regna deuastat. 588,22

Abundantia.

Abundantia donorum auctorem Deum designat. 592,31

Academia.

Academiarum Collegæ notantur. 669,20

Acceptio personarum.

Omnibus fugienda, maximè Principi, Regi, &c. 413,1

Accusator.

Accusator fratrum ineptus ad gubernandum. 177,5

Actio gratiarum.

Multiplicat diuina beneficia. 475,38. Minus placet Deo vbi nō ab omnibus simul exhibetur, qui beneficia receperūt. 514,10
Actio gratiarū in Eucharistia. 520,9. Actiua coronat opus. 281,10

Adam.

Creatus extra paradisum, vt gratuitæ Dei munificentiæ naturæ donum adscriberet. 524,1

Adolescens.

Adolescentum ad virtutis progressum multum interest, inter quos incipiat. 338,15
Adolescentibus salutaris disciplina matris. 458,10
Adolescentes in eligendo Religionis statu parentum vota sequantur. 27,9

Aduentus Dei.

Aduentus Dei hominis lætissimus iustis. 175,17

Aduersitas.

Vnitatem, & concordiam parit, prosperitas diuisiones. 516,2
Aduersitas, & prosperitas non longè distant, se se inuicem comitantur. 463,10

Adulter.

Adulter pænè detestabilior est, quam idololatra. 673,7
Extremam Dei derelictionem metuat. ibid. 9.

Æmulatio.

Æmulatio de virtutibus vt honesta. 280,4

Æqualitas.

Æqualitas circa subditos decet præstantes dominos. 413,1
Error humanæ linguæ comes. 636,30

Ætas.

Ætas infantilis, nihil sibi scit attribuere, sed omnia parentibus, siue bona, siue mala. 443,7

Affectus.

Affectus virtutis cordialis maxime Deo gratus. 385,17
Castus solum Deum quærit.
Affectus gratitudinis adeò nos cum nostro benefactore coniungit, vt difficulter separatio fiat. 433,16
Affectus adulter, qui à Deo ad creaturas descendit. 672,5

Affinis.

Affines relinquere, primus gradus perfectionis. 342,27

Afflictio.

Afflictiones & calamitates reddunt homines Deo conspicabiles. 167,2
Afflicti & laborantes Dei sedes sunt. 173,13
Afflicti homines nec ad momentum deserendi, sed citissime subueniendi. 268,24

Afflictio qua peccatum tollitur non est afflictio, sed qua peccatum introducitur. 424,10
Afflictiones corporis post Christum efficacissimæ ad impetrandum. 390,9. Ducunt ad Christum. 449,3
ad Afflictos promptissima Dei misericordia prosilit. 455,5

Ager.

Agrorum frequentiæ inhonestæ fœminis. 28,2

Alapa.

Alapa Christi Domino inflicta, vt eius patiendi famem saturarit. 227,6

Alienum.

Alieno muneri ne te inseras. 162,25

Altare.

Altari Christi abutitur qui sola victus temporalis causa seruit altari. 383,12

Ambitio.

Ambitionis animositas, vt charitati comparatur. 667,15

Amicitia, Amicus.

Amicitia hominum traxit Deum ad laqueos. 599,22
Amicus Dei, eius passiones imitetur. 298,2
Amicitia cū impiis non est ineunda piis, & religiosis viris. 428,4
Amicitia vera, quæ? 464,12. Quæ est ex ratione validissima. ibid.
Quæ ex Deo est, à principio perfectissima est. ibid.
Amicus vel regno præferēdus. ib. Nos excitet à somno peccati. ib.
Amicus fidus Angelus. ibid.
Amicorum in morte debemus parare nos ad eandem viam. 522,5
Amicus fidus qui nos excitat à somno peccati. 464,12
Quia custos ieiunium ministrat. 447,15

Amor.

Amor coniugalis Deo gratissimus. 8,13
Amor Christi in homines horaria fecit tormenta. 180,2
Amor Christi in homines coronidem pulcherrimam habuit. 181,3
Amor Christi in homines vt efficacior, quā amor Trinitatis. 182,5
Amor vnus Christi hominum corda per se trahit. 280,2
Amoris diuini artificium. 187,16
Amor in Deum sine metu suspectus. 226,3
Amor hominū erga Christum, vt Deum maximè cōmendat. 320,9
Amor Dei omnibus patentissimus, non sic rigor iustitiæ. 232,2
Is est qui vel dormientibus obrepat, si vigilātibus nō possit. ib.
Quamtumuis festinans in nos calamitates præuenit. Amorem Dei adauget humilitas. 400,33
Amor Dei tortor suæ benignitatis thesauros manifestat. 232,2
Amor diuinus vt eget natura humana. 588,21
Amor verus charitatis minime pendet à præsentia corporali dilecti. 402,37
Amor Christi ostendit sumptum suæ passionis pro vna erratica ouiculavelle accōmodare. 413,2. Amor amorē conciliat. 406,7
Totas subditorum voluntates ad se rapit. ibid.
Amori demus operam, dum in hac nocte sumus, qui nobis Iesum reuelabit. 423,7
Amat vere Deum qui ab amoris operibus cessare nescit. 399,29
ab Amore in Deū insignia virtutis opera proficiscuntur. 400,32
Amor carnalis occidit, vbi Christus nascitur. 388,5
Amor pecuniarum absit à Christi schola. 583,11

Ancilla.

Ancilla crudelior carnifice in Christum. 231,19

Angelus.

Angeli saluati à Iesu ante casum. 11,3
Angeli hominibus salutares. 27,1. 85,2
Angeli militię nomē dederūt, vt Christi stabilirēt principatū. 88,9
Angeli mille formas subeunt, vt hominibus prosint. ibid. 11
Angeli magis tenentur hominibus prospicere ab Ascensione Dominica. 324,6
Angelorū exercitus inuigilant viro perfecto custodiendo. 147,28
Angelorum visio sanctis viris promittitur. 349,12
Illorum auxilium sanctis præsentissimum. ibid. 13
Eorum ministerio natura humana honoratur, & seruatur à Deo. 489,6. Singularis eorum tutela circa pueros. ibid.
Angelorum cursus, etsi velocissimos, & ipsos Angelos transilit

 NNn Deus

Deus adeò suis creaturis adesse festinat. 613,10
Angelorum gentilitia humilitas,& exinanitio. 417,9

Anima.

Animarum saluti inuigilare omnes decet. 263,9
Animæ steriles Christi passione fœcundantur. 351,4
Animarum negotium periculosum. 615,13
Earum pastores sic debent affici vel vnius amissione,ac si omnes amittant. 502,2
Animabus proximorum,qui benefacit lucrum habet maximum. 592,30

Animus.

Animum gratum nulla potentia separare potest à benefactore suo. 433,16
Animo tuo quo versas id facili negotio in aliis præcognosces. 419,8

Annus.

Anni multi docent misericordiam in peccatores. 349,12
Anni multi breuis spatij pœnitentia compensantur. 600,8

Antiquus.

Antiqui serui Dei etiam reprobandi non inhonori manent. 117,6

Anus.

Aniculæ feruentiores in spiritu dedecus inferunt Ecclesiasticis tepidis. 547,9

Appetitor.

Appetitores,qui solas amant sedes vt caput reclinēt,fures. 336,11

Arbitrium.

Arbitrio humano periculosè committuntur bona diuina. 215,10

Argumentum.

Argumentis non turbanda quæ ad salutem pertinent. 322,1

Ariditas.

Ariditas tollitur per eleemosynam. 556,6

Ascensio.

Ascensio Christi Domini,lib.5.c.7.per totum.
Ascendēs Dominus hominū genesim reddit auspicatissimā. 314,11
Ascensiones in corde meo parandæ semper ad altiora scandendum. 425,11

Aspectus.

Aspectus Christi D. salutaris. 538,7
Ex aspectu Dei maximus honor rebus creatis accrescit. 339,18

Attentio.

Attentio in precibus. 33,15

Auaritia, Auarus.

Securissima catena est auaritia ad tenendos homines. 378,1
Auaritia,& impudentia aulicorum. 566,2
Auaritia omnes humanitates expellit. 621,11
Homines conuertit in feras. ibid.
Auari homines sustibus agendi, non enim benignitatem nouerunt. 620,10
Auiram mediocritatem ne excedant qui Christo nomen dederunt. 305,1

Aurum.

Vbi aurum ibi dolus. 347,9
Absit longe ab Ecclesiasticorum corde. 627,4
Auri sitis inextinguibilis. 361,23.505,1
Auorum nobilitas maximè gubernatores facit. 248,11

Author.

Author primus criminis,reus est omnium. 225,2

Auxilium.

Auxilium à solo Deo sperandum,non à creaturis. 142,17
Auxilij diuini prætextu nemo se ab operibus excuset. 410,14
Auxilia aliena non requirit eleemosyna. 556,6
Auxilia diuina aliis vtilia,ne inter vacua,& inania derineas. 675,11
Auxilium diuinum ante nobis est quàm hostium impetus. 435,2
Auxilium dininum expectet qui vult cooperari. 410,14
Auxilium sanctorum humilitate acquiritur. 408,10

B

Bacchanalia.

Bacchanalia fugantur à Iesuitis. 566,3

Baptismus.

Baptismus Christi alites facit,qui ad cælestia volent. 134,11
Baptismi Christiani præstantia. 490,8

Benefactor.

Benefactori tuo semper adhærere præclarus est gratitudinis affectus. 433,16
Benefactori nostro strictè nos iungit affectus gratitudinis. ibid.
in Benefactore suo gratus animus id solum attendit,quod beneficium fecit. 533,21
à Benefactore nulla potentia animū gratū separare potest. 433,16

Beneficentia.

Magnitudini Dei adeo respondet, vt quo plus quis habeat de Deo,eo beneficentior inueniatur. 476,40
Deum magnificat,seueritas quasi minuit. ibid.
Beneficentia Dei tam longè abest,vt queat exhauriri; vt ab vno dono ad alia plura,& maiora exurgat. 522,6
Beneficentia duplicem Dei spiritum designat, seueritas simplicem. 476,40
Beneficentia in homines diuinitatem prædicat. 498,27

Beneficium, benefacere.

Beneficia diuina quæ plurimis prosint citius, quam quæ vni soli exhibentur. 30,8. Amant pluribus communicari. 212,2.302,2
Beneficia diuina de exigenda ratione sollicitant. 37,26
Beneficia diuina præ manibus. 306,3
Beneficia Dei,vt timorem debent incutere. 321,11
Beneficia manus diuinæ vbi cœpit effūdere,cessare nescit. 616,15
Beneficia diuina multiplicat gratiarum actio. 475,38
Beneficium Deus differt,vt ipsum duplicet. 407,8
Beneficia diuina carnales fratres, ac consanguinei nobis promptius,quam aliquid aliud impediunt. 474,35
Beneficiorum Dei recordatio grata. 596,6
Cui semel benefecit Deus iam, quasi ex consuetudine semper benefacit. ibid. In beneficiis acceptis,qui Deum authorem non videt, cœcus est. 514,9
Beneficia Iesu in seruos adeò magna sunt,vt egeant nouis nominibus,quibus explicentur. 338,17
Tanta sunt,vt à nulla creatura valeant sustineri. 346,6
Beneficia hominis è mortis vena prosiliunt. 360,21
Beneficia vltro oblata suspecta sunt, & ideò examinanda ne sub illis lateat damnum. 360,22
Beneficia sine vllius iniuria facienda. 457,8
Quæ aliorum officiant saluti spirituali bonus vir nolit. ibid.9
Beneficium qui accepit in benefactore suo,id solum spectet quod sibi extitit salutare. 533,31
Beneficij accepti memoria vim culpæ imminentis frangit. 433,16
Benefacere proximorum animis non potes sine lucro. 592,30
Beneficia Dei in homines ipso sole clariora. 332,2
Ea solet assequi labor,dolor,& ærumna. 498,27
Vitam vndequaque inferunt. 360,21
Non finiuntur in prima beatitudinis visione. 534,25
Excitant nos ad alia,& alia petenda. 357,16

Benignitas.

Benignitas Dei aliquando actis in ingratos. 221,14
Benignitas hostes fugat. 260,3
Benignitas, & dilectio Dei patentissima omnibus, non sic rigor iustitiæ. 332,2. Ea est, vt vel dormientibus obrepat, si aliter præsentiri non valeat. ibid.
Benignitatem auari non ignoscunt. 620,10

Bona.

Bona mundialia inania & vacua. 39,32
Qualia. 245,33. Fugacia. 185,11
Bona temporalia vt grauant possessores suos. 113,18
Vt damnosa. 144,22
Contemnuntur ab his qui Deo implentur. 175,18
Bona temporalia diabolus præsefert,vt homines in sui adorationem trahat. 145,23
Bona terrena magni,cælestia parui æstimant homines. 234,3
Bona terrena nusquam sine fletu. 287,2.
Bona terrena contemnenda ab his qui Deo implentur. 312,6
Qualia. 247,37
Bona vniuersa Iesu nomine insigniuntur. 97,5
Bona cælestia sola appetuntur ab his qui à Deo aguntur. 175,18
Præ manibus habentur. 317,3
Bona permanentia nulla nisi in Christo. 157,14
Bona nobis à Deo data petunt & à nobis proximis dati. 188,17
Bona Ecclesiastica non recondi,sed effundi amant. 237,12
Bona Ecclesiæ iniustè retenta exitialia sunt possidenti. ibid.13
Bonorum cælestium magnitudo. 160,22
Bonorum cælestium desideria,vt hominem ditant. 313,8
Bonorum temporalium abnegatio filios Dei facit. 186,13
Bona diuina excitant nos ad alia,& alia petenda. 357,16
Bona diuina quanta. 591,28
Non finiuntur in prima beatitudinis visione. 534,25
Bona Iesu tanta sunt,vt à nulla creatura queant sustineri. 346,6
Bona creata disparent in conspectu diuinorum. 587,19
Bona huius mundi despiciat,& solis cœlestibus viuat, qui perfecte Christum sequitur. 604,3
Bona tēporalia rapidissimo motu euanent,nō sic spiritualia. 488,5
Mundialia bona depereunt, ab eis autem obortæ culpæ æternum manent. 618,5
Bona creata solum nouerunt à nobis abire. 564,4
Bona terrena à corde excludenda. 598,4
Bona etiā minutissima dimittant,qui sequūtur Christum. 340,22
Bona mundialia impiorum mentibus hærent,cœlestia quantocius elabuntur. 379,2
Bona temporalia crebris defectibus,& ruinis mouent homines,vt caueant diuinam iram. 432,14
Bona caduca caducos,æterna æternos faciunt suos spectatores. ib.
Bona secularia non sic efficacia ad trahendum homines, quàm mala. 433,15
Bona carnalia nesciunt comitari possessorem suum. 361,24
Quæcumque carnalia bona finem habent, sola diuini spiritus dona æternari possunt. ibid.
Bona fugiunt malos possessores. 579,1
Bona duplicata longam sufferentiam, expectationemque requirunt.

rant. 375,48
Bona omnia dantur,& mala pelluntur, vbi Deus sanat. 457,8
Bona laudanda, ad mala concutiendum tibi est. 480,2
Bona tibi ne sint in malum aliorum. 579,2
Bona, ac fauores occultandi, ne inanis gloriæ iniurias patiantur. 484,11
Bona Ecclesiastica, vt possint seruire Regibus. 627,2
Bona mundialia sunt certa rationis ficta.
Bonorum omnium authorem sciri amat Deus. 550,6
Bonorum nostrorum authorem ne cognoscamus felicitas temporalis obtenebrat. 499,30
Bonorum mundialium post visam crebram ruinam nihil miserius, quam illis fidere. 619,6
Eorum incauta receptio sæpe hominem desperatum iam, & deploratum designat.
Bonis terrenis,& temporalibus inhiantes multo aguntur spiritu. 437,7
Noli illis incumbere, vbi spirituale negotium agitur. 473,34
Eis non immorandum. 599,6
in Bonis acceptis qui Deum authorem non vidit cæcus est. 524,9

Bonitas.

Bonitas summa Dei in trahendis indignis. 396,21
Bonitatis diuinæ nõ est supplicium inferre ante peccatum. 524,2
Bonitatem immensam Dei non magnificat percussio hominis, sed potius exinaniuit. 476,40

Bonus.

Cum bonis familiaritas,& consuetudo potens ad radicem vitiorum extirpandam. 396,22

Brauium.

Brauium cæleste etiam ab infantibus potest obtineri. 186,13.121,6

C

Cadere.

CAdere in virtutum culmine periculosius quàm cadere in sentinit vitiorum 556,13

Calamitas.

Calumnias tacite tolerare virtutis est diuinæ. 240,18
Calamitates halant Christum. 449,3
Vide *Labores.*

Canes.

Auspicium victoriæ Christianæ. 411,17

Caro.

Caro Christi, vt carnales condemnat. 157,13
Caro Christi deitatem honorauit. 87,7
Efficaciam deitatis acuit. 82,11
Deum gloriosiorem reddidit oculis Angelicis. 188,4

Castitas.

Castitas iterat fœminas cara. 6,8
Sacerdotes creat. ibid.9
Dominatur. 31,10
Vincit fugiendo. 55,21
Imperterrita est. ibid.
Totum Deum sibi astantem requirit. 40,35.211,1
Castus, vir pro muro est fœminis. 6.8
Vt inuigilare debeat. 26,7. Maximè Deo notus est. 28,3
Famæ zelator sit. 29,6
De se timeat in quouis sanctitatis culmine constitutus. 35,20
Caueat blanditiarum verba. 35,22
Suspectum habeat quidquid carni cohæret. 45,47
Æternum viret. 46,48
Castitas dominari facit. 544,2
Coniugia fœcundat ad filiorum procreationem. 570,1
Castitas coniugalis continentiam vidualem inducit. 364,30
Castitatis murus semper integer,& inexpugnabilis. 432,13
Ex castitate dominatus. 544,2

Celeritas.

Celeritas in obsequiis commendatur. 290,10

Charitas.

Charitas Christiana sibi labores,& mala præsumit, proximis bona cupit. 58,10
Charitas fraterna filios Dei ostendit 125,3
Charitas vera primũ sibi diuinã gratiã quærit, deinde aliis. 60,2
Breuissimo compendio nos Deo vnit,& ibi confirmat. 391,12
Charitas vera non pendet à præsentia dilecti corporali. 402,37
Charitas Christianæ fidei fundamentum. 339,19
Charitas Christi adeò patientissima, vt vnam nesciat contemnere ouem, imò se totum pro illa impendat. 413,2
Charitatis ingeniũ,& acumẽ maximũ in iuuãdis proximis. 481,4
Illius perfecta vnio signum est electorum in Christo. 357,15
Eius triumphos in Christi lacrymis. 642,8
à Charitate in Deũ insignia virtutis opera proficiscuntur. 400,31

Christus.

Christus, vide *Iesus.*
Passiones suas manifestauit, abscondit glorias. 47,53
Et solus amat sentiri beneficiis. 53,12
Filios Dei apparuit descendendo ad mortem. 142,16
Labores & opprobria sibi præoccupauit. 58,10
Voce & exemplo docuit. 148,3
Damnatis quam terribilis. 179,8
Solus in arena relictus infinitas hostiũ turmas deiecit. 168,23
In mortem moriens exultauit. 172,33
Christi iugum suaue. 250,4
Christi humanæ volũtati debemus sui sanguinis effusionẽ. 184,10
Post passionem anxius fuit salutem nostram. 161,24
Christi conuersatio facilis accessu vt Magistrum decebat. 147,1
Eius virtutes, vt superent iucundiam creatam. 256,19
Christi ministerium ex humilibus operibus. 51,7
Christi caro, vt carnales condemnat. 157,13
Vbi nascitur, occidit carnalis amor. 388,5
Nobis est pro vniuersis armis aduersus dæmonem. 431,11
Ab omnibus bona sua exigit cum fœnore. 397,24
Parem gratiam intulit antiquæ seueritati. 595,5
Adeò rigorosus exactor est vt iudicaturus non tam debita requirat, quam fœnora. 397,24
In suis bonis elargiendis pro mercede, nullam inæqualitatem facit. 397,36
Omnia singulis proponit volens æquales habere filios in honore,& dignitate. ibid.
In Moyse,& Prophetis patentissimus est. 345,8
Nihil à nobis non pretio emptum accipit. 355,11
Pro vno solo homine impenderet, quod pro omnibus. 413,2
Velocior ad nos venit, quam quoduis malum. 572,5
Ad vnius hominis perditionem sic afficitur, ac si omnes amittat. 502,2
Longè superat laudatores suos in laudum retributione. 505,10
Christus,& lucri amor se mutuo excludunt. 602,14
Christi sectatores intra auiæ humilitatis fines se continere curent. 340,20. Etiam minutissima dona dimittant. ibid.22
Dimittant prius recta. 341,24
Christi munus nescit sterilescere, semper proprio gaudet augmento. 351,4
Christi D. passi exemplum maximè suorum leuat labores. 371,44
Christi D. mors potens, vt suorum animas excitet in vitam. 377,6
Christi altaribus adesse sola victus temporalis causa periculosum est. 383,12
ad Christi comparationem vilescunt vniuersi Patriarchæ. 361,23
Christi viuentis ex mortuis humilis fides arguit filios immò primogenitos in Dei populo. 412,19
Christi charitas adeò patiens, vt vnam nesciat contemnere ouẽ, sed & pro illa se totum impendat. 413,2
Christi facinorum veritatem ipsi verbi inimici testantur. 420,16
Christi verbi suauitas, & beneficentia congregat,& curat efferatissimos quosque, vbi de ornatu sermonis. 479,1
Christi humilis, vbi fides,& reuerentia præcesserit, sola venit victoria voce. 504,5
Christi virtus euertit peccatorum adunationem difficulter expungibilem. 491,12
Christi conspectus in peccatore, nihil prius elicit, quàm lacrymas. 394,18
Instituit in respectos, id quo egent, in peccatores veniam, in mortuos vitam. ibid.
Christi D. summa munditiess expenditur. 508,3
de Christi rore omnia vegeti virtute florent,& arentia hominum ossa conuertuntur in ligna paradisi. 522,4
Christi perfectus assecla, nihil magis optat, quam videre Christum. 538,7
Illius sequela,& oculorum illuminatio connexæ sunt. ibid.8
Christi aduentus post mortẽ maximẽ metuendus,& cauendus. 541,5
Christi incusa fugat comessationes,& ebrietates. 566,3
D. gustus in fidei veritatem omnibus communẽ trahit. 373,49
Eius spiritus amat latebras. 642,6
Christi corpori impressæ, notorum ac quale cœleste gaudium manifestant. 485,13
Christo qui appropinquant,& ab eo recipiuntur, licet peccatores fuerint, iam peccatores esse desinunt. 583,14
Christo nõ immoritur, qui adhuc studet corporis ornatui. 394,17
Christu vel leuissima obsequia accepta. 334,5
Christo D. quotquot appropinquant coronas accipiunt, & sub regio splendore refulgent. 540,2
Christo D. nouatorum leuitas odiosa valde est. ibid.
Christum qui sequitur in primis parentes relinquat. 342,27
Omnia huius mundi bona despiciat, cælestibus viuat. 604,3
Christum calamitates halant. 461,6
Vbi illum in mortem ire vident, vniuersæ creaturæ se se etiam in mortem præcipitant. 465,15
à Christo D. ad altiora semper transire discimus. 528,10
Illo affulgente concupiscentia carnalis euanescit. 388,5
In eo solo sequendo necessitatem consultationis mundiales ponunt, quasi solum illum suspectum habeant. 381,8
à Christo, qui magna velis comparare, egredere à tuis. 405,5
Quæuis separatio à Christo suspecta est. 376,3

Christianus, Christianum.

Christiani præ Iudæis chariores Deo. 147,1
Christiani legitimi signũ est, quod alios Christo acquirat. 338,14
Illius solum proprium est, quod in discipulis Dei: in quo signum veræ Ecclesiæ. 533,22
Ille habetur, qui nominis virtutes operibus implet. 641,5
Christiani supra legum præscripta operari debent. 312,3

Christianis valde salutare est non respondere conuitiis. 438,10
Interna,& externa mortificatio illis necessaria. 604,4
Christianæ vitæ incumbens quæ sunt illius communio perficere contendat non curans præ illis singularia. 513,6
Christianum est minima,& abiecta amplexari. 603,2

Cibus.

Cibus Dei homo,vt inuideatur à diabolo. 138,8

Cicatrix.

Cicatrices Christi Domini testimonium perhibent eius virtuti, qua se excitauit. 299,7

Circumcisio.

Circumcisio Iesum ostendit eiusdem patriæ nobiscum. 93,3
Fidelium ostendit originem ex Cruce. ibid.4
Circumcisio Iesu veterem Circumcisionem euacuauit. 94,5
Circumcisio Mosaica nomine Iesu emollita. ibid.1.
Citius inueniunt maiores. 640,3

Ciuitas.

Ciuitas incontinentium sola est,& hostibus patet. 432,13
Ciuitas tota nobilis personæ luxuria inficitur. 388,4
Ciuitatis sustentacula studeant ruinis agricolarum, & operariorum reparandis. 409,13
Ciuitates custodit pudicitia. 432,12

Clausura.

Clausura vt decet virgines. 33,14
Decet sapientiæ studiosos. 300,8

Clementia.

Clementia nihil magis regium. 348,10

Clericus.

Clericus,& iudex secularium non bene conueniunt. 448,1

Cæcitas,cæcus,cæcutire.

Cæcitas mentis nostræ quàm damnosa. 215,11
Cæcitas duplex in se nullum videre malum, quod est, & in aliis videre,quod non est. 428,5
Cæcus est qui in acceptis bonis Deum authorem non videt. 514,9
Cæcutiunt in via omnes ad omnia, mors reuelat,quod habuerit homo. 536,2
Cæcutiendum tibi est ad mala,laudanda bona. 480,2

Cœlum,cœleste.

Cœlestia appetenda. 49,2
Cœlum implendum humanis corporibus ex Dominica Ascensione. 315,13
Cœlestia bona quantocius impiorum mentibus elabuntur, mundialia hærent. 375,2
Cœlestia bona quanta. 591,28
Quam gratis acquirantur. 381,9
Cœlestia qui meditatur,trahit illa. 661,2
Cœlestium rerum cognitio acuit oculos,ne fallantur. 376,5
Cœli porta non solum pauperes, & pedites capit, sed etiam excelsos Principum currus. 414,3
Cœlestis muneris adducendi potestas penes nos est. 444,8
Cœlestis domus quisquis teris viam,caue ne deflectas ad diuerticula. 485,12
In cœlesti domo maximi huius vitæ labores exigui videbuntur aut nulli. ibid.13
Cœlestia anxie curat dæmon nobis odiosa,& inuisa facere.442,3
Ad cœlestia,& suprema ex imis perueniendum. 489,8
Cœlestia contemplans,& impiorum glorias emortuas,immò penitus non esse iudicabit. 376,5

Cogitatio.

de Cogitationibus hominum etiam minimis Deus triumphat. 393,16

Cognatio.

Cognatio naturæ nostræ filiū Dei nobis reddidit salutarem.125,4
Cognatio naturæ humanę facit Iesum hominibus propitiū.379,4
Cognationem relinquere primus est perfectionis gradus.342,27
Cognatorum affectus emortuus Dei beneficio. 638,12

Cognitio.

Cognitio sui reddit hominem ad Dei imaginem. 155,9
Cognitio rerum cœlestium oculos acuit ne fallantur. 376,5
Cognitio rerum humanarum nihil prius,quam lacrymas educit. 642,8

Cognomen.

Cognominibus Sanctorum insigniri vtile, & religiosum est viro. 359,1

Collega.

Collegæ Academiarum in electionibus suis notantur. 669,10

Colloquium.

Colloquia vt detrimentosa. 36,23
Colloquia fœminarum fugienda. 48,56
Colloquia spiritualia,vt trahunt Deum. 127,8
Colloquium cum fœminis rigidum,& austerum, maximè si à pudicis,& religiosis viris prodeat. 367,36

Communitas.

Communes viæ terendæ. 66,10
à Communitate non discedendum. 520,9

Compositio.

Compositio hominis exterioris. 564,5

Conceptio.

Conceptio Marianæ in primo ingressu nulla fœditas. 624,4

Concionator.

Concionator per compita & montana,verbum ministret. 50,3
Concionatores non verborum strepitu, sed exemplo tanquam hamo homines capient. 341,15

Concordia.

Concordia inter socrum,& nurum. 544,1
Concordia in precibus pluviū efficacissima ad impetrandū. 512,5
Concordia Dei victrix ipsam quasi veritus & exosculatus Deus. ibid.
Potentissima ad trahendum Deum. 666,12

Concupiscentia.

Euanescit Christo Iesu affulgente. 388,5

Confessio.

Confessio peccatorum necessaria. 263,10
Salutaris. 545,5
Confessio humilis efficacissimum remedium ad expugnanda peccata. 363,28

Conformis.

Conformes debemus fieri Iesu in omnibus. 341,26
Et Dei voluntati,non impatientes.

Coniugium,coniugati,coniugalis.

Coniugia fœcundat castitas ad filiorum procreationem. 570,1
Coniugatæ fœminæ præter mariti vultus, alios vel angelicos formident. 364,30
Coniugalis castitas continentiam vidualem inducit. ibid.

Consanguineus,Consanguinitas.

Consanguinei nihil promptius faciunt,quam impedire nobis diuina beneficia. 474,35
Eorum affectum emortuum esse Dei beneficium est. 638,12
Vide *Propinqui*.
Consanguinitatis vis ne valeat in muneribus Ecclesiæ partiendis. 547,10

Conscientia.

Conscientiæ nimia securitas,quam fallax. 420,2

Consilium,Consiliarius.

Consilia quæ à Deo dantur,ab ipso etiam perficiuntur. 281,5
Consilio proprio non hærendum. 576,16
Consilia aliorum spectanda à gubernatore,& iudice. 583,10
Impiorum non sumenda. 585,15
Consiliarij vitiosi cauendi. ibid.
Ab auaritia alieni sumendi. ibid.
Consiliarius malus supplicium maximum. 235,5
Consiliarij regij tentantur in Principis postulatis. 586,18

Consolatio.

Consolatio vera solum ex Iesu. 115,1
Consolationem,& lætitiam in malis solus Deus affert. 456,6

Consuetudo.

Consuetudinis bonæ ea est virtus vt etiam in rebus inimicorum splendeat. 412,18

Consultatio.

Consultatio de Deo sequendo suspecta hominibus non debet esse 381,8
Consultationis necessitatem in solo Christo sequendo mundiales ponunt. ibid.

Contemplatio.

Contemplationis prætextu non ametur ocium. 50,5
Contemplatio addit alas,actio coronat opus. 286,20

Contumelia.

Contumelias & calumnias patienter ferre, non est cuiusuis hominis virtus,sed perfectissimi viri. 228,10
Contumeliæ sunt felicitatis calcaria, quæ illam faciunt festinanter venire. 438,10
Patienter auditæ maximam quietem causant. 606,7

Conuersio.

Conuersio peccatorum à solo Deo. 559,2
Præstantius opus quam miracula. 483,9

Conuiuium.

Conuiuia vt celebranda. 311,2
Conuiuia,vt contraria sanctitati. 567,4
Paruos errores vehementer mordent. 568,6
Habeant sapientem virum,cuius præsentia componantur.ibid.
Conuiuiis non celebranda sanctorum festa. 567,4
Patienter audita maximam quietem inducunt. 606,7
Illis non respondere quam salutare. 438,10

Cor.

Cor dandum Deo in primis. 190,22
Corda reproborum patent diabolo possessori. 183,7
Cordis intima virtus Deo gratissima. 385,17
Cordis benefici vis. 537,4
Cordis secreta soli Deo creatori potentissima. 483,8
Quæ in corde tractas in aliis,vel ab vmbra cognosces.In corde

de meo ascensiones parandæ. Semper ad altiora scandendum. A corde excludenda bona terrena. 598,4

Corona.

Corona omnium præsefert Dominus resurgens. 283,11
Corona,& brauium omnibus currentibus,nec desistentibus certa. 511,2
Illam ne alter accipiat cauendum. 397,26
in Coronis elargiendis æqualis Deus. ibid.
Corona sine labore indecora. 619,6

Corpus.

Corporis castigatio efficacissima ad impetrandum. 390,9
Corporis ornatui qui studet Christo non immoritur. 394,17

Creator.

Creator vt sequendus etiam si minora nobis daret quàm diabolus. 181,5
Creatoris placitis qui obsecundat, ab omni creatura adiuuatus. 418,11
Manus in nobis occultari non potest. 449,4

Creatura.

Creaturæ vniuersæ etiam sibi contrarias subeunt formas,vt Deo famulentur. 88,11
Creaturæ vniuersæ humanissimè excipiunt afflictos homines. 146,17
Creaturæ cur Iudæ seruarunt fœdera pacis. 221,13
Vt commouebantur in Deicidas. 271,34
Creatura insensibilis nos docet satisfacere Deo pro cómissis. 415,6
Non tam saluat,quam condemnat peccatores. 374,50
Creaturæ adiuuant Deo obsecundantes. 418,11
Dolent non prodesse homini. 504,8
Dirè peccatores tractant. 470,26
Hominis ingenia venerantur vniuersæ creaturæ, vel ipsa gehenna. 504,8
Creaturæ visa morte creatoris mori festinant. 465,15
Creaturarum ruinæ à Deo factæ efficacissimæ sunt, vt hominum corda conuertantur. 625,6
Earum placita ne expectes vt Deum sequaris. 333,4
Earum angustię profusissimá Deo misericordiá coarctant. 521,3
Earum vestigia ne sequaris dum Deum ducem habes. 333,4
Creaturæ quibus fidant non sinit Deus dilectis suis. 495,19
Otiosas esse non patitur. 518,6
Vniuersæ pro crumena sunt Christi pauperibus. 628,5

Credulitas.

Illius robur præstantius à rebus propriis. 607,10
Credulitatem firmius adhibemus iis,quæ penes nos sunt, quàm quæ in aliis videmus. ibid.

Crimen.

Criminis maiora maior sequatur humilitas. 427,3

Crux.

Crux corona & diadema Imperij. 256,18
Præpropera in liberandis hominibus. 259,25
Eleuat & sustentat portantes. 250,4
Vt à pluribus reputatur,ab aliis tollitur. 249,3
Eius ad societatem soli admittuntur dilecti. 251,7
Crucis pondus ouicularum pondus minuit. 249,2
Sub illa spectabilis Dominus. 250,5
Per Crucem secure ad Paradisum itur. 264,12
Crux Christi mortificationem & dolorem omnibus persuadet. 290,9
Lucidior Sole. 218,9
Crucis dolores pro deliciis sunt Deo. 254,14
Crux Domini durior & acerbior, quàm quæ ab hominibus ferri queat. ibid.15

Crucifixus.

Crucifixi Iesu summa potestas. 273,37

Culpa.

Vbi non est,vel leuis diuinæ manus attactus sufficit. 509,4
A bonis temporalibus ortæ culpæ æternum manent, bona autem cito depereunt. 618,5
Maiores culpas maior sequatur humilitas. 427,3
Culpas eorum,qui sub tua non sunt potestate,nullo zeli prætextu velis castigare. 612,13
Culpę imminentis vim frangit beneficij accepti memoria. 433,17

Cultus.

Cultus & ornatus corporis cum re familiari componendus, nec excedas. 67,12
Cultus exterior sine interiori Deo abominabilis. 639,1

Cura.

Curam habeant Domini virtutis famulorum. 543,18
Curis sæcularibus qui se immiscent,sanctitatem non adipiscuntur. 490,10

Curiales.

Curiales mystæ sine principibus necessarij, ab eisque independentes. 387,2
Curiales idololatriæ proximi. 464,9

Curiositas.

Principum in raptis videndis carpitur. 574,10

D

Dæmon.

DÆmonis auiditas in perdendo homine. 426,1

Damnatus.

Damnatorum pœna tota simul miseros dinexat. 493,16
Damnatis locus deputatus,quàm ex se horribilis. 431,12

Defunctus.

Defunctorum onera possumus tollere qui adhuc viuimus. 474,34
Defunctorum fidelium animæ aliquando apud sua cadauera sepulchra degunt. 493,15

Degener.

Degener est,qui parua à Deo petit. 672,6

Dementia.

Extrema dementia est post serũ mundialiũ ruinę illis fidere. 619,6

Desiderium.

Desideria inefficacia salutis vana. 239,17

Desperatio.

Desperatio non concipienda de vitiorum victoria si adsit diligentia. 480,3

Deuotio.

Deuotio in oratione,non facile interrumpenda. 35,15

Deus.

Dei solius munus est parcere. 6,8
Dei ex Maria mansuetudo. 21,8
Dei cibus est homo. 238,8
Dei guttula vel mica humana replet corda. 34,18
Dei benignitas in integros qualis. 221,14
Dei filius vt gentilitia materna æstimat. 42.40
Dei præsentia facit supra naturam audere. 44,45
Dei filius vt à matre accepit quandam sanctitatis speciem. 46,49
Dei oculi firmitudinem præstant. 56,4
Dei vicinitas salutaris. 85,1
Deo integro corde seruiendum. 190,22
Deo vt vacet à mundialibus liberare. 153,5
Deo gratiosus omnia bona habet. 39,32
Deo reddendum idem,quod ab illo accipimus. 67,14
Deo gratis seruiendum. 143,20
Deo vt inhærendum etiam ab illo repulsi. 255,17
Deum nemo sibi soli præsumat. 308,9.125,2
Deum qui linquunt,nusquam non errones. 224,21
Deum qui quærit securus à malis. 107,1
Deus vt cognitos habet castos. 28,3
Deus,vt se credit virginibus. ibid.4
Deus solus fauet reprobatis,& deiectis hominibus. 269,26
Deus suspectam habet impudicitiam. 29,5
Deus vt adstat Mariæ. 34,17
Deus ab vtero virginali vt extollitur. 42,39
Deus humanas mentes in sublime agit. 49,2
Deus salutaris paruulis. 54,13
Deus citius pluribus,quam vni subuenit. 117,5.30,8
Deus in Maria Virgine vt magnus. 55,8
Deus nullum seruum inhonoratum dimittit. 317,6
Deus multis modis quærendus. 126,6
Deos sine gloriosis titulis,vt male nominatur. 57,7
Deus non in auro,sed in paupertate internoscitur. 145,24
Deus res humanas fulcit & firmat. 59,11
Deus inter afflictos & laborantes. 173,13
Deus vt præuenit peccatores. 78,3
Deus in præsepi amplius innotescit. 81,8
Deus homo fit vt homines possimus Deum sustinere. 123,11
Deus solus amandus sine creaturis. 84,16
Deus vt Saluatoris gloria fulgeret,vt indiguit peccatoribus. 87,6
Deus facile inuenitur ab his qui labori incumbunt, dum alij indulgent voluptati. 92,19
Deus in præmiandis laboratoribus quam celer. 115,2
Deus ipse perficit in nobis quidquid iubet. 281,5
Deus is est cuique,cui vnusquisque sibi est. 292,4
Deus longanimiter expectandus in suis promissionibus. 293,7
Deus possessio fidelium est. 304,5
Deus tibi qualis tu Deo. 669,19
Honorabilibus titulis nominandus. 423,7
Ab hominibus exigit bona sua cum fœnore. 397,24
Hominum labores viribus ipsorum commensurat. 370,41
Punit trutina librans vltionem. ibid.
Si punitio mensuram debet excedere, peccatori remittit, vt sibi illam imponat. ibid.
In mercedibus & coronis elargiendis nullam ex se inæqualitatem facit. 397,26
Solus Deus prędicatores suos in exteras prouincias agit. 405,5
Differt vt duplicet beneficium. 408,9
Ita est auxiliator,vt nolit esse totius rei effector. Est inter beneficia visibilis,secus inter flagella. 349,12
Vel leuissima obsequia accipit. 334,5
Se deiicit,& aptat,vt ab hominibus capi possit. ibid.6.
Nulli rei tam assidet,quam peccatori expectando. 351,5
Nihil à nobis nisi pretio emptum accipit. 351,11

Quæ petit à nobis, immo & potiora, eadem sese obligat præstare. 358,17
Cui semel benefecit, quasi ex consuetudine semper benefacit. Adeò benefacere assueuit, vt ad virgam ire nesciat. 359,19
Deus dæmonio exitialis. 434,1
Et ante vitium, & morbum, patat remedium. 435,2
Vbi sanat omnia pelluntur mala, veniunt bona. 437,8
Se exaltat parcens, se humiliat vindicans. 476,40
Nihil exigit præcepto generali quod in se, vel in suis non probauerit. 455,4
Solus ille veram lætitiam, & consolationem in malis affert. 456,6
Magni æstimat, quidquid sibi à veris iustis offertur. 460,4
Quasi medicus temporalis ægro multa permittit peccatori deploratæ salutis. 470,25
Tollit ærumnas ab iis qui earum lucra capere nesciunt. 491, 12
In temporalibus pœnis æterni supplicij speciem immittit. 494,18
Non sinit dilectis creaturas, quibus fidant. 495,19
Tenetur peculiari iure prouidere vbi homo non adest. 496, 21
Vt à se ipso non potest desciscere, sic non cessat ab hominum charitate. Non dedignatur de minimis hominum cogitationibus triumphare. 393,16
Se ipsum negaret, si homines sua charitate non amplecteretur. ibid.
Deus solus peccatores cernere, inter illos agere, eorum infirmitates sustinere sciuit. 503,4
Solus Deus potest homini imperium parare. 504,7
Petentis desiderio subuenit, antequam petat. 531,18
Humanorum bonorum auctorem se sciri amat. 550,6
Non æstimat munera sua, nisi magna. 558,1
Deus solus ad nos venire nouit. 564,4
Ab indigentibus trahitur. 573,9
Præstantissima largitur munera. 577,18
Deus quasi non possit non misereri videtur. 581,7
Tunc regnat in nobis, quando solus per se quæritur. 593, 34
Est facilis erga multitudinem. 594,1
Deus etsi iratus in hominem misericordem illapsus omnium miseretur. 536,3
Fidelibus adest, vt Dominus speciali prouidentia. 601,12
Vigilat in suorum custodiam etiam dormiens, etiam verberans. 605,6
Mira pietate ad hominum salutem condescendit. 607,10
Nescit cessare in donando. 615,14
Sic operatur nostram salutem, vt videatur hominibus indigere. 623,1
Citius adest illi, qui inter pugnandum victus est. 615,14
Eo vehementius acuit dolores, quo salus vicinior. 611,5
Dei præsentia præstat, vt dolos, fraudes, iniurias facere dediscamus. 346,7
Illius consortium timorem incutit. 551,8
Dei quidquid est misericordiam docet. 385,18
Eius amorem adauget humilitas. 400,33
Dei spiritus, nihil prius ob oculos proponit, quam rerum mundalium casum. 376,4
Dei facinus præstantius conuersis peccatorum, quam miracula. 483,9
Vna eius voluntas in omnibus adoranda, & spectanda.
Dei viam, qui currunt & non desistunt, brauium comprehendunt. 511,2
Dei manus non sinit otiosas esse creaturas. 518,6
Eius magnalia in se peracta non omnibus licet prædicare. 519,7
in Dei donis semper est augmentum. 521,6
Dei sit bonitas in trahendis indignis. 396,21
Dei amor calamitatem præuenit, quamuis festinam. 461,6
Dei amasij ærumnis exercentur, laboribus ditantur. 459,2
Dei manus grauissima ad vexandum. 645,13
Sine Dei licentia, & permissione, nullum malum accidere potest. 463,11
Dei dilectio omnibus nota, non sic rigor institiæ. 332,2
Dei sequela, & oculorum illuminario connexa sunt. 538,8
Deo maximè gratus affectus cordialiter virtutis.
Deo soli humani cordis secreta patentissima. 483,8
Vel lapis oblatus manet alta mente diuina repostus. 486,1
Festissimum est Deo quidquid hominum saluti conducit. 497, 25
Si Deo sis curæ, nihil æstimes à creaturis derelinqui. 534,24
Deum videre cupiens, semper videre sitit. 563,2
Deum bonorum auctorem designat abundantia. 592,31
Deum ne tibi quasi obligatum expectes, sed eius gratiam inquirere festiua. 511,3
Illum sustinere debemus eius voluntati conformes. 433,17
Qui sibi Deum cupit deuincere, duret in actibus humanitatis 469,24
ad Deum labores trahunt. 405,4
Ad illum citius peruenitur illis virtutibus incumbendo.
Deum qui vobis expectare nouit, etiam duplicare lucrum. 407,8
Deum, vt alliciamus multum prodest locus, vbi ingens aliquod beneficium. 417,10
Eum quasi torquet dilectio. 331,2
Deum ducem habens creaturarum vestigia ne sequaris. 333,4
Qui Deum auctorem non videt in bonis acceptis cæcus est. 514,9
Qui Deum sequi voluerit, ne expectet creaturarum placita. 333,4
ad Deum nulla securior via, quam per descensum itur. 613,10
Qui Deo impletur neminem fraudare sciuit, aut lædere. 347,7
à Deo vno qui deficit in multitudinem incidit tyrannorum. 364,19
à Deo discedentibus, quid eueniat. 376,3
à Deo non respici, nostra desidia est. 416,8
à Deo alienus valde hominis interitus. 538,7
Ab eo nobis promissa, quasi possessa habentur. 506,13
In eo colendo tota vis felicitatis humanæ. 533,23
In solo Deo sequendo necessitatem consultationis mundiales ponunt. 385,17
Ab illo solo conuersio peccatorum.

Diabolus.

Diabolus per se solus vt infirmus. 214,10
Diabolus infamissimo interitu perditur per Iesum. 244,30
Diabolus homines eiicere satagit in summum malitiæ barathrum. 293,7
Diabolus & vitia nihil curant nisi solum vincire suos. 167,1
Diabolus fugit viros, à quibus, primis in conatibus resistitur ei. 146,26
Diabolus inuidit Deo cibum. 138,8
Diabolus spernendus etiam si maiora bona concedat nobis, quam Deus. 145,15
Diabolus semper hominis studet perditioni. 140,12
Veritatis osor. 305,31
Totus in deaurandis peccatis ne appareant. 372,47
Peccatores suos qui ignorat. 412,4
Nullis iustorum conuentibus non se ingerit, nullibi ab illo eris securus. 410,2
Vt sanctos expugnet de sanctitatis castris arma mutuatur. 430,10
Anxie curat nobis odiosa, & inuisa facere cœlestia. 442,3
Est causa præcipua maiorum omnium. 563,2
Facit homines terrenis deditos. ibid.3.
Diaboli impudentia est, vt inter Angelos medius consistat. 410,2
Eius manus homini acerbissima. 414,9
Eius cruciatus est vbi virtus floret. 431,11
Irreuocabiliter abire cogitur à Iesu. 445,11
Nimis auidi in hominibus perdendis dæmones, in hoc alteri cedit nullus. 426,1
Diabolo exitialis Iesus. 434,1

Dies.

Dies ærumnarum integri, & completi apud Deum. 492,13
Dies hominis censentur ex ærumnis. 595,4

Difficultas.

Difficultates maiores proponendæ sunt euangelicis Heroibus in principio virtutum. 343,28

Dignitas.

in Dignitate constituti non debent honorem & emolumentum sibi appetere, aliis laborem, & opera relinquere. 336,11
Dignitates Ecclesiasticæ ne dentur iure consanguinitatis. 547,10

Dilectio.

Dilectio vera in Deum, ab amoris operibus cessare nescit. 399,29
Dilectio Dei omnibus patentissima, non sic rigor institiæ 332,2
Dilectio quasi Deum torquet. ibid.
Dilectio in Christum, illum tenet pene inseparabiliter. 643,9

Discipulus, Disciplina.

Discipulum esse Christi proprium est solius Christiani. 535 22
Disciplina matris salutaris adolescentibus. 458,10
Disciplina magistrorum superat parentum in filios operam. 441,2
in Disciplina Christiana in dies proficiendum est. 425,12

Diuinitas.

Diuinitas pauperes ad se trahit. 538,6
Diuinitatis notitiam non potest infirmitas humana sustinere. 535,26

Diuisio.

Diuisio, & multitudo Deo contraria. 421,3
In diuisione summa inuenitur perditio. 439,11
Diuisione quæcumque machina quamuis concors dissoluitur.

Diuitiæ.

Diuitiæ vt fructuosæ, & vtiles. 246,34
Diuitiæ

Diuitiæ sæculares motu rapidissimo euanent. 488,5
Diuitiæ mundiales impiorum mentibus hærent,at ecclestia bona quantocius elabuntur.
Diuitiarum contemptu totum peccati regnum corruit. 380,6
Diuitiæ,& paupertas famulantur virtuti. 414,3
Diuitiarum sitis inextinguibilis. ibid.
Diues nunquam solus periit. 497,2
Diuites etiam regnum cœlorum possunt intrare. 413,2
Diuitum cupiditates instar fœminarum prægnantium. 55,8

Doctor.

Doctor Euangelicus erga Principes sæculi qualis. 109,6
Doctor suam habeat sapientiam. 164,32

Doctrina.

Doctrina Christi Domini vna, diuisionem fugit. 109,5
Doctrina Iesu. 365,32
Doctrina hæreticorum ex quo falsitatis conuincatur. ibid.

Dolor.

Dolor de peccatis verus qui operibus exhibetur. 288,5
Et qui non leui satisfactione contentus est. 275,5
Dolor perfectus de peccatis nullum sibi terminum præscribit in satisfactione peragenda. 399,30
Dolores huius vitæ paulatim,& diuisim,non sic præmia illorum. 493,15
Dolor verus solus qui ex amore perfectæ salutis procedit. 658,4
Dolores tunc Deus acuit quando appropinquat salus. 611,5

Dominus.

Domini compellatio sola potens est ad se omnia trahere. 169,4
Dominorum oculi vt faciunt seruos laborare. 154,6
Domini famulorum curam habeant. 543,11.& seq.
Domini sic tractent subditos,vt sibi superiores putent. 505,9
Domini sic puniant subditos, vt immediatè post punitionem ab ipsis subditi honorentur. ibid.
Dominorum vanissimus titulus vbi mortales subditi. 504,6
Dominos præstantes decet æqualitas circa subditos. 413,1
Dominus ex castitate. 541,2

Domus.

Domus religiosæ erectio opus Deo gratissimum. 486,1
Domus cœlestis, qui teris viam,caue ne ad diuerticula deflectas. 485,12
in Domo cœlesti maximi huius vitæ labores exigui, aut nulli videbuntur. 485,13
Domus Dei componit affectus mundanos. 334,1
Illius habitatio adeò dulcis, vt Angeli ab ea non nisi missi discedant. 335,9
In illa laborandum. 336,11
Sanctè & deuote agendum. 341,13
Domus Dei gloria absorbet omnium pristinorum laborum recordationem. 485,13

Donum.

Donum crescit incomparabiliter ex Deo dante. 500,32
Donum duplicatum sequitur nostram expectationem. 407,8
Dona diuina requirunt accipientium laborem,& cooperationem. 409,13
Dona quæ posteriora à Deo veniunt prioribus illustriora sunt. 521,6
Dona diuina non finiuntur in prima beatitudinis visione. 568,7
Dona donis cumulando Deus continuat. 616,16
Dona diuina auctorem halant. 592,31
Id timendum in illis,quod amitti possunt. 639,2
Dona turpant fœminas. 360,22
Dona à Iesu profecta in suos adeò magna, vt nouis nominibus egeant,quibus explicentur. 338,17
Dona nostra parua perennem affluentiam bonorum in Deo adquirunt. 357,19
Dona Dei sola vitam vndequaque inferunt, hominum autem prosiliunt è mortis vena. 360,21
Dona vltro oblata sint tibi suspecta. ibid.22
Sola dona diuini spiritus æternari sciunt. 361,24
Per Christum exhibita, cum manentibus manent,cum euntibus eunt. ibid.
in Donis Dei semper est augmentum. 556,7

E

Ebrietas.

Ebrietatis malum insanabile. 569,7
Ebrietates ab Eucharistia fugantur. 566,3

Ecclesia, Ecclesiasticus.

Ecclesiæ bona non recondi,sed effundi amant. 237,12
Ecclesiæ bona iniustè retenta exitialia sunt possidenti. 238,13
Ecclesiasticorum ornatus & cultus. 240,20
Ecclesia Christi à mansuetudine, & simplicitate ducit originem.
Ecclesia, & locus facet, nihil inordinatum erumpi patitur. 335,8
Ecclesiæ Principes,& superiores simplicitatem vnde nata est præferant.
Ecclesiæ bona,vt possint regibus seruire. 617,2
Ecclesiæ septa sint tibi præfinita,vt Christum inuenias. 448,2
Ecclesiæ suæ Deus speciali adest prouidentia. 601,12
Eius persecutores exleges. 637,11
Intra illam sit,qui vult mederi peccatis. 640,4
Ecclesiæ munera publicæque præfecturæ officia vendentes, & ementes Dei iram incurrunt. 619,7
Ecclesiæ vniuersæ Petro Apostolo subdantur. 601,10
Ecclesiæ,& templa fidelium eleemosynis erigantur. 486,1
in Ecclesiis sanctè,& deuote agendum. 335,10
Ecclesiastici otium fugiant, pluribus se virtutum operibus dedant. 546,7
Ecclesiastici vitent iuuencularum famulatus, magis imperia. 563.3.
Ecclesiastici iuuenculis seruientes more prophanorum iuuenum notantur. 581,6
Ecclesiastici Principes ne tempus insumant in sumenda ratione pecuniarum. 585,15
Ecclesiasticorum dedecus ab aniculis vinci in feruore virtutum. 547,7
Ecclesiasticorum affectus in ditandis consanguineis succensetur. ibid.10
Ecclesiasticos sola victus temporalis causa adesse altaribus periculosum. 383,12
Ecclesiastici delitiosi peribunt. 655,9
in Ecclesiasticis muneribus,qui dant operam lucris, caueant Dei iram. 618,4

Electus.

Electorum in Christo signum in perfecta charitatis vnione consistit. 357,15

Eleemosyna.

Eleemosyna præparauit Virgineum vterum, vt Deum caperet. 26,5
Citò largienda. 169,5
Necessaria ad alias virtutes coronandas. 174,15
Extraneis & alienis sine discrimine exhibenda, maximè à Prælatis. 137,11
Reddit Deum facilem inuentu. 292,3
Vide *Pauper.*
Eleemosyna nuptias cælestis agni nanciscitur. 270,28
Eleemosyna Christi sponsa pulcherrima,& ornatissima. 354,9
Ariditatem tollit. 556,6
Dei iram sedat. 555,5
Danda egentiori. 582,9
Alienum auxilium non requirit. 556,6
Perennem facit bonorum abundantiam. 590,26
Facienda occultis pauperibus. ibid.
Mundat peccata,sed non quælibet eleemosyna. 509,5
Sic fiat,vt cœlo sit nota,non terræ. 488,5
Post latam sententiam adhuc aditum saluti animæ inuenit. 481,3
Illius prouentus multiplex. 419,14
Quantumuis parua,perennem bonorum affluentiam Deo comparat. 359,19
Peccata iudici operit,& facilem salutem causat. 419,15

Episcopus.

Episcopus,& iudex non bene conueniunt. 448,1
Episcopus de ouiculis subditorum,debet esse solicitus. 409,11
Episcopi,& animarum pastores, etiam ad temporalia debent descendere. ibid.
Episcopi optima politia agricolarum, & operariorum ruinis reparandis debent studere. ibid.

Eremus.

Eremum amet qui Christum videre cupit. 131,2

Eua.

Eua mater,quàm mortua mundo post ruinam mansit. 394,17

Eucharistia.

EVCHARISTIA à fol.192.& deinceps.
Fugat ebrietates. 566,3
Sola vena est,quæ maciem nescit. 362,25
Flagitia abstergit,incendia carnis extinguit. ibid.
Symbolum noui exortus in Christiana disciplina. 425,12
Eucharistiæ præparatio. 626
Eucharistiæ sacrificium existentibus in purgatorio communicandum.Complet nostras preces. ibid.
Eucharistiæ assimilantur ossa, & reliquiæ sanctorum. 350,2
in Eucharistia gratiarum actio. 520,9
in Eucharistia quotidie se Deus sanguinis effusione commendat.

Excellentia.

Excellentiæ communes sunt, noli in illis esse singularis. 423,5
Examinanda frequenter opera. 104,9

Exemplum.

Exemplum malum quam efficax. 268,22
Qui eo non rapitur rarus,isque fortissimus. 265,15

Exemplum. 134,9.192,27
Exemplum operum hamus, quo capiendi homines. 342, 25
Exemplum D.Passi maxime suorum leuat labores. 371,43
Exempla virtutum arguunt nos,& in nos acuunt diuinam iram. 397,27
Inter exempla virtutis adhuc non esse eius studiosum, periculosum est. ibid.

Exlex.

Exleges sunt veræ Ecclesiæ impugnatores. 465,15
In exleges homines vniuersa mala audent nulla etiam lege seruata. 645,12

Expectatio.

Expectatio vt eruciat. 62,6
Expectatio quæ gratissima Deo. 116,3.217,4
Expectationem qui nouit habere dignus imperio. 62, 6. 258, 24
Exterior homo nusquam sine periculis. 226,4

F

Faber.

Fabri filius Iesus vtilis omnibus. 9,2

Fama.

Fama vt obseruari debeta castris. 29,6

Familiaritas.

Familiaritas cum peccatoribus habentibus speciem virtutis, cauenda magis. 356,14
Cum mulieribus etiam cauenda. 295,20
Iustis fugienda cum impiis familiaritas. 428,4
Cum bonis autem potens est ad radicem vitiorum extirpandam. 396,22

Famulus,famulatus.

Famuli iudices sunt morum filiorum. 542,8
Famuli à Dominis erudiantur ad virtutes. 543,11
Famulorum secreta cum filiis suspecta. 542,9
Famulatus iuuencularum dedecent Ecclesiasticum. 564,4

Fastus.

Fastus regios depone quisquis hominum animos cupis capere. 79,2

Fauor.

Fauores humani breuissimi. 600,9
Fauoribus vicina sunt pericula. ibid.
Fauores occultandi, ne ioanis gloriæ iniurias patiantur. 484, 11

Felix,Felicitas,Felicissimum.

Felix ille qui ex solo Dei imperio quodcumque munus ingreditur. 374,1
Felix eris quisquis sic Iesu biberis conditionem, vt incumbas labori,& aliis dulcis maneas. 510,1
Felix ille, qui salutis suæ negotium alteri non committit. 529, 13
Felicitas humana periculis vicina. 600,9
Mentem obtenebrat, ne bonorum nostrorum auctorem cognoscamus. Mater est discordiæ. 516,1
Tota illius vis posita in colendo Deo. 533,23
Felicissimum est filiis,quod præstantissimos viros parentes possunt facere suos. 506,12
Felicissimum est quod tibi, & aliis vtilis sis ad salutem. 472,32

Festum.

Festum Dei hominum salus. 497,25
Festa diaboli vitiorum fomenta. ibid.
Festa Sanctorum male celebrantur conuiuiis, & compotationibus. 567,4
Festa carnis sine ingenti fastidio extendi nequeunt. 616,1

Fides,fideles.

Fides seu fiducia in Deum repulsæ nescia. 54,16
Fides beneficia diuina præcedat. 304,6
Fides robusta omnia præ Deo contemnit. 91,17
Fidens oitens in quauis iactura lætus agit. 101,3
Fides instaurat homines regium decorem. 542,7
Illa sola potest pœnitentiæ opera carneis cordibus persuadere. 401,35
Fides humiles Christi viuentis ex mortuis arguit filios, immò primogenitos in populo. 412,19
Mala propellit. 503,5
Fides Iesu de lacrymarum laborumque societate omnia potest. 444,9
Fides firma in Deum non fallitur. 456,6
Fides,quæ operibus charitatis visibilis exhibetur, digna Dei est. 481,5
Fidei vltra debitum plura beneficia à Deo exhibentur. 482,6
Fides viatorum in cœlesti domo perit Dei visiones. 518,5
Fidei mysteria facile [illegible]dentur,cum peccata expurgata fuerint. 367,35
in Fidei veritatem omnibus communem Christi D. gustus trahit. 373,49
à Fide diuina scaturiunt pœnitentiæ fontes. 401,36
in Fide stare vbi multitudo cadit solum Dei est. 540,5
Fidem & credulitatem firmius adhibemus iis,quæ penes nos videmus,quam quæ aliis. 607,10
Fidelium animæ aliquando apud sepulchra sui cadaueris degunt. 475,39
Illarum oratio vbicumque sibi templum efficit, vt Deus adoretur. 366,33
Fidelibus interna,& externa mortificatio necessaria. 604,4
Fidelibus adest Deus peculiari prouidentia, vt Dominus. 601, 12

Fiducia.

Fiducia in Deum nullis contrariis euentibus nutet. Frustrari nequit. 513,8

Figura.

Figuras mille subit Deus,vt hominibus proficiat. 155,8

Filius.

Filij parentum vota adimplent duplicato lucro. 27,9
Quales in parentes,& eorum præmia. 173,14
Filiorum mors acerbissima parentibus. 68,1
Filius Dei magnus ab vtero Mariæ. 40,35
Filius Dei ostenditur qui ex multorum fratrum amore. 125,3
Filius Dei ob naturæ cognitionem hominibus salutaris. ibid.4
Filius Dei,vt se transfigurat in hominum vtilitatem. 155,8
Filius hominis vt hominum tutor. 83,14
Filium à parentibus condemnari, scelestissimi indicium. 160, 30
Filius quem vterque parens condemnat infelicissimus iustissime damnatur.Genitoris ingenium sapit. 537,4
Filius diuinus,& Spiritus sanctus de patre habent quod creaturis prospiciant. 306,34-
Filius Dei potius ex factis claret. 616,[illegible]
Filij vnigeniti gloria à Patre. 537,4
Filium vnicum Deus à parentibus aufert, vt diuini Patris affectum habeant debitam æstimationem, qui vnicum filium pro nobis dedit. 459,3
Filij veri non tam in sanguinis propagine, quam in æmulatione virtutum paternarum. 420,16
Inter parentum impietates,& errores habent vnde possint in agnitionem veritatis venire, & sibi cauere parentes iudicando. 439,12
Quod prius vitia fugant,quam pietatem ebibant in culpa sunt parentes. 443,7
A paternis oculis non remouendi etiam cum optimis traduntur præceptoribus. 542,9
Filij dantur castis coniugibus. 570,2
Filiorum damnationes esse causam, graue est parentibus. 528, 12
Filiorum labores fructuosi,secus seruorum. 406,7
Filiorum cum famulis secreta suspecta. 542,9
Filiorum cura habenda præ aliis omnibus. 411,16
Filiorum incolumitas ex famulis. 566,3
Filiorum incolumitas consistit in eo, quod sperare in Deo doceantur à parentibus. 556,6
Filiis felicissimum est quod præstantissimos viros possint facere parentes suos. 506,12
Filiis multum prodest, quod ab strenuis parentibus gignantur. 536,3
Quod in filiis non potest nomen parentis,id perficit bona magistri institutio. 441,2

Firmitudo.

Firmitudo in bonis à Dei oculis. 56,4
In solo Deo. 60,12

Flagellum.

Flagella in Iesu signa euidentissimæ charitatis. 244,18
Flagellis Iesu humana terra excolebatur. ibid.19
Flagellum per quod peccatum tollitur potius quies, & refrigerium appellandum. 424,10

Fœmina.

Fœmina bona viros condemnat. 294,8
Fœminarum colloquia fugienda. 48,56
Fœminis leuamen in puerperio ex Maria. 53,11
Præsentissimum virus ad perdendos homines. 452,10
Fœmina nimio ornatui dedita non placet Christo. 394,17
Vel mendacij suspicioni aditum occludat. 451,7
Fœmina quæ virum habet subditum à Deo. 460,3
Fœminæ obsequium hostem lenit. 413,1
Illo vtitur Deus vt homines trahat. 460,4
Fœminæ turpantur donis. 360,22
Examinent dona vltro oblata. ibid.
Earum familiaritas à viris cauenda,austeritatem in te videant. 367,36
Fœminarum testimonia de diuitiis in se peractis infirma. 596,7

Fortitudo.

Fortitudo maxima Dei,quod se credat fœminæ. 57,5

Forti

Fortitudo in mediis periculis. 249,1

Fragilitas.

Fragilitas humana Deo præ oculis. 380,5

Franciscus.

Nihili fuit Francisco à parentibus deseri, quia Deo curæ erat. 534,24
Eius corporis incorruptio diutina, ex plagis Iesu in corpore acceptis venit. 663,6

Frater.

Fratrum amor filios Dei ostendit. 125,3
Fratres nihil promptius faciunt, quam impedire nobis diuina beneficia. 474,35
Frasres vniti Christianæ fidei fundamenta. 339,18
A fratrum congregatione discedere, graue damnum.

Fraus.

Fraus, & dolus inseparabilis comes bonis terrenis inhiantium. 347,8
Ab ingenuis viris longè abest. ibid
Fraudem nescit, qui Deo impletur. 346,7
Vt frandes dediscamus Dei præsentia præstat. ibid.

Fructus.

Fructus virtutis si præcox semper tempestiuus: si serus, tato non tenetur. 621,12
Funeris honos Deo gratus. 632,9

Fundamentum.

Fundamentum Iesu inexpugnabile. 276,7

Fur.

Fures sunt, qui solas sedes cupiunt, vt caput reclinent. 336,1

Futurum.

Futura mala non præsentire miserum est peccatoribus. 649,5
Futuri ignorantia miserum in vita humana. ibid.6
Futurorum curis non solicitetur, qui habet Iesum. 650,2

G.

Gaudium.

Gaudia magna citius pluribus quàm vni à Deo parantur. 86,5
Gaudia mundana fastidium pariunt. 616,1
Gaudium cœleste quale, & quantum cicatrices corporis Christi impressæ manifestant. 485,13
Gaudendum in ærumnis vtilibus saluti. 465,14

Genealogia.

in Genealogiis Heroum non propagatio carnis, sed virtutum similitudo ostendenda. 506,11

Gens.

Gentes vt amabant Iesum. 238,15

Gloria, Gloriosus.

Gloria cælestis vt gratis, & sine labore habetur. 163,28
Vt à pluribus habetur in singulis abundantior. 325,8
Gloria vana fugienda propter Dei gloriam. 102,4
Gloriæ humanæ vtilitas. 245,33
Gloria domus Dei absorbet omnem pristinorum laborum recordationem. 485,13
Gloriosum valde est quod tibi & aliis vtilis sis ad salutem. 472,32
Gloriarum splendor occultat latentia mala. 603,1

Gradus.

Gradus nonus semper faciendus. 425,12
Primus gradus perfectionis affines relinquere. 341,27

Gratia.

Gratia Dei omnia in bonum vertit. 39,30
Timores excutit. ibid.31
Præsto est etiam obduratissimis peccatoribus. 221,12
Gratia Spiritus sancti per Christum impellit terrena corpora in vitam æternam. 362,16
Graria promptissime à Iesu venit in subiectum aptum. 488,5
Æqualis antiquæ seueritati. 595,5
Gratia Dei otiosos odit. 561,7
Gratia diuina è pessimis moribus optimos facit. 381,10
Gratiam Dei inquirere festina. 511,3
Gratiam amittere nimis dolendum. 463,9
Gratia Christi ad nos festinat. 640,13
Gratiæ diuinæ adscribendum Iesum sequi. 381,9
Gratiarum actio. 596,6
Multiplicat beneficia diuina. 475,38
Minus Deo placet vbi non communis beneficia recipientibus.
Gratiosus Deo, omnia bona habet. 39,32
Gratis Deo seruiendum. 143,10

Gratitudo, Gratus.

Gratitudo vigilantissimus custos. 510,9
Cum nostro benefactore nos stricte coniungit.
Gratitudinis virtus fœcundissima. Pulchrum eius exemplum à benefactore non discedere. 433,16
Gratus animus in benefactore suo id solum attendit quod beneficium fecit. 533,21
A benefactore suo nulla potentia separati valet. 433,16

Gubernator.

Aliorum spectet consilia. 583,10
Omnibus pateat. 331,1
Si simplex attrahit subditos, est aptus gubernationi. ibid.
Ineptus si habeat præcordia sinuosa. ibid.
Gubernatorem commendat nobilitas maiorum. 348,11
Ne subditorum sanguinem sitiat. 360,21
Gubernatores, & Sacerdotes non bene conueniunt. 451,7

Gustus.

Gustus Christi in fidei veritatem omnibus communem trahit. 373,49

H.

Habitatio cœlestis.

Habitatio cœlestis sola quærenda. 335,9
Eius bona nequeunt verbis explicari. 336,13
Habitatio domus Dei difficulter dimittitur. 335,9

Hæreditarium.

Hæreditariam dignitatem sic teneas, vt videaris ad illam venisse per omnium suffragia. 537,5

Heresis, Hæreticus.

Hæreticorum ingenium quale. 365,32
Eorum doctrina non excedit mulierculárum captum. ibid.
Ecclesiæ nauim sese extollunt. 601,5

Heroes.

Heroes Euangelici in principio maiores vincant difficultates. 343,28
Heroum familiarum filij non tam sanguine, quàm æmulatione virtutum censentur. 506,11

Homo.

Homo nil magnum nisi propter Deum operetur. 8,12
Faciat quod in se est, non id remittat Deo. 135,2
Seuerissimus est vltor iniuriarum. 557,9
Cælestis fit à sepulchro Domini. 282,8
Homines quàm sapienter castigandi. 223,18
Hominum frequentiam fugiat qui cælesti luce perfundi cupit. 111,12
Hominum res maximè promouentur ad Iesu præsentiam. 278,12
Hominum Genesis sub ascendente Domino quæ? 314,11
Hominibus qui seruit calamitosus. 110,9
Homo in lapsibus manifestatur. 665,11
Homo in homines nocentior diabolo. 634,4
Gloriosus cum intra suæ fragilitatis terminos prædicatur. 657,2
Homo auidissime rapit, sibi familiare, & notum. 607,10
Homo ex proprio iudicio vix scit non errare. 604,4
Velocissimè pertransit. 599,5
Terrenis immergitur ex diaboli astu. 563,3
Vanissimus de paruis gloriatur. 523,7
Fit Angelus per baptismum. 592,31
Paulatim promoueri debet ad cœlestia. 524,1
Per Saluatoris fontes, & dapes, & tractus, & cicuratus fuit. 502,3
Se se assuefeat bene facere. 359,20
Inspiciendus, vt area plena tritico, tamen cum paleis. 370,42
Potius vult Deum ad suas commoditates trahere, quam ipse ire ad diuinas. 386,1
Dum se se ad pedes Domini deiicit magnam inde gloriam acquirit. 559,2
Qui rapiat diuinos oculos. 416,8
Terreni & sæculares Dei causam suspectam habent. 431,14
Pius nil impiorum in se admittat. 428,4
Hominis placita ne expectes, vt sequaris Deum. 335,9
Illius respectus nihil faciendi pro Deo. ibid.
Eius vitibus Deus labores commensurat. 369,40
Eiusdem dona lethalia. 360,21
Eius salus festum Deo agit. ibid.
Eius defectus peculiati iure Deus supplet. 496,22
Eius vilitas, nisi redemptionis suæ pretio respondeat. 502,3
Eius interitus à Deo maximè alienus. Eius remedium præsentissimum ad terrenam originem confugere. 526,7
Eius certa via in sequendo Deum. 579,3
Eius dies ex ærumnis æstimantur. 595,4
Eius honor maximus ex Angelorum custodia. 489,6
Homini quæ non prosunt creaturæ dolent. 591,29
Illi nunquam non habent creaturæ reuerentia aliqualem. 507,14
Eidem felicissimum est, quod præstantissimos viros parentes possit facere suos. 506,11
Illi Iesus salutaris. 434,3
Illustriori, & fortiori tentationes Deus propinat. 603,1

Homi

Homines ad bonam frugem trahunt, creaturarum ruinæ. 625,5
Eos vt cupit perdere diabolus. 405,4
Hominum conditio lacrymas ciet. 608,11

Honor, Honorabilis.

Honor Dei ex vilitate præsepij. 80,5
Honorabiles sunt Deo qui compatiuntur. 298,3

Hospitalitas.

Hospitalitate officiosa qualiter Deus vtatur ad debellenda humana corda. 463,9

Hostis.

Hostis respiciendus qua patre amorem concilier. 182,6.324,4
Hostis ante omnia repellendus. 139,10
Hostes pariter amandi à Christiano. 228,9
Occulti palam trahendi, si vinci debent. 120,3
Hostis ipse Christi Domini facinora testatur. 420,1
Hostium vires non respiciendæ, sed eorum infirmitates. 615,13

Humanum.

Humana temeritas etiam in diuinam faciem auderet. 227,7
Humanissimum est pro aliis pericula subire. 664,40

Humilis, Humilitas.

Humilis seruitus quàm Deo grata. 48,55
Humilitas ea amplectenda, qua cæteros quosque vt dominos reuereamur. 66,9
Nulli etiam vilissimo se præferat. 242,23
Humilitas compendium est ad virtutes. 186,14
Exaltat suos. 188,19
Illuminat mentem. 191,24
Humilitas è Dei fauoribus. 190,23
Humilitas Deum ipsum extollit. 288,4
Humilitas compendium salutis. 186,14
Humilitas potentissima in Iesu. 277,11
Humilitas vt Deum facit gloriosiorem. 277,9
Humilitas proprium Dei facinus.
Radices agat in corde eius, qui velit Deum solicitare. 269,24
Ipsa, & fides vbique regenerat & parturit Abrahamides. 506,12
Omnia hominis decora confirmat. 526,6
Securè peruenit ad regem diuinum. 613,10
In Dei conspectum inclinat. 551,7
Amorem Dei adauget. 400,33
Sanctorum patrocinium acquirit. Etiam leones frangit. ibid.
Aereàs potestates detriumphat. 408,9
Nescit esse, nisi cum ingenti diaboli ruina. ibid.
Animum firmat. 417,9
Est Angelorum gentilitium. ibid.
Humilitas maior sequatur maiora crimina. Ab illa genus diuinum. 613.10
Humilitatis Christianæ locus. 411,17.& 18
Humilitatis puluis Dei imaginem repræsentat. 656,1

I

Iacob.

IAcobi prælia celebrata in Ecclesia Christi cur? 151,2
Iacobus doctrina & præliis clarus. 151,2
Iacobus Princeps militiæ. ibid.

Ieiunium.

Ieiunij bona. 136,4
Ieiunium virtutum custos. 447,15

Iesus.

Iesu absentia etiam dæmonibus amara.
Iesus vt fabri filius perquam vtilis nobis. 9,3
Iesus Angelorum saluator. 11,3
Pudicitiæ munimentum. 40,34
Cohiberi non potest à salute causanda. 97,6
In Marianis manibus, vt se auxit. 65,5
Vt se hominum declarauit patrem. 820,9
Vt homines tutatur. 83,14
Iesus voluntarios homines trahit. 90,15
Totus suauitas. 95,2
Iesu nomen inter sanguines effusos claret. ibid.
Alas indidit Deo, vt in nostram salutem aduolet. 96,3
Omnibus linguis celebratum, omnibus vtile. ibid.4
Ab vniuersis creaturis vt honoratur. 97,5
Facit obedientes. 99,1
Efficaciam præber in hostes. ibid.2
Ditat suos. ibid.3
Tolerantiam & augmentum præbet suis. 100,5
Iesu bona per luctam. 97,7
Iesus claruit homines per apertos cœlorum muros inducens. 98,8
Præliorum domitor, & triumphator. ibid.9
Proprium figmentum restaurat. ibid,10
Verus horoscopus erga homines. 110,7
Vt suos glorificat. 113,28
Iesus solus veram consolationem affert. 115,1
Iesus solus, vt nullum Deo laborem intulit. 163,29
Semper impugnat malos. 118,7
A veris senibus facile inuenitur. ibid.9
Iesus amat esse vbi patientiæ occasiones. 124,13
Iesu pressura est, quod eius non participemus gratiam. 220,10
Iesus parentes terrenos obliuiscitur præ animarum amore. 128,10
Iesus etiam male susceptus, vt in bonum inclinat. 140,13
Vnicè amandus & sequendus. 166,37
Solus verus Rex. 171,9
Iesu manibus tutus, & securus homo. 222,17
Similiter qui in eo fundatur. 167,2
Iesu aspectus diuinitatis odorem halabat. 228,11
Iesus capitur amicitiæ illiec. 224,12
Horatia putat tormenta propter homines. 180,2
Apud Caypham, vt canescit. 230,16
Eius dolor acuebatur ex illis: Prophetiza, &c. ibid.17
Festiniot ad mortem, quam ipsa patabatur. 180,1
Iesu absentia durissima amatori. 232,24
Iesus quam vili pretio potest haberi. 234,2
Iesus vt homo rimendus. 248,40
Solus ante mortem canere potest victorias. 251,8
Promptior sanguinem fudit, quàm inimici exquirebant. 274,2
Iesus breui & alieno loco teneri non potest. 284,13
Eum mortuum impij reuerentur. 274,1
In sepulchro quiescens diaboli regnum populatur. 277,9
Iesu præsentia omnia virent. 289,6
Iesus rediuiuus totus vitam exhalat hominibus. ibid.7
Hominum genus in primæuæ natiuitatis decus reparauit. 296,13
Iesus vt peccatoribus adest. ibid.14
Ægrè à suis euellitur. 33,7
Iesus super aquam. 306,5
Iesu gloria in Ascensione maxima. 315,14
Iesus peccatoribus proteruis sola signa iræ ostendit. 674,10
Iesus est bellorum princeps. 650,9
Mortem sibi notam amplectitur intrepidè. 660,1
Iesus facile mittit gratiam suam in subiectum aptum. 550,5
Non est sine Maria matre. 571,1
Post se alia creaturarum sequi vestigia prohibet. 333,4
Vel leuissima obsequia acceptat. 334,5
Fugat dolos, & diaboli artes perdit. 346,7
Labores mea causa susceptos pro quiete habet. 351,3
Nihil à nobis accipit, nisi emptum. 357,16
Nobis propitius ex cognatione naturæ. 379,3
Pro vno homine impenderet, quod pro omnibus. 358,18
Secularia negotia facit abiurare. 415,4
Semper dæmonio exitialis homini salutaris. 434,1
Pro vniuersis armis aduersus diabolum. 435,3
Vniuersas fugat præsentias mali. 336,4
Cum abest, væ illi qui incidit in manus diaboli. ibid.5
In omnibus aspiciendus. 445,10
Nullum reputat triumphum, nisi vbi munera largitur. 446,14
Homines cicurat, & mollefacit. 479,1
Vbique modestissimus, & vanæ gloriæ osor. 484,11
Cui deest, omnia desunt. 495,20
Vel vnius perditione sic afficitur, ac si omnes perirent. 501,2
Peccatores securos reddit. 503,4
Superat laudibus laudatores suos. 505,10
Arbor vitæ, cum frangitur dulcior. 510,1
In Ecclesia inuentus salutaris. 517,4
Facit aquas parturire Dei filios. 518,6
Breuissimè salutem operatur. 529,14
Nullis parcit impensis pro hominum salute. 539,1
Rex noster nos omnes reges facit. 540,2
Siue in ascensu, siue in descensu, suis adest. 613,9
Festinissimus in benefaciendo. 616,16
A Iudæis nunquam videbatur, nisi lethalis. 623,15
Ab omnibus filius habendus. 627,5
Nequit expelli à corde diligentium. 643,8
Iesu mundities summa. 508,3
Eius humanitas misericordiam persuadet. 516,2
Eius nomen fœdas aufugit linguas. 530,15
Eius nomen, qui præfert, & passiones imitatur, immortales obtinet palmas. 444,9
Eius vel halitus sufficit ad hominum vitam reparandam. 676,41
Iesu bona importabilia. 149,13
Eius doctrina qualis. 365,32.& seq.
Eius vel minimus radius potest omnes ad se rapere. 387,7
Eius nomen efficacissimus hamus ad trahendum. ibid.9
Iesus omnium bonorum iactura emendus. 667,16

Eius affeclæ soli potentissimi. 668,17
Iesum qui videt, nequit immorari nequitiæ. 408,9
Iesum quod sequamur diuinæ gratiæ adscribendum. 381,9
Iesum diabolus ipse cognoscit. 452,4
Illum percipit, qui plus amori, quam scientiæ dat operam. 453,7
Eum vt in mortem ire vident creaturæ, se morti tradunt. 465,14
Eum qui secum habet securus. 608,11
ab illo nemo discedat vacuus. 496,51
Difficile ab eodem separabitur. 609,1
à Iesu pericula suscepta amplectenda. 465,15
à Iesu venit quauis nostra virtus, aut medioeris, aut sublimis. 629,1

Iesuita.

Iesuitæ à fol. 99, 1. & deinceps.
Iesuitæ voluntatij in lege. 90,16

D. Ignatius.

Ignatius Iesuitarum fundator, à fol. 101, 41. & deinceps.

Ignobilitas.

Ignobilitas in Prælatis, & Præfectis, vt damnosa. 44,44

Ignorantia.

Ignorantia humana nihil gloriosum parat. 659,7

Illecebra.

Illecebræ persequendæ in eminentioribus. 387,5

Imitatio.

Imitatio Dominicæ Passionis quam efficax. 298,2
Imitatio passionis Iesu gloriosa. 444,9

Immortalitas.

Immortalitas dos est virginitatis. 452,9

Impedimentum.

Impedimenta qui ponit Deum sequentibus cito perihit. 659,8
Impedimenta dimittenda vt Deum sequamur. 341,54

Impius.

Impius totus est in dissimulandis peccatis. 442,4
Impios possessores fugiunt bona. 579,1

Impudentia.

Impudentia auarorum quanta. 566,2

Impudicitia.

Impudicitia idololatriæ, errorisque comes. 29,5

Impunitas.

Impunitas peccatorum pessima. 284,9
Impunitas peccatorum timenda. 647,1

Incertitudo.

Incertitudo summa vitæ humanæ non sinit conuersionem tardare. 378,7

Incorruptio.

Incorruptio & integritas post mortem solis castis. 46,48

Indigentia.

Indigentia nostra, vt trahit Deum. 573,9

Indumentum.

Indumentum nostrum sit Christus. 543,57

Inæqualitas.

Inæqualitatem mercedis Deus non causat. 397,26

Infamia.

Infamia comes peccati. 474,36

Infans.

Infans Iesus se hominum declarauit patrem. 95,9
Infantiæ ludi viriles ætatis mores præsignant. 110,8
Infantium singularis tutela ex Angelis. 489,6
Infantilis ætas omnia parentibus attribuit. 443,7

Infernus.

Infernus quam terribilis. 431,12

Infirmus.

Infirmiores solent in rebus paruis superare fortiores. 564,6
Infirmitas humana non potest capere diuinitatem. 569,8

Inhumanus.

Inhumanitas etiam religioni iuncta Deo odibilis. 555,4

Inimicus.

Inimicis qui parcit, Deum agit. 5,6
Inimicis parcere quasi ex iustitia tenetur Christianus. ibid.
Inimicis benefaciens eos expugnat. 105,5
Laureolam acquirit martyrij. ibid.
Inimicorum amor decorat martyrium. 260,5
Facit homines filios Dei. ibid. 3
à Christo Domino persuadetur. 259,1
Inimicus honoratis titulis vocandus. 261,4
Inimicis benefacere regium est. ibid. 6
Eos sic deuinces. 259,2
Inimicorum mala dolere charitatis triumphus. 642,8

Iniuria.

Iniuriæ illatæ non statim plectendæ, sed da locum iræ. 586,16
Iniuriam facere cessat, qui Iesu impletur. 346,7

Iniustitia.

Diabolo propria, & quotidiana. 429,6

Innocentia.

Innocentes pueri, vt præcurrant ante ipsum Christum. 121,6
Innocentia inter hostes secura. 242,52
Innocentia stabilit reges. 331,1
Probatus Sanctorum societate. 396,55
Etiam reprehendenda est, ne labatur. 575,12
Innocentiæ status etiam inter escas cœlum intuendum dabat. 486,2
Innocentia nunquam patitur mundi iras. 645,7

Inopia.

Inopia citius habet Iesum, quam copia. 573,7

Institutio.

Institutio magistrorum superat parentis curam. 443,2

Intercessor.

Intercessorem apud Deum non habere miserrimum est. 471,28

Inuocatio.

Inuocare Deum qui non potest miser. 437,6

Inuentor.

Inuentoribus vitiorum & virtutum pœna & præmia. 25,4

Inuidia.

Inuidiæ malum. 556,7
Inuidus nullas virtutes aliorum percipit. 561,7
Perimitur aliorum bonis. 630,2

Ioannes Bapt. & Euang.

Ioannes Bapt. pro castitate tuenda pugnacissimus. 54,15
Vt festinauit ad Christum. 130,1
Eremum petit, vt paret Christo viam. 131,2
Ioannis Bapt. morte vt honoratur Christus. 531,6
Ioannes Euang. silentium posuit prophanis. 155,3
Beatior in sinu Christi quam in sede Regni. ibid.
Se filium Dei ostendebat. 511,1
Ex Mariana tutela quid? 552,8
Vt præstantissimus præsul. 309,11
Illius super omnes lucra. 266,17
Tormentis superior mansit. ibid. 18
Vt à Maria matre, matrissauit. 267,20

Ioseph.

Ioseph Mariæ sponsus. Pater Iesu. 1,8
Iosephi Christi patris laus. 106,38

Ira.

Ira Dei quando in vnum desæuit, etiam propinquos solet pertransire. 153,10
Iræ locus dandus. 284,15
Ira Dei sedatur operibus misericordiæ. 555,5
Ne excandescat in nos respicit humanam fragilitatem. Solet à Deo interrumpi, vt det misericordiæ locum. 189,55
Cohibetur ab eo, qui magna contempsit. 603,2
Exardescit in Ecclesiasticos auaros. 617,3
Ira Dei est omnia inferri simul supplicia. 640,3
Ira compotatorum ob res leuissimas. 567,5

Iudæus.

Iudæi perfidi ignibus dandi. 577,17
In Iesu solum vident exitium suum. 623,15

Iudas.

Iudas à nulla creatura alia interficitur, & cur? 251,13

Iudex.

Iudex reorum facinora minime prædicet. 4,3
Iudex mansuetudinem præferat ante rigorem. ibid. 4
Iudicis rigorem emolliunt, qui Deum sub miti specie videre assuescunt. 113,17
Iudex beneficiis trahat subditos ad bonam frugem. 557,8
Sit impeccabilis. 558,10
Non pretio, sed gratis faciendus. 619,7
Iudex & sacerdos simul, non bene conueniunt. 448,1
Ante rigorem præmittat benignitatem. 352,6
Sit nobilis. 348,11
Non nimis hæreat literali legum sono. 355,12
Iudex extraneus cauendus. 661,5
Ne respiciat personas. 669,20

Iudicium.

Iudicium horrendum ex Iudice damnante. 179,8
Iudicium seuerum ab ascendente Iesu nobis indicitur. 314,10
Iudicium timendum ex beneficiis acceptis. 37,56
Iudicij timore leuantur iusti ab Iesu ascendente. 315,14
Iudicij extremi memoria quam efficax. 228,12
Iudicium cum misericordi non fiet. 556,6
Iudicium nudam facti veritatem respiciat. 530,16
Iudicium Dei præuenire tota peccatoris felicitas. 601,11
Extremum solum timendum. 643,10

Iustitia.

Iustitia diuina, vt in parcendo consistit. 255,17

Iustitia

Iustitia dat pecunias principibus,non exactiones. 583,12
Diuina in inferendis suppliciis solet ab externis incipere. 432,14
Amat occultari. 332,3
Fugietur ab his, qui prius peccata in se animaduerterit. 601,11
Iustitiæ humanæ sine Iesu pro peccatis habentur. 445,10

Iustus.

Iustus de se solo timet,quod indicium est firmitatis. 177,4
Nullis tenetur vinculis. 101,2
Sibi caueat cum Regnum percutitur peccati. 222,16
Iusto viro omnia etiam contraria famulantur. 178,6
Iustorum ærumnæ potiores,quam Tyrannorum gloriæ. ibid.7
Iustorum casus & ruina quid? 215,9
Iustorum somnus,& quies. 277.9,& 10
Iustus à virga liber. 580,5
Post mortem elatior. 536,2
Non erubescit innatam vilitatem. 528,11
Celet iustitias suas. 523,8
Se ab impiorum motibus maxime secernat. 428,4
A diabolo,& mundo bene noscitur. ibid.
Præfert vnitatem. 422,3
Iusti & peccatoris discrimen quod. ibid.
Iusti bona expectatio, & sufferentia duplicia bona parturit. 407,8
Eius sepulchra instar hortorum geminantia. 522,4
Eius labores fructuosi. 406,7
Iusti timeant in peccatoris vindicta. 653,5
Iustis viris omnia cooperantur in bonum, etiam peccata. 502,3
Illis vita hæc odiosa. 471,29
In morte securi,& protecti. 676,13

Iuuenis.

Iuuenum excessus sæpissime diuitias præferunt maturioris ætatis. 401,34
Iuuenibus expedit videre inter quos incipiant. 338,15

Iuuencula.

Iuuencularum famulatus dedecet Ecclesiasticum. 547,8

L

Labores.

Labor necessarius ad vitæ subsidia non omittendus prætextu deuotionis. 50,5
Labores potius quam stellæ auspicatam faciunt hominum genesim. 95,7
Labores vt Christianam infantiam alant & nutriant. 120,5
Labores qua parte sunt à Deo,ideo amabiles. 138,7
Labores pro Christo,dantur præmij loco. 153,4
Vt appetendi. ibid.
Labores iustorum potiores quam Tyrannorum gloriæ. 178,7
Labores & ærumnæ tutissima omnium prædia sunt. 216,1.294,9
Humiliter & reuerenter excipiendi. 218,5
Labores ne festines exeutere. 258,24
Labores secure ferunt ad Paradisum. 264,12
Laborum matutina tolerantia humanum animum in mortem armat. 131,3
Laborantes oculis spectantium recreantur. 257,22
Laborare vt à Deo deficias,omnium miserabilissimum. 162,16
Laborandum est vt Christi lucrum faciamus. ibid.17
Laboriosa vita eligenda. 246,35
Labores,& ærumnæ nos in Deo transferunt. 545,4
Constituunt dies hominis. 595,4
Leuantur Christi passi exemplo. 371,44
Miserè,& seruiliter ad Deum ferunt. 405,4
Fugiendi si fructum spiritualem non afferunt. 406,7
Amplectendi,vt in superna prouehamur. 403,38
Ducunt ad Christum. 415,5
Chari sint,qui vtilitatem afferunt. 465,15
Qui in hac vita maximi, in altera minimi videbuntur. 485,13
Vehementiores iudices sunt vicinæ liberationis. 611,5
Diuisim,& paulatim accedunt, illorum præmia non sic. 493,15
Sequuntur diuina beneficia.
Labores nostra causa susceptos pro quiete habet Iesus. 351,3
Eos nostris viribus Deus commensurat. 370,41
Ad illos magnates Christianæ disciplinæ trahuntur. 603,1
Eos auidius homines arripiunt, dum minus illos vident. 614,12
Laborum lucra,qui nesciunt facere,priuantur illis. 491,12
Laborum dies integri,& completi apud Deum. 492,13
Eorum tolerantia efficacissima ad humana corda trahenda. 353,7
Laboribus ditantur Dei amasij. 459,2
Ex illis quidquid habes,id solum te habere puta. 492,14
Illis insudans,& confractus dulcis aliis fit. 510,1
Vide *Tentationes,Tribulationes*.

Lacryma.

Lacrymæ Iesu Paradisum propinant. 83,12
Lacrymæ citissimè & certissimè Deum inueniunt. 127,9
Vt hominem tutantur. 216,1
Lacrymæ amorem Dei fouent,firmant. 233,16
Lacryma humilis compendium salutis. 187,15
Lacrymæ Spiritum sanctum trahunt. 317,2
Lacrymæ Iesu supplicium leniunt. 648,4
Lacrymæ animarum deprædatrices sunt. 393,15
Ex à peccatore primum eliciuntur ad conspectum Christi. 394,18
Prius nostras,deinde aliorum maculas abluant. ibid.
In fœminis suspectæ inanitatis. 456,7
Peccatum prorsus obliterant,quasi non fuisset. 462,7
Religiosæ pro mortuis. 466,16
Propriæ tuæ valde apud Deum valent. 470,27
Robotant,& confirmant salutem. 496,23.560,4
Veram pulchritudinem efficiunt. 521,8
Impetrant veniam. 560,4
Per se solas apud Deum. 594,2
Illas solus Deus absterget. 456,6
Reparat hominem in vitam. 472,30
Lacrymæ ex rerum humanarum conditione. 647,2
Lacrymæ Christi triumphant charitate. 648,3

Læsio.

Lædere nescit,qui Deo impletur. 33,7

Lætitia.

Lætitia vera ex Iesu quæ? 301,10
Lætitia famulantis maxima apud Deum commendat obsequia. 418,12
Mundialis vltra diem non potest sustineri. 606,1
In malis à solo Deo venit. 456,6

Lapsus.

Lapsus aliorum quorumcumque nobis lugendi. 237,10
Lapsus ille non inglorius qui in arena est. 230,18
Lapsis à culmine hominibus vnus Deus fauet. 269,26

Largitio.

Largitiones nostræ paruæ perennem ex Deo affluentiam acquirunt. 359,19
Largitiones hominum è mortis vena prosiliunt. 360,21

Lasciuia.

Lasciuiæ macula multis indiget,vt tollatur. 391,14
Deo fœdissima est. 388,6
In personis nobilibus acrius castiganda. 387,3
In nobili persona inficit totam vrbem. 353,8
Quam patet hostilibus incursibus. 432,13
Semper desæuit in Christum. 675,12

Latus.

Lateris apertio purant misericordiam propinat. 274,3

Laus.

Laus propria timenda. 37,25
Laus summa viri quæ. 537,5
Laus vera in solis virtutum facinoribus. 480,3
Laus fœminæ,cui Deus subdat virum. 460,5
Laus Dei ex obedientia creaturarum. 562,8
Laudabilia ne tibi soli adscribas. 389,7
Laudatores nostri in laudum retributione superandi. 505,10

Lectio.

Lectio sacra efficax. 293,5
Lectio sacra vtilis. 296,15

Leuamen.

Leuamen decet sanctos viros laborantes. 176,8
Leuissima etiam obsequia Deo accepta. 334,5

Lex.

Leges seueritatis ad omnes æqualiter. 510,1
Legum communium obseruantia præstantissima. 66,10
Lex Christi suos leuat. 381,10
Legis obseruantia, nec minima prætermittenda prætextu vanæ gloriæ fugiendæ. 510,7
Legis diuinæ adimpletio non dimidianda. 625,5
Legum sono literali non nimis hærendum. 355,12
Vltra legum præscripta operetur Christianus. 332,3

Liberalis.

Liberalis,& facilis est Deus recte petentibus. 336,11

Lingua.

Lingua bona indicium diuinæ filiationis. 243,38
Linguæ bona & diuitiæ. 312,5
Lingua Deum sonans quam efficax. ibid.
Lingua bona Dei fœtus est. 560,5
Mala sæuior in Iesum,quam cætera tormenta. 561,7
Maximè obest saluti. ibid.6.
Lingua bona ex silentio nascitur. 562,9
Eius labes plena contagio. 385,17
Semel malæ nunquam credendum salutis negotium. 424,8
Lingua inhabitantis Dei indicium. 438,9
A bona splendor,& lux oritur. 521,2

Fœdum

Fœdum Iesu nomen aufugit. 530,15
A lingua humana caueat,qui errare nolit. 636,10

Locus.

Locus damnatis deputatus,quam horribilis. 431,12
Locus infimus in honoribus,& ignominiis eligendus. 390,10
Locus in quo Deus semel accepit ingens aliquod seruitium,multum prodest ad ipsum alliciendum. 361,25
Locus ipse concipit sanctitaté ex virtutibus ibi exercitis. 417,10

Longanimitas.

Longanimitas euidens diuinæ omnipotentiæ signum. 443,5

Lucrum.

Lucrum homines trahit ad Deum. 580,4
Lucri amor,& Christus non conueniunt,sed se mutuo excludunt. 602,14
Lucrum,& fraus simul. 347,8
Lucris operam dantes Ecclesiastici Dei iram caueant. 618,4
Lucris mundialibus hoc est flagellum, quod festinè è manibus elabantur. 619,6

Luctus.

Luctus pro mortuis religiosus. 466,16

Lux.

Lux diuina ad altiora impellit. 396,22
Lux post tenebras. 489,8

Luxuria.

Vide *Impudicitia*,& *Lasciuia*.

M

Macula.

Macula luxuriæ multis indiget,vt tollatur. 392,14

Magdalena.

Magdalenæ fortitudo qualis. 265,15

Magister.

Magister perfectus qui? 191,26
Magistri spiritales cauti in condescensu. 148,2
Magistris superiores discipuli. 106,14
Magister prius in se exerceat,quod docet. 584,14
Magistrorum disciplina patentum in filios curas superat. 578,10
A magistro diuino corporalia non petenda. 512,4
In multis magistris suspecta auditio fidei. 334,5

Magistratus.

Magistratus sæcularis,& sacerdotiū non bene conueniunt. 448,1

Magnus.

Magnus Filius Dei ostenditur ex vtero Mariæ. 40,35

Malum.

Malorum præmeditatio vtilis. 68,1
Mala à peccatis orta noscere vtile. 264,11
Malum quod reparari potest non graue. 463,9
Malum non tam festinat ad nos, quod non à Dei amore præueniatur. 461,6
Non censetur tale,quod cito repellitur. 462,7
Nullum accidere potest,nisi ex Dei permissione. 463,11
Malum citius inuenit maiores. 652,1
Mala quæ salutem afferunt chara nobis sint. 465,14
Ob Christum sumpta efficaciora ad trahendum homines, quàm bona sæcularia. 432,14
Aliqua solent præuenire peccatum. 525,3
Seruis Dei opitulantur. 525,5
Quo citiùs finienda magis ingrauescunt. 611,5
Imminentia non nimis consideranda. 614,12
Maiora oriri solent à virtutum excessibus. 343,28
Mala reproborum paruis rebus depelli potuissent. 334,5
Omnia pelluntur vbi Deus sanat. 437,8
Mala vniuersa audent in exleges. 645,12

Malitia.

Malitia cordis non potest non euulgari. 179,10
Malitia peccati manifestata fugit. 545,5

Mandatum.

Mandata noua & particularia non tradantur,nisi præmissa ratione. 47,52

Mansuetudo.

Mansuetudo vt Deo contingit ex Maria. 21,8
Mansuetudo in gubernatore efficax ad trahendos homines. 172,12
Mansuetudo & humanitas,vt deceant Prælatos. 79,2
Mansuetudo ante rigorem in prælatis. 4,4
Mansuetudo cum seueritate miscenda à prælatis. 324,5

Manus.

Manus assuetę benefacere,quasi nō possunt nō benefacere. 359,20
Manus creatoris in nobis non potest occultari. 449,4
Diuina semel extenta nescit contrahi,donec tutos nos faciat. 616,15.
Vbi per se vulnera infligit,simul imprimit tolerantiā. 622,14
Adeò est assueta benefacere,vt nesciat ad virgam ire, indeque iudicium tardat. 363,27

Manus diuina grauissima ad vexandum. 645,13

Maria V.

Maria Virgo,lib.1.per totum,à c.4.
Maria Virgo originali peccato aduersaria. 52,8
Prima resurgentem Dominum vidit. 287,1
Eius sollicitudo integra nobis datur à Iesu ascendente. 314,9
Maria Virgo quasi obligat Deum, ne ab hominis salute supersedeat.468,22.Benedicta arbor ab ipso conceptu suo fructus attulit.624,4. Sine originali defectu. 574,11.624,4
Non sufficienter honorata esset sine Iesu filio. 571,4
Mariæ pulchritudo. 350,1
Maria dissimulat filij mysteria,vt nobis prospiciat. 598,3
Marianum lac felles Christi Domini saporauit. 270,29

Martyr.

Martyres filij Dei non habent patrem in terris. 121,7
Martyrum sanguis tyrannos extinguit. 122,9
Martyrū fortitudo fœminea cū Iesu fortitudine cōparata. 266,16
Martyrum sanguis fœcundissimus. 633,2
Eorum virtutem manifestat patientia. 835,7

Mater.

Matris disciplina salutaris adolescentibus. 458,10
Matris impatientia in promouendis filiis. 666,13
Materna gentilitia æstimat Deus. 42,40

Matrimonium.

Matrimonium fœcundum ex castitate. 570,1
Confert saluti. 536,3. Illustratur ex virginitate. 537,4
Tribulationibus plenum. 573,8

Matthæus.

Matthæus cur facie hominis. 85,2

Mediocritas.

Mediocritas non decet perfectum virum. 270,30

Meditatio.

Meditatio antecedat opus. 38,27
Meditatio antecedens pericula salutaris. 143,19
Meditatio adhibenda est,vt iustitiam obtineas. 543,10
Meditatio mortis. 453,2
Mortis meditatio fidelissimus comes. 478,44

Memoria.

Memoria natiuæ vilitatis vtilissima Prælatis. 307,7

Mensa.

Mensa Christi fugat ebrietates. 566,3

Merces.

Mercedis inæqualitas non à Deo prouenit,sed à nobis. 397,26

Meritum.

Merita nostra à Deo obtinent. 444,8
Meritis aliorum ita fidendum vt & propria habeamus. 470,27

Metus.

Metus abest à castis. 40,33
Metus constantis viri qui? 297,1
Metus religiosus virtutes custodit. 440,1
Vide *Timor*.

Minimum.

Minima,& abiecta amplexari Christianitatis signum maximum. 603,2

Minister.

Ministri Euangelici concordes. 159,20
Ministri Iesu qui sciunt humiliari,vt prosint. 47,53
Ministrorum suorum authoritati,vt Deus consulat. 302,12
Ministri Euangelici sollicitudo digna de temporalibus Reipub. malis reparandis. 409,11

Miraculum.

Miracula Christi Domini,vt manifestatiua diuinitatis. 149,5
A Magorum prodigiis vt diuersa. 149,4
Miracula plus illustrant Christum Dominum quàm obscurat passio. 293,5
Miracula nulla maiora,quàm conuersiones peccatorum. 483,9

Misericordia.

Miserationis affectus validissimus. 68,3
Misericordia & inclinatio Dei ad homines ex præsepio. 79,2
Misericordiæ puræ vena ex lateris apertione. 274,3
Misericordia in pauperes vt necessaria ad alias virtutes. 174,15
Misericordia diuina facilis erga sectatores suos. 594,3
Erga multitudinem. 594,1
Habet lynceos oculos,ad videnda miserendi motiua. 582,8
Excedit in remediis peccata. 559,3
Sollicitatur vnione proximorum. 608,12
Coarctatur à creaturis. 521,3
Effusa vicinos pertingit. 520,1
Præparatur rigore. 472,32
Præuenit rigorem. ibid.31
Promptissimè prosilit ad afflictos. 455,5
Obtinetur à multitudine pœnitentium. 594,1
Æque facilis ad plura,ac ad pauciora. 397,25
Tunc solet homines vocare,cùm impedimenta nulla. 375,2
In ipsis verberibus agnoscitur. 348,10

Promptior ad illum, qui lapſus fuit ſuo muneri incumbens. 615,14
Miſericordiam docet quidquid Dei eſt. 385,17
Illam etiam docent anni multi. 383,13
Miſericordiæ magnæ, & raræ facinus non publicandum populariter. 453,11
Illam etiam ex Deo ſeueriſſimo obtinet ſola Ieſu humanitas. 565,11
Miſericordia in pauperes Chriſti ſponſa. 354,9

Miſericors.

Miſericors vir propheret occiſum eſt, & diuinet neceſſitates, &c. 531,18
Lenit Deum, etiam iratum. 537,4.555,5
Chriſti ſponſa. 354,9

Modeſtia.

Modeſtia exterior. 564,5

Monaſterium.

Monaſteriorum erectio Deo gratiſſimum opus. 486,1

Mora.

Mora in negotianda ſalute periculoſa. 264,13

Mors.

Mors virtutis præmium. 72,8
Poſt Chriſtum ab omnibus ſumitur. 272,35.72,2
A Chriſti aduentu dulcis & matura. 116,4
Eſt peccatoribus beneficium. 224,7
Intrepidè ſubeunda, vt vincatur. 156,12
Præ oculis habenda etiam inter ipſa gaudia. 160,21
Ad peccatores feſtinat. 286,20
A Cruce Domini amabilis. 273,35
Mortis memoria vt efficax. 181,4
Mortis tempore cura, quod Ieſus adſit. 295,11
Mortis vincula nulla à Dominica Reſurrectione. 283,7
Eius horror ibi vacuatus. 284,14
Vt expetenda mors à Domini Reſurrectione. 281,6
Mors Chriſti nulli non vtilis. 276,6
Mors Dei beneficium. 646,25
Mors in Dei ſeruis facit lucere virtutes. 635,8
Reuelat, quod habuerit homo in vita. 536,2
Mors meditata fideliſſimus comes, & dux. 478,44
Leuatur memoria reſurrectionis. 467,19
Mors impij flenda. 467,18
Mors noſtra agnoſcenda in aliorum interitu. 466,17
Ante oculos obuerſetur. 454,2
Nec minimam patitur morulam. 378,7
In morte amicorum paremus nos ad eandem viam. 512,5
In mortis periculo prius ad Deum, quam ad bonorum diſpoſitionem. 378,7
In mortem ire ſine patronis ſanctis, miſerrimum. 471,28
Ad mortem accedere ante factam pœnitentiam periculoſiſſimum eſt. Mortē qui vincere cupit, vt mortuos viuat. 477,42
In mortis periculo ſtultiſſimum eſt de alio cogitare, quam de futuro iudicio. 540,1
In morte filiorum, æſtimandus Dei patris dolor in Ieſu morte. 454,3
Mors Chriſti Domini efficax, vt nos excitet in vitam. 384,15
Mors iuſtorum ſecura. 676,13

Mortui.

Mortui vt lugendi. 466,16
De eorum exequiis. ibid.2
Mortui ſeculo præclarum vitæ exhibent fundamentum. 413,19
Mortuorum fidelium animæ apud ſepulchra ſui cadaueris aliquando degere ſolent. 475,38
Eorū onera poſſumus tollere, eoſque iuuare dum viuimus. ib.
Moribundi bona ſua expendant in animæ ſalutem. 235,7
Meminerint Deum & Patrem, & Iudicem. 271,32

Mortificatio.

Mortificatio duplex, interna, & externa. 604,4
Mortificatio vtilis caſtis. 51,11
Cruce Domini amabilis. 273,36

Mos.

Mores impiorum fugiendi. 295,20
Mores degeneres depellunt ſanctorum patrocinium.
Mores priſtinæ non exuendi, dummodo in bonum conuertantur. 391,12
Mali mores à diuina gratia condiuntur, & ſaporantur. 382,10
Mores alicuius regionis dum laudabiles ſunt, ſeruandi. 540,3

Mulier.

Mulieres nunquam non timendæ. 226,9
Mulier præſentiſſimum virus. 452,10. Tunc bene ornata, cum vel mendaci ſuſpicioni aditum occludit. 452,7
Mulieris officioſum obſequium, etiam hoſtes delinit. 462,8
Cum illis auſtera verba fiant. 367,36
Propter mulieribus exhibenda donaria perditur populi. 456,7

Multitudo.

Multitudo accedentium ad Deum ſingulis prodeſt. 302,4
Multitudo facile miſericordiam obtinet. 594,8. Popularis nunquam non à Deo ſeparat. 415,5. vbi eſt, ibi peccatum.
Multitudo peccantium iuuat ad veniam, ſi adſit pœnitentia.

Mundities.

Mundities Chriſtiana facilè obtinetur. 186,14

Mundus.

Mundus, & diabolus ſuos ignorant. 422,4
Mundo obdormire felicitas. Nihil mūdi intra cor recipias. 654,6
Mundialibus bonis non immorandum. 599,6
Mundus neſcit iraſci, niſi in innocentiam. 642,7
Mundi malis præripi ingens beneficium. 646,25
Mundi bona in mentis conceptu ſunt. 654,7
Supra mundum, qui aſcendit aſpera quæque amplectitur. 661,3

Munus.

Munera cita & prima vt Deum obligant. 91,18
Muneri alieno ne te inſeras. 162,25
Munus Chriſti ſemper augeri ſolet. 362,25
Munus quodlibet ex Deo acceptum maximæ æſtimationis eſt.
Munera Dei præſtantiſſima. 577,18. Non publicanda. 574,10
Non finiuntur in primæ beatitudinis viſione. 534,25
Munera vltro oblata ſuſpecta ſunt, & ideo examinanda. 360,22
Munera à Deo in nos profecta adeò magna ſunt, vt egeant nouis nominibus. 338,17
Munera diuina, & Eccleſiaſtica accipiēda ex Dei vocatione. 374,1
Illa ementes æquè diuinam incurrunt iram, ac vendentes. 619,7
Munerum diſtributio æqualis. 589,25
Munuſculis noſtris pauperi exhibitis Deus imprimit perennitatem. 359,19

Mutabilitas.

Mutabilitas fugienda. 162,25.323,3

Myſterium.

Myſteria diuina facile perſuadentur poſt expurgationem peccati. 367,35

N

Natura.

NAtura humana honoratur, & ſeruatur à Deo de Angelorum miniſterio. 489,6
Naturæ humanæ cognatio facit Ieſum propitium. 379,4

Natale.

Natalia vilia non dedignantur iuſti, etiam fauoribus diuinis electi. 528,11

Natura.

Natura diuina vt non ſufficiebat amori. 546,7

Nauis.

Nauis, pro vita humana. 597,6

Neceſſitas.

Neceſſitatibus corporalibus egeſtati, bene occurrit qui primum Deo ſeruiendo dat operam. 368,38

Negotium.

Negotium animarum periculoſum. 615,13

Nilus.

Nili inundatio, vt Saluatoris aduentum præſagit. 120,4

Nobilitas.

Nobilitas vt Deo grata & honorifica. 7,11
Nobilitas parentū, auorumque maxime gubernatorē facit. 348,11
Nobilium laſciuia, ſeuerius vlciſcenda. 187,3
Nobilis perſonæ luxuria inficit totam ciuitatem. 388,4
Nobilibus quibuſdam vaniſſimis multa, immo omnia ſolet eſſe in aliorum meritis ſpes adeò fidentibus in aliorum orationibus, & vigiliis vt nihil horum ipſi efficiant. 470,27
Nobilitatis ille ſolus verus titulus, qui nec in morte exuendus. 501,1
Nobilitari nequit, titulis dominatus, qui miſeris, & calamitoſis hominibus præficitur. 504,6

Nomen.

Nomen Ieſu, vide *Ieſu nomen.*
Nomen Mariæ fere contendit celebritate cum Dei nomine. 56,5
Nominis diuini recordatio magnum leuamen affert. 311,4
Nominis proprij appellatio ſecura. 38,29
Nominis ferendi conditio non inutilis eſſe debet. 100,4
Nomen Regum hominibus ſalutare. 348,12
Nomen Dei tutatur athletas Chriſti. 638,13
Nomen Chriſtiani operibus implendum. 641,5
Nomen Ieſu, vide *Ieſum.*

Noſtrum.

Noſtrū tantū eſt, quod ex laboribus, & ærumnis habemus. 491,14

Nouitas.

Nouitas adeò Chriſto odioſa, vt qui miracula flagitabant, quia per illa nouæ mutationes apparebant, diſplicerent. 641,5

Nouitius, Nouitiatus.

Nouitiis in principio virtutum maiores difficultates proponendæ ſunt. 343,28
Nouitiarum, & primum Religionis ingreſſum compara Baptiſmo Chriſtiano, qui homines reddit Angelos, & quaſi Angelos parturit. 490,8

Nuditas.

Nuditas.

Nuditas Christiana filios Dei facit. 186,13
Nuditas vt innocentiæ argumentum. 243,26

Nummus.

Nummi impiorum mentibus hærent. 366,33

Nupta.

Nuptæ,præter vnius viri coniugis sui vultus alios,etiam Angelicos vereantur. 364,30
Nuptæ fœminæ zelotypia mouentur. 572,6
Nuptarum voluptates plenæ tribulationibus. 573,8
Nuptæ nimis maritis suis confidunt. 575,13

Nurus.

Nurus ex concordia cum socru Deum sibi acquirit. 544,1
Nurus sapiens,& prudens ex concordia cum socru. ibid.

O

Obedientia.

Obedientia hominem facit dignum Dei oculis. 56,3
Obedientia indifferens optima pars. ibid.
Obedientiæ gradus summus qui? 119,1
Obedientia vt Deo præstanda. 220,9
 Extollit suos. 228,12
 Omnes profectus dedicat. ibid.
 Vt certa via ad cælum. 161,24. Victrix omnium. 306,3
Obedientia incolumitatis auspicium est. 119,2
Obedientiæ fructus multiplex. 369,39
Obedientia docet imperare. 599,7
Obedientia nostra. 497,24
Obedientia creaturarum Deum laudat. 562,8

Oblatio.

Oblationes nostræ paruæ,& exiguæ,perennem bonorum affluentiam ex Deo acquirunt. 359,19

Obligatio.

Obligationes qui dimidiat solum, & non eas implet omnino petit. 625,5
Obligat sese Deus eadem, immo potiora præstare, quæ à nobis petit. 358,17

Obliuio.

Obliuio Dei verecunda fidelibus. 109,6

Obsequium.

Obsequia spontanea gratissima Deo. 47,53
Obsequiis diuinis periculose se quis non vocatus ingerit. 519,8
Obsequium nullum Deo exhibebis pro quo tibi à Deo merces non veniat. 355,11
Obsequia capiunt etiam diuinissimas mentes. 462,8

Obseruantia.

Obseruantia nec minima fugienda est prætextu vanæ gloriæ fugiendæ. 510,7

Occasio.

Occasiones peccatorum fugiendæ. 123,12.232,25
Occasio salutis nulla ex casu, sed omnes ex præscripto diuino. 353,8
Occasione habita Deum sequendi, creaturarum placita minime expectanda. 333,4
Occasum,& finem gignit in cordibus nostris tactus internus, & Christi Domini Spiritus. 353,8

Oculi Dei,& nostri.

Oculi diuini instar Solis. 232,23
 Instar tegull. ibid.22
 Malitiam nostram coërcent. 229,15
 Firmitudinem conferunt. 56,4
Oculi Domini vt faciant suos laborare. 154,6
Oculi spectantium,vt laborantes recreant. 257,22
Oculos fugiat humanos,qui Deo appropiat. 155,10
 A Dei oculis maximus honos rebus creatis accrescit. 339,18
Oculorum illuminatio,& Dei sequela connexa sunt. 538,8
Oculi diuini dant homini,quod ipse referat Deum, ipsius imitator. 379,3
Oculi custodiendi. 581,6
Oculi nostri sunt innati laquei latentes,& occulti,ita vt si obiectum turpe accedat,statim quasi sopiti laquei excitentur, & misere perimus. 391,11
Oculi Dei miserentis, lyncei, vt videant miserendi motiua. 582,8

Offerendi verbum.

Offerendum Deo optimum. 353,8

Officia.

Officia publicæ præfecturæ,& munera Ecclesiæ ementes diuinam incurrunt iram. 619,7
Officia honorifica non ita appetenda,vt relicto labore, & operibus honos rantum appetatur. 336,11
Officium quodcumque ex Dei imperio, & non ex proprio sensu debet adsumi. 374,1
Officia debita non relinquenda prætextu perfectionis. 544,3
Officia,& obsequia capiunt etiam diuinas mentes. 462,8

Officiositas.

Officiositas hostem lenit. ibid.

Amorem conciliat. ibid.
Meretur Regale conuiuium. ibid.

Omnipotentia.

Omnipotentiæ Dei est stare in fide. 450,5

Opera.

Opera vt mentem illustrent. 65,6
Opera examinanda. 104,9
 A principio,vt coronantur. 44,42
Opera fiant ex meditatione. 38,27
Opera bona vt peccatorem gratiæ restituant. 297,16
Opera debita non relinquenda prætextu auxilij diuini. 410,14
 Non relinquenda prætextu perfectionis. 544,3
Opera insignia virtutis à charitate in Deum proficiscuntur. 400,32
Opera bona,salutis internæ indicium. 443,5
Opera nostra augentur, si cum aliorum operibus adunemus. 403,1
Opera plura virtutum in Ecclesiasticis. 443,6
Opera profecta à corde perfecto Deo placent. 548,2
Opera nostra respondere debent pretio pro nobis exhibito à Christo Domino. 502,3
Opera virtutis non publicanda. 642,6
Opera virtutis occultanda. 517,3
Opera parua virtutum,nos ad magna præparant. 549,4
Opera bona periculosè relinquuntur. 554,2
Opera magna virtutum,ex humilitate illustrantur. 457,8
Opera ostendentur qualia fuerint ex duratione. 632,8

Opinio.

Opinio siue præsumptio magna de Deo nequit frustrari. 54,16
Opiniones literariæ cauendæ sunt,ne illis odia & scandala generentur. 10,1

Opprobrium.

Opprobria vt sustineas,magna eges virtute. 228,10

Oratio.

Oratio grata à corde vnum Deum quærente exeat. 151
 Necessaria ad ardua virtutum facinora. 217,2
Oratio Prælati pro subditis Deo grata. ibid.3
Oratio hostibus formidanda quæ? 219,6
Oratio efficax qualiter instituenda. ibid.
Oratio attenta quantum bonum. 247,36
Orandum in abscondito qualiter? 325,7
Orationes nostræ,nunquam à Deo exeunt vacuæ. 358,18
Oratio fidelium ipsa sibi templum efficit quo Deus adoretur. 366,33
Oratio ad Deum semper pro magnis fiat. 558,1
Orationibus vacans omnem corpori ornatum fugiat. 394,17
Oratio diuinitatem Christi commendat,& exaltat. 410,15
Orationis vis,& efficacia,si operum meritis comparetur. 444,8
Orationibus aliorum ita fidendum,vt & nos ipsi præstemus,quod alios pro nobis exequi velimus. 470,27
Oratio multorum concors,efficax ad impetrandum. 512,5
Orationi qui iam proximus est ad Deum faciendæ, non longè est à salute. 535,1
Orationi efficaciam tribuunt vigiliæ. 610,2
Oratio securitatem affert in sustinendis tempestatibus. ibid.3
Orationes sanctorum omnium vulneratrices. ibid.
Orationis pium latrocinium in aperiendis cœlis. 621,11

Ordo.

Ordinis tui regulis si conformeris,rapies oculos diuinos. 513,6

Ornatus.

Ornatus & cultus corporis ne excedat possibilitatem rei familiaris. 67,11

Ossa Sanctorum.

Ossa,& reliquiæ Sanctorum Ecclesiam fulciunt. 350,2
Ossa Sanctorum habent quoddam in Eucharistia commercium. ib.

Otium.

Otium fugiendum. 50,5.305,2
Otium ab Ecclesiasticis fugiendum. 546,7

P

Palma.

Palma non otiosis, & oscitantibus, sed his, qui se cum vitiis crucifixerunt,datur. 444,9

Parentes.

Parentes cælestia bona filiis procurent. 6,9
 Scelestos filios obliuiscantur. 269,25
Parentum pia vota filij adimplent duplicato lucro. 17,9
Parentum virtutes vt crescant in filiis. ibid.
Parentibus exhibitæ obedientiæ præmia. 173,14
Parentibus qualis pietas sit exhibenda à cruce docemur. 267,19
Parentis est filiorum peccata osculis curare. 82,9
Parentes,& auunculi nihil promptius faciunt,quam impedire nobis diuina beneficia. 474,35
Parentes viros præstantissimos facere omnibus facillimum est virtutum æmulatione. 506,12
Parentes filiorum peccantium pœnis affectos Christianum est eorum incolumitatem proclamare. 404,2

Parentes in culpa sunt, quod filij prius sugant vitia quam ebibant pietatem. 443,7
Parentes in primis relinquendi illi qui se Christo sequendo tradit. 342,27
Vt filiorum incolumitati consulant. 539,1
Parentes Deo grati, qui in virtutibus habent filios comites. 663,7
Parentes dent filiis bona spiritualia, si ab illis metere temporalia volunt. 664,8
à Parentibus is degenerat, qui parentum virtutes non æmulatur. 506,12
Parentibus graue est esse causam filiis suis eorum damnationis. 532,20
à Parentibus, & omnibus creaturis deseri nihil æstimes, vbi Deo curæ es. 534,24
à Parentibus aufert Deus vnicum filium, vt debitam diuini patris affectus æstimationem habeant, qui vnicum filium pro nobis dedit. 454,3
Parentum humilium secundùm carnem natalitia non erubescunt memorate iusti, & fauoribus diuinis nutriri. 528,11
Parentum quilibet dolor pro filiis, & debitus, & religiosus, & solus miserandus. 405,3
Inter parentum errores, impietates, insanias, idololatrias habét filij vnde possint in cognitiones veritatis venire. 439,12
Parentum in filios operam superat magistrorum institutio, & disciplina. 441,2
Parentum nobilitas maxime gubernatorem facit. 348,11
Vide *Patres.*
Parentes curent, vt filij perseuerent in Dei seruitio. 665,10

Parua.

Paruis prius incumbendum vt eamus ad magna. 177,4
Paruuli vt à Deo subuentri soleant. 54,13
Paruulorum cura Iesuitis gloriosa. 169
Parui defectus non contemnendi. 189,20
Parua contemne, qui magna reliquisti. 67,12
in Paruis, & abiectis sibi placere, magna vero contemnere Christianitatis signum maximum. 603,2
Parua virtutum opera nos præparant ad magna. 549,4
Parua qui petit, degener est. 672,6

Passio.

Passio & mors, vt Deum commendat. 112,13
Passio Christi omnem eius gloriæ ambitionem in Resurrectione ostendit. 283,11
Omnium in se dolores ebibit, vt nobis inferat lætitiam. 252,9
Passio Christi ponderata. 225,5
Totum Paradisi malum extinxit. 253,11
Eius efficacia maxima. 242,24
Passio Dominica salutem ostendit per mortificationem. 300,9
Gloriosiorem fecit Christum. 295,10
Exaltationem Ascensionis effecit. 315,12
Passionis Dominicæ commemoratio Iesu præsentiam infert. 291,1
Eius imitatio quam efficax erga Deum. 298,2
Passio Christi Domini efficacissimum omnium remedium est, quo animæ fœcundentur. 351,4

Pastor.

Pastores animarum sic debent affici, vel vnius perditione, ac si omnes amittant 502,2
Pastores animarum nulli periculo parcere debent pro hominibus saluandis. 513,7
Pastores animarum etiam ad temporalia descendere debent, quando illa contempta multum obesse solent. 374,1

Pater Deus.

Patri Deo vt in abscondito orandum. 325,7
Pater Deus inuocandus vbi operosis obligatur obsequiis. 271,31

Patres.

Patres antiqui, vt mallent in inferno esse, quam Deum in Cruce tortum videre. 69,5
Patres familias filiarum adolescentularum norint omnes congressus. 451,18. Vide *Parentes.*

Patientia.

Patientiæ occasio amplectenda. 114,13
Patientia euidens diuinæ omnipotentiæ signum. 443,5
Dolorem temperat, aut abigit in malis. 616,16
Patientia martyrum manifestat virturem Christianorum. 835,7

Patria.

Patria, & cognati, affines, & amici relinquenda, qui magna à Christo velit comparare. 405,5

Patriarcha.

Patriarchæ vniuersi vilescunt ad Christi comparationem. 351,3

Patronus.

Patronos nullos habere apud Deum miserrimum est. 471,28

Paulus Apost.

Paulus Apostolus immediatè à Deo vocatur. 372,46

Paupertas, pauperes.

Paupertas Christiana primæua iustitiæ æmula. 15,13
Sequenda etiam in Regiis. 66,11
Pauperibus citò subueniri amat Dominus. 170,6
Pauperum subleuatio Christianos triumphos facit. 170,7
Eorum cura sollicitabat Dominum resurgentem. 283,12
Pauperes Christi vniuersis creaturis vtuntur pro crumena. 618,5
Illos attrahit diuinitas, vt magnes ferrum. 538,6
Illis subueniendum antequam petant. 521,3
Illis munuscula nostra parua exhibita habent ineffabilem quandam perennitatem, & affluentiam à Deo, qua nunquam deficiant. 359,19
Eorum desideria, & voluntates, qui præsaga, qui sollicitudine, & intelligentia diuinat beatus est. 531,18
Pauperum cura maior sit quam animalium. 554,3
Pauperes periculosè ieiunant, vbi canes venatici, & equi ructent saturi. ibid.
Pauperum substantia aluntur principes. 585,15
Paupertas, & diuitiæ famulantur virtuti. 448,1
Ad Christum ducit. 573,7
Paupertatis Christianæ valor. 627,4

Pax.

Pax à præsepio. 82,10
Pax Christiana belligerans. 299,6
Pacis bonum. 298,4
Pax Christiana in pugna, & bello cum vitiis consistit. 405,38
Pax interna vbi est, nihil nocent externæ pugnæ. 642,8

Peccator.

Peccator periculose degit post Christum. 252,10
Non publicandus vt corrigatur. 176,2
Festinarissimam sibi mortem facit. 213,6
Peccator flagellis non emendatus peribit. 212,15.262,7
Peccator periculose agit inter virtute conspicuos. 285,16
Peccator sibi ipsi molestior omnibus. 292,4
Peccatoris impauidi status pessimus. 179,9
Peccatores vt castigantur beneficiis diuinis. 215,4
Solus caueat à ministris iustitiæ. 628,7
Inter iustos periclitatur. 652,2
Dum conuertitur præstantius Dei facinus apparet, quam in aliis miraculis. 449,3
Non dimittat pœnitentiæ laborem dum est in via. 484,10
Non statim ad sublimia euolet, sed paulatim. 490,8
Adeò salutem negligit, vt nisi lethali morbo correptus ad illam non currat. ibid.9
Eius infelicitas, quod solus non præsentiat imminentem ruinam. 649,5
Eorum adunatio difficulter rumpitur, tamen à Iesu vincitur. 491,11
Peccatores cernere, & inter illos degere solius Dei est. 503,4
Præsentissimum remedium habent si terrenæ originis meminerint. 526,7
Felix est, qui sua præuenit sententiam iudicis. 601,11
Qui inter resistendum cecidit, misericordia dignus. 615,14
Habentes speciem virtutis magis cauendi. 356,14
Proterui in Iesu sola iræ signa vident. 367,35
Sub multitudine dominorum premuntur. 364,19
Illorum procrastinatio lethalis. 368,37
Condemnantur à creaturis. 374,50
Vbi ad Christum accedunt iam desinunt esse peccatores. 383,14
Durissimi in alios peccatores. 384,15
Traxerunt Deum in terram. 385,19
Qualiter respiciendi ne nos offendant. 370,42
Nihil prius emittunt à Iesu conspectu, quam lacrymas. 394,18
Quod peccator trahitur, summa Dei bonitas. 396,21
Ærumnas noscuntur, vt serui per notas inustas. 406,6
Peccatores diu iuxta se Deus non sustinet. 653,4
Non nisi sub flagello sapiunt. 671,4
Male torquentur dū ex tortura nullū fructum recipiunt. 406,7
Caueant dum impie viuunt gloriari de sanctorum patrocinio. 408,10. A mundo, & diabolo ignorantur. 422,3
Miseri qui in eos insurgunt, à quibus medela venit. 427,2
Intolerabiliter cæci, qui errores in se non vident, in aliis vident. 428,5
Desperati qui à Dei patientia securitatem sumunt. 429,7
Illorum multitudo pœnitentiam exhibet, trahit veniā. 430,10
Prius in externis bonis solent flagellari, vt caueant. ibid.
In virtutibus timent sibi ruinas bonorum. 432,14
Qui ex fidelibus sunt, habent plures carnifices. 676,14
Multi sunt in dissimulandis peccatis. 442,4
Peccator etiam gratiæ restitutus adhuc de pristinæ mortis infectione iacet. 446,12
Eius vita citius dilatatur à Deo, quam vita iusti. 467,18
Eius locus Deo incognitus, quia notioris. 470,16
Ex alienis laboribus sibi cœlestia vane spetat. ibid.17
Durior lapide ad Dei vocem excipiendam. 473,33
Virgæ subiacet. 580,5
Præsefert multitudinem. Peccatoribus indulgendum est aliquid, vt inde ad salutem trahantur. 384,16
Illis Deus multa permittit, sed quæ deploratam illorum ostendant salutem. 470,25
In illos diræ sunt creaturæ omnes. 470,26
Peccatori expectando assidet Deus. 351,5

Peccatum.

Peccatum nudandum. 253,12

Eius

Eius manifestatio, vt vtilis peccatori. 213,5.231,21
Peccatum non agat radices in corde. 181,8
Peccata non publicare, pertinet ad laudem peccatoris. 303,3
Peccata extraordinaria neque per reprehensionem sunt euulganda. 293,6
Ad peccata, & scelera fratrum quisque coecutiat, illa obruat, & pertranseat, virtutes amplict, & prædicet.
Peccati diuturni comes infamia. 474,36
Peccatum in aliud grauius impellit. 673,8
Peccatum nihil prius agit in homine, quam eius boni nominis æstimatores turpare, & vertere in vituperium. 474,36
Peccato carere maximum est Dei beneficium. 482,7
Peccati languor, & infirmitas ferarum in morem hominis recurrere curuabit, ne pascatur in altis.
Peccatorum medicina est, dum sinum matris Ecclesiæ non relinquit. 640,4
Peccata publica supplicium citius solicitant. 652,3
Peccatum tollendi ab anima sit laborantibus præcipua cura, ni velint omnia remedia frustrari. 494,17
Peccati labes ægrè, difficulter, nunquam sine igne tollitur, quæ verò peccati non est, facili negotio tollitur. 509,4
Peccata non qualibet eleemosyna mundantur. 509,5
Peccatum fere semper mala aliqua præueniunt. 525,3
Peccatum nox est, & tenebræ, in quo nihil operaberis salutis æternæ per se aptum. 525,4
Peccatum vbi adest, nullum opus esse potest, quod ad salutem æternam valeat: omnia opera redduntur inutilia. ibid.
Peccatum grauat, & deprimit nos. 611,4
Peccata vbi familiaria sunt præstantioribus viris, maximè fugienda. 617,2
Peccata venialia, vt cauenda. 620,9
Peccata eorum qui sub tua potestate non sunt, nullo zeli prætextu castigare velis. 625,13
Castigari debent tempore opportuno, quo maior vtilitas speretur. 631,7
Peccatum in te regnans in primis debellandum. 835,6
Peccatis expurgatis facile fidei mysteria persuadentur. 367,35
Peccatis carere omnino, non est huius temporis. 370,42
Peccati regnum corruit diuitiarum contemptu. 380,6
Peccata quæ voluptatem, & blanditias faciunt, minime ob oculos ponenda, sed fugienda sunt. 391,11
Peccata maxima præteritorum memoriam renouant vt colligentur. 671,4
Peccata, quæ pœnitens fructuose publicaueris penitus disparent, nec neuus, nec cicatrix vlla manet. 442,4
Peccatorum reparatio festina esse debet. 462,7
Peccatum lacrymis reparatum à Deo obliteratur, vt quasi nunquam extitisset, sic nihil noceat. 426,1
Propter peccata eo deuenisse, vt nullus cœlitum nostras partes agere apud Deum, miserrimum. 471,28
Peccatum manifestatum fugit. 545,5
Peccata proximorum tegenda. 557,9

Pecunia.

Pecuniarum amor absit à Christi schola. 583,11
Pecunias quærant Principes non ex tributis, sed obseruata iustitia. ibid.12
Pecuniis saltem non comparare salutem æternam turpissimum. 584,13

Peregrinus.

Peregrini in terra, tenebrarum Principes expugnant. 291,2

Perfectio.

Perfecti viri timeant paruos lapsus. 189,20
Perfectus vir, vt custoditur exercitu Angelorum. 647,28
Perfectionis culmen vt securum. 141,14
Perfectionis culmina non expectanda, nisi primis rudimentis insistatur. 334,7
Eius gradus primus parentes relinquere. 342,27
Et acquirendæ omnis nitantur. 369,40
A perfectione obtinenda, & Christo sequendo, etiam minutissima retardant, & ideo remittenda. 340,22
Eius amatores, nihil prius quam terra dimittant. 341,23
Eius in statu, & schola deficientes scelestiora audent. 621,12
Perfectionis culmina, qui tenet, nescit mediocriter errare, sed se præcipitat in scelerum barathrum. ibid.
Perfectionis prætextu non facit relinqui debita officia. 544,3

Pericula.

Pericula vt præmeditanda. 143,19
Pericula vicina sunt fauoribus. 600,9
Pericula & discrimina sunt certissima nuntia liberationis. 611,5
Pericula à Iesu suscepta, quam auide amplectenda sunt. 453,11

Persecutio.

Persecutiones ducunt ad Christum. 415,5

Perseuerantia.

Perseuerantia in opere bono. 287,2

Personarum acceptio.

Personarum acceptio fugienda maxime Principi, & regi. 413,1
Vide *Acceptio personarum.*

Petens, petitio.

Petentibus non solum subueniendum, sed petentium desideriis antequam petant. 531,18
Petentibus rectè Deus facilis, & liberalis. 336,12
Petitiones nostræ, vt à Deo audiantur intra cuiusque fortunas se contineant. 373,48
Petitiones nostræ nunquam exeunt à Deo vacuæ, vbi de earum efficacia. 358,18
Quæ Deus petit à nobis, eadem immò potiora præstare se se obligat. ibid.17
Non parce petat à Deo, qui ab eo exaudiri cupit. 373,48
Qualiter petendum à Deo, vt exaudiamur. ibid.

Petrus Apost.

Petrus Iesu absentia durissime negationem castigat. 232,24
Omnium Ecclesiarum labori præficitus. 306,4
Petri magnalia. 650,1
Petri palma amplissima. 299,6
Petri Apostoli ardens videndi Christum desiderium. 538,7
Petrus Apostolus vniuersis Ecclesiis præficitur. 601,10

Pietas.

Pietas in parentes à cruce, vt commendatur. 267,19
Nescit Dei pietas, & benignitas occultari. 332,2

Placitum.

Placito cuiusque non fingendus Deus est. 444,8

Plausus.

Plausus popularis, & verba iactantiæ fugienda. 431

Pœna.

Pœna pro peccatis accepta, vt gloriosa. 119,1.244,30
Pœna venit, qua via venit peccatum. 233,1
Pœnas à peccatis ortas noscere vtilissimum. 264,11
de Pœna sibi illata iniuste queritur, qui eandem alteri dat. 429,6
Pœnæ terrori æui tota simul miseros diuexat. 483,9
Pœnis temporalibus aliquando Deus æterni supplicij speciem immiscet, vt nos cautiores reddat. 494,18

Pœnitentia.

Pœnitens non ad scelestos magistros accedat. 234,4
Pœnitentia non fiat leui satisfactione. 275,5
Pœnitentia festinanter sumpta suspecta. 236,8
Pœnitentia in impossibilitate peccandi fundata suspecta. ibid.9
Pœnitentia occulta quam efficax. 105,11
Pœnitentia vt non differenda in vitæ finem. 263,14
Pœnitentia cultum corporis abiicit. 52,10
Pœnitentia breuis compensat multos annos. 600,8
Pœnitentiam qui agunt postquam mortis perturbationem incurrunt, raro saluantur. 490,9
Vera non eget aliorum patrocinio apud Deum. 594,2
Pœnitentiæ labor non dimittendus peccatoribus, dum in via sunt. 484,10
Pœnitentiæ opera roborant, firmamque reddunt salutem. 496,23
Pœnitentiæ labor animæ salutem consequatur. 498,28
Adæquet culpas. 629,2
Pœnitentiæ opera oculos diuinos alliciunt. 347,9
Pœnitentiæ opera sola fides potest ratoris cordibus persuadere. 401,35
Pœnitentiæ fontes scaturiunt à fide diuina, qui fontes ignea peccatorum tela extinguant. 402,36
per Pœnitentiam humilem redintegratur virginitatis decus. 389,8
à Pœnitentiæ lacrymis, vera pulchritudo, quantum addat exterius pulchritudinem pulchritudo interna. 527,8

Postulata.

Postulata regum tentant consiliarios. 586,18

Potator.

Potatorum iræ ob res leuissimas. 565,5

Potentia.

Potentia Dei in conuertendis superbis ad Christum. 58,9
Potentia Dei ea est, vt intra cuiusque fortunam culmen nouerit perfectionis porrigere. 340,21

Potus.

Potus temperatur ab Eucharistia. 566,3

Præceptor, præceptum.

Præceptorē diuinum sortiti stultè corporalia meminerunt. 512,4
Præcepta noua ratione, & exemplis tradenda. 47,42

Prædicator.

Prædicatores suos in exteras prouincias solus Deus agit. 405,5

Præfectus.

Vide *Prælatus.*

Prælatus.

Prælatus se sub aliorum potestate meminerit. 118,8
Prælatus temperet zelum pietate. 358,18
Vt noscere debet subditos. 7,10
Imperfectos subditos sustineat. 61,14
Festinare, sed sustinere & expectare longanimiter nouerit. 62,6
Subditorum sordes portet. 224,22

Sapiens sit ad castigandum. 223,18
Prælatus ignobilis. 44,44
Meminerit propriæ vtilitatis. 307,7
Prælatus oues per seipsum visitet. 308,10
Prælatus vt trahat subditos verbis amicis. 301,11.307,8
Prælatus ne occupetur in amicis & consanguineis promouendis. 309,15
Prælatus vilis & improbus sustinendus. 239,16
Prælati ingenuos subditos minimè instar famulorum tractare debent. 505,9
Prælati sic subditos castigent, vt post punitionem, quasi sanctissimis exhibeant honorem. ibid.
ad Prælaturam maximè facit nobilitas parentum. 348,11
Prælati strictus rigor benignitatem præmittat. 352,6
Prælati non nimis hæreant legum sono literali. 355,22
Prælatorum correctio vni Deo reseruata. 617,3
Prælatus ne tempus insumat cum temporariis œconomis. 585,15
Prælati æquales in subditos. 589,25
Prælatus nunquam solus perit. 597,2
Prælatus inter subditos præstantiores se vt æqualem gerat. 628,6
Cæcutiat ad aliqua subditorum peccata. 631,6
Prælatis vt manifestanda à subditis secreta cordis. 264,31
Prælatio inter fratres odiosa. 290,9.242,23
Prælaturæ periculum. 158,18
Prælatura plena tristitiis,& timoribus. 217,3

Præmeditatio.

Præmeditatio ante opus. 38,27

Præmium.

Præmium à Deo labores solet præuenire. 115,2
Præmia virtutis citissima. 371,43
Præmium laborum totum simul. 493,15
Præmium trahit mentes humanas. 480,4
Præmium sine merito indecorum. 659,6

Præsentia.

Præsentia Dei facit supra naturam audere. 44,45
Præsentia Dei efficit ab iniuria,& dolo cessare. 346,7
Præsentia Iesu sola fugat incursiones malas. 388,5

Præsepe.

Præsepis paleæ, Dei & hominis commixturam, vt firmarunt. 79,4
Præsepis fasciæ & vilitas Deum honorarunt. ibid.5
Præsepe vt dedit Dei amorem, & inclinationem in homines. 80,6

Prætor.

Prætor amans solum sedem,vt caput reclinet non prætor,sed fur. 336,12

Preces.

Preces quas vel tribulatio cogat Deo quidem acceptæ sunt. 607,9
Preces,& orationes aliorum multum nobis prosunt,sed proprias etiam Deus requirit. 470,27
in Precibus plurium concordia efficacissima ad implorandum. 512,5

Primum.

Prima & antelucana munera,vt Deum obligant. 91,18
Prima hostis conamina superet,qui velit coronam. 146,26

Princeps.

Princeps non ad vnum solum, sed per plures distribuat sua. 212,3
Vt benefactor. 265,34
Princeps exigat à suis subsidia ære vulnerum pro illis acceptorum. 171,8
Princeps qui confessarios ad pompam circumfert suspectus in pœnitentia. 267,38
Principibus mundi omnia fugiunt è manibus. 185,11
Principium vt coronet opus. 43,42
Princeps sæcularium rerum, & clericus non bene conueniunt. 448,1
Principes non habeant sinus,sed subditis detecti sint. 331,1
Nihil sic trahit subditos, quam Principis simplex animus. ibid.
Principes pœnitentes Deus peculiari honore prosequitur. 677,16
Principum fauores,& metus despiciat, quam virtuti incumbit. 534,5
Principibus nihil decorum,quam misericordia. 348,10
Princeps non sitiat suorum sanguinem. 569,8
Adeant deuotas fœminas,vt raptus videant. 574,10
Principum currus accipit angusta cœli porta. 414,3
Aliorum spectent consilia. 583,10
Princeps non tam ad crucem Christi ire, quam Christum ad se trahere vult. 386,1
Princeps non tibi necessarius sit,sed tu illi. 387,2
Principum luxuria acrius castiganda. ibid.
Principum correctio vni Deo reseruanda. 617,3
Princeps ametur,non timeatur. 406,7
Princeps vel de ouiculis subditorum debet esse solicitus. 409,13.
Non solus perit. 597,2
Princeps agricolarum ruinis reparandis studeat. 409,13
Æqualiter omnibus prospiciant. 413,1
Caueant ne inæquales sint. ibid.
Principum singula verba,præcepta sunt. 598,3

Promissio.

Promissio de futuro suspecta, vbi statim potest operari. 368,37
Promissa à Deo,quasi possessa habentur. 506,13
Promissionibus futurorum minimè Deus gaudet, vbi potest operari. 616,16

Propheta,Prophetia.

Prophetia de Christo facilè iter facit, vt nationum fides intret. 371,45
Prophetia efficacissimum omnium, pro veritate, testimonium. 88,9

Propinquus.

Propinqui carnales impediunt beneficia diuina. 474,35

Prosperitas.

Prosperitas diuisionem,aduersitas vnitatem parit. 516,2
Prospera,& aduersa se inuicem comitentur. 463,10
Prosperitas pericula habet vicina. 600,9
Prosperitas gloriarum facit exc utire ad videndum latentia mala. 657,3

Proximus.

Proximum participem spiritualium bonorum facere cura. 48,54
Proximorum non vitia,sed virtutes respiciendæ. 182,6
Proximorum saluti vt studeas,mundo moriare. 311,3
Proximorum errores non euulgandi. 214,8
Proximorum saluti studeas quisquis sis. 217,6
Proximorum virtutes videndæ,non vitia. 557,9
Proximorum saluti,qui incumbit,solet ipse fœdari. 620,9
Proximis ne pares mala ex rebus,quæ tibi bonæ sunt. 579,2

Prudentia.

Sine simplicitate concurit,& prodit, cum simplicitate cognoscit Deum. 338,15
Carnis male à Iesu timet bonis suis temporalibus. 433,15

Pudicitia.

Pudicitia dominatur. 31,20
Vide *Castitas,Virginitas.*
Pudicitia custodit ciuitates. 432,13
Se possidentem reddit penè inexpugnabilem. ibid.
Pudicitiæ Christianæ conspicuum testimonium nemini non probatur. 451,7

Pudor.

Pudor animose vincendus. 394,19
Pudor humilis index est Christi inhabitantis. 416,7
Pudoris fundamenta subuerti nequeunt. 432,13
Pudoris boni efficacia. 548,1
Pudendum peccatori sub Dei flagello. ibid.

Puer.

Puer Iesus instar omnium diuitiarum. 79,3
Puerorum ad virtutis progressum multum interest, inter quos incipiant. 338,15
Puerorum singularis Angelorum tutela. 489,6

Puerperium.

Puerperium fœminarum à Mariæ puerperio leuatum. 53,18

Pulchritudo.

Pulchritudo Mariana. 330,1
Pulchritudinis hamus,qui faciat Christianos, non contemnendus. ibid.
Pulchritudo hostes Dei nouit prosternere,& salutis spem aperire, imò & cœlos ipsos. ibid.
Pulchritudo,vt cauenda. 391,22
Pulchritudo non causat peccatum. 524,1

Purgatorium.

in Purgatorio existentibus subueniendum. 403,1
Purgatorij pœnas luentes iuuandi eleemosynis. 474,37
Purgatio peccatorum nunquam non necessaria in hac vita. 522,5

R

Raptus.

RAptus,& ecstasis prorsus abscondi. 574,10

Redemptor.

Redemptoris remedium ante nobis erat,quam hostium impetus. 435,2

Regula.

Regula bene viuendi à quouis pio viro accipienda. 134,10

Regularum obseruantia, nec minima prætermittenda etiam prætextu vanæ gloriæ fugiandæ. 510,7

Reincidentia.

Reincidentia in peccatis mala. 288,3
Reincidentia in peccata timenda. 500,31

Relaxatio.

Relaxatio animi etiam in solitudine cauta. 154,7

Religio, Religiosi.

Religiosi etiam in Regiis sequantur pauperem Christum. 66,11
Caueant à profanorum librorum lectione. 296,15
Religiosi præscripta sui instituti operari debent. 552,3
Religio, quæ ab inhumanitate venit, Deo abominabilis. 541,6
Qui religiosam vitam profiteri voluerit, hominum placita ne spectet. 552,4
Religio Deo grata humanissima est. 555,4
Factus iam religiosus aliorum confratrum, segnius placita ne expectet. ibid.
Religioni, quia locus sacer est, ea inest maiestas, quæ prauos affectus frenet. 335,8
In religione sancte, & deuote agendum. 336,10
In religione vtpote domo Dei laborandum. ibid. 11
In religione is perseuerat, qui Deo ducente introiuit. 337,13
Religiosi legitimi est, quod alios Christo acquirat. ibid. 14
Religiosos ad virtutis profectum multum interest, vtcs quot incipiant. 338,15
Religio, virtusque maiorum facilè cuique persuadet. ibid. 16
Religionis cuiusuis fundamentum fratrum vnio. 339,19
à Religionis via, qui alios auertit timeat etiam ruinam. 659,8
Religiosi etiam minutissima mundi bona dimittant. 340,22
Religiosi, qui Deum sequuntur, nil prius demittant, quam retia. 341,24
Religiosi, aliis curent esse exemplum, est enim hamus, quo homines capiuntur. ibid. 25
Religio quo vetustior, eo certior, & securior. 345,5
Religiosi tepidi magis cauendi sunt cæteris confratribus. 356,24
Religioso viro non alienum est etiam in temporalibus iuuare familiares suos. 363,17
Religiosus separans se à mandatis superioris in quid conuertatur. 676,3
Religionum lapides fulciunt, stabiliuntque. 417,10
Religiosi vtpote cœlestis domus viam tenentes, caueant, ne deflectant ad diuerticula. 484,11
Religiosis, qui se sæcularibus immergunt curis, raro sanctitas contingit. 490,10
Religiosi, qui non animarum, sed temporalium bonorum mercatum faciunt, iure de adulterio argui possunt. 473,32
Religionis tuæ regulis si conformeris, diuinos oculos rapies. 913,6

Reliquia.

Reliquiæ sanctorum, vide, *Ossa sanctorum.*

Remedium.

Remedia peccatorum plura, quam peccata. 557,3
Remedium diuinum antea nobis est, quam hostis impetus. 435,2

Reprehensio.

Reprehensio etiam innocenti danda, ne cadat. 575,18
Reprehendere alios non licet, nisi prius habeas ad id potestatem. 622,13

Reprobus.

Reproborum corda patent diabolo possessori. 219,8

Res.

Res veræ à solo Deo. 57,7
Res secundæ adiunctæ veniunt aduersis, & è contra. 463,10

Respectus.

Respectus humani, ne te moreantur, si oraculis diuinis moreris. 333,4

Restitutio.

Restitutio quam primum facienda. 235,6

Resurrectio.

Resurrectio celerior virginibus. 74,7
Resurrectio immortales pariet. 279,1
Resurrectionis memoria mortis vacuat horrorem. 284,14
Resurrectiones omnium tanquam in flore sunt in Dominica Resurrectione. 281,9
Resurrectio carnis, à limine diuinæ OEconomiæ fulget. 453,1
Resurrectio celerrima debetur ei, qui se se conformat passioni Iesu. 663,6
Resurrectionis memoria, maximum solatium est in morte. 467,19
Resurrectio, & vita ab vno Iesu. 468,20

Rex, Regnum.

Rex, vide *Principi, Præfectus, Prælatus.*
Rex noscat subditos ex nomine proprio & parentum. 7,10
Proprium sibi putet benefacere. 50,4
Rex verus qui? 171,9
Eius firmitudo & stabilitas in accurrendo suis. ibid. 10
Eius exemplum malum efficax ad perdendum. 240,19
Regios fastus deponat, vt trahat hominum animos. 79,2
Regis nomen hominibus salutare. 348,10
Rex Catholicus suorum sanguinem non sitiat. 354,10
Reges sæculi, non ad crucem Christi ire, sed Christum mensis suis trahere malunt. 386,4
Regibus sæculi caue, ne indigeas, sed ipsi tua ope potius egeant. 387,2
In Regiis, vbi vitia grassantur, ibi regnorum perditio. ibid. 3
Regibus cauendum, ne inæqualiter honores distribuant. 413,1
Reges amentur, & ne timeantur caueant. 406,7
Regium est singulis subditis prospicere. 413,1
Rex Christianus de oculis subditorum debet esse sollicitus. 409,12
Regale ingenium hominis, quam reuereantur creaturæ. 504,8
Regum optima politia est agricolarum, & operariorum ruinis reparandis studere. 409,13
Regnum Christi singuli possidebunt appropinquantes Christo. 540,1
Regno aliorum indigens, indecens Deo est. 593,33
Reges creantur à solo Deo. 504,7
Regnum, & sacerdotium non bene conueniunt. 448,1
Regnum cœlorum etiam diuitibus patet. 414,3

Rigor.

Rigor mansuetudine temperandus. 158,18
Rigor, & iustitia diuina noctem amat, diuinæ charitatis facinora lucem. 331,6
Rigorem præuenit misericordia. 472,38
Rigoris asperitas viam misericordiæ astruit. ibid. 32

Ruina.

Ruina bonorum temporalium visa, adhuc illis fidere extremæ dementiæ est. 819,6
Ruinæ creaturarum à Deo factæ, efficacissimæ sunt, vt homines Deo conuertantur. 625,6

S

Sacerdos, sacerdotium, sacrificium.

SAcerdos indignus quid. 229,13
Sacerdotes munus suum in operibus manifestent. 319,8
à Sacerdotibus bonorum terrenorum cupiditas ablegandа. 341,23
Sacerdotium, & sæculares magistratus non bene conueniunt. 448,1
Sacerdotes caueant iram Dei, dum in Ecclesiasticis muneribus lucris dant operam. 618,4
Sacerdotium Christianum non emendum, sed merendum. 619,7
Sacrificia Deo grata, quæ multa præparatione fiunt. 620,8

Sæcularia.

Sæcularibus rebus qui nouit obdormire, felix. 465,13

Saluator.

Saluator non esset sine peccatore. 87,6

Salus.

Salus per mulieres etiam suspecta. 226,5
Salus vera per mortificationis opera. 300,9
Salutaria aliis tempora, væ qui in peccatis absumit. 265,14
Salutis negotium nunquam non tempestiuum. 227,8
Moram expuit. 228,12
Salutis acquirendæ studium, nunquam intempestiuum. 381,11
Salutis negotium non credendum linguæ semel malæ. 424,8
Pro salute fratrum à diuinæ contemplationis gaudiis abstinendum. 468,18
Salutis suæ negotia quisque sibi peragat, nec aliorum fidat officiis. 470,27
Salus animæ, nulla desperata, si absit diligentia. 480,3
Saluantur rari ex iis, qui agoniam mortis incurrunt, antequam pœnitentiam velint agere. 490,9
Salus firma est, quæ per opera pœnitentiæ roboratur. ibid.
Salus hominum festum agit Deo. 497,25
Salutem animæ labor pœnitentiæ sequatur. 498,17
Ad salutem quidque conducat, à quouis accipiendum. ibid.
Salutis brauium omnes obtinebunt qui Dei viam currunt, si

non desistant. 511,2
Salutis occasio, nulla ex casu, sed ex diuino præscripto. 353,8
Felix, qui salutis suæ negotium nemini à se fidit. 529,13
Salus, & commoda suorum faciunt, vt Iesus nullis parcat impensis, & laboribus. 439,1
Salus pluribus communis facilè obtinetur à Deo. 608,12
Salus, quo magis appropinquat, eo vehementius acuit Dominus dolores. 611,5
Saluti proximorum incumbentes, necesse est de puluere mundano sordescere. 615,13
Salutem nostram sic operatur Deus, vt videatur hominibus indigere.
Salus spiritualis à solo Deo. 538,8
Salutaria tibi, ne vertas in aliorum damna. 579,2
Salus cita à solo Deo venit. 656,10

Sanctus.

Sanctis viris suspecta semper conniuia. 601,12
Sancti, & veri Dei serui in adimplenda lege diuina vim pati dicuntur, sed non in seruitutem redigi. 332,3
Sanctis viris Angelorum visio promittitur. 349,12
Sanctorum excellentia est, inferiores esse Iesu. 676,15
Eisdem præstantissima Dei auxilia. ibid.
Cum sanctis familiaritas potens, & ad bonam famam conseruandam, & ad extirpanda vitia. 532,20
Sanctorum parrocinium humilitate acquiritur. 408,10
Sancti illos parrocinantur, qui eorum virtutes imitantur. ibid.
à Sanctitate diabolus sumet colorem, quo fallax.
Sanctitas cuiusque non leuiter suscipienda, & acclamanda. 458,11
Nulla est in præsenti secura. 658,5
Sanctorum festa non sanctè celebrantur compotatiònibus, & conuiuiis. 567,5
Sanctorum cognominibus insigniri, vtile, & religiosum. 459,1
Sanctitatem, quam rari adipiscantur ex iis, qui se immergunt curis sæcularibus. 499,30

Sanguis.

Sanguis Dominicus nulli primas cedit in se effundendo propter hominem. 91,1
Sanguis Dominicus efficit nos sanguinem effundere. 93,4
Sanguis Martyrum extinxit Tyrannos. 122,9
Sanguini Dominico cælestia patent. 295,11
Sanguis Martyrum fœcundissimus. 633,2

Sapientia, sapiens.

Sapiens à quocumque salutis disciplinam sumat. 134,10
Etiam nota ab aliis cum fructu audit. 89,13
Sapientia diuina amat viros clausuræ studiosos. 295,11
Sapientum prophanorum verba algent. 296,15
Sapientia creata, quod non valet persuadere Deo senerissimo, valet Iesu sola humanitas; nempè misericordiam. 480,3
Sapientem virum decet conuiuiis interesse. 568,6
Sapientis est consilio alterius cedere. 576,16

Satisfactio.

Satisfactionem pro culpis præstare irrationalis creatura edocet. 415,6
Satisfactionis opera adæquent culpis. 619,2

Scandalum.

Scandala, quæ contemnenda. 569,8
Illud paruuli incurrunt. 568,6

Scenica.

Scenici ludi inuenti à diabolo aduersus sanctos. 54,14

Scientia.

Scientia sine aliis virtutibus damnosa. 241,21
Christo posthabenda. ibid.
Scientiæ contemptus pro Deo, illi gratissimus. ibid.
Scientiam de Iesu remittamus in æternitatem, vbi animus Iesum comprehendet.

Scriptura.

Scriptura, fidelis Christi custos. 344,2

Secretum.

Secreta inter famulos, & filios suspecta. 542,9

Sectator.

Sectatores Dei nihil prius, quam retia dimittant. 341,29

Senex.

Senes qui facile Deum inueniunt. 118,9
Seniores in religiosa obseruantia, & virtutum conflictu emineant. 325,9

Sententia.

Sententiam contra nos ipsi feramus, qua euademus manus diuinæ iustitiæ. 601,11

Sepulchrum.

Sepulchrum Dominicum cælestes parit homines. 282,8
Sepulchrum, & vana ambitio, & simul illorum vtilitas. 473,34
in Sepulchris sanctorum horti virentes vtpote Christi rore rigari. 512,4

Sequela.

Sequela Dei homini salutaris. 579,5

Sermo.

Sermonis diuini efficacia facilè absumet, quidquid Deo resistit. 344,1
Sermo, qui ad salutem conducat à quouis audiatur accipiendus est. 372,46
Sermo cum fœminis rigidus, & austerus deber esse viris pudicis. 367,36

Seruus, seruitus.

Serui Dei antiqui etiamsi reprobandi sunt, non inhonori dimittuntur. 117,6
Serui Dei & diaboli serui. 144,21
Serui Christi gloriosi. 172,9
Serui Dei nihil sibi timent, omnia in tuto habent. 174,16
Seruorum proprium intra legis cancellos operari. 332,3
Serui, qui intra præcepta se cohibent, inutiles habentur, etsi pœnam euadant; gratiam tamen non merentur. ibid.
Seruitium Deo nullum præstabis pro quo tibi merces non veniat. 355,11
Seruire Deo debes in lætitia, si cupis ei placere. 418,12
Seruus, qui vtilitate sua non adæquat pretium quo emtus est, multum derogat emtori suo. 502,3
Seruis Dei etiam aduersantia mala opitulantur. 525,5
Serui Dei post mortem clariores apparent vel ipsis inimicis. 536,2
Seruitus voluntaria Deo præstita quam vtilis. 48,55
Seruitia etiam paruula Deo exhibita, quam gloriosa. 359,19

Seueritas.

Seueritas antiqua, pari gratia in Christo compensatur. 595,5

Silentium.

Silentium vteri Virginei quid Verbo diuino? 77,1
Silentium inter calumnias virtutis est diuinæ. 240,18
Silentium bonam linguam creat. 562,9
Silentium, turpe in eo, qui debet vitia carpere. 568,7

Simplicitas.

Simplicitas, & innocentia stabiliunt reges. 331,1
Simplicitas sola cognoscit, & ostendit Deum. ibid.

Singularitas.

Singularitas fugienda quando diuina beneficia amant esse communia. 30,8
Singularitas damnosa. 302,2
Singularitas in fauoribus affectata inuisa Deo. 212,2
Singularia nil cures, sed quæ sunt status communia, ea amplectere. 513,6
Singularis, & solus noli esse in laudabilibus, sed excellentias reputa, computa communes.

Societas.

Societas Iesu in procuranda paruulorum salute Deo grata. 168,3
Societatis Iesu viri sese transformant in varias figuras, vt proximis faueant. 89,12
Societas peccatorum damnosa. 123,11.176,3.231,20
Societas bonorum quam vtilis. 261,8

Solicitudo.

Solicitudo dignissima est ministri Euangelici de temporalibus populi ruinis etiam minimis restaurandis.

Solitudo.

Solitudo Virginitatis comes. 33,14

Somnus.

Somnus & quies iustorum operosissimus. 277,10
Somnus, qui mundialia depellit, ab Iesu bona nouit vigilare. 465,13

Spectator.

Spectatores vt leuamen afferunt laboranti. 257,22

Spes.

Spes nostra stet in Deo firma, & quasi acceptas reputat omnes promissiones. 450,6
Spes lucri trahit homines. 580,4
Spes ex timore Dei. 552,10

Spina.

Spinæ Iesu nos protegunt. 245,32

Spiritus sanctus.

Spiritus examinandi. 38.18
Spiritus sanctus docet integritatem corporis æternare. 46,48
Spiritus sancti aduentus, vt debebatur ab Ascensione Domini. 316,1
Spiritus sanctus lacrymis trahitur. ibid.2
Semper nobis præsentissimus adstat. ibid.
Odit pro humano libito gubernatori. 318,4
Eius lingua per omnium ora sonat. ibid 5
Habet scientiam vocis, ibi & pungit & vngit. 319,6
Dei similitudinem perficit in homine. 320,10
Spiritus sanctus à Patre diuino habet, quod creaturis respiciat. 366,34

Spiritus

Spiritus sancti gratia per Christum impellit terrena corpora in vitam æternam. 362,25
Spiritus Christi nihil prius proponit ob oculos, quam mundialium rerum occasum. 376,4
Spiritus Dei quamuis iratus sit, vbi visceribus misericordis hominis illabitur non potest non leniri. 536,3
Spirituale negotium vbi agitur, noli temporalibus commodis incumbere. 508,1
Spiritus sanctus missus est è cœlis vnde diabolus tanquam fulgur eiectus, vt vbi accusatorem habemus, illuc habeamus, & paracletum. 531,17

Sponsa.

Sponsa pulcherrima paratur Iesu. 275,4

Status, stabile.

Status sui metas seruet, qui magna à Deo requirit. 576,15
Stabile nihil in vita humana, post aduersa veniunt secunda.

Sterilis.

Steriles animæ Christi Domini passione fœcundantur. 347,9
Studium adhibendum ad iustitiam obtinendam. 543,10

Subditi.

Subditi noscendi sunt à Principe ex nomine proprio, & parentum. 7,10
Subditi ad noua & particularia mandata rationibus, & exemplis adducantur. 47,52
Subditi trahendi verbis amicis. 301,11
Subditi operari debent supra præscripta sui superioris. 331,3
Non videnda omnia eorum peccata à prælatis. 631,6
Subditi non instar seruorum tractandi. 505,9
Qui præstantiores sunt, æqualiter tractentur. 628,5
Subditis prospicere, quam regium est. 413,2
Superborum ad Christum conuersio Dei potentiam exaggerat. 58,9

Superior.

Superior non habeat sinus, sed totus fit subditis patentissimus. 331,1
Nihil sic trahit subditos quam superioris patens animus. ibid.
Superior nisi præseferat simplicitatem, subditos experietur oblatrantes, non obsequentes. ibid.
Superioris strictus rigor præmittat benignitatem necesse est. 352,6
Superioribus, & rectoribus qui errare nolunt sui instituti sono literali non nimis hærendum. 355,12
Superior curet ne timeatur, sed ametur à subditis. 406,7
Superiores neutiquam tractare debent subditos instar famulorum. 505,9
Superiores sic subditos castigent vt immediate post punitionem quasi sanctissimis exhibeant honorem. ibid.

Supplicium.

Supplicia simul omnia inferri à Deo, magna eius ira est. 640,3
Supplicium acerbissimum, quod plagas cogatis videre. 646,14
Quod cum Dei lacrymis, & dolore venit interminabilem parit pacem. 648,4
Supplicij tempus, & nobis, & Deo molestum. 651,10

T

Templum.

Templa in Dei honorem, væ qui in illis vitia exercent. 127,7
ex Templis profectus multi. 27,8
Templorum maiestas, effrenes appetitus coërcet. 335,8
Templis ea est virtus aduersus peccata, vt si tantum videantur, ea penitus expugnent. ibid.
Templorum obseruatio quam vtilis sit. ibid. 10
Templorum lapides, nos stabiliunt, & fulciunt. 417,10
Templorum ædificatio, opus Deo gratissimum, & monasteriorum erectio. 486,1
Templorum erectio ipsorum structores diuinis efficit coli honoribus.

Tempus.

Tempora alia salutaria væ qui in peccatis absumit. 122,8
Tempus salutis acquirendæ, nunquam intempestiuum est. 382,11

Temporalia.

Temporalibus curis noli incumbere, vbi spirituale negotium agitur. 508,1
in Temporalibus iuuare familiares, ac deuotos non alienum à viro religioso. 363,27

Tenebræ.

à Tenebris non secure quis prosilit immediate ad lucem clarissimam. 489,8

Tentatio.

Tentare Deum vt cauendum. 135,2
Tentationes, & pressuræ Deo suauissimæ stetere, quas strenuis hominibus propinabit. 603,1
in Tentationibus qui labitur repugnans, promptiori misericordia diuina dignus est. 615,14
Tentatio homini salutaris. 562,1
Tentatio Deum trahit. ibid.
Vide *Labores, Tribulationes.*

Terrena.

Terrenis imbuta mens nequit Deo approximare. 290,8
Terrenis, & caducis rebus qui inhiant, muto agũtur spiritu. 437,7
Terrena bona homines concutiunt. 563,3
Terrena bona imperfectis dantur à Deo. 499,30

Testimonium.

Testimonia fœminarum de diuinis in se peractis infirma, & suspecta. 596,7

Tharasia.

Tharasiæ Carmelitarum restauratricis summa laus, quod Deus illi subdat virum. 460,3

Thesaurus.

Thesaurus incantatus est virtus. 280,4

Timor.

Timor Dei amore temperetur ne officiat. 3,1
Timor Dei diuinam misericordiam fœcundat. 57,8
Timor Dei charitate informatus omnium præstantissimus. 86,4
Timor sui familiaris iusto. 3,1, & 2
In quouis perfectionis gradu habendus. 141,14
Timor Dei specialiter. 553,11
Timor religiosus in virtutum facinora trahit, virtutesque custodit. 440,1
Timoris filialis à seruili differentia. ibid.
Timor seruilis tollendus tibi si vis cum Iesu magnalia potiri. 499,29
Timor nihil aliud generat quam odium. 406,7
Timor humilis in Dei conspectum inclinat. 551,7
Timor Dei cum regio splendore iunctus. ibid. 8
Timor Dei infantiam virtutum alit. 552,10

Titulus.

Tituli & agnomina, vt contemnenda. 257,21

Tormentum.

Tormenta atrociora hominum à Dęmonibus habent ortũ. 438,10
Tormenta quibus peccatum tollitur, non tormenta, sed quies appellanda.

Tribulatio.

Tribulatio & dolor consecrant hominem. 114,20
Tribulatio vt facit hominem in via Dei currere. 130,1
Vide *Labor.*
Tribulatio illa, quæ mores corrigit, & peccandi occasionem tollit, non vocanda tribulatio.
Ad tribulationes, & labores magnates, disciplinæ Christianæ trahuntur. 603,1
Tribulatio carnalis voluptatis comes. 573,8
Pro Deo suscepta halat verba sapientiæ. 835,8
Grauis quæ à propinquis, & notis venit. 837,10
Tribulationes à Dei manu grauissimæ. 645,13
Vide *Labores, Tentationes.*

Tributum.

Tributa exigenda quanta fieri poterit benignitate, & humanitate. 626,1
Tributa non dant pecunias principibus, sed iustitia obseruata. 583,13

Trinitas.

Trinitas diuinarum personatũ à Christi natiuitate apparuit. 89,14
Trinitas diuina. 324,6
Gloria & corona felicitatis. 326,9
Moribundis fauet. ibid. 10
Trinitas Beatifica veritatis aduocata, vt in Susanna. 531,17

Tristitia.

Tristitia multum lædit officia nostra erga Deum. 452,11

Triumphus.

Triumphum nullum reputat Iesus, nisi vbi munera largitur. 446,14

Tyrannus.

Tyrannorum in multitudinem incidit, qui à Deo deficit. 364,29

V

Vanitas.

Vana gloria. 484,11
Vanitas plures habet sequentes, quam Christus. 469,23

Verbum Dei.

Verbo Dei plenus nulla sentit ligamina. 223,19
Ad omnia intrepidus audet. 131,3
Verbum Dei euulgandum per compita. 50,3
Verbum Dei audiendum. 223,19
Verbum diuinum in præsepi, vt brutescentes homines ad rationis alimoniam trahat. 84,15

Verbi

Verbi diuini efficacia absumit facile quidquid Deo resistit. 344,1

Verbo Christi homines pasti reuocantur ad arcem, & mœnia ciuitatis, abiectisque speluncis ferarum vrbes ciuilissimæ ædificantur. 479,1

Verba.

Verba blanditiæ fugienda castis. 36,22

Verba iactantiæ fugienda, & plausus popularis. 400,31

Verba sapientiæ dantur à tribulationibus. 635,8

Verba singula personarum præcellentium præcepta sunt. 598,3

Veniunt in nos à Deo coram præsidibus, in causa fidei. 636,9

Verbis contumeliosis non respondere quam salutare sit. 438,10

Verecundia.

Verecundia index est Christi animo inhabitantis humano. 416,7

Vide *Pudor.*

Veritas.

Veritas per linguas Sanctorum haurienda. 321,13

Veritatem nemo vni soli adscribat. ibid.12

Veritas facti nuda attendenda est in iudicio. 530,16

Veritas semper aliquale inuenit patrocinium etiam inter pessimos viros. 461,7

Beatificam Trinitatem habet pro se stantem, ita vt nunquam deficiat aliquod veritati suffragium. ibid.

Eius osores plura miscent, ab hoc in illum statum transeunt, omnia imperfecta relinquunt ne cogantur veritati assentire. 365,32

Vestis.

Vestium mollicies fugienda. 240,20

Via.

Viam cœlestis domus quisquis teris, caue ne ad diuerticula deflectas. 485,12

Vicinus.

Vicinis vt debeamus accurrere, vbi vt animis in Purgatorio existentibus subueniamus. 403,1

Victoria.

Victoria, & palma non otiosis, & oscitantibus dantur, sed his, qui se cum vitiis crucifixerunt. 444,9

Victoria vera ea est, in qua sic aduersarius vincitur, vt de vincentibus nullus lædatur.

Victoriam nullam reputat Iesus nisi cum munera largitur. 446,14

Vidua.

Viduas continenter viuere castitas nuptialis facit. 364,30

Vigilia.

Vigiliæ pro castitate. 26,7

Vigiliæ efficaciam tribuunt orationi. 610,2

Vinum.

Vinum nihil veretur. 578,19

Vir.

Viri pij maxime se ab impiorum moribus secernant, ne vel minima illorum in se habere velint. 418,4

Vir bonus non habet beneficia, quæ aliorum officiant saluti spirituali. 457,9

Viros magnos, & præstantissimos consueuit Dominus ad labores, & ærumnas trahere, eorumque participes facere. 603,1

Vires.

Vires immunditiæ quas fecimus seruire, eadem Christo tradamus. 391,7

Viribus hominum Deus omnes labores commensurat. 370,41

Viribus attemperanda sunt negocia. 564,6

Virgo, Virginitas.

Virgines in eligendo religioso statu parentum vota sequantur. 27,9

Virgines vt dominantur. 31,10

Virgines à publicis gaudiis alienæ. 31,11

Virgines mortificationem ament. ibid.

Virgines hominum frequentias fugiant. 33,14

Virgines pauperculæ, diuitem cultum & ornatum fugiant. 67,12

Virgines Deo notæ. 28,3

Virgo nubilis agrorum frequentias suspectas habeat. 28,2

Virgo cuius cura adhuc viret in torquendis ornandisque capillis nondum mundo moritur, nec Christo adhæret. 394,17

Virgo vna omnes nuptias illustrat. 575,3

Virgini nihil est ornatius, quam omnem vel mendaci suspicioni aditum occludere. 451,7

Virginitatis dos est immortalitas. 452,9

Virginitas vt tenet Deum. 28,4

Videt Deum. 86,1

Dæmonibus exitialis. 33,13

Virginitas semper sit timida, nullibi secura. 35,20

Virginitas Deum extollit. 41,38

Vt in se Deum moratur. 42,36

Virginitas Deum parit. 46,49

Virginitas vt celeriorem resurrectionem affert. 74,7

Vide *Castitas.*

Virtus.

Virtutis asseclæ ab ipsis malis timentur, securi viuunt. 108,2

Virtutis in via nullus figendus terminus. 270,30.286,19

Virtutum vitiorumve inuentores, qui. 25,4

Virtutes vt debent abscondi. 47,53

Virtutum ima tenenda antequam ad supremum voles. 61,14

Virtutum ardua non à principio arripienda, sed paulatim. 180,3

Virtutes diuinas à Christo edoctas facilius bibimus. 83,13

Virtus plena est difficultatibus. 280,4

Virtutis maximæ insigne communibus lapsis non tangi. 265,15

Virtus diuina est stare in fide, vbi cernitur multitudo eadẽs. 450,5

Virtutis diuinæ est, & maximæ difficultatis mundo obdormiens nihil mundiales curare casus. 606,8

Virtus humana nulla est, quæ possit à Deo audire, ego sum, quin cadat in terram. 535,26

Virtus, & religio fratrum, ac parentum suorum facile cuique persuadetur. 338,16.417,9

Vbi floret, ibi habet diabolus suũ cruciatũ, & interitum. 431,11

Sola triumphare nouit adeò vt etiam diabolus cogatur vti virtutis armis dum vincere satagit. ibid.

Sufficit contra multam Dæmonum gentem. ibid.

Qualis æstimatur ab hominibus, talis fit illis. 630,5

Stabilis, & firma est, etiam super aquas vel super arenam fundata. 612,6

Non acquiritur sine meditatione, & studio. 543,10

Virtutis cultores nouitij aliquo modo ad difficultates cœcutiant. 614,12

Eius in schola deficientes scelestiora audent. 621,12

Eius fructus vt præcox semper tempestiuus est, sic serus fructus raro non reiicitur, vt intempestiuus. 613,2

Non fastidienda. 334,7

Eius culmina non expectanda, nisi initiis obtinendis insistatur. ibid.

Ad eius progressum multũ interest, inter quos incipias. 338,15

Eius primus gradus parentes relinquere. 342,27

Præmia certissima, citissima. 371,43

Eius in studio, cum semper progredi debeamus, perniciose sapiunt, qui in primo veritatis fulgore hærent. 425,11

In eius studio non veterascendum, sed quasi exortu nouo in dies proficere debemus. ibid.12

Virtutis Christianæ clarissimum dabit experimentum, qui se ita componit, vt ab omnibus reputetur, huic sæculo iam defunctus. 446,13

Virtutis vincula vbi sunt, nullus est labor, nulla seruitus. 478,44

Eius vincula, quasi calcaria, immò alæ, quibus curras, & euoles in via. ibid. In eius solis facinoribus vera laus. 480,3

Virtuti suæ gentis acquirendæ quisque dat operam. 338,16.417,9

Ab ea, & Christo sequendo, etiam minutissima bona mundi retardant, ideo dimittenda. 340,12

Virtutes singulæ in singulis hominibus diuersitatem habent. 552,6

Virtutes creatæ obscurantur in diuinarum conspectu. 587,19

Factæ in loco, in quo semel Deus ingens acceptauit seruitium, gratiores solent esse Deo. 417,10

Virtutes proximorum ponderet Christianus, qui in defectibus cœcutiat, & taceat. Animo insitæ hoc habent, vt licet extremis mundi oris, à terra, vel Syrte nascaris, tibi Abrahamidum genus adscribant.

Virtutes aliorum ediscendæ, vt similia adimpleas. 528,12

Earum magnalia facinora ex humilitatis puluere illustrantur. 526,6

Earum facinora occultanda. 517,3.533,21.642,6

Virtutum thesauri occultandi sunt, alienorum oculi illis pascendi. 484,11

Earum custos est ieiunium. 447,15

Earum inter laqueos expeditissimum se quis experitur. 477,43

Earum parua opera, & minima multum necessaria. 549,4

Earum incumbamus operosis studiis, & licet in mediis nefarissimis viuamus hominibus, Deum alliciemus, vt nos videat. 416,8

Visio.

Visio Angelorum sanctis viris promittitur. 349,12

Visio Dei maximum honorem rebus creatis affigit. 339,18

Visio Dei terminata ad homines dat illis, quod ipsi in se referant Deum ipsius æmuli, & imitatores. 379,3

Vita.

Vita hæc temporalis odiosa est iustis. 471,29

Vitæ humanæ summa incertitudo, nullam moram admittit, qua tardes ire ad Deum. 378,7

Eius inconstantia. 597,1

Vitæ spiritualis fundamentum, quod velut mortuus agas. 446,13

Viuere, vt mortuus debes, qui mortem vincere cupis. 477,42

Vitium.

Vitiorum immunditia incredibilis. 66,9
Vitia & diabolus id solum curant vt suos vinciant. 167,1
Vitiorum ærumnæ quem non erudiant? 262,7
Vitiosi consiliarij cauendi. 584,14
Vitium infirmum,& labile etiam super rupes fundatum. 633,1
Nullum incurabile,vbi diligentia adest. 480,3
Coloratur à diabolo. 372,47
Vitia,& defectus nemo,nisi habens potestatem castiget. 621,13

Vnio.

Vnio & concordia inter ministros Euangelij. 159,20
Vnio fidelibus necessaria. 257,23
Vtilis ad accipienda diuina beneficia. 30,8
Vnio fraterna fidei Christianæ fundamentum. 339,10
Vnio perfecta charitatis signum electorum in Christo. 357,15
Vnitas iustum refert. 388,4
Vnitas Deum ostendit. ibid.
Potentissima ad trahendum Deum. 666,12

Vocatio Dei.

Vocationis culmen non contemnendum. 104,8
Vocatio Dei sæpissime non à pulpitis,non à cathedris, non à disertis hominibus,sed ab ore ancillullæ datur. 372,46
Vocatio Dei firmat & stabilit gressus eius,qui vocatur. 612,6
Vocatio sola dat vires ad particularia munera administranda. 668,18

Voluntas.

Voluntarij ad Christum imus. 90,15
Voluntas deprauata hominum nescit petere nisi ruinam. 161,23
Voluntati humanæ Christi Domini debemus largissimam sanguinis effusionem. 184,10
Voluntati diuinæ parendum etiam per sanguinis effusionem. 220,9
Voluntas vna Dei omnibus expectanda est. 474,35
Voluntas nequit non errare dum creaturas solum respicit. 671,3
Voluntas diuina saluti hominum studet, nec indiget aliquo ad præstandum. 510,6
Voluntas pro facto apud Deum. 669,19
Voluntas propria,& perditio simul. 670,1
Voluntas errat,vbi à Dei conspectu declinat. 671,2

Voluptas.

Voluptatis fœno inuolutus hostibus patet.
Voluptates coniugij tribulationibus plenæ. 573,8

Votum.

Vota Deo promissa non euulganda.
Vota etiam metus vi emissa,& obligant homines,& Deo placent.
Vouendum Deo optimum. 353,8

Vsura.

Vsuræ spes,vt homines afficit. 580,4
Vide *Præmium.*

Vterus.

Vterus Virgineus,vt grauis verbo diuino. 46,49.52,8

Vulgus.

Vulgus Iudæorum cur Deo gratius,quam Principes. 91,18

Vulnus.

Vulnera Christi resurgentis,deitatis testes. 302,1
Vulnera Christi in ingratos & perfidos. 304,4
Vulnera à Deo inflicta fortitudinem, & tolerantiam ad sustinendum afferunt. 622,14

Vxor.

Vxor coniugis sui oculos nunquam fugiat. 8,13
Vxor nihil vel sciat sine marito. 34,19

X

Xauerius.

Xauerij integritas & incorruptio post mortem. 46,48
Xauerij peregrinationes. 191,17
Ex illis gloria orta. 262,7

Z

Zelotypia.

Zelotypia Deo posthabenda. 5,7
Zelotypia familiarior nuptis. 572,6

Zelus.

Zelus animarum in sanctis viris. 111,11
Zelus animarum vt sanctos viros à Deo separet. 114,21
Zelus mordens bonos operarios suspectus. 553,1

F I N I S.







R. P. DIDACI

DE BAEZA

PONFERRADIENSIS,

SOCIETATIS IESV

Theologi,

Commentariorum Moralium in Euangelicam historiam

PARS SECVNDA.

COMPLECTENS

Tomos:

- III. De propheriis à IESV dictis, & nondum adimpletis; insuper de nobilioribus eius sermonibus, & in illis, apertioribus similitudinibus.
- IV. & vlt. De parabolis, & historiis adductis à IESV, & eius disputationibus cum variis.

Addita ad Conciones Vespertinas Dominicarum Quadragesimæ, ANTICHRISTI historia, sex Concionibus elucidata.

Cum permissu Superiorum.

LVGDVNI,

SVMPTIBVS

IACOBI CARDON

M.DC.XXXI.

C. Audran sculpsit

SERIES
LIBRORVM, ET CAPITVM.

LIBER XIII.

De prophetijs Iesu adhuc complendis.

Cap. I. De signis finalis euersionis. fol. 1.
2. De aduentu iudicis. 8
3. De supremi iudicis sententia præferenda. 16

LIBER XIV.

De concionibus à Christo Domino habitis ad populum.

Cap. I. Christi Domini concio panegyrica in D. Ioannem Baptistam. 25
2. Christi Domini concio panegyrica in D. Petrum Christianæ Ecclesiæ primatem. 37.
3. De octo beatitudinibus. 47
4. De Ecclesiæ Præsulibus. 57
5. De ira sedanda. 68
6. De fornicatione, & iuramento vitando. 72
7. De diligendis inimicis. 76
8. De Oratione Dominica. 82
9. De ieiunio, & aliis virtutibus. 90
10. De cœlesti cibo in Eucharistia. 110
11. De tollenda ab vnoquoque cruce sua. 127
12. De humilitate secunda, & scandalo tollendo. 132
13. De corrigendo fratre peccante. 138
14. De perfecto animarum pastore. 142
15. De morte contemnenda, & aliis. 149
16. De Pharisæorum vitiis. 165
17. De sermone habito post Cœnam; suos Iesus consolatur de absentia. 189
18. De charitate in Deum. 202
19. De permanentia in Christo. 210
20. De mutua inter fratres charitate. 214
21. De Spiritus sancti effectibus. 225
22. De luctus gaudiive mundialis breuitate. 233
23. De oratione facienda ad Patrem. 238

LIBER XV.

De similitudinibus clarioribus à Christo Domino adductis.

Cap. I. De seruo vigili, & aliis. 247
2. De seruo fideli, & prudenti. 261
3. De amico petenti panes. 267
4. De ædificatore & Rege. 272
5. De grano frumenti. 276
6. De fure, & pastore. 281
7. De Pharisæo, & Publicano. 288
8. De messe, & agnis. 292
9. De arbore bona, & ædificatore super petram. 301
10. De filiis sponsi, & panno rudi. 305
11. De fulgure. 311
12. De fulgure, & cadauere. 319

LIBER XVI.

De Christi Domini parabolis.

Cap. I. De seminante, & semine. 329
2. De zizaniis. 342
3. De semine iacto, & crescente, dum homo nescit. 353
4. De grano sinapis. 355
5. De fermento. 359
6. De thesauro abscondito, & negotiatore. 363
7. De sagena missa in mare. 372
8. De rege ponente rationem cum seruis. 376
9. De incidente in latrones. 383
10. De diuite feracem agrum habente. 390
11. De ficu plantata in vineis. 395
12. De cœna magna. 398
13. De oue perdita. 406
14. De drachma perdita. 411
15. De filio prodigo. 414
16. De villico iniquitatis. 433
17. De seruo arante. 442
18. De iudice iniquo. 446
19. De operariis in vineam missis. 451

20. De decem mnis datis ad lucrum. 463
21. De vinea conducta agricolis. 469
22. De rege faciente nuptias filio suo. 483
23. De decem virginibus. 493
24. De talentis datis. 510

LIBER XVII.

De historijs adductis à Iesu.

Cap. 1. De epulone, & Lazaro. 518
2. De Sareptana vidua, & Naaman Syro. 529
3. De Dauid manducante propositionis panes. 535

LIBER XVIII.

De Iesu familiaribus colloquijs, & disputationibus.

Cap. 1. Iesus cum Nicodemo disputat de regeneratione. 540
2. Cum discipulis agit Dominus de salute abscondita mundi sapientibus. 551
3. Disputatio cum Martha, de optima parte. 556
4. Disputatio de manibus discipulorum illotis. 561
5. De cœlesti signo. 567
6. Disputatio cum filiabus, & cognatis Iesu. 570
7. Disputatio Iesu cum Iudæis in festo scenopegiorum. 575
8. Disputatio Iesu de adultera, & aliis. 586
9. Disputatio in festo Encæniorum. 607
10. Disputatio de matrimonio, & cœlibatu. 612
11. Disputatio cum Petro de sedibus. 615
12. Disputatio Concilij de Iesu damnando. 618
13. & vlt. De tributo, de mandato maximo, & Resurrectionis statu.

LOCI

LOCI COMMVNES.

Iuxta numerum foliorum, & capitum.

A

ADVENTVS *Iudicis.* 8,2
Adultera. 586,8
Aedificator, & Rex. 272,4
Agnus, & messis. 292,8
Amicus petens panes. 267,3
Animarum Pastor. 142,14
Arbor bona, & domus supra petram. 301,9

B

Beatitudines octo. 48,3
Breuitas gaudij, luctúsque mundialis. 233,22

C

Cadauer, & fulgur. 319,12
Cœlibatus. 612,10
Charitas { *In Deum.* 202,18
Inter fratres. 214,20
Cœna magna. 398,12
Concilium de Iesu damnando. 618,12
Conciones à Christo habitæ ad populum. 25
Crux. 127,11

D

Dauid manducans propositionis panes. 535,3
Disputatio { *Cum Martha de optima parte.* 556,3
De manibus discipulorum illotis. 561,4
Cum fratribus, & cognatis Iesu. 570,6
Cũ Iudæis in festo scenopegiorũ. 575,9
De adultera, & alijs. 586,8
In festo Encaniorum. 607,9
De matrimonio, & cœlibatu. 612,10
Cum Petro de sedibus. 614,11
Concilij de Iesu damnando. 618,12
Diues agrum habens feracem. 390,10
Drachma perdita. 411,14

E

Ecclesiæ Præsules. 57,4
Effectus Spiritus sancti. 225,21
Epulo, & Lazarus. 518,1
Eucharistia. 110,10

F

Filius prodigus. 414,15
Filij sponsi, & pannus rudis. 305,10
Fornicatio, & iuramentum. 72,6
Frater peccans. 338,13
Fratres & cognati Iesu. 570,6
Fulgur. 311,11
Fulgur, & cadauer. 319,12
Fur, & Pastor. 281,6

G

Gaudij luctúsque mundialis breuitas. 233,22
Germen frumenti. 276,5
Granum sinapis. 355,4

H

Humilitas. 132,12

I

Ieiunium. 90,11
Iesus disputans { *Cum Nicodemo de regeneratione.* 540,1
Cum Iudæis in festo scenopegiorum. 575,1
Incidens in latrones. 383,9
Inimicus. 76,7
Ira. 68,5
Iudæi. 575,7
Iudex iniquus. 446,18
Iudicis { *Aduentus.* 8,2
Sententia. 16,3
Iudicij signa. 1,1
Iuramentum, & fornicatio. 72,6

L

Lazarus. 518,5
Luctus, gaudiíque mundialis breuitas. 133,22

M

Mandatum maximum. 622,13
Manus discipulorum illotæ. 561,4
Margarita pretiosa inuenta à negotiatore. 363,6
Martha. 535,3
Matrimonium, & cœlibatus. 612,12
Messis, & Agnus. 292,8
Mna data ad lucrum. 463,20
Mors. 149,15

N

Naaman Syrus. 529,2
Negotiator. 363,6
Nicodemus. 540,1

O

Operarij missi in vineam. 451,19
Oratio { *Dominica.* 82,8
Ad Patrem. 238,23
Ouis perdita. 406,13

P

Panegyris { *In Ioannem Bapt.* 25,1
In D.Petrum. 37,2
Pannus rudis. 305,10
Pastor animarum. 142,14
Pastor, & fur. 281,6
Permanentia in Christo. 210,19
Pharisæus, & publicanus. 288,7
Pharisæorum vitia. 164,16
Præsules Ecclesiæ. 57,4
Prophetia Iesu adhuc complenda. 1
Publicanus, & Pharisæus. 288,7

R

Regeneratio. 540,1
Resurrectionis status. 622,3
Rex, & ædificator. 272,4
Rex { *Faciens nuptias filio suo.* 483,22
Rex { *Ponens rationem cum seruis.* 376,8

S

Sagena missa in mare. 372,7
Salus abscondita mundi sapientibus. 551,2
Sareptana vidua. 529,2
Scandalum. 132,12
Semen, & seminans. 329,1
Semen iactum in terram. 353,3
Sententia Iudicii. 16,3
Sermo post Cœnam. 189,17
Seruus { *Vigil.* 247,1
Seruus { *Fidelis, & prudens.* 261,2
Seruus { *Arans.* 442,17
Signa { *Iudicij.* 1,1
Signa { *Cœlestia.* 567,6
Similitudines à Christo Domino adducta. 247
Sinape. 355,4
Spiritus sancti effectus. 225,21

T

Talenta data. 410,24
Thesaurus absconditus, & negotiator. 363,6
Tributum. 622,13

V

Villicus iniquitatis. 433,16
Vinea conducta agricolis. 469,21
Vitia Pharisæorum. 164,16
X. Virgines. 493,23

Z

Zizania. 342,2

A D

AD
CONCIONATORVM VSVM.

Dominica I. Aduentus.

Lucæ 21.

ERVNT *signa in Sole,& Luna*, &c. Maturant lucidissima mundi idola abscondi, vbi incipit Dei gloriosus aduentus reuelari;quia mundanæ omnes gloriolæ ad gloriosi Dei præsentiam prorsus euanent,lib.18.cap.6.§.9.Item expende, quod cœli lumina tibi deficiant eunti ad iudicium, nulla enim est stabilitas, nulla firmitas in creaturarum affectu,lib.18.cap.6.§.3.Rursus meritò in Sole,& Luna,& stellis, dantur mundialis ruinæ signa;quia salutis signa non ab altis fulgurant, sed ab humilitatis imo, lib.18. cap.5.§.1.

Virtutes cœlorum mouebuntur. Dum præcellentes cœlestium virtutes metu turbari video, auguror venientem iudicem esse diuinum; quando apud mundiales iudices non præclari, & potentes viri, sed viles,& abiecti discrimen incurrunt, lib.18.cap.2.§.4.

Et tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna, & maiestate. Non est maiestas diuina, in qua non est seueritas erga malitiam, lib.18.c.2. §.6. Habes de hoc Euangelio tom.3.lib.13.cap.1.

Dominica II. Aduent.

Matth. 11.

CVm *audisset Ioannes in vinculis opera Christi.* Non de propria libertate agit Ioannes,cum discipulis, sed de agnoscendo auctore salutis:huius enim scientia debet æstimari præ omnibus bonis mundi, lib.18. c.1. §.11. Rursus mittit discipulos ad Iesum,in cuius conspectu putat magna illis futura augmenta salutis, lib. 18.cap.1.§.18.

Cœci vident, claudi ambulant, &c. In malorum abolitione,vt claret diuinitas, lib.18.cap.1.§.3.

Qui mollibus vestiuntur, &c. Regales cultus nouissimi Christi præconibus,lib.17.cap.3.§.2. Item illi sunt fortissimi virtutum propugnatores, qui necessitati temporali indulgent, non voluptati. ibid.§.3

De hoc Euangelio habes tom.3. lib.14. cap.1.

Dominica III. Aduent.

Ioan. 1.

MIserunt *Iudæi ab Hierosolymis Sacerdotes, & Leuitas ad Ioannem.* Turbæ ad Iesum concurrebant, Synagogæ magistri ad Ioannem mittunt:semper enim innocentia simplex, & rudis oculatior est ad percipienda diuina,quàm sapientes mundi.lib.14.cap.2.§.9. Item quærentes Deum, non sapienter ad vnum Ioannem mittunt, quia Deus faciliùs inuenitur, per plurium Sanctorum imitationem.lib. 14.cap.2.§.8. Prætermittentes Iesum verum Messiam, ad Ioannem, qui verus Messias non erat, sed esse videbatur, mittunt; semper enim mundiales mouentur magis ad falsa. lib. 17.cap.1.§.14.lib.18.cap.vlt.§.7.

Tu quis es? Opera dicunt, quid quisque sit. lib. 14. cap.2.§.19.Item quid quisque sit, clariùs scitur in vitæ exitu.lib.15.cap.6.§.1.

Quia ego non sum Christus. Humilitas Dei Patris fœcunditatem exprimit in acquirendis filiis, & Ioannes humilis, tot asseclas acquirit. lib.15.cap.5. §.1. Item Ioannis constantia, quæ sola potest homines allicere. ibid.§.2. Nemo Christo propinquior,quam qui se exinanit,& obtenebrat propter Christum, lib.16.cap.23. §.20.

Ego baptizo in aqua; medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis.Ipse est,&c.Vides Ioannem totum esse in Iesu splendore ostendendo:& meritò,inde enim pereunt plurimi, quod non tam diuinum, quam proprium splendorem quærunt. lib.16.cap.23.§.12.

Quem vos nescitis,&c. Non prophetias,nec miracula attendebant Pharisæi, sed sensuum suorum ductu mouebantur, & sic in Deo agnoscendo errabant turpiter, lib.16.cap.23.§.12.

Dominica IV. Aduent.

Luc. 3.

PRocurante *Pontio Pilato*, &c. Cùm inter tot Principes inter se dissidentes populum Iudæorum partitum,diuisúmque videas, hoc tibi persuade,quod lucri temporalis cupiditas pacem, & vnanimitatem seruare non potest.lib.15.cap.8.§.14.Omnes hi dicuntur reges,gubernatores,nullus dicitur homo:hæc enim est communis principum calamitas, quod vix aliquis eorum hominem referat in vita. lib.16.cap.23.§.2

Factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto. Ecce quanta dicuntur de Ioanne,nimirum quod sit Zachariæ antistitis filius, quòd verbum Domini habeat in se, sed hæc bona dicuntur de illo, quando in deserto est, quia perfecta mundi abnegatio multiplicat bona.lib.15.cap.4.§.8. In deserto existenti Ioanni dicitur verbum diuinum, quia in mundialium regum curiis mendacium præualet. lib.14.cap.2.§.1. Ideò post numeratos tot Principes ad Ioannem fit verbum diuinum.

Ioannem, &c. Nunquam cum Dei verbo audito non stat aliquod signum salutis. lib.16. cap.23.§.21. Et à Dei verbo præstantissimum ornamentum excipimus. ibid.§.22.

Prædicans Baptismum pœnitentiæ. Quid habet baptismus cum pœnitentia? In baptismo suauitas, in pœnitentia asperitas; sed asperitas vitæ hominem suauiter confirmat.lib.15.cap.9.§.5. Pœnitentiæ ros adeò efficax,vt emortuas plantas, & siccas in vitam vàleat exsuscitare.lib.16.cap.15.§.20. Non prædicat flagellum pœnitentiæ,sed baptismum; infirmis enim peccatoribus prius proponenda faciliora.lib.16.cap.16.§.11.

Dominica infra Octauam Epiphaniæ.

Luc. 2.

CVm *factus esset Iesus annorum duodecim, ascendentibus illis Hierosolymam, secundùm consuetudinem diei festi,consummatísque diebus cùm redirent, remansit puer Iesus in Hierusalem, & non cognouerunt parentes eius.* Ex-

pende, quod cùm ascendunt Ierosolymam, non explicantur, qui ascendant, sed ait, *ascendentibus illis*; vbi autem post festa consummata puer manet Hierosolymis docturus Sacerdotes, iam explicantur eius parentes; dicit enim, *non cognouerunt parentes eius*. Quia parentum præstantia, & gloria tunc ostenditur, cùm à filio in virtutibus exceduntur. lib. 14. cap. 17. §. 16.

Ascendentibus illis Ierosolymam, &c. In nullo lassantur Dei serui mandato, sed omnia obeunt, & noua adimplent. lib. 16. cap. 17. §. 3.

Remansit puer in Ierusalem, &c. Dum externis festis dant operam parentes religionis ergo, puer diuinus illis absconditur; vix enim externa negotia, quamuis pia, exerceri solent sine damno. lib. 16. cap. 15. §. 24.

Venerunt iter diei, &c. Non sine magno laboris pretio salus est comparanda. lib. 16. cap. 9. §. 10.

Requirebant eum inter cognatos, & notos. Et non inuenientes, &c. Non miror, quod Iesus non inueniatur inter cognatos, quando Dei spiritus semper malè audit apud cognationes carnales. lib. 14. cap. 15. §. 20.

Inuenerunt illum in templo. Recens natus in templo sistitur Deo Iesus, & modò manet in templo, non enim facilè dimittendus locus, in quo primi effulserunt progressus virtutum. lib. 15. cap. 9. §. 16.

In his, quæ patris mei sunt, oportet me esse. De Iesu venit, quod Deum præsentiamus patrem. lib. 15. cap. 17. §. 3.

De hoc Euangelio habes in 1. tomo lib. 2. cap. 11. per totum.

Dominica II. post Epiphan.

Ioan. 2.

N*Vptiæ factæ sunt in Cana Galileæ, & erat mater Iesu ibi*, &c. Non otiosè in nuptiarum celebratione, dicitur esse mater Iesu, sed vt ostendatur, nuptiale bonum filiorum causa nutriendum. lib. 14. cap. 6. §. 6. De Mariæ matris consortio, non potest Iesus non esse salutaris. lib. 16. cap. 23. §. 8.

Vocatus est autem, & Iesus. Non est vita vbi non est Iesus. lib. 14. cap. 17. §. 9.

Et deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum: Vinum non habent. Vera liberalitas non diuitibus, sed egentibus tribuit. lib. 18. cap. 2. §. 8.

Quid mihi, & tibi mulier? Indulgentia cum patris seueritate iuncta vtilis. lib. 15. cap. 10. §. 7.

Implete hydrias aqua, &c. Deus suis asseclis etiam solet temporalia largiri. lib. 15. cap. 6. §. 10. Solus Iesus est, cui media suppetunt salutis humanæ, etiam in summa egestate. lib. 17. cap. 3. §. 4. De hoc habes in 2. tom. lib. 11. cap. 1. per totum.

Dominica III. post Epiphan.

Matth. 8.

S*I vis, potes me mundare*, &c. Solus Deus habet in promptu bona, quæ largiatur. lib. 14. cap. 9. §. 12. Dei dona precibus extorquenda. lib. 17. cap. 2. §. 9. Qui de Deo, & virtute magna credit, & præsumit, non indonatus abibit. ibid. §. 8.

Vide nemini dixeris, &c. Præstantissima hominis pulchritudo, suas laudes non ab alio, quàm à Deo quærere. lib. 14. cap. 5. §. 9.

Sed vade, & ostende te sacerdoti, & offer munus, &c. Salute accepta non permittitur quiescere, sed ad viam capessendam, & munus offerendum vrgetur, sic cœlestia bona præhabita in opus impellunt. lib. 14. cap. 9. §. 25.

Et offer munus. Sanitatem ex Deo accipiens iubetur munus offerre, quia donum Dei non est, de quo nullus extenditur ad proximos fructus. lib. 16. cap. 24. §. 11. Expende etiam illud *offer*, de præsenti: securior enim illius salus est, qui præsentibus operibus nititur. ibid. §. 8. De hoc Euangelio habes tom 2. lib. 9. c. 4. & c. 3.

Dominica IV. post Epiphan.

Matth. 8.

A*Scendente Iesu in nauiculam, secuti sunt eum discipuli. Et ecce motus magnus factus est in mari*, &c. Iesum in naui existentem & venti furentes, & insani fluctus persequuntur, quo enim quis sanctior, eo magis ab impiis arguitur. lib. 14. cap. 9. §. 27. Nulla est creatura, quæ Deo non militet, ad perterrefaciendos peccatores. lib. 16. cap. 22. §. 9.

Domine salua nos, &c. Oratio cum afflictione iuncta efficax. lib. 14. cap. 9. §. 37. Felices, qui in angustiis, non ad creaturas, sed ad Deum habent posse respicere, lib. 16. cap. 23. §. 29.

Imperauit ventis, & mari. In fide nominis Iesu nihil non tibi credet omnipotentia diuina. lib. 14. c. 17. §. 19. Amicitia mundialis in pressura deficit, non sic Christiana amicitia. lib. 16. cap. §. 11. Vide de hoc Euangelio in tom. 2. lib. 11. cap. 5. per totum.

Dominica V. post Epiphan.

Matth. 13.

S*Eminauit bonum semen in agro suo*. Vbi Iesus intercedit, nullum non completum, & perfectum venit bonum. lib. 14. cap. 23. §. 3.

Cum dormiunt homines, venit inimicus eius, &c. Hostis antiquus mortis soporem obseruat, vt tunc grauius tentet. lib. 14. cap. 18. §. 13.

Cum fructum fecisset, tunc apparuerunt Zizania. Vbi virtutes apparere incipiunt, & odia mundialia in illas insurgunt. lib. 14. cap. 20. §. 18.

Inimicus homo hoc fecit, &c. Non ex Deo, sed ex affectu nostro humano nascitur difficultas in virtutum opere. lib. 14. cap. 18. §. 6.

Vide lib. 6. cap. 2. per totum.

Dominica VI. post Epiphan.

Matth. 13.

Q*Vod accipiens homo seminauit*, &c. Diuina dona firmantur hominis cooperatione. lib. 15. cap. 9. §. 5.

Cum autem creuerit, maius est omnibus oleribus, &c. Iustus homo ex humilitate, & pressura gloriosior. lib. 15. cap. 5. §. 4. & 5.

Quod accipiens mulier abscondit, &c. Peccator secessum amet, vt saluti instet. lib. 14. cap. 16. §. 27.

In farina satis tribus. Diuinissimæ Trinitatis, vel adumbratio homini salutaris. lib. 14. cap. 13. §. 4.

Vide lib. 16. cap. 4. per totum.

Dominica Septuagesimæ.

Matth. 20.

C*Onducere operarios*. &c. Non nisi operarij conducuntur, quia ex virtutum operibus censetur quisque. lib. 14. cap. 20. §. 10.

Misit eos in vineam, &c. Non secum eos tulit, sed misit, quasi à se separatos, quia illa virtus probatur, quæ non solum in oculis vindicis existit. lib. 14. c. 21. §. 10.

Et egressus circa horam tertiam, &c. Fructum spiritualem requirens non continuò instet peccatori, sed spatiis interpositis. lib. 14. cap. 20. §. 10.

Circa vndecimam verò exijt, &c. Miraris, quod circa vndecimam horam adhuc sint aliqui ociosi, sed illud certum est, quod solus Deus potest illos à perditorum grege secernere, & nisi Deus adsit, & hora vndecima, & postrema in vitiis erunt. lib. 14. cap. 20. §. 9.

Incipiens à nouissimis, &c. Etiam maximi peccatores conuersi in cœlestibus præmiis visentur. lib. 14. cap. 17. §. 4. Vide lib. 16. cap. 9. per totum.

Dom.

Dominica Sexagesimæ.

Luc. 8.

VOlucres cœli comederunt illud, &c. Meritò in aëris volucres abit semen verbi Dei; quando Dei verba instar vacui soni habentur à peccatoribus. lib. 14. cap. 18. §. 5.

Natum aruit, quia non habebat humorem. Lacrymarum, & pœnitentiæ humor efficaciam præbet orationibus, &c. lib. 15. cap. 4. §. 5. quære in Indice verbo, *Lacryma.*

Exorta spina suffocauerunt illud, &c. Temporalia bona occasiones sunt perditionis. lib. 15. cap. 10. §. 9. & alibi passim.

Ortum, fecit fructum centuplum, &c. Qui abiectis temporalibus, cœlestia auidè cupit, multiplices recipit fructus. lib. 15. cap. 4. §. 8.

Vide lib. 16. cap. 1. per totum.

Dominica Quinquagesimæ.

Luc. 18.

CÆcus quidam sedebat secus viam, &c. Dum cæcus mendicat circa viam, totam felicitatis causam inuenit, nempe Iesum; & quidem felicissimos inter se annumerat, cui mundialia omnia obtenebrescunt. lib. 14. cap 17. §. 2.

Ecce ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur, &c. Tunc passio reuelatur discipulis, cum ipsi ascendunt Ierosolymam, quia mysteria crucis eis sunt fructuosa, qui calcatis terrenis ad cœlestem Ierosolymam tendunt. lib. 16. cap. 21. §. 9.

Ipsi nil horum intellexerunt. Adhuc seruituris iugo premebantur, adhuc spiritum seruituris habebant, ideo verbum crucis non intelligunt, quod vix capitur à seruilibus mentibus. lib. 16. cap. 22. §. 10.

Multo magis clamabat. Vbi amicitia non præualet, longis precibus opus habes, &c. lib. 15. cap. 3. §. 10. Oratio perseuerans obtinet. lib. 17. cap. 1. §. 18.

Iesu fili Dauid, miserere mei. Pro se toto misericordiam postulat, cum ipse solùm visionem oculorum requirat, & meritò, quia ex oculis totus censetur homo. lib. 14. cap. 9. §. 17.

Vt videam. Hoc est præsentissimum hominis remedium, si videat. lib. 17. cap. 1. §. 10.

Vide lib. 10. cap. 4. per totum.

Feria IV. Cinerum.

Matth. 6.

VT appareant hominibus ieiunantes. Perditionis est filius, qui in virtutum possessione ad laudes humanas expiscandas componit vitam. lib. 16. cap. 23. §. 25.

Sicut hypocritæ tristes. Qui non gaudenter, & alacriter virtutem arripit, iam displicet. lib. 16. cap. 23. §. 14.

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra. Rationalis naturæ fructus, quò remotior à terra, eò securior. lib. 16. cap. 23. §. 5.

Memento homo, quia puluis es, &c. Vicinitas mortis efficax, vt nos ad Deum trahat. lib. 16. cap. 23. §. 11. Vt hominem continet. lib. 16. cap. 8. §. 11. Diabolus memoriam mortis abolere curat. lib. 18. c. 8. §. 41.

Vide lib. 14. cap. 9. per totum.

Feria V. Cinerum.

Matth. 8.

DOmine, puer meus iacet in domo paralyticus, &c. Proficua est oratio, quæ proximorum negotia agit. lib. 15. cap. 3. §. 7. & quæ proximioribus prouidet. ibid. §. 9. & lib. 15. cap. 9. §. 17. Infelix ingenium, quod sola vexatione trahitur. lib. 18. cap. 6. §. 5.

Puer meus iacet, &c. Crudelitas erga infirmos, & egenos cognatos perditioni obnoxia, &c. lib. 18. cap. 4. §. 7.

Ego veniens curabo eum. Gloriosa infirmitas, quæ talem habuit curatorem; sic iusti viri infirmitatibus gloriosiores redduntur. lib. 15. cap. 5. §. 4. Quæ per multorum manus tribuuntur munera, vix procedunt, sine accipientis iniuria. lib. 18. cap. 2. §. 9. Spiritus diuinus eo tendit, vt faeili diligentia possimus comparare salutem. lib. 18. cap. 1. §. 19.

Dic verbo, &c. Vel Iesu verbulum inamissibilem salutem causat. lib. 14. cap. 18. §. 3.

Ego dico huic, vade, & vadit, &c. Fidelis Dei seruus omnium dominatur. lib. 15. cap. 2. §. 9.

De hoc Euangelio habes in 2. tom. lib. 9. cap. 3. per totum.

Feria VI. Cinerum.

Matth. 5.

EGo autem dico vobis, diligite inimicos vestros. A Iesu non potest non venire beneficentia in hostes suos. lib. 16 cap. 21. §. 21. lib. 16. cap. 15. §. 19.

Orate pro persequentibus, &c. Iesu virtus præstantissima est, quos scias credere hostilibus iris. lib. 18. cap. 6. §. 1.

Qui solem suum facit oriri, &c. Auxilium, & præsidium Dei habet, qui vel inter calumniantium iniurias seruat mansuetudinem. lib. 18. cap. 4. §. 5. Est hoc Euangelium lib. 14. cap. 7. per totum.

Sabbatum post Cineres.

Marci 5.

IEsus solus in terra, &c. Solus Iesus, & eius æterna bona verè sunt; cætera omnia temporalia non sunt. lib. 14. cap. 17. §. 5.

Vidit discipulos suos laborantes in remigando. Ante Christum passum laborabant, qui post passum Iesum à laboribus apparent liberi. lib. 14. cap. 20. §. 12.

Confidite. Ego sum, nolite timere. Laborantibus, & timore perterritis discipulis iubet à timore, & labore esse liberos, quia Deus homini suo imperturbabilem requiem, & tranquillitatem prouidit. lib. 4. cap. 18. §. 9. De Iesu manu nihil non salutare sperandum. lib. 18. cap. 2. §. 7. In eius præsentia omne bonum. lib. 16. cap. 15. §. 38.

Cumegressi sunt de naui, continuo cognouerunt eum. Vt à naui, fluctibúsque egressi sunt, & Iesu accedunt, statim illum cognoscunt, quia Iesus non potest non petere inter homines iustos. lib. 14. cap. 20. §. 16.

Non intellexerunt de panibus, &c. Non sine damno à memoria elabitur beneficium cœlestis panis. lib. 16. §. 10.

Circa quartam vigiliam noctis venit ad eos. Vt vidit discipulos suos Iesus non in terra, sed in aquis esse, venit ad eos: diuinum enim spiritum ille percipit qui à terris abscedit. lib. 18. cap. 1. §. 6.

Et accesserunt ad eum taci, &c. Inter ipsas iras accessibilis est Deus, vt bona faciat. lib. 16. cap. 12. §. 14. & cap. 24. §. 13.

Videntes autem Principes Sacerdotum, &c. indignati sunt. Iustorum conditio apud peccatores peior habetur quàm apud feras. lib. 14. cap. 16. §. 36.

De hoc Euangelio vide lib. 11. cap. 7. per totum.

Dominica I. Quadragesimæ.

Matth. 4.

DVctus est Iesus in desertum à spiritu, vt tentaretur à diabolo. Non subitò raptus, sed spiritu ductus est, vt ostendatur, quàm seriò, & quanto electionis pondere arripienda est virtutis via. lib. 14. cap. 1. §. 9. Quo re

te magis ab hominum consortio remoueris, eò minus negotij Deo in tui protectione dabis. lib.16. cap.13.§.2.

Dic vt lapides isti panes fiant, &c. Lapides proponit vilissimos, qui deseruiant saluti habendæ; vt ostendatur quanta sit humanæ salutis proditio illam in rebus vilissimis, & nullius pretij fundare. lib.14.cap.14.§.3. Item ex lapidibus fieri panes petit, temporalia enim multo sudore, & labore acquiruntur, at æterna, vel sola meditatione fiunt. lib.14.cap.17.§.6.

Non in solo pane viuit homo, &c. Vbi temporalibus niteris, non effugies penuriam, famémque: omnium copiam habebis, si Iesu niteris. lib.10.§.3.

Mitte te deorsum, scriptum est enim, quia Angelis suis mandauit de te, &c. Diabolica est persuasio, quod salutis tuæ negotium non facias ipse, sed aliis remittas. lib.15. cap.3.§.2. Spiritus autem Christi non aliis credit muneris sui onera. lib.15.cap.4.§.2. Non solum alienis, sed magis suis nitatur homo virtutibus, si amat, pro lapsis satisfacere Deo. lib.16.cap.4.§.5.

Ostendit ei omnia regna mundi. Non refugit Dominus mundialium gloriarum præsentiam; viri enim spiritualis perfectio in eo est sita, non solum, quod fugiat prorsus mundiales res, sed quod & taliter illas habeat, vt facilè ab illis se expediat. lib.16.cap.10.§.7.

Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me, &c. Offert regna, & petit seruitutem, quia in solis diuinis donis nulla est seruitus. lib.15.cap.1.§.3. Infelicissimus homo est, quem ditant solæ creaturæ, & non Deus. lib.16.cap.10.§.1.

Deum tuum adorabis, &c. Quandiu præ oculis tuis Deũ habes, ferè inexpugnabilis existis. lib.15.c.2.§.3.

De hoc Euangelio habes tom.1.lib.3.c.2.per totum.

Feria II. à Dom. I.

Matth. 25.

ET *omnes Angeli eius cum eo.* Creaturæ citius adducũtur in damnationẽ hominum. lib.16.c.12.§.10.

Separabit eos ab inuicem. In iudicio separantur impij à piis: quia vbi Deus vindex ostenditur, solus ab omni fulcro relinquitur impius. lib.16.cap.16.§.7. & lib.16. cap.8.§.8.

Esuriui enim, & dedistis mihi manducare. De eleemosynæ bono. lib.16.cap.2.§.2. & sæpe alias, vt videre est in Indice.

De hoc Euangelio vide lib.14. cap.3. per totum.

Feria III. à Dom. I.

Matth. 25.

INtrauit *Iesus in templum, & eijciebat*, &c. Meritò facto flagello homines à templo, vt bestias arcet, quia homo non est, quem vel templi locus non conuertit. lib.15.cap.7.§.1.

Eijciebat omnes vendentes, &c. Quantulum malum hoc? Sanè maximum erat, quando homo extra Dei Ecclesiam nihil potest habere. lib.16.cap.4.§.7.

Et mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit. Quid quod & columbas, & nummos perdat? Sanè vbi salus æterna non perditur, nulla alia perditio non parui momenti est. lib.14.cap.22.§.1.

Cathedras vendentium columbas euertit. Summa perfectio Reipublicæ, quod nocentes puniantur. lib.16.c.7. §.3. Non parua gratia peccatori fit, cuius supplicium non differtur. lib.16.cap.8.§.4.

Feria IV. à Dom. I.

Matth. 12.

VOlumus *à te signum videre.* Nimirum, vt explicat glossa, signum de cœlo; populares à Deo requirebant vera sanitatum signa; Principes autem Hierosolymitani non acquiescunt, nisi signis in aëre factis, quia apud hos illud in primis valet, quod magis proximum est inanibus mendaciis. lib.14.cap.2.§.5.

Generatio praua, & adultera. Cur adultera potius generatio vocantur, cùm non tam luxuria, quàm rabie aduersus Iesum mouentur? Sanè à luxuriæ veneno ea rabies concipitur, quæ aduersus vitale omne exsurgat. lib.14.c.9.§.19. Negatur signum generationi adulteræ, quia Deus legitima sua opera reparare sola gaudet. lib.16.cap.13.§.10.

Nisi signum Ionæ. Nimirum signum Iesu à morte deuorati, & sepulti, quia Iesus patiens efficacior est ad persuadendum, &c. lib.14.c.18.§.7. Nimirum signum Iesu à morte deuorari, quia ex quo Iesus suo sanguine rubuit, ipse nobis omnis felicitatis signum. lib.18. cap.5.§.2. Christi humilia manifestissima erant signa diuinitatis. lib.18.cap.5.§.3.

Viri Niniuitæ surgent in iudicio. Expende quando peccatores surgunt, nimirum in iudicio, semper illos nimis sera cruciabit pœnitentia. lib.13.cap.2.§.4.

Regina Austri surget in iudicio, & condemnabit. Non iudex, sed femina condemnabit, vt iam inde caueantur feminæ apud iudices, quando si ibi sunt, omne ipsæ in malum administrabunt iudicium. lib.14.cap.1.§.2. De illis, qui in iudicio possent surgere loquutus, dicit viros Niniuitas plures, & Reginam Austri vnam; quia de Principibus mundi, aut nullus, aut rarus est, qui non malè prorsus iaceat in iudicio. lib.16.cap.20.§.2.

De hoc Euangelio in 2.tom.lib.12.cap.9.per totum.

Feria V. à Dom. I.

Matth. 15.

MIserere *mei Domine fili Dauid, filia mea malè à Demonio vexatur.* Satius dixisset, miserere filiæ, sed maluit dicere, miserere mei, omnes enim in aliorum peccatis habent vnde timeant. lib.14.cap.17.§.1. Filiæ suæ procurat salutem, & merito, quia propinquioribus prius est misericordia impendenda. lib.16.cap.20.§.5.

Mulier Chananæa à finibus illis egressa. Vt à suis finibus egreditur Iesu adhæsura, sic Iesus ad illam extendit salutem destinatam Israëlitis, quia à Deo nobis indebita donantur, cum nos indebitum operamur pro illo. lib.16.cap.17.§.5.

Filia mea malè à Dæmonio vexatur. Et tunc cum mater inuocat Iesum, audet dæmonium vexare filiam eius, sanè quia non erat filia ibi, vbi Deus à matre inuocabatur: si enim ibi esset, tantum malum non sustinuisset. lib.14.cap.21.§.3.à medio.

Quia clamat post nos. Boni Prælati, quàm debent præuenire ouium suarum voces. lib.15. cap.6.§.5.

Dimitte illam, quia clamat post nos. Sanctorum patrocinia tunc maximè prosunt, cum nostra illis solicitudo coniungitur. lib.16.cap.16.§ 17.

Nam & catelli, &c. Non solum canem se reputat, sed & catellum; eò enim tendit Iesu spiritus, vt efficiamur paruuli. lib.15. cap.1.de seruo vigili.§.5. Mulieris humilitas obtinuit incolumitatem filiæ: & quidem humilitas homines ditat filiis. lib 16.cap.22.§.3.

Habes de hoc Euãgelio in 2.tom.lib.6.c.7.per totum.

Feria VI. à Dom. I.

Ioan. 5.

EXpectantium *aquæ motum.* In aquæ motu salutem constitutam expectabant, nec miror, cum sciam in salutis negotio, etiam minima æstimanda esse. lib.14. cap.12.§.3.

Dominica I. Quadragesimæ.

Matth. 4.

DVctus *est Iesus in desertum à spiritu, vt tentaretur à Diabolo.* Non subitò raptus, sed spiritu ductus est,

vt ostendatur, quam seriò, & quanto electionis pondere arripienda est virtutis via. lib. 14. cap. 1. §. 9. Quo te magis ab hominum consortio remoueris, eò minus negotij Deo in tui protectione dabis. lib. 16. c. 13. §. 2.

Dic vt lapides isti panes fiant, &c. Lapides proponit vilissimos, qui deseruiant saluti habendæ; vt ostendatur quanta sit humanæ salutis proditio illam in rebus vilissimis, & nullius pretij fundare. lib. 14. cap. 14. §. 3. Item ex lapidibus fieri panes petit, temporalia enim multo sudore, & labore acquiruntur, at æterna, vel sola meditatione fiunt. lib. 14. c. 17. §. 6.

Non in solo pane viuit homo, &c. Vbi temporalibus niteris, non effugies penuriam, famémque. omnium copiam habebis, si Iesu niteris. lib. 10. §. 3.

Mitte te deorsum, scriptum est enim, quia Angelis suis mandauit de te, &c. Diabolica est persuasio, quod salutis tuæ negotium non facias ipse, sed aliis remittas. lib. 15. c. 3. §. 2. Spiritus autem Christi non aliis credit muneris sui onera. lib. 15. c. 4. §. 2. Non solum alienis, sed magis suis nitatur homo virtutibus, si amat, pro lapsis satisfacere Deo. lib. 16. c. 4. §. 5.

Ostendit ei omnia regna mundi. Non refugit mundialium gloriarum præsentiam; viri enim spiritualis perfectio in eo est sita, non solum, quod fugiat prorsus mundiales res, sed quod & taliter illas habeat, vt facile ab illis se expediat. lib. 16. cap. 10. §. 7.

Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me, &c. Offert regna, & petit seruitutem, quia in solis diuinis donis nulla est seruitus. lib. 15. cap. 1. §. 3. Infelicissimus homo est, quem ditant solæ creaturæ, & non Deus. lib. 16. cap. 10. §. 1.

Deum tuum adorabis, &c. Quandiu præ oculis tuis habes, ferè inexpugnabilis existis. lib. 15. cap. 2. §. 3.

De hoc Euangelio habes tom. 1. lib. 3. c. 2. per totum.

Feria II. à Dominica I. Quadrag.

Matth. 25.

CVm *venerit filius hominis*, &c. De hoc vide lib. 14. c. 3. per totum. Nescit Iesus solus lucere, sed dum transfiguratus lucet, etiam suos lucida nube vestit, quia quidquid Iesus est, hoc facit, quod sint illi, quibus adhæret. lib. 14. cap. 19. §. 6.

Et omnes Angeli eius cum eo. Creaturæ citius adducuntur in damnationem hominum. lib. 16.

Neminem viderunt, nisi solum Iesum. Felix ille cui nil datur spectari, nisi Christus. lib. 14. cap. 15. §. 14.

Resplenduit facies eius sicut sol: vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. Tota hæc gloria, vel elementaris niuis, vel materialis lucis mensuram pertingit, vt ostendatur, quàm parua sint, quæ hic ex Deo habemus, respectu illorum, quæ manent in cœlis. lib. 18. c. 1. §. 13.

Bonum est nos hic esse. Totum quod homo potest requirere, id habet in Iesu. lib. 18. cap. 7. §. 11. lib. 16. c. 21. §. 17.

Ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde. Modo bonum putant ibi esse, modo vehementer timent, sic quæ carnali affectu petuntur, cito, & contemptum generant, & fastidium. lib. 16. cap. 13. §. 11.

Nemini dixeritis visionem, &c. Dei dona, dum euulgantur, perduntur.

Habes de hoc Euangelio in 1. tom. lib. 3. cap. 4. per totum.

Dominica II. Quadragesimæ.

REpete Euangelium præcedentis Sabbati.

Feria II. à Dominica II.

Ioan. 8.

EGo *vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini*. Vbi abest Iesus, irreparabilis mors, & perditio venit, non irreparabilis est. lib. 15. cap. 2. §. 4.

Quò ego vado, vos non potestis venire. Infelicissimus est, qui cum Iesu nequit esse; quando in eius societate summum est bonum. lib. 1. cap. 6. §. 8.

Vos de deorsum estis, &c. Summa sapientia est scire renuntiare mundanis omnibus. lib. 14. cap. 23. §. 8.

Si non credideritis quia ego sum, moriemini in peccatis. Obdurati in peccatis miserius à Iesu perdentur. lib. 15. cap. 12. §. 2.

Cum exaltaueritis filium hominis, &c. In Christi morte maximæ illius gloriæ effulgent. lib. 15. cap. 12. §. 9. Vide lib. 18. cap. 12. §. 22.

Feria III. à Dominica II.

Matth. 13.

SVper *Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi*. Nullus est locus adeò sanctus, in quo reprobi non possunt inueniri. lib. 16. cap. 22. §. 12.

Super Cathedram Moysi sederunt. Super Christi crucem non solum sedent, sed exaltantur. lib. 18. cap. 1. §. 14. lib. 17. cap. 3. §. 11.

Dicunt, & non faciunt. Summa prædicatoris, magistrive vanitas solis verbis nititur. lib. 16 c. 19. §. 7. Christianissimi apex, non solum verbis, sed operibus agit. lib. 16. cap. 22. §. 7.

Vt videantur ab hominibus. Summa gloria viri, quod non ipse, sed Deus in operibus eius videatur. lib. 16. cap. 20. §. 7.

De hoc Euangelio habes tom. 3. lib. 14. c. 16. per totũ.

Feria IV. à Dominica II.

Matth. 20.

ECce *ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur*, &c. Cur ascendere diceris, quando tot malis premeris? Sanè pressuræ extollunt iustos, &c. lib. 15. c. 12. §. 5. Passio Christi ob oculos posita validissima est, vt faciat virtutum viis insistere. lib. 16. cap. 11. §. 3.

Et tertia die resurget, &c. Vbi resurrectio apparet, mors omnem horrorem perdit. lib. 15. cap. 12. §. 8.

Vnus à sinistris. Quod peteret mulier, nisi sinistrum latus? Vbi enim per mulieres res agitur, nequit non venire quid sinistrum, quia carnalis voluptas id solum parit. lib. 14. cap. 6. §. 3.

Potestis bibere calicem, &c. Ante diuina dona, & labor, & pressura propinatur. lib. 14. cap. 9. §. 30.

Et audientes decem indignati sunt. Vbi temporalis lucri cupiditas intercedit, non potest esse pax, sed indignatio, sed discordia. lib. 15. cap. 8. §. 14.

Ad illudendum, & flagellandum, &c. Decuit Deum nihil patientiæ prætermittere. ibid. cap. 9. §. 9.

Tunc accessit mater filiorum, &c. Cum de cruce, & passione agebat Iesus, accessit illa petens, & merito, quia qui vulneribus Iesu adhæret, ad omnia eius bona introibit. lib. 16. cap. 13. §. 9.

Et vnus ad sinistram. Vel ad Dei sinistram inclinat ambitio, Principatus enim amor, animarum carnifex est. lib. 18. cap. 1. §. 1. De hoc Euangelio habes tom. 2. lib. 12. cap. 8. per totum.

Feria V. à Dominica II.

Luc. 16.

HOmo *quidam erat diues*. De quo in præsenti tomo lib. 17. cap. 1. per totum.

Epulabatur quotidie. Quid pariat gula habes lib. 14. cap. 16. §. 16. & cap. 9. §. 7. & alibi.

Induebatur purpura, &c. Mollis cultus fatalis est. lib. 14. cap. 1. 12.

Erat quidam mendicus, &c. *cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat, sed & canes*, &c. Quanta crudelitas diuitis in pauperem? Sed non miror; erat diues inter dapes; quæ quo lautiores, & abundantiores sunt, eò crudeliores homines efficiunt. lib. 15. cap. 2. §. 10.

Mor

Mortuus est autem, & diues, & sepultus in inferno. Vbi sepultus in inferno erat ostendendus, simul ostenditur diues, quia ferè damnatio non est, vbi aurum non est. lib.14.cap.3.§.2.

Vidit Abraham à longè, & Lazarum in finu eius. Dum in inferno est diues, apparet incœlo pauper, quia Iesus nescit vni claudere cœlum, quin illum alteri aperiat. lib.14.cap.16.§.12.

Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, &c. Iesu salus festinat ad eos, in quibus labores fuerunt, & ærumnæ. lib.14.cap.15.§.17.

Feria VI. à Dom. II.

Matth. 21.

Q*Vi plantauit vineam.* Non vilium olerum hortos, sed ditissimam vineam offert Deus seruis suis; nec enim impunè patitur Deus à se vilia, & leuidensia requiri. lib.14. c.19. §.1. Forti iusti homines vocantur vinea, quia licèt iusti, tamen dum in terra sunt, in purgatione indigent. ibid.§.3.

Alium ceciderunt, alium occiderunt, alium lapidauerunt. Vbi res Christi agitur, non potest non sentiri persecutio. lib.15.cap.8.§.3.

Iterum misit alios seruos plures, &c. Cur sciens seruos omnes occidendos ab agricolis, adhuc instat mittere seruos, vt fructus requirant? An Euangelicus fructus ex morte augendus? Equidem ille aptior minister aptatur ad Euangelicos fructus percipiendos, qui cum morte, & tyrannis scierit confligere? lib.15.cap.8.§.6.

Hic est heres, venite occidamus eum. Temporalis hæreditas odiorum, & crudelitatum seminarium est. lib.14. cap.18.§.19.

Malos malè perdet. Quid aliud iudicarent homines aduersus peccatores, quando solus Iesus nouit eis parcere? lib.14.cap.10.§.11.

Hic factus est in caput anguli. Qui persecutionem patiuntur in mundo, superiorem locum acquirunt, vt mundum tyrannósque debellent. lib.14.c.16.§.38.

Vide lib.16.cap.21. per totum.

Sabbatum à Dominica II.

Luc. 15.

H*Omo quidam habuit duos filios.* Habetur lib.16.c.15. per totum.

Da mihi portionem substantiæ. Bene petit non substantiam, sed portionem; quia quidquid temporale est, aut portio quædam paruula, aut nihil est. lib.14.c.17.§.5. cap.6.§.12.

Peregrè profectus est, &c. *& ibi dissipauit substantiam.* Qui à Iesu separatur, abit in nihilum. lib.14.c.17.§.9.

Adhæsit vni ciuium, &c. Nulla requies dari potest, vbi homo non cum patre, sed cum aliis dominis agit. lib. 14.cap.17.§.11.

Quanti mercenarij in domo patris, &c. Si quid paternum in Deo non esset, funditus perderetur homo. lib. 14.cap.17.§.12.

Iam non sum dignus vocari filius, &c. Ille solus filius sese illustribus suis parentibus æqualem refert, qui illos in aliquo facinore excedit. lib.14.cap.17.§.17.

Dominica III. Quadragesimæ.

Luc. 11.

E*Rat Iesus eijciens Dæmonium.* Benignitas Iesu erga homines inexpugnabile prorsus asylum est. lib.14. c.17.§.3. Non dicit, quid faceret Iesus, vbi enim Deus noscitur adesse, nil aliud requirendum. lib.15.c.8.§.11. Expende illud, *erat* quo ostenditur non rapidus zelus, sed longanimis Saluatoris expectatio, qua tractat Domino egressum. Patientia enim expectantis dat fratres posse lucrari. lib.16.cap.8.§.13.

Et illud erat mutum. Cur dicitur quod Iesus erat eijciens Dæmonium? Cur non magis, sine vlla dilatione, aut mora facit illud abire? Erat equidem illud mutum, & sola oris confessio solet citissimam sanitatem acquirere. lib.15.c.7.§.8. Tota hominis perditio, quod peccato plenus prorsus obmutescat, ne confiteatur. lib.16. cap.22.§.17.

Et cum eiecisset Dæmonium, locutus est & mutus, &c. Non solum Dæmonium abiit, sed & vox redit, vbi enim Iesus intercedit, nulla nō integra, & completa bona sunt. lib.14.c.23.§.3. Non potest, non Deo esse seueritas in malos, quæ eos eijciat, & feriat. lib.18.cap.2.§.6.

Loquutus est mutus. Vbi intima cordis vitia expurgantur, facili negotio externi actus fiunt conspicui. lib.18.cap 1.§.10.

De hoc habes tom.2.lib.7.cap.3.per totum.

Feria II. à Dom. III.

Luc 4.

N*Emo Propheta acceptus est in patria sua.* Nulla est cognatio, quæ non indignè ferat suorum præcellentias. lib.14.c.12.§.1. Item Dei spiritus malè audit apud cognationes carnales. lib.14.cap.15.§.20.

Nisi in Sarepta Sidoniæ ad mulierem viduam. Præ omnibus Israëlitis vna mulier vidua, & extranea eligitur, quia sola virtus æstimatur, vt quæ sola fructifera. lib. 14.cap.19.§.7.

Nemo eorum mundatus est, nisi Naaman. Quia ipse per se omnia salutis negotia peregit, non per nuntios. lib. 15.cap.3.§.2.

Ipse autem transiens per medium illorum ibat, &c. Mansuetudo innocens secura inter hostiles incursus. lib.15. cap.8.§.9.& §.8. Vide lib.17.c.2.per totum.

Feria III. à Dom. III.

Matth. 18.

S*I peccauerit in te frater tuus, corripe.* Deus citius peccata plectit, quæ aduersus alios sunt. lib.16.c.11.§.2.

Corripe eum inter te, & ipsum solum. Præmittenda est aliqualis benignitas, vbi in bonam frugem reducendus est peccator. lib.16.cap.13.§.5.

Si te audierit, lucratus es fratrem tuum Ecce quale præmium officij exhibiti proponitur, nimirum, non alia palma, sed quod lucratus est fratrem. Et quidem omnium laborum compensationem habet bonus pastor in salute sibi creditæ animæ, lib.16.cap.3.§.4.

Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus. Non ante ad hanc seueritatem permitteris accedere, quam semel, & bis, & ter alia suauiora tentaueris. Semper enim plura debent esse remedia mitia, quàm austera in trahendo fratre. lib.16.cap.9.§.8.

De hoc habes in tom.3.lib.14.cap.13.per totum.

Feria IV. à Dom. III.

Matth. 15.

Q*Vare discipuli tui transgrediuntur traditiones*, &c. Iniquum est in te solas virtutes videre, in proximo solos defectus. lib.15.cap 10.§.5.

Quare & vos transgredimini mandatum, &c. Qui adeò scrupulosi erant circa paruulas seniorum traditiones, vide vt dicantur præterisse Dei mandata: sæpe enim solet animus nimiè affectans paruula, cæcutire ad magna. lib.14.cap.16.§.22.& 24.

Munus quodcumque ex me tibi proderit, &c. Vt munera ex fidelibus acquirerent, docebant crudelitatem in parentes, quò nihili faciebant Dei mandata. Et quidem nihil sic diuinis aduersatur, vt auaritia. lib.14.c.3.§.3. Itē auaritia omnē exuit humanitatem. lib.15.c.6.§.12.

Bene prophetauit de vobis Isaias, dicens: Populus hic labijs me honorat, &c. Non solum dicit, quòd prophetauit Isaias, sed addit, quòd bene prophetauit, etenim supra prophetiam est, obnubilatam præsentibus mendaciis veritatem cernere. lib.14.cap.1.§.15.

Cæci sunt &c. Temporalia bona excæcant. lib.14.c.16. §.19. Vide lib.18.cap.4 per totum.

Feria

Feria V. à Dom. III.

Luc.4.

S*Ocrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.* In Petri domo vide qualia ostendantur magnalia, nimirum febres ardentissimæ, ærumnæ, infirmitates. Et quidem horum tolerantia longè superat alia excellentiora miracula. lib.14.cap.1.§.7. Febribus tenebatur, ne in perditionem iret; veniunt enim temporalia mala, non in malum, sed in bonum. lib.16.cap.11.§.6.

Tenebatur magnis febribus. Et quidem magnis rudentibus opus erat, vt fœmina posset teneri, quando muliebre ingeniū pronius est discessioni. lib.16.c.13.§.2.

Et rogauerunt illum pro ea. Qui rogarunt? Dum alij non explicantur rogatores, crediderim quod etiam febres rogarunt, quando ærumnæ vocalissimæ sunt ad impetrandum. lib.14.cap.1.§.5.

Surgens ministrabat illis. Non solum Iesus dedit illi salutem, sed & quod illis ministret, de Iesu enim venit, quod possis in obsequio placere plurimis. lib.15. cap.1.§.22.

Continuo surgens ministrabat. De Petro dicebatur, *continuo relictis retibus secutus est eum*, de eius socru dicitur, *continuo surgens ministrabat.* Pertinet ad verum virtutum amatorem, sibi in virtutibus reddere similes omnes familiares suos. lib.16.cap.5.§.6.

De hoc habes in 2.tom.lib.10.cap.6.per totum.

Feria VI. à Dom. III.

Ioan.4.

F*Atigatus ex itinere sedebat sic supra fontem.* Sic fatigatus sedebat supra fontem, nec miror, quando fatigatio sumpta pro iustitia, & Deo potestatis sedem gloriosam parit. lib.14.cap.13.§.14.

Da mihi bibere. Cur tantam daturus Dominus beneficiorum copiam, ab illa aquam exposcit: Nulla res securiorem, & certiorem apud Deum mercedem obtinet, quàm exhibitio misericordiæ, vel in aquæ potu. lib.14. c.15.§.18. Iudæi Samaritanorum errores persequentes, ab illorum abstinebant conuictu: Iesus, nec Samaritanam peccatricem persequitur, sed blandū cum illa colloquium init, vt qui illam traberet ad virtutem. Non enim sic rigor, vt suauitas virtutes elicit. lib.16.c.8.§.3.

Dedisset tibi aquam viuam. Christi Domini opes inexhauribiles, supra omnem fidem præstitam est eius thesaurus. lib.14.c.17.§.10. Iudæorum erat arcere à se Samaritarum conuictum: Deus autem non in arcendo, & excludendo aliquem noscitur, sed in trahendo ad vitam. lib.16.cap.7.§.2.

Fiet in eo fons. Christus Dominus nescit partita dona. lib.14.c.10.§.31. Qui vel guttam aquæ exceperit, & fontem integrum accipiet; sic vel ex paruo Dei dono ad totum Deum habendum potes venire. lib.16. cap.6. §.13. Nescit Deus sistere in donis exhibendis. ibid.§.14.

Non est meus vir. &c. Religio & castitas simul solent esse, vt perfidia & lasciuia. lib.16.cap.23.§.6.

Item castitatis doctrina aptatur hæc fœmina ad fidem. ibid.§.5.

De hoc Euangelio habes in 1.tom.lib.6.c.3.per tot.

Sabbatum à Dom. III.

Ioann.8.

A*Dducunt Scribæ, & Pharisæi mulierem deprehensam in adulterio,* &c. Peccatorum felicitas, quod deprehendantur; hoc enim nanciscuntur, quod Deo sistātur, quando impunitas, & dissimulatio solet esse perditionis fomentum. lib.14.c.8.§.9. Vide etiā lib.14.c.13.§.7.

Hæc mulier modo deprehensa est. &c. De lenitate correctionis vide lib.14.cap.13.§.2.

Digito scribebat in terra. Non miror, quod digito scri-

beret in terra, quasi ad postulata surdescens, vbi enim pro saluandis hominibus non rogatur Dominus, surdus est, imò & quasi mortuus, & in terra sepultus. lib. 14.cap.23.§.2.

Qui sine peccato est, &c. Se quisque in infirmitatibus proximorum nouerit. lib.14.cap.4.§.6.

Vide lib.18.cap.8.per totum.

Dominica IV. Quadragesimæ.

Ioann.6.

S*Equebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quæ faciebat, super his, qui infirmabantur.* Propter salutem temporalem sequuntur Iudæi Iesum, qui illum propter æternam salutem sequi detrectabant. Et quidem summa dementia est, non vincere propter diuina, quas difficultates superamus propter temporalia. lib. 14.cap.10.§.1.

Vidisset, quia multitudo magna venit, &c. Ille felicius studet lucris, qui non in vnum, sed in plures sua mittit beneficia. lib.16.cap.1.§.5.

Vt manducent hi? Diuinissimum est nulli suam opem, auxiliumque negare. lib.16.c.1.§.6.

Cum subleuasset ergo oculos Iesus. Felix ille, super quem suos subleuat Iesus oculos, vbi enim Iesu oculi sunt, non potest stare malus. lib.15.cap.11.§.5.

Dicit ei Philippus ducentorum denariorum panes non sufficiunt, &c. *Andreas frater Simonis,* &c. *Quid inter tantos?* Vide vt omnes discipuli angustantur; etenim in solo Iesu abundare possunt largitiorum munera. lib.15.c.6. §.14.

Accepit ergo panes Iesus, & gratias egit. &c. Saturaturus multitudinem in primis gratias agit; quippe gratiarum actionis opus ad cœlestem cibū paras. lib.14.c.10. §.2.

Distribuit discumbentibus. Diuinæ mentis natura in præstandis beneficiis clarescit. lib.16. cap.1.§.3. Tantum Deitatis habes, quantum liberalitatis & beneficentiæ. lib.16.cap.2.§.1.

Collegerunt ergo, & impleuerunt, &c. Nulli deficit diuina largitas. lib.14.cap.10.§.6.

Habes item de hoc Euangelio in tom.2. lib.11. c.2. per totum.

Feria II. à Dom. IV.

Ioann.2.

E*T cùm fecisset quasi flagellum.* &c. Flagellum siue gladius ab illo solo debet sumi, qui sciat esse salutaris homini. lib.14.cap.15.§.16. Præclarus mundi iudex, à facto flagello commendatur: quando omnia mollitudo funditus perdit iudicem. lib.16.cap.18.§.2.

Effudit æs, & mensas subuertit. A templo Dei temporales eiecit negotiationes, vt solus ibi Deus conspici liceat, magna enim est hominis felicitas, si vnum Deum spectet. lib.14.cap.17. §.2. Pecuniarum mensas prorsus euertit; quia affectus ad pecuniam omnium est nocentissimus homini Christiano. lib.16. cap.20. §.6. & lib.19.cap.2.§.3.

Nolite facere domum patris mei domum negotiationis. Auaritia Ecclesiasticorum totum perdit animarum lucrum. lib. 16.cap.23.§.30.

Auferte ista hinc. Nummularios, vel boum venditores, nec ad momentum sustinet, sed flagellis adhibitis eiicit, columbarum venditores non percutit, sed sustinet, vt ipsi abeant, quia solis in maximis criminibus non differendum supplicium, &c. lib.14.c.13.§.6.

De hoc Euāg. habes etiā in tom.2.lib.11.c.7.per tot.

Feria III. à Dom. IV.

Ioann.7.

D*Ie festo mediante ascendit Iesus,* &c. Ait Chrysologus, quod daturus Dominus integrū, & completū æterni

æternitatis festum, ascendit in templum die festo mediante; nequit enim sistere in dimidiatis bonis, sed ex illis ad perfecta transit. lib. 14. c. 10. §. 31. & c. 13. §. 3.

Mea doctrina, &c. Quanta cum modestia, & temperãtia suas laudes profert Saluator, dũ solũ doctrinã suam extollit, qui multa alia diuinissima habebat, vt nos similiter ad nostras laudes descẽdamus. lib. 14. c. 15. §. 15.

Qui à semetipso loquitur, &c. Periculosum est semper proprium cerebrum. lib. 14. c. 2. §. 13.

Hic verax est, & iniustitia in illo non est. Meritò, in quo asserit iniustitiam non esse, illum dicit esse veracem; in quo enim veritas non est, vix aliquod scelus non adest. lib. 14. c. 9. §. 36.

Moyses dedit vobis legẽ, & nemo ex vobis facit, &c. Felix qui Iesum magistrum habet, à quo solo docti homines fiunt. lib. 14. c. 16. §. 6. Et vel Iesu verbulũ in suis discipulis penè inamissibilẽ gratiam causat. lib. 14. c. 18. §. 3. Vide lib. 18. c. 7. per totum.

Feria I V. à Dom. I V.
Ioan. 9.

VT manifestentur opera Dei in illo. Oculorum tenebræ, vt maximè ad vitam solent conducere. lib. 14. c. 9. §. 17. Quando & aperti oculi nullum non in salutis via retardant. lib. 14. c. 6. §. 2.

Lux sum mundi, &c. Nihil lucidum est, quod Iesu non exprimat imaginem. lib. 15. cap. 12. §. 1.

Liniuit super oculos eius. Expende quòd lutum à Iesu super oculos ponitur; & quidem à Iesu lutei homines habent, quòd super omnia sublimia splendeant. lib. 15. c. 11. §. 9. Item, quàm sit salutare homini præ oculis habere lutum in quod desinet, &c. lib. 15. cap. 1. §. 18. Nil prius intendit dominus curare, quam hominis oculos, vt qui si vigilent, hostes perimant, si dormiant, magnam incurrant offensam. lib. 16. c. 2. §. 4.

Abijt ergo, & lauit, &c. Salutis negotium minimè differendum. lib. 14. c. 16. §. 7. Lutum temporalitatis tollat ab oculis, qui sub luce Dei cupit illuminari, qui enim luteam mentem habet, magis obcæcatur, & induratur inter Dei lumina. lib. 16. c. 1. §. 17.

Abij, laui, & video. Sapiens homo non tribuit lotioni visum, nec ait; *laui, & ideo vidi*, quasi sciret ortum diuini luminis in anima labori coniungi humano, sed non tam ab illo, quàm à Deo venire. lib. 6. c. 3. §. 1.

Lutum posuit super oculos, & laui, & video. Non ipse ad lutum abit, sed ad lauacrum, ad visum: vt damnet eorum turpitudinem, qui abeunt auide in lutum, & damna sua. lib. 16. cap. 3. §. 3.

Habes de hoc Euãgelio in tom. 2. lib. 10. c. 3. per tot.

Feria V. à Dom. I V.
Luc. 7.

EFferebatur filius vnicus matris suæ. Qui in Christo moriuntur, nõ instar seruorũ sub dominio mortis, sed instar filiorum paruulorum sub mortis tutela sunt, vt omnia sua postmodum recipiant. lib. 14. c. 15. §. 10. Dilecto filio emortuo amatrix mater ostenditur tota funus: qualis enim est ille, quem adoras, talis es ipse. lib. 18. cap. 11. §. 4.

Quam cum vidisset, &c. In vidua hac non voces audit, sed lacrymas, & dolorem videt Dominus, apud quem magis audiũtur afflictiones, quã voces. lib. 14. c. 9. §. 37.

Tetigit loculum, &c. Cur loculum tetigit, & non magis defuncti membra? A Iesu, vel conspectu ipsa ligna halant hominibus vitam. lib. 14. c. 10. §. 15. Non voce contentus, sed manum adhibet loculum attingens: quòd enim adolescens rectà tendat in viam, potentissimum facinus est manus diuinæ, lib. 16. c. 19. §. 4.

Misericordia motus super eam. Prima & præstantior virtus in principe misericordia est, & suauitas. lib. 19. cap. 2. §. 1.

Adolescens tibi dico surge. Sciebat Iesus defuncti proprium nomen, sed maluit illum nomine ætatis compellare, vt magis clareter diuinæ gratiæ facinus in eo quod adolescens possit à tenebris resurgere in vitam. lib. 15. cap. 1. §. 23.

De hoc habes in tom. 2. lib. 8. cap. 2. per totum.

Feria V I. à Dom. I V.
Ioan. 11.

ECce quem amas infirmatur. Efficacissimi illices sunt afflictiones, & infirmitates ad trahendum citius Iesum, quia vbi illæ sunt, & Iesus adest. lib. 14. c. 15. §. 17. Dilectrices Dei hoc curant, vt Deum reddant propitium infirmis peccatoribus. lib. 16. c. 2. §. 16.

Infirmitas hæc non est ad mortem, &c. Labores, & pressuræ non deprimunt, sed extollunt, & augent iustos. lib. 12. §. 5. & c. 5. §. 4. & alibi.

Vado, vt à somno excitem eum, &c. Mors dicitur somnus, quia suscitatio omnem tollit mortis horrorem. lib. 15. cap. 12. §. 8.

Vt vidit eam plorantem, &c. Lacrymarum legatio efficacissima est ad impetrandum. lib. 15. cap. 4. §. 9.

Lazare veni foras. In aliis suscitatis non meminit nomina propria, sed solum aiebat: Adolescens surge, vel puella surge; cur hic maluit ex nomine proprio Lazarum compellare? Lazarus significat Dei adiutorium, & ideo suscitaturus Lazarum vocat, vt ostendat in electis suis, nihil esse vacuum, nec nomen ipsum, sed semper cum re inueniri. lib. 15. c. 11. §. 13.

Lazarus, amicus noster, dormit, &c. Is erat Lazarus, qui dum morti appropinquat, nihil aliud ostendit, quam ea opera, quibus posset vocare Dei amicos. Sic in fine cuiusque vitæ præcipua virtutum opera eluceant. lib. 16. cap. 12.

Vt audiuit, quia infirmabatur, tunc quidem mansit, &c. Dissimulat, & differt curationem, permittens Lazarum mori, & eius morte sorores affligi, vt per resurrectionem gaudium cumulet. Sic semper sunt sustinenda damna, ex quibus maius percipiendum est luctum, lib. 16. c. 16. §. 13.

Martha, vt audiuit, quia Iesus venit, accurrit. Martha virginali pudore florebat, nec vnquam alias dicitur foras exisse, etiam vt Iesum exciperet. Nunc autem non veretur exire, nec virginum curat clausuram, sed egreditur; quia vt in prosperitate modestia, sic in angustia animositas magis placet. lib. 16. cap. 4. §. 5.

Statim prodijt, qui fuerat mortuus ligatus, &c. In virtutis curriculo suam quisque infantiam seruet, lib. 16. cap. 3. §. 4.

De hoc Euangelio habes in tom. 2. lib. 8. c. 3. per tot.

Sabbatum à Dominica I V.
Ioann. 8.

QVi sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen, &c. Qui non stat in via virtutis, Solem iustitiæ habet sibi appropinquantem. lib. 15. c. 3. §. 1.

Sed & ego, & qui misit me pater. Numquam Iesus non exhibet nobis Deum patrem, cæteri alij illum exhibent solum iudicem. lib. 14. c. 17. §. 10.

Neque me scitis, neque patrem. Tota Iudæorum perditio, quod nesciant patrem, vbi enim in Deo paternum quid non sentitur, non potest non esse perditio. lib. 14. c. 17. §. 12.

Si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis. Qui Christum habet, omnia paterna, & cœlestia aperta, & peruia experitur. lib. 15. c. 6. § 4.

Si veritatem dico, &c. Ex veracitate suam diuinitatem probat, quia vbi veritas est, nihil non sanctum, & diuinum est. lib. 14. c. 22. §. 12.

Ego Dæmonium nõ habeo. Dictus fuerat Samaritanus, & dæmoniũ habens, & cur cũ dicit se non habere dæmonium, non etiam dicit, an Samaritanus sit, nempe verè hominum custos? Sanè quis ipse esset, euidentissimè inter

inter ipsas calumnias patebat, inter quas nequit non patere, quid quisque sit.lib.14.cap.11.§.7.

Ego non quæro gloriam meam. Ex quo non quærit gloriam temporalem, se superiorem ostendit contumeliis, qui enim mundialibus non capitur laqueis, non curat verba.lib.14.cap.15.§.6.

Est qui quærat, & iudicet. Non impune abibunt iustorum calumniatores, nec abscondi poterunt, sed quærenti iudici ad supplicium patebunt.lib.14.c.15.§.8.

Vide lib.18.cap.8.à §.12.

Dominica V. Quinquagesimæ.

Ioan.8.

QVis ex vobis arguet me de peccato? Certissimam suam innocentiam probat Dominus in eo, quod non possit argui de peccato; in quo enim peccatum est, euidentissimum sui argumentum præbet.lib.13.c.1.§.7.

De hoc Euangelio habes in tom.2.lib.8.c.3.per tot.

Feria II. à Domin. V.

Ioann. 7.

VT apprehenderent Iesum. Vanè mittuntur ministri, & milites, vt benignissimum apprehēdant Iesum; quando benignitas, & mansuetudo innocens secuta est etiam inter hostiles incursus.lib.15.c.8.§.9.

Adhuc modicum vobiscum sum, &c. Meritò vocat modicum præsentiæ suæ tempus; etenim in præsentia Iesu, vel sæcula horaria redduntur.lib.14.c.17.§.24.

Vbi ego sum, vos non potestis venire. Summum supplicium est à Iesu exulare.lib.14.c.15.§.22.Item ad locum vbi est Iesus, ille solus accedit, qui non refugit eius sublationem crucis.lib.15.c.5.§.7.

Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina, &c. Ad fructus producendos, illæ quærendæ sunt virtutes, quæ veniunt ex fide.lib.15.c.19.§.3.

Vide lib.18 c.7.à §.16.

Feria III. à Dom. V.

Ioann.7.

NOn volebat in Iudæam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere. Sapientissimè cauet Dominus Iudæorum conspectum, ne ipsi in homicidia labantur; est enim hominis Christiani dignum studium, vt quam pauci sint, qui in se peccent, &c.lib.14.c.13.§.1. Item Christianus triumphus est, peccandi occasiones præcidere.lib.14.c.8.§.17.

Manifesta te ipsum. Hæc vox est eorum, qui mundiales dominos sequuntur; felices nos, qui eum Dominum Deum habemus, qui etiam occultos requirat.lib.14.c.8.§.5.Alioquin per errorem.ibid.& c.9.§ 11.

Tempus vestrum semper est paratum. Nullum tempus, etiam extremum, non tibi tempestiuum est, vt possis saluti operam dare.lib.15.c.1.§.24.

Me autem odit: quia ego testimonium perhibeo, &c.lib.15.c.1.§.11.Habes quàm male audiat apud mundiales veritatis præco.

Vide lib.18.cap.6.§.1.

Feria IV. à Dom. V.

Ioann.10.

FActa sunt Encænia Hierosolymis, & hyems erat, & ambulabat Iesus, &c. Encænia vocantur festa renouationis templi, in quo tunc erat Iesus, quem vt habeas, nouis semper virtutibus insistere debes.lib.15.cap.10.§.10.Alioquin ruinam time.ibid.§.11.

Circundederunt ergo eum Iudæi, &c. Malorum numerus semper est multiplex.lib.14.c.12.§.9.

Quousque animam nostram tollis? In ipso persecutionis conflictu, non Iesus, sed persecutores eius quæruntur, quasi ipsi violentiam sustineant. Nunquam enim violentia, & dolor sciuit non magis affligere persecutores ipsos.lib.14.c.15.§.18. Quinimo iusti in persecutione superiorem locum tenent, ex quo tyrannos comprimant suos.lib.14.c.16.§.38.

Si tu es Christus, dic nobis palàm. Iesus tunc clarus, & conspicuus est, cùm cordis apparet munditics. lib.14.cap.21.§.16.

Opera quæ ego facio, &c. Qualis quis fuerit, manifestè ostendunt virtutum opera.lib.14.c.20.§.20.

Vide lib.18.cap.9.per totum.

Feria V. à Dom. V.

Luc.7.

ECce mulier in ciuitate peccatrix, vt cognouit, quia Iesus, &c. Præstantissimus meritorum triumphus, quod ardentes voluptates superaueris.lib.16.c.19.§.18. Totam Pharisæi domum penetrat Magdalena, nullum obicem, nullum claustrum inuenit, sed omnia aperta, & sine obice. Vnde hoc? Iesum, bonáque æterna meditabatur, & quærebat, ex quo nihil non patens inuenit, & apertum.lib.15.c.1.§.6.& c.6.§.4.

Stans retrò, &c. Non audet peccatrix in Dei oculis apparere; verecundè accedit à tergo, & quidem in peccatore verecundia est primum salutis auspicium nascentis.lib.15.cap.7.§.4.

Capillis capitis sui tergebat. Cur Domine sic permittis perdi Magdalenæ capillos in plantarum tuarum obsequium, quando promittis iusto, quòd capillus de capite tuo non peribit? Imò ne perdantur Mariæ capilli Deo sistuntur; Id enim magis custoditur, quod pro Deo perditur.lib.14.c.11.§.5.Capillis osculis, vnguētis trahit sibi Deum Magdalena; quibus aliæ trahunt diabolum. Et sanè inexcusabilis est, qui illis rebus mauult habere diabolum, quibus potest habere Deum, lib.16.cap.12.§.8.

Osculabatur pedes eius. Quæ virgo admissa est vsque ad pedis osculum? De virginibus dicitur, quod *sequuntur agnū*, hæc & agni vestigia tenet, & insuper addit oscula. Et quidem homo, & lucidior, & gloriosior redditur sæpe post peccata castigata, quàm in ipsa innocentia. lib.14.cap.4.§.13.

Cui minus dimittitur, minus diligit. Ex eo non placuit Pharisæus, & magis placuit Magdalena, quia hæc charitate ardebat, ille autem minimè charitate mouebatur; & quæuis virtutum opera, sine charitate facile abeunt in corruptionem.lib.15.cap.7.§.7.

Hic si esset propheta, sciret vtique quæ, & qualis esset mulier, &c. Pessimi accusatores, solum quod reprehendi potest, attēdunt quod excusat prætercūt, lib.17.c.3.§.5.

Non cessauit osculari. Nouitius feruor semper in virtutibus seruandus.lib.16.c.8.§.8.

De hoc Euangelio habes in tom.1.lib.6.c.6.per tot.

Feria VI. à Dom. V.

Ioann.11.

COllegerunt Pontifices, & Pharisæi consilium aduersus Iesum, &c. Quo sanctior, & purior quis, eo magis a peccatoribus corroditur.lib.14.c.9.§.27.

Tollent locum nostrum, & gentem, &c. Ecce praui homines, vt suis temporalibus lucris prospiciant, non communibus, quæ à solo Dei spiritu respiciunt. lib.14.c.23.§.11.

Vnus autem ex ipsis Caiphas nomine, &c. *Vos nescitis quicquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, vt vnus moriatur,* &c. Pro religioso viro, nec vllus vnquam stabit.lib.14.c.12.§.11.

Vos nescitis quicquā, &c. Dum aliis diuersis sententiis nutant, hic qui se sapientia super omnes extollebat, in apertam Iesu mortem conspirat, ad illámque trahit cæteros, vt pateat, quàm cauendus sit homo sapiens, & vitiis seruiens.lib.14.c.12.§.10.

Vide lib.18.cap.12.per totum.

Sabbatum à Dominica V.

Ioan. 11.

MVlti propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in Iesum. Vnus Lazarus suscitatus multos ad salutem trahebat, quia vel vnus iustus valet, vt omnem terram condiat. lib. 14. cap. 4. §. 3.

In crastinum autem turba multa, &c. Cum sapientes Hierosolymitani in Iesum, & eius asseclas impingunt; populares rudes Iesu gloriam, & regnum extollunt palmarum ramis. Quia oculatior est ad percipienda diuina simplex, & rudis innocentia, quàm mundiales sapientes. lib. 14. cap. 2. §. 9.

Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum, &c. Post gloriosam exceptionem peractam, totum quod legitur de Iesu morte, & sepultura est, & meritò; quia è mundialibus gloriis, & deliciis non thesaurus, sed sepulchrum fit. lib. 14. cap. 9. §. 13.

Vt Lazarum interficerent, quia multi propter illum, &c. Vbi Lazarus, & fructuosior, & Iesu charior apparuit, maiores in se inimicitias concitauit. Sic quo maiores virtutes in nobis apparent, maiores insurgunt contrarietates. lib. 16. cap. 1. §. 9.

Acceperunt ramos palmarum, &c. Triumphatori Deo, non aureis tapetibus viæ sternuntur; sed ramis scissis illi acclamatur. Et quidem naturalis simplicitas maximè Deum tenet. lib. 16. cap. 6. §. 5.

Et inuenit Iesus asellum, & sedit, &c. Quo præstantior quis est, eo magis reiicit superflua, contentus necessariis. lib. 14. cap. 6. §. 6.

Videtis, quia nihil proficimus? Nulla creata potestas aditum potest nobis ad Deum impedire. lib. 16. c. 6. §. 6.

Dominica in Ramis.

Matth. 21.

ECce Rex tuus venit tibi mansuetus. &c. Regem tuum nominat, cui obsequaris; maximè enim mollescit obsequium, quod non alieno domino exhibetur. lib. 15. cap. 2. §. 2.

Soluite, & adducite. Vt adducantur belluæ magis solent ligari, cur hic petit, quod soluatur asina, & adducatur? Sanè peccatorum experta vincula, & pœnæ ipsæ sufficiunt, vt expeditum iam hominem currere faciant ad salutem. lib. 16. cap. 13. §. 18.

Inueniens asinam alligatam, soluite, & adducite mihi. Dei gratia minimè obest humanæ fortunæ vilitas, lib. 16. cap. 12. §. 15.

Mansuetus, &c. Meritò mansuetus accedit, vt fructum capiat; mansuetis enim omnia fructifera sunt. lib. 14. cap. 3. §. 8.

Rex tuus venit tibi. Regalissimum est, plus subditorum, quàm diuitiarum quærere augmenta. lib. 16. cap. 16. §. 14.

Sedens super asinam, &c. Vt pungeret homines qui nolunt cognoscere Deum cognitum à brutis. Id quod durissimum debet hominibus esse. lib. 14. cap. 5. §. 1. Bonus Rex circa se non patitur esse, nisi per quos vtilia seruitia peragantur, vt ostendat, quam sit regibus perniciosa comptulorum familia, lib. 16. cap. 17. §. 1.

Feria II. Hebdom. maioris.

Ioann. 12.

QVem suscitauit Iesus. In domo Lazari adhuc Iesus est, nec miror, quòd Lazarus non separetur à Iesu, quando illi acceptam refert vitam. Nequit enim à Deo abesse, qui illi accepta refert bona sua. lib. 15. c. 11. §. 1.

Extersit capillis suis, &c. Semel omnia sua dederat Iesu, & vnguentum, & capillos suos modo; iterum dicitur suos applicuisse capillos ad extergendum; nihil enim securius habetur, quàm quod Christo exhibetur. lib. 15. cap. 9. §. 7.

Domus impleta est odore, &c. Domus quæ habebat Iesum, impletur odore bono; quia Magdalenæ opera ea sunt, quæ in comparitione celsissimarum virtutum apparere possunt. lib. 14. cap. 21. §. 7.

Lazarus fuerat mortuus, quem suscitauit Iesus. Quatriduani suscitati iterum fit mentio, quia primum Iesu opus est abolitio inueterati criminis. lib. 16. c. 19. §. 12.

Accepit libram vnguenti, &c. Vnguentis, & capillis captans iuuenes, vnguentis, & capillis Iesum captat. Qualis in vitiis, talis in virtute. lib. 16. cap. 10. §. 11.

Dixit ergo vnus ex discipulis eius Iudas, &c. Quid non murmuret, quod non perdat homo temporalis? Sanè, vbi terrenis immersus homo est, instrumentum habet Satanas ad quascumque perditiones moliendas. lib. 16. cap. 21. §. 14.

De hoc habes in 2. tom. lib. 12. cap. 2. per totum.

Feria V. in Cœnam Domini.

Ioan. 13.

SCiens Iesus, quia venit hora eius, &c. Inexpugnabilis viri est mala ventura præuidere lib. 14. cap. 14. §. 5. Et male se custodit, qui nullum nouit prænoscere malum, antequam veniat, ibid. §. 6. Vni sibi taxat glorificationis tempus apud patrē; hominibus autem sine vlla temporis taxatione honorē præscribit, lib. 18. c. 6. §. 8.

Cum dilexisset suos, in finem dilexit, &c. Tunc magis eius charitas censetur, quando eius maiora testimonia dantur, quia charitas non est quam non testatam facimus. lib. 14. cap. 13. §. 5. Amor erga creaturas, nunquam non laboriosus, & in aliquo damnosus, lib. 18. cap. 1. §. 17. & cap. vlt. §. vlt.

Item, *in finem dilexit*. Deus est, qui in finem potest diligere, in creaturarum enim affectu nulla stabilitas est, lib. 18. cap. 6. §. 3.

Sciens quia omnia dedit ei pater in manus, &c. Potestatem datam meminit, cum sese ad passionem accingit, quia magna excellentia est pati posse pro Deo. lib. 14. c. 14. §. 14. De Patre Deo venit, quod hominum saluti consulatur. lib. 16. c. 15. §. 29.

Lauare cœpit pedes, &c. Humilitatis demissio summā magnitudinem apud Deum præbet. lib. 14. c. 21. §. 5.

Si non lauero te, &c. Nec minima contemnenda. lib. 14. c. 12. §. 3.

Accepit vestimenta sua. Hic meditatur Rupertus resurrectionem, in qua post lotionem mundi pretioso sanguine resumpsit carnem suam. Et quidem quiuis iustus ex morte omnia sua recuperabit in resurrectione. lib. 14. c. 15. §. 13.

Ponit vestimenta sua. Equidem vestimenta sua ponit, vt operiat nostra peccata; neque id faceret, nisi esset filius Dei, lib. 16. cap. 15. §. 30.

De hoc vide tom. 1. lib. 13. cap. 7. per totum.

Feria IV. in Parasceue.

CHristi vulnera sunt nobis refugia, lib. 14. c. 20. §. 12. Faciunt nos sæculo abrenuntiare. ibid. §. 14. Crux Christi nos Deo hærere facit. lib. 14. c. 15. §. 25. Ab ea natales cœlestium Principum. lib. 15. c. 12. §. 11.

De passione habes multa in 1. tom. lib. 4. per totum. Plures inuenies in Indice, verbo, *Passio*, & verbo, *Crux*.

Dominica Resurrectionis.

Matth. 27.

IEsum quæritis crucifixum, surrexit, &c. Resurrectio euacuat omnem horrorem mortis. lib. 15. c. 12. §. 8. Mors non perdidit Iesum, nec Iesu vita fuit à morte deperdita, nunquam enim perditur, quod Deo offertur, lib. 14. c. 5. §. 24. Omnia nostra recuperabimus ex morte in resurrectione. lib. 14. cap. 15. §. 13.

De

De resurrectione Domini multa habes in 1. tom. lib. 5. per totum.
Vide in Indice, verbo, *Resurrectio*.

Dominica in Albis.

Ioan. 20.

Pax vobis. Vide in Indice verbo, *Pax*, vbi multa. *Ostendit eis manus, & latus.* Erant ibi clausi discipuli propter metum, quibus sic metuentibus rectè vulnera ostenduntur, vt quæ sint refugia optima. lib. 14. cap. 20. §. 12.
Gauisi sunt discipuli viso Domino. Verum gaudium solus Deus potest causare. ibid.
De hoc etiam habes plura in 1. tom. lib. 4. cap. 4. per totum.

Dominica II. post Pasch.

Ioan. 10.

Ego sum pastor bonus. Habes lib. 14. cap. 14. per totum.
Modicum, & iam non videbitis me. Habes lib. 14. cap. 22. per totum.

Dominica IV. post Pasch.

Ioan. 16.

Vado ad eum, qui misit me. Habes lib. 14. cap. 21. per totum.

In Litaniis maioribus.

Luc. 11.

Quis vestrûm habebit amicum, &c. Habes in lib. 15. cap. 3. per totum.

Dominica VI. post Pasch.

Ioan. 15.

Cum venerit Paraclytus, &c. Habes in lib. 14. cap. 18. à §. 7.
Spiritus veritatis. lib. 14. cap. 21. §. 12.
Absque Synagogis, &c. lib. 14. cap. 21. à principio.

Dominica in Pentecosten.

Ioan. 14.

Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. Habes in lib. 14. cap. 18. per totum. Et de Spiritus sancti effectibus, cap. 21. per totum.

Dominica Sanctissimæ Trinitatis.

Matth. 28.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Sanctissimæ Trinitatis adumbratio fundamentum est humanæ felicitatis. lib. 14. cap. 13. §. 4. Paternitas in primis nominatur, quia nisi in Deo paternum quid existeret, periret homo. lib. 14. cap. 17. §. 12. & 13. vbi habes de Deo patre à Iesu nobis exhibito, & §. 14.
De hoc etiam mysterio habes in 1. tom. lib. 5. cap. 9. per totum.

Dominica II. post Pentecost.

Luc. 14.

Fecit cœnam magnam. Adeò magna, vt nulli deficiat. lib. 14. cap. 10. §. 6. Item cœnam magnam vocat, quia quæ res habent, vel respiciunt Christum, magnæ, & pretiosæ sunt. ibid. cap. 10. §. 4.
Et cœperunt omnes simul excusare, &c. Nisi tu prius deficias in Dei seruitio, numquam tibi deficit Dei largitas. lib. 14. cap. 10. §. 10.
Tunc iratus pater, &c. Abstinentia ab Eucharistiæ epulis lethalem Dei iram incurrit. lib. 14. cap. 10. §. 16.
Et de Eucharistia habes per totum h c caput, & 1. tom. lib. 3. cap. 8. etiam per totum.
Vide quoque lib. 16. cap. 12. per totum.

Dominica III. post Pentecost.

Luc. 15.

Quia hic peccatores recipit. Solus Iesus est, qui nouit peccatoribus parcere. lib. 14. cap. 11. §. 10.
Quis ex vobis homo, si perdiderit vnam, &c. Hic ponderandum, quàm fœdum est pro temporalibus ruinis cauendis tanta facere, & pro æternis, nec minima. lib. 14. cap. 10. §. 1.
Gaudium erit in cælo super vno peccatore. Et in cœlo peccatores visentur, si conuertantur. lib. 14. cap. 17. §. 4.
Vide lib. 16. cap. 13. per totum.

Dominica IV. post Pentecost.

Luc. 5.

Rogauit eum à terra reducere pusillum. Totus Christi labor eò spectar, vt nos à terra abducat. lib. 14. cap. 20. §. 14.
Laxate retia vestra in capturam. Laxari iubentur retia in capturam, quia ad capiendos homines peccatores non tam rigor, quàm lenitudo prodesse solet. lib. 14. cap. 13. §. 2. & 3.
Rumpebatur autem rete, &c. Etsi rumpetur rete, nullus piscis abibat, quia persecutio potius auget iustos. lib. 15. cap. 5. §. 4.
De hoc habes in 2. tom. lib. 11. cap. 4. per totum.

Dominica V. post Pentecost.

Matth. 5.

Nisi abundauerit iustitia, &c. Habes lib. 14. cap. 5. per totum.

Dominica VI. post Pentecost.

Marc. 8.

Misereor super turbam. Misericordiæ affectus potentissimus in animis diuinis. lib. 14. cap. 3. §. 14.
Et si dimisero eos ieiunos, deficient, &c. Grauissima, & prima gubernatorum negotia circa pauperum necessitates. lib. 14. cap. 16. §. 23.
Accepit panes, fregit, & dabat discipulis, &c. Perfecta pastoris disciplina in dando apparet, non in recipiendo. lib. 12. cap. 14. §. 1.
De hoc habes in tom. 2. lib. 11. cap. 3. per totum.

Dominica VII. post Pentecost.

Matth. 7.

Nunquid colligunt de spinis vuas? Habes lib. 15. cap. 9. per totum.

Dominica VIII. post Pentecost.

Luc. 16.

Diffamatus est apud illum, quià dissipauit, &c. Nulla est creatura, quæ peccatorem iudici non sistit. lib. 14. cap. 17. §. 10.
Redde rationem villicationis tuæ. Non ait, redde rationem bonorum tuorum, quia in iudicio bona omnia temporalia disparent, euanent. lib. 14. cap. 21. §. 8. Vbi de iudicij timore, quàm debeat iustos etiam pulsare, & lib. 13. cap. 2. §. 7. & cap. 1. §. 13.
Conuocatis singulis debitoribus, &c. Remedium sibi efficax parat villicus iste ex misericordia, quia hæc triumphat. lib. 13. cap. 3. § 9. & de illa etiam vide ibi §. 6. 7. & 8.

Quantum debes domino meo. Non ait, quantum mihi debes, vt discant viri Ecclesiastici nihil suum in bonis reputare.lib.14.cap.13.§.12.

Vide 16.cap.16.per totum.

Dominica IX. post Pentecost.

Luc. 19.

VIdens ciuitatem fleuit super illam, &c. Non fulmina iecit, sed teneritudinem ostendit lacrymarum, nec inde securior ciuitas peccatrix, quin potius indulgentiam illam magis suspectam debeat habere. lib. 14. cap.8.§.9.

Si cognouisses, & tu, & quidem in hac die, &c. Hominis felicitas in eo est, quod præuideat ventura mala antea quam eueniant.lib. 14.cap.14.§.5.& 6.

Venient dies in te, &c. Supplicium ex dilatione grauius. lib.11.§.8.

Vide in tom.2.lib.12.cap.5. per totum.

Dominica X. post Pentecost.

Luc. 18.

DVo homines ascenderunt in templum. Habes lib.15. cap.7.per totum.

Dominica XI. post Pentecost.

Marc. 7.

APprehendens eum de turba seorsum, &c. Peccatori conuenientissimus secessus, vt possit expectare salutem.lib.14.cap.16.§.17.

Et suspiciens in cælum ingemuit. Gemit Dominus soluturus muti linguam, vt quæ soluta lapsibus sit frequens. lib. 14.cap.21.§. 1.

Et præcepit illis, ne cui dicerent. Occultanda opera bona.lib.15.cap.7.§.5.

Vide etiam in 2.tomo lib.10.cap.9.per totum.

Dominica XII. post Pentecost.

Luc. 10.

BEati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Quam beatus sit, qui Iesu felicissima gaudet præsentia. lib. 15. cap.6.§.8.

Multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt. Illud in primis beneficium æstima, quod recipis, minimè illud recipientibus aliis multis, imò sine illo pereuntibus. lib.15.cap.11.§.7

Ecce quidam legis peritus, &c. Sapientes mundiales rudiores ad diuina sunt.lib. 14.cap.2.§.9.

Quid faciendo vitam æternam possidebo. Meritò dicit, possidebo vitam æternam; sola enim æterna possideri possunt, cætera non possidentur, quandoquidem nec sunt. lib. 14.cap.17.§.5.& cap.7.§.12.

In lege quid scriptum est? quomodo legis? Lectio sacra, quàm salutaris? lib.14.cap.16.§.33.

Diliges Dominum Deum tuum, &c. Totam animam, totum cor sibi capit dilectio diuina, quia vbi illa est, nihil præter Deum æstimatur. lib. 14.cap.18.§.1.Et de charitate in Deum vide totum hoc caput.

Dominica XIII. post Pentecost.

Luc. 17

OCcurrerunt ei decem viri leprosi, &c. Decem leprosi ad vnum Iesum confugiunt; vnus enim iustus ad peccatorum multitudinem reformandam sufficit. lib. 14.cap.4.§.3.

Et factum est, dum irent, &c. Salutis negotium minimè differendum, sed statim peragendum.lib.14.cap.17. §.7.& lib.15.cap.19.§.4.

Gratias agens, &c. Vide in Indice verb. *Gratitudo*.

Nisi hic alienigena, &c. Retributio pro acceptis beneficiis non fit ab huius mundi incolis. lib.14.cap.2. §.15.

De hoc Euang.habes in 2.tom.lib.9.c.5.per totum.

Dominica XIV. post Pentecost.

Matth. 6.

NEmo potest duobus dominis seruire. Vide lib.14.c.9. a §.19.& deinceps per totum.

Dominica XV. post Pentecost.

Luc. 7.

IBat Iesus in ciuitatem Naim, &c. Vide suprà feria 5. à Dominica 4. Quadrag.

Dominica XVI. post Pentecost.

Luc. 14.

CVm intraret Iesus in domum cuiusdam Principis Pharisæorum Sabbato manducare panem. Etiam apud hostes inuenit Iesus prandium, quia perfectus virtutis cultor alimento carere non potest. lib. 14.cap.16.§.14.

Et ipsi obseruabant eum. Ipsi hospites, qui Iesu conuiuia exhibebant, mediis conuiuiis eius vitæ insidiabantur. Hæc est summa impiorum malitia, quod eorum vota, & obsequia non differant ab homicidiis. lib.14. cap.16.§.18.

De hoc Euangelio habes in 2. tom.lib.10. cap.11. per totum.

Dominica XVII. post Pentecost.

Matth 22.

VNus ex eis legis Doctor, &c. Dum legis Doctor scientiam requirit, non dicitur illi, quod sciat, seu cognoscat filium Dei, sed quòd amet Deum ex toto corde, vbi enim charitas, ibi perfecta cognitio, & scientia. lib. 14.cap. 18.§.8.

Hoc est maximum, &c. Qui maximo dilectionis præcepto obfirmatur, cætera vt parua æstimat, & penè inexpugnabilis manet. lib. 14. cap.18.§.2.& 3.

Secundum autem simile huic, &c. Vt primum nequit esse sine respectu ad secundum, nec è contra; sic Dei amicitiam non habebis, nisi te proximis exhibeas amicum. lib. 14.cap.20.§.7.

In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, &c. Nequit lex obseruari sine charitate, quando vbi illa deest, cæteræ virtutes in corruptionem abeunt. lib. 15.cap.7. §.7.

Vide lib.18.cap.vlt.à §.17. per totum.

Dominica XVIII. post Pentecost.

Matth. 6.

VEnit in ciuitatem suam. Præstantior virtus prius propinquis prouidet. lib. 15. cap.3.§.6.& cap.9. §.17.

Videns fidem illorum, &c. Paralytici potiores, nec dum verba faciunt, & tamen a Deo exaudiuntur, sic enim exaudiri solet, qui Dei proximorúmque peragit negotia.lib.15.cap.3.§.7.

Confide fili. Remittuntur tibi peccata, &c. Antea hic homo spiritu seruitutis erat imbutus, modo à Iesu habetur filius, dum ei peccata dimittit, sic sæpe solet peccator felicior apparere post peccata dimissa, quàm erat in innocentia. lib. 14.cap.4.§.5.

Habes de hoc Euang.in 2.tom.lib.9.cap.1.præcipuè à §.5.deinceps per totum.

Domi

Dominica XIX. post Pentecost.

Matth. 22.

F*Ecit nuptias filio suo.* In Dei patris disciplina, nihil lætitiam æternam afferens, potest deficere. lib. 15. cap. 10. §. 6.

Iterum misit, &c. Non semel, sed bis, & ter parturiendi sunt filij spirituales. lib. 14. cap. 16. §. 18.

Tauri mei, & altilia occisa sunt. Virtutis res viciari debet, vt facilius capiatur ab infirmis. lib. 14. cap. 23. §. 4.

Contumeliis affectos occiderunt. Seruus Dei melius habet apud feras, quàm apud homines. lib. 14. cap. 16. §. 36.

Perdidit homicidas illos. Deus acerbè punit iustorum persecutores. lib. 11.

Vide lib. 16. cap. 22. per totum.

Dominica XX. post Pentecost.

Ioan. 4.

E*Rat quidam regulus, cuius filius infirmabatur.* Ecce quid primò hæreditent mundi filij, nimirum afflictiones, dolores, ruinas; nil aliud nouerunt parturire mundialia culmina. lib. 13. cap. 2. §. 10.

Incipiebat enim mori. Etiam postrema hora potest esse prima in salutis negotio. lib. 15. cap. 1. §. 24.

Nisi signa, & prodigia, &c. Iesu signa semper homini salutaria. lib. 13. cap. 1. §. 5.

De hoc Euang. habes in tom. 2. lib. 10. cap. 5. per totum.

Dominica XXI. post Pentecost.

Matth. 18.

S*Imile est regnum cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere*, &c. Quid iudicij metus in iustis, & peccatoribus efficiat, vide lib. 13. cap. 1. §. 13. & cap. 2. §. 7. & lib. 15. cap. 12. §. 4.

Voluit rationem ponere cum seruis suis. Non cum filiis, sed cum seruis, vt ostendatur durior hominis conditio, qui dum Deum non experiatur patrem, prorsus peribit. lib. 14. cap. 17. §. 12.

Procidens autem seruus ille, &c. Non solis verbis, sed & humi cubatione Deum solicitat, quia non sola lingua, sed verum pœnitentiæ opus auditur à Deo. lib. 14. cap. 9. §. 37.

Misertus autem Dominus. Misericordiæ affectus in diuinis animis validissimus. lib. 14. cap. 3. §. 14.

Dimisit eum, & debitum dimisit. Nulla mensura seruanda est in benefaciendo. lib. 14. c. 5. §. 18.

Nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui? Deus qui in omnibus vult prius haberi, in parcendo secundus est, expectans te parcentem videre, vt ipse parcat tibi. lib. 14. cap. 8. §. 16.

Vide lib. 16. cap. 8. per totum.

Dominica XXII. post Pentecost.

Matth. 22.

C*Onsilium inierunt, vt caperent Iesum in sermone.* Quò quis sanctior, eò maiores à peccatoribus patitur insidias. lib. 14. cap. 9. §. 27.

Viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo. Profectò qui nihil mundiale procurat, ille solus viam Dei in veritate docet. lib. 15. c. 8. §. 13. Et qui Principibus morem gerit, eo ipso à veritate alienus. lib. 14. cap. 2. §. 5.

Non enim respicis personam. A iusto, & bono viro non respicienda persona. lib. 14. c. 2. §. 18.

Quid me tentatis hypocritæ? Pulchrè adulatores Pharisæos ferit, & repellit bonus Princeps; quando pessimis fauere in Principe durissimum est. lib. 14. c. 9. §. 39.

Cuius est imago, &c. Magna excellentia hominis, in quo summi imperatoris Dei similitudo cernitur. lib. 14. c. 1. §. 6. & §. 21.

Vide lib. 18. cap. vlt.

Dominica XXIII. post Pentecost.

Matth. 6.

P*Rinceps vnus accessit, & adorabat eum, dicens: Domine filia mea modo defuncta est.* Vbi clades, & mors nobilissimæ adolescentulæ proponitur, non miror, quod Princeps prosternatur, & adoret, quando Principum clades plurimum valent, ad alios commonendos. lib. 14. c. 4. §. 8.

Et surgens Iesus, sequebatur eum. Principes viri multo sunt honore prosequendi. ibid. §. 7.

Tetigit fimbriam, &c. Ipse per se tetigit, miserè enim fallitur, qui laboribus alienis totum salutis negotium committit. lib. 14. c. 11. §. 1. De filia Principis mortua habes in 2. tom. lib. 8. c. 1. per totum. De muliere fluxum sanguinis habente, ibid. lib. 10. c. 7. per totum.

Dominica XXIV. post Pentecost.

Matth. 24.

C*Vm videritis abominationem.* Vide 2. tom. lib. 12. cap. 2.

Et tunc parebit signum, &c. in lib. 13. c. 2. per totum.

DE SANCTIS EVANGELIA, quæ sunt in secunda parte.

In Cathedra D. Petri.

Matth. 16. *Venit Iesus*, &c. lib. 14. cap. 2.

In festo sancti Sebastiani.

Luc. 6. *Beati pauperes*, &c. lib. 14. cap. 3.

In festo sancti Marci.

Luc. 10. *Misit illos binos.* lib. 15. cap. 8.

In festo sanctorum Philippi, & Iacobi.

Ioan. 14. *Non turbetur*, &c. lib. 14. cap. 17.

Pro sancto Athanasio.

Matth. 10. *Fugite in aliam.* lib. 14. cap. 15.

Pro S. Ioanne Baptista.

Habes plurima lib. 14. cap. 1. per totum.

Pro sancto Petro.

Matth. 16. *Venit Iesus*, &c. lib. 14. cap. 2.

Pro sancto Laurentio.

Ioann. 20. *Nisi granum*, &c. lib. 15. cap. 5.

Pro sancto Michaële.

Matth. 18. *Quis putas maior?* lib. 14. cap. 12.

Pro sancto Luca.

Luc. 10. *Misit illos binos.* lib. 15. cap. 8.

Pro sanctis Simone, & Iuda.

Ioan. 15. *Hæc mando vobis*, &c. lib. 14. cap. 20. à §. 12.

Pro omnibus Sanctis.

Matth. 6. *Beati pauperes*, &c. lib. 14. cap. 3.

Pro communi Apostolorum.

Ioannis 15. *Hoc est præceptum*, &c. lib. 14. cap. 20.

Pro

Pro communi vnius Martyris.

Luc. 14. *Volens turrim ædificare*, &c. lib. 14. cap. 4.
Matth. 16. *Si quis vult venire*. lib. 14. cap. 11.

Pro Martyre non Pontifice.

Matth. 10. *Non veni pacem mittere*. lib. 14. c. 15. à §. 16.
Item, *Nil opertum*, &c. ibid. à §. 7.
Item ex Ioann. 10. *Nisi granum*, &c. lib. 15. cap. 5.

Pro communi Martyrum in Pasch.

Ioan. 15. *Ego sum vitis*. lib. 14. cap. 19.

Pro pluribus Martyribus.

Ioan. 16. *Plorabitis, & flebitis*, &c. lib. 14. cap. 22.
Luc. 11. *Væ vobis, qui ædificamini monumenta*, &c. lib. 14. cap. 16. à §. 28.
Luc. 10. *Videbam Satanam*. lib. 15. cap. 11.

In communi Confessorum non Pontif.

Luc. 12. *Pusillus grex*. lib. 15. cap. 1.
Item, *Sint lumbi vestri præcincti*. lib. 15. cap. 1. à §. 8.

In communi Confess. Pontif.

Matth. 24. *Vigilate, quia nescitis*. lib. 25. cap. 2.
Luc. 10. *Lucerna corporis*, &c. lib. 14. cap. 9. à §. 17.

In communi Doctorum.

Matth. 5. *Vos estis sal terræ*. lib. 14. cap. 4.

In festo S. Nicolai.

Homo quidam peregrè proficiscens vocauit seruos suos, &c. ex Matth. 25. Habetur lib. 16. cap. 24. per totum.

In Conuersione S. Pauli.

Ecce nos reliquimus omnia. Matth. 16. Habetur lib. 18. cap. 11. per totum.

In festo S. Agathæ.

Si licet homini dimittere vxorem, Matth. 19. Habetur lib. 18 cap. 10. per totum.

In festo S. Matthiæ.

Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ, Matth. 11. Habetur lib. 18. cap. 2. per totum.

In festo inuentionis S. Crucis.

Homo ex Pharisæis Nicodemus nomine, Ioan. 3. Habetur lib. 18. cap. 1. per totum.

In festo Assumptionis B. Mariæ.

Intrauit Iesus in quoddam castellum, Luc. 10. Habetur lib. 18. cap. 3. per totum.

In festo S. Ludouici Regis.

Homo quidam nobilis abyt in regionem, &c. Luc. 19. c. 20. per totum.

In festo S. Francisci.

Confiteor tibi Pater, &c. Matth. 11. Habetur lib. 18. cap. 2. per totum.

In festo S. Theresiæ.

Simile est regnum cælorum thesauro abscondito, Matth. 13. Habetur lib. 16. cap. 26. per totum.

In festo S. Catharinæ.

Simile est regnum cælorum decem virginibus, Matth. 25. Habetur lib. 5. cap. 23. per totum.

In communi Confess. Pontif.

De talentis, lib. 16. cap. 24.

In communi Abbatum.

Ecce nos reliquimus omnia. lib. 18. cap. 2.

In communi Virginum.

De decem virginibus, lib. 16. cap. 23. De thesauro abscondito, lib. 16. cap. 6.

FINIS.

LIBER

LIBER DECIMVSTERTIVS, DE PROPHETIIS IESV ADHVC COMPLENDIS.

CVM ad verba à Iesu prolata venio, & apis solicita ad mella, quæ sub eius lingua nascuntur, penetrato cortice euolo; se mihi in primis offerunt prophetiæ quæ nondum impletæ finem mundi spectant, vt possint adimpleri. Celebriores inuenio in iudicij signis, in iudicis aduentu, in proferendis sententiis, de quibus sigillatim modò agendum.

CAPVT I.

De signis finalis euersionis.

LIBRO 12.c.6. & aliis ad nostros componendos mores traxi signa illa à Domino prænuntiata pro euersione Ierosolymitana; quæ signa scio à multis fratribus afferri pro vniuersi orbis excidio. Sic in abominatione sedente in templo, explicari solet abominandus ille homo Antichristus, qui post Euangeliũ omnibus nationibus disseminatum Babylone ex nefario concubitu exurget, & Mosaicæ legis propugnatione contribulos suos Iudæos sibi deuinciet; astu & dolis regnum ibi parat: dæmonis familiaris industria ingentes maris thesauros, terræve acquirit, tres finitimos reges debellat, deinde aliis septẽ deuictis Romani imperij nomen assumit, terrimque potitus vniuersi orbis fit Monarcha. Interea suprema per illũ in Christianos desæuit persecutio, omnium crudelissima, adeò, vt nisi dies illi breuiarentur, non esset salua omnis caro: verùm breuiabuntur crudeles illi dies, & imperio Iesu interemptus nefarissimus homo cedet imperium vero Christo. Quid tunc? Iudæi noscent errorem suum, & maior illorum pars Christianam disciplinam arripient: quæ dum fient, seuerissimi iudicis iam iam instantis aduentũ nouis prodigiis testabuntur vniuersæ creaturæ. Cœlorum astra per deuios calles ibunt, quo portentosæ mutationes fient, frequentes Eclipses, insperatæ noctes, hyemis, & veris frequens confusio: elementorum gemitus, qui extrema mundi denuntient suspiria.

Luc.21. Erunt signa in Sole, & Luna, & stellis, & in terris pressura gentium, præ confusione sonitus maris, & fluctuum: arescentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi. Nam virtutes cœlorum mouebuntur.

§. I.

Dum supremi iudicis sententia instat, nil nisi crudele etiam in amicioribus videre expecta.

QVis homini amicior, quàm Sol, quàm Luna, quàm stellæ? Sanè de cœlesti astrorum influxu viuit homo, eorum motibus gubernatur; nec quid iucundum, aut necessarium accipit, quod de cœlo acceptum referre non debeat. Sed ecce tibi omnes hos fauores mutatos in Sole, & Luna, & stellis, in quibus iam minimè videri licet alia, quàm signa horribilia, signa mortis, & calamitatis extremæ. Vnde hæc mutatio potuit euenire, nisi ex instanti iam supremi iudicis sententia? Sanè dum hæc sententia instat, etiam in amicioribus creaturis nihil non horrendũ, & lethale poteris videre. Ad diuinum se sistebat tribunal ille prodigus Luc. 15. dum *Luc.15.*
ait. *Pater peccaui in cœlum, & coram te.* Cur meminit se peccasse in cœlum? Cur non contentus est dicere, peccaui corã te, vt dicebat ille alter peccator Ps.50. *Tibi soli peccaui?* Equi- *Psal.50.*
dem dum se sistit tribunali diuino, non solũ Deum iratum meminit, sed totos etiam cœli exercitus in se armatos veretur. Ait enim Titus Bostrenus: *Haud secus firmamenti faciem* Titus.
metuit, atque accusatoris cuiuspiam voces. In quo cœlo, dum viuis, cernis signa data in dies, menses, & annos, quibus fruatis, quibus oblecteris, longissimáque ordiaris gaudia; vbi ad diuinũ steteris tribunal, iam in cœlo non signa dierum, sed noctium; non patrocinium, sed rigidas accusationes audies. Illa ipsa lumina, quæ modò vitam tibi halant, tunc solum responsum mortis dabunt, nec est creatura tam hominis amica, quę instante Dei sententia, accusatoris, imò carnificis personam non subeat. Miser ille Senacherib ingenti cinctus exercitu apud Ierosolymam manifestissimam iram Dei incurrit; etenim descendens Angelus à Deo exercitus illius percutit adeò, vt ipse solus aufugiat. Et quidem fugit impiissimus homo minimè euasurus: de illo Isa.37. *Et factum est* *Isai.37.*
cùm adoraret in templo Nesroch Deum suum Adramelech, & Sarasar filij eius percusserunt eum gladio. Expende, quos inueniat carnifices impietatis suæ, nimirum sibi amantissimos filios; sed quid fieri potest, vt miser homo à filiis mortem accipiat? Erat in illum seuerissimum Dei iudicium publicatum, erat damnationis sententia lata à supremo iudice, qua instante, etiam in amicissimis, & coniunctissimis creaturis inuenies carnifices. Pulcherrimè D. Cyrill. Alex. in præsenti, Cyrill.
lib.3. tom.4. c.37. ait. *Filios esse, inquit, qui ipsum interfecerunt. Nam diuina sententia in aliquos lata, vndecumque, & omnibus modis veniunt in pericula, quibus hoc accidit: non sanguinis coniunctionem, incolumitatis pignus habetes, non affectum, neque studium filiorum patribus debitum, sed à quibus seruari eos par erat, periclitantes per eos ipsos in foueam interitus cadunt.* Non est, cui fidas, cui te credas, dum Dei iudicium instat, & eius sententia pro foribus est; tunc etiam in coniunctissimis, in ipsis filiis, in ipsis seruatoribus, & propugnatoribus eius pericula inuenies, & responsum mortis accipies. Sic à quibus seruari par erat, nimirum, ab astris ipsis mundi seruatoribus, vel ab amicis, & coniunctissimis in foueam interitus mitteris. Isai.c.13. *Vnusquisque ad proximum suum stupebit: facies combu-* *Isai.13.*
sta vultus eorum. Hebraicè dicit, *facies flammarum vultus eorum. Ecce dies Domini veniet crudelis*, &c. Nec iudicij diuini aduentantis signum patentius esse potuit, quàm hoc, quòd vnusquisque etiam in proximis suis, in amicissimis, & coniunctissimis nihil aliud, nisi horrendum, & minitantes flammas videat. Sunt tibi proximæ, & amicæ multæ creaturæ, cœlum amicum est, elementa proxima sunt, deinde charissimi sunt multi homines quos obligatos habes, vel sanguinis coniunctione, vel obsequiis delinitos. Quis non se credat his, dum ad diuinum properat tribunal? Sed tunc nulla est coniunctio sanguinis, nulla amicitia valet; vnusquisque stupebit ad proximum suum; & proximior creatura flammarum exhibebit vultum tota conuersa in affectum seuerissimi iudicis. Psalm.140. *Absorpti sunt iuncti petræ* *Psal.140.*
iudices eorum. Qui iudices? sancti viri, qui modò perfectè sunt Christum secuti. At fieri poterit, quòd sancti viri in iudicio deserant proximos suos, affines suos, deuotos suos? Ita

planè, vniuersa creatura quantumuis proxima, & coniuncta, tunc ex consortio iudicis penitus absorbebitur in affectum iustitiæ, nihilque in se, vel flexibile, vel exorabile relin-
Bernard. quet. Accipite D.Bern.ser.7.in Psal. *Qui habitat*; vbi sic: *Absorpti planè sunt in affectum iustitiæ, & petræ soliditatem, cui iuncti sunt, imitantes. Iuncti*, inquit, *petræ, quam profectò solam vt sequerentur, cætera omnia reliquerunt. Tunc putes flexibile quippiam inueniendum in iudicibus iunctis petræ?* Omnium creaturarum fauorabilium affectus, omnium Sanctorum, etiam proximorum patrocinia absorbebuntur in diuino iudicio, & transibunt in affectum iustitiæ, sic se iudici conformãtes, vt nihil in se flexibile, & exorabile aspiciendum relinquãt.
Ephrem. S.Ephr.ser. de vita relig. *Illic misericordissimus ille Abraham, immitis, & immisericors reperietur, & qui pro Sodomis, vt saluarentur, fuerat deprecatus, illic vel pro vno peccatore non supplicabit.* Quæ tunc erit species rerum, quando peccator præcipitabitur in flammantes voragines æternùm cruciandus, videntibus parentibus, propinquis, amicis, familiaribus, & minimè iuuantibus, imò applaudentibus damnationi tantæ?
Num.16. Recole supplicium illud horrendum, quo Num.16. Dathan, & Abiron viui fuerunt à terra deuorati. Nónne id viderunt cognati multi familiares, & amici plures? Equidem viderũt, sed nullo doloris, luctúsque signo edito: vnde miseriam
Ioseph. damnatorum exaggerat Ioseph.lib.4.c.3.aiens. *Fuit hic casus eo miserabilior, quòd adeò nemo, nec propinquorum quidem, aut cognatorum eo est miseratus, vt totus quantus erat populus anteactorum oblitus, lætis acclamationibus Dei sententiam comprobaret.* Hæc summa damnatorum miseria, quòd eorum supplicium pateat cunctis propinquis, amicis, & familiaribus, & nullum in his miserationis signum videatur. Nónne decem
Matth.25. virgines apud Matth.25. simul commorantur? Nónne omnes sibi inuicem familiares erant? Sed quinque fatuæ tandem ab sponso repelluntur, in exterioribus tenebris relinquuntur; quid tunc prudentes egerunt? An multas fuderunt preces pro sororibus? Nec verbulum amicum emittunt, nec vllum
Chrysost. commiserationis exhibẽt signum. Id quod notans D.Chrysost. in Psalm. 48. dicit. *Notæ erant virgines virginibus, sed nihil eas iuuit ea familiaritas.* Nulla equidem familiaritas, nulla propinquitas, nulla amicitia creaturarum iuuabit impios seuerissimq; instante iudicij die, sed cunctis amicis acclamantibus Dei sententiam, in æternum interitum ibunt.

§. II.

Magnum impiorum supplicium est, quòd videant vtilitatem, & squalorem rerum, ob quas in summam miseriam sunt delapsi.

QVid misero, & superbo homini durius, & intolerabilius, quàm videre oculis suis vilissimam, & fœtidissimã substantiam rerum, ob quas æternùm cruciatur? Quid damnato homini acerbius, quàm si ablato omni fuco, & fallaci splendore, illi obiiciantur veri squalores, & fœditates, quarum pretio acquisiuit immensum pondus cruciatuum? Hoc igitur in primis supplicium vniuersis impiis prædicitur his verbis: *Erunt signa in Sole, & Luna, & stellis*, vel, vt apertiùs
Matth.25. Matth.c.25. *Sol obscurabitur, Luna non dabit lumen suum*, &c. Id est, omnia lumina ob splendorem ab hominibus adorata, omnia mundi decora supra salutem æstimata obiicientur in primis amisso omni splendore, omni fallaci lenocinio, nõ iã lucida, & decora, sed vera, & fœtida cadauera tota squalore, & turpitudinẽ plena, ne possint miseri non intolerabiliter cruciari, cùm videant fœditates, quibus emerunt tormenta tanta. Dignum equidem supplicium impiorũ, quòd videant informes, & turpes substantias illas, quæ illos miserè deceperunt, & impulerunt in tormenta adeò immania. Notum fuit Israëlitarum crimen, quo aureum vitulum
Exod.32. adorarunt, Exod. 32. sed accipite supplicium in primis à Moyse ibi inflictum, de quo ait: *Arripiénsque vitulum, quem fecerant, combussit, & contriuit vsque ad puluerem, quem sparsit in aquam, & dedit ex eo potum populo Israël.* Quale hoc supplicium in Israëlitas? Quæ hæc Moysis ira in vitulum? nónne satius ostenderetur ira in reos ipsos, dum illos percuteret? Equidem percutiendi erant vniuersi rei, interim tamen ira fuit verè maxima, idolum deformare, & illius pulueres populo obiicere, vt viderent vtilitatem, & turpitudinẽ idoli, ob quod se reos constituerunt sceleris tanti. Non longè ab-
August. est August. in Ps.73. fatus. *O ira prophetica, & animus non turbatus, sed illi minatus. Quid egit? Mitte in ignẽ vt forma ipsa prius confundatur, minutatim comminue, vt paulatim consummatur. Mitte in aquam, da populo bibere.* Nec parua fuit Moysis ira, quæ splendens, & irradians idolum sic deformauit, & comminuit, & sic deformatum, & in puluerem redactum, quasi poculentum quid populo obiecit, vt damnatorum dolor augeretur ex conspectu turpitudinis, & vtilitatis causæ, ob quam in tantam damnationem fuerunt delapsi. Similiter Dei ira vniuersas species bonorum temporaliũ penitus deformatas, & puluerulento aspectu turpatas obiiciet, vt vel hoc aspectu eorum æstimatores vehementem consternationem patiantur. Quæ tunc mens ambientium honore, cùm omnis gloria mundi instar fumi illorũ oculos perstringat? Quæ tunc species sequentium voluptates, & delicias pulcritudinem, cùm illis sola fœtida obiiciantur cadauera? Audiui Assyrios & gloriari, & exaltari maximè propter ducis sui Holophernis ingentem fortitudinem, & felicitatẽ quam summè colebant, & sub cuius vmbra se protsus felices æstimabant. Vnde cùm nobilis fœmina Iudith Holofernẽ ingulasset, nil prius cogitat ad conficiendos Assyrios, quàm cogere illos, vt videant principem suum exanimem propriòque sanguine deturpatum. Etenim ait c.14. *Cùm duces eorum* Iudith 14.
concurrerint ad tabernaculũ Holofernis, & inuenerint truncum in suo sanguine volutatũ, decidet super eos timor. Quis sine timore, & tremore videat truncum, & deformatum cadauer illius, cuius captus felicitate ausus est sese bellorum periculis exponere? Et sanè non fefellit fœminam sua opinio, eum enim Holofernis seruus vidisset miserum domini spectaculum, sic ad vniuersum exercitum clamat: *Ecce Holophernes iacet in terra, & caput eius non est in illo. Quod cùm audissent principes virtutis Assyriorum, sciderunt omnes vestimenta sua, & intolerabilis timor, & tremor cecidit super eos, & turbati sunt animi eorum valde.* Vnde virtus tanti exercitus potuit sic concuti, sic intolerabiliter consternari? Sanè ex eo solum, quòd eis obiicitur truncum, & deformatũ Holofernis cadauer. Hoc solum attendunt. *Ecce Holofernes iacet, & caput eius non est in illo*; & hoc solo aspectu vehementissimè conteruntur, dissipantur. Eu quàm intolerabilis tremor, & consternatio occupabit homines, cũ singuli similia videant in omnibus idolis suis! Cùm dicetur, & ostendetur omnibus: Ecce carnalium virtus iacet in terra, & vermes, & fœtor est in ea: ecce superbiæ spectrum comminutũ iacet, & puluerem redactum: ecce lucidissimi soles vitæ humanæ, vmbra, & tenebræ sunt: ecce stellæ felicitatum temporalium prorsus euanent, vel flammas nutrient æternorum cruciatuum. Hæc videbunt omnes, & intolerabilis timor, & tremor cadet super illos, & turbabuntur animi eorum valde. Nota Apoc.18. purpuratæ Apoc.18.
meretricis ruinam: quę modò superba auro, gemmísque fulgebat, adolescentum capiens animas, statim ostenditur omni exuta gloria, vile pristinæ felicitatis cadauer flammis vltricibus traditum. Quid tunc? *Et flebunt, & plangent se super illa reges terræ, qui cum illa fornicati sunt, & in delicijs vixerunt, cùm viderint fumum incendij eius.* Expende principium fletuũ, & planctuũ in terrenis principibus; *cùm viderint fumum incendij eius.* Equidem versabuntur ob oculos impiorum omnia mundialia bona, quæ amauerunt: versabuntur, inquam, ob oculos velut fumus comes flammarum æternarũ, & in plãctus intolerabiles vniuersos impios trahent. Nondum iudex apparebit, nondum sententia vrgebit, nondum verbũ asperum resonabit, nondum carnifices videbuntur, solum bonorum mundialium fumus, fœtidúmque cadauer ob oculos versabitur, & iam intolerabilis pudor, irreparabilis gemitus miseros peccatores occupabit. Vt dicat Isai.c.1. *Confundentur enim ab idolis, quibus sacrificauerunt; & erubescetis super hortis, quos elegeratis.* Dij mundiales, & deliciæ terrenæ ingentẽ confusionem, & planctum suis amatoribus pariẽt: sed qualiter à falsis diis, à delciosis nemoribus confusio veniet in cultores suos? Rectè D.Cyril.Alex.in præsenti rationem attigit. Etenim ait. *Illos namque ante alios vna cum hortis, lucísque exustos conspexerunt.* Cur non confusionem pariant ea bona, quorum ruina & fumus primus est, qui ob amatorum suorum oculos versatur? Non longè abest Isai.c.13. de hoc etiã fatus: *Vnusquisque ad proximum stupebit.* Vnusquisque, inquam, summo corripietur stupore, cùm videat ea, quæ sibi in præsenti videbantur proxima, & amica, tunc temporis nil non hostile, & inimicum præferentia. Rem sic in particulari expedit Ælred. serm.9.in Isai. aiens: *Apparente enim dæmone fornicationis immundo cuilibet morienti, non poterit non stupere, qui viderit. Quod blandum cernitur, & iucundum, dum suadetur, amarum sentitur, dum improperatur; stupétque miser durum inuenire, & immitem, quem sæpe expertus fuerit suauem.* Sic voluptates blandæ, sic deliciæ tunc temporis videbuntur à miseris adeò terribiles, vt illos in stuporem, & horrorem rapiant. Insuper Isai. pergit eodem 13.c. *Et replebuntur domus*

Marginalia (right column): Isai.1. — Cyrill. — Isai.13. — Ælred. — Isai.13.

damus eorum draconibus. Modò nil iocundum,& speciosum, & voluptuosum apparet in vitiis humanis.quorum delicias dum in præsenti metuot, in fine non delicias, sed mortes, non voluptates,sed dracones ignem spuentes à se collectos Elred. esse notabunt.Ibi Ælred.ser.10.*Tunc replebuntur domus eorum draconibus,quando vitia,quæ nunc iucunda videntur,& dulcia, in hominis conscientia draconis speciem præferent, cuius & faciem horreat, & flammam non ferat. Dicuntur enim hæ bestiæ terribiles esse vultus, naturæ tam igneæ, vt flammas ex se emittere videantur. Ita profectò vitia,& peccata, quæ nunc delectant, damnatis apparebunt horrenda, & materiam æterni incendij ministrantia.* Sic ille.

§. III.

Verecundum, & turpe est creaturæ, fuisse alijs scandalum ad peccandum.

A Sole incipitur signa iudicij mœstissima, adeò, vt Sol obtenebratus, & quasi absconditus maneat, imò, vt Apoc.notat sub nigro sago cilicino lateat. Cur sic Sol absconditur. Quid Sol peccauit?Nō peccauit ipse;sed fulgenti illius splendore decepti plurimi in idololatriā sunt delapsi: & adeò verecundum,& turpe est cuilibet creaturæ extitisse scandalum, vt quasi pudeat solem apparere eo tempore, quo reuelanda sunt omnium peccata, & sic obtenebratus 1.Cor.11. latens scandali dati pœnitentiam agat. Paul.1.ad Cor.11.ita cauebat.*Ideo debet mulier potestatem habere supra caput,propter Angelos.*Itaque ibi cauet Apostolus,vt omnes mulieres operto capite sint,id quod velamine aliquo supra caput vtantur dum ad orandum in templum veniunt. Insuper explicans rationem ob quam debeant mulieres velato capite adesse, addit illud, *propter Angelos.* Et non parua difficultas est, cur mulieris facies abscondenda sit sub velamine propter Angelos?Tertull. putarat Angelos à cœlo cecidisse ob mulie-Genes.6. rum amores explicatos, Genes.6. illis verbis: *Videntes filij Dei filias hominum*,&c.quo errore supposito salutarem infert doctrinam moralem;nimirum.quòd illa facies,quæ scandalum attulit Angelis, debeat abscondi, propterea, & vere-Tertull. cundari sub velamine. Sic ait eleganter lib.5. in Marcion. *Adiecit etiam,propter Angelos. Quos? id est,cuius? Si creatoris apostatas,meritò vt illa facies,quæ eos scandalizauit,notam quandam referat de habitu humilitatis,& obscuratione decoris.*Facies, quæ scandalum fecit, nunquam non referat pœnitudinis notam. vel obscuratione decoris sui: non iam liberum habeat ostendi,sed claudi,& abscondi nitatur,vt vel hoc signo declaret,& pudorem,& confusionem,quam habet eo,quòd aliis scandalum steterit. Quam confusionem persuadebat Abimelec Saræ,cuius pulcritudine captus,& vix lapsu ere-Genes.20. ctus sic aiebat Gen.20. *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo,hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes,qui tecum sunt, & quocumque perrexeris,memento te esse deprehensam.*Qua nollet prudentissimus rex,quòd honesta fœmina obliuisceretur scandali à se dati, licèt inculpabiliter, quin potiùs eius notam quandam semper referret de habitu humilitatis, & obscuratione decoris. Pudeat honestam fœminam scandalum extitisse,quem pudorem,& pœnitudinem ostendat facies obnubilata, nigróque operta velamine. Nunquam enim non indecorum erit creaturæ cuilibet, si appareat fuisse causam aliis labendi in barathrum peccati.Quod vehementer in se Cant.1. timens sponsa aiebat Cant.1. *Indica mihi vbi pascas,vbi cubes in meridie,ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.* Non alios adit,sed immediatè ad dilectum tendit,ab illóque solo petit doceri: quasi vereatur etiam ad sodales sponsi accurrere. Sed cur veretur inter sodales esse? Eius verba sic apud Symmachum tinniunt:*Nequando fiam sicut circumducta & circumrotata instar fundæ apud greges sodalium tuorum.* Et quidem pulcra comparatione explicat fœminarum scandala,quæ in se maximè veretur. Est equidem fœminæ pulcritudo lapis offensionis:lapis,inquam,offensionis,non qui aliquo loco determinato infixus sit, sed prorsus similis lapidi posito in funda; sicut enim lapis funda circumrotatur, vt certiùs,& vehementiùs feriat; sic dum fœminæ in publico versantur,plateásque vel agros circūcursant, hostis humani generis vehementiores ictus in viros dirigit. Meritò ergo honestissima fœmina petit a Deo, rapi, & doceri, dum ait: *Indica mihi vbi pascas*, metuens ne dum cogitur inter viros esse,hanc labē incurrat,vt sit lapis offensionis, & petra scādali alieni;id quod ægerrimè,& durissimè pertulerit.Et quis non immensè doleat stetisse occasionem erroris hominibus? Iob,qui in filiorum nece, in bonorum omnium iactura, in vxoris suasione immobilis stetit, vbi amicos dolentes conspexit,mirum in modū afficitur.Sic enim ait c.3.*Post hæc aperuit Iob os suum,& maledixit diei suo,& locutus est:Pereat dies, in qua natus sum* &c Expende post quæ natiuitatē suam abominetur,& non fuisse velit,nimirū, non post filiorū necem, nec post vxoris contumeliam,sed post amicos dolentes. Et cur post amicos?Seuer.ait in Cat.Græca. *Quandiu cum vxo-* Seuer. *re solus erat,aspernantem illam erudiebat, nec interim vllam precatus est sibi mortem In aduentu autem amicorum,cùm eorum cerneret animos in ipsius calamitatibus recidisse, nouo exercetur bello,id metuens ne illius causa iniustitiæ crimine Deum accerserent. Atque ea causa fuit,car diem ortus sui detestaretur, ac si diceret: Vtinam nunquam essem conceptus,ne mea causa Deus accusaretur.* Sic sanctus vir dolebat occasionem, etiam inculpabiliter dare,quòd Deus offenderetur,vt præ huius doloribus mortis angustias æstimaret cupedias.Non absimilis D.Paul.velit ipse potius salute carere, quam quòd Iudæi ea eius salute occasionem accipere blasphemandi Deum.Ad Rom.9.*Opta-* Rom 9. *bam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Id quod expendens Theodul.fatur: *En anathema quæris fieri,vt Iudæi Christo accedant,vt ne videatur Deus in suis promissionibus minus esse verus.*Quippe cùm Deus omnia sua promissa præstitisset Israëlitis,& Abrahami semini;qui spiritum promissionum diuinarum non perciperet, & illa minimè videret in carnali populo adimpleta,sed potiùs ad alium populum translata, occasionem inde sumeret habendi Dei veracitatem suspectam. Quapropter Paulus,vt ait Theodulus,prorsus cederet suæ saluti, & electioni, ne ea ea,hominum carnalium ignorantia occasionem atripetet tantæ blasphemiæ. Sic sancti viri dolent, aliis scandalum esse.

§. IV.

Salutare homini, vel aliena peccata doluisse.

SEd age, missa faciamus mœstitudinis, & timoris signa, quandoquidem solet Dominus signis etiam distinguere eos,quibus parat salutem. Nec paruam mihi facit quæstionem,quòd in iudicio futuro,signa solum ponantur in Sole, Luna,& stellis, cur vbi tot peccatores feriuntur,solū signatur creatura insensibilis,nimirum, Sol, Luna. & stellæ? An non & istæ peccatorum seruæ?Equidem seruiebant creaturæ peccatoribus,sed tanto cum gemitu præstabant seruitiū, vt inde meruerint signis decorari, cùm vniuersi peccatores morte feriuntur.D.Paul.ad Rom.8.*Vanitati enim creatura sub-* Rom 8. *iecta est,non volens,sed propter eum qui subiecit eam in spe: quia ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.Scimus enim. quòd omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc.* Ecce tibi, & seruitutem, & liberationem creaturæ:seruitus illa fuit, qua creatura omnis seruiebat vanitatibus hominum; liberatio erit, quando filij Dei reuelabuntur in omnium conspectu, in extremo iudicio;tunc etiam creatura signum salutis, & liberationis accipiet. Sed vnde elicitur hæc liberatio creaturæ?Iam explicat Paulus, dum ait: *Scimus enim, quòd omnis creatura ingemiscit*,&c.Quæ enim nouit gemere,& plorare visa peccata, mille sibi signa salutis in diem vindictæ parat. Ezech. c. 9. ait Dominus.*Thau super frontes virorum gementiū,& dolentium super cunctis abominationibus.*Ecce tibi quibus inurantur signa salutis, dum incipit persecutio diuina;qui gemunt, & dolent populi scelera,hi signantur,ne percuti possint. Sed cur gementes,& non potiùs,qui peccata impediuerunt?Illi sine dubio digni sunt salute,qui sese peccatis opponunt, & illa de medio tollunt. Qui peccata non tollunt, quid interest, quòd lugeant, quòd plorent?Meritò tamen hi signantur ad vitam, quia quando alia non possunt facere,planctu & gemitu affectum suum demonstrant. Aiebat ad hæc Chrysost. Chrysost. hom 8. ad Popul. *Da signum in facie virorum gementium, & dolentium.Supra quos autem est signum,ne ipsos tangite.Quæ dic mihi causa? Quoniam, etsi nihil profuunt, tamen gemunt,quæ geruntur,& deplorant.*Auspicabilis semper est gemitus pietatis, adeò,vt nequeat esse sine signis salutis. In quouis videris lacrymas, & gemitus ex compassione peccatorum pro maxima lugentium pietate non vidēs alios nequiter interimi, ibi aliquale signum salutis intellige.Sic apud Zachariā non aliter fit salus Iudæis, quam simul infuso pietatis spiritu, quo doleant,& plangant præteritorū facinus, quo se & suū regem Christum peremerunt. Etenim ait c. 12. *Et effundam super domum Dauid,& super habitatores Ierusalem spiritum gratiæ, & precum: & aspicient ad me quem crucifixerunt, & plangent eum planctu quasi super vnigenitum*, &c. Loquitur in

præsenti Propheta de Iudæis saluandis in fine sæculorum. Sed expende quod eorum saluti iungatur planctus;& qualis planctus? An planctus ortus ex conscientia scelerum? Minime:sed planctus ortus ea pietatis visceribus, qua gentis suæ facinus, & crudele nefas in Iesum perpetratum amarè defleant: dicit enim August. Augustin. de Ciuitat. lib. 20. cap. 30. *Non igitur dolebunt rea sua crimina, sed pietatis affectu.* Ibi enim gratia, & salus effunditur, vbi pius adest affectus, qui deploret, & plangat impiorum hominum in Deum perpetrata scelera.

§. V.

Signa à Deo homini salutaria.

QVot signa audio in Sole, & Luna, & stellis à Domino exhibenda;tot ab eodem propinandas hominibus credo salutes; ea enim à Deo exhiberi solent signa, & prodigia, quæ humano generi salutaria existant. Notissima sunt Elisæi miracula 4. Reg 6. is ingentem Syrorum exercitum cœcitate percussit, & sic cœcum in Samariam duxit, intra vrbis mœnia conclusit,quos vbi rex Israël conclusos vidit, vniuersos voluit interficere; minimè id passus Elisæus ait: *Non percuties; non enim cepisti eos gladio;* quasi piaculum duceret, quòd perirent illi, quos tot miracula, & signa eò Chrysost. compulerant.Quam rem sic D.Chrysost.serm.de Elisæo expendit. *Non percuties*, inquit, *quos nec in pugnâ cepisti, nec in bello superasti. Alia est enim conditio belli, alia est virtus Dei: alius est ordo pugnantis, alia est causa virtutis, & signa monstrantis. In bello salus adimitur, in portentis, & signis vita vitalitas exhibetur.* Non ira sæuiens, sed clementia blandiens signa,& portenta hominibus præmittit:dantur a Deo signa, vt fugiant arcus, vt populus salutem conquirat,imo acqui-Ierem. 32. rat. Ier c.32. *Qui posuisti signa, & portenta in terra Ægypti vsque in diem hanc.* Cur vsque in diem hanc? Fortè quia portenta illa apud Ægyptios facta modo perseuerant? Nónne illa penitus transierunt?Equidem illa transierunt, sed ex illis nomen sumpserunt omnia portenta & signa, quæ modò adeò operantur,quòd sint in populi sui salutem. Vnde pul-Hieron. crè Hieron ibi:*Signa atque portenta non solum in Ægypto perpetrauit Deus. sed vsque hodie eadem eius misericordiæ fortitudo saluauit populum suum, & vniuerso generi humano creatoris subuenit potestate.* Ex Ægypti signis assueta diuina potentia, quoties modò in signis, & prodigiis ostenditur,semper auspicatissima est generi humano, cuius salutem negotiatur. Et nescio, an decora essent summæ Dei potestati ea signa, Iob 13. quæ hominum perniciem trahunt, quando Iob c.13. sic obiicit Deo;*Contra folium,quod vento rapitur,ostendere vis potentiam tuam?* Non enim virtus, & potestas absoluta Dei, in morte, sed in hominum claret salute, adeò, vt hinc fide-Tertull. lium, & infidelium signa distinguat Tertull. quòd infideles de halitu dæmonum nihil non perniciosum sciant ostentare: verùm fideles, vt veri Dei potentia fulti, ea nouerint exhibere signa,quæ salutem afferant. Sic enim fatur lib aduersùs Hæret.*Volo igitur virtutes Hæreticorum proferre,nisi quòd agnosco maximam virtutem eorum, qua Apostolos in peruersum æmulantur.Illi enim de mortuis suscitabant;isti de viuis mortuos faciunt.* Nunquam à magistro diabolo adiicere potuerunt signa & prodigia facere,quæ inutilia,& perniciosa nō sint; sicut à vero Deo signa nil aliud,quàm vitam,quàm salutem Irenæus. nouerunt halare. Quapropter aiebat D.Iren.lib 2.c.57. *Super hæc arguentur, qui sunt à Simone, à Carpocrate, & si qui alij virtutes operari dicuntur,non in virtute Dei, neque in veritate, neque in beneficijs hominibus facientes ea,quæ faciunt,sed in perniciem,*&c. Id quod suprà demonstrauimus lib 3.c.3.§.4.

§. VI.

In creaturis tantùm signa humanæ perditionis, cuius vera causa in solo homine sunt.

PRospice homo vniuersas creaturas,etiam cùm vniuersæ in te armantur, & nullam inuenies, in qua causæ videas causam damnationis; in Sole enim,& Luna,& stellis,& in cæteris aliis creaturis signa mera sunt humanæ perditionis; vera autem eius causa in solo homine existit. Miserrimum impij statum depingit Iobi amicus c. 5. aiens: *Cuius messem famelicus comedet, & ipsum rapiet armatus, & bibent sitientes diuitias eius. Nihil in terra sine causa fit,& de humo non orietur dolor.* Ecce tibi impium ab armatorum incursibus prostratum spoliatum,prorsus nudatum Quòd si quæras,an fuerint aliquæ causæ huiusmodi perditionis, huiusmodi doloris? Equidem fuerunt causæ, quandoquidem nihil aduersi accidit in mundo,sine certa, & determinata causa; quæ tamen causa minimè quærenda est in creaturis,non enim de humo orietur dolor, non terra, non Sol, non Luna, non stellæ, non aqua, non malus aër dolores hominum causant; sed ipse homo sibi causa est,dum peccatis suis solicitat creaturarum iras, & ingentes in se ruinas extorquet. Pulchrè D. Gregor.lib 6.Moral.c.6.ait: *De humo dolor egreditur,quia nequaquam pœna de ea nascitur creatura,quæ percutit:sed de ea procul dubio,quæ peccando vim percussionis extorsit.* Nō à Solis æstibus,non ab aëris intemperie,non à vindemia hominum,non à nequitia dæmonum, sed à se ipso trahit impius tormenta sua;ipse solus praua sua voluntate in causa est, quòd mille doloribus pungatur. Hoc vt pateret, puniturus Dominus Sodomitas misit in primis ad ciuitatem duos Angelos visibili,&eleganti forma conspicuos, quibus mandauit totum supplicij negotium,vt sulphureis flammis nefandam vrbem traderent. Sed cur necesse fuit,quòd tantæ euersionis ministri eleganti forma conspicui inter perdendos homines apparerent? Si punituri veniebant Angeli Sodomitas, cur priùs velut pulcherrimi iuuenes oculis reorum se præsentant?Sanè,vt dum in illos turpiter feruntur impij homines, euidenter pateat,quàm ipsi soli suum supplicium solicitant, & à tardantibus,& reluctantibus sulphureum ignem extorquent. Quod attingens Saluian.lib.1.de gubern Dei,inquit: *Cum Angelos Sodomam Deus mitteret, hoc nobis probare voluit; scilicet vt cum legeremus, quæ à Sodomitis Angeli pertulissent,& videremus scelerum immanitatem, criminum turpitudinem, libidinum obscœnitatem:probaret vtique nobis Deus, quòd ipse eos noluerit perdere. sed ipsi extorserint, vel perirent.* Vni sibi tribuere potest peccator perditionem, & calamitatem suam, quia ipse solus causa est sui damni, ipse solus causa est sui supplicij. Apud Ose.cap.13. *Ego ero eis quasi leæna, sicut pardus in via Assyriorum. Occurram eis quasi vrsa raptis catulis. & dirumpam interiora iecoris eorum: & consumam eos ibi quasi Leo, bestia agri scindet eos. Perditio tua Israel.* Ecce tibi post tot feras Israeli immissas, in tetram miseram lanienam à tot bestiis peractam, qualis misero vox tinniat, nimirum:*Perditio tua Israël*, id est, vt Glossa fatur, *Tu ipse es causa tuæ perditionis.* Quem non funditus perdat hæc sola vox? Quem inter immanissima tormenta dolentem,non exedat vermis iste dū clamet in ipso:Tota causa es calamitatis huius, tu solus diras flammas incendisti,tu tibi acerbissimos dolores traxisti. Sed & audis in scripturis Patrum delicta de filiis à Deo exigi vsque ad quartam generationem: quam pœnam nemo inferret, nisi seuerissimus iudex. Sed non à iudice manauit tanta pœna; sed ab ipsis hominibus introducta est. Pulcrè Tertull lib.2. in Marc.ait. *Si Euangelium veritatis accipias, ad quos pertineat sententia reddentis in filios patrum delicta cognosces, ad illos scilicet, qui hanc vltro sibi sententiam fuerant irrogaturi, sanguis illius super capita nostra, & filiorum nostrorum. Hoc igitur omnis prouidentia Dei censuit, quod iam audierat.* Nulla profectò pœna à Deo venit,quam ipsi homines non trahant sibi.

Gregor. — Genes. 19. — Saluian. — Osea 13. — Tertull.

§. VII.

Peccatum necessariò sequitur manifestatio, & publicatio. Vbi quanta confusio erit in manifestatione peccatorum in iudicio.

QVò putas spectare tot in creaturis signa, nisi vt hominum scelera publicentur,& iam manifesta appareant? Familiare enim est hoc peccato,vt signa mille proferat.quibus suam turpitudinem omnium oculis manifestam faciat. Caue homo peccatū, quod etsi occultissimè in corde admiseris,tamen ipso in sole præmittet signa.quibus pateat;non enim sic lux tenebras sequitur,vt sequūtur patētissima signa peccatum.Primi illi peccatores,cum pomo glutiunt peccatum,cuius pudorem, & pædorem, vt regant,confugiunt ad folia arboris. Quid facitis miseri, tegmen quæritis, & profertis ramum?Sanè ramus potius est vendibilium præco, & signum manifestationum, vt noscas quàm inseparabilis sit à peccato eius publicatio, quando eodē halitu serpens antiquus peccatū suggerit,& præfert ramum vt vendibilior appareat peccatoris infamia. Sic enim ait,Gen c.3. *Consuerunt folia ficus*,&c. ad quæ verba eleganter D Basil.Sel.orat.3.ait. *Tales enim dæmonis sunt machinationes, cum voluptate fauciat, & accusat pudendum in modum; ad ruinam impellit & insuper publicæ ignominiæ nota consignat.* Nunquam peccatum noluit esse, nisi sub signis, quibus publicentur; nunquam

Genes. 3.

volupta

volu ptatum vinum admittitur, quin ramus proferatur, qui publicis notis consignet infames. Ideo dicebatur ad Cain Gen.4. *Si autem egeris malè, statim peccatum pro foribus aderit?* Quasi nequeat fieri, quòd vbi peccatum latitat, signa mille pro foribus astantia, non publicent, & conclament latens
Genes.4. peccatum Id quod notabat Hugo Victor. ibi, apud Lyppom. aiens; *Peccatum verò, quod est in foribus, vt exeat, praua voluntas est, quæ non potest celari, quin aliquando exeat, & appareat aliquo signo.* Nunquam non Sole ipso clariora, & patentiora signa comitantur peccatum, vt in omnibus verificetur ad
2.Reg.12. Dauidem sententia 2. Reg. 12. *Tu enim fecisti abscondite; ego autem faciam verbum illud in conspectu omnis Israel, & in conspectu Solis.* Qualis ergo tunc facies rerum, quando in conspectu Solis, & omnium luminarium cœlestium signa dabuntur peccatores vniuersos publicantia, testantia? Quæ mens peccatoris, cùm tot cœli luminibus testantibus, illius pudenda nudè coram iudice reuelentur? Fallar si gehennæ incendium tam intolerabile sit, quam intolerabilis
Iob 6. erit confusio publicati sceleris. De impiis dicitur Iob c.6. *Venerunt quoque vsque ad manè, & pudore cooperti sunt.* Nondum Solis, luminúmque signa parebant; ad manè solùm venerant, hoc est, paruo sub lumine peccata sua reuelata sentiebant, & intolerabili pudore operiebantur; cùm non solùm matutinis, sed meridianis Solis radiis coram iudice astent, tunc confusio gehennæ flammis erit multò grauior.
Gregor. Id quod notabat D.Gregor.lib.7.Moral.c.14.aiens. *Tunc verò iniquos pudor cooperit, cùm eos in conspectu iudicis testis conscientia addicit. Tunc iudex exterius cernitur, sed accusator interius toleratur. Tunc omnis ante oculos culpa reducitur, & mens super gehennæ suo grauius igne cruciatur.* Leue reputabitur gehennæ incendium, in comparatione confusionis ex publicatione culparum. Quis famæ honorifique occultor ferat fœdissima à se patrata crimina in conspectu omnis Israël, & in conspectu Solis publicari? Quis diuitiarum amator sustineat se nudum, vilem, & omni egentem bono in conspectu vniuersi traduci? Sanè hanc ignominiosam traductionem
Luc.16. expauebat ille Luc.c.16. qui aiebat: *Mendicare erubesco.* Quæ verba ponderans D.Chrysol.serm.125.ait. *Confusionem futuri iudicij pertimescit, in quo iam non pœnitendi tempus est, sed pœnarum, & vbi reus plus de conscientia, quàm de gehennæ erubescit incendio.* Plus equidem torquebit impios peccati manifestati conscientia, & pudor, quàm ipsa damnatio gehennæ.

Text. Et in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris, & fluctuum.

§. VIII.

Extrema persecutio Ecclesiæ omnium sæuissima.

INde gentium pressura maxima ostenditur, nimirum ex maris exundatione, quandoquidem nil tunc verebuntur fluctus, non littora, non arenam, sed ruptis carceribus super omnia ingenti stridore sese attollent. Magnum hoc, sed longè maius, & horribilius est id, quod eo exprimitur, nimirum, sæuissima ab Antichristo excitata persecutio, quæ instar exundantis maris ruptis limitibus vniuersa peruadens extremam causabit inter homines pressuram. Multæ equidem ab antiquo excitatæ sunt persecutiones in Dei seruos; innumeri persecutionum fluctus intumuere, & intonuere, sed omnibus limites posuit Dominus, quos minimè contemni licuit. Accipite Ierem.5. *Posuit arenam ter-*
Ierem.5. *minum mari, præceptum sempiternum, quod non præteribit, & commouebuntur, & non poterunt, & intumescent fluctus eius, & non transibunt illam.* Sed scire cupis, quæ arena potuerit intumescentes, & frementes persecutionum fluctus sic comprimere, ne terminos transirent? Crediderim nomine arenæ significari humilem Sanctorum virtutem, qui dum despecti visebantur, eas tamen miraculorum virtutes exercebant, quibus rabidissimi ipsi persecutores coërcebantur.
Gregor. Sic ait D.Gregor.lib.9. Moral.cap.5. *Arenam quippe Dominus mari terminum posuit, quia ad frangendum mundi gloriam, abiectos, & pauperes elegit. Cuius nimirum maris fluctus intumescunt, cùm potestates sæculi ad commotionem persecutionis exiliunt. Sed transire arenam nequeunt, quia despectorum miraculis, & humilitate franguntur.* Ecce tibi humilium fidelium miracula pro arena erant intumescentibus persecutorum fluctibus, ne vltra modum sæuirent, vtpote, qui vel nolentes martyrum miraculis frangebantur. Sed proh dolor! in Antichristi persecutione exundabit rabies fluctuum, & vltra modum desæuiet, nullis arenarum virtutibus, nullis martyrum miraculis compressa, quin potiùs martyribus solùm patientibus, ipsi carnifices miracula efficient. De quo ipsemet D.Greg.lib.32.Mor.c.12 sic ait. *Sed quid est, quod illa persecutio maxima omnium futura est, nisi quia, tunc diabolus non solum per ministros suos tormenta adhibebit, sed etiam miracula faciet? Nunc enim fideles mira faciunt, cum peruersa patiuntur; tunc autem diaboli satellites, etiam cùm peruersa inferunt, mira facturi sunt. Pensemus ergo, quæ erit humanæ mentis illa tentatio, quando pius martyr, & corpus tormentis subdit, & tamen ante eius oculos tortor miracula faciet. Cuius tunc virtus non ab ipso cogitationis fundo quatiatur, quando is, qui flagris cruciat, signis coruscat?* Hæc ibi Gregor. vt ostendat, quàm prementur terrigenæ, vbi sine vlla arenarum reuerentia, immò ex potestatis ostentatione rabidissimi persecutionis vltimæ fluctus tam ingentes fremitus dabunt. Idem.

§. IX.

Tantum erit extremi diei malum, vt sola eius fama impios vehementer concutiat.

ECce, quo premantur flagello impij in extremis temporibus, nimirum, *confusione sonitus maris, & fluctuum,* non tam re, quam sonitu ferientur; tanta enim erit illius temporis clades, vt vel solùm audita possit orbem concutere vniuersum. Psalm.75. *De cœlo auditum fecisti iudicium; terra tremuit, & quieuit.* Ingenti quidem tremore afficietur Psal.75.
terra, dum vel audiat sonitum iudicij: vnde apud Oseam Osea 7.
cap.7. inquit Dominus. *Expandam super eos rete meum: quasi volucres cœli detraham eos, cædam eos secundùm auditionem cœtus eorum.* Explicatius posuit Theophyl. *Castigabo eos in auditione tribulationis ipsorum.* Ecce in quo flagello dicuntur castigandi, in auditione tribulationis; sed scire cupis, qualiter castigari impij possint sola tribulationis auditione? Pulcrè Theophyl.ibi ait: *Adeo terribiles erunt hostes, vt nec dum præsentes, verùm denuntiati tantum, & auditi sufficiant ad castigationem.* Equidem tanta est iudicij diuini ira in peccatores, tanta iudicis seueritas, tanta tribunalis flamma, vt vel sola horum denuntiatio valeat impios cõcutere, & vehementer castigare. Sanè reprobi illi spiritus, Luc.c.8. nullũ verber in Iesu manu viderant, solùm eius minaces voces exceperant, & clamant, *Quid nobis & tibi Iesu fili Dei? Venisti ante tempus torquere nos.* Tormentum iam sentiebant miseri, vel à sola minaci iudicis voce profectum. Id quod notans D.Basil.Sel.orat.23.ait. *Nondum eos in iudicium trahebat: nondum tribunalis terrorem ostentabat; nondum iudicij flammam accendebat: sed nimis tantum efficaces impetus resecabat, & magni tanta vis erat!* Sola minacis iudicis vox excipiebatur, solùm venturi mali sonitus timebatur, & de sonitu solo insolens tormentum miseros conficiebat. Huc spectat Ioël c.2. vbi de veniente die Domini. die, inquam, tenebrarum, & caliginis, die nubis, & turbinis locutus, sic eius mala pergit numerare. *Sicut sonitus quadrigarum super capita montium exilient; sicut sonitus flammæ ignis deuorantis stipulam, velut populus fortis præparatus ad prælium. A facie eius cruciabuntur populi,* &c. Non armatæ quadrigæ, non flamma vorans visetur, sed sonitus quadrigarum, sed crepitus flammarum tonabit, & populi horrendos patientur cruciatus. Rem ponderans D. Hieron. ait. *Sicut stipulam citò flamma consumit, ita sonitus, & terror vocis cuncta populabitur. Tantus terror erit, vt omnes per circuitum nationes, & animo, & corpore perhorrescant, imò crucientur.* Non tantos cruciatus pepererunt Christi martyribus tyrannorum candentes laminæ, flammantes pyræ, quantos pariet cruciatus terror vocis, & sonitus diuini iudicis aduenientis. Sonitu illo cruciabuntur populi, & miserè conficientur, adeò, vt de illis etiam dictum accipiam illud Amos 2. *Et mittam ignem Moab, & deuorabit ædes Carioth: & morietur in sonitu Moab.* Quasi tanta esset flamma iamiam appropinquans, vt vel eius sonitus audientibus mortem inferat. Basil.Sel. Hieron. Amos 2.

Text. Arescentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi.

§. X.

Iudicij terror quouis alio cruciatu maior.

NOn putes, paruam pœnam impiorum esse timorem hunc: imò quando ignis deesset, vel hic solus timor vehemen

Hebr.10. vehementissimè impios vexaret. Paul. ad Heb. 10. inter ingẽtes impiorum dolores, & hunc numerãs ait. *Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio*, &c. Expende quæ in primis pœna restet peccatoribus, ante ipsum ignem, nimirum, *terribilis expectatio iudicij*; & quidẽ timor iudicij, & prima, & omniũ grauissima pœna est, qua miserè conficiuntur impij. Anselm. Ibi dicebat D. Ansel. *Etiam timor iudicij malis resurgentibus est pœna inenarrabilis, & grauior, quàm gehenna.* Nec dubium, quin reprobi mallent in gehenna, quàm in expectatione, & timore iudicij esse. Hac pœna, vt omnium grauissima, mulctatus fuit primus parricida Cain, cui dicit Dominus Gen. 4. *Vagus, & profugus eris super terram.* Ambros. D. Ambros. ex Septuag. legit: *Gemens, & tremens eris*; vnde patet, quantum sit malum, timore, & tremore iustissimi iudicis vexari, quandoquidem tantum parricidium solo timore castigatur. Chrysost. Quod notans D. Chrysost. lib. 1. de Prouid. Dei, sic fatur. *Primum parricidium Cain inaudito scelere patrauit: imò verò facinus parricidio longe sceleratius, parentes enim incredibili dolore confodit, ac Deo mentitus est. Et pro his omnibus solo timore, ac tremore cruciatur.* Quasi solus timor, & tremor, plusquam alia tormenta possent tam immania facinora castigare. Nullo equidem grauius castigatur cumulus peccatorum, quàm timore, & tremore continuo: ait enim Sap.17. Sap. c. 17. *Cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis; semper enim præsumit sæua perturbata conscientia.* Non enim sic testatam habes damnationem peccatorum ex sæuiente iam igne, ex morte grassante, vt ex timore, & tremore, quo miserè impij torquentur. Hic horribilis tremor, plusquam torrens flamma, plusquam mors sæuiens, dum excedit miseri viscera, eiusdem testatur crudelissimam damnationem; vt Hugo. dicat Hug. ibi: *Timida nequitia, id est, timor annexus nequitiæ, conscientiæ dictus est in condemnationem omnium peccatorum, vrens mentem*, &c. Pro singulis peccatis singula tormenta assignantur, verùm timoris, tremorisque flagellum tantum est, vt pro ingenti omnium peccatorum mole sufficere possit. Sanè Philo Iudæus, vt proponat horrendum supplicium Flacci, infensissimi quondam in Iudæos hostis, eius vitam in exilio actam sub continuo timore, & tremore proponit. Dum enim miser in exilio ageret, post crebram præteritorum scelerum Philo. recordationem, sic continuò clamabat. *Horum facinorum pœnæ me manent, sat scio, & diræ iam stant tanquam in carceribus, vt obice rupto properent in meam perniciem. imò iam in horas præmorior, multas mortes sustinens ante illam vltimam.* Huiusce erat miseri exulis vita hæc eius continua vox, hoc suspiIdem. rium, de quo pergit Philo: *Atque ita sæpe terrebatur, horrore quatiente membra omnia, animo quoque contremiscente, anhelóque pectore. Si quem lento passu incedentem videret, suspicabatur cogitare sibi perniciem; si properantem, mox mentem subibat, hic me persequitur, non temere festinat. Blandus insidiatur, liberè loquens contemnit. Cibus, potúsque mihi præbetur tanquam mactandis pecudibus. Quousque tandem ferreus durabo in tot casibus? Scio me meliorem, quàm vt mortem mihi consciscam: nimirum hoc etiam vetat meus genius, ne citò abrumpam vitam miseram.* Nec miror, quòd impius homo intolerabilius putaret timere, quã mori, siquidem & piissimi, & prudentissimi viri mallent mori, 3.Reg.19. quam timori succumbere. De Elia dicitur 3. Reg. 19. *Timuit ergo Elias, & surgens abijt quocumque eum ferebat voluntas. Cumque venisset, & sederet subter vnam iuniperum, petiuit animæ suæ vt moreretur.* Mortem fugiebat, vt summum malum; sed dum fugitiuus sub timore viuit, expertus est grauius esse malum timorem, & suauem reputat mortem. De quo Chrysol. eleganter Chrysol. serm. 147. *Pauore mors ipso lenior. Cain vbi parricidalì cœpit terrore vexari, mortem petit, requiem credit, si periret. Et quid dicam de Cain? Elias ille vbi sensit toto se timore respergi, repetebat, quam fugerat mortem, melius existimans morti succumbere, quàm timori.* Nemo non excors putabit aliud tormentum esse grauius, quàm viuere sub tremore. Sanè hæc in primis grauissima pœna afficiet impios, dum vinculis morborum detenti, cubiculo obscuro detrusi, ciSap.17. tò se rapiendos noscunt ad tribunal diuinum. Sapient. 17. *Neque enim quæ continebat illos spelunca sine timore custodiebat.* Crediderim speluncam vocari infirmi hominis lectum, aut cubiculum, qui enim libero cœlo peccabat, tandem morbo correptus incidit in morbum, nigróque clauditur cubiculo, quasi carcere, vbi miserè decerpitur timore iudicij immiEuseb. nentis, vt Euseb. apud Hugonem in præsenti. *Cum ad hoc custodiæ crudelis ventum fuerit, vbi tam futuri iudicij ipsa sui expectatione desæuit pœna, solus mœror occupabit animam omni solatio destitutam.* Equidem sæuissima decerpitur pœna impius, dum iudicium ineuitabile custoditus expectat.

§. XI.

Mala præsentia vehementissimè augentur ex futurorum metu. Qui solus nos solicitare debet in malis præsentibus.

IN hac vita non magnum puta malum illud, in quo omnes timores absorbentur; sed illud omnium maximum est, quod dum cruciat, simul futura facit timeri. Nondum mala ipsa veniebant, sola signa videbantur, & signis solis visis homines arent; cur sola signa mali tam nocua hominibus sunt? Sanè non de malitia sua, sed de socio timore futurorum. *Arescentibus*, ait, *hominibus præ timore, quæ superuenient*, &c. Et minima etiam mala maximas vires sumunt ad torquendum ex timore futurorum. Tormentum Ægyptiorum, dum tenebris affligebantur, sic depingit SaSap.17. piens cap. 17. *Apparebat autem illis subitaneus ignis timore plenus, & timore percussi illius, quæ non videbatur, faciei, æstimabant deteriora esse, quæ videbantur.* Et quidem longè deterius fit malum præsens ex timore illius, quæ nondum cernitur, timor enim vtrumque malum adauget, & præsens & futurum; quia cùm nesciat futurum non nisi maximum exhibere inde præsens vehementer exacerbatur. Ad hæc pulcrè dicebat Hugo: *Pessimus est in dubiis augur timor, nam si qua lateant, peiora putat. Vnde Ægyptij dolore præsentium, & futurorum timore perturbati, quæ in præsenti patiebantur, deteriora putabant, quàm essent.* Hugo. Auget semper etiam minima mala futurorum timor, adeo, vt vix sentiretur malum præsens, nisi ex socio timore futuri. David Psal. 87. aiebat: *In me tranPsal.87. sierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbauerunt me.* Ecce vbi non ipsa Dei ira turbat Dauidem, sed illum quasi indolenter pertransit: at dolor, & turbatio ex socio terrore acescit, & pungit animum. Vt peccatores perturbet, & affligat Dei ira, non venit sola, sed metum futuri secum semper affert, quo exacerbatur malum, & quæ forsan sola ira esset, de socio timore non ira dicitur, sed iræ. Inde dicebat D. Gregor. Gregor. lib. 7. Moral. cap. 3. *Interni quippe iudicis postquam iræ pertransierunt, etiam terrores perturbant, quia iam aliud de damnatione patimur, & adhuc aliud de æterna vltione formidamus.* Non esset Dei ira, quæ sine timore futuri pertransiret; sed tunc ira Dei, imò non ira, sed iræ multæ, & grauissimæ dicuntur pertransire, cùm in præsenti malo futurum formidamus. Nouerat id sanctus Iob, dum lethalem morbum ex solo iudicij timore æstimabat, inquiens, cap. 7. *Ecce nunc in puluere dormiam, & si manè me quæsieris, non subsistam.* Fatetur se iam pulueri reddi, & nihilominus solicitatur de inquisitione diuina, dum ait, *si manè me quæsieris*, hoc est, si lucerna accensa mea facta inuestigaueris: hæc illi cura hæc solicitudo, hic stimulus illum vehementer pungebat, etiam sub mortis falce constitutum. Ad quæ D. Gregor. lib. 8. Mor. Idem. c. 21. *Præsenti iam pœna premitur, & adhuc de futuris grauius vrgetur. Ac si apertius deploret, dicens: In præsenti quidem mortem iam carnis patior, & tamẽ adhuc de futuro iudicio grauiorem morte districtionis tuæ sententiam pertimesco. Interitum pro culpa sustinens, sed adhuc ad iudicium veniens, culpas etiam, & post interitum formido.* Hic vnus futuri metus, & timor mala omnia præsentia, imò ipsam mortem acuit, & reddit amarissimam, & hic vnus metus in malis omnibus debet esse præcipuus. Ille infidus œconomus solum vocatur ad examen, & dum adhuc bonis incumbit, vocantis voce oppressus statim venturæ egestatis ruborem intolerabilem sentit, dicens, Luc. 16. *Mendicare erubesco.* Quis te cogit mendicaLuc.16. re, ô miser! Modò sola ratio villicationis petitur, necdum bonis priuaris, cur iam mendicitatis rubore torqueris? Sanè intolerabilis est in quouis malo conscientia timida sceleChrysol. rum. Chrysolog. serm. 125. *Confusionem futuri iudicij pertimescit, in quo iam non pœnitendi tempus est, sed pœnarum, & vbi reus plus de conscientia, quàm de gehennæ timbet, ut incendio.* Intolerabilior est semper conscientia meticulosa peccatorum, quam ipsum gehennale incendium, dum peccator iam mortis rudentibus tenetur, & ad iudicium vocatur extremum.

§. XII.

Inter ipsam deploratam salutem, adhuc vana expectatio impios deludit.

QVousque impios vana spes deludet? Inter Solis, astrorúmque omnium, immo mundi vniuersi defectus, inter deploratam iam hominum salutem, inter ipsos timores,

res, vel potiùs inter mortes ipsas adhuc in impiis nescio, quæ expectatio viget. Arent homines præ timore, & expectatione, vbi omnia timenda proponuntur, quæ sibi expectanda impij confingunt, vt spe vana pereant delusi. De illis pulchrè D.Gregor.lib.8.Mor.c.7. (Gregor.) *Iamque impius vltor ad iudicium pertrahitur, & tamen ipsa ordinatione solicita rebus transeuntibus occupatur, nihil aliud cogitans, nisi in hoc mundo adhuc qualiter viuat. Relinquendo omnia, quasi possidendo disponunt: quo a spes viuendi non frangitur, etiam cum vita terminatur. Iam ad iudicium trahuntur per sententiam: & tamen adhuc habendis rebus inhærent per curam.* Quid verius? Nunquam equidem impij dimittunt vanissimas spes, etiam cùm animam dimittunt: videbis multos post deploratam a Medicis salutem ad testamentum accedere, & relinquenda disponere, sed qualiter disponunt? Verissimè dictum, nimirum, *relinquendo omnia, quasi possidenda disponunt*; sic de bonis relinquendis agunt, vt videantur illa reponere sibi, non aliis relinquere: nunquam vana viuendi spes frangitur, etiam cùm iudicium instat. Hos pulchrè depingit Isaias cap.28. (Isai.28.) *Flagellum inundans, cum transierit, eritis ei in conculcationem; quandocumque transierit, tollet vos, quoniam manè diluculo pertransibit in die, & in nocte.* Quibus expendenda est ratio, propter quam dicat, funditus euertendos esse impios a Dei flagello, nimirum, *quia manè diluculo pertransibit in die, & in nocte.* non quia in die, & in nocte transibit, sed quia singulis diei, & noctis horis *pertransibit*. pertransire res dicitur, quo tota completè, & perfectè transit: quia ergo singulis horis sic flagellum pertransibit, vt totum iam videatur finitum, semper spes euadendi crescet, & miseros sic deludet, vt accedente protinus flagello funditus perdantur. Id quod expressit Septuaginta lectio aiens: *diluculo per vos transibit, & in nocte erit spes mala.* Et quidem impij sic calamitatum fluctus excipiunt, vt singulas vltimas æstiment, & post singulas lucem, & serenum sperent, & mala hac spe innixi vsque in extremam perditionem cadant. Quò spectabat Iob cap.11. (Iob.11.) dicens: *Oculi autem impiorum deficient: & effugium peribit ab eis, & spes eorum abominatio animæ.* Vel, vt manifestiùs ad rem legit catena Græca: *Salus autem ipsis deficiet: spes enim eorum perditio.* Adhuc in ipsa perditione constituti spes alunt, quibus miseri funditus euertuntur. Hoc curat hostis noster reproborum rex, vt minimè extinguatur spei scintilla, qua faciliùs impij pereant delusi. Naas Ammonitarum rex 1.Reg.11. (1. Reg.11.) sic ad Oratores venientes ex Iabes Galaad dicebat. *In hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos dextros.* Non duos oculos eruit, sed alterum tantùm, in quo acutè recognoscit diaboli astutiam Petr. Damian. lib.6. Epist.5. (Petr.Dam.) inquiens: *Sæpe malignus hostis reproba hominis potiorem partem sanctitatis* (nimirum dextrum oculum) *adimit, minorem verò* (nempe sinistrum) *artificiosè ... relinquit: vt in eo quod tollit, ... occasio damnationis, vt pereat; in eo verò, quod reliquit, ... spe fiducia præsumatur, vt peccator ad pœnitentiam non recurrat.* Sic Diaboli astu vana spes fundata in friuolis, in reproborum mente nutritur, quæ eorum certiorem facit ruinam.

Text. Nam virtutes cœlorum mouebuntur.

§. XIII.

Sanctissimi quique viri suspectum sibi habebunt districtum Dei iudicium.

CVr ante Dei tribunal non arescant timore homines terreni, quando & cœlestes virtutes, hoc est, sanctissimi viri mouebuntur, & cauebunt sibi? Sanè in Dei iudicio districto nullus homo, etsi sanctissimus, non metuet, & sibi cauebit. Prudentissimæ illæ virgines, dum vox venientis sponsi appropiat, a sociis rogantur, vt parum olei commodent; at illæ sic continuò respondent, Matth. 25. (Matth.25.) *Ne fortè non sufficiat nobis, & vobis, ite potiùs ad vendentes.* Bonæ virgines, cur tam duræ estis in sorores? Tantillum est a vobis oleum procuratum, vt nec parum aliis valeatis porrigere? Nón ne ideo prudentissimæ vocamini, quia mensuram olei, & coagitatam, & supereffluentem prouidistis? Sed in stricti iudicis aduentu, quæuis abundantia disparet, & plenissima vasa sibi a vacuitate timent. D.Cæsari. Arel. in (D.Cæsar.) præsenti dicebat. *Tantus terror, & tanta examinatio erit in die iudicij, vt etiam illi, qui o'enm misericordiæ se intelligunt abundantius præparasse, metuant ne eis possit ad omnia peccata redimenda sufficere.* Quæuis superabundantia apparebit inopia in illo tremendo iudicio, nemo tot meritorum cumulos repositos habebit, qui, dum ad tribunal Christi accedat non dubitet an satis sibi prouiderit. Quis plura congessit misericordiæ opera, quàm Iob? Is oculus fuit cæco, pes claudo, omnium rerum sustinuit iacturam, hostium rabidissimorum tela hausit sustinens, & nihilominus ait, cap.8. *Si manè me quæsieris, non subsistam*, quasi dicat, si matutinus veneris ad meorum operum inquisitionem, ad rationem vitæ expostulandam, non subsistam, te iudice causa cadam, nihil inueniam, quo me in iudicio fulciam. Cur hoc dicat iustissimus vir? Sanè sic vniuersi electi afficiuntur voce iudicis, vt nihil in se videant, quo eius sententiam fugiant. D.Gregor. lib.8. Moral. cap.21. ait: (Gregor.) *Qualibet enim iustitia polleant, nequaquam sibi ad innocentiam, vel ... sufficiant, si in iudicio districtè requirantur. Sed hoc vnum ad solatium suæ ... inueniunt quod ne ... se posse efficere humiliter sciunt.* Non plena laborum horrea, sed cognitio, & temporaneus pudor vacuitatis potest facere, vt iustissimi quique ante tribunal Dei intrepidi valeant stare. Etenim posita diuina inquisitione, nec Iob subsistit, nec iustificabitur in conspectu Dei omnis viuens, si Deus velit ad iudicium intrare. Sed Seraphin stans ante Dei thronum, stetit quidem, verùm multo tremore, & terrore se celans ne videatur. Accipite Isaiam c.6. (Isai 6.) *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum.* Quid plura? *Seraphin stabant super illud, sex alæ vni, & sex alæ alteri, duabus velabant faciem.* Ipsi equidè Seraphin, dum diuino throno sistuntur, nihil in se inueniunt, cui fidant; & multa sentiunt, quæ operiant timidi. Ad hæc D.Chrysost. fatur. (Chrysost.) *Seraphin stabant in circuitu. Quid faciebant, & quid dicebant, qua fiducia ... ? Fiducia quidem nulla, verùm timoris, ... ipsa etiam specie metum ineffabilem declarantis. Duabus enim alis velabant faciem.* Quis suis operibus fidat coram Deo iudice, quando & Seraphin ipsa nihil fiduciæ, sed omnia horroris, & timoris plena ostendunt? Et quidem non fiducia, sed timor humilis iuuat apud tantum iudicem, qui Matth.22. dum intrat nuptiarum domum discussurus conuiuantes, nullo prius offenditur, quam confidentia intrantium, vnde condemnans eum, qui sine nuptiali intrarat, ait ... ; cur priùs pedes iubet ligari? D.Cyril. Hieros. in præfatione ad Catech. ait. (Cyrill.) *Ligate pedes illius confidenter intrantis.* Exue confidentiam, exue fiduciam, & de Seraphinorum more indue timorem, quisquis in conspectum diuini iudicis debes intrare. Huc reuoco illud Psalm 51. (Psalm 51.) *Propterea Deus destruet te in finem, euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium. Videbunt iusti, & timebunt, & super eum ridebunt, &c.* Vbi enim Deus in peccatores adeò irascitur, etiam iustissimi quique adstabunt timidi. Id quod ponderans D.Hilar. ait. (D.Hilar.) *Quanto ergo has damnationes peccatorum, & pœnas eius, & æternæ calamitatis sancti quique metu contuebuntur, quia punitorum contemplatio fit terribilis exemplo? Videbunt ergo iusti, & timebunt, nihil non sibi metuendum in tanta horum calamitate intelligentes. Sed quia iusti sunt, ... timent de exemplo, tamen ... iustitia gaudebunt.* Hæc ille.

§. XIV.

Exclusis virtutum apparentijs visebuntur nuda peccata. Vbi quod hypocrisis ruinam trahat.

EV vos hypocritæ parietes dealbati, qui sicut luminaria modò lucetis in mundo, qui cœlestia decora desoris exhibetis oculis spectantium, cum intrinsecus lutum, cœnumque vitiorum habeatis. Ecce dies Domini veniet, & virtutes cœlorum mouebuntur, motúque dato horrendo excutientur, quæ extrinsecus efficta erant cœlestia decora, nudeque vitæ vestræ lutum, & pudendum scelus reuelabitur. Isaias 2. (Isai 2.) *Dies Domini super omnem superbum, & excelsum, & super omnem arrogantem, & humiliabitur: & super omnes cedros Libani sublimes, & erectas, & super omnes quercus Basan, & super omnes montes excelsos, & super omnes colles eleuatos, & super omnem turrim excelsam, & super omnem murum munitum, & super omnes naues Tharsis, & super omne, quod visu pulchrum est.* Expende, quo vniuersa diuini iudicis ira spectet, nimirum super omne quod visu pulchrum est, hoc est, super illos omnes, qui solum curant placere oculis spectantium, qui cùm fœdissimis inferni rudentibus intrinsecus teneantur, nituntur extrinsecus cœlestia videri luminaria. Ad hæc Petrus Dam. epist. ad Blancam, cap 7. fatur: (Petr. Dam.) *Venit & dies Domini non super omnem, quod pulchrum est, sed*

super omne quod visu pulchrum est, quia diuinè pondere iudicij premi ne ... qui ... virtutum latentes ingenia ... deformitate ... virtutu, ... pa ... u ... tat. Ille premittit iudicij pondere, qui solum visu pulcer est, qui deforis tantùm cœlestis apparet: & quidem inter furentes extremæ tempestatis motus nequit dubitari, quin decora omnia non animo infixa, sed extrinsecus solum effecta excutiantur, & maneant turpitudines reuelatæ. Quod ideo citius fiet, quia hypocrisis, & effictio semper solennis primis inuenitur a tempestate, & extremæ ruinæ præbete aditum. Furiosa equidem fuit illa tempestas ad Iobi tentationem excitata, de qua dicitur cap. 1. *Ventus vehemens irruit à regione deserti, concussit quatuor angulos domus.* &c. Expende, quæ prius commoueantur, imò quatuor a tempestate, nimirum quatuor anguli domus: cur anguli domus citius inueniuntur a tempestate, & concussioni patent? Origen. in catena Græca rem attigit, aiens. *Ex ... quod ... domus angulos ventus ... potestas ad orandum consistere.* Res petenda est ex Matth. 6. vbi Dominus ait: *N... hypocritæ, qui amant in Synagogis, & in angulis platearum stantes orare, vt videantur.* Pulchrè ergo Origenes notat, inde in primis à tempestate concuti, & deturbari domus angulos, vtpote hypocritarum sedes: vbi enim est hypocrisis & adumbrata solum virtutum imago, illac aditus patet concussioni, & sæuienti tempestati; vt excussa effictio amplius patere faciat turpitudinem occultatam.

Iob. 1.

Origen.

Matth. 6.

CAPVT II.

De aduentu iudicis.

TERRITIS vniuersis hominibus, & præ expectatione arescentibus, præcursor venientis iudicis ignis adeùt, qui vniuersum orbem conflagrabit, purgabit. Nulli viuentium flamma parcet: non impio, non iusto: illi prægustatio erit æterni ignis, huic conflatorium existet macularum. Nouissimè autem inimica destruetur mors; nam ecce tibi aduersus illam classicum sonat, canet enim tuba, cuius cantu longè verius, quàm Amphionis Lyra thebani mori, omnium hominum corpora reparantur. Forsan custodes Angeli indiuiduam pupillorum suorum materiam cognoscentes illam extrahent etiam a mundi angulis, & diuina operante virtute interminabilem vitam vniuersis hominibus gustabunt. Quid ... tunc? Simul congregabuntur vniuersi in Iosaphath valle in, vbi diuisis iustis ab impiis venientis iudicis pompa, & comitatus omnium oculis paret. In primis splendentes Angeli manibus signum crucis, quasi imperatorium labarum; deinde tota cœlestis militia & pulcherrimum, & gloriosum præbebit spectaculum: tandem iudex in summa throni confidens maiestate. Ex tunc feri damnatorum fletus, & tempestiui iustorum cantus nobili triumphatori Iesu applaudent.

Matth. 29. Et tunc parebit signum filij hominis in cœlo: & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli, cum virtute multâ, & maiestate.

§. I.

In iudicio nil remanebit, quod possit iudicas seueriss.mi misericordiam pulsare.

Expendendum in primis est illud *tunc*, ad quod tempus referatur, nimirum post omnium viuentium tumam, post orbis conflationem, postquam nil in mundo viuens, inter omnium mundialium sterdes cineres iudicis aduentus celebrabitur. Ait Ioel cap. 2. *Ante faciem eius ... vorans, & post eum exuren... quasi ... tus voluptatis terra coram eo, & post eum solitudo deserti, neque est qui effugiat eum.* Ecce tibi, quæ terra antea mille voluptatis hortos prætendebat, imò tota ipsa paradisus erat innumeris fructibus diues flammis combusta steri... fecit, & instar deserti penitus aret. Cur hoc? *Neque est qui effugiat eum,* nimirum,

Ioël 2.

vt nulla sit impio spes euadendi, quod expr... Chaldæus, ait *Sed nec ... ad ... o prius orbe* terrarum, & in sterilem des... rtum re... venit ... s iudex ne quid videat hominibus ... ... re ita valeat reuocare. Et cui post adustam terram, & ... lescentem iudicium erit, nisi vt nihil appareat qu... sit iudici misericordiam in homines suggerere. Dum ... a fœcunda fructus pareret, quibus homines cibaret, simul & aspicienti persuaderet, vt hominibus opem præstaret. Inde est, quod terra exuritur, ne veniens iudex videat, quid hominibus sanitabile, & omnis salutis aditus intercludatur. Explico rem, & præsertim Caimum crudelissimum pa... dam, qui, vbi rabidissima ira in Abelum æstuabat, ait ... tri Genes. 4. *Eamus foras*, siue, vt Ambrosi. legit, *... campum*, quòd si quæras cur in campum adducat ... trem? Cur non potius in nemus aliquod arboribus consitum, quæ facinus possent obumbrare? Cur non ad pomaria, vt magis virus simularetur? ... cauebat rabidissimus homo a pectum, quæ possit exem... lum se... uatis in homines ministrare, & ideo pomaria, & nemora cauit, ne ... ter tot fructus salutem, & commoditatem homini propi... autes furiosum eius cor aliquid pateretur humanum. Accipite D. Ambros. lib. de Cain. cap. 8. sanctem. *Mitte ... , eamus in campum, non dixit, eamus in Paradisum, vbi poma ... non in aliquem fructiferum locum. Parricida terrarum ... tas ne largitor boni ... liberalitate ... vt ... frat... num teneret affectum.* Cauet ... homo a p... ctum creaturarum, quæ proficuæ sunt hominibus, & salutares, à quarum aspectu possit furor qu... frangi. Et quem non frangat muta creaturarum ad misericordiam persuasio? Nolo vobis debere rem Ruperti ... notatam, Is lib. 7 de Victor. Verbi Dei cap. 4. ... de C... primis incunabilis, Pompeio Trogo authore, scribit. Infans de ... Astiagis per aut mundum datus est occidendus. Is vero cui necandus infans traditus est, veritus ne infantis occati vltionem mater eius quandoque in ipsum exigeret, pastori regij pecoris puerum exponendum tradidit: fort... eodem tempore, & ipsi pastori natus erat filius, ... adita regij infantis expositione puerum pr... ... que ostendi summis rogat precibus. Cuius ... pastor, teneris ... vleam inuenit ... iuxta ... illam par... ulo vbera præbentem, & a fera ... que defendentem. *M... ... ... am ... m videat, puerum desert ad stabula.* & ... flexerant pueruli lachrymæ, innocentis ... pietissimus, status; flexit aspectus feræ illi opem præsta... ... deas, quam validæ sunt mutæ creaturarum voces ad ... ndum etiam crudelissimum cor, si videantur ipsæ salutes pr... re. Merito ergo Cain, vt nutriat iram in fratrem ste... solum quærit, & prorsus fructifera loca cauit, verit... pe... gior terræ prosp... ctus triste facinus impediret. Qui ... lura... simili ... ter crudelissimus vltor iniquitatum supra adusta... & cine... eam terram tribunal statuit, ne vel ... vltimum superet, qui possit salutarem affectum in homines excitare.

Genes. 4.

Ambros.

§. II.

Inter iudicij discrimina signum crucis iustis præbebit securitatem.

Iam virtutes cœlorum inter tot terrores commotæ ... vnde possint ... ecce vob... dum ... ... ciunt De... ea, parebit signum filij hominis ... crucis vexillum, sub quo non habent ... ... De ... D. Cyprian. serm. de Nat ... ... vniuersa inferorum legiones in æternum ... tas gehennæ flammas iaciant in homin... ... commoueantur ipsæ cœlestes virtutes, vbi signum crucis apparuit, omnia iustorum omnium fient in tuto. Meminit Iesum Dominum expellendo ab homine Dæmoni dixisse Marci 5. *Quod tibi nomen ... ... Ec quidem integra Dæmonum ... ... bat, nec expugnabat: quod meditatus Chry... ... fatur. Fuiderat ... ... Age christiane, ...*

Cyprian.

Marc. 5.

Chrysol.

sciamus,

fecurus, monus tanta, & tam multa, quo fic metait intermem, procul fugiat, fi videat, fi fentiat armatum. Non vniuerfæ inferorum legiones, non cunčti mondiales terrores poffent tangere illum, in quo appareret Chrifti vesillum, crucis fignum: hoe vno muniti iufti nil timent, omnimodæ pro-
Ambrof. fperitatis fumunt aufpicium. Vnde pulcherrimè D. Ambrof. ferm. 43. ait. *Nonae, cum adhuc gentilis effes, folebas figna perquirere: qua figna quibus rebus effent profpera, magna inquifitione colligere? Jam nunc nolo cires in numero, fcito quia in vno figno Chrifti omnium rerum eft tuta profperitas. Qui in hoc figno feminare caperit, vita fructum confequetur aterna. Qui in hoc figno iter facere aggreditur, ad cœlum vfque perueniet.* Non erres iam pet alia figna, non eft cur alia coufulas, imò nec debes aliorum meminiffe, dum pro te habes falutiferi ligni fignum, à quo vno omnia in re profpera proficifcuotur.
Genef. 1. Apud Genef. cap. 1. poft cœli fabricam, ait Dominns: *Fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem, ac noctem; & fint in figna.* Tot figna fecit, quot ftellas, fub quibus homines viuant, tempeftates præfagiaot, imò annorum abundantiam prænuntient. Sed dum cap. 2. recoluntur Dei opera, fic dicit. *Ifta funt generationes cœli & terra, quando creata funt, in die, quo fecit Dominus Deus cœlum & terram. Et omne*
D. Ifid. *virgultum agri*, &c. De quò pulchrè addubitat D. Ifidorus cap. 2. in Genef. inquiens. *Quid fibi vult, quod nunc nominato cœlo & terra, adiecit virgultum agri, & tacuit catera, quae funt in cœlo & in terra?* Cur in hac recapitulatione, nec meminit fignorum, quæ in cœlis pofuit? Equidem inutile effet figna alia meminiffe, vbi in agri virgulto adumbrabatur iam falutiferum crucis fignum: alia meritò retices figna, ne erres: virgultum adiecit, vt fcias, quia io vno figno crucia omnium rerum tuta eft profperitas. Quandoque enim in terra, & in cœlo figna defolationis parent, verùm crucis arbor numquam noo offert aditum faluti humanæ. Ille parricida Abfalon cœlo exofus, terræ abomioabilis, io arboris ramis pendens, dum diu tenetur, mille euadendi occa-
2. Reg. 18. fiones habet. De quo fic 2. Reg. 18. dicitur: *Cum ingreffus fuiffet mulus fubter condenfam quercum, & magnam, adhæfit caput eius quercui, & illo fufpenfo inter cœlum & terram mulus pertranfiuit.* Nec paruum dubium eft, cur volens Deus punire parricidam, non illum tradidit terræ, vel cœlo puniendum, fed dimiffa terra, & dimiffo cœlo, illum tradidit arbori? Sanè volens Dominus, & in ipfa pœna aliquale fpatium euadendi offerre homini, non illum terræ, nec cœlo tradidit, fed arbori, quæ fola iam ex cruce habebat virtutem offerendi aditum faluti humanæ. Ex quo dicebat
Chryfoft. D. Chryfoftom. Pfalm. 3. *Erat Abfalon fufpenfus in medio cœli & terræ: cœlum eum non admittebat; fi enim primum infurrectorem eiecit Diabolum, quomodo ipfum infurrectorem fecundum admififfet? Terra eum auerfabatur, non ferens pollui poffibus parricido. Si enim Dathan deuorauit, qui contra Moyfen fuerat locutus: quomodo potuiffet ferre pedes currentes aduerfus genitorem?* Quærebat Dominus iuxta Chryfoftomum, aliquem, qui fuftineret paulifper parricidam, & fceleratum hominem; cœlum autem noo fuftineret, qoandoquidem ftatim euomuit defertorem Angelum; terra quantocius illum voratet, vt Dathan vorauit, ideo nec cœlo, nec terræ, fed arbori illum tradidit; fola enim arbor fcit præftare aditum faluti humanæ. Et inter cœli fulmina, & terræ hiatus falutiferæ arboris brachia longiffimum præbent euadendi fpacium. Inde eft quòd poft cœli terræque creationem, ante ftellas, ante Solem, ante animantia, præmiffa fit à Deo ligni creatio. *Et ait: Germinet terra herbam virentem, & facientem femen, & lignum pomiferum.* Quod lignum promiferum? Nimirum, quod adumbraret viuificam crucis arbo-
Anaftaf. rem iuftis hominibus falutarem. Verba expendens D Anaftaf Sinaita Esaëmer. lib. 3. fatur. *Dixit Ecclefia, vt germinet lignum crucis, fed nobis folis fertile.* Et quidem lignum crucis ad omnes fufficit fed iuftis hominibus fertile eft, fumma illos replens benedictioonum abundantia.

§. III.

Paffionis Chrifti figna maximè impios in iudicio torquebunt.

A Signo crucis vifo, quid prius oftendent, quàm lachrymas, quàm gemitus? *Tunc plangent omnes tribus terra.* Sanè figna illa, fub quibus militarunt, & Chriftianam religionem florefcentem viderunt, & pericula mille diaboli enafcrunt, & pietatis opera aliqualia ediderunt, miferè torquebunt, & deuorabunt impios Chriftianos. Cùm Ifraëlitæ, & patria, & templo expoliati in miferam captiuitatem ferebantur, nonnulla templi inftrumenta fecum ferebant, quæ crebrò cernere cogebantur. Ad quod refpicientes, Pfalm. 136. aiunt. *In falicibus, in medio eius fufpendimus organa noftra.* Pfal. 136.
Heu miferi! ad ripas fluminis exultantes, fine tecto, fine penetrali, organa & inftrumenta templi fufpendebant in falicibus, vt fic effent præ oculis omnium. Et quænam eft hæc exaggeratio miferiæ Ifraëliticæ? Quanta erat calamitas, quod inftrumenta templi præ oculis haberent? Rem attigit Chryfoftom. ibi dicens. *Quanam de caufa* Chryfoft.
tulerunt organa fua, cum in captiuitatem recederent, qui eis minimè vfuri erant? Hoc quoque fuerat à Deo prouifum, vt vel in aliena regione haberent monumenta prioris reipublicæ, magifque morderentur, & agrius ferrent, dum religionis, & Dei cultus illa figna viderent. Quis mifer non moleftiffimè ferret afpectum fignorum illorum, fub quibus aliquandiu vixit felix? Quem exulem non acrirer mordeat fignum amiffi ftatus, in quo florebat, in quo feliciffima quæque fibi aufpicabatur? Sanè mordebantur Iudæi, & excruciabantur, dum in exilio videbant inftrumenta illa, quæ felices habuerunt, vt fibi perennitatem bonorum compararent à Deo. Similiter & reprobi Chriftiani, dum in æternum mittuntur exilium, antequam nigro fepeliantur in carcere, coguntur volare medio aëre fufpenfa crucis paffionifque Chrifti Domini figna; vt priftini ftatus monimenta recognofcant, magifque mordeantur, dum priftinæ felicitatis, falutifque fperatæ figna videant. Sic felicitatis præteritæ figna mordere folent miferorum animos, vnde Dominus anxiè curauit, vt mirabilium fuorum figna iugi recordatione à populo nequam celebrarentur. Quid magis familiare Iudæis, quam mirabilia facta in mari rubro, facta in eremo, vbi de petra melle faturati fuerant, & cœlefti rore in dies ditabantur? Hæc notiffima Iudæis, hæc ipfi frequenter iactant, & in omnium ore verfantur. Nec id fine Dei prouidentia, vt quo notiora, & apertiora tot felicitatum, & victoriarum figna præ oculis fint, eo euerfionis calamitas acerbiùs exedat Iudæorum animos. Pulchrè aiebat D. Zeno fermon. 2. in D. Zen.
Exod. dicens. *Verumtamen Iudæe, quid monumentis tuis triumphus gratularis? Ad hoc fortè in eremo aquam de petra bibifti, manna de cœlo guftafti, vt cùm effes ad egeftatem poftmodum deuolutus, præteritorum bonorum recordatione acriùs torquereris.* Ad hoe feruantur à Deo monimenta bonorum, vt acerbiora fint mala reprobandis, ad hoc figna victoriarum & triumphorum relinquuntur verfari ob oculos captiuorum, vt clades augeatur, & ipfi acriùs torqueantur. Nónne immensè cruciabitur mifer Dæmoniorum mancipium, cùm videat fignum crucis, fub quo ipfe aëreas fæpiùs deturbarat poteftates? Sub quo innumera fperarat bona, quorum poffet felix poffeffor euadere? Crediderim hoc reprobis fore ipfa Gehenna grauius.

§. IV.

Impios fera, iuftos tempeftiua cruciat pœnitentia.

ECce quos maximè exhorruiftis dies luctus, tandem adueniunt; dicit enim: *Tunc plangent omnes tribus terra.* Nullus peccator liber à lachryma, liber à planctu, fed infelices reprobi tunc foluuntur in luctum, quando iam per tempus non licebit fructus lacbrymarum maturefcere. De illis Sapient. 5. *Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in fubitatione infperatæ falutis. Dicentes intra fe pœnitentiam agentes, & præ angoftia fpiritus gementes.* Ad lachrymas, Sap. 5.
ad gemitus, ad fufpiria confugient miferi, fed incaffum, quia poft tempus tranfactum, vnde D. Bafil. regul. 161. ex Bafil.
breuioribus, ait. *Omiffa ex negligentia idonea occafione, in qua rogationem fieri oportuiffet, poftea alieno tempore, & incaffum rogant.* Caffa, & vana promunt fufpiria, infructifera, & prorfus fterilia edent lamenta, quia nimis præpoftera, & fera fient. Præclarè ifti à D. Iuda in Canon. vocantur *arbores autumnales bis mortuæ.* Ex quibus Hugo præfatum Sapientiæ locum, fic illuftrat, inquiens. *Secundùm erit illo pœnitentia. Erunt enim illi quafi arbores autumnales, quæ florere incipiunt, quando fructus aliarum arborum comeduntur.* Quando pœnitentiæ fructus metuntur à iuftis in exultatione, quando in cœleftibus horreis fupereffluunt maturæ fegetes lachrymarum; tunc impij incipient flere, incipient pœnitentiam agere, arbores prorfus autumnales, bis mortuæ, & corpore, & anima. Felices iufti viri, qui tempus lugendi prænofcentes, non cùm metunt, fed cùm feminant temporaneum, & ferotinum imbrem lachrymarum amittunt.

Lacbry

Lachrymis castigantur, & luctu, sed tempore suo, tempore salutari nimirum, cùm lachrymarum possum percipere
Prouer. 16. fructum Prouerb. 16. *In hilaritate vultus regis vita, & clementia eius quasi imber serotinus.* Quæ verba ponderans alibi datus Guarricus serm. 3. in Ram. expendit qualis imber à conspectu Dei in nullos homines descendat, nimirum serotinus, hoc est, tempestiuus ad maturandos fructus, habent enim à grato Dei conspecto homines, vt peccati vulnus lachrymis impleant eo tempore, quo perfectam accipiant salutem. Etenim exempli gratia dicit: *Mox enim vt Dominus respexit Petrum, Petrus de clementia pijssimi vultus suscepit imbrem serotinum, lachrymas post peccatum.* Non lachrymas post mortem, quandoquidem istæ ab autumnalibus, & bis mortuis arboribus decidunt, sed post peccatum immediatè, vt fructus pœnitentiæ cernatur in tempore suo. Illas lachrymas afferet secundus Christi aduentus in mundum: has in-
Oseæ 6. tulit primus, vt dicat Oseas cap. 6. *Quasi diluculum præparatus est egressus eius; & veniet nobis quasi imber temporaneus, & serotinus terræ.* Vbi enim vultus regis nostri apparuit in terra, videres peccatores opportuno tempore se dedere luctui, & tunc lachrymas fundere, cùm fructus possit sperari
Cyprian. auctior, & maturior. Ad hæc D. Cyprian. serm. in Cœn. Dom. ait. *In huius præsentia Domini non supernocua mendicant lachrymæ veniam, nec vaquam patitur contriti cordis holocaustum repulsam. Quoties te in conspectu Domini video suspirantem, Spiritum sanctum non dubito spirantem: cum intueor flentem sentio ignoscentem.* A tanti præsentia regis, cùm hoc se nobis tempore insinuat, nullus imber ad nos venit non temporaneus, & serotinus: nullæ lachrymæ, quæ æternæ mendicitatis ruborem patiantur, sed potius, quæ maturos pœnitentiæ fructus diuites exhibeant.

§. V.

Tempestiua Dominica passionis memoratio tota mellea est, nil habet amaritudinis: intempestiua autem plena felle inuenitur.

PArebit equidem passionis Dominicæ signum in die iudicij, noscéntque manifestè vniuersi homines crucis mysterium; quid tunc impij? Tunc plangent omnes tribus terræ, meritò tunc non alius, nisi amarissimus planctus & stridor dentium. & suspiria importuna rumpentia damnatorum viscera à Christi passione cognita proficiscuntur. Modò autem petra illa Christus virgis millies percussus dulcissima mella distillat, quæ simul ebibit iustorum ocu-
Idem. lus, & refundit. Ad hæc D. Cyprian. serm. de Cœna Dom. inquit. *Vide quomodo hi, qui Christi commemorant passionem inter sacra officia, quasi per quosdam canales de interioribus fontibus egrediantur torrentes, & super omnes delicias lachrymis nectarem anima delectetur. Non illos imbres procellosa tempestatis suscipit; ros matutinus est de cœlestibus stillans, & quasi vnctio spiritus mentem deliniens. Gemitus illos pietas excitat, & inter diem, & noctem retrò & ante se affectu intuens, intra dato condonando se diuidens, gratias agit; tam vberis benefi y largitori, & se sanat in agnoscens fletibus se abluit, & lachrymis se baptizat.* Quid suauius? Veniunt equidem à Christi D. Passione visa lachrymarum imbres, sed imbres, qui in impiorum oculis amarissimas, & procellosas tempestates effingent, verùm ad pios & iustos homines instar torrentis voluptatum, & matutini roris accedunt, vt supra omnes delicias nectareis lachrymis delectentur. Ideo Christi dolores me-
Cant. 1. ditata sponsa, ait, Cant. cap. 1. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Ecce tibi spinarum, flagellorum, crucisque fasciculus inter vbera numeratur, inter vbera constituitur, sed ab vberibus nectarei dimanant fluctus, an & à myrrhæ fasciculo similiter? Equidem Christi passi instrumenta vniuersa inter vbera commorantur, & inter vbera connumerantur, vberibus prorsus similia in effundendo melle, in dulcedine communicanda.
Bernard. Quare D. Bernard. serm. 43. in Cant. ait. *Hæc mea sublimior interim philosophia, scire Iesum, & hunc crucifixum. Non requirit vbi pascat in meridie, cum intuetur Saluatorem in cruce. Illud sublimius, hoc suauius & paratius. Panis illud, hoc lac. Hoc viscera replet paruulorum, hoc replet vbera matrum: & ideo inter vbera mea commorabitur.* Non alia vbera requirat, quisquis in præsenti præ oculis habet Iesum, & crucifixum, Passionis Dominicæ signa, ex his nectarei exundabunt fluctus, qui-
Psalm 35. bus tota mens hominis dulcedines manabit. Psalm 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Ad quæ Hesychius in cat. Græca, ait: *Domini Dolorpus est eius. Vbertas sanguis & aqua, quæ à latere eius fluit, ex qua fideles omnes salutari christiane inebriati sunt. Torrens enim voluptatis fuere Christi pœna.* Quot Christi vulnera nostris repræsentantur in animis, tot voluptatum torrentes de interioribus fontibus excitantur: torrentes, inquam, non ab imbribus procellosæ tempestatis exorti, sed à matutino rore, & vnctione diuini Spiritus exundantes. Sanè iustis Dominicus calix nihil aliud propinat, quàm quod dulcissima vbera propinarent: amaritudo, & dentium stridor reprobis in diem iudicij reseruatur, de quibus Psalm.
10. *Pluet super peccatores laqueos ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.* Psalm. 10. Ecce tibi, quæ sit pars Dominici calicis impiis reseruata, nimirum ignis, sulphur, spiritus procellarum. Nec miror; cùm enim iusti viri tempore opportuno diuini calicis latices gustarent, illis purissimæ dulcedines datæ sunt; fæces autem amarissimæ in fundo reseruatæ fuerunt illis, qui nimis serò accesserunt ad diuinum calicem. Psalm 74. *Calix in manu Domini vini meri plenus misto*; Psalm. 74. nimirum passionis eius calia, quem à se ad nos etiam transire aliquando Dominus precabatur. *Inclinauit ex hoc in hoc, verumtamen fæx eius non est exinanita; bibent omnes peccatores terræ.* Inclinatur passionis calix ad nos, quoties eius dolores meditamur; sed impiis huius vitæ meditationibus, etsi gustatur calix, solum gustatur, quàm suauis sit Dominus, quidquid amatoris est, & felleum in fundo integrum reseruatur, vt bibant peccatores terræ in die examinis. Et meritò soli tempestatis procellosæ imbres seruantur miseris in fundo Dominici calicis, qui, dum per tempus licebat, noluerunt nec primis labiis eius dulcedinem gustare, imò nec de illo cogitare. Memini in præsenti non absimilem seueritatem esse in pristinis sacerdotibus respectu peccatorum obduratorum; illis enim, quibus pax offerebatur dum viuerent, si illam contemnerent, vt peccatis indulgerent; postea in mortis articulo etiam, cum lachrymis exorata negabatur: cuius seueritatis rationem grauissimè reddit D. Cyprianus epist. 52. aiens. Et idcirco Cyprian. frater charissime pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum suorum toto corde, & manifesta lamentationis suæ professione testantes; prohibendos omnino censuimus a spe communicationis, & pacis, si in infirmitate, ac in periculo cœperint deprecari: quia rogare illos non delicti pœnitentia, sed mortis vrgentis admonitio compellit: *nec dignus est in morte accipere solatium, qui se non cogitauit esse moriturum.* Nimius rigor, sed forsan illo tempore non adeò nimius videbatur; modò post Ecclesiæ diffinitiones minimè tenendus: sed semper illa mihi placet sententia, nimirum, *quòd non est dignus in morte accipere solatium, qui nunquam cogitauit, se moriturum.* ex qua sic rem præsentem vrgeo, quòd non est dignus post mortem in Christi cruce accipere solatium, qui nunquam cogitauit, nec æstimauit Christum crucifixum. Plangant ergo impij viso signo filij hominis in iudicio, lamententur, gemitibus, lachrymisque emissis areant: meritò non aliud illis solatium Dominicus calix propinabit, quia dum opportunè potuerunt, nunquam voluerunt ad crucifixum respicere. Sic Dominicus calix opportunè visus mellens est, dulcedinésque stillat; importunè autem tùm videbitur felleus est, totus ignis, & sulphur, & procellarum spiritus.

§. VI.

Iesus in iudicio seuerissimus iudex, quia extraneus, & ignotus, ab externis veniens.

NOn parua exaggeratio timoris reorum illa est, quæ dicit, quòd *videbunt filium hominis venientem*, &c non enim vnus è medio iudicabit, sed aliunde, à remotissimis finibus mittetur iudex. Metuenda semper res est in hominum delictis, quòd non illa inquirat ordinarius oppidi iudex, sed externus à curia veniat inquisitor, ab hoc enim nihil licet expectari non seuerissimum, & terroris plenum. Solet ordinarius iudex consuetudine molli, reorum agnitione, præhabitisque consortiis frangi; at qui externus, qui ignotus, qui deforis venit, totus durus apparet, & inflexibilis Primus ille peccator Adamus post facinus perpetratum timore, & tremore possessus latebras quærit, in nullo alio constituens spem salutis, nisi in fuga. Cur non potiùs sperat in notissimi, sibique familiarissimi Dei clementia? Cur miseri non potius spei bonæ, quàm timori, quàm fugæ vos committitis? Ait textus cap 3. *Cum audissent vocem Domini Dei ambulantis in Paradiso ad auram post meridiem,* Genes. 3.

ditem, abscondit se Adam,&c. Sanè audierunt vocem iudicis non præcogniti, sed ambulantis, hoc est, in habitu de foris venientis, & extranei: quo nihil non metuendum cogitarunt. Moys. Barc. Pulchrè Moyses Barcepha Episcopus Syrus lib. de Parad. part. 1. cap. 28. ait. *Sæpè quidem aliàs apparuerat Deus Adæ, & Euæ; pacatè, & blandè alijs vicibus apparuerat illis: at tamen planè se repræsentat, vt sum illi sensibus percipiant, nimirum humana spei formidabilis, difficilis, & quasi peregrè adueniens.* Expende vnde prosiliant timores in primis peccatoribus, nimirum ex eo quòd obijciatur iudex, quasi peregrè adueniens, nunquam enim peregrinus iudex non formidabilis apparet, & difficilis. Vbi quasi peregrè adueniens iudex obijcitur, cur non timeant, & fugiant rei? Ea quo lucem capiunt verba Isaiæ cap. 28. quibus de secundo aduentu Glos. 2. Christi loquutus, vt placet Glossæ in additione 2. ait. *Vt faciat opus suum, alienum opus eius, vt operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo.* Equidem Dominus, vt faciat opus suum, nimirum opus iudicij, & vindictæ à patre sibi commissum; siue, vt expressiùs loquitur Adamus, vt exerceat fortitudinem suam aduersùs vos, & iustam sumat de vobis vindictam, illum habitum sumit, quo alienus, & peregrè veniens in operibus suis apparet. Quid inde? Quid D. Hier. quòd alienus appareat in iudicio Dominus? Pulchrè D. Hieron. *Non est opus Domini perdere, quos creauit, sed facere opus alienum: quod ad crudelitatem magis, quàm ad clementiam pertinet.* Nil non crudele mediteris in iudice se operibus suis peregrinum ostendente, & alienum: vt enim Dominus opus vindictæ faciat absque vlla misericordia, cum omni seueritate, & rigore, alienum se, & peregrinum ostendit. Cùm à curia venit iudex peregrinus, quàm maximè solet timeri eius rigor; quot tunc vincula? Quæ suppli- Isai. 13. cia? Quæ bonorum spoliationes? Inde Isaias cap. 13. *Dominus exercituum præcepit militiæ belli venientibus de terra procul. A summitate cæli Dominus, & vasa furoris eius, vt disperdat omnem terram.* Non iam tradentur peccatores potestatibus mundialibus, vt puniantur; de terra procul, à summitate cœlestis curiæ venient iudices, venient iniquitatis vltores, ne impij aliud videant, quàm vasa furoris, & maledictio- Chald. nis extremæ. Quò respexit expressiùs Chaldæus aiens. *Venientes de terra longinqua à finibus cœli. Dominus, & vasa enlicu maledictionis coram eo, vt disperdat omnes impios terræ.* Heu miser peccator, quis te liberabit à facie furoris diuini, quando & iudex, & vasa maledictionis extremæ de terra longinqua, à finibus cœli venient! Cùm hoc audio, miror Iesum puerum in Ægyptum descendentem, & tamen Ægyptiis nullum inferentem malum. Nónne Ægyptij criminosi homines? Quomodo iudex transiens per tot crimina neminem punit, imò multa bona impertitur? Rem Anastas. attigit Anastas. Sinaita lib. 3. Exaem. inquiens: *Quando ex præsepe Bethlehem in Ægyptum cum sua matre fugiente ab Herode versatus est: statim terra Ægypti detegitur, deponit tenebras, Solis iustitiæ lumen induit. Versatus enim est cum proprio orbe, nempè matre.* Itaque venit Sol iustitiæ ad Ægyptum, sed venit cum proprio orbe, venit in propria sede sua consistens, nimirum in matris suæ sinu, & ideo mansuetus venit, non terribilis. Eu quando è proprio orbe descendat, suásque sedes relinquat, vt veniat, væ peccatori, qui eius conspectui assistat.

Matth. 24. Et mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna: & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à summis cœlorum vsque ad terminos eorum.

§. VII.

Iudicij timor colligit iustos, & asserit in tuta.

NOn otiosè ad electorum collectionem præmittitur horribilis vox tubæ, sed vt pateat, quàm multos collegit in vitam pauor iudicij futuri. Quò spectabat Amos cap. 3. inquiens: *Si clanget tuba in ciuitate, & populus non expauescet?* Sanè non est populus adeò excors, in quo si tuba venturi iudicis audiatur, totus timens & tremens non se recipiat ad bonam frugem, studeátque in timore operari Rupert. salutem. Ad hæc dicebat Rupert. *In collectione electorum operatur etiam fortissimus iudicij terror auditus in omni mundo. Sequitur ergo: si clanget tuba in ciuitate, & populus non expauescet? Tuba namque belli signum, reuelationem iræ designat venturæ.* Equidem timor est, qui dispergat oues Dei, illásque in inferno statuat, vbi pascua fiant mortis æternùm duraturæ; sed est & timor, qui congreget agnos, illósque ad Dei dexteram constituat. Qualis hic timor? Timor iudicij venturi; dum enim innotuisset illa extrema tuba auribus nostris, nemo esset, qui non se ad bonam frugem recepisset. Psalm. 33. ait: *Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos.* Psal 33. Quid est, docebo timorem Domini? Possumus ne errare in timore, adeò vt egeamus circa illum Doctoris vigilijs? Possumus, & ideo magna cura inuestigandus est nobis timor ille, qui nos colligat in vitam, qui est timor extremi iudicij. Quod meditatus D. Basil. in cat. Græca di- Basil. cit. *Timor autem salutaris, & sanctificationis adductor, qualis nam sit, vis vt exponam? Cùm ad aliquod scelus patrandum te accingis, cogita illud horrendum, & non ferendum Christi iudicium.* &c. Hic est verè timor sanctificationis adductor, quem vltima parturit tuba, & mentibus humanis ingerit memoria iudicij, vt illo affecti non deseramus sanctitatum, virtutúmque curricula. Quibus resonant Zachariæ verba c. 9. Zach. 9. vbi fit. *Et Dominus Deus super eos videbitur, & exibit vt fulgur iaculum eius: & Dominus Deus in tuba canet, & vadet in turbine Austri. Dominus exercituum proteget eos.* Expende, diuina protectio, qua iusti in tuto asseruntur, vnde oriatur, nimirum ex Domini aduentu instar fulguris, ex tubæ sonitu, qui minacem iudicis promat vultum, vt expressiùs insinuat lectio Septuag. aientium: *Deus in tuba clanget, & ibit in commotione minarum suarum. Dominus omnipotens proteget eos.* Quos proteget, & tutos faciet? Vtique quos tubæ clangor minacibus vocibus deterruerat! Ita D. Hieron. Hieron. *Denique iungit, & dicit: Dominus proteget eos, quos prius sua comminatione terruerat.* Fit sanè à Deo tubæ clamor minax, vt se se homines ad tutum recipiant, nec iræ diuinæ iaculis pareant, & venantium Dæmonum effugiant laqueos. Quod sibi à Deo sperabat Psaltes 90. *Quoniam ipse liberabit me à laqueo venantium.* Psalm. 90. Venatorum sors in eo sita est, quòd & laquei ponantur, & nullus strepitus fiat, sed in summo silentio sint omnia. Clangor ergo tubæ vniuersos venatores reddit vacuos, de quibus dicebat D. Bernard ibi Bernard. serm. 3. *Qui sunt venatores isti? Venatores vtique pessimi, & nequissimi, & crudelissimi; venatores, qui cornu non sonant, vt non audiantur, sed sagittant in occultis immaculatum.* Eò spectant venatores diabolici, vt dum totus mundus scatet laqueis, vt dum ipsi iustis vitis insidiantur, silentium fiat, nec cornu, nec tuba sonet. Verùm Deus in tuba canet, & proteget suos, illósque in tuto asseret, irritis venatorum laqueis. Vide lib. 14. cap. 21. §. 8.

§. VIII.

Separatio electorum à reprobis, maximum reprobis incutiet dolorem.

MIttuntur Angeli à Deo, vt omnes electos congregent ex quatuor mundi angulis; & mittuntur in hoc ministerium, cum tuba, & voce magna. Quare cum tuba? Sanè Laban vbi à se discedentem Iacobum conuenit, sic de illo questus est Genes. 31. *Cur ignorante me fugere voluisti, nec indicare mihi, vt prosequerer te cum gaudio, & canticis, & tympanis, & citharis?* Genes. 31. Nil magis solemne apud homines, quàm quod dilectorum aduentus cum gaudio, & tympanis, & citharis excipiant. Quare Deus, vbi mandat electos suos sibi congregari, & adduci, non vult, vt hoc fiat cum tubarum horrore, & vociferationũ clamoribus? Crediderim id prouisum esse à Domino, vt ostenderetur extrema reproborum vastatio, & immedicabile vulnus ad illos profectum ex separatione electorum. Idem equidem erit electos congregari ad Deum, & bellum reprobis inferri, quo miserè torqueantur. Quò spectat illud Isaiæ cap. 3. *Ego mandaui sanctificatis meis, & vocaui fortes meos in ira mea exultantes in gloria mea.* Isai 3. hoc est, domesticos cœlorum, gloriæ ciues vocaui, quibus iræ meæ negotium mandaui; quid tunc per hos ministros actum est? *Vox multitudinis in montibus quasi populorum frequentium. Vox sonitus regum, gentium congregatarum. Dominus exercituum præcepit militiæ belli,* &c. Ecce tibi & regalium hominum congregatio, & simul in impios belli intimatio; etenim exibunt Angeli Dei imperium ferentes, & congregabunt electos, & in aeris altitudine audietur vox sonitus regum, gentium congregatarum, & inde bellum gladius doloris veniet in vniuersos reprobos humi deiectos, qui vel hac sola separatione inenarrabilibus doloribus afficientur. Equidem ait, Sap. Sap. 5. cap. 5. *Stabunt iusti in magna constantia aduersùs eos, qui se angu-*

augustiauerit, &c. Quia iustorum adunatio, & aggregatio in gloria pluet super peccatores sagittas, arcum, & bellum: nec aliud videbitur in illa Sanctorum collectione, quàm chorus castrorum reprobis in dolorem oppositus. Apud Luc.16. Luc.16. damnatus diues *eleuans oculos suos, vidit Abraham, & Lazarum in sinu eius.* Ecce tibi Lazarus, & colligitur ad Deum, & simul ante faciem reprobi statuitur. De quo D. Titus. Titus Bostrenus ait: *Vt Deus Adamo è Paradiso eiecto, ex aduerso Paradisi sedes assignauit, quò creber eiusdem conspectus dolorem instauraret: ita Lazarum in cruciatuum augmentum diuitis huius aspectui obiecit.* Compara rem Paradisi, & rem iudicij diuini: Paradisus homini excepta flammeos gladios in hominem pluit, dum ante illius faciem statuitur, à quo cernitur amissa; sic Sanctorum collectionem ante faciem reproborum statuit Deus, vt inde dolorem gladij prosiliant, qui miserorum transuerberent viscera. Pulchrè Chrysol. Chrysol. serm.22. *Quale est inter æternos ciues, de contemptu dolorem, de ignobilitate pœnam, de nuditate opprobrium sustinere: & tunc addiet pœnis, quando alij promouentur ad regnum.* Vis scire Stephan. quantus futurus sit dolor hic? Stephanus citatus à Tilmanno in allegoriis, ait. *Damnati minus dolebunt de suo supplicio, quàm quòd carebunt consortio Sanctorum.* Non tam gehennali cruciabuntur flamma, quàm hac separatione ab electorum consortio. Quæ rabies hanc separationem sequetur? Qui zelus? Diues ille purpuratus dum esset in tormentis, non sic flammarum cupiebat refrigerium, vt iusti Lazari consortium: quippè pro ardoris refrigerio semel tantùm orat, dicens: *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aqua, & refrigeret linguam meam.* Et refrigerium ardoris gehennalis, & aduentum ad se Lazari postulat; in vtroque repellitur, at ille quasi ardoris oblitus iterum pro Lazaro flagitat; *Mitte Lazarum in domum patris mei.* Negatum semel refrigerium non curat amplius; at negatam semel Lazari adlectionem non desistit iterum postulare, enixè contendens illum secum, vel inter suos habere, quasi maius quam à gehenna tormentum habeat, ab eo quod Lazarum videat à se disiunctum, & inter filios Dei aggre- Chrysol. gatum. Pulchrè D.Chrysol. serm.123. & 122. fatur: *Antè dixit, Mitte ad me. Modò dicit, Mitte ad fratres meos. Dolet, agit infelix, ne videat felicem: & zelo magis inciditur, quàm gehenna. Est graue illis malum, est illis incendium non ferendum, quos aliquandiu habuere contemptui videre felices.* Pro paruo haberet supplicio flammis absque refrigerio exuri, dum Lazari à se in Dei gloriam asciri caueret conspectum. hic illum conspectus mordet plusquam flamma, plusquam gehenna, minus cruciandus si Lazarum non è regione positum, sed lateronem, vel paulisper haberet. Creber autem conspectus illorum, qui à reproborum lateribus ad gloriam congregantur, quid reprobis manentibus pariat, nisi acerbiorem dolorem, insuperabilem confusionem? Hæc erat vox Iob 6. collectionis Sanctorum apud Iob cap.6. *Venerunt quoque vsque ad me, & pudore cooperti sunt*; quippè qui modò reprobi æternis iacent tenebris consepulti, aliquando exibunt corpora induturi; & in vallem Iosaphat peruenient, ibique à latere suo non cadere, sed exurgere videbunt millia millia, in æternámque felicitatem asciscì; & quanto id Gregor. dolore, & confusione conspicient? D.Gregor. lib 7. Moral. cap.14. inquit: *Vsque ad sanctam quippè Ecclesiam in die iudicij reprobi veniunt: quia vsque ad eius tunc perspiciendam gloriam perducuntur, vt ad maiora tunc reatum sui supplicia, repulsi videant quod perdiderunt.* Mirum in modum auget supplicium conspectus amissæ felicitatis, ad quam, te remanente, videas lateronem tuum festinare.

Text. Ab arbore fici discite parabolam: cùm iam ramus eius tener fuerit, & folia nata, scitis, quia propè est æstas Ita & vos cùm videritis hæc omnia, scitote quia propè est in ianuis.

§. IX.

Nemo vnico virtutis enixu contemptus hæreat.

VIx nosse homo, qualis appareas ante diuinum tribunal? Ab arbore fici disce parabolam; ficus te docet, quæ non semel, sed bis fructificat, & verno, & æstiuo tempore; sic & tu minimè hæreas vno contentus virtutis enixu, sed quod in te bonum est, semel & ter, vt sic optatum felicitatis terminum obtineas. Memini apud Marc.8. hominem cæcum Iesu oblatum, cuius oculos sputo illiniens Iesus, & manus suas imponens quærit ex eo, quid videret? Tunc ille: *Video homines, vt arbores ambulantes. Iterum posuit manus super oculos eius, & cœpit videre: & restitutus est, ita vt clarè videat omnia.* Potuisset equidem Iesus prima manuum impositione hominis oculos perfectè aperire, cur id noluit? Cur maluit secundam manuum impositionem expectare? Vt qui res permanentes, & fixas copit videre, doceatur non vnico virtutis hærere actu. D.Pet.Chrysol.serm. Petr. Chrysol. 176. air. *Iteranda est ergo cura Christi, vt perfectis oculis futura certa, mansutia videant, & æterna.* Sunt, qui contenti semel ad Christum accessisse, semel opus virtuti nauasse, ibi hæreant; hi ad summum arbores ambulantes videbunt, hoc est, leuidensia, & transitoria aliqua bona percipient; sed manentia, & æterna cupit, non semel tantùm, sed semel & ter virtutum operibus insistat. Huc spectabat illud Domini monitum, Math 6. nimirum: *Nesciat sinistra tua.* Quid Math.6. si sciat sinistra, quid faciat dextera? Forsan ipsa hærebit otiosa, hoc vno contenta, quod fuerit dextera operata. Rem explico exemplo patrisfamilias, qui consueuit eleemosynam alicui pauperi elargiri, quòd si pauper post acceptam eleemosynam ab illius vxore, inscio illo, adhuc postulans accedat, dabit ipse proculdubio, quam meritò negabit, si sciat ab vxore fuisse præstitam. Ex hoc si monet Dominus, *nesciat sinistra tua, quod facit dextera*, hoc est, ex vno virtutis opere, non insurgat in te vacatio alterius; sic nouis operibus insiste, quasi nullum fecisse cognoueris. Pulchrè Galfridus citatus à Tilmanno in allegoriis: *Quid* Galfrid. *est, nesciat sinistra tua, quid facit dextera, nisi propterea non vacet ipsa? Multi enim sunt, qui peccata sua eleemosynis redimunt, & propter beneficia, quæ impendunt, aspera sustinere refugiunt. Si ergo, quia eleemosynam dextera facit, sinistra vacat ab abstinentia, nouit, & bene attendit sinistra, quid facit dextera.* Ita ergo operetur dextera tua, vt non inferat otium sinistræ, quin potiùs operante dextera, sic insurgat in opus sinistra quasi ipsa sola operetur. Et vix alio euidentius cognoscuntur nouæ Dei plantationes, quàm ex multiplici virtutum enixu: inde ad Ephes.2. air Paul. *Ipsius enim figmentum sumus, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit* Ephes.2. *Deus, vt in illis ambulemus.* Ecce tibi diuinæ plantationis ingenium, in quo se prodat, nimirum in operibus bonis, in multiplici virtutum studio, & opere. D.Prosper de voca- Prosper. tione Gentium, cap.23. ait. *Proprium ergo habet noua creatura per gratiam, vt qui figmentum Dei sunt, qui natiuitate cœlesti conduntur in Christo, non otio torpeant, neque desidia resoluantur, sed de virtute in virtutem proficiant per viam bonorum operum ambulando.* Expende illud, *de virtute in virtutem*, vt nulla sola virtute contentus sis, sed alias, & alias acquirere statuas, quantumuis prima excellens videatur. Ecce vobis sponsa, Cant.2. ait. *Sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi, & fructus illius dulcis gutturi meo.* Sedi, ait non se- Cant.2. deo, quia minimè contenta vmbram percepisse, statim ad alios fructus percipiendos perrexit. Origen. hom.2. *Vides,* Origen. *quia non semper in vmbra stetit, sed inde ad meliora transferit, dicens: Et fructus eius dulcis gutturi meo.* Nunquam dulcedinem cœlestem gustaret, si vmbræ refrigerio contenta ibi tota desidiosa hæreret; quia ille diuino saturatur nectare, quia instar argumentosæ apiculæ nullum præterit florem, sed à virtute in virtutem operosus contendit. Vide infra lib.14.cap.2.§.8.& alibi.

§. X.

Mundialium culminum partus ruina est, & excidium.

EX floridis arborum partubus diuites autumni aduentum præsagire solemus; si ex mundialium elementorum ruinis, ex bellis frequentibus, ex fame, ex defectibus astrorum, ex maris gemitibus insolitis iustitiæ Solis aduentum penè in ianuis esse præsagire iubemur. Sed ponderandum maximè nobis est, quòd in præsagium venturæ messis, simul proponantur à Domino, & arborum floridi partus, & mundi calamitates. Quæ conuentio calamitatis mondialis cum arborum partubus, vt inter se simul comparentur? Magna per omnem modum; quia in vtroque cernitur fructus sui germinis In ficulneæ, siue alterius arboris partu fructus eius exhibetur, qui iam diuitem indigitet messem: in mundiali exitio, & frequenti calamitate etiam fructus mundi manifestè ostenditur; nunquam enim mundi magnalia aliud, quàm ruinam, quàm calamitates pepererunt. Hinc apertiùs apud Lucam cap.22. Luc.22.

fatur

fatur Dominus: *Videte ficulneam, & omnes arbores. Cùm producunt iam ex se fructum, scitis quia propè est æstas. Ita & vos cùm videritis hæc fieri*, &c. Quæ verba sic eleganter enucleat D.Gregor.ibi. (*Gregor.*) *Sicut ex fructu arborum vicina æstas agnoscitur, ita ex ruina mundi prope esse cognoscitur regnum Dei. Quibus profectò verbis ostenditur, quia fructus mundi, ruina est.* Nescit equidem procerissima mundi arbos non parere ruinam, & calamitates extremas. Vt homines à mundi vberibus auelleret Dominus, sic illis dicebat Matth. 3. (*Matth.3.*) *Jam enim securis ad radicem arborum posita est.* Noua sanè, & prorsus insolita ratio ponendi securim; quæ ad arboris potiùs ramos, siue ad truncum applicari consueuit, nunquam ad radicem. Quis, vt arborem succidat, securim ad radicem applicat, & non potiùs ad ramos? Danielis 4. (*Daniel.4.*) vbi succidenda erat arbos regia, sic ait vigil: *Succidite arborem, & præcidite ramos eius; excutite folia eius, & dispergite.* Tota ibi succisio mandatur circa ramos, circa truncum, de radice nil malum, quin potiùs dicitur; *Veruntamen germen radicum eius in terra finite.* Sic in quauis arborum succisione radix intacta sub terra solet perseuerare. Quid modò securis cum radice? Crediderim ibi de calamitoso mundi fructu aliquid prælibari. Solet enim quod radici immiscetur, totum fructum arboris sibi assimilare, adeò vt si aroma immisceas radici pyri, v. g. inde iam aromatica pyra nascantur; si virus radici apponas, lethalia etiam poma stabunt. Hinc Dominus, vt ostendat mundialium gloriarum fructus quales debeant sperari, sapienter ait: *Securis ad radicem arboris posita est*; quasi dicat, quia radici mundialium bonorum securis adiacet, cauete à mundo, qui de tali radice nesciet, nisi mortes, cædes, & extrema excidia fructificare. Huc spectabat Chrysost.in Psalm.3. (*Psal.3.*) vbi videns Absalonem à ramo arboris pendentem tribus telis transfixum, ait: *Ab arbore detinebatur, qui cum radice pugnabat; & tanquam fructus pendebat ab arbore.* Hos fructus arbor vitæ humanæ parit, quando ad radicem securis ponitur: vnde miser Absalon, qui curauit radici suæ vitæ, nempe patri gladium immittere, à ramo pendens telis transfossus, tanquam fructus apparuit. Et quando mundi magnalia non pariunt ruinas, & calamitates? Isaiæ cap.1. (*Isai.1.*) sic Iudæos lugebat Dominus: *Audite cœli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est: Filios enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me.* Nec otiosè in hac Dei querela vocantur Iudæi exaltati à Deo, exaltati, inquam, bonis mundialibus, quibus ditati præ omnibus nationibus extiterunt: sed cur hanc mundialium bonorum exaltationem meminit Dominus, nisi ne miremur ruinam, & calamitatem præsentem eiusdem populi, quandoquidem mundialis gloria, nil aliud præter ruinam fructificaret. (*Zeno.*) D. Zeno serm.3. de Isaia, ait: *Cælum, terrámque Dominus testes citat, vt exaggeret crimen; filios appellat, vt abdicatio, exaltatos, vt ruina timeatur.* Adeò proprius est fructus mundialium gloriarum ruina, & perditio, vt non possint illæ nominari, quin statim ruina præ oculis habeatur.

Text. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Cœlum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.

§. XI.

Sanctorum patientia malorum omnium incursus exhaurit.

NOsce homo generationem quærentium Deum, quærentium faciem Dei Iacob: de hac enim generatione loquutus in præsenti Dominus iuxta Chrysostom. & Theophyl. ait, quòd sancta generatio non præteribit, donec omnia prædicta mala fiant. Hoc est, quòd mala vniuersa, mundi bella, pestes, fames, tyrannorum rabies non secum rapient fidelium generationem, sed illa omnia pertransient: generatio autem sancta adhuc post illa finita stabit. Quid plura? Ea est Sanctorum patientia, quæ omnium etsi rabidissimorum tyrannorum pharetras vacuabit, & prorsus exhauriet. (*Theoph.*) Ad hæc Theophylactus ait: *Non præteribit generatio fidelium, donec omnia fiant. Non enim, quia audistis famem, & pestilentiam, credatis quòd generatio fidelium his malis intereat, sed permanebit, & nihil illi præualebit.* Omnium malorum incursus Sanctos inuadent, nullo tamen malorum impetu rapientur Sancti, sed stabunt in magna constantia, donec inimicorum sagittæ vniuersæ exhauriantur. Vnus pro mille Iob, aduersùs quem sese vniuersus infernus armat; hinc bonorum ruinæ, hinc filiorum neces, hinc morbi, & omnium malorum exercitus virum iustum inuadunt, impugnant, sed minimè expugnant. Videres totos dæmonum exercitus, vniuersa mortis vasa mittentes in Iobum; quid tunc Iob? Quid tunc homo carneus inter tot pennatas mortes? Inter doctissima ingenia tormentorum? Sanè omnes malorum thesauros euacuauit diabolus, & Iob inuincibilis mansit, vt dicat text. cap.1. *In omnibus his non peccauit Iob labijs suis, neque stultum quid contra Deum locutus est.* (*Iob.1.*) Quid est, *in omnibus his*? Omnia inuaserunt mala; vniuersæ tempestates irruerunt; pertransiere cunctæ inferorum furiæ, Iob autem post illa omnia euacuata integer omnino permansit. Pulchrè hæc D.Chrysost. ad Olympiadem fatur. (*Chrysost.*) *Hic ipse Iobus plagam accipiens, non infligens, oculos diaboli confixit, cunctas ab eo emissas sagittas excipiens, pharetram exinaniuit vniuersam.* Defuerunt equidem diabolo tormentorum instrumenta, & non defuit Iobo tolerantia; illa pertransiere omnia, & in Dei seruo non pertransiuit constantia. Huic similem patientiam, vt fidelibus familiarem, suadebat Tertullian. aiens: *Fatigetur improbitas, patientia tua.* Et quidem valde fatigatur malus, cùm iam nihil, quod agat, habet; cùm sagittarum pharetras videat exhaustas, & fidelium patientia, nec visa sit labare. Pertranseunt vniuersa mala, mens autem fidelis in æternum stat. Hæc erat illa fidelium vox Psalm. 43. (*Psal.43.*) *Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem, & derisum his, qui sunt in circuitu nostro. Posuisti nos in similitudinem gentibus, commotionem capitis in populis. Tota die verecundia mea contra me est, & confusio faciei meæ cooperuit me. A voce exprobrantis, & obloquentis, à facie inimici, & persequentis. Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te.* Expende illud, nimirum, *hæc omnia venerunt*; nullum est malum, quod non accesserit, quod non impugnauerit iustum, nullum telum in thesauro remansit, quod non emissum fuerit aduersùs sanctum; ipse tamen post omnia exinanita mala inuulnerabilis permansit. Ex quo aiebat Diuus Cyprianus in exhortatione Martyrum: (*Cyprian.*) *Durat fortis & stabilis religiosis meditationibus fundata mens; & aduersùs omnes diaboli terrores, & minas mundi animus immobilis perstat: quem futurorum fides certa, & solida roborat.* Plagæ vniuersæ insurgant licèt aduersùs Sanctos, ipsæ exhaurientur, præteribunt; mens autem fidelis fortis, & stabilis durabit. Daniel. 3. tres pueri Hebræi capiuntur, apud Babylonium tyrannum accusantur, sistuntur regi irato, minas sustinent, ad mortem ligantur, in mediam coniiciuntur fornacem. Tunc Deus illos illæsos seruat, & liberat à furante tyranno; cur non antea? Pulchrè D.Chrysostom.homil.6.ad popul.ait. *Voluit tyrannorum puerorum vrbem euertere, & non probibuit Dominus; voluit captiuos ducere, & non impediuit; voluit ligare, concessit; in fornacem inijcere permisit, flammam vltra modum succendere, & hoc dimisit. Et quando nihil reliquum fuerat, sed omnem vim tyrannus exhauserat, tunc suam Deus virtutem demonstrauit, & puerorum patientiam.* Quid pulchrius? Non multum miraberis, quòd dæmonum tela exhauriantur à fidelium patientia, quandoquidem dæmonum rigor finitus est; vnde in certamen vocandus infinitus aliquis prouocator aduersùs Sanctos. Veniat igitur Deus, qui omnipotens est, qui infinitæ virtutis est, & crediderim, adhuc tantam esse fidelium patientiam à Deo ipso communicatam, vt Dei etiam tela exhauriant. Ecce vobis Genes.22. tentauit Deus Abrahamum, & qualia tela in illum parat? *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis, Isaac.* Deus bone, quis tantum impetum ferat? Quis pater hæc audiet, & viuet? Si hæc vincat Abrahamus, manet ne in illum telum aliud? Filius ei eripitur, & filius vnigenitus, & dilectissimus filius, & filius, cui riserunt parentes; planè nullum telum relinquitur in amoris pharetra, quod non exhauriatur, vt patientia Abrahami triumphet. Eleganter D. Basil. Seleuc. (*Basil.Sel.*) oratione 7. fatur: *Tentatione Deus purgat Abrahamum patientiæ simulacbrum: nauiculam ventus agitat: fluctuum ciet impetum, vt obstupescas, quàm nulla tentatione moueatur: machinas admouet, naturæ fluctus in iustum sustollit. Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis, Isaac. Arma naturæ exacuit, omniáque amoris ingeniti tela exhaurit.* Sic vacuantur pharetræ, sic exhauriuntur tela, sic pertranseunt nutriales machinæ, & iustus vir immobilis stat, patientiæ simulachrum, quandoquidem ea est Sanctorum patientia, quæ vniuersos tentationum thesauros exhauriat.

§. XII.

Iesu verba permanentem ad omnes efficaciam habent.

PRæclarè æstimauit hominum verba Thomas à Kempis de imitat. Christi lib.3. cap.46. aiens: *Quid sunt verba, nisi verba? Per aërem volant.* Et quidem, qui hominum verbis fidit, non absimilis est illi, qui persequitur aues volantes. Sola Iesu verba permanere nouerunt, & stare immobilia, vt illis repleatur quælibet adueniens generatio. Quippe ait in præsenti Dominus: *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non prateribunt.* Hæc notissima diuini verbi proprietas, quòd semel alicui datum non prætereat, sed fixum, & stabile ad omnes generationes permaneat. Vnde Origen. in caten. *Verba Moysi, & Prophetarum transiuere, quoniam quæ prophetabantur ab illis, impleta sunt. Verba autem Christi semper sunt plena, & quotidie implentur, & adhuc sunt implenda in sanctis.* Tempus euacuat prophetias, & linguas hominum exhaurit; sed verbum Iesu à nullo vnquam euacuatur, exhauritur; integrum semper manet ad implendos venturos alios. Psalm. 61. accinit: *Semel locutus est Deus, duo hæc audiui, quia potestas est Dei, & tibi Domini misericordia: quia tu reddes vnicuique iuxta opera sua.* Ecce tibi quale sit, vel semel prolatum Dei verbum, nimirum potens misericordiam effundere in vnumquemque: nunquam sic ad vnum determinatè procedere solet, vt cum illo transeat Dei verbum: sed eo ipso quòd semel prolatum sit, vnusquisque adueniens in qualibet generatione illius abundantia replebitur. Accipe Iesum verba facientem apud Matth. cap.11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis.* Mediis Hierosolymis hæc verba sonuerunt, ibi primò facta sunt ad præsentes Iudæos. An pertransierunt statim, & euolarunt? An cum illius temporis hominibus, vel saltem cum Hierosolymis euanuerunt? Absit: transiere homines illi; transiere Hierosolymorum gloriæ; verba autem Christi hactenus stant stillantia laborantibus requiem. Id pulchris verbis explicat D.Basil. Seleuc. orat.29. fatus. *Audiuit Publicanus: Venite ab me omnes, qui laboratis, & eam vocem sui causa prolatam ratus currebat. Vnus sum, inquit, qui publicanorum grauantur oneribus, iugum tuum subeunt; retia tua exosculor, & factus est publicanus, publicanorum expiatio. Neque orationis Christi efficacia hactenus stetit. Quemadmodum lata sagena in latè fusum mare explicata vndequaque piscium conuertit examina, sic & peccatorum turbæ in salutarem vocis illius sagenam incurrant.* Quot verba Iesu, tot retia in mundiali mari explicata, quæ nouerint millies impleri, & adhuc aliis capiendis parari. Nulla peccatorum gens patietur, quæ si velit à fœculento scelerum onere liberari, in salutarem vocis illius sagenam non possit incurrere, quandoquidem orationis Christi efficacia hactenus stetit. Sapienter aiebat Petrus Lucæ 5. ad Iesum. *In verbo tuo laxabo retia*; & non ait, retia contraham, sed laxabo, & potuit equidem verbo Christi indigere, vt retia contraheret, siquidem præ multitudine piscium rumpebantur, & illa vt trahere posset, sociis annuit; nilominus non ait, in verbo tuo contraham, sed laxabo retia, quia cum Dei verbo illa retia componuntur, quæ in latè fusum mare manent explicata, vt nullus existat, qui verbi Iesu non capiat efficaciam. Componite modò cum Petro Centurionem, qui Matth. 8. vt salutem pueri à Iesu obtineret, fatur: *Dic tantum verbo, & sanabitur puer meus.* Cur bone non opera Saluatoris, sed verbum solum illius requiris ad salutem paruuli? Sanè Cananæa dum requirit opera, audit: *Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt ex Israël*, quia facta Saluatoris, cum generatione illa Israëlitarum, quasi pertransibant: at eius verba permanentia erant, & semel prolata neminem excludunt, sed ad omnes domesticos, & extraneos manent. Chrysolog. serm. 5. *Dic verbo, quia ille credit in verbo omnes virtutes manere, nulla nullibi finiri. Verbum tuum Domine sanitas est; verbum tuum vita est, verbum, in quo Petrus, cum laxaret retia, piscium multitudinem cepit.* Nullus excluditur Gentilis, nullus peccator, nullus operarius, quamuis serus, quamuis ad Solis occasum accedat, inueniet Petri retia laxata, nimirum Dei verbum permanens, cum omni efficacia, & virtute sua, vt omnes saluet.

Origen. — Psal.61. — Matth.11. — Basil.Sel. — Luc 5. — Chrysol.

Text. De die autem illa, & hora nemo scit, neque Angeli cœlorum, nisi solus Pater.

§. XIII.

Scientia, quæ non communicatur, nulla censetur.

NEmini dubium esse debet, quin & Iesus filius Dei verus viuorum, & mortuorum iudex sciat diem, & horam determinatam iudicij; cur ergo modò dicitur diei extremi sententia, non in Angelis, non in filio Dei, vt Marcus addit, sed solo in Patre existere? Sanè solus pater illam scientiam communicat, & dicit filio; filius autem illam accipit à patre, nullique illam communicat alteri; & ideo meritò non censetur esse in illo, à quo non communicanda est aliis. Acutè D.August.lib.83. quæst.60.cap.4.inquit: *Benè accipitur, quod dictum est solum Patrem scire, secundùm prædictum modum sciendi, quia facit filium scire: filius autem nescire dicitur, quia non facit scire hominem.* Vbi sapientia non effunditur ad alios, non esse censetur; & quantum tibi soli scieris, meritò putaberis ignorare, cùm sapientia ex communicatione censeatur. Hinc est, quòd solus Pater diuinus dicto modo, sibi sapientiæ thronum & cathedram adscribat, quia solus ille nihil scit, quod filio non communicarit. Ecclesiastici 1. *Vnus est altissimus creator omnium* (& ex Hugone additur, scilicet, Pater) *omnipotens, & Rex potens, & metuendus nimis, sedens super thronum illius. Ipse creauit illam Spiritu sancto, & vidit, & numerauit, & mensus est. Et effudit illam super omnia opera sua.* Vnus & solus Pater æternus omnigenæ sapientiæ sedem sibi appropriat, nimirum, quia ille solus creauit illam, & effudit illam super omnia, quandoquidem sola censetur sapientia, quæ effusa est, & communicata. Vnde præfata verba sic expendit D.Dionysius Areopag. in caten. Græca Iob. cap.19. fatus. *Solus, inquit, est potens, sapiens valde, sedens super thronum suum.* Causámque exponens, cur illi soli nomen hoc præcipuum, & peculiare attribuerit, inquit: *Dominus ipse creauit eam, & numerauit eam, & effudit eam super omnia opera sua.* Quasi inde ipse Deus Pater sapientis nomen sibi attribuerit, non quòd sapientiam solus habeat, & omnia sciat, sed quòd illam effuderit, aliísque personis communicatam præstiterit. Et quidem, quæ foras non egredietur sapientia, vix censetur, quòd sit. Ecclesiast.41. *Sapientia enim abscondita, & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque.* Quibus verbis Hildebertus Cænomanensis Episcopus hortatur Doctorem, vt sapientiam euulget suam: quippe ait epist.1. *Denique sapientia abscondita, & thesaurus inuisus; quæ vtilitas in vtrisque? Aurum melius dispersum rutilat, quàm signatum. Nihil à vilibus tophis gemmæ differunt, nisi in medium deducantur. Scientia quoque distributa suscipit incrementum; & auarum dedignata possessorem, nisi publicetur, elabitur. Noli ergo claudere riuos doctrinæ tuæ. Sed iuxta Salomonem deriuentur fontes tui foras, & aquas tuas in plateis diuide.* Hæc ille, & quidem solus ille poterit prædicari aliquid scire, qui poterit, quod scit, in medium deducere, & auditoribus publicare.

August. — Eccles.1. — Dionys. — Hildebert.

Text. Sicut autem in diebus Noë: ita erit & aduentus filij hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes, & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, &c.

§. XIV.

Durissimum peccatorum malum est quòd à deliciarum summo, in summum miseriæ transeant immediatè.

EXpende seueritatem vltoris diuini, vt inter prandia, & nuptiarum lætitias triste renuntiat mundi excidium; prandentibus, bibentibus, & nubentibus hominibus repentinus adueniet dies vindictæ, vt reorum dolor inde incrementum accipiat, quòd à vitæ floribus immediatè transferantur ad sulphureos ignes. Sanè diabolus vbi crudelitati suæ habenas remisit, cupiens Iobum immanitate dolorum concutere, illum mensæ assidentem aggreditur: etenim ait nuntius cap.1. *Filijs tuis, & filiabus vescentibus, & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti repentè ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos.* Quod maius telum contorqueri potuit aduersùs parentem, quàm tot filiorum nunciatas neces? Sed & teli crudelitas crescit immensè ex circumstantia temporis, nimirum, *filijs tuis vescentibus, & bibentibus*; erat enim tempus prandij,

dij, quando non solùm filij, sed & vniuersi ciues, & Iob ipse mensis assidebant; & tale tempus hostis expectat, vt dum excidia, & ruinæ prandenti nuntiantur, à suauibus escis ad tantum amarorem repentè tractus truculentiore gladio transfigatur. Origen. lib.1.in Iob, ait: *Sic itaque hora prandij manducantibus illis, ac bibentibus Iob sanè in domo sua, filij autem, & filiæ in domo fratris sui maioris, nuntius venit ad Iob. Erant namque nequissimi diaboli versutia, vt horam prandij obseruaret, & prandente illo tristes, ac mortiferos nuntios ad eum mitteret, quo magis fatigaret, ac interficeret, vt tempore comestionis, ac potus, atque iucunditatis tristes nuntios mittendo, deficere illum iustum faceret.* Ecce vobis crudelissimum diaboli ingenium, vnde exacuere nouit doloris gladium, quo virum iustum vehementissimè excruciaret; horam obseruauit prandij, & à suauium hominem escarum deliciis ad amarissima spectacula transfert, vt inde dolor cresceret,& afflictio esset maior. Hinc diuina vindicta in multandis Israëlitis speciem furoris habuit Numer. 11. vbi dicitur: *Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat huiusmodi cibus, & ecce furor Domini concitatus in populum percussit eum plaga magna nimis.* Et meritò nihil aliud particulare explicatur huius plagæ, nisi quòd acciderit, cùm coucupitæ, & delicatæ escæ erant in ore percussorum; quo solo supposito sufficienter probatur quæuis plaga magna nimis, & intolerabilis. Crudelis ille in pauperes epulo in tormentis erat gehennali vndequaque flamma circundatus, & inter hæc solius linguæ tormentum magis ducit intolerabile, & oblitus aliorum membrorum, aquam flagitat, vt refrigeret linguam, Luc.16. Et cur linguæ pœnæ intolerabiliores, nisi quia illa tota deliciis occupata immediatè excepit tormentorum extrema? Quippe de illo dicitur, *& epulabatur quotidie*; inde sanè lingua continuis innutrita epulis intolerabiliores habet,quas subitò incurrit, flammas vltrices. Quando à deliciis ad tormenta non sit durissimus transitus? Hinc exaggerabat Zachar. cap.2. Christi Domini labores pro hominibus exantlatos, aiens: *Post gloriam misit me ad gentes*, &c. quæ verba sic expendit Rupert. *Quàm bonus est vnigenitus, qui cùm in forma Dei esset, propter nos accepit formam serui, atque post gloriam claritatis, quam habuit, apud Deum prius, quàm mundus fieret, saturatus est opprobrijs, dans percutienti se maxillam; factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Sic ille. & meritò, inde enim vehementissimè crescunt dolores, & tormenta, quòd veniant homini summis gloriis assucto. Huc reuoco Samsonis calamitatem, de qua Iudic. cap. 16. ait: *At illa dormire eum fecit super genua sua, & in sinu suo reclinare caput. Vocauitque tonsorem, & rasit septem crines eius, & cœpit abigere eum, & à se repellere, statim enim ab eo fortitudo decessit: dixitque, Philisthym super te Samson. Qui de somno consurgens dixit in animo suo: Egrediar sicut ante feci, & me excutiam, nesciens, quòd recessisset ab eo Dominus. Quem cum apprehendissent Philisthym, statim eruerunt oculos eius, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clausum in carcere molere fecerunt.* Quid priùs mirer in hac calamitate nescio, multi multa ponderant, ego nunc illud non parui puto esse momenti, quòd à sinu dilectæ ad molam subitò translatus sit. Quid hoc grauius? Multi reges in prælio ceciderunt, vel captiuitatem incurrerunt, ab armorúmque ferro ad catenarum ferrum deuenerunt: hæc vsitata esset infelicitas. At à sinu amicæ, ad hostes infensissimos; à blanditiis dilectæ, ad ferrum subitò transire, insuetum genus infelicitatis est. Vnde Abulens. quæst.3. ait: *Quis ô Samson sufficienter tantam calamitatem lugere queat? Imò quis digne cogitare valeat, subitò in te summa infimis coæquata sunt.* Nil amplius dici potest de calamitate maxima.

Origen. — Num.11. — Rupert. — Iud.16. — Abulens.

Text. Tunc duo erunt in agro: vnus assumetur, & vnus relinquetur. Duæ molentes in mola: vna assumetur, & vna relinquetur. Duo in lecto: vnus assumetur, & alius relinquetur.

§. XV.

Vbicumque adest Dei gratia, eandem salutem potest causare: & vbicumque desit, eadem inde manabit damnatio.

NVllus locus est, nulla occasio, nulla paupertas, ex qua Dei gratia nequeat æqualis pretij,& æstimationis salutem causare, siue in lecto decumbas, floribus septus; siue molæ assideas,volabilibus mundi bonis inhians, siue in agro degas rusticanus, quanta hæc discrimina ad Dei gratiam? Prorsus nulla: imò æquales inde coronas dabit, & ad æqualia virtutum opera te faciet euolare: Celebris fuit dies apud Numer. cap. 7. in quo Principes tribuum Israël munera offerunt Deo; quippe sic ibi: *Primo die obtulit oblationem suam Nahasson filius Aminadab de tribu Iuda: fueruntque in ea acetabulum argenteum pondo centum triginta siclorum, &c. Secundo die obtulit Nathanael filius Suar, Dux de tribu Issachar, acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, &c. Tertio die Princeps filiorum Zabul obtulit acetabulum argenteum, &c.* Sic singuli tribuum Principes singulis diebus obtulere, quorum munera si spectes, eadem in singulis inuenies, nullum discrimen, nulla differentia in muneribus eorum inuenietur; & quidem non omnes eadem poterant. Tribus regia Iudæ cæteris omnibus opulentior, & duplo numerosior erat, & inter duodecim aliquæ erant inferioris notæ, & possibilitatis, tamen in exhibendis muneribus Deo, nulla minor, omnes æquales; æquè diues à regia opulentiori, & à minima tribu munus exhibetur. Ex quibus sic addubitat Rupertus lib.1. in Numer. cap. 27. *Quid ergo hoc sibi vult, quòd oblationum omnium, quas obtulere singuli duces, eadem quantitas est, nec plus à septuaginta quatuor millibus sexcentis, qui fuerunt de Iuda, quàm à triginta duobus millibus ducentis, qui fuere de Manasse, Domino iubente, exactum est.* An idem potest locuples thesaurus, & pauper penu? An regiæ potestatis est tantum bonorum ab oppidulo, quantum ab opulenta vrbe extrahere? Cur ergo idem prorsus obsequium præstant Iuda, & Manasses, & Issachar? Iuda regio fulgens stratu, Issachar agri sudoribus madens, Iuda voce laudis, & confessionis decorus, Manasses totus obliuiosus de puluere volubilium rerum fœdatus, & tamen eadem prorsus munera Deo sacrant. Vnde hoc? Pulchrè Rupert. supra cap. 28. *Hæc illi obtulerunt, vnusquisque secundùm mensuram gratiæ.* Non ibi res agebantur naturæ, sed gratiæ potestas exprimebatur, cui æquales parturiunt messes inopia, siue copia; desertus, aut Paradisus; lecti flores, aut molæ puluis. Nullum impedimentum, nullum discrimen gratia inuenit, si ipsa adsit, siue de locuplete, siue de paupere, aut de lecto, aut de agro eosdem nouit metere fructus. Exod.cap.12.ait Dominus Israëlitis sacrificaturis. *Tollat vnusquisque agnum per familias, & domos suas.* Et post pauca subdit, *iuxta quem ritum tolletis & hædum*, &c. Nullum excludunt Dei sacra, & agnum, & hædum admittunt. Ex Hebræo vtrumque coniungens Caietan. legit, *ex agnis, & ex capris accipietis.* Et quando capra potuit Deo aliquid placitum parturire? Matth. 25. *Veniens Dominus separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hædis, & statuet oues quidem à dextris, & hædos à sinistris.* Ex ouibus electorum greges, ex capris reproborum turbæ statuuntur. Hic hædos expuit, illic ipsius capræ arripit filios;hîc solæ oues nouerunt electorum greges implere: illic & ab ouibus, & à capris Deo gratiosi eliguntur hinnuli. Quare hoc? Sanè hîc solus iustitiæ opus, nullum gratiæ facinus ostenditur; illic redemptio Saluatoris exprimitur, & eius gratiæ efficacia, cuius tanta vis est, vt æquales electorum fructus faciat ab ouibus, & à capris, hoc est, à peccatoribus, & iustis parturiri. Non longè abest Nazianz. orat.in Pasch.inquiens. *Eligitur autem non ab agnis solum, sed & à specie deteriore, & sinistræ manus hædis, quoniam non solùm pro iustis,sed & pro peccatoribus iugulatur Dominus; forsitan pro his magis, quanto plus indigemus misericordia.* Vbi Dei miserentis gratia est, non solùm à lecto, sed ex mola, ex agro, non solum ex ouibus, sed & ex hædis inueniet, quos eligat, & oues, & capræ æquales salutis partus dabunt. Pro quo liceat aptari illud prophanum Theocriti aientis:

Tunc geminos pariunt ouis, & capra: dulcia mella
Stipat apis ramos, altior arbor agit.
Cùm venit huc Milon: formosus, vt ille recessit,
Pastor & ipse ares, marcet & omne pecus.

Proh vana prophanissimi amoris persuasio! verùm si de gratiæ diuinæ aduentu loqueremur, fidem in ea accipiunt similes exaggerationes; vbi enim illa venit, ouis & capra salutis fructus pariunt, æquale salutis obsequium ab agnis, & ab hædis eligitur; at vbi illa recedit, heu quàm marcet omne pecus,non solùm capra,sed & ouis sinistros edit partus. Hoc sonat Psal.48. *Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos.* Non solùm hædus, sed & ouis à Dei gratia deserta vltrices inferni flammas nutriat:vt enim ex Dei gratia habetur,

Num.7. — Rupert. — Idem. — Exod.12. — Matth.25. — Nazianz. — Psal.48.

habetur, quòd ab hædis, & agnis signum effulgeat salutis, sic deserente Dei gratia, non solùm hædi, sed & agni diem pascualem dabunt inferni flammis. Ouis licèt sis vnicè amata Domino, 2.Reg.12. de pane illius comedens, & de calice bibens, & in sinu eius dormiens, ab hoc potes cadere culmine, & à gratia deserta ineuitabile malum incurres. Nulla conditio, nullus locus adeò securus est, in quo, si gratia diuina desit, miseram non experiaris tui ruinam.
3.Reg.21. Vnde rectè dicebat Elias ad Achab 3.Reg.cap.21. *Si mortuus fuerit Achab in ciuitate, comedent eum canes; si autem mortuus fuerit in agro, comedent eum volucres*, vt constet, quàm parum vtilia sint quæuis loca homini à gratia Dei deserto, tam parum enim securus erit talis homo in ciuitate, quàm in agro; & æquè velocius inuenietur à perditione, in agro, quàm in mola, quàm in lecto. In lecto enim licèt sit, vel in sinu Domini, de calice eius bibens, & de pane comedens, si gratia desit, tam rapietur in perditionem, quàm si molæ alligatus in profundum demergeretur.
Osea 7. Quo respiciens Oseas cap.7. ait: *Et fur ingressus est spolians, latrunculus foris.* Quæ verba leguntur à Theophylacto
Theoph. sic. *Fúrque ad eos ingreditur, prædator exuens in via eius.* Et pergit ipse. *Fur, & prædo Satanas ingressus hominem spoliat, ac ab omni gratia diuina nudum constituit in via eius, hoc est, in quocumque vitæ genere fuerit, siue in sacerdotali, siue monastica, vel populari*, &c. Itaque nullus locus, nullus status ab huius latronis mortifero telo vacat.

Text. Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam. Ideo & vos estote parati, quia qua nescitis hora, filius hominis venturus est.

§. XVI.

Felix, qui venientem iudicem, vt suorum bonorum Dominum exceperit, non vt furem.

MEritò moneris vigilare, vt vigilans excipias Dominum, & caueas furem: fur enim venit alia rapturus, Dominus autem sua repetiturus. Ille ergo præclarè se geret, qui moriturus nihil in se ostendat, quòd ad Dei dominium non pertineat, cuius Deus verecundetur dici Dominus. Hanc felicitatem obtinuit Moyses, de quo ait Dominus Iosue 1. *Moyses seruus meus mortuus est.* Expende Moysis
Iosue 1. commendationem summam, quòd seruus Domini mortuus sit, hoc est, sic ad mortem peruenit, vt Deus in Moyse à viuis eripiendo non furem ageret, sed Dominum; quidquid enim seruo tuo eripias, non es fur, sed domini iure vteris. Sic ergo Moyses se ad mortem composuit, vt nihil in se præferret, quod ad Deum non spectaret, vt propria bona
Caietan. spectant ad dominos suos. Caietan. ibi sic fatur: *Dicendo, Moyses seruus meus mortuus est, aperit, quòd mortuus est seruus suus: hoc est, quòd licet quandoque peccauerit, & peccando non fuerit seruus meus; attamen mortuus est seruus meus, mortuus est in statu seruitutis meæ, mortuus est sic, quòd quidquid erat, quidquid operabatur, meum erat, seruus enim totum quod est, domini est.* Proh serue prudens, & vigil, qui in morte Deum furem cauisti, & Dominum excepisti! Sic te, & tua parasti moriturus, vt adueniens iudex furem agere non posset, sed Dominum, cùm in te nihil non suum reperiret. Accinit
Apoc.3. Dominus, Apocal.cap.3. dum Episcopo Ecclesiæ Sardis, sic scribit. *Esto vigilans, & confirma cætera, quæ moritura erant. Non enim inueni opera tua plena coram Deo meo. Si ergo non vigilaueris, veniam ad te tanquam fur.* Vigilandum nobis est; & in quo vigilandum? Nimirum, vt opera nostra plena sint coram Deo, hoc est, vt nullum opus nostrum inueniatur, quod non Deo non placeat? qui enim sic vigilat, Deum venientem excipit, vt mansuetissimum Dominum; qui autem opera habet vacua, minimè ad Deum spectantia, hic non Dominum, sed furem excipit, à quo miserè
Rupert. spolietur omnibus bonis, imò ipse confodiatur. Vnde Rupert. hic ait. *Si non vigilaueris, veniam ad te sicut fur. Non veniam ad te, sicut ad homines illos, qui vigilant, & expectant, venit ipsorum dominus; sed tanquam fur, qui domum perfodit, & dominum domus necat.* Ex operibus tuis potes scire, qualem excipies Deum in fine tuo, si vigilanti discussione caueris, vt opera tua omnia plena sint coram Deo, hoc est, perfectè Deo famulantia. Sic ad te veniet Deus, vt Dominus ad sua, illa promouens, & perficiens; sin autem veniet vt fur, omnia perdens, omnia deuastans. Ex quo lucem affero verbis D. Paul. 1. ad Corinth.6. *Ego sub nullius redigar* 1.Cor.6.
potestate. Esca ventri, & venter escis: Deus autem & hunc, & has destruet. Corpus autem non fornicationi, sed Domino, & Dominus corpori. Meritò cauit Paulus alteri seruire, quàm Deo: huic omnia sua sacrat, & famulatum plenum libens præstat; cæteris nihil prorsus. Et cur omnia soli Deo? Nam si quid sit à Deo alienum, id accedens Deus, vt fur, vt vastator funditus perdit; solum seruans, & promouens, quod suum est, respectu cuius verum Dominum agit. Exemplum capies homo in te ipso, in ipsa, & naturali, & penè necessaria seruitute, qua aliis præter Deum seruis, & qua soli Deo seruis, in illa experiris Deum vastatorem, in hac Dominum. Naturale est, quòd seruias ventri, alimenta, vnde viuas, parans; quis hanc à se seruitutem exuit? Non sic est necessarium seruire libidini, vnde plurimi totam seruitutem libidinis exuentes, corpora sua integrè Deo sacrant hostiam viuentem, castam, Deo placentem. Quid ergo Deus adueniens? *Esca ventri, & venter escis: Deus autem & hunc, & has destruet. Corpus autem non fornicationi, sed Domino, & Dominus corpori.* Ecce tibi vbi Deus inuenit seruitutem aliis præstitam, etsi necessariis, vt cibo, & alimento ventris, tamen ad hanc vt fur venit, destruens prorsus opera illa, & penitus vastans: attamen respectu corporis sibi perfecta seruitute sacrati, non vt vastator, sed vt Dominus accedit, promouens illud à claritate in claritatem. Ait Anselm. *Vnde quamuis ad tempus venter escis moderatis debeat, corpus autem fornicationi nunquam debet mancipari, sed semper Domino Christo, vt ei seruiat: & Dominus Christus debetur corpori, vt ipse sit eius præmium, dans ei participationem immortalitatis suæ.* Væ corpori, quòd non se totum, & integrè Dei seruitio mancipauerit; quòd aliquid in se alterius habuerit; hoc Deum furem, & vastatorem habebit; quòd autem Dei fuerit seruitio addictum, Dominum experietur, qui gloria, & honore coronet suum seruum. Anselm.

CAPVT III.

De supremi iudicis sententia proferenda.

ECCE vobis antiqua Patrum suspiria, nimirum, *rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum*; & quidem iustissimus, & seuerissimus Dominus in nubibus cœli veniens pluet super peccatores laqueos, gladium, & sulphur. In cuius fulgentissimo conspectu in dextram, & læuam omnium hominum diuisæ tribus non iam ipsæ benedicent, & maledicent; sed hinc inde aliæ, & aliæ maledictionem, & benedictionem excipient. O vos felices, qui quotidianis obsequiis Deo exhibitis, diuinam benedictionem vobis æternare nouistis. Fleant, licèt, à benedictione expulsi, perpetuóque lachrymarum flumine sulphureas inuidentiæ suæ flammas enutriant, semper illa optimi parentis vox felicium aures demulcet, ex Genes. 27. *Quis igitur ille est, qui dudum captam venationem attulit mihi; & comedi ex omnibus priusquam tu venires? Benedixíque ei, & erit benedictus.* Æternat equidem benedictionem suam, inter fratrum lamenta, qui properante ferculo nouit cibare Christum; vnius panis, quem comedit, non obliuiscitur Dominus, & in illo flammanti iudicij igne vnus panis exhibitus decoquitur, vt dulcissimas dominis suis dapes exhibeat; cui hic panis non suppetit, minimè paleæ deficient, hoc est, alimenta æternorum ignium. Isai.45. Genes.27.

Matth 25. Cùm autem venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ: & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hædis, & statuet oues quidem à dextris, hædos autem à sinistris.

§. I.

§. I.

Etiam reproborum hominum honori consulit Dominus: sic vniuersi iudices damnatorum honori prospiciant.

VIde quantum valeat consortium naturæ, quandoquidem ipse Dominus per se ipsum venit, vt homines iudicet, reprobósque condemnet, nec id minus alteri committit, vt dignitati humanæ maneat consultum, quæ non ab alio, nisi à Deo ipso mittitur in supplicium. Vnde Eusebius Emissenus serm. 2. de Symbolo ponderans illa verba, *inde venturus est iudicare viuos & mortuos*, sic in rem præsentem edisserit: *Potuit Deus delegare Angelis suis discutiendi hominis potestatem: sed agnosce homo dignitatem tuam, nulli alteri, vel cœlesti creaturæ esse te subiectum voluit, nulli de te iudicare permisit. Agnosce nobilitatem tuam. Soli Deo competit de te iudicare.* Hunc voluit Deus consorti suæ naturæ seruare honorem, vt homo solum Deum iudicem sustineret, & non per alium, quàm per Deum damnationem mortis acciperet. Qui honos forsitan quoad aliqua, nempe quoad examen peccatorum, non habetur his, qui extra Ecclesiam Dei periere, de quibus Psalm. 1. *Non resurgent impij in iudicio*, quasi diceret, adeò miseri sunt infideles vniuersi, vt nec honore illo extremo digni sint, quo in discussionis iudicium per Deum ipsum peractum quo ad nos perueniant, sed ipsi sua manifestissima impietate damnentur. Id quod attigit D. Gregorius lib. 26. Moral. cap. 20. inquiens. *Non enim eorum tunc causa discutitur, quia ad conspectum stricti iudicis iam, cum damnatione suæ infidelitatis accedunt. Increpationem iudicis in extrema examinatione non audiunt, quia præiudicati infidelitatis suæ tenebris, eius, quem despexerant, inuectione redargui non merentur.* Quis dubitet honoratiùs perire, qui per Deum ipsum discutitur, vt pereat? Cuius damnationis causam Deus ipse per se examinat, nullique alij examinandam credit? Non hunc honorem meruere Angeli, quorum causa in prælio illo cœlesti Apocalyps. per Michaelem Angelum definita est. Non meruere infideles, qui prorsus ignoti iudici periерunt; sed dignatus est Dominus fideles quondam suos sic honorare, vt dum damnandi sunt, illorum nobilitati consulat, non illos alteri tradens, sed ipse per se calligans illorum scelera, & ad id è supernis in terram iterum veniens. Hoc affectas honore fatuas virgines nouuit non nemo, cuius locum amisi, dum non transcripsi: illæ quippe accedunt dum clausæ essent ianuæ, & nuptiæ intus celebrarentur, Matth. cap. 25. ianuas pulsant, & inter pulsandum, sibi aperiri crebris clamoribus contendunt. Quid tunc? *At ille respondens ait: Amen dico vobis, nescio vos.* Ille sponsus inter nuptias, inter charissimarum sponsarum amplexus, inter dulcissima colloquia dignatur externarum clamores attendere, & illis respondere, cur non promptiores ministri, & serui respondent? Sanè ostij pulsatrices vsitatius à seruis responsum acciperent; insolitum est, quòd illud accipiant à Domino, & Domino nuptiarum occupato festis, nouarum sponsarum gaudiis prorsus intento, sed hunc fatua virginitas extremum excipiebat honorem, quòd non seruus aliquis, aut ostiaria ancilla, sed ipse Dominus illis dignaretur mortis annunciare responsum. Vtinam hinc iudices hanc Dei discerent dignationem, qua sic damnatis suis consulerent, vt præter supplicij pœnam, nihil pietatis illis negarent, nihil honoris. Vide pientissimum Abrahamum, cum epulone, apud inferos damnato loquentem, Luc. cap. 16. *Fili recepisti bona in vita tua.* Filium vocat, quid honorificentius? Equidem renuit pientissimus iudex afflicto afflictionem augere, sufficiebat misero horribilis damnatio, cur aliunde negarentur illi bona, & honorabilia verba? Chrysostom. ibi: *Vide philosophiam, vide humanitatem sancti. Non dixit; Inhumane, crudelis, sceleratissime, cùm tam multa commiseris in hominem, nunc mentionem nobis facis humanitatis, misericordiæ, & veniæ? Non pudet? Non erubescis? Sed quid dicit? Fili,* inquit, *recepisti bona tua. Nam animæ, ait, deiectæ non addes perturbationem.* Tormentis illum addictum relinquit, sed quam potest humanitatem, & honorificentiam illi habet; sic iudices Christiani afficiantur erga reos suos, vt citra inflictam pœnam, qua possunt illos excipiant honorificentia, & pietate.

Margin: Euseb. — Gregor. — Matth. 25. — Chrysost.

§. II.

Peccata non Deo, sed suis authoribus damnum inferunt.

MEritò Iesus Dominus meus conspicietur ab omnibus damnatis, in maiestate sua, & gloria, vt pateat, quòd non Deus, sed ipsi peccatores damnum excipiunt ex peccatis, quandoquidem post tot mundialium blasphemias, post tot scelera maiestas Dei in omni sua amplitudine, & gloria conspicitur, soli peccatores æternis sunt damnis mancipati. Sapienter carpebat Ierem. cap. 2. Israelitas idololatras, fatus: *Transite ad insulas Cethim, & videte: & in Cedar mittite, & considerate vehementer: & videte si factum est huiuscemodi, si mutauit gens Deos suos, & certè ipsi non sunt dij: populus verò meus mutauit gloriam suam in idolum.* Expende modum loquendi, quo grauissima Israelitarum carpuntur scelera facta in Deum, & quidem nullum scelus sic Deo contrariatur, vt idololatriæ scelus, hæc Deum verum, quantum est ex se, tollit, eiúsque gloriam, & maiestatem lædit. Attamen Dominus non queritur gloriam suam læsam ab idololatria, sed gloriam populi sui, ait enim: *populus meus mutauit gloriam suam in idolum*, quandoquidem, nec per maxima scelera Dei gloria immutari potest, illa mutatur, & læditur, & prorsus deletur, quæ populi gloria est. Ad hæc D. Chrysost. orat. 1. aduersus Iudæos fatur. *Non dixit, mutastis Deum vestrum; Deus enim non mutatur: sed mutastis gloriam vestram. Neque enim me læsistis, inquit, neque vlla noxa ad me peruenit: vosmetipsos affecistis ignominia. Meam gloriam non imminuistis, sed vestram ipsorum.* Integra manet, & illæsa Dei gloria, inter blasphemantium iniurias, inter contumelias, & hominum opprobria: post quæ omnia solus peccator sibi, non Dei maiestati apparet attulisse nocumentum. Quod notans Iob cap. 7. ait: *Quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi grauis?* Ecce merces contrarietatis aduersus Deum, nimirum factus sum mihi metipsi grauis; extollet se quantum voluerit puluis humanus, Deique se in omnibus ostendat aduersarium; illi alacriter repugnet, non Deo, sed sibi grauis erit, ipse grauissimum onus telorum à se iactorum reportabit. Vt dicat Philo de vita Moysis, *Graue malum est incredulitas, sed solis perniciosum incredulis.* Mittentur equidem à miseris hominibus tela in Deum, quæ ipsius gloriæ detrahant, eiusdem inaccessibilem lucem turpent: & tandem post rabidissimorum hominum blasphemias, post scelerum audaces turmas; quid tunc? Diuina apparet maiestas fulgentissima, tota plena, & miseri peccatores irremediabiliter astant percussi. Ad hæc Dominus apud Isaiam, cap. 44. *Deleui, vt nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua.* Quibus verbis pulchrè agnoscit Adamus exemplum Solis in dissipandis nubibus, cuius instar Iesus noster dicit se dissipaturum hominum iniquitates. Quippe tellus nigros halans vapores, & nubes, & nebulas in Solem iaculatur, quibus Sol obtenebretur, fulgentissimósque eius radios extinguat: ecce vbis Sol nubibus deuictus latitat, conglomerantur nubila, & tenebræ, & horror. Quid tunc? Vicisti terra? Solem vaporibus oppressisti? Absit: imò interea nubila Solis ardore compressa liquantur in nimbos; furit tempestas, tonat cœlum, fulgurat, fulminat, ardent turres, grandinantur segetes, virides quatiuntur pampini, in tot damna desinunt nubes, & sol aureus in tota sua gloria medio sereno cœlo, nihil non videns tempestate percussum apparet fulgentissimus. Sic iustitiæ Sol Christus, vt nubes delet iniquitates, & peccata, quando dum illorum retributio in peccatores fiat, ipse in maiestate aderit, & gloria, vt pateat, quòd vt nubes, non Soli, sed terræ aqua orta est, sic scelera non Deo, sed artificibus perniciosa existunt. Tantùm non hæc dixit Psal. 90. sic ad Iesum locutus: *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te autem non appropinquabit. Verumtamen oculis tuis considerabis, & retributionem peccatorum videbis.* Multa equidem erit peccatorum audacia; te ô bone Iesu curabunt vndique opprimere, cingent latera tua, iam dudum clamantes, *Circumueniamus iustum, morte turpissima condemnemus eum*; sed interea calore tuo soluentur, & cadent ipsi à dextris, & sinistris tuis, ad te nullus casus appropinquabit, nullum nocumentum, ruina nulla; quin potiùs te omni decore, & maiestate sublimem spectandum dabis, dum & ipse illæsus, omnes tuos aduersarios miserrimè lædi aspicies. Id quod Theod exprimit, dicens: *A tua dextera, siue à laua tuo multitudo infinita accesserit, tibi quidem nihil*

Margin: Ierem. 2. — Chrysost. — Iob 7. — Philo. — Isai. 44. — Sap. 2. — Theod.

nihil nocebit; videbis verò illos diuinâ plaga percussos. Sic in Deum tela iacta, in authores suos resilient. Propone tibi ob oculos Samsonis historiam, *Iudic.14.* quæ est Iud.14. ad nuptias dum tendit, *apparuit catulus Leonis sæuus, & rugiens, & occurrit ei. Irruit autem spiritus Domini in Samsonem, & dilacerauit Leonem, quasi hædum*, &c. Ecce tibi Leo aduersùs Samsonem sæuissimus insurgit, magno rugitu edito hominem voraturus; quid tunc? Primo in congressu Samson victor apparet, & Leo, iam non Leo, sed hædus miserè discerptus manet. *Psal.80.* Hæc August. in rem præsentem trahit, Psalm.80. fatus. *Quando fremuerunt gentes, tunc Leo viro forti Samson venienti adducendam de alienigenis vxorem, Christo scilicet descendenti ad habendam Ecclesiam de gentibus, fremens ibat obuiam. Sed quid egit? Tenuit, dissipauit Leonem, factus est in manibus eius velut hædus caprarum. Quid enim fieret populus fremens, nisi languidus peccator?* Equidem fremit homo in Deum, illum sceleribus offendit; sed transiuit tempus peccatorum, & victor Iesus apparet in omni gloria sua, & in manu eius sinistra apparet peccator velut hædus discerpendus, dilacerandus.

§. III.

Summa Iesu gloria, quòd ex omnibus mundi plagis electos suos congreget.

Qualis Christi gloria, & quanta apparebit in iudicij die? Quæ eius ingentis maiestatis thronum virtutes extollent? Crediderim, quòd inter Iesu glorias, hoc vnum spectabit ad summas, nimirum: *congregabuntur ante omnes gentes, & separabit*, &c. Nulla gens non aderit Iesu conspectibus, & ex singulis, etsi remotissimis in thronum regni admittet electos suos, quo sibi parabit regnum gloriosissimum. *Psal.86.* Hinc Christi regni gloriam extollit, Psal.86. *Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei. Memor ero Rahab, & Babylonis scientium me. Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic.* Ecce tibi quàm iactat vulgò gloriam celsissimam Iesu, nimirum quòd intra eius mœnia inueniantur inclusi & Rahab, & Babylon, & alienigena, & Tyrus, & Æthiopes. *Bruno.* Ad hæc D.Bruno serm. in dedicat. Eccles. cap.6. de Laud. Eccl. inquit. *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei; & quæ gloriosa? Memor ero Rahab, & Babylonis scientium me. Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum; hi fuerunt in ea. Et re vera gloriosa, & plusquam gloriosa sunt hæc.* Cur non gloriosissimum sit Iesu, quòd è tam dissitis, & diuersis populis suos electos congreget in vnum? *August.* Dicebat ipse apud Isaiam cap. 49. iuxta lectionem D. Augustini lib. de vnitate Eccles. cap.7. relato à Leone à Castro, ibi: *Sic dixit Dominus, qui finxit me ex vtero seruum sibi, vt congregem Iacob, & Israël ad eum; appropinquabo illum, & honorabor coram Domino, & Deus meus erit mihi virtus.* Ecce tibi ex quo honorem suum, & manifestationem suæ virtutis diuinæ Dominus Iesus constituat, nimirum ex eo, quòd Israëlem spiritualem, nimirum genus, & semen electum, ex omni generatione, & natione congreget, & regali throno appropinquet. Hinc crescit Iesu honor, & gloria, hinc in eo esse ostenditur virtus diuina, quæ è vastissimis mundi regionibus raros electos nouerit colligere, & congregare, *Ambros.* quin vel vnum prætereiret. Inde D. Ambros. epist.47. ad Irenæum ex lib. 7. sic ait. *Quis congregauit Dei populum, nisi Christus? Quis glorificatus est ante Dominum? Quis est Dei virtus? Cui dixit pater: Ecce posui te in testamentum generis mei, in lucem gentium, vt sis in salutem vsque ad extremum terræ.* Equidem Iesus magna exaltatur gloria, infinitámque Dei in se ostendit virtutem, in eo quòd ex vastissimis gentium lucis, ex mundi extremis oris nouerit semen electum congregare, & colligere. Ingenti enim admiratione, & stupore perpendi electorum dispersionem, cùm notabam à præruptis Peruanæ regionis montibus, è medio nationis prauæ, & prorsus euangelicæ lucis ignotæ puerulum, quasi per errorem ad nostros diuertisse, à quibus in salutem alebatur, & vitam. Siccine Deus bone tuos electos dispergis, vt vnus nascatur in Peruana valle penè hominibus inaccessa; alter inter innumeras Iapponiorum barbaries; alij & rarissimi in remotissimis extremísque Turcarum oris, & etiam non nemo illorum apud asperos, & inhospitales barbaros modò alatur? Sed Iesus meus, qui colligat, qui congreget omnes; non ille vnus ab vmbris Noruegæ ortus prætereitur; non alter inter nondum cognitas regiones altus, non rari illi, qui in prope infinitis remotissimorum barbarorum turbis degunt; omnes, & singulos peruadit virtus Christi, & mirabili suauitate, & efficacia illos vndique nouscet colligere. Huc totus triumphus, & gloria crucis spectabat, ait enim Ioann. cap. 11. *Iesus moriturus erat pro gente. Et non tantùm pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum.* *Ioann.11.* Et quàm dispersi erant filij Dei? Non sic dispersum fuit semen euangelici agricolæ, cuius aliqua pars cecidit secus vias, alia super pretiosa, alia super spinas, alia super terram bonam, & ex his periere semina, quæ in spinis, & petrosis, & secus vias ceciderunt; verùm, & si filij Dei dispersi erant in omnem terram, adeò, vt aliquis eorum esset inter abrupta Indorum montium, alius barbarorum vepribus & spinis vallatus, & inaccessus, alius extremis mundi regionibus solùm notus; in hac tamen dispersione nullus perditur, sed vndique à Iesu meo in vnum fuere tracti, & congregati, quo eius gloria maximè exaltatur. Quapropter dicebat, Cant.7. *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius.* *Cant.7.* Ex quo sic dispersa congantur per triumphum crucis, crux iam non lignum, non gregaria arbor, sed palma dicitur, & insigne victoriarum, quandoquidem nulla victoria sic exornat, & exaltat crucifixum, vt illa, quæ sic dispersos Dei filios potuit colligere, & congregare. Vnde Drogo Hostiensis serm. de Sacrosanct. Pass. ait. *Drogo.* *Ascendit in palmam, & collegit fructus. Sic mediator Dei, & hominum medius inter cælum, & fructus arboris, vndique colligebat, quos in corpus suum traijciebat: qui confluebant omnia ad arborem vitæ, quæ erat in medio paradisi.* Expende illud, *vndique colligebat*; quippe ex quo brachia in cruce tetendit, adeò potens extitit brachiatus hic noster dux, & longimanus, vt ex remotissimis, & abstrusissimis mundi oris dispersos suos electos valeret colligere, & ad se trahere.

§. IV.

Optimi Regis forma est, quòd in supplicijs contractior, in beneficijs largior debito appareat.

Qvis non miretur supremi nostri Regis Iesu indolem? Minabatur, se in iudicium seuerissimum iudicem venturum: imò dies illa propter eius seueritatem, dies iræ dicitur, dies caliginis, & tenebrarum, dies vltionis, dies crudelis, in qua nihil non seuerum, & durum spectandum. Quid tunc? Ecce dies venit; ecce tribunal apparet, & rei circunstant, & ille seuerissimus iniquitatum vltor, *sicut pastor segregat oues ab hædis.* Sicut pastor, ait, in ipsius iustitiæ acie se meminit pastorem, & pastorem agit; beneficentiæ suæ pascua vsque illuc dilatans, & curtans quidquid inuenitur pœnale. Est equidem optimi regis in immensum dilatare terminos benefaciendi; suppliciorum autem grauitatem curtare, circinare. De Rege regum Psal. 29. loquutus ait: *Quia ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius.* *Psal.29.* Hebraicè dicitur, *ad momentum est ira eius.* Chaldæus explicatiùs, *Vna hora ira eius, vita æterna bona voluntas eius.* Voluntas benefaciendi in optimo Principe nullis tenetur carceribus, nullis terminis clauditur, sed super omnes graditur. Accinit Isaias cap.54. *Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te: in momento indignationis abscondam faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui, dixit redemptor tuus Dominus.* *Isai.54.* Quæ verba pulchra paraphrasi, & sententia in rem præsentem ornat Nazianz. orat. 27. fatus. *Nazianz.* *Videor mihi hanc vocem audire ab eo qui in vnum collegit dispersos, & suscepit oppressos. In ira parumper te percussi, & in misericordia æterna glorificabo te. Ego te tradidi, ego tibi succurram. Maior mensura est clementiæ, quàm emendationis.* Sic bonus Princeps beneficentiæ mensuras exhibeat largas, coagmentatas, superefluentes; seueritatis autem mensuræ sint breues, curtæ, & penè dimidiatæ. Talis erat Dauid rex factus secundùm diuinum cor, de eo sic 2.Reg. cap.8. *Et percussit Moab, & mensus est funiculo, coæquando eos terræ. Mensus est autem duos funiculos, vnum ad occidendum, & vnum ad viuificandum.* *2.Reg 8.* Argutiùs reddit Hebræus Caietani, aiens: *Caietan.* *vnum ad occidendum, & plenitudinem funiculi ad viuificandum*; quippe in manibus regiis sola mensura vitæ plena sit, & coagmentata, & superefluens, mensura autem occisionis vacuata. Ad hæc ipse Caietanus, ibi: *Idem.* *Maior clementia significatur, dicendo, & plenitudinem funiculi ad viuificandum; vt funiculus mortis insinuetur mancus, funiculus verò vitæ insinuetur plenus. Propensiores enim debent esse Principes ad vitam hostium, quàm ad mortem eorum.* Hæc sit vna Principum cura, vt vel inter oues occisionis pastores agant, commoda illis

illis aliquid parando, & supplicia curando. Nil enim magis in se regale exhibebunt, quam sese non carnifices, sed pastores ostendant. Vnde illa Cant. 1. ad dilectum suum, ait: *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie?* Et sanè in meridie primos peccatores à paradiso exturbarat, igneum gladium illius ostio addixerat, cur non potius petit sponsa, vt dilectus indicetur, & ostendatur per seueritatem gladij flammantis, per vindictam peccatorum, sed per amœna pascua? D. Ambros. lib. de Isaac c. 4. fatur. *Rectè dicit, vbi pascis? Quia regale est Dei verbum.* Vbi nouerat regium dilecti sui ingenium, nihil in illo duxit familiarius, quàm pastoritias curas, etiam inter vindictas peccatorum, inter flammantes gladios.

Cant. 1.

Ambros.

§. V.

A solius Dei infinita potentia venit, quod afflicti, & despecti homines bene habeant.

QVis mundialis Princeps erga oues non potius lupus, quam pastor apparet? Sanè hoc est ingenium mundialium Principum, quod despectos & afflictos homines, pauperculos, & infirmos despiciat, mactet: id quod persuadebat Dominus paupereulis suis, Matth. 10 aiens: *Mitto vos sicut oues in medio luporum*; nemo non lupus est aduersùs afflictos pauperes, qui à mundialibus æstimantur, ad Rom. 8. *vt oues occisionis.* Vide ergo, quas oues vniuersi, vt lupi infestant, diuinissimus Iesus seruat, & seligit sibi, vt pastor; *sicut pastor suum segregat oues.* Quis sic oues tractares, nisi Deus? Quis sic erga pauperculos, & afflictos terræ, nisi ille, in quo tota diuinitatis virtus habitat corporaliter? Non equidem minoris virtutis est, quàm omnipotentis, gratos habere afflictos, & despectos pauperes. Felices vos Sanctorum greges, terræ afflicti, à mundialibus despecti, luporum omnium experti rabies, si tandem accessistis ad Iesum pastorum Principem, de cuius omnipotenti virtute venire potuit, vt ab illo, in æterna pascua ducamini. Apud Isaiam cap. 44. sic exaggerat Deus omnipotensiam suam in educendo populo captiuo ex Babylone, & eodem restituendo in Hierusalem. *Ego sum Dominus faciens omnia, extendens cœlos solus, stabiliens terram, & nullus mecum. Irrita faciens signa diuinorum, & ariolos in furorem vertens. Conuertens sapientiam retrorsum, & scientiam eorum stultam faciens. Suscitans verbum serui sui, & consilium nuntiorum suorum complens. Qui dico Hierusalem, habitaberis, & ciuitatibus Iuda, ædificabimini, & deserta eius suscitabo. Qui dico profundo, desolare, & flumina tua arefaciam. Qui dico Cyro, pastor meus es.* Expende modò in quo definans sot ostentationes diuinæ virtutis, & omnipotentiæ, nimirum in eo: *Qui dico Cyro; Pastor meus es*, tanta molis erat, quòd Cyrus fieret à Deo pastor populi sui? Cur non prius dicitur hic imperator constituendus à Deo pastor populi sui, quàm ipse Deus asseratur omnium rerum creator, & potens ex nihilo constituere omnia? Sanè incredibile erat, quòd populus afflictus, & captiuus apud Babylonem experiretur Principem non lupum, sed pastorem, nisi ibi interesset omnipotentis Dei infinita virtus, qua potest vniuersas creaturas euertere, & conuertere. Erat Dei populus Babylone captiuus, apud tyrannos illos positus, vt onis occisionis, promittit Deus, fe suscitaturum Babylonis imperatorem Cyrum nomine, qui miseros illos captiuorum greges humaniter tractet, & in propria reducat. Sed à quo in mundialem regem dilapsus est hic pastoralis affectus erga pauperes captiuos, erga oues occisionis, nisi ab omnipotente, & infinita Dei virtute, omnia ex nihilo producente? Ipse solus omnipotentis spiritus potest sic affici erga oues occisionis, erga pauperculos, & terræ afflictos. Omnipotentis erat vox illa apud Lucam cap. 12. *Nolite timere pusillus grex, quoniam complacuit patri vestro dare vobis regnum.* Quis hæc tanta, & tam gloriosa speraret gregi pusilla? Quis sic afficeretur erga viles oniculas, erga afflictos pauperes, vt eos in regnum vocaret, ibique confirmaret? Nullus hoc præstiterie, nisi Pater æternus, nisi solus, qui virtutem in se habet infinitam. Ad hæc Chrysol. serm. 23. *O bonitas effusa! ô inaudita pietas! ineffabilis affectio! in societate census pastor oues assumit, atque ad consortium dominationis seruos Dominus ascisit, ad participatum regni rex gregem populi totius admittit: sic sic dat, cui deficere census, cui regnum minui, vacuari potestas non potest.* Expende cuius sit, pastorem agere erga pauperculas ouiculas, nimirum eius, cuius potestas vacuari minimè potest. Vbi virtus finita est, & limitata, afflictæ ouiculæ lupos potius inueniunt, quàm pastores, vbi autem infinita viget virtus, omnia prospera, & omnia magna parantur pauperculis ouiculis, Genes. 49. de Ioseph educto à carcere, vt pastorem ageret famelicis populis prospiciens, dicitur. *Dissoluta sunt vincula brachiorum, & manuum illius per manus potentis Iacob: inde pastor egressus est.* Ex quo potentissimi Dei Iacob manus roborauit Iosephum, & à carcere illum eduxit, & pastorem afflictorum effecit; non antea liber à carcere, & pastor egreditur Ioseph, quàm potentissimum Deum Iacob sibi assistentem haberet, de cuius infinitæ virtutis afflatu venit, quòd homo erga pauperes, & afflictos pastorem agat, & non potius lupum.

Matth. 10.

Isai. 44.

Luc. 12.

Chrysol.

Genes. 49.

Text. Tunc dicet rex his qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare. Sitiui, & dedistis mihi, &c.

§. VI.

Misericordia in pauperes omnimodam acquirit benedictionem.

NOn otiosè, qui panem esurienti pauperi dederunt, in remuneratione vocantur benedicti à Deo; nec eorum benedictio in particulari explicatur, an fuerit cœlestium, an terrenorum? an agri pleni, an frumenti, & vini? quia misericordis hominis benedictio absolutissima est, & omnes vniuersas benedictiones complectens. Non vno, aut alio modo benedictus est pauperum curator, sed simpliciter, & absolutè benedictus, omnia benedictionum decora, & vocabula claudens. Solemne erat Iesu precantium votis annuere illis verbis: *Fides tua te saluum fecit*; vel illis: *ecce sanus factus es*, vel huiusmodi aliis, at super egenorum curatores non hæc, aut illa, sed simul omnia bona verba, & benedictiones congerit. Id quod notaus Nazianz. orat. de Pauperum amore 16. fatur. *Dicet Dominus animæ tuæ: Salus tua ego sum, & fides tua saluum te fecit, & ecce sanus factus es, necnon omnia humilitatis verba, salutem te dolentibus videre humanum.* Hoc age, vt dolentibus, & egentibus compatiare, & simul omnia gratiæ, humanitatis, & benedictionis verba per alios dispensa, in te adunata capies: nulla, quæ alteri sit data, benedictione frustraberis, omne in te vno eapies. Senio confecto, & infirmo, & esurienti Isaaco cibum obtulit Iacob; quid inde? Statim super illum benedictio, aiens Genes. 27. *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ, &c.* Det, inquit Chrysost. tibi, qui edulia attulisti, quasi esurientis cibos sic, qui benedictionem afferat cibanti. Sed qualis ista benedictio, an vna, & singularis? Absit, imò ea est benedictio saturantis famelicum infirmum & debilem, vltra quam non inuenitur alia. Sic post hanc benedictionem Esau quærebat: *Nunquid non reseruasti*, ait, *& mihi benedictionem? Respondet Isaac: Dominum tuum illum constitui, frumento & vino stabiliui eum, tibi vltrà quid faciam?* Ex quo benedictio effusa est super cibantes pauperum, in vanum æstimatur restare alia benedictio; ibi omnes benedictiones effusæ sunt. Quod apertiùs indicat Chrysost. paraphrasis dum ait. *Respondit Isaac, dixit: Dixi, quòd omnes benedictiones in eum effudi.* Non ita benedicitur egenorum saturator, vt aliquam benedictionem relinquat alijs, quin vniuersas in se benedictiones amplexatur. Ex quo lucem capit locus Genes. 49. vbi dum ad benedictionem Ioseph ventum est, dicitur. *Dissoluta sunt vincula brachiorum, & manuum illius per manus potentis Iacob: inde pastor egressus est, lapis Israel. Deus patris tui erit adiutor tuus, & omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyssi iacentis deorsum, benedictionibus vberum, & vuluæ, &c.* Expende Iosephi progressus ex Ægyptio carcere. primum negotiante id Deo detracta sunt ei vincula, & vinculis liberatus egreditur inde; qualis egreditur? Egreditur pastor, hoc est, vt ait Rupert. lib. 9. cap. 46. *Qui tempore famis vigilantissima pastoris cura multos pasceret populos*; ideo equidem à carcere egreditur, vt annonæ pecuaniæ occurrat, vt famelicis populis cibos prouideret, egentésque pasceret. Quid tunc? num vnam inde benedictionem habuit? Imò omnes benedictiones in eum effunduntur; etenim ait: Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyssi iacentis deorsum, benedictionibus

Naxianz.

Genes. 27.

Chrysost.

Genes. 49.

Rupert.

ctionibus vberum, & vuluæ. Sic omnes benedictiones simul confluunt in vnum egenorum procuratorem. Ex quo *Malach.4.* Malach. cap.4. *Sit cibus in domo mea, & probate me super hoc, dicit Dominus, si non aperuero vobis cataractas cœli, & effudero vobis benedictionem vsque ad abundantiam.* Quippè aliis datur benedictio, verùm in illos, qui pauperum fames satiant, prorsus effunduntur benedictionum fontes, & omnium creaturarum voce benedicti acclamantur. Sic habes *Eccles.31.* Ecclesiastici 31. *Splendidum in panibus benedicent labia multorum.* Nullius labia muta sunt in benedictione illius, qui *Psalm.40.* pauperum satiat fames, inde Psalm.40. *Beatus vir, qui intelligit super egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Dominus conseruet eum, & viuificet eum.* Non solùm liberationem, & indemnitatem in iudicio promittit viro misericordi, sed & modò benedicta in illum colligit, & precatur bona, dicens: *Dominus conseruet eum, & viuificet eum.* Id quod ponderans Chrysol. serm.14. fatur: *Chrysol.* *Non dixit, conseruat, & viuificat; sed dixit, conseruet, & viuificet. Dixit, non vt denuntiantis vox sit sola, sed rogantis. Qui audiunt rogantem egenum, toto audit orbe tota pro se Ecclesiam sic rogantem, Dominus conseruet eum, & viuificet eum.* Sic orbis precationes, & benedictiones in vnum misericordem virum colliguntur.

§. VII.

Ciuilem etiam bonorum possessionem per eleemosynam apud Deum acquiri.

NOn otiosè dicitur dispersoribus bonorum in pauperes, *possidete regnum*, firmam enim, & inuariabilem possessionem bonorum ex Deo acquirimus per eleemosynæ dispersionem. Solemne enim est iure ciuili, quod dum possessiones dignitatum, siue principatus assumuntur, aliquot nummuli inter præsentes populares dispergantur, quasi sine effusa beneficentia, possessio firma bonorum nequeat fundari. Sic etiam apud Deum ille solùm firmam bonorum possessionem acquirit, qui nouit aliqua dispergere in pauperes. *Psal.118.* Psalm.118. *Anima mea in manibus meis semper.* quibus verbis multi putant Dauidem se verum, & firmum animæ suæ possessorem ostendere, inter quos citatur à Lorino Greuæus serm. 265. qui ex his ponderat, quàm felix ille homo sit, qui animæ suæ possessionem habet, veréque & firmiter eius dominatur. Sed iam scire cupis, cur vt possessionis actus circa animam explicetur, dicatur anima esse in manibus? Equidem quia sola manus pauperi aperta, cibos in egenos spargens nouit possessionis firmæ, & stabilis apud Deum actus celebrare. Hinc *Nazian.* præclarè D. Nazianz. orat.16. de pauperum amore, ait *Obediamus igitur verbo, quæramus requiem, quæ illic est, abjiciamus facultatem, quæ hic est, quod bonum in illa est, hoc solum lucremur, possideamus animas nostras in eleemosyna.* Nullos possessionis actus habebis apud Deum, circa bona tua, imò nec circa te ipsum, nisi dispersæ eleemosynæ in pauperes solemnitas adsit. Ex quo lucem affero obscurissimo *Prouer.23.* loco Prouerb.23. *Quando sederis, vt comedas cum Principe, diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem tuam; & statue cultrum in gutture tuo, si tamen habes in potestate animam tuam.* Si animam in potestate habes, hoc est, si animæ possessionem tenes, id tibi agendum in conuiuiis est, nimirum vt cultrum guttori statuas, vt nec buccellam glutias, quin cum pauperibus diuidas; nullam tibi integram buccellam accipias, sed cum paupere diuisam, & inde incipis possidere, quod es; quandoquidem rei stabilem possessionem, & dominium apud Deum dispersio eleemosynæ in *Luc.12.* pauperes constituit. Luc.12. ait Dominus: *Nolite timere pusillus grex, quoniam complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Vendite, quæ possidetis, & date eleemosynam.* Expende illationem; ex eo quòd omnipotens pater decreuerit nobis dare regnum, iubemur nostra bona in pauperes diuidere; cur hoc? Cur necessum est bona nostra in pauperes effundere, ex eo quod accepturi veniamus regnum à Patre? Sanè id petitur ex vsus communis necessitate, & obligatione, qua in accipiendis possessionibus principatuum, & dignitatum missilia popularibus expectantibus immittuntur. Quò spe*Chrysol.* ctans Chrysol. serm.23. inquit. *Est consuetudinis, est animi senes, vt ascitus ad regnum, quod fuit proprium, quod priuatum, mox parentibus, mox propinquis, ciuibus indigentibus liberaliter prærogare; ne sit mendicus animo, qui censu laudius, & honore. Talis ergo prouidentia Dominus, consilia tali, vilia & caduca iubet, vt vendamus, vt largiamur, vt donemus, qui in cælesti regno amnia, quæ in cælo, & quæ in terra sunt, volumus possidere.* Spargat munuscula indigentibus, qui regni possessionem ingreditur; nulla enim principatus possessio firmatur, quin popularibus, & egenis missilia iactentur.

§. VIII.

Beneficentia in pauperes regno digna.

AD cœleste regnum vocantur, qui pauperes substantia sua pauerunt; nec insolitum est, regna, & imperia dedicari a misericordia, & beneficentia. Mardochæi purpuram, & regium splendorem nullus est, qui nesciat, sed si scire cupit, quæ virtus captiuum hominem à mortis limine in regiam dignitatem euexit, notet verba ex cap.2. Esther, vbi sic de illo: *Qui fuit nutritius filiæ fratris sui Edissæ, quæ altera nomine vocatur Esther. & vtrumque parentem amiserat: pulchra nimis, & decora facie: mortuisque patre eius, ac matre Mardochæus sibi eam adoptauit in filiam.* Quod misericordiæ opus præstantius? Quæ maior pietas, & beneficentia? Et pauperculam, & orbam vtroque parente virgunculam adoptat vir bonus, suisque bonis nutrit, qua misericordia, & beneficentia nobile regno futuro auspicium dedit. Sic Rupert. lib.8. de Victor. cap.4. *Mortuisque patre eius, ac matre, Mardochæus eam sibi adoptauit in filiam. Opus pium, pietas operosa, pium habuit iudicem, & inspectorem Deum, eius tale in facto, in tam liberali gratia suauis vtique oblata erat eleemosyna. Re vera adoratus est Dominus odorem suauitatis, & re vera benedixit eis, & huic, quæ adoptata fuerat, & illi, qui adoptauerat. Benedixit, inquam, vt ambo crescerent in salutem populi, in saluationem suæ gentis.* Ille fuit primus gradus ad regiam dignitatem, quod Mardochæus orphanæ virgunculæ fuerit adiutor, & nutritius; vbi talem misericordiam operatus est, locum illi in regiis Dominus præparauit, vt regio è culmine populorum saluti inuigilaret, qui priuatus pauperis commodis inuigilabat. Inde est, quod sapientissimus Isaac regiam benedictionem filio daturus, non prius illam dat, quam senex, & infirmus viribus, lectóque decumbens cibos filij manu accipiat. Sic habes Genes.cap.27. *Affer mihi cibos de venatione fili mi, vt benedicat tibi anima mea.* Quos cum oblatos comedisset, obtulit ei etiam vinum. Quo hausto, dixit ad eum; *Accede ad me, & da mihi osculum, fili mi. Accessit, & osculatus est eum, statimque vt sensit vestimentorum fragrantiam, benedicens illi, ait: Ecce odor filij mei, sicut odor agri, cui benedixit Dominus. Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini, & seruiant tibi populi, & adorent te tribus. Esto Dominus*, &c. Ecce tibi, quot culmina peperit saturatio infirmi, & senis parentis; & ne putaretur, auspicium illud regni ad alium spectare ex intentione potentis, ideo addit illud pronomen demonstratiuum, nempè, *tibi*, quod sic expendit Chrysost. *Det*, inquit, *Dominus Deus tibi, qui edulia attulisti, qui à me osculum accepisti, & seruiant tibi gentes*, &c. Vnum edulium famelici, & infirmi pauperis spectant imperia; ab edulio pauperis, non nisi ad regnum itur, quandoquidem nihil magis regium est, quàm prospicere egenis. Et ideò coniuncta sunt hæc duo, regnum, & eleemosyna, vt vnum sine altero inueniri nequeat: vt si eleemosyna adsit, statim adueniat regnum; & si regnum est, continuò ad eleemosynas sit veniendum. Apud Luc.12. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Quid tunc? Quid huic regno proximius? *Vendite, quæ possidetis, & date eleemosynam.* Non stat regnum sine eleemosyna, nec vlli datur regnare, nisi de consortio beneficentissimæ virtutis; quapropter vehementissimè ad eleemosynas faciendas vrget Nazian. orat. 16. de paup. amore, inquiens. *Quis te Dominum & regem supra omnia terrestria constituit? Quis, ne singula enumerem, omnia donauit, in quibus homo cæteris præcellis? Nónne Dominus, qui nunc præ omnibus, & ante omnes humanitatem à te expetit?* Nunquam à manu Domini regnum venit, sine beneficentia comite; nec beneficentia sine regno: vbi regnum porrigit, statim vult lucere munus in beneficentia; & vbi beneficentiam videt, statim regnum porrigit. Vnde meritò ille, qui nec veste pauperem, nec cibo famelicum fouere poterat, Isaiæ cap.3. à se deprecabatur regnum: *In domo mea non est panis, neque vestimentum, nolite constituere me Principem populi.* Ille meritò auspicium regni habet, qui à se consocios habet pauperes. Eunuchus ille Candacis reginæ, Actor.9. accepit in curru suo Christi pauperem Philippum, ait enim textus; *Rogauitque Philippum, vt ascenderet,*

&

Esth.2. *Rupert.* *Genes.27.* *Chrysost.* *Luc.12.* *Nazianz.* *Isai.3.*

& sederet secum. Quid tunc ex consortio pauperis? Pulchrè D.Basilius hom.13. pro exhortatione ad Bapt. ait. *Verùm statim dives pauperem in curru accepit: idiotam ad despectum magnificus, ac sublimis: ac demum edoctus Euangelium, regni continuò fidem in cordis penetralibus concepit.* Simul cum paupere regios ebibit spiritus; & qui antè vile seruitium huius mundi præstabat creaturæ, vbi pauperem itineris socium habuit, veri regni, sibi manentis notitiam adipiscitur. Basil.

§. IX.

Cetera virtutes pugnant, verùm misericordia in pauperes erigit trophæos.

QVis non miretur, Iudicem solius misericordiæ in pauperes meminisse? An cæteræ virtutes non requiruntur in saluandis; cur ergo sola ibi misericordia in medium adducitur? Habent equidem virtutes sua tempora distributa, quibus luceant; ita, vt aliæ pugnis attendant, aliæ trophæis erigendis inuigilent. Pro trophæis erigendis misericordia in pauperes constituitur, & ideo in iudicio sola monstratur, quia ibi trophæorum tempus est: cæteræ virtutes suum tempus in præliis cum vitiis habent. Ad hæc D.Laurentius Nouariensis homil. de Eleemosyna fatur. *Stet dextera tua obnoxia contra partes pestilentiæ, contra arma hostilia, contra effœminata vitia, contra peccata & crimina; stet dextera tua armata; id est, fides robusta, spes stabilita amore copulata. Obducat scutum fidei, inducat loricam spei, obyciat iustitiæ hastam, intendat orationis arcum, erigat eleemosynæ trophæum.* Ecce tibi quando vniuersæ virtutes pro armis assumuntur ad confligendum, ad pugnandum, vni eleemosynæ mandatur trophæorum erectio, quippè non tam pro pugnis, quàm pro triumphis ipsa charitas in pauperes statuitur. Inde Iob cap.29. ait: *Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum, & causam, quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.* Quid fructus ex tot misericordiæ operibus congestis? Iam explicat aiens. *Dicebámque: In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies.* Meritò vt se instar palmæ effingeret, præmisit tot officia erga pauperes, sola enim misericordia est, quæ triumphat, & in qua vniuersæ palmæ radicantur. Ait Chrysologus relatus à Tilmanno in allegoriis ad cap.21. Prouerb. *Ieiunium licèt innocentia radiat, castitate fulget actu, pingitur moribus, micat sanctitatis incessu, toto magnificatur ornatu: sed sine misericordia gloriam non habet, palmam non tenet.* Vbi stringendus gladius aduersùs vitia est, ibi & ieiunium, & cæteræ aliæ virtutes accurrunt, & in omni fortitudine sua apparent; verùm vbi triumphus agendus, vbi trophæa eleuanda, vbi palmæ reportandæ, ibi misericordia in pauperes se ostendit, penes quam totum est negotium, & triumphorum & palmarum. Psalm. 17. aiebat Dauid ad Dominum: *Qui doces manus meas ad prælium, & posuisti, vt arcum æreum brachia mea.* Quibus verbis contemplabatur vates totum virtutum exercitum pro se pugnantem, in quo præterquam, quòd vniuersæ virtutes strenuè, & fortiter præliabantur, eminebat tamen inter omnes virtus quædam brachiata, quæ instar brachiatorum militum pro signis ferendis, supráque hostilia mœnia constituendis veniebat in aciem. Quæ hæc virtus brachiata? Athan. in caten.Græca, ait. *Manus, & brachia sunt virtutes, quæ intellectuales hostes iaculantur, & expugnant. Maxima verò manus est eleemosyna, quæ pauperum amatores omni materia fortiores reddit: nunquam enim infirmantur brachia miserentis.* Nulla magis brachiata virtus pro signis ferendis, & trophæis figendis inueniri potest, quàm charitas erga pauperes, hæc nescit non peruenire ad palmas, hæc vbicumque victoriarum signa erigenda sunt, manifesta apparet.

Laur. Iob.29. Chrysol. Psalm.17. Anastas.

Text. Tunc respondebunt ei iusti, dicentes: Domine quando te vidimus esurientem, & pauimus: sitientem, & dedimus tibi potum? Quando autem te vidimus hospitem, & collegimus te, aut nudum, & cooperuimus te? Aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te? Et respondens rex dicet illis: Amen dico vobis, quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.

§. X.

Diuinæ remunerationis gloria tanta erit, quæ omnium molestiarum temporalium vestigia prorsus deleat.

SCiebant sanè iusti homines, quod eleemosynas, & officia pauperibus exhibita Christus Dominus accipit, pro cuius amore illæ dabantur. Nihilominus dum remunerationis gloriam potiuntur, sic afficiuntur intrinsecus, vt quasi non meminerint eleemosynarum, nec temporariæ seruitutis, aliarúmve molestiarum, quæ inter remuneratoris diuini præmia prorsus disparent, & oculis eripiuntur. Non longè ab hoc aberat Abacuc cap.2. inquiens. *Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit.* Expende verborum quasi contradictionem, in primis supponit, quòd diuinus remunerator moram facit, ait enim, *si moram fecerit,* deinde asserit, quòd moram non facit, dum dicit, *non tardabit.* Quomodo non tardabit, siquidem moram facit? Moram quidem facit, & longissimam, & molestissimam, dum non venit, at vbi iam aderit remunerationem afferens, tum effundet gaudia, quæ prorsus deleant memoriam præteritæ moræ, adeò vt minimè videatur moratus, sed breuissimè aduentasse. Ita Rupert. ibi ait: *Cum venerit, non tanquam tardus aderit, sed totum præteritum tempus videbitur fuisse nimiæ breuitatis.* Sic remunerationes inter glorias præteritæ molestiæ euanent: sic longissimæ ærumnæ, multorum annorum labores leuissimi, momentanei videbuntur. Paul.2. ad Corinth.4. ait. *Id enim, quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Nihil in præsenti reputat non leue, & momentaneum; sed sunt in præsenti, qui habeant triginta & octo annos in infirmitate, qui integrum penè sæculum in fame, & siti, & nuditate traiiciant; quæ ergo ars sæculum conuertit in momentum, & pondus in leuitatem? Illa ars, qua simul posuit Apostolus remunerationis gloriam, aiens: *æternum gloriæ pondus operatur in nobis*, etenim inter glorias remunerationis, sic præteritæ ærumnæ euanent, vt longissima sæcula, & grandia infirmitatum pondera, leuidensia videantur, & momentanea. Annuit Chrysostom. homil.8. de Pœn. fatus. *Coronam proposuit certamen, atque leue fecit, & sæculum.* Tanta paratur à Deo fidelibus suis gloria, vt in conspectu illius laborum pondera prorsus dispareant, & secula ærumnarum instar momenti cuiusdam fuisse videantur. Inde Apocal. cap.21. de cœlestibus ciuibus locutus, ait: *Abstergat Deus omnem lachrymam ab oculis eorum;* lachrymam dicit abstergendam, non lachrymas abstergendas; non fontes lachrymarum siccandos. An lachryma erat, & non potiùs lachrymarum flumina, de quibus Dauid Psalm.6. *Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo?* An lachryma, & non potiùs lachrymarum fontes, vbi Ierem. ait, cap.9. *Deducant oculi nostri lacrymas, & palpebræ nostræ defluant aquis?* Equidem lachrymarum sunt fontes largissimi à Sanctorum oculis defluentes in hac lachrymarum valle, & miseriæ, verùm vbi remunerationis manus accedit, vt abstergat, tanta ibi gloria fulgurat, vt instar vnius lachrymulæ appareant lachrymarum flumina. Quid plura? Non solùm instar lachrymulæ apparent; sed & prorsus euanent, vt nec remaneant vlla earum vestigia. Quis enim plures labores sustulit, plures lachrymas fudit, plures fames, sitésve passus est, quàm Dominus Iesus? Hunc tamen cùm Sancti vident gloria, & honore coronatum, dicunt. *Quando te vidimus esurientem, & pauimus te; sitientem, & dedimus tibi potum?* Sic loquitur Matthæus, sic loquitur Zachæus, sic Magdalena, & Lazarus nobilissimi hospites Christi, negant illum sitientem, aut esurientem vidisse. Vnde hoc potuit euenire, nisi ex summa Christi gloria, quæ tanta est, vt penitus aditum occludat memoriæ pristinæ iniuriæ, & neget fieri potuisse egenum, qui modò apparet in tantis gloriarum diuitiis? Pulchrè D.Paschasius lib.11. in Matth. fatur: *Magnæ admirationis est stupor, quæ in tanta maiestatis gloria conspiciunt, & claritate, si eum esurientem aliquando, vel sitientem videre potuissent.* Sic pristinas egestates abolet præsens gloria Christi, vt non fuisse penè appareant illis ipsis, qui esurientem pauerunt,

Abac.2. Rupert. Chrysost. Apoc 21. Psalm.6. Ierem 9. Matth.25. Paschas.

runt,& tanquam leprosum putarunt, & à Deo percussum. Vnde cùm ibi ipse Dominus aiebat, *Esuriui, & dedistis mihi* Chrysol. *manducare.* Stupet Chrysolog. quòd præterita esuries, vel in mentem venerit adeò gloriosi regis. Qualiter ô bone meministi esuriem in tanta gloria constitutus? Nónne gloria tua radit penitus memoriam laboris pristini? Imò adeò memorias laborum radit gloria, vt necessum habeat diuinare, qui illas velit meminisse. Ita Chrysolog. serm. 14. Idem. *Qui totius creaturæ bona non esurit, sagittatum se in esca pauperis prophetizat in regno cœli coram omnibus sanctis, in conuentu resurgentium.* Expende illud, *prophetizat:* prophetia enim est de re minimè apparente, in gloria autem resurrectionis, sic labores præteriti disparent, vt nec Iesus, nisi prophetando, agat de illis.

§. XI.

Solus Iesus verus frater, à quo vno venit, quidquid fraternæ charitatis in nobis inuenitur erga hostes.

POnderanda sunt illa verba, nimirum, *quod fecistis vni ex minimis istis fratribus meis*, cur non potiùs dicit, *fratribus vestris*? Equidem dum iuberis eleemosynam facere, iuberis respicere fratrem tuum, tali enim nomine proponitur tibi Eccles. 29. pauper, Ecclesiastici cap. 29. *Propter mandatum assume pauperem, & propter inopiam eius ne dimittas eum vacuum. Perde pecuniam propter fratrem tuum.* Quasi tuus frater, sistitur tibi pauper, vt eius miserearis; post eleemosynam autem factam humili, & pio pauperi, iam pauper non frater tuus dicitur, sed Christi frater, quod fecistis, ait, vni ex minimis istis fratribus meis; & meritò, quia solus Iesus verus frater est, vt qui solus nouit, non solùm inopiam iustorum, sed & mala fratrum superborum tolerare, & re- Amos 6. pendere bona. Non absimile quid inuenio apud Amos cap. 6. vbi sic. *Væ qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ: optimates capita populorum ingredientes pompaticè domum Israël.* Et post pauca subdit: *Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti: & nihil patiebantur super contritionem Ioseph.* Duplex eis conspectum obiicit, vt testatur Ribera noster, quòd ipsi omnibus rebus abundent, cùm alij in paupertate degant, & quòd tranquillo, ac pacato animo sint, fratribus suis inopiæ dolore tabescentibus, propter hoc dicit: *Nihil patiebantur super contritionem Ioseph*; hoc est, non miserebantur diuites isti egentes, dolentésque fratres. Sed scire cupis, cur, vt insinuaret fratrum contritionem, & inopiam, maluit dicere contritionem Ioseph? An quia Ioseph solus verus frater, ideo Ioseph pro fratre ponitur? Equidem meritò non nouit aliud fraternitatis vocabulum, quàm Ioseph; quia solus Ioseph nouit se fratrem ostendere, & ideo quidquid fraternum est, & illius proprium est, eius vocabulo explicatur. D. August. August. lib. 4. de doct. Christ. cap. 7. ait. *Miro decore non dictum est, nihil patiebantur super contritionem fratris, sed positus est pro fratre Ioseph, vt quicumque frater proprio eius significaretur nomine, cuius ex fratribus fama præclara est, vel in malis quæ pendit, vel in bonis quæ rependit.* Ille solus fraternitatis explet vocabulum, qui nouit, vel lædentibus fratribus benefacere, & bona rependere malis. Inde solus Ioseph stat pro vero, & germano fratre, qui solus nouit tunc fratrum iniurias beneficiis repensare. Et longè præstantior illo frater Iesus, qui pro inimicis nouit, & dare sanguinem; vnde meritò misericordes viri non dicuntur, in retributione fratres pauperum, quia hi iustis, & humilibus pauperibus bona sua dederunt; non autem superbis, & resistentibus dederunt sanguinem, quod fecit Iesus, & ideo solus dicitur eorum frater. Hoc enim est complementum veræ fraternitatis, quòd vbi non explicatur, nec vera explicatur germanitas. De occiso Abele aiebat Dominus ad Cain: *Vox sanguinis fratris tui clamat*; cauit dicere, vox fratris, quia minimè est fratris clamor, qui etiam Ambros. in hostem datur. Ambros. lib. 2. cap. 9. ait: *Et benè ait, vox sanguinis, non frater clamat. Hoc innocentia, & gratia fraternitatis etiam in ipsa morte seruat.* Non est frater, cuius vox non dicitur pro hostibus exorasse. Et planè solus Iesus hanc indit hominibus veram, & perfectam germanitatem. Accipe duos vterinos fratres, quàm maximè diffidentes Iacob, & Esau; hic illum maximè persequebatur: ille hunc, vt fraternum in amorem traheret, Genes. 32. humilis accedit, & post oblata dona multa, *adorauit septies in terra.* Expende modò diligentiam, quam exhibet, vt fraternum amorem in hoste etiam excitaret, nimirum *adorauit septies.*

Cur septies ad hoc adorat? Sanè Christi Domini spiritus ille est, qui apud Matth. cap. 18. iubet, fratri peccanti, & offendenti, & septies, & septuagies septies remittendum, quem Christi spiritum septena adoratione hostis sui nititur Iacob exsuscitare, sciens, de illius afflatu posse venire fraternam inter adeò læsa, & contraria corda charitatem. Do D. Ambros. lib. 2. de Iacob cap. 6. *Hoc igitur spiritu pro-* Idem. *phetico sanctus Patriarcha significat in aduenientem respiciens, qui non solum vsque septies, sed etiam septuagies veniam fratri laxari iuberet; vt eius contemplatione conuentus Esau, iniuriam, quam sæpe accepisse putabat, remitteret fratri, & quamuis læsus in gratiam rediret.* Non à muneribus, non ab officiis, sed vel ab vmbra solius Iesu putabat Iacob posse venire, tam fraternum amorem, qui iniuriosum & inimicum reciperet amanter fratrem.

Text. Tunc dicet & his, qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare, &c.

§. XII.

Soli viri misericordes cauent verbum asperum, quo miserè confodiuntur immisericordes.

VIde quot asperissima verba à Iudice geminantur in reprobos auaros, qui nec frusto panis voluerunt emere cœlestem principatum. *Discedite*, ait, *maledicti in ignem æternum.* Eu asperissima verba audienti! Quis ferat à Deo reiectionem, quis maledictum ferat? Domine si miseros damnas, si æterno tradis igne cruciandos, cur addis maledicta, cur maledictos etiam nominas? Suffecisset miseros de facto perire, quid necessum est & asperrimis verbis confodi? Sanè parua est Gehenna ad misericordis hominis cruciatum, aliud quid Gehenna maius excogitatum est, nimirum verbum asperum, quo excrucientur. Ad immisericordem illum diuitem dicitur Luc. cap. 12. *Stulte, hac* Luc. 12. *nocte repetunt animam tuam à te.* Mortis damnatio illi intimatur, imò & Gehenna annuntiatur propè, & quasi in ianuis esse. Quid acerbius? Quid durius? Crediderim pro acerbiori, & duriori pœna additum esse illud asperitatis verbum, quo vocatur stultus, quæ pœna verbi asperi, vt immisericordium propria, sic illis omnium durissima venit. Ad hunc D. Basilius homil. in ditescentes fatur: *Audi miser* Basil. *te dignam appellationem, quam tibi nullus hominum, sed ipse Dominus indidit. Stulte, hac nocte animam tuam abs te repetunt, superat æternam pœnam irrisio illa stultitiæ.* Hæc est propria immisericordis hominis pœna, & quidem gehennali incendio grauior, nimirum probrosa verba, & aspera quibus feritur. Hanc nullus immisericors deuitat, sed solus ille totam cauit asperitatem verborum, qui factis suis pauperum inuigilat commodis, & saluti. Psalm. 90. aiebat: *Li-* Psalm. 90. *berauit me à laqueo venantium, & à verbo aspero*, priùs à laqueo venantium se liberum gaudet, deinde à verbo aspero; quasi non aliter à verbis asperis liberari posset, nisi priùs à se excluserit laqueum venantium, hoc est, laqueum auaritiæ, quo Iudas, & vniuersi duri ad pauperes suffocantur. Ex quo D. Bernard. tract. de diligendo Deo sic immi- Bernard. sericordem pungit. *Væ tibi popule stulte, & insipiens; nec modò enim liberari vis de laqueo venantium, siquidem qui volunt diuites fieri in hoc sæculo, incidunt in laqueum diaboli. Nec tunc à verbo aspero poteris liberari. O verbum asperum! ô sermo durus, ite maledicti in ignem æternum.* Planè confoditur aspero verbo, qui priùs sese pecuniarum seruandarum non eripit laqueis: dum inter hos laqueos ambulas, væ tibi homo, & dira, & maledicta, & probra, & omnia aspera verba tibi manent: quæ solus effugit, qui misericors est, qui verè cum pauperibus sua diuidit. Isaias cap. 57. ait. *Iustus perit,* Isai. 57. *nemo est, qui recogitet in corde suo; & viri misericordiæ colliguntur, quia non est, qui intelligat.* In quibus verbis acuta est obseruatiò Adæ in oration. funebri Tilmanni, vbi expendit, quòd Propheta, vt misericordis viri mortem exprimeret, diuersissimo verbo vsus est, ab eo, quod explicauit mortem etiam iusti. De hoc ait, *perit*, nec vereatur asperrimum verbum perditionem significans in medium producere; de illo autem dicit, *colligitur*, quasi caueret omnem verbi asperitatem, ab omni enim verbo aspero viri misericordiæ sunt immunes.

§. XIII.

§. XIII.

Infernalis flamma eo durior, quo Dei visionem intrinsecus tollit.

NOn adeò atrociter æternus ignis damnatos exciperet, nisi præcessisset, quòd in illo Dei conspectu carerent, necessum enim est, quòd à Deo prorsus discedant, diuinúmque conspectum prorsus amittant, quicumque æterno cremantur igne. Quanta hæc pœna! Crediderim omnium durissimam. Et quidem dum meditor hanc pœnam, ex Matth. verbis dicentibus: *Discedite à me maledicti in ignem æternum*; vbi ignem æternum video simul cum discessu à Deo, cum amissione diuini conspectus, statim incido in il- *Psalm. 57.* lud Psalm.57. aientis. *Super eos cecidit ignis, & non viderunt solem*; non ignis, qui illuminaret, sed qui visionem auferret, qui æternum cruciet homines cæcitate, qua perdant *Gregor.* diuinum solem. Ad hæc D. Gregor. lib.9. Moral. cap.38. fatur. *Ignis enim super impios cadit, sed Sol igne cadente non cernitur; quia illos, quos gehennæ flamma deuorat, à visione veri luminis cæcat: vt & foris eos dolor combustionis cruciet, & intus pœna cæcitatis obscuret: quatenus, qui authori suo corde, & corpore puniantur, & vtrobique pœnas sentiant, qui dum hîc viuerent, prauis suis delectationibus ex vtroque seruiebant.* Inter rabidissimos æternorum ignium aculeos, hoc erit reproborum acerbissimum supplicium, quòd æterna caligine suffusi iustitiæ solem sentiant in pœnis, in gloriæ fulgore non videant. Hinc est, quòd seuerissimus iniquitatum index, vbi sordentem hominem à nuptiarum domo, in supplicij locum mitti iubet, tali illum verbere con- *Matth.22.* fodit, Matth.cap.22. *Mitte eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium.* Solis tenebris tradit hominem, & nihilominus putat in tenebris causam esse interminabilis luctus, rabidissimique dentium stridoris. Fumo quidem ab oculis lachrymas cieri nouimus; sed quomodo tenebræ idem præstent officium, vsque adhuc inauditum est. Non id præstant humanarum noctium tenebræ; non materialis Solis absentia; non luminum vniuersorum cœlestium occasio: sed illæ tenebræ eam solum causam lachrymarum, & desperatissimi stridoris inducunt, quæ diuini Solis visionem obcæcant, & penitus intercludunt. Inde ci- *D.Hier.* tatus D. Hieron. ad Demetriad. sic ait: *Caue, ne mittaris in carcerem, & in tenebras exteriores, quæ quanto à Christo vero lumine separamur, tanto nos maiori horrore circunstant.* Non horribiles sunt tenebræ, quæ à Dei conspectu, & præsentia nos separant, verùm illæ plenæ horroris, & calamitatis, & miseriæ inenarrabilis, quæ à Dei conspectu separationem inducunt. Quam miserabilissimam calamitatem solam minatur Dominus impio, vt vniuersos perter- *Isai.26.* refaciat impios, dum Isaiæ cap.26. inquit. *In terra sanctorum iniqua gessit, non videbit gloriam Dei.* Impuris Sodomitis sulphureas comparat flammas; seditiosis Dathan, & Abiron sepulchralem terræ hiatum opponit: sacrilegis autem, & omnium nequissimis hominibus hoc vnum acerbissimum minatur supplicium, ne videant gloriam Dei. *Bernard.* Id quod ponderans Diuus Bernard. in declamationibus, ait. *Durus est hic sermo, & comminatio valde terribilis, non videbit gloriam Domini. Quid igitur cætera vidisse præstat?* Sanè Absalon opulentissimæ Hierosolymæ delicias potiebatur; pulcherrimarum puellarum choris intererat; coæqualium iuuenum voluptatibus erat oppletus: vno solo patris conspectu carebat; paternæque domus solius liminibus exclusus, inter alias immensas delicias, ac volupta- *2. Reg.14.* tes sic miserandus clamabat 2. Reg.14. *Quare veni de Gessur? Melius mihi erat ibi esse; obsecro ergo, vt videam faciem regis: quòd si memor est iniquitatis meæ, interficiat me.* Et si ab exilio Gessur in Hierosolymam esset reuocatus, patriisque ibi deliciis frueretur, omnia contemnit, dum minimè licet frui conspectu patris; imò hanc solam priuationem longè acerbiorem ipsa morte putabat. Conueniant huc vniuersi, qui mundialibus immersi voluptatibus, sibi comparant priuationem visionis beatæ. Quid præstat cætera vidisse, si Deum minimè visurus es? Quàm felicius ageres, si cum omnium iactura bonorum, imò cum mille mortiferis plagis vnum hoc comparares bonum, vt videas faciem regis summi, ab eiúsque dulcissimo conspectu nequeas separari.

Text. Et ibunt hi in supplicium æternum: iusti autem in vitam æternam.

§. XIV.

Summa hominis miseria est, quòd miser degat inter felices.

VIde vltimæ miseriæ exaggerationem, quòd dum iusti coronas accipiunt, palmatísque vestibus fulgent, impij eant in supplicium. Cur aliud tormentum spectas? Cur flammantes ignes requiris? Hoc vnum excedit omnia cruciatuum genera, adeò vt dicat D. Chrysostom. epistol.5. *Chrysost.* ad Theodorum lapsum: *Etsi enim fluuius ignem non volueret, neque Angeli assisterent adeò formidabiles: soli autem conuocati homines, quorum pars laudata est, & in admiratione habita, pars ablegata ingloriè, ne gloriam Dei videat: num illud per se pœna foret tota gehenna acerbior?* Equidem acerbissimus dolor, rabidissimúsque inuidentiæ stridor reprobos inuadet, dum se videant omni orbatos bono apud felicissimos, & rapi in tormenta, dum alij ad coronas rapiuntur. Can.2. aiebat Sponsa: *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui* *Cant.2.* *pascitur inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.* hoc est, donec iustorum, & peccatorum sors manifestè in iudicio appareat: sic diei nomine iustos, vmbræ autem vocabulo peccatores in præsenti designat, teste Bernard. Sed cur hoc dicit; *aspiret dies, & inclinentur vmbræ?* Aspirare solum potest, qui viuidus, & fortis est; & si dies aspiret, si dies in formidine sua viuat, vmbræ prorsus dispareat, & euanent; quæ tunc solùm inclinantur, & cadunt montibus, cùm dies occumbit. Quales ergo vmbræ erunt, quæ inclinentur, & crescant in diei fortitudine? Sanè peccatores dum videant iustos fulgentes, in magna constantia maiori horrore succumbent, fulgentissimáque Sanctorum cohors in fortitudine splendoris sui faciet, non quòd euaneant, sed quòd inclinentur, & prorogentur tristissimæ vmbræ, & horribilis mortis æternæ imagines. Ad hæc D.Ber- *Bernard.* nard. serm.72. in Cant. *Hæ siquidem vmbræ,* (nempe tenebrosi Principis asseclæ) *non planè, cum aspirauerint, in nihilum reuertentur, sicut à facie huius corporeæ lucis vmbras corporum non disparere tantùm, sed & penitus deperire videmus. Itaque erunt quidem minimè extremius nihilo, miserius tamen. Erunt, sed inclinatæ, & subditæ. Inclinabit se, inquit Psal. & cadet vmbrarum Princeps, cùm dominatus fuerit pauperum: ibúmque de tenebris in tenebras densiores, vt qui in tenebris sunt, tenebrescant adhuc.* Sic ad conspectum dominatus, & exaltationis Sanctorum, horrores & tristissimæ reproborum vmbræ cadent, & inclinabuntur magis; in maiúsque deuenient augmentum calamitatis. Eóque magis crescent horrores vmbrarum, quo iuxta illas fulgentiores dies Sanctorum appareat. Vbi autem Deus percussionis diuinæ dolorem imminui gaudet, nihil magis curat, quàm percussum à felicium conuictu separare. Sic Genes.4. ad primum *Genes.4.* parricidam loquitur: *Maledictus eris super terram. Cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos: vagus, & profugus eris*, &c. Suffecisset misero maledictio diuina ad sceleris vltionem, cur insuper additur exilium à patria tellure? Sanè exilium additur; ne infelix cogatur apud felices versari, vt inde eius magis asperetur malum. Id quod ponderans Claudius Marius Victor. lib.2. in Genes. ait,

Nam profugum tantùm, atque exsortem ab vtroque parente,
Longius amandat, vastásque religat in oras,
Et iubet à patriis confestim excedere terris.
Hac etiam longè misero feliciter in se
Gratificans: grauior nam multo est pœna, videre
Inter felices, & pura mente beatos.

Nunquam non sciuit miser à felicium conspectu incrementum dolorum non sumere.

§. XV.

Labor & solicitudo Christi Domini pro suis non cessat vsque in hanc felicem Sanctorum regenerationem.

MEritò nunc dicuntur iusti, quòd ibunt in vitam æternam: vsque modò diuinus pastor humeris suis portabat oues, quæ portatæ oneri, & labori pastori suo erant, modò iam non sunt oneri, iam non portantur, sed ipsæ per se eunt in vitam æternam. Sponsa adhuc in hac generatione constituta memorans dilectum suum, ait, Cant.2. *Qui* *Cant.2.* *pascitur inter lilia donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.* Et si inter lilia sit Dominus, sic floridas iustorū mentes sibi adlegit,

git, quasi qui gramina mandit, quasi qui visentia prata dente pascitur, quod pascuale conuiuium erit Domino, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ, nimirum fugatis tenebris mundialibus in inferorum antra iusti vniuersi effulgeant, sicut Soles in perpetuas æternitates. Tunc enim iam Sancti non pascua, sed potus erunt Domino; quippè ait Matth. 26. *Non bibam de hoc genimine vitis, donec bibam illud nouum vobiscum in regno Patris mei.* Ecce tibi post fugatas vmbras, in regno Patris non pascua, non cibus, sed potus fiunt Domino Sancti eius. Cur ibi non pascua, sed potus erunt Sancti? Quid plura? In hac mortali generatione nullus est sanctus, qui laborem non afferat Saluatori, vt cibus prandenti; neque enim cibus absque aliquo labore manditur: in regeneratione autem sic vniuersi Sancti Iesu adhærebunt, vt nullum amplius laborem, nullam solicitudinem incutiant; vt mera pocula bibenti, non laborem, sed delectationem inferunt. Id quod pulchris verbis attigit D. Bernard. serm. 72. in Cant. fatus. *Sanè in tempore isto, qui vult omnes homines saluos fieri, dissimulat multa, & curat, vel quippiam elicere sapidum, quasi arte quadam, & quodam labore mandendo. Erit, cum erit virtus collabilis, & non fatigabit mandentem, quæ libentem absque opera delectabit, tanquam vtique potus, non esca. Donec, inquit, bibam illud nouum vobiscum in regno Patris mei. De cibo nihil ibi penitus inuenitur. Sponsa ergo conscia mysterij huius, cùm dilectum pasci inter lilia comperisset, constituit terminum, quòd id dignaretur, dicens, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ. Sciebat enim virtutibus eum posita potandum potius, quàm pascendum.* Hic solùm Sancti laborem inferunt Saluatori suo, & solicitudinem, ibi non ita. Hic Christianæ ouiculæ humeros premunt diuini pastoris, & nisi eius humeris portatæ, vix gradum faciunt in vitam: ibi quiescente pastore ipsæ per se oues eunt in vitam æternam. Hic vt diuinus pastor dispersas oues colligeret, *exultauit vt gigas ad currendam viam suam*; sed ibi post congregatas oues, vel *puer paruulus minabit eas.*

Matth. 26.

Bernard.

Psal. 18.

Isai. 11.

LIBER

LIBER DECIMVSQVARTVS, DE CONCIONIBVS A CHRISTO DOMINO HABITIS AD POPVLVM.

CVM ad conciones Christi Domini accedo, ab illis distinguo, quæ ornamenta solent esse concionum; nimirum parabolas, historias, & alia huiusmodi, quibus separatim dabo locum, dum libros confingo nouos. In præsenti ergo parabolis remissis, & historiis, conciones tracto illas, quæ pulcro, diuitéque sermone salientes in vitam, venas aperiebant populis.

CAPVT I.

Christi Domini concio panegyrica in D. Ioannem Baptistam.

NON immeritò conciones Domini explicaturus, eam in primis assumo, quæ panegyrica est, quandoquidem hoc genus, & gratius est, & præcipuum in dicendi pompa. Nec voluit disertissimus rhetor Iesus in se desiderari, quòd pulchrescere facit linguas humanas, præcipuè materiam nactus omni maiorem Verbo creato, in suo præcursore Ioanne. Is in vinculis agens, dum se morti approximari prænoscit, vitæ authori Iesu discipulos remittit, vt interrogarent, non vt sequerentur; quia Christi sequela non à Ioanne mittente, sed à Iesu vocante poterat nasci. Interrogant discipuli Ioannis à Iesu, non quod nesciret Ioannes, sed quod efficacius illo Iesus ipse traderet, & persuaderet hominibus. O miram Ioannis prudentiam, & virtutem, qui, dum discipulis suis diuinum præceptorem acquirit, suarum victoriarum nobilem decantatorem nanciscitur. Vix enim mandatum Ioannis absoluerant discipuli, & ecce tibi Iesus eiusdem laudatissimas virtutes incipit prædicare; quid mirum, quòd exinde Ioannes, & Prophetis maior, & mulierum natis longè excellentior appareat?

Matth. 11. Ioannes autem cùm audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?

§. I.

Summa crudelitas lasciuiæ expenditur.

ECce tibi Angelus ille tanto mundi bono natus, in cuius natiuitate, incredibili gaudio vicini omnes exultarunt, modò Herodiano in carcere ferreis strictus vinculis delitescit. Quis non paueat? Imò quis dæmonum tale potuit excogitare scelus? Machinari tam crudele nefas? Pulchrè rem attigit D. Basil. Sel. orat. 18. aiens: *Diabolus Herodianis affectibus pro armis vsus viam aperit ad Baptistæ mortem. Primum fraterni cubilis professorem fecit, vt ex adulterij fossa ad Baptistæ cædem transilire faciat.* Non tanta esset crudelitas dæmonum, quæ viam inueniret Ioanni perdendo, nisi lasciui hominis pectoribus insereretur: primùm luxuriantes affectus Herodi inseruit, & illis immixtus nil non crudele meditatur; & vincula & carceres, & ferrum spirat in Ioannem. Et quando nesciuit esse crudelis, & ferrea lasciuia? Recole pulcherrimam illam, & voluptuosam imaginem Nabuchodonosori obiectam apud Daniel. cap. 2. aureum illi os erat, nobile circa pectus argenteum, cura ferrea, pedésque etiam ex parte ferrei. Quis dum aureum os cerneret, argenteúmque pectus splendescere notaret, ferreum extimesceret calcem? Quod aureum nunquam nouit in ferreum desinere? Heu miser homo, caue tibi ab aureo formosorum ore: totum illud aureum voluptuosorum decus in ferreos desinet calces, quibus crudeliter necet, & obstinatissimè obsistentes mactet. Richard. Vict. de eruditione interioris hominis sic fatur. *Pes autem ex parte ferreus, quia delicata mens, nunc in eorum odium obduratur, per quos fortè à suis desiderys restringitur.* Passi sunt Iudæi auarissimi nummorum mensas Iesu flagello euerti; nec inter tot æra euersa verbum durum in Iesum eiaculant: verùm aurea, & delicata pulchritudo nunquam sciuit sustinere ruinam suarum voluptatum: vix linguæ oppugnationem sentit, & in odium obdurata ferrum promit in obluctantes. Æratas mēsas, & vendentium cathedras flagello euertit Iesus, & impune agit: Ioannes autem vix delicatum adulterorum lingua tangit thalamū, & ferrum sustinet, & vincula, & carceres. Nullus affectus trucior, quàm affectus odij lasciuo natus in pectore. Saltatrix illa puella saltationis præmium à Rege dimidium regni oblatū sibi audiuit: etenim ait Rex Marc. 6. *Quidquid petieris dabo tibi, licèt dimidium regni mei.* Quid gratius auarissimæ fœminarum indoli, quàm regni oblatio? Verùm illa de matris consilio nihili regnum æstimat; vnum Ioannis caput expostulat: quod minimè crederet, quicumque nesciret lasciuiētium odiis longè superari omnes alios affectus. Dicebat D. Fulgent. ibi: *Culmine regni contempto caput Ioannis petiuit in disco, plus odiens eum, qui interdixit incestum, quàm diligens eum, qui promiserat regnum.* Rabidissimum parit odium lasciuia: fallar, si est fera sæuior, & crudelior. Cui non fuit horrori cædes illa piissimo viro Naboth ab impiissimo rege Achabo illata? Sic occisorem castigat Elias, 3. Reg. 21. *Occidisti, & possedisti? Propter hoc hæc dicit Dominus: In loco in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, in eo lingent canes sanguinem tuum: & meretrices lauabunt se in sanguine tuo.* Cur addit, quòd meretrices lauabunt se illius sanguine? Quale hoc supplicij genus? Sanè vt supplicium respondens sceleri, ostenderet, quòd rabidissima, & ferocissima Achabi feritas, non nisi à meretricio eius pectore ortum habuit. Meritò equidem in meretricum lauacrum datur sanguis adeò meretricius, vt ferarum in perdendis hominibus excederet rabies. Vnde eleganter D. Ambros. lib. de Nabuthe cap. 11. ait: *Quid sibi autem vult, quòd meretrices lauerunt se in sanguine eius, nisi fortè, vt meretricia quadam in illa feritate fuisse, regis perfidia proderetur, vel cruenta luxuries, qui sic fuit luxuriosus, vt olus desideraret: sic cruentus, vt propter olus hominem occideret?* Nil visum fuit grauius, vt Ambrosius ostenderet luxuriæ crudelitatem; quàm quòd lasciuus animus propter oleris delicias hominem occideret. Sed accipe aliud crudelius, nimirum, quòd lasciuia homicidia æstimet instar suauissimæ cibum dapis. Quò spectat in re præsenti saltatricis lasciuiæ postulatio, quæ sic habet Marc. 6. *Volo, vt protinus des mihi in disco caput Ioannis.* Discum postulat lasciua feritas, quasi homicidium tantum pro dapibus æstimaret. Chrysost. hom. 49. in Matth. fatur: *Quasi de dapibus loqueretur, sic sacrum illud caput afferri postulat,*

Basil. Sel.
Daniel. 2.
Richard.
Marc. 6.
Fulgent.
3. Reg. 21.
Ambros.
Marc. 6.
Chrysost.

& absque vatione aliorum calamitatibus honorari consuedit. Hinc Genef.4. Lamech Genef. 4. se reum homicidij noscens, simul etiam diuinam vindictam experitur, pro quo ait textus. *Dixitque Lamech vxoribus suis Ada, & Sella; Audite vocem meam vxores Lamech, auscultate sermonem meum: quoniam occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in liuorem meum. Septuplum vltio dabitur de Cain; de Lamech verò septuagies septies.* Quibus expendendum est, quòd Lamech homicidiorum vindictam, & pœnas, non aliis, quàm vxoribus suis prædicet. Cur solis vxoribus dicit vindictam homicidiis manantem? Quia à fœmineis deliciis manare consueuit tota Ephrem. homicidiorum crudelitas. D. Ephrem apud Lyppoman. in catena, ait: *Apud vxores suum crimen confessus est, non apud viros. Multum enim per id tempus lasciuia vigebat, ob quam multa etiam cædes committebantur.* Quando lasciuia non crudelis, & cædium spirans?

§. II.

Nulla est adeò atrox iniustitia, quam amasia à iudice non extorqueat.

CONueniant huc mundiales scioli, qui gubernatori optimo, & integerrimo iudici putant minimè obesse amores fœminarum. Sanè Herodi Galilææ præsidi, & iudici semel fœmina placuit; & quid inde malum, & indignum præside? Inde statim carceres, & vincula, & mortes decernuntur in Ioannem. Propone tibi iudicem Herodem quasi pro tribunali sedentem, in cuius præsentia Ioannis viri planè Angelici causa agitur: petitióque exhibetur coram tan-Marc.6. to iudice de perdendo Ioãne, sic enim ait Herodias Marc.6. *Volo vt protinus des mihi in disco caput Ioannis.* Annuit iudex, & propria manu subscribit petitioni adeò nefariæ. Quis sic iudicem peruertit? Quis in tantum iniustitiæ dedecus iudi-Chrysost. cem traxit? An diabolus? Pulcherrimè D. Chrysost. hom. 49. in Matth fatur: *Diaboli vlla fœmina patrocinio petitionem peregit: ille componit petitionem eius fecit, illa mentem Herodis eripuit.* Sanè diabolus iniustitiæ agit aduocatum, & oratorem, petitiones ordinat, at sæpissimè in Christiano tribunali causa cadit: verùm iudicis amasia fœmina nunquam frustratur, nullam diaboli petitionem profert, cui iudex statim non subscribat. Turpissimè fallitur, qui in animo lasciuiæ dedito credit posse iustum residere iudicium. De Israe-Dan.13. litis nequissimis iudicibus sic ait Dan.13. *Videbant Susannam quotidie ingredientem, & deambulantem: & exarserunt in concupiscentiam eius, & euerterunt sensum suum, & declinauerunt oculos suos, vt non viderent cœlum, neque recordarentur iudiciorum iustorum.* Ecce tibi vbi concupiscentia in iudices intrauit, omne ius, fasque ab oculis, & memoria illorum auolauit. Non recordantur lasciui iudices iudiciorum iustorum, nec vlla lex diuina, aut humana, aut naturalis Hieron. potest habere pondus apud eos, qui sese tradunt turpibus amoribus. Vnde sic hæc verba explicat D. Hieron. *Nec recordarentur iudiciorum iustorum, siue Dei, siue honestatis, siue naturæ*; quin potiùs omnia hæc iura perditum eunt in Præside lasciuo. Hoc satis notum erat legislatori diuino, quan-Deut.17. do in solis Regibus sic cauet Deut. 17. *Cum fueris rex constitutus, non habebit vxores plurimas, quæ alliciant animum eius.* Non equidem, vt notat D. August. quæuis vxorum pluralitas interdicitur regibus, sed ea nimia pluralitas, quæ effrænem voluptatum ostendat appetitum: is enim voluptuosus appetitus, cùm effrænatur, funditus euertit reges, & perdit iudices. Ad quæ respiciens Esdr lib 2. cap.3. dum fœminarum vim in perdendis regibus multo illustrat 2 Esdr.3. exemplo, sic tandem finit. *Ipsum autem Salomonem duxerunt ad peccatum mulieres alienigenæ, & certè in gentibus multis non erat rex similis ei.* Nec ignotatum remittam, quod de Salomone notauit D.Gregor. vix enim regni clauum acceperat, 3 Reg.3. & pro tribunali sederat, vt subditis daret iura, 3.Reg.3. & ecce tibi: *Tunc venerunt duæ mulieres meretrices ad Regem, steteruntque coram eo*, &c. Post regnum, post sapientiam regnandi acceptam, prima regis tentatio per meretrices dis-Gregor. ceptantes venit; sic notat D.Gregor.8. Moral.c.17. sic Ange-Angel. lomus, sic Eucherius. Sed cur regalis politiæ initium, per-Euchee. mittente, imò prouidente Deo per meretricum pulsatur quæstionem? An vt sibi iam rem caueret, & inde nosceret, quales tentationes deberent timere regalia iudicia? Sic penè Glossa interlinealis: *Meritò ad illum meretrices venerunt, quem postmodum deceperunt.* Illæ nouo regi permittuntur, quæ regalem politiam trahunt ad ruinam; vt iam à primis regni auspiciis videat rex, à quibus sibi cauendum est, & contra quas sese armare debet, ni velit omnia iudicia peruertere. Quippe ait Ecclesiasticus 19. *Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes, & arguent sensatos.* Eccles.19. Nulla iuris prudentia sic iudices confirmat, quòd non corrumpantur, vbi eorum animos pulsat lasciuus amor.

§. III.

Pijs viris pretiosissimum est, voluptatum cauere simulacra.

CVm audis Ioannem in vinculis, non calamitatem, sed felicitatem eius mirare, quandoquidem à vinculis non iam Herodianas voluptates, sed Christi opera dicitur audire. Adeò enim pretiosum est sanctis viris cœlestes colere virtutes, vt vel omnium vinculorum tolerantia velint voluptuosa cauere simulacra. Hinc Tertul. lib. ad Martyres Tertull. extollit vinctorum fidelium carceres, aiens. *Non vides alienos Deos, non imaginibus eorum incurris, non solemnes nationum dies ipsa commistione participas, non nidoribus spurcis verberaris, non clamoribus spectaculorum atrocitate, vel furore, vel impudicitia celebrantium cæderis: non in loca libidinum publicarum oculi tui impingunt. Hoc præstat carcer Christiano.* Sanè præstat Christiano carceribus detinari, vinculis reuinciri, a quibus hoc habet beneficium, ne libidines populares videat, ne voluptatum respiciat simulacra. Iob enim sic glo- Iob 31. riatur cap.31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ne cogitarem quidem de virgine.* Habuit fortissimus vir pro maxima victoria, ne in formosarum libidinum conspectum veniret: sed scire cupis, quibus armis, seu quo pretio illam pretiosam sibi cæcitatem compararit? Ipse ait: *Pepigi fœdus cum oculis.* Chrysost hom 34. in Matth. legit: *Legem posui oculis meis.* Sed Chrysost. argutiùs Septuag. legunt: *Testamentum posui oculis meis.* Non quolibet pacto, non qualibet se obstrinxit lege, ne libidinum incentiua videret; sed lege, & pacto testamenti, in quo & translatio omnium bonorum, & mors ciuilis, quæ fit per amissionem libertatis, aut mors naturalis intercedat, necesse est. Itaque sanctus Iob sic accedit ad tractatum de fugiendo conspectu libidinum, quasi accederet ad testamentum condendum: vniuersa bona, & libertatem, & vitam spondens, dummodo pretiosam cæcitatem acquirat, qua molestissimam sibi fugiat faciem voluptuosorum. Et quidem Senecæ tam pretiosa erat libidinum apparentium Seneca. fuga, vt vel oculorum amissione putaret emendam; sic habet lib. de remed. fortuitorum: *Oculos perdidi. Quam multis cupiditatibus via incisa est, quàm multis rebus carebis, quas, ne videres, oculi eruendi erant. Non intelligis, partem innocentiæ esse cæcitatem? Huic oculi adulterium monstrant, huic incestum, huic vrbem, & mala omnia*, &c. Quam voluptuosorum fugam emit Gentilis homo oculorum amissione; cur non emat fidelis omnibus bonis, etsi libertatem amittere oporteat? Inuincibilis ille castitatis athleta Ioseph post importunum Ægyptiæ fœminæ congressum accusatus est apud dominum suum Genes.39. *Qui iratus est valde, tradiditque Ioseph in carcerem, vbi vincti regis custodiebantur, & erat ibi clausus.* Genes.39. Quid tunc Ioseph nigrò in carcere clausus? An calamitatem luxit? Absit: suam cecinit felicitatem, quando tenebris carceris occlusus hoc habuit, ne amplius videret in Ægyptia domina voluptatum simulacra. Sic ipse in testam. duodecim Patriarch. cap.11. ait. *Rursus coniectus sum in carcerem. Ego autem hilari voce gaudens glorificaui Deum meum solum, quod per hanc occasionem amouebar ab Ægyptia.* Sunt equidem piis viris, & tenebræ, & cæci carceres pro deliciis, quandoquidem illis comparant hoc, vt fugiant conspectum libidinum, & voluptatum.

§. IV.

Docti viri, & ingeniosi maiorem curam, & diligentiam adhibeant Deo quærendo.

HOc mirum in Ioanne mihi visum est, quòd non expectet, quòd discipuli sui vocentur, imò trahantur a Iesu, sed ipse eos per se ire facit ad illum. Cur hoc agis Ioannes? An ignotas illum esse Iesum, qui inter ipsa retia, & nummulariorum mensas vadit, vt sibi inde trahat sequentes? Qui ergo ad publicanorum mensas, ad piscatorum retia vadit collecturus homines, non satius expectabitur quòd vadat ad scholas præceptoris sui, vt colligat inde discipulos? Absit, quòd Ioannes id expectet, sciens Deum non ad scholas sapientium, sed ad retia ineruditorum, vt colligat fideles

fideles suos, in sapientibus maiorem diligentiam requirit, & solùm venientes suscipit; stultos autem, & ignorantes etiam non venientes requirit. Ecce tibi apud Lucam c. 15. cœlestis pater dimisit substantiam suam duobus filiis prodigo, & frugi: prodigus autem filius accepta substantia profectus est in regionem longinquam, ibique vniuersam consumpsit, adeò vt in extremam paupertatem deueniret, optarétque impleri porcorum siliquis, & nemo illi dabat. Quid plura? In se reuersus, ait: *Surgam, & ibo ad patrem meum.* Quid ais miser: surgam, & ibo? Cur non magis expectas, vt pater mittat ad te, & trahat in domum suam? Sane non filius, sed ouis etiam dicitur a domo egressa pecorum iussu: quam vt amissam notauit cœlestis pastor, statim ipse exiuit in desertum, ouem requirit, tandem inuenit, inuentámque humeris suis reportat. Quid quærit, & portat ouem, non quæret filium? Pulchrè D. Hieron epist. de duobus filiis, loquit. *Hæc inter parabolas supradictas vasto distinctionis est, secundum pr... vel mens ... tam ... pater filium non requirit peregrinantem, sed ... Pastor verò ouem errantem ... requirat, & humeris suis ...* Iampridem homines, & inuenta salutat Dominus, nimirum sapientes, & stultos: sed in hominibus maiores diligentias expectat, quas ipse ... supplet. Si ... si sapiens, vt homo ipse cura a perditione surgere, & ire ad patrem non expectes, quod pater ad te veniat, & humeris suscipiat: id præstat Deus, sed ouibus, hoc est, rudibus, & insipientibus peccatoribus. David Psalm. 118. fintebat: *Erraui sicut ouis, quæ perierat: quære seruum tuum Domine.* Inde quæri postulat à Deo, quia non sicut filius, & homo sapiens errauit, sed sicut stulta ouicula extra caulas prosiliuit. Ouem enim errabundam nouit Dominus quærere, & humeris suscipere suis; filius autem sapiens, & sciolus ad maiora tenentur, ipse negotium salutis agat, nullísque labori parcat, vt quamlibet salutis occasionem arripiat. Id quod monebat Paulus ad Ephesios cap. 5. *Videte itaque, fratres, quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed vt sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* In hoc ab insipientibus sapientes debent distinguí, quòd sapientes rediment tempus. Quid est, redimant tempus? Pulchrè explicat id lectio D. Thomæ, atens: *redimentes occasionem* &c. Satis est omnibus hominibus quòd nulla occasio salutis acquirendæ prætereatur; verùm à sapientibus non solùm non præterire debet salutis occasio, sed insuper omni laborum sumptu eni debet. Expectet insipiens, quod salutis occasiones sibi obueniant; obueniente equidem, & plures obueniunt: at qui sapiens est, qui perspicacì intellectu est præditus, emptum occasiones eat; illasque quouis sumptu, quouis labore dato sibi acquirat.

Hieron.

Psal. 118.

D. Thom.

§. V

Labores patienter habiti vocalissimi sunt ad impetrandum.

NOn innotatum relinquam, quam paucis absoluat Ioannes suam orationem apud Iesum, quippe dixit: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Quid plura? Hæc dixit, & omnia impetrauit: qui enim in vinculis erat, non longa oratione opus habuit, quando vincula, & labores omnium linguarum disertissimi sunt ad vniuersa ex Deo impetranda. Bonus ille latro vix labia mouit, dicens ad Iesum: *memento mei*; & ecce totos illi statim concedítur Paradisus. *Hodie mecum eris in Paradiso.* quæ oration flumina, quæ loquendi vis sic Deum traxit? Non equidem verba, sed ærumnæ sed crux sic ad impetrāda tot bona ex Deo valuit. Præclarè D. August. in Psal 80. ait: *Hoc fuit ille latro ... in cruce, ... lauce.* Non tam diserta est lingua rhetorum apud Deum, vt crux, vt carcer patienter toleratus. Non talem Oratorum pompant edocent doctæ pagiox, qualem vincula, & catenæ. Quo spectabat Psalmista loquens de Ioseph. *Humiliauerunt in compedibus pedes eius: ferrum pertransijt animam eius, donec veniret verbum eius. Eloquium Domini inflammauit eum: misit rex, &* ... Ecce tibi, vt Ioseph daretur sermo sapientiæ, vt ... & diuina eloquia ab eius ore procederent, ... efficaces forent a salutem obtinendam, cui ... ipse ad ... nimirum carceri, vinculis ferro ... clauditur equidem nobilis adolescens carcere, vinc... is al... gatur donec ei ver... veniret, sed cùm liber esset, non dabat Ioseph vber... dabat antea Ioseph, sed verba odiosa, & inuidiosa

August.

Psal. 104

fratribus, quæ nostram salutem pariebant, ideo in ordine ad salutem ob ipendam, quasi mutus, & omnino elinguis videatur. Missus est in carcerem, obstrictus vinculis. & ecce tibi in Iosephi ore verba eructant ignita adeò, vt vincula soluant, & ingentes salutes nanciscantur. A vinculis, eloquium Domini inflammauit eum: sic floret eloquio, vt usstar Domini, dicat verbo, & se, & Ægyptios sanet: & sibi libertatem, & famescentibus imperiis dapes afferat. Quam vim in compeditorum verbis odoratus, Isaias cap. 26. aiebat. *In tribulatione murmuris doctrina tua eis.* Quæ verba sic reddit Vatablus ex Hebræo: *Domine in ipsa tribulatione murmure ... fundent murmur, dum erit afflictio tua eis.* Sed cur ab afflictione, à nexu fundent murmur, & non potiùs altissimas voces, quæ cœlos penetreor? Sanè Forentius darus lib. 11. cap. 3. §. 2. in murmure intelligit muta illa carmina ... incantatio sapienter, quæ dum veneficos sapiens murmurat, quidquid cupit, ad se efficaciter trahit, aut rapit. Sic afflictiones, & ærumnæ verba fundunt adeò efficacia, & potestate plena, vt instar carminis, seu murmuris incantatorum sapientissimorum omnia ad se rapiant, & omnimodam faciant apparere salutem, siue in libertate. siue in dapibus, siue in via. Accipite Act. 16. Paulum, & Silam, *hos missos misit in interior... carcerem, & pedes eorum strinxit ligno.* Quid tunc? Conclusi carcere sancti viri, catenísque vincti eam faciunt orationem, qua carcer contremiscit & aperitur, vincula reorum soluuntur, custos attonitus miraculo conuertitur ad Iesu fidem, lauacrum accipit, & Paulo mensam apponit, e usque famem leuat honesto conuiuio. ... carmina? Quæ incantatorum murmura hæc efficerent? Et sanè catenæ toleratæ instar sapientissimi incantatoris murmuris hæc efficiunt. Pulcrè ad rem D. Chrysost. hom. ... in Actor. 21. *Carcerem ingressi Paulus catena, & ... siue corpus ... & corpus Christi ... ad usum spiritualem appo... & ... gaudet.* Componite modò sapientium incantatorum meditata carmina, cum hoc vinculorum murmure, vter efficacior cantus est? vter potentior sermo? Trahant incantatorum carmina e montibus feras, è cœlo Lunam? Faciunt famelicis mensas apparere, a vulneratis fugere vulnera, venire salutem? Equidem vetitus, & efficacius alligatorum murmura Deum trahunt, *qui vinculos suos non despexit.* Psal. 68. mensas spiritualibus dapibus refertas faciunt apponi: *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me*, Psalm. 22. & vel verbulo ingentem trahunt à Deo salutem. 2. Paralippom. 33. *Ceperuntque Manassen & vinctum catenis, atque compedibus duxerunt in Babylonem. Qui postquam coangustatus est, orauit Dominum Deum suum. Deprecatusque est Deum, & ... & exaudiuit orationem eius, reduxitque eum Ierusalem in regnum suum, & cognouit Manasses, quod Deus ... esset Deus.* Et quando vincti oratio Deo quidquid vellet non persuasit? Deníque, & omnes salutes ad se non traxit?

Isai. 26.

Act. 16.

Chrysost.

Psal. 68.

2. Par. 33.

§. VI.

Ioannis & Iesu perfectissima similitudo, in qua posita est summa Ioannis laus.

DVm Ioannes erat in vinculis, Iesus aberat, ad quem discipulos Ioannes mittit: Iesu bone, cur non magis Ioanni ades? Sanè Sapientia Patris cap. 10. *Iustum venditum non dereliquit, descenditque cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum.* Sapientia proxima est iusto in ipsis vinculis, & Iesus à Ioanne vincto abest? Abest Iesus a Ioanne vincto, quia nondum venerat hora eius; nec fieri poterat, quod eadem catena non tangeretur Iesus, si adesset, qua Ioannes tenebatur. Nonne Ioannes erat vox clamantis in deserto? Nonne Iesus erat verbum apud Deum? Et quidem tanta erat vocis, & verbi concordia, vt altero pulsato, necesse esset, quod alter mouaretur. Similem notat effectum in chordis eiusdem temperaturæ Cassiodorus lib. 2. variar. epist. 40. his pulchris verbis. *Vbi tanta vocum collectio est sub diuersitate ... vt ... na chorda pulsata alteram ... sponte ... quam nullum contigit attigisse. Tanta enim vis est conuenientiæ ... vt rem ... Bogis se mouere ... quia eius sociam ... agit ...* Catenis pulsata Dei voce, si Dei verbum circum esset, proculdubio concremeret, & simul ... patetur; quandoquidem tanta erat verbi & vocis sub diuersitate concordia & tanta vis conuenientiæ vt Iesum in furis tra... hi faceret, quia eius socium Ioannem constat agitatum.

Cassiod.

Matth. 14. Hinc post decollatum Ioannem ait Matth. c. 14. *Accedentes discipuli eius, tulerunt corpus eius, & sepelierunt illud, & venientes nuntiauerunt Iesu. Quod cum audisset Iesus, secessit inde.* Cur Iesus audita Ioannis morte discedit inde? Cur non vult manere vbi antea? Ne similem luctum suis daret, ne post Ioannem mors ante tempus eius Iesum pulsaret quasi socio pulsato nequiret vicinus Iesus similiter non pulsari. Hieron. Hieron. ibi ait: *Secessit Iesus parcens inimicis suis, ne homicidium homicidio iungerent, in diem Paschæ suum interitum differens.* Pulsaretur sanè Iesus, si adesset, eadem morte, qua socius Ioannes erat pulsatus: tanta enim est Ioannis, & Iesu sub diuersitate concordia, & similitudo, vt nequeat alter non tangi, quando vicinus pulsatur. Id quod adhuc Matth. 4. illustro ex Matth. 4. vbi post Iesu à Iordane ascensum, & deserti tentationes enarratas, statim ait; *Tunc reliquit eum diabolus, & ecce Angeli ministrabant ei. Cùm autem audisset Iesus, quòd Ioannes traditus esset*, &c. Ecce vobis simul videt Iesus diabolum tentatorem à se discedere, & audit Ioannem in carcerem rapi; quæ connexio, & conuenientia & tentationum Iesu, & vinculorum Ioannis, vt immediatè post illam hæc audiantur? Magna erat conuenientia, tentato enim Iesu, necesse erat, vt pulsaretur eius socius Ioannes; nec poterat fieri, quòd ex verbo non veniret ad eiusdem Basil. Sel. conuenientiæ vocem tentatio. Accinit D. Basil. Seleuc. orat. 18. fatus: *Primum cum absente Christo confligit diabolus, vbi cùm victoriam desperasset, in longinquum vertit arma, & Herodianis assilibus pro armis vsus viam aperit ad Baptistæ mortem.* Sic sibi concordant Ioannes, & Iesus, verbum, & vox, vt ab vno ad alterum immediatus sit transitus, nec pulsato altero, possit alter non pulsari: & dum Iesus afficitur, faciat Ioannem moueri, quia constat socium agitatum: & dum Ioannes tangitur, faciat Iesum, sua sponte contremiscere, quia sibi simillimus agitatur. Quid gloriosius de Ioanne poterit prædicari, qui eò similitudinis, & concordiæ peruenit cum verbo Patris? Huc solum respiciebat effrænis illa Isai. 14. Luciferi ambitio, aiens Isaiæ cap. 14. *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* In vna hac Dei similitudine sistit, quasi in ea sola vniuersa sint bona, & vltra eam in-Franc. Ab. ueniri possit nihil. De quo Franconius Abbas tom. 1. de gratia Christi ait: *Neque hoc fine, pertingendi scilicet vsque ad similitudinem Dei, superbus ille, ac superbiæ inuentor spiritus contentus esset, nisi hic finis infinitus esset.* Induit infinitudinem, qui Dei similitudinem induit; nec habet Deus, quò magis extollat creaturam, quàm dum eam peruenire facit Rom. 8. ad sui similitudinem. Dicit enim Paul. ad Rom. 8. *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui. Quos autem prædestinauit, hos & vocauit; & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & glorificauit.* Ambros. legit, *& magnificauit.* Quòd si quæras in quo glorificauit, & magnificauit Dominus vocatos suos? In nullo alio magis, quam in eo, quod ait paulo antè, *conformes fieri imaginis filij eius*; quasi nihil gloriosius, & magnificentius concedi possit creaturæ, quàm concordia, & similitudo cum filio Dei. Ita Ambros. D. Ambros. ibi. *Aliter fieri non potest, nisi quos præsciuit Deus, ipsos & iustificauit: ac per hoc magnificauit illos, vt similes fiant filio Dei.* Hæc suprema Sanctorum magnitudo est, quam Ioannes attigit simillimus Dei filio. De Ioannis similitudine cum Dei filio vide infra §. 51.

§. VII.

Laborum, ærumnarúmque tolerantia omni alio miraculoso opere longè præstantius opus est.

NOn grauabor in præsenti veterum Patrum meminisse sententiam, quæ putat, Ioannem post audita Christi opera miraculosa, misisse discipulos, vt interrogarent, an qui talia efficiebat magnalia, ad vincula, & mortem sustinendam simul veniret. Non quærit, an sit Iesus filius Dei? an sit expectatus ab Israëlitis? Sed an veniat, vt vinciatur, & morti detur? Ita Ambros. ib. in Luc. 7. Euseb. Emissen. Pomer. Venant. Gregor. relati à Maldonato in hunc locum. Nec mirarer, quòd Ioannes expertus vinculorum, & passionis præcellentias requireret inter Iesu magnalia, & splendida opera, vinculorum & mortis tolerantiam; quæ quidem præstantissimum opus est omnium miraculorum. Sanè Iesus cæcis visum, claudis pedes, leprosis munditiem, mortuis dabat vitam; sed quid hæc magnum in Iesu, vt ostendat in se naturam deitatis, nisi etiam manus ipse suas vinculis daret, seséque passioni voluntarius traderet? Paul. ad Philipp. Philip. 1. c. 1. *Scire autem vos volo fratres, quia quæ circa me sunt, magis ad profectum venerunt Euangelij, ita vt vincula mea manifesta fierent in Christo in omni prætorio, & in cæteris omnibus, vt plures à fratribus in Domino confidentes in vinculis meis abundantius auderent*, &c. Non opprimunt vincula causas Dei, imò illa promouent plus omnibus: ante vincula Paulus Iesum Deum, & Saluatorem ostendebat mille patratis miraculis, infirmis sanatis plurimis, mortuis ad vitam tractis: venit tandem in vincula, patitur carcerem, nullus tunc infirmus sanatur, nullus mortuus resurgit; quid inde? Christi causa cadit, obscuratur? Absit: imò magis proficit ex tunc Euangelium, magis claret in seruo vincto Christi Deitas: magis eius gloria per vinculorum tolerantiã euulgatur. Ad hæc Chrysostomus homil. 5. de Iob fatur. *Vides vinculorum fortitudinem* Chrysost. *magis quàm resurrectionem mortuorum esse gloriosam?* Superat equidem vinculorum tolerantia vniuersa alia facinora, etiam si mortuos in vitam trahas. Nullum sanè opus, etsi illustre, etsi hominibus salutare, sic Deum ostendit, sic diuinitatem explicat, vt vinculorum, ærumnarúmque tolerantia; cætera illustria facinora beneficam manum, siue vltricem ostendunt: at tolerantia passionum ipsissima Dei natura, quasi visibilis exhibetur. Tertullian. lib. de Patient. Tertull. sic ait *Non sermonibus modò in præcipiendo, sed passionibus Domini sustinendis probant, hi, quibus credere datum est, patientiam Dei esse naturam affectam, & præstantiam ingenitæ cuiusdam proprietatis.* Hæc est Dei natura, siue præstantissima, & inseparabilis à Deo proprietas, nimirum tolerare patienter aduersa, & vincula, & carceres, & mortem. Facias innumera alia facinora; tunc inhabitantem Dei naturam, præstantissimamque eius proprietatem pandis, si in patientiæ descendis scamma, si noueris vincula tolerare. Magis equidem gloriosa vinculorum tolerantia, magis diuina, quam mortuorum resurrectio. Hinc est, quod Iesus dum naturam diuinam, ingenitamque præstantiam in se inhabitantem curat ostendere, taliter ad resurrectionem mortuorum confugit, vt in illa etiam ostendat aliqualem vinculorum tolerantiam. Nónne resurrectio Lazari quatriduani pro gloria Dei, ostensionéque diuinitatis à Iesu peragitur? Vocatur igitur Lazarus à Iesu, vt à mortuis resurgat cap. 11. Ioann. *Et statim prodijt, qui fuerat mortuus,* Ioan. 11. *ligatus pedes, & manus institis.* Cur resurgit Lazarus ligatus? Cur Iesus, qui à morte educit liberum Lazarum, non etiam educit à vinculis absolutum? Cur vt mortem fugauit, non simul, & vincula? Sanè dum pro ostendenda natura diuina pugnabat, non tantum resurrectione mortuorum, quantum vinculorum proficeret tolerantia. Euomuit infernus viuum Lazarum, sed ligatum, vt in vinculis ostenderet contradictionem suam aduersùs Iesum, quod dicit Chrysolog. serm. 65. *Tartarus ligatis manibus, & pedibus* Chrysol. *Lazarum retulit ad superna. Nam si de Moysi corpore diabolus Angelo contradixit: quomodo non tartarus Christo de vita & resurrectione Lazari contradiceret?* Agebatur negotium naturæ reuelandæ; & ideo Iesus vult simul in eodem opere, & mortuum suscitaru, & contradictionem pati: in vita Lazari triumphat de morte, in vinculis patitur inferni contradictionem, & per hanc vinculorum tolerantiam præstantissima occultæ diuinitatis proprietas apparet. Et quidem Paulus, 12. ad Hebræos non miraculorum virtutem, Hebr. 12. sed tolerantiam contradictionum in Iesu nostro considerari mandat; ait enim: *Recogitate enim eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem*, quasi Iesus gloriosior, & diuinior appareret in tolerantia contradictionum, quàm in mortuorum resurrectione.

Text. Et respondens Iesus ait illis: Euntes renuntiate Ioanni, quæ audistis, & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur: & beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.

§. VIII.

Deus in Iesu humanissimus, & facillimo negotio accessibilis omnibus illis, qui amico accedunt animo.

IS erat Deus in Moysi, cuius verba via sustinerent fortissimi quique Israelitarum: quippe dum Dominus in summitate montis verba legis traderet, ior efficiebat terrores, vt vnus Moyses intrepidus ei astaret; reliqui autem populares,

tes, etsi longè positi sic concutiebantur, vt diceret Exod. cap.20. *Cunctus autem populus videbat voces, & lampades, & sonitum buccinæ, montémque fumantem, & perterriti, ac pauore concussi steterunt procul, dicentes Moysi: Loquere tu nobis, & audiemus, ne loquatur nobis Dominus*, &c. Nec quod à Deo fiebat, nec quæ loquebatur etiam longè positi valebant Israëlitæ, siue audire, siue spectare. Non sic Deus in Iesu venit, sed prorsus humanus, & accessibilis, cuius magnalia, & verba omnibus patent videnda, & audienda. Hanc humanitatem iubet Iesus Ioanni renuntiari, ex illa præcipii commendari diuinam apud homines conuersationem. Nimirum, quod sic Deus agit inter homines, vt nullus bono animo accedat, qui non eum inueniat, & eius præsentia, & virtute fruatur, etiamsi cæcus sit, etiamsi claudus, etiamsi à conuictu amandatus, vel leprosus, etiamsi mortuus, etiamsi pauper sit, ac debilis, etiamsi peregrinus, & alterius scholæ. Non terrent Dei hominis magnalia, sed omnibus sunt patentissima, & accessibilia, & fructuosa. *Renuntiate*, inquit, *Ioanni, quæ audistis, & vidistis. Cæci vident*, &c. Non fumat mons, sed cæci fruuntur claritate; non ignis flammat, sed & mortui vitali succo irrorantur; non buccina horrendum sonat, sed & debilis pauper euangelizatur. Sic in Iesu etiam miracula humanantur, vt ea vniuersi capiant. Non absimili modo dicebat Eliu amicus

Iob 33. Iob cap.33. imò penè in eandem sententiam fatur. *Ecce & me sicut & te fecit Deus, & de eodem luto ego quoque formatus sum. Veruntamen miraculum meum non te terreat, & eloquentia mea non sit tibi grauis.* Nihil terrificum neque in verbis. neque in ipsis miraculosis operibus exhibetur, apparet Deus facilis, suauis, ex eadem hominum massa coagulatus. Quid inde? Hoc planè elicitur clarè; non est cur alius expectetur, non est, cur pauper, aut imbecillis, aut claudus, aut cæcus, aut mortuus mœreat, bono animo accedat, & in Iesu copiam Dei, & salutis habet. Non est cur popularis, & inops, & pauper dicat: Loquatur nobis Moyses, & audiemus, non loquatur nobis Deus; imò iam Moyses taceat, & vniuersi, etiam debiles pauperes accedant, quandoquidem Deus humanatus, non miracula terrifica, sed salutaria, & quæ etiam à pauperibus sustineri queant, verba facit. Bono animo accedas, & Deum vides, & Deum habes, etsi cæcus sis, etsi miser, & pauper; solis impiis inaccessibi-

Ioann.18. lis Deus in Iesu adest. Quoties apud Ioannem cap.18. sese offert impiis Iesu, dicens: *Ego sum, ego sum, si me quæritis, sinite hos abire.* & nihilominus ipsi medias inter lanternas, & flammantes lampades, vix adducuntur, vt videant, & noscant Iesum etiam tunc salute manantem in percussum Malchum. At cæci homines, & inopes illum copiosa turbarum nube circumseptum nihilominus sentiunt, & agnoscunt,

Hieron. & contemplantur. Vnde hoc? Pulchrè D. Hieron. de vera circuncis. ait. *A cæcis videtur, & à videntibus non videtur, & illud mysterio occultandæ operationis exequitur, vt cum infirmi, ac debiles ad poscendam opem salutis nullo monstrante cognoscant, & persecutores, vel inimici, quem tenere debeant, nisi prodatur ignorent.* Si impius sis, & Dei persecutor, quamuis oculatissimus videaris, minimè Deum in Iesu videbis; at si pius, si bono accedas animo, quamuis oculis careas, quamuis cæcus sis, quamuis infirmus, quamuis mortuus, etiam nullo monstrante noscis Christum, tenes astantem tibi. Ad Ephe-

Ephes.5. sios 5. *Surge qui dormis, & exsurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* D.Paulinus epist.12.legit, *& attinges Christum.* Cum mortuis, & cum dormientibus loquitur; quibus promittit Christum adeò facilem, vt manibus defunctis sentiri, imò attrectari possit, & cognosci ab oculis somno sepultis. Non cæcitas, non infirmitas, non mors impedimentum afferunt videndi Iesum his, quos purus imbuit ani-

Dan.4. mus, & vitæ impellit halitus. Apud Daniel. cap. 4. aiebat Nabuchodonosor ipsi Danieli: *Visiones somniorum mearum, quas vidi, & solutionem earum narra.* quæ verba sic le-

Cyrill. git explicatiùs D.Cyrill.Hierosol. Catech.7. *Dic mihi visionem, quam ego vidi, & quæ sit, absolutio.* Viderat impius Rex cœleste mysterium, & ad eum, qui non viderat, confugit, vt certior de illo fieret. Quid miser quæris à Daniele, qui non vidit illud, quod tu vidisti? Siquidem tu solus vidisti, tu potius enarra non videnti. Sed ô Dei virtutem! Qui illam habent, etiam sine oculis vident; & impij etiam oculatissimi penitus patentissima cœli ignorant.

Idem. Ad hæc datus Cyrill. ait. *Certus vim Spiritus sancti? videntes ... sunt: non videntes agnoscunt, & interpretantur.* Hoc vnum cura, bono & prompto esse animo ad diuina, & nulla cæcitas, nulla imbecillitas, nulla mors impedient, quominus ... facillima accessu.

Text. Illis autem abeuntibus cœpit Iesus dicere ad turbas de Ioanne: Quid existis in deserto videre? Arundinem vento agitatam.

§. IX.

Virtutis via arripienda, non quam occasio offert, sed quam seria electionis, & affectus pondus parit.

AVdito nuntio Ioannis in vinculis existentis Iesus totus conuertitur in Ioannis commendationem, eius labores, & vitæ asperitatem diuinis efferens laudibus. Et hoc valde mirandum est, quòd habens præsentissima Ioannis vincula, nihilominus nil de vinculis fatur, sed ad desertum confugit, & quis ibi fuerit Ioannes, nititur explicare. O bone, cur præteris vincula adeò gloriosa Ioanni, & mauis eius desertum repræsentare? Equidem in deserto petendo illa fundata fuit virtus Ioannis, quæ & in deserto, & in ciuitate, & inter vincula, & inter ipsos gladios claruit. Petiuit enim Ioannes desertum, nulla occasione externa impulsus, sed seria virtutis meditatione, & toto affectus pondere raptus, quo omnibus mundialibus tempestatibus superior euasit. Id quod innuebant Iesu verba: *Quid existis in deserto videre? Arundinem vento agitatam?* Absit, quòd talis fuerit vir tantus. Arundo, & leuis palea hoc habent, vt ad occasionem ventorum viuant; inuenies arundinem totam inclinatam in dexteram, inuenies paleam inter floridas hortorum coronas. Cur iam non æstimabis arudinem, non æstimabis paleam? Non æstimas sanè, quia quòd arundo in dextram inclinet, quòd palea inter floridas coronas sit, hoc tulit flantium ventorum occasio, qui si è contra restarent, & palea, & arundo vrgerent in contrarium. Arundo est, palea est, quisquis ad occasionem occurrentium viuit, quisquis non ex seria virtutis meditatione, & toto affectus pondere ad virtutem tendit. Is, si occasio tulerit, vt inter pios agat, vt inter virtutum æstimatores degat, & ipse virtutem colet, & virtutis facinora præstabit: verùm si aliò sese diuerterit occasio, eadem facilitate rapietur aliò. Ecce vobis Saul 1.Reg.10. eligitur à Deo per Samuelem, à quo accipit 1.Reg.10.
signa electionis suæ, & inaugurationem regni, & vix à Samuele electus incipit viam capere, *& ecce cuneus Prophetarum obuius ei, & insiluit super eum Spiritus Domini, & prophetauit in medio eorum.* Verè tunc fortunatus vir, qui offendit obuios sibi Prophetas, inter quos, & ipse prophetat, & vniuersa Prophetarum facinora peragit. Accessit Saul ad eos, qui Spiritu Domini agebantur, & simili Spiritu actus similia opera edebat. Sed iam inde ascendit regale solium, cœpit inuidiæ patere, & mundialibus tempestatibus exponi; quid tunc? Ait cap.16. *Spiritus Domini malus arripiebat Saul*, &c. Vt ad spiritum bonum non accessit Saul, ex toto affectus pondere, nec ex seria virtutis electione, sed ex occasione Prophetarum obuiantium; sic prout tulit occasio testantis contrarij spiritus, ab illo etiam eadem facilitate ferebatur. Ex quo pulchrè Tertullian. lib.de anima Tertull.
cap. 4. ait. *Saulem tam Dei spiritus vertit in alium virum, id est, Prophetam, quàm malus spiritus postea euertit in alium virum, apostatam scilicet.* Vbi virtus arrepta fuit à Saule, ex occasione nimirum, quia accessit ad cuneum Prophetarum, inter quos spiritus Domini flabat; nil in Saule durabile, nil non damnabile reperiendum erat. Despicit enim Dominus arundines, despicit paleas, quæ ex occasione ventorum, siue in dextram, siue in sinistram inclinantur. Et illi amantur, qui ex affectus pondere, in bonum feruntur, vtpote, qui omnibus restantibus tempestatibus superiores euadunt. Apud Luc. 3. dicitur de Iesu: *Cuius ventila-* Luc.3.
brum in manu eius, & purgabit aream suam: & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili. Sanè bonus agricola, & triticum, & paleas recondit, & seruat; quandoquidem ex vtrisque lucrum habet. Cur diuinus agricola solum triticum æstimat? cur & palearum non etiam aliqualem æstimationem habet, sed eas igni tradit? Rem attigit Nazianz. orat. in dictum Euangel. vbi Nazianz.
fatur: *Ventilabrum habet, quia repurgat aream, & quidquid leue est, ac vento obnoxium, reijcit: quidquid verò graue, in horrea reponit.* Reiectitium est apud Deum, quidquid vento obnoxium est, quidquid ad ventorum occasionem degit, ille saluti reponitur, qui ex seria animi, & affectus ponderatione virtutem arripit, à qua nullis restantibus ventis separari poterit. Is erat Ioannes, qui ita sese toto affectus conamine, & pondere àptitius vnguiculis virtuti sequendæ tradidit,

tradidit, vt nulla restante tempestate in contrarium rapi potuerit. Concuti furentibus Herodis ventis, imò conteri potuit, cedere autem ventis non potuit, vtpote qui non arundo, sed procerissima arbos erat. Pro quo non illepidus

Parisiens.

est apologus penè in hanc rem adductus à Guilliel. Paris. lib. de moribus, tract. de Spe, vbi ait. *Cum quercus confracta esset impetu venti, arundo verò illæsa permansit. Admirata quercus confractionem suam, & euasionem arundinis, interrogauit arundinem, qualiter hoc factum esset? & respondisse fertur arundo: Quia tu*, inquit, *præsumens de fortitudine tua voluisti resistere vento, qui fortior erat te, sic euidenter ostendit confractio: ego autem cessi, & ita euasi, & euado similiter ab omni vento, quia vnicuique vento cedo. Sic & multi omni tentationi cedunt; & post omnem concupiscentiam suam abeunt.* Non sic procerissimæ arbores, non sic brachiati milites Christi, non sic Ioannes, qui furentibus obediens tempestatibus confringi potest, cedere non potest, quia toto mentis affectu, & pondere amplectens virtutis curricula, etiam restantibus ventis idem seruat animi propositum.

§. X.

Vilescunt tentationes animo ad illas præparato.

MEritò non meminit Iesus carceres, & vincula Ioannis, quæ præsentissima erant; & meminit eius desertum, vbi enim Ioannes desertum petiuit, ibi omne genus afflictionum, & tentationum amplexatus, ad vniuersam, & solicitudinis, & abstinentiæ, & vinculorum, & carceris, & mortis molestiam se præparauit. Quid post hæc Ioanni accidere potuit memoratione dignum? Equidem vniuersæ tentationes, & carcer, & vincula, & mors ipsa parui momēti sunt animo ad illa præparato. Inde Paulus ad Heb. 10.

Hebr. 10.

memorans sumptum à Iesu factum pro hominibus ait eius nomine. *Corpus autem aptasti mihi: holocaustomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio.* Vide Christiane, quid debeas Iesu, videns ipse à Patre nouum holocaustum desiderari, quod pro peccato torreatur, consumatur, dicit, Ecce venio, sese paratum, & quasi in procinctu exhibet. Sed cur hoc solum de Iesu dicitur, quòd se paratum offerat? Cur non magis cætera explicantur, quòd vinculis de facto fuerit illigatus, quòd ad columnam religatus, quòd ligno suffixus? Cur hæc maximè silentio prætermittuntur, & solùm dicitur, *ecce venio*? Equidem animo præparato, & ad omnia se exhibenti, imò iam venienti, & vincula, & columna, & crux minoris momenti videbantur, & ideo meritò silentio tegebantur. Ad quæ respiciens Tertull. lib. de Patient. vt Christi expendat patientiam, inquit: *Taceo, quod figitur, in hoc enim venerat.* Inter

Tertull.

Christianæ patientiæ symbola putat Tertull. crucem tacendam, silentióque premendam, cur non potiùs primo exprimitur loco crux? cur inter maxima patientiæ signa non exprimitur? Ipse insinuat, dicens, *in hoc enim venerat*; vbi enim quis ad omnia promptus, & paratus accedit, parui momenti sunt, & penitus reticenda quæcumque dura eueniant: pro nihilo habentur tribulationes vniuersæ. Sic Hebræos exhortabatur Paulus cap. 10. *Rememoramini autem pristinos dies: in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum: & in altero quidem opprobrijs, & tribulationibus spectaculum facti: in altero socij taliter conuersantium effecti. Nam & vinctis compassi estis.* Meritò ponit Paulus præ oculis primam illam alacritatem, & fortitudinem, qua Hebræi Christianismum amplexabantur; Christianismum, inquam, in quo luctæ, certamina tribulationum, exilia, fames, spoliationes bonorum, tormenta, vincula, carceres, ad quæ omnia sese parabant, qui Christiani fiebant. Et quidem ea erat Hebræorum tunc fides, & fortitudo, vt omnia illa vorarent, & de facto socij taliter conuersantium efficerentur. Quid tunc? *Nam & vinctis compassi estis.* Nunquam desiui mirari mentem Pauli his verbis, qui post notatam alacritatem, & fortitudinem, qua se recentes conuersi deuouebant luctis, vinculis, carceribus, morti; statim extollit compassionem, quam habebant vinculorum alienorum; cur non priùs explicat, quòd & ipsi fuerint vincti, in carceres coniecti, insuper verberati? Cur non magis dicit, quòd ipsi fuerint vincti, quam quòd vinctis compassi fuerint? Equidem hoc fuit in illis fidelibus præcipuum, nimirum, quòd alacriter, & strenuè sese ad omnia pararent, & omnibus tribulationibus deuouerent, post hæc & vincula, & carceres & tormenta pro nihilo habent, sic censentur vincula,

Hebr. 10.

Chrysost.

quasi non sint. Vnde præclarè aiebat Chrysost. *Nam & vinctis compassi estis. Non enim putastis vincula vestra esse vincula, sed sicut athletæ fortes, sic stetistis: quia non solam in vestris opus non habuistis exhortatione, vel consolatione, sed etiam alijs exhortatio, & consolatio facti estis.* Sic alacri, & parato animo tentationes vniuersæ pro nihilo sunt, vt qui sese deuouit tentationibus, sua non æstimet, non censeat vincula, & alijs maximè compatiatur vinctis. Non in præsenti prætereunda est alacritas illa, & imperterritus animus Samsonis, dum ibat ad nuptias Iud. 14. Ibat igitur strenuus adolescens, nil metuens, nullum non contemnens periculum, vt optatis frueretur amplexibus; *apparuit autem catulus leonis sæuus, ac rugiens, & occurrit ei.* Quid tunc Samson, cessit periculo? Absit: *Irruit autem spiritus Domini in Samson; & dilacerauit leonem, quasi hædum.* Ecce tibi, quam vilescant tentationes animo parato: qui leo erat sæuus, & rugiens, vbi strenuum athletam Samsonem omnibus periculis paratum offendit, vt vilis hædus apparuit. Pulcrè August. in Psal. 80.

Iudic. 14.

August.

Leo ille viro forti Samson venienti ad ducendam de alienigenis vxorem ibat obuiam. Sed quid egit? Accepit, tenuit, fregit, dissipauitq; leonem, factus est in manibus eius velut hædus caprarum. Felix qui imperterrito, & alacri animo sic viam virtutis arripit, vt ad omnia subeunda animum ex tunc spondeat; exinde nil, quod timeat, habet: vilescunt coram illo maxima quæque certamina, & pro nihilo reputantur.

§. XI.

Prima Ioannis virtutum lineamenta præstantissima, & quæ possint diuinam commendare manum.

NOn purpurascentem Ioannis finem, sed primum in desertum ingressum ob oculos proponit Iesus, aiens: *Quid existis in desertum videre?* Cur ô bone reuocas in memoriam Ioannis desertum, & non potiùs sertum martyrij, & virginitatis odore halans? Cur purpureas effusi sanguinis perfectiones non meministi; & prima lineamina vitæ arundineis vmbris deserti delitescentia in memoriam trahis? Sanè etiam præstantissimis primordia sua ruborem afferunt aliqualem; quando & vas electionis dicebat 1. ad Cor. 13.

1. Cor. 13.

Cum essem paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus. Quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli. Sic præstantissimis primordia sua erubescunt ob oculos ponere; verùm pueri Ioannis primordia, quòd trimus desertum petiuit, & arborum etiam cibos suspectos habens locustis pascebatur, non ruborem, sed gloriam, & Deo, & Ioanni pariunt immortalem. Solent enim nominatissimi pictores in suæ artis summam commendationem, non perfectas imagines, sed earum adumbrationes, & prima lineamina, primósque conatus euulgare: summi namque artificis manum, non tam perfecto extollit, quam primus lineaminum conatus, & adumbratio. De Ioanne ait D. Luc. cap. 1. *Quis putas puer iste erit?*

Luc. 1.

Etenim manus Domini erat cum illo. Puer est Ioannes, trimus desertum adit, in quo si non vltima perfectio, primus tamen conatus, & adumbratio summi, & præstantissimi artificis manum sapit. Quid plura? Apud Cassiodorum 1. Variarum 4. sic Theodoricus rex ipsum Cassiodorum extollit satus. *Primus eius administrationis introitus Comitiuæ priuatorum molè fundatus est: vbi non tyrocinorum infirmitate titubans, nouitatis vitio, vel innocenter errauit: sed abstinentiæ firmata vestigio, imitando vixit exemplo.* Vt familiare est tyronibus, & nouitiis, in quolibet officio errores admittere, sic familiare est nullum illis errorem imputari: innocenter enim errat, qui non voluntatis, sed nouitatis vitio in errorem cadit. Sed vide præstantissimi pueruli excellentiam, ipse trimus heremum intrauit nouitius in vita, nouitius in virtutum operibus, nullum videt exemplar, nullum magistrum habet, nec tyrociniorum infirmitate titubat, nec nouitatis vitio etiam innocenter errat, sed abstinentiæ firmato vestigio, imitando vixit exemplo. Penè ad illum Dominus loquebatur Ierem. 2. *Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam,*

Ierem. 2.

& charitatem desponsationis tuæ, quando secuta es me in deserto. Recordationem faciens sui præcursoris, quid primum meminit Dominus? ipse ait, dicens: *miserans adolescentiam tuam*, &c. Nil de viri facinoribus, sed eius puerilia in deserto peracta recordatur. Is est Ioannes, quem vt extollat Dominus, non spectat virilia facinora, sed iuuenilia, imo puerilia facta eius sibi ob oculos proponit, sic enim ait in præsenti Syrus: *Recordatus sum tui gratia pueritiæ tuæ*, vt diuinæ gratiæ opus magnificentissimum explicem, non virum specto Ioannem, sed puerum, eúmque trimum

in

in deserto agentem. Cur vir inter gladios intrepidus non stabit? Cur armatus rex non timeat Ioannem virum; quem puerum desertus aluit, frigus nutriuit, fames educauit? Sidonius Apollin. in Panegyrico Anthemij laudans Romam, quòd Thraciæ dominetur, ait.

Sidon.

Thracum terra tuo est, heroum fertilis ora
Excipit hic natos glacies, & matris ab aluo
Artus infantum molles nix cingit durat.
Pectore vix alitur quisquam, sed ab vbere tractus
Plus potat per vulnus equum: sic lacte relicto
Virtutem gens tota bibit.

Nonne talem Christianus desertum à diebus Ioannis Baptistæ? Sanè exiunc terra deserta & inuia, & inaquosa, facta est regio fertilis Heroum, dum ibi Ioannem recens natum excipit glacies, & infantis molles artus durat; & puerulus ab vbere tractus, nec manducans, nec bibens, imò de locustarum vulnere, lacte relicto virtutem bibit. Meritò relictis aliis hanc Ioannis pueritiam recordatur Dominus, hanc amat; quippe Arabicus ita vertit verba Ieremiæ prædicta: *Recordatus sum tibi gratia adolescentia tua, & dilexi tolerantiam tuam: quia tu secuta es me in deserto.* Pueritia Ioannis in deserto peracta plures ante oculos Dei obuersatur, quam alia viri facinora illa diuini artificis commendat manum; illa oculos Dei spectantis oblectat, illa diuinitatem sibi assistentem notam facit. Non vobis in præsenti negabo Dauidis ausum, qui inermis ausus est inire certamen, & conserere manus cum bellicosissimo Gigante; is vt persuadeat Regi, quòd in se vno totam Israelis aduersus Philistæos collocet causam, nil aliud in medium adducit, nisi pueritiæ suæ facta: ait enim 1. Reg. 17. *Pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis. Et persequebar eos, & percutiebam, eruebámque de ore eorum.* Hæc Dauid ostendit a se puero peracta in deserto facinora: hos pueritiæ suæ ludos in medio profert, vt dicat Eccles. 47. *Cum leonibus lusit, quasi cum agnis; & in vrsis similiter fecit, sicut in agnis ouium in adolescentia sua.* His auditis rex innuit, & vnus Dauidis credit omnem difficillimi belli fortunam. Sed dubitare licet, cur rex sapiens tantam rem pueritibus credidit facinoribus? Cui dubitationi August. hom. 31. ex 50. respondet *Intellexit rex, cùm videret iuuenem puerum, aliquid in eo diuinitatis esse, nec illam tenera ætate, sine diuino instinctu talia posse præsumere.* Expende illud. quòd vbi puerilles Dauidis ausus nouauit rex, statim intellexit, *aliquid in eo diuinitatis esse*; non enim potest non sapere diuinam manum, quòd pueritia tantam exarat virtutem, & adeò præcoa ætas exhibeat tam maturos fructus. Quid plura? Ioannes trimus in deserto agens, nónne super aspidem, & basiliscum ambulauit? Nónne conculcauit leonem, & draconem? Nónne serpentem illum vectem interfecit, & mille alia facinora præstitit? Vnde hæc puer, nisi quia in eo erat aliquid diuinitatis, imò tota Dei manus erat cum illo? Moyses in durissimum Pharaonem serpentes immisit, similiter & Magi serpentes miserunt: aquas ille in sanguinem vertit, & ranarum incredibilem multitudinem fecit nasci; similiter & Magi ab aquis sanguinem, & ranas efficiunt. Tertiò accedit Moyses ad miracula, & ingentem cyniphum exercitum exerit, qui Pharaonem, & Ægyptum conculcent: ad similia accedunt Magi Exod. 8. & non potuerunt: *& dixerunt malefici ad Pharaonem: Digitus Dei est hic.* Quòd magna animalia regna deuastent, virtutis potest esse creatæ: verùm quòd cyniphis paruus aculeus armatos reges contundat, quis non videat id opus esse diuinæ manus? Potest equidem latere manus diuina in magnorum virorum facinoribus; at quòd Ioannes trimus desertum petat, manus cum Principe tenebrarum conserat, æreas conculcet potestates, & lacte relicto virtutem bibat, in eo solè clarius fcintillant diuinitatis radij: & digitus Dei, & manus, & totus ipse Deus inhabitat in Ioanne, cuius paruuli facinoribus sese maximè commendat diuina manus.

1. Reg. 17.

Eccles. 47.

August.

Exod. 8.

Text. Sed quid existis in desertum videre? Hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.

§. XII.

Mollis cultus corporis Regibus fatalis est.

Sapienter præceptor noster innuit, mollibus vestitos in domibus regum, non in solus esse; hoc est, non regibus ipsis, sed ministris regum familiarem esse cultus mollitiem: numquam enim non fatalis fuit regibus nimia cultus corporis mollicies. Scatent exemplis & mundiales, & sacræ litteræ: pro mille vous sit Absalon Dauidis filius; huius cura, & studium circa comarum cultum singularissimum; in cæteris audax adolescens, in comis nutriendis mollis, & effœminatus. Non comptior Phœbi cæsaries, non cultior Berenices. 2. Reg. 14. *Porrò sicut Absalon vir non erat pulcher in omni Israel, & decorus nimis: & quando tondebat capillum (semel autem in anno tondebatur, quia grauabat eum cæsaries) ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis.* Absalon elegantiæ studiosus, non tam ensis, quam pectinis memor comam nutrit, quam vel sub nouaculæ acie videre timet, nisi quando tam eius aureum pondus sustinere non valet. Hic ergo comptulus princeps paternum regnum præoccupat; & ingenti armatus exercitu pacatum diadema patris internecione sperabat: sed ecce dum certamen initur, dum furit Mars cap. 18. *Accidit vt occurreret Absalom seruis Dauid sedens mulo: cumque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum, & magnam, adhæsit caput eius quercui, &c.* Miraberis, quòd tale potuit contingere duci, & duci in prælio existenti? Nónne in bellum armatus intrauit? Si armatus intrauit, vbi galea, quæ caput operiret, nec fineret vagari capillos? Equidem elegantiæ, studium, comæque cura galeam expulit, ne intorti crines tererentur; quo accidit, vt comis illigatus periret: mollis enim comarum cultus ad crucem currit, non ad diadema regni; quod potiùs spectat tritos galea capillos. Hinc Sidonius Apollin. Panegyrico Anthemij pulchrè accinebat:

2. Reg. 14.

Sidon.

Iam tu ad plectra venis, tritum cui cassi de crinis
Ad diadema venit, rutilum cui (casum aliam
Depositis thorace datur: sceptrisque replenda
Mucronis est vacuata manus.

Non ab annulis splendentibus, sed à fulgurante mucrone manus ad sceptra; non mollis vestis, sed thorax ad purpuram, non coma culta, sed crinis tritus casside ad diadema venit, & diadema conseruat. Ad Romanum Imperatorem Carinum Parthorum Legati veniunt, antea cæsarie formosi, preciosis vestibus culti: hos humi stratos Imperator videt, & quæ illis honorem præstitit? Pulchrè D. Synes. lib. de regno scribit. *Eos ergo cùm vidisset, neque surrexisse, neque quidquam mutasse fertur, sed è vestigio vocatis dixisse, se quidem illas scire ad ipse venire, se eam Carinum esse, nunciaque regi, vt eadem die resipiscant, iubere, ni saperet omnem ipsorum saltum, campumque omnem intra innare spatium Carini capite fore nudiorem, simulque dicentem detracta pilea caput ostendisse nihilo galea adiacente villosius.* Sanè ostendit vir egregius comptuli regis ministris, quale esse debeat inuictissimi, & metuendi Imperatoris caput, nimirum nihilo galea adiacente villosius. Vna regis cura fit circa galeam, cæterorum cura fetnulis relinquatur; non enim pictæ vestes, non rotati calamistro crines diadema tuentur; sed thorax, sed tritus sub casside crinis, sed caput nihilo villosius adiacente galea.

Synes.

§. XIII.

Domus regia vestiarium est mundialis comœdiæ ex probatorum hominum corruptela.

Sunt equidem, qui mollibus vestiuntur in domibus regum; quandoquidem mundus comœdia est, domus regia vestiarium à Iesu reputatur, vbi personarum vestes asseruantur, vt pro illarum varietate variæ personæ comparecant. Fecit enim hoc mundi corruptela, vt quod in comœdiis familiare est, sola vestis reges distinguat, & notos faciat. Vnde meritò Cassiodor. l. variar. 1. purpuream tincturam laudans, ait: *Color muta lepore viraans, obscuritas rubens, nigredo sanguinea regnantem discernit, dum conspicuum facit: & præstat humano generi, ne de aspectu Principis possit errare.* Ecce tibi comœdiæ vestiarium datis vestibus & distributis per singulas personas, & reges, & principes, & duces, milites facit, qui vilis vernula erat, vbi vestiarium ingreditur, purpuram accipit, & rex apparet. Hinc quod in comœdia rides, in omni mundiali culmine optat Cassiodorus factum; purpura regnantem discernit: vestis pretiosa præstat generi humano, ne de aspectu principis possit errare: tolle vestes, tolle purpuram; nullum noscit regem mundus; non habet vnde discernat reges corruptela humana. Accipite apud Isaiam cap. 3. regalem inaugurationem à corruptis populi moribus peractam. *Apprehendet enim*

Cassiod.

Isai 3.

vir fratrem suum, domesticum vetris sui. Vestimentum tibi est, princeps esto noster. Sic mundialis error, & corruptela hominum nescit constituere reges, nisi a veste mentis, vt faciunt comœdi: & eò peruenit generis humani corruptio, vt in aulæis principum, & nobilium, nihil aliud inueniatur, quo principes appareant, quam id quod inuenitur in vestiario comœdorum, nempè vestes. Quoties curiam deambulans, videns domus nobilium animo meditabar, me quasi vestiarium comœdorum deambulare, & sicut ibi singulis mansiunculis distributis, pro rege, pro duce, pro milite, nihil regis, nec ducis ibi cernitur præter solas vestes, sic in domibus nobilium, & principum nostri miserabilis æui instar mansiuncularum vestiarij, vix aliud cernitur, quam vestes. Id quod notabat D. Bernard. in nobilibus Ecclesiasticis sui temporis hom. 4. super, *Missus est*, inquiens. *Videas, & homines pecuniosos ad honores quosque Ecclesiæ p. euolare: moxque sibi applaudere sanctitatem vestium duntaxat mutatione, non mentium.* Sic vniuersi nobiles, nobilitatem sibi applaudunt, in eo quòd taliter vestiantur, non in eo quòd ingenuè viuant. Contra hoc D. Basil. Isaiæ verba tractans sic inuehitur: *Verus princeps non per hæc insignia exte na internoscitur, cuiusmodi sunt purpura, torques, seu amiculum perenne, & diadema, sed per id, quia in primis obtinet virtutem principe dignam. Qui enim maioris iugo voluptatum premitur, ac seruit variis concupiscentiis, ac seruus sit peccati, indoneus est, nec accommodus obeundo principatui.* Et quidem externa ornamenta sola, non tam faciunt, quam mentiuntur principes; ni te vita discernat, ni manus nobilem, regiumque ostendat; cætera omnia non te à comœdo personam regis agente disparem facit. Sapienter enim ait D. Synes. lib. de regno: *Quantum in ... superior, atque arrogantius cultum accepisti, tantum decessisti veritati.* Fictos, & personatos nobiles vestimenta, & corporis ornamenta faciunt; veros principes sola virtus declarat. Samuel inaugeratus Saulem, vt regnum à Deo capiat 1. Reg. 10. post multa electionis signa prædicta sic ait: *Quando ergo euenerint signa hæc omnia tibi, fac quæcumque inuenerit manus tua, quia Dominus tecum est.* Ecce recentis regis monitum: *fac quæcumque inuenerit manus tua;* non ait, quære purpuram induere his vestibus, quæ te regem, & principem demonstrent: sed omnia viri Saulis manui commendat. quasi dicat: manus tua te regem ostendat, ea opera fac, quibus rex à Deo constitutus innotescas. Ad hæc D. Hieron. in tradition. Hebr. sagus. *Hoc signo noscere poteris, quia Deus te regem fore voluit: & ideirco ad omnia, quæ tibi agenda sunt, regaliter age, quia Deus tecum est.* Vbi mundialis corruptela ad regnum vocat, solùm præparat vestimenta, instar comœdorum; verùm vbi Deus regnum parat, non à vestibus, sed à moribus, non à cultu elegantiæ, sed manuum operibus regem monstrat: vt rex sit non qui molliter vestitur, sed qui regaliter viuit. Nec mirum quòd regale decus verum fugiat immundas mollicies, amat pura virtutum opera; quando sanguis ille nobilis, quo regiæ vestes purpurascunt, omnem turpitudinis refugit odorem. Sic de illo Cassiodorus 1. variar. 1. *In illis autem sublimitatis sanctorum aiuntes conas ferice ... madeat ... habere ... corporis purissimam castitatem. quia talium rerum secreto ... dicuntur immunda.* Sic ille; vt appareat regius splendor, quàm pendeat à vitæ puritate, integritate.

Bernard.

Basil.

Synes.

1. Reg. 10.

D. Hier.

Cassiod.

§. XIV.

Laudabilis fidelium mos in induendis puerulis religiosa amicula.

NEc otiosè Iesus cùm Ioannis in deserto celebrat natalitia, eius ob oculos proponit amictum ab omni purum mollitie; religionis, & pœnitentiæ virtutibus sacratum. Etsi enim trimus puer in desertum abijt, non credendum est eò secum detulisse pictas fasciolas, bullas, corallia & cætera puerorum crepundia mollicula que ornamenta; imò iam in domo parentum crepundiis, & pictis stolis relictis habitum acceperat, qui minimò dedeceret eremitam. Exemplum inde manauit, quo piissimus increuit mos fidelium. apud quos pueri li religionem docentur sugere, dum habitu induto religioso quisque apparet religiosus pusio. Apud 1. Reg. 2. dicitur de Samuele: *Samuel autem ministrabat ante faciem Domini, puer accinctus ephod lineo. Et tunicam paruam faciebat ei mater sua, quam afferebat statutis diebus.* Etsi puer Samuel, etsi adhuc tenellus, sacris tamen vestibus induitur, illique mater afferebat, ephod paruulum. Sed ephod habitus erat sacerdotum, cur sacerdotis habitus puero datur? Cur non imaginis pictæ stolæ, argenteæ bullæ, crepundia puerorum? Vt vel ex habitu puer disceret esse etiam in pueritia modestus, & grauis instar sacerdotis. De quo eleganter D. Alcimus lib. 1. ad Fuscinam sororem occinuit.

1. Reg. 2.

> *Non secus exultans sterilis post damna iuuenta*
> *Jam fœcunda nouum cum ferret fœmina fœtum,*
> *Vestem læta suo paruam texebat alumno:*
> *Discere vt Samuel iam tunc puer esset sacerdos.*

Piissimum, & valde pulchrum est parentibus quòd tales habitus parent suis filiis quibus videantur pueri sacerdotes, & religiosi pueri, ex habituque assuescant noscere religiosas virtutes, & vel ex odore sacri habitus diuino parenti placere, eiusque ingentes benedictiones sibi acquirere. Sanè Rebecca, vt iuniorem filium pater gratiorem redderet, illique benedictiones maioris surriperet, hoc astu vsa est; ait enim Genes. 27. *Et vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat domi, induit eum, pelliculasque hædorum circumdedit manibus, & colli nuda protexit.* Ad quæ verba tradunt Hebræi primogenitos sacerdotum officio esse functos, & habuisse vestimentum sacerdotale, quo induti offerrent Deo victimas. Sed statim insurgit difficultas, cur Rebecca surreptura mariti benedictionem iuniori filio illum sacris maioris vestimentis induerit? Benè pelliculis hædi manus, & colli nuda protexit, ne cæcus pater pilos maioris fratris in minore requireret; at vestes sacras minimè requireret, cùm illis non vteretur Esau pro cibis inferendis, sed pro offerendis victimis. Cur ergo Rebecca vestes minimè necessarias ad tegendum dolum induit iuniori filio? Equidem res agebatur de benedictione cœlesti impetranda, ad quod plurimum valent sacræ vestes etiam pro crepundiis puerilibus. Vnde & Isaac etiamsi cibis acceptis & manuum, collique tactu persuasus fuerit adesse filium maiorem Esau, non tamen ad benedictionem descendit, nisi odore vestium adductus. Quippè ait: *Statimque vt sensit vestimentorum illius fragrantiam, benedicens illi ait*, &c. Vna sacra maioris vestis aptata iuniori fecit hunc benedictionum cœlestium fructu potiri: sic puto in puerulis fidelium, qui à parentibus piè religiosorum habitu pro crepundiis induuntur, non enim id infructuose efficitur, sed ingentes Dei benedictiones paruis puerulis vel ex odore sacri habitus acquiruntur.

Genes. 27.

Text. Sed quid existis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, & plusquam Prophetam. Hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

§. XV.

Plusquam Propheta est, qui sanis inter mundialium caliginum latitudines angustam viam salutis pertingit.

FVtura prædixere Prophetæ. quod diuinissimæ virtutis est signum: Ioannes non futura prædiat; sed præsentem salutis viam Iesum demonstrauit. vnde ergo Ioannes plusquam Propheta est? An plus est præsentem noscere, quam futurum demonstrare? Sanè inter mundiales caligines, inter humanæ vitæ fallacias, inter errantium multitudines, inter voluptatum lenocinia, & horrores peccatorum: adeò occulta est angusta salutis via, vt longè plus sit illam sic latentem cognoscere, quam futura prænuntiare. Rem firmo ex 1. Reg. 21. vbi fugiens David Saulem, eiusque fanaticum furorem, sacerdotem Achimelech adit consulturus de suo venturo statu: & vt sacerdotem facilius ad consiliationem alliciat, fugam celat imò ait: *Rex præcepit mihi sermonem, & dixit: Nemo sciat rem*, &c. Vbi valde mirandum est, quòd David prudentissimus vir sic studuerit celare aduentus sui causam sacerdoti, & ei sacerdoti à quo sperabat se certiorem faciendum de euentibus futuris. Cur non veretur conuinci fallaciæ ab eo, qui etiam futura prædicit? An putabat ab Achimelecho futura præsagiri posse, & veritatem præsentem fallaciis obnubilatam sentiri non posse? Pulchrè Abulens. quæst. 4. in cap. 14. lib. 3. Reg. ait, *David sciebat ... mentem impendi, hoc est, quod quidquam mentiretur, & consuleret Achimelech Dominum*

1. Reg. 21.

Abulens.

minum pro eo, non posses cognoscere ex responsione Dei, an mentiebatur. Quippè longè maius est lumen ad discernendam præsentissimam veritatem mendaciis, & fallaciis obnubilatam, quam ad futura prophetanda. Propheta fit, qui futura prænoscit: at qui mundialia mendacia & humanas fallacias deprehendat, & inter latissimos errorum calles, angustam veritatis, & salutis semitam internoscat, plusquam Propheta sit necessum est. Ad quæ respiciens Sapiens
Prouer.15. Prouerb.15. ait. *Semita vitæ super eruditum*; hoc est, plusquam sapiens, plusquam Propheta esse debet, qui semitam vitæ pertingat. Christus nobis via est ad vitam, ait Hugo in præsenti, sed sic occultus apparuit, sic inglorius venit, vt vel à sapientibus, & Prophetis, vt leprosus, & percussus à Deo reputaretur. Qui illum sic cognouit, eiúsque semitam ostendit, super omnes extollendus est Prophetas. Huc vocanda est parabola patrisfamilias, qui & prima diei hora, & sexta, & nona, & vndecima misit conductos operarios in vineam: & tempore soluendæ mercedis, iubet, quòd nouissimi primum accipiant præmium. Et cur nouissimi tanti habentur a Domino, quòd primi omnium præmio
Hieron. donentur? Sapienter D. Hieron. lib. 2. contra Iouinian. putat hos nouissimos esse fideles, qui in Iesum in terris agentem percussúmque à Iudæis, & inter iniquos deputatum videntes, nihilominus susceperunt, quo se super omnes etiam Prophetas extulere. Sic ille fatur: *Prima hora vocatus est Abel, & Seth, Enos, & Noë; sexta Habraham, Isaac, Iacob; nona Moyses, & Prophetæ: vndecima gentium populus, cui primo redditur merces, quia in crucifixum credens Dominum, difficultate fidei magnitudinem meruit præmiorum.* Et merito se super Prophetas extollit ille, quem tot passionis tenebræ, tot Pharisæorum mendacia, immensa mundialium bonorum lenocinia non impediuere quominus angustissimam viam vitæ in Iesu crucifixo cognosceret. Quis iam neget Ioannem plusquam Prophetam esse, qui inter peccatorum greges latitantem Dei agnum cognouit? Qui inter vitreos legis splendores pretiosum lapillum ostendit? Qui inter latissimos suauiter viuentium calles angustam salutis viam ad-
Iob.28. inuenit? Fallar, nisi Ioannem respiciant verba Iobi cap. 28. *Locus Sapphiri lapides eius & glebæ illius aurum. Semitam ignorauit auis, neque intuitus est eam oculus vulturis.* Sanè, vt Gregorio placet, Iesus lapis est, Sapphirus ab aurifera virginis terra ortus, adeò occultus, & inter peccatores latitans, & persecutionum nubibus obductus, vt semitam eius ad imitandum oculatissimi, & pennati sapientes, qui & remotissima diuinare solent, minimè pertingunt. Quid tunc? *Ad silicem extendit manum suam, subuertit à radicibus montes. In petris riuos excidit, & omne pretiosum vidit oculus eius. Profundáque fluuiorum scrutatus est, & abscondita in lucem produxit.* Is est Ioannes, qui, dum lapillus pretiosus latitat, ad silicem extendit manum suam, hoc est, ad duritiam gentium suæ prædicationis brachium extendit, & fecit peccatorum montes à radicibus commoueri, dúmque ad fluuiorum ripas Baptismum pœnitentiæ prædicat, fontisque Christiani præfert dignitatem, omne pretiosum videt oculis eius, & abscondita vitæ semita facit, vt appareat, & pretiosus lapis effulgeat oculis credentium. Ioanni equidem debemus, quòd abstrusus Iesus appareat, & salutiferi fontis prosiliat vena. In quem apto
Ruric. verba Ruricij Episcop. lib. 1. epist. 3. Hesperio data. *Te elicitorem, & formatorem lapillorum nobilium, & rimatorem auri; te repertorem aquæ latentis elegi qui scires abstrusos lapidibus gemmas propriæ reddere generositati: quæ vtique in tanta rerum confusione amiserunt nobilitatem, si radicem non haberent: aurum quoque arenis vilibus mixtum, nisi artificis solertia lauetur aquis, ignibus eliquetur, nec splendorem poterit retinere, nec meritum; septas etiam aquarum venas, & obductum terra fluenti alueum, nisi diligentiùs eruderauerit apparitoris industria, latens vnda non fluet.* Hæc ille: quibus nos beneficia à Ioanne in mundum profecta noscimus decantata: ipse primus salutiferi fontis venas indigitauit, & inter viuida fluenta pretiosissimam gemmam, inter turbarum confusionem penè ignobilem, dum indicat, antiquæ reddidit generositati: ipse verum aurum cœlestium bonorum ab arenis mundialium libidinum discretum ostendit; & vniuersas virtutum margaritas, pretiosósque lapillos ab aquarum fluentium gurgite nobilis vrinator extraxit.

§. XVI.

Ingens Ioannis gloria, quod Angelus dicatur, imo quod plusquam Angelus sit. Vbi quod ærumnæ nos faciunt Angelis superiores.

MAgnam sui præcursoris ostendit Dominus gloriam, dum illum nobilitat Angeli vocabulo, atens ex Scriptura: *Ecce ego mitto Angelum meum*, &c. Etenim summa gloria est, quòd lutum Angelicos possit repræsentare volatus, & inter Angelorum decora coruscare. Vbi beatorum principum gloria exprimenda fuit, & excellentia singularis, ait Dominus Matth. 22. *In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo.* Matth.22.
Hac sola similitudine putauit Dominus sufficienter beatorum gloriam demonstrari; quam vt ostenderet maximam, Angelicis splendoribus lutea beatorum corpora comparauit. Ad hæc D. Hieronym. in Epitaphio Lucilii fatur: *Quando dicitur, erunt* Hieron.
sicut Angeli in cœlo, non natura & substantia corporis tollitur, sed gloriæ magnitudo monstratur. Et quidem dum Ioannes dicitur Angelus, non tollitur corporis lutei substantia, sed gloriæ ostenditur magnitudo; quòd luteum corpus imitetur perpetes Angelorum volatus, angelicósque sequatur ausus. Nec miror, quòd Ioannes in terris agens assimiletur Angelis, quibus gloriosum est beatis existentibus in cœlis assimilari. Sed potiùs miror, quòd Ioannes non dicatur plusquam Angelus? Cur bone Iesu non vides præcursorem tuum longè superiorem Angelis esse? Desertum solum Ioannis laudabat Dominus; nondum ad vincula, ad carceres, ad labores accesserat exantlatos, quòd si Ioannem vinculis afflictum voluisset extollere, haud dubium, quin illum plusquam Angelum prædicaret. Planè vincula, & ærumnæ pro Deo acceptæ nos faciunt longe superiores Angelis Act. cap. 12. *In ipsa nocte erat Petrus dormiens inter* Act.12.
duos milites vinctus catenis duabus. Et ecce Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo: percussóque latere Petri excitauit eum, dicens, surge velociter, &c. Expende modò Petrum victum, & catenis adstrictum; & Angelum lucidissimum illi astantem, vtrius gloria maior? Vtrius magis excellentiam ambires? Penitus dubium exsufflat D. Chry- Chrysost.
sost. hom. 8. in cap. 4. epistol. ad Ephes. fatus. *Hîc si mihi quispiam dixisset, elige vtrum velis, vtrum esse Angelus Petrum stimulans, an saluens, an Petrus seruatus? Petrus vtique maluissem esse, propter quem Angelus descendit. Vincula illa potiùs habuissem.* Eligibilior equidem est gloria, & excellentia vincti, & afflicti hominis propter Deum, quàm tota excellentia, & claritudo Angeli. Tanta est vinctorum in Domino, & afflictorum gloria, vt super Angelos sese extollat, imò vt Angeli esse inferiores, & seruos illorum ambiant. Quis afflictior Tobia? Is captiuus erat, insuper pauperem vitam agebat; postremo percussus est cæcitate. Quid tunc? Raphael Angelus accedit, vt seruiat Tobiæ filio, id quod vt consequatur, sese sub alio nomine occultat, atens cap. 5. *Ego sum Azarias Ananiæ magni filius.* Quam rem sic elegan-
ter expendit D. August. serm. 228. de temp. inquiens. *Ad* August.
hoc Tobias cæcitatis incurrit exitium, vt Angelum susciperet medicum. Quid meruistis Tobias pater filius, que Tobias? Mercenarium habere cœlestem, & tanquam operarium dotare terrestrem? Celauit vobis Angelus nomen, Azarias sum, inquit, & non dixit, ego sum Raphael Angelus. Si enim diceret, ego sum Angelus, non esset Tobiæ mercenarius. In tanta erat gloria afflictus, & ærumnosus senex, vt Angelos eius mercenarius, & seruus esse ambiret; & ne tantam dignitatem amitteret, sub alieno nomine Angelus celat proprium vocabulum.

Text. Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista; qui autem minor est in regno cœlorum, maior est illo. A diebus autem Ioannis Baptistæ vsque nunc regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

§. XVII.

Ioannes Baptista primas omnium tulit.

SAnè nemo, qui à peccati morte in gratiam surrexit non inferior est Ioanne, vtpote qui omnium nescitur non rapere primas. Si eius vocem spectes, statim audies dicentem

tem sponsam Cantic.5. *Labia eius distillantia myrrham primam*, vtpote qui pœnitentiæ, & asperitatis vitæ fuerit primus proclamator. Si ad hominis statum veritas animum,
Apoc.14. virgo inter agni comites agit, *primitiæ Deo, & agno*, Apocal. 14. In omnibus sic primas rapit, vt nesciat esse secundus. Quod notabat D.Cyrillus Alexand.lib.2. in Ioann. cap.34. inquiens. *Quis maior beato illo Baptista? Qui ad apicem virtutis peruenit: cui nulli fuit pietate secundus.* Ab aliis degustatos cibos fastidiuit; nihil non primum sibi præripuit. De eius parentibus ait Luc.1. *Et non erat eis filius, eo quòd esset Elizabeth sterilis.* Cur necesse fuit, quòd Elizabeth esset sterilis? Cur non potiùs, vt Dauidis mater fœcundissima multos antè filios pareret, vt minimus natus Ioannes electus videretur è millibus fratribus? Absit à tanti viri matre fœcunditas, quæ faceret, vt alius primas præriperet Ioanni;
Chrysol. cui soli omnium primæ debebantur. Ad hæc D.Chrysol. serm.89. ait. *Beata sterilitas, quæ vnum seruabatur ad partum, & expectabat Ioannem, cui, quia prima omnia debebantur, primogeniti dignitas non periret.* Nil primum potuit deficere Ioanni, vt qui primus index stetit sapientiæ incarnatæ.
Prouerb.3. Nónne de Ioanne videtur locutus Spiritus sanctus Prouerb.3 Quippè ait ibi; *Beatus homo, qui inuenit sapientiam, & qui affluit prudentia; melior est acquisitio eius negotiatione auri, & argenti, primi, & purissimi fructus eius.* Quidquid nobilis hæc arbor fructificat, primum est, & præstantissimum inter fructus vitæ: primi & purissimi fructus eius. Sed iam desideras scire, qui sint hi fructus, qui sibi præripiunt. Illos
Petr.Dam. longo sermone tractat Petrus Damianus, & tandem sic pro summa concludit. *Verbum pœnitentiæ dulce, & gloriosum, verbum regni cœlorum lætum, & adorandum illi soli primario conuenit. Quis sic puer eremum concupiuit? Quis ita legitur sublimiter conuersatus? Quis pœnitentiam, & regnum cœlorum primus ostendit? Quis baptizauit regem gloriæ? Cui se primum trinitas reuelauit? Cui tale testimonium perhibuit Deus.* Vtique Ioanni omnia prima videbis collata; quidquid in hoc vides primum est, & primi, & purissimi fructus eius, ipse de se
Manil. videtur locutus illa Manilij lib.1.

> *Integra quæramus rorantes prata per herbas,*
> *Vndámque occultis meditantem murmur in antris,*
> *Quam neque durato gustarint ore volucres,*
> *Ipse nec æthereo Phœbus libauerit igne.*
> *Nostra loquar, nulli vatum debebimus orsa.*

Quis vatum veterum expressis verbis dixit, appropinquat regnum cœlorum? Quis Baptismi fontes aperuit? Sanè post Ioannem baptizat Christus Spiritu sancto, & igne; cùm autem baptizat Ioannes, fontem hunc, neque durato gustarant ore volucres, ipse nec æthereo Phœbus libauerat igne. Vnde non multum aberrauerit, qui Ioanni attribuat
Eccles.24. illa Sapientiæ Ecclesiastici 24. *Gyrum cœli circuiui sola, & profundum abyssi penetraui, & in fluctibus maris ambulaui, & in omni terra steti. Et in omni populo, & in omni gente primatum tenui.* Sed qualem cœli gyrum circuiuit solus Ioannes? Gyrus cœli filius Dei est, qui à Patre exiuit, & venit in
Psal.18. mundum, & iterum redit ad Patrem, vt dicat Psalm.18. *A summo cœlo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius.* Hunc gyrum circuiuit Ioannes, dum cognouit, & populis manifestauit, quo factum est, vt in omni populo, & gente primatum raperet. Sed non is est Ioannes qui primatuum glorias sibi ambiret, imò qualescumque habuit, ideò habuit, vt vidente mundo, Iesu Dei filio cederet pri-
Tob.1. mas: quo non grauabor Ioanni decantare summas Tobiæ laudes, quæ sic habent cap.1. *Hic solus fugiebat consortia omnium, & pergebat in Hierusalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israël, omnia primitiua sua fideliter offerens.* Omnium prima sibi Ioannes præripuit, non vt aures captaret populares, imò omnium fugiens consortium, & acclamationes, Iesu omnia primitiua sua fideliter obtulit.

§. XVIII.

Summa argumentum sanctitatis, vel minimam aliorum virtutem sibi superiorem recognoscere.

Variè torquentur expositores illis verbis, *qui minor est in regno cœlorum, maior est illo.* quorum difficultate facili negotio me expediam, hoc vno supposito, quod mihi euidentissimum videtur, nimirum illis verbis Dominum non voluisse aliquo modo coarctare, & limitare assertum de magnitudine Ioannis prælibatum; imo voluisse aliquid amplius tanto culmini addere. Abs re enim erat inter extollendas Ioannis excellentias, sine vrgente aliqua necessitate aliquid longè excellentius illi opponere. Nemo igitur ibi memoratur, qui in re sit maior Ioanne, sed in æstimatione, & cogitatione ipsius Ioannis, quod maximè extollit eius excellentiam. Magna est Ioannis commendatio illa, *inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista*; sed ecce quid longè maius, & excellentius, quod cùm sit Ioannes omnibus maior, tamen in eius mente, & æstimatione omnes sunt maiores; vel minimus iustorum, vt putat ipse Ioannes, maior longè est, atque præstantior. Et quidem nunquam grandior ostenditur Ioannis sanctitas, quàm vbi ipse vel minimos Christi ministros putat sibi maiores. Dicebat enim Matth.3. *Qui autem post me venturus est, fortior* Matth.3.
me est, cuius non sum dignus calceamenta portare. Quæ sunt Christi calceamenta, nisi Apostoli, de quibus Psalm.107. Psal.107.
In Idumæam extendam calceamentum meum. id est mittam ministros Euangelij; quod Ioannes meditatus, se multis illis reputat inferiorem, quasi dicat: non solum Dei filius Iesus maior me est, sed vel eius calceus, nimirum minimus eius minister longè me superat. O maxima Ioannis, & verè humilis sublimitas? Perdoctè Rupert. in præsenti statuit: *Ioan-* Rupert.
nes ita iudicando, ita non quæ sua sunt, sed quæ aliorum erant, considerando: & superiores sibi futuros Apostolos arbitrando, regulam custodiebat sanctæ, & veræ humilitatis, semetipsum deprimens, tanquam minor esset omnibus illis. Sed numquid ita iudicabat Dominus iudex? Nequaquam, sed tamen dico vobis, ait, inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista. Ecce tibi quanta sit Ioannis sanctitas, quàm sublimis quam rara, cùm ab ipsa veritate æstimetur omnium virorum maior, ipse se Christi seruulis reputat inferiorem, & nullius, vel minimi virtutem notat, quam non æstimet maximam. Sic ille, in quo Dei gratia incipit habere profectum, nullius vel minimam sanctitatis scintillulam videt, quam non æstimet sanctitatis culmen. Prodigus ille iam compunctionis gratiam receperat, & in se reuersus ait Luc.15. *Quanti* Luc.15.
mercenarij in domo patris mei abundant panibus. Cœlestis tamen panis nunquam abundat in mercenariis animis: vnde ergo prodigus iste tantam sanctitatis abundantiam videt in mercenariis? Ait D.Bernard. serm. de diuersis affectio- Bernard.
nibus animæ: *Peccator compunctus reputat sanctissimum quacumque ex causa alterum videat.* Nil non maximum in aliis videt, qui spiritu Dei agitur: dum vel oratiunculam à proximo, quacumque ex causa proferri sentit, illud sanctissimum, & omnibus modis perfectum habet. Id quod cupiebat Paul. ad Philippens.2. omnibus persuadere Christianis Philip.2.
aiens. *Idem sapiatis, eandem charitatem habentes, vnanimes, idipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate, superiores sibi inuicem arbitrantes; non quæ sua sunt singuli considerantes, sed & ea, quæ aliorum.* Semper paratus sis proximum tibi superiorem, & longè præstantiorem existimare; non tua, sed illius operâ credere illustriora: hoc qui præstat, fallar, nisi attigerit culmen perfectionis.

§. XIX.

Ioannis vis tanta, vt ante mortem Iesu iam ipse cœli claustra contundat, & faciat labare, & minari proximam ruinam.

Quid pro virtute præcursoris dici potuit excellentius? *A diebus Ioannis Baptistæ vsque nunc regnum cœlorum vim patitur.* obsfirmati cœlestes muri per peccatum adeo erant, vt & pinus, & robur, & montes ipsi ante ipsorum faciem, vt cera liquescerent, & Israëlitarum dicum tela ad concutiendum cœleste claustrum, ficulnea haberentur. Intactæ, imò inaccessibiles apparebant cœlestes valuæ inter pennata Abrahamidum iacula: accessit Ioannes, & eius vim incipiunt præsentire, concutiuntur, labant, ruinam minantur. Non aliud potest efficere virtus creata: cœlestes vectes confringere, solo claustra æquare, non hominis, sed Dei virtus est: quòd Dei erat, non præstitit Ioannes, cœlestia claustra demoliens, verùm talem illis imprimit vim, qua, si non prorsus ruunt, soloque prosternuntur; tamen concussa iam proximam ruinam minantur. Vnde eleganter Petrus Damianus, ait: *Totus ad stupeo baptizanti, & hominem video violentiam ipsis cœlis inferre.* Ridebant cœli ho- Petr. Dam.
minum iacula; ridebant cœlestes valuæ arietes humanos, sed accedente Ioanne tanto concutiuntur ariete, vt iam iam proximæ ruinis videantur. Huc respiciens Isaias c.40. Isai.40.
iuxta Hebraicam lectionem, ait. *Quoniam completa est militia eius*, &c. id est, militantis Ecclesiæ militia completa est [illegible]

stium [illegible]

ſummum peruenit: quidquid ars,& potentia militaris poteſt, omne id eſt peractum; ſed ſcire cupis, quis tantus fuerit in re militari? Iam explicat ſubdens: *vox clamantis in deſerto, parate viam Domini.* Per illum, qui in deſerto clamauit, viam Domino parans, nimirum per Ioannem, vt teſtantur Forerius, & Leo à Caſtro in præſenti, poteſtas militaris vltimum accepit incrementum, peruenit eò ad quod non poſſit non vltima belli fortuna approximari. Hoc ipſe
Matth.2. Ioannes innuebat Matth. cap.2. *Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam, qui poſt me venturus eſt, fortior me eſt.* Quid conſequentiæ habet, vel ſimilitudinis baptizator cum forti? debent enim comparati inter res eiuſdem generis verſari vt videantur rectè pronuntiata. Eſt ne in baptiſmo Ioannis aliquid fortitudinis, reſpectu cuius dicatur venturus Ieſus fortior eſſe? Eſt equidem in baptiſmo Ioannis fortitudo, imò ſumma commendatio virtutis militaris Ioannis: ſolent namque munitiſſimæ vrbes circumcingi profundo aquarum fluenti vt inacceſſibilem reddant, & omnino obſtruſum hoſtibus aditum. Et dux ille, qui aquarum impedimentis ſuperatis vim infert murorum valuis, huius fortitudo, & rei militaris peritia a nemine non commendatur. Cœleſtis ciuitas præter æneos muros, præter portarum ſeras confirmatas adhuc aquis cingebatur, nec vllus ad illam introitus patebat, niſi ſuperatis baptiſmi aquis. Primus virorum hoc nouit Ioannes, primus curauit aquarum fluenta inſinuare, primus totam aquarum rem inuaſit, quo factum eſt, vt iam iam ciuitas capienda oſtenderetur, & ſolum requireretur ille fortiſſimus Rex, qui fortior Ioanne poſſet diuina ſua virtute murorum impedimenta ſolo æquare, & vltimas, & victrices manus im-
2.Reg.12. ponere certamini. Rem explicat 2.Reg. cap.12. vbi de expugnatione Rabbath agens dicit. *Igitur pugnabat Ioab contra Rabbath filiorum Ammon, & expugnabat vrbem regiam. Miſitque Ioab nuntios ad Dauid, dicens: Dimicaui aduerſus Rabbath, & capienda eſt vrbs aquarum. Nunc igitur congrega reliquam partem populi, & obſide ciuitatem, & cape eam.* Superbiebat Rabbath, & inexpugnabilis videbatur, propter frequentiſſimos, & profundiſſimos aquarum gurgites, quibus cingebatur, adeò vt inde vocaretur vrbs aquarum. Aſt Ioab maximus ducum Iſraëlitarum eò animum, & vires applicuit, vt aquas ſuperaret, & ciuitatem oſtenderet expugnabilem à rege ſuo. Quod vt decreuit, ſic ſtrenuè peregit, & ſuperatis aquis, eam vim intulit ciuitati, qua maniſeſtè apparuit, quòd capienda in proximo eſſet; ſed reſeruanda erat gloria illa regi Dauid, ideóque rex vocatur, vt expugnet, & vltimas imponat manus certamini. Contentus Ioab ita à ſolo rege fortiſſimo excelli, vt immediatè poſt regem, ipſe gloriam expugnatæ vrbis capiat, vtpote, qui ſuperatis aquis ciuitatem proſterni poſſe monſtrauerit. Non abſimilis fortitudo Ioannis, qui facto impetu, & prædicato baptiſmo in pœnitentiam oſtendit, quòd capienda eſſet vrbs aquarum, quòd iam iam inſtabat Rex ille fortiſſimus Dei filius, qui ruptis muris cœleſtibus victricia ſigna lauaret. Contentus Ioannes à ſolo tanto rege ſuperari, & quod immediatè poſt Deum ipſe vnicus ſit inter natos mulierum, qui militarem induſtriam in aquis
Theod. ſuperandis monſtraret. Quò ſpectabat Diuus Theodorus Studita orat. in Ioann. Baptiſt. fatus. *Numquid ergo ô Ioannes ſuper terram aſcendiſti, ad cœleſtia prouectus es, angelicos, & primò operantes ornatus tranſcendiſti? Et quod cui eſt à ſæculo obſcurum, & quod minimè didicerunt, ſtatim tamquam poſt Deum traiecisti, & nobis annunciaſti.* Equidem Angelorum exercitus ſuperauit noſtri militia Ioannis, illi nihil nouerunt de vi cœlis inferenda ſuperatis aquis, ſolus Ioannes *tanquam poſt Deum* hoc nouit, hoc demonſtrauit, & poteſtate ſua militari oſtendit, quòd eſſet capienda vrbs aquarum; quòd ruinam minabatur, quòd fortior Rex iam aderat, à quo erat funditus expugnanda. Hinc ad
Iſai.40. Ioannem dicebat Iſaias cap. 40. *Super montem excelſum aſcende tu, qui euangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Hieruſalem, exalta, noli timere; dic ciuitati Iudæ: Ecce Deus veſter. Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabatur.* Meritò fortiſſimus gratiæ gigas Ioannes, vt cœlo vim inferat, iubetur aſcendere montem, vt ſit mons in vertice montium, & ſic montibus ſupra montes compoſitis, oſtendatur à fortiſſimo virorum cœlum capiendum, & muros eius æneos expugnandos, cui expugnationi non Ioannes, ſed Deus in fortitudine aderit, & brachium eius dominabitur, ita vt poſt Deum Ioannes ſit, qui auſpicium dederit expugnationi tantæ. Vt dicat
Guarr. Guarr.cus Abb. ſerm.2. *Accingimini*, inquam, *viri virtutis, & ſequimini ducem, ac magiſtrum huius militiæ, Ioannem loquor, à diebus cuius cœlum cœpit eſſe expugnabile.* Sic ille.

Text. Omnes enim Prophetæ, & lex vſque ad Ioannem prophetarunt: & ſi vultis recipere, ipſe eſt Elias, qui venturus eſt. Qui habet aures audiendi audiat.

§. XX.

Quidquid magnum, & præſtantius volueris, hoc eſt Ioannes.

QVàm præclarè Dominus ſatisfecit deſideriis totius orbis; hoc enim vniuerſi deſiderabant ſcire, quid eſſet Ioannes? huc tendebant populariam curæ Luc.3. *Quis putas puer iſte erit?* Eò ſpectabant Hieroſolymorum deſideria, dum mittunt ſacerdotes, & leuitas vt interrogarent: *Tu quis es?* Sic vniuerſi mirantes excellentias hominis anxij curabant ſcire, quid eſſet? Quibus curis, & deſideriis ſatisfecit Dominus in præſenti aiens: *Omnes Prophetæ, & lex vſque ad Ioannem, & ſi vultis recipere, ipſe eſt Elias.* Quaſi dicat, cùm omnes veterum virtutes vſque ad Ioannem peruenerint, in illóque exiſtant, ipſe vobis erit, quidquid magnum volueritis; eſt Propheta, ſi vultis quòd Propheta ſit; & ſi vultis, ipſe eſt Elias: ſic Ioannis magnitudines, & præcellentiæ veſtris aptantur voluntatibus. Hoc exiſtis videre in deſertum, nimirum hominem in virtutum ſuarum oſtenſione deſeruiens cuiuſque voluntati. Sic dum in deſerto eſſent Iudæi, receperunt ex Deo mirabile beneficium; ait enim Exod. cap.16. *Manè quoque ros iacuit per circuitum caſtrorum. Cùmque operuiſſet ſuperficiem terræ, apparuit in ſolitudine minutum, & quaſi pilo tuſum in ſimilitudinem pruinæ ſuper terram. Quod cùm vidiſſent filij Iſraël, dixerunt adinuicem: Manhu, quod ſignificat, quid eſt hoc?* Nouam, & mirabilem videntes pluuiam, in admirationem rapiuntur, tanto deſiderio interrogantes, quid eſt hoc? vt ex hac interrogatione cibus ille nomen ſumeret. Nullo enim melius explicatur excellentia cœleſtis cibi, quàm per has omnium admirabiles interrogationes; quid eſt hoc? quid eſt hoc? Quibus in ſummam cibi commẽdationem ſatisfacit vnus locus Sapient. cap.16. aiens. *Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum, & paratum panem de cœlo præſtitiſti illis, ſine labore omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuauitatem. Subſtantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, oſtendebat: & deſeruiens vniuſcuiuſque voluntati, ad quod quiſque volebat, conuertebatur.* Ecce tibi, quæ ſit natura, quæ ſit excellentia eius cibi cœleſtis, cuius nomen eſt, quid eſt hoc? Cuius naturam omnes deſiderant noſcere; de illa quærunt vniuerſi aientes, quid eſt hoc? Eſt equidem, quod quiſque vult; ſi velis, perdix eſt; & ſi velis ſumere, ipſe panis eſt. Hinc iam ſe ſe pandit Ioannis gloria ſingularis. nónne ipſe apparuit in ſolitudine minutum? Nónne recens natum mirantes vniuerſi clamant: Manhu; quid eſt hoc? Quis putas puer iſte erit? Quis es tu? Equidem Ioannes cœleſtis manna eſt, Angelicus eſt, à cœlo dilapſus eſt: deſeruiens vniuſcuiuſque voluntati, ad quod quiſque volebat, conuertebatur. Quidquid magnum, quidquid excellens volueris, id Ioannes eſt. Ad hæc Iſaias cap.40. de Ioanne locutus, ait: *Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini.* vox dicitur Ioannis, & vox eius explicatur, quaſi nihil aliud fuerit: qualis ſit perſona huius vocis, & quæ omnino reticetur. Sed cur vox exprimitur, & perſona tacetur? Vt tu illi voci quamcumque præcellentiſſimam perſonam volueris, poſſis apponere. Vis ſub illa voce videre Ieſum Naue, qui in tubarum voce muros Hierico deiecit? Si ita vis recipere, Ioannes ipſe eſt Ieſus Naue clamante voce contundens muros cœleſtes. Vis Dauidem cernere, cuius citharæ vox & Saulem ſanauit, & dæmonium abegit? Si ita vis recipere, Ioannes ipſe Dauid eſt, qui voce canora tenebrarum principes à mundo pellit. Vis Eliam ſpectare Reges terrefacientem? Si vis, Ioannes eſt Elias, cuius vocem adhuc Herodes metuit. Vis Apoſtolos, vis Martyres, vis Doctores, vis Virgines ſub hac voce miracula patrare cœleſtia? Si ita vis, Ioannes Apoſtolorũ vox eſt, Martyr eſt, Virgo eſt, Doctor eſt. Nihil excellens in ducibus, nihil canorum in Prophetis, nihil magnum in Apoſtolis, nihil glorioſum in Martyribus, nihil pulchrum in Virginibus, nihil ſapiens in Doctoribus eſt, quod ſi vis, non tibi hæc vna vox oſtendat, ad quod volueris conuerſa. Non longè abeſt

Exod.16.
Sap.16.
Iſai 40.

Euseb. Emis. abest Eusebius Emissenus serm. in Domin. 4. Aduent. vbi sic loquitur. *Hanc Ioannis vocem significabant omnia illa musicorum genera, quibus Dauid cantare consueuerat. Hanc significabant illæ tubæ, quibus canentibus capta est Hiericho. Lege in Apocalypsi*, & septem Angelos inuenies tubis canentes, *per quos omnes Ecclesiæ prædicatores ab ipsis Apostolis vsque in finem sæculi significantur. Omnes igitur illæ tubæ, omnes illæ voces vnam illam vocem significant, quæ loquitur, dicens: Ego vox clamantis in deserto.* Nullum itaque in nouo, & veteri Testamento inuenies virum illustrem, quem in se non ostendat Ioannes, si ipse velis, transformans se in omnes iuxta voluntatem tuam, vt sit ipse quicumque velis; & solùm non sit, quod ipse non vult. Ait enim August. homil. 4. in Ioan. natiu. *Putent Christum potuit, & noluit; existiment Christum potuit, & noluit.* Solùm non est Ioannes, quod esse non vult; alioquin est quisquis tu volueris. Et licet in alienis labiis ponatur gloriarum Ioannis ostensio, nunquam tamen paruum quid de illo existimabitur. Id quod in Ioanne præstantissimum meditatur D. Bernard. ex illis verbis Ioan. 5. *Ille erat* Bernard. *lucerna ardens, & lucens*; ardens, & lucens, vt Sol, qui cum luce ardet, non vt luna, quæ non ardet, sed lucet. Et cur Ioannes non erit vt luna, quando Ecclesia dicitur pulchra vt luna? Ibi Bernard. *Quia enim splendet luna, sine feruore: modò plena, modò exigua, modò nulla videtur. Sic qui in alienis labiis conscientias suas posuerunt, modò magni, modò parui sunt, modò nulli, secundùm quod adulantium linguis, vel vituperare placuerit, vel laudare. At verò Solis splendor igneus est, & cum feruet acrius, etiam oculis lucidior exhibetur.* Singularis equidem gloria est Ioannis, quòd cùm laudes suas in hominum labiis posuerit, adeò vt sit quisquis illi voluerint, nunquam tamen paruus, aut minimus, vt luna, sed magnus, & excellens semper, vt Sol appareat. Non absimile accidebat mannæ, quod habens omne genus suauitatum, ad quod quisque volebat conuertebatur, si tamen bonum quid & Num. 11. excellens desiderabatur. Vnde murmuratores, Num. 11. inquiunt. *Quis dabit nobis ad vescendum carnes? Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cepæ, & allia. Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri. nisi Man.* Sed si Man conuertitur in omne id, quod vultis, quid aliud requiritis? Vel quid requiri potest, quòd in Manna non habeatis? Nónne pro omnium carnium suauitatibus Manna vobis est? Sanè crediderim, saluo meliori iudicio, in Manna esse quidem omnes præstantiores suauitates, quas ingenuus, & defæcatus gustus capere potest; vilium tamen rerum sapores, qualia sunt allia, cepæ, & porri, & cucumeres, & rusticorum carnes, minimè in Man posse reperiri. Hoc enim habent cœlestia illa dona, vt nullius voluntate vilescant, nec in se ostendant aliud præter præstantissimas qualitates. Id quod in Ioanne mirandum est, cuius virtutes in nullius ore possunt videri non magnæ.

Text. Cui autem similem æstimabo generationem istam? Similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus dicunt: Cecinimus vobis, & non saltastis: lamentauimus, & non planxistis.

§. XXI.

Magna Ioannis excellentia, quòd similis filio Dei.

VT puerorum choro canente non solent alij pueri saltare, nec etiam flente solent flere; sic accidit in Iudæorum conuentibus, qui puerum Iesum lætissimos edentes cantus audientes, minimè ad numerum saltant, & fletus propinantem puerum Ioannem contemnunt. Nec parua est gloria Ioannis ab his repulsis Iudæorum, quandoquidem illis apparet, quòd non est seruus maior Domino suo: imò quòd quantum potest humana fragilitas diuinæ approximari conditioni, tantum videatur puer Ioannes, approximatus Iesu puero. Ambo à Iudæis repulsi; ambo dicuntur pueri adeò similes, vt non solùm ab infirmis oculis alter pro altero reputetur, sed & Ioannes respectu diuinissimi patris, vices vnigeniti filij in terra gerat. Nondum verbum Patris, nondum vnigenitus filius Dei à visceribus virginis in mundum, lucémque prosilierat. *Et ecce ille*, nempè Ioannes, *vtero saliens in montibus*, post saltus in vtero datos, magno orbis bono inter prærupta montium natus apparet. Nascitur itaque puer Ioannes, & vicina omnia gaudio replentur, muta parentis labia cantus edunt, miracula fiunt. Et vnde vagienti puero sic cœlum, & terra arridet? Ait Luc. cap. 1. *Etenim manus Domini erat cum illo.* Huc peruenit recèns nati pueri magnitudo, quòd illi meritò affigatur hic titulus, nimirum, *Manus Domini*, quandoquidem illo ostenditur Ioannes posse cœlestem patrem supplere vices vnigeniti filij, & pro filio aliquamdiu in terris existere. Rem explico ex 2. Reg. 18. vbi de Absalone 2. Reg. 18. dicitur. *Porrò Absalon erexerat sibi, cum adhuc viueret, titulum, qui est in valle regis; dixerat enim, Non habeo filium, & hoc erit monumentum nominis mei. Vocauitque titulum nomine suo, & appellatur, Manus Absalonis.* Ecce tibi ambitiosissimus adolescens, vt putauit sibi filiorum loco posse sufficere columnæ præfixum titulum, nimirum *Manus Absalonis*. Cur ergo non putemus Ioannem pro Dei filio existere apud diuinum Patrem, à quo similem inscriptionem habet præfixam, nempè, *Manus Domini*: Est equidem puer Ioannes simillimus puero Iesu; & non quidem solùm in passionibus, in virili virtute, sed ab ipso conceptu nulli magis assimilatur, quàm generationi verbi diuini. Apud Luc. 1. dicitur: *Elizabeth autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium.* Chrysost. ex Græco non legit, *peperit*; sed legit, *genuit*, vt dicat: *Elizabeth impletum est tempus pariendi, & genuit filium.* Et meritò dicitur Ioannes à matre genitus, vt in hoc eius natiuitas ostendatur supra naturam creatam, & valde similis generationi increatæ filij Dei. De vnigenito diuino solo credimus in symbolo, & asserimus genitum, non factum, vt mirabilem eius modum nascendi ostendamus. Ecce vobis de Ioanne etiam asseritur, quòd mater *genuit filium*, vt in hoc natiuitas Ioannis similis verbi natiuitati asseratur. Accipite Chrysost. in Ioan. natiu. hom. 2. sentem. Chrysost. *Cur ergo Elizabeth peperit, & genuit? Quòd illud quidem est opus naturæ; hoc verò supra naturam: quandoquidem peperit quidem, vt mulier, seu superuenit gratia sancti Spiritus, & genuit supra naturam. Erat enim miraculum, quòd fiebat à Ioanne, & non tantum habebat paterni generis, quantum Dei verbi.* Et verbum Dei, & Ioannes similem modum generationis habent, vt ex hac similitudine pateat, quam singulariter Ioannes filius Dei habeatur. De hac similitudine Ioannis vide suprà §. 6.

§. XXII.

Summa peruersitas hominis, qui diuinis non demulcetur cantibus. Vbi de musica sacra.

HVc peruenit Iudæorum malitia, quòd nec cantibus traheretur Saluatoris; quando cantus, & diuinum modulamen diabolicum furorem valent expugnare. 1. Reg. 1. Reg. 16. 16. *Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & leuius habebat, recedebat enim ab eo spiritus malus.* Non potest equidem spiritus malus resistere cœlesti cantui; necessum est, vt discedat, si Dauid cantet: si diuinum resonat modulamen. De hoc pulchrè Cassiodorus lib. 2. variar. epist. 40. fatur. *En quod factum est miraculum, & credas: repulit Dauidico lyra diabolum: sonus spiritibus imperauit, & canente cithara in libertatem redit, quem internus inimicus turpiter possidebat.* Diabolo peior est, qui obsistit diuino modulamine: nesciunt malorum pondera, non agnoscere diuini cantus efficaciam: quæ & rigentia pectora potest emollire, & durissimos quosque trahere in lætissimos saltus. Psal. 28. *Vox Domini confrin-* Psalm. 28. *gentis cedros, & confringet Dominus cedros libani, & comminuet eas tanquam vitulum libani.* Aquila, Symmachus, & Quinta editio sic vltima hæc verba reddunt; *& exultare, & saltare faciet eas*, &c. Raptas feras, & montes inclinatos ad vocem cantus antiquæ tradunt fabulæ: sed maior vis est diuini modulaminis; diuina vox resonat, & ad eius numerum ecce tibi procerissimas cedros, vastissimas lignorum syluas saltantes. Eu quàm perditus est, qui resonante diuino cantu non mouetur, quando & spiritus malus fugatur, & insensibilia ligna saltant. Potentissima vis est diuini cantus; & si quis cantus potuit aliquando ciuitatem cum mœnibus constituere, vt de Thebanis muris mentiuntur fabulæ, solus diuinus cantus id nouit in veritate præstare. Psalm 95. titulus ait: *Quando domus ædifi-* Psalm. 95. *cabatur post captiuitatem.* Sic titulus; at si Psalmum ipsum spectes, incipit: *Cantate Domino canticum nouum*, &c. Quocirca acutè addubitat August. de conuenientia tituli cum Psalmo; cùm enim titulus de ædificatione domus sonet, iam spectabatur Psalmus de lapidibus à monte scissis, de

dolatis

dolatis trabibus, de sapientia artificum, de iuncea leuitate columnarum; sed nihil de his in Psalmo, imò totus est in cantilenis nouis parandis. Quid ergo habet cantus apparatus, cum lapidibus secandis, & muris construendis?
August. August.ibi. *Si canticum nouum cantat omnis terra, sic ædificatur, cùm cantet. Ipsum cantare ædificare est, sed si non vetus cantet. Vetus cantat cupiditas carnis: nouum cantat charitas Dei.* Quis lapis, etsi rudis, quæ arbos quantumcumque vasta, ad vocem diuini cantus non saltat? Non venit sub ascia? Non ferrum exultans patitur? Non ædificatur in cœlestia palatia? Sanè ad vocem cantus diuini, nos ipsi rigidiores ligno, duriores lapide, grauiores montibus exultamus, & scissis operibus mortuis ædificamur viui lapides domus spiritua-
3.Reg.3. lis. Sanè 3.Reg.3. Elisæus, vt diuinum spiritum in se sopitum suscitaret, ad cantum confugit, ait enim: *Nunc adducite mihi psaltem. Cumque caneret psaltes, facta est super eum manus Domini.* Quis iam contemnat sacros cantus? Pulcrè ad hæc
Rupert. Rupert.lib.5.in lib.Reg.cap.23.ait. *Mouet intus musica vi quadam, & potentia naturali spiritum hominis, & tunc decenter conuenit cum verbo diuinæ laudis, concutit penetralia cordis, & illam, quam accepit homo, resuscitat in eo gratiam Spiritus sancti.* Non vanè ergo Christianis sacramentis adductus est etiam iste materialis cantus, sed cum magna vtilitate po-
Ambros. puli Christiani. Quam D.Ambros.præfation.in Psalmos expendit, dum ponderans Moysis canticum fatur: *Moyses tunc maximè cantico vsus est, quando cœlum testificabatur, & terram, vt salutem suam cœlestis sono gratiæ concinentem auidiùs mundus audiret, & sacræ suauitate dulcedinis in æternum legis obseruantiam mentibus insereret humanis. Denique legis tabulæ priusquam cantico firmaretur, per indignationem Moysi fractæ, & comminutæ sunt. Vbi verò tali signo consecratæ sunt, humana locum ira non habuit, quia sanctificatio eam sacræ suauitatis exclusit.* Meritò legales tabulæ firmitudinem recipiunt à cantu: vt constet, quantum conducant sacri cantus ad legum obseruantiam, & quàm perniciosè contemnitur eorum
Chrysol. virtus, & potestas. Pro quo etiam stat Chrysol. serm. 14. aiens. *Qui sine tuba dimicat, miles non est: fertur furore, non prælio: virtute non agit, sed periculo: quærit perire, non vincere. Hoc diximus, vt Christi miles intelligat, cœlestis quare prouisa sit cantilena.* Hæc ille.

Text. Venit enim Ioannes, neque manducans, neque bibens, & dicunt: Dæmonium habet. Venit filius hominis manducans, & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum, & peccatorum amicus.

§. XXIII.

Supra naturam humanam est, nihil de rebus mundialibus tibi sumere.

Meritò suprà Ioannes vocabatur à Domino Angelus, quando dixit: *Ecce ego mitto Angelum meum.* Nónne Angelus est potius, quàm homo, qui nullas hominum necessitates ostendit præsentire? *Venit Ioannes, neque manducans, neque bibens*, quomodo hic non Angelus? Supra hominis naturam est, sic penitus à se omnia mundialia ex-
Chrysost. cludere. Pulchrè D.Chrysostom. homil.33. in Matth. ponderans, quòd Apostoli à Domino mittantur, sine sacculo, & sine pera, quasi nihil egerent circa victum, vestitúmque, ait: *Ipsos ad vniuersi magisterium missurus, ad Angelicam, vt ita dixerim, disciplinam ex humana vita traduxit.* Et quidem sacculo, & pera carere; nil vnde victitemus, habere, sed omnia penitus abiicere, supra hominem est, Angelicum
Num.20. est, cœlestique proximum naturæ. Numer.20. misit Moyses ad Edon nuntios, qui ab illo peterent transitum, per quem liceret Israëlitis ire in terram sibi promissam; & reluctanti Edon pergunt dicere: *Per tritam gradiemur viam: & si biberimus aquas tuas nos, & pecora nostra, dabimus quod iustum est: nulla erit in pretio difficultas: tantùm velociter transeamus.* Expende illud, *velociter transeamus*, quippe Rex Edon, terrenus dicitur Rex, mundialis potestas, sub quo omnia mundi bona vigent imperio: quod cùm ita sit, nihilominus generosi Israëlitæ promittunt, se ita velociter per omnia transituros, vt nihil inde recipiant. Id quod maximè extollens
Philo. Philo lib. quòd Deus sit immutabilis, ita inquit. *Celeriter, inquit, transibo per terram tuam. O magnam promissionem, generosam, & magnificam! Ita ne, obsecro, superare, transire, transcurrere quidquid in terra bonum censetur, poteritis? Nihil ne vestram preparationem remorari poterit? Conspectum diuitiarum congestarum auersabimini deflexa facie? Quid maiorum dignitates, paterni, materníque generis, decantatásque à multis nobilitates despicietis? Gloriam quoque, quam homines redimunt cæteris bonis omnibus, prætercurretis tanquam rem vilissimam? Quid sanitatem corporis, integritatem sensuum, pulchritudinem optabilem, robur inuincibile, & cætera, quibus animæ domus honestatur, transcurretis obiter, vt nihil horum referatis in bonorum ordinem? Olympica, cœlestísque animæ sunt hæc tam ingentia facinora.* Sic omnia mundialia bona præterire, sic contemnere, vt nec sitiens salientium gurgitum traharis lenociniis? virtus equidem est non huius temporis, non creationis huius; sed cœlestis, sed Angelica, sed diuina. Felices illi Magi, qui auro onusti ad paupercula Christi cunabula proficiscuntur. Hierosolymam intrant; Herodis regis adeunt palatia, ibíque de loco nascentis principis informantur. Abeunt igitur Bethleem, puerum adorant diuinum, aurum, cæteráque omnia bona ad eius pedes abiiciunt. Quid tunc? Ecce Angelus Domini illos de reditu in patriam per aliam viam admonet. Sed scire cupis, cur cùm veniunt, permittuntur conuenire Herodem regem, ab illóque certiores fieri de via; cùm autem reditum parant, solus Angelus illi præmittitur. Cur non etiam antea Angelus datur? Equidem veniebant onusti auro, & istis bonis fidentes adhuc caducis, ideo mittuntur ad regiam, vt similes gaudeant cum similibus: at postquam aurum, bonáque omnia ad pedes abiiciunt Christi, Angelum merentur habere ducem itineris, quasi iam effecti cœlestis, Angelicæque virtutis participes. Acutè, & ponderosè D.Hieron. de vera Circuncis. Hieron.
inquit. *Magi sui affectibus spoliati in auro, thure, & myrrha concisationum itinere mutato, qui per Herodem venerant, per Angelum redeuntes.* Sic eleuat contemptus terrenorum suos, vt super homines volans illos efficiat angelicæ consortes naturæ. Quisquis te ita componis, vt humanos affectus comprimas, ne ad lubrica hæc terrenorum bona prosiliant, sed omnia pro nihilo reputent, nec vltimis labris velint illa pertingere, ad cœlestem, & Angelicam transilisti naturam. Sic compositos habebat affectus Abraham, cùm præcepto accepto non cunctatur, sed statim alacer, & festinus aptat sese ad iugulandum vnicum, & amantissimum filium. Sed Dominus factum impediens sic fatur Genes. 24. *Quia* Genes.24.
fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito pro me: benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli; quasi inde cœlestis fuerit effectus naturæ, iam illi cœleste semen promittitur. D.Hieron. vbi suprà. *Abraham cum vnico non parcit in terris, stellas pro filiis annumerare iubetur in cœlis: carnalísque despector naturæ in natura syderum collocatur.* Necessum enim est, quòd inter cœlestia numeretur, qui adeò charissimis mundi bonis nouit vale dicere.

CAPVT II.

Christi Domini concio panegyrica in D.Petrum Christianæ Ecclesiæ primatem.

IAM iam se supra omnes Petrus extollit, Petrus, inquam, seu fortè meliùs, Petra firmissima fidei, Petra refugium erinaceis, quæ viuos sudat olei, & de cuius virtute pennatæ Ecclesiæ alites nouerunt voces dare. Is tantus vir primus Iesum prædicauit Christum Domini, & supra cœlestem scandens machinā in ipso viuido patris fonte vidit filium plenissimo diuinitatis scaturientem amne; illúmque demonstrauit stantem post parietem nostrum, respicientem per fenestras, siue (vt meliùs Ambros.) eminentem super retia. Excussit equidem retia corporea nobilis piscator, & de profundo diuinitatis abyssu piscem edidit, dum interrogatus apud Cæsaream Philippi, ait: *Tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti.* Hæc tantùm Petrus, & tacuit, quia inde diuinum verbum sese effundere cœpit in Petro laudando. O felix piscator, eum tuæ laudis oratorem nactus, cuius verba, & te summè extollunt, & efficaciam habent præstandi, quidquid in te prædicant magnum. Iam beatus es, iam Ecclesiæ caput, iam claues regni habes, ipse dixit, & facta sunt, haud dubium, quin cunctis malis præualeas, quia ipse mandauit.

 Matth.16.

Matth. 16. Venit autem Iesus in partes Cæsareæ Philippi, & interrogabat discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse filium hominis.

§. I.

Solus Rex regum Iesus potest habere ministros, qui subditis omnino proficui sint.

PErlege historiam huius Euangelij, & videbis Petrum adeò sua confessione populis proficuũ, vt exinde claues regni cœlestis accipiat, quibus omnes illuc fideles nullo pretio accepto possit intromittere. Sed cur tantum ministrum tam proficuum populis designaturus Dominus venit Cæsaream Philippi? Cæsarea ciuitas fuit sic vocata à Philippo in gratiam Cæsaris domini sui, ibíque exactiones, & tributa prouinciæ ipsi Cæsari seruabâtur collecta, vt author est Ericus in præsenti. Meritò ergo Petrus claues regni accipit, eo loco, vbi Philippus colligit, & census, & tributa suo principi: vt euidenter pateat discrimen inter Christi ministros, & mundialium principum. Ministri mundialium, quantum vtiles sunt in regimine populorum, tantũ infensi, & graues sunt in imponendis tributis, & inueniendis nouis exactionum generibus. Soli ministri regis summi Iesu toti sunt in saluandis, & liberandis absque pretio subditis. Huc iam accedit cantatissimus ille Prorex Ægypti Ioseph, Pharaonis minister, seu potiùs saluator totius prouinciæ. Is dum clauum regni tenet, & saluatoris venturi munus exercet erga Israëlitas, & ministrũ se gerit Pharaonis erga Ægyptios, & quanta duplex hoc munus exercet differentia? Accedunt Israëlitæ ex illo quærentes frumentum, vt possint viuere; ille autem, & frumentum præbet, & pecunias pro frumento acceptas, inter ipsum frumentum illis restituit, ne dum salutem à Dei ministro comparant, videantur vel teruntium
Genes. 45. perdidisse. Quippe ait Gen. 45. *Præmisitque me Deus, vt reseruemini super terram, & escas ad viuendum habere possitis.* quasi solus Deus hos possit habere ministros, qui sine vllo dispẽdio populorum saluti prospiciant. Sed ecce vobis accedunt Ægyptij fame enecti, petentes ab ipso Prorege frumenti escas, pro quibus & pecunias, & pecora omnia & terras, & se ipsos tradunt in seruitutem. Quid tunc Ioseph fidelissi-
Genes. 47. mus Pharaonis minister? Ait c. 47. *Emit igitur Ioseph omnem terram Ægypti, vendentibus singulis possessiones suas præ magnitudine famis; subiecitque eam Pharaoni, & cunctos populos*, &c. & pauca interiecta addit ipse Ioseph loquens cum Ægyptiis: *En, vt cernitis, & vos, & terram vestram Pharao possidet, accipite semina, & serite agros, vt fruges habere possitis. Quintam partem regi dabitis*, &c. En carissima salus omnibus bonis, & libertate ipsa comparata! Sic mundiales ministri vendunt curas suas; prospiciunt quidem populorum saluti, sed tot datis grauaminibus, vt dubium sit, an feliciores à periculis
Cassiod. emergant, quàm perirent. Ad hæc eleganter Cassiod. lib. 12. var. 28. *Ioseph, legimus, contra famem funestam emendi quidem tritici dedisse licentiam, sed tale posuisse pretium, vt sua subuentionis auidus, se potiùs venderet, alimonia mercaturus. Quale fuit, rogo, tunc miseris viuere, quibus acerba subuentio libertatem suam videbatur adimere? Vbi non minus ingemuit liberatus, quàm potuit flere captiuus. Credo virum sanctum hac necessitate constrictum, vt auaro principi satisfaceret, & periclitanti populo subueniret.* Et quidem hac vniuersi mundialium principum ministri necessitate constringuntur, qua in liberandis populis simul, & suis, & regalibus thesauris prospiciunt; vnde fit, quòd sæpè sæpiùs liberati non minus bonorum amissione ingemant, quàm possent flere captiui. Quòd autem liberentur populi, nec ducum principúmque commodis grauentur paulo minus, quàm incursu hostili, hoc solum est proprium Iesu; hanc gloriam soli sensu ministri sibi præ-
1. Cor. 9. ripiunt: vt meritò dicat Paulus 1. ad Cor. 9. præmittens se nullo populorum sumptu prædicare salutem: *Bonum est enim mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet.* Vbi Anselm. pulcra paraphrasi inquit: *ne quis damno euacuet gloriam meam, quam pro hac abstinentia habere volo in Christo apud Deum.* Non enim vana gloria est nihil accipere à populis pro data salute, sed gloria est à Christo Deo solo dilapsa in suos ministros. Recole vniuersas historias, nullum inuenies, qui sine magno populorum sumptu gloriari possit, quòd populis salutem intulerit, sola hæc gloria est ministrorum Iesu. Hinc pensanda gloria Iosue, qui post victorias partas, post introductum Israëlem in terram promissam, post distributas prouincias, nihil sibi retinuit, nihil sibi elegit e tot terris acquisitis: quod meditatus Theod. q. 17. Theod.
ait. *Quare Iosue, cùm alijs terram dispertiret, sibi non distribuit aliquam portionem? Imitatus est in eo Dominus modestiam, docens eos, qui in aliquo magistratu sunt constituti, non suis commodis, sed vtilitati subditorum inseruire.* Sola à Iesu schola potuit hæc venire doctrina, & seruari ab eis, qui tanti Domini aguntur spiritu, quibus solis gloriosa est populorum cura; alioquin, nec magnum, nec gloriosum est, quòd populorum defendas salutem ab incursibus hostilibus, si tu eorum bonis apponis insidias. Præclarè enim ait D. Synes. lib. de Synes.
Regno: *Qui peregrinum à me hostem propulsat, ipse autem moderatè mecum non agit, is à cane mihi non differre videtur, qui lupos propterea longissimè abigit, vt per otium gregem commodè dilaniare possit, cùm potiùs in custodiæ mercedem se lacte satiare oporteat.* Hæc ille.

§. II.

Celsi animi nil tam æstimant temporale, quàm nominis claritatem.

APud Cæsaream, vbi Cæsarum tributa seruabantur, nobilis Rex regum Iesus, de nominis sui inter populares æstimatione cum discipulis agit; vt doceat, qualis cura deceat præcelsos principum animos. Huc debent à prima inauguratione principes spectare: non qualiter auri pondera additis tributis augeant, sed qualiter eorum nomina effulgeant popularibus: quàm laudabiles apud prouincias appareant. Ait enim non parum sapienter Cassiod. lib. 9. va- Cassiod.
riar. 25. *Gloriosis dominis gratiosiora sunt præconia, quàm tributa. Quia stipendium & tyranno penditur, prædicatio autem, nisi bono principi non debetur.* Apud Cæsaream tributa Cæsari dependuntur, & ibidem Regi regum Iesu, & diuinitatis, & facinorum suorum præconia dantur; vter igitur gloriosior, vter diuinior, vter regalior apparuit, Cæsar cum tributis populorum, an Iesus cum prouinciarum præconiis, & suorum laudibus? Equidem tributum non distinguit inter regem, & tyrannum; aurea spolia tam solent esse latronum prædæ, quàm ornamenta dignitatum, & præmiæ facinorum: at præconia, & communes laudes nunquam non designant verè celsissimum, & regalissimum animum. Sic Prouerb. 27. Prou. 27.
Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum, sic probatur homo ore laudantis. Conflatorium nunquam non discernit aurum, argentumve à terra, & vilioribus aliis metallis; sic solæ communes laudes distinguunt inter regem tyrannum, & regalem; inter venationes, & beneficia; inter dignitatem, & latrocinium: quòd conflatorium auro, hoc laus glorioso principi, à quo præ aliis bonis longè pluris æstimatur. Inde Dauid, qui regalissimum Dei animum nouerat, ait Psal. 68. *Laudabo nomen Dei cum cantico, & ma-* Psal. 68.
gnificabo eum in laude. Et placebit Deo super vitulum nouellum cornua producentem, & vngulas. Non is est diuinus spiritus, qui aliis lucris, seu spoliis gaudeat: hoc vnum illius studium, vt laudabilis appareat, laudésque eius personent toto iñ orbe terrarum. Vnde D. August. in præsenti, ait: August.
Amplius ergo placebit Deo laus eius exiens de ore meo, quàm magna victima adducta ad aram ipsius. Nunquam enim gloriosis dominis non sunt gratiosiora præconia, quam tributa. Quando nobilem animum non plus solicitat nominis claritudo, & decantanda per ætates facinora? Ego nil magis obstupeo in principibus, quàm quòd non solicitentur famæ commendatione; & quòd non timeant nomini suo. Absolutissima illa Dei potestas, omnium potestatum victrix, non erubescit, quasi hoc vno teneri timoris affectu, quo nominis sui metuebat claritudini. Apud Isaiam cap. 48. vbi Isai. 48.
iuxta vulgatam dicit Dominus: *Propter nomen meum longè faciam furorem meum, & laude mea infrænabo te*; ex Hebræo putat Arias Montanus legendum, *laude mea infrænabor*. quasi Deus diuino zelo incitaretur in vindictam rebellium, & n omnino timens laudi suæ, timens præclaræ nominis sui celebrationi sese cohiberet. Vnde explicatiùs Vatablus Vatabl.
vertit: *Propter nomen meum differam furorem meum, & propter laudem meam frænum iniciam mihi, tui causa, ne te omnino exscindam.* Adeò in gloriosis dominis potens est laudis, & commendationis cura, vt ea etiam absolutissimæ Dei naturæ frænum iniciat. Et non mirabor hoc frænum stupeum esse apud mundiales principes? Audiui sæpe, quendam regẽ, qui nullis parcebat legibus, hoc solo fræno posse contineri, nimirum quòd sciret, omnia sua commendanda esse scriptis. Et quidem non illi negassem hunc maximè nobilem, & regium, & diuinum spiritum, quòd laude sua,

& nominis obscurandi metu infrænati potuisset. Et vtinam quicumque nobiles, & principes haberi volunt, hoc in vi-
D. Anton. ta laudis tangerentur studio: vt enim ait ex Nazianz. D. Anton. in Melissa c.15. *Præcipuum beneficium est in rebus honestis laudari: laus enim parit æmulationem, æmulatio virtutem, virtus felicitatem.* Nil ergo sic tangat animos principum, quàm suorum facinorum prædicatio, & nominis claritudo.

§. III.

Fieri nequit, quòd lingua terrenorum hominum non impingant in praexcelsa virtutis viros.

QVem dicunt homines esse filium hominis, quærit sapientissimus Magister; scit enim impossibile esse, quòd terreni homines tantæ virtutis vitam non imperant linguis. Cuius hominis terreni lingua silet, vbi præexcelsa, & insueta alicuius apparet virtus? Quæ labia non incipiunt abire post sordes, cùm purior cæteris sese præsentat oculis vita?
Isai. 6. Isaias ait cap. 6. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum: & ea, quæ sub ipso erant, replebant templum, Seraphim stabant super illud, sex alæ vni, & sex alæ alteri; duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant. & clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Quòd si scire cupis, quem tanta ornatum
Ioann. 12. sanctitate viderit Isaias, id expressè tradit Ioan. c. 12. aiens: *hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam eius, & locutus est de eo;* nimirum quando vidit gloriam Iesu eleuari super omnes creaturas in summo sanctitatis culmine, de quo ibi locutus
Isai. 6. est. Vidit igitur Isaias Christum excelsum præ regibus terræ, noua & inaudita sanctitate conspicuum; quid inde? *Et dixit, Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labijs ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito.* Qualis est ista tam velox transgressio à sanctitate Christi, ad labiorum sordes in aspicientibus? Non potuit apparere ter sanctus Iesus, quin statim videntium labia sordescerent? Sanè nulla virtus conspicua est, in quam terrenorum hominum lingua non impingat, & per deuios errores sordescat. Pulchrè D.
Chrysol. Chrysol. serm. 57. ait. *Hinc est, quod Isaias vbi videt regem cæli, hoc est, Christum, ipsumque esse Dominum Sabaoth, claro visione conspexit, sua, suique populi labia immunda defleuit: quia sicut labia emundat Christi confessa diuinitas, ita Christi polluit negata maiestas.* Non potuit Christi sanctitas sublimis errantibus linguis non morderi; vnde necessum fuit, quòd celsitudine sanctitatis visa, simul popularium labia pollui viderentur, quando nequit terrenorum hominum lingua non impingere in viros sanctitate pollentes. Id optimè notat
Psal. 10. Dauid Psal. 10. aiens: *Quomodo dicitis animæ meæ, Transmigra in montem sicut passer? Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas, vt sagittent in obscuro rectos corde.* Vix audet in montem auolare, in altum virtutum conscendere; quia terrenorum hominum fulmina aduersùs celsissimum sanctitatis culmen parantur: virtute conspicuus, tanquam in monte sublimis vbi apparet, ecce tibi peccatores sagittas parantes; & quas sagittas? Didymus in Caten. Græca per sagittas intelligit vibratas linguas, quæ paratæ, & promptæ sunt aduersùs sanctitate conspicuos, adeò vt minimè contineri queant, quin in illos prosiliant. Id quod
Nazianz. eleganter depingit Nazianzen. carm. de silentio, quod per Quadragesimam tenuit, inquiens.

At linguam nemo properantem ad verba repressit,
Non nix, non scopulus, non homo, non fluuius.
In promptu iaculatur, in arcu sæua sagitta
Circulum & in crenam neruus adactus habet.
Quas animus misit, volitant, feriuntque sagittæ
Viuos, victuros tum superisque homines.

Vidisti aliquando venatores in monte omnino promptos, contentis arcubus, sagittis appositis, toto esse intentos conatu ad prædam, quam, vbi apparet, protinus hinc inde iaculant; sic terreni homines, sic vniuersi populares in promptu sunt, & linguis paratis, quæ cohiberi nequeant; sed cùm primùm præcelsum virtute virum conspiciunt, pennatæ volant, & semper maculant. Vide infrà cap. 9. §. 26.

§. IV.

Principum vita inde tenetur purior esse, quia nequit esse non patentissima omnium oculis.

POpulorum sententias circa se Dominus quærit, docens simul, qualis debeat esse principum vita, vtpote, qui omnium oculis sic pateat, vt nullus homuncio possit inueniri, qui de illa non ferat iudicium. Quid salutarius principibus? Nullo sese potest malitia protendere, quæ ab oculis iudicantium circumuenta, non cogatur se iterum reprimere. Zacharias 3. *Ecce lapis, quem dedi coram Iesu, super lapidem vnum septem oculi sunt.* Proponitur ibi à Propheta Sacerdos magnus Iesus, ille nimirum, qui & Zorobabel instaurarunt Iudæorum rempublicam, eius tenentes clauum post captiuitatem Babylonicam: his ergo principibus proponitur electorum à Deo principum præclarum signum, nimirum lapis angularis, sub cuius nomine frequentissimum est in sacra pagina significari principes. Ecce ergo coram Iesu Sacerdote magno ponitur optimi principis signum, scilicet lapis vnus angularis. super quem vnum septem oculi sunt. Quippe ita debet se gerere Princeps, vt qui quoquò se vertat, oculos suarum actionum inueniat iudices, quibus sanè custoditur, ne quando exorbitet à recta via. Pulchrè ad hæc D. Synesius epistol. 105. inquit. *Episcopum diuinum esse hominem oportet, vtpote qui ab omni ludo peræque, atque Deus ipse, alienus, & inexorabilis esse debeat: qui quo vita sua propositum teneat, ab innumerabilibus oculis custoditur.* Nullus est Princeps, super quem non sint tot oculi, quot subditi; præfixos omnium oculos in se videat Princeps, necessum est, ne quid indecorum admittat. Prudentissima Bersabeth hoc vno conueniebat Dauidem, ne cederet nefariis Adoniæ consiliis, sed in eligendo successore regni strenuè, & regiè se gereret: ait enim 3 Reg 1. *Verumtamen Domine mi Rex, in te oculi respiciunt totius Israel, vt indices eis, quis sedere debeat in solio tuo Domine mi Rex post te.* Non clanculum es, & in occulto, vt possis cedere impunè nefariorum hominum cõsiliis, sed oculi totius Israel te vndique cingunt, tè spectant, & qualem facias electionem successoris; quæcumque illa sit, in conspectu omnium facienda est, & innumerabilibus oculis perspicienda, ponderanda. Quis erroneas fore putet actiones, tot oculis vndique custoditas? An vellet errare, qui se vndique circumuentum spectãtium oculis experitur? Sapienter dicebat Chrysol. serm. 1. *Propinquorum quot oculi, tot lucernæ. Vnde viuentis inter tot virtutum duces, criminum tenebræ propinquare non possunt.* Nil tenebrosum audet erumpere in viro tot oculis circumuallato: quem sic oculi sepiunt, fallar, si alio egeat humano auxilio, quo turpitudines caueat, & infamias. Ex his patet, quid innuat lex illa de pignoribus reddendis Deuter. 24. *Non pernoctabit apud te pignus, sed statim reddes ei ante Solis occasum: vt dormiens in vestimento suo, &c.* Quæ verba sic legit Philo Iudæus lib. de somniis: *Si pignus acceperis vestem à proximo, ante occasum Solis reddes eam, est enim eius amictus, quo solum tegit suam turpitudinem.* Quod si amiculus solus iste in pignus datus facit, ne prodatur turpitudo, cur legislator tam anxiè curauit, vt redderetur ad Solis occasum, ne pernoctaret in domo creditoris, & non magis, vt redderetur illucescente die? In nocte minus egemus amiculis, cùm ipsæ tenebræ nos vndique cingant, & faciant, ne turpitudo appareat: in die autem magis patemus, & dum à luce prodimur, vix est turpitudo, quæ non emineat. Cur ergo legislator magis curauit de reddendo amiculo in nocte, quàm in die? Equidem non tam agebat Deus de materiali, quàm de morali operimento turpitudinis; inde autem quando omnium oculi nos vndique sepiunt, satis custodiæ est, ne turpitudo audeat erumpere, at in nocte, vbi iam oculi clausi sunt, tunc opus est operimento, ne turpitudines prodantur. Nulla enim custodia, nullus amiculus sic turpitudinem facit recondi, vt oculi spectantium, si vndique adsint.

Zach 3.
Synes.
3. Reg. 1.
Chrysol.
Deut. 24.

Text. At illi dixerunt: Alij Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij verò Ieremiam, aut vnum ex Prophetis.

§. V.

In mundialium regum curia mendacium est, quod præualet. Vbi quam plus valeant apud illos fœminea nænia, quam virorum oracula.

IDeo primo loco ponitur à discipulis Iesu error popularis de Ioanne Baptista, quia hic error plus omnibus aliis præualebat, & magis receptus erat. Sed scire cupis, cur iste plus cæteris præualuit? quam quæstionem facili negotio dilueres, dum solum aduerteres originem illius erroris; manauit enim hic error ab Herode, qui non semel audita

fama Iesu dixit, *Joannes, quem ego decollaui, surrexit à mortuis, propterea virtutes operantur in illo.* Et indè profectus penè vniuersos Herodis curiales occupauit. Quippe habent hoc peculiare mendacia apud palatinos deseminata, vt magis præualeant. Ex 3.Reg.23. nescio quis egreditur, qui se decepturum Achabum Regem promittit, & modum deceptionis suæ explicans, ait: *Ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius.* Cui statim diuinum responsum accinit his verbis: *Decipies, & præualebis.* Vnde id dicit Dominus, quòd & deceptio certa futura sit, & quòd præualere debeat? Nónne posset fieri, quòd Rex mendaciis fidem non haberet? Adeò efficax est mendacium in curiis Regum ad præualendum, vt vel ex sola notitia huius medij ponendi possit à quoquam prænosci, quid facturus esset Rex, & eius famuli vniuersi. Sapienter Caietan. ait: *Manifestat Deus efficaciam huius medij, nempè mendacij in curia; & hoc officium mentiendi vsque adeò versatur in curijs, vt Diogenes definierit, curiam esse locum, ad decipiendum, & præualendum.* Nullibi maiores vires habet mendacium, quàm apud Palatinos, & curiales; non amplius excrescit ignis in medio palearum, quàm mendum serpit, & præualet apud Principes mundiales. Hinc est, quòd Petrus, qui toties pro veritate steterat, vbi Principis Sacerdotis terit atria, statim cœpit amare mendacia. Vide illum in horto imperterritum, sese opponentem exercitui pro Christi veritate tutanda; & post pauca eundem vide abnegantem se nosse Iesum. Cur modò negat, pro quo dimicat paulò antè? Luc. cap.22. *Comprehendentes autem eum, duxerunt ad domum Principis Sacerdotum: Petrus autem sequebatur*, &c. In Principis domo negat Iesum Petrus, quia in domo Principis sola valent mendacia. Chrysostomus serm.2.de Pass. *Negat in domo Caypha, ibi negat, vbi potest valere mendacium.* Forsitan non negaret, nisi in domo Principis, in qua sola vendibilia sunt mendacia. Id quod perspicuis verbis tradit Oseas cap.7.fatus: *In malitia sua lætificauerunt Regem, & in mendacijs suis Principes. Omnes adulterantes, quasi clibanus succensus à coquente.* Viri impij malitiosè accedunt ad Regem, illi mortem gerentes, & iuxta animi desideria loquentes, & interim mille fabellas concinnant, mille mendacia inter Principes disseminant. Quid tunc? Omnes adulterantes, quasi clibanus succensus; sic omnes à veris deficientes adhærent falsis, & mendaciis, vt flammans clibanus adhæret adhibitis paleis. Quid pulcrius dici potuit? Ecce tibi succensus clibanus, cui si immittantur fortia, & solida pabula; non exurgit in flammam, sed paulatim & difficulter, & quadam reluctatione procedit: verùm si leuidensia, nimirum paleas, stupam adhibeas, rapidissimè extollitur in cœlum vsque flamma. Omnes mundiales Principes instar clibani sunt, libidinum, & cupiditatũ succensi flammis. si adhibeas illis fæuissima mendacia, muliercularum fabellas, sine reluctantia admittunt, & in immensum pascuntur rebus inanibus. Verùm si fortia, si solida, & vera immittas, reluctantur, resiliunt. Recole tibi Pilatum, is venerandum veritatis nomen ex ore Iesu capiens Ioan.18.ait. *Quid est veritas? Et cùm hoc dixisset, iterum exiuit ad Judæos.* Vix gustat veritatis vocabulum, & statim infecta re, conuertitur ad Iudæos. Vbi acutè D.Bernard. serm.in 3.Prouerb.ait: *Meritò fratres Pilatus reuerberata acie protinus resiliuit, & responsum non sustinens, egressus est ad Iudæos.* Non sustinent mundialium Principum flammæ tam solida pabula; sed vel à veritatum odore, quasi reuerberata facie resiliunt, & rapidi conuertuntur ad tesquas, ad quisquilias, & fabellarum paleas. Sæpissimè ego rideo Principes viros, qui minimè sustinent audire solidissimas doctissimorum hominum veritates; hos tamen hac, illac discurrentes, vt simplicium muliercularum, & homuncionum audiant somnia, amplectẽtes auidè id, quod maiorem speciem habet leuitatis. Rem ob oculos pono ex historia Iudith: cùm enim Holofernes appropinquaret Israëlitarum regioni, & miraretur, quòd Israëlitæ auderent eius exercitui resistere; scire cupit, quæ esset illa gens tam audax? Tunc Achior Ammonitarum Dux accepta facultate, incipit coram Holoferne magnalia Dei Israëlis prædicare; quoties populum suum ab hostibus saluum fecerit; quot exercitus perditioñi dederit. quot Duces, quot tyrannos potentissimos prostrauit; nec esse in mundo potentiam, quæ sub ira Dei Israël possit stare. Hæc dixit multis Achior; quid tunc? Ait text.c.5. *Et factum est, cùm cessasset loqui Achior verba hæc, irati sunt omnes magnates Holofernis. & cogitabant interficere eum.* & post pauca incipit etiam c.6. dicens: *Indignatus Holofernes vehementer dixit ad Achior* &c. Sic resiliunt, sic reluctantur mundiales Principes cùm solidas audiunt veritates.

3.Reg.23. Caietan. Luc.22. Chrysost. Osea 7. Ioann.18. Bernard. Iudic.5.

Quid plura? Non multum interfluit tempus, & ecce tibi c.11. Iudith fœmina per militares copias transiens vsque ad Holofernem peruenit, eique astans post millia efficta verba sic verba, seu potiùs fallacias facit: *Ego adducam te per mediam Jerusalem, & habebis omnem populum Israël sicut oues, quibus non est pastor: & non latrabit vel vnus canis contra te, quoniam hæc mihi dicta sunt per prouidentiam Dei. Placuerunt autem omnia verba hæc coram Holoferne, & coram pueris eius, & mirabantur ad sapientiam eius*, &c. Compone modò Achioris concionem, & Iudith apud Principes Assyrios factam: ille solidissima Dei miracula proponit, insuper addit patentissima testimonia triumphantium Israëlitarum, & pereuntium tyrannorum, quæ receptissima, & vulgò notissima erant; hæc amphibologica verba, seu, vt D.Thomæ placet, mera proponit mendacia, nullo fundamento confirmata, sed solùm dicit, sibi à Deo per summam prouidentiam fuisse insinuata: & nilominus illa offendunt, hæc Principibus placent. Quid mirum? Clibani erant cupiditatum succensi flammis, resiliunt ad solida, & leuissimas fallacias, & fœmineas amphibologias auidè capiunt. Non longè ab hoc abest Zorobabelis successus 3.Esdræ 4. Is coram Rege Babylonio locutus duo asseuerat, nempe mulierem esse omnium creaturarum fortissimam, & tamen illa præstantiorem esse veritatem. Pergit deinde pro rostris mulieris fortitudinem decantare; eius lenocinia, eius carmina, eius vires, quibus subiicit sibi etiam potentissimos tyrannos, ad hæc textus ait: *Et tunc Rex, & purpurati intuebantur in alterutrum,* quippe stupentes, & demirantes tantam in mulieribus virtutem. Sed & Zorobabel mulieribus omissis transit ad extollendam excellentiam veritatis, illam super terram & cœlum constituit, æternum facit, & imperturbabilẽ. Quid tunc? *Et omnes populi clamauerunt, & dixerunt: Magna est veritas, & præualet.* Expende, quòd vbi valentia fœminarum decantatur, ibi Rex, & purpurati stupent: vbi autem veritatis gloria prædicatur, nihil Rex, nec purpurati faciunt; sed populi clamant, & extollunt veritatem; quippe hoc est ingenium principum mundialium, non moueri ad veritatem, sed illud magis mirari, quòd maiorem speciem habet leuitatis, & mendacij.

3.Esdr.4.

§. VI.

Non solùm principibus, sed nec vlli hominum renuntianda sunt, quæ iram mouere possint.

IEsus à populo vocabatur Propheta, sed & dæmoniacus, & Samaritanus, & vini potator habebatur; quare ergo discipuli omissa vituperia illa, solùm meminere laudabilia: nimirum, quòd Ioannes, quòd Ieremias, quòd Propheta diceretur Iesus? Prudẽtissimi Christi laterones, & magistro, & Domino narrare contemnunt ea, quæ contumeliosa, & odiosa illi sunt, sed magis, quæ lenitatem, & humanitatem concilient. Ioab ille Israëlitarum dux accepit à Dauide litteras, quibus Vrias in bello erat occidendus: non piger dux, & exercitus partem, & Vriam obiicit hostibus, qui præualuerunt, & facta magna strage virorũ, simul & Vriam interfecerunt. Rem vt nuntiaret Dauidi Ioab, 2.Reg.11. *Præcepit nuntio, dicendo: Cùm compleueris omnia verba prælij loqui ad Regem. Si ascenderit ira Regis, & dixerit tibi: Cur accessistis ad ciuitatem, vt præliaremini, nonne sciebatis, quod proijcerent ex muro? Dices: Etiam seruus tuus Vrias Hethæus occubuit.* Non dubitabat Ioab acerbissimam fore, imò contumeliosam Regi suorum stragem, ideo cauet, vt postquam Regi dictum fuerit malum belli, quo irasci incipiat, statim dicatur ei mors Vriæ, qua animum induat lenem, & placatum. Sic instructus nuntius à duce venit ad Regem, & dixit: *Direxerunt iacula sagittarij ad seruos tuos ex muro desuper: mortuique sunt de seruis Regis, quin etiam seruus tuus Vrias Hethæus mortuus est.* Quid ais homo, nónne à duce iussus es belli tristem euentum nuntiare Regi tacita Vriæ morte? Cur non priùs narras exercitus ruinam, & postquam videris Regem ira commotum, tunc obiicis Vriæ mortem, quandoquidem sic iussit facere Ioab? Sanè prudentissimus nuntius collegerat Vriæ mortem gratam futuram Regi, & ideo studet in primis nuntiare Regi, quòd eius gratiam conciliet, non quòd iram moueat. Caiet. *Hinc apparet prudentia nuntij non spectantis, vt Rex irasceretur, sed præuenientis eius iram; perpenderat enim ex verbis Ioab placere ita Regi mortem Vriæ, vt nuntiare illius mortem esset medicina reliqui mali.* Quippe prudentissimus, & sapientissimus ille est, qui principibus nuntiat ea, quæ humanitatem extorqueant, non quæ moueant iram: quæ

2.Reg.11. Caietan.

quæ placeant, non quæ offendant: quæ ad laudem sunt, non quæ ad contumeliam. Nemo enim bonus propinat valenti principi amaritudines; quocirca monebat Leuit.cap 19. *Non eris criminator, nec susurro in populo.* pro illo verbo *susurro*, est in originibus *Rachel*, quod verbum multis sonat pharmacopolam, negotiatorem, vt dicat: *Non eris criminator, nec pharmacopola in populo.* Equidem criminatores, & susurrones, qui deferunt vituperia, & murmurationem clanculum dictant, instar pharmacopolæ sunt propinantis amarissimas potiones valentibus hominibus. Propone tibi virum integra pollentem valetudine, fortè mensæ accumbentem, & sitibundum falerna vina spectantem: tunc pharmacopola charissimis hominis ministris inferius amarissimam deferens potionem, illam homini ministrat. Qualis tunc facies rerum? Quod venenum nocentius? Quæ iniuria molestior? Fallar, si potionis amaritudo totam domum felleam non reddat, & pharmacopolam intempestiuum omni supplicio dignum. Ergo tibi caue, ne quid simile committas, dum principi suggeris in illum congesta maledicta: quot maledicta, quot contumelias huiúsmodi defers, tot amaritudines valenti viro propinas pharmacopola intempestiuus. Sis potiùs sapiens minister, qui sapores, qui laudabilia ministres; nunquam enim non à malo venire solet, quòd odiosa, & amara dicantur principibus. Vnde Eccl.10. ait *In cogitatione tua Regi non detrahas, & in secreto cubiculi tui ne maledixeris diuiti, quia & aues cœli portabunt vocem tuam.* Expende, qui sint, qui deferant maledicta, & clãdestinas murmurationes, nimirum, aues cœli, hoc est, aëreæ potestates, illæ quæ etiam verbi Dei semen rapiunt à via. Id quod notans Hugo sapienter distinguit officiũ boni, & mali spiritus, aiens. *Boni Angeli, cùm preces & cogitationes nostras Deo placere vident, dicuntur eas Deo nuntiare.* Vnde Tob.12. *Quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, ego obtuli orationem tuam Domino. Sed mali Angeli dicuntur detractorias cogitationes nostras Domino annuntiare.* Et quidem reproborum spirituum est, ea renuntiare alicui, quę stomachum faciant, & iram irritent. Qui bonus, & sapiens est, nunquam nisi decora, & laudabilia amat dicere, & proponere vnicuique. Audio sapientissimum, & prudentissimum virum comparari negotiatori, Matth.13. vbi sic: *Simile est regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas.* Et quando, vel in quo negotiator potuit sic cœlestem virum exprimere? In eo quod ait, *quærens bonas margaritas*; quippe sunt multæ imperfectæ margaritæ, & impolitæ: sed bonus negotiator sic vniuersas cõponit, vt rectis imperfectionibus, sola appareant decora, & laudabilia. Nullos vnquam negotiator dixit, malum esse, quod vendendum proponit, nec voluntates transeuntium allexit, merces vituperans, quin imò, quæ irritare & offendere possent, occultans, ea prædicat, quæ ornamenti sunt, & pulcritudinis. Pulcrè in rem præsentem Chrysol.serm.47. *Neminem nomen negotiatoris offendat: hic negotiatorem loquitur prouidentem ornamenta virtutum, non irritamenta vitiorum.* Tunc felix negotiator erit, qui sapientiæ veræ terit curricula, si ea semper exhibeat oculis, quæ ornamento possint esse cuilibet: quæ vniuersos ornatu suo alliciant, non quæ moneant, & irritent iræ turpitudinem. Quò respiciebat, qui fortem mulierem laudans Prou.31. ait: *Facta est quasi nauis institoris de longè portans panem suum.* Siue, vt Septuaginta reddunt: *Facta est tanquam nauis mercaturam exercens: congregat autem hæc vitam.* Nec dubito, quin congreget vitam, & diuitias cumulet, quisquis mercatorum instar, semper laudanda proponit, nihil non ornatum, & perfectum in ore suo admittens.

Leuit.19. Eccles.10. Hugo. Tob.12. Matth.13. Chrysol. Prou.31.

Text. Dixit illis Iesus: Vos autem quem me esse dicitis?

§. VII.

Quot fauores à principe in suos proficiscuntur, tot obiecti sunt, ne ad illum defæcata veritas perueniat.

QVi blandissimis verbis traditorem excipit moriturus, cùm ait: *Amice, ad quid venisti*; nunc gloriæ suæ confessionem à discipulis educere cupiens, nulla illos amica compellatione delinit. Non ait; vos amici mei, vos charissimi, vos inclyti sodales, & laterones mei; sed simplici, imò haud suaui vocabulo dicit: *vos autem quem me esse dicitis?* Et meritò seuerus, & grauis veritatis indagator, blandas, & amicas compellationes dimittit, sciens fauores illi principum, quàm occludant aditum veritati accessuræ. Ex Plinio dicebat similitudinum collector: *expressè non innascuntur teredines propter amaritudinem, nec buxo propter duritiem: ita pectus adulationum fugit seuera, ac tristia ingenia: mollia capiat, ac dulcia.* Vbi seueritatem præsefert Princeps, nulla in ministris relinquitur adulationis suspicio, verùm vbi Princeps emollescere incipit, dulcésque fauores conferre ministro, nil verùm expectet audire, sed adulatorium. Accipe 1.Reg 4. Israelitarum exercitum à Philisthæis percussum, arcam fœderis captam: rei tristissimæ nuncium venientem ad Eli. Quid tunc? Eli notans faciem nuncij, sic hominem amica compellatione delinit: *Quid actum est fili mi?* Cur filium vocas, quem seruum esse vides venientem, vt enunciet tristem belli successum? Præclarè D. Gregor. lib.3. ibi, ait: *Eum itaque filium vocat, à quo, quid actum fuerit, scire cupit, vt profectò ille pro impenso honore adulationis seriem peruerteret veritatis.* Equidem fauores Principum sic deliniuit subditorum animos, vt veritati penitus occludant viam. Quis audeat veritatis rigida, & seuera nunciare principi arridenti sibi? Quis vt placeat principi fauenti seriem veritatis non peruertat, non adulteret? Exercitus perduntur, regnum labat, & Regius fauor sic ministros tenet obstrictos, vt aditum occludant tantarum perditionum veritati, ne pura perueniat ad aures Principis. Et quando Regis gratia etiam in præstantissimis viris non obscurat veritatem sermonibus placidis? Michæas Propheta Domini rogatus à Ministro regio, vt bona regi nunciaret, constantissimè respondit: *Viuit Dominus, quia quæcumque dixerit mihi Dominus, hæc loquar*, 3. Reg. 22 verùm vbi ad conspectum Regis peruenit, & audiuit se à rege placidè compellatum, dicente: *Michæa, ire debemus in Ramoth?* Tunc ipse constantissimus Propheta Regis voluit aliquo modo seruire voluntati & dissimulans veritatem quoad licitè potuit iucunda, & prospera nunciauit, aiens. *Ascende in Ramoth Galaad, & vade prosperè, tradet eam Dominus in manu Regis.* Cur sic deludis Regem, cur prospera nuncias, cùm scias tristissimam imminere populi stragem? Tanta est gratia Regum, vt nemo velit illis odiosus esse, sed & sanctissimi viri, quoad sine offensa Dei possunt, illorum seruiunt voluntati, prospera semper nuntiantes, etiam si necessum sit dissimulare veritatem. Vnde Theodor in præsenti, ait. *Quoniam Rex putabat Michæam propter odium prædicere ea, quæ erant molesta, priùs dixit ea, quæ erant iucunda.* Quis hanc non reddat gratiam principibus? Propterea monebat Sapiens Prouerb.26. *Quando submiserit vocem suam, ne credideris ei*; siue, vt in rem præsentem aptiùs legit Regia: *Quando gratificauerit vocem suam, ne credideris ei.* Non enim multum credendum est voci gratificantis, beneficia enim semper nouerunt etiam dissimulata veritate laudes extorquere ab animis gratis.

Gregor. 3.Reg.22. Theod. Prou.26.

§. VIII.

Christus Dominus non perfectè habetur, nisi per plurium Sanctorum imitationem.

NOn negat Dominus se Ioannem Baptistam, & Eliam, & Ieremiam esse, sed post horum propositas virtutes ad supremam suæ diuinitatis confessionem iam discipulos vocat; quasi innuens, quòd ille solus dispositus vltimò est ad perfectè Christum Dominum habendum, qui per plurium Sanctorum imitationem illum quæsierit. Matth.13. dicit Dominus: *Simile est regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas, & inuenta vna pretiosa margarita, vendit omnia quæ habet, & emit illam.* Ecce tibi bonus negotiator non vnam margaritam, sed multas, & bonas quærit, tamen vbi multas quærit, vnam pretiosissimam inuenit, nempe Christum; qui minimè inueniretur perfectè, nisi ab eo, qui per plurium Sanctorum imitationem accedit ad illum. Cyrill. Alexand. lib.1. Glaphyrorum, ait: *Necessum est quæri primùm à nobis bonas margaritas, ita enim inueniemus vnam, & pretiosam, nempè Christum. Quænam autem sint bonæ margaritæ? Diuinos sanctos esse. Inuestiganda itaque sunt diligenter, quæ de vnoquoque præcipuè veterum dicta, & facta sunt: videbimus enim in illis alium religionis nostræ mysterium, hoc est, Christum.* Inuestigandæ sunt virtutes Ioannis, & virtutes Eliæ, & virtutes Prophetarum, & Sanctorum plurium: illæque tibi ad imitandum proponendæ sunt, & ex his facili negotio peruenies ad Christum. Quippe Christus Dominus is est, qui nequeat vno nixu nostris in animis parturiri, sed per plurium virtutum nixum perfectè debet acquiri. Docetis in primis ieiunium Christi, quo videris alter Baptista;

Matth.13. Cyrill.

doceris cilicium, quo videris Elias; doceris pias pro peccato lacrymas, quibus videris Ieremias; doceris hospitalitatem, qua videris Abrahamus; doceris inimicis pacere, quo videris Dauid, & sic dum ad plurium Sanctorum imitationem reformaris, peruenis ad vnum habendum Cristum. Id
Galat.4. quod innuebat Paul. ad Galat.4. inquiens: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec efformetur Christus in vobis.* Quid est, iterum parturio donec efformetur Christus? Non sufficit saltim nasci denuò, vt in nobis perfectè efformatum habeamus Christum? Equidem necessium est, per plurium natiuitates virtutum eniti vnum Christum, vt perfectè possit in
Gillibert. nobis inueniri. Ad hæc Gillib. Abb. serm.10. in Cant. ait: *In nobis Christus & parturitur, & perficitur, nec semel, sed sæpiùs, & iterata crebrò parturitione. Nec possumus omnes Christi simul virtutes adaptare nobis, equidem, nec vnquam quamlibet ad plenum.* Nunquam simul vnico virtutis enitu Christus in nobis perfectus illucet, sed iterando crebrò, & repetenda parturitione, altera enim parturitur Christus à ieiunatoribus, non plusquam Ioannes, altera accrescere potest, vt videatur Maria, nec enim possumus simul omnes nobis ada-
Ioann.20. ptare Christi virtutes. Apud Ioann cap.20. inuenit Dominus Magdalenam plorantem pro defuncto, & ait: *Mulier quid ploras?* & post paululum iterum vocat: *Maria.* Ecce tibi, vbi tantum lacrymæ pro defuncto inueniebantur in Magdalena, nihil in illa videbatur diuinum, sed solùm mulier apparebat, sed vbi de præsentia magistri roborata in Domino proficit, iam Maria mater Iesu videtur, & sic per gradus crescit in mensuram ætatis plenitudinis Christi. To-
Ambros. tum id dixit D. Ambros. lib.3. de virgin. vbi sic. *Quando non credit, mulier est, quando conuerti incipit, Maria vocatur, hoc est, nomen eius accipit, quæ parturit Christum.* Nondum Iesu gaudet nomine, sed in primis Mariæ matris Iesu insignitur, vt paulatim per plurium imitationem perfectè in se efformatum ostendat Christum. Ex quo percipies Apostoli asser-
Ephes.4. tum ad Ephes. c.4. dicentis: *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Expende quorsum tot nobis proponuntur Sancti diuersi, nimirum Apostoli, Euangelistæ, Pastores, Doctores; omnes hi proponuntur nobis in ædificationem corporis Christi, vt in nobis formemus Christum per multorum imitationem, induti iam Apostolorum fortitudine, iam sapientia Doctorum, modò benignitate pastorum, modò puritate virginum, donec ex his crescamus in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Vide suprà lib.13. cap.2. §.9. & infrà lib.15. cap.1. §.17.

Text. Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus filius Dei viui.

§. IX.

Oculatior est ad percipienda diuina simplex, & rudis innocentia, quàm mundiales vniuersi sapientes.

QVò tendunt longissimæ studiorum noctes? Quò tanta frequentia populi ad sapientiæ limina? Quando nobiles Athenæi inter sapientissimorum dogmata sic intonant? Quando celebres propter oracula Apollinis tripodes tale reddidere responsum? Et ecce tibi rudis, & ineruditus piscator oraculorum responsa vincit, & sapientibus oculatior abstrusa diuinitatis dogmata manifestè insinuat. Haud dubium, quin sapientibus prophanis mundialia, & dæmoniaca magis sint obuia; rudi autem, & ignoranti homini innocentiæ cultori diuina etiam abstrusissima præstò sint. Num.22. Sciolus ille Magus Balaam, cuius sapientiam mirabantur mundi principes, insidens asinæ ibat per agrum, maledicturus Dei exercitibus, sed ignorante illo, Angelus Domini ex aduerso stabat, vt reuocaret illum à via. Quid tunc? *Cùmque vidisset asina stantem Angelum concidit sub pedibus sedentis, &c.* Non vates, sed asina Angelum Dei videt; sed cur, quod potuit asina videre, Magus sapientissimus non videt? Cœlestia, & diuina non dedignantur rudes, & simplices, dedignantur autem prophanos sapientes, quibus amiciora sunt, & chariora mundialia, & dæmoniaca. Pul-
August. crè D. August. serm. de temp.103. ait: *Prætendens autem se Balaam opprimitur in via, conteritur ab asina. Sed Magus dæmones videt, asina tamen Angelum videt.* Venisset dæmon offerens Mago, & sapienti mundiali pecunias, vt vocem pro iniustitia vendat, vt iura corrumpat, haud dubium, quin videatur ab illo: accedat voluptas, & superbissimi fastus pocula propinantes, dulcia cernentur proculdubio a sapientibus mundi: verùm Dei Angelus diuina consilia, cœlestia mysteria à solis simplicibus innocentiæ cultoribus cognoscuntur. Apud Matth. c.2. habes etiam Magos sæculi sapien- Matth.2.
tes, qui dicant: *Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus, &c.* Et meritò miratur Chrysol. aiens: *aliquando videt Magus!* quasi stupeat, quòd mundiales sapientes sic cœlestia norint, sic diuina percipiant. Et cur id non stupeat Chrysol. quando & Dominus dicit Isai.10. *Visitabo super fructum ma-* Isai.10.
gnifici cordis regis Assur, & super gloriam altitudinis oculorum eius. Nunquam enim in oculis mundialium sapientum non inuenit Dominus, quid castiget, qui quidem ad sola carnalia, & dæmoniaca clari ad cœlestia prorsus caligant. Tamen aliquando Magus videt, sed ille Magus, qui factus sicut iumentum apud Dominum, non dedignatur stabulum ingredi, Deum adorans in pueritia, oculatiorem in stabulo, quàm in cathedris sapientiam induens. Pulchrè D. Bern. serm.1. de Bernard.
Epiph. ait. *Quia per sapientiam mundus Deum cognoscere non poterat, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos fieri credentes. Ingrediuntur Magi stabulum, inueniunt inuolutum pannis infantulum, procidunt, venerantur vt regem, adorant vt Deum.* Ecce tibi vbi sapientiæ sæculari renuntiant, & sic stultescunt Christiani, vt quasi iumenta stabulum non dedignentur, cœlestia penetrant, inter infantilia membra prænoscunt Deum. Paul.1. ad Cor.3. monebat: *Si quis vide-* 1.Cor.3.
tur sapiens esse apud vos in hoc sæculo, stultus fiat, vt sit sapiens. Sapientia enim huius mundi stultitia est apud Deum. Stultus in Christo sapientissimus est, oculatissimus est; & sapientissimus mundialium omnium stultissimus omnium est. Et vnde stultissimus, nisi quia facilis cùm sit ad carnalia, ad diuina manet prorsus difficilis? Vnde Tert. lib. de carne Chri- Tertull.
sti, ait. *Apud sapientiam sæcularem facilius creditur Jupiter taurus factus, aut cygnus, quàm verè homo Christus.* Proponatur sciolis Iouis adulterium, Europæ raptus, conuersio in taurum, in cygnum, & hæc vana, & dæmoniaca, dum facile percipiunt, amplectuntur; si audiant mysteria Dei in mundum venientis, humanitatem assumentis, si ad hæc cæcutiunt, vt audientes non audiant, videntes non videant. Calcanda sunt ergo mundialia omnia, & rhetorum flumina potiùs contemnenda per stultitiam Christi prædicationis, vt præstò nobis sint cœlestia, & diuina. Matth.14. Petrus dum tumentes maris fluctus pedibus conculcat, à Iesu manibus sustineri obtinuit, quod meditatus Ambros. lib.1. de inter- Ambros.
pellatione cap.9. ait: *Si vis sapientiam inuenire, calca fluctus huius mundi, sicut calcauit Petrus, & ambula super aquas huius sæculi, & porriget tibi dextram sapientia, sicut porrexit Petro.* Petrus vnus nobis sit instar mille exemplorum; is non ab Apollinis tripode, sed à mundi contemptu, à conculcatione mundialis sapientiæ eò peruenit, vt diuini Verbi natiuitatem specularetur.

§. X.

Summum Petri magisterium est, sic altissima nobis præsentare mysteria, ne à gloria tanta maiestatis opprimi possemus.

QVid ais Petre, sic audes lumen illud de lumine scrutari, hominibúsque porrigere? Nónne scrutator maiestatis opprimetur à gloria? Deus ignis consumens est, & quis poterit illæsus tangere igneas diuinitatis scaturigines? Ignis equidem est Deus, lucémque inhabitat inaccessibilem, quam non videbit homo, & viuet; verùm per magisterium Petri sic attemperatur, vt iam inde, & salutaris existat hominibus, & accessibilis. Ecce tibi apud Isai. c.32. vbi prima Isai.32.
in diuinitate scaturigo, nimirum ortus Dei de Deo, & luminis de lumine explicatur, legunt Septuag. *Et apparebit in Sion sicut fluuius fluens, sub vmbra petræ, gloriosus in terra sitienti.* Eructat in paterno corde sermo ignitus, flammans verbum, & inde fluens apparet gloriosum in terra sitiente. Sed qualiter igneus fluuius potuit gloriosus, & salutaris apparere in terra, & non magis lethalis? Iam explicat, dum dicit, *sub vmbra petræ.* Sic flammans scaturigo per vmbrosos petrarum calles intepescit, vt accedenti non horrorem, sed suauitatem obiiciat. Quid plura? Hoc fecit Petri magisterium, dum sese vmbrosam petram fluenti obiecit diuino; qui à primo Ecclesiæ saxo si sceptus, inde mitigatus descendens, minaci ardore depositio, suaui temperatione mollescit, qua accedentibus hominibus salutem propinet. Liceat

huc

Caſſiod. huc transferre verba Caſſiodori, qui lib.2. variar.39. ſic extollit artificem,cuius ingenio ardentiſſima in origine fluenta, in temperiem balneorum decurrunt. *O magiſtri mirandum ſemper ingenium, vt naturæ furentes ardores ita ad vtilitatem humani corporis temperaret, vt quod in origine dare poterat mortem, doctiſſimè moderatum & delectationem tribueret, & ſalutem.* Habes Chriſtiane hoc immenſum à primaria Eccleſiæ petra beneficium, vt ſub vmbra eius colliſum diuinitatis ardens fluentum ſic mitigatum appareat, vt quòd vel auſpicientibus habebatur lethale antiquitus, iam doctiſſimè moderatum ſalutiferas eructet vndas. Cur vndas vocem, & non potiùs olei ſuauitates, quandoquidem magna Dei propago, dum in terris apparet, ab ore Petri dicitur in primis Chriſtus, hoc eſt, oleo delibutus? Non ſolùm enim Petri ſapientia temperauit ardens diuinitatis fluentum; ſed & hoc ſub tantæ petræ vmbra in olei ſuauitatem transmittitur, vt dicere Chriſtianus cum Iob poſſet cap.28. *Petra fundebat mihi riuos olei*, quando in ore Petri flagrans Dei propago, apparebat hominibus ſalutaris Chriſtus. Et fallar, niſi huc reſpiciat illud Moyſis Deuter. 32. *Constituet eum* (nempè Dominus populum ſuum) *ſuper excelſam terram, vt comederet fructus agrorum, vt ſugeret mel de petra, oleúmque de ſaxo duriſſimo.* Ecce tibi oleum vnde habet ortum, nempè de ſaxo duriſſimo, de firmiſſima petra Eccleſiæ; hæc valuit igneam diuinitatis pluuiam in ſuauitatem olei transmittere. Pro cuius explicatione accipe illud Cant.1. *Oleum effuſum nomen tuum*; vbi miratur meritò Rupert. quòd nomen Dei fortiſſimum poſſit in ſuauitatem olei conuerti, idque tribuit creaturis, per quas communicatur mundo. Quippe ait, *Nomen Dei tam forte, tam magnum, ecce eſt oleum effuſum. Mira res! Quid verbo fortius? Et quid oleo ſuauius? Ergo ne verbum à ſua natura eſt immutatum? Non: ſed qualitates creaturarum cum quibus illi ratio eſt, diuerſæ ſunt; & pro qualitatibus diuerſis vnum idémque verbum diabolo, vt fulmen, & Beatæ Virgini, vt oleum ſe exhibuit.* Itaque diuinitatis riuus qualitatibus creaturarum, per quas fluit, ſeſe accommodat, vbi per ſulphuream Dæmonum regionem tranſit, ibi ſic exardeſcit, vt totus appareat fulmineus; vbi in mariana viſcera dilabitur, ſic molleſcit, vt oleum videatur effundi. Iam hinc mirare primariæ Eccleſiæ petræ virtutem, quæ fulmineum etiam diuinitatis fluentum ſic molleſacit, & ſuauiat, vt in olei ſuauitatem transmittat, adeò vt de illo, qui erat ignis conſumens, poſſet dicere, *Tu es Chriſtus*, nimirum oleo delibutus.

Iob.28.

Deut.32.

Rupert.

§. XI.

Petro debent gentes primas honoris Chriſtiani.

NOn filius Dauid vocatur Ieſus à Petro, ſed filius Dei viui, vt teſtetur non ſolùm ad Iudæos, ſed & ad gentes venire bonum tantum, quatenus apud Deum non eſt diſtinctio Iudæi, & Græci. Ecce tibi quidquid Prophetæ veteres de Meſſia venturo, de Chriſto Domino Iſraëlitis in Dauidis filio promittebant; totum id ſimplici verbo congerit Petrus in filio Dei viui, vt inde gentes, quo glorientur habeant. Non multum fallar, ſi Petro adſcribam illud Iſaiæ cap.55. vbi fatur. *Ecce teſtem populis dedi eum, ducem, ac præceptorem gentibus.* Siue, vt Septuag. legunt: *Ecce teſtimonium gentibus dedi eum, principem, & præcipientem gentibus.* Et ſanè Petrus, dum reticet vulgariſſimum Meſſiæ nomen, nimirum filium Dauid, quo Iudæi gloriabantur, & Chriſtum filium Dei vocat, omnia per Prophetas ſparſa teſtimonia explicat de rege venturo, non pro vnò Iudææ viculo, ſed pro vniuerſo terrarum orbe. Quo factum eſt, vt in Petro habeant vniuerſæ gentes fideliſſimum teſtem ſuæ gloriæ, cui primo debeant claritatem, quam habet totius Chriſtiani nominis. In regibus Italiæ doctus vir ſcrutatus fuerat genealogiam Gothorum, quem laborem Italis glorioſum his verbis decantat Caſſiodorus lib.9. variar.25. ſic loquens. *Originem Gothicam hiſtoriam fecit eſſe Romanam, colligens quaſi in vnam coronam germen floridum, quod per librorum campos paſſim fuerat antè diſperſum. Perpendite, quantum vos in noſtra laude dilexerit, qui veſtri principis nationem docuit ab antiquitate mirabilem. Vt ſicut fuiſtis à maioribus veſtris ſemper nobiles æſtimati, ita vobis regum antiqua progenies imperaret!* Hæc ille ad Italos loquitur; quæ nos libentiſſimè D.Petro aptamus prò vniuerſo orbe Romano. Petrus enim feliciori conatu originem diuinam hiſtoriam fecit eſſe Romanam, colligens in præcelſam ſuę confeſſionis clauſulam, quaſi in vnam coronam floridum germen, quod per tot Prophetarum campos fuerat antea diſperſum. Et in ſui præceptoris laude, mirum in modum dilexit gentes, qui noſtri principis nationem teſtatur ab æternitate mirabilem: vt ſicut a maioribus noſtris ſumus ſemper nobiles æſtimati, ita nobis antiqua Dei progenies imperaret. Nec abs re exaltationẽ ſuam Petro acceptam referens gentium natio cãtat illud Pſal.29. *In petra exultauit me, & nunc ecce exaltauit caput meum ſuper inimicos meos.* Sepulta tenebris errorum gentium Eccleſia, ſic per Apoſtolum Petrum exaltata eſt, vt iam verè diuinitatis ſectatrix in hac petra fundata in ſummã gloriam euecta compareat. Vt meritò dicat Euſebius in cat.Græca. *Populum, qui olim latebat, in lucem euectum in altum extulit, & ſublimem conſtituit Dominus, vt eundem ſupra firmam, & tutiſſimam petram eius nixum, & fundatum omnes cernerent; & glorioſum prædicarent.* Sanè quidquid ſplendoris, quidquid Chriſtianæ gloriæ habet hodie gentium natio, meritò acceptum referat Petro, è cuius confeſſione tanquam è firmiſſima petra, teſtimonium accepit clariſſimæ ſuæ nobilitatis, & inuincibilis inter inimicos conſtantiæ. Nec Petro abſimilis erectus ille lapis inter Labam Gentilem, & Iacob Iudæum in teſtimonium æternæ amicitiæ, de quo lapide dicitur Geneſ.31. *Quod appellatum eſt nomen eius Galaad.* Cuius nominis ſignificatio apud D.Hieron. de locis Hebraïcis eſt, *aceruus teſtimonij, ſiue transmigratio teſtimonij*, vt iam inde oſtenderetur, quòd primarius Eccleſiæ lapis teſtimonia vniuerſa de Iudæorum regno. in filio Dauid ad gentium regnum in Chriſto filio Dei transire faceret.

Iſai.55.

Caſſiod.

Pſal.29.

Geneſ.31. Hieron.

Text. Reſpondens autem Ieſus dixit ei: Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt.

§. XII.

Præſtantes virtute filij maximam parentibus gloriam accumulant.

SImon vocatur à Domino Bar-Iona, hoc eſt, filius Ioannes, nec meritò inter Apoſtolicas laudes meminit Dominus parentis Ioannis; qui etſi dum Andream Petri fratrem genuit, videatur omnibus reuerendus, tamen vbi & Petrum etiam dedit Apoſtolatui, quaſi naturaliter videtur exigere poni inter Apoſtolicas laudes. Nobili viro Cypriano, qui filios patritios genuerat, ſic Theodoricus rex applaudit apud Caſſiodor. lib.8. variar.21. *Quando talium filiorum pater effectus es, natura ipſa videris eſſe Patritius.* Et quidem à natura parentis venire probatur, quòd vniformiter ſplendet in omnibus filiis. Et negèm Ioanni quaſi naturales eſſe Apoſtolicas laudes, quando Andream genuit, & Petrum Apoſtolorum principem. Imò de tantorum Apoſtolorum parente attexam, quod de Deciorum familia aſſeruit ipſe Caſſiod. lib. 3. variar.6. *Maximè ſerenitatis regiæ luminibus Deciorum ſanguis irradiat: qui tot annis continuis ſimul ſplendet claritate virtutis. Sæculis ſuis producit nobilis vena primarios, neſcit inde aliquid naſci mediocre: tot probati, quot geniti: & quod difficile prouenit, electa frequentia.* Sic in filiis clariſſimis gloria clareſcit patrum, & in Ioanne parente Apoſtolorum maxima innoteſcit præſtantia, quandoquidem ſeculis ſuis produxit nobilis vena primarios, dum ante Ieſum dedit Andream diſcipulum Baptiſtæ, & poſtmodum Ieſu prædicanti Petrum addidit, neſciuit equidem à tali patre exire aliquid mediocre, tot probati à Deo, quot ab illo geniti. Quanta hæc parentis gloria? Crediderim nullam maiorem gloriam temporalem parentibus poſſe attribui, quàm illam, quæ naſcitur ex præſtantia filiorum. Hac in primis gloria remuneratur a Deo ſponſa diuina, eo quòd populum, & parentes obliuiſcens vni adhæſerit Chriſto. Quippè ait Pſalm.44. *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, conſtitues eos principes ſuper omnem terram.* Paternam domum oblita propter Deum maximam ſpectaret retributionem gloriæ; ſed vide qualem retributionem accipiat, nimirum, quòd primarios parturiat: vt dicat D. Baſil. in cat. Græca: *In obedientiæ retributionem nunc pro patribus filios accipit, tot ac tantis dignitatibus excellentes, vt eos principes ſuper omnem terram conſtituat.* Conducit valde ad commendationem, & gloriam parentum præſtantia filiorum; túncque parentes ſibi magnam gloriæ retributionem acquirunt, cùm eos genuere filios qui virtute, & dignitate præcellentes fiant. Hinc monebat Prouerb. cap.29. *Erudi filium tuum,*

Caſſiod.

Idem.

Pſalm.44.

Baſil.

Prouer.29.

tuam, & refrigerabit te, & dabit delicias animæ tuæ; Septuag. magis ad rem: *& dabit tranquillitatem animæ tuæ* adeò enim ornani parentes suos filij conspicui, vt qui ob propriam vilitatem xtenio erant sepeliendi silentio, ob filiorum claritudinem in principum, & illustrium virorum catalogis appareant conscripti. Inter regales Christi Domini progenitores, prætermissis sanctissimis regalissimisque fœmi is distinctè scribuntur Thamar fornicatrix, Ruth Idololatra, Bersabee adultera, ut quo explicator quantum ornentur parentes ex filiis, quandoquidem tanta decora non valuerunt vmbris committere fœminas, quæ genuerunt tot regales filios Cur non nominetur illustrium virorum mater? Cur inter filiorum laudati ima facinora, appareat pa-
Genes. 4. ter conspicuus? Genes. 4. dicit: *Sed & Seth natus est filius, quem vocauit Enos. Iste cœpit inuocare nomen Domini.* Pro his vltimis verbis legitur ex Hebræo: *Hic sperauit inuocari nomine Domini.* Quam lectionem retinet Euseb. Emis. in cat. Lyppom. & D. Cyril. Alex. l. 1. Glaphyrorum putantes ex ea quòd Enos sperarit, imò obtinuerit vocari Deus. Ex
August. quo meritò dubitare possumus penè cum D. August. lib. 15. de ciuit. cap. 18. cur Enos potius sperarit vocari nomine Domini, vocari Deus, quam Abel? Sanctissimus Enos; sed forsan sanctior Abele? Absit, putarim enim Abelem sanctiorem fuisse Enos, vt qui nomine isti Abel insignitus fit ab ipso filio Dei. Cur ergo potius quàm Abel, sperauit Enos vocari nomine Domini, vocari Deus? Sanè Enos præterquam quòd ipse sanctissimus fuit, filios etiam genuit tanta virtute conspicuos, tot facinoribus religionis claros, vt dum ipsi habentur filij Dei, patrem suum Deum fecerit acclamari. Quippe quando Enos, totum diuinorum filiorum pater effectus est, quasi natura ipsa videtur esse diuinus.

§. XIII.

Caueas proprium cerebrum, qui veritatem cupit pertingere.

VEriſſimum Petri probat Dominus dogma, ex eo principaliter, quòd non in illo caro, & sanguinis acquieuerit, hoc est, propriis affectibus fuerit minimè ductus: quisquis enim proprio applaudit cerebro, mirum erit, si non
Ezech. 28. minetur ruinam. Ezech. 28. dicitur creaturarum sapientissimæ: *Perdidisti in decore tuo sapientiam.* Mirabar, quòd decor posset sapientiam sic perdere; & dum quæro, vnde decori adnasci potuit tantum aduersus sapientiam virus; statim incido in illud pronomen *tuo*, quippè non absolutè ait, *in decore*, sed *in decore tuo*, vt ostendatur sapientiæ virus, non de alio, sed de proprietate posse venire. Id quod acutè
Bernard. notans D. Bernard. serm. 74. in Cant. dicit: *Quid ille tam nostris, tamque perniciosus decor? Tuus. Propterea ait, Propriis, propriis. Denique si aduertis, non in decore, sed in decore suo dictum est ille perdidisse sapientiam.* Toties insipiens teddens, quoties propriis affectibus habueris fidem. Quis Petro sapientior, dum supra carnales affectus euolat, dum supra sua, & supra se ipsum leuatus filius Dei naturatem in finu patris valuit prospicere? Et quis insipientior ipso Petro, dum carni, & sanguini acquiescit dum propriis affectibus incipit seruire? Breuissimo temporis internallo, & sapientiæ suæ retributionem percipiens dicitur a Domino. *Beatus es Simon*; & post pauca insipientiæ mulctat supplicio audit: *vade post me Satana.* Vnde tam dura, & repentina mutatio? Vnde sapientiæ candidatus, tam cito in Sataniæ incidit stultitiam? Ipse animaduertere poteris, ex verbis in vtroque promissis; primò enim dixit ei, *quia caro, & sanguis non reuelauit tibi*; secundò autem penitùs additur: *quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum*; vbi humanos exit affectus sapientiæ tulit primas; at vbi carnali nixus affectu, circa vitam magistri illum a morte euertere cupiens, officium
August. arripit pastoris stultissimi. D. August. serm. 13. de verbis Domini secundùm Matth inquit: *Quia non caro, & sanguis tibi reuelauit, sed Pater meus, qui in cœlis est, de meo, non de tuo. Ec... consensum unde beatus, & quare Petrus. Quare autem Satana? Quare, nisi quia de tuo? Non enim sapis, quæ Dei sunt, sed quæ hominum.* Apage carnalis hæc sapientia, sine, vt meliùs loquar, stultitia, quæ affectibus propriis hominum innititur; hæc nunquam sciuit parere, nisi ruinam, nisi excidium.

§. XIV.

Mens humana carnalibus affectibus exuta, facili negotio se ingerit diuinis.

VBi caro, & sanguis non perstrepunt, quàm facilè cœlestis Patris vox ab anima percipitur. Beatus & felix Petrus, in quo carnales affectus fuerunt omnino con opiti? inde enim facili negotio arcana patris spirituali percepit
Rom. 12. auditu. Sapienter monebat Apostolus ad Rom. 12. *Obsecro vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra Deo hostiam viuam, sanctam.* &c. Expende quòd iubeat Apostolus exhiberi Deo hostiam, nimirum corpus: de anima prorsus siler. Cur non potiùs animam iubet exhiberi? Nónne anima potior pars hominis est? Nónne ipsa a Deo magis diligitur? Nónne iuberis Deum diligere ex tota mente tua, ex tota anima tua? Cur igitur de anima silens totus est Apostolus in obsecrando, & præcipiendo; vt corpus exhibeatur Deo hostia viua? Quia si semel corpus Deo mactes, si carnales appetitus exuas, vel facias consopiri anima facili negotio sese ingeret diuinis. Accipe Chrysol. ser.
Chrysol. 109. *Quid est, quòd taceatur anima, & solum corpus ad Dei hostiam sic vocatur? Fratres, hic Apostolus honorat corpus non minorat animam. Non eo pacto, quod captiuat peccat, quod delictis vinctum, quod deprimunt crimina, hoc Apostolus cupit soluere, liberat attollere, vt corpus ... ginem animæ conscendat, & corpus animum committeret ad cœlum.* Non dubitat Paulus de ascensu animæ ad Deum, dum ipsa à corporeis & carnalibus affectibus libera sit: ideo totus in corpore mactando, & subiiciendo occupabatur, vt ipsum possit animam in cœlum comitari, quam scit eo protinus ascensuram, cum
Psalm. 45. primum vacet carnalibus affectibus, & curis. Vnde Psalm. 45. *Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus.* vnam solam vacuitatem rerum temporalium, curarum, affectuum humanorum requirit, qua posita, statim mentis oculus sic acuitur, vt possit penetrare diuina. Ad hæc D. Basil. ex cap. 5.
Basil. Exodi dicit: *Nouit hoc & Pharao proprium esse hoc liberioris otio vacantium, vt Deum inquirant. Atque ideo opprobrauit Israelis, dicens: Vacatis, otiosi estis, et ideo dicitis, Eamus ut Deum nostrum adoremus.* Non difficile est, animum ad Deum reuocari, dummodò carnis opera vacent, dummodò affectuum negotia quiescant Sopiantur carnis affectus, ne perstrepant; & anima rapitur statim ad vocem Patris cœlestis.
Psalm. 41. Psalm. 41. *Effudi in me animam meam, quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei, in voce exultationis*, &c Prima verba sic apud Chaldæum sonant: *Effundam super me cogitationem animæ meæ* quasi hoc sit primum fundamentum ascensionis ad Deum, quòd cogitatio animæ superet affectus corporis; taceant hi semel & mortui, vel saltem sopiti permaneant: & ecce tibi de cælis vox resonat, qua ducta anima vsque ad diuinum penetrale ingredi non cessat. Do in præsenti August. fantem. *Abstrahens*
August. *se ob omni strepitu carnis, & sanguinis, peruenit vsque ad domum Dei. Quomodo peruenisti ad domum Dei? In voce, inquit, exultationis. De illa æterna, & perpetua festiuitate sonat ... quid canorum, & dulce auribus cordis, sed si non perstrepat mundus.* Sileat mundus, conticescat caro, & sanguis. & ecce in auribus cordis dulcissima Dei vox, qua ducta anima donius cœlestis peruenit ad secreta.

Text. Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersùs eam.

§. XV.

Retributio pro beneficijs acceptis non fit ab hominibus huius mundi.

NOn otiosè Dominus, dum facit Petro retributionem pro celebri diuinitatis suæ confessione, inquit: *Ego autem*, hoc est, ego, qui non sum de hoc mundo; ego ipse, qui de paterno sinu, vt fateris, descendi; non equidem alius retribuere benefactori meminit, nisi qui alienus ab eo seculo de cœlo descendit. Pro quo recole miraculum apud D. Lucam cap 17. peractum à Iesu Domino erga decem leprosos; hi dum irent ostendere se sacerdoti in via curati sunt Christi virtute: vnus autem illorum, qui alienigena erat memor tanti beneficij redit ad benefactorem, illi immortales gratias referens. Quid tunc Iesus?
Non

Non est inuentus, inquit, *qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena?* Cur solus alienigena efficaciter mouetur, vt aliqualem retributionem faciat pro beneficio accepto? Rationem reddit D. Anselm. ibi dicens: *Quia non inueniuntur, qui post acceptam veniam recordetur diuinæ pietatis, & ei gratias deuoto corde respondens perseueret in bonis actibus, nisi qui non sit ex filijs terrenæ Babylonis, sed ex filijs Hierusalem cœlestis.* Cœlestis sit, necessum est, & prorsus ab hoc mundo alienus, qui meminerit benefactori suo retribuere. Vnde Paul. ad Coloss. 3. priusquam gratitudinem persuadeat, proponit cum Iesu filio Dei incorporationem, quasi gratitudo proprius sit effectus illius, qui Dei filio incorporatus est. Quippe ait: *Pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua, & vocati estis in vno corpore: & grati estote.* Cùm sic pacificum Christum induatis, vt ei concorporei sitis, in vnum corpus cum eo coaliti, tunc iam grati estote: potest enim expectari à filiis Dei gratitudo, non à filiis huius mundi. Quippe Exod. 1. *Surrexit interea rex nouus super Ægyptum, qui ignorabat Ioseph.* Nemo sanè apparet in mundiali theatro, qui non debeat sic definiri, nimirum; qui ignorat benefactorem suum. Vnde sapienter Lyppoman. in cat. ait. *In hoc rege, qui non nouerat Joseph, id est, beneficia, quæ Ioseph contulerat in Ægyptios, obseruandi veniunt mores huius sæculi, in quo maxima inuenitur hominum ingratitudo. In rebus enim humanis ferè fieri solet, quod Pindarus ait in Isthmijs: Vetus beneficium obliuioni, & quasi somno traditur.* Non est huius temporis, nec huius naturæ benefactoribus retributionem impertiri. Sed tam propria est cœlestis, diuinæque mentis hæc pro beneficiis retributio, vt Deus ipse oblitus, quod dederit, ex eo velit agnosci, & celebrari, quod tribuerit. Cum Deo enim locutus Dauid Psalm. 115. ait: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Sola meminit, quæ retribuit Dominus, non quæ tribuit, cùm hæc sint in rigore omnia; est enim Deus munificentissimus, qui bona data nouit dare hominibus; & nemo est, qui ab illo non acceperit multa. Cur ergo silentur Dei exhibita nobis beneficia, & solum retributiones eius manifestantur? Is est Deus, qui velit, non tam ex beneficentia celebrari, quàm ex sibi propria gratitudine. Parum ab hoc abest D. Basil. hom. in martyrem Iulitam fatus: *Etenim magnificus dator Dominus, haudquaquam dictus est tribuisse, sed retribuisse, ac si ipse non cœpisset prior in nos gratiam conferre.* Hoc meminit diuina natura, quòd retribuerit; vt ex hac gratissima proprietate cognoscatur, non veretur innumera ab illo in nos beneficia priora profecta silentio occludere. Hanc diuinam indolem imitatur Theodoricus apud Cassiod. variar. lib. 1. cap. 12. *Nec benignitas nostra vna remuneratione contenta est, honorem geminat, & eo studio dona reparat, quasi debeat omnia, quæ præstat.* Sic diuini Regis laus non tam in dando, quàm in retribuendo est sita. Proh! quàm diuinus est, qui benefactoribus suis retributionem impendere studet? Quisquis huc peruenit, à terris excessit, summa virtutum culmina videtur attigisse. Genes. 29. de Lia dicitur. *Quartò concepit, & peperit filium, & ait: Modò confitebor Domino. Et ob hoc vocauit eum, Iudam; cessauitque parere.* Ecce tibi vbi cessant nasci terreni filij, nimirum vbi benefactori Domino gratiarum actio parturitur; hanc enim exprimit nomen Iudæ. Pro quo accipe pulchram cogitationem Philonis lib. de plantatione Noë, vbi inquit: *Ergo Iudas intellectus benedicens Deum, & gratiarum actionis hymnos indesinenter meditans, ipse re vera sanctus, & laudabilis fructus erat, non è terrenis enatus arboribus, sed è natura bona rationali. Quamobrem natura, quæ eum peperit, dicitur destitisse parere, quando non habebat, quò se verteret, iam ad perfectionis progressa terminum. Nam inter omnia rectè facta nullus partus est præstantior, quàm hymnus in Deum.* Non terrena natura, sed superior, sed ad culmen perfectionis progressa quæ sciuit meditari gratiarum actiones in Deum benefactorem nostrum: nec est, cur inde terrenorum dicatur mater, quæ adeò cœlestes exprimit conatus. Cessent iam filij terreni, vbi gratus in benefactorem animus creatur, à quo cœlestis, & diuina primogenies inseminatur.

Anselm.
Exod. 1.
Psal. 115.
Basil.
Theod.
Genes. 29.
Phil.

§. XVI.

Summa Petri altitudo expenditur.

VBi ad hanc Ecclesiæ Christianæ petram accedo, non qualemcumque petram intueor, sed altissimam refugij rupem, & celsissimum lapidem adiutorij, cuius culmen, & cœlum pertingit, & diuinitatis remotissima scrutatur secreta. Quò respiciebat sponsa, quando Ecclesiæ caput meditata, inquit Cant. 5. *Caput eius aurum optimum*; alij legunt, *aurum Cephas*, non enim in Ecclesiæ capite licet videri aurum, quod Cephas, hoc est, Petrum, non referat; nec petram licet videri, quæ aurea non sit. Sed quid inde quòd petra in capite Ecclesiæ posita aurea sit? Sanè inde ostenditur ingens sapientiæ moles, quæ altissima Dei secreta valeat pertingere, qualis sapientiæ altitudo in Petro fuit. Ad hæc D. Ambros. in Psalm. 118. serm. 15. ait. *Caput eius aurum Cephas, vnde & Aquila Petrum aurum dixit; Symmachus lapidem aureum, quod significat stabilem, eminentémque sapientiam.* Quis eminentiam sapientiæ Petri dicat? Quis huius aurei lapidis altitudinem penè infinitam explicet? In terris erat, & sic sese in altitudinem extulit, vt internam, & abstrusissimam diuini Patris loquelam valuerit percipere. Quam summam Petri altitudinem vt expendas, propone tibi ob oculos Paulum 2. ad Corinth. 12. de se fantem: *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim (siue in corpore nescio, siue extra corpus nescio, Deus scit) quoniam raptus est in Paradisum: & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Dei arcana, vt perciperet Paulus, ad cœlum raptus est, quasi è terris non posset ad illa pertingere. Id quod notans D. Ambrosius lib. 1. de interpell. cap. 9. ait. *Paulus audiuit aliqua secreta sapientiæ, quæ prohibitus est alijs intimare, & ideo raptus est in Paradisum, raptus vsque ad tertium cœlum, vt audiret ea, quæ in terris audire non poterat.* Itaque Paulus, qui in terris percipere abstrusa diuinitatis non poterat, supra tertium cœlum stabilitur, vt cominus illa percipiat. Verùm Petri, aurei lapidis tanta erat altitudo, vt in terris manens secretissimam æterni Patris loquelam perciperet, & inde procedens verbum nobis annuntiaret. Fallar nisi Petrum respiciat illud Isaiæ cap. 33. *Qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos ne videat malum. Iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius. Panis ei datus est.* Minimè audiuit Petrus carnem, & sanguinem, vnde adeò excelsus apparuit, vt rupium altissimarum refugia sublimitate sua superans viuificum panem, nempè Christum iam tenuerit. Non longè absumus à mente D. Gregor. 23. Moral. 25. vbi sic prædicta verba meditatur. *Quid est, obturare aures, ne audiant sanguinem, nisi peccatis suadentibus, quæ de sanguine, & carne nascuntur, non præbere assensum? Iste in excelsis habitabit: quia quamuis eum adhuc caro in inferioribus retinet, mentem iam in sublimibus fixit.* Hæc est aurei lapidis, nempè Petri altitudo, quæ superat altissimarum rupium cacumina, & terras non deserens altissima, & abstrusissima Dei patris arcana, siue generationis diuinæ murmura pertingit, illaque populis euulgat. Et quidem, vt ait Cassiod. lib. 6. var. 3. *Nemo amplius videtur erigi, quàm cui potuit Roma committi.*

Cant. 5.
Ambrof.
2. Cor. 12.
Ambrof.
Isai. 33.
Gregor.
Cassiod.

§. XVII.

Petri imperium inde firmum, quia in pace fundatum. Vbi de infirmis mundi imperijs.

ECce quanta bona Simoni Ioannis filio obuenerint, ex quo sanguinis, & carnis voces non audierit; & Patris arcana audiuit, & in tantam firmitudinem venit, quòd à Domino posset petra dici. Vtinam regnorum fundatores sic à carnis, & sanguinis vocibus abstinerent, absque dubio imperia, sine fine stabilirent. Reuoco ad examen nuper dictum Isaiæ locum cap. 33. *Qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos, ne videat malum. Iste habitabit in excelsis, munimenta saxorum sublimitas eius.* In Hebræo habes, *retia saxorum sublimitas eius.* Sed dubitas, quæ sit conuenientia inter munimenta saxorum, & retia saxorum? Retia linea sunt, aut lanea; munimenta autem durissimas requirunt species, quæ mortes possint repellere, sine inferre. Quid ergo valent retia ad munimenta? Multum equidem valent retia, si cum saxis fundamentalibus iungantur: vt fundent ædificium æternum. Dauid Saulis gladium pertæsus lapidem laneo funiculo iniecit, & primo laneæ fundæ rotatu gigantem prosternit, & regnum sibi acquirit æternum. Quid fortius laneis retibus cum lapidibus? Sanè retia saxorum sublimitas eius, inde imperium insuperabile Petri exaltari cœpit, à retibus lapidis huius primariæ Ecclesiæ. Iecit Dominus hunc lapidem, non ferro, & gladio vastantem, & conterentem, sed lineis, aut laneis retibus in se trahentem, & recipientem; & ecce tibi firmissimum inde surgit imperium. Pulchrè D. Leo serm. 1. de Petro, & Paulo componens Roman à Petro fundatam, cum

Isai. 33.
D. Leo.

cum Roma fundata à Romulo fatur. *Isti sunt, ô Roma, patres tui, qui te regnis cœlestibus inserendam multo melius, multoque felicius condiderunt, quàm illi, quorum studio prima mœnium tuorum fundamenta locata sunt: ex quibus his, qui tibi nomen dedit, fraterna te cæde fœdauit. Isti sunt, qui te ad hanc gloriam prouexerunt, vt sis gens sancta, populus electus, ciuitas regia per gratiam Beati Petri Sedem caput orbis effecta, latius præsideres religione diuina, quàm dominatione terrena. Quamuis enim multis aucta victorijs ius imperij tui terra, marique protulisti, minus tamen est, quod tibi bellicus labor subdidit, quàm quod pax Christiana subiecit.* Non duraturi imperij caducæque Romæ prima fundamina primi lapides vocem audierunt sanguinis, à ferro, à gladio surrexerunt, & per ferrum, & gladium inualuere, & miseras inde ruinas reportarunt. Verùm postquam reformatæ Romæ non sanguinarij gladij, sed retia saxotum, hoc est, Apostolica Petri retia iniecta sunt, multo fortior, & firmior, & potentior Roma de retibus, quàm de gladiis apparet. Fieri nequit, vt imperia sanguine fundata, æterna sint: quod præterquam, quod

Genes. 4. ipsa experientia testatur, manifestè patet ex 4. Genes. vbi Caim primus parricida insurrexit in fratrem, & occidit illum, terrámque eius sanguine impleuit. Quid inde natum est? Ita Dominus cædis vltor: *Nunc igitur maledictus eris super terram: quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua: cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos, vagus & profugus eris super terram*; siue, vt alij legunt magis in rem nostram, *gemens & tremens eris*, &c. A terra sanguine humano fœdata hic proprius fructus sine dubio parturitur, nimirum tremor, quo fortissima quæque ædifi-

Chrysost. ficia labant, & passim minantur ruinam. Ita D. Chrysost. in Psalm. 1. *Terram, quæ sitiebat pluuiam, sanguine irrigauit. Vnde etiam dignum fructum, nempe execrationem, & maledictionem produxit; sanguine enim inebriata tremorem genuit.* Tremula sunt, & vicina ruinæ, quæ sanguine fundantur imperia; nunquam enim terra sanguine satiata humano alios parturiuit potiores fructus, quam tremores, quibus decidant etiam firmissima. Ex quo lucem non paruam accipiunt Iesu verba dicta Petro percutienti auriculam serui Pontificis

Matth. 26. Matth. 26. *Conuerte gladium tuum in locum suum; omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Non quidem loquitur ad Petrum, in quantum ipse particularis homo erat, quandoquidem multi etiam sunt homines particulares, qui impunè gladium accipiunt, & hostem percutiunt. Sed loquitur ad Petrum, vt fundatorem, & conditorem Christiani imperij circa fidelium animas; quasi dicat generalissimam, & verissimam legem à Deo latam in omnia mundialia imperia, quæ vbi non habent aliud fundamentum, quam fundamentum gladij, & sanguinis effusi, sic tremula sunt, & sub gladio viuunt, & tandem finiuntur. Vnde Petrus fundator æterni, & duraturi regni, non gladios exerat, sed retia laxet, quandoquidem *retia sanorum sublimitas eius*; non iure belli, sed iure pacis stabilitur, & firmatur æternum

Coloss. 3. Ecclesiæ imperium. Quod respiciebat Paul. ad Coloss. 3 aiens: *Pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua & vocati estis in vno corpore.* Vocantur equidem populi in vnum regnum; sed non classicum sonat, non tuba personat bellica; sed pax alma sua exerit signa, & palmas duraturas ostendit. Pro quo stat D. Thom. lectio, dicens: *Et pax Dei palmam ferat in cordibus vestris*; quippè à sanguine belli caducæ parturiuntur victoriæ, à pace euangelica palmæ exaltantur perpetuæ.

§. XVIII.

Petri imperij auspicium ex incorruptibilitate iudicij.

PRæterea notandum est, vnde veniat Petrus ad hoc, vt sit Christiani imperij fundamentum, & caput Ecclesiæ; nimirum ex eo, quòd homo cùm sit, & filius hominis, & patres habens, & populum carnalem in ferendo iudicio de Christi operibus, minime audierit carnem, & sanguinem, nec vllo carnali studio ductus fuerit, sed nomine Dei Patris, sincerè, & fideliter veritatem profiteretur. Hæc sunt frequentissima auspicia Principis à Deo electi ad imperium, nimirum quod apud illum nullus carnalis valeat affectus, nulla notio à parentibus, à patria, à conuictu, sed sola secundùm Deum præualeat veritas. Propone modò tibi ob oculos Ioseph electum à Deo in Ægypti Regem, & administratorem tanti imperij, qualis indolis fuit nobilis hic adolescens? Vel ex vno facto eius licet conijcere: venditur à fratribus, traditur in carcerem ab emptore: seruus erat, & in carcere oppressus, Genes. 39. *Fuit autem Dominus cum Ioseph, & misertus est illius, & dedit ei gratiam in conspectu principis carceris. Qui tradidit in manu illius vniuersos vinctos, qui in custodia tenebantur, & quidquid fiebat, sub ipso erat, nec nouerat aliquid cunctis ei creditis.* Ecce tibi à carcerario cōstituitur Ioseph vinctus supra alios vinctos; & in hac quasi vmbra dominatur qualiter se gerit? Id notat textus, aiens: *nec nouerat aliquid cunctis ei creditis*, ex quo sibi creditos vidit vinctos, nihil singulorum nouit: non qui antea amicior, & familiarior, iam illi notus erat; cùm vmbratilem etiam potestatem accepit, simul, & omnes particulares notiones, & carnales exuit affectus. Pulchrè Rupert. lib. 8. in Genes. cap. 35. *Quia victis vniuersis sub manu traditis, nullius personam accipiebat, sed eadem sedulitate cunctis ministrabat, idcirco dictum est: Non nouerat aliquid cunctis ei creditis. Nam si personam acciperet, aliquid nouisset.* Ij meritò à Domino eliguntur in Principes, & iudices populi, quorum talis indoles est, vt nesciant aliud quid præter meritorum dignitatem respicere. De ipso Deo, qui essentialiter, & à propria natura iudex est, ait Ecclesiasticus cap. 35. *Dominus iudex est, & non est apud illum gloria personæ.* Expendenda est, & ponderanda hæc optimi iudicis definitio, nimirum, *non est apud illum gloria personæ*; hoc est, vt digna gloria videatur persona, non habet id, ex eo quod adiuncta sit Principi, nec ex aliquo alio Principi adiuncto, sed ex valore proprij meriti. Id quod pulchro exemplo explicabat Ægidius Diaconus lib. de regimine Principis, dum ait: *Ne sit specularis, sed opacus Princeps.* Natura speculi est, quòd referat colorum facies, sed si quæras, quas facies referat speculum? An pulchras, an deformes? An candido colore lucentes, an fusco? Sanè speculum parum curat has differentias, illa, quæ magis vicina, & adiuncta est speculo ab illo repræsentabitur, quæcumque sit, cæteris omnibus quauis excellentia præstantibus prætermissis. Dum Æthiops speculo adhæreat, Phœbum ipsum vincet, quia repræsentatio non agitur ex his, quæ ad valorem pulchritudinis conducunt, sed ex his, quæ apud speculum sunt. Optimus ergo iudex cauet, ne speculum sit, hoc est, ne apud illum sit gloria personæ; ne persona in eo gloriosa appareat, ex eo, quòd vicina, seu magis adiuncta sit; sed ex eo, quòd dignior. Expende modò, quales sint illi iudices, qui in præmiorum societatem eos solùm admittunt, qui compatriotæ, & vicini sunt; hi non à natura, non à Deo iudices sunt, sed ab artis humanæ malitia inuenti instar speculorum: quos autem facit, aut Deus, aut natura Principes, & iudices, non speculares, sed opaci existunt, qui nec vicinos agnoscunt, nec facilè contra veritatem franguntur. Quippe speculares illi, vt habent instar speculi, adiunctis, & vicinioribus præoccupari, sic similiter habent instar speculi vitreos esse, & vel leui munere corrumpi. Id quod affirmat veritas ipsa Prouerb. 28. *Qui cognoscit in iudicio faciem, non bene facit iste: & pro buccella panis deserit veritatem.* Nouit equidem spiritus diuinus affectus humanos, & qualiter inter se coniuncti sint, & is asserit hæc duo esse connuncta in malo iudice, & cognoscere faciem, & pro buccella panis deserere veritatem. Hæc dixit memorans Hispanam iuuentutem, quæ in Collegiis Academiarum nutritur, vt inde in iudices, & populorum principes euadant: in quibus rarus est, qui boni iudicis specimen tribuat; si enim eorum abusus in admittendis sociis spectes, omnes iudices speculares sunt: non enim principaliter admittuntur ex meritis, sed ex adiunctis; quòd si quæras, cur potiùs hic, quàm alius admissus est? Respondet veritas ipsa, quia hic vicinus erat, & conterraneus iudicum illorum integerrimorum. Inter hæc vitrea specula, inter hæc iudicia, seu potiùs iudicum corruptelas nutriuntur Hispaniarum iudices, & ab ipsis cunabulis acceptio personarum intimis medullis imbibitur. Sic clarissima iustitiæ cunabula, quæ tot præstantissimos iudices, & Principes dare non cessant, metui potest, ne ob hos terrenissimos, & iniustissimos affectus sordescant penitus, vt nihil inde fulgidum, nihil decorum, nihil illustre prosiliat. Porrò iudex, qui respicit faciem personæ, vocatur, Prouerb. cap. 25 *fons turbatus pede, & vena corrupta.* Turbatur equidem fons iustitiæ manu, cùm iudex muneribus corrumpitur; verùm tùm his terrenis affectibus ducitur, turbatur pede: nec dubium, quin minus indecorum fonti est, turbari manu aurea Principis bibentis, quam pede muli, aut belluæ transeuntis. En iustitiæ clarissimus fons, qui se sinat turbari, & non, vt aurum accipiat, sed vt muli, & belluæ ad præmia transiliant, ea ratione, quòd viciniores sunt iudici? Et quàm turpis sit hic fons turbatus, & quam pulcer,

Genes. 39.

Rupert.

Ecclesi. 25.

Prouer. 28.

Cassiod. pulcer, dum purus est, & per purissimos canales transit, quis non videat? Meritò Cassiodor. lib.12. variar.11. distributores regalium munerum sic notat: *Mutant enim quaslibet largitates rapientium manus. Et sicut fontis puritas per limosa corrumpitur; sic affluentia boni Regis auaris distributionibus immutatur. Aurum ipsum, cùm soluitur in liquorem, nisi mundissimo caliculo suscipiatur, inficitur; quando puritatem sui illa sola custodiunt, quæ nulla sordium admixtione sufcantur. Quàm gratum per niueos caliculos riuulos videre currentes; & ipsam quodammodo naturæ liberam ridere puritatem, quando in nullis maculis iniuriata turpatur? Sic dona rerum Domini, nulla debent pollutione fuscari: sed sicut ab ipso exeunt copiosa, ita debent ad Romanos peruenire purissima.* Sic ille, pulchris similitudinibus exprimit iustitiæ puritatem in distributione præmiorum: vt enim turpescunt, & sordent aurea ipsa flumina, cùm per limosa, & pulverea transmittuntur vasa; sic præmia, quæ distribuenda proponuntur, vbi per terrenos affectus transeunt, omnem splendorem & decus amittunt.

§. XIX.

Id apud Deum quisque est, quod ipse operibus exprimit.

INter mutantes vulgi opiniones de Christo Domino, Simon Ioannis filius inconcussam fidei firmitatem ostendit, vnde petræ referens virtutem Petrus à Dei filio dicitur, penes quem id quisque valet, quod ipse suis operibus exhibet. In duobus primis fratribus id euidenter ostenditur, quorum alter à supremo iudice inter agnos reputatus est, alter quasi palea, & stipula æternis traditur ignibus. Genes.4. Sed vnde Abel inter agnos habetur? Genes.4. *Abel obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum.* Agnum Abel obtulit Deo, Cain culmos penè, sine fructu: inde Abel agnus inter agnos habetur, & Cain vt stipula inter zizaniorum fasciculos. Chrysol. Sapienter D.Chrysolog. serm.109. *Abel agnum portans ad Dei sacrificium, sicut agnus assumitur: Cain gestans sibi stipulam, fermentum fini, per quod exuretur, inuenit.* Eu, quàm fallitur, qui putat aliud esse apud Deum, quàm sunt ipsa munera, quæ Deo exhibet! Ex his, quæ Deo præstas, muneribus, prorsus censeris; si stipulas Deo exhibes, stipula ex ignibus apta; si fortia, & inconcussa opera offers, petra es æterno ædificio reponenda. Tua te munera Psalm.28. exhibent, qualis sis. Vnde Dauid Psalm.28. sic clamat: *Afferte Domino Fily Dei, afferte Domino filios arietum.* Quibus Chrysol. verbis meritò addubitat Chrysolog. serm.10. an fieri possit, quòd homines vocentur, & sint Dei filij? *Putas ne, ait, cœlestes taliter appellat iste virtutes? aut homines Dei aptat in filios? & terrenam carnem cœlestem subleuat ad naturam?* Magnum quidem, quòd carnei homines Dei appellentur filij. Et vnde potuit vates in talem cogitationem venire, quòd homines filios Dei esse putet? Ex eo, quod dicit, *afferte Domino filios arietum*; fieri enim nequit, quòd qui ex agnis possunt offerre Deo filios, non sint & ipsi Dei filij, quandoquidem censetur quisque ex munere, quod Deo præstat. Origen. Quod meditatus Origen. in cat. Græc. sic tandem finit: *Paulus sanctus Filius Dei per Euangelium factus est. Genuit autem filios, & hos Deo attulit.* Inde filius Dei ipse, quia Deo dedit filios; & qualia fuerint, quæ dederis Deo munera, talis es tu.

§. XX.

Bona quæ à Deo in homine laudantur, & vera, & permanentia sunt.

CVr Simonis virtus Petræ nomine non insignitur? Petrus est, qui à Deo laudatur, & marmori insculpuntur, quæcumque virtutes in homine diuinas merentur laudes audire. Vnum pro mille obiicio Iobum; quis in virtute firmior, & constantior? Quis magis marmoreus, & æneus, vt vitiorum repellat, & tentationum iacula? Nónne ipse miratus incredibilem vim ingruentium calamitatum aiebat; *nunquid caro mea ænea est?* Et quidem æneus, & marmoreus stetit inter tot tentationum impetus: sed scire cupis, vnde Iobi virtus incepit sic lapidescere, & mar- Iob.1. morea effici? Ante omnes viri congressus, sic cap.1. audio Deum differentem eum hoste: *Nunquid considerasti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra, homo simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo?* Hinc non mirabor, quòd Iobi efficiatur marmorea virtus, quandoquidem virtutes in homine à Deo laudatæ, sic confirmantur, vt instar marmorum indurescant aduersùs omnes contrarios impetus. Do pulchra D.Chrysost. verba in cat. Græca, vbi sic. Chrysost. *A cunctis hominibus, omnique terrarum orbe contemni, quid tandem obfuerit, si is, qui Angelorum Dominus est, nostrarum rerum laudator, ac præco fuerit? Contrà quid iuuerit à terrarum, & maris cunctis incolis prædicari, de nostris laudibus Deo silente? Id igitur ipsi semper spectemus, vt de nobis prædicet Deus id, quod si nacti erimus, quamuis in nos vniuersa, quæ sensu hauriuntur, mala sese effundant, cunctis tamen erimus superiores. Quandoquidem Iobus, qui residebat in stercoris domicilio, qui intolerabilia perferebat, qui sputo à seruis fœdabatur, qui egestate, fame, morbóque insanabili conflictabatur, felicitate cunctos superabat.* Nulla mala, nullus calamitatum tentationúmque impetus valebit aduersùs virtutes in homine à Deo laudatas. Hoc age, non vt ab hominibus lauderis, sed vt merearis laudes diuinas: etenim hæ vbi exhibentur, non solùm veræ sunt, sed & veritatem efficiunt, & confirmant. Vnde felicis hominis describens Paul. laudes ad Rom.2. ait: Rom 2. *Cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est.* Meritò canet laudes ex hominibus, vt quæ inconstantissimæ sunt, & materiam habeant motibus crebris expositam: at laus, quæ à Deo venit, solida, inconcussa, & instar marmoris firma manet; efficit enim laus Dei, & confirmat id quod laudat. Anselm. ibi. *Non ex inani vocabulo laudatur ab hominibus, sed* Anselm. *ex intima veritate à Deo; qui per suam gratiam præstat ei, vnde laudari possit, & dicere: In Domino laudabitur anima mea.* Sunt hominum laudes inania vocabula: laudatur quis ab hominibus, & dicitur cœlum, Sol, Deus; quid magis inane? Proh vocabulorum inanitatem! vocabula sunt ista, nihil omnino rei habent. Verùm qui à Deo laudatur, quidquid dicitur, verè dicitur, & efficitur, & in eo confirmatur. Si de constantia, aut robore fidei, v. g. à Deo lauderis, sic robustus efficeris in veritate, vt instar durissimi lapidis, vel rupis, rideas quantumuis furentes fluctus mundialis maris. Vnde Chrysost. hom. 2. in epist. ad Titum sic monebat. Chrysost. *Non prohibeo gloriam appeti, sed illa, volo, ambiatur, quæ vera est, quæ ex Deo est: cuius laus, ait Paulus, non ex hominibus, sed ex Deo est. Vnum intueamur, solùm ad id nostra dirigatur intentio, quæ scilicet pacto Deo mereamur ore laudari. Si hoc intentè inspiciamus, humana semper omia nihil æstimabimus.* Planè, vt fluctus furentis maris pro nihilo æstimantur ab stante rupe; sic homo his operibus confirmatus, quæ Dei laudes eliciant, humana omnia, siue aduersa, siue prospera, facilè despiciet.

Text. Et tibi dabo claues regni cœlorum. Et quodcumque ligaueris super terram, &c.

§. XXI.

Deus non patitur, quòd homines parum fidant eius immensæ liberalitati.

SAtis se erga homines Dominus liberalem probari vult, quando inter homines linquit omnium suorum bonorum, cœlestisque thesauri claues. Et quidem, qui bona sua promittit, & simul eorum tradit claues, non patitur de sua liberalitate dubitari. Ea, quorum claues tecum habes, nullique communicas, minimè effundere vis: sic Apoc.1. timo- Apoc.1. re concussum Ioannem Dominus alloquitur, *Noli timere, ego sum primus, & nouissimus, & viuus in sæcula sæculorum, & habeo claues mortis, & inferni.* Dicit se habere claues mortis, & inferni, & nequit timeri; imò Domine inde Ioannes te magis timeat, quia apud te videt claues mortis esse. Cur non timeat regem habentem claues mortis? Dum Rex apud se claues seruat, nullique illas committit, proculdubio nihil eorum, quæ talibus clauibus concluduntur, patietur effundi, patietur tamen effundi omnia, quorum claues alteri committit. Inde cap.9. dicitur: *Vidi stellam de cœlo cecidisse in* Idem. *terram, & data est ei clauis putei abyssi, & aperuit*, &c. vt ex hac clauis traditione nullum relinquatur dubium, quin effundenda essent vniuersa mala putei super mundum. Similiter cùm bonorum claues traduntur hominibus, explicat Dominus quàm amet magnificum, & liberalem haberi, imò quàm ægrè ferat, quòd quis eius liberalitati non penitus committat. Non equidem patitur de liberalitate erga homines contendere, dum vel ante petitiones iam bonorum omnium claues committit. Hinc est, quòd tam exactè curat solicitudinem bonorum habendorum ab hominum cordibus resecare: Matth.6. *Ne soliciti sitis animæ* Matth.6. *vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini.*

Sed cur hæc ſolicitudo tam hominibus, vt apparet, neceſſaria, ingrata Deo eſt? Cur offendat Deum ſolicitudo, quæ dat hominibus viuendi commoditates, & affatim miniſtrat bona temporalia, ſine quibus vita non agitur humana? Inde in Dei conſpectu crediderim hanc ſolicitudinem elaudicare, quia bona quærens hominibus, aliquam æmulationem, & contentionem videtur inferre diuinæ liberalitati, quaſi hæc non ſatis dediſſet. Id quod acutè notat Tertull. (Tertull.) lib. 4. in Marc. fatus: *Qui enim nollet curam nos agere animæ de victu, & corpore de veſtitu, niſi qui iſta homini antè proſpexit: & exinde præſtans, meritò curam eorum tanquam æmulam liberalitatis ſuæ prohibet.* Nunquam Deus tolleret curam, & ſolicitudinem de habendis bonis, niſi omnia ipſa priùs patentiſſima propinaſſet: at poſtquam bonorum traditis clauibus theſauros ſuos apertos habet hominibus, non patitur, non fert, quòd homines minus fidant eius liberalitati, & quamcumque habendi ſolicitudinem, vt æmulam, & aduerſariam diuinæ munificentiæ inſectatur. Cur de bono habendo ſolicitetis, cuius claues Deus tradidit, & oſtendit apertum theſaurum? Sanè fideliſſimus ille Abraham, vbi patentiſſima Dei beneficia cœpit guſtare, ſic ſe eius liberalitati commiſit, vt vel ipſas diuinas promiſſiones non curaret, quaſi nihil iam Deus promittere poſſet, quod non ſit homini præ omnibus. (Geneſ. 15.) Sic Geneſ. 15. vbi Dominus ingentes adhuc mercedes Abrahamo promittit, reſpondit ipſe: *Domine Deus, quid dabis mihi?* A Deo quærit, quid dabit, non dubitans de promiſſione, ſed Dei extollens infinitam liberalitatem, qui ſic omnia ſua profudit in hominem, vt videatur nihil in cœleſti theſauro contineri, quod homo iam non habeat præ manibus. (Phil.) Ita commentatur hæc verba Philo lib. Quis rerum diuinarum ſit hæres; vbi ſic fatur. *Quid mihi dabis? Non dubitantis eſt verbum, ſed gratias agentis pro acceptorum beneficiorum magnitudine. Quid mihi dabis? Nam eſt, quòd ſperem prætereà? Copioſa ſunt ô magnificentiſſime, tuæ gratiæ, nullis circumſcriptæ terminis, aut modum, nec finem habent, fontium more inexhauſtæ, & ſubſcatentes perpetuò.* Antiqua fuit Deo liberalitas, qua nihil ſuum nouit retinere, ſed omnium bonorum fontes ſic effudit, vt fieri nequeat, quòd homo aliquid boni poſſit requirere, cuius præ manibus non habet a Deo copiam: quandoquidem bonorum omnium relictæ ſunt apud homines claues.

CAPVT III.

De octo beatitudinibus.

CELEBRIS adeſt nobis ſermo factus à Domino in monte, qui à Matthæo cap. 5. & a Luc. cap. 6. recenſetur; licèt neuter omnia illius plenè explicet, vterque tamen attingit præcipua. In primis beatitudinis, & felicitatis vias, quarum quatuor ſummatim attigit Lucas, octo exprimit Matthæus, nimirum paupertatem voluntariam in Dei gratiam; humilitatem, inſtar Chriſti, qui mitis eſt, & humilis corde; lachrymas, iuſtitiæ ſemen; miſericordiam; cordis mundiciem; pacem; perſecutionum tolerantiam. His octo viis in felicitatem, & beatitudinem aſſerente Dei filio currimus. Quis non arripiat vias, quarum finis ſit beatitudo, & æterna felicitas?

Matth. 5 Videns autem turbas aſcendit in montem, & cùm ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, & aperiens os ſuum docebat eos, dicens: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.

§. I.

Prælatus is ſit, qui habeat doctrinam ſuam, non qui egeat emendicare alienam doctrinam, & vigilias.

PVlchrè princeps prælatorum Ieſus dicitur aperuiſſe os ſuum, vt qui proprium os, & doctrinam ſuam habebat, notans inde prælatos, qui nihil de ore ſuo, ſed omnia de alieno ore ſubditis nouerunt miniſtrare. Calamitatem Iudæorum deſcribens Iſaias cap. 3. (Iſai 3.) inter alia fatur: *Apprehendet enim vir fratrem ſuum, domeſticum patris ſui; veſtimentum tibi eſt, princeps eſto noſter, ruina autem hæc ſub manu tua. Reſpondebit in illa die, dicens: Non ſum medicus, & in domo mea non eſt panis, neque veſtimentum: nolite conſtituere me Principem populi.* Meritò ſe principatu indignum iudicat, cuius in domo non eſt doctrinæ panis: quando enim alia ſuppeterent, quibus ſubditos regere poſſis; tamen dum panem ex te, & in domo tua non habes; ſed illum ab aliis emendicaturus ſis, ex hoc ſolo debes timere plurimum prælaturam ſcandere. Vnde ſapienter D. Baſil præfata verba commentans, ait: (Baſil.) *Abſit, vt contingat in creatione præſulum Eccleſiæ, vt vnus aliquis plebeius æque vilem apprehendat, nimirum, vnde vti emendicare cogatur ſpirituales dapes, & ne in domo eius ſuppetant, hoc eſt, in arcano receſſu cordis ſui non habeat panem verum, ac viuentem, qui confirmare poſſit cor hominis.* Valde fœdum eſt in quouis prælato, quòd tanta panis doctrinæ penuria afficiatur, vt prorſus ipſe vacuus cogatur hunc panem emendicare ab aliis; & nihil doctum, nihil ſapiens in ſe oſtendere, niſi alienum, & commodatum. Acutam ſecurim habebat Prophetarum filius, qui ſyluarum ſecabat ligna, & fortè dolabat; ſed dum ſectioni inſtat, ſecuris è manu in fluuium proximum proſilit. Quid tunc? Ait text. 4. Reg. 6. quòd ipſe clamans aiebat. *Eu, eu Domine mi, & hoc ipſum mutuo acceperam.* (4. Reg. 6.) Perditur in hominis manu commodatum acumen, & incepto negotio, ad quod accommodatum acceperat, fœda perditione explicatur ſecuris, non ſua, ſed aliena fuiſſe. Quod notans D. Nilus in Aſcetico, ait: *Id illis accidit, qui quæ malè didicerunt, docere conantur, & finem optatum aſſequi nequeunt, qui non ex proprio habitu loquuntur.* Planè qui prælaturæ ſedem ſcandit, aliena ſapientia nixus, aliena miniſtrorum doctrina ſuffultus, non abſimilis eſt huic Prophetæ filio ſecanti ligna aliena ſecuri, in cuius perditione neceſſum fuit fœdo dolore alienum manifeſtari acumen, & propriam penuriam. Sæpiſſimè in prælaturæ officio perditur oleum, & opera; quia tardò ſudor doctrinæ, & ſapientiæ acumen proprium eſt in Prælato, ſed alienum, & ab aliis commodatum. Cùm autem reuelatæ fuerint hæ perditiones eu quanto dolore, quanta, & quam fœda verecundia dicent in conſpectu iudicis: Eu, eu Domine mi, & hoc ipſum mutuo acceperam. Prælati propria vox, & doctrina, & induſtria maiorem habet efficacitatem ex Deo ad perficiendos ſubditos; quare Prælatus, qui nil nouit exhibere proprium in voce, in cura, in doctrina, & ſapientia, ſed omnibus his alienis vtitur, metuat, ne in horum perditione cogatur flere propriam egeſtatem, & penuriam. Vnde Doctorum Principes deſignans ſponſus iuxta paraphraſim Caldaicam, ait Cant. 7. *Vmbilicus tuus crater tornatilis nunquam indigens poculis.* (Cant. 7.) Nunquam enim non turpis eſt Prælato indigentia diuini laticis, & quòd doctrinæ pocula cogatur emendicare ab aliis, ſed ipſe habeat ex ſe illius plenitudinem, vt dicat D. Ambroſ. epiſt. ad Irenæum circa cap. 16. (Ambroſ.) Exodi: *Vmbilicus tuus crater tornatilis; eſt enim in omni doctrina tornatus, & potus ſpiritualis, non deficiens plenitudine, & cæleſtium ſcientiarum cognitione.* Quicunque ad doctrinam populi Princeps conſtituitur, ex ſe plenitudinem habeat, ex ſe effundat ſalutaria pocula; indignum erit, quòd ſemper factus indignus aliena emendicet. Huc etiam reſpiciebat præceptum illud diuinum ad Ioſue cap. 5. *Fac tibi cultros lapideos, & circumcide ſecundò filios Iſraei.* (Ioſue 5.) Cur ad hanc circuncisionem petuntur cultelli lapidei, cùm tot enſes, tot gladij, tot pugiones ferrei ſuppeterent Iſraëlitis? Nónne longè promptius fieret circuncisio his ferreis, quàm illis lapideis? Cur ergo lapidei deſiderantur, & ferrei reiiciuntur? Inſinuabatur iam animorum circuncisio, quæ per diſciplinam Prælatorum fit, quæ non tam aptè exprimitur ferreo, quàm lapideo cultello; enſis enim, & gladius ferreus acumen ſubtile, quo ſecare poſſet, minimè ex ſe habet, ſed ex adiuncto ſibi chalybe acquirit, ideo reiicitur, vt minus aptus, quando animorum vitia non benè reſecantur a Prælatis per emendicatam, & alienam doctrinam. Id quod animaduertens D. Hieron de vera Circunc. (Hieron.) ait. *Ioſue repromiſſionis ingreſſurus terras, cultellos animorum non in enſe ponit, ſed de caute facit, vt ex ſe habeat petrinus, quod ferreus habet aliunde.* Quippè parum ſemper proficient Prælati in animis ſubditorum poliendis, & perficiendis per alienum, & emendicatum doctrinæ acumen, quandoquidem vna paſtoris propria vox plus valet, quàm centum ora, centúmque aliorum linguæ.

§. II.

§. II.

Damnatio, & maledictio hominum ferè non est, vbi aurum non est.

CVr pauperes spiritu non beati? Cur cœlestia regna non habeant? Cur primi benedictionibus non subiacerent? Sanè in illis aurum non est; & vbi aurum non est, benedictio est, maledictio, & damnatio non est. Apoc.17. *Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas, cum qua fornicati sunt reges terræ.* &c. Damnatio miserrimæ fœminæ, & maledictio ostendenda promittitur, quòd si ostendi amplius cupias, quali exeat habitu misera hæc, vt damnationem, & maledictionem suscipiat, pergit inde aiens: *Et mulier erat circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso*, &c. Qualis hic habitus ad damnationem suscipiendam? Cur non potiùs cilicino sago operta, quales apparere solent, qui ad mortis damnationem currunt? Quare vt maledictionem suscipiat, magis inaurantur auro, & lapide pretioso? Equidem non potuit in damnatione aurum abesse; vbi enim aurum non esset, non esset maledictio damnationis. Pulcrè Tertull. de cultu fœminar. inquit. *Illa ciuitas magna, quæ super aquas multas præsidet, cum prostitutæ à Domino appellationem meruisset, quali habitu appellationi suæ comparata est? Sed & certè in purpura, cum coccino, & auro, & lapide pretioso, quæ maledicta sunt, sine quibus non potuit maledicta describi.* Tolle aurum, & ferè nequit esse damnatio, & maledictio; aurum est maledictionum seminarium, vt dicat Prou.3. *in sinistra eius*, nempe Dei, *diuitiæ, & gloria*; in sinistra Dei maledicendi erunt, ibi enim tanquam in proprio loco erunt maledictiones vltimæ, indeque in damnatos prosilient; sed & ibi diuitiæ, & aurea mundialium gloria, sine quibus nulla potest constare maledictio. Ecclesi.c.31. *Lignum offensionis est aurum sacrificantium: væ illis, qui sectantur illud.* Sic auro associatum est & væ, & maledictio; nefarissima fuit auri fames, quæ Iudam in magistri venditionem coëgit; sed quis dicat, quot maledictiones traxit in miserum venditoris caput? Psal.108. proponit tibi triginta maledictiones, nec vnam minus, omnes eiaculatas in Iudam. Sed cur non amplius quàm triginta? Nónne scelus fuit omnium maximum? Nónne supererant mille aliæ maledictiones, quæ similiter eiaculari possent in miserum? Equidem supererant mille aliæ maledictiones, sed non sunt eiaculata plusquam triginta, quia non fuerunt plusquam triginta aurei, vel argentei, quibus captus fuit venditor miser: & vbi aurei, argenteíve defecerunt, non progressa est maledictio. Rupert. lib.1. in Sophoniam cap. 1. ait. *Secundùm numerum argenteorum, quibus & ille vendidit, & illi sanguinem Domini emerunt, triginta maledictionibus inuoluti sunt, tam emptor, quàm venditor, quarum Psalm.108. prima est, Constitue super eum peccatorem: vltima, & operiatur sicut diploide confusione sua.* Quousque peruenit aureorum numerus, peruenit & numerus maledictionum; nec hæ ampliùs progredi potuerunt. Ibi sistit maledictio, vbi aurum sistit; quia vbi aurum non est, maledictio raro, aut nunquam est. Desinat aurum, & non erit maledictio, imò & benedictio habebit effectum suum. Iacob iam moriturus videns coram se paruulos, nepotes suos filios Ioseph, hanc illis benedictionem mandat loco testamenti Genes.48. *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis, & inuocetur super eos nomen meum, nominaque patrum meorum*, &c. Hæc Iacob nepotibus mandat: sed miraberis, cur bonus auus nepotibus adeò dilectis nihil temporalium bonorum dari iubet. Quis auus puerulo dilecto non mandat, vel vasculum, vel aurea crepundia? Et hic bonus nil horum meminit, dum dilectos nepotes relinquit. Sanè sapienter, vbi illis benedictionem Dei imprecatur, cauet, nec nimirum auri munusculum, nec pecuniarum sagum meminisse, quasi non bene conueniant aurum, & Dei benedictio. Vnde monebat omnes D.Chrysost.hom.66. in Gen. *Ne igitur operam nostram in colligendas opes collocemus, quas relinquamus filijs; sed doceamus eos virtutem, & benedictionem Dei illis imprecemur.* Expende, ex illis, *sed doceamus*, &c. Quasi benedictio Dei aduersaria sit pecuniis, ita docet curam à pecuniis acquirendis tollendam, vt possimus diuinam benedictionem imprecari. Vnde D.Bernard.serm.3. in Psal. *Qui habitat*, inquit. *Vos autem fratres mei, vos pennati, ante quorum oculos frustrà iacitur rete: Vos qui diuitias huius sæculi penitus reliquistis, quid timeatis à verbo aspero, quoniam iam liberati estis à laqueo?* Timeant verbi asperi maledicta, qui auro incubant, verùm qui aurum exuerunt, vix habent, quod timeant.

Apoc.17. *Tertull.* *Eccles.31.* *Rupert.* *Genes.48.* *Chrysost.* *Bernard.*

§. III.

Ferè nulla res sic impedit impleri diuina promissa, vt impedit aurum.

NOn multum detinetur pauperum spiritu præmium, sed statim in regno sunt; ipsorum enim non erit de futuro, sed est de præsenti regnum cœlorum. Nullum temporis spatium, nulla media dilatio; si pauper es, regnum habes in manu. Et quidem non est, vnde pauperum præmium promissum dilatetur, quandoquidem aurum est, quod currentes detinet, ne brauium acquirant; aurum est, quod promissa cœlestia morari facit, ne citò veniant. Christianè satis Tertull. lib. de cultu fœm. ait: *Ne dilexeritis aurum, in quo prima delicta populi Israelitici denotantur. Retinacula ista sunt spei nostræ.* Quid non sperarunt Iudæi ex Deo? Quid nos Christiani non speramus? illi sperarunt Saluatorem, nos speramus salutem: illi ducem sperabant, nos iam expugnatum cœlorum regnum speramus; sed quæ res potest tales promissiones morari? Præcipuè aurum, bonáque mundialia. hæc sunt retinacula spei nostræ: hæc à nobis elongant diuinas promissiones, ne citò citiùs impleantur. Apud Daniel.2. celebris est illa imago in somnis obiecta regi Babylonio, cuius caput aureum, pectus argenteum, cætera siue ærea, siue ferrea; quippe in his metallis mundialia regna figurabantur regno Christi contraria, & opposita, quæ tandem à lapide deciduo, sine manibus conteruntur. Sed iam expendendum est, cur regna, quæ opponebantur venturo Christi regno, aurea, & argentea proponuntur? Cur non potiùs ignea, sulphurea proponuntur, vt vel aspectu ipso regnū quatiant? Sanè hoc nitebatur diabolus, vt promissio de regno cœlesti futuro omnino impediretur, ne appropinquaret; ad quod nulla res aptior videbatur, quàm aurum, quàm bona temporalia, vt quæ sunt retinacula spei Christianæ. Rem attigit Rupert. lib.6. de Vict. c.17. aiens: *Quia videlicet hic auro, illic argento armatus nitebatur diabolus præpedire, ne adimpleretur promissionis verbum.* Non flammanti igne diabolus armatus, sed auro, sed argento, vt sese opponat diuinis promissionibus; quasi nullo magis longè fiant à vobis, quàm auro. Tolle aurum, & rapidissimo volatu ibis ad diuina. Matthæus lucris insederat, argenteóque laqueo omnino obuolutus erat, sed pertransiens Iesus illum vocans, ait: *Sequere me, & surgens secutus est eum.* Cur tam ocyor volat in Christi sequelam? Cur non magis tardat, cunctatur, rem examinat? Sanè vox Christi aurum à corde eius exsufflauit, vincula aurea rupit, quò nullum impedimentum mansit, quominus rapidissimo cursu iret in diuina. Prorsus Chrysol. ser.29. inquit: *Generosus animus, ex quo magna putaras, facile & quasi nulla contempsit: à lucris, vt se sensit, & vidit liberum, sic raptus est ad diuina.* Vbi aurum à corde exclusum fuit, defecere retinacula nostræ spei, & ruptis impedimentis rapidissimo cursu fertur homo ad possessionem diuinam. Videre cupis rapidissimum hunc cursum, siue volatum? Psal. 67. ait: *Erunt pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri.* quasi pennatus ocyssimè ad diuina rapetis; natæ enim sunt tibi pennæ, quæ velocissimo te extollunt volatu, sed pennæ, quæ aurum retro relinquunt, & posteriora dorsi eius in pallore auri. Cui enim aurum non ob oculos est, sed retrò relinquitur, non mirum, quòd ei adnascantur pennæ, quæ nesciant tardare in acquirenda diuina substantia. Ad hæc D.Bernard. ser.4. in Aduent. ait: *Magna quædam penna est paupertatis, quæ tam citò volatur in regnum cœlorum. Nam in alijs virtutis promissio futuro tempore indicatur: paupertati non tam promittitur, quàm datur.* Vbi aurum retrò reiicitur, non est impedimentum; paupertate pennatus volas, omníque rupta mora, cœleste regnum habes.

Tertull. *Rupert.* *Chrysol.* *Psal.67.* *Bernard.*

§. IV.

Gloriosum est, quòd aurum ex affectu, & amore Christi contemnas.

QVid beatius? Quid gloriosius, quàm studio diuini amoris aurum contemnere? Ecclesiast. cap.31. *Beatus vir, qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecuniæ thesauris. Quis est hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua. Qui probatus est in illo, & perfectus inuentus est, & erit illi gloria æterna. Qui potuit transgredi, & non est transgressus.* Hugo sapienter addidit, *non timore, sed amore*; quippe totum hoc miraculum, tota gloria, & beatitudo hominis aurum contemnentis, in eo sita

Eccles.31.

sita sit, quòd illud contemnat hoc vnico amoris diuini affectu. Pro cuius explicatione do verba Cassiodori munera Cassiod. aurea respuentis lib. 5 var. epist. 44. vbi ait: *Negligatur aurum, vbi electum est conscientiæ præmium: patiatur aliquando repulsam, quod semper omnia regibus imperauit. Ita quod per bella solebat quæri, amoris studio declaratum est potuisse contemni.* Quid gloriosius, quàm quòd tanta auri illecebra possit contemni? Quàm quòd ex Christi amore glorientur homines non æstimare, nec habere velle aurum? Ardens ille Christi amator Petrus pauperi stipem postulanti sic respondet Actor. 3. Actor 3. *Argentum, & aurum non est mihi.* Quid ais Petre, sic tuam penuriam publicas? Solent homines, & quas non habent pecunias ostentare, vt gloriam capteut popularem; cur tu ita te deiicis, vt contempta voce te auro vacuum publices? An hoc non tibi inglorium putes? Absit: imò inde bonus Christi amator magis gloriatur; & quidem gloriosa est pauperies in his, qui Christum amant. D. Ambros. lib. 7. in Luc. Ambros. ait: *Petrus gloriatur, quòd non habeat argentum, neque aurum; vobis pudor est minus adhuc habere, quàm cupitis? Est ergo paupertas gloriosa, quia est & beata; de qua scriptum est: Beati pauperes spiritu.* Planè gloriosa est pauperies, sed in amatoribus Christi: gloriosum est posse aurum publicè contemni, sed amoris diuini studio.

§. V.

Pauperes spiritu cœlestium bonorum dominantur.

ECce tibi tota felicitas pauperum spiritu, nimirum, quia ipsorum est regnum cœlorum; mundialium egeni cœlestium dominantur; quorum gemitus in mundo contemnuntur, eorum imperio cœlestia, & diuina famulantur. Quis Elia pauperior? Hunc accipe cœlestibus imperantem 3. Reg. 17. 3. Reg 17. dum ait: *Viuit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros, & pluuia, nisi iuxta oris mei verba.* Quid ais homo? Non habes, quo induaris amictum, nec panem, quo vescaris, & nubibus imperas? Deficiunt tibi vniuersa bona terrena; & tuo vis imperio cœlestia subiugare? Imò quia sic à se deiecit terrena, quia nudus omnium Chrysost. terrenorum est, in cœlestia magis audet. Vnde D. Chrysost. lib. de consubstant. filij ait: *O rem mirabilem! ne vestem quidem habuit, & cœlum clausit; ob hanc ipsam nimirum causam, cœlum clausit, quia vestem non habuit, quia nihil possedit, idcirco multam exhibuit potestatem, cùm labro tantum deduxisset, vt innumeri è cœlo thesauri lauerentur, effecit. O sanctum os, cui fontes imbrium inerant! O vocem bonis innumeris scaturientem!* Hæc est vox pauperis, & eius potentia: hæc est potestas hominis nudi, hominis aurum contemnentis. Caret terrenis bonis, sed vel cœlestia suo subiugat imperio; & cùm nec arculam in mundo habet, diuinæ potestati thesauros, prout Actor. 3. vult, reserat. Ad hæc dicebat Petrus Actor. 3. *Aurum, & argentum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do, in nomine Iesu Nazareni surge, & ambula.* Auri egenus, sed virtute diues, nequit nummos exerere, sed exerit pedes, sed exerit salutes. Pulchrè Chromatius serm. 1. in præsenti, ait: *O verè* Chrom. *beata paupertas, quæ cùm nihil de mundi facultate habeat, tantum de cœlo largitur! Non dat quidem argentum, vel aurum, sed, quod plus est diuitiis omnibus, reddit corporis sanitatem.* A mundiali diuite speraret pauper Lazarus ad summum micas cadentes de mensa, est enim circa micas omnis potestas possidentium aurum. Verùm a paupere Christi, ab eo, qui aurum spernit, non micæ sperantur, sed salutes, sed membra ipsa corporis, sed ea bona, quæ diuinis asseruantur thesau-Basil. Sel. ris. Nec deberi volo pulcherrima verba D. Basil. Sel. orat. 21. sic ea Petri ore loquentis ad hunc claudum: *Te verbo hoc differens auro thesauris, quod à nobis accipis, compone. Pro obolo fer pedes, pro pane temporario totum supplementum accipe, pro amoris solatio vim vsumque membrorum. Hæ meæ diuitiæ, hoc aurum Petri, hoc Apostolorum munus; surge, & ambula.* Sic cœlestes virtutes præstò sunt imperio Christi pauperum, sic hi cœlestium dominantur.

§. VI.

Non omnibus Sanctis correspondet in cœlis diadema regni.

AVdio pauperum spiritu esse regnum cœlorum, vt proprium premium; sed & omnibus Sanctis datur cœlum pro præmio: si ergo omnes cœlestia ingredientur, cur dicuntur pauperes spiritu soli suum habere regnum cœlorum? Equidem omnes Sanctos spectat cœlum, sed non omnes spectat regnum in cœlo, sunt enim apud cœlicolas varia, & distincta nobilitatum stemmata iuxta varia merita singulorum: alios decorat regale diadema, alios alia decorant. Sic latroni in cruce conuerso dicit Dominus Luc. 23. Luc. 23. *Hodie mecum eris in paradiso*; verùm D. Petro dicit Matth. 16. Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum*, non idem datur vtrique nobilitati insigne, sed alteri requies offertur paradisi, alteri regia præmittitur cœli potestas. Id quod expendens D. Ambros. Ambros. epist. 19. ait: *Is, qui sub ictu mortis conuertitur, & confitetur Dominum Iesum, meretur incolatum Paradisi. Qui verò multo ante se exercuit, & Christo militauit, acquisiuit populorum animas, pro Christo se obtulit, habet paratum stipendium suum Deo regnum, coram se remunerationem deuotum gaudeat. Ideoque Petro dicitur, tibi dabo claues regni cœlorum. Ex latrocinio conuersus requiem habet; in Apostolatu probatus accipit potestatem.* Sic apud cœlestes ciues variantur nobilitatum insignia, ne quis careat gloria, sed alius sit splendor Solis, alius splendor Lunæ, alius stellarum splendor, & vbi est multitudo magna, & innumerabilis triumphantium, sint etiam aliqui selectiores regio splendore fulgentes. Matth. 19. ait Domi- Matth. 19. nus: *Et sunt Eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum cœlorum.* Ecce tibi, vt regnum cœlorum teneant, aliqui virginitatem vouerunt, quasi sine virginitate ad regnum cœlorum peruenire nô possent. Ergo si virginitas via est ad cœlorum regnum, nuptiæ, quæ virginitate carent, remanebunt in damnationem mortis? Absit; salutem enim habent & nuptiæ, & virginitas; sed nuptiæ non habent regnû, quod proprium est virginitatis decus. S. Siatus lib. de castit. ait. Sixtus. *Hi ergo soli regnum cœlorum accipiunt, qui se possessionis eius causa castrauerint. Quid, ergo damnauit nuptias? Absit; sed tantùm regni gloriam illis, non vitam denegare videtur.* Habent vitam æternam omnes iusti, habent iidem æternam gloriam, sed non omnes habent diadema regni: quod præstantioribus, & illustrioribus reseruatur meritis. Spectat sanè regnum in cœlis eos, qui regna terræ contemnere, & calcare nouerint, vt inde sciant nobiles, & primarij viri, qui paupertatis vexillis nomen dederunt, quàm possint & principatus, & potestates facere æternas. Prodigus enim est nobilitatis, & principatus, qui hæc relinquit, vt vnus sit è multis iustis; sed eò animum tendat, vt qui regius fuit in mundo, & Rex etiam sit apud Christum. Ex quo suam Demetriadem commendabat D. Hieron. epist. 8. inquiens: *Meminit enim, sublimque* Hieron. *meminit, quas mundi opes, gloriamque respuerit, quibus voluptatibus renunciauerit, quæ dia quæ contempserit vitæ præsentis illecebras. Et ideo contenta non sit communi hoc, mediocrique gratiæ viuendi, quod sæculo ipsa multorum societate vilescat. Nouum aliquid, & inusitatum requirit, præcipuum, ac singulare quoddam flagitat, non minus conuersationem suam, quàm conuersionem cupit esse mirabilem. In sæculo nobilis, apud Deum cupit esse nobilior. Tam pretiosa requirit in moribus, quàm contempsit in rebus.* Et siquidem quæ nota potuisset cœlestes maculare ciues, hoc illis esset indecorum, qui in mundo Principes fuerunt, qui & nobilitates, & principatus mundiales reliquerunt, si regium diadema ex meritis, non habeat a Christo.

Text. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.

§. VII.

Sola mansuetudo habet propria sua bona.

NOn otiosè terræ possessionem attribuit Dominus mitibus, & mansuetis; sed vt ostendat, quòd hi soli possunt habere aliquid suum propriû bonum. Cùm enim possessio sit firmum, & stabile dominium rei, ad solos mansuetos potest hoc dominium pertinere, quãdoquidem quisque alius celerem patitur mutationem rerum. Et quomodo sua reputet, quæ via ad momentum tenuere. Psal 36. *Desine ab* Psal. 36. *ira, & derelinque furorem; noli æmulari, vt maligneris. Quoniam, qui malignantur, exterminabantur, sustinentes autem Dominum hæreditabunt terram. Et adhuc modicum, & non erit peccator, & quæres locum eius, & non inuenies. Mansueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.* Ecce tibi hæreditas, & possessio bonorum solis mansuetis, & mitibus attribuitur, vt qui in tranquillitate, & securitate stabiles bona sua habeant. Verum qui mansuetudine carent, nihil securum habent, nihil suum reputant, omnia illi sunt in via ad alios. Quod perspicuis verbis adnotat Theodor. in caten. Græca, fatus. *Qui à diuina spe pendens, & mitem*

vitam

vitam eligant, in quiete, & tranquillitate manebunt, æternas habentes delitias. Qui verò fluxis felicitatibus confidunt, celerem mutationem recipient. In transitu, & celeri fluxu habent omnia, quasi commodata, non quasi sua, quicumque vacui sunt spiritu mititatis, & mansuetudinis; at mansueti firmiter
Psal.131. omnia possident, vt qui habent propria sua. Dauid Psal.131. *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius.* Cur dum Deum solicitare contendit, vt beneficia infundat, vnam solam profert mansuetudinem? Nónne illustriores alias virtutes habebat, & fidem, & charitatem eximiam; cur his prætermissis solam mansuetudinem meminit? Nimirum petens à Deo dona, etiam ostendere voluit, se habere aliquid suum, quod offerre posset, ideo profert mansuetudinem, ex qua venit, quòd per veram possessionem bona ha-
Chrysost. beat quisque propria, & sua. Pulchrè D.Chrysost. hom.34. in Gen. *Hinc Dauid maiorem cælitus conciliauit beneuolentiam, & afferens, quæ sua erant, à misericorde Deo maiora assecutus est.* Quasi dum mansuetudinem non præmitteret, nihil posset afferre, quod suum videretur, & ideo, vt sciatur habere aliquid suum, vnius mansuetudinis memoriam commendat.
Luc.21. Huc spectabat illud D.Luc.21. *In patientia vestra possidebitis animas vestras*; quæ verba explicans D. Gregor. hom.35. in
Gregor. Euang. ait: *Per patientiam igitur animas nostras possidemus, quia dum nobis metipsis dominari discimus, hoc ipsum incipimus possidere, quod sumus.* Nil tuum habes, neque te ipsum, dum nescis mansuetè, & patienter viuere; ab hac sola patienti mititate, & mansuetudine oritur, quòd tuum aliquod bonum possideas. Nec solùm tua possides, & habes bona, quisquis mansuetus es, sed &, quod mireris magis, pro tuendis tuis etiam patronos, & aduocatos acquiris. Anna illa Samuelis mater 1. Reg. 1. dum se contumeliis appeti videt à Sacerdotis puero, & sacerdote, non molestè tulit, imò & patentissimè, & mansuetissimè se gessit, mite responsum contumeliis referens. Quid inde? Stupens mansuetudinem sacerdos, ait: *Vade in pace, dabit tibi Dominus Deus Israël omnem petitionem tuam, quam ab eo petisti.* Ecce tibi non solùm vota sua mulier Deo offert, sed & aduocatum habet sacerdotem coram diuino iudice. Quis ergo accusatorem in aduocatum conuerteret, nisi mansuetudo præmissa? D.
Chrysost. Chrysost.hom.de fide Annæ, ait. *Mulier ex accusatore fecit patronum. Tanta res est humanitas, ac mansuetudo.* Quidquid iracundi, & impatientes habent, non tutum, sed sub lite habent, nesciunt enim viuere sine litibus, sine rixis; mansueti autem omnia tuta, & secura habent, & vel ante lites, accusatores in aduocatos conuertunt pro tuendis suis. Ad
Prou.18. quæ respiciebat Prouerb.cap.18. *Spiritus viri sustentat imbecillitatem suam; spiritum verò ad irascendum facilem quis poterit sustinere?* Quasi dicat, spiritus hominis mitis, mansuetus, & placidus in nullo sentit infirmitatem, ipse tutores, aduocatos, & defensores suorum passim suscitat; verùm iracundus nusquam securus, hinc inde illi oriuntur rixæ, contentiones, pugnæ, nihil non sub lite habet, nullum non patitur accusatorem.

§. VIII.

Mitibus, & mansuetis hominibus omnia sunt frugifera, & fœcunda.

NOn arida, sed irrigua, & fœcunda terra datur mitibus in possessionem, & meritò, quia mitia verba nunquam sine fructu existunt. Verbum Dei semen est, quod non sem-
Matth.13. per, sed aliquando, iuxta Matth.13. *cadit in terram bonam, & dat fructum*; at verba mitium, & mansuetorum hominum nunquam non inueniunt, aut faciunt terram bonam, in qua inseminata fructificent. Accipe Saulem hominem terrenum, imò lapideum in Dauidem, furit Rex armatus, & multis
1.Reg.24. millibus cinctus quærit Dauidem ad mortem, 1.Reg.24. verum Dauid hostilem Saulis animum expertus, illúmque in manibus habens, vt possit trucidare, sic mansuescit, sic mitescit, vt parcens Regis vitæ, sic insuper dicat: *Cogitaui, vt occiderem te, sed pepercit tibi oculus meus, dixi enim: Non extendam manum meam in Dominum meum, quia Christus Domini est. Quin potius pater mi, vide, & cognosce oram clamydis tuæ in manu mea.* &c. Non solùm persecutori parcit, sed & Dominum illum, & patrem; quæ verba vocat mitiora. Sed quid Saul ferus homo ad hæc? *Dixit Saul: Numquid vox hæc tua est, fili mi Dauid? Et leuauit Saul vocem suam, & fleuit.* Proh nouum spectaculum! Saulis lapideum cor, non Moysis virga percussum, sed Dauidis mitissimis verbis tactum in flumina soluitur lachrymarum. Hostile & saxeum pectus omni benignitatis humore carens, in terram irriguam conuertitur; quæ virtus talia potuit præstare? Equidem ex quo mitia Dauidis verba inseminata ibi fuerunt, non potuerunt non demonstrari, & mollitudine terræ, & fertilitate. Pulchrè aiebat Chrysostomus homil. de Saule, & Dauid. *Vide quantum fecerit lucri Dauid illa locutus: non tam sustinuit Saul illam vocem audire sine lachrymis, sed plorauit amarè, animi sanitatem, ac philosophiam, quam Dauid inseuerat, lachrymis declarans.* Expende verba illa, nimirum, *quam Dauid inseuerat*; quippe verba mitia semina sunt, quæ minimè perduntur, in saxa arentia licèt cadant, ibi irriguam terram, & fructibus fœcundam, aut inueniunt, aut faciunt. Sic de mansuefactis Christi doctrina hominibus loquutus Isai.c.2. fatur: *Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces.* quæ verba tractans Tertull. lib.3. aduersùs Marc. explicat, qualiter homines in Christo mitescentes animorum nocentium, & linguarum infestarum, & omnis malitiæ ingenia conuertent in studia modestiæ, & mansuetudinis. Sed illud mirandum, quod mitescentium hominum verba, dicantur vomeres, & falces: vomer, nisi terram irriguam inueniat, nihil facit; & falx, nisi vbi fructus metendus est, non apparet. Cur ergo necessum est, vt mitia verba vomeres sint, & falces? An quia mitibus nequit deficere etiam inter saxa, irrigua terra, & fructibus fœcundata? Equidem dum mitis sis, & mansuetus, nullum non mollescis saxum, sic verba tua inuenient lapideos animos, vt vomeres irriguant, & tempestiuam terram, vt falx maturos fructus, quos capit. Non multum abest D.Iren.lib.4.c.67. inquiens: *Gladios, & lanceas bellatoris in aratra fabricauerunt ipsi, & in falces, quæ donauit ad metendum frumentum.* Vbi mites fiunt homines, non terras habent, quas gladio vastent, sed quas vomere colant: non spolia, quæ rapiant; sed fructus, quos falce metant: ea sunt verba mitia, vt in illis totum negotium ditissimæ agriculturæ videas, quandoquidem mitia verba pro semine, & vomere, & falce sunt, quibus terra fructifera semper ita est parata, vt nunquam deficiat. Quò reuocauerim illud Prou.c.15. *Lingua placabilis lignum vitæ*; hoc est lignum vitalissimum, sunt enim ligna adeò ex se vtilia, & succo plena, vt quouis loco rigantur, sic frondeant, vt videantur terram fœcundam inuenisse. Sic lingua mitis, & suauis adeò est ex se succulenta, & vitalissima, vt nullibi sterilescat, sed vel in ipsis saxis inueniat terram frugiferam.

Chrysost. · Isai.2. · Irenæus. · Prou.15.

Text. Beati qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur.

§. IX.

Illæ felices lachrymæ, quas vna Iesu consolatio absterget.

AVdis lachrymas beatas prædicari; sed, vt notat D.Paschasius, non ex quacumque causa sunt beatæ, & felices lachrymæ, sed ex consolatore, quem merentur habere. Illius sanè erant felices lachrymæ, qui dicebat, Psalm.76. Psal.76.
Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum. Qui vanas mundi consolatiunculas respuit; qui nihil non lachrymabundum in mundo nouit aspicere; sed solùm Deum consolatorem sperat, is felix est, beatus est. Hanc beatitudinis notam exprimit Apocal.21. *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor,* &c. non suffecisset ad beatitudinem, quòd ibi, nec lachrymæ, nec luctus, nec lamentum esse possit, nisi adderetur, quòd Deus ipse per se solus lachrymas abstergeret ab oculis. Vnde pulchrè D.Bernard. in Declamat. ait: *Felices lachrymæ, quas benigna manus conditoris absterget: & beati oculi, qui in talibus liquefieri fletibus elegerunt.* Hinc tota nascitur felicitas, & gloria lachrymantium, quòd habeant vnicum abstersorem Deum; quòd non creatura, neque Angeli, neque potestates, neque instantia, neque futura, sed ipse Deus per se ipsum inducat consolationem. Sanè lugebat Samuel sanctissimus pertinacem, & obduratum Saulem, & lugebat illum die, ac nocte, cui Dominus 1. Reg.16. *Vsque quo tu luges Saul, cùm ego proiecerim eum, ne regnet super Israel? Imple cornu tuum oleo, & veni, vt mittam te ad Isai Bethleemitem, prouidi enim in filijs eius mihi regem.* Qualem hanc putas lugentis Samuelis consolationem? Lugebat quod Saul excluderetur à regno, & vt iam consolationem caperet, dicitur ei, quòd Dauidem vngat in Regem. Qualis quæso ista consolatio erat? Nónne magis exacerbaretur hominis animus, cùm & Saulis æmulum videret? Quòd Dauid eligatur pro

Apoc.21. · Bernard. · 1.Reg.16.

pro Saule, qualis hæc ratio lenaminis in lugente? Maxima equidem, & felicissima, & gloriosissima Samueli, quatenus in Dauide veniebat iam vnigenitus Dei filius, qui per se ipsum, & lacrymas abstergeret, & consolationem inferret. Rupert. Rupert. lib. 4. de gloria, & honore filij hominis, inquit: *Samuel lugendo talem consolationem consecutus est, vt missus à Domino vngeret Dauidem Regem, & salutis temporalis ducem, & salutis æternæ fontem, siue originem, id est, patrem salvatoris Christi.* Equidem non esset consolatio alia Samueli, nisi quam Filius Dei verus Saluator, & consolator inferret. Triste est, & luctuosum, quidquid extra Deum debemus cernere: vnde monebat D. Bernard. serm. de conuersione ad cleros c. 19. Bernard. *Consideret fidelis, neque intus, neque subtus, nec circa se sibi occurrere consolationem, vt vel tandem discat quærendam sursum, & desursum esse sperandam. Lugeat interim plangens dolorem suum, exitus aquarum deducat oculus eius, & palpebræ non quiescant.* Vnus Deus lachrymas abstergat, & felix es, & si bona suppetant, & si gaudia inueniant, & si Angeli applaudant; ne à lachrymis abstineas, luge, plora: hoc tuæ felicitatis habens auspicium, si solus Deus lachrymarum deletor speretur. Maria Magdalena videns Iesum mortuum Ioann. 20. qualiter fleuit? Ioann. 20. *Dum ergo fleret, inclinauit se, & prospexit in monumentum, & vidit duos Angelos in albis sedentes, vnum ad caput, vnum ad pedes, vbi positum fuerat corpus Iesu. Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras? Dixit eis: Quia tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum. Hæc cùm dixisset, conuersa est retrorsum*, &c. Quis non miretur Magdalenæ fletus non desiisse ad Angelorum conspectum? Plorat, lachrymatur, inuenit pulcherrimos Angelos, qui eius lachrymas abstergere curant, & relictis illis conuertitur retrorsum, quasi nihili duceret Angelos ad consolationem captandam; cur sic despicis Angelorum conspectum, vt lugeas amplius? Origen. Sapienter Origen. in præsenti rem tractat, aiens: *Maria doloribus confecta, tota in excessu mentis posita, nullam recipit consolationem, & ad nullam tendit consolatorem; sed intra se cogitat, dicens: Proh dolor! qualis est ille consolatio? Onerosi sunt mihi omnes consolatores, grauant me, & non consolantur. Ego autem quæro creatorem, & ideo mihi graue est ad videndam omnis creatura. Nolo Angelos videre, nolo eum Angelis manere, quia possunt dolorem augere, & non possunt penitus delere.* Meritò non censetur lachrymarum consolatio, quæ à creaturis venit, & à Domino ipso non venit: inhonoræ abeunt, & ingloriæ lachrymæ, quas manus ipsa, & sola creatoris non abstergit; imò ne putes abstersas esse lachrymas, quas creatura abstersit; hæc enim nunquam penitens delet planctum; sola Dei manus sic abstergit lachrymas, vt amplius non sit luctus, neque clamor, neque dolor. Felices lachrymæ, quæ talem abstersorem meruerunt.

§. X.

Vbi Deus abest, non censetur vita, quæ sine luctu est.

Meritò lugentes in hoc incolatu dicuntur beati, & felix, & beata vita illis attribuitur, quia vbi Deus abest, vita sine lachrymis, & luctu, nec dum censetur vita. Ioann. 20. Lugentem Magdalenam offendunt Angeli Ioan. 20. & dicunt: *Mulier quid ploras? Dicit illis: quia tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum. Hæc cùm dixisset, conuersa est retrorsum*, &c. Cur relictis Angelis conuerteris retrorsum? Cur non magis attendis ad Angelos, eorúmque auscultas verba? Quid ab illis audisti, propter quod anxia refugis illorum conspectum? Nónne audisti eos de ploratu quærentes, forsitan, vt lachrymas abstergant? Cur ergo hoc ab illis beneficium non magis expectas? Imò hoc, tam anxiè vitare contendit, quando vidit illos solicitos de planctu suo, timet ne, sine lachrymis, dum abest Dominus, iubeant esse; quod idem reputat, ac non esse, ac penitus interfici. Sic Origen. apud Origen. in præsenti: *Si causam Angeli non ignorant, pro qua ploro, cur dicunt mihi: Quid ploras? An ideo interrogant, vt me plorare prohibeant: Q*[illegible] *hoc mihi suadeant, non hoc moneant, aliòquin interficiant.* Instar mortis reputat lacrymarum prohibitionem, dum abest Dominus; vitam tollit, qui tollit lachrymas ab eo qui absens à Deo suo deplorat. Quam Psal. 41. scienter regius Vates Psalm. 41. aiebat: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Vbi est Deus tuus.* Et quidem vbi sui absentiam experiebatur, non solùm lachrymas fundit, sed sunt ei lachrymæ pro pane, id est, pro vita, seu vitæ sustentaculo; quis viuit sine pane? Similiter vbi Deus abest, non viuit anima sine lachrymis; tam necessariæ sunt lachrymæ ad vitam, vt est necessarius panis. Ad quod respiciens Cellensis Abb. lib. de Panibus Cellens. cap. 12. ait: *Panis itaque lugentium, abundantia est lachrymarum; sicut enim panis esuriantem, sic lachryma reficit animam dolentem: deficit esuriens sine pane, lacerata languet anima sine lachrymarum effusione.* Laceratam puta, & penè emortuam eam animam, quæ sine luctu, sine lachrymis est dum ab ea Dominus abest. Paul. 1. ad Timoth. 5. ait: *Quæ autem verè vidua est, & desolata, speret in Deum, & instet obsecrationibus, & orationibus nocte, & die. Nam quæ in delicijs est, viuens mortua est.* 1. Tim. 5. Sanè defuncto viro tandiu vidua viuit, quandiu sub luctu, & ploratu est; vbi autem pro lachrymis quærit delicias, & gaudia tractat, tunc viuens mortua penitus est. Id quod in fideli anima considera, quæ absente Deo sponso suo, tandiu viuet, quandiu nutrietur pane lachrymarum, & in luctu, & planctu versabitur; si verò à lachrymis cesset, & delicijs incumbat, iam non viua, sed mortua censetur. Pro quo monebat D. Ephrem serm. 4. de compunctione, & salute animæ. Ephrem. *De anima dicit Apostolus: Quæ in delicijs est, viuens mortua est. Caue igitur tam animam interimi permiseris; sed nutri, & fone illam in verbis diuinis, in Psalmis, & Hymnis, in ieiunijs, & lachrymis. Hæc & his similia nutrimentum sunt animæ, ac vita: potissimum verò lachrymæ, propter Deum stillantes, panis, salúsque animæ existunt. Idcirco David docebat: Fiant mihi lachrymæ meæ panis die, ac nocte. O felicem animam David, quæ nutriretur lachrymis.* Felix vtique ille, qui in absentia tanti sponsi, nempe Dei, nescit cessare à luctu, sed pane lachrymarum sustentatur; is verè viuit, & beatè viuet: cùm primùm autem hic luctus defuerit, deerit & vita, & viuens mortuus erit. Sed quomodo vbi quis in Domini absentia non luxerit, mortuus erit, & si luxerit, viuet? Id pulchro exemplo explicat D. Nyssen. orat. 4. de beatitud. in- Nyssen. quiens: *Quemadmodum in corporis morbis, quibus aliqua pars corporis ex violenta quadam læsione torpida facta fuerit, indolentia argumento est, mortuam esse illam partem: sed si arte quadam medica vitalis denuo sensus corpori restitutus sit, dolente iam parte gaudent, certissimo argumento vtentes, ad sanitatem conuertisse se morbum, eò quòd membrum sentire iam cœperit ea, quæ faciant dolorem.* Et quidem vbi quassatum crus nec dolet, nec gemitus excitat, argumentum præbet, quòd mortuum sit, & tunc ad vitam excitatum creditur, cùm adhibitis fomentis dolere incipit, & excitare gemitus. Sic prorsus anima viduata Deo, tantóque malo affecta, si non doleat, si non sit in luctu, & gemitu, emortua censetur: & tunc reuiuiscet, cùm accepto diuino medicamine, nimirum metu mortis, & gehennæ, incipit dolere, & lugere quotidie plagam acceptam.

Text. Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.

§. XI.

Fames grauissimum telum ad perdendas hominum animas: vnde gloriosum erit illam vicisse.

Sto à sententia Ruperti, & Maldonati in præsenti, qui non de spirituali virtutum fame, sed de materiali ciborum probant, hæc verba deberi intelligi. Quæ sic in eum sensum explicarim ego, nimirum: Beati illi, qui esuriunt, & sitiunt, propter iustitiam tuendam, penes quos tanta est iustitiæ cura, vt nec in summa fame, & penuria eius leges contemnant. Quid beatius? Quid magis beatificandum à Saluatore? Equidem beatissimum est vicisse rabidæ telum, quando nullum aliud perniciosius habet hostis ad perdendum humanum genus. De Iesu Domino dicitur, quòd cùm ieiunauerit quadraginta diebus, *postea esuriit, & accedens tentator*, &c. Nunquam antea accedere ausus est, nisi cùm famescentem vidit; vbi enim Iesu famem notauit, fortissimum locum habere putauit, ex quo certa iacula mittat. Id quod bene aduertit Theodor. serm. 10. de Prouid. inquiens: *Famem conspicatus, ex illa ceu edito ex loco telo immisit.* Theod. Superiorem se putat diabolus aduersus homines, vbi pro se famem habet, ex qua certissimas dirigat sagittas. Nouerat id Dauid, qui cùm haberet à Deo optionem eligendi suorum peccatorum supplicium, aut gladium, aut famem, aut pestilentiam, 1. Paral. 21. pestilentiam magis voluit eligere. Sed cur Rex 1. Par. 21. opulentissimus non potiùs elegit famem? Nónne magis in promptu essent Regi potentissimo saltim aliqualia famis subsidia? Sed tamen pestilentiam elegit præ fame, quia fames atrocius telū est ad perdendum, omnibus, quæ diabolus habet.

Ambrof. habet. Vt dicat D.Ambrof. in Pfal.37. *Famem populi vitauit, quia grauior morte, & omnibus fupplicÿs habetur.* Et quidem vix audio virginem tenellam morti, & exquifitis tormentis ceffiffe ob Chrifti fidem, & virgineum decus feruandum,& innumeras lugeo fuccubuiffe fami. Eu quoties virginitas triumphare docta, in macellum redacta eft à buccella panis? Eu quoties matronalis pudor, propter panem à porcis conculcatur! Eu quoties inuictum virorum pectus, micis cadentibus de menfa conquaffatum eft. Quid, fi hæc famis lues per nobilium graffetur domos? Fallar, nifi mittat vniuerfos in barathra. Ifai.5. Ifai.5. *Nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius fiti exaruit. Propterea dilatauit infernus animam fuam;*&c. Vbi fames nobiles quatit animos, quid fperes, nifi quòd infernus finus fuos dilatet? Tanta enim perditio à fame caufata, tot fefe diabolo ob panem dabunt, vt debeat infernus dilatari, fi vult omnes capere. Et quis nobilis non duriffimum telum putet, vel videre filios fuos famefcentes, & velut nouellas oliuarum in circuitu menfæ prorfus vacuæ confediffe? Vafer ille humani generis hoftis Iobum felicem bonis, & feliciorem filiis aggreffurus, in primis illum omnibus fpoliat bonis. Et cur nefariffime, non priùs fanctiffimum virum, non priùs orbas filiis? Nónne grauior effet viro nobili perditio filiorum, quàm bonorum perditio? Scit equidem malus fuis vti fagittis; & fcit quàm torqueat, imò concutiat nobiles animos penuria, & egeftas familiæ. Chryfoft. Notauit id Chryfoft.hom.1.in Iob.inquiens: *Primum cœpit hæreditaria bona viuis hæredibus arripere, quo filÿs filiabúfque exiftentibus per iumentorum amiffionem lethale accipiat iuftus mæftitiæ vulnus.* Lethalior eft præ aliis telis famis fagitta, dum homo nobilis pauperem familiam fub huius tyrannide premi videat. Qui fub hoc telo meminerit iuftitiam fortiffimus eft; non huius infirmitatis homo, fed quafi illius beatitudinis incola exiftit. Huius viri præftantiam, & gloriam depictam puto Dan.3. vbi ecce tibi à Babylonio Rege erigitur aurea ftatua immenfæ magnitudinis, quæ adoretur à populis; & iuxta flammantem appofuit fornacem, quà miferè exurantur, qui auro nequeant adorationem impertiri. Quid plura? Fornacem hanc flammantem, quæ impellat ad auri cultum, pauperiem, & famem exiftimant fanctiffimi, & prudentiffimi viri. Fornax eft pauperies, fornax eft fames, & quidem flammantiffima, cuius duriffimos aculeos quis fuftineat, præcipuè auro coràm vifo? Ex innumerabili penè populo, tres folos iuuenes gloriofiffimos, & diuini filij focios video, qui intra hanc fornacem meminerint iuftitiam, gratias agant, & auri adorationem refugiant. Rari funt. & fanctiffimi, & beatiffimi, & filij Dei focij, qui pauperiei fornace cincti gratias agant, & auro nolint turpiter feruire. Idem. Ad hæc eleganter D.Chryfoft.hom.23. ad Popul.ait. *Nouum & mirabile videamus miraculum, hominem in fornace pfallentem, agentem in igne gratias, extrema compeditum inopia, magnámque Chrifto benedictionem ferentem. Illis enim pueris pares redduntur, qui paupertatem cum gratiarum ferunt actione. Ab ipsífque ne recedas iniectis. Sed cùm diabolus aurum non adorantes, in caminum paupertatis immittere minatus fuerit, ne de mittentium, fed de mifforum velis effe numero, vt ex his qui faluantur, non ex his, qui comburuntur, efficiaris. Maximus enim eft ros, diuitiarum defiderio non teneri, cum pauperibus conuerfari. Hi funt omnibus abundantiores, qui diuitiarum peffum dedere cupiditatem; quoniam & illi Regem contemnentes, facti funt Rege clariores. Igitur & fi tu quoque mundana contempferis, toto eris dignior mundo.* Piaculum duxi, fi quod ex his verbis fubtraherem, quibus tu confidera fornacem, & fornacem: fornacem igneam, & fornacem paupertatis, feu famis, vtraque impellit in adorationem auri: in contemptum veri Dei, & iuftitiæ eius: vtraque innumeros trahit in impietatem. Sed rari illi, qui in qualibet harum coniecti gratias Deo agunt, iuftitiam tuentur; quantam confequentur ibi felicitatem? Et Deum focium habent, & rore cœlefti fuftentantur. Luc.16. Iam nobis Luc.c.16. obiicit fuum mendicum, & famelicum Lazarum, qui ad ianuam diuitis coniectus cupiebat *faturari de micis, quæ cadebant de menfa diuitis, & nemo illi dabat.* Proh miferũ famis fpectaculum! Qualem putem Lazarum fic famefcentem coram menfis ciborum fartis? Pulcrè D.Chryfol.ferm.121. vocat, *non tam Lazarum, quàm conflatorium.* Et fanè, & Lazarus, & conflatorium erat, vel meliùs Lazarus in conflatorio, in fornace flammante famis, & paupertatis. Ibi tamen quàm felix? Fulgent. D.Fulgent.epift.ad Galat.2. cap.9. *Attende Lazarum in paupertate diuitem: fine vefte, fed non fine fide; fine cibo, fed non fine Chrifto: expofitum canibus, fed factum Angelorum, qui non accipiebat de micis, quæ cadebant de menfa diuitis, fed cœleftem panem ructabat de vifceribus æternis.* Felix, qui nouit fuftinere vifcera pane vacua; qui & beatitudinis ciues focios habet, & Deo impletur, cœleftique pabulo. Numquam enim cœleftis ros defecit exiftentibus in fornace paupertatis. Ad Eliam 3. Reg. 17. ait Dominus: *Coruis præcepi, vt pafcant te ibi*; 3.Reg.17. in media populi fame, iubentur corui, vt Eliam pafcant. Cur coruis datur id munus, nifi vt oftendatur, quòd ros cœleftis deficere non poffit exiftentibus in media famis fornace, vt iuftitiam tueantur, quandoquidem corui ipfi à parentibus deftituti, & famefcentes cœleftis roris accipiunt pafcua? Nazianz. Ex quo Nazianz. virginem monebat in exhortatoria ad virg. *Victus gratia nihil vnquam turpe fuftineas, nam fi credideris, nunquam te olei vafculum deftituet. Coruus te pafcet, quemadmodum Eliam in deferto. Noſti quemadmodum Tecla ex igne, & à feris fit erepta, ac Paulus ille magnus efurierit, ac promptè alferit: vt & tu virgo ad Deum folum refpicere difceres, qui tot millia in deferto pafcere nouit.* Sic ille. Eodem accedit Tertull.lib.de Idololat. inquiens. Tertull. *Nemo eorum quos Dominus allegauit, non habeo, dixit, quo viuam. Fides famem non timet, fcit enim famem non minus fibi effe contemnendam propter Deum, quàm omne mortis genus. Didicit non refpicere vitam, quanto magis victum?*

§. XII.

Solus Iefus homini fufficit, cætera non fufficiunt.

INter eos, qui famem, non corporalem, fed fpiritualem iuftitiæ, & fanctitatis in præfenti beari putant, placet mihi fingulariter Chromatius fer.1. qui nomine iuftitiæ ipfum Iefum intelligit: & meritò dicuntur faturandi, qui Chriftum fitiunt, quandoquidem folus Iefus fufficit homini, illúmque implet, & nemo præter ipfum. Abrahamus cùm beneficam Dei potentiam in fe inclinare voluiffet, eò pietatis deuenit, vt iuffus non refugeret Deo litare filium. Sanè fapientiffimus fenex vnici filij fui hoftia cupiebat diuinis faturari diuitiis; verùm dum iam penè iugulat filium, audit diuinam vocem clamantem Genef. 22. Genef.22. *Ne extendas manum fuper puerum.* Non ait, nè extendas manum fuper filium, fed fuper puerum, & cur non ait, fuper filium? Maluit feruum nominare, quàm filium; vt oftenderet nihil magnũ, & plenum fperandum à feruis, quod folum præftare poteft ille, qui verè vnicus, & dilectus filius eft patris æterni Chriftus Dominus nofter. Indigebat equidem Abrahamus hoftia, qua cœlefti impleretur benedictione, qua faturari poffet diuinis epulis: hanc non inueniret in puero, non in creatura vlla, non in feruo, fed in folo Filio Dei Iefu. Chryfoft. Chryfoft. hom. de Iob, & Abraham: *Quare non dixit filium, fed puerum? Opus erat non puero, vel feruo, fed filio.* Mihi crede Chriftiane, fi vis impleri, non fpectes filiquas mundialium bonorum; non tibi opus funt quæcumque feruiunt: ille qui dominatur, ille, qui filius eft, qui panis eft, qui vita eft, folus te poteft implere, & præter hunc nemo. Sic clamabat Ifaias cap.16. Ifai.16. *Emitte Domine agnum dominatorem terræ de petra deferti.* Moabitæ confueuerant pendere Regi Ifraël annuum tributum centum millium agnorum, quod tributum detrectauerunt pendere mortuo Achaz. Id quod fupponens in præfenti Ifaias clamat: *Emitte Domine agnum dominatorem terræ de petra deferti, hoc eft, de Moab.* Sed cur agnum petit, & non agnos, cùm tot agnorum millia mitti folerent? Vbi tot agni requirebantur, cur folus agnus petitur? Sanè fcienter petit non agnos, fed agnum dominatorem, vel, vt Syrus legit, *mitte filium dominatoris terræ*; quippe vbi non feruus, fed Dominus, non puer, fed filius vnigenitus Dei expetitur, ipfe folus fufficit, ipfe folus faturat, & implet gentes. Quid ad Prophetam, quid ad Ifraëlem feruitia illa tot agnorum Moabitarum? Cum omnibus his vacuus erat, & pauper Ifraël; meritò ergo defpiciuntur feruitia, & dominator petitur, qui folus humanas vacuitates repleat. Hunc poffederat Paulus, quando faftidiens cætera, & fe ipfum, dicebat ad Galat.2. Galat.2. *Viuo ego, iam non ego, viuit in me Chriftus.* Sed fcire cupis, quomodo verum fit, quòd Paulus iam non viuat, & quòd viuat? Equidem præclarè ex tunc viuit, ex quo ipfe non viuit, fed Chriftus viuit in illo, nam per Chriftum habet vitam veram, fartam, quæ nunquam deerit. Naziana. Nazianz.orat.de ftatu Epifcop.17. ait: *Verùm illud de fe non tanquam penitus mortuo dicit, fed quòd meliorem, quàm plures alÿ, vitam viuat: ac vitam adeptus fit permanentem, & quæ nulla morte poffet finiri.* Cùm ipfe per fe viuebat, quot & quanta egebat? Semper indigus creaturarum emendicabat feruitia, & nunquam non egebat: vbi iam

non ipse viuit, sed Christus in illo vita est; iam perfectè viuit, iam diues viuit, iam defectum vitæ non timet, sed omnibus superabūdat in Domino, quibus carebat in seruis.

§. XIII.

Nec minima virtutum despicienda sunt.

Ille virtutem, & iustitiam esurit, qui sic auidè illam arripit, vt vel minima adimplenda perquirat. Nónne famelicus ille ostenditur satis, qui post acceptas escas, etiam decidua frustula, & paruulas micas auidè vorandas inquirit? Sic tu siti iustitiam, vt omnem adimpleas, vt nihil, quod ad iustitiam possit conducere, prætermittas, etsi paruulum sit, etsi minimum. Abrahamus litaturus filium in morte maximè voluntarium omnia parat, omnia sacrificantis munera Genes.22. explet; & omnibus expletis Genes. 22. *Cùm alligasset Isaac filium suum, posuit eum in altare.* Cur ligat filium volentem mori? Si ipse libens & gaudens sese gladio paterno obiu-Zeno. letat; cur adhuc eum pater ligat? Rem attigit D.Zen.ser.2. *Ne quid minus ab hostia videretur, pedem ligatura destrinxit.* Ligabantur vniuersæ hostiæ, quæ sacrificari solebant: inde felix homo iussus sacrificare filium, tam auidè iustitiam sitit, tam auidè omnia implere procurat, vt nec vni parcat filio. Vidisti aliquando hominem famelicum, qui nactus carnem filiis aptatam, vt assari posset, nil inuoratum permittit, nec filium ipsum. Ita iustitiæ famelicus Abraham, sic omnia sacrificij implere studet, vt nec parcat filio, ne quid etsi paruum, etsi minimè necessarium, habeat minus hostia sua. Sane, qui nimis esuriens magna vorat, nunquam parcit minimis. Petitur à Iesu, quòd soluat Cæsari tributum Matth.17. minimè debebat Iesus minimum illud pecuniæ soluere, vtpote Dei filius, & tamen promptè soluit pro se, & pro Petro. Sed cur tam facile dat indebitum tributum? Sanè auidissimè sese totum dederat pro hominibus, Nazianz. & ideo non parcit minimis. Nazianz. orat.6. *Hoc enim bonū est prætereundum, quòd & ipse didrachma dat pro tributo, & non tamen pro se solo, sed etiam pro Petro discipulorum honoratissimo, quoniam pro nobis homo factus est, & serui formam assumpsit, & propter iniquitates nostras mortem quoque sustinuit.* Qui sic humanam esuriit salutem, & sitiit, vt totum mare tempestatum plenum sumeret, & sitibundus biberet; nec paruæ guttæ pepercit, nimirum exhibitioni indebiti tributi. Vtinam homo sic sitiret, & esuriret salutem suam, proculdubio, nec minimam iustitiæ acquirendæ occasionem præteriret. Satis supérque amaritudinum Iesus biberat, & cùm posset videri opprobriis exsaturatus, adhuc clamat, quòd Ioann.19. sitit. Sic Ioann.cap.19. *Postea sciens Iesus, quia iam omnia consummata sunt, vt consummaretur Scriptura, dixit, sitio.* Si omnia erant consummata, quid voluit ampliùs consummare, dicens, sitio? Erant omnia præcipua, & quæ alicuius momenti videbantur, consummata, sed restabat tantùm aceti paruus quidam gustus, ait Matth. *& cùm gustasset, noluit bibere*; amaritudinis guttula restabat, sed eam habebat Iesus iustitiæ sitim, vt post omnia expleta, adhuc sitibundus requirat, imò lambat guttulas, ne minimum quid videatur August. prætermisisse. Quod expendens August tract.119. ait. *Dixit Iesus post omnia, sitio; tanquam diceret: hoc minus fecistis, date, quod estis.* Sic requirit guttulas nequid minus fiat.

Text. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

§. XIV.

Quàm potens est affectus misericordiæ in animis, qui ad Deum spectant.

Misericordiam semper lydium lapidem putaui, cuius tactu noscuntur cœlestes animi: in te aliquid cœleste, diuinum aliquid si adsit, potentissimus erit misericordiæ affectus, qui te ob proximorum miserias quatiat. Amos c.7. Amos 7. iuxta lectionem Septuag. ait: *Ecce vir stabat super murum adamantinum*, nimirum, vt explicat D.Hieron. Dominus stabat super Apostolos, quibus donauit, vt ipsi adamantini muri essent, vt à nullo possent superari, sed dicerent: Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Et quidem non otiosè puto dictum, quòd ex Dei in se præsentia dicantur Apostoli adamantes; quando adamas ad omnia aduersa durissimus, & indomabilis prorsus, solo hircorum cruore dissoluitur, & apparet contritus. Fieri enim nequit, quòd qui Deo impletur, inter insuperabiles vires, non etiam hanc recipiat adamantis teneritudinem, qua prorsus conteratur ad sanguinem miserabilium. Ecce vobis Paulum Deo plenum, factū inexpugnabilem adamantis murum; is Act.21. sic loquitur: *Quid facitis* Act.21. *flentes, ac conterentes cor meum.* Via fletum, vix orbitatem suorum potest videre, & iam mollescit, iam conteritur adamas ille. Ex quo pulchrè D.Chrysost. hom.14. in epist. ad Chrysost. Coloss. ait: *Cum videret quorundam lachrymas, ita perfringebatur, & conterebatur adamas ille, vt animi affectionem non absconderet, sed mox diceret: Quid facitis flentes, ac conterentes cor meum? Quid dicis, dic quæso? Adamantinum animum lachryma conterere potest? Etiam, inquit. Nam omnibus resisto, vno dempto dilectione, illa me vincit, ac superat: hoc Deo ita probatur. Abyssus aquarum illum non contriuisset, & modica lachryma contriuit.* Sic vniuersi, qui Deo probantur, qui ad Deum spectant, ad sanguinem, & lachrymas miserabilium conteruntur. Validissimus est affectus misericordiæ in cœlestibus hominibus, vt inde te ad Dei pertinere possessionem facile ostendas; si pulsaris miseratione miserabilium. Reuocate in memoriam Iosephi fratres criminis conuictos coram ipso Ioseph regnante in Ægypto. Qualis tunc eorum facies? Qualis pauor? quanti gemitus intrinsecus? Quantus dolor? Verùm adamas ille pudicitiæ inter hæc mira quadam animi teneritudine, & compassione affectus sic ait Genes. 50. *Nolite timere; num Dei possumus re-* Genes.50. *sistere voluntati?* Quæ verba in rem nostram argutiùs legit D Chrysost. inquiens. *Ne timeatis. Dei enim sum ego.* Expende, vnde miseri iubeantur ponere metus, & bona, & clementiam sperare ab offenso iudice, nimirum ex eo, quod ait: *Dei enim sum ego*; quasi qui ad Deum spectat, non posse non tangi miseratione, non possit non esse misericors, & clemens. Ad Coloss.cap.3. monebat Paulus: *Induite vos* Coloss.3. *ergo sicut electi Dei, sancti & dilecti viscera misericordiæ.* Hæc sit vestis, hic habitus eorum, qui ad Deum spectant: nimirum viscera misericordiæ. Sed expendendum est illud verbum, *induite vos*, &c quippe rubeus ille gladius qui nobilitat, & designat strenuos D. Iacobi equites, non tam induitur ipse, quàm indumenti certæ parti assuitur, ita vt facili negotio possit operiri. Non sic apponendum est stemma eorum, qui ad Dei spectant militiam; non enim dicat, circa pectus ponite viscera misericordiæ; sed, induite vos illa: vos vndique cingant, vt quoquò versus pulsentur, appareant conspicua, in affectu miserationis, & teneritudinis. D.Anselm. *Internum affectum misericordiæ cir-* Anselm. *cundate vobis in operi, vt internum affectus pia commiserationis, quam erga proximos habueritis, vndique appareat in operibus vestris, vndique vos ornet. Vestis quippe, qua induimur, ab omni parte nos tegit. Ita & vos ab omni parte circumtegi debetis visceribus misericordiæ, vt in cunctis actibus vestris fulgeant.* Non sustinet Deus suos equites circa pectus solum habere stemma diuinæ militiæ, nimirum viscera misericordiæ; sed ea vndique esse effusa à capite vsque ad talos, imò vsque ad terram ipsam, vt non possit non vel à longè tangi sensu miserabilium. Ad quod spectabat illa miserationis Ieremiæ exaggeratio Thren. 2. *Defecerunt præ lachrymis oculi* Thren.2. *mei, conturbata sunt viscera mea: effusum est in terra iecur meum super contritione populi mei.* Iecur nominat velut præcipuam viscerum partem, & sedem miserationis, & amoris, vt benè notat Pater Cornelius à Lapide. Sed qualis illa exaggeratio compassionis est, quòd iecur effusum sit in terram? Nimirum, quòd in ruina populi ea induerit misericordiæ viscera, quæ non solùm vsque ad talos peruenerint, sed instar regij amictus, & gloriosæ vestis per terram etiam diffluerent. Id quod apertiùs insinuat Arabicus Alexandrinus, inquiens: *Dolore affecerunt me viscera mea præ multitudine fletus. Cecidit honor meus super terram, præ dolore super ciuitate.* Et Arabicus Antiochenus adhuc clariùs: *Conuolata sunt viscera eius in ventre ipsius, & coagulatum est cor eius; quia honor eius reuolutus est super terram.* Sanè honori ducitur vestis in terram vsque diffusa, sed quæ inde non parum afficiat hominem, dum per nimiam frequentiam nequeat non tangi, & pessundari à pluribus. Sic Ieremias indutus viscera misericordiæ, ea vt honoris vestem vsque ad terram extendens in tanta multitudine miserandorum, non poterat non tangi, imò affectibus miserationis pessundari. Sic quisquis sub Dei militia, & nobilitate conscribitur, ea miserationis viscera induat, quæ vsque ad terrā producta nō possunt non tangi

tangi clamoribus miserabilium. Fallar, nisi hanc largissi-
Psal.132. mam miserationem speculabatur Dauid Psalm.132. vbi cha-
ritatem proximorum extollens, ait: *Sicut vnguentum in ca-
pite, quod descendit in barbam, barbam Aaron. Quod descendit
in oram vestimenti eius.* Sic viscera miserationis & charitatis
totum hominem Dei peruadant, & simul cum extima ve-
stis ora per terram fluant, vt nulla sanguinis effusio, vel te-
trorsum accedat, cuius commiseratione non se tangi, &
moueri totus Christianus videat.

Text. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum
videbunt.

§. XV.

Castitas mentis oculos acuit, vt diuina intueantur.

PRæclarè ad oculos acuendos, vt videant Deum, petit
Dominus munditiem mentis, hoc est, iuxta Chrysost.
Theoph. Euthym. castitatem, hæc enim cæcitatem abigit, &
Iob.39. oculos reddit ad cœlestia clarissimos. Iob cap.39. ait: *Nun-
quid ad præceptum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum
suum? In petris manet, & in præruptis silicibus commoratur, at-
que inaccessis rupibus. Inde contemplatur escam, & de longè oculi
eius prospiciunt.* Expende quid præmittat, vt aquilæ subli-
mitatem, & acutissimum visum exponat, nimirum illud,
nunquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila? Equidem aqui-
la nullis præcepti limitibus arctata sublimia petit, clarissi-
mos, & acutissimos oculos in cœlestia defigit. Quæ est hæc
aquila, nisi virgo? *De virginibus,* ait Apostol. *præceptum Do-
mini non habeo, consilium autem do.* Non se inter præcepto-
rum angusta concludunt virgines, sed sublimitates amant,
& vt cœlestia penetrent aquilinos imitantur obtutus. Hinc
Rupert. pulchris verbis Rupert. trahit nos in æmulationem Euan-
gelicæ aquilæ Ioannis Euãgelistæ, in prooemio eius Euang.
dicens. *Omnes carnalium sordes affectuum ab oculis cordis abster-
genda sunt eis, qui in schola Christi sunt; vt hanc valeant aqui-
lam prosequi, quam cordis munditia iuuit; vt claritatem Solis
æterni, plus cæteris diuinæ visionis animalibus irreuerberatis
possit mentis acie contemplari.* Non sic haberet euangelica
aquila acutos, & claros oculos, nisi mundiciem præ cæte-
ris maiorem in corde priùs acquireret. Hæc sola mundicies
est, quæ suis sectatoribus & perpetès tribuit volatus, &
oculos aquilinos, quibus rimentur altissima, diuinissima.
Isai.33. Ad hæc Isaias cap.33. *Qui obturat aures suas, ne audiat san-
guinem, & claudit oculos suos, ne videat malum. Iste in excelsis
habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius, panis ei datus est,
aquæ eius fideles sunt. Regem in decore suo videbunt oculi eius,
cernent terram de longè.* Sanguinem expue, hoc est, iuxta D.
Gregor.23. Moral.25. quæ de carne, & sanguine nascuntur
voluptates, prorsus dimitte; & indue & volatus, & oculos
1. Ioan.3. aquilarum, quibus cœlestia omnia pateant. Ioan. 1. epist.
cap.3. ait: *Scimus, quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus,
quoniam videbimus eum, sicuti est. & omnis qui habet hanc spem
in eo, sanctificat se, sicut ipse sanctus est.* Expressiùs hæc vltima
August. verba leguntur in rem nostram apud August. Didymum,
& alios, nimirum: *Omnis, qui habet hanc spem,* scilicet vi-
dendi Deum, sicuti est, *castificat se ipsum, sicut ipse castus est.*
Quippè nequit aliter Deus videri, nisi ab oculis, quos per-
Clem. Alex. fectissima carnis mundicies acuerit. Id quod docet Cle-
mens Alex. lib.3. strom. cap.4. dicens. *Quomodo fieri potest,
vt qui victus fuerit à voluptatibus, Domino assimiletur, aut Dei
habeat cognitionem? Mens enim, quæ est munda, & ab omni vi-
tio libera est, quodammodo apta ad Dei potestatem suscipiendam,
cum diuina in ea assurgat imago; & quicumque habet hanc spem
in Domino, se ipsum, inquit mundum, castumque facit, quatenus
ille est castus. Planè enim fieri non potest, vt quis simul sit, &
scientia præditus, & blanditijs corporis non erubescat.* Minimè
Deum videbis, nec mentis oculis capies cœlestia, dum
voluptatum sordes minimè à corde verreris. Nulla res ex
his, quæ appetitui subeunt, sic mentes nostras obcæcat, ob-
tenebrat, ne quid Dei capiant, quam vel halitus, vel vmbra
voluptatis. Propone tibi Petrum lapidem illum primarium,
& oculatum apud Cæsaream Philippi, sic Iesum præno-
scentem, vt dicat: *Tu es Christus, filius Dei viui;* hunc post
resurrectionem ad mare Tiberiadis minimè cognoscit ipse
Petrus. Imò cùm multitudinem piscium eius imperio ca-
Ioan.21. perent Ioan.21. Discipulus ille, qui diligebatur à Iesu, ait:
Dominus est. Petrus, vt audiuit, quia Dominus est, &c. ecce tibi
supra omnes præuenit, publicando, & cognoscendo, &
confitendo Dominum: hic autem à Ioanne præuenitur;
vnde sic tardat mens Petri? Vnde vincitur in Dei scientia?
Pulchrè D. Chrysol. serm. 78. ait: *Quæ res illam Petri sic tar-* *Chrysol.*
*dauerat mentem, vt ab alio audiret Dominum, qui cæteris con-
sueuerat nuntiare? Vbi est illud ipsius singulare: Tu es Christus
filius Dei viui; vbi est? In domo ausugerat Caiphæ principis Iu-
dæorum: tardius suum Dominum videbat, qui vocem facilè an-
cillæ susurrantis audiuit.* Vbi fœminea vox, vna vel volupta-
tis vmbra aurem Petri tetigit, & sic eius oculos obtene-
brat, vt in alias notissimi sibi Dei cognitione vinci queat.
Apud quos magis notus Deus, quàm apud Israëlitas, quos
miraculis, & victorijs claros reddidit? De his autem dici-
tur Iudic.2. *Omnisque illa generatio congregata est ad patres* *Iudic.2.*
suos, & surrexerunt alij, qui non nouerant Dominum. Quid
fieri potuit, vt hi nouissent Dominum? Sapienter Origen. *Origen.*
hom.2. ibi fatur. *Generatio illa, quæ non cognouit Dominum Ie-
sum, ista est pessimarum cupiditatum, quæ procedit ex corde. Ista
est generatio, quæ non cognouit Iesum, neque opera, quæ fecit in
Israël.* Et quidem quos non excæcet cupido cæca?

Text. Beati pacifici, quoniam filij Dei voca-
buntur.

§. XVI.

Filialis charitas in Deum semper pacem profert.

NOn dicit, quòd pacifici erunt filij Dei, sed quòd vo-
cabuntur, aliquid enim plus est vocari quàm esse; po-
test enim quis esse verè filius Dei, & non talis haberi, nec
vocari. Pacifici ergo de futuro ad hoc peruenient, vt vo-
centur filij Dei, filios Dei vocari expectant, non esse; quip-
pè eo ipso, quòd pacifici sint, iam supponunt se esse filios
Dei, filialique percussos charitate: de qua habent, quòd
pacem inseminent, pacem proclament. Post vastatum a Deo
orbem, adhuc fluctuabat Noë nobilis noui orbis propago,
& scire cupiens, an futura iam sint tempora pacata Genes. *Genes.8.*
8. *Dimisit columbam ex arca. At illa venit ad eum ad vesperam
portans ramum oliuæ virentibus folijs in ore suo.* Quid aliud
columba portaret, nisi oliuæ ramum? Aut cuius in ore, nisi
columbæ melius esse posset pacis arbor? Columba species
est spiritus filios Dei adoptantis, species est charitatis, quæ
filios adoptionis facit, ex cuius ore nihil prius sonat, quàm
pax alma. Accipite Aratorem lib.2. in Act. Apost. sic acci- *Arator.*
nentem,

——Rostrique modesti
Pignus oliua fuit: dilectio semper in ore
Fructum pacis habet.

Nescit filialis charitas alios prius parturire fructus, quàm
pacis: neque pax ab alio prius nascitur, quàm ab ore cha-
ritatis filialis. Semper charitatis in ore fructus est pacis.
Paul. ad Coloss.3. ait. *Super omnia autem hæc, charitatem ha-* *Coloss.3.*
*bete, quod est vinculum perfectionis; & pax Christi exultet in
cordibus vestris.* Vbi charitas pro fundamento subijcitur, sta-
tim pax debet exultare; vt dicat ibi D.Thom. *Ex charitate* *D. Thom.*
mox oritur pax. Nescit neque ad momentum charitas in
cordibus nostris esse, quin statim in ore fructus pacis ap-
pareant. Vbi charitas non est, ægrè, & difficulter inuenitur
vel tenuis vmbra pacis, vt quæ amet in charitate fundari.
Nouisti discrimen legis, & Euangelij assignatum à Paulo
cap.8. ad Rom. vbi fatur: *Quicumque spiritu Dei aguntur, hi* *Rom.8.*
*sunt filij Dei. Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore,
sed accepistis spiritum adoptionis filiorum,* &c. Sanè in lege spi-
ritus seruilis timoris, in Euangelio spiritus datur filialis
charitatis. Quid inde? In lege pugnæ, bellæ, nil pacifi-
cum, nil non turbatum prælijs, in Euangelio pax alma
clarat. Rem attigit D.Ambros. Psalm.118. octon.21. *Lex pa-* *Ambros.*
*cem non potuit dare; ideo Moyses semper prædicatus est, semper
legis populus versatus in ancipite bellorum est: Iesus autem Naue
plebis animos profunda pace composuit; quoniam qui sub lege est,
agitatur incertis; qui sub Euangelio est, audiat dicentem: Pacem
relinquo vobis.* Timor seruilis nequit non generare lites, &
dissensiones: dilectio sola habet in ore semper fructus pa-
cis. Psalm.118. *Pax multa diligentibus nomen tuum;* quasi possit *Psal. 118.*
nostris in animis Dei dilectio morari, quin pateat ea voce
pacis. Imò Psalm.71. *Orietur in diebus eius iustitia, & abun-
dantia pacis.* Vnde abundantia pacis, nisi ab spiritu charita-
tis cum Iesu accepto? Chrysost. ibi: *Habemus aliam pacem* *Chrysost.*
*abundantem in nobis charitatem, quam hæreditariam donauit
nobis, dicens: Pacem meam do vobis.* Vna charitas est, quæ fa-
cit pacem abundare. S.Ambros. ad cap.3. ad Coloss. de cha-
ritate loquens, ait: *Hæc est, quæ complectitur vnitatem, hæc*
E 4 *est,*

est, quæ omnes vnum corpus facit: hæc est, quæ veram habet pacem, quam corde puro custodit. Sic ille.

Text. Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam; quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

§. XVII.

Voluntaria paupertas martyrium est.

IN præmio, & qui persecutionem patiuntur, & pauperes spiritu meritò coniunguntur, quia paupertas voluntaria martyrium est; vel quia pauper instar membri dolentis, Nyssen. facile ab omnibus pulsatur: vt dicat in præsenti D. Nyssenus: *Egestas pulsu factus est*; vel quia nullum tormentum grauius, quam inter mundiales diuitias velle egere, & de Tantalico supplicio inter ipsa poma esurie premi. Rè pulchris Bernard. verbis explicat D. Bernard. serm. 1. in festo omnium Sanctorum. *Quid sibi vult, quod eadem promissio facta est pauperibus, & martyribus, nisi quia verè martyrij genus est paupertas voluntaria? Quod martyrium grauius est, quàm inter epulas esurire, inter vestes multas, & pretiosas algere, paupertate premi inter diuitias, quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster appetitus? Deoque propterea pauperibus pariter, & martyribus regnum cœlorum promittitur, quia paupertate quidem emitur, sed in passione pro Christo absque omni dilatione percipitur.* Et martyres, & pauperes sub eadem sunt corona conspicui, qui pari fortitudine mundialia omnia pessundant, & aspera quæque amplectuntur. Quis ignoret trium puerorum inuictam fortitudinem, qua sese flammis dederunt, ne statuam regis auream adorarent, Dan 3. An putas his pueris fornacem ingredientibus debere esse pares, qui aurum contemnentes voluntariam amplectuntur paupertatem? Chrysost. Equidem id affirmat Chrysost. homil. 23. ad Popul. aiens. *Illis enim pueris pares redduntur, qui paupertatem cum gratiarum ferunt actione.* Nec mireris quòd pueris in camino ardenti constitui pares dicantur Christi pauperes voluntarij, quando cum virili Apostolorum concertatione inter flagra, inter vincula comparantur, qui nouerunt ob Christum terrenis istis bonis renunciare. Ad hos loquebatur Hebr. 10. Paul. ad Hebr. cap. 10. *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam.* Quid ais Paule, cur athletas Christianos à minimis laudas? Cur bonorum amissiones in medium prodis, & non potius flagella, verbera, cruciatus, quos cum gaudio sustinere, Apostolicum fuit? Sed non minus Apostolicum opus, sustinere cum gaudio extremam egestatem, D Rem. quàm flagra, quàm cruciatus. D. Remigius ibi: *Sustinuistis cum gaudio rapinam bonorum temporalium. Hoc autem totum fuit Apostolicum opus, & dignum fortibus animabus, vt flagellis gauderent, sicut in Actibus dicitur: Ibant gaudentes, quoniam digni habiti sunt, pro nomine Iesu contumeliam pati.* Quasi non minoris fortitudinis opus videatur, paupertatem auide pro Iesu amplecti, quam & vbera, & cruciatus pati.

§. XVIII.

Quot vulnera pro Iesu, tot cita, & gloriosæ palmæ.

QVæ pro Deo pateris vulnera, non infirmitatis, & calamitatis signa puta; habent enim etiam nunc in hac valle lachrymarum, nescio quod regale decus, quo citius à Deo illustrantur, quam ab hoste insiguntur. Quippè, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, ibi, penè in ipsa persecutione, est illorum regnum cœlorum; non differtur, sed simul cum vulnere, aut in vulnere ipso est decos cœlestis regni. Nónne Iob persecutionem passus est? Nónne vulnera excepit? A planta pedis vsque ad verticem capitis non fuit in eo sanitas. Sed dum feritur ab hoste, dum amicorum verbis affligitur, adest Dominus, & subitò omnia patientissimi Iobi vulnera pulchrescere incipiunt. August. Accipe pulcherrima D. August. verba serm. 224. de tempore. *Pœna fugata reuertitur sanitas, & ex cicatricibus felicior redditur medicina. Celerius curat Dominus, quàm vulnerat inimicus. In gaudia gemitus migrauere, & in fossis vulnerum numerabuntur monimenta victoriæ.* Qui militant sæculo, multo labore columnas eligunt, & turres, vt desuper victoriarum suarum monimenta rutilent. At Christi milites nulla expectatione franguntur, in ipsis fossis vulnerum receptorum victoriarum monimenta enumerant. Vbi vulnus est, laurea est, decus est, regnum cœlorum est. Miser ille diues, dum in inferno exureretur, non poterat sustinere Lazarum in sinu Abrahæ quiescentem, & sic orabat ad Abrahamum Luc. 16. *Rogo te pater Abraham, vt mittas Lazarum in domum patris mei, &c.* A regno cœlesti illum cupit ad locum vulnerum, persecutionum, & paupertatis reuocare, nimirum ad domus suæ ianuam. Sed misere fallitur, dum putat Dei athletam posse alicubi esse, sine insignibus gloriarum, sine virtutum laureis, quando & locus dolorum & vulnera ipsa, & sanies, monimenta sunt gloriæ. Quò ibit miles Christi, sine insignibus regni, quando in ipsis fossis vulnerum rutilant palmæ? Acute satis Chrysol. serm. 66. sic miserum conuincit stultitia. *Quid miser rogas? Vt mittas Lazarum in domum patris mei, ante quam bene iacuit, vbi postes tuos suis vlceribus laureauit, vbi sanie sua pinxit micas tuas. Patere ergo stare vices, iam depone dolos.* Ne putes Lazarum priuandum regno, etiamsi ad ianuam tuam, & vulnera reuocetur; quandoquidem & ibi sic regnabat, vt ab ipsis vlceribus pulcherrimæ procederent laureæ, quibus & postes tui effulgebant. Inutiles sunt doli aduersùs Dei sernos, quorum vel vulnera, vel vlcerum sanies quid aspirant cœleste, & gloriæ proferunt palmas. Siue in sinu Abrahæ iam sint, siue primum vulnerum prosiliant in scamma, vbique lauros ostendunt, & monumenta gloriarum. Et inter vulnera ipsa, *ipsorum est regnum cœlorum.* Ad hæc Guarr. Abbas serm. de festo omnium Sanctorum, ponderans verbum illud de præsenti *est*, fatur. *Non ait, ipsorum erit, sed est regnum cœlorum: non solum propter ius firmissimum, sed etiam propter vsum felicissimum: non solum, quia paratum est eis regnum ab origine mundi, sed etiam, quia iam in quandam ipsius possessionem cœperunt introduci, iam habentes thesaurum in vasis fictilibus, iam portantes Deum in corporibus suis, & cordibus.* Vbi primùm persecutiones pro Christo pateris, vbi vulnera sustines, iam rex es, iam regnum habes tuum, nullam patietis in expectando regno moram, sed omni rupta mora in ipsis fossis vulnerum diademata ostenduntur regalia. Petierat mater filiorum Zebedæi à Iesu thronum regale filiis suis Matth 20. cui Dominus respondit: *Non est meum dare vobis*; & quidem multa alia petita fuerant à Iesu, & nulli vnquam tale responsum dedit. Petierunt alij oculos, alij manus, alij vitam: & nemini dixit; non est meum dare; cur ergo vni huic mulieri tale quid respondit? Regni petitio non simpliciter struenda erat, sed cum probatione meritorum, adductis etiam testibus, qui ius ad regnum testarentur. Ita Dominus apud D. Basil. Sel. orat. 24. *Si leprosus curationem quæris, virtutem exsero; si mortuum è tumulo resurgere necessum est, potestatem expromo. Quòd si thronum quis petat, & regiam potestatem quærat, fusum proprietate sudorem testibus repòsco.* Magna res est regni cœlestis postulatio, nec statim soluenda, sed examinanda, & terminis probatoriis adhibitis, & testibus adductis sagaci, & prudenti consilio ponderanda. Has probationum, testiumque moras sustinet, qui nihil passus integro corpore regnum cœleste ambit. Qui vero persecutionem passus est, qui vulneribus confossus adest, nullam moram patitur, nulla probatione eget, nullos testes requirit, ipsa passione rex est & regnum suum habet. Dicebat Cassiodorus lib. 8. variar. 10. *Vulnera, opinio inseparabilis, sine assertore præconium, propria lingua virtutis, quæ licet ad præsens periculum ingerant, reliquum tamen vitæ tempus exornant. Eget enim astipulatoribus corpus illæsum, quæris alios, qui vitâ denuntient; de fortitudine vulneribus probata non ambigitur, quæ suis testimoniis comprobatur.* Qui illæsus est, probet ius suum ad regnum; exeat vetustos codices, fumosas chartas exhibeat; adhibeat insuper testes, oratores, aduocatos, declamatores. Qui vulneribus confossus Christi adest; nil illorum eget: iam ipsa passione est rex, iam vulnerum in fossis rubent purpurea diademata, & gloria candicat regni. Verba erant Pauli illa ad Ephes. 4. *Ego vinctus in Domino*; quæ luculenter tractans Chrysost. homil. 8. ait: *Magna dignitas, regno quouis, & consulatu longe maior. Nihil ita splendidum, vt vinctum esse pro Christo. Vinctum esse propter Christum, illustrius est, quàm siue Apostolum, siue Doctorem, siue Euangelistam esse. Siquis ergo Dominum ardenter nouit, quæ sit vinculorum virtus. Hic vtique prius habebit, optimè dato, vincula ferre propter Christum, quàm cœlos intrare. Quouis auro splendidiores, quouis diademate regali illustriores manus illas ostendit. Non enim caput ita splendidum reddit imposita corona margaritis conspicua, vt catena ferrea, quæ propter Christum fertur. Tum videlicet ipsis regijs illustrior erat carcer, ipso etiam cœlo. Quid dico regijs? vinctum enim habebat Christi.* Et

ipsa

Luc. 19.
Chrysol.
Guarr. Abb.
Basil. Sel.
Cassiod.
Chrysost.

ipsa vincula, & vulnera, & passiones propter Christum, regalissimum quid, imò diuinissimum spirant.

Text. Beati estis, cùm maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersùm vos, mentientes propter me: gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis; sic enim persecuti sunt Prophetas, qui fuerunt ante vos.

§. XIX.

Minimè dolendum, imò lætandum in iacturis, quæ pariunt lætitias æternas.

ET persecutio, & rapina bonorum, & famæ, honoris, & vitæ iactura temporalis, potius lætitiæ, quam dolori esse debent hominibus illis, qui sciunt, post hæc ad alia se
Habac. 3. peruenturos gaudia, & vitam æternam. Habacuc cap. 3. sic canebat: *Ficus enim non florebit, & non erit germen in vineis: mentietur opus oliuæ, & arua non afferent cibum: abscindetur de ouile pecus, & non erit armentum in præsepibus. Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo. Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quasi ceruorum: & super excelsa mea deducet me victor, in Psalmis canentem.* Ecce tibi media in iactura omnium bonorum, nil dolet iustus homo, nullam tristitiæ vocem exerit, quin potiùs saltibus, & cantibus iacturas bonorum comitatur, eo solùm, quod immediatè post illas, videt se ingressurum in gaudia Domini sui, in cœlestia regna. An dolet nobilis vir in scissione extimæ vestis, cùm aureæ pulchritudines sese per scissuras fundunt? An doleret sponsa, quòd paries rumperetur, post quem nouit stare dilectum nuptiarum incorruptibilium accensurum tædas? Sic nec Christianus habet, quod doleat, sed quod summo gaudio excipiat in iacturis temporalium rerum, per quas videt iam eminere cœlestia. Ad
Cyprian. hæc D. Cyprian. ad Demetriadem fatur. *Vinea licèt fallat, & olea decipiat, & herba siccitate morientibus æstuans campus arescat, quid hoc ad Christianos? Quid ad Dei seruos, quos paradisus inuitat, quos gratia omnis, & copia regni cœlestis expectat? Exultant semper in Domino, & mala, atque aduersa mundi fortiter tolerant, dum bona & prospera futura prospectant.* Dum futura bona ob oculos nobis sunt, non est cur nos moueat iactura præsentium: cœlestia timemur; immensas paradisi copias, delicias, glorias, frequenti aspiciamus contuitu, & læti, atque hilares temporalium iacturas aspiciemus; vt quæ præmitti debent ad illorum aduentum. Cur doleam, & non gaudeam potiùs quibus paratur re-
Tertull. gnum? Tertul. ad Martyres dicebat: *Nihil crus sentit in neruo, cum animus in cœlo est.* Imò crediderim notam iniuri diuinis cœlestibusque bonis, dum quis sentit iacturas, quæ ad illa ducunt. Isaac dum sub gladio sperat alacer mortem Deo gratam, meruit ab Angelo liberari, & parentem lætissimo de filij incolumitate reddidit; sed Iephthe filia, dum immolanda accedit, minimè liberatur ab Angelo, imò, & ibi vitam amittit, & orbum & tristem relinquit parentem. Quæ ratio huius differentiæ? Cur Deus, vt vita Isaaci lætificat Abrahamum, non sic lætificat Iephthe vita suæ filiæ? Cur Isaac seruàtur, & virgo hæc in morte derelinquitur? Sanè Iephthe maximè dolebat in filiæ victima; & ipsa filia licèt se morti obtulerit in Dei religionem, tamen priùs voluit flere duos integros menses, & non nisi magno fletu, & lachrymis accessit ad mortem, quam religionis causa suscipiebat; vnde tam pater, quàm filia in-
Anastas. digni sunt habiti diuino beneficio. Rem attigit Anastas.
Nicen. Nicenus quæst. 36. inquiens. *Nec pater erat dignus beneficio Abrahæ, post illam incredulitatem, & de voto pœnitentiam, & vestium dilacerationem, lamentationem, neque filia Isaaci vita post tempum luctum, & duorum mensium eius fletum, vt quæ indicaret hoc sacrificium esse quauis calamitate grauius.* Ille Deo placet, qui in iactura temporali propter Deum suscepta non soluitur in planctus, sed cœlestia spectans nullam temporalem calamitatem æstimat. Quippè pro Deo affligi, interfici, non calamitosum, sed iucundum, & salutare hominibus accidat, si velint, ingentia lucra pro ruina temporali reportari.

§. XX.

Idem tibi ex mundo expecta, quod noueris antecessoribus euenisse.

QVis bonus à mundo non mala accepit? Vide primos iustos, ab Abele in mundo existentes; vide Prophetas vniuersos, quem horum mundus non persecutus est? Meritò ait Dominus: *Sic enim persecuti sunt Prophetas, qui fuerunt ante vos*; vt nemo aliud a mundo speret, quàm ruinam, quàm mortem. Stultus valdè est, qui non idem sibi reputat aduenturum, quod primis omnibus aduenisse prænoscit. Prudens ille Raguel Tob. 8. post septem sepul- Tob. 8.
sos generos tandem filiam suam nupsit nepoti suo Tobiæ iuueni; iam sese receperant nuptiali thalamo, & tota domus in quiete, & expectatione erat. Quid plura? *Et factum est circa pullorum cantum, accersiri iussit Raguel seruos suos, & abierunt cum eo pariter, vt foderent sepulchrum. Dicebant enim: Ne fortè simili modo euenerit ei, quo & cæteris illis septem viris, qui ingressi sunt ad eam.* Durissima foret socero, & generi, & consobrini sepultura, tamen non audet prudentissimus vir aliud sperare nouissimo huic genero, quam id ipsum, quod vidit euenisse septem aliis prioribus. Si ab illo quæreres, cur intempesta nocte surgit? Cur sepulturam parat? Vnde putat fore, vt tantus iuuenis ipsa nuptiarum, & lætitiæ nocte possit sepeliri? Sanè eo solùm, quod vidit septem alios priores similiter fuisse sepultos, idem prorsus putat sperandum in hoc nouissimo. Disce tu hanc prudentiam, ne vnquam putes tibi aliud eueniendum in mundo, quàm quod euenit aliis omnibus, qui præcesserunt. Simili voluuntur rotatu humanæ vitæ: eadem erit semper Sanctorum conditio, dum fuerint in mundo. Ezech. cap 1. dum Ezech. 1.
triumphalis currus à se visi describit elegantiam, ad rotas accedens, ait: *aspectus earum, & opera, quasi sit rota in medio rotæ.* Quæ verba trahens ad humanos mores D. Ambros. Ambros.
lib. 3. de virg. circa finem, vitæ humanæ rotatum in magnis, & in paruis, in primis, & nouissimis prorsus similem meditatur; quippè ait, *Rota in medio rotæ, velut vita intra vitam: quod sanctorum sibi vita non dissonet, sed qualis fuerit superioris ætatis; talis sit, & sequentis.* Quæ sunt sub eodem axe rotæ, eodem voluuntur cursu; vbi primæ cœperint se rotare, similiter & cadent, & desinent, quæ sequuntur. Rotæ sunt humanæ vitæ, quæ sub eodem cœli axe voluuntur, vt primæ, sic & nouissimæ: primæ Sanctorum vitæ odiosæ malis fuerunt, suspectæ, inuisæ; opprobria sustinere, famem, sitim, mortémque ipsam; similiter nouissimæ cadunt, & per eadem omnino volubili rotatu feruntur. Sapienter Tertullian. aduersùs Gnost. prænoscit, quid fratribus, quid Tertull.
iustis omnibus euenturum sit in mundo, vnum proferens in medium, & primum iustum, & fratrem Abelem; quippè, vt illa prima naturæ rota volui cœpit, sic necessum est, vt voluantur nouissimæ. Ait enim, *A primordio iustitia vim patitur, statim vt coli Deus cœpit, inuidiam religio sortita est. Qui Deo placuerat occiditur, & quidem à fratre, quo procliuiùs impietas alienum sanguinem insectaretur, in suo auspicata insectata est.* Quid deinde? Quid quod prima rota sic vergeret in occasum? Iam ipse prosequitur: *Denique non modò iustorum, verum etiam Prophetarum, Dauid exagitatur, Elias fugatur, Ieremias lapidatur, Esaias secatur.* &c. Sic per singulos percurrit, vt ostendat, quàm similiter decidant sanctorum virorum rotæ. Ex præteritis, quæ nouit, paret se homo ad expectanda similia; non enim erit aliud, nisi id ipsum, quod aliis euenit. Ecclesiastes 1. *Quid est, quod fuit? Ipsum quod* Eccles. 1.
futurum est. Quid est, quod factum est? Ipsum quod faciendum est.

CAPVT IV.

De Ecclesiæ Præsulibus.

POST beatitudinum vias, asperas quidem, propositas, pergit Dominus Apostolos suos, & Ecclesiæ Principes commendare; dum illos clarissimis cognominibus exornat. Non enim Christianum concionatorem dedecet, ablata assentatione, ad laudes Principum, & Prælatorum descendere aliquando. Et quas laudes suis attribuit doctoribus Dominus Iesus? Et sal, & lux mundi, & eminens ciuitas, appellantur; sed sal, qui metuat conculcationem; lux, quæ è candelabr olucéat, non quæ

quæ in frumentis congerendis insinuatur: ciuitas telis exposita, & hostium incursionibus; sed his facinoribus clara, quæ conditori suo Deo gloriam pariant immortalem. Non enim, quia Principes, ideo se putent exleges, sed ita supra vniuersas leges constitutos agnoscant, vt instar Iesu Domini legum spiritum adimpleant. Quo magnum, & gloriosum nomen in regno cœlorum conquirent, vbi ille solùm magnus est, & Princeps, qui non solùm verbis, sed & factis emercatur nominis magnitudinem.

Matth. 5. Vos estis sal terræ. Quòd si sal euanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet vltrà, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.

§. I.

Christianorum Principum cura, non tam in eo ponatur, quòd vitia castigentur, quàm in eo, quòd non fiant peccata.

EO spectet Christianorum cura quò sal spectat, nimirum, ne detur carnis corruptio; sal enim sic carnes condit vt corruptioni aditum intercludat: & ille præclarissimè agit, qui sic hominum animos componit, vt nullum corruptelis vitiorum aditum relinquat. Hanc curam eleganter commendat in Siculorum gubernatore Theodoricus Cassiodor. 1. variar. 3. inquiens. *In ipso quippè imperij nostri deuotus exordio, cùm adhuc fluctuantibus rebus prouincialium corda vagarentur, simulorum suspicantium mentes ab obstinatione præcipiti deuiasti, culpam remouens illis, nobis necessitatem subtrahens vltionis. Egit salubris persuasio, quod vehemens potestas emendare districtio. Lucratus es damna prouinciæ, quæ meruit sub deuotione nescire.* Gloriosus hominis labor, qui prohibet, ne culpæ fiant, ne vltio, seu districtio iudicis inueniat, quod puniat. Multorum est ferro, & igne corruptos hominum mores sanitati restituere: at qui artis industriæ, & suadelæ vi corruptioni obuiat, ne erumpat, is rarus est, & omni laude dignissimus. Iud. 3. dicitur: *Post hunc fuit Samgar, qui percussit de Philisthiim sexcentos viros vomere.* Expende quo se armet iudex hic aduersùs hostiles impetus, nimirum aratro, vomere, non ferro, non igne. Vomer terram præscindit, euoluit, commouet, ne locum habeant nascendi herbæ inutiles, sed aptissimum inueniant semina vtilia. Magnus ergo triumphus iudicis, qui non ferro, & igne, sed aratro depellit hostiles incursus, quatenus sic componit hominum mores ne locum dent vitiis. Pulchrè Origen. homil. 4. ibi ait: *Aliud genus laudis in Samgar video. Iste in aratro pugnat. Aioth pugnabat in gladio. Iste in aratro vincit. Potest ergo fieri, vt Ecclesiæ iudex non semper gladium proferat, non semper austeritate, & acumine correptionis vtatur, sed aliquando etiam imitetur agricolam, & velut aratro sulcans animæ terram, ac sæpius eam commotione rescindens, aptam eam suscipiendis seminibus paret.* Hoc genus laudis non omnium est, sed vnius: rarus est, vnus est, qui non ferro, sed vomere sciat vti; qui præueniat natiuitatem vitij, qui terram animorum sic componat, vt nec spinas, nec fœnum admittens proinus nesciat damna ignis, sed optimis sit semper aptata seminibus. Sedem primariam in Ecclesia petentibus Zebedæi filiis, ait Dominus Marc. 10. *Nescitis quid petatis: potestis bibere calicem, quem ego bibo: aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* Ecce quem baptismum proponat cupientibus Ecclesiæ gubernaculum; nimirum sui ipsius baptismum: non baptismum populis communem, quo per tinctionem aquæ peccatum in anima suffocatur, sed baptismum sanguinis, quo per necisionem carnis, prorsus intercluditur aditus peccatis. In quo sicut & baptismi, ita & boni gubernatoris ostenditur præstantia. Vnde Origen. homil. 7. in lib. Iudic. ait: *Vides ergo, quia profusionem sanguinis sui baptisma nominauit. Et ne ista dicens offendant, vereor, ne illud baptisma eminentius sit illo, quod per aquam traditur. Illo enim accepto valde pauci sunt ita beati, qui id immaculatum vsque ad exitum vitæ seruare potuerint. Hoc verò baptismo, qui baptizatus fuerit, peccare iam vltra non potest: per illud præterita peccata purgantur, per illud etiam futura perimuntur. Ibi peccata dimissa sunt, hic exclusa.* Non sedem affectet, qui nesciat vti præstantissimo hoc baptismo sanguinis, quo nimirum sic reddat homines mortuos peccatis, & concupiscentiis, vt videatur omnes his aditus amputasse. Multi sunt, qui instar aquei baptismi, non valent efficere, ne vitia nascantur, quæ nata ferro vindictæ, & pœnitentiæ tradunt: at qui præstantior est, instar baptismi sanguinis, facit ne vlterius nascantur peccata. Inde Dominus se se insensissimum ostendebat Israëlitis, quòd eis leges permitteret, quibus minimè à peccatis præseruarentur, imò quæ de facto solùm deseruirent punitioni peccati. Ezech. 20. *Ergo, & ego dedi eis præcepta non bona, & iudicia, in quibus non viuant.* Quæ hæc præcepta, & iudicia non bona? Quæ minimè remanentes culpas auferunt, sed afferunt necessitatem vindictæ. Et quidem durissimè sibi consulit, qui non vitat materiem vindictæ; quale enim iudicium est hominis, qui non depellit, sed admittit, quòd puniat, & longa animaduersione castiget? Nescio, si duriori iudicio possit homo in hac vita puniri; etenim D. Hieron. epistol. ad Saluinam hoc ponit supplicium à Deo datum populo post Idololatriam. *Fornicata est quondam Jerusalem, & diuaricatio pedes suos omni transeunti. Cùmque ad deserta venisset, & Moysis morarum impatiens, quasi æstro libidinis furibunda dixisset: Isti sunt dij tui Israel; accepit præcepta non bona, & iustificationes pessimas, in quibus non viueret, sed puniretur.* Quam pœnam vt maximam dedit Dominus nationi peruersæ, & prauæ post mille idololatrias; hanc dant populo suo, quicumque iudices non curant peccata præcauere, sed illis inferre supplicia. Hanc sibi sumunt, qui non remouent culpas, sed admittunt postmodum punituri, castigaturi. Felicior, qui in morte Christi baptizatur, ad Rom. 6. hoc est, qui instar mortui Iesu, sic ipse peccato omnino moritur, vt remouens culpam necessitatem auferat vindictæ.

Cassiod. | Iudic 3. | Origen. | Marc. 10. | Origen. | Ezech. 20. | Hieron.

§. II.

Semel acceptus virtutis sapor conseruandus est, ne velis Saluatori odiosus esse.

QVod semel recipiunt escæ à sale condimentum, nunquam amittunt; semel enim saporata caro, ex sale adiuncto, nunquam eo insipiditatis redit, vt noua salis aspersione indigeat. Sic morum condimenta sumantur à virtute, vt ciborum condimenta à sale sumuntur; sic amat homines condiri, qui ad discipulos suos dicit, *vos estis sal terræ*, nil æstimans, nuntiare salutem, quæ sit iterum in mortem desitura. Et quidem ad vitia, & carnis corruptelas sæpiùs relabi, nunquam non fuit maximè saluatori offensiuum. Aiebat enim ipsa Psalm. 29. *Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* Quæ verba in communi vsu Ecclesiæ, & Sanctorum tribuuntur Christo deprecanti corruptionem cadaueris sui diuini, ne corruptum redigeretur in puluerem. Et notandum maximè, quod qui libenti animo amplexatus est primam corruptionem corporis sui, nempè mortem; tam anxiè deprecetur hanc corruptionem secundam cadaueris diuini, quasi hæc damnatior futura esset pretio sanguinis effusi. Vnde maiori horrori est saluatori hæc secunda corruptio, quàm prima? Inde maximè horribilior est, quia secunda iam est, vt ostendatur, quòd in membris corporis Christi iterata corruptio saluatori non potest non esse offensiua. Ad hæc sapienter D. Gaudent. tract. 12. ait: *Itaque conseruemini, ne author malarum cupiditatum diabolus iterum principetur in vobis: eius crudeli regno iterum nos subiicientes in contumeliam redemptoris, vnde meritò conqueratur exprobrans: Quæ vtilitas in sanguine meo, sine causa meus pro vobis sanguis effusus est, si ita vos geritis.* Quasi operam, & oleum saluatoris perdant, qui semel, & iterum redeunt in carnis corruptelas: qui non semel abacti à voluptatum sanie, nihilominus iterum, atque iterum accedunt, inibi miserè interimendi. Quos depingebat Ecclesiastes 10. dum ait: *Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti*; vel iuxta lectionem Venetam, *fœtere faciunt vnguentum.* Musca importunissima omnium millies abacta, & fugata, semper instat, semper redit ad saniem, ad vnguentum, donec inibi immersa pereat & fœtere faciat vnguentum. Sic importunissimi peccatores sunt, qui sæpe à voluptuosis viis fugati, dum iterum redeunt, & ipsi pereunt, & fœtere faciunt Saluatoris effusum vnguentum, hoc est, Iesum prorsus, quantum est in se, interimunt, & habent ostentui. Iudic. cap. 2. dicitur: *Mortuus est Iesus filius Naue.* Quæ verba meditatus Origenes valdè miratur, quòd Iesus sic solùm dicatur mortuus, nulla facta mentione resurrectionis; an potest esse, quòd Iesus prorsus mortuus maneat? Et quando sic moritur Iesus, vt nec vllum vitæ auspicium præbeat? Tunc sanè cùm iterata morte se peccator interimit, tunc sic Saluatoris vnguentum perdit, vt penè illud fœtere

Psalm. 29. | Gaudent. | Eccles. 10. | Iudic. 2.

Origen. foetere faciat, & ponat ostentui. Origen. homil. 2. in lib. Iudic. ait. In quibus autem sic defunctus est Iesus? *In illis sine dubio, qui sæpe pœnitendo, & iterum delinquendo, velut insultare morti Iesu dicuntur. De quibus scribens ad Hebræos dicit Apostolus: Rursum crucifigentes sibimet ipsis filium Dei, & ostentui habentes.* Sanè offensiua est Saluatori iterata peccatorum corruptio; quem tunc extollimus, cùm sic saluti acceptæ inuigilamus, vt quoduis lethale vulnus horribile nobis adsit. Quis enim non metuat iterum infirmari, iterum ferro, & igni subesse, iterum morti approximari? Non sunt quidem hæc talia, quæ multoties sustineri valeant. Ex *Rom 6.* quo monebat Paul. ad Roman. 6. *Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltrà non seruiamus peccato.* Ideo crux, ideo lancea, ideo mors inuenta est, vt destruatur peccatum, vt his doloribus abigamur ita à peccato, ne ad illud redire velimus. Quid plura? *Quòd enim mortuus est peccato, mortuus est semel; quòd autem viuit, viuit Deo.* Nemo quidem pluries vult mori, pluries vult secari: sufficiat semel sanguine vitam comparasse; quis sanus velit iterum expauescere ignem, *Pacian.* expauescere gladium? Pulchrè aiebat D. Pacian. epist. 3. ad Symphorianum: *Velit ergo ille sanatus iterum se secari, iterum exuri? Velit peccare iterum, & iterum pœnitere, cui labor tantus imponitur, cui carnis interitus imperatur, cui inges lacrymæ, cui gemitus sempiterni?* Hæc talia sunt, vt vel semel sublata sufficiant; nemo enim non amens vellet iterum amittere salutem, non nisi talibus doloribus, & mortibus comparan- *Rom. 6.* dam. Id quod vt hominibus persuadeat, ait Paul. ad Roman. etiam cap. 6. *An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus?* Quæ verba meritò quæstionem faciunt D. Remig. cur dicat Paulus nos baptizari in Christo Iesu, & non potiùs dicat, quòd baptizamur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti? An potest esse baptismus in nomine Iesu solùm? Absit; sed Paulus tradebat ibi formam Sacramenti, sed rem, nempe salutem ibi causatam cruciatibus, & morte Saluatoris comparatam, ideo abstinuit prudentissimè à Patre, & Spiritu sancto nominando, & solum meminit Iesum, & hunc crucifixum, vt persuadeat hominibus illam salutem semel receptam seruare, quæ nnn vt merum donum obtinetur à Patre, siue Spiritu sancto, sed magno sanguinis, & sudoris, & tormentorum sumptu debet amissa comparari, vt Iesus *Remig.* ipse illam comparauit. Ad hæc Remigius. *Indignum Paulus duxit personam Patris, & Spiritus sancti ponere, quæ carnem non suscepit, neque mortem; sed personam tantummodo Filij, quæ carnem assumpsit, & pro nobis mortua est.* Ne quis putet Iesu viliùs posse salutem comparare, si illam semel permittat auolare.

§. III.

Vel vnus iustus valet, vt omnem terram condiat, & saporet.

NE te moueat, pauculos Iesu discipulos vocari sal terræ; paruum enim granum salis multam carnem saporat; sic vel vnus iustus sufficit ingentem carnalium hominum multitudinem saporare, eorúmque mores insipidos, & efferos condire. Quis numeret multitudinem belluarum in Noëmi arca custoditam? Leones ibi, Tigrides, Lupi, Vrsi, vultures, corui, struthiones, & alia ferarum *Genes. 8.* genera immitissima; ait tamen textus Genes. 8. *Recordatus autem Deus Noë, cunctorumque animantium, & omnium iumentorum.* Post Noëmum immediatè omnia animantia effera ponit; cur non priùs Noëmum, deinde Noëmi filios, & vxores filiorum posuit, tum iumenta mansueta, & postre- *Ambros.* mò effera animantia? Rem sic attingit D. Ambros. lib. de Noë, & arca, cap. 16. aiens. *Cur non animantia, quæ mitiora sunt, post hominem nominauit, sed ferociora? In quo videtur illa esse ratio, vt ea, quæ ferociora erant, vtriusque partis vicinitate mansuescerent.* Et quidem totus ferocientium animantium exercitus mansuesceret, dulcesceret, quem ex vna parte multitudo iumentorum mansuetorum, ex alia parte vnus solus Noë iustus frænabat. Non enim filij, nec murus, sed vnus Noë sufficiebat, vt ex parte sua ferocientem exerci- *Iudic. 2.* tum belluarum ad mores mansuetorum perduceret. Iudic. 2. etiam dicitur: *Dimisit ergo Iosue populum, & abierunt filij Israel vnusquisque in possessionem suam, vt obtinerent eam: seruieruntque Domino cunctis diebus eius;* vnus Iosuë adeò rebellem populum, & duræ ceruicis, in religione, & pietate *2. Par. 9.* continuit. Quid plura? Apud 2. Paralip. 9. dicitur. *Fecit quoque Rex solium eburneum grande, & vestiuit illud auro mundissimo. Sex quoque gradus quibus ascendebatur ad solium, & scabellum aureum, & brachiola duo altrinsecus, & duos Leones stantes iuxta brachiola, sed & alios duodecim leunculos stantes,* &c. Miraberis quòd tot leonibus regendis, cicurandis brachiola apponantur, & non potiùs fortissima brachia? Sed vide qualia sint brachiola, ait enim, *& brachiola altrinsecus,* quæ enim altrinsecus spectant, & non humi deiecta, sed cœlestia, & diuina meditantur, etsi brachiola, etsi minimæ res videantur, innumeram leonum ferarúmque multitudinem ad iustitiæ, mansuetudinísque metam poterunt reducere. Huc spectat Matth. 13. vbi sic: *Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum.* Id quod expendens Theo- *Math. 13.* *Theoph.* phylactus ait: *Fermentum dicit Apostolus. Sicut enim fermentum, cùm paruum sit, totam farinam in se transfert; sic & vos totum mundum transformabitis, licèt pauci sitis.* Et quidem non paucitas iustorum spectanda est, sed virtus, quæ iuxta fermenti salísque naturam, immensam multitudinem condit, saporat: adeò, vt vel per vnum iustum stent leones, stent efferati populi, & integra regna polleant. Dum Herodes saltatrici puellæ dimidium etiam regni promitteret Marc. *Marc 6.* 6. illa petiuit dari sibi caput Ioannis Baptistæ. *Et contristatus est Rex propter iusiurandum,* &c. Cur contristatur Rex propter iusiurandum? Vel quo iuramento tenebatur? Nónne ipse petitionis terminum posuerat, dimidium regni? Sed Ioannis caput totum illud regnum conseruabat, & ab vno illo absciso, ne istud posset durare. Habebat excusationem iuramenti, & facilem, & euidentem Rex impius, quando in Ioannis capite non dimidium regnum petebatur. Ex quo D. Basil. Sel. orat. 18. ait: *Age enim, quando dimidium pollicitus regni, Ioannis caput pro munere poscebatur, quid amisisset iniuriasse talia locutus fuisset. Ego dimidiatum regnum pollicebar, tu verò Baptistæ caput exquiris toto meo regno longè pretiosius, quódque sceptris meis clarius emicat, ac dignitate mea longè est excelsius. Nam aut alterum Baptistam monstra, aut, quod obscurum non est, toto regno me spoliare audes.* Nec falleretur, si *Basil.* vel in vnius iusti perditione totius regni suspicaretur casum. Et quod regnum magis florens, quàm Pentapolitanum? Sed ecce duo Angeli accedunt Sodomam, conueniunt Lothum. Genes. 19. *Eduxeruntque eum, & posuerunt extra ciuitatem.* Quid tunc? *Igitur Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrham sulphur, & ignem.* Id expendens D. Ephrem *Genes. 19.* *D. Ephr.* de mala conuersatione vitanda fatur. *Post iusti ab his absensum omnipotens manus sune posuit super eos, de cœlo pluit ignem, & sulphur, & perdidit omnes. Quemadmodum enim ciuitas munita subuersis muris facilè capitur, eundem in modum, & hi præsidio orationum iusti huius destituti, pariter omnes deleti sunt.* Sic vel vnum iustum sequuntur florentissima regna, eiúsque vel bono stant, vel perduntur malo.

§. IV.

Praui hominum mores multo moderamine corripiendi.

SIc adhibenda est correctio prauis hominum moribus, vt sal adhibetur cibis condiendis; nimirum sub certo mensuræ moderamine; si enim sal mensuram excedat, non condit, sed perdit cibos. Hinc Dominus aduersus corruptissimos hominum mores Apostolos armans, ait, *vos estis sal terræ;* hoc est, eos vos moderamine temperate in corripiendis aliis, quo sal moderatur, ne cibos perdat, sed faciat saporatos. Nunquam enim correctio non damnata, quæ certa moderaminis mensura non continetur. Apud Isaiam 13. Do- *Isai. 13.* minus zelo vindictæ in peccatores succensus, ait: *Ego suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint: sed sagittis paruulos interficient,* &c. Ecce tibi etiam ad summam vindictam sumendam, quales adducat Dominus carnifices, nimirum, Medos. Cur Medos? Ait D. Ælre- *Ælred.* dus serm. 9. in Isaiam; *Ideo, quia Medi interpretantur mensura.* Et quàm fallitur, qui mensuram oblitus vult accedere ad peccatorum vindictam. Ille meritò accenditur in vindictam peccatorum, qui sic se temperat, vt caueat suæ iræ excessus. Dauid moribundus 3. Reg. 2. supplicium mandat *3. Reg. 2.* inferri homicidiis Ioab, & maledicentiæ Semei: quòd si quæras, cur tunc potius, quàm antea horum scelera corripi voluerit? Respondet Petr. Damian. epist. 140. *Quia quan-* *Petr. Dam.* *do potuit irasci, noluit vendicare, deficiente verò animi furore, & iræ materia, vltionis exercuit disciplinam.* Cauit bonus Rex semper iræ suæ acerbitatem, & nimiam seueritatem; ideo maluit expectare vsque dum modus, & mensura in castigandis

gandis sceleribus minimè excedendus putaretur. Nec immeritò hæc debeat esse cura iudicibus, quando excessus vindictæ Deum reddat placabiliorem reis, & duriorem
Genes. 15. peccata vindicantibus. Apud Genes. 16. rebellem, & peccatricem Israelitarum gentem minatur Dominus quadringentis annis fore captiuam apud Ægyptios, vt seruitutis laboribus eius castigentur peccata: *Subijcient eos seruituti, & affligent quadringentis annis.* Sed, vt constat inter omnes, postmodum non fuit adeò longa captiuitas, quin potiùs penè non excessit ducentos annos. Sed cur Deus sic accelerauit libertatem Israelitarum, & perniciem Ægyptiorum?
Chrysost. Rationem pulchram in rem nostram tradit D. Chrysostom. homil. 38. in Genes. aiens. *Cum Deus sit misericors, & respondentes infirmitatibus nostris statuat pœnas; quia vidit Hebræos nimio labore oppressos, & præter modum ob Ægyptijs affligi ante definitum tempus, & vltus est Ægyptios, & in libertatem Hebræos vindicauit.* Sic vbi præter modum nimio zelo mordentur peccatores, offenditur Deus, & citiùs placatus erga reos, ira exardescit in vindicantes.

§. V.

In correctione cauendum, ne exasperentur, & irascantur peccatores.

DVm sal cibis adhibetur, maximè cauetur ne cibi referant in se ipsos aculeos salis; quod maximè cauendum est in correctione peccatorum præstanda: quæ sic attemperari debeat ne peccator exasperatus, & iratus ma-
1. Reg. 15. neat. Samuel 1. Reg. 15. Saulis regis rebellem, & ingratum Deo animum maximè pungit, & regni amissionem sine vlla misericordia protestatur, & cùm hæc dixisset, quid amplius facit? Ait text. *Reuersus ergo Samuel secutus est Saul, & adorauit Saul Dominum.* Cur sequitur, quem reprobarat? Cur non potiùs fugit ab eo, quem scit à Deo reprobatum? Cur Dei Propheta non prorsus despicit, & à se abijcit, quem abiectum iam & despectum à Deo cognoscit? Equidem prudentissimè correptionem moderatur, ne Rex aduersùs stimulos calcitret, vel ne potiùs acceptis stimulis exacerbetur, & irascatur magis, vt præ iracundia nihil ma-
Gregor. lum aggredi vereatur. D. Gregorius ibi, lib. 6. ait. *Proijcit ergo eum, & cum eo reuertitur, quia in potentatibus huius sæculi, sic est damnanda iniquitas, vt bonum, quod habent, exasperati non perdant.* Semper ad profectum hominis peccatoris attemperanda est correctio, & sic debet pungere, ne iram excitet, ne aculeos iracundiæ exacuat, ne furoris fumos efficiat densiores, quibus scintillulæ manentis virtutis minus culpabiliter extinguantur. Hinc Iesus vbi Iudam murmuratorem de Magdalenæ pietatis in effundendis aromatibus accepit; & si nouit auarum eius, & rapinis studentem animum, tamen dissimulato aculeo, multo illum cor-
Matth. 26. ripit moderamine, aiens Matth. 26. *Sinite illam.* Cur non
S. Gaud. acriùs? Cur non vehementiùs mordit rapacem? D. Gaud. serm. 13. ait: *Nihil acerbum Christus voluit pro merito sceleratæ mentis illius loqui; ne Iudas eum tradere videretur iniustè.* Quasi aliqualem inueniat excusationem etiam atrocissimum scelus, si fiat ab animo exacerbato, & per correctiones ipsas irritato, sic cauet Dominus reprehensionis aculeos, ne Iudas irritetur, ne irascatur, & ab hac ira in proditionem impulsus videatur. Hoc correptionis moderamen, vt apud mundiales difficile inuenitur, sic illud suis offert
Isai. 55. Dominus etiam gratis; quippè apud Isaiam 55. clamat: *Venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum, & lac.* Non vinum sine lacte; temperandum enim est vinum cum lacte, vt minus mordeat, ne potiùs iracundiam accedat, quàm morbum sanet. Ad quæ verba re-
Bernard. spiciens D. Bernard. serm. 2. de Resurr. Dom. ait: *Eme à Domino moderatam correptionem, qui omnino magnum quoddam bonum, & datum optimum est, & quod habent pauci. Videas multos, sincera licet intentione, leuiter ducere, quod grauiter vindicatur. Volat irreuocabile verbum, & quod sanare debuerat, (quia mordacius forte videtur) exasperat, & exulcerat magis. In spiritu vehementi conterimus naues Tharsis; conterimus quassatum calamum, extinguimus linum fumigans.* En quoties mordax verbum in reprehensione elapsum omnia turbat, & nihil integrum, nihil virtutis inextinctum manere patitur. Emenda est ergo à corripiente correctionis moderatio, hoc est, vinum, & lac, ne solo zelo succensus ea verba promat, quæ magis oleant vini mordacitatem, imò insaniam. Sunt qui pro sermonis occasione zeli calore succendantur, & in ea deueniant verba, quæ repentinus zeli excitat calor: horum tunc verba fallar, si longè abesse videantur à vini insania. Quippe acerbissima supra modum, & nimis mordentia, & exasperantia huiusmodi verba sunt, & magis ad exulcerandum, quàm ad sanandum. Hi emant vinum, & lac, nihil non emptum id est, ponderatum, examinatum, vt ea quæ emi solent, imò & temperatum proferant. Ideo etiam crediderim vitiorum correctores à Iesu sal vocati, quia sal nisi emptum non solet haberi, vt doceamur, quòd verba correptionis minimè proferenda sunt, nisi instar rerum emptarum ponderata priùs, & mensurata.

§. VI.

Se quisque in infirmitatibus proximorum nouerit.

SIngularis est D. Hilarius in exponẽdis verbis Saluatoris, quibus Apostoli sal terræ nuncupantur; quippe nominari putat sal terræ, hoc est, sal ex terra factum. Quo posito, meritò addubitat in hunc modum: *Sal terræ nullum est, quomodo ergo Apostolos sal terræ nuncupauit?* Et quidem cùm sal ex aqua fiat, non ex terra, non ociosè vocantur Apostoli sal terræ, hoc est, terreni sales: sed vt admoneantur, se suamque infirmitatem ob oculos habere, cùm terrenos hominum mores accedunt sugillare. Id quod monebat etiam D. Paul. ad Gal. 6. *Fratres etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris.* Gal. 6. Nunquam mihi crede ad carpenda vitia proximorum accedas, & si lethalia illius vulnera prodenda sint, quin te primum consideres, te ipsum videas, tuamque infirmitatem ad illius conferas infirmitatem, quo fiet, vt in correptione minimè excedas. Recolendum modò est Elisæi facinus 4. Reg. 4. is vidit aliquando filium hospitæ suæ mortuum, cui vt vitalem spiritum infunderet, quid fecit? Ex- 4. Reg. 4.
puit, membra emortua contudit? Expauit mortui pallorem, imò & fœtorem? Absit: *Ascendit, & incubuit super puerum, posuitque os suum super os eius, & oculos suos super oculos eius, & manus suas super manus eius, & incuruauit se super eum, & calefacta est caro pueri.* Sic sic mensurat os, pedes, manúsque suas cum defunctis manibus, & pedibus, & ore pueri, vt sic illi sanitatem infundere possit. Sic curauit os suum, manus suas, & pedes suos commensurare cum membris pueri emortui, vt parum, aut nullum inter vtrumque discrimen esse posset. Ita prorsus quisquis cupit proximorum sanare emortuos, imò fœtidos, & omnino rigescentes mores, se ipsum ad illius mensuram efformet, os suum, manus suas, & pedes suos toties infirmantes, toties in Dei via claudicantes, tot malis expositos, cum proximi manibus, & ore adeò componat, vt vix discrimen intercipi possit; & fallar nisi ex charitatis calore exsuscitet emortuos. Ad hæc pulcherrimè Bachiarius Bachia.
epist. de recipiendis lapsis fatur. *In defuncto fratre opus imitare Elisæi, manus manibus, pedes pedibus, os ori compone primum, vti compositum ei, qui mortuus iacet. Neque latus integritatis tua triumpho superextendat te ei. Et si cum membris membra tua fuerint copulata, spem capies resurgendi, vt qui per peccati frigus emortuus est, consolationis tuæ tempore reuocetur ad vitam.* Sic quoties infirmitates tuas cognoscens, eas proximorum infirmitatibus exæquare contendis, non poteris non illi spem impertiri resurrectionis, vtpote qui est tanto charitatis calore confotus. Dominus Luc. 23. aiebat: *Filiæ Ierusalem* Luc. 23.
nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. In quibus verbis D. Bern. serm. 2. in Resurr. expendit Bernard.
correptionis fraternæ ordinem, aiens: *Ordinem diligenter attende. Super vos, inquit, primò; deinde super filios vestros. Teme tipsum attende, vt alij noueris compati, vt arguas in spiritu lenitatis: te ipsum considera, ne & tu tenteris.* A se ad alios descendat, quisquis prodesse cupit: videat infirmitatem suam inter tentationum impetus penè labantem: videat se inter laqueos, vix effugientem: videat non alterius terræ, non alterius fortitudinis substantiam habere, & hinc fiet, vt arguat in spiritu lenitatis. Id quod monebat Chrysost. hom. Chrysost.
17. in Genes. fatus: *Quando reos condemnamus, non tam crudeliter illis loquamur, neque seruitia in illos vtamur sæuitia: sed longanimiter, & misericorditer agamus, vtpote nostra ipsorum membra condemnantes.* Sic ille.

Text. Quòd si sal euanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet vltrà, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.

§. VII.

Principatus ſedes qui occupant, multo ſunt honore proſequendi.

ANimaduerte ordinem principatuum propter peccata
puniendorum: nimirum, *vt mittantur foras, & concul-
centur ab hominibus*; prius à ſede deponatur, quàm homo
audeat in principem maledicta congerere. Dum foras non
mittitur, dum adhuc ſedem principatus tenet, quis eſt ho-
mo qui audeat in principem? Quis impune principis de-
decus poterit, vel videre? Indecorum Saulis caſum Da-
2.Reg.1. uid accepit 2.Reg. 1. & iuſto zelo repletus ſic excandeſcit:
*Montes Gelboe, nec ros, nec pluuia veniant ſuper vos. Nec ſint
agri primitiarum, quia ibi abiectus eſt clypeus fortium, clypeus
Saul, quaſi non eſſet vnctus oleo.* Percuſſus eſt ab hoſtibus
Saul; montes Gelboe nullam illi fecerunt vim, imò ca-
dentem regem ſinu ſuo exceperunt, vulnera eius ſolum vi-
derunt; cur ergo ſiccitate mulctantur æterna? Equidem
Ambroſ. crimen eſt creaturis, indecora principum vel videre: D.Am-
broſ. lib. 3. offic. cap. 9. *Aruerunt montes prophetico maledicto,
& diuina vis ſententiam maledicentis impleuit. Itaque pro regia
necis ſpectaculo, pœnam elementa ſoluerunt.* Nec videre licet im-
pune principum damna; vt pateat quàm puniendi ſint
ſemper, eorum qui in dignitate conſtituuntur, deſpectus.
Ibi reducebatur arca à Philiſthinis, ſtetit circa Bethſames,
1.Reg.6. 1. Reg. 6. *Percuſſit autem Dominus de viris Bethſamitibus, eo
quòd vidiſſent arcam Domini, & percuſſit de populo ſeptuaginta
viros, & quinquaginta millia populi.* Tantum ſcelus fuit vi-
diſſe arcam? Non viderunt illam ſimpliciter, ſed cum de-
ſpectu aliquo, eo quòd captiua hucuſque eſſet. Id quod
Eucher. notabat Eucherius aiens: *Ob hoc autem à Domino percuſſi ſunt,
quia non ſolùm appropinquauerunt ad arcam, ſed etiam, vt alia
tranſlatio habet, deſpexerunt.* In nullo caſu, in nulla ruina
permittit Dominus, quòd primariæ ſedes habeantur de-
ſpectui. Qui ſedem principatus, & dignitates occupat, etiam
ſi captiuus agat, etiam ſi vitiorum, & cupiditatum note-
tur ſeruus, non debet à popularibus hominibus deſpici,
cùm ſolus Deus ſit, qui *aufert ſpiritum principum*, Pſalm. 75.
Deo vni ſunt in cura præſulum caſus, & ſcelera; popula-
ribus autem, & ſubditis nullo prætextu datur licentia præ-
2.Reg.6. ſulum caſus attingendi. Ex 2.Reg. 6. fiet ampliùs id mani-
feſtum, ibi ait: *Extendit Oza manum ad arcam Dei, & te-
nuit eam; quoniam calcitrauerunt boues, & declinauerunt eam.
Iratus eſt Dominus indignatione contra Ozam, & percuſſit eum,*
&c. Cadenti manum protendit Oza, & interfectus eſt à
Domino; vt iam caueant populares præſulum caſus vel in-
Chryſoſt. dice prodere. De quo eleganter Chryſoſt. homil. in locum
ex 16. ad Rom. de colendis ſacerdotibus, vbi ſic. *Videre li-
cet, quomodo ſubditum procul à ſacerdotum correptione abeſſe
oportet. Nam cùm aliquando arca reduceretur, & ſubditorum
aliqui ad lapſum inclinantem videntes erigerent, eo ipſo in loco
pœnam dederunt, & à Domino percuſſi mortui manſerunt, tam
etſi nihil agerent abſurdum. Non enim ſubuertebant, ſed lapſu-
ram erigebant.* Ne te fallat bonus prætextus; nullus equi-
dem eſt prætextus bonus, vt homo ſubditus præſulum ve-
lit ruinis occurrere. Si quis haberet prætextum iuſtum car-
1.Reg.24. pendi principem, is eſt Dauid, qui tamen 1. Regum 24.
*percuſſit cor ſuum, eo quòd abſcidiſſet oram chlamydis Saul.
Dixitque ad viros ſuos: Propitius ſit mihi Dominus, ne faciam
hanc rem Domino meo Chriſto Domini, vt mittam manum meam
in eum, quoniam Chriſtus Domini eſt. Viuit Dominus, quia niſi
Dominus percuſſerit eum*, &c. Nouit præſulum correptio-
nem vni Deo reſeruatam, & ideo ipſe ab illa abſtinet, quin
etiam dolet, quòd veſtis ſciderit oram; & meritò dolet,
Lyra. inquit Lyra, *quia in hoc fecerat irreuerentiam ipſi Saul, qui
honorandus erat, quandiu in regno tolerabatur à Deo.* Quan-
diu non eiicitur foras, ſed adhuc in dignitate quis eſt, eius
honori debent conſulere omnes homines. Ideo filius ho-
minis Ieſus, dum percutitur Ioann. 18. quòd Pontifici quæ-
renti de doctrina, reſponſum dederit: cùm poſſet Ponti-
ficis inanem vmbram ſugillare, maluit ſe ab omni irreue-
Cyprian. rentiæ ſuſpicione vindicare. Quod ponderans D.Cyprian.
epiſtol. 69. ait. *Adhuc Dominus in Euangelio, cùm ei dictum
eſſet: ſic reſpondes Pontifici? cuſtodiens, & docens ſacerdotalem
honorem ſeruari oportere, contra Pontificem nihil dixit,
ſed innocentiam ſuam tantummodo purgans ait: Si
malè locutus ſum, exprobra de malo; ſi
autem bene, quid me
cædis?*

§. VIII.

Plurimum valent principum clades ad commonendos homines de infirmitate humana.

ECce tibi ſal infatuatum ad quid valet, nimirum ad hoc,
vt eiiciatur foras, & conculcetur ab hominibus, &
hoc valere eſt? Qualis valor in hoc, quòd princeps con-
culcationi detur? Magnus equidem inde valor naſcitur, ad
conterendos, & confirmandos humanæ ambitionis conatus.
Nulla res ſic valet homines de infirmitate ſua commonefa-
cere, imò perterrefacere, vt ſi princeps poténſque vir de-
iectus à culmine poteſtatis conculcationi traditus videatur.
Rem explico ex Ioſue c. 1. vbi quinque potentiſſimi, & cla- Ioſue 1.
riſſimi reges obſcuro in antro concluſi, poſt victoriam par-
tam iuſſi ſunt coram Ioſue comparere. Quid plura? *Cùm ad-
ducti eſſent ad eum, vocauit omnes viros Iſraël, & ait ad Prin-
cipes exercitus, qui ſecum erant: Ite, & ponite pedes ſuper colla
regum iſtorum. Qui cùm perrexiſſent, & ſubiectorum colla pedi-
bus calcarent, rurſus ait ad eos: Nolite timere, ne paueatis, con-
fortamini, & eſtote robuſti.* Vbi meritò notat Abulenſis, quòd
dum iubentur principes exercitus colla regum calcare, non
confortentur à Ioſue, nec iubeantur ponere metus, & for-
titudinem induere, ſed totum hoc iuberi poſt regum colla
ab ipſis conculcata. Non cùm ad conculcandos reges per-
gunt, ſed poſtquam eos calcant, *rurſus ait ad eos Ioſue: No-
lite timere, nec paueatis; confortamini*, &c. Cur non potiùs
ante conculcationem regum confortantur, vt illam ſtrenuè
peragant? Cur magis indigent robore poſt reges concul-
catos, quàm antea? Nónne antea magis illos cohiberent,
& frangerent regij vultus adhuc in ſuo ſplendore ſtantes?
Reuocate in memoriam primogenitum Gedeonis ex lib.
Iudith, c. 8. qui iuſſus à patre, vt irrueret in duos Reges Ze- Iudith 6.
bee, & Salmana ligatos aſtantes; *non eduxit gladium, time-
bat enim, quia adhuc puer erat*; nimirum regalis hominum
præſentia iuueni timorem incuſſit, ne ad offendẽdum acce-
deret. Cur ſimiliter regij vultus illorum, adhuc in regio
conſiſtentes decore, non magis infringerent principes Io-
ſue, vt neceſſe haberent potius tunc roborari, & confortari,
quàm poſt conculcata regum colla? Equidem regius ſplen-
dor puerilia ſolùm pectora frangit, non virilia robora, quæ
ex nullo magis franguntur, imò conteruntur, quàm ex con-
ſpectu regis faſtus dati conculcationi. Benè non antea, ſed
poſt conculcata regum colla, poſt reges ſub pedibus rapta-
tos, iubentur duces Iſraëlitæ metus, & pauorem deponere;
cur enim non timerent ſuas vices, qui potentiſſimos heri
reges, aureis fulgentes in thronis, modò raptatos humi, &
vident conculcationi datos? Sanè non eſt humanæ fortitu-
dinis ab hoc conſpectu non frangi, non conteri. Sapien-
tiſſimè P.Dam. lib. 1. epiſt. 17. hanc rationem reddit, cur Deus Damian.
voluerit Romanorum Pontificum curricula ſic breuiare, vt
crebrò eorum appareant funera interitus; vt nimirum inde
territus fragilitatis humanæ concutiat vniuerſos. Quippe
ait: *Dum præcipuus hominum tam anguſti temporis compendio
moritur, tremefactus quiſque ad præſtolandi ſui obitus cuſtodiam
prouocetur, & arbor humani generis, dum cacumen, ac verticem
ſuum tam facile corruiſſe conſiderat, ſtatu concuſſa formidinis, in
ſuis vndique ramuſculis contremiſcat.* Quis non contremiſcat
ad magnorum caſus? Quem non perterrefaciat pulnerulen-
tus finis ſplendidiſſimorum hominum? Fallar, ſi vis inue-
niatur valentior ad commouendos, & confringendos hu-
manos animos, quàm ſplendores mundiales in puluerem,
cineréſque redacti. Zachar. c. 6. in receptiſſima omnium ex- Zach.6.
poſitione, quatuor potentiſſima mundi regna depingens,
ait: *Ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum mon-
tium; & montes, montes ærei. In quadriga prima equi rufi, &
in quadriga ſecunda equi nigri, & in quadriga tertia equi albi,
& in quadriga quarta equi varij, & fortes.* Loco illius verbi,
fortes, legunt alij ex Hebræo vocabulo, *conterentes*, erant
equidem equi hi varij omnium aliorum robuſtiſſimi, & va-
lidiſſimi ad conterendum. Quòd ſi quæras in quo appareret
hæc maior fortitudo, & robur? Id inſinuat paraphraſtes
Chaldæus ponens, non fortes, neque conterentes, ſed loco
illorum aiens: *In quadriga quarta equi varij, & coloris cinerei*;
quaſi hæc eſſet ſingularis fortitudo ad conterendum, ni-
mirum, cineres, quos in ſe præferebant. Nec dubium, quin
robuſtiſſimam vim habeant ad confringendos humanos
animos cineres, in quos deſinunt glorioſiſſima culmina, cu-
iuſuis imperij. Saltem Deus nullo alio ſeſe horribiliorem,
& formidabiliorem oſtendit mundialibus, quàm dum ſpe-
cioſa mundi in cineres redigit. Sic Pſal. 75. *Vouete, & reddite* Pſal.75.

Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu eius affertis munera: terribili & ei, qui aufert spiritum principum, terribili apud reges terræ. Terribilis Deus vocatur, hoc est, terrorem incutiens mundialibus, & vnde, qui totus est desiderabilis, potest videri terribilis? D. August. *Vnde terribilis? Exultate cum tremore; & ei, qui aufert spiritum principum.* Quis non caueat sibi, quis non terrefiat in ruina primum potentissimorum? Quis non timeat iam pro regnis mundialibus pugnare, cùm cineres regum videat? Sanè Israëlitæ armati Moab obsidebant, vt expugnata vrbe totum etiam regnum potirentur; sed cùm iamiam capienda esset vrbs, 4. Reg. 3. miserrimus Moabita Rex, *Arripiens filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum: & facta est indignatio magna in Israel, statímque recesserunt ab eo, & reuersi sunt in terram suam.* Victor exercitus, qui nullis machinis deterreri potuit ab obsidione; cùm iam victoriam, & regnum præ manibus haberet, sic ad conspectum occisi Principis Moabitæ confringitur, vt abiecta è manibus victoria, & regno, statim recesserit in patriam suam. Et quis visis Principibus ad terram deuolutis, non timeat sibi à regno, & à mundialibus triumphis? Quis amet regnum, cuius decora funditus perduntur, & passim pessundantur ab hominibus.

August.

4. Reg. 3.

§. IX.

In deiectos à culmine homines vehementer insultant, & ferociunt alij.

Reiectitium sal, quàm certa expectat hominum conculcatio! Deiectum à culmine virum quis hominum non fastidiat, non conculcet? Proh humana pectora, quàm insultatis in deiectos homines! Daniel. cap. 8. *Magnificatum est vsque ad fortitudinem cæli, & deiecit de fortitudine, & de stellis, & conculcauit eas.* Nunquam non deiecta à culmine lumina expectat conculcatio. Quis vnquam cecidit, qui non expertus sit hominum calces? Dauid Psalm. 35. *Ne veniat mihi pes superbiæ*, Chaldæus, *ne veniat mihi pes superbi, & manus peccatoris ne moueat me. Ibi ceciderunt omnes*, &c. Notat hominum casus, quòd nullus est, qui frequenter non cadat; omnes, inquit, ibi ceciderunt, abdubium quin & ego cadam: & siquidem mihi cadendum est, vnum precor, ne mihi veniat pes superbi; sic enim connexa est hominum insultatio, & conculcatio cum casu, vt deiectus nihil prius timendum videat, & deprecandum, quàm hominum superborum, & insultantium pedes. Nec miror hoc à Dauide præcaueri, qui nobis etiam rei experientiam dedit; cùm enim à rebello filio impeteretur, coactus est regiam deserere, & pedes fugere per cliuum montis, cinctus tamen fortissimis militibus. Quid tunc? 2. Reg. 16. *Semei autem per iugum montis ex latere contra illum gradiebatur, maledicens, & mittens lapides aduersùs eum, terrámque spargens.* Quis crederet, homuncionem eò peruenire potuisse audaciæ, vt tantum regem fortibus stipatum sic auderet pessundare, & fœdare iacto puluere, nisi nouerit hanc esse deiectorum à culmine fortunam, quòd omnibus impunè liceat insultare in illos? Eiectus ibat Dauid à culmine regio, quo solo ne mireris si puluere operiatur, & conculcetur à quouis homine vili. Ad hæc Isaias cap. 26. *Incuruauit habitantes in excelso, ciuitatem sublimem humiliauit: humiliauit eam vsque ad terram, detrahet eam vsque ad puluerem. Conculcauit eam pes, pedes pauperis, gressus egenorum.* Caue, ne ab excelso throno declines, ne celsitudine potestatis deposita incurueris: cuiuis enim, & pauperi, & vili homini venies in conculcationem. Dum hæc meditor, in mentem veniunt alia Isaiæ verba, cap. 18. vbi inter alia iubet Angelos ire *in terram expectantem, & conculcatam.* Sed quæ est terra expectans, & conculcata? Terra, quæ à magna rerum possessione decidit; quæ omni bono à se antè possesso vacuata est. Eleganter in rem præsentem vertit Syrus: *Ad gentem depilatam, cuius pennæ detractæ sunt.* Quippe pennati alites, dum pennarum gaudent beneficio, & aëra, & cœlos dominantur, super omnia terrena efferuntur, omnes despiciunt laqueos, qui iuxta Salomonis prouerbium frustra iaciuntur ante oculos pennatorum. Verùm quæ amissis plumis depilata est, quàm rudis? quàm plumbea? quàm reptilis? Ad cuius pedes non offendit? cuius risum non concitat? Et perpes Aquila ætheris dominatrix, dum depilata est, vilissimos catellos veretur, à quibus & conculcatur. Sic qui volatili mundialium dignitatum culmine erigebantur, si plumis depilati decidunt, nulli non sunt conculcationi, & despectui. Non neminem inuenio prorsus depilatum; à regno eiectum, nudum relictum, nimirum regem Babylonium Nabuchodonosor, cui tamen suus honor fuit integer seruatus, dicente Daniele c. 4. *Regnum tuum tibi manebit*, &c. Sed quî fieri potuit, vt Aquila hæc grandis magnarum alarum prorsus depilata, & nudata repositam haberet integram dignitatem? Ipse Daniel insinuat causam paulò antè aiens: *Eijcient te ab hominibus*; extractus fuit de medio hominum, & in syluas ferarum amandatus; nullus oculus hominis vidit hanc Aquilam depilatam, si videret, & conculcaret, & ad primos honores occluderet aditum. Nunquam enim ambitiosorum casus non fuit hominibus gratus: id quod docebat D. Gregor. Nazianz. orat. 15. fatus: *Deficit anima mea propter eos, qui trucidantur; quos quidem non gladius, aut fames, sed gloria, & imperij amor sauciauit: ita, vt, qui cadunt, non miserationem magis, quàm odium sui excitent.* Etiam in casibus, in quibus alij miserationem acquirunt, ambitiosi excitant odium magis.

Dan 8.

Psal. 35.

2. Reg. 16.

Isai. 26.

Isai. 18.

Dan. 4.

Nazianz.

§. X.

Nihil abiectius, & durius principi viro, quam ad inferiorum pedes obuolui. Vbi de infelicitate reproborum.

Infatuato sali, iniquo præsuli non mortem crucémque minatur Dominus, sed quòd ad inferiorum hominum pedes sit deuoluendus, mittetur foras, vt conculcetur ab hominibus. Et fallar, nisi hoc ipsa morte, & cruce sit abiectius, & durius homini principi. Compone tibi Regem regum Iesum in cœnaculo & in caluario; hic ad crucis brachia figitur, illic ad discipulorum pedes stratur: hic sanguinem totum effundit, vt peccati crimina mundet, illic aquam è pelui sumit, vt sordes pedum lauet. Vbi Rex regum deiectior, vbi vilior apparet? Rem exprimat Nazianz. orat. 16. fatus: *Saluator omnium, & Dominus, non solùm se vsque ad serui formam humiliauit, neque faciem sputu exponere, ac cum iniquis reputari erubuit ille, inquam, qui à peccatis mundum purgarit; sed & discipulorum pedes in seruili forma lauit.* Quasi minus fuerit sputis faciem exponi, & inter iniquos reputatum mori; sic ait Nazianz. non solùm illa à Domino lata, sed & insuper, quasi ad abiectiora, ad pedes discipulorum deuenisse. Est ne principi viro aliud abiectius excogitandum, quàm inferiorum sub pedibus anolui? Quàm à suis pessundari, conculcari? Inde Dominus suam expendebat abiectionem, Psalm. 40. inquiens: *Verbum iniquum cogitauerunt aduersùm me. Nunquid qui dormit non adijciet, vt resurgat? Etenim homo pacis meæ, in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem.* D. August. ibi aliter legit, & explicat, dicens: *Amplianit super me calceum. Erexit super me pedem, conculcare me voluit.* Quid tunc? *Tu Domine miserere mei.* Expende verba crucis, verba mortis, quàm videamur à Domino; verùm conculcatio inferioris, quàm paueatur. Cogitauerunt hostes verbum iniquum, quo me morti traderent, ait; sed quid inde? Nunquid qui dormit, non adiiciet, vt resurgat? Non magis timeo mortem, quàm somnum, à quo citò surgam. Quid ergo times Domine? Quid tanto affectu deprecaris? Iam explicans, ait: *Homo pacis meæ ampliauit super me calceum. Erexit pedem, voluit me conculcare. Tu Domine miserere mei.* Mortem facili negotio contemnit: inferioris insultationem in se, & conculcationem hanc reputat grauissimum, & penè intolerabile malum. Hinc Philo Iudæus expendit Flacci præfecti extremam calamitatem: *Exceptus est à duobus infestissimis accusatoribus, paulò antè sæpius ab eis, vt subditis salutatus Dominus, & seruator bene meritissimus. Tunc verò sensit eos aduersarios longè prævalentes, non modò iure, quo fidebant, verùm etiam fauore summi principis, ac moderatoris rerum humanarum. Nihil autem est molestius, quàm maiores ab inferioribus, & magistratus accusari à subditis, haud secus, quàm si herus reus, postuletur à vernis suis, aut emptis mancipijs.* Hæc abiectionum omnium, & vilitatum est vltima, & quidem ingenuo viro molestissima. Cur molestissima non sit, quæ à supremo iudice in pœnam scelerum decernitur principibus damnatis? Sic purpuratus ille princeps apud Luc. cap. 16. quasi ad pedes Lazari prouolutus, eius digitis contendit à tanto incendio subleuari. Id quod meditans Chrysolog. serm. 66. inquit: *Modò inhumani diuitis, & Lazari pauperis stupendas vices, pauendas successiones, conditiones admodùm lamentandas in medium producere, & asserre gestimus.* Et quidem nil magis stupendum, & pauendum principi,

Idem.

Psal. 40.

August.

Philo.

Chrysol.

principi, quàm quòd veniat ad pedes sui vilissimi, & contemptissimi seruuli, ab illo timens mala, vel egens eius leuamine. Et forsitan ille malus œconomus ab reddendam rationem villicationis vocatus, non tantum timuit Gehennam, quàm vicem huius mendicitatis, totus enim afflictus, non inquit, metuo cremari, sed *mendicare erubesco*; hæc illi in primis pœna in memoriam venit, ne cogatur æternam pati mendicitatem, obuolutus ad pedes seruuli, quondam pauperculi, iam tunc iudicis inexorabilis. Ad hos enim loquitur Malach. cap. 4. fatus: *Et calcabitis impios, cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum, in die qua ego facio, dicit Dominus exercituum.* En expauendas vices, cùm tot principes, & mundi rectores ad pauperculorum seruulorum pedes obuoluti, cinereos, & puluerulentos præferentes vultus, sed pusilla leuamina emendicent, & æterna fastidia, & despectiones sustineant. Sic de illis Isaias 66. *Et erunt ad satietatem visionis omni carni*; seu, vt Vatablus, & Pagninus: *Erunt fastidio, & despectui omni carni*; qui modò omnia fastidiunt virtutis itinera, & omnes despiciunt: postmodum abiectionis eò deuenient, vt pauperculorum seruulorum æterna fastidia sustineant.

Malach. 4.

Isai. 66.

Text. Vos estis lux mundi.

§. XI.

Proprijs necessitatibus parcant Prælati, vt suorum inuigilent saluti.

NOn luminibus, quæ domum, sed quæ mundum illustrant, comparantur Prælati, vt inter cœlestium luminarium sciant ipsi nihil egere sibi, sed totos sese effundere in conquirenda suorum subditorum salute. Iam se mihi offert cantatissimus ille Israëlitarum dux Iosue, is cap. 10. ab ortu penè Solis cum quinque regibus cruentissimam pugnam init; & cùm labor pugnæ vsque in occasum produceretur, metuens, ne Sol ante deficeret, quàm hostes omnino deficerent, sic ipsis imperat cœli luminibus. *Sol contra Gabaon ne mouearis*, &c. *Stetit itaque Sol in medio cæli, & non festinauit occumbere spatio vnius diei.* Cur maximè ducum, non magis petis Solis occasus? Integra die pugnatum est, nec quietem, nec cibum inter pugnandum sumis, quis operarius non optat noctem, vt à labore requiescat, & sumpto cibo vires reficiat? Cur laborum dies sic auges? Cur non meministi humanæ fragilitatis? Carneus ne homo es? Cur non potius lucernas intromitti ad cœnandum curas, quàm solares radios detinere studes? Equidem bonus dux cum Sole agit, & quasi par Solis ipsius, nihil sibi putat egere, nec ipsum victum, vt saluti suorum incumbat. De hoc bene Tertullian. in pessimo illo suo libro aduersùs Psychicos, ait: *Iesum Naue debellantem Amorrhæos prandisse illa die existimabimus, qua ipsis elementis stationem imperauit? Vt autem accedebat Sol in occasum, & finem diei vnius, non fuit dies talis retro, & in nouissimo vtique tam prolixus, vt exaudiret Deus hominem, patrem scilicet Solis instantem tandiu officio.* Proh imperatorum, & præsulum maximus, ipsius Solis par, nulli suæ indigentiæ prospiciens, sed totus deditus salutis subditorum officio. Meritò aiebat D. Bernard. serm. 5. in Cantic. *Ji qui alij præest in solicitudine, vix vnquam, vel rarò securè vacat sibi.* Et quieti, & somno, & cibo parcat necesse est præsul, vt saluti subditorum inuigilet. Sic agere debet, quasi incorporeus sit, quasi nullas ipse patiatur necessitates, quasi instar cœlestium corporum impassibiles omnino sint. Psalm. 103. mirabundus exclamat Dauid. *Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem.* Et Angeli quãdo non fuerunt spiritus, vt miretur Dauid, quòd nunc quasi denuo spiritus fiant? Non loquitur Dauid de Angelis cœlestibus, sed de terrenis Angelis, nimirum, de Doctoribus, & præsulibus Ecclesiæ Christianæ, in quibus non cessat mirari, quòd carnei, & infirmi cùm fuerint, sic aptantur in salutem proximorum, vt videantur incorporei, & merè spirituales, vt instar cœlestium spatium, cœlestiúmque luminum nulli propriæ necessitati prospiciant, dum pro subditorum salute fuerit pugnandum. Ad hæc respiciens Chrysost homil. 2. de laudibus Pauli, sic eius prælaturam commendans, ait: *Paulus in terra gradiens, sic se agebat in cunctis, quasi Angelorum societate frueretur. Nam passibili adhuc colligatus corpori, illorum perfectione gaudebat, tantisque fragilitatibus subditus, in nullo inferior supernis virtutibus apparere certabat. Nam, & tanquam pennatus totum docendo peruolauit orbem: & velut incorporeus labores omnes periculáque*

Iosue 10.

Tertull.

Bernard.

Psal. 103.

Chrysost.

contempsit. Hanc cœlestium corporum impassibilitatem referant, qui nobilem gubernandi homines thronum scandunt; qui verò suis propriis necessitatibus, & commodis studere præsumit, caueat sibi à populi gubernaculo. Sic apud Iudic. cap. 9. oliua recusat oblatum imperium, aiens: *Numquid possum deserere pinguedinem meam?* Cuius exemplum, & ficus, & vitis secutæ sunt, de quibus ait D. Nilus in Ascet. *Quemadmodum oliua, ficus, & vitis lignorum syluæ recusarunt imperium, quòd magis fructibus suis lætarentur; ita qui fructum aliquem in se virtutis aspiciunt, vtilitatémque sentiunt, licèt vocentur ad multorum imperium, illi commoda sua semper anteponunt.* Habet enim nescio quid contrarium gubernatio cum propriis commoditatibus, quibus omnibus parcendum est, eo ipso, quòd voceris ad prouinciæ clauum.

Iud. 9.

Nilus.

§. XII.

Princeps nullo magis reddit prouinciam inexpugnabilem, quàm terræ inuigilans prouentibus.

MIraberis, quòd Principes non dicantur belli fulmina, sed magis mundi lumina nominentur. Equidem cœli lumina ad orbis gubernaculum inuenta sunt, dicente Scriptura ex lectione Chrysost. quòd luminare maius factum sit, *in præfecturam diei, & luminare, minus in præfecturam noctis.* Sed qualis mundi præfectus Sol? Non quidem qui arma exacuat militibus, qui tormenta militaria inueniat, qui classicum intonet, & sub signis nationes componat. Nihil horum Sol, sed vnum solum attendunt singularissimi principes Sol, & Luna; nimirum, vt agricolarum labor non pereat, vt prouentibus annuis terra sit fœcunda; populus enim fructibus diues, vel ipsis turgentis spicæ aristis lancinabit hostes, vel aratro prosternet inimicos. Ex 3. Iudic. notissimus est Princeps Israëlita Aod, is quasi munera deferret Regi Eglon, dum solus cum illo ageret, dissimulatum gladium strinxit, Regem percussit, à tantóque tyranno liberauit populum suum. Magnum hoc facinus, sed accipe aliud longè præstantius, & illustrius, ait enim textus: *Post hunc fuit Samgar, filius Anath, qui percussit de Philisthijm sexcentos viros vomere; & ipse quoque defendit Israël.* Ille Regem Eglon gladio prostrauit, hic ingentem hostium exercitum vomere fudit; ille in dolo, quasi daturus munus lethalem gladium aduersùs vnum armauit, hic sine dolo, sed patenter, & facie ad faciem solo vomere armatus hostili exercitui resistit. Nec immeritò post illum successit, nisi vt videat Principes, longè plures hostium strages fieri ab aratris, quàm à gladiis. De regia tribu Ephraim, quæ tot Reges, tot victores exercitus peperit, locutus Ose c. 10. ait: *Ephraim vitula docta diligere trituram.* Cur non magis victricem gentem tanto comparauit, qui potens cornu hostes inuadebat? Ephraim regnum, & potentia, & victoria ab vbertate fructuum, à diuite segete proueniebat: in eo regni sui potentiam, qua hostes debellabat, constituiam Ephraim habebat, nimirum, in messium abundantia. Multum ad hanc rem facit D. Ambros. lib. de Ioseph, c. 7. sic prædictum transferens locum. *Ephraim vitula edocta diligere victoriam*; quasi & victoriæ, & trituræ, nec vno differant inter se vocabulo. Regnum enim, in quo trituræ abundant, in quo messes diuites sunt, necessum est ab hostibus frequentes victorias reportare. Accipe 2. Paralippom. 26. potentissimum, & felicissimum Regem Oziam, de cuius potentia in armis multa, & rata ibi dicuntur. Inter ea dicitur: *Appendebántque Ammonitæ munera Oziæ, & diuulgatum est nomen eius vsque ad AEgyptum, propter crebras victorias.* Sed scire cupis, qualis erat mens huius Regis, quale genium, cui studio intendebat cupidiùs, è quo tot victoriæ pullulabant? Statim textus: *AEdificauit Ozias turres in Jerusalem super portam anguli, & super portam vallis, & reliquas eodem muri latere, firmauitque eas. Extruxit etiam turres in solitudine, & effodit cisternas plurimas, eo quòd haberet multa pecora, tam in campestribus, quàm in eremi vastitate vineas quoque habuit, & vinitores in montibus, & in Carmelo. Erat quippe homo agriculturæ deditus.* Hoc vno subiicit robustissimum fundamentum victoriarum, nimirum, *erat homo agriculturæ deditus.* Cùm tantam eius audiebam gloriam militarem tantis, támque crebris victoriis partam, expectabam virum intentum Vulcania in fornace fulminibus fabricandis; & ecce audio: *erat homo agriculturæ deditus.* O ingenium dignum Regis orbis domitoris! Sint in regno aratra, agglomerentur messes, ferueat vindemiæ opus, & hinc in his è seminibus victoriæ pullulabunt.

Chrysost.

Judic 3.

Osea 10.

Ambros.

2. Par. 26.

Eccles. 5. Ecclesiastæ 5. vbi noster habet: *Et insuper vniuersæ terræ Rex imperat seruienti*, Septuaginta legunt, *& præstantia terræ in omni est Rex agri culti*. Et ex Hebræo D. Hieronymus dicit: Hieron. *Et amplius terræ in omnibus, est Rex in agro culto*. Et adhuc ad rem præsentem apertiùs alij ponunt: *Et post omnia terræ Deus super, sui similis expectandus est, vt Rex agri, qui colitur*. Quippe vt Deus super omnia potest, & Dominus exercituum omnia domat, huic similis in potentia, & viribus Rex ille est, qui habet cultos agros, cuius in regno indefessa opera agriculturæ nauatur.

§. XIII.

Iustus homo lucidior post peccatum castigatum, quàm in ipsa innocentia.

INfatuato sali audio statim conculcationem obuenturam prædici; luci obtenebratæ nihil durum dicitur, nihil graue. Vt sal infatuari potest, nónne & lux potest obtenebrari? Cur ergo sali infatuato vindicta conculcationis paratur; & luci, etsi obtenebretur, nihil prædicitur mali? Sal si infatuetur, ad nihilum valet; lux autem si obtenebratur, quamprimum reparatur, nouóque splendore, nouóque decore à tenebris incipit renasci. Sic iustus, qui vt lux splendet, dum ob humanam fragilitatem peccati tenebris obuoluitur, non ibi manet, sed inde ex pœnitentia longè lucidior, & fulgentior, quàm ante fuerat, apparet. Memorare Exod. 32. Moysem Exod. 32. de illo post longum cum Deo colloquio, vt legis tabulas acciperet, dicitur ibi: *Et reuersus est Moyses de monte, portans duas tabulas testimonij in manu sua, scriptas ex vtraque parte*; has ipse statim, vt vidit populum peccantem, confregit: tunc in populum vindicauit idololatriam: rursus ascendit in montem nouas accepturus legis tabulas: denique acceptis nouis tabulis descendit. Quid plura? De hoc secundo descensu post restaurationem tabularum dici- Exod. 34. tur Exod. 34. *Cùmque descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonij, & ignorabat, quòd cornuta esset facies sua*, &c. Ex Hebræo explicatiùs legunt alij, *& Moyses non sciebat, quòd radians esset facies eius*. Et Chaldæus adhuc dicit: *Moyses autem nesciebat, quòd multiplicatus esset splendor gloriæ vultus sui*. Expendendum nunc maximè est, quando illustratur, & splendet Moysis facies: non equidem quando primas accepisset legis tabulas, quamuis & tunc longum habuisset cum Deo colloquium: sed postquam hæ primæ tabulæ prorsus confractæ sunt materialiter à Moyse, spiritualiter à populo peccante, & castigato peccato instauratæ sunt legis tabulæ, tunc multiplicatus est splendor in facie Moysis, tunc longè lucidior, & splendidior comparuit. Id Rupert. quod notabat Rupert. lib. 5. in Ioan. fatus: *Cum prioribus tabulis facies Moysis non refulsit: sed acceptione tabularum posteriorum splendida facta est*. Qui integris adhuc legis tabulis non refulgebat, post harum confractionem, sic in restauratione sese extollit, vt solares in se imbibat radios, & lumine suo penè inaccessibilis appareat. Et quidem in iustis viris, & peccatum, & legis fragium occasionem afferunt splendidiores, & illustriores virtutum emittendi radios. Ad hæc Cant. 1. Cant. 1. ait Sponsa: *Nigra sum, sed formosa, filiæ Ierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis*. Ex nigredine commendat suam pulchritudinem, & splendorem; quasi ex nihilo preterito commendetur speciositas, & nouus decor ap-Chald. parentis Solis. Ex quo sic in rem præsentem Chaldæus ait: *Quando Israelitæ fecerunt vitulum, denigratæ sunt facies eorum, & quando egerunt pœnitentiam, & dimissum eis fuit peccatum, multiplicatus fuit splendor gloriæ vultus eorum, sicut vultus Angelorum*. Obtenebrantur quidem, nigretudinéque suffunduntur mundi lumina, viri iusti, Christi sponsæ, sed tenebræ illæ, & nigredo non pariunt confusionem, imò dum castigantur peccata, longè maioris luminis, & splendoris Psal. 44. afferunt occasionem. Psal. 44. *Specie tua, & pulcritudine tua intende, prosperè procede, & regna*. Ad quem hæc verba putas prolata? Ad aliquem sic splendidum, & pulchrum, vt nunquam viderit peccati nigredinem? At quis est hic, quis est homo, qui non fuscetur peccatis, quæ lux, quæ non obnubiletur? Et tamen cum his loquitur, de horum speciositate, & pulchritudine sic sentit, quasi semper exurgat in Laur. Nou. augmentum. D. Laurent. Nouar. hom. de eleemos. fatur: *Tibi hoc dicit, qui criminibus cedis, ad te loquitur, qui criminibus vinceris. Plora compunctus, vt possis recipere speciem cordis, & pulchritudinem corporis*. Numquam enim iustis viris accidit peccatum, nisi eo modo, quo pulchræ faciei mulieris solent apponi fordes, vt inde nouus generetur splendor cutis, nouáque pulchritudo vultus efflorear. Quod meditatus Bachiarius epist. de recipiendis lapsis, pulchris exemplis contra negantes pœnitentiam exsurgit fatus. *Quid mirum, si ille, quem fornicationis basta percussit, in passione congressionis superauit? Nónne sic fecit ille Nazaræus Samson, ex repromissione natus? Quem cùm in perniciem sui mulieris blandimenta vicissent, postmodum in fine oblitus sui, maiorem inimicorum exercitum prostrauisse, quàm antea quando Nazaræus, id est, immaculatus, reperitur*. Accidit etiam militibus Christi, quod necesse est accidere strenuis etiam militibus secularibus, qui dum ad facinora properant, vulnerum etiam squalore fœdantur, sed illa vulnera gloriam non tollunt, imò dum splendidioribus facinoribus præbent ansam, quasi ipsa gloriosiora apparent. Sic enim dicebat Cassiod. lib. 8. var. 10. *Conflictus virorum fortium mutua tela non respuit, nec semper tutus fuit, qui cum numeroso hoste contendit: vnius forsan ictus solerter eliditur, qui multis restitit, à parte, qua non credit, vulnus excipit; quæ tamen ei nunc sunt gloriosa, quantum tunc habuere periculi*. Profectò sicut in mundi, ita & in Christi contigit militia, quòd maiores sæpe gloriæ nascuntur è vulnere. Bachiar. Cassiod.

§. XIV.

Principis hominis errores patentissimi.

QVi lumina sunt mundi, hoc etiam habent, quòd pateant cunctis in omnibus actibus suis, nil occultum ab omnium oculis quod possint in se admittere. Sic monebat Cassiod. lib. 11. var. 7. hominem patritium & Cancellarium Idem. vrbis. *Latere non potest, quod inter cancellos egeris. Tenes quippe lucidas fores, claustra patentia, fenestratas ianuas. Et quamuis studiosè claudas, necesse est, vt te cunctis aperias. Vide quo te antiquitas voluerit collocari, vndique conspiceris, qui in illa claritate versaris*. Fallitur homo in dignitate constitutus, si putat errores proprios abscondere: is lucidas fores habet, imò totus in luce est, vndique circumspicitur, nec gradum facit, nec lapidem, aut laterem calcat, in quo non sunt mille oculi, qui eius testentur facinora. Zach. c. 3. Iesum summum Zach. 3. Sacerdotem nobis ob oculos proponit, iam cyclade ornatum, & sedis Sacerdotalis potitum. Tunc ait: *Ecce lapis quem dedi coram Iesu: super lapidem vnum septem oculi sunt*. Sanè Iesus Sacerdos magnus statuebatur, vt sacras ædes reædificaret, & vide quales illi lapides proponuntur ad ædificium, vt vel pauimentum complanetur lapidibus, vel parietes lapidibus construantur, nimirum *super lapidem vnum septem oculi sunt*; ne putet Princeps esse in domo sua lapidē, qui mille non producat oculos testatores suorum facinorū. Latere non potest Principis error, quando vel lapis coram illo oculis scatet ad videndum. Hoc qui norunt, vel ad lapidem offendere erubescunt, ne cogantur lapsum tot oculis depictum videre. Hinc nata fuit illa solicitudo Abimelech Gen. 20. qui intactam restituens Saram viro suo, sic ait: Gen. 20. *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorū ad omnes, qui tecum sunt, & quocumque perrexe rit, memento te esse deprehensam*. Etsi se putabat innocentem, verebatur tamē bonus Rex oculos, qui turmatim nascuntur, vt Principum facta explorent. Sed eius solicitudinē ampliùs explicat lectio Græca, dicens: *Ecce tibi erunt in pretium faciei tuæ, & omnibus, qui tecum sunt, & omnia verè dicito*. Non solùm oculos, sed & testimoniū verebatur, summóque curabat studio, ne aliquod eius crimen euulgaretur. D. Chrysost. hom. 45. in Chrys. Gen. *Quid est in honorem vultus tui, & omnia verè dic? Nempe pro his, quæ per ignorantiam tentauit facere, téque vxores iusti in domum introducens. Verùm tu omnia verè dic, id est, omnes à te discant, quod nihil factum est à me iniquum, cùm intacta exiteris de domo mea. Doce etiam virum tuum, me à peccato mundum esse atque innocentem*. Sic bonus curat innocentiam suam in facto illo testificari, cùm sciat Principum errores, etiam ignoranter admissos, apud omnes esse cantatissimos.

Text. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita.

§. XV.

Ecclesiasticam disciplinam non ad aliud, quàm ad expugnanda vitia sumat quisque non velit in ea perire.

CVpit animus Apostolicos viros hîc non tam ciuitati, quā monti cōparatos intelligere, monti, inquam, super quem

quem fundata, & erecta est Ecclesiæ ciuitas, quæ ædificata est cum propugnaculis, & respicit contra Damascum. Et quidem de hac dicebat Psalm.86. *Fundamenta eius in montibus sanctis*; montes sunt viri Apostolici, quorum humeris fundata Ecclesiæ ciuitas, seu arx cùm sit, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Hanc ergo arcem humeris suscipiant aduersùs vitia pugnaturi, qui velint montium in se præferre robur. Mons est inexpugnabilis quisquis arcem Ecclesiæ subit pugnaturus aduersùs vitia, at qui ad Ecclesiasticam disciplinam accedit, non vt ad bellicam ciuitatem, seu arcem; sed vt ad mollem stratum, quo requiescens decumbat, is & fragilitatem, & perditionem cauear. Inexpugnabilem fidelium fortitudinem expendens Moyses in benedictione Iosephi, ait Deuteron. 33. *Cornua rhinocerotis, cornua illius: in ipsis ventilauit gentes vsque ad extremum terræ.* Per rhinocerotis cornua, non intelligit determinatum illud, & singulare huius belluæ cornu, quod est duplex in tauris, sed totam militarem vim, & potentiam fundatam in rhinocerote, qua rhinocerotes hominum exercitus, & seipsos inexpugnabiles reddunt, & hostibus prorsus formidabiles. Quippe rhinoceros pugnaturus subit humeris ligneam arcem ingentibus fabricatam trabibus, multo milite plenam, & sic armata bellua potentissima est, inexpugnabilis, potentissimorum exercituum vastatrix. Sed quæ sub hac lignea arce, tanta est, dum quæsitura requiem ligno accedit, præda fit venatorum, & miserè deiecta capitur. Rem ponderat D. Petrus Damianus lib.2. epist.18. fatus. *Quis etiam admiratione ducat indignum, quod elephas, qui turrita castra tot loricatis plena militibus portat, vnius arboris ictu depressus occumbat? Nam qui triginta duos armatos, vel plures, & eam turribus ad instar vrbium desuper eminentibus subsistendo non cedit, ad casum vnius arboris corruit. Cui, videlicet, arbori frequenter innixus in saporem se quiescendo relaxat. Nonnulli enim has instruunt propter ebur insidias, vt arborem, quam elephas innitendo frequentat, ex altera parte vsque ad medium ferè concidant, & sic arbor ad tam enormem molem corporis corruat.* Sic misera bellua, dum vnicum quærit lignum, vt quietis, soporísque fulcrum, infirmatur, & periit; quæ ligneas subiens vrbes ad pugnam inexpugnabilis est, fortissimos fugat exercitus, & prorsus vires hostiles frangit. Sic virorum Apostolicorum cornua, cornua sunt rhinocerotis ad ventilandas æreas potestates, dum enim turritam Ecclesiæ vrbem multo milite armatam subeunt, ad bellum inferendum vitiis, ad deuastandum regnum peccati, & simul montium robora subeunt, & rupium inexpugnabilitatem. Verùm vbi ad dona Ecclesiæ accedunt, quæsituri soporis quieti sulcra, vitæ laxamenta, eu miseri, quasi ingens moles perforatæ arbori nitatur, statim cadunt, & pro foribus perditionem habent. Is est enim Christus, qui Ecclesiæ suæ, nec calicem aquæ frigidæ permittit potari ad requiem, sed ad ineundum cum hostibus certamen. Sitibundo populo dulces parturiuit aquas lapis percussus virga Moysis, Exod.17. & quid inde? statim Moyses ad Iosue dicit: *Elige viros, & egressus pugna contra Amalech.* Nec gutta permittitur aquæ à petra Christo desumi, nisi pro subeundo certamine. August. serm. 93. de tempor. *Bibit ergo de petra populus, & statim init bellum contra Amalech. Videte fratres, quia postquam quisquis de petra biberit, id est, Christi sacramenta susceperit, necesse est illi ad pugnam procedere.* Felix, qui Ecclesiæ dignitatem, Ecclesiæ bona suscipit, vt bellum inferat peccato, vt æreas depopuletur potestates; is elephas est, qui turrita castra loricatis militibus plena portans redditur inexpugnabilis: is mons est fortissimus, super quo dum fundatur Ecclesia, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Sed expende illud, *Necesse est illi ad pugnam procedere*; qui vel micam panis Ecclesiastici, vel guttulam aquæ gustauit, iam necessarium habet bellum, nisi velit perire. Planè pereunt quicumque in Ecclesiæ bonis non bella, non pugnas, non labores, sed requiem, sed diuitias meditantur. De his Psalm. cap. 72. ait: *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur; ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate*, &c. Vide ex qua labe consurgat immedicabilis ægritudo; quo ex fonte manet ruina, & perditio: *in labore*, ait, *hominum non sunt*; quod ad laborandum, ad pugnandum conducit, abominantur, minimè ad arcem, nec ad mœnia vocatos se credunt, sed ad stratum, ad mensam, ad crateres. Pulchrè D. Bernard. in declamatio. ait: *Totum, quod delectat, eligunt; quod molestum est, fugiunt. Cum militibus superbiæ fastum, amplam familiam, & nobiles apparatus, equorum phaleras, accipitres, aleas, & similia quæque frequentant. Cautæ omnino loricæ pondus, insomnes in castris noctes, in certáque discrimina præliorum declinant. Quid igitur restat, nisi vt eum sortiantur locum, vbi sempiternus horror inhabitat?* Perforatum est crucis Christi lignum, non sustinet has belluarum moles, necessum est, quòd cadat & pereat, qui illo ad corporis laxamenta nititur: victurus si ad præliandum, si ad expugnandos animarum hostes, fructiferos crucis census susciperet.

Psal. 86. — Deut. 33. — Damian. — Exod. 17. — August. — Psal. 72. — Bernard.

§. XVI.

Prorsus inexcusabilis est, qui veram Christi Ecclesiam non agnoscit.

QVis ciuitatem supra montem non videat? Quis montem coram positum non cernat? Equidem cùm Christi corpus lapillus erat sine manibus discissus, non mirarer, quòd oculis absconderetur mortalibus, quòd plurimi illum possent preterire. At postquam creuit in montem magnum, postquam penè totum orbem occupabat, inexcusabilis est, qui illud prætereat, & gratis obcæcatus non videat. Sic Daniel.2. dicebat ad Regem Babylonium: *Abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & comminuit eos.* Quid plura? *Lapis autem, qui percusserat statuam, factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram.* Quis ergo lapideum montem ignoret? Ecclesia Christi mons magnus est, qui totum occupat orbem, & mons lapideus, qui tandem inexpugnabilis apparet. Forsitan, & synagoga aliqua Sathanæ orbem etiam repleuit, & in hoc creuit instar montium; sed hi montes, *sicut cera fluxerunt à facie Dei Iacob*; non vt lapidei permanserunt, sed sicut cera, molles, & delicati liquefacti sunt. Illa sola Ecclesia Christi est, quæ ex lapide mons magnus facta, totam terram occupauit, nec fluxit vt cera, sed vt immobile saxum manet. Quis hunc montem non videat, qualem excusationem habet apud iudicem iniquitatum? D. August. tract. 4. in Ioann. *Ignoscendum est Iudæis, qui offenderunt in lapidem, qui nondum creuerat. Quales sunt illi, qui in ipsum montem offenderunt? Qui negant Ecclesiam toto orbe diffusam, non in humilem lapidem, sed in ipsum montem offendunt, quod factus est ille lapis dum cresceret. Cæci Iudæi non viderunt humilem lapidem. Quanta cæcitas est non videre montem?* Vbi paruus lapis sic creuit, vt instar magni montis terram occuparet, simul omnem excusationem abstulit his, qui volunt manere in cæcitate. Insipienter, imò & damnabiliter fidit oculis suis, qui montem non vidit, & sic offendit ad montem, vt posset offendere ad lapidem. Moyses vbi ad petram accessit petiturus aquas, nescio quam incurrit dubitationem; ait enim Num.20. *Audite rebelles, & increduli, num de petra hac vobis aquam poterimus eycere? Cúmque eleuasset manum percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ, ita, vt populus biberet, & iumenta. Dixitque Dominus ad Moysem, & Aaron: Quia non credidistis mihi*, &c. Ecce tibi vbi ipse Moyses ad petram aliquomodo offendit, & petræ paruitas potuit dubitationem Moysi hucusque fidelissimo viro generare. Quid tunc? Post desertum superatum, cùm iam terra promissionis vicina esset, iubetur Moyses ascendere in montem Nebo, & ibi mori, ait enim Deuteron.32. *Morere in monte*; quasi mons non caperet dubitantes, sed vbi montem viderit, amplius existere nequiret dubitatio. August. homil.27. ex quinquaginta fatur. *O mira mysteria! Ad petram nata est dubitatio, & in monte mortua est. Quandiu humilis fuit Christus in passione, quasi petra iacebat ante oculos, meritò in illo dubitatur.* Aliqualem habebat excusationem, qui ad petram, & paruam, & latentem offendebat; sed qualis erat excusatio, quæ nec in amplissimo monte finita est.

Daniel. 2. — August. — Num. 20. — Deut. 32. — August.

Text. Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt.

§. XVII.

Virtus non est, quæ nullis externis operibus proditur.

NOn ea est virtutis fax, quæ totaliter possit occultari si qua in corde tuo accenditur, mihi crede, ipsa sese prodet, & per externa opera insinuabit. Et dum in externis minimè apparet, falleris, si putas te intrinsecus in corde occultam illam habere. Prouerb 31. dicitur de illa forti muliere.

muliere. *Quæſiuit lanam, & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum.* Expende, quos amictus quærat virtutis mulier, nimirum, *lanam*, & *linum*, ſæpius inuenies mulieres circa linum occupatas, quàm circa lanam: hæc autem æquali ſtudio circa lanam fertur, & linum; & quando linum ad internum amictum ſpectat, nil ſe arbitratur feciſſe, niſi etiam externo lanæ decori aliquid operis tribuat. *Auguſt.* Ex quo D. Auguſt. ſerm 217. de tempore pulcrè diſputat, inquiens. *Inuenies dicentem tibi: Sufficit mihi conſcientia mea Deum colo, Deum adoro, quid mihi opus eſt ad Eccleſiam ire, aut viſibiliter Chriſtianis miſceri? Linum vult habere ſine lanea. Non nouit, neque commendat talia opera mulier iſta. Inuenit hæc mulier lanam, & linum, & fecit vtili.* Non ſatis prudens anima eſt, quæ circa linum, & lanam non inuigilat, quę intimam cordis gratiam, ſimul in externorum operum decore lucere non procurat. Imò prorſus incredibile videtur, quòd intrinſecus floreat *Pſal 44.* virtutis vigor, quin ſtatim non appareat extrinſecus. Pſal. c. 44. *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus.* Miraberis omnem filiæ Regis gloriam intrinſecam eſſe, intúſque in medio cordis manere reconditam. An quia nihil extrinſecus apparet? An quia nulla illi cura eſt circa externum decorem, circa externa virtutum opera? Abſit: imò inde ſolùm gloria intrinſeca filiæ Regis cenſetur, quia multis claret externis virtutibus, quia intrinſecus eſt virtus, nequit etiam exte-*Damian.* riùs vllus apparere defectus virtutis. Hinc D P. Dam. lib. 7. epiſt. 5. Agnetis Imperatricis Romanæ extollens virtutem, inquit. *Vidiſſe nempe tunc te, & quæ circa te, mirandum valde ſpectaculum, & imitandum Saluatoris erat, ædificationis exemplum. Veſtis enim palla, & lanea. Mutaueras enim coronam velo, purpura ſacco: & manus, quæ in mundum columna geſtare conſueuerant ſceptrum, attrita iam crebro portare Pſalterium. Re vera, quia omnis gloria filiæ Regum ab intus.* Et quidem vbi intrinſecus cœpit virtus radiare, non potuit non ſe prodere: vbi candidiſſimum ſupernæ gratiæ linum intimam cordis nuditatem veſtiuit non potuit non ſe oſtendere in exteriori veſte lanea, & ſacco. Mille proſiliunt exteriùs radij, vel ex minima virtutis ſcintilla latentis intrinſecus. Monebat *Luc. 12.* Dominus Luc. 12. *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Lucernæ, non lucerna, quaſi mens ſtudioſa virtutis, nequeat non prodi multis virtutum externa-*Chryſol.* rum luminibus. Vnde Chryſol. ſerm. 22. *Sic multiplici coruſcat in lumine, licèt a quo requirit.* Dum intrinſecus ſit, vel ſcintilla virtutis, neſcit occulta manere. ſed inde mille radij extrinſecus proſiliunt. De quo vide ſuprà lib. 10. cap. 1. § 5. & infrà lib. 14. cap. 20. § 19.

§. XVIII.

In benefaciendo nulla ſeruanda menſura.

NOtanter vetat Dominus lucernam abſcondi ſub modio, qui enim menſuram exhibet, mercator eſt, non ingenuus, & beneficus homo. Quapropter, qui ad regalem ingenuitatem, & beneficentiam filiorum Dei ſpectant, menſuram in benefaciendo caueant. Monebat Dominus apud *Luc 7.* Luc. c. 7. *Prout vultis, vt faciant vobis homines, facite & vos illis ſimiliter.* Non ait, prout videritis quod fecerint vobis homines, ſed prout vultis, vt faciant, ne intra debiti ſe menſuram contineant, vt ſemper ſoluendo debitores appareant; quin potiùs ſic præueniant beneficiis, vt vel hinc omnem men-*Ambroſ.* ſuram vincere videantur. Pulcrè D. Ambroſ. lib. 5. in Luc. ait: *Neſcit virtus menſuram gratiæ, nec contenta referre, quod acceperit, vult cumulare, quod ſumpſerit, ne inferior ſit beneficio, licèt æquetur officio. Non enim cumulo tantum; ſed ordine, & tempore beneficia penſantur, cùm in beneficio pars prior ſit qui prior ceperit. Beneficus enim eſt, qui gratiam ceperit, debitor, qui retulerit. Aliud itaque beneficium eſt beneficij principatus.* Planè beneficij principatum habet, non ſeruitutem, qui nullum ſpectans incipit benefacere, iam inde ſupra omnem ſolutionis ſe extollens menſuram. Sic qui ſeruilem conditionem depellere à ſe cupit, non oſtendat ſtatim pro ſoribus *Exod. 16.* beneficentiæ ſuæ menſuram: Exodi enim 16. vbi Angelorum panis porrigebatur, ait Moyſes: *Colligat vnuſquiſque ex eo quantum ſufficit; gomor per ſingula capita.* inſuper additur ibidem: *Colligebant autem manè ſinguli*, &c. Vide quot ibi menſuræ, & quantitatis, & temporis: quantitas non excedebat Gomor; tempus matutinis crepuſculis claudebatur. Quid hæ menſuræ protendebant, niſi ſeruile inge-*Baſil. Sel.* nium miniſtrantis? Id quod notabat alibi datus Baſil. Sel. orat. 33. fatus. *De cœlo manna quoddam Iſraëlitis dabatur, ſed quia miraculi adminiſter, ſeruus erat, neceſſitate quodque domum ſeruabat, quodque reſiduum euaneſcebat.* Seruile ingenium eſt, & planè ignobile, quod ſeſe intra certam menſuram beneficentiæ claudit, nec vnquam ſcioit menſuram excedere. Sunt enim, qui quantitatem, & horam beneficiorum ſic præfiniunt, vt vltra id, nec minimum præſtari permittant: ſi manè ſit erogandum, vel modius deſtinetur, modio euacuato, & manè tranſacto ænei prorſus redduntur ad benefaciendum. Hoc ſeruile ingenium, vt depellat, & regalem ingenuitatem inſerat fidelibus, monet Eccleſiaſt. *Eccleſ. 11.* c. 11. *Manè ſemina ſemen tuum, & veſpere ne ceſſet manus tua.* Quæ verba pulchrè ediſſerit D. Hieron. fatus. *Ne eligas, cui benefacias, ſed & cum bene feceris, nunquam à bono opere deſiſtas. Matutinam iuſtitiam veſper inueniat. Et veſperi miſericordiam Solis ortus accumulet.* *Hieron.* Intra nullius quantitatis, intra nullius temporis anguſtias nobilis claudenda eſt beneficentia: non inſtar rei venditæ, aut emptæ menſuranda ſunt beneficia, ſed inſtar ſeminis indiſcriminatim ſpargenda. Qui vendit, & ponderi, & menſuræ totus intendit, quinimo, & tempori; qui ſeminat, omnia diſpergit. Pſal. 111. *Diſperſit, dedit pauperibus.* *Pſal. 111.* Quid eſt, diſperſit? Theodoretus ibi: *Theod.* *imitatur ſerentes largè ſemina, & diſſipantes ob manipulorum ſpem.* Non quidem anguſtatur beneficus inſtar mercatoris pondera mercis trutinantis, & vel fili exceſſum obſeruantis, ſed inſtar ſeminantis largè, & munificè ſpargit, imò diſſipat. Hinc extollit regium animum Imperatricis Agnetis D. P. Dam. epiſt. 5. lib. 7. fatus: *Damian.* *O beata ſuperbia! ô beata mentis elatio omnibus digna præconijs. Nullis poteſtur rebus, & hoc ſolum indigentibus, & Eccleſijs non conferent, quòd extra tuos iuris peculium reperitur: cuncta proijcis, cuncta dilapidas, vt ad ſponſi cœleſtis amplexus exonerata proſus peruenias.* Hanc ingenuam ſuperbiam imbibant, qui beneficentiæ gloria velint radiare: qui ignobilium mercatorum menſuras in regia cupiunt ſtemmata mutare, non ſub modio, ſed largè ſeminent, ſic deſpergentes beneficia, vt vniuerſi, qui in domo ſunt, illorum potiantur. Id quod D. Anſelm. ponderans 2. ad Corinth. cap. 9. ait. *Diſperſit, id eſt, non vni omnia tribuit, ſed diuerſo modo his, & illis ſparſit, vt pluribus proficeret, & vnicuique tribuat quod decebat.* *2. Cor. 9.* Quod ſolum regium eſſe, ſic approbat Caſſiod. lib. 3. var. 29. *Caſſiod.* *Hæc ſunt enim regia dona, quòd ſemina ſparſa in ſegetem coaleſcunt; in vnum coacta depereunt. Optamus ergo munera, multis collata diuidere, vt poſſint vbique noſtra beneficio pullulare.* Ille regius eſt animus, qui nulla quantitatis, temporis, ſeu perſonarum clauditur menſura; ſed ruptis quibuſlibet limitibus beneficia ſemper, & ad omnes ſpargit. O, quales ſegetes gloriarum hæc ſemina generabunt!

Text. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.

§. XIX.

Magis cauenda eſt propria lingua, quàm hominum oculi in bonis operibus exhibendis.

NOn ſic occultanda ſunt bona opera, vt nulla eorum debeant patere oculis humanis; & in ſecreto, & in conſpectu omnium tenemur bene operari. Quòd ſi cautè procedere cupis in externis virtutum operibus exhibendis, ſic viue, vt homines bona opera tua in te videant, non tamen audiant ex lingua tua Securè oculis hominum credita ſunt virtutum facinora, de quibus nunquam propria lingua non ſiluit. Notiſſima ſunt facinora Iſraëlitarum Ioſ. 10. *Ioſue 10.* quando quinque potentiſſimos reges prendiderunt, quando ne tot illorum facinora tenebris nocturnis ſiſterentur, imperatum eſt Soli, vt traheret luminum curſus. Quid tunc? Ait textus iuxta lectionem Septuag. *Et reuerſus eſt omnis populus ad Joſue in Maceda in caſtra ſani, & non mutiuit filiorum Iſrael, neque vnus lingua ſua.* Omnes redeunt ſani, omnes victorialem præſeferunt incolumitatem, & nec vllus mutit lingua ſua: facinora, & ſanitas, & incolumitas in ſingulis manifeſtè cernuntur, ſed nullius lingua auditur, vt ſic Ieſu duci gloria victoriarum integra conſtaret. Pulchrè Origen. hom. 12. ait: *Origen.* *Quod autem addidit, quòd nullus mutiuit in lingua ſua, hoc mihi videtur oſtende, quia de victoria nemo ſe iactat, nemo ſuæ virtuti, quòd ſuperauerit, aſcribit: ſed ſcientes, quòd Ieſus eſt qui victoriam tribuit, ipſi in lingua ſua non mutiunt.* Ex eo ſolum patentiſſima facinora noſtra intelliguntur ſummo Imperatori Ieſu & attributa, & ſacrata, quòd nihil circa illa mutiat propria lingua: vbi nil iactat lingua,

lingua, secure credita sunt bona opera oculis humanis. Vnam linguam cauere debes, quæ sola, vel index, vel causa est operis vanitatis. Ad hæc cauebat Dominus Matth 6.

Matth.6.

Cùm ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, & in vicis, vt honorificentur ab hominibus: te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quod facit dextera tua. Hoc tibi mandatur in virtutum operibus exterioribus, quòd dextrum opus, à nullo sinistro vitio, vt sibi simile cognoscatur. Sed quo studio efficies omnia opera tua prorsus dextera, prorsus sinistro vitio incognita? Ipse in primis cauet satus: *Noli tuba canere ante te*; si labia tua nec mutire audeant, si prorsus taceas, quodcumque opus bonum feceris, dextrum omnino est. Acutè, vt assolet,

Chrysol.

Chrysol. serm.27. ait: *Ergo vt opus est dextera, quod facit tacitus dator, quod facit dator garrulus, hypocrysis est sinistra.* Lingua est, quæ probat operum qualitatem, si loquatur, vel sileat. Quot canit opera lingua, tot cognoscit sinistra, quia tot reputas tua, & tibi tribuis: vbi lingua silet, nil noscis tuum, sed quæcumque facis, à sedente in dextera patris profecta reputas fuisse. Hinc opera virtutum sinistræ à Deo respiciuntur, non quòd ex se apparent hominum oculis commendabilia, sed quòd commendantur à propria

Ioan 5.

operantis lingua. Inde Dominus Ioann.5. *Si ego testimonium perhibeo de me, testimonium meum non est verum.* Non cauit opera virtutum à se peracta, in conspectu populorum, sed linguæ suæ, etsi diuinissimæ testimonium hoc semper cautum fuisse ostendit, & negat vnquam operibus virtutum sermonalem, & declamatoriam addidisse commendatio-

Rupert.

nem. Sic Rupert. lib.6. in Ioann. hæc verba pulchra ostendit paraphrasi, aiens: *Ego apud vos non verbis accuratis beneuolentiam, vel fauorem vestrum captare studui; sed exhibito vero virtutis opere, cunctorum hominum beneuolentia digno, id est, sanato toto orbe à longa infirmitate auditorum postulans.* Hæc sunt vera & secura Christianæ religionis facinora, quæ non commendatitiis operantis verbis, sed suæ pulchritudinis tacita exhibitione spectantium oculos trahunt. Quam securitatem sola lingua propria valet perturbare; ait enim

Chrysost.

D. Chrysost. hom.5. de laudibus Pauli: *Grande malum est, de se ipso aliquid grande dicere, atque mirabile: extremaque omnino dementia est nulla imminente necessitate rerum propriis velle laudibus decorari. Non enim est hoc secundùm Deum loqui, indecorum est potius istud insania.* Sic ille: vt in patrandis exteriorum operum virtutibus, nihil tam fugiamus, quàm linguæ propriæ.

Text. Nolite putare quoniam veni soluere legem, aut Prophetas: non veni soluere, sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec transeat cœlum, & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.

§. XX.

Christianorum principum famelia legalissimam agant vitam.

QVando, & salis, & lucis, & ciuitatis insignibus Christianæ Ecclesiæ explicantur principatus, sapienter cauet Dominus in suis principibus, ne putent inde exlegem ducere vitam, quod familiare est in pessimorum regum famulitio. Quippe regia mundi caterua nullam solent vereri legem, id totum licere putant, quod possunt. Nil tale putent, qui sub Rege regum Christo militant principes, quorum domesticorum insigne legum sit adimpletio, non solutio. Ab hoc fonte manauit pulchrum illud decretum

Cassiod.

regis Theodahadi apud Cassiod.10. variar.5. vbi sic iuxta hoc Christi Domini monitum cauet nobilis princeps. *Præsenti iussione præcipimus, vt quicumque ad domum nostram nescitur pertinere, nullis præsumptionibus insolescat. Quia solus dicendus est ille meus, qui legibus potuerit esse tranquillus. A domesticis inchoare volumus disciplinam, vt reliquos pudeat errare, quando nostris cognoscimur excedendi licentiam non præbere.* Quid pulchrius? Regius solus cognoscitur, seu famulus, seu filius, qui legibus potest esse tranquillus. Nec scio qualiter princeps posset regere subditos, effrænésque illorum mores legibus cohibere, qui prorsus nouarint exlegem regiam fameliam. De Moyse dicitur Exodi 4. *Cum esset*

Exod 4.

in itinere, in diuersorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum. Tulit ilico Sephora acutissimam petram, & circumcidit præputium filij sui, &c. Duo fecit Dominus, & Moysem angebat quasi occisurus illum, & vt vis hæc à Moyse depelleretur, incitabat Sephoram, vt filium Moysis circumcideret. Sed cur tam anxiè procurat Dominus pueri circuncisionem? Tertull. lib aduersùs Iudæos, inquit: *Idcirco filium Moysis ducis futuri intelligas circumcidi, vt cum cœpisset per eum populo dare præceptum circumcisionis, non aspernaretur populus videns exemplum istud in iudicis filium iam celebratum.* Poten-

Tertull.

tissimæ equidem sunt leges, sub quibus viuit regis familia, ad populares animos captandos. Ex quo crediderim, Deo gratos reges nullo melius depingi, quam legalissimo omnium elemento. Ait enim Prouerb.21. *Sicut diuisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini.* Quæ verba ex multis aliis legit noster Salazar. *Sicut pelage aquarum, ita cor regis in manu Domini*, componens regem cum immenso maris pelago. Sed quid habet rex cum mari commune? Sanè, hoc est propriissimum maris, quòd in quacumque sui commotione nusquam leges suas obliuiscatur, imò illas etiam cùm turbulentissimum est, ostendit in se sanctas, integrasque, & prorsus inuiolatas. Prouerb.8. *Legem ponebat aquis, ne transirent fines suos.* Quoquò rabie ventorum impellatur, semper sese intra leges contentum ostentauit. Sic quisque principum, qui à Dei manu velit protegi, & sustentari, nusquam non habeat leges comites, & vitæ socias Iuxta illud Deut. 17. *Postquam autem sederit in regni sui solio, Deuteronomium legis huius describet sibi in volumina, legétque omnibus diebus vitæ suæ.* Nullò se vertat rex, quin instar maris in se ratas, sanctásque leges ostendat; quo imperij sui præsignauit futuros omnium felicitatum euentus. Quippè ait Prouerb.16. *Diuinatio in labiis regis.* Quæ est ista diuinatio posita in labiis regum? Irridetur à Iansenio Lyra, quòd diuinationem hanc regis referat ad accuratam lectionem, & obseruationem diuinarum legum, quam præseferentes Reges, omnium felicitatum iam iam sibi aduenientium præsagium præbent. Non placeat hæc excogitatio Iansenio, forsan, quia ingeniosior est; at placebit cuiquam, qui rem accuratius perpenderit, sciens illam verissimam felicitatum esse diuinationem, quæ fundatur in obseruantia legum. Accipite D. Basil. in cap.8. Isaiæ fantem: *Vis certò persuaderi, quæ sint futura? Prouide sedulo, vt quæ tibi lex facienda præscripsit, opere explices diligenter, & certus opperior iucundissimam fruitionem repositorum tibi bonorum.* Quis legum obseruantiam in ore principum videat, qui iam certus non diuinet bona futura aduenientia? Equidem nobilissimi principes certissimum præsagium habetis futurorum euentuum in obseruantia legum, quam in vobis ostenditis. Sanctissimus ille Iosias rex 4. Reg.22. vbi primùm notauit leges à maioribus suis conculcatas, futurorum metu tactus scidit vestimenta sua, & misit ad Holdam prophetidem, vt prædiceret, quid mali Regiæ exlegi portenderet. Sed cur bonus rex misit ad fœminam consulendam? Nonne Ieremias Propheta Domini tunc temporis vigebat? cur non potiùs ad hunc, quàm ad fœminam mittit? Abulensis putat, tunc temporis fuisse Ieremiam Prophetam, & nihilominus Iosiam misisse ad Holdam, forsan, quia ad futura diuinanda ex obseruantia, vel non obseruantia legum quilibet sufficiens est, vel etiam fœminea infirmitas certissimam in his veritatem præstat. *Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem*, ait Dominus, simul iungens Prophetas cum lege; dum enim hæc floreat, non poterunt non esse Prophetæ.

Prouer.21.

Ibidem.

Deut.17.

Prouer.16.

Basil.

Text. Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum; qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.

§. XXI.

Cœlestium magnalia occupantur ab eo, qui opera sermoni addiderit.

QVid magnum efficiet sola linguæ volubilitas? Mihi crede, qui verbis solis nituntur, nunquam magna perficient; ille solus magnalia cœlestium etiam occupabit, cuius opera, & splendida facinora sermoni de virtutibus fuerint addita. Cùm Iesus verba populo faciebat, populares acclamationes passim audio, vt est illud frequenter in Euangelio repetitum, *Nunquam sic locutus est homo: Beatus venter, qui te portauit.* Quid hæc ad Christi Domini inten-

tum? Quid magnum quòd ex hominibus acclamationes,& laudes Dominus expiscaretur? Cùm autem verbis virtutum suarum facinora, siue miracula addidit, id effecit, vt iudei homunciones magnalia cœlestia præoccuparent. Id
Basil. quod pulchris verbis expendit D.Basil. Sel. orat.21. fatus. *Vani quidem, stultique adulterinæ sapientiæ amatores, quique sola lingua sapientiam excolunt, propria doctrinæ fallacijs colorata dictione delirum innexeruat insaniam. Christus autem veritatis magister orationi permiscens miracula fidem gentis rerum diuinarum prædatricem.* Ecce vobis cœlestium expugnatrix vis vnde nascatur: nimirum, ex facinoribus Christianis permixtis cum loquendi efficacia. *Mel,& lac sub lingua eius,*
Cant.4. ait Cant.4. quasi lingua sola solùm nouerit, vel peccatores lactare, hoc est, seducere, vel ad summum, si lingua Christi sit, possit alere puerilia virtutum, & perfectorum infantiam. At vbi panis fortium,& magnorum virorum, qui ad magna nouerint aspirare, porrigendus est, non in sola lingua, sed in labore, & opere manuum, in sudore vultus vescimur illo pane. Audacem animum illorum, qui turris cacumina ad cœlestia pertingentia meditabantur, sic Scri-
Genes.11. ptura definit Genes.11. *Erat autem terra labij vnius, & sermonum eorundem; dixitque alter ad proximum suum: Venite, faciamus lateres,* &c. Quid tunc? Quid amplius inde moliuntur? *Venite faciamus nobis ciuitatem, & turrim, cuius culmen pertingat ad cœlum.* Et quidem vbi, & sermo, & manuum opus sibi mutuò correspondebant, non miror, quòd animus generaretur, qui cœlestia cacumina velit pertingere. Non lingua, non vnitas labij solius, sed vnitas, & concordia labij, & manus nescit non magna,& cœlestia parturire. Sola lingua, etiam si præstantissima, nil cœleste præfert: at vel rudis lingua iuncta cum operum splendore, nil non cœle-
Luc.2. ste, & magnum meditari sciuit. Apud D.Luc. cap.2. *Pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce Angelus Domini stetit iuxta illos.* Ad quid Angelus cœlestia relinquit, & iuxta pastores degit? Ait etiam: *Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator.* Sic Angelus ducit pastores in nati Saluatoris cognitionem:
Matth.2. quod munus etiam præstat stella apud Matth. cap.2. tribus regibus, qui quidem aiunt: *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum? Vidimus stellam eius,* &c. Angelus pastores ducit, & stella ducit Magos; Angelus, vt ducat pastores, cœlestia dimittit, & in terris apparet; stella, vt ducat Magos, non ad terras descendit, sed è cœlo lucens præstat ducatum. Quare stella non descendit, vt Angelus, sed cœlestia tenens in-
Petr.Dam. de ducit Magos? Rationem innuit D.Petr.Dam.lib 8.epist. 2. fatus. *Quid per stellam, nisi simplex quilibet sacerdos honestæ vitæ innuitur: qui licèt affluentis eloquij facultate non polleat, clarus tamen operibus, velut quibusdam laudabilis vitæ radijs micat.* Nescit non in cœlo apparere, qui vel ad paruulam eloquij facultatem splendida vitæ opera scit adiungere. Dum tantum acturus erat verbis Angelus, ad inferiora descendit, interque infirmósque versatur. Qui autem operum splendore confirmat doctrinam, is nunquam in infimis,
Dan.12. semper in cœlestibus apparet sublimis, vt dicat Dan.12. *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti:& qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Quæ verba sic transfert Syrus: *Doctores bonorum, & intelligentes lucebunt vt lumen firmamenti, & qui iustificant multos, erunt fulgentes, & stantes sicut stellæ in sæculum.* Sic qui verba doctrinæ cum operibus iungit, nunquam non firmamento adhæret, instar stellæ.

§. XXII.

In Doctore, vel minimus defectus operum, nulla eloquentia potest suppleri. Defectus autem eloquentiæ per additionem operum suppletur.

QVi soluerit minimum mandatum, semper ipse & minimus, & pusillus in docendo apud Deum habebitur, nunquam enim supplebitur operis defectus. At qui fecerit omnia, & docuerit, semper magnus erit in cœlo, etiam si in eloquio aliquos patiatur defectus. Nullus defectus linguæ retardat doctorem, additis ab illo splendentium ope-
Petr. Dam. rum aggeribus. Vnde monebat D.Petr.Dam. lib.8. epist.1. *Necesse est, vt clariùs per vitæ meritum luceat, qui facundæ prædicationis affluentia non abundat.* Ne metuas repulsam à Doctorum cœlestium cathedris, qui linguæ impeditioris es, adde lumina operum, vbi deficiunt verborum flumina, & certas obtinebis Doctorum sedes. In Doctorum calculo videbis adscriptos Moysem, & Aaron, vterque apud Deum magnum sibi acquisiuit cognomen. Vterque populum diuinis instruxit legibus: sed de Moyse dicitur Exodi 4. *quòd* Exod.4.
impeditioris linguæ esset; verùm Aaron ibidem vocatur homo eloquens. Et nihilominus de vtroque æqualiter Psalm. Psalm.76.
76. inquit: *Deduxit sicut oues populum suum in manu Moysi, & Aaron*, quasi æqualem manum vterque in deducendo populo habuisset. Vnde impeditior lingua æquari potuit disertissimæ, & eloquentissimæ? Sanè ea plurium virtutum luminibus, & splendoribus, hic fuit, quòd Deus Moysis faciem fecit instar Solis splendescere, vt sic possit æquari
Aaronis eloquentiæ. Quod expendens D.Petrus Damian. Petr.Dam.
vbi supra ait. *Hinc est, quod Moysi, qui dixerat: Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri, & nudius tertius, & ex quo locutus es ad seruum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ sum: adeò postmodum facies clarificata resplenduit, vt filiorum Israël visus obtunderet, & in eum præ splendoris magnitudine respicere non valerent. Aaron verò, de quo diuina voce responsum est: Aaron frater tuus Leuites, scio quòd eloquens sit: nullus supernæ claritatis splendor accessit.* Itaque dum cœlestium virtutum addatur splendor, quilibet linguæ defectus facilè in Doctore supplebitur. Hæc requirit Deus in Doctore tardioris linguæ, ieiunioris sapientiæ, quod ipse Moysi fecit, nimirum, vt splendorem virtutum addat, quo apud populares maximè splendeat. Addito enim vitæ splendore semper Doctor in regno cœlorum magnus erit: si autem minima virtutum relinquat, etsi addat eloquentiam, etsi addat sapientiam, minimus tamen in regno cœlorum erit.
Ait Psalm.49. *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras* Psalm.49.
iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum. Sed cur peccatum non enarrat iustitias Dei? Nónne dum studet iustitiis prædicandis, magnum illi emolumentum accrescit? Minimè; quin potiùs semper decrescet, & minor fiet. Pro quo expendendum est illud: *Tu verò proiecisti sermones meos retrorsum.* Dum prædicat iustitias Dei, dum diuina testamenta pulchris ad populum demulcendum sermonibus ornat, non factis: hoc euenit, vt penitus sermonum Dei obliuiscatur, eósque proiectos habeat retrorsum, quæ quidem cuicumque rationali homini sunt in promptu. Additio enim eloquij, & sapientiæ sine moribus in Doctore non supplet, imò absumit legis naturalis memoriam, & ipsam naturam rationalem curtat, & minorat, ne adipiscatur ea, quæ sunt etiam perspicua rudioribus. Id quod expendens D.Chrysost. in hunc Psalm. ait: *Habeat ergo vita tua claram vocem, & licèt os tuum obstruxeris, vel tuba clarius personabis. Quòd si, cùm sis sordidatus, Doctoris sedes conceris inuadere, non solum ex legis doctrina, nulla tibi facta est accessio, sed etiam quod habes à natura, mutilum, mancùmque reddidisti. Eorum enim quæ sunt agenda, & non agenda, rationes nobis à natura insitæ sunt. Tu autem ea repulisti, & non habuisti in memoria.* Ecce tibi qualiter additio virtutum, etiam in defectu eloquij, extollat doctorem; & additio eloquij in defectu virtutum, potius doctorem curtat, & minorat. In quocumque defectu linguæ magnus est Doctor operans in regno cœlorum: in quocumque eloquentiæ additamento si virtutum operibus careat, minimus semper erit, & pusillus Doctor.

CAPVT V.

De ira sedanda.

PVLCHERRIMO, vt inquit D.Hilarius, ingressu incipit diuinus concionator opus legis excedere, dum quod in lege imperfectum fuit, perficit; quod obscurum, explicat; quod inutilum, in illud deducit incrementum, vt necessum sit, iustitiam scribarum, & Pharisæorum longè excedat, quicumque Christianus velit pertingere regnum cœleste. Excedit in primis, qui sic afficitur erga proximum, vt nec opere, nec animo, nec verbo illi lethale inferat nocumentum. Ab homicidio caueat Christianus, imò & ab homicida animo, insuper à contumeliosis verbis; tandem proximo offenso, quin priùs reconcilietur, ad diuinas aras minimè accedat. Quæ iniurium proximi hominem auersantur; amplectuntur verò eum, qui inter se, & proximum nec minimam diuisionem admittere velit.

Matth.5.

Matth. 5. Dico enim vobis, quia nisi abundauerit iustitia vestra, plusquam scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.

§. I.

Iusto, & fideli viro grauissimum tormentum est, cum pessimis, & brutescentibus hominibus comparari.

AD iustitiam eam inflammantur Christiani, quæ regnum mereatur cœleste; vtpote quæ Pharisæorum iustitiam excedat. Sed cur Dominus suos ad iustitiam inflammans, Pharisaicam iustitiam meminit? Crediderim id diuino consilio factum fuisse, vt quos pœna ad excedendos illos non moueret, moueret comparatio, qua se viderent in iustitia, non impares pessimis hominibus Scribis, & Pharisæis. Et quidem ingenuos animos valde pungit, & torquet comparatio cum fœdis, & turpibus vitiorum macellis cap. 1. fideles Abrahamides compuncturus sic loquitur. *Isai. 1.* *Audite cœli, auribus percipite terra, quoniam Dominus locutus est; Filios enutriui & exaltaui: ipsi autem spreuerunt me. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui; Israel autem me non cognouit.* Quantum hoc calcar ad Israelitas excitandos, vt excederent bouem, & asinum? Nónne magis pungeret Israelitarum animos, si meritas peccatorum obiceret pœnas? Cur his omissis tantùm obiicit, quod bos, & asinus fecerunt? Sanè ingenui viri nulla sic torquentur pœna obiecta, quàm torquentur, cùm se comparatos, & æquatos pessimis, & brutescentibus animis cernunt. *D. Zen.* D. Zeno serm. 5. in Isaiam, ait: *Bouem illis, asinumque proposuit, vt grauius possint, si resipiscant, comparatione torqueri, quàm pœna.* Maximè quidem torquet animos ingenuos, quòd sese videant comparatos pessimis, & exæquatos brutescentium hominum moribus perditis. Hinc Ezech. 16. *Ezech. 16.* *Hæc dicit Dominus Hierusalem: Radix tua, & generatio tua de terra Chanaam, pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa.* Et hominibus perditissimis, scelestissimis, plenis iniquitatis, plenis blasphemiæ, cur terribilem iudicij sui gladium non ostendit exertum? Cur solum maluit illorum vitam non absimilem à Chananæis, Amorrhæis, & Cethæis ostendere? Ait Theodoretus ibi: *Hoc autem satis erat ad eos admodum perterrendos.* Res magni horroris est viro ingenuo, se inter famosissima vitiorum mancipia videri contentum; ab illorúmque infamissimis moribus, nec vngue transuerso differre. Apud Isaiam, cap. 1. sic Dominus crucifixos suos alloquitur. *Isai. 1.* *Audite verbum Domini principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei vestri populus Gomorrhæ.* Et in nefarissimos Pontifices Anam, & Caypham durum aliud supplicium constitui non potuit. Pulchrè Forerius ait: *Forer.* *Quid durius in magistratus, & Pontifices dici potuit?* Sanè mille tormentis emisset nobilis Dei cultor, ne inter infamissimos Sodomæ viros poneretur: longéque magis expauesceret ad ictum huius comparationis, quàm ad hastam in se venientem, & grauius torqueretur hac societate, & communione, quàm quouis alio tormento. Vnde pergens Dominus loqui ad Ierusalem Ezechiel. 16. ait: *Ezech. 16.* *Soror tua maior Samaria, ipsa & filiæ eius, quæ habitant ad sinistram tuam: soror autem tua minor, quæ habitat à dextris tuis Sodoma, & filiæ eius.* Ecce tibi quibus lateronibus constituitur vrbs Ierusalem; & quid inde? Quasi dextro, & sinistro eius lateri adhibuisset flammantes laminas, sic pergit: *Ergo, & tu porta confusionem tuam, quæ vicisti sorores tuas,* &c. *Theod.* Theodoretus legit in rem nostram accommodatiùs: *Et tu sustine tormentum tuum superans, in qua corrupisti sorores tuas peccatis tuis.* Et meritò tormentum superans vocatur infamia, qua quis afficitur ex communione pessimorum, quia super omnem pœnam illo torquetur ingenuus homo. Reproborum pœnam inde exaggerat Zacharias cap. 12. *Zach. 12.* quòd miseri Christiani Iudæorum pessimorum tribubus admiscendi, & æquandi sint. Ait enim: *Et planget terra, familiæ & familiæ seorsum; familia domus Dauid seorsum, & mulieres eorum seorsum, familia domus Nathan seorsum, & mulieres eorum seorsum; familia domus Leui seorsum,* &c. Sed scire cupis, cur in postremo illo planctu solæ nominantur Iudæorum familiæ? An nullus Christianus incurret plangendam damnationem? Vtinam; verùm damnabuntur plurimi, quorum animi, vt magis torqueantur, in Iudæorum censu permixtim intelliguntur, vtpote illis prorsus similes, & æquales, in nullóque differentes, & distincti. Ad quod respiciens Origen. hom. 30. in Matth. ait. *Origen.* *Omne igitur terrenum agmen, iam sit tribus terræ, quod esse sibi ipsi attribuerunt, maximè si oportet in aliquo peccatorum abundantius plangere, plangeat cum similibus suis. Qui enim ex doctoribus malè vixerunt, sunt tribus Nathan plangens. Qui peccatores sunt ex his, qui præpositi sunt Ecclesiæ, sunt domus Leui plangens,* &c. Sic Christianorum reprobi censebuntur inter Iudæorum fœces, & pessimi Sacerdotes cum Ana, & Caypha, & pessimi Doctores cum Pharisæis, & pessimi Reges cum Herode; & vita, & nomine pares, pares etiam sustinebunt damnationes. Quis Christianus non metuat numerari inter fœces Iudæorum.

Text. Audistis, quia dictum est antiquis: Non occides; qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.

§. II.

Iracundus homo adeò certam damnationem habet, vt iam videatur tortori, & carnifici traditus.

ASsentio Euthymio, & Iuuenco, qui reum iudicio putant illum, cui pœna capitalis sic à iure decreta est, vt nullatenus per vllius iudicis arbitrium, aut minui, aut tolli possit. Et meritò viri iracundi sic à iure diuino prædamnantur; quippe eorum damnatio, quàm inuariabilis sit, ex eo manifestè apparet, quòd similes homines iam nunc tortori, & carnifici traditi penitus videantur. Accipite 1. Reg. 18. *1. Reg. 18.* Saulem irascentem in Dauidem; etenim textus ait: *Præcinebant mulieres, ludentes, atque dicentes: Percussit Saul mille, & Dauid decem millia. Iratus est autem Saul nimis.* Quid tunc? Saulem habemus iratum, & nimis iratum, quid inde mali? *Post diem autem alteram inuasit spiritus Dei malus Saul: tenebátque Saul lanceam, & misit eam, putans, quòd configere posset Dauid.* Expende post iracundiæ ingressum, quis ingrediatur in pectus Saulis, equidem ingreditur spiritus malus; reproborum hominum carnifex & tortor simul inuadit Saulem, vt vidit illum irascentem. Non expectat iudicis sententiam, sed vt à iure damnatum statim inuadit. Sanè hominem turpi lasciuia comprehensum apud Corinthios nihilominus carnifex non inuadit, donec adest Paulus, qui ferens in illum sententiam, ait: *Tradidi huiusmodi hominem Sathanæ in interitum carnis;* nec ante tanti iudicis sententiam ausus est carnifex nefarissimum hominem, vel tangere. At dum homo iratus apparet, iam non necesse habet damnationis sententiam expectare, sed ilico illum inuadit, & vexat reproborum carnifex. Pulchrè D. Petrus Damianus lib. 4. epistol. 17. accinit: *Petr. Dam.* *In Saulis corde ira præcessit, & mox nequitiæ spiritum introduxit, qui abreptitium suum in zelum vesani furoris accendit. Fremebat enim in vasculo sua auctor iracundiæ spiritus.* Eo miserum hominem tali carnifici traditum! Et quis credat hominem iracundum ferri affectibus humanis, & non potiùs tortoris immanissimi flagris agitari? Neque planè iracundia in humano pectore esse, quin immanissimus diabolus statim ibidem appareat iam plectens, & contundens miserrimam animam. Propterea monebat Apost. ad Ephes. 4. *Ephes. 4.* *Sol non occidat super iracundiam vestram. Nolite dare locum diabolo.* Quasi in irato animo nil citiùs appareat, quàm hominum carnifex diabolus: ex cuius sæuitia etiam nunc incipit pœnas dare. Quò spectabat D. Chrysost. homil. 46. in Ioan. *Chrysost.* fatus. *Inter iram, & insaniam, nihil differt, sed breuis quidam dæmon est, imò quàm qui dæmonia vexatur, grauior. Ille enim venia dignus est, iratus nulla, sed suppliciis innumeris sponte sua in profundum perditionis defertur, & etiam ante futuram gehennam pœnam dat.* Non spectat iratus extremam iudicis diuini sententiam, iam hîc excludit à se veniam omnem, iam sese in diabolum penè transformat, adeò, vt in irato quasi solus diabolus videatur: sic tortorem patitur, & generis humani carnificem, vt ab illo plenè possessus appareat, immanissimas pœnas dans. Miraris dictum esse iratum hominem dæmonis possessionem, sed adhuc dicam aliquid amplius, nimirum, non vnius dæmonis, sed plurium impetus sustineri ab irato. Recolenda est historia à D. Luca, cap. 8. proposita de misero homine à dæmonio vexato: qui cùm ad Iesu pedes procubuerat, ait Iesus ad dæmonium: *Luc. 8.* *Quod tibi nomen est? At ille dixit: Legio, quia intrauerant dæmonia*

multa in eum. Maximum hoc erat, quòd integra dæmoniorum legio miserum hominis pectus occupasset: sed non minori admiratione dignum fuit, id quod accidit. Accepta enim ex Iesu potestate, legio illa hominem relinquit, & in gregem porcorum transit; *& impetu abijt grex per præceps in stagnum, & suffocatus est.* Quæ huius rei species? Sanè nulla subiit species aptior ad exprimendum malum hominis irati, is vt ab ira possidetur, non vni tortori, sed toti immanissimorum militum legioni traditur vapulandus. Sic in Romano iudicio rei ab integra legione vapulabant; qui iudicio reus homo iratus legioni traditur, à qua iam non vt homo, sed vt grex porcorum agitur in præceps, in profundúmque perditionis defertur suffocandus. Accipite modò D. Gregorium Nazianzenum sic ab homine prudenti amouentem hanc iræ rabiem, quæ in brutescentes solùm animos regnum habeat. Ait enim car. de Ira in fine.

Nazian.

O iræ feruor, dæmonis domus horridi,
Horrenda legio, multiplex labes mali.
Te Christus fugere confestim hinc iubet,
Porcorum in aluum te tuorum conijce.
Capiet ruentem grex libens hic in mare,
At parce nobis, qui Deo curæ sumus.

Non homo est, qui à tali supplicio, tortorum immanissimorum non cauet; qui enim hominis adhuc sensum habet, nihil magis studet, quàm à se depellere tantum malum. Quod ab homine euictum, videte quò abeat, nimirum, in gregem porcorum, hoc est, in gregales illos conuentus iuuenum gladiatorum, lites, & rixas passim excitantium. Ad hos confugit legio dæmonum, velut ad suorum porcorum gregem, & capit ruentem grex libens hic in mare. Et ea est stultitia horum, vt totam tortorum, carnificúmque hanc legionem libenter admittant, quæ in præceps ruunt, & inter felleos haustus, inter gladios, & mortes iactati miserè contunduntur, flagellantur.

§. III.

Iracundi homines obnoxij iudicum rigoribus, carceribus, vinculis.

Ecce quid tibi pariat iracundia tuo in pectore nutrita, vt reus vbique agaris, vt creber sistaris iudicibus, vt vix te vinculis, carceribus possis eximere. Apud Matth. cap. 8. occurrunt Iesu duo dæmoniaci homines, *sæui nimis, ita, vt nemo posset transire per viam illam*, de altero horum, nempe insigniori, addit Marcus cap. 5. quòd erat *sæpe compedibus, & catenis vinctus.* Nunquam non compedibus constrictus, nunquam non catenatus. vt videas pulchram effigiem sæuientium, & irascentium hominum. Quò te feret iræ furor, nisi ad compedes, ad catenas, ad iudicum tribunalia seuerissima? Pulchrè ad hæc Sedulius lib. 3. Paschali, cap. 8. inquit: *Heu quàm grauis est furoris conditio. Qui vim sustinet lacerantis insaniæ, illum necesse est, & vinculis pœnalibus subiacere.* Quando iracundus homo euadit vincula? Sanè hi sunt, quos neruus, & compes, & niger carcer spectat: hi sunt legum pœnalium mancipia: hos triremes vocant, crux penè designat. De illis locutus Iob, cap. 41. ait: *Cùm apprehenderit eum gladius, non poterit ei resistere, neque hasta, neque thorax.* Ecce quàm validus, quàm strenuus pugil, cui nec hasta, nec thorax resistere potest pugnanti, rixanti; sed expende illud: *Cùm apprehenderit eum gladius*; debuisset dicere, cùm ille gladium apprehenderit, nemo resistet armatus. Cur maluit dicere, cùm apprehenderit eum gladius? Acutè sanè irascentium hominum expressit conditionem, qui dum ad gladium currunt, non tam apprehendunt, quàm apprehenduntur ipsi; dantúrque ab ipso gladio suo in iudicum prudentium prædam. Stephanus apud Tilman. in alleg. ad cap. 1. Naum fatur. *Dicitur qui per abrupta furoris graditur, non apprehendere gladium, sed à gladio apprehendi.* Nil promptius manat à rixis hominum iratorum, quàm vincula, quibus tenentur ipsi, & apprehenduntur. Ibi in vinculis, nimirum, in carceribus, in neruis, in iudiciis definunt ferè semper iratorum hominum facinora. Ad quod spectans diuinus Spiritus, ait Prouerb. 27. *Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor*; expende illud, *erumpens furor*, quasi furor explicetur instar aquarum venæ erumpentis, & cum impetu fluentis: quam comparationem clariùs exprimit Hebræa origo legens, *& inundatio indignationis.* Prodit equidem, imò erumpit furor iræ, non aliter quàm rapidissimus torrens, quàm flumen inundans, & quia omnia flumina in mare definunt, sic iræ torrens habet mare

Matth. 8.

Marc. 5.

Sedul.

Iob. 41.

Tilman.

Prouer. 27.

suum, in quod vniuersæ apparent desinere, nimirum in carceres, in vincula, & supplicia. Accipite pulchra verba D. Isidori Pelus. lib. 3. epistol. 329. *Nonnulli te intemperantem linguam habere cauillantur, fontiumque maledicentiæ flumen esse; ipsius fluenta copiosè, profuséque tum excipiens, tum eructans: quæ quidem in supplicij, & cruciatus mare hominem conijciunt.* Quid pulchrius? Ecce tibi linguæ indignantis fluenta vbi erumpunt, quo miserum hominem coniiciant, in mare cruciatus, & supplicij: & sicut mare nullus effugit fluuius; sic carceres, sic vincula nullæ irarum voculæ contumeliosæ effugiunt. Quippè ait Apocap. 11. *Et iratæ sunt gentes, & aduenit ira tua.* Cùm primùm hominum iræ crebrescunt, statim summi iudicis apparet ira, quæ suppliciis, & cruciatibus multiplicibus mortalium excipit iras.

Isid. Pel.

Apoc. 11.

Text. Qui autem dixerit fratri suo, Raca; reus erit concilio: qui autem dixerit, fatue; reus erit gehennæ ignis.

§. IV.

Iræ furor nullis sciuit contumelijs siue in homines, siue in Deum parcere.

Qvò non se fundat ira, dum semel intimis præcordiis efferuescit? Nullis equidem parcit linguæ contumeliis. Notabat D. Petrus Damianus lib. 4. epistol. 17. linguam duabus sese portis posse effundere, nimirum, vel per sonos minimè significatiuos, vel per significatiuas voces. Vtrisque occludendis in homine irato instat Dominus vetans, ne dicatur fratri, Raca, hæc est interiectio naturalis furoris, nihil aliud significans; & ne dicatur, fatue, hæc est vox significatiua, & contumeliosa. Vtrisque, inquam, portis occludendis anxius instat Dominus, vt qui nouerit iræ ferociam, quæ semel effusa nullis contumeliæ generibus parcere noscit. Quin potiùs, & nutibus, & clamoribus, & verbis, & blasphemiis sese exerit in Deum contumeliosa, & homines. Sapienter Diuus Paulus ad Ephes. 4. furentis iræ omnes gradus proposuit, aiens: *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis, cum omni malitia.* Nunquam ira feruescens pauciora nouit spicula torquere; ab illa, & indignatio prosilit, & simul clamor, & blasphemia, cum omni malitia. Nullos præfixos habet ira terminos, vbi furere incipit, per nutus debacchatur, & per clamores, clamans, fremens, vituperans, blasphemans. Quò respiciens D. Isidor Pelus. lib. 3. epist. 328. Anatolio cuidam maximè querenti, quòd blasphemus diceretur, sic respondet. *Blasphemus vsque adeò clamor, & indignatio, & ira grauior est, vt etiam priorem hæc illam Paulus collocarit. Quare cùm iras, per quam omne malorum genus in mundum irrepsit, labores, aut hanc quoque desere, aut cùm blasphemus appellaris, animi cruciatum ne concipe.* Et quidem, qui iræ furiis se dedit, ne offendatur, quòd habeatur blasphemus, nescit enim ira, vbi effunditur, alicui generi offendendi parcere, imò effusa per omnes, & contumeliosa fit, & blasphema, æquè rabida in Deum, & homines. Ad hæc D. Cyrill. apud Damasc. lib. 3. Paralipom. cap. 32. ait: *Quidnam ita peius excogitari queat? Quod enim flagitium est, quod non suscipiat, aut qui sermo malus, à quo abstineat, qui huiusmodi flamma intimo pectore flagrat?* Nulla vox, nullus clamor, nullum conuitium, nulla contumelia, nulla blasphemia tanta est, quam simul non eructet hæc virulenta bellua. Nullum non telum torquet, nulli parcit spiculo quo ferire possit; nullum veretur terminum, sed vltra omnes prosilit; vbi seruere cœpit. Id quod meditatus D. Nazianz. in Iambico de Ira, fatur.

Ephes. 4.

Isid. Pel.

Dam.

Nazianz.

Medicamen alijs est Deus menti obuius,
Ast ira primum numini occludit fores.
Cùm grauior extat, si Deum proferat,
Multum ingrauescit: ingit hunc conuitijs.
Vidi ipse, saxa, puluerem, & verba aspera,
Qui iaceret in Deum (proh scelus nefarium!)
Nulla arte, nullo qui modo vinci potest

Eò peruenire potest iræ furor, siue rabies, quòd à nullo contumeliarum, siue blasphemiæ abstinere queat: si times blasphemiam, caue iram, dum enim iracundus fueris, & contumeliosus, eris, & blasphemus.

§. V.

§. V.

Mansuetudo hominem, iracundia feram facit.

VOx Raca, cùm nihil significet, vt ex Petro Damiano, & D. Paschasio, & aliis suppono, non tam propria est hominum, quæ non possit esse, vel fremitus ferarum. Et meritò iracundis hominibus tribuuntur clamores etiam, & fremitus, communes feris, quando solus mansuetus vir, Ezech. 14. purus, & perfectus est homo. Apud Ezechiel. cap. 14. *Hæc dicit Dominus Deus: Homo homo de domo Israel.* Qui Israëlis domum habitare velit, nimirum, cœlestem patriam incolere, sit homo homo. Cur iubetur esse homo homo, an quia homo possit esse aliud, quàm homo? Planè homo, id est, quod affectibus suis ostendit, si linguæ venenum fremens in fratrem iaculat, serpens est, vipera est: cùm verbis, & Origen. moribus mansuetudinem refert, tunc solùm homo est. Ad hæc Origen. hom. 3. in Ezech. *Estote homines, homines scilicet; quia non omnes homines, homines sunt. Homo in honore positus non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & assimilatus est eis. Ille non est homo homo, sed homo iumentum. Generatio viperarum, quis ostendet vobis fugere à ventura ira? Talis non est homo homo, sed serpens homo. Absit ergo à nobis, vt tales simus, qui mereamur audire, non esse nos homines homines. Si enim boni, & mansueti sumus, duplicamus hominis nomen, vt sit in nobis non simpliciter homo, sed homo homo.* Hoc nouit in te facere mansuetudo, vt sis homo homo, vt nullo ex latere nõ referas hominem, siue loqueris, verba homini decentia, & propria profers; siue taces, in eo etiam ostendis prudentiam & sapientiam hominis. Quantum à mansuetudine deficis, tantum perdis hominis, in tantum te feralem, & vipereum, & serpentinum ostendis. Iracundia te in fremitu leonem, in sibilo serpentem ostendit: & vtinam ab iracundia in vnam solam feram transformareris, sed omnium Psalm. 57. immanitatem, & virulentiam refers. Psal. 57. *Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ,* &c. Suffecisset misero, quòd vni serpenti assimilaretur, cur vlteriùs, & aspidi assimilatur? Facit hoc iracundiæ furor, qui in hominis corde, & lingua, & gestu, non vnum, sed varium, Basil. & multiplex ostendit ferarum venenum. D. Basil. de Ira, fatur. *Hæc hominem prorsus efferat, ne ut hominem quidem esse sinit, vt qui iam rationis præsidio careat. Nam quod venenatis animantibus venenum est, hoc ira percitis est excandescentia. Rabie laborant, vt canes, subsiliunt vt scorpij, mordent vt serpentes. Si aliquem præ iracundia dentes acuentem videris, illud cogita, cum apro similem esse, vt qui internum furorem per dentium constrictum ostendat.* Si omnium ferarum formas, siue deformitates, siue immanitates iracundus homo præsefert, quis Prouer. 22. non timeat, vel conspectum illius. Prouerb. 22. *Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso; ne fortè discas semitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ.* Expende periculum conuiuendi cum iracundo, nimirum, *ne sumas scandalum animæ tuæ,* hoc est, ne vitam tuam in manifestum periculum constituas; constitues enim, vel leuissima occasione data; vel si nutu, aut halitu te te illi opponas. Naziang. Id quod pulchra comparatione exprimit Nazianz. in Iambico de Ira, inquiens,

Reprimere tentes? in caput bilem tuam
Trahes, furentem vt belluam sono edito.

Expende illud, furentem vt belluam sono edito: quippe vidisti sæpe in arena taurum hinc inde agitatum, furore iam percitum: hunc si vel ex plateæ angulo sibilo, aut quouis sono edito voces; quanto subito in te furore conuertitur? quanto impetu inuadit? pennatus sis, si cornuto eius ardori te eripis. Ita prorsus cum iracundo homine tibi eueniet, illius flammantem bilem in te trahes, furentem, vt belluam sono edito. Quare ab iracundo homine, & fremente, & oblatrante non minus fugiendum, quam a bellua: eiúsque conuicia, & contumeliæ, & blasphemiæ non aliter excipiendæ sunt, quàm fremitus belluarum, sibilus serpentium. Sanè ferarum voces nullum mente sanum in se prouocant, quin potiùs fugam consulunt, vt tu saluti fugiendo consulas. Quis audiens leonis fremitus, sic in leonem irritatur, vt eum inuadat similiter fremens, quin potiùs tacitos sese fugæ commendat? Sic etsi probra, etsi conuicia audias ab ore iracundi, reputa ferarum fremitus, Idem. & fugiens te ab eius insania eripe. Pro quo accipite Nazianzenum vbi suprà,

At probra sunt hæc probro, si cadas simul.
Ægrot ne probris mutuis ipse impetes?
Quid rabidus ad te forte si currat canis?
Quid? si camelus quispiam ferox tenet
Gutture, tibique tendat infestum caput,
Stabis ne pugnans? Nonne, qui sapit, fugit?

Equidem, qui sapit, ferarum fremitus non ponderat, sed fugit; nec tu probra iracundi hominis æstimes, sed ab illius congressu te eripe.

Text. Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersùs te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum.

§. VI.

Quò quis Deo propinquior, eò fraternæ vnionis diuisiones plus fugiat.

QVis Dei altare conscendat, si inter se, & proximum diuisionem aliqualem meminerit? Curet, mihi crede, integram cum proximis vnionem seruare, eò diligentiùs, quo quis est diuinis aris propinquior. Abraham litaturus Deo vaccam triennem, & arietem trimum, columbámque & turturem sacro iam astabat altari. Quid tunc? De illo habes Genes. 15. *Qui tollens vniuersa hæc, diuisit ea per medium, & vtrasque partes contra se altrinsecus posuit; aues autem non diuisit.* Genes. 15. Vacca, capra, & aries diuisæ inter se membratim sacris altaribus ponuntur; sed aues minimè ibi diuiduntur. Cur aues non diuisæ, quando cætera diuiduntur? Id explicat D. Petrus Damian. epistol. 15. ad Alexand. 1. inquiens. Petr. Dam. *Terrena animalia contra se, & altrinsecus opponuntur, quia terreni quique contra proximos surgunt, & contentionibus sæuiunt, vel certè occultis aduersus eos odiorum fomitibus inardescunt. At contrà, qui sese in altum cælestis desiderij pluma sustollunt, dum sacrificium Deo semetipsos offerunt, à mutuæ dilectionis glutine non recedunt.* Hæc sit prima cura eorum, qui Deo appropinquare nituntur, vt fraternam dilectionem integram, sanctámque in pectoribus suis obseruent. Hoc vno signo distinguuntur terreni homines, ab his, qui sese extollunt, & cœlestibus, & Deo ipsi appropinquant: nimirum, terrenos, & iurgia, & dissidia, & lites variant, cœlestes vnio, charitas, concordia conglutinat: illos frequentes diuisiones notant, hos vna indiuisio designat. Recolite modò duos illos fratres Abelem, & Cainum; vterque parat Deo munera, vterque ad aras accedit, vterque sua offert sacrificia, sed non vterque placet, quin potiùs & munera, & persona Cain minimè Deo accepta fiunt. Vnde Cain in ipso sacrificio offensam incurrit? Ipse textus insinuat Genes. 4. Genes. 4. ex lectione Septuag. inquiens: *Nonne si rectè offeras, non rectè autem diuidas, peccasti?* Terrenus homo Cain diuisiones à fratre meditabatur: ex quo eius munera odiosa Deo existunt, vtpote munera illius, qui ausus est diuinis appropinquare obtutibus, præseferens diuisionem, & in pectore discordiarum semina ducens. Ad hæc D. Paschasius lib. 4. in Matth. inquit: Paschas. *Recordari conuenit Cain, & munerum eius, ad quem, cùm offerret, non respexit Dominus, neque ad munera eius: profectò, quia indignationem in animo contra fratrem gerebat. Vnde dicitur, si rectè offers, & non rectè diuidis, peccasti.* Temerè Deo appropinquat diuisiones cum fratribus præseferens; qualiacumque enim quis Deo munera accumulet, nihil facit, dum à fratre diuisus accedit. Itaque qui voluerit Deo gratus astare, eius ad se trahere misericordiam; hanc in primis adimpleat charitatis legem, vt se se fratribus in vinculo pacis annectat. Quis ignoret filiorum Iacob rabiem in fratrem Ioseph? Oderant illum adeò, vt venderent Madianitis, & se prorsus arcerent, ne vel eius memoria offenderentur. Tandem annonæ penuria coacti descendunt in Ægyptum; ibi explorationis suspicione comprehensi deferuntur ad terræ Saluatorem: ignorantibus enim illis a Deo constitutus erat Ioseph Saluator terræ. Ad huius igitur pedes prouoluti, de crimine suspecti nihil non agunt, quo eius solicitent erga se clementiam; & interroganti, qui sint, aiunt vnanimiter Genes. 42. Serui tui Genes. 42. venimus, vt emamus frumenta. Omnes filij sumus vnius viri, pacifici sumus, non sunt serui tui exploratores. *Duodecim*, inquiunt, *serui tui fratres sumus.* Cur se modò dicunt duodecim fratres, quandoquidem Iosephum à se ablegauerant, a se toto corde reiecerant? Dempto Ioseph, & à

fratrum

fratrum numero abrupto, non erant duodecim; quare ergo adhuc se duodecim numerant? An quem abiecerant, nunc ad se totis cordibus reuocant fratrem, vt sic placabiliorem Deum in iudice inhabitantem experiantur? Prorsus id faciunt, se enim reos fraterni sanguinis tunc noscentes, nil acceptum, nil misericordia dignum putant posse facere, quin priùs modo quo possunt reconcilientur fratri, & ideo quem oderant, & abiecerant, nunc mente, & verbis ad se
Chrysost. recipiunt, & secum numerant fratrem. Ad hæc Chrysost. hom.64. in Genes. fatur: *Illi autem necessitate coacti, & volentes eum ad misericordiam flectere, dicunt: Duodecim sumus fratres serui tui. Etiam eum, quem negotiatoribus vendiderant, in numero suo recensent. Et non dicunt, duodecim sumus, sed duodecim sumus fratres.* Non equidem misericordiam acciperent, nisi eiectum fratrem reuocarent, nisi & se fratri, & fratrem sibi adiungerent in vinculo pacis. Id quod perficiat Christianus, & vereatur Deo appropinquare, quin priùs saltem visceribus suis, si aliter non potest, admittat eiectum à se fratrem, & iniuriatum.

§. VII.

Quod semel Deo munus offers, teneris illud omni ex parte perficere, & integrare.

NOn iubetur quis, vt oblatum Deo munus tollat, & abeat reconciliari fratri suo, sed quòd habeat reconciliari, relicto ibi coram Deo munere. Cur relicto ibi munere, & non potiùs secum lato? Ideo crediderim non permitti inde iam auferri munus, sed potiùs ibi iussum manere, vt ibi manens ostendat obligationem, qua tenetur homo perficiendi munus, quod Deo semel obtulit, ne ex aliqua deficiat parte. Equidem non tenemur multa offerre munera Deo; sed quæcunque offerimus, ex eo, quòd oblata Deo sint, in eam nos inducunt obligationem, vt illa vn-
Cant.5. dequaque perfecta constituamus. Cantic.5. ait Dominus ad sponsam, quæ sese iam illi deuouerat: *Aperi mihi soror, amica mea, columba mea, immaculata mea*; vbi noster legit, *immaculata mea*, ponit Nyssenus ex Græco, *perfecta mea.* Nec contentus est Dominus, quòd sponsa sua qualescumque virtutes attingat, perfectissimæ amicitiæ opera faciat; sed insuper monet, vt nihil perfectionis relinquat intactum; vt sic se, suáque Deo deuoueat, vt nulla ex parte deficere videatur.
Nyssen. Quippè ait D. Nyssen. homil.11. in Cant. *Oportet autem appropinquare veritati, & adeò exactè esse propinquum, vt nullo intermedio disiungatur, & habere in natura columbæ perfectionem; hoc autem est, nulla in re deficere, & esse plenum omni innocentia, & puritate.* Quidquid Deo offertur, obligat offerentem ad hoc, vt nulla in illo perfectio requiratur, vt cum omni perfectione, & puritate tandem offeratur. Spectandum est donum, quod Deo exhibetur, & pluries spectandum, nequid minus habeat; & toties illi addendum, quoties necessum sit, vsque ex omni parte perficiatur. Hinc
Hebr.11. Abelem commendat Paul. ad Hebr.11. fatus: *Fide plurimam hostiam Abel, quàm Cain obtulit Deo.* Quid est illud, *plurimam hostiam?* Crediderim esse hostiam pluries spectatam, pluries consideratam, vt illi adderetur, quod deficeret: non semel aris impositam & ibi relictam prorsus; sed semel & iterum ad examen reductam, donec omnimodam illi per-
Basil.Sel. fectionem adiungeret. Huc spectat D. Basil. Sel. orat.4. aiens: *Abelus verò longè aliter, quàm Cainus, qui cum donum totus spectaret, gregis datorem lectiori gregis portione honorabat, animi virtutem cum donis copulatam, vtráque animum ipsum offerens accipienti Deo.* Expende ab illis, nimirum, *cum donum totus spectaret*; quippè Cain donum semel aris imposuit, ibi relictum, nil amplius curauit; at Abel totus erat in spectando dono, nequid illi perfectionis deficeret; & semper illi ex animo suo addens, quousque perfectio doni omni ex parte constaret. Equidem totus spectauit donum, ex quo didicit, perfectionem illi vltimam addere; quæuis enim oblationes Deo factæ exigunt ab offerente, toties spectari, donec vltimam perfectionem capiant. Hinc est, quòd Anna Samuelis mater, cùm puerum suum Deo obtulisset, non antea voluit oblatum donum deferre,
1. Reg.1. quàm illud perfectissimè posset Deo dare: ait enim 1.Reg. 1. *Non vadam, donec ablactetur infans, & ducam eum, vt appareat ante conspectum Domini, & maneat ibi iugiter.* Cur statim non vult deferre puerum Deo suo? Erat equidem puer donum oblatum à matre in Dei cultum; ideo ex eo, quòd donum erat Deo oblatum, obligabat parentem, vt eius profectui prospiceret, & tunc solùm vellet tale donum offerre, cùm id posset exequi perfectissimè. Vndè D. Chry-
sostom. nunquam non laudat hanc Annæ cautelam homil. Chrysost.
in præsenti fatus. *Non solum autem, quod illum Deo spopondit, verum etiam ex hoc, quòd non ausa sit ascendere priusquam ablactasset infantem, fœminæ pietatem licet perspicere. Ait enim viro suo: Cùm ablactauero illum, offeretur in conspectu Domini, & sedebit illic in æuum. Non existimabat esse tutum relicta domo ascendere in templum: quod cum accepisset donum, non sustineret absque dono comparere. Rursus addicto illo, ac mox recepto, descendere verebatur. Eoque tanto tempore mansit, vt cum eo dono compareret.* Sic ad omnes defectus sibi cauebat, & prospiciebat, quòd semel oblatum Deo donum nihil perfectionis requireret; quasi ex ratione doni Deo oblati haberet perfectissimo, quo posset modo, illud offerre.

Text. Esto consentiens aduersario tuo citò, dum es in via cum eo: ne fortè tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris, &c.

§. VIII.

Per notos, & tritos calles virtutum vitæ ratio est instituenda, & perquirenda.

ET si in via sis cum aduersario, non iuberis viam notam, & tritam deserere, vt ab illo fugias, quin potiùs in via persistere, & ibi os aduersarij occludere. Eu quàm fallitur, qui relictis notis, & communibus virtutis acquirendæ curriculis per auia, & inusitata se ducit; is Dei prouidentiam accusat, quasi malè prouiderit communibus medijs salutis. Manifestus ille Domini tentator accessit ad famelicum Iesum lapidibus onustus, & ait illi Matth.4. Matth.4.
Dic, vt lapides isti panes fiant, &c. Cur miser non potiùs famelico offers spicas triticeas, seu alias terræ fruges, vt inde paret cibos? Cur mauis lapides offerre, ex quibus cibi fiant? Vt ad inusitata, & extraordinaria alliciat, sciens, quòd si quis nota, & communia fastidiat, ad inusitatáque anhelet, non difficile in diuinæ prouidentiæ contumeliam prosiliet. Imò ad inusitata currere, iam est ordinariæ prouidentiæ succensere. Vnde acutè D. Nyssen. orat.4. de Nyssen.
Beatit. sic tentatorem expungit. *Tentationum inuentor, cum intellexit affectum famis consuluit, vt lapidibus exciperet appetitum: hoc autem est detorquere appetitum à naturali cibo ad ea, quæ à natura aliena sunt. Dic enim, inquit, vt lapides panes fiant; quid enim peccauit agricultura? Cuius rei gratia respuuntur semina, vt cibus ex his confectus reprobetur? Cur arguitur sapientia creatoris, quasi non rectè per semina genus humanum alat? Nam si lapis ad cibum aptior apparet: nimirum à debita prouidentia circa vitam humanam Dei sapientia aberrauit.* Sic desipiunt, qui relictis notis, & communibus virtutis, salutisque acquirendæ semitis, ad inusitata, & peregrina inhiant. Qui auia meditatur, sapientiam arguit creatoris, quasi non rectè prodiderit suis asseclis notas has, & tritas salutis acquirendæ vias. Tu si sapis, ne Dei sis tentator, sed assecla; ne peregrina, & inusitata affectes, sed arma communia: imò illa tibi sit suspecta, & inusita, quæ sunt extra consuetum rerum fluxum, & rationem temporum. Baptistæ mater in senectute concepit orationis filium, diuinæ omnipotentiæ pignus; quid inde? Luc.2. *Et celabat se mensibus quinque, dicens, quia sic* Luc.1.
mihi fecit Dominus. Cur nupta fœmina se celat concepto filio? Nónne filiorum generatio præcipuus est in nuptiis scopus? Tumens vterus nónne est honesti coniugij fructus? Equidem habent coniugia suum decus ex filiorum procreatione, per quam matres salutem adipiscuntur, vt Paulus inquit, sed tempore suo; quòd enim prouectæ ætatis fœmina vterum gestet, peregrina res est, nouum & inusitatum salutis iter, ideo senex fœmina celabat in se; quod in illa ætate nouum, & peregrinum videbatur. Ad hæc Chrysol. serm.92. inquit: *Occultabat se mensibus* Chrysol.
quinque, quia etsi erat diuini muneris, sui tamen temporis non erat, quod habebat. Sic prudentissima verecundabatur extra communes prosilire vias.

CAPVT

CAPVT VI.

De fornicatione, & iuramento vitando.

PERGIT Dominus in monte suos monere asseclas, & postquam iræ motus composuit, non minus curat componere luxuriæ tyrannidem, & linguæ effrænem rabiem in diuino nomine profanando. Iraque in luxuriæ discrimine, & oculorum instantaneus tactus, & vel leuissimus manuum cauendus est tactus, si incendium æternum amas deuitare; sæpissimè enim parua scintilla ingentem syluam comburit. Nec non luxuriæ socia periuria ita cauenda sunt Christiano, vt nullum in illius ore iuramentum, nec leuissimum appareat.

Matth. 5. Audistis, quia dictum est antiquis: Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.

§. I.

Nulli non fœdissimum, & turpissimum est, omnique deformius supplicio, luxuriæ flammis aduri.

CVm vetabat Dominus homicidium, ipsius homicidij pœnam proponebat simul; ait enim paulò antè: *Non occides, qui autem occiderit, reus erit iudicio*; modò autem vbi ad vetandam mœchiam accedit, de non mœchando præceptum etiam antiquum euulgat, de supplicio nec facit verbum, contentus dicere: Non mœchaberis, & pœnam silet. Cur modò dissimulata pœna, solum præceptum edisserit? Tale est luxuriæ vitium, tam fœtidum, tam turpe, tam sæuum in sua mancipia, vt si vel solum præcepto videatur captum, hoc sufficiat, vt nemo inueniatur, qui illud non fugerit *Ezech. 20.* Ezech. 20. *Vnusquisque offensiones oculorum suorum abijciat.* Symmach. legit, *vnusquisque nauseas oculorum suorum abijciat*; & quidem tales sunt mundiales voluptates, quæ oculorum concupiscentiam fouent, tam fœtidæ, tam horridæ, vt nauseant, moueant, & deterreant aspicientes conspectu suo. Nondum fuerant experta terræ animantia voluptatum rabiem, & nihilominus sic illa Dominus præcepto vrget, vt *Genes. 1.* voluptati operam nauent, inquiens Gen. 1. *Crescite, & multiplicamini.* Nullum tale verbum dixit ad arbores, nec ad terræ fruges, sed ad solos animantes; & cur solos animantes *Gennad.* tali præcepto vrget? D. Gennad. in cat. Græc. rationem reddit, dicens. *Cùm arboribus, frugibúsque Deus dederit, vt seruentur in agricultura; animantes verò, vt mutuo inter se concubitu propagentur, ne in eam rem sponte sua ferri videantur, sed compelli potiùs imperio creatoris ad generis propagationem, meritò talibus verbis animarum generi benedixit.* Vel ipsa bellua voluptuosos amplexus fugisset, nisi ad eos captandos præcepto compelleretur diuino, vt hinc pateat, quàm sufficit per se ipsa considerata luxuries deterrere homines à vetito concubitu. Quàm multum deterrebatur, vt voluptates fugeret *Ecclesi. 7.* ille, qui dicebat Eccl. c. 7. *Et inueni amariorem morte mulierem.* Cur mors proponeretur in pœnam voluptatum captarum, quando ipsæ voluptates, amariores longè sunt ipsa morte? Nulla equidem mors est, nulla pœna, quæ tot amaritudines propinet; tot dedecora inferat, & turpia damna, quot infert, *Cyprian.* & propinat vna libido. Vnde D. Cypr. lib. de singul. cler. non illepidè hæc describens damna tandem statuit: *Præcipitia instruit*, (scilicet mœchia) *interitum fouet, confusionem mercatur, thesaurizat opprobrium; per infinita dedecora multiplices mortes inuehit in perniciem perditorum.* Quid verius de voluptate potuit dici? Ipsa est per se pœna grauissima; ipsa morte amarior, imò pluribus mortibus turpior, & inhonestior, & truculentior. Et siquid dicendum est libidinis malignitatem exprimens, ipsa est instar gehennæ ignis. Vnde monebat *Prou. 5.* Prou. 5. *Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli.* Quibus putant Iansenius, Caietan & Rodulphus moneri iuuenem, ne se dedat meretricio amori, ne committat ætatis suæ flores crudelissimæ voluptatum lanienæ, hoc est, ne dent annos suos crudeli. Ad rem expliciùs Rab. Salomon legit, *ne des annos tuos Principi gehennæ*; quippe voluptatũ flammæ gehennales sunt. gehennæ ardoribus vritur, qui turpibus amoribus incenditur. Iud. 6. dum Samson ad mortem quæreretur, ipse ingressus domum meretricis dormiuit ibi, & multò manè consurgens portas ciuitatis sustulit, & in montem ab inimicis liber se recepit. In quo Samsonis facinore gloria Christi Domini resurgentis à sanctis Patribus solet exprimi; qui ad infernum vsque descendit, vt Samson domum meretricis fuit ingressus; & inde mortis portis sublatis rediuiuus ascendit, sicut Samson etiam ascendit ciuitatis portas in montem deferens. Sed quid habet similitudinis descensus Christi ad infernum, & Samsonis ingressus in domum meretricis? Sanè non tam ibi similitudo, quàm identitas inuenitur, quandoquidem domus meretricis infernus est, & voluptatum flamma æterni incendij ardores maximè exprimit. Ita D. August ser. 107. de tempore, ait. *Quid est hoc? Infernum, & amorem mulieris, vtrumque scriptura coniungit. Inferni ignem tenebat domus meretricis. Pro inferno ponitur domus meretricis.* *August.* Meretricius amor nihilo à gehennæ ardoribus differt, totum quod infernalis flamma efficit, manifestè cernitur inflammante libidine. Ad voluptuosam vrbem aiebat Dominus Isai. 13. *Et erit Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta in superbia Chaldæorum, sicut subuertit Dominus Sodomam.* *Isai. 13.* Expende cui assimilatur Babylonius fornax, nimirum concupiscentiæ carnis, quippe assimilatur euersæ Sodomæ. Sed scire cupis qualis sit Sodoma euersa? In tota euersa Sodoma nihil vitale relictum est: ibi in pomis extrinsecus color, intrinsecus turpitudo, cinis & fauilla, in terris fumus, & fœtor, in fontibus viscus. Ex quo sic in rem præsentem D. Ælred. serm. 10. in Isaiam inquit: *Meritò fœdum illud ac detestabilíque peccatum fœda, & horrenda reliquit vestigia; vt aduertant homines, quibus supplicijs subdantur in inferis, quos fumus excæcat, quos fœtor corrumpit, quos immunditiæ viscus, instar bituminis æternis vinculis ligat. Hic est finis deliciarum tuarum ô Babylon.* *Ælred.* Hoc est exemplar mundialium deliciarum, hoc speculum voluptatum: sunt equidem libidines vniuersæ carnales instar Sodomæ euersæ, quæ ignem, fumum, cineres eructant; decipiunt paululum colore venusto, sed contrectatæ cinereum quid euomunt à gehennali calore intrinsecus latitante productum. Simul exprimit Sodoma euersa, quæ sint infernorum supplicia, & quæ sint carnis deliciæ: sicut in inferno, sic & in voluptate carnalium, nil aliud inuenitur, quàm flamma vorax, fumus excæcans, fœtor corrumpens, viscus in æternos cruciatus, sine misericordia ligans. Vnde D. Hieron. ad Lætam, ne in filia voluptatum lenocinia patiatur, scribit. *Hieron.* *Nec capillum irrufes, & aliquid de gehennæ ignibus auspiceris.* Inter lenocinia enim voluptatis, vel ipse rufus color ast valde suspectus, vt qui iam exprimere videatur gehennam.

Text. Quòd si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proiice abs te: expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam. Et si dextera manus tua scandalizat te, &c.

§. II.

Alienæ pulchritudinis conspectus voluntarius nunquam non tardat, & grauat etiam castissimos animos.

QVando pulchritudo visa est, & non scandalum aliquale genuit? Etiam dexter oculus, & purissimus conspectus in prospicienda pulchritudine offendiculum inuenit, quo detinetur, quo quis etiam imperceptibiliter retardatur. Quis pulchram formam aspexit, & non ibi longiores, quàm par erat, moras fecit? Pulcherrimus iuuenis Saul, dum paternas asinas quæreret, consulturus Prophetam accessit; & iuxta oppidi portas ad fontem puellas cùm vidisset, eò pergit rogaturus, an in oppido maneret Propheta. Rogat igitur, & puellæ ad formosi adolescentis conspectum, non vnum, sed multa incipiũt facere verba. 1. Reg. 9. *Quæ respondentes dixerunt illi: Hic est ante te; festina nunc. Hodie enim venit in ciuitatem, quia sacrificium est hodie populi in excelso. Ingredientes vrbem, statim inuenietis eum antequam ascendat excelsum ad vescendum. Nec enim comesturus est populus, donec ille veniat; quia ipse benedicet hostiæ, & deinceps comedent, qui vocati sunt. Nunc ergo ascendite, quia hodie reperietis eum.* *1. Reg. 9.* Ecce tibi puellæ, quàm longum texunt sermonem, quàm tardant in responsione sua, quot verba cumulant minimè necessaria; satis fuisset virginali decori respondisse vnico verbulo,

nimirum, quòd Propheta ibi esset,id quod solum quærebatur; at illæ multa alia commiscent, & de sacrificij hora,& de prandio,de conuiuij etiam ordine.Sed vnde hanc colloquij moram cum hospite,& verecundæ, & honestæ puellæ ebiberunt? Sanè ab ictu oculi,etsi dextro conspectu formosum iuuenem respicientes,sic impediuntur,sic morantur,vt non facile ab illo conspectu se expediant,sed plusquam par
Lyra. erat temporis,in colloquio contererent. Ad hæc Lyra fatur: *Istæ puellæ plura verba dixerunt Sauli, quia volebant illum aliquantulum detinere verbis,admirantes eius pulchritudinem.* Proh quot offendicula parit,vel innocens conspectus pulcritudinis, ne te citò ab illo expedias,sed quasi in via mille offendiculis præpediatis. Quid aliud fecit vxor Loth,quàm castis licèt oculis ardentes Sodomæ libidines respicere, & statim
August. facta lapis ibi in æternum remansit? De quo pulcrè D.August.ser.29.de verbis Domini. *Quando autem scatet tentationibus mundus, velut pluuia Sodomæ sulphurea, metuendum est exemplum vxoris Loth;retrò enim respexit,& vbi respexit,ibi remansit.* Expende, quæso, illa verba; *vbi respexit,ibi remansit:* non progredi,sed æternùm hærere ad salebras datur illi,qui
Psal.118. conspectibus pulcritudinis gaudet. Aiebat August.Psal.118. *Auerte oculos meos,ne videant vanitatem*; ex Hebræo propriè, *transire fac oculos meos*; ne hæreant, ne visa pulchritudine moras meditentur, & tardiores in transeundo reddantur,
Ephrem. ad larga colloquia inuitantes. Ad quod respiciens D.Ephr. de vita spirituali,ait. *Si contingat colloqui cum adolescentibus, ætate, & aspectus venustate florentibus; custodi oculos tuos ne concupiscentia mentem tuam conturbet,incipiásque in longum sermones affectione plenos deducere.* Hærent, mihi crede,oculi in pulcram formam iacti, & nisi caueas, longissimis sermonibus senties concupiscentiæ flammas exufflari:vt dicat D. P.
Damian. Dam.lib.2.epist.18. *Si consumi libidinis incendio nolumus, muliebris aspectus faciem declinemus, ne de conspecta forma flamma prosiliat,& in nobis tota mentis structura peruadat.* Non sic silices scintillant,& ignem eructant ex collisione ferrati equi calcis,vt pulcritudo ex ictu oculorũ in flammas exurgit.Quare cauendus, vel oculi leuissimus iactus, & seuerissima di-
Ezech.2. sciplina multandus.Pro quo Ezech.2. *Vnusquisque offensiones oculorum suorum abijciat*; quæ verba transfert Aquila fatus, *vnusquisque abscissiones oculorum suorum abijciat.* meritò abscissionem vocat, quidquid in oculis deseruire potest concupiscentiæ carnis, vtpote abscindendum etiam cum effusione sanguinis.

§. III.

In lasciuia nihil non sinistrum,& damnationi proximum.

VBi concupiscentia carnis incendi incipit, meritò iubetur erui & dexter oculus, & dextera etiam manus resecari, nihil dextrum in homine lasciuia relinquit,nihil la-
Genes.38. scino manet non sinistrum & vicinum damnatis.Gen.38.Iudas Thamaris existimatæ meretricis concubitum appetens, turpitudinis pretium spondet; sed quale pretium? *Dixit, mittam tibi hædum de gregibus.* Ecce quid lucretur mœchia, hædum de gregibus, iam inde cernens miserũ damnationis statum;egregia quidem mœchiæ compẽsatio,in qua sinistri reprobi pœna per hædi exhibitionem demõstratur. De quo
Zeno. D.Zeno ait:*Hædũ ei promittit,id est,quæ sit peccati merces ostendit.* Nil aliud restat libidini,præter id,quod à sinistris damnationem extremam spectabit:quidquid à patre agnorum, id est, à dextris venit, in voluptuosis hominibus resecatur; vnus illis hædus manet,nimirum solum illos sinistrum spe-
Psal.136. ctat latus.Ps.136. *Si oblitus fuero tui Hierusalem,obliuioni detur dextera mea.* Ecce vobis pœnam illorũ,qui cœlestia obliuiscentes,fœdis inhiant huius temporis voluptatibus.nimirũ,
August. quòd dexteram amittant, & sinistra excipiant iacula. Aug. *Qui obliuiscuntur Hierusalem, hoc contigit, quod dicit: Obliuiscitur illos dextera eorum. Vita enim æterna manet in se, illi manent in delectatione temporali.* Proh misera delectatio carnalis! Eu perditos homines, qui non metuunt esse in cœno voluptatum,quibus quidquid est dextrum amittitur,& solum, quòd a læua iacitur,manet;nimirum vulnus,mors,perditio. Eæ quippe sunt carnis delitiæ, quæ prospera omnia absumant; sinistræque diuinæ in se solicitent, & trahant letha-
Genes.18. lia iacula. Genes.18.ait Dominus: *Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus est.* Quid inde? *Descendam,& videbo, vtrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint*, &c. Qualis est iste clamor qui Deum vltorem trahit,& tot fulmina in se facit torqueri? An erat innocentum oppressorum clamor? Minimè: sed erat voluptatum cantus; dum homines in voluptatibus suis choros agebant, dum crebris conspectibus, & amatoris vocibus mutuas concupiscentias solicitabant, simul Dei iacula, Dei fulmina in se parabant. Rem explico pulcro exemplo: nimirum, cùm tempestiuum prolificandi tempus aduenit auibus, & perdix suis se amoribus incipit calefacere,vix matem à longè sentit, & tota se effundit in cantus:rusticum emollit guttur,& qua potest dulcedine suas flammas canit: adest è propinquo mas,& hinc inde constituuntur cupidinis castra; paulatim dum congrediuntur, accelerant cantus,it festinior & festiuior clamor per aëra. Quid plura? Errat forsan tunc temporis venator per campos; audit congressuum voces, sistit gradum, fulmina parat, accedit tacitus, maiori igne fulminato perdit amorum accensas faces. Sic prorsus hominibus accidit,dum sese amoribus tradunt;dum cantibus, dum vocibus sese mutuò accendunt; dum mille appositis pabulis lasciuiæ perstrepit flamma, eos mittit sonos, qui venatorem Deum sistunt, & ignea parant venabula, quibus miserè confodiantur. Pulcrè D.P.Damian.lib.2.epist.18. Damian.
Excitat enim venatorem vox clamoris, cùm te accendit flamma libidinis. Nulla quippe vox criminis sonorius eleuatur in cœlum; de qua dicitur: Clamor Sodomorum venit ad me. Proh miser adolescens te te amoribus trade, discurre liber per luxuriæ prata;explica pulchritudines, cane tuas flammas;nocturnis sibilis vigilantem libidinem exsuffla,accende:adde munera, quibus internus ignis exurgat in flammas. Proh dolor! voces hæ venatorem excitant, fulminantem Deum conuocant, à cuius læua & fulmina, & gehennam trahunt.

§. IV.

In eo,qui gladium exerit aduersùs vitia, nil dextrum perit, omnia dextra sunt.

NOtanter ait textus, *expedit, vt vnum membrum pereat*, & non ait, expedit, vt dextera pereat;nil enim dextrum potest perire in eo, qui stringit gladium, vt mortem inferat vitiis, sed omnia dextra sunt. Apud Iudic.cap.3.mi- Iudic.3.
seri Israëlitæ clamauerunt ad Dominum: *Qui suscitauit eis saluatorem vocabulo Aod, qui vtraque manu pro dextera vtebatur.* Et quod primum tanti ducis facinus aduersùs hostes? *Qui fecit sibi gladium ancipitem, habentem in medio capulum longitudine palmæ manus, & accinctus est eo subter sagum in dextro fœmore.* Cur non magis sinistro? Nónne,& natura,& vsus docuit, quòd gladij accingantur in sinistro latere?Cur Aod maluit accingi in dextro fœmore? Equidem in eò,qui sese armat ad vitia resecanda,vt bellum inferat Principi tenebrarum, nihil sinistrum est, omnia in illo dextera apparent. Ad hæc eleganter Orig.hom.3.in Iud.fatur. *Vides quia* Origen.
dexterum est omne, quod agit Aod, hic ambidexter & manibus dexter est, & in pedibus dexter est. In fœmore enim dextro gladium portas, vt veniat ad regem, & interficiat eum. Quidquid in se habet dextrum ostendit ille,qui aduersùs tenebrarum Principem gladium parat; & tu si te armas, vitia expugnes; si audes regnum concutere peccati, nil non dextrum inuenies; omnia tibi dextera applaudent. Israëlitæ etiam sub Samuele mille Philisthinorum incursiones patientur, donec Samuelis ad Deum precibus confirmati durissimum ineunt aduersùs Philisthinos certamen. Quid tunc? Sic ha-
bes 1.Reg.c.7. *Egressíque viri Israël de Masphath persecuti sunt Philisthæos, & percusserunt eos vsque ad locum, qui erat subter Bethchar.* Expende,qui locus obtingat Israëlitis persequentibus hostes suos, nimirum locus,qui erat subter Bethchar; & quidem Bethchar domus agni interpretatur, non enim hædi, sed agni locus incipit sic pugnantes, vt nihil sinistrum, sed omnia dextra inueniant sibi obuiantia. Id quod 1.Reg.7.
insinuans D.Gregor. lib.3. expositionis, ait: *Dum ergo fidelium triumphus sub Israëlis gestis ostenditur, vsque ad locum sub domo agni cæsi alienigenæ dicuntur.* Ecce tibi Christiane, ad Gregor.
quem locum pergis,dum stricto gladio alienos in te mores expugnas, recta via procedis vsque ad locum,qui est subter Bethchar, ad domum agni festinas, te agnorum dextra recipiet, ex qua nihil iam poteris metuere sinistrum.

Text. Dictum est autem: Quicumque dimiserit vxorem suam, det ei libellum repudij. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit,adulterat.

§. V.

Mulier adultera lethalis viro suo.

MEritò Iesus hoc præter maritis, quòd à se separent vxorem fornicationis causa, vtpote, quæ tunc lethe-
Chrysost. lis existet marito. Quippe ait D.Chrysostom.homil.49. ex cap.14. Matth. *Non dubitandum est adulterij cupidas ad maritorum cædem paratas esse, atque accinctas.* Nil non lethale mediteri sciet mens, quæ adulterij se videt constrictam crimine. Nequit adulterij virus intrinsecus contineri, sed quà potest serpit, vt appareat, in vulnere, in homicidio. Christi parentum matres aliquæ proprio nomine recensentur in genealogia Christi, & quæ recensentur, omnes secundas habuerunt nuptias, vt Ruth, vt Thamar, vt Bersabeth, quarum primi viri protinus reticentur, solius Bersebeth
Matth. 1. proditur, quis fuerit eius vir primus. Quippe ait Matth.1. *David autem Rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ.* Et cur illarum primis viris prætermissis, solius Vriæ nomen, qui fuit Bersabeth, primus maritus, ob oculos constituitur? Sola Bersabeth fuit adultera, cuius adulterium vsque ad necem desæuit mariti; & ideo vbi adultera commemoranda erat, necessum commemorare etiam occisum virum, nequit enim pro dignitate adulterium memorari, sine oc-
Paschas. cisione mariti. Ad quod respiciens D.Paschas. lib.1. inquit: *Vade nomen viri, quod est Vriæ, velut insti hominis ponitur, vt ex hoc etiam sceleris immanitas memoretur, dum ipsius causa idem occisus ad medium reuocatur.* Penè quot adulteras meminestis, tot tibi statim occurrent mariti occisi; nunquam enim adultera sanguinem, & mortem non spirat. Non ebs re
Matth. 14. notabat Matth. cap. 14. vt adulteræ mentem totam spirantem sanguinem indigitet. *Herodes tenuit Ioannem, & alligauit eum, & posuit in carcerem propter Herodiadem vxorem fratris sui.* Quippe serpens ille antiquitus, qui animorum sponsum Deum, & eius amicum Baptistam neci dare cupiebat, non prius tenti viri necem eudet procurare, quàm adulterium seminasset in pectore Herodiadis: ratus adulterij virus tantum esse, vt ipsum solum sufficeret, ad perdendum hominem, & Deum sponsum, & eius amicum. Id
Basil.Sel. quod ponderaus D.Basil.Seleuc.orat.16.inquit. *Vide diaboli artem. Primùm fraterni cubilis persessorem fecit, vt in adulterij fossa ad Baptistæ cædem transilire faciat.* Nulla cædes, nulla perditio reputabatur ei difficilis, vbi adulterij semen iactum vidit, vtpote, qui sciret adulteræ mentem in cædes, & ruinas facili negotio verti. De qua locutus Dominus Pro-
Prou. 12. uerb.12. ex lectione Septuaginta, inquit. *Sicut autem in ligno vermis, sic virum desperdit mulier malefica.* Nulla adultere est, quæ malefica, imò venefica non sit in virum, illi ruinem, & perditionem struens, id quod testabatur etiam
Tullius. Tullius ad Heren.lib.4. vbi sic. *Maiores nostri, quam impudicam iudicarunt, eam veneficij quoque damnatam existimarunt. Quia necesse est, illam, quæ corpus suum addixerit turpissimæ cupiditati, timere permultas, virum, parentes, cæterósque, ad quos videret sui decoris infamiam pertinere. Quid postea? Quos tantopere timeas, necesse est, vt veneficio petas.* Nemo securus ab adultera, & vir, & parentes, & consanguinei, & horum amici cruentis illius subduntur insidiis, cuius virus ad omnes perdendos serpit.

§. VI.

Coniugalis amor filiorum causa mariendus.

MEritò adulterij causa conceditur viro, vt à se ebigat vxorem, quandoquidem adultera totem spem filiorum adimit parentis. Cur homo filios suos expectet ab il-
Chrysost. la, quæ commiscetur alienis? Eò spectabet Chrysost.serm. quòd certis concupiscentiam ne sectemur, de adulterio fatus. *Non sine scelere, quo id facturi nomine queam explicare, quando non ex se genitum enecat, sed generandi intercipit causam.* Sanctissimè ergo Dominus verus castitatis amator, vbi per adulterium confusa, & intercepta est tota filiorum generatio, dimitti vxorem iubet, quo ad thorum; quando coniugalis amor, & copula honestatur ea filiorū causa. Equidem in his, quos Dei spiritus egit, maritalis calor deferuet, vbi spes filiorum procreandorum funditus abest. Memorare sanctissimum illum coniugem, nempe Iobum, is septem charissimos filios vna die, & interemptos vidit, & sepultos; & post tantem filiorum cladem, diebolis, qui Iobi rebus nocebat, instigauit vxorem, vt colloquio suo maritalem animum emolliret, & frangeret. Adest illa cap.2.& ait. *Adhuc tu permanet in simplicitate tua? Benedic Deo, & morere.* Quid ad hæc Iob? Nunquid ed vxoris vocem emollitus est? Nunquid vxorem videns, vicem eius doluit, & eam est consolatus? Imò eit: *Quasi vna de stultis mulieribus locuta es*; de mulieribus vna vocetur, non de vxoribus, illam quasi obliuiscitur vxorem, & inter reliquas mulieres habet. Sed cur nobilissimus coniux sic vxorem obliuiscitur, se
August. ad eius vocem duratur? Rem attigit D. August. serm.224. de tempore fatus. *Obliuisci vxorem Iob in filijs dedicerat.* Et meritò vbi tota filiorum spes emarcuit, defecbuit etiem in sanctissimo viro coniugalis calor. Vxorias blanditias, & voluptates, nec meminerunt viri sancti, vbi totem filiorum vident interceptam causam. Quippe pro omnibus
Tob. 8. coniugibus dicebat Tobias cap.8. *Et nunc Domine tu scis, quia non luxuriæ causa accipio sororem meam coniugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum.* Vbi autem non interuenit posteritatis dilectio, nec manet in sanctis viris coniugum memoria. Hunc spectene fideles in coniugio scopum, ni velint experiri amarissimos sibi fructus coniugalis thori. Matth.1. Christi Domini proponens genealogiam, ait: *Booz autem genuit Obed ex Ruth*; qui nouit castissimas nuptias inter Booz, & Ruth, & quòd ee ratione fuerint celebratæ, vt Booz semen fratris suscitaret, filiósque in Dei populo gigneret, non mirabitur, quòd Obed, id est, subditus, natus sit ex tali coniugio; in obedientia enim, vel contumacia filiorum manifestè perspicitur, qualis fuerit copulæ coniugalis finis. Vnde dicebat
Imperf. author Imperfecti hom.1. in Matth. *Talis Booz ex tali coniuge, qualem virum genuit? Obed, qui interpretatur subditus. Nunc autem, qui diuitias eligunt, & non mores, & pulchritudinem, & non fidem: & quod in meretricibus solet quæri, hoc in coniugibus optant: propterea non generant filios subditos, vel sibi, vel Deo; sed contumaces, & contra se, & contra Deum, vt sint eorum non fint fructus iustæ coniunctionis, sed pœna condigna irreligiositatis ipsorum.* Hæc ille: vt discant coniuges meretricias voluptates etiem in coniugio cauere, nisi velint filios inde sustinere ad vindicendas parentum libidines carnificibus crudeliores.

Text. Iterum audistis, quia dictum est antiquis: Non periurabis; reddes autem Domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis, non iurare omnino: neque per cœlum, quia thronus Dei est; neque per terram, &c.

§. VII.

Dei nominis in iuramentis vsurpatio, quàm debeat esse cauta.

ADeò cauendā est Dei nominis vsurpatio in humano ore, vt senius sit consilium à Iesu prolatum, quòd prorsus ab omni nos iuramento abstineamus. Quis frequēs, & momentaneus, & repentinus iurator non linguæ labitur, & lapsibus conspicatur? Et quis labens, & offendens Dei nomen vsurpare, imò meminisse audeat? Ipse ille Deus, qui lege veteri dicebat: *reddes Domino iuramenta tua*; apud
Osee 4. Osee.4.ait: *Neque iuraueritis, viuit Dominus.* Cur qui permittebat iuramentum, in præsenti vetat, quòd iurent, *viuit Dominus?* Videbat illorum labia mille iam lapsibus conspurcata, ideo vehementer cauet, ne lebiis pollutis audeant no-
Hieron. men Dei venerabile. D.Hieron. sic Deum loquentem facit. *Nolo per ea vestrum nomina mei fieri mentionem, quod idolorum recordatione pollutum est.* Caue tibi Christiane labiis peccantibus Dei nomen vsurpare; id enim, vel ipse diebolus maximè cauit. Dum hic sese super omne, quod est Deus, extollit, sic fatur Isaias 14. *Ponam thronum meum in nubibus, & similis ero Altissimo.* Expende illud, *similis ero Altissimo*; cur non potius ait, similis ero Deo? Cauit perfidus labiis pec-
Chrysost. centibus Deum nominare. Ita D.Chrysost.in Psal.23.fatur: *Sallulit Deum, & posuit* Altissimo, *quibus ferens eum, quem iam negauerat.* Non audet diabolus inter offendendum diuini nominis meminisse; & homo non veretur scissis linguæ, pollutis labiis diuinissimum nomen passim conculcare? Vtinam vel a diabolo discerent homines, nomen diuinum vereri! vtinam sic tremerent venerabile nomen dicere, vt absque magno timore, & reuerentia, & circumspectione, nec illud extremis tangeret labiis. Magnus Abra-
Genes. 24. ham Genes.24.vocauit seruum Giezer, à quo petit, vt iuret per Deum, quòd sponsam dignam è cognatis, & propinquis

Baeza in Euang. Tom. III. G e Isaaco

Isaaco afferet. Cui seruus statim respondit: *Si noluerit mulier venire mecum in terram hanc, nunquid reducere debeo filium tuum ad locum, de quo tu egressus es?* Nimius forsan videbitur seruus hic, in proponendis statim difficultatibus. Cur non magis dicto obediuit? Cur non magis seni morem gessit, & promisit facturum, quod petebatur, sed maluit obiicere difficultates rei? Sanè ad iuramentum per Deum edendum cogebatur, & vbi iurandum erat, vir prudentissimus noluit, vel labra mouere, quin priùs omnes iuramenta, obligationes claras, & compertas haberet, ne quid præceps in contumeliam Dei nominis iuraret. Ad hæc Theod. quæst. 73. ait. (Theod.) *Prudentissima fuit serui interrogatio, qui generi tuo sustineandum sibi claras volebat nuptiarum pactiones.* Non sanè sumebat nomen Dei sui in vanum, qui nec à Domino impellebatur ad iurandum, nisi priùs examinasset materiam iuramenti, & pericula, quæ inde oritura possent diuinari. Sic vniuersi fideles iuramentum caueant, sic metuant Dei nomen inuocare, nisi priùs examinata, & perpensa materia, & periculò iurandi. Et cui non sit iuramentum & venerabile, & sanctum? (3. Reg. 17.) Elias 3. Reg. 17. vt populum Israelem castigaret, ait: *Viuit Dominus, non erit per hos annos ros, neque pluuia*, &c. Audet homo terreuus cœlis imperare, ne pluant, & terræ ne germinent; sed ea quo habuit spem, quòd elementa, quòd cœli eius dicta non auderent temerare? Sanè ex iuramento in primis obiecto, cùm ait, *viuit Dominus*; certò sciens à nulla efficiendum creatura, quod Dei nomen assumptum sit in vanum. Sic vniuersæ reuerentor, sic cauent iusiurandum. (Basil. Sel.) D. Basil. Sel. orat. 11. *Iurat per creatorem, vt iuramenti metu, ac reuerentia, creatura vim suam reprimat.* Quæ creatura non se reprimat, non vim suam comprimat, vt Dei nomen integrum in iuramentis honorem habeat? Sanè qui hoc despicit, non homo est, peior est diabolo, durior ipso lapide. (3. Esdr. 1.) De impio Sedecia, ait Esdras lib. 3. cap. 1. *Adiuratus à Nabuchodanosor, periurans discessit, & indurata ceruice sua, & corde suo, transgressus est legitima Domini Dei Israël.* Expende quòd priùs dicatur periurans, deinde quòd induretur eius cor, & lapidescat; quasi obduratio cordis proles sit legitima in homine iurante.

§. VIII.

Dei nominis prophanatio, qualis in iuramentis fit, lethalis est homini.

NOn ponit Dominus in præsenti pœnam vllam iuranti, sed solùm simpliciter cauet, ne vllo modo iuremus; & quidem, quæ alia pœna requireretur, quando ipsa Dei nominis prophanatio lethalis est, & omni veneno nocentior pectori humano? (Iob 2.) Apud Iob cap. 2. cupiens fœmina maritum ab innumeris malis quàm primum eripere, vide quale venenum ei porrigit, *Benedic Deo, & morere.* *Benedic* posuit, pro maledic; nec enim efficacius virus potuit vel à fœmina excogitari ad citius perdendum virum, quàm si suaderetur aliqua Dei nominis prophanatio. (Gaudent.) D. Gaudent. in præfatione, ait: *Mortem blasphemanti debitam pro remedio ærumnarum suggerit acquirendam callidus iterum per mulierem serpens. Quia blasphemantis furor non medelam doloribus præstat, sed cruciatum mortis accumulat: illius quippe mortis, quæ nec finem miseris tribuat, & exordium sit pœnarum.* Superfluum est aliud mortis genus quærere, quo velociùs homo cadat, vbi adest blasphema lingua, vbi Dei nominis prophanatio, hæc omni veneno trucior hominem perdit, hæc gladios profert mille, quibus confodiatur miser. (1. Reg. 17.) Dauid 1. Reg. 17. sola funda, & lapide armatus sic minatur Goliæ, *percutiam te, & auferam caput tuum à te.* Quòd si caput eius auferre intentas ô Dauid, cur solam fundam requiris, cur & gladium non præparas? Sanè audierat Dauid Philisthæum Dei nomini irridentem, imò & blasphemantem, & superuacaneum curat gladium quærere, quando blasphemus ipse, gladius sibi est, & gladios mille porriget in sui perniciem. Francon. Abb. (Francon.) tom. 5. de gratia Christi, ait. *Immanem illam belluam non tantùm ictu contriuit, atque blasphemum caput proprio mucrone victor praecidit.* Non requirit ferrum alienum blasphema lingua, vt suum hominem perimat; ab ipsis blasphemi visceribus erumpent gladij, qui blasphemum trucident. Notæ sunt blasphemiæ Senacherib in Deum Israël, harum vindictam cùm peteret Ezechias à Deo, ecce tibi media nocte Angelus Domini perimens vniuersum Senacherib exercitum, (4. Reg. 19.) 4. Reg. 19. solus ipse Senacherib euasit ab Angelico gladio liber. Sed cur Angelus, qui blasphemias puniturus descendit, alios percutiens blasphemum ipsum euadere permittit? Equidem blasphemus ipse sibi gladius est, è suis visceribus profert sui perniciem, non est, cur ad illum perimendum gladius Angelicos festinet. Id quod euenit, nam qui liber euasit ab Angelo fugiens in terram suam, Idolique templum intrans, *cùm adoraret in templo Nesrah Deum suum, Adramelech, & Sarasar filij eius percusserunt eum gladio.* Quem euentum miratus Theodor. orat. 3. in Daniel. pulchrè ait. (Theod.) *Qui linguam contra opificem suum haud continuit, ab hominibus, quos procreauerat, accidimr.* Non aliunde quærenda pœna est, quæ infligi posset ei, qui lingua sua offendit nomen diuinum; intra ipsius viscera creatur gladius, quo miserabiliter vitam finiat. Etsi aliquando videatur liber pœnam effugisse, non erit sine pœna, tandem comprehendetur, & omnia luet. Apud Zachar. cap. 5. (Zach. 5.) ostenditur supplicium iurantis domui eminens, & quale istud? *Ecce volumen volans*; Septuaginta, ex quibus Chrysostom. Cyrill. & Theodor. legunt: *Ecce falx volans*; quasi iurantis pœna non veniat; sed volet; ne iurans effugere posset. Ad hæc libet meminisse Regem Sedeciam hominem apud Esdram lib. 3. cap. 1. periurij accusatum; is ab exercitu Nabochodonosor expugnatus fugæ sese committit. 4. Regum 25. (4. Reg. 25.) *Et persecutus est exercitus Chaldaorum Regem, comprehenditque eum*, &c. Ecce tibi quàm velox sit pœna periurij: currebat miser Rex fugiens; sed gladius hostium volabat, vt volare solet periuriorum supplicium, ne quis periurus tandem euadat liber. Quod notans Chrysost. homil. 59. ad popul. ait. (Chrysost.) *Ciuitas quidem miserabiliter soluebatur. Rex autem his miserabiliora, & tristiora patiebatur: & sicut ædificia falx illa volans destruxit; sic & hunc fugientem adsumpsit.* Quis euadat periurij pœnas, quando hæc, & fala est, & insuper habet alas?

CAPVT VII.

De diligendis inimicis.

CHRISTIANÆ charitatis vexilla hinc incipit dus noster Iesus manifestiùs explicare, cùm docet, quàm debeat Christianus nullos sibi terminos præscribere, vt gratum faciat fratri, etiam iniurianti, etiam hostiliter persequenti. A nemine vinci in bono patiamur, sed & maiori dono amicorum vincamus postulata: & hostium iniurias officiis superare contendamus. Nónne id Deus agit? Ergo in eo Dei filij efficiamur.

Matth. 5. Audistis, quia dictum est: Oculum pro oculo, & dentem pro dente.

§. I.

Æstimanda est quæuis in malis remissio.

NOn condemnanda lex vetus, quæ permittebat oculum pro oculo, & dentem pro dente requiri: imò laudanda, vt quæ in efferis hominum moribus, ferocientibúsque iris terminum nouit stabilire, vltra quem minimè prosilirent. Ait enim Chrysol. ser. 38. (Chrysol.) *Iudæos furor vindictæ cupidos sic tenebat, vt pro oculo caput, pro dente ceruicem postularent. Hinc est, quòd eos lex ad vindictæ vicissitudinem refrenabat, vt qui veniam culpæ sapere non valebant, vel modum saperent vltionis, & tantum vindictæ exigerent, quantum læsionis intulerat qui fureret.* Sic paulatim ferocientes animos edomabat, nec parum existimabat profectum ad salutem, si vel excessus in vindicta remitterentur. Et quidem in morbis tunc primum incipit salus sperari, cùm intensi ardores, vel paululum remittuntur; quæuis enim mali remissio à prudentibus æstimatur. Pro quo dicebat Nazians. in Iambico de ira,

Non parua, parùm nec leuis res est mihi,
Vel parua vitij maxima remissio,
Velut his, grauis, quos obsidet morbi dolor.

Quis non æstimet in intensissimo febris calore aliqualem remissionem? Sic in maximis vitiis quæuis etiam parua remissio, & æstimanda, & procuranda. Tota lætabunda sponsa, quasi albentes iam segetes videret, imò quasi ditissimam iam vindemiam possideret, ait Cant. 2. (Cant. 2.) *Tempus putationis aduenit.* Quid magnum hoc? Quid est, cur iam lætetur adueniente putationis tépore? Sanè quæ per hyemalem

brumam

brumam viderat totam vineam siluescere, superfluisque sarmentis sterilescere, non paruum æstimat gaudium, quod per tempus liceat aliquid superfluitatis sterilescêtis putari; eò enim bona succrescunt, quò mala ad diminutionem incipiunt venire. Quapropter D.Bernard.serm.58.in Cant. sic monebat. *Tolle superflua, & salubria surgunt; vilitati accedit, quidquid cupiditati demitur. Demus operam putationi. Putetur cupiditas, vt virtus roboretur.* Non semper spectanda est eradicatio malæ plantæ, nec semper vtiliter procuratur: interea accedat putatio, & siquid putare licet de superfluis, meritò gaudes, quandoquidem temporanea putatione nascitur diues vindemia; & quidquid viro dempsisti, virtuti accrescit. Nec reputatur malum, quod nullo sese augmento prodit; hinc Leuit.13. sic lex de lepra cauet: *Sin autem lucens candor fuerit in cute, nec humilior carne reliqua, & pili coloris pristini, recludet eum Sacerdos septem diebus, & considerabit die septimo, & siquidem lepra vltrà non creuerit, nec transierit in cute priores terminos, rursum recludet eum septem diebus alijs. Et die septimo contemplabitur; si obscurior fuerit lepra, & non creuerit in cute, mundabit eum.* &c. Expende, quò spectet totum mundiciei examen, nimirum, si lepra non creuerit, quasi iam inde mundicies censeatur, vnde totum augmentum à malo imputatur. Id quòd pulchrè expendens Philo Iudæus lib.de his verbis, Resipuit Noë, ait: *Motum quidem lepræ, & serpiginem proscribit, vt impuram, quietem autem puram pronunciat. Dicit enim: Si diffundatur in cute, contaminatum Sacerdos pronuntiabit; paruum verò si lucens candor eodem loco maneat. Itaque immunis est quies à vitijs.* Semper ad salutem pertinet, quòd macula non procedat, sed certò quiescat sub limite. Vnde ad parricidam illum primum ait Dominus Genes.4. *Peccasti, quiesce*; quasi hoc illi posset indicare salutem si vlterius non progrediatur. De quo ipse Philo suprà: *Heus tu peccasti; quiesce. Quia peccatum propter motum, actionémque vitiosam damnatur; quies verò propter statum inculpabilis, & salutaris est.* Vbi enim vitium stat, nec vlteriùs progreditur, nec serpit ampliùs, non potest id non ad salutem spectare.

Bernard. Leuit.13. Philo. Genes.4. Philo.

Text. Ego autem dico vobis, non resistere malo: sed siquis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram: & ei, qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium: & quicumque te angariauerit mille passus, vade cum illo alia duo, &c.

§. II.

In virtutum conamine illo triumphat, qui supra debitum de suo aliquid semper addit.

Illiberalis est, & parcus, qui intra angustos institiæ carceres se continens, vltra debitum nescit de suo vnquam addere, contentus si percussus conticescat, si offensus taceat, si in omnibus reddat debitum, & extra id de suo addere aliquid renuit. Hunc monebat Dominus Eccles.7. *Noli esse iustus multum*; hoc est, ne tam anxius sis de seruando iure, vt nescias vltra debitum aliquid præstare, imò semper stricti debiti terminos per noua facinora extende. D.Isidor.Pelus.lib.3.epist.320. *Noli ius tuum seuerè, ac rigidè persequi, verùm per bonitatem id exupera.* Periculosè viuit, illiberaliter, & sordidè, qui solùm studet ius non frangere, sed integrum seruare; verùm extra id nihil vnquam efficit. Ille securus, & triumphator, & hostilium debellator incursuum; qui debita studet addito superare facinore. Quis non miretur Sathanæ cum Iobo certamina, & Iobi clarissimum triûphum? Sed vnde Iob sic triumphat de inimico? An quia omnia tela patientissimè tulit? Magnum hoc erat in homine; sed accipe maius, quo ipse penitus confregit aduersarium, ne vlteriùs auderet instaurare certamen. Quippe ait textus cap.2. *Egressus igitur Sathan à facie Domini percussit Iob vlcere pessimo, à planta pedis vsque ad verticem eius: qui testa saniem radebat sedens in sterquilinio.* Proh nobilis Dei miles! hostilia excipit iacula, cruentis vndique confoditur vulneribus: quid tunc ipse, an vnguenta parat, an oleum infundit, vt vulnera foueat? An lineo panniculo leniter saniem trahit, vt aliquantisper sopiat dolores? Imò vniuersi leuaminis prorsus immemor accepta dura, & dentata testa saniem radit, vt de suo duplicet dolores, & addat materiam patientiæ. Ad hæc Polychronius in caten.Græc.ait. *Tantúmque de aduersario laborauit, vt sua sponte asperrimam paupertatem complexus sit, ac testa vlcerum saniem detergens, tolerantiam exerceret: in quo & cruciamentorum suorum morsus acriores efficiebat. Et cum leniendi morbum nullam rationem duxit, inuidum hostem desperatione frangit.* Ecce tibi, quando totaliter frangitur hostis, non quidem quando Iob debitam exhibet patientiam iniuriis eius; sed quando ex suo addit, quòd dolores exacerbentur, quando se adeò fortem, & spontaneum in virtutis certamine ostendit, vt quasi parùa reputãs vulnera ab hoste accepta, ipse addat asperitatem testæ radentis, vt maiora præstet. Hinc apud Isai.c.40.ait. *Consolamini, consolamini popule meus, dicit Deus vester. Loquimini ad cor Ierusalem, & aduocate eam: quoniam completa est malitia eius*, hoc est, labor, seu dolor eius, *dimissa est iniquitas illius, suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis.* Inde Ierosolymæ triumphus, inde lætitia, inde & finis, & terminus malorum, quia suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. Forsan putaret aliquis inde potiùs occludi consolationis, & lætitiæ portas, quando ita seuerum se ostendit Dominus, vt duplicet pœnas peccatori. An ex hoc non maior metus, quàm consolatio oritur? Sanè Deus nunquam bis id ipsum punire solet, contentus vni peccato infligere vnam pœnam, eámque minorem debito; at fidelis Ierosolyma videns peccata sua, sic se ad illa vindicanda parauit, vt non solũ debitis satisfacere vellet, sed insuper multa addere; vnde à Deo pro singulis debitis duplicia supplicia sponte extorsit, vt sic citiùs victoriæ suæ insigne reportaret. Non longè abest D.Ambros.in Psal.118.ser.19. *Quàm citò dixit plenitudinem deiectionis solutionem esse peccati, & repetiuit causam consolationis, eo maius esse reconciliationis insigne, quo numerosior fuerit pœna, quàm culpa.* Eo magis erexit insigne victoriæ, quo vltra debitum accepit duplex pro peccatis supplicium. Non iustitiæ rigorem seuerè, & rigidè seruauit solùm attendens ad debitum, ne plus solueret; sed alacris, & liberalis profusissimam solutionem meditatus, duplo maius pendit, quàm debebat, quo & lætitiam firmauit suam, & gloriam stabiliuit. Hanc etiam laudẽ sibi sponsa attribuit Cant.3. vbi ait: *In lectulo meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea.* Sufficisset, quòd in lectulo accumbens, ibi & quæreret Deum; quòd infirmitates corporis, inualetudinẽ, dolores ægritudinis patiens adhuc Deo quærendo insisteret; sed audacior Dei amatrix insuper addidit ad pœnam tenebras nocturnas, hoc est, extrinsecus etiam aduenientibus sese opposuit iniuriis, ne illiberalis, & sordida videretur pro sponso in congressu cum vitiis. Id quod pulcrè expendens Gillib.Abb.ser.2.in Cant.inquit: *Duplicatum incommodum lectulus, & nox, infirmitas, & aduersitas, sed magna vis amoris, quem neutra compescit, nec illa innata, nec illa illata. Non enim lectulo tenetur, nec nocte tenetur; sed in lectulo suo per noctes quærit, quem diligit anima eius.* Non ea est Dei amatrix, quæ infirmitatum dolores, & fastidia contenta sit patientior sustinere; aliquod his additamentum quærit, nimirum, quòd ægritudini addatur aduersitas, addatur vulneri iniuria, lectulo telum, vt dum certamina duplicat, gloriosiorem triumphum amoris erigat.

Eccles.7. Isid.Pel. Polych. Isai.40. Ambros. Cant.3. Gillibert.

Text. Audistis, quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.

§. III.

Ille solus inimicis non parcit, qui prorsus ad Iesu verba surdescit, qui solus sibi malus est.

Ecce tibi qualem tribuat Dominus authoritatem præcepto de diligendis inimicis; quippe ait: *Ego autem dico vobis*, &c. à Iesu venit hæc charitatis vox, à Iesu lingua intonat hoc præceptum; illud qui non seruarit, prorsus ad Iesu vocem surdescat necessum est. De filio, & hoste Absalone præceperat Dauid, ne quis illum perceuteret; accidit ergo, quòd dum fugeret Absalon, ab arbore detineretur comprehensus in conspectu militum; qui tamen inimico comprehenso non audent manus inferre. Sed cur quem implicat, & tenet feriendum arbor, miles non ferit? Rationem reddit textus 2. Reg.18. vbi miles inquit: *Nequaquam mitterem manum in filium Regis; audientibus enim nobis præcepit tibi*

2.Reg.18.

tibi, & Abisai, & Ethai, dicens: Custodite mihi puerum Absalon. Miles, qui audierat Dauidis imperium de custodiendo Absalon, nulla ratione audet tantum hostem offendere, nec illum offenderet, nisi qui ad patris imperia velut lignum

Chrysost. surdesceret. De quo pulchrè D. Chrysost. homil. de Absal. ait. *Adest arbor in campo ramorum telis armata, quæ te excipiat fugientem, properantem rapiat. Adest, inquam, arbor, quæ nec potem, vt tibi parcatur, audiuit, & iussa Dei instanter implere contenatt.* Minimè in Absalonem arbor insurgeret, si veniæ plena Dauidis exciperet verba: hinc ligni surditas euidentiùs patuit, quòd ausum est brachia aduersùs Absalonē extendere. Et quidem ligno surdior est, qui Iesu mandata de hoste diligendo non exequitur. Fratres illi Iacob filij hoc vnum excogitarunt carmen, vt, quem credebant sibi hostē, & inimicum, ad veniam iniuriis præstandam inflecterent, si vel eius auribus aliquod de hac re patris mandatum intonuerit.

Genes. 50. Quippe aiunt Gen. 50. *Ne fortè memor sit iniuriæ, quam passus est, & reddat nobis omne malum, quod fecimus, mandauerant ei, dicentes: Pater tuus præcepit nobis, antequam moreretur, vt hæc tibi verbis illius diceremus: Obsecro, vt obliuiscaris sceleris fratrum tuorum, & peccati, atque malitiæ, quam exercuerunt in te.* Quis hæc morientis patris mandata exciperet, & hostiles malitias meminisse vellet? Quis sic lapidesceret, aut instar ligni rigesceret, vt his paternis mandatis non flecteretur? Sanè Iesus, qui pro nobis spuitur, damnatur, figitur, moritur, hæc præcepit nobis, vt verbis illius diceremus: Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros; & quidem prorsùs ad Iesu verba surdescat necessum est, qui inimicos, & iniurios homines adhuc odio prosequitur. Hinc instar ligni est, quòd patrem, vt inimicis parcat, non audi-

Psal. 57. uit: instar aspidis est, de quo Psalm 57. *Furor illis sec in suam similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas. Quæ non exaudiet vocem incantantiam, & venefici incantantis sapienter.* Et quid mali inde acquirent? Iam explicat, inquiens: *Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum*, &c. Non conteruntur dentes eorum in carnibus, seu ossibus aliorum infixi, sed in ipsorum surdescentium instar aspidis ore, ibi conteruntur. Sibi enim inferunt malum, quod alteri parant: sibi sententiam dicunt, qua hostes suos condemnant.

August. August. *Quid est, in ore ipsorum? Vt ore suo contra se pronuntiarent, coegit illos ore suo in sententiam dicere.* Quid furis homo aduersùs iniurios tibi homines? Cur instar aspidis obturas aures, ne audias Christum loquentem de inimicorum amore? In te ipsum furis, in te ipsum irasceris, in te sententiam dicis, ex verbis tuis sumenda est sententia, quæ te absoluat, aut puniat: in te veniet maledictio, quam ful-

Iob 31. minas. Iob 31. apud Septuag. *Si gauisus sum ad ruinam eius, qui me oderat; & exultaui, quòd inuenisset eum malum, audiat auris mea maledictionem meam.* Et quidem, cùm aduersùs odiosos tibi homines maledicta congeris, puta tuas ibi maledictiones audire, quàm iubeberis in æternum ignem abire.

§. IV.

Christianus triumphus est, inimicis benefacere.

ECce tibi totius Christiani triumphi insigne singulare, nimirum: *Benefacite his, qui oderunt vos*. Strenuè agit ille, qui inimicum non odit, imò diligit: verùm qui vltra inimicis benefacit, is triumphat. Videre modò qualem

Iob 17. triumphum agat patientissimus Iob, cap. 17. *Putredini dixi, Pater meus es; mater mea, & soror mea vermibus.* Vermes illos, à quibus corrodebatur, vt parentes optimos, vt fratres charissimos habebat clarissimus pro virtute triumphator. Videre erat vulnera Iobi scatentia vermibus; vermes quidem in homine armabantur, hominem confodiebant, laniabant; Iob autem illos corrodentes, vt fratres cibabat, & saturos iam abeuntes leniter, & amicè reuocabat ad pascua. proprias exhibebat carnes, quibus sibi notos cibos pararent. Quis talis erga parentes, erga fratres, vt Iob erga durissimos sibi vermes? Sanè diuinus ibi triumphus age-

Tertull. batur: id quod pulchrè respiciens Tertull. lib. de Patient. ait: *Qualem in illo viro feretrum Deus de diabolo extruxit? Quale de inimico gloriæ suæ extulit? Ridebat Deus, dissecabatur Malus, cùm Iob immundam vlceris sui redundantiam magna æquanimitate distingueret, cùm erumpentes bestiolas inde, in eosdem specus, & pastus foraminosæ carnis ludendo reuocaret.* Et quidem, qui corrodebant hominem vermes, aliquando erumpebant, & exibant Iobi visceribus saturi; quid tunc Iob. occidebat ne has bestiolas suo cruore sartas? Absit: imò illas ad eosdem pastus foraminosæ carnis ludendo reuocabat, vt iratum, & à mensa excedentem patrem charissimus filius lusibus, & amatoriis sermonibus ad mensam reuocat; sic Iob abeuntes bestiolas ad suæ carnis pastus reuocabat. Proh charitatis vexillum in sancto viro à Deo explicatum! Huc ego etiam reuocarim S. Ignatij parentis mei facinus: is cùm Parisiis studiorum socium haberet, socius, & perfidus, & ingratus substantiolam furatus Ignatij, quasi bestiola visceribus eius satura fugit, erupit, euasit; imò non euasit, quandoquidem morbo correptus post plurium dierum iter iacuit. Res peruenit ad Ignatium, qua cognita sanctissimus vir viam arripit, fugientem bestiolam inuenit, summa diligentia assistit infirmo, & sanatum ad eosdem secum reuocat pastus. Quàm felix illa mensa, penes quam tale vexillum erigitur charitatis, cum illi assident ipsi infensissimi hostes, vt pariter cibum capiant. Fallar si huic mensæ aliqua possit deficere benedictio diuini

Patris. Propone tibi Dauidem 2. Reg. 9. qui post regnum obtentum, post omnes aduersarios debellatos, sic ait: *Numquid superest aliquis de domo Saul?* Infensi hostis filios requirit Dauid, an vt penitus perdat? Absit: imò, vt ad mensam trahat; inuento enim nepoti Saulis Miphiboseth, sic ait: *Restituam tibi omnes agros Saul patris tui, & tu comedes panes in mensa mea semper.* Generosus vir hostilis germinis natum ad suos reuocat pastus; & suam præbet mensam ei, qui filius fuerat rabidissimi hostis sui, & crudelissimi tyranni. Suffecisset, illum incolumem seruasse, & vel in regno, vel in ciuitate regia alere; cur & in mensa sua maluit? Vt & vexillum erigeret sanctitatis, & cibis suis omnigenas bene compararet. Proh multa in hanc rem D. Chrysost. hom. de Dauid, & Saul, fatur. *Quid illius mensa sanctius, quam cingebant filij hostis, hostis, inquam, occidere conati? Quid illo conuiuio spiritualius, in quo tam multæ abundabant benedictiones?* Felix, qui aduersarios suos ad eosdem secum cibos trahit, is equidem omni implebitur benedictione, & vltimum pertinget culmen sanctitatis. Quippe D. P. Damian. serm. 1. de exaltatione Crucis, ait: *Magnum quidem, & vltra hominem est, asperitatem verborum, & verberum non solùm pati, sed & non reddere; illud verò maius est, & diuinum quiddam sapit: Benefacite his, qui oderunt vos.* Hæc ille.

2. Reg. 9. — Chrysost. — Damian.

§. V.

Ex Maria traxit Iesus, quo inimicis iubeat benefacere.

LIbet adhuc expendere illud Saluatoris assertum, nimirum. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros*; ego autem ait, qui sum & Dei, & Mariæ filius; quando filius eram solius Dei, leges ferebam, quibus dentem pro dente reposcebam; nunc autem humanus factus, qui ex Maria humanitatem traho, non solùm dentem pro dente non reposco, quin imò inimicis iubeo benefacere. Quis ignorat Saulis, & Dauidis congressus? Saul hostiliter Dauidem persequebatur, eius sitiebat sanguinem, à Dauide autem bona pro malis accipiebat: nunquam Dauid Sauli non parcebat, nunquam non illius incolumitatem, & vitam procurabat. Quæ rei causa? Cur Saul sic furit, sic persequitur innocentem? Cur Dauid tantò parcit, & benefacit aduersario? Sanè erat in Saule Paulus secundum eandem tribum, acerrimus Christianorum primitiuorum persecutor, qui pro multis malis illatis multa bona reportauit: erat in Dauide Deus secundùm Virginis Mariæ carnem, vnde nihil ibi nisi charitatem in hostes licebat spectari. Pulcherrima do verba Tertull. lib. 5. in Marc. fantis. *Saulis prima asperitas infestationis erga Dauid, deinde pœnitentia, & satisfactio bona pro malo recipientis, non aliud protendebat, quàm Paulum in Saule secundum tribus, & Iesum in Dauide secundùm virginis censum.* Quibus expendendum illud, *secundùm virginis censum*, quasi non sufficisset, quòd Deus esset in Dauide ex alio capite ad tantam charitatem erga hostes manifestandam. Fuit equidem Deus in legislatore, & nihilominus dentem pro dente, oculum pro oculo requirebat. Fuit in Iesu Naue, & hostium colla calcabat, nec supplici inimico parcebat, non ibi erat Deus per Virginis Mariæ censum. At vbi Dauid apparuit, in quo Deus non erat per virginis censum, statim dilectio, & beneficentia in hostes claruit. Quapropter dicebat Fulbertus Carnotensis de Natiuit. Virgin. *Vna est Maria, & Christi ea mo, vnus spiritus, vna charitas.* Sicut enim ex Maria Verbum caro factum est, sic ex ea misericordiæ viscera accepit, quibus leges charitatis in hostes etiam sanciat. Et quidem nil acceptum refere

Tertull. — Fulbert.

Mariæ,

Basil.Sel. Mariæ, qui nescit inimicis parcere. Ex quo monebat D.Basil.Seleu. orat. in Deiparæ Annunt. aiens: *Cum multa nobis bona, Deiparæ opera nobis contingant, eam benemerenti vicem rependamus, quæ in nos reciprocetur. Quam? Charitatem mutuam, quæ legis plenitudo est. Ante omnia verò corpus Ecclesiæ seruemus incorruptum retenta concordia possessione inspoliata. Nec, dum mutua vlciscimur odia, recta fides causam nos tueri simulemus.* Hanc pro acceptis beneficiis Deiparæ gratiam rependamus, ne iniurias vlciscamur, sed etiam hostes amore, & beneficentia prosequamur.

§. VI.

Calumniatoribus te petentibus satius obuiabis, si nihil malum, vel bonum respondeas, sed tacens prorsus illos declines.

IVberis benefacere his, qui te oderunt; calumniantibus autem, & persequentibus minimè iuberis benefacere, sed solùm pro illis orare. Quippè ait, *Benefacite iis, qui oderunt vos, orate pro persequentibus, & calumniantibus.* Et cur calumniantibus non iubemur benefacere, sed pro illis orare? Equidem dum quis exsurgit in calumnias, & opprobria iacit, in ipsóque feruore iræ est, minimè est aptus, vt benefactorem recognoscat, sed tam accenditur in rabiem propter beneficia, quàm propter iniurias, ideo satiùs declinatur. Cùm Dominus propter mundi salutem esset in
Matth.27. cruce Matth.27. *Prætereuntes blasphemabant eum, mouentes capita sua, & dicentes: Vah, qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas, salua temetipsum: si filius Dei es, descende de cruce. Similiter, & principes sacerdotum illudentes, cum scribis, & senioribus dicebant: Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere; si rex Israel est, descendat de cruce, & credimus ei: confidit in Deo, liberet nunc eum, si vult; dixit enim, quia filius Dei sum. Id ipsum, & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei. A sexta autem hora tenebræ factæ sunt,* &c. Expende, quòd priùs referuntur blasphemiæ in Iesum iactatæ, & post eas eius facinora in Sole obscurando explicantur, non enim tenebræ factæ sunt, dum blasphemiæ iactabantur, sed postquam blasphematores cessarunt. Et cur inter blasphemias non fit illud Iesu facinus? Sanè, teste D.Luc. cùm crucifigeretur Dominus, & blasphemaretur, pro suis persecutoribus orauit; cur & illis non simul exhibuit miraculum tenebrarum? Bona opera, vt in hoste sint salutaria, non sunt exhibenda, dum blasphemiæ, & calumniæ iactantur, sed in opportunius tempus reseruanda. Aie-
Euthym. bat Euthymius ibi: *Post petulantiæ, ac scommatum satietatem, id factum est, vt quiescente iam furore, aliquid à miraculo incrisferi posset.* Sic iræ locus est dandus, vt inter furentes blasphemantium, & persequentium voces, etiam à beneficiis exhibendis abstineamus. Nihil tunc proderunt, imò fortè æquè officient ipsa beneficiorum miracula. Hinc
Genes.27. sapiens Rebecca monebat Iacobum filium suum, Genes.27. *Ecce Esau frater tuus minatur, vt occidat te. Nunc ergo fili mi, audi vocem meam, & consurgens fuge ad Laban,* &c. Cur sic fugiat Iacob ab irato, & minante mortem fratre? Cur non magis illum, & muneribus, & beneficiis placare nititur? Equidem cùm diues reuertitur Iacob.
Genes.32. Genes 32. non fugit fratris aspectum, sed præmittens illi munera, ait: *Placabo illum muneribus, quæ præcedunt;* quem enim munera, & beneficia non placarent? Cur ergo antea ad similem artem non confugit? Cur maluit tunc à beneficiis abstinere, & fugam tacitus arripere? Tunc Esau erat in ipso persecutionis feruore, nil cogitans nisi probra, & calumnias, & mortes in fratrem; vnde sapienter Iacob à beneficiis etiam abstinens maluit fugam arripere, iræ fratris dans locum, quò securiùs obtineat fru-
D.Zen. ctum benedictionis. Pro quo ait D.Zeno, serm. de Patient. *Iacob per patientiam, & benedictionem lucratus est & fratrem; dat iracundiæ locum securus. Vt redeat, domum patris commendat: sensim mitisque discedit, vt probet se, & meruisse, & non ambisse, quod meruit.* Securiùs tacitæ fugæ commisit, & fructum benedictionis, & fratris placationem, quàm si tunc furentem beneficiis placare niteretur.

Text. Vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est, qui Solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos.

§. VII.

Inimicorum dilectio compendiosa via est ad salutem.

EXpende quàm breui compendio possis à peccati seruitute in adoptionem filiorum cooptari, seruus es peccati, inimicos ama, patere iniuriantes, & iam filius es factus. Nónne huc spectat illud, *vt sitis filij Patris vestri?* Affirmat D.Paschasius lib.3. in Matth. inquiens: *Ac si patenter Dominus dicat: Diligite inimicos vestros misericorditer, & hac sola dilectione supplete omnia, quæ mandaui, vt sitis filij Patris vestri.* Sanè quisquis per peccatum mortuus est, & gemitibus, & lacrymis, & pectoris tunsionibus excitari debet, vt in filiatione adoptionis iterum renascatur. Enim verò Dominus à peccatore multa requirit, sed omnia illa suppleri possunt sola inimicorum dilectione, & iniuriarum tolerantia. Propone tibi modò ex Luc.18. Pharisæum, & publicanum; ille vt iustus gloriabatur, hic vt peccator confundebatur: ille ieiunia sua, eleemosynas suas, iustitias commendabat, imò cæteros omnes aspernabatur, & præsentem publicanum despectu lancinabat. Ait enim, *Non sum sicut cæteri hominum, raptores, adulteri: velut etiam hic publicanus.* Audiuit publicanus se inter raptores, & adulteros constitui, & immemor iniuriæ solùm inquit, *Domine propitius esto mihi peccatori.* Quid plura? hac sola iniuriarum tolerantia propter Deum suppleuit omnia, vt in sortem filiorum Dei iret. Rem pulchrè attigit D.Chrysost. hom. de David, & Saule. *Hic tantummodo dixit. Propitius esto mihi peccatori, & descendit iustificatus in domum suam. Vides celeritatem? Accepit probrum, & abstulit probrum? Quot labores erant subeundi publicano, ieiunando, humi dormiendo, vigilando, bona sua pauperibus elargiendo, in puluere, & cinere sedendo, vt illa tam multa peccata deponeret? At nunc cùm nihil tale fecerit, simplici verba omnem deposuit iniquitatem, ac probra Pharisæi pepererunt illi iustitiæ coronam, idque sine sudoribus, sine laboribus, & absque longi temporis mora.* Ecce vobis quanta, & quot supplet ea solùm iniuriarum tolerantia propter Deũ, & quòd iniuriantem non oderit. Quæ magis compendiosa via ad salutem excogitari potuit? Huc conueniant, qui larga pœnitentiæ tempora horrent; qui aspera ieiunia, sanguinolenta flagra, tristia suspiria pertimescunt, & videant compendium, quo omnia facile suppleant, dum iniuriarum immemores inimicos dilexerint. Quisquis sic ad iniuriatores suos afficitur, tam certò seruitutem peccati exuit, vt vel habitu intrinsecus habitantem Dei filiationem ostendat. Id patet Dauidis exemplo, qui 1. Reg.24. *1. Reg 24.*
cùm infensissimum hostem Saulem in manus haberet, nihilominus illi pepercit, hac vna re contentus, vt à longè allocutus regem ei ostenderet, quam illi vitæ gratiam fecisset. Quid tunc? Ait textus: *Cum autem complesset David sermones suos ad Saul, dixit Saul: Nunquid vox hæc tua est, fili mi David?* Non ad verba attendit, sed ad solum vocis sonum, & ex vocis sono, nescio quid in Dauide percipit, quòd illum filium nominare fecit. Acutè D. Chrysostom. *Chrysost.*
homil. de Saule, & Dauid ait. *Nec enim dixit; sermones hi isti fili David, sed vox tua ista fili? Adeo mox ad ipsam vocem inualuit. Et quemadmodum pater ex longo interuallo auditu filij venientem voce, non ad conspectum modo illius, verùm etiam ad ipsam vocem excitatur; sic & Saul vt accepit verba Dauidis, abiecit inimicitiam, seque filium agnouit.* Profectò animus tanta erga hostes suos dilectione armatus, non potuit non inuenire etiam in hoste patrem, non potuit, vel ex sono vocis sese filium non demonstrare. Nec aliter respectu Dei, sed eodem prorsus modo, quisquis sciuit hostes diligere, vel ex sibilo diuinam in se filiationem manifestabit, & Deum ostendet patrem. Tam certò diuinam in se ostendit filiationem homo inimicorum amore possessus, vt hanc virtutem nactus, quasi nihil habet, quod requirat amplius, sed vel dormiens, & requiescens paternam ingreditur hæreditatem. Act.7. Stephanus pro lapidantibus orans, ait: *Act.7.*
Domine ne statuas illis hoc peccatum; & cùm hoc dixisset, obdormiuit in Domino. Obdormiuit, ait; cur non potiùs, vigilauit? Nónne in morte iubemur curare, vt vigilantes, imo, & cum lucernis accensis inueniamur? cur Stephanus dicitur tunc obdormiuisse? Sanè pro inimicis orauerat, & qui tantus est, pro inimicis oret, & curas vniuersas, & vigilias supplet, & vel dormiens, vel requiescens securus abit. D.August. *August.*
serm.2. *Et hoc dicto obdormiuit in Domino. Felix somnus, & requies vera. Ecce quid est requiescere, pro inimicis orare.* Beati qui hanc in se nouerint excitare charitatem, qua pro inimicis orent; his verè iam dicitur, vt requiescant à laboribus suis.

 §. VIII.

§. VIII.

In hoc Dei filius ostenditur, quòd sibi illatas iniurias in lucem dari patiatur.

QVid magis cordi est creaturis, quàm ignominias suas & iniurias obtegere? Quid magis diuinum, quam scire pati iniurias medio in Sole? Ecce tibi Deus, dum contemnitur, dum blasphematur, dum iniuriatur, quid facit? An tenebras immittit, ne videantur eius contemptus? Imò tunc Solem suum facit oriri super malos, & bonos; sanè quæ vilis creatura est, timet sibi a contemptu, & mille opponit tegmina illis rebus, quæ ignominiam habent: verùm qui ex Deo natus solidam, veramque nobilitatem habet, mundiales omnes ridet contemptus, illósque pro gloria manifestat. In Sina monte quondam Legislator de-
Exod.19. scendit, Exod.19. *Et ecce cœperunt audiri tonitrua, & micare fulgura, & nubes densissima operire montem, clangórque buccinæ vehementiùs perstrepebat*, &c. Sed & in monte Thabor fuit
Matth.17. aliquando Iesus cum tribus discipulis, Matth.17. *Et resplenduit facies eius sicut Sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. Et ecce apparuerunt Moyses, & Elias, cum eo loquentes*, Luc. addit, cap.9. *Et dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem.* Compone modò cum Sina monte, Thaboris montem: in Sina Legislator erat, in Thabor Iesus, ibi nubes densissima, hic splendidissimi Soles; illic Legislator non se manifestat, sed celat, hic Iesus factus Sol, in Solem lucémque trahit Ierosolymitanum excessum, nimirum, ignominias, blasphemias, verbera, crucem ipsam. Sed cur legislator ille adeò se celat, & tegit in Sina, & Iesus in Thabor tot luces, tot Soles profert super ipsos iniuriarum
Gal.3. excessus? Rationem intimabat Paulus ad Gal.3. aiens: *Lex propter transgressiones posita est; ordinata per Angelos*, &c. Non Deus erat, sed Angelus, qui legem in Sina ordinabat, & quia Angelus erat, cauebat ostendere demissionem illam, qua in monte erat, publicans legem ab hominibus, & contemnendam, & transgrediendam. In Thabor autem non Angelus, non legatus, sed ipse Dei filius adest, & quia Dei filius est, non timet in lucem, solemque dare Ierosolymitanas iniurias, & contemptus. Huc spectat alibi
Dam. dandus Damasc. orat. de Transfigur. aiens: *In monte Sina fumus, & procella, & caligo summam illam demissionem occultabant, sine videlicet, incessibilem legem auctorem prædicantia, & posteriora sua obscurè indicantem. Nunc autem omnia splendore, ac luce perfunduntur. Etenim ipse omnium fictor conditor, & Dominus ex paterno sinu ace [illegible]*, &c. Vbi creatura est, quidquid demissionem, & contemptum sonat obtegitur, obnubilatur; vbi autem filius Dei adest, omnia luce clarescunt, etiam opprobria dantur in Soles, & assumuntur in gloriam. Nil sibi timet, qui verè filius Dei est, ex eo, quod in conspectu Solis appareant eius iniuriæ, quin potiùs eas ille ostendens inde probat, nihil iam in se manere seruile. Dauid
Psalm.38. Psalm.38. *Ab omnibus iniquitatibus meis eripe me; opprobrium insipienti dedisti me, obmutui, & non aperui os meum, quoniam*
Psal.37. *tu fecisti, amoue à me plagas tuas.* Paulò ante Psalm.37. debebat, *quoniam in flagella paratus sum*: nunc iam flagella cauet, & petit non ampliùs flagellari; ex quo enim Semei contumelias non abscondit sed coram omnibus illas sustinuit, parutpendens erubescentiam, nihil in se putauit manere seruile, flagellis dignum, vt qui transierat in affectum filij.
Ambrof. Non longè abest Ambrof. in Psalm.38. inquiens: *Quomodo hoc sibi congruit, quòd in superiori Psal. me flagellis se e tulit, hic flagelli à se postulat amoueri, nisi quia [illegible] iam de manu Domini duplicia peccata sua, recipi [illegible] esse [illegible] sustinere debet?* Ex quo erubescentiam contempsit, nec dubitauit manifeste opprobria sustinere, & calumnias, meritò omnem exuit peccati seruitutem, & a seruorum plagis alienus se reuocat in libertatem filij.

§. IX.

In recto charitatis ordine priùs amicis prospicere debes.

CVm iuberis à Iesu inimicos diligere, pro eis orare, non ideo teneris plus impendere amoris inimicis, quàm amicis; quin potius dum cæteræ circunstantiæ pares sint, priùs amicis, quam inimicis consulere debes, vt sis filius cœlestis Patris, qui Solem suum facit oriri super bonos, & malos, ea parte, quos priùs posuerit bonos, deinde malos, vt tu similiter prius tibi constituas amicos, de-
Ioan.13. inde inimicos. De ipso legislatore Iesu, ait Ioan. cap.13. *Sciens Iesus, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem: cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Passioni proximus Iesus ingentes dilectionis flammas ostendit in suos, in Apostolos, in dilectissimos discipulos; sed cur tam ardentem se ostendit suorum amatorem? Cur non magis dissimulat charitatis in suos flammas? Instabat iam acerbissima passio, in qua traditus aduersariis potestatibus, oraturus erat pro inimicis, & crudelibus vitæ suæ hostibus, & ideo ante quàm charitatem suam ad hostes extenderet, voluit illam erga amicos priùs declarare maximam. Ad hæc Guarricus Abb. serm. in Ascens. ait. Guaric.
Cum tempus, quo ab eis recessurus erat, instaret, tunc veluti vinci tenere illorum affectu visus est, vt magnam multitudinem dulcedinis suæ, quam eis abscondérat, dissimulare non posset. Hinc illud est, cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Tunc enim propemodum omnem vim amoris effudit amicis, antequam etiam ipse sicut aqua effunderetur pro inimicis. Instabat tempus, quo effundendus, & impendendus erat Iesus totus pro inimicis suis, pro persecutoribus, & crucifixoribus suis, ideo priùs curat omnem vim amoris effundere amicis, ne cum ad benefaciendum inimicis pergit, videatur amicorum oblitus, quibus semper debet esse gratia prior. Hinc est, quod Dauid in eo ipso facinore, quod laudatissimus apparuit, tamen malè audit apud principem militiæ Ioab. Vbi enim rex nuntium accepit de excidio inimicorum suorum, de nece parricidæ Absalonis, totus in lacrymas effusus, nihil aliud agebat, quàm flere, & lamentari hostium ruinam. Nónne hoc maximè laudandum, & mirandum erat in viro pio, quod tanta esset charitate affectus erga inimicos suos? Equidem facinus hoc in se considerantum laude erat dignissimum; at si temporis circumstantia ponderetur, meritò posset malè audire apud curdaros viros. Tempus erat, quo amici Dauid postquam sese pro illo morti dederant, & mille periculis, veniebant gratiam ab illo reportaturi: ipse autem amicorum merita prætereins, sic totus ferebatur in hostium desiderium, vt videretur succensere amicis. Ea quo merito illum reprehendit, & conuincit Ioab princeps militiæ 2.Reg.19. inquiens. *Confudisti* 2.Reg.19.
hodie vultus omnium seruorum tuorum, qui saluam fecerunt animam tuam, & animam filiorum tuorum, & filiarum tuarum, & animam vxorum tuarum, & animas concubinarum tuarum. Diligis odientes te, & odio habes diligentes te: & ostendisti hodie, quia non curas de ducibus tuis, & de seruis tuis: & verè cognoui modò, quia si Absalon viueret, & omnes nos occubuissemus, tunc placeret tibi. Nunc igitur surge, & procede, & alloquens satisfac seruis tuis: iuro enim tibi per Deum, quod si non exieris, ne vnus quidem remansurus sit tecum nocte hac. Et sanè, qui sic afficitur erga inimicos, vt non æstimet amicorum pericula, & verecundiam, meritò solus relinquetur. Quis enim vellet pericula subire pro homine, cui non magis cordi sunt amici, quam inimici? apud quem potior est, qui oderit, quàm qui amauerit? Extrema quidem est ignorantia legis diuinæ, si te sic pro inimicis impendas, vt nostris diuitiis, & vtilitatibus, imò prorsus damnosus videaris amicis. Diligendi vtique sunt inimici, sed ita, vt cordis, & beneficentiæ primas ferant amici. At enim Prouerb. cap.25. Prouer.25.
Gratia, & amicitia liberant, quas tibi serua, ne exprobrabilis fias; exprobrabitur meritò, qui amicos non ante omnia curat, quando ex amicitia propè infinita vitæ auxilia recipiuntur. Nónne tres illi reges Iobi amici ad Iobum veniunt, vt eius fauore delictorum veniam accipiant? Ad quid hoc, nisi vt ostendatur, quòd amicitia liberat? Vnde S. Ambrof. lib.3. offic. cap.16. ait: *Dominus cùm à tribus regibus offensus esset, quia forsitan Iob honorem non detulissent, ignoscere his per amicum maluit, vt amicitiæ suffragium remissio fieret peccatorum.* Quippe amicitia nunquam non liberat, vt videas, quam tibi ante omnia debeant esse cordi amici. De quo vide infra, cap.10. § 6. Ambrof.

§. X.

Meditatio mortis non sinit inimicos reputare vllos.

NOn otiosè Solem meminit Dominus, vt doceat nos parcere inimicis. Sol enim oritur super bonos, & malos, sed quomodo Sol oritur super bonos, & malos? Planè Sol oritur, eodem die moriturus, vt dicat Psalm. *Sol cognouit occasum suum.* Et crediderim neminem multum irasci posse aduersus inimicum, si occasum suum videat, si sepulchrum ob oculos suos versari sciat. Inferni fratres suos passus fuerat contrarios, imò hostes infensissimos, & vltio- Psal.150.

minus dum Ægyptis præficitur, illos videns sibi quasi ignoto supplicantes, non vindictam cogitat, quin potiùs illos frumento ditat. Vnde bonus vir sic mollitus fuit erga hostes suos? Philo putat fratres ibi locutos de Ioseph, quasi
Genes. 42. de mortuo, ait enim Genes. 42. *Duodecim, inquiunt, serui tui, fratres sumus, filij viri vnius in terra Chanaam: minimus cum patre nostro est, alius non est super.* Expende illud, alius non est super, hoc est, alius, nempe Ioseph, mortuus iacet, imò & sepultus. Quid tunc Ioseph? Sanè vbi de se, quasi de mortuo audiuit, non potuit non habere animum, etiam
Phil. erga hostes pacatissimum. Meritò enim, ait Philo ibi: *Hæc de se ipso loquentes audiens, tanquam de mortuo, quid animi habere potuit?* Nullus est adeò ferox, qui de morte sua audiens, possit cogitare hostium vindictam: sedat iram mortis meditatio, nec finit hostiles spiritus nutriri. Ille præclarè se gerit erga hostes suos, cui perpetuò ob oculos versatur mortis puluis. Cupis Christiane mediis etiam hostilibus incursibus, mediis ipsis cum hoste conflictibus, sic te gerere, vt nullum inde capias nocumentum animo tuo? Nunquam de hostis vindicta cogites, quin simul mente
Psalm. 68. euoluas mortis puluerem. Aiebat Dauid Psalm. 68. *Placebit Domino super vitulum nouellum cornua producentem, & vngulas.* Non qui cornua sola producit vitulus placet Deo, sed qui simul cornua producit, & vngulas. Et cur vngulas cornibus coniungit? In cornibus arma sunt, quibus impetunt hostes suos vituli, in vngulis instrumenta, quæ terram excauant, & puluerem de sub pedibus excitant. Ille ergo placens Deo est, qui nescit cornibus in hostes ire, quin simul puluerem mortis excutiat, illúmque ob oculos con-
August. stituat. Ad hæc D. August. ibi ait: *Qui bene instructus est, & laude Dei opulentus, & cornua debet habere, quibus aduersarium ventilet, & vngulas, quibus terram excitet.* Nunquam Christianus aduersùs aliquem feratur, quin mortis suæ puluerem videat, à quo illud accipiet beneficium, quo sciet hostes lethaliter non odisse.

§. XI.

Christi Domini fusus sanguis persuadet, quòd minimè inimicos irascamur.

CVm iuberis æmulus esse Dei pluentis super iustos, & iniustos, non memineris huius communis pluuiæ, qua segetes nutriuntur; sed illius pluuiæ sanguineæ, qua à passionis nubilo Dominus inimicos sibi animo emolliuit, & Patri reconciliauit. Quis iræ ardor in iniuriantes tibi non extinguatur pluuia illa sanguinis, quæ pro iniuriatoribus
Nazianz. suis Dominus à cruce fudit? Aiebat D. Nazianz. in Tetrastichis.

> *Cùm tu dolore læsus ardes maximo,*
> *Christi memor sis vulnerum, pars & quota*
> *Sint hæc dolorum, quos heros tulit tuus.*
> *Sic nempe, vt indu obrutus, mœror perit.*

Non sic pullulantes pampini, erumpentes spicæ obruuntur crebris verberatæ nimbis, vt rabidus mœror ex iniuriis hostilibus exortus sanguineis Christi fluctibus obruitur. Tibi veniant in mentem deflentes sanguinis riui à visceribus Saluatoris, & nulla in te aduersùs inimicos non ex-
Nicet. tinguetur ira. Ad hæc explicatiùs Nicetas Nazianzeni scholiastes fatur. *Cuiuspiam in te contumelia efferuescens, atque in summam magnitudinem euecta, ingentem in te furoris flammam excitarit, animúmque tuum vlciscendi cupiditate incenderit; fac protinus, tibi Christus in mentem veniat: da operam, vt contumelias, illusiones, flagra, & vulnera ea, quæ ille salutis tua causa in cruce pertulit, quamprimum recorderis. Sic fiet vt huiusmodi cogitationibus, tanquam aquis, animam tuam leniens, & irrigans, mœroris, atque iracundiæ æstum extingnas.* Quæ irarum fornax crebris iniuriis, contumeliísque vsque in summum accensa, non extinguitur è Christi corpore deciduis sanguinis imbribus? Quas vindictæ cupiditates non suffocent septuaginta duo riui ab spinato Saluatoris capite prosilientes? Fallar, siquis etiam iustam vindictam iniuriarum meminerit, dum Christum passum coràm positum videat,
Apoc. 9. Apocalyps. 9. *Vidi subtus altare animas interfectorum propter Verbum Dei, & propter testimonium, quod habebant, & clamabant voce magna, dicentes: Vsquequo Domine, sanctus, & verus, non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de his, qui habitant in terra? Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, & dictum est illis, vt requiescerent adhuc tempus modicum.* Ecce tibi vindictam de hostibus suis iustè flagitant interfectorum animæ; & tamen cùm iubentur expectare, patienter expectant, nec vox vltrà auditur vindictæ cupida. Vide, quæ sic vindictam expostulabant, tam facile tacent, nec verbum, quod vindictam sonet, proferunt? Notabat textus, cùm introducit eas clamantes de subtus altari, quippe D. Bernard. Bernard. serm. 4. in festo omnium Sanctorum per hoc altare intelligit Christi Domini humanitatem, quam vulneribus pro se impressis videntes animæ Sanctorum facili negotio à iustæ etiam vindictæ desiderio quiescunt, & discunt tolerantiam. Quò respexit Tertull. lib. de Resurrect. carn. Tertull. fatus: *Martyrum quoque animæ sub altari vltionem flagitantes, sustinere didicerunt.* Et quis cogitet de vindicta, & non potiùs sustinere ediscat, dum sibi ob oculos proponat Christi Domini holocaustum in cruce celebratum? Sanè vindictam nescit, hostes ignorat, quisquis sibi proponit Iesum passum, mortuum, sepultum. Acutè Cant. 8. ad Sponsam Cant. 8. dicitur: *Quæ habitas in hortis, amici auscultant.* Quid ais, amici auscultant? Cur non potiùs inimici auscultant? An non illa est, quæ dicebat: *Filij matris meæ pugnauerunt aduersùs me*; quomodo iam non pugnantes non hostes, sed potiùs amici auscultant? Ex quo habitat in hortis ignorat hostes, omnes nouit amicos. Quid crucis arbor, quid hortorum sanguineus sudor, quid Iesu sepulchrum prius docerent, quàm hostium obliuionem? Quisquis his in hortis habitat, nullum habet hostem, vniuersos amat, vt amicos. Nec videns Christi vulnera habet, vnde hostes timeat, de quo infrà cap. 20. §. 12.

Text. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nónne, & publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros, &c.

§. XII.

Temporalia bona, nihil sunt ad æterna comparata.

SI quis amicos temporaliter amet, vt publicani, & mundiales homines amant, is in cœlis mercedem habet nullam; imò vt hunc ab omni spe mercedis excludat, ait, *quam mercedem habebit?* Quasi dicat, nullam mercedem habebit ille, qui amicos carnaliter tantùm diligit; licèt enim multa commoda veniant ex carnalibus amicis, multæque vtilitates inde oriantur, tamen dum in cœlis nulla oritur merces, cætera omnia meritò censentur quasi nihil. Sola equidem merces est, quæ in cœlis habetur, in præsenti autem quidquid habeas nil est, mendacium est. Dauid locutus ad Galaaditas 2. Reg. 2. ait. *Et nunc retribuet vobis qui-* 2. Reg. 2. *dem Dominus misericordiam, & veritatem.* Cur ad misericordiam addidit veritatem? Nónne Dei misericordia vera est vbicumque fiat? Planè misericordia Dei quæ in cœlo præstatur, ipsa sola vera est, imò veritas est; cæteræ autem misericordiæ huius temporis ad illam comparatæ veritatem non habent, sunt nihil, sunt mendacia. D. Hieronym. Hieron. lib. de tradition. Hebr. ait: *Dixit misericordiam in præsenti, veritatem in futuro, quia misericordia, quæ in præsenti sæculo tribuitur, ad comparationem æternæ misericordiæ mendacium est.* Dum repositam in cœlis mercedem non possides, quidquid ex huius temporis rebus habes, falsum est, nihil est. Accepit primus homo pro mercede laboris sui, paradisi lignum, quod coleret, de cuius fructu viueret. Verùm secundus homo Iesus post mille exantlatos labores rediuiuus pro mercede exijt de sepulchro, & totus gloriosus. Quid tunc? Match. 28. *Ecce terræmotus factus est magnus.* Terræmotus Matth. 28. magnus excipit resurgentem Iesum ex sepulchro, quis non timeat sibi à terræmotu? Quæ gloria inter tempestates non sit timida? Sanè gloria Iesu adeò solida, & vera est, vt terræmotus, & tempestates rideat, minimèque caueat sibi apparere inter magnos terræmotus. Non sic temporalis merces, & gloria, quæ adeò inanis est, vt vel aluei turbine exsufflari pertimeat. Vnde D. Chrysolog. serm. 74. Chrysol. contemplatus primi, & secundi hominis dotem sic acutè dixit: *Modò terræmotus magnus. O si tunc, vel leuis turbo arborem mortiferam deiecisset!* Expende illud, *vel leuis turbo*; quippè vt vanissimas mortalium delicias perdi videas, non est cur magnos terræmotus, furentes tempestates expectes; adeò euanidæ sunt, vt vel leui aura tactæ funditus cadant. Surrexisset in primordio, vel leuissimus Aquilo, & vniuersam hominis dotem, totam deliciarum paradisum exuri videres. Equidem humanæ mercedes timent sibi à turbine leuissimo; diuinæ autem gloriæ, etiam rident terræmotus magnos.

magnos. Sic valent cœlestes mercedes, vt inter furentes tempestates, inter ipsa nigrantia nubila non dubitent confundere summum splendorem, & valentiam temporalium.
Galat.4. D.Paul. ad Galat.4.notans circumstantiam diuini aduentus ait. *Quando venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum ex lege, &c.* Venit itaque filius Dei infirma carne velatus, subiectionem & humilitatem præseferens, & quando mundialia omnia pleno voluebantur; quando temporalitas summam gloriarum plenitudinem attingebat. Et audet nilominus æternitas inter nubila carnis, inter obiectionum, & vtilitatum dedecora sese opponere summæ plenitudini, & valentiæ temporalium? Pul-
Bernard. chrè D.Bernard. serm.1. Aduent. ait: *Nimirum plenitudo, & abundantia temporalium obliuionem, & inopiam fecerat æternorum. Opportunè ergo tunc aduenit æternitas, quando magis temporalitas præualebat.* Ecce tibi etiam in maxima sui exinanitione apparet æternitas opportunè aduersùs summam plenitudinem temporalium; nec refugit æternitas infirmitate & vilitate obnubilata apparere, vt quæ vel sic detriumphatura est plenissimas mercedes temporales. Nunquam temporalitas audet comparere, vbi æternitas adest. Cantic.
Cant.6. 6. ait ille: *Descendi in hortum nucum, vt viderem poma conuallium.* Vel apud Theodoretum dicit: *In hortum nucu descendi, vt viderem in germinibus torrentis.* Pulchrè huius vallis lacrymarum bona, vocat germina torrentis. Cur germina torrentis? Quia vt torrens auctus hieme ad æstatis soles dispatet, sic omnia mundialia bona ad conspectum æternitatis euanent. Aiunt tres Patres ibi: *Torrentis enim instar tum gloria, tum opes, tum regnum, tum deliciæ, atque alij huiusmodi vitæ flores dilabuntur. Cur autem apparuerit vita futura, corrumpentur, & desinent, & tanquam torrens, cessantes exarescent.* Et cur non euaneant omnia temporalia ad conspectum æternarum gloriarum, quando vel ad odorem æterni cruciatus nulla est temporalis gloria, quæ non disparent? Cùm Eli domus diuinam iram iam sustinebat, eius nurus partus doloribus compressa penè agebat ani-
1.Reg.4. mam; quam vt confortarent obstetrices, aiunt, 1.Reg.4. *Ne timeas, quia filium peperisti. Quæ non respondit, neque animaduertit.* Audit, filium natum à se, & non animaduertit; & quidem sic masculi natiuitas solet matrem lætificare, vt pressurarum memoriam prorsus deleat; cur modò tanta
Gregor. felicitas nihili æstimatur, imò non aduertitur? D.Gregor. ibi lib.3. ait: *Nam dum æterni doloris experiri amaritudinem inchoat, hoc, quod temporaliter habet, non delectat.* Vanissimæ sunt, & nullius ponderis, ac momenti sunt felicitates temporales, vbi aliquid æterni, siue doloris, siue gaudij incipit ob oculos iam versari.

Text. Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.

§. XIII.

Fidelis homo ne se intra strictos naturæ carceres contineat, imò infinitudinem induat.

Videat homo, quos terminos virtuti acquirendæ perficiat; nimirum, quod eò tendat, vt propriam deuincens naturam, nitatur assimulari diuinæ. Ne ad propriam naturæ infirmitatem respiciat, sed potiùs cogitet, qualiter etiam contra naturæ suæ finitudinem operandum sit. Eliæ
1.Reg.17. latitanti dicebat Dominus 3.Reg.17. *Coruis præcepi, vt pascant te.* Cur non potiùs columbis id munus pascendi Prophetam mandauit Dominus? Coruus suos proprios pullos deserit, nec illis cibum ministrat; cur ergo adeò in suos dura auis eligitur, vt pascat Eliam? Equidem quò alienior erat natura corui à munere, eo aptior visa est, vt in illa haberet Elias monitorem operandi contra propriam naturam, in
Basil.Sel. obsequio diuino. Aiebat D.Basil. Sel. orat.11. *Coruis præcepi, vt pascant te. Ne innatum his in pullos odium imitere; quin potiùs imitare eorum in te curam. Hi commodato tibi obsequio naturam vicerunt.* Non abegit coruus munus tanquam naturæ suæ alienissimum, imò instante præcepto diuino, naturam supergreditur, & vincit, factus Prophetæ curator, qui nec suos curabat pullos. Hos ebibant ausus fideles viri, hæc exempla prospiciant; nemo dicat, non est hoc opus meæ infirmitatis, meæ naturæ, quin potiùs instante obsequio diuino vincat naturam, terminos suæ infirmitatis transiliat, & oblitus quòd homo sit, audeat diuina. Stricti sunt naturæ carceres, vt se intra illos Dei athleta contineat, illos supergrediatur, necessum est, & supra naturæ fines progressus, quasi diuinam infinitudinem induat, quæ nullo casu possit exhauriri. Hanc in suis asseclis petebat Dominus, Matth.5. fatus: *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram.* Expende, quòd non ait, Matth.5.
præbe illi sinistram, sed præbe ei alteram, nempe dexteram, vt notant D.Hieronym. & Cassianus apud Tilmannum in allegoriis. Et qualis est ista petitio, quòd post percussam dexteram, præbeamus aliam dexteram percutiendam? An nobis est plusquam vna dextera? Si vnam tantùm habeamus, quomodo vnam præstabimus, & alteram? Hoc vt explicem, reuoco ad memoriam tritissimam Promethei fabulam: is enim ob surrepti ignis culpam dicitur ad rupem religatus viscera præbuisse aquilæ voranda; sed quæcumque rapax aquila vorabat, ipse in se iterum reproducebat, ne vnquam deficeret aui pascua, & misero tormentum, per infinitudinem regeneratricis virtutis illi à superis communicatam. Quid plura? Quæ infinitudo accidit Prometheo ad supplicium; hæc vt nobis accidat, ad virtutem Dominus flagitat. Renascebantur in illo viscera præbenda voraci aquilæ, renascantur in nobis dexteræ, quas iniurianti præbeamus. Sic naturæ fines supergrediamur, vt quantum in nobis est, non vnam solùm, sed & alteram, & mille dexteras iniurianti reponamus, infinitudinis diuinæ æmuli, quæ nunquam exhauriri habet. Vnde D.Isidor. Pelus. lib.2. epist.6. *Non dixit Saluator, si quis in* Isid.Pel.
dexteram maxillam alapam tibi impegerit, forti animo id patere, ac conquiescere; verùm illud addecit, vt alterum quoque ad excipiendam plagam promptam, & paratam habeas. Nam in hoc demum præclara, & splendida victoria sita est: hoc naturâ præstantius, & cœleste. Equidem superat naturam humanam, diuinæque infinitudini approximatur ille, cuius virtus nunquam exhauritur, sed in vno probata ad aliud excellentius, & perfectius parata renascitur.

CAPVT VIII.

De oratione Dominica.

NOBILIS, & diuinus magister, non solùm de oratione facienda dedit nobis monita, sed & ipse orationem perfectissimam, omnibusque numeris absolutam perfecit, cuius nos ebiberemus elegantiam, ne diuinas aures inconditis pulsemus vocibus. Et cùm mundiales oratores, vt apud iudices dicant, venales exhibent voces; monemur fideles non apud iudicem, sed apud cœlestem Patrem clamare; ne vox vænalis sit, sed prorsus gratiosa, qualis debet esse vox filij parenti optimo.

Matth.6. Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est.

§. I.

Virtutum coronas vniuersas furantur humanæ laudes, & plausus.

IN iustitia efficienda meritò iubemur attendere, ne humani oculi, ne humanæ accedant laudes, & plausus; quia, vt ait Dominus apud Lucam 11. *Si sciret pater familias, qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam.* Fures equidem sunt hominum laudes, & plausus, qui, nisi maximè vigiles, nisi summopere attendas, vniuersas iustitiæ coronas proculdubio rapient. Ieiunaturus Dominus desertum abiit, & oculos hominum deuitans, & plausus, vt solùm apud cœlestem Patrem virtutis suæ coronas habeat. Quid tunc? Accessit tentator, & quasi ieiunatorem mirabundus extollere, ait: *Si filius Dei es, dic, vt lapides isti panes fiant, &c.* Vnde miser tentator tantum ieiunatorem vis extollere, vt eum filium Dei compelles? In paradiso post cibum præmittebas hominibus deitatem, aiens: *Eritis sicut dij;* in deserto, vel ante cibum, adhuc ieiunum Iesum prædicas filium Dei; cur tam dissimilis tui accedis? cur ieiunatori paras diuinas laudes? In paradiso occisurus veniebat hominum genus; in deserto solùm curat iustitiæ

iustitiæ coronas furari, ideo socias furti certissimas præmit-
Chrysost. tit laudes Aiebat D.Chrysost.hom 13.in Matth. *Non dixit, si esuris, sed si filius Dei es, videlicet, existimans posse se aliquid per laudum blandimenta furari.* Quot laudatorias voces, tot fures opponit, qui secretum cordis perfodiant, & coronas rapiant. Vbi furaturus tentator accedit, non igneas parat machinas, non Neronum exercitus conducit; sed laudatoria testimonia sibi socia assumit, vt quæ latrones superent in deprædandis animabus. Hinc ortum habuit illa D.Pauli cautela, qua virtutum suarum testimonia in alieno ore timebat, in secreto sui cordis integra, inuiolatáque con-
2. Cor. 1. seruabat, ait namque 2.Corinth 1. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* In eo prorsus sita est nostra gloria, in eo eius firmitudo constituta est, occulta in nobis maneat, si minimè pateat alieni oris testimoniis illam prædicantibus, laudatoribus. Sed cur fugiat nostra gloria testi-
Chrysost. monia laudum alienarum? Pulchrè D.Chrysost. homil.72. ex 12. Matth. *Ipsi, quos ad testes animum tuæ virtutis citas, latrones tibi te constituuntur, qui te regno cælorum spolient.* Caue oris alieni laudes, si vis latrones cauere: si vis thesaurum gloriæ tuæ integrum, inuiolatumque seruare. Quot laudatores traxeris ostensione virtutum tuarum, tot latrones vocasti, qui te omni bono relinquant spoliatum. Propone
4. Reg. 20. tibi Zachariæ facinus 4 Reg. 20. Is Babylonij Regis legatis in potentiæ suæ commendationem omnes thesauros domus suæ aperuit, nil pretiosum, nil speciosum fuit, quod eis non indicarit. Quid tunc? Sic ad Ezechiam Dominus ait iratus: *Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ sunt in domo tua, & quæ condiderunt patres tui vsque in diem hanc, in Babylonem: non remanebit quicquam, ait Dominus.* Planè rapinæ exponis, quæcumque decora oculis proponis humanis, vt videantur tui commodationis gratia. Ex quo sic
Petr. Dam. monebat D.Petrus Damianus serm. de sanct. Barbatiano fatus. *Occultanda sunt ergo, fratres, bona quæ agimus, ne hæc in huius vitæ itinere incautè portantes latrocinantium spirituum incursione perdamus.* In virtute facienda caueat oculos humanos, qui latrones bonorum suorum cauere amat.

Text. Cùm ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocrytæ faciunt in Synagogis, & in vicis, vt honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.

§. II.

Non tu, sed Deus videatur in operibus tuis bonis, & securus esto.

NOli, inquit, tuba canere ante te; hoc est, non te, sed Dominum sequatur virtutum prædicatio; sic laudabilia opera efficias, vt te latente, solus Deus appareat lau-
Eccles. 11. dandus. Huc voco illud Ecclesiastici 11. iuxta Tilmanni lectionem, aientem. *Ne laudes hominem in vita sua*; est quidem in homine vita propria, qua sibi suísque cupiditatibus viuit; insuper est etiam in homine vita Dei, quando homo sibi, suísque cupiditatibus adeò mortuus est, vt di-
Gal. 2. cat cum Paulo ad Galat. 2. *Viuo ego, iam non ego, viuit in me Christus*; quidquid hominis est, tunc prorsus emortuum, & sepultum latet, solus Christus apparet viuus in illo. Dum ergo in sua vita non laudetur homo, in Christi vita
Bernard. prædicari debet omni laude dignus. Ad hæc D.Bernard. epist.23. *Cùm laudatur homo, in quo iam viuit non ipse, sed Christus; non in sua laudatur, sed in Christi vita, ac per hoc non laudatur contra sententiam, quæ prohibet hominem laudari in vita sua.* Prius sibi prorsus emoriatur homo, & sui loco induat Christum, si velit per laudantium ora volitare securus. O quàm felix ille est, qui sic nouit se abscondere, qui se, suáque omnia abscondere, & obtenebrare voluit ab oculis viuentium, vt solùm in se exhibeat Christum, vt non se, sed Christi magnalia prædicanda hominibus obii-
Isai. 50. ciat. De his Isaias cap.50. *Qui ambulauit in tenebris, & non est lumen ei, speret in nomine Domini, & innitatur super Deum suum.* Ecce quàm firmum, quàm stabile, quam securum fulcrum datur hominibus, omnium. Deus illis proponitur pro fulcro, quo innitantur securi, qui ambulant in tenebris, qui non habent lumen. Sed qui sunt hi? Sunt equidem, qui se, suáque eripiunt humanis laudibus amantque obtenebrari, & abscondi, ne videantur, quin potiùs in se Christum exhibent, vt possit pro virtutum suarum splendore ipse laudari; hi dum has tenebras sibi faciunt, Deum constituunt fulcrum suæ securitatis. De quibus eleganter
Gillib. Abb. sermon.2. in Cantic. fatur. *Ambulans in tenebris, & non est ei lumen, sed humanæ laudis lumen, vt liberiùs sperent in nomine Domini, & innitantur super Dominum suum. Quorum absconditus est vultus eorum.* Sic dum sese eripiunt laudibus humanis, dum sese abscondunt à conspectu hominum, non penitus latitant, non tenebris conculcantur, sed eminentiores apparent innixi super Dominum suum. Obtenebrati videntur, & penitus ignorari à laudatoribus, & fixi super Dominum innixi, immò Domino vndequaque vallati maiores omni laude apparent. Pulchrè D.Paul. 1. ad Corinth.1. ait: *Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio; vt quemadmodum scriptum est: Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Expende, quàm abscondat, & abdat quidquid hominis est; nec ipse homo est, nec sapit, nec aliquid aliud suum habet, sed omnia ei fit Christus, & vita, & sapientia, & sanctificatio, & redemptio. Et cur nihil nostrum relinquitur? Cur omnia nobis fit Christus? An vt penitus in tenebris delitescamus? Absit: imo, vt, quemadmodum scriptum est, *Qui gloriatur, in Domino glorietur*; hoc est, vt innixi super Dominum securiores, & diuiniores obtineamus laudes. Ad hæc præclarè D.Anselm. ait: *Videte, quemadmodum nobis abstulit gloriam, vt daret gloriam, abstulit nostram, vt daret suam: abstulit inanem, vt daret plenam: abstulit nutantem, vt daret solidam. Quanto enim gloria nostra fortior, & firmior, quæ in Deo est, quàm quæ in nobis? Non ergo glorietur quisque id sapientia sua, &c.* Tolle omne tuum, & firmissimum fundamentum laudis habes; non te, sed Dominum exhibe, non ante te, sed ante Dominum tuba intonet, vt solidissimæ, & immortales tibi personent laudes.

Margin (right column): Gillib. — 1. Cor. 1. — Anselm.

Text. Te autem faciente eleemosynam nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua: vt sit eleemosyna tua in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

§. III.

Dum vnum te lateant virtutes tuæ, à nemine alio periculosè videntur.

IVbebamur à Domino in efficiendis virtutibus humanos oculos præcauere, ne videremur ab hominibus; quin etiam sic alibi operari iubebamur coram hominibus, vt opera nostra bona illorum oculis paterent. Ait enim; *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra, &c.* Qualiter ergo hæc duo seruare poterimus, nimirùm, vt opera nostra videantur, & non videantur ab hominibus? Ecce efficacissimum medium, quòd sinistra tua nesciat, quod facit dextera tua; quòd tu ipse non videas opera tua bona; & sic licèt in conspectu omnium fiant, adeò manent abscondita, vt quasi reputentur a nemine alio videri posse. Ad hæc D. Chrysost. homil.11. ex variis Matth. lo- Chrysost.
quitur: *Quomodo potest ne fieri, vt non videatur homo faciens eleemosynam? Tu te noli videre, & non te videt alius.* Caue sinistram tuam, caue oculos tuos, caue te ipsum, ne te ipse videas; & etiam lucidissimè operantem neque alios te videt, absconditus es fascinantibus oculis. Quis lucidiora perfecit opera, quàm Iob? Huius quot opera, tot Soles mortalium rapientes oculos: & tamen pro lucidissimorum operum custodia tantum ait, cap.31. *Si vidi Solem, cùm ful-* Iob 31.
geret, & Lunam incedentem clare. In Sole, & Luna Iobi facinora notant Olympiodorus, & alij; quòd si opera exhibes, ô Iob, Soli, & Lunæ in splendore paria; quomodo facere poteris, ne videantur ab hominibus? Iam præueniens dixit, dum ait; *si vidi*, hoc est, minimè ipse vidi mea lucidissima opera, & quod bonum in se quisque non videt, non illud videt alius. Sint tibi tuæ virtutes ignotæ, & securissimè incedunt ante omnes oculos humanos. Non longè abest D.Gregor.lib.22. Moral. cap.5. *Qui verò electi sunt, ab* Gregor.
eo fine quo sibi placent, mentis oculos diuertunt; & de his, quæ se minùs egisse intelligunt, tristitiam requirunt; & penè soli bona sua non vident, quæ in se videnda omnibus ad exemplum præbent. Nil aliud requiritur in electissimo quoque, vt securè, & sanctè procedat, & regnet, quam quòd ipse solus non videat bona sua: & quidem tunc attingis securissimæ virtutis metam, cùm à te bona tua abscondis, & mala, &

defectus

defectus tibi proponit ob oculos. Id quod pulchro exem- Petr.Dam. plo docebat D.Petrus Damian. lib 2. epist. dicens. *Imitare naturalis in pauone diuersitatis exemplum. Qui nimirum pullinos & veluti ignobiles pedes præ oculis semper habet, insignem verò caudæ pulchritudinem pro se spectabilem præbet. Videt in pedibus rusticum aliquid, quod despiciat, ignorat in cauda, quod eam mirabilem reddat. In promptu est, vnde se debeat in humilitate deprimere, post tergum gerit, vnde valeat, quasi præ iaceris auibus superbire. Te quoque quod in te virtutis est, lateat: si quid verò otiosum, & correctionis est dignum, ab aspectus tui iudicio non recedat.* Quid pulchrius? Fugiant opera bona nostra oculos nostros, & non metuant in conspectu mortalium hominum: post tergum mittamus fulgentissima quæque facinora, solique defectus obuersentur ante oculos, & om- 2. Cor.12. nia tuta sunt nobis. Paulus ad Corinth.2. cap.12. innumeras virtutes, & gratias a Deo acceptas perstringens tandem ait: *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus*, &c. Expende illud, *propter quod*, nimirum, quia incredibilem reuelationum magnitudinem acceperat; quia vsque in cœlum tertium raptus fuerat, quia mirabilia propè infinita peregerat; propterea placet sibi in infirmitatibus. De quo Gregor. D.Gregor.lib.21. Moral.cap.5. ait: *Vt ergo discipulos instrueret, de se summa referebat; vt verò se in humilitate custodiret, considerationis oculum non in virtutibus suis, sed in infirmitatibus fixerat.* Sic vniuersi electi nil magis cauent in facinoribus suis, quàm oculos suos; hos si semel fugiant, & a virtutibus abstractos, ad defectus perspiciendos inclinent, securissimè terunt viam salutis.

Text. Et cùm oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in Synagogis, & in angulis platearum stantes orare, vt videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.

§. IV.

Oratio pro peccatis tollendis laborem sibi adiungat, vt efficaciam habeat.

QVisquis se peccatorem agnouit, & pro peccatis tollendis apud Dominum parat orare; fugiat hypocritarum leuitatem, qui non solùm gloriæ causa orant, sed stantes precantur, quasi pro paruis, & non multum necessariis rem agant. Non sic, qui se peccatorem agnoscit, sed orationi adiungat laborem, non stet orans, sed genu flectat, vel humi accumbat, vt ex labore, & afflictione corporis oratio maiorem recipiat efficaciam, vtpote, quæ necessaria est ad impetrandam veniam peccatis. De B.Stephano dici- Act.7. tur Act. cap.7. *Lapidabant Stephanum inuocantem, & dicentem: Domine Iesu, suscipe spiritum meum. Positis autem genibus clamauit voce magna, dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Ecce vobis Stephanus bis orat, & positis genibus orat pro inimicis, & antequam genua flecteret, dum adhuc staret pro se orabat, aiens: Domine Iesu, suscipe spiritum meum. Sed cur cùm pro se orat, stans orat: vbi autem ad orationem pro inimicis accedit, iam nequit stans orare, sed genuflectit, & positis genibus clamat? Sanè cùm pro se orat, pro iusto orat, cui Deum propitium reddere, res erat non multi laboris, sed prorsus facilis: at vbi peccatorum suscipit causam, & veniam obtinere cupit peccantibus, non stat, sed genu flexit, difficilis enim est, & labo- August. riosa apud Deum peccatorum causa. D.Augustinus serm.2. in præsenti, sic ad D.Stephanum ait. *Quare pro te stans orasti, & pro inimicis genu flexisti? Pro me stans oraui, quia pro me, qui rectè Deo seruiui, mando, & impetrando non laboraui; quia qui pro iusto orat, non laborat; ideò pro se stans orauit. Ventum est, vt oraret pro Iudæis, & attendens, tàm multam esse iniquitatem eorum, quæ difficilè donari posset, genuflexit, & ait: Ne statuas illis hoc peccatum.* Multum de iustitia præsumit qui stans orat; quandoquidem ostendit se talem habere apud Deum gratiam, qua sine labore, sine conatu, facile, & vel quouis leui signo possit, quod vellet, impetrare. Non habeat hanc confidentiam peccator, imò sibi persuadeat adiungendas esse, & corporis afflictiones, & humi cubationes, & lachrymas, vt tandem oratio pro peccatis benè 1.Cor 5. apud Deum audiat. D.Paul.1. ad Corinth.5. *Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris aliquis habeat. Et non magis luctum habuistis, vt tollatur de medio vestri, qui hoc opus fecit.* Expende, quòd non ait, & non petistis, & non orastis, vt tollatur talis peccator. An fideles Corinthij, non satis pro fratre egissent, si crebras orationes facerent, si continuo preces ad Deum funderent? Cur Paulus requirit non preces, sed & preces cum ingenti luctu, & lacrymis? Equidem quando peccatoris causa agenda erat, non quæuis sufficiebat oratio, sed illa, quæ afflictiones corporis haberet adiunctas, & luctum, & lachrymas. Chrysost. ibi: *Non dixit, & non magis abiectistis, sed tanquam in morbo quodam, & peste, luctu opus est, & continuis precibus, vt tollatur: oportet supplices esse, & omnia operari, vt ille de medio abscindatur.* Chrysost. Difficilis est apud Deum peccatoris causa; qui illorum suscipit curam, mihi credat, non tantum orationi fidat, vt omnino afflictiones corporis obliuiscatur: oret, sed humi procumbens, sed genuflectens, sed cum lachrymis. Vnde sapienter Rex Niniuita in causa peccatorum populi sui tales precationes disponebat Ionæ 3. cap. *Operiantur saccis homines, & iumenta, & clament ad Dominum in fortitudine.* Iona 3. Quasi solus clamor, sola oratio quæ ab homine afflicto, & humiliato, possit peccatorum veniam a Domino impetrare. Quapropter D.Ephrem ostendens Ionam veritum, ne Deus D.Ephr. ad voces flecteretur Niniuitarum, ait. *In ciuitate orabant Niniuitæ, ne morerentur. Timebat Ionas inspiciens eorum lachrymas.* Non orationem illorum timebat, sed orationem cum lachrymis; nisi enim, & afflictiones, & labores, & lachrymas orationi adiungerent, non timeret Ionas veniam fore ab illis ex Deo impetrandam.

Text. Tu autem cùm oraueris intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

§. V.

Præstantissimus Dominus est ille, qui in munerum distributione, præsentissimos habet illos, qui virtutis amore maximè sese abdunt, & abscondunt ab oculis.

O Nos felices, qui talem Regem, imò talem Deum habemus, quem minimè latet, qui virtutis amore latere cupit: cui præsentissimus est, quisquis ob humilitatem absconditur, etenim noster Dominus videt in abscondito, vt latentes etiam ad regni clauum promoueat. Et quidem hæc maxima est præstantia Domini. Apud Matth.9. mulier quædam sanguinis fluxibus laborans, vt vidit salutis fontem Iesum, ab illo accipere cupit medelam morbi. Medelam, inquam, accipere cupit, sed indignam se reputat comparere oculis Saluatoris. Quid tunc fœmina? *Accessit retrò, & tetigit fimbriam vestimenti eius*, &c. Retrò accedit, vt lateat, vt abscondatur ab oculis eius, vt faciem declinet, ne possit videri; sed etiam retrò latens visa est ab eo, qui videt in abscondito, & saluti restituta; is enim est Dominus, cui nullum sit latibulum, cuius in quouis abscondito inuenientur oculi, vt etiam latitantes promoueat. Acutè Chrysol. serm.53. *Retrò nihil erat, & ibi faciem, quam declinabat, inuenit. Erat in Christo corpus multiplex, sed erat deitas simplex, erat totus oculus, qui post se supplicem sic videbat.* Chrysol. Expende præstantissimi Domini insigne, nimirum erat totus oculus, qui post se supplicem sic videbat. Quid Princeps habet aliud, quam oculos? habet, inquam, & manus, & pectus, præter oculos, quæ retrò sunt, obliuiscitur, illa noscet, quæ cernit coram. Noti apud illum sunt, qui sese ante oculos constituunt, qui ad manum inueniuntur, vt Principi gerant morem, qui ante eius pedes se euoluunt, vt appareant gratiosiores. At qui ob humilitatis, & virtutis amorem latibula quærunt, faciem declinant, & retro humiliter constituuntur; hi prorsus ignoti manent brachiatis, & manicatis Principibus. Non est mundialium Principum, retrò constitutos, & absconditos meminisse. Qui diuinus Dominus est, & totus oculus, is etiam post se supplices videt, etiam retrò latentes agnoscit, & præsentissimos habet ad munera, etiam illos, qui maximè nituntur abscondi. Nondum nouerat Moyses perfectè sub quo Domino militabat, & quod ex aula Pharaonis biberat ructans anxiè curabat ante faciem Domini comparere Exod. 33. Hoc enixè flagitat, vt Domini sui videant faciem; quid enim poterit seruus expectare à Domino, cuius oculis nunquam paret? Sic mundialis quondam palatinus sese ante

faciem

faciem regis frequentissimum ambit. Verùm ad illum Dominus: *Ego ostendam tibi omne bonum. Quomodo? Posteriora mea videbis.* Quid ais Domine, sic post tergum tuum mittis Moysem electum? Quando Principum bona dantur his, qui coràm sunt, qui ad manum adsunt, qui ante pedes obuoluuntur, tu Moysem retrò abire iubes, & ibi omne bonum expectare? Equidem diuinissimus Princeps totus oculus est, etiam post se supplices videt, & deorsum latitantes promouet, & in munera vocat, & cum illis patitur magnalia. Quò humilis magis latere amat, & oculos Dei affectu declinat, & post tergum se locat, ne ad manum sit, eo vicinior est diuini Principis oculis. Ex quo lucem capit obscurus locus Genes.16. vbi Agar à domo Abrahæ repulsa, in deserto latitans in magnas à Deo spes alitur, quas illa mirata, ait: *Profectò hîc vidi posteriora videntis me.* Sanè, qui se videntem videt, non eius posteriora videt, sed faciem: quî ergo fieri poterat, vt Agar videret posteriora eius, à quo simul videbatur? Hoc habent, qui mundialibus dominis repudiatis, sub diuino Principe incipiunt militare, non egent coràm comparere, etiam si latitent, etiam si retrò se dedant, si post tergum, quasi absconditi sint, nihilominus ibi videntur, & ad honores vocantur, diuinissimus enim Dominus totus oculus est, & etiam post se supplices videt. Vtinam hanc mentem vniuersi ebiberent Principes, vt pro seligendis ministris illos maximè ob oculos haberēt, qui sese abscondūt, & quasi post tergum abdunt, non qui sponte sua prosiliunt in faciem, vt ad munera eligantur. De hoc monebat D.Bernard. Eugenium Pont.Max. lib.4. de consid. fatus. *Itaque non volentes, neque currentes assumito: sed cunctantes, sed renuentes. Etiam coge illos, & compelle intrare. In talibus requiescet spiritus tuus, qui non sint attritæ frontis, sed verecundi, sed timorati, qui præter Dominum timeant nihil, nihil sperent, nisi à Deo.* Ecce tibi, qui eligendi sunt à Principe in munera, non qui sese videndos offerunt, non qui fronte proterua subsiliunt, & eligi clamant, sed qui verentur nosci, qui latere amant, qui potentium oculos fugiunt, & sine spe, & metu soli Deo noti occultam degunt vitam. Princeps, qui in his absconditis videt, quid eligat, quid muneret, is diuinus est, & felicissimus. De quo infrà sermo redibit cap 9. §.10.

Genes.16.

Bernard.

Text. Orantes autem nolite multum loqui, sicut Ethnici, putant enim, quòd in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo assimilari eis, scit enim Pater vester, quid opus sit vobis antequam petatis eum.

§. VI.

Prophanæ eloquentiæ cultores verarum virtutum aduersarij sunt.

CHristiana apud Deum oratio sit illa, quæ luxuriantem rhetorum splendorem non oleat, sed quæ succinctos omni virtute lumbos præseferat; habeat animi contentionem, non verborum pompam, quæ vtplurimum contraria est verarum virtutum. Quò respiciebat D Bernard. lib.4. de consider. vbi sic monet Eugenium. *Verbosum adolescentem, & studentem eloquentiæ, cùm sapientiæ sit inanis, non aliud, quàm iustitiæ hostem reputes.* Et quidem nescio, quid latet in multiloquio, in verborum apparatu, quod Deum offendit, & virtuti contrariatur. Raro inuenitur verborum cultor, qui vanæ gloriæ non militet, & qui ab splendore sermonis aduersùs virtutem fulmina non retorqueat. Proinde Dominus Oratoribus suis volens suspectum facere verborum studium sic in præsenti monet: *Orantes nolite multum loqui, sicut Ethnici, &c.* Fugiat orator Christianus prophanorum studium in construendis orationibus, qui vtplurimum militant aduersùs Deum. Quæ verba acutè, & eleganter expendens Tertull. lib. de Orat. ait: *Pertineat ad fidem, & modestiam fidei, si non agmine verborum adeundum putemus ad Dominum.* Expende illud, nimirum *agmine verborum*, eloquentiæ prophanæ apparatus agmen est, & agmen suspectum, & inuisum Deo. Sed cur verborum agmen, non potiùs Deo gratiosum, & iucundum? Nónne inde sponsa placebat magis, quia sicut acies castrorum ordinata visebatur? Sic ait Cantic.2. *Pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata.* Ecce sponsa, quia agmini similis, ideo gratiosior accedit; cur ergo vetamur nos, cum verborum agmine Deo approximari? Nónne agminis ordo pulcherrimus est ad alliciendos oculos? Sanè in sponsa splendentium

Idem.

Tertull.

Cant.2.

operum agmen consideratur, quod & pulcherrimum visu est, & Deo gratiosissimum; similiter in nobis non hoc agmen vetatur, sed verborum agmen; vbi enim tota cura, totum studium ponitur in verborum apparatu ostentando, in oris pompa praferenda, ibi Deus non quod amet, sed quod timeat, habet. Iam inde aduersùs Deum, & virtutem hostilia parantur agmina. Et quæ prophanæ linguæ dotes aduersùs Deum & virtutem non armantur? Caue Christiane, dum pro virtute stas, dum pietatem colis, prophanos blaterones imiteris; quot enim verborum splendores excitas, totus in his occupatus, tot ignes virtuti veræ supponis, tot ruinas aduersùs pietatem vocas. Dum vrbs Hai innaditur Iosue 7. fidelium Israelitarum exercitus miserè perduntur, & si quæras, cur tanta ruina fideli genti accidat, rem explicat ipse, qui peccauerat, aiens. *Vidi inter spolia pallium coccineum valde bonum, & ducentos siclos argenti, regulámque auream quinquaginta siclorum, & concupiscens abstuli.* Huius confessionis verba aptiùs in rem præsentem sonant apud Origen. hom.7. vbi sic:

Iosue 7.

Furatus sum linguam auream, & dextralia pura.

Ecce perditio fidelis populi vnde oriatur; ecce præualeat agmen inimicum virtuti, ex eo, quòd quis fidelium furatus sit auream linguam, hoc est, prophanorum aureos sermones vsurpauerit sibi. Ad hæc Origen. *Si poëtam legeris modulatu versibus, & perfulgido carmine deos, deásque texentem, ne delecteris eloquentiæ suauitate. Lingua aurea est; si eam sustuleris, & posueris in tabernaculo tuo, si introduxeris in cor tuum ea, quæ ab illis asseruntur, polluet omnem Ecclesiam Domini.* Nunquam non cauenda lingua aurea blateronum; vix enim fieri potest, vt qui totum se dedit deaurandæ linguæ, rhetorum suffurandis coloribus, non euanescat, & splendenti fulgore eloquentiæ captus solidis rebus, & virtutibus bella moueat. Ideo D.Hieron. epist. ad Nepotianum, qualem ipse sapientiam studeat docet. *Sermo presbyteri scripturarum lectione conditus sit. Nolo te declamatorem esse, & rabulam, garrulúmque sine ratione; sed mysteriorum peritissimum, & sacramentorum Dei tui eruditissimum. Verba voluere, & celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem sui facere, indoctorum hominum est.* Hæc ille.

Origen.

Hieron.

Text. Sic ergo vos orabitis: Pater noster, qui es in cœlis.

§. VII.

Non eget hominum amator Deus multis compellari, vel ad nutum exurgit precantium.

IAm doceris, quo non desideres magnos verborum apparatus, vt Deum trahas; eo accede affectu, quo filius ad patrem, & vel tacitus Deum exaudientem, imò & obaudientem habes. In vitam hanc reuocaturus Iesus Lazarum Ioann. 11. dum iam adest sepulto eleuatis oculis in cœlum, inquit. *Pater, gratias tibi ago, quia audisti me.* Nihil adhuc ore petierat, & dicit se exauditum à Patre; quomodo exauditur, qui nec verbum fecit, quo aliquid peteret? Sanè dum velut filius petiturus accedit, non est cur multa proloquatur, vel tacens à patre exaudiendus. Chrysol. ser.65. *Quòd Pater audierit, hoc dicitur, quod filius petierit, hoc tacetur. Fratres, inter patrem, & filium audiendi est affectio, non est necessitas supplicandi: ibi amore geruntur omnia, vbi non indigetur obsequio.* Filij spiritum indue, & etiam tacens patrem habebis exaudientem: labia licèt taceant, licèt lingua minimè sonet, dum filiali teneris affectu, eo solum clamorem excitas, qui teneat aures genitoris. Ad Rom.8. aiebat Paul. *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater.* Sed qualis iste clamor? An vocis? An linguæ? Absit: etiam in tacente, etiam in muto filialis affectus clamorem inuenit pater. Ait D.Ansel. *Clamor iste cordis est, non faucium, non labiorum. Intus sonat auribus Dei.* In filio etiam tacente, & muto altissimos clamores percipit pater; vnus filialis amor pro voce, imò pro clamore est supplicanti: illum si habes, etiam mutus clamas, & exaudiris; si verò illum amittis, adeò exile, & raucam vocem habes, vt ægrè à Deo exaudiaris. Miratur P.Dam. quòd Deus quæsiturus Adam clamet Gen.3. vbi est? An sic post peccatum obmutuerant, vt nec ex voce sentirentur? An mulier, quæ tot verba fecerat, cum serpente sic se potuit continere, vt nec verbum ad maritum, nec ad Deum faceret, ex quo illorum latibulum nosceretur? Nónne, vel timoris vis aliquot gemitus, & suspiria eliciebat, quæ Deus perciperet? Cur ergo quasi nil audiens

Chrysol.

Rom.8.

Anselm.

quærit, vbi est? Sanè vbi filialis amor in illis friguit, & seruilis metus intrauit, adeò raucæ maoserunt eorum voces, *Damian.* vt illas Deus ægrè, & difficulter exaudiat. Ad hæc P. Dam. lib. 6. epist. 17. *Illius viscera extinctis amoris algor obstrinxerat, atque ideò vox illius in auribus Domini raucum sonabat. Si vis ergo vocem habere intonantem, vel in orantibus efficacem, satage semper, vt te diutinum feruor accendat, ne vocem tuam torpor frigoris intercipiat. Frigida quippe mentis oratio, tanquam vox raucionis non auditur.* Vnus filialis amor in cordibus nostris diffusus sonorus est, & vel lingua tacente, tales edit clamores, qui à Deo facilè percipiantur. De Anna Samuelis matre habes *1. Reg. 1.* 1. Reg. 1 *Porrò Anna loquebatur in corde suo, tantummodò labia illius mouebantur, & vox penitus non audiebatur.* Et nihilominus quasi fortiter clamaret exaudita à Deo est. *Ambros.* Vnde exaudita, si vox eius non audiebatur? D. Ambros. ser. 17. in Ps. 118. ait, *Cum effectu redijt, quæ cum silentio precabatur, quia clamabat in ea spiritus Dei, qui etiam tacentibus nobis clamat, Abba pater.* Non longa supplicatio, non productus oris clamor, non linguæ vox opus est illi, qui spiritum adoptionis filiorum Dei habet, vt pulset genitoris aures; ille filij spiritus pro clamore est, qui semel infusus nobis, verba dimittit quasi non necessaria, vt exaudiatur. Ille per- *Luc. 15.* ditus filius, dum adhoc sederet porcorum seruus Lucæ 15. ait intra se: *Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cælum, & coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum de mercenarijs tuis.* Hanc longam, & clamosam orationem meditabatur, cùm seruus sederet, quam faceret apud patrem. Quid tunc? Surgit, vadit ad patrem; pater venienti occurrit, redeuntem amplexatur, osculatur; ille autem, vbi se inter brachia patris videt, ait: *Pater, peccaui in cælum, & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus.* hæc dixit, & tacuit, alia non addidit: nónne antè proposuerat se aliquid aliud petiturum? Vbi sunt illæ preces, quas meditatus fuerat, nimirum: *Fac me sicut vnum de mercenarijs tuis?* Cur modò nil orat, cur nil supplicat? Sanè antea in seruitute vixerat, se seruum agnoscebat porcorum, apud quos sedebat. & ideo preces longissimas meditabatur, quibus cœlestia pulsaret: modò inter patris brachia se videns filium agit, & vbi patris filium audiendi est affectio, filio non est necessitas postulandi, sed vel tacitum pater exaudit.

§. VIII.

Filij habitum qui exuit, raucè orat apud Deum.

ORaturus inberis Patrem Deum inuocare, vt noscas, quo te debeas habitu componere, nimirum habitu filij, vt ad Deum intres: habent enim sibi proprios habitus *2. Reg. 13.* regum filij. Ita 2. Reg. c. 13. de Thamar dicitur: *Induta erat talari tunica; huiusmodi enim filiæ regis virgines vestibus vtebantur.* Non aliter Dei filij fulgenti innocentiæ habitu insigniuntur: quem qui exuunt, pruinali compressi frigore prorsus raucescunt ad orandū. Propone tibi ob oculos primum hominem Adamum, qui primò filij Dei perfulgentem habitum induit, dum post peccatum à Deo requiritur totus *Genes. 3.* tremens, ait Genes. 3. *Vocem tuam audiui in paradiso, & timui, eo quòd nudus essem.* Cur non magis miser Deum supplicas? Cur pro te, & sponsa apud diuinum iudicem non magis oratorem agis? Sanè iam ipse causam insinuat, aiens, *eo quòd nudus essem;* cùm enim talarem filij Dei habitum exuisset, sic frigore compressus raucescebat, vt vix valeret ora- *Damian.* re. Ad hæc acutè D. P. Damian. lib. 6. epist. 17. fatur. *Quia illam iam innocentia sublata nudauerat, illius viscera extinctis amoris algor obstrinxerat, atque ideo vox illius in auribus Domini raucum sonabat.* Quid ageret raucus orator? Caue tibi Christiane, ne filialem habitum exuas, ne nuderis, talis te inuadet algor, quo nisi raucas preces minimè possis dare. Quisquis velit raucedinem in oratione cauere, imò gratam iudici, & sonoram vocem conseruare; hanc fugiens nuditatem fulgenti filij Dei habitu insigniatur. Iam filius prodigus redierat ad patrem, qui decreuerat ab illo petere, vt fieret sicut vnus mercenarius; verùm inter brachia acceptus antequam quicquam peteret, ait ipse pater ad seruos *Luc. 15.* suos Luc. 15. *Citò proferte stolam primam, & induite illum.* Scis nobilis pater à refuga filio decretum fuisse, quòd postularet à te officium mercenarij. cur non expectas hanc postulationem? Cur antequam ipse postulet, tu de veste solicitus, nil magis curas, quàm quòd vestiatur? Nouerat raucedinem, quam miser refuga contraxerat ex nuditate; & ideo, & frigus, & raucedinem metuens oratori, priùs illum splendenti filiorum Dei habitu confoueri, & insigniri curat, vt de talis habitus beneficio in sua claritate vox orantis custodiatur. Tantum hæc non dixit Euthym. fatus: *Euthym.* *Proferte stolam primam pretiosissimam, quæ est purificatio, aut gratia, quæ custodiatur.* Quippe gratiæ amictus non solùm ornat, sed & custodit animam ab aquilonari bruma, ne frigore compressa in oratione raucescat.

Text. Sanctificetur nomen tuum.

§. IX.

Peccatori suspecta sit indulgentia, ex qua oriri solet exitij occasio.

CVm Deum Patrem nominasset, statim paternæ indulgentiæ periculum & metuit, & cauet, aiens, *sanctificetur nomen tuum*; hoc est, patris illud nomen, vsque adeò celatum, cedat nobis in augmentum sanctitatis, non sit ruinæ, & excidij occasio. Et quidem non semel indulgentia, & condescendentia, quæ exprimitur nomine Patris, accidere solet peccatoribus exitialis. Quia ignoret indulgentiam, & condescendentiam Aaronis erga populum Israel? Illorum votis vt indulgeret, non dubitauit vituli capiti erigere aras; venit tandem Moyses, & videns populi peccatum maximum, vehementissimè doluit, quasi iam videret summam eiusdem populi ruinam. & stragē. Quippè ait textus Exod. *Exod. 32.* 32. *Videns ergo Moyses populum quod esset nudatus (spoliauerat eum Aaron propter ignominiam sordis, & inter hostes nudum constituerat.)* Quæ verba apud Augustinum sic sonant: *Et cùm vidisset Moyses populum, quia dissipatus est, dissipauerat enim eos Aaron,* &c. Quid fieri potuit, vt Aaron dissiparet populum? Imò Aaron ne populū offenderet, ne contristaret, illi adeò indulsit, adeò condescendit, vt prorsus eius votis cederet: quomodo ergo, qui sic cessit, qui sic indulsit, populum dissiparet? Equidem nil magis solet perdere, & dissipare populum peccatorem, quàm indulgentia, & condescendentia, ideo qui sic peccatoribus indulsit, meritò dicitur illos dissi- *August.* passe. D. Aug. q. 149. lib. 2. ait: *Magis dictum est, dissipauit eos Aaron, quoniam cessit eis, quàm dissipauerunt se ipsi, qui tantum malum flagitauerunt.* En quoties indulgentia, & condescentia paterna occasionem præbet ruinæ, & dissipationis peccatoribus. Iam viderat Deus peccata Sodomorum, iam vltores Angelos miserat, qui funditus euerterent ciuitatem peccatricem. Angeli verò, vt rem executioni mandarent, sic *Genes. 19.* vrgent Loth iustum Gen. 19. *Festina, & saluare ibi, quia non potero facere quidquam, donec ingrediaris illuc.* Quid ais Angele Dei? Cur iubes festinare iustum? Si nihil mali inferre potes miseris, dum iustus non abest. sine morari iustum, sine vt lentè, & pigrè discedat, vt longiores inde dentur hominibus induciæ. Deus non iussit festinare iustum ad exeundum, imò supplicium differri iussit, & dilatari indulgentiam, donec ipse iustus exiret. Cur vos Angeli seueriores vultis in homines existere? Cur, cùm Deus lentat, vos acceleratis supplicia, & anxiè indulgentiæ tempora curtare nitimini? Non facit hoc in Angelis odium, sed amor miserorū, magis enim metuunt peccatoribus diuinam indulgentiam, quam supplicium: & sic supplicium accelerant, contremiscentes ad *Ephrem* indulgentiam diuinam. D. Ephr. in Loth fatur. *Creator super cælestibus virtutibus iussit, vt tantisper intentatas contineant minas, donec e media ipsorum iustus saluetur. Sed nunquid chorus Angelorum ad hanc tantam omnino is hominum longanimitatem contremuit? Et quis non perhorrescat iustum hanc iudicem?* Meritò horrent Angeli dilationem supplicij, meritò contremiscunt dum longanimem Dei indulgentiam erga peccatores vident, vt quæ in maiorem perniciem, & exitium peccatorum sit euasura. Contremisce & tu miser peccator, cùm. dum flagitiosè viuis, non obiurgantem, sed indulgentem Deum expertus. Tunc enim paterna indulgentia, non ad perniciem, sed ad sanctitatem conducit, cùm seueritati admiscetur, & sic parcit filiis, vt eorum vitia castiget. Post *Exod. 32.* occisos à Leuitis idololatras Israëlitas Exod. 32. ait occisoribus Moyses: *Consecrastis manus vestras hodie Domino, vnusquisque in filio, & in fratre suo, vt detur vobis benedictio.* Sic indulgentissimi diuini Patris nomen sanctificatur, & consecratur, & benedicitur in filiis, quando in illis corrigit vitia; quando sic bona sua in filios proficiscenda sic temperat, vt nullam præbeant occasionem ruinæ. Id quod meritò à Patre diuino iubemur postulare, cùm dicimus, *sanctificetur nomen tuum*, hoc est, sic in filiis vitia castiga, ne de paterna indulgentia trahant securitatem nociuam.

§. X.

§. X.

In oratione instar Angelorum efficimur.

CVm orare incipimus, iam meritò petimus in nobis nomen Dei sanctificari; cùm enim hæc sit Angelorum vox, vt Dei nomen sanctum prædicet, cur non ambiamus voces Angelicas, qui eò ipso, quòd ad orationem accedimus, iam instar Angelorum efficimur? Instar Angeli est, qui oraturus adest; liceat ergo illi sanctum Deum semel, & ter prædicare, cum Angelicis spiritibus. Pulcrè Tertul. de Oratione ait: *Cùm illa Angelorum circumstantia non cesset dicere, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Proinde igitur, & nos Angelorum, si meruimus, candidati iam hinc cœlestem illam in Deum vocem, & officium futuræ claritatis ediscimus.* Expende illud, *Angelorum candidati*; quippè vbi primùm nos orationi damus, iam Angelorum candidati efficimur, iam quasi in Angelicam sortem deputamur, & numerandi inter Angelos constituimur. Ad Tobiam aiebat Angelus cap. 12. *Cùm orabas tu, & nurus tua, ego orationes perferebam coram Deo.* Ecce vobis orantium chorus ex hominibus, & Angelis constitutus, quasi dum orationi assideant homines, similes cum Angelis consessum obtineant. Do D. Laurent. Iustin. de triumphali Christi agone cap. 6. *Optimè comitantur orantes Angeli, quoniam orationis instantia, quæ purè exhibetur Altissimo, sicut Angelorum est opus, ita Angelicum deprecantis efficit animum. Vnde sancti Angeli non immeritò exultant, atque famulantur orantibus, cum rationabiles spiritus corruptibili natura vestitos aspiciunt supra cœlorum altitudinem ascendere in spiritu, illósque tametsi non ita perfectè in terris agere, quod ipsi absque defectu vllo, aut temporis interuallo in cœlo perficiunt.* Itaque vbi orationi incumbimus, Angelorum ordinem statim subimus, sicque Angelicum efficimus animum, vt meritò inter Angelos percenseri possimus. De oratione loquebatur etiam D. Chrysol. serm. 43. vbi dicit: *Per hanc Elias nescit mortem, relinquit terras, cœlos intrat, commoratur Angelis, conuiuit Deo, & terrenus hospes supernas possidet mansiones. Per hanc Joannes fit Angelus in carne, cœlestis in terra, & totam solus capit, tenet, complectitur Trinitatem. Et nos fratres, si volumus Eliæ vitæ, Joannis virtutibus, omnium sanctorum meritis applicari, insistamus orationi,* &c. Quasi vnus illorum choris Angelorum inseritur, quisquis orationi dat operam: nec multum mirandum est, quando oratio potens est hominem in alterum commutare. De Iesu Domino dicitur Luc. 9. *Et facta est, dum oraret, species vultus eius altera.* quod ponderans Gillibert. Abbas serm. 15. in Cantic. fatur. *Altera facta est corporalis Domini species, cum oraret, & voluit per hoc in mente tua orationis commendare virtutem, quòd illa sit, quæ te in intimis alterum faciat, & nouum commutet in hominem. Nos, inquit Apost. 2. Corinth. 3. reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur, hoc est, in eandem, quam intuemur, transformamur.* Quidquid in oratione mente volumus, animo efficimur, & in nouum hominem, imò in Angelum, imò in Deum transformamur.

Tertull. Tob. 12. Laurent. Chrysol. Luc. 9. Gillibert.

Text. Adueniat regnum tuum.

§. XI.

Vbi filiorum Dei spiritum per Iesum accipimus, cœlestia omnia ad nos prosiliunt.

EXpende quid nos doceat petere ille Dominus, qui nobis potestatem dedit filios Dei fieri; quippe sic iubet petere, vt dicamus, *adueniat regnum tuum*; cur non potiùs diceremus: Eamus in regnum tuum? Cur non ire nos ad regnum, sed regnum potiùs ad nos venire petimus? Postquam filius Dei nobiscum est, nósque secum facit esse Dei filios, cœlestia omnia minimè ad se peruenturos expectant, sed magis ad nos deuenire festinant. Ezechiel cap. 1. *Cùm essem in medio captiuorum iuxta fluuium Chobar, aperti sunt cœli, & vidi visiones Dei.* Noua sanè, & insinuata cœlorum apertio, non enim ibi spectatur vox clamantium, & pulsantium, & dicentium: *Aperite portas Principes vestras*; imò ante pulsationem, ante vllum clamorem, iam cœli ostenduntur aperti, & patentes. Cur sic patent cœli? Exprimebat Ezechiel filium Dei inter suos iam captiuos agentem, quem dum speculantur cœlestia, non se continent, quin & omnia festinent ad nos descendere. Origen. hom. 1. in præsenti ait: *Aperti sunt cœli. Non sufficit vnum cœlum aperiri, aperiuntur plurimi, vt descendant non ab vno, sed ab omnibus cœlis Angeli ad eos, qui saluandi sunt. Obsequuntur saluti tuæ Angeli, & dicunt inter se: Si ille descendit, & descendit in corpus, si mortali indutus est carne, & sustinuit crucem, & pro hominibus mortuus est, quid nos quiescimus? Quid parcimus nobis? Eia omnes Angeli descendamus de cœlo.* Nequit regnum illud cœleste non se totum infundere, & venire ad homines, vbi inter illos videt Dei filium. Habes in te Dei filium, & inde te cœlestia non expectant, sed magis ad te ipsa venire festinant. Clamabat Dauid Psal. 143. *Domine, inclina cœlos tuos, & descende.* Cur cœlos inclinaret? Nónne ipse posset descendere, & venire cœlis in sua celsitudine manentibus? Veniat ipse, licèt cœli maneant, cur necessum est, vtrumque coniungere, nimirum, quòd descendat filius Dei, & quod cœli sese nobis inclinent? Sanè coniuncta ex se sunt hæc duo, & maximè coniuncta; vbi enim Dei filius descendit, iam parum est, quòd cœlestia omnia sese ad homines inclinent, imò sese effundant. Non longè abest D. Bernard. serm. 5. de Dedication. Eccles. inquiens. *Quid ni pro eis inclinet cœlos, pro quibus ipse quoque cœlorum Rex inclinauit se, ita vt digito in terram scriberet? Domine inclina cœlos tuos. Parum est. Et descende.* Vbi descensurus erat Deus, parum erat, quòd cœli inclinarentur, quandoquidem cœlestia omnia festinarent venire ad eos, inter quos apparebat Dei filius. Summo stupore correptus Ioann. Apocal. 21. ait: *Ego Joannes vidi sanctam ciuitatem Ierusalem nouam, descendentem de cœlo.* Cur non stupeat? Cur non hæreat mirabundus? Non vidit iam mulieris filios rapi in cœlum ad Deum, vt cap. 12. vidit, sed è contra videt totam cœlestem curiam, totum cœlorum regnum à cœlo descendere, & ad filios hominum venire. Quid protendat, tam nouum, & mirabile signum? Iam explicat dicens: *Et audiui vocem magnam de throno, dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis.* Quasi dicat: ne mireris ciuitatem cœlorum totam descendere ad homines; est enim apud illos Dei tabernaculum; & vbi Deus cum hominibus agit, non se continent cœlestia regna, vt expectent homines in se recipere, sed magis festinant ipsa ad illos venire.

Ezech. 1. Origen. Psal. 143. Bernard. Apoc. 21.

§. XII.

Nil putat homo sibi salutare, vbi Dei gressus non audit.

PVlchrè dicimus, *Adueniat regnum tuum*, nil enim sibi salutare homo auspicatur, nisi vbi Dei gressus audit: tunc Deum, sibi propitium, & salutarem noscit, cùm audit gradientem, cùm percipit ambulantem. Apud Ioann. 1. de Præcursore Domini dicitur: *Altera die vidit Joannes Jesum venientem ad se, & ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Nil antea de salutari Iesu prædicauit, quàm ad se venientem eum vidit, ex gressibus eius mundi salutem augurans. Ex quo Rupert. lib. 2. in Ioann. ait. *Qui hominibus non antea cognitus, ex eo cognosci, atque diligi cœpit, ex quo ambulare cœpit, de cœlo veniens in vtero virginis, de vtero in præsepe, de præsepi in crucem,* &c. Incognitus prorsus erat Dominus cùm in sinu quiescebat patris, ambulare cœpit, venire ad nos festinauit, & exinde apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris; exinde, nil in illo non salutare hominibus cœpit diuulgari. Quot enim Dei passus, tot salutes, tot gratiæ in homines dimanarunt. Item Ioann. 1. de filio Dei. *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. In propria venit,* &c. Dixit in mundo esse; & insuper addit, quòd venit; si iam ibi erat, quomodo dixit denuò, quod venit? Sanè dum venientem non ostenderet, vix ostenderet salutarem: *est equidem sanitas in pennis eius*, quæ tunc solùm cernitur, cùm pennæ explicantur ad volandum. D. Fulgent. lib. 2. ad Thrasymund. cap. 15. *Quomodo igitur in mundo fuisse dicitur, & in mundum venisse affirmatur? An illud est potentiæ, illud est gratiæ deputandum? Ita planè. Secundùm diuinitatem namque suam, neque cœlo vnquam defuit, neque inferno, neque mundo. Secundùm gratiam verò, tunc in mundum venit, quando pereunti mundo mira pietate subuenit.* Itaque & gratia, & salus iuncta est Dei gressibus, tunc incipit apparere salutaris, cùm incipit ad nos venire: tunc habes Deum salutarem, cùm venientis ad te gressus audis. De quo eleganter D. August. conc. 4. in Psalm. 103. ait: *Qui nisi veniret, misericordiæ iter periret*; quasi tunc solùm teratur misericordiæ iter, cùm Deus ad nos veniat; adeò, vt si venire ipse desinat, nec misericordiæ semita permaneat, sed quæuis occludatur.

Ioann. 1. Idem. Fulgent. August.

§. XIII.

Quo magis gratiosum, eo regalius est beneficium.

REgnum cœlorum in præsenti à multis vocantur cœlestia dona, & beneficia à Deo in homines profecta, & meritò regale nomen sibi vsurpant beneficia, quæ vt vltro veniant, simplici petitione postulantur. Quippe beneficium illud totam beneficiorum attingit maiestatem, quod nullis multiplicatis precibus, nullo labore oblato comparatur. Dabo pulcherrima verba Arnolphi Episcop. Lexouiensis

Laurent. epist. ad Laurent Abbat vbi fatur. *Pulcrum sanè & prædicandum beneficium, nulla suspensum dilatione, nullis redemptum precibus, nullis meritis comparatum. Nihil in eo fuit, quod beneficij minueret maiestatem.* Equidem tunc beneficia regalissima sunt, omnique suo splendore præfulgent, cùm nec merita expectant, nec longa expectatione, multiplicique prece comparari amant. Hinc beneficia diuina in nobis regnare

Coloss.1. colligit D. Paul ad Coloss. cap 1. fatus: *Qui eripuit nos à potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ.* Beneficium salutis à Deo in nos per Christum perfectum vocat regnum; cur vocat regnum? Ex excellentia doni immerentibus præstiti; eramus enim in potestate tenebrarum, & subitò inopinatò erepti, imò translati in lucem, vt filij lucis simus. Quod beneficium regalius? Quod beneficium

Chrysost. magis attigit totam beneficiorum maiestatem? D. Chrysost. homil. x. ibi: *Vide ergo, quàm multiplex fiat donum, quod in imo iacentes nos liberauit: sed & quod vt in plurimum exaggerat, inimicos, & obscuros, subitò quodammodo eò transtulit, vbi filius est.* Expende illud, nimirum, *subitò*, inde enim beneficij pandit regalissimam maiestatem, quòd nulla suspensum dilatione, nullis multiplicatis precibus emptum, nullis meritis fuerit comparatum. Regalissima sint omnia in nos à Christo Domino beneficia profecta, in quibus nihil inueniri potest, quod eorum imminuat maiestatem. Quod etiam in suis beneficiis exhibendis canit magnus

Genes.14. Christi parens Abraham; quippe is Genes. 14. postquam Sodomorum Regi hostes subiecit, sic illi gratias referenti, imò & munera offerenti fatur: *Extendam manum meam ad Dominum altissimum, qui fecit cœlum & terram: si à filo vsque ad corrigiam calceamenti sumam ex omnibus tuis, vt non dicam, quod ego ditaui Abraham.* Auxilium præstitit Abraham, Regémque ab hoste liberauit, & munera Regis repellit, nec filum sibi putat licere capere. quod ponderans D. Ambros.

Ambros. lib. 1. cap. 3. ait. *Quantum autem illud, quòd de præda victoriæ nihil voluit contingere, nec oblatum sumere? Minuit enim fructum triumphi susceptio, & beneficij arrodit gratiam.* Et regale, & triumphale beneficium illud est, in quo nihil inuenitur, quo eius arrodat gratiam, maiestatem minuat. Quod nulla dilatione suspensum, nullis precibus emptum, nullis sit meritis comparatum; vt hinc videas, quam regalia sint in nos à Christo Domino profecta beneficia.

Text. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra.

§. XIV.

Ne voluntas creata in terris labatur, præstantissimum opus est potestatis diuinæ.

QVæ voluntas creata, dum in terris existit, non se subtrahit voluntati diuinæ? Quis homo, etsi à cœlo dilapsus, si terram incolit, lapsus voluntatis suæ non experitur, & ruinas! Sanè quòd cœlestium incolarum voluntatibus parilem referant rectitudinem voluntates, quæ terram incolunt, maximum Dei opus est, & diuinissimum. Hinc est, quòd non iubemur petere, vt Dei voluntas fiat in cœlo, & in terra; sed quòd fiat in terra, sicut fit in cœlo. quasi in terris inueniri voluntatis rectitudinem parem cœlestium incolarum rectitudini, pro maximo sit opere potestatis diuinæ. Nouum & inauditum mirabatur specta-

Apoc.21. culum Ioann. Apocalyps. 21. vbi sic: *Vidi ciuitatem sanctam Ierusalem nouam, descendentem de cœlo, à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.* Non miraretur adeò sanctam Ierusalem in cœlo existentem. sed quod admirationem facit, illud est, nimirum, quod videat illam *descendentem de cœlo*, hoc est, quòd dum à cœlo exeat, terrisque appropinquet, adhuc dicatur descendere, & non potiùs cadere, funditus ruere. Vnde tantum miraculum potuit oriri, tam nouum, tam inauditum, cœlum relinquere, & ad terras venire, sine lapsu, sine ruina, absque eo quòd exorbitet à recta via? Cuius virtute tale opus fit? Ipse Ioannes insinuat, subdens illud, *à Deo paratam*; nisi maximè Dei præparante auxilio, fieri nequiret, quòd extra cœlum, in terris inueniretur creata voluntas, quæ non exorbitaret à tramite recto voluntatis diuinæ. D. Bernard. serm. 5. in dedicat. Ecclesiæ ait: *Hæc autem, quæ descendens apparuit, iam parata erat, sicut secutus adiunxit, à Deo paratam. Siquidem quòd descendunt, non cadunt Angeli sancti, diuina præparatio facit; à quo nimirum hæc ipsa eis, & voluntas præparata est, & facultas.* Bernard.

Nulla extra cœlum degeret creata voluntas, nec Angelica ipsa, sine lapsu, sine ruina, nisi à Deo præparationem, & confirmationem acciperet. Clarissimè enim patent diuinæ manus auxilia, in eo, quòd extra cœlum non erret, non labatur, non cadat creata voluntas. Imò in nullo magis Dei potentia exaltari videtur, quàm dum in terra existentes creatæ voluntates, parilem cœlestibus rectitudinem seruant. Psalm. 15. *Sanctis, qui sunt in terra eius, mirificauit omnes* Psal.15.
voluntates meas in eis. August. epist. 58. *Miras fecit voluntates suas inter illos.* Et qualiter mirandas fecit voluntates suas August.
Dominus inter eos, qui in terris sunt? Equidem mirum est, & diuinæ potestatis gloriosum insigne, sic omnes voluntates suas dirigere cum sanctis, qui sunt in terris, vt nec ipsi ab illarum deflectant rectitudine. Sanè in curialium ludis ille gloriosior apparet, qui non solùm cæteros vincit, dum ipse solus equum agit in cursum; sed & qui sic se rudioribus nouit attemperare, vt adiunctis singulis eam æqualitatem seruet in cursu, vt nec ipse, nec compar excedat transuerso vngue, sed sic pariles ferantur, quasi non duo sint, sed vnus. Hoc qui in stadio peragit, maximè exaltat, & mirificat cursus suos: inde ergo diuina voluntas se ad miraculum extollit, inde maximè exaltatur; non ex eo, quòd ipsa sola vniuersa perficiat; sed ex eo, quòd adiunctis terrenis hominibus, sic se attemperet illis, vt in terreno stadio adeò pariles currant, vt omnimodam æqualitatem, imò vnitatem exhibeant. Hinc Isai ad terrenam Ierus. locutus ait c. 62. *Eris* Isai.62.
corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui. Non vocaberis vltrà derelicta; & terra tua non vocabitur ampliùs desolata, sed vocaberis voluntas mea in ea. Quibus expendendum maximè est, quod Dominus pro gloriosi regni sui exaltatione, & commendatione, non aliud facinus proponat, contentus exhibere ciuitatem terrenam, quæ sit, & vocetur *Dei voluntas*; quippe ait, *vocaberis voluntas mea in ea.* Quid gloriæ ex hoc percipiet Dominus? Multum per omnem modum: quod enim terrenorum hominum voluntates sic addictæ, & affixæ sint diuinæ, vt in terreno cursu non tam videantur duæ, quàm vna, hoc gloriosum reddit Dominum, & conspicuum, illique regiam gloriam, & decorem impertitur. Nec longè abest Fornerius ibi, dicens. Fornet.
Dominus Iesus Dei filius tunc se regem putauit, quando sibi addictos homines illos aspexit. Tunc se coronatam in stadio dixit, cùm adeò affixas suæ voluntates hominum videret, vt parilem, imò vnum cursum conficerent.

Text. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

§. XV.

Pecuniarum cupiditas nunquam non nociua.

DVm licet temporale subsidium à Deo requiri, vide qualia petantur bona, nimirum, panis quotidianus; cur non magis pecunia, quæ temporalium bonorum fundamentum est? Panem iubemur petere, non pecuniam, quam suspectam haberi ab hominibus amat Deus, vt quæ causa sit vniuersi excidij humani. Num. 21. dum Israelitæ per desertum errarent, percussi hinc inde à serpentibus ignitis miserè peribant. Tunc Moyses de præcepto Domini: *Fecit serpentem æneum, & posuit eum pro signo, quem cum percussi aspicerent, sanabantur.* Exaltauit igitur Moyses æneum serpentē, lignóque affixit, pro medela Israëlitarum. Sed cùm illi à viuis serpentibus percuterentur, cur non magis exaltatus, & ligno affixus fuit aliquis verus serpens ex his, qui damnum inferebant? Nónne posset Deus dare Moysi potestatem supra illos serpentes, vt caperet aliquem illorum, & ligno affigeret? Cur æneum serpentem maluit? Crediderim, id factum esse, vt ostenderetur ruina populi, non tam venire ex serpentibus veris, & viuis, quàm ex ære, qui auarissimis hominibus causa est omnium cladium. Ad hæc eleganter D.
Ephr. de Pœnit. sic loquitur: *Quando peccauit populus, Moyses* Ephrem.

sæpe

imperabat ijs, vt serpentem concifigerent; hoc est, peccatum destruerent: & non se it illam inanem, & vacuum, sed sufiirm statuam ære solidam. Quid ita? Vt ostendat tibi, quòd perfectè auersari debes omnem malitiam. Totúmque eum æneum fecit, quoniam radix omnium malorum est auaritia. Non serpentes, non aduersæ potestates, tot clades afferunt, quot auaritia; non tot homines perduntur ab hostilibus incursibus, quàm ab ære pecuniarum. Quod si spiritualibus his veritatibus liceret aliquod ingerere negotium temporale, non fuerit abs re Hispanorum Monarchiæ in præsenti aliquem serpentem æneum exaltari, vt videant suæ ruinæ causam, & sanentur. Quis neget Hispanos his annis ab infestissimis serpentibus, rabidissimis hostibus hinc inde impugnari, & forsan morderi? Quorum malorum medelam ille afferret, qui serpentem æneum exaltarit, qui æneam pecuniam ollentui posuerit, quæ dum argentum, aurúmve exsufflauit, Hispanorum robur confregit, vt vix ab inimicis se possit liberare. Sed mitto temporalia temporalibus, dum clades animorum perpendo, quæ non tam à vero serpente, quàm ab ære pecuniarum nascuntur, & omnimodam ruinam populis afferunt. Quippe cum pecuniis rarò non perditur anima simul, & vita. De auarissimo illo Matth. 27. proditore dicitur Matth. 27. *Et proiectis arg. teis in templo recessit, & abiens laqueo se suspendit.* Ab argenteorum effusione abiit continuò in suspendium; cur sic curris ad mortem miser? Quæ te res in perditionem animæ, & vitæ sic coëgit? Solam video effusionem pecuniæ, quæ tam celerem inferat perditionem; nequit enim sola pecunia perdi, August. sed secum rapit auari hominis vitam. Accipite D. August. consequentiam serm. 128. de tempor. *Denique post redditum pretium laqueo se suspendit, vt qui se multauerat pecunia, multaret & vita.* Iunctæ sunt hæ duæ res in auarorum mentibus, & perditio pecuniæ, & vitæ: vbi pecunia effunditur, vitam effundi necessum illis est: à pecuniæ perditione statim in vitæ perditionem itur. Et quod malum non pariat auaritia? Multa de illius pernicie multi dixerunt: non nеCassiod. gabo ea Cassiodoro nonnulla, & pulcherrima prælibare. Is lib. 12. variar. 1. ait: *Reginam illam procacium vitiorum auaritiam fuge, cui cuncta crimina detestabili deuotione famulantur: quæ dum pectus hominis ingressa fuerit, gregatim quoque malefica cohortes admittit. Fieri non potest recepta, quia nescit esse solitaria. Agmen habet blandissimum: arma suscipit ex talentis*, &c. Non sic sub æreis armis superbientes milites formidabiles sunt, vt formidabilis est auaritia, quæ ex pecuniarum ære arma sumit. Ex nullo conflatorio tam nociua arma nascuntur ad perdendum orbem terrarum, vt nociuus est amor pecuniæ. Et arma, & pecuniæ à conflatorio generentur, vt ostendant ex vtero quales flammas ad Genes. 15. perdendum mundum concipiant. In Genes. cap. 15. dicitur. *Cùm ergo occubuisset Sol, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens*, &c. Quod Damian. cum auaritia componens Petrus Damianus lib. 1. epist. 14. ait. *Fumans ergo clibanus tenebrosam caliginem generat, quia caminus auaritiæ, qui in hominum pectoribus æstuat, multis peruersitatum tenebris mundum pestilenter obscurat.* Ecce tibi, quos ignes pariant pecuniæ, nascuntur ipsæ in camino ardenti, inter flammas, & fumos, sed longè ardentiores generant caminos, qui instar æternorum ignium simul obscurent, & Chrysol. exurant mundum. Pulchrè ad hæc D. Chrysol. serm. 29. *Aurum nascitur in terra profunda, sectatur ipsa montium fundamenta, pérque ima venarum cæcis discurrit anfractibus, & dum sua semper repetit ad naturam, cœlestes animos ad infernæ deponit, obscurat sensus semper, alta mentium semper in terrena demergit. Auri furor ardentius humana feruet in pectore, quàm caminus totus ignescit incendijs; & aurum homines dissoluit in terra, quàm soluitur in calore flammarum.* Sic camini, qui ex auri amore consurgunt, & ardentiores, & obscuriores sunt caminis, in quibus aurum conflatur.

Text. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

§. XVI.

Tanta est malitia peccati, vt ad illius veniam quasi nolit Deus venire, nisi ducente alio.

A Deo panem quotidianum petimus, nec dicimus: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, sicut & nos panem indigentibus damus. Verùm cùm delictorum petimus veniam, sic petimus: *dimitte nobis debita nostra, sicut*

& nos dimittimus, &c. Cur ergo in panis exhibitione non petimus a Deo, vt nos spectet, nostramque æmuletur liberalitatem; in veniæ autem largitione, sic petimus dimitti, vt nos exemplum dimittendi proponamus? Ea est grauitas peccati, ea insinuas in illo turpitudinis, vt nolit Deus ad eius veniam accedere, nisi post alium. Ille Deus, qui se omnium virtutum ducem, & exemplum ostendit, vbi ad malitiam peccati dimittendam deuenit, ordinem inuertit, & ducem sibi, & exemplum quærit, post quod ipse parcat. Quò respiciebat D. Nyssen. in præsenti orat. 5. fatus: Nyssen. *Quemadmodum Deus bene, ac rectè agentibus ad imitandum propositus est, sicut dixit Apostolus: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi; ita vice versa, modò tuam affectionem Deo ad bonam pro exemplo esse vult, atque ordo inuertitur, vt audeamus sperare futurum, vt Deus nostra facta imitetur.* Ordo inuertitur, vbi Deus ad veniam peccatorum procedit, ad quam non primus ipse, sed post alium venit: nec ducem ibi vult agere, sed alium quasi ducem spectat, vt in rebus nimis suspectis sapientes viri agere consueuerunt, Iob a Deo percussus multas ab amicis contumelias accepit, doluit sanctus vir sub amicorum iniuriis, peccarunt maximè amici in virum innocentem: sed tandem eius innocentiam reuerentur. Res iam ad Deum deducitur, vt ipse, qui videbatur Iobo iratus, eidem per nouam bonorum largitionem reconcilietur, & illius amicis amplissimam largiatur veniam. Quid tunc Dominus? Quid ille potentissimus bonorum fons? Ait text. cap. 42. *Sumite ergo vobis septem tauros,* Iob 42. *& septem arietes, & ite ad seruum meum Iob, & offerte holocaustum pro vobis; faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia.* Non ante Deus ipse vult procedere ad veniam, quàm videat Iobum iniuriosis amicis parcentem; suscipiam, inquit, faciem Iobi, hoc est, notabo priùs qua facie, quo vultu erga vos sibi iniurios homines sit Iob; & eius secutus morem, inde post ipsum ad veniam, & largitiones procedam. Ad hæc D. Gregor. lib. 35. Moral. c. 6. *Intuendum* Gregor. *verò est, quia ita cautè ordo accepta venia custoditur, vt in sacrificijs Dominus non illorum, sed beati Iob faciem suscepisse referatur; qui tanto citiùs audiri meruit, quanto deuotè pro alijs intercessit.* Quibus maximè ponderanda sunt illa verba, nimirum *ordo accepta venia custoditur*; quippe ille semper à Deo in danda venia ordo seruatur, quo non ipse primus procedat ad veniam, sed alterius priùs faciem suspiciat, pòst quem ipse immediatè, & non antea ad veniam largiendam prosiliat. Non equidem Deus vult primus ad veniam peccati venire, sed post te, post alterum procedit, quasi misericordis hominis vestigia secutus. Cùm Israel captiuitate Ægypti excussa versùs desertum iret, præcedebat Dominus in columna nubis tanquam Dux itineris, quem populi sequeretur exercitus. Tandem armati Ægyptij dum persequuntur Israëlem, peruenit Israel ad litus maris rubri. Quid tunc? Ait textus Exod. 14. *Tollénsque se Angelus Domini, qui* Exod. 14. *præcedebat castra Israel, abijt post eos, & cum eo pariter columna nubis, priora dimittens post tergum stetit.* Qui antea præcedebat Dominus, modo sequitur; cùm ab Ægyptiis molestati Israëlitæ per mare rubrum viam quæsituri sunt, tunc Dominus nequit præire, sed se post Israelitas ingressurus constituit. Cur ibi non primus, sed postremus Dominus? Rationem aliquomodo insinuat Rupert. lib. 5. in Exod. c. 35. Exod. 35. inquiens. *Nam vbi ad baptismum accessimus, ipsa per passionis eiusdem Sacramentum post nos stare cœpit.* In baptismo Christiano peccata hominum suffocantur, remittuntur; & meritò, qui in cæteris virtutibus amat præcedere, vbi Israelitæ agitati ab hostibus perueniunt ad mare rubrum, in quo baptismalis remissio adumbrabatur, primas cedit Dominus, & post omnem Israelem se constituit, non processurus, nisi post alios ad remissionem; hoc est, postquam viderit, qualiter alij hostibus suis remittant. Et quidem quotiescumque habentes inimicos ad veniam, & remissionem peccatorum obtinendam accedimus, Dominus post nos stare incipit, vt faciat nobis, quod nos fecerimus.

Text. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.

§. XVII.

Præcipuus Christi Domini triumphus, peccandi occasiones suis fidelibus eripere.

NOn iubemur hic postulare, vt à regno peccati liberemur, vt à diaboli eripiamur tyrannide; sed vt ab

impugnatiòne tentationum, liberi, & incolumes asseramur. Et quidem hoc Christus suis hominibus acquisiuit, quod iubet postulari, nimirum quòd efficacibus peccandi
Marc. 11. occasionibus eripiamur. Eò spectauit Dominus Marc. 11. dum ficui maledicens, ait: *Iam non amplius in æternum ex te fructum quisquam manducet.* Hæc tota erat causa diuinæ viæ, vt ficum infrugiferum redderet? Quid Iesu, & ficui? Cur ex omnibus arboribus solam ficum steriliter multauit? In ficu vidit totam occasionem peccati; eius enim pomis virus suum antiquus serpens iniecit, qui & primos homines, & vniuersos prostrauit, vsus enim ficu, pro ilice Euam, & Adamum traxit ad peccatum. Id noscens Iesus, & in ficu occasiones peccati præuertens, præcipuum sui aduentus triumphum putauit, si occasiones, & tentationes peccati adeò potentes, & efficaces suis hominibus infir-
Isid Pel. maret. Accinit D. Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 51. fatens. *In hac re arcanus quidam sermo aduexus est à senibus sapientibus ad nos grassatus, nempe hanc transgressionis arborem esse, cuius etiam folijs ad corpus tegendum, hi, qui mandatum violarunt, vsi sunt. Ac proinde Christus humano, ac misericordi animo, huc ei imprecatus est, vt ne posthac fructum peccati causam ferret.* Non de paruo erat Iesu triumphus, si occasiones efficaces peccati amputaret; imò nil principalius curauit, ad hoc, vt securos redderet homines suos, quàm peccati causas infringere, & funiculos trahentes in iniquitatem secare.
Cant. 2. Cantic. 2. *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Apud Septuag. iuxta D. Ambros. ait: *Prospiciens per fenestras. eminens super retia.* Et maximè ponderandum est, quòd veniens Dominus ad nostra liberaturus hominem à diaboli tyrannide, nullibi prius appareat, quam super retia. Nónne nobilis Dux noster prius atrium fortis intraret, vt eius potentiam eriperet? Nónne satius supra diamãtinum murum appareret, signum iam erigens salutis? Cur sapientiæ voces ad arcem, & ad mœnia vocantes dissimulans, maluit ad retia, ad laqueos venire, & hæc pedibus suis conculcare eminens, super illa? Sanè in laqueis, & retibus vitiorum erant lenocinia, & illices rapientes homines in peccatorum ruinam; nec paruam victoriam putauit, si hæc retia confringeret; imò non solùm cùm portas æreas, & munitissima peccati atria espugnaret, sed & cùm retia, hoc est, peccati occasiones infirmaret, putauit conducere liberationi hominis, & sa-
Ambros. luti. Ad hæc D. Ambros. serm 6 in Psalm. 118 inquit. *Plena erant omnia laqueis referta retibus. Audi dicentem: In via hac, qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi. Venit ad laqueos Iesus, vt Adam solueret, venit liberare quod perierat.* Nec minimus esset diuinæ viæ triumphus, si laqueos frangeret, si lenocinia viciorum infirmaret, si occasiones, & tentationes peccati suis hominibus eriperet. Hinc est, quòd iam iam salutem humanam tractaturus, dum desertum ingreditur, vt de diaboli dolis experimentum nobis relinqueret, mundialia omnia sibi ob oculos poni permittit.
Matth 4. Quippe ait Matth. 4. *Ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum.* In mundi regnis glorias, coronas, principatus, diuitias, voluptates vniuersas proposuit. Cur Dominus pauper, & humilis hæc sibi ante oculos versari passus est? Cur non magis tyrannidem dæmonum in homines? Cur non magis peccati regnum sibi proposuit, quod expugnaret? Sanè nobilissimus medicus salutem suorum meditabatur securam, si omnem occasionem morborum in medium produceret, & confringeret. & ideo maluit in primis videre regna mundi, & gloriam illorum, quàm peccati regnum, & miseram hominum seruitutem, vt quæ
Paschas. nascatur illinc. D. Paschas. lib. 3. in Matth. de Iesu mundiales glorias aspiciente in præsenti, inquit: *Eo nimirum aspectu iuxta humanitatem fuit, quo medici solent conspicere omnia morborum genera, sine vllo læsionis vulnere, vt per hoc ab his suos mederi possit ægrotos, & saluti eorum, qui nondum ceciderunt, consulendo, diligentiùs prouidere.* Tunc equidem medicus saluti hominum prospicit, quando morborum genera ex causis, & occasionibus, & radicibus optimè callet: quando prænoscens perfectissimè occasiones, & causas morborum, totam suam artem accommodat, vt hæ in effectum non prosiliant. Ita Dominus, vt perfectissimè saluti hominum prospiceret, nil prius curauit, quàm omnia regna mundi, & gloriam illorum, in medium proferre, à quibus, & lenocinia omnia, & occasiones, & tentationes vitiorum exurgunt, quæ vel à conspectu huius salutiferi serpentis infirmatæ, nequeunt iam tam efficaciter obesse humanæ saluti.

CAPVT IX.

De ieiunio, & alijs virtutibus.

SERMONIS in monte habiti finem in præsenti facio, in quo variæ de virtutibus sententiæ perstringuntur ab Euangelista, quarum singularum cohærentiam inter se non multum curat Maldonatus, putans ab Euangelistis non exaratas fuisse Domini conciones, ita completas, vt fuerant ab illo editæ, sed selecta, & explicata diuisim principaliora earum puncta. Igitur in ieiunio, sicut & in cæteris virtutibus omnem inanem ostentationem iubet Dominus vitari, adeò, vt quantum in nobis est, nihil in vultu, nec in colore faciei prætendamus, quod nos ieiunatores prædicet hominibus; contenti vni Deo placere, cui bonitatem exhibeamus occultum. Nihil extra cœlum nobis thesaurizemus, ibi enim secura sunt, quæ reponuntur; in terris quid securum? Thesaurizatio hæc nostra, non tam manibus, quàm oculis fit; ex intentione enim censentur omnia, quæ à nobis fiunt. Si intentio nostra lucidissimos cœli axes spectat, omnia in nobis lucida, splendida, æternum duratura: quæ tenebris opprimuntur, vbi intentio ad tenebrarum harum principatus dirigitur. Nec putet quis, quòd poterit inter cœlum & terram suam intentionem vtiliter diuidere, adeò, vt Deo placeat, & opibus acquirendis incumbat. Absit hoc; non enim duobus contrarius dominis benè seruitur; quare, qui sapiens est, sollicitudini temporalium renuntiet, vni sese Deo committat: cui non frustra commissa sunt, & cœli volatilia, & agri lilia; imò illorum pascua si spectes, Deum procuratorem inuenies; si horum vestes inquiras, Salomonis ridebis aureas fibulas. Et quidem hæc vedebunt illi, cui vnus Deus est in primis. Quòd si videris aliquem curis tẽporalibus distentum, non tamen in illum præproperam feras sententiam, sed tibi caue, & cura præiudicare tua, & aliena non aspicere. Habenda tamen aliqualis ratio est, ne cum brutescentibus hominibus sanctitatis consilium communices; illorum consortium fugies, si Deum ores, qui cùm pater sit indulgentissimus, desiderantibus manducare panem filiorum, non porriget scorpiones, vt eorum perdantur veneno. Quippe potens est Deus tibi reddere salutares omnes homines, quod fiet hoc vnico medio, si tu illis salutaris extiteris; quidquid enim boni præstiteris hominibus, hoc tibi reddetur ex illis. Quam veritatem tibi persuadet vniuersa lex Dei, & Prophetæ; cùm eo spectent omnia Dei verba, vt post Deum, fratribus benefici simus. Sic connecto Domini verba huc vsque tradita, & explicata: in quibus finitur concio in monte facta; etenim pauca, quæ restant, ad tractatum de similitudinibus spectant.

Matth. 6. Cùm autem ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes; exterminant enim facies suas, vt pareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam.

§. I.

Non durat malum, vbi mortis pallor ob oculos versatur.

ECce vobis tristissimorum hypocritarum opus, & ingenium; *exterminant facies suas*; D. Hilar. legit, *conficiunt* Hilar.
facies suas; D. Chrysost. aliter: *Corrumpant facies suas*; hoc est, Chrysost.
artificiosè euacuant facies, & vegetum colorem in pallidum conuertunt, pallidis cadaueribus non absimiles. Et cuius gratia viuidissimi homines, se in mortuorum similitudinem deformant? *Vt pareant hominibus ieiunantes.* Vtinam se in similitudinem mortuorum deformarent, non vt sic apparerent alijs hominibus, sed vt apparerent sibi: fallar, si quod in eis malum diutius persisteret. Atentes dentes, lurida labra pallentia ora, obnubilata lumina, & penitus exterminatam faciem, cadaueri similem, si non alijs, sed sibi ostenderẽt hypocritæ, non dubito quin ad vitam redirent lætissimam, & æternũ effugerent supplicium. Quod malum nõ fecit sistere pallida mortis effigies, puluerulẽtus vultus? Duos notabam aliquando diuinæ iræ fulmine percussos, alterum hominem,

hominem, alterum Angelum; hunc à cœlesti, illum à terrestri paradiso exclusum. Sic hominem percutit diuina ira Genes.3. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec in terram, de qua sumptus es, reuertaris.* Damnatur miser, sed damnationis terminus constituitur, vbi dicit, *donec in terram*, &c. non sic Angeli damnatio est; sed absolutè mittitur in interminabilem ignem. Cur Angelo pœna sine termino datur, & hominis pœnæ terminus constituitur? Sanè Angelo nullus erat puluis, nulla terra, quæ obiecta oculis, nullum in eo malum durare permitteret. Acutè, vt assolet D. Bernard. in Declamationibus, ait: *Tempus mihi constituit. Mihi dicit* donec: *illi æternum parat. In sudore, inquit, vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es. Miser ille Angelus de terra sumptus non est, nec in terram aliquando rediturus. Propterea non habet donec, sed ignis ei paratur æternus.* Posset & ipse reprobus Angelus se ab æterno liberare præcipitio, si puluerem haberet, quem sibi ob oculos statueret: cui puluis defuit, & defecit remedium malorum omnium, & defuit terminus ruinæ. Felix ille, cui licet ponere ob oculos mortalitatis puluerem; hic vel in mediis præcipitiis subsistens liberatoris diuini in se ostendet & curam, & virtutem. Ad Saulem iuuenem dicebat Samuel 1. Reg. 10. *Et hoc tibi signum, quia vnxit te Deus in Principem. Cùm abieris hodie à me, inuenies duos viros iuxta sepulchrum Rachel.* Proh nobile, & regale diuinæ electionis signum, quòd occurrat nobis Rachelis sepulchrum, quòd humanæ pulchritudinis cineres ob oculos existant! Cui hoc datum est, vt habeat ob oculos pulcherrimarum formarum puluerem, luctuosam non timeat seruitutem, sese assertum gaudeat inter regni filios. Iacob exul à patria agebat iuxta fontem Genes. 29. *Et ecce Rachel veniebat cum ouibus patris sui, nam gregem ipsa pascebat. Quam cùm vidisset Iacob, & sciret consobrinam suam, ouésque Laban auunculi sui, amouit lapidem, quo puteus claudebatur, & adaquato grege osculatus est eam. Et eleuata voce fleuit,* &c. Vna Rachel luctum Iacobo affert, & Sauli regni auspicium; cur tam diuersi affectus ab vna pulcherrima puella nascuntur? Cur Iacob lachrymas tunc mittebat, quas non misit, cùm exul à parentibus, tot diebus in deserto agebat peregrinus? Cur Saul electionis diuinæ, & regni sumebat signum? Sanè Iacob oblata est Rachel in toto suæ pulchritudinis splendore; in quo latentes insidiæ, doli, quatuordecim annorum seruitutes, & omnia fomenta luctuum: verùm Sauli oblata est Rachel sepulta, in puluerem redacta, in cuius conspectu excitatus mortalitatis propriæ puluis, & ob oculos positus omnem consumit materiam luctus, & diuinæ electionis, regníque venturi præbet auspicium. Et quidem turpissimus est, & penè reproborum Pharisæorum instar, quisquis videns sepulchra pulchritudinum humanarum, adhuc insudat temporalium bonorum seruitute, subque cupiditatum gemit iugo. Apud Matth. 19. quærentes Pharisæi à Iesu, an liceret maritis vxores dimittere quacumque ex causa; diuinum responsum accipiunt, id minimè licere. Quid tunc? Aiunt ex ore Pharisæorum discipuli: *Si ita est causa hominis cùm vxore, non expedit nubere.* Expende quàm serò sapiant Pharisæi; viderant sæpè pulcherrimas fœminas mortis falce demessas, nigris incarcerari sepulchris; viderant floridissimos ætatis annos pallido mortis horrore marcescere: viderant vermibus dari eas, quibus aras erexerat, & dederat mundus cultum; & nilominus vsque nunc non putarunt obiiciendum humanæ seruitutis iugum. Pulchrè D. Nazianz. orat. in hæc Euangelij verba, inquit. *Nunc hoc dicis Pharisæe, quòd nequaquam expedit vxorem ducere? Prius autem nesciebas orbitates, mortésque intempestiuas, ac plausus successorem luctum, & inter nuptias sepulchra.* Instar reprobi Pharisæi errat, qui humanorum splendorum frequentissimos occasus videns adhuc expectat, vt sese expediat ab humanis officiis.

Genes. 3.
Bernard.
1. Reg. 10.
Genes. 29.
Matth. 19.
Nazianz.

§. II.

Temporalium affectus dolos, & fallacias pariunt.

QVorum studium est totum, vt appareant hominibus ieiunantes, vt hominum venentur plausus, qui sunt, nisi hypocritæ, fallaces, nusquam non dolos meditantes, & mendacia. Quippè ex animo temporalibus infixo, nil citius prodit, quàm dolus, quàm fallentiæ, quàm mendacia; adeò vt ex his totus homo censeatur temporalis. Psalm. 28. de bono, & perfecto viro dicit: *Qui non accepit in vano animam suam, nec iurauit in dolo proximo suo.* Expende hoc secundum assertum, nimirum, *nec iurauit in dolo*; hoc est, minimè dolis, simulationibus, mendaciis vacauit. Vnde hanc tantam ebibit virtutem, vt omnes dolos, & simulationes à se fugaret? Dixerat id primis illis verbis: *Non accepit in vano animam suam*, non affixit illam caducis his rebus, & mundialibus vanitatibus, sed firmissima, & æterna spectauit. Acutè D. August. *In rebus non permanentibus non deputauit animam suam, sed æternitatem stabilem, atque incommutabilem desiderauit: & ideo, sine dolo, sicut simplicia, & non fallacia sunt æterna, ita se præbuit proximo suo.* Ille solus non loquitur in dolo, nescit fallere, qui spectat æterna, qui ab animo suo abigit temporalia omnia, & minimè permanentia; reculæ enim istæ temporalium commoditatum, dolos pariunt, & mendacia, & simulationes. Vbi temporalium amor te ceperit, statim sese prodit in dolis, in simulationibus, in mendaciis. Pulchrè Oseas cap. 12. *Ephraim pascit ventum, & sequitur æstum: tota die mendacium, & vastitatem multiplicat: & fœdus cum Assyrys iniit, & oleum in AEgyptum ferebat.* Cui ventus esca est, nil mirum quòd ructet mendacia: pascit ventum Ephraim, hoc est, iuxta communem expositionem, euanidam mundialium gloriolam, hominum laudes, & æstimationem sectatur; & inde totus effunditur in dolos, in simulationes, in mendacia. Sanè qui ventum pascet, implens ventrem vanis his temporalibus reculis, fallacibus mundi bonis, abdubium, quin ipse, & fallax, & mendax, & dolosus, & simulator efficiatur. Quis ignoret simulationem illam, & mendacia Ananiæ, & Saphiræ? Eò hi deuenerunt audaciæ, vt non timerent mentiri Spiritui sancto. Sed vnde huc deuenerunt? Non aliunde, nisi ex eo, quòd cœperunt ventum pascere: cœperunt gloriolis humanis delectari; cœperunt impleri vanis his, & fallacibus mundialium splendoribus, & inde statim simulationes, & mendacia effingunt, quibus nituntur, & imposturam facere Spiritui sancto. Accipite verba D. Petri ad illos facta Actor. 5. *Dixit autem Petrus, Anania cur tentauit Satana cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri?* Expende mendacij causam, nimirum, *tentauit Satanas cor tuum*; expressiùs in rem præsentem Syra lectio: *Quid est, cur sic impleuit Satanas cor tuum?* Impletus est Anania, saturatus est à Satana, non solido cibo, sed vento; quandoquidem stimulante Satana, imò insufflante, dum sese bonis Anania euacuat, vanissimos humanarum laudum ventos pascit; quibus nescit non eructare simulationes, & mendacia. Ad hæc D. Basil. serm. 1. de Instit. Monach. ait: *Anania humanæ gloriæ cupiditate inductus, quidquid in bonis habebat per professionē Deo consecrauit, quo videlicet egregio facto hominum de se admirationem excitaret, de pretio autem callidè postea nescio quid intervertit.* Post depastos ventos, post humanas gloriolas spectatas, statim subdola exoritur calliditas, & fallacia, & simulatio, & mendacium. Nescit temporalis amor aliud præter hæc eructare: nouerunt mendacia, & simulationes fontem suum, nimirum affectum temporalium. Psalm. 115. *Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax.* Qui homo adhuc est humana, & mundialia diligens; qui nondum in sortem diuinam transit, amans tantùm cœlestia, & æterna, sed adhuc temporalibus seruitutum impendit, hucusque temporalis vitæ tenetur amore, is mendax est, fallax est, in dolis versatur, & mendaciis. Chrysost. ibi: *Ecce ita omnis homo, qui hanc vitam amat, mendax est; qui verò in virtutibus illam transmittit, mendax non est, eo quòd, qui talis est, non fit homo, sed Deus.* Dum Deus non est quis, dum in sortem æternorum non transit; sed vitam hanc amat transitoriam, totus fallax, & mendax habeatur.

Psalm. 28.
August.
Osee 12.
Actor. 5.
Basil.
Psal. 115.
Chrysost.

§. III.

Verus virtutis cultor, quæ in illa sunt tristia, dissimulat, celat.

QVis neget in virtutum exercitio laborem, imò & dolorem? Nónne à ieiuniis, à cilicio, à verberibus, & maceries, & pallor, & carnis tristitia oritur? Hypocrita totus est in propalandis, & ostentandis virtutum tristitiis, & doloribus; qui autem verus cultor virtutis est, quæ sunt in virtute tristia dissimulans, læta, & splendida præsefert. Ezech. 1. *Et vidi, & ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone: & nubes magna, & ignis inuoluens, & splendor in circuitu eius: & de medio eius quasi species electri,* &c. Sic venientem ad homines Deum vidit, quasi vehementem procellam humana decora conculcantem, exurentem, gladios ignésque eiaculantem. Verùm etsi notat à Domino complui ignem, Ezech. 1.

de igne tamen ait, *& splendor in circuitu eius*, nec aliud de illo nobis enuntiat. Non dicit, quòd ignis ardeat, quòd ignis exurat, sed quod splendeat, quòd illuminet. An Deus cùm ignem mittit in terram, non vult, vt ardeat? Non vult, vt cœlestis ignis. & gemitus extrahat ab hominibus, & humana corda mortificet? Equidem totum id præstat cœlestis ignis: sed quæ tristia sunt, in virtute dissimulanda, & tegenda sunt a veris virtutum cultoribus, sola aperienda lætissima. Origen. Origen. hom. 1. in Ezech. *Potuit dicere, ignis exurens, verùm piguit tristitiam nominare, & opus eius adscribere, ideoque pro pœnali vt splendorem tantum apposuit.* Piget veros virtutis cultores aliquid in virtute triste, & laboriosum, & vulgare; sed toti sunt in publicanda, & prædicanda & dulcedine, & decore illius. Vnde monebat Paulus 2. Cor. 9. bonorum suorum erogatores 2. ad Corinth. 9. *Vnusquisque prout destinauit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate. Hilarem enim datorem diligit Deus.* Sunt equidem in quouis virtutum opere tristia quædam carnali appetitui, sunt & læta animo cogitami; monemur ergo in eleemosyna, sicut in quauis alia virtute, nihil ex tristibus, nimirum ex his, quæ tristitiam pariunt, meminisse, sed ad læta solùm respicere; quo hilares, & læti afficiamur, sicut qui lætantur, & exultant de lucro, non qui de ruina murmurant, & tristantur. Rom. 12. Ait enim ipse Paul. ad Rom. 12. *Qui miseretur in hilaritate.* Theod. Quæ verba pulchro expendit exemplo Theodor. fatus. *Beneficentiæ lætitiam adiungit, erogationis bonorumque communionis lucrum ostendens, solent enim gaudere, qui lucrantur; hoc enim dicit, scribens ad Corinthios: non ex tristitia*, &c. Expende illud, nimirum: *Solent enim gaudere, qui lucrantur*, & propone tibi ob oculos vniuersos Reipub. operarios, eos videlicet, qui sudore, & labore vitæ alimonias lucrari contendunt; horum plurimos æstiuo tempore, in ærea fornace, seu flammante clibano torreri, & canere, hilares cantilenas intonare: alios brumali sub rigore terram fodientes, & risibus omnia implentes: alios inter ardentes tincturas iocantes; alios in quotidianis laboribus mille dicteriis gaudentes: vniuersos de lucris acquisitis gloriantes. Cur hi non potiùs lachrymentur? Cur non potiùs lamentationes sudorum, laborumque meditentur? Vnum spectant locrum, quod dum sibi obtingere norunt, labores dissimulant, & inter illos lætissimam semper præseferunt faciem. Sic virtutum studiosi operarij non ex tristitia, vt miseri hypocritæ; non laborum meditatores, & exaggeratores sub tristi ponderatione, & murmuratione conficiantur; sed lucrum respicientes, non vt qui perdunt, sed vt qui lucrantur, hilarem, & lætam semper ostendent faciem. Qui verus virtutum operarius est, nihil non lætum, Psalm. 18. & suaue in virtute ostendit. Psalm. 18. *Iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa. Desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum multum: & dulciora super mel, & fauum. Etenim seruus tuus custodit ea.* Iudicia Domini, durissima sunt carnali appetitui, seuerissimè vlciscuntur opera carnis; nunquam non tristitiam inferunt terrenis animis, vnde ergo sic dulcescunt, vt instar mellis, fauique sapiant? Aiunt verba illa: *Etenim seruus tuus custodit illa*, quandoquidem custos, & obseruator iudiciorum diuinorum verus Dei seruus est, nihil in illis insipidum, & acre, & amarum non dissimulat, solámque dulcedinem, & suauitatem publicat. Basil. D. Basil. *Iudicia Dei vera, iustificata nominauit, tanquam honores, ac supplicia legitimè mortalibus inferentia. Hæc & auro, ac lapide pretioso pretiosiora, & melle dulciora esse dicit; verùm non omnibus hominibus, sed veris.* Qui non verus virtutis operarius est, is nihil dulce, nihil suaue, & lætum diuinarum legum, & iudiciorum Dei in se ostendit, sed solùm quod amarum, & triste est, in illis præsefert: ast verus virtutis operarius amarores, & tristitias dissimulat, dulcedines in Apoc. 10. ore versat. Apocal. 10. *Accepi librum de manu Angeli, & deuoraui illum. Et erat in ore meo tanquam mel dulce. Et cùm deuorassem eum, amaricatus est venter meus.* Sensit sanè venter amaritudinem libri, hoc est, carnalis appetitus non potest Anselm. non offendi legum diuinarum frænis, quippè ait D. Anselm. *Amaricatus est venter, graue enim est nostræ carni ieiunare, & cætera, quæ præcipiuntur.* in ore autem melleæ sunt diuinæ leges: quidquid in ore versat iustus, quidquid ostendit in vultu, dulce est, dulcedinem, & hilaritatem spirans: amaroris tristitia dissimulata iacet, & vt res, quæ in ventrem vadit, in secessum mittitur. E contra miseri hypocritæ, ex virtutum floribus, solum tristem amarorem sugunt, quem versant in ore, & ostendunt in vultu.

§. IV.

Tristitia in virtutis opere infirmitatem fidei arguit.

BEnè hypocritæ tristes, quia tristitia in ieiuniis, & reliquis virtutum operibus, non stat cum vero fidei robore, quippè vera fides tristitiam exsufflat, ex iustorum animis. Siquis contristari debuit in virtutis opere, maximè Abraham, qui filium vnicè dilectum iugulaturus montem scandit, ædificat altare, ligna parat, desuper Isaacum ligatum apponit. Quid tunc? Genes. 22. *Extenditque manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium suum.* Genes. 22. Cur subitò ad gladium? Cur non antea ad fletum? Cur non priùs lachrymis, tristique gemitu dolorem suum filio manifestauit? Nullum tristitiæ vestigium, aut signum permittitur in Abrahamo, ne qui pater erat futurus credentium, videretur in fide minus firmatus. D. Zeno serm. de Abraham. 7. D. Zen. *Nemo plangit viuas exequias, & innocentis hominis obsequium, nemo ante fletibus rigat: ne pater dubitasse videretur, si fleisset.* Infirmam, & titubantem fidem semper comitatur tristitia in operibus virtutum. Duo illi primi fratres muneribus suis Deum solicitare nituntur; sed ex munere Cain ingentem lucratur tristitiam; ait enim Genes. 4. iuxta D. Ambros. lectionem lib. 1. cap. 6. Genes. 4. *In Cain verò, & sacrificia eius non respexit. Et contristatus est Cain valdè, & concidit vultus eius.* Vnde Cain munera tantam illi tristitiam attulere? Rem attigit Paul. ad Hebr. 11. inquiens. *Fide plurimam hostiam Abel, quàm Cain, obtulit.* Hebr. 11. Non Caini munera peiora fuerunt in substantia, vt notat Rup. sed infirmior erat offerentis fides, quæ fidei infirmitas tristitiam peperit, quando firma Abelis fides ei gaudia conciliabat æterna. Non admittit fides tristitiam in exercendo opere virtutum, in quo fidei robur est ad operandum: totus simul est lætitiæ fons. Postquam Sara Israëlitici populi risum peperit, nempè Isaac, sic aiebat Genes. 21. *Quicumque audierit, corridebit mihi.* Genes. 21. In verbo audiendi notant Lyranus, & Rup. & alij fidem, quæ est ex auditu; nec dubium, quem quicumque obaudiat, hoc est, credat, etiam & corrideat; quandoquidem a fide ingens profluit, & risus, & lætitiæ scaturigo. In quocumque enim intrat firmat fides, simul & intrat perfecta causa lætitiæ: vt dicat Paul. ad Hebr. 10. *Vinctis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem, & manentem substantiam.* Hebr. 10. Inde gaudium indeficiens mediis bonorum ruinis scaturiebat, quia fidei oculi meliora videbant. Calligasset fides, nisi ab illa gaudium, & lætitia scaturiret. Ideo clamabat Zachar. cap. 9. *Exulta satis filia Sion, iubila filia Hierusalem. Ecce rex tuus venit tibi iustus, & Saluator, ipse pauper, & ascendens super asinum.* Zach. 9. Meritò, vt regem in tanta paupertate videat, & cognoscat, vocat Propheta filiam Sion, nempè filiam speculationis, hoc est, Christianorum fidem, sed cur ad videndum regem in paupertate, vult, vt speculatio fidei exultet, & iubilet? Cur tunc maximè in fidei oculis exprimitur hilaritas, & lætitia? Quia in tanta paupertate, nempè in asini equitatu, cum lætitia, & exultatione videri regnum Christi, non potuit oriri, nisi ex maxima perfectione, & robore fidei. Pulchro exemplo id ostendit Drogo de Dominicæ Passionis Sacramento inquiens. Drog. *Nondum Ierusalem*, id est, clara visiò, *sed filia Sion, hoc est, specula. Ergo disce speculari, noli timere, quia timor oculum turbat. Hilaris pupilla lucidè speculatur. Fides pupilla est oculi tui.* Fidelium mysteria diuina speculantium in oculis pupilla fides est; vt ergo pupillæ infirmitas, & hebetudo ex oculorum tristitia colligitur, adeò, vt tunc solum acies oculorum appareat, quando pupilla, & hilaris, & læta videtur. Sic fidei valor & perspicacia, & firmitudo ex lætitia, & exultatione pensatur. Qui in virtutum labore, in ieiuniorum diuitie, in paupertate Euangelica, in carnis mortificatione tristis degit; huius fides debilis est, & infirma: quæ sunt à sensibus remota non percipit. In illo autem, qui aspera quæque cum gaudio suscipit, maximè fulget fidei perspicacia, & incolumitas; hilaris enim pupilla lucidè speculatur, & in eo solum est lucida speculatio, & cognitio cœlestium, in quo hilaritas est in exercitio virtutum. Quis enim clarè cernit bonorum magnitudinem in temporalium ruinis orientem, & cum gaudio non accipit bonorum rapinam? Pulchrè D. Zeno serm. de ieiunio ponderans, quòd à Domino iubeamur non esse in ieiuniis, sicut hypocritæ tristes, ait. D. Zen. *Tali ergo officio suscipiamus ieiunij gratiam, sicut Dominus docet, & non tristes, & mœsto vultu. Et quis est, qui tristis coronatur? Qui mœstus, & demisso vultu triumphet?*

triumphet? Quis vnquã tristis est, quòd sanus efficitur? Aut quomodo nõ probrosum est, maerorem de ciborum castigatione recipere maerorem, quàm gaudium de animæ salute? Qualis illa mens est, quam plus contristat interitus libidinis, quàm lætificat vita virtutum? Sanè ex hilaritate, & exultatione, qua quis se ad virtutum exercitia præcingit, manifestè patet, & sanitas, & perspicacia eius fidei. Caligat fides, & titubat, dum tristes præsident, & demissos vultus: dum autem vera bona clarè, & dilucidè cernuntur, & acquiruntur, hilaris est, & læta fidei pupilla.

§. V.

Solus Deus gaudij, & veræ lætitiæ author, nil lætum ab alijs.

CVr non tristes hypocritæ ieiunantes, vt placerent hominibus? Non equidem plausus humani, non creatura vlla, sed Deus solus est, qui verè exsuffiat tristitiam, & lætitiam infundit. Ex pristinis Patriarchis vnus Isaac ex matre sterili mille petitus precibus, mille oblatus promissionibus, miraculosè fuit genitus. Cur in generando Isaac, non naturæ opus, sed promissæ gratiæ opus voluit Deus attendi? Rationem attinges, si nomen Isaac interpreteris, significat enim Isaac risum, & pro gaudij, & lætitiæ veræ pignore dabatur parentibus, inde debuit generari a Deo specialiter prouidente, vt qui solus author est veræ lætitiæ inferendæ. Sic Philo lib. quòd deterior potiori insidietur; ait enim. *Opifex est Deus boni risus, & gaudij: itaque Isaac non vulgariter genitus, sed operante Deo credendus est. Nam si risus Isaac intelligitur, risus autem factor est Deus.* Vbi gaudium, & risus pariendus erat, cur non sterilesceret omnis natura creata? Sterilis est natura humana, steriles sunt creatæ potestates, vt tristitiæ veram expugnatricem lætitiam pariant, quam solus Deus in lucem edere valet. Omnia mundi prospera etsi adsint tibi, dum ab vnico Dei oculo non suspiciaris, nil tibi lætum promittes, sed tristissimam vitam ages. Quid ex mundialibus bonis Cain defuit? Illi erant parentes amantissimi, terra fœcunda, nemo illi molestus, nemo non amicus, & salutaris, & interea voraci intrinsecus tristitia ipse miser exedebatur. Cur tristitia Cainum mordit; Cainum, inquam, parentibus charum, fratribus amicum, creaturis venerabilem? Præclarè lectio Ambrosiana ex 4. Genes. fatur. *In Cain verò, & in muneru eius Deus non respexit. Et contristatus est Cain valdè, & concidit vultus eius.* Quid si omnium oculis placeret Cain, dum Dei oculis minimè placet? Quid si creaturarum beneficarum oculi vniuersi Cainum spectarent, dum vnus Dei oculus illum non videt? Sanè nil inde lætum, sed omnia illi tristissima accident. D. Ambros. lib. 2. cap. 6. *Cain quia intellexit Deo sacrificium suum non probatum, tristis est factus. Quando enim mens sibi rectè est conscia, gratulatur; & infusione quadam spirituali repletus animus gaudio, cùm alicuius, vel studia, vel opera à Deo probantur. Tristitia igitur Cain conscientiæ testimonium, repulsæ indicium est.* Vbi Dei oculi sunt complacentes sibi in operibus iustis, etsi omnia desint alia, ibi & gaudia, & erumpentes sentiuntur fontes lætitiarum: adsint autem vniuersorum oculi tibi amici, tibi benefici; vnus Dei oculus desit, à quo visus à cunctis, minimè aspiciaris; eu miserum hominem! eu tristissimam hominis conditionem! Equidem in vnius Dei oculis poteris habere lætitiam: pro quo Psalm. 99. *Seruite Domino in lætitia: intrate in conspectu eius in exultatione.* Non alibi inuenietur exultatio, & lætitia, nisi dum fuerimus in Domini conspectu: huius conspectus deuitans Petrus Matth. 26. *egressus foras fleuit amarè*; hon dulces illi lachrymæ fuerunt, vt Dauidi, quia foras egressus est; Dauid autem monet, vt in conspectu Domini intret, qui velit exultare, quandoquidem in solis Dei obtutibus inueniri potest, & lætitia, & exultatio. Id quod expendens D. Chrysol. ait: *Quando homo non sub peccato tristis? Quando non sub morte lugens? Quando non sub dæmonibus pallens? Quando sub idolis non tremens? Et ideo homo dabat extrema suspiria, quando tales, tam crudeles Dominos sustinebat. Propheta ergo videns eos à talibus liberatos, meritò exclamat: Seruite Domino in lætitia, intrate in conspectu eius in exultatione.* Proh miseri, qui creaturarum oculos venamini; qui Principibus tenebrarum harum nomen datis, nunquam non tristes, & gementes eritis: nunquam lætitiam, & exultationem inuenietis, nisi dum in Domini conspectu intratis. Quid dicam, in Domini conspectu; si vel eius subeat memoria, sufficiet, vt læti, & alacres medijs cõflictibus reddamini. D. Ennodius in Panegyrico de Theodorico Italiæ rege fatur. *Dum anceps esset fortuna certaminis, & pennata mortes sibi æthera vendicarent, superaret nostri memoria Principis, dum agerent, vt singulorum apud eum merita campus adsereret.* Vanum hoc, & mendax in mundialibus conflictibus, pro mundi Principibus; at verissimum est in virtutis conflictu propter Deum, cuius memoria superat mala omnia, & alacres, & lætos reddit pugnantes, dum sciunt, illius obtutibus singulorum opera patentissima fore.

Phil.

Ambros.

Idem.

Psalm. 99.

Matth. 26.

Chrysol.

D. Ennod.

§. VI.

In virtutum progressu non qui destruit, sed qui ædificat, Deum allicit.

VAnissimi hypocritæ virtutis nomen sibi comparare dum nituntur, faciem exterminant, vultum corrumpunt, perdunt, feliciores si non in destruendo, sed in ædificando fuissent occupati. Ille enim verus virtutis cultor est, ille verè Deum allicit, qui non tã curat destruere, quàm ædificare. Cant. 2. *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles: similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque ceruorum. En ipse stat post parietem nostrum,* &c. Expende, quò veniat Deus, nimirum ad parietem: spectabatur ab sponsa, vocabatur ab sponsa, & ipse nupiens sponsæ se præsentare obtutibus, salit in montibus, transilit colles, & post parietem stat. Cur non magis coram sponsa? Cur non magis ante dilectæ oculos præsentatur? An complacebat sibi magis in pariete, quàm in pulcherrima illa sponsæ facie, in roseis genis, in purpureis labiis, in splendentibus oculis? Cur is gratior paries? Sanè in virtutum cultu, nulla res sic placet Deo, vt ædificatio. Eleganter D. Ambros. in Psalm. 118. serm. 6. *Et tu si habeas fundatum parietem, ædificatum supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, vt compaginata eius structura crescas in templum, nec discerminet eius interna, sed muniat. Si habeat ergo in te ædificationem Dei, venit verbum, stat post tuum parietem.* Non qui exterminat, sed qui ædificat in se Dei templum, is Deum sibi habet approximantem; stat enim Deus post parietem nostrum, cum appositis virtutibus exurgit paries in cœlestem fabricam. Quò spectat D. Petrus 1. cap. 2. *Ad quem accedentes lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum, & honorificatum. Et ipsi tanquam lapides viui ædificamini, domus spiritualis.* quasi hoc debeat esse Christianorum ingenium, vt spirituali incumbant fabricæ: nec antea Deo approximant, quàm post parietem, imò domum spiritualem ædificatam. Ex quo non nemo distinguebat Christianum hominem à Iudæo; hic destructioni, ille spirituali vacas fabricæ. De Centurione enim Romano locuti Iudæi ad Iesum Luc. cap. 7. *Diligit enim gentem nostram, & Synagogam ipse ædificauit nobis.* Ecce qui ædificat Dei domum, non Iudæus, sed Romanus est; quasi solus Christianus nouerit Deum trahere ædificata domo spirituali. Non longè abest D. Chrysolog. serm 102. aiens. *Audistis, quia semper diruta est Synagoga, & iacet inter in cæmenta, nec cælestem surgit in fabricam, nisi eam in Ecclesiæ culmen Christianus fabricator instruxerit.* Nondum Christianus est, apud quem cœlestis non surgit fabrica; Iudæus est, qui solum exterminium meditatur: vbi autem domus Dei cordibus nostris incipit fabricari, iam ibi ostenditur ingenium Christianum, ad quod Dominus aduolabit.

Cant. 2.

Ambros.

1. Petr. 2.

Luc. 7.

Chrysol.

Text. Tu autem, cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua: ne videaris hominibus ieiunans, sed patri tuo, qui est in abscondito, & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

§. VII.

Ieiunium hominem ab oculis humanis ereptum diuinum facit: gula carnalem.

NOn prætercam, cui iubeatur bonus ieiunator adstare; non equidem adstare hominibus permittitur, sed patri Deo: ait enim, *ne videaris hominibus ieiunans, sed patri tuo,* &c. Et planè ieiunium nihil humanum relinquit in ieiunatore, quod homines possint videre, sed totum reddit hominem

hominem diuinum, à mortalium oculis alienum, Deo patri Exod.34. simillimum. De Moyse dicitur Exod. 34. *Fuit ergo ibi cum Domino quadraginta dies, & quadraginta noctes: panem non comedit, & aquam non bibit.* Quid tunc? *Et ignorabat, quòd cornuta esset facies sua, ex consortio sermonis Domini. Videntes autem Aaron, & filij Israel cornutam Moysi faciem, timuerunt propè accedere.* Quæ verba sic apud Septuag. sonant: *Moyses non sciebat, quòd glorificatus fuerat aspectus cutis faciei suæ, cùm loqueretur ipse ei. Et vidit Aaron, & omnes filij Israël Moysem, & erat glorificatus*, &c. Sed adhuc Chaldæus addit: *Viditque Aaron, & omnes filij Israel Moysem, & ecce multiplicatus erat splendor gloriæ vultus eius, timueruntque accedere ad eum.* Et vnde tantus gloriæ splendor in Moyse? A quo sic gloriosus euasit, vt oculos effugeret humanos? Vnam video ibi causam tam inaccessibilis gloriæ, qua Moyses radiabat, nimirum quadraginta dierum ieiunium; quod adeò potens est, vt homines in gloriam transferat deitatis. Pulchrè D. Chrysol. Chrysolog. serm. 166. fatur: *Moyses ipse dierum quadraginta ieiunio, ita humana despecatus est, & exinanitus à corpore, vt totus diuinitatis mutaretur in gloriam: & adhuc in nostri corporis obscuro, toto fulgeret lumine deitatis: neque intueri eum mortalium visus posset, qui substantia Dei diu pastus tota mortalis cibi oblitus fuerat alimenta.* Ex quo ieiunium quadragesimale cœpit in Moyse, nil in illo apparuit videndum oculis mortalibus, sed totus in Dei gloriam transformatus, deitatis lumine inaccessibili coruscabat. Quadraginta etiã dies ieiunauerat Elias, & sic ieiunus agens in monte Dei, ecce tibi 4 Reg. 19. ad illum vox intonat diuina 3. Reg. 19. *Quid hic agis Elia?* Quàm amica, quàm familiaris hæc Dei vox? Sic amici, sic æquales solent inter se loqui; & tu Domine omnipotens sic te in colloquio parem facis Eliæ? Ast ieiunauerat Elias, & ex quo ieiunus fuit esse, in eam gloriam exurgit, qua Tertull. Deum sortiatur quasi parem sibi. Accipite Tertullianum aduersùs Psychicos asentem. *Quid in Elia hic? Multo amicior illa vox, quàm, Adam vbi es? Illa enim pasto homini minabatur, ista ieiuno blandiebatur. Tanta est enim circumscripti victus prærogatiua, vt Deum præstet homini contubernalem, parem re vera pari.* Expende illud, *parem re vera pari*; si enim alicuius virtutis exercitio homo sicut Deus efficitur, talis ieiu- Idem. nio efficitur. Ait enim ibidem Tertullian. *Hoc erit tempus, quo homo Deo adæquetur, cum sine tabulo viuit.* Simul enim, & ieiunium perdidit homo, & imaginem exuit diuinam, imò Rom 13. in carnalem inclinit vitam. Vnde monebat Paul. ad Rom. 13. *Sicut in die honestè ambulemus; non in comessationibus, neque in ebrietatibus; non in cubilibus, & impudicitijs.* Quasi à comessationibus immediatè transeatur ad carnalia opera im- Nazianz. pudicitiæ. Id quod notans Nicetas in orat. Nazianz. 39. ait: *Eleganter cum comessationibus, & ebrietatibus cubilia, & immunditias coniunxit; ex illis enim hæc nascuntur.* Nascitur homo carnalis à gula, sicut à ieiunio abit in Dei spiritum.

§. VIII.

Virtutum Christianarum fulgor sub cinerea aspergine claret securus.

IN ieiuniis iubemur Domino lauari, ne periculis vanitatum pateant nostra ieiunia; sed quod lauacrum sic lauat faciem, vt tollat vanitatis periculum? Ecclesiæ mos est receptissimus, qui hoc Christi Domini monitum proponit obseruandum in die cinerum, quando cinere conspersos Christianos sic alloquitur: *Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Cinerum aspergines proponit, puluerulentum fimum nostræ conditionis ad memoriam reducit; & simul clamat: *vnge caput tuum, faciem tuam laua.* An cineris aspersus, & puluis obiectus non magis maculare, quàm lauare consueuerunt? An à cinere lauacrum fiet, quale cupit Dominus in præsenti? Equidem humanæ miseriæ puluis ob oculos positus, efficacissimus cultus est, & lauacrum, sub quo securæ fulgeant maximarum etiam virtutum præcellentiæ. In quo diuiniora, & clariora virtutum opera, quàm in Iesu? Sed & in quo magis latebant diuinissimi virtutum splendores? Sed scire cupis, qualiter Iesus clarissimos virtutum radios, & emittebat, & dissimu- Ioan 11. labat? Rem explicat alterum eius facinus apud Ioan. cap. 11. Ibi Dominus sese accingit in maximum diuinitatis suæ opus; decernit in omnium conspectu quatriduanum mortuum reuocare ad vitam. Proh clarissimum diuinitatis testimonium! Sanè in hoc facinore diuina origo Christi, & clarissimè, & patentissimè monstrabatur oculis mortalium. Qualiter fieri poterit, quòd inter tantos diuinitatis radios diuina opera occulta maneant, ne eas laudes lucrentur, quæ passioni imminenti occludant aditum? Iam ostendit, nam vocaturus defunctum, *Infremuit spiritu, & turbauit semetipsum, & dixit: Vbi posuistis eum.* Expende illud, *turbauit semetipsum* & propone tibi ob oculos iuxta montis radices stagnatum fontem: cuius in modum naturalis vasis fabricata concauitas, sic perspicuos liquores emanat, vt vacuum putes lacum, quem non dubitas esse plenissimum. Hic perlucidus vsque ad fundum patet, vt aspectibus tuis aerem potiùs apparere iudices, non liquorem. Æmulatur serenum diem aqua subtilissima: nam quidquid in imo geritur, inoffensa oculis claritate monstratur. Quid plura? Interea accedit fontis inimica manus: quietum in imis fimum solicitat, & exurgentibus sursum arenulis totum fontis speculum adeò turbatur, vt nihil præter limum videatur. Sic in bonorum omnium fonte Iesu, dum facinora fiunt, dum miracula patrantur, dum diffunduntur ab eius labiis gratiæ, quidquid in intimis latebat diuinitatis, vel ipsa cœlestis origo oculis patet humanis. Verùm vbi inter clarissima miracula, terrenæ substantiæ affectus conturbatur, à limo primæ conditionis tales affectus exurgunt, qui ob oculos positi decorem abscondant, & limum solum apparere faciant. Pulchrè ad hæc D. Anselm. ait: *Turbatus est*, inquit, *id est, vt fæculentia carnis diuinitati non prodenda miscetur, & ad ignorantiam humanam Deitas velanda reuocatur. Sic turbatur & fons, cum excitatus casu aliquo limus puritatem liquidi decolorat elementi.* Proh turbati, & excitati limi efficacia valens decorem abscondere. Vis Christiane medio in conspectu hominum, ante vniuersorum oculos, clarissima virtutum facinora dissimulare? Id age, vt vtilitatis humanæ limus excutetur, vt fœtulentia cadaueris gloriosis memoriis admisceatur; sub qua sic obtenebrescent lumina ipsa virtutum, vt nullum damnum patiantur ab oculis humanis. Apud Thabor Dominus Iesus transfiguratur Matth. 17. de quo ibi: *Et resplenduit facies eius sicut Sol.* Quid lucidius Sole? Quid splendidius & clarius oculis humanis? Sed & Cantic. 6. de eodem Domino dicitur: Cant. 6. *Coma eius sicut elata palmarum, nigra quasi coruus. Genæ illius sicut areola aromatum consitæ à pigmentariis. Labia eius lilia distillantia myrrham primam. Manus illius tornatiles, aureæ plenæ hyacinthis.* Nil ibi in facie splendidum, nil lucidum; totum quod apparet nigrum est, fumosum est, triste est, crines nigri, genæ fumosis aromatum nebulis obsitæ, lingua, & labia myrrheum stillantia amarorem. Non ne facies, vt Sol clarescebat? Quis fecit nigricare Solis crines? Nonne genæ splendebant? Quis sub fumosis nebulis splendentes genas conclusit? Rem inuenies in illis verbis: *Manus eius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis.* hoc est, manus plenæ anulis aureis prætendentibus hyacinthis. Quid inde? Sapientissimus Chaël Israëlitarum Astrologus loquutus de figuris Chaël. astronomis sic ait: *Mulieris figura si in hyacintho sculpta erit, quæ in manu speculum teneat, eam in anulo aureo liga, ac in digito tene, & inuisibilis eris.* Nulla res sic inuisibilem reddit hominem, quam anulus hyacinthinus, cui mulier impressa est tenens in manu speculum, in quo de more deformitates suas anxiè speculetur. Erant Iesu in manibus hyacinthini anuli; præ manibus, & ante oculos habebat imperfectum humanitatis suæ, qui eius splendores virtutum, etsi patentissimè, nilominus quasi fiebant inuisibiles, & nigras sub nebulis constitutos. Et quidem, qui hunc anulum habet, qui hanc virtutem tenet, quæ deformitates, & vilitates humanæ conditionis inquirat, ob oculos ponat, is etsi lucidissimis splendeat radiis instar Solis, quasi inuisibilis erit: sic virtutibus fulgebit medio in populo, quasi nihil prætendat, nisi nebulas. Vna pulueris vilitas est, quæ virtutum splendores seruat securos. De homine dicitur, quòd creatus sit ad imaginem Dei, quod nusquam inuenies de Angelo dictum. Sed cur homini credidit Deus imaginem suam, & non Angelo? Rem attigit Chrysost. Chrysost. homil. 3. in epist. ad Col. inquiens. *Qua ratione Angelus, vel imago, vel filius Dei, non vocatus est, sed homo vtique? Quoniam illic naturæ sublimitas plures in impietatem coniecisset; hic verò tenuitas, & humilitas securitatem præstat.* Sub pulueris vilitate secura est imago Dei; & quasi facta inuisibilis.

§. IX.

§. IX.

Præstantissima hominis pulchritudo, & decus est, suam laudem à solo Deo quærere.

CVm se homo ita componere iubetur, vt soli Deo laudabili appareat; & lauari, & oleo inungi iubetur, ad instar eorum, qui corporis cultui operam dabant. Et quidem fallar, si est aliquod lauacrum, aut corporis ornatus, ex quo sic homo speciosus apparet, vt ex eo, quòd contemptis temporalibus plausibus in solo Deo amat gloriari.
Psalm 5. Psalm 5. *Et gloriabuntur in te, qui diligunt nomen tuum.* Ecce vobis, quo ornatu, quo cultu dilectores diuini nominis gaudeant: quippè qui amoribus dant operam, de nullo magis curant, quàm de cultu, de ornatu, quò speciosiores, imò & fulgentiores appareant. His cura de roseis coronis Sapient.2. de aureis vestibus, de aromatis Psalm.44. ad hos spectant pectines, calamistri, cerussæ, milleque inuenta lauacra. Dilectores igitur diuini nominis quibus se pulchritudinibus ornabunt, vt pulchriores reddantur? Ait Psaltes his verbis: *Et gloriabuntur in te*; in Deo quidem solo gloriatio superat vniuersum cultum, & ornatum. Ad
Chrysost. hæc D.Chrysost. in eodem Psalm. fatur. *In Deo autem gloriari, & in amore in ipsum, est ornatus omnium maximus, & splendor, qui innumerabilia superat diademata, etiamsi sit captiuus, & in vincula coniectus, qui gloriatur.* Non sic sub roseis coronis, non sic in vestibus aureis speciosus es; nullo sic pulchrescis lauacro, vt eùm temporales expuens plausus, in solo Domino gloriaris, ex eiúsque solius ore laudes expiscaris. Sanè superiùs isto capite aiebat Dominus. *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui in cœlis est.* Nil magis ibi cupit Dominus, quàm quòd homo obiectis humanorum laudum cupiditatibus, diuinam solam gloriam, & laudem aucupetur. Sed cur tam ardenter exoptat, homines ad solam gloriam, & laudem diuinam allicere? Eo solùm studio, vt speciosiores reddantur; sicut enim ablatis per lauacrum sordibus homo pulchrescit, sic in gloriæ diuinæ cupiditate, vt in lauacro sordes cadunt vniuersæ, quò necessum est, hominem & ornari, & pulchrescere. Ex quo eleganter dicebat ad præ-
Isid. Pel. fata verba D.Isidor. Pelus. lib.2. epistol.34. *Ad seruile turpium, ac sordidorum affectuum iugum propellendum, adiumentum, & præsidium in gloriæ Dei desiderio positum habemus.* Quis numeret sordes, quibus humani plausus, & laudes comparantur? Igitur pro tollendis sordibus, pro ornatu, & speciositate acquirenda, hoc singulare habemus remedium,
Isai. 28. quòd in Domino gloriemur. Isaias cap. 28. *Et erit flos decidens gloriæ exultationis eius, qui est super verticem vallis pinguium, quasi temporaneum ante maturitatem autumni: quod cùm aspexerit videns, statim, vt manu tenuerit, deuorauit illud. In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, & sertum exultationis residuo populi sui.* Pulchrè explicat, quid mundus, quid Deus præstat, amatoribus suis. Mundus flores offert, sed iam iam deciduas, marcidas, squallentes, non ad decorem, sed ad sordes: fructus etiam offert mundus, sed quales inueniuntur in autumno inter pallentia folia, rari, & nimia maturitate decidui, vt subitò vorari debeant, aut perdi. Has mundi fallaces, & adumbratas gloriolas, qui contemnens, in solo Deo gloriari cupit, quid inde vtilitatis percipit? *In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, & sertum exultationis*; vel si mauis ex Hebræo iuxta Forerium: *Erit Iehouæ in coronam iucunditatis, & in flosculum decoris.* Sanè qui marcidos, & squallentes temporalium plausuum flores despicit, vnúmque Deum quærit, in illóque & laudari, & gloriari desiderat, is in hac vita habet Deum pro ornamento, decore, & corona gloriæ. Ad hæc
Isid. Pel. dicebat D.Isidor. Pelus. lib.4. epist.178. *Si postquam aliquis athleta victoriam reportauit, non præco inferiùs consistens, sed superiùs residens ipse Rex de solio suo consurgens proclamet victoriam certaminis, nónne ea res ipsis coronis splendidior esse videbitur? Manifestum hoc est.* Non sic victor athleta splendidus videtur sub coronis obtentis, vt splendidus manet, quando tacente vulgò ipsa Regis voce celebratur: quem splendorem, & decorem habet quisquis laudes hominum contemnens, suam laudem constituit in voce solius Dei. Illi erit Deus in coronam iucunditatis, & in flosculum decoris. Hæc vera hominis pulchritudo, hic verus decor, & ornatus, si solis Dei vocibus amet probari. Quæuis enim virtutum, seu gratiarum pulchritudo inter laudes humanas aut fœdatur, aut inutilis redditur, & incantata; hinc
Psalm.57. iustam etiam sanctorum iram designans, ait: *Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ obturantis aures suas. Quæ non exaudiet vocem incantantium, venefici incantantis sapienter.* Et quos patitur iusti anima incantatores aduersùs quos armetur? Equidem tot patitur incantatores, quot laudatores: incantatur enim virtuosa anima laudibus, & inutilis redditur. Audisti sæpiùs apud profanas fabulas de puellis pulcherrimis incantatis: puella pulchritudine insignis sic fingitur incantata seruari, vt tota eius pulchritudo inutilis reddatur. Sic prorsus pulchritudo animæ spiritualis inter laudes solet inutilis reddi, & incantari. Rem pulchrè notat Richard. Victor. in Cantic. part.2. cap.29. aiens: *Dum beatificatur homo, seducitur, & via gressuum eius dissipatur, vt in antea ad profectum non tendat, sed consummasse se credat. Occultat verò bona sua anima deuota, vt laudes non audiat, surda ad has sicut aspis, obturans aures suas, ne audiat voces incantantium. Incantatur enim anima laudibus, vt mala sua non videat, & de iustitia fallaciter se extollat.* Psalm. 57 Richard. Vict.

§. X.

Verus luctus, & dolor pro peccatis gloriæ vanæ aditum penitus intercludit.

LAuare faciem iuberis, vt soli Patri tuo appareas virtutis splendore conspicuus; sed quod lauacrum sic faciem reddit conspicuam Deo? D.Ephrem serm. Ascetico ait: *Si faciem tuam lauare desideras, lachrymis eam abluito, & suspiriis, ac fletibus eam lauato: vt in conspectu Dei, & sanctorum Angelorum eius, cum gloria, & claritate resplendeat, nam facies, quæ lachrymis abluitur, immarcescibilem pulchritudinem acquiret.* Floridus decor lachrymis innutritus frigida aquilonis flabra non metuit: inter plausuum humanorum ventos virescit, seséque aptat diuinis obtutibus. Quando lachrymæ, verúsque de peccatis luctus ventos pertimuit? Non otiosè Matth. locutus de Petro pœnitentiam agente dixit: *Egressus foras fleuit amarè.* Nouum, & inusitatum veris pœnitentibus, quòd foras egrederentur, imò illos monebat Psaltes, *in cubilibus vestris compungimini*; nunquam enim non suspectus est vir, qui relicto cubilis abscondito sese dat conspiciendum in quolibet virtutis exercitio. Cur magis non absconditur in domus angulo Petrus, vt fleat crimen suum? Cur flens, & dolens peccatum egreditur foras expositus, & oculis, & vocibus popularium? Erant in illo lachrymæ, erat intimus, & verus dolor de peccatis, quò Petrus licèt in conspectu omnium, licèt mediis in plateis degeret, securus esset ab omni vento vanitatis. Rem pulchro exemplo attigit D.August. serm.121. de temp. aiens. *Petrus enim inuenis fidei liberalem quousque impelleret nauem, vt in medio scopulorum portum quæreret lachrymarum.* Meritò lachrymarum portum dixit, vbi venti silent, tranquillitas habitat: dum media tranas maria, altissimósque aquarum vortices calcas, mille expositus ventis, hinc inde agitaris ab illis: vbi portum intras, iam ventos non times, sed ibi degis tranquillus. Sic etsi in omnium virtutum viis expositus es vanitatum ventis, vbi ad lachrymas, ad verum dolorem, & gemitum accedis, nullam rem minus times, quàm ventos, veluti in portu constitutus. Nauis in alto & ventos timet, & ventos solicitat velis: in portu nil timet, nihili æstimat ventos: homo in aliis viis, & plausibus ducitur, eorum flabra metuit; in lachrymarum portu minimè illorum meminit. An reus lachrymis, & gemitibus veniam à seuero iudice contendens repens humi, genibus prouolutus potest tunc meminisse alterius rei, quàm de venia obtinenda? Hic sanè securus de vento vanitatis suam vicem lamentatur in conspectu omnium populorum. De sanctissima Indith dicitur cap.9. *Ingressa est oratorium suum: induit se cilicio, posuit cinerem super caput suum: & prosternens se Domino clamabat, &c.* Vbi noster legit, *induit se cilicio*, posuit Græcus, *nudauit id, quo induebatur, cilicium*; id est, cùm antea opertum, vestibúsque aliis obtectum, iam apertè, vestibus illis abiectis, cilicio induta est. Sed cur, quò antea sic occultarat, & absconderat, modò illud non veretur nudare, & publicare? Sanè modò humi procumbens, intimo cordis gemitu, & lachrymis veniam à seuero iudice Deo obtinere contendit, & in hoc lachrymarum portu prorsus oblita vanitatum ventos, minimè veretur in virtutis operibus hominum conspectus. Mulieri illi cœlesti Apocal.12. in capite erat corona duodecim stellarum; nimirum ipsa erat coronata omnium virtutum genere. Cur stellas vocat virtutes?

D.Ephr. August. Iudith 9. Apoc.12.

tutes? Stellæ in conspectu Solis sese abscondunt, & operiunt, & tunc non verentur se manifestare, cùm noctu terram irrorant. Vnde
Bernard. D.Bernard. serm.47. in Cant. ait. *Quomodo stella in nocte lucent, in die latent: sic vera virtus, quæ in prospero non apparet, eminet in diuersis. Illud sanè cautelæ est, hoc necessitatis.* Inter irrorandum non dubitant stellæ apparere, cùm noctis gelu comprimuntur: nec iustus inter lachrymandum, & dolendum veretur radios suarum virtutum diffundere.
Rom 5. Hinc Paul. ad Rom 5. aiebat: *Gloriamur in tribulationibus, scientes, quòd tribulatio patientiam operatur.* Qui in reuelationibus traditus est spiritui infirmitatis, ne extolleretur, in tribulationibus non meruit gloriari.
Anselm. Quæ verba sic expendebat D.Anselm. *Gloriamur, sine periculo vanitatis, de tolerantia tribulationum.* Vbi enim sese tribulationum vndique extollunt scopuli, portus fit tranquillus, & securus a ventorum flabris.

§. XI.

Is est Deus noster, qui latentium mores, & ingenia trutinatos habet, vt ad coronas vocet.

QVàm felices, qui Deo seruiendo dant operam. Non multis luminibus, non multis patronis egent, vt eorum merita videantur, ponderentur, Deus enim solus est, qui hanc habet regalissimam præcellentiam, nimirum, quod *videt in abscondito.* Mundiales Principes ad summum vident, quæ in luce sunt, vt ab his noscaris, multis luminibus eges, eges claritate generis, sapientiæ splendore, nominis commendatione, patruna aulicorum voce; & tot luminibus ægrè, & difficulter ab illis nosceris. Qui ob obscuritatem generis, vel ob Christianam Philosophiam, vel ob defectum patronorum absconditi sunt, nil à mundialibus Principibus sperent, sed à Deo solo, vtpote, qui solus videt in abscondito. Saul adhuc sapiens, cùm apud contribules suos de Rege eligendo ageretur, ipse cauens laboriosissimam dignitatem, & se regno indignum reputans, latitare contendit, seséque abscondit. Quid tunc? Consulitur Dominus de Rege eligendo, & statim auditur diuinum responsum
1. Reg. 10. 1.Reg.10. *Ecce absconditus est domi*; alij legunt, *ecce abscondit se inter vasa.* Inter commeatus sarcinas, & vasa, sese abscondit humilis vir, verùm maximus creaturarum Dominus, qui vides in abscondito, absconditi ingenium prænoui, Saullum ab abscondito, ad regni vocauit claritudinem.
D.Ephr. Ex quo sapienter monebat D Ephrem de timore Dei in modum prouerbiorum aiens: *Ne frater persequaris, causa ambitionis: nam nisi ex Deo sit consilium istud, non assistet: at si ex Deo est, etiamsi in vasis occultatus fueris, sicut Saul, inde te assumet Dominus, & decem. atque præfectum te constituet in populo suo.* Non impedit obscura conditio, absconditus locus, quominus in meritam voceris dignitatem ab eo, qui in abscondito videt.
Psal. 138. Hinc Psalm.138. consolabatur: *Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto: & substantia mea in inferioribus terræ. Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur.* Quamuis mea me vilitas tegat, & occultet, tamen tu, qui fecisti in occulto, & vides in occulto, noscis me, & habes in libro tuo, in catalogo tuo scriptum. Non sic mundiales Principes, apud quos, dum dantur scripta nomina illorum, qui digni sunt præfecturis, solùm scripti inueniuntur, qui se in lucem dant, qui multo ambitu patronos acquirunt, qui largis scriptis sua ipsi facinora, & ingenia prædicant: cæteri vniuersi non censentur existere. At Deus suorum omnium habet catalogos, etiam occultorum, etiam quærentium latebras: quamuis enim terræ visceribus absconditus sis, & tenebræ te abdant; nilominus in libro Dei scriptus es, scriptum ingenium, scripta merita, vt quod mereris, recipias. Hinc à Paulo vocabatur Deus, *non mortuorum*; cur Deus non mortuorum? An quia mortui à domino exclusi sunt dominio? Absit, sed quia apud Dominum nullus est, nec in terræ visceribus absconditus, qui illi non sit præsentissimus. Cæteri autem Principes, mortuorum sunt Principes, cùm enim nesciant complures subditorum, quicumque nescitur à Domino suo, quasi mortuus est: vt dicat
Cassiod. eleganter Cassiodorus 5. variar. 26. *Penè similis est mortuo, qui à suo dominante nescitur: nec sub aliqua honore viuit, quem Regis sui notitia non defendit.* Felix quisquis Deo seruis, tu solus viuis, quia tu solus nequis ignorari à Deo Principe, & Rege, & Domino tuo. Imò tanto minus Deo ignotus quis existit, quanto magis latet occultus. In nomine pristinorum
Isai 24. Sanctorum aiebat Isaias 24. *Secretum meum mihi, secretum meum mihi.* Sed & de se aiebat Psaltes 37. *Gemitus meus à te non est absconditus.* Ecce tibi in Isaia dicebat, & desideria omnia, & gemitus suos absconditos esse in secreto: in Psalm. ait, gemitus minimè esse Deo absconditos, quomodo in secreto erant absconditi, si Deo non erant absconditi? Equidem, ideo Deo non erant absconditi, quia ab aliis erant in secreto absconditi. D.Bernard. serm.59. in Cant. *Gemitus meus à te non est absconditus. Profectò monstrabat absconditum esse, qui soli Deo non esset absconditus.* De hoc vide suprà cap.8.§.5. Bernard.

Text. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra: vbi ærugo, & tinea demolitur, vbi fures effodiunt, & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, vbi nec ærugo, nec tinea demolitur, & vbi fures nec effodiunt, nec furantur.

§. XII.

Solus Deus habet bona, quæ largiatur, in promptu, vt facili negotio largiatur.

MEritò dum thesauros meminit, & cœlum, & terram meminit; in quibus quæ bona sunt, in thesauris sunt omnia, hoc est, planè abdita, & obsignata, ne facile possint inueniri, nec extrahi. Sic omnia sua bona habet cœlum, & terra, & vniuersæ creaturæ habent: Deus solus est, qui bona sua aperta, & prorsus resignata, & in promptu habet. Prouerb.8. *Qui inuenerit me, inueniet vitam & hauriet salutem à Domino.* Prouerb. 8. argutiùs in rem nostram legit Forer. ad cap.28. Isaiæ: *Et depromet salutem à Iehoua.* Forer. Quid est *depromet*? Non quasi ex thesauro ægrè, & difficulter, sed quasi ex promptuario facili negotio educet. Cæteræ creaturæ thesauri sunt, obsignata, & remotè abscondita habentes bona: Deus autem non thesaurus est, sed promptuarium, in quo velut ad manus habeat quis omnia. Ad hæc Forer. *Depromet salutem à Iehoua, id est, Dominus erit ei promptuarium; ex quo accipiet homo, quidquid sibi placuerit.* In promptu habet Deus omnia sua, vt citò, & facilè tribuat; nulli tibi superandi sunt dracones, nulli vigiles consopiendi, nulli vectes confringendi, vt fieri solet in mundialibus thesauris, sed statim ex Deo, tanquam ex patentissimo promptuario omnia habes in promptu. Miratus Isaac, quòd filius festinantissimos patri afferret cibos, quos venari debuisset, anxiè sciscitabatur, qualiter tam promptam prædam inuenisset? Cui sapienter filius ait Genes.27. Genes. 27. *Voluntas Dei fuit, quod tam citò occurrerit mihi.* Quæ verba examinans Philo lib. de Temulentia, inquit: Phil. *Conuenienter respondit; traditiones enim, & præceptiones hominum tarda sunt; quas autem Deus facit, celerrima, vt tempora motum ocyssimè præueniant.* Et quidem vbi Deus tribuit, omnia in promptu sunt, omnia sponte sua ocyssimè prosiliunt: nulla mora, nullum impedimentum est apud Deum, cuius bona vndequaque expectant effundi. Nouit hoc mulier illa Matt. 9. Matth 9. *Quæ salutem quærens accessit retrò, & tetigit fimbriam vestimenti eius. Dicebat enim intra se, si tetigero tantum vestimentum eius, salua ero.* Salutem quærebat, & tantùm extimam superficiem fimbriæ curabat attingere; cur mulier non solam superficiem fimbriæ pertingere cupis? Quid potest in illa superficie esse? An is est Deus, cuius aliquod bonum sic patet, vt vel in extima superficie vestis sit, & non potiùs, vel in crumena, vel in sinu clausum? Planè in Deo nulla est clausura bonorum: omnia Dei in promptu patentissima sunt, & vel in fimbriæ vestimenti superficie videntur, attinguntur. D.Chrysol. serm.34. *In Christi fimbria diuinitatis totam videt inhabitare virtutem.* Chrysol. Apud Deum non expectas quòd arca reseretur, nec quòd explicetur, nec quòd crumena aperiatur, adeò in promptu sunt omnia illius bona, vt in extima vestis superficie pateant vniuersa. In Genes.28. Genes. 28. sic trementem Iacobum Dominus consolatur: *Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac, noli timere.* Respectu Abrahami se Dominum, & Deum, respectu Isaac solum Deum se nominat, cur non vtriusque dicitur Dominus, & Deus, vel vtriusque solùm Deus appellatur? Rationem reddit Philo lib. de somnis satus. *Caue autem putes temere dici hic Abrahami Dominum Deùmque, Isaac verò Deum tantummodo. Nam hic significat virtutem sine præceptoris opera ... Abraham autem ea præceptoribus cognita.*

cognita. Abraham qui longo cursu, & magistrorum ferulis addiscentem significabat, Dominum expertus est: at Isaac cui omnia erant in promptu, & sine scholarum moris, sine ferula, sine præceptorum opera, & vigiliis, facili negotio scientiam pertingebat, is non Dominum, sed Deum solummodo experiebatur, quippe solius Dei natura, & perfectio in promptu habet, quidquid tibi opus est.

§. XIII.

E mundialibus glorijs, & delicijs non thesaurus, sed sepulchrum fit.

MEritò vetat Dominus thesauros fieri in terra, vbi ærugo, & tinea demolitur; qui enim a corrodentibus vermibus depascitur, non thesaurus, sed sepulcrum est. Eu miseram mundialium conditionem! Temporales aucupantur delitias, & diuitias, & domos suas impleri cupiunt, & dum horum thesauris se incubare putant, non thesauris, sed sepulchris effodiendis instant. Pulchrè de talibus dicebat
Psal. 5. Psal. 5. *Sepulchrum patens guttur eorum.* Cupiditas congerendi delicias, accumulandi diuitias, quæ nihil non diues, non gloriosum eructat, putaretur ab aliquibus thesaurus plenus auro multo; verùm non est aliud, quam sepulcrum. Sed quid habet commune mundialium cupiditas, & possessio cum sepulcro? In sepulcro inferuntur putrescentia cadauera, ibi vermes, ibi puluis; in domo mundialium inferuntur splendidissima bona, aurea pepla, & quidquid decorum, & pretiosum est, & hæc non potius ad thesaurum, quàm ad sepulcrum pertinent? Imò verò, quia vniuersus mundi decor, & pretiositas ad corruptionem venit, vbicumque hæc sint, ibi potius sepulcri, quam thesauri refer-
Chrysost. rur species. Vnde sapienter monebat D. Chrysost. ad hunc locum: *Ne sit ergo os tuum sepulchrum, sed thesaurus. Thesauri enim multum à sepulcris differunt, quòd illa quidem corrumpunt quod acceperint, illi verò conseruant. Habe ergo in diuitias sapientiæ, quæ perpetuò permanent, sed non malolentiam aliquam, & putrefactionem.* Dum cœlestia procuras, thesaurus es, indefectibiles conseruans diuitias; si verò ad voluptuosos mundialium splendores oculos conuertis, si corruptibiles sectaris delicias, & diuitias, sepulcrum efficeris, nil præter vermium pabulum præteferens. Et quando corporales deliciæ sepulcrum non constituunt? Dum Dominus meus Iesus mensis Bethaniæ accumbit, accedit mulier nardi alabastrum portans, quod super Dominum funditus effudit. Quid
Matth. 26. tunc ille immortalitatis pater, æternæ vitæ fons? Matth. 26. inquit: *Mittens hoc vnguentum in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.* Proh Deus immortalis, vix vnguenta pretiosa, diuites mundialium deliciæ corpus Iesu deliniunt, &
Paschas. iam referunt non thesaurum, sed sepulcrum. Acutè D. Paschasius in Psal. 44. *Audis ergo, quia quod in corpus suum missum est, ad sepeliendum eum factum est.* Quis iam corpori suo non habebit suspectas humanas delicias, quando vel in Iesu corpore sepulcrum constituunt? Qui vitam mortuis afferebat, qui in medio paradiso instar vitalis arboris immortalitatem fructificabat hominibus, & quidquid factum est in ipso vita erat; vbi in se pretiosas nardi excepit delicias, speciem in se retulit sepulturæ; & quidquid corpori eius immissum est, ad sepeliendum eum factum est. Apage aurea mundi bona, quæ cùm semper veniant, vt corrumpantur, vt conterantur, nunquam veniunt ad thesaurum, sed ad sepulcrum. Meministi argenteos illos nummos thesaurizatos à cupidissimo proditore Iuda, & statim ante Iudæorum oculos in templo refusos. Quid tunc Iudæi? thesauro recondunt cupidissimi hominis pecunias?
Matth. 27. Absit; imò aiunt apud Matth. cap. 27. *Non licet eas mittere in corbanam;* quò ergo mittentur aurei nummi, sic amati, sic expetiti à Iuda? *Emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum.* Et quidem terrena cupiditas nunquam aliud nesciuit, quàm parare materiam sepulchris. Ad hæc
Valerian. D. Valerianus homil. 20. *Ecce quid fructus habet cupiditas; pecunia ad comparationem sepulturæ reposita, hæc est, funeribus deputata. Intelligite ergo in quo statu sit culpa cupiditatis;* non in statu constituendi thesauros, sed referendi sepulcra. Quamuis omne mundi aurum accumules, quamuis omnes mundi congeras diuitias, nil, quod ad thesaurum spectet, habes; sed quod mortem, & corruptionem præferat, & referat sepulcrum. Act. 5. de dimissis bonis amarum partem aliquam Ananias, illámque recondit, & abscondit, qua corporis necessitatibus prospiceret. Mansit ne diu pars hæc auri in thesauro recondita? Imò nec paucis horis passum est aurum in thesauro esse, sed festinantissimè cucurrit, vt pararet sepulchrum, in quod decidit Ana-
nias cum vxore sua. Rem pulchrè ponderans D. Orientij Orient.
carmen, ait:

——— *Dum partem subtrahit auri,*
In mortem totus transijt Ananias.

Nesciunt humanæ diuitiæ non ire in mortem, non referre
sepulcra. Vnde sapienter monebat D. Chrysol. serm. 22. *Ma-* Chrysol.
lius est ad sedem anima deferri aurum, quàm in sepulcro auro anima demergatur. quasi nil tam proprium sit auri, quàm sepulcrum. Vnde præclare dicebat Chrysol. serm. 137. *Ille vestes sepelit, non reponit; non credit diligentiæ, sed sepulcro: qui, quod negas pauperi, das tineæ.* quasi asseruatum aurum nequeat non referre sepulcrum.

§. XIV.

In ipsa beatorum patria timeri posset peccatoris alicuius societas.

SApienter Dominus cauet in cœlis non esse furem; sufficeret enim ad totam beatitudinem turbandam, & metu replendam, vel vnius peccatoris possibilis in ea ingressus.
Psalm. 90. dum exaggerat perfectissimam beatorum felici- Psal. 90.
tatem, eo quòd æternis diuitiis potiantur, quòd Deum videant, torrentéque dulcedinem satientur, insuper addit, *Et retributionem peccatorum videbis.* Quid hoc ad perfectionem beatitudinis, quòd videant beati, peccatores castigari, rudentibus inferni comprehendi, nigro in carcere constitui, magnum super illos chaos firmari? Nónne perfectius beati essent, qui talia mala non viderint? Cur tam horribilis carceris visio spectet ad perfectionem beatorum? Sanè nisi beati vniuersos peccatores, & fures, ita concludi æternis vectibus viderent, vt impossibile esset, inde egredi, & in cœlum conscendere, non adeò quietam felicitatem haberent, pauentes etiam ibi peccatoris alicuius societatem.
Rem attigit D. Bernard. de illo Psalm. ser. 8. *Sed & securitas* Bernard.
perfecta iustorum erit visa retributio peccatorum: qua videlicet nec humanam aliquando, nec diabolicam vltrà vereri malitiam possent, qui, nimirum, cadentibus à latere suo mille, & decem millibus à dextris suis, non modò eos cadere viderint, sed & cadere in Gehennam. Putas enim timere adhuc non poterant, & calidiorem cunctis animantibus serpentem habere suspectum, præsertim seductas quondam in paradiso nō immemores mulieres: nisi cùm eato iam corpore suo vltricibus traditum flammis, & inter se, & eum magnum planè iam chaos confirmatos esse conspexerint? Nullibi nec in cœlo perfecta posset esse beatitudinis possessio nisi obfirmatas valuæ æterni carceris super omnes peccatores viderentur, ne quis inde vnquam possit egredi. Videbunt beati oculis suis vniuersos peccatores separari, glomerari, nigro in carcere concludi, ibique æternis catenis constringi, ne ad superos valeant reuolare, & his visis in possessionem perfectæ ingrediuntur beatitudinis.
Ad latronem beatum aiebat Dominus Luc. 23. *Hodie mecum* Luc. 23.
eris in paradiso. Cur dixit *mecum?* Nónne sufficeret, vt omnem illi securitatem bonorum promitteret, dicens; *hodie eris in paradiso;* cur necessum fuit addere *mecum?* Elaganter
D. August. ser. 120. de tempore: *Ne fortè verearis, ne tibi ali-* August.
quis hostis in illo beato nemore, ne antiquus ille latro insidietur, possessio tibi illic me introducente firmabitur. Non dabatur perfecta beatitudo conuerso, nisi peccatoris inde firmaretur recessus. Timeret ingredi locum, ex quo nesciret peccatoris consortium esse exturbatum: & quid mirum, quòd sancti caueant peccatoris societatem, quando pessimus homo Pilatus, dum mundialis gloriæ regnum teneret, non patiebatur secum ad horam peccatores Iudæos commorari. Veneran deicidæ homines ad Pilatum, vt iuberet, crucifixi Do-
mini custodiri cadauer, quibus Pilatus Matth. 27. ait: *Habe-* Matth. 27.
tis custodiam; ite, custodite, &c. Expende illud *ite,* cur sic festinus illos abire iubet? Cur non magis patitur secum
morari? Pulcrè D. Damasc. orat. de Sabbato sancto dicit: *Hor-* Damasc.
ruit Pilatus commercium Dei interfectorum; ne mireris, quòd cœlestes reges horreant in regno suo peccatorum societatem, & de horū impossibili ad se accessu velint certificari.

§. XV.

Nullus carnifex crudelior in hominem, quam vitia ipsa.

ECce homo, quo se in hac vita extendant omnia infortunia; ærugo, & tinea demolitur, fures effodiunt, &

furantur: nullus malus genius malitiæ suæ terminos non seruat, iuxta consuetæ malitiæ leges, & tinea, & ærugo, & fures agunt. Solum vitium ignorat mali terminum, nec consuetum nocendi modum nouit obseruare. Hinc est, quod supra dum notantur hypocritæ, de illis dicitur: *Exterminant facies suas, vt pareant hominibus ieiunantes.* non solùm effodiunt, non solùm demoliuntur, sed exterminant, vt extra omnia mali terminos magis lurida facies, magis perdita appareat.
Paschas. Ad hæc D. Paschas. lib. 4. in Matth. fatur. *Exterminant, inquit, facies suas, quod est apertè dicere, extra terminos humanæ consuetudinis eas obducunt, & inusitato genere squaloris semet afficientes pallorem quærunt.* Nouerunt carnifices crudelissimi consueta nocendi genera, & intra humanæ conditionis terminos, quærunt, vt inferant damnum: solum vitium tuum, dum in te sæuit, terminos abiurat, & insuetis carnificinis te tradit. Vbi vitium in te sæuire incipit, sic extra omnem terminum sæuit; vt penè videatur infinitam Dei puniendi po-
Isai. 1. testatem superare. Sic Dominus apud Isai. c. 1. *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam filijs sceleratis: super quo percutiam vos vltrà addentes præuaricationem?* Quid ais Domine, non inuenies pœnam, quam irroges peccatori? Quis ita inopem reddidit vltricem Dei potestatem? Cur infinita vis puniendi sic hæret? Causam inuenio in illis verbis, *addentes præuaricationem*; quando enim vitium adeò crescebat, adeò augebatur, talia genera pœnarum auctoribus suis generaret, tam inusitata, tam extra consuetos terminos pœnarum, vt respectu illarum ordinaria vis puniẽdi in Deo videretur inanis, & vacua. Sola enim effrænata cupido, in homine est, quæ nullæ lanienæ parcit, vt te con-
Prou. 30. cupita fruatur. De hac Prou. 30. *Sanguisugæ duæ filiæ, dicentes, affer, affer.* nulli parcit sanguini cupido: & punitiua Dei virtus, & cæteri omnes carnifices terminos habent, quos minimè transgrediantur: sola cupido in te superat omnes terminos, vt te excruciet, vt te laniet. Coniungo pulchra D.
Cyprian. Cyprian. verba inter alia multa latè ponderans rabiem libidinis ex congressu fœminarum ortæ lib. de singularitate Cleric. circa finem: *Rabiem concitat hæc cupido, porrigit furiam, casus exaltat, ripas eripit, præcipitia instituit, per infinita dedecora multiplices mortes innectit.* Expende illud notanter dictum, *ripas eripit*, vt quæ sola sine termino, sine limite infinitam stragem parturiat. Iam non miraberis, quòd apud
Matth. 12. Matth. 12. diabolus, vt domum hominis ornatam inuadat, *vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se.* Et qui spiritus inueniri possunt, qui ad perdendum hominem nequiores sint, & crudeliores diabolo? D. Ambros. in cap. 13. Apocal. putat spiritus istos esse septem vitia capitalia, quæ quidem, & diabolum, & vniuersos carnifices, & tyrannos in homine perdendo longissimè superant. Hinc Deus peccatorem puniturus illum suis iniquitatibus tradit. Ait enim
Psal. 49. Psalm. 49. *Arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Apollinarius legit, *Statuam contra te faciem tuam.* Non ignem minatur, non gladium, sed vniuscuiusque peccatoris faciem statuendam cuique minatur, quasi ipsa vitiorum deformitas sit omni gladio acerbior ad configendas animas. Quò
Isid. Pel. spectans D. Isid. Pelus. epist. 382. ait: *Sin autem sermones mei turpes vestras actiones coarguunt, tanquam speculum fœdo, ac deformi reperior. Quamobrem, aut deformitatem mutate, ac sanitatem reuocate, aut speculum vobis perpetuò erit.* Non minatur se transuerberaturum peccatorem, sed facturum illi, quod speculum cuique facit, nimirum, proprias illi obiiciet fœditates, vt quæ duriores inferant plagas.

§. XVI.

Qui potest, eleemosynas faciat in magna quantitate, necessum est.

DVo à Iesu Domino iubentur circa eleemosynarum elargitionem; alterum in præsenti, dum dicit: *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo*; alterum apud Luc. 12. aiens, *facite vobis sacculos, qui non veterascunt.* In thesauris pretiosa quæque inferuntur, nimirum, aurea, & argentea: æreus nummulus non in thesauris, sed in sacculo solet inferri. Cur ergo iubet Dominus eleemosynis inferendis non solùm para-
Valer. ri sacculos, sed & thesauros? Rem attigit D. Valer. hom. 9. fatus: *Bene, dilectissimi, Christus Dominus boni operis studium pensata qualitate facultatum disposuit, vt in faciendis eleemosynis nec diues, nec pauper excusare se possit, ita vt huic, qui plurimum possidebat, thesauros iuberet erogare: illum, quem nouerat paupertatis squallore sordescere, e nocentis panem iuberet frangere.* Porrigat pauper nummulum, vel frustum panis, si aliud non habet, pro his enim sunt in cœlo sacculi, qui non veterascunt: verùm qui diues est, qui opulentus, non sacculos, sed thesauros putet implendos suis largitionibus, & sicut ridiculus est, & vanus, qui nummulum æreum daret thesauris; sic ridiculus est, qui diuite opulentus auro, solo frusto panis vellet cœlestia emereari. Noscant iam diuites sæculi per quas eleemosynas debeant cœlum comparare, nimirum, per eleemosynas, quæ sint dignæ thesauris. Quis neget a Domino vehementer amatam fuisse paupertatem, cum in stabulo nascitur, ibi pauperrima accepit præsepis incunabula, pauperes pannos a matre sibi fecit parari, nihil non pauper, & vile videre voluit; tamē inter hos paupertatis amores, dum munera a Magis decreuit accipere, non alia munera accipit, nisi quæ de thesauris educantur. Quippe ait Matth. 2. *Inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum, & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera.* Bone Deus, cùm præsepe quæris, & stabu- Matth. 2.
lum pro canabulis, cùm halitum animalium requiris pro focis, cùm nihil non vile, & pauper sustines, cùm totus pannosus, & inops appares, spectas etiam tibi aperiri thesauros? Sed id expectas à Magis, a diuitibus sæculi, vt discant omnes diuites pauperibus subuenire de thesauris. Ad hæc D. Valer. hom. 7. ait: *Ipsum scias esse Christum nostrum, quem* Valer.
videris nudum, quem aspexeris cæcum, quem offenderis claudicantem, quem pannis inuolutum, quem videris sordido veste contectum. In hac denique veste, cum à Magis quæreretur, inuentus est, & cum in præsepi positus iaceret, sub hoc habitu apertis thesauris munera oblata suscepit. Pauper, & inops spectauit sibi non sacculos Magorum, sed apertos thesauros; quasi à diuitibus sæculi tunc sibi acceptas magis eleemosynas habet, quàm de thesaurorum rebus, hoc est, de magnis, & splendidis dantur. Pro quo monebat Paulus 2. ad Corinth. 9. *Ne-* 2. Cor. 9.
cessarium ergo existimaui, rogare fratres, vt perueniant ad vos, & præparent repromissam benedictionem, hanc tanquam benedictionem, non tanquam auaritiam. Vbi D. Anselm. ait: *Non tanquam auaritiam, id est, non quasi strictum deuotionem. Auaritia enim vocatur datio, quæ fit tenuis, & parci animo.* Deo auaritia est, non eleemosyna, quæ à potentibus sæculi de leuidensibus micis datur; qui cùm thesauros habeant oppletos auro, vix minutissimo ære volunt cœlestia comparare. Hoc docet D. August. tract. de re- August.
ctitudine Cathol. conuers. aiens: *Vnusquisque quantum præualet, tantum porrigat. Qui habet aurum, det aurum, qui argentum, argentum. Qui verò non habet pecuniam, cum bono animo det pauperibus buccellam.* Quasi à diuitibus, & potentibus sæculi illæ spectentur eleemosynæ, quæ de thesauris veniant, quæ largum, & liberalem datorem ostendant, non quæ auaritiam possint redolere.

Text. Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen, quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt?

§. XVII.

Ex oculis censetur vita hominis.

VAnè iactat vitæ puritatem, cuius oculi minimè sibi cauent ab omnibus impuritatis officinis: prima sit nostra cura circa oculos, hi quidem si impuris figantur, mirum erit quòd maneat vita pura. Do pulchra D. Orientij carmina rei aptissima.

Præcipui semper famosos despice cultus,
Indecitumque tuis eripe luminibus.
Nemo feret rutilas intactis vestibus ignes:
Nemo inter lituos non trahit ore sonos.
Nemo inter flores blandorum ambitus odorum
Naribus assiduam non metet vngue rosam.
Nemo diu sitiens, & multo sole perustus
Incumbet gelidis, nec potietur, aquis.
Nemo, licèt medijs muris, sub tempore belli,
Aut bene securus, aut bene tutus erit.
Congressus præstat visum, mox lumina visis
Concipiunt flammas, parturiuntque nefas.

Semper lumina, semper oculi facem præferunt perditioni, nisi ab omni lenocinante vultu cohibeantur: in oculis licet videre, qualis vita hominis sit: Sed in quibus oculis? In oculis, qui lucernæ fuerint, hoc est, instar lucernæ clausi,
&

& absconditi illuxerint. Non equidem dicitur oculus lu a corporis, sed lucerna corporis, tunc luceos, cùm est clausus, protinus reflante vento, extinguendus, si aperiatur. Quapropter Dominus aiebat Iudæis, Ioann 9. *Si cæci essetis, non haberetis peccatum.* Hoc vnum illis optabat, quo censerentur (Ioann. 9.) liberi à tenebris peccati, nimirum, quòd haberent oculos clausos, imò obcæcatos; quasi suspecta sit aperto oculorum; vtpote quæ tenebrosæ vitæ præbeat causam. Ad hæc D.Paulin. epist. 4. ait. *Dominus oculis Iudæorum cæcitatem præferens dicit: Si cæci essetis, non haberetis peccatum. Remanifestamur qua pernicie illis in Paradiso oculi sunt aperti: quos tamdiu habuerunt illuminatos, quamdiu clausos habuere peccato.* (Paulinus.) Tunc oculus lucernæ opus implet ardens, & locens & totum corpus illuminans, cùm clausus est, cùm commodabili cæcitate se contineat, ne videat, quo possit renebrati. Actor. 9. de Paulo, quòd *nihil videbat.* Sed interea totus (Act. 9.) circumfusus lumine cœlestia lustrabat. De quo eleganter Arator, sic canit:

> ——— *Cùm lumina claudit,*
> *Pectora tunc aperit, cælique agnoscitur auctor,*
> *Discedente die, quantum meruere tenebræ.*

Vbi aperitur oculus, & liberè vagatur, heu quàm citò fumat lucernalquàm citò extinguitur! quàm citò totum corpus peccatis obtenebratur! Quis ignorat Dauidis lucidissimam vitam? Is tandem 1. Reg. 11. *Vidit mulierem se lauantem,* (1.Reg.11.) &c. aperuit oculorum lucernam, & vel tenuissimæ auræ flatu lua eius obtenebrata est. Vt dicar D.Chrysost. hom. 1. (Chrysost.) in Psalm. 50. *Vidit Dauid mulierem lauantem se: aperuit itaque in vanu oculos, & suscepit sagittæ ictum.* Tantum durauit io vitæ splendore, quantum io laodabili cæcitate: dum clausos babuit oculos, & singularitatem splenduit, & totus incedebat illuminatus: vbi oculos aperuit, ictum excepit, & nox & teoebræ subiotrarunt.

§. XVIII.

Spes in Deo tantum hominem esse facit.

DVm iubemur non thesaurizare in terra, hoc est, non sperare in incerto diuitiarum, sed in vno Deo omnes spes nostras collocare: statim huius spei rationem reddit Dominus ex similitudine oculi corporalis. Vt enim ea ictu oculi censetur totum hominis corpus, an lucidum sit, vel tenebrosum: sic ex fine spei nostræ tota censetur vita humana. Spes est, quæ totum hominem facit, dum illum in Deo vno docet sperare, & non in incerto diuitiarum. Apud Genes. cap. 4. de Enos dicitur: *Iste cœpit inuocare nomen Domini.* (Genes. 4.) Quæ verba leguntur apud Philonem: *Hic sperauit inuocare nomen Domini.* Quid tunc? Statim subdit textus c. 5. *Hic est liber generationis Adam.* explicatiùs io tem nostram legit Philo: *Hic est liber generationis hominum proborum.* Nec immeritò, postquam quis cœpit sperare in Domino, incipitur generatio hominum proborum, cùm spes in Deo faciat, & constituat verè hominem. Rem attigit Philo lib. (Philo.) Quòd deterior insidietur potiori, dicens: *Ideò cùm dixisset de Enos, hic sperauit inuocare nomen Domini, disertè infert: Hic est liber generationis hominum proborum; scriptum est enim in Dei libro, solum bene sperantem esse hominem.* Vnus spei oculus in Deo positos ostendit hominem: si hæc fit spes, homo verè est: tolle hanc, & non erit homo, sed tenebræ, sed nox absomit vniuersos dies hominis. Id quod perspicuis verbis docebat D. Zeno serm. de Fide, Spe, & Charitate, sic (Zeno.) loquens. *Primò omnium spes nobis propanenda est futurorum, sine qua nec potentia quidem ipsa stare posse perspicimus. Adeò tolle spem, torpet humanitas tota. Tolle spem: artes, virtutesque vniuersæ cessabunt. Tolle spem, & intercepta sunt omnia.* Non inuenies hominem, vbi bene sperantem non iouenis: spes est, per quam censetur homo, per quam vita hominis stabilitur, & patentissimè apparet. Vnde, vt faceret homines Dominus, hunc illis spei scopum præficit Matth. 6. *Quærite primùm regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis.* (Matth 6.) Ille diues, ille felix, ille solus homo, qui spei oculo nihil prius quàm Deum videat, cuius spes vno solo Deo niti sciat; si aliò respicias, si in incerto diuitiarum spem constituas, nec diues es, nec felix es, nec homo es, sed prorsus mortuus es. Vnde eleganter ex his D. Paulin. epist. 5. ad Seuerum, inquit; (Paulin.) *Quia de eius inopia famem metuat, quem sui huius verbi securitate paupertatem diuitijs prætulisse? An magis abundare credit illum, qui terra, quàm qui Deo credit? Et qui propria, quàm & illum, qui diuina pascitur rore? Quid ille miser habeat, qui se non habet? Non enim se habet, qui spem suam de Deo sperat,*

vtrique est mortuus, qui non viuere timet, si totum de se Deo credat, Deòque permittat. Et quidem nihil inuenies hominis io eo, qui plus fidit in diuitiarum incerto, quam in Dei promissis; quo enim spei tuæ oculus magis terrena spectat, quàm Deum, eo minus diues es, eo minus homo, imò eo magis mortuus, magis nihil. Vnde merito D. Chrysost. homil. 21. in Matth. dicit, quòd dum in terris thesaurizas, ibique figis spes tuas, non es homo: *sed quasi canis ad sepulchrum vincitus, & tyrannide pecuniarum omni catena tenaciùs illigatus adlatrantes te, atque poscentes latratibus tuis personas, vnum atque idem opus exequeris, vt alys reposita conserues.* Hæc ille; & verè: è contra autem Chrysol. serm. 110. sic loquitur de Spe. *Spes est, quæ verum perficit, & ad mensura Christi plenitudinem perducit, &c.* (Chrysost.) (Chrysol.)

Text. Nemo potest duobus dominis seruire: aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo seruire, & mammonæ.

§. XIX.

Qui Mammona bonis vtitur, imbecillis, & prorsus infirmus est ad fortia virtutum munera.

MIraberis Dominicum testimonium contra huius sæculi diuites fulminatum, nimirum, quod ex quo pecuniis incubant, fieri non possit, vt Deo placita exequantur opera. Imò dicet diues, ideo bona temporalia perquiro, ideo pecunias sitio, vt Deo seruiam. vt necessariis abundans promptior sim io Dei seruitium; cur non magis ad diuina paratus, qui humana bona potitur? Sanè ex quo non classium nominatissimos duces in mari victores, in terra fugitiuos, in nauali certamine leones, in terrestri pugnæ ceruos, suspecti mihi sunt ad fortia opera, quicumque toto nixu assuescunt vanis, & ludicris? Quid firmius, quàm virtutum opus? Quid inconstantius, quàm bonum pecuniæ? Nequit ergo adeò volubilibus, & inanibus rebus assuetus, non esse prorsus imbecillis, & infirmus ad opera virtutum. Paul. 1. ad Timoth. 6. *Diuitibus huius sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, &c. Bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam.* Expende quot virtutum facinora petat à (1. Tim 6.) diuitibus, quæ opera bona? incipiens ab illis. nimirum, *bene agere,* &c. sed his omnibus veluti firmum fundamentum præposuit illud, *non sperare in incerto diuitiarum.* Cur hoc ante c nia petit? Nónne, & ante hoc possint bene agere, diuites fieri in bonis operibus, apprehendere vetam vitam? Crediderim hæc minimè posse fieri ab his, qui assuescunt sperare in incerto diuitiarum. Rem pulcrè exemplo attigit D. Chrysost. homil. 21. io Matth. fatus. *Qui supra funem in sublime tensum cum securitate gradientes, tantam fortitudinem mentis ostendunt: cum aliqua necessaria certè causa audaciam, & fortitudinem flagitat, nihil prorsus virile non modò facere possunt, verùm etiam cogitare. Sic sunt profectò etiam illi locupletes, qui cùm omnia pro diuitijs audeant, pro Deo non grande aliquid, non exiguum sit sustinere patientur.* Nullus est, qui non mereatur (Chrysost.) funambulorum mimorum incredibilem audaciam, qui fune nixi præcipites edunt saltus, miráque fortitudinis facinora ostentant: & tamen vbi ad verum certamen ventum est, nullus imperator his hominibus committet discrimina grandia, quòd vel funes muris applicent, vel mœnia scandant; æstimans imbecillissimum, & infirmissimum esse mimorum genus ad vera; vtpote qui in ludicris, & inanibus didicerint audaciam, & fortitudinem ostentare. Nescit tractare vera, qui assuetus est ludicris contrectandis: & qui toto animi nisu bonis inhiat perituris, fieri nequit, quòd ad vera facinora fortitudinem habeat. Defecit fortitudo ad vera virtutum opera, eo ipso, quòd abundat cupiditas temporalium. Fortissimi Israëlitæ, Nom. 21. mirabilem de Chananæis victoriam reportant, & dum victores gradiuntur, (Num. 21.) incipiunt fastidire eremi paupertatem, & Ægyptiorum bonis inhiare. *Et tadere cœpit populum itineris, ac laboris, locutúsque contra Dominum, & Moysen ait: Cur eduxisti nos de Ægypto, vt moreremur in solitudine? Deest panis, non sunt aquæ, anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo. Quam ob rem misit Dominus in populum ignitos serpentes, ad quorum plagas, & mortes plurimorum, &c.* Qui ciuitates, & regna fortiter

I 2

fortiter expugnarunt, à ſerpentibus percuſſi miſeri interimuntur: vbi eſt illa fortitudo vaſtatrix vrbium? Cur non defendit eos à ſerpentibus? Sanè ex quo Ægyptiorum bonorum memoria mentes eorum ſubit, cupiditáſque temporalium ſubintrauit, vera fortitudo periit, nihílque poſſunt agere, quo à ſerpentibus cuſtodiantur. Inde Hildebertus Epiſcop. monebat nobilem fœminam, vt bonorum abdicationi inſiſteret, quaſi fundamento fortitudinis Chriſtianæ. Ait enim epiſt. 71. *Iſraël ardore ſitis, & defectu menſæ erga Moyſem murmurat, diuinis miſerationibus Ægyptiacam præfert abundantiam, & ſeruitutem. Ergo in eis fortitudo periit, & à ſerpentibus ipſi periiſſe leguntur.* Memoria Ægyptiacæ abundantiæ fortitudinem funditus quaſſauit, & reddidit homines è leonibus ceruos, è fortibus infirmos, ne ſe poſſint tueri à vilibus animalculis, qui cùm Ægypti ſeruitutem reſpuebant, expugnare poterant fortiſſimas ciuitates. Quis iam amet ſeruitutem mammonæ, ex qua tanta imbecillitas ad fortia virtutum opera naſcitur? Nemo ignorat victorioſam fortitudinem Ezechiæ Regis, qui indutus virtute ex alto vidit iuxta ciuitatis ſuæ muros Aſſyriorum exercitus ab Angelo percuſſos. Is ergo tantus Rex, tam fortis, cui cœlum, & Angeli militabant, audit ab Iſaia Propheta 4. Reg. 20. *Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ ſunt in domo tua, & quæ condiderunt patres tui vſque in diem hanc, in Babylonem*, &c. Vnde poterit potentiſſimum Ezechiæ regnum, ab Angelis communitum, ſic infirmari, vt deleatur ab Aſſyriis, quos toties proſtrauit? Quæ res inuenitur in Ezechia, quæ ſic eius abſtulit fortitudinem aduersùs inimicos? Vnum inuenio ab Ezechia factum fortitudinis cœleſtis exitium, nimirū, quòd acceptis Aſſyriorum legatis illis theſauros ſuos, & diuitias oſtenderet, quaſi robur oſtentans fortitudinis ſuæ. *Non fuit, quòd non monſtraret eis Ezechias in domo ſua, & in omni poteſtate ſua.* Cur ergo non infirmaretur, & prorſus redderetur imbecillis, qui ſic fidebat in incerto diuitiarum, vt has oſtētaret, pro robore fortitudinis ſuæ? Theodor. q. 22. hanc illius infirmitatis rationem reddit. *Quòd cùm oporteret Dei docere virtutem, & curam, quam aſſecutus erat Ezechias, oſtendit diuitias, quæ nihil habent firmum, ac ſtabile.* Quippe ex quo inſtabilitati, & volubilitati diuitiarum fiebat; iam non poterat fortia virtutum robora in ſe præſtare.

Hildeb.

4. Reg. 20.

Theod.

Text. Ideo dico vobis, ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ, quid manducetis, neque corpori veſtro, quid induamini. Nónne anima plus eſt quàm eſca, & corpus pluſquam veſtimentum?

§. XX.

Stultiſſimi homines nil, niſi corporale meditantur animæ ſuæ, eidem illam cum corpore menſæ aſſidere faciunt.

HEu miſera hominum ſtultorum anima, quàm vacua in eis es, quàm inanis; tam improuidi ſunt circa tua bona homines, vt nihil non meditentur corporale: & quaſi ſuinam animam habeant, nihil præter eſcas, & cibos corporis perquirunt. Apud Luc. cap. 12. ſic dicebat quidam: *Deſtruam horrea mea, & maiora faciam: & illuc congregabo omnia, quæ nata ſunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima habes multa bona poſita in annos plurimos; requieſce, comede, bibe, epulare.* Quid ſtultius? Quid irrationalius? In quo miſeri hi diſtinguunt animam à corpore? Qualem æſtimant animam? An pecuniam? Pulcrè D. Baſil. in catena aurea, ait: *Tam improuidus eſt erga bona animæ, vt eſcas corporeas animæ adſcribat.* Quas pro pecudum cibis parat ſiliquas, eaſdem pro cibis animæ parat: non cibum corporis, & animæ diſcernit, ſed & corpori, & animæ eaſdem epulas apponit, quaſi anima nihil ſupra corpus habeat. Quam maculam Iſraëlitis inurit Pſalm. 77. aiens: *Tentauerunt Deum in cordibus ſuis, vt peterent eſcas animabus ſuis.* Quanta hæc tentatio, quòd famelici peterent eſcas? Nónne, & pulli coruorum inuocant eum, vt eſcas tribuat? Cur ergo Iſraëlitæ fameſcentes offendunt, & quòd eſcas petunt? Magiſter ſententiarum rationem offenſionis ponit, non in eo, quòd peterēt eſcas, ſed in eo, quòd animabus ſuis eſcas peterent corporales, nec vnam corpori, & alteram animæ menſam expeterent, ſed vna eadémque menſa corporea, & corpus, & animam vellent ſaginare. *Et tentauerunt Deum in cordibus ſuis, vt peterent eſcas animabus ſuis. Et malè locuti ſunt de Deo, &*

Luc. 12.

Baſil.

Pſal. 77.

dixerunt: Numquid poterit Deus parare menſam in deſerto? Pulchrè Magiſter, *petunt vitæ ſuæ carnales eſcas, non ſpirituales.* Vtinam homines conſtantes corpore, & ſpiritu, & corpori, & ſpiritui, ſuas cuique menſas expeterent, alteram ſpiritualem, alteram corporalem; ſed nihil meminerunt ſpirituale, imò & animam, & corpus eiſdem epulis carnalibus ſaturant. Quid ſtultius? Quid infelicius? Equidem ille felix eſt, & ſapiens, qui animæ menſam, & corporis diſcernit, & dum corpori neceſſarios cibos præparat corporales, cibos etiam animæ condit ſpirituales. Eccleſiaſt. c. 2. *Nónne melius eſt comedere, & bibere, & oſtendere animæ ſuæ bona de laboribus ſuis?* Expende, qualiter ſeparat menſam corporis, à menſa animæ: dum meminit bibere, & comedere, non meminit animæ, ſciens bonum eſcarum ad corpus pertinere, non ad animam: habet etiam anima ſuum proprium bonū non in cibo, & potu temporali, ſed in oſtenſione laborum, & operum, quæ pro virtute obtinenda facit. Itaque illud eſt melius, comedere, & bibere corpori, inſuper, & animæ oſtendere bona de laboribus ſuis parta. Ad hæc eleganter Chaldæus ait: *Non eſt, quod pulchrum appareat in homine, niſi quòd comedat, & bibat; & videre faciat animam ſuam bona, ante filios hominis exequendo mandata Domini, & ambulando in viis, quæ rectæ ſunt coram eo, vt benedicat ei ex labore ſuo.* Tunc rectè ſe gerit homo, quando non ſolicitus eſt animæ ſuæ quid manducet, illámque cum corpore ad eundem cibum corporalem adducit; & nihil illi vlterius acquirit: ſed & corpori cibum ſuum, & animæ nouit parare opera virtutum, quibus ipſa ſaginetur, & viuat. Vnde D. Ephrem tract. de compunctione animi, ſic monet. *Ne in corporis cura vniuerſum tempus noſtrum inſumamus; ſed quandocumque corpus eſurit, & nutrimentum appetit: cogita, & animam tuam ſuo tunc cibo neceſſario refocillari velle. Quocirca tu tanquam bonus diſpenſator, animæ cibum ipſi præbens animæ, & corporis eſcam ipſi corpori, non modò corpus enutries, verùm & animam fouebis, eámque haudquaquam deſolatam, famelicámve relinques. De qua quidem anima rectè ait Apoſtolus: quæ in deliciis eſt, viuens mortua eſt. Caue igitur tuam à gula animam interfici permiſeris: at paſce illam per verba diuina*, &c. Hæc igitur ſit lex boni, & felicis hominis, ne ſolicitus ſit animæ ſuæ, quid manducet; ſed quid honeſtum faciat, quid ſapiens, & Chriſtianum percipiat: de virtutum, & ſapientiæ operibus ſolicitus ſit animæ ſuæ, non de cibis corporalibus; hos etiam perquirat corpori ſuo, ita, vt anima ſpiritualia habeat, & corpus carnalia, quibus viuant.

Magiſt.

Eccleſ. 2.

Chald.

Ephrem.

Text. Reſpicite volatilia cœli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater veſter cœleſtis paſcit illa, &c.

§. XXI.

Quæſtuaria ratio in acquirendis bonis cœleſtem Rempublicam dedecet.

IN volatilibus cœli, hoc eſt, in cœleſtibus, & ingenuæ vrbis ciuibus hoc conſiderare iubemur, quòd non ſerunt, neque metunt; cur potiùs non conſideremus, quòd non cauponantur; nec telonio aſſident, nec lucris captandis ſtudent? Hæc, vt alieniſſima à bonis, & ingenuis mentibus, nec nominari licet inter cœli incolas. Ad hæc acutè D. Chryſ. hom. 22. in Matth. ait. *Reſpicite volatilia, & non ait, quæ non cauponum, ac negotiatorum more viuunt; hæc enim deſperatorum omnino profeſſio eſt: ſed quia non ſeminant, inquit, nec metunt.* Solicitudo illa bonorum, quæ in negotiatoribus, & cauponibus inuenitur, tantum abeſt, quòd ſit in cœli accolis, vt ſolùm ſit in deſperatis à ſalute, & deploratis, deſperatorum profeſſio eſt, more cauponum, ac negotiatorum viuere. Hi non cœli ſpatia deambulare norunt nec ſupernam Ieruſalem meminerunt, ſed in profundo demerguntur. Pulcrè de negotiatoribus terrenis Pſal. 106. *Qui deſcendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis. Ipſi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo.* Nihil ad cœleſtia pertinens vident, ſed quod in profundo eſt, id rimantur, id ſuſtinent, verè habitatores non cœli, ſed profundi. In mare deſcendunt in nauibus, non in portu ſunt, non anchoris fixis ſtant, ſed omnia inſtabilia tractant, omnia ſolicitant, ſupernorum bonorum prorſus obliti. Hos pulchrè depingit Golfridus apud Tilmanum in Allegoriis explicans ex 31. Prouerb. qualiter fluctuet nauis in media maris

Chryſoſt.

Pſal. 106.

via

via constitua, & inquit: *Sic fluctuant, quos metus agitat, & vana solicitudo contribat, vt nullum inueniat spes anchora firmamentum, nullum prorsus, aut penitus scopulosum littus appareat. In huiusmodi naui dormit, ac dormitat, qui custodit Israel, quia non est, qui suscitet, qui inclamet; Domine salua nos, perimus. Illi difficilè quidem ad sapientiam redeunt, dum, quæ sua sunt, quærunt potius, quàm quæ Iesu Christi.* Qui custodit Israel, qui pro custodia datur ciuibus illis, qui ad Dei visionem contendunt. in negotiatorum mundialium naui somno se tradit, nihil ibi habens, quod agat: quia nihil in illis inuenitur, quod ad visionem Dei spectet, sed ad visionem profundi, in quo miserè submersi iacent. Nec mireris hanc hominum nationem sic à superna ciuitate videntium Deum videri exclusa, D. enim Synes. lib. de regno, putat illam ab optima quaque ciuitate debere amandari Quippe ait: *Quæstuariam illam nationem mihi videor animaduertere præ cæteris ignobiles, atque improbos, planéque illiberales esse, in cúque sola republica, quæ intestinis desidijs laborat, non penitus infimum locum obtinere. Qui quidem ui contemnendi auctores fuerunt, quoniam circa id, quod infimum est, in contraria naturæ consilia defluxerunt: hæc enim corpus animi obsequio subteruit, externa ad corpus vsum reuocante, posterioris secundas partes dedit; at illi è contra animam, & corpus ei, quod tertium est, subiungunt. Sese igitur aspernantes, priuentéque animæ partem in seruitutem redigentes, quid est, quod illi magnum, honestumve malis, aut deliberare queant? Procul igitur à se, & à subditis exitiosam hanc pestem amoliatur, vt princeps bonus, bonis imperet.* Hæc ille, & meritò arcet ab optima republica illos, quorum scopus est, vt pecuniis seruiant: quam seruitutem nec ad horam tulit Dominus in eo, quem ad regnum vocabat. Quippe Matth. 9. *Cum transiret inde Iesus, vidit hominem sedentem in telonio*, &c. Cur tracturus hominem non paulisper ibi stetit? Chrysolog. serm. 18. *Non dixit, cùm staret ibi, transiuit, & pertransiuit inde Iesus, ne Matthæus remaneret ibi: transiuit inde Iesus, ne Matthæus taliter permaneret: seruire Deo nequeuntis, pecunijs seruientes.* Bonus Dominus, vt bonis imperaret, & ingenuis, non passus est Matthæum morari in telonio, qui passus est sæpè Petrum, & Ioannem redire ad nauem, & retia: adeò exitiosus pecuniarum amor ciuibus cœlestis Ierosolymæ, vt vel inde terrena etiam Ierusalem publicanos omnes haberet exosos.

Synes.

Matth. 9.

Chrysol.

Text. Considerate lilia agri, quomodo crescunt, non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut vnum ex istis. Si autem fœnum, &c.

§. XXII.

Tota hominum solicitudo, & cura erga nos, & nostros, non exæquat Dei solicitudinem, & curam.

COmponite lilia agri, & Salomonem: illa pulcherrimis coloribus amicta; hunc miris radiantem pulchritudinibus: illa omni cultu, omni hominum labore vacuata; hunc ingenti ministrorum exercitu septum, illis nullus inseruit, solus Deus prouidet: huic seruiunt terrenæ artificinæ, maris gemmæ, auium plumæ, hominum ingenia, seruorum curæ, & insomnia. Hæc supponens si inquiras vter pulchrior, vter spectabilior, vter perfectior in ornatu appareat, an Salomon medius curis, & vigiliis, & solicitudinibus tot seruorum, an lilium agri Dei gaudens prouidentia fultus? Proh Deus immortalis, quàm longè superatur tota Salomonis gloria, & pulchritudo, vel à minimo lilio, cuius colorum perfectionem nulla potest artis adæquare tinctura! Nunquam cura, & solicitudo creaturarum in suis effectibus non vincitur à diuina prouidentia, & solicitudine. Quæ maior in mundo solicitudo, quàm illa sæcularium hominum pro suis? Vt suorum commodis inuigilet non dormit pater familias, & mille vigiliis, mille ieiuniis, mille laboribus emit panem, quem filij, quem fratres manducent. Sed quàm vincitur tota hæc solicitudo sæcularium hominum à Dei cura? Accipe epulonis diuitis curam pro suis etiam in inferno perseuerantem, Luc. 16. hic enim videns Lazarum in sinu Abrahæ, sic precatur: *Rogo te pater Abraham, vt mittas eum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres; vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum.* Ecce tibi superflua hominis cura, superuacanea vsque quò se extendat, nimirum; vt acquirat vnicum Lazarum, quem det ministrum suorum saluti. Et huic tam solicitæ suorum curæ, quid respondet Dominus? *Habent Moysem, & Prophetas, audiant illos.* Ille solicitus de vno acquirendo, Deus autem iam pridem prouiderat multos, quibus superabundanter haberent fratres illius vnde reciperent salutem. Pulchrè D. Chrysolog. concione 4. de Lazaro, ait ad diuitem. *Non æquè tu curas fratres tuos, ac Deus, qui illos condidit, innumeros illis adhibuit magistros, admonitores, consolatores, adhortatores.* Vincit omnem humanam solicitudinem Dei prouidentia: quò non poterant sæcularis hominis solicitudines peruenire, peruenerat prouidentia diuina, superabundanter prouidens fratrum & necessitati, & saluti. Id quod notans Psaltes aiebat, *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.* quasi solus Deus norit omnia sic suis pupillis prouidere, vt nihil illis deficiat, sed cumulatissimè omnia obueniant. Placet modò, & magni Tobiæ solicitudinem pro bonis acquirendis filio suo, cum diuina eiusdem prouidentia componere. Bonus senex oculis orbatus, domi clausus, paupertate oppressus, cœpit & de familiæ, & filij sustentatione solicitari, interea meminit pecunias apud Gabelom Rages in ciuitate depositas, iubet perquiri virum, qui cum filio longissimum iter suscipiat, & pacta itineris mercede pecunias possit recuperare. Ecce tibi tota boni patris solicitudo eo solum spectat, vt per virum, & comitem fidelem pecuniæ recuperentur, quibus & ipse, & filius possit aliquantulum subleuari, imò ditari. Pecunias solum perquirit pater, nihil aliud nec sibi, nec filio meminit, & quidem etiam supra pecunias, multa alia erant necessaria, nimirum cæcitatis sanitas, filij nuptiæ, quæ tunc nec in mentem veniebant soliciti patris. Quid plura? Dum pater mercenarium hominem pro pecuniis conquirendis cogitat; cœlestis Pater prouidet Angelum suum, qui & pecunias, & sponsam, & sanitatem afferat, adeò, vt nihil vltrà desit alumno suo. Rem sic explicat Tobias iunior apud D. August. serm. 226. de tempore, inquiens: *Numquid ipse id tantùm exhibuit, quod pactum fuit? Hoc placuerat, vt mihi regionem, & virum, cui argentum commodasti, demonstraret. Primò iter quasi cœleste carpens, & mihi, & tibi parauit necessarium de pisce collyrium. Me deduxit, argentum recepit, Saram mihi vxorem desponsauit, & mihi tanquam cœlestis extitit paranymphus.* Meritò comes Tobiæ habetur cœlestis, cuius prouidentia circa sibi commendatum tam longè superat omnes prouidentias humanas, vt quæ nihil faciat deesse alumno suo. Paterna solicitudo circa pecunias tantum versabatur, ministri diuini prouidentia, & pecunias, & sponsam, & salutem procurauit, quæ nec à solicito patre somniabatur. Nunquam prouidentia diuina non excedit solicitudines humanas in bonis parandis. Quis non se credat huic prouidentiæ Dei adeò probatæ? Nec Deus vnquam peteret homines à solicitudine necessariorum vacuos, nisi & ipse soleret suis alumnis prouidere superabundanter. Matth. 10. aiebat Dominus suis discipulis: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris: non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta.* Quod notans Tertul lib. 4. in Marc. ait. *Quis hoc mandasset, nisi qui & coruos alit, & flores agri vestit? Quis boui quoque terenti libertatem oris ad veniam pabuli ex opere summouendi ante præcepit?* Et quidem boui affatim prouidisset Dominus, si iuberet illi præsepe plenum parari, verùm parca videretur sibi diuina prouidentia, nisi totam aream libero ori bouis offerret; vt discamus, quàm superabundanter omnia Dominus suis alumnis parat: à quibus securè quærit, Luc. 22. *Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt, nihil.* Felix, qui se Deo se credit, cui nihil vnquam deerit necessarium; cuius solicitudo à Dei cura longè superabitur, vt dicat Prouerbior. 8. *Qui manè vigilauerint ad me, inuenient me.* Ad quæ D. Bernard. serm. 68. in Cantic. *Accelera quantum vis, etiam ipsas anticipa vigilias, inuenies eum, non præuenies. Temerè in tali negotio, vel primi aliquid tribuis tibi, vel plus, & maius amat, & antè.* Nunquam non vincimur à Dei pro nobis solicitudine.

Luc. 16.

Chrysol.

August.

Matth. 10.

Tertull.

Luc. 22.

Prou. 8.

Bernard.

Text. Nolite ergo soliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim pater vester, quia his omnibus indigetis.

§. XXIII.

Paternus Dei amor in homines non permittit aliquid illis boni obuenire, nisi per manus suas.

Esto quòd Deus sciat, quibus indigemus, quòd omnia per se ipsum possint dari nobis; cur etiam nō permittat eadem ex illis causis solicitè ab hominibus perquiri? Pater est, & hominum amator indigentissimus, & ardentissimus, quo minimè patitur aliquid hominibus obuenire, nisi per
Isai 30. manus suas. Sic queritur apud Isaiam cap.30. *Væ filij desertores, dicit Dominus, vt faceretis consilium, & non ex me: & ordiremini telam, & non per spiritum meum.* Non queritur, quòd fecerint consilium, quòd telam ordirentur, sed quod id non factum fuerit per manus Domini ipsius, operante, & laborante ipso Domino; & qualis est hæc Dei querela?
Chrysost. Pulchrè D.Chrysostomus homil.3. ad Populum inquiens: *Talis enim est amantium consuetudo, omnia amatorum negotia per se fieri volunt, & nihil sine se illos neque facere, neque dicere.* Quis te vehementer amet, & non ægrè ferat, si per se non fiant omnia negotia tua? Sanè amatores tunc gaudent, cùm dilectis suis omnem suam operam, & industriam in negotiis impendunt: cùm nec minima res dilectorum, nisi per illos agitur, & obtinetur. Hinc Dominus dicebat ad
Cant.8. dilectam, Cantic.8. *Pone me vt signaculum supra cor tuum, vt signaculum supra brachium tuum, quia fortis est, vt mors, dilectio, & dura sicut infernus æmulatio.* Adeò Dei charitas, & æmulatio pro hominibus fortis erat supra omnia fortissima, vt non permitteret Deus, quòd sponsa aliquid posset cogitare, nec facere, nisi per seipsum, ideo petit poni, vt signaculum in corde, & in brachio, adulterinum reputans
Theod. negotium, quod per se non fiat. Ad hæc Theodor. dicebat in præsenti: *Vult ergo Saluator noster, vt eum pro signaculo in actionibus nostris habeamus, & notam ipsius in actionibus tum dictis, tum factis imprimamus. Sic enim erunt numismata Regia, non adulterina.* Quidquid tibi acquiris, non per Deum, adulterinum est; si vel manu aliquid procuras, vel mente concupiscis, in quo alia, quàm Dei manus appareat, seu Dei inscriptio, adulterinum id est, & Dei iram prouocare
Oseæ 2. sufficiens. Hinc est illa adulteræ animæ vox apud Oseam, cap.2. nimirum: *Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, lanam meam, & linum meum, oleum meum, & potum meum.* Planè adultera, quæ victus, vestitúsque negotia, non per Deum tractat, sed quærit aliud. Quid inde? *Propter hoc*, ait Dominus, *ecce ego sepiam viam tuam spinis*, &c. Quippe qui Deum non credit, sed solicitus est de victu, & vestitu plusquam oportet, vias spinis plenas offendit, quibus miserè confoditur, perimitur. Sic æmulatur Deus dilectos suos, vt nihil nisi à se, & per se gaudeat illis
Exod.5. obuenire. Vnde locutus de terra promissionis, ait Exod.5. *Dabóque illam vobis possidendam ego Dominus.* Quæ verba sic
Lypp. ponderat Lyppomanus. *Ego*, inquit, *Dominus. Solus haberi vult, & coli omnipotens. A se vult impetrari, etiam si ad sanctos recurras, omne bonum: ipse inuocari tanquam pater luminum, & omnium donorum largitor optimus.* Ipse sit, à quo petas, per quem omnia tua negotieris, & eius amori satisfecisti.

§. XXIV.

Infidelium nobis suspecta sint quæuis opera, ni velimus eorum errores ebibere.

Victus, vestitúsque nimiam solicitudinem vt vitemus, illud efficaciter nobis persuadet, quod Saluator apposuit, nimirum: *Hæc enim omnia gentes inquirunt.* Et quidem, qui infidelium errores ebibere nolit, caueat, necessum est, & suspectas habeat quascunque illorum viuendi
1. Reg.8. industrias. Israëlitæ 1. Reg.8. sic ad Samuelem clamabant: *Constitue nobis Regem, vt iudicet nos, sicut & vniuersæ habent nationes.* Videbant omnes infidelium nationes sub regibus florere; & illorum æmulantes politiam, similiter cupiunt habere reges. Quod inde malum? Equidem maximùm malum inde ortum est, non vbi gentes æmulantur in suscipiendis regibus, similiter suscipiunt gentium errores, & ad
Osea 8. idololatriam deflectunt. Ad hæc respiciens Oseas c.8. fatur: *Ipsi regnauerunt, & non ex me; principes extiterunt, & non cognoui: argentum suum & aurū suum fecerunt sibi idola.* Ex quo reges de gentium more susceperunt, in gentium scelestissimam
Gregor. idololatriam deuenerunt. Id quod ponderat D.Gregor.PP. lib.4. in 1. Reg. cap.1. inquiens: *Illi quidem contra Domini voluntatem regem petierunt; sed & regia dignitate postea abusum est, vt populus, qui Deum abiecerat, idola coleret, simulacra adoraret.* Sanè nihil malum ex gentibus appetiuere, regalem politiam solùm adamarunt in gentibus, quia floridam, quia potentem; sed dum solam regiam politiam gentium accipiunt, simul totam gentium turpitudinem, nempe idololatriam ebibunt. Vnde sapientissimè Tobias iunior, vbi nu- Tob.8.
ptias celebrat, nil magis cauet, quàm gentium coniugia in suo referre, ait enim cap.8. *Sara exsurge, & deprecemur Deum hodie, & cras, & secundum cras; quia his tribus noctibus Deo iungimur, tertia autem transacta nocte in nostro erimus coniugio. Filij quippe sanctorum sumus, & non possumus coniungi, sicut gentes, quæ ignorant Deum.* Adeò equidem suspecta sint, & inuisa homini fideli, quæcunque ab infideli fiunt, ni velit, dum bona putat æmulari, à malorum barathro absorberi, Paulus 1. ad Corinth.10. monebat: *Fugite ab idolorum cultura:* quæ verba in rem nostram pulchrè expendit Tertull. 1.Cor.10. Tertull.
lib. de corona militis aiens: *Longum diuortium mandat ab idololatria, in nullo proximè agendum. Draco etiam terrenus de longinquo non minus spiritu absorbet alites.* Expende illud, *in nullo proximè agendum*; fugitiuus enim ab vrbe, non solùm vrbem, sed & vicinia omnia, & vrbanorum habitum, & linguam suspectam habet, nec se securum putat, vsque dum longissimè distet, & in nullo appareat vicinus vrbis illius. Si idololatriæ fugitiuus in nullo proximè ad gentes agat, imò longissimum ab illis diuortium instituat: nulli dexteritati, nulli volatui fidat, draco enim terrenus instar reguli halitus veneno alites desuper volantes absumit. Ideo Deu- Deut.7.
teron.7. locutus Dominus populo suo, sic cauet de gentili: *Nec filiam illius accipe filio tuo, quia seducet filium tuum, ne sequatur me vt magis seruiat Dijs alienis, irasceturque furor Domini, & delebit te citò.* Meritò non permittat Israëlitas nubere gentilibus, ne perdantur simul. Pro quo ait D.Cyrill. Cyrill.
lib. de Ador.7. *Quoniam vsu venerat fortasse, vt nonnulli ex Israël quibusdam claris viris gentilibus filias desponderent, diuitiarum cupiditate irretiti; adeo grauissimis pœnis subijcit hoc crimen: necesse enim erat alienigenæ in matrimonium collocatam, aliam quoque mentem inducere, & dæmonijs cultum exhibere.* Expende illud, *necessum erat*, quasi nequiret idololatria non infici, quæ iungeretur marito gentili. Nec miror, quòd coniugia hæc prohibeantur ob imminens periculum; cùm videam legitimos coniuges separari, quando venereæ voluptates mulctantur diluuio. Ait enim Genes.6. ad eos, qui arcam intrabant, *Segregamini viri priuatim, & vxores priuatim.* Cur legitimi coniuges segregantur? D.Isid.Pelus. lib.1. Isid.Pel.
epist. 69. ait: *Per illatas aquas scortatio, & lascivia mulctatur supplicio. Vos igitur ne labis quidem, ac maculæ expers attingetis cubile.* Et meritò vbi voluptas, & scortatio talia parit supplicia, etiam legitimè caueantur concubitus, ne draco terrenus etiam longè positas absorbeat volucres, haud omnino dissimiles.

Text. Quærite ergo primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Nolite ergo soliciti esse in crastinum; crastinus enim dies solicitus erit sibi ipsi, sufficit diei malitia sua.

§. XXV.

Cœlestia bona prahabita in opus impellunt.

In primis regnum Dei quærere iubemur, deinde iustitiam eius; cur non potiùs quæramus prius iustitiam, hoc est, sanctitatem, meritorum opera, deinde regnum? Qui quærens æstimat regnum apprehendisse, vellet ne amplius laborare, & operari? Vellet quidem; habent enim hoc bona cœlestia, vt etiam præhabita in opus impellant. Iuuenem monebat Dominus apud Lucam c.14. his verbis: *Vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesauros in cœlo, & veni sequere me.* Expende, quando vrgeatur iuuenis ad Dei Luc.14.
sequelam, post omnium venditionem, & acquisitionem cœlestium thesaurorum. In primis, vende omnia, habe thesauros in cœlo, tunc veni, & sequere. Bone Deus, si venditis omnibus thesauros habet cœlestes, cur non magis iubeatur quiescere & frui thesauris suis? Absit hoc ab illo, qui thesauros habet cœlestes, nunquam enim magis vrgetur ad opus, quàm post thesauros acceptos. Id quod ponderans D. D.Ephr.
Ephrem de humilitate comparanda, notat: *Non dixit, & habebis thesauros in cælis, & deinceps dormi, ac requiesce; sed dixit, & habebis thesaurum in cælis, & veni, sequere me.* Non hi sunt
cœlestes

cœlestes thesauri, qui otium influant, sed qui efficaciùs moueant ad opus. De se aiebat Paul. 2. ad Cor. 12. *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim (sive in corpore, nescio: siue extra corpus, nescio; Deus scit) raptum huiusmodi vsque ad tertium cœlum. Et scio huiusmodi hominem, quoniam raptus est in paradisum.* Sed cur tantus Dei athleta in cœlum raptus est? An vt se à laboribus subtraheret? An vt cœlestia tenens, stadium & arenam fastidiret? Imò, vt magis ad laborandum incenderetur, vt ad dolores, & labores duriores inde ardentiùs prosiliret. Quippe alibi datus Cyrill. Ierosol. Catech. 14. inquit. *Descendit Paulus iterum, non quod dignus non esset conuersatione cœlesti, sed vt gustatis supercœlestibus honoratus descendens Christum prædicaret, & pro ipso moriens corona martyrij potiretur.* Cœlestia non detinuerunt athletam Christi, sed magis impulerunt in certamina: vt regni cœlestis penetralia tetigit, ardentiùs descendit ad prælia suscipienda: nescit otio torpere, qui cœlestia miratus est régna, sed ad labores magis excitatur suscipiendos. Sponsa lætissima, quòd dilecti sui præsentiam frueretur, quòd regem cœlorum secum indissolubili societate haberet, sic exultat Cant. 1. quasi quietem repererit *lectulus noster floridus.* Quid tunc cœlestis rex? Quid quiescenti sponsæ suggessit? Cantic. 2. *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Sponsa quietem lectuli, cœlorum rex agrum meminit, nec fieri potest, quin ad agri labores vocetur, qui secum habet cœlorum regem. Quod sciens D. Bernard. serm. 48. in Cantic. ait: *Illa monstrante lectulum, ille vocat ad campum, ad exercitium prouocat.* Vanè quietem amat, qui cœlestia potitur, qui cœlestem regem secum detinet, à quo nihil prius sentiet, quàm voces, quàm stimulos, quibus vrgeatur, prouocetur in varia bonorum operum exercitia. Non te cœlestis Rex bonis suis implet, vt dormias, sed vt quot bona cœlestia participes, tot habeas excitatores ad opera iustitiæ.

2. Cor. 12.
Cyrill.
Cant. 1.
Cant. 2.
Bernard.

Text. Nolite iudicare, vt non iudicemini: in quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini: & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.

§. XXVI.

Grauissima vltio est, quæ ad mensuram hominis vindicantis se traditur.

QVis non metuat Deum vindicantem non iuxta iræ suæ, sed iuxta iræ humanæ mensuram? Sanè nunquam Deus horribilior apparet, quàm vbi iram minatur iuxta mensuram iræ humanæ. Dauid peccati reus quando pœnam sui sceleris eligere tenetur 1. Paralipom. 21. ait: *Melius mihi est, vt incidam in manus Domini, quia multæ sunt miserationes eius, quàm in manus hominum.* Non refugit flagellum diuinum, sed metuit mensuram vltionis humanæ; & cur minus timet à Deo, quàm ab homine flagellari? D. Ambros. in Psalm. 37. rationem attigit fatus: *Elegit non quòd à flagello esset immune, sed quod moderatius iudicauit, vt Dei lenitati magis, qui nescit ignoscere, quàm hominum se committeret potestati, qui mensuram vltionis frequenter excederent.* Hæc est humanæ iræ mensura, quòd nullam habeat in vlciscendo mensuram; quòd immensè sæuiat in eos, quos velit castigare. Si in homine aliquo iræ mensura breuior inuenienda erat, sanè in Dauide, qui omnium humanissimus etiam erga hostes videbatur. Et qualis Dauidis iræ mensura erat? lege Dauidem iratum in Moabitis 2. Reg. c. 8. ibi sic habes: *Percussit Moab, & mensus est funiculo coæquans terræ.* &c. Ecce tibi qualem funiculum, qualem mensuram percussionis, nimirum, qua miseri Moabitæ ita exinanirentur, vt terræ puluerem non excederent, sed funditus perirent. Et quomodo dici potest, quòd tanta calamitas, & humiliatio miserorum habuisset mensuram? Habuit equidem mensuram Dauidis, mensuram hominis irati, cuius proprium est omnes vltionis mensuras excedere, & sese in immensum protendere. Non longè abest Angelomus apud Glossam fatus: *Non fieri poterat, vt homines in terra degentes in tantum humiliarentur, vt solo æquales apparerent. Sed immensam humiliationem captæ, & oppressæ gentis ostendit.* Itaque funiculus, & mensura vltionis à Dauide sumptæ de Moabitis ideo ponitur vt ostendatur immēsitas percussionis; ea enim est mensura humanæ iræ, quæ sola nō habet mensurā, sed vniuersas mensuras excedit. Apoc. 6. in quatuor equitibus calamitates mūdi significantur, primus, secundus, & quartus, & saggitas, & gladios, & mortis falcem habent; tertius solum stateram refert in manu. In tribus istis bellorum, & interfectionum calamitates exprimuntur; in hoc sola exprimitur calamitas famis, vt habes apud Viegam nostrum comment. 4. sect. 4. Sed scire cupis, cur qui habent gladium, sagittas, falces, stateram non habeant; & solus qui famem exprimat, stateram ostendit? Fames à solo Deo infertur immundo, à quo nullum procedit malum sine mensura, & pondere determinato. Bella autem, & mortes ab hominum furore excitantur, qui nullam sciant mensuram seruare, sed immensè aduersùs se ipsos commouentur, irritantur. De quo vide suprà lib. 6. cap. 3. §. 41. in medio.

1. Par. 21.
Ambros.
2. Reg. 8.
Angelom.

Text. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui: & trabem in oculo tuo non vides? Aut quomodo dicis fratri tuo: Sine eiiciam festucam de oculo tuo, & ecce trabs est in oculo tuo? Hypocrita, eiice primùm trabem de oculo tuo, & tunc videbis eiicere festucam de oculo fratris tui.

§. XXVII.

Quo sanctior, & purior quis, eo magis à peccatoribus arguitur, corroditur.

QVi trabali peccatorum pondere opprimitur, ecce tibi qualem aliorum maculam notet, & carpat, non quidem pedum lutum, aut sordes meminit manuum; sed oculi festucam notat. Qui inter omnes lucidior, & purior instar oculi apparet, is vel de festucis à peccatoribus arguitur, & condemnatur. Multi fuerunt Prophetæ in populo Israëlitico, fuit Moyses, fuit Elias, fuit Elisæus, inter omnes autem sic Iesus noster Dominus splenduit, vt oculus inter reliquas corporis partes. Fecerunt illi virtutes, propter quas populo gratissimi extitērunt, fecit & virtutes Iesus, & propter illas quanta incurrit iudicia? Quot pertulit accusationēs, quot examina? Lucas cap. 10. ait: *Et facto Sabbato cœpit in Synagoga docere, & multi audientes mirabantur in doctrina eius, dicentes: Vnde huic hæc omnia, & quæ est sapientia, quæ data est illi? Et virtutes tales, quæ per manus eius fiunt?* Legite sacras literas, nullius virtutēs inuenietis in examen vocatas, & suspectas habitas; non arguitur Moyses, quòd mare finderet; non succensetur Iesus Naue, quòd Sabbatis instrueret acies, quarum vel sonitu corruerent muri; non Samuel arguitur, quòd mortuū suscitaret. Dominus autem noster Iesus, nec vitam confert, sine murmuratione, sine examine, cur hæc? Sanè, quia ipse oculus erat patris cæteris omnibus purior, & sanctior. Pulchrè D. Chrysol. ser. 49. ait: *Moyses signa fecerat multa, Elias maxima monstrauerat documenta virtutum, nec dissimilia opera fecerat Elisæus, cur nemo personam discutit? Cur nemo statum commouet quæstionem? Cur nemo vnde essent, quive essent, vnde ista, & per quem facerent curiositate sic requisiuit ingratus? Sed iudicatur hic solus, qui solus iudicare noluit, ne puniret, & cùm solus innocens inuenerit omnes reos, ad iudicium pietatis immensæ suscipere maluit, quàm rogare sententiam.* Qui solus innocens, & Sole ipso purior erat Iesus, is omnibus peccatoribus quæstionem facit de puritate: hunc solum relictis aliis vocant in examen, eiúsque vitam arguunt, & miracula. Quando peccatores non sic offendunt in Sanctos? Audiui ego aliquos pro suggestu dicentes, qui obliuiscentes luteas peccatorum animas libidinem halantia sæcularium corda, in Ecclesiæ oculos insiliunt, hoc est, in religiosum aliquem ordinem à Deo in lucem gentium datum, in eóque desiderant festucas excitare, quas mordeant. Heu quoties ex vano isto conatu in oculorum festucas ostenditur trabalis malitia opprimens animam, ita pro suggestu obmurmurantis. Antiquitus enim insignis virtus nouit sustinere peccatorum contradictionem. Apud Ezechielem, cap. 27. dum quadripartita Israëliticæ hæreditatis diuisio ostenditur, sic dicitur. *Plaga autem australis meridiana à Thamar, vsque ad aquas contradictionis.* Thamar sonat Hebræis palmam: nec immeritò ad eandem Israëlis possessionem pertinet palma, & contradictio, vbi enim iustus, vt palma floret, non potest deesse peccatorum contradictio, & murmuratio. D. Hieron. ibi: *incipit ista possessio à Thamar, à palma videlicet, victoriáque vitiorum, vsque*

Luc. 10.
Chrysol.
Ezech. 27.
Hieron.

ad aquas contradictionis. Semper enim virtutibus contradicitur. De impiorum rege diabolo locutus Habacuc cap.1. ait: *Cibus eius electus*, quasi soli electi, & conspicui virtute viri ab illo appetantur in cibum, & habeat fiduciam, quòd influat Iordanis in os suum. Similiter impij aduersùs electissimos homines insiliunt, solósque lucidissimos virtutibus viros appetunt, non ad cibum, sed ad morsum. Quem impetant fumantes Gehennæ titiones, nisi oculum? Quem mordeant, nisi electum rabidi canes? Quid abominentur Ægyptij,
Exod.8. nisi Deo accepta sacrificia? Aiebat Moyses Exod.8. *Abominationes Ægyptiorum immolabimus Deo nostro.* Nunquam enim peccatores non abominantur, persequuntur, quidquid Deo
Apoc.6. acceptum est, & charum. Apocal.6. ait Ioann. *Et cum aperuisset sigillum quartum, audiui vocem quarti animalis, dicentis: Veni, & vide. Et ecce equus pallidus, & qui sedebat super eum nomen illi mors, & infernus sequebatur eum, & data est illi potestas super quatuor partes terræ, interficere gladio, fame, & morte, & bestijs terræ.* Ecce potestas permittitur nocendi, interficiendi; qui erunt, qui primi interficiantur? Statim subdit: *Et cùm aperuisset sigillum quintum, vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei*, &c. Et quidem vbi mors sæuiebat in mundo, vbi mundiales gladij excitabantur, nemo prius sub illis apparet, quàm seruorum Dei agmen. Huc reuoco dicta lib.12. cap.4. §.7. Et vix fieri posset, quòd iustus ad patriam properans, & terram promissionis, aculeos persecutorum non patiatur. Persecutores suos Dauid
Psal. 117. apibus comparat, Psalm.117. *Circundederunt me sicut apes.* Cur sicut apes? Quia apes non offendunt, nisi quos viderint mellifico approximare; sic impij eos pungunt, qui ap-
Petr.Dam. proximant terræ lacte, & melle mananti. Hinc Petrus Damian. lib.2. epist.8. ait: *Quid mirum si nos, qui ad terram melle manantem contendimus, apum circumuolantium stimulis laceramur? Ad quam profectò terram festinabat ille, qui dicebat, circundederunt me sicut apes*, &c. Nesciunt apes pungere, nisi euntem ad mella; nesciunt impij percutere, nisi ad promissam patriam properantes.

§. XXVIII.

Ad primam offensionis vmbram etsi minimam impij insurgunt in virum iustum.

QVàm antiquum, & inueteratum est impiorum odium aduersùs Sanctos! Quando illos non persecuti sunt propter festucas? Hoc fuit edictum Pharaonis in sanctos
Exod.5. Exod.5. *Paleæ non dabuntur vobis, & reddetis consuetum numerum laterum.* Semper trabalis malitia ob paleas, ob festucas afflixit sanctos. Sis oculis lucidior in mundo, sis clarior astris, omnes lumine perfundens, ad primam tamen festucæ vmbram, etsi falsam, in te impiorum odia, & iudicia trahes. Queribundus Dominus videns inimicorum calumnias propter salutem datam Sabbatis, sic calumniatores
Ioan 7. pungebat Ioann.7. *Vnum opus feci, & omnes miramini*, &c. At non fecit Dominus plusquam vnum opus? Equidem loquebatur de operibus, quæ turbidis oculis inimicorum vmbram offensæ excitare possent; de his autem vnum solum fecit Dominus, nimirum, dum curaret Sabbatis, quo religio ex cessatione operis non necessarij constabat. Iesus ergo verus iustitiæ Sol, in cuius pennis sanitas omnium infirmitatum, qui tot quotidie miracula patrabat, qui fulgentissimis beneficiis populum deliniebat, interea hoc vnum fecit opus, quòd salutem impertiret in Sabbato, & ob hanc festucæ vmbram rabidissimi statim in illum insur-
Gaudent. gunt aduersarij. Ad hæc eleganter D.Gaudentius serm.12. ad Neophyt. ponderans Iesu miracula, nimirum mortuos suscitatos, infirmos sanatos, dæmones expulsos, hominum millia saturata, pergit. *Sed in catalogo isto virtutum, adhuc vnum fecerat opus, quod frementi contra se impetio populo Iudæorum, quasi verisimilem sæuiendi aditum dedisse videbatur: quòd scilicet paralyticum in Sabbato curasset, quòd lex Sabbati otium imperasset. Itaque tanquam violati Sabbati reus infectionem perpetitur Iudæorum.* Sic rabidissimi homines tot miraculorum lumina prætereuntes, vna violati Sabbati vmbra turbantur, & ob hanc festucam aduersùs radiantissimum sanitatum iubar vehementer insurgunt. Horum ingenium
Iust. notans D. Iustin. Mar. aduersùs Iudæos sic inquit: *Muscarum instar ad vlcera concurritis, & aduolatis. Nam si quis de rebus innumerabilibus præclarè dicat, vna autem parua quæuis grata vobis non sit, aut non intellecta, multas præclaras contemnitis, verbum autem vnum corrigitis, idque vt impietatem, & piaculum restituere studetis.* Notissimum est hoc omnium impiorum ingenium aduersùs iustos, in quibus præclarissima multa facinora prætereuntes, ad quemuis siue vlceris, siue maculæ, etsi falsum odorem rabidi prosiliunt. Id quod in se experiebatur Dauid Psalm.37. inquiens. *Dum commouentur pedes mei, super me magna locuti sunt.* Non expectant, Psalm. 37.
quòd caderent, sed vel ad minimam pedum commotionem prompti insurgunt. D.Ambros. ibi: *Tam prompti sunt ad insultationis ludibria, vt in commotione pedum meorum, paratam habuerint magniloquentiam.* Dura est conditio iustorum apud impios, apud quos ne pedem mouere possunt impune; si vel digitum exerant, vehementer vapulant, & calumnias sustinent. Quando enim impius non rigidus censor hominis iusti etiam de minimis? Ambros.

Text. Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis, & conuersi disrumpant vos.

§. XXIX.

Luxuriosi sanctitatis fontes perdunt, inficiunt.

PLacet Maldonatus cum Augustino idem per sanctum, & margaritas, & per canes, & porcos existimans significari: non duo genera sanctitatis à duobus generibus impiorum iubentur separi; sed eadem sanctitas arcenda est, & tota diligentia separanda ab illis hominibus, qui cœno libidinum, vt sues volutantur, & rabido veneno corripiuntur, vt canes. Et quidem vbi quis se carnalibus libidinibus versat, caninam simul ebibit rabiem, qua nihil vitale sustinet videre, sed rabidus insilit, vt perdat, & inficiat ipsos fontes vitæ, & sanctitatis. Ad hæc D.Chrysost. homil. de Chrysost.
Dauide, & Saule 3. rationem reddens cur adulteri homines ab Eucharistiæ sancto debeant separari, ait. *Quod delictum his grauius quæris? Cum se ipsos planè adulterio contaminarint, impudenter, ac more rabientium canum, ad sacram hanc mensam irruunt.* Canes vbi rabie aguntur, quicquid vitale vident, dente venenato aggrediuntur, vt similiter perdant, ac inficiant. Sic qui se libidinis cœno volutant, cùm instar porcorum volutentur, instar rabientium canum inde exsurgunt, & vitalem sanctitatis fontem impetunt, non vt sanentur ipsi, sed vt totam sanctitatem perdant, & inficiant. Sic à cœno luxuriæ ad sancta accedunt, quasi rabidi canes, vt venenato dente rabiem imprimant, nihilque vitalis sanctitatis relinquant. Quis nesciat consilium Balaam Madianitis datum, Num.24. ad perdendam totam Israelitici populi sanctitatem? Equidem Israel sanctis potens, à Deo verò protectus sic ridebat Madianitarum exercitus, quasi pugnarent ficulneis gladiis. Sensit perfidus Balaam tantam Israelis virtutem, non à robore virium, sed ab assistente Dei sanctitate profectam, quapropter Madianitas monet, vt relicto ferro bella moueant aduersùs sanctitatem, adhibitis pulchris puellis, quæ possint in populo sancto libidinum accendere facem. Proh scelus perfidi vatis, libidinem dum iubet accendi, totam vult perdere, & inficere sanctitatem. Ad hæc D.Chrysol. serm.27. fa- Chrysol.
tur: *Scandalum populo Israelitico Balaam diuinator obiecit, quando bellatoribus non cum ferratis viris, sed cum puellis toto lenocinio fucatis occurrit: vt arma verteret in luxum, triumphum mutaret in infamiam, & ad summum prophanaret totam de turpitudine sanctitatem.* Sapienter ad perdendam totam sanctitatem luxuriæ virulentam rabiem procurat excitare, hæc enim vbi creuerit, nil vitale sustinet, quicquid viuidum est, in vitámque æternam salit, populatur. Pro quo monebat Cassiod. lib.11. variar.3. *Excludite sanctissimi inter* Cassiod.
immundos spiritus implacabiles vitiorum furores, violentiam temperate, auaritiam depellite, furta remouete, depopulatricem humani generis luxuriam à vestro populo segregate. Benè vocatur luxuria depopulatrix humani generis, vt quæ eam imprimat rabiem, qua nihil vitale queat supportari, sed omnia pertinentia ad vitam siue corporis, siue animæ eius æstu exurantur. Libet modò in medium proferre ex 1. Reg. 1. Reg. 5.
5. cap. & cap.8. filios Eli, & filios Samuelis; tam hi, quàm illi pessimi fuerunt; filij autem Eli, & sibi, & parenti perniciem attulerunt, à totáque familia sua fecerunt auferri sacerdotium, & sancta; verùm filij Samuelis sibi soli intulerunt mala; nullum incommodum, nullum damnum parenti pepererunt. Cur ergo à filiis Eli tam sæuum ortum fuit malum, vt se, & patrem, & familiam vita, & sacerdotij

dotij sanctitate priuarent, & non à filiis Samuelis, quandoquidem tam hi, quàm illi pessimi fuerunt? In Samuelis filiis sola auaritia notatur, & iudicij corruptela; in filiis Eli libido, & luxuria efferuescebat, qua mulieres corrumpebant tabernaculum; in quo autem libidinis rabies grassatur, nihil viuidum, nihil sanctum permanere patitur, sed
Procop. totum sanctitatis genus populatur. Rem attigit Procopius apud Glossam, fatus: *Quare Samuel non luit pœnas propter scelera filiorum, sicut Eli? Isti in homines iniuriosi, illi in Deum impij fuerunt. Neque enim illi violauerunt matrimonia, nec libidinibus luxuria affecerunt diuinum tabernaculum, neque veneri suo dabant primitias hostiarum. Eos autem solum accusat, quòd corrumperentur muneribus.* Sola luxuria est, quæ populator omne genus, & vniuersam perdit sanctitatem.

Text. Petite, & dabitur vobis; quærite & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit, & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur.

§. XXX.

Probatio in laboribus, & pressuris semper antecedit diuina dona.

SI petita dona dabuntur certo certiùs; cur insuper iubemur quærere, vt inueniamus; pulsare, vt aperiatur nobis? Nonne à pulsatione, & inquisitione liberamur, vbi, quod petimus, dabitur nobis? Dabitur equidem petenti Dei donum; sed adhuc quærere, & pulsare indiget, quando donum Dei semper longa probatio in laboribus, &
Ierem. 4. ærumnis antecedit. Ieremias pacis bonum populo suo a Deo obtinuerat, & dum lætus expectat diuinum hoc pacis donum, subitò nouum exurgit bellum: fiunt armatus miles, & miserum populum cædibus, & rapinis diuexat. Quid tunc Propheta? Rei nouitate turbatus credit, se fuisse deceptum, & queribundus ait, cap. 4 *Ergo ne decepisti populum istum Ierusalem, dicens: Pax erit vobis? Et ecce gladius*, &c. Promissionem pacis à Deo factam deceptionem putat, ex eo, quòd videt nouum exortum bellum; sed vnde tantus Propheta fallaces potuit habere promissiones diuinas? Nondum calluerat Propheta diuinorum donorum naturam, quòd semper donum tribulatio, & probatio antecedat; nunquam enim Dei donum, nisi post tempus venit: pro-
Hieron. batio autem semper est in vicino. Ad hæc D. Hieron. ait. *Turbatur propheta, & ita se Deum putat esse mentitum, nec intelligit, illud multa post tempora repromissum; hoc autem vicina futurum tempore.* Hæc intelligatur in diuinis donis natura, quòd donis probatio sit vicinior; quòd dum ad dona tendimus, vicinam probationem laborum incurrimus. Quippe is est Dominus, qui ante dona sua longas probationes præmittit. Sæpissimè promiserat Babylonem destruendam, eradicatamque penitus fore; hanc destructionem dum expectant Iudæi, victricis Babylonis fornaces, & carceres experiuntur; qualis est ista Babylonis destructio? Denique
Isai. 13. Babylonis destructionem vltimam depingens Isaias c. 13. ait, *Nec ponet tentoria Arabs, nec requiescent pastores ibi.* quasi dicat, Babylonem minimè proteget Christus, nec sancti eius. Sed cur ibi ad toties promissam destructionem venitur, Christus Arabs appellatur? Voluit vates in nomine Arabis conditionem diuinarum promissionum innuere: Arabs enim vespertinum significat; & is est Dominus, à quo dona veniant sera, & vespertina, & nunquam, nisi post reportatum pondus diei, & æstus. Rem pulchrè expendit
Ælred. D. Ælredus serm. 10. in Isaiam, inquiens: *Nec ponet in Babylone tentoria Arabs, qui interpretatur vespertinus, Christum vtique significans, qui quos manè conducet, ad vesperam remunerat. Non enim primum, id est, manè, bonum vinum ponit, & ad vesperam, cùm inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est; sed semper manè, quod durum est, prærogans, quod dulce, ac iocundum reseruat in vesperam.* Quasi nesciant manicare diuina dona, in vesperum reseruantur, integro die probationi, & labori promisso, vt etiam post postulata obtenta, post promissionem certissimam penitus oblatam; dum probatio instat, habeat fidelis, quid quærat, & pro quo pulset. Sic Ioseph, sic Dauidi regnum datur à Deo; sed immediatè ad hanc promissionem; ecce Iosephum seruitus premit, Dauidem immanis diuexerat persecutio. Sic Abraham, sic Noe labores matutini fuerunt, dona promissa sera, & ve-
Machar. spertina. Cur hoc? D. Machar. hom. 9. rem satis luculenter

attingit, & post numeratos prædictos sic finit: *Hasce occasiones è scripturis attulimus, vt demonstraremus virtutem gratiæ diuinæ homini collatam, & donum sancti Spiritus; quod fidelis anima meretur accipere; non sine tentationibus, & probationibus comparari, dum libera voluntas per omnia afflictionum genera probatur.* Dabitur tibi à Deo, quod bonum petis, veniet absque dubio donum diuinum; sed donum veniet post tempus, probatio in vicino: manè te labor vocabit, vespere munus.

Text. Aut quis ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, nunquid lapidem porriget ei? Aut si piscem petierit, nunquid serpentem porriget ei? Si ergo vos, cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis Pater cœlestis, &c.

§. XXXI.

A Deo parente nostro id semper obtinemus, quod melius, & vtilius nobis est.

PRoh malitia hominum! Hæc nobis pro cibo conciliauit serpentem: hæc lapidem porrexit, ex quo, sudore vultus, & labore panem educeremus. Huius est illa vox: *Dic, vt lapides isti panes fiant.* quasi ea improbo operarum labore filij Dei, & non magis ea regia paradisi hæreditate probaremur. Equidem vbi pater Deus est, nil ab illo in filios etiam adoptionis descendit, quod non melius, & vtilius sit, & paternam hæreditatem referat. Illa prodigus
Luc. 15. adhuc malesanus aiebat: *Ibo ad patrem meum, & dicam illi: Pater peccaui in cœlum, & coram te, & iam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum de mercenarijs tuis.* Luc. 15.
Hac mente, hoc proposito venit ad patrem; eius excipitur brachiis, & sic a patre exceptus, dum patrem orat, nihil de mercenario meminit, solùm ait: *Pater peccaui in cœlum, & coram te. Iam non sum dignus vocari filius tuus.* Hæc dicit, & tacuit. Cur non addidit petitionem illam, quam decreuerat, nimirum: fac me sicut vnum de mercenariis tuis? Vbi illum Deus in filium excepit, fecit, ne improba mercenarij dona amplius exposcerentur; sed meliora, & perfectiora, vt quæ sola proficisci nouerunt a tanto parente. Ait Beda: *Et pater occurrens, non contentus minora concedere, pristina filiorum restituit dignitati, nec iam de mercede conductorum, sed de hæreditate fecit cogitare parentem.* Cœlestis Beda.
Pater, nec in mentem filiorum permittit venire parua, & improba dona: non contentus est minora concedere, imò studet donis suis, etiam vincere petentium desideria. Notissimæ sunt angustiæ, in quas deiecerant seruum Dei decem millia talenta, quæ debebat domino suo, Matth. 18. Matth. 18.
Non habens miser vnde solueret, iussus erat vendere vxorem, & filios, & omnia bona. Quid tunc? Ad genua domini prouoluitur, ibique orat: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Misertus autem dominus serui illius dimisit eum, & debitum dimisit ei.* Non dat, quod petitur, sed supra id, quod cogitari poterat à petente, dominus largitur, à quo sola ea dona descendere consueuerunt, quæ vincant etiam cogitationem petentium. D. Chrysost. homil. 28. in Chrysost.
Genes. ait: *Vidisti misericordiam domini? Ille procidit, supplicat, orat, vt longius sibi tempus præfinitatur. Longanimis esto in me, inquit, & omnia reddam tibi. Sed bonus Dominus, misericors, nostrique curam agens, supplici beneuolens, non solum quantum petijt, sed & quantum ne cogitare quidem ausus fuit, dedit.* Bonum erat misero, si induciæ soluendo debito darentur, sed bonus Deus non contentus minora concedere, præstantiora, & vtiliora excogitat dona, impertiens omnimodam debiti remissionem. Felix, qui nullas alias, nisi parentis tanti ianuas sciat pulsare, ab hoc vno largissima, & præstantissima dona capiet, adeò vt etiam in stuporem tantæ largitatis rapiatur. Habacuc cap. 3. ad huius diuini Habac. 3.
parentis accedens ianuam, vix orationem instituit, & statim iuxta Septuaginta lectionem fatur. *Custodiui, & expauit venter meus à voce orationis labiorum meorum.* Vix labia in oratione mouit, vix à Deo petit, & totus pauidus custodias requirit: cur à prima orationis voce sic pauet, sic anxius requirit custodes? Cur non potiùs custodes ante orationem requisiuit, vt securiùs oraret? Sanè antequam oraret ad patrem inops erat, & prorsus vacuus, nec habebat, pro quo timeret, nec qui custodiam requireret: verùm vbi

orare

orare cœpit, vbi à cœlesti parente petiuit aliquid, tantam largitatem expertus est, tam larga, & præstantia dona recepit; vt non dona, sed thesauros vigilantibus draconibus Chrysol. custodiendos se recepisse putaret. Rem attigit Diuus Chrysolog. serm. 68. fatus: *Postea quàm diuini muneris senserat largitatem, custodiuit se, ne latronem, sicut in paradiso, sustineret; fit vigilantior, fit solicitior sui custos, qui cœlestem thesaurum in vasis fictilibus custodiuit.* Non sic dat cœlestis Pater, vt communibus vasis possint eius munera claudi; tanta sunt, tam præstantia, tam splendida, vt thesauros constituant, & solicitudinem incutiant, & custodias requirant, quales adhiberi solent custodiendis thesauris.

Text. Omnia ergo quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc est enim lex, & Prophetæ.

§. XXXII.

Legum diuinarum obseruantia futurorum bonorum prænuntia est.

ECce vobis duo inseparabiles comites, nimirum lex, & Prophetæ; vbicumque lex viget, ibi prophetia est, Prouer. 16. quæ bona annunciet futura. Prouerb. 16. aiebat: *Diuinatio in labijs Regis*, vbi noster legit, *diuinatio*, posuit Lyra, *sacratarum legum lectio*, quasi in sacratum legum lectione, & obseruatione, diuinari certò possint futura bona. Ad hæc Basil. eleganter D. Basilius in cap. 8. Isaiæ, fatur: *Vis certò persuaderi, quæ sint futura? Prouide sedulò, vt quæ tibi lex præscripsit, opere expleas diligenter, & certus operitor iucundissimam fruitionem repositorum tibi bonorum.* Legibus obseruãdis dum studueris, futuræ felicitatis certissimum prognosticum refers: nullus tripos, nulla Sibylla certiùs tibi prædicet futura bona, Osee 10. quàm assidua obseruantia sacrarum legum. Oseas cap. 10. iuxta lectionem Septuag. ait: *Seminate vobis ad iustitiam, vindemiate ad fructum vitæ, illuminate vobis lumen cognitionis.* Iubet in primis operam dari iustitiæ acquirendæ, nimirum, legi adimplendæ, quo supposito, sic lumen cognitionis il- Chald. luminabitur, vt pertingas futura bona. Ad hæc Chaldæus, ait: *Domus Israel agite vobis opera bona, ambulate per viam iustitiæ, stabilite vobis doctrinam legis; ecce omni tempore Prophetæ dicunt vobis: Redite vos ad timorem Domini; nunc enim reuelabitur,* &c. Expende illud, *nunc enim reuelabitur*, nimirum, nunc, quando agatis opera bona, quando ambuletis per viam iustitiæ, quando doctrinam legis fernetis, nunc apparebit, nunc reuelabitur, quod Prophetæ dicebant; semper enim apertissima est, & clara prophetia de futuris bonis in operibus legis fundata. Ex quo manifestiùs Theoph. Theophylactus explicat prædicta verba, aiens: *Accendite vobis lumen cognitionis, qui legi assidetis futurorum bonorum vmbram habentis.* Futura bona latent in vmbra legis, sicut splendor luminis sub nigris carbonibus; accedit quis ad carbones, exsufflat, & flamma accenditur, quæ omnia obscura manifestat. Sic qui assident legi obseruandæ, ex illa lumen cognitionis accendunt, quo futura bona, quasi in vicino, & aperto intuentur. Abraham accepit à Deo legem immolandi filium; & dum legem obseruat, dum iuxta præceptum Dei sacrificium peragit, semel, & ter futuras Genes. 27. felicitates prophetat. Ad filium dicit, cap. 27. Genes. *Dominus prouidebit sibi victimam*; ad seruos loquitur: *Ego, & puer illuc vsque properantes postquam adorauerimus reuertemur ad vos.* Vnde Abraham tanta tibi præsumis bona, quòd Isaac non cadet, sed tecum reuersurus sit? Occidere illum decernis, & tamen de incolumitate eius agis? Sic mentiri licet viro bono? Non mentitur, sed prophetat; nec in annunciandis bonis potest inueniri mendax, cui patrocinatur D Ephr. tanta obseruatio diuinæ legis. D. Ephrem in Ionam Prophet. ait: *Abraham cùm putaretur mentiri, prophetauit; non tamen mendax erat; quoniam veritatis patrocinium gerebat.* Equidem patrocinium veritatis gerebat, dum tanto incumbit præcepto obseruando; qui enim legis diuinæ obseruatione nititur, non inuenietur mendax, licèt omnimodam sibi felicitatem prophetet. Opera tua circa virtutes acquirendas, & vitia depellenda sunt, quæ certo certiùs tibi annuncient bona. An Dauid pusio aliquando Propheta? At- 1. Reg. 17. tamen 1. Reg. 17. dum pro patriis legibus descendit in arenam, sic ait: *Ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum Dei agminum Israel, quibus exprobrasti hodie, & dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te,* &c. Vnde tanta sibi prophetaret bona, nisi manus consereret cum aduersario legis? Vbi huc aggreditur, oraculum fit sibi iam venientium bonorum. Theodoretus quæst. 40. *Os quidem fundit ora-* Theod. *cula: manus autem se fortiter gerit, & lapide perimit alienigenam.* Non antea, sed cùm hostem legis in acie perimit, oracula venientium bonorum fundit: sic tu, dum hostes legis diuinæ perimis, dum vitia calcas, dum pro lege seruanda stas in acie, bona tibi poteris prophetare ingentia. Apud Ionam cap. 3. hoc personabat in Niniue decretum: *Conuer-* Ione 3. *tatur vir à via sua mala, & ab iniquitate, quæ est in manibus eorum. Quis scit si conuertatur, & ignoscat Deus: & reuertatur à furore iræ suæ, & nõ peribimus?* Dominus dicit, illos perituros: illi autem dicunt sententiam Dei reuocandam; quo fundamento hæc possunt pronuntiare? D. Ephr. ibi: *Hæc porrò Niniuitæ, nec opinantes prophetabant, & quidem Prophetæ erant veri-* D. Ephr. *tatis, nam pœnitentia Prophetas eos fecerat.* Vbi leges diuinas antea fractas pœnitẽtia redintegrabat, iã fundamentũ erat, quo possint de illis hominibus bona prophetari. Sẽper enim legis diuinæ obseruantia prænuntia est venturæ felicitatis. Petrus vidẽs è naui Iesum ambulantẽ super maria cupidus, se pedibus eius obuoluere, ait Matth. 14. *Domine, si tu es, iube* Matth. 14. *me venire ad te.* Quæ verba premens Paschasius lib. 7. in Paschal. Matth. ait: *Quod ex omnium consistentium numero solus Petrus, iuberi sibi super aquas ambulare, vt ad Dominum veniat, precatur, signum est amoris, & fortitudo fidei, & præsagium futurorum.* Et meritò in tanto feruore virtutum, quid Petro euenturum sit felicitatis præsagit.

§. XXXIII.

Sacræ Scripturæ non, nisi fracta, & lacera ad inusitata, & paradoxa dogmata veniunt.

QVod dogma clarius, & vulgatius tradi potuit, quàm id, quod in præsenti traditur à Domino, nimirum: *Quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis?* Hoc quippe notissimum, & vulgatissimum est ad mores humanos componendos dogma. Et pro huius commendatione Dominus inquit: *Hæc est enim lex, & Prophetæ.* quasi diceret, quod ad illud vulgatissimum dogma spectant integræ Prophetarum, & legis Scripturæ. Et quidem ad communia, & nota virtutum dogmata totæ Scripturæ sacræ integræ veniunt, ad inusitata, & peregrina, & paradoxa non, nisi confractæ, & laceræ concurrunt sacræ Scripturæ. Spectate celebrem illum, & cantatissimum Ezechielis cur- Ezech. 1. rum, cap. 1. de illo dicitur: *Cum ambulabant animalia, ambulabant pariter rotæ iuxta ea.* Ambulant animalia, dum in virtutum acquisitione laborant homines; sed quæ sunt rotæ pariter ambulantes? Sunt Scripturæ sacræ testimonia, quæ gressus nostros confirmant, & nos in virtutum viis faciunt ambulare. Quo supposito expendendum est, quòd rotæ pariter dicuntur ambulare, solùm cum animalia ambulant; verùm vbi necessum est, quòd animalia non ambulent, sed saltem propter viarum asperitates, ibi quid facerent rotæ? Fallar si tunc rotæ sequi possent animalia, nisi confractæ. Dum gradimur per communes virtutum calles, per nota morum dogmata, pariter nobiscum gradiuntur sacræ Scripturæ; vbi autem ad inusitata, & auia postliminus ostentationis graria: tunc minimè nos sequuntur testimonia Scripturæ, nisi confractæ, & laceræ. Rem attigit eleganter Drogo Hostiens. lib. 2. de Pass. fatus: *Si vita nostra* Drog. *proficeret, tota sancta Scriptura nobiscum ambularet: sed quia per paludes, & saxa pedibus euntes effundimur, vix rota nos sequuntur.* Et quis auriga è saxosis, & asperis viis potuit eripere aliud, quàm rotas fractas? Quàm vel rotæ, vel temonis frustum? Conueniant hunc luxuriantia iuuenum ingenia, quæ notas fastidientia vias, insuetas, & peregrinas, & paradoxas propositiones mille plenas asperitatibus meditantur; in hoc gloriantes, quòd per has difficultates fragmenta quædam, & laceras particulas Scripturæ sequentes habent. Hoc laborabat morbo ille, quem sapienter mordet D. Hieronym. in Apologet. ad Domnionem, aiens: *Voluit vir eruditissimus, vt veteranus miles, vno ictu gladij percutere vtrumque, & ostendere populo, quòd quicquid ipse velit, hoc Scriptura sentiret.* Vtinam vsque ad hæc tempora vna ista ostentatio non perueniret, qua nonnulli, vt se populis ostendant, ostendunt, quòd quidquid ipsi volunt, hoc sentit Scriptura, peregrinis, & paradoxis suis excogitationibus facientes sacras paginas seruire. Quanta hæc corruptela, & fractiones Scripturæ? Et quanto temporis damno, & auditorum? Rem adhuc pulchrè exemplo exprimit Diuus

Ephrem,

D.Ephr. Ephrem, de virtute, cap. 8. inquiens. *Quomodo si quis Regis imaginem bonam, fabricatam diligenter ex gemmis pretiosis à sapiente artifice soluens subiacentem hominis figuram, transferat gemmas illas, & reformans faciat ex his formam canis, vel vulpeculæ, & hanc malè dispositam, deinde confirmet, & dicat, hanc esse illam Regis imaginem bonam, quam sapiens artifex fabricauit ostendens gemmas, quæ bene quidem à primo artifice in Regis imagine compositæ erant, malè verò à posteriore in canis figuram transstata sunt: & per gemmarum phantasiam decipiat idiotas, qui comprehensionem regalis formæ non habent, & suadeat hanc turpem vulpeculæ figuram illam esse præclaram Regis imaginem. Eodem modo, & hi aniculaarum fabulas assumentes, post deinde sermones, & dictiones, & parabolas hinc inde uellentes; vt aptare volunt fabulis suis eloquia Dei.* Hæc ille, & verè, & pulcherrimè dixit, in eos, qui ineptis phantasmatibus suis sacram paginam faciunt seruire.

Text. Intrate per angustam portam, quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam. Quàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam: & pauci sunt, qui inuenerunt eam!

§. XXXIV.

Quo quis pauperior, eo aptior ad regnum cœlorum.

QVis per angustam cœli portam intrabit, nisi ille, qui nudus omnium bonorum temporalium accesserit? Qui amplissimis onustus bonis venerit, minimè per angustam portam intrare poterit, nisi priùs bona abiecerit, & se nudauerit, & quo nudior, & pauperior in affectu fuerit, eo certiorem habebit ingressum. Vocaturus Dominus homines ad regna cœlorum, Matth. 4. (Matth. 4.) *Vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare.* Insuper post pauca procedens inde, *vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius in naui, cum Zebedæo patre eorum reficientes retia sua.* Ecce quos vocat Dominus; nimirum, quos fratres videt, parili sub labore, & egestate. Videbat antè Andream siue Petro fratre, & nondum illum vocat, modò videt cum fratre, & statim vocat. Cur non antea vocabas Domine? Si pauperes quærebas, qui ad cœlestem cœnam ire compellerentur, nónne Andreas tibi astitit, & Ioannes forsan eius comes; pauperrimi ambo viri, cur tunc non vocas eos, sed cùm vtrumque vides cum fratre suo? Vt in vtroque ex adiuncto sibi fratre maior appareret paupertas, quæ aptior esset ad angustam cœli viam terendam. Acutè D. Chrysolog. serm. 28. (Chrysol.) ait. *Vocantur Petrus, & Andreas, Iacobus, & Ioannes germanitate combinata, imò congeminata paupertas.* Pauper erat Andreas, pauper Ioannes, sed cùm vterque secum fratrem, etiam pauperem ostendit, proculdubio congeminatur in vtroque paupertas; nec iam distulit Dominus vocare eos, vt qui apti essent, vt ab angusta cœli porta caperentur. Meritò aiebat Oseas cap. 2. (Osea 2.) *Dabo eis vallem Achor ad aperiendam spem.* Theophylactus hic meminit historiam ex Iesu Naue, quando Achor furatus lineam auream de bonis Iericho luit pœnas à Deo inflictas; id quod ob oculos ponere quis debet, & ita se componere, vt ex bonis mundialibus nihil sibi abscondat in corde, nec auri lineam, nec vestem, quo spem habebit intrandi cœlum, *ad aperiendam spem*; alij legunt, *ad ostium spei*, alij ex Hebræo, *ad filum spei*. Quid est ad filum spei? Nimirum, vt abrenuntiatione rerum temporalium sic homo extenuetur, vt iam non instar cameli, sed instar fili ad foramen acus, sic ad angustam portam regni cœlestis accedat. Do D. Gaudentium (Gaudent.) serm. 18. sic dicentem. *Expedior quæris Dominus, ac tenues: & vt filo graciles similes, qui etiam per foramen illius mysticæ acus facile transeant, spirituales effecti.* Quando cœli porta instar foraminis acus est; ille spem introeundi poterit habere, qui instar fili se extenuauerit. Sic mundialia omnia bona a corde suo abijciat, vt extenuatus instar fili, nullas portæ angustias metuat, sed speret intrare, etiam si porta ad foraminis acus similitudinem angustetur. Et quidem sic extenuatos non solùm excipit, sed & diligit, & amplectitur porta illa cœlestis; ait enim D. Ephrem de Agone spirituali. (D.Ephr.) *Illos porta illa diligit, atque amplectitur, qui diuitijs extenuati sunt, & voluntaria paupertate afflicti, ac se ipsos præparauerunt, vt immortalem videant sponsum, & possideant regna cœlorũ.*

Nec crediderim maiorem felicitatem accidere homini posse, quàm diligi ab illa porta, quæ tam multos excludit, & rarissimos excipit. Quod si scire cupis, qualiter angusta cœli porta diligat, & amplectatur extenuatos, audi illam Matth. 25. dicentem: *Quod fecistis vni ex minimis istis fratribus meis, mihi fecistis.* (Matth. 25.) pauperculos, & famelicos fratres suos vocat, quid amantius, quàm vocare eos fratres? Et quid gloriosius, quàm vocari fratrem Iesu, eo ipso tempore, quando portæ alijs innumeris etiam pulsantibus clauduntur? Rem ponderat D. Ephrem in eos, qui in Christo dormierunt, dicens: *Quis porrò dignus, quis ita felix in illa erit hora, quando cœli exhorrescent, ac contremiscent Angeli, & homines: vt tunc nominari mereatur frater Christi? Quàm multis tibi, quàm multis coronis vox illa excelsior, atque præstantior?* Quod vbi ianua cœlestis clausa excludat, vt ignotos multos ad illam pulsantes, & clamantes, aperi nobis, tu vt frater agnoscaris, & ameris; nónne hoc omnibus mundi thesauris pretiosius est? Verè stultus est, qui omni auro, qui vniuersis mundialibus bonis, hoc vnum non emit, nimirum, quòd vocetur frater, & ametur à cœlesti porta, eo tempore, quo innumeris alijs clauditur, & eos, vt ignotos a se abigit.

§. XXXV.

Amplissimam ad perditionem aperit voraginem multarum ruentium exemplum.

CVr perditionis porta lata non erit, siquidem multi intrant per eam? Planè vbi multorum ruentium exemplum adest, amplissima aperitur perditionis vorago. Baruch cap. 6. (Baruch 6.) sic præmonebat suos. *Videbitis in Babylone Deos aureos & argenteos, & lapideos in humeris portari, ostentantes metum gentibus. Videte ergo ne & vos similes efficiamini factis alienis, & metuatis, & metus vos capiat in ipsis. Visa autem turba de retro, & ab ante adorantes, dicite*, &c. Quæ monita sic composuit Tertull. aduersùs Gnosticos, inquiens. (Tertull.) *Cauete igitur, ne & vos consimiles fiatis Allophylis, & timore capiamini dum aspicitis turbas adorantes retro eos, & antè.* Et meritò iubemur mittere aspectum turbarum ruentium turmatim in illicitum. Summa enim perditionis vorago exemplum multitudinis. Audisti exercitum Israelis à Saule adiuratum, ne panem gustaret, donec victoriam potiretur. Quid tunc? Ait textus 1. Reg. 14. (1 Reg. 14.) *Et non manducauit vniuersus populus eius.* Res mira! Sed accipe aliud, quod mirere magis: legunt ibi Septuag. *Non gustauit vniuersus populus panem, & omnis terra prandebat.* Omnis terra prandit, & vnus Israëlita ieiunat? Pulchrè Diuus Chrysostom. homil. 14. ad populum, (Chrysost.) ait stupens. *Vidistis quanta vorago (Nam & fames, & labor, & tempus (omnis enim, inquit, terra prandebat) tunc ad præuaricationem impellebat.* Multitudinis prandium ingentem voraginem aperiebat, qua ieiunia Israelitæ absorberentur. Quis itaque vniuersis alijs prandentibus? Sanè hic est primogenitus naturæ nostræ error, quod errantí multitudini assimiletur. Cantic. 1. (Cant. 1.) *Si ignoras te ò pulcherrima mulierum, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum*; non solùm egredi, sed & simul abire post vestigia gregum dicitur; quasi nil prius faciat, qui à Deo egreditur, quam multitudinis vestigiis subiacere, seque prorsus illi conformare, & assimilare. Apud Ezechiel. cap. 7. (Ezech. 7.) de ciuitate Ierosolyma locutus Dominus ait: *Quoniam terra plena est iudicio sanguinum, & ciuitas plena iniquitate.* Cur ciuitas plena iniquitate? Quia vniuersus orbis terrarum plenus erat sanguinum: quasi necessum fuit ciuitatem multitudini assimilari in peccatis. Sic explicat Theodoretus, (Theod.) fatens: *Similis est multitudo scelerum ciuitatis, multitudini orbem terrarum incolenti.* Mirum erit, si multitudinis vitia non ebibas, si quod in se habeat multitudo malum, in te non transeat. Caue ergo tibi à multitudine. Transeuntem dominum compellabant duo cœci, Matth. cap. 21. (Matth. 21.) iuxta viam sedentes: *Turba autem increpabat eos, vt tacerent.* infelices illi, si turbæ crederent, si multitudini increpantium se conformarent, proculdubio non acciperent sanitatem. Huius occasione D. August. serm. 18. (August.) de verbis Domini sic monebat. *Turba ipsa, quæ cum Domino est, compescebat clamorem, prohibet clamantes, clament illi, nec deficiant, neque ducantur quasi auctoritate turbarum. Non dicant, quomodo isti viuunt tam multi, sic viuamus. Quare vis viuere secundùm increpationem, turba prohibentis, & non secundùm vestigia Domini transeuntis?* Magnum erit, si te non rapiat turbarum auctoritas. Qui auctoritate multitudinis non flectitur, is apud Deum multus est. Quando omnis

corrupe

corruperat viam suam, vnus Noë inuenitur iustus in generatione sua: & cùm vniuersæ carnis venit perditio, vnus Noë inuenit viam salutis. Cur bone Deus vniuersas gentes perditurus sic studes, Noëmum à perditione excipere? D. Hieronymus ad Demetriadem, ait. *Noe sanctitas eo magis admirabilis, quòd toto prorsus à iustitia declinante mundo solus iustus inuentus est, nec ab alio sanctitatis quæsiuit exemplum, sed ipse præbuit. Et ideo totius orbis imminente naufragio solus ex omnibus meruit audire: Intra tu, & domus tua in arcam.* Salutem habet, qui potuit non ferri à multitudine. De quo suprà lib. 4. cap. 5. §. 15.

Text. Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, à fructibus eorum cognoscetis eos, &c.

§. XXXVI.

Mendacium quælibet scelera, & facinora parit.

Sapientes iubentur caueri Prophetæ falsi, in quibus & rapacitas, & rabies luporum per omnia manifestabitur; & quod facinus non veniet ab homine fallaci, & mendaci? Sanè mendacium pater est omnium grauissimorum scelerum. Vt diabolus atrocium delictorum ingentem messem in mundo præpararet, nullum prius semen apposuit, quam mendacium, ait enim: *Nequaquam moriemini, eritis sicut dij.* Cur pessime tam apertè mentiris? Cur ad perdendum mundum incipis à mendacio? Cur priùs doces mentiri, & falsis vti verbis, & non potiùs grauiora alia crimina propinas, & ostendis, quorum vel halitu hominum genus perdatur? Pulchrè D. Leo serm. 4. de Eleemos. ait: *Incentor ille, auctorque peccati, primum superbia, vt caderet, deinde liuidus, vt noceret, quia in veritate non stetit, totam vim suam in mendacio collocauit, omniúmque deceptionum genera de hoc venenatissimo artis suæ fonte promouit, vt ab illo bono, quod ipse propria elatione perdiderat, spem humanæ deuotionis excluderet.* Expende ab illis verbis, *totam vim suam in mendacio collocauit*, &c. quasi mendacium aptius inueniretur instrumentum, quod diabolicam omnem malitiam hominum generi imprimeret, nihilque tam execrabile, tam diabolicum inueniretur, quod à venenatissimo mendacij fonte non posset oriri. Calluerat mendacij virus D. Ephrem de virtutibus, & vitiis, aiens: *Quis hominem mendacem non deploret? Cor quidem habet audax, sed pertusum: nouit organo linguæ suæ domos bene institutas subuertere. Aggreditur facinora, séque eorundem auctorem dissimulat. Versutus, ac versipellis est homo mendax. Nullum est hoc maius animi vulnus, nullumque eo dedecus grauius.* Mitto alia in homine mendaci notata; & illud in præsens examino, nimirum: *Aggreditur facinora*, quippe nullum facinus, nullum scelus est, quod timeri non possit ab homine mendaci: imò mendacium est, quod maximis criminibus patefacit aditum. Aliquando asserebat Paulus 1. ad Timoth. cap. 6. *Radix omnium malorum, est cupiditas: quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.* Cupiditas trahit homines ad immanissima scelera, ad fidei negationem, ad idololatriam; sed scire cupis quomodo cupiditas, siue auaritia, quæ non est in se omnium pessima, possit ad illa scelerum culmina homines transmittere. An id præstat ipsa cupiditas per se, an per instrumentum aliquod? Equidem non posset cupiditas homines in tanta crimina deducere, nisi ministrum haberet mendacium: adest mendacium ministrans cupiditati, & immania illa crimina generantur. Do Tertull. lib. de Idololatriæ, vbi ait: *Si catenam delictorum recognoscamus, in primis cupiditatem radicem omnium malorum, qua quidam irretiti circa fidem naufragium sunt passi, quamuis & idololatria ab eodem Apostolo dicta sit cupiditas, tamen mendacium cupiditatis ministrum.* Quippe Tertullianum pigebat cupiditatem facere criminum, & idololatriæ fontem, nisi attribueret illi ministrum aptum, nimirum, mendacium. Qui enim se mendacijs assuescit, nullum non patrabit facinus, & fidem, & Deum abnegabit. Et fallar, si Deus esse possit in homine mendaci, quin ille inde lethalibus telis depellatur: quandoquidem mendax homo id lethalia facile trahitur. Iob cap. 20. aiebat: *Quia donec superest halitus in me, & spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium.* hoc sumit Iob pro signo sibi assistentis spiritus Dei, nimirum, quod nullum in ore suo inueniatur mendacium: in eo quippe inuenitur Deus, in quo non inuenitur mendacium; labia enim mendacia Dei spiritum abire facit. Ad hæc S. Antiochus homil. 66. de veritate, ait: *Necesse igitur sit, ex hominis ore nullum effundi sermonem, qui non veritate omnimoda nitatur, vt spiritus ille veritatis, qui idem Deus est, intelligatur in hoc etiam nunc carne sibi delegisse domicilium. Quicunque igitur semel irretiunt mendaciorum funiculis, frustrantur, & excludunt Dominum.* Pulchrè non dixit, excludunt Dominum, sed frustrantur; quia mendacia labia per se immediate Deum non excludunt ab anima, sed cùm impediant diuinas operationes, euenit, vt spiritus Dei frustra sit in homine mendaci; & ideo permittat crimina alia venire lethalia, quibus necessum sit, vt inde Deus abeat. Etenim si nihil frustrà in natura, multò minus in gratia.

Hieron. | Genes. 3. | D. Leo. | 1. Tim. 6. | Tertull. | Iob. 20. | Antioch.

Text. Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit, &c.

§. XXXVII.

Non lingua solius clamor, sed verum pœnitentiæ opus auditur ab auctore salutis nostræ.

Cur verba miser multiplicas clamans ad Dominum? Exere opus, iunge lacrymas, siue alia virtutum opera, & exaudieris, is est enim Saluator, qui non supplicia verba, sed & pœnitentiæ opus exaudire solet. Qui salutem à Domino consecuti sunt, & regnum cœlorum intrarunt, exaudiuntur à Ioanne, Apocal. 19. Et qualis erat eorum vox? Ipse ait: *Audiui quasi vocem turbæ magnæ, & sicut vocem aquarum multarum, dicentium: Alleluia; quoniam regnauit Dominus.* Qualis ista vox aquarum in cœlo? Cur non potius vox citharizantium auditur ibi quam vox aquarum? An adhuc suspensa erant organa, & citharæ in salicibus iuxta flumina, vt solùm aquarum fluctus audirentur? Papæ! vox illa erat omnium hominum, qui cœlorum regnum tenebant; in his autem non vox nuda & simplex, sed opus pœnitentiæ, & lacrymarum exaudiri valet. Pulchrè D. August. serm. 136. de tempore, ait: *Sufficit auribus Dei imber occultorum, fletus citius audis, quàm voces.* Non equidem, qui citharæ instar sonos edit simplices, sed qui vera pœnitentiæ opera, veras lacrymas egerit, is in regnum cœlorum intrabit, & is audietur, cùm primùm pulsauerit. Alij canant Dei laudes in tympanis bene sonantibus, dicentes; Domine, Domine: tu operare pœnitentiam, lacrymas educ, instar aquarum multarum; & vocem habes à Deo exaudiendam; & vocem habes regnantium cum Deo, & vocem habes, quæ iudicem flectat iratum. Sapientissima Esther, vt iram flecteret Assueri, hæc poscebat à Deo, cap. 14. *Tribue sermonem compositum in ore meo, in conspectu leonis, & transfer cor illius,* &c. Meritò sermonem compositum petit, quasi simplicia verba haberentur inania, & vacua ad impetrandum. Et quidem vbi compositio requiritur, aliud procuratur adiunctum, ex quo resultet compositum quoddam longè, quam simplicia, efficacius. Sed qualem compositionem optabat Esther in sermone suo: vel ex quo poterat sermo componi adeò efficax, vt leonina præcordia frangeret? Explicatur id cap. 15. vbi regina coram rege astat: *Cumque eleuasset faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicasset, regina corruit, & in pallorem colore mutato, lassum super ancillulam reclinauit caput. Conuertitque Deus spiritum regis,* &c. Ecce tibi, quid petit Esther & quid habet cùm regi irato astat: ipsa petit sibi dari sermonem compositum in conspectu leonis; cùm autem ibi adest, muta præ timore corruit exanimis: bone Deus, vbi est ille sermo requisitus à bona regina? Ipsa à te petebat, vt verba faceret in conspectu leonis, & pro verbis, tu illi præbes deliquium, quod patitur, quo premitur hiccinè sunt sermones cōpositi & efficacissimi? Planè, vt leonina præcordia flectas, nil possunt supplicia verba; componatur sermo ex verbis, & operibus, & sic cōpositus sermo, fallar, si repulsam à Deo patiatur in postulatis. Virgines illæ fatuæ, Matth. 25. nō habentes oleum secum, ierunt emere illud, & reuertentes ad fores Sponsi incipiunt pulsare frustrà, dicētes: *Domine, Domine, aperi nobis*; sed notandum, quòd licèt dicantur iuisse emere oleum, cùm redeunt, non dicuntur redire cum empto oleo, sed solùm dicuntur clamare; cur ergo cum frustra clamant, non dicuntur oleum afferre, illóque habere lampades ornatas?

Apoc. 19. | August. | Esth. 1.

natas? Equidem non affectebant oleum: si enim verbis oleum adiungerent, etiam in illa hora nequirent repudiari. Ad hæc D. Pasch. ibi: *Ne habentibus oleum, vel in extremo ornantibus lampades suas diceret, Nescio vos, qua cum... Nec enim scribitur, quòd cum lampadibus ornatis venerint, quia nescio, si fieri posset, vt nunquam diceret, Nescio vos.* Incredibile videtur, quòd possit repelli ille, qui verbis adiungit oleum operationis, qui non simplicia facit verba; sed ex clamoribus, & operibus compositum sermonem habet in conspectu leonis: quippe irati Dei præcordia maximè flectuntur sic composito sermone.

Pascha[s].

Text. Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, Quia nunquam noui vos: discedite à me, qui operamini iniquitatem.

§. XXXVIII.

Qui spiritu Christi caret, sola sublimia respicit, nihil humile, & imum.

Diuus Chrysost. hom. 19. in Matth. notat, quòd fateantur isti se in nomine Christi prophetasse, & dæmonia eiecisse; in nomine, inquiunt, non in spiritu Christi, quem nunquam in se habere curarunt. Et quàm manifestè patet illos caruisse Christi spiritu, quandoquidem sola sublimia, & splendida facinora meminerunt, nimirum, quòd prophetarint, quòd dæmonia eiecerint, quod miracula patrarint: vtinam, & his adderent alia humilia, & abiecta virtutum opera; sed qui carent Christi spiritu sola sublimia, nihil spectant humile, & infimum Isaiæ cap. 7. dicitur ad Achaz: *Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum suprà. Et dixit Achaz: Non petam.* Cur sic improbus rex signum à Deo refugit petere? Cur non magis amat fieri sibi signa, & mirabilia? Offerebatur illi signum in quo & excelsa, & profunda coniungeret: sed improbus sola excelsa vellet, & sublimia; profunda, & ima illis minimè posse credit coniungi. Acutè D. Bernard ser. 2. in Cant. *Hoc signum pacis propheta regi Achaz proponebat petendum à domino Deo suo, siue in excelso suprà, siue in inferno deorsum. Sed impius rex renuit, non credens misere, quòd in signo hoc imo summis sociandæ essent.* Vbi summis, & excelsis infima, & abiecta socianda sunt, maximè refugit quisquis non habet spiritum Christi, in quo maximè coniunguntur splendidis obscora, pretiosis vilia, abiecta, & humilia summis. Ideo monebat Paul. 1. ad Timoth. 6. *Diuitibus huius sæculi præcipe non sublime sapere.* quasi hoc solum sit proprium diuitum mundialium, quòd semper sublimia sapiant, quòd non nisi in altis, & excelsis saporem inueniant vllum. Sed qui sunt hi diuites sæculares? Equidem hi sunt, qui non habent spiritum Christi, qui alieni sunt ab illis, quibus præsidet Christus. Aiebat namque D. Anselm. ibi: *non adderet huius sæculi, nisi essent & alij diuites, qui non sunt huius sæculi. Ipsi sunt enim, quorum princeps, & caput est ille, de quo dictum est; propter vos egenus factus est, cùm diues esset, vt illius inopia diuites essetis.* Itaque cùm diuites sint in Christo, & diuites in sæculo; solùm putat Paulus moneri deberi sæculi diuites, ne sublime sapiant: ne alta semper meditentur, & excelsa; quia qui in Christo diuites sunt, hoc etiam de spiritu Christi habent, vt humilia, & abiecta amplectantur. Quippe nil prius à Dei spiritu docetur quispiam, quam prosterni, & humiliari. Compone modò Pastores venientes ad Christi nati stabulum, item & Magos: pastores dicuntur venisse festinantes, Luc. 2. *Et inuenerunt Mariam, & Ioseph, & infantem positum in præsepio. Videntes autem cognouerunt de verbo*, &c. de Magis autem dicitur Matth. 2. *Inuenerunt puerum, & Mariam matrem eius, & procidentes adorauerunt eum*, &c. Magi vix puerum vident, & statim humi procumbentes sese ad eius inpollutos pedes, quod nihil tale pastores agunt; cur ergo pastores non se prosternunt ad Iesu pedes, quod faciunt Magi? Pastores imbuerat Angelus, Magos ipse Dei spiritus informarat; spiritus autè Dei nil prius docet, quam prosterni, & adrerram vsque humiliari. Pulcrè Rupert. lib. 2. in Matth. c. 3. ait: *Vide quanta sit differentia in modo discendi, quantum differt interim eruditionem sitam, qui per Angelum, siue per hominem, &*

Isa. 7.

Bernard.

1. Tim. 6.

Anselm.

Luc. 2.

Rupert.

illum qui per solum Spiritum sancti reuelationem meretur erudiri. Pastores itaque Iudæi, qui erant vigilantes, per Angelum natum sibi esse Saluatorem didicerunt, & tamen non adeo docti fuerunt, vt procidentes adorarent. Isti primitiæ gentium, neque per hominem docti, neque per Angelum, sed per Spiritum S. procidentes adorauerunt. Qui Dei spiritu informati erant, non potuerunt non se ad ima deiicere, & vilia, & abiecta stabuli amplexari, quo Christo Domini sequerentur humilitatem.

§. XXXIX.

Nullo redditur Principis imperium durius, quàm dum fauet pessimis.

Non solùm dicit Dominus impiis in iudicio astantibus: *Non noui vos*; sed etiam addit: *Confitebor illis, quia nunquam noui vos.* Dum enim multi impij viuentes, & prophetant, & dæmonia eiciunt, & virtutes operantur multas, putarant videri Deo notissimi, & familiarissimi, à quo tot donis ditabantur, ideo asserit Deus, quod tunc, nempe in iudicio, confitebitur, quoniam nunquam nouit illos, nunquam illos familiares, & notos habuit. Et cur Dominus hanc testationem faciet de impiis in iudicio? Vt ostenderet suam regiam potestatem, & imperium, quàm fuisset semper suaue, & amabile, apud quem nullus vnquam improbus fuit notus, aut familiaris, nulla enim res sic reddit durum principis imperium, quam quòd apud illum improbi valeant. Dauid Psalm. 93. sic Dominum precabatur: *Ne adhæreat tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto.* Ecce vobis, vnde putat Dauid laboriosa reddi diuina præcepta, nimirum si laterones habeat Deus impios, & sibi assidentes. Quis enim molestè non ferat illius imperia, qui pro lateronibus, & sibi familiaribus adsciscit impios, & malè moratos homines? Ad hæc D. Isid. Pelus. lib. 1. epist. 81. *Ne in altum efferatur thronum iniquorum in conspectu tuo Domine, adnectis præceptum tuum negotio nobis facessens.* Equidem multum negotij tribuit subditis aduersus sua præcepta princeps, qui multus est in promouendis, & sublimandis his, quorum vita non satis probata est, imo improba habetur. Quî princeps Samuele gratior, & acceptior apud subditos suos? Lege regum historias, & nullus inuenietur, qui Samuelis imperia non diligat. Sed tandem 1. Reg. 8. sic habes: *Factum est autem cùm senuisset Samuel, posuit filios suos iudices Israel. Fuitque nomen filij eius primogeniti Ioel; & nomen secundi Abia, iudicum in Bersabee. Et non ambulauerunt filij eius in vijs eius, sed declinauerunt post auaritiam, acceperúntque munera, & peruerterunt iudicium. Congregati ergo vniuersi maiores natu Israel venerunt ad Samuelem in Ramatha. Dixeruntque ei: Ecce tu senuisti, & filij tui non ambulant in vijs tuis, constitue nobis regem*, &c. Nunc primum Samuelis imperium refugiunt Israëlitæ; nunc eius iugum, vt grauissimum, a se excutere cupiunt: nunc amabilissimus ille Princeps malè incipit audire apud suos, adeò, vt nullam eius excusationem accipere velint, sed ante omnia illum regno priuent, & potestate. Cur tam bonum, támque benemeritum Principem non magis sustinerit ô viri? Cur non magis eius canitiem spectatis? Senex est, sed quando non senectus desiderata in gubernatore? Senex est, sed qui adhuc possit regni assidere clauo, nónne postmodum Sauli Regi astat? nonne, dum eius consiliis Saul paret, regnum incolume habet? Cur ergo tantum senem abiicitis? quid in illo inuentum fuit intolerabile? Hoc vnum inuenietis in Samoele, quòd sibi adhærere fecit sedes iniquitatis: quòd ad thronum vsque prouexit filios iniquos, quorum improba vita, sic Principem electorem infamauit, vt ex tunc eius imperium visum fuerit prorsus intolerabile. Videant Principes, videant gubernatores, quos sibi adsciscunt familiares, quos sibi laterones assumunt, quibus fauores suos præstant, nulla enim re sic infamatur iudex, quàm ex iniquorum prouentu, & familiaritate. Praclarè Cassiod. lib. 11. var. 6. monebat electum Cancellarium, fatus. *Actus enim tui iudicis opinio est, & sicut penetrale domus de foribus potest congruenter intelligi, sic mens præsulis de te probatur agnosci: non iniuria, quia talem vnusquisque ad responsa sua virum debet eligere, qualem se à cunctis decreuerit æstimari. Vestes ipsa, quæ nostris corporibus applicantur, nonne nos deformare possunt, si aliquo inquinamento sordescant? Quanto verò gratia nos decoratæ videntur, cum laudabili pariunt nitoribus? Sic miles ad secreta iudicis proximatus præsulis sui famam, aut ornat, aut maculat.* Sic ille, & verè, & pulcrè: & quis bonus amet imperium; in quo improbi suot regi noti, & familiares?

Psal. 93.

Isid. Pel.

1. Reg. 8.

Cassiod.

CAPVT X.

De cœlesti cibo in Eucharistia.

POST saturata quinque hominum millia miraculoso pane, dum in Capharnaum esset Dominus, in Synagoga Iudæorum, multa docuit de supersubstantiali cibo sui corporis nobis præstando. Hunc vnum cibum operari iubemur, vt qui vitalissimus sit, & potens nos æternare, longè quam manna præstantior, è cœlo pro vita hominum dilapsus. Cur tantum non præstet cibum ille solus Dominus, qui in se habet sigillum paternæ diuinitatis, quò amplissima eius potestas ad omnia clareat? Res erat sub lite apud incredulos Iudæos, quibus durus sermo videbatur, quòd caro filij Dei daretur in pabulum: qui autem fidelis est, & Iesu diuinitatem noscit, eique fidit, non astat foras, dum intus filij vescuntur hoc vitulo saginato; imò regali mensæ accumbit, verùmque cibum, verùmque potum capit, ex quibus nobilissima parturitur immortalitas. Multa de hac cœlesti mensa diximus 1. tom. lib. 3. c. 8. per totum: vbi præcipuam huius sermonis Dominici partem explicuimus à §. 23. nunc etiam perstringemus pauca.

Ioann. 6. Respondit Iesus, & dixit: Amen, amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis. Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis. Hunc enim pater signauit Deus.

§. I.

Summa dementia est, non vincere propter diuina, quas difficultates superamus propter temporalia.

CVi labori parcis, vt cibum temporalem acquiras? Quas vias etsi difficiles non arripis? Quem non vereris propter panes? Fac ergo similiter propter cœlestem cibum immortalitatis: eandem, quam impendis operam cibo acquirendo temporali, impende acquirendo cibo, qui te possit æternum facere. Magnæ enim dementiæ est, multa superare pro vili panis frusto, & nihil agere pro viuidissimo cœlesti acquirendo pane. Vnde meritò Dominus in præsenti carpit Iudæos, qui non horrent deserti vias propter temporalem panis saturitatem; & propter cœlestem cibum obtinendum, nec gradum faciunt; imò illum suspectum, & inuisum habent. Et quando stultissimus peccator non anxiè vorat in temporalibus, quas difficultates in æternis bonis horret, & abominatur? Cùm Israëlitæ percussi à serpentibus in deserto caderent Num. 21. iussus est Moyses serpentem æneum facere, quem ligno exaltatum ostenderet infirmis, qui à conspectu eius sanitatem expectarent. Quale hoc remedium disertissimis Iudæis? Ab immani bellua ligno suffixa, quis mundiali sapientia imbutus velit salutem sperare? Imò quis vellet suspicere crucifixum animal, vt sibi salutare? Et nilominus ait textus: *Fecit ergo Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo. quem cum percussi aspicerent sanabantur;* nec vnus inuenitur in toto populo adeò sciolus, adeò superbus, qui crucifixi quidem serpentis figura scandalizatus nolit ab illo salutem temporalem sperare. Quid plus? ponitur eidem populo filius Dei ligno exaltatus, quem, qui suspiciant, veram & æternam salutem habeant; quid nunc Iudæis crux Christi? Præclarè D. Paul. de illa fatus, ait: *Iudæis quidem scandalum, gentibus autē stultitiam.* Nullus penè Iudæus non scandalizatus fuit in cruce Christi: nullus non horruit crucifixi lignum; & stultum putauit crucifixum hominem suspicere pro salute æterna comparanda. Quid dementius? Nullum illis scandalum, nullū horrorem facit cultum serpentis crucifixi pro salute temporali: & facit scandalum Christus crucifixus pro salute æterna? Salus temporalis enacuat scandalum serpentis crucifixi, & salus æterna non enacuat scandalum crucis Christi? Sapienter D. Ephr. de Pœnit. fatur: *O impietatem Iudæorum, quoniam serpentem adorant, & Christum auersantur. O temulentiam ipsorum, quoniam propter serpentem crucem colunt, & crucifixum Christum non adorant.* Vbi salus offertur temporalis, non horrent; imò nec dubitant, nec detrectant exaltatum serpentem, & lignum suspicere, & colere: ast vbi salus æterna proponitur in Deo ipso cruci affixo, ibi superabilis suspiciendi difficultas, ibi crucis horror, & indignitas scandala innumera parturiunt. Quis ferret Regum tyrannides propositas 1. Reg. 8. populo. Ait enim Samuel: *Hoc erit ius regis, qui imperaturus est vobis: Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietque sibi equites, & præcursores quadrigarum suarum, & constituet sibi tribunos, & centuriones, & aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabros armorum, & curruum suorum. Filias quoque vestras faciet sibi vnguentarias, & focarias & panificas. Agros quoque vestros, & vineas, & oliueta optima tollet, & dabit seruis suis. Sed & segetes vestras, & vinearum reditus addecimabit, vt det eunuchis, & famulis suis. Seruos etiam vestros, & ancillas, & iuuenes optimos, & asinos auferet, & ponet in opere suo: greges quoque vestros addecimabit, vósque eritis ei serui.* Quis hæc velit pati? Qui populus tantam tyrannidem sustineat? Hæc tamen audiunt Israëlitæ, & nilominus his contemptis regem sibi dari proclamant, dicentes: *Nequaquam, rex enim erit super nos, & erimus nos quoque sicut omnes gentes.* Vidisti, quàm audiant seruire Regum tyrannidi? Quàm audeant sub regibus diram seruitutem pati? Accipe aliud, quod mireris; de his ipsis hominibus locutus Dominus eodem cap. ait: *Congregati ergo vniuersi maiores natu Israël, venerunt ad Samuelem in Ramatha, dixerúntque ei: Ecce tu senuisti, & filij tui non ambulant in vijs tuis: constitue nobis regem.* Nec Samuelis senium, nec filiorum degeneres mores sustinere potuerunt; nullam filiorum Samuelis tyrannidem, aut rapinam obiiciunt; nec in Samuele aliquid inueniunt damnandum præter senium? & nilominus horum regimen subire detrectant. Cur ergo, qui in Regibus bonorum suorum rapinas, & tyrannidem, & miseram seruitutem non expauent, sed vorant, in Samuele, & filiis, vel senium putant intolerabile? In Samuele, & filiis Dei regnum erat; ait enim Dominus ibi: *non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* in Regibus eligendis gloria quædam, & honos temporalis spectabatur: temporalitas autem maximas quasque difficultates facit vorari, quas stultissimi homines propter Dei bona suscipere expauent. De his Abulensis q. 237. fatur: *Erat populus in hac prouidentia rerum futurarum valde fatuus: nam neque audientes talia sunt conuersi, neque eis eorum sermonibus Propheta eos perterruit; sed magis vehementer instabant, & regem sibi ordinari postulabant, nec cogitandum Deum tunc esse censebant; videbant enim omnes gentes habere regem, & iste principatus erat honorabilis; putabántque quòd dedecus esset ipsis priuari regio honore.* Quando in Deo rege habendo Samuelis senium videbatur illis intolerabile, in habendis aliis regibus innumera vorant mala honore quodam temporali inescati; quo nihil magis fatuum, & stultum est. Potéstne fatuitas reperiri maior, quàm quod propter temporalem honorem, eas subeas durities, & superes difficultates, quarum nec minimam propter Deum velis superare? Sanè valde fatuus est, quisquis talis est: ille sapiens, qui vbi laborandum est, pro solis æternis amat laborare. Vnde sapienter monebat D. Clem. Alex. 2. Pædag. c. 10. *Quòd si nobis omnino innatum est, vt quæramus, ne quærendi facultatem in delicijs perdamus, sed eam ad veritatem inquirendā excitemus.* Vltima enim est hominis miseria, quòd cùm natus sit ad laborem, laborem & operam perdat, in prætérlabentibus rebus comparandis, cùm possit eodem labore æterna comparare. Sed hæc est nostra dementia, & fatuitas, quæ doleat perdere necessariò amittenda, & æternorum iacturam nihili faciat. Guillelm. Paris. lib. de moribus, tractatu de Charitate, ait: *Si viderimus fratrem infirmantem corporaliter, & cibum corporalem sumere non valentem, miserabiliter dolemus super eum, & dicimus: Ecce iam duo, vel tres sunt dies postquam cibum non cepit. Ecce de cibo spirituali, si per annum non acceperit rarus est, qui doleat.* Proh miseri homines, & dementissimi, multi in temporalibus, nulli in æternis comparandis!

Num. 21.

Ephrem.

1. Reg. 8.

Abulens.

Cl. Alex.

§. II.

Pro gratiarum actionis opere cœlestis paratur cibus.

OPerari iubemur cibum, qui non perit, sed manet in vitam æternam; quem cibum non in sudore vultus, sed in ore confessionis, & laudis operamur. Nullum enim opus, sic cœlestem colit cibum, vt gratiarum actio: ex filiis Liæ ille, qui ad agriculturam, & rem frumentariam procurandam nascitur, vocatur Issachar; de quo Genes. 49. *Issachar asinus fortis accubans inter terminos. Vidit requiem,* Genes. 49.

quod

quò d eſſet bona ; & terram, quòd optima, & ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum. Quis hoc frumentorum præſtantior operarius ? Sed ponderandum, quando ex vtero Liæ naſcitur hic frumenti operarius ; naſcitur enim immediatè poſt Iudam Gen.30. quintus Liæ filius. Nec otioſè poſt Iudam, qui confeſſionem ſonat laudis, naſcitur Iſſachar rei frumentariæ perfectus operarius : ſed vt pateat, quàm proprium ſit gratiarum actionis opera exhibere pro cœleſti cibo parando. Ad hæc proximior accedit Philo lib. de Plātatione Noë fatus : *Iſſachar, qui merces vocatur meritò poſt gratum Iudam in lucem eſt editus.* Meritò, inquam, poſt Dei laudatorem immediatè apparet frumentorum operarius; nunquam enim fructuoſius, & efficacius cœleſti cibo acquirendo operam damus, quàm dum non deficit in ore noſtro laus, & gratiarum actio. Paraturus Dominus cœleſte conuiuium, non aratra requirit, non falces, quibus frumenta metantur, vt fiat panis : non gladios expoſcit, vt iuguletur vitulus ſaginatus. Qualia ergo opera requirit, vt tantum conuiuium poſſit parari ? Pſal.80. ait : *Dilata os tuum, & implebo illud.* illi, qui os ſuum aperiunt in Dei laudem, illi, inquam, cœleſtem cibum operantur; illi diuiniſſimum ſibi conuiuium ex Deo trahunt. Præclarè Cellenſis Abbas c.1. de panibus cœleſtis menſæ conuiuatores ſic exprimit : *Deus in hac menſa poſuit ſua beneficia, Angelus ſua obſequia. Angelus os aperit in laudem Dei ; Deus implet illud, tam adipe diuinitatis, quàm carne, & ſanguine integerrimæ naturæ humanæ.* Hoc eſt opus, hic labor, quò tibi cœleſtes cibos operaris: aperi os tuum in Dei laudem, & cœleſtia pluent Angelorum panem, & habebis vitulum ſaginatum, vt poſſis cum amicis tuis æternùm epulari. Paradiſum fecerat Dominus vitalibus fructibus ſcatentem : ibi hominem poſuit Geneſ. 2. *Vt operaretur, & cuſtodiret illum.* Hortus plantatur, & ſtatim adhibetur cuſtos, & operarius, qui vitales illos cibos cuſtodiret, & operaretur. Sed qualem operam ab homine requirebat Dominus ad vitales illos cibos parandos? Illam pulcrè explicat Rup. lib.6. in Ioann. fatus : *Quid laboris arbitramur illi fuiſſe iniunctum ab eo, quod dictum eſt, vt operaretur, & cuſtodiret eum? Putamus ne quod impoſitum fuerit illi hoc opus, vt operando in ſudore vultus ſui veſceretur ex omni ligno paradiſi, aut vt poma paradiſi cuſtodiret, ne directis ſepibus, aliquis prædo nocturnus illa decerperet ? Ergo quod dictum eſt, vt operaretur, & cuſtodiret eum, hoc eſſe intelligere debemus, vt creatori ſuo in laude, & gratiarū actione fidelem animum gereret.* Quiſquis iuberis operari cœleſtem cibum, non iuberis terram aratro findere; non in ſudore vultus ſpinas, & tribulos eradicare ; ſed fidelem animum in laude, & gratiarum actione tuo gerere authori, quò repleberis cœleſti pani. Sic Dominus paſturus quinque millia hominum Ioann.6. *Accepit panes, & cùm gratias egiſſet, diſtribuit*, &c. Semper gratiarum actio antecedit cœleſtis cibi diſtributionem. Sic 1.ad Cor.11. *Accepit panem, & gratias agens, fregit, & dixit : Accipite*, &c.

Pſal.80. Geneſ.2. Rupert. Ioann.6.

§. III.

Quidquid Deus ſibi aſſumit, hominibus debet eſſe ſalutare. Vbi de Euchariſtia.

Dabit proculdubio vitæ æternæ cibum; imò ſe in cibum vitæ æternæ dabit filius hominis ; *hunc enim pater ſignauit Deus.* quaſi dicat : ideo filius hominis ſe in cibum dabit, quia illum ſibi viniuit pater diuinus, illique ſuam diuinitatem copulauit. Sic explicat noſter Toletus, & alij, & penè Maldonatus & verum diceret, ſi Dominus ſolam ſuam poteſtatem dandi cibum cœleſtem vellet oſtendere ; rectè enim inferret ex diuinitate accepta à patre poteſtatem, præſtandi cibum ſuperſubſtantialem. At in præſenti non ſolam poteſtatem, ſed & voluntatem id efficiendi oſtendit, dum non ait, *quem poteſt dare, ſed quem dabit filius hominis.* Vnde ergo ſequitur ex eo, quo Pater Deus ſignauerit filium hominis, hoc eſt, ſibi viuierit, & intimè copularit ; quod is non ſolùm poterit, ſed & quod de facto ſe in cibum hominibus daret ? Non poterat filius hominis à Patre Deo aſſumi, & non ſe velle in cibum communicare ? Sanè quidquid Deus ſibi aſſumit, hoc ex vi aſſumptionis habet, quòd hominibus debeat eſſe viile, & ſalutare. Matth. 6. ſic docebat Dominus : *Ne videaris hominibus ieiunans, ſed patri tuo, qui eſt in abſcondito.* Duo petit, & quòd ieiunes, & quòd patri tuo ieiunes ; & quid eſt ieiunare cœleſti patri ? An eſt idem, quod ieiunare, ſine vana gloria ? An præter hoc eſt aliquid amplius ? Equidem ieiunare patri cœleſti, eſt ita ieiunare, vt ieiunium tuum afferat emolumentum cæteris hominibus, tuo cibo reficiens pauperes. : quidquid enim ſibi acceptat, & aſſumit pater Deus, hominibus debet eſſe ſalutare. Ita Paſchaſ. lib.4. in Matth. fatur : *Ille vero Deo patri ieiunat, qui propter eius amorem ſeſe macerat, & quod ſibi ſubtrahit, alteri largitur.* Nec ieiunij munus dignum ſe putat diuinus pater, niſi cùm videt ieiunium deſeruire cibis pauperum, hominibúſque eſſe ſalutare. Id adeò certum eſt, vt quodcumque munus Deo exhibeas, non ſolùm, vt munus Deo exhibitum cenſeatur, ſed & pignus, quod hominibus fratribus tuis te beneficum præſtabis. Quippe Matth.5. ait: *Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersùm te : relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo*, &c. Munus ante altare relinquere iubetur, & abire reconciliari fratri ; cur ſi abire iubetur, non ſimul iubetur ſecum aſportare munus? Ad quid ſi ipſe abeat, relinquat ante altare ſemel oblatum munus ? Iubetur quidem permanere munus ante altare, dum abiit offerens reconciliari fratri ſuo ; nam munus ſemel oblatum pignus eſt apud Deum, & obligatio, qua offerens tenetur hominibus fratribus ſuis eſſe propitium. Paſchaſ. lib.3. in Matth. ait : *Non enim ſine cauſa coram altare munus relinquere præcipimur : quia quidquid coram Deo rectè affertur, immutari non vacat. Imò vitium prauæ mentis corrigatur, & dilectionem, quam debet, priùs fratri reſtituat. Tuncque ad eum, coram quo munus ſtatuit, feſtinus redeat. Chirographum quoque interea illud eſſe voluit. Ideo non refer munus tuum, dixit, ſed relinque.* Ecce tibi, dum abis reconciliari fratri tuo, ante altare relinquere iuberis oblatum munus, vt chirographum, vt pignus, quod certiſſimè te fratribus beneficum conſtituat. Suſpectum tibi ſit quodcunque munus, quodcunque ſacrificium, quod non ſimul, & Deo fiat, & proficuum hominibus exiſtat. Vnde 1. ad Corinth.cap.11. de Euchariſtico ſacrificio dicitur : *Hic calix nouum Teſtamentum eſt in meo ſanguine: hoc facite in meam commemorationem.* Quibus notandum, quòd Euchariſtia dicatur defuncti Domini commemoratio, vt admoneamur, ne ad illam accedamus, quin ſimul præparemus epulas pauperum. Ad hæc D.Chryſoſtom. hom.28. ait. *Commemorationem Chriſti facis, & pauperes deſpicis, nec horreſcis ? Sed ſi filij, vel fratris defuncti facis commemorationem, terrore concuteris conſcientiæ, niſi conſuetudinem impleres, & pauperes conuocares. Cùm autem Domini tui memineris, ne quidem menſam communicas.* Haud gratus erit cibus Euchariſticus Deo, niſi ſimul des operam cibis pauperum.

Matth.6. Paſchaſ. Matth 5. Paſchaſ. 1.Cor.11. Chryſoſt.

Text. Dixerunt ergo ad eum : Quid faciemus, vt operemur opera Dei ? Reſpondit Ieſus, & dixit eis : Hoc eſt opus Dei vt credatis in eum, quem miſit ille.

§. IV.

Opera, quæ reſpiciunt Chriſtum, omnium pretioſiſſima: vbi quam quæſtuoſa ſit res Euchariſtia.

Frequentiſſimum eſt in ſacra pagina, quidquid in vnaquaque re iudicatur maximum, & præſtantiſſimum, id Dei eſſe dici, quaſi diuinum aliqua participatione. De quo Martinus del Rio 1.part. Adag.29. vbi multa congerit; cuius adagij ſaporem habent etiam verba in præſenti dicta, quibus opus ſpectans Chriſtum opus Dei dicitur, nimirum omnium pretioſiſſimum. Et quidem opera, quæ reſpiciunt Chriſtum, ſic reliqua excedunt, vt metalla excedit auri pretium. Poſt miraculum manna Exod.16. dixit Moyſes ad Aaron : *Sume aureum vas vnum, mitte ibi manna, quantum poteſt capere gomor, & repone coram Domino ad ſeruandum illud.* Et cur ad ſeruandum manna vas aureum ſumi iubetur? Pulcrè D.Cyrillus Alexand. lib.3. in Ioann. cap.34. inquit: *Quoniam verum manna illo ſenſibili figuratus eſt Chriſtus, neceſſariò nunc docet, qua gloria, & virtute plenus eſt, qui (briſtum in ſeipſo recondit, qui Ieſum in corde per virtutem, & fidem rectam fixum firmiter gerit. Audi quomodo vas aureum, per Aaron impletur manna: pia enim, ſanctáque anima, quæ Chriſti fidem concepit, quæ totum in ſe ipſa cœleſtem theſaurum condidit, pretioſum, atque aureum vas eſt.* Super omnia metalla aurum effertur, ſic quodcumque opus Chriſtum attingit, pretioſitatem, & excellentiam auri æmulatur, qua ſuper vniuerſa alia opera videatur eminere. Super omnes te effers, aureus ſis, quiſquis hoc cœleſte manna nempe Chriſtum acquiris, & operaris fidei operibus. Quis non miretur præcellentiam

Exod.16. Cyrill.

lentiam Iosephi super omnes Ægyptios, eo quòd de præparando pane consilium dederit? [Genes.41.] Quippe habes Genes.41. *Dixit rursus Pharao ad Ioseph: Ecce constitui te super vniuersam terram Ægypti. Tulitque annulum de manu sua, & dedit eum in manu eius, vestiuitque eum stola byssina, & collo torquem auream circumposuit.* Quis tanto Patriarcha maior, & excellentior? Cuius opera sic claruerunt in Regio throno? Sanè nō facilè inuenire Iosepho maiorem, & præstantiorem virum inter veteres, nisi Dominus præcursorem suum Ioannem Baptistam ille, & cæteris pro tunc hominibus præposuisset. Ait [Matth.11.] enim Matth.11. *Amen dico vobis: non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista.* Sed vnde potuit Ioannis gloria tam longè superare Iosephi gloriam? Ioannes agnum vobis patefacit: Ioseph septem boues pinguissimas in saturitatem Ægyptij ostendit: vterque circa cibum hominum ostendendum claruit, vnde ergo sic Ioannes excessit Iosephum? Equidem Ioannes circa cibum claruit, sed circa cibum cœlestem, nimirum Christum, ex quo habuit sic se super omnes efferre, vt aurum super metalla reliqua. Accipite [Chrysol.] D.Chrysol. ser.147. fantem. *Ioseph dum panem præparat temporalem ex auro torquem meruit, & honorem: Ioannes, vt ostenderet cœlestem credentibus panem, martyrij torquem meruit ex cruore. Meritò in natis mulierum cunctis maior est hic Ioannes.* Quæstuosissima merces est cœlestis hic panis Christus, qui mercatores suos reddit aureos, facit illos gloria, & honore eminere super vniuersos. Magnus Ioseph, dum panem temporalem tractat, qui miserorum famem leuet: sed longè maior, & præstantior Ioannes, qui valuit tractare panem cœlestem. Nouit hanc quæstuosissimam mercaturam [Philip.3.] D.Paul. ad Philippens. 3. aiens post recensitas iustitias à se circa obseruationem legis peractas: *Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam; & inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi ad cognoscendum illum, &c.* Quidquid sine Christo erat, & detrimentosum, & reiectitium, & vile existimat, etiam iustitias legis: illud solum pretio, & æstimatione dignum reputat, quod ad Christum pertinet. Præstantissima, & mundi, & legis bona, sine Christo vilia reiectamenta sunt, instar palearum; & molestissima mala, cùm Christo [Psal.115.] valde sunt æstimabilia, & pretiosa. Hinc Psalm.115. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius* quis potuit facere mortem pretiosam, nisi Christus, pro quo infertur? Magister Sententiarum ait. *Mors sanctorum eius est pretiosa, quia emit eam Christus sanguine, quem pro eis fudit, ne dubitarent pro eo mori.* Itaque quia mors subitur pro Christo, ideo pretio- [Matth.14.] sa, & inæstimabilis valoris est. Dicebat illa Matth.14. ad Regem: *Volo, vt des mihi in disco caput Ioannis.* non absolutè petit sibi dari caput Ioannis; sed petit sibi dari in Regio disco. Ad hæc Chrysol. serm 174. *Cur in disco, cur pretiosè gestat, quem viliter occidit?* Huius quæstionis responsum inueniendum est in eo, quòd caput petatur; caput enim refert [Chrysol.] necessariò Christum; quippe ait Chrysol. *Iam tunc auidus draco in feruis capite Domini degustabat sitiens passionem.* Non potuit ergo non pretiosè gestari caput, in quo Christus iam exprimebatur, per quem etiam vilia redduntur pretiosa.

Text. Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis signum, vt videamus, & credamus tibi? quid operaris.

§. V.

Feralissima gulæ rabies.

Ecce vobis panum miraculum, quid pariat: vix à mensa surgunt & penitus obliuiscuntur authorem tanti miraculi; imò quasi nihil fecisset, sic Iesum vilipendunt, dum aiunt: *Quod ergo tu facis signum? Quid operaris?* Siccine illa quinque millia hominum, qui miraculosè pasti sunt, Iesum mordent; cur non magis suscipiunt tanti miraculi effectorem? Cur non magis expetunt viuidum illum panem oblatum, qui in vitam æternam manet? Causam indigitat ipse Dominus, dum in principio ait. *Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis.* In quibus autem gula regnat, sic illos offerat, vt nil vitale [Genes.8] possint spectare. Apud Genes cap.8. post diluuium transactum misit Noë ex arca & columbam, & coruum: coruus & Noëmum, & arcam oblitus, minimè reuertebatur, cadaueribus intentus animalium. Cur coruus tam citò obliuiscitur Noemum, a quo cibum receperat? Cur non magis spectat arcam, & more columbæ viuidum ramum ore portat, quo doceat cætera animalia vitam sperare? Non patitur hæc corui gula, quæ vt feralissima est, sic non patitur aliquid annuntiare vitale. Rem pulcrè attigit Arator lib.1. in Acta Apostol. fatus:

> *Simul arca columbam*
> *Diluit, & coruum, sed non concordia mentis*
> *Fecit vtrosque pares, hunc gutture plena capinis*
> *Subducere vota, cupiénsque in funere pasci*
> *Nil potuit vitale sequi.*

Nésciunt guttura cibis farta benefactorem suum non obliuisci; nesciunt quid vitale spectare: imò mirum erit, nisi ita efferentur, vt sanguine, & funeribus benefactorum ament saturari. Compone modò totam paradisi tragœdiam, cum tragœdia, quæ in Regia Herodis accidit: in paradiso erant primi homines hinc inde pomis vallati, ieiuni tamen, accessit serpens antiquus, arbori implicatus ad esum pomi vetiti traxit. In Regia Herodis Rex mensis accumbebat Matth.14. accumbebant simul optimates, accessit idem serpens loquens in saltatrice puella, & ait: *volo vt protinus des mihi in disco caput Ioannis.* [Matth.14.] Iam non pomum, sed hominis benemeriti caput, sed Ioannis propinat sanguinem. Cur pessime primos homines ad esum pomi trahis; Herodis autem conuiuas ad potum tanti inuitas sanguinis? Illos inuenit ieiunos, hos cibis fartos, & minimum putauit, si saturati homines velint funere pasci, & sanguine. Præclarè D.Chry- [Chrysol.] sol. ser.174. *Serpens tunc latebat in fumino quo reptans gressibus flexuosis lethale toto corpore virus effudit, vt discumbentium mentes furor, venenum corpora sauciaret: homines verterentur in bestias, nec vino iam tales, sed sanguine potarentur: nec pane rabido, sed carnibus vescerentur humanis.* Vbi serpens ad plenas mensas discumbentes offendit, non multum laborat, vt eos in rabidissimas conuertat feras, quæ funere, & sanguine pasci vellent. Ea est enim corruptibilium escarum mensa, quæ homines prosilire faciat in cædes. Quam diuersa est Eucharistiæ mensa tota in vitam impellens: meritò ponderat Rupert. lib.3. de operibus Spiritus sancti, c.18. felicitatem renatorum per Baptismum, vt qui habeamus hanc mensam aduersariam mortis mensæ. Quippe ait: *Pulcher ordo salutis,* [Rupert.] *vt prius baptizati maculam veteris cibi lauaremus, & tunc demum eidem edulio mortis contrarium hunc cibum, & hunc potum salutis perpetuæ perciperemus.* Est equidem cœlestis panis prorsus contrarius edulio mortis, vt qui in vitam impellit; temporalis enim mensa & morbos, & mortes mille generat: diuina mensa conuiuas suos facit prosilire in vitam æternam.

Text. Patres nostri manducauerunt manna in deserto, sicut scriptum est: Panem de cœlo dedit eis manducare.

§. VI.

Vniuersa conuiuia vilescunt comparata ad conuiuium Christi, quod nulli deficit.

Vanissimi Iudæi, dum Christi conuiuium extenuare volunt, celeberrimum mannæ exerunt conuiuium, quo veteres in deserto excepti sunt: sed miserè falluntur, & manna extollentes, illud verbis deprimunt in comparatione Christi cibi. *Patres nostri*, aiunt, *manducauerunt manna.* & quantus hic cibus, qui manducatus à patribus, nihil inde superfluit, quod perueniret ad filios? Manducauerunt patres, sed post illos, *paruuli petierunt panes, & non erat, qui* [Thren.4.] *frangeret eis.* In Christi autem mensa myriades patres discumbunt, & innumera paruulorum multitudo, & adhuc supersunt pleni cophini; vt nemo vnquam inueniatur, qui Christianum conuiuiũ non pertingat. Quò spectat illud D.Tho- [D.Thom.] mæ præconium pro cœlesti cibo, nimirum, *nec sumptus consumitur.* in quo si aduerterent Iudæi, habent potiùs, quo obscurarent ieiuna suorum patrũ conuiuia. Apud Cassiod. [Cassiod.] lib.6. variat. 9 sic Rex Italiæ regalis mensæ extollit ministrum, inquiens *Dum epulas solicita ordinatione disponis, non solùm nostro palatio clarus, sed & gentibus necesse est redderis Eximine. Legati penè ex toto orbis parte venientes, cùm nostris cœperint interesse conuiuiis, admirantur copiosè repertum, quod in patria sua norunt esse rarissimum. Stupent etiam abundantiam vnius mensæ, tantas seruientium turbas posse satiare, vt redeuntia consumpta recrescere, vnde tanta, quæ probantur, currant.*

Habent nimirum in ſua patria, quod loquantur, dum parentibus ſuis dicere geſtiunt, quæ viderunt. Vtinam increduli Iudæi hanc Chriſti Domini menſam velint videre, eiúſque præſtantiam annotare, minimè de patrum ſuorum manna ſuperbirent; ſed haberent longè maiora, quæ patribus ſuis referrent. Dum enim non Moyſes, ſed Chriſtus epulas ſolicita ordinatione diſponit, non ſolùm Synagogæ ſcæptis clarus, ſed & vniuerſis gentibus redditur eximius. Id quod

Malach. 1. præuidit Malach. c. 1. dicens: *Ab ortu Solis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. Et vos polluiſtis illud in eo, quod dicitis: Menſa Domini contaminata eſt.* Vanè Dominicæ menſæ detrahitur, ex quo enim à Chriſto Domino diſpoſita fuit, magnum, & glorioſum eſt nomen eius apud omnes gentes. Nullum deſertum, nulla ratio eſt, in qua hæc menſa non appareat; illi proculdubio aſſident homines ex tota orbis parte, ſtupentes abundantiam vnius menſæ tantam multitudinẽ poſſe ſatiare, *vt videant conſumpta recreſcere,* ne cui vnquam deficiant ſaluriferæ dapes. Sed quæ menſa in omni loco, non ſolùm in deſerto, ſed in habitato; non ſolùm veteribus, ſed & nouitiis poterat ſufficere, niſi menſa corporis Chriſti, & ſanguinis? Ad hæc reſpi-

Cæſar. ciebat D. Cæſar. Nazianz. frater relatus à Turriano tract. 2. Euchar. c. 25. *Vbi ſic credimus verbo Dei propriè, & firmè eſſe dominum corpus, quod ſuper menſam ſanctam conſecratur, & inexhauſtè participatur. Nec enim Sol finem facit præbendi ſplendorem indigentibus luce, neque mare per ſuppeditationem ſuis impertitam de vaſto magnitudine decidit; neque ignis infirmitas lucernas incendens flaceſcit, non deficiente, qui flammam excitet, neque rurſus aër reſpirationis omnium animantium decreſcit.* Ea eſt Chriſti Domini menſa, quæ neſciat finiri: finiuntur omnia creata; finitur manna, & patribus in deſerto exhibitum, non peruenit ad filios: imò qui poſtmodum nati ſunt, nihil ex illo potuerunt guſtare. Aliter menſa Chriſtiana patribus exhibita fuit, ſed nunquam exhauſta eſt, quin potiùs ſic integra nobis reſeruatur, quaſi fuerit ab aliis intacta.

Luc. 10. Aiebat Dominus Luc. 10. *Omnia mihi tradita ſunt à patre meo.* Quis iam aliquid poſſet à Deo ſperare, quando omnia audit tradita filio? An dum omnia traduntur filio, poteſt aliquid nobis vlteriùs tradendum remanere? Omnia traduntur filio, & inſuper nobis omnia integra manent, nunquam enim cœleſtis menſa ita finitur, vt alicui integra non

Ambroſ. maneat. D. Ambroſ. lib. 7. in Luc. ait. *Non vereamur, quòd pater in filium theſaurum contulit. Fidei enim cenſus nunquam exinanitur: licèt totum dederit, totum habet, quia quod donauit, non amittit.* Nihil amiſſum eſt è muneribus diuinis, licèt huc vſque vniuerſi receperint: nunquam exhauritur cœleſtis theſaurus. Fidei Chriſtianæ menſa etiam conſumpta recreſcit, vt omnia cuiuis fideli integra maneant. Non pauci ex

Marc. 8. Iudæis Chriſti menſæ aſſiderunt Marc. 8. *Et manducauerunt, & ſaturati ſunt, & ſuſtulerunt, quod ſuperauerat de fragmentis, ſeptem ſportas.* Pauci multis exhibentur panes, & poſt multorum ſaturitatem ſeptem ſuperſunt ſportæ panum plenæ.

Hilar. Quid plura? D. Hilar. canone 15. in Matth. ait: *Sed quòd ſeptem ſporta replentur, redundans, & multiplicata ſeptiformis ſpiritus copia indicatus, cui quod largiatur exuberat, ſitque ſaturitas nobis ditior ſemper, & plenior.* Ecce tibi, quò plures manducant, eo nobis ditior manet, & plenior ſaturitas, vt meritò conſumpta recreſcere videantur.

§. VII.

Nobiliſſimum homini, quod dum literas diſcit, maiorum ſuorum ſimul ebibit magnalia: vbi quàm nobilitent homines veterum ſcripturarum lectiones.

NOn mediocris horum Iudæorum gloria eſt, quòd in Scripturæ lectione, dum exercitantur, parentum ſuorum ſimul ediſcant magnalia. Quippe aiunt: *Patres noſtri manducauerunt manna in deſerto, ſicut ſcriptum eſt,* &c. Proh nobilis eruditio, quæ dum acquiritur, non externa, ſed domeſtica parentum laus ob oculos legentis verſatur! A De-

Caſſiod. ciorũ ſtirpe progenitum iuuenem maximè extollit Caſſiod. 3. var. 6. cuius gloriam ſic ponderat: *Natura bona litterarum decorauit inſignibus, vtpotè magiſtrarum artium diuerſis mentis penetralibus, plus luceres. In libris veterum Decios cognouit antiquos, nobilémque progeniem glorioſa mortis beneficio viuentem. Feliciſſimus profectò ſtudiorum labor, cui priſcorum carmen contigit diſcere per parentes, & de auita laude primordia tenere pectoris eruditæ.* Neſcio an de his naturalibus bonis, felicius quid, & nobilius tibi accidere poſſit, quàm quòd per maiorum tuorum laudes poſſis litterarum eruditione imbui: & quod litteræ te informent tuorum parentum, & atauorum gloriis

Idem. inſignes. Etenim aiebat idem Caſſiodor. 9 variar. 22. *Magnus verecundiæ ſtimulus eſt laus parentum: dum illis non patimus eſſe impares, quos gaudemus authores.* Sed quanta eſt nobilium infelicitas, quæ etiam vbi pleni ſunt libri parentum actis, nihil de maioribus ſuis ſciant, quo vitam & componant, & inſtruant ſuam? Fallar, ſi hi digni ſunt nobilitate, ſed prorſus videantur obſcuri. Maria virgo Angelorum Re-

Luc. 2. gina vbi Luc. 2. ſalutationem Gabrielis audiuit, *cogitabat*

Hieroſ. *qualis eſſet iſta ſalutatio.* Et cur hoc cogitabat? Andreas Hieroſolym. ibi hanc reddit rationem, nimirum: *Veriſimile eſt ipſam & de clara ſtirpe ortam, & Dauidis filiam, haud ignoram diuinorum, quæ in Scripturis habentur, oraculorum fuiſſe, vt cogitationes ſuas ſtatim conuerterit ad primæ parentis lapſum,* &c. Expende, vnde colligat Mariam Scripturarum non ignaram fuiſſe, & præ oculis habuiſſe antiquos parentes, vt inde diſceret ſe componere in vita; nimirum id colligit ex eo, quòd Maria de clara ſtirpe nata fuerit, & Dauidis filia: quaſi cum nobili progenie non poſſit ſtare ea Scripturarum ignorantia, quâ maiorum facinora maneãt illi occulta. Et quidem nunquam eruditio non fuit notabilitatis lux,

Caſſiod. & regij ſanguinis cultus ſplendidiſſimus. Aiebat Caſſiod. 12. variar. 1. *Iungitur his rebus, quaſi diadema eximium impretiabilis notitia litterarum, per quam, dum veterum prudentia dicitur, regalis dignitas ſemper augetur.* Et neſcio, an diadema aliud poſſit inueniri, quod clarius regium decorem repræſentet, quàm litterarum eruditio. Ille pater fidelium ante Abram dictus: poſtea acceptis ex Deo litteris Abra-

Chryſoſt. ham dicebatur. Quid plura? Accipe Chryſoſtomum homil. 2. in Iſaiam dicentem. *Abraham priùs dictus eſt Abram, quod ſonat tranſitorem; poſt hæc verò nomine commutato dictus Abraham pater factus omnium gentium, & vnicum elementum adiectum totum principatum vindicauit iuſto. Quemadmodum cum Reges præfectis ſuis aureas porrigunt tabellas principatus ſignum, ſic & Deus iuſto illi honoris ſignum dedit litteram.* Non ex auro, & gemmis conflatur diadema, quæ regium ſanguinem decoret, ſed ex eruditione, ex litteris: ille nobilior, & regalior eſt, cuius nobilitas ſtudiorum cul-

Ennod. tùra magis rutilat. Hinc iuuenes nobiles monebat D. Ennodius orat. 3. inquiens: *Reddite vos ſtudendo erigui; reddito natalibus lectione. Natura lucem iubar dictionis oſtendat, multiplicate ſaſſectu ſcitiſſia parentum titulos, ornate eruditione decora maiorum. Fului nobilitatem metalli, niſi ad vnguem manus ducat artificis, maternis penè hebetatur tenebris. Et ſi non magiſtra politione veneſcetur, nihil ei prodeſt ſublimitas, quam vena conceſſerit. Adiuuatur quidem Doctoris induſtria dotibus ſanguinis mediocris, & niſi limata non rutilant illa, quæ ſe erigunt prærogatiua naſcendi.* Quid pulchrius? Illa equidem triumphat nobilitas, quæ ſtudiorum politione rutilat; quis è plebecula fœce eximat hominem totius ſtudij rudem? Licet modò afferre Diuum Fulgentium; qui lib. 1.

Fulgent. cap. 2. ſic ſuum commendat Regem Thraſymundum, inquiens. *Per te clementiſſime Rex diſciplinæ ſtudia moliuntur iura Barbaricæ gentis inuadere, quæ ſibi velut vernacula proprietate ſolet inſcitiam vendicare. Inuentus es, qui te ipſo potior extitiſſes, dum ſic Africano præſides moderando regimini, vt magis deſideres animæ ſpatia dilatare, quàm regni. Noſti venerabilis Rex, quanto melioribus inhæreat commodis, qui veritatem deſiderat noſſe, quàm qui ſubactis gentibus temporalis fines regni latius cupit propagare.* Sic ille.

Text. Dixit ergo eis Ieſus: Amen, amen dico vobis, non Moyſes dedit vobis panem de cœlo, ſed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Panis enim Dei eſt, qui de cœlo deſcendit, & dat vitam mundo.

§. VIII.

Munificentiæ opera ex perpetuitate commendantur, vbi & de Euchariſtia.

COntrouerſia erat, vt mauult D. Cyrill. de authore cœleſtis panis dati in deſerto; quem non Moyſem, ſed Deum eſſe probat Dominus, quippe ait: *Non Moyſes dedit*

dedit vobis panem, sed pater meus dat. Sed vt Moysi Deus in panis datione opponeretur, dicendum erat; *non Moyses dedit panem, sed pater meus dedit.* Cur maluit dicere, sed pater meus dat? Equidem munificentiæ opera illa sunt digna Deo, quæ non finiuntur tempore, sed quotidianis æternantur prouentibus. Ex perpetuitate commendationem

Arnulph. habent munificentiæ opera: quæ sic laudat Arnulphus Episcopus Lexouiensis epist. ad Laurentium Abbatem fatus. *Magnum est, quòd ad horam subuenit indigentis, maius, quòd in dies, annisque renascetur, quod vt sæpius conferat, frequenti reuolutione denuo reformatur. Sanè beneficium hoc non minuitur tempore, sed augetur, prouentusque perseuerantiam redituræ conseruat indultam largitatem. Fecistis, ne etiam munificentia vestræ gratia præteriret, vt sicut apud vos virtutis non tepescit affectio, ita prorogata in perpetuum liberalitatis vestræ beneficia conualescent.* Sic magnificentiæ opera ea perpetuitate commendantur, quòd non minuantur tempore, sed frequenti reuolutione denuo reformata, singulis annis videantur dari. Id

Matth. 25. quod in electis suis Dominus extollebat Matth. cap. 25. fatus. *Amen dico vobis, quandiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Expende illud, *quandiu*, non enim sic opera facta notat, vt durationem illarum, quasi ex perpetuitate præcipuam apud iustum iudicem habeant commendabilitatem. Rem attigit, & expendit Rupert.

Rupert. lib. 9. de Operibus Spiritus sancti cap. 17. aiens. *Iuste ergo, & sicut iudicem iustum decebit, dicet, quandiu fecistis, appendendo videlicet, non solum quod factum, sed & quandiu factum sit. Exempli gratia, Diues aliquis epulans splendidè culpam Lazaro iacenti ad ianuam suam micas, aut certè primitias mensæ suæ quotidie tribuat, & dum viuit, pauperum memor est, non desinens tale quid facere ex eo, quod abundat sibi. Alius autem multi possessor patrimonij, fortassis auri, & argenti intus repositi cœnobia, siue xenodochio constituit constitutis reditibus annuis; vnde non solùm in vita eius, sed & per mille generationes bene habeant, & in communi viuant aliquot ex illis minimis. Nónne igitur pertinebit in illo iudicio illud quoque meum esse, vt habeat plus retributionis, quia diutius ministrauit?* Imò nullum sic opus splendebit, quàm istud opus munificentiæ rediuiuæ, quo quis ita suam liberalitatem æternat, vt nunquam manus à largitione cœpta videatur collegisse. Cantatissimus ille Saluator Ægypti Ioseph huc etiam respexit, quando emptis à subditis vniuersis possessionibus non solùm præsentem famem abundantia frumenti depulit, sed insuper addidit, quòd deinceps amplius

Genes. 47. non egerent. Ait enim Genes. 47. *En vt cernitis, & vos, & terram vestram Pharao possidet, accipite semina, & serite agros, vt fruges habere possitis. Quintam partem Regi dabitis: quatuor reliquas permitto vobis in sementem, & in cibum familiæ, & liberis vestris.* Quid ais, ô Ioseph, cur sic regale patrimonium dilapidas? Ægyptij modo de præsenti tollenda fame agunt; quod tunc odisse possunt, petunt, quibus satisfecisses, si frumenta ad illum annum sufficientia dedisses. Cur tu non solùm instantem famem depellis, sed etiam ad futuram te extendis, & restitutis possessionibus agis, vt deinceps sufficientia habeat alimenta? Sanè præstantissimus vir, non multum æstimaret temporale beneficium, nisi de perpetuitate etiam commendasset lar-

Ambros. gitatem suæ prouidentiæ. Ad hæc D. Ambros. lib. 2. offici. cap. 16. ait: *O virum magnum, qui non largitatis superfluæ temporalem captauit gloriam, sed perpetuam commoditatem constituit prouidentiæ.* Quantula esset magnificentia Ioseph, si septennij solius famem depelleret, frumenta tunc esurientibus præbens? Potuit eius largitas facere, vt quidquid in posteruos Ægyptij ederent, daret ipse Ioseph, cui vsque modò omnes agrorum fructus debentur accepti. Nullius munificentia, & liberalitas perfecta est, & prorsus commendabilis, nisi quæ secum habet in tribuendo perpetuitatem. Hinc est, quòd diuinæ mensæ largitatem desideramus, iubemur petere: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*; & meritò quotidianus dicitur Dominicus panis, & cur quotidianus, nisi quia semel datus, nunquam debet cessare; sed perpetua nobis parare pabula?

Chrysol. Chrysolog. serm. 68. *Quotidianum, & in diem vult nos in Sacramento sui corporis panis viaticum postulare, vt per hoc ad perpetuam diem, & ipsam Christi perueniamus ad mensam, vt vnde hinc gustum sumpsimus, inde ibi plenitudinem, totásque satietates capiamus.* Ab illa enim procedit cœlestis cibos largitate, quæ nullum terminum in tribuendo patiatur.

§. IX.

Nullum adeò emortuum, & putridum cadauer existimat, quod à cœlesti cibo non reformetur in vitam. Vbi fit collatio Martyris, & Eucharistiæ.

QVis nesciat mundum senio confectum lethalibus tabescentem morbis, & iam magis cadauer, quam corpus? Hunc ergo sic senem, & planè delirum, sic emortuum potens est cœlestis cibus replere vita: *Panis enim Dei est, qui de cælo descendit, dat vitam mundo.* Et quando mundus reformatur, nec senectus delira, nec mors valida, nec putredo ipsa potest obsistere vitalissimo cibo. Hic solus, & senio confecta membra, & emortua penè alit in vitam. Nota est Abraham, & Saræ vetusta sterilitas; hi tamen Genes. 18. sub peregrino habitu Deú excipiunt, mensam apponunt, cibos præparát; & tandem fit conuiuium cœleste in domo Abrahæ. Quid plura? Post conuiuium statim, ait Dominus, *reuertens veniam ad te tempore isto, vita comite, & habebit filium Sara vxor tua.* Mirabetis, imo, & cum Sara ridebis, quòd ab sterilibus hominibus, à senio confectis, a membris emortuis vitalissimum generationis opus possit sperari? Vnde seniles artus potuerunt sic repuerascere, imò viuificari? Solum audio in eorum domo illud conuiuium celebrari cui Deus adest, nec miror, quòd à cœlesti conuiuio, vitarum fontes effundantur, potentes & senio confectos artus, & emortuos in vitam excitare. Chrysol. ser. 69. *Dominus ad Abraham venit hospes aduentus, inuitatur tota deuotione succedit, oblata non respuit, opposita velut esuriens, & lassus assumit, & diuina collatione velut egens suscipit, & acceptat humana. Hinc est, quòd emortua mox senis membra reminiscunt, sterilis vetulæ iam viscera suscitantur extincta, & natura in vivo cadauere persepulta proditura suum resurgit authorem, & generat plurimos per vnum,* &c. Non putre corpus, non senilia, & emortua membra incapacia inueniuntur vitæ, vbi adstant cœlesti conuiuio: quando Deus hospes ingreditur nostra in domo, quando mensis accumbit; sic omnis domus illius reuiuiscunt, vt mors ipsa conuertatur in vitam, & ex putridis cadaueribus homines reformentur vitalissimi. Quid miraris? Maius erit, quod dicam, nimirùm, tantam esse vim cœlestis cibi, vt vel eius odor belluinos prorsus homines trahat in rationalem vitam. Missurus Dominus discipulos suos, vt conuerterent mundum, ait: *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum.* oues mittuntur ad lupos, vt è lupis rationis expertes homines fiant. Vnde habebunt oues hanc efficaciam? Vnde patientissima animalcula poterunt sic reformare lupos? Sanè non oues per se, sed oues saturæ cœlesti cibo, & refectionis aqua educatæ, dum à lupis mactantur, eum diuini pastus præseferent gustum, vt ex hoc ipsæ belluæ, lupi ipsi in homines reformentur rationalis vitæ. Do Chrysol. ser. 23. fan-

Idem. tem. *Grex pusillus, ac mitis, diu contentus occidi, diu deuorari passus est, donec gentilis sæuitia, sanguine satiata, vel cruoribus, Euangelici pabuli suauitatem, & diuini fontis fluenta degustans totum contagium sæculi euitaret, & pastum, atque in hominem rediret ex bestia.* Equidem gentiles lupi, dum vorant Christianum gregem, dum mactant oues Christi; oues, inquam, cœlesti cibo saturas, nescio quem, siue odorem, siue gustum percipiunt pabuli diuini latentis in visceribus Christianorum, quo sæculi contagium, & pastum effugientes, in homines ex bestiis redduntur. Quanta hæc diuini pabuli potentia? Potens est, dum latet in Christiani gregis visceribus reformare mundum. Et fallar, si quis mundialium, etsi perditissimus sit, etsi prorsus bellua factus, hunc pro se habens cibum, incolumitatem non accipiat, & vitam. Ob oculos ponenda est illa ingens, & immanis bellua, quæ deuorauit Ionam, Prophetam vorat bellua, & non dirumpitur insueto cibo, imò immensa penè maris spatia securè tranat, donec incolumis perueniat ad portum, integrum vomitura cibum. Quis belluam sic incolumem perducit ad portum, nisi ipse cibus, qui intrinsecus viuens degit, & orationem ad Deum

Sidon. Apoll. fundit? Sidonius Apollinar. car. 16. ad Faustum Reciensem ait, Cete incolumitatem celebrans,

Quíque volubilibus spatiantem tractibus alui
Complexi Ionam, resonant dum viscera monstri
Introrsum psallente cibo.

Psallebat introrsus cibus viuens, & Psalmis suis Deum demulcebat, vt sibi, & belluæ prospiceret, incolumésque ad portú perduceret: sic prorsus belluini homines seruantur in vitam, introrsus psallente cibo, dum ab intimis eorú visceribus panis viuus Christus pro illis ad patré preces fundit.

Felix

Felix ille cuius in visceribus psallit diuinissimus cibus, quamuis belluinis moribus se videat implicitum, incolumitatem speret, & salutem. Ex quo elegantissima comparatio innotescit inter sanguinem martyrum, & sanguinem Christi; vterque à terra bibitur, & a terra spinis, & tribulis scatente, vterque intra terrena viscera clausus, adeò potens est, vt spinosam terram conuertat in paradisum, & è condensis ferarum efficiat vitæ arbores parturire. Hinc est

Matth. 14. illa puellæ ab Herode petitio Matth. 14. *Da mihi in disco caput Ioannis Baptistæ*, Cur sancti viri hostis non potiùs petit eius caput sibi dari in pugionis cuspide? Cur maluit in disco? Id diuina prouidentia disponebat, vt ostenderet martyrum carnes non absimiles esse in effectu trahendi gentes ad salutem, carni Christi, quæ nobis datur in mensa Eucharistiæ. Ad hæc D. Paschas. lib. 7. in Matth. loquit: *Cur autem in disco? Nisi vt Sacramentum figuraretur nostræ redemptionis. Vt in disco, & mensa, qua corpus Christi consecratur, quod est caput Martyrum, ipsi participarent cum suo capite in oblatione æternæ salutis.* Et martyrum sanguis Eucharisticus Christi in hoc conueniunt, vt a terra vocati, illam trahant in salutem.

Text. Dixerunt ergo ad eum, Domine, semper da nobis panem hunc. Dixit autem ei Iesus: Ego sum panis vitæ, qui venit ad me, non esuriet, & qui credit in me, non sitiet in æternum, &c.

§. X.

Nisi tu deficias priùs in Dei seruitio, nunquam tibi deficiet Dei largitas.

Paratissima est Dei mensa, paratissimus & largissimus cœlestis cibus omnibus operantibus illum, accedat quisque vult cœlestem panem. ipse quantum est ex se paratus est, in promptu est, præ manibus est, in conspectu est, vt indefectibilem semper tribuat saturitatem. Vnum ex te petitur, quòd non deficias tu, quod non desinas venire, & accedere; & ecce tibi adest largissima Dei liberalitas. Vnam inuenio, a qua video fugisse cœleste conuiuium; ea est

Cant. 1. Cant. 1. aiens: *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas.* Nec conuiuium, nec conuiuij locum noscit; vnde potuit oriri tanta ignorantia, quòd Dei dilectricem lateat cœleste conuiuium? Aiebat Dauid, *parasti in conspectu meo mensam*; & Dei amatrix prorsus ignorat, vbi cœlestis mensa inueniatur? Fallar, nisi tantæ ignorantiæ rationem

Theod. indigitent ipsissima verba, aliter apud Theodoretum data, vbi sic: *Indica mihi, quem dilexit anima mea, vbi pascas.* Expende verbum, *dilexit*, non ait, quem diligit anima, sed quem dilexit; & sanè vbi præterit amor, vbi quis priùs deficit in amore: respectu illius statim sese abdit. & deficit alioquin effusissima diuina largitas. Ad hæc D. Ambros. in exhortat. ad virg. ait: *Cur dicis, quem dilexi, & non dicis, quem diligo? Ideo non tenes, quia dilexisse te dicis. Cur non potiùs adhuc diligis, vt possis tenere?* Felix ille, qui nouit non deficere in Dei amore: cuius amor, & feruor Dei seruiendi non præterit, sed semper durat, & quasi recens adest, huic paratissima est cœlestis mensa, huius in conspectu diuinus adest panis, qui nunquam nouit deficere laborantibus Non deficias venire, & cœleste conuiuium semper tibi inuenies largissimum. Reuoca in memoriam prodigi

Luc. 15. filij historiam narratam a D. Luc. cap. 15. Is dum surgit, & venit ad patrem, vix limina intrat, & ecce tibi saginatus vitulus proponitur, monificentissimum celebratur conuiuium. Sic pater pascit redeuntem filium: sed dum tantum agitur conuiuium, *erat filius eius senior in agro, & cùm veniret, & appropinquaret domui, audiuit symphoniam*, &c. *Indignatus est autem, & nolebat introire.* Lætitiam audiuit conuiuij, & gradum sistit, nec amplius vult introire, sed foras totus queribundus, ait. *Ecce tot annis seruio tibi, nunquam mandatum tuum præteriui, & nunquam dedisti mihi hædum, vt cum amicis meis epularer.* Miraris querelam filij, cui nec hædus manducandus tribuitur, eo ipso tempore, quo munificum agitur conuiuium, & vitulus saginatus proponitur cibus. Cur è tanto conuiuio nil accepit iste filius? An id effecit parcitas patris? Absit; in causa enim fuit ipse filius, qui cessauit introire, qui foras manere maluit; si vt ipse ab agro venit, non gradum sisteret, sed introiret, largissimo simul exciperetur conuiuio, nec esset, cur vltrà esuriret.

Præclarè Abbas Cellensis de Panibus 2. inquit: *Miser, & miserabilis, qui non intrat in locum conuiuij, siue tabernaculi admirabilis. Qui extra est tanquam fruterscenor in agro; qui enim intus est, lætatur, qui extra, cruciatur. Qui intus est saliatur in bonis; qui extra est, deficit in malis.* Vanè queritur de diuinæ Abb. Cellens.

mensæ parcitate, quisquis ad illam non peruenit: intrasses miser conuiuij domum, & te sic impleret vitulus saginatus, supersubstantialis panis, vt nihil inde possis requirere suauitatis. Diuinæ mensæ largitas in promptu est, conuiuium lautissimum adest: tu illo te priuas, quia non vis intrare, quia non excedis, quia dum aliò diuertis, ire mauis in domum luctus, & penuriæ, quàm in domum conuiuij salutis. Aiebat Psalm 35. de summa, & paratissima diuina- Psalm. 35.

rum epularum abundantia: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te est fons vitæ.* Dei domus vbertas, & diuinarum torrens voluptatum ideò nos implet, quoniam apud Dominum est fons vitæ: siquis alio diuertat, siquis extra Deum se porrigat, nec vitæ fontem, nec suauitatum diuinarum torrentem inueniet, sed penuriam, sed famem, sed ariditatem.

Ad hæc D. August. tract. 25. de cap. 6. Ioann. ait. *Quoniam apud te est fons vitæ, & non apud nos. Ideo intrare debemus, vt viuamus, non quasi nobis sufficere, vt pereamus, non quasi de nostro velle satiari, vt arescamus. sed os ad ipsum fontem ponere, vbi aqua non deficit.* Quoties non ad Deum peruenimus, non ad Deum intramus, sed in nobis manemus: plenissimum vitæ fontem declinamus, qui non cessat apud Deum largissimos suauitatum torrentes effundere, qui nemini negantur, nisi nolentibus accedere, & intrare in tanta Domini sui gaudia. August.

Text. Omne quod dat mihi pater, ad me veniet. Et eum, qui venit ad me, non eiiciam foras. Quia descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me. Hæc est enim voluntas eius, qui misit me Patris; vt omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die.

§. XI.

Inter diuina mensæ epulas audacter pete, quasi nullam passurus repulsam: nec inde eyciendus.

Nota connexionem verborum, dixerat Dominus, se panem vitæ esse, à suis edendum; quem qui fide, & charitate ederet, sic erat sanandus, vt inde iam non posset esurire. Et quidem multos pater mittet ad hunc panem vitæ, multos dabit, qui huic diuinæ mensæ assideant. Felices hi, quia non solùm panem vitæ percipient; sed dum ad hanc mensam admittuntur, nullam scient pati repulsam. Quippè ait, *& eum qui venit ad me, non eiiciam foras.* Et quando lautius cibus assidentibus dedit repulsam? Apud

Cassiod. 6. variar. cap. 9. Italiæ rex regalium epularum curatorem extollit, quod inter epulas regis assistat, postulatáque possit tunc exponere sua, & sic inquit. *Tempora nostræ lætitiæ secretaria tua sunt, cum pectus redditur curis alienum: & tunc tribuitur tibi suggerendi locus, quando cunctis adimitur. Meritò vt qui es index tanti apparatus, & epularum, delicatissimis cibis tibi aditus concedatur.* Meritò inde epularum regalium præfectus commendatur, quòd inter prandendum regis assistat, & prandij tempora libera habeat ad postulandum quando nemini patet ad regem ingressus, & rex solis vacat deliciis. Quippè animosè petit, & sine metu repulsæ ille, cui suffragantur rubentia vina, delicatissimi cibi, quasi inter tot suauitatum fontes vix queat verbum asperum prosilire. Cur metuat expelli, quem epulæ vsque ad conspectum regis perducunt; & patentem aditum præbent qui cæteris omnibus est occlusus? Et simul proculdubio frangitur, & cibus, & regale supercilium; nec potest timeri ira in eo, qui in dulcissimis assidet conuiuiis. Cassiod.

Matth 26. vbi Christianum exponitur conuiuium, dicitur, Matth. 16.

quod *accepit Iesus panem, benedixit, ac fregit*, nec potuit dici panis fractus in diuino conuiuio, quin statim intelligeretur tota ibi confracta diuina ira. Sic D. Bernard. apud Tilmannum in allegoriis, ait: *Fregit per gratiam, vt suam, & patris frangeret iram. Dixit enim Deus, vt disperderet nos, si non vnicus electus eius stetisset in confractione, vt auerteret iram eius.* Bernard.

Nulla non frangitur ira Dei, vbi incipit cœlestis cibus infringi: felix, qui inter has panis fractiones accedis, nullam non auertis iram, nullam times repulsam, sed impleberis
Iudic.6. diuinis beneficiis. Nota est Gedeonis historia ex cap.6. Iudicum: is salutem Israëlitis postulans, ait: *Si saluum facis per manum meam Israël, sicut locutus es, ponam hoc vellus lanæ in area: si ros in solo vellere fuerit*, &c. Expende signum salutis obtinendæ Israëlitis, imò vt concors patrum sententia signum ibi exprimebatur, quòd gentes vsque tunc exclusæ, iam admittendæ erant à Deo, & minimè deinceps excludendæ. Pro tantæ rei signo vellus cœlesti rori exponitur, sed exponitur in area. Cur non magis ponitur in prato? Cur maluit in area? Sanè nullibi melius datur signum salutis neminem excludentis, quàm in area, in qua res tri-
August. tici agitur. Ad hæc D.August. serm.108. de tempore, ait. *Hoc ergo præuidet sanctus Gedeon, quia verum, & spiritualem rorem etiam gentes, nationésque erant fidei perceptione bibituræ. Nec tunc otiosè Gedeon vellus, nec in campo posuit, nec in prato, sed posuit in area, vbi messis est tritici.* Vbi cœlestis panis tractatur, nullius repellendi signum datur, imò quisquis accedit, sic admittitur, vt vix possit inde separari. Percusso in latere Domino militis lancea, *exiuit sanguis & aqua*; cur non solus sanguis exiuit? Aqua populos significabat, qui vt semel sanguinis Dominici poculo adhæret, vix vnquã possunt
D Cæsar. ab illo separari. Do D. Cæsarium Arelat. hom.7. fantem: *Dum in Sacramentis vino aqua miscetur, Christo fidelis populus incorporatur, & iungitur, & quadam ei copula perfectæ charitatis vnitur, vt possit dicere cum Apostolo: Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an persecutio?* Sic nos iungit Deo cœleste conuiuium, vt penè timere nequeamus separationem ab illo.

§. XII.

Cœlestis cibus de Idololatria perfectissimè triumphat. Vbi quòd caueat diuinum calicem, qui Idolis concupiscentiæ suæ seruit.

OMnibus his verbis ostendit Dominus longè præstantiorem esse cœlestem cibum à se promissum, quàm manna, de quo gloriabantur Iudæi. Cibus enim cælestis sic omnia ad se reuocat, vt nihil eiiciat foras, hoc est, nihil relinquat Idolis seruiens. Solemnissimum est apud Paulum, quòd idololatræ vocentur homines, *qui foris sunt*. Sic 1. ad Cor.5. ad Colos.4. 1. ad Thessalon.4. 1. ad Timoth.3. facit ergo cœlestis cibus, vt nihil sit foris, nihil appareat dedi-
Ioan.12. tum idolis. Hoc promiserat Dominus Ioann.12. aiens: *Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Expende verbum illud *omnia*, & verbum in præsenti datum, nimirum; *omne quod dat mihi*, &c. Cur vtrobique non dixit potius omnes, quàm omne, vel omnia? Vtrobique agebat de victoria reportanda ab idolis, quibus non solùm homines erepturus erat, sed & cætera omnia quæ illis consecrabantur, siue sensibile, siue insensibilia; adeò vt nihil relinqueretur idolis seruiens, sed omnia sibi repareat Dominus, aut
Gaudent. in cruce exaltatus, aut in capitibus sacerdotum. D. Gaud. serm.13. de Nat. *Omnia traham ad me ipsum, & non omnes; illud significari existimo, quòd omnia creaturarum genera, quæ idolis, vel immolabantur, vel dedicabantur, Christus ad suam benedictionem reuocanda promiserit.* Et quidem dum omnipotens Dominus expectantibus diuinas escas manum suam aperit, vt largiatur cœlestem cibum, omne implet animal benedictione: nihil eiicit foras, nullam relinquit creatu-
Iust. ram seruientem idolis. Hinc pungebat Iudæos D.Iustin. Martyr in Dialogis, quòd multum de cibis suis, & de manna gloriarentur, ait enim: *Sic & eorum, quæ immunda sunt, per Moysem vos abstinere iussit Deus, quandoquidem, tum etiam manna in solitudine ederetis, vitulum, quem ex auro fecissetis, adorastis.* Nec mundæ escæ Iudæorum, nec ipsum manna fecit, quod non seruiretur idolis, imò ab ipsius manna prandio surgebant ad vituli adorationem. Præstantior Moyse Dominus in exaltatione cœlestis cibi, in sacrificio incruento Eucharistiæ, ex quo sic omnia creaturarum genera à se reuocauit, vt nihil idolis seruiens reliquerit.
Psalm.73. Psalm.73. *Tu confregisti capita draconis, dedisti eum in escam populis Æthiopum.* Quis neget draconis capita quotidie confringi, dum idola gentium in eorum conspectu confringuntur? Sed quomodo draco in escam datur populis Æthiopum? Sanè cùm audis, *dedisti eum in escam*, non putes draconem, sed cœlestem, & supersubstantialem cibum, qui dum datur in escam nationibus, ipsæ reficiuntur, & simul perit totus Dæmonum cultus. Pulchrè D.August. ibi. *Et quomodo acceperunt isti in escam draconem istum? Puto quia magis Christum acceperunt in escam; sed Christum, quo se consummarunt: diabolum, quem consumerent.* Et simul diuinissimam escam sumimus, & capita draconis consumimus: non possunt non consumi draconis capita, vbi diuinus cibus incipit sumi. Draconis capita iam pridem cum cibo suo exercerat antiquus serpens, cùm aiebat: *Eritis sicut dij*, ibi idololatriam, & multorum Deorum cultum inseminarat; sed totam hanc vanitatem diuinus, & verus cibus consumit, vtpotè nociuo illi pristino cibo contrarius. Sumitur cœlestis esca, & consumuntur draconis capita, & non est, qui vilibus Idolis velit adorationem præstare. Quia vilia colat Idola, gaudens diuinissimo Christi cibo? Dan.4. dum ne- Dan.4.
fandum Balthasaris conuiuium narratur, sic aiunt: *Allata sunt vasa aurea, quæ asportauerat de templo, quod fuerat in Ierusalem: vt biberent in eis rex, & optimates eius, vxores, & concubinæ illius. Bibebant vinum, & laudabant Deos suos, aureos, & argenteos, æreos, ferreos, ligneósque, & lapideos.* Inter laudandos ligneos, & lapideos Deos diuinissimi templi aurea vasa proferuntur; quis hæc iuberet, nisi stultissimus, & iam iam periturus cum idolis suis? Pulchrè D. Hieron. D.Hier.
ibi: *Quanta stultitia in aureis vasis bibentes, Deos ligneos laudabant, & lapideos!* Stultissimum equidem est, vilia meminisse idola homines, qui in aureis templi vasis bibebant. Sed multo magis stultum, & execrandum est, quòd nos, qui in aureis vasis sacratissimæ Eucharistiæ bibimus, vilibus cupiditatum nostrarum Idolis exhibeamus cultum. In aureo calice sanguinis Christi bibes, & puluereas pulchritudinis corruptibilis imagines adoras? Et æreos nummorum Deos colis? Fallar, si calix hic, non te, & vilissimos Deos consumat. Theod. serm.10. de prouid. huc refert Bal- Theod.
thasaris cũ diis suis ruinam. *In medium profert, quæ semel Deo consecrata erant vasa, ex eisdem potat infelix. His autem transactu mox contra infelicem sententia profertur*, &c. Non sustinere sacra vasa, vel ad horum vilium idolorum cultum, mox vt ex eis bibitur, & Balthasar, & dij lignei, atque lapidei conteruntur. Caue tibi homo, ne aureum diuini sanguinis vas labiis illis adiungas, quæ assueta sunt laudare concupiscentiæ tuæ idola turpia: non sustinebit diuinus calix cum idolis esse, sed vt incipiat sumi, simul incipiet draconis capita consumere.

§. XIII.

Inobedientia saporem habet Idololatriæ.

EX dictis facile explicatur ratio, ob quam Dominus in textu dixit neminem à se foras eiiciendum, *quia*, inquit, *descendi de cælo, nõ vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* Quia venit se se perfectissimũ obedientem patri exhibere, ideò neminem eiicit foras, hoc est, iuxta explicationem datam, neminem sinet seruire Idolis. Et quidem perfecta obedientia idololatriæ repugnat, cuius aliqualem habet inobedientia saporem. Vbi damnatur Saul
1.Reg.15. rationem damnationis reddens Samuel, ait: *Quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.* Sed scire cupis, quid habeat commune inobedientia cum ariolis idololatris? Ariolorum hoc est officium, vt Dæmonum attendant responsis, illaque pro oraculis habeant, iuxta quæ fortunas suas componant. Hæc etiam habent inobedientes, qui pro oraculis vtuntur, vel cupiditatum, vel Dæmonum responsis, illisque sequendis se dedunt, prorsus contemnentes imperia prælatorum. 1. Reg.15.
Id quod notans D.Gregor. magnus in præsenti lib.6. ait. Gregor.
Qui autem repugnant prælatorum imperijs, ideo vtique repugnant, quia diuinam voluntatem se scire melius æstimant. Quasi ergo peccatum ariolandi est repugnare, quia velut contempto diuino altari ad aras Dæmonum responsa percipiunt, dum cordis sui præstigiosis, ac superbis adinuentionibus credunt, & salubribus prælatorum consilijs contraria sentiendo refragantur. Ecce tibi, quàm vicini sunt arioli idololatriæ, & inobedientes; vtrique altare Dei contemnunt, vtrique veri Dei voces non audiunt; sed ad aras Dæmonum responsa percipiunt, dum mera cordis sui sequuntur placita. Apud Isaiam cap.45. ta- Isai.45.
xantur idololatræ his verbis: *Nescierunt, qui leuant lignum sculpturæ suæ, & rogant Deum non saluantem.* Hi sunt, qui ligneos Deos habent, qui responsa accipiunt ab his, qui non sunt. Quid plura? Hæc elucidans verba Tertull. lib. Tertull.
de Idololatria, ait: *Omnes vani, qui faciunt libita sibi, quæ illis non proderunt*; & pulchrè cum idololatris coniungit eos,

eos, qui non vocem prælatorum spectant, sed libita sibi faciunt: id solum amplexantes, quod ex libito suo nasci vident; hi enim cùm libitum suum spectant, instar idololatræ rogant Deum minimè saluantem

Text. Hæc est voluntas Patris mei, qui misit me, vt omnis, qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.

§. XIV.

Nulla est infirmitas, quæ non roboretur, dum Deum conspicias.

NVllus, quamuis vilis, quamuis infirmus, quamuis reiectitius, excluditur, sed omnis, qui videt filium Dei, æternam inde alitur in vitam. Felix, qui eos habet oculos, qui filium Dei videant; per illos vitam æternam finget, licèt sit omnium vilissimus, & obscurissimus. Multi fuerunt, qui resurrectionem carnis negabant, ducti ipsius vilitate carnis, quam à sacra pagina vilipendi videbant. Caro, inquiunt, vitam æternam percipiet, quæ limus est vilissimus, quæ fœculentum lutum, quam instar pulueris, & cinis Abrahamus depreciat, cuius ingentem gloriam fœno comparat Isaias? Horum obiecta, vt rideas Tertull. lib. de Resurr. carnis pro tantis vilitatibus vnum solum opponit, quo solo percipi possit vita, etiam à vilissimo, nimirum, quòd habet oculos, qui Deum videant. Ait enim: *Absit, vt Deus manuum suarum operam in æternum destituat interitum. Tenes scripturas, quibus caro infuscatur? Tene etiam quibus illustratur. Omnis caro fœnum: non hoc solum pronunciauit Esaias, sed &, Omnis caro videbit salutare Dei.* Esto sit caro puluis, & cinis, sit fœculenta massa, sit officina peccati, sit fœnum vile, cur hæc officiant vitæ æternæ percipiendæ, quando & cum illis omnibus caro oculos habet, quibus videre potest Dei salutare? Hinc percipies doctrinam D. Irenæi lib. 5. aduersùs hæreses, vbi componit cæci nati illuminationem per lutum, cum plasmatione, & viuificatione primi hominis. Ideo enim putat hunc cœcum non sermone, sed luto facto curatum fuisse a Domino, vt daretur exemplum, & perfecta similitudo creationis Adami, & reparationis generis humani. Sed quanta hæc similitudo inuenitur? In formatione Adami lutum assumitur, ex luto corpus struitur, cui immediatè spiraculum vitæ communicatur, quo ebibit homo vitam immortalem: in cæci nati illuminatione nihil de vita agitur; nullum ibi vitæ spiramen dicitur homo accepisse, solum oculum accipit per litionem luti. Non ibi spiraculo vitæ afflatur homo, quin potiùs sub luto sepeliantur palpebræ, vt oculi aperiantur; quid hoc cum vita immortali? Equidem vbi oculi dantur, qui possunt videre filium Dei, ibi & vita datur immortalis; lutum enim, quod in oculos videntes filium Dei efformatur, eo ipso vitam sibi trahit æternam, licèt minimè dicatur spiraculo vitæ afflari. Ad hæc D. Irenæus suprà: *Et propter hoc his tatus dotus venit videns, vt fuo cognosceret plasmatorem, & disceret homo eum, qui donauit ei vitam.* Dixisset, *qui donauit ei oculos*, nisi in oculis videntibus filium Dei clariùs effulgeret acceptio vitæ immortalis. Planè dum ei donauit oculos, donauit & vitam, quæ profectò æternatur in eo, qui videt Deum. Ideo Baruch cap. 3. in eo ponit ingentes felicitates à Deo in homines profectas; quippè ait: *Post hæc in terra visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Hæc dixit, & tacuit, quasi in eo, quòd visus fit ab hominibus Deus in terria, dicatur eorum vita, & perennitas. Quod notans D. Irenæus lib 4. cap. 7. ait. *Visibilem rursus hominibus ostendens Deum, ne in totum deficiens homo cessaret esse: gloria enim Dei viuens homo, vita autem hominis visio Dei. Si enim, quæ est per conditionem ostensio Dei, vitam præstat hominibus in terra viuentibus, multo magis ea, quæ est per verbum manifestatio patris, vitam præstat his, qui vident Deum.* Manifestatur Deus in rebus à se conditis, adeò, vt per res conditas apparens vitam tribuat hominibus; verùm postquam Verbum caro factum est, & vidimus gloriam eius gloriam quasi vnigeniti à Patre, longè copiosiorem, & abundantiorem vitæ fontem habemus, in visione Dei. Tota felicitas Zachæi inde incepit apud Lucam cap. 19. quòd vidit Iesum, cùm enim auidissimus esset Iesum videndi, & præ multitudine turbarum non posset, inuenit arborem; *& præcurrens ascendit in arborem Sycomorum, vt videret eum.* De quo eleganter D. Laurentius Nouarien. hom. 1. de Pœnit. ait. *Ascendit festinus, & vidit. Quid vidit? Saluatorem sæculi. Benè festinauit, optimè ascendit, qui dum auidus cupit videre saluatorem, salutem ipsam inuenit.* Habent hoc oculi videntes Deum, quod statim vitam sugant, & salutem.

Tertull.

D. Iren.

Idem.

Laur.

§. XV.

Ipsæ res inanimatæ, quæ Iesum respiciunt, halant vitam.

EXpendenda adhuc est illa vox *omnis*; nullus enim excipitur, siue homo sit, siue pecus, siue locus ipse, aut lignum, dum ad Iesum respiciat, vitam halat, & salutem citissimam. Cùm Dominus Iesus perambulasset Hierico, sic erat multitudine turbarum vndequaque septus, vt nullo modo cerni posset à pusillis. Iuxta viam erigebatur Sycomorum arbor, è cuius cacumine, haud dubium quin respiceretur Iesus. Arborem notat pusillus homo Zachæus, & videndi cupidus, eius ascendit cacumen. Quid plura? Vix ascendit arborem, ex qua Iesus videbatur, & ecce tibi cœlestes thesauri eius in donum effunduntur. Quis tam subitò fecit Zachæum felicem? Sanè hæc non parua causa tantorum bonorum extitit, nimirum arbor, cuius cacumen respiciebat Iesum transeuntem. Ad hæc D. Laurentius Nouar. hom. 1. de Pœnit. inquit. *Arbor optabilis salubri medicamine plena, quæ in solo aspectu subuenit peccatori, & sanctificauit prophanum. Non talis sancta est arbor illa, quàm illa, de qua dictum est, Qua die manducaueritis ex ea, morte moriemini.* Arbori tribuit sanctus vir, quos fructus percepit Zachæus ex Iesu; & quidem arbor, ex qua respicitur Iesus, meritò habetur salubri medicamine plena; meritò putatur halare vitam. Hinc prodibat desiderium illud Iacob, quo adiurauit filios, vt sepeliretur in terra Chanaam, sic Genes. 47. *Non sepelias me in Ægypto, sed dormiam cum patribus meis,* &c. Præuidebat sanctissimus vir, vt autor est Augustin. Lyra. Abulens. terram illam fruituram esse conspectu Saluatoris; ea quo adeò vitalem terram illam putabant, vt ex illa se citiùs crederent posse prosilire in immortalem vitam. Quis hoc non speraret à terra filij Dei conspectu ditata? Sanè Ægyptus singulis annis submergitur aquis Nili, sub illisque sepulta iacet vsque in mensem Decembris; adueniente autem Decembre, & Ianuario, incipit aquas abiicere, nouúmque virorem, nouámque vitam induere. Quòd si scire cupias, vnde habuerit Ægyptus per hos menses aquarum sepulchrum, & abiicere, & se omnium terrarum vitalissimam ostendere, non nemo putabit id venire ex eo, quòd per illos menses viderit primò in se ingredientem Iesum, dum gladium Herodis fugeret. Sic D. Anastas. Sinaita lib. 3. Exaëmer. inquiens: *Quando Deus Christus lux mundi natus est, & ex præsepi Bethleem in Ægyptum cum sua matre fugiente ab Herode versatus est; statim terra Ægypti detegitur, deponit tenebras, Solis iustitiæ lumen induit, & in Christum oculos fixit,* &c. Cur non halaret vitam terra, quæ oculos potuit in Christum figere? Nulla enim in re, vel vmbram Christi inuenies, quæ salutem, & vitam non valet. De Iob cap. 2. dicitur: *Qui testa saniem radebat sedens in sterquilinio.* Ab omnibus destitutus vnam testam inuenit, quæ illi præbebat aliquale solatium, dum abstergebat saniem. Sed cur testa sola Iobo salutaris extitit? Præclarè Polychron. in Cat. Græca Christo refert id in testa adumbrato. Ait enim. *Quòd cognata naturæ recognata præstat obsequium, Christum præsignificat, nostra nostris instaurantem. Ergo imagine illa, ei typo non tam vlcus, quàm animus curatur. Quæ enim ab ea testa corpori medicina petatur, nisi ad magis reconditam Christi contemplationem factum illud referatur?* Et meritò eò solùm putat testam fuisse salutarem, qui Christi vmbram portabat.

Idem.

Genes. 47.

Anastas.

Iob 2.

Polych.

Text. Murmurabant ergo Iudæi de illo, quia dixisset: Ego sum panis, qui de cœlo descendi, & dicebant: Nónne hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem, & matrem: Quomodo ergo dicit hic: Quia de cœlo descendi.

§. XVI.

Rari sunt, qui non patrissent in vitijs.

CVr non murmurent contra Deum Iudæi, quorum parentes crebrissimi fuerunt murmuratores? De illorum

Psal. 105. murmure habes multa Exod.16. & 17. & Psalm.105. vbi ait. *Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem. Non crediderunt verbo eius, & murmurauerunt in tabernaculis suis.* Simul cum vita veniebat in Iudæorum filios murmuratio contra Deũ: solent enim filij nullius rei certiorem, quàm vitiorum hæreditatem parentibus referre acceptam. Quapropter dicebat Diuus Cyrill. Alexand. lib.4. in Ioan. cap.3. Cyrill. Alex. *Quasi paternam hæreditatem murmurationem de rebus bonis ad Iudæos descendisse comperio. Murmurabant illi aduersùs Deum ex ingratitudine in deserto; murmurant, & isti de Christo, & saluatorem suum inobedientia sua vituperant.* Quasi paternam hæreditatem venisse putat Cyrill. parentum vitia in filios; ego maiori certitudine vitia parentum delabi ad filios, quàm paternam hæreditatem dixerim. Multi enim sunt filij, qui paternam hæreditatẽ contemnant,& declinent vel propter debitorum onera,vel propter alia multa: qui autẽ paterna vitia prorsus à se depellat,vix inuenitur vnus.Vincula sunt, & catenæ parẽtũ vitia, quæ ægrè,& difficulter euadit filius. *Ierem.* 11. Apud Ierem. c.11. ait Dominus: *Inuenta est coniuratio in viris Iuda, & in habitatoribus Hierusalem. Reuersi sunt ad iniquitates patrum,*&c. Quæ verba sic in rem præsentem legit Theodoretus: *Inuenta est colligatio in viris Iuda, & in viris habitantibus Hierusalem, conuersi sunt ad iniquitatem patrum suorum.* Expende quid fuerit inuentum in viris, quo reuersi sunt ad peccata patrum, nimirum, *inuenta est colligatio*; est equidem peccatum paternum ligamen quoddam, est laqueus, quo penè necessum est filium implicari. Theod. Ad hæc Theodor. *Colligati sunt, & implicati cum patribus, & in itinere eorum incedunt.* Quò se extendit nexus sanguinis, eò se extendunt paternorum vitiorum laquei: qui simul cum generis propagatione inueniuntur prolapsi. Congregati Israëlitæ omnes petierunt à Samuele, sibi Regem dari; Samuel autem, etsi tali petitione irritatus, rem Deo refert; cui Deus ait 1. *Reg.* 8. 1. Reg. cap.8. *Non te abiecerunt, sed me ne regnem super eos: iuxta omnia opera sua, quæ fecerunt à die, qua eduxi eos de Ægypto vsque in diem hanc.* Expende illud, *iuxta omnia opera sua*, &c. quasi nullum opus malum fuerit in populo, ex quo egressus fuit de Ægypto, quod non inueniretur in singulis illorum generationibus per tot annos protractis. Equidem multi transierant anni, innumeræ penè generationes transierant; nec in deserto inuenti fuerunt atani eorum, qui existebant tempore Samuelis, & tot generationum transitus nec vnum solum paternum vitium prætervire facit: sed post illos omnes adbuc miseri operantur iuxta omnia, quæ fecerunt parentes priores.

§. XVII.

Minimè quis censendus est ex bonis externis, sed ex intimis virtutum operibus.

VAnissimi rerum æstimatores, facile decipiunt illum, cuius humiles parentes cognoscunt; vbi enim bonorum externorum claritatem non vident, nihil dignum æstimatione norunt.Hac lue infecti Iudæi, quia Iosephum, & Mariam pauperes Christi parentes reputant, irrident è cœlo dilapsum hominem. Proh amentes, & insani æstimatores! *Iacob* 2. Hos pungebat D.Iacobus in sua canonica cap.2. aiens. *Si introierit in conuentum vestrum vir aureum anulum habens in veste candida, introierit autem, & pauper in sordido habitu, & intendatis in eum, qui indutus est veste præclara, & dixeritis ei: Tu sede hîc benè; pauperi autem dicatis: Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum, nònne iudicatis apud vos metipsos, & facti estis iudices cogitationum iniquarum?* Meritò iniqua, imò insana censetur cogitatio, quæ externis bonis ducitur, vt de hominibus æstimationem faciat; non anulus aureus, non vestis pretiosa, non generis claritudo consulenda sunt circa æstimationem hominis, sed facinorum opera præclarorum spectanda, quæ verum hominis valorem euidentissimè propalant. Hæc nunquam non exhibent hominem ornatum, illa sæpe abeuntia, & nudum ostendunt, & miserabilem. Ad hæc dicebat D. Cyrillus Alexand.lib.4. in Ioann. cap.4. *A rebus etiam ipsis cognoscere possumus, quàm amentes, & insani sunt, qui exteriori habitu, non in intrinsecis bonis hominem admirantur. Diuitiarum enim omnis splendor aduentitiam, atque caducam hominibus gloriam affert. Virtutis autem,& interioris hominis fulgor proprias, atque naturales adducit diuitias, quæ non simul cum ista carne cadere solent, sed animo insunt, & cum ipso euolant, quo creator omnium constituit. Non ergo diuitijs claros, nec terrestri gloria, quasi flosculos rutilantes, sed eos, quos splendore operum ad inextinguibilem gloriam currere cognoscimus, in quibus interior pulchritudo omni virtutis numero lucet, honorare debemus.* Et sapienter, & pulchrè hoc dictum est à Cyrillo: quippè externi splendores fallacissimi testes sunt valoris humani; & qui illis ducitur, ferè semper miserabiliter fallitur. Audistis sæpe, quòd Israëlitæ nationum regium splendorem ambientes fastidire cœperunt humile regimen Samuelis, quo ipsi fruebantur. Videbant regem nationum incredibili gloria clarum in medio populi procedentem, maiestate præcelsum, fulgentibus ministris coronatum: simul & videbant suum Samuelem, hominem humilem, nullo satellitio, nulla externa gloria insignem. Quid tunc? Samuelem fastidiunt, regalem maiestatem ambiunt, lectissimum, & super omnes eminentissimum virum Saulem, sibi in Regem asciscunt. Miseri, & errones electores, dum externis bonis credunt, eligunt, qui se, & populum perdat: & despiciunt, sub quo mille triumphis degebant, & illustres,& securi.Rem præclarè attigit D.Gregor. lib.4. in 1.Reg. c.2. Gregor. inquiens:*Saul ad pugnanda bella Regem postulantium fortis, & potens eligitur: ita vt, sacra hac historia teste, ab humero, & sursum populo vniuerso emineret: à Deo igitur ad regni gubernacula electus, cùm bonus existeret, & de filijs Israël aliquis melior illo non esset, tamen cùm tantus, ac talis vir carnali fortitudini relinquitur, bella perdidit, quæ pugnaturus acceperat, & vitam pariter amisit. Samuel autem, qui sæculi potentia sublimis non extitit, qui humiliter, non solùm Deo, sed & hominibus ministrauit: de exterioribus quoque bellis trophæa potenter exhibuit.* Hoc inueniunt,qui externis credunt bonis; quisquis enim totus relinquitur sæcularibus bonis, fieri nequit, quòd multam non afferant ruinam. Melior conditio illius, qui sola virtutis opera intuetur, qui intimos animi splendores rimatur; ab his non fallitur, sed veram coronam adipiscitur. Huc spectabat Psalm.44. *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus, in fimbrijs aureis.* *Psalm.* 44. quasi ostendatur vnde æstimanda sit hominum regalium gloria; non quidem ab aureis peplis extrinsecus refulgentibus, non ab externis bonis; sed ab auro intrinsecus fulgente in virtutibus animi. Id quod patentissimum erit, dum audiamus Platonem 3. de Repub. Plato. sic differentem. *Deus in formando vobis, qui ad imperium idonei estis, aurum in generatione immiscuit. Eis verò, qui ad auxilii ferendum præstant, argentũ. Agricolis autem,& reliquis opificibus æs,& ferrũ. Proinde,vt qui cognati estis, plerumque similes vobis generatis. Quandoquidem tamen ex aurea sobole, generari poterit argentea,& ex argentea aurea: & reliquæ omnes eodem modo aliæ ex alijs vicissim. Principibus autem,& primum, & maximè præcipit Deus, vt nullius rei ita boni custodes sint, neque quicquam ita obseruent, quàm quid in animis filiorum suorum, ex illis admixtum sit. Et si filius eorum subæratus, aut subferratus sit, nullo modo miserabuntur, sed conuenientem naturæ honorem tribuentes, ad agricolas, & opifices ipsum detrudent.* Papæ, si Principum gloria non ab externis, sed ab intimo auro animis admixto censenda est, quot hodie ab aulis in opificum causas relegandi essent, qui fulgentes aureis parentum bonis extrinsecus, intrinsecus ferream, & ære alieno pressam habent animam? Equidem ab aureis parentibus nascuntur sæpe subferratæ proles: & sæpissimè videre liceat auream prolem in sinu ferruginosæ parentis. Quapropter abigendi à Republica sunt erronei æstimatores rerum, qui nihil sciunt æstimare intrinsecum; sed summam fidem habent vni parentum prosapiæ. Apud Lucam cap.10. dum mira *Luc.* 10. faceret Iesus, Iudæi mirabundi dicebant: *Vnde huic hæc omnia,& quæ est sapientia, quæ data est illi? Et virtutes tales, quæ per manus eius efficiuntur? Nónne iste est fabri filius, & Mariæ?* Quorum insaniam notat Chrysolog. serm.49. his Chrysol. verbis: *Non patiuntur Christum virtutibus, & sapientia Deum credi: sed proximorum, parentum, fratrum, affinium documento hominem tantum asserunt.* Sic credunt natalibus hominis, vt nihil vltra illos velint cogitare, & si intrinsecum regalissimæ diuinitatis aurum per virtutum opera euidentissimè irradiet, manifestetur. Cur vanè parentum ferrum spectas, habens in prole, quæ videas aurea intimarum virtutum decora? Hæc proculdubio hominem regalibus, imò diuinis genealogiis reddunt: sicut ferrei mores, & abiecti etiam regalissimas proles ad opificum detrudunt genealogias.

§. XVIII.

Quo quis apud homines notior, eo magis apud illos solet vilescere.

EXpendenda est ratio ob quam despiciant Iudæi Iesum, aiunt enim: *Nónne hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos nouimus*

nouimus patrem, & matrem? Et quia apud vos notus ex patre, & matre, ideo respuendus? Hæc est stultorum hominum conditio, quæ notos despiciat, & illos magis spectet, quos nunquam nouit. Hanc maculam Romanis inurebat
D. Ennod. Diuus Ennodius in Natal. D. Laurent. Episcop. Mediolanensis, inquiens. *Momento plerumque incerti fauoris aura popularis impellitur, & nescia examinis turba Quiritium dum studijs rapitur, amat incognitas.* Et quando non plus valent apud stultos homines incogniti, quàm noti? Plures sunt, qui cognitos despiciant, & paruj pendant; incognitos æstiment, & promoueant, adeò, vt qui prudens est, hoc in primis debeat curare, ne sui copiam faciat, ne se nimis familiarem præbeat; vilescit profectò, si cognitus habeatur. Sapiens mulier, quæ fluxu sanguinis laborabat, præripere dum nititur sanitatem ex Iesu Matth. 9. *accessit retrò.* Si donum sanitatis accipere cupis, cur non magis ante oculos te constituis Saluatoris? Cur non magis amas videri, & agnosci? Cùm Iesum hominem videbat, cauebat hominum conditionem, ideo non cognosci, sed nesciri voluit,
Chrysol. vt securiùs expectaret sanitatis donum. Ad hæc Chrysol. serm. 34. *Nesciri se ab eo voluit, à quo se crediderit posse saluari.* Et quidem ea est hominum conditio, vt magis nesciri debeat curare, qui ab illis aliquid obtinere nauat: omnia perdet, si habeatur notus.

Text. Dixit eis Iesus: Nolite murmurare inuicem: nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Scriptum est in Prophetis, erunt docibiles Dei, &c.

§. XIX.

Nulla mortis vilitas non obtegitur, vbi Iesus est, qui resuscitat.

IAm tertiò audiuntur hæc verba, nimirum, *& ego resuscitabo eum in nouissimo die*, nec vnquam ante hæc præcessit mortis memoria. Solùm dicuntur iusti à Iesu præcipuè resuscitandi, & non dicuntur morituri. cur antea non proponitur mors, non exponuntur sepulturæ sordes, & caligo. verbi gratia, si dixerit, *& si mortuus fuerit, ego resuscitabo eum*; sed nulla mortis facta mentione, solùm proponitur resurrectio; vbi Iesus est, qui resuscitat, sic mors obtegitur,
Dan. 12. vt nihil appareat non vitalissimum. Apud Daniel. 12. *Et docti in populo docebunt plurimos, & ruent gladio, & in flamma.* Ecce vobis totam felicitatem eorum, qui docibiles Dei sunt, nimirum ht ruent in gladio, & in flamma; qualis est hæc sapientium felicitas, quòd ruant in gladio? An felix est, qui gladio percutitur? Felix est vas, quod percutitur, & confringitur ab artifice, vt gloriosiùs, & elaboratiùs rutilet. Sic ex Hebræa legit noster Sanchez, inquiens: *Et de eruditis ruent, vt conflentur, & eligantur, & dealbentur.* Vidisti sæpe ferruginosum vas confringi, & confractum in ardentissimam fornacem detrudi; nec doles vasis ruinam, quia sic vides tractari vas ab artifice, cuius labore in nouum splendorem vas surget, quo nec pristinæ deformitatis, nec ferruginis appareat vestigium. Sic cùm Christi sapientes cadunt, in pulueremque sparguntur, non ruina est, sed ars Iesu, qui illos sic frangit, vt conflentur, & eligantur, & dealbentur, vt nihil non appareat in eis non splendidum, & præstantissimum. Vasis ruinas gloriis implet artificis manus, & vitæ humanæ ruinas non illustrabit manus omnipotentis Christi? Rem pulchro exemplo expen-
Tertull. dit Tertull. lib. de resurrect. carnis, inquiens: *Phidiæ manus Iouem Olympium ex ebore molitur, & adoratur, nec iam bestia, & quidem insulsissimæ dens est, sed summum sæculi numen, non quia elephantus, sed quia Phidias tantus: Deus viuus, Deus verus quamcunque materiæ vilitatem, non de sua operatione purgasset, & ab omni infirmitate sanasset?* Quid pulchrius? Elephantus trahitur ad mortem, humi iacet bellua iam putrida, accidit nobilis artifex Phidias, belluæ ossa, & dentes assumit, ex quibus Iouis Idolum sic elaborat, vt propositum nationibus credatur sæculi numen viuidissimum, eique victimas litent. Quid facitis gentes? Quod in ara rutilat, cadauer est insulsissimæ belluæ, spolium mortis est, os rude, vel dens elephanti iacuit. Equidem cadauer erat, os rude, & vilis dens post venatoris manus, at postquam manus accessit Phidiæ, iam non dens, sed Deus; sic cadauer, sic os dissimulatur sub artis gloria, vt à nationibus habeatur numen. Felix cadauer, quod inuenit manus tanti artificis: felicior tu homo fidelis es, liceat humi iacere, liceat putrescere humi, iam non corpus, sed cadauer; iam non caro, sed os, tunc accedet manus Christi, de cuius operatione quæcumque materiæ vilitas, sic purgabitur, sic illustrabitur, vt sydera ipsa claritate superes. Vtinam ad has Christi manus omnes traheremur; trahuntur à Patre omnes credentes iusti, & dantur in manus tanti artificis, de quarum operatione arida ossa vilitatem exuunt, & induunt sortem diuinam. Totum hoc video decantatum
Psalm. 2. vbi sic pater ad filium: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos. Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram. Apprehendite disciplinam.* Iubentur homines Principes discipuli fieri tanti Regis, tanti Domini, ad quem trahendi sunt à patre; ipse autem recturus est eos in virga ferrea, & sic fracturus est eos, ac si essent vasa testacea. Deus bone, quis huius disciplinam capiet? Quis potiùs manus Christi non fugiat, à quibus confringendus est, vt vas testaceum? Confringendus est quidem, qui in manus veniret Iesus, sed felix, qui etiam, vt confringatur, patitur illas manus, à quibus exuta vilitate, & infirmitate, gloriosa prodibit indutus claritate. Ad hæc monebat D. Irenæus lib. 4. fatus: *Si* D Iren.
ergo opera Dei es, manus artificis tui expecta; præsta ei autem cor tuum molle, & tractabile, & custodi figuram, qua te figurauit artifex, custodiens in temetipsa humorem, ne induratus amittas vestigia digitorum eius. Ab artificio enim Dei absconditur, quod est in te lutum, fabricabit substantiam in te, manus eius liniet te ab intus, & à foris auro puro, & argento, & ita tantum ornabit te, vt & ipse Rex concupiscat speciem tuam. Et quidem meritò dicit, quòd ab artificio Dei absconditur, quòd in nobis est lutum; quæcumque etiam mortis, & infirmitatis vilitas disparet, vbi tradimur in manus Christi, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ; vt qui antea putredo eras, iam rutilet inter sydera.

Text. Amen, amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam. Ego sum panis vitæ.

§. XX.

Vbi Deus cœlestem hunc panem nobis donauit, quasi tenetur iam mortis damnationem delere.

CVt vitam non æternabit ille, cui Deus panis est, & cibus? Ex quo Deus se nobis in cibum dedit, ex quo cœlestem panem nobis, vt cibum in hac vita, & viaticum ad futuram prouidit, validissimum argumentum habemus pro mortis sententia abolenda, pro æternanda vita. Reuoco tu memoriam filiorum Iacob tristissimam historiam, quando descenderunt in Ægyptum emere triticum: bis equidem descendunt in Ægyptum. semel cum Benjamino, & semel sine illo, & semper ab Ægyptiorum Prorege liberaliter excipiuntur; illis triticum exhibet, & pecunias cum tritico restituit. Tandem, & boni Principis conuiuio saturi, plenis frumento saccis in domum suam reuertuntur lætissimi. Adhuc erant in via; & ecce vobis lætitia vertitur in luctum: accedunt enim Proregis ministri, & saccos frumentarios scrutantur, & in Benjamini sacco absconditus inuenitur aureus scyphus. Adstupent fratres, puer totus pauidus comprehenditur, ad Proregem deducitur furti reus. Prorex iratus iubet iuuenem ligari, in carcerem detrudi, ibique sententiam mortis expectare Quantus tunc pueri luctus? Quantus fratrum clamor? Quis illorum non vellet mori, vt puer viueret, ne eius mors patrem senem crudeliter ferret? Dant sese fratres obsides pro iuuene, lamenta multiplicant, rationes congerunt, quibus molliant iudicem. Prorex autem seuerissimus astat, damnationem oneri confirmat. Tunc Iudas accedit fratrem à morte liberaturus; sed qua id ratione perficiet? Accipite illam, & pulcherrimam, & fortissimam ex Iosepho lib. 2. Antiq. cap. 3. vbi hæc ad Proregem pro fratris vita verba facit Iudas: *Ne committas, vt illud beneficium tibi pereat, dum fame ereptis, & frumento liberaliter adiutis etiam ad domum alimenta perferendi potestatem fecisti. Eiusdem enim bonitatis est, seruare fame debita periclitantes, & mortem meritis culpam condonare. Seruabis eum, quos pauisti, & vitam, quam præ fame deficere*

non

non es passus, denuo donabis, quo commendabilior sit tua clementia, dum & vitam donas, & per quae vita retinetur. Quæ verba pulchriora excogitari possent in rem nostram? Quos Prorex frumento, & cibariis à mortis gurgite reuocabat, sineret in mortem licèt alioquin meritam ire? Cur abundantissimam præberet alimoniam, quam vel in domum referrent suam, ne fame perirent, quos ferro vellet statim perire? Sanè ex quo ciborum impensis reuocauit eos a morte, quasi tenebatur eosdem, & damnationi eripere, ne primum, & tantum perderetur beneficium, sed in affectum, cum ingenti gloria donantis exurgeret. Quid plura? Simile argumentum fideles contorquemus in mortis damnationem, ex quo lautissimam Christi mensam accipimus. Nunquam enim committet Deus tantum beneficium sibi perire, dum fame ereptis, & frumento stabilitis diuino, etiam ad patriam domum alimenta perferendi potestatem fecit: dum se viaticum proposuit, & panem vitæ. Quos non est passus fame tanti epuli perire; pastos illo, & saturos in macellum abire permittet? Seruabit procul dubio, quos pauit, & morti æternæ eripiet illos, quibus horrea tanti alimenti in tot annos prouidit. Nec vellet Deus optimus maximus audire, quod ille auarus diues, nimirum. *Et quæ parasti, cuius erunt?* imò fideles suos in æternum seruabit, siquidem illis alimenta prouidit æternæ vitæ. Aiebat

Luc.12. auarissimus ille Luc.12. *Destruam horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima mea habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem parasti, cuius erunt?* Et meritò stultitiæ accusatur, qui totus dum esset in congerendis, & parandis epulis in annos plurimos, nihil prouidit circa vitam habendam, mortemque fugandam. Quippè ad sapientiam pertinet, non parare epulas in plures annos, quàm sunt anni vitæ: imò ex quo Deus vitæ æternæ mensam parauit, iuxta sapientiæ suæ regulas, te-

Prouer.9. netur, simul damnationem mortis abrogare. Prouerb.9. *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem. Immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam. Misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis.* Non vocat ad arenam, in quo sunt pericula, in qua pennatæ volant mortes, sed vocat ad arcem, in qua est protectio, & ærei muri, qui rideant inimicorum iacula. Cur ergo non magis vocat ad arenam, quàm ad arcem? Equidem parauerat mensam, cibaria prouiderat in abundantia, ex quo magis tenebatur prouidere comedentium saluti, & vitæ; ne cùm manducantium vita deesset, stultus videretur tantæ mensæ parandæ labor. Quis iam metuat sibi mortem, dum cœlestem cibum à Domino accipit præparatum. Aiebat

Rom.8. Paul. ad Rom.8. *Qui etiam proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Ex his August. serm.4. in natalib. Mart. contemptum mortis vult persuadere Christianis ex dono accepto à Patre, aiens. *Terret te fremitus mundi, cui donatus est artifex mundi: Christum nobis donatum esse gaudeamus, & nullos inimicos in hoc sæcula timeamus.* Nosce homo diuinum donum, nosce mensam paratam, nosce deificæ carnis ferculum tibi donatum, & disce mortem non timere; cur debitum timeas mortis, cùm tibi donatum accipias vitæ authorem? Rugiat diabolus, & circum quærat, quem deuoret; non timet iam Christianus ab hostibus circundari, quando pro se habet cibaria in plurimos, imò in æternos annos præparata.

§. XXI.

Se inter peccatores humiliter annumeret, quisquis cœlesti cibo velit saginari.

PAnis est Deus, ac proinde certum, quòd gaudeat consortio palearum, sustentatur enim triticum paleis, & necessariò gratis aspiciet oculis illas, quarum gratia coaluit. Qui times homo, & sic tuam exaltas puritatem, vt nec minimam in te, imò nec iuxta te paleam videre audeas? Faustus abiice, & te paleis fœdatum confitere, inter paleas annumera, & securiùs assides cœlesti pani.

August. Sic consulebat D. August. serm.221. de temp. *Nemo quærat expellere totam paleam, nisi tempore ventilationis. nemo ante tempus deserat aream, ne fortè, dum non vult peccatores sustinere, præter aream inuentus prius ab auibus colligatur, quàm ingrediatur in horreum.* Sunt qui se iustos prædicant, & adeò de puritate gloriantur, vt nec in se, nec iuxta se sustineant videre paleam peccati. Hi dum in hoc areæ tempore volunt prætendere horreorum puritatem, a malignis auibus deuorantur. Securior agit, qui noscens areæ tempus, sese inter peccatores annumerat, nullasque paleas a se alienas putat, sed quasi paleam in manipulum se sistit diuino pani. O quam hic degit securus ab auium morsibus! O quam cœlesti pani gratus accidit, qui vt panis factus est, non potest ingratis oculis aspicere paleas. Paulus ad Phil. penl. cap.3. Philip.3.
extollens Christum Dominum supra legem, ait: *Omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam.* Apud D. Thom. aliter: *Omnia pro damno duxi, habeo, vt pro reiectamenta, vt Christum lucrifaciam.* Vbi noster posuit *stercora*; & D. Thom legit *reiectamenta*, Græcus posuit σκύβαλα, quod est frumenti reiectamentum, nimirum palea. Et mirum est, quòd Paulus sic vilipendat legem coram Christo, vt illam paleam vocet; nónne lex Christum in se præhabebat? Nónne Christum halabat? Nónne Christo tota seruiebat? Cur ergo Paulus sic illam despicit, sic illam exinaniuit, vt vocet reiectamenta, vt vocet paleam? Imò nullo magis commendat Christo cœlesti frumento legem, quam dum illam paleam vocat; semper enim pacis acceptum refert paleis, quòd ipse sit. Ad hæc pulchrè D. Chry- Chrysost.
sost. hom.11. inquit. *Si vero reiectamenti nomine legem intelligat, nec sic probri quicquam fuerit. Nam reiectamentum à frumento est, & quod frumenti nascentis robur est, illud est σκύβαλον, paleam dico. Nam nisi fuisses palea, frumentum vtique natum non esset. Vides quomodo vndique Christo inhæreat, ne sinat vllo pacto probrosè denudari legem, sed vndique eam muniat?* Equidem nunquam lex gloriosior Christo Domino sistitur, quam vbi instar palearum fasciculi illi sistitur: pergratis enim oculis triticum paleas respicit, à quibus habet, quod viuat. Et sanè hoc etiam debemus peccatorum paleis, quod propter illas Iesus panis fiat vitæ; nunquam ergo minus ingratus Deo cœlesti pani assides, quam dum humilis inter peccatores te annumeras, paleasque peccatorum tuorum præ oculis feras. Pharisæi Matth 9. sic obiiciebant Christi Matth.9.
discipulis: *Quare magister vester cum publicanis, & peccatoribus manducat?* Quasi superbissimi homines iusti, & puri essent, si peccatoribus annumerari detrectant, & inter illos assidere conuiuiis, quo se miseri à conuiuio Christi prorsus excludunt. Ad hos D. Chrysol. serm.30. inquit. Chrysol.
Pharisæe confitere peccatum, vt Christo venire possis ad mensam: vt sit tibi panis Christus, & panis ipse frangatur in tuorum veniam peccatorum: vt fiat tibi Christus poculum, qui in tuorum delictorum remissionem fundatur. Pharisæe prande cum peccatoribus, vt possis prandere cum Christo: agnosce te peccatorem, vt tecum prandeat Christus: intra cum peccatoribus conuiuium Domini tui, vt possis non esse peccator. Quo quis humilior accesserit sub cognitione suorum peccatorum, eo aptior, & gratior erit pani viuifico, vt qui peccatorum paleis acceptum refert, quòd panis factus sit.

Text. Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de cœlo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur.

§. XXII.

Ex quo parauit Dominus nobis mensam in deserto huius vitæ, tenetur & in patria facere similiter.

MAnna in deserto datum, quos ibi inuenit Israelitas, ibi reliquit sepultos: panis autem viuus Iesus, qui à cœlo descendit, vt in huius vitæ deserto homines pasceret, quos hic inuenit homines, se illis communicando, non reliquit illos in hoc exilio sepultos, sed in patriam cœlestem ducit similiter ibi satiandos. Vnde manna reliquit sepultos in deserto, & panis viuus non reliquit sepultos in hoc exilio, sed magis excitat ad æternam societatem. Quia manna simul cum pereuntibus periit: panis autem viuus manet gloriosus, & venerabilis in patria, nec potest non pari modo se gerere in patria cum his, cum quibus in exilio arctè, & indissolubiliter communicauit. Pulchrè Alge- Alger.
rus lib.1. de Sacramento cap.3. ait. *Non enim esset misericordia Dei, & iustitia condignum, si eos repelleret à regni sui consortio, quibus tam familiariter vniri dignatur in exilio mundi.* Qui exul, dum cum exulibus aliis viuit, familiariter cum illis agit, intimam, & æqualem cum illis init amicitiam; eandem postea tenetur seruare, dum fuerit constitutus in libertate.

libertate, ſi velit veram animi profiteri ingenuitatem. Quale enim erit, quod in felici ſtatu conſtitutus faſtidias, & deſpicias illum ipſum hominem, cui te dum in inferiori eras, intimè communicaueras; & arctiſſimo vnanimitatis vinculo te vnieras? Hoc temporaliſſimus aliquis homo poteſt facere: verùm qui ingenuus eſt homo, quibus ſe in exilio dedit intimum amicum, & familiarem, eundem ſe debet in patria libertate præſtare. Deſcendit equidem diuiniſſimus panis de cœlo ad hanc lacrymarum vallem, & ita ſe in hoc exilio deiecit, vt ſe dederit exulibus in pabulum, in ſignum perfectiſſimæ cum illis vnanimitatis. Quid tunc? Dum in ſua regna redierit, relinquet vnanimes ſuos in exilio ſepultos? Abſit: illos ſecum adducet, & parili amicitia deuinciet, paribus epulis, & conuiuiis ſatiabit. Apud Luc. c. 12. vigilantes ſeruos, & amicos venit Dominus reducere in patriã: & poſt reductos in patriam, oſtendens, quibus illos honoribus proſequatur, ait: *Amen, amen dico vobis, quia præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.* Non miror, quòd Dominus ſeruos ſuos vigilantes in gloria cœleſti diſcumbere faciat: nec etiam miror, qui ibi miniſtret illis æternitatem halantia pabula. Id ſolum mirandum mihi venit, quòd miniſtraturus in gloria adhuc dicatur præcingi; quippe hic habitus eſt mundialium ſeruorum: cur ergo Domine adhuc in gloria ſeruas eundem habitum ſeruitutis mundialis cum tuis? Sanè in hoc exilio, dum exul ageret, ſic ſe deiecerat ad ſuos trahendos, vt non ſolùm conuiuia illis diuina pararet, ſed & in modum ſerui linteo ſe præcinxit, vt eorum pedes lauaret: ne ergo videretur hæc miniſtratio ex occaſione veniſſe, ſed ex animi ingenuitate, non debuit in patria, dum opulentus eſſet, & glorioſus, illam præterire, ſed prorſus eamdem præſtare. Ingenioſè, vt aſſoler, Chryſol. ſer. 24. fatur. *Diſcumbenti homini Deus aſtat, & aſtat in cœleſtibus: epulanti ſeruo ſeruit Dominus, & ſeruit accinctus: pueris ſuis miniſterium facit Chriſtus, & facit in patris iam gloria conſtitutus. Qui tibi in terra lauando pedes extremum repræſentauit obſequium, & repromittit in cœleſtibus nouiſſimam ſeruitutem.* Non ad temporum occaſiones viuit nobiliſſimus Ieſus, inſtar viliſſimorum hominum mundialium: nec eius diuiniſſimi mores honoribus, aut euentibus mutantur: quos exul in exilio amauit, eoſdem amat, & ſibi aſſidere facit in regno patrio: quam exhibuit in deſerto humanitatem, eandem exhibet in medio Angelicarum poteſtatum, & in frequentiſſimo Seraphinorum ſenatu. Sanè ex quo exul à patria ſeſe creaturis ſuis cœleſti conuiuio inſinuauit, nullum iam habebit ſtatum, in quo non ſe oſtendat ſimili humanitate. Iam à mundo exceſſerat, iam pergebat ad patrem, & dum adhuc ignotus voluit agere cum ſuis, ad conuiuium venit, & ſtatim ex notiſſima diuini epuli communione manifeſtatur. Sic habes Luc. cap. 24. *Et factum eſt, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti ſunt oculi eorum, & cognouerunt eum.* Et ſi extra mundi ſtatum eſſet, & ſi in via ad regna paterna iam inueniretur, vbi ſuos offendit, non potuit illis notiſſimam in conuiuiis, & humanitatem, & comitatem, & ſuauitatem oſtentare. Ad patriam ſedem ventum eſt; quid tunc? Iſaias 66. *Ecce ego declinabo ſuper eam, quaſi fluuium pacis, & quaſi torrentem inundantem gloriam gentium, quam ſugetis: ad vbera portabimini, & ſuper genua blandientur vobis. Quomodo ſicut mater blandiatur, ita ego conſolabor vos, & in Hieruſalem conſolabimini. Videbitis, & gaudebit cor veſtrum, & oſſa veſtra, quaſi herba germinabunt, & cognoſcetur manus Domini ſeruis eius.* Expende in regeneratione, cùm corpora reuiuiſcant, deliciiſque cœleſtibus immergantur, tunc notiſſimam ſibi Domini manum in his omnibus recognoſcent. Eadem manus Domini nunc, & tunc inuenietur, quæ aſſueta ſemel homines paſcere, nunquam non eandem ſe præbere poteſt.

Luc. 12.

Chryſol.

Luc. 24.

Iſai. 66.

Text. Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi: ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Et panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.

§. XXIII.

Multis indiget, vt poſſit dignè cœleſtem cibum excipere.

NOn otioſè meminit Dominus carnis ſuæ preſſuras, effuſionémque largiſſimam ſui ſanguinis pro mundi vita obtinenda, vbi cœleſte parat conuiuium. Quippe ait: Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita, nimirum mactata; cur ſimul Domine & paſſionis meminiſti, & conuiuij? Cur & vitæ panem porrigis, & effuſionem tui ſanguinis in medium producis? Vt oſtentat quantis laboribus, quanta ſanguinis irrigatione egeat homo præueniri, vt dignè diuinum excipiat cibum. Pulchrè D. Irenæus lib. 4. cap. 72. poſt Chriſti Domini enumeratos labores, ſic finit: *Pro nobis igitur omnia hæc ſuſtinuit Dominus, vti perſeueremus in eius dilectione, edocti diligere Deum: & tandem aliquando maturus fiat homo, in tantum matureſcens ad videndum, & capiendum Deum.* Tantis potuit egere homo, vt matureſceret ad capiendum Deum? Equidem, niſi in multis laboribus, in largo ſanguinis ſudore irrigatus homo non habet eam maturitatem, qua fructuosè, & dignè in ordine ad profectum ſpiritualem, excipere poſſet cœleſtem cibum. Ad frugum maturitatem, multi ſudores, labores multi, frequentes irrigationes requiruntur; vt oſtendat Dominus per quos labores acquiratur maturitas, vt dignè recipiatur Deus; in horto ſudauit, in domo Cayphæ ſaliuarum ſtercora ſuſtinuit, in prætorio, & Caluario ſanguinis fontes ad irrigationem effudit: omnia hæc ſuſtinuit, vt in tantis diſceremus matureſcere ad capiendum Deum. Mihi crede, nunquam accedas ad cœleſte conuiuium, nunquam diuiniſſimi ſanguinis poculum velis pertingere, niſi præmiſſis multis irrigationibus & mundus, & maturus fias. Nefariſſimus ille homo Pilatus, dum ad ſanguinem Ieſu acceſſit, qui effundendus erat pro mundi vita, nil prius cogitauit, quàm ad ſe aquarum lauacra dirigeret. Ait enim Matth. 27. *Videns autem Pilatus, quia nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret, accepta aqua lauit manus coram populo,* &c. Cur miſer tantam mactaturus hoſtiam, lauas manus? Cur ad quas contendis, ſtatim ad Ieſu ſanguinem iturus? Inſtar lupi rabidi voraturus accedis agnum, qui abſtulit peccata mundi, & lauacris te præparas? Adumbrabat infelix Chriſtianos conuiuas, cùm non niſi lotus, & mille lauacris mundus audet accedere ad rem ſanguinis diuini. Hoc notans D. Cyrill. Alexand. lib. 10. in Leuit. tandem finit. *Audi autem, quomodo lotus ſit, & mundus effectus, cùm ad populum diceret: Vultis vobis dimittam Ieſum, qui dicitur Chriſtus? Tunc poſcit aquam, & lauit manus ſuas coram populo, dicens: Mundus ſum ego à ſanguine eius, vos videritis. Sic ergo lotis manibus ſuis videbatur mundus effectus.* Non antequam munditiem repræſentaret, & aquæ irrigationem ſuſciperet, immaniſſimus lupus audet vorare agnum diuinum. Hoſtiam litabat carnifex nefariſſimus, ſed non niſi priùs adhibitis lauacris, adhibitis irrigationibus, quibus & mundus, & maturus appareт, vt ſecuriùs videretur inferre manus Deo ipſi? Et tu nullo lauacro, nulla irrigatione præmiſſa audes diuini agni carnes pertingere? Quod non audet lupus voraturus agnum, audet Chriſtianus Deum in agno epulaturus? Sanè qui velit, & maturus, & dignus accedere ad hoc epulum, ad Deum ſuſcipiendum, non aqualis irrigationem ſolam, ſed totum mare ſibi in lauacrum procuret. Petrus vbi nouit Dominum in littore eſſe maris, non expectauit nauis tarditatem, ſed vt ad illum feſtinior iret, & accederet, in mare ſe dimiſit. Cur Petre, non expectas magis? Cur non magis fidis rapidiſſimo linteorum curſui? Cur te potiùs mari credis, vt accedas ad Chriſtum? Nouerat bonus Saluatoris diſcipulus, quantis egeret irrigationibus peccator, vt maturus ad Deum accederet. Quippe ait Chryſol. ſer. 78. *Vt audiuit, quia Dominus eſt, miſit ſe in mare, vt mare dilueret, quod negatio taliter fordidauerat.* Equidem nobis opus eſt fontibus, & mari, vt irrigati, & fœcundati, eam habeamus munditiem, & maturitatem, qua Deum excipiamus. Nullum ſordentem vitiis, nullum viridantibus annis luxuriantem admittit hæc menſa, ſed ſolos mundos, & maturos amat. Apocal. 22. *Oſtendit mihi fluuium aquæ viuæ, ſplendidum tanquam cryſtallum procedentem de ſede Dei, & agni. Ex vtraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim per menſes ſingulos.* Ad ripas fontis Dei, & agni vide qualia ſint ligna, nimirum ligna ſingulis menſibus fructificantia, ne quando ſine maturis fructibus appareant. Pulchrè D. Chryſoſtom. hom. 61. ad Popul. fatur. *Ex hac menſa fons aſcendit, ſpirituales emittens fluuios. Apud hunc fontem plantatæ non infructuoſæ ſalices, ſed arbores ad ipſum cœlum pertingentes, fructum habentes ſemper maturum.* Præmittit menſa Dei, & agni gratiarum fluuios, quibus viuida iuſtorum ligna irrigentur, vt nunquam non maturos habeant fructus, & matureſcant amplius, vt Deum poſſent capere.

Iren.

Matth. 27.

Cyrill.

Chryſol.

Apoc. 22.

Chryſoſt.

§. XXIV.

Omnia fit nobis Christus.

EXpende adhuc verba, nimirum: *Panis quem ego dabo, caro mea est.* est equidem panis,& caro; & quid non est diuinus panis nobis datus? Et caro est,& mel est,& omnia
Drogo. fit gustantibus. Præclarè Drogo lib.de Paff.ait. *Quid amplius dicam? Vnus, idémque cibus,& api est mel,& ceruo est fons aquæ, & panis, qui cor hominis confirmet.* Quid non inuenies homo in huius diuinissimi cibi conuiuio? Si velut apis liliatum tritici aceruum circundas, eius lilia,& flores lambens, mel tibi erit, imò quid dulcius super mel, & fauum. Si velut ceruus sitibundus iustitiam sitias, & sanctitatem, inibi tibi aderit fons in vitam æternam saliens. Si velut vultur, aut aquila ad hoc diuinissimum corpus aduolaueris, caro est, quæ te exsatiet.Si tandem velut homo tantæ assederis mensæ,panem inuenies, qui cor humanum valeat confirmare.
Georg. Hinc Georg.Nicomed.ser.de præsentatione Mariæ,sic templum alloquitur: *Accipe mensam, quæ portat vitam, in qua vitæ nostræ panis propositus ambrosia pauit eos,qui eius fuerint participes.* Commune erat,quòd panis nos pane satiaret;verùm huius mensæ panis,ambrosia pauit participes suos:quia vetius quàm manna vetus se transformat in omnium saporum suauitatem, & fit panis,& caro,& mel,& fons,& ambrosia gustantibus.Magnum hoc,sed quid maius excogitauit Origen.hom.in 1.Reg. fatus. *Singulis sensibus animæ singula quæque Christus efficitur, idcirco,& verum lumen dicitur,vt habeant oculi animæ, quo illuminentur. Idcirco, & verbum, vt habeant aures, quod audiant. Idcirco,& panis vitæ,vt habeat gustus animæ, quod degustet. Idcirco, & vnguentum, vel nardus appellatur, vt habeat odoratus anima fragrantiam; ideirco, & palpabilis, & manu tractabilis,* &c. Nullus est sensus, qui non impleatur in hoc diuinissimo conuiuio, in quo Christus fit omnia singulis.

Text. Litigabant ergo Iudæi adinuicem,dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?

§. XXV.

Cæcus est, & Iudæ proditori similis, qui regium Christi splendorem in Eucharistia conuiuio non obseruant, illúmque honorant.

ECce quàm vilis habeatur Dominus apud hos pessimos Iudæos,dicunt enim: *Quomodo potest hic*, quasi nec nomen eius sciant,imò quouis titulo honoris indignum reputent. Audiunt diuinissimum cœlestis panis conuiuium sibi ab Iesu oblatum, & despiciunt tanti muneris datorem, & ex munere non cognoscitur Dominus omnium,sed nec vllo cognomine dignus censetur. Iam non mirabor, quòd audientibus reprobis Iudæis dicat Dominus Latroni; *Hodie mecum eris in paradiso.* Cur tanta latroni? Cur in conspectu
Ambrof. Iudæorum? D.Ambrof.Psal.39.veram,& pulcherrimam insinuat rationem: *Ad illorum omnium perpetuam condemnationem latro crucifixus absoluitur, quia ille Christum in suppliciis agnouit suis,quem illi in beneficiis non agnouerunt: quia in cruce sua regnum Domini mente conspexit,quod in conuiuio Christi Iudas videre non potuit.* Equidem proditoris & cæcitas, & insania fuit,quòd accumbens cœlesti conuiuio,regalem Iesu magnificentiam non agnosceret; & similiter reproborum Iudæorum erat vt inter diuinissimi sanguinis propinationē, & regem,& Dominum Iesum minimè agnoscerent,quando vel ex mensa cœlestibus repleta dapibus clarissimè regiam Iesu potestatem debebant agnoscere, & illam honorificentissimis nominibus, & titulis prosequi. Hoc enim cœleste
Ezech. 34. conuiuium spectans Dominus aiebat apud Ezech. c.34. *Et suscitabo eis germen nominatum,& non erunt vltra imminuti fame in terra.* Ad famem orbis tollendam, suscitat Dominus hoc germen,hûc cibum cœlestis mensæ. Sed quale germen est? Ipse ait: *Germen nominatum*, id est, nominum claritate conspicuum,& celebre; Hebræi legerunt, *germen in nomen.* quasi cibi huius magnificētia tanta foret,vt ipse acquireret inuentori suo æterni agnominis honorem.Et quando famis
Caffiod. ablatio similem non peperit honorem? Accipite Cassiod. 6.var.18. aientem: *Non immeritò Pompeius fertur, copiæ quantitate prouisa, vsque ad rerum peruenisse fastigia. Quia meritò singularis est amor populi, tùm potuit à penuria liberari. Hinc ille gratificationem meruit, plausúmque populorum. Hinc vnicè semper amatus est, & in gratia ciuium, omnium vicit facta maiorum; qui ne aliquando in honore diceretur, cum nominis taxatione vocabatur & magnus.* Expende illud, nimirum, *ne aliquando in honore diceretur*; quippe vbi populorum famem sustulit prouisa frumenti copia, adeò se regium ostendit,vt cauerent populi, vel eius vocabulum proferre sine aliquo honoris titulo addito, & ideò vocabatur Pompeius magnus. Adeò regium est studium famis depellendæ, populique exsatiandi, vt qui id habuerit, nunquam sine honoris titulo nominari debeat ab his, qui sanæ sunt mentis. Hinc Paulus, qui millies Iesum nominat, contentus hoc sacrum nomen exprimere, sine alio titulo, vbi ad cœleste conuiuium accedit, statim ait,1.ad Corinth.11. *Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem,* &c. Cur modò præcipuè 1.Cor.11.
dicitur Dominus Iesus? Sic regius apparuit in conuiuio, vt deberet ibi sanctus doctor cauere, ne in honore diceretur, sed cum nominis taxatione Dominus vocaretur. Huc conspirarunt nationes Christianorum, apud Eucharistiæ epulum nunquam sine titulis honorificis nominatur; quippe cum nominis taxatione, sanctissimum dici consueuit, ne vnquam in honore nominari possit.

Text. Dixit ergo eis Iesus: Amen, amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.

§. XXVI.

Abstinentia ab Eucharistiæ epulis lethalis.

MIser est,qui tantum præterit cibum;qui ab illo se abstinet, vitam non habet, funditus perdetur. Miraris? Sed argumentum clarissimum in Iudæorum ruinis habes:hi se perditioni dederunt, ex quo se tantis epulis subtrahunt saturandos. Nota est lucta Iacob cum Angelo Gen.39. luctantur tota nocte præstātissimi pugiles,Iacob, & Angelus; & oriente aurora Angelus tetigit neruum femoris Iacob, qui tactu Angelico subitò emarcuit, reliquítque virū claudicantem. Nouerunt id Iacob posteri, & in memoriam parentis claudi,deuouerunt abstinentiam illius nerui, adeò vt nemo sit Iudæus,qui non respuat femoris neruum dum vescitur animalium carnibus. Hinc D.Ambrof. colligit totam Iudæorum ruinam, nimirum, quòd neruum illum nolint manducare. Sed cur abstinentia à paruulo illo neruo ruinam afferret lethalem, præcipuè vbi reliquæ carnes manducabantur?In neruo femoris Iacob materia Christi carnis significabatur,imò ibi seruabatur,vnde nil mirum quòd miserè pereant,qui Christi carnem nolunt manducare.D.Ambrof. in Psal.43. ait: *Iudæi non intelligentes mysterium statuerunt, ne neruum manducarent filij Israel. Et ideo sacris sanguinis se redemptione fraudarunt,salutiferæ quoque passionis se beneficijs abdicarunt, ne vitam mereantur æternam;quia scriptum est: Nisi manducaueritis carnem filij hominis,& biberitis eius sanguinem,non habebitis vitam in vobis.* Vanè putat perditionem fugere, qui refugit epulas tanti cibi: hoc vno clarissimo indicio extremam ruinam sibi quis potest auspicari,si carnem Christi Domini non edat, si abstineat à tanto cibo. Audiuimus sæpe somnium duorum aulicorum, qui cum Ioseph erant in carcere Ægyptio: horum alter in Genes.40. *Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines, crescere paulatim in gemmas,& post flores vuas maturescere,calicémque Pharaonis in manu mea: tuli ergo vuas, & expressi in calicem, quem tenebam, & tradidi Pharaoni.* Hoc fuit alterius somnium;sed accipite alterum, sic enarrantem: *Et ego vidi somnium,quòd tria canistra farinæ haberem super caput meum, & in vno canistro, quod erat excelsius, portare me omnes cibos, qui fiunt arte pistoria, auésque comedere ex eo.* Hæc ambo referunt ante somniorum interpretem Iosephum, qui nihil moratus primò Pharaonis gratiam, secundò furcam auguratus est. Sed cur miser hic ad furcam rapitur, cur miserè perditur? Sanè panes in occipite habebat, nec de illis accipere curabat, sed auibus cœli illos relinquebat; & in quo tanta desidia circa panes erat, haud dubium quin illum & mors, & perditio manebat. Aiebat Philo lib. de Ioseph: *Pistorum princeps non impetrat veniam,vsque ad vltimum supplicium procedente ira, haud secus, ac in culpa grauissima, nam ciborum defectum mors sequitur.* Non est obscura perditionis coniectura, dum te vidente cœli aues rapiunt cibum cœlestem,

&

& tu nihilominus, nec micam illius vis recipere, vis edere. Vides sæpe per annum, vides festis diebus, vides in Bacchanalibus, tria canistra tritici, hoc est, tres integros dies plenos panum cœlestium, in quibus omnium saporum suauitas inuenitur: vides præterea cœli aues, hoc est, innumeros pios viros, ac mulieres sumentes ea illis panibus. Quid tu interea? Nec manus porrigis, nec micam accipis, nec vllam habes rationem cibi cœlestis, haud dubium, quòd tantum cibi defectum mors sequetur. Habeas licèt vniuersas virtutes, sublimem apud cœlorum Regem locum teneas; te licèt expaueant hostes, vt prorsus inexpugnabilem; si tamen eò deueneris, quòd tibi voluntarius sit cœlestis panis defectus, tui perditionem irreparabiliter videbis. De felice homine dicebat Isai cap 33. *Qui ambulat in iustitiis, & loquitur veritatem, qui proycit auaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere: qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos, ne videat malum. Iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius: panis ei datus est, & aquæ eius fideles.* Expende, quid detur viro tantis florenti virtutibus, in tam sublimi locato, hinc inde saxis munito; nimirum, panis ei datur, quasi omnes illæ virtutes, omnia munimenta nihil prosint, vbi desit panis. Pulchrè Gillibert. ser. 26. in Cant. *Si obturas aurem, ne audias sanguinem; si claudis oculos, ne videas malum, iam claruisti, iam habitas in excelsis, & munimenta saxorum sublimitas tua. Nunquid satis est? Quid prodest tam munita sublimitas, a qua tutus sunt fames, & fastidij vellat egestas? Quid prodest d… …orum, & inaccessa sublimitas, si non ibi panis est. Bona quidem protectio, si tamen non desit refectio.* Nulla ars, nulli muri, etsi ænei, non perdurunt ab hoste, si panis intus desit.

Isai. 33.

Gillibert.

Text. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.

§. XXVII.

Ex tunc te habere vitam puta, ex quo cibum diuinum participasti.

NIl crebrius audimus toto hoc capite, quam quòd cœlestem cibum manducantes mortem carent, vitam habent, & adeò abundanter vitam habent, vt possint illam æternare. Manducasti Christi carnes? Iam vitam habes, non solùm in futuro vitam accipies, sed amodo tibi numeras, & vitæ dies, & menses, & annos. Vbi ad exeundum de Ægypto iubentur Israëlitæ agnum Deo litare, quem vnaquæque familia comederet, subdit statim legislator Exod. 3. *Mensis hic vobis initium mensium.* quasi ex tunc vitæ suæ dies, & menses tam possent numerare: quasi nullus, vel mensem vitæ haberet, nisi ex quo cœpit vesci carnibus Agni immaculati. Ad hæc D. Gaudent. in Exod. serm. 1. *Tunc audiunt: Mensis hic vobis initium mensium, tunc vtique quando liberati de Ægypto hac, verum manna comedemus, & de petra ipso Christo bibemus, adhærentes agni immaculati vestigijs* Ille solus incipit numerare sibi, & dies, & menses, qui carnes comedit diuinissimi agni; dum ieiunus es ab hac mensa, vacuus menses habes, nec integrum vitæ diem habes; vbi autem agnum Dei edis, ille dies tibi initium est dierum. Vnus est Eucharistiæ cibus, qui vitæ tuæ præfesert statum. Elias Israelitas perditioni datos 3. Reg. 18. vt ad spem vitæ restituat sacrificaturus stabat: *Et accedente ad se populo curauit altare Domini, quod destructum fuerat.* Expende verbum illud, *curauit altare,* curari sola dicitur vita animalium, vita hominis, vnde Caietanus expressiùs ibi locutus, ait *Iustar curantis medici reparauit altare summi Dei, quod ibi erat dirutum.* Et quidem altare non à medico, sed à fabro reficitur, solus homò à medico curatur; cur ergo dicitur Elias instar medici curasse altare? Planè in altari vita est hominum & salus, nec amplius durat vita hominum, quàm dum altaris sacrificia frequentantur: dum ergo altare sacrificandum reparatur, non ibi tam attendenda est refectio lignorum, & lapidum, quàm omnium hominum curatio, & eorundem vita restauratio. Dirutum est Eucharistiæ altare, à bestiis est conculcatum; quid tunc? Paul. 1. ad Cor. c. 11. *Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.* cadunt humanæ vitæ cum altari; reparatio altaris hominum est salus, & perfecta curatio. D. Ansel. ibi ait: *Ostendit Apostolus, mysterium Eucharistiæ in cœnam celebratum, non cœnam esse. Medicina enim spiritualis est, quæ cum reuerentia degustata purificat sibi deuotum.* Itaque, qui velit humanas infirmitates curare, curet altare, ex quo altaria reuerenter incipiant frequentari, vita hominum incipiet reparari, & confirmari. Dauid auspicium, & quidem felicissimum suo regno dabat, 2. Reg. 6. dum reuerenter arcam collocat, eiúsque sacrificia, qua potest puritate tractat. Id quod notans Iosephus, simúlque populi … cladem maximam sub Saulè, quando fortes Israel ceciderunt apud mõtes Gelboë, ait: *Si enim sub Saulo sacra non fuissent neglecta, nunquam talem cladem populus … [illegible]* Quæ clades audiet in populum, apud quem sacrificia diuina reuerenter tractantur? Et quis Sathan poterit stare aduersùs humanam vitam, dum pro illa stat altare plenum epulis corporis, & sanguinis Christi? Monebat D. P. Damian. Blancam comitissam in epist. c. 3. his verbis: *Christi corpus, & sanguinem in ore carnis crebrius suscipe, vt hanc eius vocem meritò possis audire: Fauus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua. Terretur enim aduersarius, cum Christiani labia videt Christi cruore rubentia. Agnoscit enim præstò sua perditionis iudicium, & diuinæ victoriæ, quo captiuatus est, & … non tolerat instrumentum.* Quis timeat vitæ suæ ab hostibus, dum Christi pabulo sit securus.

Exod. 3.

Gaudent.

3. Reg. 18.

1. Cor. 11.

Anselm.

2. Reg 6.

Damian.

Text. Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.

§. XXVIII.

Virtutes paulatim, & per partes amplectendæ.

IAm aliud quid soperiùs promittit Dominus eius carnem edentibus, nimirum, quòd manent in eo, quòd transeunt, & penè conuertuntur in Deum. Antea promittebat, quòd viueremus, quod resurgeremus; modò quòd maneb:mus, in eo, quòd erimus Dij. Sed notandi sunt gradus, quibus ad tantam perfectionis summitatem inuitamur. Primò iubemur solum operari cibum, qui non perit; deinde iam dicimur manducare panem vitæ; tertiò addit panem vitæ æternæ: tunc caro Dei in qua resurgamus, effertur, insuper sanguis propinatur, tandem ipsa offertur deitas, vt maneamus in Deo, & viuamus, vt Deus. Cur non magis statim simul omnia hæc sunt proposita, & panis, & caro, & vita, & resurrectio, & deitas? Non ea est res virtutum, quæ tota simul tradi possit, sed paulatim, & per partes tradenda, & amplectenda. Cantic. 1. *Oleum effusum nomen tuum propterea adolescentulæ dilexerunt te nimis.* Cur oleum effusum? Cur non magis integrum oleum exhibetur? Non est humanatum virium integrum Deum subitò capere: dum adolescentulæ sumus, dum adhuc egemus custodia matris Ecclesiæ, paulatim virtutem sugimus, quam integram habent perfecti in patria. D. Bernard. serm. 19. in Cant. *Effusio quippe nomen facit capabile, captum amabile: sed adolescentulis dumtaxat, qui capaciores sunt, integro gaudent, effuso non indigent.* Detur integer Deus perfectis, & capacioribus patriæ cœlestis ciuibus: nobis pusillis, & infantibus, & catellis melius est, quòd oleum effundatur, quòd panis frangatur, quòd cœleste ferculum diuidatur, vt sic paulatim sugamus escas vitales, & in vitam diuinissimam proueheamur. Cùm lumina mundi fiebant, vnico verbulo Dei vocabantur, & subitò apparebant facta: vbi ad hominem ventum est, ibi incipit artificis deliberatio, & consultatio: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram;* tunc limus sumitur, corpus aptatur, & tandem in faciem eius inititur spiraculum vitæ. Cur homo inter omnia verbo facta, sic paulatim & per partes efformatur? Homo fiebat ad imaginem Dei autem vel vmbra non nisi operosè, & per partes debet acquiri, & participari. Rupert lib. 2. de oper. Trin. c. 2. *Non dixit scriptura, quod dixit Deus fiat homo ad imaginem, & similitudinem nostram, & factus est homo; sicut dixit, fiat lux, & facta est lux. Quare? Videlicet, quia non repentè, sed operosè agendum erat, vt homo consummatus staret ad creatoris sui imaginem, & similitudinem.* Non subitò in ordinem diuinum ascendit homo, nec totum virtutis opus simul capere potest; non parum erit, si primò instar infantis in vtero existentis figuratus sit caro, diuinæ carni passionibus contusæ se conformans, deinde spiritum vitæ accipiat, vt viuat hominis vitam, iuxta regulas rationis; tunc in sortem diuinam transeat, in Deo manens, & Deus in illo. Huc spectabat D. Petr. 1. ep. 2. *Sicut modo geniti infantes, rationabiles sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem, si tamen gustastis, quoniam dulcis est Dominus.*

Cant. 1.

Bernard.

Genes. 1.

Rupert.

1. Petr. 2.

Expende, quòd iubeamur infantibus aptari, & assimilari in Domini participatione: quippe, quod alimentum facit in infantibus, hoc facit cœlestis esca in hominibus. Infans autem, dum concipitur in vtero matris, sibi solo sanguine nutritur, & coagmentatur, & efformatur caro. Deinde in lucem proditus lacte excipitur, quo alitur, & disponitur iam ad vitam rationalem, tunc pane nutritur vsque in perfectam ætatem. Simili modo cibus Eucharisticus in primis fit sanguis, quo alimur, vt sanctissimæ conformemur carni; tunc rationale lac, quo crescimus in salutem, vsque in perfectam ætatem plenitudinis Christi deueniamus. Ex quo patet quanto periculo plures, quod summum est in Eucharistia, prætendunt, absque eo, quod primum præhabeant: nondum enim configurati diuinissimæ carni, nec spiritum vitæ confirmatum habentes, intimam cum Deo vnionem iactant, illámque sibi obuenturam prædicant. Ad hos pulcrè

Irenæus. D.Iren.lib.4.c.73.ait. *Neque Deum, atque semetipsos scientes insatiabiles, & ingrati, antequam fiant homines, iam volunt similes esse facti Deo, & nullam esse differentiam infecti Dei, & nunc facti hominis.* Expende verba illa, nimirum, *insatiabiles & ingrati*; quippe multi sunt circa Eucharisticum cibum, prorsus insatiabiles, & vellent singulis horis diuinissimum epulum participare, & nilominus ingratissimi Deo apparêt, vipote, qui diuinam concorporationem iactantes, non curant ex diuinissimi sanguinis esu sese in carnem figurari; vt eorum caro similis reddatur Christi carni; sed antequam fiant homines, iam volunt esse similes perfectè Deo. Proh stultitiam hominum, & insaniam! hi nec se ipsos cognoscunt, nec Deum.

§. XXIX.

Per Eucharistiæ cibum quis hominem exuit, & in sortem diuinam transit.

CVm Dei carne, & sanguine nutriris, omnem transcendis terminum humanitatis, & in superiori quodam & diuinissimo ordine transis. Quippe de illo ait Dominus: *In me manet, & ego in illo*; iam homo nutritus sanguine Saluatoris non in se manet, sed in Deo, quasi hominem exutus, se in Deum transfert. Cùm de oblatione hirci loqueretur

Leuit.16. Dominus, Leuit.c.16. ait. *Nullus hominum sit in tabernaculo quando Pontifex sanctuarium ingreditur, vt roget pro se, & pro domo sua.* Quæ verba aliter leguntur à D.Cyrill.Alex lib.11. vbi ait. *Et non erit homo, cùm ingredietur Pontifex intra velamen.* &c. quasi idem sit ingressus Pontificis intra velamen, & hominis cessatio; sed quomodo non erit homo? Quia eo ipso, quod quis Pontificem, & sacerdotem nostrum Iesum latentem sub velamine specierum Eucharistiæ sequitur, ne cessium est, vt hominem exuat, & in superiorem, & diuinissimum ordinem transeat. Ad hæc Cyrill. supra inquit. *Quo-*

Cyrill. *modo non erit homo? Quod qui potuerit sequi Christum, & penetrare cum eo interius tabernaculum, & cœlorum excelsa conscendere, iam non erit homo, sed tanquam Angelus Dei, aut etiam super eum ille sermo complebitur: Ego dixi, dy estis, & fily excelsi omnes. Siue ergo spiritualis effectus, vnus cum Domino spiritus fiat, siue per resurrectionis gloriam in Angelorum ordinem transeat, iam non erit homo.* Felix, qui sacerdotem summum intra velamen latentem sequitur, ibique se illi conformare prætendit, hic profectò tanti sacrificij virtute, quidquid hominis est prorsus exuit, & in diuinam sortem videtur transiisse. Quis talia cogitare posset de cibo, quòd perduceret homines ad sortem diuinam? Sanè dæmon, vt hominum rideret stultitiam, cibum persuadebat sub prætextu diuinitatis acquirendæ, dicens, *eritis sicut dy*; verùm, quod confictum, & ridiculum nefarissimus Angelus putauit, id verè effecit

Rupert. cibus diuinus. Vnde Rupert. lib.6. in Ioann. ait: *Hic perspicue diuinitatem pollicetur carnem suam manducantibus; & illusionem nequissimi nebulonis, qui dixit: Comedite & eritis sicut Dy, non sine magno cruciatu eiusdem serpentis loquens in verum effectum conuertit.* Rideat serpens antiquus hominis stultitiam, qua putauit per cibum posse ad diuinitatē perueniri; risus enim illius in serium versus est, quando quod ridiculum putauit, videt magno suo cruciatu quotidie fieri, dum enim diuinissimus Eucharistiæ cibus sumitur, quidquid humanū est, exuitur, & in sortē trāsitur diuinitatis. Accipe Moysem in Exod. 34. à monte descendentem totum splendoribus plenum, totum diuinum. Vnde hos gloriæ splēdores acquisiuit homo?

Machar. D.Mach. hom.12. ait: *Est enim alius cibus præter hunc visibilem, nam cùm ascendit Moyses in montem, ieiunauit quadraginta dies, ascendit homo, descendit habens Deum.* Non equidem in virtute cibi corruptibilis, à quo abstinuit, sed in virtute cœlestis alicuius cibi, quo homines in deos transfundit.

§. XXX.

Nuditas hominum peccatorum in Eucharistia pretiose operitur.

HOc totum facit Eucharisticus cibus, & quòd tu in Christo maneas, & quòd maneat in te Christus; sed quomodo in nobis manet Christus? Manet equidem, vt splendida stola nuditatem nostram, & ornans, & induens, Chrysost. hom.45. in Ioann. inquit. *Qui huius sanguinis sunt participes, cum Angelis, & Archangelis, & supernis virtutibus commorantur, ipsam regiam Christi stolam induti spiritualibus armis muniti. Sed nihil dixi, imò ipsum induti sunt Regem.* Pre- Chrysost.
tiosus cibus nihil te egere relinquit; & simul saturitatem præstat, & vestitum; vt satur assistas, & regali stola præfulgeas. Hinc cautum erat in lege, quòd integer agnus edere-
tur. Exod.c.12. *Caput cum pedibus, & intestinis vorabitis. Nec remanebit quicquam ex eo*; non remanebit, inquam, quicquam Exod.12.
ex eo, nec pellis ipsa, sed cum pelle, & capite, & pedibus, intestinis vorandus erat. Cur cum his omnibus? Rem attigit Cellens. Abb. lib. de Pan.1. aiens. *In hoc Dominus conuiuio sanguinem, carnem, pellem, adipem, intestina, caput cum pedibus ponit; vt redemptio in sanguine, refectio in carne, vestis in pelle præbeatur.* Omnia tibi necessaria habes homo in diuino conuiuio; in eodem ferculo ministratur tibi cibus, quo reficiaris, & vestis qua opertus præfulgeas. Non iam loquitur Pater ministris, vt afferant stolam primam, & deinde saginati vituli parent conuiuia, sed vnum tibi conuiuium parat, in quo dum carnem manducas Christi, ipsum induis Christū. Cellens.
Assumpto & fracto pane Iesus Matth.26. *dedit discipulis suis.* Matth 26.
quid dedit, an solum panem ad cibum? Eleganter D.Bernard. citatus à Tilmanno, in Allegor. ait. Non opus est quærere, quid dederit, ipse enim manifestat, dicens: *Hoc est corpus meum. O datum optimum, & donum perfectum descendens à patre luminum. Christus datus est nobis ad induendum, ad edendum, & offerendum, sicut indumentum, sicut alimentum, sicut pretium.* Nescit Christus aliter dari, eo ipso quòd suum corpus dare nobis dicatur, imbi & cibus datur nobis, & pretium, & vestitus. Quisquis accipis carnem Christi, iam inde pretium habes, quo te redimas, cibum quo reficiaris, & pretiosam stolam sub qua fulgeas. Memini defunctum puerum Elia Propheta supernestitum reuixisse, & traditum fuisse & viuum, & splendidū matri suæ. Sic enim habes 3.Reg.17. Bernard.
Expandit se, atque mensus est super puerum, &c. Quid in rem nostram aptius? Dum carnem Christi sumimus, manet in nobis, Christus, hic se super nos expandit, vt videamur induti illum. Felix homo, qui sic Christum induisti: de te pulchrè fatur Gillibert. Abb. ser.16. in Cant. inquiens: *Tolle bone Iesu mortuum nostrum de matris gremio, porta in cœnaculum. Nouus redit ad nos, postquam tu illum te ipsum vestisti. Ideo te super ipsum expandis, vt quod est in eo fœdum, operias; quod nudum, vestias.* Quis etiam mortuus fugiat cœnaculum Christi, in quo Christum indutus, sub tanti fulgoris stola matri Ecclesiæ appareat & viuus, & conspicuus? Ad hæc Zachar. cap.9. ait: *Quid bonum eius, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum.* Sufficisset à frumento cœlesti bonum salutis nostræ spectare, sed insuper ab illo accipimus ornatum decoris, sub quo fulgeamus. Quippe ait Paschas. lib. de Corpor. & sang. Domini, c.21. *Bonum quippe, vt ad vitam æternam proficiamus, pulchrum verò dum immortalitatis gloria vestimur, vt interius sinamur vitæ dulcedine, & exterius fulgeamus nitidius de tanti beneficy gratia.* 3.Reg.17.
Gillibert.
Zach 9.

§. XXXI.

Christus Dominus, nec sui corporis micam offert, quin sese totum, & integrè tradat. Quippe nescit partita dona.

SVfficisset, si nobis suam carnem, & suum sanguinem Christus daret, sed post datam carnem, & sanguinem insuper ipse in nobis manet, quasi nesciat sui aut partem, aut gustum præbere, quin se statim exhibeat totaliter. Carnem Domini gustas? Haud dubium, quin totum etiam Dominum habebis; totus enim Dominus veniet ad illum, cui vel portio, vel mica datur. Iubemur petere in oratione Dominica: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* qua oratione petimus Eucharisticum panem, qui nobis decoctus est, Matth.6.
in

in altari, vt multi explicant Patres. Sed cur magis iubemur petere hunc noſtrum panem, nobis præparatum, quam Angelorum panem, & nobis, & Angelis in cœlis paratum? Sanè noſter panis mica eſt, tantula portio eſt, ſi comparetur cum illo pane exhibito apud cœlos Angelis, in quo eſt tota plenitudo, & ſaturitas. Cur ergo non magis illum petimus, & enixè flagitamus, contenti ſi vel micam altaris accipiamus? Equidem hunc petere iubemur, quia ſi diuini panis, vel micam, vel guſtum nobis Dominus donauerit, non ibi ſiſtet, ſed & conſequenter totum ſe integrè, & com-

Chryſol. pletè donabit. Acutè Chryſol. ſer. 68. ait: *Quotidianum, & in diem vult nos in ſacramenta ſui corporis panis viaticum poſtulare, vt per hoc ad perpetuum diem, & ipſam Chriſti perueniamus ad menſam, vt vnde hic guſtum ſumimus, inde ibi plenitudinem, totáſque ſatietates capiamus.* Qui Chriſti guſtum acceperit, qui vel micam diuiniſſimi eius corporis manducauerit, minimè fruſtrabitur, ſed totum, quod eſt Chriſtus, ad ſe trahet. Neſcit Dominus aliquid reſeruare, cui vel micam præbuit, & totum præſtabit. Id monetat ſapiens illa mulier, quæ

Matth. 15. pro deciduis à Domini menſa micis ſolicita, aiebat Matt. 15. *Etiam Domine, nam & catelli comedunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum.* Filiam volebat a dæmonio liberari, quod erat totum opus Saluatoris; & nihilominus ſolas deciduas micas poſtulabat. Cur mulier micas poſtulas, cùm egeas integro pane? Cur non magis pro integro inſtas pane, totámque Domini poſtulas poteſtatem ad tantum opus patrandum? Nouit Domini ingenium, quod nunquam ſciuit vel micam ſui dare, quin totum ſe ſtatim non addat, & dum micam accipit, non ſolùm cœleſtem panem,

Baſil. Sel. ſed totam cœleſtem menſam ſibi tradit. Ex quo D. Baſil. Sel. orat. 20. ex Saluatoris ore, fatur. *O mulier magna eſt fides tua! Ideo tibi gratificari diſtuli, vt fidem tuam in exemplum proponerem. Totam tibi eruditionis menſam explico; non vt cani micas, ſed vt filiæ totum panem largior.* Non ſciuit vnquam à Chriſto venire, qui non poſt ſe totum integrum panem por-

Ioann. 4. taret. Samaritanæ dicebat Dominus Ioann. 4. *Qui biberit ex hac aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum, ſed aqua, quam ego dabo, fiet ei fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Aqua à Chriſto data dicitur, quòd fiet fons in accipiente; ſed qualiter riuus à Chriſto dilapſus fiet fons? Verè fiet fons, quia poſt ſe totum fontem afferet; cùm enim Chriſtus Dominus neſciat partiri dona ſua, qui vel guttulam receperit, totum etiam fontem ad ſe trahet, in ſe continebit.

Cyrill. Ad hæc D. Cyril. Alex. lib. 2. in Ioan. c. 85. *Qui vero ex aqua, quam Dominus præbet, biberit, non modò non ſitiet, ſed illum in ſe ipſa fontem continebit.* Sperent & totum integrum fontem, qui vel guttulam capiunt; nunquam enim Chriſti dona amant diuiſa eſſe, ſed poſt ſingula totus, & integer fons, totus, & integer Dominus venit. Noſti lapidem percuſſum à Moyſe in deſerto? Ex illo fons ſcaturiuit; cuius melleis riuulis potùm accepit populus vniuerſus. Rem ponderans

1. Cor. 10. Paul. 1. ad Cor. c. 10. ait: *Bibebant autem de ſpiritali, conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus.* Non ſolùm aquas bibebant, ſed & figuratè bibebant ſpiritum, quem non eramus accepturi in potu Euchariſtico. Sed illud notandum, quòd, dum biberent, ſequebatur illos petra: & qualiter fieri poterat, quòd petra conſequeretur eos? An rupes ipſa à monte abſciſſa hoc habuit, vt & aquas daret, & ſimul poſt illos iret? Quæſtionem dirimit Apoſtolus, dicens: *Petra autem erat Chriſtus.* quæ poſt aquas datas, ſe ipſam daret populum ſecuturam, non petra materialis fuit, ſed erat petra Chriſtus; qui cùm neſciat dona præſtare diuiſa, eo ipſo, quòd in aqua illa ſui potus guſtum dedit, non ibi hæſit, ſed & totus ipſe exinde populo affuit, illum à peri-

Anſelm. culis erepturus. Ait D. Anſelm: *Sequebatur eos per deſertum petra ſpiritualis, quia aderat Chriſtus. Qui ideo ſequebatur, vt vbi defeciſſent, ille ſubueniret. Non enim petra, ſed Chriſtus aquam dedit.* Chriſtus omnipotenti ſua virtute aquam dedit, ex quo iam quaſi tenebatur non denegare ſuam perfectam aſſiſtentiam; vt poſt aquas, & ſe totum dederit populo à periculis redimendo. Vide infra cap. 43. §. 3. & ſuprà lib. 3. cap. 8. §. 3.

§. XXXII.

Caue, ne talis ad Euchariſtiam accedas, quòd in te Dominum permanentem habere non poſſis, ſed tranſeuntem.

Ioann. 6. FElix, qui ſic carnem Domini manducat, vt maneat Chriſtus in illo, & non tranſeat tantùm per illum; *qui enim manducat meam carnem* dignè, ait Dominus, *in me manet, & ego in illo.* Non ſolùm venit ad digne manducantem, ſed ita vult venire, vt poſſit ibi manere, & manſionem apud illum facere, non cogi ſtatim inde tranſire. Sunt equidem plurimi ſic peccatis, & ſceleribus traditi, vt ſi quando accedere ad hanc diuinam menſam liceat, dum celeriter ad conſueta reuertuntur, non permittunt Deum in ſe, vel ad horam manere, ſed ſtatim illum cogunt a ſe tranſire. In his tantùm eſt Dominus in tranſitu; væ illis, fallar, ſi non pereant illorum primogenita, vt perierunt in tranſitu Domini primogenita Ægypti. Nunquam enim ſic cogitur Deus tranſire, quòd non fulgeret ira. Nota eſt illa ex 2. Reg. 1. 2. Reg. 1.
ſumpta imprecatio: *Omnes montes, qui in circuitu eius ſunt, viſites Dominus, à Gelboe autem tranſeat.* Ecce tibi, cum mala cupit Gelboe, hoc ſolum petit, quod ibi Dominus non maneat, ſed ab illo tranſeat. Et quantum hoc malum erat D. Bernard. ſerm. 54. in Cantic. putat illis verbis intelligi totam ruinam diaboli; cùm enim Lucifer ille ortus eſt inſtar montis, ſe ſuper omnes ſpiritus exaltauit, & gratia Dei ornatus Deum in ſe habuit. Sed non in ſe Deum manere paſſus eſt, verùm ſumma celeritate illum a ſe abegit, tranſiréque fecit. Non manſit ergo Dominus in Angelo, ſed tranſiit, & in illo tranſitu miſerum ſpiritum damnauit. Miſer ille, qui inſtar Gelboe, inſtar Angeli Deum in ſe habitantem non habet; ſed à ſe tranſitorem facit; tranſiet Dominus, ſed magno illius damno. Ad hæc monebat D.
Bernard. *Hæc attendamus, qui cauti ſimus ſponſi nos ſalutiferis ſalibus præparare, ne veluti à montibus Gelboe iuſtè tranſeat, & à nobis, ſi indignos nos ſua viſitatione conſpexerit. Et de Angelis tranſiliit Dominus execrans eorum ſuperbiam. Ergo repudiatio Angelorum fiat emendatio hominum.* Cur de Angelis non tranſiliret Dominus execrans eos? Cupierat ad illos venire, & ideo creauerat eos pulcherrimis ornatos muneribus, illis ſeſe communicat per gratiam, ſed non ſinitur ibi permanere, ſed inde tranſire cogitur, non miror, quòd tranſeat execrans eos. Quis homo, dum ad concupitum hoſpitium accedit, ſi non permittatur ibi quieſcere, ſed ſubitò cogatur tranſire, non tranſeat execrans taliter cogentem? Amat equidem Deus humanis hoſpitari viſceribus, & fortè per annum ſtat ad oſtium, & pulſat, vt admittatur, tandem illum recipis ſub panis ſpeciebus, ſed non permittis in te manere, imò illum ſtatim tranſire à te cogis: crediderim, nunquam ſic tranſiret, niſi multa in te maledicta congerens, & execrationes. Vbi Dominus in tranſitu ſolum eſt, habet peccator, quid poſſit timere. Apud Luc. Luc. 12.
c. 12. de Domino ſuos conuiuio excipiente dicitur: *Faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.* Quid miniſtrabit? Cur non explicat rem, quam miniſtraturus eſt eis? Dum dixit, *& tranſiens*, ſatis explicauit, quid miniſtrabit, nunquam enim tranſiens intelligitur, quod non miniſtret indignis necem. Pulchrè Chryſol. ſerm. 24. *Ille tibi in cœleſtibus parat conuiuium, tu illi in terra non deſinis contumelias ingerere blaſphemias: faciet & ille tranſitus ſuos, quia tranſiens miniſtrabit illis. De dominatione ad fidelium ſuorum pia tranſiet, & migrabit obſequia: ad te de miſericordi patre ſeueriſſimum tranſibit in iudicem.* Semper tranſitus Domini necem alicui infert, væ qui illum facis non in te manere, ſed per te, & à te tranſire, tranſibit ſimul contra te de miſericordi patre ad ſeueriſſimum iudicem. Curemus ergo ſic ad menſam accedere, vt Deus in nobis maneat, non tranſeat; quo enim velociùs tranſierit, eò citiùs excludemur à vita. Propone tibi ob oculos Iudam; is menſæ Dominicæ aſſidebat, buccellam accepit à Domino, & poſt buccellam continuò exiuit ad proditionem, & ad laqueum exiuit. Cur ita velox ad ruinam? Sanè dum indignè accipit Deum, nec ad momentum in ſe manere ſuſtinet, vnde ita velox pertranſibit per illum, vt vel ipſo agitationis impetu, vt leuem paleam excluſerit inde. Do pulcra verba D. Cyprian. ſer. de Cœna Domini, vbi Cyprian.
dicit. *Quandiu cibi illi, qui ad diem feſtum erant parati, à tunc neſcientibus Apoſtolis ſumebantur, veteris paſchæ agebatur memoria, nec dum Iudas ad veterem vitam pertinens egredi cogebatur. Sed vbi ſacrum cibum mens perfida tetigit, & ſceleratum os panis ſanctificatus intrauit, parricidialis animus vim tanti Sacramenti non ſuſtinens quaſi palea de area exſufflatus eſt, &c.* Equidem à tranſeunte vento paleæ exſufflantur; ſic, qui palea eſt, caueat Deum per ſe tranſeuntem, tranſeuntis enim agitatione exſufflabitur.

Text. Sicut miſit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipſe viuit propter me.

§. XXXIII.

Sic cura ad Eucharistiam accedere, quasi tunc primùm de nouo ad illam accedas.

SIc generatur filius Dei à Patre, vt non possit veterascere, sed singulis diebus appareat quasi recens, & nouus in
Psal. 2. vita, adeò, vt dicat Pater, Psalm. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Nullum vnquam senium nouit filius Dei, sed quasi recens natus, & nunc, & in perpetuum oritur à Patre. Hanc æmulentor iuuentam, hanc procurent sibi nouitatem, qui diuino saturantur conuiuio. Id quod respiciens D. Petrus
1. Petr. 2. 1. epist. 2. sic ad diuinas epulas accedentes monebat: *Quasi modò geniti infantes rationabiles, & sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem, si tamen gustatis, quoniam dulcis est Dominus.* Recens nati pueri quotidie lac exhauriunt, & quotidie ad nouum exhauriendum exultant: sic quisquis diuinis epulis refici curat, omne senium abiuret, totus singulis diebus renouetur, vt quasi modò genitus appareat, & ad mensam Dominicam accedat, quasi ad matris mammillam, vt nouum inde lac, nouum alimentum percipiat. Nec aliter
August. dignè accipit, dignè manducat: ex quo D. August. tract. 26. in Ioann. inquit: *Qui credit in Deum, manducat, inuisibiliter saginatur, quia & inuisibiliter renascitur. Infans intus est, nouus intus est, vbi nouellatur, ibi satiatur.* Abiuret senium, iuuenili pulcrescat decore, & roboretur vigore, & vbi quasi recens natus infans, vbi quasi nouus apparet, vbi nouellatur, ibi saginatur. Non equidem bene assuitur veteri pannus nouus; nec ille, qui quotidie gignitur, & recens oritur à patre, vniri potest cum animis inueteratis. Caue, quòd veterascas in conuiuio diuino, aut quod tibi veterascat conuiuium, non assidet Dominus veterascentibus, sed innouatis singulis diebus.
Matth. 26. Matth. 26. dum celebrat Eucharisticum conuiuium aiebat: *Dico autem vobis, non bibam amodò de hoc genimine vitis, vsque in diem illum, cùm illud bibam vobiscum nouum,* &c. Cur addidit, *bibam vobiscum nouum*? Vt doceat, quàm fugienda sit vetustas in sumenda Eucharistia, quando nec in vino probatur Domino. Vina solent vetustate commendari; non te fallat hoc, non enim in conuiuio Eucharistiæ habebis Christum socium, nisi in vino nouo, hoc est, nisi vbi ita sumitur diuinus potus, vt tunc de nouo videatur tibi exortus. Non longè abest Paschas. lib. de corp & sang. Domini, c. 21. vbi sic. *Rubentia musta in prælo crucis eliquantur dum quotidie Christi sanguinem de altari sumimus. Idcirco quoties nouum ex hoc vinum bibimus in regno Dei, Christus illud se bibere fatetur.* Sic te ad Eucharistiam sumendam compara, quasi tunc primùm omnia nouiter peragenda sint, & excludendum omne, quod referat vetustatem; vel in potu sumendo fuge vetustatem, sed quasi tunc de prælo crucis recens eliquatum, magis mustum, quàm vinum, sic sume; sic habes socium conuiuij, Christum, sic cœlesti potu in vitam saginaris; vbi enim nouellaris, ibi satiaris. Tristissimum est
Genes. 4. somnium illud Pincernæ Pharaonis, Genes. 4. ait enim. *Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines, crescere paulatim in gemmas, & post flores vuas maturescere: calicémque Pharaonis in manu mea. Tuli ergo vuas, & expressi in calicem, quem tenebam, & tradidi poculum Pharaoni.* Quale hoc Pharaonis poculum? Vuas accipit, in calice exprimit, & poculum Pharaoni præbet? Regibus vetera vina, & curata præberi solent; hic non recentia, & magis turbida musta quàm vina porrigit. & saluus erit? Quando tam intempestiuum poculum auspicium vitæ potuit præbere? Interlinealis putat, id totum ad Christiana tempora pertinere, in quibus ea pocula vitam halant, quæ vetustatem abiurant, quæ quotidie quasi de prælo crucis eliquata nouiter de altari su-
1. Cor 5. muntur. Ad hæc D. Paul. 1. ad Cor. c. 5. ait: *Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, sed in azymis sinceritatis, & veritatis.* Vbi Christus interest, nil magis nobis curandum quàm vetustatem abiicere, nouitatem amplecti; quippe vbi nouellatur, ibi satiatur.

§. XXXIV.

Periculosè non ostendis in vita, quas susceperis in diuino conuiuio epulas.

ECce tibi signum Eucharistiæ dignè susceptæ, *qui manducat me, ipse viuet propter me*; vita sequens Domino conformis, testatur qualem cibum susceperis, qualémque te in susceptione præbueris. Nihil in te habitantis Christi ostenditur in verbis, in operibus, in vita conuiuium subsequenti? Sanè caue, ne tibi tantus cibus in perditionem cedat. Aiebat Iob c. 20. *Non remansit quicquam de cibo eius, & propterea nihil permanebit de bonis illius.* Iob 20. Cibis se implet qui diuinis crebrò assidet sacræ mensæ; quid inde? eadem semper macie languet, simili modo fœtet ore, manus dissolutæ sunt, quasi nihil gustarit, quasi nihil comederit; fallar, si omnia eius bona perditum non eant. Guarric. Abb. serm. 2. Guarric. de Resurrect. ait: *Nihil prorsus in illis retinens, non saporem in sermonibus tanquam gustum in faucibus: non virtutem in moribus tanquam succum in visceribus; sed dum statim totum per inania, vel scurrilia reuomit, gratiam sibi in iram conuertit.* Heu quam periculosè nihil de prægustato cœlesti cibo in vita ostendimus: sæpe regali fruimur mensa, & nunquam non seruiliter viuimus; sæpe de spirituali potamus, & nunquam non carnales sumus. Seuerè, sed verè dicebat Paul. ad He- Hebr. 6. bræos 6. *Terra sæpe super se bibens venientem imbrem, & generans herbam opportunam illis, à quibus colitur: accipit benedictionem à Deo; proferens autem spinas, ac tribulos, reproba est, & maledicto proxima, cuius consummatio in combustionem.* Et qualis terra es tu homo Christiane, homo Religiose, homo Sacerdos? Et equidem terra sæpe bibens venientem imbrem, sæpe bibens cœlestem rorem sanguinis diuini, quòd si tantam rigationem fructibus non exprimas, sed sterilis maneas, sed spinas proferas, maledicto proximus es, cuius consummatio in combustionem. Meritò Simeon Iunior, orat. 5. in eos inuehit, qui post diuini cibi gustum relabuntur in peccata, fatus. *Cur qui diuinum mysterium cognouit, & accepit, non cauit? Lapsum hunc Adami lapsu minorem dicere non potes. Ille enim si Deum esse in se nouisset, de fructu præuaricationis non gustasset.* Non credit bonus Pater, quòd Adamus si semel in se Deum susciperet, posset inde vetitos fructus gustare, indeque nostram malitiam exaggerat Adami peccato maiorem, vt qui Deum in nobis suscipientes adhuc currimus ad voluptates & lapsus. Is enim est cibus cœlestis, qui nesciat non apparere, & sui euidentiam in splendore vitæ monstrare. Exod. 34. habes Moysem qua- Exod. 34. draginta diebus ieiunantem, habes & illum splendentem facie. An ieiunium fuit tanti splendoris causa? Non ieiunium, sed cibus cœlestis, quo illis diebus vescebatur, qui non potuit non splendore faciei monstrari. S. Macb. hom. 12. Machar. ait: *Moyses cùm quadraginta dies ieiunasset, fortior omnibus descendit, siquidem alebatur à Deo, & corpus eius alio cibo cœlesti regebatur, & gloria Dei lucebat in facie.* Equidem cibus cœlestis nescit non producere gloriam in facie; væ cui non gloriam, sed infernum parit!

Text. Hic est panis, qui de cœlo descendit, non sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt: qui manducat hunc panem, viuet in æternum.

§. XXXV.

Vix fieri potest, quod pereat, qui frequens est in Eucharistia suscipienda.

NOtanter dicit æternandum esse illum, qui manducat, non qui aliquando manducauit, & statim manducare desiit: sed qui manducat, nec cessat; imò frequens est, & continuus conuiua tanti epuli. Cur, qui inter halantes vitam dapes crebrò inuenitur, non ipse viuat in æternum? Vix fiet, quòd qui ad Deum sæpiùs accedit, in mortem eat. Vt carnis humanæ immortalem vitam probet Tertull. hoc vti- Tertull. tur argumento, lib. de Resurr. carnis, fatus: *Quam Deus manibus suis ad imaginem Dei struxit, quam de suo afflatu ad similitudinem suæ viuacitatis animauit, quam dominatui totius suæ operationis præposuit, quam sacramentis suis, disciplinisque vestiuit, cuius munditias amat, cuius castigationes probat, cuius passiones sibi adpretiat, haccinè non resurget toties Dei.* Et quidem quæ toties Dei fuit ob oculos, quæ toties Dei fuit præ manibus, quæ toties in Dei disciplinas venit, non potest non participare vitam æternã. Qui ergo frequens est in Eucharistia suscipienda, cuius nulla maior cura, quàm sacræ assidere mẽsæ, diuinum tractare corpus, Christi carnes ferè singulis diebus edere, an hic non vitam æternam habebit toties Dei? Sanè, qui toties Dei inter conuiuas adest, fallar, si funditus pereat. Elias mori timens ab ira Iezabel fugiens fractus labore sub vmbra iuniperi consedit, 3. Reg. 19. quẽ somno ibi 3. Reg. 19. sepultũ Angelus Domini excitat, panẽ porrigit, de quo edat:

comedit

comedit ille, & nullum mortis metum deponens iterum se tradit somno. Ad hæc Angelus maiori clamore, maiori vi dormientem excitat, & vt comedat iterum hortatur. Quid tunc? Comedit ipse, *& ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus vsque ad montem Dei Oreb.* nec vlterius progressus est, sed ibi mansit, ratus se inuenisse locum, in quo ad mortem minimè inueniretur. Sed expendendum venit, quòd in fortitudine cibi secundò sumpti ambulauit vsque ad locum, in quo mortem non timeret. Cur similiter dum primum cibum sumpsit non ambulauit? Nónne cibus idem erat, & ab eodem Angelo oblatus, & eiusdem virtutis; cur ergo non statim ambulat vsque in Oreb, vt mortis metus ponat? Non cùm primum edit, sed cùm semel & bis ad eundem cibum accedit, potest Elias se timori mortis eripere; cùm enim cœlestis cibi iteratur vsus, tunc ponitur mortis metus, & in vitæ spem ascenditur. Ex hoc monet Rabanus, inquiens. *Elias hu passus exprimit nostræ naturæ infirmitatem, quibus non sufficit simplex passus, quatenus ad superna valeamus ascendere.* Tunc infirmitas humana non timet, quando non semel accedit ad salutare Dei. Vis homo metus mortis ponere? Vis non timere? Non solùm semel, sed & bis, & ter, & sæpe dapibus Saluatoris vescere, illius diuini calicis vndis sæpe immergere, & vix restat, quid possis timere. Elisæus 4. Reg. cap. 5. monebat Naamanum leprosum: *Lauare septies in Iordane.* abiit sibi, & se lauit septies, & senio posito nouam iuuentutem inuenit. Non cùm primùm, sed cùm septies se vndis immergit, salutem obtinet, id quod notans VVerricus apud Tilmannum in allegoriis, ait. *Si tamen septies lauet, totiesque se plenius, & sapiùs mergat, non moratur salutis effectus. Sed proh dolor, quanta est nostri temporis miseria, quia non solum diuites, sed etiam pauperes si semel lauerint, mox sibi plenissimè videntur mundati. At Elisæus non ita sentit, sed signanter exprimit, septies lauare, & mundaberis.* Tunc non moratur salutis effectus, tunc ponitur totus mortis metus, cùm non semel, sed sæpiùs viuificis te vndis immergis. Vbi Iesus voluit famelicos reficere, quinque illi allati fuerunt panes, quos Dominus in manu habens multiplicauit. Sed cur cum illis solis possit etiam populos saturare, multiplicare illos maluit? D. Ambros. lib. 6. in Luc. ad cap. 9. ait: *Illud diuinum, quemadmodum quinque panes, quinque millibus populi redundauerint. Non enim exiguo, sed multiplicato cibo populum liquet esse satiatum.* Nisi cibum Christi in te multiplices, vix magnam percipies vtilitatem.

Raban. VVerr. Ambros.

CAPVT XI.

De tollenda ab vnoquoque cruce sua.

NEMO in hac vita securus à cruce, hoc est, securus à pœna, & dolore: vnde Dominus eos, qui se sequi vellent, necessarium fore dicebat, vt se ipsos abnegarent, vtque per singulos dies suam tollerent crucem, sicque eum imitarentur. Miser, qui à tanti domini vestigiis deflectat; dum enim animæ suæ consulere putabit, extremum illi afferet detrimentum. Quid tunc misero homini lucrasse mundum proderit, si ipse seipsum perdat? Et quidem perdet seipsum, Dominus enim Iesus cùm iudex sederit, solos amicos suos vocabit ad regnum; cæteros omnes tradet Gehennæ.

Matth. 16. Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.

§. I.

Miserè fallitur, qui laboribus alienis totam credit salutis suæ spem.

CVm tua cruce iuberis sequelam Christi amplecti, vt optatam possis obtinere salutem: falleris ergo, si crucibus alienis adeò fidis, vt nunquam exhibeas tuam. In oculis matris sex sancti Machabæi innumeris cruciatibus finierant vitam, aderat iam septimus & iunior similiter finiendus. Hunc fratrem cupiens tyrannus peruertere, nil non agit; vocat matrem, contendit, vt suggerat filio, quòd patriam religionem abiuret, obtenturus regiam familiaritatem, regias diuitias. Quid mater adhæc? Certamen erat de filij vita, & de propria vita, si filius hic regi placeret, & ipse, & mater viuerent felicissimi in hoc sæculo; insuper pro futuro sæculo habebat fratres pro Deo occisos, qui cruciatus suos offerrent Deo, vt veniam matri, & iuniori fratri acquirerent. Cur fœmina, & iuuenis non indulgerent vitæ suæ, habentes tantum martyrum patrocinium? At mater sapiens sic loquitur ad filium 2. Machabæor. cap. 7. inquiens: *Peto te nate, vt aspicias ad cælum, & terram, & ad omnia, quæ in eis sunt, & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus: ita fiet, vt non timeas carnificem istum, sed dignus fratribus tuis effectus particeps, suscipe mortem, vt in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam.* Ad hoc, vt in miseratione diuina recipiatur, iubetur non se credere fratrum laboribus, sed illorum particeps fieri, & mortem subire: non enim, quod de alienis, sed quod de tuis impenderis, te prorsus perditioni eripiet. Pulchrè D. Cyprian. de exhortatione ad Martyr. cap. 11. ait: *Magna laus matris in exhortatione virtutis, sed maior in Dei timore, & in fidei veritate, quòd nihil sibi, aut filio de sex martyrum honore promisit, nec fratrum precem profuturam credidit ad negantis salutem: persuasit potius participem passionis fieri, vt in iudicij die posset cum fratribus inueniri.* Sapienter bona mater, nec sibi, nec filio de septem fratrum laboribus aliquid promisit: nec tantorum martyrum precibus totam credidit spem salutis; quin potiùs propria passione, & cruce sublata ad salutem persuadet venire. Huc conueniant delicati peccatores, qui sanctorum patrocinio, & piorum hominum siue laboribus, siue precibus, sic suam salutem committunt, vt nihil sibi pœnale sumendum putent. Anxiè quærunt piarum fœminarum, & sanctorum virorum amicitiam; de eorum credito salutem emere curant, cùm nihil, aut prope nihil velint ponere de suo. Eu miseri, quàm inani spe decipiuntur! Ioann. Apocal. 14. cœlestium ciuium voces audiuit, quippe ait: *Et audiui vocem de cælo, tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrui magni, & vocem, quam audiui, sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis.* Nullus in cœlo auditur cum instrumento non suo, & cur necesse fuit, quòd hi omnes pulsarent instrumenta sua? Sanè in principis domo instrumenta solent esse ipsius principis; & in Christi templis musici frequentiùs vtuntur instrumentis non suis; cur ergo necessum fuit, quòd citharœdi illi citharizarent in citharis suis, & non in alienis? Ipse Ioannes causam ostendit, dum inquit: *Audiui vocem de cælo.* Sanè in cœlesti ciuitate non inuenitur, qui alienis solis, sed qui suis pulsibus pertingat aures diuinas. Ex quo D. Bernard. in Apol. ad Guiliel. ait: *Væ citharœdis citharizantibus, non vt illi de Apocalypsi, in citharis suis; sed verò, vt hypocrita in alienis.* Suspecta tibi sit spes illa, qua adeò in alienis & precibus, & laboribus fidis, vt nullum tuum laborem exhibeas, meliori consilio Abraham, qui omnes mundi possessiones reliquerat; locum sepulturæ etiam gratis oblatum pacta emit pecunia, Genes. 23. meritò non in alienis, sed in suis volens habere sepulchrum; sed cur sepulchrum noluit habere in alienis, sed in suis? Sepulchrum pertinebat ad æternam requiem, & nouit sapiens vir quàm parum ad æternitatem prosunt, quæ non in propriis, sed in alienis sunt. Rationem insinuat Hieronym. epist. 35. ad Pamachium, inquiens: *Qui ad Dei verbum de terra Patria cognationis exierat, quique nihil de peruagatis notione diuersa spatijs comparauerat, omnis terræ aduena, solum tamen agrum sepulchrum emit, id est, non temporalem, sed æternam possessionem.* Ita vbi ad æternam possessionem respexit, agrum sepulchri emit, quasi nihil non suum possit conducere æternæ quieti. Vide lib. 8. cap. 3. §. 27. lib. 10. cap. 3. §. 3.

2. Mach. 7. Cyprian. Apoc 14. Bernard. D. Hier.

§. II.

Gratius Deo est, quod pateris pro virtute obtinenda, quàm quod pateris pro peccato tollendo.

NEscio, an aliquando Dominus iniunxerit pœnam hominibus in particulari pro peccato tollendo; modo autem pro Dei sequela, & perfectam omnium rerum abnegationem, & crucis mortificationem exigit. Peccatori nunquam dixit in particulari, abnega temetipsum, crucem amplectere, quod dixit sectatori suo. Et cur id magis à sectatore, quàm à peccatore exegit? Gratissimum sanè est Deo, quòd pateris malum pro virtute acquirenda; non adeò gratum, quod pateris pro peccato tollendo. Dum agni esum commendat Dominus, Exod. 12. ait: *Decima die* Exod. 12.

mensis huius tollat vnusquisque agnum per familias, & domos suas. Sin autem minor est numerus, vt sufficere possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum, qui coniunctus est domui suæ, iuxta numerum animarum quæ sufficere possunt ad esum agni. Erit autem agnus absque macula, masculus, anniculus: iuxta quem ritum tolletis & hædum. In quibus verbis notandum est, quàm sigillatim explicentur à Deo cæremoniæ, quibus agnus mactandus, & comedendus est: vbi autem venitur ad hædum, vnico solo verbo dicit, *iuxta quem ritum tolletis & hædum.* in agno tanta, támque minuta, & particularia exigit, quæ communi vocabulo prætenit in hædo. Cur id efficit Dominus? In hædo peccator exprimitur, in agno iustus; quæ autem iustus patitur pro virtute, sic Deo placent, vt diuino censu videantur digna: quæ autem peccator pro peccatis patitur, nec sic Deo placent, nec tantam habent commendationem apud illum. Ad hæc Paschasius lib.
Paschas. de Corpore, & sang. Domini, cap. 22. inquit: *Idcirco de solo agno, quid agendum sit, aperte instituit; de hædo verò quasi nolens edicere pressiùs reticuit. Quòd aliud est, quod perfecto perfectioribus mandauit; aliud verò, quod lapsis, & torpentibus ad indulgendum prouidit.* Et iustus, & peccator suas cruces sustollunt, nemo est à cruce securus; peccator crucem tollit, vt peccata eliminet; iustus sustinet crucem, vt virtutem acquirat. Peccatoris cruces non adeò æstimat Deus; iusti autem cruces sic æstimat, vt illas exigat, & omni diligentia procuret. Felix iustus, dum sub cruce est, fallar, si
Micha. 1. non rapiat oculos diuinos, Michææ cap. 1. dicitur: *Verbum Domini, quod factum est ad Michæam Morasthitem.* Expende nomina, nimirum, Michæas, quod interpretatur, *humilitas*, & Morasthitem, quod sonat, *hæredem*; & mirare, quòd per humilitatem sic Deo placeas, vt hæres placere solet dilectissimo patri. Sic placet, qui se humiliat, vt in hæredem accipiatur? Sanè non omnis humilitas te instar hęredis gratum reddit Deo, sed illa solùm, quæ ex peccato non nascitur, sed intra cæteras iusti hominis virtutes conspicua ap-
Hieron. paret. Aiebat D. Hieron. in Prologo: *Michæas interpretatur humilitas, Morasthitem autem in lingua nostra hæredem sonat. Pulchrè igitur humilitas, quæ inter virtutes, vel præcipua est, spe hæreditatis Dominicæ nascitur. Humilitas autem non illa, quæ venit de conscientia peccati, sed quæ inter virtutes ponitur.* Quod dum te peccatis obstrictum vides, te humilies, humique repres non multum est; at quòd inter virtutes conspicuus adhuc te humilies, te abneges, viliáque, & abiecta subeas, hoc maximum est, & propriùm illius qui instar dilectissimi hæredis placet diuinis obtutibus. Apud Paul.
Hebr. 10. ad Hebræos 10. dicit diuinus hæres ad Patrem suum: *Holocaustomata, & pro peccato, non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio; in capite libri scriptum est de me, vt faciam Deus voluntatem tuam.* Sanè rari inueniebantur antiquitus, quia amarent virtutem, qui pro solis acquirendis virtutibus laborarent; hoc omnibus commune erat, quòd ad expiationem scelerum offerrent sacrificia. Quantum hoc ad Deum? Sanè paruum erat, & paruæ æstimationis apud Deum quidquid insumebatur propter aliud, quam pro obtinenda virtute. Vnde diuinissimus hæres inter homines apparuit innocens, immaculatus, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, vt esset in mundo aliquid gratum oculis diuinis.

§. III.

Qui mortem ob Christum sustinet, censetur prorsus innocens, & immaculatus.

QVæris forsan, cur Dominus Iesus à suis sectatoribus exegit, quòd tollant crucem suam & abnegent semetipsos, & non etiam exigit quòd fleant, & castigent peccata sua? Sanè eo ipso, quòd quis per crucem mortémque sequitur Christum Dominum, iam minimè censetur peccator fuisse, sed prorsus immaculatus, & innocens. Post Christi Dòmini in mundum aduentum primi, qui martyrij laurea donati sunt, infantes Bethleemitici fuerunt, qui Herodis gladio percussi puerum Iesum defenderunt sanguine suo. Sed cur bone Deus infantilem ætatem vis primam in martyrium venire? A Christianæ œconomiæ limine voluit Dominus ostendere quales futuri essent martyres vniuersi, nimirum, malitia infantes, & prorsus im-
Cyprian. maculati. Quippe aiebat D. Cyprian. epist. 56. *Ætas necdum habilis ad pugnam, idonea extitit ad coronam; vt appareret innocentes esse, qui propter Christum necantur, infantia innocens ob nomen illius occisa est.* Eo ipso quòd pro Christi nomine sanguinem fundas, innocentiam infantilem prætefers; nouit enim effusus sanguis sic peccatorem tingere, vt purpura lanam intingit, ne quid natiuæ rusticitatis lanæ appareat, sed omnia sub splendenti murice rutilent. Dauid Psalm. 31. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Crediderim non idem esse remitti, & tegi Psal. 31. peccatum: sed aliquid excellentius significari per hoc, quòd peccata teguntur; quippè sunt quibus peccata remittuntur, & non teguntur; semper enim manet aliquid in illis, per quod peccata ob oculos sunt: feliciores igitur illi sunt, quibus & peccata dimittuntur, & ita teguntur, vt nullum illorum relinquatur vestigium, sed vndequaque innocentiæ fulgidus splendeat amictus. Sed qui homines talem felicitatem obtineant? Martyres indigitat Tertull. aduersùs Gnosticos, inquiens: *Propriè enim martyribus nihil iam reputari potest, quibus in lauacro ipsa vita deponitur. Sic dilectio operit multitudinem delictorum, quæ Deum, scilicet diligens ex totis viribus suis, quibus in martyrio decertat; ex tota anima sua, quam pro Deo ponit, hominem martyrem excudit.* Expende illud, *operit*, & *excudit*; duorum enim artificum munera exercentur in martyrio, eius qui imaginem excudit, & eius qui auro & coloribus expolit. Sane sculptor lignum rude accipit, & ferro adhibito imaginem pulcherrimam efformat, sed quæ licèt pulcherrima sit, tamen ligneam obscuritatem, & ligneos næuos prætendat. Tunc accedit alter, aurum adhibet, colores infundit, quibus omnia ligni vndequaque pulchrescunt, rutilant, vt nec næuus videri possit, nec ligni obscuritas. Sic prorsus dilectio Dei hominem martyrem excudit, dum ferro tradit, insuper sculptum auro operit, splendenti sanguinis murice pingit, vt nullo næuo, nulla obscuritate visa, pulcherrima appareat imago diuina. In cæteris fulget Dei imago sculpta sed lignea; in qua sordes, & næui apparent peccatorum, quæ etiam reputantur ad pœnam in sanctissimis: at in martyribus sic splendenti sub sanguinis murice omnia rutilant, vt nullo modo possit inueniri næuus vllus. Vox erat Psalm. 42. *Iudica me Domine, & discerne causam meam.* Psalm. 42.
Quid est, discerne causam? August. serm. 50. de Sanctis putat vocem esse martyrum postulantium, ne ipsi cum aliis confundantur, siquidem in sanguine suo habent, quo discernuntur præ omnibus aliis. Equidem in eo sanguis discernit martyres ab omnibus aliis, quòd in illis nihil relinquat, quod possit non placere vndequaque. De purpura dicebat Cassiodor. 1. variar. 2. *Color nimio lepore vernans, obscuritas rubens, nigredo sanguinem regnantem discernit, dum conspicuum facit, & præstat humano generi, ne de aspectu principis possit errare.* Vnus muricis sanguis sic valet discernere Cassiod. principes; sed scire cupis, vnde tantus valor illi sanguini insit? Iam dicit ipse: *Nam cùm sex penè mensibus marinæ delicia à vitali fuerint vigore separatæ, sagacibus naribus nesciunt esse grauissima, scilicet, ne sanguis ille nobilis aliquid spiraret horroris.* Idem. Mirum sanè, quòd murex occisus, & per sex menses proprio sanguine perfusus, nihil non suaue spiret, nec sagaces etiam nares possent in illo corruptionis aliquid persentire, fecit hoc auctor naturæ, ne sanguis ille nobilis natus reges discernere aliquid spiraret horroris? Quid pulchrius ad Christi martyrum commendationem? Illos ab omnibus aliis purpureus distinguit sanguis pro Deo effusus, sub quo sic rutilant, sic nitent, vt nec à sagacibus naribus aliquid corruptelæ præteritæ possit deprehendi. Cùm sanctissimi etiam viri egrediuntur à mundo, nescio quid solent sperare horroris, nimirum, reatum pœnæ exsoluendæ purgatorio igne. Verùm martyris purpureus splendor, nil non lætum exhibet, nec sanguis ille nobilis aliquid aspiret horroris; quin potiùs in eo nasutissimus aduersarius omnia deprehendat, & suauia, & pulchra. Ad hæc Origen. homil. 7. in lib. Iud. pro Christi martyribus, Origen. inquit: *Beati sunt, quorum cor, tùm de sæculo recedunt, non trepidat pro peccato, quos pergentes ad Dominum delictorum formido non terret. Beata illa anima, quæ occurrentes sibi æreas dæmonum turmas profusi in martyrio sanguinis cruore detrubat. Beatus est, de quo eunte ad cælum dicunt Angeli illam propheticam vocem: Quis est iste, qui ascendit ex Bosor, rubor vestimentorum eius? In rubore vestimentorum, cruorem sanguinis designans. Beatæ sunt ergo animæ, quæ sic Christum sequuntur, quomodo eas Christus præcessit.* Sic ille; quippe in martyre nihil habet mundi princeps quando penè omnes exeuntes de mundo mordentur peccatorum recordatione, martyrum nulla terret peccati formido, nec sub purpureo sanguine aliquid horroris spirat.

§. IV.

§. IV.

Christi Domini sectator, dum sui vnius vincendi curam habeat, omnes alias potestates a praeunte Domino inueniet deuictas.

QVisquis Christum sequer s, non iuberis gladium exe- rere aduersùs tenebrarum principem, non inire certamen cum mundo: hoc solùm tibi dicitur, *abnega temetipsum, & tolle crucem suam*; ipse solus traderis tibi, si tecum strenuè confligas, qui præit, Christus cæteras potestates tradet deuictas. Nonne audisti exercitum Israelitarum ab Ægypto eductum? Is multos hostes expertus est, qui impedirent eius viam, minutissimasque ciuitates, quæ resisterent. Quid tunc? Acriter ne pugnandum erat aduersùs tot hostium cuneos? Sanè pugnassent, qui alium secuti essent ducem: at populus, qui ducem Deum habebat, dum sibi consulit, nullum certamen init, sed sine pugna hostes a Deo inuenit deuictos. Sic Iosue cap.10. Dominus pluit lapides grandes super populi sui hostes; sic Iosue 6. Dominus etiam prosternit Iericho. Cur Domine non potiùs Israelitæ, & Iericho expugnant armis, & hostes prosternunt? Sufficit quòd Israëlitæ sibi consulant, quæ in se sunt vitia castigent, dum enim Deus præit, ipse sine sectatorum

Chrysol.

suorum conflictu, hostes castigat. Pulchrè D.Chrysol.serm. 69. inquit: *Miro contubernio Israelitico Deus conuersatus in castris, numerosas gentes nunc ferit fulmine, nunc tangit grandine, nunc solo tubarum clangore prosternit. vt ... e conflictu, sine vulnere Deus daret victrices acies, quas præcedit.* Vbi Deus ductor est, sine conflictu tuo tradet tibi omnes hostes tuos in manus, hoc tu cura, nimirum, quòd tuo prospicias homini, & Iesu vestigia sequaris; mihi crede omnia exurgentium hostium certamina ante vllum tuum conflictum vi-

Iosue 10.

debis à Iesu superata. Apud Iosue cap.10. cum penè innumeri rebellassent contra Israelitas, dicitur de Israelitarum exercitu, *Reuersusque omnis exercitus ad Josue in Maceda, vbi tunc erant castra, sani, & integro numero, nullusque contra filios Israel mutire ausus est.* Sic vniuersi consternuntur hostes, vt coram Israelitis sub Iesu Naue pugnantes, nec mutire audeant, nec vllum illis negotium facessant. Sed expendendum quàm longè aliter Septuaginta reddant nobis hæc verba; quippe aiunt: *Reuersus est omnis populus ad Josue in Maceda in castra sani; & non mutiuit filiorum, nec vnus lingua sua.* Noster dicit, quòd dum populus incolumis ad Iesum Naue accedit, non mutiuere contra illum hostes; Septuaginta aiunt, quòd ipse Israel non mutiuit lingua sua. Qualis hæc contradictio? An idem est, quod non mutias lingua tua, & quòd hostis tuus non mutiat? Equidem in his, qui militant sub Iesu, idem prorsus est, quod ipsi in se faciunt, & quod eorum hostibus Deus facit: non multa in hostes pares, si sub Iesu militas, vnum te hostem puta, te vince, & hostes à Deo victos habes: non mutias lingua tua, refrena tuam linguam, & quod nullus in te hostis mutiat, Deus faciet: crucem tuam tolle, ecce mundiales

Gal.6.

potestates tibi crucifixæ parent. Ad hæc Paul. ad Gal.6.ait: *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Quibus verbis quandam consequentiæ necessitatem agnoscit noster Cornelius, quia ideo mundus crucifixus nobis cedat, quia nosmet crucifiximus, ego sum crucifixus mundo, ego me crucifixum præbeo, quid inde? Consequenter ipse mundus, & omnes eius potestates per Dominum crucifixæ sunt, ne nobis afferant nocumentum. Non longè abest ab

Hieron.

hac mente Hieron. vbi sunt: *Crucifigitur iusto mundi ille, de quo Saluator ait: Confidite, ego vici mundum.* Itaque dum iustus sibi crucem parat, nil metuat æreas potestates, nil metuat mundialium voluptatum fallacias. Dominus qui præcedit, mundum ipse vincit, & vniuersos hostes fugere facit.

Text. Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdat eam; qui autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.

§. V.

Quod Deo, & virtuti postponis, minimè perdis, sed apud Deum reponis inueniendum ad salutem animæ.

SIc propter Deum perduntur temporalia, vt conditione meliori apud ipsum Deum reposita inueniantur; nihil enim funditus deperditur ex his, quæ Deo, & virtuti postponuntur. Vidua illa Sarephtana 3. Reg.17. ad eas erat re- 3. Reg 17.
dacta angustias, vt post pugillum farinæ necessariam expectaret mortem; ait enim: *Non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinam in hydria, & paululum olei in lecytho: en colligo duo ligna, vt ingrediar, & faciam illud mihi, & filio meo, vt comedamus, & moriamur.* Ecce tota vita fœminæ à pugillo farinæ pendebat, quo consumpto de vita agendum erat; quid tunc? Accedit Elias, petit de illa farinula cibum sibi in primis parari, & quod mirere magis, mulier in primis de farinula cibum parat Prophetæ: *Quæ abijt, & fecit iuxta verbum prophetæ*; non iuxta verbum suum, quæ post comestionem cogitabat mortem, sed iuxta verbum Prophetæ, non amplius cogitans, quòd moreretur, etiamsi farina consummetur. Quid agis mulier? Sic vitæ sustentaculum perdis? Dum tibi & filio parabas cibum ex pugillo farinæ, vicinam mortem meditabaris; quippe aiebas, *vt comedamus, & moriamur*; nunc cùm Eliæ facis, nō cogitas quantocius tibi moriendum? Cur non magis mortem caues? Cur non magis tibi consulis? Sanè dum Prophetam Dei cibat, non meminit mortis suæ periculum: hoc solum cogitat vt ante omnia Dei perficiatur opus, sciens minimè deperdi posse vitam, quæ Deo, & virtuti postponitur. Pulchrè D.Cyprian. de opere, & eleemosynis, ait: *Promptè* Cyprian.
ac liberaliter, quod petebatur, offertur: nec de abundanti portio, sed de modico totum datur, & esurientibus liberis alter prius pascitur, neque in penuria, & fame cibus, antequam misericordia cogitabatur, vt dum in opere salutari vita carnalis contemnitur, spiritualiter anima seruetur. Nunquam securius tibi bona reponis, quàm dum illa pro Deo contemnis, vbi tibi obsequium diuinum, virtutis officium primum ob oculos est, posthabitis bonis aliis, posthabita vita ipsa, & anima, & tibi & bona, & vitam & animam seruasti. Abraham iussus immolare filium vnicè amatum, in quo totas familiæ & gloriosæ posteritatis spes habebat fundatas, non differt imperium, imò Genes.22. *Extendit manum, arripuit gladium,* Genes.22.
vt immolaret filium. Quid agis Abraham, sic filium mactas? Cur non magis filij vitam à Deo postulas? Ante filij natiuitatem cœlum vocibus tangebas filium postulans, & minimè votis tuis omnipotentem Deum precibus solicitabas, & modò pro eius vita, nec verbum facis? Adde consilium diuinum de Sodomis perdendis tibi reuelatum, quot precibus, quantis argumentis conaris, vt reuocetur, & imperium de filio perdendo minimè niteris reuocare? An tibi chariores erant Sodomitæ, quàm filius? Cur illos diuino gladio eripere satagis, & filium gladio tradis? Sane iam didicerat Abraham illos perdi, qui gladio diuino eripi curabantur; non qui pro Deo, & virtute sustinebant gladium: ideo dum anxius salutem, & incolumitatem filij procurat, eo festiniùs illum pro Deo gladio tradit. Pulchrè D.Zeno D Zen.
serm. de Patient. ait: *Igitur sibi dulcissimum filium, Deo victimam dulciorem contemnit, vt seruet: destinat iugulare, ne iugulet. Crede mihi, nullo melius seruaris, quàm dum te perdis pro virtute; quod Deo anteponis, id totum perdis; & quod vni Deo postponis, id tibi seruas securissimum. Propone tibi ob oculos Saulem Regem; is imperium Dei habebat de perdendis Amalecitis, similiter & ipse Sacramentum fecerat de perdendo eo, qui ante prostratos hostes sumeret cibum. Quid inde? Dum Amalecitas perdit, vidit eorum Regem hominem specie insignem, vidit & multa alia bona valde ditia, & nescio qua misericordia ductus, decreuit parcere specioso Regi, & reseruare pulchriora bona, quibus regnum suum maneret diutius.* Hæc ibi. Verùm aliàs quærens violatorem Sacramenti de non sumendo cibo inuenit tanti criminis reum filium amantissimum Ionatham: cui nullatenus parcendum putat, sed statim morti adiudicat. Et qualis rei euentus? Amalecita Rex cum suis bonis absoluitur à Saul, ab eodem damnatur, & morti traditur filius; ait enim Saul 1.Reg.14. *Hæc faciat mihi Deus, & hæc ad-* 1 Reg 14
dat, quia morte morieris Ionatha; sic à Saule decernitur mors Ionathæ, & vita Amalecitæ, & nilominus Amalecita perditur, & eius bona absumuntur, imò regnum Saulis, quod illis videbatur fulciri, penitus ruit: & Ionathas viuit, à mortisque periculo eripitur. Sed cur Amelicita, & bona eius, & cum illis regnum Saulis perduntur, & Ionathas, qui morti traditur à parente, viuit? Sanè dum Saul parcit Amalecitis, anteponit eorum, & regni, bona Dei imperio, quo cautum erat, ne quid Amalecitarum seruaretur, & inde euenit illis omnibus perditio: dum morti tradit filium, ideo tradit, vt Sacramentum de cibo non sumendo fractum vindicaretur, postponens religioni etiam vitam amantissimi filij, quem quia propter religionem contem-
nit,

nit, seruat; & quia destinat iugulare, non iugulat: sed ipsa perditione mercatur eius vitam. Ad hæc Iosephus lib. 6. de antiquit. cap. 5. inquit: *Saul iurat se filium occisurum, pluris quàm genus, aut naturam, aut affectum iusiurandum faciens. Omnis multitudo iurant non laturos se, vt occidatur Ionathas auctor, tam luculentæ victoriæ, atque ita iuuenem ereptum patri eripiunt.* Ecce tibi vnde Ionathas viuit, nimirum, quia Saul iuramenti religionem pluris facit, quàm genus, quàm filium; & qui propter seruandum iuramentum, contemnit filij dilectissimi vitam, ideo filium incolumem habet. Dum autem imperium Dei contemnit Amalecitis parcens, vt regnum augeat, simul & Amalecitarum, & regni sui perditionem videt: vbi pluris facit religionem, quàm naturam, quam filium, contemnit filium, vt seruet destinat iugulare, ne iugulet. Et cui non gloriosum est propter Deum perditioni dari? Felices illi Machabæi multa de Deo & religione paria apud Antiochum loquebantur. 2. Machab. cap. 8 Quid tunc? *Iratus itaque Rex iussit sartagines, & ollas æneas succendi. Quibus statim succensis iussit ei, qui prior fuerat, locutus, amputari linguam.* Sic linguam Deo plenam perdi Deus patitur? Non sanè erat perditio linguæ, quod ob Dei nomen prædicatum amputaretur, sed gloria, quia omnium prima debuit coronari: vt prior apud Deum reponeretur, quæ prior coram hostibus Deum commendarat. Cyprian. de Exhort. martyr. ait: *Eum, qui primus locutus fuerat, & magis Regem virtutis constantia prouocauerat, admoneri præcepit, & frigi, producta, & ei ex illis prius lingua, quæ confessi Deum fuerat: quod martyri gloriosius contigit, lingua enim confessa nomen Dei, prior ad Deum debuit ipsa proficisci.* O gloriosa perditio, in qua quod deperditur, apud Deum reponitur, & ibi seruatur, vt inueniatur. Dicitur Actor. 8. *Ecce vir Æthiops eunuchus potens.* Vbi non abs re quis miretur quòd eunuchus vocetur à Scriptura vir pleno ore. Sed ait D. Hieron. in cap. 1. Sophoniæ. *Quia enim eunuchus erat Christi, & se eunuchizauerat propter regnum cælorum: propterea viri vocabulum non amiserat.* Hæc ille. Vide infr. cap. 15. §. 25.

Iofeph.

2. Mach. 8.

Cyprian.

D. Hier.

Text. Quid enim prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua.

§. VI.

Vbi de animæ damnatione agitur, omnia bonorum temporalium commoda disparent.

EV quàm auolant omnia temporalia lucra, & commoda, vbi incipit animæ apparere perditio: dicebant illi in inferno positi Sapient. 5. *Quid nobis profuit superbia? Aut diuitiarum iactantia, quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam vmbra,* &c. Nullum commodum, nullum lucrum in omni gloria mundi inuenit anima, vbi ipsa damnationem incurrit. De mundialibus iacturis nulla est tanta, quæ omnem consolationis remedium absorbeat, imò in singulis iacturis prompta sunt effugia, quò se homo conferat, vt aliquale solatium requirat. Verùm in animæ ruinam nullum restat effugium, ad solatium perquirendum, sic sunt vniuersæ consolationis obstructæ viæ, vt de toto mundialium bonorum mare, nec guttulam refrigerij instillari videas. Aiebat Iob cap. 11. *Oculi autem impiorum deficient, & effugium peribit ab eis.* Expende impiorum malum, nimirum, quòd effugium peribit ab eis: & quidem in præsenti multa habent malorum effugia, in futuro, vbi res agatur de animæ damnatione, effugium omne peribit. Rem pulchrè tractat D. Gregor. lib. 10 Moral. cap. 13 inquiens. *Nonnunquam tum tristitia aliqua pulsantur, effugij latebras inueniunt: quia ad voluptatem protinus desideriorum carnalium recurrunt. Ne paupertas cruciet, diuitijs animum demulcent. Ne despectus proximorum deprimat, sese dignitatibus exaltant. Si fastidio corpus attenditur, oppositis epularum diuersitatibus nutritur. Si quo animus mæstitiæ impulsu deijcitur, mox interposita iocorum blandimenta releuatur. Tot ergo hîc habent effugia, quot sibi præparant delectamenta. Sed quandoque ab eis effugium perit, quia eorum mens amissis omnibus se solummodo, & iudicem conspicit.* Ecce tibi de omnibus mundialibus nullum restat effugium miseræ animæ, dum ad sententiam damnationis venitur: ibi & diuitiæ, & epulæ, & imperia diffugiunt, se solummodo anima, & iudicem videt. Nullus ibi aduocatus, nullus, qui eius defensionem suscipiat, simul cum mundialibus bonis omni defensore, & aduocato diffugiente, transeunte, solo permanente iudice. Nec immeritò dolet Dominus vicem eorum, qui cum damno animæ lucrati sunt bona mundi, ait enim Luc. 6 *Væ vobis diuitibus, quia habetis consolationem vestram.* Tertull. lib. [illegible] in Marc. cap. 15. legit: *Væ vobis diuitibus, quoniam recepistis aduocationem vestram.* Totam aduocationem vestram recepistis, tota vestra aduocatio in præsenti præterijt, adeò vt tandem vobis restet iudex sine aduocato, sine defensione vllo. Rem explicabis, si memineris vnde constet peccatorum felicitatem D. Ioan. 1. epist. 2. inquiens: *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum.* Hæc est summa nostra felicitas, quòd apud Deum noster sit aduocatus Dominus Iesus Christus, ibique perpetuò assistat interpellans pro nobis; qui autem mundialibus lucris dediti sunt etiam cum animæ detrimento, in mundi bonis accipiunt suum aduocatum, suámque defensionem; adeo, vt apud Deum nullus illis restet aduocatus, nulla defensio, sed strictior [illegible] iustitiæ. Væ miseris, qui dum animæ detrimentum negligunt, præ mundi lucris, hi accipiunt aduocationem suam vnà cum bonis transeuntem, non habent permanentem apud Deum, apud quem transeuntibus bonis mundialibus se solos vident, & iudicem sine aduocato vllo. Qualem aduocationem agent bona illa, quæ disparent, diffugiunt; nec ad horam consistere possunt ante iudicis tribunal? Amos cap. 6. aiebat: *Væ qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratu vestris: qui comeditis agnum de grege, & vitulum de medio armenti. Qui canitis ad vocem psalterij.* &c. Cur dicitur, Væ homini tot diuitijs ornato, tot voluptatibus circumsepto? Vnde iste diues, iste opulentus miser esse poterit, & dignus, qui audiat, væ tibi? Quia cùm stantem, & permanentem aduocatum apud Deum deberet quærere, vnam diuitiarum aduocationem sibi acquisiuit, quæ minimè consistit, nec permanet ante Dei tribunal, sed inde quantociùs disparet, diffugit. Eleganter Tertull. lib. 4. in Marc. cap. 15. ait. *Væ, qui dormiunt in lectis eburneis, & delicijs fluunt in thoris suis, qui edunt hædos de gregibus caprarum, & vitulos de gregibus boum lactantes, compaudentes ad sonum organorum: tanquam perseuerantia deputauerunt, & non tanquam fugitiua.* Expende vltimæ miseriæ radicem, quòd mundialia bona tanquam perseuerantia deputentur, & non tanquam fugientia, quòd putentur velut aduocata, perseueratura & astatura ante diuinum tribunal, & non potiùs putentur tanquam fugientia, & transeuntia. Rem explico exemplo: verbi gratia, homo reus accedit sese defensurus apud regium tribunal, & nihil curans oratores, & aduocatos ibi frequentes, & perseuerantes, offendit casu in hospitio transeuntem aduocatum, qui cùm primùm illuxerit, irreuocabiliter inde abiturus est: hunc tamen dum inuenit reus, felicissimum causæ exitum putat inuenisse; illi totam committit causam, explicat defensionis fundamenta, & lætus, & securus decumbit. Quid plura? Stat dies causæ indictus, sedet iudex, cogitur reus adesse, sententiam damnationis excepturus: aduocatus ille summo manè profectus abiit, nullus alius paratus est, vnde necessum est, quòd pereat miser, qui tanquam perseuerantem putauit, & non transeuntem.

Luc. 6

Tertull.

1. Ioan. 2

Amos 6.

Tertull.

§. VII.

Quidquid alienum a Christo est, potiùs cedit in perditionem animæ, cuius salus a solo Iesu venit.

NIsi homo Christum spectet, Christum sequatur, nullam pro anima sua commutationem potest dare; imò quam dederit commutationem pro anima sua; magis perdet animam, quàm saluabit. Hinc noueris dæmonis astum, quo extollit hominis potestatem pro saluanda anima; quippe ait Iob. 2. *Pellem pro pelle, & vniuersa, quæ habet homo, dabit pro anima sua.* Quasi diceret: non parcus est homo pro anima saluanda; quinimò pro illa dabit vniuersas diuitias, dabit & ipsum sanguinem. Sed scire cupis, cur dæmon tantus sit, in exaggerandis commutationibus, quibus homo salutem animæ comparabit? An id facit vt amicus salutem animæ humanæ negotians, & ostendens thesauros vnde facile possit comparari? Nullo modo, sed potiùs vafer hostis perditionem animæ molitur, dum procurat illam committere commutationibus, quas det homo, non quas det Christus; quippè scit astutissimus serpens, quòd quidquid à Christo non venerit, nequit non obesse saluti animæ. Pulchrè Paschas. lib. 8. in Matth. fatur. *Ille non vt seruare vellet*

Iob 2.

Paschas.

vellet animam, hoc dixit, sed occasionem inde inuenire, vt eam læderet. Noati enim, quod alia commutatio pro anima in hominis potestate nulla esset, nisi pretioso sanguine Christi redimatur. Vbi Christus non interuenit, perdunt hominis animam quæcumque aliæ cauæ animæ tuæ salutem credere alteri, quam Christo, proculdubio illam perdes. Ille solus redimit animam, qui omnia pro salute impensa accepta refert Christo. Iesus Naue c.10. dū populi salutem procurat, quinque contrarios Reges vinctos in medium producit, quos calcari, & *Iosuë 10.* pessumdari iubet ab Israëlitis, túncque *percussit Iosue, & interfecit eos, atque suspendit super quinque stipites.* Cur contritos, & calcatos Reges, imò occisos iubet suspendi super stipites? Ne hostium triumphus, & salus populi alteri vi-*Origen.* deretur referri quàm crucifixo. Ex quo sic Origen. homil. 12. in Iosuë fatur. *Vtinam Dominus meus filius Dei mei istud concedat, & iubeat me pedibus meis conculcare spiritum fornicationis, & calcare super ceruices spiritum iracundiæ, & furoris, calcare auaritiæ dæmonem, calcare iactantiam, & cum hæc fecero, operis gesti summam non mihi, sed cruci eius appendere, sequens Paulum dicentem, quia per ipsam mihi mundus crucifixus est.* Nulla victoria pro animæ bono reportata non suspecta est, nisi crucifixi manus in ea appareat; vnus est Christus Iesus, qui nouit hostes detriumphare, qui nouit animas nostras saluas facere, sine Iesu cætera omnia perditionem *Matth. 16.* operantur. Paulò superiùs in hoc Matth. cap. vt D.Petrus audiuit sanguinem Iesu effundendum in pretium animarum, ait: *Absit à te Domine, non erit tibi hoc.* Iesus autem immediatè Petro dixit: *Vade post me Satana.* Proh Deus immortalis discipulum clarissimum Satanam vocas? Quid Petro, & Satanæ commune, præcipuè eo tempore, quando diuini sanguinis effusionem cauet? Equidem non id consilium à Petro, sed à diabolo, qui moliebatur excludere crucifixum à mente Petri, vt illum in perditionem traheret; non enim antea negationis scelus admisit, quàm vellet sine *Chrysol.* sanguine Christi salutem mundi comparari. Acutè Chrysolog. serm. 27. *Venenum quàm dulce serpentis, quæ facit militem Regis sui negare victoriam, seruus ipse Dominum quàm negaret.* Ex quo aliunde, quàm à pretio sanguinis Christi voluit Petrus animarum salutem comparare, iam ipse disponebatur ad negationis barathrum. Solus Christus Dominus, qui pretium habet, quo animæ redimantur, quod vt ipse solus haberet nihil aliis reliquit, quod præstare possent pro animarum salute comparanda. Hinc est quòd octiduanus circuncidiiur, & quem sanguinem in cruce effusurus erat, etiam in circuncisione effundere incipiat. Cur Domine tam citò effundis sanguinem? Cur tam durum remedium pro nostra salute suscipis adhuc tenellus pusio, & octiduanus? *D.Zen.* Rem attigit D.Zeno serm. de duplici circuncisione fatus. *Non enim aut finis legis, aut verus Christus esse potuisset: si quid prætermitteret, quod ab alio salutis hominum præstari oportuisset.* Sic omnia, quæ pro animarum salute dari possunt, præoccupauit; vt nihil reliquerit præterea præstandum, & si quid sine illo est, id eo ipso minimè reputatur conducens humanæ saluti.

Text. Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui, cum Angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundùm opera eius.

§. VIII.

Quæ magis supplicium peccatorum differtur, eo grauius, & acerbius.

NE putes supplicium impiorum non esse, quia illud differre vides, tandem veniet Dominus in gloria patris sui, & reddet vnicuique secundùm opera eius. Sed cur tandem, & non magis statim? Equidem quæ parua sunt, citò parantur: at quæ magna sunt, maiores postulant moras, adeò vt ex mora supplicij perspicuè appareat eius magnitudo. De hypocritis in iudicio clamantibus locutus *Matth. 7.* Dominus Matth. 7. ait: *Tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos.* Cur vsque tunc expectas Domine, vt nefarissimos *Chrysost.* homines punias? Meritò ait Chrysost. hom. 19. *Vsque tunc sustinebit, quia grandem iram, grandis dilatio præcedere debet.* Quando mundialis Rex grandem iram aduersùs alium concipit, ingentémque illius meditatur vastitatem, non subitò mouetur, sed quo maior fuerit ira, eò plus temporis insumit, dum arma parat, exercitus vndique accersit, vt certior fiat pernicies contrarij. Sic in Deo grandis dilatio dum præcedit, grandem iram ostendit parari; quippè ait Sapient. cap. 5. *Accipiet armaturam zelus illius, & armabit* *Sap. 5.* *creaturam ad vltionem inimicorum. Induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galea iudicium certum. Sumet scutum inexpugnabile æquitatem. Acuet autem duram iram in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum,* &c. Non quidem Rex diuinus statim prosilit in scelestos, non enim eam iram habet, quæ cùm parua sit, paruis contenta maneat: sed pro magnitudine iræ dilationis magnitudinem metitur, dum armaturam sumit, dum creaturas armat, dū vndique milites vocat, lanceas parat, gladios acuit, dilationes sunt istæ, quæ debent præcedere iram magnam. Ad hæc Psal. 7. *Nisi conuersi fueritis,* *Psalm 7.* *gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, & parauit in eo vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.* Ecce quot moras, quot supplicij dilationes: non gladium exerit, & statim percutit; sed gladium exerit, deinde arcum tendit, tunc vasa mortis parat, insuper sagittas ardere facit? Quorsum tanta? D.Basil. in Psalm. 14. ait: *Veluti præparatione quadam ad vltionem, intentat.* *Psalm. 14* *Quemadmodum enim qui arma abstergunt, ac poliunt, pugna mox ineunda acrem affectum, & alacritatem per hoc significant.* Ne te fallat dilatio in vindicandis sceleribus, quin potiùs in dilatione caue tibi ingentem cupiditatem magnæ vindictæ. Non enim differt Deus supplicium, & obliuiscitur, sed differt, & armaturam sumit, & gladios acuit, & milites conuocat, & creaturas armat, & vasa mortis parat: hæc dilatio non iram sedat, sed illam ostendit magnam. Vnde minabatur Dominus Psalm. 74. *Cum accepero* *Psal. 74.* *tempus, ego iustitias iudicabo.* non cùm acceperit gladium, sed cùm acceperit tempus, quasi nullo magis ostendatur rigor, & ira iudicantis, quam si fuerit per tempus dilata. Ad hæc Psalm. 7. notanter ait: *Deus iustus, fortis, & longa-* *Psalm. 7.* *nimis.* Vbi D.Gregor. homil. 13. in Euang. ait. *Distuens lon-* *Gregor.* *ganimem, præmisit iustum, vt quem vides peccata delinquentium diu patientem, scias hunc quandoque etiam districtè iudicare.* In Dei longanimitate ad expectandum, eius tibi in primis seuera iustitia præ oculis sit, quæ sanè post longam expectationem dabitur. Quò spectans Ierem. Thren. 2. ait. *Te-* *Thren 2.* *tendit arcum suum, quasi inimicus, firmauit dexteram suam, quasi hostis, & occidit omne, quod pulchrum erat visu.* Expende illud, *tetendit arcum,* non ait contendit, sed *tetendit*: hoc est, dilatauit, in qua dilatatione flagelli, posita fuit tota acerbitas flagellantis. D.Paschas. lib. 2. ibi ait: *Quantò magis ex* *Paschas.* *Dei patientia, iudicij tempus extenditur, tanto retributionis vindicta durior accumulatur.* Stagnatur diuina ira per patientiam, vt postea maiori amne, quasi de pleno effundatur.

§. IX.

Raro non iniustè agitatur causa hominis, quam per ministros iudex tractat.

VEnturus Dominus ad iudicium non præmittit Angelos, non promittit ministros qui causas hominum examinent, sed ipse per se venit examinaturus in conspectu Angelorum, ipse & iudex, & testis, & scriptor erit, siue notarius, vt omnem suspicionem tollat a diuino tribunali. Apud Ezech. cap. 9. dicitur. *Ecce sex viri veniebant de via* *Ezech 9.* *portæ superioris, quæ respicit ad Aquilonem, & vniuscuiusque vas interitus in manu eius: vir quoque vnus in medio eorum vestitus erat lineis, & atramentarium scriptoris ad renes eius, & ingressi sunt, & steterunt iuxta altare æneum.* Hic vir lineis vestitus in medio sex Angelorum communiter putatur esse diuinus iudex viuorum, & mortuorum Christus Dominus, cùm iudicium à Patre sumens veniet causas hominis discussurus. Quo posito notandus est habitus qualis sit, nimirum *atramentarium scriptoris ad renes eius*. Sanè atramentarium ad renes positum, potiùs notarium, siue scriptorem designat, quam iudicem, vbi mundialis iudex apparet virga insignis, eius cingunt latera notarij plurimi, atramentaria circa renes habentes, vt causas examinent, & testimonia scribant. Cur iudex diuinus nullos notarios exhibet, sed ipse sibi atramentarium accingit, & simul iudex apparet, & scriptor? vt tollat omnem suspicionem à iudicio suo, quæ vix tollitur, dum res agitur per ministros. Ad hæc Paschas. lib. de corpore, & sanguin. Domini c. 8. *Paschas.* inquit. *Neque fit error iudicij, vbi iudex est, & scriptor verbum Dei patris Christus Iesus.* Ægrè, & difficulter rectum iudicatur iudicium, vbi per officiales, & ministros causæ agitantur: sic iudex omnium integerrimus, dum non sit ipse scriptor simul, sed per alios scriptores, & ministros causæ ventillandæ sunt; rarò non peruertitur iudicium. Vbi Nabothi causa

3\. Reg. 21. ...ctum procedebat iudicium: petebat quidem Rex vineam, ſed vel aliam meliorem, vel iuſtum pretium exhibebat pro illa, nullam patiebatur Naboth iniuriam. Quid tunc Iezabel Regina? Cauſam ad forum tribunalis deducit, quippè ait textus: *Scripſit itaque literas ad maiores natu, & optimates, qui erant in ciuitate eius, & habitabant cum Naboth. Literarum autem hæc erat ſententia; Prædicate ieiunium, & ſedere facite Naboth inter primos populi, & ſubmittite duos viros filios Belial contra eum,* &c. Nota fœminæ ingenium; forum ſtruit, tribunal conſtituit, conſeſſus parat, & de fori more omnia decernit, dum teſtes iubet vocari, & qui teſtimonia excipiant. Ad quid hæc? Vt iniuſtè bona rapiat Nabothi, & virum occidat. Quid agis mulier? Si iniuſtè hominem perdere cupis, cur non potius id mandas regalis cuſtodiæ militi? Ad tale facinus perpetrãdum truculentus aliquis latro non propior, & expeditior adeſſet, qui omnia citiſſimè perficeret, cur magis forenſis tribunalis moras expectas? Equidem nouit fœmina, quàm ſoleat naſci iniuſtitia ex tribunali, vbi res agitantur per tot miniſtros, qui de mammona iniquitatis viuunt. Accipite D. Bernard. lib. 2. de conſideratione, miniſtros fori depingentem. *Niſi agitentur cauſæ, audiantur partes, inter partes iudicare quis poterit? Agitentur cauſæ, ſed ſicut oportet. Nihil ita abſque labore manifeſtam facit veritatem, vt breuis, & pura narratio. Miror namque quemodmodum religioſæ aures audire ſuſtinent huiuſmodi diſputationes aduocatorum, & pugnas verborum, quæ magis ad ſubuerſionem, quàm ad inuentionem proficiunt veritatis. Hi ſunt, qui inſtruunt, à quibus fuerant inſtruendi, aſtruunt, non comperta, ſed ſua, ſtruunt de proprio calumnias innocentiæ, deſtruunt ſimplicitatem veritatis, obſtruunt iudicij vias.* Equidem forenſis officialium ſtrepitus raro puræ veritatis auditui non obſtruunt viam. Ideo Labab Gen. 31. vbi rectum iudicium deſiderat, omnem forenſem officialium ſtrepitum abiurat. Ait enim: *Si afflixeris filias meas, & ſi introduxeris alias vxores ſuper eas, nullus ſermonis noſtri teſtis eſt abſque Deo, qui præſens reſpicit.* Cur non ſtatuit teſtes aliquos præter Deum, quibus faciliùs poſtea conuincat reum fractæ fidei? Nónne ſi præter Deum teſtes etiam adhibeantur, ſecurius iudicium agetur? Apage, inquit Laban, procul abſint teſtes, & forenſis ſolemnitas, ſolus Deus adſit, vt iudicium poſſim ſperare rectum. Hinc Prælato niuiis attento forenſibus, ait D. Bernardus epiſtol. 276. *Ordinatiſſimum eſt, minùs interdum ordinatè aliquid fieri.* Sed hoc liceat diſcretionem habenti.

Bernard. (margin, beside "viunt. Accipite D. Bernard.")

Gen. 31. (margin)

Bernard. (margin)

Text. Amen dico vobis, ſunt quidam de hîc ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno ſuo.

§. X.

Solus Ieſus eſt, qui nouit peccatoribus parcere.

PAulò antè dicebat, quòd venturus eſt filius hominis in gloria Patris ſui, cum Angelis ſuis; modò dicit, quòd venientem filium hominis videbunt Apoſtolorum aliqui, & non addit, quòd venientem cum Angelis ſuis videbunt. Cur antea veniens apparebit cum Angelis, & modò non apparebit cum Angelis? In primo loquitur de aduentu iudicis, quando ſeuerus veniet, nullam veniam, ſed iuſtitiæ rigorem executurus peccatores damnans, in quo munere etiam Angeli apparebunt, vtpote, qui ſupplicia ſciant inferre peccantibus. In ſecundo loquitur de aduentu Domini in Thabor, vbi ſeſe glorioſum exhibens cum Helia & Moyſe tractauit de peccatis mundi lauandis, de peccatoribus admittendis ad gratiam; ibi ſolus Ieſus apparet, non Angeli, quia minimè Angeli, ſed ſolus Ieſus nouit peccatoribus parcere. Populi ductorem Angelum ſæpius Deo mittenti reſpondit Moyſes Exod. 33. *Si non tu ipſe præcedas, ne educas nos de loco iſto.* Bonus Moyſes renuit Angeli ducatum, ſolum Deum cupit habere ductorem populi? Cur ô bone non tibi ſufficit, quòd Angelus præcedat? Cur neceſſum eſt, vt Deus per ſe ipſum ductor ſit populi; Moyſes cupiebat illum ductorem populo ſuo dare, qui noſceret aliquando peccatoribus parcere, ideo refugit Angeli ducatum, & Dei ſolius præſentiam ambit. Ad hæc D. Baſil. orat. 17. fatur: *Moyſes, quòd populus eſſet ſceleſtus, & opus haberet eo, qui conniuere delictis, & peccata remittere poſſet, id quod ipſi Angeli efficere nequeunt, ſiquidem illi vlciſcuntur eos, qui ſe vitijs inquinarunt; veniam autem concedere ijs, qui ſceleribus ſe ... poſſunt. Fuit igitur Verbi Dei, ſolus potens ille ſeruator, qui ſolus remittendi peccata poteſtatem habet.* Angeli norunt ſcelera caſtigare, impios ſupplicijs afficere; conniuere autem delictis, veniam largiri peccatoribus, ſolus Ieſus nouit. Dura lex illa Leu. 7. aduersùs peccatores, quippè ait: *Omnis mundus manducabit carnem, & anima quæcunque contigerit de carne ſacrificij ſalutaris, & immunditia ſuper illam eſt, pereat anima illa,* &c. Sic pereundum erat impiis, cùm primùm immundi ſacra tangerent; vltoribus Angelis omnia plena erant; qui ſuper impios, vel fulmina iacerent, vt ſupra Sodoma, vel gladios pluerent, quibus perderentur, vt Aſſyrij interempti fueruut gladio Angeli. Sed cur modò non ſic perduntur peccatores etiam inter ſacra? Rem ponderans D. Patianus in Parenæſi ad Pœnitent. fatur: *Antiqua iſta ſunt, & modò non ſiunt. Deſiit Deus noſtra curare? Abſit, inquies. Videt ergo quæ facimus, ſed vtique expectat, & patitur, & pænitentiæ tempus indulget, & Chriſto ſuo præſtat, vt differat, ne citò pereant, quos redemit.* Non de vltoribus Angelis, ſed de Chriſti Domini pietate venit, ne peccatores perdantur, ſed tempus reſipiſcendi habeant. De Ieſu locutus Paul. ad Coloſſ. 1. ait: *In ipſo complacuit, omnem plenitudinem inhabitare; & per eum reconciliare omnia in ipſum, pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cælis ſunt.* Itaque Chriſti ſanguis pacificat, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cœlis ſunt: miraris, quòd Chriſti ſanguis pacificet etiam, quæ ſunt in cœlis, quandoquidem in cœlis exercitus ſunt Angelorum. Erant ne Angeli irati in homines adeò vt deberent pacificari Chriſti ſanguine? Planè neque in terris, neque in cœlis erat creatura vlla, quæ in homines non iraſceretur ob peccata, & Angeli videntes dominum ab hominibus contemptum, infenſiſſimi oſtendebantur in genus humani aduerſarij. Vnus Chriſti ſanguis Angelorum iram ſopiuit, & peccatoribus ſciuit parcere. Chryſoſt. hom. 3. in præſenti, ait: *Hoſtiliter aduerſabantur hominibus Angeli, Dominum ſuum contemni videntes: vt ſummatim reſtaurentur omnia in Chriſto, tam quæ in terris, quàm quæ in cælis. Hæc omnia virtus Dei effecit. Quid ergo in Angelos fiduciam collocatis? Tantum enim abſunt illi ab eo, vt nos reconciliarent, vt vobis magis infenſi hoſtes fuerint.* Non creatura aliqua, non Angeli, ſed ſolus Ieſus in peccatores non iraſcitur, ſed illos expectat, & ad ſe miris beneficiis allicit. Quò ſpectat Num. 22. vbi ſic: *Et iratus eſt Deus. Stetitque Angelus Dei in via contra Balaam.* Vidit Angelus Deum iratum in Balaam, & quid egit tunc Angelus? An ſe oppoſuit Deo pro Balaam? Abſit id ſolùs Ieſus faceret; Angelus autem potiùs contra miſerum ſtetit hominem. Id exprimens clariùs legit Auguſt. *Et iratus eſt animatione Deus, quia ibat ipſe, & inſurrexit Angelus Dei differre eum in via.* Quid tunc? Pulchrè D. Aug. q. 49. in Num. *Notandum quemadmodum iratus eſt Deus, & inſurrexit Angelus Dei.* Vbi Deum iratum vidit Angelus, inſurrexit ipſe aduersùs peccantem; ſed Ieſus non inſurrexit, ſed ſtetit: deliniens iratum, ne periret peccator.

Exod. 33. (margin) — Baſil. (margin) — Leu. 7. (margin) — Patian. (margin) — Coloſſ. 1. (margin) — Chryſoſt. (margin) — Num. 22. (margin) — Auguſt. (margin) — Idem. (margin)

CAPVT XII.

De humilitate ſectanda, & ſcandalo tollendo.

QVEM non excedat excellentiæ cupiditas? Quem non mordeat inuidia de exaltato fratre? Petrus iubetur pro Ieſu, & pro ſe tributum Cæſari ſoluere; & ecce inter cæteros Apoſtolos vetus illa quæſtio iteratur, quis eorum videretur eſſe maior? Ambientibus primas in regno obiicit Dominus puerum, cuius æmulentur humilitatem, & quem caueant prauis exemplis prouocare. Et quidem nulla res ſic mundum perdit, vt maiorum ſcandala, nec in nullos peccatores Deus libentius iraſcitur, quàm in eos, quorum mores puſillis & paruulis ſunt ſcandala.

Matth. 18. In illa hora acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum, dicentes: Quis putas maior eſt in regno cœlorum?

§. I.

Nulla eſt amicitia humana adeò magna, quæ ſibi præferri alterum libenter patiatur.

ADomino Petrus iubetur tributum Cæſari pro ſe præſtare; in quo neſcio, quam prælationis vmbram auſpicati

Et quidem amici erant, & condiscipuli, & eidem assidentes mensæ, & nihilominus non æquis aspiciunt oculis sibi Petrum prælatum. Quis hominum credat etiam amicissimis securè præcellentes suas felicitates? Huc conueniant regum amici, qui se super alios vident exaltari; & caueant gloriarum suarum secreta vlli mortalium credere, etiamsi & amicitiæ, & consanguinitatis vinculis obstrictus adsit. Saul dum quærit patris sui asinas, inuenit Samuelem, à quo sciuit, quòd asinæ inuentæ essent, & quòd ipse prouehendus erat in regnum Israel, pro cuius regni auspicio mille signis acceptis redibat ad patrem, erat Sauli patruus valde amicus, & charus, qui cùm redeuntem Saulem excepisset, de rebus

1.Reg.10. gestis in itinere sciscitatur, cui respondit Saul, 1.Reg.10. *Judicauit Samuel quòd inuentæ essent asinæ, de sermone autem regni non indicauit ei, quem locutus ei fuerat Samuel.* Nihil celat & amicum, & cognatum præter vnum, nimirum regni auspicium; sed cur rē tantæ felicitatis non credit amico, & cognato? Quid gratius patruo, quàm quòd visurus sit dilectum consobrinum regali solio sublimem? Cur igitur Saul sic cauet sibi à patruo, & amico? Equidem prudentissimè agit, nulla enim est cognatio, nulla tanta amicitia, quæ gaudeat alterum præferri sibi. Rem attigit Iosephus lib. 6. de Antiquit. inquiens. *Postquam autem domum rediit Saul, percontante cognato suo Abenaro, quem præ cæteris diligebat, quomodo successisset peregrinatio, nihil illum celauit, ne hoc quidem, quòd apud Prophetam fuisset, & ex eo cognouisset, inuentas esse asinas, de regno tantùm tacuit, ne ea res vel credita inuidiam, vel non credita vanitatis opinionem ei contraheret. Quamuis enim & amicus esset, & cognatus; tutius tamen, & consultius arbitratus est silentium, reputans erga humanæ naturæ infirmitatem, quòd nemo constans in amore, sed etiam si manifestata diuino suffragio felicitas contingat, tamen alios sibi præferri, iniquè, & inuidè ferunt.* Nulli, mihi crede, te committas, cui præferendus es, & forsan securiùs apud hostes de auspicijs tuæ felicitatis loqueris, quàm apud amicos, & fratres, quos turbat, vel somniata in alterum prælatio. Quis ignoret sanctissimi Iosephi pericula à fratribus procurata? Is somnium vidit, quo regnum sibi parari posse putaret; & vt erat simplex, & bonus, rem totam exposuit

Gen.37. fratribus. Quid tunc? Ait Genes.37. *Hæc ergo causa somniorum, atque sermonum, inuidiæ, & odij fomitem ministrauit.* quàm tutius fuisset silentium, siquidem sermo de regno somniato tam crudeles hostes fecit ex fratribus. Pulchrè

Basil.Sel. illis aiebat D.Basil. Seleuc. orat.8. *Fratres inuidentia percussi turgebant, neque vnam ex insomnijs pueri felicitatem sustinebant, sed & vsque ad somnia inuidiæ stimulum extendebant.* Non patitur humana germanitas, quòd vel frater somniet aliquam sibi præcipuam excellentiam, & felicitatem. Me-

Hieron. ritò aiebat D.Hieron. epist. ad Saluinam, de viduitate seruanda. *Difficile factu est, gloriam virtute superare, & ab his diligi, quos præcedas.* Vbi super alios extolleris, mirum erit, si ab illis odio non habearis, etiam si amicissimi sint, etiam si fratres. Dominus vbi ad regnum erigit Dauidem, mittit Samuelem in Bethleem ad domum Isai, aitque illi,

1.Reg.16. 1. Reg 16. *Vnges quemcumque monstrauero tibi.* Cur non clariùs loquitur? Cur non dicit manifestè: Vnges Daui-

Chrysost. dem? Sanè cauebat Dominus inuidiam fratrum. Chrysost. in Psalm. 50. *Cur dubiè, & non specialiter Dauid nominauit Dominus? Ne scilicet pateretur Dauid, quod passus est Ioseph. Sicut enim illi adolescentes futurum sibi regem, insidiati sunt, & post multas iniurias vendiderunt: sic erat formidinis, ne & isti hæc eadem perpetrarent.* Sic caueri debent & fratres, & amici ab eo, qui vocatur ad felicitatem regiam, sæpissimè enim, & parentes à filijs, & fratres à fratribus de regum fauore exclusos cernimus; vt tutius illis fuerit secretum prælationis suæ extraneis credere. Id quod in Dauide videre licet; qui cùm à Deo duceretur ad regnum, vbi occisurus Philisthæum accessit, fratrem maiorem natu inuenit, qui cùm adolescentem aspexerit, verbis excipit, & regio exercitu nititur deterrere. Quid tunc? Ait text. 1.Reg.17.

1.Reg.17. *Audita sunt autem verba, quæ locutus est Dauid, & annuntiata in conspectu Saul. Ad quem, cùm fuisset adductus, locutus*

Chrysost. *est ei*, &c. Ad hæc pulchra ponderatione Chrysostom. in Psalm. 50. ait, *Fratres zelantur, & extranei introducunt ad regem*, & quidem securiorem tibi aditum seruabunt extranei ad fauores regios, quàm amici, & cognati; quibus plures eiectos à regio conspectu, quàm introductos inuenies.

In solo Christi Iesu regno verè magni sunt viri.

SApienter aiunt, *Quis putas maior est in regno cælorum?* quippè in Christi regno verè magnus quis est, in mundialibus regnis nullus est magnus, sed dicitur. Ecquis credat magnitudinem, & dignitatem, quæ sola ab aliorum voce proficiscitur; nullisque possidentis meritis fundatur? Præclarè D.Hieron. epist. ad Pamachium inquit. *Triumphi interdum triumphantium sordibus polluuntur, & apud viros bonos* Hieron.
indignior fit ipsa dignitas, quàm multi indigni possident. Et sanè eiusmodi sunt dignitates humanæ, adeò crebriùs ab indignioribus possessæ, vt videantur de illis rebus esse, quæ à prudenti patrefamilias Deo, in sordentes domus suæ angulos reijci, atque demitti iubētur. Miraris magistratus dignitatem, prælaturas, candidatorum glorias? Sed nota personas, quæ sub his splendoribus fulgent, tot inuenies planè indignos, vt si sapias, tibi deinceps debeant vilescere dignitates illæ, quæ frequentiùs in sterquilinijs, quam in condigna sede visuntur. Quis candidam æstimet, quæ frequentiùs inter sordentes pannos nigricat? Sanè in solo Christi regno veri candidati sunt, quia ibi solis dignis datur salutis candida, & dignitatis infula. Ex quo lucem affero Christi verbis Apocalyps. 3. vbi inquit. *Angelo Ecclesiæ Sardis scribe: Hæc* Apoc.3.
dicit qui habet septem spiritus Dei, & septem stellas. Scio opera tua, quia nomen habes, quod viuas, & mortuus es. & post pauca. *Sed, & habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt vestimenta sua, & ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.* Quippe in Sardis, & erat Episcopus dignitatis splendore præcelsus; & erant pauci aliqui Christiani Deo noti, & familiares. Ille dignitate fulgebat, hi Christianis virtutibus: ille nobilis dignitatis infulis apparebat, hi verè candidati in regno Christi. Sed in illo dignitatis candida adeò nigricabat, vt potiùs sub pullis indumentis mortuus videretur, & illi thronus, non thronus, sed tumulus existeret. In paucis his tantus erat gloriæ splendor, vt candida ipsa salutis amplius in ipsis candesceret; quippe non contaminauerunt vestimenta sua, non polluerunt ornatum suum, sed verè candidati cum rege Christo in albis ambulant. Vnde ergo hi non contaminant ornatum, sed candorem addunt, sed magis candidati in regno Christi apparent. Ille autem sic turpat dignitatis candidatum, vt pullus, & sordens tumuli pannus sit? Explicat ipse Dominus, dum ait. *Quia digni sunt.* Equidem sola dignitas suscipientis facit verè esse candidatum: ibi solum verè est candida, vbi solis dignis præstatur, qui nullo modo fuscant indignitates, sed verè sunt candidati, & summi regis magnates. Apage dignitatum infulas, quæ dum indignissimis dantur, tanquam pullus tumulorum pannus inter sordes raptantur: sors mea inter Christi asseclas sit, qui non contaminant, sed ornant vestimenta dignitatum cœlestium, & verè candidati regi assistunt, quia digni sunt. Dum discipuli gloriarentur de potestate accepta in Dæmones, ait illis Iesus, Luc.10. *In hoc* Luc.10.
nolite gaudere, quia spiritus vobis subijciuntur: gaudete autem, quòd nomina vestra scripta sunt in libro vitæ. Quæ verba expendens Tertull. lib. 4. in Marc. ait: *Nec discipulos de subactio-* Tertull.
ne spirituum, sed dum candida salutis gloriari volebat. Cur non de tanta potestate gloriarentur, nisi quia illa potestas de illis est, quæ etiam indignis conferuntur, vt filij etiam Pharisæorum dæmonia eijcerent? Et qui sapiens est, non æstimare debet candidam, quæ suscipientis in dignitate sordescit; sed de illa sola candida glorietur, qua cum summo rege candicant fideles, quia digni sunt. Hinc Paulus omnes mundiales honores, & dignitates pro reiectamentis, & stercore habeat, vtpote, quæ in indignos tanquam reiectamenta in sordentes angulos conijci videbantur, sola vera, & solida, quæ cum Christo habentur. Ait enim ad Philipp 3. *Pro-* Philip.3.
pter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam. Et honoris, & gloriæ lucrum verum in solo Christo est; illa, quæ indignis dantur, non lucrum, sed stercora, & sordes. Ad hæc Tertull. lib. 5. in Marc. *Qua autem retro lucri duxerat gloriam carnis, notam circumcisionis, generis Hebræi ex Hebræis censum, Pharisææ candidæ dignitatem: hæc ac si stercora deputat, præ comparatione agnitionis Christi.* Et cur Pharisææ candidæ dignitatem, vt stercora non arbitratur, quæ per indignos, vt per sordētes angulos reptabat? Soli Christi Domini latrones verè sunt candidati, quia digni sunt, quia quæ à Christo venit salutis candida, solis dignis datur. In Achabo rege regiam dignitatē contemnebat Elias, quia ab indigno possessore sic purpura ipsa fœdabatur,

vt non purpura videretur, sed vilis, & sordidus pannus.
3.Reg 18. Quippe 3 Reg.18. ait Elias ad Achab. *Non ego turbaui Israel,*
sed tu & domus patris tui. Cur homo non magis regem vere-
Chrysost. ris? Cur purpuram non honori habes? Præclarè D.Chry-
sost hom 8.ad Popul.fatur. *Non spectabat diadema, & exterio-*
rem regis apparentiam, sed animam sordibus indutam, squalen-
tem, sordidam: & ipsum intuitus captiuum esse, & vitiorum ser-
uum, ipsius principatum contempsit: etenim tanquam in scena, sed
non in veritate regem sibi cernere videbatur. Siccinè vniuersæ
dignitates, quæ indignis etiam dantur, apud viros bonos
contemnuntur, despiciuntur, vt quæ potiùs in scena, quàm
in veritate appareant. Quàm aliter in regno cœlorum? Ibi
Apoc.4. dum summi Imperatoris thronus describitur Apoc. 4. im-
mediatè ait: *Et in circuitu sedis, sedilia viginti quatuor, & super*
thronos viginti quatuor seniores sedentes circumamictis vestimen-
tis albis, & in capitibus eorum corona aurea. Ecce tibi in primis
iuxta summum Imperatorem sedilia vigintiquatuor paran-
tur, vt totidem reges excipiant. Sed cur aurea ostenduntur
Richard. sedilia, quàm reges? Richard. Victor.lib 2. in Apoc. cap.1.
rationem insinuat, aiens. *Sedilia sunt merita*; quippe in re-
gno cœlorum sola merita thronos exhibent, & dignitates,
vt inde veri reges appareant, verique magnates.

Text Et aduocans Iesus paruulum, statuit eum
in medio eorum, & dixit: Amen dico vo-
bis: nisi conuersi fueritis, & efficiamini
sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœ-
lorum. Quicumque ergo humiliauerit se
sicut paruulus iste, hic est maior in regno
cœlorum, &c.

§. III.

In salutis negotio, etiam minima æstimanda
& adimplenda.

PAruuli fieri iubemur, qui in regnum cœlorum conten-
dimus; sed cur paruuli fiamus? Alibi monebat Domi-
Matth.5. nus Matth.5. *Estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus*
est. tunc instar Patris cœlestis omnium conditoris perfecti
fieri iubemur, modò quòd sicut paruuli efficiamur; quid
paruulus commune habet cum patre, & creatore omnium?
Paruulus æstimat parua, nec aliter magis claret infinita
perfectio creatricis potestatis, quàm in eo quòd etiam ra-
tionem habeat paruorum animalium. Fias ergo paruulus
æstimando etiam virtutum parua, quisquis diuini condito-
Hieron. ris induere præsumit imaginem. Pulchrè D.Hieron. in epi-
taphio Nepotiani.fatur: *Vt enim creatorem non in cælo tantum*
miramur, & terra, & Sole, Oceano, elephantis, camelis, equis, bobus,
pardis, vrsis, leonibus, sed in minutis quoque animalculis, formica,
culice, muscis, vermiculis, & istiusmodi genere, quorum magis
scimus corpora, quàm nomina, eadémque in cunctis veneramur
solertiam; ita mens Christo dedita, æquè, & in maioribus, & in
minoribus, intenta est, sciens etiam pro otioso verbo reddendam
esse rationem. Quis iam virilia, & fortia sibi præfiniens,
paruulas virtutum, minutia paruulis relinquat, cùm nisi
efficiamur, paruulus potentissimam Dei naturam non æmu-
letur, quæ valentiam ostendit suam, pusillis etiam animal-
culis prospiciens? Nil virtutis contemnas, vt paruulum, vt
infantile, vt à pueris implendum; in hoc enim tuam virtu-
tem extollis & puero illi te assimilas, qui antequam sciuerit
vocare patrem, ac matrem, spolia Samariæ diripuit, si vel
minima virtutis adimpleas. Electurus Dominus Samuelem
1.Reg.3. illum dormientem excitat, & semel, & bis ad se vo-
cat, ita vt Samuel putaret se vocari ab Eli, cui præstò assi-
1.Reg.3. stebat. Sed Eli puero dixit: *Vade, & dormi, & deinceps vo-*
cauerit te, &c. Suspicatus Eli Samuelem vocari a Domino,
iubet illum ad lectulum redire, & dormire, quale hoc præ-
ceptum fuit ad puerum, qui expectabat se à Deo vocādum?
Cur non magis manet, vt oret, vel aliquod insigne virtutis
opus efficiat, quo Deum solicitet, & ad se iterum trahat?
Gregor. Sapienter D.Greg.ibid.lib.2. c.3. ait. *Redire ad somnus quietem*
Samuel iubetur, vt profectò nec ea, quæ sunt minima, contemnamus.
Non otiosè exercetur in minimis, qui eligendus ad magna
expectat vocem diuinam; nec vllo alio melius pararis, ad
hoc, vt Deum excipias. Deíque instrumentum fias, quàm
dum doceris non contemnere minima, non spernere parua.
Equidem parua sunt plura, quæ accidunt in virtutum cur-
riculo, sed de his paruis potes talem exercitum constituere,
Damian. qui de giganteis hostibus triumphet. Ad hæc P.Dam. apud
Tilmanum in allegoriis, ait: *Parua equidem cyniphes, sed in-*
numerabiles superbi Pharaonis, & totius AEgypti superauerunt
virtutem. Felix, qui vel de minimis virtutum munitur, fallar,
nisi is possit gigantes hostes perimere. De his plura suprà.

§. IV.

In Dei regno magnates non ex clarissimorum nominum
hæreditate, sed ex vero virtutum effectu
censentur.

QVid solemnius in mundialibus regnis, quàm magna-
tum, & principum glorias ex hæreditariis maiorum
agnominibus designari? Ille magnus est apud Hispaniarum
Monarcham, qui vel Mendocæ, vel Mauricorum, vel alio
huiusmodi agnomine primus gaudet. Non sic in regno Dei,
sed qualicumque insigniaris agnomine, nihil ibi eris, nisi
efficiaris vt paruuli, hoc est, nisi vero virtutum effectu
gaudeas. Quis Iudæorum principum hoc crederet, dum se
extollit sub Israelitarum, & Abrahamidum vocabulo, &
cæteras nationes gentium agnomine infamat? Sed hoc ve-
rissimum est, quòd cœlestis regni magnates, non agnomi-
nibus, sed virtutum effectibus clarent. Magni Isaaci vxor
Rebecca anxia, quod concepisset, quia vteri molestias ferre
non posset, sic Deum sibi notificantem, audit Genes. 25.
Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diui- Genes.25.
dentur, populusque populum superabit, & maior seruiet minori.
Expende, qui vocentur Rebeccæ filij, nimirum, *duæ gentes.*
Et do quòd illorum alter dicatur vna gens, nónne alter Is-
raël ipse erat, Abrahamidum primogenitis clarus? Cur hic,
qui Israel est, etiam sub gentis agnomine obscuratur? De-
signabat ibi etiam dominus electos suos ad cœlestem prin-
cipatum, & ideo Israëlis nomen dissimulauit, & omnes
conclusit sub gentis vocabulo, ne quis in hæreditariis agno-
minibus illustribus fundaret spem cum Deo regnandi. Ac-
cipite Tertull. lib. aduersùs Iudæos fatum. *Habemus ipsum* Tertull.
Deum idoneum pollicitatorem, & fidelem sponsorem, qui Abra-
hæ promiserat, quòd ex vtero Rebeccæ duo populi, & duæ gen-
tes essent processura; vtique Iudæorum, id est, Israelis, &
gentium, id est, nostri. Vterque ergo, & populus, & gens
appellatur, ne de nominis appellatione priuilegium gratiæ sibi quis
audeat defendere. Nullum tibi diuinæ gratiæ, nec cœlestis
gloriæ priuilegium dabit agnomen, sed verum virtutis
opus. Nunquam enim vllus censetur apud Deum ex hære-
ditatis agnominibus, sed ex veris virtutibus ostensis. Dani-
di promissus erat filius, qui magnus apud Deum esset; ait
enim de illo Angelus, Luc.1. *Hic erit magnus, & filius Al-* Luc.1.
tissimi, &c. dum autem hæc promissio adimpletur, & ex
Maria nascitur promissus Dauidi filius, octauo die & cir-
cumcisionem patitur, & nomen accepit. Quippe ait Luc. Luc.2.
cap.2. *Postquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur*
puer, & vocatum est nomen eius Iesus. Cur non magis voca-
tur nomen eius Dauid? Promissio erat facta Dauidi, &
Dauidis filius expectabatur a populo, qui magnus apud
Deum esset, & Christus Dominus; cur ergo ex parentis
hæreditario agnomine non se prodit, non se magis manife-
stat? Sanè, vt magnus ille apud Deum filius Dauidis osten-
deretur, non de agnomine curauit, sed de virtutis vero ef-
fectu, ideo nomen Dauidis dimittens, signaculum circum-
cisionis accepit. D.Zeno serm. de duplici circumcisione in- Zeno.
ter alias causas, ob quas Dominus circumcisus fuit, hanc
reddit: *Eò accedit, quòd secundùm carnem Dauidis filius esse ca-*
nebatur futurus. Qui nisi paterno generis signacula responderet,
neque Dauid filius esset, neque nisi in filium Dauidis Christus
venire potuisset. Non sufficisset, quòd Dauidis nomen hæ-
reditaret ille filius Dauid, qui ad magnitudinem filij Dei
assumendus erat, vt Christus Domini diceretur. Non equi-
dem posset assumi in Christum, nec filius ille magnus Da-
uid apud Deum censeri, nisi paterno generis signaculo re-
sponderet. Cùm enim circumcisionis religione clarescerec
Dauidis genus, nō posset esse filius Dauid ille magnus apud
Deum, nisi qui vero paternæ virtutis effectui responderet.

§. V.

Humilitatis dimissio summam magnitudinem apud
Deum præbet.

VErè dictum, Quicumque se humiliauerit, sicut paruulus
iste, hic est maior in regno cœlorum; etenim humili-
tas est, quæ apud Deum præbet summam magnitudinem.
Miratua

Miratus Centurio Christi Iesu humanitatem, & comita-
Matth. 8. tem, aiebat Matth. 8. *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum*, &c. Cui statim ipse Dominus ait: *Non inueni tantam fidem in Israel*. expende modò magnitudinem fidei Centurionis. quam magnitudinem Israëlitarum fides non pertingebat. Sed vnde fides Centurionis adeò creuit? Vnde tantam magnitudinem habuit apud Deum? Nil citius in centurione claret conducens ad magnitudinem tantam, quam humilitas illa, qua se dimittebat, dicens: *Domine non sum dignus*, &c. humilitas enim est, quæ mirabilem
August. præbet magnitudinem apud Deum. Diuus Augustinus sermone 74. de Tempore: *In populo, ad quem venit Iesus, non inuenit tantam fidem. Tantam quid est? Tam magnam. Vnde magnam? de minimo, id est, de humilitate grandem.* Nunquam nouit humilitas non grandes facere alumnos suos; quo magis per humilitatem se deiicit, se minuit, eo magis crescit, & maiorem apud Deum exaltationem sumit. Propone tibi ob oculos Dauidem, Psalm. 130. per humili-
Psalm.130. tatem decrescentem, & nihilominus se extollentem. *Non est exaltatum cor meum, nec elati sunt oculi mei, nec ambulaui in magnis, nec in mirabilibus super me.* Quid hac decretione profundius? Sed ecce tibi statim: *Si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam.* Deus bone! Modò non exaltat cor, imò nec oculos audet eleuare; & modò totam animam exaltat, si anima exaltanda tibi erat, cur deiicis oculos, cur deprimis cor? Cordis oculorúmque depressio via erat ad exaltationem animæ: quo magis minuit se Dauid, & corde respuit mundi magnalia, eo clariorem exaltationem, & magnitudinem acquirit animæ.
Zeno. Pulchrè D. Zeno in præsenti fatur: *Quæ propheta ista diuersitas est? Non exaltat cor, animam exaltat: excelsus animo, & corde summissus: humilis in suis, sed non humilis in sensu est. Sensus eius in cœlo est, anima eius est in excelsis.* Simul eum cordis summissione animæ venit celsitudo; excelsus eris apud Deum, vbi summissus fueris: dum te dimiseris vsque ad ima cœlorum excelsa pertinges. Amant enim cœlorum magnalia descendere, non ascendere: nisi te in imis constitueris, nil cœleste magnum percipies. De cœ-
1.Cor.2. lestibus bonis locutus Paulus 1. ad Corinth. 2. ait: *Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se.* Expende illud, *nec in cor hominis ascendit*; quippe vbi homo habet cor altum, & exaltatum, nihil ex cœlestibus bonis ad illum accedit; minimè enim cœlestia bona amant ascensus, sed descensus, ea sunt magnitudine, vt nequeant ascendere; sed promptissima sunt ad descensum, vt in illis impleantur humilia, & in immensum crescant. Id pulchro exemplo exprimit D. August. serm. 74. de tempore aiens: *Quanto humilior, tanto capacior, tanto plenior. Colles enim aquam repellunt, valles implentur.* Compone tibi altissimum montis cacumen, & vastissimam vallis profunditatem, interea cœlestes decidunt pluuiæ, potentes implere mundum; quid de pluuia mons? Sanè vel ad illum non potuerunt ascendere pluuiæ, vel si ascenderunt, quo impetu montem percusserunt, eodem per decliue dilapsæ, nullum ibi signum suæ magnitudinis relinquunt. At in valle? Ibi vastissimum aquarum pelagus ostenditur, cuius altitudo altissima maria pertingat. Sane vt valles pluuiarum, sic humiles præseferunt cœlestium bonorum magnitudinem. Nec vbi humilitas est, potest non esse celsitudo magna.
Hebr.1. Paulus 1. ad Hebr. de Iesu, ait: *Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit.* Sic super Angelos Iesu magnitudinem exaltat. Verùm Psalm. 8. de eodem Iesu locutus, ait: *Minuisti eum paulò minùs ab Angelis.* Ecce Paulus Iesum maiorem Angelis prædicat, Psalmus eundem dicit minorem Angelis. An Psalmus Paulo contrarius? Absit, imò minoritas ista à Iesu humillimo sumpta, vt appareret minor Angelis, eius magnitudinem ostendit celsiorem cœlis, & Angelis factam. Pulchrè D.
Bernard. Bernard. serm. 73. in Cant. ait: *Nec enim non melior, quia minor, nec contraria sunt locuti Apostolus, & Propheta. Nam si dignationis fuit, quòd minoratus est, non necessitatis, nihil planè in hoc bonitati præscribitur, sed ascribitur. Denique minoratum Propheta perhibuit, non minorem, attollens gratiam, & propellens iniuriam. Minoratus est sua voluntate. Sic minorari, miserei fuit. Profectò accessit pietati, quidquid maiestati visum est decessisse. Quamquam nec Apostolus tacuit hoc magnum pietatis arcanum, sed ait: Eum qui modico, quàm Angeli minoratus est, videmus gloria, & honore coronatum.* Quòd faciat magnos humilitas, sæpe repetitum est tom. 1. & 2. lib. 3. cap. 6. §. 19. lib. 5. cap. 2. §. 4.

Text. Qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum.

§. VI.

Stultissimum, & insipientissimum arrogantiæ vitium.

Contendens de maioritate discipulos sapienter comprimit Dominus, dum obiicit pœnam molæ asinariæ ad collum religatæ. Et quidem, qui, vt putentur maiores, nihil non agunt, nullum non præcauent scandalum, hi meritò instar asinorum, & planè stultorum mulctantur. De his Prouerb. 21. dicitur: *Superbus, & arrogans vocatur indoctus, qui in ira operatur superbiam.* Prou. 21. Præterquam quòd omnis peccās est ignorans, ille qui arrogantia tumet, ampullatósque in se spiritus mouet, vt maior habeatur, háncque præcellentiam maioritatis suæ frequentibus rixis vbique defendit, proclamat, prædicat: is omnium calculo indoctus habetur; imò planè stultus, & demens. Rem pulchro exemplo expendit D. Chrysost. hom. 59. in Matth. in- Chrysost.
quiens: *Si quis cùm statura tricubitali sit, instar montium, imò etiam altiorem se putet, ac ideò se ipsum, quasi montes excussurus erigat, nullum aliud argumentum insaniæ eius quæremus. Sic cùm inflatum videris hominem, qui meliorem se cæteris arbitretur, contemnique opinetur, si cæteris hominibus conferatur, nullum iam aliud signum vecordiæ hominis exquiras.* Risisti sæpiùs amentiam hominis pygmæi, eo solo argumento quòd eum cum gigantibus de proceritate corporis contendentem audisti: irrisisti homuncionis insaniam, qui in sordenti habitu, imò intra insanorum carceres, regios præferebat animos, regias ostentabat nuptias, thronósque regales. Cur iam non similiter rideas hominis arrogantis fastus, proculdubio ab eadem insania manantes? In nullo differunt amentium, & stultorum, & arrogantium fastus, nisi quòd arrogans omnes amentes, & stultos superat. Quippè Pro- Prou. 26.
uerb. 26. ait: *Vidisti hominem sapientem sibi videri? Magis illo spem habebit insipiens.* Melior enim est insipientis conditio, quàm arrogantis: de quo D. Chrysost. homil. 39. ad Popul. ait: *Magnum est elationis malum: stultum esse melius est, quàm insolentem. Illic enim stultitia tantùm est, & mentis tarditas: hîc autem stultitia peior est, & fatuitas cum furore. Stultus sibi metipsi malum est, elatus, & aliis pestis: ex amentia hoc vitium nascitur.* Nascitur ex amentia elatio, sed quæ vincat omnem amentiam, & fatuitatem; vt quæ propter excrescentes in cerebro ampullas, omnia repleat rixis, & scandalis. Est equidem arrogantia fatuitas cum furore: hinc elati sicut & fatui, & insani, nihil prius lucrantur, quàm irrisionem omnium, & infamiam. Sic Habacuc ponit elatos, & superbos homines pro ludicris amentibus apud tenebrarum principem; ait enim cap. 2. *Et ipse de regibus triumphabit, tyranni ridiculi eius.* Abac 2.
Chaldæus autem aliter; *Et ipse Reges subsannat, & Principes irridet*; verùm Septuagint. expressiùs ad rem nostram: *Ipse in regibus deliciabitur, & tyranni ludibria eius.* Habent mundiales Principes ad delicias, amentes & fatuos homines, quorum ludicris facetiis seria temperent negotia: sic tenebrarum Principes pro ludicris, & facetiis, vtuntur ad delicias hominibus elatis, & superbis, quorum amentias rideant, & irrideant. Vnde aiebat D. An- Antioch.
tiochus homil. 44. *Anima superbi diuino destituitur præsidio: quo fit, vt in Dæmonum vertatur ludibrium, ac deridiculam gratulationem.* Quo pretio habentur apud Palatinos amentes homines, & fatui, eo habentur apud tenebrarum Principes, elati omnes, & superbi viri, quorum ampullis delicrantur, & rident. Arrogantem, & malesanum iuuenem, dum sacer textus depingit Prouerb. 7. inter alia ait: *Sicut bos ductus ad victimam, & sicut agnus lasciuiens.* Quæ posteriora ver- Prou 7.
ba longè aliter apud Caietanum inueniuntur, sed quæ pulchrè in præsentem sententiam decurrant. Quippe ait: *Et sicut tintinnabulum castigationis stulti.* Quid pulchrius ad ampullatas arrogantis cogitationes? Aliquando solet castigari stultus & amens, dum à collo eius ferrea virga erigitur, quę supra caput extollatur vnâ duásve vlnas, à cuius summitate tintinnabulū pendet, quo fit, vt quacumque transeat stultus, tintinnabuli sono irrisores, & subsannatores conuocet, alliciat. Quid aliud putas, sunt ampullæ illæ, quæ in arrogantis cerebro se erigunt, & frequenter per ora effunduntur? Sunt equidem sicut tintinnabula castigationis stulti, quæ risum aliis faciant, & infamiam sibi. Iam non mirabor, quòd

arrogantiæ ſcandalis mola aſinaria immineat, iuſtum enim eſt, vt qui ſtultiſſimo laborauit vitio, eadem ſtulti, & aſini pœna deueniat ad extremam ruinam.

§. VII.

Aſſolet Deus ſupplicijs ſuis tolerantiæ commonitores adhibere.

DVm elatis animis ſupplicium à Ieſu proponitur,id per molæ aſinariæ pondus exhibetur;& cur maluit in ſupplicij comminatione,molæ aſinariæ potiùs mentionem fieri? Crediderim eò ſpectaſſe Dominum,vt dum ſupplicium à Deo timetur, tolerantiæ, & manſuetudinis haberemus exemplum;dum enim iumenti ad molã relegati tolerantia cernitur, ferociſſimus quiſque ſub ſupplicij diuini pondere *Geneſ.8.* diſceret manſueſcere.Rem explico ex Geneſ.cap.8.vbi poſt arcæ carcerem, & omnis carnis ſupplicium,ait textus: *Recordatus autem Deus Noë,cunctorúmque animantium,& omnium iumentorum, quæ erant cum eo in arca*, &c. Vel iuxta D.Ambroſij lectionem: *Memor fuit Dominus Noë, & omnium beſtiarum, & omnium iumentorum*, &c. Vbi beſtiarum nomine, quæ ex animantibus ferociora erant,intelliguntur;quo poſito notandus eſt locus in quo à Deo nominantur,nimirum inter hominem, &.iumenta. Sed cur non priùs facit Deus memoriam incarcerati hominis,deinde iumentorum,& poſtremò beſtiarum ferocientium, quin potiùs maluit beſtias ferocientes claudi inter hominem, & iumenta?Is eſt Deus, vt etiam, dum omnem carnem punit,prouideat ſalutis bono, & ideo ferocientes belluas inter hominem & iumenta ponit,vt hinc inde habeant manſuetudinis exempla,quibus *Ambroſ.* manſuefieri poſſent. Ad hæc D.Ambroſ. lib.de Noë cap.16. ait. *Nec illud otioſum, quòd primò dixit, quia memor fuit Dominus Noë, deinde beſtiarum, poſtea iumentorum: hoc eſt cur non animantia, quæ mitiora ſunt, poſt hominem nominauit, ſed ferociora? In quo videtur illa eſſe ratio, vt ea, quæ ferociora erant,vtriuſque partis vicinitate manſueſcerent.* Sic aſſolet Dominus, dum infert ſupplicium efferis peccatoribus,ſimul & exempla tolerantiæ, & manſuetudinis præmittit, quibus ferociſſimi quique ſub diuino flagello manſuefieri conſueſcant. Propone tibi ſimiliter iram Dei exardeſcentem in Iſraëlitas peccatores, dum illos compediendos tradit neruo, vel occidendos morti: de his *Pſal.77.* Pſal.77. *Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum,& ira Dei aſcendit ſuper eos. Et occidit pingues eorum & electos Iſraël impediuit.*Ex Græco legit Auguſt. *& electos Iſraël compediuit.*Quid iræ Dei cum electis,vt illos tradat compedibus? Ira Dei exardeſcit in peccatores, in eos, qui ſeſe ſceleribus replent, hos punit,hos duris affligit verberibus; at electi, nimirum ſancti, & immaculati, cur ſimul compediuntur cum peccatoribus ab ira diuina? Nullam aliam ob cauſam, niſi vt quando peccator duriſſimum experitur flagellum,videat in iuſto ſimul patiente tolerantiæ, & manſuetudinis exempla, quibus & ipſe ſub flagellis *Auguſt.* manſueſcat. Auguſt. ibi: *Simul cum peccatoribus compeditos etiam electos intelligi voluit, vt qui mente, & vita diſcernebantur, ad exemplum non iuſtitiæ tantùm, ſed etiam patientiæ cum illis moleſtiam ſuſtinerent. Nam ſanctos cum peccatoribus non ob aliam forſitan cauſam etiam captiuos ductos eſſe dicimus.*Hoc eſt Dei noſtri ingenium in inferendis ſuppliciis, quo ſimul prouidere ſoleat exempla, quibus ſub flagello doceantur peccatores tolerantiam, & manſuetudinem.

*Text.*Væ mundo à ſcandalis.Neceſſe eſt enim, vt veniant ſcandala:verumtamen væ homini illi, per quem ſcandalum venit.

§. VIII.

Ambitionis affectus, vel totum orbem potens eſt inficere.

OMnia hæc putat D.Hieronymus dicta ad Apoſtolos de primatu contendentes apud Dominum: quam ambitioſam contentionem, vt reprimat Dominus, pœnam proponit debitam ſcandalizantibus paruulos, ſupponens nullo magis commoueri paruulos poſſe, quàm ambitionis ſpectaculo. Hæc pernicioſiſſimum ſcandalum infert paruulis; fortè miraris? Sed accipe quid maius; nimirum,*væ mundo à ſcandalis*, non ſolùm hæc ambitionis exempla paruulos, ſed totam domum, totam ciuitatem, totum mundum inficere valent. Huc ſpectat Prouerb.21. aiens: *Superbus, & arrogans vocatur indoctus.* vbi Septuaginta legunt: *Prou.21.* *Audax,& arrogans,& oſtentator peſtilens vocatur*; & quidem nulla ſic graſſatur peſtis in toto populo, vt ambitio graſſatur: reliqua enim mala hunc, aut alium ciuem opprimunt; at peſtis hæc vniuerſam regionem populatur. Vnde meritò dicebat D.Antiochus homil.44. *Superbia perinde eſt, ac morbus quidam peſtilens, ac tabificus; qui non vnum modò corporis membrum, ſed corpus ipſum dira prurigine depaſcitur, vitiat, conficit.* *Antioch.* Neſcit in vno, aut alio conſiſtere ambitionis lues, ſed dum in vno apparet, totum ſimul, ſeu domus, ſeu reipublicæ corpus depaſcitur. Quis non metuat adeò peſtilentem morbum? In cœlo vnus apparuit ambitioſus, & ecce turbata ſunt omnia regna cœleſtia, nec requieſcunt donec & peſtilentem militem, & ſedem eius funditus euertant. Quippe ait Apocal.12. *Et draco pugnabat, & Angeli eius, & non valuerunt, neque locus inuentus eſt eorum amplius in cœlo. Et proiectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus, & Sathanas, qui ſeducit vniuerſum orbem.* *Apoc.12.* Quis ignoret draconis prælium in cœlo fuiſſe de prima ſede obtinenda? Hoc prælium concuſſit omnia cœleſtia: ab hoc prælio ambitioſus ille, ſuperbúſque Angelus vocatur draco, & diabolus, & Satanas. & qui ſeducit orbem: nec diu illum ſuſtinent cœleſtia, ſed ſtatim depellunt,& abominantur tanquam pernicioſiſſimam peſtem. Expende illud, *quod neque locus inuentus eſt eorum in cœlo*, eſto, quòd ſuperbi ſpiritus proiiceretur à cœlo, cur neceſſarium erat, ſimul, & locum, & ſedem eorum, è cœlo diſparere? Sic timebant ſibi cœleſtia à ſuperbiæ, & ambitionis contage, vt nihil illius non abominarentur in ſe videre. Ad hæc D.Bernard.ſerm.2.in cap.6.Iſaiæ fatur: *Semel turbauit ſuperbia regnum illud, concuſſit muros, etiam proſtrauit ex parte, & parte non modica. Quid ergo? Facile deinceps admittenda videtur? Nunquid non odit ciuitas illa, & vehementer huiuſmodi peſtem abominatur?* *Bernard.* Nullo magis oſtenditur odium alicuius ciuitatis in contagium peſtis, quàm ex eo, quòd vbi ſuſpicatur aliquem ciuem tactum eſſe peſte, ſtatim illum, cum omni domo ſua, & vniuerſa ſupellectili foras proiicit, nec quid pretioſum, ſeu vile illius permittit, vel ad horam in ſe manere, timens ne de vnius morbo tota ciuitas pereat. Sic prorſus regnum cœleſte cauet ſibi ab ambitionis peſte, illámque adeò abominatur,vt non ſolùm ſuperbientes ſpiritus, ſed & eorum loca, & ſedes à ſe proiiciant, non ſuſtinens illa apud ſe, vel ad momentum videre. Nec mirabitur, qui notarit, quàm ocius hoc virus ſerpat, & populos perdat. Iſaias cap. 14. miratus draconis *Iſai.14.* iſtius ambitionem, & caſum, aiebat: *Dicebas in corde tuo; In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo; veruntamen in infernum detraheris, vſque ad profundum laci. Qui te viderint, ad te inclinabuntur*, &c. Expende quòd qui antea ſolus erat, ſolúſque ſuperbiebat, non ſolus manſit, ſed ſtatim, multa Angelorum gens ad illum inclinata eſt, illi adhæſit, & venenum hauſit. Neſcit enim ambitio ſola eſſe, ſed populatim eius lues graſſatur:id quod ponderans D. Bernard. *Bernard.* ſerm.2.in cap.6. Iſaiæ fatur: *Fuit in cœlo,qui diceret: Ponam ſedem meam ad Aquilonem,& populum,qui ſibi crederet, habuit.* Nunquam in vno conſtitit ambitionis lues,ſemper ſectatores habet, & non paucos, ſed qui populum faciant: lues eſt ambitio non vnius perſonæ, ſed populi totius. De illo ſuperbiſſimo Aman dicitur Eſther 3. *Pro nihilo duxit, in vnum Mardochæum mittere manus ſuas, magiſque voluit, omnem Iudæorum, qui erant in regno Aſſueri, perdere nationem.* *Eſth.3.* Sic ambitioni, & ſuperbiæ parum eſt, in vnum ſæuire; nihil facit, niſi totam nationem, totum populum inficiat. Intra in quamcumque ciuitatem, intra in religioſorum conuentus; & ſi quæras auaritiæ morbo tactos, inuenies triſtem quendam ſenem, qui ſolitarius ſedeat, & tacens nullum familiarem,nullum amicum habeat, ſed habeat ſaccos pecuniæ plenos: audies de luxuriante iuuene non pauca, ſed qui ſolus latitet, nullique audeat credere laſciuiæ ſuæ ſecreta. Verùm nullum de ſedibus, de primatu tractantem videbis, qui innumeros penè vnanimes ſectatores non habeat, qui populum non adæquitat, qui ſibi credat. Parum equidem eſt ambitioni,niſi in totam gentem, in totum populum, in totum orbem deſæuiat. Meritò vocatur beatus à Dauide ille, *qui in cathedra peſtilentiæ non ſedit*; vix eſt enim cathedra aliqua, nimirum prælatura, à qua peſtis iſta non veniat, dum amici, & familiares promouentur. Vide infrà cap.16.§.6.

§. IX

§. IX.

Malorum numerus semper est multiplex.

SVggessisset, quòd necesse esset, vt veniret scandalum; sed ait Dominus, necesse est vt veniant scandala; quippe malorum numerus semper multiplex est. Apud Isai. cap 3. ait Dominus: *Auferam à Ierusalem, & Iuda validum, & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ; fortem, & virum bellatorem, Iudicem, & Prophetam, & ariolum, & senem; Principem super quinquaginta, & honorabilem vultu, & consiliarium, & sapientem de architectis, & prudentem eloquij mystici. Et dabo pueros Principes eorum, & effœminati dominabuntur eis.* Quibus verbis id expendas velim; nimirum quòd vbi de bonis auferendis loquitur, vnum, aut alium nominat, quasi vix in singulis muneribus vnus singularis inueniatur bonus: verùm vbi malorum introductionem minatur, ibi multitudinem profert. Ait enim, *dabo pueros Principes eorum, & effœminati dominabuntur*, &c. Semper enim malorum numerus multitudinem sonat. Rem attigit D.Basil. ibi dicens: *Bona quidem expressit singulariter, puta fortem, validum, bellatorem, iudicem, Prophetam, coniectorem, quinquagenarium Principem, admirabilem consiliarium, sapientem architectum, prudentem, siue intelligentem auditorem. Malorum autem comminatio excreuit in numerosam multitudinem, ceu sunt iuuenes Principes, & illusores dominabuntur vobis.* Heu in quam numerosam multitudinem excrescunt semper malorum autores! Quando stultorum non infinitus est numerus? Hinc monebat ipsi D.Basil. serm. de abdicatione rerum, aiens. *Opta vt sis de numero paucorum. Rara siquidem, quæ bona: quæ quidem etiam causa est, quamobrem pauci cœleste regnum introeant.* Vide Dominus Leuit. cap. 4. peccatum pulchra paraphrasi notans, illud vnum de multis nominat; quippe ait: *Si peccauerit Princeps, & fecerit vnum è pluribus*, &c. quasi vel ex numerosa multitudine perfectè malitia cognosci possit. Iacob Genes 32. dum benedictionem accipit percussus in femore *claudicabat pede*. Id quod ponderans D.August.q.104. in Genes. ait: *Vnus ergo, atque idem Iacob & claudus, & benedictus: claudus in latitudine femoris, tanquam in multitudine generis, de quibus dictum est: Et claudicauerunt à semitis suis; benedictus autem in eis, de quibus dictum est: Reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt.* Cum claudicatione, & errore multitudinem meditatur; rari enim sunt, & pretiosi instar reliquiarum, qui ad salutem seruantur. Et tam rara sunt, quæ bona, vt ad diuitias bonitatis suæ ostentandas Dominus glorietur, quòd sibi septem millia virorum iustorum inuenerit, quando innumera hominum multitudo succubuerat impietati. Ad Eliam enim multitudine impiorum penè exanimem, sic ait Dominus 3 Reg.19. *Reseruaui mihi septem millia virorum, qui non incuruauerunt genua sua coram Baal.* Et quidem septem millia erant, quæ Deo vero seruiebant; qui autem post Baal irent, nec numerando percenseri, nec percensendo poterant numerari, semper enim Deus multitudinem suspectam habet. Ad hæc accedit Nazianz orat. 24. fatus. *Plures sunt Deo, tres collecti in nomine Domini, quàm multi negantes diuinitatem. Quid autem hoc? Reseruaui mihi septem millia virorum, qui non incuruauerunt genua sua coram Baal, nónne ita se res habet? Nónne nequaquam in plurimis clarescit Deus? Tu mihi numeras myriades, Deus autem saluandos, & tu quidem immensitatem terræ, ego autem vasa electionis.* Multitudo nunquam non in malum prolabitur, nunquam non Deo aduersaria; eo ipso quòd electionis vasa, quòd beatitudinis quæras videre candidatos; despice multitudinem, nequaquam enim in plurimis clarescit Deus, vbi fuerint duo, vel tres in nomine eius congregati, ibi adest. Quod si etiamtum cupis videre phalanges, circumspice terræ immensitatem. vide latissima orbis imperia, quàm auidè se dedunt Principi tenebrarum.

Esa.3. — *Basil.* — *Idem.* — *August.* — *3.Reg.19.* — *Nazianz.*

Text. Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te: abscinde eum, & proiice abs te; bonum tibi est ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quàm duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proiice abs te: bonum tibi est vnum oculum habentem in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.

§. X.

Illius familiaritas in primis caue a, qui doctrina, & sapientia conspicuus, vitijs seruit.

POtuit breuius dicere, si manus tua, vel pes tuus, vel oculus tuus scandalizat te, &c. ita vt sub eadem clausula, & manus & pedes, & oculorum scandalum castigaretur: sed maluit diuidere, & cùm manus, & pedis scandalum simul carperet, rursus separatim de oculi scandalo incipit dicere. Cur ergo particularius, & separatim de oculi scandalo cauendo edisserit? An periculosius est scandalum, quod facit oculus, quàm quod facit pes, aut manus? Equidem, qui instar oculorum doctrinæ, & sapientiæ lumine fulgent in republica, si vitiosæ vitæ maculis alioquin turpentur, particulariùs, & maiori cura cauendi sunt, ab eo qui inculpabiliter cupit viuere. Nefarissimus tentator diabolus semel aggreditur Iesum in deserto agentem; & licèt victus iam abiret, nihilominus permittitur secundò redire, imò & tertiò instaurat pugnam apud D.Luc.4.dicens *Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim, quòd Angelis suis mandauit de te, vt conseruent te*, &c. His positis, ait textus, *& consummata omni tentatione diabolus recessit ab illo.* Cur hac tertia tentatione posita non amplius permittitur tentator ibi manere? Cur non sinitur alia effutire? Quid habuit hæc tertia tentatio præcipuum, ob quod debuit abire suggestor illius? Cùm in omnibus se malorum, & peccatorum authorem ostenderet diabolus, in hac se etiam voluit ostendere & sapientem, & legis peritum, allegans de diuinis Scripturis illud, quòd Angelis suis mandauit de te, &c. Cùm primùm ergo malus, & sapiens, & doctus ostēditur, statim abiicitur, nec ad momentum ibi iam manere permittitur, vtpote ex tunc perniciosissimus. De illo præclarè D. Isid. Pelus. lib. 2. epist. 180. inquit: *Neque vetus ille rebellis, propterea, quòd diuina oracula memoria tenebat, tùm Dominum tentaret, ob eorum cognitionem laudem merebatur: verum contrà abiiciendus, ac detestandus erat, quòd cùm scientia præditus esset, actionem inficiaretur, ac respueret.* Nunquam citius detestandus, & abiiciendus quis, quam vbi inter corruptos mores, doctrinæ lumine micat. Quisquis perire non vis, abscinde, & proiice abs te illum, qui vbique ructans Scripturas, vbique mysteria profundens diuina, & electorū coronas, & reproborū pœnas tractans, & subtilia vtriusque iuris disputans, nihilominus ipse, & sine lege viuit, & vbique linquit signa suæ luxuriæ. Dicebat sapiens Eccles.c.19. *Melior est homo, qui minuitur sapientia, & deficiens sensu in timore, quàm qui abundat sensu, & transgreditur legem Altissimi.* Quæ verba tractans D.P.Damian. non solùm putat meliorem, & vtiliorem hominem, qui minuitur sapientia in timore Domini, quam qui sapientissimus cùm sit, sine lege viuit, sed etiam hunc putant abiiciendum a consortio bonorum, & cauendum multo magis, quam debeant caueri scelestissimi quique. Quid plura? Rem explicat in iuuene sui temporis disertissimo, de quo ait lib.6.epist.17. *Tot exteriorum bonorum floribus hic iuuenis enitescit: nobilis, vt imperator; cuilibet aspectu quodammodo, sic Tullius loquitur, vt Virgilius poëtatur tuba vehement in Ecclesia; perspicax, acutus est in lege diuina; scholasticè disputans, quasi descripta libri verba percurrit; vulgariter loquens, Romanæ vrbanitatis regulam non offendit. Quid de monachico prosequar ordine? Quid de regularis magisterio disciplinæ? In quorum videlicet notitia ita conualuit, vt hæc docere nouiter posset: sed eius, proh dolor, talis est vita, vt cùm alteri nullus inuideat, ad se introducere nemo deposcat: & vt rem diutius non protraham, stulto sapienti monasterialis ad habitandum ianua clauditur: cunctis passim rusticis, & imperitis, ac discolis aditus non negatur.* Expende, quæ ianua sapienti illi occluditur, nimirum ea, quæ *imperitis ac discolis non negatur*, quippè accedebant discoli, accedebant peccatores imperiti, incestuosi, sceleribus pleni, & hi inter Religiosos viros admittebantur: accedebat ille nobilissimus, ille sapientissimus, & disertissimus, & ab omni religiosorum ianua excludebatur. A discolis, & sceleratis admittendis nullus ordo sibi cauet; & à se toto studio proiicit eum, qui cùm sapientia præstet, malis moribus inficit animum. Monebat Isaias 48. suos populares, aiens. *Egredimini de Babylone, fugite à Chaldæis.* Vbi expendit D.Ambros. differentiam, qua monemur à Babylone egredi, sed à Chaldæis fugere, id est, quàm primùm cum omni celeritate Chaldæos cauere. Cur magis fugiēdi Chaldæi, quàm Babylon? Ait Ambros in Psalm. 1. *Chaldæi sunt, qui syderum cursus vano studio superstitionis explorant, & impia serunt gentilitatis errores. Ab his fuge, ne te capiant, ut te grauio*

Luc.4. — *Isid. Pelus.* — *Eccles.19.* — *Isa. 48.* — *Psal.1.*

laqueo inuectent. Dum cœlestium doctrina implentur, eámque ostentant, sic viuunt, ac sine Deo, voluptatum idola colentes; hi rapidissimo volatu effugiendi ab eo, qui perditionem suam veretur. Igitur ea nobis sit cura, vt hæc sapientiæ lumina abscindamus: quippe fallar, nisi Deo maximè placuerit, qui stultos istos sapiétes maximè cauerit. Apud Iud. c.3. excitatur à Domino in primum iudicem populi Othoniel; ait enim: *Clamauerunt ad Dominum, qui suscitauit eis Saluatorem, & liberauit eos Othoniel, videlicet filium Cenez fratrem Caleb minorem, fuitque in eo spiritus Domini, & iudicauit Israel.* (Iudic 3.) Ecce vobis primi iudicis Israëlitici inaugurationem; sed scire cupis, cur Othoniel primus iudex a Deo creatus est? Sanè vt Moyses in ducem populi eligeretur, aliqua in viro præcesserunt signa, quæ ingenuitatem hominis indigitabãt, dum puer Regiam Ægypti detestatur, dum Ægyptium perimit, vt fratrem saluti tradat, de quibus pro futuro imperij signis multa dicit D. August. & alij. In Othoniele autẽ, quid præcessit, quo sic Deo placuit, vt primus iudex populi crearetur? Quæstionis huius solutionem acutè tradit noster Serarius ex 15. Iosue, vbi dum Calebi expeditio in Hebron tractatur, dicitur: *Atque inde conscendens venit ad habitatores Dabir, quæ prius vocabatur Cariathsepher, id est, ciuitas litterarũ. Dixitque Caleb: Qui percusserit Cariathsepher, & ceperit eam, dabo ei Axam filiam meam vxorem. Cepitque eam Othoniel*, &c. (August.) Erat Dabir Chananæorũ Academia, vbi simul cum scelestissimis Chananæorum moribus studia florebant litterarũ, vt Abulensi placet; pro huius expugnatione proponitur præmium Axa Calebi filia; vt eam habeat vxorem, qui primus scelestos illos sapientes aggressus fuerit, è medióque inceperit tollere ciuitatem florentem literis, & sceleribus pariter. Ad hæc primus Othoniel exarsit, & primus sceleratæ sapientiæ oculũ cæcare, imò è medio tollere audet, quo & sibi vxorẽ Axam cõparauit, & meruit primum populi iudicem à Deo creari. Nobile sanè auspicium futuræ electionis in iudices populorum præbent illi, qui in ciuitatibus litterarum, in Academiis sciunt & impugnare, & abiicere prauos mores eorum, qui pulchris sapientiæ apicibus candent.

Text. Videte, ne contemnatis vnum ex his pusillis; dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.

§. XI.

Religiosi, & iusti viri nullum inter mundiales habebunt amicum, qui pro illis stet in aduersis.

Expende cur non contemnendi sint pusilli Christi discipuli, nimirum, quia Angeli eorum, hoc est, custodes, defensoresq; amici eorum sunt apud Deum in cœlis, qui indignè ferent suorum alumnorum vexationem. Potuisset equidem iustorum contemptores amplius perterrefacere, si non solùm in cœlis apud Deum, sed etiam apud potentes sæculi in terra, illorũ custodes, & amicos ostenderet. Nónne etiam iusti viri apud sæculares potestates, amicos, & custodes sibi adquirunt, quorum potentia fruantur adversùs hostes? Nunquam hoc potui credere, nec indagans audiui vllũ vnquam inter sæculares stetisse in aduersis verum amicum, & custodem viri alterius iusti, & religiosi. Siquis alius, sanctus Ioseph Patriarcha familiarem, & amicum sibi acquisiuit in Pharaonis Regia, nimirum pincernam eius, qui quotidie Pharaonis videbat faciem; hunc sibi Ioseph obligauit fausta interpretatione somniorum: de huius amicitia sperauit festinatissimam libertatem, & manifestationem innocẽtiæ suę. Quid plura? Ioseph manebat in vinculis, pincerna apud Regem iam erat Gen.40. nec verbum facit pro amico vincto, nec illius captiuitatem soluere curat. Miraris hominis feritatem & barbariem? Ne, quæso, miteris, solemnissimum enim est apud sæculares non meminisse religiosorum amicorum, dum sunt in aduersis constituti; quippè cùm sit tanta dissimilitudo inter religiosum, & prophanum; hic non potest cum illa veram vnquam habere amicitiam. Ad hæc D. Bern. ser. 5. in festo omnium Sanctorum, ait. (Bernard.) *Pincerna Pharaonis in gradum pristinum restitutus statim oblitus fuit Josephi sancti, qui in carcere tenebatur. Non enim erant vnius capitis membra, nec aliqua pars fidelis cum infideli, aut vlla societas Israelitæ ad Ægyptium, non plus quàm lucis ad tenebras.* Inter quos tanta intererat dissimilitudo, nulla potuit firmari vera lex amicitiæ; religiosi, & sæculares non sumus eiusdem capitis membra, & ideo non est vnde sæcularis adeò doleat religiosi vicem, vt stet pro illo coram regibus, & iudicibus. Solet vnius capitis manus, cum alterius manibus, dum valent, colludere; verùm si morbo aliquo correptæ saniem manant, scatent vermibus, nec ludendo, nec seriò illas pertingere vellet. Non sic se habet manus cum suis comparibus, sed quamuis putridæ sint compartes suæ, & fœtulentæ, illas tractat, fouet, nec vllam inde infectionẽ veretur. Tantum valet, quòd sint sub eodem capite, vt membra se inuicem iuuent, protegant, defendant. Vide sæpe sæculares homines religiosorum conuersatione, & familiaritatẽ gaudere, vbi religiosi viri integra fortuna vigebant; ast vbi offensionem incurrunt, vbi aduersitate tanguntur; nec vnus manet Pontifici notus, qui pro illis faciat verba. Non enim erant eiusdem capitis mẽbra. Rem mirificè exponit exemplum ex Saule desumptum: legem tulerat Saul de non manducando antequam omnes perderentur hostes; legem fregit Ionathas Saulis filius, pro qua reus mortis factus est. Igitur decretum mortis publicatur in Ionathan; quid tunc? Vniuersi Principes, & populus stant coram Rege totis viribus defensuri Ionathan; sic enim vniuersus populus loquitur 1. Reg. 14. *Viuit Dominus, si ceciderit capillus de capite eius in terram, quia cum Domino operatus est hodie. Liberauit ergo populus Ionathan*, &c. (1. Reg. 14.) Hoc posito accipe iterum Saulem iratum, non in vnum filium, sed in totum Sacerdotum ordinem; sciuit enim Rex impius apud Sacerdotes fuisse hospitatum Danidem, quo sic irascitur in Sacerdotes, vt vniuersos cum vrbe sua perdere vellet; de quorum strage habes 1. Reg. 22. *Doeg Idumæus irruit in sacerdotes, & trucidauit in illa die octoginta quinque viros vestitos Ephod lineo. Nobe autem sacerdotum ciuitatem percussit in ore gladij, viros & mulieres, & paruulos, & lactentes, bouémque, & asinum, & ouem in ore gladij.* (1. Reg. 22.) Quid crudelius? Vnius homuncionis gladio finitur perire totus sacerdotum ordo coram ipso Saulis exercitu, nec est vnus, qui pro illis verba faciat. Nónne tot sacerdotes apud regem habebant aliquem familiarem? Cur nullus pro illis stat? Pro Ionatha vno homine stat totus exercitus, vniuersi duces, & principes, pro toto sacerdotum ordine, nec vnus mutire audet; quæ rei causa? Religiosus ordo, & sæcularis non sunt membra eius capitis, & ideò non est sæcularis, qui religiosis viris condoleat, & compatiatur. Chrysost. in Psal. 134. (Chrysost.) *Quando Jonathan filium Saulis eripere oportebat, omnes communiter assentientes eripuerunt. Quando autem volebat occidere tot sacerdotes, ne vocem quidem emiserunt, nec eos defenderunt. Huius rei causa erat, quòd sacerdotum vicem non valde dolebant.* Dolet membrum suæ comparis vicem, pro illáque stat; alterius corporis bona etiã tractare affectat, verùm damna nec dolet, nec sentit. Hoc expectet Israelita ab Ægyptio, iustus a temporali, religiosus à prophano: nullum membrum inuenietur, quod stet, nisi pro aliis membris eusdem capitis.

CAPVT XIII.

De corrigendo fratre peccante.

DVM tot minis à Domino cauetur, ne quis pusillum suum gregem aut scandalizet, aut contristet, aut contemnat; statim dubium exoritur, quid faciendum si pusillorum aliquis peccarit, an nec etiam tunc contristandus? Absit; imò concipiendus est, & data opera, adbibitáque diligentia, qualis putetur conducere, ad saniorem mentem reuocandus. Hoc in primis debes curare, vt te solum sentiat peccator corripientem; post te contemptum, videat & alios duos, aut tres; & tandem ad Ecclesiam deferatur, Nunquam enim totus correctionis aculeus exerendus est, nisi post desperatam lenioris correctionis efficaciam.

Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipsum solum: si te audierit, lucratus es fratrem tuum.

§. I.

Hoc hominis Christiani dignum studium, vt quàm pauci sint, qui in illum peccent, etiam cùm nullam ipse peccandi occasionem prabet.

SI peccauerit in te, inquit, frater tuus; non ait, si peccauerint in te fratres tui; quia supponit semper a studio,

& diligentia Christiani hominis venire, quòd paucissimi sint, imò quòd vnus, aut alius solùm sit, qui peccet in illum. Hoc equidem Christiani hominis studium omni commendatione dignum est, quòd aut rarus, aut pauci per illum offensionem incurrant, etiam nullam occasionem præbente ipso. Verus magister noster Iesus concionem habuit ad populum Luc.4. ex qua sic vniuersa ciuitas commota est, vt impetu facto vellent illum in præcipitium dare. Ait enim textus: *Et repleti sunt omnes in Synagoga ira, hæc audientes. Et surrexerunt, & eiecerunt illum extra ciuitatem: & duxerunt illum vsque ad supercilium montis, super quem ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eum. Ipse autem transiens per medium illorum ibat.* Ecce qui necandus venerat Dominus, furentis in se ciuitatis deuitat manus: postmodum trium, aut quatuor carnificum manibus ligno affigendus. Cur crucifigentium trium, aut quatuor carnificum patitur manus, qui totius furentis ciuitatis manus deludit? An qui tot hostium vincula cauit, non potuit trium vincula præcauere? Absit: sed hoc erat studium diuinissimi magistri generis humani, ne multi essent, qui in se peccarent, sed quòd paucissimus esset numerus peccantium; & ideò vitauit mortis genus, quod per plures exercebatur, elegit illud, quod duobus, vel tribus carnificibus constabat. Sapienter D.Ambros. ibi ait: *Hic diuinitatis est, quòd non capitur, illic voluntatis est, quòd captus est. Nam quemadmodum à paucis teneri potuit, qui à populo non tenetur? Sed noluit sacrilegium esse multorum, vt à paucis quidem afligeretur, & pro toto orbe moreretur.* Dum moriendum illi pro mundi vita erat, necessium erat, vt venirent scandala, necessum erat mortali necessitate, vt in illum offenderent hostiles animi; & quando hoc non tollendum erat, id tamen curauit bonus Dominus vt sacrilegium esset paucorum, & à paucis affigeretur, & paucorum in se peccantium experiretur manus. Hinc patet, quàm alienus sit à spiritu Christiano ille, qui prænoscens impossibile esse in aliquorum offensionem non venire; hoc solùm curat ne præbeat offensionis causam culpabilem, qua sublata, nil æstimat, quòd plures in illum offendant. Hoc Philosophicum forsan est, at studium Christianum aliquid exigit maius, nimirum, quòd cùm necessum sit, vt veniant scandala, totis viribus curemus, vt propter nos, etiam cùm nullam culpabilem occasionem damus, eueniant perpauca. Semper eam vitæ semitam debet instituere Christianus, ex qua pauciores sint, aut nulli qui in illum offendantur. Vide D.Paul.1. ad Corinth.8. *Si esca scandalizat fratrem meum, non edam carnem in æternum, ne fratrem scandalizem.* Vbi Christiani studium expendens D. Ambros. fatur. *In tantum charitati studendum docet, vt licita pro illicitis habeantur, ne obsint fratri.* Hoc sit studium, hæc cura Christianæ charitatis, vt etiam in licitis caueat offensionem fratrum, & semper ea eligat sibi, quæ vel nullos offendunt, vel admodum raros. Pergami Præsuli ait Dominus Apoc.2. *Scio vbi habitas, vbi sedes est Sathanæ, & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam.* Quid tunc? *Sed habeo aduersùs te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam,* &c. Expende quæ obiiciatur culpa tanto præsuli, nimirum, quòd patiatur impugnationes hæreticorum? quid hoc mirum in præsule habitante, vbi sedes est Sathanæ? Si ibi Sathanas imperium habebat, hoc est, si omnia plena erant aduersariis, & contrariis Christianorum, cur culpæ datur præsuli, quòd habeat tenentes doctrinam Balaam? Equidem forsan nunquam, sine Christianæ charitatis tempore fit, quòd plures sint, qui à te deficiant. Excusatur præsul, excusatur Christianus, quando vnus, aut alius in illum peccat; at quando plures sunt, qui à te deficiant, qui in te peccent, qui te mordeant, nunquam id accidet absque aliquo tuæ tempore charitatis. Ergo Christiane minimè putes id solùm ad te pertinere, quòd rectam viuendi teneas viam, nullam rationem habens, quòd alij in te peccent, siue non peccent; debes enim, & hoc charitati Christianæ, vt studeas rarissimos saltem habere non tibi gratos. Id quod benè monebat D. Basil. orat.17. de humilitate fatus: *Abijce quæso, ac penitus euelle ex animo tuo persuasionem illam, nullius te opera, & societate egere, non enim illius est, qui alios amore complectitur, nec etiam illius, qui iussa Christi summo studio capessere contendit.* Sunt qui se ipsis contenti, hoc solum spectant, quòd ipsi benè agant; & quasi aliorum opera minimè indigeant, parum, aut nihil æstiment, quòd alij offendant, vel offendantur: magis Christianum agit, qui sic se, & sua ad alios alliciendos comparat, quasi sine illis minimè viuere valeat.

Ambros.

1.Cor.8.

Apoc.2.

Basil.

§. II.

Quo mollior, & blandior est correctio, eo solet esse efficacior in his, qui spiritum filiorum habet.

NOn statim seuerissimus correctionis gladius exerendus est aduersùs fratrem peccantem, sed in primis, quæ molliora sunt remedia admouenda; si videris fratrem peccantem, ne illum statim iudici, ne illum tortori tradas, sed tu peccatorem conueni, & qua potueris maiori lenitate inter te, & illum solum, vulnera tracta. Nec id frustrà perages, est enim omnium efficacissima correctio blanda, in his, qui spiritum filiorum habent. Sarepthanæ viduæ moritur filius 3. Reg.17. quem excitaturus accedit Elias. 3 Reg 17.
Et ait ad matrem Elias: Da mihi filium tuum. Tulitque eum de sinu eius, & portauit in cœnaculum, &c. Expende vbi haberetur filius, qui erat in vitam excitandus: habebatur in sinu matris; de sinu enim matris suæ ad vitam accipiendam trahitur. Felix ille filius, qui dum moritur, non in tortoris pedes cadit, sed in sinum matris: & felicior ille, qui cùm videt fratrem cadentem, non statim adhibet tortoris manus, sed magis sinum matris parat, haud dubium, quin inde filium, aut fratrem in vitam dabit. Pulchrè ad hæc Gillib. Abb. serm.16. in Cant. *Molli, & fœmineo matris est sinu souendus, vt non exasperatus abundantiore tristitia absorbeatur. Non expedit ei extra materni sinus ambitum reperiri, ne fortè non tollat illum verus Elias in cubiculum suum.* Quàm multi non sublati sunt in Saluatoris cubiculum, eo quòd nunquam nouerunt sinum matris, sed semper tortoris manus? Quàm multi penitus absorpti sunt à morte, quia nunquam fomenta, sed semper tormenta senserunt? Hoc maximè caueant, qui corrigendi munus habent, quòd nulli peccatori, nulli, etsi lethali vulnere, confosso non præbeant in primis sinum matris, semper enim periclitatur salus illius qui nunquam experitur sinum matris, qui nunquam noscit correctionem blandam. Prænuntiaturus Dominus populo suo interminandam felicitatem, ait Isaiæ 1. *Et restituam iudices tuos, vt fuerunt prius, & consiliarios tuos sicut antiquitus: post hæc vocaberis ciuitas iusti,* &c. De totius iudicij horrore, solùm meminit consiliarios; planè iudex habet præcones, habet tortores, habet & carnifices, & carceris custodias, & vincula; omnia hæc constituunt iudicis tribunal, & nihilominus Dominus pro suo populo saluando, non iudicem meminit, qui tortores habeat, & carceres, sed qui habeat consiliarios, non enim tam in seueritate vendicantis, quàm in lenitate consulentis redditur peccatori iustitia, & salus. Ad hæc D.Doroth. doctrina 17. fatur. *Neque superbè imperes, aut contumeliosè, sed eum omni mansuetudine cum fratre consulta, mouet enim magis, & efficacior est huiusmodi sermo ad persuadendum, & turbatos animos sedat.* Non te impetiosum vindicem ostendas fratri erranti; sed potiùs consiliarium blandum: & efficaciter fratrem ad meliorem frugem reuocabis. Vtinam peccatores nil prius viderint in correptoribus suis, quàm consiliarios, & mansuetos, & placitos, fallar, nisi quamplurimi se à via sua pessima reuocarent. Nota est Elisæi historia; qui baculum suum tradidit Giezi, vt baculo superposito puerum à morte reuocaret. Sed quod Giezi cum baculo non potuit, perfecit ipse Elisæus, dimisso enim baculo, sese inclinans, & puero commensurans, illum septies afflat, 4.Reg.4. Quid tunc? Puer viuus astat, & sanus. Ex quo Petrus Dam. Opusc.12. de contemptu sæculi cap.29. ait: *Super mortuum septies aspirat, quia ad perceptionem diuini muneris gratia septiformis spiritus in peccati morte existentes inflammat. Móxque viuus erigitur, quia is, quem terroris virga suscitare non potuit, per amoris spiritum puer ad vitam redit.* Adeò potens est spiritus lenitatis ad suscitandum. De lenitate, & mansuetudine corripientis habes plura lib.1. cap.2.§.4. lib.3.cap.5.§.12. lib.6. cap.3.§.6. & alibi.

Gillib. Abb.

Isai.1.

Doroth.

Petr Dam.

§. III.

Tunc solùm potest attribui correptori peccatoris salus, quando cum lenitate, & mansuetudine corripuit.

EXpendenda nobis sunt sacri textus verba vltimò à nobis proposita, nimirum, *si te audierit, lucratus est fratrem tuum.* Si dum illum inter te, & illum mansuetè corrigis, antequam seueritatem mineris, antequam iudicij rigorem proclames, & testes adhibeas, ipse tunc audiens existet, in lucrum tibi cedet. Et si non audierit, vsque dum à testibus conuictus iudicis seueritatem experiatur, tunc cedet in

corripientis lucrum. Nihil in eo casu determinat diuinus reatus, sed solùm in primo, vt ostendat, quòd tunc solùm peccatoris salus tribuitur correptori, quando nullo rigore exhibito, nulla adhuc seueritate præmissa, sed mansuetè, & amicè ad corripiendum accedit. Paulus 2. ad Timoth. 2.
2. Tim. 2. *Seruum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati, nequando det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant*, &c. Præclare instruit Paulus omnes Christianos, qualibus armis sese ad peccatorum correptionem accingant, nimirum, vt mansueti sint, & cum modestia, siue, vt ex Græco, cum lenitate corripientes. Sed cur non magis cum seueritate, & rigore corripiant? *Nequando det illis Deus pœnitentiam*, &c. hoc est, ne accidat, quod peccatoris conuersio vni tribuatur Deo, & nullo modo corripienti, sed sic corripiens maneat, quasi
Anselm. nihil effecerit. Ad hæc D. Anselm. ait: *Nequando sine nobis, per internam aspirationem det illis Deus pœnitentiam, & nos mercedem inde non habeamus.* Equidem vbi sine lenitate, & mansuetudine rigor, & seueritas operatur, nihil boni effectus taliter operanti tribuitur; sine te fit bonum, quod te seuiente resultat. Huc accedit seuerissima Ionæ districtissimi prædicatio, & scelestissimæ Niniuæ conuersio. Sic enim
Iona 3. habes Ionæ cap 3. *Et clamauit, & dixit: Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur. Et crediderunt viri Niniuitæ in Deum, & prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis à maiore vsque ad minorem. Et peruenit verbum ad regem Niniue: & surrexit de solio, & abiecit vestimentum suum, & indutus est sacco, & sedit in cinere, & clamauit, & dixit, ex ore regis, & Principum eius, dicens: Homines, & iumenta, & boues, & pecora, non gustent*, &c. Expende modò, quod Ionas subuersionem, & ruinam prænuntiat ciuitatis; viri autem Niniuitæ pœnitentiam, in sacco, & cinere, & ieiunio prædicant, & persuadent: cuius etiam pœnitentiæ decretum exit ab ore regis, & Principum. Cur non magis dicitur, quòd pœnitentiæ decretum, & persuasio processit ab ore Prophetæ? Nónne Deus Prophetam misit, vt Niniuitarum pœnitentiam eliceret? Cur ergo non dicitur ab illo pœnitentia prædicata, sed a viris Niniuitis, & à Regio senatu? Sanè adeo seuero prænuntiatori, mortem, ruinamque solùm absque vlla lenitatis significatione clamanti, sapienter non tribuitur pœnitentia, & conuersio ciuitatis, sed quasi ipse nihil efficax præstitisset ad pœnitentiam eliciendam; introducuntur Niniuitæ patres, ex quorum ore decretum, & persuasio pœnitentiæ vsque ad tenellos filios, dicitur
Hieron. permanasse. A qua excogitatione non longè aberat D. Hieron. fatus. *Ordo pulcherrimus: Propheta prædicat ciuitati, primi viri credunt, & illis ieiunium prædicantibus omnis ætas sacco induitur.* Dum seueri Prophetæ vox intonat, non ieiunium apparet, non cinis, non saccus, sed exit decretum ex dilecti ore Regis, ex paterno affectu Niniuitarum patrum, & his prædicantibus omnis ætas per multam pœnitentiam reddit sibi Deum placabilem. Sic ex ore Regis dicitur decretum, & persuasio pœnitentiæ manasse, quasi seuerissimi Prophetæ os penitus obstructum fuerit, ne quid pœnitentiæ eliciendæ efficax proclamaret. Non fuit absimi-
1. Cor. 5. lis D. Paul. 1. ad Corinth. 5. de fornicario castigando, ait: *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu iam iudicaui, vt præsens, eum, qui sic operatus est in nomine Domini nostri Iesu Christi congregatis vobis, & meo spiritu cum virtute Domini nostri Iesu, tradere huiusmodi Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit.* Non dicit, vt spiritum eius saluum faciam; sed vt spiritus eius saluus sit: & quidem in epist. D. Iacobi cap. 5. dicitur: *Oratio fidei saluabit infirmum*; cur ergo cauit Apostolus dicere se procurasse saluum facere Corinthium fornicarium? Strinxerat Paulus seueritatis gladium in hominem illum, fatetur à se traditum Sathanæ in interitum carnis, ideo meritò cauet, sibi tam seuero iniquitatis vltori effectum attribuere sanitatis. Non enim homo, sed Deus sit, necessum est, qui adhibito seueræ vltionis gladio, simul salutem causet. Quod sibi attribuebat
Deut 32. Dominus Deuter. 32. aiens: *Percutiam, & ego sanabo*, quasi diuinæ solius sit potestatis, inter percutiendum posse sanitatem instillare.

Text Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum.

§. IV.

Diuinissimæ Trinitatis, vel adumbratio, fundamentum est humanæ felicitatis.

STo a sententia D. August. alibi dari, qui per hos tres testes in præsenti notatos, adumbrationem diuinissimæ agnoscit Trinitatis; & meritò ait, quod in ore horum trium stat omne verbum, non iacet, non cadit. Quippè vbi Trinitatis vel adumbratio est, nullus ibi casus, sed fundamentum apparet totius felicitatis. De immolando filio præceptum acceperat Abraham, quod vt executioni mandaret, viam arripuerat Genes. 22. *Die autem tertio, eleuatis oculis vidit locum procul. Dixitque ad pueros suos: Expectate hic cum asino: ego autem & puer, illuc vsque properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos.* E domo exierat filium iugulaturus, nihilque toto itinere aliud cogitabat, quàm pueri iugulationem; modò pueri incolumitatem auspicatur, cùm ait, reuertemur ad vos. Vnde hoc auspicium oriri potuit? Vnde iugulandi Isaaci incolumis reditus potuit venire in mentem patris? Notanter posuit textus illud, nimirum: *Tertio autem die, eleuatis oculis*, &c. vbi enim diuinissimæ Trinitatis incepit effulgere adumbratio, auspicium incolumitatis, & prosperitatis non potuit non dari. Ad hæc D. Chrysost. tom. 5. homil. in illud D. Paul. *Cùm autem subiecta fuerint ei*, &c. sic loquitur. *Omnes dies Dei sunt, & tres seruiunt mysterio. Qui illi tres? Accipe Isaac, dicit, quem dilexisti filium tuum vnigenitum, & vade in vnum montium. Ambulauit Abraham tres dies, & tres noctes, vt simul mysterium monstraret. Sic enim quasi à morte viuentem accepit Isaac.* Vbi diuinissimi ternarij adumbrat mysterium, iam non casum, non mortem Isaaci cogitat, sed illum incipit suscipere quasi a morte, & casu liberatum. Apud Ioan. cap 2. aiebat Dominus; *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* quasi in tantum solùm durare posset casus, in quantum Trinitatis adumbrari inciperet fides. Quæ verba ponderans D. Ephr. lib. de Pœnit. *Poterant*, inquit, *in momento, & ictu oculi omnia fieri; sed ob mysterium Trinitatis, intra triduum, hostem gratia ligauit: non quòd impotens esset intra tres (nimirum tres dies) agere, quæ agebat, sed vt mysterium ostenderetur diuinitatis. Propterea, & in tribus diebus mors destructa est, & draco disturbatus est, & peccatum deletum. Intra triduum cælum, & terra, & mare consistunt: vt etiam in ea Trinitatis demonstraretur mysterium, & triduana resurrectionis propitiationis humana fructus, et commodum.* Nunquam non humanum commodum, vbi affulget diuinissimæ mysterium Trinitatis; in quo tripode semper audiuntur oracula humanæ incolumitatis famulantia. Flammantem incendit rex Babylonius fornacem, vt vel flammarum violentia ad sui adorationem vniuersos raperet; tres pueri Hebræi, dum auream regis contemnunt imaginem, contemnunt etiam violentiam flammarum. In fornacem ergo mittuntur, sed intra tot mortes, responsum vitæ gaudentes exaudiunt. Res mira, sed qui sub ternario numero se opposuerunt flammis, non potuerunt flammas non vincere, Sacramento Trinitatis. Pulchrè D. Zeno serm. 4. de tribus pueris ait: *Sacramenta Trinitatis, tota potentis elementi subacta natura est. Qui putabantur incendio extingui, canunt beatiores incensi.* Nescit cadere, qui Trinitatis effulget adumbratione, nihil est hoc subnixum diuinissimo ternario, quòd etiam inter mortuos non stet, & responsa vitæ audiat.

Genes. 22. — Chrysost. — Ioan. 2. — D. Ephr. — D. Zen.

§. V.

Non censemur habere charitatem, quam testatam non facimus.

COnueniant huc, qui dum proximo inferunt mala, habere se prædicant intimis præcordiis erga illum infixam charitatem: non habes charitatem, quam exteriùs testatam non habes. Antequam frater, qui in te peccauit, seueræ iudicis censuræ tradatur, iuberis illum fraternè corripere, deinde si adhuc resilierit, quòd testes duos, vel tres tuæ correctionis adhibeas. Cur ad correctionem fraternam, ante exhibendum vltimum seueritatis remedium testes desiderantur? An vt illis conuinci possit peccator? Pulchrè D. Chrysost. ait, ibi testes adhiberi debere, non vt pertinacia peccatoris conuincatur, sed vt exhibitio charitatis in corripiente testata maneat. Quippe, ait hom. 61. in Matth. *Habes iam testes opus à te tuum ita esse confectum, vt nihil quod ad te pertineat, reliquum esse videatur.* Nunquam enim

enim ille, qui fratrem tortori tradit, & gladio, crederetur satisfecisse charitati, nisi eius exhibitionem testatam daret. Vera charitas, non quæ latet abscondita in animo, sed quæ de se publicum testimonium habet. Dei illa vera amatrix *Cant.5.* Cant. 5. aiebat. *Surrexi, vt aperirem dilecto meo, manus meæ distillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima. Pessulum ostij mei aperui dilecto meo, at ille declinauerat, atque transierat. Anima mea liquefacta est, vt locutus est: quæsiui, & non inueni illum; vocaui, & respondit mihi. Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatem: percusserunt me, & vulnerauerunt me; tulerunt pallium meum mihi custodes murorum. Adiuro vos filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt annuncietis ei, quia amore langueo.* Expende quæso quanta à se facta meminerit sponsa, & quid petat per Hierusalem filias dilecto nunciari. Myrrhæos latices bibit, dum ostium aperit mille vias, & difficiles ambulat, mille voces sine effectu iactat, vulnera patitur, & oblationem pallij; & omnia hæc solùm, vt sponsum inueniat: & nihilominus hæc prætericns, solum requirit filiarum Hierusalem testimonium, quo renuntietur sponso, quia amore languet. Cur non magis petit renuntiari exantlatos labores, myrrhæos haustus; itinerum difficultates superatas; vulnera accepta; rapinam bonorum suorum cum gaudio toleratam? Cur de his tantis non petit à Hierusalem filiis, vt aliquid testentur sponso, sed solùm ait: *adiuro vos, vt nuncietis ei, quia amore langueo:* Planè illa omnia vocalissima ex se sunt, abscondita licèt sint, clariùs patent patri illi, qui videt in abscondito: verùm charitas non censetur esse, nisi dum publicum testimonium habet: non censetur charitas, quæ externis testi-
Matth.19. bus non potest probari. Animosè Petrus Matth. 19. apud diuinissimum iudicem pro se, & suis condiscipulis, ait: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Is ergo qui tantam in se rerum abnegationem ostendit, dum circa suam in Deum charitatem verba facit Ioan. 21. ter de illa interrogatus, an Dominum amaret, respondit semper: *Etiam Domine, tu scis, quia amo te.* Non tantùm dicit, quòd amet Dominum, sed insuper addit, quòd Dominus id sciat. Suprà solum dicebat, *reliquimus omnia.* non addit, & tu scis, quia reliquimus; modò postquam dixit se amare, simul addit, *& tu scis Domine.* Cur hoc modò adden-
Cyrill. dum putauit? Rationem insinuat D. Cyrill. Alex. lib. 12. in Ioan. cap. 64. aiens: *Petrus autem amare se fatetur, & amoris sui Christum ipsum in testem citat.* Cùm de abnegatione omnium rerum temporalium loquitur apud diuinum iudicem, tantùm asserit, *reliquimus omnia*, & tantæ assertionis testes adhibere non curat; vbi autem de amore loqui oportuit, & amorem asserit, & testem ibi præsentissimum citat, non audens amorem vocare, cuius nullum posset dare testimonium publicum. Ter vocat Iesum in testem sui amoris, nec alium testem quærit, vtpotè habens Iesum, qui stare sufficiat pro tribus. Vanus equidem est, qui credit se intimiùs habere amorem, cuius nullum exhibet vnquam exteriùs testimonium; felicior Iacob cui contigerunt duo septennia laborum, vt in se amorem Rachelis testaretur, vt salutem in ore duorum staret amoris sui verbum.

Text. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus.

§. VI.

Maximis criminibus, quàm citissimè inferendum supplicium est.

Ecce tibi quousque sustineat fraterna charitas fratres peccantes; sed qualiter peccantes? Ita peccantes, vt ad summum caueri debeant velut ethnici, & publicani; qui enim maiori pœna castigandum scelus committunt, hi absque mora, dicto citius sunt castigandi. In non adeò perniciosis criminibus, decumbentem fratrem paulatim corrige, per quasdam correctionis moras, verùm vbi scelus adeò perniciosum est, vt non exilio, sed maiori supplicio petat mulctari, rumpe moras, citissimam correptionem
Genes.18. adhibe. Ait Dominus Genes. 18. *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis. Descendam, & videbo, vtrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint.* Quid ais Domine, *descendam, & videbo*? Cur non magis addis, & corripiam eos, inter me, & illos? Sic in ictu oculi perdes in te peccantes nullo loco correptioni dato? Ad quid ergo correptionis moræ statuuntur, si ipse Dominus absque mora vlla perdit peccantes? Equidem expectandæ sunt illæ correptionis moræ in non adeò perniciosis criminibus, quæ etiam delata non magnum supplicium habent, sed vel exilio quodam, seu separatione à communi conuictu satis mulctantur. At quæ perniciosa sunt crimina, & crucem ignémque flagitant, dicto citius in ictu oculi sunt castiganda. Id quod sapienter notauit Alcuinus in præsenti quæst. 178. fatus. Tanto crimine inuolutus inueniens, quasi patientiam prætermisit, & diem extremi iudicij expectare noluit, sed eos igne iudicij ante diem iudicij præuenit. Ecce malum, & quasi cum difficultate credidit, cùm audiuit. *Et tamen sine tarditate percussit, cum verum cognoscendo reperit; vt nobis videlicet daret exemplum, quia maiora crimina, & tardè credenda sunt, cùm audiuntur, & citius punienda cùm veraciter agnoscuntur.* Nunquam maxima crimina periculum in mora non inferunt, ideò quantociùs abscindenda, punienda. Ananias, & Saphira, dum de pretio venditi agri defraudant Actor. 5. non priùs correptionem audiunt, quàm excipiunt cruentum supplicium. Simul à D. Petro accusantur nefarij sacrilegij, & temporali priuantur vita. Cur Petre sic seuerus in fratres? Cur non magis secretò corripis illos? Rationem reddit D. Isidorus Pelus. lib. 2. epist. 181. *Cùm tunc se-* *D.Isid.* *mentem Euangelij Apostoli facere cœpissent, at statim zizania enata conspexissent, sapiens consilio ea confestim euulserunt.* Quid non damnorum sperarent de zizaniis? Sapienter vbi nihil non malum expectant, confestim ferrum adhibent, & præcisionem edicunt. Tolerari possunt paulisper minora delicta, vt medelam accipiant; magna crimina, nec ad momentum sustinenda sunt. Psalm. 1. *Beatus vir, qui non abijt in* *Psalm.1.* *consilio impiorum, in via peccatorum non stetit.* Non petitur à bono viro, quòd non abeat in viam peccatorum, sed quòd non stet, quòd non diutiùs moretur in illa, verùm ad impiorum consilium nec abire permittitur. Cur non permittetur similiter ire ad consilium impiorum, dummodo non stet in illo? In consilio impiorum magna crimina intelliguntur; in peccatorum via minora putantur delicta. Magna ergo delicta, nec ad momentum admittenda; minora quis non admittit? Satis si per correptionem non maneant diutiùs. Ad hæc D. Ambros. ibi: *Non à te exigit, quòd vltra na-* *Ambros.* *turam est, vt peccatum non facias: sed vt non maneas in peccato quadam statione diurna. In grauiora ne abeas, in leuioribus ne stes.* Nunquam grauiora crimina, vel apparere permittenda sunt, sed quàm primum succidenda; quæ autem minora sunt, ea satis est, si non permittantur subsistere diutiùs.

§. VII.

Auaritia falsitatis socia inseparabilis.

Vide quod inseparabiliter coniungat diuina censura, nimirum ethnicum, & publicanum, hoc est, & falsitatis cultorem, & amatorem pecuniarum: quid plura? Nunquam pecunia non habet sociam falsitatem, & mendacium. Magus ille Simon potestatem Apostolorum miratus, pecunia oblata illam ab Apostolis emere contendit. Tunc Petrus diuino succensus zelo in Magum excandens ait Act. 8. *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Quid ais Petre? *Actor.8.* Sic Magum ditas? Cur non magis scelestum hominem bonis spolias? Cur nefarissimum æmulum, & vanorum errorum seminatorem non castigas, & illum pecunia spolias? Cur illi remittis pecuniam suam, qui falsis dogmatibus implet Romanum orbem? Equidem ideo illi pecuniam remittit, vt pecunia eius falsitatis clarissimum reddat testimonium, quando pecunia nullibi est, sine falsitate socia. Acutè satis, & verè aiebat D. Valerianus homil. 20. fatus: *Valer.* *Ventura quidem tecum est pecunia, non vt putas, ad ornamentum corporis, sed ad testimonium falsitatis.* Nullo euidentiùs indicio falsitas Simonis monstraretur, quàm ostensione accumulatæ pecuniæ: in quo enim pecuniarum amor stat, non potest non habitare mendacium, periurium, falsitas. Meritò D. Damascen. lib. 2. Paralel. cap. 17. illud asserit ex Basi- *Petr.Dam.* lio desumptum. *Quis mendacij pater est? Quis falsæ conscriptionis pater? Quis periurij procreator? Nonne opes? Nonne earum studium?* Se mirum in modum fallit, qui inter auri conquirendi studia quærit veritatem; nil magis, quàm falsitas, & mendacium viget in commerciis auri: vt dicat D. Valeria- *Valer.* nus vbi suprà: *Fertur homo vndis, voto quadruplicandæ pecuniæ: portatur aurum, vt reportetur cum falsitate periurium.* Ecce tibi totum mundiale mercimonium: ecce mercatorum classes

classes maria exarantes, quò spectent? *portatur aurum, vt reportetur cum falsitate periurium.* Nescit aurum esse, sine socia falsitate, quin imò totum auri negotium de falsitate, & fraudibus nascitur. Id quod respiciens D. Theophilus Alexand. epist. paschali 3. dum agit de auaritia, faiut: *Insulas, maria, terras, littora, vias, transitus, stadia possident auaritia, dum desideratia plus habendi, negatiatione merces huc illucque commutat, & fraudibus atque periurijs auitiarum iacit inexplebilia fundamenta.* De hoc plura lib. 6. cap. 2. §. 8.

Theoph.

Text. Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo: quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo.

§. VIII.

Salutis negotium in hac vita peragi debet.

Nihil in cœlo fit circa hominum salutem, nisi ea, quæ in terris videntur peracta: hoc debes ferre, siue liberationem, siue vincula, id quod notans D. Zeno in Psalm. 100. inquit. *Ex hac vita, qua sicum aut coronam portas, aut pœnam?* Nihil in cœlo habebis, præter id, quod tecum è terris portas. Delirans Valentinus post huius vitæ discessum, adhuc tempus, & spatium præscribebat, quo hominum animæ in quæstionem vocatæ possent per veram confessionem æternam vitam adipisci. Et quidem non negabo à Dauide apud cœlestes ianuas depictam esse quæstionem & examen celebratum inter Regem gloriæ Christum, & ianitores. Accipite Psalm 23. *Attollite portas Principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio. Attollite portas Principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Quis est iste Rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.* Bone Deus! adhuc apud cœlestia quæstionis datur spatium? Adhuc ibi per tempus licet animabus ianitores exorare, confessionem exerere? Absit, imò semel id in Rege gloriæ Christo peractum refertur, vt exinde nulla iam vox accedentium animarum expectetur, sed per eam, quam in terris dederint, siue mota aut debeant admitti, aut repelli. Adhæc Tertullian. aduersùs Gnosticos, cap. 10. ait: *Sette, & ascensum illum exinde complanatum vestigijs Domini, & introitum exinde reseratum viribus Christi: nec vllam moram, aut quæstionem in limine Christianis occursuram, qui non dignosci habeant illic, sed agnosci: nec interrogari, sed admitti.* Ex hac vita quidquid ad tuæ causæ finem spectat, tecum fers: nihil extra hanc timeas, nihil expectes, quod hinc tecum non feras. Quod vt doceret Dominus, cùm sese in patris sui regiam esset recepturus, in terris claues reliquit cœli; vt scirent homines, quod nisi ea hac secum claues ferant, minimè poterunt in cœlum introire. Quippe aiebat Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum.* ex quo Tertull. aduers. Gnostic. persuadebat hominibus, quòd in præsenti curarent cœlestia sibi aperiri, nullus enim posthac inueniet, quo cœlum aperiat, nisi è terris sibi claues accipiat. Ait enim: *Nam etsi adhuc clausum putas cælum, memento claues eius hic Dominum Petro, & per eum Ecclesiæ reliquisse. quas hic vnusquisque interrogatus, atque confessus feret secum.* Væ peccatori, qui despiciens in præsenti cœli claues accipere, excedit è viuis.

D. Zen. Psal. 23. Tertull. Matth. 16. Tertull.

CAPVT XIV.

De perfecto animarum Pastore.

HVc accedant vniuersi animarum Pastores, vt de officio suo à vero, & summo Pastore Iesu admoneantur; tales enim docet debere esse animarum Pastores, qualem se ipse prædicat præstitisse. Nimirum, qui nulla luporum cauit certamina; nec vitæ propriæ pepercit, vt oues incolumes conseruaret. Qualis ouis, quæ pastoris sanguine debet conseruari? non hæc est ouis fœno pasta, sed viuifico Angelorum pane saginata?

Ioann. 10. Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis.

§. I.

Tota boni pastoris disciplina in dando, non in recipiendo sita est.

DVm pastoritium animarum munus extollit Dominus, nihil pro ouibus pascendis a se receptum percenset, sed hoc vnum prædicat, quòd ipse dederit; nempè ait: *Bonus pastor dat animam suam pro ouibus suis.* Pastoralis enim disciplina, vt optima sit, non tam in recipiendo, quàm in dando eminet. Id nouerat ille, qui Psal. 118. *errauit sicut ouis,* dum enim gratias pastori suo referre voluisset, ait Psal. 115. Psal. 115.
Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ tribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, &c. Aliquid quærit, quod ipse Domino retribueret, & non inuenit, nisi quòd recipiat calicem salutaris. Quid ais bone, nónne cupiebas Domino tuo aliquid dare; cur modò non das, sed accipis? Equidem is est nostrarum animarum pastor, cui nihil dare possumus, nisi quòd simus ad accipiendum parati: quia ipse non recipere gaudet, sed semper dare. Ad hæc Origen. lib. 2. in epist. ad Origen.
Rom. ait. *Vnum hoc inuenit solum, quod afferre oportet Deo, id est, vt crederet de eo, quòd nunquam possit ab homine aliquid accipere, sed semper dare, & ideo dixit: Calicem salutaris accipiam.* Vnum hoc bonus quilibet pastor etiam debet curare, sic se erga oues suas gerere, vt credatur non velle aliquid ab eis accipere, sed semper dare. Quam suorum pastorum præstantiam meditabatur Dominus Num. 17. vbi pro sacerdote Num. 17.
deligendo sectas ab arbore sibi virgas præferri mandat, vt sacerdotem designet Dominum suum virga, quæ germinarit. Duodecim igitur adducuntur virgæ, diuinóque apponuntur sanctuario; quid tunc? *Inuenit germinasse virgam Aaron in domo Leui, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui folijs dilatatis in amygdalas deformati sunt.* Paulo in rem præsentem aptiùs ex Hebræo habetur: *Et ecce virga protulit germen, & floruit florem, & reddidit amygdalas.* Non arbor aliqua plantata, sed virga secta protulit germen, & reddidit amygdalas; cur magis virga secta, quam arbor? Quia arbor non antea dat fructus, quàm recipiat a terra succum; & æquè apta debet esse ad recipiendum, quàm ad reddendum: virga autem secta, nihil succi à terra accipit, quòd si fructus dederit, non ex eo quod recipit: in quo sacerdotale munus apprimè exprimit; quod non in recipiendo, sed in dando debet præeminere. Non longè ab hac excogitatione abfuit D. Nyssen. alibi datus, qui dum agit de hac Nyssen.
Aaronis virga germinante, orat. de Vita Moysis, ait: *Tibi germinauit sacerdotij virga, non humiditate terrena, sed à se ipsa nucem producens.* Fructus dat sacerdotalis virga, dum nihil succi recipit à terra: nunquam enim pulchriùs floret potestatis virga, quàm dum non in recipiendo, sed in dando eminet. Regium splendorem miratus Dominus in sua sponsa Cant. 7. ait. *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis?* Theodoretus legit, *filia sponte dantis.* Cant. 7.
quasi regia potestas per id solum elucescat magis, quòd dicatur semper, & sponte dare. Huc spectat illud Iosuè Iosuè 14.
cap. 14. vbi sic: *Hoc est, quod possederunt filij Israel terræ Chanaam, quam dederunt eis Eleazar Sacerdos, & Iosuè filius Nun.* Ecce vnde & Eleazari, & Iosuè gloria commendatur, quòd cùm fuerint ambo Principes populi, de expugnatis Chananæis, nihil sibi receperint, sed omnem terram dederint popularibus. Ex quo Theodor. in præsenti quæ- Theod.
stione 17. ait. *Quare Iosuè, cum alijs terram dispertiret, sibi non distribuit aliquam portionem? Imitatus est in eo modestiam Domini. Docuit item eos, qui in aliqua magistratu sunt constituti, non suis commodis, sed vtilitati subditorum, inseruire debere.* Sic ille, docens ex Iosuè facto, quàm debeant vniuersi Principes in non accipiendo, sed in dando fieri diuinæ potestatis æmuli.

§. II.

Nec vitæ suæ parcat, qui pastor bonus est, dum ouicularum prospicit saluti.

HOc videant, quicumque ouium Christianarum suscipiunt curam; illarum enim spiritualem salutem, & vtilitatem omnibus vitæ suæ periculis comparare coguntur. Apud Numer. cap. 16. dum flamma in Israelitas desæuit, monetur Aaron à Moyse, vt tanto subueniat malo;

quid

Num.16. quid tunc? *Quod cùm fecisset Aaron, & cucurrisset ad mediam multitudinem, quam iam vastabat incendium, obtulit thymiama; & stans inter mortuos, & viuentes, pro populo deprecatus est, & plaga cessauit.* Non stridentes horribiliter flammas veretur, non ad cadentium aspectum expauet, sed media inter pericula prosilit, vt prece sua salutem populo afferat: quo facinore ora obstruxit illorum, qui sacerdotio illius refragabantur, ostendens in se animum prorsus sacerdotalem, quandoquidem pro subditis nullo periculo parcit. Rem at-
Ambros. tigit D. Ambros. lib. 10. epist. 82. *Cùm dira mors propter contumaces in plebem serperet, medium se inter morientes, viuentésque Aaron obiecit, vt mortem sisteret, ne plures perirent. Verè vir mentis, & animi sacerdotalis, qui se pro Domini grege, quasi pastor bonus pio obijceret affectu.* Nullo alio se digniorem ostendit Aaron, quàm dum pro popularibus se flammis sæuientibus opposuit: iam tunc ostendens, vnde digni pastores examinari possent, nimirũ ex eo, quòd se discriminibus pro commisso sibi grege opponant. In illo repetito dilectionis examine, ait Dominus ad summum Pastorem Petrum Ioan.
Ioan.21. 21. *Pasce oues meas. Amen, amen dico tibi, cùm esses iunior, cingebas te, & ambulabas, vbi volebas: cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quò tu non vis. Hoc autem dixit, significans, qua morte clarificaturus esset Deum.* Et oues committit, & de subeunda morte disputat; sæpiùs aliàs cum Petro locutus fuerat Dominus, & nunquam verbum fecerat in particulari de morte à Petro subeunda: nunc primùm post commissas oues de morte Petri agit; & cur nunc primùm de morte agit? Planè vt ostendat, ouium solicitudinem plenam debere esse etiam mortis periculis, animo sacerdotali. Id quod notans D. August. tract. 47. in Ioann. fatur. *Cùm Petro suas oues pascendas tertiò commendasset, ait illi: Cùm iunior esses, cingebas te, & ambulabas vbi volebas; cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis. Ad hoc ergo pertinet, pasce oues meas, vt ponas animam tuam pro ouibus meis.* Hoc maximè à Pastoribus requiritur, quòd vbi oues acceperint, ipsam etiam vitam pro illis dedant discrimini. In pastore, qui hon habet, vt nec vitæ parcat suæ, vbi res ouium eam postulauerit, non damno cultiorem ornatum, supellectilem diuitem, aurea strata flammísque imitantia pyropum. Vltimum enim celebraturus pascha Dominus cum discipulis suis, quibus humani generis oues erat commissurus, non vulgarem elegit do-
Luc.22. mum, quin potiùs, ait Luc. 22. *ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum; & ibi parate*; putant enim plurimi, & doctissimi viri, cœnaculum hoc pretiosis tapetibus, aureísque vasis ornatum fuisse; sed scire cupis, cur Dominus iam iam moriturus ad prædiues cœnaculum duxit discipulos
Cellens. Abb. suos? Rẽ attigit Cellens. Abb. lib. de Panibus cap. 1. inquiens: *Vt qui cœnaculum ascenderit prælationis, non recuset post Iesum subire discrimen passionis: vt in cœnaculo confortatus cibis vitalibus, non concutiatur præ formidine, & tribulationum ponderibus.* Pastoribus equidem cœnacula aurea dantur, non vt aureo inhæreant inuoluti, sed vt qui aureo, & pulchro prælationis potiuntur, inde ad omnium discrimina, etiam vitæ pro ouibus subeunda descendant. Non est cur vereantur Pastores cœnacula grandia auro strata habitare, dum illis omnibus, & etiam propria vita, soliciti sint mercari ouium suarum salutem.

§. III.

Tam temporalis, quàm spiritualis regni stabilitas, in eo sita est, quòd pretium rerum intrinseci valoris sit.

Ecce tibi bonus pastor quale pretium constituit pro ouibus suis, nimirum animam suam, nec aliter regeret bene gregem suum, nisi pretium rerum, tam intrinseci valoris constitueret. Nunquam durabile bonum leuibus acquiritur, & vilibus: pretiosa sint, necesse est, quæ stabilem salutem animæ, vel corporis comparare nituntur. Ac-
Isai.1. cipite Deum apud Isaiam cap. 1. de restaurando spirituali Iudæorum regno disputantem: *Et conuertam manum meam ad te, & excoquam ad purum scoriam tuam: & auferam omne stannum tuum. Et restituam iudices tuos, vt fuerunt prius, & consiliarios tuos sicut antiquitus. Post hæc vocaberis ciuitas iusti, vrbs fidelis*, &c. Quis Christianus ignoret hîc à Deo restaurationem regni spiritualis celebrari? An Deus temporale Iudæis imperium per Iesum promittebat? Absit; & nihilominus sic agit de spirituali regno, quasi de temporali, restaurationem eius constituens in vilissimorum metallorum abiectione: quasi tunc quodlibet regnum floreat, cùm tales in eo principentur Reges, qui vilissima abiiciant metalla, ne in vilibus rerum pretia constituant. Vnde dicebat Fore- Forer.
tius in præsenti: *Bonorum summam hac vnica promissione comprehendisse videtur, de restituendis iudicibus, & magistratibus, præsertim si ablatæ sunt scoriæ, & stanna.* Tunc regnum attingit felicitatis summam, cùm vilia pretiorum metalla auferuntur, cùm nihil non pretiosum manet, quod pro salute comparanda exhibetur. Rouoco in memoriam spectrum illud variis metallis conflatum Nabuchodonosor in somnis obiectum Daniel. 4. Huic erat caput aureum, pectus argenteum, venter æneus, crura ferrea, totidémque per hæc metalla imperia figurabantur. Quid tunc? Lapis decisus à monte sine manibus, percutit ferreos spectri pedes, & totam comminuit imperiorum imaginem. Vt deleat imperia lapis, ad pedes imaginis decidit, cur non magis percutit caput? Vt fortissimum gigantem debellaret Dauid, lapidem proiecit, qui frontem feriret, & iactus in frontem lapis misere interfecit tyrannum; cur etiam lapis à monte decisus, non petit imperiorum caput? Cur magis pedes ferire gaudet, & hos ferreos, nónne ferreum fortius aureo est? Ferrum in se durius, & fortius est ipso auro; sed in regnis tutandis longè infirmius, imò nunquam regnum ad ruinam procliuius, quàm vbi ferro, vilibúsque nititur metallis pro pretiis rerum cõparandarum. Quod talibus nititur regnum fundamentis, caueat lapsum; vel ad lapidem nulla obiectum manu offendet, & miserè dissipabitur. Ad hæc refero Plato- Plato.
nem 3. de Repub. sic philosophantem, dum ait: *Velut oraculo proditum est, tunc ciuitatem interituram esse, cùm ipsam æs, aut ferrum custodierint.* Hæc auferat vilia rerum pretia, qui Rex voluerit imperium confirmare: nullúsque sit adeò vecors, qui vilibus procuret sibi necessaria ad salutem comparare.

§. IV.

Pœna quamuis ægrè, & coactè ob virtutem suscepta, potius feralis laniena, quàm obsequij diuini speciem habere videtur.

Sapientissimè Dominus perfecti pastoris præstantiam in eo ponit, quòd animam suam dat pro ouibus; quippè cùm dicit, quòd dat animam; animum eius libentem, & hilarem in subeundis periculis exprimit. Id quod ampliùs declarans D. Cyrillus Alexand. lib. 6. in Ioann. cap. 5. ait: Cyrill.
Quicumque bonus pastor libenter debet pro ouium salute animam suam ponere. Non sufficit, quòd animam ponat, sed quòd illam libenter, vt hilaris dator offerat; quod enim non libenti, sed reluctante animo pro Deo, & virtute sustinetur, id vix reputa obsequium Deo dignum, sed lanienam & miserrimi hominis carnificinam. Sæpiùs audisti durissimum Abrahæ præceptum impositum de necando filio dilectissimo: se Abrahamus accingit in opus; adest ligatus filius: vterque doloris expers, lætitiæ plenus, profusionem sui sanguinis sperat largissimam. Quis vnquam vidit patrem doloris expertem in nece vnici pignoris? Suffecisset, quòd Abrahamus litaret Deo filium, cur necesse fuit, vt nullum dolorem ostenderet, sed prompto, & libenti animo necis negotium perficeret? Et filium, & se in filio, dum litat Abrahamus, neuter dolet, nec turbatur sub gladio; ne misera dolentium facies tanto obsequio præberet speciem miserandi parricidij. De quo pulchrè D. Zeno serm. 5. de Abrahamo, ait: *Nemo* Zeno.
rogat, nemo trepidat, nemo se excusat, nemo turbatur, ne verè sit parricidium. Parricidium penè est, laniena penè est miseranda, opus pœnale, quod perturbato, & reluctante, & prorsus coacto animo pro Deo, & virtute pateris. Multi, quia aliter facere cum honore non possunt, etsi reluctanter, & coactè, virtutum opera efficiunt, flagris se cedunt, operam dant ieiuniis, & vigiliis, similésque Christianæ crucis afflictiones subeunt. Dum verò sub hoc Christi gladio trepidant, turbantur, quantum est in se, resiliunt, totóque obluctantur mentis conamine; non tam pium obsequium exhibere videntur, quàm crudele sui homicidium, quatenus se sine fructu conficiunt. Paulus ideo monebat suos Corinthios ep. 2. 2. Cor. 9.
cap. 9. *Vnusquisque prout destinauit in corde suo, non ex tristitia, aut necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus.* Meritò cauet tristitiam, & necessitatem, nimirum coactionem in dono exhibendo; qui enim non libenti animo, sed tristi, & reluctante, & coacto, bona largitur, non dat, sed perdit sua; non dator apud Deum censetur, sed carnifex se bonis priuans. Ad hæc D. Chrysost. in cap. 12. ad Rom. inquit, cum Chrysost.
tristi largitore locutus. *Quid doles, omnem boni operis fructum perdens? Si namque doles, non misereris vtique, sed crudelis es, &*

& inhumanus. Et quidem, qui dolenter, & ægrè substantiolam suam nihilominus fundit, crudelis est in se, vt qui solum negotium efficit perditionis,& ruinæ. Quò respiciens (August.) aiebat etiam D.August. in Psalm.42. *Si panem dederis tristis; & panem,& meritum perdidisti.* Perditio est coacta, & tristis largitio ; & quicumque tristi, & obluctanti prorsus animo gladium sustinent Christi,non hi virtutum operatores, sed sui interfectores, & parricidæ deberent dici.

Text. Mercenarius autem,& qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit.

§. V.

Perfectissimi Pastoris, imo inexpugnabilis viri est, quod præuideat mala ventura, antequam veniant.

Mercenarius, qui non est pastor, videt lupum venientem,nullum præuidet malum,antequam veniat,& sic necessum est, vt patiatur improuidentiæ damna. Et quidem,qui ante aduentum malorum nihil præuidet, nec prouidet, sed tunc primum incipit videre, cùm iam malum præsens adest,hic mercenarius est,pastor non est. Ille solus de pastorali ingenio sibi blandiatur,qui scit, antequam veniant,mala præuidere,& prouidere. Magnus ille Ioseph inuidia fratrum venditus, in Ægyptum asportatus, in carcerem coniectus, & nemo afflictus est: dum carcere tenetur, vinctis præficitur, & duorum simul vinctorum somnia callens alteri cladem, alteri felicitatem venturam prædixit. His notus ascitur à Rege, cui similiter steriles annos venturos prænuntiat, qui deuorabunt Ægyptiorum substantiam.Quid tunc?Pulchrè ad hæc respiciens Iacob Genes.49. (Genes.49.) ait : *Dissoluta sunt vincula brachiorum, & manuum illius, per manus potentis Iacob:inde pastor egressus est lapis Israël.* Expende vnde dicatur pastor egressus,& talis pastor, qui lapis sit insuperabilis refugij ; nimirum ex vinculorum solutione. Quòd si scire cupis,quid præcipuum illuxerit in illa vinculorum solutione,cuius gratia inde dicatur pastor exire : repete à Iosepho explicata somnia de cladibus venturis, & pistori vincto, & regno Ægypti;quæ dum solutionem vinculorum tanto viro pariunt, simul illum perfectissimum pastorem efficiunt. Ille enim,qui antequam clades veniant, illas præuidet,perfectissimus sui & aliorum pastor est ; pastor, inquam, & lapis,adeo inexpugnabilis,vt nullis cedat periculis,imò confracta omnia restituat. Quis & plures, & rabidiores lupos pertulit,quàm sanctissimus Iob?Turmatim in illum & hostes, & clades irruunt, substantiam vorant, filios amantissimos deglutiunt, carnem ipsam consumunt: & nilominus à rabidissimorum luporum faucibus extat inuictus athleta, & prodit felix filiorum caterua cinctus, oppletus diuitiis.Vnde hæc Iobo acciderunt?Ipse rationem (Iob 3.) indigitat,& causam cap.3.aiens. *Timor, quem timebam,euenit mihi,& quod verebar, accidit.* Nulla clades, nullum malum venit in illum, qui non fuisset multò antè præuisus, multò antè præcautus. Nullum excidium ex improuiso, nil tale metuenti euenit ; sed omnia illa mala præuiderat vir sapiens, omnia veritus fuerat antea, quàm venirent, & ideo illis venientibus non oppressus fuit multitudine, sed inco-(Chrysost.) lumis euasit. Ad hæc D.Chrysost. homil.24. de Auaritia fatur:*Semper cogitatione spectabat ad illum timorem, opertens eum, sperans, spectánsque. Et licèt præsens felicitas cogeret frui rebus, tamen futurorum solicitudo voluptatem interrupit. Jacobque quoniam præmeditatus in animo suo, hæc ventura prospexerat, hæc certamina postea quàm acciderunt, fortiter, & animosè pertulit, vtpotè iam olim ad illa exercitatus : & quoniam ea expectatione præceperat,non est perturbatus,cùm adessent.* Ecce tota hominis fortitudo, tota patrisfamilias sublimitas ; totum pastoris præstantissimi ingenium, quòd non primò venientem iam videat lupum, sed quòd longè antea quam veniat, illum præuideat.Qui hac prouidentia pollet,ipse solus pastor est, & pastor cui nulla clades noceat,nulla ouis pereat, sed ab ipsis lupi faucibus reuertatur in vitam. E dominico primò grege Petrus tres venenatos luporum morsus sustinuit, dum ter magistrum negaret suum, & penè iam iam omni-(Luc.22.) no glutiendus erat.Quid tunc diuinus Pastor?Ait Luc.c.22. *Conuersus Dominus respexit Petrum, & recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat ; Quia prius quàm gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras Petrus, fleuit amarè.* Vidisti Petrum penè à lupo voratum, vide modò ipsum ereptum ex lupi faucibus,& restitutum sanitati,per hoc præcisse,quòd in illum coniecerit oculos diuinus pastor. Pulcer ille Dauid pastoritiam suam dexteritatem commendans in eruendis ouibus ex dentibus bestiarum, non oculis tantùm, sed manibus,& fustibus tribuit ouium liberationem, 1.Reg.17. at diuinus pastor solos oculos conuertit, & eripit ouem à lupi faucibus. Quales ergo hi erant oculi,quibus cernentibus, nec penè vorata deperit ouis. Oculi sanè erant, qui multò ante,quam lupus venisset,illum venturum præuiderant, & in eo prouiderant remedium sanitatis. Accipite D.Leonem datum etiam lib.10.cap.3.§.18.is serm.3. de Pas- (D.Leo.) sione fatur. *Respexit ergo Dominus Petrum, & inter calumnias sacerdotum, inter falsitates testium, & inter cædentium, & conspuentium iniurias constitutus illis turbatum discipulum conuenit oculis, quibus eum præuiderat esse turbandum.* Et cur non sanarent ouem oculi adeò pastorales, qui præuiderant pericula antequam extarent ? Fallar, si pereat aliquid illi pastori,qui sic omnia nouit præuidere antequam eueniant de facto. Pulchrè dicebat Isaias cap.59.ex lect.Septuag. quam reddit D.Paul.ad Rom.11.*Veniet ex Sion,qui eripiat,& auertat* (Rom.11.) *impietatem à Iacob.* Ecce tibi,vnde veniat ille,qui possit suos eripere à malis,nimirum,veniet ex Sion ; per Sionem enim intelligitur specula, debet namque à longè speculari, & præuidere, qui velit & suis salutem afferre, & eos à malis liberare. Quò respiciens D.Anselm.in epist.Pauli ad Rom. (Anselm.) cap.11.fatur.*Veniet ex Sion,id est,nascetur Christus ex populo speculante à longè futuram salutem ; & humani generis redemptionem.* Multum est enim ad victoriam, quòd antequam eueniant,omnes eius congressus, & discrimina præuideantur.

§. VI.

Pessimus sui custos est, qui nullum malum nouit timere antequam eueniat.

Qui non est pastor,non timet lupum,nisi cùm videt venientem:& meritò dicitur non esse pastor, nec custos, qui solum timet malum, quod iam videt venire. Pereuntium hominum ingenium ex eo maximè describit Sapiens cap. 5. quòd æternis iam suppliciis addicti *videntes turba-* (Sap.5.) *buntur timore horribili* ; tunc solùm timere scientes,cùm iam vident in se æterna mala venire. Vtinam, vel ante malum veniens timuissent;fallar nisi se ab illo custodirent, & omnium malorum victores extitissent.Componite modò duos Christiani gregis pastores Iesum, & Petrum: Iesus dum in horto esset,antequam lupi rapaces venirent, *cæpit pauere,& tædere* ; & in tantum sese pauori commisit, vt præ illo sanguineis sudaret riuulis. Petrus autem totus impauidus, & mortem ipsam contemnit, dum ait ; *& si oportuerit me mori tecum,non te negabo*,& securus omnino somno se committit. Quid tunc?Accedunt rabidissimi lupi,rapiunt Iesum,in domum Caiphæ ducunt ; ibi erat inter lupos Iesus,& Petrus etiam erat ibi:sed Iesu ibi inuictissimus,victorias meditans, & spolians Principes,& potestates,palàm triumphans illos in corpore suo;Petrus autem,vel ancillulæ voce prostratus, & miserè confossus decumbit. Cur Petre vbi inter lupos triumphat Iesus tu cadis ? Ille ante lupos visos pauebat,& tu impauidus omnino eras,& securus,& modò inter lupos ille triumphat,& tu vinceris.Quorsum hæc?Pulchre D.Leo (D.Leo.) serm.3.de Pass. inquit. *Non enim posset Domino seruus, & magistro maior esse discipulus qui humanæ fragilitatis trepidationem non vinceret,nisi victor mortis antè timuisset.* Inde victor Iesus putatur à tanto doctore, quia sciuit timere ante hostes visos;inde cadit in congressu Petrus,quia nullum antea congressum timuit. Et quam malus sui custos est, qui numquam timet, antequam hostes videat. Meritò Prouerb.28. (Prouer.28.) dicitur : *Beatus homo, qui semper est pauidus ; qui verò mentis est duræ,corruet in malum* ; quippè necessum est, vt ruina sequatur nihil vnquam timentem:timor enim discrimina antecedens,& illa præcauet,& hominem confirmat.Vnde data verba legit Complutensis,& Regia : *Beatus homo, qui timet omnia ob cautelam.* Beatus semper ille timor est, quem non venientia iam mala, sed cautela facit, dum se sic quis munit,omnia timens,ne quid inexpectatum accidere possit. Nunquam enim mala expectata perdunt hominem : quocirca monebat Seneca lib.14. epist.92. *Jnexpectata plus ag-* (Seneca.) *grauant.Nouitas adijcit calamitatibus pondus,nec quisquam mortalium,non magis,quod etiam miratus est,doluit.Ideo nihil nobis improuisum esse debet. Jn omnia præmittendus est animus, cogitandùmque non quicquid solet, sed quicquid fieri potest.* Proculdubio frangitur animus occursione malorum, quæ nunquam timuit antea, nec veritus est. Vnde pulchrè Eliphas

Thema

Themanitea, dum Iobum deiectum malis credit, sic vrget
Iob 4. c. 4. *Vbi est timor tuus, fortitudo tua?* Et timorem, & fortitudinem iungit, noua forsan, & inaudita ab imperitis societate. Quid enim magis alienum à fortitudine, quàm timor? An timor potuit aliquando virum fortem constituere? Equidem, imò & fundamentum diuinæ fortitudinis est cautus
Gregor. timor ante concurrentia discrimina. Ad hæc D. Greg. lib. 5. moral. c. 13. *In via timore incipitur, vt ad fortitudinem veniatur. Nam sicut in via saeculi audacter fortitudinem, ita in via Dei audacia debilitatem parit: & sicut in via saeculi timor debilitatem, ita & in via Dei timor fortitudinem gignit.* Ille fortis Dei athleta est, qui sibi ab omnibus malis timet: cui nullum metuendum accidit, quod ipse antè non timuerit, & cauerit. Qui talis est, nulli occurrenti cedet malo. Apud Iob c. 5.
Iob 5. *In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum.* Quæ verba tractans D. Bernard sic illa explicat. *Si puer Hebræus et sex annis seruiens, liber egreditur in septimo.* Sex tribulationes comparat cum sex annis seruitutis Hebraicæ, quippe apud Hebræos cuiusque seruitus sex annis finiebatur; merito ergo post has sex tribulationes, non tanget te malum, quia qui spiritu seruituris in timore agitur, omnia metuens antequam eueniant mala, dum hæc veneriut ab illis liberabitur.

Text. Et lupus rapit, & dispergit oues.

§. VII.

Nil tam à Deo alienum, quàm suorum diuisiones: vt cui placet concordia.

ET lupus simul, & ouium dispersio meritò introducitur, quia qui diuisiones mouet, is lupus est, Deo inuisus, ab eiusque spiritu alienissimus. Prouerb. 6 dicit: *Homo apostata,*
Prou. 6. *vir inutilis, graditur ore peruerso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum, & in omni tempore iurgia seminat.* Quasi non posset ad seminandas discordias deuenire, nisi qui apostata, hoc est, à Deo deficiens, Deóque inuisus, & infensus fuerit. Rem attigit D. Greg in Pastor. 3.
Gregor. part. cap. 24. aiens: *Ecce quem seminantem iurgia dicere voluit, prius apostatam nominauit, quia nisi more superbientis Angeli, à conspectu conditoris prius intus auersione mente caderet, foras postmodum vsque ad seminanda iurgia non veniret.* Nec pastor, nec ouis est, sed lupus, sed Deo contrarius, quisquis diuisiones, & discordias inter proximos miscet: quandoquidem Dei spiritus vndecumque vnanimitatem, & concordiam spirat. Aiebat Cant. 2. *Capite nobis vulpeculas paruulas, quæ demoliuntur vineas.* expende illud, *capite nobis*; posset enim dicere, capite mihi, sed maluit dicere, *capite nobis*, vt sibi placitam concordiam, & societatem innueret. Ad hæc D.
Bernard. Bernard. serm. 64 in Cantica, ait. *Vide quàm socialiter loquitur, qui socium non habet. Poterat dicere, mihi, sed maluit, nobis, consortio delectatus.* Adeò illum delectant consortia, & vnanimitates Christianæ, vt nec verbum dicat, quin illas indigitet. Nec quid voluit in lege sua esse, quod ostendat
1. Cor. 7. diuisionem, & dissidium. Quocirca cauebat Paul. 1. ad Cor. 7. *Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Cur potiùs, qui Christo accedit cum infidelitate, & vxorem infidelem non relinquat? Quæ conuentio lucis ad tenebras, & Christi ad Belial? Iube ergo potiùs, vt qui iugum suscepit Christi, iugum infidelis coniugii dimittat. Absit, quòd lex Christi vllum præ-
Hieron. beat diuisionis signum. Pulchrè D. Hieron. lib. 1. aduersùs Iouinian. ait. *Habebas vxorem cum credidisti, noli fidem Christi putare causam dissidij, quia in pace vocauit nos Deus.* Nonquam fides Christiana coniuncta dispergit, quæ tota est in dispersis contungendis, totámque suam pulchritudinem ab arctissimis vnionis vinculis capit. Aiebat enim diuinissimus Chri-
Zach. 11. stianorum pastor Zachar. 11. *Assumpsi mihi duas virgas, vnam vocaui decorem, & alteram vocaui funiculum, & paui gregem.* Cur prima virga merito decor vocatur, quia secunda illi socia vocatur funiculus, nullibi enim maius decus est, quam vbi multi greges in eodem vinculo pacis colligati sub vno eodemque pastore Christo teguntur. Id quod no-
Hieron. tans D. Hieron. in præsenti, ait: *Idcirco vocatio iunctarum gentium appellatur decora, & pulchra, quia nihil pulchrius est, quàm vniuersitatis parentem vocare omnes aequaliter, quos aequali conditione genuerunt.* Quam æquanimitatis pulchritudinem miratus Diuus Ephrem in Prouerbiis aiebat. *Vt Ebanus in citharis canens, ita charitas, & concordia fratrum in Domino*; tunc enim Christianorum chorus fructuosius

agit, cùm Phœnicis æmulatur vnitatem, alteràm virenti pulchritudine celebratam.

§. VIII.

Vbi diuisio est, ibi & luporum præda.

ECce tibi & lupus, & ouium dispersio; cur enim, quæ diuisionem patiuntur oues, & lupos non patiantur? Notissima erat Lothi felicitas, quæ cùm ab Abrahami latere non discedebat; sed dum pecora ipsius non patiuntur Abrahami pecorum consortium, coactus fuit ipse Loth ab amantissimo patruo discedere. Itaque discessit Loth, pulcherrimámque, & prædiuitem Sodomorum regionem incolit. Quid tunc? Hostes regionem populantur Gen. 13. *Acce-* Genes. 13.
perunt autem omnes equos Sodomorum, & Gomorrhæ, & omnes commeatus eorum, & abierunt. Acceperunt quoque & Loth filium fratris Abrahæ, & supellectilem eius, &c. Proh Lothi miseram conditionem! ipse hostium præda fuit, quando pulcherrimæ, & ditissimæ regionis inquilinus erat factus. Dum diuitias eligit ab Abrahamo separatus, inuenit captiuitatem, & seruitutem miserandam; quasi nil aliud posset inuenire, qui diuisus agit à fratribus. Ad hæc D. Chrysost. in præsenti fa- Chrysost.
tur. *Ecce enim, vt arbitror est à iusto, & putabat se in maiore esse rerum vbertate, & copia, repentè factus est ferens carens domo, carens & foco: vt discas, quantum malum sit diuisio.* Sic hostes inuadunt diuisum, & separatum hominem à consortio fratrum; sibi enim connexa sunt hæc duo, & diuisio, & hostium irruptio; quia hostibus pateat, necessum est, qui à fratribus degit longè separatus. Iosue cap. 2. exploratores Iosue 2.
monebant sic hospitam suam: *Patrem tuum, et matrem fratresque, & omnem cognationem tuam congregaueris in domum tuam. Qui ostium domus tuæ egressus fuerit, sanguis ipsius erit in caput eius.* quæ verba panlò aliter reddit D. Cyprian. de Cyprian.
vnitate Ecclesiæ fatus: *Patrem tuum, & matrem tuam, & fratres tuos, & totam domum patris tui colliges ad te ipsam in domum tuam, & erit omnis, qui exierit ostium domus tuæ foras, reus sibi erit.* Quasi tota salus hominum illorum in eo sita esset, quòd essent in vnum collecti, periturus quisquis diuisus, & separatus foris erraret. Quò crediderim spectasse illud Paul. ad Hebr. 10. aientis: *Considereemus inuicem in prouo-* Hebr. 10.
cationem charitatis, & bonorum operum: non deserentes collectionem nostram. In hoc maximè studere debemus ne collectionem nostram deseramus, ne à fratribus in vnum collectis diuidamur. Et cur collectionem non deseramus? Chrysost. Chrysost.
hom 31. ad Populum fatur. *Non deserentes collectionem nostram. Nihil enim tam malum, quàm solitudo, & status incommunicabilis.* Sanè qui à suis separatus, diuisus, & solus degit, quas non patietur incursiones malas? Hoc minabatur Dominus supplicium populo suo apud Oseam cap. 4. aiens. *Pascet eos* Oseæ 4.
Dominus sicut agnum in latitudine; equidem pastor, qui permittit agnum à grege separari, solúmque, & diuisum alius, vastissimis per montes errare, is pastor, non tam in pascha, quàm in lupos ducit agnum. Agnus enim medio in monte solus à suis separatus, quæ non experietur mala? Non aliter iratus Dominus castigat populum suum, permittens illum dispersum, & diuisum errare per totum orbem terrarum, vt pateat crebris incursionibus malis.

Text. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus.

§. IX.

Temporalis homo quauis perditionis occasione oblata rapitur.

CVr non fugaret lupum, vel lupi vmbram mercenarius, qui temporalibus totus inhiat lucris? Ad mercenarium, nimirum tempori seruientem hominem, non pertinet de ouibus; de nullo alio pertinet, præterquam de lucris acquirendis temporalibus, hæc solùm æstimat: horum siue accessu, siue recessu fertur. Vbi in virtutis via felicitatem viderit, virtutem boni ducet temporalis homo; verùm vbi periculum immineat, ocior abit. Matth. 18. aiebat Dominus: Matth. 18.
Væ mundo à scandalis. Et mirabar tantam potuisse esse scandalorum vim, quæ mundo perditionem afferat. Deus bone, sic valent scandala perdere mundum? Multos noui in mundo sic in virtute firmatos, vt nullis scandalis, nullis periculis potuerint dimoueri à via veritatis. Sanè innumeri sont Christi athletæ, qui spoliationem bonorum cum

gaudio susceperunt; qui visa impiorum temporali felicitate, maluerunt affligi cum populo Dei. Non ergo his nocent scandala: vbi ergo est ille mundus, quem funditus perdunt scandala? Cùm Dominus vocat mundum, mundanos norat homines, & temporales, & mercenarios, & sanè quot mercenarij, & temporales sunt, tot rapiuntur, imò perduntur à scandalis. Pulchrè aiebat D. Paschas. lib. 8. in Matth. *Non nisi, qui in mundo, & de mundo sunt, scandalizantur. Et ideo, væ mundo à scandalis, quia qui de mundo sunt, omnia scandala eis afferunt væ.* Parui æstima temporalium hominum in bonis operibus constantiam; temporibus enim seruiunt, & volubili temporalium bonorum axe rotantur, & raptantur. Ad cuiusuis scandali, siue periculi vmbram, alij & alij apparent, nec quid est tam oppositum saluti æternæ, quod non anteponant temporali. Sanctissimo Iosepho duo somnia acciderunt Genes. 37. de primo ait: *Putabam nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum, & stare, vestrósque circumstantes adorare manipulum meum.* Non multò pòst, ad aliud etiam somnium enarrandum accedit, quippe ait: *Vidi per somnium quasi Solem, & Lunam, & stellas vndecim adorare me. Quod cùm patri suo, & fratribus retulisset, increpauit eum pater suus, & dixit: Quid sibi vult hoc somnium, quod vidisti? Num ego, & mater tua, & fratres tui, adorabimus te super terram?* In vtroque somnio insinuabat sanctus puer, se adorandum esse à fratribus, & nihilominus pater in primo tacet, in secundo irascitur, & quasi incredibilia dicentem puerum increpat. Cur magis irascitur Iacob in secundo somnio, quàm in primo? Cur sicut de re incredibili incusat filium secundò somniantem, non etiam similiter in primo somnio filium incusauit? Sanè in secundo somnio fratres Ioseph per cœlestia astra significabantur, in primo per manipulos triticeos; in astris puta cœlestes homines, in manipulis temporales, & mercenarios; & quidem de cœlestibus hominibus incredibile videbatur, quòd aliud præter Deum vellent adorare; quod non erat incredibile de hominibus temporalibus: hi enim, dum sua colunt, nullam non vorabunt idololatriam, quamcumque etiam religionem, etsi fœdissimam, auidè capient. Proh vana temporalium hominum, & mercenariorum religio; quem hodie contemnunt, cras colent; & quem hodie adorant, cras contemnent. Apud Ioann. cap. 6. de Iudæis à Iesu quinque saturatis panibus, dicitur. *Illi ergo homines, cùm vidissent, quòd Iesus fecerat signum, dicebant: Quia est verè Propheta, qui venturus est in mundum.* Ecce vobis, quàm veri fiunt prædicatores magnalium Iesu: sed accipe aliud in eodem cap. cùm iam panis signum præteriisset, & Iesus se panem de cœlo ostenderet, quid tunc? *Murmurabant ergo Iudæi de illo, qui dixisset: Ego sum panis, qui de cœlo descendi, & dicebant: Nónne hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem, & matrem?* Expende modò quàm facilè & murmurent, & adorent; hîc Iesu, & parentum vilitatem contemnunt, ibi illum mundi redemptorem prædicant, & regem facere volunt; quæ fuit causa tantæ mutationis? Vnus defectus, vel abundantia panis potuit fidem horum hominum vel eripere, vel augere: stultus enim, vt ait Sapiens, vt luna mutatur, nimirum ex terrenæ substantiæ interpositione. Quippe ad terreni lucri odorem se componunt mercenarij homines. Ad hæc dicebat D. Chrysost. hom. 44. cap. 6. Ioann. *Qui cùm comederent panem, Prophetam Iesum appellabant, & regem facere volebant, hoc in loco indignati, fabri filium dicunt: & quidem videbantur indignati, quia de cœlis descendisse diceret; non tamen hæc erat causa, sed quòd corpus non pasceret. Cùm audirent non amplius edendum, incredulitatis prætextum inuenerunt, quòd altius loqueretur.* Miseri mercenarij, & temporales, vnam tantùm corporis pascuam attendebant, hanc solam sequuntur, & propter hanc, vel contemptibilem adorant, vel adorandum contemnunt. Videntur offendi Iesu verbis, sed nihil ad eos pertinet de Dei verbo, nisi quòd audiunt, non amplius edendum. Proh Deus immortalis! quot sunt in Belgio, & in Anglia mercenarij, qui in verbis Dei videntur scandalizari, & Romanam fidem abnegare; & tamen nihil ad eos pertinet de Dei verbo, sed quia audiunt non edendum, nec bibendum, nec corpori indulgendum, sed in cinere, & cilicio pœnitendum.

Paschas. | Genes. 37. | Ioann. 6. | Chrysost.

Text: Ego sum Pastor bonus, & cognosco meas, & cognoscunt me meæ. Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem, & animam meam pono pro ouibus meis.

§. X.

Perfectissimi gubernatoris est, tales habere subditos, qui nullo etiam externo præcepto audito, ab eius voluntate non discrepent, sed qualemcumque gaudenter exequuntur.

Accipite præclarum perfectissimi pastoris signum, videlicet: *Agnoscunt me meæ, sicut ego agnosco patrem, &c.* quòd taliter cognoscatur ab ouibus pastor, vt pater à filio cognitus est. Quid plura? Pater diuinus, sic se fecit cognosci à filio, vt non egeret filius multa externi imperij voce, (quidquid de imperio patris ad filium, & de filij obedientia erga patrem, dicitur, latissimo, & imperfectissimo modo id intelligendum est à viro Theologo, qui abnuit deliria Arianorum,) vt perfectissimæ paternæ se voluntati conformem constituat. Quippe imperfectus gubernator est, qui multo imperio, repetitisque sæpè mandatis eget, vt regat subditos, nec aliter illos potest obedientes efficere. Hoc imperfectissimum est gubernatori, & iniuriosum: vnde maximus, & præstantissimus gubernator Dominus conditurus creaturas, ait Genes. 1. *Fiat lux, & facta est lux.* facta est, inquam, lux, & cætera omnia similiter facta sunt, & quod amplius scias, per diuinum verbum peracta sunt; ait enim Ioann. 1. *Omnia per se ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Sed illud accedit notandum, quòd vt verbum Patris omnia efficiat, Pater tantùm dicit illud, *fiant*; nec verbum diuinum expectat amplius, & omnia statim adimplet. Cur ô bone opifex, non adhuc expectas patris vocem circa modum, quo condenda sunt vniuersa? Cur non interrogas à patre, qualiter faciendæ sunt creaturæ? Et tu Pater omnipotens, cur amplius non loqueris ad filium? Cur pluries non dicis voluntatem tuam circa modum rerum creandarum? Sanè iniuriosum esset tanto opifici, & imperfectum pluribus egere mandatis; & non habere cooperatorem, qui nulla etiã voce patris externè audita, eius voluntatem executioni mandare perfectissimè sciret. Do pulcherrima verba D. Zenon. lib. 3. serm. 3. dicentis: *Cum imperat pater orbem fieri, opus cum dicto completur à filio; Quomodo autem, quotus, aut qualis fieri debeat præcipit nemo, interrogat nemo? Nec enim, sine patris esse possit iniuria, si hac necessitate opus esset illi, qui in sinu patris commanens voluntatis eius perfectione non didicerat, sed habebat.* Iniuriosum est quidem imperanti, quòd nullus sit etiam ex dilectissimis, qui non egeat crebris, & singula mandantibus imperiis, vt consonum voluntati imperatoris opus perficiat. Ille perfectissimus gubernator, & pastor, qui sic se nouit suorum animis insinuare, & explicare, illósque sibi adeò venire, vt quasi eiusdem voluntatis sint, sic etiam tacente illo, nesciant eius voluntatem non efficere. Huc spectabat Apost. 1. ad Cor. 6. vbi expendẽs perfectionem diuinæ œconomiæ, ait: *Qui autem adhæret Domino, vnus spiritus est.* Qualiter inferiori creatura vnus spiritus potest fieri, cum adeò superiori Deo? Præclarè in rẽ præsentem ait D. Greg. in 1. Reg. lib. 4. c. 1. *Vnus spiritus cum eo fit, quia ex diuturna deuotione diuini operis, in tantam gratiam diuinæ cognitionis assumitur, vt ab interni eius æquitate iudicij per errorem mundani spiritus dissentire vltrà non possit.* Præclarus equidem gubernator, qui sic sibi suos vniuit, & eiusdem spiritus fecit, & adeò illis innotuit; vt etiam tacente ipso, illi opus voluntatis eius nequeant non efficere. Quid plura? Non solum opus eius voluntatis semper attingant, sed & illã etsi difficilem auidè, & gaudenter perficiant. Non equidem bonus statim gubernator est ille, qui & vocibus, & mille mãdatis, & fortè calcibus facit, vt tandem imperia efficiantur sua. Sed ille bonus, & perfectus, qui sic se suis insinuat, vt penè tacente ipso, & nihil imperante, tales effecerit subditos, qui asperrima quæque auidè, & gaudenter adimpleát. Perpendite modò totum caput 22. Gen. vbi magnus parens Abraham mortem parat infligendam & robustissimo, & dilectissimo filio. Sed quo verborum flumine vtitur, vt iuuenis robustus permittat se percuti à sene imbecilli? Nec verbum loquitur, sed prorsus tacens, ædificauit altare, *cúmque alligasset Isaac filium suum, posuit eum in altare super struem lignorum. Extendítque manum, &c.* Pater tacet, & filius alligari sustinet, nec mori resistit, cùm posset, sed gaudens etiam gladium expectat. Vtrùm adstupeam? Sanè adstupeo Abrahamum, perfectissimum parentem: qui nouit talem perficere filium, qui nullo parentis verbo accepto, sic gaudenter eius voluntatem in sustinenda morte nouit attingere. Ad hæc D. Zeno lib. 2. serm. 7. *Abraham sub lege non erat, sed legem solus impleuit. Et qui nullo iure legis tenebatur, omne ius diuinum*

Genes. 1. | Zeno. | 1. Cor. 6. | Gregor. | Zeno.

præcipuè

præcipuè custodiuit, cuius immolatione ille quoque gauderet, qui ad victimam parabatur. Ille ius diuinum adimplet, ille gubernator glorietur, qui leges omnes sanctas, & impollutas custodit, qui tales nouit efficere subditos, qui nulla etiam audita voce gaudentes, asperrima etiam vota patrum adimpleant. Ille erubescat gubernator, & suam imperfectionem lugeat, qui nisi vocibus, & calcibus nihil sciuit facere a subditis custodiri. Hinc iam pateat, quàm perfectius gubernator cœlestis Pater appareat ex filio; cui sic se pater insinuauit, sic innotuit, vt omnia eius præcepta, & imperia præueniens filius, sic voluntatem præcepturam perfecit, vt adhuc tacente patre, iam ipse poneret animam suam pro ouibus suis, hoc est, quòd ante præceptum disponeret sustinere totum negotium crucis, vt qui optimè patris voluntatem præcepturam sciuerit. Quocirca puto perfectissimi parentis fuisse vocem illam Isaaci ad filium Esau Genes. 27. *Cùm venatu aliquid ceperis, fac mihi inde pulmentum, sicut velle me nosti.* pertinet enim ad perfectissimum patrem eos habere filios, siue oues, qui non repetitis monitis egeant, sed eius adeo nouerint & gustum, & voluntatem, vt ex se, etiam dissimulante patre præceptum, illam perficiant. Genes. 27.

Text. Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus pastor.

§. XI.

Vnius diuinæ potestatis est, diuersarum nationum populos sub vnico capite constituere.

QValiter fieret ex diuersis gregibus vnum ouile, sub vno pastore, nisi Deo greges ducente, & adducente? Oportet sanè quòd Deus adducat greges, qui sub vnico pastore sint, præter Deum id præstaret nemo. Vanissimè diabolus promittebat, quòd minimè adimplere valeret; quippe ait post omnium regnorum ostensionem: *Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me.* Sub vno adoratore suo dicit se omnia mundi regno adducturum; sed nunquid diabolus id aliquando effecit, vt vnus esset in mundo pastor, & vnum ouile? Absit, non id est potestatis creatæ, sed diuinæ. Rem tractat Imperfect. hom. 5. in Matth. inquiens: *Vnus super omnem mundum neque est, neque erit aliquando, neque fieri potest, vt non sit illi aliquis non subditus. Primùm propter Deum, qui nō concedit diabolo, & hoc facere posse; secundò propter ipsum diabolum. Gaudium enim, & potestas diaboli est in superbia, & inuidia, & vana gloria. Vbi hæc exercentur, vnum regnum stare non potest, sed necesse est, vt diuidatur in plura.* Non putes diaboli inuentum, quòd plures pacificè sub vno viuant, diabolus enim nihil magis scit, quàm diuisiones causare, & scissuras. Vbicumque plures, & diuersi greges in vnum adducuntur ouile, vt pacatam inde ducant vitã; non id à diabolo venit, sed Dei omnipotentis est opus, quo suam ostẽdit magnitudinem. Quocirca dicebat Ose. c. 1. *Et erit numerus filiorum Israel quasi arena maris, quæ sine mensura est, & non numerabitur. Et erit in loco vbi dicetur eis: Non populus meus vos, dicetur eis: Filij Dei viuentis. Et congregabuntur filij Iuda, & filij Israel pariter, & ponent sibimet caput vnum, & ascendent de terra, quia magnus dies Iezrael.* Expende vnde sibi ponent caput vnum populi adeò diuersi, nimirum *quia magnus dies Iezrael.* hoc est magnus dies seminis Dei. Iezraël enim sonat semẽ Dei, nisi enim Dominus semen apponat, magnitudinemque virtutis suæ adhibeat, non possent diuersæ nationes in vnum conuenire. Id quod notabat D. Iren. lib. 5. c. 24. inquiens. *Ad vtilitatem gentilium terrenum regnum positum est à Deo, non à diabolo, qui nunquam omnino quietus est; imò qui nec ipsas quidem gentes vult in tranquillo agere, vt timentes regnum humanũ, se alterutrum homines vice piscium consumant.* Solus Deus est, qui diuersa in vnum faciat conuenire, adeò, vt ex vnitate euidenter conuincas, quo spiritu plenus sis, Spiritus enim diaboli exagitat quemquam aduersùs proximum, & fratrem suum, vt scissuras, & diuisiones efficiat. Spiritus Dei totus est in coniungendo etiam illa, quæ a se longè dissita sunt. Hinc de homine Deo locuta fides in Symbolo, ait: *Qui conceptus est de Spiritu sancto.* quòd si quæras, cur Iesu conceptio ab operãte diuino Spiritu peracta asseratur? Rationem reddit D. Fulg. lib. 2. ad Monim. c. 10. inquiens: *Ex Spiritu sancto natus est Christus, quando Dei vnigenitus in virgine virginis, vnitus homini suo, tanquam sponsus processit de thalamo suo.* Itaque quando duo adeò diuersa extrema, nimirum homo, &

Imperf. Ose 1. Irenæus. Fulgent.

Baeza in Euang. Tom. III.

Deus conueniebant in vnum; non potuit illud opus non tribui diuino spiritui, cuius solius proprium est diuersa coniungere. Quid plura? Quidquid in nobis est, quidquid circa nos versatur, & nos ipsi nos diuidimus, & partimur, nec vnitatis quid in nobis ipsis esse posset, nisi id à superiori, & diuina quadam natura sit introductum. Apost. ad Philip. 4. *Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum custodiat corda vestra.* Cur necessum est, quod sit pax exuperans omnem sensum? Quia quitquis circa sensus versatur, non spiritus pacis, & vnitatis, sed spiritus est belli, & dissensionis seminator. Vnde meritò dicebat D. Basil. in c. 1. Isai. *Nisi pax nobis ab alto affulsisset, quæ exuperat omnem sensum, singuli quique à propria rebellione, & hoste se inhabitante, consumpti fuissemus.* Non equidem creata aliqua potestate potest vnitas, & concordia venire, sed à superiori, & diuina. Philip. 4. Basil.

§. XII.

Ad securitatem doctrinæ maximè conducit singularitas pastoris.

QValis doctrinæ pascua est secura, vbi pastor vnus non est, sed quot greges, tot constituuntur pastores? Fallar, si quod dogma certò, & securè à multis asseratur, quin alij, & alij, aliter & aliter sentiant. Quod multorum placitis relinquitur, nusquam securum est, neque certò stabilitur, vt videre licet in rebus illis, de quibus vnicus Ecclesiæ pastor nullam sententiam tulit; sanè in his, quot capita, tot sententiæ. Meritò monebat Eccles. cap. 12. *Verba sapientum sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt à pastore vno.* Illa equidem sapientiæ verba fixa, stabilia, & permanentia sunt, vt stimulent animos ad virtutem, quæ data sunt à pastore vno, hæc agnos ducunt in requiem; vbi non vnus pastor, sed plures excitantur pastores, ibi non tam agni in requiem, quàm hædi in mortis toxicum ducuntur; ait enim Cant. 1. *Et pasce hædos tuos circa tabernacula pastorum.* Nihil fixum est, vbi pastores multi sunt, nihil stabile, & firmum. Dum Paulus iret Damascum spirans minarum in Christi discipulos Act. 9. in via vocatus à Iesu, & illuminatus cœlitùs fuit. Cur id accidit in viæ solitudine, & non magis media in vrbe in frequentia populorum? Rem tractans OEcumenius. ait. *In ciuitate verò non accidit, sed in via per quietem, ne alijs liceret alio modo narrare, quòd circa ipsum contigisset, sed ipse fide dignus esset ad referendum, qui visionem vidisset, & casum perpessus fuisset.* Equidem si præsente multitudine id accideret, vix constaret facti fixa, & stabilis veritas, alijs aliter referentibus secus; quando in eiusdem facti narratione non disconueniunt multi, vel in aliqua circunstantia? Ideo præclarè prouisum est à Deo circa res, quarum veritas fixa, & imperturbabilis esse debet, quòd hæ tradantur per vnum pastorem, & omnis fallaciæ expertem iudicem. Similiter apud Matth. c. 16. conuocatis discipulis ad se inquirit Dominus, quis dicatur apud homines? Ad hoc interrogatum omnes respondent, dicentes: *Alij Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij verò Ieremiam.* Sic de singulis vulgi opinionibus omnes disputant. Verùm vbi Dominus, non quid alij sentiant, sed quid ipsi discipuli sentiant, interrogauit, tunc omnes tacent, vnúsque Petrus pro omnibus loquitur: *Tu es Christus*, &c. Cur modò non omnes, sed vnus loquitur? Equidem modò verus sensus Ecclesiæ requirebatur, qui debuit tradi à pastore vno. Ad hæc D. Leo ser. 3. in anniuersario assumptionis, ait. *Omnes denique Apostolos Dominus, quid de se homines opinentur, interrogat; & tandiu sermo respondentium communis est, quandiu humanæ intelligentiæ ambiguitas explicatur. At vbi quid habeat sensus discipulorum, exquiritur, primus est in Domini confessione, qui primus est in Apostolica dignitate*, &c. Itaque vbi ambigua, & incerta tractantur, omnes communiter faciunt verba, vbi ad certum sensum venitur, vnius, & primatis linguæ res tanta committitur, minimè constituta per plurimos. De hoc plura apud authores controuersiarum, & Theologos.

Eccles. 12. Cant. 1. OEcum. Leo.

Text. Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, vt iterum sumam eam.

§. XIII.

Ille placet Deo, qui nihil sine vero lucro spirituali ponit.

PRopterea dilectum se à Patre prædicat Dominus, quòd ita sciuerit animam suam perdere, vt illam lucraretur; posuit

posuit equidem animam pro ouibus, non vt in perditione maneret, sed vt resumpta inde quæstuosos gloriæ fructus proferret. Multi in mundiali arena sunt, qui bona sua prodigunt, vitam perdunt, imò substantiam pro nihilo dissipant. Hi odiosi, & infesti sunt Deo, qui eos dilectos sibi habet, qui nihil sumptus admittunt, de quo verum lucrum sperare non queant, nihil perdunt, vt perdant, sed vt lucrentur. Illorum sequutus miseriam prodigus filius Luc.15.
Luc.15. *Dissipauit substantiam suam viuendo luxuriose: & posteaquam consumpsisset omnia, facta est fames valida in regione illa, & ipse cœpit egere; & adhæsit vni ciuium regionis illius, & misit illum in villam suam, vt pasceret porcos: & concupiebat implere ventrem suum, & nemo illi dabat.* Quid miserius? Quid magis Deo odiosum? Sanè hic substantiam omnem suam dissipat, ipsámque animam ponit, in seruitutem, extremámque paupertatem redigit, dum vni ciuium adhæret, vt pascat porcos, nulla pacta mercede, nullius pretij memoria.
Ibidem. Quid tunc? Post hæc, *in se reuersus dixit: Quanti mercenarij patris mei abundant panibus, ego autem hîc fame pereo. Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cœlum, & coram te; iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenariis tuis.* In quibus illud expendendum, & maximè notandum est, quòd vbi substantiam iste dissipat, omniáque consumit, & porcis pascendis dat operam, nihil de mercede cogitat, nec pretium tanti dispendij meminit: vbi autem in patris conspectum sese dare meditatur, nihil prius meminit, quàm mercedem; nec gradum facit, in quo non velit esse mercenarius, hoc est, operarius propter mercedem. Quæ huius rei causa? Cur quam priùs non meminerat mercedem, modò meminit? Equidem dum dissipat omnia viuendo luxuriosè, & à patre, & à se ipso alienabatur, verùm dum nec gradum facit, quin mercedem cogitet, iam videtur in se reuersus, sese parare ad paternos amplexus. Tunc enim videtur sibi constans homo esse, & dignus paterno amplexu, quando nec minimum subit laborem, de quo non possit sperari magna merces à Deo. Non longè abest Beda in præsenti fatus:
Beda. *In semetipsum reuersus, etiam mercenarij statum, de mercede iam cogitans, concupiscit.* Prodigus ille est, & à patre Deo, & à se prorsus alienus, qui sua consumit; nullo verò lucro, nulla spectata mercede: ille à perditione reuertitur, & in paternos se præparat amplexus, cuius nec minimus labor est, non debeatur merces cœlestis. Huc spectabat cœleste illud monitum apud Lucam cap.12. *Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptijs.* Cur præcipuè assimiletur illis, qui Dominum expectant à nuptiis reuertentem? Equidem nusquam confidentius homines expectant dona, & præmia laboris sui, quàm tempore nuptiarum; nec vnquam Dominus paratior ad retributionem seruorum, quàm vbi cum diuite sponsa ad suos accedit: & tempus, & occasio, & abundantia rerum tunc maximè implet seruos expectatione mercedis, nec vllius labor vacuus manet mercede sua, quæ singulis liberaliter distribuitur. Hinc eleganter dicebat D. Bernard. serm.17. in
Bernard. Cantic. *Nunquam cùm venerit Dominus, inueniat imparatos, sed semper vultus suspensos, expansósque habentes sinus ad largam Domini benedictionem. Tales denique quærit, similes hominibus expectantibus Dominum suum quando reuertatur à nuptijs: qui vtique ab illis supernæ mensæ copiosis delicijs vacua nunquam reuertitur manu.* Cùm vtique Dominus plenus sit, nec potest inueniri vacua manu, tales amat habere asseclas, qui nouerint se vacuare, vt recipiant; qui nouerint sic se gerere, vt nulli eorum labori non respondeat merces diuina. Odiosus Deo est, qui se, suáque infructuosè consumit, amabilis valde est, qui nec micam panis perdit, nisi vt iterum sumat illam, nimirum, vt ex illa magnum possit reportari lucrum. Id quod persuadebat Ecclesiastes cap. 11. in-
Eccles.11. quiens: *Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post tempora multa inuenies illum.* hoc puta in emittendo pane, quòd illum inuenies, vt iterum cum lucro resumas. Explicatiùs Chaldæus: *Porrige escam tuam pauperibus, quoniam vadunt in manibus super faciem aquarum, quoniam post tempus multorum dierum inuenies pretium eius, in hoc sæculo, & in sæculo venturo.* Nullo alio modo tua bona dispendas, nisi sciens, quia tibi pretiosiora accrescent.

Text. Nemo tollit eam à me: sed ego pono eam à me ipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam, &c.

§. XIV.

Maxima hominis excellentia est, quod pati possit pro Deo.

Expendendum est maximè, ex quo se Deus in primis exaltet potestate: equidem hanc potestatem suam in primis extollit, qua potest animam suam ponere. Non erubescit Dominus pati pro iustitia: imò silentio tegens quòd possit cœlos condere, in hoc gloriatur, quòd habet potestatem ponendi animam; non enim infirmitas, sed potestas fecit Dominum à Iudæis potuisse necari. Quò spectans D.Leo serm.11. de Passion. ait: *Crux Domini, sicut in Iudæorum erat mente crudelis, ita est in crucifixi virtute mirabilis. Quod enim sæuitia infertur, potestate suscipitur.* Non infirmum Leo.
hominem inuenerunt Iudæi, quem confoderent, & vulnerarent; sed potentem Dominum, qui cùm voluit, potuit suscipere pro iustitia vulnera, & plagas. Et quidem potestatem hanc mirabantur Angeli Zachar. 13. aientes: *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Sed cur Angeli mirentur de plagis Iesu inflictis? Cur non magis compatiantur? Zach.13.
Miracula enim admirationem, passiones compassionem, & miserationem faciunt; cur Christi passio Angelis non potiùs miserationem, quàm admirationem inferunt? Planè in Iesu ab eadem incredibili potestate venit & plagarum susceptio, & miraculorum patratio. Vnde meritò Rupert. in præsenti exclamat, aiens: *O magnum miraculum, mirum spectaculum, præsertim in Domino dominatore omnium, plagas habere in medio manuum suarum.* Inauditum Rupert.
potestatis miraculum, quòd qui vita erat, posset mortis excipere plagas: possit vulnera pro iustitia pati. Et quæ vulnera? D.Petrus 1.epist.1. ait: *In quæ desiderant Angeli prospicere.* Ea sunt vulnera pro iustitia, vt Angelis sint in optatis, non in potestate: desiderant quidem Angeli potestatem patiendi, quam non habent, nec habere possunt. Hinc Iesus ad Hebræos 1. *Tanto melior Angelis factus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit.* quippe ad Philip.2. *Factus* Hebr.1
obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, &c. Itaque Iesus longè superior Angelis claret ex hac potestate ponendi pro iustitia animam. Quid plura? Non solùm Iesus, sed & puri homines se super Angelos extollunt, ex eo quòd potestatem habent ponendi animam pro virtute, & pietate. His laboribus, & sudoribus confisus Paulus sic supra Angelos se extollit, vt dicat: *Etiam Angelos iudicabimus.* Quid ais Paule, quale iudicium tibi assumis super Angelos? Nimirum iudicium, quo in laboribus, & sudoribus pro animabus, apparebo plus Angelis laborasse. De quo Origen. Philip.2.
hom.11. in Num. fatur: *Erit inter Angelos, & homines iudicium Dei: & fortassis iudicabuntur Angeli aliqui cum Paulo, & conferentur laboribus eius, & inuenietur in laboribus superior etiam aliquibus Angelis, & ideo dicebat: An nescitis, quia Angelos iudicabimus?* Magnam spiritus potestatem pro virtute exercitam exhibebunt Angeli, sed vulnera accepta, sanguinem fusum, in quæ etiam Angeli prospicere desiderent, illi soli ostentabunt, qui carnem habent. Vnde natum fuit illud Origen.
carnis humanæ nobile præconium a Tertulliano exaratum lib.de Resurrect. vbi ait: *Næ illa beatissima caro, & gloriosissima, quæ potest apud Christum Dominum parere tanto debito, vt hoc solum debeat ei, quod ei debere desierit.* Cùm Dominus Iesus pro omnibus creaturis sanguinem fuderit, animamque posuerit, quæ carnis sunt expertia nunquam par pati referre possunt, & quidquid aliud faciant, semper sanguinis sese æstimabunt debitores: in hoc felicior, & beatior caro humana, quæ dum potestatem habet se etiam vulneribus, & morti offerendi, dum hæc præstat, sic satisfacit sanguinis debito, vt videatur id solum debere Deo, nimirum, quod ex illo acceperit, quòd debitis satisfaciens, debere desierit. Ex quo ipse Paulus, qui ad Philipp.1. dissolui cupiebat, & esse cum Christo; alibi etiam refugit carnis solutionem, contendítque ab illa liberari: nimirum ne exuta carne, laborum tolerandorum potestatem exueret. Id quod Tertull.
asserit D.Chrysost.hom.8.in epist.ad Ephes. aiens: *Quomodo Paulus alibi precatur, & optat, vt à magnis malis liberetur? Nihil mireris. Mortem veritus precatur, mortem verò ideo timebat, quod adhuc esset passionum occasio.* Tanta est apud sanctos excellentia potestatis patiendi pro Deo, & virtute: vt ideo carnis solutionem extimescant, quia exuta illa, non possunt se laboribus, & doloribus dedere. Quàm gaudeant Chrysost.
sancti cum morte pro Iesu, vide infrà cap.18.§.14.

Text.

Text. Dissensio iterum facta est inter Iudæos propter sermones hos; dicebant autem multi ex ipsis: Dæmonium habet, & insanit: quid eum auditis? Alij dicebant: Hæc verba non sunt dæmonium habentis, nunquid dæmonium potest cæcorum oculos aperire.

§. XV.

Prudenter quasi insaniunt iusti, dum aduersis præsentem vitam insurgunt.

Dvo mala in Iesu putabant esse iniquissimi Iudæi, nimirum & dæmonium, & insaniam; alij autem veriùs locuti, negant dæmonium in tanto viro esse posse; sed nihil loquuntur de insania. Esto Iesus, ô boni, dæmonium non habeat, quid de insania dicitis? An Iesus insanit? Forsitan in [illegible] aliquem virtutum excessum, & si perabundantiam vi[illegible] quæ diuina [illegible] si insania si sic loqui liceret, po[illegible]ppellari, nec indignum viro iusto, quòd videatur sic [illegible] ante aduersùs hæc temporalia, quandoquidem [illegible] quasi vera, & prudentissima insania. Dauid Psal. 39. [illegible] *Domini spes eius, & non respexit in [illegible] insanias falsas.* Notanter dixit, *insanias falsas*, vt [illegible] quòd vir beatus non ab omni insania liber videti[illegible] sed ab ea insania, quæ falsa est: dum hanc caueat, se[illegible] aliam prudentissimam, & verissimam insaniam habeat. An non vera, & prudens insania est, qua iusti viri in omnia insurgunt temporalia, vitámque contemnunt, temporariorum honorem calcant? Accipite D. Ambros. in præsen[illegible] *[illegible] & vera in[illegible], & forsitan Prophetarum, qui in [illegible] mente positi, prophetabant repleti Dei spiritu, vt quibusdam insanire viderentur, cùm propriæ salutis immemores, vndi plerun[illegible] & excelsi[illegible], sicut ipsum sanctus per populos currerent.* Proh felicem insaniam! Verè, insania hæc (si sic licetet appellari) non sordidos homines facit, nec ridiculos, sed præclaros, omnique honore, & gloria dignos. Vnde aiebat Psalm. 22. *Calix inebrians, quàm præclarus est.* quid sordidius [illegible] etate insania? Et nihilominus censetur à Dauide mirabi[illegible]ter præclarus calix ille Dei, qui ebrietatis insaniam cōmon cat. Si ebrietatem facit, quomodo non sordidus, non fugiendus? Quomodo præclarus, & æstimandus? Qualis hæc ebrietas, & insania, tam præclara, tam æstimanda? Pulchrè D. Dam. epist. ad Blancam c. [illegible] ait: *Spiritus [illegible] Dei hominum [illegible] inebriat, vt tanquam à suis sensibus alienati, diuitias huius [illegible], honores, & gloriam respuant: [illegible] verò pro Deo, [illegible] dura, vel aspera, flammantibus desiderijs inardescant.* [illegible] hâc sensum alienationē, & excessum non amet? Quis non glorietur de hac ebrietate, & insania? Illam non dubitat sibi adscribere Paul. 2. ad Cor. 5. dum ait: *Siue mente excedimus, Deo; siue sobrij sumus, vobis.* Explicatius Græcus apud D. Thom. nimirum: *Siue insanimus, Deo insanimus: siue sani sumus, vobis sani sumus.* Itaque & sobrietatem, & insaniam suam expendebat Paulus; & tantum tribuit insaniæ, vt illam solam [illegible] Deo consecret, sobrietatem proximis. Vocatur enim sobrietas hic à D. Thom. quidam condescensus Sanctorum ad proximos: quo videntur cum illis agere, regéfque eorum parti[illegible] pare: ebrietas autem, & insania dicitur plena omnium rerum nuditas, & contentus temporalium, quo sic inter ipsa temporalia inueniuntur, quasi extra omnia sint. Et cur hanc ebrietatem non sibi adscribant, & Deo consecrent sancti vi[illegible], quando in ea perfectissimè Deum æmulantur? Ait enim D. Dionysius Areopag. epist. ad Titum. *Inebriatus [illegible] atque excedere dicitur Deus, quippe qui est, omnibus & ple[illegible] & rursus [illegible] omnia, & vltra omnia segregatur.* [illegible] erunt prudentissimè, & sanctissimè insani, qui sic [illegible] omnia temporalia feruntur, vt ea nihili habeant.

CAPVT XV.

De morte contemnenda, & alijs.

[illegible] A mala præcipua sunt in quouis prælio frequentissima, nimirum fuga, opprobria, mors: quid magis indecorum militi, quàm sic ardari ab hoste, vt cogatur fugere? Quid ma[illegible] molestum, quàm opprobria ab hostibus [illegible] horribilius, quam trahi ad mortem? [illegible] in primis necessum est contemnar, quisquis mi-

litari gloria fulgere cupit, adeò vt & aliquando sciat fugere, & opprobria dis[illegible]are, & mortem oppetere ipsam. Quam hæc vendibilia [illegible] apud prophanos sapientes! Sed, quod mirere magis, eadem commendat suis militibus Dominus & Matth. 10. & Luc. 12. Quippe ad gladium vocamur Christiani, hostiles nunquam non patimur incursus; felix, quem nullus metus frangit, imò pronè res retulerit, vel fugam arripuit, vel morti se committit, prorsus contemnens maledicas hostium linguas. Tormentorum summus transibit, & simul apparebunt, homi reputantes hostes, & Christiani multis gloria sublimis.

Text. Cùm autem persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam. Amen dico vobis, non consummabitis ciuitates Israel, donec veniat filius hominis.

§. I.

Validissimum viri fortis facinus est, quòd sciat fuga dedecus, vbi res postulauerit contemnere.

VT contemptibilis, & vilis hominis est quemuis strepitum, solo metu mortis fugere; ita præstantissimi viri est, & fortissimi non erubescere, fugam arripere, vbi nulla vtilitas, imò plurima incommoda timentur, ex eo, quòd vel libertatem, vel vitam amittat. Hinc est, quòd Dominus, qui timidum pastorem condemnat, quòd cum damno ouium venientem lupum fugit: fortissimis, & validissimis pastoribus vsque ad vitæ profusionem dimicaturis imperat fugere: & meritò id Dominus imperat, quando validissimum facinus est, quod viri fortes persuadeātur fugam arripere. Notò est fortitudo Orientalium Regum, qui Matth. 2. non timent viuente Herode, in ipsa eius Hierosolymitana curia, Regis Iudæorum ortum inquirere. Sic enim per medios Herodis exercitus, apud ipsos Palatinos intrepidi clamant: *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum?* Hi ipsi, qui cum isto præconio non verentur intrare Hierosolymam percurrere, post adoratum diuinum puerum monentur in somniis ne redireut ad Herodem: & clam & furtiuè per aliam viam reuersi sunt in regionem suam. Verum in his fortissimis viris magis laudem, ignoro, vel quòd intrepidi Regem conueniant, inter rogaturi de natu Iesu, vel quòd occulte Regem fugiant. Sanè Imperfectus hom. 2. in vtrumque in illis adstupet, ait enim: *O fides Magorum, non contradixerunt Angelo admonenti, dicentes: Venientes ante multitudinem ciuitatum non metuimus, Regem terribilem non ex[illegible]imus: sed fletimus, & fiducialiter, [illegible] fuerat, Regem prædicauimus, & quasi serui latenter nunc iubes fugere? Sed fideles constituti, nec tunc timuerunt cognosci, nec modò erubuerunt occultè recedere.* Magna petebat Angelus, dum adeò fortes Reges, fugitiuorum vult arripere viam. Sed strenui viri docti, & terribilem Regem, & potentes exercitus non timere: eadem, & fortè præstantiori fortitudine non erubescunt pro vita vnius agnoculi immaculari latenter fugere. Quis iam inter præcelsos fortitudinis actus conuenientem fugam non constituat? Moyses ille designatus à Deo ad conterendas nationes, post Ægyptium interfectum in Madiam, fugit Pharaonis iram: fugit & Paulus à fratribus dimissus per murum. Sed eur impertur babiles adeò viri sic voluerunt fugere? Equidem tunc in illa fuga clarius fortitudinis suæ testimonium edebant, seruati nouis doloribus, nouisque periculis. Mathathias etiam 1. Machab. 2. fugerat ab Antiocho, & cum filiis suis in montibus delitescebat, expectans impetum hostium: sed Deus illis maximum præstitit firmamentum. Quale firmamentum? Ait text. *Omnes qui fugiebant à malis, additi sunt ad eos, & facti sunt illis ad firmamentum.* Fugitiui potius ad timorem, quàm ad firmamentum apti viderentur; an poterat sperari à fugitiuis fortitudinis specimen? De his aiebat D. Athanas. in Apolog. de fuga sua: *Eorum fuga à persequentibus, cùm diuina dispositione congruerct, ex cane Deo chari sunt redditi, & pulcherrimum fortitudinis testimonium obtinuerunt.* Hinc iam non mitaberis, quòd Iesus Dux noster, dum venit cum morte, cum tormentis, cum inimicis conflicturus, primum certamen ineat cum fuga: si enim fortissimos Dux fuga dedecus superet, nullum aliud certamen requirit, vt fortitudinem ostendat suam. Sic ad eius nutrimum Iosephum dicitur Matth. 2. *Surge & accipe puerum & matrem eius, & fuge.* Quem non offenderet fugiens Deus ipse fortissimus? Sed tunc ostenditur magis fortitudo diuina, quæ non erubescit

fugere,

fugere, ne redemptionis humanæ opus infectum relinquat.
Chrysol. Ad hæc D.Chrysol. ser.151. inquiens *Fratres quid fugit Christus, fuit liberatio, non periculum creatoris · diuinæ virtutis fuit, non fuit fragilitatis humanæ; non fugit propter anthorum mortem, sed fugit propter sæculi vitam.* Nunquam enim minùs conducit in viro forti fuga ad ostensionem, & gloriam fortitudinis, quam conflictus. Fortissimus ille Dauid, qui imperterritus aggreditur immanem illam Philisthini belluam; postmodum Saulem aduersarium expertus est, & dum se-
1 Reg 18. mel & bis lanceam eius in se iaculatam vidit, 1. Reg. 18. *Declinauit Dauid à facie eius,* itaque qui non fugit Philisthæum, fugit Saulem; nec minor virtus in hac fuga, quam in illo
Hebr. 11. conflictu apparuit. Quid plura? Paul. ad Hebr. 11. referens magnalia veterum patrum, sic ait · *Per fidem deuicerunt regna: obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladij.* Meritò iungit, & regnorum expugnationem, & conflictus cum leonibus, cum igne, & fuga à gladiis. Sed qualis ista fuga fuit adeò insignis, quæ potuit æquiparari conflictui cum leonibus, & regnorum expugna-
Anselm. tioni? D. Anselm. ait *Effugerunt aciem gladij, sicut Dauid, qui dum manu psalleret coram Saul, tenebat Saul lanceam, & misit eam in eum. Dauid autem declinauit à facie eius.* Nec immeritò tanti viri fuga, inter regnorum expugnationes, & conflictus cum leonibus meruit percenseri, vt inter Hispanorum facinora percenseri solet celebris illa Pischariæ Marchionis declinatio, quæ vocatur, *La bella retirada.*

§. II.

Fuga conueniens, & ardua, & gloriosa est viro forti.

SVnt qui putent in præsenti non dari præceptum a Iesu de fuga, sed tantùm consilium: nec mirarer fugam factam fuisse rem consilij diuini, si spectarent illi quam arduum sit, quòd vir fortis persuadeatur fugere. Equidem ardua res, & gloriosa viro forti, quòd amet fugam arripere, & non potiùs vno impetu morti occumbere. Multi præcellentes viri extiterunt fugitiui, quos largè percenset, & extollit
Athanas. D. Athanas. in Apolog. de fuga sua, a quo si quæras, qua ratione hi viri eligerent magis, quam mortem, fugam; sic inquit: *Duo hæc pariter obseruabant, & quidem consultò, ne sese periculis abijcerent, neque cum crimine ignauiæ, quasi ignaui, timidique exilij ærumnas, morte grauiores exhorrerent. Qui enim moritur, quiescit à miserijs; qui autem in fugam se dat, eùm in hostis inimicorum aduentus expectet, mortem longè leuiorem, quàm fugam existimat. Quapropter, qui in fuga moritur, non inglorius moritur: nam & hi quoque adoream martyrij consequuntur.* Sapienter fugitiuorum vitam ipsa morte duriorem æstimât, nec vllus sapiens nō velit potius vno ictu gladij extremum agere diem, quàm innumeros pati in fugarum timoribus dies, nisi ad hos sustinendos Dei virtutisque zelo se
1 Mach. 2. inflammari sentiret. Hinc maximus ille Mathathias 1. Mach. 2. dum Iudæorum res sub tyrannide Antiochi videret, post præclarissimum facinus, quo idolatras media in ciuitatis platea confudit, sic exclamat. *Omnis, qui zelum habet legis statuens testamentum, exeat post me. Et fugit ipse, & filij eius in montes.* Ecce vobis ad quid zelum legis, & paternam nobilitatem ob oculos ponit, nimirum ad persuadendam fugam à crudelissimis hostibus. Hoc solent maximi duces proponere ad confirmandos milites, vt fortiter pugnent; his propositis solent reuocari ipsi milites à fuga; quo enim alio magis accenduntur in prælium milites, quam proposita religione, & patria gloria? Et tu, ô bone, illis ipsis rebus, quibus reuocantur à fuga, & milites accenduntur in prælium, vteris, vt fugam suadeas? Quis vnquam id crederet de viro sapiente? Illo crederet, qui nouerit, quam difficile, quam arduum sit viro ingenuo, & forti fugitiuorum vitam amplecti. Equidem sapientissimus Mathathias calluerat optimè fugitiuorum ærumnas, & timores, & sic vbi ad conuenientem fugam viros ingenuos, & fortes trahere studet, eisdem vtitur sermonibus, quibus ad hostiles conflictus milites accendi solent: ratus non minus arduum, & gloriosum esse viro forti fugam inire, quàm confligere cum superiori hoste. Ad has Mathathiæ fugas, & fugitiuorum vitam in mon-
Hebr 11. tibus respiciens Paulus ad Hebræos 11. ait. *Alij verò ludibria, & verbera experti, insuper & vincula, & carceres, lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladij mortui sunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes,* &c. Nescio an Paulus post ludibria, & verbera, & carceres, & mutilationes membrorum, & mortes, extremo in loco posuerit fugitiuorum ærumnosam vitam in montibus, vt quæ ipsa morte videatur difficilior, & gloriosior. Nec desunt signa, quibus Deus suorum fugitiuorum gloriam ostenderet maximam: ait enim Athanas. in Apolog. de fuga sua. *Certè Patriarcha* Athanas.
Iacob inter fugiendum pluribus visionibus, ijsque diuinis dignus est habitus; Moyses item Deo charus, cum in fuga esset, tum demum vidit illam magnam visionē, ereptusque à persecutoribus pro Propheta in Ægyptum remissus est, &c. Nec mirum, quòd sic apud Deum valeant viri fortes, qui eius amore adducti sunt, vt conuenientem temporibus fugam inire gaudeant.

§. III.

Metus mortis mortem ipsam reddit amabilem.

SApientissimè Dominus, quos pro se mortem subire volebat, priùs in fugam mouet · noluit enim, vt statim prima persecutione mortem oppeterent, sed vt fugiant, suadet; ne post fugam haberent iam in morte, quod timerent, sed quod amarent. Qui enim in fuga viuit, tot ærumnis, tot mortis timoribus agitatur, vt inde nequeat iam mortem non amare. Act. 9. Iudæi decreuerant interficere Paulum, custodiebant enim portas ciuitatis, ne posset egredi, quin in eorum manus veniret. Quid tunc? Feruidus Dei athleta non se morti dedit pro Iesu? Ipse ait 2. ad Cor. 11. *Per fenestram in sporta* 2. Cor. 11.
dimissus sum per murum, & sic effugi manus eius. Deus bone, athletæ tuo prius paras fugam, quam gloriosam mortem? Siquidem tui milites mortis contemptores, imò amatores esse debent, cur priùs fugam illis insinuas? Vt sic alacriores ad mortem subeundam reddantur, in fuga enim maximè se exercent, ad hoc vt possint mortem contemnere. Pulchrè D. Athanas. in Apolog pro fuga sua ait: *Non enim præ timore* Athanas.
mortem fuga prohibuit, absit, quia potiùs fugam habebat pro palæstra, & meditatione aduersùs mortem. Quàm acutè fugam vocat palæstram, & meditationem aduersùs mortem, quandoquidem in fuga quot horæ sunt, tot conflictus adsunt, cū mortis timoribus; imò fuga nihil aliud est, quàm perpetuus timor; nihil est securum fugienti, nihil est non suspectum, ad singulos arborum strepitus se reputat mortuum, gladius est quidquid lucet, carnifex est, quisquis sonat. Fallar, nisi hic adeo frequens metus mortis non euacuet totum mortis horrorem, illámque faciat dulciorem. Palæstra est, meditatio est aduersùs mortem vita plena mortis timore. Accipite rem apprimè effigiatam in Elia; is 3. Reg. 19 audies 3. Reg 19.
Iezabelem in se iratam. *Fugens abijt quocumque eum ferebat voluntas, venitque in Bersabee Iuda, & dimisit ibi puerum suum, & perrexit in desertum, viam vnius diei. Cumque venisset, & sederet subter vnam iuniperum, petiuit animæ suæ, vt moreretur.* Ecce tibi Elias mortem expauens fugæ se dedit, & fugitiuus errat per deuia, montes iterat, vix altissimis cacuminibus præruptorum montium sui credens custodiam? Quid tunc? Post paucos fugæ dies deiectus ad radicem arboris, petiuit animæ suæ, vt moreretur, mortem anxie expetiuit, illámque tanquam sibi charissimam vocare incepit. Nonne Elias mortem horrebas, cur modò illam expetis? Equidem horrebat Elias mortem, ante quam illam timuisset; post quā autem pro illius timore fugæ se dedit, illiusque timoribus fugiens hinc inde agitatur, eò deuenit, vt amabilem ducat illam, & vt dulcissimam sibi fore speret. Ad hæc Chrysol. Chrysol.
ser. 147. *Elias ille vbi sensit iam se timeri aspergi, repetebat, quam fugerat mortem.* Et cur non amaret congressum mortis, qui aduersùs illam habuit fugam pro palæstra, & meditatione, in qua toties exerceretur. Sanè athleta, qui sæpe descendit in palæstra, vt certaminum meditamenta subeat, mirum in modum accenditur in amorem congressus. Sic qui diu mortem timet, cum eiusque timore confligit, proculdubio amabit eius verum aduentum, habebitque ipsam fugam mortis, & metum, pro palæstra, & meditatione aduersùs mortem. Paulò inferiùs in hoc 10. Matth cap sic monebat Matth. 10.
Dominus *Nolite timere eos, qui occidunt corpus.* quòd si requiras medium aliquod, quo non timeamus corporis occisionem, statim addit; *sed potius timete eum, qui potest & corpus, & animam perdere.* Deus bone, iubemur corporis occisores non timere & simul iubemur timere occisorem si metus corporalis mortis abigendus est à cordibus Christianis, cur simul iubemur etiam timere occisorem corporis? Sapienter suggerit Dominus mortis timorē, vt sui doceantur mortem contemnere · tunc enim fortior fit homo, quando pro palæstra, & meditatione aduersùs mortem mortis etiā fugam, & timorem habet. Præclare ad hæc D. Chrysost.

in

Chrysost. in præsenti homil. 35. fatur. *Terrore moriendi morte superiores facit.* Superabis mortem quisquis in timore mortis vitam composueris.

Text. Non est discipulus super magistrum, nec seruus super dominum suum: sufficit discipulo, vt sit sicut magister eius: & seruo, sicut dominus eius. Si patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius?

§. IV.

Impudentissimè se supra Deum extollit, qui nescit illatis contumelijs parcere. Vbi agitur de Societatis IESV Choro.

HAc vna ratione Dominus suos discipulos conuitiorum vult facere contemptores, quia necessum est, quòd discipuli, seruique non velint supra tantum Dominum, & magistrum sese exaltare, & efferre. De illo enim impudentissimo conuiciatore, & blasphematore Antichristo dicitur 2. ad Thessal. 2. *quod extollitur supra omne, quod dicitur Deus.* Hanc impudentiam caueat quisquis verus Christi discipulus est, & cauebit illam, dum sciat etiam lacessitus à contumelijs & conuitijs abstinere. Equidem, qui non abstinet à conuitijs etiam lacessitus, Iesu magisterium contemnit, & extollitur supra omne, quod est Deus. Apud Ecclesiasticum Eccles. 22. cap. 22. dicitur: *Ante ignem camini vapor & fumus ignis inaltatur: sic & ante sanguinem maledicta, & contumeliæ, & minæ.* Vidisti in fornace, & antequam flamma erumpat, quàm sese extollit fumus, quam effertur in astra; imo quàm nititur super ipsum cœlum sese constituere: sic antequam ad sanguinis profusionem deueniant homines, maledictis, & contumelijs, & minis se exaltant supra cœlum, supra Deum. Ad Chrysost. hæc monebat D. Chrysost. homil. 31 ad Pop. *Noli contrariam legem Deo sancire, non es tu melior eo, qui fecit nos, ipse dixit: Contumeliam patiens, æquè feres; tu dicis, Contumeliam refero, ne fiam inutilis: tu maiorem igitur illius curam geris. Hæc sunt & procacitatis, & superbia verba, quæ Deo contraria sanciunt.* Equidem & contumeliosus, & conuiciator, qui lacessitus non abstinet à conuitijs, adeo procax est, & superbus, vt velit ipso Deo maior videri, & supra Dominum magistrúmque suum constitui. Nec mirum, quòd verba contumeliosa denotent hominem se supra Deum extollentem; quando qui patiens est, medijs contumelijs eo ipso ostendit se homi-D. Ephr. nem noscere. Qoippè ait D. Ephrem de virtutib. & vitijs: *Qui procacitatis, & contumeliæ spiritu non capitur, is verè nouit se hominem ex carne constare.* & meritò, dum se hominem ex carne constantem nouit aliquis, etiam lacessitus à contumelijs abstinet, cur enim homo vilis, & infirmus non abstineat à contumelijs, cùm videat Dominum, & magistrum suum inter contumelias obmutescentem? Superbissimus Apostata Iulianus Christianos omnes in opprobrium, Galilæos vocabat, vt quos ferro feriebat, contumelijs etiam Gregor. Nazianz. infamaret. Res peruenit ad D. Gregor. Nazianz. cuius eloquentiæ erat superbissimi Apostatæ ora retundere, ab eóque contumelias Christianis illatas, totidem vindicare. Quid tunc Christianissimus Theologus? Accipite eius verba data in 1. orat. in Iulianum. *Quid prohiberet nos etiam aduersùs Romanorum, & orbis imperatorem, similiter ludere cauillos? Ac illum, quoniam à dæmonibus deceptus fuerit, Idolianum appellare, seu Adonium, siue Tauricremum, quemadmodum iam etiam à facundis quibusdam nostris est vocatus. Magna enim se offert copia, vt ex verbis lo...a traditione, multa nomina confingi, aut componi valeant: verum cum saluator omnium, & Dominus in parcendo contumeliosis admodum mansuetus esset, & mitis, ac etiam pro crucifixoribus lachrymas profudisset; planè inconueniens fuisset, eas ...appellatione indoluisse, aut pudefactos esse, plurésque fecisse vocem calumniatorum ...um, quàm animarum, & corporum, quæ probè ob veritatem contemnere solemus salutem.* Hæc sanctissimus, & Christianissimus Theologus Nazianzenus, cui licèt multa probra suppeterent, quibus Iuliano par referret, vt alij Christiani illo etiam zelo retulerant, ipse elegit ab his omnibus abstinere, vt se ostenderet verum discipulum, & ...rum crucifixi. Quis neget erudito viro multas in promptu fuisse materias, ex quibus opprobria configeret in calumniatorem? Quis neget etiam illi adfuisse fortissimarum ...tionum aculeos, qui hominem vrgerent in iustam vindictam? Erat equidem sanctorum virorum authoritas simili vsa telo ad obstruenda ora hostium virtutis. Sed super his omnibus erat Christus, patris sapientia, & Angelorum fortitudo, cui vt se subditum ostenderet Nazianzenus, elegit tacere inter calumnias a Iuliano illatas Christi discipulis. Ad hæc etiam aiebat Celleos. Abbas lib. de Panib. Celleos. Abb. 23. *Lenit dolores patientis Christiani assidua recordatio in cruce pendentis. Telum à corde extrahit impatientia, dulcis memoria orationis persusa, de pinguedine gratia, & de virtute patientia. Pater, inquit, ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Cui præ oculis est Christus saturatus opprobrijs, inconueniens est, quòd indoleat, & pudefiat calumnijs, & maledictis. Dum hæc meditor, sese mihi obiecit statim & sanctissima, & eruditissima Societas IESV, de cuius ego spiritu viuo, quam huc vsque non cessant calumnijs, & opprobrijs prouocare. Quis numeret contumelias iactatas in hunc sanctissimum Ordinem? Quis maledicta congesta, quis conficta opprobria? Quorum nec minima pars liceret dici vilissimum hominem: nescio qua erronea licentia in sanctum ordinem Societatis iactant, effundunt. Quid illa inter hæc? Verè Christi subdita, nil magis curat quam tacere lacessita, & prouocata non vti eisdem cauillis. An quia nesciret respondere? Deus bone, si vellet in arenam descendere, quanta suppeterent illi arma? disertissima est, plena linguis, plena plumis, imò & plena vnguibus aquilinis, possent & doctè & sapienter ferire. Magna etiam illi copia se offert, vt ex verarum historiarum traditione multa nomina componere valeat, quibus calumniatorum ora obtruderet. Sunt illi præ manibus D. Hieronymi, D. Bernardi, & aliorum sanctorum tela, quibus obtrectatores suos configunt. Adest D. Thomæ Opuscu- D. Thom. lum 19. vbi per plura capita speciatim retundit similes calumnias a Doctoribus Parisiensibus iactatas in Dominicanam familiam. Verum cùm Saluator omnium, & Dominus in parcendo contumeliosis admodum mansuetus esset, inconueniens ducit Societas IESV probrosis appellationibus indolere, aut pudefieri, æstimans plurimi, & si alia desint, in hoc apparere Christi discipulam. Doctus quidam magister, dum pro magisterij laurea perorat, cum multo auditorum cachinno notat Societatis religionem, vt quæ non psallat in Choro. Deficit Societati illud virtutis exercitium; quis hoc neget? Similiter deficiunt illi alia virtutum exercitia singulorum ordinum, nec enim semper piscibus pro esca vtitur, nec nudis pedibus incedit, nec captiuorum redemptioni instat. Sua tamen habet virtutum propriarum stemmata, quibus satis nota est mundo, & prætermisso, quod pro choro habeat Societas IESV indefessa litterarum studia, quæ non solum tempus Horarum canonicarum in choro sonantium adimpleant, sed & totam hominis vitam repleant, imò adsumant. Vnde tot tela aduersùs hæreses conflantur, quot scripta euulgantur quotidie, in quibus scribendis in hoc sæculo vniuersos Ordines sacrus filij Societatis IESV superant. Hæc pro choro data Societati IESV, ait Pont. Max. Gregor. XIII. in Bulla edita anno 1573. quæ incipit, *Ex Sedis Apostolicæ.* Prætermisso item, quòd pro choro habeat Societas IESV communem illam, & strictissimam obseruantiam, quæ nullam exemptionem, nec in cibo, nec in vestitu, nec in obedientia, nec in paupertate permittat magistris, aut prælatis, aut alijs hominibus præstantissimis. Quæ vt arctiùs seruetur in omnibus, nec habeant præstantissimi viri occasionem procurandæ exemptionis; meritò chorus tollitur, cum quo non poterat non esse occasio exemptionis pro lectoribus, pro magistris, pro concionatoribus, pro assiduis confessoribus. Prætermisso rursus, quòd pro choro habeat Societas IESV, rigorosissimam illam paupertatem, qua nullus Societatis filius permittitur, sibi aliquid quærere, nec adquirere, nec vllo modo habere sed omnia necessaria habere, ex Collegiorum communibus sumptibus. Quod nequiret fieri cum choro, quando, pro illo, exceptis lectoribus, concionatoribus, confessarijs, addenda erat alia sociorum multitudo, quibus alendis non sufficerent communes sumptus; quod inconueniens experitur in ferè omnibus ordinibus sacris, in quibus religiosi multis necessarijs indigent, & pro illis habendis insudant. Ea quanto religiosiùs haberent, nemo non videt. Insuper prætermisso, quòd Societas IESV pro choro habeat laboriosissimam illam instituendæ iuuentutis occupationem, quæ integros explet dies, quam plerique aliorum religiosorum Societati debent, & quæ vniuersos choris canentium labores longè in labore superat, & in vtilitate fidelium vincit. Tandem prætermissis alijs singularibus Societatis instituti virtutibus, quas tractat & doctissimè, & verissimè Suarez Suarez. tom. 4. de Relig. tract. 10. per totum. Vnum præsenti materiæ non negabo, in quo supra modum lucet Societas IESV, &

est illi pro choro, nimirum non recantare ad opprobria frequentissima, sed orare pro inimicis. Hic Christianitatis chorus, quàm floreat in Societate IESV, nemo non videt. In simili duello fuit Nazianzenus pro parente suo, in orat. quam in eius funere dixit, & vt obstruat os requirentium
Nazianz. in vno vniuersas virtutes, sic ait: *Porrò tam ex veteribus, quàm iunioribus, alij aliud donum quoddam egregium concreditum fuit, secundùm quod vnusquisque gratiam aliquam à Deo consequi dignus erat, Iob tolerantia in afflictionibus, & animi fortitudo: Moysi & Dauid mansuetudo, Samueli iurisdictio, & vt cerneret futura; Phineæ æmulatio, à qua & nomen est sortitus: Paulo & Petro concordia præconij: Zebedæi filijs magniloquentia. Stephani autem, & mei patris donum vnum fuit, & idem fuit: hic enim, nec in periculo constitutus odio habebat iaculantes, sed dùm lapidaretur, pro lapidantibus tanquam Christi discipulus orabat.* Ecce tibi magister optime chorum, quem in patris mei Ignatij filiis requiras: non chorum psallentium, sed chorum D. Stephani primi martyris, qui orabat equidem non in alio choro, quam inter calumniantium voces, & inimicorum iniurias, dum preces fundit pro illis. In hoc choro frequentissimos vident populi Ignatij filios, veros Iesu discipulos, vt tu optimè sæpè vidisti, cùm te iniuriis, & contumeliis in illos contortis per orantem audiebant Societatis filij, nec aperiebant os suum sicut agni, qui cædebantur in victimam. Fallar si tunc ipsi Angelici chori, non inuiderint chorum Societatis filiis. Et cur Societatis filij mouerentur ad verba, & opprobria, quæ toties in Ordinem suum iaculata, summorum iudicum sententiis manent repulsa, & paulo pòst repellenda sperarent? Id fuit præclarum monitum
Cassiod. Cassiodori lib. 1. var. 30. aientis. *Vos enim quos semper grauitas decet, nolite truculenter insequi inania verba populorum. Si quid est fortè, quod pœnam mereatur admissum, in Præfecti vrbis notitiam deferatur, vt culpa legibus non per præsumptam coerceatur iniuriam. Quid enim discrepat à peccante, qui se per excessum nititur vindicare? Impœnitenda est vltio, quæ de legibus venit: & excellenter videtur de pulsato triumphasse, qui victor pronuntiatur à iudice.* Nec Christi discipulatum, nec grauitatem religiosam decet inanibus verbis contendere, & contumeliosum contumeliis referire: qui sint filij Societatis IESV, quale suum institutum vitæ, qualia exercitia virtutum, viderunt Summi Pontifices; viderunt Reges mundi, Regum senatus, Prælati vniuersi, regna ipsa, & populi, de quorum suffragiis, & fauoribus viuit Iesu Societas, & crescit in dies. Et pro vno clandestino, & ad tenebras exteriores damnato libello, qui tantum ordinem mordeat, sunt plena Societatis scrinia publicis Pontificum, Regúmque & Prælatorum scripturis, quæ extollunt, & prædicant mundo vtilissimam hanc familiam, Deóque amabilissimam. Non fuit animus Apologiam facere, nec paragraphi metas excedere; sed solùm hæc pertingere, vt decet filium in suos parentes, amoris semper ostendere scintillulas. Præcipuè cùm noscam doctissimos hos in præsenti Societatis IESV aduersarios, alioquin esse viros & religione, & sapientia præstantes; vt meritò possim de illis dicere, quod de Eusebio aduersario D. Basilij fatur
Nazian. Nazianz. orat. 20. quæ est de Basilij laudibus. Ait enim: *Cum Basilio simultatem quandam, is, qui ante ipsum Ecclesiæ præfuit, exercebat vir, cætera quidem fortis, ac mirabili pietate præditus, vt illius temporis persecutio, & acris aduersùs eum suscepta contentio perspicuè declarauit: sed tamen in Basilio aliquid humani passus. Neque enim vulgares tantùm homines, sed etiam præstantissimos quosque viros Momus attingit, vt solius Dei sit omni peccato vacare, atque ab animi perturbatione immunem esse. Ac propterea aduersus Basilium Ecclesiæ pars selectior, & sapientior concitatur.* Et quidem in præsenti simultatem quandam, cum Ordine Societatis IESV habent viri alioquin præstantissimi, & sanctissimi, sed tamen aliquid humanum in Societate IESV passi. Ac per hos aduersùs Societatem concitatur non ignobilis Ecclesiæ pars, sic ego Societatis filius volo nominare, & habere Academiam Salmanticam, etiam dum calumniis aduertatur Ordini tanto; quam simultatem tantorum virorum non iustitia peperit, sed infirmitas humana, vt regiis decretis declaratum est à maximo, & integerrimo regio Senatu.

§. V.

Contumeliosæ voces nihili faciendæ, vt spurcissimæ.

QVis æstimet calumniatorum verba? Regem Angelorum Beelzebub vocauerunt, hoc est, Idolum fanie, & tabo spurcum; & fœtulentum nec à talium ore aliquid non spurcum, & fœtidum nouit exire: cur ergo à stabulo conspurcari offendaris? Mathathias ille moribundus 1. Machab.
2. sic filios suos commonebat: *A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria eius stercus, & vermis est; hodie extolitur, & cras non inuenietur, quia conuersus est in terram suam, & cogitatio eius periit.* Expende quare contumeliosorum verba 1. Mach. 2.
non sint extimescenda nimirum quia *gloria eorum stercus est.* Imò quia stercus est contumeliosus homo, videbatur potius extimescendus, cur non extimescam stercus, à quo maculari possum? Equidem etiam à cloaca à stabulo maculari possum, & nihilominus non ab his timeo, quia tali spurcitia, leui me excutio motu: sic similiter à spurco & fœtido maledicentis ore minime timere debeo. Huc refero Senecam lib. 4. epist. 92. dicentem, non tam vrbanè, quam philosophicè, & aptè in rem præsentem. *Quid stultius homine verba metuente? Demetrius noster solet dicere eodem loco sibi esse voces imperitorum, quo ventre redditos crepitus. Quid enim, inquit, mea refert, sursum ista, an deorsum sonent? Quanta enim dementia est vereri, ne infameris ab infamibus.* Quod stabulum mittat à se stercus, nemo dolet, nemo ægrè fert: nec vllus est, qui in sterquilinium iratus sit, quòd fœtorem emittat: eo similiter animo se componere homo debet, vt contumeliosos, & calumniatores audiat, quasi si fœtulentis spurcitiis videat manare cloacas. Non longè abibat Dauid Psalm. 5. Seneca
de eisdem fatus: *Sepulchrum patens est guttur eorum.* Quid est sepulchrum patens? Chrysost. ibi ait. *Non dixit simpliciter, & absolutè sepulchrum, sed patens, vt etiam significet maiorem esse abominationem. Cum enim oporteret eos huiusmodi verba celare, illa etiam proferunt, vt suum magis morbum ostendant.* A sepulchro patenti nil aliud exilit, nisi fœtor, & horror; nec qui inter sepulchra patentia inambular, aliud inde expectat, quàm fœtorem, quem patienter ferat, necessum est, dum inibi inambulare velit. Felix ille, & sapientissimus est, qui derisorum, & calumniatorum guttura non pluris habet, quam stabula, quam sepulchra patentia, nec magis exasperatur ad eorum verba, quam ad fœtulentiam sepulchrorum. Et quidem maledicorum hominum verba stercus sunt, & spurcitiæ; vnum solum verbum est timendum, & expauendum, nimirum verbum, quo à Deo maledicti damnantur. Aiebat enim sapienter Psalm. 90. *Quoniam ipse liberauit me de laqueo venantium, & à verbo aspero;* vbi expendendum est, ob quod glorietur Dauid, nimirum quòd liberatus sit à verbo aspero. Quid magnum, si à verbo aspero liberetur; vbi sunt plura verba aspera? Tot sunt verba aspera, quot calumniatorum, maledicorum, deridentium ora: cur Dauid tantùm æstimat liberari ab vnico verbo aspero? Equidem nullum verbum asperum est, nisi vnum illud verbum, quo à Deo maledicti in ignem mittentur æternum. D. Bernard. serm 3. ibi. *Quod est hoc verbum asperum, nisi illud iusti tiabilis gehennæ, Asper. Asper? Quid est verbum asperum, nisi: Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.* Nullum verbum asperum est, nisi quod Deus in damnatos iactat; hoc vnum timeat Christianus, ab hoc vno gaudeat liberari, cætera nihili faciat. Imò dicat cum D. Athanas. in Apol. de fuga sua: *Vtinam adsit aliquis ex nostro genere Christianus, qui maledicos pudefaciat, & magna voce pronunciet: Melius est confidere in Dominum, quàm intendere istorum stultiloquijs. Domini enim verba vitam æternam habent.* Hæc ille. Psalm. 5. Psal. 90. Bernard.

§. VI.

Viri religiosi superiores sunt omni contumelia, & opprobrio.

QVos magis credam domesticos diuini Patrisfamilias, quàm religiosos viros, qui obliti domum patris sui, de domo, & familia Dei censentur? Hi ergo Dei domestici in primis docentur contemnere & nihili facere contumelias, & opprobria; qui enim mundo superiores sunt, ab illóque effugerunt, in domum, familiámque Dei recepti, quid timeant à verbis? Pulchrè Dauid Psal. 90. aiebat: *Deus meus sperabo in eum, quoniam ipse liberauit me de laqueo venantium, & à verbo aspero.* Expende ordinem liberationis: priùs gaudet se liberatum de laqueo venantium, & deinde quasi consequenter, à verbo aspero; quasi hoc ex illo nascatur, vt qui mundi laqueos effugerit, iam non habeat, quid sibi timeat à derisorum labiis. Ad hæc D. Bernard. serm. 3. ibi. *Vos autem fratres mei, vos pennati, ante quorum oculos frustrà iacitur rete: vos, qui diuitias huius sæculi penitùs reliquistis, quid timeatis à verbo aspero, quoniam iam liberati estis à laqueo. Felix tu, qui transilisti laqueum, vt omnino longè fieres à verbo aspero.* Psalm. 90. Bernard.

Qualiter

Qualiter capientur verbis, qui nec laqueis capi potuerunt? Qui nullo mundialium bonorum amore teneri potuerunt; quomodo retinebuntur verbis contumeliosis? Celebris Dauid extitit apud Patres in contemnendis Semei contumeliis: quippe homo audax, & maledictis, & opprobriis mille iactatis sanctum regem persequitur; Dauid autem, vt ipse
Psalm. 38. ait Psalm. 38. *Cum consisteret peccator aduersùs me, obmutui, & humiliatus sum, & silui a bonis.* Omnia facili negotio vorat opprobria, sed vnde rex magnus adduci potuit, vt tam facile contumelias tantas, tot opprobria dissimularet? Sanè id sciemus, si tempus in quo sustinebat opprobria, notaue-
2. Reg. 16. rimus. 2. Reg. 16. & Regiam, & ciuitatem fugiebat, & adeò bonis omnibus nudatus ibat, vt nudis pedibus iter conficeret. Post talem bonorum omnium spoliationem, quas contumelias non parui duceret? Qui sic didicerat cedere rebus cur non cederet verbis? Sanè non mirer, quòd opprobria voret, qui sic omnibus regni bonis valedixit. Pulchrè
Ambros. D. Ambros. in 1. Apol cap. 6. huc spectans dixit: *O insigne patientiæ! O deuorandæ contumeliæ grande inuentum.* Cur non sit ad deuorandas contumelias grande inuentum illud, quo Christianus sese euacuat omnibus rebus mundi, & vbi ad-
Isaiæ 51. hæret Christo? Sic monebat suos Dominus Isaiæ 51. *Audite me, qui scitis iustum, populus meus, lex mea in corde eorum, nolite timere opprobrium hominum, & blasphemias eorum ne metuatis.* Ecce modò illis, qui iustum sciunt, nimirum, qui Christum norunt, & populus, & pars eius sunt, quibus etiam lex Christi cordi est, dicitur ne timeant opprobria; post Christianam enim bonorum abnegationem, quæuis opprobria,
Chrysol. infantilia tela sunt, vt vocat Chrysolog. serm. 38. Hoc vel ex munere debet cognosci vir, qui Deo se consecrauit, quòd
Matth. 2. nimirum calumniantibus offerat veniam. Matth. 2. vbi cruce opprobria narrantur, dicit: *Et latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.* Hoc narrat Matthæus, quòd latrones probra iacerent in Iesum, & nil amplius dicit. Verùm Lucas cap. 23. insuper notat, quòd Iesus paradisum dederit latroni, & rursus, quòd pro blasphemantibus, & persequentibus oraret, dicens: *Pater ignosce illis.* Sed cur hæc præcipuè Lucas notauit? Ad Lucam spectabant ea quæ sacerdotalia erant in Iesu, vt qui à sacerdotio incipit Euangelium, vt communiter Patres notant. Nil autem magis sacerdotale quam veniam dare opprobriis, & calumniis. Ad hæc D. Am-
Ambros. bros. lib. 10. in Luc. ait: *Lucas autem competenter asseruit latronem veniam sacerdotali intercessione donatam, & Iudæis persequentibus eodem munere indulgentiam postulatam.* Quis ad sacrum Ordinem pertineat, qui munus suum non ostendat, veniam offerens calumniis?

Text. Nihil enim est opertum, quod non reuelabitur, & occultum, quod non scietur.

§. VII.

Nunquam non patebit, quis fueris, etiam inter calumniarum, & contumeliarum tenebras.

NOn tantum est positum in ore, & æstimatione hominum, quòd verbis suis possint penitùs obnubilare, imò obtenebrare veritatem: licèt mille verborum nubila conglomerent, mille opercula patent, quibus æternùm lateas: tamen non poterit non apparere, quis fueris. Notissima est historia pueri Moysis à parentibus dimissi, à filia Pharaonis
Exod. 2. excepti è flumine. Sic habes 2. Exodi: *Suscepit mulier, & nutriuit puerum; adultumque tradidit filiæ Pharaonis. Quem illa adoptauit in filium, vocauitque nomen eius Moyses, dicens: Quia de aqua tuli eum.* Quis nosceret iam puerum illum vocatum filium tantæ reginæ? Quomodo non haberetur, & diceretur Ægyptius iuuenis, Pharaonis nepos; Ægyptiorum aulæis nutritus, totiúsque Ægypti curis obseruatus? Sed accipite, quid de illo dicat textus: *In diebus illis postquam creuerat Moyses, egressus est ad fratres suos: viditque afflictionem eorum, & virum Ægyptium percutientem quendam de Hebræis fratribus suis. Cumque circumspexisset huc, atque illuc, & nullum adesse vidisset, percussum Ægyptium abscondit sabulo.* Cur Moyse, Ægyptius Princeps factus non magis faues Ægyptio? Cur de te Ægyptus non magis benemeretur? Hæc te fluctibus iactatum excepit, in filium te adoptauit regis & nomine, & adoptione, & mille modis curauit, vt Ægyptius habereris; cur ergo aduersùs hanc stas pro Hebræis? Non potuit tandem non apparere, quis in veritate esset: id
Imperf. quod notans Imperfectus homil. 25. in Matth. ait. *Perdidit beneficium suum Ægyptus, non potuit benè nutriendo facere suum, qui meliùs nascendo fuerat alienus.* Vocetur, licèt, Ægyptius Moyses, imò licèt totas suas in eum effundat tenebras Ægyptus, non poterit sic illum perpetuò habere; quia necessum est, quòd appareat, quis quisque fuerit. Aiebat Dauid Psalm. 138. *Dixi, forsitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in delicijs meis.* Sanctissimus vir timebat sibi Psal. 138.
à tenebris, timebat contumeliarum, & opprobriorum caligines, quibus hostes in illo, quod habebat bonum, obtenebrare volebant. Quin etiam lucidissimos eius dies in turpissimas commutabant noctes, eius famæ detrahentes, maledictis, probrísque & blasphemiis in illum iactatis. Cur sub his tenebris sepeliri non timeret? *Sed nox illuminatio mea;* alij ex Hebræo legunt; *sed nox lucida circa me.* Tantum abfuit, quòd Dauidis virtus tenebris sepeliretur, quòd ipsæ tenebræ, ipsa nox illam manifestarent, & fecerint apparere. Pulchrè D. Chrys. in præsenti: *Non dixit, nox deleta est, sed nox fuit lucida; hoc est, nox manens nox, mala scilicet, & calamitates non potuerunt me conculcare, sed fuit lux in nocte, hoc est, mei extitit defensio.* Impossibile est, quòd virtus lateat, Chrys.
quando & ipsæ tenebræ, & nox pro sole sunt, vt ipsam reuelent; & si non oriretur sol, nec vllus dies iam esset; nihilominus appareret, quis iustus esset, vel ipsis tenebris, vel ipsis caliginibus pro sole existentibus. Præclarè illa dicebat Cant. 3. *In lectulo meo, per noctes quæsiui, quem diligit anima mea.* Antea optauerat, & dixerat: *Indica mihi vbi pascas, vbi cubes in meridie?* per medium diei quærere Dominum Cant. 3.
volebat; modò per noctes quærit. O felix Dei inuestigatrix, magis illum quære per diem; in die enim tot erunt eius indices, quot de eius domus vbertate pascuntur; seu quære in aurora, quando laudant eum astra matutina, vt laudantium vocibus ducaris ad eius conspectum. Noctes forsitan conculcabunt eum, quando in domo Cayphæ occultatus, calumniis, opprobriis, blasphemiis innumeris ita obtegitur, vt vel ab oculatissimo Isaia nouissimus virorum reputetur. Nónne potiores tibi dies, quàm hæ tenebrosæ noctes ad inueniendum Deum? Cur relictis diebus noctes tales quæris? Ad hæc eleganter ait Gillibertus Abb. serm. 1. in Cant. fatus. *Nox, inquit, illuminatio mea in delitijs meis. Quid si ad inuentionem sponsi nox operatur? Cooperatur planè, & accommodatè satis.* Equidem, vt Iesu virtus appareret, noctes ipsæ, hoc est, ipsæ carceris tenebræ, & blasphemiarum caligines pro sole extiterunt, quæ illam publicarent. Fallar, si posset dies sic iustum Deum hominibus prædicare, vt opprobriorum noctes illum indigitarunt. Aiebat Psalm. *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam;* dies forsan aliquod verbum de Iesu facit, & verbum, quod magis instar ructus, quàm instar loquelæ se habeat; vt videatur potius mandi, quàm explicari; at nox scientiam indicat, hoc est, lucidissimam notitiam, & sole clariorem euidentiam facit. Quippè Matth. 17. video Iesu faciem in Thabor fulgere instar Solis; sed non à sole, sed à nube venit nox, quæ filium Dei declaret. *Et ecce vox de nube, dicens: Hic est filius meus.* quasi caligo, & tenebræ clarius reddant testimonium, quo, quis sit filius Dei, appareat. Sunt equidem opprobriorum caligines pro sole ad filios Dei declarandos. Matth. c. 27. dicitur: *Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum vestimentis eius, & duxerunt eum, vt crucifigerent.* Nudus erat in Prætorio Dominus, nudúsque irrisiones, & opprobria sustinuit, quando irridentes salutabant, aue Rex Iudæorum. Sed post has illusiones, & ludibria, statim sub propria veste apparet. Rem meditatus D. Hieronymus, ait. *Cum autem illusionis, atque irrisionis pompa præterierit, tunc pristinas vestes recipit, & proprium assumit ornatum: statimque elementa turbantur, & creatori testimonium dat creatura.* Quid ab irrisionibus, & ludibriis prius reciperet Dominus, quàm quòd sub propriis vestibus appareret, iámque ab vniuersis creaturis notaretur, publicaretur? Faciunt hoc semper contumeliæ, & opprobria, vt sustinentes iustos sole clariùs manifestent, declarent. In cruce iam Dominus erat positus, imò prætereuntium contumeliis expositus: quippè ait Matth. 27. *Prætereuntes blasphemabant eum, mouentes capita sua, & dicentes: Vah qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas, salua temetipsum: si filius Dei es, descende de cruce. Similiter & Principes Sacerdotum illudentes cum Scribis, & Senioribus dicebant: Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere; si Rex Israël est, descendat nunc de cruce, & credimus ei; confidit in Deo, liberet eum, si vult; dixit enim, quia filius Dei sum. Id ipsum autem, & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei. A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram.* Quòd si scire cupis causam tenebrarum harum, Lucas cap. 23. deliquium Solis assignat, ait enim,
Gillib. Abb.
Psal. 18.
Matth. 17.
Matth 27.
Hieron.
Matth 27.

Luc. 23. *& obscuratus est Sol.* Quo posito notandum est, quo tempore Sol se abscondat, nimirum quando Iesus in cruce positus incredibilibus opprobriis, contumeliis, blasphemiis obscurabatur. Quid agis ô Sol, cur retrahis lucem tuam? Cur non magis multiplicas radios, vt innocentia Saluatoris appareat? Cur te non magis efformas in plures lampades, quæ patientem in cruce Deum declarent? Audiuit Sol conuitia in patientissimum Iesum iactata, & statim quasi non necessarios suos retraxit radios, sic enim inter sustinenda opprobria Iesu sanctitas clarebat, vt mirum esset, quòd inde non cognosceretur. Non longe abest D. Chrysost. homil. 89. in
Chrysost. Matth. fatus: *Post omnia verò, quæ per insaniam, & furorem fecerunt, quando deridendo saturati sunt, quando contumeliando animum suum expleuerunt, quando denique omnia ab ipsis dicta sunt, quæ volebant, tunc tenebræ apparent. Sed quo modo, inquit, omnes insani homines adeo non sunt, vt Deum ipsum putarent?* Meritò stuper Chrysostom. quòd potuerit esse aliquis adeò cæcus, cui non pateret Iesu sanctitas, & diuinitas, vbi sic per tot toleratas contumelias monstrabatur, non enim Sol, sed opprobria, quæ pro Sole sunt, dum tolerantur, filios Dei apparere faciunt.

§. VIII.

Iustorum conuitiator non abscondetur, sed ad supplicium patebit.

INde etiam iubetur iustus non timere conuitia, non timere in se iactatas contumelias, quia tandem contumeliosus, & conuitiator non manebit absconditus, sed qualicunque prætextu, & specie sese tegat, aperte reuelabitur contumeliarum reus ad pœnam. Huc spectabat Sophar Naamathites
Iob 20. Iob 20. inquiens: *Reuelabunt cœli iniquitatem eius, & terra consurget aduersus eum. Apertum erit germen domus illius, detrahetur in die furoris Dei. Hæc est pars hominis impij à Deo, & hæc hæreditas verborum eius à Domino.* Ecce tibi, quid contumeliosa impiorum verba hæreditent a Domino, nimirum, quod cœli reuelent iniquitatem eorum, in diem furoris Dei. Quid est, quòd cœli reuelent? Dicunt vulgo de aliquibus malefactoribus, ille sub maligna stella natus est, qua omnia eius facinora statim patent, & in illis deprehenditur. Sic in præsenti de omnibus contumeliosis, qui verbis impetunt proximos, dicit Sophar; quod videlicet omnes hi sub adeò malignis astris degunt, vt statim a cœlorum virtute reuelentur, & manifestentur in pœnam. Et quidem manifestabuntur, etiam si in defensionem vnius iusti necessum sit pro illis deprehendendis omnem conte-
Genes. 39. rere terram. Accipite ex Genes. 39. historiam Ioseph: hic a fratribus suis malè tractatus mille contumeliosa verba patienter accepit. Inuidia illi commoti somniatorem appellant, vt seruum vendunt; venditus peruenit in Ægyptum, vbi post carcerem, post ferrum ad regni solium euehitur. Ecce vobis Ioseph in Ægypto regnat; sed & qui fuerunt in eum contumeliosi fratres, sine vlla tamen criminis infamia apud patrem suum gaudentes degunt. Num sic in perpetuum degent? Num poterunt rei deprehendi? Ioseph in Ægypto est, illi nec Ægyptum nouerunt, qualiter fieri potest, vt deprehendantur, & reuelentur, & manifestentur? Nota rem mirabilem dum sic res essent, vt ad Ægyptum traheret diuina iustitia Iosephi fratres, illorúmque iniquitatem reuelaret, immisit famem per vniuersum orbem; ait enim textus: *In vniuerso orbe fames præualuit, in cuncta autem terra Ægypti panis erat.* Contumeliosi in Iosephum quærebantur, vt reuelati eius sisterentur pedibus; & vniuersa terra fame conteritur. Deus bone, contumeliosi in Iosephum pauci fratres fuerunt, quid necessum est, omnem affligere terram? Sanè, vt cogantur comparere contumeliosi in vnum iustum, & debitam deprehendi in pœnam, nil immotum relinquit Deus, etiam vniuersam terram sciuit euol-
Imperf. uere, & conterere. Pulchre tractans Imperf. homil. 25. in Matth. ait: *Quis quòd male situs in carcere fueras, quasi Propheta editus es. Vt vero pueri vindicta totus mundus fame flagellatus est.* Non æstimat Deus totum mundum affligere, vt comprehendantur, & reuelentur illi, qui in iustum aliquem contumeliosi extiterunt. De his, qui iustos oppri-
Ezech. 24. munt, dicebat Ezech. 24. *Sanguis eius in medio eius est, super limpidissimam petram effudit illum, non effudit illum super terram, vt possit operiri puluere.* Equidem, qui terrenis hominibus infestus est, dissimulare, & operire potest facinora sua meritis seu culparum terreni hominis puluere. At qui iustum & innocentem ferit, tanquam, qui in limpidissimam petram sanguinem effudit, qui nulla vnquam operietur terra, sed præ oculis omnium erit. Notissima est murmuratio Mariæ, & Aaronis aduersùs fratrem Moysem propter nuptias cum alienigena fœmina & Æthiope. Puniturus ergo Dominus hanc murmuratorem venit ad tabernaculum, quod nube impleuit, inibi arguit vehementer obiurgatores intra nubem constitutos. Quid tunc? Numer. 12. ait textus: *Iratusque Dominus contra eos abijt. Nubes quoque recessit, quæ erat super tabernaculum; & ecce Maria apparuit candens lepra, Num. 12.
sicut nix.* Expende qualiter murmuratores viri iusti non patitur latere sub nube, sed hic est quasi primus gradus diuinæ iræ aduersùs eos, quod nubes recedat, & lepra eorum appareat. Id quod notans Origen. homil. 7. in Numer. ait: Origen.
Ita furoris Domini efferitur, per eos, qui malè loquuntur, & detrahunt. Veruntamen, quod dicit, & nubes recessit, & Maria facta est leprosa, sicut nix, considerandum est diligentius, quòd prius recedit nubes, & ita lepra repletur. Ecce ira Dei super sanctorum murmuratores, prius nubem tollens, omnem illis latendi spem eripiens, deinde illorum lepram reuelans.

Text. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta.

§. IX.

Nulla in sublimitate constitutus non glorietur homo de improperijs Christi.

IMproperiorum, & contumeliarum toleratio a Christo Domino prædicata posset credi solùm tenenda esse, & obseruanda abscondité, & ab his, qui oculos hominum latent. Qui conspicui sunt, aliòque dignitatum effulgent gradu, & throno, qualiter sibi improperia, & contumelias, & cæteras vilitates vtiles esse reputabunt? Meritò ergo Saluator cauet doctrinam hanc non ad latebras tradi, sed ad solem, vt non solùm latenter, & à latentibus, sed etiam conspicue, a conspicuis, & sublimibus obseruandam. Qui thronus non magis extollatur, & glorietur improperiis Christianis? Sanè nullus sublimior thronus quàm thronus, in quo sedebit Rex gloriæ iudicaturus viuos, & mortuos. Super hunc celsissimum thronum, dum sedet Dominus, sic de se loquitur Matth. 25. *Esuriui, & dedistis mihi manducare.* Matth. 25.
Cur in tanta gloria constitutus non erubescit dicere se esuriisse? Ad rectum iudicium sufficeret notare, quid dederint homines, quod ipse esurierit, ad quid potuit esse necessarium? Quid famis memoria ad thronum? Multum equidem; gloriosissimum enim sibi putat Dominus, se è tam sublimi solio pro suis esurientem ostentare. Vnde pulchrè aiebat Chrysolog. serm. 14. *Gloriatur in cælo Deus, vnde pauper erubescit in terra, & hoc reputat in honorem sibi, quòd pauperi compatiatur in iniuria. O quid agit amor pauperis!* Quid agit? Quod Chrysol.
Dominus etiam in regali solio constitutus, etiam supra nubes leuatus non erubescat se pauperem, & esurientem prædicare; imò id sibi gloriosum æstimat, quia in eo ostenditur pauperum amator. Sic Christi discipuli quamuis in solio dignitatis sint, quamuis in sublimi, & conspicuo sedeant loco, gloriosa sibi reputent Christi improperia, gloriientúrque tales videri, & reputari, qualis visus fuit, qui cum iniquis fuit reputatus Christus. Non erubescant calumnia Christi nuditate, Christi improperiis radiare; imo hæc putentur nouam culminibus, & dignitatibus gloriam addere. Dum primus orbis Princeps Adamus creatur, an tanto sublimis solio, fulsit in auro? An erubuit nuditatem? Absit; imò nuditatis rubor illum à solio deiecit ad latebras: dum in solio erat regali, gaudebat nuditate; nec prius incepit nuditatem erubescere, quam fuerit a solio deturbatus. Re vera quisquis nuditatem Christi, & improperium erubescit, indignum se ostendit culmine, & throno Christiano, quin imò indignus est, qui in Dei oculis appareat. Rem elegan-
ter attigit D. Petrus Damianus epist. 89. fatus. *Ante vocem Petr. Dam.
serpentis, ait Scriptura, erat vterque nudus, Adam scilicet, & vxor eius, & non erubescebant. At postquam en venenata consilia callidi draconis instillauit astutia, protinus scriptum est: Cumque cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata. Audenter dicam, quia quisquis, vt compatiatur Christo, nudari vestibus erubescit, hic proculdubio serpentis verba audiuit, & quia de sua nuditate confunditur, instar primi parentis à diuinis aspectibus occultatur. Et re vera, sine dubio celatur à facie Dei, qui portare dedignatur improperium Christi.* Non se fallat, qui prætextu culminis, & solij Christianam dissimulat

nudita

nuditatem, & improperia Christi deuitat: non hoc dignitas petit, non thronus, sed serpentis sibilus; splendor enim Christiani throni ex Christiana vilitate, & improperiis commendatur. Dauid Christi pater, & animo totus Christianus, dum in solio esset regali, 2. Reg. 6. nudus prosiliit ante Dei arcam, qua nuditate incurrit mille probra, & contumelias in se ab vxore iactatas. An forsan indecens fuit tanto Regi, exponi improperiis, & contumeliis puellarum?

Ambros. D. Ambros. epist. 36. fatur: *Non erubuit Dauid fœmineas opiniones, nec opprobrium apud mulieres subire pro religionis obsequio verecundatus est. Ludebat enim Domino puer suus, & ideo amplius placuit: quia ita se humiliauit Deo, vt regale posthaberet fastigium, & vltimum exhiberet Deo, quasi seruulus ministerium.* Nihil vnquam turpe fuit culminibus, quòd Christo cessit honori; nec vllo magis dignitates illustrantur Christianæ, quam Christi improperiis. Et sanè Prælatus, aut quiuis Ecclesiæ præpositus, qui dignitatis prætextu euangelicam refugit nuditatem, à Christique improperiis abstinet, raros, aut prorsus nullos laboris sui fructus Christo afferet, nullos in Christo filios generabit. Sic Michol Saulis filia, dum viri sui nuditatem coram arca condemnat, 2. Reg. 6. sterilitatis pœna manet ipsa damnata. Ex cuius damnationis iudicio pungit D. Petrus Damianus quosdam, qui prætextu grauitatis externam pœnitentiam recusabant. Quippè ait epist. 29. Michol ergo merentur habere magistram, qui carnem suam coram fratribus perhibent non esse nudandam.

Petr. Dam. *Et quoniam isti crescentes in radice superbia, nunquam spiritualem germinant fructum, his meritò congruit, quod de illa quoque Scriptura testatur, dicens: Igitur Michol filia Saul non est natus filius vsque in diem mortis sua.* Nec qui detrectat improperia Christiana, vllos vnquam Deo filios generabit.

Text. Et nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potiùs timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam.

§. X.

Corporis mors non timenda, sed amanda, vt magnorum bonorum custos.

MEritò iubemur mortem corporis non timere, dum non potest mori anima: & quidem, dum anima non perit, dum non perditur, nihil perditur in morte corporali; imò omnia ibi amissa seruantur. De Moyse dicitur Deut. 34.

Deut. 34. *Mortuusque est ibi Moyses seruus Domini*; & mirum, quòd adeò sanctus vir in morte dicatur seruus, cùm mors sit piis, & iustis viris abolitio omnis seruitutis, & introductio

Rom. 8. in filiationem Dei. D. Paulus ad Rom. 8. de morte Sanctorum locutus sic ait: *Ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloria filiorum Dei. Non solùm autem illa, sed & nos ipsi primitias spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri.* Itaque in depositione corporis sanctis viris depositio seruitutis applaudit, & illos diuina expectat filiatio. Cur ergo Moyses in morte seruus Dei dicitur, & non magis filius? Nónne ea pollebat sanctitate, qua in morte reuelationem filiationis diuinæ potuisset expectare? Erat equidem in morte Moyses filius Dei, sed is filius, qui nihil differt à

Galat. 4. seruo, de quo sic definiebat Paul ad Galat. 4. *Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cum sit Dominus omnium, sed sub tutoribus & actoribus est, vsque ad præfinitum tempus à Patre, &c.* Homo proculdubio in morte minoratus, fitque quasi filius ætate minor, cui omnia bona auferuntur, tutoribúsque dantur, non vt ablata in perpetuum maneant, sed vt reseruentur integra perfectæ ætati. Et quis tutoris, curatorísque munus subit, in auferendis bonis, & conseruandis? Mors equidem corporis id subit munus, quæ omnia vitæ bona nobis aufert, non vt auferat, sed vt instar curatoris seruet, & custodiat, vsque dum crescamus per resurrectionem in perfectam ætatem plenitudinis Christi. Quis iam metuat bonorum amissionem, quæ per mortem accidit?

D. Ephr. Hinc pulchre D. Ephrem de Pœnitent. fatur. *Mortem curatorem facito, vt cum resurrectionis tempus aduenerit, tanquam legitima ætatis res tuas illa recipias, & tanquam infans potestatem suorum non habens, in morte abscondas, vt in resurrectione velut laborum tuorum auctor, ac dominus appareat, reddátque tibi deposita tua Deus.* Nihil amittis in morte corporis, sed & quæcumque tibi auferuntur, non auferuntur à latrone, sed à curatore, quæ integra postea restituet, cùm legitimæ ætatis factus, Dominus in resurrectione appareat. Machabæorum felicissimæ mortes dum referuntur 2 Machab. 7. dicitur: *Post* 2. Mach. 7. *hunc tertius illuditur, & linguam postulatus citò protulit, & manus constanter extendit, & cum fiducia ait; è cœlo ista possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero.* Nihil à seruis Dei morti datur perdendum, sed seruandum: quæcumque in mortis manibus deponunt, in tuto asserunt, vt integra recipiant. Hinc suborta fuit celebris quæstio de gloria horum puerorum, & gloria trium illorum, qui in Babyloniam fornacem fuerunt missi; vter triumphus maior? Quibus illorum sese Deus propitiorem ostendit? Pueros Babylonios integros seruauit, mediáque in flammanti fornace nihil corruptionis in eis permisit: Machabæos pueros ardenti sartagine siuit torreri, & penitus corrumpi. Ergo Deus minus his propitius, quàm illis? Absit, imò Machabæis propitior; vt iudex propitior ostenditur erga puerum, cui omnia bona aufert, vt sub curatoribus constituat; quam erga puerum, cui bona omnia permittit, exposita ætatis immaturæ periculis. Rem attigit D. August. serm. 110. de diuersis cap. 3. inquiens. *Quare illi ab* August. *ignibus liberati, isti ab ignibus consumuntur? Ergo illis Deus aderat, hos deseruerat? Absit; imò vtrisque affuit. Illi quidem de morte liberati sunt, sed in huius vitæ tentatione manserunt: ab igne liberati, ad pericula reseruati. Machabæi meliùs, & tutiùs liberati sunt.* Sanè melius, & tutius liberatur puer, qui sub curatoribus est, quàm qui suæ libertati relinquitur: illius bona in tuto sunt; huius in periculo. Ille videtur a seruo non differre, sed nihil seruile patitur; imò reuelabitur Dei filius, & omnia resumet. Hic videtur liber, sed in periculo est, ne sit cupiditatum mancipium, extremamque incurrat seruitutem, & omnia, imò ipsam suam substantiam dissipet. Locutus Iob cap. 3. de morte aiebat: *Paruus, & magnus ibi* Iob 3. *sunt, & seruus liber à domino suo.* Quæ verba sic Græcè sonant: *Paruus & magnus illic est, & seruus non metuens dominum suum.* Si seruus ibi est, quomodo liber à domino? quomodo non metuit dominum? Dicat, quòd iam ibi non est seruus, quòd nulla potest in morte seruitus apparere, cùm per mortem liberemur à seruitute. An manet etiam in morte seruitus aliqua? Manet equidem non seruitus seruilis, sed seruitus filialis, qua filius, dum paruulus est, sub curatoribus constituitur: hic seruus non habet iam quid timeat, & seruus est, & ab omni timore liber, cui omnia in tuto asseruntur.

§. XI.

Præstantissimi cuiusque est Dei offensam timere.

NOn omni metu vacuos permittit Dominus manere suos discipulos, totius Christianismi Principes; imò dum inanes tollit metus, quos metus habeant, docet: nimirum quòd Deum timeant, qui animam potest in gehennam mittere. Et quidem timor ne Deus offendatur, decet etiam præstantissimos. Dum Herodes in Iesum sæuiret Matth. 2. apparet Angelus in somnis Ioseph, & dicit: *Surge, accipe* Matth. 2. *puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Cur per Angelum Iesu periculum ab Herode imminens explicatur Ioseph, & suadetur fuga? Nónne Ioseph posset per homines scire odium Herodis in puerum, & timere puero Iesu ab Herode? Cur magis oportuit, quòd certior per Angelum fieret? Non Angeli passi sunt esse postremi in eo, quòd timeant offensam fieri Dei filio: decet enim semper præstantissimos, primos inueniri in timore de Dei offensa. Eleganter Chrysolog. serm. 151. inquit: *Mandatur fuga, mandatur* Chrysol. *cautius, mandatur per Angelum, vt videatur cælum timor antè tenuisse, quàm terram.* Vbi offensa Dei timetur, vbi timor est ne Iesus Dei filius lædatur, curant cœlestes spiritus primi apparere sub illo timore, vt qui deceat præstantissimos. Quid plura? Adeò timenda res est præstantissimis viris Dei offensa; vt omni corporis damno emerent liberari ab illa. Magnus ille vir, & præstantissimus Christi athleta Paulus, qui iam cœlestes mansiones triuerat, nihilominus totus sub hoc Dei timore pauidus, hoc præbet tanti timoris indicium. Quippè ait, 2. ad Corinth. 12. *Ne magnitudo reuelatio-* 2. Cor. 12. *num extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Sathanæ, vt me colaphizet.* Expende illud, *datus est mihi, &c.* sic æstimat stimulum illum, quasi magnum donum Dei: sed vnde potuit Paulus lætari de stimulo carnis, velut de dono, nisi ex timore, quem habebat, ne incurreret iactantiæ offensam? Proh sanctissimum timorem, dignum tanto Apostolo! Præclarè ad hæc D. Ambros. de Virg. lib. 3. *Illecebrosa* Ambros. *iactantia*

iactantia est, quam etiam Paulus veretur: lubrica, quæ etiam in Paulo cauetur. Sed non iste facile mobilis casu, qui reuelationibus timebat extolli. Et ideo fortassis athleta lætatur, quòd vulnere corporis emere didicerat animi sanitatem. Sanè qui sibi timebat à iactantia, à Dei offensa, non vir erat facile mobilis, non plebicola quidem erat, sed Apostolorum facile Princeps, sed magnanimus Dei athleta, cuius erat omni damno corporis emere seueritatem à Dei offensis. Fallar, si potest esse vir fortis absque hoc timore. Solebant Angeli, dum alicui apparebant, illi iubere metus deponere: sic ad Mariam Luc.1. *Ne timeas Maria.* sic ad Ioseph Matth.1. *Noli timere*; semel tamen inuenio Angelum, cum timido homine loquentem, & nihilominus nulla de timore verba facientem. Id accidit 3.Reg.19. vbi Elias timens, & fugitiuus sese tradidit somno. Quid tunc? *Ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi, surge & comede*, &c. Cur Angele non iubes priùs metus ponere; cur de more non excutis metum tanti Prophetæ à corde? D.Gregorius Papa homil.14. in Ezech. rationem reddit: *Apparet fugienti Angelus, cibum præbet, quia longum iter restat, prædicit, & tamen timorem de corde non excutit, quia in corde Prophetæ magna erat custodia fortitudinis illa infirmitas timoris.* Manebat in Elia timor non de morte corporis, quam iam appetebat, & pro qua supplicabat, sed Dei timor in illo manebat, quem non excutit Angelus, vt qui sciret robur tanti Prophetæ ad longā viam necessarium non posse manere, nisi spiritu timoris diuini firmaretur.

Gregor.

§. XII.

Potentissima ad salutem causandam æternæ flammæ memoria.

FElix homo, qui illum metuit Dominum, qui potest animam, & corpus perdere in gehennam: non enim ociosè gehennam in præsenti meminit Dominus, sed vt cuius memoria validissima sit, ad mala omnia depellenda, salutémque causandam æternam. Dum ignitis morsibus ferirentur Israëlitæ, passímque perirent Num.21. ære misso in fornacem conflauit Moyses serpentem æneum, cúmque à fornace eductum proposuit populis aspiciendū. Sed quale hoc remedium miseris pereuntibus? Quid quòd æneus serpens à fornace eductus aspiciatur, vt inde possint flammantia vulnera sperare remedia? Equidem fallar, si vel memoria æterni fornacis non possit ardentibus cupiditatum flammis afferre medelam. Ad hæc aiebat D.Ephrem de Pœnitent. *Fusilem igitur serpentem ex fornace sumpsit, vt flammam tuam in mentis corruptionem effusam reprimeret.* Quæ libidinum flamma inter ipsas medullas desæuiens non refrigeretur, vel ad aspectum fornacis illius æterni, cui præsidet serpens antiquus, serpens ille vectis? Nil mali permittit in nobis esse vna Infernorum fornacis recordatio. Psal. 54. aiebat Dauid: *Veniat mors super illos, descendant in infernum viuentes.* Nec paruam fecit quæstionem D.August. quomodo illi, super quos mors venerat, in infernum descenderent viuentes? Si mortem super se exceperunt, quomodo viui ad infernum descendunt? Sanè nulla mors, nullum malum potest offendere illos, qui viuentes norunt ad infernum descendere, æternásque angustias, vel mente perpendere. Qui sic ad infernum descendit, non mortem, sed vitam, sed vitiorum casum, sed virtutum alimoniam inde refert. Huc adducite illud Genes.42. vbi Iacob dicit suis filiis: *Audiui, quòd triticum venundetur in Ægypto, descendite, & emite nobis necessaria, vt possimus viuere.* In eo constituit spem vitæ, & alimoniæ, quòd filij descendant in Ægyptum, & sanè Ægyptus regio mortis erat pristinis sanctis, regio, inquam, angustiæ, & tenebrarum, regio damnatorum; vt inde sciremus vitam, & alimoniam nobis parare, quòd vel mente damnatorum regionem deambulemus. O qualem mercatum, quàm diuites nundinas bonorum omnium in regione damnatorum inueniet, vt sibi necessaria ad vitam comparet, qui viuus illo descendit. Pulchrè ad hæc D. Petr. Dam. serm.60. in D.Nicolaum fatur: *Totus tremo, atque horreo ad memoriam regionis istius, & concussa sunt omnia ossa mea. Illic est ignis, qui non succenditur verbis, qui non moritur, frigus horrendum. Ibi fœtor intolerabilis exoritur, percutientes mallei resonant incessanter, obtusæ tenebræ cumulatiùs indensantur. Illic confusio peccatorum, horribilis facies dæmonum, inextricabilium vinculorum fertilis multitudo. Ibi fletus & strider dentium, planctus, & gemitus, & alternantia mala impios, sine pietate discerpunt. Nihil sic va.et ad extirpandas voluptatum radices, quàm istorum memoria. Curre per has tumultuanter nundinas, vt viuens descendas in infernum, & fac sarcinam tuam odium peccati.* Felix mercator, qui viuus nouerit in regionem damnatorum descendere; mihi credat, nullos in latrones incidet, nullum spolium patietur; nec spoliatus, nec vacuus redibit. Imò plenas secū sarcinas reportabit armorum, quibus vitia detriumphet, & in vniuersas carnis voluptates desæuiat. Quis voluptates amet, post illius horrendi carceris conspectum? Nec prætermittā, quę de illa etiā regione D.Cypr. scripta dederit: is de laude Martyrij fatus, dū pœnas, à quibus per illud liberamur, expedit, ait: *Sæuiens locus, cui gehenna nomen est, magno plangentiū murmure, & gemitu, & eructantibus flammis per horrendam spissæ caliginis noctem, sæua semper incendia camini fumantis exputat: globus ignium arctatus obstruitur, & in varios pœnæ exitus relaxatur. Tunc sæuiendi plurima genera; tunc in se ipse conuoluit quidquid ardoris immissi edax flamma cruciarit. Hos, quibus recusata vox Domini, & imperia fuere contempta, dispari-bus coercet exitijs, próque merito salutis exacta vires suas suggerit, dum pars sceleris discrimen imponit. Et alios quidem moles intolerabilis curuat, alios per abruptum cliuosi tramitis collem vis sæua præcipitat, & catenarum stridentium nexum graue pondus inclinat. Sunt & quos agens strictim rota, & indefessa vertigo, & quos tenaci inter se densitate constrictos adhærens corpori corpus includat, vt & absumat incendium, & grauet ferium, & excruciet turba multorum.* Quid horribilius?

D.Ephr.

Genes.42.

Petr Dam.

Cyprian.

Text. Nónne duo passeres asse veneunt, & vnus ex illis non cadet super terram, sine patre vestro? vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo, &c.

§. XIII.

Viri iusti nihil ad perfectionem suam pertinens non recuperabunt ex morte.

REuoco in memoriam, quod §.10. suprà dedi de morte, quam habent viri iusti dominam, & curatricem, vt quæ redditura sit rationem omnium bonorum, cùm deuenerimus in perfectam ætatem plenitudinis Christi. Quid times ergo in morte? Curator est, omnia tua sub catalogo accipit, vt reddat, huic accinit præsens locus, nimirum, *vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt.* nihil tuum, nec minutissimum capillum mors recipit, cuius non reddat rationem, & integrum restituat. Ad hæc Iob cap.17. *Si sustinuero, infernus domus mea est, & in tenebris straui lectulum meum. Putredini dixi, Pater meus es; mater mea, & soror mea vermibus.* Vt suum erga mortem affectum explicaret, sufficeret, quòd putredinem patrem vocaret, patrisque loco haberet; cur & vermes matrem, & sororem appellet? Duo considerabat sanctissimus in morte, quæ illam amabilem reddebant; primum quod in præsenti per mortem omnia mala abolentur, ideóque illam patrem vocat, de cuius robore venit, quòd filij à malis liberentur: alterum quòd in futurum omnia à morte vorata sunt restituenda; ideo vermes vocat matres, & sorores: mater enim paruuli filij accipit bona, non vt pro libito fruatur illis, sed cum ratione, vt quæ illa integra redditura sit, cùm filius ad perfectam ætatem peruenerit. Nihil bonorum filij accipit mater, quod ab illa non debeat exigi, quia illud non sub proprio accipit dominio, sed in depositum, cuius rationem reddat. Sic morti, sic vermibus, sic perditioni traduntur homines iusti, velut paruuli filij matribus, non vt dilapident, & deuorent eorum substantias, sed vt omnia in depositum habeant, quòd ab eis postmodum exigetur. De quo aiebat D.Petr.Dam.epist.151. *Iā quos in gremio suo terra susceperat, quos aqua sorbuerat, quos edax flamma consumpserat, omnes quasi commissum sibi depositum reddunt: & vitæ absque vlla sui diminutione restituunt.* Tenetur equidē curator apud se deposita bona pupilli absque vlla sui imminutione reddere, vbi exiguntur: similiter vniuersæ creaturæ, quæ corruptioni hominum deseruiunt, tenentur homines integros, & perfectos restituere. Huc spectabat iustissimus Dominus Genes.9. inquiens: *Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum.* Quæ verba tractans D.Damasc.lib.4.Orthodox.cap.28. sic ait: *Quónam modo factus est Dominus, vt sanguinem hominis de manu omnium bestiarum requirat, nisi quia corpora hominum, qui mortem obeunt, ad vitam excitabit?* Dominus enim iustissimus index, pupillorum adiutor, permittit pupillos suos, iustos suos, homines

Iob 17.

Petr. Dam.

Genes.9.

mines suos, & elementorum voracitati, & bestiarum dentibus, non tamen permittit illos bestiis, aut elementis, vt hæc dominentur illorum pro libito, sed vt curatores illorum agant; veniet enim tempus perfectæ ætatis, & tunc iudex ipse pupillorum recordatus ab vniuersis bestiis, & creaturis integra suorũ corporis bona requiret. Traduntur enim morti non ad dominium, sed ad depositum, cuius rationem Tertull. reddet in resurrectionis die. Hinc pulchrè Tertull. lib. de Resurr. carnis ait. *Resurget igitur caro, & quidem integra. In deposito est vbicumque apud Deum per fidelissimum sequestrem Dei, & hominem Iesum Christum. Carnis interitum, quem putas, secessum scias esse. Non sola anima seponitur; habet & caro secessus suos, interim in aquis, in ignibus, in alitibus, in bestijs; cùm in hæc dissolui videtur, vel vt in vasa transfunditur, vt rursus ex illis præsentetur Adam auditurus à Domino: Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, verè tunc tempore mali, quod euasit; & boni, quod inuasit.* Proh felicem diem, in quo pupillarem ætatem egressi integram restitutionem bonorum omnium capiemus, absque vlla imminutione, nec minutissimi capilli!

Text. Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.

§. XIV.

Felix ille, cui nihil datur spectari, nisi Christus, in quo vno omnia perfectiùs habentur.

MAgnum equidem est hominem sese tormentis, sese crudelibus mortibus dedere ob confessionem Christi, quot retributiones parantur athletis, qui tanto in agone sanguinem effundunt? Ecce retributiones: *Confitebor & ego eum coram Patre meo.* Quantula hæc retributio ad tantos labores? Cur non magis explicantur gaudia cœlestia gloriarum coronæ, æternorum Principum consortia, Angelorum acclamationes? Cur illis omissis vna solùm Christi apud Patrem confessio asseritur? Equidem hoc ad summam felicitatem pugnantium spectat, quòd prætermissis omnibus vnum Christum habeant in optatis, habeant præ oculis. Coloss. 3. Sic monebat Paulus suos commilitones ad Coloss. 3. *Quæ sursum sunt quærite: vbi Christus est in dextera Dei sedens.* Ad terrena omnia fastidienda suffecisset sursum oculos attollere, cur insuper addit illud, *vbi Christus est?* Non sufficit ad perfectam, & penè interminabilem, & inconcussibilem felicitatem, quòd cœlestia spectes, sed quòd vnum Iesum Chrysost. spectes. Id quod acutè notans D. Chrysost. hom. 13. ad Pop. ait: *Propterea nos admonet, dicens: Quæ sursum sunt, quærite. Quæ sursum sunt, qualia dicis, dic mihi? Vbi Sol, vbi Luna? Vbi Angeli, & Archangeli? Vbi Cherubim, & Seraphim? Non inquit. Sed vbi Christus est in dextera Dei sedens.* Non te plenariè felicem putes, dum aliquid aliud, siue terrenum sit, siue cœleste, spectes præter Christum. In hoc vno plenaria felicitas iustorum nititur; aiebat enim Isai. cap. 1. *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis.* Quæ terræ bona hæc, quæ promittuntur sanctis, nisi bona Christi? Christus est terra sublimis in dextera Dei residens: Christus est terra fluens lac, & mel, quæ veris Israelitis promittitur, nec illis decorum esset, quòd aliud spectarent præter hanc terram Chri-Tertull. stum. Acutè & eleganter in temporales homines Tert. lib. de resurr. carnis ex hoc loco dicens. *Felix nimirum fides, si ea consecutura est, quibus hostes Dei, & Christi non modò vtuntur, sed abutuntur; ipsam creaturam colentes aduersùs conditorem. Bulbos, & tubera in terra bona deputabis, Domino pronuntiante, ne in pane quidem victurum hominem. Sic Iudæi terreno solummodo sperando, cœlestia amittunt, ignorantes, & panem de cœlesti repromissum, & oleum diuinæ vnctionis, & vinum spiritus ex vite Christi.* Pulchrè doctor iste irridet felicitatem fidelis hominis, si aliud spectaret præmium laborum suorum præter Christum; quidquid enim præter Christum est, commune est etiam infidelibus, & Dei hostibus, solùm quod pertinet ad Christum reseruatur, vt proprium præmium fidelibus iustis, quorum plena est, & inconcussibilis felicitas. Et cur non erit horum plena felicitas quando in vno Christo pleniùs, & perfectiùs omnia possideant? Apud Matth. c. 17. dum supra Thaboris verticem transfiguratus est Iesus, simul apparent in gloria Moyses, & Elias colloquentes eum Iesu: tunc lucidissima nubes adest, ex qua vox Patris sonat, quorum gloriæ impares discipuli concidunt, & paulisper diuino tactu recreati, dum aperiunt oculos, *neminem viderunt, nisi solum Iesum.* Paulò ante & Moysem, & Eliam gloriosos, & nubem lucidam viderant, nunc neminem vident, nisi solum Iesum, & aliorum perdunt conspectum? Absit, imò nunquam magis illis gaudent, quàm dum vno solo gaudent Iesu, in quo meliori conditione cætera vniuntur. D. Chrysost. hom. 31. in Marc. ait. *Tres perdentes, vnum inuenerunt. Imò, vt amplius dicam, in vno tres repererunt. Magis enim reperitur Moyses, & Elias si in Christo conglabantur.* Chrysost. Felix, qui vnum habet Christum, quem solum aspiciat, in quo vno magis omnia habebit, nunquam enim regibus magis fruetur, quàm dum nullis fruitur, quæ non sunt Christi. Quò refero illud D. Hier. de Nepotiano dictum in eius epitaphio, Hieron. nimirum. *Nepotianus meus, tuus, noster, imò Christi, & quia Christi, ideirco plus noster.* Nulla equidem magis nostra, quàm quæ nobis sunt in vno Christo. Vide infra §. 23.

§. XV.

Non publices statim omnia laudabilia, quæ in te sunt, etiamsi in tuas laudes descendere cogaris.

ACutè in præsenti notat Maldonatus noster Christi Domini modestiam, & humanitatem, qui dum ait: Confitebor & ego eum coram Patre meo. se quasi testem facit, cum sane futurus sit iudex in dextera residens Patris. De iudice tacet, de teste loquitur, vt hanc eius ebibamus modestiam, eius asseclæ, & etiam cùm liceat laudabilia de nobis euulgare, non statim summa, non statim omnia, sed quasi, qui ægrè, & difficulter aliquid promit, semper minima promamus. D. Paulo Iesu perfectissimo discipulo necessitas fuit aliquando de se laudabile quid promere, 2. ad Cor. c. 12. 2. Cor. 12. & post narratum quanta potuit modestia raptum illum celebrem in tertium cœlum, ait: *Pro huiusmodi gloriabor, pro me autem nihil gloriabor, nisi in infirmitatibus meis. Nam etsi voluero gloriari, non ero insipiens, veritatem enim dicam; parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me.* Itaque in laudes suas descendit Apostolus, & dum vnam solam reuelationem meminit, statim de his tacet, nec alias explicare vult. An illam solam reuelationem habuit? Absit: plures alias habuit, & illustriores, verum modestus, & humilis vir non omnia effundit laudabilia, contentus plurimis prætermissis, vnum quid euulgare. Pro quo D. Chrysost hom. 5. de Chrysost. laudibus Pauli ait: *Hic autem omnibus maius est, quia necessitate cogente, non vniuerso fudit in medium, sed plura etiam, & maiora celauit. Veniam, inquit, ad visiones, & reuelationes Dei: parco autem, ne quis de me existimet supra id quod videt. Hoc verò dicendo nos erudit, vt ne existente quidem necessitate, omnia, quorum nobis conscij sumus, in medium proferendo vulgemus, sed ea solùm, quæ audientibus vtilia indicamus.* Maximum est, quòd homo suas laudes occultet, suas virtutes celet: sed id longè maius, quòd vbi necessitate cogente aliquid laudabile exerendum est, sic nouerit necessitati seruire, vt vltra id quod sufficit, nec vnum alterum laudis verbum proferat. In hoc etiam mirabilis extitit Samuel 1. Reg. 12. vbi pane- 1. Reg. 12. gyrim pro se apud populum faciens, ait: *Loquimini de me coram Domino, & coram Christo eius, vtrum bouem cuiusquam tulerim, aut asinam: si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cuiusquam munus accepi, & contemnam illud hodie, restituamque vobis.* Hæc de se loquitur Samuel, præter hæc nil aliud dicit: sed non habet Samuel alias virtutes? Habebat equidem plures, & longè illustriores, & præstantiores, vtpote vir castissimus, spirituque Dei plenus, iniuriarum prorsus immemor; sed illa solùm exprimit, quæ ratio temporis postulabat, vt erudiretur recens creatus Princeps. Ad hæc Chrysost. suprà ait. Chrysost. *Non enim super decore pudicitiæ, neque de abstinione locutus est Samuel iniuriæ, sed super tali re quadam, quam præcipuè discere regem illius temporis oportebat, id est, de conseruanda integritate iustitiæ, & manibus abstinendis à muneribus.* Nec minor his sese ostendit Dauid, adhuc puer, sed miris ornatus Dei muneribus: is dum oues patris pascit pro tuenda grege, non dubitat sese leonibus, & vrsis opponere; dum apud Regiam viuit, 1. Reg. 16. 1. Reg. 16. sic psallebat, vt fugaret spiritum malum à Saule. Quid tunc? Hic tantus, ac talis iuuenis, quem propter dicta non dubitant serui regis vocare fortissimum robore, & virum bellicosum, & prudentem in verbis; hic, inquam, talis iuuenis, dum se apud Saulem commendaret, vt sineretur aduersùs Philisthæum exire sic ait cap. 17. *Pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat leo, vel vrsus,*

& tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam, &c. Et quidem maius erat virtutis signum, quòd vel citharæ pulsu fugaret malignum spiritum, quàm quod percuteret leonem, aut vrsum; cur ergo quod maius est prætermittit, & minimum publicat. Sufficiebat ostendere se cum leonibus pugnasse, vt crederetur ei pugna, cum Philisthæo à Saule, ideo vir modestus, & humilis à maioris facinoris publicatione abstinuit, dum explicat sufficiens. Id
Chrysost. quod notans D.Chrysost. suprà inquit. *Dauid etiam glorians de eis vtique gloriabatur, quæ emendare auditorem valerent. Neque enim de se, aliam commendauit ille virtutem, sed vrsum, & leonem adduxit in medium, atque aliud prorsus nihil.* Sic verè humiles, & modesti viri, etiam vbi ad proprias laudes descendere necessitate aliqua vrgentur, quantum minima possunt prædicant, maiora semper, & illustriora obtegentes.

Text. Nolite arbitrari, quia pacem veni mittere in terram, non veni pacem mittere, sed gladium.

§. XVI.

Salutaris sit, qui gladium portat.

FErreum putas Iesum, qui exultat in gladio, vt quasi in virga ferrea suos moderetur asseclas; apage, non est meus Iesus ferreus, sed totus suauis, totus salutaris, ideo il-
Cassiod. li à patre gladius traditur. Equidem aiebat Cassiod. 6. lib. 1. *Tutò illi commissa est potestas necis, qui fuerat author salutis.* Tutissimè ergò Iesus meus humanæ salutis author gladium ostendit, nec in iam salutari manu gladius potest efficere aliquid non salutare. Mihi credite, tradit Deus gladium non
Num. 22. illi, qui perdat, sed qui saluet. Ariolus ille Balam Num. 22. valdè iratus in asinam suam, quòd corruisset, ait: *Vtinam haberem gladium, vt te percuterem*, & valde miror, quòd non haberet iste gladium, cùm iret inter armatos, vocabatur enim ab exercitu Moabitarum, vt malediceret exercitui Israëlis; & cùm iter ageret circa hos duos validissimos exercitus, gladium secum non portat? Cur miser non tibi magis caues à tot armatis militibus? Cur vel ex necessitate, aut occasione temporum gladio aliquo non accingeris? Rem attigit Philo lib. de Cherub. inquiens. *Gratia maxima conditori, qui sciens imprudentiæ rabiem, non dedit tanquam furenti gladium, ne quoscumque obuios magna clade conficeret.* Huc spectare solet conditoris nostri prouidentia ne gladius conceditur, nisi à quo salus possit sperari. De filio Dei locutus
Psal. 44. Dauid Psal. 44. ait: *Speciosus forma præ filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime.* Cur petit Dei filium gladio accingi? Priùs viderat illum humanum, gratiosum, benedictionibus plenum, & meritò amat gladium accingi ab illo, à quo tot gratiæ, tot benedictiones,
Paschas. tot salutes possunt dimanare. Præclarè D.Paschas. ibi: *Hinc quoque post egregiam formam decoris, post gratiam diffusam in labijs, post benedictionem perceptam æternæ hæreditatis, imperatur à patre, vt accingatur gladio suæ fortitudinis, ad vltionem inimicorum, ad reprehensionem contradicentium, ad conseruanda rerum omnium iura, vt in pace sint omnia.* Non aliter summus conditor amaret gladium videre, nisi in latere eius, qui simul gratiis, & benedictionibus perfundebatur, vt hominibus pacem inferret, & salutem. Numquam sine salute gladius potuit Deo prorsus amabilis existere. Vnde cùm Dominus iubebat à suis gladios emi, accesserunt discipuli dicentes, se duos habere gladios, quibus ipse respondit Luc. 22. *Satis est*, quasi non esset gladius vnus; sed cur non esset satis gladius vnus, nisi vt in duobus explicarentur duo officia, quæ Deus in gladio requirit. nimirum, & rescissio mali, &
Idem. illatio salutis? Pro quo D.Paschas. lib. 12. in Matth. inquit. *Discipulis Christi, nec plus sunt necessarij, quàm duo gladij, nec minùs habere congruit. Vnum in verbo, quo feriatur quisque, vt viuificetur: alterum, quo vitiscatur omne scelus.* Itaque numquam Christianus potuit Deo placere, nisi de socio salu-
Bernard. te; ideo suum Eugenium monebat D.Bernard. lib. 4. de consider. *Nunc verò arripe gladium, qui tibi ad feriendum creditus est, & vulnera ad salutem, si non omnes, si non vel multos, certè quos possis.* Hoc nunquam permittendum, quòd Christianus gladius non spectet ad salutem.

§. XVII.

Vbi gladius, ibi & erit Iesus.

NOn mittit Iesus gladium in terram, & in cœlo ipse mãsit, sed cum gladio descendit ipse, & venit; nec gladius missus fuit, quin Iesus venerit. Inde iam felices compellabo eos, qui gladij experiuntur incommoda, certissimè etiam experientur Iesu gratias, & suauitates. Sap. 18. Ægy- Sap. 18.
ptiorum memorans strages: *Omnipotens sermo tuus Domine exiliens de cœlo, à regalibus sedibus durus debellator in mediam exterminij terram prosiliuit, gladius acutus insimulatum imperium tuum portans, & stans repleuit omnia morte.* Ecce tibi gladius in Ægypto, & quidem durissimus & acutissimus gladius, cui omnia repleuit morte. Num venit in Ægyptum solus hic durissimus gladius? Absit, sed & Iesum audio venisse in Ægyptum; ait enim Matth. 2. *Accipe puerum, & matrem* Matth. 2.
eius, & fuge in Ægyptum. Cur puer Iesu fugis in Ægyptum? Cur non magis in Iudææ montana repetis iter? Ibi Ioannem etiam latitantem inuenies, qui exultet in aduentu tuo; cur mauis ire in regionem adeò ignotam? Iuerat illò priùs gladius acutus omnia replens morte, & mille plagis mortificans, & quò iuerat gladius, non poterat non venire quàm primum Iesus. Imperfectus hom. 2. in Matth. Imperf.
apud Chrysost. ait. *Recordatus Dominus, qui non in finem irascitur, quanta mala fecerit super Ægyptum: ideò mittit filium suum in eam, & dat illi magnæ reconciliationis pignus, & perpetuæ amicitiæ pignus, vt decem plagas Ægypti vna medicina sanaret.* In Ægyptum præmiserat Deus gladium, præmiserat plagas, & eò festinat mittere Iesum, qui cùm solus sit, non potest abesse ab eo, cui gladius plagam infert. Id nouerant Iudæi captiui Oseæ cap. 6. dicentes, *Ipse cepit,* Osea 6.
& sanabit nos: percutiet, & curabit nos. Siue, vt expressiùs apud Græcos habetur: *Ipse percussit, & medebitur nobis. Feriet, & curabit vulnera nostra. Sanabit nos post biduum. Tertia die surgemus, & quæremus coram ipso, & cognoscemus.* Ecce tibi simul & percussio, & medela, vulnus & salus: gladius feriens, & Saluatoris manus, qui vel per hoc præsens agnoscitur. Sed cur non magis distat à vulneribus inflictis ipsa curatio? Theophylactus ait: *Propter facilitatem hoc dicit, quia non indiget diutina circuitione Deus ad curam; verùm accumulatam statim exhibebit sanitatem. Nam percussæ naturæ iniecit filium suum, seu curationem.* Vbi gladius incipit sæuire, nósque percutere, non diu medicus, & saluator morabitur, iam paterna Dei viscera medelam parant, & filium suum vnigenitum mittit post percussionem gladij. Huc spectabat Paulus ad Rom. 5. *Lex autem subintrauit, vt* Rom. 5.
abundaret delictum; vbi autem abundauit delictum, superabundauit gratia, &c. Itaque primùm lex introducta est, & post legem statim Iesus author gratiæ; sed cur necesse fuit priùs legem intrare? Nimirum lex gladius erat, vulnera infligens, & patentia faciens iam inflicta, & sic non miror, quòd statim Iesum traheret, qui non potest non venire post gladium. Chrysol. ser. 112. *Venit lex, vt gladio præceptorum velut* Chrysol.
apostema longi temporis aperiret, & collectam diu saniem salutaria subinde siccaret effusio. Venit ergo medicus, & iam fesso curu, & curationum vexationibus solius verbi authoritate subuenit. Præmissus fuit legis gladius, qui sensibilia externa feriret, affectus carnis percuteret, imò resecaret, & vbi tantus sentiebatur iam gladius; ecce tibi Iesus medicus adest, qui minimè adesset, nisi priùs sensibilium sectio extitisset, & percutiens gladius. Querebatur Iacob apud vxores suas fatus Genes. 31. *Video faciem patris vestri, quòd non sit erga mè* Genes. 31.
sicut heri, & nudius tertius: Deus autem patris mei fuit mecum. Cùm secum Deum experiretur, causabatur Iacob, quòd sibi infensum socerum sentiret, & prorsus contrarium. Et cur Deus fauet, & adest, cui Labanus contrarius est? Sanè necessum erat, vt qui Deum sibi præsentem sentiret, & soceri inimicitiam experiretur; non enim Deus adesset, nisi priùs sensibiliũ sectio inueniretur. Id quod pulchrè notat Philo lib. Quòd deterius potiori insidietur, vbi sic ad verba loqui-
tur: *Atqui ideo Laban erga te malè affectus est, quia Deus tibi* Philo.
fauet: nam in quacumque anima externum istud sensibile honoratur tanquam bonum maximum, in ea Deus non inuenitur: in qua autem Deus obambulabat, in ea bonum externum sensibile non relinquitur. Hoc sit tibi signum aduenientis iam Dei, si sensibilium sectio, si gladius præcesserit: solent enim mundiales reges, in maiestatis, & dominij sui ostentatione Principem ante se præmittere, qui gladium strictũ portet, adeò vt ex gladio signum habeatur regis accedentis: sic Rex regum, & Dominus dominantiũ accedere ad nos monstratur,

ex præmisso gladio, qui semper venit ante faciem eius. Quò forsan spectabat Habacuc c.3. dum triumphalem Domini gressum depingit, aiens: *Splendor eius, vt lux erit, cornua in manibus eius: ante faciem eius ibit mors.* Quasi Dei anteambulo sit gladius sensibilia secans: vnde Dauid Psal. 67. *Iter facite ei, qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.* Nescit Dominus ambulare, nescit ascendere, nisi priùs occasus præcedat: quocirca monet D.Hieron. lib.3. in Amos cap. 6. *Nisi enim mala opera in nobis occiderint, Christus non ascendit super nos.* Itaque tunc in nobis Deus erit, cùm gladius fuerit, cùm præcesserit sectio. De hoc etiam lib.2.c.10. §.13.& alibi.

Habac.3. Psal.67. Hieron.

§. XVIII.

Gladius non in iustos, sed in peccatores desæuit.

Miror quòd Dominus dicat se venisse, vt gladium mittat in terram, cùm potiùs videatur venisse, vt gladium excipiat in se à terra missum. Sanè Zach.13. ait: *Framea suscitare super pastorem meum, & super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum.* Gladius ergo, & framea Iesum petit, Iesum percussit; cur non dicit Iesus, quòd venerit sustinere gladiũ, pati vulnera, sed potiùs, quòd venerit gladium in terram mittere? Nónne magis in se adactos gladios vidit? Equidem, qui sanctitate, & iustitia florebat, non tam in se gladium patitur, quàm in terram dimittit; nunquam eius gladius à iustis in peccatores non resiliuit. Minimè viri iusti iacula excipiunt, sed à se dimissa in terrenos peccatores faciunt resilire. Quam veritatem ipse Seneca videns lib.2. de iniuria non cadente in Sapientem, ait: *Tam citra sapientem omnes terrenorum impetus deficient, quàm quæ neruo tormentisve in altum exprimuntur, cùm extra visum exilierunt, citra cœlum tamen flectuntur.* Quis nesciat cœlum nullas excipere in se sagittas, sed vniuersas à se in terram dimittere? Sic prorsus iustus, & sapiens vir non gladio periit; vtpote à quo gladij in terrenos peccatores ingenti vi reflectentur. Crudelibus hostibus tradidit Iesum Iudas: ferebatur iam innocentissimus agnus in victimam Matth. 27. *Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quòd damnatus esset: pœnitentia ductus retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, & senioribus, dicens: Peccaui tradens sanguinem iustum.* Quid tunc? *Proiectis argenteis in templo, & abiens, laqueo se suspendit.* Cur sic præceps se miser homo dedit in necem? Cur non magis expectauit Dei misericordiam? Nónne paulò antè Iudæorum cohorte cinctus dicebat illud Sap.2. *Circumueniamus iustum, mittamus lignum in panem eius?* Cur qui circumuentionem parabas iusto, lignúmque mittebas in eum, nunc iusto parcis, & curris ad suspendium? Necessum erat, vt quod mittebatur in virum iustum lignum, ab illo dimitteretur in terram, id est, vt opprimeret peccatorem terrenis deditum. Præclarè D.Leo serm.3. cum Iuda hæc loquitur. *Cur ô Iuda de Iesu bonitate diffidis, qui te à corporis, & sanguinis sui communione non repulit? Sed homo inconuertibilis, spiritus vadens, & non reuertens, cordis sui secutus est rabiem, & stante diabolo à dextris eius, iniquitatem, quam in sanctorum omnium armauerat caput, in suum verticem retorsit.* Immissum in Iesum lignum, non Iesum, sed recidens in terram funditus Iudam perdidit: sic necessum est, iacula in viros iustos emissa, in terrenos homines, & peccatores retorqueri, dimitti. De illo primo homicida dicitur Gen. 4. *Consurrexit Cain aduersùs fratrem suum Abel, & interfecit eum.* Philo autem lib. Quòd deterior potiori insidietur, legit *interfecit ipsum*, quibus verbis putat latere aliquam æquiuocationem, propter illud pronomen *ipsum*. quod etsi videatur referre Abelum, nihilominus etiam potest referre ipsum percussorem Cainum, vt qui non tam Abelo, quàm sibi manus apparcat intulisse. Quippe ait: *Insurrexit Cain in Abelem fratrem suum, & interfecit ipsum. prima quidem specie Abelem occisum subindicat: sin autem diligentius rem expendas, ipsum Cain à se ipso. Proinde sic legendum: Insurrexit Cain, & occidit seipsum, & non alterum.* Meritò putat sapiens vir, sic in veritate calamitatem mutari, vt quæ videbatur iusto viro illata, minimè iustum afficiat, sed ab illo in terrenum peccatorem dimissa appareat. Quis iam numeret gladios in Dauidis regnum venientes? Quis mortes percenseat & filiorum eius, & subditorum? Vidit ipse aliquando in manu Angeli gladium, cuius ore tota penè ciuitas regia vorabatur, sic habes 1. Paral. 21. *Leuans Dauid oculos suos, vidit Angelum Domini stantem inter cœlum, & terram, & euaginatum gladium in manu eius, & versum contra Hierusalem.* Quid gladius erat in manu Angeli, tam vorax, tam sæuus in Dauid? Nullus alius erat, quàm gladius, quo Dauid interfecerat Vriam; ille idem gladius, qui a Dauide in Vriam fidelem, & pium hominem fuerat directus, vt Vriam tetigit, mutatus est, & prorsus conuersus, vt Dauidis regnum vastaret. Ad hæc D.Chrysost. hom.45. ad Popul. fatur. *Cum Dauid Vriam affecit iniuria, mutatus rursum est ordo: & infirmitas quidem ad eum, qui patrauit iniuriam: virtus autem ad iniuriam passum transiuit. Mortuus enim ciuitatem populabatur; & ipse quidem licèt rex esset, & viuus, poterat nihil: ille verò miles tantùm & iugulatus omnia illius subuertit.* Sic gladij in homines iustos addacti mutantur, & conuertuntur in peccatorum malum: & iustus, qui videtur oculis insipientium gladio cadere; tunc quasi potentior factus gladium illum à se dimittit, quo terrenos homines populatur.

Zach.13. Seneca. Matth.27. Sap.2. Leo. Genes.4. Philo. 1 Par.21. Chrysost.

§. XIX.

Pax Christiana in bello aduersùs vitia consistit.

Cvm alibi audis pacem allatam à Iesu hominibus, non putes pacem illam mundanam esse, quæ gladium ponit, vniuersáque fastidit arma. Minimè hanc pacem amat Iesus, sed pacem, quæ viuat gladio, hoc est, quæ nunquam arma deponat aduersùs vitia, & peccata, nullum cum his fœdus habeat. Nunquam enim Deus nouit pacem non armatam, non præcinctam gladio aduersùs vitia. Hoc quia non satis calluerat Ier. c.4. putabat se à Deo deceptum in promissione pacis, quia nunquam plures in se expertus fuerat gladios. Ait enim: *Heu, heu, heu, Domine Deus, ergo ne decepisti populum istum Hierusalem, dicens: Pax erit vobis? Et ecce gladius peruenit vsque ad animam.* Expectabatur promissa à Deo pax, & ecce tibi apparet gladius omnia perdens, omnia secans vsque ad animam pertransiens. Quid ergo, deceptio fuit in promissione? Absit: imò tunc adimplebatur perfectissimè promissio diuinæ pacis, cùm sæuiebat gladius, pax enim, quæ à Deo venit, non inermis est, & desidiosa, sed armata, sed belligerans, & funditus debellans peccata. Ad hæc aiebat D.Hieron. *Nisi gladius præcesserit, qui desecet vitia, pax, & promissio non sequitur.* Nunquam Christiana pax sine gladio, qui desecet vitia, qui bellum inferat voluptatibus: vbi Christiana pax vigere debet, necessum est, quòd gladius vigeat. Siquis alius, Isai.c.2. pacem à Iesu introductam depingit pacatissimam; & tamen ait: *Ecce iudicabit gentes, & arguet populos multos, & conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces. Non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltrà ad prælium.* Pacifici Christiani non tollent gladios, sed qui erant præ manibus, vt proximos percuterent, ponuntur in aratris, vt terram scindant, terrenas, & carnales cupiditates proscindant. Non tanta erit pax, quæ vacet à ferro, quæ vacet à gladij vulnere; sed quæ ferrum, & gladios in ea vulnera dirigat, quæ diuites afferant fructus. Id quod innuens D.Iren. lib.4. cap.67. ait: *Aratrum quidem ostendit; lignum copulatum ferro, & sic eius expugnauit terram.* Cùm videris in Christi regno cessare bella, pacem introduci; ne putes in totum gladios, & spicula ferri quiescere, sed mutari: manent quidem in Christiana pace spicula, manet ferrum, quod vulnus terrenis cupiditatibus infligat, vt inde fructus salutares exurgant. De hoc plura habes suprà lib.5. cap.4. §.6. & lib.6. cap.6. §.38.

Ierem.4. Hieron. Isai.2. Iren.

Text. Veni enim separare hominem aduersùs patrem suum, & nurum aduersùs socrum suam: & inimici hominis domestici eius.

§. XX.

Dei Spiritus malè audit apud cognationes carnales.

Qvi verè homo est, belluinósque à se mores depellit, diuino correptus spiritu, nullorum prius offensionem incurrit, quàm domesticorum, habent enim hoc quasi fatum carnales cognationes, vt primò in Dei spiritum insurgant. Vix sese Dominus Iesus in lucem dedit, & ecce vobis; & patriæ ciues, & cognati armantur in illum adeò, vt Ioann. cap.1. asserat: *In mundum venit, & sui eum non receperunt.* ad homines quidem filius Dei accessit, & in illum continuò excitantur cognatorum turbæ. Proh clarissimum diuini spiritus testimonium, quòd malè audiat apud carnales cognatos suos! Hinc Iesu passionem à cæteris D. Zeno distinguit serm. 3. de Fidei veritate, inquiens: *Non hodie mihi ad vos fratres sermo est de humanis gestis, ac meritis: nec Daniel inducitur*

Ioann.1. Zeno.

inducitur inter frementium leonum rabidos rictus intrepidus cœlesti prandio satur: nec Ionas inter æstuantes procellis, solicitique maris fluctus insanos tutior aluo piscis, quàm alueo nauis: nec tres pueri, quo ardere deputabantur incendio, de suis incensoribus vindicati: sed de Domino nostro, quem proh nefas, venerantur externi, sui carpunt. Expende, qua descriptione designet Dei filium, nimirum, quem venerantur externi, sui carpunt: quippe vix Dei spiritus aliquem implet, quem non persequantur carnales propinqui. Accipite Dauidem puerum postquam inunctus est, postquam Domini Christus factus est, accessit ad exercitum Saulis, percipit blasphemias Philisthæi, sciscitatur de præmio oblato pro Philisthæi capite, quasi ipse auderet illud auferre. Quid tunc?
1.Reg.17. Sic habes 1.Reg.17. *Quod cùm audisset Eliab frater eius maior, loquente eo cum aliis, iratus est contra Dauid, & ait: Quare venisti, & quare dereliquisti paucùlas oues illas in deserto? Ego noui superbiam tuam, & nequitiam cordis tui: quia vt videres prælium descendisti. Et dixit Dauid: Quid feci? Nunquid non verbum est? Et declinauit paululum ab eo ad alium, dixitque eundem sermonem. Et respondit ei populus verbum, sicut priùs. Audita sunt autem verba, quæ locutus est Dauid, & annuntiata in conspectu Saul.* Itaque Dauid totus Dei spiritu plenus, & in virtute Christi audet, cum immanissimo Israëlis hoste confligere: Dauidis verba excipit frater eius maior, & ira correptus Dauidem maledictis, & opprobriis affligit, ab ausísque deterrere nititur: sed & alij milites verba Dauidis audiunt, quæ statim Regi deferunt, & Dauidem ad Regem introducunt. Sic qui spiritu diuino
Chrysost. agitur, à suis semper affligitur. Rem ponderans D.Chrysostomus in Psalm. 50. inquit. *Iterum æmuli, iterum fratres, nos, inquiunt, scimus superbiam, & malitiam cordis tui. Fratres zelantur, & extranei introducunt ad Regem.* Et quando fratres, & carnales cognati infesti non sunt his, qui aguntur spiritu Dei? Fallar si spiritum Dei in homine suo existentem non amplius insectentur propinqui, & domestici carnales. Post Dauidis victoriam, cùm audiuit Saul illius laudes à puellis decantari, aliquam cœpit habere offensio-
1.Reg.18. nem; ait enim textus 1.Regum 18. *Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat Dauid à die illa, & deinceps.* Sed Dauid continuis facinoribus, sic Regis animum deuinxit, vt ab eo acciperet filiam in coniugem. Quid plura? Saul dat filiam Dauidi, eiúsque fit pater, nunquid inde non lenius se habuit erga adeò sibi propinquum iuuenem? Do verba textus de
Ibidem. hac re agentis: *Dedit itaque Saul ei Michol filiam suam vxorem. Et vidit Saul, & intellexit, quòd Dominus esset cum Dauid, Michol autem filia Saul diligebat eum. Et Saul magis cœpit timere Dauid, factúsque est Saul inimicus Dauid cunctis diebus.* Supra puellarum cantus pro Dauide audiens Saul irascebatur, & dum tot inuidiæ causæ adessent, non sic affectus fuit Saul in Dauidem, vt inimicus eius diceretur; sed solùm dicebatur, quòd Saul non rectis oculis aspiciebat Dauidem; modò apertè dicitur Saul factus inimicus Dauidis. Cur modò magis inimicus? Cur manifestius odium concepit? Crediderim causam insinuatam à textu, dum incipit: *Dedit itaque Saul ei Michol filiam suam vxorem, & vidit Saul, & intellexit, quòd Dominus esset cum Dauid.* Antea extraneus erat Saul, nullo propinquitatis gradu Dauidi alligabatur, & sic non multum irascebatur in eum: modò socer factus dum cognationem carnalem habet, & intelligit Spiritum Domini esse cum Dauid, quasi impatiens sui, vehementiori, & apertiori odio illum persequitur. Sic carnales cognationes maiora excitant odia in
Athanas. Dei seruos. Pulchrè alio datus D.Athanasius homil. de semente, ait: *Heu mihi qualis tentatio inuidiæ! insidiatur ei, quem in generum accipit, nec filiæ parcendum putat, vt per speciem magnificæ affinitatis, filiæ marito insidietur.* Et quidem pessimus vir à cognatione carnali maiora in Dauidem odij fomenta quærebat; solent enim tales cognationes ad insidias, & odia paratiores esse, præcipuè aduersùs Dei seruos Id quod notauit Tertullian. in morte Abelis, qui dum cernitur per sacrificium Deo placuisse, sibíque cœlestia omnia propitia habere, lethale statim fratris odium
Tertull. expertus est. Quippe ait ille lib. aduersùs Gnosticos: *Statim vt Deus coli cœpit, inuidiam religio sortita est. Qui Deo placuerat occiditur, & quidem à fratre*; vt iam inde ostende-
Deut 10. retur cognatio carnalis seruis Dei infensa. Ideo Deuter.10. de Deo dicitur, *Qui amat peregrinum, & dat ei victum.* Vbi
Philo. legit Philo: *Qui amat aduenam, &c.* Et cur sic Deus inclinatur in aduenas? Causam reddit ipse Philo, lib. de creatione Princip. *Amat aduenam, quia cognatos, quos solos aduocatos habere poterat, inimicos sibi infensissimos reddidit, postquam se ad veritatem, & vnius numinis cultum transtulit.* Eo ipso, quòd te dedas sequendæ veritati, quòd virtuti operam naues, cognatos habes in hostes infensissimos commutatos.

§. XXI.

Deus neque vmbram dissidij inter coniuges affert. Quod à furtiua leuitate vxoris causari solet.

QVi tot separationes in mundum se attulisse gloriatur, adeò, vt separet hominem à filio, socrum à nuru, matrem à filia;de marito ab vxore separando, vel è contra, non facit verbum; ne coniuges semel à Deo iuncti, vllo prætextu separationem meditentur. Moyses Deut.33.sic de Deut.33.
Leuitis loquitur: *Qui dixit patri suo,& matri suæ:Nesciu vos; & fratribus suis: Ignoro vos; & nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum,& pactum tuum seruauerunt.* Et quidem omnes hi vxores habebant,& tamen cùm laudentur, quòd parentes, & fratres,& filios negauerint prætextu seruiendi Dei; nullo prætextu dicuntur reliquisse vxores suas, quas sanè non amat Deus à maritis relinqui. Ad hæc Rup. lib.3. Rupert.
in Genes.c.38.ait: *Cum, inquam, hæc dicit sancta lex, notandum quòd solùm vxorem præterit, quia videlicet patrem, & matrem, fratres, & filios nescire licet ei, qui custodire eloquium, & pactum Dei cupit, & quamquam reclamantes, vel inuitos, relinquere iure licebit; sola autem vxor est, quam nisi volentem, & idem propositum amplectentem, dimitti fas non est.* Meritò vbi lex diuina loquitur de separatione, etsi omnium cognationum vocabula sub illa percenseat, de sola vxore nec verbum facit; vt qui inter coniuges nec separationis voculam amet audiri. Quò spectabat illud D. Pauli consilium 1. ad Cor.7. *Alligatus es vxori? Noli quærere solutionem.* quasi hæc 1.Cor.7.
sit summa coniugatorum perfectio,quòd sic in Domino copulentur, ne vlla dissidij, separationísve inter illos appareat occasio. Apud Luc. c.1. parentum Ioannis coniugium, Luc.1.
meritò de omnigena inseparabilitate laudatur: ait enim, *Fuit in diebus Herodis Regis Iudææ Sacerdos quidam nomine Zacharias, ex vice Abia. Et vxor eius ex filiabus Aaron. Erant ambo iusti apud Deum.* Expende quod dicit, *erant ambo iusti apud Deum*,quasi nihil coniugij placere Deo potuisset,quod in ambobus non existeret, nihil erat illis diuersum, nec vlla apparebat causa dissidij.Quæ verba sic tractat D.Chry- Chrysol.
sol. serm.91. *Ambo iusti, quia in ambobus vna iustitia. Quia sexu dispares, pares meritis habeantur. Quia vt erat in ambobus vna caro, sic erat in duobus vnus spiritus.* Nec coniuges dicerentur apud Deum iusti, nisi tam arcto, & indissolubili concordiæ,siue vnitatis vinculo fuissent coniuncti.Quippe à Deo nihil proficiscitur, quòd possit coniugibus afferre causam dissidij. Vnam caueat vxor fornicationis causam, quæ sola quantumuis occulta, reddit maritum discordiæ seminatorem, & dissidij. Quis homo mitior, & mansuetior ex natura sua, quàm Iacob? De hoc tamen habes Genes. 31. *Tuméusque Iacob cum iurgio ait: Quam ob culpam* Genes.31.
meam, & ob quod peccatum meum sic exarsisti post me, & scrutatus es omnem supellectilem meam? Iacob ille mitis, ille mansuetissimus, nunc primùm tumet, & tumet cum iurgio,iratúmque se exhibet in domo sua; vnde talis affectus, tam insolens Iacob potuit accidere? Vxor eius Rachel furata idola Labani patris sui, illa inscio marito occultabat, quod idolorum furtum etiam à Iacob ignoratum insensibiliter reddebat maritum iurgiis tumentem,& ita sic enim vxorũ furtiuæ voluptates,etsi oculatissimæ, reddunt intractabiles, & iurgatores maritos. Pulcrè ad hæc Rupert.lib.7. in Gen. Rupert.
c.45.inquit:*Tumor,vel iurgium seruilis motus est. At verò Iacob in hac causa liber non erat. Quomodo enim nescirei, penes ipsum tamen causa seruilis,id est, culpa, furtúmque erat.* Vbi idolorum furtum ab vxore peractum domi seruatur, quid mirum, quòd etiam inscientes mariti non abstineant à iurgiis, non abstineant à rixis? Furtum hoc etiam latenter inspirat & iurgia, & iras in maritorum cordibus.

Text. Qui amat patrem,aut matrem plusquam me, non est me dignus: & qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me,non est me dignus.Qui inuenit animam suam, perdet illam: & qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.

§. XXII.

§. XXII.

Maxima hominis felicitas, omnibúsque bonis præferenda Iesu felicissimam frui præsentiam; sicut & maximum supplicium ab illo exulare.

MEritò pro magno supplicio habetur, quòd carnis amatores à Iesu consortio separentur, dum dicit, *non est me dignus.* quando inter summas cœlestium Cherubinorum glorias, hæc notatur, quòd digna habita sunt Christi fulgentissimæ humanitati assistere. De illis enim ait D. Dionys. Areopag. c. 7. de cœlesti Hierarch. *Eadem quoque ratione Iesu felicissima societate dignatas intelligendum, quòd veraciter in prima participatione scientiæ deificorum ipsius luminum illi propinquæ sunt.* Id quod disertissimis, & patentissimus verbis exprimit Dionysij Scholiastes fatus. *Consimili quoque modo putandum est, easdem primas substantias esse dignas habitas, vt fruantur felicissima societate Domini Iesu, non tantùm secundùm diuinitatem, sed & gloriosam eius humanitatem; quia re vera illi è vicino astant, & propinquæ sunt in prima immediatáque participatione diuinorum illius radiorum, qui Deiformes eos reddunt, quibus indulgent.* Itaque primi, & supremi Cherubinorum Chori, hæc est singularis præstantia, hæc est nobilissima gloria, quòd Iesu consortio fruantur, illique gloriosissimæ humanitati assistant, cuius radij valent etiam spectatores suos deificare. Quippe tanta afficiuntur gloria, qui Iesu humanitati astant, vt post essentialem beatitudinem, quæ in clara visione diuinitatis consistit, quasi alia etiam secunda, & summa beatitudine à conspectu gloriosæ humanitatis perfundantur. Ex quo lucem affero Matth. c. 5. vbi dum beatitudines hominum recensentur, in primis dicitur: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* & post recensitas alias beatitudinum causas, tandem in octaua finitur sic: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Iam regnum cœlorum assignatum erat pro præmio in prima, cur denuo in postrema idem regnum cœlorum assignatur? An est duplex cœlum, vel duplex in cœlo regnum, vt duplici corona ornentur Sancti. Equidem est duplex cœlorum regnum, alterum, quod obtinent Sancti, cùm primùm ruptis mortalitatis vinculis diuinitatem intuentur clarè: secundum, cùm eò perueniunt, quò Iesu propinqui gloriosam eius humanitatem fruantur. Ait enim D. Ambros. lib. 5. in c. 6. Luc. *Primum ergo regnum cœlorum sanctis propositum est in dissolutione corporis, secundum regnum cœlorum est post resurrectionem esse cum Christo.* Diuinitas cœlum est essentiali gloria beans spectatores suos, sed & saluatoris humanitas fulgentissima immortalitatis luce coruscans cœlum alterum est, in quo penè immensa perfunduntur gloria, qui tantum conspectum potiuntur. Hanc gloriam promittebat Isai. c. 33. hominibus iustis, dicens; *Regem in decore suo videbunt oculi eius.* nimirum, quia adeò sublimes fuerint, vt gloriosum Christi decus videant, nihil inde requirunt. Sic tanti Regis Iesu in decore suo existentis visio homines iustos implet, quin imò, & ipsi Angelici spiritus gloriosæ eiusdem pulchritudinis affectu insatiabiliter rapiuntur. De quibus dicebat Petrus 1. epist. c. 1. *In quem desiderant Apostoli prospicere.* Id quod ponderans Titelmanus ibi aiebat: *In quem Christum Angeli summa oblectatione, & indefessè prospiciunt, quibus satietas est, & beatitudo illam contueri Christi gloriam.* Nec paruum damnatorum, etiam Angelorum supplicium est, quòd Christo careant, quòd solum ab huius Regis decore arceantur. Habes Genes. 4. peccatoris hominis supplicium, quod per Cherubim flammeo gladio versantem à paradisi possessione, & ligni vitæ esu arceat: sed & apud Isai. 6. habes Saluatoris nostri thronum excelsum, & eleuatum; & super thronum ipse Dominus Sabaoth Iesus meus inenarrabili gloria coruscabat: duo etiam Seraphim stabant, & duabus alis velabant faciem eius, & duabus pedes. Ante paradisum Cherubim, & ignis gladius constituitur; ante Iesu gloriam tantùm Seraphinorum ponuntur alæ. cur non magis ante Iesu gloriam ponitur & ignis, & gladius, quibus arcendi peccatores, vel terreantur, vel torreantur? Sanè exilium paradisi terreni non magnum supplicium erat peccatori; ideo additus ibi fuit ignis, & gladius, quem paueret omnis caro; verùm à Christi conspectu exulare adeo magnum supplicium est, vt vix necessum sit, aliud magis metuendum ostentare. Non longè ab hoc aberat D. Bern. ser. 5. de Isaiæ verbis, qui putas, quòd sicut ante paradisum positus fuit gladius ad arcendū hominem, sic ante Iesu gloriam positas fuisse alas ad arcendos reprobos Angelos, sic ait. *Deiecto Lucifero ad perpetuas excubias Seraphim constituit, sicut eiecto homine Cherubim ad custodiam posuit Deus. Nec incongruè forsitan Cherubim flammeus traditur gladius, vt à ligno vitæ inscisio pariter, & incensio, quibus nihil cerni terribilius, manum prohibeant corporalem. Porrò Seraphim tantum alas accipiunt, quarum velamen arceant oculum spiritalem.* Qui spiritualibus oculis gaudet, non eget igne, non eget gladio, quo perterrefiat: vel leuis alarum pluma illum vehementer castigat, dum ab eius oculis abscondit Christum in gloria sua. Matth. 17. dum Iesus in Thabor se gloriosum ostenderet, & ab eius gloria ingens gaudium in discipulos procederet, ecce tibi lucida nubes obumbrauit Iesum, a qua nube vox patris intonuit: *Et audientes discipuli ceciderunt in facies suas super terram, & timuerunt valde.* Cur ad vocem timent, & prosternuntur, qui paulò antè ad conspectum gloriosissimi, fulgentissimíque Saluatoris stant intrepidi? Cur nubis fulgor cum voce patris sic affligit eos, quos fulgentissima facies Christi cum vocibus Moysi, & Eliæ potiùs oblectabat? Planè fulgor nubis, etsi lucidus, & clarus, tamen fulgor erat nubis obumbrantis, & occultantis Christi gloriosam faciē, nec mirum, quòd inde tantum timorem, & consternationem insereret Apostolorum animis. Aiebat D. Pasch. lib. 8. in Matth. *Multa siquidem occurrunt, cur discipuli super terram in faciē corruerint. Primum, quia non poterant sustinere gloriam tantæ vocis de nube, neque claritatem ipsius nubis, qua obumbrabatur Christus, videlicet,* &c. Quæ nubes à conspectu Iesu oculos arcet, timenda est, pauenda est; à nemine enim non æstimabitur pœna magna, à gloriosissimi Iesu conspectu exulare. Prodigus ille filium conspectum tanti Domini, & parentis, parui ducens maluit ad regiones longinquas festinare, in quibus cùm substantiam vniuersam dissipasset, tandem reuertitur ad Patrem, reuertitur senior filius ad Iesum. Luc. 15. reuertentem, etsi fœtulentum, & lacerum amplexu suo excipit pater, iubétque illi stolam parari. Cur etiam flagella non parat? Pater enim filium, quem amat, castigat, & fugitiuum plagis reducit; cur ô bone Iesu aliquam pœnam non infligis adeò fugitiuo filio? Pulchrè D. Chrysost. hom. 10. de Pœnit. fatur. *Si verò pœnas eum dare oportuit, satis pœnarū quod in aliena versatus est, dedit.* Et quidem magna est pœna à Iesu conspectibus exulare. Vide suprà lib. 4. c. 2. §. 24. & lib. 11. cap. 6. §. 1. & lib. 13. cap. 15. §. 14. & lib. 14. cap. 5. §. 8.

Dionys. | Matth. 5. | Ambros. | Isai. 33. | 1. Petr. 1. | Titelm. | Bernard. | Matth. 17. | Paschas. | Chrysost.

§. XXIII.

Suauissima quæque vilescunt, in comparatione Iesu, qui omnes affectus etiam validissimos superat.

QVid dulcius, & amabilius parentibus quàm filij? Nilominus vt affectus tantus in filios superetur, solus Iesus proponitur, quo gaudeat, qui sciuerit filios contemnere, vel quo careat, qui illos plus amauerit. Quippe tantùm ait, *non est me dignus.* vnius Iesu iactura, vel lucrum ostenditur, in cuius vnius comparatione, cætera quæque vilescunt, & valde pusilla apparent. Isai. 33. dicit: *Regem in decore suo videbunt oculi eius, cernent terram de longè.* Expende quæso, quid sequatur ex conspectu diuinissimi Regis Iesu, nimirum illud, cernent terram de longè: vbi enim quis Iesum viderit in diademate, quo coronauit eum vel pater suus, vel mater sua, statim terrena omnia à longè aspiciet, hoc est, quasi parua, ac minima prorsus despiciet, & pro nihilo reputabit. Id quod sibi accidisse fatetur D. Gregor. Naz. orat. in Cypr. fatus: *Ego omne desiderium deposui, postquam me addixi Christo, nec quicquam eorum me attollit, quæ alijs iocunda sunt, & appetuntur, non diuitiæ, non voluptates,* &c. Sic Christi gustus vilescere facit quæcumque alia, annuebat Paul. ad Philip. 3. aiens: *Propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror, vt stercora, vt Christum lucri faciam.* Nihil non contemnendum putat, præ Iesu: apud Matth. 14. erat Petrus in naui, cum cæteris discipulis, & in silentio noctis videns Iesum ambulantem super aquas, nō sustinens moras veniendi ad illum, sese etiam vndis committit, vt super illas currens citius ad Iesum accedat. Cur Petre non magis times vndarum inconstantiam, cur non magis vitæ tuæ consulis, quàm vndis committis? Præ Iesu nihil non contemnendum putat Petrus, & vitam ipsam. Ad hæc Sedul. lib. 3. Paschali, c. 20. fatur. *O fidei crescentis augmentum, pridie retia contempsit pauperis vitæ solatium, nunc ipsam reuicit vitam, quatenus veniret ad Christum.* Quid parentes, quid filij, quid diuitiæ, quid voluptates, quid vita, si comparentur ad Christum? His omnibus longè superior est Iesus, & præstantior: & qui ea possit prorsus reddere contemptibilia, & infirma. Apud Ios. c. 11. dicitur,

Isai. 33. | Nazianz. | Philip. 3. | Sedul.

dicitur, quòd Iesus ille Israëliticus Dux vniuersas nationes, Iosue 11. & Reges earum vicerit, sic enim habet: *Omnes Reges eorum cepit, percussit, & occidit.* Et quæ corona non cadit, & prosternitur à Iesu? Sanè Moyses Iesum odoratus temporalis peccati Regiam iucunditatem renuit accipere: quia nulla suauitas in peccati regnum trahit, quam non superet Iesus. Origen. Vnde pulchrè dicebat Origen. homil. 15. super Iesum Naue: *Non dixit, quia aliquos cepit Iesus in bello, & aliquos non accepit, sed omnes accepit, cepit omnes, peremit omnes. Bene ergo dicit, quia omnes occidit Iesus, qui exierunt ad bellum. Nulla enim species peccati tanta est, quæ non sit superior Iesus. Omnia enim superat, & vincit.* In certamen prosiliant omnia peccatorum decora, omnes peccati iucunditates, omnes vitiorum propinqui affectus, etsi validissimi, his omnibus superior Iesus, omnes superat, vincit omnes, perimit omnes. Verè in hoc filius Dei Iesus, & illius Dei, qui validissimos affectus Genes. 22. detriumphat. Genes. 22. aiebat Dominus ad Abraham: *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum,* &c. Cur meminit vnigenitum, quem mandat occidi? Cur insuper addit dilectum? Sanè Deus his nominibus prouocat patris affectum omnium validissimum, quem impugnet, & vincat. Ait Franc. Francon. Abb. tom. 3. de Gratia: *Iussus est vt immolet filium suum, quem diligit Isaac, vt tot nominibus charitatis paterni exardescat flamma amoris. Vincit paternum affectum affectus in Deum.* Nullus creaturarũ affectus est, quamuis validissimus, quo non superior sit Deus, & illum detriumphet. Sic Iesus Dei filius potens est per se, cum validissimis peccatorum affectibus confligere, & omnes deuincere.

§. XXIV.

Iesu gladius nihil perdit, sed omnia seruat. Vbi quòd filij Deo immolati firmissimum sint familiarum sustentaculum.

QVi gladium in terram misit, statim gladij sui præstantiam explicat, cùm ait. *Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.* Ecce tibi, qui Christi gladio das vitam tuam, non eam perditioni das, sed custodiæ; quidquid enim despicis propter Christum, integrum cum fœnore recipies. Vidisti duarum fœminarum contentionem, 3. Reg. 3. super infantem, quem vna illarum dicebat suum esse, sibique deberi, altera è contra clamabat, & suum asserebat. Res peruenit ad Salomonem, qui sibi gladium afferri iussit, & allato gladio infantem in duas partes diuidi; audiunt fœminæ Regis sententiam, & infantem iam parari ad diuisionem, quàm citiùs peragi clamabat vna; altera verò maluit iuri suo cedere, & quòd filius integer detur æmulæ suæ. Quid plura? Quùm cedentem vidit Rex matrem recognoscit, & honorat, illique iubet integrum, & incolumem reddi filium. Ecce tibi cùm filium ad conspectum gladij contemnit, cùm sciuit se filio priuare, tunc seruat integrum, tunc recipit incolumem filium. Qualis gladius ille, cuius vel conspectus docet filios abiici à parentibus, & seruari incolumes parentibus, qui videbantur perditum ire? A D. Ambros. lib 3. de Ambros. Virgin. vocatur *gladius Christi, quem venit mittere in terram.* Proh fulgentissimi Christiani gladij præstantia, qui nihil sciuit perdere, vt perdatur, sed vt incolume habeatur, & integrum. Pro custodia est, non pro perditione gladius, qui Apoc. 14. venit à Christo; Apoc. 14. *Et vidi, & ecce nubem candidam, & super nubem sedentem similem filio hominis habentem in capite suo coronam auream, & manu sua falcem acutam. Et alter Angelus exiuit de templo, clamans voce magna ad sedentem super nubem, mitte falcem tuam acutam, quia venit hora, vt metatur.* Expende ad quid mitti oporteat acutam falcem à filio hominis, non quidem ad perdendum, sed ad metendum; quod metitur, in custodiam reponitur, vt conseruetur, & incolume habeatur. Nec filius hominis aliam venit mittere falcem, nec alium misit gladium, nisi illum, sub quo quidquid cadit, quasi in deposito reponitur, & seruatur, vt habeatur Tertull. integrum. Hinc Tertull. lib de resurrect dilatat illos, qui & carnem suam & vitam contempserunt pro Christo, inquiês. *Resurgit caro & quidem integra. In deposito est vbicumque apud Deum, per fidelissimum sequestrem Dei, & hominum Iesum Christum.* Nihil perdis ex his, quæ pro Christo fundis, sed seque-Prov. 9. strata omnia reposita tibi inuenies. Hinc habes Prouerb. 9. *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem. Immolauit victimas suas.* Tertull. legit, *iugulauit filios suos.* Nouum sanè, & inauditum diuini Verbi consilium, sibi domum ædificat, & columnis ornat, & filios iugulat. Quid hoc est? Nil magis cordi est illorum qui sibi domum ædificant, quàm filios procurare, & ingenti solicitudine seruare, vt qui sint firmiores ædificandæ domus colũmnæ; & nihilominus sapientia dum sibi ædificat domum, iugulat filios. Cur non magis seruat filios? Cur dum domum construis, filios perdis, filios iugulas? Sane non absolutè perdit, & iugulat filios, sed sic iugulat, vt immolet, vt Deo faciat victimas; qui autem pro Deo perduntur filij, non perduntur, sed firmiùs seruantur in vitam. Pulchrè ad hæc Tertull. lib. aduers. Tertull. Gnost. *Sapienter vtique iugulauit dum in vitam, & rationaliter dum in gloriam. O parricidij ingenium! ô sceleris artificium! ô argumentum crudelitatis, quæ idcirco occidit, ne mortatur, quem occiderit.* Summum diuinæ sapientiæ artificium, & ingenium fuit, sic iugulare filios, vt possint incolumes inueniri ad æternandam domum, & familiam suam. Non enim in generatione filiorum perpetuatur splendor familiæ, & æternitas domus: sed in iugulatione, & immolatione eorum propter Christum. Illi filij æternant familiam suam, & gloriosam reddunt, qui immolantur Christo, qui per immolationem, & oblationem nascuntur magis Deo, quàm per propagationem parentibus. Ipse Dominus, vt æternaret familiam, & domum ædificaret perpetuam in Ecclesia sua, quales columnas elegit, nisi immolatorum? Ait enim Psal. 109. Psal. 109. *Tu es sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech.* Cur non secundùm ordinem Aaron? Aaronis sacerdotium fundabatur in propagatione seminis; quot filij generabantur, & seruabantur, tot sacerdotes existebant. Melchisedech autem introducitur non ex propagatione seminis, quin potiùs sine patre, & sine matre, & sine genealogia, quasi prorsus mortuus parentibus, soli sacratus, & immolatus Deo. Sic Iesus sacerdos valedicens parentibus humanis sese sacrat Deo, & victimam offert, sic Iesu succedentes sacerdotes parentibus renuntiant, & se Deo victimas offerunt, vnde vnus sacerdotij Christiani splendor æternari potest. Aiebat D. Leo serm. 2. in anniuersario assumptionis suæ fa- Leo. ctus. *Tu es sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech, hoc est, non secundùm ordinem Aaron, cuius sacerdotium per propagationem sui seminis currens temporalis ministerij fuit, & cessauit: sed secundùm ordinem Melchisedech, in quo æterni Pontificis forma præcessit, dum quibus parentibus sit editus non refertur.* Cesset necessum est, quòd in sola nititur filiorum generatione, illud æternari potest, quod non tam in generatione, quàm in immolatione firmatum est, qua quis sacratur, imò mactatur Deo. Quot domus principum, & regum periere, & obliuioni traditæ sunt, dum Christi sacerdotium, imò dum Benedicti, & Augustini, & Francisci, & Dominicæ familiæ florentissimæ splendent? Cur hæc? Quia harum splendor nititur in immolatione filiorum; in multis viris, qui posthabitis temporalibus parentibus, sine filiis, se Deo mactant, & sacrificant. Vnde de illis dicere possumus, quod D. Hieron de vera circumcis. di- Hieron. xit de Abraham, vbi post immolatum filium, iubetur numerare stellas, quæ ab illo processuræ erant, quippè ait: *Contemptor humani generis, pater vocatur astrorum.* Nunquam enim firmius domum stabiliuit, quàm cùm filium mactat Domino. Vide suprà cap. 11. §. 5.

§. XXV.

Crux nos Christo Domino fidere, & adhærere facit.

EXpende Christi Domini verba in textu data, nimirum: *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me.* priùs crucem loquitur, deinde sui sequelam proponit: quasi crucis notitia sit, quæ in Christi sequela, & cognitione animos firmet humanos. Matth. 8. dum Iesus in nauicula dormiret, vehemens tempestas nauim inuadit, ita vt penè operiretur fluctibus: discipuli tempestatis metu iactati, ad dormientem accurrunt, & clamoribus excitant, dicentes: *Domine salua* Matth. 8. *nos, perimus.* Cur timent perire, qui secum Iesum habent? Cur non magis fidunt in Iesu potestate, quæ non permitteret suos absorberi, etiam si dormiret? Sanè Origenes infirmam hanc discipulorum fidem erga Iesum ex eo excusat, quòd nondum viderint crucem, qua visa non possent, non sic Iesu hærere, vt nihil timerent. Ait enim hom. 6. in diuers. *Vita vobiscum est, & de morte soliciti estis? Dominum Salua-* Origen. *torem vobiscum habetis, & periculum timetis? Sed quid respondent dilectissimi discipuli? Paruuli sumus, adhuc infirmi, necdum vidimus crucem.* Qui crucem nondum viderant, non miror, quòd infirmi, & imbecilles essent, circa Iesum: crux est, quæ hominum animos ad Iesum trahit, illique medulli

medullitus adhærere facit. Apud hortum dum cohors Iudæorum Iesum comprehenderet, territi sunt discipuli, *& relicto eo fugerunt.* Tandem apparuit in cruce Iesus, & disci- Act.5. puli induti virtute ex alto, *ibant gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Antea Iesum fugiunt, modò & pro Iesu mori amant; cur non magis verbera timent? Cur non magis contumeliam expauent, qui iam nouerant ob timorem à Iesu fuge- Athanas. re? Rem attigit D. Athanas. homilia de semente, dicens: *Fugerant quidem à viuo; sed ita, vt pro eodem crucifixo mortem oppetant.* Vbi crux media stetit, ipsa sic discipulos eum Iesu colligauit, vt mortem subire gauderent, vt Christum lucrifacerent. Nobilis sanè specula crux est, ea qua sic Iesus apparet, vt adhærere sibi faciat hominum animos. Hinc Zachæus ille pusillus corpore, sed fide, & eleemosynis magnus, vt videret Iesum, ascendit arborem, ex qua sic vidit, vt ad Iesum indissolubiliter raperetur. Cuius occasione Laur. dicebat D. Laurent. Nouariensis homilia 1. de Pœnitentia: *Relinque in animo tuo vnam arborem limpidam, sinâiferam, crucis stigmata proferentem, in quam ascendens, videas & ipse Christum, sicut vidit Zachæus.* Equidem fallar, dum quis è crucis arbore Iesum videat, si velit à Iesu separari, sed potiùs illi adhærebit, vt Zachæus adhæsit, etiam relictis facultatibus.

Text. Qui recipit vos, me recipit, & qui recipit me, recipit eum, qui misit me. Qui recipit Prophetam, in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ recipiet; & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet.

§. XXVI.

Merces operis in particulari visa, vehementer trahit rationales animos ad opus.

NOn solùm mercedem designat Dominus his, qui illos, Prophetasve in domo sua receperint, sed in particulari mercedem prophetæ designat, vt in Prophetis, qui apud Deum, & homines gloriosi existunt, videat quisque receptor Prophetarum, quam ipse gloriam habiturus sit. Merces enim sic in particulari visa, vehementer ad opus allicit. Dum Iesus gloriosus apparuit in Thabor, & totus Matth.17. mons gloria eius splenduit. Matth.17. *Ecce apparuerunt illis Moyses, & Elias cum eo loquentes.* Quid tunc Petrus? vbi Moysen, & Eliam cum Iesu gloriosos conspexit, statim ait: *Faciamus hîc tria tabernacula, tibi vnum, & Moysi vnum, & Eliæ vnum.* Vnde Petrus tam hospitalis, quòd solicitè curet hospitia à primis fundamentis ædificare, quibus Eliã, & Moysem reciperet? In gloria illa mercedem aliqualem Prophetæ Eliæ vidit, qua sic afficitur, vt sine mora illam sibi, vel tanti laboris pretio accumulare festinet. Ad hæc Paschas. D. Paschasius lib. 8. in Matth. inquit. *Offerebat Petrus seruitutis officium accumulare sibi, cupiens mercedem laboris.* Adeò potens est merces in particulari visa, vt piscator pauper sese impellat ad hospitia efficienda, quibus Prophetas recipiat; accumulare sibi aptam mercedem laboris huius, sub qua vidit surgere Prophetam Eliam. Quis videat gloriam ex operibus ortam, & opus non velit perficere? De Iesu gloria, ab ignominia passionis orta, locutus D. Petrus 1. epist. 1. sic Iesum extollit, vt eius vulnerum etiam cœlestes principes æmulatores effingat; ait enim: *In quem desiderant Angeli prospicere.* nimirum etiam qui Angeli facti sunt, dum vident gloriam à vulneribus manantem, summo vulnerum, & ignominiæ desiderio afficiuntur. Ita D. Petr.Dam. Petrus Dam. epist. ad Blancam cap. 4. inquit: *In Iesum (testante Petro) desiderant Angeli prospicere, vel quia humanitatis eius mysterium amore desiderium accendit in mentibus electorum, vt eius videlicet, non modo resurrectionis gloriæ promereri, sed ad imitationis exemplum, ipsius quoque ignominiæ passionis inhærere.* Et cur ad imitationem non inuitet celsissimos cœli principes, illa Iesu ignominia, ex qua tot gloriarum importabilia pondera nascuntur? Fallar, si aliquis possit in cœlo inueniri, qui sibi non velit vulnera, non labores, qui Isai.40. tot glorias parturiant. Isaias cap. 40. *Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur. Ecce merces eius cum eo, & opus illius coram eo.* Septuaginta paulò aliter. *Ecce merces eius cum eo, & opus in conspectu eius.* Vbi enim Iesus cum mercede laborum apparet, haud dubium quin opus eius statim peragatur; quis mercedem Iesu videat, & operi Iesu non instet? Pulchrè ergo dicit, merces eius cum eo, & opus in conspectu eius; ex mercede visa, sic accenditur desiderium operis, vt statim opus feruere appareat.

§. XXVII.

Nunquam sine ingenti lucro tuo Dei ministrum in domo tua tueris. Vbi Hispaniarum gloria, ex Dei ministris Anglis receptis, &c.

POsset dicere Dominus, *qui pauerit Prophetas*, sed maluit dicere, *qui recipit Prophetam*, &c. Vt innuat non solùm mensam Prophetis appositam, tanquam pauperibus, sed & tutelam domus, in qua recepti ab hostibus defendantur, occultentur, quod magis necessarium est Prophetis, & Dei ministris, vt qui sæpissimè ab impiis quærantur ad mortem. Felix igitur ille est, qui tale hospitium parat Prophetis, in quo & pascantur, & ab æmulis occultentur. Hæc ministrorum Dei receptio, nunquam non mirum in modum & sustulit, & confirmauit recipientem, occultantem. Apud Isaiam cap. 6. apparuit solium excelsum, & eleuatum super Isai.6. quod Dominus sedebat. *Seraphin stabant super illud: sex alæ vni, & sex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* In quibus expendendum est, quòd cùm duæ alæ cuiuis sufficiant ad volandum, his Seraphinis dentur aliæ quatuor alæ, & non ad volandum, sed ad velandum, & operiendum sedentem in throno. Sed quando pro volatu non erant necessariæ alæ illæ, cur pro solo operculo, & velamine dantur? Bone Deus, nónne poteras velari, & occultari peplo aliquo cœlesti, cur mauis alis occultari? Sanè Deus non porrigit peplum, vt veletur; sed addit, & multiplicat alas occultatoribus suis, quibus alis dum ipse occultatur, occultatores maximè eleuentur, & confirmentur. Acutè satis, & eleganter D. Bernard. serm. 5. de Isaiæ verbis fatur: *Velatur Dominus* Bernard. *alis, quæ nimirum sic hostem arceant, vt illum sustineant, & sustollant.* Non occultas Deum ab hostibus, non celas Dei ministros, ne offendantur, quin maximè eleueris, & sustollaris, quod præbes; Dei Prophetis operculum, & latibulum, tibi alas induit, quibus in excelsa tollaris, ibique sustenteris, ne cadas. Nouerit hoc, qui gloriam, & imperturbabilem exaltationem Regum Hispaniarum notarit, hi enim felicissimi Reges, non tam nauigiis, quàm alis, immensum Oceanum transmearunt, imperiique sui virga nouum mundum inuenit, vt quam vnus minimè posset, duo saltem mundi caperent. Putares Regem Hispanum Angelum esse Apocal. cuius caput dum inter sydera sole fulgentius apparet, pes alter mari dominans, vel calce repellit hostiles classes; alter in terra firmus, principum rebellium colla calcat. Quid plura? Ad tanti etiam Regis pertinet felicitatem, & gloriam, quòd illi Deus veræ fidei crediderit sustentaculum, sponsámque suam Romanam Ecclesiam commendarit. Sed scire iam cupis, vnde Regibus Hispanis tam mira, tam insolita, tam imperturbabilis, tam victrix aduenerit exaltatio? Multæ suppetunt causæ; aliis tamen omissis accipite modò vnam rei præsenti accommodatam. Sub horum felicissimorum alis latent Dei ministri, latent mille Sacerdotes Anglicani, qui pasti, & recepti, & occultati regali pietate suorum effugiunt aciem gladij. Et quidem hæc Sacerdotum Dei latibula Hispania Regibus defensoribus suis alas induunt, quibus sustollantur, sustententur, fiantque & domitores mundi, & Ecclesiæ vniuersalis propugnacula. Pereunte Israelis regno, & fame, Iezabelis gladio fuit nobilis vir in Regia nomine Abdias; de quo sic habes 3. Reg. 18. *Vocauitque Achab Abdiam dispen-* 3 Reg. 18. *satorem domus suæ. Abdias autem timebat Dominum Deum valde. Nam cum interficeret Iezabel Prophetas Domini, tulit ille centum Prophetas, & abscondit eos quinquagenos, & quinquagenos in speluncis, & pauit eos pane, & aqua.* Hæc Abdias faciebat, & non sine lucro maximo, quippe factus militiæ dux, & Eliæ amicus, Propheta inter duodecim Prophetas meruit annumerari. De quo eleganter aiebat D. Hieronym. Hieron. dum illius caput primum commentatur. *Hic igitur Abdias qui centum Prophetas aluerat, accepit gratiam propheticam, & de duce exercitus fit dux Ecclesiæ. Tunc in Samaria paruum gregem pauerat, nunc in toto orbe Christi pascit Ecclesiam.* Recepti, & occultati, & pasti Prophetæ benefactorem suum sic sublimarunt, vt de duce exercitus, totius Ecclesiæ acciperet ducatum, & pro paruo grege sustentato, tot ei suppeterent

spirituales dapes, vt orbis Ecclesias alat. Id quod in nostro felicissimo rege videre licet, qui dum sæuiret Elizabethæ Anglicanæ in Catholicos gladius, Sacerdotes Dei Christi ministros recepit, variis receptaculis abscondit, regia munificentia pauit; cur inde non fiat victor dux Ecclesiæ, & pro paruo grege sustentato in toto orbe existat firmissimum, & inexpugnabile fidei propugnaculum? Certum equidem puto, quòd Dominus prosperabit, & faciet viuere eos, qui receperint, atque ab hostibus absconderint ministros suos. Dicitur enim Iosue c. 6. *Rahab verò meretricem, & domum patris eius, & omnia quæ habebat, fecit Iosue viuere, & habitauerunt in medio Israel, vsque in præsentem diem: eo quòd absconderit nuntios, quos miserat vt explorarent Iericho.* Sic faciet Dominus viuere, & prosperabit eos, qui receperint, & absconderint suos: ait insuper Iosephus ibi apud Glossam, Rahab cum suis exploratores eripuerunt. *Quam dum ad se Iesus venire iussisset, gratias egit pro exploratorum salute, & donauit eam multis agris, & rebus maximis honorauit.* Hoc à Iesu habent, qui fouent Dei ministros.

Iosue 6. — Ioseph.

Text. Et quicumque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.

§. XXVIII.

Misericordiæ merces securissima, certissima.

NVllo casu, nullo tristi euentu potest perdi merces, quæ per misericordiæ opera acquiritur: id quod ostenditur ex illo Rahab facto in excipiendis exploratoribus populi Israelis. Hæc Iosue 2. videns ministros regios in domum suam venisse, vt exploratores raperent ad regem: *Fecit ascendere viros in solarium domus suæ, operuitque eos stipula lini, quæ ibi erat.* Magna mulieris audacia, quæ sic vitam suam, suorúmque omnium stipulis credat; si enim apud se absconditi inuenirentur exploratores, haud dubium quin à regiis ministris accusaretur, imò perimeretur. Cur ergo mulier non magis timet regios ministros? Cur adeò stipulis fidis? Si mortem incurris, qualem mercedem accipies ab hospitibus exceptis? An etiam mortua poteris expectare peregrinorum exceptorum mercedem. Prudentissimè mulier in exhibenda misericordia sese omnibus casibus superiorem exhibet, nec timet vitam suam stipulis credere, sperans nullo vnquam casu posse deperdi misericordiæ mercedem. Ad hæc D. August. lib. contra mendacium, cap. 17. *Illa si à suis ciuibus esset occisa pro misericordiæ opere, vitam istam pretiosa in conspectu Domini morte finiuisset, & erga exploratores eius beneficium inane non fuisset.* Non enim inaniter, & sine mercede hospitalis eius charitatis erga exploratores peregrinos maneret, etiamsi morte præoccuparetur, ea est enim misericordiæ merces, quæ nullis subiacent casibus, quæ nesciat deperdi, sed semper securissima manet. Hinc ipsa Rahab Iosue 2. dimissura exploratores, ait ad illos. *Nunc ergo iurate mihi per Dominum, vt quomodo ego misericordiam feci vobiscum, ita & vos faciatis cum domo patris mei, detisque mihi verum signum vt saluetis patrem meum, & matrem, fratres ac sorores meas, &c.* Circa hæc verba meminit Abulens. quæst. 51. in Iosuæ aliquorum quæstionem, nimirum: Cur Rahab dum rogat, vt exploratores faciant misericordiam cum parentibus, cum fratribus, & sororibus explicitè; non similiter rogat, vt faciant misericordiam cum ea? Sanè in præsenti petebat prudens fœmina mercedem suæ misericordiæ, quam sibi adeò certam, & indubitatam in omni casu habebat, vt superuacaneum esset pro sua mercede rogare. Rogat, & petit misericordiam pro parentibus, fratribus & sororibus, non pro se, quia tantæ misericordiæ merces, etiam inter gladios, inter mortes illi deperdi non poterat. Hinc lucem capit monitum illud Ecclesiastæ cap. 11. aientis: *Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post tempora multa inuenies illum.* Etiam si ob misericordiam exponas bona tua perditioni, & fluctibus aquarum transeuntium videaris illa commisisse, mihi crede non perdes mercedem; sed inamissibilis stabit tibi. Sic D. Gregor. Thaumat. ibi: *Quamuis ad statim perdidisse quibusdam videaris, quemadmodum si panem in aquam coniecisses: tamen progressu temporis nequaquam infrugiferid tibi apparebit beneficentia.* Semper beneficentia habet mercedem suam, aquæ ipsæ cum impetu transeuntes, & sese præcipitantes in abyssum, fideles erunt, ne pereat merces beneficentiæ sibi commissa. Sed miraris, quòd beneficentiæ fiducia iubeatur niti in transeuntibus etiam, & labentibus aquis: qualiter transeuntes aquæ possunt spem regressionis alere? Quis non magis videat in aqua transeunte irrecuperabilem bonorum iacturam? Ille solus qui in se conditionem vacui habet: vbi enim vacuum imminet, obliuiscentes aquæ propriam naturam reuertuntur, & retrorsum etiam feruntur, vt vacuum impleant. Beneficentia ergo speciem vacui naturalis habet, dum propter proximos sciuit horrea vacuare. Ideo non minus necessarium, & certum est, quod ad beneficium implendum ascendant bona, et non in profundissimo perditionis barathro, quàm ad replendum vacuum naturale præcipites etiam reuertuntur, & contra propriam naturam ascendunt aquæ. Huc spectat illud Ecclesiastici 29. vbi sic: *Perde pecuniam propter fratrem, & amicum tuum: et non abscondas illam sub lapide in perditionem.* Quæ verba sic in rem præsentem transferunt Roberti Biblia Santandreana. *Vacuum perde argentum propter fratrem, & amicum tuum, & ne abscondas illud sub lapide in perditionem.* Quibus expendendum est illud, *argentum vacuum perde*, &c. quidquid enim propter fratrem perdis, hoc est, erogas egenti fratri, velut vacuum naturale est, quod nequit vacuum manere, sed necessariò implebitur, etiam si necessum sit rerum naturas transmutari, vt grauia sursum, & leuia deorsum ferantur, & transeuntia firmiter permaneant. Sic omnes rerum naturæ sciunt in suis dispendia pati, ne deesse possit, quo impleatur vacuum. Quod si aliquando velis ferreo aliquo vase, siue marmoreo, vel minimum vacui incarcerari, & violenter detineri, totum vas, etsi marmoreum sit, etsi ferreum, scinditur à se, & perditur, vt vacuum abeat. Id quod insinuant postrema illa adducti loci verba de argento vacuo elargiendo, nimirum, *ne abscondas illud sub lapide in perditionem.* Est equidem argentum pauperi erogatum vacuum, omni certitudine mercedis lucris implendum; argentum autem absconditum sub lapide, ne detur pauperi, est vacuum, violenter incarceratum, & detentum in vase marmoreo, & vas, & vacuum perditum ibit.

Iosue 2. — August. — *Iosue 2.* — *Ecclesi. 11.* — Gregor. Thaum. — *Eccles. 29.* — Bib. Rob.

CAPVT XVI.

De Pharisæorum vitijs.

PRÆSTRINGIT Dominus Pharisæos, eorum vitia per totum caput 23. Matth. percurrens, quos tamen audiendos asserit, dum Moysis doctrinam populo sapienter, & sincerè propinant. Doctoris enim verba vtilia excipienda sunt, quamuis ipsius mores pessimi appareant, & fugiendi ab his, qui velit virtutem sectari. Et quidem multa Pharisæi docebant iuxta legem Moysis, quæ audiri debebant à piis hominibus, illorum autem opera prorsus erant abominanda. Sed qualia eorum opera? Adeò scrupulosi, imò crudeles erant in alios proximos, vt illis quamuis ipsi possent omnino inaccessibile proponerent, & plenum difficultatibus. Religio illorum præda fuit viduarum, & perditio discipulorum, & veræ sanctitatis prophanatio. Clarissimarum virtutum contemptores, in paruulis quibusdam reculis pro virtute exhibendis, nimis exacti, externam munditiem dum profitentur, de fœdissimis animæ maculis nullam æstimationem faciunt. Sic ostendebantur deuoti circa Prophetarum reliquias, sepulchra pulcherrima illis dedicantes, vt in elaborandis sepulchris potiùs viderentur homicidarum socij, quàm sectatores pietatis. Quid plura? Vix aliquod homicidium, aut scelus à mundi exordio stetit, quod iure non inquiri posset in his viperarum prolibus, quibus meritò horrendum væ geminatur.

Matth. 23. Super cathedram Moysis sederunt Scribæ, & Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, seruate, & facite; secundùm opera verò eorum nolite facere, dicunt enim, & non faciunt.

§. I.

In hoc distinguitur doctrinæ veræ sedes à sedibus iudicij sæcularis, quod hæ nunquam non inficiant, & maculent sedentes, illa omnibus sit salutaris.

NOn est cur cathedra Moysis, hoc est, diuinæ doctrinæ sedes caueatur, ipsa enim per se salutaris omnibus est, & vitam halans. Nullum ab hac cathedra recipiunt sessores contagium, ideo digni qui ab omnibus audiantur, recipiantur. Sed quantula laus est cathedræ diuinæ doctrinæ, quòd nullum inferat cauendum contagium? Est ne aliqua cathedra contagium inferens, quæ caueri ideò debeat? Est quidem cathedra fori contentiosi, in qua sedent iudices seculares prophana negotia administrantes: hæc cathedra prorsus pestilens est, & contagiosa, ideoque cauenda ab his, quæ piè volunt viuere de altari, quandoquidem nullus erit, qui huius cathedræ pestem, & contagium
Psalm. 1. non sentiat. Quapropter Dauid Psalm. 1. hanc in primis laudem hominis pij, & iusti proponit: *In cathedra pestilentiæ non sedit.* In cathedra veræ doctrinæ sederunt impiissimi Pharisæi: & etiam his sedentibus adhuc cathedra manet salutaris. In cathedra pestilentiæ nec ad momentum sedere ausus est iustus, & beatus vir, prorsus enim inficeretur vel à sessione momentanea. Quæ est hæc cathedra tam cauenda, tam pestilens, tam plena contagio? Est cathedra fori contentiosi, iudicis sæcularis, quæ in eo distinguitur à cathedra veræ doctrinæ quòd in illa etiamsi sedeant impiissimi homines, tamen possunt esse salutares, in hac licèt iustissimi, sanctissimíque sint sessores, non poterunt non infici, & maculari. Do pulchrum commentatorem huius rei
D. Hilar. Diuum Hilarium, qui ad verba data Psalmi sic ait: *Sederunt in cathedra Moysi Pharisæi, docentes, sedit & Pilatus in tribunali. Cuius itaque cathedræ sessionem existimauimus pestilentem?* Perpende quæso lector, & examina, quæ potiùs appareat pestilēs cathedra, an illa, in qua sedent nefarissimi Pharisæi, sanguinem Christi in se, & in filios suos crudeliter flagitantes, an illa in qua sedet Pilatus, qui totis viribus curat se mundum esse à Iesu sanguine? Vtra erit er-
Idem. go pestilens cathedra? Pulchrè Hilarius. *Non vtique Moysis, Dominus enim sedentem potiùs quàm sessionem cathedræ, improbandum dicit. Super cathedram, inquit, Moysis sederunt Scribæ, & Pharisæi, quæcumque dixerint facite, quæ autem faciunt, facere nolite. Cathedræ huius sessio pestilens non est, cuius obedientia dominica auctoritate præcipitur. Illa ergo erit pestilens, cuius contagium Pilatus manus abluendo deuitat. Multos enim etiam in metu Dei constitutos, secularium tamen honorum ambitio corrumpit, & volunt Ecclesiæ subditi, fori legibus iudicare. Sed quanquam adhæc ipsa officia, quæ agunt, ferant secum religiosam voluntatem, beneuolos sese continentésque præstando, tamen necesse est eorum, in quibus diuersabuntur, negotiorum quodam pestilenti contagio polluantur. Publicarum enim causarum ordo manere eos voleutes etiam in Ecclesiasticæ legis sanctitate non finit. Et quamuis religiosi propositi tenaces sint, tamen necessitate sedis obtentæ, cùm ad contumeliam, cùm ad iniuriam, cùm ad pœnam cunctante licèt voluntate coguntur, facit eos necessitatis ipsius participes, cùm tanquam lue morbida imbuuntur. Et idcirco hanc eorum cathedram pestilentiæ Propheta cognominat, quia contagione sua, voluntatem religiosæ mentis inficiunt.* Hæc ille, & vera, & pulchra, quorum vel verbulum præteriisse piaculum duxerim: Vt pateat sæcularium sedium pestilentia, quæ etiam iustissimos & sanctissimos viros inficiunt, & deprauant adeò, vt qui iustum, & sanctum propositum seruare cupiunt, necessitate sedis obtentæ, quasi lue morbida imbuti, ad iniustitias rapiantur. Et vt sedes hæ sæculares iustos faciunt maculari: è contra veræ doctrinæ sedes impios homines sic continent, vt etiam inuitæ ad veritatem annuntiandam ferantur. Cayphas ille nefarissimus
Ioan. 11. in cathedra Moysis sedebat, dum ait Ioann. 11. *Expedit nobis vt vnus homo moriatur pro populo, ne tota gens pereat.* De quo statim textus sacer notat: *Cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit.* Quis crederet nefariū illum hominem prophetico spiritu potuisse impleri? Quis de homine illo speraret posse audiri veritatem? Nónne Cayphas falsos quærebat testes, quorum testimonio Iesus innocens damnaretur? Quomodo ergo qui totus erat in quærendis falsitatibus, potuit dicere veritatem? Expende causam à textu notatam? *Cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit*; non illius consilium, nec voluntas fuit, sed virtus cathredræ, in qua illo anno sedebat, hominem nefarissimum cohibuit, & licèt relu-
Chrysol. ctantem coëgit in veritatem. Ad hæc Chrysol. serm. 49. ait. *Cayphas prophano prophetat ore, & cùm Sacerdos esset, falsitatis suæ sensum vicit officio veritatis.* Adeò salutaris est diuinæ doctrinæ cathedra, vt etiam à falsissimis, & deprauatissimis eliciat vtilem auditoribus veritatem.

Text. Dicunt enim, & non faciunt; alligant enim onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea amouere.

§. II.

Quàm miserum est, quod non tibi, sed alijs salutaris sis.

VIde extremam Pharisæorum dementiam, & miseriam, quòd cùm aliis salutem prædicent, ipsi reprobi fiant, & dum dulcissimas virtutum cœlestium dapes, limpidissimos doctrinæ latices ad labra habeant, ipsi instar Tantali, & siti, & fame conficiantur. Hos despiciebat Dominus Cant. 4. vbi sponsam suam laudans ait. *Mel, & lac sub lingua tua.* Non tibi est dulcedo solis extremis labiis, vt ad Cant. 4.
alios fluant, sed & intus manet, vt de illa incrementum facias. Quæ verba eleganter tractans D. Philo Carpathius Phil.
ibi, ait. *Falsi Christi serui, quales sunt prædicatores ficti, mel in* Carp.
lingua portant, quod sub lingua non habent: sæpe enim alijs cœlestia gaudia prædicant: cùm ipsi tamen terrestria, & peritura bona desiderijs appetant. At recti, & integri buccinatores Dei, & sancta quæque anima, & mel in lingua pertendit, dum diuinæ sapientiæ dulcedinem loquendo effundit, eaque mentes audientium reficit, & idem secum sub lingua retinet, dum ea omnia sibimet profutura reseruat, & sanctè peragit, quæ cæteris rectè prædicauit. Felix hic doctor, qui sic nouit aliis dulcissimas præparare dapes, vt & ipse de illis manducet, & viuat; cuius non solùm ab extremis labiis dulcedines ad alios fluant, sed & intimum eius saporent palatum, & vitam nutriant. Miserrimum enim est, & Tantalico supplicio simile, ad labra habere escas, quibus suauem posses ducere vitam, & tamen nullum ex his gustum percipere. Eccle- Ecclesi. 6.
siastes cap. 6. ait. *Est & aliud malum, quod vidi sub sole, & quidem frequens est apud homines. Vir cui dedit Deus diuitias, & substantiam, & honorem, & nihil deest animæ suæ, ex omnibus quæ desiderat, nec tribuit ei potestatem Deus vt comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud, hoc vanitas, & miseria magna est.* Sed scire cupis in quo homine hæc miseria inueniatur? An in auaro homine? Sanè auarus homo diuitias, & bona multa habet à Deo, quibus ipse non vescitur, sed hæredi relinquit; verùm nescio qualiter auarus habeat gloriam & honorem, cùm nullus vilior appareat in ciuitate. Vnde crediderim prædictis verbis depingi hominem sapientem, & eruditum, qui sapientiæ flumina extremis habet in labiis, non sub lingua, vt eius ipse gustum accipiat. Ad hæc Olympiodorus ibi ait. *Sæpè accidit, vt* Olymp.
aliquis magnas sibi diuitias in dicendi copia, & in scientia scripturarum compararit, aliarumque rerum cognitione; sed quia deinde fœditas morum, & verbis suis dissidet, ac doctrinæ, hinc fit, vt qui in libros illius, traditionésque incidunt, magnam inde ipsi quidem vtilitatem capiant, nihil verò ipse auctor emolumenti perceperit. Ecce tibi hominis extrema miseria, quòd doctrinæ diuitias congerat, & non habeat potestatem vescendi illis, sed integras, & intactas aliis propinet; quòd lacteos sapientiæ fluctus ad labra vsque perducat, & nec minimum eius saporem intimo palato degustet. Vtinam tibi totum lac suggeras, & nihil aliis noueris exprimere, sanè felicior esses. Reuoca in memoriam historiam relatam à D. Matth. cap. 2. cùm Magi quærerent vbi natus esset Rex Iudæorum, turbatus Herodes conuocat Doctores legis, vt ex libris legis locum explicent natiuitatis Dominicæ. Quid tunc Doctores? Diligenter scrutati scripturas Bethleem designant, ex qua Dux ille, qui regat Israël erat oriturus. Hoc testimonio ducti Magi quærunt, & inueniunt, & adorant Christum, & per aliam viam reducti in patriam, occasionem præbent, quòd lactentes paruuli pro Christo occumbant. Ecce tibi Doctores legis quàm miseri mel, & lac in lingua tantùm habuere, à qua fluens doctrina repleuit Magos, & exinde exundans pueros tanti boni inscios perfudit. Pro quo eleganter D. Leo serm. 1. in Epiphan. ait: *Iam ergo ad* D. Leo.
eruditionem gentium propheticus sermo transibat, cùm Iudæorum infidelitas veritatem ore proferret, & mendacium corde retineret. Noluerunt enim agnoscere oculis, quem de sacris indicabant libris. Quæ est ista, Iudæi, tam imperita in vobis scientia, & tam

indocta doctrina? Cur vobis viam, quam alijs aperitis, obstruitis? Felicior ergo ignorantia infantium, quos persecutor occidit, quàm vestra scientia, quam in sua perturbatione consulit. Vos noluistis regnum eius recipere, cuius oppidum potuistis ostendere. Illi potuerunt pro eo mori, quem nondum poterant confiteri. Sanè pueris his mel, & lac sub lingua fuit, legis Doctoribus tantùm in lingua: illi poculum Christi gustati, carnificum manibus inserebantur cœlesti regno; hi sicci, & famelici per labra sua sinebant transire ad extraneos fluenta diuina.

§. III.

Nunquam à Dei spiritu venit quòd diuina præcepta aggrauentur, sed quòd emolliantur.

PHarisæi vt se iustiores ostentarent, sic diuina præcepta exaggerationibus suis aggrauabant, vt minimè viderentur ab hominibus posse perfectè adimpleri; imò omnes passim populares oneri succumberent, & se tantæ perfectioni impares ostenderent. Non hæc vera iustitia est, sed Pharisaica adinuentio, quæ nunquam nouit aliquid infirmitati tribuere, sed onus oneri addere, quo vel labantur, vel nutent hominum pedes. Hoc magisterium nequam, prima induxit in mundum Eua: quippè iamiam præceptis
Genes. 2. diuinis valedictura Genes. 2. sic ait: *De fructu verò ligni, quod, est in medio paradisi, præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud.* Putaret aliquis Marcion durum hoc, & nimis seuerum præceptum non potuisse non imponi à durissimo Deo, & quis non durus Dominus, cùm vetaret fructus esum, vetaret & tactum? Sufficeisset, quòd iuberentur primi homines non edere de ligno scientiæ, cur necessum fuit addere, quòd non tangerent illud, nónne hoc ad duritiem, & nimium rigorem præcepti spectat? Nónne & delinquentes habent vnde excusentur, nimirum ex nimia strictione, & seueritate præcepti etiam circa paruum tactum? Absit hoc à præcepto diuino, in quo nulla fuit vel vmbra nimietatis, sed in referente: non enim Deus, qui præcepit, sed Eua, quæ refert præceptum, illud de tactu posuit, quo rigore præceptum iam contemptui vicinum
Ambros. proponeretur. Ad hæc ait D. Ambrosius lib. de Parad. cap. 12. *In mandato quidem nullum vitium est, sed in velatione mandati. Etenim quantum præsens lectio docet, discimus nihil vel cautionis gratia iungere nos debere mandato. Namque hic quid offensionis habet prima specie, quod addidit mulier: Et ne tangeremus illud? (Non tangetis eum, Deus non dixerat; sed non edetis.) Sed tamen lapsus incipit esse principium.* Hoc efficiunt, qui præceptorum oneri adducunt suis exaggerationibus nouum onus; qui vt à materia præcepti deterreant, sic & in leuissima, quæ circa illam sunt, inuehunt, vt videantur asserere neminem liberum posse esse à fractione præcepti, quo frequentioribus, & grauioribus lapsibus aditum aperiunt. Non hic est Dei spiritus, qui potius in paruis vel solet conniuere, vel indulgere fragilitati, vt sic integra præce-
1. Cor. 7. cepta seruentur. Præclarus gentium Doctor Paulus, 1. ad Corinth. 7. sic monebat: *Propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum virum habeat.* Quid ais Paule? cur non maiorem cautelam addis, vt deterreantur homines à materia præcepti? Præcepit Dominus hominibus non mœchari, vt fugiatur mœchia, cur potiùs non iubes vel tactum, vel aspectum, vel quodcumque fœminarum consortium præcaueri? Bonus Doctor maluit infirmis parcere, matrimonij concedens licentiam, nedum omnia sub præcepto inuoluit, tollatur indulgentia, & scandalum infirmis detur. Propter quos ostendit, quàm debeat quilibet Doctor & præcipere, & indulgere, prout ad salutem fratris fuerit conuenientius. Hanc margaritam
Tertull. eduxi ex fœcibus, quas Tertullian. dedit de Monogamia. vbi ait. *Ita res exigebant, vt Paulus omnibus omnia fieret, quo omnes lucrifaceret: parturiens illos, donec formetur Christus in ipsis, & calefaciens tanquam nutrix paruulos fidei, docendo quædam per veniam, non per imperium: aliud est enim indulgere, aliud iubere.* Hic est Christi spiritus, non sic omnia, & parua, & magna cuiuslibet materiæ exaggerare, vt omnia videantur præcepta, & singula præcepta appareat multiplicibus scatere præceptis; sed potiùs indulgentiam aliquam, imò & aliquando conniuentiam immiscere præceptis, quo sic emolliantur, & suauitatem Christiani iugi præseferant.
Bernard. Prudenter D. Bernardus serm. 42. in Cant. dolebat rigorem suum, extitisse fratri occasionem maioris ruinæ, quippè ait: *Mallem aliquando tacuisse, & dissimulasse, quod agi perperam deprehendi, quàm ad tantam reprehendisse perniciem.* Et quidem cùm scopus magistri debeat esse discipuli salus, sic omnia attemperari debent, vt possint non ad perditionem, sed ad salutem conducere. Hinc D. Stephanus Actor. 8 suorum saluti consulens rigorosam fidei Christianæ veritatem sic Actor. 8. emollit, & attemperat, vt sine suorum maiori vulnere possit audiri. Ait enim de Iesu: *Ecce video cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei.* Christianum dogma de Iesu dicit, quòd sedet ad dexteram Patris; cur Stephanus hoc rigorosè non prædicat dogma? Cur maluit stantem, quàm sedentem Iesum in medio proferre? Quantum enim attinet ad statum corporis, idem semper est, siue dicatur sedere, siue stare: gloria autem magis explicatur, cùm dicitur sedere, quàm cùm dicitur stare; cur ergo maluit Iesu gloriam ab Apostolis, & ab Euangelio explicatam, per hoc quòd sedeat, dissimulare, & stantem proferre? In rem nostram OEcumenius ait: *Quoniam graue eis fuisset audire,* OEcum. *quòd sederet, stare interim dixit, designans ipsius resurrectionem.* Præclarus Christi discipulus, magistri sui iugum leue, & suaue introducere cupiens, abstinuit à verbis, quæ grauia, & importabilia viderentur tunc temporis fratribus Iudæis: vt pateat, quàm Christianum sit, legum duritiam emollire, interpositis iis, quæ per indulgentiam infirmos animos trahere queant.

Text. Omnia verò opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus: dilatant enim philacteria sua, & magnificant fimbrias. Amant autem primos recubitos in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.

§. IV.

Vana gloria omnium vitiorum mater.

EXpende vnde incipiat Dominus vitia Pharisæorum carpere, nimirum, a vana gloria, faciunt enim omnia opera sua, vt videantur ab hominibus. Quid tunc? Post hanc septem vitia illorum numerat, singulis addens væ, vt per septem væ, Pharisæorum extremam desperationem pronuntiet. Sed miraris, quòd ad vanam gloriam septem illa væ sequantur; & quidem nihil certius accidit in mundo, vbi enim vana gloria aditum inuenit in corde hominis, non quiescit donec septem væ secum inferat. Rem pulchrè attigit D. Ephrem tract. de Pœnitent. inquiens: *Alij gloriam mediante pœnitentia sibi comparant, & pro venia aliud debitum trahunt. Heu mihi, quoniam quod ait Christus, in talibus* D. Ephr. *complebitur, atque firmabitur, quia septem alios spiritus nequiores assumit qui in eum ingressi habitent ibi.* Nunquam gloriatio vana sola esse scinit: vbi animum occupat, nequissimos alios spiritus adsciscit, qui secum habitent ibi, & omnigena repleant hominem nequitia. De Rege illo Babylonio sese inaniter extollente ait Daniel cap. 4. *Responditque Rex,* Dan 4. *& ait: Nónne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? Cúmque sermo adhuc esset in ore Regis, vox de cœlo ruit: Tibi dicitur Nabuchodonosor Rex; Regnum transibit à te, & ab hominibus eycient te, & cum bestijs feris erit habitatio tua: fœnum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te.* Proh vanissimum gloriæ decus! Simul Rex suæ gloriæ decus iactat, in operibus suis gloriatur, & septena super se carnalium desideriorum sentit venire supplicia, iam non Rex, sed miserum voluptatum mancipium feralibus bestiarum more raptatur cupidinibus. Perpende homo, qui gloriam aucuparis, qualem ex hoc accipias mercedem; vbi te gloriæ affectus ceperit, simul & vniuersi bestiales appetitus te discerpent, & miserè perdent. Pulchrè ad hæc Rich. Richard. Vict. lib. 2. de erud. homil. interp. part. 1. c. 41. ait. *Vox ruit, cùm adhuc sermo esset in ore, sub ipso videlicet adhuc gloriandi tẽpore. Tibi dicitur Nabuchodonosor, tibi tam inaniter glorianti. Ab hominibus eycient te: ab hominibus eiectus ad bestias, & feras descendit, qui rationales mores deserens, cùm bestialiter viuentibus sit ad omnem carnalitatem resolutus, & cum feraliter agentibus, ad omnem crudelitatem effrenatus.* Hos mores ebibit, qui inanibus mundi gloriolis se extollit, & plausibus popularibus immodicè afficitur: qua enim sibi aditum inuenit inanis gloriatio, non dubito, quin simul omnia reliqua vitia, septena, & septena intrent. Ioiadæ disciplinis nutritus Ioas Rex magnum sibi pietatis, & religionis nomen acqui

acquisiuit: sed mortuo Ioiada in idololatriam, cæteráque vniuersa nequitiæ facinora præceps ruit. Sed vnde tot tantáque scelera aditum inuenerunt, vt occuparent piissimi, 2. Par.24. religiosissimique Principis animum? Rem attigit 2. Paralippom.24. vbi sic. *Postquam autem obijt Ioiada, ingressi sunt Principes Iuda, & adorauerunt Regem, qui delinitus obsequijs eorum, acquieuit eis. Et dereliquerunt templum Domini Dei patrum suorum, seruierúntque lucis, & sculptilibus.* &c. Principes Iuda cœperunt regem adorare, hoc est, eum laudibus, plausibúsque extollere, eiúsque vel parua opera mirum in modum efferre: & dum gloriolis his, & plausibus popularibus capitur Rex, contemptum veri Dei ebibit, milléque idolorum ligneorum fit vile mancipium. Huc spectans Cassian. Cassianus lib.12. cap.21. aiebat: *Ioas, qui tumida cordis elatione inflatus est, turpissimæ confusioni traditur deludendus*, &c. Accedunt vniuersæ vitiorum turpitudines, vbi humanus plausus vacuitatem in mentem hominis introducit. Vnde Paschas. meritò dicebat D.Paschasius lib.10. in Matth. *Tolle ergo hoc vitium de clero, ne velint ab hominibus laudari, mox & cætera resecantur vitia.*

§. V.

In naturam peccat, qui se alteri præfert, nihilóque sit proximus.

MEritò Dominus Pharisæis vitio vertit, quòd primos accubitus ament, eóque semper spectent, vt inter omnes appareant primi. Quod vitium, vt damnaret ipse author naturæ, cùm ad formationem secundi hominis accedit, illum ex Adami costa effingit. Sic enim habes Genes. Genes.2. 2. *Ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem, & adduxit eam ad Adam.* Cur è costa hominum genus multiplicare? D.Ælred. lib.1. de Amicitia, ait. *Pulchrè de latere primi hominis secundus assumitur, vt natura doceret omnes æquales, quasi collaterales, nec esset in rebus humanis superior, vel inferior.* Nos omnes pares fecit natura, collateralem te fratribus apposuit Dominus; cur homo superbissimè latera fastidiens, primos solùm appetis recubitus? Sanè quo magis æqualitatem cum fratribus despicis, eò minus hominis te habere puta, adeò vt penè conuertaris in Cant.4. nihilum. Cant.4. ad Sponsam dicitur: *Duo vbera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in lilijs.* Ecce tibi, qui Ecclesiæ lactantur vberibus, gemelli dicuntur: soli gemelli ad vbera admittuntur, quibus nutriantur, & crescant in perfectam ætatem. Sed scire cupis, cur necessum sit, quòd gemelli sint? Nónne sufficeret, quòd essent fratres? Cur maluit ponere gemellos, quàm fratres? In fratribus adhuc potest esse magna differentia nascendi, & inæqualitas, ideo posuit gemellos, vt doceret, quàm sit necessaria omnimoda æqualitas eis, qui velint de Christi vberibus ali, ne in Gillib. nihilum resoluantur. Aiebat Gillib.Abb. serm.27. in Cant. *Ideo dicuntur gemelli, quia fides nullis gradibus separat, quos æquè regenerat. Alioquin qui nesciunt esse gemelli, effecti sunt nulli: & in conuiuio locum occupantes primum, iam non habent nouissimum.* Prorsus abeunt in nihilum, qui communem in omnibus dedignantes naturam, eò spectant, vt qui maxi-Act.5. mum, & primum, super omnes appareant. Actor.5. dicitur de quodam se supra omnes extollente: *Extitit Theodas, dicens se esse aliquem, cui consensit numerus virorum circiter quadringentorum, qui occisus est: & omnes, qui credebant ei, dissipati sunt, & redacti ad nihilum.* Expende totam causam, cur in nihilum deuenerint hi, nimirum illud, *dicens se esse aliquem.* Syrus exprimit, *dicens de anima sua, quòd aliquid esset ipse magni*; vel aliter, *dixerat de se ipso se esse quid eximij.* Et cur non pereat, qui sic euanet in cogitationibus suis? Qui sic se supra omnes extollunt, vt ipsi soli velint omnia prima, & eximia tenere? Sanè adeò hi euanent, adeò rediguntur in nihilum, vt ex eo solùm pu-Athanas. tentur à D.Athanasio diuinæ quidditatis expertes, quòd de superioritate contendant, nullúmque admittant splendoris, gloriæque consortem. Is enim orat. contra gentes eo argumento concludit in astris nullam esse Deitatis formam. *Quòd si dij essent, non conueniret, illa à se mutuo superari, & abscondi; sed vbique sibi mutuò adesse, & communes simul operationes absoluere oporteret, noctu interdiúque Solem, & Lunam simul vnà cum reliquo stellarum choro par lumen habere.* Hoc esset diuini halitus præclarum indicium, si Sol, Luna, & stellæ simul surgerent, párque lumen singulæ haberent. At quia Sol nullum stellarum, Lunæve consortium admittit, sed prorsus illas abscondit, sibíque soli permittit lucere, ideo se non Deum, sed ex nihilo factum ostendit, & forsan in nihilum redigendum.

Text. Vos autem nolite vocari Rabbi, vnus est enim magister vester, omnes autem vos fratres estis. Et patrem nolite vocare vobis super terram, vnus est enim pater vester, qui in cœlis est. Nec vocemini magistri, quia magister vester, vnus est, Christus.

§. VI.

Vel minima de dignitatibus habendis contentio pestifera est Apostolicis viris.

NOn solùm rem primatus, & dignitatis repellit Iesus à suorum collegio, sed & dignitatum nomina prorsus abigit, dum iubet, ne vocentur Rabbi, ne magistri vocentur. Amauit in scholis suis contentiones pro dignitatibus habendis, qui vel dignitatum nomina contendit repellere? Absit: quin imò illas abominatus tanquam pestiferas, & animabus conuertendis prorsus exitiales. Matth.18. adhuc Matth.18. rudes Apostoli contendebant, *Quis eorum videretur esse maior?* Audiuit Dominus contentionem, & multa respondens de scandalo pusillorum tollendo, tandem exclamat: *Væ mundo à scandalis.* Quorsum hæc sapientissime Iesu? Quorsum mundi ruinam defles? Quæ scelera, quæ facinora vides, quæ te faciant & tuis, & mundo extremam perditionem timere? Contra quos sceleratos sic exardescis? Sanè in præsentiarum soli apparent Apostoli tui de primatu contendentes, hæccine est tanta scandalorum, & ruinæ causa? Planè aliquibus parui momenti videtur contentio de primatu; sed ea est, quæ immensum animarum lucrum perdat, dum in viris Apostolicis cernitur. Aiebat D.Paschasius Paschas. lib.8. in Matth. *Contra Apostolos id dictum intelligi potest, qui interrogando, quis maior esset in regno cœlorum, videbantur de dignitate inter se contendere. Et si in hoc vitio permansissent, poterant proculdubio eos, quos ad fidem vocabant, suo scandalo perdere: dum viderent eos adhuc in fide infirmi, inter se de honore pugnare.* Adeò damnosa est in Apostolicis viris quæuis etsi parua pro habendis dignitatibus contentio. Ideo nil prius curat Iesus, quàm has contentiones à suis repellere collegiis, vt quæ inficere valeant orbem vniuersum. De viro bono dicebat Psalm.1. *In cathedra pestilentiæ non sedit*; Psalm 1. quam cathedram explicans D.Ambros. meminit, quòd Ambros. Iesus ingressus templum cathedras vendentium inde eiecit: nimirum cathedras vendentium fumos, dum primas semper dignitatum sedes affectant. Quippè ait: *Has cathedras saluator de templo eiecit, eorum, qui se de honore iactarent, primatus quærerent dignitatum. Hæc vera est pestilentia.* Equidem primatus, dignitatísque amor inordinatus pestilentia est, potens omne animarum lucrum perdere, imò perdere orbem vniuersum. Nota fuit Core, Dathan, & Abiron contentio pro sacerdotij dignitate obtinenda Num. 16. nota Num.16. item est eorum pœna, videlicet, *dirupta est terra sub pedibus eorum, aperiens os suum deuorauit illos, cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum, descenderúntque viui in infernum.* Cur viui ab inferno glutiuntur? Cur tam præcipiti lapsu rorantur? Timuit Dominus rerum vniuersitati, ne contaminaretur tam pestilenti ambitionis contagio, ideo illos festinauit tradere viuos gehennalibus flammis. Ad hæc pulchrè aiebat D.Ambrosius lib.10. epistol.82: *Abripiuntur* Ambros. *noxij, & ita ab omnibus huiusmodi ablegantur elementis, vt nec aerem haustu, nec cælum visu, nec mare tactu, nec terram contaminarent sepulchro.* Nulla creatura non sibi cauet à contagio hominis contendentis pro habendis dignitatibus; qui affectus adeò pestilens est, vt etiam pusillus possit mundum inficere, vniuersos perdere. Vide suprà cap.12.§.8.

§. VII.

Gloriosum homini, quòd Iesum magistrum habeat, qui solus doctos facit discipulos.

QVis hominum non immensè glorietur, cùm audit, *magister vester, vnus est, Christus?* Noster magister est Christus, cuius magisterio gaudent supremæ illæ mentes, qui immediatè à Deo solent accipere rerum scientiam. Isaiæ 63. dum Iesus iam consessurus ad dexteram patris ascen

ascenderet, superiores illæ virtutes, quæ proximiæ Deo sunt, mirantes hominem tanta gloria coronatum, ipsum interrogant: *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Non mirandum, quòd Christi purpura noua, & incognita appareat supremis potestatibus; sed illud maximè mirandum est, quòd supremæ virtutes nihil assuetæ ab aliis addiscere, nisi à solo Deo immediatè, nunc non dedignentur, sed potiùs ament, fieri Iesu discipuli, tantóque gaudere magistro. Id
Dionys. quod miraculosum visum fuit D. Dionysio Areopag. de cœlesti Hierach. cap.7. vbi inquit: *Quasdam introducunt ad Iesu ipsius hæsitantes aspectum, dutrique illius operis, & pro nobis assumptæ carnis scientiam discere cupientes; quos ipse Iesus per se docear, eximiámque benignitatem suam primò ipsis insinuet. Dignum verò miraculo est, cur primæ illæ quoque virtutes Angelicæ, diuinarum intelligentias rerum, quasi non summæ, sed mediæ sint, adeò reuerenter addiscere cupiant.* Quæ verba si
Idem. obscura videbuntur, vt assolent esse, quæ D. Dionysij verba sunt, sic explanantur ab eius scholiaste, dicente. *Illud verò dignum admiratione est, quomodo illæ summæ Angelicæ substantiæ, quæ aliis longè supereminent, diuinorum mysteriorum scientiam, cum modestia, reuerentia, & veneratione singulari à Iesu addiscere cupiant, quasi non summæ essent.* Inferioris Angeli est ab aliis informari, & doceri, at qui supremus est, à nullo doctrinam, & scientiam capit, nisi immediatè à summo Deo. Sed vbi magister Iesus apparuit, vel ipsi supremi, & summi spiritus gaudent à tanto magistro doceri, & informari, vt inde hominum gloria apertiùs pateat, qui illum magistrum habent, in quem supremi spiritus desiderant prospicere, pro nobis assumptæ carnis scientiam discere cupientes. Et cur non gaudeat de magistro, qui solus verus, & vnicus magister est; quippè cæteri magistri possunt docere, verùm facere doctos non semper possunt. Iesus autem sic docet, vt faciat doctos, & verè scientes discipulos suos.
Ioan.1. Dicebat enim Ioann. cap.1. *Lex per Moysem data est, gratia, & virtus per Iesum Christum facta est.* Quæ verba si notentur, inuenies discrimen maximum inter Moysi, & Christi magisterium: Moyses enim notitiam legis dedit solùm, ex se solùm habebat potestatem dandi legem, non faciendi doctos: Iesus sic tradebat doctrinam, & disciplinam suam, vt
Clem. Alex. illam faceret totis præcordiis recipi. De quo Clemens Alexand.1. Pædagog. cap 7. ait: *Videte verba Scripturæ. De lege quidem, data est, inquit, tantùm: veritas autem, quæ est gratia Patris, est æternum Dei opus; & non dicitur dari, se per Iesum fieri, sine quo factum est nihil.* Vnus Iesus est, qui non solùm dat doctrinam, sed facit doctos: non solùm docet, sed facit scientes; qui nouit hæc, & alium æstimet magistrum? Verè vnus est magister noster Iesus, qui solus potest facere doctos discipulos.

Text. Qui maior est vestrûm, erit minister vester: qui autem se exaltauerit, humiliabitur, & qui se humiliauerit, exaltabitur.

§. VIII.

Qui primas ambitiosè occupat, proximus est conculcationi.

Vicini sunt ambitionis primatus, & conculcatio; ambitiosa exaltatio, & verecunda humiliatio. Dicebat
Matth.6. Dominus Matth.6. *Quòd si sal infatuatum fuerit*, siue, vt alij malunt, *euanuerit, ad nihilum valet vltrà, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Et quidem, qui sic euanent in cogitationibus suis, vt sursum leuitent, nec quiescant, donec se supra omnia in primis constituant, in proximo
Isai 18. sunt. vt ad pedes raptati conculcentur ab hominibus. Isai. 18. *Ita Angeli veloces ad gentem expectantem, & conculcatam.* Nullis verbis pulchrius describeret ambitiosos homines, & primatus amatores, quàm dum vocantur *gens expectans, & cõculcata.* Quippè primatus sectator, nunquam in possessione aliqua quiescit, semper in spe, & contra spem vitam agit; vix sedem obtinuit, & ad aliam expectandam sese accingit; huic tribuit Petrus Blesensis in malum, quod charitati tribuit D. Paulus in bonum nimirum, *omnia sperat.* Nullum culmen est, quod sibi non speret ambitiosus, in quod non leuitet; sed nota vicinum huic adeò expectatrici genti, videlicet, *& conculcata.* vicinissima sunt culmina conculcationi. Sed accipe Forerium sic præsentem locum legentem: *ad gentem lineæ, & lineæ, & conculcationis.* Quorum verborum ingenium omnino penetrabis, si tibi ob oculos ponas, quod in tritico dimetiendo accidit; cumulatur in primis tritico modius, deinde linea iuncta modij labiis tanta vi semel, & bis deducitur, vt grana, quæ suprema sunt, hinc inde prosiliant iactata, & multa in terram decidentia perdantur. Quæ in fundo modij consident grana, quieta sunt, nec lineam norunt, nec eius raptum experiuntur; ast quæ in culmine sunt grana lineæ patiuntur raptus, quorũ vi proiecta ad terram, conculcationi dantur. Pulchrè ergo primatus sectatores vocantur, gens lineæ, & lineæ, & conculcationis; dum enim semper in culminibus apparere festinant, mille perpetiuntur linearum raptus, quibus proiecti foras, ad pedes rapiantur. Ad hæc eleganter, &
acutè D. Bernard. serm.2. in cap.6. Isaiæ fatur: *Eant superbi, insolescant magis, extollantur, inflentur, appetant semper in cumulo apparere, vt cùm venerit æquitatis linea, à plenitudine cydantur*, &c. Nunquam in cumulo appares, quin expositus sis conculcationi: felix, qui sciuit in imis considere, à nullo lineæ raptu timet, insuper & gloriosus ascendet. Superbissimus ille Babylonius Rex sic se efferebat super omnes Daniel.4. *Nónne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? Cumque sermo adhuc esset in ore regis, vox de cœlo ruit: Tibi dicitur Nabuchodonosor rex, regnum transibit à te, & ab hominibus eijcient te, & cum bestiis erit habitatio tua.* Hæc vox insonuit, & statim omnia verba in effectum venerunt; miserque rex à gloria decidens humi reptare cœpit instar bellnæ, à consortióque hominum proiectus bestiarum stabula incolebat. Quid tunc? *Igitur post finem dierum ego Nabuchodonosor oculos meos ad cœlum leuaui, & sensus meus redditus est mihi, & Altissimo benedixi.* &c. Compone modò hunc regem in cumulo apparentem, cùm se ipso in fundo considet: sanè dum sese eleuans in cumulo apparet, confestim lineæ raptum experitur, quo in terram proiicitur, conculcationique datur. Vbi autem in fundo considet, humi reptans in gloriam, & exaltationem restituitur. Richard. Victor. lib.2. de eruditione interni hom. par.1. cap. 47. ait: *Certè vides quid agat superba gloriatio; certè vides, quid efficiat deuota glorificatio. Superba gloriatio meretur deiectionem; deuota glorificatio exaltationem. Ibi cecidit, cùm superbè satis glorificaret se ipsum; & idem ipse resurgit, cùm deuotè glorificat Deum, & Dominum suum.* Nihil prius sentit superbus, quàm iactum lineæ, quod decidit à culmine, & æquatur solo.

Bernard.

Dan.4.

Idem.

Richard.

Text Væ vobis scribæ, & Pharisæi hypocritæ: quia clauditis regnum cœlorum ante homines; vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.

§. IX.

Iniquum est humanæ infirmitatis nullam habere rationem in disciplinis tradendis.

Vide Pharisæorum non paruam iniquitatem, nec paruo dignam supplicio, quòd *claudebant regnum cælorum ante homines.* Non mirarer si Angelicis spiritibus regnum cœlorum ostenderetur clausum, ferreisque obfirmatum valuis, quando Angeli fortes erant, qui facto impetu possent ænea etiam mœnia penetrare; at infirmis hominibus ea opponere, quæ vix superarent Angeli, nec vllam habere rationem infirmitatis; hoc iniquum est, Pharisaicum est, & minimè Christianum. Sanè nunquam non malè audit in vera Ecclesia rigor ille, qui nulla ratione habita fragilitatis carnis, ea requirit ab homine, quæ requireret ab Angelo. Præclarè D. Pacianus epist.1. ad Symphorianum, huius stultitiam hæreticam damnat, quæ hominis baptizati peccatis, æquè, ac Angelorum spem remedij auferebat. Quippè ait Pacian. *Si Diabolus recessit à mundo, si nullum oculis, nullam manibus, nullum mentibus nostris obrepit peccatum, obijciatur Dei donum, repellatur auxilium, contemnat omne remedium superba iustitia. Quòd si hæc homini suo Dominus prouidit: desinite diuinam accusare pietatem; aut tot clementiæ cœlestis titulos obiectu rigoris euadere, aut gratuita Domini bona in obsecrabili asperitate prohibere.* Homo habet tentatorem Diabolum, crebrósque eius impetus patitur; habet rursus quinque materiales sensus patentes, qua obrepat vitium adeò, vt possit iam intus esse, antequam plenè ab homine sentiatur. Qui hæc nouit, cur inobsecrabili asperitate hominem insequatur? Cur obiectu rigoris cœlum obseratum ostendat? Cur Pacian.

nec

nec aditum diuinæ pietatis permittat? Deus qui omnia nouit, qui seuerus Angelo remedium eripuit, mille remedia homini suo prouidit. Diuinum est, Christianum est rationem habere infirmitatis, & quòd iter arduum, & ostium clausum proponunt fortibus; idem complanatum, & apertum debet proponi infirmis. *Isa. 40.* Isaias cap. 40. *Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons humiliabitur, & erunt praua in directa, & aspera in vias planas. Et reuelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro*, &c. Magnum equidem beneficium est, quod accliuia, & aspera praeuia, & plana, & facilia, & aperta reddantur. Quòd si quæras tanti beneficij causam, illis ostenditur verbis, *& reuelabitur gloria Dei, & videbit omnis caro*; ponitur enim in præsenti particula illa, *&*, pro causali, vt assolet poni in Scriptura sacra. Quia ergo gloria Dei reuelanda erat, vt videretur ab omni carne, id est, necessum fuit priùs proponi aspera omnia complanata, & aperta, vt iam nullus labor, nullus sudor appareat, sed via facilis, & suauis, per quam inoffensæ possit intrare *Chrysost.* infirmitas carnis. Ait D.Chrysost. homil. 10. in Matth. *Non iam ad iustificationem merendam, labores peccatoribus imminent, & sudores: sed gratia omnibus occurrit, ac venia plurima salutis plena compendia. Et causam, quæ id faciet, ostendens, Quoniam, inquit, videbit omnis caro salutare Dei.* Vbi caro accedere ad Deum debuit, & in Dei regnum intrare, necessum fuit, quòd ratio illius infirmitatis haberetur, & omnia illa aperta, & præuia, & facilia proponerentur. Huc spectans obseruabam insolitum morem reædificandæ Hierosolymæ apud Esdram lib. 2. cap. 3. Dirupta fuit ciuitas a Babylonijs, & igne succensa, muri eius solo æquati, & populus in captiuitatem ductus miserè captiuus agebat. Tunc Nehemias inueniens gratiam in conspectu regis, accepit facultatem reædificandi muros Hierosolymæ. Quid plura? Hierosolymam pergit, deflet eius ruinam, conuocat optimates, hortatur ad reædificationem murorum, ac-*Esdr. 2. 3.* cinguntur in opus vniuersi: *Et surrexit Eliasib sacerdos magnus, & fratres eius sacerdotes, & ædificauerunt portam gregis.* Ecce tibi in reædificatione Hierosolymæ, nil prius ædificatur, quàm porta, & hæc à sacerdotibus. Cur non priùs exsurgunt militares phalanges, vt ædificent muros, turresque in cœlum sustollant? Cur priùs spiritus sacerdotum excitatur, qui ædificent portam? Ratio habebatur infirmi, & miselli populi, qui captiuitate fractus, & debilitatus, dum ad patriam remearet, non amaret videre horrentes militaribus copijs muros priùs, quam patentissimas portas multo plenas sacerdote, quorum pacificis manibus exciperentur, omni prorsus deposito timore. Firmat hanc excogi-*Dionys.* tationem lectio D. Dionysij Carthus. sic ipsum locum reddens: *Ædificauerunt portam, & probaticam piscinam*; & quidem probatica piscina pro infirmis poneretur. Nil enim prius Dei spiritus docuit, quam vt portæ patentes, & sacerdotes in eis, & piscinæ pararentur, vt omnia salutis media infirmis essent præuia, & facilia, & aperta. Vnde *Psal. 86.* Psal. 86. *Diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Iacob.* Et cur diligat Dominus plus Sion, portas nimirum *Brun.* Ecclesiæ? Iam explicat Brun de laudibus Eccles. c. 6. aiens. *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. Memor ero Rahab, & Babylonis scientium me. Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum; hi fuerunt illic.* Cur Deus non amet portas Sion, quæ in eo gloriatur, quòd pateat omnibus, quòd nullum excludat, sed & meretrici Rahab, & persecutori Babylonio, & alienigenæ, & Tyrio, & Æthiopi, si reuertantur, apertum præbeat introitum, & salutem præbeat. Sanè tabernacula Iacob, etsi pulchra, vt valles nemorosæ, tamen armis vndequaque horrebant, & cincta militibus alienigenis, & publicanis, & metum, & horrorem, imò & penè salutis desperationem ostendebant. Christi verùm Ecclesia non milites, non spicula ostendit, sed portas patentes, multò sacerdotum agmine plenas, multis piscinis ornatas, ne vllus sit infirmus, qui ibi salutem desperet. Hæc meditatus *Brun.* D.Bruno. sup. sic finit: *Re vera & gloriosa, & plusquam gloriosa sunt hæc.* gloriosum enim est, & Deo dignum vbique rationem infirmitatis habere. Inde Iesum extollebat Paul. ad *Hebr. 2.* Hebr. 2. aiens. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Qualis hæc gloria Iesu, quòd Angelis occludens salutis ostium, illud hominibus reliquit apertum? *Anselm.* D. Ansel ibi ait: *Vt factus ergo creator, vt redimeret, illum ad se debuit redimere, quam in perpetratione culpa ex infirmitate aliquid constat traxisse, & altiùs exaltatam Angelum debuit repellere, quia iam à persistendi fortitudine corruit, nihil infirmum ex . . ne restituit.* Meritò semper à Dei spiritu habetur ratio infirmitatis.

§. X.

Vbi Iesus est, non possunt non patere, & prauia esse cælestia.

Regnum cœlorum claudebant Pharisæi ante homines, dum Iesum ab eorum oculis & animis expellere conabantur; nullò enim magis occlusum cœlum redderent, quam dum Iesum veram Dauidis clauem perdere statuunt. Quippe eò solùm cœlum non posset claudi, quòd Iesus daretur hominibus suspiciendus, amandus. Ait Tertull. lib. ad- *Tertull.* uersùs Gnost. *Scito & ascensum in cœlum ex inde complanatum vestigijs Domini, & introitum exinde confirmatum viribus Christi.* Nulla clausura in cœlo est, ex quo Iesus illud nobis reserauit, vnum hoc cura, nimirum, quòd Iesum habeas, & cœlestia tibi patebunt vniuersa. Psal. 23. dum Iesus ad cœlum *Psal. 23.* perueniret, sic clamant, qui eum comitabantur Angeli ad ianitores. *Attollite portas Principes vestras, & eleuamini portæ æternales, et introibit Rex gloriæ.* Alij pro verbo illo *attollite* legunt *tollite*, quasi prorsus iuberentur tolli cœlestia claustra. Et quidem ad ingressum Saluatoris sufficiebat, quòd portæ attollerentur, & aperirentur; cur necessum erat, quod non solùm attollerentur, sed & quod penitus inde tollerentur? Pulcrè rationem attigit D.Chrysost. siue Imperf. hom. 4. in *Chrysost.* c. 3. Matth. fatus: *Videntes Angeli portitores, quia cœli iam nunquam erant claudendi, sed omnes iusti, & peccatores postea ascensuri erant in cœlo; quia non erant necessariæ portæ cœli cœlo postea nunquam claudendo, ideo non dicunt, aperite portas, & introibit rex gloriæ, iam enim erant apertæ; sed tollite portas Principes vestras.* Vbi cum Iesu, qui ascendit, non solum apertum inuenit regnum cœlorū, sed & portas penitus sublatas, ne vllus clausuræ metus possit exstare. Iniuria esset Iesu, quòd vel porta aliqua, etsi aperta maneret in cœlo suis asseclis, quibus omnia cœlestia vult esse manifesta, & plena. Iussus est Moyses Exod. 24. ascēdere in montem, vt legem accipiat, de quo *Exod. 24.* statim habes: *Surrexerunt Moyses, & Iosue minister eius, ascendensque Moyses in montem Dei senioribus ait: Expectate hic, donec reuertamur ad vos.* &c. Moyses ascendere iubebatur in montem ad Deum, ille secum defert Iosue, nimirum Iesum filium Naue: sed cur secum defert Iesum? Prudentissimè sine Iesu ascendere in montem ad Deum non audet, putans de solo Iesu socio venire posse, quod ardua, & accliuia hominibus plana reddantur, & occlusa prorsus aperta, & clara. Sic ad hæc dicebat D.Cyril. Alex. lib. 10. de spiritu, & ve- *Cyrill.* ritate fatus: *Ascendeat in montem beato Moysi simul ascendit Iesus; neque enim aliter adire ad patrem potest, nisi per filium. In Christo igitur ipsi quoque sanctis viris patet aditus, & nobis ardua omnia plana sunt, & aspera peruia: facilia etiam, ac prona, quæ sunt inaccessa.* Nihil clausum, nihil arduum, nihil inaccessum est homini in cœlestibus, ex quo habemus Iesum; vt dicat Paul ad Hebr. 10. *Habentes itaque fratres fiduciam in* *Hebr. 10.* *introitu sanctorum, in sanguine Christi, quam initiauit nobis viam nouam, & viuentem per velamen, id est, carnem suam.* Iesu sanguis factus est nobis via perfacilis, via viuens, quæ nos ipsa deducat, & præbeat apertum introitum ad sancta cœlorum. Ansel. explicatiùs ait, *quam viam, id est, quem introitum* *Anselm.* *modò factam viam tritam in patriam ipse initiauit nobis.* Ex quo Iesum habemus, nullus introitus patentior, quam introitus ad sancta, nulla via magis peruia, magis trita, quàm quæ nos ad cœlestia ducit, imò & deducit.

§. XI.

Studium litterarum sacrarum, imò & ludus necessarius ad populorum salutem.

Vbi Matthæus ponit, quòd Pharisæi clauserint cœlum, Luc. c. 11. dicit, *quòd tulerint clauem scientiæ*; & meritò *Luc. 11.* putatur regnum cœlorum prorsus occlusum, & inaccessum, vbi clauis scientiæ tollitur, vbi studium, & literarum ludus non permittitur. Quod Pharisæorum ingenium hæretici nuper ebiberunt, dum ludos literarios oderunt, & disputationes de Deo, & veritate, quas scholasticas vocant, incredibili tædio, imò odio prosecuti sunt. Equidem ludi hi literarum, & acerrimæ disputationes, vt iustissimæ, & fidelissimæ rationum stateræ leuidensia vocularum plectra hæreticis familiaria ostendunt, certáque veritatum pondera nunquam non indicant. Salutis ergo viæ, regna ipsa cœlorū meritò dicuntur claudi ab his, qui tollunt de medio populi studia literarum. Psal. 86. *Diligit Dominus portas Sion, super* *Psal. 86.* *omnia tabernacula Iacob.* Hic portæ Sion nitent margaritis;

illic Iacob tabernacula ſplendent, media inter armatas phalanges; vtraque notat Dominus, & longè gratius aſpicit portas Sion, quàm Iacob tabernacula. Sed quæ illarum portarum eſt gratia potens, & Dei oculos, & affectum rapere? Lectio Neuienſis illam explicat, dum ait: *Diligit Dominus portas ſtudioſorum.* Vbi ſtudia florent, vbi bombi ſtudioſorum audiuntur, ſuper floridas ſapientiæ plantas, ibi, & ſalutis portæ patentiſſimæ viſuntur, & Dei ad homines amor. Cùm odium Dei homines à vitæ arbore eiecit, Cherubim ponitur ad oſtium horti igneum verſans gladium. Sed cur Cherubim, & gladius ponitur ad oſtium, an vt ſolùm homines arceantur? Imò crediderim ſimul in oſtio poſitum fuiſſe & Cherubim, & gladium, vt oſtenderent homini, per quæ poſſet ad Dei amorem, & vitæ arborem iterum inuenire aditum, nimirum per ſtudium ſapientiæ, Cherubim enim
Bachiar. dicitur plenitudo ſcientiarum. Aiebat Bach. epiſt. ad Ianu. *Eo vſque de ligno vitæ, id eſt, Chriſti participatio exules ſumus, donec ad eum per romphæam flammam, id eſt, ignitam martyrij paſſionē, aut per Cherubim Domini, qui interpretatur multitudo ſcientiæ, remeamus.* Duo nobis apertiſſima oſtia proponuntur, vt ad vitam, & ſalutem expeditum introitum habeamus: nimirum flammeus gladius, & Cherubim, hoc eſt, martyrium, & ſcientia, qui tanto dignatus fuerit dono, vt martyrio purpuraſcat, apertiſſimum ad gloriam inueniet aditum; quòd ſi martyrium deſuerit, non deficiet nihilominus aditus, adhuc enim reſtat ſtudium ſcientiarum diuinarum, per
Ecclef.7. quod nihil tibi non patebit ſalutare. Eccleſ. cap. 7. ait: *Sicut enim protegit ſapientia, ſic protegit pecunia: hoc autem plus habet eruditio, & ſapientia, quòd vitam tribuunt poſſeſſori ſuo.* Duo fulcra ſtatus, quibus quæuis reſpublica, quæuis domus floret, & nititur in præſenti, & facilem ad vitam æternandam habet aditum. Qualia hæc fulcra? Sapientia, & pecunia; nimirum ſtudium litterarum ſacrarum, & bona temporalia ſanctè diſpenſans, & operam ſapientiæ nauans beatus, & felix eſt. Sed & ſapientia hoc habet amplius ſupra bona
Chald. temporalia, quòd & vitæ æternæ habet aditum. Sic Chaldæus Coſti explicat: *Quemadmodum homo præſidio, & velut vmbraculis ſapientiæ defenditur, ſic & ſub vmbra pecuniarum incolumis degit, eo potiſſimum tempore, quo illas ad iuſtitiam confert. Et ſanè dignitas cognitionis ſapientiæ legis ab ipſo ſepulchro ad futurum ſæculum poſſeſſori vitam confert.* Nullum non deducit ſapientia, & eruditio in vitam; & quidem in eam
Campenf. vitam, quæ neſciat finem. Id quod expreſſius poſuit Campenſis ſatus. *Hoc habet ſupra diuitias ſapientia, quòd ſapientem ad vitam perducat æternam.* Planè qui diuinæ ſapientiæ dat operam, ſacriſque doctrinis enucleandis inſudat, ſolidis aſſuetus veritatibus, erubeſcit aſpicere mundiales fucos, voluptatúmque fallentium ſpeciem depretiat vitidulam. Vn-
Ecclef.4, de Eccleſiaſt. cap. 4. ait: *Sapientia filijs ſuis vitam inſpirat, & ſuſcipit inquirentes ſe, & præibit in via iuſtitiæ.* Non legas, quòd ſapientia inſpiret vitam filiis ſuis, ſed lege, cum Cle-
Cl.Alex. mente Alexand. Stromat. 7. *Sapientia inflauit ſuos filios.* Deus bone, ſapientia inflat filios ſuos? Si ſapientia inflat, qualiter dicitur, *& præibit in via iuſtitiæ?* Iuſtitiæ aditus anguſtiſſimus eſt, non capiet inflatos; vbi inflati peruenerint ad anguſtias iuſtitiæ, prorſus inueniet occluſum introitum. Qualiter ergo poteſt ſtare, quòd ſapientia inflet filios ſuos, & ſimul deducat in viam iuſtitiæ? Sanè ſapientia ſuos inflat filios, vt magnifica, & Deo digna ſolùm appetant, dedignati mundialibus amplius inhærere menda-
Idem. ciis. Pulchrè Clem. Alexand. ait: *Sapientia, inquit Salomon, inflauit filios ſuos. Non enim ijs, qui ſunt in doctrina ſingulari, faſtum, & arrogantiam ingenerauit Dominus: ſed in veritate habère fiduciam, & eſſe magnificum in cognitione, quæ traditur per ſcripturas, efficit contemptorem eorum, quæ trahunt ad peccatum. quod ſignificat dictio, inflauit; quæ docet magnificentiam ſapientiæ.* Hos ſanctos faſtus ingenerat veræ ſapientiæ ſtudium noſtris animis; vt aſſueti ſolidis inhærere veritatibus, & cognitionibus per graues, & veras ſcripturas acquiſitis, deſpiciamus nænias vocularum, & fallentias compoſitas, quæ trahunt ad peccatum. Nec dubium, quin ſapientiæ ſtudia inflent humanos animos, magnificóſque faciant, ne lubdenſibus, & futilibus ad vitia deiiciantur. Quò etiam
1.Cor 4. trahit idem Clem. ſupra D. Pauli aſſertum 1. ad Cor. 4. nimirum: *Scientia inflat,* quaſi diceret, ſcientia magnificè, & verè facit ſentire; faciléſque, & peruios præber aditus his,
Caſſiod. qui ad cœleſtia cupiunt euolare. Quò ſpectabat Caſſiodorus 3. variar. 11. inquiens: *Fugiat ergo doctrina delictum. Indocile eſt animi ad vitia trahi. AEdificauit librus, locum non relinquit inimi js: vbi in tenera ætate acquiritur, quod matura ætate ſeruetur.* Hæc ille.

§. XII.

Ieſus neſcit vni claudere regnum cœlorum, qui illud alteri aperiat.

MIſeri Phariſæi ſic claudunt regnum cœlorum, vt nec ipſi intrent, nec alij permittantur intrare; ſed prorſus maneat regnum cœlorum omnibus clauſum, & inacceſſibile. Quam aliter ſpiritus Ieſu, hic quidem claudit aliquando regnum ſuum aliquibus, quos iuſtè exterminat à ſalute; ſed eadem manu, qua claudit cœlum vnis, idem aperit aliis, ne vnquam non pateat aliquibus cœleſtis aditus. Iſai. 11. dici- Iſai.11.
tur: *Egredietur virga de radice Ieſſe,* &c. Sic Chriſti ortus exprimitur, vt velut virga de radice oriatur. Sed cur Chriſtus virga? Quia virga vtitur paſtor, vt & repellat lupos, & oues trahat: ſic Chriſtus Dominus inſtar virgæ ſeruit à ſe repellere, & à ſe congregare, adeò, vt neminem vnquam repulerit, quin alterum non ſibi congregaret. Aiebat D. Athan. Athanaſ.
hom. de ſemente: *Nimirum, qui ex radice Ieſſe ortus, virga illa admirabilis ſit, quæ genus Iudæorum comminuit, genus autem Ethnicorum, vt gregem in vnum cogit.* Qua manu repulit Iudæos, gentes ad ſe vocauit, & traxit; nunquam enim omnino regnum ſuum clauſit; ſed ſemper excluſo vno, alteri accedendi aditum demonſtrauit. Apud Oſeam ait ipſe Do- Oſea 11.
minus c. 11. *Ego quaſi nutritum Ephraim, portabam eos in brachys meis, & neſcierunt, quòd curarem eos.* Theophylactus aliter legit: *Et non cognouerunt, quòd ſanem eos in corruptione hominum.* Hoc ingenium Dei minimè cognouerunt, quo dum perdit alias nationes, illos ad ſanitatem vocaret. Equidem brachium Dei perdebat Palæſtinos Chananæos, & ſimul excipiebat pro illis Hebræos, quos nutriebat, & ſuſtentabat. Nunquam enim aliter nouit Dominus perdere, niſi vt alios ſanet. Apocal. 6. *Ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper illum habebat arcum, & data eſt ei corona, & exiuit vincens, vt vinceret.* Ad hæc Richard. Victor. lib. 2. in Apocalypſ. part. 2. Apoc.7.
cap. 4. ait: *Bene dixit: Exiuit vincens, vt vinceret; quia per eos, quos in Iudæa dimiſit, gentes conuertit.* Hinc vt de re noua, & inuſitata à Deo quæritur Pſalm. 43. aiens: *Vendidiſti populum tuum ſine pretio, & non fuit multitudo in commutationibus eorum.* Cum enim non ſoleat Deus vllum perdere, quin alium acquirat: & pro excluſione vnius habeat velut pretium introductionem alterius, miratur ſacer Vates quòd viderit aliquando myriades ſui populi perdi, & inter alienigenas à Deo exulare; & vix vnum, aut aliud pro illis nouerit Deo additum. Id quod expreſſiùs docens Rupert. Rupert.
lib. 1. in Ierem. cap. 16. inquit. *Vendidiſti, inquiunt, populum tuum, permiſiſti occidi, ſine pretio; & ſi aliquos pro eis recepiſti, non fuit multitudo in commutationibus eorum, non multos acquiſiuiſti ad comparationem occiſorum; quia fortaſſis vbi mille interficiebantur, vix duo conuertebantur.* Hoc valde mirandum erat, & inſolitum Deo, qui neſcit vnum perdere, quin alium adducat: & quidem, etſi in principio naſcentis Eccleſiæ videretur maior numerus repulſorum, quàm vocatorum; attamen vbi intrauit plenitudo gentium, nullus crediderit, ſine pretio fuiſſe Iudaicum populum dimiſſum.

Text. Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes, propter hoc amplius accipietis iudicium.

§. XIII.

Conficta virtus conſumit domum hoſpitatoris ſui, quam ditat vera.

SApienter dicitur hypocritis hominibus, quòd comedunt domos viduarum: plurimi enim ſunt, qui vendentes ſanctitatem adhæreſcunt piarum viduarum domibus, vt earum ſubſtantiam exugant, nitidíque ipſi, & vegeti ſuſtententur. Et quidem cùm hos hypocritas noto, viduarum domibus adhærentes, earúmque ſubſtantiam comedentes, non poſſum non meminiſſe arbuſtorum, quæ domibus, ſiue aliis arboribus adhærent, vt poſſint ipſa creſcere. Inter hæc eſt vitis, & hedera: ecce tibi vitis, Pſal. 127. domibus adhære- Pſal.127.
ſcens: *Sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ;* & quanto id emolumento domus? Pulcrè D. Greg. à nobis datus lib. 1. c. 13. §. 10. felicitatem illius, qui iuſtum hoſpitio recipit, ponderat, ex felicitate, ſiue domus, ſiue vlmi vitem excipientis, quibus licet ſterilibus vitis fructus ſui diuitias commodat, adeò

adeò vt vlmus sterilis, siue domus vetusta latera aureis, viris carentis, decoris, & lucri sint plena. Quàm aliter hedera domibus hæret? non sanè vt domos ditet, aut decoret; sed vt domos comedat; quippe hedera per domus parietes serpit, & vt ipsa viridantibus foliis pulchrescat, totam parietum substantiam exugit, & comedit. Quid pulchrius ad hypocritas, ad viros illos, siue mulierculas, quæ simulata sanctitate, longas protendentes orationes piarum matronarum per domos, & per ipsa penetralia serpunt? Ne te fallat, ô bona sanctitatis apparens virorum; hederæ sunt in foliorum virore totum fructum habentes, quòd dum ipsæ pulcrescunt, comedunt domorum parietes. Hos hypocritas non putes Deo seruire, sed Baccho, non Dei sacerdotes; sed Bacchi Prophetas, & sacrificulos, qui antiquitùs notabantur
2.Mach.6. hedera. Habes enim 2. Mach.6. de Iudæis: *Cùm Liberi sacra celebrarentur, cogebantur hedera coronati Libero circuire.* Quippè, vt apertiùs notat Serarius noster ex Græco, cogebantur miselli hederam tenentes Baccho pompam ducere. Et quid
Plin. Bacchi sacrificulis cum hedera? Plin. lib.16.c.34. ait: *Hedera inimica satis omnibus est, sepulchráque, ac muros rumpens.* Et D. Nilus aduersùs vitia orat.7. ait: *Hedera si arborem complectitur, vt cùm altius sese sustulerit, radicem eius arefaciat.* Sic isti Bacchi sacrificuli; isti sacra facientes, & orantes longum ventris causa, quas intrant domus comedunt, & perdunt funditus. Putaretur hedera amica domus, quam plectitur, & obumbrat virore suo, sed omnibus inimica est, parietes comedens, muros rumpens. Non aliter hypocritæ externarum virtutum viridantibus foliis sese amicos, & deuotos ostendunt piarum matronarum, sed instar hederæ, dum deuotionis foliis videntur obumbrare, earum comedunt domus. Vis hederæ vmbram videre? Recole impiam fœmi-
3.Reg.21. nam Iezabel 3. Reg.21. cupiebat auarissima hæc fœmina iustum Naboth spoliare; quid tunc? Ait ad populi magnates: *Prædicate ieiunium, & sedere facite Naboth inter primos populi.* Quanto in Naboth amicior? Illum extollit, eiúsque exaltationem ieiuniis confirmat, & decorat. Quis non crederet Nabuthem tantæ fœminæ fauoribus honestatum, popularibus ieiuniis felicitatum? Sed proh dolor fœmina auara, dum instar hederæ fauorum, ieiuniorúmque virentibus foliis Naboth obumbrat, hominem perdit, domum eius vorat, bonis, vitáque spoliat. Pulchre hos hypocritas mordebat
Chrysost. Chrysost. hom.44. in Matth. inquiens. *Auaritiam vestram religionis colore depingitis, vt ametur iniquitas, dum pietas æstimatur, qui longa orantibus, quasi magnis retibus viduarum facultates piscatis.* Cui consonat illud D. Hieron. ad Nepotianum
Hieron. de vita clericorum. *Modico in hamo esca ponitur, vt matronarum in eo sacculi piscabantur.* Metuant domorum suarum parietibus, qui has hederas Bacchi sibi videntur appropinquare.

§. XIV.

Qui perfecto corde virtutem colit, temporali alimento carere non potest.

Fit Dominus viduarum curator aduersùs hypocritas raptores, qui earum domus comedunt: & meritò ab ædibus viduarum has hederas succidit, siue ab earundem segetibus has locustas abigit, & prouidet ne piis viduis temporale deficiat alimentum. Vidua enim, quæ verè vidua est, hoc est, corde integro, & perfecto Deum colit, ita Deum alimoniæ suæ curatorem, prouisorémque habet, vt nunquam illi necessum sit, quærere panem. Quis ignoret Eliæ tempore famem? Prouinciæ funditus vastabantur, Principes, & dynastæ prodigebant aurum, vt vel frustū panis compararent; Rex ipse Achab percurrebat campos, vt inuenire posset virentem aliquam herbulam, qua greges suos pasceret. In tanta rerum penuria apud Sarephtam vrbem erat vidua concinium mores abominans. Deum perfecto corde amans; huic suppetebant aliqui panes, quibus & se filium sustentabat. Sed dum fames præualet, consumuntur viduæ panes, solùm parua farinolæ mensura in vnum diem restabat. Quid tunc? Manere ne poterat vidua hæc sine pane, sine alimēto? Absit: ad illam tunc temporis missus est Elias, qui illam profluo panum incremento ditauit. Id habes 3. Reg 17. Sed cur mittitur Elias ditaturus viduam, cùm ipsa adhuc haberet panē? Cur non magis spectatur, quòd vidua omne alimentum consumpsisset, quòd iam illi, nec vna suppeteret buccella
Chrysost. panis? Pulchrè D. Chrysost. serm. 2.10 Eliam ait: *Neque viduam villa potuit indicere, quæ ne leuiter in scelere nunquam potuit consentire. Neque in tam famis potuit dominari sententia, quam iniquorum pronunciauerat causa, vt diuersa merita fames discerneret,*

& iustitia in necessitatibus non egeret. Vbi Principibus, & regibus alimenta deerant, non potuit videre colenti perfectè Deum deficere panis; nec iustitia potuit videri in egestate quærens panem. Scit fames, quos perimit, nouerunt alimenta quibus deficiant. deficiunt peccatoribus, at qui verè iustitiam colit, Deum prouisorem habet, ne alimenti defectum patiatur. De prima creatione hominis dicit Genes. 1. Genes. 1.
Et creauit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam, ad imaginem Dei creauit illum. Tanta iustitia, & sanctitate clarus fuit homo creatus, vt rectè ex hac posset dici imago, & similitudo diuina; quidquid homo erat, & hominis erat, Deum spirabat, Deum referebat. Quo considerato non paruam quæstionem excitarunt veteres Patres, cur Deus tam serò ad hominis creationem accessit, accessit namque post creata vniuersa? Cur sanctissimus, & iustissimus homo non creatur a Deo ante bestias agri, immò ante agros, ante olera,
ante arbores? Rem attigit D. Basil hom.21. in aliquot Scripturæ loca, aiens: *Non enim ante omnia fecit hominem, ne pauper, inópsque foret.* Timuit Deus iusto homini, & perfecto sui cultori inopiam, timuit alimenti defectum; & omnia antè creauit & olera, & terræ fructus, & arborum poma, & pecora vniuersa, ne posset homo, qui adeo iustus, & sanctus creabatur, videri sub inopia. Quippe ait Clem. Alex. 3. Pæ- Basil. Cl. Alex.
dagog. c.7. *Vir erga bonum nunquam laborat inopia, quandiu habuerit saluam in Deum confessionem: licet enim ei petere, & accipere ea, quibus indiget, à Patre vniuersorum, & proprie frui, si filium custodiat. Hoc quoque adest, nullam sentire indigentiam: hoc nostrum Verbum fungens munere pædagogi, dat nobis diuitias.* Sic Patris diuini Verbum prouidet rebus humanis, vt non permittat eos egere, inopiáque laborare, qui perfecto corde Deum colunt, diuinámque filiationem intimis animis custodiunt. Matth.6 ait: *Quærite primùm regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia apponentur vobis.* Ad quæ verba D. Cy- Matth. 6.
prian de Orat. Domin. ait. *Quærentibus regnum, & iustitiam Dei, omnia promittit apponi. Nam cùm Dei sint omnia, habenti Deum nihil deerit, si Deo ipse non desit. Sic Daniel in Leonum lacu iussu Regis inclusus, prandium diuinitus procuratur, & inter feras esurientes, & parcentes, homo Dei pascitur.* Expende quot erant in lacu famescentes: & Leones, & Daniel homo Dei ibi erant, omnes fame pariter oppressi; sed inter feras famescentes homini Deum habenti non potuit deesse panis. O qualem suorum prouisorem Deus agit! Principes Babyloniæ vniuersi, & Sacerdotes prouiderant Leonibus famescentibus cibum, nimirum Danielem, quem deuorarent, & inter omnes Leones esurientes, solus homo Dei Daniel pascitur, quia cùm solus Deus haberet, illi soli non potuit deesse prandium. Cyprian.

§. XV.

Iniusta bonorum temporalium acceptio, ruinam etiam temporalem parit.

Meritò Dominus viduarum spoliatoribus præter primum væ, amplius minatur iudicium, quasi velit illos, non solùm in futuro, sed in præsenti pœnas dare. Et quis fuit, quem manus rapinis deditæ non tandem deduxerint in supplicium temporale? Testantur furcæ, testantur laquei. Princeps erat Absalon, & Regis filius, sed quia regnum prædabatur, manúsque rapinis dabat, non potuit in fame vitare supplicium, occubuit suspensus arbore. Rem pulchrè narrat textus 2 Reg.18 dum miser fuga incolumitatem ca- 2.Reg.18.
ptat, suorum crinium funibus ab arbore suspenditur, ibíque transfigitur: *Cùmque adhuc palpitaret hærens in quercu, cucurrerunt decem iuuenes armigeri Ioab, & percutientes interfecerunt eum. Porrò Absalon erexerat sibi, cum adhuc viueret, titulum, qui est in Valle Regis: dixerat enim, non habeo filium, & hoc erit monumentum nominis mei. Vocauítque titulum nomine suo, & appellatur Manus Absalon.* Expendendum maximè est, vbi textus meminerit titulum erectum, qui vocabatur *Manus Absalon.* Vbi arbore suspensus occubuit, vbi transfixus in arbore latrocinij pœnas luit Absalon, ibi statim addit textus: *Porrò erexerat Absalon titulum, qui vocatur, Manus Absalon.* Quæ connexio est inter miserum suspendium, & titulum, qui vocabatur *Manus*. Cur modò duo hæc in Absalone coniungit textus, & quòd suspensus periit, & quòd habuit titulum, qui dicebatur *Manus Absalon.* Sanè quia crucis supplicium latronibus tunc debitum, notabat textus in arbore; statim de titulo affigendo cruci, cum causa supplicij cœpit cogitare; nec meliorem titulum inuenit, quam illum ipsum, quem sibi ipse viuens erexerat, qui titulus vocabatur *Manus Absalon.* Et quidem Absalonis manus rapinis

deditæ, infamem suspendij arborem futuram notabant, miserrimæque cædis causam indigitabant. Pulchrè, & acutè
Athanas. D. Athan. hom. de semente, hanc tractans excogitationem, sic finit: *Ac proinde quasi negotio manu gesto, per vocabulum manus Absalonis, id quod futurum erat, obliquè significauit.* Quod titulus in latronum crucibus olim monstrabat, hoc Absalonis manus prædantes omnia, futurũ significabant: rarò enim manus rapinis deditæ suspendium, aut alium infamen finem dominis suis non parant. Sunt equidem rapaces manus, quasi tituli, qui extremum supplicij lignum ostendunt, in quibus miseriarum legatur omnium causa. Nota fuit Iezabelis reginæ rapacitas, quæ vt Regi marito morem gereret, videns illum tristem ob Naboth vineam, Naboth sustulit,
Psal 49. & vineam rapuit, vt impleretur in illa illud Psalm. *Si videbas furem, currebas cum eo*; vidit enim maritum alienæ vineæ desiderio affectum, cucurrit cum eo, vt subditum spoliaret.
4 Reg. 9. Quid tunc? Lege eius finem 4. Reg. 9. ibi præcipitatur, à canibus comeditur; tamen vt miseram sepeliant cadauer, veniunt serui Regis ad locum supplicij, *& non inuenerunt nisi caluariam & pedes, & summas manus.* Miratur Abulensis, & quærit cur cæteris membris, siue assumptis, siue dispersis, in loco supplicij illatî, cum caluaria tantùm relinquuntur pedes, & summæ manus. Cur non potiùs manus raptæ fuerunt cum brachijs? Sanè Deo sic disponente, vt appareret ibi supplicium rapacitatis ab Elia prophetatum, non potuit non manere in loco supplicij affixa manus, velut titulus in quo legeretur tota rei causa. Accedant huc vniuersi curiales, vniuersi Palatini, & cùm viderint Regum amicos à culmine deiectos, præcipitatos, legant simul in supplicio titulum, & non inuenient alium, nisi manus: manus, inquam, iniustis acceptionibus deditæ, vnicum, & solum titulum, & causam ostendunt, qua tot indies à culmine præcipitantur. Notanter enim dicebat Drog. Host. lib. de Sacram. Pass. *Proiecta est*
Hostiens. *meretrix Iezabel auaritiæ artifex, & cùm eam sepelire vellent, quia erat filia Regis, non inuenerunt, nisi tantùm caluariam, & manuum summitates. Hæc sanè est impiorum sepultura, hæc digna retributio, quòd ex eis non nisi manuum summitates remanent.* Quippe nihil aliud, quàm manus, in titulum sepulchri, seu calamitatis necessum est remanere; in quibus solis perspi-
Ecclef. 5. cua manet tota infamissimi finis causa. Propterea aiebat Ecclesi. c. 5. *Est & alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole, diuitiæ conseruatæ in malum Domini sui. Pereunt enim in afflictione pessima.* Quæ verba legit Arabicus: *Peribunt illæ diuitiæ per confusionem tristem*; manus enim congregandi nimium auidæ, nunquam non tristem confusionem pariunt. Et cur totius sanctitatis fons Iesus, confusionem, & ruinam raptoribus non minetur; quando Aponus fons in Italia simili iudicio
Cassiod. percutiebat furantes? De hoc Cassiod. lib. 2. var. 39. ait. *Siquis fortè pecus furatum, pilis natiuis, solito more spoliare præsumpseris, vndis ardentibus fontis frequenter immersum, necesse est, vt antea decoquat, quàm emundare præualeat. O verè secretarium, iure reuerendum! quando in his aquis non solum sensum, sed etiam verum constat esse iudicium. Loquitur illic tacita natura, dum indicat, & sententiam quodammodo dicit, quæ perfidiam negantis excludit.* Hæc ille.

§. XVI.

Esca furtiua nunquam non affert supplicium, & cladem. Vbi de gula malo.

NOn reprehendit Dominus Pharisæos, quòd absolutè domos viduarum prædati fuerint, sed quòd comederint illas; quippe ait, *comeditis domos viduarum, propter hoc amplius accipietis iudicium.* Sunt enim, qui dum solùm circa esculenta, & poculenta versantur, & nihil furrant, nisi ventris causa, parui ducant rapinas; hos conuertit Dominus, & docet quæ à ventre nascantur damna. Non equidem causa ventris minuit, imò grauat scelera, & maiora trahit. Quis
Actor. 1. iudicium Iudæ non expaueat? De illo Act. 1. *Et suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius.* Nouus planè, & inauditus effectus à suspendio dimanauit, quòd venter rumperetur, & viscera funderentur. Innumeri alij suspendũtur, strangulantur, quorum nullus venter ruptus est, cur in Iuda solo tale iudicium factum videmus? Vt pateat ex qua lue pereat, fur erat Iudas sed causa ventris, impatiens Apostolicæ sobrietatis nummulos surripiebat, quibus sibi furtiua pararet prandia; hinc in ea scelera venit, quæ dum suspẽdio luere parat, & præter suspendium, aliquid amplius patitur, nimirum ruptionem ventris, qui illum in tot impulit mala.
Drogo. Ad hæc Drog. Host. lib. de Sacram. Pass. ait. *Quia per quæ peccauerit homo, per hæc punietur, suspensus crepuit medius: plenus erat venter, & ruptus est.* Poculẽta furtiua miserum Iudam in tam horrendum iudicium iactarunt, quod ruptio ventris insinuauit, vt discant homines, quod ventris causa non minuit, sed potiùs supplicia multiplicat, & auget. Quis numeret supplicia vnico die immissa super Eli domum? Ea primùm memorat 1. Reg. 4. *Arca Dei capta est; duo quoque filij Eli mortui sunt Ophni, & Phinees.* Deinde ipse Eli audito nuntio *cecidit de sella retrorsum iuxta ostiũ, & fractis ceruicibus mortuus est.* Insuper adhęc ipsius nurus *incuruauit se, & peperit. In ipso autem momento mortis*, &c. Ecce tibi quot mortes vno in die vnam miseram inuadunt domum. Quare misella domus tot mortibus vnico die castigatur? Iam incipit explicare textus 1. Reg. 4.
1. Reg. 2. aiens: *Porrò filij Eli, filij Belial nescientes Dominum, neque officium sacerdotum ad populum; sed quicumque immolasset victimam, veniebat puer sacerdotis, dum coquerentur carnes, & habebat fuscinulam tridentem in manu sua, & mittebat eam in lebethem, vel in caldariam, aut in ollam, siue in cacabum: & omne quod leuabat fuscinula, tollebat Sacerdos sibi*, &c. Hoc primùm peccatum rapinæ circa poculenta, siue esculenta erat, & vel hoc solum tot calamitates vnico die sibi comparauit, vt dicat Tertull. lib. de ieiunio: *Eliditur pro templi foribus senior Eli, filij eius in acie ruunt, nurus expirat in partu, hanc enim meruerat à Deo plagam domus impudens sacrificiorum carnalium defraudatrix.* Et Tertulliano sanctiùs D. Isid. Pelus. lib. 2. ep. 69.
Isid. Pelus. aiebat: *Rabidus venter, & carnium ereptio, & insanus mulierum amor effecit, vt Ophni, & Phinees sacerdotio, & arca, & tribuum imperio, & gloria, & honore truncati, hostili gladio trucidarentur.* Et quidem esculenta erant, quæ rapiebantur; nec alia ibi fœditas spectabatur, nisi ventris adimpletio, quæ nihilominus tot clades attraxit. Quas clades non pariat ventris rabies? Num. 21. Israëlitæ Ægyptios cibos suspira-
Num. 21. bant, quapropter *misit Dominus in populum serpentes ignitos.* Quare immittuntur serpentes igniti, vt miseri Israëlitæ vapulent? Vt vel ex supplicio coguoscant in gulæ peccato antiqui serpentis consilium instaurari de perdendo genere humano. Huc spectabat D. Ephr. de Pœnit. fatus. *In serpenti-*
Ephrem. *bus correpti fuere. Et quare in serpentibus? Quoniam primorum parentum sensum consiliumque resumpserant.* Consilium illud primùm serpentis fuit spoliare homines omnibus virtutibus, mille illos opprimere mortibus, mille cladibus. Hoc consilium resumunt, qui gulæ dant operam, à qua omnis virtus expugnatur, nullùmque non conuocatur malum. Ier.
Ierem. 52. c. 52. *Venit Nabuzardam Princeps militiæ, qui stabat coram Rege Babylonis in Ierusalem. Et incendit domum Domini, & domum Regis, & omnes domos Ierusalem*, &c. Expende quot mala inferat Nabuzardam iste, cuius nominis significationem si spectes, Nabuzardam idem est, ac Princeps coquorum, quasi nullum malum sic populetur hominis animum, ac populatur illum studium gulæ. Id quod notans D. Nilus in Asce-
Nilus. tico, ait: *Neque verò gula, & ventris ingluuies vitiorum tantùm est mater, ac nutrix, verùm omnes aufert virtutes. Ea enim superante, & dominatum obtinente, modestia, fortitudo, constantia, & reliquæ virtutes concidant necesse est. Quod Ieremias ostendit: Euertit, inquiens, muros Hierusalem per circuitum Princeps coquorum Babylonis.* Non glorietur de vlla animi virtute sibi relicta, qui sentit se ab hoc coquorum principe expugnatum. Sanè Tertullian. lib. de ieiunio sic mordet eos,
Tertull. qui vinctos in Christo cibis delicatis recreabant. *Planè vestrum est in carceribus popinas exhibere Martyribus incertis.* Et post pauca quendam memorans ad tribunal adductum cibis fartum ait. *Quem ita enernastis, vt paucis vngulis titillatus, hoc enim ebrietas sentiebat, quem dominum confiteretur interroganti præsidi respondere non posset amplius.* Nec mirum, quòd apud popinas nulla virtus possit creari, sed inde infirmitas nascatur, & lapsus. Benè quidem explicauit ibi Tertull. gulæ malum, licèt illud malè applicauerit.

Text. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia circuitis mare & aridam, vt faciatis vnum proselitum; & cùm fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos.

§. XVII.

Vitia spectabilium magistrorum, siue dominorum à subditis, & discipulis, vt ebibuntur.

CVr Pharisæi, filij gehennæ, discipulos proselitos non faciant etiam filios gehennæ? sanè quod fuerit Dominus, &

& magister, id prorsus erit subditus, & discipulus, bibitur enim facilè vitium eius, qui quotidie à nobis, cum admiratione spectatur. Meritò pretiosis lapidibus ornatam quandam Hormisdam depingens Simocatta lib. 4. c. 3. aiebat. *Caput velabat tiara ex auro gemmis distincta, & insutorum splendore carbunculorum rutilans, & vnionibus florens largiter, qui & ipsam illustrabant, & smaragdini virorum pulchritudinem candore suo perfundebant, vt propemodum ipsi quoque spectantium oculi præ insaturabili pretiosissimorum lapidum stupore collapidescerent.* Sic afficiuntur homines ad eos, quos suspiciunt, quos in pretio, & æstimatione habent, vt eorum in se transferant qualitates. Si lapidem suspicias, & colas, non dubites quin Luc. 3. & tu lapidescas. Ioannes dicebat ad Iudæos cap. 3. D. Lucæ. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Quæstio est, quos lapides designaret Ioannes? Non nemo putat non lapides, sed gentiles homines fuisse designatos, & hos lapides vocatos à Ioanne, & meritò lapides habitos. Enim verò gentiles homines idola lapidea suspiciebant, colebant, omni studio venerabantur. Qui ergo lapideos Deos, & dominos, & morum magistros suspiciebant, necessum erat, Origen. quòd ipsi fierent lapides. Ad hæc Origen. homil. 22. in Luc. fatur. *Non vtique lapides irrationales, corporeósque monstrabat Ioannes, sed homines insensibiles, & quondam duros; qui quia lapides, & ligna adorabant, impletum est illud quod in Psalmo cantabatur: Similes illis fiant, qui colunt ea, & omnes, qui confidunt in eis. Verè qui colunt idola, & confidunt in eis, similes sunt dijs suis absque sensu, sine vlla ratione, in lapides, lignáque conuersi sunt.* Non aliud expectes in subdito, quàm illud quod vides in domino; nec aliud in discipulo, quàm quod in magistro. Imperceptibiliter superiorum prauæ qualitates ebibuntur ab infimis, qui illos & omni admiratio-

Act. 10. ne, & reuerentia suspiciunt. Petrus dum oraret, Actor. 10. *Vidit cœlum apertum, & descendens vas quoddam, velut linteum magnum quatuor initijs submitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cœli. Et facta est vox ad eum: surge Petre, occide, & manduca.* Docebatur Petrus hîc, qualiter deberet in corpus Ecclesiæ traijcere omnes gentium nationes significatas in quadrupedibus illis, & terræ serpentibus, & cœli volatilibus. Sed scire cupis, cur gentiles per hæc animalia & significarentur, & discernerentur? Sanè monstrabatur gentilis sub ea animalis forma, quam habebant idola ab eo culta; & quia apud aliquos colebantur quadrupedia, apud alios serpentia, apud alios volatilia; sic pro diuersitate idolorum, di-

Nyssen. uersas ferarum formas homines etiam subibant. Ita D. Nyssenus homil. 10. in Cantic. ait. *Contemplatur linteum quatuor initijs ab alto dimitti in terram, omne genus hominum in se continens, formatorum in formis innumerabilibus volucrum, quadrupedum, & reptilium bestiarum, pro multiplici variorum cultuum diuersitate.* Qualis fuerit siue Deus, siue dominus, siue magister, quem colis, quem suspicis, necessum est, vt talis fias in vitiis: cum leone rugis, cum aquila prædaris, cum serpente repras. Nec feræ alios possunt indere mores discipulis, quàm ferinos; imò hoc frequentiùs certum solet in vitiis, & moribus, quòd magistri longe exce-

Isa. 14. dantur à discipulis, parentes à filiis. Isaias cap. 14. *De radice colubri egredietur regulus, & semen eius absorbens volucrem.* Naturale est, quòd coluber generet colubrum, sicut leo leonem, homo hominem; verùm morale est, quòd vitia parentum crescant in sobole, & qui coluber fuit, faciat regulum, cuius venenum non fugiant etiam volucres. Huc

Tertull. spectabat Tertullian. lib. de carne Christi, fatus: *Eua nihil concepit ex diabolo? Imò concepit, nam exinde abiecta, vt pareret, & in doloribus pareret; verbum diaboli semen illi fuit, enixa est denique diabolum fratricidam.* Sanè coluber illi tortuosus suadela hominem aggreditur, dum Euam expugnat, curat virus suum deriuari in prolem. Sed qualem prolem protulit Eua ex halitu illo serpentis diabolici? Enixa est denique diabolum fratricidam; non colubrum, qui solis verbis aggrediatur, parit, *sed semen eius absorbens volucrem*, sed regulum peperit, qui naturam perimat, cuius rabiem non effugiat pennata Abelis innocentia. Semper enim, quod vitium à parentibus venit, in prole crescit horrendum in modum. Id quod etiam insinuat lectio

LXX. Septuagint. in præsentem locum, nimirum. *Ex semine serpentum egredientur genimina aspidum, & genimina eorum egredientur serpentes pennati.* Et quàm hoc morale sit in vitio-

3 Reg. 12. rum propagatione, ostendit ille Salomonis filius, 3. Regum 12. sic respondens populo: *Pater meus cecidit vos flagellis, ego cædam vos scorpionibus.* Sic augentur in sobole ferini mores.

§. XVIII.

Virtutis magistri non vno enixu, sed mille doloribus, mille partibus egent, vt conseruent filium spiritualem. Alij non item.

Ecce tibi totas curas, solicitudines Pharisæorum quò tendunt, nimirum, vt faciant vnum proselytum, vnum discipulum; hic autem vbi factus fuerit semel discipulus, omnes magistrorum cessant solicitudines, sine vllo labore, facili negotio faciunt illum filium gehennæ duplo magis, quàm sunt illi. Huc spectabat Oseas c. 4. dolens facilitatem, Osea 4.

& celeritatem, qua populus redactus fuit à suis doctoribus, & magistris in extremam perditionem. Ait enim. *Separatum est conuiuium eorum, fornicatione fornicati sunt: dilexerunt afferre ignominiam protectores eius. Ligauit eum spiritus in alis suis.* Nullum non vitium auidè amplexati sunt populares; in nullam non insaniam deuenit populus misellus. Vnde hoc? Rationem ibi habes, nimirum. *Dilexerunt afferre ignominiam protectores eius. Ligauit eum spiritus in alis suis.* Protectores, hoc est, doctores, & magistri populi eò solùm spectabant, vt ignominiosa, & dedecoris plena populus amplecteretur, qui sic magistrorũ doctrinæ fidebat, sic sese talium doctorum scriptis tradebat, & eorum plumis alligabatur, vt quasi alis innixus, nõ curreret, sed ad vitia volaret. Itaque pessimi magistri vbi discipulum, & proselitum sibi fecerunt, nullo amplius labore egent, vel solo calamo illum reddunt ad vitia alarum. Verùm vbi noster dicit: *Ligauit eum spiritus in alis suis*, id est, pessimus magistrorum spiritus discipulum populum suis plumis alligauit; legunt Septuag. non illepidè: *Turbo spiritus sibilabit in alis eius*; vbi LXX.

Theodor. Theoph. & D. Cyrill. Alexand. impulsum à pessimis magistris impressum discipulis suis, qui instar est venti afflantis, & impellentis alas. Non labore, non sudore opus habent mali præceptores, postquam discipulos acquisierint, sed vel sibilò illos volare faciunt. Dant dicti patres exemplum in auibus: ego magis accedens ad rem nostram do tibi exemplum in naui. Ædificatur nauis in maris littore, nec dubium, quin labore multo ædificetur nauis; & postea quàm apprimè, & perfectè elaborata est, iactanda est à littore in mare. Hic opus, hic labor est: non sanè per longum iter trahenda, sed immediatè à terra iactanda est in mare; & quis numeret curas nautarum, artificum solicitudines, machinas paratas, quibus faciliùs ruat concursus hominum, sudores officialium, clamores omnium? Quorsum hæc omnia? Vt per sex, aut octo passus elata nauis vndis committatur: verùm vbi vndis commissa est, nullus labor, nullus sudor, nullius humerus premitur, nullius auditur clamor, sed *turbo spiritus sibilabit in alis eius*, & vel sibilo spiritus quiescentibus, imò dormientibus nautis immensum tranat mare. Et sanè si quoties nauis nauigat, necessarius esset immensus ille labor, quò primum vndis commissa est, nullus esse velit nauta. Sic mali præceptores, sic pessimi magistri ingenti solicitudine, & labore, multóque terræ circuitu quærunt, vt vnum discipulum faciant; verùm vbi semel discipulum acceperint, nullus iam præceptoris labor, *sed turbo spiritus sibilabit in alis eius*; sufficit vel sibilus, vt illum faciat per vitia volare. Nec esset magister vitiorum, qui repetitis laboribus, sudoribúsque primis vellet sibi discipulũ cõseruare. Solùm virtutum magistri hanc sibi gloriosissimam patientiam habent, qua repetitis laboribus & sudoribus etiam septies in dies necessum est, vt discipulos pariant. Aiebat ille orbis magister Paul. ad Gal. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio.* Galat. 4.

Quæ hoc vellet mater? Et quis filius bis vterum concutit maternum, vt iterũ pariatur? Sanè hoc non inuenitur in natura, nec vlla mater pro filiis etiam amantissimis pateretur. Solus virtutis magister id patitur, is enim quem semel Deo filium pepererat summis doloribus, sæpe necessum est, vt repetitis doloribus iterum, & iterum illum parturiat: & rarò aut nunquam inuenitur virtutis assecla, qui non reuocet dolores materni vteri, vt iterum parturiatur. Hinc data Pauli verba ponderans D. Chrysost. homil. 10. de Pœnit. ait: *Id* Chrysost.

adeò mulier nunquam pateretur, neque sufferret eosdem iterum dolores. Sed tolerabat hoc Paulus quod in natura non est videris: & quos semel pepererat, iterum concipiens actos in his doloribus. Propterea dixit: Quos iterum parturio. quasi diceret; Parcite mihi; nullus filius secundò maternum vterum partus doloribus affecit, quod me pati cogitis. Nam dolores illi vno temporis momento torquent, atque infante aluo delabente, & ipsi quoque delabuntur: hi verò non sic, sed & mensibus tot manent. &c. Nulla creatura, mihi credite, vellet repetitis doloribus,

imò & auitis sæpius eundem filium parturire. Quòd filium iterum bis, & ter, & sæpe doloribus adauctis pariat, hoc solius Pauli est, solius magistri virtutis, solius spiritus Christiani. Bibunt hoc de tuo spiritu, ô bone Iesu, magistri, qui sunt in scholis tuis, quòd crebrò resumant dolores, & labores, vt filium tibi sæpe pariant. Iesus perfectis suis asseclis promittebat, quod illos non fineret perpetuò in morte, sed iterum eos ad vitam vocaret gloriæ plenam. Quo audito **Ioann. 8.** Iudæi Ioan. 8. aiunt. *Nunc cognouimus, quia dæmonium habes. Abraham mortuus est, & Propheta, & tu dicis: Si quis sermonem meum seruauerit non gustabit mortem in æternum.* Expendite modò, quàm insipienter argumententur Iudæi, vt probent dæmonium esse in Iesu: Iesus dicit se facturum, quòd homines in morte non maneant, sed iterum in vitam parturiantur, ex quo arguunt miseri dæmonium esse in Iesu. Proh stultissimum, & insipientissimum argumentum? Sed scire cupis in quo sit stultissimum? Sanè nulla creatura, nullus dæmon qui labore parturierat semel filium, vellet resumere labores, & illos multo maiores, vt iterum eundem pareret. Hoc solus Dei spiritus facit, qui cùm manibus suis hominem formauisset, iterum resumit labores, vt immensis doloribus, & crucis tormentis iterum ex morte illum in vi- **Chrysol.** tam æternam pariat. Acutè ad hæc D. Chrysol. serm. 131. Iudæos redarguit fatus: *Dæmon mali auctor mala promittit, non bona: occidere, non viuificare consueuit. Ergo non est dæmon, sed Deus est Christus, qui redonat, quam donauerat vitam.* Tantum non dixit, qui quos semel pepererat, immensis doloribus iterum parturit. Non creatura aliqua, non dæmon, sed Deus, & eius spiritus sese accingere ad vitam hominis iterum summis doloribus comparandam. Et solus qui Dei filius sit hos dolores renouat in magistro, & patre.

Text. Væ vobis duces cæci, qui dicitis: Quicunque iurauerit per templum, nihil est; qui autem iurauerit in auro templi, debet. Stulti, & cæci, quid enim maius est, aurum, aut templum, quod sanctificabat aurum? Et quicumque iurauerit in altari, nihil est: quicumque iurauerit in dono, quod est super altare, debet? Stulti & cæci, quid enim maius est, donum, aut altare, quod sanctificat donum? Qui ergo iurat in altari, iurat in eo, & in omnibus, quæ super illud sunt, & quicumque iurauerit in templo, iurat in illo, & in eo qui habitat in ipso, & qui iurat in cœlo, iuret in throno Dei, & in eo, qui sedet super eum.

§. XIX.

Temporalia bona excæcant mentem.

Miserrimi Pharisæi nunc meritò cæci vocantur, quia eò deuenerunt cæcitatis, vt plus auro, & donis tribuerent, quàm templo, & altaribus. quis non videret sanctius esse templum, sanctius esse altare, quàm aureorum oblationes? Sed Pharisæi ad aurum, donáque inhiantes minimè vident templi sanctitatem. sic aurum, bonaque temporalia suos amatores solent excæcare. Auarissimus ille Balaã dum ferretur ad maledicendum populum Dei, inter miras, & nobiles visiones sibi à vero Deo immissas, quibus Israëlita- **Num. 24.** rum bona videbat; tamen de se aiebat Num. 24. *Dixit Balaam filius Beor, dixit homo cuius obturatus est oculus, qui visionem omnipotentis intuitus est.* Compone hæc duo, quòd obturatos habeat oculos, & visiones Dei intueatur. Quis hoc nouum, & inusitatum portentum efficere potuit? Quis tam contraria potuit coniungere, vt hinc inter intuendas visiones Dei non videat, imò obturatos habeat oculos? Ait text. **Num. 27.** Num. 27 de nuntiis missis ad Balaam: *Perrexeruntque seniores Moab, & maiores natu Madian, habentes diuinationis pretium in manibus.* In nuntiorum manibus erat pretium, quo sollicitabatur miser vates ad diuinanda, & mala Israëlitis, quo sic miser excæcabatur, vt videns non videret, sed sic se ge- **Rupert.** reret, ac si mille tenebris esset offusus. Quò spectans Rup. lib. 2. in Num. c. 21. ait: *Cuius obturatus est oculus, & visionem omnipotentis intuitus est, contraria, vel repugnantia sibi videntur. Nunc autem planum intellectu fit, quia per propheticam scientiam visionem omnipotentis intuitus est, sed per auaritiam cor cæcatum habet.* Nihil sunt oculi, vbi splendet aurum: Argo licèt oculatior sis, visionibusque cœlestibus imbutus, te cæcum, & tenebrosum puta, vbi auri cupiditate raperis. Diuitiarum solicitudinem nobis eripere cupiens Dominus, ait Matth. 6. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.* Nec id **Matth. 6.** simpliciter dixit, sed & damnum apposuit ortum ex terrenis thesauris: *Si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Ecce tibi ex oculo nequam, quales oriuntur, tenebræ, quæ nimirum totum hominem valeant obscurare. Sed scire cupis cùm post doctrinam de non thesaurizando immediatè agat de oculorum siue luce, siue tenebris: Quid thesaurus commune habet cum oculis? Sanè ex thesauris ea malitia, & nequitia oculis ingeneratur, vt à fontibus lucis, solæ tenebræ maneant, & tenebræ quæ te totum operiant. Ad hæc Imperfect. hom. 15. in Matth. fatur: *Qui diuitias* **Imperf.** *congregat cum peccato, spem suam ponit in terra; qui autem spem habet in terra, illius mens carnalis est, & immunda. Illius ergo tota caro in tenebris est.* Et cur non obturentur oculi terra pleni? Sanè quot diuitias spectas, tot terræ cumulos ad oculos mentis trahis, quibus totus in tenebris sepultus maneas. De opulentissimo rege Babylonis, ait Habacuc c. 2. **Habac. 2.** *Nunquid non omnes isti super eum parabolam sument, & loquelam ænigmatum eius, & dicetur: Væ ei, qui multiplicat non sua? Vsquequò, & aggrauat contra se densum lutum?* Quibus id maximè notandum, quale ænigma dicatur regi diuiti, nimirum: *Væ ei qui multiplicat non sua!* Quid clarius? Quid manifestius ei dici potuit? Vnde tam aperta propositio, & clara potuit haberi ænigma. quod plenum obscuritatis est? Id insinuat sequens altera videlicet: *Vsquequo, & aggrauat contra se densum lutum!* Vbi totus quis est in accumulandis diuitiis, quot aurea spectat, tot densissimos luti muros ob oculos ponit, quibus etiam clarissima non videt, sed totus manet oppressus tenebris, & caligine. Apud Luc. c. 16. *Homo* **Luc. 16.** *quidam erat diues, & induebatur purpura, & bysso, & epulabatur quotidie splendidè: & erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam diuitis, & cupiebat saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo dabat.* Ecce tibi Lazarus assiduus ad mensam diuitis, & nec diues, nec vllus ministrorum eius dicitur tam familiarem suis ianuis hominem aliquando vidisse. Quid plura? Statim, & diuitis, & pauperis mors narratur, qua media pauper ascendit in Abrahæ sinũ, & diues descendit ad inferos. Quid tunc? *Et eleuans oculos suos cùm esset in tormentis Abraham vidit à longè, & Lazarum in sinu eius,* &c. Vix nudus à diuitiis in tormentis est, & statim etiam longissimè distantem Lazarum vidit: cur modò adeò distantem vidit, quem antea vicinum sibi vidisse non dicitur? Sanè diuitiarum puluis, siue splendor sic oculos eius tenuerat, vt nihil sibi vtile videret: abiecit diuitiæ, & omnia facilè miser perspexit. Pulchrè Chrysol. ser. 124. *Immutatio* **Chrysol.** *quanta rerum! Pauperem prouexit ad philosophiam paupertas, diuitem extulit purpura ad superbiam, ad cæcitatem splendor. quò descendit diues? Quò pauper ascendit? Respicit ibi sursum, quem despexerat hic deorsum: & videt eum de inferno in sinu Abrahæ, quem iacentem se coràm superbo de sigmate non videbat.* Et quidem superbo de sigmate, hoc est, de stratu aureo etiam vicinissimum non videbat, quando auri splendor miseros homines prorsus excæcat, & offendit tenebris. Hinc patet quàm meritò diuiti illi auaro, Luc. 12. dicitur. *Stulte hac no-* **Imperf.** *cte repetent animam tuam à te.* Notanter dicit, non hac die, sed *hac nocte*; qui enim velut hic bona temporalia mente voluit, in illisque est fidens, lucem cœli non videt, in nocturnis tenebris est totus. Vnde acutè dicebat D. Ambros. lib de **Ambros.** Nabuthe cap. 4. *Nocte anima auari repositur, quia in tenebris incipit, & in tenebris perseuerat. Auaro semper nox est.* Nullum diem vident auari; aurum & temporalia bona dies vniuersos sibi eripiunt, suis autem sectatoribus, & cæcam, & caligine plenam relinquunt noctem. Iudas ille miserrimus vbi proditionem Domini à se factam aduertit Matth. 27. *Retulit* **Matth. 27.** *triginta argenteos, & proiecit in templo, & abiens laqueo se suspendit.* Sese arbori suspendendo dabat, & argenteos non nisi templo reddit; cur miser non magis tibi consulis, quam argenteis? Cur potiùs in argenteos non irasceris, illisque in mare proiectis, te in templum recipis impetraturus veniam? Cur mauis te perditioni & nummos templo reddere? Pulchrè Drog. Host. lib. de sacram. Passionis. *Ecce infelix, qualiter* **Drogo.** *excæcatus est! Maluit se ipsum perdere, quàm denarios perire. Denarios templo, seipsum laqueo addixit.* Proh auarissimi hominis cæcitas, damnum suæ perditionis non videt, & dignius perdendi nummi, curat vt asseruentur! Quo tenebrarum non trahit homines aurum? De illius inuestigatoribus aiebat

Cassiod.

Cassiodor.lib. 9. variarum 3. *Iacrent homines caligines profundas, viuunt sine superis, exulant à sole: & dum sub terris compendia quærunt, nonnunquam lucis gaudia derelinquunt.* Equidem hoc solemnissimum est omnibus illis, qui auri amore afficiuntur, eo ipso intrant caligines profundas, & à Sole exu-

Drog. lant. Nec illepida metaphora de auaris locutus Drogo suprà ait: *Qui autem sibi comam nutriunt, caecitatem, & grauitatem sibi damnationem acquirunt.* Expende illud, *comam nutriunt.* Hispanè eadem metaphora dicunt de eo, qui bona acquirit, *criar pela*, quo caecitatem, nigrásque caligines oculorum incurrunt.

§. XX.

Ædificatores templorum Deo acceptissimi. Vbi de templis.

QVi ex aureis oblationibus in templo factis ditabantur sacerdotes, ne quid daretur templorum fabricis, sed omnia sibi donaria raperent, popularibus persuadebant sanctitatem, & veram religionem non in templis esse, sed in donariis. Quare nihil esset, si in templo iurassent; multum si in donariis, et quæ religione superabant altaria, & templa. Apage, tale inquinamentum minimè patiatur Christianus, namque inter omnia dona externa Deo religionis ergò oblata, templorum ædificatio acceptissima est, gratissima Deo. Et cur non gratissima Deo templorum ædi-

Cassiod. ficatio præ omnibus muneribus oblatis? Cassiodorus 4. variar. 30. sic monebat virum patricium, qui ædem publicis fabricis profuturam ædificabat: *Quapropter rebus spectatis securus innitere, vt dignus Romanus fabricis habitator appareas, perfectúmque opus suum laudet auctorem. Nulla enim res est, per quam melius possit agnosci & prudentis ingenium, & largitatis affectus.* Non sic in donis, quàm in templorum fabricis profusæ in Deum largitatis humanæ affectus apparet. Non id ignorabant pessimi Pharisæi, qui vt hominem de vera reli-

Luc. 7. gione benemeritum commendarent Iesu, sic aiunt Luc. 7. *Quia dignus est, vt hoc illi præstes, diligit enim gentem nostram, & synagogam ipse ædificauit nobis.* An qui Synagogam ædificauit, non & alia donaria intulit priùs sanctissimo templo? Cur ergo non meminerunt donariorum oblatorum, sed tantùm Synagogæ ædificatæ meminerunt? Sciebant equidem, quòd nulla res ea his sanctior appareat, nec efficacior esset ad Deum trahendum. Vnde meritò dicebat Diuus

Paulin. Paulinus epist. 12. *Ad promerendam pueri sanitatem, & ipsum Dominum Iesum fidei suæ prædicatorem habendum, id potissimum meriti valuit, quod plebs Domini, quæ tunc adhuc in Iudæa erat, illi de Synagoga ædificata testimonio suffragata est.* Nulla re magis Deum deuincirent, etsi largissima hominis dona retulissent, etsi sacrificia mille ab illo oblata prædicarent, non sic illum hæc Deo commendarent, laudibúsque diuinis aptum redderent, vt vna illa res, nimirum, quòd ædificandæ synagogæ operam dederit. Sanè multi Ethnicorum reges munera miserunt templo Ierosolymitano, vasa aurea, & argentea, imò, teste Iosepho lib. 11. cap. 8. Alexander Macedo Pontificem Ierosolymitanum adorauit, sacrificiis templi repleuit aras. Soli Babylonij ante Dauidem, templi religionem violarunt, eiúsque aurea

Psalm. 86. vasa asportarunt; & nihilominus Dauid Psalm. 86. ait. *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. Memor ero Rahab, & Babylonis scientium me. Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum hi fuerunt illic.* Et qualis ciuitatis Dei gloria erat, quòd in ea fuerint Tyrij, & Babylonij raptores auri templi, cur non magis ibi sint Macedones, quorum Alexander & templum, & Pontificem donis cumulauit? Cur prætermissis templi adoratoribus, meminit Tyrios, & Babylonios tantùm? Equidem in Babylone, etsi fuit Nabuchodonosor, qui templum spoliauit Ierosolymitanum, fuit & Cyrus, fuit & Darius, qui ædificando templo operam nauarunt, similiter & Tyrij eiusdem templi promouerunt fabricam, quo in ciuitate Dei æternum sibi præ aliis no-

Eccles. 6. men compararunt. Ad hæc Diuus Bruno de laudibus Ecclesiæ cap. 6. ait. *Gloriosa sunt hæc, quæ & iustis, & peccatoribus magnam spem dare possunt, & immensam ferrè lætitiam. Vis in Ecclesia suscipi? Tyrios imitare, quorum opere, & auxilio templum ædificatum est.* Acceptissima est Deo semper templorum ædificatio præ omnibus aliis muneribus, vt qui in templis gratiùs habitat, ibique suæ magnificentiæ, & vir-

Genes. 28. tutis maiorem ostensionem faciat. Iacob Genes. 28. vbi notauit super lapideam scalam ad cœlum ascendere, cui Deus innitebatur, ait. *Quàm terribilis est locus iste! Non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cœli.* Ex quo coniicit locum illum esse domum Dei? Ex eo solùm quòd viderit adeò esse pergratum locum Deo, vt vel ad nudum lapidem ibi positum Deus ipso totus aspiceret, Angelósque suos caterSuatim mitteret. Quapropter dicebat Caietan. *Verè domum* Caietan.
appropriatam Deo Iacob intellexit, ex ea quod in illa parte cælorum viderat Deum ad illam terræ partem spectantem. Nihil ex mundanis omnibus spectabilius Deo, quàm templum: super hoc oculos largitatis suæ defixos habet, ad hoc aspicit, vt hominibus faueat, in hoc oblectatur, regnique sui glorias aperiùs pandit. Huc refero Italiæ Regis de Palatiis suis præconium apud Cassiodorum lib. 7. variarum 5. Cassiod.
Hæc nostra sunt oblectamenta, potentiæ imperij decora facies, testimonium præconiale regnorum: hæc Legatis sub admiratione monstrantur, & prima fronte talis dominus esse creditur, quale eius habitaculum comprobatur. Et ideo magna voluptas est prudentissimæ mentis pulcherrima iugiter habitatione gaudere, & inter publicas curas animum fessum reficere dulcedine fabricarum. Hæccine sunt templa in Christi Ecclesia ædificata, Deo oblectamenta, diuini imperij pulchra facies, regnantis religionis testimonium præconiale; quæ in floridissimis vrbibus sub admiratione exteris monstrantur, & ea eorum fronte, internóque cultu, & ornatu ministrantium talia Dominus esse creditur, quale eius habitaculum comprobatur. Non ita sunt nouatorum templa, quæ potiùs apparent ruinæ templi à Babyloniis expoliati, & miserè iacentis sine vasis aureis, sine supellectili, sine Deo, educentis Nehemiæ lachrymas; expectantis ad reædificationem, & noui alicuius Cyri dexteram, & Zorobabelis dexteritatem.

§. XXI.

Vnius periurij pœna quàm plurimos perdit, & citissimè perdit.

NOn stricta est iuramenti religio, *qui iurat in altari, iurat & in omnibus, quæ super illud sunt*, &c. Vniuersa quæ annexa sunt rei, in qua iuras, tanguntur religione iuramenti: & similiter vniuersa, quæ tibi aliquo modo proxima sunt, periurij tui pœna quatiuntur. Nescit iuramentum breuibus coarctari limitibus, vel eius, cùm ritè profertur virtus, vel cùm fraudulenter emittitur, eius pœnæ vicina peruadunt vniuersa. Sedecias rex in Ierosolymis fidem frangens Babyloniis, & iuramenta præstita fœdauit, quid tunc? Habes 4. Regum 25. *Venit Nabuzardan princeps* 4. Reg. 25.
exercitus, seruus regis Babylonis in Ierusalem, & succendit domum Domini, & domum regis, & domos Ierusalem, omnémque domum combussit igne. Nulla mansit domus in illa ciuitate, ad quam ignis flamma non veniret. Sed qui sic per vniuersam vrbem potuit ignem ostiatim ferre? Quando expugnator vrbis, nulli etiam vilissimæ casæ pepercit? Non id præstitit miles Babylonius, sed Sedeciæ periurium id faciebat, quòd nesciens vna in domo arctari, ad vniuersas vicinas ducebat flammas. Ait Chrysostom. homil. 19. ad Populum. Chrysost.
Vbique ignis grassabatur barbaricus, iuramenta ignem ducente, & flammam passim circumagente. Itaque Nabuzardan dux fuit militum expugnantium vrbem; at Sedeciæ periurium dux erat flammarum, quas ducebat, & vocabat ostiatim, ne vel humilis casa seruaretur à flammis. Hanc periurij pœnam latam etiam in vicinos simulabat forsan Herodes præcauere, cùm postulatum à saltatrice caput Ioannis Matth. 14. Matth. 14.
Propter iuramentum autem, & eos qui pariter recumbebant, iussit dari. Timuit iuramento suo; timuit & simul discumbentibus; quia iuramenti fractio omnibus vicinis reputabatur exitialis. Vnde Zachariæ cap. 5. ait. *Ecce ego video volumen* Zach. 5.
volans. Hæc est maledictio quæ egreditur super faciem omnis terræ, quia omnis fur sicut ibi scriptum est, iudicabitur, & omnis iurans ex hoc similiter iudicabitur. Expende quæso rationis datæ pondus; nimirum: hæc est maledictio, quæ egreditur super omnem terram. Et cur maledictio egreditur super omnem terram? An quia omnis caro corruperat viam suam? Minimè: sed quia omnis iurans ex hoc iudicabitur, & vbi iudicium paratur in iurantes, necessum est, quòd & maledictiones in iurantes iactatæ vniuersa etiam peruadant. Quis sibi iam non metuat a iuramentis? Quis vel Herode peior non iumentis pareat, vel saltem propter discumbentes simul, quando iuramenti violati pœna vniuersas tangit, & timorem incutit astantibus. Quippè dicebat D. Antiochus homil. 63. *Vel sola locutio viri iuramentis* Antioch.
assueti, non solùm capillos surrigit, verùm aures insuper infestò,

& pugnaciter vellicat audientium. Et cur non turbentur, & metuant audientes, quando iuramenti pœna vniuersos tangit, & citissimè tangit. Iuramentum enim & vniuersalitatem, & celeritatem in pœnis habet, non enim quia eius pœna ad plurimos se extendit, ideo tardior est, sed omnes alias pœnas superat velocitate. De Sedeciæ periurio castigato à Rege Babylonio, ait Ierem. 39. *Oculos quoque Sedeciæ eruit, & vinxit eum compedibus, vt duceretur in Babylonem.* Antequam à Iudææ solo egrederetur, oculos perdidit Sedecias: quod ponderans D. Chrysost. hom. 19. ad Popul. ait: *In Iudæa excæcationem passus est, vbi namque iuramentum spretum est, ibi vindicatum, & vltionem ipse sustinuit.* Non potuit tardare pœna violati iuramenti, sed in eodem loco, in quo culpam fecit, ibi & pœnam incurrit.

Ierem. 39. Chrysost.

Text. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ: qui decimatis mentam, & anethum, & cyminum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium & misericordiam, & fidem: hæc oportet facere, & illa non omittere. Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes.

§. XXII.

Nimis scrupulosi erga parua, solent magna deuorare.

NOn in Pharisæis perfidis solùm inuenies hoc vitium, qui præ malitia cordis sui circa paruula religionis opera nimis scrupulosi, & timorati videbantur, verùm circa insignia virtutum facinora caligabant; imò & grauia scelera vorabant. Sed id accidere sæpiùs solet modò & hominibus angusti animi; qui vt sunt ipsi parui cordis, sic nimis adhærent paruulis, & leuidensibus obseruantiis, pro quibus nihil non metuunt, nihil non cauent, alioquin minimè curantes res magnas. Propone tibi ob oculos totum illud Pharisæorum supercilium, quo persequebantur Iesum. quò spectabat, nimirum, ne Sabbata aliquo etiam vtilissimo, etiam necessario opere pollueręntur. Matth. 12. *Abyt Iesus per sata Sabbato: discipuli autem eius esurientes cœperunt vellere spicas, & manducare. Pharisæi autem videntes, dixerunt ei: Ecce discipuli tui faciunt, quod non licet eis facere Sabbatis.* Proh nimiam Sabbati obseruantiam! Proh scrupulosam nimis Sabbati religionem! Profectò scrupulus hic de non vellendis paucis spicis, famis ergò non religionem custodit, sed maioribus longè facinoribus locum dabit in Sabbato. Notabat ad hæc D. Athanasius hom. de Semente: *Atqui illi, qui esum in Sabbato pro crimine obyciunt, ipsi eadem in Dominum ipso Sabbato moliuntur.* Toti positi in eo, ne vel spica euellatur necessitatis ergò die Sabbati, nec curant, quòd germen illud Iesse festis diebus euulsum sit à terra viuentium; imò ipsi in Sabbatis clamant: *mittamus lignum in panem eius.* Mitti lignum in panem eius, ingens erat facinus, & opus detestandum, quod deglutiunt illi, qui in spicam euulsam necessitatis gratia vehementer excandescunt. Vtinam & viris piis inde maneret suspecta nimis scrupulosa religio circa parua, quæ solet sæpe minus attenta esse, & minus capere magna. Pro quo aiebat D. Paul. 1. ad Corinth. 14. *Fratres, nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote. sensibus autem perfecti estote.* Quos malitia paruulos amat, dolet, quòd sint sensibus paruuli; sed cur dolet, quòd sint paruuli sensibus? Sapienter D. Chrysost. hom. 36. ibi: *Nam solent pueri ad parua hiare. & obstupescere, valde magna non æquè mirantur.* Pueri paruulis, & leuidensibus rebus capiuntur, magna non ipsi capiunt: clamabit puer, vociferabitur pro chartula sibi erepta qui præteribit ludens conflagrationem paternæ substantiæ: noui puerum, qui pro acquirendo pomo currebat, interim pallium dimittens latronis manibus. Nec nouit hominem in naturalibus nimis studiosum rerum paruarum, quem non aduerterim excutientem ad res maioris substantiæ. Id Paulus verbis datis notabat in illis qui nimis fidebant externis virtutum paruulis testimoniis, nimirum, linguarum dono, siue etiam dono sanitatum, siue fœminarum reuelationibus; qui enim hæc paruula nimis auidè arripiunt, paruuli sensibus videntur, & adeò paruuli, vt pro his leuidensibus saluandis instar puerorum magna contemnant, magna deuorent. Fallar si huc non spectauit Dominus Luc. 10. aiens ad Martham: *Solicita es, & turbaris erga plurima. Vnum porrò est necessarium.* Vnum vocat, quidquid præcipuum est, & magnum salutis negotium; solent enim, quæ magna, & splendida sunt, etiam vnica vocitari. Sic virilis hominis animus ad vnica, & magna, & præcipua virtutis facinora spectet, dum enim se turbæ siue multitudini rerum tradit, hoc est, nimis solicitus est de minutissimis quibusque rebus, circa magna turbabitur, adeòque excutiet ad illa, vt querelam moueat de his, quæ debebat mirari. His, si Prælati sint, proponerent consilium laudatissimum à Iethro Moysi datum, Exod. 14: *Quidquid autem maius fuerit, referant ad te, & ipsi minora tantummodo iudicent, leuiùsque sit tibi partito in alios onere. Si hoc feceris, implebis imperium Dei, & præcepta eius poteris sustentari.* Expende qualiter dicantur præcepta Dei posse à Principe sustentari, nimirum, si præcipuè ad maiora ipse respiciat; si non nimis anxius sit pro leuidensium, & paruulorum multitudine. Quippè, vt ait Sap. cap. 9. *Terrena inhabitatio deprimit mentem multa cogitantem.* de magnis, & vnicis nobis præcipua sit cura, ne si nimis scrupulosi paruorum turbæ, & multitudini inhiemus, terrena inhabitatio laqueos nobis paret, quibus aliquod vocare faciat magnum. Apud Rhodiginum lib. 4. Antagoras Philosophus sic mordet Regem Agamemnonem, nimirum scrutatorem rerum paruularum: *An opinaris, ô Rex, Agamemnonem, cui tantarum rerum onus incumberet, solicitiùs perscrutatum, ecquis in exercitu suo congruum coqueret?* Nunquam non malè oluit nimia cura de paruis, in his, qui magna debent tractare. Vnde monebat Philo lib. de Creatione Principis: *Ne in exiguis conterat operam princeps, ne solicitudinem impendendo rebus vilioribus, negligat maioris momenti negotia.* Sic ille.

Matth. 12. Athanas. 1. Cor. 14. Chrysost. Luc. 10. Exod. 14. Sap. 9. Rhodig. Phil.

§. XXIII.

Grauissima gubernatorum negotia ea sola sunt, quæ pauperum necessitatibus consulunt.

COnueniant huc mundiales gubernatores, notent, quæ sine grauiora legum negotia; quippè ait Dominus: *Reliquistis, quæ grauiora sunt legis, iudicium, & misericordiam, & fidem.* Expende, quæ iungantur à Domino, nimirum, *Iudicium, & misericordia.* Illa equidem sunt grauiora legis negotia, quando iudicia exercentur, quæ misericordiam contineant: videlicet, de subleuatione pauperum, de viduarum tollenda oppressione, de fouendis pupillis. Repete paulò antè datum consilium Iethri, Exodi 14. qui sic dicebat præstantissimo gubernatori Moysi. *Quidquid autem maius fuerit, referant ad te, & ipsi minora tantummodo iudicent.* Sed quæ erunt maiora negotia gubernatoribus præstantissimis reseruanda? Accipite pro illis Philonem lib. de Creatione Principis fantem. *Maiora dico negotia, non vt quidam existimant, controuersias, quæ inter claros, diuites, potentésque incidunt: sed quoties priuati, egeni, obscuri premuntur à potentioribus, cum nulla præsidy spes est nisi à iudice.* Hæc sunt maiora, & grauiora negotia, quæ maximos gubernatores decent, in quibus tractandis ipsi præcipuam curam, & studium tenentur impendere. Hæc velut omnium grauissima sibi reseruauit Deus ipse; ait enim Deuteronom. 10. *Deus magnus, & potens, & terribilis, qui personam non accipit, nec munera. Facit iudicium pupillo, & viduæ, amat peregrinum, & dat ei victum.* Ecce tibi magnus, & potens Deus de vniuersis sæculorum negotiis, qualia sibi diligit iudicanda, vtpote in suo conspectu grauiora, nimirum, *facit iudicium pupillo, & viduæ.* Hinc se extollebat Theodoricus Rex apud Cassiod. 1. var. 8. aiens. *Cordi nobis est cunctos in commune protegere, sed eos maximè, quos sibi nouimus defuisse. Sic enim æquitatis libra seruabitur, si auxilium largiamur imparibus, & metum nostri pro paruulis, insolentibus opponamus. Fortuna minor principem quærit.* Et sanè pro pauperibus, & infirmis tutandis inuentus est principatus; nec vnquam Deus Principem constituit, aut summa, & prima illi pauperum negotia non indicere. Psalm. 71. *Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis. Iudicare populum tuum in iustitia, & pauperes tuos in iudicio.* Ad hoc rex creatur, ad hoc tribunal statuitur, vt causæ infirmorum agantur. Nulla sedes à Deo descendit, cui non prima, & maiora negotia sint, quæ ad pauperes spectant. Recole supremi iudicis tribunal, à patre acceptum, quando omne iudicium dedit filio. Quæ illo in tribunali, cui omnia imperiorum mundialium negotia reseruantur, primò, & principaliter aguntur? Matth 25. *Tunc dicet rex his, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.*

Exod. 14. Deut. 10. Cassiod. Psal. 71. Matth. 25.

Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, &c. Bone rex, tribunal ascendis iudicaturus orbem, & primò agis de frusto panis pauperi exhibito? Adsunt regnorum spoliationes; adsunt Patriarcharum facinora immortali decoranda laude, adsunt durissima bella martyrum; cur hæc illustria, & nobilia non primùm in examen vocantur? Cur prætermissis illis, pauperculi panis tibi negotium facessit? Sanè in conspectu diuinissimi regis maiora, & prima negotia, illa
Chrysol. sunt, quæ spectant ad pauperes. Pulchrè aiebat Chrysolog. serm.14. Quod seruauit mundum Noe, quòd Abraham fidem suscepit, quòd Moyses legem tulit, quòd Petrus crucem resupinus ascendit, Deus tacet, & hoc clamat solum, quòd comedit pauper. *In cælo prima est esurientis annona, prima stipendia pauperis tractantur in cælo, erogatio pauperis prima diuinis scribitur in diurnis.* Quantum negotium erat mundi restauratio per Noe? Quantum ponderis habebant leges Moysis, facinora Abrahami, triumphum Petri? Et hæc à iudice diuino quasi prætermittuntur, dum agit de cibo pauperum; in eo tribunali, qui cœlestis est, qui Deum halat, prima tractantur negotia pauperum, primaque scribuntur in diurnis, quasi ob hæc præcisè à Deo sint inuenta tribunalia.

§. XXIV.

Gubernator, qui nimius est in minimis, & paruis, solet præstantissimis inferre damnum.

EXpende adhuc in his gubernatoribus, qui decimant cyminum, quid sequatur, nimirum, quòd relinquant iudicium; rarò enim, qui nimis affectus est circa parua, & minima, iustum iudicij pondus circa res habet. Iustum iudicium illud est, in quo suus cuique valor, & æstimatio datur, vt magna magni æstimentur, & præ illis relinquantur, & contemnantur (si sors tulerit) parua. Hoc iustum iudicium minimè seruari potest, ab his, qui circa parua maximo, & nimio animi conatu feruntur, hi enim sic parua illa sua diligunt, sic requirunt, vt nec alia maiora vacet spectare, vnde fit, vt propter illa parua habenda, damnum inferant magnis, cum multo dispendio publicæ communitatis. Eu quoties magnarum virtutum lumina despiciuntur; imò tenebris dantur ab his nimis caloribus paruitatum! Noui hominem hortulanum, cui cordi erant olera, lactucæ, allia, porri, & cætera huiusmodi leuidensia; is aliquando accepit colendam vineam fœcundis vitibus plenam, & fructiferis arboribus locupletam. Quid hæc ad hortulanum oleribus assuetum? Sua requirit allia, & cepas, has exposcit, pro his suspirat, & otiosam & perditam reputans terram vitibus, & arboribus interpositam, illam nono ferro diuexat, vt acceptis seminibus olera etiam referant, & allia. Quid plura? Duobus annis pro habendis oleribus vineam perdidit, & vites, & arbores. Non quæuis terra ô bone apta est simul fortibus ferendis fructibus, & leuidensibus; & quæ ligonem sustinet pro magnis fructibus, nequit sustinere, vel scalpellum pro paruis. Non otiosam putes terram, quæ vitibus adiacet, vexatio est damnosa, non cultura, non religio, quæ à terra parturiente vites, adhuc contendit vel ferro olera extrahere. Sed quid est vitium perditio illi, cui cordi est cepa, & allium, & cætera olera herbarum? Hanc in moralibus perditionem caue-
Deut.22. bat Dominus Deuteronom.22. *Non seres vineam tuam altero semine, ne ex sementis, quam seuisti, & quæ nascuntur ex vinea, pariter sanctificentur,* hoc est, perdantur. Pessimi equidem coloni est, sicut & pessimi gubernatoris terram magnorum fructuum feracem paruis addictis diuexare, imò re-
Phil. ducere ad sterilitatem. Id quod Philo lib. de creatione Principis in rem suam notabat, aiens: *Quicumque colonus nimis ad rem attentus potest obiurgari his verbis legislatoris: Cur sæuior es rigibus ciuitates debellantibus? illi suis parcunt prouincialibus, contenti vno tributo annuo: vos autem cum ex eodem fundo colligatis in vere hordeum, in æstate fructus arboreos, duplici eum tributo granatum opprimitis, fieri non potest, quin exhaustus deficiat.* Sufficiant colono poma, & rubentia musta ex vineis, cur pro hordeo, & cæpis illam vexabit, sterilémque efficiet? Sufficiant gubernatori fortia virtutum facinora visa in subditis, non pro minimis illos diuexet, ne fortè exhausti deficiant. Caue tibi, qui præes, ne nimis ad rem attentus sis, vt nec paruis parcas, magnum enim sæpe damnum reiectis præstantissimis communi vtilitati inferes.

Text. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ; quia mundatis, quod deforis est calicis, & paropsidis, intus autem pleni estis rapina, & immunditia. Pharisæe cæce munda priùs, quod intus est calicis, & paropsidis, vt fiat id, quod deforis est mundum. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia, sic & vos à foris quidem paretis hominibus iusti: intus autem pleni estis hypocrisi, & iniquitate.

§. XXV.

Christianum est intimis animi virtutibus plus fidere.

NVnquam externus splendor sine interiori Deo placere potuit, qui cùm spiritus sit, intimo & spirituali gaudet splendore, ideo semper respuit iustitiam Pharisæorum, quæ solis externis constabat nitoribus. Sed mihi in primis illud facit quæstionem; cur Dominus sic persequatur Pharisæorum iustitiam externam, cum ipse in lege mille externas lotiones, & calicis, & catinorum mandauerit? Nónne lex erat de lauandis vasis, & de aliis mille externis mundiciis? Imò cùm legem tradiderit Moysi, eius faciem externis fecit lucere splendoribus, vt habes Exod.34. & Paul.2. ad Cor.3. ait. *Non possent intendere filij Israël in faciem Moysi propter gloriam vultus eius.* Cur ergo, qui adeò inuehitur in externos nitores Pharisæorum in legis externis nitoribus, in Moysi solius faciei splendore sibi complacebat? Equidem legales illæ mundiciæ, & externa Moysis gloria indigitabant Christianorum intimas virtutes, & medullitus inflixas glorias, quæ in illis externis adumbratæ diuinos recreabant oculos. Ad hæc enim ait D.Machar.hom.12. *Gloria relucebat in facie Moysi. Et quod gerebatur; alterius rei figuram præseferebat: quoniam illa gloria tunc intus splendet in cordibus Christianorum.* Nunquam enim externa faciei gloria, nunquam externæ munditiés vasorum placerent Domino, nisi prout ipsæ illæ mundities cernebantur in intimis præcordiis positæ Christianorum. Hinc meritò dicebat Psalter. 44. *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus in fimbrijs aureis.* Gloria enim Moysis translata in Christi Ecclesiam non extrinsecus fulgurat, sed ab intus, ab intimis animi recessibus diuites ostendit venas, quibus latitant virtutes aureæ. Pulchrè aiebat D.Bruno. ibi: *Omnis gloria eius filiæ Regis, id est, filiæ filij mei, quam superius reginam dixi, erit ab intus, ab anima consistans in fimbrijs aureis, in perfectione charitatis, quæ per bona opera apparet.* Tunc Christianus in Domino potest gloriari, cùm intimis animi sui medullis eas congerit aurearum virtutum diuitias, quæ extrinsecus etiam per bona opera valeant radiare. Nec vnquam æstimata fuit virtus, quæ ab intimis non esset: id quod ostendere volens Moyses Numer.21. pro salute obtinenda serpentem æneum exaltauit; sed qualem serpentem æneum, an talem, qui extrinsecus æneum ostenderet faciem, intrinsecus autem esset inanis, & vacuus? Absit; non enim proficiunt ad salutem, nisi illa, quorum interna correspondent exteriùs splendenti faciei. Vnde aiebat D.Ephr. de Pœnit. *Moyses, quando populus peccabat, imperabat bis, vt serpentem crucifigerent, hoc est, vt peccatum delerent, & non fecit illum inanem, & vacuum, sed fusilem statuam ære solidam. Quid ita? Vt ostendas tibi, quòd perfectè, ac solidè malitiam auersari debes.* Eu quot exteriùs serpentem cruxificam ostendunt, sub cuiúsque splendenti vultu gloriantur, qui intrinsecus pleni sunt cauernarum, & latibula præbent, quibus virulentia vitiorum abscondantur. Væ illis: satiùs fecissent, si internam malitiam exterminarent, si serpentem internum pascentem viscera crucifigerent. Quid enim prodest exteriùs mundari, si meliorem partem mundam habes. Christo Domino, vel porci nomen infame erat, ait Matth.7. *Nec mittas margaritas ante porcos.* Et sanè hoc animal aliquid habebat quod lex in animalibus habebat gratum; animal enim ruminans placet legi; cur ergo hoc animal, cùm ruminet, sic offendis legis auctorem? D.Ephrem vbi suprà: *Nihil verò profuerit porco pro dimidio dumtaxat mundum esse, cum vngulas non scindas, sed*

Margin (right column): 2. Cor.3. · Machar. · Psalm.44. · Brun. · D.Ephr. · Matth.7. · D.Ephr.

sed scissas habeat, nam omnem abiecit munditiem. Non est cur de munditia glorietur, qui & solidè, & perfectè, intrinsecus, & extrinsecus non mundatur; si vel partem immundam retineas, omnem abiecisti munditiem, factus es Deo abominabilis.

§. XXVI.

Vitiorum extrinsecus splendor despiciendus, & eorum intrinsecus horror videndus est ab eo, qui velit lucrum reportare.

HOmo hypocrita verè sepulchrum est deforis nitens auro, intrinsecus autem corruptione cadauerum, fœtore plenum. Sic mundialia bona vniuersa, sic vitiorum, voluptatúmque materies extrinsecus quodam nitore splendore; verùm intrinsecus, si inspiciantur, nihil aliud quam fœtorem, & horrorem exhibent. Felix ille, qui deforis nitentem speciem contemnens, intima penetrat, occulta feculenta attenuè rimatur, fallar, nisi is multa ex Deo lucra
Psal. 106. reportet. Aiebat Psalm. 106. *Qui descendunt mare in nauibus facientes operationes in aquis multis. Ipsi viderunt opera Dei, & mirabilia eius in profundo.* Expende vbi Dei miracula percipiantur, nimirum, in maris profundo; cur non magis in sereni maris extima superficie? Cùm mare serenum est, nescio an cœlum ipsum pulchriès rutilet; argentea, siue cryst allina æquora apparent, quæ oculos mortalium impleant, animos rapiant. Percussæ vndæ Solis radiis purpurea effingunt tapeta; vel currentes aureos riuos effingunt. Perspicacior oculis coloribus de falsis fallentia nectara fugit, quæ animo propinat, miserúmque inebriat mendaciis multis. Quid mundialibus bonis similius? Ementitis splendoribus instar maris fulgurant vitia, vt pariant ruinas; ille autem, qui has effictas lucellas contemnit, & descendit in profundum vitiorum, vt intima rimetur, dum nihil inuenit præter limum, præter fœtores, præter ossa, & cadauera pereuntium, inter hæc mirabilia Dei videt, & effictos mundi splendores denirans, cœlestibus inhiat, & imple-
Machar. tur diuinis. Super hæc addit aliquid D. Machar. hom. 25. & pulchro exemplo vtens, ait: *Sicuti mercatores nudi in profundum maris descendunt, vt illic margaritas reperiant, quæ prosint ad coronam, & purpuram regiam; ita qui solitariè viuunt, in profundum maris vitiorum descendunt, vnde sumunt, & referunt pretiosos lapides, qui valeant ad coronam Christi, ad nouum sæculum, ad ciuitatem splendidam, & populum Angelorum.* Sanè, qui margaritas quærit, non capitur crystallino, siue purpureo vndarum aspectu; sed vndas splendentes prateriens intima penetrat, ad profundum accedit, dúmque limum, & fœtulenta maris excrementa scrutatur, margaritas metit. Sic felix veritatis assecla, minimè tenetur extrinsecus splendenti vitiorum nitore; interna eorum rimatur, vsque ad profundum descendit, ibique dum contemplatur voluptatum cœnum, honorum squallentes vacuitates, mundi fœtores, insanias, inconstantiam rerum, æternos vilibus comparatos gemitus, pretiosos mercator lapillos, quibus coronæ Christi inseritur, & nouus homo, nihil animo suo non cupit cœleste, & Angelicum. Sic lucratur, &
Eccles. 7. ditescit, qui mundialium intima penetrat! Ecclesiastes c. 7. dicebat: *Bonum est te sustentare iustum, sed & ab illo ne subtrahas manum tuam, quia qui timet Deum, nihil negligit.* Bona equidem negotiatio est, qua quis se tradit iustis sustentandis; si enim ab hac negotiatione non desistat cœlestibus
Chald. diuitiis implebitur. Sed & aliam negotiationem aptiorem in rem præsentem inuenit Chaldæus Costi, fatus ad præfata verba: *Bonus est, qui mundi huius profundum, & intimus implicatur, vt bona animo suo retendat in mercatorum via.* Ille profectò instar boni mercatoris agit, qui non externis mundialium vndarum splendoribus capitur, sed vsque ad limosa profundi descendit, intimósque horrores, & fœtores, & miserias rerum perpendit, quo animo suo æterna acquirit bona, & pretiosam margaritam offendit, qua sola etiam omnibus mundi bonis, dissipatis immensum ditescit.

§. XXVII.

Homo peccator secessum à turbis amat, vt saluti incumbat. Vbi aliqua de exercitiorum spiritualium vtilitate.

MIseri isti hypocritæ damnabiliter comparantur sepulchris extrinsecus fulgentibus: feliciores essent, si meruissent comparari ipsis cadaueribus. Cadauer enim nil magis contendit, quam secessum, in quo occultè putrescat, & venturam resurrectionem spectet. Huic assimiletur peccator, & siquidem mortuus est apud Deum, & iam non tam corpus, quàm cadauer habetur, secessum contendat, vbi a turbis, imò & ab amicis semotus præ dolore culparum putrescat, & sic nouam vitam, nouámque resurrectionem possit habere. Nota est illa historia defuncti pueri,
4. Reg. 4. cuius mater nil magis curauit, quàm vt Elisæus filium defunctum videret, illique vitam refunderet. *Ingressus est ergo Elisæus domum, & ecce puer mortuus iacebat in lectulo eius, ingressúsque clausit ostium super se, & super puerum, & orauit ad Dominum.* &c. Expende quid faciat Elisæus, vt de refundenda vita puero tractet; in primis, puerum defunctum in cubiculo accipit, a quo vniuersos arcet domesticos; imò & matrem pueri fecit abesse, & super se & puerum solos cubiculum claudit. Cur non magis admittit pueri matrem, vel propinquos alios, vt simul orent? Sanè in illo mortuo adumbrabatur peccator, qui debet ab omni familiari secedere & solus cum magistro spirituali claudi, vt in salutem, & vitam possit quàm citiùs remeare. Accipite ad
hæc pulcherrima verba Bachiarij epist. ad Ianuarium, vbi ait. *Valde enim debet secretus, & solitarius locus mortuo in peccatis præparari; vt nihil capiatur amplius, quàm medicus, & cadauer.* Bach.
Conueniant huc omnes, qui se peccatis confodiunt, & discant vnde possint sumere recuperandæ salutis auspicium. Qui in peccatis mortuus est, fugiat paulisper familiares, fugiat turbas, fugiat ipsos parentes, secessum amet, absconditum quærat cubiculum, vbi tantùm capiantur, & medicus & cadauer, ibique & peccatorum fœtorem defleat, & æternam speret sanitatem. Hoc salutis auspicium inuenit peccatoribus D. Ignatius Societatis Iesu Pater, qui exercitia spiritualia condens, peccatores homines paucis diebus intra cubiculum claudebat, peccatorumque fœtores, & pœnas proponebat meditandas, quo medio in salutem reformabantur. Quis memoret, vel numeret peccatorum cadauera, quæ exercitiorum spiritualium in Societate Iesu secessus ingressa, inde & salutem, & vitam recuperarunt? Fugitur turbarum conuentus, cubiculum præparatur, vbi nihil capitur amplius, quàm medicus, & cadauer, & paucis diebus cadauer vitam halat. Quis neget secreti, & quietis locum plurimum conducere, vt in peccatis mortuus citius trahatur in spem vitæ? Compone modò duas notissimas in Christi Ecclesia sorores Martham, & Mariam; illa occupabatur circa frequens ministerium; hæc secessum amabat, & cubiculum. Vtriusque vnanimus frater mo-
ritur, Ioann. 11. & dum domi sedens Maria mortem fratris Ioan. 11.
defleret, egressa Martha inuenit Iesum, multa ab illo audit de resurrectione, de fide, & fidem obtenta, vocat Mariam sororem suam, quæ protinus ad pedes Iesu obuolata, antequam vllum eius verbum percipiat, ait: *Domine, si fuisses hîc, non fuisset mortuus frater meus.* Quid tunc? Iesus vitam mortuo amico refusurus accedit, iubet lapidem tolli, & aperiri sepulchrum. Ad hæc Martha obstans, ait: *Domine, iam fœtet, quatriduanus est enim.* Sic parum fidens nec videre cadauer volebat, nec aliquam spem vitæ refundendæ in apertione sepulchri. Sed cur sola Martha hoc obstaculum ponit? Cur non simul Martha, & Maria in eandem parum fidam vocem erumpunt? Nunquam sanè Maria, quæ domi in cubiculo sedens mortem fratris lugebat, non potiùs spem firmaret acquirendæ vitæ. Quæ foris vagabatur Martha, etsi sanctè occupata, tardior quidem est ad vitam percipiendam: quæ in secessu agebat, & si nihil audiret, promptior inuenitur, & sine cunctatione recipit, quidquid
spectet ad vitam. Non longè abest D. Basil. Seleuc. orat. 2. Basil.
de Lazaro inquiens: *Martha sanè, quæ Christum admirabilia quædam de resurrectione, atque sua potestate disserentem audierat, cum ad eum ventum esset, adhuc hærens, & fluctuans aiebat: Domine, iam fœtet. Magdalena autem, quæ nihil eiusmodi perceperat, neque verbum cum Christo locuta fuerat, è vestigio credidit: Domine, ait, si fuisses hîc, frater meus non esset mortuus. Domi enim mæsta desidebat.* Non miror quòd Martha, etiam cum multa audiat de vita, tardior inueniatur ad percipiendum; imò aliquem obicem submittat: priuilegium enim est secessus, & secreti cubiculi vitam citiùs percipere: sic quæ foris agit, cunctatur; quæ domi desidet mœsta, mortem fratris lugens, sine cunctatione, nullo obice posito, ebibit spem vitæ. Iam quisquis in peccatis mortuus sit, æmuletur cadauer, amet secessum, amet secretum cubiculi, & sic mundo desipiat, vt salutari insipientia repletus, dicat

Psalm. 37. dicat cum Psalm. 37. *Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ.* Dum enim quasi insipiens factus mundum fugit, secessum eligit, putrescunt peccata, & ingreditur velocissimè vita.

Text. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia ædificatis sepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta iustorum, & dicitis: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socij eorum in sanguine Prophetarum. Itaque testimonium estis vobis metipsis, quia filij estis eorum, qui Prophetas occiderunt.

§. XXVIII.

Summa impietas eò homines trahit, vt non differant eorum vota, & homicidia, sacrificia, & scelera. Quod summum malum est.

Dicitur væ à Domino Pharisæis, quia iustorum monumenta ædificant, & ornant; an non pium, & religiosum est in fidelibus, quòd Mausolea erigant, & monumenta in honorem Sanctorum construant? Cur ergo væ dicitur istis monumentorum talium ædificatoribus? Religiosa planè est Mausoleorum erectio, & dedicatio viris iustis facta; at Pharisæorum tanta erat cordis malitia, vt in illa ipsa ædificatione pessimi apparerent; & monumenta ab illis parata potius viderentur homicidæ opera, quàm religiosi. Parant equidem sanctis cadaueribus sepulchra, & homicidæ, & religiosi; illi vt condant; & occultent: hi vt ornent, & extollant. Et eò deuenit malitia hominum, vt eadem appareant in illis religionis, & homicidij opera.

Isai. 66. Quò refero illud Isai. 66. vbi questus Dominus de impietate populi aiebat: *Qui immolat bouem, quasi qui interficit virum.* Facit hoc malitia cordis humani, vt non differant inter se victimæ, & homicidia. vt idem motus manus, qui ad oblationem tendit, appareat tendere ad facinus immanissimum. Ecce meretricula illa Prouerb. 7. ait: *Victimas pro salute deuoui, hodie reddidi vota mea. Idcirco egressa sum in occursum tuum, desiderans te videre,* &c. Qualis hæc consequentia rerum? Ideirco egreditur in occursum iuuenis, quia victimas vouit, quia vota reddidit? Cur ex votis, & victimis egreditur? Rem explicat exitus, dicitur enim: *statim eam sequitur tanquam bos ductus ad victimam,* Hebraicè legitur, *tanquam bos ductus ad lanienam.* Septuag. posuere, *ductus ad mactationem.* Chaldæus exprimit, *sicut bos ad macellum.* Quæ alia essent vota, & victimæ lasciuientis fœminæ, nisi quæ halarent homicidia? Huc impellit homines malitia cordis sui, & summa impietas, vt in eis non differant sacrificia, & homicidia. Huiusmodi sunt plurimorum fidelium in templis Dei consessus: mysteriorum sacrorum exauditio, eleemosynæ, Sacramentorum visus, & similia, quæ in penè innumeris nihil differunt ab homicidiis. Horum ducem notabam aliquando Iudam; qui Matth. 27. *pœnitentia ductus retulit triginta argenteos Principibus sacerdotum, & senioribus, dicens: Peccaui tradens sanguinem iustum; & proiectis argenteis in templo recessit, & abiens laqueo se suspendit.* Ecce tibi in Iuda pœnitentia, ecce pecuniarum malè acquisitarum restitutio; sed hominis impietas fecit, quòd hæc pœnitentia, & restitutio essent noua crimina, cum supplicio coniuncta. Et meritò deploratam Iudæ impietatem notans D. Leo sermon. 5. de Pass. ait: *Tam peruersa impij conuersio fuit, vt etiam pœnitendo peccaret.* Quid peius de homine dici potest? Tam peruersus est quis, vt etiam vouendo, sacrificando, pœnitendo, orando peccet. adeò, vt nemo possit distinguere inter eius victimas, & peccata.

Proverb. 7.

Matth. 27.

D. Leo.

Psal. 108. Quod vt summum malorũ est, sic a Dauide in summũ peccatorem iaculabatur. Psal. 108 aiens: *Et oratio eius fiat in peccatum.* Id quod ponderans D. Ambr. lib. 1. de Abel & Cain c. 9. ait: *Nescis quàm graue sit ex oratione contrahere peccatum, vbi speras remedium? certè Dominus per prophetam docuit hoc graue esse maledictum, dicens: Et oratio eius fiat in peccatum.* Fallar si maius aliquod maledictũ iactari possit in homine, quàm quòd taliter fiant eius vota, & sacrificia, & orationes, vt nequeat distigui inter illa & crimina. Nonne summũ malum est sic infectos habere fomes salutis, vt vnde sperabas vitam, mortem incurras? Nunquam Deus seuerior in peccatores ostenditur, quam vbi illos eò deuenire permittit, vt offendant, ipsis placationis operibus. Tandem Dei rigorem exhibebat Diabolus Iob cap. 1. dum ait: *Ignis Dei cecidit de cœlo, & tactas oues, pueros que consumpsit.* Cur tactas oues cœlesti igne memorat? Oues erant, ex quibus victimæ Deo fiebant, & sacrificia: vt ergo summam à Deo derelictionem, imò oppugnationem ostenderit, confingit oues ipsas, id est, victimas, quibus placari Deus debuerat, factas esse materiam diuinæ iræ. Quid homini terribilius? Ad hæc Chrysostom. in cat. Græc. hoc astum Dæmonis expendens ait: *Ecce facit tibi bellum Deus. Id vero certo est argumento, quod ignis de cælo dimissus oues consumpsit.* Et quidem nullum certius argumentum est miserrimi, & deplorati status hominis à Deóque summo odio habiti, quàm vbi permittitur, eò per malitiam suam deuenire, quòd ipsæ eius victimæ, quibus Deum placare poterat, fiant somenta, & pabula æterni ignis. Sic impletur illud Malach. 2. *Maledicam benedictionibus vestris.* Et de tali anima, quæ ipsis bonis operibus offendit, ait Ierem. Thren. 1. *Viderunt eam hostes, & deriserunt Sabbata eius.* Cur hostes non rideant illa bona opera, quæ citius castigantur, quam sacrilegia ipsa? Oseæ 1. ait Dominus: *Visitabo sanguinem Iezrael super domum Iehu.* Sanguis Iezrael, est sanguis Naboth Iezraelitæ effusus ab Achab & Iezabel; quos in vindictam illius sanguinis interfecit Iehu iuxta verbum Domini. Cur ergo dicit Dominus se venturum contra Iehu propter Nabothi sanguinem? Nonne Iehu suum Deo præstitit obsequium, vindicans sanguinem illum? Equidem vindicauit sanguinem Nabothi Iehu, sed ambitiosè illum vindicauit: quare apud Deum Iehu obsequium idem reputatur, ac persecutorum homicidium, & quasi homicidium pœnas luit. Rupert. ibi. *Quia Iehu non veraciter zelo Dei paruit, sed propriæ cupiditati, vt regnaret seruiuit; rectè ipse reputatur inter interfectores Nabothi.* Non minus irritant, & offendunt Sanctos nonnullorum obsequia, quam aliorum homicidia.

Ambros.

Iob 1.

Chrysost.

Malach. 2.

Osea 1.

Rupert.

Text. Et vos implete mensuram patrum vestrorum. Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ?

§. XXIX.

Vbi malum iustis infertur, & Deo [illegible] fertur,

Non obscurè Dominus suam cædem ostendit, vbi mensuram pristinorum Iudæorum implendam esse præfinit: mensura enim, iustos & Prophetas occidentium eò pertingit, vt Deum ipsum occidat. Et quidem quod iustis viris malum infertur, absque dubio infertur Deo ipsi. Qui auderent Deo manus inijcere, nisi qui eas iniecerant iustis? Aut vbi posset Deus cruci suffigi, nisi vbi & lignum paratum fuit Prophetis, & sanctis viris? Pulchrè aiebat D. Cyrill. Alex. in cap. 1. Ioan. lib. 4. *Dicimus ergo Iudaici furoris opus fuisse, vt omnino Christus crucifigeretur; & hoc omnina facturi erant exercitati ad cadem sanguine Prophetarum.* De nullis alijs tantum malum potuit timeri, nisi de Iudæis: hi soli inter vniuersas nationes mundi iustos persequebantur, Dei Prophetas occidebant. Inuenies Ieremiam, & Danielem a Babylonijs honoratos, & ab alijs Ethnicis plures alios Prophetas benè acceptos; solos apud Iudæos fuerunt rari, aut nulli Prophetæ, cui non male tractarentur. Hinc est, quòd de solis Iudæis possit timeri Deicidium: & quidem à sanguine Prophetarum non est, cur non prosilirent in sanguinem Christi. Saltatricis puellæ gutturi, vt arbori antiquæ insertus, serpens etiam antiquus aiebat Matth. 17. *Da mihi in disco caput Ioannis Baptistæ.* Cur in caput integrum desæuit, & non potiùs in linguam, cuius flagellum sentiebat? Sanè qui necem tauri Prophetæ moliebatur, non poterat inde in caput, qui Christus est, non insurgere. Quò respiciens D. Chrysol. serm. 174. ait: *Si caput viri est Christus, tam tunc nouello ore antiquissimus serpens, Christi Domini tendebat ad mortem. Volo, vt des mihi in disco caput Ioannis. Iam tunc auidus draco in serui capite, Domini degustabat sitiens passionem.* Nunquam manus illata iusto nescit non sæuire in Deum ipsum. Vanè credis, quod minimè Dei morti consensisses, qui hodiè non parcis iustis viris, sed illos persequeris, & mille damnis affligis. Accipe de Simeone & Leui, quid dicat Iacob Genes. 49. *Simeon & Leui, vasa iniquitatis bellantia. In consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea: quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum.* Paulò aliter legit hæc vltima

Cyrill.

Matth 27.

Chrysol.

Genes. 49.

verba

verba Græcus apud Lippomanum aiens: *In furore suo interfecerunt homines, & in desiderio suo subneruauerunt taurum.* Iam equidem Simeon & Leui sæuiebant in taurum, hoc est, vitulum saginatum Iesum; vbi iustis hominibus mortem parabant. Hi enim, & Sichimitis recenti circumcisione initiatis, & sacratis, necem intulerunt, fratres in iustissimum Ioseph armarunt, Prophetas mille persecuti sunt, quibus cædibus sese exercebant, vt primogenitum tauri, Dei vnigenitum Iesum ad mortem, & crucem postularent. Hinc
Matth. 14. post occisum ab Herode Ioannem notanter dicit Matth. cap. 14. *Accedentes discipuli eius tulerunt corpus, & sepelierunt illud, & venientes nuntiauerunt Iesu. Quòd cùm audisset Iesus, secessit inde in nauicula, &c.* Audita Ioannis morte secedit Iesus, ne interfectores Ioannis maiori se facinore irretirent, dum iusti sanguine gustato, sanguinem iam sitirent diuini.
Hieron. num. Aiebat enim D. Hieronym. in cat. D. Thom. quòd secessit Dominus *parcens inimicis suis, ne homicidio homicidium iungerent*; ne ex nece Prophetæ prosilirent in necem Christi, nil enim est magis connexum, & coniunctum.

§. XXX.

Mala per hypocrisim illata ineuitabilem solent sustinere vindictam.

Crudelissimis hypocritis, iustorúmque interfectoribus meritò dicitur; *Quomodo fugietis à iudicio gehennæ?* Non enim solent effugere diuinam vindictam hi, qui per hypocrisim, & simulationem virtutis mala proximis inferunt. Apud Oseam cap. 1. ait seuerissimus vltor iniquitatum
Osea 1. Dominus: *Adhuc modicum, & visitabo sanguinem Israel*; nimirum sanguinem Nabothi Israëlites effusum ab Achab. Ex quibus verbis non modica exurgit quæstio apud sacros Doctores, cur sanguis Nabothi tam duriter à Deo exigatur? Iustus erat Naboth, & iniustissimè ab Achab occisus, sed iustus Abel, & iniustè occisus, & nihilominus Deus ponit signum in interfectore eius Cain, vt viuat securus: & iusti fuerunt innumeri alij Sancti, & Prophetæ ab iniquissimis interfecti, in quorum vindictam non adeò euidenter, & celeriter Deus exurgit. Cur ergo Dominus dissimulans aliorum iustorum neces, Nabothi necem exquirit, eiúsque interfectores castigat? Sic huius mors mandatur
3. Reg. 21. 3. Reg. 21. *Prædicate ieiunium, & sedere facite Naboth inter primos populi, & summittite duos filios Belial contra eum, &c.* Quanta hæc hypocrisis? Ieiunij religionem prætendunt, vt iusti sanguinem fundant; meritò ergo præ omnibus aliis mors Nabothi & memoratur à Deo, & iustam exigit vin-
Rupert. dictam. Ad hæc Rupert. hypocrisis Deo odibilis incessit specioso quasi ordine iudicij, vt non tantùm occideretur quasi iustus ab iniustis, sed quasi reus, & blasphemus à iustis iudicibus fortiter pro Deo celantibus. *Quantæ putas curæ Deo hoc videnti debuit esse? Quantum fuit in cælo spectaculum, dum tam crudele cruorem sitiendo calli simulatores prædicarent ieiunium? Benè ergo mors eius memorabilis est inter omnium Prophetarum, ac iustorum neces, vbi talis apparatus hypocritarum, talis spectatur facies homicidarum.* Potest in Dei conspectu mors Prophetarum à tyrannis occisorum dissimulari, & aliquandiu præteriri: at mors iusti ab hypocritis prætextu colorato religionis, occisi semper in memoria Dei est, exquirens vindictam sui sanguinis, & reuelationem
Eccles. 1. oppressæ veritatis. Hinc monebat Ecclesiasticus cap. 1. *Ne fueris hypocrita in conspectu hominum, ne scandalizeris in labijs tuis. Attende in illis, ne forte cadas, & adducas animæ tuæ inhonorationem, & reuelet Deus absconsa tua, in medio Synagogæ elidat te.* Nihil enim prius à Deo fiet, quam insurgere in hypocritas, eórumque opera impia, & verecunda reuelare, illósque in medio populi elidere. Sed expende illud, quòd hypocritæ elidantur in medio Synagogæ. Cur non magis in secreto, & solitario loco, vbi nullus appareat, qui possit illis auxiliari? Sanè Dauid, vt grauissimum expauebat malum, quòd solitariè excipitur; ait enim: *Nequando, vt leo rapiat animam meam, dum non est, qui redimat, neque qui saluum faciat.* Sed in Synagogæ medio multi sunt, qui redimant, qui auxilientur, qui saluum faciant. Cur ergo Deus hypocritas non magis rapit ad supplicium solitariè, dum non est qui redimat? Equidem tanta est hypocritarum ista impietas, tam ineuitabile eorum supplicium, vt licèt in medio Synagogæ feriantur, nullum effugium habeant.
Isai. 47. Pro quo Hugo refert huc illud Isaiæ 47. ad homicidas hypocritas iaculatum: *Reuelabitur ignominia tua, & videbitur opprobrium tuum: vltionem capiam, & non resistet mihi homo.* Nullus erit, qui resistat Deo hypocritarum malitiam reuelanti: sine mora, sine vlla resistentia veniet Deus in vltionem, vt perdat, & confundat eos, qui sub hypocrisi, sub colorato prætextu religionis iustis viris inferunt mala. Vide Herodis hypocrisim, vbi ab illo poscitur Ioannis caput Matth 14. *Contristatus est rex: propter iuramentum autem, & eos qui pariter recumbebant, iussit dari.* Matth. 14. Proh sancti hominis religionem! vt iuramentum seruaret, & bonum præberet exemplum religionis simul discumbentibus, etsi tristis, iubet Ioannem plecti capite. Sed scire cupis quale fuerit iuramentum Herodis: illud explicat Marcus cap. 6. *Et iurauit illi. Quia quidquid petieris dabo tibi, licèt dimidium regni mei.* Marc. 6. Sic cum puella diuidebat regnum, vt sibi etiam partem reseruaret, sibi ita consolens. Id quod notans Chrysologus videt miserrimi regis prouidentiam, quòd sibi partem reseruaret, sibi, inquam, statim perituro, post illam enim sanctitatem, & religionem Ioannis interemptricem, iam debebat miser perditioni tradi. Quippè ait Chrysolog. Chrysol. serm. 173. *Et quare sibi, vel pro parte seruauit, qui post tantam domus suæ gloriam, post tantam familiæ sanctitatem, esse, videri, viuere non debebat?* Poterat hypocritarum maximus integro cedere regno; nullis enim iam egebat bonis temporalibus, qui erat perditioni dicatus. Ex quo iuramenti sanctitatem prætendit, & religiosæ mentis gloriam in iugulatione Ioannis affectauit, iam nec viuere, nec esse debebat. Quod notans Iob cap. 5. ait: *Congregatio hypocritæ sterilis,* Iob 5. vbi Septuag. *testimonium impij mors.* quasi qui sub hypocrisi laudem sibi ex malefactis congregat, iam inde testetur præsentissimum & ineuitabile supplicium necis.

Text. Ideo ecce ego mitto ad vos Prophetas, & sapientes, & scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in Synagogis vestris, & persequemini de ciuitate in ciuitatem: vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis in templum, & altare.

§. XXXI.

Sæuissima est iactantia humana, & semper sitiens sanguinis.

Cvm iactantiam Pharisæorum notasset Dominus, qua se supra parentes suos in religione, & pietate extollebat; adeò etiam efferos, & viperinos inde monstrabat, vt ideo in Prophetas, & sapientes à Deo missos insurrecturi meritò præcognoscerentur. Quasi diceret Dominus ad illos: Dum religionem, & pietatem circa sepulchra sanctorum iactatis, inani gloria tumentes, non iam homines, sed feræ, sed viperæ estis, & ideo, quos mitto Prophetas, interficietis. Post has Prophetarum neces, post iustorum persecutiones, post ipsum deicidium memoratum ait D. Chrysost. in præsenti: *Ad hæc inanis gloriæ iactantia succensi facile* Chrysost. *monstrantur. Quando dicunt, si fuissemus in tempore patrum nostrorum, non consensissemus effusioni sanguinis Prophetarum, verbis solummodo philosophantes ostentationis gratia.* Itaque his iactantiæ verbis, tam longè abest, vt se in re à sanguine alienos ostendant, quòd potiùs illis videantur efferari. Omni enim vipera ferociores redduntur ad effundendum sanguinem, qui gloria capiuntur inani, qui venditant fumos iactantiæ. Quò refero illud ad Dei vineam dictum Psalm. Psalm. 79. 79. *Exterminauit eam aper de silua, & singularis ferus depastus est eam.* Qui ferus adeò singularis, & efferus Dei vineam perdit? Chaldæus ait: *Gallus siluestris pascetur ex ea.* Alij ex Hebræo cum Gregor. Veneto in Harmonia legunt: *Fumus campi demolitus est eam.* Nec immeritò inanis iactantia, & gloriatio, siue in gallo, siue in fumo exprimitur, nec est fera adeò crudelis, & carniuora, vt ille, qui instar galli cristas tollit, & ostentationis gratia fumos vendit. Hæc iactantiæ fera Dei vineam funditus perdit, & vel omnium Sanctorum sanguine ventos, quibus infletur, emit. Hinc Dominus Matth. 8. suos monet. *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.* Matth. 8. Expendendum est illud *attendite.* in quo summa attentio, & cautela mandatur quasi necessaria, vt rem magni periculi iactantiam

tiam

Theoph. ciam fugerent. Ait enim Theophylactus ibi: *Attendite*, inquit, *& cauete. quasi de aliqua mala bestia dicat: Attende, ne te dilaceret.* Et quæ bestia ioani iactatione & gloria truculentior ad perdendum? Magni Iosephi fratres, dum iuuenē Iosephum ex somnijs gloria inflatum æstimant, duo circa

Genes.37. illū machinantur: primò aiunt Gen.37. *Venite occidamus eum, dicemusque: Fera pessima deuorauit eum; & tunc apparebit, quid illi prosint somnia sua.* Secundò, *extrahentes eum de cisterna, vendiderunt eum Ismaelitis.* Ecce tibi, & vendunt iuuenem, & à fera pessima prædicant deuoratum; cur non magis se ignaros eius successus ostendunt? Liberum erat illis affirmare se nihil de fratre sciuisse, nec audisse, cur & post vēditionem malunt illum à fera pessima prædicare deuoratum? Putabant ibi iuuenem maximè captum gloria illa, quam sibi impendi somniauerat, vnde meritò prædicant à fera dilaceratum, quandoquidem gloria vana crudelissimos quoque

Philo. superat feritate. Aiebat Philo lib. de Ioseph, huc respiciens: *Qui auram populi captans concinatureus tectum superioerm ascendit, seruus fit ex ingenuo, propter honores, quos videtur accipere, addicens se innumeris dominis. Idem à feris circumuentus inducitur, quòd huic insidietur immanis bestia vana gloria, corripere, ac deuorare tales solita.* Ea est vana gloria, adeò fera, adeò immanis, vt & sua dilaceret, & perdat mancipia, insuper in alios incredibili feritate consurgat. Vt gloria vana inflatus, ipse singularis super omnes appareat quam tyrannidem nō exercet? Fallar si vniuersos ad nihilum redigere non audeat. Accipite illum Pharisæum de arrogantia famosum, de elatione cordis vbique prædicatum.

Luc.18. Hic ait Luc.18 *Non sum sicut cæteri homines raptores*, &c. Præter se, vniuersos damnat, vt ipse singularis appareat, non dubitat omnes alios mundi homines de crimine accusare, & pro nihilo æstimare. Quæ

Basil. Sel. sæuior tyrannis? Pulchrè D. Basil Sel. orat.35. *O linguam tyrannicam! Se omnium loco statuit, & omnes patrii alicuius, aut reliquorum numero habet.* Meritò vocat linguam tyrannicam, illam, quæ gloriæ popularis cupiditate agebatur; nullus enim vnquam tyrannus sic in omnes desæuit, sic omnes vel-

Chrysost. let in nihilum trahere. Præclarè Chrysost. in Psal. 122. ait: *Nihil arrogantia crudelius reperitur.* Ipsa est, quæ dum sola esse cupit, vniuersasque sibi laudes comparare, nescit consortium laudis, & gloriæ admittere, sed inuidentiæ plena

Dan.7. desæuiat in alios. Dan.c.7. *Quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diuersæ inter se. Prima quasi leæna, & alas habebat aquilæ: & ecce bestia alia similis vrsæ, in parte stetit, & tres ordines erant in ore eius, & in dentibus eius, & sic dicebant ei: Surge, comede carnes plurimas.* In primis leæna apparet aquilinis sublimis alis, quidquid enim sublime, siue in cœli alitibus, siue in terrę animalibus est, id sibi vana hominis præsumptio appropriat. Dum ergo in cor hominis regius fastus, regiaque sublimitas ascendit, vt gloriæ feratur cupiditate, quid tunc? Statim inde non agnus, sed vrsus procedit; non mansuetudo, sed crudelitas per inuidentiā omnia concutiens, omnia

Richard. vastans. Sic Rich. Vict. lib.3. de erudit. interioris hom. p.1. c.7. ait: *Ecce enim postquam descripta leæna est, et non agnus, sed vrsus succedit. Nam sæpe cor gloriæ cupidum, aliorum suspecta gloria in inuidentiam cadit*; & in illam inuidentiam, quæ & Leones, & vrsos immanitate superet, appareátque omnibus illis crudelior.

§. XXXII.

Vnus Dei spiritus est, à quo futuri necessarij ad salutem scientia habetur. Cæteri nihil salutare præsagiunt.

QVis veros mitteret ad salutem Prophetas, nisi, qui verus Deus esset? Ipse Deus est solus, qui futura verè annunciari facit; vanissimè aliunde Diuinos quæris; frustra à creaturis aliis tibi postulas futura conuenientia annunciari; hoc soli Deo conuenit munus, qui solus de se ait: *Ecce ego mitto Prophetas*, &c. Quæ ab eo sunt longè superant, & confundunt cætera mundi præsagia. Hinc est, quòd nato Domino stella fulgentissima apparuit, quam statim sapien-

Matth.2. tissimi sequuntur Magi; ait enim Matth.2. *Ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam, dicentes: Vbi est, qui natus est rex Iudæorum? Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus*, &c. Innumeras antea stellas viderant, quarum ab aspectibus venturas fortunas præsagiebant, velut sapientissimi Magi; cur modo cæteris notissimis sibi stellis prætermissis vnā stellam recenter ortam tanti faciunt? Ipsi aiunt: *Vidimus stellam eius*; non stellam cœli, sed stellam eius, qui stellas creauit. quæ vt singulari munere habet, quòd à Deo veniat, quod Deum ha.., sic omnia alia præsagia superat, & pudefacit Magiam anteactam, sapientissimósque Magos ad veram salutem rapit. Ad hæc D. Ignatius Mart. epist. ad Ephes.14. ait. *Stella fulsit splendore superans omnes, quot, uel ante fuerant. Lux enim illius inenarrabilis erat, & stuporem incussit omnibus aspicientibus eam. Omnia autem reliqua astra, vnà cum Sole, & Luna chorus fuere stellæ illius: hinc euanuit mundi sapientia; præstigia, facta sunt nugæ, magia, risus.* Vnius Iesu stellæ cædunt omnia stellarum præsagia; & tota Magia, & diuinatio mundialis ad risum potius inuenta, quàm ad veritatem enutriendā apparent. Solus Deus, eiúsque filius Iesus est, qui veros futuri indices promit, qui veros Prophetas facit, qui vbi futuri notitia ad salutem conducit, illa præbet. Quare Isai.c.47. irridet Babyloniis, qui cùm diuinationis scientia pollerent, suam minimè viderunt calamitatem; & ait: *Defecisti in multitudine consiliorum tuorum: stent, & saluent te augures cœli, qui contemplabantur sydera, & supputabant menses, vt ex eis annunciarent ventura tibi. Ecce facti sunt quasi stipula, ignis combussit eas, non liberabunt animam suam de manu flammæ.* Et quidem diuinationibus, & præsagiis dediti, vt notat Forerius, nec in astris viderunt signa, quæ monerent de penè approximante calamitate. Nunquam enim astra, vel alia quæuis diuinorum monstra quicquam solidæ veritatis ad salutem conducentis nouerunt monstrare. Is verò Deo Iesu meo fuit semper reseruatus: qui nunquam negat notitiam illius futuri, quod possit salutem ministrare. Aiebat Balaam Numer.23. *Non est augurium in Iacob, nec diuinatio in Israel. Temporibus suis dicetur Iacob, & Israeli, quid operatus sit Deus.* Vel si mauis, iuxta Septuag. *Secundùm tempus dicetur Iacob, & Israel, quòd perficiet Deus.* Absint inanissimæ augurum, diuinarúmque fallaciæ à domo Iacob, ab Ecclesia veri Dei, in qua illa sola scientia futuri deficiet, quæ inepta, & inanis est: vbi autem tempus, & occasio petierit aliquod ad salutem necessarium futurum; dicetur sana à Deo, quòd perficiet Deus. Nil dubites Christiane, nulla futurorum tibi necessariorum notitia denegabitur à vero Deo. Hinc Orig. homil.16. in Numer. expendens illud, quòd secundùm tempus dicetur, ait. *Quid est secundùm tempus dicatur? Cùm oportet, & cùm expedit, hoc est in tempore. Si ergo oportet præcognoscere nos futura, dicentur à Deo per Prophetam Dei, per Spiritum sanctum. Si verò non dicantur, neque denunciantur, scito, quia non vobis expediat ventura præcognoscere.* Non cessat Deus mittere Prophetas, præbere præsagia, à quibus futurorum ad salutem condocentium notitiam sumamus: quem Dei morem prædocuit Psal.59. aiens: *Dedit timentibus se significationem, vt fugiant à facie arcus.* Non ab alio, sed à Deo hæc hominibus salutaria præsagia dantur; vnde Num.24. dicitur: *Cùm vidisset Balaam, quòd placeret Domino, vt benediceret Israeli, nequaquam abijt, vt antè perrexerat, vt augurium quæreret.* Quæ verba sic etiam dedit Vatablus: *Videns autem Balaam, quòd placeret in oculis Domini, vt fausta imprecaretur Israeli, non profectus est, vt antea, vt occurreret incantationibus.* In quibus id maximè ponderandum est, quando ariolus iste desiit auguria quærere: nimirum quandiu fausta annuncianda, & imprecanda erant Israëli. Illius erat ista auguria quærere, auiū volatus obseruare; sed quando necessitate compulsus vidit se nihil mali Israëlitis posse protendere, sed fausta omnia illis decantare debere, tunc auguria prorsus reliquit, solitas diuinationum materias præteriit. Quod enim bonum, & salutare hominibus futurum erat, illud solus Deus præstat, minimè ab auguribus est requirendum, vt qui solum sciant damnum inferre. Id quod pulchro argumento probat Orig. homil. 16. in Numer. aiens: *Omnes isti auium, vel animalium ministerio vtantur, sed talium, quæ immunda scribuntur in lege, & humano generi deprehenduntur semper insidiantia, ex quo vtique opportuna, & digna ministeria dæmonum iudicata sunt. Nam Pythonibus dracones, aliique serpentes ministrare perhibentur: Auguribus aut lupi seruiunt omnia, aut vulpes, aut accipitres, aut corui*, &c. Præter Deum non inuenitur, à quo homo non debeat sibi timere malum.

Ignat.

Isai.47.

Num.23.

Origen.

Psal 59.

Num.24.

Origen.

§. XXXIII.

Sapientia tunc salutaris est, cùm diuinis Scripturis roboratur. Vbi de sacra lectione, & D. Stephano.

NOta quales Prophetas, & sapientes mittat Dominus populo suo, nimirū quibus scribæ simul adiuncti sint; ait enim: *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & sapientes, & scribas.* cùm enim scriba diuinis Scripturis operam nauet, vt aduertit Hieron. ostendebat iam Dominus nullam à Saluatore sapientiam & doctrinam in salutem animarum dimanare,

quæ fine Scripturis facris amet publicari. Recolite historiam
Genes.42. ex Gen.42.vbi Ioseph clauum Ægypti tenens, adhuc ignoratus à fratribus illos frumento diuites remittit in patriam: *Iussit ministris,vt implerent eorum saccos tritico,& reponerent pecunias singulorum in sacculis suis,datis supra cibarys in via;qui fecerunt ita.* Omnia prouidit bonus suis fratribus frumenta,& pecunias etiam prouidit,sed & ligamina mandat, dum iubet pecuniam inter triticum in sacculis suis colligatam abscondi. Et cur Rex tam curiosis prouidet etiam ligamina? Rem ad Christũ trahit Drog.lib.de Sacram.Pass.
Drogo. his verbis: *Verè tu es ille Ioseph, qui ad fratres tuos, quasi ad alienos duriùs loquebaris, non indignatione, sed miseratione, & remittis eos onustos,& abundantes frumento sapiẽtiæ tuæ,insuper & eloquentiæ pecuniam reddis ligatam authoritate scripturæ,quia linguas infantium facit disertas.* Nihil eloquentiæ,nil sapiẽtiæ saluti conducens permittitur à Saluatore mundi, quod non splendeat ligaminibus sacræ Scripturæ. Hæc in eloquentia, & sapientia Doctorum signum ostendit salutis. Quò refero
Cant 4. illud Cant.4. ad Ecclesiam dictum: *Vitta coccinea labia tua, eloquium tuum dulce.* quasi necessum sit ligamen aliquod pulchrum prænotari in labiis, vt eloquium prodeat dulce, & animabus nutriendis conditum. Sed quale hoc ligamen?
Apon. Qualis hæc pulchra vitta? Aponius lib.6.Cant.fatur. *Gratia interpretationis mysteriorum exponendo rectè verba legis diuinæ, inspirante Spiritu sancto dulce eloquium Ecclesiæ redditur.* Nihil sapidum,nihil vtile, nihil pulcrum à doctoris labiis prodit, quod sub hac Scripturæ sacræ vitta non fulgeat. Siue sapientiam,siue prophetiam, siue eloquentiam tradere cupis, quæ saluti conducant,recurre priùs ad ligamina sacræ Scri-
Sap.8. pturæ,in qua & sapor, & salus imbibitur. Sap.8. dicit: *Etsi multitudinem scientiæ desiderat quis: scit præterita,& de futuris æstimat:scit versutias sermonum, & dissolutiones argumentorum; signa,& monstra scit, antequam fiant, & aduentus temporum, & sæculorum.* Sanè periculosa hæc videbantur,& sæpiùs monetur homo, ne nimis his scientiis inuigilet,cur modò ad has habendas exhortatur? Quo amuleto permittitur ire per
Cl.Alex. monstra, per signa? Clem.Alex. lib.6. Stromat.ait: *Distant homines ea, quæ Deo placent, & serui sint sapientiæ. Nam qui est cognitione præditus, per scripturam nouit antiqua, & conycit futura: scit strophas orationum, & ænigmatum solutiones, præscit signa, & prodigia, & euentus temporum.* Et futurorum scientiæ, & verborum flumina, & omnia ad sapientiam,& doctrinam spectantia, salubrem qualitatem ex diuina su-
Cassiod. munt Scriptura. Cassiod. lib.9. variar.29. post præstantissimos mores sapientis recensitos,addit. *Hos igitur mores lectio diuina solidauit; hinc enim virtutum omnium sumitur manifesta cognitio: hinc sapientia veritatis sapore conditur.* His armis munit Mathathias ille Machabæorum pater filios suos 2.
2 Mach.7. Machab.cap.7.inquiens: *Dominus Deus aspiciet veritatem, & consolabitur in nobis, quemadmodum in protestatione cantici declarauit Moyses:& in seruis suis consolabitur Dominus,* Deut.32. Nouit sapientissimus vir auspicia tradere salutis,nisi ex Dei verbis ab Scriptura adductis: quæ sola sufficiunt, vt fidelium animos maximè confirment. Magdalena de Domini sui morte afflicta, & de ablatione diuini cadaueris posita
Ioann.20. in luctu Ioann. 20. ad putatum hortulanum aiebat, *dicito mihi vbi posuisti eum?* Expendit Origenes quibus verbis loquatur inter lugendum Maria, nimirum illis, *vbi posuistis eum?* Cur potiùs vtitur verbis illis? Sanè dum Iesus Ioan.11. quærit Lazari defuncti cadauer, inter lachrymandum etiam aiebat: *Vbi posuistis eum?* Id audiuit bona fœmina, & oportet aliqua dicere,ad Iesu verba recurrit,vt fletus ama-
Origen. ritudinem temperet dulcedine verbi diuini. Ibi ait Orig. *Multum dulcescit verbum hoc in corde eius,qui sic abundabat in ore eius. Certè dulce magis hoc fecit dulcedo tua Iesu, fatis hoc ipsa pro amore tuo,quoniam meminit te dixisse de fratre suo, vbi posuistis eum? Ex quo enim audiuit verbum hoc,in ore suo, conseruauit illud diligenter in corde suo,& delectata est vti eo in sermone suo.* Nullo amuleto prudens fœmina se potuit aduersùs amaritudines vniuersas melius armare, communire, quàm dum ad linguam suam defert verba Christi. Hæc dum præ oculis habet,nullum aliud requirit & serenitatis, & salutis
Rom.5. auspicium. Paul.ad Rom.5.monebat: *Quæcumque enim scripta sunt,ad nostram doctrinam scripta sunt vt per patientiam,& consolationem scripturarum, spem habeamus.* Ecce tibi non debile, sed firmissimum spei fulcrum, nimirum consolatio Scripturarum, quæ halant plurima præsagia salutis, vtilémque in-
Æired. duunt sapientiam,& doctrinam. Ad quod respiciens D.Ælred.serm.26. in Isai.ait: *Nil potest aduersi contingere, nil tam triste, vel amarum emergere, quod non mox, vt nos sacra pagina exceperit, aut euanescat citiùs,aut faciliùs toleretur. Hic est ager, in quem sanctus Isaac pergit ad meditandum,vbi occurrens ei Rebecca, sua leniit suauitate dolorem. Quoties mihi, bone Iesu, dies vergit in vesperam: quoties paruæ alicui consolationi,quasi diuturnæ luci intolerabilis dolor,velut nocturna caligo succedit;vertuntur in fastidium omnia, onerosa sunt cuncta, quæ video. Quid tunc? Ex eo certè ad meditandum, sacrum reuoluo codicem, meditationes meas ceris imprimo,cùm subitò mihi occurrens Rebecca tua,id est,gratia,sua luce tenebras discutit, pellit fastidium.* Hæc ille, & vera, & dulcissima: est enim sacra Scriptura ager, in quo veri sapientes exercentur; in quo dulcedines scaturiunt,quæ animos reficiant;in quo mella inueniuntur, quæ oculos illuminent,vt ex hostibus perfectus peragatur triumphus.In hoc agro saginata est ouis illa prima victima Christi Stephanus: in illo se exercuit nobilis athleta, & instar Iacobi Patriarchæ non horruit lapidem capiti supponere,ex quo scalam haberet, qua scanderet cœlestia culmina. Et quod mirere magis, propone tibi ob oculos primum illud notissimum litterariũ certamen in Ecclesia:hinc doctissimos Hebraicarum Academiarum magistros, illis ac vnum Stephanum sapientem quidem, sed & Scripturis sacris instructum.Qualis tunc facies rerum? Qualis impetus?Rem tractat Act.6.*Surrexerunt autem quidam de Synagoga,quæ appella-* Act.6.
tur Libertinorum, & Cyrenensium,& Alexandrinorum,& eorum, qui erant à Cilicia,& Asia,disputantes cum Stephano. Et non poterant resistere sapientiæ,& spiritui,qui loquebatur. Tota Academiarum authoritas, & per longæuorũ doctorum successionem tradita doctrina non poterat resistere adhuc iuuenis Stephani sapientiæ.Quæ hæc sapientia victrix?Interlinealis
Gl. explicat *Sapientia scripturarum.* Dum sapientissimus scri- Gloss.
ba,quæ hauserat ab Scripturis, flumina refunderet, vel primo disputationis impetu exercitatissimas Academias prorsus deuincit. Sanè iuuenis magistratus sapientiam, & gloriam inde extollit Cassiod 9.var.24: quòd eius placita sæpe Cassiod.
Rex seniorum placitis opponeret,quos vinceret; ait enim: *Quoties Rex te grandæuis proceribus imputauit? Dum non sufficerent ad primordia tua, quos tanta longæuitas ætatis instruxerat.* Proh Stephani gloria, & sapientia sacris paginis confirmata!Illum vnum & iuuenem Rex regum Dominus grandæuis Synagogarum, & Academiarũ proceribus opposuit; & quidem ad huius solius primordia non suffecerunt,quos tanta lõgæuitas ætatis instruxerat.Imò,vt ait D.Nyss.orat.de Nyssen.
S.Steph.*Omnes ex quibus eruditionis,& scientiæ nonnihil inerat, in sese conuertebat: & ex his,qui cæteris præstare eruditione videbantur, coitione, atque conspiratione facta veluti in phalangas quasdam constipati, sic impetum Stephani sustinere nitebantur. At ille omnibus pariter inuictus erat, siue cum multis solus, siue cum paucis congrederetur.* Nulla procerum authoritas, nulla longæuitas sufficiebat ad sapientissimi scribæ Christi primordia:qui enim de Scripturarum diuinarum agris saturatus agnus egrediebatur, facilè despiciebat etiam longæuorum impetus arietum.

§. XXXIV.

Præstantissimus Princeps, & Prælatus ea sapientia gerat omnia, qua videatur Propheta.

Expendendum etiam est quales sapientes mittat Dominus in Principes suæ Ecclesiæ,nimirum illos sapientes, qui sibi iunctos videatur habere Prophetas. Qui sic sapienter se gerant, vt videantur omnia disponere ex aliquo adiuncto sibi prophetiæ spiritu circa futura.Hinc extollit Gothorum Regem Cassiod.9.var.24.fatus: *Quem ille virum, aut* Cassiod.
exercitibus præficiens, eum victoria non recepit? Aut iudicem cingens, non iustissimum comprobauit? Cum futuris rebus eum crederes habere contractum: nam quod concepisset animus,reddebat semper effectus,mentisque sapientiæ studio non habebat dubium, quod veraciter prouidebat esse venturum. Vtinam Princeps, & gubernatores vniuersi talem sapientiam prudentiámque in rebus gerendis ostẽderent,vt crederentur similẽ, cum rebus futuris habere contractum.Eos ministros prouideãt, ea imperij negotiis adhibeant media, per quæ reddant effectus, quod concepit animus.Turpissimũ enim est Principem sæpe falli,vel etiam ad tempus breue amittere eam prudentiam, qua dubium non habeat, quòd veraciter prænidit esse venturum. Ioseph ille gubernatorum præstantissimus abeuntium fratrum in saccis,iubet abscondi argenteum scyphum, vt tali dolo ignorantium animos perturbaret. Quid tunc?
Habes Gen.44. *Iamq; vrbem exierant, & processerant paululum,* Genes.44
tunc Ioseph accersito dispensatore domus ait:Surge,inquit,& persequere viros,& apprehẽsis dicito:Quare reddidistis malum pro bono?
Scyphus

Scyphus quem furati estis, ipse est, in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari solet. Sanè parum sapienter videtur composita tota hæc fabula, cùm tam citò requiritur ex abeuntibus vas argenteum: paulùlum processerant, & ecce tibi instar furti accusator. Quis crederet in opulenta domo, imò in Regia, tam citò vnum aliquod vas potuisse desiderari, eiúsque furtum sentiri? An non necessum erat in domo Regis amplius dissimulandam esse perditionem vnius argentei vasis, & quidem non magni? Sed nota fabulę ingenium; quia tam celeriter vas requiritur, non quodlibet vas proponitur, sed necessariò additur, *in quo Dominus augurari solet*; instrumentum enim contractus, cum futuris, singulis momentis necessarium est illi, qui pollet dexteritate gubernandi. Ad

Ibidem. hæc illos pungens ipse Ioseph dicebat infrà: *An ignoratis, quòd non sit similis mei in augurandi scientia?* Quæ verba in rem præsentem ex Hebræo transferuntur apud nostrũ Pereiram ibi disp.2. *An nescitis, quòd augurio auguratur vir, qui sicut ego?* Quasi diceret; hoc certum debebat esse, quòd viros illos, qui mihi dignitate sunt similes, similémque thronum occupant, semper cum futuris habent tractatus, indigéntque eo sapientiæ studio, quò præfiniant futura indubitata. Hinc patet, quàm prudenter recusabat imperium ille apud Isai.

Isai 3. c.3. *Non sum medicus, in domo mea non est panis, neque vestimentum: nolite me constituere Principem populi.* Non sum, inquit, medicus; & quid medicus cum Principe? Multum sanè: medicus enim totus est in auguralibus signis, vt Aristot. loquitur, explicandis, prognosticísque salutis, seu mortis ruminandis; & qui præstantior est, sic applicat media vt videatur cum futuris habere contractum, ad singuláque remedia indubitanter promit, quòd præuidet esse venturum. Qui hac scientia non pollet, medicus non est, imò neque aptus ad principatũ: Principum enim animis propria est illa sapientię illuminatio, quæ circa futura possit præsagire. Samuel enim,

1.Reg.10. dum Saulem in regem Israëlis aptat, sic ait 1.Reg.10. *Hoc tibi signum, quia vnxit te Dominus in Principem.* Quale signũ esse potest venientis principatus? Iam explicat aiens: *Obuiam habebis gregem Prophetarum descendentium de excelso, & ante eos psalterium, & tympanum, & tibiam, & citharam, ipsósque prophetantes. Et insiliet in te spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alterum.* In quem virum alterum mutabi-

Gloss. tur? Procopius allatus à Glossa putat mutatum in regium virum; *quia agrestis erat, delectos in regium animum induit.* Sed expendendum, qualiter induat Saul regium animum, qualiter ab agresti homine mutetur in virum regno dignum: nimirum ait, Prophetabis, & mutaberis, quasi nõ veniat regius animus, nisi cum spiritu præsago futuri cum sapientia, quæ æmuletur prophetiam. Quæ bonis regibus communicata, malis ablata probatur à D.Thom. lib.3. de regim. Princ. c.2.

D.Thom. ibi ait: *Sic enim Dauid rex se disposuit: Propter quam causam ex motu illuminationis præfatæ supra omnes reges, & Prophetas meruit spiritum propheticæ intelligentiæ. Ex cuius contrario actu Nabuchodonosor, & Balthasar meruerunt obumbrari, vnde & influentia diuinæ illuminationis, mouit eorum phantasiam in imaginationis visionibus, vt in Daniele scriptum est, vt scirent, quid circa regale regimen eis esset agendum. Sed quia mens ipsorum non erat disposita, sed inuoluta tenebris peccatorum, ad ipsam notitiam non potuerunt venire. Propter quod Danieli dictum est; Tibi fuit datus spiritus intelligentiæ ad ista interpretandum; vt verificetur quod dicitur in Prouerb. Mea est prudentia, mea est fortitudo. Per me reges regnant.* Itaque duo docet digna scitu Angelicus Doctor, nimirum, quòd spiritus propheticus obuenerit Dauidi in gratiam regiæ dignitatis, quam semper futurorum quædam præsaga scientia à Deo impressa comitatur, dum reges bene sese disponunt; deinde quòd istud lumen circa futura in regibus adeò fit familiare, vt etiam in pessimis regibus inueniatur, licèt obscuratum, & illuminatum. Vis exemplum? Illud ponit Angelicus Doctor in Nabuchodonosor, & Balthasare, vtrique data sunt à Deo futurorum præsagia: illi in arbore, & in statua, huic in manu scribente in pariete; & cũ in scriptura, quam in arbore status futurorũ latebat. Cur adeò impiis hominibus talia dantur à Deo futurorum præsagia? Erant reges, ait D.Thom. & quia reges erant, non defuit illis diuina illuminatio circa futura, *vt*

Idem. *inde scirent, quid circa regale regimen eis esset agendum.* Sed quia erant pessimi, multique obuoluti peccati, venit illuminatio adeò obscura, & obnubilata, vt minimè ab eis intelligerentur futura, sed egerent interprete; quódque negatum fuit regibus, conceditur homini particulari, nimirum Danieli, à quo reges illuminatur, vt discant inde sese sub potenti Dei

Chrysost. manu humiliare. Hinc pulcrè D.Crysost. homil.4. in verba Isaiæ 6. præponit Ioannis desertum Herodis Regiæ, ait enim

Baeza in Euang. Tom. III.

Desertum habebat Ioannem, ciuitas Herodem, eóque desertum nobilius erat ciuitate. Cur ita tandem? Quia non frustratura sua est prophetia. Vilior omni deserto est Regia in qua non cubat prophetia, nec per Deum datur ibi aliquod præsagium futuri, quod regibus solet à Deo ostendi. Aiebat enim Dan. Dan.2.

c.2. *Deus magnus ostendit regi, quæ ventura sunt postea.* Vbi eleganter Richar. Vict. lib.1. de erud part.1. c.35. ait: *Deus magnus* Richard.

ostendit regi, non cuilibet homini, sed regi ista Dominus ostendit, vt regia libertate regnum disponendum agnoscat, qui ad futurorum prænotionem anhelat. Datur regibus veris à Deo præsagium futurorum, quo suo prouideant regno.

§. XXXV.

Scribendorum librorum non sapientum labor, & studium est, sed Dei aspirantis gratia. Vbi de Societatis Iesu scriptoribus.

HOc iubet Dominus attendamus, quod ab eius proficiscitur gratia, singulari nimirum prophetia, sapientia, & opus scribarum; quippe ait: *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, sapientes, & scribas.* Cur post sapientes, addidit scribas; nónne scriptura opus est, & labor sapientum? Qui sapientes dedit, non ibi iam dedit eos, qui possint sapientiæ verba scriptis mandare? Absit; & post sapientiam à Deo profectam, necessum insuper est quòd ab ipso specialis aliqua gratia veniat, qua verba sapiẽtiæ scribantur, sine qua etiam sapiẽtissimus nullum in scribendo gradum facit. Sic D.Luc. exorditur suum Euangelium: *Quoniam quidem multi conati* Luc.1.

sunt ordinare narrationem rerum, quæ in nobis completæ sunt. Et sanè multi tunc temporis erant disertissimi, & sapientissimi viri, qui scriptis mysteria Dei mandare cupierunt, imò, vt ait Lucas, id conati sunt præstare: sed solùm ostenderunt conatum, & laborem suum; opus autem non perfecerunt. Sed cur non perfecerunt? Deerat vocationis diuinæ gratia, quæ opus implet, facit sic promptus ad scribendum, vt videatur calamus ipse sententias stillare, in aliis autem solus appareat conatus, & irritus labor. D.Ambros. ibi ait: *Conati* Ambros.

vtique illi sunt, qui implere nequiuerunt. Sine conatu sunt enim donationes, & gratia Dei, quæ vbi se infuderit, rigare consueuit, vt non egeat, sed redundet scriptoris ingenium. Non conatus est Matthæus, non conatus est Marcus, non conatus est Ioannes, non conatus est Lucas, sed diuino Spiritu vbertatem dictorum, rerúmque omnium ministrante, sine vllo molimine cœpta compleuerunt. Insufficiens est sapientum conatus, & labor conscribendis libris adlubitus nil perficiet; & post sudorem multum vix gradum faciet. Cui autem Dei gratia aspirauerit, qui Scriba à Domino fuerit designatus, ferè sine conatu & labore, scribenda inueniet parata, & sic affluent, vt redundet ingenium, donec scripta perficiantur. Huc respiciebat Psalm.44. aiens. Psal.44.

Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. Alius habet: *Lingua mea calamus scribæ celeris.* Quem vocat scribam celerem? Illum solum, quem Dei gratia illud opus afflauerit. Nullus enim licèt sapientissimus, verborúmque affluens, celer in scribendo est, nisi diuina gratia afflatus. Pulcrè ibi D.Chry- Chrysost.

sost. ait: *Quid sibi vult illud, celeris? Vt ex eo quoque ostendat gratiam. Qui enim aliquid domo prolatum loquitur, differt, cunctatur. Quando autem mentem monet spiritus, nihil est, quod impediat, sed quemadmodum aquæ impetus, qui cum magno impetu præcipitat, progreditur: ita gratia spiritus cum magna celeritate procedit, omnia lenia, plana, & expedita proferens.* Celerem scribam vocauit, vt ostendat diuina gratia afflatum: solus enim hic celer est in scribendo, & nescit molimina, vt impleat orbem conscriptis chartis. Vnde 1.Esdr.7. dicitur: 1.Esdr.7.

Ipse Esdras ascendit de Babylone, & ipse scriba velox in lege Moysi. Quare scriba velox? Glossa ex D.Iren. lib.3. c.25. ait. Irenæus.

Inspirauit Deus Esdræ Sacerdoti tribus Leui præteritorum Prophetarum omnes rememorare sermones, &c. Non sua eruditione, & sapientia ductus Esdras, sed inspiratione diuina; accessit ad tantum opus conscribendum, nimirum ad scripturæ libros iterum exarandos, & poliendos, indéque velox scriba factus est, in nullo cunctatus, sed omnia plana, prõpta, & expedita inueniens. Hinc notandum est, quàm largè diffusus sit hic conscribendi spiritus per vniuersas sacrarum religionum familias, quæ omnes tot scatent scriptoribus sacris, vt euidenter ostendant, cum religionis vocatione ebibisse hunc ibi adnatũ scribendi spiritũ. Benedictina familia tot sacrarũ literarum commentatores habet, vt nescias, quid potius mireris in illis, numerúmne, an præstantiam, an robur, an dulcedinem, & vtilitatem doctrinæ. Post hunc non secundus Bernardus, à quo primarij scriptores

Q 2 sacri

sacri perenniter scaturiunt. Qui Dominici in scriptorum genere prolem numerare vellet, stellas simul numeret, quas doctrinæ omnigenæ fulgentissimus Sol D. Thomas facit in perpetuas æternitates præbere lumina. Iam de humillimi Francisci filiis quid dicam? Non vnicum Doctorem subtilem, sed millenos, & subtilissimos, & disertissimos parturiuit, & parturit. Prodit etiam Augustinus filios suos doctrina patrissantes, numero nulli familiæ impares; ad hos credidisse scribendi facultatem iure hæreditario fuisse deuolutam, nisi scirem illam, propriam ab omnibus ordinibus hæreditatem fuisse. Non impar his omnibus Carmelitarum familia. quæ vt Carmelus filios Prophetarum habuit, sic hæc doctissimorum scriptorum nobilitata est libris. Nec me contineo, quin in præsenti memorem religionem è Societate Iesu; religionem, inquam, scriptorum doctissimorum ex gratia vocationis, vt ostendit & præstantia, & felicitas, & incredibilis promptitudo, & celeritas eius in conscribendis, & euulgandis libris. Ad scribendum accedunt Societatis Iesu fideles filij, & sumpto calamo, redundat scriptoris ingenium, & diuino Spiritu vbertatem dictorum, rerumque omnium ministrante sine vllo molimine cœpta complet. Non conatus est Suarez, non conatus est Vazquez, non conatus est Valentia, non conatus est Bellarminus: Maldonat. Toletus, Salmeron non conati sunt; nec alij innumeri. quorum scripta thesauros vacuant, Bibliothecas replent. Sed his omnibus omnia facilia, peruia, prompta, expedita sic fuere, quæ nullo labore inuenirentur, illis præ manibus videantur esse. Dum hæc scribo, Incido in codicem Salmanticæ mandatum prælis, qui dum multa in Societatis Iesu filios congerit, illud etiam non dubitat asserere, quòd nimirum Societatis Iesu filij hac tempestate, dum temporalibus fauoribus ambiendis incumbunt, à conscribendis libris supersederunt. Iam non tot libri à Societate excuduntur, iam non tot libri? Miratus sum hoc scriptum fuisse ab homine, qui coram cordatis viris testimonium suum proferebat. Testor vos vniuersos Bibliothecarios, vt dicatis, quãdo in Societate plures scriptores? Antea dedit hæc religio scriptores, iis diebus scriptoribus manat. In hoc quinquennio ab anno 1621. vsque ad 1627. quos Societas Iesu in sola Hispania dedit, longum esset percensere. Accipe quos memoria retinet. P. Doctoris Francisci Suarij tomum vnum de opere 6. dierum, alterum de Angelis, tomum 4. de religione. Gasparis Sanchez quatuor tom. in libros Regum, in Ruth, &c. in Prophetas minores, in Iob. Fagundez de quinque præceptis Ecclesiæ. Zuñigam de Trinitate. Magallanes in Iudices. Gasparis Zamoræ studiosum opus concordantiarum Bibliorum. Cerdæ in Tertullianum vnum tomum; item Aduersaria sacra. Salazaris secundum tomum Prouerb. Florentiæ duplicem de sermonibus B. Mariæ vulgari Idiomate. Pozam de B. Virgine. Gasparis Hurtado duos tomos, alium de matrimonio, alterum de Incarnatione. Garciæ duos tomos in Euangelia. Dazam in Epist. D. Iacobi. P. Turriani varia opuscula. Palmam de exercitiis spiritualibus. Hispali, Granados in 1. part. D. Thom. Ruiz in eundem. Valentiæ Puteum de Christo crucifixo. Aluarez in Esaiam. Vlysippone Mendozam in lib. Reg. Salmanticæ Herize in 1. part. D. Thom. Vallisoleti Puente in Cant. Ioannem Antonium in epist. ad Philipp. Escobar de Eucharistia. Et me ipsum omnium minimum in Euangelia, ex quibus omnibus ferè quadraginta volumina in hoc solo quinquennio data, intra vnius Hispaniæ fines, & mirum in modum accepta currunt. Relinquo leuidẽsia & minus nota alia, & innumera alia grauissima. quæ quotidie ab exteris scaturiunt, quæ numerum superant; sufficit enim tãta hæc nubes testium, vt maledicentiam confundat. Quòd si ob defectum scriptorum, putabatur aura ambitionis afflare Societatis Iesu filios, qui viderit solis huius quinquennij scriptoribus potuisse honestè compleri sæculum integrum, non dubitet gratia illos potiùs afflatos esse diuina, quæ sola tantam materiarum segetem potest parare suis scribis, vt sine cunctatione velociter scribant. Hæc propter illud vulgò datum papyraceum, dicta breuiter sunto; ad innumera alia probra inde aduersùs Societatis Iesu homines iaculata, ego nil dico Societatis Iesu filius. Alius forsan responderit, quod magnus Naz. respondit, cùm audiuit à Iuliano Imperatore vocari Christianos Galilæos, turpibúsque aliis cognominibus insigniri Sic enim ait Apologet. 1. aduersùs infamatorem illum Christianorum. *Quid prohiberet nos etiam aduersus Romanorum, & orbis Imperatorem, similis ludere cauillo? Ac illum, quoniam à Dæmonibus deceptus fuerit, Idololianum appellare, vel Pseum, vel Adonium, sine Tauricremum. Magna enim se offert copia, vt ex vera historiæ traditione multa* Naziauz.

nomina confingi valeant. Verùm cùm Iesus in parcendo contumeliosis admodum mansuetus esset & mitis, ac etiam pro crucifigentibus lacrymas profudisset: planè inconueniens fuisset, nos tali appellatione indoluisse, aut pudefactos esse, sine ideo à boni decoratione destitisse, pluribusque fecisse sermonem calumniatorum, quàm animarum salutem. Et quidem magna se offerret copia Societatis Iesu filiis, disertis, & facundis alioquin, nec in vllo oscitantibus hominibus, vt ex vera historiæ traditione, multa nomina in calumniatores confingeret, sed hi sunt, qui sciant contumeliam pati ob Dei gloriam, & ob animorum salutem. ex quibus contumeliis nunquam non cum magno lucro egrediuntur, vt de Societate Iesu meliùs sentire debeant eius oppugnatores, quod de Romano incendio sentiebat Nero apud Senecam. Is enim ait lib. 4. ep. 92. Senec.
Felicitatis Vrbanæ inimicus aiebat, Romæ sibi incendia ob hoc vnum dolori esse, quòd sciret meliora resurrectura, quàm arsissent. Et quando à persecutionis conflatorio Societas Iesu non exiit melior? Fallar, si iam citò potuisset in tantum miraculum excrescere, nisi de persecutionum incendiis, vt illi aptem illud Cant. 8. iuxta Septuag. *Alæ eius, alæ ignis.* Incendia persecutionum semper Dei seruis pro alis extiterunt. Quin & ab ipsis prosequentium iniuriantiúmque linguis gratiam illam accepit, Deo dante, qua se multitudine expositorum sacrarum literarum extollit. Psal. 88. *Vox Domini præparantis ceruos*; alij legunt, *vox Domini perficientis ceruos, & reuelauit condensa.* Qui cerui isti à Domino profecti sunt, Psal. 88.
quibus condensa reuelat? August. ibi: *Vox enim Domini primo perfecit superatores, & repulsores venenosarum linguarum, & reuelauit syluas. Et tunc eis reuelauit opacitates diuinorum librorum, & vmbracula mysteriorum, vbi cum libertate pascantur.* August.
Quis iam miretur Societatis Iesu filiis opacitates diuinorum librorum reuelatas à Deo? Quis miretur tot doctissimos scribas ab hac Societate scaturire? Perfecti primò sunt à Deo superatores venenosarum linguarum, & inde scientiam sacrarum literarum capiunt.

Authores externi, qui Societatis doctrinam, de tollendo auxilio prædeterminante, typis mandarunt.

ET quam scientiam capiunt? Profectò scientiam puram, defæcatam, ab omni erroris, aut hæresis nota. & suspicione prorsus alienam, quod mihi prorsus accidit instar miraculi, dum tot libri singulis diebus parturiuntur, in illisque tot veterum placita nouis luminibus ornantur, illustrantur, per penè integrum sæculum clamantibus, & accusantibus contrariis, singulaque commata ad hæresim retorquentibus; nullus tamen error in fide, nulla hæresis suspicio, neque in Societatis viris, neque in eorum libris à iudice notata, aut damnata est. Vt hinc pateat quanto conscientiæ suæ detrimento, quidam Doctores libellum quendam euulgarunt Hispano Idiomate, quo infelici euentu Societatis Iesu doctrinas, & homines, tanquam periculosos in fide nituntur infamare. Sanè docti viri, qui hunc libellum legunt, & sciunt veras historias, & vnde hæreses dimanarunt, qui homines damnati sint, quorum libri, & scripta expuncta, & quorum suspecta; fallar nisi altè rideant calumniantium conatus, & dicant cum Ps. 13. *Illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* Duæ in Societatis Iesu schola celeberrimæ sententiæ sunt in Theologia, quæ occasionem tulerunt discordiarum inter Doctores Societatis, & Doctores ex D. Dominici familia. Altera est negans gratiam efficaciter prædeterminantem; altera affirmans futura conditionata à Deo cognosci, omni etiam diuinæ voluntatis decreto purificato. De his accusantur Doctores Societatis, propter hæc mordẽtur, nouitatúmque amatores, & suspectæ doctrinæ homines conclamantur. Quapropter curabo demonstrare, quanta id veræ doctrinæ, & solidæ iniuria fiat, quandoquidem hæ sententiæ in Societate Iesu natæ sunt, ac educatæ, & altæ apud plurimos aliorum Ordinum, & scholarum, quod minimè consecutæ sunt sententiæ contrariæ, quæ vix per tot annos primis cunabulis faciunt gradum. Quòd non detur gratia prædeterminans liberũ arbitrium, docet id præter vniuersos Societatis magistros, Dioralebius in Opusc. de hac re: Doctor Didacus de Paiba, vnus è Doctoribus Trident. Concil. lib. 4. Orthod. explic. Stapleton. in Antidoto aduersùs Caluinum ser. 6. Hebdom. 7. Quadrag. vbi ait: *Fatetur ergo Caluinus efficacem se ipsa gratiam, quam ponit necessariam esse sui cerebri inuentum: indignum sanè dogma. quod ab homine tam impio inuentum viri docti complectantur.* Et post pauca ait: *Non est efficax à se ipsa gratia Dei, vt Caluinus dicit; sed est efficax, suúmque effectum sortitur, non sine à libera voluntatis cooperatione,* Psal. 13.

quam

quàm ab ipsa Dei operatione, &c. Idem 4. de gratia, & libero arbitrio, & de iustificatione cap. 8. Item in antidoto super Euang. ad cap. 11. Matth. vbi passim facit Molinam amuletum aduersùs Caluinum. Ruardus Taper, Decanus Louaniens. art. 7. prop. 8. vsque ad 10. Andreas de Castronouo in 1. distinct. 22. quæst. 2. art. 2. ad 2. VValdens. 1. doctrina à cap. 25. vsque ad 28. Osorius lib. de Iustificat. pag. 2. Cordoua lib. 1. quæst. 55. dub. 8. & 10. Belosillus Episcop. Lucensis in aduertentiis ad Chrysost. tom 3. quæst. 2. propos. 5. modo vltimo. Tiletanus Apolog. Tridentini contra Kemnicium, pag. 176. Rofensis artic. 36. contra Lutherum, Ekius enchirid. art. 31. de libero arbitr. Belcario Episcop. Mecensis aduersùs Caluinum, fol. 62. Dominus Ferdinandus Mascareñas Episcopus Algaruiensis tractat. de auxiliis. Virisfeldio de libero arbitr. & gratia sect. 3. membr. 10. conclus. 17. & 14. Roa lib. de Prædest. quæst. 3. sect. 5. & lib. 3. quæst. 5. sect. 3. Vega 6. in Trident. cap. 9. Ioannes de Bononia tract. de Prædest. in solutione argumentorum pag. 614. de liber. arbitr. pag. 113. Cunerus de liber. arbitr. cap. 10. Albertus Pighius lib. 6. de liber. arbitr. Driedo de captiu. tract. 4. cap. 2. part. 5. conclus. 5. ad vltimam confirmationem 2. arg. & tract. 5. cap. 5. de iustificat. cap. 8. Bartholomæus Camerarius in Dialogis aduersùs Caluinum. Alexius Gomez in elucidario schol. lib. 1. cap. de liber. arbitr. à colum. 641. vsque ad 643. Ioannes Maria Barrato Apolog. contra Lutheranorum fautores conclus. 5. & sequentibus, Ielius cæcus in sua Theologia cap. 21. propos. 11. & 12. Iodocus Clitouæus de liber. arbitr. cap. 1. Magister Curiel. lib. 2. contr. 4. num. 134. 175. & 176. Gabriel de Penoto Canonicus regularis D. August. lib. 8. à c. 21. & lib. 9. cap. 14. & lib. 3. cap. 22. & lib. 6. cap. 26.

His doctissimis, & catholicissimis Prælatis & Magistris acerrimis fidei defensoribus contra Caluinum adde ex D. Francisci familia Mag. Antonium Delphinum Generalem, qui fuit vnus è Tridentinis, lib. 5. de iustific. §. de multiplici gratia Dei pag. 205. & lib. 1. de salutis progressu pag. 14. Cartagena discursu 9. de Prædest. pag. 281. dist. 4. pag. 607. propos. 1. & 2. dist. 10. dub. 2. pag. 337. Philip. Fabrum in 1. distinct. 35. disput. 54. cap. 5. Hugo cabell. lib. 2. dist. 37. quæst. 2. schol. ante §. *ad solutionem*, vbi pro hac sententia affert ex Scotistis Liquetum, Basolum, Tartaretum, Angles Maiorem, Herreram, Vegam. Ex D. Augustini familia Magister Alphons. de Mendoza quodlibet. 4. Schol. part. 3. Magister Basilius de Leon in quodlib. de quibus alibi. Ioan. Puteanus lib. 2. quæst. 3. art. 12. & 13. dub. 4. conclus. vltima. Ex D. Bernardi familia magister Lorca 1. 2. quæst. 9. expos. ar. 6. & disput. 38. §. *Hæc tamen sententia*. Ex familia Minimorum Ioannes Duralæus lib. 2. cap. 8. Dialecticæ supernaturalis. Ex Seruitarum familia Ielius Valionius lib. de Prædest. cap. 8. Et quod mireris magis, ex Dominicana familia Sotus 1. de nat. & gratia c. 14. & 15. Catherinus opuscul. de Præscientia p. 1. & 2. Magister Aluelda 1. p. disp. 58. sect. 3. conclus. 2. & pro eadem sententia negante auxilium prædeterminans affert D. Thomam, Conradum, Medinam, Caietanum, Ferraram, Capreolum, Magister Ioannes Vincentius, & alij; quos mirificè laudat Magister Ludouicus de Leon, quòd in hac sententia à Dominicanarũ schola desciuerint. Item auxilium prædeterminans saltem circa materiale peccati tollit ex eadem familia Magister Berdum part. 1. relect. de efficacia auxiliorum conclus. 13. fol. 54.

Authores externi, qui scriptis libris mandarunt doctrinam Societatis de præscientia Dei conditionata ante voluntatis diuinæ decretum.

ALtera item est sententia à Societatis Doctoribus illustrata, longisque certaminibus propugnata, quæ in Deo constituit scientiam mediam, qua quid esse sub aliis conditionibus etiam nunquam ponendis certò, & infallibiliter noscat Deus, nullo adhuc decreto viso suæ diuinæ voluntatis, quo nitatur. Hanc etiam arripuere typisq; mandarunt Diotalebius in opusc. de Auxiliis, Ludouicus de Tena Compluti in Theologia Primarius in epist. ad Hebr. c. 4. definitione 6. n. 12. Magister Curiel Salmanticæ Primarius Theologus lib. controu. in 7. aliàs 1. ad locum Sapientiæ 4. *Raptus est*, &c. Magister Lorca 1. 2. disput. 4. de actibus humanis §. *in secundo puncto*. Stapleton. in antidoto Euang. ad cap. 11. Matth. Alphonsus de Mendoza in quodlibeto 1. Schol. last. suprà allegato. Corduba lib. 1. quæst. 55. dub. 10. §. *Sed nota 2*. Ferdinandus Mascareñas Episcopus tract. de auxiliis, part. 3 & 4. disp. 2. Tapia de Incarnatione art. 3. Driedo in Concor. part. 1. cap. 4. ad 3. VValdensis doctrina fidei c. 23. & 25. Rofense artic. 32. & sequentibus. Dominicus de Soto lib. 3. Summularum cap. 8. lect. 3. Ruardus artic. 7. Gabriel Penoto lib. 3. de auxiliis cap. 27. 28. & 29. Ioannes Ureanus 1. part. quæst. 14. art. 13. dub. 3. Philippus Faber in 1. disputat. 44. à num. 47. Hugo Cabello supra cum cæteris, quos ipse ibi refert. Alexand. Pelantius 1. part. quæst. 14. art. 13. disputat. 3. & 5. Ioannes Duralæus lib. 2. Dial. c. 8. Doctor Luzerus Primarius in Granatensi Academia Theologus discurs. 7. de Conceptione cap. 5. Merinus Mersenus in Genes. c. 1. vers. 1. ratione 20. obiectione 4. § *Deus ergo*, & obiectione 10. §. *Supponendum est igitur*. His maximis & notissimis Theologis non grauabor addere sapientissimos alios, qui Salmanticos inter Magistros his temporibus primas tulerunt: quorum scripta licèt nondum typis mandata, æterno tamen sunt digna insculpi marmori. Inter hos est illustrissimus Dominus Augustinus Antolinez Archiepiscopus Cõpostellanus, & in Theologia Salmantina schola Primarius; Reuerendissimus, & sapientissimus Magister Franciscus Corneio Vespertina in Cathedra rude donatus; cãtatissimus Margister Ioan. Marquez in Vespertina Cathedra illustris, eruditissimus Magister Basilius de Leon Primariæ Theologorum Cathedræ moderator, Reuerendissimus M. Angelus Manrique Cathedræ Moralis Philosophiæ regens, & alij, quàm plurimi, quos operosum esset recẽsere: hi omnes viua voce, & scriptis codicibus per multos annos doctrinam Societatis docuere, & maximis extulere laudibus. Quòd si quis postea suspicionis notam Societatis doctrinæ nisus est innuere, illi aptarim, quod Naaman Syro aptauit D. Ambros. Quippè Naamanus, dum iubetur à Propheta lauari in 4. Reg. 5.
Iordane, maximè irascitur in Prophetam, Iordanem expuit, illiúsque aquis præfert Pharpharis, & Abanà Syri fluminis aquas: sed tandem his dimissis elegit magis Iordanis aquas lauari. Tunc sic Ambros. lib. 4. in Luc. *Cur Iordanis eligitur?* Ambros.
Nonne boni, inquit, Abanà & Pharphar fluuÿ Damasci præ Iordane? Sed iratus hos prætulit, Iordanem meditatus elegit. Sic non nemo contrariam Societatis doctrinam, aliquando subscribit, & præstantiorem, & solidiorem, securiorem esse; sed iratus hanc prætulit, doctrinam Societatis meditatus elegit.

Authores qui typis tradiderunt aduersarium doctrinam doctrinæ Societatis, circa præfatas sententias, & conclusio tractatus.

EXtra Dominicanam familiam, qui eorum doctrinæ subscripserint, rari inueniuntur, adhuc solos inueni Reuerendissimum Magistrum Zumel, item reuerendissimum Magistrum Ioannem Machim Episcopum, & Magistrum Cabreram; & si velimus Ordinem Beatæ Mariæ de Mercede, vt filiam amantissimam parenti optimo Dominico, adscribere, vt quæ sub D. Raymundi Dominicani auspiciis nata fuerit; vnus author manebit adhuc notus, qui Societatis doctrinæ scriptis libris aduersetur, nempè Cabrera. Imò & Magister Zumel, dum aduersatur Societatis doctrinæ, simul & Dominicanam familiam percutit 1. 2. q. 79. art. 2. disp. 3. negans prædeterminans auxilium ad materiale peccati, & tom. 3. var. dub. 5. concl. 1. asserit scientiam conditionatam in Deo; & 1. p. q. 14. art. 13. disp. 8: concl. 3. ridet Theologos fundantes hanc scientiam in decretis conditionis Dei: id quod ridet etiam Cabrera 3 p. disp. 1. §. 22. à n. 338. Huc ego reuoco authores libelli illius vulgaris, vt videntes doctrinam Societatis acceptam tot externis viris maximis, & Prælatis, & Scholarum Primariis, & fidei contra hæreticos propugnatoribus, à quibus omnibus contraria doctrina destituta est, iudicent, an licitè, & sine grandi piaculo possint hanc Societatis doctrinam, & nouatricem, & periculosam proclamare. Hoc sciant populi, quòd doctrina à libello illo proscripta, & infamata est illa doctrina, quam docent, & laudãt ferè omnes Doctores Catholici, & Prælati, & Primarij Magistri Academiarũ; ad quam confugiunt vniuersi fidei propugnatores, vt contra hæreticos huius temporis dimicent, & clarissimam possint victoriam reportare. Vtinam liceret mihi sapientissimis Societatis aduersariis scribere quod Na- Nazianz.
zianz. scripsit Eustochio Philosopho comparem suum acriter mordenti. Ait enim vir sanctissimus, & eruditissimus iuxta Basileæ translationem. *Quandiu ista durabunt? Et quando modum ponemus sophisticæ calumniæ? Quousque hæc fient? Quòd si adolescens quisquam æmulatione adactus, emolumentique cuiusdam spe motus ista faceret, ignoscendum quadamtenus esset; in ista verò ætate existentem, atque ad hunc modum viuentem captiunculis hisce insidiosis, vel petere alios, vel ab aliis impeti,*

prorsus est & intempestiuum, & contentiosum: non solùm ob id, quod indecorum est, & omnino sordidum, sed ex hoc, quod quàm facillimum est, ut instar recurrentis fluuij talia ipse audiat, qualia in alios dixerit (iterum enim Homero vtar,) & omnino in promptu est. Vt eum, qui momordit, vicissim remordeat lacessitus. Hæc ille; hæc ego.

§. XXXVI.

Iustorum conditio apud peccatores peior habetur, quam apud feralissimas creaturas.

QVando ab impiis hominibus non occiduntur iusti? Quando impij pepercerunt iustis hominibus? Benè ait Dominus, *ex illis occidetis*; nunquam enim apud impios melior est iustorum conditio. Si quando iustus à morte saluatur, ideò est, quia non homo peccator, sed vel fera aliqua, vel voracior alia creatura vindicat. Recole flammeam illam
Daniel. 3. fornacem à Babylonio rege succensam Danielis 3. in illam coniecti sunt tres sanctissimi, & innocentissimi iuuenes. Quid tunc? Ait text. *Et confestim viri illi vincti, cum brachiis suis, & tiaris, & calceamentis, & vestibus missi sunt in medium fornacis ignis ardentis, nam iussio regis vrgebat; fornax autem succensa erat nimis. Porrò viros illos, qui miserant Misach, Sidrach, & Abdenago, interfecit flama ignis. Viri autem hi tres, id est, Sidrach, Misach, & Abdenago, ceciderunt in medio camino ignis ardentis, colligati, & ambulabant in medio flammæ laudantes Deum.* Mirum, & inauditum miraculum sancti iuuenes liberi, & securi degunt, vbi impij igne cõsumpti cadunt. vnde tam noua, & inopinata res manauit? Qui fieri potest, quòd iusti viuant dum impij damnantur? Cur rex tyrannus non magis incendit flammas in pios, quàm impios? Non illud natum est ab homine peccatore, qui impios absolueret, & pios damnasset. Sed flamma ipsa vbi apud se vidit impios carnifices, & iustos pueros, iudicium protulit ordinarium, quo
August. absoluit iustos, & impios miserè damnauit. Pro quo D. August. ser. 140. de tempore ait: *Dum vindicat flamma, impij necantur, & iusti saluantur.* Melioratur iustorum conditio, dum eorum iudicium hominibus peccatoribus eripitur, & bestiis, siue voracissimis creaturis traditur. Dum enim vindicant, iusti saluantur. Non absimilis res accidit Danieli ipsi cap. 14. qui cùm datus esset leonibus, apud illos illæsus vixit; apud quos cùm venissent impij, interfecti, & deuorati
Nilus. illico sunt. Id quod ponderans D. Nilus in Ascetico fatur: *Danielem cùm homines perdidissent, Leones seruarunt. Quem homines ex inuidia iniustè damnauerant, Leones custodierunt, & iustitiam, à qua recesserant homines, rectum ipsi de iniustè damnato iudicium ferentes declararunt. Hominis virtus, apud homines inuidia, & contentionis, apud feras venerationis, & honoris occasio fuit.* Nulla elementorum malignitas, nulla ferarum rabies non seruat debitum honorem iustis viris, solum apud homines virtus est prorsus suspecta, & inuisa; & quæ inuenit inter rabidissimas feras incolumitatem, inter homines inuidiam & perditionem inuenit. Et cùm audio iustum ab elementis, & feris seruatum, illud mirari non desino, cur Iudæi in Christianos concitati, vbi iustissimum inuictissimúmque Stephanum morti adiudicant, ad lapides, quibus
Actor. 7. illum petimant, recurrunt. Dicit enim Actor 7. *Et eijcientes eum extra ciuitatem, lapidabant*, &c. Scitis miseri iuxta diuinas Scripturas, elementa mundi parcere iustis, stare pro iustis: cur ergo creditis lapides aduersùs iustos ituros? Cur non magis manibus vestris sanguine Prophetarum plenis mortem iusti creditis, quàm lapidibus? Sanè videbant in lapidibus quandam sui imaginem, & similitudinem, propter quam non dubitant, quòd adeò sui similes lapides iustum
August. feriant, & morte afficiant. Quò respiciens D. August. ser. 92. de diuersis ait: *Cùm ad lapides cucurrissent duri ad duros, iactabant in illum pares suos.* Non aliis elementis, sed lapidibus credunt interfectionem isti, quos pares, & prorsus norunt esse sibi similes. Nec esset creatura, quæ auderet iniustum virum, nisi de impiorum similitudine.

§. XXXVII.

Qui festos dies sceleribus maculat, sine vindice manet expositus ruinis.

IVdæi occidunt iustos, crucifigunt, flagellant in Synagogis suis, & quid lucrantur inde? *Vt veniat super vos omnes sanguis iustus*, &c. Primus ille fratris occisor hoc malum sibi timebat, aiens: *Omnis qui inuenerit me, occidet me*; tali se crimine astrictum videbat, quòd metueret omnibus licitum fore in vindictam ruere; nullámque esse creaturam adeò mansuetam, cui non esset permissa tanti scelesti occisio. Hoc sibi malum timebat miser, quem timorem Deus tollit, dans ei signum, quo nemo auderet insurgere in Cainum, aut timeret sibi Deum vindicem. Expende modò, quod timebat Cainus malum, illud immissum Iudæis miseris, vt veniat super illos omnis sanguis iustus, hoc est, vt nullus sit adeo clemens sanguis, qui non postulet ad mortem miseros. Sed ne veniret hoc malum Caino, Deus vindex exiuit pro illo; cur non similiter vindex stat pro Iudæis? Cur non simile illis impertitur signum, ne quæuis creatura audeat in illos? Homicidæ sunt iustorum, sed & ille erat iusti homicida: at illud est maximum discrimen inter Caini scelus, & Iudæorum scelera. Ille vt fratrem perimeret, in agrum se contulit, solitudini se dedit: isti in Synagogarum medio, in festorum frequentia; quando Synagogæ propter festorum celebritates frequentabantur, tunc iniustos insurgebant, ait enim, *in Synagogis flagellabitis, vt veniat super vos*, &c. Quippe qui festos dies sceleribus turpant, sine vindice vllo manent expositi omnium ferocitatum dentibus. Vbi etiam Pharisæorum rabies in Iesum ferociebat, accedit Paschæ celebritas; & iuxta consuetudinem diei festi volens Pilatus dimittere vnum vinctum, proposuit populo eligendũ Barrabam, aut Iesum: hic author erat vitæ; ille homo ferox, & audax, qui seditiones, & homicidia fecerat, populus autem miser contempto Iesu homicidam Barrabam elegit. Sed cur permisit Deus, quòd vbi repudiandus erat Iesus, homo homicida, & Iudæorũ interfector eligendus proponeretur? Nónne Paschæ festum petebat, quòd iustior alius, siue minus nocẽs liberaretur? Equidem festum tam immani crimine fœdatũ, fecit, quòd Iudæorum homicida, & interfector liber existeret, nullóque vindice impediretur, quominus in illos sæuire pergeret. Accipite D. Leon. serm. 10. de Pass. sanctem: *Pilatus tradidit Iesum persequentium voluntati, Barraba illis latrone dimisso, vt qui in ore festo auctorem interficiebant vitæ, impunitas eis præstaretur homicida.* Non habeat vnde ab diris homicidis liberetur, qui dies festos maculat nefandis sceleribus; omnis, qui inuenerit illum, interficiat eum; nulli non sit liberum mortem inferre violatoribus diei festi. Ad hæc dicebat Amos c. 6. *Qui separati estis in diem malum, & appropinquatis solio iniquitatis.* Meritò qui appropinquant solio iniquitatis, separantur in diem malum, hoc est, exponuntur iam omni perditioni, vt omni malo liceat venire super eũ. Sed qui est, qui appropinquat solio iniquitatis? Lectio Septuag. id explicat, aiens: *Et appropinquatis, & tangitis Sabbata mendacia.* Cum Sabbata, & festi dies inuenti fuerint, vt Deus in illis sanctificaretur, qui festis diebus Deum sceleribus offendunt; Sabbata efficiunt mendacia, hoc est, minimè correspondentia fini, ob quem instituta fuere, sed contrario seruientia; quod est iniquitas maxima, imò in eo videtur totius iniquitatis consistere solium, & regnum. Qui ergo tanta se polluunt iniquitate, vt festis abutantur in Dei offensam, meritò separati sunt in diem malum, hoc est, quasi proscripti habentur, vt sine vindice pereant. Et cur non pereat, qui festis diebus abutitur, vt ligna, & paleas æterni ignis materiam, nimirum peccata, colligat in anima. Num. 15. *Factum est cùm essent filij Israel in solitudine, & inuenissent hominem colligentem ligna, in die Sabbati, obtulerunt eum Moysi.* Quid tunc? Ait Dominus: *Morte moriatur homo iste*, &c. Vnde iam acerbam mortis sententiam miser incurrit? Pulchre D. Cyrill. de adoratione lib. 7. ait: *Numquid non lignum auulsum, & iam siccatum mortalitatis symbolum est, & ignis alimentum? Cum igitur, quo tempore cessare debet à peccatis, nonnulli mortuis, ac infructuosis operibus intenti sunt, & abiecta virtute concupiscunt ea, per quæ ipsis supplicia in æternum parentur, & flammæ accendantur, ij cum iure optimo morte damnati pœnas sustinebunt.* Et meritò irremissibilem sibi parat pœnam, qui diebus festis sibi comparat materiam incendij.

Leo. Amos 6. Num. 15. Cyrill.

§. XXXVIII.

Qui persecutionem patiuntur in mundo, superiorem locum obtinent, vt mundum tyrannósque debellent.

SApienter dictum est illud; *vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram*; non enim iustorum sanguis effusus subter iacet, sed superiora tenet, vt superueniat, & tyrãnos debellet. Planè terrena persecutio sic iustos eleuat, & superiores facit, vt in sublimi constituti debellatores appareant vniuersæ terræ. Exploratores missi fuere à

Moyse in terram promissionis, qui omnia securè lustrantes, fructibúsque eius vescentes, tandem redeunt Num. 13. & aiunt: *Nequaquam ad hunc populum valemus ascendere, quia fortior nobis est. Terra, quam lustrauimus, deuorat habitatores suos; populus, quem aspeximus, proceræ staturæ est: ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo, quibus comparati, quasi locustæ videbamur.* Ecce tibi, quàm inferiores sese isti reputent ad homines illos, quasi locustas ad gigantes. Sed & alij exploratores missi sunt à Iosue in eamdem terram, qui eò deuenientes, nec locum inueniunt vbi tutò pedem figant, vix intrant ciuitatem primam, & quæruntur ad mortem, coguntúrque sub stipula lini latere, & intempesta nocte per murum dimissi in montem fugere. Post hæc autem superata mortis pericula Iosue 2. *Descenderunt exploratores de monte, & transmisso Iordane venerunt ad Iosue filium Num, narrauerúntque ei omnia, quæ acciderant sibi, atque dixerunt: Tradidit Dominus omnem terram hanc in manus nostras*, &c. Compone modò hos, & illos exploratores inter se; illi se reputant locustas comparatos ad hostes: hi adeò sese hostibus superiores reputant, vt non dubitent sibi à Deo in manus traditos esse. Et quidem illi nullam fuerant passi persecutionem, nullum viderant periculum, sed dulcissimis vberrimísque regionis fructibus potiti liberè fuerant: hi autem persecutionem patiuntur, fugitiui degunt, mortis pericula sustinent, latebris indiguerunt, & nihil non timendum experti fuerunt. Cur ergo illi, tam inferiores se hostibus exhibent, quando hi tam supra omnes hostes se prædicant, & quasi victores iam, & debellatores prouinciæ se existimant? Equidem quos persecutio vexauerat, sic etiam extollebat, vt meritò ex illa ipsa persecutione certissimam iam spem alerent tradendam sibi esse totam illam regionem in manus, quam funditus debellarent. Hanc mihi excogitationem iniecit vir eruditus Masius in Iosue fatus: *Illi clamabant; Non poterimus inuadere populum, quia fortior nobis est. Hi verò clamant: Tradidit eum Dominus in manus nostras. Et tamen illi nulla passi pericula memorantur, quæ istos præsentissima circumuallarunt. Itaque isti, quanto maiora pericula euaserant, tanto certiorem sibi suisque opem diuinam pollicebantur.* Nunquam pericula discriminàque ob Deum tolerata iustos viros deprimunt, sed extollunt, adeóque superiores faciunt, vt inde quasi debellatores suorum hostium possint prædicari. Qui mundialibus bonis gaudent, & fruuntur, hi inferiores sunt mundo, vt inferior est locusta giganti: ast qui persecutionem patiuntur mundialem, hi superiores existunt, & quasi è sublimi aduersùs hostes suos pugnabunt. Huc spectans D. Iacobus epist. canon. cap. 5. ait: *Sufferentiam Iob audistis, finem Domini vidistis.* Pulchrè comparat Iobi sufferentiam, non cum sufferentia, sed cum fine sufferentiæ Dominicæ; equidem in Iob antiquus hostis insurrexit, & amici eius insurrexerunt pariter, oppugnant validè, feriunt contumeliis animum, dum corporis caro putrida cadit. Quid tunc? Qualem finem habuit certamen? Minimè respiciatis ad finem, quem in Domino videmus, & contrectamus. Dominus enim vbi sperabatur à Iudæis opprimendus tumulo, à profundo Inferni lacu victor exultauit, è sublimíque cœlorum expugnar aduersarios, suúmque in hostibus vindicat sanguinem. Cùm ergo Iobi sufferentiam audimus, cùm iustum quemlibet ab hostibus affligi, contundi, dilacerari, similiter finem Domini, Iesu victoriam inibi latentem perpendamus. Non enim Iob opprimitur ab hoste, sed extollitur, sed longè superior fit, sed in sublimi asseritur, vt inde gloriosiores de suis persecutoribus triumphos agat. Pro quo D. Hieron. de vera Circuncisione fatur. *O virum naturam sæculi respuentem, non se lachrymis, non se gemitibus, non se etiam tenebris tradidisse, sed potiùs detrimenta pignorum suscepisse adiumenta meritorum, dolorum victor; etiam sensu egenus, affectu fit fortior, cùm infirmatur; & in valle lachrymarum turrim occupat lachrymarum.* Expendenda sunt hæc vltima verba, nimirum, *& in valle lachrymarum turrim occupat gloriarum*, qui milites in acie pugnant, eò spectant, si possint vel turrim, vel superius aliquod culmen præoccupare, vnde & securiùs, & certiùs in hostes possint iacula fulminare. Iusto autem viro Iob, quot occasiones dolorum, & lachrymarum, tot profundissimi valles ab hostibus obiiciebantur, quibus prorsus maneret obrutus: at mirum in modum, quæ solent alios sepelire valles, Iobo extiterunt pro adiumentis, quibus ipse sublimis turrim præoccuparet gloriarum, ex qua sibi inimicos ad pedes prostrauit. Nunquam enim persecutionum barathra non fuerunt iusto viro turres, ex quibus velut è sublimi loco terribiliores hostibus appareant. Quibus ignoret furens Herodiadis facinus in Ioannem Baptistam? Innocentissimum virginem lasciua fœmina petit ad mortem, sed qualiter petit? Matth. 14. *Da mihi*, inquit, *in disco caput Ioannis Baptistæ.* Cur in disco afferri postulas inimicum caput? Cur non conformius tuæ feritati petis, vt afferatur sacrum illud caput fune aliquo raptatum, vel alicui spiculo infixum? Cur manus in disco? Sanè fœminæ feritas maluisset caput Ioannis fune raptatum spectare; sed coacta à diuina prouidentia petiuit, vt in pretioso afferretur disco: non potuit enim caput tanti viri ob virtutem abscissum non apparere iam quasi è sublimi perdens, & confundens hostes suos. Sic loquitur Chrysol. serm. 174. ad Herodiadem: *Cur in disco, cur pretiosè gestas, quem viliter occidit? Hoc ipsum quod vis, non agis, quomodo ipsa vis: in illo quidem tunc ferali antro, non aula regis, rabies tunc fera pastum suum credidit, cum caput Martyris vidit. Sed Ioannes venit in sublimi positus. Venit Ioannes, vt iudex in tribunali resplendens, vt qui arguit adulterum, exponeret, & damnaret homicidam.* Sic qui persecutionem sustinent, in sublimi afferuntur, vt inde aduersùs hostes suos, & Dei hostes iacula fulminent.

Num. 13. — Iosue 2. — Masius. — Iacob. 5. — D. Hier. — Matth. 14. — Chrysol.

§. XXXIX.

Qui persecutionem sustinnerunt ob virtutem, praeuenient iudicem seuerissimum iniuriarum vltorem.

Qvantum hoc, quòd supra impios persecutores Sanctorum, omnis iustorum sanguis veniat? Quid interest, quòd sanguis iustorum veniat super illos? Non soli venient super illos iusti, sed & secum afferent vltricem iniuriarum Dei iustitiam; semper enim iusti præueniunt seuerissimum venientem iudicem. Ad afflictos, & laceratos iustos locutus Sophar Iob. 11. inquit: *Miseriæ quoque obliuisceris, & quasi aquarum, quæ præterierunt, non recordaberis, & quasi meridianus fulgor consurgit tibi ad vesperum. Et cùm te consumptum putaueris, orieris vt Lucifer.* Duobus è capitibus iustorum à sæculi persecutionibus exeuntium sortem extollit: primò, quia omnia inimicorum iacula, rabies omnes, tormenta vniuersa sic euanent, vt euanescere solent nubium aquæ: secundò, quia vbi hostili rabie consumptus iustus putabitur, tunc orietur vt Lucifer. Quare vt Lucifer orietur? Lucifer à noctis caligine minimè superatus primo manè apparet, apparet, inquã, Lucifer prænuntiãs mundo iã è proximo venientem solem, qui ardentissimis lucis radiis nocturnas tenebras mactet. Sic iustus vir à tenebrosis viris impetitus, cùm consumptus putabitur, orietur vt Lucifer, hoc est, sic apparebit, vt aduentantem prænuntiet iustitiæ Solem, qui fulmina mittat aduersùs rectores tenebrarum harum. Aiebat D. Gregor. lib. 10. Moral. cap. 11. *Iustus ergo cum se consumptum putauerit, vt Lucifer oritur: quia mox, vt tenebrescere tentationum caligine cœperis, ad lucem gratiæ reformatur, & in se ipso monstrat diem iustitiæ. Solem quippè præcurrens Lucifer nutriat. Et quid nobis Sanctorum innocentia, nisi sequentis iudicii claritatem clamat?* Væ tibi homo, qui iustos viros persequeris, affligis, mactas; forsan videberis præualere, forsan iustus consumptus reputabitur; sed exoritur vt Lucifer, ecce apparens diem vltionis clamat; præuenit enim Solem iustitiæ, & annunciat seuerissimum vltorem iniquitatum. Nunquam iustus sanguis effusus venit, & non traxit Deum vltorem: nec iustis solis credidit Dominus vindictam sumendam de hostibus, sed ipse post illos venit perdituros aduersarios. Monebat iusto patienti Dominus Prouerb. 20. *Ne dicas: Reddam malum; expecta Dominum, & liberabit te.* Quæ verba sic legit D. Cyprianus epist. ad Demetrianum, & in rem nostram trahit, fatus: *Ne dixeris; Vlciscar me de inimico meo, sed expecta Dominum, vt tibi auxilio sit.* Expendendum illud, *expecta Dominum*. nimirum non est iustorum malum inferre hostibus, sed expectare Dominum, qui à tergo venit vendicaturus iustum sanguinem. Vidisti sæpè hominem iniuria affectum, qui conducto vendicatore fortissimo venit in occursum hostis, ast cùm ipse prior accedit; vt solitudine fallat, subsistit aliquanto. Cur habens coràm hostem subsistis? Cur non magis inuadis? Equidem expectat fortiorem, qui immediatè accedet, & grauiùs vindicabit. Sic Dominus in hostes præmittit etiam iustos laceros, præmittit iustorum effusum sanguinem, non quia sanguis iustorum inuadet hostes, sed coram illis subsistens expectanit, & immediatè pòst fortissimus vltor Dominus accedet, qui perdet incautos. Hinc Dominus Oseæ cap. 1. postquam ei natus est filius, ait: *Voca nomen*

Iob 11. — Gregor. — Prouer. 7. — Cyprian. — Osea 1.

men eius Iezrael: quoniam adhuc modicum, & visitabo sanguinem Iezrael super domum Iehu. Iezrael ciuitas erat iustorum effuso sanguine madida, ob idque celebris in populo Israelitico, adeo vt quasi prouerbialiter diceretur, vt notaretur ciuitas sanguinis. Sed illud notandum venit, quòd non priùs Dominus aduersùs Iehu insurgat, quam Oseæ filium Iezraelis nomine insignitum præmittat. Ait enim, *voca nomen eius Iezrael*, hoc est, sicut in primis puer Iezrael vocatus, in cuius nomine iustorum sanguines effusi compareant. Et cur in primis repræsentabitur iustorum sanguis?
Ibidem. Iam explicat fatus: *Quoniam adhuc modicum, & visitabo sanguinem Iezrael super domum Iehu.* Expende illud, *adhuc modicum*; vbi enim sanguis iustorum effusus præit, necessum est, vt immediatè veniat fortissimus vltor sanguinum. Appareat vel vmbra sanguinis iustorum; vt sit Lucifer iustitiæ Solis iam iam appropinquantis, non enim Lucifer tam vicinum solem denuntiat, vt iustorum sanguinis effusio, vel repræsentata designat seuerissimam vltionem per Deum appropinquantem. Atqui scire cupis, cur necessum sit, quòd Deus præmittat iustorũ sanguinem, vt perdat aduersarios? Sanè solent venatores præmittere bouem, post quem securiùs prædas mactent: sic Deus præmittit vitulos sibi mactatos, nempè iustos occisos, post quos immediatè iacula fulminet, & perdat hostes sanctitatis. Nunquam enim vindicta diuina non secuta est ad iustorum sanguinem, vt di-
Cyprian. cat D. Cyprian. epist. ad Demet. *Insontes pœnis, & cruciatibus acquiescunt, certi, & fidentes, quòd inultum non remaneat quodcumque perpetimur, quantóque maior fuerit persecutionis iniuria, tanto & iustior fiat, & grauior pro persecutione vindicta.* Hæc ille.

Text. Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt.

§. XL.

Misera hominum conditio ex futurorum ignoratione.

MEritò deploranda Hierusalem, in qua Prophetæ occiduntur, in qua futurorum prænotiones occumbunt; sanè vel solo ab hoc capite vita humana misera est, quòd
Hieron. non præsentiat futura. D. Hieron. ad Eustochium dicebat: *Molestias nuptiarum & incerta coniugij domestico exemplo didicisti; cùm soror tua Blesilla ætate maior, sed proposito minor, post acceptum maritum, septimo mense viduata sit. O infelix humana conditio, & futuri nescia! Et virginitatis coronam, & nuptiarum perdidit voluptatem.* Pulchrè humanæ conditionis infelicitatem ex ignoratione futuri prædicat: est quæ largissimam vitam, plenam deliciis in coniugio sibi proponat, ad quam contendit, vt ærumnas solitudinis fugiat: ast vbi primos sponsi amplexus porta est, & tristem, & æternam viduitatem incurrit. Sæpè in eo quod fugimus, futura latet felicitas, & in eo quod amplectimur bonum, latet mare-
Ecclef. 10. ries æterni luctus. Sapienter Ecclesiastes cap. 10. stultitiæ damnat genus humanum etiam alij sapientiæ dotibus insignium, si vel sola futuri opprimatur caligine. *Stultus verba multiplicat. Ignorat homo, quid ante se fuerit, & quid post se futurum sit.* In omni verborum affluentia, & eloquentia non depellitur stultitiæ nota: etiamsi rhetorum madeas fluminibus, stultus es. Cur stultus es? *Ignorat homo, quid post se futurum sit*; vna ignorantia futuri perdit alias sapientiæ & eloquentiæ dotes; imò perdit hominem ipsum. Quò
Thuanus. respiciens Thuanus pulchrè ad hæc cecinit:

Stultus enim voces sus dèque effutit inanes,
Atque audire licet blaterantem talia: Læti
Viuamus; quando humanum caligo futuri
Damnauit genus.

Quando caligo futuri opprimit hominem, cur lætam vitam agant? Cur læti amplexentur voluptates? Cur de obtenta dignitate gaudeant, nescij an in honore lateat futura infamia, tormentum in voluptate? Nihil temporalis boni non perdit caligo futuri: nec vera lætitia potest esse, nisi vbi
1. Reg. 10. futurorum aliqua prænotio constituitur. Vnde 1. Reg. 10. *Obuiam habebis gregem Prophetarum descendentem de excelso, & ante eos psalterium, & tympanum, & tibiam, & citharam, ipsósque prophetantes.* Nunquam tot instrumenta lætitiæ aptiùs inueniri poterunt, quam inter Prophetas, inter eos, qui futura prænoscendo, & præcauendo gaudent. Hinc vt æternam cœlitum lætitiam notet D. Hieron. epist. ad Paulam introducit Blesillam gloriosam sic alloquentem matrem: *Si vnquam me amasti mater, ne inuideas gloriæ meæ. Parùm esse me putas? Habeo pro te Mariam matrem Domini. Multas hic video, quas antea nesciebam. O quanto melior est iste comitatus! Habeo Annam quondam in Euangelio prophetantem.* Quasi inde extollat etiam cœlestem vitam de consortio Prophetarum; in qua non possit esse ignorantia futuri, quæ metum, & sollicitudinem afferat, quando sincera felicitatis futura firma esse sciantur. Vtinam hac in valle lachrymarum, futurorum etiam haberemus præsagia; fallar, nisi hæc sapientes nos efficerent ad benè operandum. Numer. 11. Num. 11.
Moyses proposuit quinquaginta viros coram Domino, qui in iudicea populi crearentur. *Cumque requieuisset in eis spiritus, prophetauerunt.* Ecce tibi per quod initiantur boni iudices, per acceptum spiritum prophetiæ; si enim quis semel in se futurorum præsentiat præsagia, haud dubium quin inde sapienter se gerat in quouis munere administrando. Dicebat enim ad hæc Theod. quæst. 24. in lib. Reg. Theod.
Septuaginta seniores, quos elegit Moyses, statim quidem electi, digni sunt habiti prophetica operatione. Postea autem minimè prophetabant, sed à dono diuino redditi sapientes componebant populi controuersias. Tanta vis est spiritus prophetandi, futuráque prædicendi, vt vel semel in animam illapsus illam ad bene operandum sapientem reddat. Hinc dicebat Philo Phil.
lib. Quis rerum diuinarum sit hæres: *Omnibus probis viris sacra scriptura prophetiam tribuit. Proinde quotquot inter iustos censentur, induntur Prophetæ pleni cœlesti numine.* Vehementer enim currimus ad virtutem ex futurorum notitia; & nullus ad virtutum ascendit sublimia, nisi hoc calcare stimulatus, & punctus.

Text. Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?

§. XLI.

Ille perfectè subuenit infirmanti, qui scit infirmari cum illo.

NOta similitudinem, qua vsus Dominus, ostendit suam charitatem ad subueniendum populo suo; ait enim sic ad illos cucurrisse, vt gallina currit ad pullos suos. Sed gallina ad pullos qualiter currit? D. Paschasius lib. 10. in Paschas.
Matth. *Nullum animal eo infirmatur modo, quemadmodum gallina in fouendo, & nutriendo pullos suos. Siquidem tota infirmatur, totaque fit hispida, & rauca.* Non contenta est hæc auis in eo, quod pullis egentibus succurrat, sed nihil se fecisse putat, nisi eorum etiam infirmitates in se sumat, dum tota infirmatur, & fit hispida. Et quidem ille perfectæ charitatis culmen attingit erga fratres suos infirmantes, qui ita illis subuenit, vt etiam in se eorum infirmitatis notam exprimat. Ecclesiastes cap. 11. monebat: *Mitte panem tuum super* Eccles. 11.
transeuntes aquas. Non solùm petit, vt mittas panem tuum ad pauperes, sed quòd mittas illum super transeuntes aquas. Sed scire cupis, quomodo mittas panem super transeuntes aquas? Rem explicat Catena Græca legens: *Cum sympathia, & lachrymis fac eleemosynam omni transeunti.* Inter quos sympathia est, eisdem mouentur affectibus, eiusdem afficiuntur pulsibus. Cùm ergo ad eleemosynam largiendam accedis, fac accedas cum sympathia, vt quas educit lachrymas in paupere indigentia, eas in te compassio, & condolentia educat. Cùm infirmanti subuenis, subueni etiam cum sympathia, vt quos in illo efficit morbus dolores, in te eosdem compassio efficiat. Notissima fuerunt apud antiquos Lactarij montis gramina, quibus pastæ vaccæ eo abundabant lacte, quo penè exhausta corpora hominum infirmorum & pinguedinem simul ebibebant, & salutem. Sed illud mirabile, quòd vaccæ ipsæ, dum sic homines implebant pinguedine, ipsæ exiles erant, & penè excarnes videbantur ossea molea, sola pelle circumamictæ. De quo pulchrè Cassiodor. lib. 11. variar. 10. ait: *Hæc itaque armenta* Cassiod.
in tam abundanti pabulo exhausta videre miraculum est, vt humor ille lacteus, non præstet origini suæ, qui corpora mortalium probatur læsa reficere, miroque modo herbis animalia non proficiunt, vnde hominum membra pinguescunt. Exiles per dumeta discurrunt montium, tenues videntur, & tollerant, cui medentur, sustinent passiones. Sic natura suos medicos effinxit, vt quæ exhaustis exilibúsque hominibus curandis nutriebantur armenta, etiam inter pinguissimas herbas ipsa apparerent exhausta, & exilia. Accedebat pecus ad curanda exi-
lia,

ſia, & exhauſta hominis infirmi membra, & accedebat cum ſympathia, inſtar eius, cui medebatur, maciem in ſe præmittens. Vt diſcant inde homines infirmitates in ſe exprimere, quas in fratribus curare deſiderant. *Exod. 4.* Exod. 4. proponitur Moyſes à Deo vocatus in ſalutem populi ſui, & poſt aliqua dicitur: *Dixitque Dominus rurſus: Mitte manum tuam in ſinum tuum. Quam cum miſiſſet in ſinu, protulit leproſam inſtar niuis.* Deus bone, cur lepra afficitur is, qui in ſalutem populi Iſraelitici eligitur? De leproſis laturus erat Moyſes leges, taxans eorum immunditiem, eorúmque ſanitati etiam proſpiciens, ideo voluit Deus, vt priùs ipſe in ſe etiam maciem lepræ præmitteret. *Theod.* Ait Theodor. in caten. Græca; *Quia legem de leproſis poſiturus erat, eóſque immundos appellaturus, legiſlatoris manus leproſam reddidit.* Nullus perfectius infirmanti ſubuenit, quàm qui cum ſympathia ſubuenit, illius in ſe præoſtendens dolores, & miſerias. Hanc ſuam artem in ſanandis proximis oſtendit Paul. 1. ad Cor. 9. *1. Cor. 9.* *Et factus ſum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer, his qui ſub lege ſunt, quaſi ſub lege eſſem, cum ipſe non eſſem ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant, lucrifacerem: his, qui ſine lege erant, tanquam ſine lege eſſem*, &c. Vide cum quanta ſympathia accedebat Paulus in ſe depingens omnes infirmantium morbos pro ſimilitudine abſque peccato; id quod expendens *Anſelm.* D. Anſelm. ait: *Factus ſum Iudæis tanquam Iudæus, id eſt, ita compaſſus ſum eorum cæcitati, & miſeriæ, ac ſi Iudæus eſſem, & in eadem cæcitate, & miſeria cum eis detinerer.* Tanta cum ſympathia curabat omnes, vt eiuſdem infirmitatem doloribus videretur tangi.

Text. Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Dico enim vobis, non me videbitis à modo donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini.

§. XLII.

Iudæorum œconomia, & Ieſus disiungi non poterant, aut ſimul eſſe debebant, aut ſimul deficere.

RVina Iudaicæ œconomiæ imminere prædicitur, quia etiam imminebat Ieſu occiſio; quippe ait, *relinquetur vobis domus veſtra deſerta*, & ſubdens cauſam pergit: *Dico enim vobis, non me videbitis à modo*, &c. Quia per mortem ab oculis erat Ieſus eripiendus humanis, & à terra viuentium abſcedendus, ſimul etiam oſtenditur Iudaicæ œconomiæ caſus; non poterant duo hæc disiungi, ſed ſimul eſſe, aut interire debebant. Pulchra de Catone dedit verba *Seneca.* Seneca lib. 2. in ſapientem non cadere iniuriam, vbi fatur: *Aduerſus vitia ciuitatis degenerantis, & peſſum ſua mole ſidentis ſtetit ſolus: & cadentem rempublicam, quantum modò vna retrahi manu poterat, retinuit, donec vel abreptus, vel abſtractus comitem ſe diu ſuſtentatæ ruinæ dedit: ſimulque extincta ſunt, quæ nefas erat diuidi. Nec enim Cato poſt libertatem vixit, nec libertas poſt Catonem.* Licuit homini Ethnico ſic ſentire de Catone ſuo, viro virtutum ſtudioſo: ſed longè veriùs, & certiùs, quæ ibi pulchra dicuntur, aptantur Ieſu meo. Hic ſolus aduersùs vitia ciuitatis degenerantis ſtetit, vt qui ad extirpanda totius orbis vitia iuxta Iſaiæ dictum, torcular calcauit ſolus, & de gentibus non eſt vir cum illo. Cadentémque Iudæorum populum, Hieroſolymitanam vrbem, non cum vna manu, ſed ambabus manibus ſuſtinere curauit, vt ait ipſe: *Tota die expandi manus meas, ad populum non credentem, ſed contradicentem mihi.* Manibus itaque ambabus expanſis labentem Hieroſolymam ſuſtinere curauit Ieſus, donec abreptus, ſiue abſciſſus comitem ſe diu ſuſtentatæ ruinæ dedit: ſimúlque extincta ſunt, quæ nefas erat diuidi. Nec enim Ieſus poſt Hieroſolymam vixit in hac lacrymarum valle, nec Hieroſolyma poſt Ieſum. Sic ſemper erant hæc duo inſeparabilia, vt inuicem ſe cuſtodirent vnita, & etiam perirent ſeparata. Hinc myſteriorum inſcius Petrus, *Matth. 17* dum in Thaboris eſſet gloria, ait Matth. 17. *Faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, Eliæ vnum.* Quæ verba ſuggeſta Petro à ſpiritu tenebrarum non malè putat Origenes quando & Moyſes, & Propheta, in quibus tota œconomia Hieroſolymitana conſiſtebat, à Ieſu ſeparabantur: in qua ſeparatione & populus, & Ieſus perdebantur. *Origen.* Ait Origen. hom. 3. in Matth. *In hoc malitioſè operabatur Diabolus nolens eſſe ſimul Ieſum, & Moyſem, & Heliam, ſed ſeparare eos abinuicem obtentu trium tabernaculorum, quod fieri non poterat. Si enim ſeparentur abinuicem, nec Chriſtus aſſiduè, nec Propheta vera dixiſſe inueniuntur. Quod fieri cupiebat mala ſuggeſtio.* Adeo inter ſe erant connexa hæc duo, vt minimè ſeparari poſſent ſine grandi diſpendio vtriuſque. Quid plura? Hoc quod tradit Origenes, eodem modo intelligendum eſt etiam in materiali ſeparatione populi Iudaici, & Ieſu; ſic enim totus ille populus nitebatur in Ieſu, & Ieſus ſic in primis erat immiſſus populo illi, vt ablato populo, non maneret Ieſus in mundo, & ablatus Ieſus etiam populum traxit in ruinam. Vnde D. Leo meditans Iudæos multo manè conueniſſe, vt Ieſum morti traderent, iuxta Matth. 27. *Matth. 27.* inquit ſerm. 3. de Paſſione. *Hoc manè Iudæi, vobis templum, & altaria diruit, legem & Prophetas ademit, regnum, & ſacerdotium ſuſtulit, in luctum æternum omnia feſta conuertit.* Nihil enim poſt Ieſum potuit manere in illa Republica.

CAPVT XVII.

De ſermone habito poſt Cœnam; ſuos Ieſus conſolatur de abſentia.

TANDEM accedimus ad ſermonem à Ieſu habitum poſt vltimam cœnam, in quo de imminente iam abſentia ſua turbatos, & mœſtos diſcipulos conſolatur, multiſque, & efficacibus rationibus eorum expellit metus. Quando in cœleſtibus illos erat expectaturus, vbi tot manſiones paratæ erant, vt neque inferiori, & infirmiori deficere poſſet, quo exciperetur. Ardua in cœlos via periculis, reſlantibúſque ventis plena; ſed quam ipſe in primis terit, omniaque ſubiens diſcrimina, nullo non reſlante contradictionis vento, tandem incolumis appellit. Cur poſt illum non ipſi? Si occludatur via, ille via eſt; ſi fallaces mundiales ſemitæ, ille eſt veritas; ſi mors hinc inde inſultet, ille vita eſt. Deficit commeatus? Quidquid per illum petitur, à patre accipitur. Quòd ſi inter mundanos fluctus fauentibus auris afflari concupieris, ab illo veniet ſpiritus, qui fluctus componat, & te in portum felicitatis deducat. Hæc & alia pulcherrima, plena conſolationis, plena vitæ habes à Ieſu per tria Ioannis capita dicta.

Ioan. 14. Non turbetur cor veſtrum. Creditis in Deum, & in me credite.

§. I.

Nullum peccatum ab aliquo committitur, cuius damnum cæteri omnes non debeant timere.

COnſternatos animos diſcipulorum in primis notans Dominus ait, *non turbetur cor veſtrum*; ſed ſcire cupis, vnde ſic conſternati eſſent diſcipuli, quòd tanta conſolatione Domini egerent? Cauſam tradunt D. Chryſoſt. D. Auguſt. Rupert. & alij in præſenti. Dixerat enim Dominus ter eſſe negationis crimine Petrum illa nocte polluendum; quo audito valdè omnes diſcipuli conſternantur expauentes peccatum Petri. & meritò diſcipuli expauent peccatum Petri, quando a nullo peccatum committitur, cuius damnum non debeant timere cæteri. Matth. 18. ait *Matth. 18.* Dominus: *Si autem peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum.* In quibus expendendum eſt illud, *ſi peccauerit in te*; & quidem cùm præceptum ſit generale circa vniuerſa peccata, quæ verſantur in damnum proximi, & quæ non verſantur, vt monuit ſapientiſſimus Maldonatus, & communiter docent Theologi, cur de omnibus loquens dicit, *ſi peccauerit in te*; an non poteſt eſſe aliquod peccatum, quod non inferat damnum proximo? Equidem nullum peccatum eſt ab aliquo patratum, quod omne genus hominum aliquo modo non lædat. Id quod notans D. Paſchaſ. in Matth. lib. 8. ait: *Nihil eſt in quo* Paſchaſ. *proximus peccare poſſet, quod nos lædere non debeat.* Singulare *Matth. 8.* cuiuſque peccatum omnes proximos lædit, omnes reddit obnoxios malis, quæ a peccato habent exordium. Ideo canebat Dominus Deut. 29. *Ne fortè ſit inter vos vir, aut mulier, familia, aut tribus, cuius cor auerſum eſt hodie à Domino Deo noſtro, vt vadat, & ſeruiat dijs gentium, & ſit inter vos radix germinans fel, & amaritudinem.* Oleaſter legit, *radix germinans venenum, & abſinthium.* Equidem vbi a viro aliquo peccatum fit in ciuitate, imò in regno, radix ibi ponitur

tur germinans venenum, pariens labores mille, pestes afferens, & turbationes quamplurimas. Scimus apud Matth. cap.8. Iesum vnà cum discipulis suis in naui esse, quæ vix se vndis commisit, & eas tempestates experta est, quibus penè obruebatur. Non sic apud Lucam cap.5. sed nauis, in qua Christus est, cum discipulis suis serenum mare potitur, & piscibus diues, quibus impletur ipsa. Cur tot felicitates non haberet nauis, quæ habebat discipulos Iesu, cum magistro? Sed illud mirandum, quòd etiam Iesu discipuli vniuersi in naui positi tempestatibus, ventorúmque furiis sint relicti. Rem attigit D. Ambros. lib.4. in Luc. inquiens: *Non turbatur ista, quæ Petrum habet, turbatur illa, quæ Iudam habet. Etsi multa ibi discipulorum merita nauigabant, tamen eam adhuc perfidia proditoris agitabat. In vtraque Petrus, sed qui in suis meritis firmus est, turbatur alienis.* Vel ob vnius homunculi peccatum, sese Deus solet exhibere, quasi dormientem erga ciuitatem, & regnum integrum, vt aditum permittat tempestatibus, & beneficia subtrahat. Dicebat Isaias cap.6. *Factum est anno, quo mortuus est Ozias rex, vidi Dominum,* &c. Cur non magis viuente Ozia? Sanè Prophetæ regibus dabantur, vt populorum vniuersitate prospicerent, sicque viuentibus regibus habebant omnes populares in se Prophetarum gratiam? Cur hic mortuo Ozia? Quia Ozias viuus impurus erat, Deúmque sua impuritate offendebat, propter quod, dum ille viueret, abstulerat Dominus populo beneficium prophetiæ. Chrysost. hom.4. ad data verba Isaiæ: *Silet spiritus gratiæ, nō ostensus est Deus, eo quòd sub impuro illo non erat gratia. Non adueniebat Deus, non apparebat; non visiones exhibebat, non Prophetæ loquebantur quæ debebant. Mortuus est impurus, & Deus reconciliatus est hominibus.* Ecce vnius impuritas quot gratiis priuauit homines, priuauit mundum. Ponderate modò durissimam illam Dei sententiam in vniuersum Israëlem Iosue 8. ait enim: *Nec poterit Israël stare ante hostes suos, eósque fugiet, quia pollutus est anathemate. Non ero vltrà vobiscum,* &c. Vnus solus Acham, penè ignotus homo, pollutus erat anathemate, & propter vnius delictum sic Deus afficitur erga vniuersos Israëlitas? Pulchrè D. August. quæst.8. in Iosue infert: *Ostensum est, quantum malum fieret, si vniuersa congregatio peccasset, quando ne vnus quidem ita potuit iudicari, vt ab eo possent cæteri esse securi.* Si non sunt securi sancti ab vnius delicto, cur nos securi sumus in medio nationis peruersæ, & prauæ, in ciuitate scatente sceleribus, & peccatis? Si ab vnius vilissimi hominis delicto non sunt securi homines; cur in sceleribus præstantissimorum non magis vniuersi trepidamus? Meritò aiebat Zacharias cap.11. *Vlula abies, quia cecidit cedrus.* ex quo Anastasius Nizenus quæst.17. ex D. Isidoro legit: *Vlulate omnes, quia cecidit cedrus,* & addit: *Fortibus cadentibus, erudiantur, & castigentur, quæ sunt imbecilliora.* Nemo enim non metuere debet à Deo aliquam castigationem, quæ peruadet omnes, vbi peccati vermibus viderit corrodi cedrum.

Ambros. — Isai.6. — Chrysost. — Iosue 8. — August. — Zach.11. — Anastas. Nizen.

§. II.

Felix ille, cui omnia mundialia occidunt, vt vnum Deum spectet: in illo nulla peccati turbatio durat.

Ecce omnis turbationis à peccati metu profectæ certissima expulsio, nimirum, *credite in Deum, & in me credite* hoc est, vnus Deus præ oculis existat, cætera omnia mundialia procul absistant. Non turbat corda fidelium peccatum, non lancinat, non viuit, vbi dimissis mundialibus sola spectatur diuinitas. Memorans Lucæ Iesu mortem, illud asserit notatu dignum cap.23. *Tenebræ factæ sunt in vniuersam terram, vsque in horam nonam. Et obscuratus est Sol, & velum templi scissum est medium. Et clamans voce magna Iesus ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens expirauit.* Cur non antea moritur Christus, quàm tenebras suffunderet orbi, quàm Solem obscuraret? Omnis, qui malè agit, odit lucem, aiebas Domine; cur ergo tu dum tot mundi bona peragis, lucem ablegas? Insinuat rationem Paulus, dum asserit Iesum in cruce peccatum repræsentare: ait enim 2. ad Corinth.5. *Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit*; hoc est, victimam peccatum repræsentantem. Itaque suffusis tenebris, obscurato sole moritur Iesus, dum peccati personam agit, vt ostendat prorsus in nobis occumbere peccatum, cùm dimissis mundialibus in Deo solo spem collocamus. Quod notabat D. Isaias Abb. orat.13. fatus: *Quòd autem sole obscurato Dominus remisit spiritum, intellige tunc in te mortuum esse peccatum, cum spes rerum, quæ in hoc mundo cernuntur, in animo tuo deficit.* Nequit peccatum manere, vbi omnia mundialia fulcra occumbunt, & in Deo figitur humanus obtutus. Hoc tibi notissimum sit signum, quòd peccatum moritur, quòd iam à peccati morte resurgis, si retrorsum iactis mundialibus, non fugiat Deus oculos tuos. Iacob dum filiis bona imprecatur Genes.49. ait: *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retro.* Non funditus perdet Dan hostes suos, sicut cerastes in via non funditus perdit equitem; sed quomodo non funditus perdit equitem? Nónne facit, vt cadat eques? In quo non perditur cadens eques? In eo quòd cadit retrò; qui enim retrò cadit, retrorsum habet terram, & ob oculos cœlum: & dum terra retrorsum iacta oculi cœlestibus, & diuinis inhærent, vel in ipso casu spes alitur resurgendi. Pulchre D. Ambros. in Psalm.40. ait: *Cadet eques retrorsum, salutem expectans à Domino, hoc est, vt oculos non euertat, resurrectionis suæ prærogatiuam vendicet.* Felix ille, cui mundi spectabiliora retrorsum occumbunt, dum ipse oculos fixos habet in Deo, hoc etsi cadat, in casu non manet, sed vel in ipso casu spem nutrit surgendi. Nolo hic debere singulare illud salutis Israëliticæ indicium, nimirum, Phase celebrationem: venit nox captiuitatis vltima redemptionis indicium: nox, inquam, in qua agnus ob oculos Israelitarum proponitur, Ægyptiorum obtenebrantur lumina, nihil in illis spectabile apparet, sed luctus, sed mortui, sed sepulchra. Quid tunc? Ait Moyses Exodi 12. *Nox ista est obseruabilis Domino, quando eduxit eos de terra Ægypti.* Siue, vt legit D. Macharius: *Hæc est nox, in qua pollicitus est Deus se redempturum nos.* In quo nouit noctem illam esse salutis initium? Sub illa nocte omnia Ægyptiorum sepulchra obscurabantur; sub illa quidquid decorum, quidquid splendidum in Ægypto alliciebat Israelitas, nigro sub luctu sordebat, ipsa familiarum fulcra, nimirum primogenita tenebris dabantur sepulchri. Vbi ergo sic omnia Ægyptiorum occumbunt, agnúsque solus ponitur ob oculos Israelitis, quis eorum non auguretur liberationem, & salutem? Ad hæc D. Mach. hom.47. *Egressi sunt ex Ægypto, quando Ægypti primogenita sepeliebant; idcirco dixit Moyses: Hæc est nox in qua pollicitus est Deus se redempturum nos.* Vbi enim mundialia omnia decora, quæ oculis cernuntur, & morti, & tenebris traduntur, solusque superest agnus diuinus, cuius sanguine homo viuat, meritò dici potest, quia adest hominis salus, & vita.

Luc.23. — 2.Cor.5. — Isaias Abbat. — Genes.49. — Ambros. — Exod.12. — Machar.

§. III.

Christi Domini benignitas in homines prorsus inexpugnabile asylum est.

Quò nulla conturbatione velit moueri, qui se omni timori superiorem cupit statuere, in Deum Iesum credat, illíque se committat, in cuius benignitate inueniet paratum sibi inexpugnabile asylum. Aiebat Cantic.8. benignitas, & humanitas Saluatoris: *Ego murus, & vbera mea turres.* vbera Christi, ad quæ paruuli, & infirmi inuitantur, turres sunt, inter quas ab hoste nullo poteris expugnari. Gillibert. Abbas serm.27. in Cant. *Vbera mea turres. Inexpugnabilia sunt vbera hæc.* Felix infantulus, qui his vberibus excipitur, qui ad hæc vbera Saluatoris confugit, nihil inde timet, inexpugnabilis est, reportare victorias discet. Hinc extollens Dominus fortitudinem benignitatis suæ populo Israelitico manifestatam, ait Isai. cap.65. *Expandi manus meas tota die ad populum non credentem,* &c. Quantum istud ad populum vndequaque hostibus vallatum? Nutrix expendit manus, vt vberibus excipiat infantem; quid ergo, quòd tu Domine velut nutrix expandas manus ad populum ab hostibus agitatum? In expansione manuum, vbera offers, an arma? an turres? an victorias? Accipite historiam Exod.17. vbi dicitur: *Cum leuasset Moyses manus, vincebat I, ael.* Ecce tibi in expansione, & eleuatione manuum & victoria sita est, & hostium perditio. Quò respiciens Dominus aiebat, *Expandi manus meas tota die*; non Moyses, sed ego expandens manus, ostendo vbera turrita, à quibus hostes cadant, & fideles victorias potiantur. Ad hæc Procopius in cap.65. Isaiæ: *Ille enim ego sum, inquit Dominus, qui manus meas in Moyse expandi, vt per victoriam vos mihi conciliarem, Amalecitas autem perderem.* Si vel expandat manus Dominus, suæque benignitatis vbera tibi ostendat, habes in eius vberibus turres inexpugnabiles, quæ tibi victorias pariant, & à quibus vniuersi hostes perdantur. Hinc Isaias 6. vidit Dominum super thronum excelsum, & eleuatum:

Cant.8. — Isai.65. — Exod.17. — Procop.

uatum : *Seraphin stabant super illud : sex alæ vni, sex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* Alis velant Dei faciem, & alis velant pedes, pectora relinquunt patentia, atque sine vllo velamine. Quòd si quæras quale sit istud Seraphinorum velamen? D. Bernard. serm. 5. in dicta verba putat Seraphinorum velamen pro facie, & pedibus Dei positum fuisse, sicut Cherubini gladium pro paradiso tutando. Et quidem in Dei fa-
Psalm. 30. cie audio absconditos iustos, vt ait Psalm. *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ*; similiter ad Dei pedes sese recepit illa quondam in ciuitate peccatrix, *stans retro secus pedes*
Luc. 7. *eius*, Luc. 7. Sed & in pectore eius recubuit Ioannes, vt ipse
Ioan. 21. ait cap. 21. *Qui & recubuit in cœna super pectus eius.* Cur ergo pro custodia, & defensione faciei, & pedum ponitur Seraphinorum velamen, & non pro custodia pectoris? Sanè Dei vbera turres sunt inexpugnabiles, qui ad illa confugiunt, non egent latebris, sed superiores omni malo incursui patet. Habet enim semper Iesus in pectore salutis signa,
Apoc. 1. sedes victoriarum. Iam lucem afferam loco ex 1. Apocal. vbi sic: *Et conuersus vidi septem candelabra aurea, & in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis, vestitum podère, & præcinctum ad mamillas zona aurea.* Noua & singularis forma se cingendi, quòd cingulus ad mamillas ponatur; quid cingulus, quid zona hæc apud mamillas Iesu faciet? Quod funiculus fecit ad fenestram, quæ erat in muro Iericho iuxta domum Rahab; appensus ibi in muro funiculus omnimodam salutem, & incolumitatem signabar, vt habes Iosue 2. Igitur cingulus ad mamillas, is est funiculus ad turres, ad murorum fenestram, qui inibi omnimodam incolumitatem, & securitatem nobis pandit. Et ne quis putet minus esse firmam salutem, quæ à funiculo pendet; meminerit funiculum esse appensum Iesu vberibus, Iesu benignitati, à qua nulla non venit hominum
Procop. salus. Pulchrè Procop. citatus à glossa in cap. 2. Iosue ait: *Funis hic quantumuis debilis appareat, non disrumpitur, per quem euaserunt exploratores: per quem Iosephum ex lacuna subduxerunt, Ieremiam item, & Danielem, per quem Dauid quoque per fenestram dimissus aufugit: Paulus etiam per sportam submissus Damasci; per quem denique Patriarchæ omnes viam è puteis aquam subduxerunt.* In tantorum virorum salute funis intercessit, vt appareret, nisi à mamillis Iesu nullam venire securitatem, nullam venire salutem.

Text. In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Si quo minus, dixissem vobis, quia vado parare vobis locum.

§. IV.

Etiam maximi peccatores conuersi in Dei sedibus visebuntur.

ET negotiationem Petri, & dispersionem, parúmque fidelem fugam suam audientes discipuli, eam turbarionem incurrunt, qua vereantur se penitus à domo Dei exulaturos. Absit talis metus ab his, quorum præcipuam curam suscipit Iesus, & si labantur, & scelerum turpentur maculis, tamen poterunt per pœnitentiam cœlestia perringere, quando in domo Dei mansiones multæ sunt, quas minimè repleant soli innocentes, sed & cum his maximi quidam peccatores etiam post pœnitentiam morantur. Non dubites peccator, & si modò in cœno cum suibus volueris, poteris in eadem cœlesti domo, cum Angelis ver-
Leu. 7. sari; & sanè si pœniteas versaberis. Apud Leuit. cap. 7. iubet lex. *Vbi immolabitur holocaustum, mactabitur hostia pro delicto.* Holocaustum sacrificium est totum Deum aspirans, nihil in se non Dei habet; hostia pro peccato fœtidum, & turpatum sceleribus hominem prætendit; cur non magis hæc hostia separatur à loco, in quo est holocaustum? Cur in eodem loco & holocaustum, & hostia pro peccato ponuntur? Equidem nullus locus adeò diuinus est, qui non simul cum purissimis, & sanctissimis peccatorem pœniten-
Origen. tem capiat. Sapienter Origen. hom. 5. in Leuit. ait. *Vide quàm multa misericordia Dei est, & vbi holocaustum iugulatur illud, quod soli Deo offertur, ibi etiam hostia, quæ pro peccato est, immolari iubeatur. Quo scilicet intelligat qui peccauit, & pœnitet, & conuersus ad Dominum contribulati spiritus hostiam iugulat, in loco iam sancto stare, & sociari his, quæ pertinent ad Deum.* Nil nocent peccata illi, qui scit illa per pœnitentiam mactare; quantumuis peccator quis sit, si contriti cordis hostiam iugulat, in eodem loco stabit, in quo sanctissima sunt; & sociabitur his, quæ ad Deum pertinent, sub eodémque tecto erit cum Deo, & purissimis Angelis, quasi semper vixerit cōspicuus sanctitate. Nota fuit Israelis totius idololatria Exod. 32. cùm accepto ab Aarone idolo vituli exhibent cultum diuinum: quod peccatum sic vniuersi admiserunt, vt nullus proponatur ab Scriptura liber ab illo. Quid tunc? Moyses vlturus iniquitatem, ait: *Si quis est Domini, iungatur mihi. Congregatique sunt ei omnes filij Leui;* &c. Cur omnes Leui filij audent sese Moysi, iniquitatum vltori aggregare? Nónne & ipsi vitulum adorarant? Nónne in commune scelus incurrerant? Cur ergo audent adhuc, cum his, qui Domini sunt, esse? Peccauerant & ipsi, sed resipiscentes continuò, dum in vltionem iniquitatum armantur, cum his, qui Domini sunt, meritò coniunguntur, non pœna, sed æterna digni laude. Id quod ponderans Bacharius epist. ad Ianuarium fatur: *Vbi totius plaga populi,* Bachar.
vulnusque describitur, etiam Leuitæ peccasse referuntur, qui priores ad correptionem legislatoris emendati esse perhibentur, & non tam in eis peccati crimen arguitur, quàm velox conuersio in pœnitentiæ celeritate laudatur. Non potuit peccatum ab his, qui Domini sunt, Leuitas deturbare, quando ipsi percitam pœnitentiam conuersi omnem memoriam sceleris sustulere, & à Legislatore assumpti in vltionem idololatriæ æternam sibi laudem compararunt. Numquam enim inter ea, quæ Domini sunt, non apparet locus etiam peccantibus, si conuertantur. Coniice oculos in vniuersas cœlestis domus glorias, perspice Principum æternorum sedes, nullam videbis in qua non sit locus, qui capiat etiam peccantes, dum sciant flere peccata. Et quod mireris magis, etiam ad latronem ait Dominus Luc. 23. *Hodie mecum eris in paradiso;* Luc. 23.
non dedignatus rex gloriæ latronem pœnitentem in regno sibi associare, & ponere in illo ipso loco, qui innocentibus omnibus fuerat elaboratus. Suæ sanctissimæ humanitatis gloriam in resurrectione futuram Dominus notans aiebat Ioann. 2. *Soluite templum hoc, & in tribus diebus suscitabo illud.* Additque Euangelista: *Ille autem dicebat de templo* Ioan. 2.
corporis sui; erat enim diuinum Christi corpus tertia die à mortuis suscitandum, gloriosáque resurrectione illustrandum. Verùm Matth. 12. eandem resurrectionis gloriam ostendens, ait: *Erit filius hominis in corde terræ tribus die-* Matth. 12.
bus, & tribus noctibus. Expende quòd modò non solùm numerat dies ad gloriam resurrectionis spectantes, sed & noctes memorat. Cur modò maluit addere non solùm dies, sed & noctes? Addit equidem noctes, ne gloria resurrectionis solis diebus, solis filiis lucis videretur parari: sed & illa appareret, locum dare filiis tenebrarum, si à tenebris excutiantur. D. Ephrem de Pœnit. fatur. *Tres dies Sal-* D. Ephr.
uator in sepulchro egit, & tres noctes, vt ostenderet etiam peccatores, qui tenebris obducti erant, resurrecturos. O pœnitentiæ gratiam, &c. Nulla inuenietur gloria, quæ non capiat etiam peccantes, dum sciant pœnitere de peccatis.

§. V.

Sola, quæ in æternum permanent, verè censentur esse, cætera non sunt.

MEritò ait Dominus, *in domo Patris mei mansiones multæ sunt*, quæ enim æternum manent, ea sola sunt; quæ nō manent, non sunt, & quasi non sint, debent reputari. De Absalone locutus textus 2. Reg. 18. ait: *Porrò Absalō erexerat sibi,* 2. Reg. 18.
cùm adhuc viueret, titulū in valle regis, dixerat enim: Non habeo filium, & hoc erit monimentum nominis mei. Tres filios habebat, & vnam filiam Absalon, vt ex 2. Reg. cap. 14. notant Lyran. Caiet. Theodor. & Hieron. in traditionibus, quod Theod.
etiam tradit Ioseph lib. 7. antiq. cap. 9. Quomodo ergo habens tres filios, erecturus monimentum sui nominis dixerat, non habeo filium? Pulchrè Theodoretus citatus à glossa, rationem reddit ex Iosepho desumptam, nimirum, *quòd filij non possunt diu durare.* Meritò despicit filios, tanquam non essent, qui sciebat illos mortales, & morituros aliquando, quæ enim æternùm non possunt durare, minimè sunt, nec debent inter bona existentia numerari. Ex quo monebat Paul. 1. ad Cor. 7. *Reliquum est, vt qui habent vxores,* 1. Cor. 7.
tanquam non habentes, & qui flent, tanquam non flentes, & qui gaudent, tanquam non gaudentes: & qui emunt, tanquam non possidentes; & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur. Præterit enim figura huius mundi. Et vxor, & gaudia, & possessio bonorum, & mundus ipse, tanquam res, quæ non sunt, censeri debent. Quòd si quæras, cur omnia illa non

esse censenda sint? Subiicit rationem, aiens: *Praterit enim figura huius mundi*; & meritò censeri debent non esse, quæ aliquando desinent esse: nec putare potes te habere, quæ, (Sap. 4.) necessum est, vt intereant. Sapientia cap. 4. aiebat. *Quoniam spes impij, tanquam lanugo est, quæ à vento tollitur, & tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur, & tanquam fumus, qui à vento diffusus est, & tanquam memoria hospitis vnius diei prætereuntis.* Quid inde ô bone? Quid quòd mundialia decora sint, vt lanugo, vt vmbra, vt fumus, vt hospes? Nónne vel tandem aliquid sunt, quamuis tenue, quamuis vile, & exile? Absit: imò eo ipso, quòd prætercurrentium rerum similia sunt, nihil prorsus sunt. (Petr. Dam.) Acutè D. Petrus Damian. lib. 2. epist. 17. *Qui tot momentanearum rerum exemplo congessit, non tam vile quid esse omnem mundanam gloriam, quàm nihil esse signauit.* Meritò nusquam aliquid fuisse, sed semper, & vbiq; nil esse censentur, quæ nequeunt durare: eo ipso quòd res aliqua, & fluxa, & momentanea esse dicitur, & nihil esse affirmatur. (Psalm. 36.) Psal. 36. *Vidi impium superexaltatum & eleuatum sicut cedros Libani. Transiui, & ecce non erat.* Ex Hebræo non legitur, *transiui*, per primam personam, sed per tertiam, *transiuit*. Vnde eleganter in rem nostram Chaldæus ait: *Transiuit de mundo, & ecce non fuit!* Quomodo non fuit? Asseritur à Psalte visus, exaltatus, & eleuatus sicut cedrus, & tu asseris, ecce non fuit? Qui aliquando est, post illud semper verum est, quòd fuit, quomodo tu, quem vidisti esse, de illo statim asseris, *& ecce non fuit?* Equidem dico, quòd transiuit, & res, quæ transit, etiam dum videbatur esse, minimè fuit, sic videnda est, quasi nihil in se sit. Quò refero pulchram sententiam D. (Gregor. Nyssen.) Gregor. Nysseni hom. 1. in Ecclesiastem fantis. *Quoniam ergo est temporaria, & quæ non interit, sensuum operatio, qui ad hoc aspicit, nihil aspicit.* Cùm rem tibi transeuntem ob oculos ponis, nihil ponis dum ad transeuntes commoditates aspicis, nihil aspicis. (Psalm. 4.) Hinc meritò excandet Psalm. 4. *Filij hominum vsquequò graui corde? Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* (Chrysost.) Vbi Chrysost. ait: *Vanum est, quod est inane, quando nomen quidem fuerit, res nequaquam: nomen diuitiarum; res autem minime: & nomen gloriæ, res verò minimè: nomen potentiæ, & remanet solum nomen. Quæ est ergo adeo excors, vt quæras nomina, quæ rebus defecta sunt? Et persequatur inania, quæ oportet fugere?* Ille sapiens, qui stabilia, & manentia quærit, quæ sola, & vera sunt, & verum habent esse, & semel habita nunquam possessores deludunt suos.

Text. Et si abiero, & præparauero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis.

§. VI.

Æterni boni solius meditatio potens est illud nobis efficere.

(Matth. 20.) ET multæ erant mansiones in domo Dei, & paratæ erant, vt ait Matth. 20. *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Cur ergo (vt addubitat Aug.) iterum parandas promittit in hæc absentia sua, dum ait: *Vado parare vobis locum*; vel insuper, *si abiero, & præparauero vobis locum?* Sanè absentia hæc Iesu, sic remouet discipulorum animos affectibus temporalibus, sic eorum oculos in sola æterna, & manentia bona transfigit, vt vel hæc visio, & meditatio possit infecta adhuc æterna bona sibi facere, & imperata adhuc sibi parare. (Gregor. Nyssen.) Accipite pulchram D. Gregor. Nysseni mentem, qui hom. 1 in Ecclesiastem, ait: *Qui per ea, quæ prætercurrunt, stabilem intelligit naturam, & mente agitat, id quod semper similiter, & eodem modo se habet, videt, & quod verè bonum est, & quod videt, creat. Huius enim boni procreatrix est cognitio.* Proh sanctæ meditationis efficaciam! dum transeuntia despicias, dum mente voluas, quæ sunt æterna, meditatione lustres immarcessibiles coronas, aulæa æternùm duratura, talis est huius meditationis vis, & efficacia, quæ bonum, quod vides, tibi possit creare. Ad sponsam Domi- (Cant. 2.) nus loquitur Cant. 2. *Surge amica mea, speciosa mea, & veni. Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.* Vt surgat ab his inferioribus, petitur felix sponsa, & ad æterna transeat, vt columba, hoc est, meditabunda lustret cœlestia, in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ. Sed vnde sibi persuadeat columba, quòd in cœlestibus penetralibus inueniet sibi foramina, inueniet sibi spacia, quibus recipiatur? Quid si ascendat columba superiora cœlorum, & nullum ibi inueniat sibi foramen? Absit: nequit fieri quòd meditatrici columbæ deficiat in cœlis mansio, deficiant foramina, tanta enim est vis meditationis æternorum, vt quod meditetur, sibi facit. Adest D. Bern. serm. 62. in Cant. fatus de hac felice columba: *Libens cauernas perambulat, & diuersoria, & mansiones, quæ sunt in domo patris multæ, atque diuersæ. Aut si id magis probat, dicemus, has cauernas à studiosis, & piis mentibus non inueniri, sed fieri. Quonam modo inquis? cogitatione, & auiditate.* Quid pulchrius? Ab his temporalibus expedita mens lustrat cœlestia, æternas mansiones perambulat, stabilia bona videt, & quod videt, non curat, an sit, ipsa illud sibi facit. Nulla cœlestium, æternorumque meditatio inanis. Id quod etiam innuit Cant. 4. *Dentes tui, sicut greges tonsorum, quæ ascenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas.* (Cant. 4.) Ex Græco legit Nyss. hom. 7. in Cant. *Omnes geminos pariunt, neque sterilis inter eas vlla est.* (Nyssen.) Sanè dentes animæ sunt meditationes sanctæ à carnalibus separatæ, quæ vt limpidissimæ ad cœlestia ascendunt, non steriles sunt, sed potentes sibi parturire bona, quæ meditantur. Nec parum subtilis ad rem comparatio tonsarum ascendentium de lauacro; sicut enim in Genesi oues Labani ex industria Iacob dum in fonte varias virgas videbant, eandem varietatem in fœtibus faciebant, faciente imaginatione easum, vt Philosophi loquuntur. Sic meditatio æternorum, videt quod bonum est, & quod videt, creat nesciens manere inanis, & vacua. Vnde notanter dicebat Isaias cap. 26. *A facie tua Domine, concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum, salutes non fecimus in terra.* (Isai. 26.) Totus mentis conceptus ferebatur in terrena; vterum animæ pandebant ventis, quid inde? Salutes non fecimus in terra. Vana est, & inanis cogitatio de terrenis, & fluxis rebus, nec vllam habet efficaciam creandi quæ mente voluit. At cogitatio salutis æternæ fœcunda est velut ouis parturiens geminos, salutem cogitat æternam, & quod videt creat in cœlo.

§. VII.

Quod ad salutem pertinet, minimè est differendum, sed statim præstandum.

EXpende illa verba: *Iterum venio, & assumam vos*, &c. noluit dicere, *veniam*, de futuro, & assumam, sed *venio* de præsenti, in his enim, quæ ad salutem pertinent, nihil voluit repræsentare futurum, ostēdens quàm primùm illa esse facienda. Mulier illa Rahab Iosue 2. dimissura explorato- (Iosue 2.) res per fenestram, ab illis petit, vt cùm expugnauerint vrbem, sui habeant misericordiam. Cui illi respondent: *Si ingredientibus nobis terram, signum fuerit funiculus iste coccineus, & ligaueris illum in fenestra, per quam dimisisti nos*, &c. Itaque dant illi signum sub quo possit sperare salutem, nimirum, quod liget in fenestra funiculum coccineum, quando viderit Israelitas exercitus approximare vrbi. Quid tunc? *Et illa respondit, sicut locuti estis, ita fiat: dimittensque eos, vt pergerent, appendit funiculum coccineum in fenestra.* (Ibidem.) In quibus maximè expendendum est mulieris ingenium, dicebant illi, quòd eo tempore, quando ipsi reuersi cum exercitu ingrederentur terram, expugnarent vrbem, tunc ligaret funiculum in fenestra; at illa non expectat, quòd veniant, sed eodem puncto, quo illos dimittit, appendit funiculum. Cur tam citò funiculum appendis? Vix à te abeunt, & post hæc ituri sunt ad populum suum, deinde ineundum erit consilium circa bellum: rursus Iordanis vada ab innumerabili multitudine superanda: insuper ordinandus exercitus est, bellum repræsentandum, ciuitas obsidenda, & tandem expugnanda. Vbi a fortiori tot sunt præuidenda, cur vrgentiorem occasionem non spectas? Cur in magis opportunum tempus non differs funiculum appendere? Sapiens mulier nouit quòd religatio funiculi ad fenestram erat suæ salutis medium, quare non distulit, nullum æstimauit aptius tempus, quam præsens, vt salutis medio operam impenderet, & ideo statim nihil morata exploratoribus dimissis funiculum appendit. Ecclesiast. cap. 3. ait; *Omnia tempus habent, & suis spatiis transeunt vniuersa sub cælo tempus nascendi, & tempus moriendi, tempus plantandi, & tempus euellendi*, &c. (Eccles. 3.) Nullam inuenies rem, cui non assignet suum opportunum, & certum tempus, & seminibus, & ædificiis, & bellis, & paci, & nuptiis, & natiuitati, & morti suum tempus assignat, circa vnam salutem habendam prorsus silet. Cur qui vel mortis tempus inuenit, salutis tempus acquirendæ silentio præterit? Ad negotiandam salutem nullum est expectādum tempus, quod præsens fuerit, id opportunitate sua vincit omnia futura tempora. Ad hæc Nazianz. orat. in sanctum Baptisma. (Nazian.) fatur: *Sere, cum sementis tempus faciet, & fruges comporta, & hor-*

ita

ta fo.ae, cum tempus hoc postularit; & tempestiuè planta, & vuam maturam detonde. Quin tibi,& belli,& pacis tempus sit,& amicitiæ, ac diffidij, atque omnis denique rei. At verè salutis tuæ negotium semper age. Quodcumque instauerit tempus, illud debet haberi opportunum saluti negotiandæ, nullum præsens prætermittendum, nec præ illo aliud expectandum. Eli-
3. Reg. 19. sæus in agro arabat, cùm ab Elia vocatus est 3.Reg.19. Quid tunc? *Tulit par boum, & mactauit illud, & in aratro boum coxit carnes, & dedit populo, & comederunt; consurgénsque abyt, & secutus est Eliam, & ministrabat ei.* Rem ponderans D.Nil. in
Nilus. Ascet. fatur. *Neque dixit, vendam instrumenta boum, & prudenter disponam. Neque considerauit, ea si venderrentur, emolumenti plus allatura. Sed cùm totus esset incensus cupiditate, qua ad magistri necessitudinem rapiebatur, neglexit ea quæ videntur, & ab illis se tanquam à recto proposito deuiantibus studuit explicare. Sciebat enim sæpe procrastinationē pœnitentiæ causam extitisse.* Et quando non obfuit saluti procrastinatio? De hoc sæpe aliàs.

Text. Et quò ego vado scitis, & viam scitis. Dicit ei Thomas, Domine, nescimus, quò vadis; & quomodo possumus viam scire? Dicit ei Iesus: Ego sum via, & veritas, & vita.

§. VIII.

Temporalium rerum ignorantia rectè comitatur perfectissimam sapientiam diuinorum; imò diuinorum studiosos oportet multa damna temporalia ignorare.

Iesus ait ad discipulos, vos scitis viam; discipuli autem respondent: Nos nescimus; contraria hæc videntur, aut discipuli falluntur, aut Iesus fallitur. Sed nec Iesus falli potest, nec discipuli, modò dicunt falsitatem; qui cùm temporalibus damnis, aut lucris essent intenti, verè dicunt se viam Iesu nescire, vt qui ignorabant, quale damnum, aut lucrum temporale Iesus in illa profectione parabat; nihilominus dum Christi Domini œconomiam attenderent, nihil non diuinum, & cœleste sciebant ab illo causari: & quo magis temporalia nesciebant, eo perspicaciùs diuina poterāt odorari. Proculdubio diuina, & æterna sæpiùs audita perciperent, qui sic ignorabant temporalia; horum enim ignorantia rectè illorum sapientiam comitatur. Vbi Moyses ad collo-
Exod. 24. quium admittitur diuinum, dicit Exod.24. *Cumque ascendisset, Moyses, operuit nubes montem, & habitauit gloria Domini super Sinai, tegens illum nube sex diebus, septimo autem die vocauit eum de medio caliginis. Erat autem species gloriæ Domini, quasi ignis ardens super verticem montis in conspectu filiorum Israel. Ingressúsque Moyses medium nebulæ,* &c. Expendendum maximè est, illud quod in hoc montis ascensu patitur Moyses, patitur enim & densam nebulæ caliginem, & lucidissimam flammam ignis, qui fieri potest, vt simul coëant & caligo, & lux & nebula, & ignis? In nebula ignorantia temporalium, in igne diuinorum sapientia intelligitur: & quidem solent mirum in modum conuenire, & temporalium ignorantia, &
Richard. diuinorum perspicax notitia. Ad hæc eleganter Richardus Victor. lib.4. contemplat. part.1. cap.32. inquit: *In medio nebulæ Moyses ingreditur quando humana mens ab illa diuina luminis immensitate absorpta summa sui obliuione sopitur, ita vt iuste mirari debeas, quomodo concordet tot nubes cum igne, & ignis cum nube: nubes ignorantiæ, cum nube illuminata intelligentiæ. Nam vno eodémque tempore humana intelligentia, & ad diuina illuminatur, & ad humana obnubilatur.* Semper conueniunt, & in vna sede morantur temporalium ignorantia, & diuinorum notitia, & quo homo magis circa temporalia cæcutit, eo promptior percipit, & sectatur quæ sunt diuina. Numquam nimia temporalis siue damni, siue lucri notitia non deuiauit hominum à recta æternorum via. Primi illi
Genes. 3. peccatores, Genes.3. fructum vetitum comederunt, *& apertí sunt oculi amborum, cùmque cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus.* Ecce quid notet textus in illis, qui primò depiarunt a Dei semita, qui per auia duxerunt filios in præcipitia, nimirum, quòd *cognouissent se esse nudos.* An melius illis fuisset suam nuditatem etiam patentissimam non cognoscere? Equidem oporteret illos ignorasse nuditatem, non soliciti de hoc temporali bono habendo Dei vias sæpe
Basil. relinquerent. Id quod attigit D. Basilius hom. Quòd Deus non sit auctor malorum, vbi penè circa finem, ait. *Oportebat se nudum minimè cognouisse, ne mens hominis, aut rerum cupiditate, quæ deesse viderentur, traheretur. Amictum namque nuditatis defensionem, solatiumque esse existimauit, & omnino per carnis curam ab obseruantia Dei abstractus est.* Nulli hominum expedit multa circa temporalia commoda aut incommoda prænoscere, qui enim circa hæc oculatiorem se ostendit, fallar, nisi in Dei via deficiat, nisi à vera diuinorum sapientia cadat. Illa enim perspicax de temporalibus incommodis, siue commodis cognitio nihil differt a sapientia carnali, quam Dei inimicam vocat Paulus. Quippe ait ipse ad Rom.8. *Sapientia carnis inimica est Deo.* Numquam non venit in Dei inimicitiam, qui nimis oculatus est circa commoda, siue incommoda carnalia. Quod in viris religiosis taxans D.Bernard. ser.30. in Cant. fatur. *Quid verò prodest temperare à voluptatibus, & inuestigandis diuersitatibus complexionum ciborúmque varietatibus exquirendis quotidianam expendere curam? Legumina, inquit, ventositatem generant, caseus stomachum grauat, lac capiti nocet, potum aquæ non sustinet pectus, caules nutriunt melancholiam, cholerum porri accendunt, pisces de stagno, aut de lutosa aqua meæ penitus complexioni non congruunt. Quale est hoc vt in totis fluuijs, agris, hortis, cellarijsue reperire vix possit, quod comedas?* Sic etiam ex his qui maiora spernunt, dum
Bernard. inueniuntur oculati circa carnalia, diuinorum sapientiam maculant, quæ vix lucet, nisi inter temporalium ignorantias, vt dicat Sapiens c.7. *Super salutem, & omnem pulchritudinem dilexi sapientiam;* quasi tunc se extollat vera sapientia, Sap. 7.
cùm omnia splendida, & salutaria carnis ignorantur.

§. IX.

Qui à Christo Iesu deuiat, verè nec est, nec viuit.

Via est Iesus per quam veritas, & vita hominibus contingit, adeò vt sine Iesu homo nec verè sit, nec viuat. Petrus locutus cum ancilla negauit Iesum apud Luc. c.22. Luc. 22.
Quid tunc? *Et post pusillum alius videns eum dixit: Et tu de illis es. Petrus verò ait: O homo non sum.* Expende verba Petri, absolutè enim fatetur se non esse, dum ait, *non sum.* Negasti in primis Iesum ô Petre, sufficiat hoc, cur facinus addens negas modò te ipsum? Non addit facinus, sed explicat, quid sequatur ad negationem Iesu, nimirum, quòd qui Iesum abnegat, non verè sit ipse. Pulcrè D.Ambros. lib.10. in Luc. Ambros.
ait. *Quia videbatur negare Christi societatem, vtique se negauit.* Vt abest a Iesu, abest à vera essentia, abest à vita, nihil prorsus est. De illo Antichristo, qui se extollit super omne, quod est Deus, vt ait Paulus, dicit Psal.72. *Deiecisti eos, dum alleuarentur.* Sese supra Deum, supra Iesum leuare cupiebat, sed dum alleuatur, miserum casum subit. Expende illud, *dum alleuarentur;* nondum enim ad finem perueneant, sed cùm adhuc sunt in ipsa ostentatione sublimitatis, prorsus euanescunt, & apparent nihil. Ad hæc D.P.Dam. lib.2. epist.17. in- Damian.
quit: *Non ait, postquam alleuati sunt, sed dum alleuarentur, quia per hoc inanescunt, per quod intumescunt, inde corruunt, vnde sublimes fiunt. Non itaque hoc asserendum est, quòd postquam ad extrema deuenitur, tunc nihil fiunt, sed tunc proculdubio sunt nihil, cùm videntur aliquid.* Sanè nullus homo adeò felicitate insolescit, qui non putet fore, vt aliquando intereat, in nihilúmque recidat tota gloria sua. At qui supra Deum se extollunt, qui humillimi Iesu tritam abiurant viam, hi non aliquando, sed etiam cum maiori gloria nitent, cùm magis stare videntur, tunc prorsus nihil sunt, nec possunt affirmare de se, quòd verè viuant. Isai.c.22 proponens ob oculos statum Iudæorum post Iesum actum in crucem, teste Leone à Isai. 22.
Castro, inquit: *Et vocauit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, & ad planctum, & ad caluitium, ad cingulum sacci: & ecce gaudium, & lætitia, occidere vitulos, & iugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum. Comedamus, & bibamus, cras enim moriemur.* Post Iesum occisum expectabatur luctus, & fletus, sed Iudæi perfidi maiorem prætendunt lætitiam, gaudia, conuiuia frequentant. Quid? Putabant ne se semper in gaudio, & vita futuros? Absit: non tam amentes, & stupidi fuere; sed sciebant se morituros; imò, quàm breuissimè, in crastinum morituros. In hoc tamen vehementer errant, dum sibi moriendum in crastinum putant, & non potiùs se iam prorsus mortuos reputant, dum conuiuia frequentant sine Christo. Vnde meritò de illis Clem.Alex. lib.3. Pædag. Cl. Alex.
c.11. inquit: *Hi autem non cras verè, sed iam Deo mortui sunt, sepelientes mortuos suos, id est, se ipsos in mortem effodientes.* Qui sic deuiarunt a Christo, non est cur futuram mortem expectent, etiam dum videntur viuere mortui sunt. Non absimile dicebant impij omnes, Sapientiæ c.4. *Nos nati, continuò desiuimus esse.* Quos etiam redarguit D. Petrus Dam. Sap. 4.
lib.2. epist.17. *Imò ipso momento, quo videbantur esse, non sunt;* Damian.

quia ab illa, qui verè est, longè fuit. Numquam, mihi crede, veram essentiam habes, nunquam habes veram vitam, nisi in Iesu vita. Illi equidem soli reputantur, & viuere, & esse, Ioann. 12. qui sunt in Christo. Aiebat ipse Ioan. 12. *Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* An traxit Iudam? An traxit latronem pertinacem? Sed ipse dixit, quod traheret Damian. omnia; sed Iudas, & latro nihil sunt. Dam. lib. 5. epist. 13. *Ipsa enim ad se Iudam proditorem traxit, non sibi latronem impium sociauit: sed omnia, id est, omnes duntaxat electos, ad proprij contubernij culmen erexit.* Tunc censentur omnia tracta, cum Iesu amatores trahuntur; reliqui verò nihil sunt.

Text. Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Si cognouissetis me, & Patrem meum vtique cognossetis, & amodo cognoscetis eum, & vidistis eum.

§. X.

A solo Iesu Deum Patrem habemus, ab alijs iudicem.

CIrcumspice omnia siue in cœlo, siue in terra, solus Iesus tibi Deum Patrem insinuat, vtpote filius, cætera omnia non Patrem, sed iudicem ostendunt. Deus enim accessit ad generationem filij, & Pater statim extitit: accessit ad omnium creaturarum generationem, & iudex statim visus est. Quo reuoco sæpiùs datam illam Hebraicam le- Genes. 1. ctionem, ex Gen. 1. ait enim: *In principio creauit Elohim cœlum & terram.* in nomine Eloin communiter agnoscunt expositores iudicem, vindicatorem, vt nulla prodeat a Deo creatura, quin tibi iudicem, & iniquitatum nostrarum vindicem non insinuet. Quid plura? Nulla creatura est, quæ te iudici non sistat; quæ apud Deum iudicem accusatoris non fungatur Ecclesiast. 1. officio. Eccl. c. 1. *Generatio præterit, generatio aduenit, terra autem in perpetuum stat.* Expende illud, quod terra stat, stat equidem, vt fortissimus accusator iniquitatum nostrarum. Olymp. stat nos apud iudicem accusans, & conuincens. Sic Olympiod. ibi: *Terra quidem in perpetuum stat accusatrix vestri effecta, in qua nefaria opera perpetrastis.* Nec sola terra, sed cum terra vniuersæ aliæ creaturæ, quæ sunt in cœlo, & quæ sub cœlo sunt. Habes apud Luc. c. 16. *Homo quidam erat diues, & habebat villicum, & hic diffamatus est apud eum, &c.* Ecce tibi apud diuitem rerum omnium dominum, miser homo temporalium bonorum administrator infamatur, quasi amissæ substantiæ, imò dilapidatæ reus. Expende, quod ait, *diffamatus est*; vbi fama loquitur, non vnus, aut alius loquitur; sed vniuersi censentur eadem verba facere. Ideo accusatio hominis apud Deum per famam dicitur facta, ne qua censeatur esse creatura, quæ hominis gesta apud seuerissimum Chrysol. iudicem non loquatur. Ait Chrysol. serm. 12. *Clamabat terra, clamabat cœlum; dolebant Angeli, quando tam tota sæculi fama loquebatur.* Nulla in cœlo, vel in terra creatura est, quæ peccatorem hominem iudici non sistat; quæ nos in iudicem Deum non faciat spectare. Quæ creatura hominibus aut gratior, aut vtilior, quã sol? Sanè ea insensibilibus creaturis nullam habet homo magis salutarem sibi, in cuius Num. 24. aspectu magis gaudeat. Attamen Numer. 24. cùm peccaret populus contra Dominum, ait Dominus ad Moysem: *Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra solem.* Iubentur miseri peccatores sic suspendi, vt ipsis morientibus sit sol ob oculos; cur sol morientium oculis opponitur? An vt ipsi in gratissimo sibi illo astro meliorem spem concipiant? An vt sol intrantibus tenebras mortis viam aliquam ostendat salutis? Absit; sed sol peccantium oculis opponitur, qui illis seuerissimum iudicium proponat. Deúmque iudicem oculatissimum illis prædicet. Ait D. Cyrill. Alex. de Adoratione Cyrill. in Spiritu, lib. 14. *Ob eam causam occiduntur Deo contra solem, id est, à tribus spirantes ad Orientem versi, tantum non ea figura proclamantes, illum illum iudicem omnia intuentem, neminem, qui huiusmodi culpis irretitus sit, effugere posse, aut impunè ferre.* Quid aliud miser peccator à creaturis expectas, quàm iudicis aduentantis testimonium? Quæcumque creatura sit, ipsi illi, qui tibi videbantur soles, quorum pulchritudine viuebas, vbi morienti tibi occurrant, vnum iudicem testabuntur, seuerumque ab illo supplicium illatum peccatoribus. Nil aliud licebit tibi aspicere à creaturis, vnus Iesus est, per quem iudicem fugias, & ad patrem habeas introitum. Per vnum Iesum ob oculos positum in Deo non iudicem, sed patrem experieris benignum, & mansuetum: vt Ephes. 2. dicat Paulus ad Ephes. cap. 2. *Et veniens Iesus euangelizauit pacem vobis, qui longè fuistis, & pacem ijs, qui propè, quoniam per ipsum habemus accessum ambo in vno spiritu ad Patrem.* Dum cætera omnia adiuit, ad iudicem vocamur, nihil non ad iudicium seuerum pertinens attingere possumus: dum venit Iesus, statim patrem suggerit, ad illúmque pandit introitum. Apud Exod. c. 3. pascebat Moyses oues soceri sui: Exod. 3. *Apparuítque ei Dominus in flamma ignis, de medio rubi, & videbat, quòd rubus arderet, & non combureretur.* Proh miraculum! Sic se diuina flamma attemperabat, vt virorem rubi foueret, aleret. Rem cupit Moyses propiùs videre, sed vix accedere parat, & audit prohibentem vocem. *Ne appropies, inquit, huc.* Cur Moyses non appropiet? Cur propiùs non videat, & cognoscat rem tantam? Cyril. Alex. lib. 2. de Ado- Cyrill. ratione, ait: *Cohibetur Moyses, ne accedat ad Deum: ne appropiet, inquit, huc; nec illa ex Moysi lege veniendi ratio eam facultatem habebat, qua satis admotum esset, vt homines ad Deum produceret posset. Christianus enim ans illi exhibet.* Itaque Moyses prohibetur ad Deum accedere, quia talis accessus per solum Christianum patet. Sed componite modò hoc cum illo, quod accidit Exod. 20. vbi sic: *Cunctus autem populus* Exod. 20. *videbat voces, & lampades, & sonitum buccinæ, montémque fumantem, & perterriti, ac pauore concussi steterunt procul, dicentes Moysi: Loquere tu nobis, & audiemus. Non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur. Et ait Moyses ad populum. Nolite timere. Vt enim probaret vos, venit Deus, & vt terror illius esset in vobis, & non peccaretis. Stetitque populus de longè: Moyses autem accessit ad caliginem, in qua erat Deus.* Compone modò vtrumque locum: hic accedit Moyses ad caliginem, in qua erat Deus, nec illi impeditur accessus, ibi accedere cupit ad ignem, in quo erat Deus, & cohibetur diuina voce, illique negatur omninò accessus. Cur illi negatur Moysi accessus ad Deum, vt reseruetur Christo, hic autem liberum est Moysi ad Deum accedere? Hic res erat iudicis plena timoris, vbi & fulmina, & tonitruus, & buccinæ, sonitus, & nubes, venientis iudicis, & iniquitatum vltoris repræsentabant rigorem. Seueri autẽ iudices portæ patentissimæ sunt, nullique vel reo, vel accusatori non patet introitus. At ibi res benignissimi parentis agebatur, adeò vt ignea Dei natura sic mansuesceret, vt nec rubo senticoso damnum afferret, quin potius & foliorum, & herbarum foueret virorem: tantam igitur Dei parentis benignitatem videre, & prædicare, non permittitur Moysi, sed Christo reseruatur, qui solus Deum ostendit mansuetissimum patrem peccatoribus. Et quidẽ de apparitione Dei in rubo locutus Lyppom. ibi ait. Lyppom. *Damnosa, & spinosa diuersa manebat, quasi ab igne potius custodiretur. Ea autem forma Deus amicis suis apparet, &c.* Quando rubus Deum in igne altorem, & nutriorem repræsentabat, in animo, & paternali forma meritò prohibetur accessus Moysi, quia ad Patrem Deum nemo accedit, nisi per Christum: nisi qui Christum in se prætenderit. Hæc Moysi contigerunt cum Deo, sed quotidie ipse auidior Deum patrem ex facie cognoscendi, id summis precibus à Deo contendebat, aiens, *ostende mihi faciem tuam.* Cui Deus Exod. 33. *Videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.* Cur Deus Exod. 33. non faciem, sed posteriora, sed dorsum ostendit Moysi? Quia Deus nunquam faciem suam ostendit ei, qui non habet Christum, imò illi vt modo, & turpi à tergo venit. Rem explicat exemplum filiorum Noe, qui cauentes patris nuditatem, & turpidinem, sumpto palleo à tergo accedunt, nec antè ei faciem ostendunt, quàm pallio coopertum sensere. Sic modò ad eos, qui Christi stola nudati sunt, à tergo venit Deus pater, cauens eorum nuditatem videre. Ad hæc D. Machar. homilia 20. *Filij Noe videntes nudatum pa-* Machar. *trem, facies suas auerterunt, ne nudum patris corpus aspicerent, & retrò gradientes operuerunt eum, & sic vultum suum seruat. Ita Deus auersatur animas non ornatas indumento sancti Spiritus, eos, inquam, qui non induunt Dominum Iesum Christum in virtute, & veritate.* Non expectet faciem Patris videre, qui in virtute, & veritate Iesum non ostendit sibi adhærentem. Moyses, & lex Iesum habebant non in veritate, sed in vmbra, & figura, & ideo solùm à tergo Deum patrem attingere valuerunt. Solus enim Iesus nouit Patris conspectum: hinc cùm in gloria esset transfigurationis, secum ex veteribus admisit Moysem, & Eliam, cum quibus verba faciebat. Sed vbi Patris vox intonuit, & Elias, & Moyses disparuere, solus Iesus mansit in Patris conspectu. Rem attigit Marc. Marc. 9. c. 9. *Et venit vox de nube, dicens: Hic est filius meus charissimus, audite illum. Et statim circumspicientes neminem amplius viderunt, nisi Iesum tantùm.* Cur modò solus Iesus? Cur nõ etiam Moyses, & Elias? Vox Patris intonabat, & vbi pater, solus Iesus poterat esse. Chrysost. homil. 10. in præsenti ait:

Dum

Dum loquitur Pater, illi subtrahuntur duo; qui solus ad Patrem nobis præbet accessum.

Text. Dicit ei Philippus: Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.

§. XI.

Nulla quies dari potest, vbi homo non cum Patre, sed cum alijs dominis agit.

MEritò Philippus in hoc solùm quiescit, quòd Patrem sentiat; quem vbi senserit, de reliquo nulla solicitudo, nullus gemitus, nulla tristitia, & anxietas esse poterit. Et quidem tunc solùm perfecta quies, & absolutio omnium laborum tam in cœlo, quàm in terra haberi potest, cùm homo Patrem cœperit præsentire, dominorum seruitutem
Rom.8. exuens. Aiebat Paul. ad Rom. 8. *Scimus enim, quòd omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc. Non solùm autem illa, sed & nos ipsi primitias spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri.* Ecce tibi omnis creatura & Angelica, & humana, & ipsi Apostoli ob hoc vnum gemunt, hoc multis curis, & doloribus perquirunt, vt homo exuat seruitutem, dominorum duritiei renuntiet, & cum cœlesti Patre habeatur filius. Quid plura? *Sed & ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Non solùm Angelica, & humana creatura, sed & ipse Dei spiritus quasi sub gemitibus apparet, dum homo seruit, dum homo, exclusa dominorum seruitute, non fit filius, & Patrem Deum experitur. Vix enim intelligi potest vel in Deo quies, dum homo seruus stat, nondúmque residet in patris sinu. Totum diem sextum complevit Dominus hominem condens, & perficiens visibilium regem, & statim accedens ad septimum diem,
Genes.2. ait textus Genes. 2. *Requieuit Deus die septimo ab omni opere, quod patrarat.* Iam non labor in Deo, iam non solicitudo, sed perfecta quies inuenitur; cur iam perfecta quies?
Anselm. Rem pulchrè attingens D. Anselm. ait in cap. 4. epistol. ad Hebr. *Numquam ab opere nouo cessauit Deus; donec homo factus est, sed eo facto requieuit ab omni opere; per quod designauit, quia nullam aliam creaturam post hominem facturus erat, cui homo subderetur, & ad cuius seruitium homo crearetur.* Expende, quid secundùm Anselmum designauit Dominica quies; quòd homo perfectus erat, nulli alij subdendus, nullius alterius creaturæ seruitium subiturus. Tunc solùm vel in Deo quies intelligitur, cùm homo apparet à seruitute liber summi regis, & parentis filius, nec aliter esset quies siue in cœlo, siue in terra; cum seruo enim homine omnia seruiunt, omnia laborant, & Deus ipse, quando-
Isai.43. quidem dicebat per Isaiam 43. *Seruire me fecisti in peccatis tuis: præbuisti mihi laborem, iniquitatibus tuis.* Proh Dei bonitatem! Heu miserum hominis seruitium! Dum te homo seruituti tradis, dum seruus stas ante aliquem Dominum, nec tibi, nec mundo, nec Deo ipsi deficit solicitudo, deficit gemitus, & tristitia: ad quæ depellenda vnum sufficit, quòd exuas seruum, & filium induas, non dominos, sed patrem incipias præsentire. Propone tibi ob oculos prodigum illum adhærentem vni ciuium, nec cibum recipientem pro pecoris pasti seruitio. Quis eius miseriam exprimat, dum pascit porcos? Sed ad se reuersus seruitutem do-
Luc.15. lens suam, hæc mente voluere cœpit Luc. 15. *Surgam, & ibo ad Patrem meum.* Hoc intra se dixit, patrem vel nominans labiis gustauit, & ecce pater, & ecce serui, & ecce stola prima, & ecce vitulus saginatus, & ecce opiparum
Chrysost. conuiuium. Pulchrè D. Chrysostom. homil. 10. in epist. ad Roman. ait. *Postquam enim dixit, reuertar ad patrem meum: verbum hoc, illi bona omnia attulit.* Hoc vnum egit, dominorum tyrannidem fugiens patrem gustauit, & hoc illi sufficit ad quietem, sufficit ad delicias. Vnde meritò
Psal.99. Psalm. 99. *Iubilate Deo omnis terra, seruite Domino in lætitia. Intrate in conspectu eius in exultatione. Scitote quoniam Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos.* Absit labor, solicitudo, tristitia à cordibus nostris, succedat iubilum, lætitia, exultatio, nihil quod ad gaudium non faciat, requiritur. Sed vnde tanta suppetet copia gaudiorum? *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos.* Eo ipso quòd abiecto seruili spiritu Deum factorem tuum habeas, & non seruus creaturarum, sed filius sis tanti genitoris, nil tibi deficit,
Chrysol. quod gaudium præstare possit. Ad hæc Chrysolog. serm. 6. ait. *Erat homo peccati seruus, erat captiuus mortis, erat mancipium dæmonum, erat idolorum vernula. Sic malis dominis talibus, miseram exhibebat seruitutem. Et ideo homo dabat extrema suspiria, quando tales, tam crudeles dominos sustinebat. Propheta ergo videns nos à talibus liberatos, & reuocatos, ad obsequium creatoris, ad patrem gratiam missio exclamat: Seruite Domino in lætitia, intrate in conspectu eius in exultatione.* Nulla potest deficere lætitia, vbi allata tyrannide dominorum, iam pater sonat in ore liberorum; dum dominos pateris, nil lætum videre poteris; exue dominos, patrem habe, nihil enim deficit filio apud genitorem.

§. XII.

Si quid in Deo paternum non experiretur homo, periret, nec videret diem bonum.

PHilippus Deum sibi patrem ostendi petit, non quasi quid superabundans, sed quasi quid tantùm sufficiens ad vitam obtinendam postulans. Quid sufficeret vitam obtinere, nisi in Deo paternum experiretur amorem? Tolle à Deo quod paternum habet, & insufficientia sunt omnia, vt homo viuere possit. Reuersus in se fuerat ille prodigus, & veniam petiturus currebat; mente tractans perditionis suæ confessionem, humilémque conficiens orationem Luc. 15. Quid Luc.15.
tunc? *Cùm autem adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius.* Cur non magis appropinquat? Cur non sinitur accedere propiùs? Cur adeò celer pater cœlestis suæ misericordiæ in illum coniicit oculos? Ait Chrysolog. serm. 3. *Nisi ergo cœlestis pater redeuntis filij radiasset in vultu, & totam confusionis caliginem respectu sui luminis sustulisset, nunquam diuini vultus vidisset iste filius claritatem.* Chrysol.
Quàm vani essent miselli hominis vniuersi conatus, nisi præsentiretur in illo aliquid profectum à cœlesti patre! Non esset in cœlestibus pater, qui accurrat redeuntibus, & vniuersa hominum remedia frustrantur. Aiebat Ioann. 1. epist. 2. *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum.* Disertissimum, & validissimum peccatoribus proponit aduocatum Ioann.1.
Iesum, aduocatum, inquam, potentem opere, & sermone, sed nilominus non dicit nos habere illum aduocatum apud iudicem, sed apud patrem. Cur apud patrem, & non magis apud iudicem? Equidem nisi in Deo aliquid esset paternum, nec tantus aduocatus, nec tot disertissima vulnerum in Iesu ora salutem consequerentur humanam. Totus Iesu sanguis effusus pro nobis fletit, sed etsi validissimus, & omnipotens, nihil conficeret apud diuinum iudicem, qui nihil patris habuisset; ideo autem perfecit humanam redemptionem, quia Deum Patrem inuenit, qui nouit vel tantisper dissimulare iudicem. Hinc sapienter D. Ambros. in prooemio in D. Lucam ex eo, quòd videt Iesum efficacem hominum redemptorem, credit in Deo paternam præextitisse naturam. Quippe ait: *Credimus illam naturalem patrem, qui nobis genuit redemptorem.* Ambros.
Pater, qui est in Deo, facit, quòd non frustrentur media salutis humanæ, quòd homo peccatis transfossus, & humi abiectus possit bonum redemptionis odorem halare. Id quod innuebat sponsa Cantic. 1. Cant.1.
Cùm esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Expende vnde simus odor vitæ in vitam, nimirum, ex eo quòd Rex esset non in tribunali, sed in accubitu suo. Quo in accubitu? Ioann. explicat cap. 1. aiens: *Vnigenitus qui est in sinu Patris.* Ioann.1.
Ex quo Iesus noster in sinu assidet patris, nullus homo est, etsi herba, aut fœno humilior, & abiectior, qui non audeat in salutem aspirare. Pulchrè alibi datus D. Bernard. serm. 42. in Cant. *Accubitus regis sinus est patris. Merito clamor humilium ascendit ad eum, cui fons pietatis est mansio, cui ideo totum quod est, de patre est, vt nihil prorsus in regia maiestate nisi paternum humilium trepidatio suspicetur.* Bernard.
Miser homo periret, nisi paternum quid sentiret in Deo: inde audet in vitam, quia eius in vultu Pater diuinus radiat, totúmque in diuina maiestate paternum suspicatur. Ioan. 1. ait. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre.* Ioann.1.
Periculum magnum erat in videnda Dei gloria; scrutator enim maiestatis opprimetur à gloria, & Deum nemo videt, & viuit. Vnde modò valuit Ioannes sic de visa Dei gloria gloriari? Ipse ait: *Vidimus gloriam quasi vnigeniti à Patre.* Vbi paterni quid resplenduit, nullum periculum inualuit. D. Bernard. serm. 61. in Cant. ait. *Totum benignum, & paternum, quod apparuit gloriæ in hac parte. Non me opprimet gloria ista totis licèt viribus intendentem in se: ego potiùs imprimar illi. Etenim reuelata facie speculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem.* Bernard.
Sic quod in Deo paternum est, proficit hominibus. De hoc etiam suprà egimus lib. cap. 9. §. 5.

§. XIII.

De Iesu venit quòd Deum præsentiamus patrem.

SApienter Philippus à Iesu petit, quòd ostendat nobis patrem; vnus enim Iesus est, qui potuit facere vt Deum in nobis præsentiremus patrem. Habacuc c.3. iuxta Septuagint. lectionem ait: *Custodiui, & expectauit venter meus, à voce orationis labiorum meorum.* Ad orationem accessit Propheta, & vix labia incepit mouere orans Patrem Deum, & totus tremit, & pauore repletur. Cur sic in primo orationis verbo afficitur? Illud Dei verbum, filius patris, qui assimilabatur in manu omnium Prophetarum, in corde huius Prophetæ orantis residens illum rapiebat ad cœlestem patrem, quo ipse tanti hospitis vim sentiens pertimescebat. Quippe ait D. Chrysol. ser. 68. *Si intellectus cordis infuderat ori vocem, labijs dederat verba, cur ex hoc, quod est exoraturus, expauit? Quia non suggestione sui cordis, sed diuini spiritus loquebatur afflatu. Audi Paulum dicentem: Misit Deus spiritum fily sui in corda clamantem, Abba Pater.* Patrem orabat Propheta, & vt oraret Patrem, à filij Dei spiritu in se inhabitãte profectum sentiebat, ideóque turbatur, videns se ferri non in sua, sed in filij Dei verba, de cuius sola suggestione venit, quòd homo carneus præsentiat Deum patrem. Non enim ab alio, quàm à filij Dei Spiritu venire potest, quòd Patrem cœlestem nobis præsentiamus. Nec ociosè dixit Paulus illud ad Galat. 4. *Misit Deus spiritum fily sui in corda nostra clamantem, Abba Pater.* Quasi vnus filius ostensionem faceret eius, quem in cœlis habemus Patris. Sic etiam apud Matth. 11. aiebat ipse: *Nec Patrem quis nouit, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Nec cui liceat aliquid in Deo paternum spectare, nisi filij Dei spiritus præcedat, qui Deum nobis faciat esse in patrem benignum condonatorem iniquitatum. Exod. 24. *Erat autem species gloriæ Domini quasi ignis ardens super verticem montis in conspectu filiorum Israel.* Ecce vobis quid Israëlitæ in Deo conspiciant, nimirum ardentem, & vorantem, omniáque replentem sterilitate. Iesus autem igneam illam sterilitatem Dei, in teporem fœcundissimum conuersam ostendit, quo foueamur. D. Cyrill. Alexand. lib. 9. in Ioann. capit. 38. fatur. *Prisci Deum in specie ignis viderunt, & vocem audierunt, nos multo verius in Iesu, & per Iesum patrem vidimus.* Iesus fecit, quòd Deum non ignem sterilem, sed sentiremus amabilem patrem. Hinc Iesus iam animam agens in cruce aiebat Luc. 23. *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Cur ô bone Iesu, commendas spiritum tuum in manus Patris? Nónne spiritum tuum paternus expectat thronus? Nónne regiam sedem occupabit, in qua considebit cum Patre, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum? Cur immemor throni, spiritum tuum das Patri in manibus? Vt positus Iesu spiritus in diuinis manibus, illas paternas adeò reddat in homines, vt inde statim manent remissionum dona, & operimenta iniquitatum nostrarum. Adhæc Rupert. lib. 2. de operibus Spiritus sancti, lib. 1. de Sap. cap. 19. ait. *Certus dixit: Pater in manus tuas commendo spiritum meum, certus, inquam, & securus, quòd commendatum suum cum grandi esset lucro citò recepturus, sicut & factum est. Nam quia sic tradidit spiritum suum, ecce omnibus filijs regenerationis suæ acquisiuit paracletum Spiritum sanctum. Aliàs autem nisi spiritum suum hic homo traddidisset, spiritus paracletus, in eo ipso quòd paracletus est, scilicet in danda remissionem peccatorum, non veniret.* Ecce tibi, quid fecit Iesu spiritus præmissus in Dei manus, nimirum, sic illas paternas reddidit, vt statim ab illis dona remissionum manarent. Et scire cupis, cur hoc præstitit vnus Dei filij spiritus? Cur vel alius non possit Deum nobis facere, & ostendere Patrem? Chrysost. ait serm. 2. *Apud Patrem non intercedit extraneus, intus est in patris pectore, ipse qui interuenit.* Eò ipso quòd extraneus fuisset à Patre, non potuisset tantum ad homines trahere Patrem; vnde ait Ioann. 1. *Vnigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.*

Margin: Habac. 3. — Chrysol. — Galat. 4. — Matth. 11. — Exod. 24. — Cyrill. — Luc. 23. — Rupert. — Chrysost. — Ioann. 1.

Text. Dicit ei Iesus: Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me? Philippe, qui vidit me, videt & Patrem; quomodo tu dicis: Ostẽde nobis Patrem? Non credis, quia ego in Patre, & Pater in me est? Verba quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera. Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite.

§. XIV.

Quidquid paternum est, in Iesu est.

QVisquis Patrem nescit, videat Iesum, in illo nihil desiderare poterit paternum. Pulchrè Tertull. lib. aduersùs Praxeam de Iesu fatur; *Vicarium se patris ostendit, per quem pater & videretur in factis, & audiretur in verbis, & cognosceretur in filio, facta & verba patris administrante.* Quidquid paternum est, & benignitate plenum, in Iesu luce clariùs effulget. Iesus inter peccatores agens repræsentabatur quondam Moysi Exod. 3. vt concors est Patrum sentẽtia, ait enim ibi: *Apparuítque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat, quòd rubus arderet, & non combureretur.* Quid est quòd rubus mala planta, & spinosa, & senticosa inter flammantem apparet ignem, nec ignis vllum illi malum affert, quin potiùs rubum splẽdere facit? Qualis flamma hæc adeò suauis, vt vel spinosas arbores vrere nesciat, sciat illustrare. D. Cyrill. Alex. citatus in Cat. Lyppom ait: *Habitauit etiam in nobis Verbum Patris, non pœnas exigens, sed summa benignitate refulgens.* Iam inde exprimebatur Verbum diuinum, Iesus meus quàm paternè se gereret inter peccatores, in quo luce clarior fulgebat Patris benignitas neminem lædens, vniuersos in spem salutis alens. Quid paternum magis? Propone tibi ob oculos Iesu opera, nulla inuenies, quæ amantissimi, & potentissimi patris non referant potestatem. Eleganter D. Ambros. in procemio Euangel. D. Luc. aliqua perstringens ait: *In operibus Iesus videtur, in operibus fily patris cernitur. Vidit Iesum, qui Galilæum illud mysterium vidit, quòd nemo posset, nisi mundi Dominus elementa conuertere; video Iesum, quando lego, quia cæco liniuit oculos luto, & reddidit visum. Ipsum enim recognosco, qui de luto fecit hominem, & videndi spiritum, videndi lumen infudit. Video Iesum quando peccata condonat. Nemo potest peccata dimittere nisi solus Deus,* &c. Quis hæc videns, & notans non paternum aliquem, & in bonitate ditissimum, & in virtute potentissimum in Iesu inhabitare colligeret? Sic se paterno spiritui conformare missus est meus Iesus, vt nihil assumeret, quod diuinissimi parentis manus non possit nobis ob oculos constituere. Hominem assumpsit, & qualem hominem? Paulus ait: *Semen Abrahæ apprehendit.* semen dixit, vt traducem humani generis indigitet, nec aliam naturam monstret assumptam quàm eã, quæ à primo homine per generationem deducitur. Quo posito grauis excitatur quæstio à D. Irenæo, cur filius Dei assumpserit naturam humanam à primo Adamo factam? Cur magis aliquam aliam nouam aliunde sibi non effinxit? Vt diuinum cadauer elegit sibi monumentum nouum, in quo quiesceret, cur filius Dei non elegit sibi naturam hominis nouam, quæ nihil veteris Adami haberet? Sanè primus homo à terra fuerat effectus Dei Patris manibus, vt innuit illud Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Filius ergo Dei naturam hominis assumpturus, eam assumpsit, in qua Dei Patris manus impressæ assisterent: sic in omnibus Patrem exhibere nititur. Ita Irenæus libro 5. inquit: *Habuit ergo & ipse carnem, & sanguinem, non alteram quandam, sed illam principalem Patris plasmationem in se recapitulans.* Nil filio placere potuisset, nisi illud in quo parentis sui manus exprimeret. Sed assumpsit mortem; an Patrem in morte potuit exprimere? D. Bernard. serm. 5. de Verbis Isaiæ fatur. *Dicere ne audebimus, quòd aliquando fuerit etiam sine Patre? Nemo id præsumeret, si non prior ipse dixisset: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Quasi quædam ibi derelictio fuit, vbi nulla fuit in tanta necessitate exhibitio virtutis, nulla ostensio maiestatis. Habemus itaque Christum ex patre nascentem, in patre cubantem: cum patre sedentem, pro patre stantem, sub patre pendentem, sine Patre quodammodo morientem.* Itaque putat Bernard. in morte Christi quodammodo fuisse Patrem occultantem, nec ibi apparuisse. Sed satiùs ipse Christus dum animam agit, inuocat præsentissimum, & manus excedentem Patrem, cùm ait. *Pater in manus tuas commendo spiritum meum,* quasi nunquam patentiores fuerint paternæ manus, quàm vbi filius pro peccatoribus sese morti tradidit. Quod opus magis paternum? Quo opere apertiùs patuit Dei parentis animus in filios? Apud Lucam 15. dum prodigus filius reuertitur, dicitur: *Cùm autem esset longè, vidit illum pater suus, & misericordia motus est, & accurrit.* Ecce tibi cœlestem Patrem accurrentem filio adhuc longè existenti. Sed quando

Margin: Tertull. — Ambros. — Genes. 1. — Irenæus. — Luc. 15.

visus

Chrysol. visus est Pater accurrere filio sic longè stanti? Chrysolog. serm.5. *Pater occurrit, & occurrit longè. Cùm adhuc impij essemus, Christus pro nobis mortuus est. Occurrit Pater, occurrit in filio.* Et quidem nunquam clarius visus est Pater accurrisse filiis, quàm vbi Christus mortuus est, nullum opus magis paternum, in nullo se magis exhibuit Iesus Filius tanti Patris, cuius amorem in homines tot ora tunc prædicabant, quot vulnera videbantur. Insuper quòd Iesu opera Patrem referant, dictum est suprà lib.3.cap.3.§.5.

§. XV.

Præstantes apud Monarchas viri electa vitæ indolem ipsius frontis indicio faciant patere.

QValis sit Iesus summi parentis & filius, & minister, pulcrè ostenditur, dum non solùm vocantur in testes verborum eius auditores, sed & faciei inspectores. Ait enim, *qui videt me.* & rursus ait: *verba quæ ego loquor*, &c. Quasi oculis, & auribus aliorum se committat, qui testentur, quantus ipse debeat esse apud summum parentem, & moderatorem rerum. Hanc ebibant doctrinam qui Monarcharum obsequiis sunt in pretio, si faciei vultum componat, sic honestent, vt qui viderent, vel frontis indicio, quàm bona eorum sit vita, quàm summo Principe digna, habeant perspectum. Cassiod. Cassiodor. lib. 8. variar. 14. sic de præstantissimo quæstore verba facit. *Assuit mandatis regalibus eloquens, & decorus ornator, permulcens etiam inspectus, quos gratissimos reddebat auditus. Tales enim decet esse aulicos viros, vt naturæ bona indicio frontis aperiant, & possint agnosci de moribus, cùm videntur. Tacens enim plerumque despicabilis est, si eum tantum lingua nobilitat, semper autem in honore manet, si cuius est tranquillus animus, eum quoque serenissimus commendet aspectus.* Quid pulchrius dici potuit? Si totus hominis honor vel verbis nitatur, vel etiam factis, potest contingere, vt tacens, & quiescens despicabilis appareat quis, nec enim semper loquendum, nec operandum est. Vnde in præstantissimis viris, qui summis sunt Monarchis in pretio, frontis etiam compositio requiritur, vt naturæ bona frontis indicio aperiant, & agnoscantur de moribus, cùm videntur. De Moyse qui Pharaoni adoptatus in filium fuit, & in saluatorem populi à Deo electus, ait Paulus ad Hebræos 11. Hebr.11. *Fide Moyses natus occultatus est mensibus tribus à parentibus suis, eo quòd vidissent elegantem infantem, & non timuerunt regis edictum.* Edictum regis vrgebat, vt recens nati Hebræorum pueri traderentur, sub hoc edicto natus est Moyses, qui tribus mensibus parricidium euasit, parentibus omnem metum regij edicti auferens: firmans in illis virtutum suarum fidem apud Deum, & apud regem. Sed vnde infans recens natus, potuit fidem facere tantarum virtutum? Expende illud, *eo quòd vidissent elegantem infantem.* Eam frontis elegantiam, & compositionem præ se tulit, vt naturæ, imò gratiæ bona indicio frontis aperiret, Anselm. & posset agnosci de moribus, cùm visus fuit. Anselmus ibi: *Moyses occultatus est fide parentum, quia videbant elegantem paruulum. Credebant enim Deum facturum aliquid magnum per eum, cùm esset adeò elegantis formæ. Quoniam ab ortu suis illi infusa magna gratia venustatis.* Et quidem serenissimus pueruli aspectus popularibus suis amicas vndas maris præsignabat, orisque compositio non solùm à natura, sed & dono Dei magnarum virtutum specimen dabat, & fidem faciebat infantem & Deo, & regibus, & mundo futurum Nazianz. gratum. Quàm aliter Nazianzenus coniecturam faciebat in Imperatorum fratre Iuliano, de quo ait orat. 4. *Me morum ac gestus ipsius inæquabilitas, atque ingens quædam mentis emotio vatem efficiebat, siquidem vates ille optimus est, qui rectè coniicere nouit. Nec enim mihi boni quicquam significare videbatur, ceruix minimè firma, humeri quos subinde agitabat, & attollebat, oculus vagus, & aberrans, furiosum quiddam intuens, pedes instabiles, & titubantes, nasus contumeliam spirans, vultus lineamenta ridicula idem significantia, risus proterui, & exæstuantes, nutus, & renutus omni ratione carentes. Quid singula describere necessum est? Talem ante opera conspicatus sum, qualem in operibus postea cognoui?* In huiusmodi Principe vidit Nazianz. & Romani orbis perniciem, & Dei hostem infensissimum. Ille ad principatum bonus, & aptus ad mundi salutem, cuius frons bonam aperit naturam, & ea est, qua facilè quis possit cognosci de moribus, si videatur. De hac externa vultus compositione etiam dixi lib.10.cap.10.§.5.

Text. Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet: quia ego ad Patrem vado.

§. XVI.

Parentum præstantia ostenditur in filio, in quo virtutes illorum semper augentur.

ECce aliud argumentum, quo conuincit Iesus diuinissimum Patrem in se ostendi, quia nimirum non solùm ipse Patris opera efficiebat, sed & dabat operam, vt per suos alumnos fiant semper maiora. Sanè hæc solus ille filius præstat, qui præstantissimo parenti correspondet: in quo radiat illustrium honos natalium. Cassiod.lib.8.var.20.sic admonet nouitium vrbis Præfectum: Cassiod. *Illi fortè mala gesserunt, qui ad dignitates sua parentibus incognitas peruenerunt, tu post patris præfecturam laudabilem, aliquid, quod melius prædicetur, adiunge: quia diligentior semper esse debet, qui sequitur, dum bona parentum probabiliter & imitari cupimus, & vincere festinamus.* Quid sapientius? Nunquam non parentum dignitates faciunt filios haud degeneres, ad maiora maioribus meritis anhelare. In eo parentum dignitas, & præstantia euidenter ostenditur, quòd filius maiorum semper virtutes adaugeat, & maiora lumina, suis facinoribus, parentum nomini addat. In cœlum quondam rapiebatur Elias, 4. Reg.2. post 4.Reg.2. hunc Elisæus clamat: *Pater mi, Pater mi, currus Israel, & auriga eius.* Nunquam aliàs auditur Elias Elisæi pater vocatus; modò cùm in eius conspectu rapitur in cœlum, semel, & bis pater vocatur, & repetito honore illustratur. Cur modò hoc parentis nomen adeò in Elia claret, quòd repetitis insonet vocabulis? Modò Elisæus videns Eliam in cœlum rapi, iam in se præsentiebat duplicem parentis spiritum hæreditatum, quo ad duplo maiora facinora præstanda parabatur: ideo extollit Eliam paterno vocabulo. Nunquã enim euidentiùs patris dignitas ostenditur, nec geminato honore clarius apparet pater, quàm vbi eius facinora filius duplicantur. Ad hæc aiebat Drog. Host.lib.de Sacram.Pass. *Duplex* Drogo. *filij spiritus, duplo clamabat.* Quasi non possit non duplo magis ostendi dignitas patris, vbi filius ad duplicanda facinora parabatur. Hinc D.Ambrof. ser.76. extollebat Eliæ præstantiam, fatus: Ambrof. *Igitur Elias, cùm simplicem sanctitatis ipse haberet spiritum, Elisæo duplicem dereliquit. Minimum ergo in modum plus Elias gratiæ dimisit in terris, quàm secum portauit ad cœlum: & licèt ipse ad altiora totus transfertur corpore; apud filium tamen maiore manet sanctitate.* Expende ab illis, *apud filium maiore manet*, &c. quippe vbi maior in filio virtutum exhibitio datur, ibi patris dignitas clarior manet, & illustrior vulgatur. Adest Dauid coram Saul aduersùs Philisthæum proditurus 1.Reg.17.& vt suæ specimen fortitudinis daret, ait, 1.Reg.17. *Pascebat seruus tuus patris sui gregem, veniebat leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos.* &c. Patrem suum meminit Dauid; nec tamen nominat patrem, sed nec est in aula, qui cupiat nosse patrem eius, nec de illo interroget. Quid tunc? Exiit nobilis adolescens in arenam, non horret inermis puer hostem armatum, imò primo fundæ rotatu, immanem illam belluam prosternit. Proh immortale facinus adolescentis! Stupet exercitus victorem puerum, rex totus mirabundus, redeuntem cum hostis capite excipit, nihil cunctatus, interrogat: *De qua progenie es,* Ibidem. *ò adolescens? Dixitque Dauid: Filius serui tui Isai Bethleemitæ ego sum.* Quem ante sine nomine patrem meminerat Dauid, de quo nemo interrogarat, nec scire cupiebat, ecce modò in medio profertur, ecce rex ipse cupit scire patrem, cupit noscere nomen eius, & Dauid sine mora nomen patris sui, sed & patriam profert. Cur rex audiens Dauidem fuisse patris sui pastorem, non interrogat de patre, & modò quando nihil de patre audit, tam anxiè interrogat, quis sit Dauidis pater, quæ eius progenies? Cùm audit Dauidem gregis paterni pastorem esse, parem illum putauit patri suo in arte, & ingenio: verùm vbi in Dauide tale facinus vidit, quo non solùm nobilis ciuis familia, sed & regia domo, & omni Israëlitico populo superior Dauid apparebat; tum aliquid magnum incipit sentire de parente eius, tunc patris nomen inquiens facit, quòd tota in regia personet. Nunquam enim gloriosius nomen patris effertur, quàm vbi filij magnalibus videtur excedi. Nec absimile est, quod ipsi Dauidi contigit 2.Reg.c.7. Is gratitudinem suam in Deum cupiens ostendere, cogitauit diuino numini magnificum dedicare templũ. Quid religiosius in Deum? Sed Deus ad Dauidem fatur: 2.Reg.7. *Nunquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum?*

Et post pauca: *Cùm completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius. Ipse ædificauit domum nomini meo, & stabiliam thronum*, &c. Quale est hoc Dei in Dauidem testimonium? Quando ipse Dauid cogitabat de templo faciendo, in quo nomen Dei in orbe sanctificaretur, tunc Deus auertit Dauid à tanto opere, & ostendit feliciorem alium, cui reseruabatur gloria ædificati templi. Suffecisset, ô Deus opt. quòd de manu Dauid non acceptes templum; cur & illi ostendis per quem ædificandum est? Nónne sic magis affligis animum diligentis te, in ostensione æmuli sui, à quo vincatur in ædificatione templi? Affligeretur sanè Dauid, si gloria templi ædificandi alteri daretur, qui non esset filius eius; at quando filius Dauid ædificaturus erat templum, adeò gloriosum est Dauidi habere filium, qui maiora possit, vt Deus in præmium bonæ voluntatis, hoc solum illi notum esse statim voluerit. Post regnum, post victorias, post diuitias multas, hoc solum in terra restabat Dauidi felicitatis, quòd haberet filium, à quo vinci, & superari in magnalibus exhibendis posset. Et ideo hoc etiam illi

Senec. voluit notificare Deus; quò ego retulerim illud Senec lib. 3. de Beneficiis aientis: *Quid tu fortunatius sene, qui omnibus vbique prædicauit à filio sua se beneficijs victum? Quid autem est felicius, quàm ibi cedere?* Numquam gloriosius triumphant parentes, quàm vbi sub filiorũ magnaliis ipsi victi videntur.

§. XVII.

Ille filius solus sese illustribus suis parentibus parem refert, qui illos in aliquo facinore excedere videtur.

Totus est Iesus in ostendenda sua cum Patre æqualitate, quam etiam modò ostendit, ex eo quòd ipse dabit alumnis suis maiora præstare, quàm viderentur esse multa opera paterna. Ille enim solus filius se illustri patri parem omnino prædicet, qui nouit in maiora facinora audere. Sic

Cassiod. monebat Cassiod. lib. 10 var 24. patritiorum filium, aiens: *Non remittas animos sanguine tuorum, nec credas posse sufficere, quòd tibi contingit de illorum prædicatione gaudere. Adde laudes egregias senioribus tuis, sequens ætas cum aliqua optabili nouitate succedat.* Itaque non aliter quis se suis maioribus parem exhibet, nisi egregiæ materiam laudis illis superaddendo, nisi aliquod nouum & illustre facinus peragendo. De Iesu meo

Philip. 2. locutus Paul. ad Philipp. 2. ait: *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu*, &c. Expende vim totius argumenti facientis ad asserendam æqualitatem Iesu filij Dei, cum diuino parente. Non equidem Iesus per rapinam, sed natura ipsa se patri Deo æqualem arbitrabatur. Et vnde ostendebat non per rapinam, sed natura ipsa se Deo parenti æqualem? Semetipsum exinaniuit, formam serui accepit, se humiliauit vsque ad crucis mortem, quibus facinoribus eam exaltationem sibi comparauit, id nomen sibi fecit, quod omne nomen etiam Dei parentis nomen longè excessit. Quando enim Deus agnitus est saluator, & redemptor orbis, nisi in Iesu Domino nostro? Meritò sanè, qui tam egregias laudes parentis addidit, qui tam excelsum, & nouum nomen super paternum nomen Dei sibi fecit, non per rapinam sed natura se Deo æqualem ostendit. Nota fuit vis ar-

Senec. gumenti etiam ethnico; ait enim Senec. lib 3. de beneficiis, probans quòd filij parentes excedant: *Natura gloriosa virtus, & anteire priores cupit.* In quo gloriosorum natura inest, semper nititur maiores superare, vincere patres. Hinc nota mentem Iacobi Patriarchæ in benedicendis filiis suis Ge-

Genes. 49. nes. 49. singulos nomine proprio vocat, nullum tamen vocat filium; sic enim discurrit per singulos: Ruben primogenitus meus: Simeon, & Leui vasa iniquitatis: Iuda te laudabunt fratres: Zabulon in littore maris: Issachar asinus fortis. Dan iudicauit Gad accinctus: Aser pinguis panis: Nephtali ceruus emissus; sic vniuersos vocat, vbi autem post hos accedit ad Ioseph, iam inquit: *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens, decorus aspectu*, &c. Cur hic solus filius? cur huius solus se agnoscit patrem? Ipse ait dum addit, *filius accrescens*. quia enim Ioseph solus, sic vniuersas parentum glorias superauit, vt vel adoraretur à patre, ideo hic solus tanto parenti

Caietan. par filius apparuit. Non longè abest Caietan. in Cat. farns: *Pridè commendat Ioseph de augmento conduplicando, filius accrescens, eo quòd & creuerit sibi, & creuerit domi vniuersæ Iacob.* Solus Ioseph inter fratres filij nomen acquisiuit, parenti æqualem, & condignam ostendit prolem, quia solus patrem, & totam familiam gloria superans auxit. Iam ex hoc vide cur Iesus Dauidis filius à cæcis viris agnosceretur: dicebat cæcus Luc. 18. *Iesu fili Dauid miserere mei.* Similiter Matth. 8. Luc. 18.
duo cæci clamant: *Miserere nostri fili Dauid.* vnde cæci noscunt Iesum tanto regi parem, vt eius filium audeant illum appellare? Dauidi expugnaturo Sion cæci, quasi superiores exprobrabant, vt habes 2. Reg. 5. modò cæci Iesu humiles prosternuntur; & inde nusquam Iesus cæcis viris euidentius par tanto regi apparet, quàm vbi vidit Iesu subiectos eos, quibus Dauid inferior videbatur. Adhæc Tertull. alio Tertull.
datus lib. 4. in Marc. ait: *Nam si aliquando Dauidem in recuperanda Sione offenderant cæci resistentes; ideo Christus ex diuerso cæco subuenit, vt hinc se ostenderit non esse filium Dauid? Atqui & hoc filius Dauid.* & tunc par filius tanto parenti apparet, cùm sic Dauidem superet, quòd nullam cæcis contradictionem patiatur, imò ab illis extorqueat laudes.

Text. Et quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam: vt glorificetur pater in filio. Siquid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.

§. XVIII.

Nec Deus, nec virtus exaltantur, & glorificantur, vbi opera non sunt.

Meritò ait Iesus: *hoc faciam, vt glorificetur pater in filio*; eam semper Deus glorificationem, & exaltationem acceptam habet, quæ coniuncta est cum factis, cum operibus bonis. Vanè nomen diuinis verborum luminibus extollis, vbi nihil propter illud facis, tunc Deo accepta venit exaltatio nominis, cùm venit pulchris suarum creaturarum innixa factis. Matth. 17. vidit Petrus transfigurati glorias, vidit sole fulgentiorem faciem, & vestes super candorem splendere niualem. Quanta hæc materies ad confingendas Dei laudes? Quot verborum flores illi faciei diuinæ soles alerent? Sed Petrus Christianorum coryphæus, sic incipit diuinas texere laudes: *Bonum est nos hîc esse, si vis faciamus hîc tria tabernacula, tibi vnum*, &c. Præstantiam & bonitatem diuini spectaculi extollit laudibus simplici, & vnico verbo, dicens: *Bonum est*. cur ô bone sic verbis parcis in extollenda gloria tanta? Cur non maiora dicis? Cur flumina non effundis verborum, quæ vel rigare valeat tantum paradisum tibi ob oculos præsentem? Cur tam breuiter laudes absoluens ad tabernacula ædificanda transis? Parcit Petrus verbis, vt faciat, vt operam suam impendat, sciens Dei gloriam non extolli verborum laudibus, sed factis. Pulchrè D. Pa-
schas. lib. 8. in Matth. ait: *Quam sanè gloriam bonam esse, nec laudasse sufficit, sed etiam deuotione præstantior impiger operarius occurrit, & pollicetur communis obsequium, ministerium. Faciamus*, &c. Non satis extollens tantam gloriam, solis laudum verbis insistens, nisi etiam pro illa habenda aliquid laboraret; tunc enim optimus diuinarum gloriarum exaltator cõstituitur, quando simul efficitur impiger operarius. Sic Psal. Paschas.
49. *Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua.* Psal. 49.
In votis reddendis operum exhibitio monstratur; quæ vbi desint, vocis solius laudes euanent. Aiebat Abul. quæst. 5. Abulens.
in cap. 6. Iosue: *Adiunctum fuit, redde Altissimo vota tua; reddere tamen vota ad totalem pertinet exhibitionem: & hæc quidem vera laus est.* Ea vera, & solida laus est, quæ Deo per operum exhibitionem tribuitur, nec nomen Dei aliter exaltatur per vniuersam terram, nec apud nationes glorificatur, nisi dum inter impigros operarios effulget. Apud Apoc. 4. Apoc. 4.
gloriosa Dei sedes apparuit, *& in circuitu sedis quatuor animalia plena oculis antè & retrò: & quatuor animalia singula eorum habebant alas senas. Et requiem non habebant die, ac nocte, dicentes, Sanctus, Sanctus*, &c. His ita constitutis recole modò eandem Dei gloriam, non in sede, sed in curru ostensam Ezechieli cap. 1. similiter ibi iuxta currus rotas Ezech. 1.
erant quatuor animalia, & quidem pennata, quatuor habentia singulas pennas, & totidem brachia; ait enim; *& manus hominis sub pennis eorum quatuor partibus.* sed nec sibilum emittunt hæc animalia. Sanè suprà committitur Dei gloria celebranda vocalissimis animalibus, qui requiem nõ habent die, ac nocte, dicentes, Sanctus, hic committitur gloria Dei animalibus prorsus mutis, nullam emittentibus vocem,

vocem, sed habentibus quatuor brachia. Cur ibi vocalibus committitur gloria Dei, hic non vocalibus, sed brachiatis committitur animalibus? Ibi apparet Dei gloria in sede fixa, in omni exaltatione, quàm haberi potest; hic apparet in curru viam agente per terras, apud quas exaltanda erat gloria Dei, quippè ait: *cùm eleuabantur animalia de terra, eleuabantur pariter rotæ.* Nunquam ergo gloria Dei apud terras exaltanda committitur vocalibus, sed brachiatis animalibus. Quæ regni iam throno adhærent, sonent linguis, & nihil iam, quod agant, habitura, laudatoriis concrepent carminibus: at quæ animalia iugum adhuc currus subeunt, vt gloriam Dei extollant, per vniuersum mundum verbis parcant, brachiis abundent: non enim inter brachiatos, & operarios extollitur in mundo gloria diuina. Quid magnum, quòd ore laudetur Deus, aut virtus? Sane ore ab impiissimis etiam peccatoribus extorquent virtutes laudes suas. Aiebat Moyses Exod 11. ad Pharaonem regem Ægypti: *Eritque clamor magnus in vniuersa terra Ægypti, qualis nec antea fuit, nec postea futurus est. Apud omnes filios Israel, nec mutiet canis ab homine vsque ad pecus: vt sciatis quanto miraculo diuidat Dominus Ægyptum & Israel. Descendéntque omnes serui tui isti ad me, & adorabunt me.* Expende quid sibi promittat Moyses ab ipsis Ægyptiis infensissimis suis hostibus, nimirum quod adorabitur ab illis; cur non expectet hoc Moyses, quando & vniuersi iusti visi, & manifestati ab ipsis reprobis extorquebunt laudes suorum faciorum? Ad hæc Lyppoman in Cat. *Admirabilis sanè est, & illustris creatura homo iustus. Adorabitur enim tempore iudicij, ab omnibus impijs, & collaudabitur forte eius.* Non dubitant impij ore laudare Deum, laudare virtutes: sed quanta hæc laus ad Deum, quæ potest inuenire in ore impiorum? Sola vera laus, quæ Deum magnificat, illa est, quæ in virtutum operibus inuenitur.

Ibidem.
Exod. 11.
Lypp.

§. XIX.

In fide nominis Iesu, nihil non tibi credet omnipotentia diuina, imò vel ipsa credetur tibi.

COgnosce Christiane felicitatem tuam: nomen Iesu habes, sub cuius fide omnia tibi credentur, nil magnum, vel splendidum excogitabis, quod tibi diuina omnipotentia non credat. Sanè Dauid fugitiuus per montes, per terræ cauernas errans hunc vnum exerebat chirographum, in cuius fide, vel salutem extorquebat ab ipsis deploratis periculis. Sic Psalm. 53. *Deus in nomine tuo saluum me fac.* Cinctus vndique hostibus, in cauerna conclusus es, & salutem exposcis? In quot ibi petis parari salutem? In pernici equo? In igneo curru? In ingenti exercitu? Vnde omnia hæc misero, & deplorato homini? Iam dicit ipse, *In nomine tuo*, fidem prodit diuini nominis, & sub tanti nominis fide, promptam inuenit diuinam omnipotentiam, vt inexcogitata præbeat auxilia. Ex his aiebat D. Ephrem serm. in Quadrag. Martyr. *Dicamus igitur nos semper: Deus in nomine tuo salua nos, & mox emittet auxilium suum ab alto. Hoc etenim Daniel proclamans in lacu etiam ferarum agrestium fauces effugit. Huius quoque Propheta meminit Ionas in ventre ceti, & ab omni interitu soluta est vita eius. Ex media ardentis ignis fornace sanctissimum hoc nomen tres pueros liberauit.* &c. Nusquam non creditur tota omnipotentia Dei sub tanti nominis fide: Moyses aliquando viros eligere cupiens, penes quos tanta esset fortitudo, & potentia, qui possint validissimos hostes opprimere, victoriámque reportare de illis, hærebat cogitabundus, quasi nesciret, tam potentes viros perquirere. Quid nunc? Ait Exod. 17. iuxta lectionem Origenis. *Dixitque Moyses ad Iesum: Elige tibi viros potentes, & egressus pugna cum Amalec.* Cur non magis ipse elegit potentes viros? Cur vt eligantur potentes viri, Iesum vocat? Præclare Origen. hom. 1. in Iosue, ait: *Tanti nominis auspicio confidebat.* Tunc credit potentes viros posse inueniri, cùm à Iesu nomine sumit auspicium; sub eius enim nominis fide tota potentia Dei creditur hominibus. Videre cupis hominem, cui sub huius hominis fide omnia credantur: cui etiam credantur gubernacula mundi? Accipe ipsum Iosue, de quo cap. 10. dicitur: *Tunc locutus est Iosue Domino in die qua tradidit Amorrhæum in conspectu filiorum Israel, dixitque coram eis: Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Haylon. Steteruntque Sol, & Luna*, &c. Vidisti Solis Lunæque habenas credi homini? Vidisti vnum hominem potuisse in Sole, & Luna, quod totus mundus non posset? Sed in quo tantùm potuit homo? In fide solius nominis Iesu, quod præferebat vocatus Iosue, Iesus Naue. Pro quo accipite pulchra verba D. Chrysost. hom. 48. in cap. 11. ad Hebr. *Dixit Iesus Naue: Stet sol contra Gabaon, & Luna contra vallem Haylon: & factum est. Veniat igitur omnis mundus, magis autem duo, tres, aut quatuor, & decem viginti mundi dicant, & faciant hoc, sed non poterunt. Quid igitur? Typus erat Iesu illius nomen, ideòque igitur hoc factum est, etiam propter ipsum vocabulum reuerita est creatura.* Quid negetur tanto nomini? Nulli creaturæ non acceptus eris sub tanti nominis fide: exere diuinissimum nomen, & pete quod volueris, credetur tibi vel orbis, credetur cœlum, totam Dei potentiam tibi habes creditam: præstò erunt desiderio tuo vniuersa. Vt dicas cum Isaia 26. *Domine nomen tuum, & memoriale tuum in desiderio animæ.* Desideriis ipsis animæ meæ adhibitum Dei nomen, illa minimè vacua esse permittet, sed rebus implet concupitis. Meritò dicebat Chrysost. hom. 9. in epist. ad Coloss. *Omnia in nomine Domini facias, & prosperè succedent omnia. Et morbis imperans terribile est hoc nomen. Propterea diabolus Angelorum superstitionem induxit, inuidens nobis honorem illum. Siue Angelus sit, siue Archangelus, siue Cherubin, ne feras istam incantationem, si cum fide recipere, & morbos abigere, & Dæmones.* Vt tolleret Diabolus nominis Iesu memoriam, fecit incantationes per Angelorum nomina, vt inuocatis illis nominibus, omnia prosperè succederent. Vane id à Diabolo fuit confictum, habemus enim Christiani efficaciorem incantationem in nomine Iesu; quod nomen si cum fide proferamus, talem incantationem peregimus, quæ omnia abigat mala, & omnia bona faciat ea ipsa impossibilitate naturæ succedere.

Psalm. 53.
D. Ephr.
Exod. 17.
Origen.
Iosue 10.
Chrysost.
Isai 26.
Chrysost.

Text. Si diligitis me, mandata mea seruate. Et ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.

§. XX.

Vel ingentia promissa explere sufficiunt Christi opes, supra omnem fidem præstitam est eius thesaurus.

FElices qui sub Christi nomine, & cum Christo negotiantur, thesaurus meritorum eius, & potestatis vincit omnem fidem, quæ potest haberi ab hominibus; post vnum, etiam alium paracletum nobis acquiret, spiritum veritatis, qui in veritate habeat plura, quàm quæ credimus. Non habet tales creditores mundus, sed in illis minor est semper census, quàm fides, & inuenientes negotiatores pauciora, quam credebant, largis suspiriis suæ crudelitatis pœnas luunt. Vtrumque attigit D. Ephrem in confessione sui verbis pulchris, loquiens: *Non est comprehensibilis Dei potestas, ô mortales: cùm enim maiora possit, in rebus creatis egit quantum capaces erant. Nouimus mercatores multos posse etiam supra quàm possideant; nam propter illa, quæ habent, fides eis habetur, at non nisi his, quæ possident, facilè negotiantur.* &c. Est in mundialibus creditoribus supra censum, supra possessiones fides, vnde tota cum illis negotiatio semper multo infra fidem debet esse, ne dum nititur mendacio, ruat ruinam, vnde sperabat lucrum. Non iuxta his præstitam fidem sit negotiatio, ne ruat nitens mendacio, at vbi cum Christo negocians, nil dubites, nil metuas, maior est enim fide præstita eius thesaurus. Aiebat Matth. 13. *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro.* Thesaurum Christi audio, sed cur absconditum? Propter infinitudinem diuitiarum; totam in se plenitudinem diuinitatis in veritate habens, nunquam non fidem præstitam superat bonorum abundantia. D. Paschas. lib. de corpore, & sanguine Domini cap. 17. fatur: *Quàm benè in agro thesaurus absconsus dicitur, quia in Christo omnis plenitudo corporaliter inhabitat, sine dubio diuinitatis. Et ideo fili, dilata sinum mentis tuæ, & percipe, quantum fides capit quia in Christo plenitudo diuinitatis manet; à te autem de plenitudine non quæritur, sed quantum idoneus fueris præstatur.* Plenitudinem in Christo sine dubio inuenies, nequit enim Iesus inueniri minus habens, ingentes eius diuitiæ a nemine perfectè sciuntur, absconsæ sunt oculis mortalium, quia supra omnem fidem præstitam est eius thesaurus. Pro minimo est de Christo Iesu fidem apud

D. Ephr.
Matth 13.
Paschas.

homines existentem impleri, si vel tantillum eius magnificentiæ thesaurus aperiatur, etiamsi in præstantioribus & clausos, & absconditus maneat. Aperuit quidem tantillum diuinæ suæ potestatis arcanum in Thabor, & ecce tibi fidelissimos Petrus iam satur aiebat Matth. 17. (Matth. 17.) *Bonum est nos hic esse.* Sic Petre impleris? Tu qui vnigenitum Patris nosti? Tu qui sedes regni audisti Iesu discipulis mansuras, sic ad primam thesauri apertionem saturaris? Expectationem vincit, vincit fidem præstitam Iesu thesaurus; & maioribus obseruatis, vel illius minima possunt creatas implere voluntates. (Paschas.) Id ponderat D. Paschas. lib. 8. in Matth. fatus: *Respuit Petrus gloriam mundi, & totum quod in mundo blanditur, solu ei claritas, quæ de Christi facie resplenduit placet. Quid putare possumus quomodo placeret ei, si talem tunc posset intueri, qualem nunc cernit exutus corpore mortali! Et placeret vltra quàm mens concipere posset.* Nulla expectatio, nulla fides potest non superari, dum ditissimus Christi aperitur thesaurus, dum eius ingentes diuitiæ reuelantur. Apud Lucam cap. 9. paucis panibus acceptis in manibus, sic implet quinque hominum myriades, vt post conuiuium superesset adhuc esca multa: & dum iam credebant homines se posse a Iesu in vitam temporalem satiari, vltra id quod credebant, experiebantur in se odorem æternæ vitæ. Quippè ait Luc. *Et manducauerunt omnes, & saturati sunt. Et sublatum est, quod superfuit illis, &c.* Quinque panes visi fuerunt in Iesu manibus, & de quinque panibus quinque myriades hominum & manducant, & saturantur; & adhuc superest multum, & maius est pignus, quod tibi datur, quam ipsum conuiuium. Quod pignus? Nimirum quod credi poterat de illo conuiuio temporale erat, at quod in illo dabatur pignus, æternam afferebat vitam, quæ erat supra præstitam fidem. (Ambros.) Vnde pulchrè aiebat D. Ambros. lib. 6. in Lucam. *Christi munera parua videntur, & maxima sunt. Denique non vni collata, sed populo. Nam & cibus dentium in ore crescebat, & videbatur esse corporalis alimoniæ, sed sumebatur salutis æternæ.* Cibus à Christo datus, vel in ore sumentium crescit; & omnia eius munera in ipso vsu accipientium crescunt adeò, vt maiora semper in vsu experiantur, quam in visu fidei apparebant. Apparent non adeò magna, & sæpe temporalia videntur, sed in re inueniuntur maxima, & æterna. Semper in exhibitione munerum suorum videtur Iesus meus aliud quid præstantissimum præstare; vt dicat: *& alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.* Cur dabit alium? Nónne & ipse effuderat Spiritum sanctum, dum dixit: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis?* Sanè crescunt dona Christi in vsu accipientium, & adeò crescunt, vt semper sint alia maiora, imò maxima inueniantur & æterna superesse. Hinc est, quod post conuiuium turbis exhibitum Ioann. 6. (Ioan. 6.) conuersus Iesus ad discipulos suos, ait: *Colligite, quæ superauerunt fragmenta.* Bone Deus, turbis conuiuium paras, & discipulis tuis amantissimis fragmenta sola, quæ superauerunt, colligenda præbes? Sic de aliorum reliquiis ditas Principes tuos? In Christi donis, quæ supersunt, maiora sunt semper, & præstantiora, quæ ideo supersunt, quia paruam accipientium excedunt fidem. (Ambros.) Meritò aiebat D. Ambros. lib. 6. in Lucam: *Vtinam mihi contingat audire: Collige, quæ supersunt. Si audiero, & fecero, habebo multa quæ turbæ, habebo multa, quæ pueri, ac mulieres edere nequiuerunt.* Nunquam infima sunt, quæ supersunt in Christi donis, sed maxima, sed fidem præstitam excedentia.

§. XXI.

Christi spiritus propria simplicissima veritas: aliena omnis simulatio est.

EX patre suo dat nobis Iesus Paracletum spiritum veritatis: nec Iesus scioit vnquam apparere, nisi in spiritu simplicissimæ veritatis. Missurus Moyses exploratores, qui simularet Chananæorum terram, & vrbium munitiones inspicerent, vnum inter alios nominat Num. 13. (Num. 13.) nimirum, *De tribu Ephraim, Osea filium Nun.* Septuaginta aiunt: *Ausem filium Naue.* ex quibus illud *Auses* nomen apud omnes expositores Græcos præualuit. Quo posito notandum, quòd post explorationem factam, dum recolitur, quam fidelis, & verus suorum consolator, & erector filius Nun fuerit, iam nec Osee, nec Auses nomine dicitur, sed Iosue, siue, (Num. 14.) vt Græci habent Iesus Naue compellatur. Ait enim Num. 14. *At verò Iosue filius Nun, & Caleb filius Iephone, qui & ipsi lustrauerant terram, sciderunt vestimenta sua, & ad omnem multitudinem filiorum Israel locuti sunt. Terra, quam circuiuimus valdè bona est. si propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam, & tradet humum lacte, & melle manantem.* Ecce vobis non iam Osee, nec Auses, sed Iosue dicitur. Cur similiter, dum inter exploratores nominatur, non Iosue, sed Auses dicitur? Absit quòd in officio exploratoris, cuius propria est simulatio, vel in vmbra velit Iesus nominari. Ad hæc Origen. hom. 1. in Iosue fatur: (Origen.) *Inter eos, qui ad explorandum missi sunt, nomen eius Ause scribitur. Et forassis pro exploratoris officio, non Iesus, sed Ause dictus est, & Naue filius nominatur. Cum vero exacti opere expleta, & præcetteras omnibus Iesus sublenas lapsos, desperationémque populi solus erigit, tunc à Moyse Iesus nominatus est.* Vbi rei visæ veritate simplici populares & erigendi, & consolandi erant, tunc Iosue nominatur, tunc nomen Iesu splendet, qui semper nobis dat Paracletum, Spiritum veritatis: verùm pro exploratoris officio, non Iesus; absit, quòd Iesus appareret in officio, quod totum in simulatione nititur. Nil enim magis amat Iesus quàm fugere dolum, fugere simulationem; nil magis amat, quam præferre in se Spiritum veritatis. Quis neget a vero Iesu eductos esse Israelitas de Ægyptiaca captiuitate? Ibi enim sub agni immaculati sanguine liberantur Hebræi, perimuntur Ægyptij: de quo habes Exod. 12. (Exod. 12.) *Nox ista est obseruabilis Domino, quando eduxit eos de terra Ægypti.* Felix equidem hæc nox, sed tamen nox erat, in qua caligine obductus, & latens saluator populum eripiebat ab Ægypti ergastulis. Non sic erepti sumus omnes a peccati seruitute, sed claro patentique die. (Luc. 4.) Habes id apud Luc. cap. 4. cùm enim esset Iesus in Synagoga, datus illi liber legis, vt legeret coram omni populo. legit ille caput Isaiæ, vbi sic: *Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me euangelizare pauperibus, misit me sanare contritos corde, prædicare captiuis remissionem, & cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis.* Expende notanter illud perlectum à Iesu, nempe annum & diem nostræ liberationis: in liberatione Israelitarum per agni sanguinem notatur nox, in liberatione totius mundi per Iesu sanguinem fusum, notatur dies, & quidem dies à Domino facta fuit omnibus diebus splendidior, quando a peccati liberati sumus seruitute. Cur non eodem modo in Israelitarum liberatione notatur etiam dies? In illa liberatione non erat tota veritas rei patefacta, sed veritas humanæ liberationis obumbrabatur, simulabatur sub agni typo, & ideo vbi erat vmbra, vbi veritas latebat sub obscuris figuris, noluit liberator apparere, sed & ipse sub nocte mansit occultus; tunc apparuit, tunc in die visus est, quando non veritatis nubila, sed ipsam manifestissimam fecit veritatem salutis. (Machar.) Huc respexit D. Machar. homil. 47. inquiens. *Ac sicuti Moyses dixit: Hæc est nox promissionis Dei, ita Christus in Synagoga, cùm illi datus esset liber, appellauit vnum Domini acceptabilem, & diem redemptionis. Ibi erat nox restitutionis, hîc dies redemptionis, & merito. Omnia enim illa erant figura, & vmbra veritatis.* Sub nocte latet Saluator noster, & refugit apparere, vbi sunt dissimulationes, & veritatis nubila; tunc apparens lætissimum facit diem, cùm ablatis nubilis, veritatem præ se fert simplicissimam. Sic gaudet Iesus Spiritus veritatis: sic ad veritatis simplicitatem affectus est, vt illam etiam in hoste sibi infensissimo, nempe diabolo aliquando muneret. (Luc. 8.) Apud Luc. cap. 8. videns Iesum dæmoniacus quidam clamabat: *Quid mihi, & tibi est Iesu fili Dei altissimi.* & statim petens à Iesu facultatem, qua in porcos iniat, obtinuit. Cur a iustissimo Iesu infensissimus hostis impetrauit est quod volebat? Cur voluisti bone Iesu hostem acerrimum tuorum tanta dignatione munerare? Vidit in eius ore veritatem, qua filium Dei altissimi prædicabat, & quia vel semel veritatem dixit, nec mentitus est, noluit quod veritas etiam in tam nefario ore maneret omnino immunerata. (Tertull.) Rem attigit Tertull lib. 4. in Marc. fatus: *Denique impetrauerunt, quo merito? Quia mentiti erant, quia Dei filium eum fecerant? Et qualis erit, qui mentitos munerat? Sed enim quia mentiti non erant.* Quia vel semel à mendaciis vacuit diabolus, & semel veritatem dixit, non exiuit vacuus à Iesu manu, à quo donum accepit, vt in porcos abeat. Vtinam qui de Spiritu Iesu viuunt, hunc ab illo ebiberent Spiritum veritatis, quo vel vmbram fugerent mendacij: semper enim timenda est, imò & deploranda etiam iusta causa veritatis obtegendæ, & dissimulandæ. Pro quo accipe D. Dorotheum doctrina 9. fantem. *Coniurarunt duo homines in cædem suam, atque alter illorum in cellam suam fugit. Dum eum quærit iudex, & abs te vbi sit, petat: nunquid huiuscemodi hominem in mortem tradas, an verba*

communes? Licere puto in tali articulo, & necessitate verba commutare: debet tamen, qui hoc egit, non negligere factum, sed pœnitentiam agere, & flere amarissimè in conspectu Dei, atque hoc tempus habere, ubi tempus tentationis. Nec ad hoc consuescat; sed semel, & ob multa. Qui Christi Spiritu aguntur, sic æstimant semper veritatis simplicitatem, sic fugiunt simulationes, vt etiam licitam simulationem veritatis, & vitæ causa nolint fieri, sine ingenti luctu, & afflictione illius, qui in tales angustias deuenit, vt cogatur simulare.

Text. Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos: adhuc modicum, & mundus me iam non videt. Vos autem videtis me: quia ego viuo, & vos viuetis, &c.

§. XXII.

Summa impiorum pœna est desolatio, & solitudo, quam nullibi patiuntur iusti.

PRoh impiorum, mundanorúmque pœnam! Tempus veniet, quando euntes in ignem æternum, summam orbitatem incurrant, & solitudinem, minimè videntes Iesum, qui solus à suis orbitatem auferri promittit. Et quanta hæc pœna? Proponite vobis ob oculos adolescentem

Luc. 15.

illum prodigum, apud Luc. cap. 15. Is post dissipatam substantiam adhæsit vni ciuium, à quo missus est in agrum seorsum, vt pasceret porcos. Quid tunc miser? Ipse ait: *Surgam, & ibo ad patrem meum,* &c. Cor non magis toleras absentiam patris? Nónne tu partem substantiæ petisti, vt longè à patre viueres, cur modò non vis esse, nec ad modicum, sine patre? Incipit miser orbitatem sentire, & solitudinem: quam vtpote quauis pœna intolerabiliorem,

D. Ephr.

nec ad modicum sustinere valet. Dicebat D. Ephrem de Pœnit. *In delicijs, & epulis cum turpiter versaretur consumpsit facultates, & non potuit ferre ne ad modicum quidem solitudinem.* Intolerabilis est creaturæ orbitas à suo auctore, & progenitore; intolerabilis est hominibus solitudo, qua æternam ingemiscent orbitatem. Hinc exaggerabat impio-

Zach. 12.

rum supplicium Zachar. cap. 12. fatus: *Et planget terra; familiæ, & familiæ seorsum: familiæ domus David seorsum, & mulieres eorum seorsum: familiæ domus Nathan seorsum, & mulieres eorum seorsum,* &c. Expende vnde planctus exacerbetur, nimirum ex solitudine, & orbitate plangentium, singuli enim seorsum nullum consolationis vestigium sentientes, aut videntes, sed æternam experientes orbitatem plangent, quod durius aliis omnibus inuenitur suppli-

Rupert.

cium. Quod ponderans Rupert. ibi ait: *Maximum autem erit, quòd in illo planctu omnes tribus terræ, & maximè, qui Dominum crucifixere, omnes omnino peccatores, & impij plangent seorsum, quamuis omnes ad vnum congregentur iudicium, omnes ad vnum descendant carcerem infernum, omnis animus ab omni animo erit seorsum, multum occupatus apud semetipsum nec amicum respiciens, nec amicam.* Hoc maximum erit in damnatione impiorum, nimirum solitudo, & orbitas: nullum illis emolumentum societatis erit, sed singuli, quasi vastissimam solitudinem habitantes, neminem, cuius recreentur conspectu, videntes durissimam experientur orbitatem. Huc

Amos 8.

etiam respiciebat Amos cap. 8. fatus: *In omni loco proijcietur silentium.* de quo Tilmannus in allegoriis ait: *Non enim damnatis dabitur remedium colloquij, quo possint alleuiare supplicium.* Relinquet illos verbum Patris Iesus meus, nec aliud illos poterit manere, nisi & solitudo, & orbitas into-

Osea 4.

lerabilis. Quam minabatur Dominus Oseæ 4. dicens: *Quoniam sicut vacca lasciuiens declinauit Israel, nunc pascet eos Dominus, quasi agnum in latitudine.* Sicut positos in inferno, mors depascet, vt ait Psalm. sic etiam Dominus iratus impios vniuersos pascet, affliget eos virga ferrea: sed quanta hæc afflictio? Sicut agnus in latitudine, relinquentur miseri, vt relinquitur agniculus infirmus in vastissima solitudine, nil non metuens, nullum non experiens malum. Pul-

Rufin.

chrè Rufin. apud P. Martinum del Rio in Adag. ait: *Sicut agnus in vasta loca perductus, & imbecillus, & solus, tam matris, quam gregis solatio destitutus, metuit, quicquid aspexerit, quicquid audierit: ita etiam gens subiecta hostibus truculentis per solitudinem cogetur incedere.* Ita etiam vniuersi impij, vniuersi peccatores intolerabilem sustinebunt orbitatem, vtroque destituti parente, nimirum & Iesu, & Maria; & nullus illis relictus, ex omnibus charis eorum, cuius vel conspectu possint aliquod capere solatium. Felices, qui scieuerunt tantum sibi obstringere patrem, nimirum Iesum: hi nullam vnquam sentient orbitatem; quocunque se vertant, illum præ oculis habebunt, nec locum inuenient, qui eius præsentia non sit nobilitatus. Hinc dicebat D. Mach. hom. 12. *Si quæsie-*

Machar.

ris Dominum in profunda, illic reperies eum signa facientem. Si quæras eum in lacu, illic reperies eum in medio duorum leonum, conseruantem iustum Danielem. Si verò quæras eum in igne, reperies illic opem ferentem seruis suis. Sin autem in monte, reperies eum illic cum Elia, & Moyse. Est igitur vbique, & sub terra, & super cœlos, sed apud nos, vbique est. Nullibi nos patitur esse orphanos, sed vbique præsentiæ suæ signa relinquit, vt vbique confugiamus ad illum. Omnia enim nobis possunt deficere creata subsidia, sed non potest nobis deficere hic cœlestis pater Christus. Fulgentius id meditabatur in La-

Fulgent.

zaro omnibus spoliato ad ianuam diuitis: de quo ait epist. 2. ad Gallam cap. 19. *Attende Lazarum sine cibo, sed non sine Christo.* Non is est Christus, qui etiam deficientibus omnibus sciat suis deficere. Vnde meritò ille prodigus, dum à se vidit omnia bona fugisse, adhuc ait Luc. 15. *Ibo ad patrem meum,* certius non sibi patrem defuturum. Aiebat Chrysol.

Chrysol.

serm. 2. *Qua spe? Qua fiducia? Illa qua pater est. Ego perdidi, quod erat filij: ille, quod patris est, non amisit.* Omnia perdantur licèt, tamen cœlestis pater vbique inuenitur inuocantibus eum proximus, & propinquus.

§. XXIII.

In præsenti nil magis tibi voluntarium sit, quam mortificatio, vt possis viuere in futuro.

ACutè notat Salmeron discrimen in Iesu verbis, quòd de se locutus dicat, quòd viuit de præsenti; de discipulis autem locutus non de præsenti, sed de futuro ait, quòd viuent. Sic enim tinniunt verba, nimirum: *Quia ego viuo, & vos viuetis.* Cur non etiam dixit, & vos viuitis? In præsenti non vita, sed omnimoda mortificatio conuenit hominibus, qui velint gloriosam postmodum ingredi vitam. Ille homo vitam comparabit æternam, qui in præsenti voluntarius in omnimodam mortificationem iuerit, qui mortem ab intimi sui animi electione etiam arripuerit sibi. Cant. 5. ait sponsa: *Surrexi, vt aperirem dilecto meo:*

Cant. 5.

manus meæ distillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima. Expende duo hæc, quæ coniungit sponsa Christi sibi accidisse, nimirum & myrrhæ scaturiginem in manibus suis digitisque, & resurrectionem, qua dilectum suscipit. Et scire cupis, quæ sit illa resurrectio tanto sociata fonte myrrhæ? Resurrectio est, qua homo in vitam immortalem resurgit, vt apertum fruatur conspectum regis nostri Christi: sed hæc resurrectio in vitam à nemine comparatur, cuius manus & digiti non manauerint myrrha, hoc est, quibus in præsenti non familiaris fuerit, & voluntaria mortificatio omnimoda. Sic ad hæc verba loquitur D. Nys-

Nyssen.

sen. homil. 12. in Cantic. *Accepi vim resurrectionis, ex eo quòd membra mea terrena mortua reddiderim, eámque membrorum mortificationem sponte mea susceperim non ab alio mihi myrrha in manus data, sed defluente illa certa animi mei arbitratu, ita vt in omnibus meis virtute consentaneis conatibus, hæc animi adfectio copiosè conspiciatur.* Non quæ ab extrinseco tibi venit in manus myrrha, non quæ tibi inuoluntaria est, & prorsus violenta mortificatio, sed quæ in omnibus tuis operibus, & virtutibus quasi à te ipso voluntariè scaturiens, ea vitam comparabit immortalem, qua Christi æternùm vultu fruaris. Quo enim magis est voluntaria mortificatio, & ab intimo animi affectu nascens, eo fructuosior, & magis Deum allicit. Aiebat Dominus Canticorum 4. *Vadam ad*

Cant. 4.

montem myrrhæ. Quàm viuidus erat, qui sic festinat montem myrrhæ præoccupare? Sed & Ioann. 19. dicitur: *Venit autem & Nicodemus afferens mixturam myrrhæ,* &c. Nicodemum cum myrrha venientem expectat Dominus, & mortuus expectat, ad montem autem myrrhæ ipse vadit. Cur ad montem myrrhæ vadit, & Nicodemum cum myrrha expectat? Pulchrè Gillibert. Abbas sermon. 28. in Canticum.

Gillib. Abb.

Venit Nicodemus ferens mixturam myrrhæ, quasi libras centum. Magna hæc copia: sed quid ad collationem montis? Ferens, inquit, idest, secum ferens, non ex se proferens: portans, non pariens. Bona vtraque & quæ offertur, & quæ oritur, sed illa potior. Denique illa ad Christum adducitur, ad hanc ipse vadit. Vadit enim sibi ad montem myrrhæ. Itaque mons myrrhæ, vt qui ex se myrrham profert, gratior est, quàm Nicodemus, qui myrrham aliunde acceptam affert. Et semper ante vitam myrrha paratur. Omnimoda enim præcedat mundia-

lium

lium affectuum mortificatio in præsenti exercita, vt appareat vita nostra abscondita in Deo cum Christo. Sæpiùs Moyses liberationem Israëliticam procurarat, & vel nouem plagis Pharaoni immissis illam extorserat, nunquam tamen aliud sperabat, quam quod Pharaonis cor magis erat indurandum. At vbi ad decimam accedit plagam, iam tunc sperat, & certus, & securus sperat sui populi liberationem, & salutem. Cur non securiùs sperat salutem? Ait

Exod. 11. Exod. 11. *Dixit Dominus ad Moysem: Adhuc vna plaga tanquam Pharaonem, & Ægyptum, & post hæc dimittet vos, & exire compellet. Media nocte ingrediar in Ægyptum, & morietur omne primogenitum*, &c. Vbi omne mundanum eximium, & primum morti datur, meritò potest sperari à seruis Dei liberatio, & vita: non antea speres vitam, quàm in te videris mortificatum, quidquid est in pretio apud mundum.

Isaias Abbas. Aiebat B. Isaias Abbas orat. 8. *Nec prius Moyses confisus est, quamuis Pharao varijs afficeretur, quàm tempus illud aduenit, cùm Deus dixit illi: Adhuc vna restat plaga, & mox Pharao dimittet populum meum, interficiam enim omne primogenitum.* Vbi instantem vidit mundialium mortem, iam confidet proximè futuram Israëlitarum & liberationem & salutem. Felix, in quo mortua sint præsentia mundi decora; is immortalem habebit vitam.

Coloss. 3. Paul. ad Coloss. 3. *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Quam eligimus mortem in præsenti, non est mors, quæ perdat vitam; imò est mors, quæ vitam recondit in thesauris Christi, ex quibus postea nobis adueniat felicissima. Vnde dicebat D. Bernard.

Bernard. sermone 52. in Cantic. *Bona mors, quæ vitam non aufert, sed transfert in melius. Bona qua non corpus cadit, sed anima subleuatur. Moriatur anima mea morte iustorum, vt nulla illam illaqueet fraus, nulla oblectet iniquitas.* Hanc sibi mortem inferat, qui vult vitam sibi in futuro æternùm duraturam comparare.

Text. In illo die vos cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum.

§. XXIV.

Dum in Christi fuerimus conspectu, nullum tempus non apparebit breuissimum.

DIes meritò vocatur ille, in quo & Iesus, & Pater sese nobis reuelauerint, ait enim, *in illo die cognoscetis*, &c. In die illo solùm, & non potiùs in annis illis? Nunquid per annum, imò per infinita sæcula cognoscemus Iesum in patre? Equidem per infinita sæcula cognoscemus, sed tunc infinita sæcula instar vnius breuissimi diei reputabuntur.

Psalm. 80. Psalm. 80. de renouatione hominum ad Iesu faciem peragenda locutus, ait: *Buccinate in Neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestræ.* Diem solemnitatis humanæ vocat tempus illud, quo homines nouum sæculum, nouamque lucem intraturi sunt, in voce tubæ, in voce Archangeli. Sed cur ille dies dicitur, & non potiùs sæcula sæculorum? Facit id reuelatio maiestatis diuinæ, cuius in gaudia homo intrans, momentum reputat æternitates ipsas.

Gillib. Abb. Ad hæc Gillibert. Abb. serm. 18. in Cant. aiebat. *Buccina nobis tu bone Iesu, in Neomenia tuba, in insigni die solemnitatis nostræ. Verè insignis dies, vbi diuina maiestas se manifestat, nihil insignius, sed nihil succinctius. Diem dixi? hora est. Hora verè insignis, & verè solemnis. Erasta tu nobis Iesu æterni illius diei horas aliquas, diem illum statim efficies.* Vix parebit Iesus, & sæcula in vnum conuertentur diem; & hora erit, & quidem breuissima, tota duratio æternitatis diuinæ.

Cant. 1. Aiebat sponsa Cant. 1. *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie.* Dum Iesu gaudia & requiem reuelandam sibi quærit, non diem, sed meridiem meminit; & miror, quòd momentum non dixerit, quando in manifestatione Iesu sæcula apparebunt breuissima. Huc referens datum in textu

Laur. Iust. Ioannis locum D. Laurent. Iustinian. lib. de fasciculo amoris cap. 6. inquit: *Sola dies illa desiderabilis, sola amabilis, in qua diuinitatis immensitas puro contemplatur intuitu. Illa nempè dies illa (ab imis est), de qua Dominus ait: In illa die cognoscetis, quia ego in Patre.* Vbi Iesus cognoscatur in Patre, nulla temporum tarditas sentitur, sed infinita sæcula habentur quasi vnica dies. Ideo aiebat Psalm. 83. *Melior est dies vna in atriis tuis, super millia.* Sunt in hac mundiali plaga anni multi, sunt sæcula multa, in Dei atriis vbi Iesus in patre visitur, non anni, non sæcula, sed vnica apparet dies.

Idem. Laur. Iustin. vbi suprà. *Vna merito inquit, quia vnica, quia singularis, quia æterna longè dissimilior diuturnitate, felicitate. In hac peregrinatione dierum sunt millia gaudiis, & mœroribus mixta: in atriis autem Domini vna tantum esse dicitur, quæ per se sufficit, per se placet, nunquam fastidit, nunquam variatur.* Sic ibi.

CAPVT XVIII.

De Charitate in Deum.

CONSOLATVS Dominus discipulos suos, post adductas plures rationes, quibus possent temperare dolorem de absentia sua conceptum, pergit aliqua disputare, quæ ad charitatem in Deum videntur spectare. Nimirum quòd tota illa est in obseruatione præceptorum, per quam verus Dei dilector, & Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, sibi deuinctos, & quasi obstrictos habet. Obseruantia enim diuinorum præceptorum est lapis lydius perfectissimæ in Deum charitatis.

Ioan. 14. Siquis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.

§. I.

Vbi verus Dei amor, nihil præter Deum æstimatur.

AVdi cœleste regnum pauperibus spiritu promissum, mitibus terram, lugentibus solationem, & aliis alia præmia à Deo sæpè proposita scio. In præsenti dilectoribus Dei non cœlum, non terra, non consolatio, non triumphus, nec quid aliud promittitur, hoc solum dicit Dominus illis: *ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Cur non magis ait: & regnum dabimus, & coronam imponemus? Sanè in quo verus amor est erga Deum, cætera omnia vilescunt, vnus Deus æstimatur, nihil aliud præter illum. Ad Corinth. 1. cap. 13. dicit Paulus de Charitate: *1. Cor.* 13.
Non quærit, quæ sua sunt. Cur charitas non quærit, quæ sua sunt? Sapienter rationem reddebat D. Zeno serm. de Fide, *D. Zen.*
Spe, & Charitate fatus. *Non vlla re indiget; iuxta ei, præter id quod est nihil est necessarium.* Vnus solus qui est, vnus solus Deus æstimatur à charitate, reliqua omnia, vt minimè necessaria, vt prorsus superflua reputat, nec de illis agit. Proponite vobis ob oculos duas famosissimas meretrices ad Deum accedentes. Altera est Rahab, quæ Israelitici populi Deum venerata exploratores excipit in domo sua, eosdem custodit ab hostibus, sed & ab eis contendit salutem suam obtinere, ait enim Iosue 2. *Iurate mihi per Dominum, vt quo- Iosue 2.
modo ego misericordiam feci vobiscum, ita & vos faciatis cum domo patris mei.* Altera est Magdalena, quæ vt cognouit, quòd Iesus accumberet in domo Simonis Pharisæi, intrat Simonis domum afferens alabastrum vnguenti, & stans secus pedes Iesu, cœpit lachrymis rigare illos, & vnguento vngere, & tergere capillis, nec verbum pro se loquitur, nec petit quicquam. Quis non miretur? Illa tota est in postulanda salute domus patris sui: hæc nec verbum facit de salute, nec de alia re, aut magna, aut minima. Vnde hæc diuersitas in adeò similibus peccatricibus? Rahab de se dicebat exploratores excipiens: *Irruit terror vester in nos, & elanguerunt omnes habitatores terræ.* De Magdalena ait Dominus Luc. 9. *Quia dilexit multum.* Quæ metu ducebatur, ad plures excipiendos ferebatur, & de suis erat maximè solicita, interpellans pro illis. *Luc.* 9.
Verùm Dei dilectrix Magdalena, vt tota Dei amore flagrabat, non cogitat, quæ sua sunt, multitudinem præterit, vnum Deum manibus tenere desiderat, præ illo, nec meminit aliud quicquam. Sic penè ipsa apud D. Chrysost. serm. de peccatrice, & Pharisæo, qui inter opera D. Ephrem circumfertur. Ait ibi: *D. Ephr.*
Rahab ad se admisit exploratores: ego verò retinere eum conor, quem desideraui, non quidem, vt illa exploratores multos, sed hunc tanquam Episcopum cunctarum animarum. Non potest diligentis

gentis animus aliud, quàm Deum velle, nec meminisse: vnum hunc cupit, & cùm vnum Deum habeat, cætera nihil æstimat. Redeuntis prodigi conuiuium fratri inuidenti aie-
Luc.15. bat vtriusque parens Dominus Luc.15. *Fili, tu semper mecum es, omnia mea tua sunt.* Sic omnia tua bona vni filio tradis Domine, habens duos? Cur aliquid non reseruas tradițurus redeunti? Non erat ille talis, qui alia æstimaret, nec aliud vellet, quàm patrem, cuius sic amabat præsentiam, vt vel dimissa hæreditate filiorum, loco mercenarij vellet esse
Chrysol. apud illum. Pulchrè Chrysol. serm.4. *Nec ille aliud, quàm patrem quæsiuit, qui veniens non filij, sed loco mercenarij voluit collocari. Sint alteri omnia, illi sufficit pater.* Nihil æstimat amor
Psalm.72. præter Deum amatum, vt meritò diceret Psaltes: *Quid mihi est in terra, & à te quid volui super cælum?* Et præclarè Idiota lib.1. de amore diuino cap.9. *Anima te Domine veraciter amans, aliud præter te, sui amoris præmium, non requirit: aut si aliud requirit, profectò te non amat.* Nunquam amor verus Dei, aliud in se admittit. Pro quo etiam monebat D.
1.Ioan.2. Ioan.1. epist.2. *Nolite diligere mundum, nec ea, quæ in mundo sunt: si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.* Ex quo
August. pulchrè D. August. ibi. *Fuge creaturas si vis habere creatorem. Omnis creatura vilescat, vt creator in corde dulcescat.* Non admittit aliud, quàm patrem charitas Dei, quæ diffusa est in
Cant.3. cordibus nostris. Hinc diuina amatrix Cant.3. dicebat. *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Cur non contenta est dilectum possidere foris in creaturarum frequentia, sed magis amat illum habere in cubiculo? Cauet sibi ne si foris habeat, cogatur etiam admittere aliud præter ipsum.
Gillib. Gillib. Abb. serm.11. in Cant. ait: *Nouit illa dilectum suum non posse foris securè possideri, nec integrè quidem. Et quàm durum est amanti animum dimidiare cum Christo, & mundo? Quàm durum est, in dilectionis cura peregrinas admittere curas, & cæleste secretum sæcularibus infestare turbellis?* Hoc durum amanti, sed & amato durissimum, qui sic solus amat amari, vt doleat vehementer videns dilectoris sui amorem diuisum.
Idiota. Vnde aiebat Idiota lib. de amore diuino cap.24. *Amor neque diuidi debet, neque scindi. Et qui eum diuidunt, vel scindunt, peiores videntur, quàm milites te crucifigentes, qui tuam tunicam diuidere noluerunt.* Sic magis videtur Dominus affligi à dimidiato dilectore suo, quàm, afflictus fuit ab antiquis carnificibus.

§. II.

Amatorem suum penè inexpugnabilem reddit Dominus.

CVm audis, *mansionem apud illum faciemus*, intellige stationem militarem non absimilem stationibus, siue mansionibus peractis ab exercitu Israelitico, cùm ab Ægypto egrederetur. Vbi enim manendum erat, firmabatur statio, tentoriaque figebantur, & locus firmabatur prorsus hostibus inaccessibilis. Sic in dilectoribus suis Deus militarem stationem firmat, mansionem facit hostibus inaccessam, & terribilem. Vbi enim ait Ioan.1. *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* hanc Dei in nobis habitationem
Chrysost. pulchrè explicans D. Chrysostom. ait: *Quid enim inducit? Et habitauit in nobis, tentoria fixit in nobis, significat inhabitationem, & quasi in tabernaculo mansionem.* Nescit Deus in dilectoribus suis apparere, nisi militaria in illis propugnacula efficiens, & reddens hominem militaribus copiis communitum, & prorsus inaccessum, & inexpugnabilem ab
Gregor. inimicis. Hinc D. Gregorius lib.27. Mor.8. de D. Paulo locutus, ait: *Dum catenis vinctus Romam peteret occupatus munitum, latens in eius pectore quasi sub tentorio ibat Deus.* Expende illud *sub tentorio*; nunquam enim pectore dilectoris sui non meditatur Deus aliquod militare munimentum, quo aduersùs hostes inexpugnabiliter confirmetur. Propterea
Psal.138. mirabundus Dauid Psalmus 138. ait: *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus. Nimis confortatus est principatus eorum.* Honoratissimos miratur dilectores Dei; & quærens tanti honoris causam, illam inuenit, nimirum: *Nimis confortatus est principatus eorum.* Non licet Dei amatorem videre, in quo non statim mille munimenta, mille propugnacula appareant, quibus illius regnum fit prorsus inaccessum inimicis. Aiebat D. Gregor. hom.27. in Euangel. *Causas tanti
Gregor. honoris nobis insinuare quærens, illico adiunxit: Nimis confortatus est Principatus eorum. Ecce electi Dei carnem domant, spiritum roborant, dæmonibus imperant, virtutibus coruscant, præsentia despiciunt. Occidi possunt, & flecti nequeunt. Nimis ergo confortatus est principatus eorum.* Ecce quot munimenta, quot propugnacula firmantur, in Dei dilectoribus, quæ sint prorsus inexpugnabilia. Sanè Dei amor in corde hominis materia est, qua possint & propugnacula, & militaria munimenta, & muri ædificari firmissimi. Quippe ipse David Psalmus 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum, & humiliatum Deus non despicies. Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Hierusalem.* Psal.50.
Vide in corde contrito, & humiliato charitatem Dei diffusam, & infusam; qua vt se ardere præsensit nobilis peccator, statim petit, vt in anima sua ædificentur muri. Et cur non ædificentur muri à Deo in animo dilectoris sui? Sic Vrbanus IV. Pont. maximus in Metaphrasi huius Psalmi. Vrban.
Charitatem, tanquam inexpugnabilia propugnacula, quæ nunquam excidunt, construis & largiris. Et hic est inexpugnabilis ille murus, quem per te ædificari desiderant desideria cordis mei, & clamant: Muro tuo inexpugnabili circumcinge nos Domine, & armis tuæ potentiæ protege nos semper. Et hoc est Domine Deus pernecessarium mihi, vt in me ædifices dictos muros. Quippè vbi charitas est, materia est, qua muri, & inexpugnabilia propugnacula ædificari petant, vt qui sancto Dei amore vallatur, nil timeat, sed securus etiam inter confertissimos hostes prosiliat. Mirabar aliquando videns Petrum sese fluctibus maris dare, vt videret Iesum existentem in littore; ait enim Ioann.21. *Simon Petrus cum audisset, quia Dominus est, tunica succinxit se, (erat enim nudus,) & misit se in mare.* Ioan.21.
Sola tunica succinctus se maris fluctibus committit. Cur non magis Petre times mundi procellas? Cur non magis times contrarias mundialis pelagi potestates? Te te opponis hostilium fluctuum impetibus, & sola tunica præcingeris? Qualis hæc armatura est? Sanè tunica illa signabat amorem diuinum, quo Petrus vndique vallabatur, tantóque amoris Dei munimine cinctus, nil timet sese hostilibus incursibus committere. Ex quo monebat D. Laur. Iustin. de triumphali Christi agone cap.27. aiens: *Tali tunica* Laur. Iust.
præcinctus dum fueris, amore ignito in tribulationum vndas ingredi non expauesces, vt ad præceptorem tuum stantem in littore valeas properare. Nequaquam patieris naufragium, charitatis pallio coopertus, aquæ enim multæ non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Et quid mali patiatur ille, qui charitatis in Deum incendio flagrat? Nescit charitas non omnia vincere à primis incunabulis. De Iacob dicebat Oseas, quòd *in vtero supplantauit fratrem.* in quo typum Osee 12.
noscens charitatis D. Paschas. lib.1. in Matth. ait: *Et inde est, quòd charitas procreata iugiter inardescit, & contra omnia carnalia dimicans vitia supplantat.* Nihil non vincit, nihil non superat charitas. Meritò Strabon in carmine de Sancto Mammete audiens tyrannum pyram succendi iubentem, qua sanctus exureretur, inquit: Paschas.

——— *Regnare in pectore flammam*
Sanctorum ignorans, ignes adhibere caducos
Non timuit, cùm restingui non ignis ab igne,
Sed magis augere soleat.

Tantum abest, vt charitas vinci queat, quòd etiam de flammis incrementum accipiatur.

§. III.

Vel Dei verbulum in dilectoribus suis penè inamissibilem gratiam causat.

FElices vos, ô dilectores Dei, quibus non solùm præcepta, sed & quæcumque alij sermones Dei & cordi sunt, & penè inamissibilem operantur gratiam. Sic enim ait Dominus: *Qui diligit me, sermonem meum seruabit*; non solum præceptum seruabit, sed & ipsum simplicem sermonem. Quid tunc? *Et Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Ecce quantam gratiam afferat dilectoribus suis Dei sermo; afferet illis non quamcumque gratiam, sed gratiam permanentem, & penè inamissibilem, dum ait, *mansionem apud eum faciemus.* Sic valent apud dilectores Dei diuini sermones, vt vel verbulum Dei in illis gratiam penè inamissibilem causet. Notissimæ sunt duæ illæ fœminæ, in cuius castellum Iesus intrauit Luc.10. de altera dicitur: *Maria sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius.* Verba vtique à diuino venientia ore excipiebat hæc, notissima Dei amatrix in corde suo. Et quali id faciebat fructu? Ait Dominus: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Quam partem adeò inamissibilem elegit felix hæc mulier? Verba solùm audit, & in audiendis verbis diuinis tanta diuinorum bonorum pars hæreditatur, quæ nunquam auferatur. Equidem in Dei dilectoribus Luc.10.

ctoribus hoc possunt efficere, vel Dei verbula: illis valent penè inamissibilem diuinorum bonorum partem communicare. Accipite D. Macharium homil. 12. (Machar.) santem: *Maria siquidem, quæ illum diligebat, & sedebat ad pedes eius, non simpliciter adhæsit Deus: sed virtutem quandam secretam, è sua ipsius substantia, contulit ei. Nam sermones quibus Deus quietè Mariam alloquebatur, spiritus erant, & virtus quædam, penetrabantque eius huiusmodi verba, crescebátque diuina virtus in corde ipsius. Necessariò enim virtus illa in quemcumque se effuderit, firma permanet, tanquam possessio, quæ auferri non potest.* Hæc ille, quibus agnoscit per Dei verba communicari Dei dilectoribus quandam diuinitatis portionem, hoc est, quandam gratiam, quæ permanentiam, & inamissibilitatem secum inferat. Hanc ebiberat à Dei verbis virtutem maximus

Ioan. 6. Ille Dei amator Petrus, quando dicebat Ioan. 6. *Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* Ea illi per verbum

Laur. Iust. Dei virtus effundebatur, quæ auferri non valebat: vt D. Laurent. Iustinian. dicat lib. de fasciculo amoris cap. 5. *Sapientia diuini verbi delectabilitate nimio affectus Apostolorum Princeps, ab eodem, vel modicum diuelli non patiens, constanter aiebat: Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* Sentiebat Christi amator à diuinis verbis in se talem gratiam dilapsam, cuius possessione minimè posset deturbari.

Luc. 2. De Matre Iesu dicitur Luc. 2. *Conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo.* nec miror, quod in corde tantæ amatricis Dei verba conseruarentur, magis esset insperatum, si possint dimoueri ab illa. Nunquam enim in terra adeò bo-

Psalm. 36. na Dei verbum inferitur, sine ingenti fructu. Psalm. 36. *Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium. Lex Dei eius in corde ipsius, & non supplantabuntur gressus eius.* Expende totius firmitatis radicem, nimirum: *Lex Dei eius in corde ipsius.* Ad quæ August. *Et quid illi prodest? Et non supplantabuntur gressus eius. Liberat à laqueo verbum Dei in corde, liberat à via praua verbum Dei in corde: liberat à lapsu verbum Dei in corde.* Felix ille cui cordi est Deus, in hoc Dei verbum præualet aduersus omnes incursus malos, ferè inamissibilem habet cum Deo familiaritatem. Quam vim in familiaribus Dei colloquiis notans D. Laurent. Iustin. in fasciculo amoris cap. 6. aiebat: *Omne tempus, quo cum hominibus habitauit, ideo [illegible] mistorum extitit, vt qui ab initio fuere cum illo, ab eodem vel modicum diuelli non possent.* Sic familiares Iesu eius colloquiis rapiebantur, sic firmabantur, vt ab eo vel ad modicum diuelli non possent.

§. IV.

En in animis nostris ex amore mansio componitur Deo, vt in illa videatur iuuenescere Deus.

QValem mansionem facit Deus in pectore diligentium se? Seu qualem pyram sibi struit in pectore flammis diuini amoris æstuanti? Ego mansionem hanc Dei in pectore amatoris sui sepulchrum crediderim, imo magis crediderim pyram non absimilem illi, quam Phœnix sibi fa-

Iob 29. cit, vt renouata repuerascat. Aiebat Iob 29. *In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies meos.* Alij legunt, *& sicut Phœnix multiplicabo dies meos.* Phœnix ex aromatibus sibi pyram construit, qua incensa, inter flammas decumbit, ex quibus renouata iuuenescit. Sic boni viri & benefici, quamuis senio videantur confecti, in cordibus amicorum, & diligentium perpetua se iuuentute renouant. Sic Deus Optim. Maxim. & quo ad nos senio conficitur, & iuuene-

Cant. 5. scit. Vis videre senescentem Dominum? Vide eum Canticorum 5. clamantem. *Caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Ecce tibi caput Dei albentem, sed albentem ex nocturna pruina: vidi sæpè hyemis matutinis agricolas in ciuitatem venire sic ex pruina albicantes in barba, vt putares senio confectos homines. Ast totum illud senium, vtpote à [illegible] ore ortum, ad radios euanet Solis. Sic Deus noster instar senis albicat in capite, sed albicat ex gelido rore, ex pruina, ex frigore charitatis deficientis in corde ho-

August. minum; ita D. August. tract. 57. in Ioann. *Caput repletum est rore, quia abundante iniquitate, refrigescit charitas multorum: [illegible] vero, & guttæ hi sunt, qui refrigescunt, & faciunt refrigescere caput Christi, hoc est, vt non ametur Deus.* Ecce tibi senilis albedo in Christi capite non nisi à frigore, à refrigescente charitate in cordibus hominum. Ardeat charitas, sicut hominum pectora charitatis flammis ardentia, inter eas flammas decumbit Deus, decumbit vt Phœnix vt deposito senio iuuenescat. Iam amatoris Dei pectus mansionem Deo præbet, seu, si mauis, sepulchrum aromatibus charitatis ardentibus præbet, quo sic Deus instar Phœnicis renouet. Apud Gen.

Genes. 50. 50. postquam Ioseph vidit mortuum parentem, *præcepit seruis suis medicis [illegible] vt aromatibus conderent patrem.* Cur tanta cura præcipitur à filio senem patrem condi, & sepeliri cum aromatibus? Puto aliquis ibi aliquid prænoscere de Patre summo Deo, qui à filio in pectoribus diligentium, cum ardentibus charitatis aromatibus instar Phœnicis conditur, vt inde quasi iuuenescat. Rem trahit in locum prætereuntem

Drog. Drogo Hostiensis, serm. de Sacram. Pass. Christi, fatus: *Quid est, quod Iacob grandæuus, maioris quam cæteri ambitione, & gloria, & suauitate à filio sepelitur? Per Iacob grandæuus, per illa charitas exprimitur, in qua pater à filio, imo cum filio sepelitur, dicente ipso, si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Hæc est illa gloriosa, & suauis sepultura Patris antiqui dierum.* Sed sepultura, qua antiquitas dierum aboletur, totúmque quod senium sonat, deponitur, & inter suauiolentes charitatis flammas, qua iuuenis æterna offensa inuenta appareat Deus, vt dicat Psalm. 18. *In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedit de thalamo suo.* Vbi enim inter radios amantium Dominus apparet, nihil in illo est, quod non præferat iouentutem. Fallar nisi huc respexit

Origen. Orig. hom. de Maria Magdalena, ex cuius charitatis flammis consideratis, monet nos, aiens: *Disce à Magdalena quærere Iesum in monumento cordis tui.* Cur nò potius thronum, quam monumentum in corde hominum cupit Deo? Sanè in corde diligentium non minus gloriosum est Deo monumentum, quam thronus; imò multo magis gloriosum est monumentum. In throno enim sedit antiquus dierum, vt habes apud Danielem, in capite albicans ostendens frigescentem hominum charitatem; in monumento pectoris, siue cordis, inter flammas amoris decumbens instar Phœnicis æterna quasi iuuentute floridus quo ad nos repuerascebat.

Text. Qui non diligit me, sermones meos non seruat. Et sermonem, quem audistis, non est meus: sed eius, qui misit me Patris.

§. V.

Dei verba in impiorum animis instar vacui soni habentur.

VAcui sunt Dei sermones in his, qui Deum non diligũt, qui iniquitate, sicut adipe, aures obstruunt: quippe vix est signum euidentius, quo ostendatur qualis quis sit, quam verbum Dei eius in auribus sonans. In quo enim Christiana est virtus, verba Dei excipiuntur, noscuntur, iuxtáque eorum sensum vita componitur; in quo autem non virtus Christiana, sed regnat vitium diabolicum, verba Dei instar vacui, & inutilis excipiuntur soni. Apud Matth. 17 dum Iesus in monte apparet gloriosus. *Ecce vox de nube, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Et audientes discipuli ceciderunt in facies suas, & timuerunt valde.* Sic verè Dei dilectores, discipuli Iesu ad vocem Dei immutantur; sic patre clamante filij prosternuntur, & metuunt. Hoc dum meditaris, propone tibi ob oculos, id quod accidit Ioan. 12 orante Iesu: *Venit vox de cælo, & clarificaui, & iterum clarificabo. Turba ergo quæ stabat, & audiebat, dicebat tonitruum factum esse.* Hic vox Dei reputatur tonitruus, ibi vox Patris, & audito tonitruo non immutantur populares, & audita voce immutantur discipuli. Vnde hoc? Sanè ex virtutibus animi in discipulis existentibus, in his filialis reuerentia, & humilitas erat erga Deum, & ideo ad eius vocem mouentur, & Deum verentur. In illis nihil erat reuerentiæ, nihil erat virtutis, sed superbia diabolica erat, quia Dei voces, non voces, sed tonitruum reputantes, nec ad tonitruum mouentur. Pulchrè D. Paschas. lib. 8. in Matth.

Ioan. 12.

Paschas. ait: *Quid est, quòd ibi tonitruum audiens turba, non cadet? Hic autem audita voce discipuli in faciem cadunt? Nisi quia ibi superbia tumet, hic autem humilitas pauet.* Quid regnet in cuiusque mente optimè monstrant Dei verba, quæ vbi offendunt animum virtutibus ornatum, in illo eriguntur, & ab illo penetrantur; non sic in corde vitiis affecto, à quo minimè percipiuntur diuinæ voces, sed quasi vacui soni reputantur. Loquere ad impios verba diuina; dicent tonitruum sonare: loquere ea ad virtutis studiosos, qui Iesum spiritum habent, eorum sententiam penetrabunt, cui etiam opera conformabunt. Habes etiam apud Exod 20. *Cunctus*

Exod. 20. *populus videbat voces, & lampades, &c.* Legem Dominus dictabat in flamma ignis apparens, & cunctus populus

lampa

lampades videbat, & voces. Quas voces? August. quæst. 72. in Exod. putat tonitrua, & tubas: putabant enim auditores & tonitrua, & tubas sonare. Aliter de populo Christiano
Luc. 1. loquitur Lucas in procemio Euangel. satus. *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis.* Illi voces, & tonitrua percipiunt, quæ fugiant: hi sermonem excipiunt, cuius sententiam calleant, & executioni tradant. Sed illi Iudæi rebelles, hi Christi discipuli: id quod
Ambros. notat D. Ambros. in procemio D. Luc. inquiens: *Populus videbat vocem Domini: in Euangelio autem non vox, sed illud quod præstantius est voce verbum videtur. Nec solum viderunt, sed etiam ministri, inquit, verbi fuerunt. Intentio visionis, actionis est ministerium.* Qui mundo, & vitiis renunciarunt in Euangelio, vt Christum sequerentur, hi non solùm voces, non solos sonos, sed & clara, & patentia Dei verba perceperunt, & inde ad opera deuenerunt. Miseri illi, quibus verba Dei, sermones Dei, non sermones, sed aeris percussi sonitus, sed nubium tonitrua videntur. Metuo ne his nulla Dei vox faueat, sed sine voce vlla fauente pereant. Ait enim
Psal. 28. Psal. 28. *Vox Domini in magnificentia, vox Domini confringentis cedros.* Expende, quòd vox Domini solùm dicatur esse in magnificentia, in cedrorum confractione non vox, sed Deus dicitur intercesse per illud, *Dominus confringentis cedros.* Aiebat
Ibid. D. Basil. ibi: *Sicut in magnifica anima fit vox Domini, sic etiam temere inflatos superbia confringere Deus dicitur.* Non illepida fit in his verbis allusio ad discrimen diuinæ vocis acceptæ ab hominibus piis, aut impiis. In illis vox fit humana, significatiua, rationalem indicans prolatorem: in his nihil humanum, nihil rationale sonat, sed quasi sola aëris percussio, & nubium rupturæ, quales fiunt in tonitru. Sic similiter ex parte Dei iustis viris, & magnificis vocem suam dat, melle, & fauo dulciorem, superbis, & inflatis, vt qui diuinas non obseruant voces, non dabit voces, sed scissiones, sed confractiones, quibus miserè confracti instar proceræ
Sap. 4. arboris cadentis pereant. Quò respiciebat Sap. cap. 4. *Quoniam disrumpet illos inflatos sine voce.* Dignum planè supplicium est illis, qui propter malitiam suam minimè obseruant Dei sermones, quòd tandem pereant, nulla illis patrocinante voce.

§. VI.

Non ex Deo, sed ex affectu nascitur difficultas in virtutis opere.

NOn otiosè vocat Dominus verba virtutum aliquando sermonem suum, & aliquando sermones: cùm de dilectoribus suis facit verba, ait quòd illi *seruant sermonem*; cùm autem de impiis loquitur, dicit ab his non seruari *sermones.* Eadem sunt Dei verba, sed hæc dicta pio homini, & amatori instar simplicissimi sermonis habentur, nec maiorem ingerunt difficultatem, quàm si verbulum simplex forent. Verùm vbi mundiali cœno inuolutis hominibus traduntur, eam multitudinem præseferunt præceptorum, quæ vel solo aspectu frangat hominem. Sed cùm eadem sunt, vnde fit, quòd vel multitudine importabilia appareant, vel simplicitate facilia? Non id ex Deo, nec ex ipsis præceptis, sed ex nostris affectibus oritur. In nostro affectu est, quòd grauia leuia appareant, vel salubria noxia. Quid salubrius
Num. 21. mannâ cœlesti? De illo tamen dicunt Iudæi Num. 21. *Nauseat anima nostra super cibo isto leuissimo.* Quid durius homini, quàm verbera, carceres, persecutio? Aiebat Paulus ad Colossens. 1. *Gaudeo in passionibus meis*, &c. Vnde in manna nausea, & in passionibus gaudia? Sanè nec manna nauseam, nec passiones gaudia afferre poterant: sed humani affectus in causa erant, quod illi nauseam crederent in cœlesti cibo,
Chrysost. hic autem gaudia in ipsis doloribus inueniret. D. Chrysost. in Psalm. 111. *Difficultatem non natura præceptorum, sed multorum solet socordia efficere. Itaque si quis ea cum studio, & alacritate animi susceptor, videbit ea esse leuia & facilia. Quando enim manna fastidiebant Iudæi, & id ægrè ferebant, & mortem exoptabant. Paulus autem cum fame conflictans, gaudebat, & exultabat. Illi dicebant: Animo nostra arida est in manna. Eduxisti nos, vt interficeres. Paulus autem: Gaudeo in passionibus meis*, &c. Ecce tibi prout erat affectus suscipientium, sic apparebant res ipsæ, quæ excipiebantur, adeò, vt Pauli gustus dulcia, & facilia faceret ea, quæ alioquin essent durissima carni. Et Iudæorum tædium instar mortis habebat saluriferam mannæ escam Angelorum manus fabricatam. Nos ipsi si sapimus, possumus amarissima quæque saporare, & in dulcedinem transmutare; secus si desipimus,

tunc ipsa dulcedo insipida videbitur, & abominabilis. Congregationi fidelium, quæ est Ecclesia, dabat Angelus librum comedendum, Apocal. 10. vbi ait: *Accipe librum, & deuora illum, & faciet amaricari ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce tanquam mel.* Expende vbi liber amarus appareat, & vbi appareat dulcis amarus in ventre, dulcis in ore? Cur amarus in ventre? Cur in ore dulcis? In ventre quidem humi repentes hominum mores considera, in ore sapientes, & studiosos virtutis. Hi sermonibus diuinis inhiant; illi sola quæ ventris sunt diligunt; hi veluti sapidissimas dapes leges glutiunt: illi amarissimos succos in præceptis fugiunt. Non longè abest D. August. homil. 8. in Apocal. inquiens: *In ore intelliguntur boni, & spirituales Christiani, in ventre carnales, & luxuriosi. Inde est, quòd cum verbum Dei prædicatur, tunc spiritualibus dulce est; carnalibus verò, quorum, secundum Apostolum, Deus venter est, amarum videtur, & asperum.* Ex his qui in nobis sunt affectus, nascuntur aut amaritudo, aut dulcedo, aut facilitas, aut difficultas in legibus diuinis. Vnde Cant. 1. aiebat Dei amatrix: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi.* Et quidem c. 4. dicebat ipse: *Vadam ad montem myrrhæ.* Vnde ergo, qui mons myrrhæ erat, fasciculus apparuit? Id ostendit particula illa *mihi*: esset mons aliis, verùm sponsæ amanti, & cupienti fasciculus videbatur. Pulchrè D. Bernard. serm. 43. in Cant. *Non ait tantum, fasciculus myrrhæ dilectus meus, sed mihi, inquit, qua diligo, fasciculus est. Vade, & dilectum nominat, monstrans dilectionis vim omnium amaritudinum superare molestiam, quia fortis est, vt mors dilectio.* In qua erat ardens erga Iesum affectio, non poterant etiam montium difficilia in compendia gratissima conuerti, & aspera in vias planas.
Apoc. 10.
August.
Cant. 1.
Bernard.

Text. Hæc locutus sum vobis apud vos manens Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.

§. VII.

Iesu abiectus conspectus efficacior ad persuadendum est, quam sapientum mundialium decora.

HInc suam virtutem Dominus extollit, quòd tam multa, & tam mira locutus fuerit apud homines manens; adhuc infirmus erat, adhuc abiectus, & vilis videbatur, & tamen mira loquitur. Et cur mira humilis Iesus non loquatur, quando vel eius infirmitas in persuadendo vincit vniuersos sapientes mundiales? Felices illi Magi iubentur ab Herode, vt post inuentum puerum Iesum, & adoratum redirent Ierosolymam renuntiaturi de tanto inuento thesauro. Verùm vbi illi puerum vagientem inueniunt, ibi responsum accipiant, ne ad Herodem redeant. Quid tunc? Hinc vrgebat potentissimi regis imperium eiusdem simulatio, & verba hamata, quæ deuinctos traderent, illinc pueri vagientis responsum in somnis notificatum: contemnent sapientissimi viri regis verba, vt infantis crepitaculis pareant. Accipite Imperfect. hom. 2. in Matth. fantem: *Meritò irascebatur Herodes, quia quibus ille sedens in throno regni, & vestitus purpura suadere non poterat, hic Iesus paruulus, & pannis inuolutus placuit.* Minor est regia mundi sapientia, siue astutia ad persuadendum, quam vel crepitacillus Christi infantis. Quid non machinata est sapientia mundialis; imò & diabolica, ne Iesus Deus haberetur? Quantis opprobriorum vmbris illius diuinitatis radios curabit obtenebrare? Illum morti dedit vt appareret mortalis, inter latrones crucifixit, vt peccatorem prædicaret, verùm vbi crucem subiit ipse Iesus pauca verba locutus, sic vicit omnes tenebras, vt suam latroni persuaderet diuinitatem. Pro quo D. Chrysost. serm. de latrone, ait: *Non illo tempore mortuum aliquem reddidit lacessit, nec mare à suo tumore compescuit, nec expulit dæmones: sed cruce suspensus, clauis affixus, omnibus subiugatus, deditatis succumbens infamia, insultantium derisione delusus, latronis aduersarum mentem valuit commutare, vt ex omni parte eius diuinitas sentiretur.* Erubescat sapientia mundialis, vel cum stultitia crucis composita: non Moysis cathedra, non templi candelabrum possent, quod crux Iesu, & mortis vmbra valuit persuadere de eius diuinitate. Hinc efficacissimum oratorem respiciebant verba illa 2. Reg. 23. nimirum: *Sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres: ipse est tanquam tenerrimus ligni vermiculus*, &c. Compone ligni vermiculum
Imperf.
Chrysost.
2. Reg. 23.

cum sapientissimo cathedræ sessore: & ligni vermiculus est Iesus dum in cruce apparet vermis, & non homo, opprobrium factus & abiectio plebis. Sed in illa sua abiectione, & humilitate degens non inter homines, sed inter latrones, quasi omnium sapientissimus in cathedra sedens mundialium errorum expellebat tenebras, & suæ diuinitatis persuadebat splendores.

§. VIII.

Charitas cordibus humanis infusa sapientissimas generat de Deo cognitiones.

TVnc Spiritus sanctus diffunditur in cordibus nostris, quando Dei charitas infunditur nobis, hæc enim est singularissima Spiritui sancto appropriata operatio. Sed expendendum venit, quòd à charitate per Spiritum sanctum infusa dicamur docendi omnia. Charitas in voluntate est, scientia in intellectu; quomodo ergo charitas docebit, quãdo voluntas potius mouetur ab intellectu, quàm ipsa intellectum moueat? Hoc præstantissimum habet charitas diffusa per Spiritum sanctum in cordibus nostris, quòd ipsa illuminet mentem, nobiléque faciat de Deo & concipi, & parturiri cognitiones. Interrogatus Iesus Matth.22. de primo, &
Matth.22. maximo mandato in lege posito, illud notissimũ designauit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. Et mirabar, quòd ibi mandaretur solùm Dei dilectio, & nulla de Dei
Ioann.17. cognitione fieret mentio, præsertim cùm dicat Ioann. c.17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Cur ergo nihil ibi de cognitione? cur
Chrysost. prima dilectio ponitur? Pulcrè D. Chrysost. hom.26. ex variis, ait: *Non dixit, cognosces Deum Dominum tuum, sed diliges, quoniam cognoscere verum Deum, penè proprium est humanæ naturæ: diligere autem eum religiosi cordis est, & recti. Et quicumque dilexerit Deum ex toto corde, non est possibile vt non perueniat ad filij eius agnitionem. Ipsa enim dilectio Dei, quæ in eo habetur, illuminat eum.* Ignis est charitas per Spiritum sanctum infusa, lampas est, quæ posita in medio cordis humani, totam illuminat mentem, nullámque de Deo, & virtutibus
Ioann.1. non facit parturiri cognitionem. Quò respiciens Ioann. 1. epist.2. aiebat primitiuis Christianis: *Vnctionem habetis à Sancto, & nostis omnia.* Ecce tibi in vnctione oleum, in scientia lumen, quibus perficitur charitatis lampas à Spiritu sancto
Laurent. infusa cordibus nostris; vt dicat D. Laur. Iust. in ligno vitæ c.6. de charitate: *Hæc suauissima charitas illuminat, quia lumen est, de quo dicitur: Vnctio eius docet vos de omnibus.* Nec immeritò de charitatis præcepto aiebat Psaltes 18. *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Non finit coecutire charitas eos, quos possidet, vt ardet, sic illuminat; nihil de infernorum lumine habet, sed tota coelestis est, & gloriosa, quæ & calore vrget, & charitate illustrat, vt apertiùs ad Deum, & virtutem spectantia cognoscantur omnia. Mone-
Osea 10. bat Oseas cap.10. *Seminate vobis in iustitia, metite in ore misericordiæ, innouate vobis nouale.* Quæ verba Septuag. transferunt: *Seminate vobis in iustitia, vindemiate fructum vitæ, illuminate vobis lumen scientiæ.* Expende illud, *Vindemiate vobis fructum vitæ*, nimirum, charitatem, qua per Spiritum sanctum inebriati Apostoli, reputabantur musto pleni. Et quidem hoc mustum propinat Spiritus sanctus, mustum nimirum charitatis. Quid tunc? *Illuminate vobis lumen scientiæ.* Ex quo charitatis mustum in nobis feruere coepit, iam inde lumen splendet, quod ignorantias, & tenebras expellit, quod homines sapientes efficit. Aiebat D. Laur. Iust. in fasciculo Amoris c. 6. *Quicumque ardenter Deum amat, sapit.* Facit amor diuinus in corde ardens sapientes: adeò vt coecus ille sit, qui in corde suo hunc ardorem non sentit. Ille
Num.24. Balaam Numer. 24. de se ait: *Dixit Balaam filius Beor, dixit homo, cuius obturatus est oculus, dixit auditor sermonum Dei, qui visionem omnipotentis intuitus est.* Fatetur se intueri visiones Dei, & simul se fatetur obturatos oculos habere; si visiones videt, imò intuetur, quî fieri potest, quòd obturatis sit
Rupert. oculis? Rationem pulchrè reddit Rupert. lib.2. de Process. Spiritus sancti cap.11. fatus: *Non enim in corde per dilectionem sapiebat ea, quæ Domini sunt, quamuis ore per scientiam proferat ea.* Et si perspicax videaris in diuinorum cognitione, si illa non nascitur à lampade charitatis, quæ sit in corde, coecus es, & miserabilis, densissimísque tenebris habes obtura-
1. Ioann.1. tos oculos. Præclarè aiebat D. Ioan. 1. epist.2. *Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit, quò eat: quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius.* Vnà hac charitis face extincta in corde, nihil prosunt aliæ sapientiæ mundialis, scientiarúmque lumina, cum his omnibus coecutibis. Eu quoties vidi sapientiæ lumina ob charitatem extinctam, ob odium fratris conceptum, sic caligare circa notissima, vt nullus cæcus esset maiori caligine obtenebratus. Aiebat Chrysost. hom. de eruditione disciplinæ. *Qui fratrem suum* Chrysost. *odit, in tenebris ambulat, ipso scelere obcæcatus. Vadit enim nesciens in gehennam ignis, & præceps fertur ad pœnam, separatus à lumine Christi.* Expende maximè illa verba, *scelere obcæcatus vadit nesciens in gehennam*; & tecum meditare si quis sit doctus alioquin, qui post congestas contumelias, irrisiones in fratrem, nullum inde se morsum conscientiæ sensisse glorietur. Qualis hic? Si quis alius, euidentissimè scelere obcoecatus vadit nesciens in gehennam. Vidi hominem, qui amici querimoniam de aliquibus hominibus vindicans, in homines insurgit, probris illos, & irrisionibus percutit, & cùm alioquin vir esset doctus, & acutus, stultissima eruditione vtens illos magis, ac magis vrget: is tamen clarè præstabatur se in his nullum vnquam conscientiæ morsum sensisse. Qualis hic vir? Is Chrysostomo est ille, qui scelere obcoecatus vadit nesciens in gehennam.

§. IX.

Post Iesum familiarissimus factus est Deus hominum colloquijs.

SVffecisset, quòd diuinus Spiritus aliquando dignaretur loqui ad homines, & non solùm loqueretur, sed & suggereret nobis verba, hoc est, ad aurem loquetur, quasi intimè proximus, & familiaris. Minime id assecuti fuerunt antiqui Israëlitarum patres, sed post Iesum id habet etiam popularis Christianus. Non enim spectamus Deum à longè loquentem; sed intus experimur suggerentem, quæ nobis sunt necessaria. Exod.19. populares educti à Moyse: *Steterunt ad radices montis. Totus autem mons Sinai fumabat, eòque descendisset Dominus Deus super eum in igne, & sonitus buccinæ paulatim crescebat*, &c. Notate quæso vbi erant populares, & Exod.19. vbi erat Deus quando lex promulgabatur; Deus erat in cacumine montis, populus autem ad radicem montis. Cur non magis Deus populo appropinquabat? Nónne descenderat Dominus, vt loqueretur ad populum, vt verba legis illis faceret? Cur ergo non approximat? Nondum Iesus erat, qui solus fecit nobis Deum adeò familiarem, vt loqueretur ad aurem. Non longè D. Cyril. Alex. de ador. in Spiritu lib.7. abest fatus: *Intellige Deum cùm veterem legem priscis illis hominibus ferret, descendisse, non vbi populus erat, sed in sublimem locum, & quidem procul: recesserat enim à longè adhuc, cùm ille vnigenitus nondum ad nos per carnem accessisset.* Vbi Cyrill. Moyses tantùm erat, vbi Iesus adhuc non erat; loquebatur Deus hominibus leges vitæ, sed loquebatur à longè: post Iesum adeò familiaris fit nobis Deus, vt ad aurem loquatur, vt suggerat necessaria. Hinc aiebat Sponsa, Canticorum 2. *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles. Similis est dilectus meus capreæ, hinnuléque ceruorum: en ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. En dilectus meus loquitur mihi.* Iam non è montium cacuminibus sonat vox Dei ad Moysem, audientibus à longè populis, sed postquam Iesus nostris est receptus parietibus, adeò familiaris factus est Deus, vt ipse loquatur in singulis: mihi, ait, loquitur, ad me descendit, & proximus factus dulcissima suggerit. Huc refert non nemo Spiritus sancti aduentum, de quo ait Actor.2. *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum.* Cant.2. Expende vbi insideat diuina lingua: an in vertice montis? An in medio sublimis aëris longè populis? Absit: hoc enim Actor.2. fiebat tempore Moysis, dum adhuc legebatur Moyses, à sublimi Dei vox sonabat, post Iesum consummatum iam à proximo loco sonat, supra singulos sedet diuina lingua, & auribus suggerit, quod nobis est bonum. Hinc Cæsarius Nazianzeni frater, dialog.3. discrimen notat inter Ioannem Baptistam, & Euangelistam: *Ille diuinum, & sacrosanctum Spiritum in specie columbæ vidit tantum super verbum in carne baptizatum; hic autem in specie linguæ ignis super suum ipsius proprium accepit caput.* Non à sublimi aëris siue montis audimus Deum, sed diuinissimam eius linguam nostris sentimus insidentem auribus. Paul.1. ad Corinth.15. de hominibus resurgentibus locutus ait: *In momento, in ictu oculi, in nouissima tuba.* Quæ verba meditatus mirabar, quòd Deus hominibus adhuc loquatur per tubam; cur bone, non magis dignaris hominibus approximare? An quia dedignaris nobis ad aurem loqui factus proximus, per tubam loqueris? 1.Cor.15.
Absit:

Absit: imò, vt magis suam familiaritatem, & approximationem ad homines ostenderes. Vidisti sæpe surdos habere quasdam ad aures turbellas, quibus necesse est, quòd approximent, & quasi sese illis infundant, qui velint verba facere mutis. Tunc tuba non distantiam, sed intimiorem notat approximationem: ira Deus, vt ostendatur, quàm proximus, & familiaris adsit locuturus, dicitur locuturus
Gillibert. per tubam. Non aliud voluit Gillib. Abb. ser. 18. in Cant. fatus: *Nouissima tuba est, quando non iam in pagina, sed in ipsa præsentia innotescit, quando quis efficitur docibilis Dei, quando post Prophetarum sermones nouissimè in se ipso Dei filius Patris verbum loquitur.* Itaque post Iesum sic Deus adest hominibus, vt qui ad aurem loquitur per tubam cum surdis.

Text. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet.

§. X.

Cur bonorum mundialium hæreditate non pax, sed lites relinquuntur.

Ille solus Dominus potuit dicere suis reliquisse pacem, qui illis non mundialia, sed æterna bona prouidit: cum mundialibus enim bonis nunquam pax, sed lites, sed bella relinquuntur. Quæ bonorum mundialium hæreditas non tot peperit lites, quot habuit in testamento litteras? Quæ non feralissima odia seminauit inter fratres? Vbi mundialia bona omnia diuidēda erant inter paucos fratres filios Noë,
Genes. 9. statim oriunda bella præcauens lex diuina, ait Gen. 9. *Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis, de manu viri, & de manu fratris eius requiram animam hominis.* Expende, quàm sapienter expresserit id, *& de manu fratris.* Deus bone, tam citò times homini tuo, à manu fratrum eius? Cur id tam citò times? Introducebantur homines in bona omnia mundialia, quæ inter se diuiderent, vbi autem bona dantur mundialia, nihil proximius timendum, quàm lites, quàm bella, quàm mor-
Ambros. tes fratrum. D. Ambros. lib. de Noë, cap. 26. ait: *Ideo Dominus fratrem appellauit, & eum, à quo sanguis fratris requiritur, significans magis ab his periculum pertimescendum, qui fraterno iure sibi sociantur. Hinc etenim insidiæ, hinc pericula frequentiora hominibus comparantur. Fratribus in hæreditatum diuisione frequenter odia succrescunt. Si fratri amplius collatum fuerit à parentibus, fratres alij indignantur magis, & gratiam à parentibus collatam parricidia auferre conantur. Ista magis bella suspecta, bella non tibi tantùm, sed singulorum donorum.* Ecce tibi, quàm inseparabilia sit hostilia bella à mundialibus hæreditatibus. Vbi mundialis hæreditas est, nihil ibi fraternum, nihil pacificum mediteris: sed hostiles occursus, sed odia exardescentia, sed insidas neces. De truculentissimo Assyriorum exercitu aduersùs Israëlem veniente locutus Mi-
Mich. 1. chæas ait cap. 1. *Adhuc hæredem adducam tibi, quæ habitas in Maresa.* Crudelissimos hostes hæredum nomine insignit, tam propria enim sunt hæredum bella, rapinæ, cædes, quàm propria sunt exercituum. Sed cur præcipuè modò hostiles exercitus vocantur hæredes? Verba dirigebantur ad Maresam, quæ, teste D. Hieron. idem sonat ac hæreditas: vbi ergo hæreditas mundialis memoratur, non alij hæredes potuerunt effingi, nisi qui crudelissimi essent hostes, qui bel-
Rupert. lo indicto pacem prorsus eligerent. Non longè abest Rupert. in præsenti fatus: *Quia enim Maresa hæreditas dicitur, aduentum in eam hostium pro hæredibus appellauit.* Nunquam enim scit hæreditas mundialis non ciere bella, non hostiles incursus parturire, non esse mediis in periculosissimis pugnis. De eo qui multus est in habendis diuitiis aiebat
Eccles. 5. Ecclesiast. cap. 5. *Et quidem omnibus diebus suis in tenebris comedit, & luctu, & iracundia multa, & languore, & insania.* Quasi hæc sint bonorum temporalium inseparabiles comites, nimirum, fomenta irarum, & iurgiorum, & litium, ex
Hieron. quo D. Hieron. ibi monebat: *Languor est pessimus pro diuitijs cogitatione torqueri, & perituras opes in tristitia, in gemitu, in indignatione, in litibus casso labore conquirere.* Quando bona mundialia habentur, sine litibus, sine indignationibus, sine iracundiis, sine bellis? Apparuit tandem diu expectatus Messias Iesus Filius Dei, in quo nihil non temporale
Matth. 21. meditati Iudæi apud Matth. 21. dicebant intra se. *Hic est hæres, venite occidamus eum, habebimus hæreditatem eius.* Ad hæc verba putant multi Iesum fuisse cognitum à Iudæis Filium Dei: verùm sapienter Euthymius dicit fuisse cognitum non vt Filium Dei explicitè, sed vt Messiam, & regem Israëlitis, totius populi hæredem. Quid tunc? Vix in eo temporalem hæreditatem auspicantur, & ecce bella, ecce odia, ecce neces, venite occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius. Euthymius ait: *Non occiderunt eum, tanquam Dei Fi-* Euthym.
lium: sed occiderunt tanquam vineæ hæredem, siue tanquam regem Israël. Aspicientes ad ea, quæ operabatur, miracula, cognouerunt apud semetipsos hunc esse, quem Prophetæ regem Israël annuntiauerunt, consilium verò ceperunt, vt eum occiderent, & ita occuparent deinceps eius hæreditatem, hoc est, populum. Sic temporalis hæreditas incentiuum odiorum est, & crudelium rixarum causa.

§. XI.

Deus homini suo imperturbabilem requiem prouidit, & tranquillitatem

Ecce quid homini suo prouideat Dominus hinc abiturus; pacem prouidit, & tranquillitatem absque vlla perturbatione, ait enim, *pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non turbetur cor vestrum,* &c. Et quando Deus in homine suo non optauit pacificam requiem, & imperturbabilem tranquillitatem? Post perfectam orbis operationem die sexto condidit hominem, & immediatè septimo die requieuit ab omni opere quod patrarat. Cur statim post hominem in Deo non nisi quies apparet? Cur non magis apparent Dei opera? Cur non magis sese Deus ostendit homini operibus incumbentem, cœlos fabricantem, terras ornantem, animalia producentem? Sanè non prouidebat Deus homini suo negotia mundialia, sed imperturbabilem requiem, & tranquillitatem, & ideo recens creato homini requiescens apparuit? Pulchrè D. Anselm. in cap. 4. epist. ad Rom. ait: *Cur* Anselm.
enim diceret post illam diem, in qua homo creatus est, sequenti die requieuit, & ab opere cessauit, nisi per hoc vellet innuere, quoniam illum, post cuius creationem requieuit, ad requiem fecit? Hæc propria dos hominis est, hæc propria illius hæreditas à factore suo prouisa, nimirum, & requies & tranquillitas imperturbabilis, quòd cum hac pace, & tranquillitate opus consenserit, id in suo homine Dominus approbat, reprobat autem quodcumque opus, quo perturbetur pax, & tranquillitas animi. Nónne Martha illa satagebat circa frequens ministerium? Et hoc Saluatori haud ingratum accidit. Verùm vbi aduersùs sororem suam querelas adstruit, sic illi respondet Saluator Luc. 10. *Martha, Martha solicita es, & tur-* Luc. 10.
baris erga plurima. Porrò vnum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Quod placuerat Deo mysterium, incipit non adeò placere, ex quo & dissidium aliquod, & perturbatio cœperunt pullulare, quando Deus in suis perfectam requiem, & imperturbabilem amat tranquillitatem, quæ est pars, & hæreditas à Deo suis appropriata. Hinc D. Thom. in Cat. ex Theophylacto aiebat: *Non* D. Thom.
ergo Dominus hospitalitatem prohibet, sed plurimorum turbationem, & tumultum, & vide consilium Domini, quòd prius Dominus nihil dixerat Marthæ, sed postquam illa sororem ab auditu studebat auertere, tunc Dominus occasione habita increpauit eam. Martha placuit obsequio dum nullam in se turbationem, nec dissidium à sorore repræsentauit, vbi autem turbatur, vbi dissidet, vbi sororem iudici defert, iam non adeò gratum Deo opus facit, non enim à Deo venit turbatio, & dissidium, sed pax, tranquillitas, gaudium. Quò spectans D. Iacob. in epist. cap. 4. ait: *Vnde bella, & lites in vobis? Nónne* Iacob. 4.
ne hinc? Ex concupiscentijs vestris, quæ militant in membris vestris. Nunquam Deus prouidebat lites, bella, dissidia homini suo, hæc aliunde venerunt; vbi homines cœperunt Deo non militare, eiúsque stipendia fastidire, sed propriis inseruire cupiditatibus, statim pax, & tranquillitas ablata fuit, & introductæ lites, & certamina. Magnus Isaac Genes. 27. simplicissimo filio Iacob nihil non pacificum, & quietum imprecatus est, dum illi benedicit, *Ecce odor filij mei sicut* Genes. 27.
odor agri pleni, cui benedixit Deus. Quod expressius pacis, & quietis signum, quàm odor agri, quàm agricultura? Sic pro pacis commendatione conuertuntur apud Isaiam gladij in aratra, & Issachar, qui requiem amabat, colendis agris se tradidit. Pergit bonus ille Pater benedicturus alteri filio Esau, & ait: *Viues in gladio, & fratri tuo seruies.* Ecce bella, ecce lites; cur Esau in gladio, in bello, in litibus substatia paratur? Non Deo hic militabat, sed cupiditatibus suis, ex quibus nihil prius exit, quàm bella, quã lites. Pulcrè Rup. Rupert.

apud Lyppom. in Cat. ait. *Hæc illi extrema benedictio congruit, qui esuriem nesciebat gratiæ spiritualis, quippo qui propter vnam escam, primogenita sua vendidit.* In quo non Deus, sed concupiscentia regnabat, necessum erat, quòd bella essent, quòd dissidia, quòd fratris odia; hæc suis militibus à concupiscentia parantur, Deus autem suo homini requiem parat, & pacem. Id quod ea Deo sperabat Paul ad Rom. 6. aiens. *Deus autem spei repleat vos omni gaudio, & pace.* (Rom 6.)

Text. Audistis, quia ego dixi vobis, Vado & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem: quia Pater maior me est. Et nunc dixi vobis priusquam fiat, vt cùm factum fuerit credatis.

§. XII.

Magni alicuius operis nouitate ne quos offendas, illam emollire cura præmissa fama, cuius auditu se homines assuescant.

NOn semel fecit Deus inter discipulos discessum suum exaudiri; imò sæpe de morte, de toto crucis mysterio verba fecerat, vt assueti discipuli auditu eius, non adeò exhorrerent nouitatem rei, cùm appareret. Hoc sit singulare Principibus consilium, nihil nouum, & inaodítum populo producant; verùm si quid magnum efficiendum est, famam, tumorémque rei præmittant, qua assueti populares, faciliùs postea rem excipiant. Sic Deus Opt. Max. vbi filium suum introduxit in mundum, ingénsque illud opus executioni mandauit, præmisit semel, & bis Angelum suum nomine Gabrielis insignitum: habes Luc 1. *Missus est Angelus Gabriel à Deo,*&c. Cur vocabulum *Gabrielis* præmittitur in Angelo tam noui, inauditique mysterij nunciatore? Multis Gabriel idem est, ac nobiscum Deus; præmittitur ergo in nomine Angeli exequendi mysterij fama, vt illa iam voce audita populares assueti, faciliùs postea rem adeò magnam valerent suscipere. Ita D. Proclus homil. de Dom. Nat. inquit: *Et quid quæso Gabriel interpretatum sonat? Audi, & disce; vtique idem sonat, quod Deus homo, qua dispensationis mysterium faciliùs persuadeat, rei miraculum nominis ratione anticipat.* Quid pulchrius? In Angeli nomine anticipat famam mysterij nouissimi, vt cùm assuescerent aures humanæ hominem Deum audire, faciliùs persuaderentur postmodum de re visa. Hoc audiant, & discant prudentissimi gubernatores, ne quid nouum repentè, & subitò in medium producant: priùs quasi vanos rumores rei spergant, iactentur vel nomina in vulgus, nulla enim est res adeò dura popularibus, quæ frequenti non molliatur auditu. Et quidem vel ex hac optimi gubernatoris præstantia conuincit Tertullianus Marcionem, qui asserebat Christum nulla antea sui præmissa notitia, neque in lege, neque in Prophetis, neque in signis in mundum introductum fuisse. Sic enim ait ille lib. 3. *Subitò filius, subitò missus, subitò Christus. Atqui nihil putem à Deo subitum, quia nihil à Deo non dispositum.* Vanus est qui à Deo summo gubernatore rem aliquam magnam & insolitam subitò introducendam esse putat. Non is est gubernator Deus, qui amet nouitatibus offendere subditos, sed sic omnia disponit, vt magnorum omnium priùs famam inseminet, spargat rumores, quibus emollita nouis plus placet, cùm iam nota mandatur executioni. (Luc. 1.) (Proclus.) (Tertull.)

Text. Iam non multa loquar vobiscum, venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quidquã. Sed vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio: surgite eamus hinc.

§. XIII.

Qui Dei amore tenetur, non mortem timet, sed libenter amplexatur.

SEse iam Dominus morti traditurus, aduentum notat maligni hostis, cùm ait: *Venit Princeps mundi huius,*&c. Venit enim semper sæuissimus hic tyrannus, vbi viderit homini appropinquare tempus mortis. Imò quos in vita fortiores inuenit, firmioresque in virtute, illos vehementius impugnat tempore mortis, de corporearum virium infirmitate audaciam sumens, nouam in se alit spem victoriæ. Et quis miles non in magnas surgit spes cùm viderit hostiles infirmari, imo protsus corrui muros? Sanè tunc vbi muri corruunt, fortiùs instaurantur certamina penè relicta. Sic etiam huius mundi Princeps tunc confidentiùs instaurat certamina, cùm cernit corporeas hominum vires in morte corrumpi. Semel, & ter aggressus fuit hic pessimus inuictissimum Iesum in eremo agentem, & quem ter expertus fuit, inuictum tandem reliquit; sed qualiter reliquit? Reliquitne Dominum quasi nunquam ad eius impugnationem rediturus? Audite D. Luc. c. 4. *Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo, vsque ad tempus.* Tres frustrà fecit hostis incursus in Iesum, & his tribus peractis frustrà incursibus discedit miser, sed discedit vana adhuc spe delusus, sperans tempus aliud, nimirum, tempus mortis sibi magis idoneum ad victoriam. Aiebat ad hæc D. Athanas. orat. de Pass. *Tunc diabolus cum pudore recedens, obseruandum sibi persuadebat tempus mortis, certus omnino posse se per mortem, qua omnes in seruitutem redegerat, etiam hunc tentationibus subigere. Scriptum est enim apud Lucum, quòd cùm consummasset diabolus omnem tentationem, abscesserit ab eo in tempus idoneum.* Opportunissimum sibi ad instauranda certamina putat diabolus tempus mortis, vbi incipiunt homines corporaliter infirmari, statim accurrit nefarissimus hostis, nec dubitat se posse vincere illum, qui captiuus penè iacet sub dominio mortis. Dicebat Dominus in præsenti: *Venit Princeps huius mundi, & in me non habet quicquam.* Quæ verba meditatus D. Gregor. hom 39. in Euang ait: *Vade curandum nobis est, & cum magnis quotidie fletibus cogitandum ne quàm rabidus, quàm terribilis, sua in nobis opera requirens in die nostri exitus princeps huius mundi veniat; si enim ad Deum carne morientem venit, & in illo aliquid quæsiuit, in quo suum inueniro nihil potuit, quid nos miseri dicturi, quid acturi, qui innumera mala commisimus?* Durissimum viris iustis bellum parat hostis in vitæ exitu, tunc omnes suas copias, omnes suas adhibet vires, quibus certiores suas faciat victorias. Numquam potentior mihi crede, quàm tunc aduenit conflicturus cum homine. De cæteris conflictibus notissimum est illud D. Petri assertum, quòd *inimicus diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens, quem deuoret.* Venit ad certamen in vita, sed venit vt miles priuatus, venit vt *singularis ferus,* iuxta Psalm. 79. Verùm in mortis tempore non singularis, non priuatus venit, sed princeps, ait enim Dominus: *Venit Princeps huius mundi.* Cur in vita venit priuatus & singularis, in morte venit Princeps? Vt cum potentiori ostendatur tunc temporis esse certamen: dum viuimus cum priuato, & singulari milite, confligimus, cùm ad mortem accedimus, non priuatum militem, sed Principem creuentissimis cinctum copiis experimur. Adeò, vt qui vincat iustus, necesse habeat non hostem, sed exercitus validissimos sustinere, percutere. Exeunti ah hac vita iusto dicebat Psaltes 90 iuxta D. Bernard. *cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.* Ecce tibi quot millia hostium insurgant aduersus iustum exeuntem à vita, cum confertissimo, & validissimo exercitu venit tunc Princeps huius mundi: illud certamen tunc iustis viris paratur, quo egeant millenos, & decenos millenos transfigere. Pulchrè D. Bernard. serm. 7. in eundem Psalm. inquit: *Eodem sanè rubescentis infamiæ zelo, sed licentia ampliori euntibus sanctis adest diabolus. Nullus illis ad cœlum nisi per medios hostium cuneos patet accessus, in itinere medio sunt gigantes, in aere volitant, obsident transitum, obseruant transeuntes. Magni sunt, multi sunt, sed cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.* Qualia ô Christiane tibi sunt paranda arma ad tempus illud, in quo necessum est tibi millenos, & decenos millenos hostes transfigere, si transire velis securus? Vtique omnes cadent; si vnus stet Iesus a latere tuo: sic pergit Bernard. *Planè ad nihilum deducetur in conspectu eius malignus, sic timentes se glorificabit. Præsente te Domine Iesu quantumlibet irruant hostes, imò non irruant, sed ruant, confluant vndique, sed vt fluant, & pereant à conspectu Domini, quemadmodum fluit cera à facie ignis.* Sic ille. (Luc. 4.) (Athanas.) (Gregor.) (Psal. 79.) (Psal. 90.) (Bernard.) (Idem.)

§. XIV.

Hostis antiquus tempus nostræ mortis maximè obseruat. In quo graue certamen manet iustis.

VT cognoscat mundus, quia diligo Patrem, surgite eamus hinc; eamus, inquam, in mortem, eamus in crucem

cem paratam. Nullo equidem testimonio euidentiori sese prodere potuisset diuini parentis amor, in Iesu corde existens, quàm dum non dubitat mortem subire, vt ad Patrem vadat. Proh diuinæ charitatis validissimus ardor! Foras mittit timores, mortem amplexatur. Ad hæc aiebat D.Bernard.

Bernard.

serm. de vita. *Terrentur licèt martyres, vident: feriuntur, & gaudent: occiduntur, & ecce triumphant. Quare? Quia morte charitatis intus in corde iam dudum mortui peccatis, mortui mundo, tanquam insensibiles facti, nec minas, nec tormenta, nec mortem scire potuerunt.* In corde tuo ardeat Dei amor, & mortem nihili facis, & nihilo minus intrepidè sub vmbra mortis sedes, quàm sub vmbra palmæ. Euanent mors in conspectu Dei amatoris.

Osee 13.

Oseas enim cap. 13. ait: *Adducet Dominus ventum vrentem de deserto ascendentem, & siccabit venas eius.* Cuius? Glossa interlinealis notat, *& siccabit venas mortis.* Quis non cupit tali æstu comburi, quo prorsus apparent siccatæ mortis venæ? Nil durum in morte, nihil acerbum apparet, vt charitatis flammeus æstus intima tenet penetralia pectoris. Dicebat meritò D. Paulus ad Philipp. 1.

Philip. 1.

Mihi viuere Christus est, & mori lucrum. Vbi totus sic Christum amabat, vt Christum pro vita haberet: vbi Christi amor illi vita erat, de cuius flatu respirabat, nihil in morte videbat nisi lucrum, ad illam vt ad lucrum maximum currebat. Et quantum lucrum putares mortem Christi amator? D. Cyprianus lib. de Mortal. ait.

Cyprian.

Lucrum maximum computans, iam sæculi laqueis non teneri, iam nullis peccatis, & vitiis carnis obnoxium fieri, exemptum pressuris angustiis, & venenatis diaboli faucibus liberatum ad lætitiam salutis æternæ Christo vocante proficisci. Ecce tibi Dei amator, quòd lucra in morte videt, hæc vt cernantur facit flamma amoris, in pectore existens, quibus lucris visis, non est cur non festinet Dei amator de corporis carcere exire, non est cur non fastidiat omnia, quæ in hac sunt mortali vita, spectans bona futura.

Rom. 8.

Ad Rom. 8. de Apostolis dicebat ipse Paulus: *Nos ipsi spiritus primitias habentes, & ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum expectantes, redemptionem corporis nostri.* Expende priùs quales se ostendant Apostoli, nimirum, *primitias spiritus habentes*, hoc est, iuxta D.Anselm. ibi,

Anselm.

quorum iam spiritus tanquam sacrificium oblati sunt Deo, & diuino charitatis igne comprehensi. Ecce tibi illi ipsi qui primò charitatis igne arserunt, qui in corde suo igneis diuini amoris linguis pabula dederunt, nihil priùs inde faciunt, quàm gemere sub huius caducæ vitæ conditione, & auide appetere solutionem corporis, & hæreditatem vitæ æternæ. Proh felices Dei amatoris gemitus totam consolationem in solutione corporis ponentes.

Richard.

Pulchrè Richardus Victorinus tractat. de superexcellenti Baptismo Christi, ait: *Vbi occurrit latitudo charitatis, tunc primum profert gemitum columba. Quis est gemitus columbæ? Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Et, quando veniam & apparebo ante faciem Domini? Et, cupio dissolui, & esse cum Christo. Omnis enim animo vulnerata charitate, & amore languido, nihil inuenit sub sole, in quo consoletur, sola memoria Dei illam delectat, cuius omne desiderium est, vt sit ante Dominum. Coruus verò longè alium habet gemitum. Tunc gemit coruus, cùm ei desunt cadauera, in quorum fœtore immergit rostrum. Tunc gemit coruus, cùm dicitur ei, vt egrediatur de corpore. Tunc clamat, & dicit: non hodie, sed cras, non hodie, sed cras. Columba non dicit cras, sed hodie cùm monetur exire de carcere.* Quid pulchrius? Piaculum fuisset, vel verbum præterire. Itaque vbi in corde tuo charitas Dei alitur, columba alitur gemebunda, quæ gemit sub pressuris huius vitæ, & spectat sola futura, quæ tenuit consolari nisi in solutione corporis, qua media euolat ad Christum. Quæ non cunctatur, vbi egrediendum à vita mortali est, sed egredi festinat; quæ gratanter excipiat illud Domini, *hodie mecum eris in paradiso*; & audito hodie, non dicit cras. Nescit enim charitatis columba procrastinare; qui in se non columbam charitatis, sed coruum concupiscentiæ nutrit, hic cunctatur, hic refugit exire de mortali vita, hic multus est in clamando, non hodie, sed cras, non hodie, sed cras. Verùm qui intus amoris stimulis agitatur, libens mortem operitur, imò libentissimè sese offert iaculis lethalibus.

Cant. 4.

Canticor. 4. ait Dominus: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum.* Cur duo vulnera meminit, dum bis repetit, vulnerasti? Nam ex eo quòd amoris vulnus intrinsecus fuit illatum, non potuit non extrinsecis, & lethalibus vulneribus locum dare.

Bernard

Ait D.Bernard. de Vite. *Bis positum est vulnerasti. Vtriusque vulneris ipsa sponsa causa est, ac si diceret: Quia telo amoris tui vulnerasti me, lancea quoque militis vulneratus sum. Quis enim cor suum palo vulnerari permitteret, nisi priùs amoris vulnus percepisset?* Vbi amoris vulnus est, & pro gloria habetur vulnerari, occidi. De morte locutus Iesus Ioann. 17. ait: *Clarifica me tu Pater.* Quæ verba ponderans Chrysostom homil. 5. in Iob, fatur.

Ioann 17.
Chrysost.

Ad crucem duceris cum latronibus maledictam sufferre mortem, & hanc gloriam appellas? Ita, inquit, pro dilectis ipse patior, meritòque hanc gloriam existimo. Sic amor mortem, & appetibilem, & gloriosam facit. Ama, & mori pro dilecto lucrum putabis.

§. XV.

Præceptorum diuinorum contemptus etiam feruidos Dei amatores, & in vita exitu remorari solet.

SVum ad mortem intrepidum cursum, festinatamque moriendi voluntatem ponit Dominus pro testimonio dilectionis suæ erga Deum, & obseruantiæ præcepti diuini. Ait enim: *Vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio, surgite eamus hinc.* Quasi in his duobus nitatur intrepidus ad mortem conatus, & in charitate erga Deum, & in præceptorum eius obseruantia: & solus ille, qui charitate arsit, & perfectissima floruit obseruantia, non habet, cur non festinet ad mortem, in qua sperat vitam futuram gloria illustrem, & immortalitate. Cui autem præceptorum obseruantia aliquando defuit, etsi amore diuino flagret, ardentique desiderio festinet ad Deum videndum, vix fieri solet, quòd in ipso exitu vitæ aliquam cunctationem non patiatur. In quo magis exarsit & charitas, & zelus Dei, quàm in Elia? Hic ardentissimus Dei amator, post mille gemitus, post mille suspiria tandem admissus est ad videndum Deum transeuntem per montem Oreb, 3. Reg. 19. & qui cupidissimus hanc visionem expectabat, vbi sensit iam aduentare Deum,

3. Reg. 19.

operuit vultum suum pallio, & egressus stetit in ostio speluncæ. Expende quando vultum pallio operiat, in ipso articulo diuini transitus, quando iam iam Deus poterat videri, tunc refugit visum, tunc sese operit. Cur vultum quem desideraueras ô Elia, tunc cùm iam potes refugis videre. Vnde tibi accidit hic pudor, quo cunctaris ad Dei faciem accedere, quando ipse præsens te vocat Deus? Sanè, etsi amabat ardenter, tamen aliquando non adeò perfectè obseruauerat Dei præcepta, quæ imperfectiones tunc illi & pudorem, & cunctationem, & metum causant, cùm proximior accedit præsentiæ Dei. Ex quo sapienter Richardus Victor. citatus à Tylmanno in Allegoriis fatur. *Quid autem est, quod vultum suum operuit, quando Dominum transeuntem habuit, qui in id ipsum sic suspensus stetit? An fortè sub dominica præsentia imperfectum suum perfectiùs agnouit, & imperfectionem suam videri erubuit? O quàm multi sunt, qui iam separatos credunt, & tamen sub ipso visitationis suæ articulo ibi trepidant timore, vbi antea non erat timor.* Cui imperfectiones fuerant, cui præceptorum diuinorum contemptus aliquando adhæserant, & si castigatis illis, & deploratis perfectè, ardentissimo Dei amore exæstuet, adeò vt cupiat dissolui, & esse cum Christo, nihilque sibi timeat à Deo, dum viuit, sed immensam eius beneficentiam expectans maiora expectet. Tamen sub ipso visitationis suæ, sub ipso vitæ exitus articulo, vbi penè Dei præsentiam sentit, iam veretur comparere, & videns imperfectum suum incipit cunctari, & timere. Malus ne hic timor? Absit: imo perfectissimæ charitatis comes, & qui mortem faciat tempestiuissimam. Aiebat Ecclesiastes cap. 3.

Eccles. 3.

Tempus nascendi, & tempus moriendi; siue, vt legit Nyssenus: *Tempus pariendi, & tempus moriendi*; duo hæc coniungens, quasi mors tempestiuitatem suam accipiat ex adiuncto partu. Sed qualis partus facit mortem tempestiuam? Isaias ait cap. 26. iuxta Septuag.

Isai. 26.

Propter timorem Domini in vtero accepimus, & peperimus spiritum salutis. Cùm nos timor Domini implet, cùm Dei timore casto grauidi ad Deum vrgemur accedere generaturi salutem, tunc tempestiuissimam mortem efficimus. Ait enim Nyssenus homil. 6. ibi.

Nyssen.

Intelligere oportet partum tempestiuum, & mortem, quæ est in tempore. Mihi videtur partus tempestiuus, & non abortiuus, quando, vt dicit Isaias, quispiam ex Dei timore conceperit, per animæ in partu dolores suam salutem genuerit. Tunc partus tempestiuus est, & facit mortem tempestiuissimam, cùm Dei amicus in mortis articulo timore Dei fuerit repletus, ex quo etsi cum aliquo dolore, tamen certissimam generabit salutem.

CAPVT XIX.

De Permanentia in Christo.

HOC vnum erat Iesu discipulis formidabile, si absente Iesu, & apud Patrem agente, ipsi separati essent mansuri à tanto magistro. Quam formidinem pulchro exemplo Dominus expellit, dum se vitem vocat, & discipulos palmites eiusdem vitis, palmites inquam, viti diuinæ datos ad producendos fructus. Et quis palmes, dum fructificat, separatur à vite? Hoc curent palmites ne desint ipsi fructibus, & non deerit illis vitis; imò hoc ipsi habebunt ex vite, quòd diuites fructus parturiant. Soli steriles non permittuntur manere in vite, sed sapientis agricolæ falce resecantur ad ignem.

Ioann. 15. Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est.

§. I.

Damnabiliter in Christo leuidensia, & vilia cupimus sola bona, quæ vt viliora, eò magis contraria veris bonis.

ECce tibi qualia bona parit Iesus asseclis suis, ditissima, splendidissima, qualia parit vitis ab omnipotenti agricola fœcundata, & exculta. Hæc in Christo Domino sola quærenda sunt bona, quæ pretiosa sunt, & plena, & vera, & quæ omnipotentis referat manum agricolæ. Vilia, & leuidensia in Christo Domino sola qui quærit, insanus est, reus est. [*3 Reg. 21.*] Miser ille Achab 3. Reg. 21. sic aiebat ad Naboth: *Da mihi vineam tuam, & erit mihi in hortum olerum.* Quid stultius? Quid insanius? Ditissimam spectabat vineam, plenam vitibus, fœcundis luxuriantem pampinis, aureis splendentem fructibus; & nihil curans aureos fructus, nec diuites vites vilia olera amabat ex vinea. [Ambros.] Pulchrè D. Ambros. lib. de Nabuthe c. 3. ait: *Hæc igitur erat omnis insania, hic omnis furor, vt spatium vilibus oleribus quæreretur.* Spatium, inquam, vitibus plenum; spatium fœcundæ vitis fructibus aureis diues, quærebatur ad vilia olera ibi serenda. Id non quæreret nisi insanus, nisi stultus; dum vitem habes Christiane ab omnipotenti agricola excultam, pete aureos fructus, pete & vera, & solida bona; non in eam insaniam, non in id piaculum incidas, quo in ditissima vite vilia olera solùm cupias. [*1. Cor. 3.*] Notum illud assertum D. Pauli 1. ad Cor. 3. vbi dicit. *Si quis autem superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit, dies enim Domini declarabit.* Non alius, sed ipse Dominus per se declarabit, quantum distet opus aureum, in Christo fundatum, ab opere stipularum vilissimarum. [*Amos 2.*] Et qualiter id declarabit? Ait Amos c. 2. ad Israëlitas locutus: *Stridebo super vos, sicut plaustrum onustum fœno.* Nónne si plaustro sensus esset, aliter strideret in eos, à quibus fœno, stipulisque oneratur, quàm in eos, à quibus oneratur auro, & argento? Sanè vel insensibile plaustrum in auro triumphat, in fœno gemit; sic qui pretiosa, & solida bona in Christo fundas, lætitiam illi præbes, sed dolorem incutis, qui tantùm vilia in illo quæris. [Ruffin.] Non longè abest Ruffinus in præsenti fatus: Si plaustrum onustum haberet discernendi facultatem, videlicet indignantiùs sine dubio strideret, si vilia, quàm si pretiosa portaret. Ita ergo sicut Apostolus docet super religionis fundamentum, pro diuersitate meritorum alij aurum, argentum, alij ligna, fœnum, stipulam congerunt. *Meritò Dominus noster se sarcinam pronuntiat experiri, eorum peccata tolerando, in quibus nihil queat de pretiosis studijs reperire, sed qui omnes ad vile fœnum, quod facile ignibus consumatur, accesserunt.* Sarcina est Deo, & graue pondus, sub quo gemat Deus ipse, si quis pretiosa & solida. & vera bona obliuiscens, solùm vilia ista temporibus seruientia, vt fœnum, vt stipulas in Christo Domino requirat. Nec immeritò hoc Deo graue accidit, quandoquidem quò viliora sunt bona, eo magis nos faciunt vera & solida bona Dei contemnere, & fastidire. [*Num 11.*] Accipite quid acciderit Israëlitis Numer. 11. nutriebantur à Deo cœlesti pane omnem saporum suauitatem continente; & nihilominus tantum panem contemnunt, & fastidiunt. Vnde tantum panem fastidiunt? Aiunt ipsi: *In mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porríque & cepe, & allia. Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man.* Itaque voluit diabolus Israëlitas trahere in contemptum Mannæ, & obiecit memoriæ eorum cucumeres, porros, allia; cur non magis obiecit pretiosa regum obsonia? Cur non proposuit delicata, & suauia cibaria? Cur maluit vilissima opponere cœlesti cibo? Sanè non quæ pretiosa, sed quæ vilia sunt, generarunt Mannæ contemptum, quo enim viliora sunt bona, magis veris, & solidis contrariantur. Ait D. Ephrem de Pœnit. [Ephrem.] *Alliorum, & cucumerum amorem diabolus accendit, vt animum impelleret ad panem, quem Deus dederat condemnandum.* quasi à nullis sic raperetur homo in contemptum, & fastidium cœlestis substantiæ, vt à vilissimis istis rapitur. Habent vilia omnia vim maximam, qua impellant humanos animos ad pretiosa condemnanda.

Text. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: & omnem qui fert fructum, purgabit eum, vt fructum plus afferat. Iam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis.

§. II.

Diuinus gladius inde solet suis gloriæ fructus parare, vnde oriebatur sterilitas vitiorum.

DOctus agricola luxuriantes palmites, & steriles non dubitat aciei falcis committere, expertus vulnera illa non obesse, sed prodesse viti, adeò, vt vulneris beneficio, vnde certa visebatur sterilitas, largæ soleant pullulare fructuum diuitiæ. Hæc præstat in vitibus docti agricolæ falx; hæc etiam in animis nostris solet præstare gladius diuinus. Dum enim electi, qui viti Christo vniti sunt, sterilescentibus vitiorum luxuriant pampinis, accedit diuinissimi agricolæ falx, de cuius vulnere fructus gloriæ incipiunt apparere, vbi solùm visebantur sterilitas, & ignis fructus. Sic semper in electis diuinus gladius facit, vt fructum plus afferant. Isai. c. 3. *Pro eo, quòd eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant, & pedibus suis composito gradu incedebant: decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit.* [*Isai. 3.*] Expende illud *decaluabit* ibi notanter dictum, vbi enim fœminæ gloria est, ibi diuinus gladius facit esse in filiabus Sion caluariam. Cur faciet ibi caluariam? Allusio fit ad montem caluariæ, vbi crucis arbor exaltata gloriæ fructus parturit immortales. Sic gladius diuinus in filiabus Sion faciet, vt vbi aureis crinibus superbiebant, inde caluariæ locus appareat, qui ingentes etiam fructus gloriæ pariat. Aiebat Drogo Host. lib. de Sacram. Pass. fatus: *Decaluabit, inquit, verticem filiarum Sion, & faciet ibi caluariæ locum, vt ibi figatur gloriosa Christi crux, vbi sedem sibi superbia locauerat.* [Drogo.] Sapientissimè nouit diuinus agricola suas vites ferire; vulnus imprimit non perdens, sed fœcundans, vt scissa sterilescente materia ignis, locus detur ditissimis vitalis arboris fructibus, & de vulneris beneficio, vbi peccatum regnabat, iam regnet totus Christianæ redemptionis fructus. Nouisti autem, argenteam, ferreámve statuam regi Babylonio obiectam Dan. 2. hanc percutit lapis, sine manibus abscissus, nempe Iesus nascens ex virgine. [*Dan. 2.*] Et quid in illa percussione apparuit? An sola auri, argentique perditio? Absit, imò dum caput aureum percutitur, statim ibi mons magnus apparere incipit, qui terram fructibus replet, & cœlestia regna donat hominibus. Ait enim textus ibi: *Lapis autem qui percusserat statuam, factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terrã.* Quid est, quòd vbi percutit lapis, ibi statim sese montem magnum ostendit omnia fructibus replentem? Rem tetigit Theodor. ibi aiens: [Theod.] *Cum ferreum regnum imbecilliter affectum fuerit, tunc apparebit lapis sine manibus excisus, & in nihilum omnia rediget, regnúmque sempiternum ijs, qui eo digni fuerint, præbebit.* Nescit diuinus agricola inferre vulnera, nisi vt inde oblatæ gloriæ incipiant ostendi fructus: percutit nihil agentium, nihil fructificantium hominum statuas, comminuit aureum caput, sed vt inde montem fructiferum, siue magis paradisum statuat incorruptibilibus fructibus fœcundatum. Ecce vobis cœlestis agricolæ vox aduersùs arborem nimia altitudine exaltatam Dan. 4. [*Daniel. 4.*] *Succidite arborem, & præcidite ramos eius, excutite folia eius, & dispergite fructus eius: fugiant bestiæ, quæ subter eã sunt, & volucres*

de

de ramis eius. Veruntamen germen radicum eius in terra sinite. Et simul scissio arboris mundatur, & radicis protectio: & qualis radicis mundatur protectio? Ibi dicitur: *quòd autem præcepit, vt relinqueretur germen radicum eius, idest, arboris; regnum tuum tibi manebit, postquam cognoueris potestatem esse cœlestem.* Et permanens regnum, & fructuosa cœlestium cognitio ibi à Deo procurabatur: sed cur simul cum arboris præcisione, posuit in seruata radice signum recuperandi permanentis regni, & adquirendæ cognitionis diuinæ? Posuit hoc, vt ostenderet diuinus agricola quid ipse intendat in præcisionibus vitium suarum; non enim scindi mandat vites suas, vt solùm scissio fiat, sed vt ablatis sterilibus præstantior inde, & diuturnior parturiatur fructus. Felix, qui hanc in se scissionem, & percussionem experitur, immortales proculdubio habebit fructus; qui autem illam non expertus fuerit, momentaneis forsan viroribus fruetur, sed tandem decidet in æternum ignem. Quocirca dicebat D.Cæsarius Arel. homil.20. *Quomodo qui vitem suam vno anno putare noluerit, ipso anno abundantiùs exhibebit, & postea sine fructu sterilis remanebit: sic & qui malas cogitationes, & mala desideria non tollit de anima sua, videtur afferre fructum de rapinis, & fraudibus in anno vitæ suæ, quo viuit in hoc mundo, sed postea remanebit sterilis in æternum.* Ecce tibi, quæ vitiosæ materiæ succisio in nobis à Deo fit, vtilis est, vt æternus parturiatur fructus: quòd si hæc succisio desit, accidet nobis id, quod accidit vitibus; hæ dum aliquo anno non putantur, & pampinis, & fructibus illo anno luxuriant, verùm postea steriles factæ deseruiunt igni. Sic qui nullam scissionem patiuntur in temporali appetitu, gaudebunt bonis, & voluptatibus paulisper in hac vita: verùm postea miseri interitum interminabilem incurrent.

D.Cæsar.

§. III.

Etiam sanctissimi, dum in hac terra sunt, & scissione, & purgatione indigent.

QVi fert fructum, non ideo dicitur exemptus à falce diuini agricolæ, sed ait, quòd purgabit eum, vt fructus plus afferat. Nullus enim, dum in hac vita, tanta pollet sanctitate, & puritate, qua purgatione non indigeat. Vocabatur sponsa Can. 5. vt aperiret dilecto suo stanti ad ostium; sed vocanti respondet illa: *Exui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Sed cur timet Dei amatrix inquinare pedes, quibus currat ad excipiendum Deum? In via qua itur, imò qua curritur ad Deum, potest quis inquinare? Dum per hanc terram currimus, & si ad Deum currimus, nequimus non aspergi aliquo puluere. Aiebat D.August. tract.57. in Ioan. fatus. *O admirabile Sacramentum, ô grande mysterium! Ergo ne timet inquinare pedes veniendo ad eum, qui discipulorum pedes lauit? Timet certè, quia per terram venit.* Dum enim in hac terra gradiuntur viri iusti, etsi toto conatu ad Deum currant, eas tamen maculas incurrunt, quæ purgationem, & vstionem requirant. Ecclesiastes cap.8. inquit: *Est & alia vanitas, quæ fit super terram. Sunt iusti, quibus mala proueniunt, quasi opera fecerint impiorum.* Nequit iustos hoc malum non inuadere, dum sunt super terram; nimirum quòd nonnulla, etsi leuia, faciant opera impiorum, pro quibus sustineant vstionem, & egeant pati dira. Ad hæc aiebat Chaldæus Paraphrastes: *Vidi in Spiritu sancto, quia malum accidit iustis in hoc sæculo, ad remouendum ex eis culpam leuem, vt sit merces eorum integra in sæculo venturo.* Non est iustus, qui in aliquo non offendat, & qui non egeat & scissione, & purgatione aliqua, quam sanè dat Dominus, vel pœnam inspirans voluntariam, vel inferens mala. Id quod notabat Theophylactus in Abrahami verbis dictis ad damnatum diuitem, pro iusto Lazaro Lucæ 16. vbi sic: *Memento fili, quòd recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala.* Notanter dixit, quòd Lazarus recepit mala, & cur dicitur quòd recepit? Ait Theophyl. *Recipere de his dicere solemus, qui suscipiunt, quod eis debebatur. Fortassis autem Lazarus vnum, vel duo mala commiserat, & propterea dolorem illum sustinens, dignam factus mercedem accepit.* Iustus equidem erat Lazarus, & sicut vitis abundans in lateribus domus diuitis positus, incredibiles animi sui virtutes ostendebat, sed dum adhuc in terra degit aliquas contraxerat maculas, pro quibus dolorum, infirmitatúmque sectiones intulit sapiens agricola, vt ablatis vitiosis in fœcundiores fructus possit exaltari. Vnde meritò monebat D.Clemens Alex. in Adhortatoria: *Planta cœlestis cùm sit homo, vt cœlestes virtutum fructus feras, inutiles virtutum stolones pœnitentiæ ferro circumcidas.* Hoc sit studium omnibus hominibus, etsi iustis: quibus salutare est illud consilium D. Bernard. serm. 58. in Cant. fantis. *Nobis fratres putationis semper est tempus, sicut semper est opus. Scrutemur vias nostras, & studia nostra, & in eo se quisque iudicet profecisse: non cum non inuenerit; quod reprehendat, sed cum quod inuenerit, reprehenderit.* In terra nostra fallitur, qui virtutum flores requirit extra tempus putationis. Ait enim illa Cant.2. *Iam hyems transiit, imber abijt, flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit.* Etiam dum absunt scelera, & apparent virtutum flores, quia apparent in terra, non apparent, nisi tempore putationis. Quia etiam floridissimi iusti solent egere putatione.

Cant.5. — August. — Eccles.8. — Chald. — Luc.16. — Theoph. — Clem. Alex. — Bernard. — Cant.2.

Text. Manete in me, & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic & vos, nisi in me manseritis.

§. IV.

Qui Christo se perfectè addixit, nullum vltrà requirit: qui verò mundo obsequitur, nunquam deuoluitur ad Christum.

NOn iam Dominus clamat, venite, seu accedite ad me, sed significantiùs ait, *manete in me*; is enim est Iesus, in quo profectò manet, nihil vltrà requirens, qui semel illum perfectè habet. Propone tibi vniuersos mundi dominos, seu tyrannos, cum quo illorum homo manet? An cum voluptate? An cum perituris bonis? An cum ambitioso fastu? Absit; cum nullo horum manet homo, sed nec ad vllius creaturæ seruitium ingressus est, in quo sæpiùs non deuolueretur ad Christum. Qui autem Christi obsequio sese dedit, ille solus manet, quem requirat, alium minimè habens. Magi illi Euangelici Iesum regem Iudæorum quærentes in domum Herodis declinarunt, ab Herode regaliter excipiuntur, regaliter tractantur. Quid tunc? Regalibus officiis detinentur, vt ibi maneant? Minimè: nullis enim officiis adduci potuissent, vt manerent ibi, sed Iesum requirentes abeunt, hoc vnum protestati, nimirum, quòd redirent. Verùm vbi diuinum Iesum inueniunt in gremio vagientem matris, sic sese illi tradunt, sic illi inhærent, sic in eo manent, vt nullum alium, præter eum, meminerint, imò, vt ait Matth. cap.2. responsum à Deo accipiunt, *ne redirent ad Herodem.* Apud Herodem non manent, Christum requirunt; apud Iesum requirunt neminem alium. Rem ponderans Imperfectus hom.2. in Matth. ait: *Qui enim relicto Christo vadunt ad Herodem, frequenter reuertuntur ad Christum: qui autem relicto Herode ad Christum veniunt toto corde, nunquam reuertuntur ad Herodem.* En quoties miseri homines, dummodo, & cupiditatibus carnalibus obsecuti curis discerpuntur, pristinam cum Christo quietem memorantur, & Christi bona suis asseclis data cogitare coguntur! Quis mundo seruiuit vnquam, qui tyrannidem expertus libertatem seruorum Dei animo non requisiuerit? Nónne mundo, & voluptati seruientis erat illa vox apud Luc.15. nimirum: *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo?* Sic omnes mundi voluptatúmque serui, nunquam non deuoluuntur ad Christum. Soli illi, qui ad Christum toto corde veniunt, manent ibi, nunquam alium vltrà requirunt. Accipite apud Oseam cap. 2. Israelem à Deo fugientem, sese dominorum millibus tradentem. Quid inde? *Et sequetur amatores suos, & non apprehendet eos, & quæret eos, & non inueniet, & dicet: Vadam, & reuertar ad virum meum priorem, quia benè mihi erat tunc magis, quàm nunc.* Quis apud mundum, quis apud cupiditatum euanitatum tyrannidem hæc non clamet de Deo? Quia benè mihi erat, tunc magis, quàm nunc? Sed vbi dimissis tyrannis his Deo inhæret, pergit Oseas: *Et erit in die illa, ait Dominus, vocabit me vir meus, & non vocabit me vltrà Baalim. Et auferam nomina Baalim de ore eius, & non recordabitur vltrà nominis eorum.* Apud amatores suos mundiales recordabatur virum suum priorem, nempe Deum: modò in illa die non recordabitur ampliùs nomina mundialium dominorum, nec illa vel in ore sumet. Vnde illi adesse poterit tanta obliuio? indigitat textus, dicens: Vocabit me vir meus, hoc est, habebit sibi promissum sponsum Christum, quem qui habet, in eo manet,

Matth.2. — Imperf. — Luc.15. — Osee 2.

Theoph. net, omnésque alios penitus obliuiscitur. Theophylactus ibi: *Quomodo verò ea anima exeunt, abstulisti? Nimirum dum iniecit eos in tribulationes, ac calamitates. Vt cum Sol instar Christus effulsit.* &c. Dum alijs seruis, saltem tribulationes, & calamitates inde ortæ te in melioris Domini impellunt memoriam; verùm dum te Christo addicis, eiusque lux tua incipit peruadere præcordia, cæteros omnes obliuisceris, in hoc vno manens penè inseparabilis, & immobilis. Sic dicebat ipse Oseæ 2. Osea 2. *Disponsabo te mihi in sempiternum.*

§. V.

Qui circa animarum salutem, fructum facere cupit, nec ad momentum sustineat separari a Domino.

HVc spectent, qui fructuosè cupiunt animarum negotiare salutem; & sic in primis hæreant Deo, a quo nec minimam separationem sustineant. Non fructificat palmes separatus à vite, ne animarum curator vllum fructum percipiat, si vel ad momentum admittat à Iesu separationem. Longum fecerat Dominus ad discipulos suos sermonem, illis vias certissimas salutis demonstrans, & post finitum sermonem immediatè confugit ad orationem. Ait Ioan.6. enim Ioan. cap.6. *Hæc locutus est Iesus, & sublevatis oculis in cælum, dixit: Pater venit hora, clarifica filium tuum.* Continuò post finitum sermonem ad patrem confugit, cur non vel paulisper subsistit? Vt doceat fructuosos sermones circa animarum salutem ab eo venire, qui nec ad momentum sustinet videri separatum à Domino. Id quod ponderans Cyrill. D.Cyrill. Alex. lib.11. in Ioan. cap.14. ait. *Cum quasi viaticum ad salutem veritatem dogmatis Apostolis suis Christus tradidisset, continuò ab hac collatione in orandi habitum se conuertit. Nec vllum tempus inter sermonem ad discipulos, & Deum patrem interuenire passus est, præcipuè viuendi disciplinæ regulam se nobis in hoc etiam constituens.* Expendenda illa verba, nimirum, *nec vllum tempus inter sermonem ad discipulos, & Deum patrem interuenire passus est.* Sic amat cum Deo esse fructuosus animarum curator, vt nec minimam moram sustineat, quin sese ad Deum recipiat, & illi adhæreat. Sic prædica- Cant 2. tores suos monebat Dominus Cant. 2. *Surge amica mea, speciosa mea, & veni. Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, ostende mihi vocem tuam, sonet vox tua in auribus meis.* Iubentur surgere, & venire in prædicationis exercitium, vt populis veritatem annuntient, vt animabus trahendis dent operam; sed qualiter in tantum opus venient? Illis explicat: *Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.* Vt columba petræ foraminibus inclusa apparet, gemitus edit: sic concionator Christi Domini inclusus vulneribus, nec ad momentum inde exeat; quòd si muneris necessitate compulsus egrediatur ad proximos, sic egrediatur, vt nullum tempus intercedere patiatur inter sermonem ad proximos, & reuersionem ad Deum. Coruus Genes.8. egressus ab arca Genes.8. *Non reuertebatur*; at columba statim reuersa est virentem oliuæ ramum in ore deferens. Sic multi prædicatores egrediuntur a diuinæ petræ foraminibus, hoc est, à meditatione vulneris Christi, & sese iuuandis proximis ardenter dedunt; at morticiniis immorati, non reuertuntur, sed instar corui mundialibus inhærent escis. Ad præstantiores alij de columbæ more egrediuntur, & cum magna spe fructuum, tam celeriter reuertuntur, vt nullum tempus patiantur intercedere inter sermonem ad proximos, & reuersionem ad Deum, adeò vt semper videantur esse in foraminibus petræ, in cauerna Ioan.1. maceriæ. Fallar nisi huc respiciebat Dominus Ioan.1. aiens: *Videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes, & descendentes supra filium hominis.* Meritò operarios, negociatorésque salutis humanæ Angelos vocat, vt notat D.August. & eos Angelos, qui siue instar Pauli ascendant vsque ad tertium cœlum, siue descendant vsque ad proximos nutriendos, nunquam à Christo, vel ad momentum discedunt. Imò ascensus, & descensus suos ordinant supra filium hominis, hoc est, semper Christo inhærentes, de cuius virtute habent, quòd fructus metant.

Text. Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.

§. VI.

Quidquid est Iesus, hoc facit, quod sint illi, quibus adhæret.

NObilis vitis Iesus, vbi sibi discipulos adiungit, statim illos palmites facit: palmes enim, & vitis eiusdem sunt naturæ, eiusdémque substantiæ. Felix es, cui Iesus adhæret, statim faciet, quod sis quicquid ipse est. De Iesu aiebat sponsa Cant.5. *Caput eius aurum optimum.* Miraris. At vt Cant.5. mirere magis, conuerte etiam oculos ad ferculum gestatorio, a tanto hoc rege elaboratum. Eius columnæ argento radiant, ascensus ex purpura ornatur, se & *reclinatorium fecit aureum.* Cant.2. Cur reclinatorium aureum? An pretiosius esse debet, quod manet semper occultum? Reclinatorium semper operitur maiestate sedentis, aut iacentis; gloriosius esset ferculum, si columnæ potiùs auro radiassent; cur quando columnæ argento nitent, reclinatorium fulgurat auro? Non erat reclinatorium aureum, sed vbi veri Salomonis aureum caput, reclinatorium tetigit, non potuit nó ad reclinatorium fieri aureum. Do huius excogitationis authorem Gillib. Abbat. serm.18. in Cant. fantem. Gillib. Abb. *Similem tibi reddis, Iesu bone, si quem irradias. Similes, inquit, ei erimus, cum apparuerit. Montes quos tali radio tangis non fumigant, sed fulgurant. Aurei fiunt, tuum quibus aurum refulget. Caput tuum, aurum optimum, reclinatorium aureum non inuenit, sed reddit, vbi se reclinat.* Sanè accepit penè fidem prisca de Mida rege fabula; ille in suæ auaritiæ damnationem aurum reddebat, quid tangebat, aureus Iesus meus, quidquid tangit, quidquid sibi adiungit, aureum facit. Sic sibi similes reddit, quibuscumque communicatur. Adhæc Psalm. 140. Psal.140. ait: *Absorpti sunt iuncti petræ iudices eorum.* Petra autem erat Christus, cui adiungitur, in eius statim similitudinem riget. Habet hoc natura diuina, vt sibi adiunctas absorbeat naturas, sibique reddat simillimas. Aiebat Apost.1. ad Co- 1. Cor.6. rinth.6. *Qui adhæret Deo, vnus spiritus est cum eo.* Ecce tibi modò fiunt spiritus, qui Deo adhærent, paulò antè fiebant petræ. Et petra nihil est materialius, spiritu nihil est subtilius: vnde tam diuersas, imò contrarias proprietates sumimus? Ex coniunctione cum Deo, qui vbi spiritus, & lapis est, sic sibi adiunctos & lapides facit spiritus: spiritus, qui materialia despiciant, lapides, qui in firmitudinem, & soliditatem facti, viui ædificentur in cœlestia ædificia. Non longe abest D.Bernard. serm.8. in Psalm. *Qui habitas*, vbi Bernard. inquit: *Qui adhæret Deo, Apostolo ait, vnus spiritus est; qui & petræ iungitur, lapis erit. Ita ergo absorpti sunt iuncti petræ iudices eorum. O familiaritatis gratiam! O honoris culmen! ô fiduciæ priuilegium, ô prærogatiuam securitatis perfectæ.* Magna equidem prærogatiua est accedentium ad Christum, quòd vbi se nobilissimæ vitis inseruerint, & palmites fient pleni, & diuites fructibus: vbi aureum eius caput tetigerint, regalem in se propaginem ostendent ab intus in aureis fimbriis: vbi de eius afflentur spiritu, sic carni renuntiant, quasi Angelicis sint socij addicti spiritibus: vbi petræ diuinissimæ adhæreant, sic lapidescant, & solidentur, vt velut lapides viui possint sumi in ædificia diuina.

§. VII.

Vera animæ virtus præ omnibus alijs æstimanda est.

EXpende quibus comparet Dominus iustos suos, nimirum palmitibus vitis; ait enim, *vos palmites.* Cur non magis dicit, vos cedri, seu vos palmæ? Nónne cedrus, & palma, & pulchriores, & nobiliores palmite sunt? At virtute vincuntur cedri, & palmæ a palmite, & quia virtute vincuntur, raræ & in solitariis, & desertis montibus inueniuntur arbores illæ; vitis autem vndique exquiritur, procuratur, hominum domibus inseritur, ciuitatibus gloriosioribus, & ditioribus proxima fit, nec est diues regnum, in quo vitis in summa æstimatione non sit. Sic qui virtute vincit, etsi aliàs contemptibilis appareat, omnia reliqua decora longè superat, & fit hominibus spectabilior, venerabilior. Huc respiciens D.Chrysost. in Psalm.50. aiebat: Chrysost. *Si ergo videris virum, aut mulierem speciosam, ne admireris: nam & robores arbores, cùm densæ sint folijs, & altitudine excelsæ, attamen non habent fructum hominibus aptum, sed porcis afferunt cibum: vinea autem per terram repens maturum vuarum affert fructum: quid ergo vis, vineam habere, an arborem? Puto te vineam eligere magis, quæ laetitia est ad hominum vsus.* Et quando vinea non eligitur, & æstimatur supra omnes

arbores

arbores, ad delicias, & diuitias? Et non quia in vinea est maior speciositas, aut robur, aut celsitudo, sed quia in rudi, & turpi palmite est maior virtus. Semper enim intima animi virtus spectabilior, & venerabilior est. Hæc nunquam non manet, nunquam non fructificat, cætera omnia
Dan.4. miserabiliter decidunt, & arescunt. Vide apud Danielem cap.4. regiam arborem, & ecce. *Magna arbor, & fortis, & proceritas eius contingens cælum: folia eius pulcherrima, fructus eius nimius.* Quis non miretur tantam arborem? Quis illam non amet? Sed accipe, quid illi eueniat: *Ecce vigil, & sanctus de cælo descendit, clamauit fortiter, & sic ait: Succidite arborem, & præcidite ramos eius, & dispergite fructus eius.* Quibus positis ad humiles vites veniamus, de quibus lo-
Ioan.15. cutus Dominus Ioann.15. ait. *Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: & omnem qui fert fructum, purgabit eum, vt fructum plus afferat.* Componite modò & arborem illam Danielis, & hos Christi palmites: arbor magna, & fortis, foliis pulchra, fructibus diues; palmes humi repens, debilis, deformis, & nihilominus fructuosus ad arborem, & ad palmitem accedit diuinus cultor; & arborem, & palmitem succidere, & putare gaudet, ait enim: *Succidite arborem, & præcidite ramos*; de palmite autem fructuoso, ait, *purgabit eum.* hunc putat, & illam succidit, vtrique falcem adhibet, sed longè vtriusque diuerso affectu. Post præcisionem arboris, sequitur perditio fructuum, & ruina, dicitur enim statim, *excutite folia eius, & dispergite fructus*; verùm post putationem palmitis fructuum sequitur multiplicatio, quippè ait *purgabit eum, vt fructuum plus afferat.* Cur regia arbor ad primum falcis impetum sic omnia perdit, & foliorum pulchritudinem, & fructuum abundantiam, quando palmes ex ore falcis fructuosior nascitur? In arbore exprimebantur decora omnia mundialia, diuitiarum bona, ambitiosæ exaltationes, in vite, & palmite solæ signabantur intimæ virtutes animum hominis gubernantes. Illa in quouis paruo motu decidunt, dissparent; hæ etiam sub gladio augentur, & fiunt etiam ho-
Ioseph. stibus venerabiles, & amabiles. Aiebat Iosephus apud Hegesippum lib.3. de excidio Hierosol. cap.17. rationem reddens, cur ipse placeret Romanis: *Et in hoste virtutem mirantur. Tanta est enim virtutis gratia, vt frequenter etiam hostem delectet.* Vna virtus animi etsi obscura, etsi contemptibili sub habitu, est quæ præualet, & æstimatur, cætera omnia bona, & decora facili negotio exsufflantur. Quid pulchrius, imò quid venerabilius, quàm templum Hierosolymitanum? Id propter artificium admirandum, propter aurum ditissimum, propter frequentiam famosum, tandem à Romanis incensum arsit, in cineres, fauillásque conuersum est. At Dan.3. tres pueri Hebræi dati flammis, nullo modo consumi valuerunt, imò ex flammis pulchriores, & regi venerabiliores exierunt. Cur pueri cum lucro exeunt, &
Rupert. templum perit in flammis? Rupert. de vict. Verbi lib.6. cap.25. ait: *Erudiendus erat mundus, quòd Deus excelsum non pulchris lapidibus, aureisve parietibus templi manu facti delectatur, sed fidei charitate, & mundis cordibus, & ille est ei optabilis locus.* Non mundialia bona, sed sola virtus animi est, quæ æstimatur à Deo, & quæ etiam apud homines sui æsti-
Prouerb.11. mationem facit, & suam ostendit firmitatem. Prouerb.11. ait: *Vbi non est gubernator, populus corruet*; quæ non intelligenda sunt de gubernatore externo, videlicet, vrbis magistratu, sed de intima virtute, & prudentia animi, quæ sola stabilitatem omnium causat, & sine qua cætera omnia
Septuag. bona mundialia corruent. Id clariùs insinuant Septuag. ibi: *Vbi non est gubernatio, cadunt sicut folia.* Sunt cætera bona splendentia sicut folia, quæ sponte decidunt, sola virtus animi instar palmitis est, qui succo ex vera vite Christo suscepto viuit, & etiam ex falcis ore plus fructuum affert.

Text. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.

§. VIII.

Solus Deus potens est iram in misericordiam conuertere.

Expende totam humanæ ruinæ causam in illis verbis positam, nimirum, *mittetur foras*, ex quo peccator foras mittitur, solam perditionem suam inuenit, solam iram, & damnationem reperit. Inde enim quæcumque peccatori accesserint, tollent eum, & in ignem mittent, & ardet. Nulla ira molliri nouit, nisi ira Dei, cæteri omnes irremissibiliter irascuntur, Deus solus est, qui sciat mollire iram suam, & eam in misericordiam conuertere. Habacuc cap.1. Habac.1.
Et ipse de regibus triumphabit, tyranni ridiculi eius erunt: ipse super omnem munitionem ridebit, & comportabit aggerem, & capiet eam. Tunc mutabitur spiritus eius, & pertransibit, & corruet: hæc est fortitudo eius Dei sui. Hæc vltima paulò aliter legit Theophylactus, aiens: *Tunc permutabit spiritum, & pertransibit, & egredietur, ipsa est fortitudo Deo meo.* Vide inprimis Theoph.
Deum iratum in impios, classicum aduersùs eos canere, munitiones impugnare, tandem miserum capere sub flagello. Quid tunc? Vsque in perpetuum irascetur Dominus? Absit: imò tunc cùm iratus fuerit, misericordiæ recordabitur, & cùm in manibus habet captum peccatorem, permutabit spiritum, furoris spiritum dimittet, & spiritum lenitatis assumet. Ipsa hæc est fortitudo Deo meo; sola Dei fortitudo hæc potest efficere, vt spiritus iracundiæ commutetur in spiritum mansuetudinis, & propitiationis. Pulchrè Theoph. ibi: *Demirare, quomodo quos repulit, rursus suscipit: & propter eos, qui ab extrema malitia retroflectunt, & ad virtutis cacumen recurrunt. Non enim humanæ vires talia possunt, cæterùm diuinæ sunt hæc re vera virtutis, & gratiæ, humanam voluntatem accipiens. Quoniam talis virtus sic castigandi, ac rursus miserendi, conuertendique punitionem in oleum, nemini alij, quàm tibi Deo meo conuenit.* Vnus Deus est, qui iratus misericordiam non obliuiscatur: de infinita Dei potestate venit sola, quòd quem hostem infensissimum persecutus est, iam amicum accipiat, gratum habeat. De hac Dei fortitudine, vt de re insolita, & insperanda mirabundus clamat Habacuc cap.3. *Domine audiui auditionem tuam, & timui, consideraui opera tua, & expaui.* Sed ad quod opus Dei sic expauet, sic miratur, & tremit vates? Iam explicat, aiens: *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Hoc illi adeò nouum, & diuinum videtur, vt totus de illo expaueat. Quocirca Diuus Petrus Chrysol. serm.68. ait: *Auditum timuit, non quia tunc Propheta tantus audierit Dominum, sed quia tunc seruus Dominum suum sibi conuersum reperit, & audiuit in patrem: non quia mundi huius fabricam contemplatus expauit, sed quia pietatis erga se considerans tunc opera, admirationis tremore concussus est, & pauore. Adoptatum se tunc obstupuit in filium, quando perdiderat ipsius fiduciam seruitutis.* Non inueniuntur extra Deum hæ iræ, quæ sciant emolliri, & in mansuetudinem commutari; in Deo solo habes quòd expaueas, quòd vehementer possis admirari, quem medio in flagello irarum suarum, vel gemitu experieris mutatum in verum patrem. Id aliis, quàm Deo minimè conuenit: vnde aiebat Psalm.57. de ira creata: *Furor illis secundùm similitudinem serpentis; sicut aspidis surdæ obturantis aures suas. Quæ non exaudiet vocem incantantium, venefici incantantis sapienter.* Nescit vllo carmine sopiri furor creatus, instar aspidis est obturantis aures suas, necnon instar serpentis. De serpente ait Euthymius in præsenti. *Dum in aliquem cœperit furere, nunquam iram, aut furorem deponit, donec venenum intulerit, aut rabiem mori ademerit.* Sic creatus furor, sic ira, quæ non à Deo nulla vi humana, nec creata nouit flecti, sed vsque in extremam vindictam & perniciem procedit. Solus Deus potest emolliri, semel iratus, & à solo Deo venit, quòd iræ hominum emolliri queant, ita vt saluti subseruiant.

Idem.

Habac.3.

Chrysol.

Psalm.57.

Text. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint: quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis.

§. IX.

Ille securus fructuosam orationem facit, qui secum Iesum habet.

Vt cum effectu quis ad Deum oret, hoc debet curare, nimirum in Iesu manere, eiúsque verba in se seruare, hoc est, Iesum secum habere, quo optimè dispositus est, vt efficacissimam orationem exaret. Aiebat Dauid 2. Reg.7. 2.Reg.7.
Inuenit seruus tuus cor suum, vt oret te oratione hac. Expende, quo se ad orationem dispositum fatetur Dauid, quasi aliàs non oraturus esset, nimirum, *inuenit seruus tuus cor suum.* Quale cor suum? An de corde communi hominibus datum à natura fatur? An hoc corde potuit carere aliquamdiu? Quale ergo cor dicitur à Dauide inuentum maximè ad orationem efficacem faciendam necessarium? Iesus Dauidis filius erat cor eius, sine quo nec posset orare; & hoc vno inuento, & cum Dauide existente efficacissima posset fieri oratio. Ad hæc D. Bernard. tract. de vite ait. Bernard.

Et

Et ego munus cor regis, fructu, & amici benigni Iesu. Et nunquid non orabo? Orabo vtique. Bene ergo mihi. Ego cum Iesu cor meum habeo. Vbi Iesus cor meum, & vita mea est, vbi Iesum in corde, & pro corde habeo, orabo, & efficacissimè orabo, & quæcumque necessaria ad salutem ex oratione traham. *Exod.17.* Exod.17. initum fuit prælium à Iosue cum Amalech; interea Moyses eleuatis manibus victoriam suis obtinebat, sed quia manus infirmæ erant, anceps erat victoria, iam pro Israele, iam pro Amalech stabat. Quid tunc? *Sumentes igitur lapidem posuerunt subter eum. Aaron autem & Hur sustentabant manus eius ex vtraque parte. Et factum est, vt manus ipsius non lassarentur vsque ad occasum Solis, fugáuitque Iosue Amalech.* Chaldæus exprimit magis in re io præsentem: *Fueruntque manus Moysi extensa in oratione vsque ad occasum Solis.* Orabat antea Moyses, sed nullo, aut paruo effectu, quia manus eleuatæ infirmitas ancipitem reddebat victoriam; ex quo in lapide sedit, sic orat, vt simul efficaciter victoriam trahat. Qualis hic lapis, qui adeò efficacem orationem nouit parare? *Lyppom.* Pulchrè Lyppomanus in catena fatur: *Petra, qua Moysi fatigato supponitur, Christus est. Is nostra fortitudo, & soliditas est, quo confortante omnia possumus.* De Iesu sumenda est omnis orationis nostræ efficacia: adeò vt D. *D Max.* Maxim. serm. 5. de cruce inde putet nasci orationum efficaciam, si vel in corpore Iesu repræsentemus imaginem. Quippè ait: *Tunc enim citius nostra exauditur oratio, cùm Christum, quem mens loquitur, etiam corpus imitatur.* Vel vmbra in nobis appareat Iesu, & maxima erit in orationibus nostris efficacia, citiùs exaudietur nostra oratio. Meritò Iacob vbi cum Dei filio congressus est, illumque amplexu *Genes.32.* constringit, aiebat Genes.32. *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi*; nescit enim non percipere, quas cupit, & petit Dei benedictiones, qui Iesum filium Dei secum habet. Fallar nisi hoc adumbrabatur Iosue cap.15. vbi dicitur Caleb dedisse filiam suam Axam in vxorem Othonieli, & continuò dicitur: *Quæ cum pergerent simul, suasa est à viro suo, vt peteret à patre suo agrum, suspirauitque vt sedebat in asino. Cui Caleb: Quid habes, inquit? At illa respondit. Da mihi benedictionem: terram australem, & arentem dedisti mihi, iunge & irriguam. Dedit itaque Caleb ei irriguum,* &c. Ecce tibi puella vsque tunc tacens, iam audet exorare patrem suum, ab illóque benedictionem bonorum petere, sicque petere, vt efficaciter postulata absque vlla dilatione consequi valeat. Vnde hoc puella potuit? Innuit textus, aiens: *suasa à viro suo, vt peteret à patre suo.* Ex quo talem virum sibi copulauit, tam fortem, qui munitissimam vrbem expugnaret, tam sapientem, qui Israelem iudicaret, docta est Axa eam orationem instituere, quæ citissimè a patre suo benedictiones postulatas trahat. Quid pulchriùs? Quid nostris animabus iucondius suauiùs? Ex quo vir ille diuinus Iesus, & diues, & sapiens, & fortis animarum sponsus nobis copulatus est; ex quo illum nobiscum habemus, & efficaciter, & citò obtinebimus, quidquid supernæ benedictionis postulauerimus à Patre.

CAPVT XX.

De mutua inter fratres charitate.

EO accedit iam sermo Dominicus, vt doceat quales futuri simus erga proximos, inter quos vita elucet Christiana, cùm mutua charitas floret. De hac præceptum datum populis meritò Iesus suum vocat; in cuius vita & operibus singulariter effigiatum inuenitur, quidquid spectat ad perfectissimam proximorum dilectionem. Ipse hominum amator nullum discrimen posuit amicitiæ, seu inimicitiæ, sed pro omnibus vitam profudit suam; ipse sibi amicos faciens omnes. An spectauit Dominus, vt homines diuinam eligerent amicitiam? Nequaquam; imò & odia, & contemptus, & iniurias, & irrisiones, & lethalia vulnera negligens, inde & amicos sibi assumebat, & erga vniuersos charitatem ostendebat ardentiorem. Hanc exhibant mentem, qui tanti regis amant esse sectatores, inimici nomen ignorent, nec vitæ parcentes, vbi proximorum salus id postulet. Quo non serui, sed & socij, & amici regis summi dicentur, vt qui sciant contemnere, quæ ille contempsit pro proximorum dilectione.

Ioan.15. Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.

§. I.

Quidquid nobis Deus præstat, id debemus proximis præstare.

EAm à nobis Deus in proximos egit dilectionem, quam ipse priùs ad nos habuit; nihil enim ipse nobis vnquam præstat, quod non velit à nobis proximis nostris similiter præstari. Apud Lucam cap.22. dicebat Dominus *Luc.22.* Petro: *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua; sed tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Expende quid se dedisse Dominus Petro asserat, & quid ab illo statim exigat; rogauit pro Petri firmitudine in fide, dedit Petro precibus, & virtute sua, quòd firmus maneret, & statim à Petro simile petit dandum fratribus. Præclarè Theodoretus orat. de *Theod.* Charit. ait: *Sicut ego te non despexi, cùm fluctuares, & labares; ita tu sis quoque sustentaculum fratribus, qui circumaguntur, & id quod es assecutus imperti auxilium.* Id à te petitur fratribus dari, quòd tu acceptum debes Deo: sustentaculum accepisti à Deo, sustentaculum proximis tuis esto: auxilium recepisti, auxilium imperti. Nihil minus in te habeant proximi, quàm tu habes in Deo. Paul. ad Colossen cap.3. ait. *Coloss 3.* *Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti, & dilecti viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes inuicem, & donantes vobis metipsis, si quis aduersùs aliquem habet querelam: sicut & Dominus donauit vobis, ita & vos.* Meritò repetitur à nobis ad proximos, quidquid Dominus donauit nobis. Quod expendens D. Anselm. ait: *Sicut* *Anselm.* *Dominus condonauit nobis, sine vllo respectu vindictæ sumendæ, ita & vos condonate vobis semper adinuicem omnia. Debetis enim conseruis non negare, quòd à bono Domino gaudetis vos percepisse.* Cùm hac obligatione Dei bona in te veniunt, vt à te in proximos proficiscantur similia. Nouit hanc donorum diuinorum obligationem ipse filius Dei, homo Deus Iesus: qui vbi à patre accepit esse filium, nil magis studuit in mundo, quàm matrem statuere, ex qua omnes homines renascerentur filij Dei. Ait Ioan. 1. *In propria venit, & sui* *Ioan.1.* *eum non receperunt; quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Cur filios Dei fieri voluit? Nónne suffecisset amicos Dei fieri? Cur maluit filios? Non potuit dare, minus quàm ipse acceperat: acceperat esse filium, sic dedit potestatem filios Dei fieri. Accipite pulchra D. Leo- *D.Leo.* nis verba in rem præsentem data serm.5. de Nat. vbi sic: *Factus est homo nostri generis, vt nos diuinæ naturæ possimus esse consortes. Originem, quam sumpsit in vtero virginis, posuit in fonte Baptismatis. Dedit aquæ, quod dedit matri: virtus enim Altissimi, & obumbratio Spiritus sancti, quæ fecit, vt Maria pareret Saluatorem; eadem facit, vt regeneret vnda credentem.* Expende ab illis verbis, *originem, quam sumpsit in vtero virginis, posuit in fonte*, &c. In nullo parcus extitit Dominus, quod ipse accepit, posuit commune omnibus, & etiam pretio sanguinis sui mercatus est fontem, ex quo renascerentur omnes homines filij Dei, vt ipse natus est Dei filius ex vtero virginali. Non aliter nos debemus diuina dona acceptare, nisi vt similia proximis nostris exhibeamus; quando omnia Dei dona hanc obligationem afferunt. Hinc eleganter D. Chrysost. apud D. Anton. in Melissa cap 7. ad di- *Chrysost.* uitem hominem fatur: *Quid, cùm pauperes aliquid à te petunt, indignaris? Paterna requirunt, non tua, tibi in manus propter illos tradita sunt, non tecum procreata.* Ideo nudus homo nascitur, omnibúsque bonis spoliatus, vt omnia accepta referens Deo, siue temporalia, siue spiritualia; omnia similiter curet proximis suis præstare.

§. II.

Multus est Iesus in dignoscendis operibus charitatis erga proximos.

SVum vocat Dominus præceptum charitatis mutuæ, vt ostendat, quàm oculatus sit, quot, quantáque habeat lumina ad dignoscenda opera charitatis, quæ in hominibus circa proximos existant. Quis enim non oculatissimus est ad dignoscenda sua etiam longissimè posita? Septem Episcopis Asiæ dum daret literas Dominus, simul se eo effermabat habitu, qui responderet vel Episcoporum virtutibus, vel vitiis. Vbi autem ad illorum duos accedit, nimirum ad Episcopum Ephesi, & Episcopum Thyatiræ, sic se

effingit

effingit cap.2.Apocal. *Angelo Ephesi Ecclesiæ scribe: Hæc dicit, qui tenet septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum.* Item ad alium locutus, ait. *Angelo Thyatiræ Ecclesiæ scribe: Hæc dicit filius Dei, qui habet oculos tanquã flammã ignis.* Aliis alium se effingit, his duobus solùm se vel oculatissimum, vel cinctum se proponit luminibus. Cum stellis, cum candelabris, cum lucidissimis oculis conuenit Iesus hos Episcopos; quid erat in illis præcipuum, ad quòd sic oculatum, & illuminatũ se ostendit Dominus? Erat equidem in his duobus singulare charitatis negotium erga proximos, circa quos alter intepuerat, vt ostendit illud ibi: *Habeo aduersùs te, quòd charitatem tuam primam reliquisti.* Alter adhuc ardens erat, vt ait ibi: *Noui opera tua, & fidem, & charitatem.* Negotium autem charitatis, nunquam non excipit Iesum, & oculatissimum, & plenum luminibus, vtpotè cui lumina suppetant, ad cognoscenda sua etiam in alienissimis. Explico rem pulchris D. Leonis verbis, quibus cæcitatem Iudæorum extollit ser.5. in Epiph. inquiens: *Perdiderunt igitur Iudæi successionem Regum, placationem hostiarum, locum supplicationum, ordinem sacerdotum, & cùm omnia sibi clausa, omnia experiantur sibi esse finita, non vident ea in Christum esse translata.* Expende cæcitatem, quòd Iudæi non vident illa quondam sua in Christianis: sacerdotium, templorum religio, maiestas sacrificiorum, ornatissimus Dei cultus olim erat apud Iudæos, modò apud Christianos est, & Iudæi adeò cæci sunt, quòd hæc sua non agnoscant, non videant. Quantæ id cæcitatis est? Quis non prorsus cæcus suis bonis spoliatus illa, vel à longè agnoscit, sub quouis alio possessore existant? Nulli non suppetunt mille lumina, quibus recognoscat sua, præcipuè quando illis spoliatus affligitur. Sanè laboriosa omnia charitatis negotia pro fratribus Iesus subiit, putauit sua, & quid ad hæc conduxit, suum habuit, modò laboriosa omnia hæc sibi clausa, sibi noscens esse finita, oculatissimus redditur, totúsque impletur luminibus, vt hæc sua in nobis cognoscat, & qualia sint, manifestè videat. Ex quo sapienter aiebat D. Ephrem tractatu de virtutibus, vbi de Charitate; *Beatus ergo, qui charitatem possidet, & cum ea ad Deum tendit, quoniam ipse, quod suum est agnoscens, eum sinu suo excipiet.* Et rursus tractatu de humilitate comparanda, inquit: *Propterea diligamus inuicem fratres, vt cum viderit Dominus fidem, & vnionem adinuicem in nobis, lætetur, sicut scriptum est: Lætabitur Dominus in operibus suis.* Et agnoscit Dominus charitatis opera, & lætatur in illis, vtpotè, qui lætatur, agnoscens in aliquo sua.

D. Leo.

D. Ephr.

§. III.

Id singulariter habet suum quisque, quod charitatis erga proximos opus est.

Iure suum reputat Dominus præceptum, quod de diligendis proximis tradit; nihil enim tam nostrum est, quàm quod charitatis opus proximis impendimus. Quod ex charitate in proximum facit quisque, id singulariter suum reputet. Ephesi Angelo dicebat Dominus Apocal.2. *Habeo aduersùm te, quòd charitatem tuam palmam reliquisti.* Vbi arguté in rem præsentem legit Syrus: *Sed habeo contra te propter tuum illud primum, quod reliquisti.* Expende quali paraphrasi explicentur ardentissima opera charitatis, quibus Ephesi Episcopus recens creatus proximorum salutem procurabat. Quippè ardentissimum charitatis opus vocatur *tuum illud primum.* Quod illud erat? Multas namque virtutes sanctus Episcopus exercuerat; quod ergo illud opus primum fuit? Explicat, cùm addit *tuum*, per id enim, quod suum singulariter dicitur, manifestè ostenditur fuisse opus insignis erga proximos charitatis. Quis iam graue ducat opus charitatis, quod ex suis nasci, & suum esse videt? Dixerat aliquando Ioan.1. epist.5. de Iesu mandatis, *& mandata eius grauia non sunt;* quod tunc difficilius videtur, cùm mandatum à Iesu accepimus, de diligendis proximis, imò de eorum oneribus portandis, vt ait Paul. *alter alterius onera portate.* Si ergo mandata Iesu de oneribus portandis sunt, vnde non sunt grauia? Meritò non sunt grauia tibi, in quibus quidquid facis tuum est, ex propriisque tuis constat. Id quod ponderans D. Ephrem serm. de Char. ait. *Quale pondus est, quisue labor remittere fratri suo offensiones? Leue sanè, & prorsus nihili, vt & de proprio concedere, ac condonare, & simul quàm citissimè iustificari.* Ex duplici capite mollitur præceptum de condonanda iniuria, fratréque sustinendo, nimirum ex citissima retributione in abolitione

Apoc.2.

Ioan.1.

D. Ephr.

peccatorum; & ex eo quòd talis iniuriarum condonatio non fit de alienis, & de extraneis, sed de propriis, quia singulariter propria nostra sunt omnia opera charitatis, erga fratres iuuandos. Abraham Genes. 14. laturus opem fratri suo Loth, quale putas sibi agmen delegisse? Ait textus: *Quod cum audisset Abraham, captum videlicet Loth fratrem suum, numerauit expeditos vernaculos suos trecentos, & octo; & persecutus est eos vsque Dan.* Itaque non aliunde milites acquisiuit, sed ex suis sibi agmen fecit, quo fratri præstaret auxilium. Sed cur solis suis contentus in difficile certamen prosiliuit? Charitatis erga fratres erat opus, in quo nihil non suum videre libuit. Hinc Bachiar. epist. ad Ianuarium fatur: *Ille princeps patrum, qui primus credidit, & reputatum est ei ad iustitiam, captum ab hostili legione filium fratris, assumpta vernaculorum turba, eripuit: quem postmodum de Sodoma plaga, orationis suæ meritis liberauit. Et tu ergo assume vernaculorum turbam, hoc est, opere tuo, non alieno fratri auxilium præsta captiuo.* Nihil non tuum necessarium habes, vt proximis tuis præbeas auxilium: tua enim sunt omnia, quæ profers, vbi proximis iuuandis incumbis.

Genes.14.

Bach.

Text. Maiorem hac dilectione nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.

§. IV.

Operis virtuosi præstantia non tam ex aliis, quàm ex eo, quod fiat propter Iesum, desumitur.

Ecce dilectionis, imò cuiusque virtutis pretiosissimus valor, quòd fiat pro amicissimo, & summo hominum amatore Iesu. Pro aliis amicis præstantissimum opus vt facias, sanguinem fundere debes; pro hoc hominum amico Iesu quodlibet opus factum est præstantissimum, & sanguinem etiam aliàs profusum vincit. In vniuersis martyribus mors celebrari consueuit, de qua dicitur, *pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius*, quam adeò gloriosam sibi optauerat maleficus ille Balaam Num. 23. aiens, *moriatur anima mea morte iustorum.* Verùm in Ioanne Baptista, qui gladio Herodis occubuit, datus in præmium saltatricis puellæ, non tam gloriosa, non tam celebris inuenitur mors eius, quàm natiuitas. De morte tantùm ait Matth.14. *Misitque & decollauit Ioannem in carcere. Et allatum est caput eius in disco, & datum est puellæ.* Quid simplicius dici potuit? De natiuitate autem dicit Angelus Luc. 1. *Multi in natiuitate eius gaudebunt*, &c. Cur ergo Ioannis natiuitas gloriosior morte apparuit? Rem pulchrè attigit D. Bernard. serm.2. in D. Petrum fatus: *Denique in Ioanne solo celebrior est passione natiuitas: quia etsi passus pro Christo est, cùm pro iustitia, & veritate occubuit, euidentius tamen natus pro eo est, nimirum homo missus à Deo, qui in hoc natus est, & ad hoc venit in mundum, vt perhiberet testimonium veritati.* Pro Iesu amico suo expressius, & euidentius nascitur Ioannes, quàm occumbit; & ideo, quò expressior est pro Christo Ioannis natiuitas, eò celebrior est, & gloriosior passione ipsa. Præcipua enim Christiani facinoris gloria, & excellentia in eo consistit, quòd fiat pro tanto humani generis amico, nempè Christo. Dicebat Dominus Moysi Exod. 25. *Loquere filiis Israël, vt tollant mihi primitias. Ab omni homine, qui offert vltroneus, accipietis eas. Hæc sunt autem, quæ accipere debetis. Aurum, & argentum, & æs, & hyacinthum, & purpuram, coccúmque bis tinctum, & byssum, & pilos caprarum.* Hæc sunt, quæ primitiarum nomine à Deo pro tabernaculo construendo exiguntur; cùm autem hîc primitias vocat, non intelligit laboris alicuius primitias, vt sæpè aliàs; sed, vt notat Abul. & Theodor. quæst.70. intelligit prima, & præstantissima bonorum omnium. Quo posito notandum venit, quòd inter prima, & præstantissima bona, vbi aurum, vbi argentum, vbi purpura numerantur, eumerentur etiam caprarum pili. Quid caprarum pili cum argento, auro, & purpura? Sanè vbi pili caprarum pro tabernaculo ædificando offeruntur, hoc est, à corde perfectè respiciente Christum veniunt, possunt etiam inter præstantissima ferre primas. Vt dicat Rupert. lib.4. de operibus Trinit. cap.4. *Multo enim ab auro, & argento pili caprarum in pretio differunt, & tamen sub eodem vocabulo primitiarum positi sunt. Nec dubitandum pilos caprarum interdum auro, & argento, lapidibúsque pretiosis priora fuisse apud cordium inspectorem Deum.* Sunt equidem minutissima quæque priora primis, si à perfecto corde Christum exhalante, pro Christo fiant. Nec pilus, etsi vilissimus est, qui pro Christo stet, qui eo ipso non effulgeat inter præstantissima.

Num.23.

Matth.14.

Luc.1.

Bernard.

Exod.25.

Rupert.

Cant.5. tissima. Cant.5. *Comæ capitis tui purpura regis vincta canalibus.* Pro coma, est apud Hebræos *Dalath*, quod verbum iuxta Vatablum significat tenuitatem paupertatem; vt dicat, *Tenuitas, siue paupertas capitis tui purpura regis*, quod tenue, & vile est in Christi sponsa, id purpureo splendore fulgens mūdiales etiam purpuras superat. Sed vnde obiecta, & humilia possunt ad tam superiorem, & regium decorem peruenire, nisi ex eo quòd Regem regum spectent Christum? Pulchrè aiebat Gillib. Abb. serm.18. in Cant. *Quid tu illic dicis humiliationem seruitutem putans? Seruilis non est, quam regalis nobilitat purpura. Humilitas suscepta pro Christo regiam præfert dignitatem.* Nullum virtutis opus, vbi pro Christo exercetur, regium non est, vilissima quæque, & abiectissima pro Christo decorem præ se ferunt regalissimum.

Gillib. Abb.

§. V.

Qui mundialia bona contemnit omnia, iam inde nullum habet inimicum.

INde extollit Dominus charitatis opus quòd animam suam ponat quis pro amicis suis; cur etiam non dixit expressiùs pro inimicis suis? Vbi sic omnia mundialia bona contemnuntur, vt contemnatur etiam ipsa vita, nullus inde restat inimicus, vniuersi quasi amici, & fratres respiciuntur. Hinc est, quòd apud Matth. cap.10. dum mittebat Dominus discipulos suos pro inimicis etiam oraturos, ait: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris: non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* Primùm omnia mundi bona iubet deponi à suis, postremò etiam iubet deponi virgam? Cur ad extremū reseruatur depositio virgæ? Cur non magis mandatur virga deponi ante aurum, & alia bona? In virga instrumentum vltionis significatur, quæ solet sumi de inimicis, ideo hęc post aurum deponi mandatur, quia post contemptū mundialium bonorum, nec instrumentū vltionis seruari potest, nec manet inimicus. Non longè abest D. Ambr. lib. de Ioseph c.13. inquiens: *Dominus misit discipulos sine auro, sine argento, sine pecunia, sine virga, idest, vt & incentiua litis, & instrumenta eriperet vltionis.* Et quidem vbi temporalia bona à corde fidelium eripiuntur, & etiam instrumenta vltionis eripiuntur, nemo enim inde noscit inimicum. Quis vitæ bonis renuntians non habeat, & faciat sibi omnes inimicos? Dominus Iesus, qui toties durissimis verbis insecutus fuerat hostes suos Iudæos, vbi positurus animam accedit ad crucem, statim ait Luc.23. *Pater ignosce illis*, qua oratione hostes mutauit in amicos. Cur tunc singulariter, quos hostes antea senserat, admittit ad amicitiam? Renuntiauerat omnibus vitæ bonis, & moriens renuntiabat vitæ, ex quo omnes reputat, quasi amicos. Pulchrè D. Petrus Dam. serm. de sancto Stephano inquit: *In ligno enim spinis, clauis, lancea affixus, & crucifixus dissimulat illum vnicum dolorem, & oblinisci- tur mortis vicinæ, nouum introducturus exemplum, aperit latitudinem charitatis, & apertiori campo terminos traditæ legis amplificat, non iam solum amicus amicis, sed velint, nolint, amicus pariter inimicis. Pater, inquit, ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt. Non potuit esse inefficax oratio morientis, vnde, & inimicorum numerositas ad numerum amicorum transijt.* Expende ex quo inimicorum numerositas ad numerum amicorum transiuit, nimirum, ex quo intonuit oratio morientis: vbi enim sic omnia mundialia despiciuntur, vt etiam renuntiemus vitæ, animámque ponamus, exinde non manet inimicus, sed omnes transeunt in fratres, & amicos. Raptus Stephanus ab hostibus est, & in concilium inimicorum adductus, sic omnia caduca desciscit, vt iam non homo in mundo, sed Angelus videretur in cœlo. Ait enim Act.6. *Viderunt faciem eius, quasi faciem Angeli.* Angelus apparebat effectus, qui carnalem vitam ponebat, cui ex mundo nihil aderat, nisi carnifices, nisi vitæ hostes suæ. Quid interea Stephanus? Ait textus ibi cap.7. *Qui ait; Viri fratres, & patres audite.* Fratres vocat, quos notat carnifices, in cuius manibus positurus adest animam suam. Cur fratres vocas, ô Stephane, quos hostes vides? An ignoras te in eorum manibus positurus animam pro Iesu? Imò quia id non ignorat, ideo fratres vocat, ex quo enim & bona despicit mundialia, & ponit animam suam, nullum æstimat hostem, sed vniuersos habet fratres, & amicos. D. Nyssenus orat. de sancto Stephano, ait: *Illi quidem ad cædem spectabant, & iam manus lapidibus armabant, obtutu, anhelatione, dentium collisione sæuitiam præ se ferentes. Hic verò tanquam fratres aspiciebat, & tanquam fratres salutabat.* Hunc spiritum fideli viro infundebat bonorum mundialium, vitæque profusio ob oculos posita, quo minus de vita fidebat, eò securiùs omnes habebat fratres. Propone tibi ob oculos Dauidem à domo sua expulsum, in montibus errantem, in speluncis, & cauernis terræ sepultum, quotidie ad mortem petitum. Inter hæc quali animo fuit Dauid affectus erga hostem suum? Equidem dum profugus, dum afflictus, dum in nouaculæ acie quotidie erat, non hostem habebat, nec vocabat, sed Christum Domini, cui nec minus intulit, cùm posset. Tandem accessit ad regni clauum, auro, argentóque cinctus incepit radiare, aureus in throno apparuit, & ecce tibi a fugitiuo, à penè emortuo vita in hostem non semel exiit, ab aurato rex proficiscitur, quæ perdat fidelem famulum Vriam. De quo eleganter D. Chrysost. hom.59. ad Popul. ait: *Et tunc quidem cum in tribulatione esset, & inimicis parcebat, post hæc, nec amicæ, nec his, qui nullam intulerant iniuriam.* Sic bonorum temporalium nuditas, & vitæ discrimina in hoste amicum faciebant cogitari; verùm aurum, copiáque bonorum etiam familiares, vt hostes tractat.

Matth.10. Ambros. Petr. Dam. Act.6. Act.7. Nyssen. Chrysost.

§. VI.

Vera charitas semper præferre debet amicos inimicis, domesticos extraneis.

NOn otiosè charitatem commendaturus Dominus, illam nominat, quæ circa amicos est, quasi hæc, vt præstantissima, sit in primis commendabilis. Quis hoc nesciat, nimirum charitatem Christianam primum locum amicis semper dare, & sola ex quadam superabundantia debere procedere ad inimicos, & extraneos. Id quod sapienter animaduertens Tertull. lib.1. aduersùs Marc. ait: *Disciplinam diligendi extraneum, seu inimicum antecessit præceptum diligendi proximum. Nam quo magis proximum diligas, iuberis diligere inimicum. Antecedit autem debita indebitam, vt principalis, vt dignior ministra, & comite sua, idest, indebita. Prior igitur, cum prima bonitatis sit ratio in rem suam exhiberi ex iustitia; secunda autem in alienam ex redundantia iustitiæ, super Scribarum, & Pharisæorum, quale est secundam ex rationem referri, cui deficit prima?* Sanè Marcion effingebat Deum veteris Testamenti, sine domesticis, sine amicis, sine cognatis; atque ideo totum profusum, vt benefaceret sui æmuli, & contrarij domesticis. Ex quo sapienter argumentatur Tertull. in illo tali Deo veram charitatem minimè posse existere, cuius prima ratio, & perfectio est, quòd amicis suis, domesticis suis, cognatis suis in primis bene faciat, quod enim bonum est, in rem suam in primis quasi ex iustitia tenetur exhiberi; deinde ex quadam redundantia iustitiæ debet progredi ad extraneos. Sed hoc secundarium est in charitate vera, quare insciente charitas posse esse præsumitur, cùm hoc secundario effectu circa extraneos, & inimicos, nisi primarium habeat, in primis amicis suis benefaciens, eósque cumulans gratiis. Hinc colliges, quàm rude, & inhumanum sit ingenium illorum, qui nihili ducentes amicos, & domesticos suos, vehementer afficiuntur erga extraneos, imò erga hostes. Hoc ingenium sic etiam pungit Tert. vbi suprà in Deo Marcionis fatus: *Nego rationabilem bonitatem Dei Marcionis, iam hoc primò, quòd in salutem processerit hominis alieni.* Irrationabiliter, qui nihil pro suis facit, pro alienis se mactat. Quem sic monebat Paul. ad Gal.6. *Operemur quod bonum est in omnes, maximè verò erga domesticos fidei.* Succenset Pharisaicam iustitiam, quæ solùm erga suos erat, sed & docet ordinem charitatis, quæ maximè, & præcipuè erga suos debet exhiberi, vt suprà aiebat Tertullianus, deinde ex redundantia in extraneos. Vnde ad hæc dicebat D. Chrysost.: *Iudæis omnia humanitatis officia erant erga contribules, at gratiæ philosophia terram pariter, & mare ad beneficentiæ mensam inuitat, quamquam erga domesticos copiosiorem exhibet solicitudinem.* Ad extraneos, & intimos se extendit vera charitas, sed tunc rationabiliter id facit, cùm post domesticos, & amicos, & cognatos. Quem ordinem seruans ipse Paul. ad Roman.9. ait: *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundùm carnem, qui sunt Israelitæ.* Et quidem nihil tale dixit pro gentibus, sed cùm esset gentium Doctor factus, in hoc charitatem suam perfectam ostendit, quod copiosiorem exhibet solicitudinem pro fratribus. De hoc vide suprà cap.7. §.7.

Tertull. Idem. Chrysost. Rom.9.

Text. Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis.

§. VII.

§. VII.

Dei amicitiam vt consequaris, proximorum te debes præbere amicum.

De proximis diligendis præceptum proferens Dominus pretium fraternæ dilectionis statuit diuinam amicitiã; quæ illum solum excipit, qui nouit proximis suis esse charus. Hinc apud Matth.c.5. monet Dominus: *Si offers munus tuum ad altare,& ibi recordatus fueris,quia frater tuus habet aliquid aduersùm te: relinque ibi munus tuum ante altare,& vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Cur non magis offerat priùs munus, & postea reconciliationem cum fratre faciat? Accipiat Dominus oblationẽ sibi factam,& deinde remittat offerentem fratri reconciliando. Non id patitur Dominus, nec vllum admittit in conspectu suo,qui fratribus antea non fuerit amicus. Ad hæc D.Hilar. ibi ait: *Nullam impacificæ orationis precem fieri patitur Dominus, sed altario munera offerentis reconciliata humana,pacem reuerti in diuinam pacem iubet, in Dei charitatem de charitate hominum transituros.* Quid pulcrius? In Dei charitatem,nisi de charitate hominum non transitur,nec ad Dei amicitiam accedis, nisi te proximorum tuorum facias amicum. Cum proximis negotiare,qui velis in Deo grata omnia,& amica inuenire: securè speras à Deo, quæ tu etiam tuis proximis præbere non desistis. Act.3. Petrus,& Ioannes in templum ibant petituri à Deo misericordiam, petituri laborum suorum progressum;& ecce tibi claudus pauper in limine templi ab illis petit etiã misericordiam: cui illi misericordiam faciunt, pedes restituunt,gressum tribuũt.Et miraris,quòd Apostoli orationem suam differant,vt claudo sanando incumbant,vt pauperis claudi petitionibus satisfaciant? Nónne satius videretur, quòd ipsi in templum intrarent,orationẽ ad Deum funderent, & inde exeuntes pauperis supplicantis efficerẽt salutem? Quinimo nullo melius aptabantur Deum deprecaturi,quàm priùs proximum deprecantem audientes,vt de humana miseratione transirent ad diuinam, & de charitate proximi ad Dei charitatem; nec aliter finerentur ad Deum accedere, nisi postquam proximo officium exhibuissent. D. Chrysost.serm.dato in verba ex c.3. Sapientiæ tom.1.ait: *Accedunt Apostoli Dominum deprecaturi, sed preces claudi non poterant aspernari. Præueniuntur precibus preces,rogantem claudum rogaturi ante audiunt, quàm precarentur: nec permittit claudus orare illos,quos petit,nisi prius acciperet,quod optauit: vt ante ab eis, quod voluit,impetraret, quàm ipsi à Domino, quod volebant, expeterent.* Tunc ad Dei gratias securus accedit quis, quando de gratia à se proximo facta accedit: audi Deum in fraterna dilectione,& Deum inuenies amicum,& tuis petitionibus propitium. Pari semper passu,& diuina gratia in nos, & nostra in proximos currunt. Ille dilectus Deo Ioannes Euangelista,de quo gloriosum illud profertur,c.21. *Discipulus ille,quem diligebat Jesus,* qualis in proximos extitit? Legite eius epistolas,& fallar,nisi singulæ literæ fraternã dilectionem aspirent: nullus sic in fraternam charitatẽ se ostendit. Sed vnde natum est,quod hic Christi discipulus plus omnibus se ostenderit erga proximos in charitate, nisi quia & ipse plus omnibus ostenditur dilectus à Deo ipso? Id quod attigit D.P.Dam.ser.1.de D.Ioann.inquiens: *Vnde diuinitus illi concessum est, vt tanta cor eius, etiam circa fratres charitatis gratia repleretur, vt sacrosanctum pectoris eius templum, velut caminus quidam diuini videretur incendij.* Quod profectò in quibuslibet scripturis eius patenter agnoscitur, in quibus vtique per omnem ferè paginam, quasi per quasdam rimas, charitatis vapores effundere, charitatis videretur ardoribus æstuare. *Vt nimirum plus amaret,qui plus amabatur,& qui primus erat, in redemptoris amore,præcipuus in fraterna fieret charitate.* Nunquam charitas,& amicitia diuina non gaudet hac consorte sua, nimirum in proximos charitate.

Matth. 5.
Hilar.
Chrysost.
Ioann.21.
Damian.

Text. Iam non dico vos seruos,quia seruus nescit, quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.

§. VIII.

Charitas in proximos diuina sibi mysteria manifesta experitur.

Qui seruant Dei præcepta de mutua dilectione, in eam Dei amicitiam veniunt, qua non dicantur serui, sed inter illos amicos numerentur, quibus omnia Dei pandantur,& reuelentur mysteria. Quid enim Dei non nouit proximorum amator? De D.Stephano dicitur Actor. 7. *Intendens in cœlum vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei, & ait: Ecce video cœlos apertos, & Jesum stantem à dextris Dei.* Dum intendit in cœlum, sic illi omnia aperiuntur, manifestantur,vt nihil sibi celatum inueniat. Sed vnde Stephanus tam potenter intendit in cœlum, vt omnia percalleat? vt nihil non maneat illi manifestum? Id insinuat textus paulo infrà aiens: *Positis autem genibus clamauit voce magna, dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Vbi sic proximos amabat,vt etiam pro persequentibus oraret, ita eius oculorum intentio acuebatur,vt diuina omnia peruaderet. Ad hæc D.P.Damian.serm.de Sancto Stephano,ait: *Intendit in cœlum, videt iam non cœlum, sed cœlos apertos, videt gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei. Mouet me hæc intentio, quæ de cordis puritate refusa vim facit cœlis, & ad ipsius diuinitatis consistorium penetrat, & attingit. Cœli aperiuntur, gloria Dei videtur, Iesus conspicitur. Hanc intentionem fecerat dilectio Dei, amor proximi.* Quem talis Dei, & proximi tenebat charitas, sic illuminabat, vt & ab illo intima Dei mysteria faceret penetrari. Nihil diuinum non patet ardenti amatori fratrum, quando amor proximi lucerna est, lampas est, qua omnia cœlestia valeas scrutari. Cant.8. *Fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio, lampades eius, lampades ignis, atque flammarum.* Sed qualis flamma exsurgit ex lampade charitatis? Aiunt tres Patres apud Martinum del Rio: *Quæ illustrat in luce veritatis mentem, atque ignorantiæ tenebras discusit.* Suas habet lampades charitas in proximos, imò potiùs ipsa lucidissima lampas est, quæ omnia Dei secreta patere faciat. Vis nosse charitatem fraternam esse lampadem? Ad Angelum Ephesi dicit Dominus Apocal.2. *Prima opera fac. Sin autem, venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo.* Prima opera quæ requirebantur in hoc Angelo, erant opera charitatis erga salutem fratrum, sic enim dicebat paulò antè: *charitatem tuam primam reliquisti.* Sed cur ei, qui charitatem reliquit, dicitur; mouebo candelabrum tuum? Pulchrè satis id dicitur, quia vt extincta, & consumpta lucerna turpe est, ibi manere candelabrum;sed inde statim tollitur. Sic qui extinctam habet charitatem in fratres instar fœdi, & vacui candelabri manens, necessum est vt è medio tollatur. Quis patiatur candelabrum habens in se consumptam lucernam? Meritò aiebat D.Cyprian.de zelo,& liuore: *Quid in zeli tenebras ruis? Quid te nubilo liuoris inuoluis? Quid inuidiæ cæcitate omne pacis, & charitatis lumen extinguis?* Vbi erga fratres charitatem extinctam habes candelabrum es fœdum, & sine lucerna, sine lampade. Ad hæc monebat D.Ioann.epist.1. cap.2. *Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & scandalum in eo non est. Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit, quò eat, quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius.* In eo qui fratrem odit, omnium inscitia, & ignorantia est, & tenebræ, & caligo, & cæcitas, adeò, vt maneat instar candelabri sine lucerna vacui, de extinctæ lucernæ amurca fœdi. Qui autem in pace est, & charitate fratrum, lucidas exsurgit in lampades, quibus ad omnia etiam diuina præcipienda illuminatur. Id quod ponderat D.Gregor. Nazianz.orat.1.de Pace in Angelis, vbi reprobus ille Lucifer dissidia inter fratres in cœlestibus seminauit. *Ex Angelis autem is, qui seditionem concitare ac supra dignitatem suam sese efferre ausus est, dignas arrogantia sua pœnas dedit, lucis loco tenebris mulctatus, aut, vt veriùs loquar, à se ipso caligo effectus: reliqui verò in sua dignitate perstant, quorum primum illud est, quòd paratis sunt, ac dissidij expertes, quippe qui à sancta Trinitate hoc acceperint, vt vnum sint, quemadmodum, & ab eadem illuminationem acceperunt.* Quid ex seditione, & pugna cum fratribus perciperet nequam ille spiritus, nisi tenebras, nisi caligines, quibus sepultus maneat? Felices illi,qui inter se vniti, vt ex Deo acceperunt vnanimitatem, & charitatem, qua coniungerentur, sic & acceperunt illuminationem, cuius beneficio nihil illos diuinum lateat. Fallar si excelsior alia specula dari posset,quàm charitas ad omnia cœlestia penetranda, percallenda. Vbi Iesus gloriæ suæ secreta discipulis ostendere voluit, Matth.17. *Duxit illos in montem excelsum,*&c. Cur ad montem excelsum,nisi vt charitas Dei, & proximi celsissima omnium virtutum sola ostendatur sufficiens, vt percalleat diuina mysteria? Aiebat D. Damasc. orat.de Transfigurat.fatus. *Operæ pretium est igitur,vt ad sublimissimam, ac diuinam charitatis speculam euecti, ita demum ea, quæ aspectum omnem superant, intueamur. Nam qui ad summum charitatis verticem peruenit, quodammodo à se excedens, eum, qui*

Actor.7.
Damian.
Cant.8.
Martin.
Apoc.2.
Cyprian.
Ioann.1.
Nazianz.
Damasc.

qui cerni non potest, perspicit, atque corporeæ molis caliginem mentis luminibus officientem prætervolans, atque in animi serenitate constitutum, in iustitiæ solem liquidius oculos defigit, tametsi non prorsus huiusmodi spectaculo expleri queat. Non fugit sol diuinus conspectum illius, qui supra charitatis apparet speculam, imò illi secreta suæ pulchritudinis reuelat. Ille meruit cæ-

Tob. 2. citatem in diuinis, qui ab operibus desistit charitatis: Tob. cap. 2. *Contigit, vt quadam die fatigatus à sepultura veniret domum, iactasset se iuxta parietem, & obdormisset: atque ex nido hirundinum dormienti illi calida stercora inciderent super oculos eius, fieretque cæcus.* Expende, quando cæcitatem incurrit, nimirum, quando fatigatus ab operibus charitatis dormie-

Damian. bat. D. Petrus Damian. lib. 2. epist. 12. ait: *Fatigatus à sepultura, dum se vel effractis viribus proycit, lumen amittit. Illa sum quippe cordis oculum seruat, quisquis in bonis operibus charitatis infatigabilis perseuerat: tùm verò pusillanimiter frangitur, non immeritò luce priuatur.* Hæc ille.

Text. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos, vt eatis, & fructum afferatis; & fructus vester maneat: vt quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.

§. IX.

Non alius quàm Deus nos à sceleratorum grege secernere potest.

CVius tanta potest vis esse, vt inter ruentes multitudines, aliquem hominem stare faciat? Vt è deiectorum grege quendam seligat, & contineat a lapsu? An honor temporalis? An humana ratio? An mors? Certus sum, quod neque honor, neque infamia, neque mors, nec creatura aliqua valet hominem à sceleratorum numero seligere, nisi sola omnipotentis Dei manus. Ego, ait, Dominus elegi vos, non vos, non creatura aliqua, non ratio humana, non mors, non gladius vos compulit ad Deum ire, sed ipse omnipotens traxit alioquin omnes manerent deiectissimis peccatoribus adæquati. Nobilissimam Carthaginem dira pestis populabatur, & cùm pestifera lues maximè sæuiret, frequentissima referens cadauera, hominum scelera sæuiebant magis. Nullum non scelus vigebat inter cædes quotidianas: de quo

Cyprian. locutus D. Cypr. epist. ad Demetrianum, ait: *Tantus cladium terror dare non potest innocentiæ disciplinam, & inter populum frequenti strage morientem, nemo considerat, & se esse mortalem. Passim discurritur, rapitur, occupatur. Nulla prædandi dissimulatio, nulla cunctatio, nulla formido est.* Ecce tibi hinc inde gladius, hinc inde mors sæuiens, nec tamen ob oculos mors posita quemquam cohibet ab scelere. Sic morte perspecta in rapinam itur, quasi mors nihil metuendum proponat, sed calcar adhibeat ad malefaciendum. Nihil sanè est adeò fortè, quod homines ad Deum impellat, ab scelere cohi-

Amos 3. beat, nisi solus ipse Deus intersit. Amos cap. 3. ait: *Nunquid cadet auis in laqueum terræ absque aucupe?* Pulchro exemplo ostendis, quàm inania sint omnia creata media ad capiendum hominem nisi Deus intersit. Puta omnia media creata validissimos esse laqueos, quibus volatilis hominis spiritus prendi possit, vt seligatur in Dei mensam. Quid tunc? Prendetur homo per hoc, quòd illi laquei adhibeantur à quoquam? Absit, non enim ad aucupium sufficiunt laquei; & si laquei validissimi apponantur, non capitur auis, nisi industrius auceps accedat. Is noscens auium volatus, ea arte laqueos disponit, eo & loco, & tempore, & occasione, vt securissimam habeat prædam. Vnde, quòd auis cadat in laqueum, non auis fuit voluntas, quæ libero cœlo potiùs frui vellet; nec laquei fuit potestas, qui aliàs extensus nihil profecit, sed aucupis industria fuit, & ars, qui iuxta occasiones temporis, & loci laqueum disposuit, ad quem infallibiliter auis venerit. Solius equidem diuini aucupis munus est, quòd capiamur homines, & curramus ad Dei mensam: minimè nos veniremus, nec vlla creata media nos traheret, nisi vnica

Rupert. diuini aucupis electio. Pulchrè Rupert. ibi: *Nisi auceps sua arte laqueum diligenter tendat, & omni satagat industria, quatenus auem capiat, auis fugitiua semper, & vaga, prius accipitri cedet in prædam, quàm sua sponte ad regis inclyti deuolet mensam. Quam ergo gratiam prouidus auceps habeat illi, cùm suo illam laqueo ceperit? Vtique nullam, sed eiusdem potiùs industria res omnis tribuenda est. Sic profectò totum Dei gratiæ attribuendum est, qui bonis verbis sui laqueum tetendit, vt auicula vaga, scilicet, anima prius deueniat in manus Domini Dei, quàm fauces incurrat diaboli.* Non auibus ipsis, non laqueis habenda gratia est, quòd aues capiantur, & in regis inclyti mensam religantur; vnius aucupis dexteritatis opus est: non item mediis, nec hominibus ipsis tribui debet, quòd homines vagæ liberæque vitæ renuntient, & ingrediantur in conuiuium cœleste, sed id totum opus diuinissimi Saluatoris est. Apud

Luc. c. 9. inquit Petrus: *Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete. Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam.* Sanè sæpiùs inibi laxata fuerant retia; imò, & ibi fuerant pisces, & simul retia, & piscatores, & nauis, & nihilominus per totã noctem nec vnus pisciculus in retia venit. Sed cur inter tantam copiam piscium vacua inueniuntur retia? Deerat maximus ille piscator Iesus, & sicut sine hoc aucupe non capiatur passer, ita sine hoc piscatore non venit piscis ad retia. Nihili sunt omnes laquei, nihili sunt etiam mortis rudentes, nihili sunt omnia creata media, & vniuersæ creaturarum industriæ, ad capiẽdos homines, nisi industria Saluatoris nostri accedat. Luc. 9.

Chrysost. serm. 15. *In verba Christi Petrus cum laxaret retia, piscium multitudinem cepit, sine quo, & ignarantia noctem pertulit, & nullam fructum peruigil piscator inuenit. Domine, inquit, laborantes per totam noctem nihil cepimus: sed in verbo tuo laxabo retia.* Sunt qui immolent sagenis, hoc est, qui salutem suam creatis tribuant mediis: putatur honor, & custodia parentum virginem a prostitutis secernere: putatur etiam, & viri officium, & metus mortis, & inferni metus vxorem ab adulterio continere: similiter aliæ nobiles, & ingenuæ rationes putantur dare hominibus innocentiam. Sed nec honor, nec vita, nec lucrum vllum temporale; nec mors, nec gladius, nec infernus possunt aliquid, nisi Christi Domini gratia, & industria accedat; omnia contemnit lucra, omnia pericula despicit ardens in corde hominis concupiscentia. Quæ mallet accipitri, hoc est, diabolo cedere in prædam, quam summi regis venire ad mensam. Hinc monebat Cant. 8. *Pone me vt signaculum supra cor tuum, signaculum supra brachium tuum, quia fortis est, vt mors dilectio, & dura sicut infernus æmulatio.* Chrysost. Cantic. 8.

Non aliud signaculum permittitur sponsæ, nisi signaculum Iesu positũ, & in corde in brachio. Cur necessum est signaculum Iesu? Nónne virgini sufficisset signaculum custodiæ paternæ? Nónne sufficisset obiecta illi mors? Nónne sufficisset obiectus illi totus infernus? Si in corde virginis carnalis adolescat amor, siue æmulatio: nihil sunt omnia alia signacula, præter Iesu signaculum, non mors, non infernus sufficiunt, quia amor carnalis, & æmulatio adeò fortes, & duri sunt affectus, vt cum morte, & inferno confligant, & sæpe honorem, & mortem, & infernum pro nihilo habeant. Quia ergo sic valent affectus carnales; nemo Christianus fidat sanguinis ingenuitati, nemõ salutem animæ credat mediis creatis; sed putet omnia salutaria in se profecta, & proficiscenda esse à Iesu manibus.

§. X.

Fructum spiritualem in peccatoribus requirens non continuò illis debet instare, nec semper super illos incumbere.

ECce tibi sapientiam, & dexteritatem diuinissimi animarum cultoris, ait enim: *Posui vos, vt eatis, & fructum afferatis.* Non ait, posui vos, ne vnquam à mea præsentia, à meo conspectu, à mea voce recedatis, quin potiùs ait, posui vos, vt eatis, & fructum afferatis. Qui enim spiritualem fructum requirit in peccatoribus, non semper illis instet, non semper, & continuò illos sub se habeat, ni velit continua sua assistentia fructum suffocare. Maximus ille Elisæus 4. Reg. 4. puerulum defunctum suscepit, vt in illo perditam vitam excitaret, quid tunc? *Et ascendit, & incubuit super puerum: posuitq; os suum super os eius, & oculos suos super oculos eius, & manus suas super manus eius, & incuruauit se super eum, & calefacta est caro pueri. At ille reuersus deambulabat in domo, semel huc, atque illuc,* &c. Et oculis, & ori, & manibus defuncti pueri oculos, & os, & manus suas imposuit, quo iam puer calescere incepit: tunc Propheta se inde tollens, relinquens puerum, incepit in domo hinc inde deambulare. Sed cur, ô bone non magis instas pueri membris in vitã calefaciendis? Cur non magis incumbis super puerũ? Semel incubuisti, & caro calefacta est, incumbe adhuc paulisper, & forsan viuificabitur. Cur re incepta, & infecta recedis? Cur cùm incipit puer calefieri in vitã, te tollis, & non incumbis magis? Prudentissimè, qui super puerũ incumbit, vt vitæ fructus proferatur, nouit etiam recedere, & ab illo distrahi, ne superincũbente continuo nimis suffocentur prima signa vitalia. Infirmũ 4 Reg. 4.

puerum

puerum incipientem viuere tantum superpositum ori, & oculis, & manibus, & pectori onus proculdubio suffocaret, nisi remoueretur, & locum vitæ ingredienti daret. Si qui fructus vitæ in peccatoribus requirũt, & volunt oculos eorum, & ora, & manus bonis operibus aptare, non continuò infirmanti incumbant, non continuò eorum oculos, & ora, & manus adhibitis disciplinæ, & correctionis oneribus premant, sed sciant tollere se, & aliò diuertere, ne suffocẽt primordia, sed sapienti dilectione promoueant magis. Huc

Luc. 13. spectabat ille agricola Luc. 13. qui de ficu colenda, ait: *Domine, dimitte illam & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora. Et si quidem fecerit fructum*, &c. Instandum erat sterili ficulneæ, vt fructifera fieret, stercus illi adhibendum erat, simul & fossura exercenda circa illam; sed & stercus, & fossura paucis horis, vel si mauis, paucis diebus poterant adhiberi. Et nihilominus, post adhibitam fossuram, & stercus petit agricola, quòd dimittatur ficulnea integro anno, ait enim: *dimitte illam hoc anno*. Dimitte, ait: cur non magis postulat, vt eius culturæ instet? Nónne dixisset sapientiùs, ego circumfodiam, & mittam stercora tu Domine, hoc anno super illam vigila, continuos adesto exactor fructuum? Absit, vt hoc petat bonus agricola, quin potiùs si fructus expectari debeat, post semel adhibitam fossuram, & stercus relinquenda est, & dimittenda ficus per integrum annum. Sanè, si quis agricola per totum annum arbori insisteret, continuò fodiens circa illam, continuo adhibens stercora, nunquam cessans ab opere, hic arborem perderet, & fructus. Qui autem fructus requirit, semel adhibet fossuram, & stercus, & deinceps aliò diuertens toto anno arborem relinquit, quo ipsa ditatur fructibus. De puero Sam-

Iudic. 13. sone, ait textus Iud. 13. *Creuitque puer, & benedixit ei Dominus. Cœpitque spiritus Domini esse cum eo.* Chaldæus apud glossam legit in rem præsentem, *Cœpit Spiritus Domini per vices adesse ei.* Non continuò, non semper, sed vicissim Spiritus Domini

Cant. 3. illi instabat. Sic colebatur illa, quæ dicebat Cant. 3. *In lectulo meo per noctes, quæsiui quem diligit anima mea, quæsiui illum, & non inueni.* Expende quòd non vnam patiatur, sed plures noctes sponsa; cur plures patitur noctes? Cur non magis in luce ambulat sub oculis sui sponsi? Sanè sapientissimus sponsus, vt fructibus repleat sponsæ animam, præsentiæ suæ luci iungit etiam noctes absentiæ, nulla enim planta non sterilesceret, si continuò feriretur Solis conspectu. Abeat sol aliquandiu, sordescant agri sub noctium tenebris, quæ nisi temperent solares ardores, steriles fient agri.

Gillibert. Ad hæc aiebat Gillib. Abb. ser. 1. in Cant. *Noctes eius frequenter interpolantur absentia sponsi. Cùm adest, lux est, cum abest, nox est. Ideo multæ sunt noctes sponsæ, quia multi sunt elapsus sponsi, multæ latebræ.* Quid ni sponsa sub tot noctibus periculum aliquod trahet? Sub tot absentiis sponsi in discrimina veniet? Operibus tenebrarum sordidabitur? Absit; imo per-

Ibidem. git Gillib. *Abijciamus opera tenebrarum, huic non potest noctis adaptari. Nescit enim hæc nox opera tenebrarum, sed magis lucem ministrat his qui permanent in agone quodam sponsum quærendi.* Noctes non officiunt agris, sed potiùs illos fructiferos reddunt, qui sterilescerent sub continuis Solis radiis. Sic magistri spirituales, sic prælati aliquales absentiæ, & quasi conniuentiæ non inducunt opera tenebrarum, sed magis ministrant lucem, qua fructuosæ discipulorum animæ reddantur.

Cant. 2. Non longè etiam ab hoc aberat sponsa Cant. 2. aiens: *Sub vmbra illius, quam desideraueram, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Non sub oculis, sed sub vmbra desiderati sedet, vt fructus capiat, imò & ideo desideratum vocat, quia eius conspectu continuò non grauabatur, rari enim sunt, qui continuam præsentiam magistri non fastidiant; continuóque eiusdem conspectu non grauentur. Non ad oculos, sed ad vmbram hæc sedere se dicit, & cur ad vmbram sedeat? Id illud ostendit, *& fructus eius dulcis gutturi meo.* Ex quo

Theod. Theodoretus ait: *Etenim sub vmbra sedens fructus decerpo.* quasi fructus decerpere desperaret, nisi aliquando sub vmbra, & non semper sub censoriis oculis staret.

§. XI.

Orationem efficacem ad Deum ille facit, qui non vacuus accedit precator.

SApienter monet Dominus, vnde possimus orationi nostræ addere efficaciam, nimirum, ex eo quòd fructuosi Deo accedamus, quippe xit: *Fructum afferatis, & fructus vester maneat, vt quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.* Vanè petit ager sterilis ab agricola semina, & qui nihil fructus Deo afferre nouit, cur audeat aliquid à summo

Psal. 28. Patre exorare? Dauid Psal. 28. similiter monet. *Afferte Domino filij Dei: afferte Domino filios arietum. Afferte Domino gloriam, & honorem: afferte Domino gloriam nomini eius: adorate Dominum in atrio sancto eius.* Vbi ad Dei atria adoraturi vocamur, expende quòd vocibus monemur, vt munera afferamus, vt fructum aliquem exhibeamus tanto parenti. Sed cur tanto conatu exigitur munus ab eo, qui Patrem oratu-

Chrysost. rus accedit? Ait Chrysost. serm. 10. *Ingratus est Patri, qui auctorem vita sua non obsequijs placat, non deuotis cultu, muneribus honorat.* Sanè qui Patrem vacuus oraturus accedit, iam inde ingratum se ostendit, & prorsus indignum beneficiis recipiendis. Ideo monebat Dominus Exod. 23. *Non ap-*

Exod. 23. *parebis in conspectu meo vacuus.* Ex quo Imperfectus aiebat

Imperf. hom. 2. in Matth. *Tu ergo quando venis ad orandum Deum, munera tecum in manibus tuis porta, da non habentibus, & pete ab illo, qui habet, vt oratio tua bonis operibus commendetur. Sic & in lege scriptum est: Ne intres in conspectu Domini Dei tui vacuus; infirma enim oratio est, quæ eleemosynarum virtute non est munita.* Qui vacuus operibus est bonis, non audeat oculis creatoris apparere, is à Deo non luci, sed tenebris

Genes. 1. mandatur. In Genes. namque 1. cap. *Terra erat inanis, & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi.* Tandiu sub tenebris fuit, quandiu vacua, & sterilis, ne quis vacuus in conspectu

Apoc. 5. Dei audeat apparere. Apocalypf. 5. *Viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum.* Vbi coram agno prosternuntur, nihil vacuum esse ostendunt, sed phialas præferunt plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum: nec oratio nisi de plenitudine operum placere posset. Sed scire cupis, cur oratio dicatur odor? Rem acutè attigit Imperfect. hom. 18. in Matth. aiens: *Oratio quasi odor suauitatis est operis boni. Sicut ergo res aliqua sine odore potest esse, odor autem sine re aliqua esse non potest: sic opus sine oratione aliquid est; oratio autem sine opere bono nihil est.* Nunquam odor est nisi ab aliqua oriatur; nec oratio existit grata oculis creatoris, nisi quæ de operum bonorum

1. Reg. 26. muneribus ascendat. Aiebat Dauid 1. Reg. 26. *Odoretur sacrificium*; vbi ex Hebræo legit Caiet. *Dominus odorabit manus.* Semper erit Dominus inter orationis odores, ad munera respicit; quasi nihil sit oratio, quæ de nullo opere

Pallad. venit. Vnde pulchro exemplo succenset Pallad. sect. 8. orationes, quæ fiunt sine bonorũ operum fructu, inquiens: *Orationes enim spirituales, quæ non habeant vitam honestam, & temperantem simul æquitatem, sunt spicæ, quæ à vento interierunt: quæ habeant quidem figuram, sed ab eis ereptum est alimentum.* a Et sanè qui despicit bona opera facere, nec vllum operis munus Deo offert, figuram orantis habere potest; sed non habebit fructum orationis. Et meritò oratio sine operibus bonis dicitur spica à vento vsta, quæ æternam inediam sic

Genes. 41. oranti demonstret. Sic enim Gen. 41. famem Ægypti spica tenuis ostendit; ait enim: *Septem spicæ pullulabant in culmo vno plenæ atque formosæ: aliæque totidem spicæ tenues, & percussæ vredine oriebantur deuorantes omnem priorum pulchritudinem.* Parum esset, quòd septem spicæ tenues prodirentur, nisi etiam deuorassent totam plenarum spicarum pulchritudinem, & famem mundo inueherent. Sic parum esset, quòd oratio sine bono opere inutilis ipsa foret, at instar spicæ tenuis vredine percussæ omnem animæ vorat pulcritudinem, & æternam causat inediam. Nónne virgines illæ fatuæ, Matth. 25. orabant ad Dominum? Quippe, & pulsantes ad ostium, & orantes clamabant. *Domine, Domine, aperi nobis*; sed quia illis oleum, hoc est, misericordiæ opus deficiebat, non profuit oratio illa tenuis; imò æternam exclusionem à diuino conuiuio inuexit.

Text. Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem. Si mundus vos odit: scitote, quia me priorem vobis odio habuit.

§. XII.

Post Iesum passum sine labore nostre habemus, vbi ab hostilibus iaculis protegamur.

IVre petit Iesus vniuersos à nobis amari quando nos à nemine possumus iam offendi: siquidem Iesu vulnera refugia nobis offerunt parata, in quibus sine labore possimus ab hostili odio liberari. Inter inimicorum odia sciens Christianus Iesum ab inimicis vulneratũ, transfossũ, cur perse-

curiones non amet? Cur timeat hostilia iacula, habens tot refugia sibi præparata, quot vulnera priùs Iesus habuit? Vt timores omnes excluderet Isaias, ait cap.2. *Ingredere in petram, abscondere in fossa humo.* Ecce tibi fidelis vocatur ad petram, & ad montem refugij, non in quibus necessum fit cauernas effodere, se quæ iam effossa sint, cauernasque habent, & foramina effecta, vbi defendi quis possit à persequentium ira. Sed quæ petra, quæ humus sic fossa est, vt absque nouo labore præbeat refugia? Iam Paulus respondet. *Petra autem erat Christus,* ipse Iesus petra est, humus est virginea, quam hostes Iudæi foderunt, & excauauerunt, & post foramina in hac petra effossa, absque vllo labore refugiunt, & protectionem habet aduersùs hostes suos, etiam infirmissimus. Aiebat D.Bernard. serm.61. *Proponit Iesum, & hunc crucifixum, vt & ipse absque suo labore habitet in forminibus petræ, in quibus non laborauit: Iudæi laborauerunt, & ipse in labores infidelium introiuit, vt sit fidelis. Ingredere, inquit, in petram, absconderc in fossa humo. Infirmæ adhuc, & inerti animæ fossa ostenditur humus, vbi lateat.* Non tibi multus labor necessarius est, vt cauernas effodias, vt speluncas effingas, quibus lateas, quibus inimicorum iacula effugias; ecce tibi præparata, & proposita est petra excauata, & fossa humus, cuius in foraminibus receptus nihil mali sustineas. Hostilium iaculorum potentia infirmata est in Iesu, quem dum primò impetiuit, fossuras effecit, quibus protecti fideles nihil æstimant iacula inimica. Aiebat Psal.10. *Quomodo dicitis animæ meæ; Transmigra in montem sicut passer? Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum: parauerunt sagittas in pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde.* Huic respondit Dominus Cantic.2. aiens. *Surge amica mea, speciosa mea, & veni. Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.* Dauid dubitabat, qualiter cùm infirmus esset passerculus innumerabilium hostium iacula sustineret? Dauid passerculus, hostes aduersùs illum armati venatores; ille leui pluma protectus: hi toti æneis sagittisque pleni, qualiter ergo inter tot venatorum iacula non pereat passer? Veniat passer infirmus, veniat nihilominus in forminibus petræ, in cauerna maceriæ, & nihil faciet omnia inimica iacula. Cur timeat hostes, qui tot refugia, & propugnacula habet, quot fuerunt facta in Christi corpore foramina? Bernard. serm.61. in Cant. *Foramina petræ vulnera Christi sunt. In his passer inuenit sibi domum. In his columba tutatur, & circumuolitantem intrepida intuetur accipitrem. Quid non boni in petra? In petra exaltatus, in petra securus, in petra firmiter sto. Securus ab hoste, fortis à casu.* Non potest hostes etiam crudelissimos timere, qui perforatam petram habet Iesum, ad quem confugiat, & sub cuius vulneribus protectionem accipiat: tot enim propugnacula offert diuinissima petra, quot foramina in se exhibet effossa ab inimicis. Id quod exprimebat Theodoretus dum pro foraminibus petræ ponit tegmen, aiens: *Et veni tu columba mea in tegmine petræ.* Non otiosè foramina illa priùs excauata sunt in petra Christo, sed pro tegmine, & refugio his, qui timêt infirmitati suæ ab hostilibus incursibus. Vnde dicebat Psal.103. *Petra refugium herinaceis*; non leonibus, non elephantis petræ foramina præbent refugia, sed herinaceis, hoc est, infirmis animalculis: nemo enim adeò infirmus est, qui non rideat hostes, si ad foramina Christi passi respiciat. Ex quo aiebat D.Bernard. serm.61. in Cant. *Et reuera vbi tuta firmáque securitas infirmis, nisi in vulneribus saluatoris? Tanto in illis securior habito, quanto ille potentior est ad saluandum. Fremit mundus, premit corpus, diabolus insidiatur, non cado, fundatus enim sum supra firmam petram. Turbatur conscientia, sed non perturbabitur, quia vulnerum Domini recordabor.* Vbi ad id, quòd Iesus passus est, respicio, nullum æstimo malum, nullum hostem timeo; imò crudelissimos hostes velut amicos amo. De quo suprà cap.7. §.8.

Isai.2.

Bernard.

Psal.10.

Cant.2.

Bernard.

Theod.

§. XIII.

Etiam in patentissimis proximorum culpis, saltem non præsumenda sunt maxima scelera.

QVis ignoret discipulorum Iesu carnificinas inuentas à tyrannis? Quis horrenda tormentorum genera, quibus excruciabantur serui Christi? De his tamen locutus Dominus ait, *si mundus odit vos*; non ait, si mundus excruciat vos, si horrendis tormentis absumit, sed si odit. Cur, ô bone Iesu, futuras carnificinas, excruciationes, inaudita tormenta præteris & solùm odia memoras? Docet equidem Dominus, qui saltem præstare debemus proximis, quando eorum euidentem non possumus excusare malitiam: nimirum, quòd de eis non præsumamus scelera summa. Euidentissima erat mundi malitia erga Dei seruos, quæ in eos multa mala erat congestura; bonus autem Dominus, quia negare non potest euidentem malitiam, saltem præterit scelera summa, & quòd minus poterat suspicari de malitia tanta, videlicet, quòd oderit seruos suos, id dicit. Vtinam hanc ebibamus Dei mentem vniuersi eius filij, & nunquam de proximis præsumamus mala summa. Primum illum peccatorem Adamum requirebat Deus, & nuditatem suam confitentem sic. Conuenit Genes.3. *Quis indicauit tibi, quòd nudus esses, nisi quòd ex ligno, de quo tibi præceperam, ne comederes, comedisti?* Poterat Adamus nuditatem, & institiæ amissionem incurrisse ob multa alia ingentia crimina, & grauissima delicta. Poterat abnegasse Deum, cultum & adorationem serpenti obtulisse: peierasse poterat, vel alia grauissima perpetrasse delicta; cur Deus de solo escæ præcepto inquirit? Cur maxima alia non meminit, sed hoc solum meminit, quod respectu naturalium præceptorum videbatur minimum? Non bonæ mentis est de proximis suspicari maxima, & de illis inquirere. Ait Caiet. in Cant. Lyppom. *Cùm notitia nuditatis potuisset ex diuersis peccatis causari, non interrogauit in specie de quocumque grauiore peccato, sed de minimo, omissis enim peccatis contra ius naturæ, & contra credenda, interrogauit tantummodo de peccato contra ius positiuum vnicum: vt hinc discerent iudices. &c.* Nunquam Deo placuit, qui maxima suspicatus est, & inquisiuit de præmio suo: diuina enim mens eò tendit, vt omnes bonos existimet, vel si aliud facere nequit, saltem minimam in quouis homine suspicetur malitiam. Sic cauet lex Deut.22. *Si puellam virginem desponderit vir, & inuenerit eam aliquis in ciuitate, & concubuerit cum ea, educes vtrumque ad portam ciuitatis illius, & lapidibus obruentur: puella, quia non clamauit, cùm esset in ciuitate, vir quia humiliauit vxorem proximi sui, & auferes malum de medio tui. Sin autem in agro reperérit vir puellam, quæ desponsata est, & apprehendentes concubuerit cum ea, ipse morietur solus; puella nihil patietur, nec est rea mortis; quoniam sicut latro consurgit contra fratrem suum, & occidit animam eius, ita & puella perpessa est, sola erat, in agro clamauit, & nullus affuit, qui liberaret eam.* Huc vsque lex, sed expendendum, quòd ita certò affirmet puellam in agro inuentam clamasse. Si nullus affuit, qui audiret, & liberaret eam; vnde certò dici potest, quòd clamarit? Ex eo quòd semper qui iuxta Dei leges viuit, de proximo suo debet suspicari saltem id, quod lenius, & minus peccatum est. Eo solùm quòd non euidens sit malum, teneris minimum suspicari de proximo tuo, nec vllam inquisitionem, aut memoriam facere de grauioribus sceleribus. Huc refero iustissimum Iosephum virginis sponsum, quando inuenit sponsam suam in vtero habens. De hoc ait Matth.1. *Cùm esset desponsata mater eius Maria Ioseph, antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto. Ioseph autem vir eius, cùm esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Hæc eo cogitante ecce Angelus Domini, &c.* Ecce tibi Ioseph iustus, quam putarat virginem sponsam, videt in vtero habentem, nec inquirit de crimine, nec scelus obiicit, & quòd naturaliter non potest existimare non esse delictum, cùm esset iustus, noluit putare tale esse delictum, quod deberet morte purgari, sed quod sufficienter separatione, diuortióque, & eo occulto castigabatur. In naturaliter euidentibus signis nimirum iustus vir meditatur, nec inquirit de maximo: nunquam ergo licet de proximo suspicari? Equidem licet patenti suspicari de filio, sed tunc iustè suspicaris aliquod malum de proximo, quando & simul optas falli, & lætari, cùm nullum inuenis malum. Sapienter D.Chrysostomus hom. de sancta Susanna ex Iosephi casu concludit in hanc sententiam. *Dignus fuit Ioseph ab Angelo corrigi: quia non illi erat maleuola suspicio. Maleuolæ suspiciones sunt calumniantium; beneuolæ suspiciones sunt gubernantium. Licuit cuique de filio malè suspicari, sed non licuit filio calumniari. Vtique suspicaris malum, sed optas inuenire bonum. Qui beneuolè suspicatur, cupit vinci. Tunc enim benè lætatur quando falsum inuentum fuerit, quod malè suspicabatur.* Quid sapientius? Discant omnes iusti de proximis suspicari, & inquirere: in primis, si fieri potest, etiam in euidentibus mali signis, nec suspicentur, nec inquirant de maximis, faciant vel in hoc proximis gratiam. Qui autem gubernatores sunt, in patentibus signis licentiam, imò obligationem habent suspicandi, sed eo modo, quo nullam inferant subdito infamiam, opténique maximè suas suspiciones inuenire falsas, ex hócque lætentur, quòd non sit res, vt ipsi suspicabantur.

Genes.3.

Caietan.

Deut.22.

Matth.1.

Chrysost.

Text. Si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret; quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.

§. XIV.

Totus Christi labor eò tendit, vt nos à mundo abduceret. Vbi quàm efficaces sint Christi labores, ad contemnenda mundialia.

ECce sibi Christi Domini solicitudo, & studium, & labor, quid agat circa homines; ait enim ipse: *De mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo.* Hoc sudoribus suis, hoc laboribus vitæ, mortisque suæ curauit Iesus, vt nos a mundo separaret, à mundialibus bonis penitus abigeret. Serpentinis moribus afflictos Israelitas sanare cupiens Dominus, extremos Christi Domini labores repræsentauit in

Num.21. ligno. Serpentem æneum iussit exaltari super lignū, Num.21. sicut filius hominis exaltandus erat in cruce. *Fecit ergo Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo, & quem percussi aspicerent sanabantur.* Sed cur necessum fuit salutis causam è sublimi parere? Nónne conformius esset naturæ serpenti humi reptantem prospici? Cur maluit ab alto ligni videri? Rem attigit D.Machar.hom.11.inquiens: *Vt qui terrenis curis, idolorum cultura, voluptatibus Satanæ, & quocumque impietate detinebantur: hoc saltem modo erigerentur aliquatenus ad superiora, & mortui quoad has inferiora, oculos attenderent ad sublimia.* Ideo salutis causa emicat à sublimi, vt à nobis despiciantur repentia mundi vitia: ideo Iesus salus nostra montem ascendit, imò ascendit arborem crucis, vt nemo inde sit, qui velit reptare cum mundo, qui inter humi iaceotes velit amplius existere. Et quis videns Iesu labores non re-

1.Cor.15. nuntiet mundo? Paul.1.ad Cor.11.volens Christianus omnes à terrenis abducere, diuinóque.& cœlesti aptare conuiuio; hoc vnum ait: *Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, &c.* Mensam diuinissimam proponit, & simul noctis extremæ illius, in qua Saluator noster tot labores sustinuit, mentionem ingerit. Et cur cœlesti conuiuio tam laboriosæ, & funestæ noctis memoriam inducit? Vt conuiuæ tanti epuli prorsus à se omnem terre-

Chrysost. nam, mundialémque cogitationem abiiciant. Ait Chrysost. hom 28.ibi: *Quare tempori meminit, & noctis illius, & proditionis? Non temere, nec sine ratione, sed vt maximè eos à tempore quoque compungat. Quamuis enim quis lapis esset, illa nocte audita, quomodo cum discipulis tristis erat, quomodo traditus est, quomodo ligatus, quomodo adductus, quomodo iudicatus, quomodo denique omnia passus est, cera mollior fiet, & terram, & omnem terra abijciet cogitationem.* Haud dubium, quin & terræ, & mundo renunciet, qui spectet labores Christi. Is est Iesus, qui dum se laborantem proponit, faciat homines renunciare mundo, & velle commori sibi. Ad Moysem aiebat Domi-

Exod.33. nus Exod.33. *Ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea donec transeam: tollámque manum meam, & videbis posteriora mea.* Expende illud, *ponam te in foramine petræ.* Deus bone, quis homo viuus patiatur se claudi in foramine petræ? Et cineres, & cadauera solent in excauatis lapidibus concludi, & asseruari, homines autem viui nil magis horrent, nil magis expauent. Qua potentia potens facere, quod viuus Moyses in foramine petræ amet sepeliri, & quasi mortuus ibi omnibus vitæ bonis renuntians velit habitare? Ipse explicat aiens: *Tollam manum meam, & videbis posteriora mea.*

Bernard. Iesu posteriora putat D Bernard.serm.61.in Cant.fuisse mysteria passionis, mysteria crucis; quæ vbi oculis humanis parnere, potuerunt facere, quòd homines sæculo renuntiantes, sepulchris gauderent claudi. Quis visus Iesum in crucis arbore non sic amet, vt mundialia fastidiat. & vel in lapidis foramine, à mundo abductus cupiat habitare? Hoc ergo debemus laboribus Christi, quòd nos faciant respuere mundum.

§. XV.

Verus Christianus vnum in se refert Christum.

FElices illi sunt, verique Christiani dicuntur, quorum vitam intuens Iesus, ait: *Vos non estis de mundo, sed ego elegi vos de mundo.* Non estis, inquam, de mundo, hoc est, nihil mundiale refertis in vita nihil admittitis in vobis, quod non referat Christum, qui vos à mundano grege distinguit. Tunc verè te Christianum ostendis, cùm non solùm te con-

secras Christo, sed ita vitam tuam componis, vt nihil in te appareat, nisi Christus. Hoc de se aiebat Paul. ad Galat.2. Galat.2.
Viuo ego, iam non ego: viuit in me Christus. Nihil de mundo, nihil de creaturis in me est, nec vitæ habitus, sed omnia est vnus in me Christus. Pulchrè ad hæc Chrysost.inquit: *Quo-* Chrysost.
niam se ipsum Paulus Christo Domino, ac vitæ præbuerat, tradiderat, que re recerat temporalia, & ad illius voluntatem faciebat omnia, non dixit: Viuo Christo, sed, quod longè maius erat, viuit in me Christus. Multi sunt, qui verè possunt dicere se viuere Christo, qui ita temporalitati seruiunt, vt nullam inde offensam contrahant, qua offendant Christum. At qui Christiani nominis perfectionem attingunt, qui puri, & verè Christiani sunt, sic omnia temporalia à se abigunt, sic vnicum amplectuntur Christum, vt non solùm viuant Christo, sed, quod maius est, Christus in illis viuat, Christus sit illis, quidquid est vita De his aiebat ipse Cant.4. *Vadam ad montem myrrhæ*; Cant.1.
vbi Septuag. legunt: *Vadam mihi ad montem myrrhæ.* Non solùm dicit Dominus se iturum ad montem myrrhæ sed addit se iturum sibi. Cur ait se iturū sibi? An aliquò ire potest non sibi? Equidem quando quasi cogitur seruire cupiditatibus humanis, non vadit sibi; ille enim petit, vt veniat Dominus ad dandas opes; ille petit, vt veniat ad dandam salutem; alius aduentum Domini requirit, pro expugnatione hostium; alius pro nutriendis filiis: & fere omnes quærunt, quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi. Qui autem mons myrrhæ est, omnium voluptatum, cupiditatum, & mundialium bonorum mortificationem circumferens, is vnum aspicit Christum. Ad hunc ergo venit sibi Christus, in quo nihil aliud aspicitur viuere nisi Christus. Gillib.ser.18.in Cantic. Gillibert.
Vadit sibi Christus ad montem myrrhæ. Beati mons myrrhæ, qui mortem circumfert se ipso, non in parte, nec quasi vestigium, sed vbertim, & continuam, & eminentem. Beatus planè mons, qui bonos myrrhæ germine vndique vestitur, nec respergitur per partes, nihil in se nudum, nihil habens sterile, sed totum hac felici facundum specie. O beatum montem, ad quem vadit Iesu, quem solus inhabitat. Cur non dicat hic mons: Mihi viuere Christus est, & mori lucrum? Qui sic vndique mortificationem Iesu circumfert, qui nihil ab hac pulchra specie vacuum, & sterile ostendit, qui non diuisus est in partes, sed integer vni referuntur Christo, is verè mons est, & in se ostendit sublimia Christiani nominis culmina. A quo Christianitatis culmine Apostoli nec in suis lapsibus decidebant. Miraris? Accipe rem apud Matth. cap.6. ibi Apostoli leui ambitionis aura inflati, in illam quæstionem incidunt, nimirum: *Quis putas maior est in regno cælorum?* Maioritatem affectant, primos malè appetunt accubitus, sed vbi? Matth.6.
An in mundiali aliquo imperio, siue throno? Absit hoc à primis Christianismi culminibus, qui etiam dum errant, nihil in se mundiale admittunt; quidquid de mundo est, respuunt, & vnum amant præ se ferre Christum. De quo eleganter ait D.Chrysostom. hom. 49. *Non se summo de cri-* Chrysost.
men consideres, sed illud quoque tecum verte, quod nulla est de rebus huius sæculi quæstio est. Nos autem neque ad hos defectus eorum deuenire possumus, nec quis futurus sit maior in regno cælorum. Sed quis in terra maior sit? Quis ditior? Quis potentior, quærimus? Etiam errantes nil mundanum meminerunt; sed quod quærunt, totum cœleste est & Christianissimum. Hoc in se ostendant, qui Christiani nominis culmina amant pertingere.

§. XVI.

Iesus non potest non patere in hominibus iustis.

SVfficienter explicata erat causa mundani odij aduersùs iustos per hoc quod dicit, *vos de mundo non estis*, cur necessum fuit addere illa, *sed ego vos elegi de mundo?* Vbi asserebantur Apostoli mundi contemptores, amici virtutum, non potuit non ostendi in illis opus Christi. Fieri nequit, quòd Christus non prodatur, statimque præ oculis sit, vbi sunt homines iusti, & contemptores mundi. Aliquando oportuit latere Iesum, & ait Angelus Matth.2. *Accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Nónne multi Matth.2.
erant in Iudæa Dei studiosi, qui occultarent Iesum? Erat Elisabetha cognatio apud montana, apud quam propter inaccessos montes suppeterent mille latibula, erat Ierosolymis Simeon, erat Anna prophetissa, quorū prouecta ætas recentis nati suspicione abigeret. Cur bone Iesu nó magis amas apud tuos latere, quam apud Ægyptios? Sanè inter sanctos, & virtute conspicuos viros minime posset latere Christus, mutine posset non manifestari, & prodi causa sanctitatis

Chrysol. totius. Eleganter Chrysol serm.151. inquit: *Non caput secretum templi, Sacerdotum turba non suscipit, non abscondit numerositas inuestigabilis cognatorum, vt ad deserta latebras prophana Ægyptus conducatur.* Necessaria pene Ægyptius fuit, vt sub eios tenebris Iesus occultaretur, & penitus lateret, qui inter sanctos, inter iustorum turbas minimè posset occultari, Exod.19. sed euidentissimè radiaret. In Exod.c.19. daturus legem Dominus descendit in montem Sina, *& ecce cœperunt audiri tonitrua, & micare fulgura, & nubes densissima operire montem, clangórque buccinæ vehementius perstrepebat.* Quid tunc? Vocauit Deus Moysem in cacumine montis, ibique illi incipit tradere omnia verba legis, quæ sunt cap.20. Itaque Dominus loquebatur cum Moyse verba legis: *Cunctus autem populus videbat voces, & lampades, & sonitum buccinæ.* Expende illud *videbat voces*, supra non dixit visas fuisse Dei voces a populo, modo asserit, quòd populus cunctus illas videbat. Sed cur populus cunctus modo videt Dei voces, quas antea non videbat? Quia modò Dei voces dicebantur Moysi viro iusto, & in iusto viro Dei voces nequeunt abscondi, sed prorsus visibiles fieri. Non videbantur inter prærupta montium, inter lapidea corda, sed non poterant in viro iusto Isai 6. non videri. Isaias cap. 6. ait: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum: & ea quæ sub ipso erant, replebant templum. Seraphim stabant super illud: sex alæ vni, & sex alæ alteri; duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* Quibus id expendendum, quòd Dominus inter Seraphin constituatur, non vt appareat, sed vt eorum veletur sub alis. Deus velandus committitur Seraphinis, & ipsa quidem magno studio Deum velabant, ne posset Deus cerni a reprobis Angelis. Sed qualiter velabant? Duabus alis velabant caput eius, & duabus velabant pedes eius, solùm velant pedes, & caput; cur ô Seraphin non magis totum Deum velatis? Cur saltem non occultatis diuinissimum illud pectus, in quo tot amoris fontes emanant? Equidem inter Seraphin nequit Dominus penitus occultari, etsi mille nebulis, mille tegminibus occludatur, tamen dum inter Seraphin est, nequit Dominus vel ex ma-Bernard. xima parte non manifestari. Aiebat D. Bernard. ser.5. ad dicta Isaiæ verba. *Velatur caput, velantur pedes, vt medium aliquid tidem impio videndum, sed ad inuidendum relinquatur.* Valuerunt Seraphin aliquid obtegere in Deo, quod non videat diabolus, totum Dei minimè valuerunt velare; nec fieri potuit, quod inter Seraphin consistens Deus penitus absconderetur reprobo Angelo, imò necessum est, quòd inter sanctissimos spiritus magna ex parte manifestus appareat. Abac.3. Quò respiciebat Abac. c.3. iuxta Septuag. lectionem aiens: *In medio duorum animalium cognosceris.* Duo animalium putantur à D. Cyrill. & aliis esse duo Seraphin, quæ propitiatorium tegebant, sed quantumuis sancta illa animalia propitiatorium tegant, fieri non potest, quòd diuinum propitiatorium, nempe Christus inter illa non appareat. Non aquidē potest latere propitiator pro peccatis nostris Christus Dominus, etsi occultetur velis, si à Seraphinis occultatur. Quot enim apparent iusti, quot Seraphicis virtutibus præditi, tot indices sunt euidentissimi quòd ibi Iesus adsit. Dionys. Hinc de primis Seraphinorū substantiis locutus D. Dionys. Areopag. de cœlesti Hierar. c.7. ait. *Eadem quoque ratione tesu felicissimas societates dignatas intelligendū, quòd ipsis diuina imitatio excellentiore modo donata sit.* Quasi nequeat Iesus deesse, & nō apparere apud illos, qui eius virtutes fuerint æmulati.

Text. Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis: Non est seruus maior Domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur. Si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia nesciunt eum, qui misit me.

§. XVII.

Nunquam Deus non potiora solet tribuere illi, quem primum, & principem aliquorum constituit.

HOc constantissimum apud cordatos homines esse velim. quod apud Deum non est seruus maior domino suo, hoc est, quod nunquam Deus soleat non tribuere potiora, illi, quem primum, & principem aliorum constituit. Matth.16. Suæ diuinitatis notitiam, quod primum, & præstantissimum bonum erat, volens donare hominibus, a suis sciscitatur, qualis habeatur filius hominis, seu quis esse dicatur inter illos. Tunc Petrus: *Tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti.* Matth. 16. Magna hæc gloria Petri fuit, quòd talem cognitionem ipse acciperet, & quidem ex patre luminum accipit illam. Ait enim Iesus, *Beatus es Simon Barjona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus*, &c. Cur vni Petro hanc reuelat Dominus cognitionem diuinitatis suæ? Cur non simul, & vniuersis aliis Apostolis ibi existentibus eandem non reuelat? Erat Petrus omnium primus, illúmque Dominus primò vocauit, vt primatum in regno Christiano acciperet, ideo illi inter omnes & prima, & præstantiora tribuit. Ad hæc D. Damasc. orat. de Transfig. Damasc. ait: *Iesus vt homo pronunciationem proposuit, vt Deus eum erudit, qui primus vocatus fuerat, ac primus secutus fuerat, quem pro sua præscientia dignum Ecclesia antistitem prædestinarat. Hic, vt Deus, assiat, ac per eum loquitur.* Fallitur qui putat vincere primum electum à Deo in donis diuinis, quem primum Deus, & principem in aliquo munere constituit, illi consequenter omnia tribuit præstantissima. Hæc Samuel 1.Reg.9. vbi Saulem vidit, quem ea reuelatione acceperat electum in Principem populi à Deo, statim ait: *Cuius erat optima quæque Israel? Nonne tibi?* 1.Reg.9. Nihil magnum alteri referuat, sed vt in principatus electione prælatum nouit Saulem, sic etiam in donis diuinis ad politiam pertinentibus præferendum fore autumnat. Nec aliter sentiebat Iacob Genes.49. benedicens primogenitum suum Ruben, de quo ait: *Prior in donis, maior in imperio.* Genes.49. Quasi hæc sint ex Deo maximà connexa, vt qui primus sit in aliquo genere, primas ferat in donis, & muneribus diuinis pertinentibus ad genus illud. Hinc est quod 2.Reg. 2. dum militare robur exercitus Dauidis ponderatur, tres primi duces constituuntur, à Deo dati in defensionem populi sui. Et immediate Ioab, Banaias, & aliorum incredibilia penè facinora dum recensentur, quòd cum leonibus confligerent, quòd singuli integros prostrarent exercitus, tamen ad singulorum magnalia hoc additur semper: *Sed vsque ad tres primos non peruenerunt.* 2.Reg 2. Quasi hoc debeat esse inter omnes firmum, quòd ille qui a Deo eligitur in aliquem primatum, nequeat in donis illius superari ab aliis, respectu quorum est primus. Prodigiosa licet, & penè inaudita sint posteriorum facinora, nouum, & inusitatum Deo erit, quòd attingant præstantiam primi. Pro quo memorare certamen illud Iacobi in vtero existentis aduersùs fratrem, procurabat Iacob totis viribus nasci primus, & ad deducta res est vt cùm nasceretur Esau, simul exiret Iacobi dextera tenens plantam fratris sui; ait Gen.25. Genes.25. *Protinus alter egrediens, plantam fratris tenebat manu*, &c. Compara modò Iacobi dexteram cum cæteris membris eiusdem; nónne manus hæc dextera fortior, & præstantior cæteris membris apparet? Manentibus adhuc in vtero cæteris membris, manus vna exiuit foras in certamen, manus vna fratrem supplantat, & nomen puero nondum nato acquirit, ideo enim vocatus est Iacob. Ergo manus præstantior cæteris? Absit quòd manus licèt tot perficiat facinora, præstantior sit. vbi caput est, licèt videatur in vtero matris adhuc inclusum; nunquam enim manus in præstantia, & excellentia a capite non vincitur. Pulchrè Eucherius ait lib.2. Eucher. in Genes. *Alter egrediens plantam fratris tenebat manu. Iacob manum prius, dum nasceretur, emisit ex vtero, quæ etiam pedem prænascentis fratris tenebat, deinde vtique secutum est caput. Sed tamen caput non tantum ea membra quæ secuta sunt, sed etiam ipsam manum, quæ nascendo præcessit, dignitate ac potestate præcedit.* Nulla facinora manus pertingunt virtutem capitis, nulla posteriorum magnalia non vincuntur ab eo qui primus illorum à Deo electus est, & cui tradidit Dominus principatum.

§. XVIII.

Vbi in homine virtus apparere incipit, & odia mundialia in illum insurgunt.

ECce tota causa odij mundialis, ait Dominus, *hæc omnia facient vobis propter nomen meum*, pro Deo, & virtute incurrimus in odium mundi. Vbi cœperimus inuocare in nomine Domini, vbi cœperimus nomen dare & Deo & virtuti, Deóque placere, statim in nos mundialia odia insurgent. Primi illi fratres Adami filij adeò amabantur inuicem, vt ad omnia opera ambo simul concurrerent. Quid tunc? Ait text. Gen.4. *Factum est autem post multos dies, vt offerret Cain de fructibus* Genes.4.

Etibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum, respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Ad Cain autem, & ad munera illius non respexit: iratúsque est Cain vehementer, &c. Expende ex quo irascitur Cain, nimirum ex quo Abel apparuit Deo placens, amabantur antea, nulla inter illos differentia, nulla dissidij causa: sed vbi Abel Deo placet, vbi eius munera recipiunt Deo grata esse, ecce tibi odia, & iræ in illum insurgunt. Chrysost. Chrysostom. lib. 2. de Prouident. ait: *Abel quidem quandiu nullum excellens virtutis suæ documentum dedit, agnoscebat illum frater: vbi verò ex sacrificio placuit, claruísque meritu eluxit, tum iam naturam quoque ipsam ille ignorauit.* Virtutis præstantia, & Deo grata munera fuerunt, ob quæ tantum odium, tantæque iræ excitatæ fuerint aduersùs Abelem, vt meritò 2.Tim.3. dicat Paul. 2. ad Tim. 3. *Omnes qui volunt in Christo piè viuere, persecutionem patiuntur.* Simul, vt mundo renuntias, vt vitia ablegas, & Deo te incipis ostendere gratum, hoc puta, quia in te exardescent homines mundani. Miraris Iosephum sanctissimum coniectum in carcerem, & coniectum ab illa fœmina, à qua ardentissimè amabatur. Vnde tantus amor sic potuit in odium, & persecutionem commutari? Genes.39. Textus ait cap. 39. Genes. *Cúmque vidisset mulier vestem in manibus suis, & se esse contemptam, vocauit ad se homines domus suæ, & ait ad eos: En introduxit virum Hebræum, vt illuderet nobis*, &c. Tunc odia insurgunt in Iosephum, cùm contempta ab illo apparent incentiua peccati: cùm voluptates pessundat, in carcerem rapitur, & compedibus alligatur. Ambros. Eleganter D. Ambros. de Ioseph. cap. 5. *Quæ enim causa crudelitatis, nisi quòd cupiditatibus suis obsisti videbat, & desideria sua vetita assensione fraudari? En propter quod aperitur carcer, vt suscipiat innocentes: soluantur catenæ reis, vt imponantur fidelibus: admittantur veritatis adulteri, vt includatur, qui fidei adulterium recusauit.* Quàm cæca est semper mundanorum hominum rabies, dum scelera maleficorum præteriens, quæ adulteris, quæ periuris, quæ raptoribus inferre deberet, ea piis, & iustis viris minatur. Et quis est Psalm.39. iustus, qui hanc effugit rabiem? Psalm. 39. *Annuntiaui, & locutus sum, & multiplicati sunt super numerum.* Notat Psaltes fructus, quos metit prædicatio Christiana, quando bonis cœlestibus annuntiatis iustos facit, sed quid est, quòd ait, *multiplicati sunt super numerum?* An tot possunt esse iusti, qui extra numerum sint? Absit: imò non solùm iusti, sed & capilli eorum numerati sunt: qualiter ergo ad Christi prædicationem multiplicatio fit super numerum? Equidem vbi Christi fructus incipit apparere in vita hominum, non apparet iustus, cuius capilli numerantur, quin statim non insurgant phalanges illorum, qui nullius numeri sunt apud Deum, nimirum homines impij, & mundani, vt iu- August. stum persequantur. Acutè satis D. August. in Psalm. 128. ait. *Quid est super numerum? Non solum illi, qui crediderunt, & qui pertinent ad numerum sanctorum, sed & super numerum: intrarunt multi iusti, sed plures iniqui, & pertulerunt iusti iniquos. Ideo ne quisquam miretur, audiat Ecclesiam dicentem: Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea.* Vix vnum habet Ecclesia iustum ex numeratis ad vitam, quem innumerabilis perdendorum multitudo non insequatur. Vix Dei verbis enuntiatis se conformant iusti, & ecce aduersùs illos stant mundi filij, & hoc ab Ecclesiæ initio. Ex quo Christi Ecclesia radiauit, aperiuntur carceres, vt suscipiat innocentes: soluuntur catenæ reis, vt imponantur fidelibus, dimittuntur veritatis adulteri, vt includantur, qui fidei adulterium recusant. Parum abfuit, vt putarem hoc ipsum malum à me fuisse conspectum, quoties concionatores verbi Dei pro suggestu audiui aduersùs religiosum aliquem ordinem declamare: & id præsentibus temporibus frequentiùs audio. Scatent sceleribus ciuitates, periuria per plateas, per compita intonant; adulteri replent domos, alea pernox vigilat, dormiunt securi luxuriosi. Et pulpita ascenduntur à concionatoribus, qui plagas latronibus inuentas, fulgura à Spiritu sancto in adulteros, in periuros, in aleatores, & sacrilegos fabricata in sacratum religiosorum ordinem torquent. Præsentibus adulteris, periuris, aleatoribus, imò ridentibus, religiosorum ordo mordetur, & bestiis terræ sanctorum morticinia dantur. Sed scire cupis qualia crimina fecerint religiosi hi viri, siquidem & sancti viri, dum sunt in hac lachrymarum valle, non sunt liberi à crimine? Non mirarer inueniri crimina etiam apud sanctos. sed crimina his obiecta, non crimina, sed præclaræ virtutes sunt, carpitur studium non promouendi se, nec acquirendi sibi aliqua, in quo possit esse aliqua suspicio, aut vmbra auaritiæ, siue ambitionis; sed capitur studium promouendi ordinis sui, quod reperitur in D. Benedicto, in D. Mauro, in nobilissimis, & sanctissimis religiosorum primatibus; quod inuenies in solis illis religiosis, qui nihil sibi procurant in particulari. Hoc viguit in maximo illo Inquisitore ex Dominicana familia Turrecremata, qui non fuit cardinalis, is de fisco regio accreuit familiæ suæ, seu ordine suo duo illa magnifica monasteria Sanctæ Cruci Segouiæ, & Sancto Thomæ Abbulę dicata; ea ædificiorum amplitudine insigniuit, ingentibúsque redditibus ditauit. Nec ideo expilatoris regij ærarij crimen incurrit, sed pientissimi Principis nomen æternum hæreditauit. Sed & aliud crimen religioso ordini datur, quòd media in vrbe de regio munere magnifica ædificia erigat, cùm huc peruenit odium, iam Dei in se vindictam ostentat. De sacri ordinis ædificiis murmuras, caue ne prudentibus viris millia religiosorum ædificia à sanctissimis religiosis ædificata mediis vrbibus cernentibus, sicut fœnum tectorum accrescere videaris. Psalm. 128. ait Psal.128. Christi Ecclesia: *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Israël: Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi.* Ideo non cessat sanctorum persecutio, sed crebriùs iteratur, quia mundani nihil vnquam possunt in Sanctos. *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem suam. Dominus iustus concidet ceruices peccatorum, confundantur, & conuertantur retrorsum, omnes, qui oderunt Sion. Fiant sicut fœnum tectorum, quod priusquam euellatur, exaruit.* Expende quale malum prænuntiet Psaltes sanctorum persecutoribus; nimirum: *Fiant tanquam fœnum tectorum*, &c. Solet inter lapides ædificiorum euanidum, & inane fœnum nasci, & nutriri: qui ergo iram suam aduersus sanctos Dei, aduersùs ordinem religiosorum à iuuentute sua impugnatum, & minimè expugnatum, ædificiorum lapidibus nutrit, nónne fœnum tectorum est. Nonne iram in se diuinam incipit ostentare, dum sicut fœnum solis lapidibus nutritur? Pulchrè aiebat D. Zeno Episcopus Veron. in illum Psalmum. D. Zen. *Ergo, qui sæpe, & pridem impugnant, qui super dorsum fabricant, qui prolongauerunt iniquitates, quorum concidentur ceruices, qui oderunt Sion: hi sicut fœnum ædificiorum erunt inutiles, & corporeæ huius præsentísque vitæ fructum cassum minimè referentes.* Inscium te diuina ira impulit, ô bone, in ædificia ordinis sacri, vt iam inde fœnum appareas, euanidum, & inutile, sine fructu; & fœnum, quod natum inter lapides, & petrosa, necessum est, quòd areas, non habens inde humorem; hoc est, non habens materiem ori mordaci. Vnum Vallisoletum mente percurre, & contemplare ibi regium S. Benedicti, & monachorum cœnobium, famosum & fabrica, & situs celebritate. Plusquam regia D. Pauli, & D. Gregor. Monasteria, in limine ipsius regij palatij Conuentus Discalciatorum D. Francisci intra ipsas Palacij medullas. Sed quod mireris magis, maximus ille D. Francisci Conuentus in platea maiori, cinctus vndique mercatoribus, quorum ora te prædicant fœnum euanidum, lapidibus ædificiorum nutritum, qui antequam omnipotentis iudicis manu euellaris, iam exares.

Text. Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo.

§. XIX.

In lingua iustorum adeò conspicua est eorum sanctitas, & iustitia, vt nulla aduersarijs relinquatur excusatio.

Feliciores Iudæi fuissent, si mutum Iesum momordissent, nihil enim ab eius lingua audientes, odij sui excusationem aliquam prætendissent. At si quidem locutus est Iesus, & ita locutus, vt nunquam taliter locutus fuerit homo, iam odij Iudæorum nulla porest manere excusatio, quando illorum culpa fuit, in lingua Iesu non vidisse perspicuam, & euidentissimam eius sanctitatem. Equidem inexcusabilis est, qui loquentem iustum persequitur, quandoquidem iustorum loquelæ illos non possunt non facere manifestos. Heus tu, qui dictis, & maledictis persequeris Dei seruos, caue ne te inexcusabiliter damnent eorum loquelæ. Apostolis inter lupos missis, dantur diuini Spiritus arma, sed dantur in linguarum ignearum specie Actor. 2. Act.2. *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tanquam ignis.* Cur igneæ linguæ dantur Apostolis? Pulchrè D. Ambros. citatus Ambrof. à Lorino,

à Lorino, ibi: *Vt non esset dubium per diuinam inspirationem animis fidelium vitle affectum, rationabilem sermonem ministrari.* Expende illud, *vt non esset dubium*; vbi enim viri iusti linguam mouent, nullum desinunt dubitare de eorum sanctitate, euidens eorum iustitia manet. Quis excusabiliter ignoret iustos illos esse, quorũ linguæ vndique in Ecclesia sonant pietatem, vitiorum expulsionem, cœlestium notitiam, æternorum æstimationem bonorum? Si in plateis ades, si in compitis, si in angulis ciuitatis, ibi audis linguas sonantes Christum, cœlestes virtutes sonantes: si in templis es, easdem de diuinis loquentes audis: si intra tuum cubiculum clauderis, vt orationi vaces; tibi præstò sunt eædem linguæ scriptis mandatæ, quæ te docent orare, quæ mysteria cœlestia, & technas dæmonum apertissimo sermone pandunt. Si aduersùs hæreses irascetis, eorumdem hominum linguæ, & scripturæ tibi tela ministrant, quibus hæreses obmutescere facias. Si scientiis gaudeas, iam ab ipsis incunabilis, tibi eædem linguæ suggerunt prima vocabula, & rudimenta scientiarum; ab eisdem linguis sumis quo possis & lectiones, & disputationes illustrare Christianas. Certè nulla lingua in toto orbe terrarum pietatem sonat, Christum clamat, quæ horum iustorum linguis vel è suggestu, vel è cathedra, vel à libris suggerentibus non debeat aliquid ex his, quæ de Christo, & virtute sapit. Doctè satis aiebat August. in Psalm. 95. *Quid sibi vult, quòd Spiritus sanctus apparuit in igneis linguis, nisi quia nullius linguæ duritia est, quæ non illo igne soluatur? Nec enim non habemus iam multas gentes Barbaras credidisse Christo. Quò nondum porrectum est Romanum imperium, iam Christus possidet. Quod adhuc clausum est eis, qui ferro pugnant, non est clausum illi qui ligno pugnant.* Nihil clausum est in toto orbe terrarum horum iustorum linguis diuina charitate inflammatis; nullius linguæ durities non domatur: quò non penetrexit Romanus miles. imò, vt plus dicam, quò non perrexit miles Hispanus? inueniuntur hæ linguæ Christum, & hunc crucifixum sonare. Et non credis iustos, & sanctos esse illos, quorum linguæ replent orbem terrarum sanctitate? Sanè si Iesus locutus non fuisset Iudæis, peccatum non haberent, si Iesuitæ viri non locuti fuissent, peccatum non haberent aduersarij; nunc autem quando mundus illos loquentes audit, & taliter loquentes, vt repleant doctrinis, & scriptis orbem terrarum, disciplinásque & morales; & Theologicas, & Physicas & vniuersas viro Christiano conducentes facultates ditent, nullam excusationem habent de peccato suo eorum aduersarij. Implicat enim, nisi ab hominum conuentu pleno Spiritu sancto, tot linguas, tot sermones, tot libros de Deo, & virtutibus euulgari. Similes requirebat linguas in perfectis Christi sponsis Gillib. Abb. qui ferculum Salomonis explicans ex cap. 2. Cant. illud in primis ponderat, quod ait: *Columnas eius fecit argenteas.* non marmoreas commendat ex robore, sed argenteas ex sonitu. Sed cur ex argenteo sonitu commendantur columnæ? An quia, qui in templo Dei columna est, firmúsque stat in Dei obsequio, is in sermone probandus est, si præclarè, & sublimiter Christum, virtutémque sonet? Maximè in hoc argenteo sonitu ostentantur virtutum columnæ. Ait Gillib. serm. 18. in Cant. *Columna es, si fueris in fide firma, argentea, si diuini fueris vsu instructa sermonis. Argenteæ sint linguæ vestræ. Argenteæ sunt, si de sacra Christum pagina sonant. Non mittatur massa plumbea in os vestrum. Plumbeum os est, quod nihil subtile loquitur, nihil de supernis: sed totum remissum est, totum hebes, totum de imis, fortasse & de iniquis. Nam iniquitas sedet in talento plumbi.* Sic ex Zachariæ cap. 5. componit os plumbeum, & linguam argenteam: hæc inest columnis virtutum, illud subest iniquitatis solio. Lingua argentea vndique Christum sonat, de subtili sacræ paginæ sensu mores componit, sublimibus veritatibus persuadendis nauat operam. Plumbeum os, quid promat, nisi moles, & pondera. quibus premantur proximus: nihil ab illo subtile, nihil acutum. nihil de supernis, sed totum hebes, & de imis, quæ terram ostendant, terrenósque mores. De his dicebat Isaias cap. 3. *Ruit Hierusalem, & Iudas concidit; quia lingua eorum, & adinuentiones eorum contra Dominum, vt prouocarent oculos maiestatis eius. Agnitio vultus eorum respondit eis: peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt; væ animæ eorum, quoniam reddita sunt eis mala. Dicite iusto, quoniam benè, quoniam fructum adinuentionum suarum comedet.* Nota causam ruinæ, videlicet, *quia lingua eorum*, &c. id quod refert Adamus ad voces illas, quibus Iudæi clamabant contra Iesum, dicentes: *Dæmonium habes.* Et cur tam plumbeum os pondere suo illos non deiiceret? Sed expendendum, quid addat de his plumbeis linguis: *Agnitio vultus eorum respondit eis, & peccatum suum, quasi Sodoma prædicauerunt.* Inter plumbea verba, quibus proximum contundunt, gloriantes in delictis suis, dum fingunt verbum Dei prædicare, peccatum suum instar Sodomitarum prædicant, & vel ex ipso vultu, & facie agnoscuntur, quali morbo inuidiæ, superbiæque laborent. Ait Adamus, ibi: *Facies eorum indicat eos esse superbos, ira, inuidia, & odio plenos.* Ecce tibi plumbeis buccis, quæ facies respondeat. Iusto autem dicendum est, quoniam benè, quoniam omnibus prosperabitur, fructum adinuentionum suarum comedet, nunquam non sciuit argentea iusti lingua mellifluis fructibus implere ora. Ait Gillibert. serm. 18. in Cant. *Memento os tuum cœlestibus oraculis consecratum, sacrilegium puta, siquid non dulce, non diuinum, non sacra pagina sonat.* Hoc commendans Psalm. 80. aiebat: *Buccinate in neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestræ.* Os requirit Psaltes in fideli homine argenteum, quòd dulce, & amicè, & diuinè sonet, & ad hoc solum petit, quòd vt tuba sonet in insigni die solemnitatis vestræ. Quid interest, ô Dauid, quòd sonet hominis os instar tubæ in die solemnitatis suæ, ad hoc, vt argentea, & dulcis, & amica lingua sonet? Multi sunt, qui expectant insignem diem solemnitatis suæ, vt quos honoris gratia conueniunt, plumbeis, ferreisq; verbis contundant. An nõ hoc fieri solet? Fallar, si putauit Dauid, si putauit vir nobilis, imò mediocre nobilis, id fieri posse; quin potiùs putauit necessariũ omnino, quòd saltè insignis festi honor faciet dulce sonare etiã feralium hominum ora. Ex quo similiter Gilliber. serm. 18. in Cant. aiebat. *Omnis dies vobis solemnis debet esse, semper neomenia, semper Sabbathum. Ideo os vestrum quasi tuba sit ductilis, tuba argentea, tuba quæ non lites, sed lætitiam sonet; sed solemnitatem, sed cantica spiritualia. Nescio quomodo de columnis argenteis ad tubas nostras deflexit oratio, nisi quia optima columna est in domo Domini, qui tale os portat.* Tam alienum sit ab homine fideli plumbeum aliquod, vel ferreum in insigni die solemnitatis suæ insonare; vt ad componendum christianè os suum, hoc efficacissimum medium habeat, quod putet semper se loqui in solemnibus sui ordinis festiuitatibus. Et quis, si putet solemnia sui ordinis festa agere, non cogatur ferrea tunc mallea deponere, & argenteis tubis inclamare, & lætitiam, & solemnitatem, & cantica personare? Sanè, & quid tale os portat, non tuba solùm verbi Dei, sed & columna est, in templo Dei sui.

August.

Gillib.

Isai. 3.

Gillib.

Idem.

Text. Qui me odit, & Patrem meum odit. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum. Sed vt impleatur sermo qui in lege eorum scriptus est. Quia odio habuerunt me gratis, &c.

§. XX.

Qualis quis fuerit manifestè ostendunt virtutis opera, sine quibus nemo bonus est.

INexcusabiles reddiderunt Iudæos Christi Domini opera vndique halantia virtutem: quis etsi secus ex virtutis operibus patentem sanctitatem non videat? Petrus interrogatus a Iesu Matth. 16. eius diuinitatem publicat; *Tu es Christus filius Dei viui.* Sic rudis piscator occultam in carne diuinitatem agnoscit. Cui Iesus: *Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus cœlestis.* Mirabis quòd pater cœlestis dicatur reuelasse Petro diuinitatem filij sui. Quando pater locutus est cum Petro? Quando Petro aperuit pater filij consubstantialitatem? Opera Iesu talia erant, tantæ sanctitatis plena, vt in illis manifestè sese Deus pater ostenderet his, qui velint attendere ad illa. Ad hæc D. Hieron. de vera Circuncisione fatur: *Quando reuelauit Pater? Quo tempore Deus cum Petro locutus est? Reuelauit, inquit, pater meus, hoc est dicere, operibus credidisti, quæ loquuntur filium Dei.* Petrus vidit Iesu opera sanctitatem halantia, vidit Iesu opera Deum testantia, & in operibus sic Iesu diuinitatem agnouit, ac si secreta paterna omnia patentia sibi, & reuelata fuissent. Neminem nouerunt sanctitatis opera fallere; id verè est, quòd ipsa publicant, adeò vt sine ipsis nihil sit. Ille solus putat habere vitam habere sanctitatem, habere bona, qui ea operibus manifestat, si cessas operibus, habes nihil.

Matth. 16.

Hieron.

Prouer.24. nihil. Prouerb.24. *Per agrum hominis pigri transiui, & per vineam viri stulti: & ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerant superficiem eius spinæ, & maceria lapidum destructa erat.* Nec facies saltem agri, seu vineæ pigro homini remanserat, iam ager non erat ager, nec vinea erat vinea, sed spinarum, vrticarúmque campus. Vnde sic vinea in nihilum redacta est? An demolitur eam aper de silua? An singularis ferus depastus est eam? Nihil dicit de apro, nihil de fera, sed solam prædicat hominis pigritiam, & vbi in operando pigritia est, vbi opera non cernuntur, omnia abeunt in nihilum.
Bernard. D.Bernard. serm.63.in Cant. ait: *Non est vinea stulto. Quomodo vinea, vbi nihil elaboratum vspiam apparet? Tota spinis siluescit vita stulti, & vinea est? Et si fuit, iam non est redacta in solitudinem. Vbi vitis virtutis? Vbi botrus boni operis? Audis sapientem irridentem stultum, quòd bona naturæ, bona gratiæ, primam suam vineam, in non vineam, pigritando redegit.* Eò solùm quòd opera negligas, quod non appareant in te opera virtutis, puta in te omnia bona emortua, omnia redacta in nihilum.
Psalm.77. Psalm.77. *Et occidit in grandine vineas eorum.* Grando nunquam potest occidere vineas; potest quidem grando fructus vineæ perdere, pampinos frangere, at vitibus non nocet grando. Quomodo ergo non solùm fructus, non solùm pampini, sed ipsæ vites, ipsæ vineæ dicuntur occidi à grandine? Eo ipso quòd vineæ fiant sine fructibus, occisæ habentur, & in nihilum redactæ.
Bernard. D.Bernard. sermon.63. in Cant. *Quomodo vita cum sterilitate? Occidit, inquit, in grandine vineas eorum; monstrans vitas priuatas, quæ sterilitate damnatæ sunt.* Vanè putat se vitam habere, & aliquid esse ille, qui fructus operum non ostendit. Nequit aliquod bonum esse, nisi quandiu operibus virtutis exprimitur.
Cant.8. Aiebat Dominus Cant.8. *Pone me vt signaculum supra cor tuum, signaculum supra brachium tuum, quia fortis est, vt mors dilectio.* Si dilectio animis nostris indita adeò fortis est, vt possit ipsa cum morte confligere, imò mortem superare; cur adhuc necessum est & cordi, & brachio Christi apponi signaculum? Quiescat brachium, vbi dilectio Dei viscera nostra depascit; quæ sola mortem superabit. Absit; imò ne dilectio cedat morti, & in nihilum abeat, necessum est, quòd virtutum operibus instet brachium.
Ambrof. D. Ambrof. in Psalm. 118. serm. 19. sic fatur: *Et tu signa in tuo sensu & opere veritatem: vt os tuum non loquatur mendacium, manus tuæ non operentur opera hominum, quæ sunt fallacis istius mundi, sed illa, quæ Dei sunt, vt pauperibus largiantur, debiles subleuent, mortuos honorent tumulis sepulturæ. His operibus charitas quæritur, vt nemo possit à Christo, vel periculo mortis auellere.* Sic charitas inter opera nascitur, alitur, & educatur, vt sine operibus morti cedere cogatur.

CAPVT XXI.

De Spiritus sancti effectibus.

DE absentia sua per mortem consolatus Dominus discipulos suos, huc peruenit, vt ostendat haud contemnendam tamæ absentiæ vtilitatem, nimirum Spiritus sancti aduentum. Nunquam enim Spiritus sanctus veniret, nisi ab omni carnali affectu perpurgatus. Et quid diuinus hic Spiritus adueniens faciet? Is nullam veritatem ad salutem necessariam non reuelat: Doctoribus, Magistrisque & Ecclesiæ Principibus illud doctrinæ oleum impertiens, quod descendat à capite, & nouissimos etiam homines valeat illuminare. Nec non Iudæos, aliósque Christi Domini hostes summi criminis, nempè infidelitatis conuincet, conuictísque euidenter monstrabit ipsam Christi iustitiam, innocentiam, ac dignitatem, quòd Sathanam prostrarit, totiúsque virtutis sit vindex, & author. Insuper sic filium Dei Iesum apud homines clarificauit, vt eius maiestas medias inter mundiales tenebras conspicua maneat, & eius doctrina, & fides, & Ecclesia oppugnantium rideat iacula, & peccatum, mortem, mundum, diabolúmque, & eius innumeras phalanges prorsus detriumphet, funditus deuastet.

Ioan.16. Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini. Absque Synagogis facient vos: sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo: & hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem, neque me.

§. I.

Durissima omnium persecutio à bonis simul, & malis oritur, quæ solam Christi Ecclesiam percutit.

DIxerat Dominus præcedenti capite suos odio habendos, & persequendos à mundanis: & quantula hæc persecutio ad seruos Dei? Maior alia, eaque acerbissima excogitanda est, quæ non à mundanis solis, sed à mundanis simul & religiosis, & piis viris excitabitur; ne templi, nec sacri loci refugium maneat Christi affeclis. Hoc à suo mundo eliminabunt profanissimi homines, & simul viri religione, pietatéque florentes à suis Synagogis eiicient, eorum sanguine Deo, & religioni litantes. Nulla maior excogitari potest persecutio, quam quæ à probis simul, & improbis oritur, quæ vt sola omnium maxima est, sic in solam Christi Ecclesiam, vtpote omnium fortissimam permittitur excitari. Quid plura? maximum vel hinc argumentum potes sumere, in te esse Christi Ecclesiæ causam, si videris te simul à probis, & improbis viris impugnari. Sanè D.Ambrof. epist. 33. dum templum pacis causa à Theodosio Arrianis concessum, acerrimè ipse propugnat, ab Arrianis maximè, tam religiosorum, quàm improborum hominum in se concitas animos. Ab vtrisque habebatur pacis scandalum. Imperatori iniurius, detrimentosus communi vtilitati. Quid tunc Ambrosius? Ex improborum, probo- Ambrof.
rúmque hominum in se acerrima impugnatione, argumentatur secum esse & Dei & Ecclesiæ vniuersalis causam. Hæc sunt sanctissimi viri verba: *Quid dicam, quòd etiam Heliam Iezabel cruenta persecuta est? Quòd Ioannem Baptistam Herodias fecit occidi? Singulæ tamen singulos. Mihi quo minora longè merita, eo tentamenta grauiora. Virtus infirmior, sed plus periculi. Succedunt sibi mulierum vices, alternantur odia, commenta variantur, seniores conueniuntur, prateritur legis iniuria. Quæ ratio igitur est aduersus hunc vermiculum moliri grauiores tentationes, nisi qui non me, sed Ecclesiam persequuntur?* Nunquam in vermiculum tot excitantur iræ, nunquam in siccam stipulam vibrantur fulmina, sed in turrem supra montem positam: nunquam in infirmos peccatores sic iunctim omnium odia desæuiunt, sed in sanctitatem, in iustitiam, hoc est, in Ecclesiam Christi. Fallar, si aliquando improbi, & iusti conuenerint in perdendo scelere aliquo nequissimo. Quando nequitia, & scelus non habuit patronos impios? Quando iusti homines suffragia sceleratorum habuerunt, eliminanda vitia? Adeò inaudita est hæc piorum, & impiorum concordia aduersùs iniustitiam; vt iam, vel ex illa euidentissimum sit, qui sic ab impiis, & piis simul petitur, esse iustum. Quis ignoret sanctissimi, & innocentissimi Iobi certamina? Vnus ipse erat in arena, & aduersùs hunc diabolus vniuersum orbem excitat & commouet; cap.1. *Irruerunt Sabæi, tulerúntque omnia, & pueros percusserunt gladio.* Iob 1.
Nec id solùm, sed *ignis Dei cecidit è cælo, tactas oues, puerósque consumpsit.* Rursus instat exercitus alius, nimirum: *Chaldæi fecerunt tres turmas*, &c. iam maior alia plaga adest: *Ventus vehemens irruit è regione deserti*, & filios perimit viri iusti. Ad hæc ipse sic percutitur, vt fœtore vulneris cogatur exire, & sedere in sterquilinio. Habes iam Sabæorum, Chaldæorúmque exercitus, cœlestem ignē, ventorum rabies, morborum pestilentiam aduersùs vnum Iobum, nec tamen ibi finitur persecutio. His omnibus adduntur cap. 2. tres Iobi amici, sanctissimi, religiosissimíque viri qui Iobi animum grauissimè linguæ gladiis transfodiant iniustum illum, & sceleratum reputantes, & tanto supplicio dignum. Miraris iustos homines consensisse latronibus, vt Iobum transfodiant: & cum Chaldæorum, Sabæorúmque nefariis turbis concurrisse aduersùs illum? Ne id mireris, præmittitur de Iobo cap.1. *quòd erat vir simplex, & rectus, ac timens Deum*, &c. Id quod vel ex eo euidenter perspicitur, quòd & piorum & impiorum, simul talem, ac tantam contradictionem sustinuit. Accipite adhuc verba in hanc rem pulchra ex cap. eiusdem 42. *Postquam autem locutus est Dominus verba hæc ad Iob, dixit ad Eliphaz Themanitem. Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut seruus meus Iob. Sumite ergo vobis septem tauros, & septem arietes, & ite ad seruum meum Iob, & afferte holocaustum pro vobis: Iob autem seruus meus orabit pro vobis, faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia.* Quibus verbis hoc vltimum notandum, quod errores

horum

horũ virorum non malitiæ dentur, sed stultitiæ, & ignorantiæ, ait enim, *vt non nobis imputetur stultitia.* Sed si ex stultitia, & ignorantia errabant, quare eorum ignorantia non erat prorsus excusabilis? Cur non excusabiliter possent ignorare iustum quem tot malis, & ærumnis opprimi cernebant? Nónne piissimorum hominum est plagas à Deo illatas, nostris attribuere peccatis? Cur ergo non iustè ignorent piissimi hi viri iustitiam Iobi sub tot, tantísque plagis? Equidem habebant pro iustitia Iobi euidentissimum testimonium nouum, & inusitatum concursum plagarum ex impiis, & piis conflatum. Videbant Iobum à Chaldæorum Sabæorúmque pessimorum latronibus spoliatum, à rabie dæmonum percussum, simúlque se ipsos, etsi sanctos, & pios viros in eundem concitatos, tótque tribulationes ab impiis, & piis concitatæ clarè ostendebant, non posse esse, nisi aduersùs hominem iustum. Non multum abest

Origen. Origen. lib. 3. in Iob. paulò post initium inquiens: *Hanc scilicet cogitationem malam, atque illicitam in istis viris oriri faciens Diabolus, succendit cor eorum ad omnem iram, & indignationem aduersùs Iob cùm studeret confirmare, quòd Deus iustus fuerit, Iob verò iniustus, & impius, & peccator. Aduersùs quod fortiter stans Iob non permisit se audire vaniloquos illos à Diabolo succensos, sed & bonum Deum ostendit, & se absque culpa vniuersa hæc pati demonstrauit. Non enim Deus illi hæc mala ingessit, sed diaboli liuor, atque inuidia. Multæ tribulationes non iniustorum, sed iustorum sunt.* Expende vnde se iustum demonstrauit Iob, nimirum, quia *multæ tribulationes non iniustorum, sed iustorum sunt,* vbi adeò multiplicantur tribulationes, vt non solùm ab impiis excitentur, sed & simul à piis concurrentibus, non potest licitè ignorari iustus, qui talia patitur. Nunquam enim huiusmodi tribulationes permitti solent, nisi aduersùs iustum, & sanctum. Quod solatium nemo tollet ab illo, qui in sui odium videat viros probos consensisse prauis.

Text. Et nunc vado ad eum, qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me: Quò vadis? sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum.

§. II.

Si mundi ærumnæ, earúmque fines ponderentur, non tristitiam, sed gaudium pariunt.

Ecce vobis vnde tristitia veniat in Apostolorum corda, nimirum ex eo, quòd odientes mortem, & pressuras Iesu, non interrogant, quò vadat, hoc est, non scrutantur, quò per tot mala tendat: non quominus intueniur, qualem in finem mala hæc desinere abeant. Qui enim sic ærumnas, earúmque fines viderent, non tristitiam, sed

Matth. 24. gaudium sibi compararent. Apud Matth. cap. 24. monebat Dominus suos; *Audituri estis prælia, & opiniones præliorum. Videte, ne turbemini.* Inter præliorum discrimina, inter spicula hostium, imò inter ipsas pennatas, & iam volantes mortes hoc vobis sit consilium ad terrores excutiendos omnes, nimirum: *videte,* introspicite, discriminis, & mortis substantiam, adeò vt fines earum percalleatis. Quî maneat terror in morte vbi eius naturam videris, quæ vicinam ostendit immortalitatem? Sanè, qui sic videat mortis discrimina, eiúsque naturam facilè commutabilem calleat, in nullum timorem, in nullam turbationem cadet. Aie-

Origen. bat Orig. hom. 28. in Matth. *Videte, non dixit, audite: hortans eos sensatos esse, vt oculis animæ possint videre, postquam audierint prælia, & auditiones præliorum, singulorum naturam; & videntes, ne terreantur.* Nullus nobis manebit terror, nulla tristitia, nulla solicitudo in ærumnis, & persecutionibus, & vniuersis malis; si cominus singulorum naturæ introspiciantur, quàm breuiter transeant, quàm gloriosum, & quietum finem afferant. Horrebat Moyses, imò fugiebat in hiantem colubrum ex virga factum: & quis non fugeret

Exod. 4. ab horrendi serpentis facie? Sed ait Dominus Exodi 4. *Extende manum tuam, & apprehende caudam eius. Extendit, & tenuit, & versa est in virgam.* Ecce tibi cuius fugiebat ora, vbi caudam prehendit, non quòd fugiat, inuenit, sed inuenit baculum, quo sustentetur, & super omnes Ægyptios illustris euadat. Quid plura? Ærumnæ & mortes fugientibus horrori sunt, verùm accedentibus, & introspicientibus earum naturam, earum finem apprehendentibus, non horrori, sed lucro, sed vtilitati. Qui à longè aspicit horrentem malorum faciem, cur non fugiat, quasi à facie serpentis? Qui accedit, & videt finem, & prehendit caudam, & obsequium inuenit & securitatem. Explico rem exem-

plo Babyloniæ fornacis Dan. 3 huius succensæ horrendum Dan. 3. quid. Stridebant flammæ sese vsque in cœlum tollentes; tres verò pueri Hebræi tanti discriminis finem intuentes minimè refugiunt mitti in fornacem. Erant igitur intra fornacem pueri; erant a longe Chaldæi spectantes, & horrentes flammas, quid tunc? *Effundebatur flamma super fornacem cubitis quadraginta nouem: & erupit, & incendit, quos reperit iuxta fornacem de Chaldæis. Angelus autem Domini descendit cum Azaria, & sociis eius in fornacem, & excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contristauit,* &c. Ecce tibi sanctissimi pueri, dum ardentem fornacem non refugiunt, sed quas putabant voraces flammas ingrediuntur, nec læsionem, nec tristitiam ibi inueniunt, sed lætissimum ventum roris flantem; Chaldæi autem, qui foris stant, qui flammas horrent, & fugiunt, miserè ab ipsis flammis erumpentibus pereunt. Non equidem, qui fugit ærumnas, sed qui earum contemplatus finem, eas amplexatur, is est, qui omnia læta, & prospera

inuenit. Ad hæc D. Hilar. serm. 2. de Nuptiis, inquit: *Quantum lætitiæ in præsenti obtinent merita religionis, & priuilegia sanctitatis? Ecce horrendum nescio quid anhelantes globi, & per quadraginta cubitos ebullientes extrinsecus sæuiunt, intrinsecus parcunt: extra fornacem sapiens ignis irascitur, & intus in fornace famulatur.* Sic vniuersa mala aduersùs metuentes, & refugientes exardescunt; in illis autem, qui accedunt propè, qui minimè refugiunt illa subire, nil triste, sed omnia læta, & prospera causant. D. Hilar.

§. III.

Cœlestia meditanti mundiales laquei nihil nocent. Vbi qualiter patres consulant filiis.

Capiuntur Christi discipuli tristitia; sed vnde, qui Christo nomen dederunt, mundialibus his affectuum laqueis capi possunt? Aiebat Dominus: *Vado ad eum, qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me, Quò vadis? Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum.* Cur non caperentur tristitia, qui nihil de cœlesti patre percontantur, nihil interrogant de cœlestibus? Vtinam discipuli discedentem Dominum mirantes, & Deum patrem & cœlestia regna, ad quæ Iesus ibat, animis intuerentur, de illísque ratiocinationes, & meditationes haberent, nulla penitus tristitia, nullo mundialium affectuum laqueo caperentur. Huc refero illud Prouerb. 1. *Frustrà iacitur rete ante oculos pennatorum.* Vbique cœli sunt incolæ aues, oculos Prouerb. 1. habent, quibus cœli lumina intueantur, facile vitant laqueos aucupum. Nil sunt laquei, nihil valent retia ad eas capiendas aues, quæ perpeti volatu, claris oculis cœlestia contemplantur. Felix ille, qui pennatus reptilia, & humo iacentia bona præteriens, ad ardua, & sublimia volat, totúsque oculus fit, vt contempletur diuina, is omnes & mundi, & diaboli laqueos facile despicit, & inanes dimittit, ac vacuos. Sic præfata verba explicans D. Salonius tan- D. Sal. dem ait: *Frustrà laqueus insidiarum diaboli obycitur sanctis, & electis viris, quia facile superare possunt insidias diaboli, qui suam conuersationem habent in cœlis.* Equidem eo ipso quòd ad sublimia tendas, quòd de cœlestibus agas, quòd diuina, & æterna mediteris, facilè excutis vniuersos mundi laqueos. Nullus laqueus Sathanæ non perspicuus, & inanis est illi, qui cœlestia attento rimatur intuitu. Vniuersis spoliabatur bonis Iob sanctissimus, ipse tamen inter omnium bonorum repetitas iacturas ad Deum se confert, inquiens cap. 1. *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum.* Quid tunc rabidus hostis? Ad laqueos currit, laqueúmque parat viro sancto omnium periculosissimum: dilectam adducit vxorem, in cuius lingua verba componit, quæ possint humanum hominis affectum concutere. Quid plura? Ait textus iuxta Septuag. le- Septuag. ctionem cap. 2. *Is autem respiciens in eam, inquit: Quasi vna stultarum mulierum locuta es, si bona suscepimus de manu Domini,* &c. Nil moratus, statim deprehendit mulieris stultitiam, statim Sathanæ laqueum vidit in lingua vxoris, quem protinus excussit. Sed vnde tam citò vidit laqueum? Cur non magis affectu vxoris capitur? In lingua vxoris parauit hostis laqueum Adamo, & captus est; cur non similiter capitur Iob? Cur non vel ad momentum laqueus illum

latere

latere potuit? Illa verba id indicant, *si bona suscepimus de manu Domini*, &c. Vbi totus erat animo fixus in Deum datorem omnium bonorum, non potuit non statim videre vniuersos laqueos inimici, & à se vacuos abiicere. Pulchrè aiebat Origen. hom.2. in Iob. *Ipse respiciens in eam. Quis? Iob ipse respexit eam, qui ante ad Deum respiciebat, qui primum Dominum contemplabatur, qui dudum ad æternam incorruptionem synceriter intendebat. Ipse ergo respexit ad vxorem, ad insidias, ad muscipulam, ad subuersionem, ad ruinam.* Qui ante ad Deum respexit, æternaque præ oculis habebat, exinde etiã vxore dilectissima, non potuit non videre insidias, muscipulam, subuersionem, ruinam. Parabantur sanctissimo viro retia, parabantur periculosissimi laquei, sed parabantur in vxoris lingua, vt quo occultiora, & nocentiora existerent. At ille non antè vxorem, quàm Deum respiciens, non ante mundiales voces, quàm cœlestia reminiscens, statim laqueos notauit, & nullo negotio contriuit. Hinc sapienter monebat D. Chrysost. hom.8. de Pœnit. *Tu verò cum mulierem videris formosam, splendentem oculis, ornatam stola, libidine titillantem, desiderantem visum: respice desuper stantem coronam, quo tale spectaculum prætereas.* Quisquis enim cœlestia rimatur, æternásque, & incorruptibiles coronas ante oculos suos constituit, fallar, si prendi possit huius affectibus mundi nequissimi. Si vel occultissimos sub splendenti laqueos pulchritudine, non videat, si mortes, ruinásque mediis in voluptatibus non perspiciat. Caueat homo ne Dei, æternorúmque bonorum meditationes dimittat, & facili negotio mundiales sibi, & suis laqueos excutiet. Genes.33. accedens Iacob Sichar, emit partem agri, in qua tabernaculum fixit, cum omni domo sua: *Et erecto ibi altare inuocauit super illum fortissimum Deum Israël.* Quid tunc immediatè ad hæc incipit cap.34. dicens: *Egressa est autem Dina filia Liæ, vt videret mulieres regionis illius. Quam cùm vidisset Sichen filius Hemor Princeps terræ illius, adamauit eam, & rapuit*, &c. Expende quando capitur Dina, quando laqueos incurrit; nimirum quando paternum tabernaculum dimittit, in quo fortissimus Deus Israël inuocabatur, & præ oculis habebatur. Proh dolor! Nunquam incurrisset laqueos, si nunquam oculos à paternis tabernaculis, à Deo ipso deflexisset. Pulchrè id illachrymatur D. Cyrill. Alex. de adoratione in spiritu lib.14. inquiens: *Vide eam vsque eò castam fuisse, & virginitatis ornamenta retinuisse, dum in tabernaculo patris versata est, & habitauit, in quo ille inuocauerat Deum Israël, & altare augustum erexerat. Vbi verò de paterno tabernaculo exiuit, sacróque loco relicto, cum exteris est mulieribus congressa illico ad incestum: eius contumeliæ insueta, vi perducta est.* Nihil sic nos à laqueis, & perturbationibus mundialibus liberat, quàm cœlestis illius tabernaculi paterni habitatio, & cum Deo conuersatio. Nil aliud velit homo videre, quàm cœlestia bona, & paterna, nil cognoscere prius, quàm id, quod de Deo est, Deum in omnibus inuocando, & fallar, si vllo capiatur laqueo. Et expendendum amplius circa litteram præfati loci, quale tabernaculum paternum fuerit, quòd filiam securam tenuit à raptu. Quale tabernaculum? Tabernaculum, *in quo pater inuocauerat Deum, & altare augustum erexerat.* Et quidem illæ paternæ domus tantum liberant filias, & filios à laqueis, vbi Deus inuocatur, illíque erigitur altare. Cur pater non videat filias prosterni, cur non videat filios in mille dedecoris barathra incidere: si eius in domo nihil de Deo auditur, parui, aut nihil æstimantur diuina? Si totus circa temporalia versaris, si æternorum tabernaculorum, Deíque fortissimi, aut nunquam, aut oscitanter memineris, non excuties laqueos à domo tua, quibus in infamiam, & dedecus rapiantur filiæ. Sapienter enim ait Cyrill. *Vide Dinam vsque eò castam fuisse, dum in tabernaculo patris habitauit, in quo ille inuocauerat Deum Israel, & altare augustum erexerat.* Eò vsque bene se habebunt filiæ, & filij tui, dum in domo ea patris habitent, in qua innocetur nomen Dei, & præ oculis sint diuina. Eò vsque quis diaboli laqueos fugiet, dum sit in loco, in quo præcipua solicitudo habeatur de bonis cœlestibus, de Deo immortali, & inuisibili. Nouisti filios, filiásque sanctissimi Iobi à diabolo repentè perimi: de his ait textus cap.1. *Filijs tuis, & filiabus bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repentè ventus vehemens irruit*, &c. In domo fratris sui primogeniti epulantes, opprimuntur Iobi filij; cur non opprimuntur in domo patris, dum epularentur illic? Nónne vniuersi filij aliquando conueniebant in domo patris, vt epularentur ibi, & sicut nouellæ oliuarum in circuitu paternæ mensæ existerent? Imò id paternum conuiuium celebrati à Iobo post finita conuiuia fratrum inter se putat meritò noster Pineda: postquam enim fratres sua peragebant conuiuia, mittebat Iob ad eos, vt sequenti die apud se conuenirent. Et post patrem statim sequebatur primogeniti conuiuium: ex quo infero, quòd pridie ante ruinam omnes filij conuenerant apud patrem, & in paterna domo celebrarant conuiuium, quandoquidem cùm sunt in domo primogeniti, perimuntur. Cur ergo Diabolus non magis festinauit, vt eos opprimeret? Cur non eos in domo patris iunctos comprehendit, sed maluit expectare primogeniti conuiuium, vt non patris in domo, sed in domo fratris rabiem exerceret suam? Id insinuat textus cap. 1. cùm de patre euocatore filios in domum suam, & de ibi celebrato conuiuio, inquit. *Mittebat ad illos Iob, & sanctificabat illos, consurgénsque diluculo offerebat holocausta pro singulis.* Ecce tibi Iob mittebat ad filios, vt paternam domum conuenirent: sed & illos excipiebat paterna domus, in qua pater inuocauerat Deum, augustumque ibi altare erexerat, multisque repleuerat sacrificiis. Non potuerunt ergo filij Iob à Dæmone opprimi, imò nec contristari, dum in domo patris habitabant, in qua ille inuocauerat Deum, & altare augustum erexerat. Proh inexpugnabiles parietes, ad inuitandos filios: intra quos & nomen Dei inuocatur, & animarum negotia tractantur, & æterna bona prouidentur filiis.

Origen. | Chrysost. | Genes.33. | Cyrill. | Idem. | Iob 1.

Text. Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis, vt ego vadam, si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.

§. IV.

Viro iusto nulla tribulatio non vtilis, & conueniens est.

Apostolis eripiebatur per mortem Christus, de cuius conspectu ipsi viuebant, & tamen dicitur, & verè dicitur, quòd expedit eis, vt Christus ab eorum abscedat oculis. Et qualiter expedire potest eis tanta doloris occasio? Mundo, & omnibus mundi bonis renuntiarant, vt Iesu præsentia fruerentur; imò & vitam ipsam contempserant pro Iesu; nec aliud sibi bonum cupiebant extra Iesu, modò Iesus eis eripitur, & cum Iesu omnia illis gaudia eripi necessum est. Et hoc expedit eis? Sanè iustis viris nulla temporalis iactura, nulla temporalis tribulatio accidere potest, quæ eis non expediens, & commoda sit. Vbi ligna notabat Dominus, quibus ædificaretur arca, quæ diluuia vinceret, ait Genes.6. *Fac tibi arcam de lignis leuigatis*, Septuaginta legendum putant: *Fac tibi arcam de lignis quadratis.* Cur quadrata requiruntur ligna ad ædificationem arcæ? Vt exprimant quales sint viri iusti, ex quibus constituitur Ecclesia Christi; sunt enim iuxtà quadratorum lignorum, quæ nunquam non aptè, & conuenienter concidunt. Rem pulchrè explicans D. August. Psalm. 86. inquit: *Non enim frustrà etiam de lignis quadratis ædificata est arca Noë, quæ nihilominus figuram gestabat Ecclesiæ. Quid est enim quadrati? Attendite similitudinem quadrati lapidis, similis debet esse Christianus. In omni tentatione sua Christianus non cadit, & si impellitur, & si qua vertitur, non cadit. Nam quadratum lapidem quacumque verteris, stat.* A nullo impulsu quadratus lapis non conuenienter cadit: sic iusto viro omnis tribulationis impulsus conueniens aduenit, quacumque impellatur, aptè, & conuenienter constituitur. Nihil iusto viro, etsi durum, etsi acerbum, non expediens saluti à Deo amante paratur. Crucifixi Domini latus lancea perfodit Ioann.19. *Et continuò exiuit sanguis, & aqua*; aqua, quæ baptisma adumbraret; sanguis, qui tribulationum, & passionum calicem fidelibus porrigeret. Sed illud notandum, nimirum in quo signabantur tribulationes, & passiones in fidelibus insurrecturæ; signabantur enim in sanguine manante à vulnere dextri lateris. Et cur adeò tristia & acerba signa non magis à sinistris notabantur? Planè simul enuntiabantur tribulationum iustorum qualitates, quæ dexteræ sunt, & nuntiæ venientis felicitatis. Ideo ait D. Bernard. serm.7. in Psalm. Qui habitat. *Dominus meus Iesus etiam dextram sibi propter me passus est latus fodi: quòd videlicet, non nisi de dextera mihi propinare vellet.* Passionum, dolorum, tribulationum calicem propinat; sed non nisi, quæ dexteræ iustis veniant, & felicitatis plenæ. Exurgent tribulationes, exurgent prælia, & dolorum occasiones; at quæ expediant iustis, illósque in Dei dextera confidere efficiant. Hinc ait Iob. cap.30.

Genes.6. | August. | Ioan.19. | Bernard. | Iob 30.

Ad

Ad dexteram Orientis calamitates meæ illico surrexerunt; pedes meos subuerterunt, & oppresserunt quasi fluctibus,&c. Nulla calamitas cuique acerbior accidit, quàm Iobo acciderunt calamitates suæ; sanè illum & dolor, & intolerabilis fœtor, & hostium rapinæ, & amicorum mordacitas vehementer affligebant: & nihilominus de his malis locutus, ait, *ad dexteram Orientis calamitates meæ surrexerunt.* Ad dexteram ais, ô bone, an dexter fuit impetus Chaldæorum aduersùs greges tuos? an dexter fuit ventus, qui concutiens filiorum domum, septem tibi charissima pignora eripuit, & orbatum reliquit? Pulchrè ait Gillib. Abb. serm. 38. in Cant. *Iure ventum illum dextrum vocauit, qui nihil ei quæsiuit sinistrum inferre: quin etiam coronæ gloriæ viro iusto comportauit augmentum, quando virtus probata enituit, & quando prouocata excreuit.* Nihil aduersi, nihil doloris excitatur in viros iustos, quod illis ex dextra non soleat venire, quòd illos non magis impellat ad dexteram Christi.

Gillib. Abb.

§. V.

Vel totius nostri corporis dispendio comparare debemus, quòd fratrum amor purus, & perfectus ad Deum ascendat.

QVia Iesus à discipulis suis se adhuc humano amore diligi sciebat; ideò ait suam absentiam illis expedire, vt sic eorum dilectio, quæ etsi bona, & pia erat, tamen non adeò perfecta adhuc existebat, purificaretur omnino, & perficeretur, non in corporalibus manens, sed se eleuans ad spiritualia, & diuina. Hanc causam insinuat Iesus absentiæ suæ in præsenti iuxta sanctorum Patrum sensum communem. Sed esto, quòd absentia Iesu expediens fuisset discipulis, vt eorũ dilectio perficeretur circa diuina, cur necessum erat ad hoc, quòd Iesus se per tam horribilem mortem absentaret? Modò de morte sua consolaturos discipulos, vtilitatem suæ absentiæ ad amorem perficiendum proponit: cui amori perficiendo sufficiebat absentia Iesu simplex: cur supra hanc absentiam additur mors acerbissima, additur passio, qua crudeliter conteratur à carnificibus tota illa sanctissima humanitas? Cùm Apostoli circa sanctissimam humanitatem afficerentur, allecti incredibili eius sapientia, & comitate, & pulchritudine; vbi egit Deus de eorum amore perficiendo, & eleuando ad sola diuina, & spiritualia, suam humanitatem conterendam, & deformandam carnificibus tradidit, vt doceret, quanto etiam nostri corporis dispendio emere debeamus, quòd fratrum amor, omnino purus, & perfectissimus in Deum abeat. De Ezechia rege piissimo dicitur 4. Reg. 18. *Confregit serpentem æneum, quem fecerat Moyses, siquidem vsque ad illud tempus, filij Israel adolebant ei incensum, vocauitque nomen eius Nohestan, idest, æneum.* Erectus serpens æneus in ligno salutem dabat aspicientibus Israëlitis, vt habes Num. 21. ex quo sic manserunt Israëlitæ affecti in illam imaginem, vt illi exhibentes honorem, verum Deum obliuioni traderent. Id quod animaduertens nobilis, & pius rex, vt Israëlitas in vnius Dei honorem, & amorem reduceret, æneum serpentem confregit, in minutissimáque disse- cauit fragmina; vt in illo videntes non viuidum numen, sed æris fragmina, ad veram confugerent salutis humanæ causam. Cur ô Rex sic serpentem æneum per Moysem fabricatum, à Deo in salutem populi datum confringis? Cur non magis reuerteris Moysi magnum Dei opus & munus? Meritò non parcit Dei muneri, nec Moysi operi, vt Israëlitarum affectus purè, & perfectè in vnum Deum reuocaret. Quid plura? Sanitates, & virtutes, quæ à Iesu humanitate exibant, & sanabãt omnes, Iesu asseclas rapiebant adeò, vt humano quodam amore, licèt pio, & bono, & debito affecti circa humanitatem visibilem, minus attenti essent circa inuisibilia, & spiritualia. Tunc filius Dei carnificibus tradidit sanctissimam humanitatem deformandam, confringendámque, vt sola spiritualis eius gratia apparens, fideliũ animos in Deum prorsus perfectè, & spirituali amore diligendum traheret. Nec sanctissimæ humanitatis gratiæ ingentes, incredibilis pulchritudo, sapientia singularis; nec corpus illud à diuino Spiritu fabricatum effecit, ne ipsa in confractione staret, vt purus hominum, & perfectus affectus in Deum euolaret. Huc spectans illud Cant. 4. dum pulchritudinem humanitatis Christi describit, ait: *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ.* expẽde illud *fragmen*, quasi facies illa pulcherrima, in quam desiderant Angeli prospicere, hominibus ita fracta & contrita exhibeatur, vt nihil in illa cernere queãt, præter quædam fragmina purpureo madida sanguine. Sed

4 Reg. 18.

Cant 4.

cur sic in fragmina purpurea ostenditur hominibus diuisa diuinissima illa facies? Vt solum in illa gratia spiritualis appareat, quæ ab omni corporeo humanas mentes in Deũ, summè, & perfectissime amandum trahat. Non longè abest Gillib. Abb. serm. 25. in Cant. aiens: *An non tibi quasi fractas habuisse genas videtur ille, qui eas dedit percutientibus, dedit vellentibus, & non auertit à conspicientibus? Bona quidem hæc fractio, per quam interior cœpit virtus eminere, & quæ intra carnis corticem claudebatur erumpere gratia. Quasi confracta videretur tanta dignitas ad passionis se inaniens iniurias; sed per hæc fragmenta salutis se nobis vbertas effundit.* Frãgitur diuinissima facies, vt spiritualis gratia ab intus appareat, ne exteriora bona temporibus famulantia nos detineant, sed in confractione apparentia nos in intima, & suprema, & prorsus spiritualia ducant, in quibus perfectissima consistit salus. Et qualem confractionem non sustineat diuinissima Christi facies, vt humanos affectus ab omni corporeo desæcaros, in vnum Deum perfectissimè amandum trahat? Hæc sanè est facies Christi, hæc est vera, & perfecta pulchritudo, quæ sciat se contritioni, imò & perditioni dare, vt spectantium affectus à se, in vnum Deum impelleret. In hac hodie gloriatur pulchritudine Lucia illa virgo, quæ sciuit oculos configere suos, & eruere, ne qui propter illos minus Deum amaret. Hinc aiebat Tertull. lib. de cultu fœmin. *Planè gloriabitur Christianus in carne, sed cùm propter Christum lacerata durauerit, vt spiritus in ea coronetur, non ve oculos, & suspiria adolescentum post se trahat.* Illa facies, illa pulchritudo sola est, in qua debeat gloriari Christianus, quæ deformari, imò & lacerari amat, ne oculis, ne suspiriis hominum vni Deo debitis detrahat aliquid. Quòd enim sit turpissimum homini, occasionem præbere offensis diuinis, etiam vbi ipse nullam culpam incurrit, habes lib. 13. c. 1. §. 3.

Gillib. Abb.

Tertull.

Text. Et cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio.

§. VI.

Maximum impiorum supplicium est, quòd propria scelera in sua fœditate videant.

VErbum illud *arguo* duas significationes habere solet in Scriptura diuina. Prima est, qua significat idem, quod reprehendo, increpo, castigo, vt Apoc. 3. *Quos amo, arguo & castigo.* 1. Timoth. 5. *Peccantes coram omnibus argue.* Altera significatio est, qua significat idem, quod conuinco, claris rationibus manifesto. Quæ duo Spiritus sanctus efficit aduersùs omnes impios, arguens illos de peccato; dum tollẽs vniuersos impiorum prætextus, & peccatorum opercula, euidentissimè peccata manifestat, ob oculósque impiorum ponit, quæ est maxima illorum castigatio, & supplicium non paruum. Quæ mens euidentem malitiam, & fœditatem suorum scelerum ob oculos patiatur, clamabat Psalm. 33. *Accedite ad eum, & illuminamini.* & post hanc vocem paucissimi sunt, qui accedere audeant. At venire in lucem, non omnibus amicum, & lætum est? Qui timeant ad lucem accedere? Vniuersi qui beneficio lucis cogendi sunt peccatorum suorum in propria specie malitiam, & fœditatem intueri; hi non tanti infernalium tenebrarum horrorẽ, quàm hanc lucem habent. D. Basil. hom. in Psalm. 33. *Qui verò malè fecerint, in probrum, & confusionem resurgent: in se ipsis turpitudinem, & formas eorum, quæ peccarunt, conspicientes impressas. Erit certè confusionis eiusmodi impressio illis tanto plus horrori, quàm vel ipsæ tenebræ, aut ignis æternus, quòd in ea æternum victuri sunt peccatores, semper ob oculos versantes vestigia illa peccati in carne admissi.* Supra exteriores, & sempiternas tenebras, supra tormentum voracissimi ignis, reputabunt etiam hominum nocentissimi dolorem videndi in propria malitia, & fœditate sua crimina. Cui consonat D. Ephr. serm. de Iudicio, inquiens: *Horribilior tenebris, illéque igne pudor erit, atque confusio, in qua versabuntur semper ob oculos, vestigia illa peccati, quasi notæ alicuius tinctæ, nec eluibilis vnquam, in memoria animæ æternùm duratura.* Pone hinc reproborum flammas, tenebrosum inferni carcerem; illinc perpetrata à quouis crimina, ablatis operculis, in sua solùm fœditate, & manifesta malitia, & nullus accedet voluptuosus, nullus ex comptulis istis palatinis, nullus nequam, qui non eligat æternis potius flammis terreri, tenebroso carcere includi, quàm cogi ob oculos habere manifestam suorum peccatorum malitiam, & turpitudinem. Quam pœnam vt omnium grauissimam, sic reprobis hominibus reseruatam à iusto iudice nouimus.

Psal. 33.

Basil.

D. Ephr.

nouimus. Postquam enim Isaias Babylonem, hoc est, mundialem ciuitatem traditam flammis describit, sic pergit c.13.
Isa. 13. *Habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi, & respondebunt ibi vlulæ in ædibus eius, & sirenes in delubris voluptatis.* Non solùm Babylon flammis dabitur, sed & habitabitur his malis auibus, sed post flammas; quæ exaggeratio est ista supplicij, quòd inibi habitent, & saltent, & mutuo sibi respondeant aues istæ? Sanè summa est exaggeratio supplicij, quandoquidẽ in malis auibus istis cuiusque scelera repræsentantur, quæ perpetuò ob oculos sint miseris. Crudelitates vniuersæ instar struthionum, theatrales saltus instar pilosorum, & voluptates, & lasciuiæ cunctæ instar sirenum, instar vlularum visæ, vehementer oculos, & memoriam miserorum affligent. Ad hæc D. Ælred. ser. 10. in Isaiam ait,
Ælred. *Quomodo quasi in Babylone iam vltricibus flammis exposita, aut struthiones habitabunt, aut pilosi saltabunt, aut vlulæ in ædibus eius respondebunt, vel sirenæ in delubris voluptatum? An quia ad confusionem illorum, qui se his vitijs polluerunt, ipsa vitia, coram oculis, ac memoria ingerentur, vt sicut in corpore pœna; ita & peccatum pro quo puniuntur, versetur in conscientia? Erit ergo in illa ciuitate damnata, sicut pœna æterna, ita & peccatorum, quæ fecerunt, æterna memoria.* Summum equidem suppliciũ est, quòd mundi vitia in sua fœditate ibi ob oculos ponãtur, & quòd cogatur videre mundus in suis theatris non comptulorum iuuenum, puellarúmque, sed pilosorum, hoc est, monstruosorum, horrendorum saltus; & pro suis voluptatibus, & delitijs, triste, & lethale occinentes sirenes, & vlulas. Felix qui in præsenti à diuino Spiritu sic arguitur de peccato, vt eius à se admissi fœditatem videns, dolorem sentiat, & cõfusionem, quæ possit ad salutem proficere. De hoc suprà lib. 23. c. 1. §. 2.

§. VII.

Ille diuino Spiritu agitur, cuius virtus non solùm inter vitia, sed & inter aliorum virtutes excellere nititur.

NOn dignus Spiritus sancti fructus, si solùm mundum de peccato argueret, nisi etiam, & mundum argueret de iustitia; sanctitas enim, & iustitia parua est, quando solùm te a peccatoribus distinguit, tunc perfecta sanctitas, & diuini Spiritus afflatu digna, quãdo inter quascumque alias iustitias sola eminet, & triumphat. Sic Christi iustitia per Spiritum sanctum manifestata, non solùm mundi scelera conuincit, sed & confundit, & superat omnes mundi iustitias. Audet diuinus Spiritus Christianam iustitiã non solùm sceleribus mundi, sed & mundi opponere iustitiis, vt de omnibus triumphet. Huc accedat quisquis diuinũ Spiritum in se habere præsumit, quem si habeat, parui æstimabit aliorum fugisse delicta, nisi & aliorum superet virtutes. Hinc commendatur iusti anima Cant. 4. *Odor vnguentorum tuorum super omnia aromata.* hoc est, virtuosæ vitæ tuæ fama omnes nitatur aliorum superare virtutes. Quantum est, quod odor vnguẽti superet odorem porri, aut cepæ, aut cadaueris? Non inde sumitur præstantia Christianæ virtutis, sed vt præstantissimus odor tunc censetur, cùm super omnia aromata eminet, sic tunc censetur Christiana virtus, cùm super aliorum efferetur virtutes. Proponite modò vobis ob oculos fastuosum illũ Pharisæum, qui omnes homines despiciebat: is Luc.
Luc. 18. c. 18. inde suam exaggerabat iustitiam, inquiens: *Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominũ: raptores, iniusti, adulteri,* &c. Omnes homines ad iudicium vocat, & omnium perpendit vitia, bonorum rapinas, iniustitias, adulteria: quorum nulla in se veraciter inuenit. Quid tunc? Is adeò innocens à raptore quondam publicano in iustitia vincitur, de quo publicano dicitur ibi, quòd *descendit iustificatus præ illo.* Vnde tanta innocentia non solùm adæquat peccatorem publicanũ, sed vincitur ab illo? Non respiciebat ad aliorum virtutes, sed ad vitia, sed ad scelera, quæ in se non habere erat minimũ, nisi & excederet virtutes. Pulcrè ait Gillib. Abb. ser. 33.
Gillibert. in Cant. *Bona gratiarum sibi diuinitus collata secum reputat, & quasi vnguenta recenset. Non sum, inquit, sicut cæteri homines, raptores, iniusti, adulteri. Audi præ quibus vnctum se gloriatur, gloria eius in confusione aliorum videtur. Non magna gloria, magna tamen ipsi videtur. Ipsi redolet, non tamen super aromata, sed super sulphura cæterorum.* Miser ille videbat sulphura publicani, videbat rapinas notissimas illius gentis; sed non videbat ingentem illum dolorem, & pœnitentiam, qua humi prostratus pectus suum percutiebat. A qua virtute longè superatur, & vincitur, dum solùm curat super sulphurea opera se efferre. Ille quidem solus triumphat virtute, qui non solum super sulphura, sed super aromata omnia nititur eminere. De sanctissimo Iob dicitur c. 1. *Vir erat in terra Hus, nomine Iob; & erat vir ille simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo.* Quid plura? *Eratque vir ille magnus inter omnes Orientales.* Quibus verbis id expendendum venit, quòd Iobi præstantia, & magnitudo non penderetur ex eo quòd fuerit Iob rectus inter Husitas, sed inter omnes Orientales. Iob 1.
Sanè Husitæ erant omnes ab Esau genus, & scelera ducentes, mille delictis contaminati, inter quos erat Iob, vt ait Chrysost. hom. 2. *Vt columba in medio accipitrum, ouis in medio luporum, stella in medio noctium, lilium in medio spinarum, germen iustitiæ in oppido iniquitatis.* Cur ergo magnitudo, & præstantia Iobi non expenditur ex eo, quod talis fuerit inter Husitas, sed quòd talis fuerit inter omnes Orientales? Vt in Husitis claudebatur pessimum genus Esau; sic in Orientalibus notabatur conspicuum genus Abrahamidum, nempe illorũ, in quibus sola opera virtutum visebantur. Tota ergo iusti magnitudo, & præstantia in eo est, quod & inter virtute cõspicuos ipse clareat, & vt nihil aliorum vitiorum in se habeat, sic in omni aliorum virtutum eminere satagat. Orig. hom. 1. in Iob fatur: *Magnus appellatur, quia Abraham per Deo dilectam fidem est imitatus, & quia Isaac in verissima castitate est sectatus, & Israël in perspicua cordis puritate appropinquauit, & Moysi in mansuetudine, & Samueli in iustitia,* &c. Hæc viri iusti præstantia, posse eminere inter sanctos, imò posse vincere omnes aliorum sanctitates. Quod elogium Iesu dicebat Sponsa. Cant. 2. *Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios.* De quo elegãter Orig. hom. 2. ex duobus in Cant. ait: *Omnia ligna, omnes syluæ arbores ad comparationem sermonis Dei, syluæ infructuosæ existimantur, ad Christum saltus est omne, quod dixeris, & infructuosa sunt omnia. Quæ enim possunt dici ad eum comparata fructifera? Etiam ligna, quæ videbantur fructibus onerari, ad collationem aduentus eius infructuosa monstrata sunt.* Talis sit virtus Christiana, quæ incremento sui nitatur infimas obscurare virtutes. Talem in Christi asseclis requirebat Paulus virtutem 1. ad Cor. 12. inquiens: *Æmulamini charismata meliora.* quasi ille videatur perfectè Christianum agere, qui in virtutum splendore melior alijs esse procuraret. Chrysost. Origen. Cant. 2. Origen.

§. VIII.

Vbi Dei iudicium timetur, prorsus omnia mundialia decora perduntur.

MEritò postremo loco dicit Dominus arguendum a Spiritu sancto mundum de iudicio, hoc est, conuincendum mundum sibi manere iudicium: vbi enim cogatur mundus timere iudicium, vniuersa mundialia decora funditus perduntur. Cant. 4. ad Ecclesiam, quę peccatores etiam admittit, Dominus dicit: *Duo vbera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in lilijs, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.* Ecce tibi ad Ecclesiæ vbera non solùm vocantur agni, sed & hædi, nimirum, caprearum hinnuli, qui de sinistris sunt; hi quamuis Ecclesiæ noscant vbera, non ad vbera, sed ad florida mundi pascua currunt, quos meminit Sap. c. 2. dicentes: *Coronemus nos rosis, antequam marcescant. nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra.* Sic fastidientes candidissimos Ecclesiæ cibos, peccatores homines per floridos mundi campos discurrunt; tunc putantes sibi coronas floridas parare, & lilia colligere, cùm se mundialibus bonis ingurgitant. Sed quandiu miseri hædi mundi floribus insistunt? Iam dicit textus: *Donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ;* nimirum, donec extremi illius diei, & magni iudicij, vel fama sonet, tunc enim mundi flores, non flores, sed fugacissimæ videbuntur vmbræ, quas prudentes aspernantur, & fugiunt. Ad hæc Aponius lib. 6. in Cant. fatur: *Donec dies ille magnus iudicij aspiret, qui pars est tenebrarum, & cuius aspiratio huius tenebrosi sæculi vmbras in occasum inclinat. Quidquid enim in hoc sæculo magnum videtur, vmbra vel somnia deputanda sunt: pulchritudo scilicet corporis, sapientia literarum, robur membrorum, in flore, in dignitate, in regni potentia: omnia hæc ad comparationem illius æterni diei Iudicij, vmbra, & somnia comprobantur.* Et quidem peccatores tandiu instar hædorum reproborum lilia, & flores mundi mandunt, donec iudicij metus nientem subit, post hunc nihil in mundo non vmbratile, & fugiendum, & abominandum putant, solæque æstimant pabula diuina. Miraris? Exemplum nota in capreatum hinnulis: hi enim tandiu pendent ab vberibus matrum, quandiu intra caules sunt, vbi in campum egrediuntur, videbis hinnulos hinc inde saltantes, ad virentia prata currere, & inter luxuriantes herbas positi Cant. 4. Sap. 2. Apon.

finndique pascua adepti, per totum integrum diem, nec matres, nec vbera reminiscuntur. Vbi autem dies cadere incipit, & nocturnæ tenebræ accedunt, in caulésque eundum est, tunc vel ad primum matris balatum hinnulj exurgunt, relictísque campi graminibus, facto impetu ad vbera matris currunt. Sic homines virtutibus, diuinisque Ecclesiæ pabulis nutriti, dum mundialia negotia, imo otia intrant, latissimumque mundi campum gradiuntur, mundiali amœnitate capti, & illecti floridos voluptatum, delitiarumque succos emungunt, prorsus diuinorum pabulorum obliti. Vbi autem dies ille magni iudicij aspiret, tuba illa extrema eorum animis insonat: statim mundi gramina contemnuntur, ad vbera Ecclesiæ, ad diuina pabula anxiè curritur Hinc
Matth. 8. dicebat Dominus Matth. 8. *Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cælorum.* Ecce ad diuinum pabulum, ad mensam Christi, vnde colliguntur multi, nimirum, ab Oriente & Occidente. Cur non & à Meridie, & Septemtrione? quia in Oriente, & Occidente figebatur memoria
Paschas. extremi iudicij. Aiebat D. Paschas. lib. 5. in Matth. *Prima, & vltima, ideo ponuntur, quatenus dies ille semper in memoria figatur, quando fulgur exiet ab Oriente, & parebit vsque in occidentem, quoniam tunc erit aduentus filij hominis.* Vbi autem diei illius memoria adsit, multi erunt, qui mundi gramina respuant, & currant ad pascua cœlestia. Vide lib. 13. cap. 2. §....

Text. De peccato quidem, quia non credunt in me. De iustitia verò, quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me. De iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus est.

§. IX.

Infidelitatis peccatum præ omnibus alijs Deo infestum, & odiosum est.

QVasi nullum aliud peccatum esset, sic solum peccatum infidelitatis notatur à Domino; dum ait, quòd arguetur mundus de peccato, quia non credit. Sed an sola infidelitas reputetur à Deo peccatum? Absit, multa alia sunt in hominibus scelera, quæ vindicat Deus, sed peccatum infidelitatis præ omnibus alijs infensum & abominabile Deo est. Præstat enim cum fide habere omnia peccata, quam omnes morales virtutes sine fide, vt notat noster Salmeron hîc
Psal. 104 ea D August. lib. de natura, & gratia. Aiebat Psal. 104. *Iudicauit Dominus populum suum, & in seruis suis deprecabitur.* Ex Græco legitur, *& in seruis suis consolabitur.* vbi pro seruis Domini intelliguntur vniuersi fideles, vniuersi Christiani. Sed miraris, quod dicatur Deus in iudicio consolandus in vniuersis Christianis. Nónne quamplurimi ex Christianis innumerabilium scelerum rei inuenientur Nónne ibi Christiani aderunt, raptores, iniusti, adulteri? Quî fieri potest, vt in his consoletur Dominus? Equidem tam odiosa, & abominabilis Deo est infidelitas, vt præ illa in seruis suis, quamuis scelerum aliorum plenis, quasi videatur Deus
Arnob. consolandus. Ita Arnobius ait: *Cùm iudicauerit viuos, & mortuos, in solis suis consolabitur seruis. Melior enim ibi inuenietur fornicator Christianus, quàm castissimus idololatra.* Potuissent cum fide non adeo displicere peccata, vt quæ à fideli potius videantur extorta, quàm admissa; verùm sine fide, imò cum infidelitate, non habet vnde consoletur Domi-
Abac. 2. nus. Cui consonat illud Abacuc 2. *Ecce qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso.* Vbi ex Septuag. D. Paulus ad Hebr. 10. legit: *Non placebit animæ meæ.* Nihil enim habet infidelis, ex quo Deo placere possit, eo ipso, quòd infidelis est, etsi alias omnes morales possideat virtutes, Deo est omnium odiosissimus, & infensissimus. Vnde sa-
Lactant. pienter dicebat Lactantius lib. 5. cap 10. *Offensa diuinitas plectere homines impiè religiosorum grauis eos infortunio mactat. qui licèt sanctis moribus viuant summa innocentia, tamen quia Deos colunt, quorum ritus impios, ac profanas Deus verus odio habet, à iustitia, & à nomine veræ pietatis alieni sunt.* Vniuersæ virtutes morales cum infidelitate coniunctæ non habent vnde Deo aliquam possint afferre consolationem.

§. X.

Illa vniuersim detriumphat virtus, quæ non solum in oculis præceptorum, vindicisque existit.

MErito iustitia à Christo suis fidelibus per Spiritum sanctum communicata omnes alias mundiales iustitias confundet; etenim Christiana iustitia, & virtus, etiam præceptore, & vindice Iesu abeunte, ab oculisque sublato, permanet, & augetur. mundiales auté virtutes spectantium præceptorum oculis sic seruiunt, vt abeant cum abeuntibus. Talis notatur virtus, & religio in funesto illo Ierosolymorum Rege Ioa, de quo 4 Reg. 12. *Fecitque Ioas rectum coram* 4. Reg 12.
Domino, cunctis diebus, quibus docuit eum Ioiada sacerdos. Dum sacerdos, & seruator regis Ioiada præ oculis fuit, conspicua fuit etiam religio, & iustitia regis Ioas, qua intereunte, Ioiada prorsus interiit. Aiebat Iosephus lib. 9. cap. 7. Ioseph.
& 8. *Erat Ioas cum in regnum ascisceretur annorum septem: fuit autem legum, & diuini cultus obseruantissimus, toto tempore, quo Ioiada fuit superstes. Illo autem post annum ætatis centesimum, & trigesimum defuncto, rex Ioas à pristina religionis cura faciliè desciuit: móxque & primates populi ad eundem modum deprauati sunt, vt nihil apud eos potius haberet, quàm contemptus iuris, ac iniustitia.* Puerilis sané, & euanida illa iustitia est, quam solus præceptoris & vindicis oculus nutrit. Hanc confundit, inanitatísque arguit vera, & Christiana iustitia, quam etiam ab oculis mortalium sublato præceptore, & vindice Christo, Spiritus diuinus infidelibus manentem ostendit. De hac gloriabatur illa Cant. 2. *In lectulo meo per* Cant. 2.
noctes quæram, quem diligit anima mea. Quid est *per noctes quæram*? Cur potiùs Dei amatrix nocturnas suas solicitudines pro delicto meminit? Cur non magis posuit, per dies, & noctes quæram? Sané illam se gloriabatur habere virtutem, quæ non oculis seruiret dilecti; sed quæ etiam absente Domino, imò quasi dormiente, & nihil curante, adhuc nouit permanere. Ex quo pulchrè dicit Gillibert. Abb. serm. 1. in Gillibert.
Cant. *Noctes eius frequenter interpolantur absentia sponsi. Cùm adest, lux est; cùm abest, nox est. Beata planè, quæ ei adhæret tota die, & quærit illum in noctibus.* Non absentia Sponsi facit fidelem animam sui dissimilem; etiam cùm videretur abesse; etiam si crederetur nihil posse scire, tamen ipsa nihil quærit, nihil amat, nihil præ oculis nihil in lingua habet, nisi illum. Quem non frangat absentia magistri, nisi fortissimum? Iob cap 34. *Nouit opera eorum, & ideo inducet* Iob 34.
noctem, & conterentur. quasi ad infirmorum confractionem sufficiat, quòd veniat nox, quòd magistri lux recedat, quod nullus vindex oculus cernatur apparere. Sic illa tota dissoluta Prouerb. 7. *Veni, inebriemur vberibus, & fruamur cupitis* Prou 7.
amplexibus, donec illucescat dies; non est enim vir in domo sua, abijt via longissima. Siccine sunt mundiales iustitiæ, ad vindicum oculos apparent, si absint vindices, si oculi censores deficiant, prorsus disparent. Illa beata, & fidelis anima est, quæ nec in absentia sponsi, ab amore eius desistit, nec fit sui dissimilis. Petenti Elisæo duplicem Eliæ spiritum respondit nobilis Magister 4 Reg 2. *Si videris me, quando tol-* 4. Reg 2.
lar à te, erit tibi quod petisti. Ad communicationem magistri spiritus, aptiùs peteretur, quòd discipulus præsentem magistrum intueretur eiúsque lateri inseparabiliter adhæreret. Cur ergo Elias pro signo duplici virtutis ad Elisæum venientis, non petiit, quòd intueretur illum præsentem, sed abeuntem? Sanè Petrus, & Ioannes concessuri pedes claudo, Act. 3. dicunt illi: *Respice in nos. At ille intendebat in eos spe-* Actor 3.
rans se aliquid accepturum ab eis. Non aiunt; cùm abierimus hinc, respice in nos & sanitatem habebis, sed modo, cùm adsumus, cùm tibi astamus, respice in nos. Cur Elias è contrario locutus, non ait, respice in me præsentem, sed *si videris me, quando tollar à te, erit tibi quod petisti?* Equidem Elias agebat de virtute duplici discipulo præstanda, quæ esset super maiorum virtutes; huius autem præstantissimæ virtutis signum illud est, quòd discipulus etiam post abeuntem magistrum, in eadem maneat solicitudine & cura, nihil à magistri disciplina desciscens. Hinc cupienti Dei faciem sibi reuelari Moysi Exod 33 ait Dominus. *Ego ostendam tibi omne* Exod. 33.
bonum Et statim notans in quo illud omne Moysis bonum consistat. *Cùm transierit gloria mea, ponam te in foramine petræ, protegam dextera mea donec transeam; tollámque manum meam, & videbis posteriora mea.* Ecce tibi omne bonum Moysis vnde exhibetur, non ex eo quòd coram oculis sit diuinis, sed ex eo quòd transeuntem Dominum post tergum videat. Nunquam enim melius præstantissima discipuli virtus probatur, quam vbi sui similis manet, nec minimum inclinatur

etiam

etiam poſt tergum magiſtri abeontis.Per hoc meritò extol-l…tur tres pueri illi Hebræi,qui nullis minis,nec blanditiis adduci potuerunt, vt Babylonij tyranni imaginem auream colerent, eo præcipuè tempore, quo nullus vindex religionis viſebatur,imò totum veræ religionis negotium flammis videbatur ceſsiſſe. De his Theodor.ſerm.8.de Proud fatur: *Nec verbis excidium, nec diuini templi incendium, nec ſanctiſſimorum locorum vaſtitas, nec ſacra vaſa barbarorum manibus direpta, nec regum cædes, nec Sacerdotum mactatio, nec quicquam horum aliud perſuaſit, vel vt paululum delinquere vellent.* Hæc eſt à Deo vero in nos deſcendens præſtantiſſima virtus,quæ non ad ſolos oculos ſeruiat, ſed etiam poſt magiſtrorum, & vindicum tergum, imò in eorum abſentia, imò in ruina, nolit eſſe ſui diſsimulis.Quam in Chriſti diſcipulis mirabatur Ioſephus, vt habes ſuprà lib.5.cap.1.§.2.in initio.

Theod.

§. XI.

Tunc euidenter monſtrantur perfecta eſſe iudicij tribunalia, cum vel viliſſima recula non ſinuntur ſub maculis, & iniuria viuere.

QVis neget rem perfectiſſimi iudicij eſſe, quæ peragitur à Spiritu ſancto, dum excluſo prorſus potentiſſimo, violentiſſimóque tyranno diabolo, vel minimæ mundi reculæ non ſinuntur manere ſub maculoſa ſeruitute, ſed ab omni violentiæ ſorde expiatæ vero Domino tribuuntur? Mundi principatum vſurpauerat ſibi tenebrarum princeps, cuius vanitati omnes creaturæ ſeruiebant magno cum gemitu, cùm nec animal, nec lignum, nec lapis eſſet, ex quibus vel in ſacrificiis, vel in templis, vel in delubris non conſtaret materia idololatriæ. Aſt moriens Filius Dei, ex iuſtitiæ debito ſpoliauit mundi principatus, & creaturas liberans à tyrannide ſeruituris,illas vero Domino reſtituit. Hoc rectiſſimum iudicium fecit Dei filius; at Spiritus ſanctus quid fecit? Adueniens Spiritus ſanctus, & executioni mandans iudicium illud, Eccleſiæ ſuæ inſpirat, vt deiectis templis, ariſque dæmonum, ædificet magnifica templa, martyrum aras ſtruat, & illorum eleuet adorandas effigies; quo euidentiſſimè demonſtrauit mundo rectum iudicium Chriſti, quando nec lapis, nec lignum manſit ſub maculis idololatriæ, ſed ab his expiata omnia etiam minima ſplendent ſub vera religione Chriſti. Hoc ſpectant illa Ioann.quòd Spiritus ſanctus *arguet mundum de iudicio, quia princeps huius mundi iam iudicatus eſt.* In quo iudicatus eſt? In eo,quòd ad inferos præcipitatus è cœlo ruit? Non equidem de illo iudicio loquitur, quando illud iudicium non adeò euidenter demonſtrabatur mundo;ſed de iudicio,quo ſpoliatus erat mundiali principatu,quod & fuiſſe.& rectiſſimum fuiſſe. per id apertè monſtrabatur,quòd ex omnibus rebus mundi, nec lapilli, nec reculæ viliſſimæ eſſent, quæ ab eius expiatæ tyrannide non viderentur ſeruire Chriſto. Quam excogitationem his pulchris verbis concludit Theodor. lib.8. de Martyribus: *Deorum namque templa, vnà cum ſuis lucis ſic deſtructa iam ſunt, vt ne vlla quidem veſtigia ſupererent, nedum qua forma illorum ara conſtiterint ſcire homines poſſint. Eorum verò rerum materia, templis,ariſque Martyrum excitatis, expiata eſt. Suos enim mortuos, Dominus Deus noſter, in templa pro Dijs veſtris induxit. Ac illos quidem caſſos gloria,vanosque reddidit, ſuis autem Martyribus honorem illorum dedit.* Huc veniant mundiales vniuerſi, & ſtupeant euidentiſſimum iudicium Chriſti.Ex quo euidentiſſimum? Ex quò nec lapis, nec lignum ſit, quod ab idololatriæ ſordibus, & tyrannide expiatum non ſeruiat Martyribus Chriſti. Pro quo in præfatis verbis expendenda ſunt illa, nimirum: *Earum rerum materia, templis,ariſque Martyrum excitatis expiata eſt.* Et qualiter non pateat euidenter præſtantia iudicij, vbi nec reculæ viliſſimæ non vindicantur à tyrannide,& aſſeruntur in libertatem, & dignitatem priſtinam? Aiebat Ieſus apud Ioann.12. *Cùm exaltatus fuero, omnia traham ad me.* Non ait, omnes traham, ſed *omnia traham*, vt ex D.Gaudentio alibi notabant, quia inſinuantur vniuerſæ creaturæ, etiam inanimatæ, etiam viliſſimæ ab idololatriæ maculis trahendæ ad Chriſtianam munditiem. Ex quo euidenter colligit iudicium peractum in cruce D. Leo ſerm 8. de Paſſ.inquiens: *O admirabilis potentia crucis! O ineffabilis gloria paſſionis, in qua, & tribunal Domini, & iudicium mundi,& poteſtas eſt crucifixi. Traxiſti enim Domine omnia ad te, & cùm expandiſſes, tota die manus tuas ad populum non credentem, ſed contradicentem tibi, confitendæ maieſtatis tuæ ſenſum totus mundus accepit! Traxiſti Domine omnia ad te, cùm in exſecrationem Iudaici ſceleris, vnam*

Ioann.16.

Theod.

Ioan.12.

Leo.

protulerunt omnia elementa ſententiam. Expende, ex quo conuincat in cruce Dei tribunal fuiſſe, ibique celebratum mundi rectiſſimum iudicium, nimirum ex eo quòd ſic omnia mundialia reuocata ſint a peccatorum ſeruitio, vt vel lapides ipſi viliſſimi videantur abnuere ſcelerum ſeruitutem, & eſſe in Chriſti famulitio, dum moriente illo ſcinduntur. Sanè tunc patentiſſima claret rectitudo iuſtitiæ, quando etiam viles creaturæ non ſinuntur perpeti iniuriam.Deut.25. *Non ligabis os bouis terentis in area fruges tuas.* Miratur Paul.1.ad Cor.9.quòd Deus de bouis labore recordetur in lege ſua. Sed cur recordatur Deus bouis in lege? quia vbi lex dabatur, manifeſtum debebat eſſe iuſtitiæ tribunal, quæ tunc euidentiſſimè patet, quando viles reculæ vindicantur ab iniuria. Aiebat Caſſiod. lib.2. var.28. *Expectant etiam equi præmia ſua, & tanta iuſtitiæ vis eſt, vt nec illis tardius detur laboris pretium, quæ ſentire non poterant denegatum.* Proh iuſtiſſimi iudicis euidentiſſimum teſtimonium, ſub cuius iudicio etiam viles, & inſenſibiles creaturæ non permittuntur eſſe abſque ſui muneris ſatisfactione. Ibi equidem patet euidenter æquiſſimum eſſe iuſtitiæ tribunal, vbi vel minimorum, & contemptibilium cauſæ videntur promotæ.

Deut.25.

Caſſiod.

Text. Adhuc multa habeo vobis dicere: ſed non poteſtis portare modò. Cùm autem venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcumque audiet loquetur, & quæcumque ventura ſunt, annuntiabit vobis.

§. XII.

Vbi veritas, nihil non ſanctum, & diuinum.

VEnturi Spiritus ſanctitas, imò & diuinitas pulchrè exprimebatur,per hoc,quod eſſet Spiritus veritatis:quid enim non ſanctum, & diuinum in illo, a quo fax elucebat veritatis? Similiter aiebat Ioann. 1. de ipſo filio Dei: *Vidimus gloriam eius,gloriam quaſi vnigeniti à Patre,plenum gratia, & veritate.* Pſaltes 44. ſolùm dicebat, *diffuſa eſt gratia in labijs tuis*; Ioannes non ſolam æſtimat plenitudinem gratiæ, ſed inſuper addit plenitudinem veritatis, ne quis poſſit de Verbi dubitare diuinitate. Vnde D.Cyrill.ait: *Vidimus enim, inquit, gloriam Chriſti, adeò ſublimiorem creaturarum glorijs, vt mente quiſque comparans, nulli aliquam vnigenito Dei filio conuenire illam fateretur. Plenum enim erat veritate,& gratia.* Non poterat non euulgari diuinitas, vbi veritas ſic euulgabatur. Accinit D.Fulgent.lib.3. ad Thraſymundum Regem, cap.3. *Plenum gratia, & veritate Euangeliſta cognouit, quem vnum eundémque verum hominem gratia veræ incarnationis oſtenderet; & verum Deum vnigenitum à Patre natiuitatis æternæ veritas declararet.* Præclarè diuiſit ſanctiſſimus Doctor gratiæ, & veritatis in Ieſu officia, vt gratia hominem, ſed veritas Deum credi faceret, in quo veritas radiet, qui non habet diuinitatem? Pſalm.115. *Ego dixi in exceſſu meo: Omnis homo mendax.* In primis ſe extra hominem poſuit, ſupra hominem, dum ait, ſe dixiſſe in exceſſu, ne dictum hominis poſſet etiam accuſari falſitatis. Deinde illud profert: *Omnis homo mendax*, nullum excipit hominem;cùm tamen conſtet ſanctiſſimos eſſe viros in Chriſti Eccleſia, qui prorſus humanis renuntiarunt fallaciis, qui nullo ſe contaminarunt mendacio, qui toto corde veritatem ſunt amplexati. An hi etiam mendaces dici potuerunt. Abſit;ſed hi homines non ſunt, quin potiùs ex quo veritatem colunt, in Deorum recenſentur albo. Chryſoſt. ibi ait: *Omnis homo, qui hanc vitam amat, mendax eſt; qui verò in virtutibus illam tranſmittit, mendax non eſt; eo quòd qui talis eſt, non ſit homo, ſed Deus.* Humanæ naturæ terminos tranſcendit,qui reſpuens humanæ vitæ mendacia, ſolis gaudet veritatibus. Is dum peccatorum parenti renuntiat peccato, ea floret ſanctitate, qua in auguſtam, diuinámque ſortem tranſeat. Vnde Exod.28. monebat Dominus: *Pones autem in rationali iudicij doctrinam, & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino.* Non permittitur Aaron coram Domino ſtare ſine inſcriptione veritatis, quæ à pectore radiet. Et cur vt ingrediatur coram Domino Aaron, percipitur in pectore portare inſcriptam veritatē? Cur non magis illi peccatorum omniū mundities,vel omnimodæ ſanctitatis acquiſitio mãdatur,vt oculis diuinis pareat? Sanè pro omnis ſordis peccatorū abolitæ,& ſanctitatis acquiſitæ teſtimonio,vna ſufficie

Ioann.1.

Pſal.44.

Cyrill.

Fulgent.

Pſal.115.

Chryſoſt.

Exod.28.

V 2 veritas,

veritas, quæ hominem diuinioris, augustiorisque naturæ declarat. Ex quo dicebat Philo lib. de Iudice: Philo. *Peccatorum præcipua causa est assuetudo mendacij, quo ab incunabulis nutrices, matrésque, & alij tum seruorum, tum ingenuorum turba alumnum suum imbuunt, dictis factísque assuescentes eo animo quasi ingnatum naturaliter, cùm extirpari potius debuerit, per honesta studia, etiam si à natura fuisset inditum. Quid enim in vita est æquè pretiosum, ac veritas? Quam vates sacer ipsis locis sacratissimo, in parte vestis pontificiæ, vbi est principalis vis animi, vt sacerdotem, per hoc ornamentum, augustiorem faceret.* Et quidem nullum euidentius testimonium vitæ sceleris puræ prætenderet, quàm veritatem, cuius ornamentum sacerdotem sic augustum, & diuinum redderet, vt oculis possit apparere diuinitatis.

§. XIII.

Solius Dei spiritus est, inter loquendum lingua lapsum cauere.

ECce diuini Spiritus notionem, quòd omnem veritatem docens, non loquatur à semetipso, hoc est, non loquatur, nisi quod rerum ratio, & veritas, & iustitia postulat. Hæc est vna diuini Spiritus sancti lingua, quæ semper nouit æqui, bonique terminos obseruare; quæ diuini Spiritus lingua non est, vix loqui incipit, quin exorbitet, quin labatur. Matth. 10. Monebat Dominus discipulos suos Matth. 10. *Cùm autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Cur solus Spiritus Dei Patris permittitur tunc loqui? In fide prædicanda è pulpitis non vetabantur fideles cogitare quomodo loquerentur; nec in corripiendis mundi sceleribus, cùm ad populum concionem haberent. Imò nec pro tunc dicitur, quòd vnus Dei spiritus loquebatur in illis; cur ergo hoc solum cauetur, vbi fideles fuerint coram præsidibus, vel carnificibus traditi? Cur eo in tempore præcipuè loquela vetatur humana, & solus permittitur loqui Spiritus diuini Patris? Tunc tempus erat prælij, in quo magis metui solent lapsus propter hostium violentiam, quia lapsus minimè cauerentur, nisi interdiceretur opus linguæ humanæ, & vnius diuini Spiritus permitteretur halitus. Rem explico memorabili facinore Zenonis Theod. Eleates Philophi ethnici, de quo Theodor. lib. 8. de Martyribus fatur: *Ille, inquam, Zeno, cùm cogeretur proferre coniurationis secreta, constantissimè tormentis omnibus restitit, nihil effatus, vtque ait Eratosthenes, timens, ne victus excessu tormentorum proderet aliquid ex compositis rebus, consciósque coniurationis nominatim efferret, linguam dentibus abscissam in tyranni faciem conspuit.* Cùm adeò atrociter prælian dum erat, & cum violentissimis hostibus confligendum, inuicti animi vir non potuit non timere suius linguæ infirmitati, quam funditus perdidit, non aliter securum sese reputans ab eius lapsibus. Quid plura optimus dux militiæ Christianæ Iesus in conflictu durissimorum certaminum infirmiorem partem linguam recognoscens humanam hanc munit, illam cohibens, & pro illa inserit diuini Spiritus linguam, quæ sola extra libera est à lapsu. Solùm cauetur lapsus, vbi non loquitur lingua humana; qui minimè cauetur, si loquatur. Iob 2. De Iobi amicis dicitur Iob 2. *Et sederunt cum eo in terra septem diebus, & septem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum.* Non placet D. Gregorio silentium istud in amicis Iobi; sed scire cupis, cur non placeat istud silentium? An quia diuturnum? Imò ideo non placet, quia non perpetuum est, sed post septem dies, & totidem noctes finitur, dum loqui incipiunt. Dum enim lingua humana non silet prorsus, sed loqui incipit, minimè fieri potest, quòd lapsus vitet. Gregor. Aiebat D. Gregor. lib. 3. Moral. cap. 10. *Tenuerunt linguam ne properè inciperet, sed incipientem semel nequaquam moderati sunt, ne se ex consolatione vsque ad contumelias effrænaret. Et bona quidem intentione ad consolandum venerant, sed hoc, quod pia mens Deo mundum obtulit, locutio præcipitata vitiauit.* Vtinam non septem diebus siluissent, sed semper; potuerunt enim septem diebus linguam sub silentio cohibere, at in sermone, neque ad horam illam cohibent, ne exorbitet ab intento, vt quæ in consolationem incepit, prosequatur in contumeliam. Multa de hoc dedimus suprà lib. 12. cap. 3. §. 10. & lib. 10. cap. 11. §. 6. prope finem.

Text. Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt, &c.

§. XIV.

Iesus clarus, & conspicuus apparuit, vbi per Spiritum sanctum fides firmata est, & cordium munditie.

ECce tibi clarificari, hoc est, abiectis nubilis clarere incepit Iesus in hominum cordibus, apud quos antea abiectus reputabatur, & obscurus. Vbi Spiritus sancti igneæ linguæ & intonare, & inflammare cœperunt orbem, statim homines eam fidem, & munditiem cordium receperunt, quæ nihil in Iesu non lucidum, & omni splendore clariùs adorant. Moysi pascenti gregem, Exod 3. *Apparuit Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Exod. 3. Verùm populus Exod. 20. accepturus legem, *Videbat voces, & lampades, & sonitum buccinæ, montémque fumantem.* Exod. 20. Ille clarissimam flammã de rubo ascendere videbat: hic de lampadibus flammas videt, sed mixtas fumo montis. Ibi rubus clarissimis vestitus flammis parebat, hic mõs nigris fumi nebulis obscuratur. Cur Moysi clarescat rubus, & populo fumo obtegitur mons? Non populus, sed Moyses perfecta pollebat fide, cuius oculis fide firmatis, & mundatis vel ipsa rubi humilitas clarissimos reddit splẽdores. Rupert. in Cant. Lypp. ait: *Populus non lampades tantùm micantes, sed & montem fumantem videbat, quia videlicet non erat in omnibus integritas fidei, vel perfectio timoris Domini, qua Moyses perfectus fuit, & ideirco flammam in rubo sine fumo vidit.* Rupert. Ablatis fumi nebulis rubus radiante clarescebat Moysi splendore; Moysi, inquam, cui perfecta erat fides, & mundities cordis. Sic similiter vbi Spiritus sanctus intonuit, fidémque perfectam, & munditiem hominum cordibus ingessit, simul effecit, quòd Iesus sub ingenti claritate, eorum innotesceret oculis. Nil obscurum potest apparere cum Iesu, ex quo Spiritus sanctus fidei munditie humana corda vestiuit. Factus fuerat Iesus sicut Sol in Thabor colloquens cum Moyse, & Elia, Matth. 17. id quod mirantes spectabant Matth. 17. tres Apostoli: *Et ecce nubes lucida obumbrauit eos;* nubes immittitur, quæ Iesum obumbret: sed non otiosè notatur lucida fuisse nubes, si ad obumbrandum mittebatur nubes, cur lucida apparebat, & non magis obscura? Credo Chrysostomo, Origeni, & alij Patribus in nube illa agnoscentibus Spiritus sancti munus circa fideles. Vbi autem Spiritus sancti munus explicabatur, nihil non clarum, & lucidum iuxta Iesum poterat permanere. Aiebat D. Damasc. orat. de transfigur. Damasc. *Nubes autem obumbrans spiritus, nimirum, fulgorem depingens. Omnia autem lucida, neque eximio quodam, at singulari splendore prædita sunt ij, qui lucis capaces sunt: quorumque animus conscientiæ spurcitiá haudquaquam inquinatus est.* Lumen, & claritatem vel à nube Christo vicina effulsere faciebat Spiritus sanctus; quando enim de Spiritus sancti munere venit hominibus cordis mundities, perfectio fidei, nihil obscurum, ac vile manet in Iesu, sed omnia lucida apparent, singularique claritate, & splendore vestita. Hinc Actor. 7. Act. 7. de D. Stephano dicitur: *Cum esset plenus Spiritu sancto intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei.* Expende, quid fecerit Spiritus sanctus in Stephano, nil prius effecit, quàm quod resignatis cœlorum tegumentis exsufflatis nubibus, & cœlestia omnia, & Iesus ipse sub ingentis suæ diuinitatis claritate illi pareret. Ad hæc D. Petrus Damian. serm. de S. Stephano, ait: Damian. *Plenus est Spiritu, & sic intendit in cœlum: quia qui Spiritu diuinitatis afflantur, conculcatis terrestribus, cœlestibus inhiant, & æternis. Post hæc aperiuntur cœli, nullaque præualet obstinatio, vel clausura, quam non transuolet, aut irrumpat mens illa summæ mentis affectanter inhærens. Aperiuntur ergo cœli, & puto quòd omnes cœli, eorumque apertionem sequitur visio gloriæ Dei, & videtur Dominus Iesus stans à dextris virtutis Dei, ne patre minor esse putetur.* Huc spectat totum diuini Spiritus negotium, vt tollantur tegmina, & clarescat Iesu gloria in oculis fidelium.

§. XV.

Vbi vnitas, & concordia est, ibi claritas, & lux nequit non esse.

EXpende vnde Dominus suam in mundo claritatem præsignet à Spiritu sancto venturam, nimirum: quia, inquit, de meo accipiet, & nuntiabit vobis. Quid est, *de meo accipiet?*

accipiet? Meam ipse naturam, meam sapientiam habet, in nullo à me differt, sed perfecta sumus vnitate conformes. Et quidem, vbi tanta est vnitas, & concordia, non potest ibi & lux, & claritas non implere oculos omnium. Petrus aliquando vidit inter Moysem, & Eliam, Iesum gloriosum Matt.17. & statim cupit tria illis tabernacula fabricare, quibus singuli seiunctim habitare possent. *Faciamus*, inquit, *tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, Eliæ vnum.* Sed dum hæc tria tabernacula ipse mente voluit, meliore consilio vnicum tabernaculum omnibus ex quadam nube fecit Dominus; quippe ait: *adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos.* Desideranti tria tabernacula, quibus tegerentur singuli, datur vnicum tabernaculum nubis, sub qua tegantur omnes. Verùm notandum, quòd hæc nubes pro vnico tabernaculo data dicatur lucida tota; cur lucida ad obumbrandū mittitur nubes? Nam dabatur nubes illa, vt trium tabernaculorum, quibus diuiderentur, tolleret; imò abraderet memoriam; vbi autem ablata diuisione vnitas floret, non possunt ibi non scaturire lucis, & claritatis fontes. Id ponderans D. Chrysost. hom.10. in Marc. ait: *O Petre, quid vis tria facere tabernacula, respice vnum tabernaculum Spiritus sancti, qui nos pariter protegit. Si fecisses tabernacula, vtique fecisses humana, quæ lucem excluderent, & vmbram includerent. Nubes autem ipsa lucida, & obumbrans, hoc est, vnum tabernaculum non excludit Solem iustitiæ, sed includit.* Expende quòd tria illa tabernacula, quæ diuisionem facerent, excluderent lucem, & tenebras includerent; vnicum nubis tabernaculum non diuidens, sed pariter omnes iungens claudit in se lucis fontem, claudit iustitiæ solem, omniáque in luce, & claritate ponit. Quandiu in vnione, & concordia viuis, tandiu omnia tibi lucida sunt, & clarissima. Inter prima Dei opera diuisionem audis, sed diuisionem, quæ cum tenebris sit coniuncta, ait enim Gen.1. *Diuisitque lucem à tenebris*, nec semel potuit nominari diuisio, quin inibi tenebræ inuenirentur. Sed age perscrutare, quæ fuerit illa lux à tenebris diuisa? Non pauci Patres putant illis verbis non solùm significari materialem hanc lucem visibilem, à tenebris etiam materialibus distinctam, sed etiam ibi explicari totum negotium lucidissimæ naturæ Angelicæ dum fuit in via. Creata fuit à Deo lucida Angelorum natura, quæ dum vnanimitatem, & concordiam seruauit, tota lux fuit, & splendor; verùm vbi introducitur diuisio, & rebelles aliqui concordiam rumpunt, ecce tibi duo hinc inde exercitus Angelorum, in altero vnitatis, & concordiæ erigitur vexillum, in altero discordia, & diuisio eligitur. Hic statim tenebrarum subit caligines, ille lucem habitans, nihil in se ostendit nisi clarissimum, euidentissimum. Aiebat D. August. in Cat. Lyppom. finiens: *Inter illam ergo lucem, quæ sancta societas Angelorum est, illustratione veritatis intelligibiliter fulgens, & ei contrarias tenebras, id est, malorum Angelorum teterrimas mentes Dominus diuisit.* Itaque Augustino lux idem est, ac societas Angelorum; societatis autem turbatores, & scissores teterrimæ tenebræ sunt. Heu quantum errat, qui diuisiones, discordiásque amans illuminari cupit! Fallar, nisi hic mille errorum tenebris cæcutiat. Tunc omnia in luce clarescunt, cùm vnio, & concordia viget. Genes.1. *Dixit Deus, congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum vnum.* Hanc inspirauit Deus aquarū congregationem & vnionem die tertio, & statim accedens ad opera quarti diei, dicit: *Fiant luminaria in firmamento cæli*, &c. Non ante fiunt luminaria in cœlo, non antea creatur Sol, quàm congregatio aquarum præcessisset; & cur creatio luminarium supponit congregationem aquarū factam antecedenti die, nisi quia concordia, & vnio semper est anteambulo lucis? Hinc D. Anast. Sinaita lib.3. Hexaëm. ait: *Congregetur aqua, quæ sub cælo est, hoc est, vniuersa multitudo gentium, quæ sunt sub cælo, congregentur in congregationem vnam. Congregetur genus humanum, nempe aqua, cui prius insidebant tenebræ, veniat, & congregetur in lucem.* Quasi nequeat fieri, quòd vbi vnitas, & concordia præcessit, non sequatur claritas lucis, sub qua omnia luceant. Huc etiam possunt referri quæ dedimus supra cap.20. §.8.

Chrysost. | Genes.1. | August. | Genes.1. | Anastas.

CAPVT XXII.

De luctus, gaudiiue mundialis breuitate.

QVID in mundo longum? Sanè siue læta, siue tristia adsint, huiusmodi sunt vniuersa mundialia, quæ intra modicum tempus finiantur. Gaudeat mundus licet, lugeat sanctus, illius breuissima erunt gaudia: & huius luctus citò lætitiam pariet immortalem. Hanc in sui discessus luctu suggerit Dominus discipulis consolationem, quam parientis fœminæ pulchro illustrat exemplo: vt enim nato filio, vel dolorum partus memoria penitus abraditur; sic apparente æternitatis gaudio statim disparent pressuræ mundiales.

Ioann.16. Modicum, & iam non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me: quia vado ad Patrem. Dixerunt ergo ex discipulis eius adinuicem: Quid est hoc, quod dicit nobis: Modicum, & non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me, & quia vado ad Patrem?

§. I.

Dum vita cœlestis non perditur, parua sunt, & modica, quæuis alia detrimenta.

TOrmentorum in morte exantlatorum ingentia sæcula memorans Dominus, non sæculum, sed perbreue, & modicum tempus nominat. Ait enim; *Modicum, & iam non videbitis me*, scilicet, dum vita spolior, dum mortis sub vmbris abscondor, ne me videat homo. Et hoc modicum? Et sanguineus sudor, & fœtidarum saliuarum nubes, & opprobriorum iacula, & verbera, & spinæ, & irrisiones, & crux, & claui, & lancea, & sepulchrum te expectant, & hoc modicum? Et flumina illa eloquentiæ, quibus populos trahebas, suspendes; & miracula manuū tuarum dissimulabis, & dilectissimam matrem immenso dolori permittes, & coactum discipulorum gregem dabis dispergendum; & cœlestem faciei pulcritudinem sub sputis obnubilatam ostendes; & sanguinem totum fundes, & vitam perdes, & hoc modicum est? Dum suorum membrorum vita cœlestis conseruetur, modica, & parua sunt Domino quæuis alia detrimenta. Ad dilectam animam dicit ipse Cantic.5. *Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Ecce tibi alaparum, & sputorum segetes, spinarum fasces, verberum, crucisque penè immensa pondera, quæ reputentur à Domino, reputantur enim quasi minutissimæ roris guttulæ, quibus capilli conspersi apparere solent. Non sic Psalm.68. quin imò ibi ait: *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Qualiter ergo immensum dolorum pelagus conuerti potuit in guttulam roris? Cur, quod senserat mare, nunc guttulam vocat? Nunc est apud ianuam dilectæ animæ, quam videt inter hæc cœlesti vita vigere, & cùm in homine seruatur vita cœlestis, vniuersæ aliæ iacturæ sunt parui momenti. Ad hæc aiebat Nazianzen. orat.18. omnes temporales iacturas paruipendens: *Verùm è ciuitate eiicient? At non etiam ex ea, quæ in cœlo sita est. Hoc si efficere potuerint hi, qui nos inuisos habent, verè bellum inferent. Quandiu autem minimè potuerint, guttulis aquæ me petunt, aut ventis feruoxt, aut insomnijs ludunt.* Expende illud, guttulis aquæ me petunt, & nosce quàm instar roris guttularum sunt vniuersa mundi detrimenta, dummodo cœlesti animæ vita non priuetur. Populo suo carnificibus tradito, ait Dominus Isai.54. *Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui.* Septuag. reddidere hanc vltimam clausulam: *Tempore modico dereliqui te, & cum misericordia magna miserebor tui. In furore paruo auerti faciem meam à te, & in misericordia sempiterna miserebor tui.* Qualis iste furor paruus erat? Sanè Rupert. lib.9. de Victoria Verbi Dei, per cap.20.21.22. & 23. probat totam illam calamitatem Iudæis immissam ab Antiocho, quando sancti pueri Machabæi inauditis tormentorum generibus excarnificati sunt, ad iram, & calamitatem paruam pertinere. Et cur non sit parua calamitas, paruáque, & leuidensia detrimenta, quæ comitatur misericordia Dei sempiterna, animam custodiens in æternum? Planè illud solum ingens malum est, quod nobis eripit vitam cœlestem; si verò hæc consistat parua, omnia cætera sunt mala, & leuidensia. Ex quo lucem capit Danielis locus, qui agens cap.8. de Antiochi præfata persecutione fatur: *Egressum est cornu vnum modicum, & factum est grande contra meridiem, & contra fortitudinem. Et magnificatum est vsque ad fortitudinem cœli, & deiecit de fortitudine, & de stellis, & conculcauit eas.* Ecce tibi cornu modicum, & cornu magnum dicitur

Cant.5. | Psal.68. | Nazianz. | Isai.54. | LXX. | Daniel. 8.

tur idem tyrannus, nimirum homo inferens parua damna, & inferens magna. Sed qualiter homunculus aduersùs fortitudinem cœli magnificari potuit? Nónne ipse victus à pueris est? Euidentissimè monstratur magnitudo huius calamitatis verbis illis, *& deiecit de fortitudine, & de stellis, & conculcauit eas*; non solùm eripiebat multis vitam temporalem, sed & vitam cœlestem eripiebat aliis, eos miserè trahens in idololatriam. Dum septem pueros fratres bonis spoliat, dum eos lacerat, dum ardenti frigit sartagine, modicum cornu est, parua inferens mala, quando mediis his tormentis innumerabiles permanent eorum animi. Verùm magnum fit, dum alios pios homines, qui quasi stellæ in cœlo viuebant, à cœlesti vita deturbat, & trahit in pec-
Theod. catorum barathra. Aiebat Theodor. *Magnus factus est vsque ad virtutem cœli, & deiecit in terram de virtute, & de stellis, & conculcauit eas. Plurimi enim ex populo violata lege ex ordine cœlestium exciderunt.* Illud equidem solum magnum est malum, quo tibi eripitur vita cœlestis, cætera autem mala minima censentur. Quis mala Beatissimi Iob numeret? Omnibus spoliatur bonis, multo vestitur vulnere, vermibus
Iob 2. rodentibus impletur; ipse autem inter hæc cap. 2. *Testa saniem radebat sedens in sterquilinio.* non molli aliquo linteolo, seu molli aliqua herba, sed dura, & dentata testa saniem radebat & vulnera, & dolores faciens excrescere. Cur dolores augebat? An paruos reputabat à dæmone acceptos?
Origen. Ait Origenes homil. 2. ex Iobi voce: *Non sunt dolores isti fortiores animæ meæ firmitate. Merito exaggero, atque commanuca ipsos dolores, vt per cuncta ascondam nequissimo diabolo, quia eius malitiam irrideo, quia iniquitatem eius contemno, quia omnes eius plagas ad nihilum reputo. Ob hoc ergo accepit testam, vt raderet saniem suam.* Vbi animæ vita non tangitur, non commouetur, prudentes viri cætera mala parui æstimant. Quam sapientiam qui non callent, stultos, & simplicis mentis putant esse illos, qui contenti spe vitæ cœlestis, despiciunt mala præsentia. Hinc Iobi vxor videns maritum suum parui ducere temporalia omnia mala propter spem immortalitatis, ait illi: *Adhuc tu permanes in simplicitate tua? Benedic Deo, & morere.* Sic stultum, & simplicem ridet esse maritum, quòd temporalia diuinis postponat. Ad hæc D.
Gregor. Greg. lib. 3. Moral. c. 11. fatur: *Simplicitatem in marito redarguit, quòd transitoria cuncta despiciens, puro corde sola æterna concupiscit.* Sic à mundanis stultitiæ vertitur, quòd transitoria propter æterna contemnantur. At qui sapiens est, nihili æstimat iacturas omnes temporales, dum in æternis fixam spem ha-
Prou. 3. beat. Prou. 3. dicit: *Longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra illius diuitiæ, & gloria.* vbi dextera supponit pro vita æterna, sinistra autem pro bonis temporalibus. Id quod
Bernard. meditatus D. Bernard. serm. 7 in Psal. *Qui habitat.* sic inquit. *Vtinam mihi semper à dextera sis, Iesu bone, vtinam semper teneas manum dexteram meam. Scio enim, & certus sum, quoniam nulla nocebit aduersitas, si nulla dominetur iniquitas. Tundatur interim, & tundatur sinistrum latus, pulsetur iniuriis, vellicetur opprobriis, libens illud expono, dum à te custodiar, dummodo sis ipse protectio mea, super manum dexteram meam.* Parum est, quòd tundatur sinistra, nimirum, quòd perdatur temporale, dum æternum, quod à dextris venit, custodiatur mihi.

§. II.

Qui salutis suæ negotium peragit, maius opus facit, quàm si mortuos suscitaret, si cœlos crearet.

NOn solùm absentiam suam per mortem, modicam vocat Dominus, sed etiam opus resurrectionis suæ pro modico habet, quippe ait, *& modicum videbitis me.* Ad quæ
Salmer. verba fatur noster Salmeron tract. 69. *Modicum etiam vocat resurrectionem, quia dimisit se veniens cum plagis, edens cum Apostolis*, &c. Sed quomodo tantum opus resurrectionis potuit modicum vocari? An in hac valle miseriarum potuit exerceri opus illo maius? Equidem Dominus, operam, quam iusti salutis obtinendæ impendunt, maiorem æstimat resurrectione mortuorum, imò cœlorum creatione. Cœlos iàm crearat Verbum diuinum, & mortuos in vitam aliquos vo-
Ioann. 13. carat: & nihilominus ait Ioan. 13. *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, ipse faciet, & maiora horum faciet.* Quomodo fidelis homo potest facere opera maiora operibus Saluatoris? Quomodo potest facere opus, quod excedat resurrectionem mortuorum, quod excedat cœlorum creationem? Eo ipso, quod fidelis salutem animæ suæ ex Christi gratia operetur, adeò magnum opus operatur, quod in comparatione illius & resurrectio, & creatio videantur opera parua.

Do D. August. tract. 72. in Ioann. fatentem: *Et maiora horum faciet; quorum obsecro? Numquid non omnium operum Christi maiora facit, qui cum timore, & tremore suam ipsius salutem operatur? Quod vtique cum illo, sed non sine illo Christus operatur. Prorsus maius hoc esse dixerim, quàm est cœlum & terra, & quæcunque cernuntur in cœlo, & in terra.* Ille qui cum timore, & tremore iuuante Christo suam salutem operatur, maximum opus facit; opus, inquam, facit, respectu cuius etiam resurrectio, etiam cœlorum creatio parua, & modica opera reputantur. Quidquid enim ad iustificationem, & æternam salutem peccatoris spectat, hoc omnium operum Dei maximum est. Hinc dicebat ille Psalm. 50. *Miserere mei Deus, secundùm magnam misericordiam tuam.* Magnam petit misericordiam, quia non petit auxilium ad patranda miracula: de quo auxilio solùm dicebat alius Marc. 9. *Si quid potes, adiuua nos, misertus nostri*; non ait, si magnum aliquod potes, quando solum petebat opus temporalis alicuius miraculi; magnum autem opus absolutè, solùm versatur circa æternam vitam causandam. Isaac filio suo Iacob, sic benedixerat, aiens, Genes. 27. *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini, & seruiant tibi populi, & adorent te tribus*, &c. Hanc tantam putauit benedictionem bonus Pater, vt vltra hanc nihil magnum putet manere, quod filio Esau posset dari! Sed Esau benedicens aiebat: *In pinguedine terræ, & in rore cœli desuper erit benedictio tua.* Vnde ergo tantus excessus erat in illa prima benedictione, respectu cuius cætera omnia aut parua, aut nulla videbantur? In illa prima benedictione claudebantur opera iustorum hominum, quibus salutem suam æternam operaturi erant, semini Iacob, nempe Christo seruientes, illumque adorantes, vt innuunt illa verba: *seruiant tibi populi, & adorent te tribus.* Vbi autem salutis æternæ opus est, nullum vltrà relinquitur magnum, quinimo cætera omnia Dei munera respectu illius paruula reputantur. Ex his aiebat Rupert. lib. 9. de Victor. Verbi Dei, cap. 25. *Vtramque autem, videlicet paruam, & magnam misericordiam Iacob in benedictione acceperat, quatenus eidem, de rore cœli, & de pinguedine terræ daret abundantiam frumenti, vini, & olei, quæ parua misericordia est. Et semini eius, id est, Christo seruirent populi, & adorarent eum tribus, quæ magna misericordia est.* Magnitudo, & præstantia operis non ex eo est quòd à Deo trahas pluuiam mannæ, nec ingentia aliqua miracula circa corporalia, & transeuntia patres: tunc magnum, & præstantissimum opus efficies, cùm Christo seruiens salutem animæ tuæ operaberis. Ait D. Bernard. serm. 1. in D. Petrum; *putas parua res est, sobriè viuere? Magnum aliquid, imò maximum est. Non viuit, quia superbia inflatur, qui luxuria sordidatur*, &c. Vnde à morte vitiorum reuocari in vitam maximum opus est potestatis diuinæ. Huc reuoca, quæcumque diximus suprà lib. 9. cap. 1. §. 9. plura ibi, & pulcra inuenies tractata, & infrà lib. 15. cap. 9. §. 2.
August.
Psal. 50.
Genes. 27.
Rupert.

§. III.

Nihil in Iesu non magnum cogitandum.

SCiebant discipuli, vt ait Eusebius Emiss. quòd ad Patrem Dominus iret, sæpe enim id audierant à Domino; Eusch.
id solummodo non intelligunt, quid significet illud *modicum. Quid est hoc*, aiunt, *quod dicit nobis: Modicum? Nescimus quid loquitur.* Et cur discipuli caperent in Iesu aliquod modicum? Meritò non percipiunt modicum, quia magnum est, quidquid in Iesu, & de Iesu augurantur, nec vnquam Iesus non protendit aliquid magnum. Ad Mariam ait Angelus Luc. 1. *Ecce concipies, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur.* Quid necessum fuit tam citò addere: Hic erit magnus? Cur non potiùs diceret filius Altissimi, sed maluit statim dici magnus? Ne dum puerulum in vtero virgo sentit, aliquod non magnum possit de Iesu concepto cogitare. Exod. 16. de cœlesti Exod. 16.
pane loquutus Dominus ait: *Apparuit in solitudine minutum, & quasi pilo tusum*, &c. *Quod cùm vidissent filii Israel, dixerunt adinuicem, Manhu, quod significat, quid est hoc?* Non capiunt minutum à cœlo delapsum, imò paulò pòst minutum contemnunt, dicentes: *Nauseat anima nostra super cibo isto leuissimo.* Vbi cœlestis panis instar minuti, & paruoli cuiusquam apparet, non capitur, non percipitur ab hominibus, imò parum aberit, quòd contemnatur. Ideo dum in deserta virginea terra necessum fuit apparere cœlestem panem instar minuti, hoc est, instar paruuli, meritò cauet Angelus statim de illo: *Hic erit magnus*, ne quid in illo minu-

tum

Bernard. rum cogitetur, ſed totus ſentiatur magnus. Ex quo ait D. Bernard. hom.3. in Miſſus eſt. *Et tu quidem ô virgo paruulum paries, paruulum nutries, paruulum lactabis, ſed videns paruum, cogita magnum. Erit enim magnus, quia magnificabit eum Deus in conſpectu regum, adeò vt adorent eum omnes reges, omnes gentes ſeruiant ei. Magnificet ergo anima tua Dominum, quia hic erit magnus, & filius Altiſſimi vocabitur. Magnus erit, & magna faciet tibi, qui potens eſt.* Non te moueat ô Virgo minutum hoc, quòd tuis viſceribus clauditur, minutum ſentis, ſed cogita magnum; quacumque parte videris illum paruulum, tibi parebit, & magnus vtpote Altiſſimi filius, & Luc. 21. magnalium patrator. Huc ſpectabant illa verba Luc. cap.21. quibus dicitur: *Pontifex, id eſt, Sacerdos maximus inter fratres ſuos.* Quaſi inter omnes homines vnus Pontifex ſperaretur, qui ſolus eſſet magnus. Et quis iſte Pontifex magnus inter Origen. omnes homines niſi Ieſus? Rem pulchrè tractat Origen. hom.12. in Leu. fatus. *De Iſaac dicitur, quia proficiebat valde, vſquequo factus eſt magnus. Moyſes magnus dictus eſt, & Ioannes Baptiſta magnus dictus eſt; nunc autem Ieſus magnus dictus eſt, & poſt hunc iam nullus appellatus eſt magnus. Prius enim quàm adeſſet, qui verè magnus, ad comparationem reliquorum hominum magni appellati ſunt ſancti. Vbi verò aduenit ipſe, qui non ex comparatione caeterorum, ſed ſui magnitudine verè magnus eſt, vltra iam nullus magnus appellatus eſt. Hic ergo eſt de quo ſcribitur: Magnus Sacerdos ex fratribus ſuis.* Ieſus ſolus eſt, in quo vera inuenitur magnitudo, de quo omnia magna debent cogitare, à quo nihil non magnum, & ſublime Exod. 19. percipitur. Vbi lex populo dabatur, Exod.19. dicitur, *& ſonitus buccinae paulatim creſcebat in maius, & prolixius tendebatur.* Tenuis erat initio buccinæ ſonitus, qui paulatim procedens, denique vocem emittebat magnam. Sed cur à principio non magna voce ſonabat? In initio lex figurabatur, in fine Chriſtus, à quo non potuit magnum quid Cyrill. Alex. non intonare. D. Cyrillus Alexandrinus de adorat. lib.7. ait: *Senſim autem prodigentes augebantur tubæ voces. nam ab initio cum tenuem vix vocem emitteret lex: vbi ad nos proceſſit verbum, & ille Emanuel ad tradendam Euangelicam diſciplinam effulſit, valentiores factæ ſunt voces; clarum enim quiddam, & acutum inſonuit Chriſtus, & quod totum iam orbem terrarum penetrauit.* Nil exile, nihil tenue, & modicum à Ieſu, ſed vbi ad illum res deductæ ſunt, omnia illius magna, & ſublimia apparent, omnia noſtra creſcunt in maius. Dicebat Cant. 2. Cant. 2. *Similis eſto dilecte mi capreæ, hinnulóque ceruorum ſuper montes Bethel.* Dilectum ſuum Ieſum inſtar minuti, & paruuli hinnuli amat videre, ſed dum minutum, dum hinnulum videt, ſimul & magnum, & excelſum meditatur, dum vocat hinnulum ſuper montes Bethel. Cur non magis hinnulum domi cupit cubantem. Cur hinnulum non cupit in camporum planis, ſed illum in montium excelſis miratur, niſi quia nec in hinnulo, nec in paruulo Ieſu audet aliquid videre non magnum, & ſuperans omnes magnitu-Bernard. dines creaturarum? D. Bernard. ſerm.73. in Cant. *Hinnulus eſt, paruulus eſt, attamen ſuper montes Bethel, attamen excelſior cælis factus. Ex quibus patet, quòd non modò in eo, quod ab æterna eſt, ſed etiam in eo, quod in tempore factus eſt, omnem ſibi eminentiam vindicet ſupra omnem principatum, & poteſtatem, ſupra omnem denique creaturam, vtpote primogenitus omnis creaturæ.* Sic ſuper omnes eminentias, & magnitudines apparet ſemper Ieſus meus exaltatus, & ſuperexaltatus.

Text. Cognouit autem Ieſus, quia volebant eum interrogare; & dixit eis: De hoc quæritis inter vos, quia dixi: Modicum, & non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me. Amen, amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.

§. IV.

Iuſtorum lachrymæ acceptæ ſunt Ieſu morienti, quibus eius mors honoretur.

INſtantē mortis ſuæ diem deſcribit Dominus, & oſtendit, dicens diſcipulis ſuis *Plorabitis, & flebitis vos*; quaſi dicat, iam vobis præſtò erunt lachrymæ, & fletus, quia iam morti tradar ego. Sed cur diſcipulorum lachrymas in morte Ieſu effundendas ſic Ieſus approbat, nec illas prohibet? Cùm tam ducebatur ad mortem, ſequebatur popularis multitudo, ſequebantur & eum multæ mulieres flentes, & lamen-Luc. 23. tantes eius vicem. Quibus ſtatim ait Ieſus Luc.23. *Filiæ Ieruſalem nolite flere ſuper me*, &c. Nunc ſciens diſcipulos ploraturos, nihil illos monet de fletu prohibendo quin potiùs illos permittit flere, imò à mundanis, & ſceleratis diſtingui, ex eo, quòd tunc flebunt. Cur ergo qui ſub cruce pergens lachrymas pro ſe prohibuit, nunc ante crucem non prohibet? Prohibuit Dominus lachrymas mulierum, populariter flentium; quæ ſanè lachrymæ tanto Domino indecentes erant, at lachrymæ iuſtorum virorum ſcientium pro quo flerent, hæ minimè prohibentur, quinimo à Domi-Zach. 12. no accipiantur, & honori habentur. Apud Zachar. cap.12. ait Dominus: *Et aſpicient ad eum, quem confixerunt, & planctu plangent eum, quaſi ſuper vnigenitum, & dolebunt ſuper eum, vt doleri ſolet in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus Adadremmon in campo Mageddo, & plangent terra familiæ, & familiæ ſeorſum. Familia domus Dauid ſeorſum, familia domus Nathan ſeorſum & mulieres eorum ſeorſum; familia domus Leui ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum: familia Semei ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum. Et omnes familiæ reliquæ, familia & familia ſeorſum.* Sto à ſententia eorum qui hunc planctum putant eſſe planctum, qui in Chriſti Eccleſia ab ipſo die crucis vſque hodie fit, ex noſtri regis, principiſque noſtri Ieſu compaſſione. Sed illud maximè notandum eſt, quòd innumeræ ſint familiæ, imò & populi, qui ex tunc mortem regis noſtri defleant; ſolæ quatuor familiæ ſigillatim nominantur, nempè Dauid, Nathan, Leui, Semei, & cæteræ innominatæ, & confuſæ relinquuntur, imò deſpiciuntur. Sed cur quatuor has memorans reliquas præterit? An qui capillos pro ſe cadentes numerat, lachrymas pro ſe fuſas deſpicit? Abſit, imò lachrymas magis acceptat, & honori ducit, ſed lacrymas quæ non populariter cadant; ſed à ſtrenuis ſelectiſque, & iuſtis viris profuſæ veniant. Ideo populariter cadentes lachrymas multitudinis confuſas prætermittens, illas nominatim ponderat, & accipiat Dominus, & ſibi glorioſas, & honorabiles reputat, quæ pro illo Dauid, Nathan, Leui, Semei ſuderunt. Ad hæc aiebat Rupert. Rupert. *Fuerit quidem planctus ille grandis, & ſapienter diſpenſus, vt familiæ domus Dauid, familia regalis, & familiæ domus Nathan, qui Propheta fuit, & familiæ domus Leui, ex quo eorum fuit ſacerdotium, & familia domus Semei, ex quo doctorum agmina pullularunt, & reliquæ familiæ, quas quia non habebant aliquod priuilegium dignitatis, vniuerſas abſque nomine comprehendit.* Et meritò innumeratæ & innominatæ lachrymæ relinquuntur illorum, qui nec regio florent ſpiritu, vt ſe ipſos regant, nec inſtar Prophetarum, de futuris habent ſolicitudinem; nec hoſtiam Deo mactant, vt regales Sacerdotes, nec ſapientiam colunt. Horum, inquam, lachrymæ, prætermittuntur, ſeu illæ lachrymæ maximè Deo placent, illique ſunt maximo honore, quas pro illo paſſo regaliſſimi homines, gens ſancta, regale ſacerdotium, omníque iuſtitia, & ſapientia inſignes profundunt. Hos vt haberet ploratores tribus horis expectauit Dominus in cruce, quaſi enim rationem redderet, cur non citiùs ſpiritum emiſiſſet? Cur tandiu expectaſſet in cruce tot tormentis confoſſus? Ait Pſalm.68. *Suſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit: & qui conſolaretur, & non inueni.* Non fuit equidem, qui contriſtaretur de Ieſu moriente, vt ait Magiſter ſententiarum in tota populi multitudine, ideo ſuſtinebat Dominus expectans, donec vidit Mariam matrem, donec vidit Ioannem diſcipulum, donec vidit Magdalenam; & has proculdubio vidit tunc flentes; & licèt loqueretur ad matrem, non illam flere prohibuit, imò tam huius, quàm aſtantium ſororum lachrymas habuit acceptas, & inter illas decumbentis glorioſum ſepulchrum inuenit. Vnde D. Bernard. Bernard. ſerm. de vite cap.4. monet. *Date lachrymarum flumina in tanta vineula morienti. Vacate, & videte, quàm amarè, quàm turpi morte condemnetur. Suſtinet enim adhuc, & diligenter conſiderat, ſiquis ſit, qui ſimul contriſtetur: ſi quem inueniat, qui ſanguinis riuos abſtergat, & de cruce depoſitum munda ſindone non panni, ſed cordis, inuoluat, & flens cum beatis mulieribus flentibus ad tumulum conſequatur.* Expende illud, *flens cum beatis mulieribus*, &c. non lachrymas omnes faſtidit Dominus, ſed lachrymas mulierculrum humana quadam compaſſionis facilitate plorantium. At beatarum mulierum lachrymas, nimirum Mariæ matris, cæterarúmque cum illa aſtantium cruci, has expectauit Dominus in cruce, & vſque modò ſuſtinet, ſiquis iuſtus, & beatus vir morientem ſaluatorem ſuum ſimilibus lachrymis proſequatur. Et fallar, ſi quis Regum mundialium parentatus fuit, tam glorioſo luctu,

ram pretiosis lacrymis, vt Rex noster Iesus iustorum lachrymis parentaretur. Propone tibi ob oculos luctum factum Apocal. 18 pro Babylone illa magna; *Flebunt, & plangent se super illam reges terræ, qui cum illa fornicati sunt.* Insuper dicit, *Et negotiatores terræ flebunt, & lugebunt super illam.* Rursus dicit: *Mercatores horum, qui diuites facti sunt, flentes ac lugentes.* Denique ait, *Et nautæ qui in mari operantur, longè steterunt, & clamauerunt,* &c. Ecce tibi quorum luctu, & lachrymis honorentur funera Magnatorum mundialium, honorantur lachrymis Principum, & Regum. qui simul sunt mancipia voluptatum: honorantur item lachrymis negotiatorum, mercatorum, nautarum, hoc est, hominum auarissimorum, qui nesciunt desiderare, nisi propriam vtilitatem, & commoditatem. At Iesu funera prosequuntur lachrymæ omnium præstantissimæ, & pretiosissimæ; lachrymæ beatarum fœminarum, lachrymæ iustorum Regúmque regalissimorum, qui propriis affectibus dominantur; lachrymæ Prophetarum, & sapientum hominum, qui veræ sapientiæ, & virtutis splendore lucent in orbe terrarum.

§. V.

Iustorum clades nunquam non lætissimum spectaculum faciunt impijs.

EXpende ex Iesu morte, quàm diuersa homines percipiant, nimirum, qui iusti sunt, ingentem lamentorum segetem metent: at mundani homines, voluptuosi homines & impij ingenti gaudiorum materiem percipiunt. Ait enim, *Plorabitis vos, mundus autem gaudebit* & quando iusti clades non fecit impiis spectaculum lætissimum? Aiebat

Matth. 20. Iesus Matth. 20. *Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur Principibus sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum,* &c. Expende illud, *ad illudendum,* hoc est, vt pro lusu, & materia risus, & lætitiæ in suis tormentis habeatur: quippe lanienæ iustorum virorum voluptuosis hominibus festiua sunt spectacula. Audisti Amphitheatra Romana plena festiuis spectaculis, quæ populos aspergerent gaudiis? Nosisti inibi ferarum pugnas, quarum lanienæ miram hilaritatem spectantium animis ingenerarent? Sic iusti Iesu clades, sic laniena sancti hominis nunquam non pro festiuo

Chrysost. spectaculo impiis accidit Rem ponderat Chrysost. serm. 35. de Passione fatus: *Hic discipulis suos semel, & iterum praemonebat ponens ante oculos eorum, & velut arcam sua constituens passionis, & inducens in eam quot contumeliarum genera, tot genera bestiarum.* Ecce tibi Dominus quoties loquebatur de sua morte, sic loquebatur, quasi de arena amphitheatri, in qua impiis nihil non ludibundum, nihil non festiuum apparebat. Sic contumelias omnes æstimabat, quasi immanissimas feras. quarum vnguibus laniatus nobilis athleta gaudia impiorum aspectantium cumularet. Ad hæc aiebat Pau-

1. Cor. 4. lus 1. ad Corinth. 4. *Puto enim quod Deus nos nouissimos Apostolos ostendit, tanquam morti destinatos, quia spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus.* Expende *spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus*; hoc est, ita se habent res nostræ, vt spectaculorum in arena lusus, ad quos voluptatis causa confluunt vniuersi, sic ad pugnas nostras vniuersi concurrunt, tam boni, quam mali; tam qui mundani sunt, quàm qui Angelici; sed hi, vt exempla mirentur, illi vt delectationem percipiant. Id quod pulchris verbis

Anselm. notat D. Anselm. aiens. *Sicut omnes concurrunt, vbi iocus celebratur, vel pugiles certant, aut aliquod monstrum producitur; sic omnes boni, vel mali conueniunt ad aspiciendas pœnas nostras. Spectaculum sumus & Angelis, & hominibus, tam bonis, quàm malis. Boni Angeli conueniunt ad spectaculum passionis nostræ, vt nos præsentia sua confortent, & coronam ad exemplum nostri certaminis inficiant: mali verò, vt gaudeant, cùm nos suos aduersarios cruciari vident, & caté... à fide, metu pœnarum deflectant. Boni homines, vt laudent, mali vt insultent. Boni, vt exemplo nostro confortentur, mali, vt ex pœnis nostris delectentur.* Sic semper iustorum lanienæ iucundissima faciunt impiis hominibus spectacula. amplissimámque suppeditant

Thren. 3. materiam improborum cantibus. Ierem Thren. 3. ait: *Audisti opprobrium eorum Domine, omnes cogitationes eorum aduersum me. Labia insurgentium mihi, & meditationes eorum aduersum me tota die. Sessionem eorum, & resurrectionem eorum vide, ego sum Psalmus eorum. Reddes eis vicem,* &c. Hæc iustus vir petit à Deo, vt videat, nimirum hominum impiorum conuentus, meditationes, concursus singulis horis, singulis momentis, tota die coactos; insuper sessiones eorundem; hoc est, iuxta glossam interlinealem, *sessiones quasi magistrorum,* non verorum magistrorum, qui veritatis doctrinam probent, sed quasi magistrorum, nimirum de solis magisterij fibulis tumentium; in hoc crebrò conuenientium, vt innocuam, & iustam gentem lacerent, & e tanta laniena cachinnos euitent, immensaque sibi gaudia condiant. *Ego sum Psalmus eorum*; hi enim cantantur Psalmi in choro malignantium, in choro impiorum, videlicet, laniena iusti hominis hanc vocant ad sua carmina, hanc ad plectra vocant, vt dum rumpitur iustus, ipsi exultare possint. Præclarè Iob cap. 30. Iob 30.
dum deridentium sibi ipsi exprimit conditiones ait: *In deserto habitabant torrentium, & in cauernis terræ, vel super glaream.* Et statim infert; *Nunc in eorum canticum versus sum, & factus sum illis in prouerbium.* Septuag. explicatiùs in rem præsentem: *Cithara eorum ego sum.* Et quidem pulchrè iustus vocatur cithara impiorum; non solùm, quia sicut ex percussis citharæ fidibus dulcis percipitur sonus, sic ex iusto percusso, imo laniato impij voluptatem percipiunt, & lætitiam; sed quia vt ad percussarum citharæ fidium numerum, psalli, & saltari solet, sic ad numerum iusti hominis cladium mundiales homines, & carmina concinnunt, & festiuos saltus componunt. Vt dicat Nicetas in Car. Nicetas.
Græca: *Cantia itaque & carmen effectus sum eorum, meásque calamitates pro quouis alio sermone habent in ore.* Et carminibus, & cantibus, & vniuersis lætitiis impiorum hæc additur minimè exhaustibilis materies, scilicet calamitas iustorum: hæc illis pro cantu, pro saltu; & vtinam in has chordas non videantur alicuius mutati chori, nec inter Psalmos, & canticum organi tales fabricentur cantiones, quæ in sancti alicuius hominis personet infamiam.

§. VI.

Præstantior est tristitia ex iusti calamitosi compassione orta, quàm vniuersa gaudia mundialia.

TRistabantur discipuli Iesu magistrum videntes carnificibus traditum; & inter gaudentes, exultantes carnificum phalanges, frementésque passionis fluctus rari apparebunt discipuli tristitia pene confecti inenarrabili; sed qualis hæc discipulorum tristitia? De illa Dominus ait: *Tristitia vestra, vertetur in gaudium.* Ea est tristitia ex calamitosi iusti compassione nata, quæ ingentia pariat gaudia, instar quorum nihil sint omnia gaudia mundialia. De passione Saluatoris sui locutus Psaltes 67. ait. *Posteriora dorsi eius in pallore auri,* Christi vitæ postrema tenuit mortis pallor; ausa est pallida mors tanti Principis calcare palatia Sed qualis ille Psalm. 67.
mortis pallor? In pallore auri, sic pallens splendebat, vt aurea mundi gaudia obscuraret, & condolentium pallorem in locupletissimos thesauros commutaret. Eleganter D. Bernard. serm. 61. in Cant. fatur *Denique inquit, & posteriora dorsi eius in pallore auri. Quomodo non in morte palluit? Sed melius pallens aurum, quam fulgens aurichalcum, & quod stultum est Dei, sapientius est hominibus. Hoc aurum semetipsum decolorauit abscondens formam Dei, & formam serui prætendens; decolorauit & Ecclesiam, quæ ait: Nolite me considerare quòd fusca sim, quia decolorauit me sol. Ergo & posteriora Ecclesiæ in pallore auri, quia signum non erubuit crucis, vltimum passionis non horruit, liuorem vulnerum non refugit. Et iam complacet sibi in illis, & optat nouissima sua fore horum similia.* Vide ergo quantum se extollat tristissimę mortis pallor, siue in patiente, siue in compatiente: vterque pallet & iustus, qui patitur; & pius, qui ex compassione tristatur, sed pallet pallore auri; in tantum excedit pallor hic vniuersos splendores mundiales, in quantum aurum excedit aurichalcum. Conuertitur iustis compatientibus tristitia in pretiosissima gaudia; quæ ipsi gustantes, sic in doloribus, & angustiis sibi complacent, vt habeant semper in optatis has tristitiarum materias, quæ tam ingentia pariant gaudia. Hinc Dei amatrix, ait Cant. 1. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter* Cant. 1.
vbera mea commorabitur. Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi. Quæ tam contraria excogitari potuissent, vt sunt fasciculus myrrhæ, & botrus vineæ? In illo amaritudo, in hoc tota dulcedo mellea. in illo tristitia, in hoc gaudia, & tamen simul ac myrrhæ fasciculum sponsa nominat, statim & vitis botrum experitur; tristitia enim, quæ ex iusti calamitosi compassione accidunt, dicto citiùs super omnia præstantiora apparent gaudia. Ad hæc D Bernard. serm. de Bernard.
vite cap. 4. ait: Fit ergo sponsus sponsæ suæ fasciculus myrrhæ, quando ipsum multiplicibus affectum iniuriis ad mentem reducit. Quæ sunt autem vbera sponsæ, inter quæ illum

lum commoraturum affirmat? Duo vbera sponsæ prosperitas, & aduersitas sunt. Ponit autem dilectum suum inter hæc vbera, dum illius & in aduersis, & in prosperis recordatur. *Ex quo euenit, vt ille, qui modò fuerat fasciculus myrrhæ, id est, qui mentem sponsæ passionum suarum amaritudinibus amaricauerat, subitò fit botrus Cypri continens in se vinum iucunditatis, & lætitiæ.* Non potest myrrhea amaritudo in compatientis animo diu durare, sed protinus fasciculus myrrhæ in botrum lætitiæ transit, & iocunditatis. Quis non amet myrrhas tantarum lætitiarum causas, præ omni dulcedine mundiali? Sanè præstantior est myrrha lætantes botros pariens, quàm omnia mundi gaudia, à quibus sola incendia manent.

Text. Mulier cùm parit tristitiam habet, quia venit hora eius: cùm autem pepererit puerum, iam non meminit pressuræ, propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis; iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

§. VII.

Fidelium pressuræ & præstantia, & diuturnitate fructus ex morte Christi longè excedunt laborum mundanorum vsuras.

NVlli hominum gaudium nascitur, quòd post mille pressuras, post mille dolores partus non veniat, habent mundani, & sancti, infideles, & fideles labores, & dolores, qui pariunt sua cuique gaudia: sed mundanorum labores pariunt gaudium fundatum in hominis natiuitate, *quia natus est homo in mundum.* Proh luteum, & corruptibile gaudium, vtpote in natiuitate lutei hominis, & corruptibilis fundatum! Fidelium autem labores gaudium pariunt minimè incorruptibilis hominis natiuitate, sed in Christi Dei æterni, & viri, & veri morte fundatum, quod nullo impulsu hostium lababit. Pro mundialium laboribus stat illud Pharaonis decretum aduersùs Israëlitas

Exod.1. Exod.1. vbi sic, *Præposuit eis magistros operum, vt affligerent eos oneribus. Ædificauerúntque vrbes tabernaculorum Pharaoni,* &c. De quibus Israëlitarum operibus à Pharaone decretis,

Psalm.8. ait Psalm. 8. *Manus eius in cophino seruierunt.* Velut miseri operæ in cophino colligunt lutum, vt strenuis ædificatoribus materiam præbeant; sic Israëlitæ ædificiis regiis lutum in cophinis ministrabant. His positis recole modò fa-

Ioan.6. cinus illud Christi in saturandis hominibus Ioan. 6. *Vt autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite, quæ superauerunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum,* &c. Cur non cistas iubet impleri, sed cophinos? Vt vel in ipso operarum instrumento videatur, quam alius sit fructus seruorum Christi, & seruorum Pharaonis. Seruitur Pharaoni, id est, mundo in cophino, seruitur Christo in cophino; sed in Pharaonis obsequio cophinus operarum lutum colligit, lutum porrigit, nihil præter lutum habet, in obsequio Christi, operarum cophini, non lutum, sed cœlestem colligunt alimoniam. Quos mundi natalitia implent luto, hos Christus moriens

Ambros. inexterminabilibus implent bonis. D. Ambros. lib. 9. in Luc. ait: *Qua ratione cophinos duodecim Christus impleuit, nisi illud populi Iudaïci solueret, quia manus eius in cophino seruierunt? Hoc est, populus, qui antea lutum in cophinis colligebat, hic iam per crucem Christi vitæ cælestis operatur alimoniam.* Conueniant huc, qui seruiendis mundialibus Principibus laboriosissimam impendunt operam; qui ieiuniis, vigiliis, sanguine ciuitates, & regna Principibus comparant; qui exoriente Principe eam spem locant, quam incredibili labore, soliciiudine nutriant. Quid illis pariunt tot labores? Quid colligunt in cophino? Solùm colligunt lutum temporalium bonorum, qui in puluerem conuersus euaneat ab oculis. Non sic, qui in Christi morte fundantur, sed per illam in cophinis cœlestem colligunt alimoniam, quæ nullos sciant metuere casus, meruere hostes. Aiebat Ioann.

Apoc.21. Apoc. 21. *Vidi sanctam ciuitatem Hierusalem nouam descendentem de cælo, à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo. Et audiui vocem magnam de cælo dicentem: Ecce tabernaculum Dei, cum hominibus, & habitabit cum eis. Et ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis erit, eorum Deus: & absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors vltrà non erit.* Crediderim hîc repræsentari fidelium Ecclesiam, quæ adhuc militat, ideóque vocari tabernaculum, quod militare suffugium est; & ideo vocari ciuitatem nouam, vt ostendatur in illa, aliqua differentia ab illa antiqua, & veteri iustorum ciuitate, in naturæ statu fundata. Sed notandum venit, quòd in hac noua fidelium ciuitate perpetuò Deus adest, nullúmque bonum finiendum venit, nec vnquam destructa, aut perdita iam plorabitur. Cur hæc noua adeò æterna, quando illa vetus penè funditus concidit? Sanè gentilismus introductus in mundo, sic primam illam iustorum ciuitatem expugnauit, vt è toto terrarum orbe circa vnum Abrahamum verorum bonorum notitia habitaret. Cur ergo sicut gentilismus præualuit in primam Dei ciuitatem, non etiam præualeat post aliqua sæcula in hanc nouam, & quasi secundam ex innouatione ciuitatem? De hoc fecit pulchram quæstionem D. Iustinus Mar. quæst. 74. in qua Iust.
hanc ipse rationem reddit: *Enim verò hæc tormenta, quibus vsus est gentilismus sperans hac ratione sese conseruare posse in integro, & gentilismum abolenerunt, & Christianismum firmius stabiliuerunt.* Non hic exprimo omnem horum verborum succum, sed aliò reseruabo; pro nunc id solùm insinuat sanctus vir, quod omnibus manifestum est, quòd nimirum vbi primùm gentilismus cœpit in mundo, nullam persecutionem aduersùs fideles excitauit, nulla tormenta inuenit, nulla exilia, nullas fames immisit, quibus Dei notitia opprimeretur, & bona cœlestia penitus contemnerentur, & cur fidelium bona non peritent, quæ nullis laboribus pro Christo Deo exantlatis nitebantur? Modò autem cùm vniuersæ fidelium familiæ laboribus agitantur à mundanis, cùm hinc inde pullulant dolores ob Christi nomen, necessum est, quòd ea bona fidelibus pariantur, quæ minimè possint eradicari. Dicam planiùs, tunc iustorum generatio incepit à latere lutei, sed tamen viui hominis, & ideo iustitiæ gaudia & parua fuerunt, & durarunt parum; modò fidelium Ecclesia nititur latere Christi mortui, de cuius crucis tormentis fructus colligit immortales. Transeuntia sunt, & parum constantia gaudia, quæ ab hominis lutei vita pendent; illa vera, & solida, & permanentia, & imperturbabilia sunt, quæ in Christi mortui vulneribus fundantur. Ad hæc Isaias aiebat cap. 49. *Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego autem non obliuiscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te, muri tui coram oculis meis semper.* Sic super omnem misericordiam, & amorem humanum, suum amorem Dominus exaltat; non filius à matre, nec mater à filio habet, quod habemus à manibus illis Saluatoris nostri, in quibus clauorum cuspide scripti sumus. Quæ verba sic Septuaginta reddidere: *Ecce super manus meas depinxi muros tuos.* Quid est, *super manus depinxi muros tuos?* Pulchrè Leo à Castro explicat, quòd manus Domini clauis exaratæ ea nobis bona concederent, quòd instar murorum firma, & stabilia permanerent. Ex quo sic D. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Isaiam orat. 4. ait. *Itaque Christi passio, & pretiosa crux, & manuum ipsius affixio, securitas fuit, & murus inaccessus, & infractus, his qui in ipso crediderunt.* Manus equidem Iesu excauatæ clauis fructus nobis reddunt bonorum, qui securi sint, & inaccessi hostibus maneant, veluti muri hostilia iacula minimè timentes, sed repellentes, vt hinc pateat, quàm longè felicior sit, qui in Christi morte nititur, illo, qui in hominum natalitiis gaudet.

Isai.49. (margin, beside "Ad hæc Isaias aiebat cap. 49.")

Cyrill. (margin, beside "Ex quo sic D. Cyrillus")

§. VIII.

Fœmineus reproborum animus inde noscitur, quòd vota in pressuris concepta, non ampliùs meminerit, post salutem acceptam.

ECce tibi in parturientis fœminæ exemplo, quàm aptè explicetur fœmineus mundanorum animus; dicitur enim: *cùm autem peperit, non meminit pressuræ,* hoc est, sic omnium, quæ in pressura fecit, obliuiscitur post partum, ac si nihil effecerit. Quid solemnius in mundanis hominibus? Dum sub pressuris sunt, dum doloribus, periculisque agitantur, crebra suspiria mittunt Deo, ad sanctorum prouoluuntur pedes, vota concipiunt, nec ad modicum à Dei conspectu recedunt. Vbi autem salus affulget, vbi Deus votis annuit, statim omnia in pressuris concepta auolauerunt, non meminerunt pressuræ, nec Dei, nec sanctorũ memoria

moria, quam pressuræ suggerebant, videretur superesse. *Isai. 26.* Non longè abest Isaias cap. 26. *Sicut quæ concipit cùm appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus suis: sic facti sumus à facie tua Domine. Concepimus & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum: salutes non fecimus in terra.* Quot voces, & suspiria, preces, & vota dolores emittunt in parturiente fœminâ, tot in mundanis hominibus emittunt crebræ pressuræ; at vt illæ post partum nihil meminerunt, sic & isti nihil salutare præstant in terris. Hæc mulieribus accidunt reproborum mentibus, qui nihil bonum concupiunt, nisi dum sunt sub metu, quo ablato omnia bona ab eorum animis euanescunt. Non absimile in huius mundi Principe inuenies, qui dum sibi à Iobi felicitate meruit, cùm maximè Deum odisset, tamen non semel diuinis adest conspectibus *Iob 1.* Iobi perditionem petens. Etenim habes Iob. 1. *Cùm venissent filij Dei, vt assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan.* Non primò affuit Satan coram Domino Iobum expetens; sed & secundo cap. iterum affuit, durius aliquid petiturus, nimirum Iobi percussionem: annuit Deus, permittit Iobum dæmoni. Quid tunc? *Egressus igitur Satan à facie Domini percussit Iob,* &c. An potest creatura à facie Dei egredi? Quomodo ergo dicitur Satan egressus à facie Domini? Non quòd ipse in re Deum inspectorem fugeret, sed quòd post acceptam, quam postularat, Iobi permissionem, sic Deum oblitus est, quasi Deus illi non adesset. Pulchrè *Origen.* Origen. lib. 2. in Iob. Exiuit diabolus à facie Domini. *Exiuit verò, hoc est, discessit, deseruit, oblitus est, vltrà non æstimauit, neque curauit, neque recordatus est, quòd sit Deus. Illò enim vsque ante Deum fuisse dicitur. Postquam verò accepit, quod voluit, & quod quæsiuit, continuò relinquens Dei memoriam, à facie Dei exisse dicitur.* Vtinam ille solus hoc morbo laborasset, habet discipulos plurimos, omnis enim reproborum gens dum sub metu aliquo sunt, dum liberari à malo experunt, vel aliquod sibi bonum acquirere, in muliebria incidunt vota, & suspiria. Quàm crebri Deo adsunt, quàm frequenter preces emittunt, quanta promunt vota! Postquam verò accipiunt, quod volunt, prorsus discedunt, obliuiscuntur, nec vltrà æstimant, nec curant, nec recordantur, quòd sit *Exod. 9.* Deus. Huc spectat illud Exod. 9. in plagis Ægypti obseruatum, dum dicitur: *Videns autem Pharao, quòd data esset requies, ingrauauit cor suum, & non audiuit eos, sicut præceperat Dominus.* Sapiebat aliquando sub plagis nefarissimus homo, & Moysem vocabat, & se peccatorem agnoscebat, & requiem à malis precabatur; at vbi primùm requies apparebat, & preces, & vota plagarum, & Deum ipsum prorsus obliuiscebatur, ac si nihil fuisset perpessus. Id quod in suis *Psal. 77.* popularibus abominabatur Dominus Psalm. 77. *Cùm occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum. Et rememorati sunt, quia Deus adiutor est eorum: & Deus excelsus redemptor eorum est. Et dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei. Cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento eius.* Hæc vl-*Hieron.* tima verba sonant apud D. Hieronymum: *Nec permanserunt in pacto eius.* Equidem in afflictione, in lethali plaga ad Deum currentes, multa cum Deo pacti sunt, multa vota edidere, post salutem, & prosperitatem acceptam, nullum pactum, nullum votum, imò nullam creatoris sui memoriam seruauerunt, sed antiquis idolis sese prostituerunt. *Lactant.* Pulchrè Lactantius ad hæc lib. 2. institutionum cap. 1. *Tunc maximè Deus ex memoria hominum elabitur, cùm beneficijs eius fruentes honorem dare diuinæ indulgentiæ deberent. At verò si qua necessitas grauis presserit, tunc Deum recordantur. Si belli terror infremuerit, si morborum pestifera vis incubuerit, si alimenta frugibus longa siccitas denegarit, si sæua tempestas, si grando ingruerit, ad Deum confugiunt, à Deo petitur auxilium. Nunquam igitur Dei meminerunt, nisi cùm in malis sunt. Postquam metus desierit, & pericula recesserunt, tunc verò alacres ad Deorum templa concurrunt, his libant, his sacrificant, hos coronant.* Qui post periculorum vota, post morborum promissa, transactis periculis, non ad pristina recurrit idola? Si quis talem post pericula se exhibet, vt in periculis exhibebat, is D. Chrysost. homil. 4. de Pœnitent. ex numero electorum est; vt generosus equus, qui regi eligitur, tam securè regitur sine fræno, quàm cum fræno. Qui enim solùm nouerunt compressi doloribus Deum meminisse, hi muliebri *Isai. 28.* reproborum infirmitate laborant. Ad hos dicebat Isaias 28. *Flagellum inundans cùm transierit, eritis ei in conculcationem. Quandocumque pertransierit, tollet vos, quoniam manè diluculo pertransibit in die, & in nocte; & tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui.* Expende signum, sine dubio pereuntium, nimirum, *tantummodo sola vexatio intellectum dabit;* tunc solum norunt Deum cùm sub flagello vexantur, vt si requies aduenerit, & corda, & aures obturent, ne quid Dei possint percipere. Aiebat D. Gregor. lib. 7. Moral. cap. 11. *Gregor.* *Hinc est etiam, quod de reprobis dicitur: Et tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui, quia videlicet æterna non intelligunt, nisi cùm pro temporalibus iam sine emendatione puniuntur: tunc mens æstuat, & infructuosæ pænitentiæ se ignibus inflammat: duci ad supplicium timet, præsentem vitam ex desiderio retinet.* Et benè teneri adhuc præsentibus probatur, qui solùm Dei meminit, cùm circa illa percutitur.

CAPVT XXIII.

De oratione facienda ad Patrem.

DOMINICAM orationem explicantes suprà cap. 8. per totum, multa dedimus de orationis vi, & efficacia, quæ sanè tanta est, vt abiturus Dominus ad Patrem orationem reliquerit pro armis ad repellendos hostes ad cœlestia expugnanda. Vt autem oratio perfecta sit, sic fiat ad patrem, vt Iesu meritis, & nomine tota nitatur, cuius nominis, vel sonitu delinitus Pater, nil amplius expectauit, vt dilectis suis cumulatissima dona largiatur. Amat enim nos Pater, ex quo videt nos vnici pignoris sui amore inflammari, per quem, & à Patre dona, & ex mundo victoriam reportabimus.

Ioan. 16. Amen, amen dico vobis, siquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Vsque modò non petistis quicquam in nomine meo.

§. I.

Cætera virtutum opera nos seruos notant, oratio ostendit liberos.

NOs ad Patrem orare iubet Dominus, non ad Dominum; & cur non petamus à Domino, non oremus ad Dominum, sed ad Patrem? Quia vbi ad orationem accedimus, iam ex ipsa oratione ostendimur non habere Dominum sed patrem, hoc est, non serui esse, sed liberi. Quis nesciat Saluatoris nostri certamina pro nobis inita? Propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Qui ergo pro nobis totum sanguinem suum profusurus erat, dum viueret, teste D. Luca cap 6. *Erat pernoctans in oratione Dei.* *Luc. 6.* Cur Domine tantæ sanguinis profusioni præmittis tam longas orationes? Nónne suffecisset tui sanguinis profusio, vt homo saluaretur, cur vel ante passionem sic in oratione pernoctas? Cur necessum est orare pro his, pro quibus tam crudeles, & longas sustines mortes? Ad hæc pulchrè, & acutè Chrysol. serm. 24. ait. *Chrysol.* *Pernoctat in oratione Dei, vt antea nos oratione liberet, quàm redimat passione.* Passio equidem Christi non facit, vt homo absolutè, respectu omnium liber sit, vt eleganter expendit noster Lessius de perfectionibus diuinis lib. 10. cap. 5. num. 53. sed redimit: tollit nos à seruitute diaboli, sed facit Christi seruos pretio tanti sanguinis emptos; ex eo enim, quòd nos Iesus sanguine suo emit, habet particulare dominium in nos, vt Dominus in suos seruos. At oratio Christi ad patrem facta, nos prorsus liberos ostendebat, vt vnici filij membra tanto capiti inserta. Sic dum in Christo oramus ad patrem, & filij, & liberi asserimur, dum compatimur, aut alia opera exhibemus, non tam liberi ostendimur, quàm serui, & ideo post illa iubemur dicere, *serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* Similiter Paulus 1. ad Corinth. 9. ait, *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo,* &c. *1. Cor. 9.* quasi in singulis virtutum operibus suam erga Deum profiteantur iusti seruitutem, verùm cùm ad orationem accedunt, iam tibi non tam seruitutem, quàm libertatem filiorum ostendunt. Id quod notabat Paulus ad Roman. 8. *Rom. 8.* aiens: *Quicumque enim spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore: sed accepistis spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus, Abba Pater.* Expende illud. *clamamus.* potuisset dicere, in quo inuocamus, vel in quo oramus; sed maluit dicere, *clamamus*; vt enim

enim clamor manifestiùs, & euidentiùs rem significatam profitetur, sic omnis iustorum oratio, professio est euidens, & manifestissima assertæ filiorum libertatis. Ait D.Thom. *In quo clamamus. Profitemur enim nos patrem habere Deum instructi à Domino, cùm dicimus orantes, Pater noster, qui es in cœlis.* Nunquam orare inuenimur, quin eo ipso non profiteamur nos habere spiritum filiorum, spiritum libertatis. Hinc Luc.11. ait Dominus; *Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris, quanto magis pater vester cœlestis de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se?* Ponit vim argumenti ex similitudine filiorum accipientium à parentibus, & petentium à Deo; sed cur apertiùs non dixit; sicut vos datis filiis vestris bona, sic Deus dabit filiis suis bona? Cur pro filiis posuit petentes, dicens, dabit petentibus se? Eo ipso, quòd quis petat à Deo, se ostendit, & publicat liberorum ornatum spiritu, vt idem sit petens, & liber. Ex quo lucem capit Zach. cap.12. *Effundam super domum Dauid, & super habitatores Hierusalem spiritum gratiæ, & precum.* Non spiritum seruitutis, sed spiritum gratiæ, & adoptionis effundendum dicit, quia simul addit, *& precum*, quasi spiritus precum, aut idem sit, cum adoptionis spiritu, aut præsupponat illum. Huc reuoco illud Ezechiæ morituri exemplum, de quo 4. Reg.20. *Conuertit faciem suam ad parietem, & orauit Dominum, dicens: Obsecro Domine, memento quæso quomodo ambulauerim coram te in veritate, & corde perfecto, & quod placitum est coram te fecerim.* Dicitur orasse, & tamen Dominum vocat, non patrem. Cur non magis ostendit filij ingenuitatem orans? Cur seruum non magis se ostendit, respectu Domini? Duo fecit bonus rex, & orauit, & simul repræsentauit virtutum opera à se exercita. Dum virtutum opera manifestat, se quasi mercenarium statuit, flagitans à Domino mercedem laborum: dum autem orat, per hoc præcisè, quòd orat, se liberum, & prorsus ingenuum ostendit, vt sic orans, & operans, & fructus ingenuitatis percipiat, & laboris. D.Cyrill. Alex. lib.3. tom.4. in Isaiam cap.38. ad hæc loquitur. *Pulchra est iustorum fiducia, nam laborum mercedem propè, & ingenuitatis fructus postulant.* Per hoc ipsum quod postulent, ingenuitatis fructus expostulant, cùm oratio ostensio sit ingenuorum.

D. Thom. — Luc.11. — Zach.12. — 4. Reg.20. — Cyrill. Alex.

§. II.

Vbi pro saluandis hominibus, pro liberandis peccatoribus laborare Dominus non rogatur, quasi surdus est, imò quasi mortuus.

MVlta rogauerant Apostoli, multa petierant à Iesu; rogauerant enim, vt Chananæam exaudiret, vt Patrem ostenderet, vt fidem eorum adaugeret, vt parabolam dimini seminis edissereret, & alia huiusmodi passim ab Euangelistis notata. Quid ergo in præsenti carpuntur, & audiunt: *Vsque modò non petistis quicquam in nomine meo?* Sapienter aiebat D.August. quòd nihil petitur in nomine Saluatoris, quòd non expressè sciatur pertinere ad æternam salutem; ex quo etiam crediderim ego, quòd dum non rogatur Dominus Saluator noster pro hominibus liberandis laborare, nihil aliud se putat audire, quasi ad omnia alia surdescat omnino. Huc reuoco illud Isaiæ 64. *Non est, qui inuocet nomen tuum: qui consurgat, & teneat te.* Sed multi erant in Israëlitarum populo captiuo, & afflicto ab hostibus, qui ad Deum clamarent, Deúmque pro restitutione bonorum precarentur. Cur ergo dicitur nullus inuocare nomen Domini? Id explicant verba sequentia, nimirum, quia non est, *qui consurgat, & teneat te.* acutè Forerius addit, *vt fecit Iacob, ob quod Israël vocatus est, quasi in Deum præualuisset.* Quippè Iacob Genes.32. luctabatur tota nocte cum Deo, nec Deum à lucta abire permittebat, vsque dum benedictiones suas effunderet, ait enim: *non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Dum autem inuenitur Iacob, qui precibus suis Deum in stadio, in lucta, in labore pro hominibus benedicendis constituat, verè inuenitur, qui in nomine Saluatoris oret, vt qui petit rem Deo propriissimam, & gratissimam, & pro qua maximè optet exaudire. Verùm dum non est, qui Deum vocet in arenam pro liberandis hominibus, non est, qui inuocet nomen Domini; nulla oratio, & inuocatio diuini nominis reputatur à Deo exaudiri, quasi ad ea, quæ non operantur salutem humanam, in medio terræ Deus surdus sit, imò mortuus sit illis, qui nihil circa illam salutem operantur. Hinc Pauli verba ad Rom.8. expendo; ait enim: *Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei. Si autem filij, & hæredes; hæredes quidem Dei,* &c. Vocantur iusti homines hæredes Dei, & mirum est & prorsus inusitatum vocari hæredes nunquam morituri, nunquam discessuri. Vbi enim hæres nominatur, res testamenti dicitur, quod nequit intelligi, sine testatoris morte; & vbi repugnat mors, & testamentum, & hæredes esse repugnat. Qualiter ergo iusti homines hæredes Dei fient? An Deus aliquando illis mori poterit? Sanè quando iusti cœlestium bonorum possessionem intrant, vitam illam beatam, & æternam possideant, in qua nil egeant petere à Deo, quod ad operandam eorum salutem pertineat, sic Deum possident, quasi is sit aliquomodo mortuus illis. Do Diuum Brunonem ibi aientem. *Si quærimus quomodo sumus hæredes Dei, cùm vsus habeat hæredem esse morte decessoris? Respondetur, quia Deus quodammodo moritur nobis in futura beatitudine.* Morietur quidem Deus quodammodo beatis, quando iam nequeat rogari, vt operetur illorum salutem, & descendat in arenam pro illis. Hinc notanter aiebat Dominus, Ioan.6. *Sicut misit me viuens pater*; viuens dicitur pater, quando misso filio negotiatur hominum salutem. Tunc Deus viuificatur, tunc viuidum putat habere auditum, vt orationes excipiat, quando inuocatur pro saluandis hominibus. Ideo Ionas à pisce voratus, ait cap.2. *Cùm angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum, vt veniat ad te oratio mea, ad templum sanctum tuum.* Expende quid præmissum sit, vt oratio ad Deum possit venire, vt Deus orationem exaudiret, nimirum priùs ait, *Domini recordatus sum*, hoc est, facinorum Saluatoris Dei memoriam feci, quam sciat peccata obliuisci, & hominibus opem ferre, quorum memoria facta eò peruenit oratio, vt à Deo excipi, & audiri queat. Ad hæc ait Theophylactus, ibi: *Memini equidem Domini, quòd amico erga mortales affectu sit, ac negligat peccatum, quod patrant non obtemperant ipsi, propterea, & precatus sum ipsum, vt posthac sim dignus quo perueniat ad te oratio mea.* Illa Deum tangit, & viuidum ostendit oratio, quæ Saluatoris facinora circa homines peccatores saluandos spectet.

Isai.64. — Forer. — Genes.32. — Rom.8. — Brun. — Ioan.6. — Theoph.

Text Petite, & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum.

§. III.

Vbi Iesus intercedit, nullum non completum, & integrum bonum venit.

NE aliò te conferas homo, sed pete omnia à Deo, pete in nomine Christi, vt plena, & integra gaudia accipias: is est enim Iesus, à quo nullum non completum, & integrum bonum sciat venire. Pulchrè aiebat Gillib. Abb. serm.33. in Cant. *Reuolue Euangelium, vbique Iesum inuenies, & citum, & copiosum ad veniam.* Nullibi parcus Iesus, nullibi sua munera sarcinat, sed copiosus, & largus omnia integra, & plena suis permittit. Suffecisset prodigum filium reuertentem, vel inter mercenarios admittere; imò hoc solum ille petebat, at bonus pater ad filiorum osculum eum admittit, insuper non mercenariorum panem porrigit, sed regale parat conuiuium, quod vituli saginati adipe ditat, dulcéque sonanti symphonia exhilarat. Quid plura? Ait apud Luc.15. *Epulari autem, & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit.* Expende verbum illud *oportebat*, quod quandam decentiæ necessitatem indicit. Sed quæ necessitas potuit obligare patrem, vt tanta conferret filio, qui in se reuersus minuta petebat, & multo paucioribus contentus existeret? Sanè filius pauciora gratanter exciperet; at bonus pater nescit non dare bona, & plena, & integra. Datus Gillib. serm.33. in Cantic, ait: *Vide profluam Domini Iesu gratiam: cum pœnitente filio gaudere cum oportet, & epulari. Quibus propitiatur, improperare nescit: dimidia vti non nouit clementia.* Proh diminissimi Iesu profluam pietatem, nescit dimidiare munera sua; vbi incipit dona impertiri, omnia plena, & integra largitur, nihil dimidiatum relinquit. Ezechias rex vsque ad mortem ægrotabat, iam deplorata erat eius salus, & dolens ipse vehementer decedere absque liberis, ex quorum semine nasceretur Christus, cùm lachrymis orationem instituit. Cui statim Isaias 38. ait; *Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui: Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas, ecce ego adijciam super dies tuos quindecim annos, & de manu regis Assyriorum eruam te, & ciuitatem istam, & protegam eam.* Ille petiit liberari à morte, Dominus illi præstat & à morte, & à Rege Assyriorum liberationem, & ciuitatis protectionem. Insuper

Gillib. Abb. — Luc.15. — Gillib. — Isai.38.

per addit: *Et iussit Isaias, vt tollerent massam de ficu, & cataplasmarent super vulnus, & sanaretur* Ecce quanta tribuat Dominus petenti solam vitam: concedit illi, quòd viuat, & quia vitæ concessio posset stare manente morbo, qui medicorum arte curaretur, ipse Dominus instar medici remedium adhibet, quo infirmus sanetur statim. Cur Domine non satis ducis præbere petita? Cur super vitam oblatam, morbi instantaneam curationem addis? Nescit equidem dimidia vti clementia, sed vbi incipit, perfectè, & plenè benefacit. Ait D. Cyrill. Alex. lib 3. tom. 4. in Isaiam: *Vbi semel Deus vitam annuit iussio, & morbum quoque iussit tollere, & deterere.* Non potuit dimidio sistere in munere, sed & illud largitus est plenum. De eo quòd Deus nesciat partita dona tribuere, habes plura suprà lib. 3. cap. 8 § 3. & lib. 14. cap. 10. § 31. & lib. 7. cap. 3. § 8.

Cyrill. Alex.

Text. Hæc in prouerbiis locutus sum vobis. Venit hora, cùm iam non in prouerbiis loquar vobis, sed palàm de Patre annuntiabo vobis.

§. IV.

Virtutis res variari debet, vt ab hominibus infirmis ametur.

QVàm sapienter rem virtutis tractat diuinus magister? iam illam prouerbiis vestitur, iam palàm, & simpliciter eamdem edisserit, vt de varietate saltim condimenti sapidam illam & amabilem reddat hominibus infirmis Sic semper condiri amat virtus, & variè proponi, vt infirmorũ gustũ solicitet. Aiebat Dominus Cant. 4. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui. Quàm pulchræ sunt mammæ tuæ,* &c. Erga vnum oculum affectus, mammas plures amat: potuit & duos oculos etiã laudare, quod non facit; cur ergo pluralitatem in oculis præterit & illum laudat, & pulchram prædicat in mammis? Erat in mammis infirmorum cibus, qui in eo habet pulchritudinem suam, & laudem suam, quod adeò multiplex fiat, & varius, vt nullum non excitet gustum. Eleganter Gillib. Abb. serm 31. in Cantic. fatur: *Oculus vnus dicitur mamma plures, quia varia debet esse vberum temperatura, pro sugentium qualitate diuersa. Vide quomodo Paulus Iudæis factus est Iudæus, & iis qui sine lege essent, infirmus infirmis. Nonne velut tot applicat discipulis vbera, qui in se tot transformat genera? Quod aliud mollium est temperatura, tam multiplici, nisi vt leniter, & lactis more teneros auditorum sinus doctrina influeret animo. Tot videtur abundare mammis, quot modo arte ingeniosa capacitati se infirmorum coaptabat.* Sciebat sanctus magister, quàm fastidiosa est infirmis res virtutis & ideo illam multiplici forma variabat, mira arte condiebat; & vt qui infirmos cibat, cibos noua ratione in dies condit, vel in minutissimas diuidit particulas; vel aliter colorat, vel ne visum offendant, absconditos seruat, & tantùm cotum buccellam proponit: sic res virtutis à doctore variè condienda est, & emollienda, & abscondenda aliquando, vt quod minimum fieri possit, appareat, ne mole sua opprimat infirmos sed potius ingeniosa arte variata, & appeti, & amari posset Nunquam non varianda est res virtutis pro infirmorum gustus excitatione, vt hinc pateat, quàm vehementer errent, qui nihil artis, nihil condimenti in virtute proponant sed omnibus eandem, eamque simplicissimam ministrent. Non hi spirituales magistri sunt, sed temporales: de animarum nostrarum doctore locutus Ioann. Apocalyps. 1. ait: *Et in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis vestitum podere, præcinctum ad mamillas.* Miratis in viro mamillas celebrari: quando & viragines illæ Amazones vna tantùm erant contentæ? Sed, quod mirere magis, accipe Isaiam cap. 60. sic Ecclesiæ felicitatem extollens, *mamilla regum lactaberis.* In regibus lactantibus Christi Ecclesiam, vna tantùm mamilla ponitur, & in doctore summo plures mamillæ nominantur? Cur in hoc plures mamillæ, & in illis vna mamilla? Pulchrè aiebat Gillibertus serm 31 in Cantic. *Promittitur in prophetia Isaiæ, quòd regum mamilla lactabitur. Mamilla, inquit, non mamillis, eo quod regum est temporalibus præcipuè bonis Ecclesiam fouere* Qui temporalia spectant commoda solùm, vnum cibum habent, & simplicem & quotidianum, quòd suis ministrent; at qui æterna spectat, & pro æternis acquirendis rem virtutis proponit, non mamillam, sed mamillas habeat, vt possit cibos variare, & aliter condire, & infirmorum gustui aptare. Id quod sapientissime docebat D. Mach. hom 17. fatus: *Virtus conditur variis formis, tanquam cibus quidam necessarius condimento, aliquando alio modo; & hoc non tantum melle, sed etiam pipere: & sic redditur vtilis.* Expende quid requirat sanctus pater, vt vtilitatem à virtute capiamus, nimirum, quòd variis formis condiatur, quod alio, & alio modo proponatur, vt appeti possit, & à nemine fastidiatur, vt solent fastidiri ab infirmis obsonia crebrò proposita absque vlla varietate. Habes Num. 11. Israelitas, dicentes: *Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi Man.* Ad quæ Apollinaris in Cat. Græca ait: *Dolent improbi vnum tantummodo cibi genus habere, quod sibi eundem semper saporem referret.* Inde inutilis, & fastidiosus cœlestis panis improbis accidebat, quòd semper idem illis esset, nullaque vel aspectus, vel saporis varietatem habere videretur. Sed hoc improbis eueniebat, verùm probi homines cœlestem cibum nacti putarunt non posse non esse multiplicem, illumque in mortariolis terebat, in tortulasque, & varia alia obsonia efformabat; quò, auxiliante Deo, in omnem saporum suauitatem variatus cœlestis panis maximam vtilitatem iustis hominibus afferebat Sic res virtutis, vt vtilis sit, vt ab infirmis ametur, non simplex, & eadem semper, sed condiatur, sed varietur, nec solùm melle sed & pipere condi debet, non tamen piper excedat mensuram condimenti.

Cant 4.

Gillib. Abb.

Apoc. 1.

Isai 60.

Machar.

Num. 11.

§. V.

Diuinum parentem afflictionum authorem, qui cognoscit, maximè confirmatur.

EO spectabat sermo à Christo Domino in præsenti institutus, vt suos præparet, imò confirmaret ad iam iam eminentes pressuras, & calamitates fortiter sustinendas. Affligendi erant discipuli magistri sui morte, affligendi Iudæorum, & Gentium tyrannide, sub quibus afflictionibus, vt discipuli fortiter se gerant, varias rationes proposuit Dominus, licèt obscurè, & in prouerbiis, modò aliam affert maximi ponderis. Ea est, quòd palam de Patre annuntiabit; hoc est, quòd palam scire faciet cœlestem Patrem, sine cuius nutu nihil non mali venit in terram. Quanta hæc consolatio homini, quòd sciat palàm habere Patrem Deum, cui omnia etiam famulantur mundi aduersa? Ionas à pisce voratus cap 2. aiebat ad Deum. *Omnes gurgites tui, & fluctus tui super me transierunt. Et ego dixi: Abiectus sum à conspectu oculorum tuorum, verumtamen rursus videbo templum sanctum.* Erat sanctus vir in ventre ceti, erat in profundo maris, sciebat se sub immensa aquarum mole constitutum, fluctus tumentes, frementésque vniuersos supra se sciebat, & interea dicebat, rursus videbo, &c. Vnde sic confirmabatur, & in spem feliciter euadendi erigebatur? Ipse explicat dum notanter ait, *omnes fluctus tui super me.* noui fluctuum immensitatem, & conciationem in me, sed noui simul tuos esse illos fluctus, tibique Deo meo famulari, & ex quo tuos noui, non potui malum euentum timere. Rem explico pulchro exemplo: exit adolescens nocturnis tenebris, vt suis vacet solus voluptatibus sed dum solus præterit, ecce tibi hinc inde aduersus illum armati insurgunt, hominem ictibus petunt, necessariam minantur necem; qualis tunc facies iuuenis, inter armatos hostes & ignotos? Quàm turbatur, quàm metuit crudeliter petitus? Sed interea dum confligitur, dum sub metu mortis fluctuat, prodeunte subita luce, fortè vidit confligentium vultum, seruósque esse parentis sui agnouit, quo maximè recreatus in salutis securitatem erigitur, meritò existimans illa bella à parentis seruis sibi illata, non ex inimicitia lethali, sed ex ingeniosa charitate venire, vt illis deterreretur à maiori periculo. Sic prorsus Ionas, dum pisce voratur dum fluctibus maris opprimitur, illuminante Deo, nouit fluctus esse fluctus summi parentis, & inde nihil non vitale sibi præsumit. Quippè ait cùm esset in profundo. *Omnes gurgites tui & fluctus tui super me transierunt. Et ego dixi, rursus videbo templum,* &c. Quod bonum videre non expectet, qui non ab aliis, quàm à sui parentis famulis videt afflictiones suas venisse? Quando qui putabantur hostes, noscuntur amici, noscuntur parentis optimi famuli, metus omnis fugit, & bella in gaudia conuertuntur, & risus. Quis ignoret sanctissimi Iob calamitates, tentationes, durissima in illum contorta iacula, opprobria ab ipsius amicis congesta? Sed quis ignoret imperterritum iusti viri animum, securissimam mentem? Vnde securitas tanta? Accipite illum cap. 19. sic ad

Ioan. 2.

Bernard.

ad irrisores suos loquentem iuxta lectionem Græcam in
Iob 15. cat. *cognoscite igitur, quia Dominus est qui conturbauit; munitionem autem suam in me exaltauit. Ecce ego ridebo opprobrio, & non loquar.* Deploratum se haberet vir sanctus si Chaldæorum turmas irruentes, si ignea iacula, si ventorum rabies, si ebullientes vermes, si tot dolorum agmina qualia essent, & vnde essent, ignoraret; verùm vbi sciuit illa de parentis diuini munitione venisse, partémque esse exercitum Deo famulantium, tantum abest, vt metuat, quin potiùs rideat, & gaudeat. Etenim ait: *cognoscite, quia Dominus est, qui conturbauit*, qui afflixit, qui percussit, *munitionem autem suam in me exaltauit*, de exercitibus suis, quibus aduersùs hostes munitur, magnam partem in me immisit; cur non rideam inter parentis famulos? Cur non gaudeam videns me peti non ab aliis, quàm ab his, qui parenti famulantur? *Ecce ego ridebo opprobrio.* Sic sanctissimus vir magnatum Hispanorum gloria dux Gandiæ Franciscus à Borgia Societatis Iesu filius, & pater, dum intempesta hyemis nocte, & niue, & ventorum tempestate, maximè affligeretur, ipse hac vna cogitatione lætabatur. Putabam, inquit, totam illam tempestatem, Dei esse munitionem, Dei esse phalanges, qui in me insurgebāt, vt patri Deo inspectanti gratificarent, quo nō poteram non lætari, & gaudere, videns ipsa iacula conuersa in Dei parentis famulos. Felix, qui sic in hostilibus iaculis palàm videt diuini parentis & famulitium, & manum, eo solo, vel afflictiones amabit. Quò refero dicta suprà lib. 3. c. 2. §. 7.

Text. In illo die in nomine meo petetis, & non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis, quia ego à Deo exiui.

§. VI.

Absque alio interpellatore, quàm citissimè auditur oratio illius, qui se audientem ostendit verbis Christi, eiusque doctrina.

QVi Christi Domini verbis, & doctrinæ credunt, dum in hac fide, & auditione sua orant ad patrem, non egēt oratore, & interpellatore alio, sed ipsi dicto citiùs à patre exaudiri noscuntur. Nequit enim pater non citissimè, & sine alio interpellatore audire illos, quos videt audientes Christo suo. Compone modò Saulem, & Dauidem: Saul 1. Reg. 15. excipiens per Samuelem notitiam Dei in se irati, ait: *Peccaui, sed nunc honora me coram senioribus populi mei, & coram Israel, & reuertere mecum, vt adorem Dominum Deum tuum.* Confitetur peccatum, & Prophetam socium orationis suæ faciendæ requirit, nec cum tanto orationis socio exauditur. Verùm Dauid 2. Reg. 12. ad Nathan totus pauidus ait: *Peccaui Domino. Dixitque Nathan ad Dauid: Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Peccatum confitetur, Dominum intimo corde orans, & statim exauditur à Domino; ait enim ipse Psalm. 4. *Cùm inuocarem, exaudiuit me.* Nulla intercessit mora, sed ipse inuocat, & Dominus exaudit. Itaque Saul orans, & habens orationum suarum socium Samuelem, non exauditur: Dauid nec à Propheta petiuit, vt oraret, nec eiusdem intercessionem requirit, sed solus orat, & statim auditur. Cur non magis petit à Nathan, vt oret simul? Cur sine alio interpellatore Dauid auditur; cùm Saul etiam cum interpellatore dimittitur? Equidem Dauid in omnibus audiens Prophetis, omni ex corde suo credidit Nathan, & iuxta eius dicta cor suum conformauit; oratio ergo illius, qui diuinis dictis audiens est, non eget interpellatore, sed ipsa protinus auditur. Aiebat Asterius in cat. Græca Psal. 4. *Cur Dauid auxilium implorans exauditus est? Quoniam reprehensus à Nathan, illico rediit ad cor. Idcirco in ipso orandi officio exauditus est.* Non multis opus fuit, vt Dauid diuina verba corde exciperet, locutus est Nathan, & statim Dauid monentem Deum audiuit, integrámque fidem habens verbis diuinis, clamauit ad Dominum in corde suo. *Idcirco in ipso orandi officio exauditus est.* Cur citissimè non exaudiatur à Deo, qui sine mora sese audientem exhibet verbis diuinis? Qui ergo Prophetam audiens, auditur; quàm citius audietur, qui audit, & suscipit Christum? Meritò dicit Iesus se non rogare pro his, qui illum amant, & credunt Dei filium, eius audientes doctrinam, ii enim apud Patrem non egent oratione alterius, sed ipsi audiētes Christum, in officio orationis dicto citius exaudiuntur. Aiebat Iesus Luc. 11. *Quis vestrûm habet amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me.* &c. Quid importunius quàm media nocte ad ostium quiescentis pulsare? Et tamen hoc exemplo introducitur à Iesu, & celebratur homo iustus, qui intempesta nocte importunè cœlestis Patris ianuas precibus pulsat. Sed qua fiducia tam importunus pulsator, & precator expectat exaudiri? Ipse ait: *Quoniam amicus meus venit à me de via.* Similem ipse ostij sui pulsatorem audierat, & exceperat, nempe Christum; ait enim August. ser. 171. de tempore. *Quis est iste hospes, qui in nocte de via venit ad amicum? Nonne est iste hospes qui dicit: Ecce sto ad ostium, & pulso, si quis aperuerit mihi, intrabo & cœnabo cum illo, ego & pater meus?* Adfuerat Iesus, pulsatat ad hominis ostium tempore satis importuno, ipse homo nihilominus pulsantem Iesum audierat, exceperat: quo non dubitat etiam importuno tempore ad ianuam summi parentis accurrere, illúmque solicitare & vocibus, & pulsibus; qui enim etiam importunè pulsantem Iesum audierat, non poterat non in simili occasione à patre omnium exaudiri. Nemo ignorat senem illum Simeonem, de quo Luc. c. 2. hic in vltima ætate constitutus, penè senio confectus, etsi adeò serò, tamen cœlestem patrem solicitabat orationibus, vt liceret videre diuinum filium. Quid tunc obtinuere seræ illæ orationes? Ait Luc. *Responsum acceperat ab Spiritu sancto non visurum se mortem, nisi priùs videret Christum Domini.* Serò satis pulsabat, sed tamen responsum accepit, & exauditus est; & cur tam serus pulsator, responsum accipit, & exauditur? Quia etiam serò ipse exceperat efficaces illos affectus videndi Christum; quia dum adeò senex se impelli sentiebat ad desiderandum Christum, ipse & senex, & penè decrepitus audiebat Christi impulsus. Qui ergo etiam sic ætate serus, nihilominus audiuit Christum, vehementer inflammatur in Christum, non potuit etiam serus rogator non exaudiri. Pulchrè D. August. serm. 20. de temp. *Multum senex iste fuit ad audiendum serus, sed ad videndum maturus. Et hoc illi concessum erat iam decrepito, quasi desideranti, & dicenti quotidie in orationibus suis: Quando veniet? Quando nascetur? Quando videbo? Putas durabo? Putas illi oculi videbunt, per quem cordis oculi reuelabuntur? Dicebat ista in orationibus suis, & pro desiderio suo accepit responsum.* Cur vel in decrepita ætate orans responsum non acciperet, quando in eadem ætate sic intentus erat in Christum? Felix qui aliquando meruit Christum audire, is enim proculdubio à summo parente exaudietur. Pater namque diuinus nescit non audire eos, quos nouit Christo suo audientes; vt etiam despicit, quos videt ad omnia Christi verba surdescere. De Iudæis repellendis ait Zach. c. 7. *Et factum est, sicut locutus est* (nimirum Spiritus sanctus per Prophetas de Christo) *& non audierunt: sic clamabunt, & non exaudiam, dicit Dominus exercituum.* Vbi Hieron. ait: *Non audies verba inclamantium, quia illi verba Domini surda aure contempserint.* Audiat necesse est diuinis vocibus, audientem se exhibeat Christi impulsibus, qui velit à Patre Deo in sua oratione exaudiri.

Text. Exiui à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.

§. VII.

Solus Iesus, & qui à Iesu in eundem spiritum vocantur, medijs exterioribus mundi tenebris non perduntur.

QVis in mundum veniens, sese ita à puluere mundano excutiet, vt purus, & immaculatus possit redire ad patrem? Quis interno quietis penetrali ad negotia proficiscetur mundialia, & prorsus ibi submersus non maneat? Id solus Iesus potest. & quicumque à Iesu in eundem spiritum vocantur: de cæteris nemo id audeat, nec homo, nec Angelus, alioquin vel à solo negotiorum mundialium fumo suffocatus cadet. De supremo illo Cherub, in paradiso Dei sui creato locutus Ioann. 12. ait, *Nunc Princeps huius mundi eijcietur foras*; vbi Diuus Gaudent. serm. 12. legit, *mittetur deorsum.* quasi idem fuisset supremis spiritibus permitti foras ire ad mundi tenebras exteriores, & mitti deorsum. Nemo enim est, qui ignoret doctrinam vulgarissimam Patribus de casu Angeli supremi: is inuidit filio hominis gloriam capitis generis humani, quam sibi affectabat, ambiens proprio nutu mundana omnia tractare negotia. Verùm vbi ad hæc exteriora mundi negotia permittitur mentem

Marginalia: 1. Reg. 15. (beside Saul 1. Reg. 15); 1. Reg. 12. (beside Dauid 2. Reg. 12); Psal. 4.; Ibidem. (beside Asterius Psal. 4.); Luc. 11.; August. (ser. 171); Luc. 2.; August. (serm. 20); Zach. 7.; Ioann. 12.; Gaudent.

mentem applicare, sic eorum suffocatur vel fumo, vt funditus perditus corruat. Non valuit Angelus mundialibus inseri negotiis, & illis iterum expeditus, ad patrem reuertere:sed illis irretitus periit. Similiter D.Luc.15. de iuniore filio,aiebat: *adolescentior filius peregrè profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè.* Quid non dissipet, quid non perdat homo minimè à patre suo missus, sed vel tota natiuitate sua renuente profectus in exteriora hominum negotia? De his locutus D.Petrus Damian.in Apologetico de contemptu sæculi, c.21.ait, *Nonnulli quandiu in ipsa vagatione sunt positi, non grauiter corruunt; reuertentes autem quasi quodam negotiorum sæcularium temere eorij in immane præcipitium deuoluuntur. Actionum quidem sæcularium fumo suffusi oculos redeunt,atque ideirco vbi pedes ponere debeant, non attendunt.* Fallar, si quis vel Angelus,vel homo non missus à Iesu,non vocatus à Iesu,vt inter externa mundi negotia degat,possit ad Patrem redire innocuus.Ierem.Thren.4.sic plorat: *Candidiores Nazaræi eius niue,nitidiores lacte,rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores. Denigrata est super carbones facies eorum, non sunt cogniti in plateis.* Expende illud, *non sunt cogniti in plateis.* quasi vellet Propheta, quòd ex eo, quòd in plateis sunt Nazaræi illi, se adeò obscurant, & deturpant, vt minimè primæua eorum pulchritudo dignosci queat. Nec miror, quin potiùs mihi id semper euidentissimum fuit, non posse non perdi in plateis sanctitatem, & splendorem illorum, qui nec à Iesu vocante,nec à paterni ordinis instituto inter negotia mundialia prosiliunt. Do vnum dulcissimum Gillib. Abbatem serm.47. in Cant.sic differentem pro verbis Ieremiæ. *Candidiores*, inquit, *Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores. Denigrata est super carbones facies eorum. Magna certè collaudatio; sed maior vituperatio. Candor niuis, lactis nitor, rubor eboris, puritas, & pulchritudo sapphiri, carbonis obducuntur nigredine. Denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis. Non sunt vtique pro Nazaræis cogniti iam in plateis. Silebo de aliys: ordinis nostri cernite viros, quàm admirabile erat nomen eorum in vniuersa terra. In viris, quando vix erant visi in plateis, statim cogniti pro sanctitatis signo erant in eis. Nunc autem nullo religionis discrimine, nullo priuilegio conuersationis, aut nullo,aut pertenui,distincti,ac signati sunt à cæteris.Ideo non sunt cogniti, quasi Nazaræi in plateis. Frequentia platearum dedecorat Nazaræos, & peregrinam speciem inducit. Mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum, ideo non sunt agniti in plateis. Non agnoscitur in eis natiuus candor, non nitor, non rubor, non pulchritudo.* Piaculum duxi aliquid decerpsisse, vt pateat quàm turpent, quàm obscurent, quàm funditus perdant negotia sæcularia;siue, vt meliùs dicam, negotiorum sæcularium fumus appropinquantes Nazaræos, nimirum, homines, quibus pro voto, & instituto est plateas fugere: & quos Dominus non cum Martha animarum mensis ministraturos amat, sed cum Maria orio sanctæ contemplationis immobiliter addicit. Necnon ex his patet, quàm turpiter erret,quisquis in mediis plateis existens de sanctorum Nazaræorum gloriatur insignibus. Hinc notabat Ierem.Thren.4.aiens: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum?* Expende illud,*in capite omnium*, &c. eò enim peruenit alicuius error, vt etiam à sanctuario dispersus in ipsa dispersione velit apparere in capite sanctitatis, glorietur quasi membrum sanctissimi, & gloriosissimi capitis. Id quod notans D.Gregor.in Pastor.2.part.cap.7.citatus à Lyppoman. in Exod. cap.18.ait: *Et notandum, quòd non hos dispersos in plateis,sed in capite platearum dicit: quia & cùm terrena agunt, summi videri appetunt, & vt lata itinera teneant ex voluptate delectationis, & tamen in platearum sint capite ex honore sanctitatis.* Suspectæ semper sint in Nazaræis plateæ; suspecta sint vel hominibus, vel Angelis negotia mundialia, nemo inter illa non perditur, nemo ex illis liber reuolat ad Patrem, nisi Iesus,& qui de Iesu habitu animarum lucra negotiatur. Qui autem Iesu vocante, & mittente in mundum venit, is facili negotio de mundi periculis se expedit, &, licèt per medias fornaces Babylonias, integer, & illæsus ad Patrem redit. Ex quo pulchrè aiebat D.Ephr.de Pœnit. inquiens:*Non combussit tres pueros caminus ignis, neque ille nocebit tibi si causa præcepti, aut ministerij ad communem vtilitatem pertinentis, in ciuitate, & in pago, & in castello versatus es.* Qui Iesu spiritu in opus ministerij mittitur, non metuat mundanorum negotiorum fumos,intèr ipsos fumos,imò inter mundi, vitiorúmque fornaces flammantes transiit illæsus. Hanc ebibant doctrinam Ecclesiæ lumina,

Luc.15. Damian. Thren.4. Gillibert. Thren.4. Exod.18. Ephrem.

sacri religiosorum ordines,& qui tanquam stellæ lucent in firmamento, hoc vnum seruent, vt manentes in ordine suo pugnent:minimè extra choream saltent, soli in arenam, & mundi stadium descendant,qui à Iesu ducuntur in opus ministerij, non qui in solitudinem designantur. Sic inter Iesum Naue, & Moysem diuisa sunt obtinendæ victoriæ munera, vt Iesus medius confertissimos hostes pugnet,Moyses in monte amicorum auxilio,& consortio internis oret.Perderetur Moyses si arma caperet,& in pugnam descenderet; perderetur Iesus, si relictis armis solùm oraret. Ideò ait Exod.17. *Fecit Iosue vt locutus erat Moyses, & pugnauit contra Amalech,Moyses autem,& Aaron & Hur ascenderunt super verticem collis. Cumque leuaret Moyses manus,vincebat Israel.* Vni Iesu Naue dicitur ibi.*& tu egressus pugna*;quia vnus Iesus,& qui à Iesu vocantur & ducuntur, securè egredi possunt, & medios mundi exercitus intrare ad pugnandum. Moyses autem, hoc est, qui ad solitudinem vocatur, & pugnas, & exercitus, & hostes caueat, nec illos videre velit, sed inter fratres orationi vacet. Id quod pulchrè tractat D. P.Dam. in Apologet. de contemptu sæculi, cap.27. fatus: *In vertice montis Moyses orabat, & duce Iosue Israel in conualle pugnabat. Sed si Moyses in adiutorium populi sui ad campestria descendisset, Amalech proculdubio Israëlitarum cedentium terga percuteret. Si ille manus ad corripienda arma deponeret, facta suorum strage facilem victoriam aduersarijs triumphantibus præbuisset.* Itaque tota perditio fuisset victoriæ, quòd Moyses à monte descenderet, & manus dimitteret etiam vt arma sumeret aduersùs inimicos, non enim id erat Moysi munus, sed Iesu, qui solus cum suis mediis confertissimis hostibus positùs, & telis expositus, nullo, quod narrari debeat,vulnere fuit percussus.

Exod.17. Damian.

Text. Dicunt ei discipuli eius: Ecce nunc palàm loqueris, & prouerbium nullum dicis. Nunc scimus, quia scis omnia, & non opus est tibi, vt quis te interroget. In hoc credimus, quia à Deo existi.

§. VIII.

Summa sapientia in eo est,quòd sciat quis renuntiare mundanis,& diuinam ostendere originem.

NVnc, aiunt, scimus, quia scis omnia; nunc enim meritò summa Saluatoris sapientia percipitur ab Apostolis,nunc,inquam,quando immediatè dixerat:*Iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Quid non sapiat, qui scit post mundum Deum Patrem inuenire? Ille summam attigit sapientiam, qui sic se composuit, vt terrena dimittens,cœlestia petens summi Patris cubiculum intret minimè ignotus filius.Ex quo aiebat Lact.lib.2.de origine erroris,c.19.*Ideoque oportet rationis,ac status sui memorem nō nisi ad superna niti semper, ac tendere. Quòd qui fecerit, hic planè sapiens,hic iustus, hic homo est, hic cœlo, Deóque dignus iudicabitur, quem suus parens non humilem, nec ad terram more quadrupedum abiectum, sed stantem potius ac rectum, sicut fecit, agnouerit.* Hæc tota est sapientiæ vis, quòd scias terreni parentis mole deposita, terrenorum excusare appetentia, in illam te rectitudinem efformare,qua cœlesti parente Deo dignus merearis haberi,ab eóque dignosci,& in eius amplexus securus intromitti.Hoc autem nisi per summam sapientiam fieri non potest. Quod miratus Iob cap.39. ait: *Nunquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad Austrum?* Expende in quo merito sapientiæ summam constituat, in renouatione, nimirum, accipitris; is enim veterascentibus plumis, imò grauantibus, & deprimentibus, ore ad Austrum stantem conuerso, eum desuper calorem ebibit, quo depositis vetustis plumis, in eo iuuentutis flore appareat, quo à parentibus fuit & cognitus, & educatus. Olympiodorus in Cat. Græc. de hac accipitris innouatione ait: *Dicitur autem accipiter versùs Austrum explicatis alis ferme erectum in aëre consistere.* Non supinus cæterorum irrationabilium more, sed erectus medio in aëre constitutus dimissis vetustis, primas natiuitatis explicat plumas. In quo præclarè totam sapientiam hominis recognoscit Rupert.de operibus Spiritus sancti lib.2.de sapientia lib.1.c.21.aiens:*Quid est ergo accipitrem in Austro plumescere, nisi quòd vnusquisque sanctorum tactus flatu sancti Spiritus conualescit,& vsum vetusta conuersationis abijcient noui hominis formam sumit?* Ille verè sapiens, ille verè in se ostendit sapientiam diuinam, qui desuper afflatus

Lactant. Iob 39. Olymp. Rupert.

afflatus vetusta abiicit, mundana despicit, nouitiam illam, in qua à Deo primùm conditus est, ostendit rectitudinem, qua non humi procumbens instar quadrupedum, sed rectus Deo nouus homo exhibeatur, & filius. Ad hæc aiebat Nazianz. orat.15. de Plaga grandinis: *Prima autem sapientia est vita proba, & honesta, Deóque perpurgata, vel certè se purgans, Deo, inquam, qui purissimus, & splendidissimus est, solumque purgationis sacrificium à nobis requirit; quod quidem cor contritum, & laudis sacrificium, & nouam creaturam in Christo, & nouum hominem appellare scriptura consueuit.* Ecce tibi perfectam hominis sapientiam, imò primam, & sapientiam in eo consistere quòd instar accipitrum ab infimis euolemus, medióque cœlo erecti in cœlestia vetustis purgemur, & caducis, nouaque fiamus creatura, limpidissimásque aspirantes auras, limpissimi Dei appareamus filij. Sic qui sapiunt, instar accipitris limpidissimis auris pascuntur, vt primæua floreant iuuentute: non instar aranearum sordida semper meditantur, & spurca. Psalm.89. *Anni nostri sicut aranea meditabuntur.* Compone tibi accipitrem, & araneam; vt notes mundiales sapientes, & diuinos. Accipiter medio cœlo ad Austrum aspicit, nil nisi mundum, & lucidum cogitat, solam meditatur renouationem suam, qua gaudet, qua iuuenescit: aranea in angulis parietum obscura quærit, sordidas telas confingit; solùm meditatur sordidorum animalculorum captionem, de luce, de propria innouatione prorsus nihil. Siccine, qui summam adepti sunt sapientiam, de australi, lucidóque halitu student innouari, mensæque summi parentis aptari instar nouellæ oliuarum. At mundiales sapientes instar aranearum tenebras captionum amant, nihil non terrenum, & sordidum meditantur, retia spurcissima expandunt, vt vilia capiant, nihil de magnis, & splendidis sciunt cogitare, nec dum facere. Pulchrè D. Petrus Damian. lib.6. epist.17. de quodam præstantissimo mundi sapiente, suóque magistro lamentatur, qui post peragratum orbem sapientiæ acquirendæ causa, tandem æmulorum inuidia lethaliter vulneratus occubuit. *Qui confossus gladijs, non Sacerdotes petijt, non de transactis confessionem, vel pœnitudinem gessit: sed vsque ad vltimum spiritum hoc solum inclamare non desiit; Heu quale damnum, heu quale damnum! Siquid autem sibi, vel de confessione fatienda, vel aliud quid dicebatur, ille iam alienatus, hoc solummodo repetebat: Heu quale damnum! Hic itaque velut aranea inextricabilia sub tegminis fila contexuit: sed mox, vt eas ventus vltimæ necessitatis impulit, protinus in nihilum omnia dissipauit. Anni quippe nostri, testante Propheta, sicut aranea meditabuntur.* Quis virum istum sapientem, & non potiùs stultissimum vocet? Post summo sudore quæsitam sapientiam, nec ingenuam vocem ab illa didicit, qua possit saltem, vt prodigus filius ad Patrem recurrere; nihil lucis æternæ meditatus, non cœlestem in se originem, sed extremam miseriam ostendit seruitutis. Pulchrè de his stultissimis sapientibus, ait Baruch cap. 3. *Filij quoque Agar, qui exquisierunt prudentiam, quæ de terra est, negotiatores terræ, & Theman, & fabulatores, & exquisitores prudentiæ, & intelligentiæ: vitam autem sapientiæ nescierunt, neque commemorati sunt semitas eius.* Expende, quòd vocantur filij Agar, nempe filij ancillæ; nunquam enim sapientes mundiales spiritum adoptionis filiorum habent, sed spiritum seruitutis; numquam ingenuam emittunt vocem, qua verum Patrem cœlestem inuocent; sed velut serui, & mancipia cupiditatum suarum terrenis, & vilibus mundi bonis inseruientes, hæc amant, hæc exquirunt: de iis autem, quæ ad veram sapientiam pertinent, nec reminiscuntur. Meritò dicebat Sponsa Cant.3. *Per vicos & plateas quæram, quæ diligit anima mea, quæsiui illum, & non inueni.* Minimè enim sapientia cœlestis, nec eius memoria aut notitia inuenitur apud eos, qui sese immergunt sordidis mundi bonis, & corruptibilibus. Ex quo Gillibert. Abbas serm. 5. in Cantic. ait: *Exi in plateas, & vicos ciuitatis, otia discute, scrutare negotia eorum, qui iudicijs vacant, qui tenent cathedram, qui sedem in tribunalibus, contemplare, quid agant in publico, quid in cubiculo. Numquid apud illos pura, & vera, & cœlestis eminet sapientia? Nunquid expressa est in moribus, quæ in sermone versatur? Nunquid in prospectu inuenies illam? Nunquid exaltatam, sicut Cedrum in Libano, & sicut Cypressum in monte Sion? Quanta peruersitas, si sapientia, quæ litibus vacat, quæ lucra sectatur, supereminet, & diuina latet? Supereminet litigiosa, & ea quæ pudica est, quæ pacifica, quæ bonis consentiens, contempta delitescit velut in obscuro. Illa excolitur; illa negligitur ac sterilis, & parum luctuosa.* Non apparet, non cernitur sapientia vera in his, qui inseruiunt mundialibus lucris; apud hos nihili sapientia æstimatur, quin potiùs abiicitur, & respuitur; sola amata prudentia, quæ de terra est, in qua non veritas, sed mendacium inuenitur, adeò vt iam sit propria mundialium sapientium notio illa, qua describuntur à Baruch supra, nimirum: *Negotiatores terræ, & fabulatores, & exquisitores prudentiæ, & intelligentiæ, viam autem sapientiæ nescierunt.* Vt vel ex mendaciis liceat euidenter conijcere mundanum affectum doctoris, scribentis, aut docentis, qui eo ipso, quòd mundo inseruiat, non poterit non scatere mendaciis, si vel loquatur, vel scribat. Mirabar ego aliquando legens codices à sapientissimis viris conscriptos siue pro defensione, vel offensione aliquorum, tot támque euidentibus mendaciis fartos, vt puderet illorum auctores meminisse. Deus bone, quî fieri potest, quòd sapientissimorum, grauissimorúmque hominum calami non erubescant conscribere adeò aperta mendacia? Sanè ea est sapientia mundana, dum propriis affectibus seruit; cuiuscumque illa sit, sui præbet in mendaciis notitiam. Idem est enim fabulator, & exquisitor prudentiæ, & intelligentiæ terrenæ.

Nazianz. (margin) — Psal.89. (margin) — Damian. (margin) — Baruch 3. (margin) — Cant.3. (margin) — Gillibert. (margin)

§. IX.

Omnigena sapientia, & eruditione magister Christianus imbuendus est.

Ecce vnde extollant Apostoli diuinissimi magistri sui sapientiam, nimirum, ex omnigena illius cognitione, & eruditione, aiunt enim: *Nunc scimus, quia scis omnia.* Quale hoc encomium Christianissimi magistri? An decet religiosum magistrum sic omniscium esse, vt nihil profanarum facultatum illum lateat? Equidem hos amat Iesus in Ecclesia sua magistros, hos amat doctores, qui omnia percalleant, qui eruditi sint in omni lingua etiam Ægyptiorum. Non otiosè de se aiebat Iesus in hoc eodem sermone Ioann.15. *Ego sum vitis*, vitem se nominat, vt sapientissimos ostendat cultores suos, & scientes vti variis, & diuersis instrumentis, vel ligone vt fodiant, vel falce, vt resecet luxuriantes pampinos; & simul totum prætorum negotium pro torcularibus teneant ad exprimendum succum, nec ignorent ligaturas. Vt ergo ille erit optimus vitis cultor, qui ligone, qui falce, qui ligaminibus, qui prælis sciat vti, pro vitis cultura; sic ille erit optimus magister in Christi Ecclesia, qui omnes facultates etiam profanas sciat reducere in ornatum, & cultum Christianæ doctrinæ. Ad hæc docebat Clem. Alex. Stromat. lib.1. inquiens. *Dicitur autem Dominus vitis allegoricè, à quo cum diligentia, & agri colendi arte quæ fit ratione & sermone, fructus est vendimiandus. Putare oportet, fodere, & ligare, & reliqua facere. Falce, vt sentio, & ligone, & aliis rusticis instrumentis ad vitis curam opus est, vt nobis fructum producat esculentum. Quemadmodum autem in agricultura, ita etiam in medicina, ille vtiliter didicit, qui varias attigit disciplinas, vt possit meliùs colere, & curare. Ita hîc etiam eum bene, & vtiliter eruditum existimo, qui omnia refert ad veritatem, adeò vt ex Geometria, & ex Musica, & ex Grammatica, & ipsa Philosophia colligens, quod vtile, nullis insidijs interceptam seruet fidem.* Nulli studio, nulli facultati parcat optimus Ecclesiæ magister, & Geometriam, & Musicam, & Grammaticam, & Philosophiam vniuersam percallèat, ex his colligens vtilia, illáque referens ad fidei veritates exornandas, illustrandas, poliendas; ne quid fides patiatur in intellectus dotibus inimicum. Immisit Dominus somnium regi Babylonio Nabuchodonosor Dan.2. quod somnium, vt diuinitus immissum, & diuina continens mysteria, sit, vt notat Rup. diutius non potuit in regis impij memoria perseuerare, imò subitò auolauit. Quid tunc rex? *Præcepit autem rex, vt conuocarentur arioli, & magi, & malefici, & Chaldæi, vt indicarent regi somnia sua.* Quid magis stultum? Quid magis impium? Vt diuina mysteria somnio inclusa pandantur ad profanissimas ariolorum, magorum, & Chaldæorum concurrere facultates, nónne hoc impiissimum est? Hoc credes regali animo peractum, & non potiùs à vili cupiditatum mancipio? Quin potiùs omnium regalissimum crediderim, profanas, vniuersas facultates euocare in vnum, vt seruiant illustrandi mysteriis diuinis. Accipite Richardum Victorinum lib. 1. de eruditione interioris hominis part.1.c.2. fantem. *Regium profectò animum gerit, qui desiderijs suis imperare, & studia sua, & exercitia pro deliberationis arbitrio disponere consueuit. Eiusmodi itaque animus regius omnes sapientes Babylonios in vnum conuenire facit: & diuersas quodammodo sectas in vnum per scrutinium cogit, & omnem indagationem, quam per varia studia, & exercitia dispergere consueuit, vni*

Ioann.15. (margin) — Cl.Alex. (margin) — Dan.2. (margin) — Richard. (margin)

& soli cœlestis doctrinæ negotio impendit. Quid regalius, quàm si vniuersas facultates tibi subiicias, vt eas facias diuinæ seruire doctrinæ? Tunc regium suum animum optimus magister ostendit, quando in Salomonis curru, in diuinæ sapientiæ triumpho, facit profanissimas quasque facultates hinc inde apparere captiuas. Quando non honestarunt imperatorium triumphum barbarorum alligatorum turbæ currui addictæ? Sanè non sic imperator gloriosus apparuit in arena hostes fugans, quam Romæ confertissimis alligatorum hostium medius cuneis. Nec sic Christianus magister triumphat, dum prophanas facultates abiicit, quàm dum illas facit diuinæ sapientiæ seruire. Postquam Aaronis virga in colubrum conuersa fuerat Exod. 7. *Vocauit Pharao sapientes, & maleficos, & fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptiacas, & arcana quædam similiter. Proiecerunt que singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones, sed deuorauit virga Aaron virgas eorum.* Deuorauit, ait, non fugauit, non occidit; suffecisset ad ostensionem potestatis, quòd ex virga Aaron factus coluber vel sibilo exsufflaret prorsus, & occideret omnes colubros è sapientum Ægyptiorum factos virgis; cur exsufflare noluit? Cur illos manducare maluit? Non equidem sic ostenditur religiosa sapientia, dum abiicit profanas facultates; quàm dum eas mandit, mentisque decoquit ventriculo, & quod in singulis inuenit vtile, incorporat sibi. Non longè abest D.P. Damian. lib. 8. epist. 9. *Virga quippe Aaron maleficiorum virgas absorbuit, quia sapientia Christi, quam illa signabat, omnes huius mundi sapientias annullauit: mundique sapientes sui corporis, quod est Ecclesia, visceribus coniunxit.* O quam nitet regia Christi sponsa à dextris consistens, in vestitu deaurato, circundata varietate, dum magistrorum suorum varia eruditione triumphat! An summum Sacerdotem dehonestabat in veste depictus totus orbis terrarum? Sic nec regiam Christi sponsam turpant, sed decorant, & ornant terrenæ sapientiæ flores seruientes cœlesti doctrinæ! Sed non tales magistri Apostoli, imò simplices homines, veri Christianitatis magistri omnem profanum splendorem fugientes Christianæ veritatis doctrinam annuntiant. Hoc spiculo confodiebatur omnimoda D. Nazianzeni sapientia, & eloquentia, dum sanctus Pater viueret. Pro quo ipse ait, orat. 27. *Quoniam non aliam ob causam bello petimur, quàm propter eloquentiam, & superuacaneam hanc, & inuidiosam linguam, quam in prophanis doctrinis eruditam, diuinis postea nobilitauimus, salsámque illam, & amaram Maram per vitæ lignum dulcem reddidimus, affectum sanè induistis animis ingenuis, & liberalibus dignum: hoc amatis, ob quod oppugnamur. Cur enim mutam eruditionem amplexi non sumus? Cur non aridam, & humi reptantem? Cur, cum ea plerosque delectari conspiceremus, in peregrina quædam, & aliena studia incumbebamus, atque aduersariys linguis obsistebamus, cum contra oportuerit ratiocinationes per temeritatem desugere, ac mutæ inscitiæ fidei nomen imponere: quam ipse quoque, mihi credite, complexus essem, vt piscator (quandoquidem hoc multis ab inscitiæ prætextu in promptu est,) si sermonis, ac doctrinæ loco signorum ac miraculorum vim haberent.* Cur ad eruditionis ornatum confugerent, qui simplicem fidei veritatem signis ornabant, & miraculis? Cur non deuitarentur iuxta Pauli monitum profanæ facultates ab Ecclesiæ magistris eo præcipuè tempore, quo pro eloquentiæ fluminibus, maria calcabantur pedibus humanis: pro Auicennæ, Galeníque placitis, mortui in vitam euocabantur; pro Solonis legibus, naturæ ipsius legibus superabantur. Quid Geometriæ, Musicæ, Grammaticæ, Philosophiæ notitia commodi afferret illis hominibus, quorum verbis respondebat inusitatis prodigiis totus orbis terrarum? Sanè vbi tot manabant miracula, & sanguis Christi in vitreis, siue in ligneis agebat vasculis & totus Ecclesiæ ornatus pauperculis pannis constabat. Verùm vbi miracula cessarunt, & gemmæ, & aurum excipiunt Dominicum calicem; nec nisi sub pretiosis tapetibus, ambitiosisque tectis fulget Ecclesiæ Christianæ ornatus. Et licèt religiosi aliqui ordines sanctissimè obseruent illam antiquam Apostolorum paupertatem in paramentis etiam sacris; non tamen licet non laudare, & celebrare illorum animum, qui splendidissima, & pretiosissima mundi bona faciunt seruire Christi altaribus. Quod similiter insinuat magnus Theologus Nazianz. In sapientiæ Christianæ ornatu; fuerit is simplex, & pauper, vbi erant miracula, tempus miraculis, & signis necessarium insumeretur in studio profanarum facultatum. Ast vbi non suppetunt miracula, etsi aliquis religiosorum velit adhuc iuxta instituti sui sanctissimas regulas, pristinam seruare in doctrinis simplicitatem, & paupertatem; verùm laudandus est ille magister sapientiæ Christianæ, qui de omnium facultatum studio doctrinas ditat, & exornat Christianas. Imò talium magistrorum schola in Christi Ecclesia, maximè cupienda, & exoptanda est. Ait enim Clem. Alex. lib. 1. Strom. *Qui autem singula refert ad rectam vitam, exempla afferens ex Græcis, & ex barbaris, is valde peritus veritatis inuestigator, & multi reuera consilij, instar lapidis Indici, (is est autem Lydius.) creditur posse discernere aurum adulterinum à probo, & aptus esse is, qui ex nobis habet multam rerum experientiam & cognitionem, ad separandum, Sophisticam quidem à Philosophia; ornatricem autem à gymnastica, & culinariam à medicina, & dicendi artem à Dialectica, quin etiam alias hæreses, quæ sunt in barbara philosophia, ab ipsa veritate.* Expendite quos magistros constituat bonus doctor in Ecclesia Christiana pro Lydiis lapidibus ad discernendum aurum, pro certis indicibus ad discernenda vera à falsis; nimirum magistros illos, qui non vnum solum, eúmque planum, & omni mutilum amœnitate triuerint callem; sed qui in multiplici via versari, de vniuersarum scholarum pulchritudinibus sapientiam sibi exornarint Christianam.

Exod. 7.

Damian.

Nazianz.

Cl. Alex.

§. X.

Euidens fit virtus diuina in dignoscendis hominum præcordijs.

Meritò in hoc conuincuntur discipuli Iesum esse filium Dei, haberéque diuinam virtutem, quòd experiantur, omnia suorum cordium secreta illi prorsus patere, adeò vt non egeant ab illo quidquam interrogare. In hoc, aiunt, credimus, quia à Deo existi: deficerent, licèt, alia testimonia, ex hoc vno euidens maneret virtus diuina, quæ sola nouit interni cordis humani respondere desideriis, omnia perspiciens. Vidit hoc impiissimus Babyloniæ rex, cuius à memoria cùm auolassent somnia, ex nullo sapientum suorum discere potuit, quid esset, quòd in somniis cogitasset. Quid tunc? Iubentur vniuersi sapientes perire, & dum necabantur accessit Daniel, qui regi omnia cordis sui intima ita explanauit, & manifesta fecit, vt rex omni dubio, & solicitudine deposita clamaret Dan. 2. *Verè Deus vester, Deus Deorum est, & Dominus regum, & reuelans mysteria, quoniam tu potuisti aperire hoc Sacramentum.* Prudentissimè non extollit Danielem, nec Danielis sapientiam laudat, sed totus occupatur in agnoscendo, & laudando, & extollendo Deo vero. Vbi enim vel barbarissimus homo experitur intima sui cordis penetrata, & propalata, nihil industriæ tribuit creatæ, sed à suprema, diuináque virtute sola id potuisse fieri proclamat. Hinc ad præfata regis verba ait Richard. Vict. lib. 1. de eruditione interioris hominis, part. 1. c. 41. *Ex eo enim quòd sibi secreta cordis sui, ex eo item quòd sibi arcana consilij diuini reuelauit, mira ingenij viuacitate summæ diuinitatis reuelationem perpendit. Ex eo autem quòd de secreto sui cordis audiuit, & verum probauit, verum & illud esse collegit, quod de diuinitatis consilio, & proposito, interim per experientiam probare non potuit. Prudenter igitur animaduertit summam sapientiam esse, quæ Danieli potuit in tam tenebrosa humani cordis abysso alienæ conscientiæ secreta aperire.* Nulla res sic euidenter manifestat virtutem diuinam, vt penetratio, quæ peruenit vsque ad cordis humani intima. De hoc plura dedimus supra lib. 9. cap. 1. §. 8.

Daniel. 2.

Richard.

Text. Respondit eis Iesus, modò creditis? Ecce venit hora, & iam venit, vt dispergamini vnusquisque in propria, & me solum relinquatis: & non solum solus, quia Pater mecum est. Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum.

§. XI.

Diuinissimum est ita causis studere communibus, vt nunquam propriam recurras.

Ecce tibi dum aduenit hora, in qua agẽdum erat de cõmuni humani generis salute, omnibus Apostolis in propria currẽtibus, solus Iesus in stadio relinquitur. Solus enim ille, qui diuinitate impletur, qui verè Deus est, scit propriis cedere, cùm intercedit causa communis. Audierat Ezechias rex

rex vastandam esse prouinciam ab hostibus post discessum suum; vasaque templi tollenda, miseros Ierosolymitanos durissima captiuitate premendos. Et quid faceret rex pius tantum suorum malum audiens? An sese opposuit velut Moyses, propriámque salutem contempsit, vt communis populi seruaretur salus? Minimè: sed dixit Isaiæ cap. 39. *Isai. 39.* *Bonum verbum Domini, quod locutus est: fiat tantum pax, & veritas in diebus meis.* Vni sibi consulit, pro populo, nec verbum facit. Quod notans Isaias immediatè ait initio capitis 40. *Isai. 40.* *Consolamini populo meus, dicit Deus vester. Loquimini ad cor Ierusalem, aduocate eam: quoniam completa est malitia eius, dimissa est iniquitas illius, suscepit ad manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini.* Expendendus est nexus prophetiæ, vt videantur quorsum inferatur in præsenti Dominicus aduentus: agebar Propheta cum Ezechia de captiuitate populo imminente, pro qua cùm non rogat Ezechias, vt tantùm sibi consuleret, statim Christi subnectit aduentum, ex quo maximam populo consolationem præcinit. Et cur sibi tantùm consulente Ezechia, Dominicus prænunciatur aduentus, nisi vt ostendatur, quàm solus sit Iesus, qui pro populo, salutéque communi, propriam despiciens precetur? Aiebat D. Hieron. ibi: *Hieron.* *Ezechias Dei sermonibus non probatur, qui in consequentibus loquitur. Consolamini, consolamini populo meus, dicit Deus vester, vt pro quibus ille non rogauerat, Domini clementia consoletur.* Tota clementia humana, vt propria consulat, communibus deficit, & alienis: non sic diuina clementia, quæ despicit propriam, vbi communis hominum salus expectat. Consolationem ergo capiat fidelis, licèt enim vniuersi principes dispergantur in propria, habet tamen vnum Iesum Dei filium, cuius clementia tanta est, vt pro communi suorum bono, sciat propriis bonis cedere. Equidem qui non rapiatur in propria, solus Iesus est, & qui Iesu spiritu implentur. Ad Philip. 2 ait Paul. *Philip. 2.* *Non quæ sua sunt singuli considerantes, sed quæ aliorum. Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus*, &c. Placet eadem verba repetere iuxta lectionem, quam ex Græco tradunt D. August. & D. Thom. *August. D. Thom.* quippe aiunt: *Ne sua quisque spectet: sed vnusquisque quæ sunt aliorum. Is enim affectus sit in vobis, qui fuit in Christo Iesu; qui cum esset*, &c. Expende, cur moneamur ne ad nostra propria curramus, sed ad communia aliorum; vt nimirum, eo ipso ostendamus in nobis sensum Domini, ostendamus in nobis affectum, qui proprissimus fuit affectus Iesu, qui propriam despiciens, se totum impendit pro salute populorum. Vnde D. Anselm. ait: *Anselm.* *Monemur, vt sicut ille in eo, quòd Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & sine peccato cùm esset, peccata nostra suscepit, non attendens sua sed nostra; ita & nos ad eius imitationem, non nostram vtilitatem, sed aliorum quæramus.* Hæc diuinissima virtus à filio Dei, à Iesu nostro in alumnos suos proficisci debet, quæ sciat sua despicere, & ad aliorum bona maximè intendere. Quò respiciebat Malach. cap. 4. de ortu Saluatoris, & *Malach. 4.* regis nostri Iesu locutus: *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ*, &c. De quo ait D. Ambros. lib. 1. officior. *Ambros.* cap. 28. *Magnus itaque iustitiæ splendor, quæ aliis potius nascitur, quàm sibi.* Equidem iustitiæ Christianæ Sol, minimè nasci dicitur sibi, sed vobis, inquit, timentibus nomen meum orietur, &c. hanc enim virtutem, & iustitiam Dei filius attulit terris, quæ sua dissimulans, imò perdens, commodis studeat alienis. Ex quo etiam D. Ambros. lib. 1. *Idem.* officior. cap. 2. docet: *Qui perfectè sapit, nescit sua spectare commoda, sed ad illud, quod æternum est, quod decorum atque honestum toto affectu intendit, quærens non quod sibi vtile est, sed quod omnibus.* Hanc ebibant diuinam virtutem quicumque à Christo dispergi nolunt; semper enim propria dispersionem afferunt à fratribus, & à Deo. Hanc ebibit ille vir desideriorum bonorum Daniel, cui Christi mysteria de eius regno & victoria mundi reuelata sunt, & tot Christi mysteriis plenus cap. 2. eructat in hanc vocem. *Tunc Danieli mysterium per visionem noctè reuelatum est, & benedixit Daniel Deum cæli, & locutus ait, sit nomen Domini benedictum à sæculo, & vsque in sæculum: quia sapientia & fortitudo eius sunt. Et ipse mutat tempora, & ætates; transfert regna, atque constituit: dat sapientiam sapientibus, & scientiam intelligentibus disciplinam. Tibi Deus Patrum meorum confiteor, atque laudo, quia sapientiam, & fortitudinem dedisti mihi: & nunc ostendisti mihi, quæ rogauimus te*, &c. Cur non prius hæc sibi illata beneficia meminit? Cur cùm primùm reuelationem accepit, non statim exclamat hoc vltimum, nimirùm, tibi Deus laudo, quia sapientiam dedisti mihi? Cur prius communissima illa retulit, scilicet, dat sapientiam sapientibus, & scientiam intelligentibus? Equidem mysteriis Christi imburus, nil prius, de quo lætaretur, inuenit, quam de communibus aliorum bonis; vbi regnum Christi nouit, communia priuatis didicit præferre. Vnde aiebat Richard. Vict. lib. 1. de eruditione interioris hominis part. 1. *Richard.* cap. 14. *Superius dixit: Dat sapientiam sapientibus. Hic autem dicit: quia sapientiam, & fortitudinem dedisti mihi. Præcipuus ordo charitatis bona communia præfere priuatis.* Prius in communibus lætatur, quam in suis, vt qui totus erat plenus mysterio Christi, qui nec nasci, nec mori sibi voluit, sed suis. De quo plura suprà lib. 3. cap. 5. §. 9.

§. XII.

Prælatorum Ecclesiasticorum malum est, quòd sibi habeant vt propria, Ecclesiæ bona.

HOc malum discipulis suis Dominus imminere prænuntiat, quòd nimirum, dispergendi erant singuli in propria. Numquam enim calamitosum fuit Ecclesiæ principibus, quòd propria se habere putent in Ecclesiæ redditibus. Aiebat D. August. citatus à D. Petro Damian. lib. 1. *August.* epist. 16. *Qui mecum manere vult, si paratus est pasci à Deo per Ecclesiam ipsius, non habere aliquid proprium; sed aut erogare pauperibus, aut in commune mittere, maneat mecum; qui hoc non vult, habeat libertatem, sed videat vtrùm habere possit felicitatis æternitatem.* Hoc omnibus Ecclesiasticis Augustinus minatur, quibus propria debent semper esse suspecta, & calamitosa. Ex quo enim quis de altari viuere statuit, nihil magis studeat, quàm omnem proprietatem fugere. Ad Abraham dum cum illo fœdus iniret, aiebat Dominus Genes. 16. *Genes. 16.* *Sarai vxorem tuam, non vocabis Sarai, sed Saram.* Porrò Sarai significabat Principem meã, Sara autem significat Principem, ablato illo proprietatis pronomine, videlicet, *meam.* Sed cur Abrahamo fœderato cum Deo non permittitur vocari vxor Princeps mea? In signum eorum, qui sibi despondent Ecclesiam Christi, qui eo ipso nihil suum debent reputare in mundo. Hinc eleganter D. Bernard. mo- *Bernard.* nebat Eugenium, Summum creatum Pontific. epist. 237. inquiens: *Superest vt facta hac mutatione tui, ipsa quoque quæ tibi commissa est, Domini tui sponsa mutetur in melius: & iam nequaquam Sarai, sed Sara de cætero nominetur. Intellige, quæ dico. Dabit enim tibi Dominus intellectum. Si amicus sponsi es, ne dixeris dilectam eius Principem meam, sed Principem: nihil tuum in ea vendicans, nisi quòd pro ea, si oportuerit, etiam animam dare debes.* Huc veniant vniuersi Ecclesiarum præsules; huc veniant vniuersi religiosorum Prælati, & discant qualiter Christi sponsarum dotes, nimirum, Ecclesiarum dignitates, & prouentus reputare debeant. Nihil ex Ecclesiæ bonis suum putent, nihil vt proprium æstiment, nisi velint à Deo discedere. Aiebat Dominus ad Apostolos in præsenti, Ioann. 16. *Venit hora, vt dispergamini vnusquisque in propria, & me solum relinquatis.* *Ioann. 16.* Ad quæ verba ait sanctus Sixtus Pap. lib. de diuitiis. *Ad sua redire non possunt, nisi cùm Dominum derelinquunt. Vnde intelligi datur, sequentium esse, sua contemnere, ad sua remeare velle, deserentium.* Ille se putet Christi amicum, Christi esse in numero Prælatorum, qui nihil scit habere suum, habere proprium, qui enim habet suum, habet proprium, non habet Christum. Nónne illa erat vox sequentium Dominum Psal. 72. *Psal. 72.* *Pars mea Dominus?* Sed nec in parte Dominum habet, qui aliquid habet suum proprium. Vnde D. Hieron. epist. ad *Hieron.* Nepotianum, ait: *Qui Dominum possidet, & cum Propheta dicit: Pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere potest. Quòd si quidpiam aliud habuerit præter Dominum, pars eius non erit Dominus.* Sic bonis vtatur, quasi nihil suum habeat, quisquis velit habere Dominum, adeò vt etiam in elargiendis eleemosynis malit videri distribuere aliena, quàm propria. Id quod monebat D. Gregor. 3. pastor. 21. *Gregor.* aiens: *Admonendi sunt igitur animarum pastores, qui iam quæ possident, misericorditer tribuunt, vt à cælesti Domino dispensatores se positos subsidiorum temporalium agnoscant, & tanto humiliter præbeant, quanto & aliena esse intelligunt, quæ dispensant*, &c. Huc retulerim, quæ diximus supra lib. 6. c. 1. §. 23. vbi expendimus quàm debeant esse viri Ecclesiæ alieni à cupiditate bonorum terrenorum.

§. XIII.

Vbi proprium lucrum, ibi diuisio etiam inter coniunctissimos.

Sapienter dictum est illud, *vt dispergamini in propria*, vbi enim proprium lucrum interuenit, ibi & dispersio, & diuisio vnanimorum intercedat, necessum est. Actor.4. habes; *Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna, nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Simul erant, & propriorum abnegatio, & vnanimitatis, quam necessariò soluit lucrum proprium; ad hæc P. Damian.lib.1.epist. 16. ait: *Ecce vbi non erat diuersitas rerum, vigebat vnitas voluntatum. Nimirum, vbi non est diuisio census, in vnione charitatis plurimarum mentium conflatur affectus. Illic enim mens à mente diuiditur, vbi facultatum communio non tenetur, vbi possessionum diuersa proprietas.ibi mens possidentium non est vna.* Quas vniones, & vnanimitates non scindunt illa notissima pronomina, *meum*, & *tuum*? Nec quos natura arctissimè coniunxit, illis intercedentibus non separantur. Ad fratris filium aiebat Abraham Genes.13. *Ecce vniuersa terra coram te est, recede à me obsecro; si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam.* Sed tantæ separationis inter fratres, qualis fuit causa? *Ne*, inquit, *sit iurgium inter me, & te, inter pastores meos, & pastores tuos.* Vbi *meum* & *tuum* intercedebat, non poterat deesse diuisio vel inter coniunctissimos. Pulchrè D.Chrysost.hom.33. in Gen. *Antea erat pax, & charitatis vinculum; nunc rixa, & contentio. Vbi enim meum, & tuum, illic omnium litium genus, & contentionis occasio; vbi autem hæc non sunt, ibi secura versatur pax, & concordia.* Absit proprij lucri cupiditas, & cessant lites, & vix est occasio discordiæ; ast vbi illud intercedit, arctissima & amicitiæ, & naturæ fœdera rumpuntur. Quod vinculum magis arctum, quàm inter discipulum, & magistrum, inter Deum, & creaturam, inter Iesum & Iudam? De hoc aiebat Dominus, Psal.54. *Vnanimis meus, dux meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos.* Hanc totam vnanimitatem rupit miser, vbi iuxta Ioan.c.12. loculos habere cœpit: ex quo monebat P.Dam. lib.1. epist.16. *Quisquis proprietatis conatur habere peculium, non valet Apostolorum tenere vestigia, quia non erit illi cum fratribus cor vnum, & anima vna. Cum Iuda siquidem loculos, atque pecuniam habere potest, vnanimitatem, purámque concordiam cum Apostolis habere non potest.* Eo ipso quòd tuum aliquid incipias habere, nullum manet securum vinculum vnionis. Hinc Psalm.72. *Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Nihil suum habere vult, vt cum Deo æternam possit habere vnionem. Ad quod ait D.Bernard. serm. de diuersis affectibus animæ. *Neque enim suum aliquid, non felicitatem, non gloriam, non aliud quidquam tanquam priuato sui ipsius amore desiderat anima, quæ huiusmodi est: sed tota pergit in Deum, vt ipsi adhæreat, ipso fruatur.* Vt adhærere cupit Deo, sic omne suum abiicit, quia si suum aliquid maneret, non potuisset vnio cum Deo non labare.

Actor.4. Damian. Genes.33. Chrysost. Psal.54. Damian. Psal.72. Bernard.

LIBER

LIBER DECIMVSQVINTVS, DE SIMILITVDINIBVS CLARIORIBVS A CHRISTO DOMINO ADDVCTIS.

DVo similitudinum genera inuenio à Christo Domino adducta, vt diuinissimos suos sermones exornaret, alterum clarum, subobscurum alterum, quod ideo parabolicum affirmatur. De hoc latiùs agemus in sequentibus; illud modò suscepimus illustrandum, pro quo illustriores similitudines in hæc nostra commentaria vocamus.

CAPVT I.

De seruo vigili, & alijs.

CVm Dominus apud Lucam cap.12. hominum mentes à terrenorum bonorum curis auocaret, vt id prorsus conficeret, cœlestia munera, eáque regalissima à summo parente pusillo suo gregi parata proponit. Ne iam sit qui dubitet de paruulis reculis accipiendis, cùm videat sibi parata esse regna cœlestia. Imò in his solis habendis totas suas curas, totas suas vigilias expendat: ad quod poterit quis excitari exemplo seruorum mundialium, qui lætum Domini aduentum expectant, nonnullo sibi proposito lucro vigiliarum suarum. Vel item exemplo prauorum seruorum, qui dum aduentum Domini minimè expectant, sæuissima incurrunt flagra in desidiæ pœnam.

Luc.12. Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Vendite, quæ possidetis, & date eleemosynam.

§. I.

Bruta animalia in Deo cognoscendo, minus nequiora, quàm homo.

QVid summo Patri cum grege? Grex pecoribus componitur; pater ratione pacis filium respicit. Cur ergo Pater cœlestis non magis dicitur parare regnum filiis hominum, quam gregi? Pulchrè grex nominatur, qui ad auctoris sui erigitur cognitionem, & expectationem, quando homo stultior est pecore in cognoscendo bonorum suorum auctore. Accipite vnum Nabuchodonosorem inter homines agentem, latissimo florentem imperio. Quid iste inter hæc? Dan.5. *Respondítque rex, & ait: Nónne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Quid stultius? Hæc tamen dicebat rex in regia, homo inter homines; sed statim sensit diuinum flagellum: ab hominibus eiectus est, ferarum, pecorúmque inter greges degebat, ait enim textus: *Et eadem hora sermo completus est super Nabuchodonosor, & ex hominibus abiectus est, & fœnum vt bos comedit, & rore cæli corpus eius infectum est, donec capilli eius in similitudinem aquilarum crescerent, & vngues eius quasi auium. Igitur post finem dierum ego Nabuchodonosor oculos meos ad cælum leuaui, & sensus meus redditus est mihi, & Altissimo benedixi, & viuentem* Dan.5.

in sempiternum laudaui, & glorificaui, quia potestas eius potestas sempiterna, &c. Expende modò vnius hominis & superbam cæcitatem, & laudabilem sapientiam: antea ipse & propriæ gloriæ, & virtuti propriæ omnia augmenta regni tribuebat, nullum alium auctorem bonorum recognoscens, nec Deum: modò sic capit, vt nihil sibi, sed omnia bona Deo tribuat, quem laudat, quem glorificat, de cuius manu restitui sibi regnum sperat. Vnde adeò sapiens extitit? Quibus in scholis versatus est, vt tam sublimem sapientiam de Deo auctore bonorum doceat? Sanè solùm audio ab hominibus fuisse eiectum, & cum feris versatum, & instar bouis comedisse fœnum: ex quo autem hominem exuit, & bouem induit, ex quo à societate hominum eiectus, inter greges ambulauit, non potuit non agnoscere omnium bonorum parentem, & creatorem. Eleganter D. Chrysostomus in Psalm.13. de illo ait. *Qui sibi Deo potentior videbatur, cunctis visus est omnibus hominibus abiectior, fœnum vt bos comedens, vt disceret bonum suum cognouisse creatorem, quem ipse negauerat.* Homo negauit creatorem, sed instar bouis factus, inter pecora degens statim rerum omnium agnouit conditorem, vt pateat, quàm vincatur homo a peccatoribus in summi parentis agnitione. Hinc illa notissima, apud Isaiam Dei querela oritur, cap.1. *Agnouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israel autem me non cognouit.* Quæ verba frequenter Patres accommodant tempori Dominicæ natiuitatis, quando & bos, & asinus aliquale obsequium præstiterunt Saluatori; sed vniuersaliùs accipi debent pro omni tempore, quo vniuersa bruta sine vlla reluctantia sequuntur nutum Domini. At scire cupis cur prætermissis aliis præstantioribus animalibus, hæc solùm duo proposuit? Pro quo D. Basil. ibi sic in rem præsentem loquitur: *Ea sumsit animalia, quæ nobiscum educantur, & vernacula consuetudine nostra sunt, vt vel suppudescamus illis deprehensi insipientiores, & ad ea collati minus obtinere beneuolentiæ, quàm refundamus in possessorem nostrum.* Cur non pudor hominis sit, minus in possessorem, auctorémque suum beneuolum esse iumentis? Et vtinam vel iumentis non simus impares erga Deum creatorem nostrum; sæpe enim ab illis vincimur, imò confundimur. Hinc natum fuit, quòd Deus vt confunderet humanum genus, illúdque ostenderet iumentis factum inferius, diluuium verno tempore induxerit super omnem terram. Ait enim Genes.7. *Anno sexcentesimo vitæ Noë, mense secundo, septimo decimo die mensis, rupti sunt omnes fontes abyssi, &c.* Quod tempus communiter referri consueuit ad vernum tempus, quando & plantæ, & animantia in nouos partus effunduntur. Sed cur ad castigandum genus hominum spectatur tempus, quo animalia fœcunda suis partubus fuit? Crediderim id ad hominum confusionem fuisse spectatum, vt nimirum homo appareat solus negare conceptus sui fructus auctori diuino. Id quod eleganter notans D. Ambros. lib. de Noë, & arca cap.14. inquit: *Non deest terra obsequiis suis, non bestiæ desunt muneribus suis, quæ solemnes soluuntur in partubus, vt homini nihil desit: homo solus parentibus suis deest, nescit auctorem suum, à quo ei omnia ministrantur, negligit conditorem.* A nulla bestia, à nullo bruto auctor naturæ nescitur nisi ab homine, vt Dauid ne Dominum despiciat, iumentorum sortem sibi asciscat, Psalmo 72. *Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* Quasi non adeò firmus hæreret auctori suo, nisi hominem exueret, & velut iumentum coram illo existeret.

Chrysost. Isai.1. Basil. Genes.7. Ambros. Psalm.72.

§. II.

Iustorum paucitas imperturbabilem ostendit eorum conditionem.

CVm audis Christi gregem pusillum, simul audis illum non debere timere; sed cur pusillus non timeat? Nónne paucitas ex se timorem parit? Cur in grege Christi & pusillitas, & paucitas non pariat timorem? Equidem in exercitu paucitas timida est, in grege fortior est paucitas; pauci enim milites qui ab exercitu separantur, totius exercitus præsidio carent, & ideo infirmiores sunt, & proximiores timori: at in grege pauci, qui separantur, præstantiores solent esse, & ideo separantur, vt maiorem curam, & solicitudinem pastoria experiantur: id quod in præsenti sapienter noster Maldonatus notauit. Paucitas ergo Christiani gregis omnem timorem expuit, & imperturbabilem sui conditionem ostendit, vt qui maiori cura, & solicitu-

Psal.138. dine diuini pastoris gaudeat. Huc spectans Dauid, Psalm. 138. ait: *Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum. Dinumerabo eos, & sicut arena multiplicabuntur.* Duo asserit hîc Propheta, quæ videntur contraria: ait enim in primis iustorum principatum nimis esse confortatum: rursus ait, iustos facilè ab homine posse numerari; & qualiter stare potest nimia principatus fortitudo, cum adeò numeratis militibus? Principatus robur nónne ea ingenti militum exercitu constat? Sed qualem exercitum, imò quale robur præseferant pauci, & numerati milites? Potuit ne aliquando paruus numerus maximum in se ostendere robur? In militia mundiali forsan non potuit, in iustorum grege potuit, in quo paruus nu-

Imperf. merus minui minimè potest. Aiebat Imperfectus homil.25. in Matth. *Non minuuntur, qui numerati sunt, sed etiam multiplicabuntur. Vis scire dignitatem numeratorum? Considera ouem illam quamodo pastor non requieuit per desertum discurrere, donec inueniret eam, & ad pristinum numerum reuocaret. Nullam ex omnibus se habere putauit, si de numero suo vna periret.* Ecce tibi, quale robur habet paruus numerus in grege iustorum: non paucitas numeri dedecus affert, sed dignitatem; ea eo enim quòd iusti adeò pauci sint, vt numerati dicantur, imperturbabiles sunt, eam pro se pastoris habent curam, quæ nec vnum expugnari, aut perdi patiatur. Centenarium numerum non excesserat grex iustorum, & de hoc paruo numero nulla potuit vis vel vnam ouem in perditionem trahere, in hoc enim tota potentia, & virtus omnipotentis pastoris erat, ne de pusillo, & numerato grege suo posset

1. Reg.15. deperdi vel agnus. Ea quo lucem affero verbis ex 1.Reg. cap.15. ibi enim Saul præmonitus à Deo de victoria, quam reportaturus erat ex Amalecitis, victorem exercitum parat, & ait textus: *Præcepitque Saul populo, & recensuit eos quasi agnos.* Cur non recensuit, quasi fortissimos milites? Cur vbi ad numerandum exercitum accedit, militum nomen cauet, & pro militibus ponit agnos? Dum homines victoriæ destinatos numerat, mauult gregis vti vocabulis, in quo & paruus numerus eam pro se pastoria curam habet, qua nullo hostili incursu superior non euadat. Nunquam enim paucitas in iustorum grege imperturbabilio-

Luc.11. rem pro se tutelam, & defensionem non habet. Apud Luc. 11. dicebat Dominus: *Cùm fortis armatus custodit atrium suum,*

Cant.3. *in pace sunt omnia, quæ possidet.* Hæc ibi Dominus; at Cant.3. de lectulo Salomonis dicitur: *En lectulum Salomonis sexaginta ambiunt ex fortissimis Israel.* Expende modò, pro custodia, & defensione totius atrij integræque possessionis vnus fortis armatus constituitur, sed pro lectuli cuiusdam defensione sexaginta armati, & fortissimi sunt, & gladios tenentes propter timores nocturnos, ne vel timor accedat. Cur in lectulo maior custodia, quàm in atrio? In lectulo iustorum dilectorúmque paucitas designabatur; in atrio vniuersæ Dei possessiones; iustorum autem paucitas semper maiorem ex Deo defensionem, & protectionem ha-

Gillib. Abb. bet. Quod non obscurè insinuabat Gillibert. Abbas in Cantic. serm.16. aiens: *Vberior hîc commemoratur custodia, quia verior est gratia lectuli, quàm atrij, & sponsæ solicitudo maior, quàm possessionis.* Vna sola est sponsa possessiones multæ, an illa quia vna sola, ideo magis patens hostilibus incursibus? Absit, imo quia vna, & sola, ideo dilecta magis, ideo securiori loco gaudet, ideo magis inconcussibili propugnaculo seruatur. Multitudo sæpè conculcatur, sæpè & hostibus permittitur, dilectæ verò rarius prorsus est superabilis

§. III.

In solis diuinis bonis non est seruitus, in alijs maxima est.

QVàm verè dona à Deo in pusillum gregem suum profecta vocantur regnum; quia in solis bonis diuinis regiam ingenuitatem, & libertatem possidet quis; in mundialibus enim bonis non regiam libertatem possidis, sed miserum seruitium habes. Hinc est quod vbi diuinum regnum, & donum tibi paratur, statim iuberis possessiones omnes mundiales vendere. *Vendite*, ait, *quæ possidetis*; cur necessum est vendere mundiales possessiones cùm regnum ex Deo accipitur? Cur non possent manere simul possessiones mundiales in accipiente regnum cœleste? Vt non potest quis simul esse liber, & seruus; sic non potest habere simul & regnum cœleste, & possessiones mundialium bonorum, quia cœleste regnum ingenuam, & veram libertatem habet, bona autem mundialia miseram inferunt seruitutem.

Ad hæc aiebat acutè D.Chrysol.serm.23. *Vendite, ait, quæ possidetis. Plebeium cultum regia non admittit potestas, augustus honor, non suis diadematè consertur, & purpura. Abijcere ergo debet habitum seruitutis, qui se regem credit diuinitus consecratū.* *Chrysol.* Quidquid mundiale habueris, id habes seruile, id habes prorsus contrarium regiæ ingenuitati, & libertati, quapropter quisquis veram regni libertatem cupis, abijcere debes à te vniuersa mundialia: vt in quibus non potest non inueniri seruitus miserabilis. Inde apud Matth. cap.4. *Matth.4.* accedens tertiò tentator ad Iesum, *Ostendit illi omnia regna mundi, & gloriam illorum, dicens ei: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Hæc tentator aiebat, cui statim Dominus: *Vade Satana; scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Quibus illud expendendum est, quòd Dominus diabolo petenti adorationem solam, non solùm negat adorationem, sed seruitutem, aiens, *Deum adorabis, & illi soli seruies.* Cur Dominus in hac tentatione seruitutem diabolicam caues, quando diabolus nec verbum de seruitute fecerat? Ille solam petebat adorationem, pro qua non seruile aliquid, sed regiam magnificentiam ostendebat, proponens vniuersa regna mundi, & gloriam eorum; vnde tibi Domine venit in mentem seruitus? Eo ipso quòd videt Dominus sibi proposita mundi regna, in illis miseram seruitutem nouit latentem, quandoquidem nullum mundiale bonum est, nullum mundiale regnum, quod non miseram seruitutem afferat possidendi. Ideo notanter Philo principatus humani imaginem depingens Iosephum proponit non ab Ægyptio rege in gloriam sublimatum, sed à fratribus in seruitutem datum, ait enim Genes.37. *Extrahentes eum de cisterna, vendiderunt eum Ismaelitis,* &c. *Genes.37.* Et quid cum regno venditio? In regno libertas est, in venditione seruitus; quomodo fieri potest, quòd regiam agat personam, qui traditur, & venditur in vile mancipium? Pulchrè Philo ibi: *Rectè autem dicitur, vendi hunc hominem, nam qui locum superiorem ascendit, sicut venalitij, seruus fit ex ingenuo, propter honores, quos videtur accipere, addicens se innumeris dominis. Quoniam non vnus est dominus tractantium rempublicam, sed vulgus alijs post alias succedentibus.* *Phil.* Latet seruitus sub mundiali regno, qua maximè premuntur, qui principatus mundialis culmen ascendunt, tot experti dominos, quot subditos. In nullo enim bonorum mundialium culmine misera non cernitur seruitus; ex quo lucem affero verbis Ecclesiastæ cap.10. *Vidi seruos in equis, & principes deambulantes, quasi seruos super terram.* *Ecclesi.10.* Equorum vsus ingenuæ nobilitatis insigne est, nec vnquam magis extollitur ingenuus homo, quàm dum equo conspicuus effertur. Quî ergo fieri potest, vt in equo, in insigni ingenuitatis, & nobilitatis humanæ, adhuc seruus appareat quis? Cur tantæ ingenuitatis insigne non tollit prorsus miseræ suspicionem seruitutis? Imò nunquam magis conspicua seruitus, quàm in mundialis nobilitatis insigni: siue eques, siue pedes sis dum terrenorum bonorum gloria insigniris, non poteris non gemere sub misera seruitute. Ad hæc aiebat Galfridus apud Delrium Adag. 280. *In equis iniqui superbiunt, sed suis prauitatibus humiles, & abiecti non nituntur moribus, vt morentur in domibus regum: sed vt serui ambulant pedibus suis super terram, solis suis affectibus, & terrena sectantes.* *Galfrid.* Fieri enim non potest, vt vel in summo terrenorum bonorum culmine caueatur seruitus; imò maiorem tunc seruitutem incurras necessum est, tunc solùm cauendam, cùm cœlestia potiaris bona. Vt dicat Paul. ad Roman. *Rom.8.* 8. *Quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Non in alijs bonis, sed in his

his solis, quæ à Deo hæreditant filij Dei, absorbetur seruitus, & apparet regia libertas.

§. IV.

Nunquam homo absque meritis potest multis placuisse.

NOn otiosè positum est à Domino verbum illud *complaceo*, dum ait, *complacuit Patri vestro dare vobis*; sed vt ostendat regnum cœleste, non ab vnius Patris placito nobis accidere, sed ex placito trium diuinarum personarum, quasi ex diuinissimi consulto senatus. Quippè ait Chrysol. Chrysolog. sermon.23. *Quod autem dixit, complacuit: & non dixit, placuit, munus edocet Trinitatis.* & quidem gloriosum homini est, non solius Patris, sed trium diuinarum personarum placito ad regnum repræsentari vocatus, vt inde ostenderetur, non sine meritis suis in cœlestem principem cooptatus. Quando enim sine meritis quis multis probatur? Aiebat sapienter Cassiodorus lib.11. variar.26. *Vni acceptum fuisse, interdum gratia est; multis placuisse, iudicium.* Cassiod. Non insolitum est, ab vno aliquo quem absque vllis meritis gratuitò amari; ast quòd multi conueniant in amore,& approbatione alicuius, id non est opus meræ gratiæ, sed iudicij tribuentis, quod iam merenti videbatur. Pro quo reuocanda est in memoriam notissima, & cantatissima Iosephi Patriarchæ historia: is Genes. 39. ob insignem pudicitiæ obseruantiam, coniectus est in carcerem, sed vix limen carceris attigit, & Dominus *dedit ei gratiam in conspectu principis carceris. Qui tradidit in manu illius vniuersos vinctos.* Genes.39. Dum sic agit in carcere Ioseph, pincernæ Pharaonis somnium reuelat, inde rapitur in conspectum ipsius Pharaonis, vt duo illi somnia explicaret. Somnia regis audit seruulus puer, explicat sapienter; imò sapientius de suo addit consilium, quòd durissimam famem prænuntiatam mollireretur. Quid tunc? Ait Genes.41. *Placuit Pharaoni consilium, & cunctis ministris eius; locutúsque est ad eos: Num inuenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit? Dixit ergo ad Ioseph, quia ostendit tibi Dominus omnia, quæ locutus es, nunquid sapientiorem, & consimilem tui inuenire potero? Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet*, &c. Genes.41. Compone modò Iosephum, & Iosephum; hoc est, Iosephum apud Principem carceris, & Iosephum apud Pharaonem; à principe carceris accipit potestatem super vinctos, à Pharaone accipit totius clauium regni. Et vt acciperet à principe carceris potestatem illam homo extraneus, & captiuus, sapienter præmonuit textus, aiens: *Dedit ei Deus gratiam in conspectu principis carceris. Qui & tradidit*, &c. Vbi autem accepturus erat à Pharaone totius regni clauum, nihil insinuatur de gratia à Deo collata in conspectu regis; cur in tanto munere accipiendo, nulla fit mentio gratiæ, cùm in illo paruulo accepto, in primis gratia explicatur? Rem colligo ex verbis textus dicentibus: *Placuit Pharaoni consilium, & cunctis ministris eius*, &c. Vbi enim ex vnius principis placito pependit aliqualis Iosephi fortuna; nil magis curauit diuina prouidentia, quàm reddere captiuum suum gratiosum principi; ast vbi non ab vno solùm, sed a multorum consulto erat approbandus captiuus, ita illum sapientiæ, consiliíque meritis ditauit, vt nullo possit in iudicio iusto cadere. Vni enim placere, potest esse res gratiæ; at multis placere, semper est res iudicij merita ponderantis. De Præcursore Christi ait Angelus, Luc.1. *Multi in natiuitate eius gaudebunt. Erit enim magnus coram Domino.* Luc.1. Quasi non aliter posset multis Ioannes probari, nisi esset meritorum magnitudine coram Domino commendatus. Meritorum operibus insudet, qui multis probari amat. Prouerb.3. aiebat Sapiens: *Inuenies gratiam, & disciplinam bonam coram Deo, & hominibus.* Prouerb 3. Quæ verba sic reddunt Septuag. *Inuenies gratiam, & prouidè bona coram Deo, & hominibus.* Septuag. Cùm de gratia indefinitè habenda loquitur, nullam diligentiam mandat, nulli enim non accidit alicui esse gratiosus; verùm vbi coram hominibus, nimirum, coram pluribus gratum esse quis amat, incumbere debet operi, & prouidere sibi merita bona, sine quibus haud fieri potest, quòd pluribus accidat gratiosus. Vnde desumsit D.Paul. ad Rom. 12. illud suum monitum, quod Rom.12. apud D.Chrysost. hom.22. sonat: *Prouidè parantes bona coram omnibus hominibus.* nec aliter omnibus communiter probaberis, nisi prouidè præparaueris te in operibus bonis.

§. V.

Totum Iesu negotium in eo est, quod mente efficiamur paruuli, & pusilli.

MIraris cœlorum regnum Christi meritis præparatum dari à Patre gregi pusillo? Sic pusillus grex, sic paruuli, & pusilli spiritu homines in Christiano regno triumphant, vt in illis totum Iesu negotium videatur consistere. Nisi sint paruuli in Christo, non percipitur regnum Christi. Quippe vix Iesus apparuit in mundo, & ecce tibi, qui à mundo eliminare Iesum nituntur, nihil magis curant, quam paruulos occidere. Sic Matth.2. *Herodes occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem.* Matth.2. Quis sic Herodem concitauit in paruulos? Diaboli fuit furor, qui tunc putabat funditus Iesu negotium destruere, si paruulos occideret. Pulchrè enim aiebat D.Leo serm.5. in Epiphan. *Herodes in diabolo fremit, & auferri sibi iniquitatis suæ regnum in iis, qui ad Christum transeunt, ingemiscit. Vnde si paruulos interficiat, Iesum sibi videtur occidere.* D.Leo. Sic in iis humillimis paruulis fundauit Iesus regnum suum, vt sine iis illud non possit consistere; nunquam sine regni Christiani damno tolluntur humilitate pusilli. Hinc est, quod Matth.19. Apostolis paruulos prohibentibus accedere, ait Dominus: *Sinite paruulos, & nolite prohibere eos venire ad me, talium est enim regnum cælorum.* Matth.19. Carpuntur Apostoli à Iesu,& meritò quia paruulos prohibebant, obliti regnum Christianum in humilium paruitate fundari; sed cur non magis sustineantur Apostoli? Nónne ipsi putabant se magistro obsequium præstare, dum paruulos prohibebant? Putabant equidem, sed fallebantur, ablatis enim pueris, hoc est, ablatis exemplis humilitatis Christianæ, non honor, sed iniuria Christi gloria irrogatur. Pro quo dicebat Imperfectus hom.32. in Matth. *Discipuli pueros vetabant ad Christum accedere, ad quorum similitudinem ipsi fuerant inuitati. Putabant enim se honorem facere Christo, damnum facientes gloriæ eius.* Imperf. Christiani regni gloriæ damnum est, si deficeret minimorum agmen; quando totum Christi negotium in humilium paruitate fundatur. Adeò, vt Matth.18. dicat: *Aduocans Iesus paruulum, statuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico vobis, nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Matth.18. Pro regnum cœlorum ingredientium exemplo, paruulum ob oculos Dominus statuit: cur non magis virum bellatorem, qui possit vel cœlestia rapere? Nónne regnum cœlorum vim patitur? Nónne violenti rapiunt illud? Cur ergo solus proponitur paruulus in exemplum? Equidem totum Christiani regni negotium in hoc fundatur, si minimi, si paruuli fieri humilitate sciamus. Ad hæc ait D.Chrysostom. homil.59. in Matth. *Rectè autem ante oculos monstratione paruuli totam rem posuit.* Chrysost. Expende in quo dicitur Dominus posuisse totam rem imperij Christiani, nimirum, in monstratione paruuli; non equidem in ferratis curribus, non in murorum altitudine, non in aureorum equitum exercitibus, sed in monstratione paruuli, res tota ostenditur imperij Christiani. Tunc Christi regnum perfectè gloriosum ostendis, cùm in medio status minimorum agmen, minimorum, inquam, qui cùm magnis sapientiæ, & doctrinæ splendoribus fulgere potuissent, cùm instar gigantum exultare ad currendam viam, maluerunt sicut paruuli, & minimi effici, vt in se ostenderent perfectum regnum Christianum. Dicit enim Dominus apud Matth. *Discedite à me, quia mitis sum,& humilis corde.* Circa quæ verba ait eleganter Hildeb. epist.71. *Iam Petrus, & Andreas, nauiculam, & retia dimiserant; iam Ioannes Euangelista virginitatis obtulerat holocaustum, iam telonium Matthæus deposuerat, iam cæteri dixerant Apostoli: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Attende, cur ad humilitatem inuitantur, carnis hostes, & mundi. Attende quo egebant ad perfectionis plenitudinem.* Hildeb. Nulla in virtutum magnitudine apparet regnum Christianum, apparet Christi perfectus splendor, nisi in qua pusillitas claret humilitatis.

Text. Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis, quò fur non appropiat, neque tinea corrumpit. Vbi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit.

§. VI.

§. VI.

Æterna spectans, omnia sibi peruia, & patentia ad cœlum inuenit.

NOn tantum mirarer si solùm iuberemur parare nobis thesauros indeficientes, sed illud miror maximè quòd iubeamur illos thesauros parare in cœlis. Estne possibilis viuenti homini ad cœlum accessus? Nónne cœlestia claustra viuentibus hominibus obfirmata sunt? Qualiter fieri posset, vt cœlum intret, & ibi indeficientes thesauros sibi paret. Equidem mentem suam in æternis homo figat, & nullum est claustrum, quod illi non pateat. Cor suum ad æterna spectanda eleuet, & omnia cadunt repagula, omnia illi peruia & patentia, manent claustra. De D. Stephano habes Act. 7. *Intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei. Et ait: Ecce video cœlos apertos*, &c. Ex quo illi cœli aperti, & praui monstrantur? Notanter ait: *Intendens in cœlum*, etenim ex quo terrena cœpit cõculcare, & ad sola æterna spectare, nullum potuit inuenire impedimentum, quominus vniuersa etiam cœlestia peruaderet. Ait D. Petrus Dam. serm. 63. *Conculcatis terrestribus, cœlestibus inhiat, & æternis. Post hæc aperiuntur cœli, nullaque præualet obfirmatio, vel clausura, quam non transuolet, aut irrumpat mens illa summa meati affectanter inhærens.* Omnia cadunt repagula, omnia patent etiam obfirmatissima claustra illi, qui corruptibilia despiciẽs, solis nouit æternis & cœlestibus inhiare. Quis nesciat D. Petri obscurissimum carcerem, obfirmatásque ferreas illius carceris valuas, ne libero cœlo frueretur, qui habebat cœli claues? Quippe erat Petrus nigro in carcere ab Herode detentus, & ecce tibi cùm dormiret intempesta nocte, Angelus illi adest, dormientem excitat, & ait Actor. 12. *Circunda tibi vestimentum tuum, & sequere me. Et exiens sequebatur eum, & nesciebat, quia verum est, quòd fiebat per Angelum; existimabat autem se visum videre. Transeuntes autem primam, & secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ vltrò aperta est eis.* Miraris, quòd homo tot vinculis detentus, nullum impedimentum sentiat, imò & portas ferreas sibi cadentes inueniat: vnde tantam virtutem fuit Petrus nactus? Ex quo non terreni hominis, sed cœlestis spiritus vestigia fuit secutus, iam nullũ potuit inuenire claustrum, quod non peruadat. Ait Richard. Vict. lib. 5. de Contemplat. par. 1. cap. 13. *Petro ab ipso suo erectiore Angelo præcipitur, vt ipsum sequatur. Quantum hoc esse putamus, Angelica vestigia legere, post cœlestia pennataque animalia ire? Cogita, si potes, quæ illa Angelum subsequentis perfectio, seu promotio fuerit, quorum transitum nec carceralis custodia, nec ferrea porta cohibere, vel retardare potuit.* Cur non caderet ferrea porta illi, qui terrena despiciens, & carnalia æterni spiritus vestigia sequebatur? Fallar, si qui spiritualia, & æterna spectat, non irrumpat, non transuolet, obfirmatissima quæque etiam cœlorũ claustra. Iam hinc patet epulonis diuitis infelix conditio, qui dum esset in tormentis, clamabat Luc. 16. *Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam.* Hæc erat miserrimi hominis vox, cui statim insonuit Abrahami responsum, nimirum: *Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris. Et in his omnibus inter nos, & vos chaos magnum firmatum est, vt hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possunt: neque inde huc transmeare.* Expende, quàm obfirmatum, & impenetrabile chaos respondeat diuiti clamanti, & misericordiam petenti; sed cur illi sic obfirmatum ostenditur, & impenetrabile chaos? Nónne misericordiam orat? Nónne oratio potens est penetrare cœlos? Penetrat equidem cœlos oratio spectantis æterna bona, ad illaque toto animi affectu anhelantis; verùm miser hic non ad æterna respicit, sed adhuc inhiat his guttulis bonorum temporalium, solam trãseuntem guttam spectat, vnde cœlestia omnia sibi prorsus occlusa inuenit, & obfirmata. Despiceret ille præterfluentes guttulas, æterna sola perfectio cordis affectu amaret, & fallar, si vlla aduersùs illum præualeret obfirmatio, si etiam ferreos vectes non rumperet, & ferreas peruaderet valuas, vt bona cœlestia intraret.

Actor. 7.

Petr Dam.

Act. 12.

Richard. Victor.

Luc. 16.

§. VII.

Felix est, & imperturbabilis, & regio animo pollens, cuius præ oculis sunt æterna.

HVc nostra solicitudo spectet in vniuersis negotiis mũdialibus, ne qua res prius ob oculos versetur, quam æterna. Siue sacculi ad seruandas pecunias sint parandi, siue thesauri effodiendi, vt diuitias augeas, statim tibi in mentem veniat æterna veterum diuitiarum duratio. O quàm felix eris, si vel in saccis, vel in thesauris, vel in quolibet negotio, quod est æternum tibi, ob oculos versatur, nullius latronis, aut mali metu fatigaberis. Ait enim textus: *Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis, quò fur non appropiat*, &c. Hoc solum semper nostris curis respondeat, nimirum, quod æternum est, & indeficiens, ne sicut misera mancipia verberemur metu, sed vt filij regni viuamus. Nabuchodonosor rex, vt somnia, quæ à memoria euolauerant, ediscerct, eorúmque significationem doceretur, conuocat vniuersos Babylones sapientes, proponit illis solicitudinem suam pro insomniis, petit omnia sibi explicari. Quid tunc? Ait Daniel. cap. 2. *Responderuntque Chaldæi regi Syriacè: Rex in sempiternum viue, dic somnium seruis tuis, & interpretationem eius indicabimus.* Expende illud proœmium sermonis, nimirum: *Rex in sempiternum viue*, regi agenti de somniorum interpretatione, nihil prius insonuit, quàm illud, *in sempiternum viue*. Est equidem regalissima sors illius hominis, cui in omni negotio, & tractatu suo, nihil prius insonat, quàm quòd possit in æternum viuere. Ad hæc aiebat Richard. Victorin. lib. 1. de erudition. inter. hom. par. 1. cap. 3. *Vtinam ad omnem conatum nostrum, ad omne inceptum bonum, hæc nobis responsio primò occurrat, in hoc omnis nostra cogitatio suspiret, & satagat, vt in æternum viuamus.* Non penitus nos temporalia absorbeant, non penitus rapiamur his mundialium bonorum spectris, fugientibus à memoria somniis, quin magis curemus de æternis comparandis. Dum ad sacculos perituros currimus, dum per temporalia negotia spargimur, hinc inde lucra sectantes, subeat mentem nostram vox illa: Rex in æternum viue, vt æternos immarcescibilis vitæ spectemus thesauros, quibus seruitute deposita regium animum induamus. Nobilis ille rex Dauid, Psalm. 76. ait: *Anticipauerunt vigilias oculi mei, turbatus sum, & non sum locutus. Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui.* Expende verba illa, *turbatus sum*, &c. Equidem inter vigilias, & solicitudines temporales, quid magis acquireret quàm turbationem? Sed bonus rex vigilat, solicitus est pro temporalibus, & pro illis acquirendis turbatur, sed in illa turbatione non est locutus, non est questus de aliquo. Quod vt ponderes recole Marthæ solicitudinem circa temporalia, de qua dicit Luc. cap. 10. *Martha autem satagebat circa frequens ministerium, quæ stetit, & ait, Domine non est tibi curæ, quòd soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi, vt me adiuuet. Et respondens dixit illi, Martha, Martha, solicita es, & turbaris erga plurima.* Ecce tibi Martha mediis temporalibus curis turbatur, per plura negotia dispersa, & turbata, non tacet, imò loquitur, & queritur de sorore. Dauid autem turbatur, sed non loquitur, de nullo queritur, sed patienter sustinet omnia. Vnde in Martha vox querentis est, in Dauide patientia tanta? Martha satagebat circa frequens ministerium, nil non temporale, & seruile meditabatur, Dauidis regius animus æterna meditabatur, ait enim: *Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui.* Dum inter temporalia de æternis agit, nil de quo queri vellet, habet, sed omnia regiè, & animosè patitur. Ait D. Bruno ibi: *Ideo ei patientia illa contigit, vt non esset locutus, quia cogitauit dies antiquos, & annos æternos, quos per Adam amisimus, id est, vitam æternam in mente habuit.* Sola æternitas menti obiecta valuit sic regium Dauidis animum continere, ne temporalium fluxibus, & refluxibus vapularet, vsque ad querelam. Hunc regium animum pulchrè depingens Iob cap. 11. ait: *Requiesces, & non erit, qui te exterreat, & deprecabuntur faciem tuam plurimi.* Vnde tanta quies homini accidet, quæ illum à plurimis adorari faciat? Quam nullum malum perturbare possit? Sanè illam notabat Lucas verbis propositis dum ait: *Facite vobis thesaurum non deficientem in cœlis, quò fur non appropiat.* Sanè æterni thesauri spectatio hominem & imperturbabilem, & regium declarat. Ad hæc D. Gregor. lib. 10. Moral. cap. 12. *Quisquis præsentem gloriam quærit, profectò despectum metuit. Qui semper ad lucra inhiat, semper, iustè licet, damna formidat. Cuius enim perceptione reficitur, eius rei proculdubio & amissione sauciatur, & quo obligatus mutabilibus, ac perituris inhæret, eo longè in infirmis ab arte securitatis iacet. At contrà quisquis in solo æternitatis desiderio figitur, nec prosperitate attollitur, nec aduersitate quassatur, dum nihil habet in mundo, quod appetat, nihil est, quod de mundo pertimescat.* Nullius mali, nullius peccati seruituti subiacet, qui sciuit animo ad æterna, & permanentia reuolare. Aiebat Ecclesiastes cap. 12. *Florebit amygdalus, impinguabitur*

Dan. 2.

Richard. Victor.

Psal. 76.

Luc. 10.

Brun.

Iob 11.

Gregor.

Eccles. 12.

gnabitur locusta, & dissipabitur capparis, quoniam ibit homo in domum aeternitatis suae. Pro illis, *dissipabitur capparis*, alij legunt, *dissipabitur concupiscentia*; alij, *dissipabitur auiditas*; iuxta alios, *dissipabitur voluptas*; secundùm alios, *dissipabitur superbia*; alij legunt, *appetitus cessuet res oblatas.* Et quidem nulla seruitus appetituum, & vitiorum non cadit, vbi homo incipit vel mente tendere in regiam aeternitatis.

Text. Sint lumbi vestri praecincti, & lucernae ardentes in manibus vestris.

§. VIII.

Quantum castitatis, tantum splendoris, & claritatis habes.

PRaecinctos lumbos lucernarum ardentium splendor comitatur, quisquis enim cingulo constringitur castitatis, nouis luminibus conspicua radiabit. Accinit Debbora Iud. 5. *Iudic. 10.* *Qui ascendistis super nitentes asinos, & sedetis in iudicio, & ambulatis in via, loquimini* Expende illa verba, *nitentes asinos*, vbi legit Origen. *asinos refulgentes*; quid splendor cum asinia? Audio inter stellas coeli arietem, audio taurum, audio aquilam, imò audio cancrum, & scorpium, at asinos ab omni splendore semper cognoui alienos. Vnde igitur asinis aduenit splendor? Sanè quod brutum est, & animale in homine, si castitatis cingulo arctetur, non potest non mirum in modum fugere, & splendescere. Quocirca aiebat *Origen.* Origen. hom 6. in lib. Iudic. *Cùm iumentum hoc, id est, corpus meum, sub iugo venerit verbi Dei, tunc vehiculum corporis mei resplendere incipit, & asina haec, id est, caro mea tunc refulgere dicetur, cùm castitatis, ac pudicitiae fuerit splendore decorata.* Nescit castitas non publicari statim mille splendoribus, mille luminibus; nec aliquid est adeò terrenum, & deforme, quòd si castitatis baltheo ornetur, nouis splendoribus instar coelestium luminum non rutilet. De Iudith formosissima ad Holophernem progrediente notanter dicit textus cap. 10. *Cui etiam Dominus contulit splendorem, quoniam omnis ista compositio, non ex libidine, sed ex virtute pendebat.* Expende cur dicatur splendor datus foeminae, nimirum, quia non libidinis, sed castitatis amor illam ornabat. Vbi enim non libido, sed castitas viget, statim proditur splendentibus radiis. Hinc Paulus metita castitatis diuidens, quasi luminum species tractet, ait 1. ad Cor. 15. *Alia claritas Solis, alia claritas Lunae, alia claritas stellarum.* Et vnde tot claritates, tot *Isid. Pel.* lumina rutilarent, nisi è limpidissimo coelo castitatis? Ait D. Isid. Pelus. lib. 3. epist. 351. *Soli eos, qui virginitatem amplexi sunt, Lunae autem eos, qui continentiam, ac denique stellis eos, qui honorabile coniugium amplexi sunt, atque conseruarunt, comparat Paulus.* Crescit cum castitate claritas, quòd species castitatis sunt, tot rutilant, & splendent claritatis, vt pareat, quàm iunctae sint & nomine, & re castitas, & claritas. Id *Sap. 4.* quod respiciens diuina Sapientia c. 4. ait. *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate.* quasi nequeat castitas, & claritas separari, sed semper simul nascantur. Vnde Iob cap. 42. *Et fuerunt ei septem filij, & tres filiae, & vocauit nomen vnius Diem, nomen secundae Cassiam, &c.* Sed cur primam virgunculam natam vocat Diem? Vt simul decentem, & conuenientem puellae honestatem ostendat; honestas autem, & castitas die semper est lucidior, & clarior. Quò respexit D. *Gregor.* Gregor. Nissen. hom. 9. in Cant. fatus: *Quarum Cassia nobis ostendit studiorum vitae puritatem, & bonum odorem: Dies autem honestatem & decoram, sicut dixit Apostolus eos, qui pulchrè viuunt, nominari filios lucis.* Nunquam non lucida, & splendens castitas, nunquam non caeca libido est. Recole lasciuientes illos Sodomitas, qui domum Lothi aggrediuntur, vt illi splendidos iuuenes deturpent: at iuuenes, qui videbantur, erant Angeli Dei; qui videntes miseros illos *Genes. 19.* libidinis seruos Genes. 19. *eos percusserunt caecitate à minimo vsque ad maximum, ita vt ostium inuenire non possent.* Quae *August.* verba D. August. apud Lyppom. in Cat. legit: *Eos percusserunt auidentia, &c.* & meritò pro caecitate auidentiam posuit, nunquam enim lasciuus appetitus miseram, & teterrimam non parturit caecitatem. Ex quo audiendus est Prudentius in Psychomachia de pugna Pudicitiae, & Libidinis aiens:

Virgo Pudicitia speciosis fulget in armis,
Quam patrias succincta faces Sodomita Libido
Aggreditur, piceámque ardenti sulphure pinum
Ingerit in faciem; pudibundaque lumina flammis
Appetit, & taetro tentat suffundere fumo.
In famulas, famulósque Dei, quibus intima casti
Vena animi sola feruet de lampade Christi.

Quidquid ex parte libidinis est, tetrum est, obscurum est, & caecum, nihil ipsa, nisi fumosum, & piceum ignem tractat; at casta pudicitia nescit non fulgere, & nitescere, Christique lampades & ornatissimas, & fulgentissimas demonstrare, quibus lumina acuantur humana. Vnde D. Ambros. componens Euam cum Maria, dum illam videt hominem sapientem in tenebrosum peccati carcerem imposuisse, hanc ad se Dei sapientiam traxisse: originem stultitiae, & sapientiae notans, ait lib. 3. in Luc. *Per mulierem stultitia, per virginem sapientia.* Vanissime enim sub sapientiae radiis fulgere nititur, qui minimè accedit cum lucernis succinctae pudicitiae, sed cum piceis taeda distinctissimae libidinis.

§. IX.

Voluptas nihil non graue infert suis, castitas nihil non expeditum, & pennatum.

LVmbi praecincti expeditissimum ostendunt hominem, vt quamliber, & sublimem, & arduam arripiat viam; habes enim Tob. 5. *Egressus Tobias inuenit iuuenem splendidum, praecinctum, & quasi paratum ad ambulandum.* *Tob. 5.* Nunquam ergo praecincti lumbi expeditionem, & agilitatem non referunt, nunquam compressa voluptas non expeditum, & perpetem spiritum ostendit; quae soluta nihil non graue, & onerosum infert Apud Iud. cap. 9. Abimelech instar minutissimae turris Thesbitarum, & facibus admotis conatur illam incendere, siue ostium aperire, quo ipse intret in eam. Sub qua imagine Petrus Damian. lib. 2. epist. 10. proponit iuuenem, qui libidinis aestu correptus ambit formosam aliquam puellam, illamque suae libidinis flammis nititur accendere. Quid tunc? ait textus Iud 9. *Ecce mulier fragmentum molae desuper iaciens illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum eius.* *Iudic 9.* In feruore certaminis mulier fragmentum molae iacit super miserum iuuenem; cur non magis iaculum contorquet? Cur igneas glandes non fulminat? Cur sagittam non iaculat? Cur maluit fragmen molae iacere? Sanè de sagittis, iaculisque in bello iactis locutus D. Ennod. in Panegyrico Theodorici, ait: *Anceps erat fortuna certaminis, & pennatae mortes sibi aethera vindicabant.* *Ennod.* Expende illud, *pennatae mortes*; volant equidem expeditissimae sagittae, vt mortem inferant; à foemineis autem manibus, in lasciuos iuuenes, nihil expeditum, nihil pennatum venire potest, sed ponderosum, & graue, vt gemant miseri sub molae fragmine, imò integra molarum pondera patiantur. Iam omnibus sese offert cantatissimus ille Samson ad molam religatus Iudic. 16. Ecce tibi, qui cacumina montium velox ascenderet, qui vincula durissima facilè excusserat, sub integrae molae pondere gemit: & quis expeditissimo iuueni tantum pondus imponeret, nisi malè dilecta foemina? Pro quo sapienter exclamat Abulensis *Abul.* quaest 35. *O nimis plangende vir, imò virorum flos, qui miserabilis muliercula pulchritudinis tactus, in extremam venisti sortem, ita vt cunctarum, quas legeram, miserior factus, turpiter ab hostibus vtroque priuatus lumine ad molam asinarum molere cogaris.* Haec pondera imponit suis fallax gratia, & vana pulchritudo, sub his gemunt oneribus voluptuosi homines, qui sub pulcherrimo castitatis baltheo expediti, & pennati viderentur. Tolle voluptatem, & ingentia pondera tollis, & induis pennas, quibus altissima quaeque, & remotissima penetres. Apud Lucam cap. 12. ait Dominus: *Nolite timere, multis passeribus pluris estis vos.* *Luc. 12.* Discipulos componit cum passeribus; sed quid cum passeribus corpus humanum? Passeres pennati hinc inde discurrunt, aethera expeditissimis volatibus replent; corpus autem, quod corrumpitur, aggrauat animam; quando corpus poterit, instar passerum, expeditas habere pennas? Eo ipso quòd corpus voluptatum exuitur, grauedinem expellit, & alas suscipit, quibus & liberos, & perpetes volatus edat. Ad haec D. *Ambros.* Ambros. lib. 7. in Luc. ait: *Caro, si consentiens Dei legi, & exuens se lege peccati, in naturam animae sensuum puritate transierit, alis ad coelum spiritualibus eleuatur. Quia volandi nobis gratiam natura dedit, voluptas abstulit.* Voluptuosi gemant importabilibus grauari ponderibus, nescit enim voluptas nisi pondera imponere, absumere pennas; at vbi voluptas abest, & puritas castitatis accedit, nullum grauamen, nullum pondus sentis, sed quasi pennatus remotissima quaeque penetras. Eò expeditiores volatus edes, quò maiori

puri

puritate incipias effulgere. Summo manè, dum irent Petrus, & Ioannes ad Iesu monumentum Ioan. 20. *Ille alius discipulus præcucurrit citiùs Petro.* Quis Apostolorum primatem in cursu vinceret, nisi Ioannes, qui virginitatis balthe expeditus pennatus etiam euasit? D. Hieronym. in Isaiam cap. 56. ait: *Petro tardiùs ambulante, Ioannes elatus virginitatis alis cucurrit ad Dominum.* Vincit præstantissimos, vincit omnes in volatu, qui castitatis effertur alis. Vnde fugituro Domino ab insequente Herode hunc illi velocissimum equitatum, siue has velocissimas alas parat Angelus Matth. 2. aiens: *Accipe puerum, & Mariam matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Fugiendum est æternitatis Principi ab insensissimo hoste; sed quando fugiendum illi est, qualis equus parabitur? Solent enim pro necessitate fugæ perniciores equi, imò alipedes parari; modò fuga necessaria statuitur, & nihil de equitatu prouidetur? Cùm cœlestis mulier Apocal. 12. expectabatur à dracone in prædam, *datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in desertum,* &c. Non suadetur fuga mulieri, quin priùs parentur illi aquilinæ alæ; cur ergo, cùm fuga Iesu puero intimatur, non tanto fugitiuo digni alipedes parantur equitatus? Præueniens alipedem equitatum dixit, puerum cum Maria accipiendum, vbi enim virginea brachia sunt, & alites celeritate vincuntur. Quò spectans Isaias cap. 19. ait: *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum*; siue, vt ex Hebræo habetur: *Ecce Deus equitat super nubem velocem, & ingredietur Ægyptum.* Paratur equidem fugitiuo Domino alipes equitatus, paratur velocissima nubes, quæ ventorum alis innixa velocissimos vincat, nimirum paratur virginitas Mariæ pro pernicissimo equitatu, quo Dominus remotissima Ægypti lustret. Id quod notans D. Ambros. in exhortatione ad virg. ait: *Nubem itaque Mariam dixit, quia carnem gerebat: leuem, quia virgo erat, nullis oneribus grauata coniugij.* Vbi pura virginitas est, abest pondus omne, perpetes alæ nascuntur, quibus vel ad Deum citissimè confugias, vel à malis refugias, vel ocyor remotissima lustres. Huc reuoca D. Francisci Xauerij celeres volatus, de quibus lib. 2. cap. 3. §. 17.

Ioan. 20. · Isai. 56. · Matth. 2. · Apoc. 12. · Isai. 19. · Ambros.

§. X.

Castitas lucidissimis partubus fœcunda.

NOn immeritò ad lumbos præcinctos adduntur ardentes lucernæ in manibus; vt dicatur castitati, quod dicitur de Abia rege Ierusalem 3. Reg. 15. *Dedit ei Dominus Deus suus lucernam in Ierusalem, vt suscitaret filium eius post eum.* Equidem dicata Deo castitas non sterilis manet, quin imò pręmanibus habebit lucernas, hoc est, lucidissimis partubus fœcunda erit. Quò spectat illud Isaiæ 56. *Et non dicat eunuchus: Ecce ego lignum aridum.* Cur nō se vocet lignum aridum eunuchus, nisi quia sunt eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum cœlorum? Sunt, qui carnem suam cingulo castitatis constrictam mactarunt pro Deo, ij non steriles, sed fœcundissimi sunt, multisque filiorum spiritualium coronantur lucernis. Id quod notat ibi D. Hieron. fatus: *Qui huiusmodi eunuchus fuerit, habebit in muris eius,* nimirum diuinæ ciuitatis, *locum optimum, vt scilicet turris Domini efficiamur, & in sacerdotali consistat gradu, & pro carne filios, multos habeat filios spirituales.* Quis carnalis pater tot, támque splendidos filios habuit, vt habent ij. qui carnis renuntiarunt voluptati? Compone fœcundissimas matronas, & felicissimas, quæ Olympionas filios spectarunt, cum virgine Clara, aut Tharasia? Compone felicissimos parentes, pulchro filiorum agmine cinctos, in arenam descendentes, cum Benedicto, Bernardo, Augustino, Dominico, Francisco, Ignatio. Forsan hanc vnam differentiam inter hos inuenies, quòd carnalibus parentibus felicissimis filiorum lucernæ adsint; verùm virgineis iis Christi eunuchis, non lucernæ solùm, sed & astra, & soles nascantur. Vbi Abraham vnigenitum filium Deo litare iubetur, bonus senex arripit ensem, & vno ictu intendit omnem sibi eripere spem posteritatis. Quid tunc? Ait illi Deus Genes. 22. *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli.* Ecce tibi vbi Abraham, & filium, & spem posteritatis Deo sacrat, stellarum exercitum pro filiis accipit; vt meritò dicat D. Hieron. de vera Circuncisione: *Humani contemptor seminis, pater vocatur astrorum.* Tantum abest, quòd sterilis sit castitas Deo sacrata, quod partus suos cum astris componat, in numero filiorum, & claritate. Aiebat Isaias cap. 54. *Lauda sterilis, quæ non paris, decanta laudem, & hinni, quæ non pariebas: quoniam multi filij desertæ magis, quàm eius quæ habebat virum.* Quando deserta vicit in habendis filiis copulatas viris? Quando Ecclesia Christi continentia, & castitate ornans ministros suos, cœpit regenerare populos in spem viuam: vt dicat D. Ambros. lib. 1. de Virgin. *Sancta Ecclesia immaculata coitu, fœcunda partu; virgo est castitate, mater est prole.* Sed scire cupis, quot sibi acquirat filios Christiana castitas, virginitas? Splendentes guttas à roscida aurora cadentes numeret, qui filios scire cupit acquisitos à purissimis Christi ministris, Psalmo 109. aiebat diuinus pater ad filium: *Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum, ex vtero ante Luciferum genui te.* Hæc vltima verba multipliciter sonant apud traductores. Ex multis legit noster Maldonatus: *Ex vtero ab aurora tibi ros progeniei tuæ.* Expende fidelium renascentium in Christo progenies, qualis sit: & si virgo fit Ecclesia Christi, non sterilis erit, quinimo habebit vterum, & habebit in vtero; & quot habebit in vtero virginitatis? Numerus renouatorum non petendus ex partubus communibus, sed ex vtero auroræ; quot ab aurora guttæ, tot a ministrorum pudicitia acquiruntur filij. Pulchrè Caietan. in præsenti: *Generatio fidelium Christi, non erit sicut generatio qua mater generat vnum, aut duos filios; sed erit sicut generatio roris, qua aurora generat rorem: hoc est, quod erit generatio innumerabilium simul; sicut enim aurora generat simul magnam roris multitudinem, ita erit generatio fidelium Christi.* Vniuersas superat fœcunditates fœcunditas virginea in acquirendis filiis, illa sola censetur fœcunditas digna castissimis Christi ministris, quæ nescit non multos simul acquirere filios. Quò spectans Dominus Canticorum 6. ait ad sponsam: *Dentes tui, sicut grex ouium, quæ ascenderunt de lauacro omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis.* In candidis Ecclesiæ dentibus ministros intelligit candore continentiæ nobilitatos; quos etiam, dum virginea nitent puritate, ouibus fœcundis comparat; & quibus ouibus? Explicat, cùm ait: *omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis.* Expende, vnde probet non esse steriles, nimirum, quia omnes gemellis fœtibus; quia steriles essent, nisi gemellos parturirent. Quis hoc diceret? An vt mulier non sit sterilis, requiritur, quòd gemellos parturiat? Cur ergo modò gemellos perit, ne oues censeantur steriles? Agit de castissimis Christi ministris, de virginitatis Christianæ fœcunditate, quæ tanta debet esse, vt sterilitas putetur, nisi plures simul generentur. Acutè Gillibertus Abbas sermone 24. in Cantica. *Sterilitas reputatur, si vel vno fueris fœtu contentus.* Non vno, sed multiplici filiorum spiritualium agmine ornatur pudicitia Christiana: ex quo quis voluptati renuntiauit, ex quo carnem suam cingulo castitatis constrictam Deo mactauit, sic expeditus, & fœcundus est, ad filios spirituales regenerando, vt minimè debeat contentus esse, nisi plurimos, eósque conspicuos Deo pariat. Vt de hac virginea prole veriùs dicamus, quòd Cassidorus 3. variarum 6. ait de Deciorum prosapia: *Maximis luminibus Deciorum sanguis irradiat. Qui tot annis continuis simul splendet claritate virtutum. Et quamuis rara sit gloria, non agnoscitur in tam longo stemmate variata. Sæculis suis producit nobilis vena primarios, nescit inde aliquid nasci mediocre: tot probati, quot geniti: & quod difficile prouenit, electa frequentia.* De qua religiosorum familia hæc verius dici non possunt? Equidem singuli Ordines sub castitatis baltheo fulgentes maximis luminibus radiant, nec tempora illis lucernas eripiunt, sed soles addunt. Sæculis suis nobilis hæc vena producit primarios, qui in doctrina, & virtute nesciant esse postremi, sed in omnibus primas rapiant. Tot probati, quot geniti, & in singulis electa frequentia est.

3. Reg. 15. · Isai. 56. · Hieron. · Genes. 22. · Hieron. · Isai. 54. · Ambros. · Psal. 109. · Caietan. · Cant. 6. · Gillib. Abb. · Cassiod.

§. XI.

Veritatis præco malè audit apud mundiales, qui ad vana, & adumbrata excipienda alacriores sunt.

PRæcinctos vocat Dominus eos, quorum in manibus splendidissimæ, & ardentissimæ lucernæ apparent; & quid præcinctus cum lucernis? In præcinctis, parati notantur ad bellum, ad certamina, ad vulnera excipienda, & plagas: sic de passione Petri loquitur Dominus Ioan. 21. *Alius cinget te, & ducet quò tu non vis.* In lucernis Euangelicis veritatis manifestatio, solidæque virtutis illuminatio notatur. Cur ergo præcincti, hoc est, parati ad plagas cum veritatis, solidæque virtutis luminibus coniunguntur? Equidem nil magis in mundo coniunctum, quàm annuntiatio solidæ

solidæ veritatis, & exceptio plagatum. Solæ apud mundanos triumphant vmbræ, leuissimæ vanitates; si quis seriam veritatem manifestè proclamat, is in se mouet mundialium iras, & vincula, & carceres. Componite modo Iosephum Patriarcham, & Ioannem Baptistam; vterque insignis pudicitia, vterque seruandæ pudicitiæ causa vinculis traditur, sed tam similes in virtutibus viri, diuersissimos exitus habent. Ioannes in carcere capite truncatur, Ioseph in carcere obtinet Ægyptiorum principatum. Vnde tam læta Iosepho acciderunt, & tam tristia Ioanni? Pulchram Chrysol. horam reddit rationem D.Chrysol. serm.174. aiens: *Ioseph somnia dum reuelat, euasit ex morte: Ioannes vt Dei filium reuelaret, suscepit & mortem.* Et cur Ioseph mundiales fauores non acquirat, dum de somniis tractat? Ille Ioannes, qui nudam, & seriam reuelat Dei veritatem, ille apud mundiales malè audit, & mortis incurrit plagas. En quàm mundus attentus est ad somnia; nil sciuit approbare, nisi quòd somniorum, & leuitatis sapore condiatur. Væ tibi si ablatis somniis facem præferas veritati, seriam virtutem, & veritatem publices, fallar, nisi omnium in te concites iras. Solemnissimum est apud sacros scriptores, tam antiquiores, quam recentes illum Angelum, qui toties veteribus Patribus apparebat, fuisse eundem Dei filium, qui postea in veritate carnis venit in mundum. Quo posito Genes.18. Genes.18.erat Abraham in ostio tabernaculi, *& apparuerunt ei tres viri stantes propè eum, quos cùm vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui, & adorauit in terram. Et dixit: Domine*, &c. Itaque, vt notauit Paulus, è tribus visis vnum adorauit, summóque honore excepit. Similiter Genes.32. dum Iacob maneret solus: *Ecce vir luctabatur cum eo*; nec Iacob in luctatorem, prouocatorémque suum irascitur, quinimò illud honorificè excipit, ab illóque benedictionem contendit. Tandem nec soli Abrahamo, nec soli Iacobo verbi diuini apparitio fit; sed, vt ait Ioann.1. Ioan.1. *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*, insuper, *in mundum venit, & sui eum non receperunt*; præterea de illo clamat ad præsidem: *Tolle, tolle, crucifige eum.* Cur ergo qui tam malè audit apud suos, qui vsque ad mortem afflictus est, tam honorificè excipitur à patribus antiquis? Vnde antiquitus apparens adoratur, & postmodum crucifigitur? Antiquus erat sola Dei hominis apparentia, postmodum fuit ipsa veritas; & dum conficti corporis apparentiis vtebatur, nihil mali in mundo audit, imò ingentes honores acquirit; verùm ibi Deus in veritate carnis apparet, ipsamque veritatem ablatis vmbris exhibet, quasi mundo iniuriosus habetur, & plectitur. Pulchrè ex his D. Chrysolog. serm.131. ait: Chrysol. *Si toties Deus in figura hominis videtur, quid est cur Iudæus hominem videns Christum, sic exasperatur? Nisi fortè figura honor, veritas putatur iniuria.* Quid argutius? Figura, adumbratio, vana rerum species honori habetur apud mundiales, veritas solida, iniuriæ datur. Quæstionem fecerat apud sapientes Ethnicos diuersa Herculis, & Catonis fortuna: Hercules in summa fuit omnium veneratione, in sui adorationem homines traxit; verùm Cato ab omnibus ferè pessundatus, & tandem fuit trucidatus. Cur tanta in Catone mala, quando tanta in Herculem bono confitebantur? Ad hæc Senec. Senec. lib.2. in sapientem non cadere iniuriam, vbi fatur: *Cato cum feris manus non contulit, quas consectari venatoris est, nec monstra igne, ac ferro persecutus est, nec in ea tempora incidit, quibus credi posset cælum vnius humeris inniti, excussa iam antiqua credulitate. Cum habitu congressus multiformi malo, & cum potentiæ immensa cupiditate, aduersus vitia ciuitatis degenerantis, & pessum sua mole sidentis stetit solus*, &c. Cur non pereat apud mundanos, qui nudam veritatem prædicabat, ille dum fingit humeris cœlos sustentare, dum monstra quædam horribilia à se deuicta garrit; dum venationes anditas in medium profert, attonitos reddit auditores, eósque in sui adorationem trahit: hic autem non fictas feras, sed vera vitia insectatur, quo odium incurrit hominum mundialium. Caligant oculi mundanorum ad vera, aperti sunt ad vana; quod vetula somniat, id magna diligentia exquirunt, mirantur: veras, clarissimásque sanctorum virorum voces pro vitiis tollendis despiciunt, aspernantur, imò diris persequuntur plagis. Non sic oculi sunt iustorum virorum, de quibus Cant.5. Cant.5. *Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident iuxta fluenta plenissima.* Non otiosè dicuntur oculi columbæ lacteæ, sed quia lac nullas reddit in se imagines, vt multi alij liquores reddunt. Ex quo D.Greg. Nyssen. Nyss. hom.5. in Cant. ait: *Quamobrem hæc est summa laus oculorum, nihil inane, aut simulatum, & re vacuum, atque quod non subsistat adumbrare, sed ipsam veritatem cernere, non autem fallas huius vitæ species recipere.* Hoc habeant oculi Christianorum, ne apud illos malè audiant lucidissima lumina veritatis, quæ malè audire solent apud eos, qui pascuntur inanibus, & vanis.

§. XII.

Religiosis viris inferendæ iniuriæ præcipuus auctor diabolus est.

Persecutionis præcinctum iubentur Christi asseclæ sustinere, dum dicitur illis: *sint lumbi vestri præcincti*; vt similiter sensu dictum fuit Petro, *alius cinget te.* Sed a quo præcingendi, hoc est, affligendi sint, minimè explicatur. Et cur non dicitur à quo in flagella, & plagas præcingi debeant? Sanè persecutor religiosorum virorum non est, qui cernitur, homo; sed qui non cernitur, diabolus. Hic vnus est auctor inferendæ iniuriæ religiosis viris. Psal.128. aiebat expertus David: Psal.128. *Sæpe expugnauerunt me a iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi.* Suam impugnationem meminit, & non explicat, à quo fuerit illa excitata. Cur non explicas, ô bone, persecutores tuos? Nónne in promptu erat Saul infensissimus hostis tuus? In promptu erat Saul, sed non illum memorat, vt qui sciret præcipuum auctorum persecutionum in religiosos viros, non esse hominem, sed diabolum. Ad hæc D.Zeno ibi ait. Zeno. *Tacito impugnantium nomine impugnatio sola memoratur, & causa memoranda est, cui auctores impugnationum silentur. Omnes humanæ iniuriæ, quæ religiosis viris inferuntur, non eosdem habent auctores, quos habent ministros. Exsecutio quidem hominum est, sed diaboli instinctus. Et huius nobis intelligentiæ Apostolus auctor est, dicens: Non est nobis colluctatio aduersùs carnem, & sanguinem, sed aduersùs potestates mundi, potentes tenebrarum.* Non homines, sed diaboli sunt, qui religiosos viros insectantur; & si ab ore hominis videantur calumniæ, iniuriæ, opprobria iaculari, intus est diabolus, qui linguam mouet, qui porrigit, imò immittit iniuriarū lethalia iacula. Vnde sapienter dicebat D. Iacobus in Canonica sua epist. Iacob.3. c.3. *Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis nostræ inflammata à gehenna.* Expende vnde sumat lingua ignem illum, quem iacit, nimirum ait, *inflammata à gehenna*, non à se accepit, nec à commotionis alicuius humanæ calore, sed à gehenna, hoc est, ab inferno, infernus est, qui in linguæ machina ponit flammas comburentes rotam natiuitatis nostræ. Sed scire cupis quæ sit hæc rota natiuitatis nostræ, in quam gehenna iaculat flammas suas? D.Ambros. lib.11. de Iacob. c.11. rota est Ambros. *teres vita absque vlla offensione.* Et quidem vbi rota natiuitatis nostræ, hoc est, vbi vita teres & inoffensa percutitur, nō ab alio quàm à gehennali incendio patitur. Ad hæc Gillib. Gillibert. Abb. serm.24. in Cant. *Flamma talis de inferis est. Nam flamma quæ desursum est, pacifica est, bonis consentiens, & bonos faciens.* Quæ minimè consentit bonis, sed bonos, & pios insectatur, percutit, inflammat, non ab alio procedit, quàm ab incendio gehennali. Quocirca illi, qui ad lectuli veri Salomonis admittuntur, simul aduersùs hostes armantur, dicit enim Cant. 3. *Vniuscuiusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos.* Cant.3. Quæ verba ponderans Gillib. Abb. ser.16. in Cant. Gillibert. fatur: *Super fæmur, non propter fæmur, sed propter timores nocturnos, forte quia non est illis colluctatio aduersùs carnem, & sanguinem, sed aduersus mundi rectores tenebrarum harum.* Hi soli sunt hostes religiosorum hominum: aduersùs hos se religiosi viri arment, homines vniuersos ament vt fratres.

§. XIII.

In persecutione exaltantur, & clariùs innotescunt iusti, eorum persecutores perimuntur.

Qvàm felix est iustorum hominum sors! Flagellorum linguis, imò loris cinguntur; persecutorum exercitu cincti impugnantur, & crudeliter arctantur. Quid erit igitur in viris iustis tanto hoste cinctis? An erit ruina? An erit perditio? Audi monentem Iesum cinctos suos: *Lucernæ ardentes in manibus vestris.* Non solùm lucernæ, sed lucernæ ardentes in cinctorum ponuntur manibus: lucernæ, vt illos magis persecutionibus innotescere faciant; ardentes, vt cōburant, in fauillásque redigant aduersarios. Quando iustorum persecutor non arsit? Quando iustus è persecutione splendidior, & notior non apparuit? De se aiebat D.Greg. Naz. orat.28. *Vnus ego audax, vt apparet, vnus in rebus horrendis spe bona fulnixus, vnus constanter aduersa tolerans, & pu-* Nazianz.

blicè propositum, & priuatim contemptus, an bellis, quæ mihi inferuntur, Orientis, & Occidentis. O insignem audaciam! Si consistant aduersus me castra, non timebit cor meum. Cur timeat inimicorum castra, qui persecutione fit splendidior, & notior toti Orbi? Persecutionum flabra non extinguunt, sed accendunt iustum, & lucidissimas extollunt in flammas, vt notior Orbi appareat. Machabæor. 2. cap. 7. septem fratrum passiones narrans ait: *Quorum vexabant similiter torquentes*, pro verbo *torquentes*, ponit Græcus, *βασανίζοντες*, quod sonat D. Ambros. in rotam agi. Notissimum tormentorum genus rota fuit, & fidelibus Christi auspicacissimum, vt enim, qui in rota est, nequit deorsum ferri, quin toties in sublimi appareat, sic dum viri iusti quasi rapiari ab hostibus cernuntur, & sublimiores, & gloriosiores humana

Ambros. fortuna apparent. Ex quo pulchrè D. Ambros. lib. 11. de Iacob cap. 11. ait. *At ille cùm torqueretur immaniter: Dissolui, inquit, corporis membra, sed adiungis gratiam passioni, nec eripis salutem morti. Est enim vox tonitrui in rota, quia in bono, & inoffenso vitæ illius cursu, cœleste resultat oraculum: itaque illud, quod legi, nunc manifestiùs recognosco, quia rota intra rotam currit, nec impeditur, teres enim vita sine vlla offensione in quauis passione versatur, & intra hanc quoque rota currit.* Quid pulchrius? Quot verba, tot erumpunt mysteria; duo ponderabo. In primis hæc vltima verba expendo, quod in iusti viri passione rota intra rotam sine offensione currit. Est lo-

Ezech. 1. cus Ezechielis 1. vbi dum mystici currus explicat rotas, ait: *aspectus earum, & opera quasi sit rota in medio rotæ.* quæ verba quæstionem faciunt expositoribus, qualiter rota in medio rotæ possit circumagi, & volui, quin mutuò rotæ impediantur? Quæstionem soluit Ambrosius in passione viri iusti, cuius vita teres, & vndique æqualis, mediis in curriculis maleuolorum hostium agitur, mordetur, impugnatur, laceratur, tunc sanè Ezechielis panditur miraculum, & rota in medio rotæ currit, nec impeditur; quia iustorum vita teres, & æqualis absque vlla offensione, in quauis persecutione versatur, imò tunc ostenditur iam quasi in curru triumphali. Sed age, expende illud primum, nimirum, quòd *vox tonitrui in rota, quia in bono vita illius cursu cœleste*

Psal. 76. *resultat oraculum.* Aiebat enim Psalm 76. ad Dominum: *Vox tonitrui tui in rota*; nec facilè inueniebatur rota, supra quam cœlestia omnia tonarent. Quam rotam inuenit D. Ambros. in persecutione iustorum, vbi enim iustorum vita æqualis ab hostibus circomagitur, impellitur, rotatur, imò reputatur, tunc pro iusto extollendo diuina resultant oracula, & cœlum, & nubes testium intonant eorum gloriam, & persecutorum infamiam. Tunc vox tonitrui & iustos clarificat, & persecutoribus fulmina minatur, quibus miserè perdantur. Núquam enim persecutio iustos non exaltat, & per-

Iustin. secutores funditus deuastat. Illa exagitatur quæstio à D. Iustino, quæst. 74. Cur non possit timeri, quod Gentilismus iterum reuiuiscat, & Ecclesiam Christi perdat? Ad quam sic ipse respondet: *Enimverò hæc tormenta, quibus & antè vsus est gentilismus, sperans hac ratione sese conseruari posse in integro, & Gentilismum abolenerunt, & Christianismum firmiùs stabiliuerunt.* Vanè equidem putat Gentilis Christianismum persecutione perdere, quando persecutionis tormenta nonquam non sciuere & ipsos persecutores perdere, & diuexatos iustos magis conspicuos reddere. Nullus prius perditur in persecutione, quàm persecutor, vnde dicebat Dauid

Psal. 117. Psal. 117. de persecutoribus suis: *Circumdederunt me sicut apes*, &c. Cur sicut apes? Nam apes in inferendo vulnere primæ ipsæ cadunt: accenditur iris apicula, & tota irascens vultum hominis aggreditur, cuspidem infigit, & subitò ipsa perit. Rem explicat D. Ambros. Psal. 45. in Iuda proditore. Is Luc. 22. factus dux latronum, Iesum aggreditur, & impudentissimus omnium, audet Iesum osculo petere, infigit osculum, capitur amicitiæ signo Iesus innocens. Quid tunc? non multum pòst, adhuc viuente Iesu, ipse proditor suspendio

Ambros. perditur. Accipite pulchra Ambrosij verba. *Osculum dedit proditor, infudit venenum, mortem irrogauit, tum aculeum quidem Christus obtudit, sed saius proditor non euasit.* Sic in inferendo vulnere, solæ apes pereunt: sic in inferenda iniuria, solus persecutor perditur.

§. XIV.

Illi veri Dei ministri, qui familiares suos docent in propria vilitatis cognitionem venire.

INsuper crediderim Christi discipulos præcingere lumbos iuberi, vt expediti serui appareant, portantes in manibus lucernas ardentes. Sed cur ardentes? Nónne sufficeret, quòd lucernas splendentes portarent, cur ardentes maluit? In splendore, quoddam lucis tantum lenocinium exprimitur, quo spectantium oculi recreantur. In ardore non solùm lucis lenocinium, sed combustio exprimitur adiacentium, & vsque in fauillas, cineréfque redactio; tales ergo sint Dei ministri, tale seruitium in mundo exerceant, vt quasi ardentibus facibus admotis sic approximantes in cineres, & fauillas vilitatis propriæ conuerti faciant. O quale istud officium seruorum Dei! Notissimum est illud mundialium triumphorum; eodem curru cum triumphatore Consule seruus efferebatur, qui à tergo clamans naturæ vilitatem obiiciebat triumphanti. Dé quo Iuuenal. Sa- Iuuen.
tyr. 10. ait,

——— Et sibi Consul
Ne placeat, curru seruus portatur eodem.

Et Tertull. in Apoc. cap. 23. *Suggeritur enim ei à tergo. Respice* Tertull.
post te, hominem memento te. Non absimili modo, Dominus præcinctos suos ministros, & cum lucernis ardentibus in mundum introducit, vt veluti serui clament, & sibi appropinquantes non lenocinio lucis recreent, sed ardore ignis, faciant in fauillas prospicere propriæ vilitatis. O quam præcinctus! ô quàm optimus seruus ille apud Deum inuenitur, cuius exflammati consortio, & colloquio gloriosissimi quique homines exeant cineres & fauillas suas mirantes. De
illo seruo loquebatur Sap. 3. *Fulgebunt iusti, & tanquam scin-* Sap. 3.
tillæ in arundineto discurrent. Non solùm lucidis fulgebunt radiis, sed & ardebunt tanquam scintillæ in arundineto. Scintilla in arundineto discursens omnia perdit, omnia absumit videbitis modò arundinetum longis arundinum hastis sublimé, extensis foliis opacum, accedit ardés scintilla, hinc inde discurrit, exurgit flamma. & subitò arundines nudæ, fumosæ, semiustæ, cinerum prætendentes fauillas apparent. Hæc non perditio est? Forsitan erit perditio in arundineto. & in conuentu hominum lucrum est maximum, quòd sint tales viri, tam ardentes, vt ex eorum congressu nulla arbos humana suas non videat fauillas, extremásque nudi-
tates. Pulcrè ad hæc D. Greg. lib. 24. Mor. c. 12. ait: *Sancti viri* Gregor.
dum peccatoribus permiscentur, eos exemplorum suorum igne succendunt, atque per omne quod nitent, in cinerem reddunt, qua pietatis flamma consumpti, dum infirmitatem suæ conditionis conspiciunt, nihil aliud quàm fauillam se esse cognoscunt. Nemo iustorum aliam conuersationem habere nouit, nisi ea qua inflammati proximi tumores deponant, propriásque fauillas cognoscant. Tres Angelos suscepit hospitio Abraham, quibus officiosè astitit. quorum colloquiis gauisus est, & secreta diuina per illos sibi reuelari vidit, & tamen inter hos fa-
uores, vbi primùm incipit verbum facere, ait Gen. 18. *Loquar* Genes. 18.
ad Dominum cùm sim puluis, & cinis. Nunquam tale auditum fuit antea in ore Abrahæ, nunc primùm se puluerem & cinerem profitetur, sed & nunc primùm dicitur habuisse longum cum Angelicis viris colloquium. Vbi enim Angeli eius intrant hospitium, cum eo fabulantur, nihil aliud de se, quàm fauillas, cineréfque audet restari. Proh conuersationem Angelicam, & dignam Dei ministris, ex qua nihil priùs edifcunt proximi quique, quàm propriam nosse vilitatem, & infirmitatem. Qui Dei minister hanc virtutem habet, qua mundialibus hominibus permistus illis, & cineres, & fauillas nudas propriæ vilitatis obiiciat, Angelus sit necessum est, ab omníque corporea liber necessitate. Vide ar-
dentem Eliæ zelum 3. Reg. 21. is enim coram rege stans, illi 3. Reg. 21.
iratum Deum repræsentat, infamem mortem minatur, dura iam imminentia supplicia indignat. Quid tunc? *Itaque cùm audisset Achab sermones istos, scidit vestimenta sua, operuit cilicio carnem suam, ieiunauitque & dormiuit in sacco.* Expende modò qualis egrediatur superbus rex à colloquio Eliæ, quàm combustus, quàm in cinere, & cilicio humiliatus. Sed quomodo Elias ausus est sic conterere regem, sic illum humiliare? Angelicam vitam profitebatur, omnique expeditam corporea cupiditate, quo non dubitat regibus etiam proprias vilitates obiicere, malens omnibus mundi bonis renuntiare, quàm adulatoriis verbis proximorum miserias
obumbrare. De similibus aiebat D. Nil. in Ascetico: *[illegible] illi* Nilus.
gesserunt, cùm neglecto corpore, corporisque necessitatibus, sola se anima viuere indicarent. Ideo erant omnibus superiores, quia nulla re indigebat. Malebant enim corpus relinquere, & vita, quæ in carne est, spoliari, quàm virtutis prodere dignitatem, aut cuipiam diuiti propter inopiam adulari. Sic corpori renuntiare nouerunt ardentissimæ virtutis lucernæ, ne Christianam fœdarent, aut proderent pietatem, dum mundialium appropinquantiú fastus potius afflant, quàm tollût adulatoriis verbis,

verbis, & blandiriis, quæ sua sunt quærentes, non quæ Iesu Christi. Quam rari Christi ministri hanc præcauent maculam? Nazianz. Vous forsan Gregor. Naaianz. soa tempora lugens, ita fatur orat. 27. *Neque ita comparatus sum, vt hominum beneuolentiam blanditijs, & assentatione surripere queam: quales multos eorum video, qui hoc tempore sacerdotij munus profitentur, qui fidei nostræ pietatem, quæ priùs simplex, atque artis expers erat, artificiosam reddiderunt, ac nouum quoddam politices genus, à foro ad sancta transtulerunt, & à theatro ad sacrarium: ita vt, si audacter hoc dicere oportet, duæ iam scenæ sint, inter quas hoc dumtaxat intersit, quòd illa omnibus pateat, hæc quibusdam: illa rideatur, hæc in honore sit; illa theatrica, hæc spiritualis nominetur. Vos testes, & Deus, nos ab hac parte minimè stare, verùm tales esse, vt sinisteritatem potius, & rusticitatis, quàm adulationis, & seruilis animi notam suscipere possimus.* Mundialium hominum vita vocari consueuit scena, verùm ex quo adulationis lues religiosos etiam viros peruasit, iam non vna scena, sed duæ scenæ sunt, vita enim Ecclesiasticorum scena fit, vt mundialis vita scena est, in vtraque enim ars viuendi viget, sub artificióque viuitur, & polítices genus versatur, quod blanditiis, & assentationibus hominis beneuolentias expiscatur. Non sic Nazianzenus, non sic veri ministri Christi, qui malint omnibus corporis bonis renuntiare, quàm seruire mundialium cupiditatibus. túneque se seruos vilissimos reputarent, si fortè per laudum blandimenta aliquid temporale cuperent suffurari.

Text. Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptiis: vt cùm venerit, & pulsauerit, confestim aperiant ei.

§. XV.

Difficile intra humanæ rationis terminos se continet, qui præ cæteris aliquo splendore insignitur.

DIxerat alias Dominus ad discipulos suos: *Estote perfecti sicut pater vester cælestis perfectus est*; modò tantùm iubet, quòd sint similes hominibus. Cur non potiùs Deo iubet suos assimilari? Cur non magis Dei, quàm hominum similitudinem affectari iubet? Loquitur ad eos, qui ardentibus lucernis manus plenas habeant; qui autem tot luminibus super alios lucere conspiciuntur, multum erit, si se
Psal. 48. intra humanos terminos contineant. Aiebat Psalm 48. *Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Expende quibus similis fiat homo; non hominibus similis fit, sed iumentis insipientibus. Vnde tam misera similitudo illi obuenit, qua infra humanum decus factus pecoribus æquaretur? Psalmus notat aiens, cùm in honore esset, non intellexit, honor illi totam hominis rationem eripuit; honor, quo præ cæteris effulgebat, illum ad brutorum similitudinem deiecit. Est quidem in præcellentia periculum ipsam humanam men-
Bernard. tem amittendi. Vnde eleganter D. Bernard. epist. 237. aiebat: *Considero gradum, & casum vereor. Considero fastigium dignitatis, & intueor subter me abyssi iacentis deorsum. Attendo celsitudinem honoris, & è vicino periculum reformido, pro eo quòd scriptum est: Homo cùm in honore esset, non intellexit; honor absorbuit intellectum.* Vbi honoris aliquid, vbi aliquid excellentiæ vnum præ aliis occupat hominem, vix in illo aliquid hominis relinquit, honor absorbet intellectum, similitudinémque ingerit cum iumentis campi. Quisquis intra hominis mensuram, & perfectionem te continere amas, caue tibi ne aliquam in te præcellentiam intuearis, si enim hanc intueris, fallar, nisi hominem non deposue-
Daniel. 4. ris. Daniel. 4. Nabuchodonosor videns ciuitatem, cuius gloria cæteros superabat, ait: *Nónne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? Cùmque sermo adhuc esset in ore regis, vox de cælo ruit: Tibi dicitur Nabuchodonosor rex: Regnum transibit à te, & ab hominibus ejcient te, & cum bestiis feris erit habitatio tua, &c.* Vbi lucidissima sua facinora aspexit, vbi decus, & gloriam, qua cæteros superabat, notauit; non amplius cum hominibus potuit existere, sed & hominem cauere, & habitare iubetur cum brutis. Quocirca de
Richard. illa ait Richard. Victor. lib. 2. de eruditione interioris hominis cap. 51. *Quantum te supra homines extulisti per arrogantiam, tantum infra homines dejecerit per culpam, & cum bestiis, & feris erit habitatio tua. Ab hominibus ejectus, ad feras, & bestias descendes.* Sic præcellentia solet rationem absorbere, & homines efferare. Sic in quo se præ cæteris splendescere quis nouit, solet stultescere, & cæcata ratione hominis ad bestiarum peruenire insaniam. Quò respiciebat Eliu Iob 34 de Deo aiens: *Qui dicit regi, apostata.* Et quid regi cum Apostata? Sanè eo ipso, quòd quis in se aliquem nouerit primatum, quòd in aliqua excellentia Princeps sibi videtur, non longè abest ab apostasia, hoc est, à defectione, qua primi apostatæ, & desertoris ebibat insaniam, ab Angelorum, hominúmque societate deiectus, & inter reptilia computatus. Aiebat enim sapienter Diuus Chrysostom. homil. 65. in Ioann. *Quemadmodum diuitiæ incautos perdere consueuerant, ita & principatus: illa namque in auaritiam, hic in insaniam hominem impellit.* Auarum faciunt diuitiæ splendentes dotes, & conspicuæ faciunt insanum absorpta prorsus ratione humana, adeò vt non paruum sit hominis facinus, si inter præstantes naturæ, aut gratiæ dotes, ipsius beneficio gratiæ sciat se intra humanæ rationis terminos conseruare. Non sciuit id Angelus, de Chrysost.
quo D. Gregor. lib. 29. Moral. cap. 14. ait: *Despectis Angelorum societatibus dixit: Ascendam super altitudinem nubium; similis ero Altissimo.* Sic vbi se præ cæteris adornatum vidit, Gregor.
exquirit Angelorum societatem, & Altissimi similitudinem æmulatus, serpentinam incurrit stoliditatem. Sic & multi homines, dum in prælatura constituuntur: de quibus idem Gregor. ibidem, ait: *Sæpè nouimus, quòd plerique qui præsunt, inordinatum sibi metum à subditis petunt, & non tam propter Dominum, quàm pro dominio venerari volunt. Intus enim se tumore cordis extollunt, cunctósque subditos in sui comparatione despiciunt, nec condescendendo consulunt, sed dominando premunt; quia videlicet alta cogitatione se erigunt, & æquales se illis, quibus eos præesse contigit, non agnoscunt.* Sic quilibet honor absorbet intellectum, & facit despicere æqualis naturæ consortium. Idem.

§. XVI.

Maxima iusti hominis virtus, quòd in nullo velit à multitudinis communitate eximi.

QVid maius à Christi asseclis peti potuit, quàm quòd facinorum lucernis splendeant, & nihilominus similes sint hominibus; non homini alicui præcellenti, & eminenti, sed communiter hominibus? Equidem ille virtutis attigit punctum, qui etiam inter maximarum virtutum, dotúmque splendores, sic se cæteris omnibus adæquat, vt nullam præ illis prærogatiuam sibi appropriet. Hoc virtutis summum attigit Dominus, dum habitauit nobiscum, de quo Paulus ad Philippens. 2. *Semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Expende *in similitudinem hominum*, suffecisset venisse in similitudinem hominis alicuius insignis, & conspicui, cur non vnius hominis, sed hominum maluit suscipere similitudinem? Sanè magister virtutis, nullam exceptionem, nullam prærogatiuam amauit, qua à multitudine possit dignosci, sed sic sese omnibus exæquare nouit, vt tantùm vnus è multitudine putaretur Philip. 2.
homo. Pulchrè D. Bernard. sermone de Passion. Domini sermone 4. *In similitudinem, inquit, hominum, non hominis. Christus enim in vniuersali hominum miseria pressius, & profundiùs se immersit, ne subtilis ille diaboli oculus magnum hoc pietatis deprehenderet Sacramentum. Ideo habitu, & omni habitu inuentus est vt homo, nec in eo quantum ad naturæ debitum signum aliquod singularitatis apparuit.* Proh Iesu virtus singularis, dum nihil singulare amat, sed se omnibus exæquans hominibus, sic se æquitate conditionis obscurat, vt inter homines, solus eius numerus possit dignosci, si spectentur miseriæ humanæ conditionis. Huc veniant, qui etiam in sequela Christi amat singularitates, exemptiones, & prærogatiuas honoris; non equidem in Christi schola virtutis honor venit à singularitate, & exemptione, sed ab æqualitate maiorum cum minoribus. Hæc est magna prædicatio moralis virtutis in Christi schola. Propone tibi ob oculos totam Christi Domini vitam, illum concipiendum prædicat, & extollit Archangelus Gabriel, Bernard.
Lucæ 1 dicens: *Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur*; conceptum iam in Mariæ vtero illam celebrat Ioannes saltibus ab vtero suæ matris: *exultauit infans in vtero meo, &c.* natum, & in præsepio reclinatum eundem Luc. 1.

Angelorum exercitus gloriosis honorant cantibus, & stella cœlestis radianti lingua illum publicat Magis Orientalibus. Quid tunc? Postquam à pueris excessit, virili iam pollens ætate permixtus multitudine accedit ad Ioannem baptizandum. Ait enim Lucas cap. 3. (Luc. 3.) *Factum est autem, cum baptizaretur omnis populus, & Iesu baptizato, & orante apertum est cælum: & descendit Spiritus sanctus corporali specie, sicut columba in ipsum; & vox de cælo facta est: Tu es filius meus dilectus*, &c. Modo ipse diuinissimus Spiritus, & Pater per se ipsum Iesu patentissimas & sublimissimas virtutes prædicant. Sed cur Iesu commendatio à conceptu committitur creaturis, à baptismo autem illam per se exercent Pater, & Spiritus sanctus? Causam insinuat textus aiens: *Factum est autem cùm baptizaretur omnis populus, & Iesu baptizato*, &c. In Iesu conceptu & natiuitate diuinissimas Iesu virtutes inuenies; sed mixtas cum aliquali exemptione,& singularitate: vnus ille homo aluum virginis intemeratæ inerrauit, vnus à virgine natus est, & altus virginali lacte, vtero de cœlo pleno. In Baptismo nihil singulare habuit, quin potiùs ita se multitudini immiscuit, ita se multitudini exhibuit parem, & æqualem, vt solus numerus videretur. Qua æqualitate, & communitate tale virtutis magisterium ostendit, quale nulla creatura, sed Pater ipse, & Spiritus sanctus dignè prædicarent. (Chrysost.) Chrysostom. homil. 11. in Ioannem fatur: *Cùm se ipsum magis ostendit, longe prioribus maiora miracula apparuerunt, siquidem non amplius stella, non cælum, non Angeli, non Archangeli, non Gabriel, non Michaël, sed ipse eum cælitus pater, & cum patre paracletus loquens, irradiansque, & in eo permanens prædicauit.* Minor est lingua cœlorum, Angelorúmque, quàm vt valeat tantum Christi magisterium prædicare, quo singularitatis insigne excludens sese in abiectissimis etiam operibus, multitudini immiscuit, exæquauit. Hoc tantum magisterium sub maioribus decuit miraculis coruscare, diuinissimaque summi parentis voce publicari, vtpote, quod maximum erat virtutis moralis insigne. Et his lucem affero Isaiæ cap. 49. (Isai. 49.) vbi sic: *Et nunc dicit Dominus, formans me ex vtero seruum sibi, vt reducam Iacob ad eum, & Israel non congregabitur: & glorificatus sum in oculis Domini, & Deus meus factus est fortitudo mea. Et dixit: Parum est, vt sis mihi seruus*, &c. Quæ vltima verba apud Septuaginta sonant: *Et dixit: Magnum est tibi, vt voceris puer meus.* Itaque qui in forma Dei erat, exinaniens se formam serui accepit in vtero virginis, quem sic sub forma serui constitutum alloquens pater dixit, iuxta vulgatam: *Parum est, vt sis mihi seruus*; verùm iuxta Septuaginta dixit: *Magnum est tibi, vt voceris puer meus.* Qualis hæc contradictio? Quomodo vtrumque verum esse poterit, & quòd parum sit esse seruum, & quòd magnum sit vocari seruum? Planè parum est sic ab vtero esse seruum, vt simul gloriam & honorem filiorum recipiat; illud magnum est, si talem seruitutem subeat, qua in omni seruorum miseria pressus nullam in se ostendat exemptionis singularem prærogatiuam. Sic Iesus, dum in ea forma serui apparuit, quæ & conceptu, & natiuitate singulari pollebat, non adeò magnum acclamatæ abiectionis specimen prætendit: vbi autem se ita vilissimis seruis adæquauit, vt omni singularitatis & exemptionis signo deposito, ab extremis seruis non videretur dissimilis; hoc fecit magnum, & à patre prædicabile virtutis insigne. (Bernard.) Quod in Iesu miratus D. Bernard. vbi supra, ait: *Filius erat, & factus est tanquam seruus. Non solùm formam serui accipit, vt subesset, sed etiam mali serui, vt vapularet, & serui peccati, vt pœnam solueret, cùm culpam non haberet.* Sic in assumpta seruitute, in omni etiam extremæ seruitutis miseria voluit esse, vt nullum in ea singularitatis signum ostenderet, sed communibus etiam vilissimorum seruorum se submitteret plagis. Quisquis ergo in ordine aliquo singulares prærogatiuas amauerit, nil magnum in se credat esse, imò caueat in Christi schola non paruum lapsum. (Iob 34.) Eliu Iob. 34. aiebat de Deo: *Qui dicit regi, apostata*, quasi apostasiam, & defectionem iunctam prædicet principatui. Sed cur Princeps, & rex tam sibi iunctam habent apostasiam? Mundialis principatus proprius est ille fastus, quo quis exemptiones, & singulares prærogatiuas amat, vt singularis appareat, cui affectui quàm proxima est semper apostasia. (Gregor.) Aiebat D. Gregor. lib. 24. Moral. cap. 14. fatus. *Vnusquisque enim superbus rector toties ad culpam apostasiæ delabitur, quoties præesse hominibus delectatur, honoris sui singularitate lætatur.* Cui cordi est exemptio, & singularitas, proxima proculdubio est apostasia, hoc est, à Deo defectio, vel reiectio suauissimi iugi Christiani. Ideo etiam à iure exemptos monebat Ecclesiasticus cap. 32. *Ducem te constituerunt, noli extolli, sed esto in illis, quasi vnus ex illis*; (Eccles. 32.) in nullo laboris pondere à multitudine separatus.

§. XVII.

Iustus homo multiplici virtutum studeat varietati.

Non vni alicui homini studeat iustus solùm assimilari, sed hominibus: hoc est, multorum in se transferat virtutes. Id quod in dilecta sua amabat Dominus Cantic. 7. (Cantic. 7.) inquiens: *Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis.* Theodoretus legit: *In portu filiæ multorum.* Expende vnde commendetur sponsæ præstantia, scilicèt quòd sit instar filiæ multorum. Nónne ignominiosum est, & turpe homini vocari multorum filium? Equidem in carnali generatione id ignominiosum est, at in spirituali natiuitate virtutum præstantissimum, lucidissimum. Tunc enim pulchris splendes virtutum luminibus, cùm non vnius, sed multorum in te exprimis similitudines. Ad hæc Theodoret. ibi de iustis hominibus, inquit: (Theod.) *Siquidem à magno Moyse, & à Iesu filio Naue, & à Samuele Propheta, & à Dauide, eodem tum Propheta, tum rege, & ab Isaia, & Ieremia, & Daniele, & Ezechiele, & ex Apostolis, & à Doctoribus, qui post illos fuerunt, latices vtilitatis excipiunt. Ideo sponsus ait: Oculi tui sicut lacunæ in Hesebon in portu filiæ multorum.* Hinc sanè sese extollunt sponsæ diuinæ lumina, quòd aliquam in se ferè omnium Sanctorum exprimat similitudinem, quòd non ad vnius, sed ad multorum se virtutes efformet. Hinc producturus Dominus hominem perfectum, & absolutum, ait Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* (Genes. 1.) Putatur hæc vox fuisse summi parentis ad filium, vt sic pater Deus duas personas conuocaret ad humanum opus. Sed cur dicit, faciamus hominem ad similitudinem nostram? Cur magis non dicit filio, fac hominem ad similitudinem tuam? Planè in conditione naturæ humanæ meditabatur Deus sponsam filio suo iungendam, quæ minus digna videretur, si ad vnius, & non ad similitudinem fieret multorum. Quò spectans D. Zeno serm. 3. de Genes. ait: (Zeno.) *Non inquit, fac ad tuam, sed ait, faciamus ad nostram, ne quam filius hominem induturus pati videretur iniuriam.* Quasi iniuriosum esset filio Dei eam humanitatem ducere, quæ vnius, & non multorum prætenderet similitudinem. Vbi enim homo instar filiæ multorum viguit, hoc est, pluralitatem personarum diuinarum expressit in virtutum similitudine, perfectus fuit, & Deo gratissimus. At vbi plurium similitudinem virtutum exuens, sese ad vnam addixit, ex tunc cœpit Deo esse odiosus, & iniurius. De illo diuinitatem solam affectante aiebat Dominus Genes. 3. *Ecce Adam, quasi vnus ex nobis factus est.* (Genes. 3.) Ex quo eleganter concludit Origen. hom. 1. in Ezech. *Ergo quando peccauit Adam, tunc factus est quasi vnus.* Quando multorum exprimebat similitudinem in varietate virtutum, tunc diuino parabatur coniugio: quando non multis, sed vni assimilari curabat, iam inde apparebat peccator, & Deo iniurius. Quippe Deo ille potest placere, qui se illi assimilare contendit in varietate virtutum. De quo plura diximus lib. 14. cap. 2. §. 8. & lib. 13. cap. 2. §. 9. & alibi.

§. XVIII.

Felix est, cui temporalium bonorum finis datur inspiciendus.

Expendendum maximè est, quando permittatur felicibus seruis expectari, & spectari Dominus, nimirum, quando reuertatur à nuptiis; non quando ad nuptias vadit: sed quando post finitas nuptias, extinctis iam facibus reuertitur. Proh felicitatem seruorum, quibus non nuptiarum splendor, pompa, conuiuia, cantus, diuitiæ, sed omnium horum finis spectari conceditur! Fallar, si spectato bonorum temporalium fine, possit quis circa salutem suam, cæcitatem habere. Inter omnes cæcitates summa est Iudæorum cæcitas, de qua dicebat Paulus 2. ad Corinth. 3. (2. Cor. 3.) *Vsque in hodiernum diem, cùm legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.* Sanè nulla gens sic cæca est ad salutem; ad diuina & æterna mysteria percipienda. Sed scire cupis vnde Iudæi sic cæci ad Moysem feruntur? Vnde tam affecti ad lacteam illam, melleámque Moysis terram, vt

vt præ illa non videant, nec videre velint terram viuentium? Deut.34. Deuter.34. habes, quòd Moyses separatus à populo ascendit in montem Nebo, vt contemplaretur promissam terram, quâ visa: *Mortuus est ibi Moyses seruus Domini, in terra Moab iubente Domino: & sepeliuit eum in valle terræ Moab contra Phogor, & non cognouit homo sepulchrum eius vsque in præsentem diem.* Nulli hominum datum fuit videre sepulchrum Moysis, videre finem Moysis, & inde nata est tota Iudæorum cæcitas circa Moysem. Drogo. Ad hæc Drogo Hostiensis sermone de Passion. ait: *Propterea vsque hodie, dum legitur Moyses, velatam habet faciem, quia ab homine mortali sepulchrum eius non inuenitur.* Audit Iudæus Moysem, & cæcus totus intendit ad lacte, & melle manantem terram, totum intendis ad temporalem regni splendorem, nihilque amplius cupit, quia non videt sepulchrum Moysis, non illi ostenditur finis Moysis, qui si ostenderetur, nullum iam velamen maneret, nulla cæcitas non tolleretur. Heu quibus non conceditur cernendus finis bonorum temporalium; non miror, quòd hi eam incurrant cæcitatem, qua decidant in æternam inferni foueam. Illi felices, quibus nihil prius cernendum datur in temporalibus bonis, quàm finis eorum, hi, fieri vix potest, quòd pateant hostili incursui. Cùm ægrotasset Ezechias, addita fuit illi Isai.38. à Deo temporalis vita, ait enim Isaias 38. *Ego adijciam super dies tuos quindecim annos.* Sed illud venit notandum, quòd regi Ezechiæ non additur vita indefinitè, vt cæteris omnibus conceditur communiter; datur enim hominibus vita, sed non explicatur illis vitæ terminus: Ezechiæ additur vita, & simul illi explicatur terminus eius, & finis, dum ait, *adijciam super dies tuos quindecim annos.* Et Cyrill. cur terminus vitæ illi explicatus? Ait D. Cyrill. Alexand. lib. 3. in Isaiam tom. 4. cap. 38. *Terminos vitæ adiectæ designat, vt finem intuens, & se prorsus, penitúsque moriturum sentiens, morbum superbiæ non sinat in animum intromitti.* Vbi vitæ terminus ob oculos versatur, penitus intercluditur aditus vitiosis cupiditatibus; quid cupiat è mundialibus bonis, qui eorum cernit occasum? Quomodo decipietur splendore, cuius nihil prius videt, quàm cineres? Fallar si à fine vitæ conspecto, quis in virtutum operatione non euadat singularis. De Iesu miraculis, & virtutibus audierat multa Herodes, & miratus tantas virtutes in homine, Marc.6. ait Marc.6. *Quem ego decollaui Ioannem, hic à mortuis surrexit;* imò, vt ait Matth. cap.14. *Audiuit Herodes tetrarcha famam Iesu, & ait pueris suis: Hic est Ioannes Baptista; ipse surrexit à mortuis, & ideo virtutes operantur in eo.* Cur necessum fuit Herodi recurrere ad mortuum, vt Christi Domini virtutibus daret causam? Vel cur illas virtutes putauit à mortuo magis, quàm à viuo fieri potuisse? Tantam vim esse putauit in mortis conspectu, vt à mortis falce, non nisi ad nouas, & inauditas virtutes ascendi posse sapienter iudica- Damasc. rit. Vnde D. Damasc. orat. de Transfig. ait: *Nam quia tantam miraculorum abyssum perspiciebant, vnum aliquem ex veteribus Prophetis esse suspicabatur, quia à morte ad vitam redijsset, atque hinc effici, vt tantam gratiam consequeretur.* Non enim à mortis conspectu itur, nisi ad magnam gratiam; vt pateat quàm feliciter nobis inspiciendus datur finis rerum humanarum. De quo plura suprà lib.6. cap.4. §.5. lib.12. cap.3. §.12. in fine lib.13. cap.7. §.6. lib.14. cap.9. §.1. & §.7. & sæpè alias, vbi per vniuersos libros fit mentio de efficacia memoriæ mortis, de qua passim.

Text. Beati serui illi, quos cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes. Amen dico vobis, quòd præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.

§. XIX.

Veram sibi gloriam æstimat Dominus, quam dat suis.

ECce sibi quid faciat Dominus sua iam in gloria constitutus, facit suos discumbere, & præcinctus transiet, & ministrabit illis; quid ministratio cum regno? Quid cùm gloria paterna tanti obsequij exhibitio? In mundo formam accepit serui, in mundo ministrauit, extremámque exercuit seruitutem in patris regno; cur non magis ipse sedet in gloria, cur non magis gaudet ipse paterno conuiuio? Cur non magis à ministerio quiescit? Equidem vbicumque sit Iesus, illam sibi gloriam æstimat, quam ministrat suis. Ennod. Pulchrè D. Ennodius Ethic. x. pungit Ethnicorum Deos, qui confingebantur fœminam matrem immortalitate donasse, relicto eius filio in misera hac, & mortali vita. Ait enim: *Non est præmium immortalitas, quam nec genitrix iam mittit ad sobolem, nec per eam, quod filius casibus fateatur, occurrit.* Equidem si in aliquo, in Christo Iesu verum habet hoc dictum: Qui non reputat præmium, nec reputat immortalitatem, nec reputat gloriam, quam non transfert ad sobolem, quam non ministrat, & confert suis. Tunc ipse immortalis, tunc ipse gloriosus, tunc ipse epulatur, cùm æternum conuiuium immortalibus ministrat filiis. Hinc de gloria Iesu locutus Isaias c.53. Isai.53. ait: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur. Pro eo, quòd laborauit anima eius, videbit, & saturabitur.* Bis dicit, quòd videbit, & toties Glossa interlinealis explicans illud, quòd Dominus ad saturitatem, & perfectionem gloriæ videbit, præfixit suprà, *videbit fideles in perpetuum regnare.* Nemini ignotum est cumulum beatitudinis, & gloriæ in visione consistere: tunc saturitas, tunc affluentia bonorum, tunc regnum, tunc diuitiæ immortales, cùm paruus oculus Deum videat. Sic Isaias cap. 60. *Tunc videbis, & af-* Isai.60. *flues;* sic Psalm. ait, *Satiabor cùm apparuerit,* &c. De Iesu autem gloria dicitur, *videbit semen longæuum, videbit, & saturabitur.* An alia est forma gloriæ in Iesu, & alia in cæteris beatis? Absit, sed Iesus tunc præcipuè reputat suam gloriam, reputat suum regnum, reputat suam saturitatem, cùm illam ministrat, & ad suos transfert. Pro quo dicebat Forer. Forerius: *Vbi Iesus viderit semen longæuum, saturabitur: id est, plenè sibi satisfactum putabit; hoc vno sui laboris præmio affatim contentus erit. Hæc sunt viscera Dei nostri, vt tunc bene habere dicatur, cùm res nostræ bene habent: tunc comedat, tunc quiescat, tunc deliciis affluat.* In eo totam suam exaltationem, & gloriam constituit Iesus, quòd illam soboli spirituali possit communicare; tunc sedem suam celsissimam ostendit, quando facit suos discumbere; tunc se saturum promit, cùm conuiuia suis ministrat lautissima: tunc nimis exaltatus apparet, cùm ad regni solium exaltat suos. Denique solam illam exaltationem, & gloriam suam reputat, quam suis ministrat. Quò spectabat illa visio Esdr.4. Esdræ lib. 4. cap. 2. *Ego Esdras vidi in monte Sion turbam magnam, quam numerare non potui, & omnes canticis collaudabant Dominum. Et in medio eorum erat iuuenis statura celsus, eminentior omnibus illis, & singulis eorum capitibus imponebat coronas, & magis exaltabatur.* Expende in quo magis exaltabatur, nimirum in ministrandis multitudini illis coronis. Sed illud difficile est, vnde educebat diuinissimus ille iuuenis tot coronas? Ait Psalm. 131. *Super ipsum autem* Psal.131. *efflorebit sanctificatio mea.* Vbi Chaldæus ponit: *Super ipsum autem efflorebit corona eius.* De qua corona Diuus Ambros. Ambros. sermon.15. in Psalm 118. ait: *In hac corona omnes coronæ sunt.* Erat igitur coronatus iuuenis ille filius Dei vniuersis coronis, quas de suo capite sumens singulis eorum capitibus imponebat, & magis exaltabatur. De eodem Dei filio dicit Apocalyps.19. *In capite eius diademata multa, ha-* Apoc.19. *bens nomen nouum, quod nemo nouit nisi ipse.* Habens hic duas coronas in capite, non dicitur exaltari, quin potiùs eius nomen ignotum omnibus explicatur. Et cur quando de suo capite sumens coronas illorum singulis imponebat, magis exaltabatur? Cur non magis exaltabatur, cùm sibi ipsi soli tot superpositas haberet coronas? Sanè filio Dei non est præmium immortalitas, nec regnum, quod non transmittit ad sobolem: suam æstimat victoriæ exaltationem non tam in habendis, quàm in ministrandis coronis. Et quidem ille verè Dei filius, qui solam æstimat gloriam, quam non sibi soli, sed spiritualibus communicat filiis.

§. XX.

Diuinissima, regalissimáque virtus est, pascendis occurrere animabus.

ECce tibi Dominus non alto fixus solio manet, inde datoris iura, à sæculorum negotiis vacuatus; quin potiùs præcingit se, & transiens ministrat. Non equidem in quiete, & ocio, sed in transitu, & negotio regalis Dei spiritus, & virtus monstratur. Inuenio apud antiquos piscinam, & fontem, in quibus diuina virtus, & regalis spiritus significabatur; piscina Bethsaida pro gregibus abluendis erat: fons de petra in deserto scatutiens pro populis adaquandis. Piscina in se quiescens ab Angelo turbabatur,

& accedentem sanabat, nulli tamen ipsa præferebat aut salutem, aut vtilitatem. Non sic petræ fons, sed totus sese effundens, & petræ obliuiscens stabilitatem simul cum petra ipse currebat, nec vbi populo deficeret potus salutaris. 1.Cor. 10. Hæc notans Paul. 1. ad Cor. 10. ait: *Bibebant autem de spiritali, consequente eos petra, petra autem erat Christus.* Piscina expectabat accedentes in se quieta & stagnata; petræ fons populos consequebatur. Cur non magis petræ fons expectabat accedentes? Rationem insinuat Paulus, aiens: *Petra autem erat Christus.* In piscina erat aqua sub Angelo turbata, à petra scaturiebat aqua sub Christo; in illa virtus seruilis erat, in hac regalissima, & diuinissima virtus exprimebatur, quæ in cursu, & transitu est, ne cui hominum deficiant vitales latices. Ambros. Ex quibus dicebatur D. Ambros. in Psalm. 45. *Non bonæ aquæ, quæ turbantur, & potum præbere non possunt. Meliores sunt, quæ pertranseunt, sicut scriptum est: Inter medios montes pertransibunt aquæ, & potabunt omnes bestiæ agri; suscipiant onagri in sitim suam.* Sunt equidem, qui spiritu seruitutis aguntur, adeò sibi solis consulentes, vt nec accedentis proximi saluti prospiciant, sine ingenti turbatione, vt videantur malle, nemini esse salutares. Quos autem Christi charitas vrget, diuinissimus, & regalissimus spiritus quietem inutilem abiurant, & instar fluminis impetus inter prærupta montium pertranseunt, vt vel minimorum sitim satient. Nequit regius animus apparere stagnatus, sed fluens, & transiens, omnibus propinans satietatem. Quis nesciat Iacobum apud Labanum seruientem? Quis ignoret Dauidem apud Saulem regnantem? Ille in seruum admittitur à Labano; hic à Saule admittitur in Principem exercitus, & inter sobolem regalem. Sed Iacob seruus accipit duas Labani filias in vxores, nempe Rachelem, & Liam, in hac negotiosam actiuitatem, in illa quietam, & sibi vacantem vitam amplexatus. Dauid vnam tantùm filiam Saulis ducit, quæ vocatur Michol, cuius nominis significatio est, *Quis omnia?* quasi omnibus ministerium exhibeat. Sed cur Dauid vnius Michol gaudet nuptiis, in qua vita omnibus intenta explicatur? Cur ad alterius non accessit coniugium, vt tantùm vacaret sibi? An Dauid Iacobo minor? Imò quia Dauid Iacobo maior, qui regio confirmatus erat spiritu, sic se conformauit, vt non sibi soli vacaret, sed se in multorum Gregor. salutem effunderet. Dicebat enim D. Gregor. lib. 5. in 1. Reg. cap. 14. *Quid est, quòd Iacob vtramque sororem habere licuit, Dauid autem ad maioris thalamum aceperauit: nisi quia Dauid rex fuit, Jacob verò rex non fuit? Quid ergo regimen animarum suscipit, hic censura Ecclesiastica susceptum gregem deserere, & remota vitæ otiis vacare non fiat.* Qui rex est, qui regio ducitur spiritu, non sibi soli vacandum putet, sed eam vitam instituat, quæ sciat transire ad proximorum vtilitatem, & salutem. Vt dicatur de illo, quod Can- Cant. 5. tic. 5. dicitur de Christi comis; vbi enim noster ait; *Comæ capitis tui, purpura regis vincta canalibus*; legunt Septuaginta: *Rex ligatus in transcursibus*; non enim tam decet regem sepeliri, & stagnari intra secreta penetralia, quàm in transcursibus esse, vt omnibus propinet salutem. Nec tam regem designat corona, quàm cursus pro tutandis hominibus.

§. XXI.

Qui hominum ministrant saluti, sese vel in habitu hominibus conformare solent.

PRæcingit se Dominus ministraturus vitam halantia conuiuia: sed cur præcingitur Dominus, nisi quia ministraturus vitam accedit hominibus præcinctis? Sapienter equidem sese aptat ad moderandos hominum animos, qui sublimem, & à vulgo longè remotam vitam, & salutem scit sub habitu communi propinare. Nazianz. Nazianzen. oratione 23. Heronis Philosophi Christiani, & ob Christum exulantis Philosophiam inde extollit, aiens: *Cùm Græcorum, qui pallio, & promissâ barbaro grauitatis speciem præseferunt, illam atque insolentiam reprimere operæ pretium esse censeret; quidnam facit? Et quonam pacto Philosophiam tractat? Medius quodammodo inter illorum vanitatem, & nostram sapientiam incedit, atque illorum quidem habitum, & laruam, nostrorum autem veritatem, & sublimitatem profitetur.* Expende viri sapientissimi artem ad comprimendos Græcorum fastus, cum veritate, & sublimitate viuendi, simul laruam eorum prætendit. Sic non pauci alij ex religiosissimis viris inter virtutum sublimitatem, non nihil de mundialium larua præseferebant, quo mundiales homines ad Christum traherent. Sed & ipse Dominus, & magister orbis, vt ait Paul. ad Philipp. 2. *habitu inuentus, vt homo*, hoc est, in diuinissimo viuendi modo, non à communi hominum conuersatione alienabatur, & nuptiis adens, & Principum mensis accumbens. Et cur Dominus hoc communi hominum habitu vtebatur? Ait Theodoretus Episcop. Theod. orat. de Christi natiuitate habita in Concil. Ephes. *Vt venationem non effugaret.* Solent enim venatores de syluarum colore sibi vestes effingere, imò & sub pictis boum, aliorúmque imaginibus se abscondere, vt dum prædis consueta repræsentant, arctiorem venationem faciant. Sic Dominus, sic sancti viri larualem etiam mundialium habitum, pro similitudine, absque peccato, solent repræsentare, vt prosint plurimis. De quo supra lib. 1. cap. 2. §. 2. & cap. 3. §. 12. & lib. 3. cap. 3. §. 2. Sed sunt multi sancti viri, qui larualem mundialium habitum prorsus abominentur, & semper prosequantur maledictis, nonquam non illum virtuti habentes suspectum. Hi equidem non valde in virtute sunt firmi, sed adhuc imperfecti, & paruuli ad laruas contremiscunt, & clamant. Sic Esther cap. 14. induitura purpuram Esth. 14. pro salute populi sui, tota tremens exclamat: *Tu scis Domine necessitatem meam, quòd abominer signum superbiæ, & gloriæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, & detester illud*, &c. Pulchrè Petrus Damian. in opusculo Damian. 12. de contemptu sæculi, cap. 19. in his agnoscit voces imperfectorum, ait enim. *Sane qui vilibus indumentis tectæ intentionis studio diutius assueti, si contingat aliquando, vt quantumlibet potioribus induantur, liberæ humilitatis supercilio dedignantes fastidiunt; & sicut alij sudu, ita isti pretiosis induti vestibus erubescant: delicatos sane habitus tolerant, despicabilium asperitate fruuntur; sunt illis omnia corporis ornamenta dedecori, deformitas honestati. Horum quidem Esther speciem tenuerat, cum dicebat: Tu scis Domine necessitatem meam, quòd abominer signum superbiæ, &c. Hi quidem sancti desiderij ardore feruescant, adhuc tamen adhuc suarum passionum tentamenta constringunt.* Quidni hi Estheris discipuli præualebunt, vt sub habitu cultiori semper genuant? Sanè in conflictu sunt, qui nondum robora virtutis non sentiunt, nunquam non timidi, & gementes ad has mundialium laruas accedant. Est tamen nobilis fœmina Iudith, lachrymis innotrita, cilicis armata, quia vbi populi salutem sperat, nihil timens ad mundum recurrit muliebrem, & de mundiali larua sibi parat trophæum. Iudith 10. *Abstulit à se Iudith cilicium,* Iudith 10. *exuit se vestimentis viduitatis suæ, & lauit corpus suum, & vnxit se myrto optimo, & discriminauit crinem capitis sui, & imposuit mitram super caput suum*, &c. Cur non times ò bona resumere, quæ deposueras ornamenta? Cur non magis abominaris mundum muliebrem? Quæ fortis est, & in sublimi perfectionis constituta, non laruas metuit, imò de laruali mundi habitu gloriosas victorias spectat. Ad hæc Petrus Damascen. vbi suprà: *Alij autem ad tantæ mortifica-* Damasc. *tionis celsitudinem peruenerant, quod iam ad vtraque velut insensibiles facti, sicut vilibus cadus consuetudinaliter expetunt; ita etiam, vbi res exigit, pretiosa quæque, vel nitida, nullatenus perhorrescunt: vtraque scilicet vno contemplantes aspectu, quos nimirum mollia non resoluunt; & aspera non affligunt. Illorum quoque forma Iudith fuerat, quæ videlicet cilicijs catenus vsa, cùm necessitas petiit, diuersis se corporea venustatis cultibus adornauit, sacra testante Scriptura, quæ ait:* Abstulit à se Iudith cilicium, exuit se vestimentis viduitatis suæ, lauit corpus suum, & vnxit se myrto optimo, & discriminauit crinem capitis sui, & imposuit mitram super caput suum, & induit se vestimentis iucunditatis suæ, induitque sandalia pedibus suis, &c. *Cùm his igitur ornamentis sancta fœmina, & veram circa se humilitatis custodiam tenuit, & eum, quo locupletata fuerat, paupertatis spiritum non amisit.* Imò sub hac mundi larua, sub hac mundiali imagine in prædam traxit Assyriam columbam: sicut enim venator sub bouis depicta imagine agrestes columbas capit; sic bona fœmina sub laruali mundi habitu Assyrium ducem, pro cuius signis erat columba, in prædam adduxit.

§. XXII.

De vnius Iesu spiritu venit, posse multis in obsequio placere.

QVi docuerat impossibile duobus dominis seruire, nunc ipse plurimos faciens recumbere, transiens ministrat illis. Et quis, nisi solus Iesus gratum seruitium exhibebit plurimis,

plurimis, Isaias cap.54. apud lectionem Septuag. ait: *Vult Dominus auferre labore animæ eius: ostendere ei lumen, & formare intelligentia, iustificare iustum, bene seruientem multis.* Et quis Cyrill. Alex. est adeò iustus, & sapiens, qui benè seruiat multis. D. Cyrill. Alex. lib.5. in Isaiam tom.1. cap.53. ait: *Iustum autem benè seruientem multis, non alius quisquam intelligi potest, præter Dominum nostrum Iesum Christum.* De vnius Christi spiritu venit, quòd gratum seruitium exhibeatur multis; quòd diuersitas nationum possit in vnum conuenire, ad eadémque recipi conuiuia. Id quod vni Christo acceptum referebant natio- Apoc.5. nes Apoc.5. dicentes: *Redemisti nos in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & fecisti nos Deo nostro regnum,* &c. Quàm bonus seruus, cui non obfuerunt tot diuersitates dominorum, tot contrarietates morum, tot differentiæ linguarum, sed per omnes transiens, sic vniuersis morem gessit, vt in vnum Dei regnum traheret. Quod mi- Rupert. ratus Rupert. lib. 4. in Apocal. ait: *Ex hoc homines multum à semetipsis dissentiunt, quòd multarum tribuum, dissonantium linguarum, dissimilium populorum, & diuersarum sunt nationum. Porrò ex hoc adeò dissentiunt, quòd à Diabolo capti diuersorum tenentur seruituti laqueis errorum. Sed tu redemisti nos Deo, vt faceres Dei filios, vt filios Dei, qui erant dispersi, congregares in vnum.* Solus Iesus potuit, tam diuersis, & disiunctis nationibus sic gratus accidere, vt omnes in vnum conuiuium reuocaret. Huius respiciebat obsequia trahentia homines Psalm 44. Psalm.44. dum ait: *Sagittæ tuæ acutæ,* in Græco legitur, *potentissimæ, populi sub te cadent.* Vbi sapienter per potentissimas has sagittas intelligit Chrysost. non vasa mortis ad perimendum, sed beneficia, quæ charitate vulnerant, & trahunt. Illud verùm difficile est, quòd inueniantur obsequiorum sagittæ adeò validæ, quòd multos diuersissimósque populos sautient. Quod obsequium diuersis placuit? Quis vnquam plurimos affecit; plurimos & remotos, & contrarios sui amore sauciauit? Aiebat Isaias cap.49. pro Iesu locutus de Patre: *Posuit me sicut sagittā electam*; ex quo enim Iesus quasi sagitta positus est, non vnus, aut alius, sed plurimi, & diffiti populi in Dei amorem vulnerantur. Aiebat Origen. Origen. tom.1. in Ioann. fatus: *Qui aspiciet tam multos, qui diuino amore vulnerati sunt: sagittam, quæ vulnerauit animos, tum multorum in Dei amorem, non aliquid aliud esse inueniet, nisi eum qui dixit: Posuit me, vt sagittam electam.* Vnus Iesus inuenietur, & qui Iesu spiritu afflatur, qui se adeò diuersorum, & multiplicium hominum animis nouerit insinuare, qui tam multis adeò placeat; & grata obsequia præbeat, vt eos amore saucios in vnum trahat. Id quod mira- D.Hier. tus D.Hieron. in epitaphio Lucini, inde Iesu validissimam sagittam extollit, quòd diuersos natione, & moribus homines, possit in vnum trahere. Quippè ait: *Sciant sæcula post futura, eum, qui dixit in Isaia: Posuit me, vt sagittam electam, duos viros tantis maris, atque terrarum inter se spatijs separatos suo acumine vulnerasse, vt cum mutuò in carne se nesciant, amore spiritus copulentur.* Adeò potentia sunt Iesu bona, quæ rideant & diuersitates, & contrarietates, & multos etsi diuersos, & contrarios in vnum trahant. Sic dicebat ipse Matth.8. Matth.8. *Multi venient ab Oriente, & Occidente, & recumbent cum Abraham,* &c. Quî fieri possit, quòd multi Orientales, & Occidentales conueniant cum Abraham ad recumben- Hieron. dum? Quomodo tam diuersis eadem placebit mensa? D. Hieron. ibi ait: *Quia Deus Abraham cœli conditor pater Christi est, idcirco in regno cælorum est, & Abraham, cum quo accubituri sunt nationes.* Nisi enim Christus Dominus mediasset, nec cœlestes epulæ possent tam diuersis nationibus esse gratæ.

Text. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit: beati sunt serui illi.

§. XXIII.

Adolescentum victoria apud Deum gloriosissima.

CVr primas vigilias prætermittens Dominus à secundis vigilijs incipit vigilantis serui prædicare gloriam? Ait enim: *Si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit: beati sunt serui illi.* Nihil de prima dicit, sed à secunda incipit beatitudinem serui, & gloriam extollere. In secunda vigilia, adolescentiam notant Glossa, Beda, Aymon, & alij Patres. Porrò tot sunt pericula in adolescentia, tot in illa parturiuntur mala, tot bella excitantur, tot furunt venti, & tempestates, vt meritò hæc in primis ad glorias numeretur ætas, quæ inter tot diuersa vigilauerit. In gloriosa illa Dei ciuitate quatuor ternaria constituuntur portarum correspondentia totidem hominis ætatibus, quæ glôria merebuntur coronari. Quippè ait Apocal. 2. *Ab Oriente portæ tres, ab Aquilone portæ tres, & ab Austro portæ tres, & ab Occasu portæ tres.* Apoc.2. Secundum ternarium correspondens secundæ vigiliæ secundæ ætatis in Aquilone portas habet, quæ patentem ad gloriam exhibeant aditum. Quis non miretur in Aquilone portas inueniri ad gloriam? Sanè ab Oriente stella deduxit Magos ad Christum, & Habacuc 3. *Deus ab Austro veniet,* & Psalm 67. Habac.3. *Qui ascendit super Occasum, Dominus nomen illi.* Psal.67. Et Oriens, & Auster, & Occasus vias ostendere solent felicitatis, verùm Aquilo nihil cum gloria, nihil cum felicitate, sed cum interitu commercium habet. Diabolus enim in Aquilone sedem suam fixit Isaiæ cap.14. *Sedebo in lateribus Aquilonis*; Isai.14. ex quo omnia excitantur mala, Ierem 1. *Ab Aquilone pandetur omne malum.* Ierem. 1. Quomodo ergo fieri potest, vt in Aquilone ad ingressum gloriæ portæ ponantur? Adde Eze- Ezech.8. chielem cap. 8. dicentem: *Et introduxit me per ostium portæ domus Domini, quod respiciebat ad Aquilonem: & ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem.* Aptior equidem videtur porta Aquilonaris ad fletus mouendos, quam ad glorias: certius ibi inuenies deploratum adolescentem, quàm triumphatorem. Sed non te moueant pericula Aquilonis, non te moueant adolescentiæ tempestates; quo difficilior ætas, eo gloriosior, quo porta hæc angustior, eo augustior. Accipite Eusebium Emiss. hom in Septuagesimam, vbi ait: Euseb. *Portas Aquilonis ideo angustas, & difficiles esse diximus: quia multis impedimenta illis fiunt, qui per eas intrare debent. Sed quid mirum, cum ad Aquilonem sedem suam diabolus posuerit, & ab Aquilone panduntur mala super omnes habitatores terræ? Miseri adolescentes, qui Aquilonis flatibus rigescunt, miseri, quos Diabolus perflat, & ventilat. Beati, qui hanc ætatem sine naufragio transire potuerunt.* Non parua beatitudo, non parua gloria est illi, qui in Aquilone portas ad gloriam inuenit; qui in secunda vigilia, hoc est, in adolescentiæ noctibus vigilans inuentus fuerit. Totius Aquilonis mala, & tempestates patitur adolescens, sed si sibi consulat, si adolescentiam inculpabiliter transegerit, gloriæ suæ faciet ostium magnum, & euidens. Cantatissimus est ille gloriæ currus Ezechieli obiectus: totus igneus erat, totus coruscans, & splendens, totus gloria radians, & ad gloriosiores triumphos tendens. Sed scire cupis vnde tantus gloriæ currus ascendat? Ait Ezechiel cap.1. *Et vidi, & ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone: & nubes magna, & ignis inuoluens, & splendor in circuitu eius, & de medio eius quasi species electri,* &c. Ezech 1. Tota primùm Aquilonis sæuiuit tempestas; ventus turbinis, nubila, fulgura perstrepebant; & interea currus appares gloriæ, & ingens triumphantis maiestas sese maximè prodit. Sed quis est, qui ab Aquilone in tantam se gloriam erigit? Is est homo, qui dum turbulentam, & sæuientem adolescentiæ tempestatem victor euadit, non potest non in gloriosissimam sese offerre victoriam. De quo aiebat Na- Nazianz. zianz. in signification. in Ezech. *Ab Aquilone, id est, à puerili institutione ad excellentiora progreditur.* Quasi nunquam non triumphus excellens, & præcelsa gloria excipiat illum, qui nouit superare feliciter adolescentiæ Aquilonem. A nemine enim non laudatur in homine adolescentia virtutibus illustrata: vnde extollens adolescentem ait Cassiod. lib.2. Cassiod. var.2. *Tanta te maturitate tractabam, vt annos leues putaretis esse sub pondere: quem non potuit in prima ætate vincere fortissima vis naturæ.* Quid laudabilius? In primis equidem est miraculis, quòd adolescens fortissimam naturæ vim superet, & sese operandæ virtuti tradat. De nobilissimo illo Israelitarum duce Samson, ait textus Iudic.13. *Creuitque puer, & benedixit ei Dominus. Cœpitque spiritus Domini esse cum eo in castris Dan.* Iudic.13. Dum puer erat Samson Dei, in se benedictionem ostendebat, verùm vbi creuit, adolescentulúsque factus est, iam non benedictionem, sed ipsum in se Dominum esse demonstrabat; ait enim: *Cœpitque spiritus Domini esse cum eo.* Pro his in Hebræo ponitur: *Cœpitque spiritus Domini facere eius recordationem.* quod idem est iuxta Abul. ibi quæst.41. ac sicut nos vulgari sermone dicimus, quòd quando excitat aliquis alium à somno, dicitur facere illum recordari. Ita Abul. ibi fatur: iuxta quòd primùm Samsonis gloriarum insigne illud est, quod adolescentulus non permissus est dormire, sed ex tunc cœpit à Deo excitari, & fieri vigilans in castris Dan; vna enim hæc Tribus Dan non plenam, & perfectam possessionem habebat, sed adhuc habi-

tabat in tentoriis, sperans fundatas habere ciuitates. Quid gloriosius Samsoni, quàm siccæ æstatis nempè adolescentiæ Ambros. vigilias facere ad miraculum,& stuporem eorum qui erant in castris? Præclarè D.Ambros. epist.70. ait: *Ortus est Samson diuino oraculo prædestinatus; magnus vir, nec pluribus numerandus, sed in paucis præstantissimus; eóque ingenti admiratione nobis spectandus à principio, non illa, quæ temperantiæ, & sobrietatis ia inde à pueritia vini abstemius præclara insignia dedit; sed ab adolescentia, quæ in alijs ætas mollior, in hoc egregia, atque supra humanum modum perfectæ virtutis stupenda facinora effecit.* Hoc efferendum in homine, quòd ab adolescentia facinoribus efficiendis inuigilet. Hoc homini gloriosum, & Psalm.68. Deo maximè gratum, de quo dicebat Psalm.68. *Placebit Domino super vitulum nouellum cornua producentem, & vngulas.*

§. XXIV.

Quæuis hora, etiam postrema, potest esse prima, vt Deum habeas.

De secundis, primísque vigilijs agens Dominus, meritò præterit primas vigilias, nihil de illis dicens; cur prima præteriens, secundas, & tertias meminit? Quia & secunda, & tertia, imò & postrema vigiliarum hora prima potest fieri, & verè prima est ei, qui verè ex tunc quærit Deum. Non te moueat numerus vigiliarum transactarum; etiam postrema tibi erit prima, vt habeas Deum. Felix ille Luc.23. latro in crucem actus iam iam moriturus clamabat Luc. 23. *Domine memento mei*; & cùm adeò serò clamasset, & in extrema iam constitutus vigilia de regno cœpisset cogitare, regnum inuenit. Quin fieri potuit, vt in vltima hora, in extremis iam constitutus, exaudiretur de regno? Sapienter August. D.August. serm.120. de tempore circa finem, ait: *Ergo etiam ex hoc in extremo placuit Deo, quia ad consequendam fidem non fuit extrema illa hora, sed prima.* Nunquam non prima illa hora, qua te ad Deum conuertis; etsi postrema in hora vitæ sis, etsi in vltimo articulo constitutus iam serus precator videaris; noli serò putare, clamat ad Deum, illique te & tua ex corde offert, & primus es, & primam tibi fecisti illam horam. Non paruam ex hoc lucem capit difficiIsai.60. lis Isaiæ locus, qui ait cap 60. *Me enim insulæ expectant, & maris naues in principio, vt adducam filios tuos de longè; argentum eorum, & aurum eorum cum eis, nomini Domini Dei tui*, &c. Vbi Septuag. paulò aliter reddiderunt aientes: *Me insulæ expectarunt, & naues Tharsis in primis, vt adducant filios tuos de longè, & argentum suum, & aurum suum cum eis*, &c. In quibus difficile est illud, *in principio*, siue *in primis*, cùm enim loquatur ibi Dominus de gentium conuersione ad fidem, intelligi nequit quomodo gentes conuersæ ad Deum dicantur in principio, siue in primis. Nónne gentes satis serò, imò nouissima hora, & vltimo diei articulo ad Christi vineam venerunt? Qui fieri potest, vt dicantur in principio, siue in primis venire, quæ in vltimo venerunt diei articulo? Sanè quacunque hora Deum quis inuocat, Deóque se & sua ex perfecto corde offert, illa hora prima est; & ille, qui se sic Deo offert, non serus, non vltimus, sed priNum.7. mus, & in primis est. Num.7. habes: *Dixitque Dominus ad Moysem: Singuli duces per singulos dies offerant munera in dedicatione altaris. Primo die obtulit oblationem suam Nahasson filius Aminadab de tribu Iuda.* Ecce tibi tribus Iuda prima accedit, vt dona Deo largiatur, cùm Iudas post tres fratres Cyrill. Alex. in mundum venerit quartus. Id quod notans D. Cyrill. Alex. lib.10. de oratione, ait. *Qui cum donis accedebant, id faciebant non ætatis habita ratione, sed primus quidem Iudas, etiam si temporis ordine quartus erat.* Et cur quartus in Dei muneribus offerendis permittitur primas ferre? Magnam hoc fecit quæstionem Cyrillo; ego verò crediderim ideo quartum in primis accessisse, vt ostenderetur quisque posse facere de postremo primum, vbi sui, suorúmque Deo oblationem faciat.

§. XXV.

Apud Iesum etiam postremus primogenium acquirit.

Non meminit Dominus primam vigiliam hominis, meminit autem secundam, & tertiam: ne viderentur bona cœlestia per Christum instar mundialium bonorum, solis primò accedentibus obuenire. Qui primus in mundum venit, is parentum bona rapit sibi, vt nihil iam postremò nati inueniant accipiendum: non sic apud Iesum, nullum primatus ius ibi seruatur, etiam postremò accedens primogenium accipiendum inuenit. Aiebat Psal.28. *Hæc est* Psal.28. *generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob.* Cur potiùs Deum Iacob meminit? Ibi D.August. inquit: August. *Quærentium faciem Dei, qui posteriùs nato primatum dedit.* Hæc est fidelium hominum felicissima generatio, quæ illum Deum parentum habeat, à quo primogenium datur etiam postremis. Etsi postremus accedas, primatum in Deo inuenies, in quo nihil inueniunt postremum quicumque vero corde accedunt. Hoc sciebat mulier illa, quæ Matth.9. Matth.9. *Accedens retro tetigit fimbriam vestimenti eius, dicens intra se: Si tetigero tantum vestimentum eius, salua ero.* Fimbriam tetigit, quæ extrema erat in vestimento Saluatoris, & nihilominus, dum circa extrema versatur, integram salutem spectat. Cur mulier in extremo illo tantam salutem speras? Acutè Chrysol. sermon. 35. *Quia in Christo nihil extremum* Chrysol. *crediderit, nihil iudicauit postremum.* Vnum cura habere Iesum, cui seruias, cui toto affectu obsequaris, sub cuius spe incipias viuere, & nullum posteritatis damnum timeas, omnia enim senties tibi etiam posterius accedenti obuenire prima. Ordinaturus Dominus aciem filiorum Israël Num.2. ait: *Ad Orientem Iudas figet tentoria per turmas exerci-* Num.2. *tus sui; eritque Princeps filiorum eius Nahasson filius Aminadab: & omni de stirpe eius summa pugnantium, septuaginta quatuor millia sexcentorum. Iuxta eum castra metati sunt de tribu Issachar, quorum Princeps fuit Nathanaël filius Suar, & omnis numerus pugnatorum eius quinquaginta quatuor millia quadringenti. In tribu Zabulon Princeps fuit Eliab filius Helon, omnisque de stirpe eius exercitus pugnatorum quinquaginta septem millia quadringenti. Vniuersi, qui in castris Iuda annumerati sunt, fuerunt centum octoginta sex millia quadringenti, & per turmas suas primi egredientur.* Expende modò, qui ternio in Dei exercitu primas ferat, primámque & lucidissimam Orientis plagam teneat; nimirum Iudas, qui quartus inter fratres erat, Issachar, qui nonus, Zabulon, qui vndecimus. Et cur non magis alij ex primoribus eliguntur ad primatum exercitus? Cur hi postremi sibi primas rapuerunt? Iudas iam inde Christi natalibus ministraturus destinabatur, vnde qui sub Christi spe viuebant, armáque capessebant, quamuis postremi accessissent, omnium primatum integrum inuenire debebant. Accipite D.Cyril.Alex.lib.10.de adoratione in Spiritu san- Cyrill. Alex. tem: *Vides primo loco positum esse Iudam, & eius socios, & præcipuum habitare locum ad Orientem, & Austrum: nam qui in Christo sunt, in lumine versantur, & spiritu feruent; secundo loco Ruben, & eius socios; tertio rursus, qui è libera sunt; post hos cæteri tres ex ancillis, de quibus dictum est: Extremi proficiscentur. An non perspicuum est, ac minimè dubium, antelatum esse eum primogenito, ac prius vocatum, qui secundus est, populus nimirum, qui est in Christo?* Populus, qui est in Christo, qui sub Christo incipit viuere, etsi postremus sit, nescit aliquid inuenire postremum, sed omnia sibi inuenit prima, & splendida. Felices vos, qui Iesu implemini, qui sub Iesu lucetis, Iesu enim prædicatorem, & eius socios Oriens expectat. Lumen expectat, primatus mille expectant. De minima & extrema Societate Iesu venit magnus ille sanctitatis splendor Xauerius, & quia de Iesu venit, Orientem sibi accipit, & inde in multas plagas incidit, in quibus inter alios, & Apostolatus primatum inuenit. Is equidem est Iesus, qui etiam posterius natis primatum seruat.

Text. Hoc autem scitote, quoniam si sciret Paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati: quia, qua hora non putatis, filius hominis veniet.

Hæc verba textus sequenti cap. tractantur latiùs, pro modò accipe illud.

§. XXVI.

Summa hominis seruitus, & captiuitas eò deuenit, quòd & peccati mala videat, & a peccatis non desistat.

Equidem si paterfamilias sciret furis aduentum, non sineret perfodi domum suam; qui enim sciens, & videns furem, sinit perfodi domum, is non paterfamilias est, sed nequam seruus: vniuersam patrisfamilias ingenuitatem amisit, & in vltimam seruitutem se deiecit. Summa, & horrenda seruitus est, & captiuitas, quòd videas mala tibi inferri,

ferri, bona eripi, nec vllum adhibens remedium. Quis ignoret captiuitatem miseram regis Sedeciæ, quando à Nabuchodonosor captus, & in seruitutem redactus est? Eius extremam miseriam memorans Ierem. cap. 39. ait: *Et occidit rex Babylonis filios Sedeciæ in Reblatha in oculis eius: & omnes nobiles Iuda occidit Rex Babylonis.* Obstupes vltimam regis miseriam, quòd in eam seruitutis calamitatem inciderit, in qua videat suos occidi filios, nec defensionem præbeat vllam? Nónne hæc vltima miseriarum est in mundo? Nonne hinc apparet summa regis captiuitas? Quis hanc pateretur, qui funditus regis nobilitatem non amiserit, & extrema non promeretur seruitute? Sic funditus patrisfamilias ingenuitatem perdit, & miserum est vitiorum mancipium homo, qui mala peccatorum videns, & noscens, tamen amplectitur illa. Pulchrè ait D. Gregor. lib. 9. Moral. cap. 19. *Rex Babylonis est antiquus hostis, qui prius filios ante intuentis oculos trucidat: quia sæpè sic bona opera interficit, vt hæc se amittere ipse, qui captus est, dolens cernat. Et qua patiens damna considerant, nec tamen virtutis brachium contra regem Babylonis leuant.* Sic malus hostis perdit vniuersam hominis ingenuitatem; sic eius animo omnem regalem decorem exsufflat: vt miserum factus homo mancipium, videat, & noscat mala sibi immioentia per culpas, & tamen feratur ad illas. Sic Hierosolymarum horrendam calamitatem, & captiuitatem legens ipse Ier. Threnorum 1. ait: *Facti sunt hostes eius in capite, inimici eius locupletati sunt; quia Dominus locutus est super eam propter multitudinem iniquitatum eius: paruuli eius ducti sunt in captiuitatem ante faciem tribulantis.* Quanta hæc miseria, quòd paruuli ducantur captiui ante faciem tribulantis, hoc est, videntes, & noscentes eos, qui tribulationem incutiunt, & minimè illis resistentes. Hæc summa est captiuitas, illámque patitur miser homo, cùm eò peruenit, vt noscat diaboli tyrannidē, vitiorum mala, & nihilominus ab illis feratur. Aiebat D. Pasch. lib. 1. in lament. Ier. fatus: *Quæ nimirum captiuitas valde horrenda, cum & trahitur multis irretitus loqueis, ne ab his deflecti, aut exsurgere queat, ante faciē tribulantis. Vides nomque quò duceris, & sentis à quibus minaris, nec tamen reluctari præualet, nec resistere.* Quid horribilius? Quod mancipium miserius? Noscis tribulantem culpam, vides solam parturiri tribulationem à peccato: consideras te in gehennam ferri, & penè sentis vim æternarum flammarum, & interea nec reluctaris, nec resistis ad hæc trahenti voluptati. Quisquis sic te geris, vniuersam hominis amisisti ingenuitatem, mancipium est vitiorum summè miserabile.

Ierem. 39.
Gregor.
Thren. 1.
Paschas.

CAPVT II.

De seruo fideli, & prudenti.

PRÆLATIS suæ Ecclesiæ formam instituens Dominus è mundialium dominorum domo seruum antesignanum in medium producit; cuius & vigilantiæ, & fidelitati, & prudentiæ se conformare debent Prælati, ne se putent dominos, sed ministros, qui à vero Domino vel præmium ministerij, vel pœnam desidiæ recipient.

Matth. 24. Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur venturus esset, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam. Ideo & vos estote parati; quia qua nescitis hora, filius hominis venturus est.

§. I.

Vigilantis animi mors, non est mors dicenda.

QValiter vigilans paterfamilias non fineret perfodi domum suam? An potest aliquo modo fieri, vt terrena nostra inhabitatio corrumpatur? Si ergo aduentus furis dies est mortis, qua domus corporis corrumpitur, perfoditur, quis hanc effossionem vitabit, & mortem deludet? Equidem qui vigilans inuentus fuerit die mortis, sic mortem deludet, vt eius mors non sit mors, sed sola mortis vmbra. Verissima est illa vox martyrum, cùm sub tyrannorum gladiis occumberent Psalm. 43. *Operuit nos vmbra mortis.* De quo aiebat D. Gregor. lib. 4 Moral. cap 17. *Quos enim constat, non spiritu, sed sola carne mori, nequaquam se vera morte, sed vmbra mortis dicunt operiri.* Etsi transfodi latera videas martyris, etsi iustum mori videas, non æstimes illam veram transfossionem, sed nec mortem æstimes illam, sub qua solum cadit corpus, animus vigilantissimus, & cum lampadibus ardentibus inuenitur. Hæc non mors, sed vmbra quædam, & similitudo est mortis. Ex quo aiebat Paul. ad Rom. 6. *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus.* Vt resurrectionem astrueres, mortem debuit præmittere; ille enim, qui moritur, resurgit, sed qualem mortem præmittit? Similitudinem dixi mortis, dum ait: *Si complantati facti sumus similitudini mortis eius.* Cur non dixit mortem, sed similitudinem mortis? Loquebatur Paulus de his, qui in Christo moriuntur, qui adeò in ipsa morte vigilant, vt & mortui audiant vocem filij Dei, iis autem non mors, sed mortis similitudo potest accidere. Ait D. Cyrill. Hierosol. Catechesi mystagog. 2. *Non dixit, complantati sumus morti, sed similitudini mortis. In nobis autem mortis quidem, & passionum quadam est similitudo; salutis verò non similitudo, sed veritas.* Dum vigilantes & cum lampadibus inueniamur, non erit in nobis mors, sed mortis quædam similitudo in vera acquisitione æternæ vitæ. Apocal 5. *Et vidi, & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio seniorum agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua septem, & oculos septem.* Præteritam agni mortem signans, cauit vocare illum occisum, sed quasi occisum. Cur non potiùs occisum vocat? Nónne verè occisus fuit? Nonne veram mortem subiit? Nónne vulnerum cicatrices adhuc impressæ veram mortem, & occisionem notabant? Quid ibi erat, quod inter tot veræ mortis signa, faceret apparere mortem, non veram mortem, sed similitudinem? Videt agnum cicatrices veræ mortis habere, sed videt eundem septem oculis vigilantissimis insignitum; & qui noscitur tot oculis vigilans, nequit dici veram mortem, sed mortis quandam incurrisse similitudinem. Qualis mors esset ei, qui tot oculis vigilasse noscitur circa illam? Ad hæc Iob cap. 21. vt aliquale remedium suggereret impio, ait *Quis arguet coram eo viam eius? Et quæ fecit, quis reddet illi? Ipse ad sepulchra ducetur, & in congerie mortuorum vigilabit. Dulcis fuit glareis Cocyti,* &c. Quæ verba apud Vatablum, sic apertiùs in tempus præsentem leguntur: *Efferetur, nimirum, ad sepulchrum, & in aceruo vigilabit, vt ei dulces fiant cespites torrentis,* &c. Expende, quid cupiat vir sanctissimus ad remedium viri impij, cupit, vt quis illi prædicet viam eius, viam vniuersæ carnis; nimirum, quòd efferendus aliquando ad sepulchrum sit, quod si sciat, si norit, proculdubio vigilabit in congerie mortuorum; vigilabit, præ solicitudine imminentis mortis. Sed quid, si vigilet? Pulchrè ait, *in aceruo vigilabit: vt ei dulces fiant cespites torrentis.* Vigilanti enim nihil durum, nihil acerbum, & amarum mortis torrens affert, sed amaritudine mortis abolita, mors dulcis, quasi non mors sit, manet. Non longè abest Catenæ auctor, aiens: *Quis impio coràm, palámque dicat, vitæ suæ omnis finem esse mortem, vt is hac ratione compungatur, vt ad tumulum meditans præ solicitudine vigilet, dulces facti sunt ei silices torrentis,* &c. Audita imminente morte, qui impius non compungatur, & ad tumulum meditans non vigilet? Felix, qui pro morte sic vigilauerit, & sepulchrale marmor, & terra, & mors non erit illi grauis, sed leuis, sed dulcis, & non iam veræ mortis, quàm adombratæ signa dabit. Meritò de virginibus exeuntibus cum lampadibus obuiam Sponso dicitur Matth. 25. *Dormitauerunt omnes, & dormierunt;* quòd si quæras, qualis hic somnus erat? Ait D. Hilar. ibi: *Expectantium somnus, credentium quies est; & in pœnitentiæ tempore mors temporaria vniuersorum.* Non equidem mors, sed somnus, sed mortis similitudo dicitur mors, quæ accidit vigilantibus in pœnitentia.

Gregor.
Rom. 6.
Cyrill.
Apoc. 5.
Iob 21.
Vatabl.
Matth. 25.
D. Hilar.

§. II.

Maximè mollescit obsequium, dum non alieno Domino exhibetur.

VIgilare iubemur, quia nescimus, qua hora Dominus noster veniat, *quia*, inquit, *nescitis qua hora Dominus vester venturus sit;* non ait solùm, quòd Dominus venturus sit, sed notanter dixit, quòd *Dominus vester*, &c. Cur addidit

dit illud *vester*? Petebat ab hominibus quòd vigilarent, quòd excussa quiete, & somni delectamento, vigilias agerent, quod ne durum videretur, simul explicuit, Dominum, pro quo illæ vigiliæ fiebant, non alienum aliquem, sed verissimè nostrum esse. Quod enim obsequium non mollescit, dum Domino non alieno exhiberetur? Notissima sunt Magdalenæ obsequia, & seruitia, quibus Domino militare cœpit, Luc. 9. Domo egressa, afferens alabastrum vnguenti, Simonis Pharisæi domum intrat, stat Iesu ad pedes, illos lacrymis rigat, vngit vnguento, capillis abstergit. Qualia hæc obsequia ad nobilem fœminam? Voluisset Iesu ad pedes procumbere; expectasse secretum templi, vel in domo sua, vel in fratris domo vocasset magistrum, ibique procubuisset ad pedes. Cur sic audet in Simonis domo? Cur & verecunda, & aspera obsequia non in sua domo, sed in aliena exercet? Pulchrè D. August. Psalm. 56. ait: *Irrumperat in habitaculum alienum, sed non accesserat ad Deum alienum.* Hoc vnum procuratum fuit, ne dominus esset alienus, sed suus esset Dominus verus. & dum non seruiat alieno domino, sed suo, nullum dedignatur obsequium exhibere. Nihil alienum a se putat nobilis fœmina exhibitum Domino non alieno. David Psalm. 44. sic animam fidelem monebat: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui. Et concupiscet rex decorem tuum: quoniam ipse est Dominus Deus tuus,* &c. Dura equidem petit David, petit quod in audiendo Dei verbo vigilet, attentásq; habeat aures anima, quod patriæ renuntiet, quòd parentibus vale dicat. Sed vnde tam dura obsequia temperat? Ipse ait: *Quoniam ipse est Dominus Deus tuus,* & nullum durum obsequium, quod non alieno, sed proprio, & naturali Domino exhibetur. Sapienter D. Chrysost. ibi ait: *Obliuiscere populum tuum, & domum Patris tui, non vocat enim ad alienum quempiam, sed ad eum qui te fecit, & est omnibus tibi propinquior, & de te est solicitus, tuique curam gerit. Ipse enim est Dominus tuus.* Semper hominibus amicum, & suaue obsequium, & seruitium est, quod proprio, & naturali Domino præstatur, & non alieno. Illa verè summa infelicitas est, quòd iuxta Oseam 7. alieni comedant robur tuum: vnde summam calamitatem Samsonis depingens textus, Iudic. 16. ait: *Eruerunt oculos eius, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clausum in carcere molere fecerunt.* Quanta hæc calamitas hominis peccatoris sit, explicat D. Paulinus epist 4. inquiens: *Visu suo vacuus, operosus in æterna stat in via peccatorum, compeditus vinculis cupiditatum suarum. saxum cordis sui pertinacia iniquitatis induratum, quasi molam versat, farinam hostibus suis de corrupta anima sua fruge conficiens. Qui enim peccatum operatur, de mola vitæ suæ hostile triticum molit, vt Zabulum pascat, cui panis fit anima, quæ sibi fames est.* Quid miserius? Sic homo cupiditatibus seruiens alienorum fit vilissimum mancipium, qui ingenuum posset præstare obsequium Domino suo. Ad hæc monebat Sapiens, Prouerb. 5. *Ne des alienis honorem tuum; & annos tuos crudeli. Ne forte impleantur extranei viribus tuis, & labores tui sint in domo aliena.* Idem reputatur alienus, & crudelis, cui seruire nunquam non est hominis calamitosum, & valde miserum.

Margin: August. — Psal 44. — Chrysost. — Iudic. 16. — Paulin. — Prouerb. 5.

§. III.

Quandiu præ oculis Deum, & salutem habueris, ferè inexpugnabilis existis.

Si pater familias sciret, qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non fineret perfodi domum suam. Vbi expendendum quod opus ageret pater familias, ne fineret perfodi domum, hoc enim opus faceret, nimirum, *vigilaret vtique.* Non dicitur, quod pugnaret, quod manus consereret cum hoste, quod iacula mitteret, sed solùm quòd vigilaret, & eo solùm quòd vigilaret, quod vigilantibus oculis Deo intenderet, & saluti, domum suam ferè inexpugnabilem redderet inimicis. Non priùs minabitur ruinas murus Christianæ fortitudinis, quàm interior oculus in Deo saluteque prospicienda incipiat dormire. Ierem. Thren. 2. ait: *Factus est Dominus quasi inimicus: præcipitauit Israel, præcipitauit omnia mœnia eius, dissipauit omnes munitiones eius, & repleuit in filia Iuda humiliatum, & humiliatam.* Erat Israël sub fortissimis mœnibus, validissimis munitionibus vndique cinctus, accessit Dominus in hostibus, & priùs præcipitauit Israël, deinde mœnia, tandem munitiones. Nouum & inauditum hoc expugnationis genus videtur, in vrbium enim expugnatione priùs mœnia, munitionésque quatiuntur, præcipitantur, deinde per murorum rupturas, ad intus agentem populum transitur. Cur Domine inuertis expugnationis ordinem? Cur prius Israelem præcipitas, & post hunc vadis ad mœnia? Cur non priùs mœnia peruntur? Equidem dum Israel, hoc est, videns Deum stat, & mœnia, & munitiones apparent inexpugnabilia, quæ minimè diruentur, nisi prius ad Deum intendente oculo diruto. Aiebat D. Paschas. ibi lib. 2. *Notandum, quod primum præcipitat Israel, quando magnitudinem cordis efferet, ne intueri possit videre: tunc deinde præcipitauit omnia mœnia eius.* Oculorum vigilantia est, mœnia, & munitiones firmat: dum oculus Deo intendit, diuinus instar, inexpugnabilia domus mœnia redduntur. Cadunt facilè mœnia, vbi primùm cessabit oculorum vigilia, & ad Deum intentio; hæc si nunquam cessasset, nec lapillus murorum corrueret. Elisæus magistri desiderabat spiritum duplicem, nimirum, spiritum fortem tyrannorum domitorem, & vniuersis incommodis sine ruina sua potentia resistere. Illi autem dicitur, 4. Reg 2. *Si videris me, quando tollar à te, erit tibi,* &c. Expende quid petatur pro obtinendo spiritu duplici, spiritu insuperabili; sola petitur oculorum vigilia in magistrum. Hinc Actor. 1. de ascendente in cœlum locutus Lucas præ omnibus aliis notat, quòd *videntibus illis eleuatus est*; sed cur notat Lucas quòd discipulorum intentis oculis in Iesum, Iesus eleuabatur in cœlum? Quid hoc ad gloriam Iesu? Quid ad discipulorum commodum? Equidem ipse Lucas cap. 24. Euangelij scripserat Iesum promissum factum discipulis his verbis: *Et ego mitto promissum Patris mei in vos, vos autem sedete in ciuitate, quoadvsque induamini virtute ex alto.* Promiserat Dominus duplicem spiritum, nimirum potentem, & inexpugnabilem virtutem, qua nihil deperdere possint Apostoli, pro cuius inexpugnabilis virtutis acceptæ signo, sapienter ponit Lucas, quod videntibus illis eleuatus; vbi enim oculi discipulorum sic Domino intenti fuerint, vt à Iesu noluerint separari, non poterat non venire illis ea virtus, & fortitudo, qua prorsus redderentur inexpugnabiles. Ad hæc aiebat D. Bernard. serm. 3. in Ascens. *Nihil est, quod habeant perdere, vel debeant alumni tui Domine Iesu, quia videntibus illis es eleuatus in cœlum, & desiderantibus oculis te secuti sunt gradientem in multitudine fortitudinis tuæ.* Quid perdant, qui sic præ oculis Iesum habent? Quam ruinam patiantur, qui sic ad Deum vigilant, vt minimè ab eo oculos velint separare? Quisquis sic Deo vigilas, ride inimicorum iacula, Deum ipsum habes, qui te protegat muro inexpugnabili. Ter audio Mariam Magdalenam obsequio diuino inuigilasse, primùm apud Simonem Pharisæum dum pedes Iesu lauat lachrymis, rursus apud Bethaniam dum eius inungit caput, tertiò domi, dum secus eius pedes sedit, vt verba vitæ capiat. In his omnibus vni inuigilat Domino, vni illi intendit, dimissis aliis, & in his omnibus impugnationes patitur. Simon eius lasciuiam notat, Bethaniæ eius carpunt discipuli prodigalitatem, domi Martha de illa queritur. Quid inter has impugnationes Maria? Vni Christo intendit, & eo solum quòd tacens vni intendit Domino, Dominus fit pro illa murus inexpugnabilis. D. Bernard. serm. 3. in Assumpt. ait: *Vide prærogatiuam Mariæ, quem in omni causa habeat aduocatum, indignatur siquidem Pharisæus, conqueritur soror, etiam discipuli murmurant: vbique Maria tacet, & pro ea loquitur Christus.* Hæc est prærogatiua vigilantis oculi, oculi nimirum semper in Deum fixi, quales erant oculi Mariæ, quòd nulla cadat impugnatione, sed inexpugnabilem propugnatorem habeat Christum.

Margin: Thren. 2. — Paschas. — 4. Reg. 2. — Actor. 1. — Luc. 24. — Bernard. — Idem.

§. IV.

Deus ex se non consuescit funditus aliquem perdere.

Vides in præsenti Dominum personam agere furis, sese furem minatur futurum. Et qualis fur erit hic diuinus? Qui veniat fodere domum tuam: non metuitur ab hoc fure euersio, sed effossio domus; quando is est Deus, qui etiam iratus non consuescat extremam perditionem inducere. Apud Iob cap. 1. dicebat malus nuntius: *Repentè ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt.* De penè simili vento à deserto veniente locutus Oseas cap. 13. ait: *Adducet vrentem ventum Dominus de deserto,* &c. Itaque Oseas Dominum ponit adductorem ventorum de deserto, nuntius autem ille nihil de Domino dicit, sed solùm ait quòd ventus irruit. Cur non dicit quòd à Domino fuit adductus? Vbi ventus dicebatur totam domum funditus euertisse, meritò cauet vocare Dominum adductorem eius, Dominus

Margin: Iob 1.

minus enim nihil consueuit facere funditus perire. Pulchrè D.Hier. D.Hieron, in Oseam, ait: *neque in Iob scriptum est, quod ventum de deserto Dominus adduxerit, sed nomen Domini tacitum est; vt ventus de felicitudine, qui contra sanctum virum sua venerat voluntate, contraria possit accipi fortetudo: & venit, qui domorum fundamenta subuertunt, vtique ad bonum partem non poterunt referre.* Vbi aliqualis domus effossio est, Domino potest attribui, qui irascens aliquando, vt fur venit, somnolentiam seruorum castigans. Vbi autem non domus effossio sola, sed extrema subuersio à fundamentis ipsis innuitur, non id opus est diuinissimi furis, sed rebellis illius latronis, cuius cordi est extrema hominum ruina. Patet euidentissimè quod veniat damnum à diuinissimo fure, ex terminis appositis misericordiæ diuinæ, quæ semper Thren.2. immiscetur ipsi iræ, Ierem. Thren.2. aiebat: *Factus est Dominus quasi inimicus, præcipitauit Israel,* &c. Israëlis peccata Dominum prouocabant, diuinam acuebant iram; quid tunc Dominus tot peccatis exacerbatus? *Factus est,* ait, *Dominus, quasi inimicus*; non se in inimicum omnino transformat, sed solam vmbram, & imaginem quandam sumit inimici. Ibi Paschas. D.Paschas. lib.5. *Mira dispensatione temperat sententiam seueritatis, dum quasi, & non ex toto, inimicus dicitur: quia etsi videatur ciuitatem deserere in manibus hostium, & affligere aliquatiee, in tantum vt penitus destituta credatur, non de crudelitate inimicitiarum fortè venit, sed de prouidentia pietatis, vt ad eum flagellata redeat.* Semper in Dei ira aliquis splendet misericordiæ radius; & si iratus Dominus perditionem inferat, nunquam à fundamentis perdit, quin potiùs fundamentum relinquit misericordiæ expostulandi. Ecce tibi Dan.4. dormienti Nabuchodonosor diuinus adest fur Dan.4. fortiter clamans: *Succidite arborem, & præcidite ramos eius, excutite folia eius, & dispergite fructus eius: fugiant bestiæ, quæ subter eam sunt, volucres de ramis eius. Verumtamen germen radicum eius in terra sinite,* &c. Magna Dei ira circa arborem manifesta est, quæ & fructus, & folia, & ramos, & truncum ipsum succidit, sed inter succidendam arborem radices finit in terra prorsus intactas. Cur & radices non euellis Domine, & perdis, quando & fructus perditioni mandas? Non ea est ira Dei, quæ à fundamentis euertere amet, percutit, succidit, confodit, verùm fundamenta relinquit, ex quibus, dum in hac terra sumus, possint per pœnitentiam Richard. Victor. damna reparari. Aiebat Richard. Victor. lib.5. de erudition. inter homil. part.1. cap.24. *Iubet germen radicum eius in terra sinere, vnde possit iterum reparari, & ad pristinam plenitudinem reformari.* Sic nouit Deus irasci, vt sinat, vnde damnum possit reparari.

Text. Quis putas est fidelis seruus,& prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore?

§. V.

Odiosa est in Prælatis species, vel nomen dominatus.

QVos super familiam suam constituit Deus, nomine adhuc insignit seruitutis; constitutum super familiam,& prælatum cæteris, nihilominus seruum vocat. Cur non magis vocat & Principem, & Dominum? Cauet Dominus in suis electis prælatis, vel speciem, vel nomen dominatus ostendere, quod nouit subditis maximè odiosum. Iosue 1. Maximus ille Princeps Israelitici populi Iosuæ cap.1. ait ad populares: *Mementote sermonis, quem præcepit vobis Moyses famulus Domini,* &c. Inducit Moysem præcipientem populis, & vocat illum famulum Domini; potuisset vocare ducem, & Principem vestrum, quando eius præcepta meminit, vt diceret: Mementote sermonis, quem præcepit vobis Moyses, magnus ille Princeps, & Dux vester. Nónne Moyses Princeps erat à Deo constitutus habens ius præcipiendi populis? Cur ergo, dum præcepta eius meminit Iosue non Principem vocat, sed famulum Domini? Vocat seruum Domini, vt omni specie dominatus ablata, imò vel ipso ablato dominatus nomine molliretur apud subditos pote- Masius. stas præcipiendi. Aiebat enim Masius ibi: *Moyses mandatum ipsie reuocat in memoriam, & vt id quoque durum, vtpote hominum in homines, videri non possit, nominat illum Dei seruum.* Nil magis studet in prælato, quàm penitus auferre duritiem dominationis, vt nec in ipso imperio appareat Dominus. Sic qui diuinum ebibunt spiritum in dignitate constituti nihil magis curant, quàm vel dominationis vmbrã abscondere. Memorabat Dominus Luc.12. se in paterno Luc.12. iam regno constitutum, & qualia ibi retributurus erat suis subditis dona, & quasi de alio locutus, ait: *Beati sunt serui illi, quos cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes. Amen dico vobis quòd præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Dixerat venturum Dominum ad seruos suos, & statim subdit illum præcinctum, & ministrantem. Si illum dicis venturum Dominum, cur tam subitò ostendis illum famulum? Imò cur tot signa in illum seruorum congeris, dum & præcinctum, & transeuntem, & ministrantem facis? Ideo tot signa seruorum congerit, vt inter illa, quod de Domino dixerat, non appareat, sed prorsus lateat. Id quod acutè notans Chrysol. serm. 24. ait: *Præcinget se* Chrysol. *Deus, & faciet seruos discumbere, & ministrabit eis. En inauditò inaudita rerum, en terribilis correptio dominationis.* Semel se in dominatione ostenderat, dum venturum Dominum præmonstrabat, sed vix id dixerat, & quam primùm corripit dominationis vocabulum, & se etiam in gloria constitutum non dominantem, sed ministrantem declarat. Iuxta quod D.Petrus 1. canon. 5. monebat vniuersos prælatos. 1.Petr.5. *Neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.* Abscidit à Prælatis omnem dominatus speciem, sed præcipuè abscidit dominatum in cleris, hoc est, iuxta D.Cyrill. lib.1. in Isaiam orat. 3. in populo, qui sors Domini est. Hoc dixerim propter religiosorum prælatos, qui vanissimè sese efferunt prælatione, non attendentes, quàm turpe, & odiosum est dominatum ostendere in populo, qui non illorum, sed Dei pars est. Præficeris populo Dei, ideo & illius Dominum te debes putare? Absit; prælatio in populo Dei, non dominationem, sed ministerium effert. Pulchrè aiebat D.Bernard. lib.3. de consider. *Nunquid non & villa* Bernard. *villica, & paruus Dominus subiectus est pædagogo? Nec tamen villa illa, neque is sui Domini Dominus est. Ita & tu præsis, vt prouideas, vt consulas, vt procures, vt serues. Præsis vt fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis escam in tempore. Hoc est, vt dispenses, non imperes.* Nihil quod dominatum oleat, permittit Deus prælatis in populo suo, adeò vt prorsus nesciam, vnde sese extollere possint de dominatus fastu. Ieremiæ cap. 1. ait Dominus: Ierem. 1. *Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna: vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* Expende sublimitatem dignitatis, qua Ieremias à Deo constituitur super gentes, super regna; & qualia erunt munera, aut signa tantæ dignitatis? An sceptrum aureum? An diadema? An thronus? An virga? Absit: imò nihil illi permittitur, quod Dominum ostendat, sed quod ostendat vel fabrum, vel hortulanum. Acutè es his D.Bernard. lib.2. Bernard. de consider. fatur: Vt euellas,& destruas, ædifices,& plantes. *Quid horum fastum sonat? Rusticani magis sudoris schemate quodam labor spiritualis expressus est. Et nos igitur, vt multum sentiamus de nobis, impositum sentiamus ministerium, non dominium datum. Disce exemplo prophetico præsidere, non tam ad imperitandum, quàm ad factitandum, quod tempus requirit. Disce sarcula tibi opus esse, non sceptro.* Hoc dicebat Bernardus summo Pontifici, Prælatorum maximo, quid si ageret cum fastuosis religiosorum prælatulis? Si qui horum aliquando fuerunt, de illis dixit D. Leo epist.84. cap.1. *Dum dominari* D.Leo. *magis, quàm consulere subditis quærunt, placet honor, inflat superbia, & quod prouisum est ad concordiam, tendit noxam.* Sic ille.

§. VI.

Turpissima est in viris Ecclesiasticis bona temporalia sibi adquirendi solicitudo.

ECce tibi ministri euangelici forma, quòd nimirum constituatur super familiam Dei, vt det illis cibum, non vt acquirat sibi, sed vt det. In hoc super omnes emineat,& quasi à sublimi fulgeat, imò hoc illum omnibus superiorem ostendat, quò minimè solicitus sit erga propria lucra temporalia. Et quidem turpissimè sublimitatem perdit, & repentibus sese æquat subditis Christi minister, qui propriis temporalibus lucris inhiat. Dominus per Oseam Osea 4. cap.4. *Gloriam eorum in ignominiam commutabo. Peccata populi mei comedent, & ad iniquitatem eorum sublenabunt animas eorum. Et erit sicut populus, sic sacerdos.* Et quanta hæc ignominia sacerdoti, quòd sit sicut populus? Quanta ignominia est pastori, quòd sit sicut ouis. Constitue tibi ob oculos pastorem hominem, ratione præditum, erecta in cœlum forma gradientem, oues à diuerticulis in vberiora pascha minantem;

tem; qui subitò mutatus, ad similitudinem ouium cernetur, manibus reptet, roscidas herbas sibi captet, & pecudum diuerticula amet. Quid fœdius? Quid turpius pastori? Totam hanc fœditatem, & turpitudinem incurrit sacerdos, qui instar popularium, temporalibus inhiat lucris propriis. Ad hæc Pulchrè D. Bernard. epist. 42. *Cur qualis populus, sic sacerdos? Enimuerò si sacerdos pastor est, & populus oues: dignum est, vt in nullo appareat pastor ouibus dissimilis? Si instar mei, qui ouis sum, pastor meus & ipse incuruatus graditur, vultum gerens deorsum, & terram super respiciens, & soli ventri mente seiunus pabula quæritans, in quo discernitur? Decet ne pastorem more pecudum sensibus incubare corporeis, hærere infimis, inhiare terrenis, & non potius erectum stare, vt hominem, cælum mente suspicere; quæ sursum sunt, & quærere, & sapere, non quæ super terram?* Summum hoc pastoris est inquinamentum, vel pecudibus non apparere superior, sed ad easdem cum illis currere herbas, & eisdem lucris habendis inhærere. Quid pastori, & fœno? Quid viro Christi ministro & lucris temporalibus? In duce populi Israelitici Samsone extremæ ignominiæ habemus exemplar; de illo dicitur Iud. 16. *Quem cùm apprehendissent Philisthiim, statim eruerunt oculos eius, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clausum in carcere molere fecerunt.* Quanta hæc ignominia fuit duci Samsoni? Fallar, si se ipse pateretur sic videre exæquatum iumentis, eiusdémque rotæ volubilitati, cum iumentis intentum; ideo fuit necessum, vt priùs excæcaretur, deinde catenis ligaretur, ac vi, & coactione, tam ignominioso ministerio seruire cogeretur. Et adeò turpe, & infame ministerium, quod tam violentum extitit Israelitico iudici, Christianis præsulibus, Christi ministris amicum, & gratiosum erit? Planè de his ait sancta Brigitta lib. 4. cap. 126. *Cum enim temporalia ista appetuntur, & offeruntur, sic excæcant oculos animæ, & catenis, quòd dulcius videatur stare cum Samsone ad molam curæ mundialis, quàm cum sponsa Ecclesia ad dispensationem curæ pastoralis.* Et cui ministrorū non dulcior sit, & suauior solicitudo volubilium rerum, quam æternæ pascuæ dispensatio? Quis non citius euolet ad molam proprij lucri, quàm ad mensam spiritualis alimoniæ ministrandæ populis? Sic qui super familiam constituebantur à Deo, turpiter exæquantur mancipiis temporalium bonorum, & in nullo superiore pecudibus sæcularium hominum, vt ferant pariter ignominiam illorum. Excludenda ergo à Christi ministro omnis cura de habendis temporalibus bonis, ne fœdissimam maculam inferat Christianæ? Equidē excludenda illi est cura de bonis temporalibus habendis ad lucra propria, non ad Christi pauperum alimoniam. Quisquis Christi minister es, super eius familiam constitutus accipe, non vt tibi reponas, sed vt des cibum: accipe non in proprium peculium, sed in dispensationem. Seruus Elisæi Giezi 4. Reg. 5. vt sibi Naaman leprosi acquireret munera, aiebat: *Dominus meus misit me ad te, dicens: Modò venerunt ad me duo adolescentes de monte Ephraim ex filijs Prophetarum: da eis talentum argenti, & vestes mutatorias duplices.* Hoc prætextu Principis Naaman argentum Giezi expostulabat, & accepit argentum, sed & fœdissimum lepræ malum simul habuit. Exultassent hîc, qui religiosas virtutes carpunt, & Giezi lepram, nempe auaritiam damnatam condemnant multis clamoribus, in viris Ecclesiæ lumini datis. Ecce lepra Giezi captatur Principatus, aurum, & argentum, prætextu sustentandi adolescentes ex filiis Prophetarum, & sic vacuantur thesauri. Hoc non est vitium lepra fœdius? Hoc non fecit Giezi? Vtinam Giezi non sibi, sed filijs Prophetarum requireret aurum, & haberet argentum, nullam inde maculam incurreret. Verùm meritò auaritiæ luit pœnas, quia vni sibi & non Prophetarum filiis aurum adquisierit. Pulchrè enim ait D. Petrus Dam. lib. 6. epist. 32. ait: *Giezi sanè puer Elisæi si Prophetarum filijs, vt mentitus est, argenti talenta suscipiendo, consuluisset, nequaquam subeundæ lepræ sententiam pertulisset. Nam idcirco plaga percussus est, quam dator amiserat: quia non ad hoc aliena susceperat, vt in opus pietatis expenderet, sed vt suæ concupiscentiæ satisfaciens proprij iuris possideret peculium.* Qui non proprium ditare peculium amat, nilque sibi quærit, sed Prophetarum filiis sustendandis consulit, is non lepram, sed gloriam habet apud Deum, & homines. Qua gloria multi viri religiosi illustrantur, qui verè spiritu pauperes, dum ne obolum sibi reseruant, ingentes copias pro sustentandis Prophetarum filiis, hoc est, religiosorum familiis a Principibus sæculi acquisiuere.

Bernard. — Iudic. 16. — Brigitta. — 4. Reg. 5. — Petr. Dam.

§. VII.

Illi Euangelij ministri aptiores, quos nulla proprij lucri tenet solicitudo. Vbi quam insideles, qui ad lucra respiciunt temporalia.

MEritò Euangelici ministri forma in eo ponitur, quòd det fideliter spiritualis alimoniæ cibum, non quòd sibi aliquod proprium lucrum temporale acquirat. Nullus enim aptior minister, quàm ille, qui nihil suum quærit, qui nullum proprium lucrum intendit acquirere. Actor. 4. sic exponitur Apostolorum œconomia: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna, nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Et virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi.* Expende quid simul textus coniungat, & quòd nihil suum respiciebant, & quòd magna virtute prædicabant Apostoli; quid ad virtutem euangelicæ prædicationis fuit necessum adiungere virtutem, qua nihil respiciebant suum? Equidem illi, & virtute magna, & fructu magno prædicationis euangelicæ exercent munus, qui nullum proprium lucrum attendunt in illa. Ex quo dicebat Petr. Dam. lib. 1. epist. 18. *Illi duntaxat idonei sunt ad prædicationis officium, qui nullum terrenæ facultatis possident lucrum, & dum aliquid singulare non habent, communiter omnia possident. Nihil scilicet habentes, & omnia possidentes. Ij nimirum, dum nullis terrenarum rerum præpediuntur obstaculis, expediti stant pro Dominicis castris in campo certaminis; & qui rebus exuti solis virtutum armis accincti gladio spiritus aduersùs vitiorum dimicant acies, idonei bellatores sunt obluctantium hostium obtruncare ceruices.* Propriis renuntiet lucris, qui ministerium Apostolatus implere cupit, qui fortiter in Euangelico duello pro vitiis extirpandis, & introducendis virtutibus stare cupit. Fallar si multos peccatores mactet Christo, qui sua quærat, & proprium aliquid sibi acquirere curet. Lex talem Deuter. cap. 20. sic habebat: *Quis est homo, qui plantauit vineam, & necdum fecit eam esse communem, de qua vesci omnibus liceat? Vadat, & reuertatur in domum suam, ne fortè moriatur in bello, & alius homo eius fungatur officio.* Meritò timet lex mortem in bello obuenturam illi, qui suis habendis studens, nihil proprium cæteris renuntiat. Id quod respiciens Petr. Dam. vbi suprà ait: *Bello impares sunt & eneruiter cedunt, qui communibus non contenti, peculij singularis ambiunt proprietate grauari.* In euangelico bello pro expugnandis animabus ille magna præualet virtute, qui omnia sua renuntiat, qui propriis studet, debilis est, & impar tāto bello; nil enim sic eneruat Christi ministros, quàm amor proprij lucri. Mirabatur D. Bern. suis temporibus multos Ecclesiæ ministros per Hispanias transire, paruo, aut nullo gentis progressu in fide. Misit Roma Ethnica milites suos, & mille de Hispanis reputauit victorias; misit Roma Christiana ministros suos in Hispaniam, & vix vlla victoria auditur. Cur adeò imbeciiles ministri Christi, qui mundi milites adeò fortes extiterant? Audite Bernard. lib. 3. de consid. fantem: *Eunt & redeunt per medium illorum, aut transeunt secus: sed quid boni adhuc cum illis egerint, nec dum audiuimus. Et forsitan audiuissemus, nisi pro auro Hispaniæ salus populi voluisset.* Nihil planè conficiunt ministri euangelicæ doctrinæ in terra, in qua illis arridet aurum, de quo sibi propria lucra parant. Quid non dicat prædicator, expectat sibi aurum? Quomodo fidelis erit in veritate promulganda? Nullus expectet lucrum, qui fidus est in veritate tractanda. Notanter de fluuiis egressis à paradiso, & rigantibus terram locutus Dominus, ait de primo Genes. 2. *Nomen vni Phison: ipse est, qui circuit omnem terram Euilath, vbi nascitur aurum. Et aurum terræ illius optimum est*, &c. Circa quæ verba quæstionem mouet D. Seuerianus apud Lyppoman. cur de tribus aliis fluuiis locutus Dominus, nihil dixit de fructibus terræ ab illis rigatæ, de primi autem fluminis Phison terra, illud notanter asseruit, quòd esset terra parturiens optimum aurum? Crediderim, quòd in hoc rationem nominis Phison habuit; Phison enim est idem, ac *oris commutatio*, siue *alteratio*: Et sanè nulla oris flumina non mutantur, non alterantur, vbi arridet aurum, vbi proprium lucrum spectatur. Ipse Apollo si fluentō cœlesti rigans terram, expectaret aurum, hoc est, proprium lucrum attenderet, vbi hoc intercessesit, verba omnia inuerterit, & vel amantissimi Pauli doctrinam abiuraret, & societatem. Crede mihi, non fidelis seruus euangelicus est, cui cordi est proprium lucrum, ad cuius occasionem verba mutauit. Luget Naz. orat. 3. de Pace in Ecclesiasticis, & religiosis viris vehementes

Act. 4. — Petr. Dam. — Deut. 20. — Petr. Dam. — Bernard.

mentes alterationes, & mutationes, quibus conflictabatur, adeo vt passim omnia mutarentur, & amicissimi repentè hostes inuenirentur, & ab omnibus laudatissimi, nulli non existerent vituperabiles. Quaruo mutationum oris in verbis, sensuum in sententiis causas inquirens vnam præcipuam inuenit proprij lucri cupiditatem. Accipite sapientissimi, & religiosissimi verba, & æterno insculpite marmori:

Nazianz. *Nobis nec finis, nec medius est vllus partim inferendorum, partim accipiendorum vulnerum; non ijs duntaxat, qui diuersa sentiunt, atque in fidei doctrina dissident; verùm ijs quoque, qui eandem fidem profitentur, atque aduersùs eosdem, & pro eisdem conflictantur, hoc enim illud est omnium improbissimum, aut maximè miserandum. Et quæ huius rei causa est? Dominandi amor fortasse, vel opum cupiditas, vel liuor, vel odium, vel superbia, vel aliquid eorum, quibus ne eos quidem, qui Deum nullum putant, laborare conspicimus. Quodque festum, & lepidum est, ipsa calculorum inuersio. Nam cum deprehendimur, pij atque orthodoxi sumus, falsóque ad veritatem confugimus, tanquam pro fide contendentes: idque vanum, vt in malis, laude dignum, imò turpe in primis facimus, quod vitium erubescentes, ad speciosius, honestiusque nomen, hoc est, ad pietatem transimus. Attonite, & versipellis, quisquis es, qui ita affectus, aut, vt verius loquar, omentissime: hic tibi hesterno die pius erat; quónam igitur pacto hodie impius est, cùm nec verbo, nec re quicquam, vel addiderit, vel detraxerit, sed in eadem fidei sententia hæreat, eundem aërem exhalet, ijsdem oculis eundem solem inspiciat, aut, si mauis, tanquam de numeris, aut mensuris interrogatus eadem planè respondeat? At etiam hodie libidinosus, & scortator tibi est, qui hesterno die Ioseph erat; & Iudas hodie, vel Caiphas, qui heri Elias, aut Ioannes, aut alius quispiam ex his, qui ad Christi partes se adiunxerunt, & eadem zona accincti sunt, neque eodem vel fusco, vel atra pallio contecti, quale vita sancta, & grauis, mea quidem lege, ac sententia, prætendit. Quin etiam pulchrum illum sublimium virorum florem, hoc est, pallorem, aut compositam, & quietam loquendi rationem, aut incessus grauitatem, cum mansuetudine coniunctam, heri Philosophiam, hodie inanis gloriæ studium appellamus, idque eamdem aduersus malos spiritus, & morbos potentiam, nunc Iesu, nunc Beelzebub adscribimus, & iniqua rerum harum regula, hoc est, contentione, atque iracundia, vtimur. Et quemadmodum eadem terra sanis quidem, ac minimè læsis, fixa, & stabilis est, ijs autem, qui circumaguntur, & vertigine laborant, moueri, nimirum aspicientium vitio ad rem aspectam transeunte: ad eum nos quoque modum ob inimicitiam facilè decipimur, nec de ijsdem rebus eadem amantes, & non amantes iudicamus: at tempus multos sanctos, & multos atheos nobis designat, vel potiùs omnes impios: non hoc tantum nomine, quod nos imitando malum exemplar sequentur, sed etiam quia liberaliter omnibus omnia concedimus, vt nobiscum consentiant.* Hæc sanctissimus, & sapientissimus vir notabat in religiosorum hominum sui temporis mutationes ortas ex particularis lucri commoditate. Sanè & oris, & sensus mutatio erit, vbicumque lucrum temporale amabitur. Et de omnibus datis verbis, dum velim meum notes, primùm illam causam allatam pro dissidiis excitatis inter eos, qui eandem fidem profitentur, nimirum: *Et quæ huius rei causa? Dominandi amor fortasse, aut opum cupiditas, vel liuor, vel odium,* notissimæ hæ semper causæ fuerunt seminantes inter fideles viros, dissidia, temporale enim lucrum, quam pacem non turbet. Secundum notandum venit illud, quod ait: *Cùm deprehendimur, pij, atque orthodoxi sumus, falsóque ad veritatem confugimus, tanquam pro fide contendentes.* Quibus mirificè explicatur ingenium turbantium pacem ob lucra temporalia; cùm enim deprehenduntur contumeliosi in proximos, iniurij in fratres, infideles in dictis, falsò ad fidei veritatem confugiunt, tanquam pro fide contendentes: & multa pro fide effutientes, multa in communi vociferantes, nullum in particulari fidei aduersarium notant, nec valent notare. Si contentio tua pro fide est ô bone, iudices sunt pro fidei causis in Christi Ecclesia, dic quales notasti doctrinas fidei aduersas, & a quo sint prædicatæ, à Petro, vel Paulo in particulari; ne sub fidei acclamationibus abscondere videaris hostilem inimicitiam charitatis, ardentissimam cupiditatem temporalitatis. Laudo in hoc maximè sacrum ordinem Societatis Iesu, cuius indignus sum filius; is pro fide stetit ab incunabulis, & quia pro fide stetit, nullam aduersariam fidei doctrinam non notauit, non confutauit, non scriptis libris confecit. Da errorem exortum in hac tempestate, qui non inueniatur confossus à filiis Societatis Iesu. Nullum dabis; omnes obtruncat Bellarminus, Canisius, Valentia, Becanus, Turrianus, & alij, & nouissimos illos Anglicanæ Synagogæ sapientissimè confecit Xuares. Quis hæreticus, vel erroneus in tota Germania, in Belgio, in Anglia, in Gallia, qui non spicula senserit filiorum Societatis? Hi veri fidei milites, non ad illam falsò confugiunt, sed pro illa contendunt & dictis, & calamo. Hos imitetur, qui inter fidelissimos homines fidem vociferator, & in arenam pro fide descendat, notans hostem in particulari; quòd si descenderit, hoc vnum scio, quòd pro fide ad armarium cõfugiet scriptorum Societatis Iesu meæ matris. Laudo etiam sacrum Prædicatorum Ordinem, qui pro fide stans vbi Ludouici Molinæ Societatis Iesu splendidissimi Theologi concordiam de libero arbitrio suspectam habuit, rem ad fidei iudicem Pontificem detulit, & vel suspecta commata asterisco notans, coram tanto iudice alacriter, & fortiter pro fide pugnauit. Sed ea erat Molinæ doctrina, quam nec anni domuere decem, nec prælia mille, imò post tot prælia, post tot doctissimorum hominum iacula iudicante Pontifice maximo innumerabilis apparuit. Doctissimorum hominum est, & fidelissimorum Christi seruorum, pro fide in arenam descendere, suspectas doctrinas coram fidei iudice notare; impugnare verum relictis iudicibus, & minimè in arenam apparentes, imò nec vllam in particulari doctrinam suspectam notantes, & aulas, & populares conuentus replere longis clamoribus, quibus vociferentur, se aduersùs malas doctrinas pro solidis stare, hoc tumultuantium hominum ingenium est, non propugnatorum veritatis. Lunaticis doctrinis intempestiui clamores faueant, vt vociferatori Doctori dicatur illud quod non nemo clamosæ fœminæ cantauit, aiens,

Vna laboranti poterit succurrere Lunæ.

Qui pro lucidissimo iubare stat, aduersùs tenebras, non clamoribus, sed docta lingua, sed sapientiæ sibilis rem agat, non enim in igne, nec in confractione, sed in sibilo auræ tenuis adest veritatis.

Text. Beatus ille seruus, quem cùm venerit Dominus eius inuenerit sic facientem. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum.

§. VIII.

Summa sublimitas hominis est, quòd operibus suis alicui Dei nomini correspondeat.

EXpende quando super omnia extollatur à Deo homo; quando nimirum inueniatur sic faciens. Qualiter sic? Vt paulò antè dixeras, nimirum, quando fidelis seruus, & prudens det illis cibum in tempore. Adeò magna res est, quòd fidelis seruus, & prudens in distribuenda annona quis inueniatur. Vnde hoc tantum est, vt inde super omnia homo extollatur? Nota nomen illud *fidelis*, de quo nomine ipse Deus gloriatur, teste Paulo 1. Corinth 1. vbi ait: *Fidelis Deus, per quem vocati estis*, &c. Alicui autem nomini Dei operibus correspondere, & sic facere, vt de nomine Dei mereatis vocare, extremam attingit hominis sublimitatem, & illum super omnia facit euolare. Ad hæc D. Cyril. Hierosolymit. catechef. 5. ait: *Quemadmodum enim Deus, bonus & iustus vocatur, & omnipotens, & opifex vniuersorum; sic & fidelis. Cogita ergo in quantam proueheris dignitatem, cum diuinæ esse particeps appellationis.* Summa est hominis sublimitas, qua se extollit, cùm sic vitam suam instituit, vt operibus virtutum inueniatur correspondens alicui nomini proprio diuinitatis. Vnde D. Synes. lib. de regno sic summum imperatoris sui exaltationem animabat: *Summi regis amicus est, qui hic eadem cum illo appellatione gaudet, nisi nomen ementiatur. Tunc autem non fuerit ementitus, cum vel alterum ex diuinis nominibus in ipso reperietur.* Cùm sic homo vixerit, vt operibus talis inueniatur, qui diuini alicuius cognominis virtutem verè exprimat, tunc in summi Dei amicitiam se reputet cooptatum. Sophar Naamathites dixit Iob c. 20. de impiorum malis: *Hæc est pars hominis impij à Deo, & hæreditas verborum eius à Domino.* Quæ verba sic sonant apud Græcos: *Hæc pars est hominis impij, & possessio bonorum quæ sunt illi ab Episcopo.* Pro Domini, Deique nomine posuit Episcopum: ex quo Author catenæ Græcæ omnes Episcopos monet, vt in illis inueniatur verè Dei nomen, quo se super omnes extollent. Quippe ait: *Discant, quisquam sit hoc loco Episcopus nuncupatus, omnique ratione illius imaginem studeant præ se ferre. Quemadmodum enim, qui regiam imitatur*

1.Cor. 1.

Synes.

Iob 20.

tatur imaginem, in eo, quod praeclarum est, imitari conatur, illam item studet exornare; sic de beato Episcopo dicendum est, qui cogitatione, atque imitatione eum, qui verus est Episcopus, complexus est, qui tanquam Deus inter homines versatur. Cur diuinam non videatur contigisse quandam sublimitatem, qui operibus correspondent nomini Episcopi, quo Deus ipse gaudet? Sanè qui sic inuenitur correspondere alicui diuino nomini, ita super omnia eleuabitur, vt quasi Deus appa-
Genes.4. reat. Et quanta hæc sublimitas hominis? Apud Genes.c.4. de Enos dicitur: *Iste cœpit inuocare nomen Domini.* Quasi ipse externam nominis Domini inuocationem instituisset. Sed
Cyrill. D. Cyrill. Alexand. legit: *Hic cœpit vocari nomine Domini;* sic vixit, talia edidit virtutum facinora, vt inueniretur correspondens nomini diuino, quod illi attribuebant communiter, adeo vt eius filij vocarentur Dei filij. Quod ad summam Enos exaltationem pertinere, quis non videat? Ait
Idem. D.Cyrill.Alexand. lib.1. Glaphyrorum. *Sperauit itaque Enos vocari ab alijs nomine Domini Dei sui, hoc est, Deus. Cùm enim esset non absque admiratione sanctitatis gloria excellens, Deum ipsum vocarunt, supremo illum honore ornare cupientes.* Meritò supremus paratur honor illi homini, qui sic vitam suam composuit, vt diuino nomini videretur veris virtutibus correspondere.

§. IX.

Fidelis Dei seruus solus verè dominatur omnium.

QVi fidelem, & prudentem Dei seruum agit, dum sic agens à Deo inuenitur, super omnia constituitur; & sanè solus ille verè dominatur omnium, qui fidelem seruum
Cyrill. se exhibet Domino. Aiebat D.Cyrill. Hierosol. catech. 5. *Magnum quiddam est vir fidelis, omnique diuite ditior. Fidelis enim viri est vniuersus mundus diuitiarum, qui possit contemnere ipsas, & conculcare. Nam qui ad apparentiam diuites sunt, multáque possident, in anima pauperes sunt: quanto plura enim congregant, tanto magis eorum, quæ desunt concupiscentia tabescunt. Fidelis autem vir, etiam in paupertate diues est.* An putas dominari rei alicuius magis ille, qui sub illa est, quàm qui super illam? Sed profani vniuersi non super, sed subter rebus sunt, nec tam domini apparent, quàm misera rerum mancipia. Solus fidelis, & prudens homo, sic omnia sub se ponit, sic super omnia effertur, omnia despiciens, vt vel hinc hic solus appareat dominari eorum.
Iob 15. Eliphaz Themanites Iob cap 15. ait: *Sapientes confitentur, & non abscondunt patres suos, quibus solis data est terra.* Cur solis sapientibus dicitur data terra? Nónne insipiens, & stultus multa terrena possidet? Nónne magis dominantur impij? Absit: impij enim non dominatum, sed miseram exhibent seruitutem bonis temporalibus; fidelis autem, & prudens seruus Dei omnia pessundans omnium ostendit in
Didym. se dominium. Didymus in catech. Græc. ait: *Confirmat hominis fidelis esse cunctas orbis terrarum opes, infidelis autem ne obolum quidem. Nam licèt infidelis in ampla sit possessione bonorum, nihilominus non Dominus, sed seruus est diuitiarum, inseruit enim Mammonæ.* Ille verè Dominus, qui super omnia, cui omnia affluunt, & seruiunt omnia. De fideli, & iusto viro ait Psalm. 111. *Gloria & diuitiæ in domo eius.* Miraris diuitias in domo fidelis, & iusti viri inuentas, quando hoc fuit primum facinus fidelium, quòd ob Christi nomen renuntiarent omnibus. Nónne Apostoli, & fideles omnia reliquerunt, vt Christum sequerentur; quomodo ergo in Apostolorum domo diuitiæ inueniri possent? Equidem ex quo fide abiecerunt sua bona, facti sunt omnium bonorum domi-
Chrysost. ni, & illis vndique affluxere omnia. Rem expendit Chrysostom. in dictum Psalmi locum. *Quid erat Apostolis, vel in pecunijs ditius, ad quos omnia tanquam de fontibus profluebant? Quicumque enim erant agrorum, vel domorum possessores, vendentes afferebant, & ponebant pretium ante pedes Apostolorum. Vides opum magnificentiam? Omnia possidebant, ab eorum cura liberi.* Non equidem possidebantur Apostoli à bonis, non illis seruiebant, sed ab omni seruili cura liberi constituti inueniebantur super omnia. Vt notabat Paulus
2.Cor.6. 2.ad Corinth.6. *Tanquam habentes, & omnia possidentes.* Quibus expendendum est illud, *omnia possidentes*; in medio enim omnium bonorum, à nullo inueniebantur possessi, quin potiùs illi possidebant omnia, quibus facti superio-
Chrysost. res. De quo aiebat D. Chrysostom. vbi suprà: *Est enim hoc admirabile, quòd qui tantas habebant diuitias, erant facultatibus illis superiores, eos enim non tenuit obnoxios multitudo pecuniæ.* Nesciunt equidem fideles Dei serui subiacere bonis, sed omnium dominantes constitui super omnia. Quos eleganter pingebat Nazianz.orat.1.de Pace aiens: *Qui in mundo nihil habent, & supra mundum existunt: qui etiam in carne extra carnem viuunt, qui pro portione dominum habent, qui propter regnum inopia laborant, & propter inopiam regnant.* Sic ille. Nazianz.

Text. Si autem dixerit malus seruus ille in corde suo: Moram faciet Dominus meus venire: & cœperit percutere conseruos suos, manducet autem, & bibat cum ebriosis.

§. X.

A comessationibus, & compotationibus crudelitates, & iræ parturiuntur.

QVi manducat, & bibit cum ebriosis, quid aliud faceret, quàm percutere conseruos suos? Adeò enim connexa sunt hæc duo vitia, vt etiam illa coniunxerit D. Paulus 1.ad Timoth 3. monens Episcopum, vt se exhibeat, *non violentum, non percussorem*; spirant enim semper longæ compotationes & crudelitates, & rixas. Quod notabat Philo Iudæus lib. de vita contemplatiua, aiens: *Vulgus vbi se mero expleuit, ac si non vinum bibisset, sed insaniæ poculum ad rationem penitus profligandam ex animo, offensat, & canum ferocium more in rabiem vertitur, máxque coorti se inuicem morsibus appetunt.* Sic rixæ nasci solent à conuiuiis, & compotationibus, in quibus & crudelitas, & iracundia maximè acuuntur. Absalon Dauidis filius non paruam concepit iram aduersùs Ammonem stupratorem Thamaris, sed multis diebus dissimulauit iram, nec verbum amarum odioso fratri dixit. Quid tunc? Ait textus 2.Reg 13. *Factum est autem post tempus biennij, vt tonderentur oues Absalon in Baalhasor, quæ est iuxta Ephraim, & vocauit Absalon omnes filios regis*, &c. Sic pergit textus narrans ab Absalone procuratam Ammonis necem, quam meditari, & procurare cœpit post biennium, cùm oues tonderentur. Sed cur ouium tondendarum tempus notatur, quo Absalonis iracundia tandiu dissimulata adeò creuit, vt iam non posset non proferri, & crudelissimum venire in effectum? Habuitne tempus illud aliquam connexionem præcipuam cum crudelitate, ad quam ardentiùs moueret? Sanè Lyra ideo notatum putat ibi tempus tondendarum ouium, quia illo præcipuè tempore solebant frequentari solemnissima, deliciosissimaque conuiuia. Nec immeritò conuiuiorum tempus notatur pro occasione crudelissimæ necis adimplendæ; nihil enim conuiuia citius generant, quàm inauditas crudelitates, quibus etiam fratres sese inuicem perimant. Præstantissimi hominis Ioannis Baptistæ caput petitur à saltatrice fœmina. Proh fœminarum crudelitatem! sic hominem æternum viuere dignum perimis? Diu illum meditaberis occidere, & non potuisti: cur modò ardentius in eius perniciem exurgis? Vnde maiorem spem exercendæ crudelitatis nunc concipis? Marcus notat cap. 6. *Herodias autem insidiabatur illi, & volebat occidere eum, nec poterat*, &c. *Et cùm dies opportunus accidisset, Herodes natalis sui cœnam fecit Principibus.* Cœnam, inquit, fecit Herodes Principibus; ecce opportunitas nocendi, ecce rabies vsque adeò occulta occasionem habet sese prodendi, vbi enim & conuiuia, & compotationes exercentur, quodcumque inhumanum, & crudele potest exerceri. Ad hæc Chrysol.ser.174.ait: *Ecce quid pariunt totis noctibus pertracta conuiuia: ecce quid generat, quod cum mensura emitur, & sine mensura bibitur vinum.* Nil minus crudele oritur à compotationibus, à conuiuiorum frequentia; vt vix rabidissimæ iræ à compotationibus separentur. Vnde monebat Prouerb.31. *Noli regibus dare vinum.* Et cur à regibus, & præsidibus tanto studio vinum auferendum est. Insinuat id lectio Septuag.aiens: *Potentes iracundi sunt, vinum autem non bibant.* Quasi vna timeatur regibus ira à vino; id quod notans D.Hieron.in Isaiæ cap.5.ait *Qui ergo præsunt, plurimum debent carere vitijs, & maximè ira, quæ furori proxima est: ne quanto plus possunt, tanto amplius subiectis noceant.* Suspecta habeant vniuersi, qui præsunt, longè protracta conuiuia, suspectas compotationes, à quibus nunquam non efferuescunt iracundiæ, inter quas periclitetur subditorum vita. Hoc maximè ostendit Alexander, gloriosissimus alioquin Princeps, hostibus in arena magnificus, in prandio etiam amicis crudelis. De illo post multa elogia, ait Solinus c.4. *Victor omnium vino, & ira victus. Morbo violentiæ apud Babylonem*

Margin notes (right column): 1.Tim.3. — Philo. — 2.Reg.13. — Marc.6. — Chrysol. — Hieron. — Solin.

Babylonem, humiliorè, quàm vixerat, fortuna exemptus est. Proh fœdissimum Principis epitaphium! Accipite aliud excellentissimo, & mansuetissimo rege dignum, id posuit Ioan. c. 19. [Ioan. 19.] *Sciens Iesus, quia iam omnia consummata sunt, vt consummaretur scriptura, dicit: Sitio.* Ille victor omnium vino, & ira victus est: hic omnium longè verius consummatur siti, & misericordia triumphat. Illum vinolentia turpiter perimit: hunc sitis etiam in cruce ostendit gloriosum. Ille benè potus amicis exitialis fuit, hic meliùs sitiens etiam hostibus percutientibus obtulit veniam. Abiuret ergo conuiuia, abiuret vina, qui regiam Iesu cupit mansuetudinem ebibere.

Text. Veniet autem Dominus serui illius, in die qua non sperat, & hora qua ignorat, & diuidet eum, partémque eius ponet cum hypocritis, illic erit fletus, & stridior dentium.

§. XI.

Iustorum persecutores durissimum experientur Deum vindicem.

ECce tibi qualem exitum habeas seruus ille conseruorum percussor: ille manducans, & bibens conseruos percutit, sed interea dum ipse non putat, adest Dominus, qui illum confodiat, & tradat æterno luctui. Cum tanto suorum vindice Deo putent se oppugnare, qui in sanctos, & pios viros insurgunt. Balaam conductus ad maledicendum populo Dei, semel & bis consuluit Dominum, an iret? Tandem Angelus Domini illi susceptum iter permittit, qua percussione lætus ibat nefarius homo, at dum vineatum intra angustias, repugnantem asinam experitur, fustibus cædit, nihil conficiens. Interea Num. 22. [Num. 22.] *Aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit Angelum stantem in via gladio euaginato.* Deus bone, permisistis homini viam arripere, & simul Angelum opponis in via, qui euaginato gladio pergentem transfigat? Cur si domi illum permittebas abire, modò in via armatum Angelum opponis? Ne putent omnia sibi prospera, qui sanctis, & piis hominibus permittuntur maledicere; quin potiùs illud certò sciant, quòd nunquam aduersùs bonos viros ibunt, absque eo quòd sibi Deum, & Angelos infensos, & aduersarios experiantur. Id quod acutè notabat D. Cyrill. Alex [Cyrill.] lib. 6. de adorat. inquiens: *Abire quidem permisit Angelus; sed in medio conspectus est vir fulgenti gladio: in quo manifeste docuit, eum, si maledicere vellet ijs, qui benedicti erant, bellum & aduersus Angelos suscepturum.* Hoc putet quisquis pios homines percutit, quisquis iustos offendit viros, non cum illis solis, sed & cum Deo armato, & Angelorum exercitibus manus cōseruisse. Eu si vel in verbulo prolato aduersùs iustos homines tibi oculi aperirentur: fallar, nisi videres mille Angelorum spicula in te contorta; nisi videres Deū ipsum ad te conficiendum præcurrere. Nunquam mihi crede Dominus impunè abire permittet percussores suorum. Exod. 21. [Exod. 21.] cauebat lex: *Taurus filium quoque, & filiam si cornu percusserit, simili* (nempe mortis) *sententia subiacebit. Si seruum, ancillámque inuaserit, triginta siclos argenti Domino dabit, bos verò lapidibus obruetur.* Ecce tibi Dominus tauri percutientis filius capite plectitur, Dominus autem tauri percutientis seruum incolumis manet. Est ne apud Deū distinctio serui, aut filij? An qui seruus est, vilior apud Deum habetur? Io seruum venundatus est Ioseph, & quia Ioseph seruus, ideo minus æstimatur à Deo eius vita? Sanè vt seruos Israelitas redimeret, occidit Dominus primogenitos Ægyptiorum filios; quomodo ergo sic apud ipsum modo viluerunt serui, vt occisor serui parua solùm mulctetur pecunia, occisor autem filij capite plectatur? Non loquitur hic de seruis, & filiis, quos hominum facit institutio, sed de seruis, & filiis, quos designant vitia, aut virtutes. Vnde non mirum, quòd sic apud Deum vilescat vitiorum mancipium, vt parua redimatur pecunia occisor; ille autem qui filios, id est, sanctos viros percusserit, longè maiorem pœnam sustineat, vt vel propria priuetur vita. Aiebat D. Cyril. Alex. lib. 7. de ador. in spiritu: [Cyrill.] *Igitur, quia lex vmbra est, per filium, ac filiam liberum sanctorum genus significatur; per seruum verò, & ancillam illud adhuc seruile genus, & peccati iugo subiectum. Non est igitur par iniuria in sanctos, atque in peccatores facta, neque eadem mensura plectuntur peccata in vtrosque commissa.* Imò qui in sanctos insurgit, vitam suam euidenti proponit discrimini, is enim est Deus, qui non patiatur viuere eos, qui percutiunt filios suos.

CAPVT III.

De Amico petenti panes.

ADEO cupit Dominus sua bona hominibus communicare, vt tota contentione illos vrgeat ad petendum; vrget denique adducto exemplo amici, cuius etiam intempestiuæ, & importunæ preces non possunt contemni ab amico. Quis enim amicum repellat in eam redactum necessitatem, qua cogatur importunè, & intempestiuè aliquid petere ab amico suo? Hōc nec homines vacuum dimittent, nec etiam Deus nos vacuos dimittit, si assiduis, imo importunis illum precibus pulsauerimus.

Luc. 11. Quis vestrûm habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi.

§. I.

Accedentem, & appropinquantem habes iustitiæ solem, qui non stat, sed ambulat in virtutis via.

CVr non introducitur homo ad amicum Deum pergens prima, aut secunda vigilia noctis, sed media iam nocte? A media nocte incipit Sol nobis appropinquare, & tenebræ rarescere incipiunt; & dum quis dicitur non stare, sed ire in virtutum viam, eo ipso nequit non intelligi sub aliquo signo diuini Solis Christi appropinquantis. De diuinissimo Sole Iesu locutus Ioann. 1. ait: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* [Ioann. 1.] Expende quem hominem illuminet Christus, nimirum hominem venientem. Pulchre D. Paulinus epist. 4. *Illuminatur autem anima tali caritate, quæ despicit mundum, vt conspiciat Deum; cum scilicet, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, id est, omnem hominis mentem venientem.* [Paulinus.] Vbi enim mens nostra, vel gradum in virtute facit, non potest diuini Solis illuminationem sibi appropinquantem non ostendere. Quisquis in salebra non hæres, in vmbra mortis non sedes, sed in via virtutis ambulas; ex quo incipis ambulare, incipis in te Christi appropinquantem illuminationem monstrare. Vnde monebat Dominus Ioannes 12. *Ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant.* [Ioann. 12.] Hoc solum petit, ne à tenebris comprehendamur, vt ambulemus; ambulantibus enim nunquam nocent tenebræ, sed potiùs ipsæ magis cadunt appropinquante iustitiæ Sole. Ex quo dicebat Bernard. serm. 39. in Cant. [Bernard.] *Ergo non ambulantem, sed sedentem à mortis tenebris comprehendi periculum est. Et quis sedens, nisi qui non curat proficere? Id caueto; & si morte præoccupatus fueris, in refrigerio eris.* Fac ne sedeas sub vmbra mortis, ne stes in via; sed gradere, sed ambula; & nullo tenebrarū timore teneberis, imò hoc vno tibi salutem maximè firmabis, si ad anteriora semper progredi nitaris. De se aiebat Paulus ad Philippens. 3. *Fratres, ego me non arbitror comprehendisse. Vnum autem, quæ quidem retro sunt obliuiscens, ad ea verò, quæ sunt priora, extendens me ipsum.* [Philip. 3.] Expende illud, *vnum autem*, quasi in hoc vno nitatur Apostolus tantus, vnum hoc habeat pro fundamento, quòd ad lucem inaccessibilem pergat. Et quale est illud vnum, quod sic solum valet firmare spes Pauli? Iam explicat, ipse dicens, *quæ retro sunt obliuiscens, ad ea, quæ sunt priora extendens me ipsum.* Nulla magis virtute firmauit Paulus, quàm si nunquam sedeat, sed semper ambulet. Bernard. vbi suprà. [Bernard.] *Quid est, vnum autem? Vnum autem, inquit, quasi remansit mihi ad remedium, ad spem, ad consolationem. Quid illud? Quæ retro sunt, videlicet obliuiscens, ad ea, quæ antè sunt, me extendo.* Omnia reliquerat Paulus propter Iesum, milléque probra pro eodem subierat, sed nihil in his firmitatis inuenit, si consideat, si stet, si ad anteriora non pergat. Omnia etiam virtutum culmina labant, dum gradus figitur, dum sistitur: quæ tunc firmantur, cùm procedimus. Accipe illam inter primas sponsæ laudes Cantic. 4. [Cant. 4.] *Dentes tui, sicut greges tonsarum quæ ascenderunt de lauacro,* &c. Et grex ibi sanctorum innuitur, & lotus prædicatur, & detonsus, sed nec tonsura, nec lotio sufficeret, nisi & ascendere perhiberetur. Id quod notans Gillib. Abb. serm. 23. in Cant. ait: [Gillibert.] *Attende, quòd non tibi sufficit descendere, non sufficit exonerari, non sufficit lotum, & nouum fieri, nisi statim ascendas,*

& spiritu incedas. Huc accedant quicumque appropinquantem sibi cupiunt habere Solem iustitiæ Christum, habebunt equidem, dum ipsi non sedeant in via, sed semper ambulare procurent. De hoc vide supra lib.5. cap.9. §.19. & alibi.

§. II.

Felicissimus est ille, & Dei amicus, qui salutis suæ negotia sic habet dispoſita, vt ab aliorum diligentia non pendeat.

EXpende tempus, quo abeundi pro panibus vitæ necessitas incurritur, nimirum, *media nocte*; media, inquit, nocte ibit ad amicum. Cur non magis ipse manet, & mittit alium, qui conueniat amicum? Cur permittitur ab hospite inter nocturnos timores abire solus? Facit ad magnam felicitatem eius, qui Deum habet amicum, quòd nimirum in salutis negotio non pendeat ab aliis, sed ipse per se peragat illa. Si ab aliis penderet is, qui media nocte negotiandi necessitatem incurrit, profectò extremo angeretur periculo, vt qui hora intempesta non facile inueniret auxiliatores, & propriarum commoditatum despectores propter illum. Tota ergo felicitas eius, qui à Deo amatur, in hoc est, quòd sic salutis negotia habeat parata, vt nullo alio egeat, sed ipse solus ea valeat perficere, nullis ruinis, nullis impeditus tenebris noctium. Dauid inde exaltat felicitatem suam Psalm. 55. *In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem: in Deo speraui, non timebo quid faciat mihi homo. In me sunt Deus vota tua, quæ reddam, laudationes tuas.* Vide iusti viri felicitatem, vide eius securitatem; nihil iam timet ab homine, nullam rapinam, nullum damnum in salute ab homine metuit. Sed cur nullum damnum metuit? Ait ipse illis verbis: *In me sunt Deus vota tua*; omnia, quæ Deo pro salute offerat, in suo pectoris arcano solus possidet; non alterius indiget, sed in se solo habet, vnde salutis suæ peragat negotia. Pulchrè D. August. ibi: *In te est, quod voueas, & reddas. De cordis arca profer laudis incensum, de cellario bonæ conscientiæ profer sacrificium fidei. In te sint vota, quæ Deo reddas. Sæuiat homo, permittatur sæuire, permittatur efficere, quod conatur. Quid est ablaturus? Aurum, argentum, pecora, seruos, ancillas, fundos, domos, auferat omnia: nunquid auferet vota, quæ in me sunt?* Nihil habet quod metuat, qui in se solo habet, quod offerat Domino, mediis hostilibus incursibus, mediis tenebrosis persecutionum noctibus, mediis ipsis nocturnis timoribus securus degit, quia in se solo totam salutis negotiationem possidet. Quò forsan respiciebat illud Psalm.87. *Factus sum sicut homo, sine adiutorio inter mortuos liber.* Quantum hoc elogium hominis, quòd sit inter mortuos liber? Quod seruiles mortis effugiat timores? Sed expende vnde ad tantam felicitatem deueniat, nimirum, quia factus est sicut homo, sine adiutorio; quia vniuersi adiutorij creaturarum spem adiecit, & ita se composuit, vt à nullo alio dependeret in salutis negotio. Hinc pungebat Nazianzen. oratione in sanctum Baptisma, eos, qui vel minimam rem ad salutis negotium pertinentem in aliis ponunt. Quippe aliqui solent amicis commendare, vt verè de mortis vicititate maneant: hos sic arguit Nazianzen. *Quid tu potiùs expectas, vt ab alio tibi ex hac vita migrandum esse intelligas, quàm vt de morte quasi præsenti cogites.* Nil aliis committat de salutis negotiis, qui feliciter omnia peragere cupit, sed sic ipse vitam suam componat, vt deficientibus iunctis aliis, ipse in se redactus salutem de Christi munere peragat. Aiebat Psalm. 4. *In pace in idipsum dormiam, & requiescam. Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.* A Deo equidem venit hæc felicitas, quòd singulariter in spe constituamur, hoc est, quod spes salutis nostræ in his, quæ in nobis sunt, singulariter nitantur, nec alienæ diligentiæ opus habeat. Quid ex hac felicitate commodi veniet? Ait: *In pace, & in idipsum dormiam, & requiescam.* D. Chrysostom. legit: *In pace, & in me ipsum*, &c. quasi & pax, & quies hominis inde valde proficiat, quòd in se ipsum collectus, negotium suæ salutis nulli alij prorsus credat. Quippe ait ibi, *Quid est, in idipsum? In me ipsum, inquit, totus coactus, & conuersus, non quæ sunt huius, vel illius cogitans.* Sanè in salutis negotio ille felicissimus, perfectáque & pace, & quiete perfunditur, mediis etiam timoribus nocturnis, qui totus in se conuertitur, nulliúsque etiam amicissimi diligentiæ fidit. Ad hæc Nazianz. vbi suprà: *Adsit mihi pater, adsit mihi mater, frater, vxor, liberi, amici, atque omnes, quos charos habeo: & tunc salutem accipio. Non ad huiusmodi voces confugias. Verendum enim est, ne luctus socios accipias, quos te lætitiæ socios habiturum sperabas.* Eu quàm felicius à nullo, vel socio, vel amico dependere in negotio salutis Apoc.12. habes draconem insurgentem in mulierem cœlestem. Quid tunc? *Et dati sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in desertum in locum suum*, &c. Quis putaret mulierem in deserto non magis esse expositam draconi? Nónne in ciuitate tutior ageret? Nónne plures haberet ibi, qui aduersus draconem insurgerent, & illam protegerent? Cur ergo in deserto mittitur omni amicorum, & charorum adiutorio destituta? Equidem nunquam nobiscum felicius agitur, quàm dum sic constituitur, vt in nobis solis habeamus, quo in Christo viuere possimus. De hoc vide suprà lib.10. cap.3. §.13.

Psal. 55. — August. — Psal. 9. — Nazianz. — Psal. 4. — Chrysost. — Nazianz. — Apoc. 12.

§. III.

Nullis tenebris potest Deo occultari, qui fide ad Deum orat.

INtempestiuum noctis tempus non obest, quominus ad amicum properet, qui eius eget adiutorio; & cur non metuit tam intempestiuo tempore accedere? Cur non metuit, vel propter tenebras, vel propter somnum non exaudiri, nec agnosci? Meritò nil sibi à tenebris, nil sibi timet à somno, nequit enim vllis tenebris, vllis impedimentis occultari, qui fide ad Deum orat. Nónne Ionas tenebroso in ventre ceti erat? Sed tamen de illo cap.2. dicitur: *Et orauit Ionas de ventre piscis ad Dominum Deum suum, & dixit: Clamaui à tribulatione mea ad Dominum, & exaudiuit me. De ventre inferi clamaui, & exaudisti vocem meam. Et ego dixi: Abiectus sum à conspectu oculorum tuorum, veruntamen rursus videbo templum sanctum tuum. Circumdederunt me aquæ vsque ad animam meam, abyssus vallauit me, pelagus cooperuit caput meum. Ad extrema montium descendi, terræ vectes concluserunt me in æternum, & sublevabis de corruptione vitam meam Domine Deus meus. Cùm angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum, vt veniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum.* Ecce tibi hominem nigro carcere clausum, tenebroso abyssu circumdatum, montibus hinc inde vallatum, & inter tot tenebras, facilem tamen aditum inuenit, quo possit à Deo agnosci, & exaudiri. Sed vnde adeò facilè auditur? Ait ipse: *Domini recordatus sum, vt veniat ad te oratio mea*, &c. inter tot tenebras vnum hoc facit, quòd ad Deum it, eiúsque beneuolentia nititur, quo non potuit ipse & agnosci, & exaudiri. Rupertus ibi ait: *Vbicumque ergo conclusus homo, siue hominis spiritus, vbicumque fuerit coangustatus, siue inferni, siue terræ vectibus, si apud se habet verbum fidei, dum orat, non potest nesciri, quinimò ipso verbo fidei, viscera Dei, cor Patris altissimi fortiter tangit.* Nullis etiam abditissimis cauernis iacebit homo, nullis tenebrarum vmbris occupabitur, in quibus, si proferat verbum fidei, si oret ad Dominum, oculis creatoris non pateat, eiúsque animum non solicitet. Dauid Psalm. 37. *Miser factus sum, & curuatus sum, vsque in finem; tota die contristatus ingrediebar. Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus; & non est sanitas in carne mea. Afflictus sum, & humiliatus sum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei, Domine, ante te omne desiderium meum; & gemitus meus à te non est absconditus.* Tot afflictionum tenebris oppressus, vnum facit, nimirum, ad Deum orare, oculos suos, desideria sua ante Deum ponere; & quid inde? *Gemitus meus à te non est absconditus.* Lateret homines gemitus tenebroso carcere compediti; lateret etiam charissimos amicos mundiales vox calamitosi viatoris, vel a latronibus vmbroso in monte petiti, vel occulta alia calamitate agitati; verùm minimè Deum latet. Planè vbicumque conclusus homo fuerit, siue inferni vectibus coangustatus, si verbum fidei habeat, si oret, gemitus eius Deo nullo modo absconditur: quin potiùs & se, & authorem suum notissimum Deo facit, illique præsentissimum. Vnde cupidissimus sponsus cognoscendi sponsam ex facie, sic ait Cant. 2. *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis.* Si cupis videre faciem, ô Domine, si sponsam tibi notam ex facie fieri amas, hoc pete, hoc flagita, in hoc insiste, cur tam citò diuerteris aliò? Cur vocem postulas? Cur non magis insistis in petenda facie? Equidem, quòd petit vocem, simul etiam facit ad noscendam sponsæ faciem, nequit enim fieri, quòd vox fidei in sponsa orante ad Deum sonet, & quòd non notissima, & præsentissima illi statim fiat facies. Ad hæc aiebat D. Iustus

Ion. 2. — Rupert. — Psal. 37. — Cant. 2.

Iustus. D. Iustus Orgelitanus: *Orationes sanctorum semper Domino accepta, gratiáque eius præsentes, quia de Christi lumine acceperunt, vt in decore iustitiæ permanerent.* Ex quo orationes sanctorum ad Deum sonant, non possunt & sancti viri non Domino præsentari, illíque patentissimè apparere, vtpote de lumine Christi illuminati.

§. IV.

Oratio ad Deum timores vniuersos abigit.

SOlus, & media nocte ad Deum ibit; cur non magis sibi canebit à timoribus nocturnis? Ibit ad Deum orandum; vbi autem intercedit oratio, vniuersos timores abigit. Instante iam tenebrarum potestate Iesus Matth. 26. *Cœpit contristari, & mœstus esse;* imò, vt Marcus ait cap. 14. *Cœpit pauere, & tædere.* Totus fit Iesus meus pauidus, & præ pauore mœstus; atque dum sic pauet, & intrat hortum, patrem orat, & statim veniens ad discipulos ait Matth. 26. *Surgite, eamus: ecce appropinquauit qui me tradit.* Expende alacritatem, qua obuiam hostibus procedit: paulò antè totus pauebat alacer, toto abiecto pauore, occurrit hostibus. Vnde tanta pauenti aduenit alacritas? Orauit ad Patrem, & vbi intercessit oratio, nullus timori aditus patet. Pulchrè aiebat D. Laurent. Iustinian. de triumphali Christi agone cap 7. *Intellige quantum oratio conferat, quæ pauentem, & agonizantem recipiat Dominum, illum exhortantem reddiderit, atque intrepidum, vnde aiebat: Surgite, eamus.* Nullum non occludit oratio aditum timori, ex quo in oratione fueris, intrepidum ebibes animum, quo nihil paueas, vt possis dicere cum sponsa Cant. 8. *Ego murus, & vbera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo, quasi pacem reperiens.* Et quidem ex quo orationis portum attingimus, pacificáque orationis induimus arma, nihil in nobis non apparet fortissimum, & imperturbabile. Quisquis enim pro se habet orationis arma, habet vnde vniuersos timores possit exsufflare. Aiebat etiam Cant. 3. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël: omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos.* Miraris apud pacificum Regem tot ostendi armatos? Et quales sunt gladij, quales enses, qui etiam habentur in quietissima, & pacifica Salomonis camera, aduersùs timores nocturnos? Ego ibi nullum alium crediderim admitti, nisi orationis gladium, quem qui habet, nil scinit timere; imò & illum cauent tenebrarum potestates. Ex quo aiebat D. Chrysost. lib. 1. de orando Deo. *Si nos conspexerint deprecatione communitos, illicò resiliunt, non aliter, quàm prædones, vbi conspiciunt militum gladium.* Sic orationis arma exsufflant metuendas tenebrarum potestates; sic aduersùs omnes nocturnos timores armantur, qui orationi vacant. Quò aspiciens Sal. Prouerb. 28. ait: *Iustus autem, quasi leo confidens, absque terrore erit.* Non solùm noto, quòd iustum ostendat & imperterritum, & confidentem; sed simul aduerto, quòd iusti confidentiam similem dicat esse confidentiæ leonis. Et qualiter leo confidit? D. Cyrill. Alexand lib. 12. in Ioann. cap. 14. ait: *Fertur igitur leo, cùm animal aliquod capere velit, mirabilem solere rugitum edere, eóque quæ propinqua sunt animalia præterrita cadunt. Ita solo leonis clamore superantur, & capiuntur.* Sic iusti imperterrita confidentia in clamore orationis sita est; clamat iustus ad Dominum, & vniuersa metuenda diffugiunt. Id quod notans D. Chrysost. hom 53. in Acta inquit: *Non enim leonis rugitus bestias sic fugat, vt iusti oratio dæmones: si loquetur solùm, deuolant.* Dum labia orantis resonant, omnia procul abscedunt metuenda, vt huc libenter referam illud quod Angelus docebat Tobiam: ait enim Tob 6. *Cordis eius particulam si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum.* Nemini vnquam dubium fuit, quòd calens oratio, à flammanti egressa corde, malorum genus abigat omnium.

(Margin: Math. 26. Marc. 14. Laurent. Cant. 8. Cantic. 3. Prou. 28. Cyrill. Chrysost. Tob. 6.)

§. V.

Oratio efficax, quæ in occulto fit.

NOn id notandum relinquo, quòd media nocte ad exorandum amicum pergit; illa enim & secura, & efficax oratio quæ fit in occulto. Ideo sponsa ait Cantic. 3. *In lectulo meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea. Per noctes.* ait; & cur per noctes? D. Bernard serm. 86. in Cant. *Quàm secura ascendit de nocte oratio, sola arbitro Deo, sanctóque Angelo, qui illam superno altari suscipit præsentandam. Quàm grata, & lucida verecundo colorata rubore. Quàm serena, & placida nullo interturbata clamore, vel strepitu. Quàm deníque munda, atque sincera nullo respersa puluere terrenæ sollicitudinis, nulla aspicientis laude, seu adulatione tentata. Propter hoc ergo sponsa non minus verecundè quàm cautè, lectuli secretum petebat, & noctis, orare, hoc est, verbum quærere volens.* Tunc enim confidentiùs quis procedit ad verbum diuinum quærendum, & exorandum, cùm occultam prorsus orationem agit. De Iosepho viro bono, & iusto dicitur Luc. 23. *hic accessit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu*; id quod notans Ioannes simul explicat huius viri ingenium, qui non nisi occultè, & nocte solebat accedere ad Iesum; ait enim cap. 19. *Rogauit Pilatum Ioseph ab Arimathæa, eo quòd esset discipulus Iesu, occultus autem propter metum Iudæorum.* Sed cur necessum fuit in hac petitione notare ingenium viri iusti in se occultando? D. Ambros. lib. 10. ait: *De hoc Ioseph in Ioanne solo inuenio, quòd occultus venerit ad Pilatum propter metum Iudæorum. Quomodo iustus latebram periculi timore quæsiuit? Ego puto, quòd ideo occultè petierit, vt corpus impetraret, vt non periculum caueret.* Nunquam enim certiùs verbum Dei quæritur, & impetratur, quàm precibus, & orationibus occultis. Apud 3 Regum 18. de illis, qui inuocabant Baal dicitur: *Clamabant ergo voce magna*; verùm de inuocatore Dei Elia solùm dicitur: *Accedens Elias Propheta, ait: Domine Deus, &c.* Illi clamoribus Baal solicitant, Elias non clamat, nullam magnam edit vocem. Et cur illis clamantibus, vocem Elias non eleuat? Diuus Ambros. in Psalm. 45. *Diabolus sonum quærit, Christus silentium.* Non clamosa, & publica oratio, sic Deo placet, vt secreta, & occulta. In eo distinguuntur veri Dei precatores, & precatores dæmonum: illi clauso cubiculo, & occultè Deum orant, hi non nisi inutilibus clamoribus perstrepunt. De his Psalm. 45. *Sonauerunt, & turbatæ sunt aquæ eius, & turbati sunt montes in fortitudine eius.* Inter sonitus aquæ nullam sitim explent, sed solam turbationem generant, sic quæ in clamoribus, & sonitu consistit oratio nulli prodest. Ex quo meritò aiebat D. Ambrosius. *Non bonæ aquæ, quæ sonant, atque turbantur, & potum præbere non possunt. Meliores sunt, quæ pertranseunt, sicut scriptum est: Inter medios montium pertransibunt aquæ, & potabunt omnes bestiæ agri: suscipient onagri in sitim suam.* Sanè quæ inaniter resonant per compita preces, vanæ sunt, & hypocritarum: verùm quæ inter opaca montium sub vmbris occultò, & secretò fluunt, hæ maximè Deo probantur.

(Margin: Bernard. Luc. 23. Ambros. 3. Reg. 18. Ambros. Psal. 45. Ambros.)

Text. Et dicet illi: Amice commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo, quod ponam ante illum.

§. VI.

Illius oratio efficax est, qui Deo reddere integrum intendit, quidquid ab illo petit. Feralis autem, & diabolica illa, quæ suis cupiditatibus vult insumere, quod à Deo acceperit.

EXpende, qualis instituatur ille, qui Deum precatur; instituitur equidem petens non donari, sed commodari sibi panes: qui enim non donatum, sed commodatum petit, totum quod accipiat, integrum commodatori prætendit reddere. Illa ergo efficax oratio est, & perfecta, per quam postulantur, quæ integra sint Deo commodatori reddenda. Sic orabat Samuelis mater, 1. Reg. 1. *Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederísque seruæ tuæ sexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius, &c.* Filium petit à Deo, sed non quem sibi habeat, secúmque retineat, sed quem integrè, & totaliter Deo reddat. Quem filium à Deo petis ô mulier? Peteret mater filium, qui eius sustentet senectutem, qui nomen familiæ æternet, qui parentum leuet curas præsentia sua. Nónne hæc tibi quærunt parẽtes in filiis? Cur similia non quæreret Anna in filio suo? Annæ filius, futurus erat orationis perfectæ filius, & ideo non mater petit illum, vt sibi aliquomodo retineat, sed vt totum integrè Deo reddat. Bona enim, quæ oratione petuntur, sic petuntur, vt integrè sint reddenda Deo commodatori. Notabat D. Chrysostom. homil 24. in epist. ad Ephes. inquiens. *Dabo illum, ait, donum Domino omni tempore.*

(Margin: 1. Reg. 1. Chrysost.)

Non dixit vnum dumtaxat, aut alterum annum, vt nos solemus, neque dixit, si dederis mihi puerum, dabo pecunias, sed ipsum totum donum retribuam primogenitum, & orationis filium. Et planè quidquid oratione petis à Deo, totum & integrum debes Domino restituere: illa est enim vera, & perfecta oratio, & efficax apud Deum, quæ quod reddat, orat, non
Osea 14. quod Deo eripiat. Hanc orationem docebat Oseas cap.14. dicens: *Tollite vobiscum verba, & conuertimini ad Dominum, & dicite ei: Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum.* Dum ad orationem vocat, illud in primis monet, nimirum: *Tollite vobiscum verba*; mos enim erat Israëlitarum in oratione non verba sed vlulatus, & ferarum edere rugitus, vt dici-
Osea 7. tur apud ipsum Oseam cap.7. *Non clamauerunt ad me in corde suo, sed vlulabant in cubilibus suis, super triticum, & vinum ruminabant.* Procul ergo sint in oratione vlulatus bestiarum, adsint verba rationali creatura digna. Sed quæ sunt hæc verba à ferarum vlulatibus aliena? Ipse explicat, aiens: *Dicite Deo: Aufer iniquitatem, accipe bonum.* Expende illud *accipe bonum*, nullum enim bonum sibi amat à Deo venire perfectus animus orantis, quod non velit, vt ipsum accipiat integrum ipse dator. Pete à Deo tibi dari, non quod tibi retineas, non quod Deo eripias, sed quod totum ex te Deus accipias: & verba hominis promis in oratione, & non vlulatus ferarum. In hoc bestia, & homo distinguuntur, quòd bestia sibi bona consumenda procurat, & vt ipsa consumat, eripit alteri; at homo quidquid bonum ex Deo habet, ad id habet, vt totum illud Deo reddat. Quòd si quid à Deo accipis consumendum tuis voluptatibus, non Deo reddendum, fera es, homo non es, etiamsi in Angelorum choris inueniaris. In Sanctorum choro inuentus aliquando Satanas Iobum sibi permitti postulabat. Annuit Dominus, Iobum permittit Satanæ manibus. Quid tunc?
Iob 2. Ait textus Iob cap.2. *Egressus igitur Satan à facie Domini,* &c. quod ponderans Origen. lib.2. in Iob ait: *Exiuit diabolus à facie Domini, exiuit tanquam lupus rapiens, tanquam leo rugiens, tanquam vrsus sanguinem appetens, tanquam malignus serpens, tanquam vipera sæua, ac perniciosa.* Expende modò quot bestiarum voces attribuantur Satanæ à Sanctorum choro egredienti. Affluit miser inter Sanctos, petiit bona Iobi sibi permitti, accepit postulata, cum quibus egrediebatur lætus. Cur inde lupus? Cur vrsus? Cur leo? Cur serpens? Cur vipera? Meritò omnium bestiarum instar habetur, qui bona sibi à Deo petit permitti, vt illa destruat, consumat, non in Dei obsequium, sed potiùs quantum in se erat, in Dei damnum. Huc accedant mundiales homines, qui bona à Deo postulant, quæ minimè Deo reddant, sed voluptati, sed vanitati. Horum orationes non orationes, sed rugitus ferarum sunt, sed Satanæ conatus. Egreditur aliquis è templo, ab oratore, & votis lætus de finita lite, de bonis sibi adiudicatis; sed cùm illa non Deo reddere, sed suis cupiditatibus insumere statuat, egreditur à facie Dei tanquam lupus rapiens, tanquam vrsus, tanquam leo, tanquam diabolus, non quærens suis precibus Dei obsequium, sed damnum. Qui homo est, verámque, & perfectam orationem fundit, quidquid à Deo exorat, totum ipsi Deo retribuit integrum. Hinc Matth.6. iubemur petere: *Adueniat regnum tuum.* Petimus regnum ad nos venire, & regnum ad nos veniens, adhuc illud Deo tribuimus, dicentes, *regnum tuum.* Cur non magis dicimus nostrum? An regnum, quòd mihi aduenit, non magis est meum? Sed quod à Deo petimus, non ideo petimus, vt retineamus nobis, sed vt magis retribuamus illi, integra illi reseruamus; & referimus bona, quæ per orationem à Deo
Tertull. impetramus. Quò spectabat Tertullian. de Orat. cap.5. inquiens. *Quidquid nobis optamus, in illum auguramur, & illi deputamus, quod ab illo expectamus.* Nullum Deo damnum procuramus in accipiendis bonis, sed illi omnia sua referimus integra.

§. VII.

Illa oratio proficua est, quæ Dei, proximorúmque negotia agit.

QVàm securè ad orationem pergit, qui aut hospitis Dei, aut proximi negotium agit; qui vt det hospiti, petit, nunquam non erit accepta eius oratio. Ecce tibi dum Deus Sodomam iratus abit, stat Abraham, & pro Sodomis anxiè precatur, nec semel precatum iam esse contentus, ad-
Genes.18. huc ait Genes.18. *Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum cum sim puluis, & cinis.* Et noscis te puluerem, & cinerem, & adhuc audes semel, & ter cum Domino precibus agere? Vnde & pulueri, & cineri fiducia tanta? Nónne molestum erit, toties coram Deo cinis stare? Agebatur proximorum causa, & tunc nullius oratio non est Deo accepta, & oranti salutaris. Aiebat enim ibi Lyppoman. *Delectat Dominum, & fidelem decet oratio, pro proximorum salute interposita.* Mihi crede, nunquam malè audit oratio, quæ proximorum suscipit causam, imò hanc in primis orationem perfectam nominem, quæ ex Dei, & proximorum proficiscitur charitate. Cùm Dauid & adulterium, & homicidium commisit 2.Reg.12. dicit ei Propheta: *Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua, & tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum vxoribus tuis in oculis Solis huius. Tu autem fecisti absconditè; ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Jsraël, & in conspectu Solis. Et dixit Dauid ad Nathan: Peccaui Domino. Dixítque Nathan ad Dauid: Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Ecce quàm paucis verbis bonus rex amouit à se tantam pœnam pec- 2 Reg 12.
cati. Accipite aliud ex Isaiæ cap.39. ibi etiam peccanti Ezechiæ adest Propheta, & ait: *Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ in domo tua sunt, & quæ thesaurizauerunt patres tui vsque in diem hanc in Babylonem, non relinquetur quicquam, dicit Dominus. Et de filijs tuis, qui exibunt de te, quos genueris, tollent, & erunt eunuchi in palatio regis Babylonis. Et dixit Ezechias ad Jsaiam: Bonum verbum Domini, quod locutus est. Et dixit: Fiat tantum pax, & veritas in diebus meis.* Compone modò Dauidem, & Ezechiam, vterque peccat, vtrique pœna intimatur peccati: sed Dauid verbum profert, & statim pœnam audit abolitam: Ezechias plura dat verba, & non audit pœnam ablatam. Peccatum Dauidis, & eius pœna verbulo prolato amouetur, peccatum Ezechiæ multis etiam verbis datis non amouetur. Cur sic à Dauide exploditur peccatum, & non ab Ezechia? Crediderim in verbo illius Dauidis, non solùm peccati sui pœnitentiam, sed & pro regni, & filiorum suorum salute solicitam orationem intelligi, vt qui in peccatorum pœnis solebat semper pro subditis orare, sibique præponere illorum salutem, & incolumitatem. In verbis autem Ezechiæ nulla solicitudo, nulla cura pro suis ostenditur, imò audiens quòd templum Dei, & regia spolianda erant, & filij captiuandi, nihil de his solicitus, sibi soli consulens, pro se solo precatur; quæ sanè precatio, dum de charitate Dei, & proximorum non oritur, nec censetur precatio, nec vllam opem suis peccatis affert. Ait D.Cyrill.Alex.lib.3.tom.4. in Isai. *Ezechias destituitur defensione, cùm orationem non habeat, quæ suis delictis opem afferat. Deinde suis diebus pacem quærit, modò non valedicto suis posteris, & abiecta omnino tuta & regionis, & suæ ciuitatis, & generis. Verùm in rem fuisset ei, de his, quæ prædicta sunt, luxisse, & à Deo misericordiam petiuisse, & posterorum nomine felicitatem non temporariam, & contractam postulasse.* Non defendit oratio, quæ despicit proximos, nec vllam opem delictis affert; illa oratio nunquam non accepta, quæ proximorum nomine misericordiam solicitat diuinam. Isai 39. Cyrill.

§. VIII.

Nulla à te proficiscatur oratio, in qua propria etiam non requiratur salus.

VNius hospitis gratia tres panes petit, non solùm hospiti, sed & sibi prouidens panem, vt sapientissimus noster notauit Maldonatus. Et meritò, quia in omni perfecta oratione, semper debet exquiri salus ipsius orantis. Accipe quid de perfectissimo omnium verbo, nempe diuino, afferat Ioan.c.1. *Jn principio erat verbum, & verbum erat apud Deum.* Ioann.1.
Itaque verbum exiit à Deo; sed qualiter exiit? Manens apud ipsum Deum; nullum verbum, nulla oratio à Deo prodit, quæ extra Deum tota feratur, sed intra ipsum productorem manet. Quid tunc? Illa est diuinissima oratio, illud diuinissimum verbum, quod non totum extra prolatorem elabitur, sed apud ipsum manens, eius in primis salutem negotiatur. Ad hæc D.Bernard.lib.2.de consider. ait: Bernard.
Sume exemplum de summo omnium Patre verbum suum & emittente, & retinente. Verbum tuum, consideratio tua. Quòd si procedit, non recedat. Sic progrediatur, vt non egrediatur. Sic exeat vt non deserat. In acquisitione salutis, nemo tibi germanior vnico matris tuæ. Nullum verbum à te coram Deo egrediatur, quod pro te non stet, quod tuam in primis non procuret salutem. Bonum est, si pro aliis orationem fuderis, sed nunquam te deserat oratio tua, quæ tunc, & aliis opem feret, cùm tibi in primis salutem procurat. De se aiebat

1.Cor.9. aiebat Paul. 1. ad Corinth. 9. *Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos.* Expende patentissima viscera Pauli pro omnibus: an etiam, & pro se? Sanè dum pro omnibus agit, necessum est, vt simul & pro se agat, quandoquidem ipse vnus ex omnibus est, & præcipuus in salutis causa. Ex quo sic monebat D.Bernard. lib. 1. de consid.
Bernard. *Si item totus vis esse omnium, instar illius, qui omnibus omnia factus est, laudo humanitatem, sed si plena sit. Quomodo autem plena, te excluso? Et tu homo es. Ergo vt integra, & plena sit humanitas, colligat & te intra se sinus, qui omnes recipit.* Non plenè, & perfectè agis, dum, te excepto, pro aliis negotiaris, nec iuxta Apostolum illo modo omnibus omnia fit: itaque vt Apostolicam impleas charitatem, tuam semper salutem tuæ preces sonent, vt dum te in tuis quæris, nulli debearis, sed omnibus omnia inueniaris factus. Et quando oratio iusti non sic plena fuit, vt illa tibi in primis orator
Cant 4. non prospiceret? Sponsæ dicit Cant. 4. *Fauus distillans labia tua;* non contentus, quòd mel, & lac sub lingua existerent,
Gillib. Abb. fauum in labiis ponit. Cur fauus in labiis? Gillib. Abb. serm. 34. in Cant. dicit: *Quia fauus non nisi dulcedinem effundit, nec nisi de pleno effundit.* Priùs se fauus implet, & dum ipse plenus est, de sua plenitudine exteriùs distillat; sic labia iusti instar faui stillantis, nihil nouerunt distillare, nisi dum se implent.

Text. Et ille de intus respondens dicat: Noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, & pueri mecum sunt in cubili: non possum surgere, & dare tibi.

§. IX.

Præstantior virtus propinquis priùs prouidet.

Pveris secum existentibus, hoc est, filiis (vide Maldonatum ex Tertull. & Theoph.) dum prouidet Dominus, quasi cunctatur ad externos surgere. Et quando non præstantior virtus est in primis prouidere propinquis? Vbi crucifixi Domini facinora Euangelistæ literis mandant, Matthæus & Marcus querelam Iesu ad patrem de derelictione posuerunt; Lucas profusissimam eiusdem pietatem narrat in paradiso donando latroni, solus Ioannes, qui diuiniora & præstantiora notabat, nobis proposuit curam, quam Dominus habuit matris suæ, illa discipulo mandans. Sic cap. 19. *Ecce mater tua.* Cur Ioannes potiùs meminit solicitudinem hanc pro matre habitam? Cur non potiùs meminit regnum donatum latroni? An præstantius est matri aliquale prouidere sustentaculum, quàm alteri, vel regna parare? Ita D.
Ambros. Ambrос. lib. 11. in Luc. ait: *Solus ergo Ioannes me docet, quod alij non docuerunt, quemadmodum in cruce positus appellauerit matrem, pluris putans, quòd victor suppliciorum, atque pœnarum, victor diaboli, pietatis officia diuidebat, quàm quod regnum cœleste donabat.* Et quidem pietas erga propinquos præstantior virtus est, quàm largitas erga extraneos. Celebrior apud Deum fies, non tam in magnificentia, quàm in pietate, vt nimirum in primis tuorum salutem prouideas. Multa fecerat Ioseph Ægyptiis, & regnum, & magnum nomen apud illos acceperat, dum tamen eius facinora recensentur
Genes.49. Genes. 49. ait: *Sedit in forti arcus eius, dissoluta sunt vincula brachiorum, & manuum illius per manus potentis Iacob: inde pastor egressus est, lapis Israël. Deus patris tui erit adiutor tuus,* &c. Ægyptium pauerat, & Israëlem; cur solùm de pastu Israëlis mentionem facit, cui diuinum auxilium adscribit? In Israële pascens parentes, & fratres, & propinquos pietatem exercuit, quæ præstantior virtus est inter omnia ope-
Theod. ra beneficentiæ. Theod. in cat. Lyppom. fatur: *Hanc diuinam erga se curam meruisse ait ob propriam erga parentes suos curam, & diligentiam.* Etsi in omnes Ioseph magnificus, & de omnibus benemeritus, tamen illius in parentes pietas palmam retulit, & esca fratribus egentibus exhibita illum in gloriæ fastigium euexit. Sic de illo magno oratore apud Deum di-
2.Mach. 15. citur 2.Machab. 15. *Hic est fratrum amator, & populi Israël, hic est, qui multum orat pro populo.* Nec immeritò fratrum amor in primis ponitur, vt semper pietas primas ferat. Notissima est Dauidis virtus, qua hostibus suis pepercit, 2.Reg. 1. vbi audiuit Saulem sibi infensissimum hostem morte peremptum; amorem tanti hostis malum defleuit. Quid perfectius? Sed & ipse 2.Reg. 19. rebellem filium Absalonem miserè perditum largis etiam lachrymis prosequitur. Vter fletus sanctior in Dauide? An quo hostem Saulem defleuit, an quo filium rebellem? Sanè virtutis fuit hostibus misericordiam exhibere, verùm pro filiorum malis flere, magnæ virtutis extitit argumentum. Ad hæc D.Bernard. serm.
Bernard. 12. in Cant. *Quid Dauid mansuetius, qui filius mortem lugebat, qui suam semper sitiebat? Quid benignius, quàm vt eius molestè ferret decessum, cui succedebat in regnum? Sed & de morte parricidæ filij, quàm difficile consolationem admisit? Magnam profectò optimæ vnctionis copiam præferebat talis affectio.* Benignitas fuit in Dauide, quòd Saulem mortuum defleret; at quòd pro filio parricida perempto vehementer tristaretur, id optimæ vnctionis, optimæ gratiæ magnam copiam præferebat. Tunc enim ille præstantissimæ charitati dat operam, cùm propinquorum ærumnis saltem compassionem exhibet. Huc reuoco dicta lib. 1. c. 8. §. 6. & lib 4. c. 5. §. 19.

Text. Et si ille perseuerauerit pulsans: dico vobis, & si non dabit illi surgens eo quòd amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios, &c.

§. X.

Vbi amicitia non valet, longis precibus opus habet, vt exaudiaris: vbi autem intercedit amicitia, vix de oratione cogitas, & exaudiris.

Tvnc cùm non tribuit Dominus propter amicum, tribuit propter improbitatem, hoc est, propter quandam in petendo quasi pertinaciam. Et quidem necessaria est hæc ad impetrandum, vbi amicitiæ respectus nullus est habendus; quòd si amicitiæ respectus habeatur, antequam labra in oratione moueas, dum adhuc de oratione cogitas, postulata percipis. Ad hæc aiebat Clemens Alexand. lib. 6.
Clem. Alex. stromatum 5. *Iis quidem, qui peccatorum ducti sunt pœnitentia, & non solidè exciderunt, per preces præbet Deus petitiones. Iis autem, qui viuunt citra peccatum, & ex cognitione, concedit, si vel solummodo cogitarint. Pete enim, inquit Scriptura, & faciam: animo cogita, & dabo.* Ecce tibi differentiam inter amicos, & inimicos, si accedant postulare aliquid ex Deo. Qui ob imperfectam fidem, imperfectam pœnitentiam agunt, adhuc in se habentes peccata, inimicitiæ causa: ij impetrare possunt bona à Deo, sed post precum importunitatem; qui autem ex perfecta fide, & viua, peccatum exsufflarunt amici iam facti, non longis precibus egent, si vel solummodo de postulanda re cogitauerint, effectum à Deo habent. Prodigus ille filius nihil locutus fuerat ad patrem, solùm inter se cogitarat illi orationem facere, & statim sese inter patris brachia videt receptum. Rem narrat Lucas cap. 15. Luc. 15.
his verbis. *In se autem reuersus, dixit: Quanti mercenarij patris mei abundant panibus; ego autem hîc fame pereo? Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater peccaui in cœlum, & coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum de mercenarijs tuis. Et surgens venit ad patrem suum. Cùm autem adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collu eius,* &c. Cur pater sic accurris ad filium prodigum? Cur oscula das? Cur misericordiam impertis? Nihil ipse loquitur, nihil adhuc petit, meditatam habet petitionem, & confessionem fateor, in animo suo cogitauit petere; sed nondum petit, nondum orat, & tu iam te totum, vel meditatæ confessioni exhibes? Quæ huius rei causa? Sanè totum, quod ex parte volebat hic filius, nascebatur in illo ex perfecta fide paternorum bonorum, ex perfecta detestatione sui miseri status. & pœnitentia peccatorum; vbi autem quis sic ad Deum accedit, non longa oratione eget, si vel solùm cogitauerit, obtinebit. Pulchrè D. Nyssenus de oratione Dominica orat. Nyssen.
2. ait. *Ad sese reuersus pœnitentiæ verba meditari cœpit; hæc autem aliquo modo cum verbis orationis congruebant, dicebat enim ille: Pater peccaui in cœlum, & coram te: quapropter etiam eiusmodi confessionis meditatio aditu facilem ei patrem efficit, adeò vt etiam accurreret ad eum,* &c. Vbi cum perfecta peccatorum pœnitentia oratio coniungitur, non multa expectantur verba, vel ad solam cogitationem Dominus respondebit. Hinc Sap. 6. *Qui vigilauerit propter illam, citò erit securus.* Sap. 6.
Quoniam dignos se circuit ipsa quærens: & in vijs ostendit se illis hilariter, & in omni prouidentia accurrit illis. Dignis, & amicis sapientia diuina occurrit in omni illorum prouidentia; non solùm in factis, & facinoribus bonis exhibitis accurreret Deus suis amicis, sed & in omni illorum pro-

 uiden

uidentia, hoc est, in omni illorum cogitatione de habendo aliquo bono. Qui amicus est, qui dignus est, qui perfectè inimicitiæ causas explosit, non indiget multis manuum pulsibus, multis clamoribus, vel sola cogitatione; si quid
Cantac. bonum sibi prouideat, præstò erit Dominus illi. Ita Cantacuzenus apud Lotioum in præsenti, ait: *Non enim rectè factis tantum præsidet, verùm etiam ijs consiliis, quæ quis inire prudenter solet, vt etiam antequam res agantur, ob eo, quæ rectè cogitat, probetur, & placeat.* Sic semper Dominus ad cogitationem suorum euolat largiturus, vt dicat Psalm. 9. *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum,* & etiam apud Iob cap. 8. Baldad Suhites: *Tu tamen si diluculo consurrexeris ad Deum, & omnipotentem fueris deprecatus: si mundus, & rectus incesseris, statim euigilabit ad te,* &c.

CAPVT IV.

De Ædificatore, & Rege.

ARDVA Christianæ perfectionis facinora non leui cura, sed multo & studio, & sumptu aggredienda; vt persuadeat Dominus, exempla subiicit in ædificatore turris, & in Rege bellum suscipiente. Neuter equidem tantum aggreditur opus sine ingenti sumptu, sine ingenti solicitudine. An paruo, aut nullo sumptu quis aggrediatur vel bellum committere, vel magna ædificare palacia? Planè nihil magnum stetit sine magno sumptu, sine solicitudine magna.

Luc. 14. Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem, & animam suam, non potest meus esse discipulus.

§. I.

Vera pietas est scire vel filios, vel parentes perdere propter Deum.

ODio haberi iubentur charissima hominum pignora; & quis probet hominis odium in parentes, in filios? Quis impune filios, & parentes perdat, quando & ipsos hostes tenetur diligere? Qui debet in hostes esse pius, quomodo durus erit in filios sibi charissimos? Sane vbi Dei causa intercedit, & postulat, tunc vera pietas est scire perdere
Cyrill. ipsos parentes, & filios. Rem pulchrè explicabat D. Cyrill. Alex. lib. 6. de Adorat. ex Matth. 10. inquiens: *Dei cultu violato, misericordia commoueri, minimè tutum est; sed in primis periculosum importuno tempore ad mutuæ beneuolentiæ ignauiam emolliri: itaque illud est, opinor, quod ait Christus:* Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus. *Valeat omnino eo tempore pietatis lex, recedat naturalis amoris vis, & ea omnia quæcumque ad hominum dilectionem spectant, &, vt ita dicamus, pia duritia colatur Deus.* Pietas aliquando est scire esse crudelem etiam in suos. Vbi Dei causa, lexque diuina violata sectionem postulat, misericordia emolliri nunquam tutum est; est enim tunc pia duritia perdere vel manum vt totus homo viuat. Notissima est illa historia 3
3. Reg. 3. Reg. 3. vbi duæ matres contendebant de filio, altera vera mater erat, veréque amabat puerum, altera falso sibi puerum attribuebat. Res peruenit ad regem Salomonem, in cuius conspectu, dum vtraque sibi filium dari clamaret, rex iubet gladium adduci, & infantem diuidi in duas partes, quarum alteram accipiat vna, & alteram accipiat alia mater. Quid tunc? *Dixit autem mulier, cuius filius erat viuus, ad regem (commota quippè sunt viscera eius super filio suo:) Obsecro Domine, date illi infantem viuum, & nolite interficere eum.* Quid ais mulier, vbi est naturalis amor in filium? Cur sic concedis illum æmulæ tuæ? Cur sic amas filium perdere, & falsæ matri illum tradere? Cur non magis matrem agis, filium tibi postulas? Imò hoc est perfectissimè matrem agere, & maternæ pietatis totam exhibere perfectionem, in eo quòd sciat filium perdere, vt possit viuere puerulus; ideò ait, *date illi infantem viuum.*
Petr. Dam. Pro quo eleganter D. Petrus Damasc. lib. 6. epist. 12. ait: *Vera mater filium tradit, vt viuat.* Nec vnquam magis verus amor, vera pietas in filios, aut parentes ostenditur, quàm vbi quis illos scit tradere, imò & perdere, vt verè possint æternùm viuere. Vtinam hanc vniuersi ebiberent duritiem, qua contemnerent, imò procurarent perditionem charissimorum, qua æterna oritetur vita. Prudentissimus ille senex Bercellai, dum inuitaretur ad curiam, in qua Dauidis regis fauores potiretur, ipse renuit dimittere & domum, & patriam suam, in qua vsque ad penè extremam peruenerat senectutem. Verum petit, vt filius suus charissimus Chamaam vadat cum Dauide: quippe ait 2. Reg. 19. *Obsecro vt reuertar seruus tuus, vt moriar in ciuitate mea, & sepeliar iuxta sepulchrum patris mei, & matris meæ. Est autem seruus tuus Chamaam, ipse vadat tecum Domine mi rex.* Miraris quòd senex pater, tam facile remittat baculum senectutis, nimirum dilectum filium: solent enim parentes senes viuere de conspectu filiorum, & hoc vno solatio animari, quòd claudenda illis sint lumina filiorum manibus. Cur ergo senex hic non magis apud se retinet filium? Cur illud à se ablegat? Prudentissimus homo in eo patrem agit, & patrem in filios pijssimum, quòd sciat perdere filium, vt ipse apud regem gloriosus viuat. Petrus Damasc. vbi suprà: *Octogenarius Bercellai, vt Chamaam filij vtilitatibus consulat, eius sustentaculo senectutis cucurnæ grandinem fulcire non curat, dummodo ille regi Dauid familiariter hæreat, ipse destitui prolis auxilio non recusat.* Scit pater filium perdere, vt consulat gloriæ filij; cur non magis homines charissima quæque sciant perdere, vt illa habeant in rege gloriæ Christo? Illa est pia duritiess, quæ omnia sibi chara abiicit, despicit, contemnit, vt apud regem gloriæ Christum inueniat illa.

2. Reg. 19.

Pett. Dam.

Text Et qui non baiulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.

§. II.

Christi spiritus non alijs tradit, sed ipse per se portat ministerij sui onus.

IN hoc ostenditur verus Iesu discipulus, verus Iesu spiritus, quòd proprij ministerij onera non alijs portanda omnino remittat, sed ipse baiulet, & per se sustineat. Nobilis Centurio petebat à Iesu pueri tacitis salutem Matth. Matth. 8.
8. statim Iesus ait: *Ego veniam, & curabo eum.* Quid tunc Centurio? Miratus tantam, & tam sibi extraneam Domini dignationem, inquit: *Tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Nam & ego homo sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic, vade, & vadit; alij, veni, & venit, & seruo meo, fac hoc, & facit.* Et pulchrè dum omnia ministerij sui onera alijs mandat, se hominem a Iesu ostendit alienum. Iesus est, qui nullum onus ministerij sui refugit, sed omnia per se ipsum subdit: homo est a Iesu alienus, & prorsus diuersus, qui omnia alijs remittit. Ecce quis sit homo nihil habens cum Iesu commune, nimirum, qui omnia onera refugit; & alijs committit: Iesus enim assumpti ministerij onera omnia sustinet. Exodi 28. dicitur: *Sumésque* Exod. 28.
duos lapides onychinos, & sculpes in eis nomina filiorum Israel: sex nomina in lapide vno, & sex reliqua in altero, iuxta ordinem natiuitatis eorum. Opere sculptoris & caelatura gemmarij, sculpes eos nominibus filiorum Israel, inclusos auro, atque circundatos, & pones in vtroque latere superhumeralis, memoriale filijs Israel. Portabitque Aaron nomina eorum coram Domino. Quorsum hæc? Quorsum Israëlitarum nomina lapidibus inscribuntur, & Aaronis humeris portantur? Adumbrabatur ibi totus Christi spiritus, qui vt homines saluádos suscipit, sic eorum onera nunquam refugit, nec alijs committit, sed ipse suis humeris sustinet. Aiebat enim D. Cyrill. Alex. lib. 11. de Cyrill.
Adorat. *Ex eo facilè intelligi potest, quicumque descriptionem in cælo consecuti fuerint, eos prorsus in Christo requiescere, qui probos viros propemodum in humeris tenet, & loco filiorum habet.* Nunquam spiritus Iesu non subiicit humeros proprij ministerij portandis oneribus. Qui autem onera subterfugiunt, alijsque illa prorsus remittunt, nihil Iesu habent, & timeant, ne vel in paruis ministrorum erroribus ipsi acerbissimè castigentur. Quò reuoco cautatissimum Ozæ supplicium; is enim 2. Reg. 6. cum arca Domini in plaustro 2. Reg. 6.
ferebatur, manum iniecit, vt inclinatam sustineret, & inibi percussus fuit a Deo. Habes enim in textu: *Extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam: quoniam calcitrabant boues, & declinauerunt eam. Iratúsque est Dominus indignatione contra Ozam, & percussit eum super temeritate, qui mortuus est ibi iuxta arcam Domini.* Cur sic percutitur Oza, vbi videbatur

tur præstitisse obsequium? Nónne cadendi opem ferre obsequium est? Sanè illud Ozæ facinus obsequium in Dei arcam videbatur, vel saltem leuis culpa irreuerentiæ, cum bono zelo factæ: vnde D. August. lib. 2. de mirab. sacr. cap.12. putat aliquod antecessisse peccatum grauius, quod tunc in illa leui culpa vindicabatur. Cùm enim Oza iuxta Leuitarum obligationem teneretur Dei arcam humeris suis portare, ille onus à se dimisit, & arcam tradidit plaustro à bobus portandam: quò vel in parua plaustri inclinatione, & boum errore Deum in se maximè irritauit. Huc
D.Hier. spectans D. Hieron. epist. ad Sabinianum fatur: *Oza leuites arcam Domini, quam portare ipse debuerat, quasi ruentem sustentare voluit, & percussus est.* Periculosè quidem ministerij tui onera prorsus committis aliis, quàm humeris tuis teneris portare crucem, sustine tu, ne, si aliis commitas, Iesu spiritum à te ableges, & ingenti aliquo supplicio etiam pro ministerij minimis defectibus afficiaris.

Text. Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non priùs sedens computat sumptus, quos necessarij sunt, si habeat ad perficiendum, ne postea quàm posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes, qui viderint, incipiant illudere ei, dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare?

§. III.

Nihil non nouum, & sublime meditandum his, qui sub Christi cruce gloriantur.

Tollendam crucem dum monet Dominus, statim subiicit exemplum eius, qui turrim ædificare meditatur: nil enim magis conuenit crucifixo, quàm nouæ altitudinis, &
Galat.6. sublimitatis meditatio. Aiebat Paul. ad Gal.6. *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Neque enim circumcisio quicquam valet, neque præputium, sed noua creatura.* Nota consequentiam Pauli, ex quo ipse crucifixus est, nihil æstimat ipsam circuncisionem, sed totus ad nouam constructionem aspirat. Cur non magis circuncisio valet apud crucifixum? In cruce mundi perditio est, sed & in circuncisione superfluorum abscissio: in cruce caro mortificatur, ferit & carnem circuncisio: in cruce sanguis effunditur, sed & à circuncisione prosilit sanguinis fluuius. Cur ergo circumcisio adeò cruci similis, non valet quicquam apud crucifixum? Equidem hæc est virtus crucis, quæ vetusta omnia decli-
Chrysost. net, nouæque sublimitatis fabricam inspiret. Chrysostom. ibi fatur: *Vides crucis potentiam, in quantam celsitudinem Apostolorum subuexerit. Non enim solum iam omnes mundi res illi mortuas reddidit, verùm etiam longè suprà veterum institutum sustulit. Quid huic potentiæ par? Siquidem, qui priùs pro hac circuncisione occidebatur, & alios occidebat, huic persuasit crux, vt illa eodem loco relicta, quo erat præputium, noua quædam, & admiranda, ad cælos transcendentia perquireret negotia.* Noua creatura, noua sublimitatis constructio, nouæ præcelsæque fabricæ meditatio decet crucifixos, & mortuos mundo.
Iob 3. Quò aspiciens Iob cap.3. ait: *Nunc enim dormiens silerem, & somno meo requiescerem cum Regibus, & consulibus terræ, qui ædificant sibi solicitudines.* Hoc est, iuxta nostri Pinedæ placitum, munitissimas turres, palatia amplissima; quæ etiam inhabitantium multitudine, vacua, & sola appareant. Harum turrium, arciúmque regalium ædificatoribus non absimilis dormiret Iob, & somno sepultus quiesceret. Sed quis somnus est adeò potens, vt dormientem, & quiescentem reddat similem ædificatoribus regalium turrium? Vnus est somnus, nimirum cupiditatum mortificatio, sub qua dum homo quiescit, nouæ celsitudinis & sublimitatis fabricæ ingentem operam nauat. Non grauabor semel data
Hieron. verba D. Hieron. huc reuocare; ait enim sanctissimus vir de vera Circuncis. Iobum in hoc somno spectans: *Dolorum victor, etiam sensu egenus, affectu fit fortior, cùm infirmatur, & in valle lachrymarum turrim occupat gloriarum.* Non humi iacet, qui mortis imagine circumdatus decumbit, vbi dormit mundo; imò vbi nihil amat præter dolores, & mortis pabula, non ociosus est sub hoc somno mortis, sed turrim
Psal.67. sibi præparat gloriarum. Ait Psalm.67. *Si dormiatis inter medios cleros, erunt pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri.* Quando somnus agricolis peperit aurum? Non equidem qui dormit, sed qui terram colit, qui instanter operatur, ille diuitiis augetur. Cur modò petit somnum psaltes ad diuitias ex cleris conquirendas, & non magis petit operam, & laborem? Loquitur de somno mortificationis, quo sancti viri mundo obdormiunt, & Christo commoriuntur, & qui sub hac morte sunt, nunquam non laborant, & operantur, aureásque meditantur fabricas.
Ambros.enim ait epist 60. *Medias inter sortes somno pacis dormiunt. Est enim sanctorum etiam somnus operarius.* Tunc cùm Ambros. sese sancti vel morti dedunt, vel quasi sub mortis somno viuunt, omnibus vitæ commodis renunciantes, tunc, inquam, maiorem præcelsis operibus operam nauant, tunc sublimiores ostendunt volatus instar, altissima, & pulcherrima artium tecta efformantium. Pulchrè ad hæc legebat psalterium Ambrosianum verba dati Psalmi: *Si dormiatis inter medias sortes, erunt alæ columbæ tecta in argento.* Vidisti aliquando amplissimi palatij tecta argentea, aurea: sed qui obdormiunt in Christo, qui mundo moriuntur, & tanquam oues in victimam deputantur, eos edunt in sublimia volatus, vt extensis alis videantur argentea turrium tecta efformare, super quæ appareant ingentium signa gloriarum.

§. IV.

Ad perfectam mundi abnegationem, & victoriam, qualem ostendit crux Christi, non leui, sed maximo labore, & sumptu peruenitur.

Benè, qui ad crucem aspirat, sedet, & computat sumptus operis, si habeat; non enim omnes habent sumptus tanti operis; vbi enim ea mundi abnegatio acquirenda est, quam crux Christi ostendit, non leues, sed maximi sumptus sunt necessarij. Ducendus iam ad crucem Iesus, in hortum secessit, Luc.22. *Et factus in agonia, prolixius orabat.* Luc.22.
Et factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Ecce agonia, & oratio, & sudor, & profusio sanguinis! cur, Domine, tot sumptus adhibes pro hominibus? Si quidem manus traditoris expectas, & iam penè carnifices adsunt, & ignominiæ, & alapæ, & calumniæ, & sententiæ, & claui, & crux; quid necessum est addere agoniam, orationem, & sudorem, & sanguinem? Crastino die mille petitus iniuriis, mille confossus tormentis, crucem pro hominibus ascendes; cur modò non magis abstines ab agonia, à sudore, à profusione sanguinis? Imò qui crucem ascensurus paratur, ideo & agoniam, & orationem, & sudorem, & profusionem sanguinis præmittit, non enim absque summo laborum sumptu ascenditur crux Christiana, in qua de mundo triumphatur. Ex quo sapienter monebat B.Isaias Abbas orat.13. *Iesus autem orauit, dicens: Pater,* Isaias.
si possibile est, transeat à me calix iste. Quod nobis est documento, vt cùm mens vult in crucem conscendere, multùm incumbat orationi, & lachrymis, suppléxque se prosternat in conspectu Dei, vt roboretur, & custodiatur. Nunquam enim sine magno & pulueris, & sudoris sumptu securè crux ascenditur, in qua perfectè mundus abnegatur. Quis enim audeat totum calcare mundum, nisi priùs in plurimis, & maximè arduis conflictibus exercitatus? De præcursore Christi ait Elizabeth Luc. 1. *Vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis,* Luc.1.
exultauit in gaudio infans in vtero meo. Nouus, & inauditus planè pueri saltus fuit: in vtero matris est, & præ gaudio exilit: naturæ lex, vel nascentes infantes fletibus monstrat. Cur hic sic sese aduersùs ipsam naturam exercet, vt vel in vtero existens gaudeat? Cur cum ipsa natura in primis congreditur? Nasciturus erat, vt perfectam mundi abnegationem in se ostenderet, & ideo, vt mundum calcare possit, priùs curat omnibus repugnare naturæ legibus. Pulchrè ad hæc aiebat D.August. serm. 22. de sanctis: August.
Suæ matris exultat in vtero, & in vtero virginis venisse nuntiat Christum. Impatiens dux, qui antequam perueniret ad corpus, peruenit ad regem, antè rapuit arma, quàm membra, antè aciem petit, quàm lucem, & vt vinceret mundum, vincit antè naturam. Expende quid agat pro vincendo mundo, nimirum, vincit antè naturam, non enim ad mundi abnegationem accedit, qui vel in aliquo morem gerit naturæ. Prorsus perdenda est natura ipsa illi, qui securè mundi perfectam abnegationem amat profiteri. Quapropter B.Isaias Abbas B.Isaias.
dicebat Apophthegmate 8. *Si mens antequã sensus domet, velit in crucem conscendere, prouocat iram Dei. Rem enim viribus suis maiorem aggreditur.* Ad mundi detriumphandi gloriam non securè ascendit sensus indomitus, nec crucis victorias securus proclamabit, qui priùs in se naturæ ipsius non fregit

git rebellionem. Naturam vincas, necessum est, vt crucis aduersùs mundum orneris victoriis. Hinc Paul. ad Ephes. 6. *De cætero, fratres, confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius. Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli. Quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersùs Principes, & Potestates, aduersus mundi rectores*, &c. Et cur non est colluctatio aduersùs carnem, & sanguinem? Nónne caro rebellat aduersùs spiritum? Nónne ait idem Paul. ad Galat. 5. *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs?* Cur ergo Galatis indicitur bellum aduersùs carnem; Ephesiis autem prorsus hoc bellum cum carne, & sanguine eripitur? Sanè Galatæ imperfecti adhuc nondum sub cruce Christi, perfecta mundi abnegatione florebant; verùm Ephesiis in persecutione positis nondum detriumphatuiris, non permittitur iam carne conflictus, non enim aduersùs mundum securè progreditur miles, nisi post confractam carnis rebellionem, post deuictam prostratámque naturam. Non longe abest D. Anselm. inquiens: *Galatis minùs perfectis indixit aliud bellum, quod est aduersùs carnem, & sanguinem; Ephesijs verò quasi iam spiritualibus, & concupiscentiæ carnis praualentibus, atque persecutionem foris pro iustitia sustinentibus, dicit: Non est nobis colluctatio aduersùs carnem, & sanguinem, sed aduersùs principes, & potestates, aduersùs mundi rectores.* Et quidem non admittitur ab Apostolo miles aduersùs mundi rectores, cui possit adhuc esse cum carne, & sanguine conflictus. Vincat priùs omnes carnis concupiscentias, vincat naturam, qui cum modo parat confligere, periculosum enim est, & maximè tibi imputandum, si cùm egeas gladio aduersùs carnem, velis cum mundo confligere. Accipe pulcham similitudinem ex *Litem Mela. ff. ad leg. Aquiliam*, vbi pilarum exercebatur ludus, pila hinc inde iactabatur pro ludentium dexteritate, iuxta erat tonsor nouacula radens hominis cuiuspiam de sub barba pilos. Quid tunc? Iactata pila nouaculam percutit, illam miseri hominis gutturi infligit. Quis dabit pœnas? An tonsor malè prouidus? An qui iactauit pilam? Neuter, sed sibi malum imputet, qui cum nouacula ad guttur, voluit esse inter iactatas pilas. Præclarè lex ait: *Nec illud malè dicatur, si in loco periculoso sellam habenti tonsori se quis commiserit, ipsum de se queri debere.* Sic prorsus, qui adhuc sub gladio est, vt cum carne confligat, sibi imputet ruinam, nisi caueat mundialium bonorum iactatas pilas. Nunquam, mihi crede, securus aderis mundiali ludo, dum adhuc gladium ad resecandas carnis concupiscentias requiris.

Ephes. 6.

Gal. 5.

Anselm.

§. V.

A laboribus nostris minutissima consurgit turris, quæ & nos protegat, & facilè hostes nostros confringat.

ÆDificatori turris meritò comparatur, quisquis laboribus Christianis instat; nunquam enim ex laboribus nostris non exsurgit turris minutissima, sub qua & nos protegamur, & confringantur facilè impetus hostiles. Vbi Dominus Apostolorum labores, pro Dei verbo seruando considerat Matth. 5. eos & sal, & lucem vocat mundi, insuper minutissimam, & penè inexpugnabilem ciuitatem eos reputat, de qua statim ait: *Non potest ciuitas abscondi supra montem posita.* Non equidem aliter visebantur Apostoli, quàm visitur ciuitas, seu arx supra montem constructa. Sed qui modò sal terræ, qui lux mundi habebantur, quomodo tam citò efformantur in ciuitatem, & instar minutissimæ ciuitatis apparent supra montem constituti? Planè non potuit non efformari in ciuitatem, quisquis Apostolicis sudoribus apparebat sublimis. Hinc aiebat B. Isaias Abb. orat. 7. de virtutibus: *In hoc studium diligenter incumbamus, vt Dei sermonem seruemus. Et labores nostri erunt, veluti ciuitas fortis ac munita, quæ nos custodiet ab omnibus inimicis nostris. Hac enim fiducia si erimus muniti, omnes inimici eius per montem sermonis Dei dissipabuntur. Hoc ex monte lapis sine manibus excisus, statuam ex auro, & argento, & ære ac ferro conflatam confregit.* Expende qualis ciuitas ex nostris laboribus pro seruando Dei sermone exurgat, non ciuitas infirma, sed ciuitas fortis ac minuta, quæ pro expugnabili fundamento habeat montem; & qualem montem? Ex quo vel lapillus sine manibus deciduus, omnia mundialium bonorum tela comminuat. Crede mihi, nusquam ciuitates, & arces municiores & fortiores apparuerunt, quàm vbi apparuerunt, qui virtutum laboribus incumbebant. De diuina sapientia dicitur, Prouerb 9. *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem. Immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam. Misit ancillas suas, quæ vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis.* Quando sola domus ædificata est, & domus sola conuiuij, mittuntur ancillæ, quæ vocent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis; & quam arcem, aut quam ciuitatem ostendent conuocatis ancillæ? Siquidem domum solam habent, quæ fieri poterit vt arcem, vt muratam, & fortem ciuitatem ostendant? Equidem dum ancillæ Dei, dum Dei serui se exhibeant in laboribus multis, in multis operibus virtutum, eo ipso fient & arces, & ciuitates minutissimæ, quæ se, suósque protegant, & hostium iacula rideant. Hinc dicebat sponsa Cant. 8. *Ego murus, & vbera mea turres.* Tanta enim est potestas illius, qui Deo adhæret per virtutum opera, vt non in vnius domus, sed in muratæ ciuitatis, & fortissimarum turrium formam sese erigere valeat. Et quidem D. Petrus 1. epist. 2. hoc solùm monebat, *Et ipsi tanquam lapides viui superædificamini, domus spiritualis*, &c. nec non & Paulus ad Ephesios 2. ait: *In quo & vos coædificamini habitaculum Dei*, &c. Ædificari in domum petitur, & illa clamat se in murum, in turres esse ædificatam, nesciunt enim sponsæ labores desinere in domum, sed in turres, & minutissimas arces. Ad hæc Gillibert. Abb. serm. 26. in Cant. *Vide priuilegium sponsæ, Apostolus Petrus hortatur nos coædificari in domos spirituales: hæc verò non tantùm in domum, sed etiam in turrim ædificatur. Paulus in habitaculum Dei coædificari nos optat: sed sponsa hoc non contenta, etiam propugnacula adiungit, vt sublimius, & securior sit habitatio.* Eo solùm quòd virtutum laboribus instes, in munitissimam turrim exurgis; quò respiciens Isaias cap. 33. ait: *Qui ambulat in iustitijs, & loquitur veritatem, qui proiicit auaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere: qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, & claudit oculos suo ne videat malum; iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius: panis ei datus est*, &c. Ex tantarum virtutum opere non potuit non exurgere sublimis, & inexpugnabilis fabrica.

B. Isaias.

Prouerb 9.

Cant 8.

Ephes 2.

Gillib. Abb.

Isai. 33.

Text. Aut quis rex iturus committere bellum aduersùs alium regem, non sedens priùs cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? Alioquin adhuc illo longè agente legationem mittens rogat ea, quæ pacis sunt. Sic ergo omnis ex vobis, &c.

§. VI.

In mundialibus aulis nil citius occurrit, quàm dissidia, quàm prælia.

QVis neget à mundi regibus multa alia, & ardua, & ingenti consultatione digna negotia tractari? Cur ergo Dominus exemplum ardui negotij à rege tractati petiturus, dimissis omnibus aliis maluit negotium belli in medium proferre? Crediderim in eo ostendisse notissimam veritatem, nimirum, quod in mundi aulis, nil magis familiare est, nihil prius occurrit, quàm dissidia, quàm prælia. Apud Iosue lib. cap. 11. introducitur rex Asor, qui vniuersos excitat in bellum contra Israëlem; ait enim: *Iabin rex Azor, misit ad Iobad regem Madon, & ad regem Semeron, atque ad regem Achsaph, ad reges quoque Aquilonis*, &c. Vniuersi hi quieti erant, & nihil de bello cogitantes, sed vnus rex Asor vniuersos commonet, & in bellum excitat. Et cur ab vno Asor bellorum negotia tractantur? Cur vnus hic pacem odit, & prælia meditatur? Mysticam rationem inuenies in ipsius nominis significatione, Asor enim significat aulam: itaque introducitur vnus Asor prælia tractans, vt ostendatur, quò spectet omnis aula mundialis. Quid enim aula parturiat, nisi dissidia, nisi turbationes concordiæ, & pacis? Ad hæc Origen. homil. 14. in Iosue fatur: *Interpretatur Asor aula. Est ergo omnis terra aula huius regis, qui totius terræ velut vnius aulæ obtinet principatum. Ipse est, qui mittit ad omnes gentes, & inuitat ad prælium.* Et meritò ad illum regem, cui præipuè aula attribuitur, spectare dicuntur prælia, & turbationes pacis, quando hæc sunt prima, & præcipua, quæ visuntur in aulis mundialium Principum. Vnde Scholiastes Tertulliani lib. de Orat. locutus de osculo pacis dato inter Missarum solemnia, dicit

Iosue 11.

Origen.

cit id ſemper dari conſueuiſſe fidelibus omnibus præſentibus, exceptis aulicis, vt quibus nunquam arriſerit pacis nomen. Quippè ait: *(circunſtratur patena pacis inter fideles) prȩterquam tamen inter aulicos, quos vnanimes eſſe, & pacificos non ſinit ambitio.* Difficile namque inuenitur in aulis Principum, qui colunt vnanimitatem, & pacem; qui non magis bella, & diſſidia tractent. Quod notans Bleſſenſis epiſt. 6. dum curiæ etymon tractat, ait Curiam à cruore dictam eſſe, quaſi totum negotium aulicorum, curialiúmve ſanguinolentum ſit, & bellicoſum, nullúſque inter eos detur locus paci, & vnanimitati. Sic de Romanorum Principibus ait Dan.2. *Miſcebuntur ſemine humano, ſed non adhærebunt ſibi.* Nullum fœdus, nullum vinculum vnanimitatis non rumpunt principes ſæculi, etiam hi, qui magis ſibi coniungi videntur, non ſibi adhæreſcunt, ſed ad inuicem meditantur prælia, & diſſidia. De his Saluianus lib. 5. de Proud. inquit, *Illud eſt grauius, quòd nec propinqui quidem propinquitatis iura conſeruant. Quis enim ſit proximus ſuis proximum reddit? Quis ſoluit charitati, quòd ſe cognoſcit debere, vel nomen? Quis tam propinquus corde, quàm ſanguine? In quo non buius male olentia zelus ardet? Cuius non ſenſum liuor inuaſit? Cui non proſperitas aliena ſupplicium eſt? Quis non bonum alterius, malum ſuum credidit? Cui ita ſufficit felicitas ſua, vt etiam alium velit eſſe felicem? Nouum, & inæſtimabile nunc in plurimis malum eſt: parum alicui eſt, ſi ipſe ſit felix, niſi aliter fuerit infelix.* Hoc fuit Romanorum Principum ingenium; imò hæc eſt curialium omnium ipſiſſima vita, quæ nullum non amat argumentum de aliorum ruinis. Rem aularum apprimè depingit Eccleſiaſt. cap. 9. monens nos ab illis cauere. *Longè abeſto ab homine poteſtatem habente occidendi, & non ſuſpicaberis timorem mortis. Et ſi acceſſeris ad illum, noli aliquid committere, ne fortè auferat vitam tuam. Communionem mortis ſcito, quoniam in medio laqueorum ingrederis, & ſuper dolentium arma ambulabis.* Expende, quæ inueniantur in aulis Principum, nimirum, communio mortis, laquei, dolentium arma. Sed quæ ſunt arma dolentium? Sanè arma dolentium alienam felicitatem, plenæ ſunt aulæ eorum, qui dolentes felicitatem proximi maximè iraſcantur, & arma ſumant aduerſùs illum. Id quod acutè notans Michaël de Palacios tandem ait: *Verè inter arma iratorum verſatur, qui Principi eſt amicus familiaris.* Quaſi nihil ſit magis commune aulicis, quam arma, quibus inter ſe pugnent, & ſeſe mutuò mactent.

Dan.2. — Saluian. — Eccleſ.9. — Palac.

§. VII.

Exactores regalium tributorum validiores ſunt ad perdendum quàm milites.

DVbitat rex ſi cum decem millibus militum poſſet viginti millia præſtare; & ſanè maximè dubium eſt, quòd pauci milites valeant plures contundere, & proſtrare. Nullum autem eſſet dubium, ſi non de militibus, ſed de exactoribus tributorum fieret conſultatio: hi enim, etiamſi pauci ſint, ingentem ciuium multitudinem perdere valent. Rem vidit Saluianus de Proud. lib. 5. fatus: *Iam verò illud quale, quàm ſæuum, quàm Romanis familiare, quòd ſe inuicem exactione proſcribunt? Imò non inuicem: nam hoc tolerabilius ferme eſſet, ſi pateretur quiſque, quod feceras: illud eſt grauius, quod plurimi proſcribuntur à paucis, quibus exactio publica peculiaris eſt præda: qui fiſcalis debiti titulos faciunt quæſtus eſſe priuatos.* Expende malum, quòd plurimi perdantur à paucis: paucos ſemper habet rex exactores, ſed cum his paucis innumeros ad ſe venientes perdit, & ingentia regna poteſt deuaſtare. Vtinam reges ſedentes cogitarent, quàm confluant regnorum ſubſtantiæ in paucos diteſcentes miniſtros. Non multi ſunt, qui regiis theſauris adminiſtrandis, & regnorum tributis colligendis operam nauant, ſed quotquot id percenſeantur, omnes inuenientur ditiſſimi, & locupletiſſimi in ſumma regalium theſaurorum penuria, & regni vaſtitate. Committuntur & ciuitatum, & regnorum ſubſtantiæ paucis exactoribus, ſed hi pauci viſuntur in dies grandeſcere, cùm regna minuantur. Quæ huius rei cauſa? Quia quod non valet militum exercitus, hoc valent exactorum manus. Milites ſi pauci ſunt, ad magnum regnum perdendum non valent; exactor, vel vnus, & pauperculus ingentia regna in ſuam crumenam transfert. Do huius rei aliquale exemplum ex 3 Reg. 11. ibi dicitur: *Ieroboam quoque filius Nabath Ephrathæus, de Sareda, ſeruus Salomonis, cuius mater erat nomine Sarua, mulier vidua, leuauit manum contra regem. Et hæc eſt cauſa rebellionis aduerſus eum; quia Salomon ædificauit Mello, & coæquauit voraginem ciuitatis Dauid patris ſui. Erat autem Ieroboam vir fortis, & potens: vidénſque adoleſcentem bonæ indolis, & induſtrium, conſtituerat eum præfectum ſuper tributa vniuerſæ domus Ioſeph.* Itaque Ieroboam pauperculæ viduæ filius, & ſeruus Salomonis rebellat in regem; & tota cauſa rebellionis dicitur Ædificatio Mello, & Ieroboami primùm adoleſcentis bonæ indolis, poſtea viri fortis, ac potentis præfectura ſuper tributa. Sed quid hæc cum rebellione? Multa multi commiſcuntur, quæ adducit, & refellit noſter Pineda lib. 7. de rebus Salomonis cap. 13. Mihi ad perdendum regem, & ingentia regna, non minima potentia viſa eſt hominis induſtrij præfecti ſuper tributa vniuerſæ domus Ioſeph. Itaque dum Salomon ſumptus ponit in ædificando Mello, & confirmanda ciuitate Dauid, & Ieroboam in colligendis tributis decumbit, ſic ſubſtantia regni minuitur, & exactoris ſubſtantia augetur, vt pro minimo ducat vnus homo, & ſeruus totum ad ſe deducere regnum. Cur non audeat ſperare ſe regnis potiturum, qui in diuitiarum ſubſtantia creſcit eodem gradu, quo ſubſtantiæ regni minuuntur? Sedeant reges, & cogitent hoc vnum in miniſtris vectigalium colligendorum, niſi velint omnia perditum ire.

3 Reg. 11.

§. VIII.

Perfecta mundialium rerum abnegatio omnia bona duplicat, imò multiplicat.

MVndi abnegationem, & perfectam criteis ſublationem petenti, Domino aptiſſimè comparatur rex veniens cum viginti millibus aduerſùs regem, qui eum ſolis decem millibus ſedet. Abnegatio enim perfecta mundi duplo maiores ſemper vires oſtendit in ſpiritu habente illam. Quis abnegato mundo ſola cœleſtia ſpectat & duplicatas ſpiritus vires non oſtendit? Duplicem Heliæ ſpiritum cùm petit Eliſæus, hoc accipit reſponſum à magiſtro, 4. Reg 2. *Si videris me, quando tollar à te, erit tibi, quod petiſti.* 4 Reg. 2. Et cur duplex ſpiritus datur videnti Heliam abſentem? Quid intereſt, quòd videatur Helias tolli, vt inde naſcatur in Eliſæo ſpiritus duplex? Ait præclarè D. Bernard. Bernard. ſermon. 6. de Aſcenſ. *Duplicauit ſpiritum viſio abeuntis, tum euidenter raptus in cœlum, vniuerſa pariter eius deſideria ſecum tulit: vt inciperet ipſe quoque iam ſapere, quæ ſurſum ſunt, non quæ ſuper terram.* Vbi hominis vota in cælum feruntur, vbi nihil terrenum amamus, ſed ſola cœleſtia obtinere cupimus, viribus creſcimus duplicatis. Omnia nobis duplicia euenire neceſſum eſt, ex quo mundialem curam dimiſimus, & pro cœleſtibus ſolis ſeruimus. Fidelibus ſuis promittebat Dominus Iſaiæ 60. *Sugesis lac gentium, & mamilla regum lactaberis.* Iſai. 60. Sed & Cant. 4. vbi ſponſam ſuam commendat ex eo, quòd fideles ſuos lactet ait: *Quàm pulchra ſunt mammæ tuæ ſoror mea ſponſa.* Qui ad reges mittuntur, vna ſola mamilla lactantur; qui verò ſponſæ dantur non vna, ſed duabus mammis implentur. Cur in regibus vna ſola mamilla, & in ſponſa duæ ponuntur mammæ ad fideles lactandos? Qui ad reges confluunt imperfecti ſunt, & adhuc bonis terrenis inhiantes; qui autem ad ſponſam currunt, illi ſunt, qui omnem terrenorum ſaporem faſtidientes, abiicientes, ſola cœleſtia ſectantur, hi vt perfectiores, & fortiores nihil ex Deo non accipiunt duplicatum. De his aiebat Gillib. Abb. ſerm. 31. in Cant. *Qui vero poſſeſſionibus cunctis renunciant, qui rebus temporalibus valedicunt, talis vtique gemina conſolationis lactandi ſunt vbere.* Gillib. Abb. Neceſſium eſt, vt duplicia parentur vbera illi, qui mundialibus omnibus renuntiat, ſpiritu iam viuit duplicato. Qui autem adhuc temporalibus inhiat, & de regum fauoribus vitam agit, hic non omni fraudandus eſt pabulo, ſed quia imperfectus eſt, vna ſola mamilla lactatur, vt qui, licèt ad ſummam abnegationum perfectionem non peruenit, tamen dum in temporalibus Deo ſeruit, non infimam virtutem habet. Id quod in ſuo Cæſario fratre notauit D. Nazianz. orat. 10. fatus: *Cæſarius cum doctrinæ ſuæ primitias patriæ conſecraſſet, dignámque laboribus admirationem ſui commouiſſet, poſtea gloriæ cupiditate ductus in aulam ſe contulit, non illi ſanè rem admodum gerens nobis ſa iens (quoniam inter poſtremos apud Deum habere ſatius, & ſublimius eſt, quàm apud terrenum Imperatorem primas ferre.) non tamen reprehenſione dignam Philoſophari enim, hoc eſt, mundum abrenuntiare, vt maximum, ita difficillimum eſt, nec id aggredi multorum eſt, nec aliorum, quàm quos diuina mentis magnitudo adducunt. Non paruum autem hoc quoque æſtimandum eſt, ſi quis, ſecundùm vitæ genus* Nazianz.

complexus

complexus probitati studeat, ac maiorem Dei salutisque suæ quàm terrenæ splendoris rationem habeat. Itaque & prima,& maxima hominis perfectio consistit in perfecta abnegatione omnium temporalium, quæ vt prima perfectio est, sic semper duplicatis oneribus debet cumulari. At qui ad hanc non peruenit, sed mundialium regum mamilla amat lactari, dum Deo seruiendo incumbat, salutique suæ consulat, in secundo, & non infimo versatur virtutis gradu.

§. IX.

Quæ cum lachrymis fit oratio, efficacissima legatio est ad impetrandum.

A Longè venienti Domino opportunissimam legationem mittit rogans pacem, ille qui Deo orationem mittit, cum lachrymis: & meritò D.Greg. & Bed. in præsenti lachrymis tribuunt totam legationis efficaciam. Qui legatus ad Deum & festinior, & efficacior lachrymis? Sen-
Isai.38. tentiam mortis audiens Ezechias Isaias 38. *Conuertit se ad parietem, & fleuit Ezechias fletu magno.* Quid tunc? *Factum est verbum Domini ad Isaiam, dicens: Vade, & dic Ezechiæ: Hæc dicit Dominus Deus David patris tui, audiui orationem tuam,* &c. Ex quo regis lachrymæ ab oculis exierunt, non morantur, sed Deum adeunt, & suam legationem citissimè
Galfrid. exauditi faciunt. Vnde ait Galfridus apud Tilmanum in allegoriis: *Quàm celsius, & fidelis legatus est lachryma supplicantis.* Moras nescit lachryma, sed quam citissimè currit, tam citò legatione sua perfungitur, & redit minimè vacua, sed diuinis muneribus ditata. Id quod pulchris verbis
Cassiod notat Cassiodorus lib. de Anima fatus: *Hanc si mis[...] ratione ille respexit, omniumque mentis corporeæ excessibus excæcatum fuerit illum [...] dignatus, ad liberatricem pænitudinem trahit: euadendo [...] onat esse illum, quæ percunds primitus videbatur habuisse desiderium. Tunc felicior, cum fleuerit, tunc celsior, cùm se prostrauerit: lachrymis reparat, quod gaudendo perdiderat, & quæ ad bellum voluptatibus inuitata peruenit, ad salutarem Dominum prosperrimè contristata festinat.* Festinissimum agit semper lachryma supplicantis legatum, & ideo quisquis velit à Deo aliquid impetrare, mihi credat, & lachrymarum le-
Rom 8. gationem præmittat. Paul. ad Rom.cap.8. *Quid oremus sicut oportet nescimus, sed ipse spiritus pro nobis interpellat gemitibus inenarrabilibus.* Quia nos nescimus interpellat pro nobis spiritus, sed interpellat in gemitibus, in lachrymis. Ad
Origen. hæc Origen.lib.7. in Paul. *Si ergo quid oremus sicut oportet, nescimus; sed ipse spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, magnum, nescio quid, Paulus in gemitibus sentit.* Et quidem magnum est in gemitibus, magnam enim habent lachrymæ efficaciam, qua pro nobis apud Deum legatione funguntur. Quis nesciat efficacissimas lachrymarum voces in hac legatione sua? Psal.38. *Exaudi orationem meam Domine, & deprecationem meam, auribus percipe lacrymas meas.* Non oculis, sed auribus petit percipi lachrymas, vt quæ voces ha-
Petr Dam beant. Ex quo Pet. Dam.lib.13.de perfectione Monachorum c.12.ait: *Qui enim non oculis attendi, sed auribus percipi lachrymas postulat, voces inesse lachrymis manifestè designat. Lachrymæ nempè cùm in conspectu pij iudicis supplicant, nihil hæsitant, sed sic misericordiam, tanquam rem quamlibet proprij iuris sibimet vendicant, & impetrasse se, quod petierant, confidenter exultant.* Quid pulchrius pro legatione lachrymarum?

CAPVT V.

De grano frumenti.

QVID operetur in viris iustis carnis mortificatio, ostensurus Dominus, ob oculos posuit frumenti granum, quod terræ, & corruptioni datur vt in amplissimam, ditissimámque segetem exsurgat. Nullæ equidem metuntur segetes nisi quas præuenit frumenti grani corruptio, ne quis homo, nisi de perditione carnalis vitæ speret in cœlestibus condere fructus: sicut ipse Iesus tunc ingentes fructus peperit, cùm iacuit mortificatus in carne.

*Ioann.*12. Amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.

§. I.

Diuini patris fœcunditatem, & virtutem in se apertissimè exprimit, quisquis nouerit se humiliare.

ECce tota diuini patris fœcunditas,& virtus in eo consistit, quòd non solus maneat, sed sui similem producat, in quo appareat quasi multiplicatus. Quis ergo hanc paternam virtutem, & fœcunditatem magis in se repræsentabit? An granum illud, quod domi asseruatur? Absit: quod enim granum domi asseruatur, ipsum solum manet; quod autem spargitur,& in terram iactum, ibi putrescit, illud viuidam in se ostendit virtutem, qua in multis sui similibus multiplicatur. Terra est, abiectio est, & humilitas vsque ad mortem, quæ facit in nobis diuinissimi parentis splendescere imaginem. Isaias cap.49. iuxta lectionem Isai.49.
Septuag.ait: *Magnum est tibi, vt voceris puer meus, vt suscites tribus Iacob & dispersionem Israëlis congreges.* Iesu humiliato, in terram è cœlis dilapso, seruili forma induto dicitur, quòd illa seruitus, Illa humiliatio, illa abiectio magnum quid ostendat in illo. Sed quid magnũ potest in Iesu ostendere tanta seruitus,& tam patens humiliatio? Sanè ostendit, quod non solus manet, sed quod humiliatus, & seruus factus vsque ad verbera, vsque ad crucem diuinissimam patris referet imaginem in populis regenerandis, ait enim, *vt suscitet tribus Iacob,* &c. Pro quo sapienter Origen tom.1.in Origen.
Ioann.ait: *Magnum tibi est, quòd puer meus vocaris. Audendum est enim dicere, maiorem atque diuiniorem, & verè ad patris imaginem factam bonitatem Christi extitisse, tunc cùm seipsum humiliauit, & abiens factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis,* &c. Expende illa verba, *& verè ad patris imaginem factam bonitatem*; numquam enim magis patris imaginem in se repræsentauit Iesus, quam vbi se humiliauit, quia nunquam minus solus mansit, sed vt pater ex eo ostenditur, quòd solitudinem abiurans, sibi similem producit, in quo manet, quasi multiplicatus: sic Iesus humiliatus in regeneratis per gratiam multiplicatur. Nusquam enim parentius diuini patris fœconditas exprimitur in regenerandis Dei filiis, quam vbi demissionem, & abiectionem non erubescimus manifestè amplexari. Et quidem magna fuit summi Dei demissio quòd legem daturus Israëlitis descenderet in terram, & esset in summitate montis Sina. Descenderat namque Deus in montem Exod.19. *Et ecce cœperunt audiri* Exod.19.
tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem, clangórque buccinæ vehementiùs perstrepebat, & timuit populus, qui erat in castris. Et quid effecit iste timor in populo? Ait textus cap.20. *Cunctus autem populus videbat voces, & lampades, & sonitum buccinæ, montémque fumantem, & perterriti, ac pauore concussi steterunt procul, dicentes Moysi: Loquere tu nobis, & audiemus: ne loquatur nobis Dominus.* Hæc in Sina monte contigerunt; sed & habes eumdem Dominum existẽtem
in alio monte, nimirum in Thabor, de quo Matth.cap.17. ibi Matth.17.
Iesus apparet lucidior Sole, adsunt Moyses,& Helias, insuper tres Iesu discipuli, nimirum Petrus, Ioannes,& Iacobus. Petrus autem Iesu gloria illectus, ibi æternùm cupit manere, aiens: *Bonum est nos hîc esse*; & vix verba finierat, & *ecce nubes lucida obumbrauit eos, & vox de nube, dicẽs: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite.* Compone modò Deum in Thabor,& Deum in Sina; vtrobique apparet eius demissio,& humilitas, quòd hoc cœleste granum descendit ad terram. In Sina voces audiebãtur de nube exeuntes, sed nec illis filius Dei ostendebatur, nec quid sentiebatur paternum, quin vniuersus populus longè a Deo esse cupiebat, nec illum audire volebat. In Thabor auditur vox de nube, qua manifestè filius Dei ostenditur, patri simillimus, & gratissimus, cui inhærere amant Apostoli, & discipuli, nec velint ab eo discedere. Quæ est causa tantæ differentiæ? Cur in Sina inter tot vices, non dicitur filius Dei, nec quid paternum ostenditur, nec vllum trahit a se popularem, & in Thabor, & summi patris viuidissima imago ostenditur, & ad se trahit Apostolos? Nónne vtrobique propter homines sese Dominus demiserat ad terram? Equidem in Sina etsi se demisisset Dominus vsque ad terram, tamen illam suam demissionem occultabat, densissima, & obscurissima nube circumtegens montem,

montem, ne ibi demissus in terram Dominus videretur; nec quid in illo non maiestate plenum sentiretur. In Thabor autem patentissima luce sese exhibebat Dominus demissum vsque ad terram, formam seruilem ostendens, libenter agens cum suis de vltimo humilitatis, & abiectionis excessu. Vbi autem tanta demissio ostenditur, alliciens ad se discipulorum mentes, non potuit non exhiberi filius Dei, summóque simillimus parenti in prole acquirenda. Præ-
Damasc. clarè aiebat D. Damascen. orat. de Transfigurat. loquens. *Equidem olim in monte Sina, fumus, & procella, & caligo, & ignis terrorem inferens, summam illam demissionem occultabant, hinc videlicet accessum legis authorem prædicantia, & posteriora sua obscurè indicantem. Nunc autem omnia splendore, ac luce perfunduntur. Etenim ipse vniuersitatis conditor, & Dominus ex paterno sinu accessit, ad seruos indulgenter se demittens, ac serui formam suscipiens, habitúque homo factus, vt caperetur Deus, qui ab hominibus capi non poterat, per se ipsum, & in se ipso diuinæ naturæ claritatem ostendens.* Quid pulchrius? In illis expendendum est, quòd in Sina fumus & caligo occultabant Dei demissionem, & solam eius præsentem maiestatem terribilem ostendentia: de posterioribus passionibus, & abiectionibus, nec suspicionem ostendebant; quapropter summum Deum inaccessum reddebant, & solitarium. Verùm in Thabor aperta luce demissionem ostendens ipse Dei filius, & in seruili forma apparens sic se aptabat, vt ab hominibus capi possit, & hominibus communicari, quo perfectissimè diuinæ naturæ claritatem in se repræsentabat. Quid diuinæ naturæ magis proprium, quàm non manere solitariam, sed pro-
Isa. 66. li inuenitt communicatam? Aiebat Dominus Isaiæ 66. *Nunquid ego, qui ab alio parere facio, ipse non pariam?* Sanè ibi diuina natura perfectiùs ostenditur, vbi non solitaria, sed cum partu; vt pateat, quantum conducat demissio & humilitas ad diuinæ naturæ ostensionem; quandiu enim in Sina demissio Dei celabatur, & inaccessibilis sentiebatur Dominus, & solitarius; verùm vbi in seruili forma manifestè apparuit, in terram decidens iam ex adiuncta prole diuinam referebat fœcunditatem, & vt perfecta diuinæ naturæ imago à patre cognoscebatur, prædica-
Ioan. 1. batur. Huc spectans Ioann. 1. ait: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et verbum caro factum est, &c.* Nota diuinissimam virtutem, & fœcunditatem, quâ filij Dei ex Deo parturiuntur. Et à quo venit tanta virtus pariendi filios Dei? Explicat causam illud additum, nimirùm: *Et verbum caro factum est*; ex quo Dei verbum se exinaniuit, se humiliauit, ex quo in terram decidit, diuinissimam deitatis ostendit fœcundita-
Chrysost. tem in Dei filiis generandis. Chrysostom ibi: *Cum dixisset ex Deo, & filios Dei factos, qui eum receperunt, tanti honoris causam adiecit: Quòd verbum caro factum est, & serui formam Dominus accepit. Factus est enim filius hominis dilectissimus Dei filius, vt filios hominum filios Dei faceret.* Proh fœcundissimam verbi diuini demissionem, verè æmulam paternæ fœcunditatis. Natura diuina prout in patre existens non potuit esse solitaria, sed ad prolem procedit, eam generans, quæ filius Dei sit, prorsus similis patri. Sed & eadem natura in forma serуili manens in terram decidens non potuit manere occulta, & solitaria; nam illa demissio, & abiectio filiorum Dei partus extendit, & multipli-
Nazianz. cauit. De Dei filio Nazianz. orat. 20. *Qui carnis paupertatem nostra causa subijt, vt nos ipsius diuinitate locupletaremur.* Quasi sola demissio, & humanæ vilitatis assumptio potuisset naturæ diuinæ virtutem repræsentare in Dei filiis regenerandis. Amabo te sancta humilitas, cuius beneficio in me exprimam virtutem diuinæ substantiæ, æternóque parenti similis appaream, non manens solitarius, sed cum ingenti prole filiorum Dei, in circuitu diuinæ mensæ simus instar nouellæ oliuarum.

§. II.

Constantis animi virtus ad se trahit vniuersorum corda.

NOn palea, non folium, quòd vento rapitur, sed granum, quod nulli cedit vento, cadens in terram fructum multum affert. Est enim in grano, vt pondus ventorum inconstantiam nesciens, sic virtus trahendi ad se substantiam, qua in multiplices fructus crescat. Nunquam, mihi crede, constantis animi virtus euanet, nunquam sola sciuit manere, sed licèt sepulta videatur sub altis terræ aggeribus; licèt in mortis ablegetur recessus, inde ad se omnium substantias, omnium corda trahet, inter quæ sapidissimos fructus referat. Quis non magis ablegatur à mundo, quam Ioann. Baptista à primis vnguiculis viuens in deserto? O quam mortuus sæculo erat, qui in eremi cauernis sepultus iacebat! Sed ecce tibi, dum ipse in eremo absconditur, solitariam vitam profitetur, non potest solus manere, sed ad illum confluunt populi vniuersi. Et quæ Ioannis virtus sic ad se rapit populos vniuersos? An nouum illud ieiunij genus? An inusitata carnis maceratio? An longissimæ vigiliæ? An cœlestis prædicatio? Maximæ erant in Ioanne virtutes, sed quæ alliciebat populos, à Iesu demonstratur Matth. 11. vbi dicit. *Cœpit Iesus dicere ad* Matth. 11.
turbas de Ioanne: Quid existis in desertum videre, arundinem vento agitatam? Haberet Ioannes vniuersas virtutes, sed constantiam non haberet, qua ventis minimè cederet, & solus in deserto maneret, nullam ad se traheret gentem.
Ad hæc D. Chrysostom. homil. 38. in Matth. *Non potuissetis* Chrysost.
certè tanto studio in desertum impelli tot tantarúmque ciuitatum populi, nec ita facile omnes ex vniuersa Iudæa effusi in Ioannem fuissetis, nisi magnum quemdam, & mirabilem virum, & adamantinis lapidibus firmiorem Ioannem putassetis. Neque enim ad videndam arundinem existis. Non arundo, non palea huc, illuc circumacta vento, sed firmum, & stabile constantiæ granum, sed immobilis, & adamantina animi virtus ad se rapit populos. Hinc vocabat Dominus Ecclesiam gentium Cantic. 2. *Surge amica mea, speciosa mea, & veni. Co-* Cant. 2.
lumba mea, in foraminibus petræ. Non ad mobilem arundinem, sed ad firmam petram vocat, quia sola firmitas petræ virtutem habet ad se alliciendi, atque trahendi populos, ex quibus augmentum capiat. Dicit namque Paulus
ad Ephes. 4. *Iam non simus paruuli fluctuantes, & circumfe-* Ephes. 4.
ramur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris. Veritatem autem facientes in charitate crescamus in illo per omnia. Ablata fluctuatione, & palearum leuitate, veritatem facientes, hoc est, iuxta D. Anselmum, veris, & firmis rationibus nitentes, quid inde sibi compararent? Pulchrè ait, *crescamus per omnia.* vt enim semina omnem terræ succum in proprium augmentum trahunt, sic firmi, & constantis animi virtus ad se vniuersos alliciens crescit per omnia. Vbi autem non soliditas grani, non pondus constantiæ, sed leuitatis fluctuatio, & palearum mutabilitas in negotiis hominum est, ibi nulla fructificatio, sed sterilitas, & solitudo, & paupertas manet.
Psalm. 108. de impio dicitur: *Nutantes transferantur filij eius,* Psal. 108.
& mendicent; quasi mendicitas sit proprius effectus mobili-
tatis, quippe ait D. Ambros. in Psal. 61. *Eget enim semper, &* Ambros.
mendicat, qui mouetur. Eo ipsò quòd quis non habeat pondus, nec soliditatem ventorum resistentem flabris, sed instar paleæ, aut folij inconstans, & mobilis est, virtutem trahendi ad se non habet, sed solus, & sterilis, ab omni-
búsque derelictus manet. Sic Ieremias Threnor. c. 1. *Pecca-* Thren. 1.
tum peccauit Ierusalem, propterea instabilis facta est. Omnes, qui glorificabant eam, spreuerunt illam. Ecce tibi simul & instabilis, & ab omnibus derelicta, & spreta facta est. Quis non spernat hominem instabilem, & mobilem? Quando homo instabilis, & inconstans progressum fecit, & non potius ab omnibus derelictus miserè periit? In huius rei confirmationem Damasc. lib. Paralip. 2. c. 1. adducit id quod de popu-
lo Israelitico ait Oseas cap. 7. *Factus est Ephraim quasi co-* Osea 7.
lumba seducta, non habens cor; Theophylactus ibi legit, *quasi* Theoph.
columba amens, corde vacans: Ægyptum inuocabant, ad Assyrios abierunt. Et cum profecti fuerint, expandam super eos rete meum, &c. Erant Ægyptij, & Assyrij inter se contrarij, medius Ephraim, vt suæ incolumitati prospiceret, Ægyptios inuocabat, cum illis fœdus amicitiæ inibat: & statim aliud sibi melius præsagiens relictis Ægyptiis Assyrios currebat. Quale hoc? Sanè nihil amentius apud Damascenum; meritò in eo dicitur Ephraim factus quasi columba amens, corde vacans, quòd nullius amicitia firmatur, sed modò ad hunc, modò ad contrarium transit, & iam Ægyptius, iam Assyrius est, qua instabilitate illud consequitur, vt ab omnibus spernatur, diuinæque iustitiæ incurrat la-
queos. Sapienter monebat Seneca epist. 2. illos qui in nulla Senec.
doctrina quiescunt, sed modò hanc, modò profitentur contrariam. *In peregrinatione vitam agentibus hoc euenit, vt multa hospitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat necesse est iis, qui nullius se ingenio familiariter applicant, sed omnia cursim, & properanter transmittunt. Non prodest cibus, nec corpori accedit, qui statim sumptus emittitur. Nihil æquè sanitatem impedit,*

impedit, quàm remediorum crebra mutatio. Non venit vulnus ad cicatricem, in quo crebra medicamenta tentantur. Non conualescit planta, quæ sæpiùs transfertur, &c. Hæc ille.

§. III.

Elatus animus in casu nescit non funditus perire: humilis, & iustus etiam in casu proficit.

QVàm aliter cadunt in terram granum, & palea? Hæc in terram cadens, ibi deperit: illud cadens in terram, inde augmentum capit. Quod autem in palea, & grano cadente discrimen est, idem cogita in humili viro, & elato. Elatus nescit cadere, absque eo quòd perdatur, humilis, & iustus proficit semper etiam in casu. De elationis authore diabolo locutus Dominus ait Ioan. 12. *Nunc Princeps huius mundi eijcietur foras*; in Græco autem ponitur ἐκϐληθήσεται, quod significat, eiicietur cum ruina; & præcipitio, in dæmone enim idem semper est eiici & præcipitari. Sed cur non posset etiam dæmon intelligi eiectus, quin intelligatur præcipitatus? Cùm nunquam non alta sapiat, imò semper in mirabilibus ambulet super se elatus, nunquam illi potest accidere aliqua deiectio, quę extremam non inferat ruinam.
Gaudent. Accipite D. Gaud. tract. 12. santem. *Passus est ergo Dominus se huius mundi iudicio indicari ad hunc hostem generis humani præcipitandum, siue expellendum, quia vtrumque vnum esse dignoscitur: & qua ratione vnum, percipite. Non in planis, atque humilibus habitabat diabolus, vbi pulsus ad alium locum credatur absque casu suo transire potuisse; sed cùm de sublimitate cœlesti expellitur, vtique deorsum præcipitatur. Quòd significantes in Græco positum est.* Itaque in elatis mentibus, idem est, & deiici, & præcipitari; & cadere, & funditus perire. Qui nescit in humilibus, & planis habitare, in quouis casu inuenit præ-
Isai. 46. cipitium, quo miserè perdatur. Hinc Isaiæ 46. dicitur: *Confra-*
Cyrill. *ctus est Bel, contritus est Nabò.* quæ verba apud D. Cyrillum, Alex. lib. 4. orat. 3. mitiùs sonant; ait enim: *Cecidit Bel, contritus est Dagon*; non dicitur Bel confractus fuisse, sed cecidisse: & adhuc de vtroque mitiùs in noua translatione Hebræa Forerij, vbi sic: *Incuruatus est Bel, repandus fuit Nabo.* Sola incuruatio, & inclinatio, vel ad summum casus illorum exprimitur, & nihilominus vulgata nostra & confractionem, & contritionem illorum designat. Cur cùm posset dicere incuruatos, siue inclinatos tantùm fuisse dæmones, illos maluit explicare confractos, & prorsus contritos? Nescit equidem elatissimis spiritibus incuruatio, siue inclinatio accidere, quæ non illis inferat extremam cōtritionem, & exitium. In elatorum inclinatione extremam ruinam cogitari licet, quæ in iustis, & humilibus cogitari minimè licet. Cùm du-
2. Reg. 6. ceretur arca Domini in plaustro, 2. Reg. 6. *Extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam: quoniam calcitrabant boues, & declinauerunt eam, Iratúsque est indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum*, &c. Et meritò percutitur Oza, vt qui in inclinatione arcæ timuit ruinam eius, & hoc metu percussus manum tetendit. Non enim arca Dei, quæ in inclinatione, imò in casu posset perire; quando etiam cadens in manus Philistinorum, & ibi captiua triumphauit, & magis suam gloriam ostendit. De idolis ergo, vel in sola inclinatione licuit extremam prædicari ruinam: verùm in arca Dei non licuit, vel in casu ipso timeri confractionem, sed spectari gloriam. Sicut enim elatorum animorum casum comitatur extrema ruina; sic humilium iustorum deiectionem comitatur gloria. Quò refero illud Sapientium dictum
Esth. 6. Amano responsum Esther cap. 6. *Si de semine Iudæorum est Mardochæus, ante quem cadere cœpisti, non poteris ei resistere, sed cades in conspectu eius.* Vnde hoc coniiciunt? Vnde norunt in prima Amani inclinatione extremam eius miseriam? Spiritus quæ in illis loquebatur, coniecturæ fundamentum subiecit illis verbis: *Si de semine Iudæorum est Mardochæus*; designans enim in Mardochæo seminis, hoc est, grani cadentis in terram virtutem; simul palearum elationem in Amano percenset, vnde neque de Amani casu minus potest timeri, quàm extrema ruina, neque de Mardochæo destinato ad mortē aliud spectari potest, quàm gloriæ augmentum. Qui enim nocet casus elatis paleis, seminibus etiam in puluerem redactis solet prodesse. sic semper, vel ipsa contritio præstantibus virtute salutaris est. Ad hæc monebat
Exod. 30. Dominus Exod. 30. *Sume tibi aromata, stacten, & onycha, galbanum boni odoris, & thus lucidissimum, æqualis ponderis erunt omnia; faciésque thymiama compositum*, &c. *cúmque in tenuissimum puluerem vniuersa contuderis, pones ex eo coram tabernaculo testimonij, in quo loco apparebo tibi.* Expende quando aromata iubeantur poni in tabernaculo testimonij, vt Deo placeant, eiúsque præsentiam nanciscantur, nimirùm cùm priùs in tenuissimum puluerem redacta sunt, in præstantissimis enim speciebus contritio ipsa, imò & puluis est salutaris. Quippe ait D. Petr. Damasc. lib. 8. epist. 9. *Notandum, quòd de* Damasc.
aromatum puluere dicitur: Pones ex eo coram testimonia tabernaculi; quia tunc nimirum bona nostra veraciter in conspectu superni iudicij placent, cùm hæc mens subtilius recogitando, conterit, & quasi de aromatibus puluerem reddit. Ea sunt solida bona præstantis virtute viri, quæ ament conteri, & quasi in puluerem redigi, vt magis inueniantur salutaria. Et quando puluis ipse non salutaris est? Pulchrè aiebat D. Isidorus Pelus. lib. 1. epist. 69. *An non ventris appetitus, & car-* Isid. Pel.
nium desiderium Belis quoque cultores, & adoratores per cinerem conuictos, ac deprehensos exitio addixit? Historiam pete ex Daniel. 14. vbi gula peremit Belis adoratores, sed non perimeret, nisi cinis sparsus per templum eorum vestigia proderet. Valet enim cinis, & puluis, vt occultissimi cuiusuis idoli vestigia prodantur, & destructis idolis viuat iustus homo.

Text. Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Siquis mihi ministrat, me sequatur: & vbi ego sum, illic & minister meus erit.

§. IV.

Iustum virum nullæ acerbitates non augent, & reddunt gloriosiorem.

ECce tibi ex grani frumenti exemplo, quod elicitur dogma, vt sapientissimum, sic verissimū, nimirum quòd sicut granum mors auget; sic animam iusti, & odia, & mortes, & quæuis acerbitates extollunt, in gloriosiorémque amplitudinem efformant. Odia enim & acerbitates sunt viris iustis amplioris splendoris pabula; rabidissimam persecutionem ab Assyriis in Israëlem concitatam meditatur Isaias quando nimirum Rapsaces Assyriorum dux furenti exercitu Hierosolymam obsidens, & Deum, & regem blasphemus percutiebat. Videre tunc erat Israëlitas hinc sub manibus se munientes, ad Deum orantes illinc barbarorum exercitus, & iacula, & maledicta contorquentes in sanctos; quale tunc spectaculum? Quæ facies rerum? Pulcrè illam describit Isaias cap. 10. aiens: *Et erit lumen Israël in igne, &* Isai. 10.
sanctus eius in flammam, & succendetur, & deuorabitur spina eius, & vepres in die vna. Ecce tibi iuxta D. Cyril. explicationem, qualis fuit facies Israëlitarum in obsidione Assyriorum, quippe erat lucidissimus Israël quasi ignis, exercitus autem Assyriorum, quasi spinæ, & vepres. Sancti Israëlitæ veluti ardentes flammę in illa afflictione visebantur: Assyrij autem erant in circuitu eorum, veluti spinetum quoddam, armis hispidi, ad pungendum parati. Sed quid facerent Assyrij sanctis Israëlitis? Equidem facerent, quod spinetum igni: spinæ enim, si accedant percussuræ ignem, & ignem in maiores, & splendidiores flammas excitabunt, & ipsæ vertentur in cineres. Sic sanctus Israël, sic iustus quisque in splendidiores flammas exurgit, dum in illis configuntur spinæ, dum odia, dum rigores exercentur in illis. Ad hæc dicebat D. Chrysost. hom. 54. in Acta: *Vides vtique tentationes magna parere bona? Ita malitia idem euenit, vt si quis calamum habens præliatur contra ignem: & videtur quidem verberare ignem, ignis autem elatior fit, & calamus consumitur. Alimentum enim & fomes claritudinis, est malitia virtuti.* Chrysost.
Non sic spinæ, & vepres flammas augent, & in splendidiorem sphæram nutriunt, vt odia, & asperitates, & persecutiones iustorum multiplicant claritudinem. Nemo ignorat tres illos cantatissimos pueros Hebræos à rege Babylonio in fornacem missos, cadunt sancti tres pueri in fornacem, inter cuius flammas, dum audiuntur innocui canere, & lætantes viuere, accedit ipse rex ad ostium fornacis, vt miraculum cernat, & inde totus mirabundus exclamat, dicens Dan. 3. *Nonne tres viros misimus in medium ignis compe-* Daniel. 3.
ditos? Ecce ego video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est. Meritò qui tres fuerunt, dum dantur flammis, quatuor apparent in illis, ne putentur iusti odiis, & persecutionibus posse finiri, quando & multiplicantur, & in maiorem gloriam exurgunt. Ad hæc idem Chrys. hom. de tribus pueris, ait: *Exclude, si potes, adhuc*

damnent eum, qui crescit ad numerum. Non poteris iam tuos finire damnatos, qui soli esse non possunt. Granum sunt frumenti viri iusti, qui dum cadunt in terram, & mortificantur, soli manere non possunt, sed multiplicem in gloriam consurgunt. Imò,in hoc frumenti granis longè præstantiores,quòd grana in terram cadentia reuiuiscunt, non in ignem; at iusti viri, siue in terram, siue in aquam, siue inter medias flammas cadant, non soli manent, sed gloriam & splendorem

Iob 29. multiplicant. Quò spectauit Iob cap.29.aiens: *Dicebant:In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies meos*; alij legunt, *& sicut arena*; alij legunt, *& sicut Phœnix.* Ecce tibi nusquam non sibi promittit multiplicationem vir iustus in casu; siue enim cadat in terram, ex terra sicut palma exurgit; siue cadat in aquam,non ideo minuetur, vt arena non minuitur in aquis,sed ibi augetur;siue cadat in flammis,inde vt Phœnix renascetur,& planta est,& arena est,& Phœnix est vir iustus, ne vllo sciat cedere elemento,sed ex omni contrario, gloriæ recipiat augmentum. Et quale contrarium maiorem gloriam iustis viris non peperit? Quale odium non illis profuit ad splendoris augmentum? Num.12. dicitur de Maria,& Aarone, quòd locuti sunt contra Moy-

Num 12. sem; & quid inde euenit? *Descendit Deus in columna nubis, & stetit in introitu tabernaculi vocans Aaron,& Mariam. Qui cum issent,dixit ad eos: Audite sermones meos,si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei,vel per somnium loquar ad illum. At non talis seruus meus Moyses,qui omni domo mea fidelissimus est: ore enim ad os loquor ei, & palam, & non per ænigmata,& figuras Dominum videt. Quare ergo non timuistis detrahere seruo meo Moysi? Iratúsque contra eos,abijt: nubes quoque recessit, quæ erat super tabernaculum; & ecce Maria apparuit candens lepra.* &c. Itaque Moyses à fratribus mordetur, sed quia mordetur,Deum gloriæ, virtutúmque suarum declamatorem nanciscitur;& detractores fratres lepra ma-

Origen. culantur. Id quod ponderans Origen.hom.7.in Numer. ait: *Videtis, quid sibi pœnæ contulerint obtrectatores: quid vero illi, cui obtrectarunt, quæsierint laudis. Sibi turpitudinem, illi splendorem, sibi lepram, illi gloriam, sibi opprobrium,illi magnificentiam quæsiuerunt.* Sic vniuersi persecutores viris iustis cumulatiorem pariunt gloriam: nunquam enim non augetur gloria ex eo, quòd caro sustinet afflictionem.

§. V.

Carnalis indulgentia ruinam animæ importare solet.

RVinam timeat, qui animam suam carnali prosequitur amore, rarò enim carnalis indulgentia extremam non parturit perditionem. Caue tibi speres aliquod bonum inter carnis delicias, non inde bonum capies, sed ruinam. Inuenio luxuriantes filios apud Ieremiam, & Lucam fame pene enectos; quorum plurimi inter quærenda remedia vitæ pereunt,vnus vitam consequitur æternam. Vnde tantum discrimen in adeò similibus iuuenibus? Accipe hunc Luc.

Luc. 15. cap. 15. dicentem: *Quanti mercenarij patris mei abundant panibus; ego autem hic fame pereo! Surgam & ibo ad patrem*

Thren. 3. *meum*, &c. De illis autem ait Ierem. Threnor. 2. *Matribus suis dixerunt: Vbi est triticum, & vinum? cùm deficerent quasi vulnerati in plateis ciuitatis,cùm exhalarent animas suas in sinu matrum suarum.* Tam hi, quàm ille fame torquentur, & simul non siliquas, sed silisquis abiectis, veram panis alimoniam requirunt, sed longè diuerso euentu; nàm ille remedium inuenit, hi extremam patiuntur ruinam. Et cur non pereant, qui non ad patrem, sed ad matres confugiunt? In patre seueritatem censoriam inueniunt filij; in matre indulgentiam, & carnalem teneritudinem; ille sapuit, qui vt viueret, ad Patrem, hoc est, ad virilem,& seuerum affectum confugit: prorsus dissipuerunt hi, qui dum sub carnali indulgentia volunt viuere, perditionem incur-

Paschas. runt. Pulchrè D. Paschasius lib. 2. in Threnos, ait: *Eruditior ille filius, qui ad patrem suspexit egens, quàm illi, qui à voluptatibus carnis, quasi à matribus ea bona exquirunt. Si enim patre essent, aut ad patrem, domum redirent, animas fame non exhalarent. Sed quia caro eos decipit,errant: & si non in eo, quòd panem requirunt, saltem quia in carne torpentes, ab ea illa petunt. Nesciunt miseri, quòd qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Idcirco in sinu carnis intereunt; quoniam hi si ij patris sunt, qui non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Sub sola patris disciplina viuitur; in sinu matris, hoc est, in indulgentia, & amore carnali mors incurritur. Et meritò dicitur ibi, *cùm exhalarent animas suas in sinu matrum suarum.* Et cur dicuntur animæ exhalari in sinu matrum? In sinu foueri solet filius; in igne aromata exhalantur; cur ergo non foueri, sed notanter dicuntur animæ in sinu matrum exhalari? Equidem sinus matris, hoc est, amor, & indulgentia carnalis caminus est, gehenna est, in qua exhalantur animæ. Sapienter D. Paschasius vbi supra: *Exhalant animas, qui sunt sicuti in* Idem.
sinu gehennæ ad mortem. Quoties ad carnalem indulgentiam confugis, te inter gehennales prunas meditare, quarum vi prorsus exhaletur, & pereat anima. Nunquam enim anima in carnalis amoris, & indulgentiæ sinu inferni prunas non inuenit. Ephraim mille sceleribus confossum intuens Dominus ait Ierem. 31. *Si filius honorabilis mihi Ephraim, si* Ierem. 31.
puer delicatus. quæ verba sic apud Chaldæos sonant: *Ecce sicut filius dilectus coram me, est Israel, vtique puer amabilis est;* & adhuc aliter legit D.Ambros.aiens: *Dilectus mihi est filius* Ambros.
Ephraim, puer in delicijs. Quid hæc ad Ephraim peccata?Ille se multis sceleribus constrictum ostendens, hoc accipit à Deo responsum, quòd sit puer delicatus, quod sit puer in delicijs, quòd sit amabilis; quid hæc ad peccatum? Sanè ostendenti peccata, sic Deus respondet ostendens peccatorum causas,nimirum indulgentiam amoris carnalis, & teneritudinem deliciarum. Vbi enim carnalis amor, vbi indulgentia, & deliciæ, & prunæ sunt gehennalis incendij, quibus exhalentur animæ. Accipite D.Ambros.lib.1. in Luc. *Si* Idem.
enim non fuisset puer in delicijs, nunquam peccauisset. Per delicias itaque peccauit, qui non ita erat informatus à Domino, vt nescius esset erroris. Semper deliciæ, & carnalis amor coniunctus est, cum animæ ruina.

§. VI.

Bonis nunquam spoliabitur æternis quisquis primus in se insurgit.

EXpende fortissimam pro æternis bonis custodiam,nimirum odium sui; qui enim odit animam suam, in vitam æternam custodit eam. Dum scias te odio prosequi, dum scias tu tibi bellum inferre, & primus in te insurgere, nil restat quod timeas,nemo te bonis cœlestibus priuabit. Audio Dauidem à mille rebellibus exagitatum,a nullo tamen deuictum,in primis Seba filius Bochri 2.Reg.20.rebellat in Dauidem, vt cum recenti regno priuet: necnon Absalon ibid.c.15.aduersùs eundem rebellarat, sed nec Absalon,nec Seba præualuerunt aduersùs Dauidem. Insuper audio aduersus Salomonem excitatam fuisse rebellionem a seruo eius Roboamo, qui tandem maiorem regni partem rapuit sibi. Et cur Dauid à tam multis,& tam potentibus hostibus spoliari non potuit, Salomonis autem filius ab vno seruulo spoliatus est? Peccauit Salomon, fateor, sed & Dauid peccauit,amoribusque deditus diu iacuit;cur ergo quandoquidem rebellis seruus peccatorum Salomonem nactus, illum regno priuat, Absalon, & Seba adeo custoditum Dauidem peccatorem inueniunt, vt minimè ei regnum possint eripere? De Salomone dicebat Dominus 3.Reg.11. *Quia habuisti* 3.Reg.11.
hoc apud te,& non custodisti pactum meum,& præcepta mea,quæ mandaui tibi, disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo. De Dauid autem ait ipse Psal.50. *Iniquitatem meam* Psal.50.
ego cognosco,& peccatum meum contra me est semper. Itaque Salomon vitia apud se habebat, vt habet amicus amicum; Dauid autem vitia sua contra se fatebatur,& sibi aduersaria æstimabat, & in se peccatorem ipse omnium primus insurgebat,quo adeò fortis extitit, vt minimè a rebellibus, etsi potentissimis, potuerit spoliari. Pulchrè hunc respiciens ait Rupert.lib.5.de Trinit.c.1. *Regnum Dauidi, neque auferre Ab-* Rupert.
salon, neque scindere potuit Seba, quia videlicet, quod habuisti apud te ô Salomon, ille apud se non habebat. Minus peccauerat, & ipsum peccatum à se excutiebat, a iudicabat. Habebat Salomon apud se vitia, vt amica: Dauid non apud se habebat, sed vt contra se, vt sibi aduersaria insectabatur;nulli citius odiosus, quàm sibi ipsi: nullum se ipso peiorem inimicum experiebatur, se accusans, se mactans, quo fiebat cæteris hostibus insuperabilis. Te tibi aduersarium inueniant cæteri aduersarij, & minimè poteris cœlesti regno spoliari. Samson vbi monetur de aduentu hostium Iu- Iud.16.
dic.16. licèt ignorans infirmitatem suam, tamen sapienter dicebat: *Egrediar sicut ante feci,& me excutiam.* Quid ais, *& me excutiam?* Audis hostes adesse,audis inimicorum rabiem appropinquare,& quæ te perimat; cur non magis ad illos exurgis?Cur non magis de illis percutiendis,& fugandis satagis? Cur non dicis,illos excutiam, sed ais, *me excutiam?* Equidè hæc est magna peccatoris hominis felicitas, si in se

primò insurgat, si se primum ipse sentiat inimicum. Nullus rapiet hostis bona ei, qui prior in se insurrexerit. Vtinam quod Samson dicebat amicis suis opere exhibuisset, quando enim se primùm excussit, plurimam victoriam nactus est. Quippe aiebat in se reuersus: *Moriatur anima mea cum Philisthijm, concussisque fortiter columnis cecidit domus super omnes Principes, & caeteram multitudinem, quae ibi erat; multòque plures interfecit moriens, quàm antea viuus occiderat.* Vt creuit animae carnalis odium, simul creuere victoriae; at dum amoribus deditus, apud amasiae suae sinum decumbit, & oculos, & libertatem, & regnum amittit, manùsque incurrit hostiles. Pro quo eleganter cecinit D. Orientius inquiens:

Sanctus que & [illegible] per tot modò praelia miles
Heu molli feminea subditur arte chori.
Vt iam pollutus (patiens quia carmina poenam)
Oscula virginibus, terga dare gladijs.

Dum carnalibus dat operam amoribus, miserè capitur ab hostibus; dum autem & se, & vitam carnalem contemnit, quis eius gloriosas victorias numeret? Haec sit inuictorum hominum communis vox, nimirum: *Moriatur anima mea cum Philisthijm*, hoc est, moriatur carnalis anima cum vitiis, & voluptatibus suis; qui sic in se insultat, fallar, nisi omnia bona sua custodiat integra.

§. VII.

Ad locum, in quo Christus est, ille accedit, qui minimè refugit eius sublationem crucis.

ACcedo ad illa verba: *Si quis mihi ministrat, me sequatur: & vbi ego sum, illic & minister meus erit*; non enim ad locum vbi Christus Dominus est ve[illegible]tur, nisi [illegible] sequelam in crucem. Vt sis in loco, vbi Christus est, sequere Christum, amplectere eius mortificationem, caue ne eius crucem refugias. Matth. 13 veniebat Dominus super maris aquas ambulans, vt discipulis in naui existentibus opem ferret. Vidit Petrus Iesum super aquas venientem, vidit Iesum calcantem maria, & facultate accepta similiter super

Matth. 14. aquas gradiendi sese vndis committit. Quid [illegible]? *Videns verò ventum vali[illegible] timuit & [illegible] mergi, [illegible] clamauit dicens: Domine saluum me fac.* &c. Cur Petre sic mergeris? Cur nequis consistere super eas vndas, super quas ipse Iesus consistit? Huius rei causam, vt penitus calleas, consule c. 16.

Matth. 16. Matth. vbi sic habetur: *Exinde coepit Iesus ostendere discipulis suis, quia oportet eum ire Hierosolymam, & multa pati à senioribus, & Scribis, & Principibus sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere. Et assumens eum Petrus, coepit increpare illum, dicens: Absit à te Domine, non erit tibi hoc.* Ecce tibi modò Petrus crucis mysterium tollere nititur; nec miremur, quòd non possit consistere super vndas, super quas Dominus consistit; ille enim solus, vbi Christus est, potest esse, qui non refugit, sed amat sequelam crucis. Acutè ad haec D. Petrus

Damasc. Damascen. serm. 31. inquit: *Nec mirum tibi metipsi ô Petre, maris tam formidabile periculum, qui pro mentis infirmitate Magistrum, & Dominum tuum nolebas crucis subire patibulum.* Inde super aquas, in quibus Christus est, non consistit Petrus, quia tunc mortificationem abnuebat crucis. Mortificationem amet, crucifixum sequatur, quisquis, vbi Christus est,

Psal. 131. velit consistere: vt dicat cum Psalm. 131. *Ecce audiuimus eam in Ephrata: inuenimus eam in campis syluae. Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius.* Se futurum promittit in loco, vbi steterunt Iesu pedes; sed vt illuc perueniat, prius ait, *audiuimus eam in Ephrata, & inuenimus eam in campis syluae*; nisi enim in Bethleem iacentem, vel instar malum syluae in monte exaltatum sequatur Iesum, minimè ad locum perueniret, vbi stat ipse. Hinc Apo-

Apoc. 14. cal. 14. dicitur: *Ecce agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, [illegible] tes nomen eius, & nomen Patris eius scriptum in frontibus suis.* Miraris tot millia esse cum agno supra montem Sion? Vt mirere magis, addit post pauca: *Hi sequuntur agnum, quocumque ierit.* Et quando vicit leo de tribu Iuda, cur non dicuntur hi secuti leonem? Et quando, vt ait Deut. 32. sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris populum suum; cur hi non magis dicuntur secuti Aquilam? Sanè ad hoc, vt possis pertingere quemcumque locum in quo Christus est, non tam leonis fortitudo, non tam perpetes Aquilae volatus proficiunt, quàm sequela agni mactati.

Bernard. Quocirca aiebat D. Bernard. serm. 6. de Ascens. *Sequamur fratres, sequamur agnum, quocumque ierit: sequamur patientem.* *Crucifixus est vetus homo noster simul cum illo, vt destruatur corpus peccati.* Et quidem parum est, quòd fias leo, quòd fias aquila, nisi agnus fias mactandus, vt possis locum omnem tenere, quem tenet innocentissimus Dei agnus. Huc accedant Christi ministri, qui cupiunt cum Domino esse, & sequantur agnum mactatum, facti etiam ipsi mactati agni. Quòd si perfectius cum Iesu esse malint, non solum instar agni agnum sequantur, sed instar leonis mortui, leonem mortuum nitantur aemulari, vt sic moriantur, vt simul in ore versent dulcissimos verae sapientiae fauos. Eo spectabat

Paul. ad Colossens. 3. aiens: *Quae sursum sunt quaerite, vbi Christus est in dextera Dei sedens. Quae sursum sunt sapite, non quae super terram. Mortui enim estis*, &c. Quia mortuos in Christo putabat, meritò duo illis proponit; nimirum, quòd iam de loco, in quo Christus est habendo agant, & quòd sapiant coelestia distillatae mella. Vbi D. Bruno ait: *Quia mortui cum Christo, iam vlterà non viuitis mundo. Igitur, quae sursum sunt. Non solum quaerite, sed sapite, id est, dulcedinem praelibate eorum, quae sursum sunt.* Illum perfectissimum recipit Iesus in locum, in quo ipse est, sedens ad dexteram patris, qui scit mori, cuius emortui ab ore dulcedines scaturiunt. De hoc perfectissimo ministro in locum suum adscito dicebat Dominus Cantic. 5. *Messui myrrham meam cum aromatibus meis, comedi fauum cum melle meo*, &c. In myrrha intellige mortuum, in fauo dulcedine superna manantem, & ille perfectè accipitur à Domino, qui mundo mortuus, instar myrrhae euaporatur; & nihilominus in ore emortui mille mellis fauorum fontes. Cùm huc peruenio, non me contineo quin recolam ingentem myrrhae, mellisque messem, quam Dominus ab hac D. Ambrosij Societatis Iesu domo in suum locum transfudit. Transfudit, inquam, Dominus in locum suum ingentem myrrhae segetem in vno ministro Euangelij perfectissimo, in Venerabili admodum Patre Ludouico de la Puente: quippe videtur mihi in illo, dum sublatus est, ortus noster esse nudatus, & grandem agricolae Deo resignasse fasciculum myrrhae. Quid dico de myrrha? Sed nec vllus talis in aluearibus nostris relictus est fauus. Gestit animus vobis eius depingere effigiem, ecce depingam, sed verbis Gillberti Abbatis, qui de alio huic nostro Ludouico simillimo, ait serm. 41. in Cant. *Quis illo vel vitae puritate, vel doctrinae pinguedine? Quis magis illo vel egenus in carne, vel abundans in spiritu? Sermo erat quasi torrens [illegible] undabat sapientiam. Carne languidus, magis tamen [illegible] in spiritu coelestium amore languebat. Myrrhata carne, mente aromatica, crematione continua indefessi amoris odoriferum incensum efficiebat. [illegible] dilatata, & arida, anima eius sicut adipe, & pinguedine [illegible] ebat, [illegible] labijs exultationis laudauit Dominum [illegible] eius fauus distillans. Nam totus conuersus in labia, [illegible] volto, & totius corporis habitu tranquillo, [illegible] animi prodebat [illegible] sensu perspicuus erat sermone, non erat [illegible] nulli. Acutè intelligens, mereri [illegible], aequanimis [illegible].* Sic piissimum sui coenobij virum depingit Gillibert. sic eius myrrheas virtutes proponit, depictas, quibus mortuus videbatur & saeculo. Quas in nostro Ludouico mirabamur vniuersi, myrrhata enim carne crematione continua odoriferum virtutum offerebat incensum. Fallar, siquis sanctus magis extenuatam carnem, (si fortè in illo caro manserat) habuit, totus conuersus in labia nihil habens, aut de terrenis, sed totum acutum de sublimibus, & aeternis personabat. Videres in virtutum alacritate, in vigilantia leoninum spiritum, in extenuatione, & mortificatione enectum agnum, sed de cuius enecti ore dulcissimi doctrinae prosiliebant faui. Et qui faui? Pergit de suo Gillbertus vbi supra. *Noster autem hic [illegible] unus, integer erat [illegible] aeterno liquore exuberans. Plenus erat cellularum, hac illacque distillabat dulcedinem, sermonibus diuinis assiduus operator [illegible] impendebat. Dum faui, quibus adhuc integris, multorum quotidie inuoluuntur fauces. Molestum non [illegible] abatur sublimitatem, quae plus contentionis, quàm infructuosis ministrat materiam. Circa moralem uberiorius scientiam, cultissimis illam verborum cellis committebat. Prudens erat eloquij mystici, quòd inter perfectos dispensabat. Lactea in salutem paruulorum exuberabat doctrina, cui tamen laetificantis, & inebriantis sermonis vinum [illegible] latenter immiscuit. Facilis enerat et intellectus, sed usus [illegible] vehemens.* Vidisti à penè enecto homine, tot fauos manare, quot circumferuntur nostri Ludouici commentaria, non contentiones, & rixas excitantia, sed mores componentia humanos. Sanè dum in enecto corpore huius viri spiritus vixit, renouari vidi pristinum illud miraculum, quo ex demortui ore prosiliebant eloquij mystica faui, qui mille Samsones possent roborare.

Coloss. 3. — Brun. — Cantic. 5. — Gillibert. — Idem.

robotare. Nullum vnquam corpus fuit magis cadauer, ſed tamen cadauer, quod dulcedine fauorum per continua librorum opera manaret. Et dum ſic moritur, & dulceſcit Ludouicus, dum ſic myrrheus, & melleus apparet, à vineæ Domino in ſua cellaria vocatur. Quid tunc? Adhuc Gillibert. ſuprà: *Dolendum quidem, quod tanti viri ſubtracta eſt nobis copia, ſed nihilominus gloriandum, quòd talem de hortulis noſtris faſciculum myrrhæ ad cœleſtem illum hortum præmiſimus. Illic ornamentum eſt, qui nobis hîc fuerat adiumentum. Et ſi vacuata videntur aluearia noſtra, & hortus nudatus, multos tamen reliquit manipulos, de quibus potens eſt Deus per virtutum incrementa creare faſciculos.* Equidem tota hæc domus doluit, doluimus maximè vniuerſi, qui eius ſuſtentabantur præſentia, & reuiuiſcebamus ſpiritu, luximus ortum noſtrum demeſſum, vacuata aluearia noſtra: ſed etiam gloriabamur habere ex tunc cum Domino talem miniſtrum, cuius relicti in terra ſani non pauca examina cœleſtium apicularum nutriunt.

Gillibert.

§. VIII.

Præſtantiſſimum bonum eſt, cum Chriſto eſſe.

HOc Ieſus pro magna, & præſtantiſſima felicitate promittit miniſtris ſuis, nimirum quòd ſint, vt ipſe eſt. Dum cum Ieſu ſis in eodem loco, eiúſque feliciſſima ſocietate fruaris, nullibi feliciſſimus non eris. Dei amatrix Cantic. 7. ait: *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis*, &c. Dilectum vocat, vt in agro, in villis vnâ ſint; cur non magis in cœleſtia aſpirat? Cur non magis in cœlis petit commorari? Cur cœleſtibus omiſſis curis in terræ villulis petit verſari? Cur non magis anguſta terræ deſpicit? Dum in terra ſit Ieſus, hoc ſibi putat maximum, ſi cum illo exiſtere liceat. Vnde D.Bern.ſerm.2.de aduentu ait: *Venit vtique de corde Dei patris: venit à ſummo cœlo in inferiores partes terræ. Quid e[illegible]o? Nónne nobis in terra eſt conuerſandum? Eſt, ſi tamen in ea perſiſtit ille; vbi enim benè erit ſine illo, aut vbi malè eſſe poterit cum illo?* Hoc habeamus, vt ſimus, vbi Chriſtus eſt, & præſtantiſſima felicitate fruimur. Id quod animaduertens Paulus ad Coloſſ. 3. ait: *Quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt.* Non contentus nobis ſuperna bona propinare, illud ad commendationem bonorum addidit cœleſtium, nimirum, *vbi Chriſtus eſt.* Sed cur iſtud addidit? Nónne ſufficerent ſuperna bona nos ad ſe rapere? Nónne audientes nos cœleſtia eſſe bona, ad illa auidi euolaremus? Ait D. Bernard. vbi ſupra: *Merito proinde clamat Apoſtolus: Quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens. Incaſſum laboraret erigere corda noſtra, niſi collocatum in cœlis ſalutis noſtræ doceret authorem.* Non tam cœleſtia, & ſuperna bona raperent animos, quàm Ieſu conſortium; inde habet cœlum deſiderari, quòd ſciamus ibi eſſe Ieſum, ille enim ſe putat feliciſſimum, qui eſt, vbi Chriſtus eſt, etſi alia deſint. De Petro in Thabor cum Ieſu exiſtente dicitur Marc.9. *Et reſpondens Petrus ait Ieſu: Rabbi bonum eſt nos hîc eſſe; & faciamus tria tabernacula, tibi vnum, & Moyſi vnum, & Eliæ vnum. Non enim ſciebat quid diceret.* Sic ignorantia Petri ibi carpitur: & qualis ignorantia illi fuit? An ignorantia erat, quòd bonum diceret eſſe vbi erat Ieſus? Abſit; ſed illud erat ignorantiſſimum, quòd cùm ſciret, quàm bonum erat cum Ieſu eſſe, tabernacula facere curabat, in quibus miniſtri Ieſu Moyſes, & Elias agerent à Ieſu ſeparati. Cuius ignorantiæ notam vrgens D. Paſchaſ. lib.8.in Matth.ait: *Neque cogitat, quòd Moyſes, & Elias nunquam, & nuſquam velint eſſe ſine Deo Domino.* Et quale bonum haberi poſſent à Ieſu ſeparati, cùm præſtantiſſimum omnium ſit, cum Ieſu eſſe? Vide lib.13. cap.15. §.14. Vide etiam lib.1.cap.2.§.1.lib.7.cap.3.§.4.& 5.

Cant.7.

Coloſſ 3.

Bernard.

Marc.9.

Paſchaſ.

CAPVT VI.

De Fure, & Paſtore.

VNICVM ſalutis humanæ authorem, & negotiatorem verum ſe probans Dominus ad pulchram ſimilitudinem confugit, & in diſcrimine Furis, & veri Paſtoris euidentiſſima ſigna notat, quæ proprium, & legitimum ſuum munus oſtêdunt, & adulterinum, & extraneum aliorum. Quis non credat furem, cui obſiſtunt portæ domus? Quem ianitor impellit? Cuius ad vocem contremiſcunt oues? Ille equidem vetus Dominus eſt, cui præbent aditum patentes portæ, & ianitor facilitat ingreſſus, & ab ouibus eius ſibilus noſcitur.

Ioan. 10. Amen dico vobis, qui non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt, & latro. Qui intrat per oſtium, paſtor eſt ouium.

§. I.

Ab exitu huius vitæ, & ingreſſu futurâ vera claret nobilitas hominis, & gloria.

NOn tam in alio, quàm in ingreſſu oſtij dicitur ſiue Dominus, ſiue latro internoſci; porta enim domus, qua vel ingredimur, vel eximus, deſignat Dominum, aut latronem. Et quidem quæ tibi fuerit nobilitas, & præſtantia vera in portis, hoc eſt, in exitu huius vitæ, & ingreſſu alterius, euidenter patebit. De animarum noſtrarum ſponſo Ieſu dicitur Prou.3. *Nobilis in portis vir eius.* Cur non magis nobilis in plateis, in compitis, in populorum frequentia? Non quæ in conuentu hominum, quæ in negotiis mundialibus nobilitas eſt, illa vera nobilitas cenſetur, quæ enim vera eſt, ſolùm ſumitur à portis, hoc eſt, ab eo quòd apparet quis in vitæ exitu, & ingreſſu futuri ſæculi. Ad hæc D.Greg. lib.6.Mor. c.5. *Humani generis redemptor in portis ſe nobilem oſtendit: qui deſpectus prius in contumelijs extitit, ſed in ingreſſu regni ſublimis apparebit.* Non in plateis, non in compitis populorum, ſed in portis ſe nobilem oſtendit maximus virorum Ieſus, imò quæ à mundialibus plateis venit, nobilitatem deſpiciens, & gloriam, maluit, dum inter homines ageret, contemptibilis apparere, illam ſolam, vt veram, quæ à portis, hoc eſt, à vitæ exitu, & ingreſſu regni venit, gloriam affectans. Non vitę huius viæ, ſed ingreſſus futuræ illum & ſublimem, & cæteris præſtantem oſtendit: nulla enim ſublimitas, nulla pręſtantia hominis, quo non apparet in exitu vitæ, & ingreſſu regni. De glorioſis huius mundi aiebat Eccl.c.1. *Quid habet amplius homo de vniuerſo labore ſuo, quo laborat ſub ſole?* Explicatiùs in rem noſtram ait lectio Arabica: *Quæ præſtantia homini in omni labore ſuo, quo laborat ſub ſole.* Nulla præſtantia eſt, nulla excellentia, quæ hominem reddat homini ſuperiorem, dum eſt ſub hoc ſole quiſquis homo ſe oſtendere cupit homine ſuperiorem, & præſtantiorem, labores ſuos non det in ſolem, ſed ſupra ſolem. Quàm vitæ exitus oſtendit præſtantiam, illa vera eſt, & ſolida, efficta namque præcellentiæ prorſus euanent & diſparent in portis mortis. Id quod notabat Olympiod.in cat. fatus: *Quid homine homo amplius habet in eo labore, quo non ſupra ſolem, ſed laborat ſub ſole, quando omnes relicta præſenti vita, communem mortem ſubimus?* Equidem de mundialibus ſplendoribus nullus non diſparebit, vel ad vmbram portarum mortis: vix ſonitus portæ mortis audietur, & cadent adulterini omnes mundi ſplendores. Pulchrè D. Bernard. epiſt.103. monebat amicum: *Doleo ſuper te chariſſime, cogitans illos tuos mores ingenuos, quàm inanibus ſtudiis atteras, dum de tantis muneribus, non authori Chriſto, ſed rebus deſeruias tranſitoriis. O ſi mors inopinata ſurripiens iſta concuſſerit, heu ſubitò cuncta velut ad impulſum vrentis, & furentis venti, tanquam fœnum velociter areſcent, & ſicut olera herbarum citò decident.* Sic quæ gloria, & præſtantia à mundialium curſibus emendicatur, in mortis portis prorſus diſparere euanet, ſicut puluis, quem proiicit ventus à facie terræ. At quæ vera præſtantia, & excellentia eſt, à mortis porta magis exaltatur, nobilitatur. Ait enim Pſ.9. *Qui exaltas me de portis mortis, vt annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.* Et quanta exaltatio venit à mortis porta homini, qui inde tranſmittitur ad portas cœleſtis Sion? Fallar ſi vſquam notior hominis præſtantia, quàm in tranſitu à mortis porta ad portam diuinæ Sion. Monebat Tertul. aduersùs Gnoſticos: *Scito nec vllam moram, aut quæſtionem in limine Chriſtianis occurſuram, qui non dignoſci habent illic, ſed agnoſci.* Illa eſt Chriſtianorum nobilitas, & præſtantia vera, quæ in mortis portis, in regni ingreſſu non debeat inquiri, ſed debeat agnoſci: has portas expectet, qui velit manifeſtè oſtendere, qualem præſtantiam præ cæteris habuerit. Hinc Dominus conſulturus Iſraëlitis inſigne, quo diſtinguerentur ab Ægyptiis, & Angelum interfectorẽ cauerent, poſt agnum occidi iuſſum, ait Exod.12. *Faſciculúmque hyſſopi tingite in ſanguine, qui eſt in limine, & aſpergite*

Prou.3.

Gregor.

Eccleſ.1.

Olymp.

Bernard.

Pſal.9.

Tertull.

ex eo superliminare, &c. Septuag. autem legunt : *Sumetis vobis fasciculum hyssopi, & tingetis ex sanguine, qui est iuxta ostium.* Et non paruam mouet quæstionem D. August. ibi quæst. 46. cur iubeatur speciatim hyssopus tingi in sanguine, qui est iuxta ostium, siue in limine portæ. Solus enim agniculus occidebatur, cuius sanguis seruabatur ad protectionis, & immunitatis insigne, nec inter ceremonias agni occidendi, iussum fuit, quòd sanguis poneretur iuxta ostium in portæ limine ante tincturam, sed solùm sanguis agni petitur. Cur ergo non placuit solum dicere, *tingetis ex sanguine agni*; sed notanter adiecit, *ex sanguine, qui est iuxta ostium?* Crediderim ibi nos doceri à Deo, in quo sanguine debeant fideles gloriari, & discerni, nimirum in sanguine, qui est iuxta ostium, hoc est, in præstantia, quæ appareat in vitæ exitu, in futuri sæculi ingressu. Vna mortis porta, & futuri sæculi ingressus demonstrat insigne, quo nobiliores, & præstantiores appareant homines præ cæteris.

§. II.

Qui opera, & studia sua non Deo seruiendo, sed temporalibus commodis acquirendis dirigit, hominis perituri terit viam.

Ecce vobis perituri latronis manifestissimum signum, nimirum, & quòd non intrat per ostium, *sed ascendit aliunde.* Latro es periturus quisquis ascensiones meditaris in corde tuo, hoc est, eò dirigis opera, & curas, & studia tua, vt temporaliter crescas, non vt in æternum viuas per Christum. Quæ Deo debentur studia, qui propriis temporalibus cōmodis tradit, reus inuenitur latrocinij, & morte dignus. Exod. 30. iubentur varia, & multa aromata comparari, vt thymiama fiat: & post iam comparata aromata, in-
Exod 30. quit: *Cumque in tenuissimum puluerem vniuersa contuderis, pones ex eo coram tabernaculo testimonij, in quo loco apparebo tibi. Sanctum sanctorum erit vobis thymiama. Talem compositionem non facietis in vsus vestros, quia sanctum est Domino. Homo quicumque fecerit simile, vt odore illius perfruatur, peribit de populis suis.* Quantum peccatum est, quòd homo comminuat aromata, in puluerémque tenuissimum reducat, ad hoc, vt ipse illorum odore perfruatur, vt ex eo perditionem incurrat? Sanè notabantur ibi illi, qui debita Deo studia in temporalibus commodis habendis consumunt, qui quidem eo ipso depu-
Damian. tantur ad ruinam. Vnde aiebat D. Petrus Damian. lib. 8. epistol. 9. *Quisquis ergo, siue litterarum sæcularium disciplinis, siue rebus quibusque terrenis hoc studium exhibet, quod ad placendum Deo, examinationi dumtaxat intimæ principaliter debetur, meritò perit: quia thymiama, quod soli Deo debuit, rebus temporalibus, & caducis impendit.* Cur non pereat à populo Dei? Cur latrocinij reus non habeatur, & latrocinij deputetur ad pœnam, qui contritionem, & solicitudinem animi, quam Deo debet, habendis bonis impendit caducis? Homo debet Deo seruire ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus suis, vt sic gloriam nanciscatur diuinam; ille autem non ita Deo seruit, sed cupiditatibus suis, vt fruatur mundi creatura. Meritò ergo Dei iram commouet, & latrocinij arguitur, debitásque illius pœnas luit. Et quidem miserrimum est, omníque supplicio dignum, laborum, curarum, vigiliarum pretia illa exhibere pro bonis caducis, quæ Deo exhibita æternos thesauros acquirerent.
Osea 2. Oseas cap. 2. aiebat ad magistros, & Principes populi sui. *Et hæc nesciuit, quia ego dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicaui ei, & aurum, quæ fecerunt Baal. Idcirco conuertar, & sumam frumentum meum*, &c. Meritò spoliari, & percuti meruerunt, qui aurum, & argentum Dei, non Deo acceptum retulere, sed illud in idolis confingendis insumpserunt. Et quis fecit tale latrocinium? Quis tantum piaculum commisit? Rem explicat Petrus Blessen-
Blessens. sis epist. 14. inquiens. *Fabricant Baal de auro, & argento Domini, cuius sapientiam, & eloquentiam dedit Deus ad dandam scientiam plebi eius; ipsi verò talentum Domini terræ infodiunt, atque Baal constituunt, dum pro temporalium rerum quæstu, quasi sub talis alea vitam & animam ponunt. Isti constituunt arcam Domini in Azoto, quod interpretatur ignis concupiscentiæ, quia per ambitiosam concupiscentiam gloriam nostræ professionis euacuant. Perditæ vitæ homines se laboribus torquent, cruciant curis, expensis euiscerant, figuram araneæ gerant, quæ de suis visceribus telam texit, vt capiat muscam vilissimam. Quid est inanis gloria, quam venantur, nisi musca vilissima, murmurosa, sordida, pungitiua?* Quid pulchrius? Satis inde perditæ vitæ homines ostenduntur, dum tot pretiosa studia impendunt pro caducis, tot labores, & curas pro idolis confingendis subeunt, tot retia texunt pro vilissimis muscis. Et meritò furum pœnas luunt, latronum excruciationes patiuntur. His sunt similes illi, de quibus ait Petrus Dam. Damian.
lib. 2. epist. 1. *Væ his, qui obliuiscentes affectum cognationis, & patriæ, sequuntur castra regum per ignota, & barbara regna terrarum. Et ad hoc eos impellit pereuntium ambitio dignitatum, quod extorquere non potuit cælestium promissio præmiorum. Vt enim non sint domestica facultate contenti, fiunt apud extraneos peregrini: vtque super alios, vel feram arripiant ferulam, duram ipsis præpositis exhibent clientelam.* Ecce tibi in quanta perueniunt latronum supplicia, qui veræ gloriæ ostium Christum relinquunt, & ascensiones suas venantur aliunde. Quippe vt pereuntes dignitates ambiant, vt fauores aucupentur Principum, & à cognatorum conuentu segregantur, & exilia patiuntur, apud ignotos, & extraneos peregrini durissimam exhibentes præpositis seruitutem.

§. III.

Ambitio crudelissima est.

Vt verè, sic sapienter ait Dominus; *Qui ascendit aliunde, ille fur est, & latro.* Qui enim ascensiones meditatur in corde suo, qui in altis habitat, & in mirabilibus super se, non solùm est fur, sed & latro est, imò omnium latronum crudelissimus. Supra furem addit latro crudelitatem, qua vt aliena acquirat, minimè parcit proprij Domini vitæ: sic ambitiosus homo, vel omnium hominum interitu comparabit, quòd ipse solus fulgeat. Aiebat Ezech. 21. *Gladius,* Ezech. 21.
gladius exacutus est, & limatus. Vt cædat victimas exacutus est, vt splendeat limatus est. Non otiosè & acumen, & splendorem notat in gladio esse. Sed cur necessum fuit tremendi gladij splendorem notare? Si perterrefacere populos cupiebat, maximè perterrefaceret, acutissimum iamiam imminentem prædicare gladium; cur & splendentem addidit? Facit plurimum ad crudelitatis exaggerationem, quòd gladius simul cum splendoris ambitu exacuatur; vbi enim ambitio splendoris est, non potest non esse crudelissimus gladius. Pro quo aiebat D. P. Damian. lib. 1. epist. 20. ad ambi- Damian.
tiosum quendam fatus: *Cur autem duo hæc iste gladius habebat, hoc est, vt limatus sit, & acutus, sequutus exponit: Vt cædat, inquit, victimas exacutus est; vt splendeat limatus est. Nonne in te euidentior ista congruere, qui videlicet vt solus valeas dignitate splendescere, totum regnum laboras in prælium, velut occisionis victimas, compugnare?* Hoc sit clarissimum ambitiosi hominis signum, nimirum gladius ad fulgendum limatus, & ad occidendum acutus, vt qui pro splendore singulari obtinendo nullius parcit internecioni, nullius parcit vitæ. Quem non perimat ambitiosus, vt ipse solus effulgeat? De ambitionis patre locutus Dominus Ioann. 8. ait. *Ille homicida erat ab initio.* Et quomodo ab initio fuit diabolus homicida? Si prima eius vox audiatur, nullum homicidium sonat, nihil, quod ad sanguinis effusionem spectet, dicit. Solum enim dicitur de eius primo peccato Isai. c. 14. Isai. 14.
Dicebas in corde tuo: In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. In omnibus his, nec vmbra homicidij inuenitur: solùm inuenio cogitatas ascensiones in corde ipsius; in quo ergo fundata est ibi homicidij suspicio? Eo ipso quòd ascensiones meditabatur in corde suo, quòd Altissimi ambiebat fulgere similitudine, & homicidia meditabatur, & omnem Christi filij Dei tragœdiam fundabat, vt vel pereunte filio Dei solus in throno fulgeret ipse. Eleganter Rupert. lib. 8. in Ioann. inquit: *Et re vera mox, vt contra fi-* Rupert.
lium Dei, qui solus similitudo patris est, superbo tumescens odio dixit in corde suo: Similis ero Altissimo, quoniam odium illud permanens Iudæorum homicidio consummandum erat, iam tunc in conspectu patris, & ipsius, qui hæc loquitur, filij, homicida erat. Ex quo thronum ambiuit, & fastuosum ascensum meditatus est, iam inter hos affectus ascendendi sæuissima conflabantur homicidia. Nullum enim ambitio pectus tenuit, à quo statim cædium cogitationes ortæ non extiterint. Non grauabo legentes tragœdiarum segere penè infinita ab ambitiosis nata, vt soli ipsi effulgeant. Vnus pro omnibus Abimelechus præclarè ambitiosi personam egit: qui vbi primùm de regno habendo cum Sichimitis locutus est, Iudic. 9. *Venit in domum patris sui in Ephra, & occidit fratres suos* Iudic. 9.
filios Ierobaal septuaginta viros. Simul equidem in pectus Abimelechi intrauit ambitio, & tanti cogitantis parricidij.

Pro

Pro quo eleganter cecinit ibi Arias Montanus,

At hominum aspicimus fraterna cæde cruentum
Natalem temerare vrbem, generisque paterni
Multiplici iugulo ferrum lassare, nec vsquam
Sacrilegas lassare manus, rabiémque furentem.
Scilicet hac demens dominandi sæua cupido est.

Nulli non nota ambitionis sæuities, eius venenum qui biberit, gloriæ inebriatus amore, nullius parcet vitæ, vt vel de omnium vulnere proprium splendorem confirmet. Vnde Idiota sapientissimus lib.1. de Amore diuino cap.25. sic hanc luem definit; *Ambitio est, cùm quis quærit sui exaltationem, & proximi deiectionem; vt sic altior factus à pluribus videri possit, & in admiratione haberi.* Non adeò malum esset, quòd ambitiosus sui exaltationem quæreret; sed parum hoc est illi, nisi in aliorum deiectionem prosiliat, vt de communi omnium ruina suas sibi ascensiones efficiat. Meritò huic pessimo affectui furentium hominum strages D.Bernard. attribuit: ait enim epist.126. *Quænam putas est tanti causa furoris? Non alia sanè, nisi quòd displicet mortalibus angelica illa partitio, quæ gloria Deo, pax hominibus nuntiatur, & quia gloriam vsurpant, turbant pacem.* Nunquam non exsurgunt bella, frequentantur homicidia, præcedit gloriæ rapina.

Idiota. Bernard.

Text. Huic ostiarius aperit, & oues vocem eius audiunt, & proprias oues vocat nominatim, & educit eas.

§. IV.

Christum Dominum in corde habenti omnia claustra aperiuntur.

CVr diuinum, verúmque pastorem non vereatur ostiarius? Crede mihi, si Iesum præmittas, si Iesum in corde tuo feras, nulla inuenies impedimenta, quæ non aperiantur tibi. Felix Simeon vbi Iesum in manibus habuit, sic statim cecinit Luc. 2. *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum, in pace.* Meritò vinculis, & clausuræ omni vale dicit, ex quo Iesum in manibus suis videt. Pulchrè Origen.homil.15. in Luc. *Quamdiu Christum non tenebat, quamdiu illum brachijs non arctabat, clausus erat, & de vinculis exire non poterat. Hoc autem non solum de Simeone, sed de omni humano genere sciendum est. Si quis egreditur è mundo, si quis è carcere vinctorũ domo dimittitur, vt ad regnandum vadat: sumat Iesum in manibus suis, & circumdet eum brachiis suis, totũ habeat in sinu, & tunc exultans ire poterit, quò desiderat.* Nullum impedimentum, nullũ claustrũ est, quod non cedat & aperiatur Iesum portanti. Si tecum Iesum habeas, quocumque iueris omnia repagula, claustra omnia inuenies aperta, & patẽtia. Apud Isaiam c.43. aiebat Dominus: *Propter vos emisi in Babylonem, & detraxi vectes vniuersos.* Et propter quos, sic fecit Dominus omnes vectes detrahi, omnia claustra aperiri? In rem præsentem Hieron. id explicat fatus: *Propter vos, qui mecum Euangelium prædicatis, quibus suprà dixi: Noli timere, quoniam ego tecum sum.* Vbi enim sint, qui secum Iesum habeant, nullos inuenient vectes nulla repagula inueniẽt, sed patẽtia vniuersa claustra. Quò iuxta plurimorum Patrum explicationem respiciebat Isaias cap. 45. aiens in lectione Septuag. *Sic dicit Dominus Deus Christo meo Domino: Cuius apprehendi dexteram, vt subijciam ante eum gentes, & fortitudinem regum disrumpam, operiam ante eum ianuas, & portæ non claudentur. Ego ante te ibo; & montes complanabo; portas æneas conteram, & vectes ferreos confringam, & dabo tibi thesauros absconditos, inuisibiles aperiam tibi.* Multus est Tertull.lib. aduersùs Iudæos, in ostendendo, quàm patuerint omnes & ciuitatum, & nationum, & regnorum portæ vero Domino Christo, vt ex hoc euidentissimum testimonium detur assistentiæ Iesu, quòd nimirum ante illum statim patefiant claustra vniuersa. Origenes lib.4. Periar.c.2. de claustris, & signaculis sapientiæ, & Scripturarum interpretatur, quæ vni Iesu parent; Hilar. in Psalm.138. ad vectes ferreos, & portas æreas inferorum confugit, quas facit patere Christi sanguis. Et sanè nullum claustrum est, siue in cœlis, siue in infernis, siue in terris, quod Iesum secum habenti non aperietur. Exod. 19. venit Dominus in montem Sina, quem densissima nube clausit, ne possit ab aliquo homine calcari. Nihilominus Moyses intrauit caliginem illam, in qua legem à Deo accepit. Verùm Exodi cap.40. erecto in tabernaculo, *operuit nubes tabernaculum testimonij, & gloria Domini impleuit illud, nec poterat Moyses ingredi tectum fœderis.* Id quod ponderans August. quæst.172. ait: *Notanda est quoque res multum mirabilis, quòd nube descendente, & implente tabernaculum, quæ tamen gloria Domini dicitur, non poterat Moyses intrare tabernaculum: qui in monte Sina quando legem primitus accepit, intrauit in nubem, vbi erat Deus.* Et quidem vtrobique erant eadem impedimenta; vtrobique eadem nobis claustra visebantur, & in monte, & in tabernaculo. Cur ergo Moyses non potuit intrare tabernaculum nube clausum, qui montẽ simpliciter clausum intrabat? Differentiæ causa sumenda est ex cap. Exod.32. vbi dicitur descendisse de monte cũ Moyse Iesus Naue, qui nõ descendisset, nisi etiam cum ipso Moyse ascendisset; dũ ergo Moyses secũ Iesum habet, nullum claustrum inuenit, quod nõ pareat; omnia aperta sibi inuenit, & manifesta, quę causa fuissent, nisi secum Iesum portaret. Pro quo D.Cyr. Alex. lib.10. de adoratione ait: *Ascendente in montem beato Moyse, simul ascendit Iesus, neque aliter adiri ad Patrem potest, nisi per filium. In Christo igitur ipsi quoque sanctis viris patet aditus: in Christo nobis ardua omnia plena sunt, & aspera peruia, facilia item, ac prona, quæ sunt inaccessa.* Hoc proprium inuenies in Iesu, quòd omnia illi pateant claustra; quòd omnia sint ei aperta, & accessa, quò spectauit tota eius victoria, vt dicat Apoc.5. *Ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum, & soluere septem signacula eius.* Dicitur Iesus vincere; quòd si quæras spolia tantæ victoriæ, illud pro victoriæ pretio ponitur, nimirum, *aperire librum, & soluere septem signacula eius*; ne vltrà signaculum vllum, siue claustrum maneat, quod non pareat Iesum habenti.

Luc.2. Origen. Isai.43. Hieron. Isai.45. Exod.40. August. Cyrill. Apoc.5.

§. V.

Boni Prælati tenentur prænoscere, & præuenire singularum ouium balatus, & voces.

ECce tibi boni Prælati notionem, imò obligationem, nimirum, quòd non ipse primò audiat ouium balatus, & gemitus, vocantium pastorem; sed ipse primò audiatur, & primò vocet ad se singulas oues, singularúmque despiciat necessitates, gemitúsque, & voces illarum diligentia præueniat sua. Textus enim ait de bono, & vero Pastore: *& oues vocem eius audiunt, & proprias oues vocat nominatim, & educit eas.* Non ipse expectat audire balatus, non ipse expectat quæri, & vocari ab ouibus, sed diligentia sua, earum præuenit gemitus, & voces. Felicissima illa Christi ouis, nimirum eius sponsa Cant. 5. de suis pastoribus aiebat: *Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatem, &c.* Non ipsa inuenit, sed inuenta est: boni equidem pastores, custodes optimi, qui non domi exspectabant & quæri, & vocari, & inueniri ab ouibus; sed vigilantiores ipsi curabant, vt inuenirent, & vocarent ouium etiam minimam. Ait Gillib. Abb. serm.6. in Cant. *Inuenerunt custodes; non sunt inuenti, sed inuenerunt. Diligentia ipsorum in hoc commendatur. Pigri enim custodes, & malè fideles nullam in hoc adhibent diligentiam: non eunt, non quærunt, siquidem inueniant cauteriatam conscientiam habentem. Non conueniunt subditos, & fortè molestum ducunt, si compellantur ab ipsis. Non nisi interrogati proferunt verba solatij, nec tunc quidem.* Proh pigrissimos pastores, qui interrogari, qui quæri, qui conueniri ab ouibus priùs expectant. Malè prouisum est gregi, quando eius pastores & defensores, non præuenire curant voce, & exhortatione, & diligentia ouium necessitates, sed expectant ipsi ouium pulsibus excitari, & præueniri. Præclarissimus ille Israëlis Princeps & pastor Ionathas Machabæus, vbi curam populi suscepit, sic scribit Spartiatis 1.Machab.12. *Nos cùm nullo horum indigeremus, habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris. Maluimus mittere ad vos renouare fraternitatem, & amicitiam, &c.* Bonus pastor habebat pro se, suóque populo sanctos libros, & nihilominus Spartianorũ copias in auxilium solicitat, quibus populos prouidere posset. Sed cur ô Ionatha, vltra libros sanctos, alios requiris socios? Siquidem in libris sanctis solatium est plenum populo tuo, adeò vt nihil vltrà requiratur, fateris enim te nullo alio indigere; cur non contentus es prouidisse libros? cur adhuc sociorum solicitas adiumenta? Planè libri sancti omne solatium habebant: sed necessum erat, vt qui solatium ex libris expectat, ipse prius accedat, ipse librum ardeat, & paginam legat. Præclarè ergo qui pastoralem curam populi habebat, non contentus est parere ouibus suis librorum solatia, expectans domi mutus velut liber, vt prius ipsæ oues accedant, & quærant. Pigritia hæc est

Cant.5. Gillib. Abb. 1. Mach. 12.

est pastoris, cuius diligentia in eo consistit, quòd prouideat auxilia, quibus ipse præcurrat, & præueniat, & vocibus oues iacentes excitet, alliciat dispersas. Accipite modò Gillibertum Abb. vbi suprà pulcherrime differentem: *Litera, quod habet in pagina, tantum promit, ut superadiicient, vel industria, vel diligentia. Alia est planè custodis ratio: præuenire debet, non tantum exponere: excitare magis, quàm expectare quæsituros.* Malè prouidet pastor ouibus, cuius vox non peruenit prima ad oues, cuius diligentia non sentitur priùs quærens, & inueniens infirmum pecus, sed instar libri propriæ commoditatis curis catenati expectat quæri, & non nisi interrogatus profert solatij verba. Abeat ergo pastor ad oues, vocet eas ad se, quærat, excitet; & vel in angulis iacentes inueniat: sic de se verus hominis pastor Ezech. 34. *Ecce ego ipse requiram oues meas, & visitabo eas, sicut visitat pastor gregem suum, in die quando fuerit in medio ouium suarum dissipatarum.* Non libri domi manentis, & expectantis legentes, sed pastoris præuenientis diligentiam promittit Dominus, & se verum pastorem ostendit: vt se pastorem ostendat, dicit, quòd non expectabit quæri ab ouibus, sed quòd ipse quæret. Quò spectans D. Paschas. lib. 6. in Matth. pastoralem Iesu promissionem notans adimpletam ait: *Propterea ergo circuit Dominus omnes ciuitates, docens, & sanans, vt omnes inueniat. Alioquin oues, nisi prius requireret, & misertus vidisset, hactenus in suis totus grex iaceret languoribus.* Non se pastorem putaret Dominus si ipse expectaret ab ouibus quæri, & non potius ipse omnibus accurreret, vt omnes inueniat, & in vitam excitet. Adeo vt vel eo solum non putetur Dei ouis, quæ non cernitur à diuinissimo pastore in particulari quæri. Centurio ille Matth. 8. pro infirmo seruo sic alio transeuntem Dominum precabatur. *Domine puer meus iacet in domo paralyticus.* Puer meus iacet, inquit cur non magis ait, puer tuus, siquidem cum vero, & solo Domino loquebatur? Cur centurio suum putas puerum, & non potiùs illum puerũ Domini fateris? Vidit puerum iacentem, & minime à Iesu requiri, sed necessarium esse, quòd priùs pro puero rogaretur, hinc non audet putare puerum illum, sub tanti pastoris dominio esse. Acute, & eleganter Chrysol. serm. 15. ex ore Centurionis, ait. *Hanc tuum dicerem Domine, quem iacentem tua benignitas non requirit?* Facilius putare possumus aliquem non esse sub dominio tanti pastoris, quàm quò diuinus pastor suam non requirat, & excitet iacentem ouem. In tantum est pastor quis, in quantum ipse non expectat quæri, sed magis prius quærit, & requirit, & vel iacentes inuenit. Hanc curam pastoritiam reliquit Sanctus Ignatius, parens meus, suarum omnium pastoribus, quibus iubet, ne expectent quæri, & interrogari, sed potius ipsi singulis saltem mensibus oues alloquantur singulas, rationem conscientiæ sibi reddi postularent, morbos, & infirmitates variis perscrutationibus inquirant. Sed quid si ipsi inquirant? an ideo morbos aperient oues, & non magis celabunt à pastoribus suis? Pastor inquirat primo, vocet ad se, alloquatur, percontetur de singulis, & ad Deum pertinebit illi omnes ouium infirmitates reddere patentissimas. Ezechieli cap. 8. dicebat Dominus: *Fili hominis fode parietem. Et cum fodissem parietem, apparuit ostium vnum. Et dixit ad me; Ingredere, & vide abominationes pessimas, quas isti faciunt hic. Et ingressus vidi, & ecce omnis similitudo reptilium, & animalium,* &c. Sanè parietibus erant clausæ vniuersæ hæ abominationes Israelitarum; iubetur tamen eorum pastor, & Propheta Ezechiel parietem fodere? Diligentiam adhibere de singulis inquirere, & perscrutari; quid tunc? *Cùm fodissem parietem, apparuit ostium vnum,* &c. Vix diligentiam adhibuit, vix ipse perscrutari cœpit, & ecce ostium apparuit patentissimum, quo omnes, & occultissimas ouium nouit infirmitates. D. Gregor. 2. Pastoral. cap. 10. *Per Ezechielem quippe præpositorum ordo signatur, per parietem duritia subditorum. Et quid est parietem fodere, nisi acutis inquisitionibus duritiam cordis aperire? Quem cùm fodi, apparuit ostium: quia cum cordis duritia, vel studiosis percunctationibus, vel maturis correptionibus scinditur, quasi quædam ianua ostenditur, ex qua omnia cogitationum interiora videantur. Vnde & bene sequitur: Ingredere, & vide abominationes pessimas, quas isti faciunt hic.* Nulla infirmitas ouium, nulla abominatio etiam intimis præcordiis occulta non manifesta patet pastori, qui, quod in se est, facit, conueniens oues, alloquens singulas, perscrutans, inquirens.

Gillib. Abb.

Ezech. 34

Paschas.

Match. 8.

Chrysol.

Ezech. 8.

Gregor.

Text Et cùm proprias oues emiserit, ante eas vadit: & oues illum sequuntur, quia sciunt vocem eius. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum. Hoc prouerbium dixit eis Iesus, &c.

§. VI.

Infirmæ virtutis homines in hoc viuent, si percipiendæ pastoris voci incumbant.

Quisquis ouis est, nulla adhuc insignitus virtute virili, sed gregali infirmitate curuatus, caueat, aliud sublimius affectet, quam vocem pastoris percipere. Oues enim infirmæ ideo benè sequuntur, ideò benè gradiuntur, quia vocem pastoris noscunt, quia ad vocem excipiẽdam promptissimæ existunt. Vbi lex dabatur in monte Sina inter densissimam caliginem, inter flammarum lampades coruscantes, vnus Moyses, & Aaron tenebant montis cacumen; at de gregali multitudine dicitur Exod. 20. *Cunctus autem populus videbat voces.* Admittitur Moyses ad cacumina montis terenda, ad scrutandam, & penetrandam caliginem, ad scribendam legem: verùm gregalis multitudo, vt infirma minimè admittitur; imò in eo vita cuiusuis popularis, & infirmi hominis consistit, quòd monti non appropiet, sed solùm voci audiendæ, & percipiendæ incumbat. Ait D. Nazianz. orat. 29. *Primum igitur ex ipso Moyse audio, quo tempore oracula es Deus edabat; quamuis ad montem multi acciti essent, inter quos Aaron etiam erat, cum duobus filiis, iisque sacerdotibus; tamen cæteros omnes eminus adorare iussos esse, Moysem autem solum ad eum propiùs accessisse, populum verò ne simul quidem ascendisse. Atque alios fulgura, tonitrua, tubarum clangor, & mons fumo circumfusus, & horrenda comminationes, atque huiusmodi terrores deorsum sistebant, adeò vt ipsi præclarè secum agi arbitrarentur, quòd vel solam Dei vocem audirent.* Expende in quo præclarissimum beneficium populares homines acciperent; nimirum, *quòd solam Dei vocem audirent.* Nunquam enim non cautum fuit, & maximè timendum homini infirmæ virtutis aliud sublimius spectare, quam vt vocem audiant, & percipiant pastoris diuini. Notissimus est Manue ille pater Samsonis, cui Angelus Domini apparuit, ad colloquium admisit, nasciturum reuelat filium, & inter sacrificij flammas abiuit. Quid tunc Manue? Habes Iudic. 13. *Statimque intellexit Manue Angelum Domini esse, & dixit ad vxorem suam: Morte moriemur, quia vidimus Dominum.* Cur inde timeat Manue mori, quòd Dominum viderit? Nónne & Abraham vidit Dominum, & Iacob, & post legem latam Iosue, & tamen non mortui sunt, nec vllum damnum percepere? Cur ergo timeat Manue mori, quia Dominum vidit? Nón equidem timet, quia ipse vidit, sed quia cum fœmina viderit, etenim dixit ad vxorem suam, *morte moriemur, quia vidimus Dominum*; non quia ego vidi sed quia & ego, & mulier vidimus. Homo enim qui adhuc infirmitate fœminea detentus est, nunquam sine periculo, & metu potest spectare sublimia, sed solum vocem audire. Ex quo Nazianzen. vbi suprà deterrebat infirmæ virtutis homines à sublimiatum ambitu: *Ne aliquando nobis idem, quod Manue accidat, ac Dei visione perstricti exclamare cogamus: Perimus mulier, Deum vidimus.* Caue tibi, qui infirmus es, qui ouis es, qui nondum virili, & perfecta virtute viges, ne velis in potentias Domini introire, mirum enim erit, quòd inter Dei magnalia, cum vna fœmina non pereas. Vbi & montis caligo, & turbo adeunda sunt, non ouis adeat, sed pastor; non populus, sed Moyses; non fœmina, sed qui perfecta, & virili virtute insigniuntur. Hinc Iob. 40. dicitur: *Respondens autem Dominus Iob de turbine dixit: Accinge sicut vir lumbos tuos, interrogabo te, & indica mihi.* Expende quem admittat Dominus secum colloquentem de turbine, non alium quam illum, qui exclusa fœminea infirmitate, virilem accinxerit virtutem. Ad quæ verba Origen. in cat. Græc. ait: *Nec enim quisquam, qui par est dignitate, cum Deo loquatur, nisi lumbis succinctus, atque compressis. Non igitur Deo quisquam prius respondeat, quàm vir effectus extiterit, hoc est, ad spiritualem ætatem peruenerit.* Omne exeat fœmineum, qui de sublimi dignitatum cum Deo colloquium habet: nec prius eò accedere festinet quàm perfectus vir existat. Qui adhue fœminea infirmitate laborat, qui ouis est, id solum sibi procuret, nimirum vocem pastoris audire, non exaltare quasi turbam vocem suam. Ad sublimia, & excelsa dignitatum cacumina vocabat Dominus perfectissimam sponsam suam Cant. 4. inquiens: *Veni de Libano sponsa mea: veni de Libano,*

Exod. 20.

Nazianz.

Iudic 13.

Nazian.

Iob 40.

Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. Perfectissima erat sponsa, & quæ obedientiæ virtute præ omnibus florebat, & nihilominus ter à sponso vocari expectat, de suis seruis gloriabatur. Centurio Matth. 8. *Dico huic, veni, & venit;* semel vocat, semel dicit, veni, & venit. Dominus autem suæ sponsæ non semel tantùm, sed bis, & ter dicit: *Veni de Libano, veni de Libano, veni.* Cur non ad primam euolat vocationem? Cur ter vocari expectat? An seruis Centurionis inferior? Absit: sed vocabatur ad cacumina montium, vt coronam acciperet, vt inter leonum rugitus, & pardorum fremitus principatum gereret. Et quæ muliebrem infirmitatem suam perfectè notat, & ægrè & difficulter ad horroris, & periculi plena cacumina accedit, Gillibert. Abb. serm. 29. in Cant. fatur: *Quid mirum si moretur venire, cùm & molestum sit de Libano discedere, & metuendum sit ad montes illos accedere? Et forsitan sponsæ mora festinationem nostram suggillat, & arguit, qui nimis prompti, & parum prouidi, vires nostras minus pensantes, festinamus ingredi in labores prælationis, in sollicitudinum molestias, & materiam lapsus: nec expectantes, vel semel vocari, vltro nobis ipsi honorum sumimus vocationem, vel præuenientes, vel arte procurantes.*

Gillib. Abb.

§. VII.

Ad oues Christi pertinet illa, quæ ad solam eius vocem cognitam exsurgit.

Accipe ouium Christi manifestissimam notam, *sequuntur illum, quia sciunt vocem eius;* non enim qualibet voce trahuntur, sed ex Christi Domini voce prius cognita ad eius sequelam exsurgunt. Hinc Cant. 5. ipse Dominus ad ostium sponsæ pulsans aiebat: *Aperi mihi soror mea, proxima mea.* Cur tot nominibus sponsam compellat Dominus? Cur non sufficit dicere: Aperi mihi? Cur necessum fuit addi dulcissima illa cognomina, nimirum sororem meam, proximam meam? Sanè cautissima sponsa, vera ouis Christi non ad quamlibet vocem exsurgeret; nisi prius sciret, & nosceret dilecti sui vocem, minimè aperiret. Vnde Gillibert. Abb. serm. 43. in Cant. ait: *Disciplinam hîc attende custodiæ, vbi ianua passim non patet. Quis illuc intrabit ad arbitrium, vbi Iesus, sine interpellatione non intrat, nec nisi cùm fuerit audita, & nota vox eius? O me felicem, si de mea dici anima queat!* Felix illa anima est, & ad oues Christi pertinet, quæ nisi ad cognitam Christi vocem nolit exsurgere, nolit vel Christi osculari vestigia. Quis ignoret sanctæ peccatricis dolorem in quærendo Christi diuinum cadauer, quod putabat à sepulchro surreptum? Adest tamen illi dolenti Iesus Ioan. 20. & ait: *Mulier quid ploras? Quem quæris?* Illa tamen, & simul aliò diuertens, & simul interrogans de sublato thesauro, non multum curabat loquentem, quem putabat hortulanum esse. Quid tunc? *Dicit ei Iesus: Maria. Conuersa illa dicit ei: Rabboni.* &c. Idem Iesus loquebatur antea, qui loquitur modò: sed modò admittitur, modò adoratur; antea quasi hortulanus relinquitur. Cur ô felix mulier ad prima eius verba, non aperuisti oculos tuos, non procubuisti ad tanti magistri pedes, vt vel eius lamberes vestigia? Erat profectò Magdalena ex ouibus Christi, quæ nec Christum admittit, nisi cum fuerit prius audita, & cognita vox ipsius. Ad hæc D. Chrysost. hom. 85. in Ioan. inquit: *Cùm dixit Maria. Tunc cognouit: ita non visu, sed vocis fuit cognitio.* Non prius ad eius pedes cucurrit, quàm illius sibi notam vocem perciperet. Quæ enim ouis Christi est, eiusque agitur spiritu salutis, voces habet sibi notissimas, nec nisi ex cognita salutis voce in opus exsurgit. Quem diuini Spiritus in nobis habitantem affectum attigit Sap. cap. 1. aiens, *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia scientiam habet vocis.* Quid magnum de spiritu Dei dicitur per hoc, quòd scientiam habeat vocis, cùm certum sit non solùm vocis, sed & rerum omnium scientiam habere? An magnum est, quod qui omnia scit, sciat etiam voces? Crediderim non ibi dici, quod solum in se habet diuinus spiritus, sed quod facit esse in nobis. Pertinet enim maximè ad diuini Spiritus commendationem, quòd vbi se infuderit animæ, illi communicet scientiam salutaris vocis, ne quid efficiat, nisi ex præcognita salutis voce. Id notabat Richard. Vict. serm. de Spiritu sancto fatus: *Et quomodo idem spiritus scientiam vocis habuit? In eo quod habere fecit.* Nihil prius in nobis facit Dei spiritus, quàm scientiam vocis, ne nisi à cognitis Dei vocibus in opus virtutum excitemur.

Cant. 5. Gillib. Abbas. Ioan. 20. Chrysost. Sap. 1. Richard. Victor.

§. VIII.

Vox salutaris, & gratiosa facit sentiri loquentem non extraneum, sed proximum.

Meritò in notitia vocis constituit Dominus fundamentum, quo oues sequantur sibi proximum, & proprium pastorem, & relinquant extraneum, & alienum. Vox enim salutaris, & gratiosa non potest non facere loquentem haberi proximum. Dauid semel in manibus suis habuit Saulem, quem posset occidere, sed maluit parcere, & cùm tantam misericordiam peregisset, 1. Reg. 24. sic cœpit clamare ad Saulem. *Ecce hodie viderunt oculi tui quod tradiderit te Dominus in manu mea, in spelunca: & cogitaui, vt occiderem te, sed pepercit tibi oculus meus,* &c. Quid tunc? Quid ex hac Dauidis voce beneficentiæ plena cognouit Saul? Ait textus: *Cum autem compleßet Dauid sermones huiuscemodi ad Saulem, dixit Saul: Nunquid vox hæc tua est fili mi Dauid?* Nunquam antea Saul vocauit Dauidem filium, imò neque Dauidem, sed habuit eum hostem, & inimicum; cur modò non hostem, sed proximum, sed cognatum, sed filium habet? Quæ virtus potuit facere à Saule in hoste sentiri cognatum, & filium? Ipse ostendit, dum ait: *Vox hæc tua est fili mi;* vox gratiam, & salutem spirans non potuit non facere sentiri proximum etiam à lapideo animo. Pulchre D. Chrysost. hom. vlt. de Dauid, & Saul ait: *Quàm subitò facta est mutatio? Qui nunquam sustinuerat illum, vel simpliciter vocare nomine, ipsam etiam appellationem habens exosam, nunc adoptat eum in cognationem, appellans eum filium. Verba quippè Dauidis ingressa in animum illius effecit totam hanc perfecerunt immutationem, adeo mox ad ipsam vocem incaluit.* Vbi Dauidis tanta suauitate manauit, nec durissimus Saul potuit anthorem talis vocis non habere in notis, & cognatis. Dixerat Dominus Magdalenæ Ioan. 20. *Mulier quid ploras?* & illa putauit se audire hortulanum; post pauca addidit Dominus compellare eam, aiens: *Maria. Conuersa illa dicit ei: Rabboni.* Iam nouit suum esse magistrum, & Dominum, quem antea putarat extraneum hortulanum. Sed cur non prima, sed hæc secunda Christi vox notum fecit illum Magdalenæ? Dum vox Christi Domini dixit *Maria*, eam suauitatem ostendit, quæ non potuit non facere esse in notis authorem vocis adeo suauis. Id quod notans Orig. hom. de Magd. fatur. *O mutatio dexteræ excelsi! Conuersus est dolor magnus in gaudium magnum: mutatæ sunt lachrymæ doloris in lachrymas amoris. Vbi Maria audiuit, Maria; præsensit in nomine quamdam singularem vocationis dulcedinem, & per eam cognouit ipsum, à quo vocabatur, esse magistrum suum.* In vocis dulcedine sensit, non esse alienum, non esse extraneum, qui vocabat; & quia proprium magistrum cognouit, ideo festina cucurrit ad pedes eius.

1. Reg. 24. Chrysost. Ioan. 20. Origen.

Text. Dixit ergo eis iterum Iesus: Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ouium. Omnes quotquot venerunt, fures sunt, & latrones: sed non audierunt eos oues. Ego sum ostium. Per me si quis introierit, saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet.

§. IX.

Prælati, & temporalia in hoc sæculo, & æterna in futuro prouideant ouibus suis.

Pulchrè commendatur Christi Domini pastoritia cura in eo quòd eius oues in omni ingressu, siue egressu pascua inueniant sua, quoquò se vertant, experiuntur pastoris sui curam, siue ad æterna egredientes, siue ad hæc ingredientes temporalia, & caduca. Ideo prouidentiam Prælatorum in subditos commendans Dominus in sponsa sua ait Cant. 4. *Duo vbera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli.* Nec minus, quàm duo vbera poterant prouidentiam commendare prælatorum, quæ duobus etiam necessitatibus prouideant. Ex quo dicebat Gillibert. Abb. serm. 31. in Cant. *Vberibus geminis erga subditos abundare debet, qui Doctoris & patris in Ecclesia locum occupat; his muneris mammis à dextris, & à sinistris, vt qui ei commissi sunt, potentur à lacte, & satientur ab vberibus consolationis eius. Harum alteram reputa sinistram, alteram dexteram: sinistram in temporalibus subsidijs,*

Cant. 4.

dexteram in ſpirituali conſolatione. Neutro hoc carere debent, qui ſubditis præſunt, ne mutilum, & velut detruncatum videantur pectus geſtare, vna deformiter mamilla contentum. Detruncatum, & deforme pectus habet Prælatus, cui non duo ſunt vbera, quibus & temporalia miniſtret, & ſpiritualibus imbuat ſubditos. Hinc maximus ille Prælatus Petrus Dam. dum ſe priuatum nouit Epiſcopatus fructibus, quibus pauperibus poſſet ſubuenire, à Pontifice maximo Nicolao II. enixè contendit, priuari etiam ipſa prælatura; *ne mihi*, ait, *quiſpiam de cætero inane beneficij nomen obijciat.* Equidem inane putabat vir ſanctiſſimus beneficij, & prælaturæ nomen, in quo oues temporalia ſolatia minimè poſſunt inuenire. Nec in tuina Hieroſolymitana inuentus eſt aliquis adeò prælaturæ ambitioſus, qui velit Prælatum agere, vbi non poſſit ſubditis etiam temporaliter ſubuenire. Imò hæc erat omnium vox Iſaiæ 3. *In domo mea non eſt panis, neque veſtimentum, nolite conſtituere me Principem populi.* Vbi Forerius inquit: *Videant, qui alijs præeſſe ambiunt, oportere eos domi habere non ſibi ſolis neceſſaria, ſed quibus alijs in tempore ſubuenire poſſint. A Præſidentibus enim, & Prælatis velut à penu refertiſſima petere debent ſubditi omnia humanæ vitæ ſubſidia, quo induti, atque paſti integráque valetudine Domino viuant.* Hinc orta fuit illa Apoſtolorum ſolicitudo pro cibandis pauperibus, qui in primo Chriſtianitatis duello egebant; hinc collectæ a Paulo factæ, vt qui in Iudæa affligebantur, aliquale alimoniæ ſolatium a Gentilibus conuerſis haberent. Fuit equidem Præſulibus Chriſtianis adnata ſolicitudo, quòd eorum oues, & temporalia ſubſidia, & ſpiritualia meterent. Quò ſpectabat fœdus illud Apoſtolorum, de quo Tertull. lib. aduers. Hermog. ait: *Dextras Paulo dederunt Petrus, & Iacobus, & Ioannes, & de officij diſtributione pepigerunt, vt Paulus in nationes, illi in circumciſione, tantùm vt meminiſſent egenorum.* Ad ſpiritualem cibum præſtandum terminos ſibi conſtituebant, ne quis curaret de alterius diœceſi; verùm pro temporalibus procurandis, & miniſtrandis nullus ſtatuitur terminus, vt oſtenderetur non minorem curam hanc in Eccleſiæ Prælatis eſſe debere. Vnde Caſſiod. 4. variar. 31. laudibus extollit Epiſcopum, qui aquæductum refecit, vt populari egeſtati prouideret. Ait enim: *Quid aptius, quàm vt ſitienti plebi prouideat aquas ſanctiſſimus ille ſacerdos? Et humana prouidentia ſatiet, quos etiam miraculis paſcere debuiſſet.* Planè decentiſſimum eſt, quod terrenam etiam pinguedinem prouideat ouibus ſuis ille, qui cœleſti rore tenetur illas implere. Ex quo laudat magnum Baſilium Nazianzenus orat. 20. inquiens: *Iam verò ipſius erga Eccleſiam cura, ac præſidij quàm iam multa quoque alia indicia ſunt, libertas ad præſides, cùm alios, tum potiſſimùm quoſque ciuitatis, controuerſiarum diceptiones nequaquam ſuſpectæ, egentium patrocinia, plura quidem ſpiritualia, ſed tamen corporea non pauca. nam id quoque ſæpè numero ad animam tendit, per beneuolentiam ſubigens, ac velut in ſeruitutem trahens.* Hæc ille.

Nicol. II.

Iſai. 3.

Tertull.

Caſſiod.

Nazianz.

§. X.

Chriſti Domini ſectatoribus ſolet Deus etiam temporalia bona largiri.

QVæ bona non habeat, qui Chriſtum Dominum ſequitur? Siue in mundum ingrediatur, ibi temporalia bona habebit, ſiue egrediatur è mundo, tunc æterna alimonia non carebit. Et extra mundum prouidet Deus æterna Chriſti ſequacibus, & in mundo etiam illos temporali ditat mercede. Maximus ille Abraham vbi pro rege Sodomorum bellum confecit, hoſtes eius fugauit, ab eorum ſpoliis abſtinuit, dicens Geneſ. 14. *Leuo manum meam ad Dominum Deum excelſum poſſeſſorem cœli, & terræ, quòd à filo ſubtegminis vſque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua ſunt, ne dicas, ego ditaui Abraham: exceptis his, quæ comederunt iuuenes, & partibus virorum qui venerunt mecum Aner, Eſchol, & Mambre, iſti accipient partes ſuas.* Hoc pro maxima gloria ſua habuit Abraham, quòd prorſus ipſe abſtineret ab ſpoliis regum debellatorum ſumendis, ſed tamen voluit, vt Aner, & Eſchol, & Mambre commilitones ſui, qui eum ſecuti ad pugnam fuerant, partes ſpoliorum haberent. Et cur non etiam voluit, quòd qui eum ſecuti fuerant, ſui etiam ſimiles exiſterent, nihil ſpoliorum accipientes? Si gloria erat, quòd ab ſpoliis ipſe abſtineret, cur non fuit ſectatores ſuos ſimili gloria fulgere? Diuinus iam in Abrahamo ſpiritus effulgebat, qui etſi à terrenis omnibus prorſus abſtineat, tamen Chriſti ſectatoribus benedictiones etiam parat terrenas. Ad hæc D. Cyrill. Alexand. lib. 4. de Adoratione in ſpiritu prope finem inquiens: *Fœderati tamen partes accipiunt, propterea, quod in his quoque rebus, quæ ad præſentem vitam pertinent, ipſorum virorum æmulatores, atque imitatores benedicit Deus: abundant enim illis bona pro ſuæ conditionis modo, vtraque ratione vtraque parta.* Non ſinit Deus non ditari etiam in hoc ſæculo ſectatores ſuos, & neſcio an ſint ditiores aliquæ familiæ illis, quæ nomen ſuum dederunt ſequendo Chriſtum. Apud Lucam cap. 23. de Ioſeph corpus Ieſu à cruce depoſuiſſe dicitur. *Et ecce vir nomine Ioſeph, qui erat decurio, vir bonus, & iuſtus, hic non conſenſerat conſilio & actibus eorum ab Arimathæa ciuitate Iudææ, qui expectabat & ipſe regnum Dei. Hic acceſſit ad Pilatum, & petijt corpus Ieſu.* Multus eſt Lucas in explicanda iuſtitia, & bonitate, cæteriſque intimis virtutibus huius viri: at Matth. cap. 27. id de eodem notabat, quòd eſſet diues; ait enim: *Venit quidam homo diues ab Arimathæa, nomine Ioſeph, qui & ipſe diſcipulus erat Ieſu.* Nihil de iuſtitia, nihil de bonitate viri dicit Matth. ſed eius meminit ingentes diuitias. Cur maluit Matthæus meminiſſe Ioſephi diuitias? Sapienter voluit oſtendere, à Chriſti obſequio venire etiam diuitias in ſectatores ſuos. Id quod notans D. Ambroſ. lib. 10. in Lucam ait: *Hunc Ioſeph iuſtum Lucas dixit, Matthæus diuitem. Et meritò diues hoc loco dicitur, vbi corpus ſuſcipit Chriſti.* Bonis omnibus affluit qui Chriſto Domino ſuam exhibet ſeruitutem. Vnde Pſalm 38. *Diuites eguerunt, & eſurierunt, exquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.* Sæpè fit, quod mundiales diuites extrema affligantur penuria: at qui Deum exquirunt, nullo carent bono affluentes ſæcularibus, & æternis diuitiis. Pro quo Cyrill. in catena Græca ait: *Qui bene agere, & Dei mandata ſeruare decreuerint, conſequetur diues cœleſtium bonorum fruitio, & terreſtrium bonorum participatio.* Siue in hoc ſæculo, ſiue in futuro paſcua inuenient à Deo, ſibi parata. Quò ſpectans Eccleſ. cap. 2. ait: *Homini bono in conſpectu ſuo dedit Deus ſapientiam, & ſcientiam, & lætitiam.* Quæ bona ſic Chaldæus patitur: *viro cuius opera ſunt recta coram Domino, dedit ſapientiam, & ſcientiam in hoc ſæculo, & lætitiam cum iuſtis in ſæculo venturo.* Sic curat Dominus, quòd ſectatores ſui paſcua inueniant, & in præſenti ſæculo, & in futuro. Meritò Deut. 32. dicitur: *Pars autem Domini populus eius: Iacob funiculus hæreditatis eius. Inuenit eum in terra deſerta, in loco horroris, & vaſtæ ſolitudinis.* Vbi ex Hebræo habetur in rem præſentem: *Sufficit ei in terra deſerta*, &c. Licèt enim per deſertum, & vaſtiſſimam ſolitudinem populus graderetur, vnus illi Deus ſuffecit, & temporalia illi præbens ſubſidia, & præparans æterna.

Geneſ. 14.

Cyrill. Alex.

Luc. 23.

Matth. 27.

Ambroſ.

Pſalm. 38.

Cyrill.

Eccleſ. 2.

Deut. 32.

§. XI.

Dignitates, & bona temporalia, quæ homines in Chriſto acquirunt, ſalutem halant, & Dei amicitiam.

PRoh quam dulce ſignum eorum, qui in Chriſto paſtorale munus accipiunt; quippè ait: *Per me ſignis inſtitit ſalutabitur*, &c. Non enim conſueuit Dominus præſtare bona hominibus, quæ non habent eorum ſalutem, & faciant amicitiam acquiri diuinam. Vbi qui extremum delegerat ſibi locum, à Patrefamilias in nobiliorem alium vocatur, non vocatur ſimpliciter, ſed cum nota diuinæ amicitiæ. Dicit namque Paterfamilias Luc. 14. *Amice aſcende ſuperiùs;* quaſi neſciat Deus præſtare aſcenſum homini, qui ſimul non inferat Dei amicitiam. Vnde D. Bernard. de conſider. lib. 2. monens Eugenium ſuum ſummo Eccleſiæ apice à Deo nobilitatum, ait illi: *Loquere ergo illi: Abiectus eram in domo Dei mei. Quid eſt hoc de paupere, & abiecto leuari ſuper gentes, & regna? Quis ego, aut quæ domus patris mei, vt ſedeam excelſius? ſublimior? Sanè qui dixit mihi: Amice, aſcende ſuperius, amicum ſe fore fidit.* Neutiquam aſcenſum præpararet Deus beneficus homini, qui in ipſo aſcenſu, & cumulo bonorum acceptorum non poſſet ad Dei euolare amicitiam. Quod expertus ſanctiſſimus Iob aiebat cap. 29. *Quis mihi tribuat, vt ſim iuxta menſes priſtinos: ſecundùm dies, quibus Deus cuſtodiebat me?* Mirantur multi pij viri, quòd ſanctiſſimus Iob requirat antiquas felicitates, & priſtinas expoſcat diuitias. Cur ô Iob diuitias ſæculares, caduca bona tot tantiſque hominibus damnoſas ſic requiris? Nouit bonus vir, quas diuitias, quæ bona requirat, illa bona, & felicitatem antiquam requirit, quæ vt à Deo in illum profecta fuere, ſic Dei in illo amicitiam monebant, vt nequaquam illum à recta via deflectere finerent. Quò ſpectans Olymp. in

Luc. 14.

Bernard.

in cat. Græca fatur: *Non speciosam tantummodo sobolem, & magnas, ac locupletes copias, diuinam custodiam, atque opem dixit, sed multo magis, quia in tanto splendore, diuino septus præsidio sui summopere tuebatur. Idcirco igitur in illum pristinam statum se restitui cupit, quia tanquam Dei amans in eius fide, & tutela optat esse.* Expertus fuerat vir sanctus pristinas diuitias à Deo in se profectas fuisse tantis virtutibus connexas, vt ex illis nihil nisi sanctum, & iustum ad Dei amicitiam pertinens profiluerit. Quare non quascumque diuitias exoptat, non solam felicitatem postulat, sed illam suam pristinam, quæ vt à manu Dei venit, sic nihil produxit, quod non halaret diuinam amicitiam. Huc refero illud
Prouer.10. Prouerb 10. *Benedictio Domini diuites facit, nec sociabitur ei afflictio*; quasi nequeat bonis ex Deo acceptis amaritudo, aut afflictio commisceri peccati. Vnde dona à Deo orta no-
Psal.144. men benedictionum sibi acquisiuere, vt in Psalm.144. *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* procul enim est maledictio à Dei donis. Sapienter Eliu Iob. 32. cauet ne felicitas temporalis iustorum putetur ad diuinam reprobationem pertinere. Ait enim, *Ne fortè dicatis, inuenimus sapientiam, Deus proiecit eum.* Solent enim hæretici felicitatem Ecclesiæ diuinæ tribuere reprobationi; quibus cum
Gregor. Eliu respondet D. Gregor. lib. 23. Mor. cap. 4. *Per hoc, quòd sanctam Ecclesiam in honore hominum florere temporaliter cernitis, proiectam eam à Domino non credatis. Scit enim redemptor eius, & in hoc itinere solatia venienti tribuere, & peruenienti ad æternam patriam superna præmia reseruare. Incassum igitur dicitis, quia Deus eam proiecerit, cum veniat illam à cunctis ferè hominibus videtis, quia sic ei terrenæ gloriæ adiumentum tribuitur, vt per hoc multiplicius etiam ad cælestia subuehatur.* Sic etiam ex temporalibus bonis felicitas æterna iustorum elaret.

Text. Fur non venit, nisi vt furetur, & mactet, & perdat. Ego veni, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant.

§. XII.

Auaritia omnem humanitatem exuit.

VAnum est humanitatem quærere in eo, qui illicitè etiam dat operam lucris augendis temporalibus: is nil aliud nouit, quam omnes perdere, vt vel paruum ipse
Exod.10. lucrum faciat. De Ægyptiorum plagis ait Exod. 10. *Tribus diebus nemo vidit fratrem.* Et quomodo Ægyptus videret fratrem, qui totus in temporalibus lucris habendis versabatur? Qui sic se dedit lucris habendis, omnem statim exuit
Rupert. humanitatem. Rupert in cat. Lypp. ait: *Signanter Ægyptus dictum est, quia tribus diebus nemo vidit fratrem suum. Cupiditate namque detentus, & praeoccupatus animus non videt fratrem suum, non agnoscit proximum suum, eò tantùm intentus, vt furetur.* Nihil humanum sciuit videre auarus; totum quod est humanitatis perdet, vt potiatur auro. Quem non feriat Christi Domini proditio à Iuda peracta? Summa equidem malitia fuit tantum magistrum tradere. Sed vt obstupescas magis, non solam proditionem, sed & tempus proditionis meditare. Paschale fuit tempus, in quo bonus Iesus epulum discipulis parauit, Iudam propria manu cibauit, Iudæ pedes lauit, linteo abstersit, pectori dulcissimo applicatur. Quid vltrà? Iudæ osculum Iesus porrigit, amicum vocat, & inter hæc humanitatis incendia Iudas alget, & magistrum tradit. Qualiter fieri potuit, quòd homo inter tot humanitatis fomenta, minimè mollitetur, sed appareret efferacior? Erat in Iuda auaritia, & auri amor, quæ nullam noscit humanitatem, sed crudelissimas belluas superat fe-
Chrysost. ritate. Ait D. Chrysost. hom. 84. in Matth. *Omnipotentia, humilitatis, lenitatisque Dominus tot, tantàque habens argumenta Iudas omnem feram belluam crudelitate superauit. Auaritia enim tunc illi furorem immisit; auaritia omnes, qui ei seruiunt, crudeles efficit, atque atroces.* Sola auaritia sic potuisset hominem omni humanitatis sensu priuare, vt nihil non ferale, & crudele cogitaret. Duo iam proferam auaritiæ simulacra, nimirum Achab & Iezabel; quis vtro istis crudelior, & inhumanior? Vt regalia augerent prædia, nec iusti hominis Naboth verentur canes, nec innocentiæ parcunt. De Acha-
3 Reg 22. bo igitur, cùm percussus occumbit, ait textus 3. Reg. 22. *Rex Israël stabat in curru suo contra Syros, & mortuus est vespere, fluebat autem sanguis plagæ in sinum currus.* Sufficeisset miseram eius mortem notare, cur necessum fuit addere illud, quòd sic moriens sanguine manaret? Causam attigit D. Ambros. lib. de Nabothe cap. 31. aiens: *Itaque vulneris sui cruore perfusum cadauer specie funeris vitæ suæ prodidit crudelitatem.* Equidem regia cadauera funereis solet tapetibus operiri, in quibus eorum facinora illustriora depicta cernantur. Sic auarissimi regis cadauer specie funeris perfunditur sanguine, vt inde crudelitatis stemmata pondantur. Ambros.
Sed & de Iezabel dicitur 4. Reg 9. *Præcipitauerunt eam, aspersusque est sanguine paries*, &c. Quantula hæc circunstantia 4.Reg.9.
inter tot strages, vt notetur, quod eius sanguine aspersus fuerit paries? Hoc summum erat malum, quòd fœmina pulcherrima, & regina præcipitaretur, quòd canes cadauer eius vorarent, super hæc, quantulum erat, quòd paries maneret eius perfusus sanguine? Cur ergo quando sola relicta caluaria manduntur carnes eius à canibus, notatus sanguis relictus in pariete palatij? Non otiosè, sed ex iustitiæ diuinæ decreto relinquitur ibi sanguis in testimonium feralissimæ auaritiæ crudelitatis, quam alij caneant. Prædonum homicidarum carnes solent iudicum sententia portis appendi ciuitatum in testimonium feralissimæ hominis vitæ, quam horreant vniuersi; sic Dei sententia relinquitur Iezabelis sanguis in pariete, quo auaritiæ crudelissimi actus appareant, & tantam feritatem exhorreant ipsi auari. Id docebat Drogo Hostiensis lib. de Drog.
Sacram. Pass. aiens: *Hic & paries adhuc sanguineus relictus est, vt terreat viros sanguinum, & dolosos, qui propter auaritiam suam lapidant humilem Naboth.* Nullus prædo, nullus homicida cruentior, quàm auaritia est? Vnde monebat D. Am- Ambros.
bros. lib. de Nabuthe cap. 11. *Noli esse Achab, vt possessionem concupiscas. Non tibi cohabitet Iezabel illa feralis auaritia, quæ tibi cruenta persuadeat.* Nihil non cruentum nouit auaritia meditari. Mirabilis fuit illa Nabuchodonosori obiecta statua Dan. 2. caput eius aurum præferebat, pectus argentum, venter æs, crura ferrum. Deus bone! vnde tam diræ, & crudeles materiæ intrant hominis imaginem? Ferrum, & æs tota conficiunt instrumenta bellorum, instrumenta crudelitatum; nil in illis non cruentum, non lethale. Quomodo ab aureo capite, ab argenteo pectore tot æreæ machinæ fulmina parturientes, tot ferreæ mortes venerunt?
Pulchrè addubitat Richard. Victor. de interior. hom. erud. Richard.
par. 1. cap. 24. *Qui prius vos tam blandos, tam benignos exhibuistis, vnde iam bella, & lites in vobis. Iam zelum amarum habetis, & contentiones in vobis. Occiditis, & zelatis: litigatis, & belligeratis; vnde hæc tam sæua crudelitas, & ferri duritiæ in vobis?* Planè aurum in capite, & argentum in pectore Victor.
nihil aliud sibi coniunctius habent, quàm æreas machinas, quàm ferreas duritiæs, quibus crudeliter perdant ipsam naturam humanam. Vide etiam lib. 11 c. *. §. 10.

§. XIII.

Ad oues Christi pertinent, qui non in parua sistunt gratia, sed in gratia contendunt abundantiam.

BOnus Iesus pastor hoc procurat omnibus suis, *vt vitam habeant, & abundantius habeant*; non enim noscuntur oues Christi, nisi ex abundantia gratiæ, ex abundantia eius vitæ qua viuat anima. Fatuæ illæ virgines Matth. 25. audiunt à Deo illud tremendum verbum, *nescio vos.* Et cur inter Dei oues non agnoscuntur virgines, & virgines, quæ ardentes lampades habuere? Non enim earum lampades dicuntur prorsus extinctæ, penitus oleo vacuatæ, sed ipsæ dicunt ad socias suas: *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur*; quippè adhuc viuido lumine coruscabant, adhuc oleum non penitus defecerat, quamquam ob paucitatem eius, proximum erat, vt deficeret. Cur ergo non magis agnoscuntur, quàm si nec oleum vllum, nec flammam vllam viuidam habuissent? Quod parum est, quasi nihil est; nec vlla censetur vita, quæ non abundat, vt viuat. Accipite Saluianum lib. 2. ad Eccles. Catholic. pulchrè Saluian.
circa hoc differentem: *Emicuisse in eis quiddam luminis puto, cum & ipsæ extinguendas fortè lampades formidauerint: habebant profectò aliquid, quod verebantur extingui. Ex quo intelligimus, id quod parum est, quasi nihil esse, quia nequaquam omnino prodest illico extinguendum lumen accendi: nec iuuat aliquid illucescere, quod in ipso ortu habeat occasum, & ad hoc tantummodo habere initium viuentis, vt possit finem habere morientis.* Huc accedant innumeri fideles, qui id solum gratiæ oleum sibi procurant, quo vel ad horam viuant, & luceant semel in anno in die sancto Paschæ. Quanta est eorum fiducia salutis? Ex quo noscent se ad oues pertinere Christi, & non magis ad hædos Satanæ? Quid proficiet adeò instantanea

ſtantanea vita? Tanta olei parcitas, quæ nec per horam durat, quem iuuabit? Sanè quod parum eſt, quaſi nihil eſt, nec cenſetur vita, quæ in ipſo petit exordio. Semel etiam Satanas in gratia vixit, ſed quia non abundauit, vt viueret,
Iſai. 14. tota eius vita pro nihilo fuit habita. De illo Iſaias cap. 14. *Quomodo cecidiſti Lucifer, qui manè oriebaris?* Manè ortus fuit Lucifer, & lucem, & vitam in ſe oſtendit; ſed quantam? Planè oſtendit lucem & vitam vnius auroræ, vnius ſtellæ, vnde meritò cum ſtellis oriente Sole diſparuit in nihilum redactus; quod enim parum eſt, parum à nihilo videtur di-
Bernard. ſtare. Ad hæc eleganter aiebat D. Bernard ſerm. 3. de verbis Iſaiæ factus: *Quid feſtinas manè oriri Lucifer? Quid gloriaris ſuper ſidera, quibus aliquando clarius rutilare videris? Breuis omnino erit gloriatio tua. Sequitur ſol iuſtitiæ, cuius feruore pariter, & ſplendore in nihilum redactus omnino diſpareas.* Quid pulchrius? Paruæ ſtellarum luces poſſunt ad auroram vſque peruenire; & quia paruæ minimè ad Solis conſortium perueniunt, ſed oriente ſole in nihilum abeunt. Sic Lucifer, ſic quiſquis vnico annuatim mane contentus eſt gratia coruſcare, ſtellarum ſortem ſubit, Solis conſortium non habet: imò fallat, niſi oriente ſole iuſtitiæ ad nihilum, a quo parum diſtabat, redigatur. Non iuuat aliquid illuceſcere, quod in ipſo ortu habeat occaſum. *Iuſtorum enim*
Prouerb. 4. *ſemita*, vt ait Prouerb. 4. *quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit vſque in perfectum diem.* Illi equidem ad ſolem iuſtitiæ pertinent, de illiuſque conſortio gaudent, qui procedentes in luce, ſic nouerunt creſcere, & abundare, vt integros dies impleant, & perfectos faciant. Quò reſpiciens Dauid
Pſal. 140. Pſalm. 140. ait: *Eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.* Cur non magis ſacrificium matutinum ſpectat? Ex quo matutinam lucem videt etiam in Satana, maluit ad veſperum recurrere, in quo perfectos dies iuſtorum de-
Chryſoſt. monſtrauit. Vnde ait Chryſoſt. ibi: *Cum veſpertinum autem peractum fuerit, finitum eſt ſacrificium, & non eſt vtique amplius imperfectus dies cultus, ſed eſt completus.* Felix, qui ſic in vita ſpirituali abundat, vt non vacuos menſes, ſed plenos & perfectos dies peragat luce exundanti. Nunquam, mihi crede, toleratur paucitas, niſi cum extremo periculo; ſic
3. Reg. 17. ait mulier Sarephtana ad Eliam 3. Reg. 17. *Non habeo panem, niſi quantum pugillus capere poteſt farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho: en colligo duo ligna, vt ingrediar, & faciam illud mihi, & filio meo, vt comedamus, & moriamur.* Aptius videretur dicere, vt comedamus, & viuamus, cibo enim vita extenditur, ſed quia de paruo cibo agebat, maluit dicere, vt comedamus, & moriamur, eſt enim vicina morti tanta cibi paruitas. Hinc Dauid vitæ ſecuritatem procurans
Pſal. 121. ait Pſalm. 121. *Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis*; quaſi nullum firmamentum, nulla ſecuritas, niſi de abundantia virtutis poſſit venire.

§. XIV.

In ſolo Chriſto abundare poſſunt nobis gratia, & donationes diuinæ.

SOlus equidem Ieſus eſt, qui dat hominibus, quòd vitam habeant, & abundantiùs habeant, etenim in ſolo Ieſu nobis abundant & ſuperabundant donationes diuinæ.
Pſalm. 71. Pro quo dicebat Dauid Pſalm. 71. *Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis, donec auferatur Luna.* A nemine ſic pax abundauit hominibus, vt abundat à Chriſto: ex quo Ieſus apparuit, ſic pacis dona abundant, & licèt millies bellum Deo inferamus, ſemper ſit nobis promptum ad gratiam pacis redire. Non ſemper fuit ſic; imò vbi Adamus aduersùs Deum rebellauit, bellùmque cœleſtibus intulit, quam amiſit pacem, non vltrà potuit inuenire, ſed pro illa, flammantem gladium, cuius vel aſpectum fugeret. Non ſic vbi Chriſtus venit, ſed ita pax abundat, vt rebel-
Gillib. Abb. lium omnium conatus longè ſuperet. Ait Gillib. Abb. ſerm. 16. in Cantic. *Verè abundans pax, quæ non eſt data ad menſuram. Quomodo non abundans pax, quæ remiſit offenſam, & pretioſam cumulauit gratiam? Erat homini primò in paradiſo pax, vt non poſſit inuitus abduci, ſed non erat virtus per quam vellet reduci. Erat gratia, vt poſſet non exire, ſed non erat, vt poſſet, cùm vellet redire. Modò pax vberior in gratia Chriſti, quæ poſt iteratos exceſſus vltrò offertur, & pœnitentes non repudiat, ſed renouat. Benè pax abundans, quæ nulla poteſt exhauriri iniuria, paratior ad veniam, quàm ad vindictam.* Ipſe ſolus Ieſus nobis dedit hanc abundantiſſimam gratiam, qua non ſolùm vitam habeamus, ſed & abundantius habeamus, vt nulla iniuriarum numeroſitate exhauriri poſſint donationes gratiarum. Quò reſpexit Paulus ad Epheſ. 2. aiens: *Vt oſtenderet*
Epheſ. 2.
in ſæculis ſuperuenientibus abundantes diuitias gratiæ ſuæ in bonitate ſuper nos in Chriſto Ieſu. Et quas abundantes diuitias oſtendit? Sapienter D. Anſelm. ait: *Oſtendit donationem beneficiorum ſuorum abundanter diuitem, & copioſam.* Inuenies
Anſelm.
apud alios miſeriarum abundantiam, delictorum abundantiam; verùm abundantia donationum, & gratiarum ſolùm in Chriſto Ieſu inuenitur. Dicebat ipſe Paul. ad Rom. 5. *Lex autem ſubintrauit, vt abundaret delictum. Vbi autem abundauit delictum, ſuperabundauit gratia*; vt nullum delictorum, & miſeriarum apud alios inueniretur tanta abundantia, quàm Chriſti gratia non ſuperaret. De miſeriis
Rom 5.
captiuorum apud Ægyptum ait Pſalm. 80. *Manus eius in cophino ſeruierunt.* Et poſt conuiuium, illud à Chriſto exhi-
Pſalm. 80.
bitum multitudini Luc. 9. dicitur: *Manducauerunt omnes, & ſaturati ſunt. Et ſublatum eſt, quod ſuperfuit illis, fragmentorum cophini duodecim.* Cur ſuperabundantia panis in co-
Luc. 9.
phinis colligi à Ieſu iubetur, niſi vt oſtendatur, quam ſuperet donatio Chriſti, & abundantia beneficiorum eius, omnem ſeruitutem, & miſeriam vitiorum? D. Ambroſ. lib. 6. in Luc. *Qua ratione autem cophinos duodecim Chriſtus impleuit, niſi vt illud ſolueret. Quia manus eius in cophino ſeruierunt? Hic iſte populus, qui ante lutum in cophinis colligebat, hic iam per crucem Chriſti vitæ cæleſtis operatur alimoniam.* Non equidem fuit tanta ſeruitus, quanta fuit abundantia Chriſti donationis; quando vel beneficiorum reliquiæ numeroſiſſimam miſeriarum ſuperant copiam.

CAPVT VII.

De Phariſæo, & Publicano.

VT faſtum ſuperbientium hominum Dominus comprimeret, exemplum proponit petitum ab euentu Phariſæi, & Publicani. Ille de virtutibus gloriatus dignam delictis damnationem incurrit: hic pro delictis confuſus virtutum ſibi præmium acquiſiuit. Prob felicem hominem, qui non in iactatione virtutum, ſed in confeſſione delictorum humili ponit tem ſalutis.

Luc. 18. Dixit Ieſus ad quoſdam qui in ſe confidebant tanquam iuſti, & aſpernabantur cæteros, parabolam iſtam. Duo homines aſcendebant in templum, vt orarent: vnus Phariſæus, & alter Publicanus.

§. I.

Homo non eſt, quem vel templi locus ad Deum non conuertit.

DVo homines dicuntur iſſe in templum, vt ibi orarent: qui enim homo eſt, non poteſt in templo aliud facere, quando vel ſola viſio templi potens eſt hominem ad Deum conuertere. Vnde Ezechiel cap. 43 dicit Dominus: Ezech 43.
Fili hominis oſtende domui Iſraël templum vt confundantur ab iniquitatibus ſuis: & metiantur fabricam, & erubeſcant ex omnibus, quæ fecerunt. Quis neſciat iniquitates, & flagitia Iſraëlitarum contra Deum? Et inter tot iniquitates, inter tot flagitia, quia adhuc homines ſunt, & filij hominis habentur eorum filij, inde putantur poſſe ad Deum conuerti, ſi vel ſolum templum videant. Adeò efficax templum eſt, vt humani mores componantur in illo. Nouiſti Abſalonis in patrem auſus? Nouiſti hominis impietatem, & flagitia? Impius is in Deum, & patrem multo cinctus milite Hieroſolymam accedit Dauidem parentem regno ſpoliaturus. Quid tunc Dauid? Quale remedium adhibet tanto vulneri? Habes 2. Regum. *Egreſſus eſt ergo rex, & vniuerſa domus* 2. Reg. 15.
pedibus ſuis, & reliquit rex decem mulieres concubinas ad cuſtodiendam domum. Egreſſuſque rex, & omnis Iſraël pedibus ſuis, ſtetit procul à domo. Itaque accedenti rebelli reliquit Dauid liberam, & vacuam regiam domum, quam abſque vlla difficultate ingrediatur impius filius. Quale hoc remedium aduersùs furentem hominem? Cur non magis illi aditus intercluditur? Cur non magis facta manu repellitur ab ingreſſu regiæ domus? Sapienter nobilis rex permiſit impio filio ingreſſum domus regiæ, in qua ſperauit non poſſe non
componi

componi mores rebellis perditissimi. Et quem non componat, vel viso domus, in qua tam paterna expertus fuerat ab ipsis incunabulis beneficia? Pulcrè D. Chrysost. hom. 10 Ps. 7. (Chrysost.) *Regiam tenendam dedit rebelli filio, ut cum videret demum, in qua creuerat, & educatus fuerat, & patris signa, ad pœnitentiam veniret. Si enim non fuisset immanis bellua, nec cor habuisset lapideum, omnia illa sufficiebant ad illum reducendum; mensa enim cum patre erat particeps, domus, sedilia, vbi cum verba reconciliauerant, cùm fratris tædem fecisset.* Potentissima hæc erant arma ad expugnandum cor omnino ferale, & lapideum, nimirum, quod videret solum illud, cuius singuli lateres illum ad paternos amplexus currentem sæpissimè viderant, eum patre epulantem sustentarent, & à fraterna iniuria in parentis gratiam iterum tenuerant admissum. Totam hanc potentiam habent Dei templa ad educendos mores perditissimorum hominum, nisi ab omni humanitate fuerint exuti, & in belluarum affectus transiuerint. Datur enim nobis templorum ingressus, in quibus regeneramur per Baptismum, nutrimur per Eucharistiam, reconciliamur per pœnitentiã. Si ergo belluæ non sumus, domus regenerationis nostræ, mensa cuius cœlesti alimonia viuimus, sedilia illa vbi toties reconciliamur, cum patre non possunt nos non cohibere, & Deo sistere. Hinc non miror originem, qui Iudæorum perditionem penè irremediabilem putat ex templi perditione. (Idem.) Ait enim hom. 15. in Matth. *Templum Dei existimabatur domus orationis. Qua destructa, necesse est, vt Iudæi, quasi non tam habentes domum orationis, iam non habeant priuilegium spectationis Dei, nec possint nudum legem Dei seruire.* Templo tribuit legum custodiam, & merito, quandoquidem templorum virtutes validissimæ sunt, vt faciant hominem continere in virtutum disciplinis. Et sanè non se hominem putet, qui vel in templo, in quo Deus singulariter adest, non cohibetur a (Ezech. 28.) vitiis. Apud Ezech. 28. dicebat Dominus rebelli Angelo: *Posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti. Perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inuenta est iniquitas in te. In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti, & eieci te de monte Dei, & perdidi te, &c.* Non solùm eiecit illum, sed & funditus perdidit; cur sic funditus perdidit? Sane qui inter lapides amoris diuini emittentes flammas in templo Dei, in ipsius Dei oculis, & conspectu peccant, penè irremediabilem perditionem lucrantur. (Chrysol.) Accipite D. Chrysol. ser. 26. fantem: *Desperatum incurrit, qui in ipsis dominantis oculis offendit: & excusatione caret, qui facinus ipso iudice teste committit. Sic diabolus, cum esset Angelus, & in cælo, & coram Deo semper clarissimus versaretur, & fulgeret, dum Dei iussus auret, dum in Dei superbit aspectu, lapsus ad terram, ad tartara deiectus in diabolum mutatur ex Angelo.* Quid fiet homini, quando tantum malum accidit Angelo peccante in loco sancto, in Dei oculis? Sanè homo, qui non veretur ignitos templi lapides, nec locum sanctum, sed in ipsis Dei oculis audet peccare, penè irremediabilem perditionem incurrit, ex homine fit bellua, fit diabolus, fit atheus. Nunquam putaui manere aliquid Dei in (Matth. 23.) homine, qui non veretur templum, nec altaria. Apud Matth. 23. obiiciebat Dominus Iudæis Zachariæ mortem, *quem occidistis*, ait, *inter templum, & altare.* Expende, quis occidatur inter templum, & altare, nimirum *Zacharias*, quod nomen in(Origen.)terpretatur *memoria Domini.* Ex quo Orig. hom. 26. in Matth. *Inter templum, & altare ab impiis memoria interficitur Dei, quando & templum Dei à lasciuis corrumpitur.* Et quæ spes salutis potest manere in illis, in quibus interfecta est memoria Dei? Heu miser qui in templo Dei, coram sacris altaribus lasciuit, hic prorsus in se interficit memoriam Dei, ne vnquam possit illius meminisse. De huius detestabili impudentia ait (Bernard.) D. Bernard in Declam. *Impudentia, & curiositas, cùm obduruerit, vt non paueat, non erubescat, non contremiscat: & tam demum desperatio est. Quid enim? Hunc tam sibi impudens homo, tanquam qui iustitiam fecerit, & iudicis vultum non verentur, tanquam domesticus intrat, & exit, magistrum salutat, genua flectit, osculatur ore sacrilego, dolosè agit, sed in conspectu Dei sui inuenitur iniquitas eius ad odium. Quibus planè Luciferi tantosa temeritas, & impudentia executenda.* Quid vehementius in eos, qui templum intrant, genu flectunt, pectus tundunt, & inter hæc in ipso Dei conspectu lasciuire non pauent?

Text. Pharisæus stans, hæc apud se orabat: Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum: raptores, iniusti, adulteri: velut etiam hic publicanus. Ieiuno bis in Sabbato: decimas do omnium quæ possideo.

§. II.

Non qui felix stat, sed qui ærumnis pressus iacet, potest securè sua virtutum facinora publicare.

Dicit Pharisæi gloriationem Dominus, nimirum qualiter se suáque super omnes extulerit, sapienter notat, quòd ea iactaret stans. Quippe ait: *Pharisæus stans hæc apud se orabat;* nullo miseriarum onere depressus iacebat; nullo tentationum impetu agitatus decumbebat. Non staret felicitate pollẽs, sed iaceret persecutione aliqua agitatus, & posset securè & iustè omnia sua facinora decantare. D. Basil. in (Basil.) cat. D. Thom. ait: *Similiter etiam exaltari laudabiliter contingit, quando scilicet non humilia cogitas, sed mens tua est per magnanimitatem in virtute erecta. Talis autem animi celsitudo est eminentia in tristitiis terrenorum contemptus, conuersatio in cælis, & videtur huiusmodi mentis sublimitas eandem habere differentiam ad elationem, quam habet corpulentia corporis bene dispositi ad inflationem carnis cùm ex hydropisi tumet.* Itaque dupliciter accidit in anima exaltatio, vt in corpore dupliciter accidit amplitudo. Vt enim corpus magnum fit, vel ex vera, & solidã carnis corpulentia, vel ex inani inflatione, & tumore, qualis inflatur, & tumet hydropicus. Sic in anima accidit inanis, & euanida exaltatio; & etiam est solida, & vera, & laudabilis exaltatio, & hæc præcipuè accidit in tristitiis; quando qui persecutione aliqua vehementer deprimitur, tunc laudabiliter ad decantanda propria facinora exsurgit. Recolite c. 29. in quo nihil aliud Iob agit, quàm sua facinora prædicare, & inter multa alia insignia, hæc etiam cantat: *Iustitia indutus sum: & vestiui me sicut vestimento, & diademate, iudicio meo. Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum, & causam, quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam. Conterebam molas iniqui, &c.* (Iob 29.) Equidem non tanta, nec tam illustria de se Pharisæus prædicabat; cur ergo Iobo & securũ est, & laudabile, tam insignia de se facinora decantare; quod etiam in minoribus Pharisæo fuit detrimẽtosum? Stat Pharisæus, Iob iacebat; ille felix nulla necessitate cogebatur talia iactare: Iob ærumnosus mille iniuriis, & calumniis hostilibus petitus pro se loqui cogebatur. Isid. in cat. Græc. (Isidor.) ait: *Ne mirere si Pharisæus, propterea quod de se magnificè loquitur, apud Deum offendit; Iobus autem, quamuis plura & maiora prædicarit, tamen laudem tulerit: ille enim numine incitante, sine impellente, in gloriosum illam ingressus est orationem; cùmque nihil in orbe terrarum æquè, vt se, dignum existimaret, meritò est lapsus, superbiæ enim morbo laborabat. Qui verò ad causæ suæ probationem errata tegit sua, & quod præclarissimus, ut fama quauis superior fecit Iobus, nempe is ab omni culpa, & reprehensione vacuus, & nudus est, interim culpa improbi, in illis ne conuincis authore residente. Friget enim ea laus, quam sibi quisque nulla necessitate coactus adsciscit: verùm si quispiam, cùm ea, quæ minimè oportebat, audierit, lenitus ad huiusmodi sermones delabatur, nempe ad illos, qui vsurpandi sermonis necessariam causam attulerunt, crimen recurrit. Ita diuinum suffragium illum quidem Pharisæum, qui nullius impulsu iustitiam suam vendicauit, ac reliquos omnis cõdemnauit, explosit omnino: hunc verò hic necessitate adductum summa laudationis laurea, atque corona donauit.* Quid sapientius? Non quòd suas decantat laudes Pharisæus exploditur, sed quod illos decãtabat stans, hoc est nulla necessitate impulsus, aut deiectus; qui verò persecutione opprimitur cõuiciis, & calumniis vndiq; vrgetur, & tutè, & laudabiliter, potest errores abscõdere suos, & declamare facinora. Mulier illa cœlestis, quæ Apoc. 12. sole perhibetur amicta, habebat in capite *coronam duodecim stellarum.* Per stellas autem explicabantur virtutes quæ in homine ad coronam faciunt. Sed cur virtutes per stellas? Bern. In rem præsentem ait ser. 27. in (Bernard.) Cant. *Porro stellas dixisse virtutes non me pœnitet, considerantem congruentiam similitudinis. Quemadmodum stellæ in nocte lucent, in die latent: sic vera virtus, quæ sæpe in prosperis non apparet, eminet in aduersis. Illud sanè cautela est, hoc necessitatis.* Quæ stellæ sese in die abdunt, & penitus abscondunt, vbi nocturnis tenebris constringuntur emissis, vndique radiis suam claritatem, & gloriam manifestè euulgant. Sic quisquis sapiens es, dum in die prosperitatis versaris, lateant prorsus virtutes tuæ: quarum radios tunc securè, & laudabiliter proferes, cùm tenebrosis aduersariorũ calumniis fueris petitus. Quod spectans Dominus ait Ezech. c. 3. *Vt adamantem, & vt silicem dedi* (Ezech. 3.) *faciem tuam;* in quibus pulchrum discrimen notat D. Greg. (Gregor.) hom. 10. aiens: *Dedi faciem tuam vt adamantem, si ab auditoribus honeraris. Dedi faciem tuam, vt silicem, si ab auditoribus conculcaris, atque despiceris.* Et quidem silex rudis, & impolitus, & obscurus videtur lapis, habet tamen in se occultos, & abs-

conditos igniculos quosdã, qui tunc prosiliunt, & irradiant, cùm percutitur silex, & ferreis calcibus conculcatur. Ne miremur religiosos viros inter calumniantiũ morsus exsurgere in proprias laudes decantandas, & facinorum suorum ostentatione sæculum irradiare. Silices sunt, quantum est ex se, rudes. & impoliti lapides, sub omniũ pedibus versantur; at si ferreis calcibus conculcentur, splendores suos cogitur explicare. Id videre licet in D. Paulo, qui inter decantandas
1 Cor. 12. laudes suas 2. ad Cor. 12. ait: *Factus sum insipiens, vos me coëgistis.* Vbi D. Ansel. explicat: *Factus sum insipiens, secundum quod in exterioribus verbis sonat, quia videor merita mea prædicasse: sed hoc non iactanter, sed necessitate compulsus feci pro vestra vtilitate; quia vos me coëgistis ita loqui, qui de me non recte sentiebatis, & falsos apostolos mihi præferebatis.* Sic despecta, & conculcata virtus cogitur in suas euidentissimas ire laudes.

§. III.

Qui sapit, non in se solo videt virtutes, sed & in alijs.

VIde incredibilem huius Pharisæi stultitiam, qua in nullo homine alio, sed in se solo videt virtutem esse. Planè sapiens esset si quam in se inuenisset virtutem, etiam in aliis videret, & prædicaret. Id monebat Paul. 2. ad Cor. 10. *Si quis
Ibidem. confidit sibi, Christi se esse: hoc cogitet iterum apud se, quia sicut ipse Christi est, ita & nos.* In hoc verè Christi suas virtutes esse deprehẽdes si illas in se cogitãs, iterum cogitat easdem esse apud alios Nemo bonus se solum præditum virtutibus existimet, imò tunc suas virtutes veras esse putet, seque verè bonum, & iustum, & sapientem habeat, cùm similes alias
Ezech. 3. suis virtutes in aliis tangit. Ezech. c. 3. *Et assumpsit me spiritus, & audiui post me vocem commotionis magnæ. Benedicta gloria Domini de loco suo. Et vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram.* Magnum equidem erat quòd animalia alas haberent, & posset homo, & leo, & bos singulare existimare sibi singularissimum esse munus alarum. Sed vide meritum sanctorum animalium; nescit homo, nescit leo suas alas expandere, quin in illis non tangat etiam in boue alias similes alas. Eò equidem affectu componuntur animalia, quæ iugum diuinæ gloriæ subeunt, quo, quidquid in se & sublime, & pennatũ experiuntur, idem prorsus pertingunt in aliis. Præsumptio est, non vera virtus, quæ nullas in aliis virtutes cognoscit: qui enim vera virtute floret, statim fertur ad hoc, vt similem in aliis recognoscat. Huc reno-
3. Reg. 19. co illud 3. Reg. 19. vbi maximus vates Elias ait ad Dominũ. *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Israel: altaria tua destruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus sum ego solus.* Non ipse solus relictus erat fidelis Deo, sed & alij plures, nimirum septem millia virorum manebant, quorum genua non fuerant incuruata ante Baal. Cur ergo tantus Propheta in se solo videt fidem, cui similem in tot aliis non videt? Equidem in hoc casu non vera virtute, sed inani elatione ferebatur. a vera enim virtute sic illuminaretur, vt nõ solùm in se fidem videret, sed & eandem cognosceret in aliis. Ab hac senten-
Raban. tia stat Raban. in gloss. fatus: *Tanto Propheta quid difficile fuit cognoscere in hoc mundo famulos remansisse Deo? Sed qui humilis etiam occulta Dei nouerat, elatus & aperta nesciebat. Vnde certum est, quòd humilitatis radio se illuminat, qui aliorum bona subtiliter pensat, quia ea, quæ ipse fecerit, facta fore, & ab aliis conspicit.* Expende innatam proprietatem veræ virtutis studiosi hominis, nimirum, *ea, quæ ipse fecerit, facta fore, & ab alijs conspicit.* Nihil vni sibi attribuit boni, sed quidquid habet virtutis, id etiam commune pluribus recognoscit.

Text. Et publicanus à longè stans, nolebat nec oculos ad cœlum leuare, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.

§. IV.

Inter prima virtutum renascentium auspicia verecundia est, modestus pudor, quo se homo sistit Deo.

QVid magnum, & illustre non spectabitur in publicano, quem Deo accedentem tantus occupat pudor, tanta tenet verecundia, vt nec ad cœlũ oculos leuare velit? Quãtum distat verecundia hæc à Pharisæi frontositate, & impudentia, tanti etiã dum tacet, ingentes suas virtutes explicat.
Cant. 4. De diuina sposa locutus Dominus Cant. 4. ait: *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, absque eo quod intrinsecus latet.* Tota mali punici purpura in sponsæ genis est, quæ Deo placet, quæ diuinos in primis allicit oculos; quæ enim in facie est pulchritudo prima, semper est in rapiendo spectantium obtutus. Nec immerito verecundiæ rubori primatus tribuitur ad alliciendos diuinos oculos. quando verecundia est quasi facies, & species cæterarum virtutum. Ad hæc pulcherrimè
fatur Gillib. Abb. ser. 25. in Cant. *Ipsa mala punica gratam modestis vultus verecundiam cortice rubei colore designant. O primum planè in Christi sponsa decoramentum verecundia! Verecundia quasi aurora quædam omnium actorum colorat principia, & virgineo virtutes reliquas venustat pudore.* Vidisti aliquando campos sub nigra noctis horrentes caligine; omnia in illis tunc temporis confusa, abscondita, indecora: sed ecce tibi, dum aurora purpureum, aureũmque os suum promit, nullus campus manet, qui sub varia colorum pulchritudine non fulgeat. Sic verecundia in homine aurora est, quæ omnium actorum colorat principia, & facit apparere cæterarũ pulchritudines virtutum. Hæc fit primum decoramentum in homine, qui Deo cupit vniri. Apud Zach. c. 1. dicitur: *Vidi per noctem, & ecce vir ascendens super equum rufum, & ipse stabat inter myrteta, &c.* Quis erat vir ascendens super equũ rufum, nisi Deus filius, humanam sibi copulans naturam, quæ detriumphet orbẽ? Sic multi sacri cẽsent expositores; sed illud notandum maximè est, quòd equus hic dicatur rufus, etiam dum assumitur. Sanè cùm in cruce debellat orbem, non mirarer, quod rubra appareant vestimenta eius; at ante crucẽ, in illo primo instanti, quo natura humana copulatur diuino verbo; vnde ibi rubor? Non errabis, qui dixerit purissimã illam naturã rubore perfundi, dum cùm sit similis carni peccati, sese aptat personæ diuinæ; ne in tanto cõiugio primùm verecundiæ decoramentũ in sponsa deficiat. Id quod notat Cellens. Abb. de Panib. 23. loquens: *Aptauit equum equiti, vt nobilissimo corpori nobilior associaretur anima, & super vtrumque sederet diuinitas. Fortè equus iste ideo rufus est, quia dignitati sessoris non sine verecundia consuetus, & ita propter suam reuerentiã rubore perfunditur.* Non accedit Christi Domini humana natura ad Deũ, sine verecundia, vt vilis homuncio hinc sumat suarum virtutũ auspicium. si pudeat illum Deum cõuenire, si verecundetur filius Dei. Nec miror, quòd Pharisæi tot virtutum actibus vnam hanc opponat Dominus publicani verecundiã, & cur non vincat Pharisæi eleemosynas, & iustitias verecundi hominis modestus pudor in conspectu diuini vultus? Hunc pudorem reliquit Dominus suis pro omni sanguinolento sacrificio, imò pro ipsa circumcisione legis veteris. Ait enim D. Zeno ser. de duplici circumcisione: *Non sanguinem festiuis solemnitate dimittimus, sed pudoris sanguinem retinemus.* Habeant Pharisæi mille victimas, litent pingues vitulos Deo, sanguinem item filiorum circumcisorum litent, tu Christiane accedens ad Deum sanguinem retine puduris, & verecundiæ, & exteriores illas vicisti iustitias.

Gillibert.

Zach. 1.

Cellens.

Zeno.

§. V.

Virtutis opus, quò præstantius, eò magis debet occultari.

PAuca virtutis signa dantur in publicano, solùm dicitur, quòd dimissis ad terram oculis pectus percutit, & ait: Propitius esto mihi peccatori. Parua hæc sunt, sed virtus, quæ illa emittebat, non erat parua; imò eo maior erat, & præstãtior, quo magis intimis visceribus occultabatur. In sua spõsa id Dominus laudat Cant. 4. *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ absque eo, quòd intrinsecus latet.* Tota genarum pulchritudo non integro comparatur malo punico, sed solùm fragmini mali. Cur non magis integrum malũ appareret in genis spõsæ? Cur in specie decoris maluit ponere fragmen solum mali? Magna, & insignis virtus non se totam oculis exhibet, sed præstantiorẽ se exhibet ex eo, quòd latet. Vnde Gillib. Abb. ser. 25. in Cant. ait. *Bonæ genæ, quæ sicut nihil habent simulatum, ita multa habent occultatum; quæ sicut nihil fingunt, sic nec totam effundunt: quæ minus prætendunt in specie, quàm tenent in virtute.* Magnorum virorum est, non habere pro foribus ingentes virtutes suas, non ostentare & effundere thesauros gloriæ suæ. Scintilla est, fragmen est, quod extrinsecus cernitur; flammantes virtutũ pyræ, diuites fructus facinorum intrinsecus absconsi tenentur. Aiebat Dauid Psal. 138. *Substantia mea in inferioribus terræ;* quidquid magnum, & eximium non in euidenti positum habet, sed instar thesauri absconditũ in inferioribus terræ. Et non in alio loco habes etiam aliquod magnum repositum? Ait Psal. 38 loquens ad Dominum: *Substantia mea apud te est.* Non est vbi inuenias iusti substantiã, nisi apud Deum. vel in terra absconditam. Ex quo ait Gillib. Abb. vbi suprà: *Ergo & in inferioribus terra eius substantia*

Cant. 4.

Gillibert.

Psal. 138.

Psal. 38.

Gillib.

substantia est, & apud Dominum. Distantibus est in locis abscondita in superioribus cæli, & in inferioribus terræ; in æternitate, & in infirmitate. Nihil magnum, & verè substantiale non est absconditum in his, qui spiritu Dei aguntur. Vbi te cœlestis gratia cœperit afflare, aliquas forsan scintillulas patietur extrinsecus exilire, aliqua fragmina permittet apparere; at quod substantiale, & magnum fuerit, semper latere faciet intrinsecus, siue sub infirmitatis fauillis, siue sub æternitatis inaccessibili absconditū lumine. Is enim est diuinus spiritus,
Psal.30. qui omnia magna in abscondito detineat. Hinc Ps. 30. *Quàm magna est multitudo dulcedinis tuæ Domine, quā abscondisti timētibus te.* Quia magna multitudo dulcedinis, ideo abscondita, nihil enim magnum in prospectu. Vide etiam infrà c. 10. §. 3.

§. VI.

Exteriores corporis afflictiones fideles indices sunt perfectæ animæ salutis.

PEctus percutit bonus hic publicanus, vt in pectoris percussione, & cōtritione, intimam cordis sui exprimat pœnitudinem: quis enim credat cor esse verè contritum, in eo, cui omnia externa sunt integra, & vel à quouis paruo vulnere libera? Quæ exterius cernitur corporis cōtritio, & percussio, illa verè fidelis index est intimæ iam perfectæ salutis.
Cant.4. Ad spōsam dicit Dominus Cant. 4. *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ.* Expende, quid præseferat sponsa in facie, nimirū fragmina. Deus bone, genarum confractio potuit aliquid bonum protendere in sponsa tua? Vnde potuerunt placere genæ in fragmina diuisæ? Non equidem turpis est in diuina sponsa confractio illa, sed fidelis index internæ pulcritudi-
Gilbert. nis, & exuberantis iustitiæ. Do Gillib. Abb. ser. 25. in Cant. fantem: *Bona equidem hæc fractio, per quam interior cœpit virtus eminere, & quæ in carnis cortice continebatur, erumpere gratia. Per hæc fragmēta salutis se nobis vbertas effudit.* Huc accedāt sæculares peccatores, qui sibi blandiuntur de intima animi contritione, cùm nihil patiantur in splendore vultus, in ornatu corporis, in abundantia cōmuij, in risu, in hilaritate esse non integrum. Non per corporis commoditates superplenas, & integras, sed per fragmina, per carnis vulnera, intimæ se ostendit species salutis. Felix, qui pectus suum nouit percutere, externísque punctionibus internos virtutum excitare ignes, is quot carnis exhibet vulnera, tot gratiæ inhabitantis
Luc.7. proponit indices. Apud Luc. c. 7. *Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit, quod Iesus accubuit in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti, & stans retrò secus pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat.* &c. Publicam peccatricem sic permittit Dominus sibi approximare? An nesciebat, qualis fuisset mulier illa? Cur ergo non
Laurent. magis arguit publica illius peccata? Pulcrè D. Laur. Nouar. hom. 1. de Pœnit. fatur: *Vbi vidit compunctam, iam non repulit quasi publicanam, aut spreuit importunam: sed recepit dolentem, & amplectitur pænitentem.* Expende illud, *vbi vidit compunctam*; quæ extrinsecus apparebat compunctio, nimirum genarum fractio, capillorum discriminatio, ornatus incuria, oculorum lacrymæ, humi cubatio, illam intrinsecus proclamabat renouatam. Fallar, si habetur dolor, si æstimatur pœnitudo, quæ per externa fragmina nunquam apparet: Iesus enim non antea dictus est accepisse pœnitentem, quam viderit compunctam. Inter puncturas, inter vulnera carnis intima
Rom.12. virtus animi splendet, claret. Ad Rom. 12. aiebat D. Paul. *Obsecro vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuam.* Expende duo illa cōmuniter inter se contraria, nimirum, *hostiam viuam*: quid vita cum hostia quam potius mors expectat? Hostia fit vulnere, fit percutientis ictibus; quomodo ergo potest vita cum hostia coniungi? Equidem est vita intimarum virtutum, quæ inter carnis fragmina
Anselm. censetur, & quasi nutritur vulnere. Non longè abest D. Ansel. in præsenti, inquiens: *Hostia occiditur, vt offerebatur. Sed hostia viuens est, corpus pro Domino afflictum. Quod & hostia dicitur, & viuens, quia viuit in virtutibus.* Nullo enim externo signo euidentius apparet virtutum vita, quàm carnis afflictione, & pressura. Vnde de aromatibus Deo offerendis lo-
Exod.30. cutus Dominus Exod. 30. ait: *Cumque in tenuissimum puluerem vniuersa contuderis, pones ex eo coram tabernaculo testimonij, in quo loco apparebo tibi.* Meritò aromata omnia iubentur contundi, vt ab intimo tabernaculi Deus appareat: vix enim potest aliquid apparere diuinum intrinsecus, nisi inter contusas, & confractas carnis delicias.

Text. Amen dico vobis: descendit hic iustificatus in domum suam ab illo. Quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.

§. VII.

Vbi charitas deest, cæteræ virtutes facilè in corruptionem abeunt.

VErum in publicano apparet illud Psal. 50. *Sacrificium Deo, spiritus contribulatus; cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.* Dum cor hominis flammis charitatis incensum ardet, & perfectam de peccatis contritionem operatur, vniuersæ virtutes instar elaborati thymiamatis ad Deum ascēdunt in odore suauitatis. Tolle charitatis ignem, & veram contritionem de peccatis, & facili negotio omnia turpantur, corrumpuntur. Quod magis odoriferum sacrificiū Deo, quàm publicani, cor amōris incensum flammis? Quid turpius, quam tot illa ieiunia, & eleemosynæ Pharisæi? Nemo miretur, quòd cum suis ieiuniis reprobetur Pharisæus, & quòd paucis verbis iustificetur publicanus: hunc enim contusi, & percussi pectoris excitatæ flammæ in odorem suauitatis faciebant exhalari; in illo autem ob defectum igneæ charitatis etiam ipsæ iustitiæ corrumpebantur, in fœtidámque euanescebant inanitatem. Apud Ezech. cap. 17. dicitur: Ezech. 17. *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis, & varietate venit ad Libanum, & tulit medullam cedri. Summitatem frondium eius auulsit, & transportauit eam in terram Chanaam.* Drog. Host. legit, *in terram Sennaar*: & expendenda maximè est misera huius cedri conditio in hac trāsmutatione. Natiuus cedri locus erat Libanus à candore nomen accipiens; à Libano ergo translata est tota summitas cedri in terram Sennaar, hoc est, in terram fœtoris; sonat enim Sennaar, fœtorem. Quî fieri potuit, quòd in corruptibile credri culmen à rapaci illa aquila in terram transportaretur fœtoris? Textus causam insinuat illis verbis antecedentibus, *tulit medullam cedri*; vbi enim primùm medullam cedri, medullam virtutum, nempe charitatē eripit diabolus, facili negotio cæteras virtutes facit transmutari in fœtidam inanitatem. Accipite Drogonem lib. de Sacram. Pass. Christi Drogo. fantem: *Tulit medullam cedri: cuius medulla est charitas, quam singulariter nititur expugnare diabolus. Summitatem frondium eius auellit, & sermonem sapientiæ, qui excellentissimus est, euellit ab amore Dei. Et asportauit in terram Sennaar: hoc est, quod significat inanem gloriam.* Vbi charitas à corde eripitur, nil mirum quòd cæteræ virtutes in fœtidam inanitatem transmutētur. Quòd de illis dicatur lamentum illud Ier. Thren. 4. *Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.* Purpurascunt equidem vniuersæ virtutes morales à radiis charitatis illustratæ, & vt nubes orientis Solis claritate purpureum aureúmve quid ostendunt, imò vt Irides trahentes aduerso sole colores agri partes, quas tangunt, odore, & suauitate replent. Verùm vbi sol abest, nubes sordent, & ablata charitate virtutes reliquæ facile etiam sordes admittunt, & in vanitatis transmutantur fœtorem. Id quod notans D. Pasch. lib. 4. in Paschas. Lament. ait: *Quoniam croceus color sæpè in Scripturis sacris claritatem designat sanctæ dilectionis: & ideò cùm charitas amittitur, reliquæ virtutes stercora amplexantur, quia de bono Dei, & proximi odore dilectionis mox transeunt in fœtorem prauitatis.* Nulla est virtus quæ non rutilet inter charitatis radios, quæ purpureos non trahat croceósque colores, quæ suauitates non spargat: ast charitate ablata, periculum est, quòd & cæteræ virtutes transmutentur in euanidum fumum fœtoris. Hinc monebat Prælatum Dominus Apoc. 2. *Habeo aduersùm* Apoc.2. *te pauca, quòd charitatem tuam primam reliquisti: memor esto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac,* &c. Quæ prima opera? Addidit D. Paschas. vbi suprà: *Videlicet* Isai.43. *opera castæ dilectionis, sine qua nulla inuenitur virtus boni odoris. Propterea etiam ipsæ virtutes operum, quæ sine dilectione fiunt, rectè plangūtur, quòd amplexæ sint stercora, dum sine ipsa amittunt fragrantiam boni odoris, & veniunt in fœtorem prauæ intentionis.* A charitate habent virtutes, & præstantissimum odorem, & colorem, sine qua multum erit, quòd non venirent in vanitatis correptionem, & fœtorem.

§. VIII.

Humilis delictorum confessio celerrimam consequitur misericordiam.

SE peccatorem pronunciat publicanus, & statim dicitur, *descendit iustificatus*; non tardat gratiæ donum vbi est humilis confessio peccatorum. Ad Israëlem peccantem ait

Dominus Isai.43. *Narra, si quid habes, vt iustificeris*; in rem præsentem explicatiùs dixere Septuag. *Dic tu iniquitates tuas primus, vt iustificeris.* Non longas moras expectat; non temporum spatia dilatat, non forenses terminos requirit, vt beneficam sententiam ferat; solùm ait: *Dic tu primus*: & si dicas, Chrysost. dicto, vt aiunt, citiùs misericordiam tenes. Benè D.Chrysost. in Psalm.135. fatur: *Quid potest cum hac conferri clementia? Dic, inquit, & nihil quæro amplius; confitere, & mihi sufficit. Dic, & totum fero acceptum.* Proh confessionis efficaciam! Vide homo, vnde facile potes multis sceleribus remedium afferre, remedium, inquam, & facile, & celerrimum. Dic primus peccata tua, & habes in te totam Dei beneficentiam. De Israe- Iudic.10. litis peccatoribus dicitur Iud.10. *Dixerúntque filij Israel ad Dominum: Peccauimus; redde tu nobis, quidquid places, tantum libera nos.* Sed nil aliud agitis ô boni? Innumeris sceleribus Theod. polluti, hoc solum dicitis: *Peccauimus*? Pulcrè ad hæc Theod. q.17. *Vbi suas iniquitates confessi sunt, alienósque deos abstulerunt è medio seruientes Domino, beneficentiam eius persenserunt.* Ipsi dixerunt iniquitates, & ecce tibi super illos effunditur Dei beneficentia: nescit humilis confessio moram facere in obtinenda sanitate. Crede mihi homo peccator; dic tu primus peccata tua, confitere iniquitates tuas, & Deum tibi adstantem habes, qui te præsentissimis repleat bonis, & omnia fu- Matth.2. get à te mala. Matth.2. Bethleemitico solo applaudit: *Et tu Bethleem terra Iuda nequaquam minima es in Principibus Iuda, ex te enim orietur dux, &c.* Quid gloriosius dici potuit oppido, quàm quòd ad illum inhabitandum sic Deus fortissimus properaret, vt non expectaret viriles temporalis ætatis annos, sed puer, sed infans, sed pusio tenellus, & recens natus iam oppidum occuparet? Et quod oppidum tanta fuit repletum gloria? Vnum solum, nimirum Bethleem Iudæ, in Bethleem domus panis, in Iuda confessio explicatur; vbi enim viuifico Christi corporis panis confessio adiungitur, non Bernard. potest in nobis tardare diuina regeneratio. D.Bern. ser.1. in vigil. Nat. ait: *Solutus esto quomodo Bethleem Iudæ inueniaris, & iam non in te Dominus suscipi dedignatur. Bethleem quippe domum panis, Iuda sonat confessionem. Tu ergo si quanta potes deuotione suscipias panem illum, qui de cœlo descendit, Bethleem factus es dignus planè susceptione dominica, si tamen confessio non defuerit.* Adsit cum pane cœlesti confessio humilis peccatorū, & habes in te diuinam regenerationem habes illum maximè ducem orbis dominatorem, & inferni domitorem, qui pro te stet, qui te coronet. Huc etiam referam illud 2.Pa- 2.Par.20. ral.20. *Attendite omnis Iuda, & qui habitatis in Hierusalem, & tu rex Iosaphat. Hæc dicit Dominus vobis: Nolite timere.* Et cur non timeant homines scelerati à facie Domini, & Domini seuerissimam sententiam ferentis in peccatores? Ingressura Esther ad Assuerum post sententiam aduersùs Iudæos latam sic tota pauida orat c.14. *Da mihi fiduciam Domine rex Deorū, & vniuersæ potestatis, tribue sermonē compositum in ore meo in conspectu leonis, &c.* Et cur fœmina comprehensa legum rigore non paueret in conspectu eius regis, qui leoninū ostentabat horrorem? At nullus rex iracundior apparuit, quàm apparebit Dominus in iudicio aduersùs peccatores, quādo & leoninam iracundiam ostendet, æternósque minitabitur rogos. Cur ergo non timeant homines in conspectu tanti leonis? Sanè non vniuersi liberantur à timore, sed notanter dixit in primis, *Attendite omnis Iuda*; cùm enim Iuda confessionem notet, illi soli dicuntur intrepidè posse astare in conspectu leonis, confessio enim peccatorum, & potens est ignes ex- Cyril. tinguere, & cicurare leonem. Aiebat enim D.Cyril.Hierosol. catech.2. *Poterit enim confessio etiam ignem extinguere; poterit & leones cicurare.* Qui primus sua dicit delicta, suas iniquitates confitetur, is non timet à facie leonis, Deum etiam leonina iracundia plenum cicurabit, & prorsus reddet lenem, & mansuetum. Et cur timeat peccator à facie Dei irati, quādo confessio vniuersa peccata abscondit, ne pateant oculis Dei vindicatoris? Mirandum sanè fuit, quòd apud Ezech.1. quatuor animalia adstarent Domino debellatori Orbis, & erāt Ezech.1. animalia illa pennata, de quorum pennis ait: *Et pennæ eorum extensæ desuper: duæ pennæ singulorum iungebantur, & duæ tegebant corpora eorum.* Itaque duæ pennæ non tam ad volādum, quàm ad tegenda eorum dabantur corpora, ne quid in illis non splendidum appareret in conspectu triumphatoris. Et Damian. quæ alæ sic tegebant animalium corpora? Ait P.Dam. ser. de S.Michaele. *Prima hominis ala reuertentis ad Deum, amaritudo cordis est. Sed quia corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutē, sequitur secunda penna, confessio videlicet oris. Istæ siquidem virtutes sunt, quæ multiplicem cumulū scelerum nostrorum ante Dei oculos abscondunt. De his dicitur, duæ tegebant eorum corpora.* Hæc ille; quibus patet, quàm securus animalis etiam homo adstat Domino, si in cordis amaritudine, & oris accedat confessione, his enim pennis sic omnes scelerum maculæ teguntur, ne pateant diuinis irascentis Dei oculis.

§. IX.

Confessio, quæ non à corde humiliato, & compuncto oritur, nihil prodest.

IVstificatur Publicanus, & non Pharisæus in oris confessione; & cur paucissima publicani verba gratiora Deo fuere, quàm multæ illæ Pharisæi orationes? Inuenio equidèm in Pharisæo laudis confessionem: in publicano confessionem peccatorum, sed quæ procedit ab humiliato, & compuncto corde. Est equidem & confessio, quæ nos Deo inhærere facit, & confessio, quæ nihil proficit: hæc solo profertur ore, illa à corde humiliato, & verè compuncto prodit. Id quod volens ostendere Dominus duos Iudæ nomine insignitos in suo recepit cœtu Apostolorum; alter fuit Thaddæus, qui permansit cum Domino; alter Iscariot, qui proditor, & impœnitens corruit. Pro quo aiebat D.Pasch.lib.12. in Matth. Paschas. *Non vacat mysterio duos fuisse inter Apostolos hoc nomine vocitatos; vt vnus dicatur Iudas Iacobi, alter verò Iscariot, quia Iudas confessio interpretatur. Et ideo duos istos fuisse inter discipulos, vt vnus eorum teneret formam verè confitentium, quorum pars fideliter permanet cum Domino; alter verò eorum partem exprimit, qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Est qui verè confitetur peccata sua, qui ab intima compunctione cordis confessionem promit, is cum Domino permanet, eiúsque præceptis firmiter adhæret. Verùm qui non ex humiliato corde confitetur, sed solo oris sono, cum verborum sonitu perit in illo Dei memoria. Huc spectabat D.Paul.1.ad Cor. 1.Cor.15. 15. dum se charitate ablata depingens, ait: *Facta sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens.* Sonant equidem æra, dum pulsantur, sed vbi pulsatio cessat, cessat & sonitus: sic plures in confessione referunt æris sonitum, qui dum metu pulsantur, aliquo multa loquuntur. multa confitentur; imò profitentur, sed cum verborum sonitu finiuntur omnia. Sapienter ait D.Greg.Mor.9. Gregor. *Quidam à metallo æris in nullo discrepantes cùm flagella supernæ percussionis accipiunt, piæ confessionis sonitum emittunt. Sed quia humilitatis voces ex corde non proferunt, ad statum salutis reducti nesciunt, quod promiserunt. Illi in nullo æris imitationem fugiunt, qui in percussione positi, ea, quæ non sentiunt, loquuntur.* Vbi non à corde humiliato procedunt voces confessionis, nihil differunt ab æris pulsati vocibus, quæ solum habent fugacissimum sonitum, & prætereunte vocis sonitu, præterit etiam boni cuiuscumque propositi memoria. Quid mirum, quòd despiciat Dominus hominem, in cuius ore, solus æris tinnitus sonat, illum verò suscipiat, qui in integro corde nouit clamare ad Dominum? Ecce tibi Saul, quàm multa cōfitetur errata coram Samuele, 1.Reg.15. 1.Reg.15. *Peccaui, quia præuaricatus sum sermonem Domini, & verba tua, timens populum, & obediens voci eorum.* Non equidem tanta loquutus est Dauid, sed obiurgatus ait, 2.Reg.12. *Peccaui Domino*; & his paucis confessionis verbis obtinuit gratiam, quam Saul minimè obtinere potuit. Vnde tantum discrimen manauit, nisi quia Saulis voces non ab humiliato exibant corde? Aiebat P.Dam.lib.6.ep.26. Damian. *Ille scelus inobedientiæ spiritu superbiæ paruipendens, nequaquam pleno corde pœnituit; hic autem pauca quidem protulit, sed eius viscera diuini timoris gladio transfixa veri luctus amaritudo repleuit.* Et quidem verè dixit ibi Bern. citatus à Tilmanno in allegoriis: Bernard. *Omnino non poterat non placari Deus, si quæ in ore sonuit, in corde radicasset humilitas.* Non sonantia ora, sed cor contritum, & humiliatum Deus non despiciet. Vnde monebat Ioann. Matth.3. Matth.3. *Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.* Ex quibus D.Greg.lib.6. Gregor. in 1.Reg.c.15. inquit: *In fructu ergo, non in folijs, aut ramis pœnitentia cognoscenda est. Vnde & Dominus arborem solùs decoram fructu sterilem maledixit: quia confessionis ornatum non recipit, sine fructu afflictionis.* Hæc ibi.

CAPVT VIII.

De Messe, & Agnis.

SEPTVAGINTA duos discipulos missurus Dominus in animarum capturam duplici similitudine eos instruit à messe, & agnis petita. In messe, vt videant animorum negotium, & tempestiuum, & diues, strenuis

strenuis tamen operariis indigens; quando nulla messis frugum non perditur, sine operarum labore, & curis. In agnis operarum euangelicorum exprimit munus, quorum in multa patientia, in laboribus, & periculis multis, stabit omne tanti officij punctum.

Luc. 10. Designauit Dominus alios septuaginta duos; & misit illos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem, & locum, quò erat ipse venturus.

§. I.

Illi præcipuè aptandi, vt Christum gentibus annuntient, qui concordia, & fraterna charitate eminent.

BInos mittit Dominus ante se discipulos, vt ipsi sese mutuò adiuuent, mutuò foueant, & fraterna charitate emineant, minimè enim aliter possent gẽtibus annuntiare Christum. Apud Num. c. 13. dum vellent exploratores deferre secum terræ promissæ fructum, ait: *Absciderunt palmitem cum vua sua, quem portauerunt in vecte duo viri.* Id quod meditatus
Num. 13. D. Paschas. lib. 6. in Matth. & simul expendens discipulorum bigas à Christo Domino ante se missas, inquit: *Quàm bini, ac bini, quàm benè iunguntur, vt botrum, quo gentes inebriantur: duo, a duo sunt deferentis humeris.* Hoc sit singulare stemma illorum, qui diuinissimum bonorum Iesum gentibus portare velint,
Paschas. omnium, quòd bini, ac bini quàm bene iungantur, quòd fraterna coniunctione emineant. Audio inter filios Iacob nouissimi Ioseph singulari prædio iuxta Sichem ditatum
Genes. 49. fuisse, ait enim Gen. 49. *Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi*; quam partem fuisse ex prædio Sichem testatur Ioan. Euang. c. 4. & quòd ibi sepulta fuerint a Iacob vxorum suarum idola, ait Gen. 35. Cur ergo magnus Iacob voluit, quòd idolorum sepulchra non venirent in potestatem aliorum filiorum, sed singulariter appropriarentur Ioseph? Equidem legatio illa Iacob prophetia erat de Christo recepturo gentes destructis eorum idolis; at Christus recipiens gentes in solo Ioseph potuit adumbrari, vt qui solus etiam inter iniurias seruauit fratrum amorem, fraternáque charitate maximè floruit. Tantum id non dixit Aug.
August. q. 167. in Gen. vbi ait: *Proculdubio aliquod hîc latet propheticum sacramentum, quia & Ioseph quadam præcipua significatione Christum præfigurauit, & ei datur ista terra, vbi disperdiderat obruendo Deos alienos Iacob, vt Christus intelligatur possessurus gentes Deos patrum suorum renuntiantes, & credentes in eum.* Expende cur detur ista terra Ioseph, nimirum *vt Christus intelligatur possessurus gentes*, &c. Non in Iuda, non in Rubeno, non in Asser, qui omnes cum cæteris a fraterna concordia discesserant; sed in vno Ioseph fraternam charitatem seruante potuit Christus singulariter intelligi possessurus gentes renuntiantes idolis, & sibi seruiẽtes. Ille potest securius Christum communicare infidelibus, qui in charitate fraterna emicet: vniuersos homines velut fratres æstimans sub eodem parente Deo. Ex quo patet legis nouæ, & veteris dif-
Deut. 7. ferentia: cauet enim lex Deut. c. 7. de infideli homine loquens: *Nec filiam illius accipe filio tuo, quia seducet filium tuum, ne sequatur me, & vt magis seruiat dijs alienis*, &c. Hæc ibi lex, dum veretur fidelem virum iugi fœminæ infideli. Verùm
1. Cor. 7. Paul. 1. ad Cor. 7. sic monet: *Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam*, &c. Moyses suspecta habet coniugia cum infidelibus, Paulus illa probat: timet Moyses quòd fidelis homo ingrediatur ad vxorem infidelem, & Paulus id non timet. Cur quod cauet Moyses, & timet, Paulus non cauet, nec timet? Paulus ipse causam insinuat, asserens: *Si quis frater vxorem habet*, &c. Vbi enim quis frater est, vbi Christiana charitate in fratres eminet, & Christi spiritu vniuersos velut fratres æstimat sub eodem parente Deo, is securus potest ingredi ad infideles,
Cyrill. vt illos Christo lucretur. Acutè D. Cyril. Alex. lib. 7. de ador. qui est de charitate in fratres, vbi ait: *Quænam igitur est in his rebus dispensationis ratio? Quamue ob causam olim coniunctionem cum ijs, qui aliter sentirent, expertimescebat; nunc non item? Quia nempe sumus eas, qui in Christo vocati sunt, & in Dei amore stabiles effecti, & qui in illis habitat spiritus, in quo clamamus, Abba Pater: illi autem nondum hoc munere locupletati erunt.* Ex quo Christi spiritus nos fratres effecit, nos sub eodem parente Deo vniuit, non est cur adeò expaueat fidelis ingressum ad infideles, quos ad Christum poterit facili negotio conuertere. Iuuat equidem fraterna charitas plurimum, vt Christus pateat gentibus, & communicetur illis. Videns

Dominus templum illud Hierosolymitanum, quod à se gẽtes arcebat, ait Luc. 21. *Venient dies, in quibus non relinquetur* Luc. 21.
lapis super lapidem, qui non destruatur. Quæ prophetia non solùm putatur à D. August. impleta in templi Hierosolymitani destructione; sed longè præstantius impleta censetur in ædificatione Ecclesiæ plantatæ per omnem terram, & capientis plenitudinẽ gentium. Verum illud difficile est, quòd in ædificatione Ecclesiæ gentium dicatur, quod non relinquetur lapis super lapidem. Si lapis non relinquitur super lapidem, quomodo potest ædificari domus, quæ vniuersas capiat nationes? Nónne per superadditos lapides exsurgere debet fabrica domus, & amplissimæ domus? Planè domus, quæ ad capiendas gentes ædificatur non crescit ex lapidum pluralitate superposita, sed ex vnitate; cum lapides adeò inter se vniuntur, vt non alij, & alij appareant superpositi, sed quasi vnus, & indiuisus lapis appareat, tunc domus exsurgit amplissima ad capiendas nationes. Ad hęc Aug. in Ps. 95. August.
inquit: *Lapides enim ad fabricam nouam, quæ ædificatur post captiuitatem, sic colliguntur, & sic illos charitas in vnitate constringit, vt non sit lapis super lapidem, sed vnus lapis sint omnes lapides. Ad ipsam structuram nos compingit Apostolus, dicens: Sufferentes inuicem in dilectione, studentes seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Ædificatur ergo domus Domini: crescit multum domus hæc, & multas gentes implens*, &c. Ex quo inter lapides domus Dei quasi indiuisa vnitas apparuit, adeò creuit domus, vt vniuersas nationes capiat.

§. II.

Vt differentia Doctorum placita multum conducunt ad veritatem fidei propagandam.

BInos mittit Dominus discipulos suos, nolens vnius magistri placitis publicationem doctrinæ suæ committere, quæ vt diuersis hominum genijs erat tradenda, sic per diuersa Doctorum placita facilius biberetur. Huc spectat Dominus Cant. 4. sic ad sponsam, nimirum fidelium Ecclesiam, Cant. 4.
locutus: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum, in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui. Quàm pulchræ sunt mammæ tuæ*, &c. In oculis, in crinibus laudat vnitatem, in mammis autem nihil dicit de vnitate, de conuenientia earum, sed & plures, & pulchras eas asserit. Et cur, quam commendat in oculis crinibus vnitatem, eandem non requirit in mammis? In oculis, & crinibus sponsæ, denotatur speculatio veritatis fidei secundùm se, quæ ab vno solo petenda est, nempe Deo, & eius vicario, Ecclesiæ capite, in quo vno nititur, & quiescit; verùm in mammis intelliguntur motiua, & rationes, & argumenta, & modus explicandi, quæ faciunt veritatem fidei persuasibilem, & credibilem paruulis; hæc autem totam suam pulchritudinem, & completam efficaciam habent in varietate, & pluralitate. Meritò adhæc ait Gillib. Abb. qui Canticorum explicationẽ à D. Bern magistro suo inceptam continuauit. Is ergo tanti Bernard.
magistri discipulus ait serm. 31. in Cant. *Cur post oculum, & crinem statim ad mammas sermonẽ deflectit? Aut cur in illis vnitas commendatur, in his commendatur pluralitas? Mihi in superiori mentis quidam, & cogitationum excessus ad Deum videtur vnus: sobrietas autem, & temperantia ad parandos in illo: ibi vnum necessarium est; hîc sollicitudo, & sermo doctrinæ partiendus in plura.* Itaque vbi fidei veritas secundùm se inspicitur, vno solo fundamento nitendum est, nimirum Deo, eiusque Vicario Romano Pontifice; verùm vbi accedimus ad veritatis fidei credibilitatem faciendam paruulis, & pluralitate, & varietate, imò diuersitate doctrinæ nobis opus est. Sæpe enim, quod vni verisimile est, nullius momenti videtur esse alij, vnde necessaria est diuersitas sententiarum, vt nullus sit, qui non habeat, vnde capiatur. Id quod persuadebat Nazianz. orat. 1. aiens: *Quemadmodum si quis variam quandam, & multiplicem belluam, ex multis belluis, magnis iuxta, paruisque feris ac mitibus compactam curare aggrediatur, huic in natura adeò præpostera gubernanda maximus labor subeundus sit: quippe cùm nec vocibus ijsdem, nec alimentis, nec manuum blandimentis ac sibilis belluæ omnes delectentur, sed alia alijs, pro sua quæque natura, & consuetudine, vel gaudeant, vel offendantur, vt qui eiusmodi belluæ curam susceperit, eum varia omnino & multiplici scientia ornatum esse oporteat: & eam, quæ cuique apta sit, rationem adhibere. Eadem modo cùm commune hoc Ecclesiæ corpus instar compositæ cuiusdam, & inæqualis belluæ, ex pluribus varijsque moribus, & rationibus conflicatum sit, summopere necessarium est Antistitem simul, & simplicem esse, quantum ad rectitudinem; & rursum, quàm maximè*

varium, ac multiplicem, quantum ad id attinet, vt vniuscuiusque animum sibi adiungat, aptéque & apposité omnes alloquatur. In re adeò euidenti, & ab Ecclesia obseruata, dū plures Doctores inter se dissidentes & admittit, & celebrat, non immorabor, ne videar commentaria texere aduersùs celebrem Orbis Academiam, quæ his diebus iurauit se à sola sententia D. August. & D. Thom. in theologicis conclusionibus staturam, vt sic periculosæ nouitati in suis scholis occludatur aditus. Et quidē sapientiùs occluderent aditum periculosæ nouitati, si non in vno, aut altero Doctore sic tenaciùs adhærerēt, quando Ecclesia Catholica ab Spiritu sancto gubernata, vt periculosis nouitatibus occluderet aditum, non vno Doctore contenta est, sed ex Græcis Basilios, Nazian. Chrysost. Athanasios; ex Latinis Ambrosios, Hieron. August. Gregorios, sibi magistros accepit. Et post hos adhuc longè posteriores addidit D. Thom. & D. Bonauent. licet inter se dissidentes; nec iurauit se deinceps nullum alium recepturam, sciens donum scientiæ, & intellectus nondum esse exhauritum, & posse adhuc resurgere talia peruersorum hominum ingenia, pro quibus conuincendis efficaciores sint sententiæ, vel D. Thom. vel D. Bonau. contrariæ. Inuenio in Concilio Ephesino generali idem studiū fuisse sanctissimis Concilij Patribus, quod Academico claustro, de occludendo aditu periculosis doctrinæ Catholicæ nouitatibus. Sed quàm aliud remedium adhibuere illæ firmissimæ Ecclesiæ columnæ? Habet id Vincentius Lyrinensis adductus à Patre Ribera in Prologo ad Aggæum Prophetam; ait ille: *Exemplum adhibuimus sancti Concilij, quod ante ieiunium ferme in Asia celebratum, vbi cùm de faciendis fidei regulis disceptaretur, ne qua illic forsitan prophana nouitas in modum perfidiæ Ariminensis obreperet, vniuersis sacerdotibus, qui ducenti ferè numero conuenerant, hoc Catholicissimum, felicissimum, atque optimum factum visum est, vt in medio sanctorum Patrum sententiæ proferrentur, quorum alios martyres, alios confessores, omnes verò Catholicos sacerdotes fuisse, & permansisse constaret, vt scilicet ritè, atque solenniter ex eorum consensu, atque decreto antiqui dogmatis religio confirmaretur, & profanæ nouitatis blasphemia condemnaretur.* Perpendite modò, quid faciant Ephesini Patres ad repellendas nouitates periculosas, & quid faciant Academici Doctores. Illi omnium Catholicorum Doctorum placita requirunt, putantes ex diuersarum viarum Doctorum Catholicorum consensu pro vera fide telum firmius nasci: hi, præterquam duobus, nulli alij volunt credere Patri, nec Basilio, nec Hieron. nec Cypr. nec doctissimis, Catholicimisque magistris ab vniuerso orbe decantatis, quorum Theologia vsi sunt summi Pontifices in Conciliis, pro stabiliendis fidei veritatibus; in hæreticorum duello, pro perimenda perfidia, & falsitate. Illi ab speluncis, à furcis tyrannorum, exquirunt sacerdotes Catholicos, quorum variis placitis vna fidei veritas stabiliatur aduersùs periculosas nouitates; hi etiam clarissimos Doctores, Catholicorum scholarum fundatores, in pulpitis, in Cathedris, in Conciliis magno honore habitos repellunt, & suis terminis iubent exulare. Sanè verendum magis esset, ne dum nimia vnitas in doctrinis tradendis affectatur, fidei plura abiiciantur propugnacula, & aliquid contra eius securitatem stabiliatur. Non enim parum nociuum securitati regni esset decretum Imperatoris, quo cupiens vnionem exercitus sui repelleret ab exercitu omnes nationes, quæ non eodem modo pugnarent, eisdémque vterentur armis, & sic vna hominum natione contentus incredibilem hostium multitudinem expectaret. Quam nimia hæc, & quàm periculosa vnionis cupiditas. Prudentius agit Imperator, qui dum milites regnum propugnent, & hostes arceant, non cauet diuersos nationum modos pugnandi; imò ex omnibus in auxilium vocat, vt à diuersis munitus tutiùs agat. Prudentiùs agunt Romani Pontifices, qui noscētes Doctorum clarissimorum per hoc nouum iuramentum gladios, & limatos ad fulgendum, & acutos ad perimēdum, licèt dissimiles sint, & differentes vel à Thomæ, vel à Bonauenturæ gladiis; tamen ex illis validissimum aduersùs hæreses cornu erexerunt pro Germania, pro Anglia, illisque crediderunt magnæ & apud Gentiles Iapponios, & apud schismaticos Æthiopes Ecclesiæ fundamina. Et quod mirere magis in horum Doctorum præstantia, cùm per integrū ferè sæculum in arena iam sint aduersùs Ecclesiæ hostes, tot librorum arma in illos iacientes, quot non capit ingens armariū inter mille hostium strages, nullum ipsi receperūt in fide vulnus lethale. Quis Imperator tā validos pugnatores ab exercitu abiiciet ob armorum diuersitatem? Fuerunt Parisiis, qui religiosissimos, sapiētissimósque magistros Ordinis prædicatorum à Doctorum Academicorum albo, & honore eiiciendos assererent ob armorum diuersitatem. Quam sententiam, & rationem validissimè contriuit D. Thom. Opuscul. 19. cap. 3. & tandem fatur. *Et omnes quibus pugnare licet, possunt communicare in eodem exercitu, qui est societas ordinata ad pugnandum. Non enim videmus, quòd milites religiosi expellant milites sæculares à suo exercitu; nec è conuerso. Est etiam prædicta sententia friuola: quia rationes, quibus innititur, nullius momenti sunt, & ostendunt ignorantiam eorum, qui eas inducunt, vel veram, vel fictam.* Hæc Angelicus Doctor. ex quibus disces non ablegare è scholis armorum diuersitatem, sed potiùs omnes diuersitates Chatholicas amplecti, vt tulerit occasio. Et quidem non absimile consilium dans Naz. orat. 26. sic finit: *Etenim si, vt vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus, & pater omnium, & per omnia, & in omnibus; ita vnaquæque esset per disputationem, & contemplationem ad salutem via, vt qui ab ea exciderent, ydem à toto quoque aberrarent, nihil sanè periculosius esset, quàm vel huiusmodi consilium dare, vel huic parere. At si in rebus humanis multa, & diuersa sunt viarum genera, & instituta, alia maiora, alia illustriora; sic in diuinis non vna salutis ratio est, sed plures, nec vna quædam virtutis via.* Pergit vir sanctus adhuc eos pungens, qui etiam in disputationibus de Deo nimiam vnitatem amabant: mihi sufficiant hæc dicta, quibus paret, quàm friuolum, & inane sit, ex eo quòd vnus est Deus, & vna fides, & vnum baptisma, & vnus pastor, & vnus orbis moderator omnem diuersitatem disputationum Catholicorum abigere. Fallar nisi sanctiùs, & religiosiùs veritas nulli tribueretur Doctori in particulari; imò votum esset Deo acceptius, quòd communem omnibus Doctoribus Catholicis, & nulli in omnibus propriam profiteretur veritatem. Psalm. 75. *Vouete, & reddite Domino Deo vestro omnes qui in circuitu eius affertis munera.* Expende, qui iubeantur vouere, nempe qui in circuitu Dei afferunt munera. Id quod explicans D. August. ait. *Quid est, omnes, qui in circuitu sunt, offerent munera? Hoc interim, quòd Deus admonet, dicam vobis, quid ex his verbis ipse mihi inspirare dignatus sit; si melius aliquod postea visum fuerit, & hoc vestrum est, quia communis est omnibus veritas. Non est mea, nec tua: non est illius, nec illius, omnibus communis est. Et fortassis ideo media est, vt in circuitu eius sint omnes, qui diligunt veritatem.* Et post pauca sic monet vniuersos. *Nemo dicat, meum est, ne in parte sua velit facere, quod in medio est omnibus. Quid est ergo, omnes qui in circuitu eius offerent munera? Omnes, qui intelligunt communem omnibus esse veritatem, & non illam faciunt quasi suam, superbiendo de illa, ipsi offerent munera, quia humilitatem habent. Qui autem quasi suum faciunt, quod omnibus commune est, tanquam in medio positum ad partem se ducere conantur, non offerent hi munera; quia omnes, qui in circuitu eius sunt, offerent munera terribili.* Sapienter, & religiosè maximus Ecclesiæ Doctor August. ostendit, qualia vota, & munera pro veritate Deo placeant; non sanè, quæ partialitatem redolent, nec quæ in medio positum ad partem seducere conantur. D. Augustino subscripsit Regius Senatus minimè probans vota veritatē è medio in partem tollentia; ne dum vnicus in omnibus veritatis datur propugnator, carpatur diuina prouidentia, qui pro veritate diuersissimos semper propugnatores excitat, & excitabit; *ædificata enim est cum propugnaculis*, non cum propugnaculo: imò ipsa sapientia carpatur, quæ non contenta vna columna, septem excidit, quibus valeat sustentari.

D.Thom.

Nazianz.

Psal. 75.

August.

Text. Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.

§. III.

Vbi res Christi agitur, non potest non sentiri persecutio.

QVàm pulchrè comparat Dominus messi lucra Christiana! Vt messem enim, sic & Christianum lucrum componit tritura. De primo Ecclesiæ augmento habes Actor. 6. *Et verbum Dei crescebat, & multiplicabatur numerus discipulorum in Ierusalem valde: multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei. Stephanus autem plenus gratia, & fortitudine faciebat prodigia,* &c. Quantus hic fructus prædicationis? Quātum hoc augmentum Christianitatis? In Christi horrea sacerdotes turmatim colligebantur, inter omnes Stephanus & gratia, & signis præstabat. Vidistis fructuum diuitias, vide

Actor. 6.

Actor.7. vide modò quo ex nubilo grandinantur. Ait Actor. 7. *Lapidabant Stephanum inuocantem, & dicentem*, &c. Deus bone, sic permittis dilapidari tuam hæreditatem? Cur sic conteritur tantus vir Stephanus? Occasionem insinuant verba præfata, nimirum, *verbum Dei crescebat, & multiplicabatur numerus discipulorum*. Vbi Apostolica prædicatio tantam messem Christo agebat, non poterat non etiam tritura manipulis parari Christianis. August. Id quod notans D August. ser. 45. de Sanctis ait: *Missi messores cum falce Euangelij, portauerunt manipulos ad aream Dominicam, vbi Stephanus trituraretur.* Et simul Euangelica fala iacta est in segetes, & diuites frugum manipuli cœperunt apparere, & ecce vobis inter lapideos trituræ dentes conteritur Stephanus. Nulla equidem messis Christiana, nullus fructuum a labore Christiano natorum cumulus esse potest, quin simul existat durissima tritura, & contritio; adeò vt Paulus hinc verum suæ prædicationis fructum, & progressum ostendat, nimirum Gal. 6. ex trituræ signis in se manifestis. Ait enim ad Gal. cap. 6. *De cætero nemo mihi molestus sit. Ego enim stigmata Domini nostri Iesu Christi in corpore meo porto.* Non defuere, qui Pauli labores, imò & fructus in Euangelio suspectos haberent; quorum mordentia ora strenuè occludit vir sanctus hoc vno argumento, quo in se tribulorum vestigia ostendit. Et quis non credat veram Christi messem, quæ simul sub tribulis gemit? Chrysost. Ibi Chrysost. aiebat: *Paulus sua vulnera iactat: ac ne secus quàm solent milites vexilliferi, hic exultat sua vulnera circumferens. Sed quam ob causam hoc dicit? Quouis sermone, inquit, voce, inquit, clarius per hæc me purgo. Hæc namque vocem tuba sublimiorem emittunt aduersus eos, qui mihi contradicunt, prædicántque me simulate dogma, & ad placandum homines aliquid dicere. Etenim siquis videret militem ex acie cruentatum prodisse, innumerísque vulneribus saucium: num posset illum ignauiæ proditionísque damnare, argumenta fortitudinis in ipso corpore gestantem? De me quoque igitur similiter iudicate.* Nullum euidentius testimonium afferri potest pro ostendenda & vera, & diuite messe ad Christum pertinente, quam quod sumitur à tremendi rastri, tribulorúmque mordacitate; nunquam enim Christianam messem tribula non Isai. 21. comitantur. Quò respiciens Isaias cap. 21. ait ad illos, qui relicta falsitate ad Deum erant venturi: *Tritura mea, filij areæ meæ, quæ audiui à Domino exercituum Deo Israel annuntiaui vobis.* Et meritò filios areæ vocat Dominus fideles suos, vt ostendat nullam Christianæ virtutis puritatem inueniri, quam tritura non vel comitetur, vel antecedat. Hieron. Quæ verba sic pulchra paraphrasi expendit D. Hieronym. ibi: *O popule, qui condendus es in horrea mea, quem idcirco triui in varijs angustijs, vt & paleas ab eo excuterem, & purissimum triticum in meo horreo conderetur.* Totum igitur negotium Christianum, negotium areæ est, in qua quo cumulatior exsurgit messis, prioráque rubent grana, eo plura tribula in trituram fuere data.

§. IV.

In Præsulibus Ecclesiæ non tam otium contemplationis, quàm negotium pro subditorum salute eminere debet.

OPerarios requirit Dominus ad messem suam, hoc est, non qui domi sedeant, sed qui ad laborem exeant: non qui totos se quieti tradant; sed qui operi insteut, nec vnquam ab operando remoueant manus. Magnus ille Isaac, Genes. 24. dum sponsam expectat, confert se in agrum; ait enim Genes. 24. de illo; *Egressus fuerat ad meditandum in agro*; non vt agrum coleret, arbores plantaret, sentes eradicaret, sed Ierem. 1. vt in agro meditaretur. Ad Ieremiam autem dicitur cap. 1. *Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* Et Ieremiæ, & Isaac ager est, sed Ieremiæ, vt euellat, & plantet; Isaac, vt meditetur tantùm. Et cur Ieremiæ non iubetur meditatio, sed plantatio? Causam ostendit textus aiens; *Constitui te super gentes, & super regna.* Vbi enim quis populis præficitur, hoc præcipuum habeat, vt nunquam ab opeBernard. ribus cesset pro subditis iuuandis. Ex quo monebat D. Bernard Eugenium Pontificem lib. 2. de consid. fatus: *In hunc agrum Isaac exierat, cùm primum Rebecca occurrit ei: &, vt Scriptura habet, exierat ad meditandum. Ille ad meditandum, tu ad extirpandum egrediaris necesse est. Tibi iam præcessisse meditatio debet, tempus faciendi pro moribus.* Itaque prælaturæ tempus, non tam tempus est meditandi, quàm tempus faciendi, tempus operandi: nec traditur Ecclesiæ ager, ad meditandum, sed ad plantandum, ad extirpandum, ad ædificandum. Hoc primum, & præcipuum sit in Præsulibus Ecclesiæ, quòd operam, & diligentiam impendant subditis custodiendis, promouendis. Id quod eleganter ponderat Petrus Damian. lib. 5. epist. 2. in duobus mulieris peccatricis facinoribus, & quòd pedes Iesu vnguento vnxerit, & quòd deinde caput eiusdem vnguento perfuderit. Hæc fuit prima mulieri cura circa Iesu pedes, non circa Iesu caput, vt ostendatur prima etiam in Ecclesiæ prælatis cura, nimirum circa pedes Domini, hoc est, circa subditos fouendos, lauandos. Quippe ait Damia. *Beata illa peccatrix prius pedes* Petr. Dam. *Domini vnguento perunxit; postmodum alabastrum vnguenti pretiosi super caput recumbentis effudit. Caput Christi Deus, pedes Christi serui Dei. Sicut enim illa, dum humanitati Christi obsequium depēdit, ad diuinitatis assurgere meruit intellectum; sic doctor Ecclesiæ dum Christi membra custodit, contemplanda diuinitatis gratiam percipit.* Nil prius sit in Prælato, quam subditorum negotium: huic prius impendat operam, ex quo veniet ad altiora diuinæ contemplationis. Hinc Paul. ad Rom. 12. ponens primam Prælatorum virtutem, ait: *Qui* Rom. 12. *præest in solicitudine.* Chrysostom. legit: *Qui præest in diligentia.* Chrysost. Necubi Prælatus appareat, quin sibi credito gregi operam nauet. Vide lib. 15. cap. 1. §. 50. & alibi.

§. V.

Nullum donum diuinum permanere solet, cui non subseruiat hominum cooperatio, & industria.

QVando Deus sibi messem constituit, quid necessum habet mittere ad illam homines operarios? An messis Deum habens & Dominum, & effectorem, potest egere alio? Fateor Deum cuique rei promouendæ sufficere, verùm sic omnia sua dona ipse ordinauit, vt minimè soleat diuinum donum permanere, cui non seruiat cooperatio humana. Post longum Moysi cum Deo sermonem in monte habitum dicitur Exod. 32. *Et reuersus est Moyses de monte portans duas tabulas testimonij in manu sua, scriptas ex vtraque parte, & factas opere Domini: scriptura quoque Dei erat sculpta in tabulis.* Exod. 32. Nihil non diuinum erat in tabulis, quidquid in illis spectabatur, & opus Dei erat, & scriptura: & quid accidit tam diuinis tabulis? Ait textus ibi: *Iratusque valdè Moyses proiecit tabulas, & confregit eas ad radicem montis.* Sic quas Deus sciderat, & perfecerat tabulas, penitus confringuntur, dissipantur. Quid tunc? Nouæne excogitantur tabulæ? Ait post hæc ad Moysem Dominus Exod. 34. *Præcide tibi duas tabulas lapideas instar priorum*, &c. Exod. 34. imò propè finem capitis rursus ait: *Scribe tibi verba hæc, quibus & tecum, & cum Israel pepigi fœdus*, &c. *& scripsit in tabulis verba fœderis decem*, &c. Hic requiritur Moysi manus, quæ tabulas præcidat, & in eis verba legis scribat: suprà nullius hominis manus expectatur, sed & factura, & scriptura tabularū opus dicuntur Dei. Et cur tabulæ tam citò confringendæ dicuntur opus solius Dei; posteriores autē, & perseuerātūræ tabulæ non solius Dei opus, sed & hominis opus prædicantur? Crediderim ibi significari Dei dona, quæ tunc perseuerant, & durant, cùm homines cooperatores habent. Quam quæstionem & excitat, & definit D. Augustinus quæst. 166. August. in Exod. fatus: *Magna oritur quæstio, quomodo illæ tabulæ, quas erat Moyses Deo vtique præsciente fracturus, non hominis opus esse dicantur, sed Dei: neque ab homine scriptæ, sed scriptæ digito Dei. Posteriores verò tabulæ tandiu mansuræ, ac in tabernaculo, ac templo Dei futuræ, iubente quidem Deo, tam ab homine scisæ sint, quàm ab homine scriptæ? Fortè in illis prioribus gratia Dei significabatur, non hominis opus.* Et quidem sic disposita sunt Dei dona, Dei gratiosæ largitiones, vt nisi per hominum cooperationem non habeant durationem. Ne putes Christiane nulla tibi esse opus diligentia humana, nullo hominis opere, eùm Deum tibi propitium, & beneficum, & protectorem experiris: est enim Deus largissimus in effundendis donis; sed eius dona, vt permaneant, expectare solent industriam, & operationem hominis. Celebris est Actor. 9. Pauli vocatio, cui Iesus ipse è cœlis ap- Act. 9. paruit, multa dedit verba; ei tamen roganti, quid faceret, respondit Dominus: *Surge, & ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.* In ciuitatem mittitur, & hominibus imbuendus traditur, ne sine hominum cultura, videantur diuina dona constare. Pro quo ait Bernard. ser. 1. Bernard. ibi: *O sapientia suauiter verè, vniuersa disponens. Eum, cui tu loqueris, erudiendum de voluntate tua, mittis ad hominem.* Spectet hominum disciplinam, quisquis secura, & tuta, in se velit habere Dei dona; quæ etsi maxima sint, euanescere

ſolent in illo, in quo contemnitur cultura hominum. Quod cauens ipſe Paulus ad Galat. 2. ait: *Iterum aſcendi Hieroſolymam, cum Barnaba, aſſumpto & Tito. Aſcendi autem ſecundum reuelationem, & contuli cum illis Euangelium, quod prædico in gentibus; ſeorſum autem ijs, qui videbantur aliquid eſſe, ne forte in vacuum currerem, aut cucurriſſem.* Et quis dedignans hominum diſciplinas, non vereatur currere in vacuum, quando Paulus hoc cauens, collaturus Euangelium ſuum cum ſapientioribus diſcipulis, abiit in Hieroſolymitanam

Ecclef. 10.

ciuitatem? Sanè de ſtultis, & euaneſcentibus ait Eccleſ. 10. *Labor ſtultorum affliget eos, qui neſciunt in vrbem pergere.* Vbi Chaldæus Coſti explicatius: *Labor, quo in ſtultitia ſua excruciatur ſtolidus, tantopere illum conficit, & fatigat, vt non ſit edoctus planè, ad eam ciuitatem receptum habere, in qua ſapientes habitant, à quibus doctrinam ſciſcitetur.* In pernicioſam procuIdubiò deueniat ſtultitiam, qui ſe in diuinis donis excellentem reputans, aliorum hominum deſpicit doctrinas.

Gregor.

Id quod notans D. Gregor. lib. 1. Dialog. cap. 1. inquit: *Inde fit, vt dum ſe quiſque ſancto Spiritu impletum præſumit, diſcipulus hominis eſſe renuat, & magiſter erroris fiat.* Expende quàm vicina ſint hæc duo: nimirum, quòd quis deſpiciat hominum audire doctrinas, & quòd magiſter erroris fiat. Solet, mihi crede, Dominus, ſic ſua dona nobis impertiri, vt in illis habendis, dependeamus ab hominum magiſterio, at-

1. Reg. 3.

que induſtria. Sic 1. Reg. 3. *Et vocauit Dominus Samuelem. Qui reſpondens ait: Ecce ego. Et currit ad Heli*, &c. Cur vocatus à

Gregor.

Domino ſinitur pergere ad Heli? Pulchrè ait D. Gregor. lib. 2. Reg. cap. 3. *Vocauit ergo Deus puerum, ſed voce magiſtro ſimili, vt profectò modum ſuæ locutionis indicaret.* Quaſi non ſoleat Deus hominibus loqui, niſi ea, quæ referant humanum magiſtrum, ad illúmque currere faciant.

Text Ite, ecce ego mitto vos, ſicut agnos inter lupos.

§. VI.

Hominum cultura ab illo bene tractatur, qui mille priùs bella, mille conflictus ſuſtinuerit propter virtutem.

DE operariis in meſſem mittendis aiebat Dominus, & quidem ait: *Ite, ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos.* Et quid habet commune agnorum ad lupos immiſſio, cum miſſione operariorum in meſſem Chriſti? Multum per omnem modum. nam nullus dignus operarius ad Chriſtianam meſſem colendam inuenitur, niſi qui prius mille luporum incurſus, mille hoſtium rabidiſſimorum prælia

Iſai. 2.

vicerit. Sic apud Iſaiam cap. 2. *Et iudicabit gentes, & arguet populos multos, & conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces.* Expende quid iubeatur illis, qui ad populos excolendos diriguntur, nimirum, *conflabunt gladios in vomeres*, non ex alia materia vomeres facient, niſi ex gladiis: & ferrum, & chalybs ſuppeditabant, ex quibus poſſent vomeres conflari; cur ergo non ex ferro, non ex chalybe, ſed ex gladiis iubentur vomeres effici, & ex lanceis falces? Agebatur ibi de excolendis hominibus, de ſegete humanarum animarum, quas ille ſolus perfectè extollit, qui culturæ inſtrumenta à conflictibus, & præliis aduerſus in-

Nilus.

fenſiſſimos hoſtes trahit. Quò reſpiciens D. Nilus in Aſcet. fatur: *Tunc cæteri ſunt excolendi, cùm omnes à nobis victæ ſunt cupiditates, & nulli nos hoſtes ampliùs oppugnant, nec arma ad nos tuendos, ſicut ampliùs neceſſaria. Quemadmodum enim ad eos, qui egregiè pro virtute decertarunt, illa pertinet adhortatio; conflate gladios veſtros in vomeres, & lanceas veſtras in falces, vt ad multorum vtilitatem, animi vires, à bellica exercitatione, ad alios excolendos conuertant.* Ex conflictibus pro virtute ſuſceptis, veniendum eſt ad meſſem animarum, quas tunc dignè excolis, cùm gladios, cùm lanceas, quibus hoſtiles fregiſti acies, conflas in vomeres, & falces. Hæc tibi prima ſit cura, nimirum confligendi cum lupis, pugnandi cum aduerſariis virtutum, transfodiendi vitia, vt ſic, ex gladiis, & haſtis pugnæ, vomeres efficias, quibus animarum agros excolas, & proſcindas. Huc ſpectabat Salomon, dum ciui-

Eccleſ. 51.

lem ſapientiam ad ſubditos regendos exquirens ait Eccleſ. cap. 51. *Colluctata eſt anima mea in illa*; non enim, niſi à bellica exercitatione, qua de ſuis cupiditatibus de hoſtibus egerat triumphum, auſus eſt ad populorum culturam venire. Et quis falcem accipiat pro animarum meſſe, quis aratrum populis excolendis adhibeat, qui nec vllum certamen iniuit, nec vel ſemel gladium ſtrinxit, lanceam contorſit,

Nazian.

aduerſus inimicos? Pulchrè Nazianz. in Apol. 1. perfectum prælatum in Paulo depingit, inquiens: *Quid Paulus ipſe de Paulo dicat audiamus: Mitto labores, vigilias, vexationes in fame, & ſiti, & frigore, & nuditate. Mitto perſecutiones, exilia, carceres, vincula, accuſatores, tribunalia, mortes in dies, atque in horas incurſantes ſportam, lapidationes, virgarum ictus, naufragia, pericula fluminum, pericula latronum, pericula in falſis fratribus, victum manuum labore quæſitum, euangelium ſumptus expers, quemadmodum etiam ſpectaculum eſſet Angelis, & hominibus, medius inter homines, ac Deum conſtitutus, pro illis videlicet dimicans, huic autem peculiarem populum concilians.* Expende illud, *pro illis dimicans, huic populum concilians*; non enim niſi ex mille pugnis, & luctis venit Paulus ad populorum culturam, ne quis audeat aliter ad Dominicam meſſem proſilire.

§. VII.

Recentes Prælati ſuam infantiam habeant, qua ſub aliorum præceptis viuant.

ECcleſiæ ſuæ Principes & prælatos conſtituens Dominus, eos ſicut agnos eſſe iubet, ne in primo prælaturæ die plenariam ſuam poteſtatem exhibeant, ſed infantiam aliqualem, & teneritudinem muneris obſeruent, quam prudenter vereantur, & timeant. Sic Dauid percuſſi Abneris vindictam diſſimulat 2. Reg. aiens; *Ego autem delicatus, & vnctus rex*: ſiue, vt ex Hebræo habet Caiet. *Ego hodie tener, & vnctus rex*; & quidem prudentiſſimè cauit arietare ſubditos, cùm agnus adhuc eſſet, hoc eſt, cùm tener, & recens in regno eſſet conſtitutus. Et quidem nunquam non pertinet ad præſtantiſſimum Principem, quòd ſciat infantiam obſeruare muneris. Ex quo lucem capit euidentiſſimam obſcuriſſimus locus in laudem Saulis dictus 1. Reg. 13. nimirum: *Filius vnius anni erat Saul cùm regnare cœpiſſet, duobus autem annis regnauit ſuper Iſraël.* Quomodo duobus annis regnauit tantùm Saul, qui tot prælia confecit, qui tot annos poſuit, vel in vno perſequendo Dauide? Non ibi intelligas durationem regni, ſed qualitatem regnandi, nimirum, quòd præſtantiſſimus Princeps à Deo electus, in hoc ſuam oſtendit præſtantiam, quòd per duos integros annos infantiam ſui muneris obſeruaret, ſic regnans, quaſi filius vnius anni, nihil à ſe, ſed omnia tractans, & agens ex ſententia Samuelis, qui ei erat inſtar Patris. Aiebat Caiet. *Dicitur, quod duobus annis regnauit, ſubaudi, tanquam filius vnius anni.* Et ſanè ſatis oſtendebat præſtantiam ſuam Princeps, qui tantam obſeruauit in munere infantiam, viuens vt filius tenellus ſub alieno placito. Huc accedit cautiſſimi Principis Ioſue facinus; is cum principatum accipit poſt Moyſem, vbi prima dare incipit præcepta populo, ſic exorditur cap. 1. *Mementote ſermonis, quem præcepit vobis Moyſes famulus Domini, dicens*, &c. Quid ô bone neceſſum ad præcepta defuncti Principis recurrere? Siquidem tu Imperator es, & iudex populi à Deo electus, dic quod tu præcipis, quod tu iubes, cur mauis aliorum præcepta monſtrare? Sapienter in rem noſtram ait Maſius: *Potuiſſet etiam hæc meritò ſua ipſorum promiſſa in ipſos ingerere, & eorum commemoratione ſola, debiti ipſos officij acriter, & duriter commonefacere. Sed ille mauult amicum monitorem, quàm ſe verum Imperatorem agere: contrà ſanè atque nunc magiſtratuum pars maxima aſſolet. Nunquam enim iſti imperio ſuo abutuntur inſolentius, maioréque cum faſtu, quàm cùm primùm imperare incipiunt. Nihil ille ſuperbè mandat; ſed Moyſis mandatum illis reuocat in memoriam*, &c. Expende ſapientis gubernatoris, & ſtulti diſcrimen patens: qui ſapiens eſt, ſpiritúque Dei agitur, nouit muneris obſeruare infantiam, nihil quod ſuum, quod proprium cerebrum oleat, mandans, ſed de præcedentium ſententia agens. At ſtultus in ipſo exordio, in ipſa muneris infantia nihil non molitur de plenitudine poteſtatis. Non latuit hæc ſtultitia Petrum Damianum, qui lib. 6. epiſt. 7. ait: *Vnum autem in iſtis nouellis Abbatibus video, quod vehementer admiror. Qui enim per decem annos, vel eo amplius, ſub alterius regimine conſtitutus nunquam ad hanc potuit peruenire ſcientiam, vt perfectè monachus videretur; nunc ipſo die, quo in prælatione conſtituitur, ita præſidentis induit ſpeciem, ita dominantis exprimit maieſtatem, vt non nuper electum, ſed natum dicas Abbatem. Fit repentè ſeuerus in vultu, imperioſus in voce, ad corripiendam acer, ad iudicandum promptus. Ipſe ſe offenderit, iam omnino ſatisfactionis ignarus*, &c. Multa proſequitur vir ſanctiſſimus, & prudentiſſimus, notans ſtultitiam eorum, qui nullam in prælationis munere

Margin notes (right column): 2. Reg. 3. — 1. Reg. 13. — Caiet. — Petr. Dam.

nere infantiam norunt, & agni cùm ſint, intempeſtiua arietum exhibent cornua.

§. VIII.

Dei nutum ſequenti nihil non facile eſt, & peruium.

QVàm durum, & aſperum eſt paruis agniculis, quòd inter lupos mittantur? Sed tanta hæc durities rectè emollitur illis Ieſu verbis. *Ecce ego mitto vos*, vbi enim Dei nutum ſequantur agni, duriſſima quæque fient illis facilia, & ſuauia. Quò reſpiciens Pſalm.28. ait: *Vox Domini præparantis ceruos, & reuelabit condenſa*, ex quo enim vox Domini ceruorum dirigit greſſus, nulla condenſa non patent, & prorſus reuelantur. Pro quo Gillib. Abb. ſerm.14. in Cant. ait: *Vox Domini eſt vtique, quæ ceruos huiuſmodi præparat, quæ reuelat condenſa. Nam ſi qua condenſa ſunt, & crebris ſcandalorum, quaſi ſpinarum aculeis obſita: illis condenſa non ſunt, quorum Dominus perficit pedes quaſi ceruorum, qui in nullo iniuriarum obice tardari poſſunt.* Et quæ ſpinarum condenſa tardabunt greſſus eius, qui à Deo dirigitur? Felices vos omnes, qui in viis veſtris Deum habetis ductorem, directorem; neſcit enim Deus viam creaturæ ſuæ dirigere, quin ſimul & difficultates tollat, & faciat praua in directa, & aſpera in vias planas. Hinc Dei ſpiritus aiebat Cant.3. *Adiuro vos filiæ Hieruſalem per capras, ceruoſque camporum, ne ſuſcitetis, nec euigilare faciatis dilectam*, &c. Expende illud, *ceruóſque camporum*; quippè cerui non camporum, ſed præruptorum montium dici debuiſſent. Prærupta montium, inacceſſa rupium, habent in ſe ceruos commorantes; campus autem, aut nunquam habet ceruum, aut ſolùm in tranſitu. Cur ergo vocauit ceruos camporum, & non potiùs montium? Aiebat de ſeruis, quorum greſſus vox Domini dirigebat, quibus etiam prærupta montium, & rupium præcipitia in præuios, & ſuauiſſimos campos vertebantur. Ad hæc Gillib. Abb. ſerm.14. in Cant. *Ceruos camporum dicit, quòd illis quælibet aſpera, & ardua qualibet plana ſunt, & peruia, & inoffenſis expoſita curſibus quaſi planioris æquora campi.* Nihil difficile, & durum manet, quod non molle, & facile reddatur iis, quorum greſſus Dominus dirigit. Prærupta montium pro paradiſis ſunt, lupi ipſi rabidiſſimi pro ouibus ſunt coram agnellis à Chriſto directis in viam. Quò reſpiciens Iſaias cap.11. ait: *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit, vitulus, & leo, vrſus, & ouis ſimul morabuntur, & puer paruulus minabit eos.* Maximum equidem eſt, quòd lupus quaſi manſueta ouis cum agno ſit, & vnde agnus ſic ſibi factam ouem inuenit ex lupo? Ait textus: *Puer paruulus minabit eos*, vbi paruulus ille datus nobis, & magnus hominum paſtor Ieſus, agnellos ſuos direxit in viam, omnia illis facilia redduntur, & lupi fiunt oues manſuetiſſimæ. Chryſoſt. hom. in Pentec. ait: *Quis vnquam paſtor oues mittit in medio luporum? Sed magis ſi viderit lupos, congregat oues. At verò Chriſtus è contrario fecit. Oues ad lupos direxit, & vulneratæ à beſtiis non ſunt, ſed magis lupi ad ouium manſuetudinem ſunt conuerſi.* Hoc vnum cura homo, vt agnus Chriſti ſis, ab illóque dirigaris in viam, & nihil ampliùs timeas, tutiſſimus ibis, flamma non nocebit tibi, neque malum contriſtabit te. Dum Dominus gregem populi ſui deduceret, vocatus fuit Balaam maleficus, qui malediceret populo Dei, ſed prudenter ipſe reſpondit Numer.23. *Quomodo maledicam, cui non maledixit Deus?* Quæ verba tractans Niſſenus de vita Moyſi, ait: *Quomodo maledicam, cui non maledixit Dominus? Id eſt, quomodo maledicam, qui nullam materiam maledicendi præbuit? Cuius inuulnerabilis vita eſt, quia Dei ſcuto protegitur.* Et quidem ſub protectione Dei gradienti nequit officere vlla maledictio. Vide ſuprà cap.6. §.4.

Pſalm.28. Gillib. Abb. Cant.3. Gillib. Abb. Iſa.11. Chryſoſt. Num.23.

§. IX.

Manſuetudo innocens ſecura etiam inter hoſtiles incurſus.

AGnorum agmen Dominus conſtituit, & eos imperterritos in medium luporum proſilire iubet; ad lupos mittis Domine agnellos tuos? Si agni ìuerint, quàm primùm luporum præda fient. Abſit, imò nunquam homo ſecurior inter lupos etiam rabidiſſimos, quàm vbi in ſe prætenderit agninam manſuetudinem. Similiter aiebat Dominus Matth. 10. *Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum.* Cur non magis ad lupos canes mittis, quàm oues? Nulla, mihi crede, inuenta eſt aduersùs furentes homines maior vis, quàm ouium manſuetudo. Aiebat Chryſoſt. hom.34. in Matth. *Inexpugnabilem virtutem ſuam oſtendens, quamuis aduersùs lupos eſſent ituri, omnem tamen manſuetudinem eos habere iubet. Erubeſcant igitur, qui quaſi lupi aduerſarios ſuos perſequuntur, cùm videant innumeros lupos ad ouibus victos pauciſſimis. Et certè quouſque ſumus oues, facilè hoſtes vincimus.* Hanc vnam induat manſuetudinem homo, & per medios furentes lupos, furentes hoſtes, euadet ſecurus. In tantum ſecurus eſt homo, inter hoſtiles ſortes, hoſtiles calumnias, in quantum non deficit ab ouium manſuetudine. Quis ſole ferocior, & rabidior aduersùs Dauidem? Is multo & armato milite, Dauidem perſequitur, & dum inter perſequendum, nocte dormit, 1. Reg.26. per medium exercitus eius, audet intrare Dauid, & peruenit vſque ad regis lectulum. *Tulit igitur Dauid haſtam, & ſcyphum, qui erat ad caput Saul, & abierunt: & non erat quiſquam, qui videret, & intelligeret, & euigilaret, ſed omnes dormiebant, quia ſopor Domini irruerat ſuper eos.* Sanè nouum hoc, & penè inauditum, quod in tanti ducis exercitu, nullus vigilet, quando omnium exercituum notiſſimæ ſunt vigiliæ. Sed vnde Dauid audet, hoſtium vigilias non timere? Vnde audet parui ducere hoſtes, & inter illos eſſe adeò ſecurè? Ibat bonus Dauid, totus factus agnus, totus manſuetus, totus etiam in hoſtes benignus, neminem percuſſurus, inde meritò inter hoſtes agit ſecurus. Pulchrè hoc meditatus Caiet. ait: *Vide aſſiſtentiam diuinam benignitati Dauidis.* Vbi Dauid ſic benignè, ſic manſuetè agit cum hoſte, vt nullum, cùm poſſet, ei malum inferat, eam Dei ſibi aſſiſtentiam acquirit, qua nullum hoſtem ipſe timeat, ſed per medios inimicorum cuneos, tranſeat ſecurus. Cùm Hieruſalem à Nehemia reædificabatur, ſic erant inter hoſtes ædificatores, vt cogerentur armati, & ſtrictis gladiis ædificare, ait enim 2. Eſdr.4. *Vna manu ſua faciebat opus, & altera tenebat gladium. Ædificantium enim vnuſquiſque gladio erat accinctus.* Hoc dicitur ibi: ſed & Pſalm 95. cùm pro hoc opere caneretur, eſt eius titulus, *Quando domus ædificabatur poſt captiuitatem*; quo titulo præfixo, incipit Pſalm. *Cantate Domino canticum nouum*, &c. Compone modò Nehemiam, & Pſalmiſtam: vterque de eodem domus Dei agit ædificio, vterque ad ædificatores hoſtibus cinctos loquitur, ſed ille iubet, quòd gladios ſtringant, hic, quòd canticum nouum canteut. Cur non magis & hic petit gladios? cur non ſolo nouo cantico contentus eſt, vt ædificium ſtare poſſet ſecurum mediis hoſtilibus furoribus? Cur non magis ſentit hoſtes, & aduersùs illos ſe munit? Sanè canticum nouum, præceptum nouum de manſuetudine, & charitate in hoſtes, eſt, quam qui habet, hoſtes non timet, ſed ſecuriſſima conſtruit ædificia. Acutè D.Auguſt. *Si canticum nouum cantat amate terra, ſic ædificatur cùm cantat. Ipſum cantare, ædificare eſt; ſed ſi non vetus cantet. Vetus cantat cupiditas carnis, nouum cantat charitas Dei. Audi, quid canticum nouum eſt; dicit Dominus: Mandatum nouum do vobis, vt vos inuicem diligatis.* Felix, qui ſic erga proximos affectus eſt, vt nulli noceat, nec iniurianti, ſed benignus erga omnes ſit; qui talis eſt, non eget ferro, vt ſecurus euadat; ſed vel cantando, æterna, & inexpugnabilia ſibi palatia ædificabit.

Matth.10. Chryſoſt. 1. Reg.26. Caiet. 2. Eſdr.4. Auguſt.

§. X.

Non tam flumina Rhetorum, quàm vel placidus, viuidúſque boni operarii balatus, proficit in area Chriſtiana.

MIraris ad Chriſtianam meſſem non mitti alios, quàm agnos: cùm enim peti iubet Dominus operarios ad meſſem ſuam, ſtatim ſubdit: *Ite, ecce ego mitto vos, ſicut agnos.* Agnos ad meſſem metendam ite iubes, cur non potiùs Orpheos paras, qui dulci modulamine totas ſyluas, & integras areas trahant? Dicebat illa apud Virgil. ſua efficaciſſima carmina exaltans.

Atque ſatas alio poſſum tranſmittere meſſes.

Nunquid poterit hæc exilis agnelli balatus? Equidem ad meſſem Chriſtianam non ſic ſapientium carmina, non ſic Orpheorum modulamina, non ſic Rhetorum flumina balent, vt vel balatus boni operarii. Rem pulchra comparatione conficit Nazianz. orat. de Plaga grandinis fatus: *Imber enim rapidus, nequaquam placido eſt vtilior. Ille enim tùm impetuosè fertur, rura trahit, agricolámque luctu plectit capitali: hic verò leniter effuſus, & ad inferiora delapſus, terram fœcunditate replet, aratorémque à labore liberat, atque ſpicam ad fructum ducit maximum. Ita & in ſermonibus abundantior; nequaquam ſapien*

Nazianz.

sapientiori est vtilior. Ille enim aliquantulum fortassis delectatis euanescit, paritèrque cum ære percusso dissoluitur, nihil vltra hoc conferens, sed auditum auidum, facundia, tanquam incantamento, demulcet: qui verò in mentem penetrat, repletur spiritu, & generatione videtur longior, multumque fructum in paucis producit syllabis. Multa linguæ volubilitas, dicendi celeritas, rura trahit, rapit syluas, sed sterilem, & absque fructu reddit aream Christi. Placidus autem sermo virtuosi operarij omnia fœcundat, omnia fructibus ditat. Pro quo aiebat

1. Cor. 2. Paul. 1. ad Corinh. 2. *Sermo meus, & prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis;* hoc est, in eo, quòd ostendebat se habere Spiritum sanctum, religiosè viuendo, vt innuit D. Anselm. quasi potentior sit, vel syllaba à religioso operario producta ad metendas Christianas messes, quàm vniuersa sapientum carmina, & Rhetorum flumina. Hæc enim vt impetuosa, sic minus fœcunda: satiauit quondam Dominus ingentem hominum multitudinem quinque solis panibus, & duobus piscibus: & post prandium iubet colligi superabundantes

Ioan. 6. reliquias. Quid tunc? Ait Ioan. 6. *Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordaceis, quæ superfuerunt.* Ex panibus solis dicuntur fragmenta superfluxisse; cur non & ex piscibus? Sapienter

Clem. Alex. Clemens Alex. Strom. lib. 7. ait: *Quæ autem per vadas gentiles gignitur, & fertur, Græcam Philosophiam pisces significabant, ad profusam vitæ conuersationem dati ijs, qui humi iacebant, qui non ita quidem dabant augmentum, vt fragmenta panum.* Nunquam, mihi crede, linguæ torrentes fœcunditatem afferunt aruis Christianis, ille magis sermo proficuus est, qui instar buccellarum panis frangitur, vt cœlestem alimoniam possit communicare.

§. XI.

Quisquis Deum habet suorum prouentuum authorem, ne requirat amplius.

EXpende vnicum fortunatissimi itineris auspicium à Deo suis agnellis datum; quippè ait, *Ite, ecce ego mitto vos;* solent Astrologi astra spectare, vt fortunas incepti itineris, siue operis perquirant, & præsagiant. At agni Christiani certius habent præsagium, dum spectant vnum Deum sui itineris authorem, & causam. Hoc vno considerato, quòd sub Deo mittente abeant, nulla amplius solicitudine, de felici euentu tenentur. Cum parente Abrahamo pergebat Isaac ferens sacrificij instrumenta & ignem, & ligna, & cùm nesciuisset, qualis erat victima sacrificanda, à

Genes. 22. patre sciscitatur; cui pater respondit statim Genes. 22. *Deus prouidebit sibi victimam holocausti fili mi.* Quid tunc Isaac? Nec verbum amplius fecit, nec amplius interro-

Chrysost. gauit? Et cur non amplius interrogauit D. Chrysost. hom. 3. in 2. ad Cor. ait: *Simul atque audiuit Deum, nihil postea locutus est, nec amplius erat curiosus.* Nihil iam timuit mali, vbi nouit Deum authorem sacrificij, sed tota posita solicitudine, omnia felicia, & prospera sperauit. Hinc clamabat

Coloss. 3. Paulus ad Colos. 3. *Quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Cur non quærenda, quæ sunt super terram? Nónne & super terram sunt omnia cœlestia, & superna? Cur ergo vetamur quærere, quæ sunt super terram, quando simul inuitamur ad quærenda superna? Sed notanter, quæ superna sunt quærenda, & spectanda innuens, ait: *Quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est.* Sunt & sursum astra, & signa cœlestia, sed qui vera auspicia quærit felicitatis suæ, credat Paulo, & non astra, non signa cœlestia consulat, sed his dimissis, vnum Christi signum requirat, sub quo nihil non

Paulin. firmum, & stabile habebit. Ad hæc ait D. Paulinus epist. 4. *Omnia, vt Ecclesiastes ait, sub sole vanitas. Proinde super solem veritas. Ita & qui in veritate consistunt, & si intra mundum viuant habitatione corporea, tamen supra mundum sunt conuersatione cœlesti: & astrorum choros, vel cœlorum polos euolantes, spiritu scandunt, & superuadunt, celsioresque elementis agunt, non subditi rebus & vsibus elementorũ, sed affixa in Christo vita superiores mundo fiunt.* Itaque, qui veram sibi præsagire cupit felicitatẽ, non ad astra, non ad cœli signa spectet, non enim veritas sub sole, sed omnia elementa mundi transuolet, & super omnia positum Christum prospectet, cui soli inhæreat, ex quo superior manebit rebus mundi tristioribus. Quid timeat, qui vnum Christum ductorem nanciscitur? Sanè Paulus Actor. 9. decidens in via, vnum Iesum in cœlis spectauit; non astra, non solem, non signa vlla, sed so-

2. Cor. 12. lum Iesum spectat. Et quid inde? ipse ait 2. ad Corinth. 12. *Scio huiusmodi hominem, quoniam raptus est in paradisum.* Rapi homines ab astris micantibus fabulantur Astrologi, sed hoc verum est, quòd qui vnicum authorem vitæ suæ spectat Iesum, rapietur in paradisum. Pro quo eleganter,

Bernard. & theologicè D. Bernard. ait serm. 2. in conuers. Paul. inquiens: *Alij rapiuntur, sicut Apostolus est, ad tertium cælum. Qui in profundissima Dei misericordia, quasi quodammodo sepulta iam sui arbitrij potestate, in diuitias gloriæ in spiritu ardoris rapiuntur? Beati qui vbique, te ducem habent Domine Iesu.* Equidem, qui tantum ducem habet, quem in viis suis spectet, nempe Iesum, nunquam non rapietur in prospera, & felicia. Huc reuoca dicta suprà lib. 2. c. 8. §. 7.

Text. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, & neminem per viam salutaueritis.

§. XII.

Paupertas Christiana in ministris Euangelicis potentissima ad trahendas animas.

EXpende quàm audet Dominus operarios messis suæ; sine sacculo, sine pera, sine calceamentis iubet esse eos, quos ad animarum messem mittit; scit enim potentissimam esse ad trahendas animas paupertatem in Euangelicis ministris. Quis non miretur primas illas animarum capturas à Petro factas? Primùm Petrus concionatur ad populum

Act. 2. Act. 2. & ait textus: *Qui ergo receperunt sermonem eius, baptizati sunt, & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia;* & rursus cap. 4. ait: *Multi autem eorum, qui audierant verbum, crediderunt, & factus est numerus virorum quinque millia.* Res equidem erat magni miraculi, quòd ad Apostolorum vocem tot hominum millia raperentur; & vnde tanta efficacia vocis ad trahendum manabat? Quò inescati tot homines ad Euangelica retia trahebantur? Sanè ibi cap. 4. de primis illis operariis hoc dicitur singulare: *nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat.* Vigebat in illis perfecta rerum omnium abdicatio, perfecta diuitiarum renuntiatio, perfecta paupertas, quæ instar rastri omnia ad se trahebat corda humana dulci paupertatis succo inescata. Eleganter ait D. Chrysost. hom. in dictum Apostoli: *oportet hæreses esse*, ex 1. ad Corinh. 2. *Quàm primùm Apostoli verbum pietatis seminare cœperunt, annumerati sunt eis statim tria millia, & iterum quinque millia. Et quis tantæ concordiæ author? Quodnam animarum illud philtrum? Opum contemptus. Nullus enim eorum suum aliquid esse dicebat.* Et quidem opum abnegatio philtrum est, hoc est, amatorius illex, quo animæ à Christi ministris trahuntur. Vis adhuc nosse quàm efficax philtrum sit in Christiana paupertate ad trahenda homi-

Idem. num corda. Accipe eundem Chrysostomum hom. 7. in 1. ad Cor. fantem. *Tunc igitur nemo quicquam proprium sibi vendicabat, sed omnia erant communia. Et pro singulorum necessitate sua cuique pars conferabatur, & vitam viuebant Angelorum. Quòd si in præsentia fieret, vniuersum sanè orbem, & sine signis conuerteremus.* Potentissima equidem est paupertas Christiana, vt hominum corda capiat, & trahat: licèt enim hominibus multo fuerit horrori paupertas, adeò, vt vel pauperum vicinitas fugiatur: at dum verus Christi pauper apparet, dum opum, diuitiarúmque verus contemptor in publico exsurgit, post illum totus mundus abiit, ab eiusque ore pendent vniuersi mundiales. Quis ignoret Elisæi potestatem circa Principes, circa populares? Quis Eliæ incredibilem magnitudinem animi nesciat, quia etiam tyrannos ad sua trahebat placita? Quis Pauli, quis innumerabilium aliorum hominum similem virtutem in trahendis cordibus humanis? Videre erat ab illorum ore pendere reges, & tyrannos: ad illos cateruatim confugere populos, ab illorúmque sententia stare. Quòd si quæras radicem tantæ & potestatis, & authoritatis apud homines; pulchrè ait D. Nilus in Ascet. *Hæc illi gesserunt, cùm neglecto corpore, corporisque necessitatibus, solo se animo viuere indicarent. Ideo erant omnibus superiores, quia nulla re indigebant.* Quò à temporalibus nudiores, eò spectabiliores, eò potentiores ad capiendas ani-

Genes. 13. mas. Meritò enim dicebat ille rex Genes. 13. ad Abraham: *Da mihi animas, cætera tolle tibi;* tunc aptiorem se credens ad capiendas animas, cùm cæteris renunciasset bonis mundi.

2. Cor. 6. Ex quo ait Paul. 2. ad Corinth. 6. *Sicut egentes, multos autem locupletantes; tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.*

Expende

Expende illud, *omnia poſſidentes*; quibus verbis nihil excipit ab Apoſtolorum poteſtate, ſed illam comparat cuiuis alij poteſtati omnium dominanti. Notiſſimum illud eſt vulgò iactatum, nimirum, *Pecuniæ omnia obediunt*; adeò magnus eſt pecuniæ dominatus, vt ei vniuerſa ſenſibilia, & inſenſibilia, imò & rationabilia ſubdantur. Huic ergo latiſſimo, & potentiſſimo pecuniæ dominatui alium & præſtantiorem, & glorioſiorem oppoſuit Paulus hominis Chriſtiani dominatum. Et qualis dominatus ſuper omnia pecuniæ æquabitur. Solus paupertatis Chriſtianæ dominatus; quia enim Apoſtoli paupertatem ſequebantur, omnia ſibi ſubdita, & Anſelm. ſubiecta ſpectabant. Ad hæc D. Anſelm. ibi: *Quia nihil proprium carnaliter habemus, etiam omnia poſſidemus, id eſt, non ſolum pecunias, ſed etiam ipſos pecuniarum dominos, qui ſe nobis tradunt, & res ſuas ad pedes noſtros ponunt.* Quis non obedit Chriſti pauperi? Huic & animæ, & omnia bona ſubſternan- Iſai.26. tur. Huc referam illud Iſaiæ 26. *Incuruauit habitantes in excelſo*, vel iuxta Septuaginta, *deduxit habitantes in excelſo, ciuitatem ſublimem humiliauit: humiliauit eam vſque ad terram, detrahet eam vſque ad puluerem. Conculcauit eam pes, pedes pauperis, greſſus egenorum.* Sic ſublimia quæque mundi adducentur ad pedes Chriſti pauperum. Potentiſſima ſiquidem eſt ad capiendum paupertas Chriſtiana.

§. XIII.

Miniſterium veritatis prorſus corrumpitur cupiditate bonorum temporalium.

A Veritatis Euangelicæ miniſtris nihil prius adimere curat Ieſus, quàm bonorum temporalium cupiditatem, dum & peram, & ſacculos ab illis auſert. Neſcit equi- Pſalm. 62. deni veritas cum ſacculis commorari: aiebat Pſal. 62. *Mendaces filij hominum in ſtateris.* In ſtatera intelligendum eſt totum temporalium bonorum negotium, cui vt appropiant filij hominum, nulla manet in eis veritas. Quod ſingularius innuit Theodotion legens, *Mendaces filij hominum, vt momentum ſtateræ.* Papæ momentum ſtateræ pro ſumma iuſtitiæ, & fidelitatis forma ſolet conſtitui; quomodo falſitatis & mendacij modo accuſatur, vt homines in mentiendo, & fallendo dicantur ſimiles illi. Si ſecundùm ſe conſideretur momentum ſtateræ fideliſſimum eſt, verùm qua parte appendentes bilances habet ad merces recipiendas, nil firmum, nec ſecurum habet, ſed iam huc, iam illuc inclinatur, prout iactæ merces tulerint. Huic prorſus ſimiles ſunt quicunque homines lucris temporalibus inhiant, temporalia bona captant; nihil ij conſtans referent, ſed prout lucra poſtulauerint, iam hoc, iam illud dicent. Id quod in præſenti Theod. notat Theodor. inquiens: *Mendaces filij hominum momento ſtateræ ſimiles, quæ modò deorſum vergit, modò autem ſurſum fertur, & nihil firmum, ac permanens habet.* Habent hoc de ſtateræ ſimilitudine homines bonorum temporalium auidi, quòd totum referant, quòd exhibita bona tulerint, licèt contrariis agantur, & neceſſum ſit iam hoc, iam illud dicere. Apud Numer. 22. Rex Moabita miſit nuncios ad Balaam ariolum, à quo peterent, quòd mala multa præſagiret, & iaceret in exercitum Iſraeliiam. Dicit autem de nuntiis his: *Perrexe-* Num. 22. *runtque ſeniores Moab, & maiores natu Madian habentes diuinationis pretium in manibus ſuis.* verbum illud *pretium* non inuenitur in lectione Septuaginta, ſed ſolùm aiunt: *Et abijt ſenatus Moab, & ſenatus Madian, & diuinationes in manibus eorum.* Quæ verba multam quæſtionem fecerunt D. Auguſtino lib. 4. quæſt. 77. quî enim fieri poteſt, quòd dicantur diuinationes ferri in manibus nuntiorum? Ibant nuntij precaturi Balaamum, vt diuinaret mala Iſraeli; quomodo ergo dicuntur ipſi ferre in manibus diuinationes. Ferebant ipſi munera, ferebant in manibus aurum, argentúmve, quibus diuinum munerarent, quæ meritò dicuntur piiſſimæ diuinationes, in ore enim auariſſimi hominis, ad temporalia bona inhiantis, nihil aliud ſonat, quàm quod aurum poſtulat. Quò aurum, muneráve inclinant, eò & diuinatio, & conſilium & D Bern. verba inclinant hominis. Huc reſpiciunt D. Bernard. verba data lib. 4. de Conſid. *Magna abuſio: ad manus omnes reſpiciunt. Omne negotium illæ agunt.* Itaque in homine lucra ſectante, non lingua, ſed manus verba dant, imò verba flectunt, quo- Exod. 23. cunque aurum grauitat. Vt dicat Exod. 23. *Nec accipias munera, quæ excæcant etiam prudentes, & ſubuertunt verba iuſtorum.* Quid eſt, *ſubuertunt verba?* Omnem veritatem corrumpunt,: ait enim ibi Lyppom. *Quia prius pro veritate, & iuſtitia loquentes, repentè mutatos, contraria & ſentientes, & loquentes efficiunt.* Fieri vix poteſt, vt veritas cum lucri cupiditate ſimul conſiſtat. Huc refero dicta lib. 6. cap. 2. §. 8. in fine, & alibi.

Text. In quamcumque domum intraueritis, primùm dicite: Pax huic domui. Et ſi ibi fuerit filius pacis, requieſcet ſuper illum pax veſtra; ſin autem, ad vos reuertetur.

§. XIV.

In quo temporalis lucri cupiditas eſt, pax eſſe non poteſt.

EXpende quàm nudet Dominus omni lucri temporalis cupiditate eos, quos iubet annunciare pacem. Sine ſacculo, ſine pera, ſine calceamentis, ſine vlla ſolicitudine temporali facit ſuos miniſtros Dominus; quid tunc? *In quamcumque domum intraueritis, primùm dicite: Pax huic domui.* Sic ad pacem in domibus ſtabiliendam iubes miniſtros eius eſſe omni temporali affectu vacuos? Quid ſi peram habent, ſi ſacculum, ſi lucri temporalis amorem retinent, non poſſunt pacem etiam domibus importare? Minimè; quin potius vbi lucrum temporale reſpicitur, nihil prius eſt, quàm domus perturbatio. Aiebat D. Paul. ad Tit. cap. 1. de cauendis miniſtris. *Qui vniuerſas domos ſubuertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia.* Vbi lucri affectus intercedit, temporaliáque bona ſpectantur, nequit pax manere, nec vnitas. Proponite vobis ob oculos Abrahamum Lothúmque viuentes ſimul, ſtrictiſſimáque charitate coniunctos, quam coniunctionem minimè diu potuerunt cuſtodire. Et cur diu non cuſtodiunt coniunctionem viri piiſſimi? Ait Gen. 13. *Nec poterat eos capere terra, vt habitarent ſimul: erat* Gen. 13. *quippe ſubſtantia eorum multa, & nequiebant habitare communiter. Vnde facta eſt rixa inter paſtores gregum Abraham, & Loth.* Erat viris ſanctiſſimis licèt rationalis, & ordinata, tamen erat ſolicitudo de temporali augmento: nec potuit hæc ſolicitudo licèt ordinata, licèt in ſanctis viris non diuidere domum, non pati & iurgia, & diſſenſiones, & diſcordias multas. His adde duas integras tribus Ruben, & Gad, & dimidiam Manaſſe, quæ vbi poſſeſſionibus acquirendis impendunt curam, à Iacobæa domo ſcinduntur, vt dicat Ioſue 22. *Reuerſique ſunt, & abierunt filij Ruben, & filij Gad, &* Ioſue 22. *dimidia tribus Manaſſes à filijs Iſrael*, &c. Nequit enim tēporalis lucri cupiditas pacem, & concordiam non rumpere etiam in ſanctis viris. Id quod ponderans D. Nilus in Aſcet. Nilus. ait: *Ad virtutem tendentibus magno eſt impedimento, rerum affectio terrenarum, animóque ac ſæpe etiam corpori perniciem affert. Quid duas, & dimidiam tribus extra promiſſionem manere fecit, niſi poſſeſſionum multitudo? Quid Loth ab Abraham ſeparauit, niſi multitudo ouium, quæ cùm aſſiduas inter paſtores eorum diſſenſiones pareret, poſtremò diremit etiam ipſorum coniunctionem?* Fallar, ſi qua radix turbationis, diſſenſionis, & diſcordiarum efficacior inueniatur, quàm affectus lucri proprij: hic dum valet affectus temporalis, coniunctiſſimorum euertit domos, pacem diſturbat, inquietat omnia. Accipe totam cœleſtis domus pacem perturbatam; ait enim Apoc. 12. *Et fa-* Apoc. 12. *ctum eſt prælium magnum in cælo, Michael, & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli eius*, &c. Sed vnde tantæ domus pax turbari potuit? Dum temporalis cupiditas in Angeli corde radicauit, vt bona ſibi appropriet, non ampliùs in pace conſiſtere potuit. Inde D. Bernardus tract. de gradib. humil. ad Angelum rebellem loquitur: *Dum* D. Bern. *tu ſolus ſedere affectas, fratrum concordiam, totius cæleſtis patriæ pacem, ipſius, quantum in te eſt, quietem Trinitatis infeſtas.* Nunquam alia ſciuit parere proprij lucri temporalis amor: ſed in quocunque eſt, & diſcordias, & proditiones inuenitur germinare. De hoc plura habes lib. 15. c. 2. §. 7. & lib. 14. cap. 23. §. 13. & cap. 18. §. 10.

§. XV.

Hoc Chriſtiani ouilis inſigne præclariſſimum, quod nec inter bella, & diſſenſiones pacem amittat.

SI non fuerit in domo filius pacis, non ideo prorſus eliminata pax manebit, ſed ad Chriſti Domini reuertetur miniſtros; vt ipſi pacem habeant etiam inter diſſidia. Ecce tibi inſigne Chriſtiani ouilis, quòd nunquam pacem amittet, etiam agendo cum illis, qui minimè ſunt animi pacifici. Sic de ſuo populo aiebat Nazianz. orat. 12. *Sic nam-* Nazian. *que ſe res habebat, vt cùm alij alio quodam ornamēto, vel maiori,* vel

vel maiori praditi sint, nostri ouilis hoc maximè proprium esset, quòd minimè scissuras posset, atque ab omni seditione abhorreret; ita vt persæpè Arca Noe vocati simus. Expende quam pulchrè ouile Christianum Arca Noë dicebatur, vt quod inexpugnabili pace insigniebatur, adeò vt nihil ad pacem pertinens à se consentiret separari. Quippe Arca Noë præterquam quòd in se ferocissima animalia constricta haberet vinculo pacis, mansuetissimum animal, nimirum columbam, dimittit, quæ videret pacem inter cœlum & terram firmatam. Quid tunc? Ait Gen. 8. *Quæ cùm non inuenisset, vbi requiesceret pes eius, reuersa est ad eum in arcam.* Adhuc vindictæ rigor visebatur in terra; nondum pacis arbor tendebat brachia, in quibus posset columba immorari, ideo ad suam arcam reuertitur; non poterat enim arca carere mansuetissimo animanti, nulla pace in terra firmata. Habet hoc etiam proprium stemma ouile Christianum, quòd Noë assimiletur arcæ in retinenda pace medijs etiam dissidiorum tempestatibus. Vapulabat hinc inde arca contrarijs fluctibus, omnia terrena plena erant mortibus; inter hæc arca emittit columbam, quæ non habens vbi requiescat, reuertitur ad proprium nidum. Sic Christianus inter dissidia constitutus emittat columbam suam, loquatur verba pacifica, verba plena mansuetudinis, habeat semper pacem, quamuis aduersariæ vniuersæ potestates furant. Hinc spectat Dauid

Gen. 8.

Psal. 119. Psalm. 119. *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus, cùm loquebar illis, impugnabant me gratis.* Pacem habebat, & vnitatem seruabat, etiam cum his, qui oderant pacem. Quis hoc probet? Nonne satius esset seditiosos omnes ablegare, dissidentes prorsus reijcere? Absit, imò nihil magis Christianum, & Catholicum, quàm inter dissidia pacis, & vnitatis vexillum leuare. Do D. Aug. ad hæc fantem: *Qui sunt, qui oderunt pacem? Qui conscindunt vnitatem. Si enim pacem non odissent, in vnitate mansissent. Sed videlicet propterea se separauerunt, vt iusti essent, vt non haberent mixtos iniustos.* Quibus habes ex vna parte homines pacificos etiam inter dissidia, ex alia parte habes osores pacis, qui sese scindunt ab alijs, sed ideò se scindunt, & separant, vt iusti sint, vt iniustos caueant. Vter horum magis Christianum agit, quia pacificus est etiam cum ijs, qui oderunt pacem an qui osor est pacis, & vnitatis, vt iustitiam valeat seruare? Rem definit ibi Augustin. aiens: *Catholica autem: Non est dimittenda vnitas, non est præcisa Ecclesia Dei; iudicauit Dominus de malis, & bonis post. Si nunc mali à bonis separari non possunt, ferendi sunt ad tempus. Hæc vox Catholica est. Illorum autem vox, quales est, non intelligentium, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant? Ne tangas immundum; & qui tetigerit immundum, inquinabitur. Separemus nos, ne commisceamur malis. Et nos illis: Amate pacem, diligite vnitatem. Nescitis à quàm multis bonis separemini, dum quasi malis calumniamini. Furnus saniunt, quando ista dicimus, nam quærunt & mortificare nos. Apparuerunt sæpè impetus eorum, apparuerunt insidiæ. Cum ergo inter insidias eorum viuimus, & quibus dicimus: Amate pacem, aduersantur nobis, nónne vox illa nostra est, cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus?* Pulchrè sanctissimus Doctor catholicas voces designauit, quæ nunquam non sonant pacem, vt semper suspectæ sint voces scissionem, & separationem meditantes, licèt prætextu maioris acquirendæ sanctitatis. Ergo ex August. habent Christiani vnde catholicas voces distinguant ab alijs, quæ clamant: Separemus nos, excludamus à nostro cœtu immundos, ne contaminemur, hæc vox apud Augustinum non est vox catholicorum: sed est vox non intelligentium, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant, cùm nescientes, bonos & probatos excludant, quibus vt malis calumniantur. At vox illorum, qui inter calumnias, inter hostilia tela, inter inimicorum rabies, sciunt sonare pacem, & vnitatem, omnimodam scissionem, & separationem abiurare hæc vox est catholica [illegible] proprium stemma ouilis Christiani. In hoc enim Christi[illegible] spiritus patet, quod vel inter ipsa hostium iacula ostend[illegible] se in pace inexpugnabilem. Vide Stephanum Actor. [illegible] an[illegible] elicam pacem Iudæis annunciantem, & illos d[illegible] verbis increpantem, dum ait: *Duro ceruic[illegible], & in[illegible] [illegible] semper Spiritui sancto restitistis, &c.* H[illegible] dum loquitur, ad mortem rapitur, & inter lapidum iact[illegible] fl[illegible]xis genibus orat, dicens: [illegible] pec[illegible] hæc non mir[illegible]r Vnde tam repen[illegible] mutatio? Cum euang[illegible]zat, irascitur in aduersarios, [illegible] prosequitur eos, qui resistebant Spirit[illegible] sancto. & vbi lapidari cœpit, mansuetudinis oleo totus manat. Dum loquitur, ardenti zelo inflammatur, dum feritur, in oleum mollescit, & totus vt cera liquatur. Vnde hoc? Sanè is erat Spiritus Christianus, spiritus mansuetudinis, & pacis, qui vbi plus repel-

Auguſt.

Auguſt.

Actor. 7.

litur ab hostibus, plus se prodit, & manifestat in suis manens. Aiebat D. Aug. in Psal. 132 fatus: *Qu[illegible] [illegible]onte plus profecit Stephanus, quando [illegible]dabat[illegible], aut [illegible] audiebatur? Ecce mitis solùs erat, cum lapidare[illegible], & ante[illegible], cum audiretur. Quare sauiebat, [illegible] Quid [illegible] verbat [illegible] quibus orabatur. V[illegible] [illegible] non videbatur charitas, quia vnguentum à capite veniebat [illegible] barbam. Et audistis ab ipso capite: [illegible] inimicos vestr[illegible], &c.* Sanè cùm loquebatur Stephanus, v[illegible]ebat Euangel[illegible] pacis grana terrenis Iudæorum cordibus inseminare, pro quo terrum illi opus erat, & asperitas, & iustarum [illegible] flammæ, vbi autem neque his admittebantur semina pac[illegible], sed reijciebantur, & repellebantur, statim in ipso pa[illegible] [illegible] spiritus Christianus debuit manifestari, dum [illegible] & inexpugnabilis apparuit pax, & charitas. Vt enim lux in occasione reflexionis plus claret, sic pax Christiana vbi ab alijs reijcitur, repellitur, necessum est, vt in suis plus pareat. Quod respiciebat Psal 132. *Sicut vnguentum in capite, quod [illegible] descendit in barbam, barbam Aaron.* Alibi dicebat Paulus, quia *charitas Christi diffusa est in cordibus nostris.* & Psal. 44. de ipsa gratiæ vnctione dicebat, quòd *diffusa est in labijs.* Hic autem non corda meminit, non labia, sed barbam, quasi in nullo magis appareat Christiana charitas, quam in barba. Et cur in barba? August. ibi: *Barba significat fortes, strenuos, impigros, alacres. Ergo illud primum vnguentum descendit in illos, qui primos impetus sæculi sustinuerunt. Nam & illi, qui primùm in vnum habitare cœperunt, persecutionem passi sunt. Sed quia descenderat vnguentum in barbam, passi sunt non victi.* Apparuit charitatis vnctio descendens in barbam, hoc est, descendens inter strenuos luctatores, qui quo plures sæculi impetus sustinebant, inter ipsa iacula, Christianam pacem, & vnitatem inuictam, & insuperabilem præ se ferebant.

D. Aug

Psal 132.

Auguſt.

Text. In eadem domo manete, edentes, & bibentes, quæ apud illos sunt. Dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum.

§. XVI.

Non facilè dimittendus locus, in quo primi virtutum processus inceperunt.

AVdis Christi discipulos minimè permitti transire à domo in domum, sed in prima manere iubentur. Et cur in prima semper maneant? D. Amb. ibi fatur: *Iam iam illa moralia, ne de domo ad domum quis vaga facilitate demigret: vt seruemus etiam hospitali in amore constantiam, ne coalitam amicitiæ necessitudinem facilè resoluamus.* Hunc habeamus semper affectum erga illa, quæ in bonorum progressu nos prima exceperunt, vt ægrè, & difficulter ab illis euellamur. Quis hæc dimittit sine damno? Pulchrè aiebat D. Bernard. epist. 273. *Vereor ego ne arbor bona faciens fructum bonum, explantata faciat nullum. Vidimus interdum vitem in prima plantatione fœcundam, in secunda sterilem. Vidimus lignum bene plantatum virescere, transplantatum arescere.* Solet equidem situs mutatio damnosa esse & plantis, & animalibus; quare sapientiùs & diuiniùs seruatur amor cum illis, in quibus prima adoleuerunt virtutum conamina. Tabernaculum Dei erat apud Israelem, altaréque in illo visebatur consumendis hol[illegible]caustis, & vt pestem à populo Dominus amoueat, petit sibi erigi altare in area Areunæ Iesubæi, ait enim 2. Reg. 24. *Constitue altare Domino in area Areunæ Iebusæi.* Cur relicto tabernaculo, & altari ibi erecto, magis sibi Deus placuit in Iebusæi area? In hac primum Abrahami filium offerentis acceperat Dominus holocaustum, ex quo sic ad illum locum mansit affectus, vt non possit ab illo separari, sed ibi elegerit & omnia accepta habere holocausta, & inhabitare. Ait Caietan. *In area Areunæ vbi Isaac immolandus positus est, vbi Iacob vidit scalam cum Angelis ascendentibus, & descendentibus, vbi postea ædificatum est templum.* Ex quo Deus descendit accepturus Abrahami victimam, in illam terræ partem, non inde diuelli potuit, sed [illegible]ernitur esse, & ibi habitationem sibi parat. Quem ebibit ex Deo affectum Petrus, dum videns primò in Thabor Eliam, & Moysem, cum Iesu clamat Matth. 17. *Bonum est nos hic esse; faciamus tria tabernacula, &c.* Quibus verbis aliqualem Petri ignorantiam, sed & summam eius sapientiam notat diuus Bernard. ad Fratres de monte Dei fatus: *Petrus in eo quidem obrepsit sibi, & nesciens, quid diceret, quia viso Dei maiestate commune bonum*

Ambroſ.

D. Bern.

2 Reg 24.

Caiet.

Matth. 17.

intra

Iacra priuatum ſuum viſus eſt concluſiſſe, in ea autem praſentiſſimus ſibi, & ſcientiſſimus, quid diceret, quia ſuauitate eius guſtata optimam ſibi iudicauit in hoc ſemper eſſe. Non potuit ſapientiſſimus, & acutiſſimus pater non laudare in Petro affectum, qui amaret confligi loco, ex quo primùm tot gloriæ ſorbuerat pocula. Vt hinc diſcerent viri religioſi ſuſpectam habere migrationem de domo ad domum, hoc eſt, de Ordine ad Ordinem, ſed cum ſcientiſſimo Petro ma[...]nt ſemper in illo eſſe loco, in quo prima gloriæ venturæ pocula deguſtarunt. Metuant ij ne fortè tranſplantati penitus areſcant, qui in prima plantatione fructu diuite nobilitabantur. Sed ais te in prima plantatione magis areſcere, & penè emortuum eſſe, quapropter amas tranſplantari. Abſit hoc à viro religioſo; video enim ficum penè emortuam in vinea, non inde euelli permitti, nec tranſplantari, ſed ibi magis excoli, & adhibito ſtercore in fructuum tempora reſeruari. Non facilè deſerenda prima ſunt virtutum cunabula, ſed ibi diuinæ gratiæ ros expectandus, quo ſolent reuiuiſcere etiam arida. Propone tibi ob oculos adoleſcentem, ſiue puerum illum, de quo 3.Reg.cap.17. Is defunctus erat in gremio matris, quæ Eliam pro filio deprecabatur; quid tunc? Ait textus: *Tulitque eum Elias de ſinu eius, & portauit in cœnaculum vbi ipſe manebat*; & poſt pauca: *reuerſa eſt anima pueri intra ipſum, & reuixit.* Mortuus erat puer, ſed non ablegatus à ſinu matris, quo in ſinu antea fouebatur, & etiam mortuus fouetur; indéque in Eliæ cœnaculum, & in vitam rapitur. Proh Deus immortalis, quam hoc verum eſt! Quoties religioſus etiam mortuus ſpiritu, dum adhuc non deſerit primum ſui Ordinis ſinum, ſed ibi manet, in vitam excitatur. Ad hæc eleganter aiebat Gillibert.Abb.ſerm.16.in Cantic.fatus: *Mortuus eſt, qui vel tædij, vel deſperationis mole obruitur, in quo nihil eſt viuidæ deuotionis, feruidi ſpiritus. Non expedit et extra materni ſinus ambitum reperiri, ne fortè non tollat illum verus Elias in cubiculum ſuum*, &c. Ego matrem æſtimo illum Ordinem, in quo primum virtutis lac ſugitur, primò coaleſcimus in virtutibus, huius ſinum, dum teneat quis, etiam ſi mortuus ibi iaceat, ſæpè illum tollet Elias, tollet Ieſus, & excitabit in vitam. Ab hac prima matre, vtpote à vera matre, à gladij acie eripieris: alia quæuis, quæ ſuperuenerit, licèt ſe matrem dicat, verè non eſt, & ſic gladiis te diuidendum permittet.

3.Reg.17.

Gillibert.

Text Et in quamcumque ciuitatem intraueris, & ſuſceperint vos, manducate, quæ apponuntur vobis, & curate infirmos, qui in illa ſunt, & dicite illis: Appropinquauit in vos regnum Dei, &c.

§. XVII.

Chriſtiana beneficentia in coniunctiores prius exercenda eſt.

NOn prætereeam mandatum à Ieſu diſcipulis datum de beneficentiæ operibus circa infirmos exercendis; & qui infirmi iubentur nominatim curari? Infirmi illi, qui fuerint in ciuitate excipiente Chriſti famulos; quippe de ciuitate excipiente diſcipulos ſuos locutus Dominus, ait illis: *Curate infirmos, qui in illa ſunt.* Etenim Chriſtianiſſimum eſt in beneficentiæ operibus exhibendis, & amicioris, & coniunctioris habere rationem. Pro quo accipite D. Gregor. Nazianz. epiſt. ad Aſterium, in qua illi Nicobulum commendat his verbis: *Quid iuſtius Deo? Et tamen cum omnium ſit conditor, ac Dominus, peculiarem ſibi facit, ac nominat populum Iſraelem: nec veretur ne huius gratia iniuſtus nominetur. Quid itaque mirum, ſi & nos, quibus omnium eorum, qui ſub noſtra ſunt manu, ac gubernatione, cura commiſſa eſt, plus aliquanto complectimur filium Nicobulum, quem & ſenectutis, ac morbi curam gerere agnouimus, & cui quaſi fulcro, ac baculo infirmitatis noſtræ incumbimus. Hunc t[...] commendamus, & per te Principi: vehementer abſurdum, ac moleſtum putantes, ſi cum alij per nos liberentur, idque in grauiſſimis cauſis & [...] quoque, qui nunc cum primis nos grauiſſimè occupant, hunc [...] calumnia, & violentia quidem liberare poterimus: & quem in alienis cauſis honorem tulimus, eodem in noſtris ipſorum po[...] non [...]:ſed idem ferendum nobis ſit, quod oculis accidit, vt cùm alia videant, ſe ipſos non videant: aut quod fontibus in profundo poſitis vſu venit, qui cùm proxima, ac contigua non irrigent, procul diſſita irrigant.* Quid pulchrius dici potuit? Abſurdum ſanè, & permoleſtum eſt, quòd beneficentiæ fons diſſita irriget, & propinqua ſinat arere. Quòd dum extraneis, imò & aduerſarijs benefacere d[...]as, nullam, vel non potiorem rationem habeas eorum, qui obſequio tibi præcipuè deuincti ſunt, tibique am[...]um præſtant famulatum, vel aliqua ſunt tibi coniuncti ratione [...]ulari. Quod abſurdum obijciebant Ieſu propinqui eius Luc. 4. dum fantur *Quanta audiuimus [...] ac & [...] in patria tua.* quaſi indignum meritò putarent, quod beneficentiæ fons relictis propinquis, ad remotos tranſmearet. Quod abſurdum, vt euaderet Dominus, ait. *Amen dico vo[...], quia nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua.* Non equidem apud extraneos beneficus erat Ieſus, quia non habebat rationem propinquorum, & coniunctorum, ſed quia a propinquis non [...]piebatur. Si enim propinqui Ieſum reciperent, paratior erat prius illos beneficiis ſuis ditare, quam alios. Pulchrè namque Gloſſa fatur ex his. *Non ergo vilitatis Domini patria, qui amabat ciues, ſed incredulitas eorum, hoc non mer[...]atur.* Abſit, quòd apud tantum Dominum, ſi meruiſſet patria, ſi meruiſſent ciues, non potiorem curam inuenirent. Is enim eſt Chriſtianæ beneficentiæ fons, qui prius propinquos rigat, & de abondantia pergit etiam ad remotiſſimos. Quocirca D.Bernard.epiſt.273. alloquitur Eugenium Pontificem Maximum, vt monaſterijs proprium reddat, ex quibus ad Pontificatum iuit. *Solicitudo, quæ omnibus debetur, nullo modo ijs, quibus ſpecialius debetur, ſubtrahenda eſt, ſed propenſius exhibenda charitas benigna eſt, dilatari ſi, non minorare nouit. Colligat ſanè & alios, ſed nobiſcum.* Itaque nunquam beneficentia ad alios pergat, quin priùs repleat eos, qui coniunctiores ſunt, arctiorique obſequij titulo beneficia repoſcunt.

Gregor.

Luc.4.

Bernard.

CAPVT IX.

De arbore bona, & ædificatore ſupra petram.

QVID diuina fides noſtris in animis cauſet, oſtenſurus Dominus duo nobis proponit exempla, alterum petitum ab arboribus, alterum ab eo, qui ædificat ſuper petrã. Quippe arbor, quæ bona eſt, hoc ex ſua natura habet, quòd bonos fructus producere valeat; mala autem arbor ſolùm producit malos. Sic fidelis homo, quantũ eſt ex ipſa natura, & inclinatione præhabitæ fidei, adeò bonis operibus efficiendis aptatur, vt communiter in illo bona, & præſtantia virtutum facinora videantur, quæ aut nunquam, aut rarò, vbi deficit fides, apparent. Fides equidem facit, quod opera virtutis ſint, quibus & ipſa fides roboratur, confirmatur, quaſi domus in petra fundata; vbi enim virtutum opera fideli homini deficiunt, quaſi puluis à facie venti, ſic perit, ſic facilè euaneſcit.

Matth.7. Numquid colligunt de ſpinis vuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor malos fructus facit.

§. I.

Spectanda eſt naturæ aptitudo, in eo, cui munus aliquod mandatur.

QVàm ineptè ſpinas eligeret, qui diuitem ſibi vindemiam procuraret; tam ineptè ad munus quodlibet inter homines obeundum ſumitur ille, cui nulla eſt ad id aptitudo naturalis. Natura enim ſemper ſpectanda eſt, & vniuſcuiuſque genius, iuxta quem decernenda ſunt munera humana. Iob c.29. *Iuſtitia indutus ſum, & veſtiuit me ſicut veſtimento, & diademate iudicio meo. Oculus fui cæco, & pes claudo.* &c. Miraris in iudice, tam inſignem humanitatem, qua fieret & oculus cæcorum, & pes claudorum? Vnde a iudice, tam inſignia humanitatis facinora manarunt? Ipſe ait: *veſtiuit me ſicut veſtimento, & diademate iudicio meo.* Quorum verborum energiam, vt penitus calleas, reuoca in memoriam illa alia verba, quibus Dominus [...]di[...] Petro mortem prorſus naturæ violentã, & contrariam: dicit enim Ioan.21. *Alius cinget te, & ducet [...] tu non vis.* Itaque veſtiri ab alio, eſt aliquid naturæ parũ contrarium; naturæ autem amicum,

Iob 29.

Ioann.21.

& proprium est, quod se quisque vestit. Hinc Iob sapientissimus, iudicis beneficentissimi munus ipse sibi vestiuit, hoc est, non extrinsecus, sed ex se ipso, & ex propria naturæ aptitudine se iudicem designatum habuit quomodo deberet designari vniuersi, qui vtiliter, & bene iudicare. Pulchre D. Chrysost. hæc verba Iobi explicans ait in Cat. Græc. *Sed nimirum, quis eum iudicem constituit? a se ipso, hoc est, ab ipsa virtute creatus est iudex, ... Moyses. Tales videlicet dicebat esse Principes.* Vtinam ad munera obeunda soli illi assumerentur, quos bona naturæ indoles inspecta designaret: fallar, nisi ij optima sui muneris opera præstarent. Quis naturæ propriæ repugnans opus regulariter perfectè conficiat? Quis non perfectissimè exequatur iussus munus illud, cuius opera ex sua propria natura amat? Carissimus in præsenti adstat Moyses in depellenda Ægypti seruitute, Israëlitisque ab Ægypto liberandis, qui sic liberatoris munus adimplenit sibi à Deo creditum, vt in eo vinceret etiam viros alios maximos. Quid mirum, quòd Moyses tantus euaderet in liberatoris munere? Id illi à natura ipsa suggerebatur; quippe Exod. 2. de illo dicitur: *Postquam creuerat Moyses egressus ad fratres suos vidit afflictionem eorum, & virum AEgyptium percutientem quendam de Hebræis fratribus suis. Cumque circumspexisset huc atque illuc, & nullum adesse vidisset, percussum AEgyptium abscondit sabulo.* A se ipso rapitur in id facinus, quo Israëlitem ab Ægypto liberaret; hinc bona planta eligitur, vt liberationem ab Ægypto producat fructum naturæ consentaneum. Quod enim ex propria cuiusque natura venit, id certò sperari consueuit in homine quocumque, vt dicat Nazianz epist. ad Eudoxium: *Quæ ad naturæ ductum fiunt, plerumque benè succedunt; quæ verò præter naturam præsumuntur, frustrà tentantur.* Frustrà speratur fructus, quem non fert arboris natura, frustra in homine opera sperantur, quibus natura aduersatur; ex quo fit, quòd à Deo communiter homines in ea euehantur munera cuiusque consentanea naturæ. Id quod notans D. Chrysost. hom. 7. de laudibus Pauli immensa huius sancti miratus facinora, inquit. *Vnde igitur Paulus talis emersit, ac tantus? Et ex proprio videlicet, & ex Dei, & idcircò ex Dei, quia de proprio.* Inde regulariter cognosces te à Deo vocatum ad munus, si munus fuerit propriæ consentaneum naturæ; habet enim id Deus propriissimum, quòd communiter gaudeat ex propriis rerum naturis sua perficere. Nunquam, mihi crede, feret ab homine repulsam, qui eius inclinationi apta petierit. De auro sibi ab Israëlitis dato locutus Aaron Exod. 32. ait *Proieci illud in ignem, egressusque est hic vitulus.* Non ipse fecit vitulum, sed ignis ipse ab aliquo nequam spiritu gubernatus vitulum efformauit. Sed cur magis vitulus efformatur ab igne, quàm alia creatura? Spiritus qui gubernabat tunc ignem, nouerat inclinationem hominum ad vitulos, hinc cupiens ad effectum perducere dolum suum, illorum inclinationi seruiens illis obiecit vitulum. Solet enim, siue spiritus malus, siue sanctus Spiritus, inclinationes voluntatum aduertere, vt opera ingerant sua. Pulcrè D Machar. hom. 11. inquit: *Vasa, quæ coniecerant ignem, in idola versa sunt, & ita quodammodo imitatus est ignis eorum intentionem. Qua ergo ratione ignis ex vasis aureis formauit, & produxit idolum; ita Dominus fidelium, & probarum animarum intentiones imitatur: & pro voluntate, earum format imaginem, quæ tempore resurrectionis exterius apparebit, glorificabitque corpora ipsarum intus, & extra.* Sic ille communiter triumphat spiritus in homine, qui hominis obiicit magis consentanea naturæ.

Chrysost. (margin)
Exod. 2.
Naziana.
Chrysost.
Exod. 32.
Machar.

§. II.

Miraculum est diuinæ potestatis proprium, quod à peruersa hominis indole nascatur opus salutis.

QVis à spinis speret vuas? Quis a mala radice, à mala hominis indole, peruersóque ingenio speret dulces virtutis fructus? Id solùm speret, qui nouit creatoris potestatem, & infinitudinem. In nullo enim alio magis ostenditur creatoris potestas, quàm in mutandis rerū naturis. Notissimum est signum factum in nuptiis, quando aqua mutata fuit in vinum, Ioann. 2. post quod sic ait: *Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galileæ, & manifestauit gloriam suam.* Vbi aquæ mutata est natura, desiitque in sapore in vinum, non potuit amplius ibi latere creatoris infinitudo, sed e templo reuelauit gloriam suam. Chrysol. serm. 157. inquit: *Vbi aqua mutauit naturam, mox ... elementorum creator mutatione reuelatur creaturæ.* Quibus id maximè expendendum venit, quod elementorum creator dicatur reuelari mutatione creaturæ. Id forsan paradoxum videbitur Philosophis, in quorum principiis, tum solum reuelatur creator, cùm denuo ex nihilo producitur creatura aliqua. In alterationibus, & mutationibus etiam substantialibus non opus creatoris aspicitur, sed quæuis alia ordinaria potestas eos potest motu causare. Nonne hoc Philosophi prædicant? Nónne hoc vniuersa Philosophia clamat? Cur ergo à Chrysologo dicatur creator elementorum reuelatus in mutationibus creaturarum? Equidem vir sanctus spectabat mutationes illas, quibus homines a mala & peruersa indole, in salutis fructus reformabantur quæ mutationes procul dubio sunt solius dexteræ Excelsi, in illisque euidenter patet creatoris potestas maxima. Apud Exod. 17. prouisurus Dominus aquam sitienti populo suo, ait ad Moysem: *En ego stabo ibi coram te supra petram Horeb: percutiesque petram, & exibit ex ea aqua, vt bibat populus.* Sese videndum offert Deus in petra, ex qua aqua producenda erat; sed scire cupis, cur in danda illa aqua voluit Deus manifestus videri super petram? A qua difficultate facile se expedit Lippomanus putans productionem aquæ illius fuisse opus creationis, quod solius Dei creantis notitiam euidentissimam protendebat. Sed & paulò ante cap. 15. prouidit etiam Dominus sitienti populo, aquis amaris ingenerans dulcedinem, ait enim text. *Dominus ostendit ei lignum, quod cùm misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt.* Compone modò miraculum cum miraculo: hic aquæ amaræ in dulcedinem conuertuntur; ibi è durissimo, aridissimóque saxo prosiliunt aquæ: vtrùm maius miraculum? An non maius miraculum, quòd è saxo educantur aquæ, quàm quod amaræ in dulces conuertantur? Sapienter id negat Eucher. epistol. de Eremo fatus: *Non maiori miraculo è saxu aquas, quàm ex amaris alias aquas reddit.* Et quidem non minoris potestatis est, & virtutis, mutari in melius substantias, quàm de nihilo creari; quòd verissimum est in mutationibus mentium humanarum. Pro quo dicebat Dauid Psalm. 50. *Cor mundum crea in me Deus*, quasi ad cordis munditiem restaurandam nulla alia virtus sufficeret, nisi quæ sufficeret ad producendum de nihilo cor humanum. Hinc mutationem in melius mentium humanarum inter cætera miraculosa diuinæ potestatis opera annumerat D. Machar. hom. 44. fatus: *Qui enim naturam quinque panum in naturam copiosam mutauit, & asinæ natura facultate loquendi destitutæ vocem dedit, meretricem que conuertit ad temperantiam, & ignis vstiuam naturam ad irrigandos in camino existentes aptam reddidit; qui leonum agrestium bestiarum naturam Danielis gratia mansuefacit, is quoque potest animam in suam ipsius bonitatem, mansuetudinem, & pacem conuertere.* Quàm miraculosum est, & soli diuinæ potestati aptandum, quòd à flammis ros veniat, à feris leonibus mansuetudo; tam miraculosum erit, quòd mens humana prauæ indolis, ad opera saluti apta conuertatur. Vnus id potest efficere omnipotens creator. Aiebat Ioannes Baptista Matth. 3. *Potēs est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Quibus verbis statim occurrunt verba in præsenti à Iesu data, dicente: *Numquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona bonos fructus facit, mala autem arbor malos fructus facit.* Si mala arbor malos fructus facit, si spinæ vuas non possunt dare, quomodo verum erit, quòd saxa producant filios Abrahæ, aut in eos conuertantur? Numquid contraria dixit Iesus Ioanni? Absit: sed Iesus Dominus loquebatur de effectibus, qui accidunt regulariter; Ioannes de illis, qui rarò accidunt, nec fiunt, nisi ab infinita creatoris potestate, inter quos sunt mutationes deprauatarum mentium in melius, quæ non minorem requirunt virtutis causam, quàm lapides, si assumerentur ad creandas animas. Vnde dicebat Tertullian. lib. de Anima cap. 10. *Nunquam discordabunt sententiæ sanctæ. Non dabit enim arbor mala bonos fructus, si non inseratur. Et lapides filij Abrahæ fient, si in fidem Abrahæ formentur. Et genimina viperarum fructum pænitentiæ facient, si venena malignitatis expuerint. Hæc erit vis diuinæ gratiæ potentior vtique natura.* Necessum enim est, quòd supra omnem naturam sit virtus, & potentia, quæ obsistentes, & repugnantes mentes humanas in frugem meliorem trahat. Hinc refero dicta lib. 14. cap. 22. §. 2. & illa, quibus Cassiodorus exaltat potentiam Christi, lib. de Anima cap. 19 inquiens: *Nosti etiam ... per iniquos, conuertens in adiutorium, quod paratum est ad nocendum: potentius esse iudicans, lapsones ad vtilitatem conuertere, quàm causas malorum radicitus amputare. Nam quomodo beneficiorum tuorum cognoscerentur signa, si & aduersa pars non monstrarentur iudicia?* Hæc ille.

Ioann. 2.
Chrysol.
Exod. 17.
Euchet.
Machar.
Tertull.
Cassiod.

Text. Non poteſt arbor bona malos fructus facere: neque arbor mala bonos fructus facere. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Non omnis qui dicit, &c.

§. III.

Qui fructus metere cupit, vnam æſtimet virtutem, quæ ex fide.

NVllus bonus fructus vnquam deceptus fuit, niſi quem dedit virtus fidelis animi; ab infideli enim non fructus, ſed corruptio, & perditio naſcitur.

Pſal. 52. Pſal. 52. *Dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus. Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in iniquitatibus: non eſt, qui faciat bonum.* Expende quid præceſſit, antequam corrumperentur: nimirũ præceſſit, quod inſipientes dixerint: Non eſt Deus; vbi enim circa res fidei naufragauerũt, ſtatim in illis nullus fructus bonus apparuit, ſed corruptiſſimi mores, perditiſſimorum iniquitates. Ait

Auguſt. D. Auguſt. ibi: *Capit corruptio a mala fide, inde itur in turpes mores, inde in acerrimas iniquitates.* Nullus alius vnquam fructus ab infidelitate demeſſus eſt, quàm morum perditio, quàm acerrima iniquitas. Virtutem vnam a fide venientem amet, neceſſum eſt, quiſquis & vtiles, & vitales optat percipere fructus.

Rom. 11. Ideo Paul. ad Rom. 11. ſic monebat infideles venientes ad Chriſtum: *Tu autem cùm oleaſter eſſes, inſertus in illis, & ſocius radicis, & pinguedinis oliuæ factus es.* Anteà ſteriles prorſus, nullum bonum promebant fructum, ſed iam fructibus ditantur plurimis, ex quo inſerti ſunt radici bonæ arboris, nimirum fideli Abrahamo patri credentium.

Anſelm. Ita D. Anſelm. fatur: *Huius enim arboris radix Abraham, Iſaac, & Iacob, vnde floruit populus Dei.* Nihil enim floridum, nihil ſucculentum, niſi à virtute, quam promit fidei radix. Ab hac vna prouenit, quòd non areſcas in ignem, ſed frugifer fias in vitam.

Matth. 8. Matth. 8 ait Dominus: *Dico autem vobis, quod multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham,* &c. Cur recumbent cum Abrahã? Cur Chriſtiani regni fructus, vt percipiat, neceſſum eſt, quòd recumbant cum Abraham? Neceſſum equidẽ eſt, quòd cum Abraham recumbant, hoc eſt, vt inſerantur opimitati fidei, ne prorſus ſteriles maneant, ſed veros metant fructus virtutis.

Anſelm. Vnde D. Anſel. vbi ſupra, ait: *Multi, inquit, venient ab Oriente, & Occidente. Iam latam terram occupauerat oleaſter, amara ſylua, & ſterilis. Sed qui veniunt, iam præciſi ſunt de ſylua. Vnde inſerendi ſunt, ne areſcant? Et recumbent, inquit, cum Abraham.* &c. In tota infidelitate nil apparuit non ſylueſcens, & ſterileſcens; dum ſub infidelitate viuis, nil habes fructiferum, ſed totus ares in ignem. Vis non arere? Vis non penitus ſterileſcere? Abraham ſocius fias in fide, inſerere tantæ oliuæ, cui inſertus etiam ſi oleaſter ſis, nimirum arbor ſylueſtris, & infrugifera, ditiſſimos inde parturies vitæ fructus. Non in infidelitate, non in voluptate, non in creatura huius mundi fructus inuenies, niſi in virtute, quæ venit de fide. Quis iam hanc virtutem non

Chryſoſt. amplectatur præ cæteris bonis mundi? Pulchrè D. Chryſoſt. in Pſal. 50. admonebat: *Si ergo videris virum, aut mulierem ſpecioſam, ne admireris: nam & robores arbores cùm denſa ſint folijs, & altitudine excelſa, attamen non habent fructum hominibus aptum, ſed porcis afferunt cibum: vinea autem per terram repens maturum vuarum affert fructum: quid ergo vis vineam habere, an arborem? Puto te vineam eligere magis, quæ lætitia eſt ad hominum vſus, quàm arborem animalium eſcam.* Cætera mundi bona, quæ cum infidelitate poſſunt coniungi, arbores ſunt, ſed arbores infrugiferæ, vel ſaltem arbores, a quibus porcorum cibus colligitur: ſic diuitiæ, ſic voluptas, ſic gloria temporalis; verùm fides vinea eſt pacifica, plantata in cornu filij olei, habens virtutes ad producendos lætiſſimos, & ditiſſimos vitæ fructus. Hanc vnam fidei virtutem quærat, qui veros amat fructus colligere, in cæteris inueniet vel nullos, vel fœtidos porcorum cibos. A ſola diuina fide virtutes veniunt, quæ ſunt veræ arbores vitæ, & rationalis, hominumque dignæ vitæ.

Iſai. 2. Propterea Iſaias cap. 2. *Oculi ſublimes hominis humiliati ſunt, & incuruabitur altitudo virorum; exaltabitur autem Dominus ſolus in illa die. Quia dies Domini exercituum ſuper omnem ſuperbum, & excelſum, & ſuper omnem arrogantem, & humiliabitur. Et ſuper omnes cedros Libani* [illegible] *& ſuper omnes* [illegible] Expende quo [illegible] lentur cognomine mundialia vniuerſa bona, nimirum vocantur quercus Baſan; Baſan ſignificat ignominiæ arbores, quæ nullum fructum pa[illegible] in horrea recondendum diuina, ſed a belluis & por[cis] conſumptibilem. Pro quo dicebat D. Baſil. ibi: [illegible] *ſed qui ſedes in* [illegible] *iam porcorum* [illegible] *nominatæ,* [illegible] *dedecoris. Baſan enim* [illegible] *nominatur.* Baſil. Heu quot ſunt in mundiali plaga ignominiæ arbores! Quotquot non ex fide, ſed ex appetitus præcipitio, ex peccati lege operantur, quercus ſunt in ſummam ſuam ignominiam fructificantes, belluis, & porcis dantes cibum. An non quercus eſt, & ignominiæ arbor Princeps ille, qui profuſiſſimus eſt in munerandа, ornandave cantatrice, ſiue ſaltatrice muliercula? An non quercus item eſt, qui vt placeat hominibus, nulli parcit vel diuitiarum ſumptui, vel periculo ſalutis? An non ignominiæ arbor ille eſt, qui vt paſcat ventos, ſanguinem etiam profundit? Sanè hi omnes, & alij quamplurimi non fidei voces, ſed appetitus ſequentes quercus ſunt, & arbores ignominiæ, & ſummi dedecoris, vt qui ſolis porcis aptũ proſerant fructum. His non abſimilis fuit ignominia Samſonis, de quo Iud. 16. *Statim eruerunt oculos eius, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clauſum in carcere molere fecerunt.* Ind. 16. In cuius ignominiæ imagine ſic exprimit peccatorem D. Paul. epiſt. 4. aiens: *Obſeſſus tenebris erroris ſui, ſaxum cordis ſui pertinacia iniquitatis induratum, quaſi molam verſat farinam hoſtibus ſuis de corrupta anima ſua ſuæ ſuge conſi* [illegible]. Paulin. Quid ignominioſius? Si prorſus ſterilis, & infrugifer ſolis porcis, & hoſtibus præbet alimentum?

Text. Omnis ergo, qui audit verba mea hæc, & facit ea, aſſimilabitur viro ſapienti, qui ædificauit domum ſuam ſupra petram: & deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit. Fundata enim erat ſuper petram.

§. IV.

Alienum eſt à virili virtute non ſtatim Dei inſpirationes operibus exhibere.

PRæclarè dicitur viro ſapienti aſſimilatus, qui audita Dei verba ſtatim facit, & operibus exhibet; dilatio enim non virilem animum, ſed fœmineam infirmitatem oſtendit. Iſai. cap. 26 *A facie tua Domine, concepimus, & quaſi parturiuimus, & peperimus,* &c. Iſai 26. Mirandum eſt, quòd vates ſe inter parturientes annumeret, nunquid partus non eſt proprius fœminarum? Quare ſibi partum appropriat Iſaias? Cur non magis de fœminis loquitur, quòd pepererint? Expende eius verba, & rationem inuenies; ait enim: *Concepimus, & peperimus.* mulieres concipiunt quidem, & poſt nouem faſtidia menſium tandem pariunt; neque fœmineæ infirmitatis eſt, quòd vbi conceperint, ſtatim fœtum in lucem edant. Hoc ad virile robur, maſculámque virtutem pertinet, quòd non differant operibus exhibere, quod a Deo conceperunt, ſed conceptum Dei ſermonem, operum ſtatim partus oſtendat. Ait Origen. hom. 10. in Exod. *Qui ergo concipiunt, & ſtatim pariunt, iſti nec mulieres exiſtimandi ſunt, ſed viri, & perfecti viri.* Origen. Præſtantiſſimorum virorum id proprium eſt, quòd Dei ſermonem non teneant animo conceptum, ſine effectu; ſed eùm primùm faciunt, quod Deo inſpirante conceperunt. Fœmineam infirmitatem, & animum penè muliebrem rectè depingens ait Iſaias 37. *Venerunt filij vſque ad partum, & virtus non eſt pariendi.* Iſai 37. Septuag. dicunt: *venit dolor partus parturienti, virtutem autem non habet ad pariendum.* Sed cui non eſt virtus ad pariendum, cùm habeat conceptum, viróne, an fœminæ? Explicatiùs Orig. legit: *Dolores partus venerunt ei, & virtus pariendi non eſt in ea.* Origen. Meritò fœmina, & non vir dicitur, cui eſt conceptus, & non eſt virtus ad parturiendum, quando perfecti viri vel ex hoc virilem ſuam virtutem oſtendunt, quòd Dei inſpirationes ſtatim reducant ad operum effectum. Pro quo dicebat Orig. in Exod. hom. [illegible] Idem. *Perfecti ergo ſunt viri, & fortes, qui ſtatim, vt concipiunt, pariunt, id eſt, qui conceptum fidei verbum in opera producunt. Anima autem quæ concepit, & in ventre retinet, & non parit, iſta mulier appellatur, ſicut & Propheta dicit: Dolores partus aduenerunt ei, & non erat virtus pariendi in ea.* Abſit omnis mora in virtutibus exercendis ab eo qui fœmineam cauet infirmitatem, ferant viri non molles fœminæ; viri enim non tumenti vtero, ſed frequenti operum partu robuſtantur. Matth. 24. futurum iudicium memorans Dominus

vt illios iræ fugam suis persuadeat, dicit: *Væ prægnantibus*; quasi illa infirmitas debeat timere extremam calamitatem, quæ longum portans vterum, nunquam partu nobilitatur. Bernard. Ex quo D.Bernard.epist.105.Romanum subdiaconum commonefacit; *Quid tardas, ipsum quem iam dudum conceperas spiritum parturire salutis? Væ prægnantibus in illa die. Si superuenerit, & præuenerit hunc salutiferum partum, heu perfodiet domum, sanctum germen extinguet.* Præconcepta vota, inspirationes diuinæ, quas nunquam ad effectum perduxisti, non auxilij, sed damni solent esse in illa die, vt quæ magis solicitent diuinam iram.

§. V.

Durities, & asperitas vitæ hominem suauiter confirmat.

PArum timeat lapsus, necessum est, qui supra petram ædificat, qui de petræ firmitate roboratur. Nunquam enim petra, hoc est, durities, & asperitas vitæ, non præcauet lapsus. Felix ille, qui non mollem,& delicatam amplectitur vitam, sed Christianæ disciplinæ lapideā,& asperam: hanc sanè habebit pro muro inexpugnabili, pro firmissimo, & suauissimo sustentaculo, ne labatur. De viro Isai. 33. iusto aiebat Isaias 33. *Iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius.* Expende vnde constantissima iusti viri sublimitas nascatur, nimirum ex saxorum munimentis. Nunquam enim non sublimis apparet, qui duritiem, & asperitatem vitæ amat, sugens mel de petra, oleúmque de saxo durissimo, quærens animi dulcedinem, & virtutem in asperitatibus Christianæ obseruantiæ. Ad hæc dicebat Gillibert. Gillibert.Abb.serm.26.in Cant. *Bona sunt munimenta saxorum, si tamen talia sint, de quorum possis duritia & mel, & oleum elici. Et quidem ipsa obseruantiarum durities, & petra disciplinæ frequenter largos effundit riuos olei, & mentis faucibus dulcedinem deuotionis ministrat ordinis quidam lapideus vigor.* Non ea est lapidea Christianæ disciplinæ durities, quæ nesciat fundere etiam riuos olei, & mellis dulcedinem instillare. Quin potiùs lapideus vitæ rigor sic suaui quadam dulcedine olei mentes tenere humanas, vt minimè ad sæculares Deut. 32. mollicies dilabamur. Quò refero illud Deuter.32. *Constituit eum super excelsam terram, vt comederet fructus agrorum, vt sugeret mel de petra, oleúmque de saxo durissimo.* Alij apud Glossam interlinearem legunt, *oleúmque de firma petra.* Quod minimè fuisse completum in populo Israëlitico D.Gregor. homil.26. in Euangelia; quando enim Iudæi de petra mel sumpserunt in deserto, siue in terra promissionis? Christiani tamen de petra mel sugunt, quoties de lapideo rigore disciplinæ Christianæ, de austeritate vitæ suauiter & fortiter confirmantur Proh! quoties, quæ horretur lapidea disciplinæ durities dulcissimos stillat latices, qui & robur, & firmitudinem inferunt corporibus humanis? Ad hæc Bernard. suauissimus Bernard. epist.106. *Vtinam, si quam mihi guttam quandoquidem de pluuia voluntaria, quam segregauit hæreditati suæ pauperi Deus, mox eam tibi possem refundere. Experto crede, aliquid amplius inuenies in syluis, quàm in libris. An non putas posse te sugere mel de petra, oleúmque de saxo durissimo? An non montes stillant dulcedinem, & colles fluunt lac, & mel, & valles abundabunt frumento?* Fallitur, qui putat sub durissima Christi disciplina totum esse felleum, & amarissimum: totum arduum,& plenum præcipitiis; manat etiam melle Christiana durities, & sæpè de petra melle suauiantur, & saturantur, qui asperitatem Christianam amplectuntur. Prou. 6. In Prouerb. cap. 6. dicit: *Vade ad formicam, ò piger*, in formica laborem & sudorem, durissimámque obseruantiam indicans: & penè immediatè Septuaginta in Albinis, & Vaticanis codicibus posuere. *Vade ad apem, & vide quomodo operaria est.* Vix nos formicis inspiciendis addixit, & statim apum etiam proposuit officia. Et cur formicæ operibus, apum operationem immiscuit? In formica horridus labor, lapidea disciplina visitur, in ape dulcedo, & millificium ostenditur, vt credatur structus labor semper dulcedinem parturire. Id quod ponderans D. Ephrem Ephrem. in Ascetic. fatur: *Et post formicam apis. Acerbitatem enim laboris dulcedo quietis excipit; & asperitatem vitæ gaudium. Si si..rs, atque a...i formicarum instar extiterimus, vt apes non erimus in illis.* Nunquam labor dulcedinem non parit, nemo in Christiana disciplina est assiduus, & constans, qui non sugat mel de petra; vt formica in laborando, & sustinendo fuerit, simul & apis erit, quæ dulcedine fluat.

§. VI.

Permanentium bonorum spes, quasi possessio est illorum.

MEritò dicitur ædificare domum supra petram vir sapiens, qui omnes suas spes collocat in Christo, petra enim,teste Paulo,Christus est. Et iure de præsenti dicitur, quod domum suam ædificat, ex quo enim cœpit spectare firma, & permanentia bona Christi,iam possessionem illorum habet,& habitat in illis. Ad hæc dicebat Oseas c.2. *Et habitare te faciam in spe*; vbi enim sperare incipias æterna, iam te reputa habitare in illis. Sed quomodo habitationem nobis facit in spe? Qui enim habitare sperat, nondum habitationem habet, cùm spes nequeat esse de præsentibus; cur ergo dicemur habitationem habere,quam adhuc speramus? Hoc habent æterna,& permanentia bona, quæ etiam sperata in præsentem habitationem, & possessionem transeunt. Hinc Theoph. pulchra paraphrasi ait: *In patriam te collocabo,ac bonas tibi spes suggeram.* Ecce tibi componit spem cum habitatione patriæ,quasi ex eo quòd incipiat spem habere habitandæ patriæ,iam cernat se in patria collocatum. Aiebat Paul.ad Ephes.2. *Conresuscitauit, & consedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu,vt ostenderet in sæculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos.* Nondum erat mortuus Paulus, adhuc in mundi arena luctabatur, & iam se putat consedere in cœlestibus,& cur se in cœlis sedentē iam prædicat? Per spem,quam habet in Iesu:quæ enim in illo æterna, & firma bona spectantur, ea sunt, quæ iam in possessionem transisse videantur. Id quod notans Ansel. ait: *Faciet ergo nos sedere cum Christo, quia faciet iudicare cum illo. Imò cum eo iam nos resuscitauit,& cum eo sedere fecit in cœlestibus, quia quamuis corpus nostrum nondum ibi sit, tamen spes nostra iam ibi est.* Et quidem quidquid de æternis Christi bonis pes nostræ spei calcauerit, non solùm erit, sed iam nostrum est, & quasi illud habemus in potestate. Accinit D. Greg.lib.6.Mor.c.10. fatus. *Fortasse Paulum exteriùs tunc catena religabat, mente tamen in sublimibus positus fuerat, quia iam per spei suæ certitudinem in cœlestibus sedebat.* Æternorum spes hoc habet singulare, & præstantissimum, quòd faciet nos illa possidere, vt dicat Paulus ad Ephes.2. *Ergo iam non estis hospites,& aduenæ; sed estis ciues sanctorum, & domestici Dei, superædificati supra fundamentum Apostolorum,& Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu.* Expende ex quo iam non hospites, non inquilini sumus, sed domestici,& possessores habemur;nimirum ex quo superædificamur lapidi angulari Christo, id est, ex quo dimissis transitoriis omnibus, omnes spes nostras in Christo Domino collocamus. Quòd innuens Chrysost.ibi ait: *Domestici,inquit, Dei. Quod illi habebant ab initio post tantos labores, hoc vobis rectè successit per Dei gratiam. Ecce spes vocationis.* Hæc est æternorum spes,qua præhabemus, quæ æterna sperantur.

Ansel. Gregor. Ephes.2. Chrysost.

§. VII.

Id solum securissimè habebis, quod Christo Domino dederis.

SEruatur ædificium supra firmam petram fundatum; sic cùm Christus Dominus petra sit,quidquid illi impenderis, hoc tibi seruatum securissimè habes. De mundialibus hominibus locutus,ait Psal.75. *Dormierunt somnum suum omnes viri diuitiarum & nihil inuenerunt in manibus suis.* Psal.75. Immensos penè habebant diuitiarum thesauros quos vel vnus somnus à manibus exsufflauit; sed qui fieri potuit, quòd manus tot diuitiis breui in somno possint vacuari? Non erant ibi Christi manus quæ solæ securum seruit,quidquid illis traditur. August. ibi! *Nihil inuenerunt in manibus suis, quia nihil posuerunt in manu Christi.* August. Quidquid Christo Domino non exhibetur, totum deperditur,& breuissimo tempore auolat. Vna est Christi manus, in qua & secura, & tuta sunt omnia humana. Quò respiciens Paul. ad Coloss.3. ait: Coloss. 3. *Quæ sursum sunt, quærite,vbi Christus est.* Non contentus persuadere nobis, quòd superna quæreremus,illud insuper addidit,nimirum,*vbi Christus est.* Et cur addidit illud? Pulchrè D.Chrysol.ser.23. indigitat rationem: *Vt tali custode domus tua securus: quia vbi ille est,ibi locus nullus est furi.* Chrysol. Nulla bona nō sunt & furibus,& latronibus,& perditioni obnoxia,nisi, quæ seruatur sub custode Christo. Vbi ille non est, etiamsi paradisus sit, latrones admittit. qui bonā vniuersa hominibus eripiāt, adeò vt vel ad breue somnū nihil inueniāt omnes virī diuitiarū in manibus suis. At vbi Christus est,nullus

ibi

ibi locus est furi, omnia sunt tibi integra, & secura. Ignorat virtutem Christi, qui timet aliquid in illo patere furibus; vnde Magdalena Ioan.20. nondum satis docta de Christi virtute, cùm vacuatum cerneret sepulcrum, plorabat sibi ereptum Christum; cui Dominus inquit: *Mulier quid ploras? Quem quæris?* Sciebat Dominus quem Magdalena requirebat; cur ergo ab ea interrogat, quem quærat? Vt ostenderet illam prorsus insciam esse Christi virtutis, dum illum quasi furto sibi ereptum deplorat, qui nulli potest patere

Ambros. perditioni, nulli furto. Ad hæc D.Ambros. ait: *Bene addit, Quem: non quòd iste dubitet, quem requirat: sed quia illa, quem quærebat, ignoret. Non enim Christum quærit, quem putat raptum.* Non equidem is est Christus Dominus, qui vbi ipse est, locum dari furibus permittat, sed omnia integra seruat, & secura suis hominibus. Quæcumque sine Christo habes, & furibus, & perditioni subiecta sunt; quæ autem habes in Christo ei exhibita, nec perditionem metuunt, nec ruinam. De quo vide lib.4. cap.6. §.7. & cap.1. §.17.

Text. Et omnis, qui audit verba hæc, & non faciet ea, similis erit viro stulto, qui ædificauit domum suam super arenam: & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna.

§. IX.

Temporalia bona occasiones sunt perditionis.

CVr malè non pereat, qui fluxis his, instabilibúsque mundi nititur bonis? Sola æterna, & stabilia sunt bona, quæ saluant homines, ab iis dum deflexeris, & caducis, & volubilibus mundi arenis hæseris, te ruina, & perditio ex-

Psal.134. pectat. Psal.134. *Absorpti sunt iuncti petræ iudices eorum.* Iuncti petræ absorbentur; cur non magis seruantur à petra? Cur cùm iuncti essent firmissimæ petræ, tam facilè rapiuntur in interitum? Non erant supra ipsam petram, sed in vicino, nimirum in loco arenoso, & mobili fundati, quandoquidem locus saxis fluminum vicinus arenosus est; nec iuuat petræ vicinitas, quominus arena cum suis non maneat absorpta.

Arnob. Pro quo eleganter Arnob. ibi ait: *Si super petram essent, non poterant absorberi. Nunc autem fundamentum petræ solidæ relinquentes, iuxta ipsam petram fabricant in arena, vbi nidos suos constituentes, cum suis paruulis absorbentur.* Vbi à soliditate petræ deflectis, vbi à firmissimis, & permanentibus Christi bonis separas mentem, vt illam in arena figas, quid aliud expectas, quàm absorberi? Sanè caducæ vitæ arena, mobilia huius vitæ bona, plus seruiunt perditioni, quàm salui, imò vbi inimicus noster bona hæc habet, quæ obiiciat homini, de fortissimis etiam, constantissimísque viris sperat reportare

Habac.1. victoriam. Habacuc cap.1. de hominum hoste loquutus, ait: *Ipse super omnem munitionem ridebit, & comportabit aggerem, & capiet eam.* Nihil æstimat munitiones, firmissimos, & altissimos muros ridet, vbi circa comportare aggerem potest. Sed qualis, & quantus hic agger est, quod adducto de munitissimis etiam triumphet hominum hostis? Propone tibi ob oculos tritum illum militarem astum, quo ad superandos altissimos muros, capiendásque ciuitates strenui duces facere solent. A cuncto exercitu comportatur arena, comportatur terra, adeò, vt iuxta muros fiat ingens agger, quasi sublimis cacumine mons, cui superpositus hostis facili negotio omnia debellat, expugnat vniuersa, donec reportat victoriam. Sic animarum hostis, dum videt firmissimas hominum munitiones, dum videt homines altissimis circumcingi muris cœlestium virtutum, hoc in primis procurat, nimirum mobilium bonorum arenas comportare, cumulare, mentibúsque humanis obiicere; quòd si hoc efficiat, quòd mobilium rerum desiderium, & cupiditatem inferat, statim omnem munitionem ridet, & gloriatur se ha-

Theoph. bere miseram animam captiuam. Quò respiciens Theoph. ibi ait: *Omne munimentum occupat adducto aggere. Etenim aggerem terrestrium curarum iacens, & excitans obsidet humanam mentem, & capit.* Quam humanam mentem non capiat hostis, non absorbeat, dum liceat illi admouere mobilium bonorum aggerem? Caue tibi homo, ab arenosis mundi bonis; caue tibi a terrenis his lucris, desuper adstat hostis, qui te perimat, qui te reptet. Ad hæc si spectas, maximum erit, si tibi aliquid præstare possint ingentia Dei magnalia. Ægyptij homines, si qui alij summam Dei potentiam supra se viderunt, imò & decies fulgurantem Dei hastam in seipsos contortam sustinuerunt; nec tamen eò adducuntur, vt Israëlitas dimitterent. Cur Ægypte non magis Deum Israëlis reuereris? Cur tanti Dei magnalia non magis suspicis? Cur potestas illa, quæ valuit solem obtenebrare, fluminum fluctus sanguineos reddere, tuum in Israëlitas animum non mollefacit? Spectabat Ægyptus in Israëlitis temporalia lucra, quandoquidem eorum labore lateres habebant, quibus domus conderentur; quòd lucrum spectantes nihil curant Dei magnalia, Moysis miracula videre. De quo sapienter

Chrysost. Chrysost. hom.76. in Matth. ait: *Ægyptij Moysi facienti signa, vt lutum solummodo, & lateres haberent, non auscultarunt.* Proh temporalis lucri amor! Miseri homines, vt lutum, & lateres sibi acquirerent, nihil æstimant Dei magnalia, imò sese decem subiiciunt plagis, ne vel minimum, & vilissimũ lucrum abiiciant à manibus. De hoc lucro, quòd sibi ex Israëlitarum labore Ægyptij acquisiuere, loquitur Moyses Exod.1.

Exod.1. aiens: *Ædificauerunt vrbes tabernaculorum Pharaoni, Phithom, & Ramesses.* Quòd si harum vrbium significationem spectes, Phithom interpretatur, *os abyssi*, vel *subitò*; neque id sine mysterio, sed vt pateat, quæ sint vniuersa lucra temporalia; quales sint terrestrium bonorum vniuersæ substantiæ, à quibus solus subitaneus interitus, & abyssi os potest expectari.

Damian. Vnde sapienter ait P.Dam. lib.8. epist.12. *Phithom interpretatur os abyssi, vel subitò. Quisquis enim iuxta Pauli sententiam, supra fundamentum, quod est Christus Jesus, ligna, fœnum, stipulam ædificat; quale cuiusque opus sit, ignis probabit: & quò magis in altũ hæc carnalis vitæ structura subrigitur, tanto procliuius veluti in abyssi voraginem mersa subitò dissipatur. Benè ergo dicitur, & os abyssi, & subitò: quia de carnalis vitæ culmine non segniter, sed citò corruitur; & illud est os abyssi, quod ascensus videbatur esse fastigij.* Ecce qualia sint omnia temporalium bonorum culmina; quæ celsiora putantur, non tam celsitudinem, quàm immensas habent voragines; qui temporalibus bonis subnixi sustolli magis apparent, nihil distant ab ore abyssi, à subito, & extemporaneo casu. Felix ille est, qui terrena omnia bona prorsus despicit, vt amplectatur paupertatem Christi,

Cassiod. de quo ait Cassiod. lib. de Anima c.19. *Verè omnipotens, qui & ipsas miserias fecisti potentes. Nullus regum, egentibus tuis par est. Nulla purpura piscatorum tuorum retibus adæquantur: quando illa in mundanas tempestates impellunt; hæ ad littus æternæ securitatis adducunt.* Sic ibi.

CAPVT X.

De filijs sponsi, & panno rudi.

QVEM non tangat inuidiæ rabies? Sanctissimi etiam Ioannis tetigit discipulos, qui vt Christi scholam morderent, suámque præferrent, sua iactantes ieiunia, cibis plenos Iesu accusabant discipulos. Hos Dominus defendit duplici similitudine, nimirũ, quòd in nuptiali domo minimè spectandæ sunt vacuæ mensæ, sed plenæ; & quando ipse à Ioanne sponsus dictus est, veniens vt sponsam sibi acquirat non mirandum, quòd interea eius familiares conuiuiis instent. Insuper, nunquam firmiter pannus nouus veteri panno assuitur, & ideo facilè ipse Dominus permittebat suis vetustam seruitutem abigere, vt quos ad noua, & splendida erat statim deducturus.

Matth.9. Tunc accesserunt ad eũ discipuli Ioannis, dicentes: Quare nos, & Pharisæi ieiunamus frequenter: discipuli autem tui non ieiunant.

§. I.

Præstantissimorum virorum virtutes, reproborum gregibus sociantur, vbi illos inuidia tangit.

VIde illos sanctissimos, religiosissimósque Ioannis discipulos, quali se gregi coniungant, nimirum Pharisæorum gregi; audierant equidem Pharisæos à Ioanne vocari genimina viperarum, gregémque venturæ iræ prorsus obnoxium, & nihilominus se Pharisæis non dubitant associate. Ex quo tanti viri, tamæ scholæ discipulos, in reproborum hominum societatem abire non causantur? Ex quo inuidere cœperunt Iesu discipulis; inuidia non sinit mancipia sua non abire in reproborum societatem. Vnde sapienter ad

Chrysol. ad hunc locum ait Chrysol.ser.31. *Cum discipulis Ioannis, quæ societas Pharisæis? Nisi quia iunxerat inuidia*; quasi non potuerint Ioannis discipuli reprobis, & deploratis Pharisæis non copulari, ex quo inueniuntur inuidia pulsati. Pro quo Anselm. dicebat D.Ansel.lib.de similitudinibus c.45. *Magis puto eius saluationem sperandam, qui parum boni facit, & benefactis aliorum fauet, quàm illius, qui multa, & inuidet.* Meritò Anselm. non tam separat à reproborum grege eximios virtutum patratores, si inuidia tangantur, quàm illos, qui etsi pauca efficiant, nulli tamen inuident fratri. Cui subscribens Chrysost. Chrysost.hom.7.ad Rom.ait: *Ob hoc certè, vt signa quis edat, vt virtutibus, vel ad ipsos Angelos accedat, omnium tamen sceleratissimus fuerit: hoc vitio inuidiæ, si laborauerit, & adultero, & scortatore, & prædone, & sacrilego iniquior.* Quòd si miraris, quòd inuidus habeatur adulteris, & prædonibus peior, etiam dum maximis virtutum facinoribus fulgeat, id statim euidentissimum censebis, dum è prædonibus & adulteris non paucos tibi salutis candida præfulgentes sacræ literæ ostendant; verùm ex inuidis vix vllum ibi lego, qui ad reproborum gregem non descenderit. Dauid adulter, & latro in cruce obtinuit veniam: Saul, Esau, Cain inuidi dantur Idem. reprobis. Id quod notans D.Chrysost. hom.44. ad Popul. fatur: *Siue miserearis, siue vigiles, omnium es scelestissimus, cùm inuideas fratri, & hoc illinc est manifestum. Quidam olim apud Corinthios fornicatus est, sed accusatus fuit, & breui correctus. Abels Cain inuidit, sed sanatus non est: quin & Deo statim ipsius vlceri curam afferente magis intumescebat, & fluctuabat, & ad cædem properabat. Ita hoc vitium illo peius est, nec medicinæ, quamcumque adhibuerimus, facile cedit.* Omni alio morbo insanabilius est inuidiæ venenum; hoc qui biberit, summam, & penè deploratam perniciem in se retinet. Ait enim Apoc. Apoc.12. cal.12. *Væ terræ, & mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam.* Sapienter terram vniuersam deplorat, illique vltimum, & extremum annuntiat væ, vbi diabolus iram suam magnam super eius effuderit habitatores. Sed quæ est hæc ira magna diaboli, per quam sic insanabiliter inficitur Rupert. terra? Rupert.lib.7.in Apoc.ait: *In quo ira eius, quam nunc habet sic descendens, discernere possumus, quòd verè magna sit, comparatione eius iræ, quam prius habuit? In eo videlicet, quòd prius vos faciebat errare per ignorantiam, nunc autem facit vos blasphemare per inuidiam. Hæc est ira magna inuidia maligna vobis inspirata.* Nullum maius malum diabolus hostiliter infundit visceribus humanis, quàm dum illis inuidiam inspirat: quot inuidia inficit, tot numerat inter deploratos. Nullis, mihi crede, fide virtutibus, si incipis inuidia laborare; hæc enim celsissimos etiam spiritus, maximísque gratiis ornatos dedit ruinæ insanabili; cùm alioquin ab aliorum vitiorum fæcibus plurimi cernantur in cœlestia euolare. Ait Matth.8. Dominus Matth.8. *Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cælorum: filij autem regni eycientur in tenebras exteriores.* Sed cur cùm Idololatræ, & scortatores & impij vocantur ad regnum, filij regni prorsus excluduntur? Si scelera filios perdunt, nónne idololatræ illis erant sceleratiores? Maximis erant Pharisæi inquinati sceleribus, fateor; sed gentes proculdubio maiora scelera habebant, insuper inter Iudæorum scelera multa etiam visebantur virtutum opera; ibi vera religio, & cultus religiosus; ibi innumera Dei dona; ibi antiquorum exempla, & auxilia; ibi pia ieiunia, orationes, sacrificia sancta, & oblationes: his omnibus nihil apud gentes, sed scelus, & scelus, tyrannis, & rabidissima persecutio bonorum. Cur ergo ex adeò sceleratis gentibus, tot examina renatorum cœlestia pertingunt, & filij regni eiiciuntur foras? Sanè nihil grauius in his inuenio, quàm inuidiam; hac quia caruerunt, sanabiles factæ sunt nequissimæ mundi nationes; & religiosi filij regni: propter illam, deploratum, & insanabilem incurrerunt morbum. Quò respi-Chrysost. ciens D.Chrysost.hom.41.in Matth.ait: *His profectò de causis fornicatores, & publicani ad cælos conscendere potuerunt, obscœno autem inuidiæ laborantes à regno cælorum exciderunt: filij autem, inquit, regni eycientur foras. Præterea omni prauitate illi ex animis expulsa ea, quæ nunquam sperarunt, facile nacti sunt. Pharisæi autem, vel ea quæ retinebant, bona penitus amiserunt: neque id iniuria. Nam inuidia pestiferum malum hominem in diaboli conditionem, ac in dæmonem immanissimum conuertit.* Quis non paueat hunc inuidiæ morbum, qui non parcit sanctissimorum hominum scholis; imò, & inter virtutibus conspicuos grassatur, & filios regni infallibiliter perimit, ad reproborúmque spirituum trahit sortem, quando ex aliis nefarissimis vitiis plures liberantur, & ad æternas euolant mansiones.

§. II.

Laudum propriarum honorísque blandimenta etiam præstantes viros solent inficere.

NOn mirarer Pharisæos in ieiuniorum suorum venire declamationes: at quòd Ioannis discipuli, tam Angelici præceptoris asseclæ, sua etiam ieiunia decantent, hoc mihi maximè venit admirandum. Proh conditionem humanam! Vix homo est adeò præstans, quem non inficiant blandimenta propriæ laudis. Pro quo aiebat sapienter D.Chrysost.hom.2. ad Titum. Idem. *Pecunias quidem facilè quisque contemnet, dum instituerit. Porrò honoris esse negligentem, laudémque non affectare multorum, maximo labore indiget. Magnæ Philosophiæ, & animæ cuiusdam Angelicæ, & quæ ipsum verticem caeli-nis cœlestis attigerit, certum argumentum est. Nullum enim magis perniciosum vitium est, nulla magis violenta perturbatio, & quæ ita ferme omnibus in locis obtineat, alibi amplius, atque alibi minus, vbique tamen.* Nullus locus est, quem pes ambitionis non terat; nulla sanctitatis sublimitas, quæ laudum honorísque affectibus non pateat. Totum nouimus Apostolicum collegium disputans, *Quis eorum videretur esse maior?* Imò post perpetes ad cœlestia volatus, post hominem penè exutum, & indutum Angelum aiebat Paul.2.ad Cor.12. *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est stimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet,* &c. 2.Cor.12. Ecce quid cauetur in Paulo, dum ad cœlestia rapitur, dum diuinis inseritur: cauetur sanè in Paulo inflatio honoris, & gloriæ vanæ tactus. Et poterat iam tantus vir, tam solidis bonis assuetus adhuc honoris temporalis cupiditate pulsari? Poterátne hostis humani generis de tanto viro victoriam sperare per honoris cupiditatem? Equidem ait D.Ambros.alio datus ser.3.in Psal.118. Ambros. *Paulum Satanas inflare volebat. Quis Paulum? Illum vtique Apostolum non ab hominibus factum, sed per Iesum Christum. Et penè deceperat.* Quis Paulum penè deceptum amore gloriæ crederet, nisi id Ambrosius affirmaret? Est vtique omnium violentissima hæc gloriæ vanæ perturbatio; & in omnibus ferè obtinet, nullum non aggreditur, etiam sanctissimum, etiam ad diuina raptum. Pro quo dicebat Rich. Richard. Vict.lib.1.de erudit.part.1.c.40. *Sæpè quidam adhuc inter ipsa diuinarum reuelationum spectacula constituti, apud semetipsos tacita mente superbiunt, iam magna de se æstimantes: iam quomodo alijs innotescere valeant, sagaci sollicitudine perquirunt: iam inanis fauoris auram captant; & illam, quam apud Deum habere consueuerant gloriam veram, in vanam commutant. De qualibus ait Psal. Mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum. Dum enim scriptum sit: Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, quasi flos fœni; quid aliud erit vitulus fœnum comedens, nisi humani fauoris appetitus, carnalem & temporalem gloriam ambiens?* Non solùm in Dei schola, sed sub ipsa Dei disciplina, inter ipsos ad cœli culmina volatus, temporalis gloriæ cupiditas solet præstantissimos viros inficere, vt mirum sit, quòd quis ab hac labe purus exsistat. De quo vide lib.2.c.7.§.4.ex Ambros. & lib.3.c.4.§.17. & alibi pluries in hoc tertio tomo, vt ex indice patebit verbo, *Ambitio*.

§. III.

Plus incumbendum intrinsecis, & occultis virtutibus habendis, vt quæ securiores ab ambitionis flagris sint, quàm quæ exteriùs fulgent.

ET discipuli Ioannis, & Pharisæi sese efferunt supra discipulos Iesu, quòd in se ieiunia videant; vtinam non tantum crederent ieiuniis, non tantum externis his, & visibilibus virtutum operibus fiderent: sed illis non omissis, plus incumberent internis, & occultis virtutibus habendis, quæ magis elationem reprimeret. Hæc fuit semper in Christiana schola præcipua cura, nimirum de habendis intimis animæ virtutibus; vt quæ magis populares plausus fugiant. Ob has laudat Nazianz.orat.7.fratrem suum Cæsarium, in- Nazianz. quiens: *Talibus itaque Cæsarius philosophatur, tametsi ageret in aula; talibúsque vincebat cogitationibus, quibus etiam discessit, soli Deo cognitus, quòd maioris est pietatis, quàm ipse palam præseferret, cui & hominem exhibebat occultum.* Sanè vt vanissimè errat, qui externis mortificationis facinoribus detrahit; sic etiam minus sapit, qui non plus negotij tribuit internis, & occultis acquirendis virtutibus; hæ namque, & Deo gratiores, & popularis gloriæ puriores, & liberiores existūt. Ps.44. Psal.44. *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus*; quasi nulla virtus sic Christi regis filios adornet, vt ea, quæ intrinsecus occulta manet.

Paschas. manet. Pro quo D. Paschas. ibi fatur: *Docet ab intus. Vbi nil vana gloria requiritur, non ostentatio operum demonstratur, non concrepantia laborum sanctimoniam meditatur, non vlla iactatio mentis habetur, sed intus homo tacita innocentione, quae Deo placita sunt, reuoluit, solummodo ea, quae ad diuina nutu pertinent mysteria delectatur, & agit.* Securiores, & firmiores sunt virtutes, quae intrinsecus latent, quàm illae, quae & oculis, & plausibus popularibus placent, & patent. Christi sponsa, dum penetralis vmbra latebat, nullum morbum incurrit, nisi morbum amoris, quando ait: *Stipate me malis, quia amore langueo*; sed postquam popularibus oculis se dedit, quid non patiatur? Ipsa ait Cant. 5. *Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatem: percusserunt me, & vulnerauerunt me; tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.* Quae verba afferens, & expendens D. Pasc. lib. 2. in Threnos ait: *Quae profectò si sponsi frueretur intus amplexibus, huius vulnerata non esset.* Si magis studeret virtutibus ioternis habendis, iouulnerabilior appareret; quae enim exterius fulgent, exposita sunt & hostibus, & vanitatis ventis. Vnde dicebat Paul. ad Rom. 8. *Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc. Non solum autem illa, sed & nos ipsi primitias spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus.* Expende vbi, & qualiter gemant illi, qui primitias spiritus habebant: aiunt equidem, *& ipsi intra nos gemimus*, non externis gemitibus popularium implebant aures, sed intra se tacita, & occulta Deo suspiria repraesentabant. Quod ponderans D. Bern. serm. 59. in Cant. fatur: *Fuit & in tempore parum vox ista gementium, sed raro, & portes quemque sane gemitus. Vnde & dicebat quis: Secretum meum mihi, secretum meum mihi.* Et quo secretiores, & occultiores, eo solent virtutes Deo esse notiores, & gratiores. Ideo dicebat Psal. 37. *Domine ante te omne desiderium meum; & gemitus meus à te non est absconditus.* Qua ratione putat oon esse suum gemitum Deo absconditum? An quia crebris gemitibus omnium aures verberabat? Absit: imò qui intra se gemens, caeteris occultum gemitum Deo exhibebat. Ait D. Bern. serm. 59. in Cant. *Profectò monstrabat absconditum esse, qui soli Deo non erat absconditus.* Quam placeant Deo occultae virtutes, patet etiam lib. 15. capite 7. §. 5. & saepissimè alias, vt ex indicibus coostabit.

Cant. 1.

Paschas.

Rom. 8.

Bernard.

Psal. 37.

Bernard.

§. IV.

Religiosi instituti quae apparent imperfectiones, minimè mordendae, vt quae possint esse virtutes facinora praestantioris.

Vtinam hos Ioanois discipulos vniuersi conuenirēt viri religiosi, & in illorum errore cauerent affectum illum, quo singuli in aliis requirunt suum proprium bonum, & in quibus id non vident, se supra illos maximè extollunt, imò illos carpunt, & corrodunt. Forsan discalceati, hispidóque sacco induti, vellent sic esse vniuersos religiosos, & despiciunt quos laneis, lineisque vident vestitos. Qui piscibus vescuntur, carnium notant manducatores, & qui saluti animarum insudant, domi quiescentes clamant otiosos. Quādo enim Martha oon capit Mariā otiosam: Sic singuli dum quod ipsi sunt, quod ipsi habēt, in aliis non inoeniunt, illos crebro murmure confodiunt. Et quanto id errore? Sanè discipuli Ioannis ieiunabant, non ieiunabant discipuli Iesu, & tamen non ieiunantes habentur in eo filij sponsi, quam gloriam minimè attigere illi ieiunatores. Potest fieri quòd dum tua ieiunia, tuum saccum alterius cibis, & laneis anteponis: dum tuos sudores alterius otio antefers, dicatur tibi à Deo. Hic alius meliorem partem elegit, non possunt ieiunare filij sponsi. Et aliquando confusa videas in praestantiori filiorum sede, quos tua ignoratio putabat tibi longè inferiores. Hinc D. Nazianz. orat. 16. vniuersos aliorum correptores monebat. *Hic humilem te praebe: hic nullo tam tua detrimenta fratrem tibi antepone, vbi randamnare, & contemnere, nihil aliud est, quàm à Christo extrahere, occultùmque triticum (et quidem triticum fortasse te praestantius) vnà cum zizania excindere. Quid enim si lippientibus oculis, aut alio quopiam morbo laborantibus, obscurum solem aspicias? Quid si omnia vertisse, sursum deorsumve ferri putes, ipse non aliud correptus, ignorantiàmque tuam aliis tribuas?* Vnum solum potest quisque in praesenti, fine vllo periculo praestare nimirum quod sibi anteponat fratrem, aliquem de Christi schola, de Christi area condemnare. mordere, periculosissimum est; quando potest fieri, vt pro paleis triticum, & triticum te praestantius offendas, & pro vmbris solem impetas, & stabilem fontem pro riuulo fluente contemnas.

Nazian.

Fallacissima equidem vtitur regula, quisquis ex suis passionibus vniuersos alios iudicat; saepissimè enim, quae in te fomenta vitiorum, in aliis sunt adiumenta clarissimarum virtutum, & quae tibi aeternos parant triumphos, in aliis lachrymanda afferunt exitia. Prudentissimè Psaltes 73. *Quanta malignatus est inimicus in sancto! Et gloriati sunt qui oderunt te in medio solemnitatis tuae. Posuerunt signa sua, signa, & non cognouerunt.* Vbi inimicitiae affectus est, nec sanctuarij parcitur: in ipsis iustitiae exemplis, in ipsis Solis radiis & naeui, & nebulae publicantur. Sed expende illud: *Posuerunt signa sua, signa, & non cognouerunt*; inde tota causa fallaciae est, quia ex signis suis omnes alios iudicant. Posueruot sibi salutaria signa, quae dum in aliis non inueniunt, illos praedicant saluti contrarios. Insuper signa rerum sibi nociuarum ponunt, quae quia in aliis vident, illos reputant vitiorum asseclas. Sed non cognouerunt; miserè in signis suis falluntur, minimè attingunt veritatem, sed suam ostendunt siue malitiam, siue ignorātiam. Ad haec acutè Gillibert. Abb. serm. 14. in Cant. *Posuerunt, inquit, signa sua, signa, & non cognouerunt. Ponunt, sua non instituunt. Ponunt, quae praue posita exponunt. Signa, inquit, sua. Scipsas en.m in signum ponunt, cum ex sua prauitate regula alios metiuntur. Signa, inquit, quasi dicas: tantum signa, & non veritatem. Signa non certitudinis, id est suspitionis. Et non cognouerunt.* Ecce tibi pericula fallaciarū, etiam in virtutum scholis, dum aliquo modo sibi inuicem contrariantur: hi ponunt signa sua, nimirū ieiunia, saccos, piscium continuam escam, & alia huiusmodi, quae nisi in aliis patentissimè videant, praue postea exponunt. Alij è contra, sudores suos in expugnatiooe animarum, vigilias in studiis, quotidianas in Christo Iesu parturitiones ponunt, quae nisi in aliis cernant, minus probè sentiunt de illis. Quid plura? Sunt qui signa sibi nociua ponant, nimirum foeminarum colloquia, sceleratorum cōsuetudinem, esum carnium, lini, aut lanae vsum; quae signa dum in aliis vident, risui deputant, tales posse in virtutum perfectione stare. Omnes hi vident signa, non veritatem; signa non certitudinis, sed suspicionis, & non cognoscunt; imò miserè falli solent, & dum despiciunt imperfectos, in charissimos sponsi filios impingere solent. Quae enim in aliis signa sunt imperfectionis, imò superbiae; in aliis sunt signa celsissimarum virtutum. Ecce tibi duas virtutum scholas; altera in Esther fulget, altera in Iudith: sed Esther ait cap 14. *Tu scis, Domine, necessitatem meam, quòd abominer signum superbiae, & gloriae meae, quod est super caput meum, in diebus ostentationis meae, & detester illud, quasi pannum menstruatae, & non portem in diebus silentij mei.* Praeclarè mulierem mundum, ornatúmque, reputat abominabile signum superbiae, illumque sancta foemina abominatur, detestatur. Iam adest Iudith sanctissima etiam, de qua dicitur cap. 10. *Abstulit Iudith à se cilicium, &c. Vnxit se myro optimo, & discriminauit crinem capitis sui, & imposuit mitram super caput suum, & induit se vestimentis iucunditatis suae, induitque sandalia pedibus suis.* Sandalia vestimenti ornatus mitra in capite erant Estheri signa superbiae, & inanis gloriae; cur ergo Iudith haec resumit signa? An ex his minus sancta Iudith, quàm Esther apparet. Nónne mollis vestis, lauacra, sandalia, mitra signa sunt superbiae, & inde detestanda ab omnibus, qui perfectionem amant? Sunt equidem haec signa detestanda Estheri, at in Iudith non superbiam, sed incredibilem animi fortitudinem. heroicámque virtutem ostendunt, quae sub illis militat Deo, vt eius hostem facilius prosternere valeat. Sic multa externa, ab aliquibus virtutum studiosis, ob perfectionis triumphos arripiuntur; quae non minori perfectione ab aliis diffimulantur, imò omittuntur, praetextu maioris obsequij diuini. Alij poenitentiae opera, & signa in seipsis ostendunt, vt glorificetur pater diuinus; alij nil magis curant, quàm huiusmodi signa in se occultare, necubi pateant, nec videantor etiam ab hominibus charissimis: & vnusquisque in suo sensu abundat, donec dies Domini reuelet, qui fuot Dei serui, & qui sponsi filij.

Psal. 73.

Gill. Abb.

Esther 14.

Iudith. 10.

§. V.

Iniquissimum est, in te solas virtutes videre, in proximo solos defectus. Religiosi enim animi, magis vident in proximo virtutes, quas ipsi non habent.

Meritò se Pharisaeis iniquis adiungunt discipuli Ioannis vbi in medio ieiunia sua ponunt, & Apostolorum mensas. Aiunt enim: *Quare nos & Pharisaei ieiunamus; discipuli autem tui non ieiunant?* Iniquissimum prorsus est, & iniquo

iniquorum Pharisæorum proprium, in se solas virtutes, in proximo solos defectus notare. Ieiunabant illi, sed non reliquerant omnia propter Deum: non ieiunabant tunc Apostoli, sed omnia relinquentes, Deum sequebantur, & dum ad comparationem ventum est, illi solum notantes in se, quod bonum faciunt; in Apostolis solùm notant, quod minus faciunt. Psal 61. Quid iniquius? Psal.61. *Vani filij hominum, mendaces filij hominum in stateris.* Theodoretus legit: *mendaces filij hominum, vt momentum stateræ.* Et mirandum, quòd momentum stateræ dicatur mendax, quando ipsum habetur pro regula iustitiæ, & veritatis. Nónne momentum stateræ fidele vocatur? nónne ipsum est, quod solum in pôderibus spectatur, vt iustum & verum pondus capiatur. Cur ergo, cùm momentum stateræ index sit iustitiæ, & veritatis, illi, mendaces homines, & iniqui comparantur? Inter ponderum æqualitates faciendas, eum modum seruat momentum stateræ, qui si ad homines trãsferatur, nihil illo iniquius potest excogitari. Cùm enim, v.g. aurifex suum velit ponderare aurum, accepta statera, in altera bilancium solum suum aurum ponit; in altera autem solum mensurarum ferrum, quid tunc momentum stateræ? Medium stat, nihil, nisi aurum cernens ex vna parte, nihil nisi ferrum cernens ex altera: quod quidem in comparatione ponderum æquum est: at in comparatione morum & iniquissimum, & plenum fallaciæ. Quid iniquius ex te sola splendida, & aurea in medium proferre, ex proximo autem sola obscura, turpia, & indecora? Sanè, qui iustus est, qui Pharisaicæ disciplinæ prorsus alienus inuenitur, non quærit videre in proximo defectus, ob quos ipse extollatur; sed virtutes, quibus ipse 1. Cor.15. superetur, vincatur. Paulus 1. ad Corinth. 15. *Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei.* Et cæteri Apostoli relicto Iesu in horto fugerant, & Petrus Iesum negauerat: & nihilominus vbi Paulus inter se, & Apostolos comparationem facit, hoc solum respicit in illis, quòd minimè fuerint Ecclesiam persecuti, in quo ipse maximè ab illis vincitur. Petrus autem 2. epist. 3. ait: *Sicut charissimus frater noster Paulus secundùm datam sibi sapiẽtiam scripsit nobis, sicut & in omnibus epistolis, loquens in eis de his, quæ difficilia sunt intellectu.* Persecutor Ecclesiæ fuerat Paulus: at Petrus vbi Paulum meminit, non persecutionem, sed sapientiam, sed studia, sed vigilias in enodandis difficilibus quæstionibus in illo miratur, quo Paulus vincit cæteros. Ad hæc D. Gregor. lib. 24. Gregor. Moral. cap. 6. ait: *Ecce Paulus in Apostolis miratur innocentiam, ecce Petrus in Paulo miratur sapientiam. Quid est hoc? Nisi quòd sancti viri virtutum consideratione vicissim sibi alios præferunt.* Sancti viri in proximis semper ad illorum magnalia confugiunt, quæ minimè in se videntes humiliantur. De iusto vi- Iob 33. ro aiebat Iob cap. 33. *Respiciet homines, & dicet, peccaui.* Non impij, non sic Pharisæus: imò vbi homines respiciebat, & [illegible] virtutes exaltabat, & hominum numerabat peccata, Luc.18. aiens [illegible] 18. *Non sum sicut cæteri hominum; raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus. Ieiuno bis in Sabbatho, &c.* Sic arrogans Pharisæus videns homines, in illis numerabat peccata; de se autem dicebat: Ieiuno bis in Sabbatho: at iustus homo in schola Iesu versatus respiciet homines, & dicet, peccaui; quia in aliis id solum quod hominem deceat, considerat, in se autẽ bestiales mille affectus experitur.

Text. Et ait illis Iesus: Nunquid possunt filij sponsi lugere, quandiu cum illis est sponsus? Venient autem dies, cùm auferetur ab eis sponsus: & tunc ieiunabunt.

§. VI.

In Dei parentis disciplina nihil lætitiam æternam afferens potest deficere.

Filios sponsi vocat Dominus discipulos suos, vt probet illis nihil ad veram, solidamque lætitiam posse deficere: qui enim sub tanti patris amplexu viuit, nequit profectò aliquid desiderare, nequit sub aliquo viuere suspitio. Quò respiciens Ieremias vbi filiorum multitudinem mœrore, & Thren. 2. fame enectam depingit, ait Thren. 2. *Matribus suis dixerunt; Vbi est triticum, & vinum, cùm deficerent quasi vulnerati in plateis ciuitatis, cùm exhalarent animas suas in sinu matrum suarum?* Expende in cuius sinu deficiunt, non equidem in sinu patris Dei, sed in sinu matrum; nisi enim à Dei patris abiissent Paschas. sinu, nullum defectum valerent experiri. Ait D. Paschas. lib. 2. in Thren. *Si cum patre essent, aut ad patrem domum redirent, animas fame non exhalarent.* Nihil illis posset deficere, si sub tanti patris viuerent disciplina. Felix ille homo est, qui hunc diuinissimum parentem toto affectus conatu amplectitur, exinde omnia [illegible] abundare cernet, nihil ad æterna gaudia necessarium deficere. De charitate ad Patrem locutus Paulus 2. ad Corinth. cap. 13. ait: *Non quæ ita, quæ sua sunt.* 2. Cor. 13. Et qualiter potest ad virtutem pertinere, quod non quærat, quæ sua sunt? Id magis incuriæ, aut stultitiæ videtur esse, quam virtutis? Sapienter enim alibi Paulus aiebat: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Inter aliorum salutem quærendam, simul & suam procurabat charitas Pauli, in quo eius maxima elucebat sapientia. Cur ergo dicitur charitas non quærere quæ sua sunt? Sanè qui in Patris Dei viuit charitate, ab eiúsque minimè recedit sinu, non eget quærere, quæ sua sunt, cùm eo ipso, quo sub tanti patris viuit charitate, omnia sibi ad salutem necessaria, parata & prompta habeat, adeò vt nihil ex illis possit desiderare. Acutè, & eleganter D. Bern. serm. 18. in Cant. fatur: *Non quærit quæ sua sunt profecto, quia non desunt. Quisnam quærat, quod habet? Charitas, quæ sua sunt, id est, propriæ saluti necessaria, nunquam non habet. Nec modò habet, sed etiam abundat.* Bernard. Abundantissimè suppetit amatori filio quęcunque ad salutem æternáque gaudia sunt necessaria; non est cur anxius de illo sit, an ieiunet? an vigilet? an oret? sciens enim quòd filius sit sponsi, quòd sub tanti patris charitate, & disciplina viuit; pro certo habet, nihil ei deficere ex his, quæ ad salutem sunt necessaria, sed omnia superabundare ipsi. Vnde regenerationem filiorum parans Dominus, ait Matt. 28. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Matth. 28. Cur maluit dicere, in nomine Patris, & non potius, in nomine Dei omnipotentis? Ideo, crediderim ibi non Dei, sed Patris meminisse, vt ostenderetur sub tanti patris renatis filiis, ex tunc omnia necessaria ad salutem parari, nihílque ab illis posse desiderari. Quò spectans Chrysol. serm. 68. ait: *Beati estis, qui cœpistis ante ad patris promptuaria, quàm matris ad gremium peruenire; ante pastum gregis, quàm succum lactis inuadere: toto ante victoriarum sonare iubilo, quàm vagitu respondere cunarum.* Chrysol. Qui sub tanto regenerantur parente, nihil puerili indigent? non matris gremium, nec succum lactis, non cunas requirunt infantium; ab ipso conceptu promptuaria paterna habent, ex quibus omnium necessariorũ percipiunt abundantiam. Proponite vobis ob oculos Moysem; is apud Deum mansit in Sina quadraginta diebus, nec secum tulit è domo aliquid, quo per illos dies posset sustentari; & nihilominus de illo dicitur Exod. 34. *Videntes autem Aaron, & filij Israel cornutam Moysi faciem, timuerunt propè accedere.* Exod. 34. Hæc verba sic apud Chaldæum sonant: *Viditque Aaron, & omnes filij Israel Moysem, & ecce multiplicatus erat splendor gloriæ vultus eius.* Non macie confectus, sed in quadam diuinissimæ gloriæ speciem transmutatus Moysi vultus apparebat. Et cur quando pro quadraginta diebus nihil secum tulit humani alimenti, tam gloriosus apparuit, tanto lumine micabat facie? Pulchrè Chrysol. serm. 165. explicat causam, aiens: *Ita Moyses humano defæcatus est, & exinanitus à corpore, vt totus diuinitatis mutaretur in gloriam: & adhuc in nostro corporis obscuro, toto fulgeret lumine deitatis: neque intueri eum mortalium visus posset, qui substantia Dei diu pastus tota mortalis cibi oblitus fuerat adiumenta: vnde didicit coram Deo, & cum Deo commorantibus vitæ subsidia non deesse.* Chrysol. Expende illud, *cum Deo commorantibus vitæ subsidia*, &c. Quippe vbi Moyses Deo summo parenti adhærescebat, eius sub amplexu morabatur, nihil poterat desiderare; non poterat non habere tantam subsidiorum vitæ abundantiam, qua splendidior esset, & in gloriosiorem speciem transformatus appareret.

§. VII.

Indulgentia, quæ cum patris est coniuncta seueritate, illa salutaris est.

Indulgentiam circa ieiunia Apostolis exhibitam, inde minimè suspectam probat Dominus, quia veniebat à præsentia sponsi in filios; vbi meritò dum sponsum meminit, cauit sponsam nominare. Indulgentia enim sponsæ, id est, matris, ea filios perdit; quæ autem venit indulgentia iuncta cum patris seueritate, ea est salutaris. Threnor. 2. *Matribus* Thren. 2. *suis dixerunt: Vbi est triticum, & vinum, cum deficerent vulnerati in plateis, cùm exhalarent in animas suas.* Non patrem memine

meminerunt. sed matrem, cùm exhalabant animas: & matrum panes dum petunt, exhalant animas: quasi totius ruinæ causa vna fuisset nimia dulcedo, & indulcedo matris.
D.Pasch. Quod ægrè ferens D.Paschas.lib.2. in Thren.ait: *Miseræ matres, quæ filios suos ad tantam inopiam longè à patre abduxerunt.* Periculosa est filiis materna indulgentia, quę frequenter illos à patre abductos in perditionem trahit. Illa indulgentia salutaris est filiis, quæ non matris teneritudinem, sed seueri patris austeritatem sapit. Nunquam pater sic indulget filiis, vt iustam non admisceat seueritatem, ne indulgentia relaxationem inferat, sed potiùs in virtute vigorem addat. Sic florentissimus ille paterfamilias Iob cap. 29. de
Iob. 29. sua in filios indulgentia aiebat: *Si quando ridebam ad eos, non credebant mihi.* Miraris patrem, & patrem grauissimum, cum filiis ridentem imò vt Tigurina legit, *iocantem.* Nónne risus, & iocus paternus largam filiis relaxationis præberet licentiam? Absit, imò ait, quòd filij paterno risui non credebant. Sic verus pater componebat risus teneritudinem, condescensum, & indulgentiam; vt nec nullas habenas filiis laxaret, sed semper sub timoris fræno cohiberet. Quod ibi
D.Greg. notans D. Greg. in Moral. ait: *Talis est dispensatio regiminis, vt is, qui præest, & amari, & timeri debeat.* Talis est paterna indulgentia, non quæ relaxet, sed quæ contineat, vt inde iam nequeat esse suspecta indulgentia, quæ à Patre venit. Hinc 2.
2. Reg. 13. Reg. 13. Dominus ait de Dauidis filio: *Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium: quòd si iniquè aliquid egerit, arguam illum in virga virorum, &c.* Simul & patrem se dicit, & flagellum exerit: vt enim sceptrum in manu regem designat; sic pater dulcissimus ostenditur ex flagello filios in salutem ducente. Sed quid cum patre flagellum? Pater dulcedinem in filios, flagellum iudicis amaritudinem ostendit; cur ergo cum paterna dulcedine Dei, iungitur seueri iudicis flagellum? Pulchrè D. Bernard. de gradibus húmil. gradu 1. super-
D. Bern. biæ, inquit: *Absit tamen ab eius perfectione, vt quia dulcis est, iustus non sit; quasi simul iustus, & dulcis esse non possit: cùm melior sit iusta dulcedo, quàm remissa: imò virtus non sit dulcedo sine iustitia.* Nequit profectò in patre illo qui Deus est, aut qui spiritum Dei habet, esse indulgentiæ dulcedo, quin simul sit aculeus districtionis, & seueritatis. Nunquam veri patris dulcedo remissa est, sed stricta, & quæ filios cohibeat, & faciat in virtutem euolare.

§. VIII.

Felicitas hominis, qui in religiosa schola versatur, est, quòd saltem in vltimis constitutus ad virtutum facinora confugiet. Non sic sæculares.

FAtetur ingenuè Dominus discipulos suos tunc non ieiunare, non adhuc validissima virtutum opera exsequi; & quia tyrones adhuc, & quia infirmi, & quia tempus nomitiæ alicuius indulgentiæ terebant. Sed non ideo condemnandi, quia postmodum etiam maxima virtutum, & mortificationis opera ab illis erant operanda. Habent hoc singulare, qui in religiosis scholis versantur, qui licèt aliquando ob humanam infirmitatem minus strictè viuant, aliquo se tempore relaxent; tamen postea saltem in vltimis constituti, vbi sponsum Iesum viderint in iudicem transmutatum, ad virtutum facinora euigilabunt. De Hierosolymitanis ci-
Thren. 2. uibus in Dei schola versatis ait Thren. 2. *Matribus suis dixerunt: Vbi est triticum, & vinum, cùm deficerent quasi vulnerati in plateis ciuitatis, cùm exhalarent animas suas in sinu matrum.* Cum in extremis constituti sunt hi, expende, quid petant à matribus, pro quo clament, nimirum pro tritico, & vino. Ille prodigus apud Lucam cap. 15. post dissipatam substan-
Luc. 15. tiam, penè enectus, iam exhalans animam, *cupiebat saturari de siliquis.* Hic, & illi in extremis sunt; hic pro siliquis suspirat, illi non cupiunt, nisi vinum, & panem. Cur ille siliquas, & ij panem, & vinum postulant? Ille homo sæcularis erat, & gentilis, sæculares autem homines, vt vitam instar brutorum animalium instituunt; sic & in vltimis nihil requirunt, nisi alimenta brutorum; tota sua intentione, & cura terrenis istis adhærescunt bonis. At Israëlitæ ij, vtpotè in Dei nutriti schola, licèt propter infirmitatem humanam, laxiorem aliquandiu agunt vitam, tamen vbi in extremis sunt, ad filiorum Dei dapes contendunt, pro solisque habendis cœlestibus soliciti apparent. De iis aiebat sapien-
D. Pasch. ter D. Paschas. lib. 2. in Thren. *Non aiunt: Vbi est hordeum, aut siliqua; sed vbi est triticum, & vinum? Norant igitur, etsi degeneres suo vitio, quales eos primùm pater genuerit: prodigus autem ille filius concupiscebat saturari de siliquis, quas porci manducabant.* Sæculares viri eadem in morte etiam tractant, quæ in vita; & vt in vita terrenis inhiant; sic in morte, tota pro terrenis disponendis apparet solicitudo. Religiosi viri quàuis in vita degeneres, in vltimis saltem patrem sapiunt, & ad bona paterna habenda summa se præparant anxietate. De temporali homine dicitur Iob 34. *Pauit sterilem, & quæ non parit.* Non solum sterilis dicitur carnalis hominis vita, sed insuper additur, *& quæ non parit.* Nónne idem est non parere, & sterilem esse? Cur necessum fuit, postquam affirmauit sterilem esse, & illud addere, nimirùm quod non pariebat? Vt distingueret carnalium hominum sterilitatem, ab sterilitate eorum, qui sub religiosa disciplina versantur. Est enim sterilitas, quæ nunquam parit: & est sterilitas, quæ licet serò, tamen in vltima senectute habuit partum; eiusmodi fuit sterilitas sanctarum fœminarum in veteri Testamento. Quippè Sara, Rebecca steriles fuerunt & nihilominus in vltima senectute constitutæ filios conceperunt, & pepererunt. Sic temporalium hominum vita, quæ sterilis est, semper sterilis manet nunquam parit, nec in extremis constituta sterilitatem abigit, sed quibus cupiditatibus vixit, eisdem moritur. Vita autem illorum, qui sub disciplina religiosa in tabernaculis pastorum sunt, Deúmque sibi desponsarunt, etiamsi sterilis sit aliquando, saltem in extremis constituta nouit fructus pœnitentiæ parere. In hanc me cogitationem impulit D.Greg.lib.17.Moral.cap.3. D.Greg.
aiens: *Rectè cùm dicitur: Pauit sterilem, protinus adiungitur: & quæ non parit. Quasdã namque ex sacra historia fœminas nouimus steriles extitisse, & tamen in tempore extremo peperisse. Caro autem non solum sterilis, sed quæ non parit, dicitur: quia bonas cogitationes gignere, neque in vltimis valet.* Quis homo temporalis non idem est in morte, qui fuit in vita? Licèt in vltimis constitutus, nescit æterna cogitare, qui totus inhæsit carnalibus dum vitam ageret. Felices illi, qui sub sponsi Iesu disciplina vitam instituunt, ij ad instar Patriarcharum vxorum, quamuis steriles sint, ob iuuentutis ardorem, tamen tempore extremo præstantissima parient virtutum opera, & charitatis.

Text. Nemo autem immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus: tollit enim plenitudinem eius à vestimento, & peior scissura fit. Neque mittunt vinum nouum in vtres veteres, alioquin rumpunt vtres, & vinum effunditur, & vtres pereunt, &c.

§. IX.

Infirmus animus non statim in supremis, & fortissimis virtutum operibus exercendus.

QVis vetusta, & trita vestimenta nouis assuat? Quis vtres vetustate consumptos feruentibus impleat mustis? Nunquam non habenda ratio infirmæ naturæ, in principio, vt saltem postea ab illa conualescente possint sperari fortia. Similiter dicebat Paul. 1. ad Corinth. 3. *Et ego fratres* 1. Cor. 3.
non potui loqui vobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. Nondum enim poteratis, sed nec nunc quidem potestis. Præclarus magister animarum sic temperauit & fidei dogmata, & virtutum consilia, vt non statim fortissima, & præstantissima infirmis proponeret. Sed cur non maxima, & præstantissima statim? Sapienter Tertul. lib. de Monogamia fatur: Tertull.
Tyrocinium erat nouæ, & tunc maximè orientis Ecclesiæ, quam lacte scilicet educabat, nondum solido cibo validioris doctrinæ. Et quidem suum cuique tyrocinium concedendum est in virtutum consecutione, ne dum infirmo imparia viribus proponuntur, succumbat oneri, & odiosam virtutem habeat. Id quod notabat etiam Nazianz. orat. 1. aiens: *Quidam lactis* Nazianz.
alimonia opus habent, hoc est, simplicioribus, & elementalibus doctrinis, nimirum, qui puerili animi habitudine sunt, recénsque compacti, nec virilem sermonis cibum ferunt: quem si quis illis præter vires admouerit, pristinas eorum vires labefactabit. Non sic fortia cibaria infirmorum stomachum labefactant, vt animus infirmus subitò raptus ad fortia virtutum facinora labefactatur. Dicebat Cant. 1. *Adolescentulæ dilexerunt te ni-* Cant. 1.
mis. Et mirabar ego, quòd possit dici nimius amor, qui erga Deum est; an summa illa bonitas potest ab aliquo nimiè amari? Ab aliquo forti, & præstanti animo non potest Deus nimiè

nimiè amari, potest quidem ab infantili, & infirmo animo. Vbi enim adolescentulus es, vbi infantili teneris infirmitate, nisi re in tua infantili infirmitate contineas, nisi à fortioribus, & præstantioribus virtutum facinoribus aliquantisper abstineas, nimium & periculosè amas. Ex quo D. Bern. serm. 29. in Cant. feruentiores virtutum nouitios carpit:
Bernard. *Vos, qui nuper venistis tangit spiritualis sermo, vestram illam minus discretam vehementiam, imò intemperantiam prorsus nimium obstinatam redarguens. Non vultis esse communi contenti vita. Non sufficit vobis regulare ieiunium, solemnes vigiliæ. Bonum recepistis spiritum: sed non bene vtimini illo. Vereor ne alium pro isto recipiatis, qui sub specie boni supplantet vos: & qui spiritu cœpistis, carne consummemini.* Fortia spiritus opera in infirmo, & infantili corde non tam incrementi, quam ruinæ occasionem afferunt. Quoties adhuc adolescentulus, adhuc infirmus existens ad altiora virorum perfectorum facinora eleuaris, periculum tibi maximum imminet, ne quam primùm accepisti virtutem funditus amittas. Monebat Paul. ad
1. Tim. 2. Tim. 2. *Volo ergo viros orare in omni loco: leuantes puras manus, sine ira, & disceptatione. Similiter mulieres in habitu ornato: cum verecundia, & sobrietate ornantes se, non intortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa, sed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona. Mulier in silentio discat cum omni subiectione. Docere autem mulieri non permitto.* Cùm iubet Apostolus mulieri, vt oret; simul iubet, ne doceat: nec miror, quòd infirmum adeò vas ab alto docendi munere iubeatur abstinere: sed illud notandum est, quòd tunc maximè iubeatur mulier non docere, cùm orare iubetur. Cur cùm orare iubetur, docere maximè tunc non permittitur? Oratio est initium vitæ spiritualis, cùm primùm Dei spiritum concipimus, & nunquam periculosius agit infirmus animus, quàm vbi in primo virtutum limine, fortiora vir-
D. Paul. tutum cupit pertingere. Ad hæc D. Paulinus epist. 4. *Mulier etiam docere in Ecclesia prohibetur, ne exaltato spiritu decreta sapientiæ audeat intueri, & scientia inflata dissiliat. Non frustra autem hoc eo potissimum tempore fieri non debere Apostolus docet, cùm orat mulier! Tunc enim venit in spiritus conceptione: & ideo tunc magis excitat ten atorr tr uediam, cum in virum perfectum spirans, exit terminos infirmitatis suæ.* Vbi quæ excedunt infirmitatem fœmineam opera arripiuntur, statim hostis adsunt spicula, & grauius fit, euidentiúsque periculum. Quare
Pet. Dam. monebat D. Petrus Dam. opusc. 13. de Perfect. Monach. c. 22. inquiens: *Studeat hoc etiam nouitius, qui ardua tentans angustum iter ingreditur: vt cùm grauari vltra vires cœperit, mox ad latitudinem reuertatur. Arcus quippe si duris violenter impingitur, nisi ex discretione retrahitur, necesse est, vt coacta frangatur: si autem sutor eam more cerdonum & impellit, & retrahit; facile, quidquid obstiterit, penetrabit. Sic & nos in nostræ conuersationis initio, dummodo nitimur, modò remittimur, modò per dura, per aspera violenter insistimus, modò nos remittendo laxamus, paulatim via panditur, vt omne quod obstiterat, ingenuè transeatur.* Seruandi semper sunt infirmitatis termini, vltra quos minimè progrediatur, quisquis velit in virtute stare. Imò patientiam in se habet, & antequam altiora reddat, minoribus infirmioribúsque sese assuefaciat. Quò reuoco dicta supra lib. 1. c. 10. §. 4. & lib. 6. c. 1. §. 7. & lib. 9. cap. 2. §. 7. & alibi.

§. X.

Ad perfectionem Christianam pertinet sic aliqua de nouo præstare, vt nihil vetus in illis appareat.

NOn tantùm periculosum est vetusta solùm nouis illustrare, sed & indecens perfectioni Christianæ semper illis incumbere. Nónne indecens est præstantissimo aurifici, quòd solùm vetera assumat ad opus, vt illa illustret, & poliat, nullúmque ipse vas nouum vnquam perficiat? Equidem nunquam non dedecori datur artificibus, quòd solùm resarciendis, reficiendisque vetustis nauent operam, nihilque ipsi perficiant nouum. Quare non miror Christum diuinæ gratiæ opificem aliquando à Christianarum virtutum officina exclusisse vetera omnia, aiens: *Nemo immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus;* sic enim muneris sui consulebat honori, vt qui non solùm vetera resarciret, sed etiam faceret noua. Hinc pulchrè, & sapienter D. Leo colligit virgineum Mariæ vas omni ex parte perfectum & integrum extitisse, vt quod nouiter, & integrè fieri maximè decebat gratiæ operatorem, ne potius resartor,
D. Leo. quàm gratiæ videretur opifex. Quippe ait D. Leo serm. 2. in Natiuit. *Oportuit enim, vt primam genitricis integritatem nascens incorruptio custodiret, & complacitum sibi claustrum pudoris, & sanctificationis hospitium diuini Spiritus virtus infusa seruaret, quæ statuerat deiecta erigere, confracta solidare.* Expende tanti viri argumentum, & ingenio lem, & doctrinam: supponit enim, quòd virtus diuina statuerat in mundum venire, vt *deiecta erigeret, confracta solidaret.* Quid tunc? Nimirum inde educit oportuisse, *vt primam genitricis integritatem nascens incorruptio seruaret,* &c. Qualis hæc illatio? Imo quia statuerat confracta solidare, magis optaret nihil integrum inuenire: propriissimum enim est illorum, qui confractis solidandis, reficiendis incumbunt, tunc gaudere cum plura inueniunt confracta. Cur ergo cùm venerit Deus vt confracta solidaret, non magis oportuit, vt maternum etiam resarciret hospicium, quam educeret integrum? Sanè si solùm confracta solidasset, dedecus vilis resartoris incurreret, primarium se gratiæ non ostendere opificem. Quare vt se talem gratiæ opificem ostenderet, qualis erat: vbi statuit confracta solidare, necessum etiam fuit virgineum Mariæ vas sic perficere, vt in illo nil veteris ruinæ intraret, sed omnia noua fulgerent, & integra. Huc respiciat quilquis perfectionem Christianam velit pertingere: vile enim est homini, & periculosum, si solum confractis resarciendis incumbar, nihilque prorsus nouum perficiat. Sunt equidem multi, quorum tota cura est deiecta erigere, confracta solidare, resarcire; & vix adducuntur, vt nouum aliquod virtutis opus efficiant: hi Christiani nominis perfectionem minimè implent, quandoquidem perfectus Christianus non solùm confractis vetustate reficiendis insistat, sed & præterea noua, & integra
Cant. 7. iustitiæ facinora perficere curat. Aiebat sponsa Cant. 7. *In portis nostris omnia poma, noua & vetera dilecte mi, seruaui tibi.* Septuaginta legunt: *Noua ad veteres, frater mi, seruaui tibi.* Tres Patres autem ponunt: *Nouas super veteres, nepos mi, seruaui tibi.* Pulchrè in hoc se sponso commendat, quòd nouas super veteres seruauit: dum enim veteris Testamenti legibus, & spiritu vixit, tota tremens, & pauida hoc vnum faciebat, vt confracta resarciret, peccata ablueret lachrymis. Verùm vbi ad Christum accessit, non ibi stetit, sed super veteres resarciones, noua alia virtutis, iustitiæque opera integra, & perfecta seruauit. Quò respiciens Theodore-
Theod. tus ibi aiebat: *Nouas super veteres seruaui. Veteris enim Testamenti præcepta, & noui Testamenti mandata, quæ à Spiritus sancti gratia accepi, seruaui tibi, & depositum integrum custodiui.* Non solùm, quæ veteris Testamenti erant præcepta seruaui, spiritu timoris affectus confracta legis resarciens, sed & nouas iustitias adieci, dum integra virtutum opera, vt perfectus gratiæ effeci operarius. Non enim de resarcione confractorum, sed de nouitate, & integritate iustitiæ perficitur Christianus. Hinc Paul. 2. ad Corinth. 3. ait: *Si qua in* 2. Cor. 3.
Christo noua creatura, vetera transierunt, ecce facta sunt omnia noua. Et quid est illud: *In Christo noua creatura?* D. Amb. lib. 2. epist. 8. ait: *Si quis in Christo noua creatura, id est, qui perfectus in Christo noua creatura est.* Quoniam in Christo perfectionem non attingimus, nisi per operum nouitatem. Ex quo Iere-
Ierem. 4. mias cap. 4. *Nouate vobis nouale; & nolite serere super spinas.* Non ait: *facite nobis nouale*, quod fiebat, dum primò terra proscindebatur, vt spinæ auferrentur; sed maluit dicere, *nouate nouale*, quasi duas nouationes insinuet faciendas: alteram qua primò fit nouale spinis, & sentibus proscissis, & abiectis: alteram postmodum, in qua nihil iam senticosæ, spinosæque vetustatis appareat, sed omnia sint noua, & munda prorsus: id quod expressiùs posuit Tertull. lib. 1. con-
Tertull. tra Mar. cap. 20. legens: *Renouate vobis nouamen nouum*; vel adhuc lib. contra Iudæos cap. 3. ait: *Innouate vobis nouitatem.* Quasi non quælibet nouitas sufficiat ad perfectionē Christianam; sed necessum est illam ostendi nouitatem, quæ senticosæ vetustatis, etiam purgatæ, nec vllam habeat odorem, sed vndequaque nouiter splendens ascendat ad prorsus integra, & perfecta iustitiæ opera. Cant. 4. de perfectis
Cant. 4. Christianis dicitur: *Dentes tui, sicut grex tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro.* Non solùm tonsione renouatæ apparent; sed vlteriùs lotione splendidæ ascendunt ad sublimiora. Id
Gill. Abb. quod notans Gillibert. Abb. serm. 23. in Cant. ait: *Attendis, quòd non tibi sufficit exonerari, non sufficit lotum, & nouum fieri, nisi statim ascendas, & spiritu incedas, qui renouaris in spiritu. Tu igitur si ascendere disponis, ascende semper de lauacro, semper nouus, & mundus.* In tonsione detondetur vetustas, sed manet ibi vetustatis memoria, ideo ad noua opera ascendat Christianus, in quibus nihil appareat non splendidum, & integrè nouum.

§. XI.

§. XI.

Vbi aliquid vetusti hominis manet in vitæ renouatione, non potest non ruina timeri.

MErito in vestimento veteri, & in vetustis vtribus scissura, & perditio proponitur à Domino; quantum enim veteris hominis in te seruas, tantum habes, quo te proximum exhibeas perditioni. De Christi Domini grege dicitur Cant. 4. Cant. 4. *Dentes tui, sicut grex tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro.* Expende tonsuræ beneficium ante ascensum de lauacro. Primò tonduntur oues, deinde iam detonsæ de lauacris ascendunt. Cur non potiùs ante de lauacro ascendunt, & post tonduntur? Accidit tonsionis tempus, vernis mensibus, quando pili noui incipiunt crescere; vbi autem pili noui incipiunt, adeò onerantur oues veteribus pilis, vt nisi tondeantur prius, & vetusta abiiciant vellera, minimè à lauacro ascendere possent, sed ibi iacerent mortuæ. Gill. Abb. Pulchrè ad hæc Gilliber. Abb. serm. 23. in Cant. *Veterem deponentes hominem, & onere superuacuo leuati, ac loti alacrius ad superiora conscendunt. Siquidem ipsi pili veteres oneri iam esse incipiunt, cùm primò noua vellera germinant.* Nunquam vetusti hominis mores conueniunt cum Christiana innouatione; nunquam magis veteris hominis sarcinam sentis, quàm vbi incipis nouum induere hominem; quare qui sapis, nihil tibi prius agendum puta, quàm veterem exuere hominem cum actibus suis omnibus, aliter nullos vnquam ascensus in corde tuo meditari poteris. Imo quantum veteris hominis seruaueris, tantum subibis oneris, quod depriinaris; tantum periculi habebis, quo exponaris perditioni. Vnde mouebat Eph. 4. Paul. ad Eph. 4. *Deponite vos secundùm pristinam conuersationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renouamini autem spiritu mentis vestræ.* Non antea renouatio consulitur, quàm mandetur veteris hominis depositio: qui enim prorsus veteris hominis actus non deponit, frustrà se in vitæ renouatione sperat profecturum. Quod Chrysost. notans ibi Chrysost. aiebat: *Itaque si veterem actum quisquam habuerit, nihil proficiet.* Vanè profectum, & non potiùs ruinam sibi promittit, qui aliquid in se habet hominis pristini, anxiè procurat conseruare illud. Gabaonitarum astus notissimus est omnibus Iosue 9. Iosue 9. ij vt viuere possint, *saccos veteres asinis imponentes, & vtres vinarios scissos, atque consutos, calceamentáque perantiqua, quæ ad indicium vetustatis pittaciis consuta erant, induti veteribus vestimentis: panes quoque, quos portabant, ob viaticum duri erant, & in frusta comminuti, perrexerúntque ad Iosue*, &c. Quid tunc? Iosue illos amicè excipit, fœdus init, securitatem illis iurat, qua possint viuere, sed non multum post, fallacia cognita ait illis: *Itaque sub maledictione eritis, & non deficiet de stirpe vestra ligna cædens.* Potuerunt Gabaonitæ viuendi securitatem acquirere, sed non potuerunt maledictionem fugere. Et cur non potuerunt maledictionem fugere? An qua astutia periculum mortis deuitarunt, eadem non possent omne etiam maledictionis vitare periculum? Minimè; tota enim illorum astutia in eo stetit, quòd vetustatem præ se ferrent; vetustas autem non potest omnimodæ ruinæ aditum præcludere, quin potiùs, qui sub vetustate viuit, diris fit proximus, & maledictis. Accipite D. Petr. Damian. opuscul. 13. de Perfect. Monach. P. Dam. c. 4. dicentem: *Omnia videntur inueterata, quæ gestant: quia in præteritæ vitæ vitiis perseuerant, non obtemperantes sententiæ, dicenti: Vetera transierunt, & ecce facta sunt omnia noua. Ad nouitatem quippe superficie tenus venientes, reipsa in vetustate persistunt: quia emendationem, & nouam conuersationem in suis moribus non ostendunt. Tales itaque maledictione plectuntur, nec ad sortiendam cum Israëlitis hæreditatem aliquatenus admittuntur.* Miserè fallitur, qui totis viribus suis, veteris hominis actus à se non curat abiicere; qui dum in homine sunt, mirum erit, si illum non impellant in perditionem, æternísque maledictis obiiciant.

Text. Sed vinum nouum in vtres nouos, & ambo conseruantur.

§. XII.

In vitæ nouitate ambulandum est illi, qui vult homines ad vitam trahere.

QVos discipulos selegit Dominus, vt humana corda trahat, in vitámque mundum impellat: eosdem nouis vtribus, nouóque vino meritò comparat, quia tunc maximè quis ad vitam hominibus infundendam paratur, cùm exuta vetustate, in nouitate vitæ incipit ambulare. Filium hospitæ suæ mortuum suscitare nititur Elisæus 4. Reg. 4. *Et ascendit, & incubuit super puerum; posuítque os suum super os eius, & oculos suos super oculos eius, & manus suas super manus eius, & incuruauit se super eum: & calefacta est caro pueri. Reuersúsque est, & deambulauit in domo semel huc, & illuc.* 4. Reg. 4. Vide Elisæum, vt puerum in vitam trahit, vt se super eum incuruat, & se pueri membris adaptat, quo caro pueri incipit calefieri. Quid tunc? Cùm iam caro pueri calescit, erigit sese nobilis suscitator, & deambulat in domo huc atque illuc: antea totus defuncto incubabat, modò deserit defunctum, & in domo deambulat. Cur & modò non magis instat pueri suscitationi? Cur non magis super puerum incuruatur? Cur discedit, & deambulat? Nónne timere posset, quod vitalis calor in puero per Prophetæ incubationem, per eiusdem discessionem periret? Absit; imò nunquam maius augmentum vitalis caloris speratur in puero, quam vbi Propheta ab illo videtur discedere, vt in domo deambulet; discessio enim illa, & deambulatio eò tendebat, vt nouos spiritus ipse Propheta ebiberet, sciens tunc posse citius puerum trahi in vitam, quando in vitæ nouitate ambulare incipiat minister. Pro quo dicebat ibi Caietan. *Diuersus orandi modus describitur;* Caiet. *primùm enim orauit prostratus super corpus pueri mortui, deinde orauit deambulando: vt ipsa diuersitas modi corporalis situs, insinuaret diuersitatem mentis Elisæi. Quemadmodum enim diuersitas situs renouatio est corporis; ita profectus mentis eius, per hoc apertè, & tanquam renouata mens Prophetæ significatur.* Et quem mortuum non euocaret in vitam Propheta, cuius mens tam splendidè apparebat renouata? Vtinam animarum ministri sic scirent aliquantisper se in domum recipere, vt nouo spiritu ebibito intrinsecus possent renouari: fallar nisi tunc ab ipsis inferis homines in vitam reuocarent. Aiebat Isaias c. 52. *Quàm pulchri super montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem:* Isai. 52. Sed quales hi pedes prædicatorum? Ait Psal. 17. *Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum.* Cur euangelizantium pedes, pedes vocantur ceruorum; nisi quia cerui, renouatione frequenti, sciunt abiicere impedimenta vetustatis. Pro quo eleganter dicebat Gilliber Abb. serm. 14. in Cant. fatus: *Cerui quadam arte naturali à senio se tueri perhibentur, & vergentem in defectum vitam rediuiua nouitate, ab interitu reuocare. Cerui vero sunt, qui deponentes veterem hominem, nouum induunt eum, qui creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis: qui senescentem deuotionem, & quodam languentem tædio, in nouum denuo seruorem reducunt, & perseuerantiæ fastidia nesciunt reparatione frequenti?* Gill. Abb. Horum ceruorum pedes felicissimè currunt in animarum salutem, & quamuis cerui dicantur, fortiores sunt leonibus, ad deprædandos inferos. De his Isaias 40. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current, & non laborabunt*, &c. Isai. 40. Quanta hæc fortitudo, quæ nullo cursu, neque discursu laborat, etiamsi totum orbem percurrat? In quibus hæc tanta fortitudo inuenitur? Insinuat Propheta, dicens, *mutabunt fortitudinem*, nempe inuenitur in his, qui sciunt, mutata fortitudine, nouam ebibere. Sic Gillib. Abb. serm. 14. in Cant. *Mutabunt fortitudinem, instauratis frequenter incrementis. Mutatio hæc profectò videtur innouatio iugis, sine defectu, sine fatigatione. Bona quidem fortitudo, quæ currens, licèt cum labore, tamen ad defectum declinare non nouit. Melior planè, quæ nec labori sentit molestias, sed oppositarum difficultatum transilit scandala.* Gill. Abb. Proh fortissimi verbi cursores, qui frequenti innouatione pigrum seruum abiurant, & orbem sciunt decurrere superatis difficultatibus, vt animas hominum trahant in spem vitæ.

CAPVT XI.

De Fulgure.

BIs inuenitur Dominus ad fulguris recurrisse similitudinem, primò vt ruinam Satanæ, eiúsque à cœlestibus animabus casum insinuet; secundò vt supremi iudicis aduentum hominibus metuendum annunciet. De his in præsenti cap. aliqua dicam.

Luc. 10. Reuersi sunt septuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine etiam Dæmonia subiiciuntur nobis in nomine tuo.

§. I.

§. I.

Nequit à Iesu abesse, qui boni euentus gaudia Deo refert accepta.

MIssi à Iesu discipuli in Iudææ ciuitates quàm primùm ad Iesum redeunt, quia vbi gaudentes clamant, Dæmonia etiam subiiciuntur nobis in nomine tuo; manifestè tantæ felicitatis gaudia diuino nomini referunt accepta, quo non possunt à Iesu abesse. Quis enim à Iesu abfuit, dum illi felicitatis gaudia accepta retulit? Notissimi sunt, & cantatissimi tres Hebræi pueri, qui à Tyranno Babylonio in ardentem fornacem detrusi fuerunt, Dan. 3. & dum ipsi se inter flammas illæsos vident, & ab ipso igne honoratos, gestientes gaudio in diuinas laudes exsurgunt, Dei nomini tantam felicitatem referentes. Quid tunc? Accessit rex ad ostium fornacis, & stupens ait: *Ecce ego video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quasi similis filio Dei.* Miraris filium Dei adesse tribus pueris minimè sub igne gementibus, sed sub roscida aura gaudentibus. Equidem Deus adesse solet in tribulationibus, cur modò adest & in gaudiis? Sanè felices pueri suæ indemnitatis gaudia Deo accepta ferebant, eius gloriam cantantes, quo sibi Deum meruerunt approximari. Fatur D. Prosp. 1. part. de Promiss. c. 33. aiens: *Tres verò viri illæsi, hymnum regi vero dum canerent in medio camini, in medio camini secum filium Dei habere meruerunt.* Non potuerunt à filio Dei abesse, qui lætis vocibus felicitatis suæ cœlesti regi referebant gaudia: sed vbi laudes exhibent Deo, diuini filij præsentia meruerunt honorari. Ideo monebat Psal. 99. *Introite in conspectu eius in exultatione*; Aquila ponit, *in laudibus. Scitote quòd Dominus ipse est Deus; ipse fecit nos, & non ipsi nos.* Stupet D. Chrysol. serm. 7. quòd iubeamur intrare in conspectu Dei, & quis se tanti regis conspectui committere audeat? Quis speret tantæ posse obtinere præsentiam maiestatis? Qualiter poterimus de tanto condescensu gloriari? Ipse insinuat Psaltes dum subiicit, *scitote, quòd Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos, & non ipsi nos*; tunc equidem Dei conspectum intramus; tunc Deum nobiscum certò habemus, cùm quidquid sumus, quidquid agimus, non ipsi nobis adscribimus; sed totum donamus authori. Apoc. 21 dicitur: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitauit cum eis. Et ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus.* Quæ maior felicitas hominis, quàm quòd habeat cohabitatorem, & collateralem ipsum Deum? Habebis sanè homo Deum tibi proximum, tibi vicinum, tecum cohabitantem, quando ex tuis facinoribus, non tu, sed ab omnibus glorificetur Deus. Vnde Chrysost. hom. ad cap. 62. Isaiæ fatur: *Ergo iste habitator noster requiescit in nobis, glorificatur in medio nostrûm, cùm viderint homines bona nostra opera, & glorificauerint patrem nostrum, qui in cœlis est.* Tunc maximè Deum tibi inhabitantem habebis, tunc eius & conspectu, & præsentia frueris, cùm facinorum tuorum laudes non tibi, sed eius nomini attribueris. Quòd persuadere conatus Dominus aiebat Psalm. 40. *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.* Expende in quo ponatur via ad salutare Dei, nimirum in sacrificio laudis, & gratiarum actionis, vbi enim quis accepta refert Deo bona sua, in via est, qua sine dubio habebit salutare Dei, nempè Iesum. Sapienter ait Aug. ibi: *In sacrificio laudis via est, qua ostendam illi salutare Dei. Quod est salutare Dei? Christus Iesus.* Nequit non ire ad Iesum, non habere secum Iesum, qui omnia bona sua Deo refert accepta.

Dan. 3. Prosper. Psalm. 99. Apoc. 21. Chrysost. Psal. 40. August.

§. II.

Diuina laus, & gloria in operibus nostris quæsita, pro validissimis telis est, ad prosternendos hostes.

SIbi subiici Dæmones mirantur discipuli, magistrique nomini tribuunt tanti trophæi gloriam, & cur non subiiciant Dæmones adeò fideles, & grati homines, dum non sibi, sed Dei nomini laudē referunt facinorum suorum? Ait Psalm. 149. *Exultationes Dei in faucibus eorum, & gladij ancipites in manibus eorum. Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Ad alligandos reges eorum in compedibus.* Quid gladij cum cantibus? Gladij ancipites ad bellum fabricantur, canticorum exultatio ad choreas faciendas; cur ergo simul gladios ponit vates in manibus, & exultationum cantica in ore? Nullus equidem gladius terribilior ad perdendum hostes, ad deuastanda tenebrarum regna, quàm gladius ille, cuius ictum comitatur cantus referens Deo facinoris gloriam, diuinóque nomini tribuens gratiarum actiones. Meritò enim in præsenti aiebat Chrysostom. *Ostendit hic bellum cum chorea gerendum; & quòd canentes, & laudantes sic vincent. Exultationes enim dicit hymnos, & gratiarum actiones.* Vbi Dei canis laudem, vbi pro acceptis bonis gratias refers eius sancto nomini, nunquam non sciens prosternere, & perimere hostes. Principes tenebrarum sub pedibus pones. Apud Iosue cap. 10. post hostes prostratos dicitur: *Reuersúsque est omnis exercitus ad Iosue in Maceda, vbi tunc erant castra seni, & integro numero: nullúsque contra filios Israël mutire ausus est.* Aliter legit Orig. hom. 12. in Iosue, nimirum, *& non musiuit quisque de filijs Israël in lingua sua*, hoc est, nemo sibi tribuit victoriam, sed illam Deo adscripsit. Quo supposito ponderandum est, quòd Israëliticus exercitus tot reges deuincens, tot regna subigens, tot hostes sternens, sanus, incolumis, & prorsus integer ipsa reuertatur ad ducem suum. Vnde inter tot hostium strages, ipsi Israëlitæ penè inuulnerabiles extiterunt? Equidem quia nullus mutauit in lingua sua, quia vniuersi victorias suas Deo referebant, & dum gratiarum actio erat in ore ipsorum, gladij ancipites videbantur in manibus, quibus reges percuterent, regna subiicerent, ipsísque redirent incolumes. Ad hæc D. Chrys. in Psal. 149. inquit: *Vidisti vires ingentes. Non solum enim expulerunt hostes, sed ijs etiam captis reuersi sunt, Dei potentiam ostendentes.* Hæ sunt ingentes hominis vires, hæc sunt præstantissima robora, quæ hostes perdant, quę triumphos multiplicent; si in facinoribus tuis non tuam, sed Dei ostentes, & efferas potentiam. Hoc semper cura inter ipsa facinora, inter ipsos felicissimos successus, Dei meminisse, eiúsque nomini accepta omnia bona referre, vt fidelem & gratum seruum decet, & eris inuincibilis, & tenebrarum potestates, vt paleas expues. Quis nesciat Tobiæ sanctissimi iuuenis historiam? Huius in itinere fuit Angelus Raphaël comes, sed & cap. 6. dicitur: *Profectus est autem Tobias, & canis secutus est eum.* Mitaberis quòd canis mentio fiat euntis cum Tobia, cum quo ibat Angelus Dei; quid magnum quòd canis iret? Aut cur Angelus Dei permittit secum canem ire? Ibat Angelus non solùm seruaturus in via iuuenem Tobiam, sed etiam expulsurus Dæmonem, qui Saræ sponsos interficiebat, vbi autem bellum aduersùs Principes tenebrarum parabat, sapienter canem expeditionis solium admittit, vtpote in quo gratitudinis exprimebatur symbolum à natura: nec vnquam securior redderetur de victoria, quàm ibi per canis symbolum is affectus excitaretur in commilitone suo, quo Deo gratus illi accepta referret omnia bona sua. Pulchrè D. Ambros. lib. 9. Exaem. ait: *Canis viator, & comes Angeli est, quem Raphael non otiosè sibi, & Tobiæ adiungendum putauit, quando perrexit, vt Asmodæum fugaret. Memoris enim affectus gratia pellitur Dæmonium. Muta itaque specie bestiæ sanctus Raphael Tobiæ iuuenis ad relationem gratiæ erudiebat affectum.* Quoties canis viantium oculis obiiciebatur, toties Raphael per eius symbolum in Tobiæ animo gratitudinem erga Deum excitabat, qua Deo se fidelem & gratum exhiberet, omnes suas felicitates Deo acceptas referens. Cur hæc? Sapienter ait: *Memoris enim affectus gratia pellitur Dæmonium*, nullus equidem gladius potentior ad prosternendum Dæmonium potuisset parari, quàm animus adeò Deo gratus, vt illi referret laudem, & gloriam omnium, quæ faceret.

Psal. 149. Chrysost. Iosue 10. Chrysol. Ambros.

§. III.

Christianus animus in facinoribus suis, non hominum, sed Dei oculos amet.

QVàm sanctè discipuli sibi dæmones videntes prostratos, vnius Iesu oculos requirūt, dum illi soli clamant, *Domine etiam dæmonia subijciuntur nobis?* Sic Christianus animus non popularium hominum, sed vnius Dei spectat calculum, vt propria commendet facinora. De Ozia rege legitur 2. Paralip. 26. *Sedecim annorum erat Ozias, cum regnare cœpisset, & quinquaginta duobus annis regnauit in Ierusalem: nomen matris eius Iechelia de Ierusalem. Fecitque quod erat rectum in oculis Domini*, &c. Expende vnde commendetur rectitudo facinorum Oziæ, nimirum quòd solum facta sunt in oculis Domini. Id quod ponderans Chrysost. hom. 2. de verbis Isaiæ fatur: *Non vides aurigas, qui prætercurrentes totam illam stadij partem, qua vniuersa ciuitas è sublimi spectat sedens in equestri certamine; ibi contendunt concertatorum curius subuertere, vbi Cæsarem viderint sedentem; & vnum oculum digniorem,*

2. Paral. 26. Chrysost.

agnatorem, cui fidant, ducunt; quàm tot hominum vultus? Et vt etiam videas ipsum Angelorum regem tuo cursui agonothetam, hoc est, certaminis iudicem & præmiatorem, eo prætermisso ad conseruatorum fugis oculos? An non talis Ozias, sed in conspectu Domini faciebat, quod rectum est. Præclarus concertator Ozias nihil curabat alios facinorum suorum iudices, & præmiatores, sed vnum æstimabat Deum: & quisquis in schola Christi, in via salutis versatur, hoc vnum curat, vt Deum solum habeat operum suorum spectatorem, præmiatorem. Et quidem vanissimi hominis est, imò stultissimi, in facinoribus suis non plus fidere vnico Dei oculo, quàm innumeris popularium vultibus. Ille, mihi crede, felix in via currit salutis, qui omnia opera sua vni regi committit; qui autem illis popularium acclamationes fouet, is parum abest a mortis præcipitio. In carcere erant aliquando duo Pharaonis ministri, Genes. 40. alter dum somniat, vitem vnis fœcundam cernit, vuas sumit, & exprimit in vase, & vni regi poculum propinat. Alter etiam dum somniat, supra caput suum vidit tria plena panibus canistra, qui panes ab auibus in alimenta sumuntur. Vterque somnium Iosepho refert: quid Ioseph vtrisque? Primò vitam, secundò mortem annuntiat. Et vnde tam diuersos euentus Ioseph potuit colligere? Cur poculum ab altero exhibitum, in vitæ fuit testimonium; & alteri mortem denuntiauit panum canistrum? In poculo, & in canistro exprimebantur vniuscuiusque opera, & ministeria; vnde meritò ad testimonium vitæ ponuntur opera. quæ vni regi exhibeantur, vt poculum cernebatur vni Pharaoni exhibitum. Opera autem. quæ, rege prætermisso, popularis plausus sustentabat multitudinem, vt panis canistrum aues implebat; ea, inquam, opera, quid aliud protendere possent, quàm mortem, quam ruinam? Pulchrè D. Bernard. in declamationibus ait: *Alter propinabat regi, & audiuit: Restitueris in gradum pristinum. Alter pascebat aues, & responsum mortis accepit.* Quid non recuperet ille, qui vniuersos labores suos, vniuersa facinora sua vni regi summo sacrat; digniorem æstimat vnum Dei oculum, cui fidat, quàm omnium hominum vultus? Proh felicem hominem, qui prætermissis omnibus aliis, vnum inspectorem, & probatorem suorum operum Deum facit; is nihil non faustum audit, & vitam halans. Verùm qui aues pascit, qui relicto summo rege garrulus spectat popularium, ad alimentúmque inconstantissimi vulgi viuit, iste nunquam non responsum mortis accipit. Hunc designabat Prouerb. cap. 10. aiens: *Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos, & idem sequitur aues volantes.* Vbi qui nititur mendaciis, ille est, secundùm D. August. lib. 3. contra Cresconium, cap. 9. & Hugon. in præsenti, qui humanæ laudis appetitu rapitur. Is ergo & ventos pascit, & persequitur aues volantes, hoc est, nihil certius quàm responsum mortis habet. Quis enim aliud quam mortem auspicabitur illi homini, cui venti sunt pascua? Vel illi cani, qui rapidè fertur in prædam auium volantium? Securior sanè cursus est ille, qui solius Dei oculos cupit venari. De hoc dicebat Psalm. 149. *Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.* Compone modò vani hominis, & sancti gressus, seu spacia viarum: ille persequitur aues volantes per agros, per præcipitia, nullum alium finem præscribens vitæ suæ, nisi quem aues præscribunt suis volatibus. Hic lætitiæ gloriæ suæ pabulum in cubilibus suis habet: de vtrisque præclarè philosophatur Cassiodorus in hunc Psalm. aiens: *Ibi enim sancti lætantur, vbi solus ille cognoscit, qui donare dignatus est. Contrà in hoc sæculo stultus à se foras egrediens exultat in hominum fabulis; & mereri se putat, quòd eum sermo falsus exaltat. Est ergo sanctus disciplina gloriandi, & modus gaudij: vt ad illum referantur bona, qui tribuit vniuersa. Nam si mensura desit lætitiæ, non est gaudium, sed ruina.* Cur non sit ruina illis, cuius cursus spatium idem est, quod est auium volatibus? Securius, & feliciùs se gerit, qui nullum aliud spatium quærit, nisi illud, in quo vnum regem summum inspectorem, & præmiatorem habeat.

Bernard. — Prou. 10. — Psal. 149. — Cassiod.

Text. Et ait illis: Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.

§. III.

Solus diabolico furore obduratus animus potest se in oculis Iesu in præcipitium dare, quando à Iesu oculis non confirmatur.

SAnatus erat sulphureo iam igne possessus, qui vidente Iesu cadit, & in præcipitium datur; qui enim non diabolus esset, non diabolico existeret furore obduratus, non caderet, vidente Iesu sed in bono maneret firmatus. Quis ignoret Petri ruinam lachrymabilem? Sanè firmissima hæc Ecclesiæ columna seruorum Cayphæ impulsibus petita sese in præcipitia dabat. Quid tunc? Luc. 22. ait: *Et conuersus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus,* &c. Ibi steterunt casus, vbi Iesu oculus claruit: respexit Iesus Petrum, & quia diabolus non erat, non debuit amplius cadere, sed ad bonum confirmari. Pulchre D. Leo serm. 9. de Pass. fatur: *Trepidationem discipuli foris positi diuino vidit intuitu, & pauentis animum, mox vt respexit, erexit, & in fletus pœnitudines excitauit. Felices sanctæ lachrymæ tuæ Apostole, quæ ad diluendam culpam virtutem sacri habuere baptismatis. Adfuit enim dextera Domini Iesu Christi, quæ labentem te, priusquam deijceris, exciperet, & firmitatem standi in ipso cadendi periculo recepisti. Vidit in te Dominus,* &c. Non potest equidem procedere casus, vbi Iesu oculus paret; imò pulsum Petrum ad præcipitia, vt vidit Iesus, firmitatem standi in ipso cadendi periculo communicauit: pauentis animum mox, vt respexit, erexit. Quis non diabolus in Iesu conspectu caderet? Ait Psalm. 100. *Oculi mei ad fideles terræ, vt sedeant mecum.* Ecce tibi quid diuini oculi efficiant, nimirum sedilia parant, imò mille fulcra parturiunt, quibus innixi fideles, nullus inueniatur, qui cadat. Huc spectat D. Chrysost. ibi dicens: *Reuera oculi Dei ad fideles terræ sunt, in eos videlicet intenti, ne à veritate excidant.* Hoc à Dei oculis habet, ne cadas: quoties te vident Iesu oculi, toties te confirmant, ne casum videas, sed firmiter curras ad salutem. Zachæus pusillus in arbore ascendit, vt videret Iesum prætereuntem Luc. 19. *Et cum venisset ad locum, suspiciens Iesus vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe festinans descende.* Id quod ponderans D. Hieron. epistol. de duobus filiis ait rationem reddens, cur oculos in tam pusillum hominem coniecisset Iesus, *Latentem in arbore, quasi in peccatorum tenebris obumbratum, solietè, vt ouem perditam, requirit aspectu.* Quibus id maximè expendendum est, quòd dicatur Zachæus requiri oculis Iesu, vt ouis perdita fuit requisita. Sed ouem perditam requisiuit Dominus, & laboribus fractam inuenit, & periculosè gradientem suscipit humeris, ne vltrà sit ad lapsum procliuis. Zachæo autem nihil horum facit, sed solùm oculis illum requirit, vbi sunt humeri suppositi, ne lapsum incurrat, vt ouis perdita in illo seruetur similitudo. Sanè vbi Iesu oculis dicitur homo requisitus, ibi intelliguntur omnia præstita firmamenta; quod enim humeri præstant infirmo, ne cadat: hoc etiam præstant oculi Iesu; quemcumque enim vident, nisi diabolus sit, à perditionis liberant præcipitio. Hinc lucem accipiunt verba Domini, quibus familiarissimi discipuli miserabilem casum annuntiat. Ait enim Ioan. 6. *Nónne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus diabolus est? Dicebat autem Iudam Simonis Iscariotem.* Nisi enim Iudas diabolus esset, hoc est, diabolica duritie possessus, non potuisset non magis à Iesu oculis detineri, ne in tantam perditionem laberetur.

Luc. 22. — Leo. — Psal. 100. — Chrysost. — Luc. 19. — Ioann. 6.

§. IV.

Splendor, & dignitas, quæ à diabolo sunt, citissimum afferunt casum.

ECce tibi totum Satanæ splendorem in imum vergentem, in hoc verè fulgur apparet; fulgor enim & splendor fulguris velocissimo raptu in ima deprimitur, & citissimè euanescit. Sic vniuersi splendores, vniuersæ gloriæ, quæ in diabolo nituntur, fulgura sunt, quæ citissimi vocant casus. Apprimè describit Nahum cap. 2. potentissima dæmonum mancipia, inquiens: *Aspectus eorum quasi lampades, quasi fulgura discurrentia,* &c. *Ruent in itineribus suis.* Do, quòd mundiales glorias à diabolo procuratas lampadibus comparet Propheta: cur fulguribus discurrentibus? Vt sic melius possit dici, & intelligi vicinissimus eorum, siue interitus, siue casus: nullam enim gloriam diabolus negotiatur, quæ non sibi proximum casum habeat. Theoph. ibi: *Aspectus eorum quasi fulgura discurrentia: quòd coruscationes non sunt stabiles; sed discursantis naturæ, hoc est, facilè extinguuntur: sic lumen Satanæ in quod efformatur, citra cunctationem extinguitur.* Nullus à diabolo splendor, nulla dignitas, nulla gloria quæ præsentissimã extinctionem, & casum nõ videat. Quid miser homo de diaboli, aut peccati ope fulgere in dignitatibus procuras? Esto, quòd diabolus, & peccata tibi vniuersas mũdi glorias adscribant; quot glorias ab his recipis, tot casus citissimos spera, non enim tales gloriæ citius apparent, quam casum

Nahum 2. — Theoph.

Matth.4. casum annuntient. Matth.4. diabolo dicitur: *Iterum assumpsit Iesum diabolus in montem excelsum valde; & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Expende illud, *si cadens*: vix mundiales à diabolo proponebantur, & iam fiebat mentio casus, vt qui proximus sit dignitatibus, & gloriis diaboli-
Maxim. co ambitu procuratis. Id quod ponderans D. Maxim. homil.4.de ieiunio quadragesimali fatur: *Verè procidit, & cadit, qui non largiente Deo, sed ad nutum diaboli acquirit sæculi dignitates.* Numquam à diabolo profecta bona interitum, & citissimam ruinam pariunt. De illius sublimitati-
Isai.14. bus, & affectatis gloriis locutus Isaias cap.14.ait: *Quomodo cecidisti Lucifer, qui manè oriebaris? Quid dicebas in corde tuo, in cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis.* Expende, quæ vocentur altitudines Satanæ, gloriosissimæ eius affectatæ sedes, quippe vocantur *montes testamenti*, quasi in his sedibus nihil prius occurrat, quàm testamentum condendum ob festinatissimam mortem, & interitum. Ascendisti homo in sublimitatem temporalem multis scelerum tuorum suffragiis sublatus? Quàm primùm inde cades; in monte iam existis testamenti, nil citius tibi veniet, quàm in-
Bernard. teritus. Ex quo D.Bernard.serm.3. de verbis Isaiæ loquitur: *Quid festinas manè oriri, vt Lucifer? Qui gloriaris super sidera, quibus aliquando clarius rutilare videris? Breuis omnino erit gloriatio tua.* Vt testamentum vicinam inferi mortem, sic mundialium culminum gloriatio iam propè esse casum indigitat. Non est enim impiorum diu in altis stare, quod
Psal.23. solum virtutis præmium est: vnde Psalm. 23. *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus, & mundo corde*, &c. Forsitan ad ascensum non requiritur virtus, quando & sunt Satanæ sublimitates, & potestates tenebrarum tenebrosis operibus acquisitæ; verùm & meditari ascensiones, & in illis stare, hoc vnius virtutis præmium est. Adeò vt hinc colligat Nazianz.fratris sui Cæsarij insignem virtutem, & pietatem, quòd nactus apud Imperatorem primas honoris, etiam Imperatoribus cadentibus, ipse non viderit casum. Quippe ait orat. 10. *Quid dicere necessum est, quanto cum honore, & gloria, aut cum quot, & quantis testimonijs in aulam rursus receptus sit, priorémque honorem secundus exceperit? Ac tempus quidem Imperatores subinde commutauit: Cæsario autem gloria, & authoritatis apud eos principatus haudquaquam conuulsus, ac dissolutus est: quin potiùs de eo inter Imperatores certamen erat, quisnam Cæsarium magis sibi adiungeret, & cuiúsnam magis ille amicus, & familiaris diceretur. Talis Cæsarij virtus, talia pietatis præmia. Audiant iuuenes, audiant viri, atque per eandem virtutem, ad eundem splendorem contendant.* Qui in culminibus stare, & diu persistere velit, hanc à Cæsario arreptam viam arripiant: ille in Imperatoris amicitiam euectus, nec ab ipsius Imperatoris morte inde fuit deturbatus; sed simul & imperium, & Cæsarij amicitiam successores tenebant. Id quod solius pietatis præmium meritò dicitur.

§. V.

Vbi Iesu oculi sunt, non potest stare malus.

Satanam videbat Iesus cadentem: nunquam enim potest stare diabolus, vbi aspicit Iesus. Pie Domine conuerte ad me oculos tuos, & cadet Satanas, imò penitus in me dis-
Isai.4. peribit. Aiebat Isaias cap. 4. *Quomodo cecidisti Lucifer, qui manè oriebaris?* Imò quomodo non caderet Lucifer, quando necessum erat Solem oriri? Vt ad lucidissimum Solis oculum occluditur Lucifer, sic vbi Iesu oculi rutilant, malus ille cadit, penéque redigitur in nihilum. De quo ele-
Bernard. ganter D.Bernard.serm.3.de verbis Isaiæ: *Quid festinas manè oriri, vt Lucifer? Qui gloriaris super sydera, quibus aliquando clarius rutilare videris? Breuis omnino erit gloriatio tua: sequitur Sol iustitiæ cuius feruore pariter, & splendore in nihilum redactus omnino dispereas.* Minimè potest malus ferre splendentem Iesu oculum, necessum est, quòd dispereat, & abeat diabolus in nihilum, dummodo verus iustitiæ Sol conuertat splendidissimos oculos suos. Quo respiciens
Rom.13. Paulus ad Roman. cap. 13. ait: *Nox præcessit, dies autem appropinquauit.* Qui dies, nisi Iesus? Quæ nox, nisi Princeps tenebrarum? Sanè vbi clarissima exhibeat Iesus lumina sua, non potest non cadere, & euerti potestas tenebrarum. Ad
Bernard. hæc D.Bernard.serm.72.in Cantic. *Nox præcessit, dies appropinquauit. Aspirauit dies, exspirauit nox. Nox diabolus est, nox Angelus Satanæ, etsi se transfiguret in Angelum lucis. Numquid non Dominus dies est? Dies planè illustrans, & spirans, qui spiritu oris sui fugat vmbras, & destruit laruas illustratione aduentus sui.* Citius ad Iesu splendorem Principes tenebrarum dispereunt, quàm nocturnæ vmbræ ad Solis aspectum diffugiunt. Felix, qui hunc diuinissimum solem, & vel paulisper valeat in se sistere; nullus ille manebit inimicus, qui non abeat in nihilum. Sanè de se aiebat D. Antonius apud D.Anton. D.Athanas. *Vidi aliquando diabolum, excelsum corpore, qui se virtutem, & prouidentiam ausus est dicere, & ait ad me: Quid vis, vt à me tibi donetur Antoni? At ego sputum vi maxima in os eius ingeminans, totum me in eum Christi nomine armatum ingessi.* Bonus athleta vbi præ se ferebat Christum, non metuit hostem, quem sciebat à Iesu splendore perdendum, vt a Solis luce perduntur vmbræ.

§. VI.

In deiectos à culmine vniuersi commouentur, & insurgunt.

Dvm à cœlo cadit præstantissimus Angelus, meritò Satan vocatur, id est, aduersarius; semper enim deiectum à culmine omnes æstimant aduersarium, & in illum vt in communem aduersarium insurgunt. Pulchrè Dominus in præsentibus verbis Luc.10.inquit: *Videbam Satanam* Luc.10. *sicut fulgur de cœlo cadentem.* Satanæ casum à cœlo comparat fulguri; & cur fulguri comparatur? Fulgur cùm cadit, vniuersa nubium arma in se refert contorta, sibique esse contraria, & inimica, adeo vt ideo cogatur ab sphæra sua descendere, & in terra sepeliri. Sic tanti Principis casus omnia in se commota cœlestia indicat: nunquam enim non vniuersi commouentur in deiectos à culmine. Non longè ab his Rupert.lib.1.de Victor.cap.22. inquit: *Quomodo* Rupert. *cadit fulgur? Vtique motis, atque collisis nubibus, tanto cum fragore, & tonitru, vt concuti machina cœli, & terra tremere videatur. Itaque dum dicit, sicut fulgur, mirandum innuit motum virtutum cœlestium, magnúmque prælium Angelorum Michaële Principe contra illum* Cecidit miser ab altissimo dignitatis culmine, & vniuersi cœlites, qui stant, in illum insurgunt, nullus est cœlestis spiritus, qui duce Michaële sua in cadentem non contorqueat spicula. Non magis aduersantia sibi omnia cœlestia experitur cadens fulgur; vt deiectus à culmine Princeps omnes experitur inimicos. Fallar nisi hanc cadentis fulguris similitudinem etiam spectarit Psal 9. Psal.9. cùm de cadentibus mundialibus potentatibus ait: *Periit memoria eorum cum sonitu.* Quid est perire cum sonitu? Vt fulgura cadentia non solùm nubium à quibus expelluntur, fragor, & strepitus, sed & cœlestium omnium commotio prosequitur, ac veluti fugientem hostem à tergo longis clamoribus victricia æthera insequuntur; sic vniuersa in cadentes potentatus insultant, & aduersùs illos clamoribus intonant. Hinc arguit Irenæus fallaciam diaboli; qui persuadens casum, promittit glorias; ait enim Matth. 4. Matth.4. *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Proh dæmonis fallaciam! Quomodo crederis miser, si dicis te daturum cadenti gloriam? Quomodo fieri potest, vt cadenti aliquis inueniatur propitius, quando aduersùs cadentes à gloria insurgunt omnes, & in illos intonant mortem? Acutè D. Irenæus lib.5. ait: *Ipse fatetur, quòd adorare eùm, cadere est à* Irenæus. *gloria Dei. Et quid aut suaue, aut bonum participare potest qui talis est, nisi mortem? Ei enim, qui cecidit, proxima mors est.* Egregiè equidem mentitur, qui deiectis a culmine fauorem promittit: si creaturarum species mores, ab illis non fauor, sed persecutio, sed mors proficiscitur in vniuersos qui cadunt à culmine. Hinc vbi monebat Ecclesiast.cap.6. *Non* Eccles.6. *te extollas in cogitatione animæ velut taurus*, legit D.Ephrem in Parænes.26. paulò aliter, aiens: *Non te extollas in cogitatione animæ tuæ, ne abripiatur velut taurus anima tua.* Taurus equidem, dum rapido effertur furore, vniuersos solet in fugam vertere, plateásque solus inhabitare vacuatuas hominibus. At vbi percussus poplite cadit, vniuersi in illum insurgunt, mirisque & plausibus, & popularium clamoribus, & vulneribus in macellum abripitur. Sic sæculi potentatus vbi ceciderint, heu quàm aduersum se commouent turbas; quantóque omnium plausu in perditionem impelluntur. De hoc plura cap.14.§.9.& lib.4. cap.5. §.26.

Text.

Text. Ecce, dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.

§. VII.

Illud in primis agnosci debet beneficium, quo quis à Deo in salutem erigitur, quando innumeri alij permittuntur perire.

NOtanter posita est à Domino vox illa, *Ecce*, nimirum, vt faceret discipulos attentos ad rem maximi momenti, quòd vbi tot Angelorum exercitus perditioni dantur, ipsi in spem salutis erigantur, & perseuerent. Quis hoc summum beneficium non recognoscat? Quis pro adeò ingenti dono Deum laudare cessat? Sanè huius beneficij Osee 11. ignorantiam obiiciebat populo suo Dominus Oseæ 11. *Et ego quasi nutritius Ephraim, portabam eos in brachijs meis, & nescierunt, quòd curarem eos.* Hæc vltima verba sic legunt Septuaginta. *Et non cognouerunt, quod sanem eos in corruptione hominum.* Magnum equidem erat piaculum, quòd non cognouissent, sed à Deo sanatos, sed longè maius, quòd non cognouissent se à Deo sanatos, cùm innumeros alios in Theoph. perditione scirent à Deo relictos. Pulchrè Theophylactus ibi: *Non cognouerunt, quòd cæteras gentes perdens & vastans Dominus, ipsos sonoret, adeòque eis parceret, & commodaret. Etenim Ægyptios, & Palæstinam inhabitantes exterminauit.* Multum Ægyptij, & Palæstini peccarant, fateor; sed & Israelitæ maximis sese inuoluerant peccatis: nec habebant isti vnde non possent à Deo in peccatis, & in perditione derelinqui; sicut ingentia illorum imperia derelicta sunt. At Deus tot nationes perdens, vastánsque, inter perdendos tot tantósque hominum exercitus solum Israëlem saluat, & non offenditur, si tantum beneficium videat obliuioni traditum? Meritò Moyses vt se incolumem vidit in communi Ægyptiorum naufragio, tanti beneficij memor Exod. 15. totus exurgit in diuinas laudes, aiens Exod. 15. *Tunc cecinit Moyses, & filij Israël carmen hoc Domino, & dixerunt: Cantemus Domino; gloriosè enim magnificatus est, equum, & ascensorem deiecit in mare. Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.* Expende quàm lætabundus laudet Moyses Deum, & quid præcipuè miretur in Deo laudando: non solùm enim laudat Deum sibi propitium, & salutarem absolutè: sed etiam cum respectu ad præsentem circumstantiam, quòd vbi validissimi Ægyptiorum exercitus, potentissimi Principes perditioni dabantur, ipse ex Deo potiretur salutem. Magnum fuerat ab Ægypto dimitti, magnum etiam tantam ab Ægyptiis accipere gratiam, vt etiam aureis ditarentur vasis; sed nunquam in his Moyses canticum cecinit Domino; vbi autem submersis Ægyptiis vidit se sanum, statim exsurgit in Dei laudes. Cur modò potius, quàm antea, nisi quia nullum beneficium debemus sic celebrare, & recognoscere, vt illud, quo cæteris perditis nos saluamur? Cecinit D. Alcim. lib. 5. ibi.

Et vacat hos inter plebes Hebræa tumultus
Interea pugnante salo, vincitque quiescendo
Israël sola peragens certamina visu.
Ergo Deo dignas isto certamine laudes,
Atque repensurus memori tot munera mente
Inclytus egregium solemni carmine ductor
Describit, toto quod psallitur orbe trophæum.

Meritò nobilis dux curat laudes æternare beneficij illius, quo se videt liberum inter tot popularium perditorum, & ducum. Id quod amplius extollit Origen. homil. 6 in Exo- Origen. dum fatus: *Equum, & ascensorem proiecit in mare; adiutor, & protector factus est mihi in salutem. Sunt etiam equi, qui ascensorem habent diabolum, & Angelos eius. Iudas equus erat,* &c. Considerat doctor innumeram multitudinem equorum, id est, hominum bestialiter viuentium; simul & ingentes Angelorum copias: qui omnes miserè pereunt, & inter tantam hominum, Angelorum perditionem, quòd vnus saluetur populus, siue vnus homo. Qualis ergo erit tam felix homo ad liberatorem suum? Quàm pauidus suam felicitatem acceptam Deo referre debet, illique intimis visceribus adhærere? Pulchrè D. Gregor. Nazianzenus ora- Gregor. tione 10. de fratre suo Cæsario aiebat: *Cùm autem Nicææ terræmotus post hominum memoriam maximus exortus, omnes penè inuasisset, atque vnà cum vrbis pulchritudine deleuisset, solus ipse ex illustribus viris, aut certè cum admodum paucis è periculo saluus, & incolumnis euasit, idque modo quodam incredibili, hoc est, ipsa ruina protectus, ac paruas quasdam periculi notas circumferens videlicet, vt timorem maioris salutis magistram caperet, totumque supernæ parti adiungeret, translata militia à rebus mortuis obnoxijs, ac commutata sibi ipsa aula.* Meritò piissimus, & prudentissimus vir, vbi inter tot hominum, Principumque strages se vnum vidit incolumem, nil citius faciendum putauit, quàm mundialibus omnibus dimissis timorem maioris salutis magistrum accipere, & sese totum liberatori Deo adscribere, eiúsque æternandis laudibus medullitus adhærere. Nec aliud debet facere quisquis inter tot deploratos homines, & Angelos se adhuc spe salutis animatum cernit. Hoc equidem Dauidi maximè præ oculis erat, quandoquidem Psalm. 140. ait: *Cadent in retiaculo eius peccatores, singulariter sum ego, donec transiam.* Quis hoc non Psal. 140. singulis horis Deo cantet, videns se è tot illustribus creaturis perditioni datis adhuc seruatum? Sanè vel ex seruato grege inter grassantes armentorum mortes, maximè commendatur gloria Christi a Seuero Rhetore in suis Bucolicis dicente.

Quidnam, quæso, quid est, quòd vario modo
Faclum triste nocet transilit alteros,
Affligitque alios? En tibi Tityrus
Saluo lætus agit grege.
Ipsum conturor. Dic age Tityre,
[illegible] te subripuit cladibus ye Deus,
Vt pestes pecudum, quæ populata sit
Vicinos, tuæ nulla sit.
Signum quod perhibent esse crucis Dei,
Magnis qui colitur solus in vrbibus
Christus, perpetui gloria numinis.

Quippe vni Christo Domino semper acceptum referre debemus, quod non omnes in interitum ruamus, & quòd cadentibus aliis multis nos stemus firmiter.

§. VIII.

Voluptas, vt expugnetur, aduersùs omnia vitia inuentis armis te accinge.

SErpentes, & scorpiones, & omnem virtutem inimici conculcandam proponit Dominus discipulis suis; sed cur statim omnem obiicit virtutem inimici? Dixerat in primis conculcandos esse serpentes, quorum nomine voluptatem intelligit, vt mauult Diuus Athanas. Nyssenus, & Theophylact. apud catenam D. Thom. sed vt vnà vincatur voluptas, necessum est, quòd homo sese omnibus accingat armis, quæ sunt aduersùs vniuersa vitia. Vbi aduersùs Amalech Israëlitæ insurgunt, & Iesus armatis militibus in arenam descendit; & simul Moyses oraturus in montem ascendit; & licet Iesus acriter pugnaret, tamen nihil proficiebat, si Moysis oratio defecisset, ait enim testus Exod. 17. *Cumque leuaret Moyses manus, vincebat Israël, sin autem paululum remisisset, superabat Amalech.* Et cur aduersùs Exod. 17. Amalech non solùm durissimus militantium labor, sed insuper & oratio requirebatur? Nónne multæ aliæ nationes expugnatæ fuerant ab Israelitarum armis? Cur inter omnes Amalech, non nisi armis, & oratione simul potest deuinci? Erat Amalech, idem quod voluptatis turpitudo; ad hoc autem quòd vincatur voluptas, nulla deficere debent ex armis, quibus vniuersa superantur vitia. Ait D. Gregor. in 1 Regum cap. 15. *Voluptuosæ namque violentia passionis ostenditur, cum eadem, quæ recensentur, Amalech bella describuntur. Nam pugnante Israele, cum eleuabat manus Moyses, vincebatur Amalech, & vincebat ille, cum ille manus deponeret. Quid est autem quòd contra alios solis armis pugnabat Moyses; contra Amalech verò non solùm armis, sed etiam virtute orationis? Profectò magnum certamen fornicationis ostenditur, quòd tanta virtute, tanta difficultate superatur. Arma igitur exercitus, & oratio intentissimo necessaria est. Arma quidem necessaria sunt, quia qui contra fornicationem pugnare volunt, vincere nequeunt, si non cæteris virtutibus muniuntur.* Hæc vltima verba attendenda sunt, quibus manifestè cernitur, quàm debeat habere arma aduersùs omnia alia vitia, quisquis de voluptate sperat habere triumphum. Sanè aduersùs voluptuosos serpentis morsus armat Dominus castissimam sponsam suam Cantic. 4. dicens: *Col-* Cant. 4. *lum tuum sicut turris Dauid, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Ecce quod muniminum species dantur virgini vni, & turris &

& propugnacula, & clypei, denique & omnis armatura fortium. 1. Petr. 2. Suos monebat Petrus 1. epist. 2. *Et ipsi tanquam lapides viui, superædificamini domus spiritualis*, &c. & Paul. ad Ephes. 2. Ephes. 2. dicebat: *In quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu sancto.* Itaque duæ hæ fidei columnæ satis putant, si persuadeant suis, vt fiant domus spirituales, vt fiant Dei habitacula; nihil de turribus, nihil de tribus propugnaculis, nihil locuti de armis. Cur ergo in vna sponsa virguncula sperat Dominus & turres, & propugnacula, & omnia fortium arma; quando nec Petrus, nec Paulus vllam ad suos mentionem armorum faciunt? In sponsæ custodia præcipuè agitur res castitatis, & puritatis, præcipuè habetur ratio præuentionis aduersùs humi repentes voluptates; quisquis autem pro castitate pugnat tuenda, nullum requirat virtutum armamentum, necesse est, sed omnia habeat. Non longè abest Gillibert Abbas serm. 26. Gillibert. In Cantic. fatus: *Vide priuilegium sponsæ, Apostolus Petrus hortatur nos coædificari in domos spirituales; hæc verò non tantùm in domum, sed etiam in turrim ædificatur. Paulus in habitaculum Dei coædificari nos optat: sed sponsa hoc non contenta, etiam propugnacula adiungit, vt sublimis, & secura sit habitatio.* Vbi sponsæ puritas seruari debetur, vbi contra humi repentes voluptates pugnandum est, parum securus eris, si aliqua fortium requiras arma; si non omnia tibi sint in promptu iacula, quibus aduersùs vniuersa alia vitia noueris pugnare. Ephes. 6. Hinc Paul ad Ephes. 6. *State dilectissimi succincti lumbos vestros in veritate, & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis.* Vbi lumborum curam mandat statim consulit induendam omnem Euangelicarum virtutum panopliam, vt nec pedes suis armamentis careant. Et cur tanta virtutum armatura mandatur iis, quorum cura circa lumbos constringendos versatur; nisi quia ibi res agitur castitatis, cui si vel in pede armatura desit, inde vincetur à voluptate? Paschas. Ait enim D. Paschas lib. 3. in Matth. *Lumbos succinctos baltheo castitatis, & pedes calceatos munimine pacis. Quia & discinctus miles ab impudicitiæ incursore citò vincitur, & non calceatus facile à serpente mordetur.* Felix cui omnia fortium armamenta in promptu sunt; is solus securus aduersùs serpentinos voluptatum morsus stabit, si vel pedem inermem habeat, miserè cadet. Nullus, mihi credat, pareat armis, qui pro castitate seruanda belligeratur, sed omnia aduersùs omnia induat, eo diligentius, quò periculosius est certamen. Luc. 11. Apud Lucam cap. 11. *Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quæ possidet.* Vnus sufficit armatus, nimirum vnum armorum genus sufficit ad possessiones tutandas, ad custodienda atria. De lectulo Cant. 3. autem Salomonis Cantic. 3. dicitur: *En lectulum Salomonis septuaginta ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi*, &c. Totum ingens regiæ domus atrium vnus custodit armatus: verùm vbi ad paruum lectum, hoc est, lectulum ventum est, non vnus, non duo, non triginta solùm, sed septuaginta armati ambiunt, ne vel minima lectuli pars possit apparere, sed omnes opertæ sint armatis. Cur vbi atrium vno creditur armato, lectulus minimè permittitur esse, nisi vndique armatis opertus? Pulchrè Gillibert. ait Gillibert. Abbas serm. 16. in Cantic. *Vberior hîc commoratur custodia, quia vberior est gratia lectuli, quàm atrij, & sponsæ solicitudo maior, quàm possessionis.* Quippe vbi sponsæ castitas custoditur ab hoste suo, nempe voluptate, maior sit solicitudo de adhibendis omnigenis armis, ne quid inerme videatur.

§. IX.

A Iesu venit, quòd lutei homines omni virtuti creatæ superiores euadant.

IEsus est, qui nobis dedit potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici; ex quo enim homines Iesum intuentur, Satanæ rident virtutem & altitudinem, vt qui illi superiores efficiantur. Aie-Matth. 24. bat Matth. 24. *Vbi fuerit corpus, congregabuntur & aquilæ.* Græci legunt, *vbi fuerit cadauer.* Et quidem non sic aquilæ currunt ad cadauer, vt currunt vultures, & currunt corui: hi cadaueribus vescuntur: frequentior aquilarum præda non cadauer, sed viuida sunt animantia. Cur ergo vulturibus, coruisque dimissis dicuntur ibi aquilæ ad cadauer congregari. Non loquebatur Dominus de quouis cadauere, sed de diuinissimo cadauere Christi corporis, ex quo viso non poterant etiam milui, & corui non fieri aquilæ, eo regali spiritu illustres, vt calcatis mundialibus virtutibus super omnia superiores euaderent. Ad hæc Origen. hom. 30. Origen. in Matth. *Non dixit, vbicumque fuerit cadauer congregabuntur corui, aut vultures: sed volens ostendere magnificos, & regales esse omnes, qui in passione Domini crediderint, propriè dixit, vbi fuerit cadauer, congregabuntur & aquilæ.* Equidem diuinissimus agnus occisus nescit non pascere aquilas, nimirum homines, qui regali spiritu sublimes Principum aëris huius dominentur, & super omnem virturem inimici superiores euadant. Quò spectans Dominus ait Cant. 4. ad fortes ani- Cant. 4. mas: *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Cur Dauidis turri comparatur animæ, nisi quia ex filio Dauid Iesu habet, quòd instar turris exsurgat in altum, regalesque ebibat spiritus, quibus alia excutiat iuga, & super omnem Satanæ altitudinem efferatur? Ita D. Ambros. serm. Ambros. 4. in Psalm. 118. fatur: *Erecta enim ad Deum ceruix, & iugo Christi subdita, quæ nulla in terras illecebrarum inflexione curuetur, sicut Christi regalis est turris, cuius iugum suum Nabuchodonosor non potuit imponere. Condidit enim turrim illam Dauid, illa manu fortis, & supra murorum ædificauit excelsa, vt habeat etiam oculis patentiam, quæ aduersùs omnem extollentem se altitudinem laterem quibusdam fidei dirigantur.* A Iesu conditore habent fortes hominum animæ, quòd erecta ceruice ambulantes tyrannorum iuga contemnant, quòd instar regalium turrium super excelsa quæque appareant, & rideant altitudines Satanæ. Quæ inimicorum virtutes non conculcantur ab illis, qui spiritu Christi aguntur? Sanè omnes pessumdant, nullusque est adeò feralis tyrannus, quo non euadant superiores. Ex quo meritò Psalm. 17. *Quis Deus præ-* Psal. 17. *ter Dominum? aut quis Deus præter Deum nostrum? Deus, qui præcinxit me virtute, & posuit immaculatam vitam meam. Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum, & super excelsa statuens me.* Bonus Deus, & salutaris meus Iesus, me ad excelsa impulit, vt excelsa semper tenerem, & semper contenderem ad altiora. Et quomodo contenderem ad altiora? Instar ceruorum, hoc est, pessundatis, & contritis venenatis, feralibusque inimicis. Ait enim ibi Theodor. *Sicut ceruis notum* Theod. *insitum est venenatas feras conculcare; sic me superiorem, & illustriorem hostibus reddidit.* Quod natura dat ceruis, hoc dat hominibus gratia Christi, nimirum quòd serpentes, & scorpiones, & omnem inimici conculcent virtutem, & instar turrium super omnem Satanæ altitudinem emineant. Et cur super altitudinem Satanæ non emineant, cùm etiam à Iesu habeant, quòd super cœlorum effulgeant virtutes? Psal. 100. clamat Dominus: *Oculi mei ad fideles terræ, vt sedeant* Psal. 100. *mecum.* Verum Isaiæ 6. ostenditur Dominus super solium excelsum, & eleuatum, & *Seraphin stabant super illud*, & quidem dum Seraphin stant, homines admittuntur ad consessum. Id quod vehementer miratur D. Chrysost. ibi aiens: *O* Chrysost. *ingens miraculum! Lutei sedent, & corporis expertes adstant.* Purissimi spiritus adstant Deo, cui homines lutei assident, vt clariùs pateat Iesu potestas terræ fidelibus data, qua lutei homines cœlestibus etiam virtutibus sublimiores apparent.

§. X.

Fastuosæ altitudines conterentur, nec vllum damnum seruis Christi, sed potiùs gloriam afferent.

NVllus mundialis fastus, nulla Satanæ altitudo, & virtus non conteretur, non pessundabitur; quod minimè seruis Dei nocebit, imò illis in gloriam cedet magnam. Sic etiam de fastuosis hominibus loquitur Iob c. 24. Iob. 24. *Eleuati sunt ad modicum, & non subsistent, & humiliabuntur sicut omnia, & auferentur, & sicut summitates spicarum conterentur.* Expende illud, *& sicut summitates spicarum*; pulchra enim similitudine omnes altitudines mundiales exprimit. Est equidem mundus, velut ditissima tritici seges, in qua fœcundæ perstrepent spicæ; quòd si in segete summitates solùm attendas, videbis super omnia sese extollentes aristas. Quid tunc? Dies trituræ adest, proculdubio aristia malus; nulla enim arista, etiam quæ sublimior supra spicam apparebat, non conculcatur, non conteritur, & in minutissimas fauillas abiit, quò statim apparent pretiosa tritici grana. Sic prorsus in mundi agro, vniuersæ fastuosæ altitudines sunt spicarum summitates; sunt aristis similes, quique sese ambitiosè efferunt; qui etsi paulisper eminere è sublimi videantur, tandem dabuntur conculcationi; & inter eos conculcandos mundiora visebuntur iustorum humilium grana. Hæc sic finit D. Gregor. lib. 17. Moral. cap. 6. Gregor.

aiens:

riens: *Triturae tempus adueniet, quod & aristarum rigiditatem frangat, & solida grana non conterat. Tunc quippe superbia iniquorum comminuitur, tunc electorum vita, quanta integritate fulgeat declaratur; quia cùm iniusti deficiunt, ex hac ipsa aristarum confractione agitur, vt grana appareant.* Numquam elatorum conculcatio iustis damnosa est, sed vtilis; vt conculcatio aristarum granis. Quis iam non amplectatur iustitias? Quis non magis amet granorum latebras, quàm summitates spicarum? Conculcabuntur sanè, conterentur spicarum summitates, nimirum aristæ vniuersæ, & interea grana in aureos sese extollent aggeres. Non aliter mundiales fastus, Satanæ altitudines dabuntur iustis hominibus conculcandę; nec inde iustorum damnum, sed prorsus exsurget gloria maior. Psal.57. de iustis loquitur: *Manus suas lauabit in sanguine peccatoru.* Inter conculcationes aristarum, vel inter effusiones sanguinum solent vicini vel puluere, vel sanguine fœdari: iustus autem dum conculcationi, & contritioni impiorum adest, nullam inde maculam, nullum detrimentum capit, sed impiorum sanguis, & perditio erit iustis pro
Bernard. lauacris, ex quibus fulgentiores appareant. Ita D. Bernardus in Psalm. *Qui habitat*, serm.7. fatur: *Planè non inquinabis in sanguine, sed lauabit; vt vnde ille cruentus magis, inde ille nitidior videatur: vnde ille plus sordet, inde ille pulchriùs illucescat.* Sub conculcatorum impiorum puluere non sordebit iustus, sed magis illustrabitur, & confirmabitur in gloria sua. Iubebantur à Iosue fortissimi duces Israëlitarum super prostratorum regum colla ambulare. De qui-
Iosue 10. bus dicitur Iosue cap.10. *Qui cùm porrexissent, & subiectorum colla pedibus calcarent, rursus ait ad illos: Nolite timere, nec pauentis, confortamini.* Sub pedibus equidem suis potentissimos tyrannos vident Iosue milites, nec inde timorem, aut damnum percipiunt, sed magis fortiores, & illustrio-
Origen. res efficiuntur. Ex quo sic loquitur Origen. hom.12. in Iosue: *Oremus ergo, vt & nostri pedes tales sint, tam speciosi, tam validi, qui possint calcare ceruices inimicorum: qui possint ita calcare caput serpentis, vt calcaneum nostrum mordere non possit. Qui enim pugnat sub Iesu, debet etiam illud promereri, quod de prioribus bellatoribus scribitur. Et conuersus est, inquit, omnis populus ad Iesum incolumis.* Hi sunt fortissimi Iesu bellatores, qui inter confringendos, conculcandósque inimicos, nullum ipsi vulnus accipiant, sed spectosiores, & validiores effulgeant.

Text. Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subiiciuntur: gaudete autem quòd nomina vestra scripta sunt in cœlis.

§. XI.

Nemo bonus gaudia sua alienis calamitatibus nutrit.

MEritò Dominus prohibet, quòd discipuli sui gaudeant in eo quòd videant spiritus sibi subiici, sibique conculcandos substerni; qui enim bonus est, non debet aliorum ruinis gaudia sua nutriri. Quã aquam tres magnanimi duces suæ vitæ periculis emerant, offerunt Dauidi, & quid
2.Reg.23. bonus rex? Ait 2.Reg.23. *At ille noluit bibere, sed libauit eam Domino.* Cur noluit bibere rex aquam adeò concupitam? Sanctissimè cauit Dauid affectui suo satisfacere alienis periculis. Ait Nazianzen orat. 16. *Nequaquam bibens, sed solùm aquam delibans, minimè sibi indulgens, vt affectum proprium alieno sanguine exsatiaret.* Numquam bonus vir pascitur aliorum calamitatibus; nec æstimat gaudia, quæ de proximorum nascuntur sanguine. Sapienter enim dicit Cas-
Cassiod. siodor.12. variar.13. *Vltra omnes crudelitates est, diuitem velle fieri de exiguitate mendici*; & meritò ad omnium crudelissimum animum reuocat, quòd quis gloriæ suæ exaltationem fundet aliorum calamitatibus. Quam crudelitatem ostendit illa saltatrix, quæ inter natalium gaudia, sic He-
Matth.14. rodem precatur Matth. 14. *Da mihi in disco caput Ioannis Baptistæ.* De quo D. Chrysostom. fatur; *Quasi de dapibus loqueretur, sic sacrum illud caput in disco afferri postulat, nec causam petitionis vllam affert, quippe nulla excogitari poterat, sed absque ratione aliorum calamitatibus honorari contendit.* Expende illud crudelissimi animi proprium, nimirum, *aliorum calamitatibus honorari contendit.* Nihil magis indecorum homini, nihil magis ab homine alienum, quàm quòd honorem suum, exaltationem suam, gaudia sua in aliorum calamitatibus ponat. Saltem hoc à Christiano spiritu ma-

aimè distat, vt ostendit diuinus spiritus, dum super Iesum Matth. 4. venit in specie columbæ. Columbæ namque assumptæ sibi ab Spiritu sancto rationem reddens D. August. August.
tract. 6. in Ioann. ait: *Sunt passeres breuissimi, qui vel muscas occidunt, nihil horum columba. Non enim de morte pascitur. Qui laniarunt Ecclesiam, de morte pascuntur.* Hoc est perfectissimi Christiani signum, quòd de aliorum non pascatur morte; quòd non gaudia acquirat ex alienis ruinis. Quam gloriam in Iesu nitebantur obscurare nequam illi spiritus Luc. 4. clamantes: *Quid nobis, & tibi Iesu Nazarene? Venisti ante tempus torquere nos.* Quos merito increpuit Do- Luc.4.
minus, vt malè adulantes, dum Christi gloriam de suis ipsorum ruinis nitebantur constituere. Ex quo notissima, & cantatissima sunt Tertulliani verba à me aliàs data. Ait Tertull.
enim lib. 4. aduersùs Marcion. *Increpuit illum Iesus, planè vt inuidiosum, & in ipsa confessione petulantem, & malè adulantem: quasi hæc esset summa gloria Christi, si ad perditionem dæmonum venisset, & non potius ad hominum salutem, qui nec discipulos de subactione spirituum, sed de candida salutis gloriari volebat.* Hæc semper contendebat Iesu spiritus & in se, & in suis, vt minimè fundarentur Christiana gaudia in aliorum ruinis. Ad hæc addam dicta lib.8.cap.2. §.8. circa medium, & §.9. per totum.

§. XII.

Numquam non cauendum in Prælaturis periculum.

DE subiectis sibi spiritibus gaudentes discipulos monet Dominus ne in eo gloriari velint; & cur non magis dissimulat, & permittit illos in suo permanere gaudio? Cur maluit in illis de spirituũ subiectione gaudia cùm primùm sopiri? Periculosa quidem res est hominibus prælatura, & ideo noluit diuinus magister, quòd discipuli sui viderent subiectos spiritus, sine magna cautela, ne sicut Dauid ad conspectum subiectorum numerum euanescerent. In Exod. Exod.18.
cap.18. dicitur. *Sedit Moyses, vt iudicaret populum, qui assistebat Moysi à manè vsque ad vesperam. Quod cùm vidisset cognatus eius, omnia scilicet, quæ agebat in populo, ait: Quid est hoc quod agis in plebe? Cur solus sedes, & omnis populus præstolatur, de manè vsque ad vesperam?* Et post pauca: *Non bonam, inquit, rem facis*, &c. Cùm sedet Moyses iudicaturus circumstantem populum, tunc alienigena introducitur, qui Moysem reprehendat, eiúsque carpat nimiam solicitudinem, circa omnium particularium subiectorum causas audiendas. Sed cur alienigena non expectat dissolutionem iudicij, & tunc secretò Moysem admonet? Cur statim, vt vidit sedentem, illum increpuit? Diuino agebatur res consilio, sciens enim Deus prælationis periculum, vbi suum famulum Moysem in sede exaltatum nouit, statim permisit ab alienigena admoneri, & reprehendi, vt fastus cohiberetur, & periculum magis caueretur. Ad hæc D. August. August.
quæst 68. in Exod. ait: *Videndum est etiam, ne fortè ibi voluerit Deus ab alienigena admoneri Moysem, vbi & ipsum posset tentare superbia: sedebat enim iudiciaria sublimitate solus, vniuerso populo adstante.* Nunquam Deus solicitus non est de suis admonendis prælatis, vt qui sciat, quàm periculosum sit in homine aliis præesse, & quam cautus semper debeat esse subiectorum conspectus, vt quò ferè omnes homines euanescant. Inde meritò tantum Principem, nimirum Moysem subiecit correctioni alienigenæ, vt sic in regio culmine securiùs, & firmiùs maneret. Non aliter locutus Dominus ad discipulos suos Ioann.7. ait: *Nonne ego duodecim vos elegi, & vnus ex vobis diabolus est?* Eorum gloriosissimam electionem Ioann.7.
præ oculis ponit, & simul miserrimum casum vnius meminit, & valde miratur Rupert. quòd tunc temporis quando discipulorum exaltationem à se peractam ostendebat, simul illorum animos transfigebat, illis verbis, *vnus ex vobis diabolus est.* Cur Domine quando pronuntiantur discipuli electi in Principes, tam duro affiguntur verbo, vt illorum vnus diabolus pronuntietur? Res est plena periculi exaltatio, nullúsque homo sic in exaltatione relinqui debet, quin experiatur aliquod acerbitatis pondus, ne penitus euanescat. Ad hæc eleganter Rupert. lib. 7. in Ioann. fatus: *Vt igitur* Rupert.
filij hominum in tegmine alarum Domini sperent, & de semetipsis humiliter sentientes, non exaltent animam suam, opportunè in casu aliorum solicito timore deprimuntur. Vel præcipitij timore interrumpit Dominus exaltationis gaudia in suis electis, vt quantum hæc dilatet animos, tantum ille contrahat, ne nimis de sublimitate inflentur.

§. XIII.

Electorum nomina nunquam, sine re triumphi.

MIraris quòd electorum negotium totum dicatur esse in nominibus scriptis in cœlo; an id dicitur, quia in solis nominibus tota illorum consistit gloria? Cur ergo sola meminit nomina? Nomen electorum non inane est, & vacuum, vt mundialium solet esse nomen; quin potiùs nullum est electorum nomen, quod in se rem triumphi non inuoluat. Id quod in Moysis vocabulo notandum venit; cùm enim Pharaonis filia ex flumine susciperet puerum, vocauit eum Moysem Exod. 2. dicens: *quia de aqua tuli eum.* Itaque Moysis nomen aquæ denotabat periculum; quid tunc? Mansit nomen postmodùm inane quoddam, & vacuum vocabulum? Absit: imò quia de populo Dei erat Moyses, non potuit in nomine non ostendere rem maximi triumphi, qui peractus fuit, vbi submerso in mari Pharaone, populum Israëliticum in sicco locauit. Id quod ponderans diuus Augustinus sermone 79. de tempore fatur: *A fluctibus denique mystica lingua Moyses nomen accepit, & Pharaonis necem, quam præparauerat in nomine, in flumine maris inuenit.* Expende illud, *præparauerat in nomine*, quippe electorum nomina nunquam non præparat in se præclaros triumphos de hostibus reportandos: semper in nominibus suis solent electi habere inuolutas gloriosissimas victorias. De præstantissimo Angelorum duce dicitur Daniel. 10. *Et ecce Michaël vnus de Principibus primis venit in adiutorium meum.* Ex quo autem Michaëlis nomen aduertit in cœlesti duce Rupert. illico putat non posse non illi attribui gloriosissimas, & frequentissimas victorias. Ait enim lib. 1. de Victor. cap. 18. *Iste & tunc in cœlo victor effulsit, & nunc in Ecclesia, quæ ad cœlum tendit, eundem antiquum hostem vincit: & vincendo illum probauit, quia non est alius sicut Deus.* Meritò non potuit tanti ducis nomen esse, sine re gloriosissimæ victoriæ, quando cœlestium Principum nomina non vacuum exprimunt sonum, sed veram ostendunt rem gloriæ. Quod in nominibus laudauit Cassiodor. 6. variar. 7. aiens. *Grata sunt omnino nomina, quæ designant protinus actiones, quando tota ambiguitas audienti tollitur, vbi in vocabulo concluditur, quid geratur.* Non solùm in electorum nominibus sonus nominis auditur, sed triumphi, & victoriæ de hostibus visuntur reportatæ. Vnde Actor. 7. *Et lapidabant Stephanum inuocantem. & dicentem*, &c. Inter durissima certamina nomen meminit triumphantis, vt præ omnium oculis rem nominis, nimirum triumphi coronam ostentaret. Pro quo diuus Petrus Damian. sermone 1. ait: *Volat saxorum imber, & fortissimis inuidorum manibus loca vulnerum duplicantur: patienter patitur coronatus noster, de corona nominis ad coronam regiminis transferendus.* Non potuit esse vacuum tanti martyris nomen, sed vt triumphum, coronámque sonabat, sic rem triumphi, & veram gloriæ coronam debebat ostendere in triumphatore. Quò spectabat illud Isaiæ cap. 62. *Vocabitur tibi nomen, quod os Domini nominauit*, iuxta Hebraicam lectionem dicitur; *os Domini perforauit.* Sed qualiter nomen perforari potest, cum sit simplex sonus? In electis non simplices soni, sed verè res ponuntur à Deo loco nominum.

Exod. 2. | August. | Dan. 10. | Rupert. | Cassiod. | Actor. 7. | Damian. | Isai. 62.

§. XIV.

Regales hominum animi nullo sic moueri debent, ex sensibilibus bonis, quàm æterna nominis claritate.

MVltæ materiæ gaudiorũ etiam sensibilium nos in cœlo expectāt, & de omnibus vnam proponit Dominus, nempè omnium clarissimam inscriptionem, aiens: *in hoc gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælo.* Et cur aliis omissis gaudiorum cœlestium materiis, vnam hanc obiecit, nisi quia clari nominis æterna, & gloriosa inscriptio maximè debeat regales hominum animos solicitare? Hanc præ omnibus sensibilibus bonis quærunt regij, & generosi hominũ animi. Non grauabor exemplum dare in reprobo homine, quem tamen adhuc tenebat aliqua generositas regalis. Is erat Saul, qui consulens defunctum Samuelem de belli euentu, hoc tristissimum responsum accipit, 1. Reg. 28. *Cras autem tu, & filij tui mecum eritis: sed & castra Israel tradet Dominus in manus Philisthym.* Quid faceret regius animus hoc tristissimo nuntio de morte sua, & filiorum suorum audito? An bello cessauit, rogans pacem etiam acceptis conditionibus turpissimis? An fugit ipse, dum præliabantur exercitus? An saltem filios monuit, vt fugerent, & consulerent vitæ suæ? Hæc omnia posset facere, sed quia ingloria, & indecora erant, abiecit illa; & vnà cum filiis omnibus in exercitum venit, sese hostibus fortiter opposuit, plus æstimans nominis claritatem, quàm vitam, quàm filios. Verè in hoc laudabilissimus ab Abulense habetur in 1. Regum 31. quæst. 7. & eleganter illum extollit Iosephus lib. 6. de Antiquitat. cap. 15. inquiens: *De obitu suo præmonitus à Propheta, noluit tamen eum vitare, & ob vitæ cupiditatem exercitum hosti prodere, atque hoc modo regiam maiestatem dehonestare: sed cum liberis, totaque familia periculosè obyciens, pulchrum existimauit in prælio, pro subditis, & suo imperio pugnando cadere, & filios in eiusdem laudem societatis assumere, potius quàm superstites relinquere, incertum qualesnam futuros. Sic enim existimauit loco posteritatis perpetuam laudem, & immortalem memoriam sibi futuram.* Nescit regius animus alia respicere, vbi res est de nominis æterna claritate, imperium, fateor, solet celsos animos pulsare; & domus amplitudo, & diuitiarum thesauri, & filij, & vita ipsa: sed super hæc omnia apud illos valere deberet nominis æterna claritas. Quò respiciens aiebat Ecclesiastes capite 7. *Melius est nomen bonum, quàm vnguenta pretiosa.* In vnguentis vniuersa alia bona, imò vniuersæ dignitates, quibus homines solent gloriari, significatur: vt pateat, quàm debeat homini cordi esse cura de bono nomine obtinendo, vt quæ prima sit, & omnium maxima, & nihil faciens vniuersa alia sensibilia gaudia. Quod exprimens Chaldæus legit: *Melius est nomen bonum, quod comparabunt iusti in hoc sæculo, quàm vnguentum vnctionis; quod fuerit inunctum super capita regum, & sacerdotum.* Non regnum, non Pontificatus sic debet afficere celsos hominis animos, vt bonum nomen virtutum facinoribus comparatum. Hoc regalissimum est; imò & diuinissimum, nullo sic moueri, quàm æterna nominis claritate: hinc illa frequens ad Deum supplicatio, *propter nomen tuum, & propter gloriam nominis tui, & ne blasphemetur nomen tuum*, quasi hæc sola ratio præ omnibus apud Deum valeat, si frequentiùs à Prophetis, & sanctis viris vsurpatur. Hinc Dauid Psalm. 116. *Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi. Quoniam confirmata est super nos misericordia eius, & veritas Domini manet in æternum.* Vnam cupit à Deo apud omnes gentes nominis claritatem, & laudem, nihil cupit amplius. Aliter Angelorum chori Apocalyps. 5. clamant: *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem & diuitias, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.* Expende modò quot & quanta bona cupiant Angeli Deo suo, & Dauid solum illi petit dari laudem. Cur Angelis tot bona Deo cupientibus, Dauid illi solam requirit laudem? Sanè æterna apud omnes nominis existimatio, supremum est omnium externorum bonorum, & quod in se omnia alia claudit. Quod notans Cassiod. Psalm. 116. in conclusione Psalmi ait: *Quid enim amplius potuit dici, quàm vt creator debeat toto orbe laudari? Fœcunda breuitas, constricta copia, arctum latissimum, & sine fine coangustum.* Quasi non amplius possit dici de diuinissimo spiritu, de regalissimo animo, nisi quòd debeat toto Orbe laudari, quod æternam apud omnes habeat nominis claritatem: in hoc solo immensam bonorum copiam coangustas, & arctas. Huc etiam reuoco dicta suprà lib. 15. cap. 2. §. 2.

1. Reg. 28. | 1. Reg. 31. | Eccles. 7. | Chald. | Psal. 116. | Apoc. 5. | Cassiod.

§. XV.

Illud gloriosissimum virtutis premium est apud exteros, & longè dissitos prædicari.

MAgnum equidem est, & gloriosum Christi discipulorum præmium, quod viuentes adhuc, in cœlestibus nomina sua æterno habeant insculpta marmori. Quòd quis apud familiares suos, apud inferiores suos, apud vicinos suos bene de se audiat, noménque suum sciat prædicari, nihil magnum: at magnum est, quòd apud exteros, & longè dissitos, nomen tuum cernatur prædicari. Sic monebat Cassiodor. 7. variarum 2. *Habes, qui & bene loqui de te debeant, & derogare præsumant. Quia nulla potestas est, quæ qualitatem famæ suæ, de ore hominum posset auferre. Contráque fructus est, opinione prædicabili per confines ire prouincias, & ibi inuenire verissimam laudem, vbi non imperas potestate.* Meritò assignatur ille virtutis fructus, quòd vbi

Idem.

vbi nihil tuum habes, fulgeas nominis claritate; & qui à te prorsus alieni sunt, & longè dissiti, in tuas exsurgant laudes. Hanc gloriam Christi sponsæ attribuunt vniuersæ
Psal. 44. nationes, de qua dicit Psalm. 44. *Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites terræ.* Sic virtus reddit suos asseclas celebres, & claros apud omnes, vt nemo sit diues, nec potens in tota terra, qui illorum faciem non cupiat videre, qui eorum vultum non deprecetur. Atqui ait diuus
Chrysol. Chrys. ibi: *Quid est, deprecabuntur? Honore & gloria afficient, qui magni sunt, & excelsi. Hoc enim nunc fit in Ecclesia, eos, qui virtute vitam agunt, omnes honorant, & colunt, licèt sint & opibus, & authoritate insignes, omnibus enim copiis, & facultatibus est maior virtus. Videte autem Ecclesiam, quæ honoratur ab omnibus.* Vna virtutis fama superat & diuitias, & potestates omnes, & per omnium ora volat: quas gentes, quas nationes non afficit bonus virtutum odor? Apud propinquos colitur homo iustus, apud exteros venerationi est, terras & cœlos peruadit omnes. Pauperculi fuerunt primi illi Ecclesiæ fundatores, sed vbi clarere virtutibus cœperunt, suo vniuersa repleuerunt
Psal. 18. odore. Vt dicat Psalm. 18. *In omnem terram exiuit sonus*
Cassiod. *eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum.* Vbi Cassiod. *Sonus virtutum fama est, quæ per gentes singulos prædicabili opinione currebat. Fines autem terræ sunt reges, qui quasi termini agrorum sua regna custodiunt, vt non solùm ad humiles, verùm etiam ad Principes gentium Euangelij verba peruenisse declarentur.* Propriissimus virtutum fructus est opinione prædicabile ire per confines prouincias, exteras vniuersas nationes persuadere, suíque desiderio ita etiam longè dissitos afficere, vt in singulorum cordibus describi eius facies vi-
3. Reg. 10. deatur. De Salomone ait 3. Reg. 10. *Vniuersa terra desiderabat vultum Salomonis, vt audiret sapientiam eius quam dederat Deus in corde eius. Et singuli deferebant ei munera,* &c. Quid homini regi gloriosius, quàm sic in sui desiderium dissitas prouincias rapere, quàm inuenire verissimam laudem, etiam apud alienos, in quibus ipse nihil suum habebat, in quibus non imperabat? Hanc Salomoni gloriam non dedit potestas, sed virtus; ait enim diuus Iren.
D. Iren. lib. 4. cap. 54. *Cùm sine offensa seruiret Deo, & ministraret dispositionibus eius, tunc glorificabatur, & omnes eum admirabantur, & omnes reges terræ quærebant faciem eius.* Nemo hominum hanc laudem apud exteros comparabit, nisi virtutum suffragio: virtus est, quæ sola potest facere, quòd nomen tuum prædicabili commendatione etiam apud extraneos recipiatur.

§. XVI.

Principes gaudeant in eo quod de se audiunt non à coniunctis, sed ab absentibus, & remotis.

Ecclesiæ suæ Principes docebat Dominus non præsentium acclamationibus moueri, sed ad nomina bona apud cælestes ciues habita gaudere. Vanissimum enim est gaudium quod Princeps recipit ex adstantium sibi acclamationibus: illud verum, & solidum, quod ab absenti, & remoto venit. Verus creaturarum rex Iesus Matth. 16.
Matth. 16. ex suis discipulis quærit: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Illis autem hoc & illud respondentibus ait: *Vos autem quem me esse dicitis?* In quibus expendendum est quæ fuerit prima solicitudo optimi principis, quippè vbi sese ostendit solicitum de opinione sua, non priùs quærit, qualis apud sibi coniunctos habeatur, sed hoc illi in primis cordi videtur esse, qualem illum absentem habeant.
Pet. Dam. Pulchrè Petrus Damianus libro 7. epistola 12. ait: *Scilicet, vt rex Angelorum formam daret Rectoribus hominum, quatenus non quid in os eorum assentatoriè dicatur, attendant, sed quod eorum testimonium apud absentes habeatur, inquirant.* Vtinam hanc ebiberent prudentiam vniuersi Principes, nihilque æstimarent quæcunque magna de illis in præsentia dicuntur, sed magis essent soliciti apud absentes bene audire. Quantum est quòd in præsentia laudetur Princeps? Sanè id commune est & bonis, & tyrannis: nullus Princeps, etsi peruersissimus, in præsentia non habe-
Luc. 12. tur laude dignus. Aiebat Dominus Luc. 12. *Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent, benefici vocantur.* Expende quàm coniunctum sit, potestatem habere, & beneficum vocari, vt illud nequeat esse sine hoc. Et quidem multi potestatem habent, & peruersissimi sunt, & reipublicæ pestes, & subditorum ruina: ij autem potentes ad malum poterunt etiam benefici vocari? Maximè, non enim fieri moraliter potest, vt qui potestatem in mundo habet, eo ipso in præsentia non habeatur, & prædicetur beneficus. Vnde dicebat diuus Bernardus serm. 4. Bernard.
in Ascens. *Hinc est, quòd benefici vocantur, qui potestatem habent, hinc quòd laudatur peccator in desiderijs animæ suæ. Potentibus siquidem omnes adulantur.* Nullus est, qui in præsentia nolit potentibus negare laudum suffragia: quare præstantissimorum Principum gaudia minimè ponenda in vocibus adstantium; sed in absentium, & extraneorum rumore prædicabili. Id quod monet Cassiod. 10. var. 19. aiens: Cassiod.
Sed & vobis gloriosi Principes, cum sitis absolutè mirabiles, aliquid tamen additur, cùm vos omnia regna venerantur. Nam commune est cunctis, in suis imperiis prædicari: sed illud est omnimodis singulare, in extranea gente laudes propitias inuenire. Quia ibi sunt vera indicia, vbi neminem comprimit vlla timiditas. Expende quæ iudicia faciant ad singularem Principis gloriam, ad singularia eiusdem gaudia, non quidem iudicia extorta ab affectu, seu respectu aliquo, sed illa iudicia, quæ ibi fiunt, vbi nullus est locus vel affectui, vel timiditati.

CAPVT XII.

De Fulgure, & cadauere.

Post Satanam fulguri assimilatum, se etiam ipsum assimilat Dominus fulguri, vt ostendat quàm patens, & metuendus venturus sit iudicare orbem terrarum. Insuper non solùm fulguri, sed & cadaueri se comparat; sicut enim cadauera solent ad se aquilas congregare, sic Dominus ad se omnes electos suos in Iosaphat valle congregabit.

Matth. 24. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret vsque in Occidentem; ita erit, & aduentus filij hominis. Vbicunque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ.

§. I.

Nil vnquam lucidum fuit, quod Domini Iesu non prætulerit imaginem.

Coruscanti fulguri rectè Iesus Dominus comparatur; nulla enim vnquam apparuit lux, in qua Iesu non apparuerit imago. Eius nomine dicitur Iob 28. *Cùm me lauda-* Iob. 28.
rent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei. Ecce tibi hinc primò orientia cœli astra laudes Iesu excitant; illinc vniuersi Angelorum chori pleni iubilo eidem festum agūt, laudibúsque eius intonant. Sed cur potiùs cùm astra apparere incipiūt, & ab astris, & ab Angelis in Iesu laudes cantatur hymnus? Quia nullum astrum incipiebat oriri, in quo præcipua quadam ratione non appareret repræsentatus Iesus, materiam canendi Angelicis choris præbens largissimam. Quod notans D. Anastas. Sinaita in Exaemeron 5. inquiens: *Quando facta sunt astra, laudarunt me voce magna* Anastas.
omnes Angeli mei. Et quamobrem? Quoniam facta sunt astra? Non certè propterea, sed cùm vidissent solem, & terram recurrentem, in mysteria didicerunt, quæ extremis temporibus futura erat, Christi incarnationem, & è terra assumptionem. Et ideo cùm vidissent eum ex sancta Virgine tanquam ex abysso exortum, statim exclamarunt, dicentes: Gloria in excelsis Deo. Itaque in singulis astris orientibus videbant Angeli Christi venturi mysteria, quæ festiuis lætísque prosequebantur acclamationibus. Neque vlla lux vnquam fuit, quæ Iesu in mundum venientis non præfigurarect imaginem. Vnde Isaias cap 62. *Propter Sion non ta-* Isai. 62.
cebo, & propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur, vt splendor iustus eius, vt lampas accendatur. Ecce in lampade & quidem ab hominibus contempta Iesus exprimitur, & in splendore etiam dum ait: *egrediatur, vt splendor*; ibi Septuaginta, *egrediatur sicut lumen*; ibi Procopius: *egrediatur sicut fulmen.* Nullum fulmen nullus ignis, nullus splendor apparuit, qui Saluatoris mysteria non signaret. Quò respiciēs Psal. 18.
In sole posuit tabernaculum suum. hoc est per Hypallagem, vt Psalm. 18.
mauult Genebrardus, *solem posuit in tabernaculo suo.* Vt enim pro foribus tabernaculorum, & domorum signa,

ponuntur, & stemmata, quæ habitantium ostentent magnalia; sic Iesus præ tabernaculi sui foribus posuit solem, qui cùm sit omnium luminum fons, Iesu facinora, & triumphos omnium optimè designauit. Hoc sibi acquirant lucidissimum signum, ac stemma, quicumque in Christo cupiunt haberi nobiles, nullo enim magis vera nobilitas radiat, quàm dum in operibus nostris veri Solis Christi præferimus splendores. Dicitur enim de Iob cap. 1. *Et*
Iob. 1. Didym. *erat vir ille magnus inter Orientales.* Quæ verba tractans Didymus in caten. Græc. ait: *Genere clarus inter Orientales prædicatur, quoniam lucis Deique filij à lucidis actionibus nuncupantur. Hi ad Orientem solem pertinent, neque enim iustus ab hominibus, sed à splendore Solis iustitiæ splendescentem assequitur nobilitatem.* Iactent in stemmatibus suis facinorum nobilium signa mundiales homines; ostentent aquilas, leones, tigrides, aliásque fumosiores triumphorum imagines. Tu verò quisquis cupis splendescentem assequi nobilitatem, & veram, illam à Solis iustitiæ splendoribus quære; tunc enim super nobilissimos quosque eleuaberis, cùm te Christianarum virtutum cinxerint splendores.

§. II.

Obfirmati, obduratique in peccatis suis miseriùs in aduentu iudicis perdentur.

IVdicis supremi aduentus fulguri meritò comparatur: vt enim fulgureo igne non tam perduntur mollia, sed magis dura, & resistentia; sic in iudicis aduentu, maiori afficitur plaga, qui durior, & obfirmatior in peccatis fuerit. Rem facio manifestum ex 1. Reg. 5. vbi capta arca Domini posita fuit in altari iuxta idolum, quod Dagon vocabatur. Quid
1. Reg. 5. tunc? Ait textus: *Ecce Dagon iacebat pronus in terra ante arcam Domini: & tulerunt Dagon, & restituerunt eum in locum suum. Rursumque manè die altera inuenerunt Dagon iacentem super faciem suam in terra coram arca Domini: caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius abscissæ erant.* &c. Ecce bis percutitur Dagon ab arca Domini; primò solùm ab altari deiicitur, in terráque pronus iacet, sed nullum in se accipit vulnus: secundò & deiicitur, & iacet, & totus conteritur abscisso capite, manibus abscissis. Cur autem etiam coram arca integer manet Dagon, licèt deiectus: & postmodum non solùm deiicitur, sed conteritur? Sanè cùm primùm accessit arca, inuenit Dagonem iuxta se leuiter positum, quem sic facilè deiecit, nec contriuit: at vbi secundò Dagon erectus fuit, & iterum iuxta arcam cõstitutus, non solùm simpliciter ibi positus fuit, sed magis obfirmatus, vt posset imperui arcæ resistere, vnde quò magis obfirmabatur aduersùs Dei arcam, maiorem passus est ruinam, & contritionem ab illa. Rem
Prosper. insinuat D. Prosper de prædictis part. 2. cap. 24. inquiens: *Sub arca potentia sequenti die idolum suum elisum, prostratumque viderunt. Sed hoc casus dantes eum vncis fortioribus, validioribúsque defigunt. Quem postero die confractum comminutúmque coram arca fuerunt reperti.* Expende modò quando idolum confractum, comminutúmque inuenitur, nimirum quando fortioribus vncis, validioribúsque coram Dei arca defigitur, dum enim simpliciter ibi ponebatur, sine vulnere deiicitur; at vbi obfirmatur validioribus vncis, tunc ab arca Dei, & reiicitur, & in frusta comminuitur. Est equidem Dei ira instar fulminis, ea magis conterens, quæ duriora, & magis sibi resistentia inuenit. Accinit Psalm. 75. in-
Psal. 75. quiens: *Tu terribilis es, quis resistet tibi? ex tunc ira tua.* Expende illud, *ex tunc*; nimirum non semper ira Dei terribilis, & incomportabilis appareret; sed ex quo visitur inter obduratos & resistentes sibi peccatores, extunc magis exardescit, extunc conterit cuncta. Ad hæc Rupert. lib. 1. de vict.
Rupert. cap. 16. ait: *Non ex quo quisque peccat, sed ex quo tibi resistit peccator, ira tua vim suam exercet, qua non potest portari.* Non tam peccata attenduntur, quàm obduratio, & obfirmatio in peccatis: dum obduratio non inuenitur, non sentitur Dei ira; at vbi obduratio est, tunc ira Dei vim suam exerit. &
Osea 5. confringit omnia, comminuit omnia. Oseas cap. 5. *Facti sunt Principes Iuda quasi assumentes terminum, super eos effundam, quasi aquam, iram meam. Calumniam patiens Ephraim fractus iudicio, quia cœpit abire post sordes.* Quibus maximè notanda est differentia inter Iuda, & Ephraim; vterque iudicio Deo sistitur, quia vterque peccauit; sed Iuda iudicium Dei quasi respersionem aquæ experitur; Ephraim autem, sic durum excepit iudicium, vt illo prorsus maneret confractus, & comminutus, ait enim: *Ephraim fractus iudicio.* Cur Dei iudiciũ, quod Principes Iuda peccatores tam leuiter percussit, vt illos magis ablueret; Ephraim sic percutit, vt eum prorsus confringat, & comminuat? Ipse Oseas insinuat illis verbis de Ephraim datis, nimirum, *quia cœpit abire post sordes*; cum energia enim dixit illud *cœpit*, hoc est, sic cœpit quòd nunquam desistet, sed magis obfirmabitur, & obdurabitur in illis. Et quidem Dei ira tunc exacuit vires, cùm obduratos inuenit, illos instar fulminis penitus comminuens. Ibi
Rupert. *Fractus est, & recidit iudicio, aliter de illo iudicatum est, vt non soluatur captiuitas eius. Quia cœpit abire post sordes, non dixit, quoniam abijt, sed quoniam cœpit abire post sordes; nimirum subintelligi volens, quia sicut cœperat, ita & in sordibus etiam perseueraret, neque daret cogitationes suas, & rediret,* &c. Itaque non tam quia peccauit, quàm quia in ipsis peccatis adeò obduruit, vt nollet se ab ipsis reuocari, ideo prorsus à Dei iudicio confractus, & comminutus mansit. Vt enim fulmen durissima confringit magis, sic Dei ira magis exardet in obduratos animos. Quippe ait Psal. 75. de Deo: *Factus est in pa-* Psalm. 75.
ce locus eius, & habitatio eius in Sion. Ibi confregit potentias, arcum, scutum, gladium, & bellum. In medio pacis loco, vbi pacificus Dominus intrat, tamen ibi aliquid dicitur confregisse. Et quid ibi confringit? Ibi confringit potentias, arcum, scutum, gladium, & bellum; quidquid durum, & sibi resistens inuenit, prorsus confringit. Ait August. *Vbi confregit? In illa* August.
pace perfecta. Et quidquid pro magno habent, vnde se protegunt temporaliter; & bellum, quod aduersùs Deum defendenda peccata sua gerebant, omnia hæc ibi confregit. Nescit hic diuinissimus fulmen resistentiam pati; quidquid sibi resistens inuenit, vbique confringit. Iob cap. 9. *Quis restitit ei, & pacem habuit?* Iob 9.
Qui transtulit montes, & nescierunt hi, quos subuertit in furore suo. Septuaginta apud Diuum Ephrem Paræn. 39. *Quis du-* Ephrem.
rus factus ante eum permansit? Qui in vetustatem perducit montes, & ignarunt, qui euertit eos in ira. Nullum non perdit durum diuini fulminis impetus.

§. III.

Qui occultum Deum, & sub vmbris coluit, manifestissimum illum videbit.

TAndem aliquando Dominus adueniens in mundum parebit sicut fulgur, quod patet ab Oriente in Occidentem: & cur iam conspicuus, & euidens sicut fulgur parebit? Isaias 19. locutus de primo Domini in mundum ad- Isai. 19.
uentu, ait: *Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur,* &c. Meritò ergo mundus qui exceperat nubem atram, postmodum coruscantia fulgura excipit, meritò quia sub vmbris Deum habuit, & coluit, manifestum, & euidentem aliquando intuetur. Referens Moyses Deut. 5. qualis descen- Deut 5.
derat Dominus ad montem Sinai daturus legem, ait: *Hæc verba locutus est Dominus ad omnem multitudinem vestram in monte de medio ignis, & nubis, & caliginis.* Itaque daturus legem descendit Dominus in montem in medio densissimæ nubis, & caliginis, ne populus videret aliud, quàm tenebrosum, quod & plenum horroris, sicque vereretur Dominum. Vbi autem Dei filius in mundum venit, & ad ripas Iordanis voce Patris declaratus, imò clarificatus fuit, statim, vt ait Matth. cap. 4. *ductus est in desertum à spiritu.* Et cur imme- Matth. 4.
diatè post ostensionem, & publicationem ad ripas Iordanis sic prædicatus, & manifestatus abiit in montem? Nónne idem ille est, qui vt veniret ad montem Sina, nubium, & caliginum latibulum præ se tulit, cur modò manifestatus in deserti montem recedit? Vt montes, qui illum sub nubibus viderant, & coluerant, aliquando etiam eundem manifestum haberent. Id notabat Tertull. lib. 4. in Mar. asserens: Tertull.
In solitudinem pergit. Solemnis & eiusmodi regio creatoris. Oportebat sermonem illis quoque videri in corpore, vbi egerat aliquando, & in nube. Ad Deum enim pertinet illis sese manifestum ostendere, à quibus fuit sub vmbraculis, & nubium latibulis susceptus. Similiter Bethleem natus Dei filius, vbi iam iam mundiales furiæ in illum excitabantur, ipse iram declinans Herodis regis fugit in Ægyptum, sic enim Angelus monebat Iosephum Matth. 2. *Accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Cur in Ægyptum? Nónne mille latibula suppetebant illi inter suos; cur magis Ægyptum elegit? Ægyptus prima sub immaculati agniculi vmbris puellum diuinum venerata est, & sic decuit, quòd illa regio videret veritatem corporis in manifesto, quæ illud primò susceperat sub agni immolati vmbris. Non longè abest D. Leo serm. 3. in Epiph. inquiens: *At ille, qui sanguinem suum pro mundi redemptione fundendum, in aliam differret ætatem, Ægypto se parentum ministerio subiectus intulerat, vt*

sine

fine illa regione pararetur singularis hostia Sacramentorum, in qua primum occisione agni salutiferum cinere lignum, & Pascha Domini fuerat praeformatum. Meritò Ægypto dantur videnda manifesta mysteria, quæ sub vmbris agni ibi fuerant præformata, vt quæ salutarem hostiam pro mundi salute offerendam in agni occisi vmbris coluerat; eàdem manifestam, & patentissimam posset amplexari. Sic quisquis sub vmbris latentem excipit Deum, fallar, nisi eundem manifestum accipiat. Miraris ipsissimum Dei filium in virginis sinu euidenter requieuisse? Ne mireris, magis accipe, quid dicat Angelus ad Mariam Luc. 1. *Virtus Altissimi obumbrabit tibi, idea & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* De quo

Luc. 1.

Origen.

Origeo. hom. 2. ex duobus in Cant. inquit: *Ego puto ideo, & natiuitatem Iesu ab vmbra cœpisse, sed non in vmbra, sed in veritate finitam. Fac igitur, vt possis capere vmbram eius, & cum vmbra fueris dignus effectus, veniat ad te corpus eius.* Proculdubio euidentem videbit veritatem, qui latentem sub vmbris sciuerit venerari Christum, nescit enim Deus non se reuelare illis, quibus acceptus fuit etiam sub vmbris. Hinc Apoc. 2. ait: *Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum, & nomen nouum,* &c. Expende quid detur post manna absconditum nimirum datur & calculus candidus, & nomen nouum, de quibus ait Richard. Victor. lib. 1. in Apocal. part. 2. cap. 7. *In calculo igitur candido nomen nouum scriptum nobis dabit, quia diuinitatis suæ notitiam nunc à nobis valdè remotam, nobis manifestabit.* Ex quo enim manna absconditum accipimus, iam clara diuinitatis notitia nos expectat illustrandos. Vnde non mediocre argumentum habent, quòd videbunt Iesum in gloria, qui illum modò sub Sacramentorum vmbraculis dignè venerantur. Ita Algerus de Sacramento lib. 1. c. 3. fatus: *Non esset misericordia Dei, & iustitiæ condignum, si eis bonorum vicissitudinem non rependeret in manifesta visione suæ maiestatis, à quibus dignè susceptus, & adoratus est in occultis, & peregrinis Sacramentorum suorum figuris.* Hæc ille; quod ego crediderim sapientissimè excogitatum; petit enim æquitatis ratio, ne Deus suæ præsentiæ copiam neget illis, à quibus vel eius vmbra in æstimatione digna fuit habita.

Apoc. 2.

R. Vict.

Alger.

§. IV.

Iudicij diem quàm auidè petunt iusti; non ita impij.

QVis nesciat Aquilarum vulturum auiditatem, qua in cadauera feruntur? Huic comparat Dominus congregationem iustorum in iudicium; vt Aquilæ ad corpus, sic auidè iustorum hominum aquilæ ad apparentem iudicem euolabunt. Et quidem non tanta est aquilarum auiditas pro cadauere, quanta est iustorum hominum auiditas pro iusto Iesu iudice. Vbi illæ imperij Christiani aquilæ, nimirum Apostoli viderunt Iesum abeuntem in cœlos, & se in medio luporum adhuc manentes, quis neget magna tunc tristitia affectos fuisse? Ad illos Angeli dicunt Act. 1. *Hic Iesus, qui assumptus est à vobis, sic veniet.* De abeunte magistro tristatis venturum obiicitis iudicem? Cur non magis ò Angeli aduentum iudicis occultatis, ne tristitia penitus discipuli absorbeantur? Meritò manentibus in hac valle miseriarum, manentibus inter lupos ouibus venturũ iudicem obiiciant, nullo enim magis possunt leuari sancti, quàm dum venturum Dominum ad verum iudicium faciendum recondantur. Eò spectauit D. Chrysost. hom. 4. in Acta, fatus: *Cum verò sic locuti fuissent: Hic Iesus, qui assumptus est à vobis; ne consternarent eorum animos, subiecerunt: sic veniet. Respirarunt aliquantulum, cùm audissent eum denuò rediturum.* Et quis iustus inter errores mundiales, inter hominum tyrannides, inter mendaciorum triumphos, & depressionem veritatis constitutus non respirat aliquantulum audiens venturum iustum, & fidelissimum iudicem? Quis non auidè quærat aduentum integerrimi, & fidelissimi iudicis? Iob inter amicorum calumnias, ait cap. 23. *Quis mihi tribuat, vt cognoscam, & inueniam illum, & veniam vsque ad solium eius? Ponam coram eo iudicium.* Sic innocentia, & iustitia facit, quòd homines appetant diuinum iudicem, & à mundi iudiciis plenis errorum ad Dei tribunal festinent. Hinc ortum est illud crebrum in Psalm. suspirium, videlicet Psalm. 7. *Iudica me Domine secundum iustitiam meam, & secundum innocentiam meam super me.* Psalm. 25. *Iudica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ambulaui.* Psalm. 34. *Iudica me secundùm iustitiam meam.* Psal. 42. *Iudica me Domine, & discerne causam meam.* Psalm 118. *Iudica iudicium meum, & libera me.* Cur tam auidè Dauid ad tribunal Dei stat? Cur toties ad diuinum confugit iudicem? Cur

Act. 1.

Chrysost.

Iob. 23.

Psalm. 7.

tam anxiis, & frequentibus vocibus illum pulsat? Pulchrè D. Ambros. serm. 20. in Psalm 118. ait: *Festinant innoxij ad iudicium, & propria innocentiæ ... in desiderant citiùs comprobari.* Cùm tot hominum peruersa iudicia experiantur innoxij; non mirum, quòd auidè currant, & festinent ad Dei tribunalia; & vel hoc mundiales releuent tyrannides, quòd sciant venturum integerrimum vindicem veritatis. Hinc Paul. 1. ad Thessal. cap. 4. audenter fatur: *Quoniam ipse Dominus in iussu, & in voce archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo: & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo.* Expende illud, *rapiemur*, multùm esset, quod venienti iudici obuiam procedere possent, quando montes defluunt ab eius conspectu, & columnæ cœlestes contremiscunt; at Paulus non contentus quocunque occursu asserit, quòd iusti rapidissimè ferentur ad iudicem, etiam dum viuant. Qui fieri potest, quòd viui iusti, tam rapidè ferantur ad venientem iudicem? Id operatur gratia Dei per bona opera in Sanctorum cordibus diffusa, qua iusti animati, tantum abest, quòd fugiant iudicium, vt rapido celerique volatu ad venientem iudicem confugiãt. Ad hæc diuus Ephrem de secundo Domini aduentu, ait: *Existimo quòd in hora illa contremiscet omnis spiritus. Sed gratia Dei saluatoris corroborabit, & lætificabit corda iustorum, rapientur que in nubibus obuiam ei. Venite igitur fratres mei, præparemus nos expectantes Dominum nostrum. Ecce enim iam fulget. En oritur, ecce iam venit. Filij lucis, festinate ad lucem. Exite in occursum Domini nostri cum gaudio.* Hoc non difficile erit inuenire in viris iustis, qui gaudentes occurrent venienti de cœlo iudici. At impij homines, & qui se peccatorum retibus agnoscunt constrictos, fallar, nisi intolerabile malum habeant, vel iudicij meminisse. Id quod monebat Saluianus lib. 2. ad Ecclesiam Cathol. inquiens: *Cogitantes quoque futurum iudicem, & tremendi iudicij graues exitus, ardentem in medio populorum circumstantium vallem perennium lachrymarum, quàm non solùm introire, at tacitari inæstimabile malum est, ac summum; sed etiam videre, ac timere, pars mali summi est.* Non negarim horribilitatem diuini iudicij tantam esse, vt vel eius timor impiis summi mali pars sit, adeò vt in damnatis à Deo, hanc possimus inuenire felicitatem, quòd metu iudicij careant. Isaiæ cap. 40. iuxta lectionem D. Ambros. ait Dominus, vltoribus spiritibus: *Tempus est incipiendi iudicium à domo Dei.* Et cur in primis diuinum iudicium, non in tabernacula peccatorum desæuit? Cur prophanissimos, atheósque homines non in primis perdit? Cur perditionis primas domui suæ Dominus tradit? Vt aliqualem illi misericordiam faciat, dum citius abruptam ab expectatione iudicij liberet. Ait D. Ambros. serm. 20. in Psalm. 118. *Quos miseratur enim, citò castigat, vt non diutius afficiantur futuri expectatione iudicij.* Tantum malum est peccatori, sub expectatione extremi iudicij esse. De quo plura dedimus lib. 13. cap. 1. §. 15.

Ambros.

1. Thess. 4.

Ephrem.

Saluian.

Ambros.

Idem.

§. V.

Pressuræ, & labores maximè iustos extollunt.

POst mala vniuersa, quæ iudicium præcedent, post summas hominum pressuras, post horribiles expectationes malorum, adhuc dicit Dominus, quòd congregabuntur aquilæ. Bone Deus! inter tot horribilia, arescentes homines præ timore magis videbuntur lepores, quàm aquilæ. Qualiter fieri potest, vt ex tot tremendis malis lepores non nascantur, aut timidi cerui, sed præpetes, & altiuolæ aquilæ? Sanè hæ sunt pressuræ, & labores mũdiales qui electos, iustósque viros magis erigunt, & in superiorem sortem faciunt euolare. Fallar, si reptantia per humanas delicias hominum iustorum corda, ex pressuris, & laboribus mundialibus, altissimos aquilarum non edíscant volatus, & in quandam cœlestem, imò diuinam sortem transeant. Propone tibi ob oculos electum illum ducem Israëlitarum: is inter pericula natus, ante habuit sententiam mortis, quàm vitam, ab ipsis parentibus. Nili fluctibus traditus, exul à suis coactus peregrinari: tandem vocatus à Deo in ducem populi mille sustinuit contradictiones; quid tunc? At illi Dominus Exod. 7. *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Si rerum euentus tunc aduerteretur, potius videretur Moyses constitutus incus malorum, & tyrannorum, quàm Deus Pharaonis; quomodo Deus inter tot mala, inter tot suorum pressuras? Quomodo Deus in quo tot exurgunt pericula? Equidè inde Deus è malis, è pressuris; quando pericula, & pressuræ viros iustos ad cœlestem, imò diuinã sortem faciunt euolare.

Exod. 7.

Ad

D. Mac. Ad hæc D. Mach. hom. 9. *Deinde Moyses probatus à Deo, & per multam patientiam fidem inuentus: quam mox at primum tentatus est, postea vero, et idem postea, & postea, salus est redemptor, dux, & rex Israël. Imò Deus Pharaonis à Deo cognominatus est.* Hunc exitum inuenit Moyses in laboribus suis, vt qui ex illis, vt homo venit, sic in illis profecerit, vt ad ... ritem quandam ferè item eleuatus, Deus euaderet. Quem non extollant labores & pressuræ mundiales? Huc accedat illud Ioseph exaltati à laboris exemplar maximum: is venditus à fratribus descen-

Gen. 39. dit in Ægyptum, Gen. 39. *Emitque eum Putiphar eunuchus Pharaonis, Princeps exercitus*, sicque ab hoc in carcerem detrusus est, & qualis de carcere euasit? Illum de carcere eductum audiuit Pharao, domui suæ, & regno vniuerso præposuit, &

Gen. 41. vt notat textus Gen. 41. *Dedit illi vxorem Aseneth filiam Putiphare sacerdotis Heliopoleos.* Quibus illud maximè venit notandum. quòd Putiphar, qui solum Princeps militiæ nominabatur, cum emit Iosephum, cum illum carceri mandat; vbi post eductum a carcere Iosephum, eius socer efficitur, non iam Princeps militiæ, sed sacerdos Heliopoleos, nempè Solis nominatur. Cur modò sacerdos, qui antea militiæ Princeps? Crediderim in Iosepho educto e carcere tantam iam diuinitatem apparuisse, vt eis propinqui, & obsequentes magis ex sacerdorio, quam ex aliarum functionum omnibus deberent censeri. Quam excogitationem debeo D. Augustino, qui in lib. 1. quæst. 136. dum asserit eundem

August. fuisse Putipharem & emptorem, & socerum Iosephi, sic ait: *Sed iam hic respondetur, quòd illum homines habuisse, & sacerdotium Solis, & militiæ principatum. Congruenter autem alibi iste honor eius commemoratur est, qui talibus actibus congruebat; hic verò postea quàm in Ioseph apparuit, non parua diuinitas, ipse honor debuit nominari soceri eius, qui pertineret ad diuinitatem non paruam.* Talis euasit Ioseph ex laboribus, & carceribus, ex pressuris, tam sublimis, iam superior omnibus, tam diuinus, vt eius propinqui, & assistentes non iam Principes, quàm sacerdotes viderentur diuinitati inseruientes. De pressuratum bonis sæpè in hoc & in aliis tomis diximus.

§. VI.

Iusti viri, vel solo visu aduersariorum potestates prosternunt & detriumphant.

Multus est D. Paschas. in quærenda ratione, cur in præsenti iusti, & electi viri dicantur a Domino aquilæ; ego crediderim aquilas vocari iustos, quod soli aquilarum sunt æmuli in victoriis reportandis solo visu, non absque gratia diuina Quis nesciat primos aquilarum congressus in solo visu consistere; quæ in lucidissimis Solis radiis sese opponunt, & de victoria visu reportata regiam sibi amostentant naturam? Sic iusti viri in eo diuinam in se natiuitatem ostendunt, quòd vel solo visu nouerint prosternere aduersarios suos. Cur in hoc non patrissent? Sanè de iustorum pa-

Psal. 103. rente Deo, ait Psalm. 103. *Qui respicit terram, & facit eam tre-*

Chrysost. *mere*; vbi D. Chrysost. in Psalm. 9. ait. *Sufficit enim vnus obtutus ad perdendos inimicos.* Non multi exercitus sunt Deo necessarij, non tela multa, vt contrarias potestates confundat, vnus eius obtutus sufficit, si vel oculos vertat, nihil vbique permanebit resistens. Similiter & iusti viri, in hoc veri Dei filii, vt qui solo visu sciant de hostibus trophæa erigere. In memoriam reuoca Pharaonis exercitus, & splendentes armis, & fruientes ira in Israelitas: ingredientes mare siccis pedibus intrant, vix ... tenent. & dum oculos conuertunt ad insequentes hostes; ecce tibi tota Pharaonis poten-

Exod. 14. tia apparet contrita. Ait enim text. Exod. 14. *Et viderunt Ægyptios mortuos super littus maris.* Expende illud *viderunt*, non enim manus conseruerunt, non iacula contorserunt, vt eos neci & perditioni darent; sed dum oculos conuertunt è littore, dum solum ipsi aspiciunt, hinc inde commouentur fluctus, dissoluuntur ... aquarum muri & pereunt Ægyptij clamoribus ... Item pulchrè cecinit D. Alcimus lib. 5. propè finem:

Consistunt ... Pharaonis Ægyptio, & ipso
Pondere telorum ... mittur, fundo se tenent
Sic ... ma ... rentia corpora ferrum,
Pars exanimata ... primùm libera membra
Implicuit ... ambitibus artus,
Aurum ... pereunt tenentes
Ætherio sub ... conant, ... necantur.
Atque aly ... vt ... ...
... ...
Et vacat hos inter glebas lubrica tamaliis,

Interea pugnante sola, vinclisque quietus
... ... certamina ...

Non vibrantur iacula, non ignes fulminatis machinis, sed quietis ... solo peragit certamina visu, dum solùm aspicit nullo Ægyptiorum exercitum fulgur non extinguitur aquis marinis. Proh felix bellorum pugnandi genus! Crede mihi si oculos exacuas fi attentè, & serio aduersariorum tuorum phalanges inspicias, eorúmque micantia specula claris oculis intuearis, illustres de illis reportabis triumphos, & quasi solo visu, & certamina perages, & obtinebis salutem. Non sustinent tenebrarum potestates intimiùs à iustis videri, non sustinent penitus inspici, quæ si claris oculis inspiciantur, non tam terrori sunt, quam saluti. Clamabat Dauid Psal. 50. *Amplius lana me ab iniquitate* Psalm. 50.
mea, & à peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Alij legunt: *peccatum meum coram me.* D. Isid. & D. August. in Psal. Isidor.
122 legit. *& ... meum ante me.* Paraphrastes autem ait: *&* D. Aug.
peccatum meum in conspectu tuo. Et Apollinaris dicit, *&*
meum peccatum est ante oculos. Expendendum igitur est, quam ob causam salutem, & liberationem suam petat Dauid. mirum, quia peccatum suum ob oculos habet. Non dixit, quia peccatum castigo, quia peccatū macto, sed quia peccatum ante oculos habeo, tanta enim est oculorum vis, quod si aduersariæ potestates intimiùs cernantur, vel solus visus inilos viros ad salutē trahet. Sapiēter aiebat D. Cæs. hom. 4. D. Cæs.
de Paschate: *Quandoque bene respicit peccatis suum, sanat morsum serpentis qui serpentis aspectum.* Expende illud, *bene respicit*, hoc est, intimius, & perfectius vis penetrat facinora praua, adeo, vt nihil eorum lateat, sed omnia, tam ad principium eorum, quam ad finem iam ad præsens, quàm ad futurum pertinentia penitus inspiciantur, tunc sanè quidquid venenosum, & serpentinum est, ab hoc visu frangitur, & cogitur ire in vanum. Vt serpentum igniturum damna effugerent Israelitæ, datur illis inspiciendus serpens in ligno suspensus, ait enim Num. 21. *Fecit ergo Moyses serpentem æneum,* Num. 21.
& posuit eum pro signo, quem cùm percussi aspicerent, sanabantur. Si solo visu venenosi morsus curandi erant, cur serpens suspenditur in ligno videndus? Nónne & videri posset serpens ipse volans per aera, & inuadens populum, ad quid necessaria fuit tota illa suspensi serpentis imago? Sanè dum volans veniebat serpens, flammans, spirans, licèt anterior pars forsan conspicuè cerni poterat, attamen totus & integer distinctè, & clarè minimè conspiceretur, vt qui cauda subitus hinc illam gyrat, & post tergū vel in orbem colligit, vel submouet. Quare iure suspenditur vt vel sic nihil illius non possint perfectè inspici, & perfecta inspectione vinci. Explico rem exemplo serpentis ex virga Moysi facti, misit enim Moyses virgam in terram, Exod. 4. *& versa est in* Exod. 4.
colubrum, ita vt fugeret Moyses. Dixitque Dominus: Extende manum tuam, & apprehende caudam eius. Extendit, & tenuit, versaque est in virgam. Fugiebat equidem victus à facie serpentis ignes spirantis, & flammas, sed iubetur attēdere ad caudam, ad vltimam serpentis partem, & dum ad hanc partem attendit, prorsus euanuit quidquid erat serpentis. Quippè ait Petr. Dam. lib. 8 epist. 13. *Moyses igitur caudam apprehendit,* Pet. Dam.
& mox in virga serpens apparuit, &c. Nihil enim hostile, nihil venenatum manet ei, qui omnia serpentis molimina perfectè intuetur, dū hostilia omnia, à principio, & fine oculis penetres, facilè victor eris. Meritò enim Iob cap. 41. totam tenebrosi principatus potentiam in eo ponit, quod perfectè conspici possit à nemine. Quippè ait: *Quis reuelabit* Iob 41.
faciem indumenti eius: Non requiritur, quis eum perimat, sed quis indumentorum splendidas superficies penetret, & omnia intima, & vltima perfectè rimetur; hoc qui fecerit, totam contrariam potentiam perdet.

§. VII.

Nulla est sensibilis gloria, quæ non absorbeatur in comparatione diuinitatis.

Dixerat Dominus se ad iudicium venturum in gloria, & maiestate magna: & in præsenti locutus de præsentia sua in iudicio ait, *vbi fuerit corpus*, vel, vt in Græco, *vbi fuerit cadauer, ibi congregabuntur & aquila.* Sed ad iudicium venientem cadaueri comparat. Quid cadauer cum gloria? Cur ibi gloriosus, imò omni gloria sensibili maior, & lucidior apparet, dicitur cadauer esse? Meritò dicitur cadauer, ne putaretur illa exterius fulgens in filio hominis gloria omnium summa esse, quæ licèt maxima sit, tamen in comparatione

paratione intimæ diuinitatis gloria, quasi emortuum quid est, & quasi cadauer, & cinis gloriæ. Sic in comparatione diuinitatis dispereunt gloriosissima quæque. Hinc perpen-
Galat. 1. denda est illa D. Pauli gloriatio; ait enim ad Galatas 1. *Paulus Apostolus, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum Patrem*, &c. Vtique Iesus gloriosus iam existens ad dexteram Patris, vocauit Paulum ad Apostolatum, sed ille gloria, & honore coronatus homo non erat. Quomodo tunc negat gloriosum hominem Paulum, dicens se minimè vocatum per hominem? An quia ibi solus erat Deus? Absit; sed ita superextollebatur diuinitatis gloria in Iesu, vt eius comparatione tota gloria, & honor filij hominis videbatur absorberi, & nihil esse. Pulchrè Rupert. lib. 13.
Rupert. de vict. cap. 2. ait: *Quid enim si non per hominem, sed per Iesum Christum; nónne consequitur, quod Iesum Christum, quo tempore vocauit Paulum, vel fecit Apostolum, dicat cœpisse iam non esse hominem, sed esse Deum? non tamen, sicut Patres orthodoxi, hæc dicendo hominis demit naturam, sed confitetur superabundantem humanæ naturæ diuinam gloriam.* In comparatione diuinitatis, vel tota ingens gloria in Iesu exteriùs fulgens, non lumen sed cinis est. Propone tibi ob oculos vniuersas beatorum glorias, vniuersos cælitum splendores; quantula hæc ad diuinitatis gloriam? Quia emoriuntur res, & prorsus nihil.
Iob 37. Id docebat Eliu Iob 37. sic de Deo loquens: *Quis narrabit ei, quæ loquor? Etiamsi locutus fuerit homo, deuorabitur.* Expende illud, *deuorabitur*; vt enim quæ deuorantur, prorsus disparent, ita quisquis etsi magnus, etsi excelsus, Deum in concionem trahat statim ad tanti luminis præsentiam, gloriosa quæque hominis dantur tenebris. Id notans D. Greg. lib. 27.
Gregor. Moral. cap. 25. ait: *Homo cum de Deo tacet, per rationem in qua est conditus, esse aliquid videtur. At si loqui de Deo cœperit, illico quam sit nihil ostenditur: quia magnitudinis illius immensitate deuoratur, & quasi in profundum raptus absconditur.* Quem non deuoret immensitas illius gloriæ? Sanè videbis aliquando flumen pleno amne amœnos rigare campos; cuius plenitudinem miraris, pontóque prædicas non absimilem: at vbi irrigata terra mari sistitur, sic tota fluminis amplitudo ibi absorbetur, vt quasi parua guttula videatur accessisse. Non aliter vniuersi gloriæ splendores, qui in ipsa sunt beatitudine, si cum diuinitatis radiis comparentur, quasi nihili ducuntur, nec est, qui de illis, vel pauca velit effari. Ideo Psal.
Psal. 83. 83. aiebat: *Beati, qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* A sanctis omnibus vna sola diuinitas laudatur in cœlis; an quia ibi nihil aliud laudabile est? Nónne singulorum beatorum gloriæ laudabiles, & mirabiles sunt? Cur ergo sociorum immemores vnum Deum laudibus prosequuntur beati? Equidem quibus diuinitas præ oculis est, nil aliud curant, hæc cæteras omnes glorias absorbet, & facit in sui comparatione apparere, quasi sint nihil.
Bernard. Ait D. Bernard. serm. 5. de festo omnium sanctorum: *Non vicissim alter alterum laudat, quia in laudem conditoris intenti, & extenti, in quo posita tota est beatitudo, mutuis nunquam vacare laudibus possunt, dicente Propheta: Beati, qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Non vacat aliam gloriam inspicere, aliam gloriam reputare, æstimare, lis, qui præ oculis habent gloriam Deitatis. Petrus in Thabor vidit Christi Domini speciem clarissimis radiis effulgentem, & totus stupens, ait: *Bonum est nos hic esse*, omnes humanas glorias præ illa despiciens, ex quo sic argumentatur
Paschas. D. Paschas. lib. 8. in Matth. *Tamen pium est cogitare, si visa Domini vultus claritate, vult deinceps in monte manere, & nec ad momentum descendere, respuit gloriam mundi, & totum quod in mundo blanditur, sola ei claritas, quæ de Christi facie splendet, placet; quid putare possumus, quomodo placeret ei, si talem tunc posset intueri per corpus mortale, qualem nunc cernit exutus iam mortalitate.* Fallar, si quàm æstimasset externam gloriam videns diuinitatem.

§. VIII.

Vbi resurrectio apparuit, mors omnem honorem perdidit.

ADhuc miraris, quòd de suo aduentu glorioso locutus Dominus se cadaueri comparet, aiens ex Græco: *vbi fuerit cadauer, ibi congregabuntur & aquilæ.* Cur inter resurgentium glorias cadaueris non magis cauetur memoria? Cur mortis horror introducitur, quando fulgentiores è sepulchris prosiliebant homines? Sanè gloriosam cernunt resurrectionem, nil horroris inueniunt in morte; imò de illa loquuntur quasi de re, quæ potius risui, & lætitiæ possit seruire, quam horrori. Nemo ignorat primos homines in sexti diei exortu conditos fuisse; circa meridiem peccasse, immediatè post electos è Paradiso vergente iam in occasum sole. Cùm ergo miseri exules spoliationem bonorum terrestrium passi viderunt primò occumbere solem, tenebrosam aduentare noctem, quæ tunc illis fuit mens? Quantus horror illis accidit ex sole extincto, quem nunquam fuerant experti resurgentem? Quam metuebant tenebras, quas nunquam viderant de medio fugatas? Verùm vbi inter hos timores nouus irradiat dies, Sol aureus fugatis tenebris incipit iterum apparere; procul omnis timor abest à cordibus hominum, & quas antea horrebant tenebras, incipiunt habere pro quiete, & delectamento somni. Rem pulchrè cecinit Dracontius in Exaemer. fatus.

Vt cernunt migrare diem, discedere solem,
Nec lucem remeare putant te sena propago,
Subducti que nigris collucet Lux à tenebris.
At vbi purpuream surgentem ex æquore cernunt
Luciferum, vibrare iubar, flammaque ciere,
Et reducem sapere astra diem de sole sulcentes
Mox renouata fauent bellesina in gaudia mentes
Temporis, & requiem noscentes luce diurna
Cœperunt sperare diem, ridere tenebras.

Cur tenebras non risus, & gaudiorum habeant materiem, qui illas euanescere vident inter clarissimos reduces dies, anteósque de nouo surgentes soles? Erat equidem tenebrosæ mortis, vel nomen horrendum, cùm visa mortis obscuritate, nondum experimur reducem vitam: ast vbi gloriosa corpora è sepulchris incipiunt attolli, inter resurgentes soles, inter æternos reduces dies, totus tenebrosæ mortis euanescatur horror: imò eius nomen assumitur pro fomento gaudiorum. Et meritò nequit manere vllus horror mortis, vbi cernuntur reduces corporum gloriæ. Matth. 17. ductis secum tribus discipulis in montem ascendit Iesus, & cùm coram ipsis transfiguraretur, *resplenduit facies eius sicut sol:* Matth. 17.
vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. Et ecce apparuerunt illis Moyses, & Elias cum eo loquentes. Ecce tibi mortalis illa forma Iesu, vt fit altera, & immortalis gloriæ splendore iam rutilat, quo simul Moyses è sepulchro eductus, & Elias ab abscondito adductus effulgent, & rediuiuorum iustorum glorias: tantis splendoribus, teste Anselmo, figurant. Sed notandum, quid in tanta rediuiuorũ gloria loquantur Moyses, & Elias cum Iesu. Ait Luc. cap. 9. *Dicebant excessum* Luc. 9.
eius, quòd completurus erat in Ierusalem. Mortem loquuntur, & tristissima passionis probra in medium adducunt, nec solùm non verentur inter tot resurgentium luminum cælices mortem meminisse, sed quo plures soles apparent, eò ansius mortis proponunt pressuram, ne inueniant discipuli, quid timeant in morte, cùm illam audiant inter tot soles discuti. Quò D. Leo respiciens in præsenti dicebat: *Aperit ergo* D. Leo.
Dominus coram electis testibus gloriam suam, & communem illam cum cæteris corporis formam tanto splendore clarificat, vt facies eius Solis fulgori similis, & vestitus candori niuium esset æqualis. In qua transfiguratione illud quidem principaliter agebatur, vt de cordibus discipulorum crucis scandalum tolleretur. Et quale scandalum manere posset in morte, coram illis qui tot lumina, tot soles ab eius tenebris exortos videbant? Coram resurgentium gloriis, totus mortis horror non potest non penitus euanescere. Ad hæc Paul. 1. ad Cor. 15. *Cum autẽ mor-* 1. Cor. 15.
tale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors stimulus tuus? Hoc primùm asserit, nẽpè quòd absorpta morte resurgent homines incorrupti, immortales, nouis illustrati luminibus: & immediatè quasi mortem ridens, ait: *vbi est mors stimulus tuus?* Cur Paule sic maturas morti irridere? Ex quo illam, sine horrore, sine stimulo ducis? Nouerat in Christo rediuiuorum glorias, & ex tunc nihil horroris, & metus putat in morte non euanuisse. Ait Chrysost. Chrysost.
ibi: *Vides animum generosum? Iam igitur velut de victoria triumphans, & afflatus futura, quasi præterita quomodo cerneus, mortem vides, atque insultas prostrata, destituenque in caput triumphali voce sanouitur, strenue in hæc verba exclamans: Vbi tuus mors aculeus? Nimirum transijt, periit, euanuit penitus.* Mortem similiter ridebis, quisquis, vel mente iustorum rediuiuorum glorias videris. Huc verte oculos, vt purpureos splendores rediuiua corpora nigris videas surgentia de tumulis, & nihil in morte inuenies, quod horreas, nihil inuenies, quod timeas. Vnde D. Chrysol. serm. 118. inquit: *Resonet ergo in ore* Chrysol.
nostro resurrectio semper, semper resurrectio ad nostra mentis transmittatur auditum: vt mors, quæ nostros semper obsidet sensus, cum terrore suo, cum lamentis suis à nostris sensibus effugetur. Quia sic agricola fructuo vbere, & saginatas epulas cantat,

vt

vt imminentem vomeris laborem non sentiat,& sudorem. Sic nauta portus modulatur,& lucra, ne vndarum ruinas, nec maris discrimina pertimescat. Si miles ne vulnera metuat, vt gladios non pertimescat, prædas personat, & triumphos. Vnde resurrectionem mente, ore, oculis aspiciet, cantet, cogitet Christianus, vt totam mortis possit despicere, & calcare formidinem. Non apparet in morte horror non apparet formido, ex quo sciuntur fore è sepulchris corpora in splendentem,& immarcessibilem resurrectura vitam. Vide lib.8. cap.3.§.19.& lib.5.cap.1.§.14. & alibi sæpiùs.

§. IX.

In Christi morte maxima illius gloriæ effulgent.

RVrsus notandum est, quòd vbi in maiestate, & gloria sua venit Iesus, se cadauer nominet,ad quod congregentur aquilæ. Cur non magis se solem exorientem dicat, in cuius radiis ingenuitatem aquilæ trutinent suam? Cur dissimulata maiestate,& gloria se tunc cadauer dicit? An vt sub cadaueris cinere immensæ gloriarum abscondantur diuitiæ? Absit,sed vt maiores effulgeant:in morte enim Christi Iesu quidquid gloriæ maximum est, totum ibi exprimitur. Aiebat Paul.1. ad Corinth. 2. *Non enim iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.* Sed & in eadem epistola cap.15.ait:*Tradidi enim vobis in primis, quod & accepi: quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas,& quia sepultus est & quia resurrexit tertia die*,&c.& epist.ad Rom.cap 8.ait: *Christus Iesus, qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei*,&c. Quibus positis quæstionem facit D. August. cur Paulus dicat se solum Iesum crucifixum,cùm etiam sciat Iesum resurgentem, imò ad dexteram Patris sedentem? Prædicas ô Paule Iesum a mortuis tenebris gloriosum prodeuntem, prædicas eiusdem in cœlum ascendentis ingentes glorias, simul & cum Patre maiestatis plenum consessum; cur ergo dicis te solum scire crucifixum? Sanè in sola Christi morte proposita,& simul ingentes eiusdem, & diuinissimæ, & multiplices proponuntur gloriæ, & qui Iesum crucifixum dicit, in eo simul dicit sublimia omnia. Ait August.lib. de Fide, & operibus cap.10. quæstionem soluens:*Sciant in Christo crucifixo multa discere homines*; vnum dicit crucifixum Paulus, sed in vno crucifixo innumeræ eius ediscuntur gloriæ. Quid gloriæ, quid sublimitatis, quid diuinitatis potest desiderari in horaria Christi Domini morte? Gorgoniam Nazianzeni sororem audio à curru cadentem, & turbatis equis ingenti corporis, & lachrymabili contritione raptatam. Quid tunc? Deo pene emortua sistitur, & inspirata salute confirmatur. Rem ponderans Nazianz.ait orat.11. *O laudabilem, & admirandam calamitatem! O passionem incolumitate sublimiorem!* Meritò sapientissimus Doctor in sorore æstimat calamitatem, quæ Dei potentiam ostenrauit, illámque ipsa salute, & incolumitate prædicat sublimiorem, vt inde nos Christi Domini mortem, & calamitatem certius habeamus omni gloria sublimiorem,vt quæ in se omnes glorias,& sublimitates præhabuit. Nulla sublimitas, nulla gloria est, quæ in Christi morte & calamitate non nitatur ab illáque non effulgeat clariùs. Quò respiciens Isaias cap.9.ait: *& factus est principatus super humerum eius.* Equidem principatus ostentatio solet fieri in excelso, & aureo solio in regiis thesauris; at Christi principatus gloria,& sublimitas non in alio magis ostenditur, quàm in humero crucis mortiferæ pondus sustinente. Quippè ait Tertull.lib. aduersùs Iudæos:*Christus Iesus nouam gloriam, potestatem,& sublimitatem suam in humero extulit, crucem scilicet.* Hæc vna quidquid gloriæ,quicquid sublimitatis excogitari potest, in Iesu ostendit,adeò vt quot sunt in eius corpore vulnera, tot sint cantorum chori, faustis hymnis gloriosas celebrantes victorias. De gloriosissimo Salomone dicit 3.Reg. 4. *Locutus est quoque Salomon tria millia para[...] & fuerunt [...] eius quinque millia: Et disputauit super lignis à cedro*, &c. Miraris tot carmina facta ab Spiritu sancto notari? Quam vt tollat ipse admirationem, statim subiunxit illud, *& disputauit super ligna*, quasi innuens illorum carminum fontes non petendos ab Heliconiadis iugis, sed a vulneribus factis per lignum in corpore Christi. Hæc manant carminibus, quæ ibi glorias ostentent, & fa[...]nora publicent Pulchrè Petrus Dam.lib.7. epist.5. *Fuerunt carmina illius quinque millia: vbi præstò subiungitur. Quia disputauit etiam super lignum, quæ scilicet redemptori nostro, non [...] congrueret. Cuius carmina quinque millia sunt, quia quinque sunt vulnera Dominici corporis, quibus per vniuersum orbem triumphalis eius victoria prædicatur. Sub eodem numero carmina supputantur; sub quo tenentur & vulnera, per quæ victoria singularis laudis æternæ gloriam promeretur.* Quot vulnera Christi,tot fontes carminum, quæ immensas inibi effulgentes glorias pandant. Sanè vulnera hæc omni sunt sublimiores incolumitate. Nulla incolumitas, nulla vita tot glorias habuit,tot peperit salutes,tot reportauit victorias,quot glorias. & salutes, & victorias videmus in morte Saluatoris. Aiebat Isaias Ezechiæ cap.37. *Protegam ciuitatem istam,vt saluem eam propter me, & propter David seruum meum.* Mortuus iam erat Dauid, & tamen Dauid mortuus conducit ad ciuitatis liberationem; id quod miratus D. Chrys. in Psalm.78.ait:*O rem admirandam,ò ineffabilis clementia Dei. Homo mortuus viuo patrocinatur. O iustorum, & post consummationem inexpugnabilis pugna virorum!* In iustis etiam mortuis mirabilia facinora cernuntur, & victoriæ; vt inde latiùs pateat crucifixi gloria;qui mortuus præstat viuis & in mortiferis vulneribus, mille facit scaturire & salutum, & triumphorum fontes.

§. X.

Etsi ingentia bona pro Deo, & fratribus tuis impenderis, parum impendisti, dum te ipsum non impendis.

INsuper ponderandum est, quòd Dominus cum gloria veniens daturus iustis cœlestia regna se cadaueri comparat aquilas trahenti. Et quidem aliquando iacuit in sepulchro factus cadauer, & sanguinem, & vitam pro hominibus impendens, tunc magnificus, & viuidissimus rex apparebit immensa gloriæ pondera, cœlestia regna suis affectis impertiens. Et cur inter elargienda regna, illis dimissis cadaueris iacentis meminit? Non multum sanè esset, quòd Deus cœlestes omnes glorias, cœlestia omnia regna largiretur: illud magnum, quòd se nobis dedit, quare illis dimissis, hoc vnum æstimat, hoc proponit in medium. Parua enim sunt omnia,quæ dari possunt,etsi dentur omnia mundialia regna, nisi quis seipsum dedit. Hinc Iob cap. 29. ait: *Oculus fui cæco, pes claudo* &c. ingentes habuit sanctus vir possessiones, quas pauperibus larga manu exhibebat; cur non magis meminit exhibita à se dona? Cur oblatas facultates, appositas pauperibus plenas mensas non adducit in medium,contentus dicere quòd oculus fuerit cæcis? Nihili æstimabat, quidquid diuitiarum habebat, ad donandum; rerum amplissimarum largitiones æstimabat pauperiem, dum sese ipsum donum non exhibebat. Pulchrè D. Chrys. homil.3.in Iob: *Erant ei camelorum tria millia, quinquenta asina; & ego existimo parua admodum quædam hæc possedisse. Si enim cuique pauperi impendebatur, vt ipse ait: Oculus [...] cæco, pes claudo; parua profectò substantia ad propositum,quod habuit, fuerat: pluris erat hospitalis mensa, quàm prouentuum abundantia. Pauper erat Iob bonæ non sufficiens voluntati, & possessione quidem [...]; pauper verò dandi proposito erat.* Pro paupertate habebat vir sanctus ingentes diuitiarum cumulos ad donandum; thesauros regios cùm vacuabat; tenue, & pusillum existimabat vacuasse penu; & maius, & gloriosius in se omni munere nutriens propositum largiendi sese pauperibus impendebat. Ad hæc Chrysol.serm.122.mouebat: *Debet homo,debet debilibus sua membra partiri: quæ cùm Iob non daret, sed redderet,sic dicebat. Ego sui oculus cæco ora[...] pes autem claudorum;ergo erat pater inualidorum. Homo si non habes nummum, da pauperi manum, quia maiorem misericordiam facis, qui ad mensam suam manu pauperem,debilem ducit. Ipsum se pauperi dedit, qui se aptauit in obsequium pauperis, aptauit in pauperis seruitutem.* Non sic misericordia exhibetur in largitione diuitiarum, vt in eo quòd quis se pauperi dedat, exhibetur. Parum in misericordia, & charitate excellit, qui sic exhibet sua, vt se neget: in eo summa charitatis & beneficentiæ excellentia consistit, quòd & in omnibus tuis te ipsum Deo pro fratribus dedas. Huc spectabat Pauli charitas, dum 2.ad Corinth.12.ait: *Nec enim debent filij parentibus thesaurizare, sed filijs parentes. Ego autem libentissimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris.* Parum putauit Paulus nihil à Corinthiis accipere, imò omnia sua illis impendere, nisi & etiam ipse pro illis totus impenderetur, in quo consistit summæ charitatis præstantia. Vbi ait Chrysost. *Nam parentes quidem filijs thesaurizare lex naturæ præcipit. Ego autem non solùm hoc facio, sed & meipsum addo. Et ista excellentia est.* Meritò excellentia charitatis non ponitur in effundendis bonis,sed in eo quòd quis sese hostiam exhibeat Deo. Hinc D. Bernardus lib.4. de Consider.extollit antiquos Ecclesiæ Præsu

Marginalia: 1.Cor. 2. — August. — Nazianz. — Tertull. — 3.Reg.4. — P. Dam. — Isai.37. — Chrysol. — Iob 29. — Chrysost. — Chrysol. — 2.Cor. 12. — Chrysost.

Bernard. Præsules, inquiens: *Fuerunt ante te, qui se catos ouibus pascendis exponerent, pastores opere, & nomine gloriantes: nil sibi reputantes indignum, nisi quod saluti ouium obuiare putarent: non quærentes, quæ sua sunt, sed impendentes. Impendere curam, impendere substantiam, impendere seipsos. Vnde vnus illorum, ego, ait, superimpendar pro animabus vestris.* Huc spectat charitatis perfectio; huc tendit tota virtutis excellentia, quòd quis non solùm sua, sed & seipsum Deo, & proximis impendat. Id quod docebat D. Paulin. qui cùm laudaretur, quod omnia sua dedisset pauperibus, ait epist. 2. *Facile nobis bona, vel onera apposita, pallium remittentibus excidunt: & quæ nobiscum non intuleramus in hunc mundum, nec poteramus auferre nobiscum, quasi mutuata reddidimus: nec vt cutem à carne distraximus, sed vt vestem a corpore deposuimus. Nunc opus est, vt quæ verè nostra sunt, dependamus Deo: hoc est cor, & animam, & corpora nostra exhibentes in hostiam viuam. Quæ enim nobis gratia, si in alieno tantùm fideles fuerimus, nisi de proprio seruiamus?* Sanè parum est, si in his, quæ nobis intima non sunt, liberales, munificique solùm appareamus: tunc omni laude, omni celebratione digni, cùm pro Deo, & proximis nobis ipsis non parcimus. Duo inuenio in magno illo Iacob facinora ob oculos proponenda, in quorum altero solum gloriosum sibi nomen

Genes. 32. comparauit. Is Genes. 32. metuens occursum fratris omnibus suis bonis, cum vxoribus & filiis dimissis, *solus mansit.* Quis non miretur virum, qui sic se excutit bonis omnibus? Sed tunc, ecce tibi vir luctabatur cum eo; *Qui cum videret quod eum superare non posset, tetigit membrum fæmoris eius, & statim emarcuit.* Quid tunc? *Ait ergo: Quod nomen est tibi? Respondit; Iacob. Nequaquam, inquit, Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel.* Expende quando sibi gloriosum Israelis nomen acquirat, an quando dimissis omnibus bonis mansit solus? Absit; sed quando se ipsum luctæ dedit, & ipsam carnem fœmoris sui impendit, tunc sibi gloriosum nomen comparauit. Tunc iusti homines magnum & illustre faciunt sibi nomen, tunc immensa apud Deum gloria clarent, non cùm multa dederunt, sed cùm

Fulgent. multum sui pro Deo impenderunt. Ex quo D. Fulgent. epist. ad Gall. cap 18. ait: *Plures diuitias pro Christo pauperibus decitur expendisse Zachæus. Petrus vilissima piscatoria artis instrumenta reliquit: & tamen à Christo non Zachæus diues pauperi Petro, sed pauper Petrus diuiti Zachæo præponitur, vt diuitibus iactantia nasceretur.* Non se iactet Christianus, quòd multa dederit, non glorietur, quòd plures facultates distribuerit, quando non in eo nostra est sita gloriatio, sed in eo, quòd quis sese pro Christo magis tradiderit. Minor Zachæo extitit Petrus in datis facultatibus; at quia maior extitit in expendendo se ipso, maiori apud Deum gloria fulget. Huc reuoco pulchrum illud exemplum al-

Paulin. latum à D. Paulin. epist. 2. vbi inquit: *Natator amnem interpositum superaturus exuitur, nec tamen hoc tanto apparatu, quòd se dispoliauerit, transnatauit: nisi totius corporis nisu, & omnium scita nobilitate membrorum, & propulsu pedum, & remigio brachiorum, & lateris, in lapsu torrentis impetum scindat, & laborem natione exhauriat.* Equidem natator libenter dat littori omnes vestes suas, manens ipse prorsus nudus, non tamen eo solo peracta res est, & fluuius transfigitur, sed insuper omnium membrorum conatum, & laborem impendere debet, ille, qui amat natatoris coronam acquirere. Id quod gloriosis asseclis suis suggerit Dominus, dum ad triumphum vocans proponit mare tranandum. Ait enim

Apoc. 4. Apocalyps. 4. *Et in conspectu sedis tanquam mare vitreum simile crystallo.* Cur ante sedem crystallinum exhibetur mare? Vt ostendatur ille gloriosam sedem in cœlis habiturum, qui natatorem imitans, non solum vestes, hoc est, bona sua dat littori, sed & omnia membra laboribus sacrificat.

§. XI.

Principum cœlestium natales a cruce Domini.

SApienter Dominus electos suos congregandos asserit, non vbi fuerit Sol, nec vbi fuerit Rex, aut sponsus, aut Pater, sed vbi fuerit cadauer; quippe cœlestes Principes, non ab alio, sed a Christi Domini morte, & cruce, suæ nobilitatis natalitia trahunt. Huc refero pulcherrima verba, quibus D. P. Dam. præcellentias Principis Apostolorum, & Andreæ fra- Damian.
tris eius expendit; sciens enim illos a cruce in cœlos euolasse, ait ser. 1. de S. Andr. *Cum diuina dispensatio Petrum, & Andream consummare per crucis supplicium voluit, inter cæteros Apostolos quodammodo egregios, atque conspicuos fecit. Crux enim, quæ regem præmisit ad sceptrum, eadem vtrumque militem subsequenter euexit ad præmium. O beata germanitas, quam sicut mundo vna consanguinitas edidit, ita eadem triumphalis mors victores ad astra transmisit: & quos in hac vita vnius generis protulit natura consortes, in illam beatitudinem sempiternam crux parturiuit æquales. Eiusdem nobilitatis in terra, eandem prosapiæ celsitudinem sortiuntur in cœlo. Qui enim hi sunt filij Ioannis, illic sunt filij crucis.* Vnà cum mortalitate abiurant electi natalitia mundialia & parturiente cruce fiunt Principes in æternitate: non admittit æternitas, non admittit curia cœlestis, nec beatorum status admittit hominem, quem crux Christi non parturit, & qui inter Caluarij arbusta non ostendit suæ gentilitia nobilitatis Titulus Psal. 44. ait: *In finem pro his, qui commutabuntur filij Core*; quasi qui instar aquilæ in æternam iu- Psal. 44.
uentam commutabuntur, iuxta explicationem D. Basilij, ij sint filij Core. Qui sunt filij Core? August. ait: *Filij sponsi, filij passionis illius, portantes in fronte, quod inimici Caluaria fixerunt, appellantur filij Core.* Cùm enim putet. Core significare Caluariam, præclarè filij Core, filij crucis dicuntur, nec ab alio, quam à Christi cruce debent gentilitia sua ducere, quia mutata mortalitate immortalitatem induunt. Sola crux Christi potest præstare hominibus gloriosam illam differentiam, quam beati acquirunt, & qua mutati dicuntur filij crucis. Et quæ hæc mutatio in Caluariæ filiis? Paulus 1. ad Corinth 15. ait: *Seminatur corpus in ignobilitate, surgit in gloria, seminatur in infirmitate, surgit in virtute. Seminatur corpus animale, surgit spirituale.* Quod non sint igno- 1. Cor. 15.
biles, quòd non sint infirmi, quod non instar animalium brutescant; sed nobiles, & fortes, & verè homines sint, clarissima ratione fulgentes habent in cœlis iusti ex Christi cruce. Apud Lucam cap. 19. habes Zachæum cupientem videre Iesum quem vt videat, *ascendit in arborem sycomorum.* Ecce tibi Zachæus in arbore requiritur à Iesu; requisiuit aliquando Iesus fructus in ficu, quos quia non inuenit, ficum maledictis ferit. Præstantior ficu apparet sycomorus, quæ non pomorum fructus, sed homines exhibet Iesu, ne illius indignationem incurrat. Sed vnde syluestris ficus exhibuit talem hominem Iesu? Ex quo Iesus arborem elegit, & venit in arbore moriturus, iam lingua nouerunt veros homines parturire. Accipite D. Ambros. ibi: *Zachæus in sy-* Ambros.
comora, nouum videlicet noui temporis pomum. vt in hoc quoque compleretur illud: Arbor fici produxit grossos suos. Ad hoc enim Christus aduenit, vt ex lignis non poma, sed homines nascerentur. Habent ex Christi sanguine Caluarij arbusta, quòd & veros, & gloriosos homines reparturiant.

Cùm me huc deducunt Christi Domini verba, ipsa etiam me faciunt paulisper subsistere: super meas vires est, quidquid Dominus fuit locutus vno impetu transcurrere. Dixi prophetias illustriores; dixi sermones præcipuos; dixi clariores similitudines. Ad celebriores parabolas, & disputationes, & alia Iesu verba expeditum me vocat quartus tomus, quem dum meditor, ipse Iesus aspiret, ac quid meum subsidiat.

TOMI TERTII FINIS.

R. P. DIDACI
DE BAEZA
PONFERRADIENSIS,
Societatis IESV Theologi,

COMMENTARIORVM MORALIVM
in Euangelicam Historiam

TOMVS QVARTVS.

Complectens parabolas, & historias adductas à IESV, & eius disputationes cum variis.

LIBER DECIMVSSEXTVS, DE CHRISTI DOMINI PARABOLIS.

NON solùm claris, & patentibus similitudinibus sermones suos exornauit Dominus, sed & obscurioribus aliis (quas pressiùs *parabolas* voco) frequenter etiam vsus est. Ad has dum accedo explicandas, abstineo à longa explicatione vocabuli, cùm sciam sæpè in sacra pagina parabolæ vocem latissimè vsurpari; siue pro qualibet similitudine, vt Matth. 24. *Ab arbore fici discite parabolam*; siue pro signo castigationis, & cautionis, vt Psalm. 68. *Factus sum illis in parabolam*; siue pro qualibet narratione obscura, vt Numer. 23. *Quater assumpta parabola locutus est*, &c. Ab his communibus acceptionibus distinguo parabolas euangelicas in præsenti tractandas, quia in Euangelio nunquam sumuntur parabolæ, nisi inducendo personam aliquam rationalem, vel veram, vel verisimile aliquid tractantem, ex quo subobscurè, ne prophanis pateat, aliquod significetur secretum cœleste. Quapropter similitudines claras, & ab irrationalibus petitas, à parabolis meritò segregamus: item & quæ non verisimilibus, sed solùm veris vt historia, vel solùm falsis & impossibilibus vt apologus, consuescunt inniti.

CAPVT I.

De seminante, & semine.

POST accuratam agricolæ diligentiam, post cœli perfectam temperiem, adhuc seminibus ab ipsis aruis triplex obiicitur ruinę causa; nimirum, si secus viam cadunt, si in petrosa, si inter spinas. Secus viam, vt est conculcatum solum prętereuntium pedibus, non amplectitur granum, non operit, sed apertum relinquit, & expositum auibus: petrosa terra vt humore carens, sic nequit germinum virorem conseruare: inter spinas vniuersa gramina suffocantur. Quid plura? Hæc tria incommoda à nobis orta, totum nostræ salutis negotium solent frustrare. In primis socordia, & desidia nostra repræsentatur in terra secùs viam seminata, quam conculcant viatores, & volucres semina deuorant; ab hac desidia venit, quòd nullam curam, nec diligentiam saluti nauantes, nec vllum gradum in tanto negotio faciamus. Quòd si aliqui, negligentia exclusa, aliqualem operam Deo habendo nauent, hi vel laboris, afflictionisque obortæ duritie agitati non permanent, vt petrosa arua, quæ nequeunt in virore durare; vel felicitatum mundialium bonis aucti hærent solicitudinum mole, instar spinarum suffocati. Illorum sors melior, qui & diligentiam adhibent, & sciunt inter prospera, & aduersa mundi æquanimiter Deum expectare: hos terra bona, & optima designat, quæ vt bona est, vt melior, sic magnos, vel maiores fructus parit. De hac parabola agit Matth. c. 13. Marc. cap. 4. Luc. cap. 8.

Luc. 8. Cùm turba plurima conueniret, & de ciuitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem: Exiit, qui seminat, seminare semen suum.

§. I.

Verbi diuini seminator caueat aliò diuerti.

PRæclarissimo verbi diuini satori hanc tribuit Dominus conditionem, nimirum, quòd exeat seminare; hoc est, quòd caueat aliò diuerti, sed in omnibus viis suis hoc vnum intendat, vt verbi diuini iaciat semina. Quod notans Theophylactus in præsenti ait: *Sæpè egreditur agricola, & propter alia non solùm, vt seminet, sed exiit, qui seminat, vt seminet semen suum.* Quando agricolis liceat propter alia exire, alia negotiari: hoc cautum sit diuini verbi seminatori, ne extra satorum negotia inueniatur. Duodenis Iesus inSciis parentibus, Hierosolymæ mansit, & disputans inter Doctores inuentus, sic requirentes, & dolentes parentes arguit, Luc. 2. *Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Sanè multis, & variis rebus ex Patre suo poterat vacare, quando, vt ait Ioann. 14. *Pater meus agricola est*; & agricola multa tractat, per varia, & multiplicia culturæ negotia discurrit: ex quo Mater Iesu posset meritò ignorare, in quibus tunc temporis occuparetur Filius. Cur ergo sic eius ignorantia cantatur in quærendo Iesu? Vel vnde non posset etiam sapientissima, nescire in quibus esset filius, quando ipse posset esse in variis, & multiplicibus? Notabat id textus, cùm pueri requisiti ætatem notat, aiens: *Et cùm factus esset annorum duodecim*; in duodecimo numero verbi diuini seminatores selecti à Domino Matth. 10. exprimuntur: vbi autem Iesus seminatorum verbi attigit numerum, nollet putari pro aliis à paternis exiisse liminibus, quàm pro iacendis verbi diuini seminibus. Quò pulchrè respiciens D. Ambros. in Lucam, ait: *A duodecimo anno, vt legimus, dominicæ sumitur disputationis exordium. Hic enim prædicandæ fidei euangelizantium numerus debebatur.* Non potuit hominum sator Iesus seminatorum verbi diuini vel numerum repræsentare, & in aliis esse, quàm in iacendis seminibus: sui muneris maculam reputans, quòd non sciatur pro nullo alio exiisse in repræsentatione numeri debiti euangelicis seminibus. Quò respiciat bonus diuini verbi sator, & in quibus aliis inueniatur, nisi in iacendis seminibus? Notabat Matth. 12. *quòd abiit Iesus per sata Sabbato; discipuli eius esurientes cœperunt vellere spicas*, &c. Per sata ducit Dominus seminatores suos die Sabbati, nec id facit semel tantùm, sed sæpè, vt ponderat D. Paschas. in Pharisæorum querela dicentium: *Quare discipuli tui faciunt, quod non licet eis facere Sabbatis?* Non vno, sed pluribus Sabbatis consueuit Dominus cum discipulis esurientibus transire per sata. Et cur non aliis diebus, sed solis Sabbatis ad sata ducit Dominus suos discipulos. In Sabbatis otium erat, & cessatio ab omni opere mundiali non pertinente ad salutem animarum; ideo solis Sabbatis ad sata ducit Dominus, vt doceat suos, quàm debeant ab omni mundiali negotio, & solicitudine vacare illi, qui satorum culturæ operam nauant. Ad hæc D. Paschas. lib. 6. in Matth. fatur: *Sabbato verò quia viando esuriunt, & vellunt spicas, otium est, & requies ab omni opere præsentis sæculi. Non torpentes ignauia Iudæorum, sed viantes ad patriam, esurientésque salutem animarum, & euellentes eas terrenis actibus, quarum se salute Discipuli festinant satiare.*

Theoph. | Luc. 2. | Ioann. 14. | Ambros. | Matth. 12. | Paschas.

satiare. Nihil non spirituale, & ad salutem animarum pertinens debet inueniri in diuini verbi satoribus, ideóque dum ducuntur ad sata, Sabbatum est, cuius diei otio ipsi docentur, non torporem, & ignauiam Iudaicam, sed animarum negotium, & æternam salutem, quam solam debeant spectare, vbi inueniatur bonus diuini verbi seminator, nisi inter sata? Quæ alia tractet, nisi negotia satorum, ab omni alio mundi negotio vacans? Liceat aliis alia tractare, & propter alia exire; at ille, cui diuini verbi semina credita sunt, caueat aliò diuerti, caueat reperiri, nisi *Osea 2.* inter sata, ab omni alio negotio feriatus. Aiebat Oseas c. 2. de malis verbi diuini ministris: *Nesciuit, quia ego dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicaui ei, & aurum, quæ fecerunt Baal. Idcircò conuertar, & sumam frumentum meum*, &c. Meritum ex Dei nomine minatur bonorum spoliationem, non omnibus, sed illis, quibus credita sunt verbi diuini semina, frumentum, argentum, & aurum, nimirum & scientia, & sapientia, & pulchra eloquia, vt ait Hieron. Qui enim acceptis his, aliò diuertunt, mundialibúsque idolis obsequuntur, abdubium, quin & Dei iram, & offensionem incurrant. Ex quibus verbis pulcrè curiales, & palatinos Ecclesiasticos monet Petrus *Blesens.* Blesensis, epist. 16. inquiens: *Simpliciores equidem, & qui minùs in diuina pagina sunt eruditi, si in obsequio regiæ maiestatis militare proponunt, non arbitror hoc absurdum. Verùm in sacris ordinibus constitutus, & sacro eloquio pollens, qui iam tenetur fontes suos deriuare foras, talentumque sibi à Domino creditum cum lucro ad Dominum reportare, omninò inexcusabilis est, si curialibus vinculis se innectit. Audite quid de talibus dicat Dominus: Dedi eis frumentum, argentum, & aurum meum; ipsi verò de argento, & auro meo fabricauerunt Baal. Nónne fabricant Baal de auro, & argento Domini, quibus sapientiam, & eloquentiam dedit Deus ad dandam scientiam saluti plebis eius; ipse verò talentum Domini terræ infodiunt, atque Baal construunt, dum pro temporalium rerum quæstu, quasi sub iactu aleæ vitam, & animam ponunt? Isti constituunt arcam Domini in Aroto, quod interpretatur, ignis concupiscentiæ: quia per ambitiosam concupiscentiam, gloriam nostræ professionis euacuant. Conuertit Dominus flumina eorum in sanguinem, ne bibant: terrámque ferream, & cœlum æneum dat eis, & pluuiæ cœlestis expertes fructum vitæ non faciunt, scienter equidem, & prudenter pereunt, quia immisceuit eis Dominus spiritum vertiginis, eísque rotam malorum Rex sapiens impiorum ventilator immittit. Perditæ vitæ homines se laboribus torquent, cruciant curis, expensis euiscerant.* Quid pulchrius? Quid grauius, & religiosius dictum? Piaculum duxissem, vel verbulum præteriisse, vt videant quantis se malis exponant, qui semina diuini verbi habentes, nimirum sapientiam, & eloquentiam cum sacræ paginæ notitia, non per sata discurrunt, vt diuites messes diuinis horreis recludendas efficiant: sed vel Principum fauoribus, vel mundialibus gloriolis, vel ditioribus præbendis aucupandis insudant. Hæc perditissimi hominis vita est: at qui salutem obtinere curat, vbi diuini verbi seminator constituitur, in hoc vnum inuigilet, vt nihil aliud faciat, quo possit impediri à iaciendis seminibus. Sanè Paulus etiam à præstando baptismo abstinebat, ne aliud videretur facere, quàm prædicationis semi- *1. Cor. 1.* na emittere, ait enim 1. ad Corinthios 1. *Non misit me Chri- Anselm. stus baptizare, sed euangelizare.* Vbi D. Anselm. *Quia igitur & minores possunt baptizare, qui sapientiam, & virtutem prædicandi non habent: ideò non baptizare missus est Paulus, ne retardaretur à prædicatione, sed euangelica semina spargeret.* Nec non & Apostoli caritatissimo misericordiæ opere, quo pauperculis viduis pabula ministrabant, abstinuerunt: ait enim *Act. 6.* Petrus, Act. 6. *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & Hieron. ministrare mensis.* Quocirca D. Hieron. in cap. 2. Malach. ait, *Sanctum vtique est, & Apostolicum ministerium viduis, & pauperibus ministrare. Et non oportet, inquiunt, dimisso verbo Dei, ministrare nos mensis.* Quando ergo diuini verbi seminator vix permittitur baptizare, aut eleemosynas erogare, vt vni prædicationi insistat, nec alio diuertat, quanto cum piaculo temporalibus aliis, & mundialibus negotiis cum iactura diuini verbi instabit?

§. II.

Væ qui in nullo sistunt dignitatis gradu, sed longis semper expensis procurant ab hoc in altiorem euolare.

BOnus verbi diuini seminator exire solùm noscitur, vt seminet semen suum; at malus, & reprobus seminator non exit, vt seminet; sed seminat, vt exeat ab hoc gradu, & transeat ad præstantiorem alium. Proh Deus immortalis, quot sunt in Curiis Regum seminatores verbi, imò seminatores auri, seminatores argenti, seminatores obsequij, vt exeant à suscepto ordine, à suscepto gradu, & dignitate, & præstantiorem capiant. Hi nunquam quiescunt, sed in perpetuo fluxu, & refluxu versantur, in ipsa primi laboris messe, iam incipiunt seminare, vt ab hac exeant, & ad aliam transeant. verbi gratia, seminant pro dignitate acquirenda, acquirunt dignitatem; quid tunc? iam seminant, & impendunt omnia, vt ab hac exeuntes, aliam præstantiorem capiant. Hos pulchrè traxat Isai. cap. 19. *Dominus misit in media eius spiritum vertiginis: & errare fecerunt Ægyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius, & vomens.* *Isai. 19.* Expendenda sunt duo illa, *spiritus vertiginis, & ebrius vomens*, quibus explicatur & fœda, & miserabilis hominum conditio, quæ nullibi gradum figit, sed quasi vertiginem patiens omnia circumagi putat, & sic ab vna dignitate confestim ad aliam festinat. Sic etiam nimio vino deditus homo, quod hausit merum, simul curat vomere, ad aliud hauriendum se disponens. Talis est vita ambientium, & ementium dignitates: omnia effundunt, vt dignitatem capiant, qua capta, nihil non faciunt, vt illam relinquant, vt exeant ab illa, & aliam acquirant. Infelix est, qui eiusmodi seminatoribus commendare præsumit arua Christi. Aiebat Petrus Dam. lib. 2. epistol. 3. *Damian.* *Quis ferat ibi ecclesiastica iura committi, qui vt Ecclesiam nanciscatur, Ecclesiam deserit; & dedignatur obsequium dependere propriæ, vt sibi regimen arroget alienæ?* Sanè amouendus est à Christi aruis, qui & verba, & aurum, & obsequia seminat, effundit semper, vt à suscepto gradu, ordine, dignitate, Ecclesia exeat, & ad aliam festinet; is à vertigine laborante, & ebrio vomente, & bibente non absimilis. Qua similitudine suam stultissimam cupiditatem pungit Salomon iam melior factus, & à siliquis ad Patrem Deum reductus, Prouerb. 30. aiens: *Verba congregantis filij vomentis.* *Prou. 30.* *Visio quam locutus est vir, cum quo est Deus, & qui Deo secum morante confortatus, ait: Stultissimus sum virorum*, &c. Duobus in statibus vitæ se considerat nobilissimus Princeps, in altero, quando à Deo separatus, suis desideriis relinquebatur; in altero, quando ad Deum reductus, eiúsque assistentia confortatus, illuminatus, priorem suam stultitiam, & miseriam castigat, lachrymatur. In hoc audet vocari vir, cum quo est Deus, & qui Deo confortatus, pristinam vitam stultitiæ damnat, in illo pulchrè totam suam stultitiam prodit, dum se vocat *congregantem filium vomentis*, hoc est, vt placet Caietano, *abundantem vomitu.* Totus equidem erat in coaceruandis, & congregandis diuitiis, & fomentis voluptatum, sed vt totus erat in congregando, sic totus etiam erat in despiciendo, & effundendo congregatas, & in procurando alias, quibus impleretur. Simul congregans, & vomens, instar ebrij, cui post ingentia hausta pocula nihil magis curat, quàm vomere, vt possit accipere maiora. Huiusmodi est omnium curialium, & aulicorum vita, nimirum *congregans, & vomens*, instar stultissimorum ebriorum. Quibus appositum supplicium minatur Dominus, Oseæ cap. 5. *Facti sunt Principes Iu- Osea 5. da quasi assumentes terminum; super eos effundam quasi aquam iram meam.* Græcè legitur: *Facti sunt Principes Iuda transponentes terminos*, quo reprehenditur in Principibus, iuxta Theophylactum, cupiditas plura habendi, quæ nullos sibi præfigit terminos, sed quos semel ponit, facilè transponit, & transfert, & sic in perpetuo versatur labore. Et expende quale supplicium his paretur, nimirum ait Dominus, *super eos effundam quasi aquam iram meam.* Et cur frequens terminorum transpositio à Domino immissis aquis castigatur? Sanè quia huiusmodi homines plura habendi cupidi, transponentes terminos possessionum, similes ebriis sunt, in congregando, & vomendo, vt iterum congregent; sic in minis aquæ, eorum turpissima notatur ebrietas, & infamantur mores. Horum erat illa vox apud Luc. cap. 12. *Destruam horrea mea, & maiora fa- Luc. 12. ciam, & illuc congregabo omnia*, &c. Hæc cura, hæc cogitatio mundanorum, diffundere, destruere habita, vt maiora capiant, quos sapienter arguit Diuus Basil. homilia 6. *Basil.* aiens: *Destruam horrea mea, & maiora faciam, ais. Vbi verò ista frumenta adimpleueris, quid quæso amplius cogitabis? An rursus destrues, & rursus ædificabis? Quid stultius, quàm laboribus, nunquam finiendis se conficere, at summo cum studio ædificare, nec minori iura eadem demoliri?* Stultissimum est summis impensis ædificare, quod eisdem destruas, ne in hoc

finem

finem aliquem ſtatuere,ſed infinitis te laboribus conſume-
Bernard. re.Meritò D. Bernard epiſt. 42. exclamat: *O infinita ſemper ambitio,& inſatiabilis auaritia! cùm primos gradus meruerint in Eccleſia,non ideò cordis quieſcunt; dupliciſemper aſſuantia deſiderio, quo vſque magis, ac magis & dilatentur in plura, & ad celſiora ſublimentur. Factus Epiſcopus, Archiepiſcopus eſſe deſiderat. Quo forte adepto,rurſum neſcio quid altius ſomnians, laborioſis itineribus, & ſumptuoſis familiaritatibus ſtatuit equentare palatium, quaſlibet ſibi quaſdam exinde comparans amicitias*. Sic ſemper multi hominum conſumuntur in demoliendo ædificata; in vomendo hauſta: & ſeminatoris expenſas,& effuſiones perpetuò accipiunt, vt ab adeptis iam dignitatibus ad alias proſiliant.

§. III.

Ingenua, imò diuina mentis natura in præſtandis beneficijs clareſcit.

Expende ad quid exeat diuiniſſimus Patris Filius, nimirum *exit ſeminare ſemen ſuum*; meritò non dixit exiiſſe ſeminare ſemen, & tacuit; ſed inſuper addidit illud, *ſemen ſuum*,vt qualitatem ſeminis oſtenderet, quæ benefica proſus erat, vt quæ diuinam in ſe exprimebat naturam. Gen.1.
Gen 1. dicitur: *Protulit terra herbam virentem, & facientem ſemen, iuxta genus ſuum*; ſe enim quæcunque natura exprimit in ſemine ſuo, vt cùm auditur Dei filius ſeminare ſemẽ ſuum, iam omnia beneficentiæ genera intelligantur ibi, quando
Diacon. ingenua, & regalis, imò diuina natura nullo magis clareſcit, quam præſtitis beneficijs. Aiebat Agapetus Diaconus in lib. de officio Regis: *Vnum regis, & agricolæ ſtudium, vnaque cura eſt congregandi: hic quidem ſerit frumentum, & frumenta congregat; ille verò beneficia ſerit, & ciues conducit*. Et meritò regio animo pro ſeminibus ſerendis dantur beneficia, hæc enim paſſim ſparſa regale genus,& genium & naturam ſignificant. Et quidem de clariſſimis beneficiis à Deo profe-
Sap.16. ctis locutus Sapiens, cap. 16. in Græca, & optima lectione fatur: *Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum,& paratum panem de cælo præſtitiſti illis ſine labore,omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuauitatem. Subſtantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, oſtendebat*. Expende quæ vocetur Dei ſubſtantia, nimirum dulciſſimus ille panis per Iſraeliticà caſtra deſeminatus, vt placet Hugoni, Ianſenio, & Vatablo,& meritò,quando nullum ſemen ſic ſui generis ſubſtantiam refert, vt beneficia exhibita referunt, & regalem,& diuinam ſubſtantiam. Pro quo aiebat Iſaias cap.55.
Isa.55. *Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas: & reuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius, & ad Deum noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum. Non enim cogitationes meæ cogitationes veſtræ, neque viæ meæ, viæ veſtræ: quia ſicut exaltantur cæli à terra, exaltatæ ſunt viæ meæ à vijs veſtris*, &c. Expende, vnde naturam ſuam diuerſam à ſeruorum natura demonſtret; & probet ſe prorſus alium à ſeruis, nimirum ab eo quòd multus ſit ad ignoſcendum.
Theod. Id quod notans Theodor.ſic prædicta explicat verba: *Multum ab inuicem diſtamus, tote cælo,inquit Deus; vos enim odiſtis me, & ego amo vos; vos fugitis, ego voco; vos bellotis aduerſum me, ego nihil aliud, quàm beneficijs vos proſequor*. Quid
Cant 7. magis regium, & diuinum, quàm benefacere? Cant. 7. ait: *Quàm pulchri greſſus tui in calceamentis filia Principis*.In Græcis ſcholis legitur,*filia munifici,& ſponte dantis*,quaſi neſciat regale genium aliter, quam per beneficentiam explicari.
Iſa. 3. Vnde Iſai cap. 3. aiebat: *Princeps verò ea, quæ ſunt digna Principe, cogitabit, & ipſe ſuper duces ſtabit*.Quæ verba ſic veteris tranſlatio apud Vatabl. ponit: *Liberalis autem liberalia conſultat: per quæ liberalis facta eius ſurgit*. Idem ſemper eſt &Princeps,& liberalis,& munificus,nec aliter ingenua, & nobilis, & diuina natura clareſcit, niſi per opera beneficentiæ, & liberalitatis. Quò ſpectans ait D.Petrus Act.10.
Act 10. de Ieſu: *Ieſum à Nazareth, quomodo vnxit eum Deus Spiritu ſancto, & virtute, qui pertranſijt benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo, quoniam erat Deus cum illo*. Componite modo & ſeminatoris, & Ieſu greſſus: pertranſit ſeminator, arua ſpargendo ſeminat: pertranſit Ieſus oppida, ciuitates, bene faciendo: ille frumenti iacit grana, pertranſiens arua: hic beneficia confert, pertranſiens ciuitates. Quid tunc?Meritò ex hoc Petrus duo in Ieſu concludit, nimirum, & regalem vnctionem, & diuinitatem; quippe ait: *quomodo vnxit eum Deus*, & ſimiliter, *Deus erat in illo*; diuinæ enim, regiæque naturæ eſt, omnia beneficia ſeruiſſe. Ex quo Arnob. lib. 1. aduerſ. Gent. pro Ieſu
Arnob. diuinitate ſtat, aiens: *Et quod proprium, conſentaneum, dignumque Deo fuerat vero, nihil nocens, aut noxium, ſed opiſerum, id ſalutare, ſed auxiliaribus plenum, nobis poteſtates munifica liberalitate donauit*. Non poteſt ſe occultare & nobilis, & diuina natura in præſtandis beneficijs. Vide imperaturæ in mundo creaturæ beneficentia vel in homine Dominus præfixit,dicens, *faciamus hominem: & præfixit*,&c. Cur regnantem in mundo videas hominem, pulchre D.
Ambroſ. Ambroſ. lib.3. de offic. cap.3. *Compatere ô homo, vnde nomen ſumpſerit, ab humo vtique, quæ nil cuiquam eripit, ſed omnia largitur, & diuerſos in vnum omnium animantium fructus miniſtrat*. Et meritò imperaturum animal ea humo accipit nomen, vt diſcat inde quàm abundè debeat fructus, donaque largiri.

§. IV.

Beneficentia opera plena lucris.

Beneficia ſua pulchrè Dominus ſemen vocat, neſciunt enim beneficentiæ opera largas lucrorum ſegetes non
Oſea 10. parturire. Vnde notabat Oſeas, cap. 10. *Seminate vobis in iuſtitia, & metite in ore miſericordiæ*. Et ſeminare, & metere iubemur, ſed vbi meſſis deſignatur, eius augmentum ex ſolo miſericordiæ deſignatur ore. Miſericordia enim & beneficentia nunquam non meſſes meditatur copioſiſſimas.
Ambroſ. Quippe D. Ambroſ.lib.de Nabuth, cap.7.ait: *Bonorum fructus munerum in ipſos, qui contulerunt, reuertuntur, & gratia liberalitatis in auctorem boni operis redit. Denique ſcriptum eſt: Seminate vobis ad iuſtitiam. Eſto ſpiritualis agricola, ſere, quod tibi proſit. Bona ſatio in corde viduarum. Si terra tibi reddit fructus vberiores, quàm acceperit, quanto magis miſericordia remunerata reddit multipliciora, quæ dederis?* Nil à miſericordia, & beneficentia ſeritur, quod multiplicatum non reddatur. Et ſi minimum ſit,quod dederis, nec paruum ſeminis excedat granum, vſque in copioſiſſimas meſſes multiplicatur. Accipe primum illum hominem paradiſi cultorem:hic ne aliquid dedit Deo?Sanè dedit Adam Deo minimum,quod ſolet dari;dedit,inquam,Deo primus homo nudum os:quid tamen ingentia & delitiarum, & diuitiarum lucra multiplicauit. Dicit enim Geneſ. 2 *Immiſit ergo Domi-
Geneſ.2. nus ſoporem in Adam:cumque obdormiſſet, tulit vnam de coſtis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam*, &c. Expende modò, quanto cum lucro redit ad Adam, quidquid ab illo Dominus accepit: vna ſola coſta, vnum os ab Adam accipitur,& quanto cum lucro ad ipſum redit? Redit ſanè os ad Adamum ædificatum in pulcherrimam ſponſam cum orbis vniuerſi dote. Pulchrè accinebat
Dracon. Dracontius in Exaemor.

Tunc Deus, & Princeps ambos coniunxit in vnum,
Et remeat ſua coſta viro, ſua membra recepit:
Accipit & fœmina, cùm non ſit debitor vllus
His datur omnis humi, & quidquid iuſſa creauit,
Aëris, & pelagi fœtus, &c.

Tantum equidem ſolet fœnerare beneficentia. vt vel exhibitum os in tot,tantaſque mundi diuitias multiplicetur;& cum adeò ingenti lucro ad ſuum Dominum redeat. Quò
2. Cor.6. reſpiciens Paul à ad Corinth. 6. ait: *Qui parcè ſeminat,parcè & metet. Qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet*. Parco ſeminatori opponit ſeminatorem benedictionum,quaſi in eo, qui ſeminat in benedictionibus, nulla parcitas poſſit eſſe, nec in ſemine, nec in meſſe; ſed quodcumque in benedictionibus ſeminetur, fœcundiſſimum ap-
Chryſoſt. pareat. & cauſa magnarum meſſium. Ad hæc Diuus Chryſoſtomus ait: *Qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Non dixit,renuntiet rem ſemen vocauit,vt ſtatim ad retributionem ſpectes, meſſemque recorderis, & diſcas, quòd plura accipies, quàm das*. Cùm communem frugum ſeminatorem meminit,ait: *Qui parcè ſeminat*, &c. Cùm autem ſeminatoris benedictiones proponit, non dixit tenuiter ſeminare, contentus benedictiones.hoc eſt,beneficentiæ dona ſemen vocare, vt in qualibet benedictione copioſiſſimas ſpectes meſſes.

Text. Et dum ſeminat,aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt, & volucres cæli comederunt illud. Et aliud cecidit ſupra petram: & natum aruit, quia non habebat humo-

rem. Et aliud cecidit inter spinas: & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum.

§. V.

Nemo melius suis vtilitatibus, & lucris consulit, quàm ille, qui non in vnum, sed in plures sua seu officia congerit, seu beneficia.

CONsultissimus hic seminator, dum per plures terræ partes sua semina spargit, tandem inuenit, vnde centesimum capiat fructum; qui nollus prorsus esset, si in sola prima, aut secunda terræ parte quæreretur congestis ibi seminibus. Æmulentur ergo seminum sortem à nobis profecta beneficia, & non in vnum conferantur, sed in plures, quando in vnum collata facilè possunt pati iacturam: per plures diuisa, nequeunt non inuenire, vnde vberrimos percipiant fructus. Eò spectabat Cassiod. 3. var. aiens: *Hæc sunt regio dona, quòd semina sparsa in segetem coalescunt, in vnum coacta depereunt. Optamus ergo munera multis collata diuidere, vt possint vbique nostra beneficia pullulare.* Nunquam non capitur fructus ea beneficiis per plurimos diuisis, quæ tunc solum meritò possunt timere iacturam, cùm in vnum coguntur, faciliùs enim in vno, quàm in pluribus omnimoda potest inueniri sterilitas, & perditio. Iunior quidam filius importunè requirebat à patre partem substantiæ suæ; quid pater ad hæc, habens & alium filium? Sapientissimum huius patris consilium notans D. Luc. cap. 15. ait: *Et diuisit illis substantiam.* Duo erant patri filij, quorum alter solus sibi substantiam dari contendit, alter nec obolum requirit, nihilominus pater ab altero solicitatus donat suam partem vtrisque. Cur non potiùs soli petenti donat? Sanè consultissimus pater vtrisque donat, & cauet donare vni soli, cupiens ne substantia perdatur, sed maneat, & seruetur integra; nequit enim perdi donum, quod per plures diuiditur. Huc refero Chrysologum serm. 1. *Petente vno, ambabus totam substantiam mox diuisit; tenebat pater seruare substantiam filij, non negare; & manere eam pignoribus cupiens, non perire.* Qui perditionem donorum cauet, caueat illa in vnum solum conferat, sed ad plures diuidat: bonus enim hic pater cupiens sua bona manere, & non perire, non vni dedit, sed ambobus filiis diuisit. Et quæ substantia non dissiparetur vni data? Huc spectabat Prouerb. cap. 11. vbi sic: *Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt*; vel iuxta lectionem Caietani: *Est sparsor, & addetur etiam*; nunquam equidem dona, & beneficia sparsa, non in segetem coalescunt. Quod sterile est, & ruinæ proximum, id non per plures, sed in vnum cogitur. Maximus ille Dominus omnipotens per se cupiens regere populum Israeliticum, sibique illum acquirere, eacitauit famulum suum Moysem, cuius ope vteretur, huic innumeras dedit gratias, soli secreta sua reuelat, tradit mysteria; quid tunc? Vix se continet populus, quin à Deo deficiat, & post idola gentium abeat; semel relicto Deo, sese vitulo prosternit; non semel murmurat, fastidit diuina munera, & nauseabundus ipsas Angelorum despicit escas. His fractus Moyses quasi desperaret populo satisfacere se posse, cupit occidi à Deo, & saltem à munere flagitat remoueri, & alios fortiores & præstantiores eligi, qui tanto sint oneri sufficientes. Cui Dominus assentiens respondit, Num. 11. *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti, qui senes populi sint, ac magistri: & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, facièsque ibi stare tecum, vt descendam, & loquar tibi: & auferam de spiritu tuo, tradámque eis*, &c. *De spiritu tuo auferam*, ait Aug. quæst. 18. in Num. *hoc est, de eodem spiritu gratiæ, vel de eisdem tuis gratiis, & donis communicabo illis.* Et cur Domine non promittis te daturum illis de superioribus & efficacioribus aliis gratiis? Sanè Moyses cum omnibus acceptis gratiis, & donis se reputabat insufficientem, & euentus monstrabat, quòd omnes illæ gratiæ Moysi parum, aut nihil profuissent, vt populus in Dei seruitio contineretur. Cur ergo de illis solùm gratiis quæ in Moyse videbantur inefficaces, promittit Deus se oblaturum septuaginta illis electis, vt hi possint efficaciter populum continere? Vel vnde sperat Dominus, quòd gratiæ in Moyse inefficaces diuisæ in plures efficaces erunt? Id meritò potuit expectari ea ipsa gratiarum diuisione, dum enim omnes vni soli Moysi, & nulli alij conferebantur, inefficaces erant, & parum, aut nihil proficiebant, imò non tam in locra, quam in ruinam impellebant (si sic fas est loqui:) at illæ ipsæ per plures alios diuisæ efficacissimæ erant, vt populum ad Deum allicerent, & in Dei seruitio continerent. Ex quo aiebat Theod. q. 18. in præsenti: *Ex his verbis didicit legislator se gratiam administrationi sufficientem accepisse, propterea dixit: Auferam de spiritu tuo.* Non quãdo in se solo recipiebat, & habebat, sed quando suam gratiam aliis etiam communicari vidit, tunc didicit ex euentu illam administrationi fuisse sufficientem, quando quæ in vnum coacta, sterilescebat, in plures sparsa, in segetes coaluit plurimas. Et quando quod per plures spargitur, non fructificat? Ezech. cap. 3. *Et dixit ad me: Fili hominis, vade ad domum Israel, & loqueris verba mea ad eos, non enim ad populum profundi sermonis, & ignotæ linguæ, tu mitteris ad domum Israel, neque ad populos multos profundi sermonis, & ignotæ linguæ, quorum non possis audire sermones. Et si ad illos mittereris, audirent te, domus autem Israël nolunt audire te.* In his proponitur differentia Prophetarum, & Apostolorum, quòd Prophetæ non mittebantur, nisi ad vnum populum, Apostoli ad vniuersas nationes; & quanta cum fructuum differentia? Pulchrè Theodor. hic. *Quibus multæ gentes, diuersæ linguæ, varij mores, omnis generis leges credita fuerunt, orbem terrarum ad præstantiora instituta traduxerunt. Quibus verò vnus tantus ille populus commissus est, & multos sustinuerunt labores, non dignos laborum fructus tulere.* Securius semper beneficia per plures sparguntur, quàm in omnium coacta tenentur.

Cassiod. — Luc. 15. — Chrys. — Prouer. 11. — Num. 11. — August. — Theod. — Ezech. 3. — Theod.

§. VI.

Diuinissimum est, nulli suam opem, auxiliúmque negare.

MAnifestè suam diuinitatem prodit bonus hic seminator vel ex iactis seminibus; quandoquidem nulla terra est adeò spinosa, adeò inculta, & conculcationi proxima, quæ non gaudeat de accepto semine à manibus illius. Quid diuinius, quàm nulli etsi abiecto, etsi immerenti, imò & repugnanti negare beneficium? Ex hoc grauissimè probat Arnobius diuinitatem Iesu apud homines degentis, ait enim lib. 1. contra Gent. *Atque Christus æqualiter bonis, malisque subuenit: nec repulsus ab hoc quisquam est, qui rebus auxilium duris contra impetum postulabat, iniuriásque fortunæ. Hoc est enim proprium Dei veri, potentiæque regalis, benignitatem suam negare nulli, nec reputare, quis mereatur, aut minimè.* Quid gloriæ Deo, si solis exigentibus meritis sua dona tribuerit? Sanè ea est propria Dei gloria, quæ benignitatem suam negat nulli, nec immeritissimo. Ait ipse Isaias 48. *Scio enim quia præuaricans præuaricaberis, & transgressorem ex vtero vocaui te.* Et cur tam largus, tam magnificus, etiam in nondum natos, & iam præuaricatores? Iam inquit: *Propter me, propter me faciam, vt non blasphemer, & gloriam meam alteri non dabo.* Ne gloriam sibi propriam alteri cedat, etiam immerentem beneficiis Deus afficit. Sed esto, quòd Deus immerentem aliquem prorsus contemneret, obliuisceretur, nullo illum afficeret beneficio. Quid inde? An ideo ingloriius Deus? An ideo gloriam suam proderet? Profectò is est Deus, eæ sunt diuitiæ bonitatis illius, vt putet gloriæ suæ officere, si quis etsi immerens, etsi reluctans diuinis beneficiis carere inueniatur, quando propria Dei gloria in beneficentia ad omnes collocatur. Id quod notans D. Cyril. lib. 4. in Isaiam, orat. 3. ait: *Dabit enim gloriam suam nulli alteri: gloria autem Dei est, seruare, & misereri, & posse omnibus dominari.* Sic integram, & perfectam gloriam suam Deus putat, quando nulli etsi immerenti, etsi repugnanti, eius dona & beneficia negantur. Vt dicat Paul. ad Rom. 10. *Idem Deus omnium, diues in omnes, qui inuocant illum*; siue vt legit Chrysost. in Psalm. 43. *Diues est in omnes, & super omnes inuocantes eum.* Non solùm in suos inuocatores Deus est diues, sed & in omnes alios, vt nemo sit, qui in acceptis donis non possit in se effusas ostendere diuitias diuinas. Pulchrè ipse Chrysost. ad locum Pauli aiebat: *Istæ sunt Dei diuitiæ, quòd donum suum in omnes effundit.* Quapropter rogatus Dominus pro dimittendis culpis rebellibus, & contumacibus hominibus Num. 14. ait: *Dimisi iuxta verbum tuum. Viuo ego: & implebitur gloria Domini vniuersa terra.* Vbi eleganter notat Oleaster: *Audi quæso, qua gloria vult Dominus omnem terram implere, non gloria potentiæ suæ, quo cuncta creauit; non sapientiæ, qua cuncta gubernat, sed misericordiæ.* Ab hac nulla terra immunis, sed quantumuis remota sit, quantumuis aspera, saxea, spinosa, in se tamen diuinæ misericordiæ dona ostendet perfecta. Non enim gloriosa Deo censetur misericordia, quæ aliquem donis vacuum abire permittit. Vt exploraret sponsam

Arnob. — Isai. 48. — Cyrill. — Rom. 10. — Chrysost. — Idem. — Num. 14. — Oleast.

Isaaci

Gen. 24. Isaaci à Deo præparatam, aiebat seruus ille. Gen. 24. *Puella, cui ego dixero, Inclina hydriam tuam, vt bibam; & illa responderit, Bibe, quin & camelis tuis dabo potum: ipsa est, quam præparasti seruo tuo Isaac.* Quid tunc? Adest pulcherrima Rebecca hydriam portans, ab illa potum petit Abrahæ seruus. *Quæ respondit, Bibe domine mi, celeriterque deposuit hydriam super vlnam suam, & dedit ei potum. Cumque ille bibisset, adiecit, Quin & camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant. Effundensque hydriam in canalibus, recurrit ad puteum, vt hauriret aquam, & haustam omnibus camelis dedit. Ipse autem contemplabatur eam tacitus, scire volens, vtrùm prosperum iter fecisset Dominus.* Omnia quæ requisierat, in primis vidit, & adhuc hæsitat, & tacitus meditatur. Nónne ille solùm petierat, quod ipsa diceret, *bibe, quin & camelis tuis dabo potum?* Sed ecce Rebecca non solùm ait, quin celeriter & illi, & camelis parat potum; quid ergo adhuc tacitus expectas? Vides iam beneficam puellam in tuo, & camelorum potu, quid adhuc requiris, vt noscas illam Deo plenam, & à Deo paratam Isaaco?
Theod. Pulchrè Theodoret. qu. 37. ait: *Cùmque illa hausisset aquam & camelis præbuisset fluentem, expectabat ille, vt videret, an omnibus præberet quantum opus erat.* Et quidem meritò: non certus fit de Dei assistentia in puella, donec ab eius benefica manu videt, nullum camelorum manere vacuum, sed omnes suscipere necessaria. Deo namque digna beneficentia tunc ostenditur clare, cùm sua dona negat nulli, nec reputat, quis mereatur. Ex quo Psalm. 36. Dei spiritu imbutus sic de-
Psal. 36. signat: *Iustus autem miseretur, & tribuit:* non explicat, cui tribuat iustus, vt nullum secludat, qui non accipere debeat à iusti manu. Quò respiciens D. Ambros. lib. 3. offic. cap. 3. fa-
Ambros. tur: *Hoc præstamus cæteris animantibus, quòd alia genera animantium conferre aliquid nesciunt. Feræ autem eripiunt, homines tribuunt. Vnde & Psalmista ait: Iustus miseretur, & tribuit. Sunt tamen, quibus & feræ conferant: siquidem collatione sobolem suam nutriunt, & aues pullos suos cibo satiant suo; homini autem soli tributum est, vt omnes tanquam suos pascat.* Hoc fit imaginis Dei perspicuum iudicium, quòd cùm cætera animalia benefica sint in suos, homo Dei nulli sciat negare beneficium.

Text. Aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cæli comederunt illud.

§. VII.

Nil prius vitiositas cordis humani parit, quàm publicationem virtutum, quæ pereant.

Ecce tibi vnde primùm sese prodit vitiositas cordis humani, nimirum eo, quòd secus viam habeat semina diuina; hoc est, quòd nuda & discooperta exponat viatoribus grana virtutum. Meditatus Matth. Iudæorum facinus in Ie-
Matth. 27. sum, ait cap. 27. *Iesus autem iterum clamans voce magna emisit spiritum. Et ecce velum templi scissum est in duas partes à summo vsque ad deorsum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt.* Propius circa morientem Dominum erant & petræ scissæ, & monumenta aperta, & terra mota, quàm velum templi; cur ergo non prius meminit Euangelista petras scissas, quàm scissum velum? Cur prius posuit veli scissionem, & deinde scissas petras, & motam terram, & aperta sepulchra meminit? Sanè post Iudæorum malitiam completam, nihil prius apparuit, quàm nudatio & apertio sacrorum, inde in ruinam vergentium. Hoc enim in primis facit malitia, & humani cordis vitiositas, nimirum sacra virtutum semina discooperire, & ruinæ exponere. Quò spe-
Chrysost. ctans D. Chrysost. serm. 4. de Passione, ait: *Rumpuntur sanctuarij scissa velamina, & sacrarij facies sacrilegio spoliante detegitur.* Expende quo auctore sacrarij facies tot annis ab oculis popularium obseruata, tandem nudentur, exponantur, nimirum, *sacrilegio spoliante.* Quæ sacra trans velamen habebantur, accedens Iudæorum sacrilegium, & illa in primis detegit, & ruinæ exponit. Sic vbi malitia accedit, nihil prius efficit, quàm virtutum grana detegere, & detecta voracibus alitibus proponere. Huc refertur lamentatio illa Domini
Ioel. 1. apud Ioel. cap. 1. *Gens enim ascendet super terram meam fortis, & innumerabilis. Dentes eius, vt dentes leonis, & molares eius vt catuli leonis. Posuit vineam meam in desertum, & decorticauit ficum meam; nudans spoliauit eam, albi facti sunt rami eius.* Tum ficus malum, si notetur, inde incipit apparere, non quòd ficus eradicetur, non quòd rami eius succidantur; sed quòd turpi ablato cortice qui sub illo operiebatur niueus splendor, oculis popularium incipiat patere: *albi facti sunt rami eius.* Et hoc primum, & totum malum vastatæ ficus? Cur non magis numerantur eius mala ab sterilitate, ab ariditate, à succisione? Quando ficulneæ ab hostili exercitu inuentæ non magis confringuntur, vel flammis dantur, quàm decorticantur. Aut quæ gens crudelis, & terribilis gaudet prius decorticare inuentas contrariorum ficulneas, quam eradicare, comburere, perdere? Non sane illud humani furoris est circa terrena bona; sed diabolici furoris est aduersùs animæ bona. Ascendit quippe gens Principum mundi huius, vt ait D. Hier. ascendit gens tenebrarum, & spiritua- Hieron.
lia nequitiæ super nos, quæ vbi humani cordis limina teritt, nihil prius facit, quàm velamina rumpere, & candidissimas quasque virtutes ad perditionem ostensare, publicare.
D. Greg. lib. 8. moral. cap. 30. ait: *Ficum Dei gens illa decorticat, Gregor.
quia subductam mentem in fauoris appetitum rapiens, tegmen ei humilitatis tollit, eámque nudans spoliat: & albi facti sunt rami eius, quia ostensa humanis oculis eius opera candescunt, de sanctitate nomen sumitur, cum recta actio diuulgatur. Sed quoniam subducto cortice rami fici arescunt, solerter intuendum est, quia facta humanis oculis ostensa vnde placere appetunt, inde siccantur.* Hoc primum facit in animis nostris tenebrarum Principis gens, nimirum quòd opercula humilitatis tollantur, quòd candidissimæ virtutes omnium oculis pateant, vt citiùs inde dispareant. Væ tibi ficulnea, cùm ablato rustico operimento corticis rami tui albicant, niueus ramorũ candor apparet, heu quàm tunc approximas siccitati. Væ tibi anima cùm tenebrarum gens in te ingressa candidissimas animæ virtutes in lucem prosilire facit; nullum enim priùs deplorati cordis indicium datur. Lachrymabundus
Hierem. Thren. 4. ait: *Quomodo obscuratum est aurum, immuta- Thren. 4.
tus est color optimus? Dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum:* Expende mali ordinem; vix aureus color accedente infirmitate depascitur, & statim sanctuarij lapides vsque tunc asseruatissimi disperguntur in capite platearum. Quippe hoc est primum malitiæ depascentis animam testimonium quòd interna bona virtutum foras appareant, & in platearum conuentibus popularium auribus
pateant. Accinit ibi D. Paschas. lib. 4. aiens: *Sanctuarium qui- Paschas.
dem erat anima fidelis Deo, cum aurum, scilicet verbum diuinum in ea fulgebat ignitum. Sed mox obscurari cœpit in perfidia & caligine debitorum: immutatur etiam color optimus, fitque fœda, quæ pulchra erat: & disperguntur omnia interiectus; ita vt nulla remaneant vitæ ornamenta, dum cuncta pelluntur foras bona.* Quis credat non defunctum, cuius intima bona foras in capite platearum publicantur? Satis ingressus hostis, imò & mors animæ apparet, cùm vendibilia omnia in platearum conuentibus percensentur, ponderantur. Ille solus se inuulnerabilem reputet, cui cura est, & labor & in operiendis virtutibus, adeò vt pro quauis virtutum scintillula, mille cinerum luiue operiméta adsint præ manibus. Huius scholæ Magister est Dominus, dum gloriã suam manifestaturus in
Lazari suscitatione, Ioan. 11. *infremuit spiritu, & turbauit seip- Ioan. 11.
sum, & dixit: Vbi posuistis eum?* Ecce tibi gloriosissimo faciendo operi & turbationem, & quasi ignorantiam præmittit, dum turbatus quasi ignorans interrogat. Et cur insigni virtutis operi turbationem apponit? Pulchrè D. Hieronym. de
vera Circuncisione ait: *Is hic turbatus Iudæis deitatem celat Hieron.
in homine, & splendori diuinitatis in tantæ operationis coruscatione ignorantiam mortalitatis obducit, vt cùm possit in suscitando Lazaro Deus adorari, homo in sepulchri eius ignoratione vilesceat.* Sic bonus mundi Magister, proditurae virtuti velamen vilitatis apponit, vt operta virtus luto infirmitatis, doceat quo possimus effugere aërearum potestatum ora. Nouisti magnum illum Eliam sese intrepidè Regibus opponere; imò regias armatas phalanges igne de cœlo allato consumere, quid plura? Is ad vocem fœminę totus pauidus fugit,
& fugitiuus errat per montes. Habes 3. Regum cap. 19. *Ti- 3. Reg. 19.
muit ergo Elias, & surgens abijt, quocumque eum ferebat voluntas.* Cur Domine permittis tantam infirmitatem in Elia, in
quo tot clarebant virtutum opera? Eucherius lib. 4. in Reg. Eucher.
ait: *Illa potentia virtus fuit, ista infirmitas custos virtutis. In illis virtutibus ostendebat, quod acceperat: infirmitatibus hoc, quod acceperat, custodiebat. In miraculis monstrabatur Elias, in infirmitatibus seruabatur.* Nullam habent virtutem, qui solo Deo viuunt, pro qua celanda, non etiam habent mille infirmita-
tum operimenta. Vnde dicebat, Prouerb. 31. de muliere for- Prou. 31.
ti: *Fortitudo, & decor indumentum eius, & ridebit in die nouissimo.* Totus decor, & fortitudo animæ in indumento consistit quo operiuntur virtutes; quæ vt in præsenti opertæ sunt,
sic manifestissimæ erũt in die nouissimo. Ait Gillibert. Abb. Gillibert.
serm. 34. in Cant. *Tunc nulla ex parte quasi sub lingua premetur silentio,*

silentes, sed pressam diu prorumpit gaudium, & impletitur os illius risu. Os, inquam, mulieris, cuius fortitudo & decor indumentum eius. Vide quomodo nunc opertet nudam induitur, quæ premissa sibi expectas gaudia reddit. Non quæ nudæ, & apertæ, sed quæ in præsente copertæ, & velatæ sunt virtutes, gloriosum præconium in die nouissimo obtinebunt. Vt sunt celandæ virtutes, vide in 1.tom.lib.1.cap.7 §. 3.& lib 3 cap.4. §.10.tom 2.lib.9 cap.1 §.11. & lib.10.cap.1 §.7. & cap.2.§.8. tom.3.lib.15.cap.7.§.5.& cap.10.§.3. & alibi.

§. VIII.

Desidia & inactuositas dedecus, & contemptum trahit.

Metitò eadem via secus viam femina conculcatio premit, vt enim via nullam cultuam, nullum laborem præsefert, nec nonit aratrum, nec agricolæ manus. sed solus patet prætereuntium calcibus; sic piger, & inactuosus animus, totius præstantis laboris expers, & dedecus, & contemptum, & contumeliosam vitam sibi parit. De ipso Rege gloriæ Iesu locutus Lucas, cap.2.dum eius pueritiam,
Luc. 2. & adolescentiam proponit, solùm ait: *Descendit que cum eis, & venit Nazareth: & erat subditus illis.* Erat, inquam, subditus fabro, & vix noto homini. Quid vilius de summo Rege gloriæ dici potuit? Qualiter ô Angelorum Rex, à summi parentis gloria potuisti venire in tantam vilitatem, vt pauperi homuncioni subdaris? Sanè dum in nuptiis esses, Ioann.2 Matri vini signum postulanti imperiosè respondes:
Ioann. 2. *Quid mihi, & tibi mulier?* Et quam nunc vel æqualem agno fcere detrectas, per triginta annos antea paternis superiorem? Cur cuius in Cana Galilææ vel preces ostendis quasi fastidire, eiusdem in Nazareth subis imperia? Cur & in Cana regiè te geris, & in Nazareth contemptam profiteris seruitutem? Erat in Cana diuina exhibiturus facinora, qui in Nazareth delitescens nihil videbatur operari, nec mirum quòd aggressio operum regiu ostendat illu ipsom, quem vel simulata inactuositas vilem & contemptum seruum præsentabat. Pulchrè huc respiciens Tertull.lib.de Patient. c.3.ait:
Tertull. *Natum Iesum adolescere sustinet, & adultus non gestit agnosci, sed contumeliosus insuper sibi est.* Dum adolescit Dominus, nullo virtutum opere exhibito, sed potius præstantis operis cuiuscumque quasi expertem exhibens, nihil magis sibi acquirere videtur, quam contemptum, & contumeliam. Quid inde habeant homines desides, & ignaui, qui non simulatè, sed verè ab omni præstanti opere vacant? Tallor, nisi hi funditus abeant in conculcationem, & contumelias. Eccles.
Eccles. 4. cap.4 ait: *Stultus complicat manus suas, & comedit carnes suas.* Vbi Græcus in caten. *Otiosus fame perit: quia etiam actiones infames suas amplexatur, & deglutit.* En enim necessum est, vt deueniat vir otiosus, & inactuosus, quòd, vt Hispani dicunt, *Tragué mi infamia, pasé por mil vilezas.* Quòd, si qui alij, euidentissimè ipsi Hispani viri in se ipsis ostendunt; ex quo apud Hispanos otium, & ignauia est in honore, erubesco recordari quam infames actiones, & contumeliosas sibi amplexantur, deglutiunt. Fuit olim Hispanicus ager, quasi quidam & maximus & cruentissimus ager, in quo nemini licebat vacare, nec manus ibi vel gladium vel hasta securè vacuabantur. Cum labore, & opere in gente crescebat gloriæ ardor, & quotidie ampliores facinorum campos quærita bant, videres & barbaram, & penè ignotam gentem trium phorum claritudine exemplo nobilitari, & hostilibus spo liis congestis inter cantatissimas nationes decantari. Qui pelles rudes pro calceis adnectebant, iam lunatis calceis supra sydera efferebantur, adeò vt per stemmatum flexuras, & sydera, & soles, & diademata, & gloriosa alia passim eorum domos superbire facerent. Quid plura? Arenam exiit ager Hispanus, posuit Hispana nobilitas arma, cœpit Hispanos nobiles militare fastidium, cœperunt feriæ inhonoratorum, inactuositas desidiosorum, & dom honori duenni nihil agere. ab omnique facinore complicant manus, mille actiones infames amplexantur, deglutiunt. Heu quot Principibus. & nobilissimis viris totius Hispaniæ aptari posset, quod Dus Gentium Baruch decantabat. Ait enim
Baruch 6. cap. 6 *Consistunt illo in domo, nisi eorum plani sunt puluere à pedibus introeuntium. Sunt autem sicut trabes in domo. Corda verò eorum dicunt elingere serpentes, qui de terra sunt, dum comedunt eos, & vestimentum ipsorum, & non, sentiunt. Nigræ sunt facies eorum, & supra caput eorum volant noctuæ.* Quid aliud cetes de nouellis istis hæredibus Hispanicæ nobilitatis Successerunt isti domorum nobilium fundatoribus, & in domo proauorum facinoribus illustri constituti, nihil aliud efficiunt, quam puluerem conglutire, *pleni sunt puluere à pedibus introeuntium.* Sunt equidè in domo sicut trabes, non qui facinoribus facinora addunt, nec actuosas præterdant manus tuituræ, sed quasi trabes prorsus, inactuosæ aliquo modo sustentant decorem auorum tectorum autum. Magnum hoc otiosorum dedecus, sed aliud addam maius. *Corda eorum elingere serpentes qui de terra sunt:* vel illima, & humi reptantia carnis, ventrisque mancipia eorum corda elingunt; quæ fœminæ inter prostibulorum stercora nascuntur, post mille nebulonum fastidia. Principibus cordi sunt, eotùmque viscera pascuntur, a quibus ingentia munera, aurea ornamenta accipiunt & regia vestimenta consumunt, & non sentiunt. *Nigra sunt facies eorum à fumo, quæ in domo sit*; vtinam non tam verè istis viuis domorum trabibus hoc possit aptari, etenim pro stemmatum splendore, pro honestum signis, quibus nobilium domorum facies antiquitus radiabat in hac perniciosa otiositate successit fumus & horror, quando nobilis domus facies in l prius prætendit, quam fumo cerearum fascium conscriptas infames voluptates. Denique *supra corpus eorum, & supra caput eorum volant noctuæ*, quando ad hoc viuunt multi viri principes, vt nocturnos ambulones ad se trahant, pernoctésque aleas submuinistrent. Omnes has contumelias parit otium, felix qui pulchris facinoribus instans illas non experitur.

§. IX.

Vitiorum fugitiuus vel communes negotiorum vias suspectas habeat.

Quis fugitiuus communes vias non metuit? Io vanum enim arripitur fuga, nisi communes via deseratur, quando fugientibus deserta, & inuia solent præbere securitatem. Sanè numquam non capietur fugitiuus, qui à communibus viis non longè deflectit: qui secus tritas, & frequentes vias versatur. Quod Sapientet cauens Dauid Psal.
62 ait: *In terra deserta, & inuia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi, vt viderem gloriam tuam*, &c. Expende illud, *sic in sancto apparui*, hoc est, iuxta Euthymium, sic dispositus, vt essem in terra prorsus deserta, & inuia nisi enim omnes effugeret vias, non putarct se posse tutè & securè in sancto apparere. Innumeri equidem mortales peccata effugiunt, cum sæpiùs illa per pœnitentiã fateantur; sed continuò in illis ipsis relapsi deprehenduntur, quia etsi à peccatis fugerint, tamen in communibus negotiorum viis manserunt. Drum ei dem veteris familiaribus, eosdem conueotus frequentas, eisdem gaudes & ludis, & dicteriis, nec à primis viuendi curriculis deflectis, etsi à peccatis fugias, à peccatis proculdubio capietis. Ille solus effugit peccatum, qui longè à communibus viis discedit. Aiebat Dauid Psalm 54. *Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine.* Non solum fugit, sed ita fugit. vt ab omni communi via separatus sic maneat, quasi in terra deserta, & inuia, & vastissima solitudine. Pro quo D.Bernard.serm.52 in Cant *Non fuit contentus exire, & longe se fecerit, vt posset quiescere. Transilisti carnis oblectamenta vt minimè iam obediat concupiscentiæ eius, nec teneris illecebris separasti te à mundo elongasti nisi & transeuntium undique phantasmata circumstantium imaginum transuolare mente puritate praualeas.* Non sufficit ad quietem, & securitatem à peccatis exire, sceleribus renunciare, nisi etiam quàm longissimè te facias à communibus terum corporearum curriculis, quibus tibi frequentia sunt scandala. Si te idem ludus, idem sodalis, eadem gradiendi consuetudo, eadem conuersatio, iidem conuentus expectant, fieri nequit, vt non curtas easdem animi labes. Infelices illi, Thren. 2. notantur, dum dicitur: *Matribus suis dixerunt, Vbi est triticum, & vinum, cum deficerent quasi vulnerati in plateis ciuitatis, cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum?* Sapienter ad cœlestem panem, & viuum confugiunt, quo amant refici, & saturari, & nihilominus pereunt. Cur pereant homines, qui nouerunt cælesti cibo ali? Nota vbi pereant. *in plateis ciuitatis, in sinu matrum.* Ad medelam diuini cibi currunt, sed adhuc illos plateæ tenent, adhuc sub eadem latitudine, sub eadem conuersatione viuunt, nihil de plateis, nihil de sinu matrum hoc est, de molli viuendi modo relinquunt, cur inde non animas agant? D. Paschasius ibi, lib. 2. *Hæc vinum, & hunc panem à matribus requirunt, sed quia in plateis non inueniunt, exhalant animas suas in sinu matrum, cum illos malè nutrierunt, & in sinu oblectationis pessimè illexerunt.* Linque finus, linque plateas linque vias tritas, longè te fac à curriculis illis viuendi pristinis, trãsmigra in

Psal. 62.
Psal. 54.
Bernard.
Thren. 2.
Paschas.

in montem ſicut paſſer, quiſquis cupis à priſtinis lapſibus habere ſecuritatem. Introducturus Dominus populum Iſraelitem in terram fluentem melle, & lacte, in qua quiſque poſſet ſub vite ſua, & ſub ficu ſua quietè agere, nil prius curauit, quàm vniuerſos, qui Ægyptum viderant, ſepultos Num. 32. in deſerto relinquere. Num. 32. *Quia iurauit, dicens: Si videbunt homines iſti, qui aſcenderunt ex Ægypto à viginti annis, & ſupra, terram, quam ſub iuramento pollicitus ſum,* &c. Et cur aſcendentibus ex Ægypto negatur aditus in terram promiſſam? Vt intraturi in requiem Domini non ſolùm Ægyptum relinquerent, ſed nec vlla Ægypti memoria, nec vlla conſuetudo cum his, qui Ægyptum viderunt, poſſet Chryſoſt. manere in illis. Ait Chryſoſt. in Pſalm. 43. *Cur non meminit eorum, qui exceſſerunt ex Ægypto? Cur omnes perierunt? Vt qui Palæſtinam erant occupaturi, mala, quæ erant in Ægypto, non viderent, omnem nempe ſuperſtitionem, & omnem impietatem, & vt tantæ improbitatis nullum magiſtrum haberent.* Non ſolùm Ægypti iugum excutiendum, ſed & conuerſatio cum illis, qui in Ægypto fuerunt, & omnigena Ægypti memoria cauetur prudentiſſimè ab his, qui ſecuri, & quieti cupiunt degere in terra promiſſa. Nullus enim prætextus te incolumem ſeruauit, dum nihil de prophanorum viis auias relin-Cant. 7. quere. Aiebat Dei amatrix, Cant 7. *Surgam & circuibo ciuitatem: per vicos, & plateas quæram, quem diligit anima mea.* Quo ſanctiori propoſito potuit ſponſa & plateas, & vicos ciuitatis deambulare, ita vt nullum relinqueret vinculum? Sed acci-Ibid. 5. pite Cant 5. *Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt ciuitatem; percuſſerunt me, & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum.* &c. Et meritò dum mundiales vias minimè fugit, etſi eas prætextu Dei quærendi inambulet, tot vulnera, & ſpolia-Paſchaſ. tionem ſuſtinet. D. Paſchaſ. lib. 2. in Thren. ait: *Quia latiores vitæ vias expetit, & longius plateas huius ſæculi requirit, vniuerſis ſpoliatur bonis, & fame perempta.* Nil aliud ſibi expectet à communibus mundalis conuerſationis viis, qui neutiquam illas relinquit, ſed etiam ad Deum conuerſus manet in eiſdem. Quam ſint occaſiones peccatorum fugiendæ, vide tom. 1. lib 2. cap. 10. §. 12. & lib 4. cap. 5. §. 25.

Text Et aliud cecidit ſupra petram: & natum aruit, quia non habebat humorem.

§. X.

Summum obdurationis malum timeat in ſe, qui virtutem alacriter ſuſceptam deſerit.

Obdurati, lapideíque cordis illud maximum proprium, quòd nimirum illa in ſe oſtendat germina virtutum, quæ citò decidant, areant. Virtutis opus inceptum, & protinus relictum nonnumquam à lapideo corde venit, vel lapideam obduratámque malitiam cordi affert. Videres virtutis opus denuò arripi, & ſtatim dimitti; quia ſiccato cæleſti humore, totus hominis animus tranſiuit in lapidem. Quò Pſalm. 89. pulchre ſpectabat Pſalm. 89. inquiens: *Manè floreat, & tranſeat, veſpere decidat, induret, & areſcat.* Quid aliud reſtat videndum in flore, qui ſola diei initia nouit, qui ſciuit diem initiare, ſed nondum diei initium tranſiuit, & ipſe tranſiit? Sanè de hoc meritò additur, *Veſpere decidat, induret, & areſcat.* Qui ſola initia diei nouit, & ſtatim tranſiit, in terram decidet, & in duritiem, & ariditatem tranſibit lapidis. Tan-Euthym. tùm id non dixit Euthym. ſatus, *Qui manè quidem die florebat, & pertranſiuit à flore, & veſpere decidet, hoc eſt, cadet in terram, atque ita conſumpto eo humore, quem antea habebat, obdureſcet, atque exſiccabitur.* Solet equidem extremam duritiem comitari floridus virtutum, & ſtatim interceptus conatus. Hinc Hieremias notans Iudæorum malitiam & grauiorem, & obduratiorem malitia Sodomorum ait Thren. 4. Thren 4. *Et maior effecta eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ ſubuerſa eſt in momento, & non ceperunt in ea manus.* Expende, vnde minorat & grauitatem, & duritiem Sodomæ, nimirum ex eo, quòd momento ſubuerſa eſt, non multum perſeuerauit; & etiam, quòd *non ceperunt in ea manus*; hoc eſt, quòd Sodomitarum manus nullum opus bonum inceperunt. Iudæi autem multa bona opera inceperunt, multa virtutum facinora initiarunt; cur ergo dicatur malitia Iudaica maior, & grauior? An maius malum eſt virtutes initiare, & dimittere, quàm nullam vnquam virtutem initiaſſe? Equidem virtutis inceptæ viam dimittere, extremam ſolet duritiem, & mentis ariditatem denotare. D Pa-Paſchaſ. ſchaſ. ibi lib. 4. *Nec dimidium peccatum Iudææ Sodoma peccauit, quæ vacabant otio; atque egeno, & pauperi manum non porrigebat: neque vt præſens verſus inſinuat, ceperant manum eius in ea, antequam ſubuerteretur boni aliquid agere. Hieruſalem vero, cum & initia Dei leuaret, & mandata vitæ percepiſſet, manus miſit ad omnia, quæ minus ad vltimum, authorem vitæ peremit.* Quæ ſic virtutibus floruit, quas tandem reiecit, perditiſſimos quoſque in grauitate, & obduratione malitiæ longè ſuperauit. Vix enim in alio ſic oſtenditur extrema malitiæ obfirmatio, quam in eo, quòd virtutes inceptæ dimittantur. Proponite vobis ob oculos Iudam poſt viſa Chriſti miracula ad Iudæorum valuas clamantem, Matth. 26. *Quid mihi vultis dare, & ego eum vobis tradam?* Sed & de Matth. 26. & 27. eodem locutus Matth. 27. ait: *Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus eſſet, pœnitentia ductus retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, & ſenioribus, dicens: Peccaui tradens ſanguinem iuſtum.* Dum vidit Ieſum miracula operantem, milites ad terram vſque deiicientem, eoſdémque penè exanimes leuantem, Malchi auriculæ medentem, nihil inde compunctionis educit: ſed adhuc traditioni operam nauat: vbi autem vidit Ieſum vinctum catenis, & à Iudæis damnatum, tunc pœnitentia ducitur, tunc clamat, Peccaui. Cur compunctio hæc non antea pullulauit? Fuit hoc, fateor, in Iuda quoddam virtutis, & veræ compunctionis initium, ſed à quo ſtatim ceſſauit currens ad laqueum; vnde hoc initium veræ compunctionis imperfectum meritò non apparuit, niſi vbi per extremam ſcelerum conſummationem protſus in malo erat Iudas obduratus, & totus lapideus factus. Tantùm hoc non dixit Chryſoſt. homil. de prodit. Iudæ, aiens: *Quid eſt, quando ab eo mirabilia gerebantur, & ſigna oſtendebantur, non dixiſti, Peccaui tradens ſanguinem; ſed, Quid vultis mihi dare, & ego vobis tradam eum? Et poſt factum ſcelus, poſt completam proditionem, poſt perfectum peccatum, cognouiſti peccatum.* Chryſoſt. Debiliis equidem compunctio illa incepta, & turpiter dimiſſa non niſi extremam ſcelerum completionem, & confirmationem comitari, quando obduratum animum in malis comitari ſolent virtutes, quæ ſimul vt exortæ ſunt, ob defectum humoris arent.

§. XI.

Verbum Dei, dum intima cordis penetret, potens eſt vel lapides conuertere in riuos aquarum, & obduratiſſimos peccatores in ſanctos.

Miratis verbi Dei ſemen ſupra petram cadens natum aruiſſe ob defectum humoris? Et qui fieri poteſt, quòd verbi Dei ſemini deficiat in petris humor? Ait Moyſes, Deuteronom. 32. *Concreſcat in pluuiam doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum, quaſi imber ſuper herbam, & quaſi ſtillæ ſuper gramina, quia nomen Domini inuocabo*; quaſi Deum ferens Deut. 32. verbum, eo ipſo & imbres, & pluuias omnes ſecum habeat. Imò de quodam Indorum flumine ait Minutius Felix in Octauio: *Inane flumen & ferire Orientem dicitur, & rigare,* quod veriùs de diuinis verbis dici poteſt, quæ & ſemina ſunt, & flumina, vt & animos ſerant, & indefectibiliter rigent. Cur ergo verbum diuinum quandoquidem flumē eſt, & ſemen, decidens ſupra petram natum aruit, quia non habebat humorem? An non habebat humorem, vbi flumē erat? Cur ergo aruit? Rationem notat textus, dum ait: *Aliud cecidit ſupra petram*; non equidem cecidit verbum Dei intra petram, ſed ſolùm ſupra illam exterius cecidit. ſi enim intra petram receptum fuiſſet, valuiſſet facere petras lacte, & melle manare. Cantatiſſimi artificis Myronis arte ex ære fuit bucula fabricata, adeò viuis ſimilis, vt iuuencos falleret, qui quaſi ad maternas, ſic ad æreas buculæ mammas conuolabant. Quibus in æreæ buculæ nomine ſic affatur Magnus Auſonius epigram. 62. Auſon.

Vbera quid pulſas ſurgentia matris ahenæ,
O vitule, & ſuccum lactis habere petis?
Nunc quoque præſtarem, ſi me pro parte paraſſet
Exteriora Myron, interiora Deus.

Sapienter de ære ipſo & ſuccus, & humor indefectibilis lactis poſſet ſperari, ſi Deus pro parte interiore æra paraſſet. Vbi enim Deus intrinſecus habetur, lapidea, ſiue ærea corda ſilicibus in viam aquis exundarent. Nulla lapidis duritiès, nulla ariditas, nulla inſenſibilitas obeſt Dei verbo intrinſecus loquenti. De ſe aiebat Ezech cap 2. *Et vidi, &* Ezech. 2. *cecidi in faciem meam, & audiui vocem loquentis. Et dixit ad me: Fili hominis, ſta ſuper pedes tuos, & loquar tecum. Et ingreſſus eſt in me ſpiritus, poſtquam locutus eſt mihi, & ſtatuit me ſupra pedes meos.* Expende, ex quo firmatus ſteterit Vates ſupra

pedes

pedes suos non equidem ex quo extrinsecus sonãtibus verbis pulsabatur, tũc enim pronus iacebat in terra, nihil potẽs, nihil efficiens. Quid tunc? *Et ingressus est, inquit, in me spiritus, & statuit me,* &c. Dũ eius intima penetrat spiritus, vt in corde ponat sermones suos, statim conualescit de infirmitate, adeo vt possit aggredi opus diuinum. Huc Isaias cap. 54. ad
Isai. 54. Hierusalem ait: *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in sapphiris, & ponam iaspidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos, & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles: vniuersos filios tuos doctos à Domino.* Miraris, quòd Dominus Hierosolymæ rem sic ad lapides referat; quasi tota Hierosolymorum sapientia, & virtus sugenda sit de lapidibus illis. Et quid poterunt boni educere à lapide? Nónne quæ in tabulis lapideis scripta fuit lex, passim contemnebatur, adeò vt ipsi confringerẽtur lapides? Cur iterum, Domine, recurris ad lapides cur nõ magis lapides canes. Rationẽ
Hieron. adducit Hier. ex Hierem. 31. vbi sic: *Erit pactum, quod feriam in*
Hier. 31. *domo Israel post dies illos, dicit Dominus. Dabo legem meã in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.* Et lex, & lapides frangebantur, vbi lex solùm per lapidem extrinsecus exarabatur; at vbi Deus non super lapides scribebat, sed intrinsecus in ipsis cordis medullis legis verba intonabat, tunc vel lapides ipsi in filios Abrahæ conuertebantur. Quid non consequatur il-
Oseæ 2. le, cuius in corde verba Dei sonant? Aiebat Oseas cap. 2. *Loquar ad cor eius, & dabo ei vinitores eius ex eodem loco.* Aliter apud Græcos. *Loquar etiam in cor eius, dabóque ipsi facultates*
Theoph. *suas inde.* Vbi eleganter Theophylactus expendit particulam illam *inde*, inquiens. *Quid vero sibi vult, quòd ait, inde? Hoc est ab eo, quod loquitur in cor ipsorum. Inde enim talibus, tantisque bonis ditati sumus.* Numquid verbum Dei cordis intima penetrat, quin ingentes inde facinorum fructus faciat pullulare, quibus æternum ditescamus. Deuteron. 3. aiebat
Deut. 30. Moyses, iuxta Septuag. *Iuxta te est sermo valde in honore tuo, & in corde tuo, & in manibus tuis, vt facias illud.* Ad quæ ver-
Rom. 10. ba alludẽs Paulus ad Rom. 10. ait: *Prope est verbũ in ore tuo, & in corde tuo, hoc est, verbũ fidei,* &c. Pro quo sapiẽter inquirit
August. D. Aug. lib. 5. quæstionum, q. 59. cur Paulus non dixerit, verbum in manibus esse, iuxta Septuaginta, sed solùm dixerit, verbum in ore, & in corde esse? Et quidem dum dictum fuit, verbum Dei in corde esse, superfluum potuit videri addere, & esse in manibus, quando verbum diuinum nescit in corde, quin inde ingentia virtutum facinora prosilire faciat. Huc reuoco dicta tomo 3. lib. 14. cap. 18. §. 3. & 5. & tom. 2. lib. 6 cap. 2. §. 1. & tom. 1. lib. 1. cap. 1. §. 3. & lib. 4. cap. 1. §. 19. & alibi.

§. XII.

Potest etiam nequissimus bonorum præmia obtinere, sed in illis durare vix potest.

Miraris in durissimis petris aridissimísque potuisse virtutis semen viridãtibus foliis exoriri; fateor, exortum fuit semen Dei etiam in aridissimis petris, sed natum aruit, quia non habebat humorem. Nullus equidem adeò lapideus, adeò nequam homo est, qui aliquando bonorum præmiis non possit fulgere; sed duci in illis nullo modo persistet. Pulchrè ad hæc de nefatissimo Vitellio vsque ad impe-
Auson. rium sublimato aiebat Magnus Ausonius.

Vitæ sors, mors fœda tibi, nec digne Vitelli,
Qui fieres Cæsar: sic tibi fata placent.
Vmbra tamen breuis imperij: quia præmia regni
Sæpè indignus adit, non nisi dignus habet.

Bona mundi sæpè sibi indigni, & lapidei homines præripiunt; qui tamẽ illa diutiùs habere secum minimè possunt; in his enim vel ab ipso exortu solent bona vniuersa decrescere, quando sola Dei virtus stabilitatem, & firmitatẽ præ-
Isai. 54. bet rebus. Sic Isaias cap. 54. vt nouæ Hierosolymæ durationem promitteret æternam, solùm ait, *& in iustitia fundaberis,* quasi sola Dei virtus durationum fulcra parturiat, & stabi-
Eccl. 1. lia fundamenta concinnet. Eccles. 1. *Generatio præterit, generatio aduenit, terra autem in perpetuum stat.* Ex quo fulcro nixa potest terra in perpetuum stare, quando tot florentissimarum generationum cursus labuntur? Difficile equidem fuit antiquis Philosophis inuestigare hoc terrenæ stabilitatis fulcrum; variis varia dicentibus, vnus D. Ambros. ex ipso stabilitatis conceptu argumentatur, non alio, quàm Deo terram debere inniti. Sic enim lib. 1. Exaem. cap. 16 ex Ecclesiaste dicente prætereuntibus cunctis terram in perpetuum
Ambros. stare, concludit: *Ergo fundamento nullo nixa subsistit, nec fulcro suo stabilis perseuerat, sed Dominus fundauit eam.* Vbi inter tot labentium cursus terram stabilem perseuerare videmus. & eodem modo gratiosam permanere non iter adnuentibus, ac fuerat pertranseuntibus vanum est tantæ stabilitatis fulcrum ab aliis petere, quam à Deo, quando sola Dei virtus sic nouit res fundare, stabilire. Hunc eumdem locum respiciebat Nazianzenus dum prædicans fratris sui Cæsarij virtutes, inde illas extollit, quòd fecerint illum durare & permanere eumdem inter crebras succedentium Imperatorum
Nazianz. vices. Quippe ait Orat. 10. *Tempus quidem Imperatores subinde commutauit; Cæsarij autem gloria, & authoritatis apud eos principatus haudquaquam consumptus, ac dissolutus est, quin potius de eo inter Imperatores certamen erat, quisnam Cæsarium magis sibi adiungeret, & cuiusnam ille magis amicus, & familiaris diceretur. Talis Cæsarij pietas, talia pietatis præmia, studeant iuuenes, audiant viri, ac per eamdem virtutem, ad eumdem splendorem contendant.* Hæc quidem est virtutis, & pietatis constantia, quòd labentibus, & pereuntibus Imperatoribus, suum faciat perseuerare alumnum omnibus æqualiter gratum. Huc reuoca dicta 1. tom. lib. 1. cap. 9. §. 12. & tom. 2. lib. 11. cap. 6. §. 7.

Text. Et aliud cecidit inter spinas: & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud.

§. XIII.

Non quæ extrinsecus sunt diuitiæ, sed quæ earum cupiditas intra cordis aream nascitur, nociua est.

Expende, quæ spinæ sementem suffocent, nimirum spinæ quæ simul cum semente intra ipsam aream nascuntur, non quæ forinsecus aream & sementem sepiunt, hæ potius pro vallo, & defensione sementis sunt. Nec aliter diuitiæ forinsecus positæ maximam afferunt vtilitatem; verùm quæ simul intra cordis aream nascitur diuitiarum cupiditas, hæc prorsus nociua, & pestifera est. Quò spectans Dauid monebat Psalm. 61. *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* hoc dixit, *Psal. 61.*
& tacuit, nec ampliùs nos monuit de diuitiis; dum enim diuitiarum affectus non recipiatur in corde, sed extra cor sit, non tam nocent diuitiæ quàm prosunt. Ait Cassiodor. *Cassiod.*
hic: *Si cor eis non apponitur, vt in ipsis singularis felicitas sustineatur: profectò necessaria sunt. Inde enim egentibus subuenitur: inde plures ad cælorum regna perueniunt.* Non malæ sunt diuitiæ, sed mala est, & pestifera earum cupiditas exorta in medio cordis: de hac dicitur, quòd suffocat Dei sementem, iuxta illud Pauli 1. ad Timoth. 6. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in* *1. Tim 6.*
tentationem: & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum. Vbi Anselm. Chrysostom. & D. Thom. expendunt, quòd non comprehendantur his verbis diuites, sed qui volunt diuites fieri. hoc est, qui in corde habent præfixum amorem diuitiarum. De quibus etiam Ecclesiast. cap. 10. ait: *Nihil est iniquius, quàm amare* *Eccl. 10.*
pecuniam: hic enim & animam suam venalem habet: quoniam in vita sua proiecit intima sua. Caue tibi ne intima tua possideat diuitiarum cupiditas; dum enim hæc tenet intima cordis tui, nil bonum inde non prouenit, nil malum illa non parturit. Verùm vbi cordis intima non cupiditas, sed Deo seruas integra, extrinsecus positæ diuitiæ multas vtilitates afferent. Ecclesiastes cap. 5. ait: *Et omni homini cui dedit Deus di-* *Eccles. 5.*
uitias, atque substantiam, potestatémque ei tribuit, vt comedat ex eis, & fruatur parte sua, & lætetur de labore suo, hoc est donum Dei. Non enim satis recordabitur dierum vitæ suæ, eo quòd Deus non occupet delitiis cor eius. Ecce tibi hominem diuitem multis opibus à Deo refertum, qui tamen nullum solicitæ, & ærumnosæ vitæ spiculũ sentiat; qui nullam mœstitudinem vmquam meminerit. Hoc est illud: *Non recordabitur dierum vitæ suæ,* in contrapositionem illius diuitis, qui insomnem ducens noctem aiebat, Luc. cap. 12. *Quid faciam, quia non ha-* *Luc. 12.*
beo, quò congregem fructus meos? Et dixit: Hoc faciam, destruam horrea mea, & maiora faciam; & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, &c. Compone modò diuitem, & diuitem, vtrumque opibus plenum; hic solicitus, & de numero annorum vitæ suæ, quibus possint sufficere bona sua; solicitus de horreis destruendis, & reædificandis; ille nullam solicitudinẽ habet, nec recordatur annos vitæ, nec destructionis mœstitudines sentit. Sed quando alter sic curis angitur, vt inter illas pereat; cur hic diues nulla diuitiarum spicula pertimescit? Ait Ecclesiastes: *Eò quòd Deus* *Eccles. 3*
occupet delitiis cor eius. Non diuitiæ, sed Deus cor eius occupatum habebat, & inde nihil solicitum, nihil mœstum, nihil nociuum, sed omnia læta, & iucunda etiam inter diuitias habebat.

habebat. Pulchrè Caiet. ait ibi: *Ratio non recalendi huiusmodi mollia, subiungitur, quia Deus testificatio est in laetitia cordis eius. Quia Deus dando in corde diuitis ingens laetitiam, est tanquam praebens testimonium felicitatis ipsius diuitis.* Felix ille, cuius praecordia Deus occupat; huic diuitiae immensae, auri summa copia ad felicitatem, ad gaudia ingentia prouenient; & de diuitiis non perditio, sed insignia virtutum facinora nascentur. Vnde diabolus cupiens Iob peruertere, nihil prius petit, c. 1. quàm, *Extende paululum manum tuam, tange cuncta, quae possidet*, &c. Cur non magis optas diuitias subuertendo homini? Cur diuitem de paupertate sic cupis? Attigit rationem Chrysost. hom. 2. de Iob. *Diabolus quando iustum eum distrescentem eisdem temporalibus diuitiis vidit, atque ex eisdem aeternas sibi thesaurizare diuitias putauit, quoniam eo ditescente, ditescebat iustitia. Tentat eum igitur pecuniis nudare, quo clarum euadem facinoribus nudet.* Erant equidem in Iobo diuitiae virtutum fomenta, erant facinorum clarissimorum materia, erant salutis vallum, quae extra cordis aream positae vtilitatem, non damnum operabantur. Ex quo vniuersos diuites monebat Chrysost. ibi: *Fias iuxta Iob diues, atque ego tibi maiores diuitias expectabo: fias iuxta Abraham, atque omnia tecum diuitias coaptabit. Dic & tu, sicut ille dicebat: itaque apertus fui omni tribulato: dic, Humeros pauperum calefeci: dic. Os viduae benedixit mihi, atque diuitiis quibusdam ditescere.* Hoc tantùm seruetur in diuitiis, vt cor relinquant liberum, & integrum Deo; & nullum erit inconueniens, quod crescant, imò ex illis insignia virtutum opera crescent.

§. XIV.

Cur possessum à diuitiarum cupiditate, verbi Dei virtutem nescit sentire.

VBi diuitiarum cupiditas intra cordis aream exoritur, non miror, quod virtutum germina suffocentur: nequit enim cor sic affectum virtutem sentire diuini verbi. Eccles. cap. 5. *Est & alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole, diuitiae conseruatae in malum domini sui.* Et ne dubitaretur, qualis esset infirmitas haec, vel an praecordia teneret, explicatè legit Arabica lectio, *Est auiditas*; & Chaldaeus Costi posuit. *Est perniciosum malum, cui medicina non est.* Tanta quippe infirmitas est auiditas cordialis diuitiarum, vt nullam medicinam recipiat, nec vllum vmquam verbi diuini medicamen sustineat. Id quod notanter ponderat Chald. Complutensis, inquiens: *Malitia quidem multitudo significatur in praesens per diuitias; vt proinde, qui eiusmodi diuitias apud se conseruant, hoc ipso, nec Dei sapientiam, quae sit, agnoscant, nec sese ad intelligendum comparent, nec dum in animum inducant suum, filios erudire suos, absque exemplo esse, ac disciplina. Nec mirum sanè, cùm nec verba quidem mandatorum ipsius Dei recipere, nec in cordis thesauro recondere studuerint.* Proh diuitiarum concupitarum perniciosum malum! Vbi haec cupiditas praecordia possidet, omnem medicinam virtutum excludit, nec verbum Dei in cordis thesauro adolescere patitur. Notissimus est in diuinis litteris Vates ille Balaam, qui muneribus Madianitarum inescatus desiderio afficiebatur maledicendi populo Israel, sed Deum, & euaginatum Angeli gladium verebatur. Auri cupidine possessus Madianitis morem gerebat, colloquio Dei veri à maledictis fraenabatur. Quid tunc? Ait textus, Numer. 23. *Dominus autem posuit verbum in ore eius.* In ore eius posuit Dominus verbum, cur non magis in corde posuit? Nonne de abundantia cordis os loquitur? Cur non magis in Balaami corde dantur Dei verba, quae illum à maledictis reuocare possint? Madianitarum auri cupiditas tenebat miseri hominis praecordia, ideò minimè potuit verbum Dei capi in eius corde. Notanter Origen. homil. 15. super Numer. ait: *Iniecit verbum Dominus in os eius, quoniam nondum cor eius capere posset verbum Dei. Adhuc enim erat in corde eius mercedis cupiditas, propter quod etiam post verbum Dei, quod habuit in ore suo, dicebat ad Balach: Veni, & do tibi consilium, & docebat eum, quomodo mitteret scandalum in conspectu filiorum Israel.* Diuitiarum mole occupatum cor nescit verborum Dei virtutem sentire; forsan in ore permanebit verbum Dei, at in diuite corde vix fieri potest, vt adolescat, vt viuat. Hier. 12. *Quare via impiorum prosperatur, benè est omnibus, qui praeuaricantur? Plantasti eos, & radicem miserunt: proficiunt, & faciunt fructum: propè es tu ori eorum, & longè à renibus eorum.* Equidem vbi diuitiis implentur, possunt verbum Dei in ore habere, in corde autem, & animo id habere minimè volunt, sed à se quidquid Dei est, proiiciunt longè. Non multum viuit diuini verbi virtus in diuite corde. Vbi Ionas praedicauit in Niniue, ait textus, cap. 3. *Et peruenit verbum ad Regem Niniue, & surrexit de solio*, &c. Miraris, quod verbum Dei sic immutet Regem Niniuae? Cui temporales diuitiae magis sunt cordi, quam Regi, & Regi Ethnico? Vnde ergo valuit Dei verbum, sic in diuitis Regis corde adolescere? Nota Ionae vocem, nimirum: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.* Prius tota regni spes, tota diuitiarum fiducia tollebatur ex corde, qua sublata, potuit verbum Dei tanta efficere in eius corde, alioquin vix posset, D. Ephrem serm. in Ionam: *Illuxit, atque insurgit una voce corda Regum, quia illorum vrbem super ipsos euertebat, vna voce omnem eorum spem praescindens.* Expende, vnde corda Regum dicuntur commota voce Prophetae, nimirum, ea quo illis bonorum temporalium spes praecisa est; nisi enim haec bonorum spes praescinderetur, minimè Dei verbum in corde diuitis adolesceret. Dicebat ille, Prouerb. 5. *Cur detestatus sum disciplinam, & increpationibus non acquieuit cor meum, nec audiuit vocem docentium me, & magistris non inclinaui aurem meam?* Cui quasi responderet D. Ambros. ser. 81. ait: *Communem hominum sortem non meminit diues, scriptum non legit, nec recordatur praeceptum esse, vt fides, & misericordia non deserant te; & constringe esurientis panem tuum. Et quaecumque vel à caeteris Prophetis, & Doctoribus quotidie praedicantur, diues non audit, videt, nec intelligit.* verè in diuite corde nescit verbũ Dei adolescere.

Marginal notes (left column): Caietan. — Iob 1. — Chrysost. — Idem. — Eccles. 5. — Chald. — Num. 23. — Origen. — Hier. 12.
Marginal notes (right column): Iona 3. — Ephrem. — Prou. 5. — Ambros.

Text. Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum.

§. XV.

Interna virtutis praestantia nullo magis claret, quam praesentaneo bonorum operum fructu.

BOnitatem terrae meritò Dominus exprimit ex centuplicato fructu statim orto; nullo enim magis virtutis apparet praestantia, quam praesentaneo exhibito fructu bonorum operum. Accipite pulchrum praestantis virtutis, & bonitatis exemplum in Anna Samsonis matre: huic adest Angelus, Iudic. 13. illámque monet de filio habendo, & statim subdit: *Caue ergo, ne bibas vinum, ac siceram, nec immundum quidquam comedas, quia concipies, & paries filium, cuius non tanget caput nouacula: erit enim Nazaraeus Dei ab infantia sua, & ex matris vtero, & ipse incipiet liberare Israel de manu Philisthinorum.* Duo hic dicit Angelus bonae foeminae, & quòd caueat vinum, iam consecrans Deo filium; & quòd filius magna patraturus erat aduersùs populum Philisthinorum. Quid tunc mulier? Angeli, imò Dei verbum narrat marito, inquiens: *Quo nomine vocaretur, noluit mihi dicere, sed hoc respondit: Ecce concipies, & paries filium; caue, ne vinum bibas, nec siceram, & ne aliquo vescaris immundo: erit enim puer Nazaraeus Dei ab infantia sua, & ex vtero matris suae, vsque in diem mortis suae.* Haec dixit, & caetera tacuit: id quod notat D. August. q. 52. dicens: *Et quod legitur dictum: Ipse incipiet saluum facere Israel, non est à muliere memoratum.* Et cur bona foemina, quae multa fuit in explicanda abstinentia à vino sibi indicta, & consecratione pueri nascituri, pueri etiam facinora, & victorias de Philisthinis sibi reuelatas nec dixit, nec illarum videtur meminisse? Sanè bona terra nil aliud curauit, quàm ad bonorum operum fructum praesentaneum currere; caeteras autem victoriarum Samsonis, & facinorum eius, & populi liberandi praedictiones nil curat. Huc conueniant foeminae virtutum studiosae, & condiscant, vnde verae bonitatis, & sanctitatis specimen emulgent, si ex Angelorum colloquiis id dissimulent, & quasi obliuiscantur, quod ad meras futurorum praedictiones attinet; id arripiant toto animo, quod praesentaneum bonorum operum petit exercitium. Hoc etsi linguae cessabunt, etsi miracula non fiant, etsi prophetiae euacuentur, erit tamẽ intimae bonitatis, & praestantis virtutis indicium clarissimum. Notissima est Iosephi Patriarchae historia, quando ex somnio Pharaonis imminentẽ famem prophetauit, illique congestis frumenti copiis occurrendum consuluit. Cuius prophetiam miratus Rex, Genes. 41. ait: *Quia ostendit tibi Deus omnia, quae locutus es, numquid sapientiorem, & consimilem tui inuenire potero? Tu eris super domum meum*, &c. Circa quae verba, illud venit ponderandum, nimirum, an Rex sapienter coniecerit ex prophetia Iosephi, illum tantum esse virum, cui parem, & similem alium inuenire, ad subueniendum tempore difficili famelicis impossibile esset? Poterit ne fieri, quòd par Iosepho inueniatur virtus, quando ipse sic intelligit

Marginal notes: Iudic. 13. — August. — Genes. 41.

super egenum, & pauperem, vt tempora famelica diuinet? Pulchrè hanc quæstionem dissoluit Sidon. Apollinar. lib. 6. epist. 12. quæ est de patientia Episcopi virtutibus, vbi sic habet: *Ioseph contra sterilitatem septem vberes annos insecuturam, facilè prouidit remedium, quòd prauidit, secundum tamen moralem sententiam, nihil minor est, qui in superueniente simili necessitate, non diuinat, & subuenit.* Inde sapientissimè censetur præstantia virtutis, quòd etiam si non diuinet, in opus tamen prosiliat. Te operantem videam, te beneficum noscam & operibus pietatis plenum, & nullas alias gratias gratis datas requiro, non varias linguas, non miracula, non prophetias, vt tuam ingentem prædicem virtutem; imò inde te multis prophetantibus anteponam, quòd non prophetes, & subuenias, & operibus charitatis incumbas. Nihil enim sic intimam animi virtutem ostendit, vt illam ostendit exhibiti virtutis operis fructus. Cùm Petri socrus ægrotaret, Iesus, Marc. 1. *accedens eleuauit eam apprehensa manu.* Quid medico, & infirmæ manui? Medici solent vel frontem, vel linguam attrectare, vel saltè pulsum in extrema brachij parte notare, vt occultam infirmi qualitatem noscant. Cur Iesus non pulsum, non frontem, non linguam, sed solam tenet infirmæ manum? An quia index clarior virtutis suæ infirmaotis, siue valeotis ab operibus exhibetur? Ait D. Chrysost. hom. 6. in Marc. *Non tangit frontem, non tangit aliam partem corporis, sed manum tangit: propterea enim febricitabat, quia bona opera non habebat.* Nescit occultari virtus in manibus, si in animo adsit, statim sese operibus prodit; si non se prodit operibus, inde est, quia non adest. Huc reuoco dicta in præsenti lib. 14. c. 2. §. 19 & cap. 10 & cap. 4. §. 17. & cap. 10. §. 10. & tom. 1. lib. 10. cap. 1. § 5. & alibi.

Text. Hæc dicens clamabat: Qui habet aures audiendi audiat. Interrogabant autem eum discipuli eius, quæ esset hæc parabola. Quibus ipse dixit: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei: cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant.

§. XVI.

Deplorata est salus illius, qui Saluatoris noscendi studia nullo afficitur, quando qui illum inquirit, inuenit.

Meritò discipulis datur, quòd noscant diuina humanæ salutis sacramenta, vtpote, qui inuestigant, qui inquirunt; cæteri autem à salute exclusi penitus relinquuntur, vt qui Saluatoris noscendi nullo studio afficiuntur. Quam perditionis notam pulchrè Iudæi inussit D. Iustin. in orat. aduersùs illos, inquiens: *Cur vnum A priori Abrahami nomini additum sit, discitis: itémque qua de causa vnum R additum sit Sarræ nomini, compta arrotiane inspiratis. Cur autem Ausæ nomen, quod à patre habuit Naue filius, totum in Iesu nomen mutatum sit, non quæritis? Item, cum in Moysis locum successisset, cur solus eorum, qui ex Ægypto, id ætatis, qua erat, exierant, in terram sanctam populum deduxerit. Atque vt idem hæreditario inter eam inter eos, qui secum introierant, diuisit.* Sic perditissimi Iudæi circa parentem carnalem Abrahamum adeò curiosi indagatores, vt nec sinerent vnam nominis litterā mutari, quin mille quæstiones excitarent, quibus mutationis mysterium anxiè perquirerent. At de duce suo Iosue, in quo tot noua, & insuſitata concurrerunt, nimirum & totius nominis mutatio, & inductio populi in terram promissam, & terræ acquisitæ partiti, nil prorsus inquirunt. Et cur tam curiosi circa parua Abrahami tam desides, & tardi existerunt circa Iosue? In Abrahamo promissam temporalitatem videbant, Iosue totus halabat Iesum æternæ authorem salutis, sicque perditissimi prorsus temporalitati adhærētes, nihil æstimant veræ salutis authorem inquirere. Verè in hoc deplorabant suam ostendebant salutem, quòd solicitè de minimis, de Saluatoris magnaliis perquisendis curam habebant nullam. Sed iam & Iesus erat in mundo, verus Sol institiæ, explicans plenas faonarum pennas suas: simul & Baptista Ioannes voce tonabat ad Iordanis ripas. Quid tunc Iudæi? Ioan. 1. *Miserunt Iudæi ab Hierosolymis Sacerdotes, & Leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum: Tu quis es?* Id quod notans Orig. hom 6. in Ioann. ait: *Ioannem quidem cum tanto honore interrogaunt: Christo autem ne hoc tale à Iudæis factum, istius diuinæ mandatum est.* Proh miseram obdurati cordis perditionem! Nulli studio, nulli labori parcitur, vt leuidensa, & minima sciantur, cognoscantur: vt autem veræ salutis authos notus fit, nec minimum adhibetur studium. Meritò de his Hier. 10. ait: *Quia stultè egerunt pastores, & Dominum non quæsierunt; propterea non intellexerunt, & omnis grex eorum dispersus est.* Cur cæcus, & obduratus non relinquatur, qui nullum studium, nullam operam nauat, vt suæ perceipiat authorem salutis? Sapienter monebat Psalm. 104. *Quærite Dominum, & confirmamini, quærite faciem eius semper.* Imò se testem adducens, ait Psal 33. *Exquisiui Dominum, & exaudiuit me, & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me. Accedite ad eum, & illuminamini.* Non se negat Dominus inquitenti; hoc vnum expectat, vt sit, qui quærat, qui pulset & statim sese manifestat, suámque prætendit claritatem. Isai. 21. *Ad me clamat ex Seir: Custos quid de nocte? Custos quid de nocte? Dixit custos: Venit manè, & nox, si quæritis, quærite.* Expende illud, *venit manè*, de nocte quærebat, & responsum accipit, quòd venit manè. Cur Domino quærenti de nocte, obiceis statim manè? Equidem, qui sub vmbris latentem Deum quærit, non potest eius claritate non illuminari; vix tenebras latiboli inquiris, & ecce tibi lucidissima eius frons, instar diei orientis apparet. Quò respiciens Richar. Vict. lib. de incarn. Verb. part. 1. cap. 13. ait: *Dixit itaque, venit manè. Manè desiderantis, manè habebitis. In aduentu filij mei suspiratis. Citò veniet, quem quæritis. Et ecce anxiè desiderantibus, humilitérque supplicantibus aduentus Redemptoris reuelatur, à quibus prius sitiebatur.* Qui non inquirunt, hi sub cæcitate, & tenebris manent; qui autem ardentes Deum quærunt, illúmque auidè requirunt, non diu morantur, sed quamprimum lucidissimum exortum fruuntur. De Abrahamo ait Dominus, Ioann. 12. *Abraham exultauit, vt videret diem meum; vidit, & gauisus est.* Itaque Abrahamo exultanti, vt diem Saluatoris videret, hoc præmium datum fuit, vt videret illum. Sed quando vidit? Ait D. Chrysol. serm. 131. *Si Moyses, & Elias in monte occurrerunt, vt promissum conspicerent Christum; quomodo nec Abraham accurrit ad portam virginis, vt promissum benedictionem in gentibus, id est, in semine suo potentissimè expectator intenderet?* Suspicatur, vt diuinus Abrahamo datum, vt dominicæ natiuitati præsens esset, vtpote qui summo studio illum requisierat. Solet enim Deus sese requirentibus ostendere, & propalare.

§. XVII.

Temporalibus bonis nimis fidentes, sub ipso Dei lumine magis à propria malitia obcæcantur, & obdurantur.

Ecce ruinam eorum, qui nihil spirituale requirunt, sed totos sese his temporalibus bonis tradunt; hi quidem, videntes non vident, & audientes non intelligunt. Et vnde prouenit, quòd sub eadem visione, & luce cæci adhuc maneant? Sanè ea est malitia temporalium hominum, quæ sic affectu temporalitatis implentur, vt inde magis obtuentur, ne videant, quando illis maiora dantur æternitatis lumina. Accipite Pharaonem inter miracola clarissima, inter fulgentissimos mirabilium diuinorum radios, Exod. 9. vbi sic: *Videns autem Pharao, quòd cessasset pluuia, & grando, & tonitrua, auxit peccatum. Et ingrauatum est cor eius, & seruorum illius, & induratum nimis.* Diuinæ potestatis erat hoc facinus octauum, quo & iræ suæ fulmina in grandine, & pluuia cohibuit, & sub tanto diuinitatis testimonio, dicitur Pharao indurauisse nimis. Cur cùm creuerat miracula, creuit & Pharaonis durities? Vt totus erat Pharao in acquirendo lucro ex luteis lateribus ab Israëlita factis; sic ex luteis lucris, quæ tractabat, totus ipse factus est luteus, vnde de luti more sub maiori lumine magis induruit. Aiebat Origen. hom. 2. in Cantic. *Talis fuerat materia cordis Pharaonis, qua præsentiam Solis iustitiæ, non ex parte, qua illuminat, sed ea, qua adurit, & indurat, exceperit, propter hoc sine dubio, quòd & ipse effugiebat Hebræorum vitam in operibus duris, & quòd luto, & latere consiciebat eos. Et erat vtique cor eius secundum ea, qua cogitabat, luteum & limosum. Et sicut materiam lati sol ille visibilis stringit, & indurat, ita sol iustitia ex eisdē radijs, quibus illuminat populum Israel, Pharaonis cor, eius inerant lutea cogitationes, pro ipsis motuum suorū qualitatibus indurabat.* Propone tibi Israëlitam populum, & Ægyptium Pharaonē sub eisdem luminibus miraculorum: Israëlita in Dei cognitionem, & adorationem excitabatur, illuminabatur; Pharao magis ac magis indurabatur, obcæcabatur. Et cur quando Dei magnalia vtrisque monstrabantur, illi illuminabantur, hic obdurabatur? Sanè id prouenichat ex magnalitate cordis Pharaonis, qui vt totus erat in acquirendis luteis lateribus,

fecundùm ea, quæ amabat, luteum cor habebat, quod fub diuinorum miraculorum lumine non poterat moraliter non indurari. O temporalium bonorum malignitatem, quia ipfa lutea funt, luteos reddunt amores fuos, & eo ipfo, quod lutei fint, luteúmque cor habeant, vix fieri poteft, quòd ad diuinitatis radios maiorem obdurationem non capiant. Hos
Iob 41. figurabat Iob 41. in illo vaftiffimo Leuiathan, de quo ait: *Sub ipfo erunt radij Solis, fternet fibi aurum quafi lutum.* Expende, quid immanis bellua fub radiis Solis faciat, nimirum, *fternet aurum fibi, quafi lutum.* Sub folaribus radiis naturalius eft, quòd lutum, & terra concoquatur, & purificetur in aurum, cur modò è contra fit? Et radij Solis funt, & aurum quafi lutum fit fub Solis radiis, vnde tam peruerfa nafcitur conditio? Eft aurum fubter Leuiathan, hoc eft, fub poffeffione hominis belluini, & temporalis, in quo aurum, & diuitiæ luti naturam induunt fub Solis radiis, vt vnde crefcũt cœleftia lumina, inde durationem capiant, & ariditatem.
Eccl.14. Quò forfan refpexit Ecclef.c.14.aiens: *Infatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis non fatiabitur, donec confumat arefaciens animam fuam.* Non equidem contingit, quòd cupidus, & temporalis homo in parte iniquitatis fatietur, etiamfi lucidiffima cælitus lumina illi effulgeant, quin potiùs inter lumina, tantum aberit, quòd *arefaciet animam fuam*, hoc eft, omni humore gratiæ repulfo, magis arefcet vt lutum, &
Carthuf. indurabitur. Vbi Carthuf. ait: *Per diuitiarum cupiditatem ab omni fpirituali humore gratiæ, ac falutaris fapientiæ, cor fuum deficcat, & efficit alienum.* Hoc temporalis homo accipit ex cœlefti lumine, quòd illi refiftens, inftar luti denfi humorem gratiæ penitus expellat, & fe deficcet, & abeat in lapidis duritiem.

Text. Eft autem hæc parabola: Semen eft verbum Dei: qui autem fecus viam, hi funt, qui audiunt, deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes falui fiant.

§. XVIII.

Quantumuis paruum fit, quod de Deo percipimus, potens eft nobis totam Deitatis præftantiam demonftrare.

Mitaris diaboli folicitudinem in tollendo Dei verbo de corde hominis; vix cadit verbum Dei in nobis, & ecce venit diabolus perniciffimus inftar volucris, fic enim aiebant parabolæ verba, *Venerunt volucres cæli, & comederunt illud.* Et cur adeò feftinus, adeò pennatus aduolat diabolus, vt tollat verbum Dei? Quid fi paulifper moretur verbum Dei in corde? An paruus verbi guftus poffet aliquid efficere magnum? Equidem quidquid vel parum de Deo percipiat homo, potens eft illud ingentem Dei præftantiam, &
Pfal.33. excellentiam demonftrare. Solùm aiebat Dauid Pfalm.33. *Guftate, & videte, quia fuauis eft Dominus.* Cur folùm ait *gu-*
Cant.5. *ftate*? Cur non magis ait, implemini? Aiebat illa, Cant.5. *Bibite, & inebriamini chariffimi*, &c. Et Dauid folùm ait, *guftate*, nimirum fciens, quòd vel paruus Dei guftus poffet
Cyrill. totam oftendere Dei præftantiam. Pulchrè D.Cyrill. Alex. lib.4.in Ioann.fatur, c.58. *Quemadmodum qui guftu præcipuam mellis qualitatem probant, ex minima, quam guftauerunt, particula totum cognouerunt; fic qui vel parum Saluatoris verba intellexerunt, bonum effe ipfum cognofcent, & cognofcentes admirabuntur.* Non eget Deus multis, vt fuam immenfæ virtutis præftantiam exerat, fi vel minimus eius accipiatur guftus, fi vel tantifper etiam minima, & extrema Dei pertingantur, tota fummitas virtutum diuinarum fentietur. Prudens illa
Matth.9. fœmina, Matth.9.aiebat intra fe: *Si tetigero tantùm veftimentum eius, falua ero*; hoc vnum putabat fibi neceffarium, vt falutis fontem ad fe traheret, quòd vel paulifper aliquid veftimenti eius haberet in manibus. Quid tunc? Ait Luc.
Luc.8. cap.8. *Tetigit fimbriam veftimenti eius, & confeftim ftetit fluxus fanguinis.* In minima, & extrema parte veftimenti accepta, nihil fummæ virtutis defiderauit, ex quo hauriret fanita-
Chryfol. tem. Id quod eleganter notat Chryfol.ferm.35.aiens: *Quia in Chrifto nihil poftremum credidit, nihil iudicauit extremum, quia nec minoratur Deus in homine, nec virtus attenuatur in fimbria: hinc eft, quòd mulier per dorfum peruenit ad faciem, per veftimentum penetrauit interna, & per fimbriam capitis tetigit fummitatem.* Vel vltimum fimbriæ filum manu tenuit, & ecce totam virtutis diuinæ fummitatem in propria falute experitur. Non equidem expectandæ funt longæ moræ, nec

magnum aliquid prendere neceffarium eft, vt Dei magnalia fentiantur: fed fi vel eius minimum tetigeris, totam fummitatem virtutis experieris. Cantic.2. *Sub vmbra illius, quem defideraueram, fedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Cant.2.
Paulò aliter Theod.legit: *In vmbra illius defideraui, & fedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Expende qualis fit viuifica, & diuina arbor, nondum eius poma vifebantur, non diuites rami apparebant, fola quidem eius vmbra verfabatur ob oculos, & dum ad vmbram curritur, dum vmbra prenditur, totius fructus guftu palatum impletur. Pro quo Theo- Theod.
dor. ait: *In vmbra eius, inquit, cupiui, & fedi, & fructus eius dulcis in gutture meo. Etenim fub vmbra fedens, fructum decerpo, & comprehendo.* Vel fi Dei vmbra paulifper prendatur, fummam faciet fentiri, & præguftari fuauitatem eius. Felix es, quifquis ad Deum toto corde intendis, non longo eges tempore, nec neceffum habes eius ftatim magnalia videre, ad vmbram, ad minimum eius fi pertingas, tibi aderit tota virtus eius. Sic illa, Cant.3. quærens Deum, ait: Cantic.3.
Inuenerunt me vigiles, qui cuftodiunt ciuitatem. Num quem diligit anima mea, vidiftis? Paululum cum pertranfiffem eos, inueni, quem diligit anima mea, tenui eum, &c. Poft paululum ftatim totum tenet dilectum: pro quo & dulciter, & eleganter abdubitat Gillib. Abb.ferm.8.in Cant. fatus: *Quomo-* Gillibert.
do expectabimus illud, quod ponitur, fcilicet, paululum? Inæftimabiliter prærogat omni creaturæ diuina maieftas, & quafi vicina, & familiaris fit, dicis: Cum pertranfiffem illos paululum, inueni, quem diligit anima mea? Denique chaos magnum firmatum eft inter noftram, & ipfius naturam: omnes gentes quafi non fint, fic funt coram eo, & quafi nihil, & inane reputatæ funt ei. Quæ ergo poterit affignari vicinitas, & conuenientia inanis cum folido, nihil cum immenfo? Qua ergo ratione dicit: Paululum cùm pertranfiffem illos inueni, quem diligit anima mea? Sanè qui à creaturis excedens, vel paululum ad Deum accedit, eo ipfo, quòd Dei vel paululum pertingat, totam diuinæ virtutis fummitatem præfentit.

Text. Nam qui fupra petram, qui cùm audierint, cum gaudio fufcipiunt verbum: & hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.

§. XIX.

Non qui florido externarum virtutum fplendori, fed qui amaricantibus laborum radicibus increuerunt, hi tentationum repellunt incurfus.

Svnt, qui virtutum fuauia, virtutum fplendorem, floridùmque illarum cultum facilè arripiant, nihil fentientes amaritudinis, nihil durum, & acerbum guftantes, fed omnia læta, omnia fplendida præfeferentes, hi ad primum tentationis impetum miferè perduntur. Aiebat Matth.13. *Alia ceciderunt in petrofa, vbi non habebant terram multam: & continuò exorta funt, quia non habebant altitudinem terræ, fole autem orto, æftuauerunt.* Cur non magis fuftinent folem? Cur fub folaribus radiis perimuntur? Rationem pulchram reddit Dominus apud Lucam, cap.8. inquiens: *Cum gaudio fufcipiunt verbum, & hi radices non habent*, &c. Non radices amaricantes verbi, non dura, & afpera virtutum vorarunt, fola dulcia, & gaudio plena fenferunt, & dum folis lætantibus virtutum fplendoribus tenentur, vix fuftinent primum, vel leuiffimæ tentationis impetum. Huc traxit Nyffenus illud Cant.1. *Nolite me confiderare, quòd fufca fim, quia decolorauit me fol: filij matris pugnauerunt contra me.* Siue vt Græcè legitur: *Ne me afpiciatis, quia fum nigrefacta, quoniam fol me afpexit. Filij matris meæ pugnauerunt in me.* Ecce vobis, pulcherrima fponfa bello cadit, vim pugnæ non fuftinet, fed nigrefacta, & tenebrofa decidit. Et cur talis decidit? Ipfa ait, *quia fol me afpexit.* Deus bone, Solis afpectum fponfa tua non fuftinet? Cur non magis patitur aduri? Ea erat tunc fponfa, quæ amaricantes virtutum radices non fumpferat, fed fola virtutum decora, folos virtutis lætos fplendores coluerat, quæ nil mirum fi à fole vincatur, quando fol ille externum virtutum fplendorem, lætúmque earum cultum adurit. Ait Nyffen. homil.2. in Cant. *Hic eft fol lædens, quando eius æftus non arcetur à nube fpiritus. Hic eft fol, qui nitidam corporis fuperficiem accendit infultu tentationum.* Expende, delicati, & in croceis nutriti virtutum milites, qua parte feriantur; ait enim: *Hic eft fol, qui nitidam corporis fuperficiem accendit*; non fi præcordia tranfuerberata fentiant,

Matth.13. Luc.8. Cant.1. Nyffen.

sentiant, sed si nitidum illum splendorem virtutum nigricari videant, & malè haberi, Christianis castris renunciant. Lucem huic Nysseni excogitationi afferam ex Plutarcho in Pompeium; vt Cæsarem percuteret Pompeius, ingentem militum exercitum comparauit, aulicos omnes viros, crinitos, cincinnatos, non tam lancea, quàm calamistro assuetos, non sic à puluere bellico gloriosos, quàm à pigmentis splendidos. E contrà Cæsaris milites erant à rupibus nati, inter Syrtes innutriti, nihil sic scientes, quam famem, quàm penuriam pati. His ferebatur aduersùs Pompeium Cæ-

Plutarch. sar; de quo inquit Plutarch. *Animaduertens Cæsar tanto septum equitatu sinistrum hostium cornu, metuénsque armorum splēdorem, sex cohortes ex secunda acie detraxit, ac penè decumanos collocauit: præcepitque, vt quieti consisterent, ne perciperet eos hostis; vbi innSererent equites, per principia procurrerent, nec pila emitterent, vt solent fortissimi ad gladios stringendos properantes: verùm superiora peterent, hostiumque oculos, & faciem ferirent, conuulnerarèntque haud substitutos cum fuco suo pulcellos istos, & floridos saltatores,* &c. Nouit sapientissimus vir coratulorum omnium ingenium, qui mallent capi, quàm fœdari, qui nitoris faciei damna minimè sustinerent, quapropter totum belli insultum ad nitidam faciei superficiē conuertit. Quid tandem factum est? *Ibi signo à Cæsare dato recepit se equitatus, & cohortes subsidiariæ hostiles occurrerunt, obijcientésque se equis, vti præceptum erat, erectis pilis, ora eorum foderunt. Illi, vt omnis pugnæ rudes, & qui tale neque expectauerant, neque præmeditati fuerant, abiecto animo non sustinuerunt oculos suos, & ora cædi, sed versi, oculósque manibus integentes, turpiter se in fugam effudere.* Siccine nitiduli illi milites pierunt, & qui nihil didicerant aliud, quàm nitorem cutis fouere, & inter suauia splendescere pigmenta, ad prima splendoris, nitorísque damna turpi sese fugæ dederunt. Quid plura? Sunt & nitiduli fideles, & comptuli, qui de virtutum via, quod suaue est, quod floridum, quod splendescens, auidè

Isai. 66. arripiunt; de quibus ait Isai. cap. 66. *Adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis ad montem sanctum meum Ierusalem.* Hi dum splendent, dum puluereum non terunt solum, sed lecticarum vmbraculis delicatè feruntur, alacres in virtute videntur. At si illos sol aspiciat, si sol ardens nitidam corporis superficiem accendat insultu tentationum, vt qui tale non præmeditati fuerant, abiecto animo nulla sustinent splendoris, nitorísque damna, sed vt temporalem seruent nitorem, hostium manibus sese turpiter dedunt. In his videtur adimpletum, quod de seruo dici-

Prou. 29. tur, Prou. 29. *Qui delicatè à pueritia nutrit seruum suum, postea sentiet eum contumacem.* Explicatiùs legit D. Paschas. lib. 1. in Thren. *Qui seruum suum à pueritia nutrit in delitijs, postea sentiet eum contumacem.* Equidem non securus, & firmus est in Dei seruitio, qui à principio sola nouit virtutum suauia, quæ vbi perdiderit, Dominum abiurabit. Meliori consilio Dominus perpetuos sibi comites adsciscens, non suauia, floridáque virtutum, sed amarissimas laborum radices pro-

Matth. 4. pinabat. Ait enim Matth. 4. *Venite, faciam vos fieri piscatores hominum.* Quid ais, Domine, piscaturæ labores adhuc proponis illis, quos ad te vocas? Magis dic, quòd illos Reges facies; cur fractis labore piscandi, adhuc laboriosioris piscaturæ seruitium mandas? Pulchrè Chrysol. ser. 28.

Chrysol. fatur: *Ipse antè illis vsum laboris indulsit, qui postea eis tolerantiam dedit virtutis. Hinc est, quòd regna, gentes, carceres, vincula, tormenta, mortes, sæuientes homines terris omnibus sic vicerunt.* Meritò vt ad virtutem traheret perseuerantem, quæ posset de omnibus malis triumphare, antè illi laboris vsum indulsit; vnde, quia nihil prius, quàm amaricantes laborum radices sumpserunt, in virtute obfirmati de tentationum insultibus triumpharunt. Non aliter initiabatur

Genes. 12. Abraham, cui Genes. 12. ait Dominus: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrauero tibi.* Cuius imperij duritiem mul-

August. tis ponderat D. August. serm. 68. Nec parua est admiratione dignum, quòd Deus tanta, & tam dura, & aspera hominibus perat ex Abrahamo, cum primùm sibi hominem ascìscit. Cur Deus tantam amaritudinem ab initio seruo tuo propinas? An vt iactis laborum radicibus, eius fides robur accipiat? Ita D. Paul. ad Rom. cap. 4. de Abrahamo locutus: *In repromissione etiam Dei, non hæsitauit diffidentia, sed*

Theod. *confortatus est fide,* &c. Vbi Theodulus ait: *Dum dicit, confirmatus est monstrat multo labore, & virtute animi, fatigatiónèque fidem rectè firmari.* Quot assumis pro virtute labores, tot addicis radices, quibus firmetur fides, ne tentationum assultu minetur ruinam.

§. XX.

Duratura virtus nullo animi consilio, & pondere sumenda est.

NOta impudētium hominum ingenium, nimirum, quòd ad quodlibet bonum verbum auditum, statim occurrunt. *Cùm audierint,* ait, *cum gaudio suscipiunt,* nihil amplius examinant, sed quod bonum apparet, sine alia consideratione suscipiunt. Hi meritò ruinæ proximi, & stulti, & imprudentes habentur. Matth. 17. ascendit Iesus in montem, & transfiguratus est, & dum gloriosius apparet simul secum ostendit in gloria Moysem, & Eliam. Horum spectaculo attractus Petrus, ait: *Bonum est, nos hîc esse;* quod Petri assertum notans Marc. cap. 9. ait: *Non enim sciebat quid diceret.* Sed cur inscitiæ accusatur Petrus? Sanè sapientissimus quisque homo, rationis ductum sequens iudicaret bonum esse, frui tanta illa gloria, in qua Iesus, & Moyses, & Elias ostendebantur, imò frui tantorum virorum societate gloriosa. Cur ergo Petrus inscitiæ accusatur? Meritò accusatur Petrus, vt qui ad primum splendentium hominum aspectum sic afficeretur, vt absque alia consideratione illos in societatem admitteret. Vnde sapienter S. Proclus, serm. de Transfigurat. ait: *At Petrus more suo semper præceps, quos mentis oculis numquam antè vsurpasset, conspicatus colloquentes cum ipso, magnitudinem miraculi haud perpendens, neque considerans diuini splendoris insolentiam, & nouitatem, locum illum desertum bonum vocat.* Sanè stultitia est proxima ruinis ad primum aspectum sic moueri, vt quod nunquam antea noueras, statim absque aliqua consideratione bonum reputes, & suscipias. Ioannes apud Iordanem baptizabat, ad quem penè tota Hierosolyma confluebat, vt eius baptisma susciperet, sic enim habes Matth. 3. *Exibat ad eum Hierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem, & baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata sua. Videns autem multos Pharisæorum, & Sadducæorum venientes ad baptismum suum, dixit eis: Progenies viperarum,* &c. Itaque & Hierosolymitani Principes, & plebeij ad Ioannis baptisma currebant, quorum Principes malè accipiebantur à Ioanne. Quid tunc? Post hunc concursum talem, & tantum, accipite quid dicat Ioann. 1. *Miserunt Iudæi ab Hierosolymis Sacerdotes, & Leuitas ad eum, vt interrogarent eum: Tu quis es? Et confessus est, & non negauit, quia non sum ego Christus,* &c. Modò Ioannes cum mansuetudine respondit, nullis verbis percutit Pharisæos, paulò antè illos mirum in modum feriebat, genimina viperarum vocans eos coram vniuerso populo. Et cur tunc sic illos percutit, suum baptisma accipientes, & peccata confitentes, & modò nec vllum illis malum minatur? Sanè meritò illos percutit, quando ad baptisma concurrebant nulla consideratione, nullo præmisso examine; stultissimum enim est, & dignum quauis ruina, quod viri sapientes inconsideratè, & sine rationis ponderatione ad quoduis bonum apparens ferantur. Dum rem examinant, eiúsque difficultates ponderant prudentes homines, omni sunt digni comitate, humanitate: verùm ante vllam considerationem præcipites ferri, nihil ferè stultius, dignúmque quauis ruina, potest excogitari. Aiebat Diuus Chrysostom. homil. 15. in Ioann. fatus: *Qui ex ciuitatibus ad Ioannem confluxerant, qui propria damnarant peccata, qui baptizati erant, post baptisma mittunt, qui Ioannem interrogent: Tu quis es? Certè genimina viperarum, & serpentes: vel si quid his grauius generatio mala, adultera, peruersa, post baptisma Baptistam interrogas, percontaris? Quid hac stultitia stultius? Quomodo ad baptisma concurristis? Hæc omnia à vobis temerè, & sine ratione facta sunt, cùm neque principium, neque fundamentum intelligatis.* Temerariorum, & stultorum est, imò & peruersorum, imò & obduratorum ad primam apparentis boni scintillulam euolare, illámque absque vlla consideratione, & ponderatione suscipere. Quod ne fieret ab Abrahamo, cauens Dominus ait illi, Genes. 12. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui.* Cur sic particulatim difficultates proponit Dominus? Cur non contentus fuit dicere, *Egredere de terra tua?* Quid necessum fuit cætera addi? Vt bonus Dei assecla nec pedem moueret, quin omnes difficultates in vocatione latentes, explicitè ponderatas, & trutinatas habeat. D. Ambros. lib. 1. de Abrah cap. 2. *Satis fuerat dixisse; Egredere de terra tua, ibi enim erat, exire de cognatione, & exire de paterna domo. Sed ideo addidit singula, vt eius affectum probaret, ne fortè aut impudenter cœpisse videretur, aut fraus aliqua mandatis cœlestibus pararetur.* Impudentiæ notam cauet, qui nihil aggreditur, quin omnes rei

Margin (right column): Matth. 17. — Marc. 9. — Proclus. — Ioann. 1. — Chrysost. — Genes. 12. — Ambros.

… difficultates consideratas habet: qui enim inconsideratè fertur, & impudens est, & stultus, & valde proximus mandatorum diuinorum contemptui. Huc voco sapientissimam

Cant. 7. Sponsæ vocem, Cantic. 7. *Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius. Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis. Manè surgamus ad vineas, videamus, si floruerit vinea, si flores fructus parturiunt*, &c. Dum hæc noto, simul

Genes. 24. feror in alium locum Genes. 24. vbi dicitur: *Igitur Rebecca, & puellæ illius, ascensis camelis, secutæ sunt virum, qui festinus reuertebatur ad Dominum suum. Eo autem tempore deambulabat Isaac per viam, quæ ducit ad puteum, cuius nomen est viuentis, & videntis; habitabat enim in terra Australi. Et egressus fuerat ad meditandum in agro*, &c. Compone modò sponsam, & Isaacum: illa in agrum exit, tota intenta in floribus, & fructibus metendis: Isaac in agrum exit soli meditationi intentus. Cur Christi Sponsa nihil de meditatione, sed de fructibus capiendis in agro solicita est, & Isaac nihil de fructibus solicitus, sed totus meditationi apparet intentus? Sponsa iam secum Sponsum habebat, dicens; *Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius*, ideò nihil iam curat, quàm suscepti status fructus metere; verùm Isaac adhuc sponsam sperabat, vnde meritò totus meditabundus censetur: & vt impudens est, & temerarius, qui post susceptum munus, eius indignationem, & notitiam aggreditur; sic prudentissimus, qui ante omnia considerat, & perpendit. Ex his monebat

Bernard. D. Bernard. Eugenium Pontificem Maximum, post munus Pontificale susceptum, lib. 2. de considerat. inquiens: *In hunc quondam agrum Isaac Patriarcha exierat, cùm primum Rebecca occurrit ei; & vt Scriptura habet, exierat ad meditandum. Ille ad meditandum, tu ad extirpandam egrediaris, necesse est. Tibi iam præcessisse meditatio debet tempus faciendi præ manibus. Si nunc hæsitare incipias; id quidem serò. Antè, iuxta consilium Saluatoris, sedisse debueras, antè æstimasse opus, metiri vires, ponderasse sapientiam, merita comparasse, sumptus computasse virtutum.* Hæc ille, & sapienter, & pulchrè, nunquam enim periculosa non est sera consideratio, & meditatio muneris iam suscepti.

Text. Quod autem in spinas cecidit, hi sunt, qui audierunt, & à solicitudinibus, & diuitiis, & voluptatibus vitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum.

§. XXI.

In quo amor rerum temporalium est, & dolor erit, & gemitus, & suspirium.

PRæclarè temporalium rerum amor spinis comparatur, quia vbi ille est, & pungens dolor, & vehemens gemitus erit. Fuit equidem creaturarum amor etiam in Christo Domino, sed sanctissimus, sed rectissimus; in quo tamen vacare ab omni imperfectione potuit, at à dolore immunis

Apoc. 1. esse via potuit. De Iesu Filio Dei, Apoc. 1. dicit: *Dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Expende duo illa, *dilexit, & lauit in sanguine.* Si res amoris agebatur, ad quid sanguis? Vbi quidquid cogitabatur, amor erat, cur tormenta, cur mors, cur claui, cur spinæ parabantur? Res erat amoris, fateor; sed quia res erat amoris creaturarum, non illum voluit Deus habere sine dolore, sine spinis, sine

Chrysol. sanguine. Chrysol. ser. 6. de Passione, ait: *Christus intrat carnis iniuriam, subit contumelias passionum, pœnarum genera percurrit, mortem suscipit peramaram, quia damnari voluit, quæ quod fecerat, sic amauit.* Etiam sanctissimus in Deo creaturarum amor, non fuit sine ingenti dolore, sine millibus spinarum fascibus. Quis iam putet amare creaturas, amare bona temporalia, & omni dolore manere vacuum? Ait Lu-

Luc. 12. cas, c. 12. *Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit, & cogitabat intra se, dicens: Quid faciam, quia non habeo, quò congregem fructus meos?* Expende modò, quid fructus vberes ex agro percepti causent in domini sui animo; sanè vt erat fructibus abundans, sic etiam erat anxius, & nihil aliud agebat, quam dolens, & egens clamare: *Quid faciam, quia non*

Ambros. *habeo?* Vnde eleganter D. Ambros. ait ser. 81. *Angustiatur hic ex abundantia, constringitur, & coarctatur ex opulentia. Infelix in præsentibus bonis, infelicior in futuris; & vt video, ager ei non tam reditus largiores, quàm gemitus attulit grauiores.* Nesciunt temporalia bona aliud prius parare, quàm gemitus, quàm dolores, quam spinas, & tribulos, qui amatores suos discerpant, & penè mactent. Quis non sub amore creaturarum

penè laboribus confractus, & enectus? Psal. 44. *Adducentur Regi virgines post eam: proximæ eius afferentur tibi.* Psal. 44. Virgines vocat illas, quæ ab omni amore temporali feriatæ, vni Deo vacant; his proximas vocat viduas, quæ aliquando temporalium amorem sustinuere, eorum tamen iugum à se modò excutiunt. Sed nota discrimen: virgines dicuntur adduci, vt quæ solum ducatum expectantes, ipsæ per se possunt virtutis viam currere: viduæ dicuntur afferri, quasi iis non sufficiat ducatus, sed insuper humeros requirant, quibus ferantur innixæ. Et cur hæ requirunt sic afferri, nisi ex eo, quod à temporalium amore, & laboribus confractæ, & penè enectæ inueniuntur? Ita D. Paschas. ibi inquit: *Virgines di-* Paschas.
cuntur adduci, quæ corporis integritate robustiores sunt: viduæ verò afferri, quæ plerumque fractæ diuersis, multisque molestiis, multa iam corporis imbecillitate fatiganitur. Quid aliud à creaturarum amore poterant bona hæc conseruasse, quàm molestiarum cumulum, quam confractionem membrorum, quàm mille animi angustias? Huc reuocare potes dicta 1. tom. lib. 5. cap. 2. §. 2.

§. XXII.

Qui temporalibus bonis assuescit, ægrè, & difficulter non labitur.

CVm diuitiis, & voluptatibus euntes suffocantur, ait Dominus, & notanter non dixit de omnibus, qui diuitiis, & bonis fruuntur, sed de illis, qui eunt cum bonis, hoc est, qui in illis durant, & assuescunt; hi enim, mirum erit, si non perdantur. Constantissimi sunt tres illi pueri Hebræi, qui pro Dei fide fornacis flammas non timuerunt; horum fortitudinem mille machinis intendit diabolus expugnare; eos in captiuitatem adducit, captiuorum pœnis affligit, & cùm ita nihil profecisset, aliud excogitat periculosius certamen. Iubet Babylonius tyrannus à pueris Hebræis nobiliores, & præstantiores selegi, selectos in aula habitare. Quid plura? Ait Daniel. 1. *Et constituit Rex annonam* Daniel. 1.
per singulos dies de cibis suis, & de vino, vnde bibebat ipse, vt enutriti tribus annis, postea starent in conspectu Regis. Et quis nouit tyrannum Regem, vt tam larga magnificentia captiuos pueros ditaret? Quis fecit, vt per tres integros annos captiui pueruli sic beneuolum Regem experirentur, vt de eius regia mensa cibos abundanter caperent? Non id permitteret ex se hostilis tyranni animus, sed diabolus illi hanc mentem ingessit, credens vni deliciarum diuturnitati, & assiduitati tantorum puerorum damna. Id ponderat D.
Ephrem, serm. in Danielem satis: *In cor enim Regis sese dia-* Ephrem.
bolus immisit, sanxitque vt per singulos dies Rex constituat eis annonam de cibis suis, & de vino, vnde bibat ipse: sicque eos enutriat annis tribus, vt scilicet & per tyrannidem illos compelleret vesci cibis illicitis. Et vide malignitatem draconis, quandoquidem non ad diem vnam, nec ad mensem dierum constituit præfinitum tempus, verum ad tres vsque annos prorogauit certamen, vt temporis diuturnitate tandem substerneret amatores diuini cultus. Quem non emollirent tam longæ diuitiæ? Quis tandiu cum voluptatibus gradiens non induet infirmitatem? Si gutta cauat lapidem assiduitate, cur deliciarum fontes, & voluptatum flumina non excauent cor carneum, & in ruinam trahant? Quantum enim liceat deliciis in hominum animis, clarissimè ostendit Adamus in paradiso constitutus à Deo, sed quàm primùm inde eiectus à propriis tractus cupiditatibus. De illo aiebat Eucherius de laud. Eremi fa- Eucher.
tus: *Possessor ille Paradisi cùm locum voluptatis habitaret, fixam sibi à Deo legem seruare non potuit. Quantò enim iucundior illex ille amœnitatis locus, tanto huic in lapsum pronior fuit.* Expende illud, *fixam sibi à Deo legem seruare non potuit*, nulla virtutis lex firma, & fixa inter diutinas delicias stare potest, quando deliciarum, & voluptatum assiduus impetus & æneas rupes emollire posset. Hinc Ezech. 16. ait: *Ecce hæc* Ezech. 16.
fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, & saturitas panis, & abundantia, &c. Quæ verba sic vertit Syrus: *Hæc est iniquitas Sodomæ sororis tuæ superbæ, gloriosæ, quæ saturabatur pane, & sedebat in quiete.* Non semel ad delitias accedebat Sodoma, sed inter illas sedens, & adiuiens, in fœdissimas decidit turpitudines. Ex quo aiebat D. Fulgent. epist. ad Prob. 3. c. 11. Fulgent.
In saturitate cibi viuens Sodoma, cibus ignis effici meruit. Nullum alium fructum pariunt bona temporalia, quàm perditionem, quàm ruinam. Quod ponderans Abul. Iudic. 16. quæst. 35 dum Samsonis ruinam meditatur, ait: *Nec huic dissimilis cæteris infelicitas, nam & cæteros, quos aut maxima potentia, aut excellentissima pulchritudo, aut admiranda totius corporis*

agilitas, aut pecuniarum numerosa possessio, aut sapientiæ nimia celsitudo clarot essemt, dura excidia consecerunt. Et sanè rarus est, qui sub temporalium bonorum assiduitate, in plura non rapiatur mala. Huc reuoca dicta 1 tom lib.5. cap.5 §.25. & 2. tom. lib.9. cap.2 §.30. & lib.11. cap.4. §.9. & 3. tom. lib.13. cap.2. §.10. & lib.14. cap.3. §.2. & 3 lib.15. cap.10. § 9. & alibi.

Matt. 13. Qui autem seminatus est in spinis, hic est, qui verbum audit, & intelligit, & solicitudo sæculi istius, & fallacia diuitiarum suffocat verbum.

§. XXIII.

Diaboli victoria per diuitiarum fallaciam, vt venit.

NOn diuitiæ dicuntur verbum Dei suffocare, sed quæ vna cum diuitiis venit, nimirum fallacia; hæc est, quæ de humanis cordibus crebras victorias tradit diabolo. Id forsan ostendebat Iob, cap.40 aiens de immani diaboli fortitudine aduersùs homines: *Protegunt umbræ umbram eius.* Vocantur *vmbræ* a Dionysio Carthusiano in præsenti bona vniuersa temporalia, quæ velut vmbra transeunt in hoc sæculo, in quibus penè tota diaboli fors aduersùs homines consistit. Sed quomodo diaboli tyrannis protegitur ab vmbris? Nónne dum immanissimus hostis noster in arenam descendit, vt protegeretur, & armaretur, aptiora haberet arma, nimirum ignea tela, ardentia spicula? Cur telis, cur spiculis dimissis, vmbras temporalium bonorum magis prætendit? Equidem nihil sic diabolum victorem facit, vt vmbræ fallacissimæ bonorum prætensæ. Rem explico exemplo petito ex Plutarcho in Pompeij vita, vbi dicitur de Romanorum exercitu, dum media nocte aduersùs barbaros hostes insurgit: *Luna autem in Occasum declinante, vmbræ longè corpora præcurrentes incumbebant hostibus, qui non valebant interuallum exactè cognoscere, sed vt si ad manus ventum esset, hostis incassum emissis, neminem attigere. Quo animaduerso, Romani cum clamore inuehuntur, hostésque cedunt.* Non appropinquabant Romani adhuc hostibus, vt manus conserere possent, sed à tergo Romanorum vergente luna, eorum vmbræ adeò longissimæ protendebantur, vt quàm proximæ hostibus fierent, qui cùm vmbras proximas cernunt, nec interuallum distinguunt, putantes habere Romanos præ manibus, cum vmbris confligunt, aduersus illos omnia iactunt tela, quæ in vmbris exhaurita, Romanos armatos, & valentes relinquunt, qui bella instaurant, & vincunt. Quid in rem præsentem pulchrius? Immanis equidem hostis diabolus aduersùs nos insurgit, quem protegunt vmbræ, à quo longissimæ bonorum temporalium vmbræ protenduntur. Proh miseri homines vmbrarum interuallum exactè non valentes cognoscere, putantes res præ manibus esse, ad vmbras inhiant, pro illisque habendis, insudát, & emissis incassum curis, nihil attingunt nihil inueniût in manibus suis, sed sese inueniunt in manibus inimici. Huiusmodi erat ille apud Luc.12. *Dixit: Hoc faciam, destruam horrea mea, & maiora faciam, & dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos;* (ecce quàm nō cognoscat vmbrarum interuallum, sed vt si ad manus haberet res, sic incassum curas emittit) *requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te, quæ autem parasti, cuius erunt?* Vbi sunt illæ mensæ, dapes illæ, vina illa animæ propinata? Vbi sunt seruata illa bona in annos plurimos? Sanè non erant bona, sed vmbræ bonorum, & sicut vmbræ prætereiunt, miserum hominem relinquentes in manus inimici. Huc pulchrè respiciens Esdr. ait lib.4. cap. 2. *Ideoque vobis dico, Gentes, quæ auditis, & intelligitis, expectate pastorem vestrum, requiem æternitatis dabit vobis quoniam in proximo est ille, qui in fine sæculi aduenîet. Parati estote ad præmia regni, quia lux perpetua lucebit vobis per æternitatem temporis. Fugite vmbram sæculi huius.* Nihil magis iubemur cauere, quàm sæcularium bonorum vmbras; bona enim æterna, vt lucida sunt, sic non fallunt, sed & verè in proximo sunt, & in proximo esse apparent, adeò vt securè ad illa possis extendere manū. Vnde meritò ait: *Parati estote ad præmia regni, quia lux perpetua lucebit;* & item, *quoniam in proximo est ille, qui in fine aduenîet.* In his lucidissimis bonis nulla fallacia, nullum periculum in proximo videntur, & sunt. At bona temporalia videntur in proximo res esse, & non sunt res, sed vmbra; quare prorsus fugiendæ, ne dum putes aliquid manibus capere, capias vmbras; & per vmbras inimico tradaris miserè delusus. Vnde sapienter monet: *Fugite vmbram sæculi huius.*

Iob.40.

Luc.12.

4.Esdr 2.

Luc. 8. Quod autem in bonam terram, hi sunt, qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.

§. XXIV.

Animus patientia aduersùs hostiles insultus munitus, nulla sterilitate premitur, sed diuite abundat fructu.

TErram bonam, & fructiferam meritò vocat illam, in qua patientia est, fructus enim tunc certissimus, quando a patientia affertur. Quis sub patientia in iniuriis vixit, & diuite non abundauit fructu? Paulus ad Rom.12. aiebat: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum.* Meritò vir christianissimus curam habet de cibando inimico, ne fortè qui inimicitias habet, vitæ sustentaculis indigeat. Sed cur Paulus similes curas non habet de cibandis amicis, de sustentandis illis, qui nullo vnquam odio feruntur, qui nesciunt odisse, qui ad iniurias illatas patientissimo, & amico sunt spiritu? An apud Paulum pluris habetur inimicus, quam amicus; iniuriarum illator, quam condonator iniuriæ? Absit, sed inimicis curat cibum prouidere, vt quibus etiam cibus potest deficere, de amicis nihil curat, quia scit illum, qui amico animo omnia sustinet, non egere, sed diuite abundare fructu. Ait D.Valerianus, hom.12. de Pace: *Numquid dixit, Si esurierit amicus tuus, ciba illum? Tu inimicum tuum posce, nam amicus ipse sibi præstat, vt non esuriat.* Qui patienti animo est, vberes semper habet patientiæ fructus, egestatem nescit, nescit penuriam; imo de quouis contrario telo, de quouis mortis vase faciet abundatissimos sibi fructus parturiri. De illis Isaias, cap 2. inquit: *Conflabunt gladios suos in vomeres, & la[nce]as suas in falces.* Expende quid eueniat pacificis, nimirum, quod vasa mortis & sterilitatis illis fiant instrumenta metendarum frugum. Id ponderans Tertull. lib aduersùs Gnosticos, c.13 rem in Paulo demonstrans, sic ait: *Paulus Apostolus de persecutore, qui prius Ecclesiæ sanguinem fudit, postea gladium stylo mutans, & conuertens machæram in aratrum, lupus rapax Benjamin, dein de afferens ipse escam est am.* Vbi persecutorem exuit Paulus, vbi odia deposcit, iam e lupo agnus factus quis fructus eius enarret? Plenus fuit, & superplenus, adeo vt de abundantia aliis escas salutis ministraret. Sanè qui patientia instruitur, nescit solum sterile pulsare. omnia illi fœcundissima sunt. Id quod videre licet in Dauide, dum Saulem infensissimum hostem patitur; non semel illum habuit in manibus, & tamen patientissimus, & mansuetissimus homo nullum voluit illi inferre malum. Quid plura? Egressus ab spelunca Saul, & agnoscens vocem Dauidis, è cuius manibus liber euaserat, totus mutatus ait, 1.Reg 24. *Vox ista tua, fili Dauid.* Quem hostem habebat, modò filium vocat. Vnde tanta mutatio? Quis sterilem hostem mutauit tam citò in beneficum patrem? Patientia Dauidis id effecit, quæ malens sustinere hostem, quàm occidere, nequiuit non experiri fœcundi patris affectum, etiam in hostili animo. Ex quo D.Chrysostomus, homilia de Dauid, & Saule fatur: *Quia igitur Dauide felicius, qui ex homicida fecit patrem.* Tanta est patientiæ virtus, vt nec steriles, sed patres, & patres sibi proficuos reddat ipsos inimicos.

Rom.12.

Valer.

Isai.2.

Tertull.

1.Reg 24.

CAPVT II.

De zizaniis.

ACCEDIMVS ad secundam parabolam de zizaniis a Domino propositam, in qua dominicus ager in præsenti ostenditur non ab omni malo purus, sed potiùs mixtus bonis, & malis. Petit id saturum hominum conditio mutabilis; facillimo enim negotio omnia permutantur humana. Nullum stabile in hominibus bonum, sicut nullum etiam fixum malum; singulis momentis vides inter perpetes aquilas ad astra ferri, quos videras inter suos cupiditatum cœno

no volutari; & qui modò de celsitudine contendebant cum astris, iam apparent humi reptantes. Hinc fit, quòd Dominus has humanas vices prænoscens, non statim aduersùs peruersos feratur, sed conuersionem expectet longanimis. Nec vsque ad extremum examen locum negat mutationi, quæ cælestia solet lucidissimis implere partubus, dum quæ videbantur zizania, ditissimas frugum segetes germinarũt. Huc spectat tota mens præsentis parabolæ.

Matth. 13. Simile factum est regnum cœlorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo: cùm autem dormirent homines, venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici, & abiit.

§. I.

Tantum deitatis habes, quantum liberalitatis, & beneficentiæ.

Similitudinem cælestium regnorum meritò ille præsefert homo, qui seminat bonum semen, tantum namque deitatis quis habet, quãtum habet beneficentię, qua sua in egẽtes proximos disseminet. Apud Luc. c. 19. voluit Iesus tantisper in domo Zachæi manere, & Zachæus *festinans descendit, & excepit illum gaudens: stans autem Zachæus, dixit ad Iesum: Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Expende verba illa, *do pauperibus*; publicanis solemne erat pauperibus eripere, iniustis lucris inhiare, quomodo iste publicanorum Princeps ait: *do pauperibus*? Heri, & nudiustertius non dabas, ô bone, sed eripiebas, ex quo tibi nunc in mentem venit pauperibus dare? In domo sua Iesum habebat, quem cùm primum secum habuit, & simul viscera misericordiæ habuit in pauperes.
Tit. Bost. Sanctus Titus Bostrenus ibi ait: *Vt primum Christum Dominum non citra gaudium in domum excepit, statim effectus est misericors, statim studiosus pauperum curator.* Et simul Iesum excepit, & beneficentiam induit, non potuit Filius Dei statim non sentiri, & ostendi in eo, quòd egentibus dona exhiberentur. Deitas semper adeò prona in beneficentiam, vt hæc ipsissima illius, & quasi inseparabilis videatur proprietas. Id nouerat magnus Patriarcha Ioseph, quem vt traherent fratres post parentis mortem ad hoc, vt beneficia continuaret,
Gen. 50. dicunt ei, Gen. 50. *Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur, vt hæc tibi verbis illis diceremus: Obsecro vt obliuiscaris sceleris fratrum tuorum, &c.* Hanc fratrum precationem excepit Ioseph, quibus statim respondit: *Nolite timere, num Dei possumus resistere voluntati? Nolite timere, ego pascam vos, & paruulos vestros.* Fratres obiiciunt patrem exorantem, Ioseph minimè patrem memorans proponit Deum. Et cur non patrem defunctum, sed Deum solum meminit, dicens: *Num Dei possumus resistere voluntati?* Res agebatur de beneficentia præstanda fratribus egentibus in famis tempore; beneficentia autem in egentes, non tam sapit terrenam generationem, quàm diuinam, & cœlestem; ideo Ioseph præteriens terrestrem patrem, solum Deum meminit, ostendens, non hominem ex homine, sed Deum ex Deo ostendi in beneficentia. Ad hanc mentem trahit Iosephi verba Philo Iudæus, lib. de Ioseph, vbi sic proponit Iosephum fratribus respondentem:
Phil. Iud. *Cur autem geniti patris tantum meministis? Habemus alium ingenitum, immortalem, æternum; eum ego testem inuoco meæ conscientiæ, quod bona fide vobiscum in gratiam redius. Nam ego Dei sum. Deponite metum posthac meliore conditione apud me futuri.* Vane fidit in terrenis parentibus, qui beneficiũ à filio sperat; non gentilitiis terrenis adscribitur beneficentia, sed cælestibus. In quantũ est quis diuinus, Deique sapit progeniem, in tantum est beneficus, & bonorũ seminator inter egenos. Quid plura? Deitatis imaginem etiam stetisse in muliere, vna probat beneficentia Nissenus. Creaturus enim Dominus
Gen. 1. Adamum, ait Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Quod minimè dixit creaturus mulierem: vnde orta fuit apud antiquos quæstio, an in muliere fuerit etiam imago, & similitudo Dei. Rem tractans Nyssen. orat.
Nyssen. 1. in illa verba fatur: *Vidi ego fœminam clam honestissimo quodam furandi genere. Hæc inscio marito de re familiari pauperibus largiebatur: pro viri felicitate, pro familiæ prosperitate, pro incolumitate filiorum impertiebat, celans virum, sed pro ipso viro. Pro ipso donabat, qui factum nesciebat. Id enim præstabat in gratiam illius, qui vidit in abscondito, nec benefacta sua diuulgabat. Et mulier igitur habet, vt ad imaginem Dei sit.* Non potest non capere etiam infirmum vasculum totam deitatis imaginem, quando capit in pauperes beneficentiam: sunt enim res mutuò se comitantes & diuinitas, & beneficentia.

§. II.

Vbi bonorum erogatio est, nulla est paruitas, quæ non superet maiora quæque.

Miraris, quod regnum cæleste totum homini comparatur, ait enim Psalm. 8. *Quid est homo, quòd memor es eius, aut filius hominis, quia reputas eum?* Sanè vtilissimum, & Psal. 8.
infirmissimum quid est homo; cur ergo adeò pusillæ rei totum regnum cæleste comparatur? Comparatur equidem regnum cæleste non homini solitariè sumpto, sed homini seminanti, homini spargenti bona sua: vbi autem bonorum erogatio, nulla est pusillitas, quæ non excedat maxima. Luc.
19. de Zachæo dicitur: *Quærebat videre Iesum, quis esset, & non* Luc. 19.
poterat præ turba, quia statura pusillus erat. Vbi autem in domo sua excepit, item de illo dicitur: *Stans autem Zachæus dixit ad Iesum: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus.* Hic nihil de eius pusilla statura; etiam si referatur stetisse in Domini conspectu, non dicitur stetisse pusillus; cur antea maturauit scriptor eius narrare pusillitatem, quam in præsenti prætermittit? Quando coram Iesu describitur, simul describitur bona sua pauperibus spargens, dum ait, *dimidiũ bonorum do pauperibus*, ideò tunc non potuit pusillus notari; notatur autem pusillus esse, antequam promitteret sua bona pauperibus eroganda. Ex quo sapienter D. Ambros. ibi fatur: *Quid sibi vult, quòd nullius alterius staturam* Ambros.
Scriptura, nisi huius expressit? Quia statura pusillus erat. Vide, ne fortè malitia pusillus, aut adhuc pusillus fide. Nondum enim promiserat, cùm ascenderat. Pusillus vocatur, quandiu suorum bonorum erogationes nondum promiserat; vbi autem illam emisit vocem cælis intonaturam, nimirùm, *do pauperibus*, minimè pusillus, sed maior maximis visus est. De benefactrice ista eliciti populi Esther locutus Mardochæus, c. 10.
ait, *Paruus fons, qui creuit in fluuium, Esther est.* Non contentus Esther 10.
tam parua fontis mensura Hierem. Thren. 2. deploratam salutem Hierosolymorum sic proponit: *Cui comparabo te? vel* Thren. 2.
cui assimilabo te, filia Hierusalem? cui exæquabo te, & consolabor te, virgo filia Sion? Magna est enim velut mare contritio tua: quis medebitur tui? Non fonti, sed mari comparat Hierosolymitanorum perditionem, vt eius expendat magnitudinem: & cur similiter Mardochæus, vt regalem magnitudinẽ Estheris extolleret, non illam toti comparauit Oceano? Cur maluit comparare illam parui fontis fluuio? Hieremias vt magnitudinem quærat Hierosolymæ contritæ, prætermittit fontes, & flumina, nec quiescit, donec ad maris ingentem vastitatem perueniat. Mardochæus vt Estheris magnitudinem, & eiusdem in Israëlitas profusissimam beneficentiam declaret, maris vastitatem prætermittit, & ad parui fontis confugit profluuium. An quia fons potest esse ipso Oceano maior? Equidem fons, vt totus est in emittendis aquis, quibus rigentur vicina arua, nec vmquam cessat ab hac emissione, sine erogatione aquarum, nescit inde non sese efferre, & exaltare supra quæuis maxima, supra etiam vastissima Oceani maria. Et quando à bonorum erogatione quis non se super maximos exaltat? Rem pulchris versibus definit Claudius Marius, lib. 1. in Genes. vbi Paradisi fontem extollit supra ipsum mare. Claud.

Ad gremium sacri nemoris, quòd sylua coronat,
Fons scatet, & diti prolem virtute maritat,
Quadrifido tumidum lætus caput omne resoluens,
Ditior Oceano: iugi non gurgite pronus
Ille suos donat latices, iste accipit omnes:
Nec turget tamen; at minor est, qui crescere tantis
Fluctibus infusis, quàm qui decrescere nescit
Amnibus effusis.

Meritò fons Oceani vincit magnitudinem, quandoquidem Oceanus omnia ebibit flumina, nec inde vllum in se ostendit augmẽtum: fons autem dum suos semper donat latices, dum totus est in donandis aquis, nescit vmquam decrescere, imò inde sese supra vastissimum Oceanum extollit, & effert, reputatúrque fons paruus inter maxima, & Oceanus inter parua. Sic prorsus apud Deum numquam pusillus est, sed magnus, sed excelsus, qui nouit sua bona incessanter erogare pauperibus. Vnde Luc. cap. 12. aiebat: *Nolite timere,* Luc. 12.
pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum. Vendite, quæ possidetis, & date eleemosynam. Pusillum gregem

non dubitat Dominus inter magnates constituere regni sui, vbi illum iubet sub beneficentiæ stola refulgere, eleemosynásque distribuere pauperibus. Sis quantumuis pusillus, vel sensu, vel nobilitate, vel scientia, si de bonis habitis erga proximos tuos exerces beneficentiam, non inter pusillos, sed inter magnates constitueris regni cælestis. De Iobo dicitur, cap.1. iuxta lectionem Græcam: *Et opera magna illi erant in terra.* Quæ magna opera? An ædificiorum regalium constructiones? An classium asportando auro paratarum custodiæ? Absit, non in his erat apud Deum magnitudo, sed in beneficentia erga egenos. Chrysostom homil.3. in Iob ait: *Erant autem ei opera magna super terram. Quænam? Hospitalitatis amor.* Ab iis rebus vera hominis magnitudo decernitur. Ille solus apud Deum pusillus, qui in omni bonorum magnitudine nescit consulere necessitati egentium. Vt dicat de isto Sidonius Apollinaris, lib.8. epist.7. *Iustè sub iusto Principe iacet, qui per se minimus, & tantùm per sua maximus, animo exiguus viuit, & patrimonio plurimus.* Hic & à cælesti Rege, & à terrenis Principibus meritò, vt minimus, & reiectiuus habetur.

Iob 1.

Chrysost.

Apollin.

§. III.

Terreni agri prouentus, dum aurum absit, non sic hominem à regno cœlorum excludunt.

QVi seminandis agris instat homo, vt laboris sui vberes percipiat fructus; is à Domino assumitur in regni cælorum similitudinem: nec obest bonorum temporalium cura, quominus homo ad regnum cælorum pertineat; dum enim aurum absit, cætera bona non sunt adeò nociua. Aiebat Dominus, Matth.19. *Facilius est, camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regna cælorum.* Atqui Abraham ditissimus fuit, & Iob diuitem substantiam possedit, de illo enim dicitur, c.1. *Et fuit possessio eius septem millia ouium, & tria millia camelorum, quingenta quoque iuga boum, & quingenta asinæ, ac familia multa nimis.* Ecce tibi, & Abrahã. & Iob habuere diuitias, nihilominùs minimè à regno cælorũ sunt exclusi. Cur ergo apud Dominum malè audiunt diuitiæ? Habeat, fateor, Iob diuitias, sed non dicitur habuisse aurum. Vbi autem aurum abfuit, cæteræ diuitiæ nihil nocuerunt illis. Chrysostom. homil.12. in epist. ad Tim ait: *Quid ergo dicemus de Abraham? Quid item de Iob, qui innocens, qui iustus, qui verax, qui Dei cultor, qui à malis omnibus abstinens prædicatur? Opes illi non in auri, argentique talentis, sed in pecoribus erant. Quæ profectò diuitiæ & innocuæ, & diuinitùs permissæ sunt.* Non terræ prouentus multiplices sic impediunt homines, & arcent à cæli ingressu vt aurum impedit; absit aurum, & in cæteris bonis vix inuenies occasionem ruinæ. Eccles. cap.2. ait: *Multam habui familiam, armenta quoque, & magnos ouium greges, vltra omnes, qui fuerunt ante me in Hierusalem. Coaceruaui mihi argentum, & aurum.* Huc perueniens Nissenus, homil.4. in Ecclesiast sapienter ponderat, totam hominis ruinam à nullo sic venire, vt à coaceruatione auri, argentíve. Quippe ait: *Ad maiora peccata progreditur eius enumeratio, & sibi inesse vociferatur omnium malorum radicem auaritiam. Sic enim dicit: Collegi mihi & argentum, & aurum. Quid enim nocuit aurum terræ immistum, & in illis effusum locis, in quibus à Creatore positum fuit? Quidnam tibi plus vtilitatis afferre fecit rerum opifex, quàm fructus terræ? Num tibi solos arborum fructus, & semina tribuit ad detrimentum? Cur datæ potestatis terminos transgrederis? Aut ostende hæc quoque tibi concessa à Creatore, vt fodias, & metalla scruteris, & ea igne fundas, & congreges, quæ non sparsisti. An hæc fortasse nulli esse crimini affinia existimaueris, sic tibi pecuniam congregare ex metallis terræ?* Non sic fructus terræ, licèt vberrimi, trahunt homines ad peccata, vt trahit aurum; ideò Dominus, qui omnes terræ prouentus permisit homini, aurum ab eius oculis abscondit & latere fecit in terrarum intimis. Homo quidem potest sine piaculo dare operam concessis terre fructibus acquirendis; in solius auri inuestigatione, & acquisitione maius, & euidentius inuenitur salutis periculum. De Iobo dicitur, cap.1. iuxta lectionem Græcam: *Et erant pecora eius ouium septem millia; camelorum tria millia; iuga boum quingenta; & ministerium multum valdè, & opera magna erant in terra.* Opera magna ait, id est, opera magnarum virtutum opera ingentia pietatis erant in Iobo super terram, vt author est Olympiodorus. Sed quomodo tot diuitiarum cumuli non impediebant virum iustum, retardabántque ab insigni virtutum opere, nisi quia inter illas diuitias nullum aurum, argentúmve ponitur? Ad hæc Chrysost. in caten. Græc. ibi, ait: *Vide hominem agrestibus diuitiis affluentem, neque enim rationes, ac fœnora numerauit, neque aureatis laquearibus ornatas domus; ita nihil deerat ad benemerendi facultatem. Oues, & boues, & quæ ex annis temporibus, & agricultura percipiuntur, recensuit. Non in pretiosa materia gloriabatur, sed in his rebus, quæ indigentiæ medicæ subueniunt, contentus erat. Hunc nobis Regem Scriptura proponit, non equorum mentionem facit, non auro conglutinatorum curruum, non argenti, atque auri thesauros meminit, non lapidum pretiosorum, non cæterarum rerum, quibus hominum diuitiis inhiantium morbus inflammatur; sed illa enumerat, quæ ad vitæ necessitatem sunt accommodata.* Sẽper hoc cauet diuina Scriptura in diuitibus iustis, ne inter possessiones eorum sit aurum, quod solùm plus quàm cæteris omnibus nociuum est, quòd ad fouendam auaritiam sit aptus. Cætera enim terræ bona profluis augmentis non satiant animos, non sic offendunt, nec sic impediunt, & à salute arcẽt quin ipsa sua abundantia cogunt auarissimos quosque ad donandum. Solum aurum non satiat, sed sitim habendi adauget, famémque rabidissimant generat, qui in perditionem trahat. De Iudæis fatur Isaias, cap.2. *Repleti sunt, vt olim, & augures habuerunt, & Philisthiim, & pueris alienis adhæserunt. Repleta est terra argento, & auro.* Vbi ad aurum venitur, non dicuntur ipsi repleti, sed terra repleta, quia aurum potest terram, & orbem replere; sed replere non potest hominum animos, imò nescit aliud, quàm sitim, & famem, & perditionem hominibus causare. Infelix est profectò, qui cum tam duro vult confligere tyranno, ne ab illo in perditionem, aut miseram seruitutem rapiatur sub multis armorum ponderibus sudabit. De amatore iusto ait Cant.5. *Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas.* Et cur delicato, floridóque iuuenie crura affinguntur marmorea? Cur marmorum pondera circa delicati iuuenis crura, & non potiùs in rosarum formas millia efficta tenuissima carbasa? Sunt iuueni crura prementia aurum, quippè ait: *Fundata super bases aureas*, nec vllus pes, nisi sub ingentibus pressus ponderibus, aurum potest premere. De amico suo aiebat Sidonius Apollinaris, lib.2. epist.13. *Reductus ad desideria mediocrium, timore summorum, & fatis canens, nec beatum vltrà diceret, ducerétque, qui septus armis, ac satellitibus, ferro pressus premeret aurum.* Heu quanta ferri pondera sustinenda sunt illi, qui aurum premere velit! Nullibi est aurum, vbi non sint necessaria millia ferri pondera, vt illud possit sustineri. Vide in illa Danielis statua; caput illi aureum erat, & pectus argenteum, quæ vt sustentarentur, & æs, & chalybs, & ferrum in ventre, & cruribus apparebant.

Matth.19.

Iob 1.

Chrysost.

Eccles.2.

Nissen.

Iob. 1.

Chrysost.

Isai. 2.

Cant. 5.

Sid. Apol.

§. IV.

Vigilantes oculos fugit inimicus.

SOmnium expectat hominum hostis, vt accedat, & nociua semina iaciat; cùm enim *dormirent homines*, tunc accessit fugiturus, si videret vigilantes. Aiebat sapienter Chrysost homil.22. ad popul. *Nullus vigilans vnquam læsus est.* Vigilantes oculos habeamus, & læsionem minimè sentiemus; imò læsurus hostis nos maximè reuerebitur. Numquam enim malus vigilantes non veretur. Luc.8. rabidissimi maris fluctus nauium inuadunt, in qua Iesus dormiebat; Discipuli autem timore concussi dormientem excitant: *Domine salua nos, perimus.* Cur non magis quiescere finitis dormientem? Cur non magis ad nauis gubernatorem curritis ad plicanda vela? Cur & gubernatore, & velis prætermissis, ad vnum curritis excitandum dormientem? Pulchrè D. Basil. Seleuc. orat. 22. illorum ad Dominum ponit verba aientium: *Ostende te vigilantem, & pelagus reuerebitur.* Nulla res citiùs malis incursantibus occurrit, quàm vigilans occultus: nec gladium exeras, nec tela iacias, nec ignes præpares aduersùs hostiles incursus, sed te vigilantẽ ostende, & omnis maligni incursus reuerebitur. Iustorum vigilans oculus à dæmone habetur, vt pestilens; ex quo lucem capit aliqualem Ariasmontani mens ad Christi Domini generationem, eiusdémque spiritualem progeniem referens illud Isaiæ, cap.14. *De radice colubri egredietur regulus. Et semen eius absorbens volucrem.* Vbi Chaldæus Ionathas explicat: *De filijs filiorum Iesse, egredietur Christus, & erunt opera eius in vobis, quasi serpens.* Quo posito, accedit Syriacus interpres in rem nostram, fatus: *De radice serpentis egredietur serpens biceps, & fructus eius regulus.* In serpente bicipite rectè adumbratus Christus; at Christi Domini filij, & discipuli, cur in regulo? Profectò vniuersa arma sunt regulo in oculis, hi si vigilent, accedentes perimunt; sic bonis Christi Domini asseclis

Chrysost.

Basilius.

Isai. 14.

affectis oculi sunt pro armis aduersùs dæmones, dum seruus Christi vigilet, non audet malus accedere, sed miserè perditur. Quod pulchra etiam imagine persuadebat Angelus Tobiæ iuniori, cap.6. inquiens: *Cordis eius particulam, si super carbonem ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum.* Et qui fumus potest aduersùs spiritualia nequitiæ tantum valere? Non igni, neque fumo materiali tanta inerat virtus, sed inerat rei per ignem, & fumum significatæ, nimirum, excubatrici, & vigilanti orationis virtuti, ignis enim, & fumus vigilias ostendunt excubantium in castris. Meritò Angelus in ignis, & fumi imagine vigilantiā suggerit, quæ hostiles diaboli incursus longius amandat. Quod benè callens Tobias post ignem positum, & fumum excitauit, cap.8. *Tunc hortatus est virginem Tobias, dixitque ei: Sara, exurge, & deprecemur Deum hodie, & cras, & secundum cras, quia his tribus noctibus Deo iungimur,* &c. Et cùm igne, & fumo depellunt somnum, à lecto surgunt, & vt strenui aduersùs diabolum milites excubias agant, in statione stant, & sic totus diabolicus impetus fugatur. Dum excubes, & vigiles, non multùm hostes timeas; tunc time, quando, dimissis excubiis, te somno tradis. Aiebant illi, Matth.28. *Discite, quia discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus.* Vbi Drogo Hostiensis, lib. de sacram. Passionis, ait: *O mendaces, verum dixistis! Sed mentita est iniquitas sibi. Dormientes enim Christum custodire non possunt.* Imò dormiens non solùm non potest custodire Christum à latronibus, quin potius etiamsi latro desit, si hostis non sit, ipse dormiens Christum conficit. 3. Reg.3. sic mulier mulierem accusabat: *Mortuus est autem filius mulieris huius nocte; dormiens quippè oppressit eum.* Quam accusationem notans Guarricus Abbas serm. 3. in Natiuit. Domini, sic monet Ecclesiam Christianam. *Vigila super curam recèns nati memor, quoniam æmula tua dormiens oppressit filium, qui datus erat ei.* Equidem Synagoga dormiens, ipsa per se oppressit filium Iesum; caueat Christianus à somno, vigilet, exulet, ni velit Iesum perdere.

Tob.6. — lib.3. — Matth.28. — Hostiens. — 3.Reg.3. — Guarr.

§. V.

Studia diuinarum Scripturarum longè amandant hostes.

IN hoc hominum somno, cuius occasione inimicus zizania superseminat, benè intelligit Christianus Druthmarus desidiam Præpositorum in sacrarū litterarum studiis. Quippè ait: *Dormierunt homines, cùm magistri Ecclesiarum non essent studiosi ad meditandum diuina eloquia.* Et cur in tanta penuria sacræ lectionis non auderent accedere hostes? Mihi crede, non tibi sacer liber cadet è manibus, & eris penè inaccessibilis hostibus. Ait Petrus Dam. lib.6. epist.29. *Mens tua diuinis se voluminibus occupet, his intēta, peruigili semper instantia perseueret. His antiquus insidiator cùm te videt intētum, velut hostem fugit armatum, & timet cominùs aggredi, donec te conspicit his telis, & impenetrabili, vt ita dicam, lorica muniri.* Non sic splendens gladius hostibus est formidabilis, vt sacra lectio est formidabilis diabolo: qui sub sacri libri foliis cubat, inaccessum se præbet hosti, & penè inuulnerabilis. Vnde de sacra sapientia aiebat Prouerb. 3. *Lignum vitæ est iis, qui apprehendunt eam.* Sed & Psalm. 57. *Si dormiatis inter medios cleros, erunt pennæ columbæ deargentatæ,* &c. Hoc est, si duobus incubes testamentis, vt cum August. alij Patres interpretantur, exurgent in te columbæ pennæ. Illic lignum tibi fiet vitæ sapientia; hîc duorum testamentorum studiū pennas columbæ dabit. Quorsum & lignum vitæ, & pennæ columbæ promittuntur in studio sacrarum litterarum? An vt securitatem inde habeas ab hoste, vt habet columba protecta salutiferis altissimæ foliis arboris? Rem pulchrè tractat Petrus Damian. lib.2. epist.18. fatus: *Est in Indiæ finibus arbor, quæ Græcè Peredixion vocatur, cuius fructus nimis est dulcis, valdéque suauis. In huius igitur arboris gratia columbæ maximè delectantur, eius nimirum eas & fructus reficit, & vmbra defendit. Teterrimus enim draco ferali eas immanitate persequitur, & ernenti gutturis barathro inhiantes absorbere molitur. Sed sicut columbæ draconem, ita draco formidat eam quam diximus arborem; sed præcipuè timet vmbram. Donec ergo columbæ sub arboris illius vmbraculo fuerint commoratæ, nullis eas crudelis illa bestia valet insidiis lædere; alioquin si procul eas inuenerit, sine vllo contradictionis obstaculo repentinus inuadit. Nos planè, quibus simplicitas columbina præcipitur, necesse est ad sacrarum Scripturarum arborem confugere, si cruentam draconis intimi rabiem volumus euitare.* Quid in rem præsentem pulchrius posset excogitari? Habemus in sacra lectione lignum vitæ, habemus arborem, cuius vmbra dracones abigat; & ne quis dicat arborem esse excelsam, & inde penè nobis inaccessibilem: simul & ipsa lectio sacra nos in columbas efformat, perpetésque pennas columbæ nobis indit, quibus euolemus ad alta, & cacumen arboris teneamus. Quisquis effugere cupit impetus hostis, hanc teneat arborem, ab illa minimè discedat, præcipuè si sit Prælatus, cuius est nunquam ab studiis litterarum sacrarum vacare. Ecclesiast. cap.6. ait: *Omnis labor hominis in ore eius, sed anima illius non implebitur.* Nunquam anima debet impleri ab his, quæ ore incessanter effundat. Et quæ sunt hæc? Rem ponderat Salonius, ibi: *Quomodo fieri potest, vt omnia, quæ laborat homo, sint in honore illius? Vir Ecclesiasticus sapiens, & doctus omnem laborem suum habet in ore suo, quia omnia, quæ in Scripturis sacris discit, quotidiè meditatur, prædicat, & docet; & anima illius non implebitur, quia non sufficit sibi, quod didicit, sed magis, ac magis semper discere cupit, & studet.* Conueniant huc nuperi Ecclesiastici, & nouerint, vbi debeat esse omnis labor eorum, non equidem in alio, quàm in ore, dum hausta sacra eloquia tenentur dicere populis: nec cōtenti sint studuisse semel, vt ecclesiasticos redditus acquirerent; sed semper studere debent, ne si longè ab arbore librorum sacrorum inueniantur, draconis prædia fiant. De his dicebat Oseas, cap.4. *Conticuit populus meus, eò quòd non habuerit scientiam: quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* Adeò nociuum est viris ecclesiasticis, quòd studia sacrarum litterarum dimittant. De lectionis sacræ bono habes 1.tom.lib.7.cap.4.§.20.& 3.tom. lib.14.cap.16. §. 33. & de sapientia Prælatorum, ibi. lib.14. cap.3.§.1.& cap. 23. §. 9.

Damian. — Prouerb.3. — Psal. 57. — Damian. — Ecclesi.6. — Salon. — Osea 4.

§. VI.

Omnium sæuissima pestis est ab illo, qui iurgia seminat inter fratres.

NOlo in præsenti communem, & vulgarem zizaniorum acceptionem à concionatoribus assumptam prætermittere, quòd nimirum sit seminator zizaniorum, seminator iurgiorum, & discordiarum inter fratres. De his ait Dominus in explicatione parabolæ, *zizania sunt filij nequam*; nec voluit eorum nequitiam notare in particulari, vt qui famosissima omnium, & pestilentissima nequitia inficiantur. Hos maximè verebatur Dauid Psalm.10. aiens: *Quomodo dicitis animæ meæ: Transmigra in montem, sicut passer? Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde.* Expende illud, *ecce peccatores*, non ait, ecce latrones, ecce homicidæ, nec ecce incestuosi, siue stupratores, maluit illos sub vocabulo notare communi, vt tu quoscumque videris seminatis discordiis fratrum corda pulsare, hos nequitiarum summo infectos clames. D. Synesius epist. 44. reddens rationem, cur hi fraternæ pacis turbatores, absolutè peccatores dicantur, ait: *Quoniam nulli æquè mores Deo execrabiles sunt, ac famigeratoris, qui ex obscuro vulnus infligit; ignauissimus enim cum sit, maxima infert mala, & quoddam his inesse fatum dicitur, vt in cynædorum gregem ascribantur, idque ipsum inter cætera eius artis esse præcipuum. Quare si quis rumores falsis de rebus spargere deprehendatur, hos ipsum neque rogaueris, neque dubitaueris; sed qualibet firmus, & constans esse videatur, audacter hominem pronuncia seminatorem, purum putum Cocytonis asseclam.* Ecce tibi qualiter prudentissimus vir, & Episcopus iubeat sine dubio nequitiæ summo corruptos famigatores, & discordiarum seminatores denotari; sed etiam expendendum est adhuc, quod à Dauide hi *peccatores* dicantur, quando & Lucas de impudenti fœmina, septémque dæmonibus tradita locutus cap.9. dicat: *Mulier in ciuitate peccatrix.* Et in hac, & in illis non explicatur particulare peccatum; sed vt illi peccatores, hæc vocatur peccatrix. Et cur hæc, & illi simili appellatione explicantur nisi quia in vtrisque eadem malitiæ summitas, & enormitas peccati? Tota enim lasciuiæ impudentia, & ciuitatis pestis, & corruptela, vt ait Synesius, de quouis famigeratore, & zizaniorum sparsore potest meritò cogitari. Hinc meritò has nocentissimas pestes eliminare cupiens Dominus à populo suo, ait Leuit.19. *Non eris criminator, nec susurro in populo. Non stabis contra sanguinem populi tui,* vbi noster posuit, *Non eris criminator in populo,* alij ex Chaldæo posuere: *Non comedas placentas in populo,* notantes naturam susurronum, & criminatorum, qui ventris causa rumores hinc illinc colligunt, deinde spargunt, vt placeant hospitibus suis, narrantes, quæ de illis audierint mala, vt sic inextinguibilia excitent inter fratres odia. Sed & de Hebræis verbis, pro illo, *non eris criminator*, legerunt alij, *non eris*

Psal.10. — Synes. — Leui. 19.

eris pigmentarius, siue, non eris negotiator. Et quid pigmentarius, siue negotiator cum criminatore, susurrone? Sanè sicut pigmentarius totus est miscendis varijs pigmentorum pulueribus: & sicut negotiator nundinis vniuersis adest, vt inde colligat, quæ composita iterum ad vendendum promat. Sic criminatores, & zizaniorum seminatores toti sunt in congerendis, & commiscendis hinc inde pulueribus, in colligendis, & componendis rumoribus, quos vendere possint. Quorum nequissimum officium, & perniciosissimum populis eleganter ponderat Dauid Cammius apud Delrionem
Camm. fatus: *Vt pigmentarius varias commiscet species, & negotiator ventris causa, huc illuc discursat: ita parasiti, & criminatores vltro, citróque commeant, vt habeant quod in aures auditorum infundant, & ita spargentes litium semina, vnanimitatem soluant, & amicos inter se committant. En tibi pestem dirissimam, mellelitæ placentulæ.* Dirissima quidem pestis est, vt populos perdat fidelium hæc zizaniorum seminatio.

§. VII.

Prælatorum vitio tribuendum, quòd sint zizaniorum seminatores: vbi quam malè agant Prælati qui susurronibus præbent aures.

MEritò dicuntur dormisse homines, cùm zizania seminatur, numquam enim sine somno, & culpa Prælatorum tam nociuum cresceret malum. Vigilassent Prælati, clarisque oculis criminatorum explorassent dicta, explorassent genium, explorassent animos, & fraterna subditorum charitas penè inexpugnabilis staret. De Prælatorum virtutibus fuit quæstio apud D. Athanasium præstantissimum Prælatum: ea est 119. vbi sic, *Quænam virtutes maximè decent, & ornant magistratum?* Respondit statim: *Principaliter ornant mutuus affectus, & amor erga homines quæ & Deo insunt. Deinde obliuisci offensionem, & sedatus animus. Et præ omnibus, non facilè, neque sine exploratione credere delationibus.* Et vt maximè ornatur Prælatus nulli credens accusationi subditorum, præcipuè clandestina est, sed rem claris explorat oculis: ita maximè turpatur, innumeraque causat mala, dum facilitatem habet credulitatis. Sic monebat D. Ber-
Bernard. nard. Eugenium suum, lib. 2. de consideratione circa finem: *Est item vitium, cuius si te immunem sentis, inter omnes, quos noui ex his, qui cathedras ascenderunt, sedebis solitarius, quia veraciter, singularitérque leuasti te supra te. Facilitas incredulitatis ista est, cuius callidissimæ vulpeculæ magnorum neminem comperi satis cauisse versutias. Inde eis ipsis pro nihilo iræ multæ, inde innocentium frequens additio.* Et quando susurria hæc, & clandestinæ accusationes innocentibus non fuerunt nociuæ? Quando iniusta odia ardentissimas iras non pepererunt? Quando ob illas non dilapsus est Prælatus in euidentissimas iniustitias? Semel Dauid accepit susurrium Sibæ aduersùs Miphiboseth Ionathæ filium, & inde ad innocentis damnationem
2. Reg. 19. processit 2. Reg. 19. dicens: *Tu & Siba diuidite possessiones*; ex quo prudentissimum Prælatum Hildebrandum monet Pe-
Damian. trus Damianus libro 2. epist. 9. *Quid mirum, si te licèt prudentem, & sanctum virum potuit artificem seruitus, & versutia decipere, tùm & prophetico plenum spiritu Dauid, Siba seruus callidè mentiens compulit à iustitia declinare? Tu, inquit, & Siba diuidite possessiones. Ille siquidem innocentem Miphiboseth mentitus est contra regiam agere maiestatem.* Non prophetiæ, nec aliæ innumeræ virtutes te ab iniustitia, & oppressione innocentum liberabit, si in te sit facilitas credulitatis. Impudentissimè mentiuntur homines, vbi grata, & accepta putant fore mendacia; quisquis hoc non cauet, miserè labitur. Prouerb.
Prou. 26. 26. *Princeps, qui libenter audit verba mendacij, omnes ministros habet impios. Verba mendacij* vocantur susurrationes, & occultæ delationes. Vnde Philo Iudæus. lib. de iudice, hoc primum præceptum ponit optimo Principi, ne solis auribus credat subditorum negotia, quippe ait: *Aures sicut rectè dixit quidam è veteribus, minus fidei habent quàm oculi, vt quibus, non enim rebus ipsis sit commercium, sed cum sermonibus rerum interpretibus, non semper veritatem spectantibus.* Imò ferè numquam mendacium abest à sermonibus, qui occultè Principum aures palpant. Meritò dicebat D. Valerianus, homil. 1.
Valer. de bono disciplinæ: *Quem amor tenet seruandæ integritatis, ante omnia falsi ad se famam non admittat erroris. Magnum est quidem, & gloriosum, & vt sine ad aluum omnium ore perferendum numquam mal e dictibus totum dedisse; sed multò fortius est, numquam fuisse suspicionibus laborasse.* Hanc videant virtutem Prælati, qui & iniustitias, & innocentium oppressiones à se penitus eliminare amant.

§. VIII.

Quo falsitas minus à veritate distat, eo nocentior solet esse proximo.

ZIzania misit in medium agri nocentissimus inimicus; & quidem zizania lolium significant, quòd dum adolescit in folijs, & cespite, parum, aut nihil differt à tritico. Est notanda hostilis malitia, dum lolium inter triticum iacit; nouit enim, quòd nequitiæ semina eo sunt nocentiora, quo minùs à veritate apparēt distare. Dixerat Dominus, Ioan. 2.
Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Post Ioan. 2.
multa ventum est ad calumnias, quibus Iesum opprimere Iudæi temabant, & ait Marc. cap. 14. *Et quidem surgentes te-* Marc. 14.
stimonium serebant aduersùs eum, dicentes: Quoniam nos audiuimus eum dicentem: Ego dissoluam templum hoc manufactum, & per triduum aliud non manufactum ædificabo. Ecce tibi quàm paucæ literæ immutatæ sunt in accusatione; ille dixerat, *soluite*: falsi testes referunt dixisse, *soluo*: idem verbum fuerat, paucarum litterarum apparet immutatio, an ideo minus nocentes, quòd vel paucis litteris distant à veritate? Imò inde nocentiores probantur. Pulchrè D. August. hom. 9. de
festo S. Stephani, fatur: *Falsi testes pro eo, quod dictum est, soluite, dixerunt, soluo. Modicum in syllabis mutauerunt; sed tanto falsi testes peiores fuerunt, quanto propinquare veritati per calumniam voluere.* Nullus, mihi credite, sic fallit, sic nocet, quàm ille, qui mendacio multum veritatis adiungit. Prudentissima illa Raab requisita de exploratoribus domi suæ manentibus, ait Iosue 2. *Fateor, venerunt ad me, sed nesciebam vnde essent,* Iosue 2.
cumque porta clauderetur, in tenebris illi pariter exierunt. Et cur, cùm vellet exploratorū consulere saluti, maluit fateri apud se stetisse? Cur nō potius mordicus negauit à se visos viros illos Regis ministros fallere volebat, & ideo veritatē præmisit, optimè sciens, quòd quantū veritatis additur mendacio, tāta etiā vis additur fallēdi. Chrysost. hom. 5. de Pœnit. Chrysost.
Prius veritatem ædificat, atque ita mendacium inducit. Tūc mendacium vires sumit nocēdi quando minùs mendacij ostendit; sed clariorem veritatem prætendit, adeò vt propè nihil ponatur à veritate alienum. Sub veritate abscondit mendacium prudens fœmina, & Regis ministros fefellit, & totam ciuitatem perdidit. Hoc præsentissimum virus cauebat Dominus, Leuit. 19. vbi ait: *Non erìs criminator in populo*, quæ Leuit. 19.
verba alij legerunt ex Hebræis vocibus: *Non eris pigmentarius*; vt enim pigmentarij puris, & veris aromatibus aliqua falsa admiscent, quæ dum minus percipiuntur multitudine verorum, magis fallunt emētes. Sic criminatores, dum multa vera exaggerantes, aliquod penè imperceptibile falsum supponunt, quod maiores vires habet fallendi, cùm minus sentitur. A quo piaculo se diuina sapiētia liberat, dicēs Eccl.
24. *Et quasi balsamum non mixtum odor meus.* Vel minimā mix- Eccl. 24.
turam cauet, sciens malum vitiū tunc magis nociuum, cùm sub virtutum mixtione latet absconditum. Vnde dicebat
Gillib. Abb. serm. 32 in Cant. *Fraudulosa, & pessima cuiuslibet* Gillib.
mixtura est, quando vitium quodlibet virtutis mentitur speciem, & Angelus Sathanæ in Angelum lucis se transfigurat, & quasi venenum facit balsamum spirare. Vnguentarius est Sathanas. Nil magis nociuum, quàm vbi venenum spirat balsamum, & balsamum vndequaque videtur: diabolus pigmentarius, siue vnguentarius est, qui in vitiis tradendis virtutum mentitur speciem, & de veritatis adiunctæ credito mendacij vires augmentat.

Matth. 13 Cùm autem creuisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania.

§. IX.

Quo virtutes in nobis magis crescunt, eo apertiores, & manifestiores sustinent hostium contrarietates.

EQuidem tunc manifesta iam apparent zizania, cùm Dei semina incipiunt augmentum capere; semper enim diaboli contrarietates aduersùs virtutes sunt; sed cùm hæ crescunt, tunc illæ & maiores, & vehementiores apparent. Dicebat Balaac ad Balaam, Num. 23. *Veni, & maledic Iacob,* Num. 23.
propterea & detestare Israel. Quæ ad verbum sic ex Græco transfert Origenes: *Veni, & maledic Iacob, & veni, & su-* Origen.
permaledic mihi Israël. Itaque aduersùs Iacob maledictiones tantùm petit malus; verùm aduersùs Israël non solum maledictiones, sed & supermaledictiones desiderat iaculare.

lare. Et cur magis furit sub nomine Israëlis, quàm sub nomine Iacob? Sub Israële iam percipit virum perfectum, qui in tantum creuit, vt vsque ad Dei conspectum intraret: quò autem perfectior, & auctior putatur Israël, necessum est, vt aduersùs illum aptiores, & vehementiores excitentur hostiles rabies.

Idem. Ait Orig. hom. 15. in Num. *Donec enim quis tantùm Iacob est, hoc est, in actibus solùm, & operibus positus inferioribus, maledictionibus impugnatur. Vbi autem profecerit, & interiorem hominem ad videndum Deum reuelato mentis oculo, exacuere, & prouocare iam cœperit, tunc non solùm maledictis ab inimico, sed & super maledictis, hoc est, vehementioribus maledictorum iaculis impugnabitur.* Semper crescunt cum virtutibus zizania, & vbi virtus altior apparet, similiter & impugnationes diaboli crescunt, & contrarietates. Habes in Num. 33. de filijs Israël dictum:

Num. 33. *Profectique de mari rubro castra metati sunt in deserto Sin.* Et quidem *Sin*, duplicem habet significationem, & significat rubum, & significat odium. Et quid rubus ad odium? Multùm sanè habent hæc conuenientiæ; vbi enim montis Sinai rubus apparet, ex quo homo visionem Dei magnam percipiat, & loquentem secum experiatur Dominum, grandia necessum est, vt sustineat inimicorum odia. Id quod sapienter notauit D. Hieronym. epist. ad Fa-

Hieron. biolam, inquiens: *Sin autem interpretantur rubus, vel odium; quòd postquam venerimus ad eum locum, de quo sit nobis Dominus locuturus, grande odium mereantur inimici.* Quò quis acceptior, & familiarior fit Domino, eò grandius in illum apparet inimicorum odium: semper enim & cum virtutibus crescentibus crescunt hostilia odia, crescunt virtutum ini-

Cant. 4. micorum contradictiones. Aiebat Cant. 4. *Surge Aquilo, veni Auster, perfla hortum meum.* Sto à sententia illorũ, qui vtriusque venti aduentum his verbis putant solicitari: petitur enim & Aquilonem, & Austrum simul surgere, simul in hortum Domini venire. Et cur non magis solicitatur solus Auster? Ab Aquilone, iuxta Prophetam, panditur omne malum, cum Austro accedit omne augmentum gratiarum. Cur ergo non magis petitur hic solus, vt veniat? Non equidem est huius temporis inueniri augmenta gratiarum sine augmento contrarietatum; sed quò sese magis extollunt in fidelium mentibus australes gratiæ, eò vehementiores insurgunt aquilonares persecutionũ flatus. Pulchrè Gillib. Abb. serm. 38. in Cant. rem ponderat in Aduentu Spiritus sancti,

Gillibert. aiens: *Ipso die Pentecostes, quando factus est spiritus vehemens in cœnaculo, vbi erant Apostoli, soluta est omnis congelata mentis frigiditas, sicut torrens in Austro: & deinceps verbi, virtutúmque fluxerunt aromata. Sed numquid idcircò Aquilo quieuit? Nónne multo vehementiùs persecutorum insurrexit procella, & impetus hæreticæ tempestatis? Numquid non æmulatione quadam tentationis Aquilo Austro se opposuit gratiæ?* Numquam non æmulantur tentationes gratiarum, & virtutum cumulos, quantum accrescit virtus, tantum exurgit inimicorum acrior impugnatio. Dum in Iesu schola fuere Apostoli adhuc rudes, aliqualem Pharisæorum sustinebant accusationem, sed leuidensem, nimirum, de manducatis spicis, de non lotis manibus. Vbi autem apparuerunt pleni Spiritu sancto, Deus bone, vt creuere Aquilonis flatus, vt creuere inimicorum odia, & tentationes, & tempestates: simul enim Deus & suis maiora dona largitur, & maiores consueuit permittere

Exod. 15. tentationes suscitari. Exod. 15. *Ibi constituit ei præcepta, atque iudicia, & ibi tentauit eum.* Magnum fuit amoris diuini incrementum, vbi populo suo Deus legem dicit; sed multo cum tentationis discrimine fuerunt hæ leges populo datæ. D.

Hieron. Hieron. epist. ad Fabiolam, ait: *Vbi magnitudo gratiæ, ibi magnitudo discriminis.* Magnitudinem gratiæ numquam non æmulatur magnitudo discriminis, & tempestatis. Huc refero dicta tom. 3. lib. 14. cap. 9. §. 27.

Text. Accedentes autem serui patris familias, dixerunt ei: Domine, nónne bonum semen seminasti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit.

§. X.

Verus Dei seruus etiam in manifestis criminibus, non audet de illorum authoribus iudicare, sed Deo iudicium tale reseruat.

Boni, & fideles serui zizania vident in Dominico agro, & adhuc de zizaniæ authore non iudicant, sed totum iudicium permittunt Deo, dum aiunt: *Seminasti bonum semen in agro tuo. Vnde ergo habet zizania?* Quàm multi non Deo permittunt iudicium de zizaniorum authoribus, sed ipsi, visis zizaniis statim iudicant ab hoc, siue ab illo habuisse ortum, & multis damnant authores. Hi non boni, & fideles Dei serui sunt, sed mali, & pessimi: vnde bonos Dei seruos monebat Paul. 1. ad Corinth. 4. *Itaque nolite ante tempus iudicare, quoad vsque veniat Dominus, qui & illuminabit* 1. Cor. 4.
abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo. Præclarus Euangelij Magister omne iudicium de occultis aufert Dei seruis; ne quis proximum iudicet, quando omnes iudicandi sumus à vero iudice Domino, qui solus manifestare poterit quid quisque fuerit. Ibi D. Ambros. *Monet illos Paulus, ne iudicent, tùm iudi-* Ambros.
candi sint, sicut ait Dominus: Nolite iudicare, vt non iudicemini; sed expectate diem iudicij Dei, ac si fideles, & boni sint. Iniuria enim iudicis est, si ante cognitionem eius à seruo procedat iudicium. Boni serui omne iudicium à se repellunt, suóque Domino integrum reseruant, nolentes ex se, sed ex ore Domini scelerum authores publicari, damnari. Hunc ebiberunt spiritum Apostoli in Iesu schola educati, qui audiunt, & credunt illorum vnum diabolum, & nefandissimæ proditionis authorem esse. Et quid post tantũ nefas auditum? Ait Ioan.
13. *Aspiciebant ergo ad inuicem discipuli, hæsitantes, de quo dice-* Ioan. 13.
ret. Erat ergo recumbens vnus ex discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Iesus. Innuit ergo huic Petrus, & dixit: Quis est, de quo dicit? Itaque cum recubuisset ille supra pectus Iesu, dicit ei: Domine, quis est? Sese ad inuicem respiciunt, & inspiciunt boni discipuli, & nihil malum alter de altero suspicatur; nec est in illis, qui alteri, nec Iudæ ipsi tantum nefas attribuat, sed rem inspectori Iesu committunt, ex cuius solo ore, & sententia pendent; nihil alioquin ipsi iudicaturi de proximo.
Ait Cyrill. Alexand. lib. 9. cap. 15. *Admirari etiam in his opor-* Cyrill.
tet religionem discipulorum. Nam cùm neque conscij sibi essent, nec coniecturis dare se vellent, interrogare maluerunt, &c. Hæc Christianis discipulis, & optimis seruis Christi sit religio, nec vllis coniecturis credant, vt de proximo aliquod malum iudicent, sed tale iudicium Deo omnia apertè videnti committant. His non absimilis Paul. 1. ad Corinth. 13. *Audio* 1. Cor. 13.
scissuras esse inter vos, & ex parte credo: nam oportet & hæreses esse. Expende, quòd auditis scissuris, & contentionibus Corinthiorum dicat solùm, se ex parte credere, quòd illæ sint. Et ex qua parte id credis Apostole? An ex parte alicuius personæ, de cuius mala indole id potest præsumi? Absit hoc ab Apostolo Christi; imò ipse notat partem, ex qua credat, nimirum, *Nam oportet hæreses esse*; qua solùm parte scit necessum esse, vt veniant scandala, & hæreses sint, credit Corinthi esse scandala, vt qua parte hæc scandala dicuntur venire ab hac, vel ab illa persona in particulari, id minimè credit verus discipulus Christi, sed mauult tale iudicium Deo remittere. Inter hos omnes Dei seruos maximè splendet maximus ille Ioseph, de quo Matth. 1. *Antequam conue-* Matth. 1.
nirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto. Ioseph autem vir eius cum esset iustus, & nollet eam traducere, &c. Bonus Christi seruus electus è millibus, vt suum deferat Iesu seruitium, ea sanctitate, & iustitia pollebat, qua videns vxorem prægnantem se inscio prægnatus, tamen non vult eam traducere, hoc est, iuxta Caietan. non vult illam vituperare, nec accusare, sed mauult illam declinare, ne rei euidentissimæ conspectu frequenti cogatur aliquid malum suspicari.
Ex quo D. Paschas. lib. 2. in Matth. ait: *Hoc velim audiant teme-* Paschas.
rarij, & discant inter causarum incerta, diu secum ex reuerentia timoris Dei deliberare negotia, ne discrimine leuitatis pressi in deterius cadant. Et nos, fratres, quoties turbat nos dubietatis caligo, fallit rerum species, facit superficies causarum interdum interiora veritatis nescire, declinemus, ad præsens iudicium subtrahamus sententiam, fugiamus discrimen; dicamus totum Deo, ne dum temerè gestimus definire sententiam, nobis paremus ex discrimine alieno ruinam. Et cur Dei serui non fugiant iudicare, quod prorsus eorum fugit iudicium, & solùm paret diuino? Quòd circa errorum authores congruentiis credant homines, siue coniecturis, periculosum est in omnibus sceleribus: at in lasciuiæ lapsibus, ipsum est periculum. Horum iudicium prorsus fugiat, qui bonus, & iustus, & sapiens est. Ex quo lucem capit locus Prouerb. 30. vbi sic Sapiens loquitur: *Tria sunt difficilia mihi, & quatuor penitùs ignoro. Viam* Prou. 30.
aquilæ in cœlo, viam colubri super terram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adolescentia. Talis est & via mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergens os suum dicit: Non sum operata malum. Immeritò noster Delrius in adagiis non adducitur, vt credat his verbis libidinis æstus significari, quando singula verba

verba illò respiciunt, siue in aquila ascendente in cœlum, rapto scilicet Canimede, siue in colubro concubente cum Alexandri matre, siue in naui Carthaginem ad Didonem appellente, siue in adolescentis circumitione. In his omnibus & libidines, & celeberrima adulteria, & cantatissimi notantur amores; & nihilominùs sapientissimus vir ab eorum indagatione, imò à iudicio eorum, vt à rebus prorsus extra hominum oculos positis abstinet, & præterit illa, vt penitus sibi inexplorata, & ignorata. Sed cur cantatas toties libidines, ignotas tibi penitus dicis esse, ô sapientissime hominum? Sapiens est, & quia sapiens, meritò à iudicio cauet libidinosorum, vt quòd excedat prorsus iudicium hominis. Quocirca dicebat D. Hieronym. epist. ad Fabiolam, de veste sacerdotali. *De cæteris virtutibus, sapientia, fortitudine, iustitia, temperantia, humilitate, mansuetudine, liberalitate possunt & alij iudicare: pudicitiam sola nouit conscientia, & humani oculi huius rei certi iudices esse non possunt, absque his, qui possim in morem brutorum, libidini expositi sunt. O quantæ virgines, & quantorum spectata pudicitia in die iudicij dehonestabitur; quantorum infamata pudicitia à Deo iudice coronabitur!* Sanè & celebriores, & magis decantatæ libidines si inspiciantur, fugiunt hominum oculos, vt fugit via aquilæ in cælum, via colubri in petra, via adolescentis in adolescentia, quæ nullum indicium sui, nullámque coniecturam relinquunt iudicanti.

Hieron.

mini formidabat. Et quomodo audiens multa eum pati, & occidi, timebat, sic audiens, & tertia die resurget, gaudere debuerat, & tristitiam passionis resurrectionis gloria mitigare. Debuerat bonus seruus non solùm hærere in infirmitate, sed & prospicere simul virtutem: at vbi prætermissa resurrectionis virtute, tantùm respicit mortis infirmitatem, & Sathanas à Domino habetur, & reus tenetur erroris humani. Ioan. c. 5. dialogus proponitur inter Pharisæos, & paralyticum à Iesu sanatum. Respondit eis: *Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula. Interrogauerunt ergo eum: Quis est ille homo, qui dixit tibi, Tolle grabatum tuum, & ambula?* Bonus seruus Christi, dum meminit onus sibi à Iesu impositum, & simul meminit Iesu virtutes, & miracula, ait enim: *Qui me sanum fecit, ille mihi dixit, Tolle grabatum, &c.* Vt sub tanta virtute, miraculo Sabbati violatio minimè appareat. At serui numquam virtutis opere prætermisso, nihil aliud attendunt, quàm onus impositum Sabbato. Quò refero alibi datum D. Gaudentium serm. 12. ad Neoph. aientem: *In catalogo magno virtutum adhuc vnum fecerat opus Jesus, quod frementi contra se imperio populo Judæorum, quasi verisimilem seruiendi auditum dedisse videbatur; quòd scilicet paralyticum in Sabbato curasset. Itaque tanquam violati Sabbati reus insectationem patitur Judæorum.* Quid turpius, quàm prætermissis tot virtutibus, vnam attendere violationem Sabbati? quæ tamen non erat violatio, sed fingebatur esse.

Gaudent.

§. XI.

Verus Dei seruus non respicit proximorum vitia, nisi cum virtutibus temperata, vel penitus obumbrata.

Zizania, vt meminerint Dei serui, priùs in memoriam reuocant bonum semen à Deo in agro cordis humani seminatum. Quippe aiunt: *Nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania?* Non de zizaniis queruntur, quin simul recolant bonum semen agri: zizania habet Christianus ager; sed & optima, & præclara semina virtutum habet. Bonus seruus non respicit zizania sine bonis seminibus; malus seruus respiceret sola zizania. De S. Iosepho dicitur,

Matth. 1. Matth. 1. *Antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto. Ioseph autem cum esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere illam.* Miraris, quòd iustus vir sponsæ vterum tumentem se inscio videat, & tamen illam nolit traducere. Quomodo id fieri potuit? Quomodo iustus talia videt, & prætermittit? Vidit equidem iustus tumentem sponsæ vterum, sed & simul oculos coniecit in eiusdem sponsæ ingentes, & notissimas sibi virtutes, sub quarum radiis sic temperabatur apparens dedecus vteri, vt meritò caueret iustus de illo iudicare. Imperfectus homil. 1. in

Imperf. Matth. fatur: *Cui inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto? Sine dubio à sponso suo Ioseph, qui, zeloso amore semper se admonente, vitam circumspiciebat Mariæ. Forsitan autem cum esset iustus, cœpit sic cogitare de illa: Comessatrix, aut vinolenta nunquam fuit; non leuis, non iocosa, non cantatrix, non turpium verborum amatrix. Hæc, & alia similia tractans, nil horum inueniebat in ea, sed è diuerso omnia laudabilia, omnia admiranda. quæ sine Spiritu S. possibile non erat esse in natura humana.* Iustissimus vir non in veteri tumore sistebat, sed simul splendidam Mariæ vitam rimabatur; apparens vteri dedecus non solùm inspiciebat, sed illi apponebat experta & sibi sæpiùs explorata virtutum miracula, quæ nulli malæ suspicioni locum dabat. Vtinam sic vniuersi ad proximi errores efficiamur, ne tantùm velimus notare, quæ apparent mala; sed viso malo proximi, statim ad eius facinora euolemus præclara. Ast ea est hominum malitia, vt in proximis nulla semper scrutemur mala; ex quo non miror, quòd Dei indignationem in-

Matth. 16. curramus, Matth. 16. *Cœpit Iesus ostendere discipulis suis, quia oportet eum ire Hierosolymam, & multa pati à Senioribus, & Scribis, & Principibus Sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere. Et assumens eum Petrus, cœpit increpare illum, dicens: Absit à te Domine, non erit tibi hoc. Qui conuersus dixit Petro: Vade post me, Sathana, scandalum es mihi; quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed hominum.* Et cur Petrus sic meruit repelli? Cur meruit Sathanas vocari? Cur humani erroris reus haberi meruit? Meritò vocatur Sathanas, & habetur humani erroris reus, qui dum audit Iesum & moriturum, & resurrecturum, totus hæsit in mortis infirmitate, minimè resurrectionis recordatus. Quod indecorum erat mortis, illud tantùm respexit, quod erat virtutis, & gloriæ in resurrectione, illud nec attendit, nec respexit D. Hieronym. in epist. ad Algasiam,

Hieron. quæst. 3. fatus: *Humano quippe timore perterritus passionem Do-*

§. XII.

Tota inferni rabies non superat mensuram virium vnius hominis, vt homini noceat Dei gratia munito.

INtroducitur diabolus seminator zizaniorum, & vocatur à Deo inimicus homo; an enim Dominus: *Inimicus homo hoc fecit.* Et cur rabidissimus hostis vocatur homo? Nónne satiùs vocatur à Petro Leo rugiens? Nóne satiùs vocatur fulmen? Cur mauult Dominus illum vocare hominem? Homo infirmitatem sonat; diabolus fortissimus est, & validissimus hostis ad perdendum: dicatur ergo hostilis rabies, immanissima bellua, leo, vrsus, tygris, & non dicatur homo. Ast sapientissimè à Deo relictis furiarum nominibus, nomen hominis assumitur, & homo vocatur durissimus hominum inimicus, vt pateat, quòd licèt validissimus sit diabolus ad perdendum, tamen respectu hominis diuina gratia protecti, non excedit vires hominis vnius. Notissimi sunt duo illi homines dæmonia habentes, Matth. 8. de illis dicitur, *Dæmones autem rogabant eum, dicentes: Si eiicis nos, mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis: Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos, & ecce impetu abijt totus grex per præceps in mare, & mortui sunt in aquis.* In duobus erant hominibus dæmones illi, & petunt mitti in totum porcorum gregem, in quem facilè à Domino intrare permittuntur. Nónne sufficeret, quòd vel in duos alios porcos intrarent? Siquidem à duobus solis hominibus eiiciuntur. Cur plusquam duo porci dantur eorum potestati? Vt pateat, quàm alius est dæmon respectu hominis, & respectu cæterorum: qui enim hominem aggressus hominis vnius vires non superabat, copiosissimum aggressus gregem sic superabat, vt omnes illæ belluæ nec primum eius impetum valerent sustentare. Id quod miratus D. Chrysolog. serm. 16. ait: *Grex in gregem mittitur, vt probetur dæmonum multitudo, vt appareat hos duos portasse homines. quod numerositas non valuit sufferre porcorum.* Numerosa animalium cohors diaboli impetum sustinere non valet, quem duo, aut vnus sustinet homo, quandoquidem in humanis duellis diaboli tota potestas ad mensuram hominis temperatur. De feris terram exterminantibus locutus Daniel cap. 7. ait: *Prima quasi leæna, & alas habebat aquilæ: aspiciebam donec euulsæ sunt alæ eius, & sublata est de terra, & super pedes quasi homo stetit, & cor hominis datum est ei.* Quæ leonitiam referebat crudelitatem, & aquilinam velocitatem, subitò immutatur, & quasi homo apparet: ne iam timeas primos diaboli exterminatoris impetus; leo proculdubio rugiens apparet, & aquilis velocior ad perdendum, sed in congressu, sic Deo disponente, temperatur, vt vnius hominis non superet feritatem. Quò spectans D. Paulus 1. ad Cor. 10 ait: *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana. Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis.* Quantumcumque hostis furiat, etsi leonis edat rugitus, ferarúmque omnium præseferat rabiem, & crudelitatem, vbi in arenam descendit, vbi cum homine conserit manus, subitò vt homo apparet, nullo modò excedēs vires humanas. Vnde hoc? *Fidelis est Deus, qui non patietur, &c.* Adest certaminibus nostris

Matth. 8.
Chrysol.
Dan. 7.
1. Cor. 10.

nostris Deus fidelissimus iudex, & arbiter certaminum, qui nullam patitur in conflictu inæqualitatem. Hoc primum est in omni duello, quod athletæ sese iudici, & magistro sistant, a quo cauetur, ne aliqua sit inter illos armorum inæqualitas. Similiter in duellis Christianis Deus adest, vt iudex, & arbiter fidelissimus, qui dæmonis arma sic temperat, vt minimè excedant hominis arma. Ait enim Anselm. ibi: *Non permittet Deus, vltra mensuram vestratam virium excrescere pondus alicuius tentationis. Nisi enim Deus cum viribus tentamenta modificaret, nullus profectò est, qui malignorum spirituum tentationes corruens portet. Quia si mensuram iudex tentationibus non præbet, ea ipso stantem deijcit, qua vltra vires onera imponit: & idcirco hostem nostrum pia dispensatione permittit, & retinet; relaxat, & refrænat.* Expende illud, *si mensuram iudex*, &c. quippe in singulis conflictibus æquissimum, & fidelissimum agit Deus iudicem, qui confligentium arma mensurat, nec permittit truculentum hominum hostem accedere, nisi prius attemperatus fuerit ad mensuram hominis. Id vt ostenderet Dominus, Lucæ 8. quærit à dæmoniaco: *Quod tibi nomen? At ille dixit, Legio: quia intrauerant dæmonia multa in eum.* Et cur Dominus voluit patefacere, dæmoniorum multitudinem tantam incurrisse in hominem vnum, nisi vt ostenderet, quam veniant à Deo temperati omnes impetus dæmonis? Licèt enim tota infernalis multitudo prosiliat in certamen, nunquam tamen vnius hominis vires excedit. Ait ibi D. Basil. Seleuc. orat. 23. *Edocuit Dominus quàm multis humanum corpus aditum carnificibus dæmonibus non pateret; quandoquidem dæmonum maiestate in vnum armata tollere eum non eualuerit.* Ex quo sapienter educit Chrysolog. serm. 17. *Ludens est desidia mortis, si deficiat aciem, si gressum retrahat, si confligere perhorrescat, vbi vnum numeroso bello fortiorem prauidet esse captiuum.* Et sanè contemnenda est diaboli fortitudo, quando tota inferni potentia vnius hominis non superat vires. Parum illi credebat Rex Balac, qui conuocans diuinum Balaam, vt aduersùs Israël veniret cum dæmonum potestate, ait Numer. 22. *Veni igitur, & maledic populo huic, quia fortior me est: si quomodo possim percutere, & eijcere eum de terra.* Quæ verba sic legit Origen. homil. 13. in Numer. *Veni nunc, & maledic mihi populum hunc, quia fortior est hic, quam nos, si fortè possimus percutere aliquos ex eis.* Magum vocat Balaamum, vt veniat inuocatis diabolis ad maledicendum populo Dei, & nihilominus dicit, *si fortè possimus percutere aliquos*; non enim tantum fidit in dæmonum potentia, vt de eorum auxilio certam sibi victoriam promittat; sed adhuc illis venientibus, vt acutè notat ibi Origen. dubitat, an possint vniuersi aliquem ex Israëlitis perdere, quippe ait Origen. *Videtur mihi Rex hic non ex integro confidere in Balaam diuino, ingens de virtutibus, quæ in populo Dei factæ sunt, auditione perterritus, & ideò dicit; Si fortè præualeant maledictiones Balaam, vt aliquos ex ipsis possit percutere.* Et quidem omnes dæmonum maledictiones non valent aduersùs hominem minimum, dum ille velit resistere.

Anselm. — Luc. 8. — Basil. Sel. — Chrysol. — Num. 22. — Origen. — Idem.

Text. Serui autem dixerunt ei: Vis, imus, & colligimus ea? Et ait: Non, ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum.

§. XIII.

Illicitum semper est, & maximè barbarum, ex sola audita accusatione proximum inauditum, & prorsus inscium pœna aliqua mulctare.

SAnè boni serui nimio virtutis zelo feruentes, dum ex herbis crescentibus lolium, & zizania suspicantur esse in agro Christiano, rem summo iudici deferunt, de cuius sententia contendunt statim mala illa eradicare, & prorsus ab agro exterminare. At iusto tamen iudice patre familias impediuntur, ne & absenti, & inaudito reo, tanquam præsenti & conuicto inferant damnum. Vt enim præclarè notat noster Salmeron, lolium cùm adhuc in herba est, tritico maximè assimilatur, & vix ab illo discernitur, adeò vt circa illud etiam oculatissimus posset falli. Quis ergo vel iudex, vel pater familias, quando mille possunt esse fallaciæ, ea sola accusatione audita, inauditum reum percutit gladio? Accipite Chrysost. epist. 1. de iudicio circa se facto expostulantem: *Si autem aduersarij nostri, qui ita impiè egerunt, adhuc fingunt crimina quædam propter quæ nos iniustè eiecerunt, non dent nobis, neque commentarios, neque libellos, neque manifestent accusatoribus, agimus, & inuebimus etiam nos libenter causam, monstrabimusque illos ipsos, non nos reos esse eorum, quæ nobis impingunt, sicut & planè innoxij sumus. Et contra, quæ ab ipsis facta contra omnem sunt honestatem, contra omnes leges contra omnes ecclesiasticos canones. Et quid dico, canones ecclesiasticos? Neque in Gentilium iudicijs, neque in Barbarorum tribunalibus talia attentata sunt vmquam. Neque Scitha, neque Sauromata vmquam iudicarunt, iudicium dandum vni parti, absente ea, quæ accusatur, & vitante non iudicium, sed inimicitias, & inuocante multa millia iudicum, & protestante coram tota orbe declaraturam se non esse ream, depulsuramque crimina, & ostensuram suam innocentiam.* Quid sapientius? quid iustius, quid consultius proximorum honori & famæ? Ex solo accusatore audito, qui vel falli potest, vel potest fallere, inauditum proximum castigare, natura abhorret, nulla lex permittit, nec Barbarus vllus, nec Scitha, nec Sauromata fuit ausus, nec pater patitur, nec iudex, nec carnifex. Hanc tyrannidem maximè in orthodoxos exercuit exlex illa Valentis Arriani persecutio, de qua D. Basil. epist. 70. *Cùm nemo sceleratus sine teste iudicijs condemnetur, Episcopi sola intercedente calumnia damnantur, & nulla euidenti probatione asserta, ac roboratis criminationibus, supplicijs traduntur. Nonnulli nec nouerunt quidem accusatores suos, neque tribunalia viderunt: neque delati sunt primùm, sed nocte intempesta arrepti in exilium fugati sunt.* Hæc solùm apud exleges homines fiunt, quòd nimirum proximi subitò nullum ante iudicium, nec tribunal, nec accusatorem, nec patronum experti, se iam in supplicio, & pœna videant. Id cauens Paulus Christianis, 1 ad Corinth 4. ait: *Itaque nolite ante tempus iudicare.* Iudicium fidelibus vetat, à quo damnationis sententia in proximos procedat: quid, ergo nemini licet damnare fratrem, nec iudici, nec parenti, nec magistro? Nemini prorsus, nisi priùs euidenti probatione cogatur reus conuinci, & confiteri. Ait Chrysost. ibi, homil. 11. *Quid igitur, nónne magistros hoc facere, nempè iudicare, oportet? Oportet quidem, verùm in manifestis criminibus, & confessis, & hoc si temporis commoditas expectabit.* Dum delicta, & errores proximi non sunt prorsus manifesti, & euidenti probatione conuicti, & quos reus interrogatus confessus fuerit, nec iudici, nec patri, nec magistro licet de illis iudicare. Quod suis fidelibus cupiens esse cautum Dominus ait Exod. 23. *Non suscipies vocem mendacij*: vbi Septuag. habent: *Non suscipies auditionem vanam.* Quod si quæras, quæ sit vana auditio? Illa proculdubio vana putatur, quæ nulla euidenti probatione nititur, nec habet plus substantiæ, quàm verba, & sermones prolatos, quibus semper potest subesse falsum. Ex quo aiebat Philo, lib. de iudice: *Hoc legis caput mihi videntur quidam è Græcis legislatoribus desumpsisse è sacratissimis Moysis tabulis, interdixisséque, vt ex auditu feratur testimonium, quòd quæ quis vidit, certa iudicanda sunt; quæ verò audit, non prorsus firma.* Quòd si audita solùm, non debent à iusto viro vt firma iudicari, quanto piaculo iudicantur vt firma, quæ vna sola aure percipiuntur, altera prorsus proximo negata, ne possit, si quam habet innocentiam, facere testatam? Qui sic in proximos suos & Scithis, & Sauromatis sunt barbariores, illud proculdubio merentur, vt sine illorum conscientia durissimis supplicijs castigentur, propter aliquos de illis etiam sermones vanè iactatos, quando nullus est, qui accusatorum linguas possit euadere.

Chrysol. — Basil. — 1. Cor. 4. — Exod. 23. — Philo.

§. XIV.

Proximorum errores simplicioribus verbis deferendi sunt, ne grauiores appareant.

BOni Dei serui in præsenti notandi sunt, vt deferant summo iudici orta in Christiano agro zizania, nimirum aiunt: *Vis imus, & colligimus ea?* Expende illud, *colligimus ea*; quid simpliciùs dictum? Non agnominum & verborum grandium sonitu malum aggrauant, nec exaggerant; sed simpliciter, & sincerè nominant proximi mala. Diuinum optimè nouerunt adimplere præceptum, quod Prouerb. 20. sic cauet: *Ei, qui reuelat mysteria, & qui ambulat fraudulenter, & dilatat labia sua, ne commiscearis.* Expende illud, *dilatat labia sua*; sunt enim susurrones, & criminatores homines à natura, qui nullum proximi defectum simpliciter, & sincerè nouerunt narrare; sed ampullatis verbis illum amplificant, & dilatant. Nullus error proximi in horum labiis apparet, nisi sub grandiorum facinorum vocabulis dilatatus, amplificatus, vt vel parua scintillula nequeat aliter quàm flammi

Prou. 20.

flammiuomus Æthna vocitari. Ab his hominibus longè absint Dei serui, qui potiùs proximi errores debent minuere, quàm ampliare: imò ab his quam longissimè absit, quisquis velit rectum iudicium, & innocuum præstare. Monebat Dominus, Exod. 23. *Non suscipies vocem mendacij*; alij cum Septuag. legunt: *Non suscipies auditionem vanam*; quòd si quæras, quæ sit auditio vana? Ea est ampullata de proximi defectibus locutio, quæ grandia præferens vocabula, parum, aut nihil veritatis habet, sed instar ampullarum turgentium, si vel leniter tangatur, euanet. Pulchrè ad hæc aiebat Philo, lib. de iudice: *Ergo ante omnia præcipit lex iudici, caueat, ut vanam narrationem auribus accipiat, sed excludat vanas vulgò peritiat, damnatásque fabulas figmentorum poeticorum, res nihili multis verbis exaggerantium.* Hoc equidem maximè cauendum iudici est, ne præbeantur aures illis, qui numquam non poëticè loquuntur, res nihili multis verbis exaggerantes, vt quæ in se nullum habent momentum, de affictis vocabulis pompam accipiant, qua traducantur. Quo se malo affectum lugebat Psaltes 23. *Posuisti nos in opprobrium vicinis nostris, subsannationem, & derisum ijs, qui in circuitu nostro sunt.* Chrysost. ibi legit hanc secundam partem, *Pompam ijs, qui in circuitu nostro sunt.* Quid subsannatio, & derisio cum pompa? Sanè nulla tetrior subsannatio, & derisio est, quàm vbi defectus aliquis carpitur pomposis, & ampullatis vocabulis, vt vel in minimis defectibus grande intonet κόμπος. Sed dum notatus error paruus sit, quid tua, quòd criminator proiiciat circa illum ampullas, & sesquipedalia verba? Misera sanè est hominis conditio, qui non re vera, sed oris criminantis pompa traducitur, & in pœnam vocatur. Nec vir sanctus adeò sentiret suos defectus pomposis traduci vocabulis, nisi maxima esset vis arti huic ad perdendas proximorum causas. Ait enim Minutius Felix in Octauio: *Plerumque pro disserentium viribus, & eloquentiæ potestate, etiam perspicuæ veritatis conditio mutatur. Id accidere pernotum est auditorum facilitate, qui dum verborum lenocinio à rerum intentionibus auocantur, sine delectu assentiuntur dictis omnibus, nec à rectis falsa secernunt, nescientes inesse & incredibili verum, & verisimili mendacium.* Expendendum est illud, *verborum lenocinio à rerum intentionibus auocantur*; quippe ea est verborum pompæ vis, vt auditores auocet à rerum intentione, adeò vt minimè attendentes rei paruitati, de magnitudine verborum nil suspicentur, nisi magnum, quo ebibunt nocentissima proximis mendacia.

Exod. 23. — Philo. — Psal. 23. — Chrysost.

§. XV.

Maximè iniustus est, qui nihil vitij in fratre nouit dissimulare.

MEritò boni serui prohibentur statim eradicare zizania, sed illa præterire, & dissimulare parumper iubentur; non enim iustus est zelus, qui nihil nouit concedere fragilitati, nihil nouit dissimulare. Hunc monebat Ecclesiast. cap. 7. *Noli esse iustus multum.* Vt in omnibus moralibus virtutibus, sic & in affectu iustitiæ excessus est, & excessus maximè nociuus; sæpè enim, vt vulgò aiunt, *summum ius, summa iniuria est.* Ergo iustus sciat fragilitati humanæ aliquid concedere in proximo, ne ex iusto fiat iniustus, inhumanus, & bonis iniurius. In præsenti ait D. Hieron. *Si quem rigidum, & trucem ad omnia fratrum peccata conspexeris, vt nec in sermone peccanti, atque propter naturalem interdum pigritiam moranti, det veniam: hunc scito plus iustum esse, quàm iustum est, nam inhumana iustitia est fragilitati hominum non ignoscens.* Semper quæ vera iustitia est, se intra misericordiæ carceres custodiat, ne si misericordiam exeat, & omnia punire velit, non iam iustitia sit; sed inhumanitas, sed iniuria, sed crudelitas. Hinc inter alios pulcherrimè spectabat Ferran. Carthaginésis Diaconus in Parænetico ad Reginum Ducem, regula 6. aiens: *O quanta dissimulanda sunt, quanta toleranda, quanta leniter attingenda, quanta Sacerdotumque intercessionibus concedenda ab illo, qui sapienter audit: Noli esse multum iustus.* Multa dissimulet, multa patienter sustineat, quisquis à vero iustitiæ tramite nolit discedere; semper enim correctioni instare, & vel ad minimum errorem excutire nolle, crudelissimum est, valde nociuum. Quippè ait Tertullian. in carm. ad Senatorem: *Semper nocet vtile longum*, & quidem prudentissimè: licèt enim esca vtilis sit, sed si ab escis non abscedimus, potius mortem inde, quam vtilitatem oriri nouimus. Suos etiam habeat fines iustitia, imo semper viuat in confinio misericordiæ, vt inde seruet iustitiæ nomen, quòd sic nouerit errores corrigere, vt & parcens in aliquo saluti proximi consulat, & honori. Deuteronom. 25. serebat lex nocentes quadraginta plagis; at iudices numquam plagarum numerum implere permittebant. Et cur non permittebant? Pulchrè Theodor quæst. 30. ait: *Quia maior numerus vapulantem infamat: si enim ceciderint eum pluribus, deformis abibit frater tuus in conspectu tuo. In eo transgredi legem permittunt, ne exactum obseruantes numerum, etiam nolentes vapulantem infament, plurimis plagis illatis.* Sic iusti viri cauent semper exactum iustitiæ rigorem in correctione fratrum, ne iustitiam conuertant in crudelitatem. De hoc latiùs 1. tom. lib. 1. cap. 2. §. 3. & 4. & alibi.

Eccles. 7. — Hieron. — Ferran. — Tertull.

§. XVI.

Qui filiali in Deum dilectione sunt affecti, Deum cupiunt in proximos misericordem.

QVàm promptos se ostendunt serui hi ad eradicanda zizania, ad peccatores puniendos; aiunt enim, *Vis imus, & colligimus ea?* Nil nisi iudicium, & seueritatem circa malos cupientes; ex quo meritò vocantur à domino serui, dum ait, *Serui autem dixerunt, Vis imus, & colligimus ea?* Serui sunt, & seruili spiritu laborant, qui seueritatem exequuntur: si enim non seruili spiritu, sed filiali Dei amore vigerent, nil magis cuperent, quàm Deum misericordem, & proximis parcentem exhibere. Psalm. 118. ait Dauid ad Dominum: *Aspice in me, & miserere mei secundum iudicium diligentium nomen tuum.* Miraris, quòd Dauid petat respici à Deo secundùm iudicium, quando aliàs clamaret: *Non intres in iudicium cum seruo tuo, Domine*; hic iudicium deprecatur, illic secundùm iudicium petit respici, sed secundùm iudicium diligentium Deum. Dilectores autem Dei eo ipso, quòd diuini amoris flammis sunt incensi, nec in iudicio Deum seuerum, sed pium, & misericordem proximis vellent. Pro quo D. Bernard. serm. 2. in vigil Natiu. ait: *Non sicut ego merui, sed sicut illi decreuerunt, miserere.* Securè Dei dilectionibus remittitur de salute humana iudicium; notum enim est, quòd Dei dilector Deum erga homines misericordem vellet, iudicis rigorem à Deo ablegabit. Dixit Dominus semel Petro, Matth. 19. *Sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.* Hoc Petro dictum accipe, sed & Ioann. 21. ait Dominus: *Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei, Etiam Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos.* Antea iudicium hominum Petro datur, modò nihil de hominum iudicio, sed hominum pascendorum cura mandatur. Cur Domine, dum præficis Petrum orbi, non magis iubes, vt regat virga, vt iudicet, sed solùm petis, vt pascat? Præmiserat Dominus amoris examen, & vbi Petrum Dei dilectorem inuenit, satis scit nullam in eo seueritatem iudicij, sed plenam misericordiam, & fratrum pascuam requirendam. Ex quo monebat Paulus ad Coloss. 3. *Induite vos ergo, sicut electi Dei, sancti, & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem*, &c. Vbi dilectio antecedit, & Dei charitas in cordibus humanis diffunditur, nil prius inde prosilit, quàm misericordia, & benignitas, vt dicat Chrysost. hom. 14. ad Rom. *Est sanctorum genus omne beneuolum, propensóque erga alios affectu; propterea & Paulus dicebat: Induamini igitur tanquam electi Dei sancti, & dilecti viscera misericordiæ.* Et adhuc pendendum est illud, *viscera misericordiæ*. Quid est, induite viscera misericordiæ? S. Remigius quid filiale ibi significari putat, quo quis vt filius ad Dei viscera refertur; nec abs re monebat Paulus, quòd viscera misericordiæ induamus, antiquitùs enim filiorum adoptionem recipientes, sub exteriori matris familias veste recipiebantur, & inde quasi parturiebantur. Monemur ergo visceribus Dei Patris adhærere, non tanquam principio coniuncto, vt filij naturales, sed tanquam vesti, & indumento, vt filij adoptiui. Nec prætermittendum est, quòd Paulo idem sit spiritus adoptionis, & spiritus misericordiæ, idem manere in visceribus Dei, vt filius, & misericordiam, & benignitatem ad omnes præseferre. Quò enim plus filialis dilectionis habes, quò magis intra Dei viscera, vt filius manes, eò maiorem exundare ad omnes cupis misericordiam. Vnde Matth. 18. dicitur: *Egressus autem seruus ille, inuenit vnum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios, & tenens suffocabat eum.* Cur tam durus in fratres seruus erat, ab omni filiali amore prorsus alienus, insuper non manebat in Deo vt filius, sed vt seruus à Deo erat egressus; si enim vt filius in Patre mansisset, non potuisset

Psal. 118. — Bernard. — Matth. 19. — Ioann. 21. — Coloss. 3. — Chrysost. — Matth. 18.

non

non cupere proximo misericordiam, & beneuolentiam. Theoph. Ait Theophylact. ibi: *Egressus seruus, qui veniam obtinuerat, strangulat, ac premit conseruum. Nullus enim, qui in Deo manet, compassionis expers est: sed ille egressus erat, & à Deo tunc alienus erat; magnæ autem erat incredulitatis.* Seruilem, & à Deo alienam conditionem comitatur crudelitas: ingenuus, & filialis affectus, quo quis vt filius adhæret Deo, nullo magis ostenditur, quam in eo, quod semper cupiat proximis adesse, & prodesse. Quid plura? Quantus apparet affectus ad subueniendum, tantus apparet filialis respectus ad Deum. Dum staret Stephanus coram Principibus Sacerdotum, subiturus sententiam, subitò clamans ait: *Ecce video cælos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei.* Cur non magis ostenditur Iesus sedens à dextris Dei? Nónne ostenderetur magis tunc Patri æqualis, si ostenderetur sedens, & ad eius dexteram? Sic dicitur communiter sedere ad dexteram Dei Patris, vt Patri æqualem Filium ostendat. Cur ergo modò non sedens, sed stans ostenditur? Equidem vbi Stephani causa in iudicio agebatur, & ipse Stephanus stabat, vt reus, nullo magis ostenderetur Dei Filius, & Patri æqualis, quam si in habitu opitulantis, & subuenientis ostenderetur, stans cum stante, & patiens cum patiente. Pulchrè ad hæc D. Petrus Damian. serm. de S. Stephano, ait: Damian. *Aperiuntur ergo cæli, & puto, quòd omnes cæli, eorumque apertionem sequitur visio Dei, & videtur Iesus stans à dextris virtutis Dei. Ne Patre minor esse putetur, stat cum stante, cum bellatore bellatur, quia lapidatur cum lapidato.* Expende ab illis: *Ne Patre minor esse putetur, stat cum stante*, &c. Equidem si sedentibus iudicibus aduersùs Stephanum, & Iesus ad dexteram sedens ostenderetur, via credi posset Filius Dei, & Patri æqualis, quando huius proprium est subuenire etiam veris reis. Ideo tunc minimè sedet, sed stat cum stante, fauens, & opitulans homini suo in quo sese ostendit Filium Dei, Patris æqualem, cuius est, misericordiã omnibus ostendere, neminem perdere. Inde est, quòd dum Petrus zelo plenus Sacerdotis serui auriculam gladio percutit, dixit illi Matth. 26. Dominus, Matth. 26. *Conuerte gladium tuum in locum suum; omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?* Expende, quid dicat Dominus, se posse habere ex Patre ad illum conflictum, nimirum ait, se posse habere ex Patre plusquam duodecim legiones Angelorum. Cur non magis dicit, se posse habere duodecim millia fulmina, quæ regionem illam in cinerem reducant, vt reduxere Sodomã; vel se posse habere ex Patre serpentes igniros, qui, vt quondam Israelitas, sic modò vniuersos Hierosolymitanos tradant internecioni? Cur his prætermissis, maluit Angelos meminisse, genus & saluare, & Euthym. amicum omnibus? Pulchrè Euthym. ibi. *Non dixit, Possum eos perdere: maluit scilicet imbecillus videri, quàm perdendi potentiam ostentare.* Non est filius Dei qui ostenditur in perdendi potestate, sed in studio subueniendi, & defendendi genus humanum: vt discas, in quo possis cognoscere filialem affectum erga Deum habitum. Hunc qui habet, nihil magis in optatis, quàm omnia, & Deum ipsum reddere homini placatum.

§. XVII.

Peccator ex consortio iustorum magnum emolumentum capit.

SApienter mauult Dominus zizania inter triticum manere, vt qui nouit quantum emolumentum ex consortio, & conuictu iustorum impij capiant. Notissima est historia 4. Reg. 13. 4. Reg. 13. vbi sic: *Mortuus est ergo Elisæus, & sepelierunt eum. Latrunculi autem de Moab venerunt in terram in ipso anno; quidam autem sepelientes hominem, viderunt latrunculos, & proiecerunt cadauer in sepulchro Elisæi. Quod cum tetigisset ossa Elisæi, reuixit homo, & stetit supra pedes suos.* Vbi notandum quantum lucrum percepit homo ille, vel ex momentaneo consortio cum Elisæo; mortuus ipse erat, nec vllus sperabat posse fieri, quòd reuocaretur in vitam, sed & nulla ad id fiebat diligentia. Interea sepulto Elisæo parumper adhæsit, & ecce tibi morte depulsa, apparuit sanus, & viuus. Quis iam peccator, etsi in delictis mortuus, & prorsus frigidus contẽmnat iustorum consortium, quando hoc illi potest totam gratiæ vitam restituere? Pulchrè ex hoc Bachiar. monebat Bachiar. epist. de recipiendis lapsis, inquiens: *Et tu ergo si mortuum dicis, vel iuxta Elisæi illum ossa constitue. Noli, vt eum longè segreges à Christi membris, quia ipse consortio meliorum erubescet, & resurget in vitam. Nónne emendationis paruum putas esse momentum, si peccator asciscitur in consortium beatorum, quia illorum præmia, sua sentit esse tormenta? Si quis laudatur, erubescit; si quis vituperatur, agnoscit. Inter hæc flagella verborum constitutus satisfactioni, emendationique semper approximat.* Numquam non salutaris est peccatoribus iustorum hominum vicinitas, quorum virtutum exemplis ob oculos concurrentibus, vel frænantur à malis, vel resurgunt in vitam. Stimulus est iusti vita, quæ vicinos sibi peccatores agat in meliorem frugem, siue quòd erubescant, steriles manere inter fœcundissima vitæ ligna, siue quòd exemplis accensi, ad diuites contendant quadam æmulatione partus virtutum. Propone tibi ob oculos mundi cunabula prima, qualiter cœlum, & terra à Dei manibus ortum ducant: vix terra apparet creata, & audiuit diuinum præceptum, Genes. 1. *Germinet terra herbam virentem*, & præcepto obediens fœcundissimos statim in partus Genes. 1. prosiliuit. Non sic cœlum, nec audit præceptum de parturiendo, nec aliquid parturit, contentum luminibus ornari, & vestiri, quo finitur quarta die. Nec dum incipit quinta dies, & ecce tibi aliud Dei præceptum intonat: *Producant aquæ reptile animæ viuentis*; & statim aquæ mille animalia producunt. Fœcunditatem producendi dederat Dominus primò terræ; illam deinde cœlis non dedit; rursus eamdem aquis largitur. Et cur, quæ negatur cœlis, aquis conceditur? Cur necessum fuit, quòd aquæ haberent fœcunditatem, immediatè antè negatam cœlis? Parturienti iam terræ de præcepto diuino, proximæ, & vicinæ, & coniunctæ erant aquæ; ab vtrisque cœlum longè erat distans: quare quæ parturienti terræ proxima erat aqua, & simul iuncta, non potuit de terræ vicinitate in idem præceptum non surgere, & eamdem fœcunditatem inducere. Ait D. Basil. Se- Basil. Sel. leuc. orat. 1. *Cum aridam mare coronasset Deus, non vsibus ineptum ostendit mare, ne quidem genituræ. Oportebat id siquidem vicinæ terræ ad partus edendos non inferiùs videri.* Non potuit aqua vicini elementi non induere virtutem; nec præceptum diuinum de producendo terræ datum, & in terra obseruatum, non potuit non obseruari etiam in aquis, quæ erant vicinæ. Quid plura? Vix fieri nequit, quòd peccator dum iustis adiuiuet, non similes induat virtutes, & non cogatur seruare rectitudinem. Sunt equidem iustorum virtutes instar laqueorum, qui vicinos peccatores in iustitia vel cogant viuere. Vnde de coruo ab arca Noë emisso dicit Genes. 8. *Egrediebatur, & non reuertebatur.* Id quod ponde- Genes. 8. Ambros. rans D. Ambros. lib. de Noë, cap. 17. ait: *Egressus coruus non reuertitur ad iustum; quia euasisse credit iniustus tanquam de vinculis, cùm iustus ab eius se consortio separauerit.* Quot enim erant in iusto opera virtutum, tot sunt vincula, quæ impium iniustitia vel inuitum contineant. Huc refero dicta tom. 3. lib. 14. cap. 4. §. 3. & lib. 14. cap. 12. §. 7.

Text. Sinite vtraque crescere vsque ad messem: & in tempore messis, dicam messoribus: Colligite primùm zizania, & alligate ea in fasciculis ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.

§. XVIII.

Sectionis asperitas tunc solùm non damnosa, cùm matura, & opportuno tempore exhibetur.

NOn prorsus impediuntur serui isti ab euulsione, & scissione zizaniorum in agro Christiano, sed iubentur expectare messis tempus; vbi enim seges matura fit ad Messem, nullum illi malum timetur, licèt tunc accedat asperitas falcis, sola immatura asperitas nociua est; quæ autem tempore maturo exhibetur, semper inuenitur salutaris. Iam sæuientibus hostibus sese tradebat Iesus, & dum se hostili tradit phalangi, sic de suis discipulis cauet Ioan. 18. *Sinite hos* Ioann. 18. *abire, vt impleretur sermo, quem dixit: Quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.* Meritò cauet Dominus ne discipuli comprehendantur, vtpote qui de illis nullũ erat perditurus: ex eo autem quod nullum perditurus erat, oportuit, vt illos à comprehensione liberaret. Et quid, si comprehenderentur discipuli, an ideò necessum erat, quòd perderentur? Sanè & postea comprehensi sunt à tyrannis, & carceres, & verbera, & ludibria experti, secti sunt, truncati sunt, milléque mortis generibus consumpti, & nihilominùs nullus ex his perditus est. Cur ergo quando hi erant Apostoli, qui inter

rabidissimas persecutiones, & mortes non erant perdendi, tam studiosè modò cauet Dominus, ne comprehendantur, vt eorum perditionem euitaret? Cur, Domine, hostiles persecutiones caues tuis, qui per tot persecutiones erant coronandi? Non timet Dominus persecutiones suis, sed persecutiones, & durities immaturas maximè cauet, vt quæ solæ possint esse etiam fortissimis hominibus lethales. Aiebat S.

S. Philipp. Philipp. Abbas, epist.14. *Ex his, quos ad saluandum ei Pater dederat, quempiam non amisit, quia occidi eos immaturo tempore non permisit.* Hinc tota discipulorum salus pependit, quòd non permissi sunt cædi immaturo tempore; quòd permissi sunt viuere etiam imperfecti, & fugitiui, & negatores, donec cœlesti igne tori maturuerunt, & tempore iam maturo facto, nihil iam illis timetur à falce, a gladio, ab vniuersa mundi tyrannide. Huc conueniant omnes animarum curatores, & sciant medicabilem, & salutarem falcem mittere, non tempore immaturo, sed tempestiuè, & maturè.

Leuit.16. Leuit. 16. monebat Dominus circa sacrificium pro peccatis faciendum. *Postquam emundauerit sanctuarium, & tabernaculum, & altare, tunc offerat hircum viuentem, & posita vtraque manu super caput eius, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, & vniuersa delicta, atque peccata eorum, imprecans capiti eius, emittet illum per hominem paratum in desertum.* Hæc vltima verba transfert lectio Veneta sic: *Emittet illum per manum viri opportuni in desertum.* Adhuc in rem nostram explicatiùs Tigurina fatur: *Emittet illum per manum viri tempestiui.* Non enim fidendum est alteri manui, quæ peccata è medio tollat, nisi manui tempestiuæ, & opportunæ, quæ scilicet, & tempestiuitatem, & opportunitatem obseruet, ne quid immaturo tempore fiat. Sanè multo studio debent tempestiuitatem, & opportunitatem obseruare animarum curatores, præcipuè vbi peccatum asperitate euellendum est, ne si tumenti plagæ immaturè ferrum adhibeant, totam perdant medendi disciplinam. Id obseruabat Domi-

Isai.1. nus optimus animarum curator, dicens, Isai. cap.1. *Super quo percutiam vos vltra addentes præuaricationem? Omne caput languidum, & omne cor mœrens. A planta pedis vsque ad verticem capitis non est in eo sanitas, vulnus, & liuor, & plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo.* Expende, quid obseruet, ne persecutionem inferat, nimirum, quòd in infirmo populo plagarum sit tumor immaturus, nullo oleo fotus, nullo concoctus medicamine. Sapientes enim medici vbi tumorem morbidum curant, non statim ferrũ adhibent immaturo, sed priùs olei fomenta applicant, & alia medicamina, vt concoquatur tumor, & se maturum scissioni ostendat: & vt immatura percussio lethalis, sic matura plena inuenitur salutis. Meritò ergo Dominus à percussione abstinet, dicens: *Super quod percutiam vos?* Et quare abstinet à percussione? Ipse explicat verbis illis: *Plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo.* hoc est, nondum plaga maturuit fomentis; quare expectandum est tempus magis tempestiuum, & opportunum, quo ferrum imprimat vulnus. Et quando temporis non seruanda opportunitas in animarum procuranda salute? Paul. ad Ro-

Rom.12. man.12. exhortatur, quòd simus inter alia multa *spiritu feruentes, Domino seruientes*; multi legunt: *spiritu feruentes, tempori seruientes.* Et cur spiritus feruori adiungitur temporis seruitus? Sapienter quidem spiritu feruentibus hominibus mandatur, quòd tempori seruiant, quasi hoc feruori frænum iniiciant, ne quid immaturè faciant, sed in omnibus opportunitatem, & tempestiuitatem seruent, vt populo salutem acquirant. Ait ibi D. Ambros. *Quoniam dixerat, spiritu feruentes, ne hoc sic acciperent, vt passim, & importunè verba religionis ingererent tempore inimico, per quod forsan scandalum excitarent, statim subiecit; tempori seruientes, vt modestè & cum honestate aptis, & locis, & personis, & apto tempore religionis fidem loquerentur.* Omnia equidem difficilia tantisper differentia sunt, vsque dum appareat tempus maturum.

Ambros.

§. XIX.

Eisdem rebus punientur homines acerbissimè, quibus vtebantur in delitijs suis.

Zizania in fine colligari iubentur, & in fasciculos effingi, vt comburenda tradantur; & cur iubentur zizania in fasciculos effingi, vt tradantur igni? Apud Luc. cap.3. dicitur Dominus, quòd purgabit aream suam, *paleas autem comburet igni*; & non iubentur paleæ priùs alligari in fasciculos, sed sic vt inueniuntur, iubentur comburi. Cur sola zizania non antea igni traduntur, quam alligentur in fasciculos? Meritò quidem; vt enim zizaniosi homines, vt sic loquar, dum viuunt toti sunt in colligationibus, & factionibus erigendis, quibus pax inter fratres perdatur; sic etiam in colligationes, & fasciculos efformati traduntur igni, & qui excitandis factionibus, & colligationibus viuebant, inter easdem colligationes æternùm se crucient. Sic quæ hic ad gaudia sumuntur ab hominibus, postea ad æternos cruciatus conuersa inueniuntur. Matth.22. sine veste nuptiali ausus est quis cœlesti mensæ, nocturno conuiuio adesse; quem videns Dominus ait: *Ligatis manibus, & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium.* Audio hunc mitti in tenebras, non audio mitti in ignem. Cur cùm omnibus reprobis ignis sit paratus æternus, hunc non ignis, sed tenebræ excipiunt? Erat equidem iste de cincinnatis, & crinitulis adolescentibus, qui nocturnis tenebris agunt vitam; quibus vt modò tenebræ nocturnæ sunt ad delitias, sic tunc eosdem tenebræ ad æternos cruciatus excipient. D. August. serm.1. de pluribus martyribus: *O quisquis es flagitiosus, qui soles propter tua malefacta, & propter lasciua adulteria non solùm tenebras non horrere, sed quærere; qui soles plus gaudere, quando lucerna extinguitur: non tales tenebras habebis, vbi gaudeas, vbi te voluptatibus carnis oblectes, non sic erunt ipsæ tenebræ. Quomodo erunt? Ibi erit fletus, & stridor dentium. Tortor sine defectu, tortus sine defectu.* Qui in tenebris sumpserunt gaudia, tenebras inuenient, à quibus acerbissimos cruciatus accipiant: illæ ipsæ res, quæ tibi modò solatia ministrant, tunc cùm ad finem vitæ ventum fuerit, æternorum tibi gemituum materiam ministrabunt. Sic Iud.9. Abimelech molæ fragmine oppressus, nec interfectus, petiit ab armigero suo necari: *Qui iussa perficiens, interfecit eum.* Et cum permisit Deus, quòd iste non interficeretur à petra iacta, sed feriretur ab armigero, qui ei iacula solebat ministrare? In eo ostendit Dominus, quales pœnæ maneant ad torquendos miseros homines in mortis tramite: per illas enim res, inter quas læti adiuiuunt, immanissimos tunc patientur cruciatus. Ad hæc D. Petrus Damian. lib.2. epist.10. fatur: *Quem mulier fragmine molæ percussit, armiger ense peremit, quia castitatis aduersarios, diabolus æternæ mortis internecione trucidat, vt quibus fuerat minister in pugna, eorum sit postmodum tortor in pœna; quæque illis contra pudicitiam arma suggesserat, eadem exigentibus meritis in eorum tunc iugulum vertat.* Non alia tormentorum suorum fomenta reperient iniusti, quàm ea ipsa, quæ modò sibi fuere fomenta lætitiæ. Sub eisdem æternùm cruciati peribunt, sub quibus modò delitiosi viuunt.

Matth.22.

August.

Iud.9.

Damian.

§. XX.

Illatum alijs damnum sentient reprobi in se ipsis amarissimum.

A Iustissimo iudice sententia venit, qui zizania colligari priùs iubentur, vt tradantur igni; sic quod ex coniunctione zizaniorum damnum sentit triticea spica, idem sentient zizania colligata ex se ipsis. Et meritò colligantur zizania, vt secum ipsis confligant, & sibi solis nocumentum inferant, quod inferebant agro dominico. Me in hanc cogitationem impulit Ægyptiorum tragœdia, de quibus dicitur Exod. 12. *Factum est autem in noctis medio, percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti*, &c. Cur magis voluit primogenita Dominus percutere? Vt Ægyptij in suis filiis perciperent illam ipsam doloris immanitatem, quam Israëlitis ipsi intulerant, eorum occidentes filios, & suffocantes in Nilo. Ita D. August. serm.89. de tempore, inquit, *Percutitur Ægyptus primogenitis afflictu, vt ex eo cognoscerent, quantus dolor sit filiorum, qui necauerunt filios Hebræorum.* Quam aliis potionem amaram propinant, eamdem cogentur bibere iniusti, & illatum aliis malum cogentur gustare, quod illis amarissimum erit. Sic Deut. 19. cauet lex aduersùs falsum testem: *Reddent ei, sicut fratri suo facere cogitauit, & auferes malum de medio tui, vt audientes cæteri timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere. Non misereberis eius, sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.* Non aliud ei malum intendit lex, nisi idem, quod ipse nisus est inferre, vt vel sic cæteri deterrerentur. Sed sanè magis deterrerentur homines à tam nefario malo, si pœna duplo, aut quadruplo maior constitueretur. Cur ergo maluit Deus non duplo maius, sed idem prorsus malum inferre? Sanè nil sic afficit, & conterit homines, quam dum coguntur pati eadem ipsa mala, quæ ipsi aliis intulere. Vnde sapienter Tertull. lib.2. in Marcionem fatur:

Exod.12.

August.

Deut.19.

Luc.3.

fatur: *Facilior timor talionis per eumdem saporem passionis. Nihil amarius, quàm in ipsum pati, quòd feceris alijs.* Non potest non amarissimè ferri à te malum, quòd tu aliis causabas: & fallor, nisi duplo magis quis erubescat sub pœna, quam ipse aliis intulerat. Ex quo lucem capit illud Apocalypſ.18. vbi Dominus ait de Babylone damnata: *Reddite illi, sicut & illa reddidit vobis, & duplicate duplicia, secundùm opera eius: in poculo, quo miscuit, miscete illi duplum.* Et quomodo iubetur duplum misceri illi? An duplo maius debet esse supplicium merito? Absit hoc à Dei misericordia, & iustitia; sed vocat duplum, quia est idem malum, quod ipsa intulerat; quod licèt in se maius non sit, cùm sit idem, tamen idem pati malum, quod tu intulisti, duplo amarius, & acerbius videbitur tibi.

Apoc.18.

CAPVT III.

De semine iacto, & crescente, dum homo nescit.

PRÆDICATIONIS fructus non expectari ex prædicatoris voce, sed aliunde, nimirum à Dei gratia humani cordis terram emolliente, pulchrè docet Dominus exemplo seminis iacti in terram. Iacitur ergo in terram semen, quid tunc? Quòd ex semine iacto, germen exeat in spicam, & frumentum crescat; venit hoc à seminatore? Minimè; sed licèt seminator dormiat, vel aliò spectet, & germen ex terra adolescit, & fructus maturescunt in messem. Sic ad prædicatorem spectat iaciendum semen; quòd autem fructus nascatur, & ad maturitatem perueniat, id aliunde venit: numquam tamen bonus prædicator laboris sui nō habebit messem, qua in æternum ditescat. Huc respicit parabola exarata à D. Marc. c. 4.

Marc. 4. Sic est regnum Dei, quemadmodum homo iaciat sementem in terram, & dormiat, & exurgat nocte, & die, & semen germinet; & increscat, dum nescit ille.

§. I.

Ortus diuinæ gratiæ in anima laborem petit humanum, sed non tam ab illo, quàm à Deo fit.

SEmen iacit in terram seminator, & operit, & inter medios cleros dormit, vt sæpiùs nocte, & die satis instet, & satorum gaudeat augmentis: hæc omnia potest seminator præstare; at semen occulta virtute, sine illius conscientia in germen, & in augmentum ibit. A quo satore percipitur seminum germinatio? Quid plura? Quod in seminum ortu, idem in gratiæ ortu videtur contigisse: is nobis occultissimus est; nostrum laborem, & diligentiam requirit, quam nos præstamus; at quod gratiæ germen in nobis pullulet, non tam à nobis, quàm ab occulta Dei manu fiet. Nabuchodonosor exutus iam belluinam figuram, & hominem Dei gratia indutus, sic de se loquitur, Dan. 4. *Et figura mea reuersa est ad me, & optimates mei, & magistratus mei requisierunt me, & in regno meo restitutus sum, & magnificentia amplior addita est mihi.* Expende operam nauatam à magistratibus, vt Nabuchodonosorem requirant; ait enim, *magistratus mei requisierunt me.* At quia requisierunt eum, simul & inuenerunt, & in regnum restituerunt, & magnificentiam maiorem addiderunt? Id de diligentia magistratuum in se requirendo minimè affirmat; ponit equidem eorum diligentiam manifestam, dum ait, *requisierunt me*; verùm vbi ad regni acceptionem, & magnificentiæ additionem ventum est, nulli creatæ manui id attribuit; sed ait: *In regno meo restitutus sum, magnificentia amplior addita est mihi.* Quod enim diuinæ gratiæ in nobis parturitur, non tam ab humanis laboribus, quàm ab occultiori fit Dei virtute. Sapienter Richard. Victorin. lib. 2. de eruditione inter hom. part. 1. cap. 49. ait: *Notandum sanè est, quòd Rex iste à suis dicitur requisitus, non autem ab eisdem restitutus. Sed quis, quæso, eum restituit, nisi ad quem oculos leuauit, benedixit, glorificauit? Nam si fortè in nostra potestate sit mentis nostræ statum, qualis modò sit, vel aliquando fuerit, per deliberationem quærere, non tamen & æquè in nostra potestate est, virtutis nostræ detrimenta pro arbitrio reparare.* Non tam opus arbitrij,

Dan.4.

Richard.

& diligentiæ humanæ, quàm opus occultissimæ Dei virtutis est, quòd gratiæ germen in animis nostris pulluler, & nouum augmentum acquirat. De celebri Israëlitarum victoria eiúsque ingenti progressu ait Exod. 17. *Cumque leuaret Moyses manus, vincebat Israel.* Hoc vnum requirebatur, nimirum, quòd Moyses manus suas leuaret, leuatisque Moysis manibus, & vires Israëlitis addebantur, & victoria appropinquabat. Sed Moysis manus leuabantur in vertice montis, inde longè aberant pugnatores, qui consertas cum hostibus habebant manus. Quomodo ergo Moysis manus adeò distantes tam insignem victoriam poterant causare? Sanè dum Moysis manus visibiliter leuarentur in cœlum, simul aliam occultam trahebant Dei manum, cuius erat & vires addere, & gloriosas victorias reportare. Ad hæc D. Irenæus, lib. 3. cap. 18. fatur: *Occultè quidem, sed potenter omnia manifestans, quoniam occulta manu expugnabat Dominus Amalech.* Tantum equidem opus, tantum victoriarum augmentum non à visibilibus Moysis manibus poterat causari, altetius occultissimæ, & prorsus ab oculis remotæ manus opus erat, non enim nisi à Deo tanta in nobis virtus germinatur, quæ sic deuictis hostibus possit nos in æternum ditare. Et quidem vbi gratiæ, viuidæque virtutis cernitur exortus, & augmentum, non tam ab homine, quàm ab occulta, latentique inibi virtute Dei censendum est opus. Dicitur enim Genes. 4. *Sed & Seth natus est filius, quem vocauit Enos; iste cœpit inuocare nomen Domini.* Alij legunt: *Hic cœpit vocari nomine Domini*, hoc est, iuxta D. Cyril. expositionem, lib. 1. Glaphyrorū, cœpit dici, & vocari Deus. Et cur homo in tantam laudem deuenit, quòd haberetur Deus? Id notatur in lectione, qua dicitur cœpisse inuocare nomen Domini; vbi enim in illo tanta cœpit nitere gratia virtutum, per quam diuinum nomen inuocabatur, statim ipse cœpit haberi Deus ex operibus, quando non nisi à Deo fieri potuit illud virtutum exordium, & religionis augmentum. Quò spectabat D. Cæsarius Nazianzeni frater dialog. 1. inquiens: *Deificari Sethus, & Enos cœperunt illis temporibus, quia Sethus cœpit primus inuocare Deum.* Ex quo sese Deo deuouerunt, desierunt homines videri, & cœperunt haberi Dij, tantum enim virtutis opus diuinitatem in illis latentem, & operantem ostendit.

Exod.17.

Irenæus.

Genes.4.

Nazianz.

§. II.

Tot vitæ tempora agis, quot dies te in Dei gratia contines.

NOtanter de seminatore agens textus dicit, quòd *dormiat, & exurgat nocte, & die.* dixit, quòd *dormiat* solùm; & vbi addidit, quòd *exurgat*, ibi statim posuit, *nocte & die.* Non equidem iacentes, & dormientes somno vitiorum, sed surgentes à peccati somno, ij faciunt integros dies, ij vitæ peragunt tempora. Psalm. 30. ait: *Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ.* Ex Hebræo legit Hieron. *In manibus tuis tempora mea.* Chaldæus posuit: *In manibus tuis dies redemptionis*; & meritò nulla alia in hominibus noscuntur tempora, nisi dies redemptionis: dies, quibus redempti à iugo, & seruitute peccati, asserimur in libertatem filiorum. Psalm. 38. clamat: *Notum fac mihi, Domine, finem meum, & numerum dierum meorum, quis est.* Acutissimè D. August. expendit qualem diem, qualem numerum dierum cupiat Psaltes sibi ostendi, nimirum, numerum dierum, siue diem, *qui est.* Non quemcumque diem, non quemcumque numerum dierum exoptat, sed numerum dierum, qui est; inueniri ergo forsan poterunt alij dies, qui non sunt? Equidem veteris hominis dies non sunt; tunc tibi puta vera adesse tempora, veros dies accrescere, cùm exutus hominem veterem, & omnes eius defectus exueris. Pulchrè D. Augustin. in Psalm. 89. *Vtique petitur dies, qui est, non qui non est, quia dies illi, de quibus dicit, Ecce veteres posuisti dies meos, non sunt. Illi autem anni, & dies non deficiunt, in quibus nec nos deficiemus, sed sine defectu reficiemur.* Nullus profectò crescit ad numerum dies, in quo sub lapsu gemimus, & defectu, vbi sub veteris hominis, & peccati lege viuimus, nec vnum diem peragere censemur; tunc numerus incipit dierum, cùm incipit numerus dierum, qui est, qui excludit humanos defectus. Psalm. 36. *Nouit Dominus dies immaculatorum.* Vbi D. August. legit: *Nouit Dominus vias immaculatorum*; & meritò immaculatæ viæ pro diebus ponuntur, quando non antea censentur dies esse, quàm ex quo viæ immaculatæ videantur reperiri. Et quæstionem facit, quòd dicatur Dominus cognoscere dies immaculatorum, quasi nouum sit, quòd Deus omnes cognoscat. Cur ergo

Psal.30.

Psal.38.
August.

Idem.

Psal.36.

etiam vilissimæ res cognitioni subsunt diuinæ, quod singulare dicitur de diebus immaculatorum, in eo, quòd cognoscantur a Domino? 2.Tim.2. Paul.2. ad Timoth.2. penè quæstionem dirimit, aiens: *Cognouit Dominus, qui sunt eius.* Et quidem soli, qui sunt, & verè sunt, pertinent ad partem Dei, pertinent ad Dei cognitionem, adeò vt ex eo, quòd dies immaculatorum cognoscantur à Deo, manifestè ostendunt, quia soli ipsi verè sunt. Origen. Vnde dicebat Origen. in hunc Psalm. *Sicut ergo alibi dicitur, Cognouit Dominus, qui sunt eius; sic hîc non impiorum, sed immaculatorum dies cognoscere dicitur Dominus.* Quæ non sunt, nec cognoscuntur, & quando soli dies immaculati sunt, & ad Dei pertinent partem, nil mirum, si soli dicantur cognosci à Deo. Quo posito, sic monet consequenter Idem. Origenes. *Vnusquisque suam propriam facit diem. Cùm retrahimus nos ab his, qui oderunt fratrem, & in tenebris ambulant, & in dilectione fratrum permanemus, dies nobis facimus charitatis. Sed & cùm iustitiam custodimus, & cum visitantes viduas, atque orphanos in tribulatione sua, immaculatos nos custodimus ab hoc sæculo, immaculatorum nobis ipsis facimus dies. Et isti sunt quos nosse Dominus dicitur.* Felix, qui hos dies peregit; sanè solùm is dies verè peregit, quando sola immaculata vita integros, & plenos habet annos: vt dicat Sap 4. Sap.4. *Ætas senectutis, vita immaculata*; quasi annorum spatia non ab alio mensuranda sint, quàm à bona vita; eos enim vitæ annos habes, quos habes in gratia. Id quod notans D. Ambros. Ambros. lib. 2. de Iacob, cap. 8. dum eius longæuitatem ponderat, ait: *Erat itaque huiusmodi senex Iacob, qui vix speranda iuuenibus bona, incolumi, & tuta gratiæ claue iam clausa, & obsignata tenebat.* Integra erant tanto seni vitæ spatia: nec hora deficiebat, quando longæuitas eius sub claue gratiæ claudebatur. Discamus & nos, quos transilimus dies, hac claue obsignare; fallar, si quis perdatur. Luc.1. Luc. 1. *Elizabeth impletum est tempus pariendi, & peperit filium.* De quo Origen. Origen. homil.9. in Lucam, ait: *Vbicumque iustus nascitur, ibi complentur dies. Ortus iusti plenitudinem habet, peccatoris natiuitas vacuitatem, atque inanitatem.* Huc possunt reuocari aliqua ex dictis 2.tom. lib.11. cap.3. §.4. & 3.tom. lib.14. cap.10.§.27.

Text. Vltrò enim terra fructificat, primùm herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica. Et cùm se produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest messis.

§. III.

Turpissimum homini est, vltrò prosilire in damna sua.

VEl terra, vel quæuis alia insensibilis creatura vltrò minimè procederet, nisi in fructus; quippe ait: *Vltrò terra fructificat*, & quid aliud faceret quæuis alia creatura? Nulli non turpissimum esset vltrò procedere in rem, quæ non fructifera, & decora, sed damnosa & indecora existeret. Tertull. Rem pulchrè expendens Tertull. de anima 6. ait: *Video hederas, quantum velis premas, ad superna conari, & nullo præeunte suspendi, quòd malint parietibus inuehi textili sylua, quàm humeri tui voluntaria iniuria.* Et terra, & planta ad decus aspirant, & nil magis refugiunt, quàm quòd videãtur vltrò, & voluntariè ad damna prosilire, & iniuriam. Quod terra, quod planta refugit, turpissimè homines amplectuntur quotidie, dum vltrò in damna, & in perditionem currunt. Osea 10. Quam labem Ephraimo populo tribuebat Oseas, cap.10. inquiens: *Ephraim vitula docta diligere trituram*; non mirum, si vitula diligat, & vltrò currat ad fœnum; id sanè mirandum, quòd vltrò currat ad iugum, & totum pondus plaustri sustentare diligat: hoc vel vitulæ turpè, homini autem Rupert. sine dubio est turpissimum. Quippe ait Rupert. ibi: *Vitulæ cùm grauissimo labore fatigantur, solent prodire ab area. Iterum autem diligentes aream, eo quod fruges in ea comedant, sponte ad aream redeunt. Sic Israël, licèt frequenter affligeretur, & multa aduersa pateretur propter idola, tamen vltrò ad idola reuertebatur.* Quid stolidius? Sanè hæc bouina stoliditas innumeros homines implet, qui experti vitiorum labores acerbissimos, quotidie ad labores totis votis ferũtur. Adhuc eleGregor. gantiùs rem ponderat D. Gregor. lib.20. in Iob, cap.16. inquiens: *Vitula trituræ laboribus assueta, relaxata plerumque ad eundem laboris vsum etiam non compulsa reuertitur. Sic prauorum mens huiusmodi seruituti dedita, & rerum temporalium fatigationibus assueta, etiamsi sibi vacare liceat, subesse tamen terrenis sudoribus festinat.* Miraris bouinam stoliditatem in homine, qui vltrò currat, non ad fructus, sed ad damna sua. Et adest homo omni boue stolidior, is, Luc.cap.14. sese à diuinarum Luc.14. nuptiarum cæna excusans, ait: *Iuga boum emi quinque, & eo probare illa.* Quis bos ad quinque iuga festinaret? Et hic boue stolidior, ad quinque iuga sustinenda festinat. Id quod ponderans D. Bernard. in declam. ad illa verba: *Ecce nos re-* Bernard. *liquimus omnia*, sic loquitur: *An verò comparatum iumentis, quis dubitet hominem, qui sibi iuga emerit iumentorum: nisi quòd eo sane ipsis quoque iumentis conuincitur stolidior, & bestialior bellvis comprobatur, quòd iuga necessitatis earum propria, ipse subeat voluntate?* Quid turpius homini, quàm voluntate sua currere ad iuga subeunda, qualia boues necesse habent cogi, vt illa subeant? Sed eò peruenit hominum stoliditas, de qua Iob, cap.30. *Esse sub sentibus delitias computabant.* Vbi S. Greg. lib.20. c.16. inquit: *Manent sub sentibus, & hoc delicias* Gregor. *æstimant, quia & dura quidem tolerant, & tamen affectu nimiæ cupiditatis obligati, laborem eiusdem tolerantiæ voluptatem putant.* Infelicissima peccatorum conditio, quòd sic damna voluntaria sectetur. Quò reuoco dicta 1.tom. lib.3. c.4. §.24. & alibi.

§. IV.

In virtutis via suam homo in primis infantiam obseruet, qua ad perfectionem crescat.

NOn statim terra producit spicam, sed priùs herbam, ne quis in virtutis studio putet in primis culmen tenere, sed necessum est, vt priùs infantiam aliqualem obseruet, ex qua paulatim ad perfectionem crescat. Solemnissimum est apud Patres, in Lazari resurrectione significatum fuisse hominem à morte peccati in gratiæ vita nascentem. Quid plura? Lazarus mortuus vocatur a Domino, Ioann.11. *Statim* Ioann.11. *prodijt, qui fuerat mortuus, ligatus pedes, & manus institis.* Potuit & Dominus illum ruptis ligaminibus suscitare, quis hoc neget? Sed cur maluit, vt surgeret ligatus pedes, & manus institis? Ne quis renascens in gratia statim fastidiat infantiæ facies, & grandiora præseferens, infantilibus ligaminibus vale dicat. Pulchrè D. Basil. Seleuc. orat.35. in- Basil. quit: *Exilicbat quatriduanus mortuus lethi signa circumferens, & exuta morte sepulchralem ornatum non exuerat, sed erat in institis, velut è sepulchro partus, & post partionem fasciatus.* Sub infantilibus fasciis, & ligaminibus agat priùs, quisquis in nouam virtutis viam paruenitur. Numquam enim sine magno periculo spernitur virtutis infantia, ab his, qui denuò incipiunt. Monebat D. Petrus 1.epist.2. *Quasi modo ge-* 1.Petr.2. *niti infantes, lac concupiscite*, &c. Clemens Alexand legit: *Verbale lac concupiscite.* Et cur non totas infantiæ leges iubet Petrus obseruari à renatis in Christo: sunt infantibus propria ligamina, & fasciæ, & lac. Petrus obseruationem infantiæ commendat vsque ad lac, nihil de fasciis, nihil de ligaminibus dicit. An quia non adeò obseruatores infantiæ nos cupit? Absit; sed commendans nobis verbale lac, cætera tacuit, vt quæ ibi commendabantur, quando verbum diuinum non solùm lac prætendit, sed & fascias, & ligamina, ne quid infantilis status recens natus requirat. Clemens Alexand. lib.1. Pædag. cap.6. *Nouum cætum verbo* Cl. Alex. *nutrit Dominus, quem ipse carnali labore peperit; quem ipse fasciis alligauit Dominus pretioso sanguine. O partum sanctum! ô sanctas fascias! verbum est omnia infanti.* Vix regeneratur homo in Christo, & adest Dominus, qui nihil infantiæ vult in suis nouellis germinibus deficere; non fascias, quibus alligati rudem, & infirmum statum suum profiteantur; non lac, quo aliti crescant in salutem. Hanc infantiam in suis laudabat Dominus, Luc.12. inquiens: *Nolite timere pu-* Luc.12. *sillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Reges supponit esse, & vocat gregem pusillum; quomodo pusillus, qui regni diademate viget? Non omnis pusillus vilis, quin potiùs magna quædam laus ostenditur in nouello grege Christi, qui infantilis pusillitatis omnia seruat, non vt maneat in illa, sed vt paulatim crescat in salutem. Ad hæc aiebat Chrysolog. serm. 22. *Pusillus grex est,* Chrysol. *qui non de magno minuitur, sed crescit de pusillo: pusillus grex nascentis Ecclesiæ sic designat infantiam, quam venire ad regni sui infulas incrementis cœlestibus mox promisit.* Hinc multi miserè periere, qui renati in Christo & pusillitatem, & infantilia ligamina cœperant fastidire, ambientes primo in gradu terere virtutum culmina. Non sic verus Christi grex, sed & infantiam & pusillitatem nouerunt seruare in fasciis & in lacte, non vt in pusillitate manerent, sed vt crescerent de pusillo, & augmentis cœlestibus perfecti viri infulas cœlestis regni acciperent. Hinc Cantic. 1. notans

verè

Cant.2. verè Dei dilectrices.ait: *Oleum effuſum nomen tuum, adoleſcentulæ dilexerunt te.* Expende illud, *adoleſcentulæ*, quaſi ille ſtatus ſit Deo gratiſſimus, qui nouis augmentis ſtudens, ſe intra primam reputat teneritudinem. Vnde Origen. homil.1.
Origen. in Cant.ait: *Dilexerunt te, non illæ vitulæ, ac veterem hominem indutæ animæ, ſed adoleſcentulæ, in augmento ſcilicet ætatis, & pulchritudinis poſitæ animæ, qui ſemper innouantur, & de die in diem renouantur, nouum ſe hominem induentes, qui ſecundùm Deum creatus eſt.* Hæc aptiſſimæ animæ ad Dei amorem, quæ infantiam virtutis ſciunt obſeruare, è qua nouis augmentis quotidie creſcant, & renouentur, donec in plenitudinem Chriſti ætatis perueniant. Ad hæc reuocari poſſunt dicta 1. tom.lib.5.cap.1.§.3.& 19.& lib.1,cap.10.§.4.tom.2.lib.6.c.1. §.7.lib.7.cap.1.§.11.& tom.3. lib.15.cap.10.§.9.

§. V.

Non creata, ſed diuina manus eſt, quæ nouit rem à principio perfectam producere.

EXpende nationem cuiuſcumque creati agentis, nimirum, *Terra fructificat primùm herbam, deinde ſpicam.* &c. Ab imperfecto ad perfectum paulatim ſuos effectus adducit. Diuina manus eſt, quæ ſcit à primordio rem perfectiſſimam producere, & coronidem exordio coniungere. Sic iam primam manum operi humano adhibiturus Dominus
Gen.1. deliberat, Geneſis 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris,* &c. Expende illud verbum, *& præſit,* ſatis videretur dictum, *& præerit,* quando nondum nato homine, ſufficiens eſſet, quòd expectaret illum corona futura. Cur non de futuro loquitur Dominus, dicens: Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & præerit? Cur maluit dicere, *& præſit,* de præſenti? Rationem inſinuat verbum illud, *faciamus,* pro ſolo homine dictum: vbi enim oſtenditur operans manus diuina, rem à primordio perfectam nouit producere, & exordia, & coronidem ſimul coniungit. Ad hæc D.Baſilius Seleuc.orat.2.in-
Baſilius. quit: *Vidit hominem non egentem vtero, non in naturæ officina lateam embrionem, non accretionem vteri tumore deſignatam, non tempus manentem, quo de ventris carcere captiuus exſoluatur, neque poſt partionem reticulis faſciarum reformatum, ſed vidit hominem immortali manu editum, & Dei digito ex tempore perfectum, abſolutùmque ſimulacbrum: vidit ſimul fictum, ſimul Regem factum. Nam præſit, inquit, piſcibus.* Quàm aliter homo ex naturæ viſceribus, aut ex Dei manu naſcitur: à natura primùm embrio fit, deinde infans, ſtatim puer, poſtmodum iuuenis, &c. Vbi autem Dei manus acceſſit, infirmitatum moras abſtulit. Simul fictum, ſimul perfectum, ſimul Regem oſtendit. Hæc ſola eſt poteſtas diuinæ manus, quę ſimul omnem perfectionem effectibus nouit præſtare. De Ieſu præcurſore verba facturus Ioannes, cap.1. ſic incipit: *Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes,* &c. Nec dum infans, nec dum puer, & iam perfectus homo introducitur; cur non aliquid de eius puerperiis, de eius infantia prælibatur? Rem ponde-
Ambroſ. rans acutiſſimè Diuus Ambroſius in cap.1.Lucæ, ait: *Tempus filetur infantiæ, eò quòd præſentia Domini matris in vtero roboratur, qui infantiæ impedimenta neſciuit. Nec enim vllam infantiæ ſenſit ætatem, qui ſupra naturam, ſupra ætatem in vtero ſitus matris à menſura perfectæ cœpit ætas plenitudinis Chriſti.* Vanè imperfectio requiritur in illo, quem non natura, ſed manus adduxit diuina: vbi enim hæc diuina manus oſtenditur, per-
Pſal. 144. fecta ſciuit opera facere. Vt dicas Pſalm. 144. *Aperis tu manum tuã, & imples omne animal benedictione.* Quaſi neſciat diuina manus aliquid prætendere imperfectum, & vacuum; ſed ex illa & eſſe, & plenitudinem, & perfectionem ſimul res capiunt. Vnde illa venit vox Moyſis, Numer.11. aientis:
Num.11. *Nunquid manus Domini inualida eſt?* Siue, vt ex Hebræo legitur: *Nunquid manus Domini decurtabitur?* Nihil curtum, nihil imperfectum inueniri ſolet, vbi ſeſe oſtendit Dei manus, quæ vel vno impetu perfectos educit partus. Ait Iſaias cap.
Iſai.60. 60. *Omnia hæc manus mea fecit, & facta ſunt vniuerſa iſta, dicit Dominus.* Quòd ſi quæras, quænam ſint hæc manus diuinæ opera? Poſt alia ſubiicit: *Quis audiuit vnquam tale? Et quis vidit huic ſimile? Nunquid parturiet terra in die vna? Aut pariter gens ſimul, quia parturiuit, & peperit Sion filios ſuos?* Non equidem terra, non creatura vlla, vno die, vno momento parturit, ſed multo tempore eget, quo germinet, creſcat, & fructificet. Quod autem in creaturis non inuenitur, hoc inuenitur vbi ſe oſtendit manus diuina, quæ vno impetu mille partus, eóſque perfectos poteſt efficere. Quò fortè reſpi-
Luc.1. ciebat Virgo Maria, Luc.1. canens. *Quia fecit mihi magna, qui potens eſt;* vt dum magnalia ſua è Dei manu orta cognoſcit, ſimul oſtendat omnia ſimul recepiſſe in primo ſuo conceptionis enixu, quando manus diuina, & ſimul fictam, & ſimul factam Reginam, & perfectam, & abſolutam potuit effingere.

CAPVT IV.

De grano ſinapis.

QVis cæleſtis œconomiæ parua contemnat initia? Sanè vt in ſeminibus non deſpicienda eſt paruitas, quando vnum è paruis, & minutiſſimis granum ſinapis, in eam altitudinem ſeminatum coaleſcit, vt inſtar arboris aues cœli ſuis ramis valeat ſuſtenrare. Sic cæleſtis œconomiæ parua initia, non contemnenda ex paruitate, ſed ex virtute ſunt magis admiranda, vt quæ paruitatem euacuare ſoleant, & eam magnitudinem capere, qua vniuerſos creſcendi terminos valeant exſuperare.

*Matth.*13. Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapis.

§. I.

A Deo id maximè tibi petendum, quo faſtidia in virtutis aſſiduitate pellantur, ni velis in perditionem cadere.

QVid, quòd regnũ cælorum ſeſe in varios virtutum ſapores efformaret, niſi etiam deſcẽderet vſque ad granum ſinapis? Venerint à Deo in nos omnia virtutũ delectamenta, venerint omnes cæleſtes ſuauitates; dum granum ſinapis non venerit, metuendum magis eſſet, ne omne illud virtutum delectamentum nobis faſtidia ingeneraret lethalia. Id præcauens Chriſtus Dominus, cùm cæleſtem œconomiam in varias ſuauitates efformat, ſimul & illam efformat in granum ſinapis, vt ſciat homo, quid ſibi requirendum ſit in virtutum aſſiduitate, ne hebeſcat virtutũ conatus, & per longa faſtidia mortem trahat. Sic monebat D. Paſchaſius, lib.7.in Matthæum, hoc modo inquiens: *Flammetur in petitione, quo ignorantiæ totum à nobis auferat ſua deguſtatione faſtidium, & feruentes reddat.* Hoc tibi, homo, require, quo faſtidia pellantur, quo virtutum conatus magis, ac magis in dies acuantur, ne ab aſſiduitate in lethalia faſtidia cadas. Nónne & pretioſiſſimus, & delitioſiſſimus fuit Iſraëlitis cæleſtis panis? Accipe tamen quid de populo Iſraëlitico cum tanto cibo dicatur, Num.11. *Sedens, & flens, iunctis ſibi pariter filys Iſraël, ait: Quis dabit nobis ad veſcendum carnes? Recordamur piſcium, quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cepe, & allia. Anima noſtra arida eſt, nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri, niſi manna.* Quid tunc? *Iratúſque eſt furor Domini valde,* &c. Ecce tibi, & manna faſtiditur, & faſtiditus iram Dei vehementer accendit, & populo duriſſimam mortem traxit. Sed cur Dominus ſic iraſcitur in populos faſtidientes manna? Sanè naturaliſſimum eſt, quòd dulcis cibus, ſi frequenter apponatur, faſtidium generet; nec in poteſtate hominis eſt, non faſtidire cibos aſſiduos. Cur ergo Deus ſic percutit miſeros hos, eo quòd manna faſtidierint? Non Deus ferit Iſraëlitas, quòd faſtidia ex manna capiãt, quæ vel aſſiduitas cibi potuit naturaliter cauſare. Sed ideò hoc meruerunt caſtigari, quòd inter manna aſſiduitatem non meminerunt à Deo cõtendere, quo illa tollerẽt faſtidia, & magis acuerent mannæ famem. Sapienter D. Auguſt. tractatu 73. in Ioan. fatur: *Concupierant carnibus veſci, quibus pluebatur manna de cælo: faſtidiebant quippè, quod habeant: & quod non habeant, impudenter petebant: quaſi non meliùs peterent, non vt cibus, qui deerat, indecentis deſiderio præſtaretur; ſed vt ille, qui aderat, ſanato faſtidio ſumeretur.* Hæc debebat eſſe frequens petitio illorum, qui manna veſcebantur, nimirũ, quòd faſtidia inde nata tollerentur à Deo; quòd Deus, qui manna in omne delectamentum ſuauitatum efformabat, ſimul in granum etiam ſinapis efformaret, vt de Dei ſinapi tolleretur, inde natum faſtidium acueretur magis fames illius. Id fecerant illi, de quibus Pſalm.106. *Omnem eſcam abominata eſt anima eorum, & appropinquauerunt ad portas mortis. Et clamauerunt ad Dominum, cùm tribularentur, & de neceſſitatibus eorum liberauit eos. Miſit verbum ſuum, & ſanauit eos.* Omnẽ eſcam vocat, vt fatetur Loriu.

Margin notes (right column): Paſchaſ. — Num. 11. — Auguſt. — Pſal. 106

Lorum. omne spirituale exercitium, & sacramentorum vsus, & verbi diuini studium. Et miraris, quòd corpus Christi, quòd diuini verbi studium, quòd spiritualia exercitia in tantum fastidium impellere possint homines, vt in portas mortis abeant. Qualiter tam pretiosæ dapes possunt occasionem tanto fastidio, & tam lethali præstare? Equidem dum hic sumus, & præstantissimarum virtutum assiduitas fastidiis lethalibus occasionem dabunt, nisi ad Deū clamores renoues, vt tibi nouum suggerat condimentum, quo fastidia ableges. Monebat Bernard. serm. 33. in Cant. *Me oportet interim sacramenti cibus esse contentum, carnis sursnie, velamine fieri. Et hæc talia sunt, quæ gustata afferunt mortem, si non de primitiis spiritus quantulumcumque accipiant condimentum.* Caue tibi, quisquis diuinam frequentas mensam, diuinas virtutum gustas dapes, nisi de Dei sinapi noua tibi suppetant condimenta, quibus fames acuatur, in lethale fastidium cades. Ea sunt virtutum omnium exercitia *quæ gustata afferunt mortem*; hoc est, quibus si te inertem assuescas, lethalia inde fastidia nanciscaris, nisi de primitiis spiritus, de Dei sinapi condimenta flagites. Accinit Psalm. 118. *Dormitauit præ tædio anima mea, confirma me in verbis tuis.* Hæc vna omnium iustorum ad Deum vox, pro tollendo tædio, pro fastidio ablegando, quod necessum est, vt ex assiduitate virtutum nascatur, nisi Deus verbum suum instar sinapis in noua condimenta efformet, quibus per acediam hebes gustus acuatur. Et qui gustus non acuitur, iuuenilésque suscipit acies ad vorandos etiam lapides, vbi verba de cælestibus incipiunt intonare? Iob 33. *Abominabilis fit ei in vita sua panis, & animæ illius cibus antè desiderabilis. Appropinquauit corruptioni anima eius, & vita eius mortiferis. Si fuerit pro eo Angelus loquens, miserebitur eius Deus & dicet: Reuertatur ad dies adolescentiæ suæ.* Ecce tibi, qui præ fastidio cibum antea desiderabilem abominabatur, adeò vt mallet mori, quàm edere, vbi Angeli verba excipit, misericordiam consecutus, ad iuueniles acies redit. Quæ verba tantum fastidium sustulere, & tam viuidam iuuentutem causarunt? Ait Vatablus: *Si fuerit tunc Angelus bonus, qui ponat ante oculos hominis millesimam partem beneficiorum Dei, & annunciet homini ipsi Deum omnino iuste facientem, & homo acquiescat: tunc miserebitur eius Deus, & reuertetur ad dies adolescentiæ suæ.* Verba enim de Deo & eius beneficiis possunt medio in fastidio viuidissimæ ingerere acies iuuentutis.

Bernard. — Psal. 118. — Iob 33. — Varabl.

§. II.

Regni cælestis notitia nullum patitur esse virtutum fastidium.

Merito sinapis grano regnum cælorum comparatur; sicut enim sinapis condimentum gustum acuit, & tædium fastidiúmque escarum tollit: sic regni cælorum notitia nullum in virtutum assiduitate fastidium esse patitur. Vide Psalm. 118. *Dormitauit præ tædio anima mea, confirma me in verbis tuis.* Et quæ verba possunt tædenti, & fastidienti animæ robur & alacritatem præstare? Verba aliquid de regno cælesti suggerentia validissima sunt, pro vniuerso tædio, & fastidio ablegando. D. Bern. serm. 32. in Cant. *Sunt qui in studiis spiritualibus fatigati, & versi in teporem, corde arente, & tedente accedunt ad quæcumque iniuncta: ergo vbi contingit, tale aliquid pati, si misertus Dominus appropiet nobis in via, qua ambulamus, & incipiat loqui de cælo, nec non fauorabile quippiam cantet nobis de canticis Sion, narrare etiam de ciuitate Dei, quid erit pro vehiculo animæ pigritanti, ita vt pellat omne fastidium ab animo audientis. An tibi aliud petere videtur ille, qui ait: Dormitauit anima mea, confirma me in verbis tuis?* Et quod fastidium non pellat cælestium bonorum propinatio? Hoc cures homo, vt verba excipias de cœlesti regno, de cælestibus delitiis, & habes illic, vnde omne tollas tędiū imò vt de ablato fastidio, insipidiora etiam virtutum auidè arripiant. Aiebat Dominus discipulis suis, Luc. cap. 22. *Ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum vt edatis, & bibatis.* Expende ad quid disponatur regnum cœleste, nimirum ad hoc, vt edamus, & bibamus; & quidem scio per esum, & potum gloriæ cælestis significari immensas voluptates, sed & virtutum exercitia per esum, & potum significantur, iuxta illud Ioan. 4. *Cibus meus est, vt faciam voluntatem Patris mei.* Quid ergo consequentiæ habet cælestis regni dispositio, & ordinatio ostensa, ad hoc, vt virtutes edantur, & bibantur? An regnum vllum ad hoc vmquam dispositum inuentum est, vt edatur & bibatur? Cur ergo hoc de cælesti regno dicitur? Sanè magna vis est consequentiæ, ex eo enim quòd nobis ob oculos regnum cæleste adsit, ea nullitiæ, & virtutum fames generatur, vt ablato omni fastidio, auidè virtutes arripiantur. Ad hæc dicebat D. Pasc. lib. 3 in Matt. *Succensus cælestis patriæ amore, non potest iam non esurire iustitiam, & sitire.* Sic omne tædium pellitur, omne fastidium eliminatur, vbi adest cælestis regni ardor, vt ex tunc famescentes curramus ad virtutum fames. Quæ res adeò insipida, adeò amara inueniri poterit, quæ auidè non arripiatur ab iis, qui cælestia regna ob oculos habent? Ait Dominus, Matth. 16. *Sunt quidam de his stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo.* Expende terminum præfixum, nimirum, *donec videant.* &c. quasi post visa cælestia regna, & ipsa mors suauis gustu redderetur. Vnde D. Paschas. lib. 8. in Matth. ait: *Ea viderunt Apostoli, & perfecti quique in vita, vt non dubitarent deinceps pro his gustare mortem.* Quæ insipida erat antea & amara, adeò vt ab eius gustu omnes deterrerētur, post visa regna cælestia, sic appetibilis apparuit, vt plures illam suauissimam habeant, gustúmque delectabilem. Sponsa sub Aquilonis flabris in quodam tempore, & tædio constituta clamabat, Cant. 4. *Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum*; vt surgat, & abeat Aquilo, a quo torpor, & tædium, & inertia veniebat, petit, vt veniat Auster: & cur ad Aquilonis torporem excludendum petitur Auster? Iob cap 39. dicit de accipitre: *Numquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad Austrum.* De Austri beneficio habet accipiter eas plumas, quibus in sublimia feratur; vnde Sponsa hoc vnum optat, vt veniat aura, quæ eas inducat alas, quibus ad sublimia cælorum possit euolare; dum enim sublimia cælorum ob oculos habet, nullum torporem, nullum tædium timet ab Aquilone natum. Ait Gillibert. Abb. sermon. 38. in Cant. *Festina prius gaudia vertuntur in fastidium, & hilarem mentis faciem tristitia commutat. Felix, cui non est hæc commutatio. Sed quis tamen est? Quis enim est, quem non aliquaties, & tædium consistat, & exuras tristitia? Non subest tibi, dum in lateribus Aquilonis situs es, eius vicinitatem fugere; eius tamen violentiam euadere potest, si lenis Auster vocatus adueniat, & sic expandas ad Austrum alas tuas, vt in cælestem plumescas volatum.* Cælorum sublimia perpeti percurre volatu, & totum Aquilonis fastidium, & tædium, & torporem missum facies, inuenies insipida, & aspera virtutum facta suauia. Elias discipulo postulanti duplicem spiritum, quo semper alacris virtutibus acquirendis operam nauaret, hoc remedium prouidit, 4. Reg. 2. *Si videris me, quando tollar a te, erit tibi quod petisti.* Quale hoc remedium, vt & duplex & alacris spiritus habeatur? Sanè visio abeuntis in cælum potentissima erat ad virtutum alacritatem causandam, quando sic cælestia spectabantur, vt in illis totus videretur claudi hominis thesaurus, extra illa solùm exiliū & orbitas, & planctus. Pro quo D. Bernard. serm. 3. de Ascens. ait: *Quidam ad omnia exercitia huius vitæ spiritualis, non solùm ambulant, sed currunt, imò potiùs volant, vt eis & vigiliæ breues, & cibi dulces, & panni suaues: labores non solùm tolerabiles, sed & amabiles videantur. Alij autem non sic, sed corde arido, & affectione recalcitrante vix trahuntur ad hæc. Quid ergo in causa est? Id omnino, quia non vident Christum, cum tollitur ab eis, id est, non cogitant, quomodo eos orphanos reliquerit, quòd peregrini, & aduenæ sint super terram, quòd tandiu sæculenti corporis horrido carcere teneantur, & non sint cum Christo.* Hoc maximè curandum nobis est, vt Christum in sublimia abeuntem sequamur, vt infra cæleste regnum solam orbitatem, & exilium & carcerem videamus, qua cogitatione fallar, nisi amaritudines reddantur suaues vix parua nobis erit notitia de cælestibus, & ablato fastidio, famescimus virtutum panem. Threnor. 4. *Paruuli petierunt panem*, &c. Paruuli vberibus inhiassent, magis gauderent lactari: cur iam non pro lacte, sed pro pane suspirant? D. Paschas. lib. 4. in Thren. inquit: *Scilicet, paruuli cogitatus, cùm de Christo, & sempiterna vita concipiuntur, mox sequuntur panem illum, qui de cælo descendit.* Vel paruula lux, quæ in nobis fit, de regali, & æterna vita, nullam duritiem timemus, nullum fastidimus cibum, sed ad omnes virtutum escas famescimus. Luc. 12. *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum. Vendite quæ possidetis*, &c. Quid durius homini, quàm plena omnium bonorum abnegatio? Et hæc durissima mandantur pusillis. Petrus ait: *Quasi modò geniti infantes, lac concupiscite.* Et benè infantes ad lac inuitat. Cur Dominus non ad lac, sed ad durissima virtutum? Proponit ob oculos cæleste regnum, quod sufficit, vt appetantur durissima. Chrysolog. serm. 25. *Aufert spes sua, omnem excludit timorem, quando in exordio ipso regnum nascentibus pollicetur.*

Luc. 22. — Ioan. 4. — Paschas. — Matt. 16. — Paschas. — Cant. 4. — Iob 39. — Gillib. — 4. Reg. 2. — Bernard. — Thren. 4. — Paschas. — Luc. 12. — Petr. — Chrysol.

§. III.

§. III.

Contritio, & pœnitentia guſtum excitant ad virtutes capeſſendas.

SInapis granum cùm conteritur, condimentum fit ad guſtum excitandum in eſcas; ſic vbi in cæleſti œconomia virtutum contritio, & pœnitentia adeſt, maximè excitatur fames, maximè excitatur ſitis aquarum, quas de fontibus Saluatoris haurias. Aiebat Dominus, Matth.5. *Beati qui lugent, quoniam conſolabuntur. Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam; quoniam ſaturabuntur.* Expende ordinem: priùs luctus mandatur, & ſtatim fames, & ſitis apponitur iuſtitiæ; vbi enim verus luctus de peccatis, & vera adeſt contritio, non ampliùs faſtidiũ, ſed fames inuenitur iuſtitiæ. Id quod notans D. Ambr. lib.5. in Luc. ait: *Ordinem proſequamur. Peccatum depoſui, temperaui mores, delicta defleui, eſurire incipio, & ſitire iuſtitiã.* Vbi enim verus dolor de peccatis pungit nos, neſcio quomodo poſſit manere virtutum faſtidium, imò neceſſarium puto, quòd inde excitatur fames iuſtitiæ, cui dulcia & appetibilia videantur etiam, quæ fuerant amariſſima. Huc ſpectabat illud Iob 6. *Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ anguſtia, cibi mei ſunt.* Expende, quid faciat anguſtia, nimirum facit, quòd inſtar ciborum appetantur illæ ipſæ res, quæ antea homini erant amariſſima. Adſit nobis pro peccatis commiſſis anguſtia; adſit vera pœnitentia, & faſtidia vniuerſa exulabunt; quinimò vt famelici ad cibos ſuauiſſimos, ſic ad ſtudia virtutũ emolabimus. De Iudæis compunctis, & verè pœnitentibus ait Pſalm. 58. *Conuertentur ad veſperam, famem patientur, vt canes.* Et ſimul conuerſio, compunctio, & fames illis accidit, eo ipſo, quòd ad Deum ſe conuerterunt, & compuncti corde fuerũt, vt habes Actor.2. compunctionem ſuam oſtenderunt in iuſtitiæ auidiſſima fame, quippè ait: *famem patientur, vt canes;* hoc eſt, iuxta Caſſiod. *Fidei auidiſſima deſideria patientur.* Vnà naſcitur cum vera compunctione, & contritione, per virtutum opera ſatisfaciendi fames. Quò libenter refero illud Oſeæ 14. vbi de contritis, & pœnitentibus Iſraëlitis ait Dominus: *Sanabo contritiones eorum: conuertentur ſedentes in vmbra eius, viuent tritico.* Septuag. *Conuertentur, & ſedebũt ſub vmbra eius; bibent, & inebriabuntur frumento.* Vbi enim conuerſi à viis ſuis peſſimis ſpiritum compunctionis, ſalutémque halantes contritiones exhibent; hæc illos fames & ſitis virtutum vrget, vt inſtar ebrioſi hominis nullum bibendo ſciãt ponere finem. Ad hæc Rupert. lib.6. in Oſea, ait: *Sanabo, inquit, contritiones eorum; id eſt, in gaudium conuertam triſtitiam illorum, qui ad pœnitentiam contriſtati ſunt, habentes cor contritum, & humiliatum. Conuertentur ſedentes in vmbra eius; hoc eſt, conuerſi ſedebunt, & totaliter ſedentibus vitalis alimonia cælitùs miniſtratur, & de bono ſemper proficiunt in melius.* Nullo bono ſatiantur, qui veram contritionem habent, ſed ex quo verè pœnitent, de bono ad melius incredibili currunt auiditate. Profectò nequit vllum faſtidium, aut tædium virtutum manere in eo, qui verè conteritur pœnitentia. Quid plura? Habes in Iob, cap.33. *Abominabilis fit ei in vita ſua panis, & animæ illius cibus antè deſiderabilis: tabeſcet caro eius, & oſſa, quæ tecta fuerant, nudabuntur. Appropinquauit corruptioni anima eius, & vita eius mortiferis. Si fuerit pro eo Angelus loquens, vnus de millibus, vt annunciet hominis æquitatem. Miſerebitur eius, & dicet: Libera eum, vt non deſcendat in corruptionem. Conſumpta eſt caro eius à ſuppliciis, reuertatur ad dies adoleſcentiæ ſuæ.* Vidiſti ſummum in homine faſtidium, quo vniuerſos cibos abominabatur, adeò vt penè enectus inedia animam hilaret. Simul & vidiſti Dei in illum miſericordiam, qua à tanto inediæ periculo liberatur, in floridámque iuuentutem, & feruidam reuiueſcit. Sed quo medio, tam faſtidioſo homini, iuuenum vires donantur à Deo, imò iuuenum fames parantur inter adeò lethalia tædia? Ibi explicatur remedium, *Si fuerit pro eo Angelus loquens,* &c. Nimirum, ſi ex angelico impulſu pœnitentiæ verba aſſumat in ore, quibus priſtina vitia deteſtetur: vbi enim pœnitentia vera adeſt, nullus panis non dulceſcit, etiam panis lachrymarum auidè editur, totúmque lethale faſtidium aboletur. Ait ibi Nicetas: *Si perpeſſionis ſuæ cauſam in peccato conſiſtere intellexerit, atque ad Deum de errato ſuo confeſſus, ſe conuerterit, impendentem mortem inhibebit, etiam ſi excelſa ſint, quæ mortem laceſſant, & accerſant.* Omne lethale arcetur per pœnitentiam, & faſtidium, & tædium mortem afferens tollitur, multaque apparent incitamenta, quæ appetitum humanum moueant, vt vitæ aſpera auidè capeſſat. Vnde dicebat Cellenſis Abb. lib.12. de panibus: *Lachryma aut facit, aut inuenit paradiſum: cum enim profuſione lachrymarum tota irrigatur conſcientia, ligna producuntur fructum vitæ facientia.* Ecce à lachrymis contritionis tibi paradiſi ligna parantur, quibus exciteris ad veſcendum, & veriùs, & ſecuriùs eorum eſca promouearis in Deum, & viuas in æternum. O quantum diſtat verus de peccatis dolor ab aliis doloribus! Pergit Cellenſis: *Sterilis eſt omnis effuſio lacrymarum, quæ non effunditur propter regnum cælorum. Inanes ſunt lachrymæ, quas damnum, vel incommodum extorquet temporale. Non igitur aqua Iericho huius mundi, ſed de paradiſo ſit tibi panis, & refectio.* Solæ contritionis lachrymæ faſtidium tollunt, & eſcas vitæ nobis parant.

Matth. 5 — Ambroſ. — Iob 6. — Pſalm. 58. — Oſeæ 14. — Rupert. — Iob 33. — Nicet. — Cellenſ.

§. IV.

Chriſtus Dominus paſſus, & in cruce contritus, auidiſſimam famem in hominibus ſuſcitat, duriſſima quæque vorandi.

STo à ſententia D. Hilarij, qui in regno cœlorum comparato ſinapi, intelligit Chriſtum Dominum ſub humilitate carnis paſſum, & contritum in cruce. Nec ſi granum ſinapis contritum faſtidia tollit, & guſtum irritat, vt faſtiditę alioquin dapes comedantur: vt Chriſtus Dominus in paſſione contritus, incendit in hominibus famem duriſſima quęque vorandi. Aiebat D. Paſchaſ. hic: *Quantò plus Dominus attritus eſt paſſione, tantò ampliùs fructus ſui in mundo effudit ſaporem.* Mors Ieſu etiam ſaporauit amaritudines, & ad illas capiendas humanos guſtus irritauit. Pſal.58. *Conuertentur ad veſperam, famem patientur vt canes.* Quid eſt ad veſperam? Aug. putat, ibi intelligi prædicationem Chriſti crucifixi, & ſepulti, qua percepta, ingens hominum multitudo auidè currebat ad Baptiſmi aquas. Quis neſciat famem ſalutis, famem amplexandæ fidei in hominibus excitatam, vbi Chriſtus Dominus paſſus, & crucifixus cœpit prædicari? Æthiopem Principem Eunuchum Reginæ Candacis habes Act.8. redeuntem ab Hieroſolymis in patriã: huius currui adhæret Philippus ab Spiritu ſancto adductus, qui vbi hominem legentem in Iſaia videt, de materia lectionis interrogat. Quid plura? Ait textus notanter: *Locus Scripturæ, quem legebat, erat hic: Tanquam ouis ad occiſionem ductus eſt, & ſicut agnus coram tondente ſe ſine voce, ſic non aperuit os ſuum,* &c. Hunc locum legit Eunuchus, hunc illi locum explicat Philippus, & hoc loco de Ieſu explicato, dum fluenti approximant aquarum, Eunuchus clamat: *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari?* Alij legunt: *Quid prohibet me baptizari:* Quaſi cum Paulo diceret: Neque mors, neque vita, neque inſtantia, neque futura me impedire, & prohibere poſſunt, quominùs fidem accipiam. Vnde tantus fidei ardor in homine Gentili? Vnde tanta ſalutis ſitis? Sanè ipſe iuerat Hieroſolymam, Deum verum adoraturus, viderat ibi ſalutem halantes religionis cultus, nec tamen adeò inflammatur ſalutis ſiti, vt idololatriam relinquat: modò, audito Philippo, eam ſitim concipit ſalutis, vt nec gradum facere velit, quin voratis omnibus impedimentis, ad aquas currat Baptiſmi. Vnde hęc illi ſitis? Ex diuiniſſimæ ouis mactatione, & immaculati agni detonſione percepta, non potuit non caninam ſalutis famem incurrere. Pulchrè Nyſſen. lib. de baptiſm. inquit: *Guſtauit interpretationem, tanquam bonus catulus, ſanguinis, & agni occiſi, vehementer adlatrauit Philippum, donec eum deduxit ad perfectam venationem prophetiæ, & minimè operoſum à ſe petitum baptiſma accepit.* Vbi bonus hic catulus profuſum Chriſti ſanguinem guſtat, rapido curſu, & penè impatienti feſtinatione fertur ad ſuſceptionem ſalutis, omnia mundi impedimenta ridens. Ea ſunt Chriſti Domini obiecta vulnera, quæ caninam virtutum famem hominum animis infetant. De Lazaro illo apud epulonem diuitem ſedente, ait Luc.c.16. *Sed & canes veniebant, & lambebant vlcera eius.* Miraris pauperis vlcera canibus obiecta labẽtibus, quid hoc magnum? Equidem in paupere Ieſu fuerunt vulnera, quæ obiecta fidelibus, illos trahebãt ad virtutum famem caninam. Quippè ait Ambroſ. lib.8. in Lucam: *Lazaro ſimilem illum puto, qui caſus ſæpiùs à Iudæis, ad patientiam credentium, & vocationem gentium, vlcera ſui corporis lambenda quibuſdam velut canibus offerebat, quia ſcriptum eſt: Conuertentur ad veſperam, famem patientur vt canes.* Et meritò vulneribus Chriſti obiectis tribuit famem illam caninam, qua innumeri fideles auidè duriſſima quæque arripiunt pro obtinenda virtute, & ſalute. Aiebat Sponſa, Cant.2. *Sub vmbra eius, quem deſideraueram, ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Quæ verba ponderans D. Ambroſ. Pſalm.118. ſerm.5. fatur: *Quis fructus eius dulcis, niſi prædicatio dominicæ paſſionis? Ergo vbi guſtant fructum ſuauitatis,*

Paſchaſ. — Pſalm. 58. — Nyſſen. — Luc. 16. — Ambroſ. — Cant. 2. — Ambroſ.

suauitatis, impatiens ad perfectiora festinat, dicens: Introducite me in domum vini: constituite me in dilectionem: confirmate me in vnguentis: stipate me in malis. Passionis Christi fructus nescit non impellere homines ad salutem: nescit non inferre salutiferam auiditatem salutis. Ex quo anima Iesum in cruce videt, omnia vocat difficilia, vt salutem adimpleat; non possunt inde non illi suppetere & vinum, & vnguenta, & poma, quibus sanetur, & viuat. Vnde iratus Elias in Israëlitas, vt ab illorum oculis tollat vniuersos cibos, ait
3. Reg. 17. 3.Reg.17. *Viuit Dominus, non erit per eos annos ros, &c.* Ecce tibi cibos vniuersos perdendos ex defectu roris cælestis annunciat; sed vnde confirmat tantæ perditionis certitudinem. Sanè vt animaræ perditionis certitudinem stabiliat, præmisit verba illa, *Viuit Dominus*, vbi Deus viuus, & non magis mortuus, & attritus in cruce obiicitur: fallar, si erit homo, qui cibum salutis percipiat. Pulchrè D. Basil. Seleuc. orat.11. inde Iudæorum concludens perniciem, in-
Basilius. quit: *Quòd Iudæi in idolorum venerationem inclinarunt, quòd authore vitæ relicto, dæmonibus se dediderunt; proprijs edocti calamitatibus viuentem Deum agnoscant, & condiscant, per quæ mortem appetant.* Benè in Iudæorum pernicie viuens Deus agnoscitur, non mortuus, non attritus; ex eo enim quòd mortuum Deum abominabantur, & solùm viuum suspiciebant, & cibos perdiderunt salutis, & in vltimam deuenerût perniciem. Adsit nobis Deus mortuus, & in cruce attritus, & fallar, nisi suppetant vitam halantes cibi. Vnde mirari solebam latronem illum simul cum Domino crucifixum, tam auidum extitisse salutis, vt sui oblitus Iesum à socij contumeliis defenderet, Iesûque innocentiam publicaret, & ab illo regnum requireret. Ex quo hæc in latrone S. Maxim. ibi
Maxim. homil.7. inquit: *Sciuit, quòd illa in corpore Christi vulnera, non essent Christi vulnera, sed latronis, atque adeò plus amare cœpit, postquam in corpore eius, sua vulnera recognouit.* Hæc ille.

Text Quod accipiens homo seminauit in agro suo, quòd minimum quidem est omnibus seminibus.

§. V.

Non solùm alienis, sed magis suis nitatur homo virtutibus, si amat satisfacere Deo.

Benè homo dicitur seminare granum sinapis in agro suo; is enim apud Deum valet, qui magis de suis, quàm de alienis cupit obsequia exhibere Deo. Saul conuictus à
1 Reg. 15. Samuele de peccato 1.Reg.15. ait: *Peccaui, quia præuaricatus sum sermonem Domini, & verba tua, timens populum, & obediens voci eorum. Sed nunc porta, quæso, peccatum meum, & reuertere mecum, vt adorem Dominum.* Sic Saul, postquam Dauid simili-
2. Reg. 12. ter conuictus à Nathan de peccato, 2 Reg. 12. ait: *Peccaui Domino. Dixitque Nathan ad Dauid: Dominus quoque transtulit peccatum tuum non morieris.* Nil moratus Dominus statim veniam largitur Dauidi, quam omninò negauit Sauli. Et cur Saul non obtinet veniam, quæ tam gratiosè offertur Dauidi. Vterque dicit, Peccaui, & agnoscit peccatum suum: cur sub eadem confessione non venit à Deo eadem venia? Saul etsi agnouit suum peccatum, illud alienæ credebat diligentiæ, dum ait Samueli: *Nunc porta, quæso, peccatum meum*, &c. Dauid autem non de alienis sed de suis fructus pœnitentiæ promittit, vnde citissimam misericordiam obtinuit.
August. August. ex veteri Testamento, qu.18. ait: *Quare Saul peccans petit orare pro se, vt ignosceretur sibi, & impetrare non potuit: Dauid autem peccans postulauit, & veniam consecutus est? Dauid non alium pro se voluit humiliari, sicut Saul, sed ipse supplex tribulato corde veniam precabatur.* Non de alienis tantùm sed de suis pœnitentiæ emittebat fructus Dauid, ob quod fuit misericordiam consecutus, & meritò periit Saul quia peccatum suum alienis committebat portandum humeris. Vnde
Hier. 31. monebat Hierem. cap.31. *Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines, dirige cor tuum in viam rectam*, &c. Hæc vltima verba pulchrè in rem præsentem transtulit Theodoret. aiens: *Da cor tuum in humeros tuos.* Fallitur enim quisquis pœnitentiæ onus alienis humeris portari cupit, non suis. Captis Sodomis, in captiuitatem fuit ductus & Loth, Gen. 14. Quid
Genes. 14. tunc? Ait textus: *Cum audisset Abram, captum videlicet Loth fratrem suum, numerauit expeditos vernaculos suos trecentos decem & octo, & persecutus est eos vsque Dam.* &c. Vbi expendendum est, quàm paucis militibus ausus sit Abraham aduersùs quinque Reges victores insurgere: Rex Sodomæ, & Rex Gomorrhę non potuerunt sustinere illorum impetum & Abraham audet cum solis domesticis suis illos inuadere. Cur non plures copias colligit? Cur non vicinorum auxilia perquirit? Cur mauult cum adeò paucis exire in certamen? Exprimebatur ibi pœnitentiæ aduersus peccata certamen, in quo eò certiùs triumphat homo, quò magis curat non alienis, sed suis concertare virtutibus. Ex quo monebat Bachiar. epist. ad Ianuarium de lapsis, aiens: *Captum ab hostili legione filium fratris assumpta vernaculorum turba eripuit Abraham. Et tu assume vernaculorum turbam, id est, opere tuo, non alieno, animo auxilium præsta captiuo.* Sic semper curandum nobis est, de nostris, non de alienis pœnitentiæ fructus efficere. Huc spectant dicta lib.5. cap.2. §.5. & lib.8. cap.3. §.27. & lib.10. cap.3. §.13. & lib.14. cap.11. §.1. Bachiar.

§. VI.

Quò se Deus minorem ostendit, eò hominibus acceptior & gratior redditur.

Vbi homo dicitur accepisse cœleste granū, & in agro suo seminasse, non otiosè additur de illo ipso accepto grano, quod *minimum quidem est*, &c. tunc enim acceptior, & gratior homini redditur Deus, cùm sese magis exinanit, & sub forma minori ostenditur. Totus exultabundus, & mirabundus de Deo aiebat Psaltes 22. *Calix tuus inebrians quàm præclarus est.* Non vastissimum diuinarum delitiarum mare, non cellam vinariam omni suauitate repletam miratur, sed calicem videt, & ad calicem sic totus rapitur. Cur sic ad calicem afficitur, nisi quia vt sese magis Deus exinanit, sic magis homines ad se allicit, imò rapit? Ait Gillibert. Abb. in Cant. serm.21. *O calix inebrians quàm præclarus es, & ideò charitate inebrians. Liquor æternus nouo huic infusus calici, maiore cum charitate hauritur, quamuis cum claritate temperata: idcircò amor debet esse intemperatus. Quis enim se ab amando temperet, quando nostræ capacitati se contemperauit immensa maiestas?* Eò magis crescat hominum ad Deum amor, necessum est, quò Deum ad maiorem exinanitionem deuolutum conspiciat. Non equidem minima, & humilia Dei ea sunt, quę contemptum Dei in hominibus pariant, sed quæ amorem accendant; quæ corda humana magis alliciant. Hinc est, quod Psalm.33. clamat: *Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus.* Expende illud, *gustate*, quippè sapientia diuina monebat, Ecclesiast.24. *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini.* Psaltes autem minimè iubet, vt Deo impleamur, nec vt in illo vastissimo dulcedinum mari immergamur sed quòd vel summis labiis minimum gustemus. Et cur non magis ad immersionem, quam ad gustum vocat? Habent hoc Dei minima, quòd vehementiùs homines alliciant, in illísque Dei ardentiorem sitim excitent. Quò spectans D. Hilar. serm.2. de Nuptiis Can. fatur: *Ideò dixit, gustate, quia amor Dei quantalibet fide, quantolibet ardore quæsitus, reficere animum potest, sed magis, ac magis sitim, velut summis labiis prægustatus inflammat.* Is est Dei amor erga homines, qui si vel in minimis ostendatur, vt generosum vinum in gutta labiis summis prælibata percipitur, magis homines accendat, magis alliciat, & inflammet. Numquam Deus minor, quàm vbi paruulus apparuit in vtero matris, sed & numquam potentior ad rapiendos affectus humanos. De Maria prægnante dicitur, Cant.4. *Venter tuus sicut crater tornatilis non indigens poculis;* pro quibus verbis notissima est, & vulgò valdè trita versio, quæ dicit: *Venter tuus sicut speculum rotundum.* Sic diuinus Spiritus ventrem Iesu plenum comparat speculo rotundo, aliter Isaias, cap.8. *Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis, velociter spolia detrahe, citò prædare.* Vbi D. Epiph. per *librum* hunc intelligit virginalem Mariæ ventrem, in quo Verbum diuinum exaratum fuit; hoc est, homo factus, qui deprædetur humanos affectus. Compone modò locum Canticorum, cum Isaiæ loco; ibi virgineus venter rotundum speculum prætendit: hic, hominem spoliatorem, & deprædatorem humanorum affectuum. Quid deprædatio, & spoliatio cum speculo? Accipite Petrum Dam. lib.2. epist.18. vbi astum ponit, quo venatores tigridis pignora rapere soleant; quippè ait, quòd dum tigris absentiam pignorum experitur, ventis ocior venatorem persequitur; quid tunc venator? *Vbi feram sibi contiguam deprehendit, globosam de vitro sphæram ante illius oculos proijcit; at illa respiciens velut è speculo proprij corporis imagine luditur, & sobolem suspicatur. Retentat igitur cursum dum amplecti desiderat fœtum. Hoc itaque modo & tigris orbatur.* Quid pulchrius in rem præsentem? Rotundum speculum tigridi furenti

Marginalia (right column): Psal. 22. — Gillib. — Psal. 33. — Eccl. 24. — Hilar. — Cant. 4. — Isai. 8. — Epiph. — Damian.

furenti paruam refert in se tigridem, ad quam illa currens, vt ad proprium fœtum, securitatem prædatori præstat, qua illius rapiantur fœtus. Equidem dum immensitatem suam Dominus in cælorum globis ostentat, raros ad se allicit homines; quid tunc? Rotundum speculum exhibet, ab vtero virginali, quod hominibus similitudinem hominis in partiam pueri mensuram exhibet, & homines respicientes, velut ab speculo, in suis ipsorum minimis Deum, tota auiditate ad illum currunt, imò & euolant. *Hoc itaque modo & tigris orbatur*, & vel feralissimus homo se omni affectu spoliari patietur.

Text. Cùm autem creuerit, maius fit omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cæli veniant, & habitent in ramis eius.

§. VII.

Etiam si totum possideat orbem homo, non habet dignam habitationem, nisi intra Ecclesiam sit.

AVgmentum crescẽtis Ecclesiæ, per quam optimè comparatum fuit grano sinapis coalescentis in arborem, adeò proceram, & altam, vt ad illam possint cælestes alites euolare. Et qui alites ad Ecclesiam confugiunt, vt ibi sibi habitationem parent, nisi magni Principes, & Reges, & orbis domitores, qui sese super omnes extollunt potestates? Sic sapientissimè noster Maldonatus in præsenti docet cælestes alites esse Reges, & dominos mundi, qui ad Ecclesiam venerunt, vt habitent in ramis eius, quasi extra Ecclesiam etiam in totius orbis dominio sibi dignam habitationem non possent parare. In primi hominis conditione ait
Genes.1. Dominus, Genes.1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis, vniuersæque terræ.* Quod numquam imperium amplius? Nullum sanè, & tamen post tantum imperium homini con-
Genes.2. cessum ait Genes.2. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem. Plantauerat autem Dominus Deus paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem*, &c. Itaque post concessum homini maris, terræque, & vniuersi orbis principatum, adhuc plantat Dominus paradisum, in quo homini præparet habitaculũ. Et quid necessum erat plãtare paradisum ad hominis habitationes? Nõne homo totius orbis imperiũ habebat? Nónne homini omnia subiecta erant? Nonne in omnibus posset habitationem habere, quando omnium dominabatur? Figurabatur iam tunc in paradiso Christi Ecclesia, intra quam nisi esset homo, dignam habitationem non haberet, etiam in dominio orbis terrarum.
Tertull. Pulchrè adhæc ait Tertull. lib.2. in Marc. *Bonitas præfecit hominem vniuersis fruendis, atque regnandis, etiam cognominandis. Bonitas ampliùs delitias adiecit homini, vt quamquam totius orbis possidens in amœnioribus moraretur, translatus in paradisum, iam tunc de mundo in Ecclesiam.* Nil valerent vniuersa mundi imperia ad præstandam habitationem homini, nisi accederet Ecclesia, in qua illi habitatio pararetur. Accinebat Isai.
Isai.60. cap.60. fatus: *Aperientur portæ tuæ iugiter: die, ac nocte non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo gentium; & Reges earum adducantur. Gens enim, & regnum, quod non seruierit tibi, peribit & Gentes solitudine vastabuntur.* Stabilem, & firmam, & dignam homini habitationem nulla mundi præstabunt imperia, nisi sub vmbra vixerint Principes Christianæ Ecclesiæ, Romæ fundatæ à Petro; solet enim vt plurimùm cum scissione Regum a Romana Ecclesia, coniungi statim scis-
1.Reg.15. sio, & perditio regni. Dicitur 1. Reg.15. *Conuersus est Samuel, vt abiret; Saul autem apprehendit summitatem pallij eius, quæ & scissa est. Et ait ad eum Samuel: Scidit Deus regnum Israël à te hodie*, &c. Quod ponderans in rem præsentem Petrus Da-
P.Dam. mian. lib.7. epist.3. inquit: *Pallium Samuelis Saul abrupit, & regnum perdidit. Cùm ergo vestis Christi sancta dicatur Ecclesia, scissio vestis, diuisionem minatur regiæ potestatis.* Necessum, est quòd cadat regia potestas, quæ ab Ecclesia scissa, & separata est, vt quæ nullibi extra Ecclesiam sedem inueniat fixam.

§. VIII.

Crux Christi firmam, & penè inamissibilem habitationem cælestibus virtutibus facit.

DVm granum sinapis adolescit in arborem, tam firmos exhibet ramos, vt in illis volucres cæli inhabitent; sic vbi crescente Dei regno crucis arboris rami exhibentur, eam habitationem præbent cælestibus virtutibus, à qua non facilè possint deturbari. Quippè ait: *Volucres cæli veniunt, & inhabitant in ramis eius*; hoc est, securè, & firmiter nituntur ramis eius. Et quando à ramis crucis firmam, & securam habitationem cælestibus non paratur? Apud Luc.
cap.19. habes: *Ingressus Iesus perambulat Ierícho, & ecce vir nomine Zachæus, & hic Princeps erat Publicanorum, & ipse diues. Et quærebat videre Iesum, quis esset; & non poterat præ turba, quia statura pusillus erat. Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum, vt videret eum, quia inde erat transiturus. Et cùm venisset ad locum, suspiciens Iesus vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Expendẽda sunt illa duo, *& perambulat Ierícho*; item & alterum, *in domo tua oportet me manere.* In Ierícho perambulat, in Zachæi domo manet: illic transitum, hîc permanentiam ostendit. Et cur Iesus ad Ierícho transeunter, ad Zachæum permanenter accedit? Zachæus in arbore elatus crucis ramos prætendebat, cuius erat virtus permanentem habitationem cælestibus exhibere. Id quod insinuans Beda, ait: *Venit Iesus ad Zachæum, venit ad populum nationum, qui passionis eius fidei iam sublimis erat.* Vbi crucis virtus in Zachæo, in populo Gentili apparuit, non potuit non esse ibi Iesus, & cælestium omnium ferè inamissibilis permanentia. Sic cælestium mansionem crux æternat. De homine recenter condito dicit Gen.2. quòd Deus *inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* quibus verbis communiter à Patribus intelligitur infusio animæ iustitia originali, multisque virtutibus adornatæ, ex quo homo constitit iustus, & Rex omnium animantium, habens illa sibi subdita. Tunc à terra, in qua fuerat conditus, translatus est homo in paradisum, proximus ligno vitæ, & aliis pretiosis, & salutiferis lignis. Interea, *formatis Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, vt videret, quid vocaret ea. Omne enim quod vocauit Adam animæ viuẽtis ipsum est nomen eius.* Expende, quòd maneat vsque in præsens ex his, quæ sub Adamo fuerunt, nimirum, *omne, quod vocauit Adam, ipsum est nomen eius*; quidquid habuit Adam virtutis, quidquid iustitiæ, quidquid imperij super animantia, periit, à quo peccato expulsa sunt omnia. Nomina illa sola ab Adamo imposita perseuerant, & cur, quando omnia bona Adamo eripiuntur, solum parcitur nominibus ab illo positis? Cætera data sunt Adamo extra paradisum posito, in terra illa, quæ condebatur: at nominum impositio ab illo peragebatur, cùm in paradiso esset inter tot ligna vitam halantia, & meritò quæ sub vmbraculis ligni crucis obtingunt, firmam, & permanentem mansionem habent; vt de iis dicat D. Basil. Seleu. or.2. *Non potuit vel ipsa transgressio nomina labefactare, neque legis violatio appellationes alienare.* Potuerunt peccata hominis illũ bonis omnibus spoliare, tamen aduersùs nomina, quæ sub vmbraculis crucis, quæ sub tot vitæ lignis venerunt, nil potuerunt peccata. Sic quæ in ramis crucis fundantur, nouerunt æternari. Quod firmat illud Pauli, ad Phil.2. de Filio Dei: *Factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus dedit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum.* Quod enim nomen sub vmbra crucis obtentum fuit, prorsus est malis insuperabile.

Luc.19. Beda. Genes.2. Basilius. Philip.2.

CAPVT V.

De fermento.

PARVVM debet esse fermentum, sed quòd magnæ massæ immixtum totam peruadat, & condiat, ne in cælestis œconomiæ minimis, paruitatem contemnamus, scientes in illa paruitate eam latere virtutem, quæ immissa orbi, totum orbem terrarum ad se reducat.

Matth.13.

Matth. 13. Simile est regnum cælorum fermento.

§. I.

Celestes, & supernaturales virtutes nunquam non validæ sunt ad expugnanda vitia.

NOn terrenum, sed cæleste regnum fermento proponitur simile; est enim sua rebus infantia, sua pusillitas, sub qua dum sunt affectus naturales, infirmi sunt, & inualidi, nec dum virtutis speciem habere censentur: non sic cælestes, & supernaturales virtutes, sed velut fermentum, cum sit in minima quantitate, ingentem massam peruadit, sic illæ sub quauis paruitate constitutæ, validæ sunt, vt vitia expugnent, & prorsus detriumphent. Hanc equidem vim fermenti non æmulatur terrenum regnum, sed cæleste, non æmulantur naturales effectus, sed supernaturales, & diuini. Oseas cap. 7. miratur Iacob nouam, & insuetatam virtutem,
Osee 7. inquiens: *In vtero supplantauit fratrem.* Nota fuit ex Geo. Iacob virtus, adhuc pusillus, adhoc in vtero extitit, & sese accingit in pugnam, & aduersarium detriumphat. Vnde hæc alacritas in puero? Vnde infanti tanta virtus? D. Pasch. lib. 1. in Matth. ibi putat cælestis, & supernaturalis charitatis adumbrari virtutem, quæ vel in minimis agens nesciat non conserere manus cum hostibus & gloriosos reportare
Paschas. triumphos. Ex quo ait: *Et inde est, quòd charitas procreata iugiter euardescit, & contra omnia carnalia dimicans vitia supplantat.* Non spectat charitas grandescere, vt sese accingat in bellum, sed in ipsa infantia, imo quasi in vtero adhuc propter paruitatem existens aciem parat, hostes debellat. Recèns natis per Baptismi sacramentum dicebat Petrus 1. epi-
1. Petr. 2. stol. 2. *Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & inuidias, & omnes detractiones, sicut modo geniti infantes lac concupiscite.* Aduersùs malitias, & inuidias, & dolos, & detractiones petit accingi eos, qui simul, vt modo geniti infantes, lac appetere dicuntur. Quid lac cum potentia expugnandi tot vitia? Lac ostendit infantes, recens natos, infirmos, meticulosos ad vmbram, adhuc sine manuum, & pedum, imò sine vocis vsu, nisi ad luctum. Si ergo lac sumi a tuis infantibus iubet, cur simul eos ad insignes vitiorum triumphos accingis? Erat lac illud de supernis, non de infimis; erat lac, quod nõ a mammis naturæ sed ab adoptione supernaturali Spiritus sancti recipitur, quod vel a primis vnguiculis renatorum, ad triumphos audet, & victorias reportat de vitiis. Hinc est, quòd gustato semel adoptionis supernaturalis lacte non ad nutricis mammas iungimur, sed ad Patris æmulationem contendimus ire, dum
Matth. 5. iubemur clamare, Matth. 5. *Pater noster, qui es in cælis,* &c.
Chrysol. Quod ponderans D. Chrysolog. serm. 68. inquit: *Intelligite filioli, quanta perfectorum, quanta fortium gloria sit, & potestas, quando tanta virtus in ipso conceptu, tanta maiestas aperitur in partu. Nondum natus patrem vocat, sanctitatem postulat, regnum petit, dat iura terris, terrenas cælestibus exæquat voluntates, & laboribus profuturis exigit iam deuotus annonam. Panem nostrum ait, quotidianum da nobis hodie. Beati estis, qui cœpistis tam ante pugnam vincere, ante triumphare, quàm viuere; ante ad patris promptuaria, quàm matris ad gremium peruenire, toto ante victoriam sonare iubilo, quàm vagitu respondere cunarum. Verè, vt dixit Apostolus, infirmum Dei fortius est hominibus.* Et quidem quidquid a cælestibus, & supernaturalibus venit, etsi infirmum videatur, etsi paruum, etsi minimum, potentissimam habet virtutem ad prosternendos hostes, ad obtinendos triumphos.

Text. Quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum.

§. II.

Quod a supremo creaturarum Domino venit, omnes æqualiter respicit, partialitatem abiurat.

VT | hinc patent cælestis Regis decreta, quòd omni partialitate abiurata, omnes æqualiter respiciant, & virorum labores spectent, vt granum sinapis: & fœminarum manus, & fermentum requirat. Æqualis semper est ad omnes, quæ a Deo summo Rege venit occasio salutis. Hic col-
Iustin. ligit D. Iustin. Mar. mandatum Circumcisionis non fuisse datum pro opere iustitiæ, sed pro mero signo, vtpote quod non fœminis, sed tantùm conueniebat viris. Ait enim dialogo aduersùs Iudæos: *Quin etiam ex eo, quòd non possint fœminæ corporis circumcisionem percipere, intelligitur signi gratia datam esse, non pro opere iustitiæ. F. .it ... n Deus, vt eo, quæ iusta sunt, virtutique consentanea, omnia æque mulieres seruare po.. .t.* Non est Deus acceptor personarum, omnes æqualiter respicit, & siue fœmina, siue vir, easdem habet virtutis negotiandæ vias, & apertas, & omnibus communes. In hoc maximè differt, & regnum terrenum, & re. num cæleste, quòd illud vt ab hominibus regitur sic mille personarum acceptiones, mille partialitates habet: hoc autem vt per Deum statuitur sic omni partialitate abiurata, omnibus æqualitior est commune. Ad hæc præclarè philosophatur Nazianzen. *Nazianz.*
orat. 13. inquiens: *Cur mulier aliquando complectitur, sed viro parcitur? Et mulier malè moritis thalamo consulens mœchatur, & hinc amara legum pœna. Vir autem ob scortationem, vxori haudquaquam est obnoxius. Non suscipio legislatorem talem, non laudo consuetudinem: viri certe, qui legem tulere, ac ideò contra mulieres lex hæc est lata. Quin etiam patribus super filios potestatem dederunt, at quod debilius erat, incuratum reliquerunt. Deus verò non sic, sed hæc lex: Honora patrem, & matrem, prima est.* Nulla lex ab hominibus fertur, quæ partialitatem non sonet: nullum iudicium humanum, in quo non inueniatur parti alitas, & acceptio personarum. Eò enim tendunt semper humana iudicia, vt se, suó que promoueant, alios non adeò curent. Ex quo lucem capit locus 2. Reg. 7. vbi Dauid accipiens à Deo regnum æternandum in cognatione sua, sic gratus exclamat: *Quis ego sum, Domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxisti me hucusque? sed & hoc parum visum est in conspectu tuo, Domine Deus, nisi loquereris de domo serui tui in l. ..ginquum: ista est enim lex Adam, Domine Deus.* Quæ est ista lex *2. Reg.* 7.
Adam? Nimirum, quòd regij homines, & principes suos in regnũ vocent, & eò tendant, vt bona, & promotiones quærant suis, & sibi similes. Nil aliud inueniendum est in hominum lege, in humanis iudiciis, quam quòd suorum rebus singulariter prospiciant. Cantatissimus iudex Gedeon, vbi pro salute populi aduersùs infensissimos hostes Ma..anitas insurgit, fugato hostili exercitu, captisque duobus Regibus, sic ab illis inquirit Iud. 8. *Dixitque ad Zeb..., & Salmana: Quales fuerunt viri, quos o.... .stis in Thabor? Q.. ... spon..rant, similes tui, & vnus ex e..., quasi fi..us R.... Qui ... re..spondit: Fratres mei fuerunt, filij matris meæ. Vi.. Dominus, quia si seruassetis eos, non vos occiderem,* &c. Ecce tibi in nece *Iud.* 8.
infensissimorũ hostium, quid obseruet præstantissimus Princeps, nimirum, quòd de morte fratrum sumat. i vindicta, alioquin liberos dimissurus Israelitarum hom.. das. Hæc est semper lex Adam, hoc est humanum iudicium, in quo ægrè, & difficulter partialis effectus ad suos non inuenitur.

§. III.

Virgo Maria, vt testis originalis iustitiæ, quæ floruit.

NOn otiosè introducitur mulier, quæ regni cælestis fermentum abscondat sub farinæ satis tribus, sed quia in solo sexu fœmineo testatos habes tres hominum status à Deo summo omnium Rege, & Imperatore constitutos. Primus hominum status fuit in originali iustitia ante omnem culpam: secundus status fuit post culpam in gratia reparationis: tertius status est in gloria cælesti. Reparatio..n.s, & gloriæ status etiam in viris clarent, at hi cum statu o..ginalis iustitiæ in solo sexu fœmineo inueniuntur, quando sola Maria Virgo est, quæ inter conceptos virili semine fulgeat iustitia originali. Et quidem maximè dec..it Deum conditorem, & inuentorem illorum statuum saltem in vna Maria primi illius status monumentum seruare, ne incredibilis appareret rationi humanæ. Sic delecturus homines, & vniuersa animalia, immisso diluuio, iubet parari arcam, & in ea familiam Noemi, & multa de mundis animalibus seruari. Ait enim ad Noë, Genes. 27. *Ex omnibus animantibus mundis tolle septena, & septena,* &c. Et cur iubet seruari animantia munda? Nónne facilè posset ipse vel verbo innumera alia post diluuium producere? Cur maluit seruari de antiquis quàm noua creare? Pulchrè D. Basil. Seleuc. orat. 6. *Genes.* 27.
insinuat causam, aiens: *At nouo non facit, sapienter admodum. Fortè creator aliter mendaciter obtrusus fuisset hominum generi amicitior, quàm prior: & esset artifex dubitabilis, si nullum eius antiquatum extaret monumentum. Idcirco creationis antiquæ symbola retinet. Genera radix seruatur, vt ipsius operis prima inira eum dignitate retineantur.* Sanè esset humanæ menti artifex primus dubitabilis, si nullum operum eius monimentum extaret; *Basilius.*

extaret; nec mirarer, quòd ignari aliqui mendaciter distinguerent inter creatorem nouum, & antiquum: quare sapienter prouisum est, vt de primis animantibus seruarentur multa, quæ prisci operis prima iura cum dignitate retineant. Quid plura? Eadem prorsus ratione decuit, vt primi illius iustitiæ status monimentum aliquod seruaretur saltem in vna Maria, ne humanæ infirmitati & status, & artifex illius esset dubitabilis, sed potius tanti status symbola retinerentur, quæ assererent veritatem illius, & primi operis prima iura oculis humanis obiicerent in Maria. Fuisset equidem infirmis hominibus totus ille iustitiæ originalis status, forsitan dubitabilis, si nullum eius monumentum extaret. Nec crederetur primus parens potuisse lucere tot in ipsa origine virtutibus, nisi videantur in Maria similia.

Cassiod. Aiebat Cassiodor. 3. variar. 6. *Sicut indigna posteritas laudes antiqui generis abnegat, ita præclara de patribus egregiè dicta confirmat. Creditum est de ijs omne, quod legitur, dum præconia veterum præsens docuit vena virtutum.* Fuisse primorum parentum ortus purissimos, lucidissimos, penè abnegat eorum posteritas immunda, & obscura. Vbi Maria assulsit, numquam non lucens creditur de illis omne, quod legitur, & præconia veteris status originalis iustitiæ præsens in Maria docuit vena virtutum. Hæc præter alia facit statum illum credibilem. Nonne ille Deus condidit statim illum, qui tot facinoribus condidit populum Israëlitam? Et nullum facinus peregit in condendo populo Israelita, pro quo non iuberet, vel erigi cippum, vel symbolum, vel memoriale aliquod æternum sacrari sibi: minimè ergo credendum est, quod primi operis, nempe illius ingentis facinoris, quo hominem luteum condidit ad imaginem, & similitudinem suam, iustitia originali vestitum, nullum relinqueret symbolum, imò reliquit in matre sua Maria, in qua primi illius operis prima iura cum maiori dignitate seruantur; seruantur enim cũ dignitate maternitatis diuinæ.

Dionys. D. Dionys. Areopag. cap. 7. de cœlesti hierarch. vbi cœlestes thronos prædicat, de quibus dicit, quòd in se habeant Iesum, sic concludit: *Iesu felicissima societate dignatæ intelligentiarum; communicántque, quoatenus par est, in primæ conditionis suæ potestate deificis ipsius, benignissimísque virtutibus.* Ex quo thronorũ virtutes dignæ habentur, quòd Iesu felicissima societate fruantur: expende, quid inde educat vir sanctissimus, nimirum, quod in primæ conditionis suæ potestate communicent deificis illis virtutibus. Hoc ex Iesu vicinio habent throni, hoc ex Iesu vicinio habet Maria, quòd communicet in primæ conditionis suæ potestate deificis virtutibus illius.

Epiphan. Id quod insinuabat D. Epiphan. serm. de laudibus Mariæ, sic inquiens: *Anna, quæ gratia interpretatur, grauida effecta, cælum, & thronum Cherubicum peperit sanctam Mariam: illa enim reperitur esse cælum; & templum, & thronus.* Vt iam quantum par est, communicet in primæ conditionis suæ potestate deificis Iesu virtutibus: adeò vt illi dicat Iesus illud Canticorum, cap. 1. ex versione Græca: *Tu es pulchra es propinqua mea.*

Nyssen. Ad quæ optime Nyssenus respondit: *Propterea dicit ei verbum, Pulchra facta es, qua mea es, appropinquasti, per appropinquationem trahens dispensationem pulchritudinis.* Expende verbum illud, *dispensationem*; quippè dispensatio tantummodo videtur conuenire pulchritudini originali; quandoquidem de hac sola erat lex posita, vt illa carerent omnes filij Adami: vnde, dum ex vicinio Iesu Virgo Maria dicitur per dispensationem venisse in pulchritudinem, id fuit ex eo, quòd rigidissimæ legis dispensationem habuit, & per illam etiam habuit iustitiam originalem. Metuat quisquis nimis litteræ legis adhærens hanc dispensationem Mariæ vertit in dubium; littera enim occidit, & si sub rigida acie litteræ apparet Maria occisa cum originali culpa, quis non metuat detrimenta innumera?

Eccles. 24. Ait ipsa, Ecclesiast. 24. *Quasi palma exaltata sum in Cades.* Meritò in Cades, hoc est, in sanctitate (*Cades* enim sanctitatem significat) sibi egregios triumphos, & victorias promittit. Sed & Numer. 33. de filiis Israël proficiscentibus

Num. 33. dicit: *Castra metati sunt in deserto Zin, hoc est, Cades*: ibique narratur statim mors Mariæ sororis Moysis; item murmuratio totius populi in Moysem: item Moysis aliqualis culpa, & eius supplicium; item negatio transitus ad terram promissam: omnia hæc mala in Cades accidêre post mortuam Mariam. Et cur non accidant maiora mala, quando Cades electa ad ostentandas & palmas, & victorias Mariæ, illam ostendit defunctam? Meritò ait Hieronym. epi-

Hieron. stol. ad Fabiol. *In hac mansione moritur Maria, & sepelitur, & propter aquas contradictionis Moyses, & Aaron offendunt Dominum, & prohibentur transire Iordanem, missísque nuntijs ad Edom, transitum petitur, nec impetratur. Quis timeret post tantos profectus murmur populi & offensam magistrorum, & viæ transitus ne ... ?* Nullus proculdubio ea timeret, nisi qui videret sibi mortuam Mariam. Nulla antiquata gloria, nulli profectus, nulli pristini triumphi valent, vbi ostenduntur mortua Maria inter cæteros Adami filios; quisquis ita litterali nimis rigida falce ostendit cum zizaniis demessam Mariam, nullis fidat acclamationibus, sed caueat murmura: nullis credat studiis, magistri etiam maximi se muneribus defraudabunt multis. Caueat hoc maxime familia, quæ præcipue electa fuerit pro exaltanda in orbe Maria, si illam vlla culpa etiam originali emortuam ostendant, & gaudeant se in iis esse temporibus, in quibus licet pleno ore publicare Mariam ab omni originali etiam labe immunem. Dum Maria Mosis soror putabatur leprosa, nullum progressum fecerunt Israelitæ postquam habita illa fuit prorsus munda, Numer. 33. iuxta lectionem Origenis. *Et post hæc promouit populus ex Asseroth, & consederunt in deserto Pharan.* Origen.

Vide post Mariæ mundiciei opinionem contrariam dimissam, vnde proficiscatur populus, & vbi tentoria figat. Rem explicat Origen. homil. 7. in Numer. *Asseroth interpretatur domus perfecta. Proficiscitur ergo populus posteaquam Maria purgata est, à domibus perfectis, & venit in Pharan, quod interpretatur os visibile.* Idem.

Non eguit nostra Maria purgatione vlla in se, at eguit purgatione in opinione plurimorum, qui conceptionem eius clamabant infectam. Id ne in pulpitis diceretur, cautum est lege pontificia, ex quo olim à perfecta Mariæ munditie venimus in Pharan, hoc est, os visibile; quando soli, qui illam prædicant, apertum, & manifestum possint habere sermonem de illa.

§. IV.

Maria Virgo & matrem agit terrenam, & patrem diuinum in generatione Saluatoris.

DVm meditatur Bernardus, serm. de tribus misturis fermentum mundi, nempè Saluatorem Iesum, quo tota hominum massa virtutis recipit & calorem, & saporem, meritò ad fœminarum præstantissimam Mariam confugit. Quæ nobis tantum effecit fermentum facta eius mater, & sub satis tribus abscondit, quatenus Trinitatis personas idem solicitauit ad opus. Quid plura? Simul & matrem terrenam, &, vt sic dicam, patrem diuinum Saluatoris nostri peregit. In ea sunt communiter sententia præstantissimi Theologi, cum D. Thom. 3. part. quæst. 2. art. 11. qua di... Patres, imò beatam Mariam precibus obtinuisse a cœlesti Patre Filij diuini incarnationem: dum ergo Maria & Patrem diuinum traxit in hoc, vt daret vnigenitum suum, deinde ipsa illum conceperit, & pepererit, præclarè dici potest, quod matris terrenæ, & patris cœlestis munus in Iesu generando peregerit. Simile habes 1. Reg. 1. vbi Anna orans petebat, vt ex marito Elcana filium conciperet, cui respondit Sacerdos: *Vade in pace, & Deus Israël det tibi petitionem tuam, quam rogasti eum.* 1. Reg. 1.

Et post pauca: *Cognouit autem Elcana Annam vxorem suam, & recordatus est eius Dominus. Et factum est post circulum dierum, concepit Anna, & peperit filium, & vocauit nomen eius Samuel, eò quòd à Domino postulasset eum.* Sterilem sibi maritum experiebatur Anna, precibus tamen sterilitatem omnem fugat, filium concipit & parit, ex quo illam non solùm matrem, sed & patrem pueri egisse putat. Chrysost. quippe ait homil. 1. de fide Annæ: *Omnes audistis, quomodo fleuerit, quomodo precata sit, quomodo orarit, & exorarit. Concepit, peperit, educauit, & consecrauit templo Samuelem. Itaque nequaquam aberrarit, qui hanc mulierem pueri simul & matrem, & patrem appellarit. Quamquam enim & vir addiderat semen, hæc tamen deprecatio vim, efficaciámque seminis præbuit, effecitque, vt Samuel auspicatioribus exordijs nasceretur.* Chrysost.

Itaque vbi precibus Anna maritum, sibi fœcundum obtinet, ex illóque concipit, & parit filium & mater, & pater pueri a Chrysostomo censetur. Similiter & matris terrenæ, & patris diuini munera ad generandum Iesum in vna Maria possunt haberi, quando ipsa precibus traxit summum parentem ad filij incarnationem, hincque concepit, & peperit. Miraris hoc? Accipe in eodem genere quid maius; quod tanta erat vis orationis Marianæ, vt si per impossibile (vt aiunt logici) non genuisset Pater diuinus Filium, & esset illi libera talis generatio, posset adduci ad eius generationem precibus Mariæ. Efficaciam lachrymarum sic exaggerat Cellens. Abb. lib. de panibus ix. Cellens.

inquiens: *Aqua hæc aut facit, aut inuenit paradisum.* Et quomodo lachryma faceret paradisum? Equidem tanta ibi lachrymarum efficacia ostenditur, vt si Deus nullum paradisum, nullam cœlestem patriam condidisset, posset vel lachrymis pœnitentiæ adduci, vt cœlestem patriam construeret. Simili modo de Mariæ precibus dicendum puto, quòd nisi Pater genuisset Filium, illis posset adduci ad illum generandum, & generandum ex Maria. Quò forsan respexit

Cant. 4. Dominus, Cant. 4. vbi ait: *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa*; siue, vt legit Symmachus apud Theodoretum: *Excitasti cor meum*; vbi non contemnendus author, per illud verbum, *cor*, putat intelligenda Dei Patris viscera, quæ Mariæ precibus excitata fuere, vt filium daret mundo, & daret ex illa.

Ecclesi. 24. Hinc Eccles. c. 24. ait: *Species mulieris exhilarat faciem viri sui, & super omnem concupiscentiam hominis superducit desiderium.* Quæ verba Mariæ aptat Cardinalis Hailgrinus apud Martinum del Rio, Cant. 4. inquiens: *Huius mulieris speciem sic concupiuit Dominus, & ipsi eius desiderium in tantum superduxit, hoc est, ad tantum excessum perduxit, vt ad nostram infirmitatem humiliatus sit omnipotens.* Ecce tibi qualiter Maria excitauit Deum, & traxit illum ad hoc, vt filium suum daret, vt dicat

Hailgr.

Isai. 9. Isai. c. 9. *Paruulus natus est nobis, filius datus est nobis*; datus est, inquam, filius, ad cuius generationem Patrem æternum excitauit, & traxit Maria, ne aberret, qui illam & matrem, & patrem appellarit tanti filij, in cuius generationem Patrem inclinauit diuinum, & ipsa illum parturiuit.

§. V.

Quò sunt plura vero similia, eo magis abscondita est veritas, ne capiatur ab hominibus. Vbi quam fugienda mundi figura.

FErmentum abscondit fœmina sub farinæ satis tribus; cùm enim fermentum à farina fiat illique simile sit, quot sata accedunt farinæ, tot nebulæ veniunt, quibus sublateat fermentum; nunquam enim sic veritas absconditur, quam vbi illi circumponuntur multa vero similia. Cantatissima est illa Romanorum historia, in qua profertur scutum cœlo dilapsum ea sorte Romanis obtigisse, quod tamdiu duraret vrbs, quandiu scutum illud non raperetur ex illa. Quid tunc? Quæ diligentia adhibita est, ne posset ab externis inueniri scutum? Multa alia similia elaborata sunt, inter quæ sic mansit illud occultum, & absconditum, vt nullo planè modo timerent, ab aliquo posse inueniri. Rem acutissimè ponderans Ouidius 3. Fastorum inquit:

Ouid.

Tunc memor imperij furtem consistere in illo,
Consilium multæ calliditatis init.
Plura iubet fieri simili cælata figura,
Error vt ante oculos insidiantis eat.

Sanè quot similia scuta addidit, tot nebulas, tot densissimas nubes adhibuit, ne posset internosci verum scutum. Proh dolor! quis verum bonum inueniet? Sunt plures boni similitudines, sunt innumeræ res in mundo, quæ solam boni, & veri speciem habent; caue homo ab illis, ne te fallant, & verum bonum occultantes eripiant. Ad Rom. 12. monebat

Rom. 12. Paulus: *Nolite confirmari*; alij legunt, *Nolite configurari huic sæculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri.* Expende, quòd moneat, ne figuris sæculi inhæreamus. Cur non figuris inhærendum? An non per figuras, & similitudines ad verum bonum faciliùs perueniemus? Absit, imò figurarum multitudine sic obtenebrescit verum bonum, vt inueniatur à nemine.

Chrysost. Chrysostom. homil. 20. ibi: *Si rectà incedere vales, ne te adaptes ad præsentis vitæ figuras. Nam etiam si diuitias obiiceris, si gloriam, si delitias, siue aliud quodcumque ex iis, quæ magna esse videntur, figura tantummodo sunt, non ipsius, quæ in re est, veritatis demonstratio, persona quædam scenica, non consistens verum substantia. Sed tu vide ne illi configureris,* &c. Nil magis cauendum homini, qui verum quærit bonum, quàm multitudo similium, vt quibus subest falsitas,

Eccles. 34. & sub quibus verum absconditur. Ait Ecclesiast. 34. *Hoc secundum hoc visio somniorum: ante faciem hominis similitudo alterius hominis.* Non verum attingentis, sed somniantis est ad plura, quæ boni similia ducit, currere, iam hoc, iam simile aliud captans; est enim in somnis hoc secundùm hoc, nempè rei similitudo multiplex, sub qua dormiens fallitur.

Ioann. 1. At de vero bono locutus Ioannes, cap. 1. ait: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis.* Non vidimus hoc secundùm hoc, sed vidimus vnigenitum, substantiale Patris germen. Et nota discrimen: vbi vnigenitum vidimus, vidimus plenum gratiæ, & veritatis; vbi autem hoc secundùm hoc, & multiplex apparuit similitudo, ibi non ve[ri]tas, [se]d vi[sio so]mniorum fuit. Aiebat Heruetus Aurelianus Scholiastes Clem. Alexand.

lib. 2. stromat. *Est vna quidem veritas, permulta autem verisimilia; si quis autem in multis ve[risi]mi[libus] verum perquirit, perinde facit, atque si quis sub multis laruis verum vultum quærit, qui non potest inueniri.* Et quomodo inuenitur verus vultus inter multitudinem laruatum simibum? Rem explicat exemplum ductum ab his, qui aliquid conspicere, & inuenire quærunt, appositis ob oculos crystallinis lunis in octo quadratos angulos elaboratis. Vix additur crystallum oculis, & quot sunt in illo angulorum flexuræ, in tot similia apparet quodlibet obiectum multiplicatum. Dicas dragma vnum sub illis lunis sobolescere, & sex aut octo, aut ampliùs alia oculis ostentare. At si tunc verum apprehendere cures, Deus bone, quam falleris! manum ad [vn]um porrigis, & larua est, ad aliud accedis, & etiam est larua, sub tot laruis manet verum dragma prorsus absconditum, & incomparabile, similium multitudinem caueat, quisquis verum bonum amat sibi comparare. De veritatis optima indagatrice, & speculatrice, ait Psalm. 106. *Numquid Sion dicet, Homo, & homo natus est in ea?* Optima speculatrix veritatis, nempè Sion, non per vitreos sex angulos respicit, vt quærens verum vultum pro vno, multos clamet; non videt vt somniator, qui videt hoc secundum hoc, & fallitur figuris; sed vnam respicit defæcatam veritatem. Illud non inuenitur in optima veritatis speculatrice, sed in seductrice. Vnde monet Dominus, Matth. 24. *Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est [Chr]istus, aut illic, nolite credere; surgent enim Pseudochristi, & Pseudoprophetæ, & dabunt signa magna, ita vt in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi. Ecce prædixi vobis: si ergo dixerint vobis, Ecce in deserto est, nolite exire: Ecce in penetralibus, nolite credere.* Ecce verum discrimen inter seductores, & veros veritatis magistros; hi non multiplicant verum, sed vnum defæcatum ostendunt, illi instar crystallinæ lunæ in sexangulos elaboratæ nesciunt, nisi similium multitudinem ostendere, vt si vel huc, vel illuc abeas, verum quæsiturus, fallaris laruis. Ad hæc Dominus, Luc. 10. *Martha, Martha solicita es, & turbaris erga plurima: porrò vnum est necessarium.* Quid est, vnum est necessarium? Propositiones necessariæ vocantur à Dialecticis propositiones sempiternæ veritatis: & quidem veritas vna est, qui illam quærit, caueat verisimilium multitudines, ne delassus laruis sibi turbationem atque hostibus risum faciat. *Cl. Alex.* *Psal. 106.* *Matth. 24.* *Luc. 10.*

§. VI.

Ad verum virtutis amatorem pertinet quoscumque familiares habet, sibi in virtutibus reddere similes.

ECce fermenti vis: absconditur in farinæ satis tribus, donec fermentum est totum; nescit fermentum in massæ trans[ir]e insipiditatem, quin potius omnem massam trahit ad æmulationem saporis sui. Hoc noscet quisquis cœlesti agitur spiritu, quisquis verus est amator virtutis, & in mundialibus conuentibus, non ipse aliquid mundanum recipiat, sed vniuersos trahat in æmulationem suarum virtutum, reddatque sibi similes. De Filio Dei veniente in mundum aiebat Ioann. cap. 1. *In propria venit, & sui eum non receperunt; quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Quid magis decuit Dei filium, quàm quòd in mundum veniẽs, vniuersos familiares suos faciat esse Dei filios, similes sibi? Ad hæc D. Ambros. serm. de fermento, inquit: *Rectè ergo fermento Dominus comparatur, qui cum esset specie homo, humilitate paruus, imbecillitate deiectus, tamen intrinsecus sapientia virtute pollebat, vt doctrina ipsius mundum ipse vix impleret: qui cum se cœperit per totum orbem diffundere vigore diuinitatis, totum hominum genus omne in subiectionem suam sui potestate prostrauit, vt & iugum Spiritus sancti sui infunderet omnibus: hoc est, Christianos cunctos faceret esse, quod Christus est.* Hæc est virtus cœlestiũ animarum, quòd omnes suos familiares faciant esse in virtutibus amandis, quod ipsi sunt. Hoc ardebat Paulus desiderio, Act. 26. inquiens ad Proconsulem: *Opto apud Deum & in modico, & in magno, non tantum te, sed etiam omnes, qui audiunt hodie fieri ta[les], qualis & ego sum.* Hoc debet spectare conatus omnium illorum, qui spiritu aguntur diuino. Sanè Creator vbi orbem condebat, Genes. [1.] ait: *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferũ faciens fructum iuxta genus suũ.* Cur necessum fuit addere illud *iuxta genus suum*? An ligna aliter possent fructificare, quam iuxta suum genus? Si ergo necessitate naturæ cogebantur *Ioann. 1.* *Ambros.* *Act. 26.* *Genes. 1.*

bantur ligna ad edendos fructus respondentes generi suo, quid necessum fuit illud Dei imperium, quòd producant fructus iuxta genus suum? Sanè in illo imperio ostendit diuinus artifex, quòd sibi maximè conducebat, nimirum, quòd suas creaturas faceret esse, quod ipse est. Et cùm ipse in necessaria productione producat filium sibi omnino correspondentem, sic studet, vt creaturæ suæ similiter producant fructus iuxta genus suum. Sapienter, & acutè D. Augustinus, quæst. 9. ex vtroque mixtim ait: *Qui habuit ergo filium totis sibi similitudinis partibus congruentem; hoc est, vnus vnicum, probus probum, bonus benignum, beatus beatum, maximus maximum, sempiternus æternum, habuit vtique ante mundum creata soboli principatum, de quo rebus oriundis imperitabat exemplum, vt gignentium germina suis respondere seminibus cogerentur.* Hoc erat studium maximum Creatori, vt innotesceret mundo, quàm cogeret vniuersas creaturas in sui similitudinem: vt qui ab æterno sibi simile producebat, sic omnes productrices creaturas traheret in productionem suis generibus respondentium effectuum. Diuinus est, quisquis in sibi similes virtutes cogit venire cæteros; at qui potiùs in aliorum pergit errores, huic periculi, & ruinæ certæ res est plena. Lugebat Origen. de se in planctu suo: *Ego verò infelix ante diluculum de strato exsiliens, nec orationem quidem consuetam implere potui; sed desiderans omnes homines saluos fieri, & in cognitionem veritatis venire, me ipsum in diaboli laqueis implicaui.* Expēde casus miserandi inceptionem: equidem de Christi spiritu habebat omnes cupere sibi similes in virtute facere, hoc, vt par est Christiano, & Iesu ministro, ardebat desiderio, sed interea orationem non implet consuetam, in hoc iam periculosiùs agit; qui enim ad suas virtutes debebat trahere cæteros, potiùs in se admittit cæterorum teporem, dum ab oratione cessat, vnde lucratus est, quòd pereat. Vnde Dominus missurus Apostolos in animarum capturam monet, Matth. 10. *Nolite possidere aurum, neque argentum*, &c. Et post pauca: *Ecce ego mitto vos, sicut oues in medio luporum.* Oues mittuntur ad lupos, & nihilominùs oues non pereunt, sed magis conuertunt in oues lupos. Et quare oues non pereunt inter lupos? Ex eo solùm, quia studuerunt mundialia omnia sic à se depellere, vt nihil ipsi in se luporum reciperent. Ait enim Isaias Abbas orat. 16. *Præcepit Dominus eis, vt nihil acciperent in via: dum enim nihil luporum haberent, non poterant eos lupi deuorare.* Vorabitur ille, qui aliquid mundialium in se recepit, & non magis satagit omnibus suas communicare virtutes, quibus sibi similes fiant.

Origen.

Matth. 10.

Isai. 16.

CAPVT VI.

De thesauro abscondito, & negotiatore.

NE cœlestis œconomia sinapi, & fermento comparata vilesceret, iam eius pretium Dominus aliis duabus parabolis extollit, dum illam & thesauro abscondito, & margaritæ pretiosæ à negotiatore inuentæ comparat. Et forsan pro thesauro mundiali habendo, siue pretiosa margarita, non multi venderent omnia sua: at cœlestis thesaurus, & margarita tanti pretij sunt, & valoris, vt pro habendis illis, nullis parcendum sit bonis, vendenda, imò dilapidanda sint omnia alia bona.

Matth. 13. Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro.

§. I.

Diuinitatis thesaurus sub passibili Christi carne absconditus simul & patentissimus est.

NVmquam diuinitas magis abscondita, quàm in carne passibili; dum frigus patitur puer, flet, riuos lachrymarum totus tremens emittit: dum adolescens nostram negotiatur salutem, mille sudoribus perfunditur in cruce, & sanguine madet, & pallorem mortis incurrit; fletus, sudor, sanguis, mors, quid cum diuinitate? Quæ densiores noctes possent inueniri, vt diuinitatis thesauro tenebras obducerent? Sed inter tot noctes thesaurus inuenitur, & à non quærente inuenitur; nec solent à non quærente inueniri, nisi patentissima. Et quidem illæ ipsæ vmbræ, illæ ipsæ carnis exinanitiones, & simul diuinitatem abscondunt, & dum abscondunt, simul illam publicant, & faciunt patentissimam. Esth. c. 1. *Fons paruus creuit in flumium maximum, & in aquas plurimas redundauit. Lux, & sol ortus est, & humiles exaltati sunt.* Quem fontem, & solem ad exaltandos humiles Christo Domino attribuit Rupert. lib. 8. de vict. c. 16. At vbi sol lucidissimus pro Iesu ponitur, cur necessum fuit, & fontem paruum dici? Nomine, & figura Solis contentus Sophonias ait, c. 3. *Orietur vobis timentibus nomen meum, sol iustitiæ, sanitas in pennis eius.* Solus ibi sol dicitur, & vel de solius Solis gloria, & virtute dignitas extollitur Saluatoris Christi; cur insuper additur paruus fons? Est præterea in fonte aliquid, in quo excellentia Christi clariùs effulgeat Solis luce. Dum enim sereni fontis fluctus agitantur ventis, & simul splendentes inter lapillos oculis offerunt, & eripiunt. Quo se fluctus extollunt, visum arcent, ne pateant lapilli, quò se dimittunt, & minutissimas arenas reddunt patentissimas. Pulchrè enim ait magnus Ausonius in Eidyllio.

Secreti nil amnis habet.
Sic demersa procul durante per intima visu
Cernimus; arcanique patet penetrale fluenti.
Vtque sub ingenuis agitata fontibus herba
Vibrantes patiuntur aquas, lucétque, latétque
Calculus, &c.

Eædem ipsæ aquæ fontis vibratæ faciunt intimum calculum & lucere, & latere simul; faciunt latere, dum tumentes arcent visum; dum se dimittunt in lucem, soléntque & calculum & omnia intima abiiciunt. Fons est Christi caro passibilis, fontes sunt eius ocelli profluis lacrymarum riuulis; fontes sunt ipsæ venæ sanguineos voluentes fluctus, & lacrymæ, & sudores, & fragilitas, & sanguis, & mors ipsa secundùm se consideratæ prorsus abscondunt, & latere faciunt diuinitatē, verùm & lacrymæ, & sanguis, & mors dum inuentæ noscuntur ad exaltandos humiles, manifestissimè ostendunt quid diuinum. Nunquam enim Deus & maior, & patentior ostenditur, quam vbi ob salutem hominis homini exhibetur pusillus, & penè exinanitus. Hinc Balaam, Numer. 23. ait de filio Dei venturo in mundum. *Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel, & percutiet duces Moab,* &c. Non dixit, *orietur sol*, vt suprà dixit Sophonias, sed omisso sole, maluit recurrere ad stellas, inquiens, *orietur stella*; stella enim quò minor apparet humanis oculis, eò celsior, & maior esse demonstratur ab Astrologis; & terra, & luna, & errantia astra longè superantur magnitudine ab stellulis, quæ minimæ visuntur in cœlis. Simili modo diuinitas in carne passibili, quò minor ostenditur, & fragilior, eò in demonstratione sapientum amplior, & excelsior est. Ad hæc aiebat Tertull. lib. 2. in Mar. *Deus tunc maximè magnus, cum homini pusillus.* Pusillitas, & infirmitas Dei homini apparens, maximè ipsius Dei commendat, & prædicat magnitudinem, quando illa pusillitas sumpta est ad humanam salutem. Hinc Act. 7. Stephanus de Iesu clamat: *Video cælos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei.* Ecclesia prædicat Iesum sedentem ad dexteram Patris, vt cum eo prædicet æqualitatem. Stephanus non sedentem videt, sed stantem, quando stantis habitus seruorum est. Cur non magis per sessionem eius cum Patre prædicat æqualitatem? Sanè nunquam Iesu cum Patre æqualitas magis homini claret, quam vbi in habitu seruili Iesus apparet. Petrus Damian. ibi ait: *Ne Patre minor esse putetur, stat cum stante, cum bellatore bellatur, quia lapidatur cum lapidato.* Tutus ille seruilis habitus assumitur, ne minor Patre Iesus putetur, sed æqualem cum eo diuinitatem publicet, & ostendat serui habitus assumptus ob salutem humanam.

Esth. 11.

Sophon.

Auson.

Num. 23.

Tertull.

Damian.

§. II.

Ea est humanitatis Christi præstantia, & similitudo cum Deo, & vt humanitas possit censeri diuinitas, & diuinitas possit censeri humanitas ab oculis humanis.

STo adhuc à sententia Hilarij intelligentis in thesauro abscondito diuinitatem filij Dei absconditam in humanitate. Sed quomodo absconditur diuinitas sub humanitate? An sicut sol absconditur sub noctis tenebris? Vel sicut lux tota latet sub opaco, & terrestri corpore? Crediderim magis diuinitatem abscondi sub humanitate, velut vnus sol absconditur sub similibus aliis. Vide cap. præcedenti §. 5. historiam Romanam de scuto cœlitus dilapso, & absconso sub similium multitudine. Sic enim inter plures

similes quævis res latet, & absconsa manet, vt à nemine internosci valeat. Et quidem tanta est similitudinis præstantia inter Iesu humanitatem, & diuinitatem, vt meritò absconditum maneat oculis creatis, vtra earum sit diuinitas; quando & diuinitas humanitas, & humanitas diuinitas apparet. Facit in rem præsentem encomiū, quod præstat Tertull. carni humanæ, lib. de resurr. carnis, fatus: *Non es tu diligentior Deo, vti tu quidem Scithicas, & Indicas gemmas, rubentis maris grana candentia, non plumbo, non ære, non ferro, nec argento quoque oblaqueas, sed electissimo, & insuper operosissimo descrobes auro. Deus verò animæ suæ vmbram, spiritus sui auram, oris sui operam vilissimo alicui commiserit capulo, & indignè collocando vtique damnauerit? Collocauit autem, an potiùs inseruit, & immiscuit carni, tanta quidem concretione, vt incertum haberi possit vtrùm ne caro animam, an carnem anima circumferat: vtrumne animæ caro, an anima pareat carni*; vel vt in margine, *an anima appareat carni*. Quid maius dici potuit ad præstantiam carnis commendandam? Ea est caro nostra, quæ vnita animæ, incertum sit Tertulliano, vtrùm animæ caro, an caro appareat animæ: vtrùm caro animam, an carnem circumferat anima. Tanta est vnitas, & similitudinis præstantia inter carnem humanam, & animam, vt inter vtramque discernere, etiam sapientissimi difficile habeant. Quid plura? Sicut anima rationalis, & caro vnus est homo; ita Deus, & homo vnus est Christus, ait Athanas. in Symbolo, quod de carnis, & animæ vnitate, & similitudinis præstantia, idem dixerim de humanitate, & Deo vnitis. Non sanè diuinitas vilissimo alicui commissa est capulo, cui indignè vnita, appareret damnata. Commissa est, imò inserta, & vnita humanitati, tanta inter vtramque similitudine, & vnitate prouisa, vt incertum haberi possit oculis humanis, vtrùm ne humanitas pareat diuinitati, an diuinitas pareat humanitati; vtrùm ne humanitas diuina sit, an diuinitas humana. Quò respiciens lex, sic canebat Exod. 12. *Tollat vnusquisque agnum per familias, & domos suas: erit autem magnus absque macula, masculus anniculus*, &c. Hebræus apud Caiet. legit: *Erit autem agnus perfectus*. Et qualis perfectio in agniculo pro peccatis, & libertate humani generis offerendo? Ipse verus agnus monebat cæteros, Matth. 5. *Estote vos perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est*. Nec dubito quin verus agnus Dei, hoc est, sanctissima illa humanitas immolanda præberet in se perfectionem, quam ab aliis requirebat, existens adeò similis Patri cœlesti, vt oculis nostris indistinguibilis à diuino parente appareret. Ad hæc ait præstantissimus Theologus Naz. orat. 42. inquiens: *Perfectus autem agniculus, non modò propter diuinitatem, qua nihil perfectius; sed etiam propter humanitatem diuinitate delibutam, idémque effectum, quòd id à quo vncta est, atque vt audacter loquar, simul Deum*. Pulcrè sapientissimus Theologus humanitatis pro mundi libertate immolandæ præstantiā eò perfectionis extollit, vnde videatur idem effecta, quod Deus, imò appareat oculis humanis simul Deus, & quasi haberi possit incerta inter Deum, & ipsam distinctio. Accinit Psal. 64. fatus: *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ*. Quem lex vocabat annum agniculum, Dauid vocat coronam omni paterna benedictione confertam. Et cur Iesus meus coronam exprimit? An quia ipse Rex, & Dominus omnium? An quia finis omnium operum Dei? An quia ab illo vniuersæ triumphantium, & regnantium coronæ? Aliam præterea insinuat Nazianz. rationem, & acutiorem, & rei præsenti præstantiorem. Quippe ait vbi suprà: *Anniculus porrò dicitur vt sol iustitiæ; atque item vt benignitatis corona benedicta, omnique ex parte sibi similis, & æqualis*. In corona nulla inæqualitas apparet, nulla dignioris, & indignioris loci differentia: vnde Romanus ille, ne quem Deorum inæqualitate aliqua offenderet, Pantheon construxit, rotundum templum, quod in coronæ formam impleuit aris, quarum loca ex quacumque parte respicerentur, singula apparebant primaria. Idem in templo mystico Dei, nempe in Iesu contemplatur Nazianz. dum à Dauide corona vocatur; nimirum, quòd ex quacumque parte consideretur, & similis appareat, & æqualis: vel si consideretur ex qua parte Deus, vel ex qua parte homo; & homo appareat effectus idem quod Deus, & simul Deus. Quo etiam sensu dicebat ipse Iesus, Ioann. 10. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum*. Vbi putans D. August. de Incarnatione, lib. 1. sic inquit: *Filius Dei benignissimè insertus humani corporis formæ, ex operum. virtutisque similitudine Dei Patris in se immensam, atque inuisibilem magnitudinem designabat, dicens: Quia qui videt me, videt Patrem*. Quoad enim humani oculi possent percipere, minimè distinguerent inter humanitatem illam operantem, & Patrem.

Tertull. — Exod. 12. — Matth. 5. — Nazianz. — Psal. 64. — Nazianz. — Ioann. 10. — August.

§. III.

Visibilia Dei munera, & externa secum pretiosiora alia, ab oculis remota, & intrinsecus abscondita afferunt.

QVæ ex Deo nascuntur munera, minimè solis externis signis censeri debent, maiora enim, & pretiosiora intrinsecus abscondita supponere solent. Ager est, quòd à Deo venit munus, & ager externis fructibus diues; sed qui simul thesaurum in se absconditum intimis visceribus habeat. Hinc Genes. 2. ait: *Tulit Deus hominem, & posuit eum in paradisum voluptatis, vt operaretur, & custodiret illud*. Et mirabar quòd homini tanto, ad imaginem Dei effecto, iustitia originali condecorato, Dei amicissimo solus paradisi exterior quidam ager colendus tribueretur. Sic bone Deus, ager vnus exterior erit tota occupatio amici tui hominis præstantissimi? Sic in tanto homine vna exterioris agelli cultura requiritur? Absit: non vnus exterior ager à Deo prouidetur homini suo, quin potiùs ex eo, quòd à Deo venit ager ille exterior, secum necesse est, vt trahat præstantiorem alium ab oculis remotum, & intimiùs absconditum paradisum, qui humana præcordia & impleat, & ditet. Accipite Damascen. lib. 2. Orthodoxæ, cap. 11. vbi inquit: *Nonnulli porrò sensibilem fuisse paradisum animo sibi finxerunt: alij contra spiritualem, & qui intelligentia sola perciperetur. Mea autem hæc est sententia, quòd quemadmodum homo ita constructus fuerat, vt simul & sensus, & rationis particeps esset, sic etiam sanctissimum ipsius templum tale erat, vt & in sensum caderet, & animo, ac ratione cerneretur, ac duplicem rationem haberet. Corpore namque in diuinissima, ac pulcherrima regione degebat: animo autem in sublimiori, ac pulchriori, atque omni comparatione præstantiori loco commorabatur, Deum simul, & pro domo, & pro illustri indumento habens*, &c. Non equidem Dei munus homini exhibitum claudi decebat in solo illo visibili vitalium lignorum agro, sed & sub illo visibili, & externo sublimior alter, & pulchrior, & præstantior abscondebatur, & vt ille ad externas, ita hic ad internas pertinebat delitias, & diuitias animi. Apud Isai. cap. 1. aiebat Dominus: *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis*. Et hæc sunt præmia à Deo suis dilectoribus promissa, nimirum bona terræ? Quid Epicurus suis alumnis minus prouideret, quàm bona terræ? An in hoc sese extollunt bona terræ à Deo exhibita, quòd hæc simul præstantissima alia bona ab omni sensu remota, & abscondita contineant. Ait Tert. lib. de resurr. carn. apud Isai. *Bona terræ comedetis, bona carnis intelliguntur, quæ illam manent in Regno Dei reformatam, & angelificatam: & consecutum, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Alioquin satis vanum, si ad obsequium Deus fructibus agri, & cibarijs vitæ huius inuitet*. Absit à Deo tale inquinamentum, vt suis dilectoribus visibiles, & materiales fructus agri tantùm exhibeat, exhibentur quidem à Deo visibiles fructus agri, sed agri habentis thesaurum absconditum; hoc est, afferentis bona illa superna, quæ ab oculis, & aure, & omni humano sensu remota existunt. Hinc post numeratos Abelum, Noëmum, Abrahamum, Saram, ait Paulus ad Hebræos 11. *Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes, & salutantes, & confitentes, quia peregrini, & hospites sunt super terram. Qui enim hoc dicunt, significant se patriam inquirere: nunc autem meliorem appetunt, id est, cælestem*, &c. In quibus verbis illud maximam quæstionem facit D. Thom. quòd dicantur Sancti isti defuncti fuisse, non acceptis repromissionibus. Et quidem de Abrahamo paulò ante dicebat ipse Apostolus: *Fide demoratus est in terra repromissionis*. Si ergo Abrahamus tenuit aliquando repromissionis terram, quomodo dicitur defunctus, non acceptis repromissionibus? Meritò & acceptis terrenis bonis dicitur Abrahamus diem obiisse, non acceptis repromissionibus; promissio enim, & dona, quæ à Deo, etsi circa terrena bona viderentur esse, non poterant solùm compleri in illis; nescit enim Deus exhibere dilectoribus suis agrum abscondito aliquo vacuatum thesauro excellentiori, & præstantiori terrenis bonis. Tenuerunt igitur Sancti illi terram, sed dum non tenuerunt Christum, dum non tenuerunt cœleste regnum, nondum acceperunt donum Deo dignum. Nec est donum sensibile à Deo, quod quantum est ex se, ad inuisibilia, & cœlestia bona non inducat.

Genes. 2. — Damasc. — Isai. 1. — Tertull. — Hebr. 11.

§. IV.

§. IV.

Vbi intrinseci, & occulti affectus in pretio Deo non sunt, nihili æstimatur opus externum.

OB thesaurum ibi absconditum venit & ager in cœlestis regni comparationem; qui enim pretiosi Deo affectus intrinsecus latent, commendabilia reddunt opera externa, alioquin nihil apud Deum valitura. Cant.6. commendans Dominus sponsæ pulchritudinem, ait: *Sicut cortex mali punici genæ tuæ, absque eo, quod intrinsecus latet.* Splendorem exteriorem genarum laudat, sed magis afficitur ad id, quod latet intrinsecus. Et cur habens, quod amet ingês, & quod miretur, ibi, latentis, & intrinseci meminit? Solent equidem fœminarum genæ splendere de extrinsecus adueniente fuco, id quod cauens sponsus meritò signat, qui sibi placeat splendor, & rubor genarum, nimirum solus ille, qui de intrinsecis habet, quod in genis splendeat, & rubeat. Ait Paschas. in Psal.44. reddens rationem, cur sponsus laudaturus genas, confugerit ad id, quod licet in animo intrinsecus: *Quia in genis, quod exterius rubet, ab intus nascitur, vt rubeat, ex eo, quòd interiùs viuet, & viget: & quod exterius decidit, ab eo, quod intrinsecus est, viuat pulcherrimè, & reparetur.* Non is est Deus, qui extrinsecus aduenientibus gaudeat fucis; nisi externus operum splendor, ab intus habeat, quo fulgeat, quasi nihil reputatur apud Deum, imò quasi paries dealbatus contemnitur. Vnde clamabat Paul. ad Rom.2. *Non enim qui in manifesto Judæus est, neque quæ in manifesto in carne, est circumcisio: sed qui in abscondito Judæus est, & circumcisio cordis in spiritu.* Quæ de cordis abscondito externa oritur pulchritudo, illa æstimatur apud Deũ. Hinc laudans textus sacer primos homines recèns à Deo conditos, ait Genes.1. *Creauit hominem Deus ad imaginem, & similitudinem suam, masculum, & fœminam creauit illos.* Meritò extollit homines recèns creatos de imagine, & similitudine diuina: at D.Bernard. ser.66. in Cant. valde notat, quòd non extollatur ibi hominum virginitas, quando illa tunc maximè florebat; quippe ait: *Neque hoc quidem nominatim dictum reperies, quòd virgines essent, quamuis essent, sexuum sanè expressa diuersitas est, non virginitas, cùm dictum est: Masculum, & fœminam creauit illos. Meritò quidem.* Et cur meritò taceretur virginitas, quæ virtus est adeò prædicabilis, adeò Deo amica, quæ ad terras è cœlo traxit Deum? Erat illa virginitas cum animis coniugia, amplexúsque maritales cogitantibus, & quæ à corde coniugato procedebat virginitas, vix virginitas æstimatur apud Deum. Quando omnis gloria eius filiæ Regis ab intus, & pretium, & commendationem habet. Cant.7. *Venter tuus aceruus tritici vallatus liliis.* Fœcunditas per triticum, & simul per lilia virginitas commendatur. Sed cur vt fœcunditatem commendet, singulari numero vsus est, dicens, *aceruus tritici*; at vbi ad virginitatem accedit, plurali vtitur, aiens, vallatus liliis? Pulchrè Guillelm. apud Delrium ait: *Non dicit, vallatus lilio, sed liliis, propter duo lilia virginitatis, vnum intus in animi proposito, alterum foris in corpore incorrupto. Porrò sine lilio interiori lilium exterius nihil est, quoniam sine proposito animi, carnis incorruptio inanis est.* Et quidem de intimis animi externa opera pretium capiunt. Lex cauebat, Num.28. iuxta lectionem Origen. *De donis, & datis meis obseruabitis offerre mihi in diebus festis meis.* Non quaslibet oblationes petit Dominus, sed eas, quæ possint ad diem festum Deo seruire. Et quæ oblatio seruit Deo ad festum? Psalm.73. ait: *Reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.* Illa oblatio, illud virtutis opus, quod ab animo interno Deum cogitante oritur, censetur inter festos, & acceptibiles Deo dies. Pro quo aiebat D.Ambros. lib.2. de Abel, c.2. *Festus dies Domini est, vbi perfectarum virtutum gratia est. Quæ tunc perfectæ sunt, si victor animus delinimenta voluptatis excludas, liber à sæculo, Deo deditus, nihilque de tramite rectæ intentionis imminuens, nec affectus sui tempora, nunc luxuriæ diuidens, nunc labori.* Itaque non tam externum opus, quàm animus virtutibus æstimationem confert, vt illa habeatur absolutè virtus, quæ ab intus aurea prosiliit. Propterea Salomon 1. Paralipom. 29. post pretiosissima sacrificia oblata Deo, subdit: *Domine Deus noster, omnis copia hæc, quam parauimus ad ædificandum tibi domum nomini sancto tuo, de manu tua est, & tua sunt omnia. Scio Deus meus, quòd probes corda, & simplicitatem diligas*, &c. Ex Hebræo sic: *Et noui Deus, quòd tu discernens cor, & rectitudines voles.* Et meritò prætermittens tot aurea, & pretiosa munera ad cordis rectitudinem vni Deo notam confugit, quando ea est, quæ placeat oculis diuinis. Caiet. in præsenti ait: *Paruipendens vniuersas res oblatas, aurum, argentum, &c. manifestat se nosse, quòd Deus ponderat non externas res, sed corda offerentium, & quod placet ei interna rectitudo cordis.* Et quidem parui pendenda sunt externa omnia, nisi ab intima rectitudine prosiliant cordis.

Cant.6. Paschas. Rom.2. Genes.1. Bernard. Cant.7. Guillelm. Origen. Psal.73. Ambros. 1.Par.29. Caietan.

§. V.

Naturalis simplicitas maximè Deum tenet.

EXpende, quò absconditur cœlestis thesaurus, nimirum in agro. Cur non potiùs in hortis? Cur non magis in muro domus? Fateor crebriùs reponi, & abscondi thesauros in hortis, aut in ipsis parietibus, & muris domorum; at cœlestem thesaurum nec hortus, nec murus, sed magis decet ager, vt qui à nemine sic rapiatur, quàm à naturali quadam simplicitate prorsus aliena ab arte, & fuco omni. Huc voco benedictionem illam Iacob datam à parente Isaaco, Genes.27. *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Non thuris Sabæi, non Indicorum aromatum, sed agri odorem in filio laudat: & quidem Iacob non homo agrestis erat, vt Esau; sed domesticus, & ideò matris fratre familiarior; cur ergo in illo pater agri pleni odorem inuenit? Sanè inde iam eliciebat benedictionum cœlestium fundamina, quæ in naturali quadam inueniuntur simplicitate. Ait enim D.Ambros. lib.3. Hexaëmer. cap.17. *Odor Jacob, odor agri pleni, id est, naturalis odor. Quid enim pleno rore suauius? Et ego odorem ipsum terræ simplicem, atque sincerum pro gratia benedictionis accipiam, quem fraus nulla composuit, sed veritas indulgentia cœlestis infudit.* Vbi simplicitas, & sinceritas naturalis apparet, ablato fuco, ablata artis cõpositione, ibi & benedictio cœlestis apparet, & ad maiores benedictiones capiendas maximum stabilitur fundamen. Hinc ad Dei aures capiendas, ad eius ingentia beneficia solicitanda sic iubemur clamare, Matth.5. *Pater noster qui es in cælis.* Patrem oraturi vocamus, non Deum optimum maximum, non Dominum exercituum, non Regem regum, nec aliud Dei grandius, & honorificentius vocabulum, siue proprium, siue appellatiuum permittitur sumere in oratione Dominica, sed solum Patrem. Et cur relictis aliis nominibus, ad solum nomen patris iubemur confugere? Solum nomen patris est nomen naturale, in simplicitate naturæ fundatum, nec vmquam Deo gratiores, & acceptiores reddimur, quàm vbi erga illum quandam naturalem simplicitatem seruamus. Ad hæc aiebat Philo, lib. de vita Moysis: *Ne mortalium quidem parentum nomina proferunt ij, quibus cordi est pietas, sed omissis propriis, honoris gratia vtuntur naturalibus, patrem appellantes, matrémque: atque ita profitentur immensa accepta beneficia.* Et apud homines, & apud Deũ validissima est quædam naturalis professio simplicitatis. Non sic homines, aut Deum ornant appellationes, quas inuenit ars, & composuit placendi cupiditas, quàm ornant illæ, quas simplicitas naturæ profert. Sanè cui cordi est pietas erga Deum, naturæ in omnibus seruet simplicitatem. Et quid non conficiat naturæ simplicitas? Deus vt abstrusissimum mysterium resurrectionis persuaderet mundo, illud tradidit naturæ prædicandum: ex quo sapienter dicebat Tertull. lib. de resurrect. carn. *Totus hic ordo reuolubilis rerum, testatio est resurrectionis mortuorum. Operibus eam præscripsit Deus priusquam litteris: viribus prædicauit, antequam vocibus. Permisit sibi naturam magistram, præmissurus & prophetiam, quò faciliùs credas propheticæ discipulus naturæ.* Non sic aptantur ad percipienda diuina discipuli Rhetorum, vt discipuli naturæ; qui enim naturæ sequitur disciplinas, & fucos, & ambages, & captiones abigens, simplicitatem, & sinceritatem amans, fallar, nisi Dei percipiat magnalia, & Deo maximè placeat. Ad hanc confugiens Salom. 1. Pararalip. 29. sic Deum precatur: *Scio Deus meus, quòd probes corda, & simplicitatem diligas, vnde & ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli vniuersa hæc.* Numquam enim sic ad diuina captanda valent Rhetorum fuci, Dialecticorum fallaciæ, vt naturalis quædam simplicitas.

Genes.27. Ambros. Matth.5. Philo. Tertull. 1.Par.29.

§. VI.

Quò præstantior quis est, eò magis superflua respuit, contentus solis necessariys.

REponendus sub custodia thesaurus non nemora pulcris arboribus consita, non hortos olentibus floribus ornatos, non superba ædificia quærit; simplici, & rudi gaudet agro. Cur non magis amœniora festinat tantus thesaurus,

sub quo & cœlestis tota amplitudo clauditur? Vt thesaurus hic præstantior est, & pretiosior, sic solis gaudet necessariis, & cætera vt superflua abominatur. Nullo enim, mihi credite, magis ostentatur rei præstantia, quàm ex eo, quòd minimè admittat in se alia, quæ non sint necessaria. Et sanè in corpore humano nemo oculis potiorem dignitatem, & præstantiam negabit. At oculi ex omnibus corporis partibus soli sunt, qui minimis, & rudioribus naturæ bonis

Cant. 7.

gaudeant. Cant. 7. *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis? Iunctura femorum tuorum, sicut monilia, quæ fabricata sunt manu artificis. Vmbilicus tuus crater tornatilis, non indigens poculis. Venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis. Duo vbera tua, sicut duo hinnuli gemelli capreæ. Collum tuum sicut turris eburnea. Oculi tui sicut piscinæ in Esebon*, &c. De ebore, de purpura, de auro, de margaritis, de liliis, de animantibus sumunt cæteræ partes ornatum; oculi de sola aqua piscinæ, & quid vilius aqua? Et quando cæteræ partes de pretiosis, & pulcherrimis mundi bonis se ornant, cur oculi, cæteris præstantiores, vilissimo elemento gaudent? Inde magis eorum elucet præstantia, quòd sola sustinent necessaria. Huc accedit Plato dialog. 4. de repub. mo-

Plato.

nens præstantissimos ad sola capessenda necessaria. *Si quis nos hominis imaginem pingentes accederet, & vituperaret, quod non pulcherrimis animantis partibus pulcherrima pigmenta apponeremus. Oculi enim pulcherrima pars, non purpureo colore, sed atramento induti essent: moderatè sanè ipsi respondere videbimur, si dixerimus: O admirande, ne putes nos oportere ita pulchros oculos pingere, vt nec oculi esse videantur, nec reliquæ partes.* Et sanè non inde potior, & præstantior ostenditur pars, quòd sibi semper potiora omnia coaceruet, sed quòd necessaria tantùm habeat. Atramento compingendis oculis adhibito, sic illo oculi efformantur, venustantur, vt purpuram, & coccum, & minium prorsus respuant, vt superflua, & sub quibus deformati appareant. Splendeant pedes in auro, pectus in purpura, collum in gemmis, manus in hyacinthis, aures in vnionibus, omnia hæc etsi pulcherrima, etsi præstantissima, etsi deformes, & ignobiles partes venustantia ab oculis reiiciuntur, qui de simplici atramento sese extollunt, & radiant. Quis neget primæ creationis humanæ præstantiam? Ait Dominus, Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, &*

Genes. 1.

similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis terræ, vniuersæque terræ, omníque reptili, quod mouetur in terra. Et creauit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam, ad imaginem Dei creauit illum, masculum, & fœminam creauit eos. Et inter tot hominis imperia, inter adeò gloriosas primi coniugii dotes, accipe quid notet textus, Gen. 2. *Erat autem vterque nudus, Adam scilicet, & vxor eius.*

Genes. 2.

Quis Regum Adamo præstantior? Equidem Adamus vniuersos mundi Reges longè superauit imperii latitudine, subditorum obedientia, vitæ felicitate, sapientia, innocentia, & virtutibus animæ, & inter hæc nudus agit, nec erubescit. Et cur à nuditate minimè ruborem capit præstantissimus Regum? Quia præstantissimus est, non ruborem, sed laudem accipit à nuditate. Pulchrè aiebat author habitus August.

August.

q. 81. ex nouo testam. fatus: *Hæc enim vera laus est, si sic illi proficiat quæsita dignitas, vt nullius egeat: nam hoc natura eius præstitue, vt per se ipsa viuat, & benè viuat, nullo requisito suffragio; hoc est, verè diuitem fieri, & gloriosum.* Tantum abfuit, vt quidditas gloriam Adami fœdaret, quòd inde maximum sumeretur argumentum eiusdem præstantiæ, quando is erat, qui solis necessariis ad naturæ integræ constitutionem sese super omnia efferret corporalia, aduentitiósque alios ornatus, vt superfluos repudiaret. Ex quo prudenter Rupert. ibi

Rupert.

elicit: *Benè igitur nudus erat vterque, & non erubescebant, quia quòd erubescerent, non habebant. Illa nuditatis securitate perdita, non ingemiscimus, eò quòd gloria, & honore spoliati, & panniculis obuoluti sumus. Nam ita vestiti, verè incedimus nudi, etiamsi vestiamur, sicut vestiuntur lilia agri.* Exteriorum enim bonorum coaceruatio, quo maior est, maiorem semper ostendit habentis infirmitatem. Vnde Dominus, Ioan. 18. sui regni præstantiam superiorem regnis mundialibus probans,

Ioann. 18.

ait: *Regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis.* Quid tunc? Ideò queritur suum regnum infirmius esse mundanis regnis, quòd mundano in procinctu essent ministri ad defendendum Regem suum? Absit; imò inde regnum suum extollit, eiúsque præstantiam commendat, ostendens regni infirmitatem tot ministrorum egentem. Id

Theoph.

quod ponderans ibi Theophylactus, ait: *Præsentis regni infirmitatem significat, eò quod à ministris habet robur: supernum autem sufficiens est, nullo indigens.* Felices, qui nullo indigere procurant, contenti solis necessariis ad vitam, ii gloriosi sunt, regnóque cœlesti ditati iam fulgent.

§. VII.

Vera præstantia non metuit abscondi. Vbi de B. Ignatio, & de B. Theresia.

Etiam sub terræ visceribus absconditus, nigra depressus caligine, adhuc thesaurus est, adhuc pretiosus: nunquam enim quæ verè pretiosa sunt, tenebras metuunt. De Filio Dei Paulus inquit ad Philipp. 2. *Qui cum in forma Dei*

Philip. 2.

esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, &c. Ad exinanitionem, & seruitutis formam alacer venit, & eò alacrior, quò se natura Deum, & omnium Regem sciebat, nihil sibi à seruitutis latebris metuens. Chrysostom. ibi homil. *Non enim*

Chrysost.

rapinam arbitratus est diuinitatem, non timuit, ne quis naturam, aut dignitatem Dei sibi auferret: propterea & deposuit eam, dissimulauit eam, nihilque ex eo imminuendum ratus. Si qui veram habent aliquam præstantiam, nihil illi timent à tenebris, à dissimulatione, à latebris; imò & facili negotio sciunt illam dissimulare. Quis nesciat summam illam æqualitatem diuinarum personarum? Sed hoc mirandum de Spiritu sancto, quod cùm sit Patri, & Filio summè æqualis, non tamen refugit tertius prædicari in Trinitate, præcipuè cùm ex illa voce hæretici homines malum omen acceperint contra eius æqualitatem. Cur contra hos errores non magis cauet Spiritus sanctus tertius in Trinitate vocari? Præclarè author dictus August. quæst. ex nouo Testam. 97.

ait: *Solent iterum præiudicare Spiritui sancto, quòd ideò degener intelligatur, quia ordine tertius ponitur, cùm tanta simplicitas sit in Scripturis diuinis, vt aliquando inuenias tertium primum positum: vt enim causa se tulerit, sic ponuntur; nullus enim iniuria est, quia vna eorum diuinitas est.* Non sunt ex diuinæ personæ, quæ curent semper rigorosissimam vocabulorum æqualitatem seruare, vt se occasio tulerit, iam primo, iam secundo, iam tertio loco illarum quæuis nominari patitur. Alienum enim est à tam vera maiestate studium, quo curaret fugere vel ab iniqua suspicione inæqualitatis; hoc habent, qui aduentitiam, imò extraneam dignitatem occupant: quibus autem dignitas propria est, & innata, nihil sibi timent, sed norunt & dissimulare, & occultare illam. Huc veniant, qui sese supra omnes amant extollere, & discant hoc veræ, & propriæ præstantiæ euidentissimum iudicium; quæ enim vera est, nihil sibi vnquam timet, nec refugit se occultare, & exinanire, vt aliis prosit. Notissima sunt omnibus quatuor illa flumina, quæ à fonte paradisi oriuntur, Genes. 2. nimirum, Phison, Gehon, Tigris, Euphrates. Inter hæc facta comparatione, Euphrates asseritur præstantior à Claudio Mario, lib. 1. in Genes. Sed cur Euphrates præstantior? De singulis ait textus: *Nomen vni Phison: ipse est, qui circuit omnem terram Heuilath, vbi nascitur aurum. Et aurum terræ illius optimum est, ibi inuenitur bdellium, & lapis onychinus. Et nomen fluuii secundi Gehon: ipse est, qui circuit omnem terram Æthiopiæ. Nomen verò fluminis tertii Tigris: ipse vadit contra Assyrios. Fluuius autem quartus, ipse est Euphrates.* De tribus primis & circuitus notat textus, & simul diuitias illorum, at de quarto Euphrate, nihil prorsus dicit. Vnde ergo hic fluuius potuit apparere præstantior? Hoc dicitur Euphrates habere singulare, quòd vt suis aquis terræ prosit, non dubitat sese in terra sepelire; nec expectat commune omnium fluuiorum sepulcrum, nempe mare, sed antea quàm ad mare perueniat, iam prorsus apparet à terra voratum. Id quod pulchrè celebrat Claud. Marius, aiens:

Claud.

Iustior Euphrates, dites qui gurgite largus
Irrigat ... subiectis Persidis agros,
Mollibus clicitus riuis, atque omnibus æquè
Seruit, & humanos totum se præbet in vsus,
Donec siccus aquis, nomen quoque prodigus ipsum
Consummat terris, pelagi quod debeat vndis.

Quid pulchrius? Quid de fluuii præstantia excellentius? Sic totum sese præbet in vsus humanos, sic cupit omnibus prodesse, vt non timeat à terra absorberi, & ante tempus nomen amittere, nimirum ante maris ingressum. Dum huc peruenio, non possum non mirari aliquorum virorum præstantiam, qui se noménque suum perdiderunt; vel ante tempus, vt pleniùs se præberent totos humanis vsibus. Et sanè vt fluminibus omnibus hoc factum est, quòd intrantes mare, ibi & aquas, & nomen amittant; sic hoc est statutum omnibus iustis, vt intrantes cælestem patriam, ibi proprium

nomen

nomen amittant, & de Iesu nomine appellationem accipiant. Id docet Hugo Garin. cap. 2. Apocal. à nobis allatus 1. tom. lib. 2. cap. 5. §. 4. Quid plura? Inde incipit radiare gloria S. Theresiæ Carmelitarum discalceatorum fundatricis; hæc erat præstantia, non expectauit patriæ ingressum, sed & in terris consummat nomen sub nomine Iesu. Et vel ex hoc capite iustior, & præstantior multis. Sed huc ades, ô Parens amantissime Ignati, Societatis Iesu fundator notissimus, fluuius proculdubio egressus à paradiso ad irrigandam terram: tu verè omnibus æquè seruis; tu totum te præbuisti in humanos vsus.

——Nomen quoque prodigus ipsum
Consummat terris, pelagi quod debuit vndis.

Debuisti saltem sub nomine Iesu nomen amittere, saltem cùm irrumpes profundum cælestis gloriæ abyssum; at tua præstantia nihil sibi timuit in occultatione, imò in perditione nominis, sed magis ante gloriæ ingressum amauit sic absorberi, sic abscondi, vt nihil nominis sui appareret, sed vna Iesu nominis gloria saluriferos expenderet radios suos. Sciebat equidem vir diuinus tunc præstantius appariturum nomen suum, cùm sciuerit in terris abscondi ob nomen diuinum. Nec illum fefellit sua opinio, imò quòd ab illo absconditum fuit nomen suum, mandatum postea litteris, miracula facit innumera. Quid hoc præstantius? Vt Stephanum à Iesu discernat D. August. serm. 3. de illo ait: *Hoc enim salubriter scitis, sanctum Stephanum fecisse mirabilia in nomine Christi, nullum autem miraculum fecisse Dominum Christum in nomine Stephani, vt discernatis seruum à Domino.* Quòd si in hoc discernitur Stephanus à Domino, quòd Dominus nullum fecit signum in nomine Stephani, non adeò facilè discerni poterit meus parens Ignatius à Iesu, quando Iesus medio Ignatij nomine, vt suæ virtutis instrumento, in dies efficit miracula innumera. August.

Text. Quem qui inuenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuersa, quæ habet, & emit agrum illum.

§. VIII.

Virginitas in terra virtus rara est, & à raris inuenta.

AGer emitur, & possidetur; de thesauro solùm dicitur, quòd ab homine inuentus fuit; est enim inter cælestes virtutes aliqua virtus, nempe virginitas, quæ vt pretiosa, sic rara est: non emitur, nec venditur in terris, sed à raris inuenitur. De Israëlitis dona Deo offerentibus ait, Exod. 35. *Si quis habebat hyacinthum, & purpuram, coccúmque bis tinctum, byssum, & pilos caprarum, pelles arietum rubricatas, & ianthinas, argenti, ærísque metalla, obtulerunt Domino, lignaque setim in varios vsus.* Vbi ponuntur *ligna setim*, sic ex Hebræo, & apud Septuag. legimus: *Apud quem inuenta sunt ligna imputribilia, obtulit Deo.* De auro, de argento, de purpura, & similibus locutus, solum ait, si quis hæc habebat, obtulit; nec refugit existimare, quòd illa à multis haberi possent: vbi autem ad ligna imputribilia accedit, non dicit, quòd haberentur, sed quasi de raris ait, *apud quem inuenta sunt.* Non quidem ea est incorruptionis, & virginitatis virtus, quæ facilè habeatur, sed quæ rarò, & non nisi per diuinam sortem inueniri possit. Orig. hom. 13. in Exod. ait: *Benè valdè dixit, apud quem inuenta sunt ligna imputribilia; non enim apud omnes inueniuntur ligna imputribilia. De auro non dixit, neque de argento, apud quem inuentum est; potest enim apud omnes inueniri sensus, & sermo. Ligna autem imputribilia, id est, incorruptionis, & virginitatis gratia, apud rarum quemque inueniri potest.* Non est laboris humani, sed muneris diuini, quòd possit in carne corruptioni obnoxia, incorruptionis, & integritatis vena inueniri, hæc est sancta, & immaculata virginitas. Quod miraculum pulchro naturæ exemplo extollit Nazian. in carmine, vbi ponit præcepta ad virgines, inquiens: Exod. 35. Origen.

Et tamen est fluuius, qui saltas permeet vndas,
Nec quicquam miscetur aquis, aqua dulcis amaris.
At licet è pelago nautis haurire fluenta
Dulcia, si fluuiu ratis admoueatur ad amnem. Nazianz.

Quid rarius? Quid singularius? Millia sunt fluminum, quæ ingrediuntur mare quotidie, imò quæ absorbêtur ab aquis marinis, & marinę salsedini permixtę, in salsedinem abeunt, & amaritudinem. Nec Ganges, nec Nilus, nec alius ingens fluuius est, qui inter marinos non amarescat fluctus; quod tamen tot fluminibus negatur cantatissimis, id teste Nazianz. conceditur fluuio cuidam penè ignoto, cuius vena dulcis hauritur inter ipsas ponti amaritudines. Et dedit quidem Deus hoc miraculum in mari, vt in terrena substantia ostenderetur posse simile inueniri, quando in carnis corruptione, è qua tot manant corruptionum scaturigines, vna tamen prosilit vena incorruptionis, & integritatis virgineæ. Non multorum fluuiorum illud est, nec nautis licèt passim è quolibet flumine mare ingrediente, aquas dulces haurire, sed ab vno tantùm, eóque singulari, & miraculo naturæ. Sic virginitatis gratia non passim cernitur, sed rara est, & ab vno, aut altero, eóque præstantissimo potest inueniri. Cui apto illud Cant. 6. *Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus. Vna est columba mea, perfecta mea, vna est matri suæ, electa genitrici suæ.* Possunt aliarum virtutum coronæ inueniri in pluribus; innumeri enim sunt, qui iugum Christi subeant, eiúsque penè inseparabiles laterones, per obedientiam, per præceptorum obseruationes, per eleemosynas, & alia opera misericordiæ. At qui virginea perfectione floreât, non multi sunt, rari sunt, vnus est, & singularis. Ps. 91. *Iustus, vt palma florebit, & sicut cedrus Libani multiplicabitur.* Legit Tert. lib. de car. resur. *Iustus florebit, vt phœnix, & sicut cedrus Libani multiplicabitur.* Cur non magis dixit, & florebit vt phœnix, & simul vt phœnix multiplicabitur? Sic Iob c. 29. *In nidulo meo moriar, & sicut palma*; vel, vt alij legunt, *& sicut phœnix multiplicabo dies meos.* Cur Dauid similiter non dixit, & iustus sicut phœnix multiplicabitur, sed vbi de multiplicatione iustorum agendum erat, cauit nominare phœnicem, & ad cedros Libanicos fugit? In phœnicis progenie agnouit virginitatis almæ candidatos, quæ virginitas, vt rara auis est in mundo, sic contentus eius ostentare flores, de illa tacuit, vbi multitudinem Sanctorum incepit ponderare. Phœnicis pudicitiam virgineam sic extollit Ambros. in Psalm. 118. ser. 19. aiens: *Phœnix coitus corporeos ignorat, libidinis nescit illecebras, sed de suo surgit rogo sibi auis superstes.* Et meritò, quæ de raritate commendatur auis, inde etiam commendatur, quòd sit virgo. Quod enim phœnix inter aues, hoc est virginitas inter virtutes. Cant. 6. Psal. 91. Iob. 29. Ambros.

§. IX.

Illa vera castitas, & pudicitia, quæ ob cælestium amorem conseruatur.

QVi absconditum in agro thesaurum inuenit homo, non statim illum rapit, sed magis abscondit; ait enim: *Quem qui inuenit homo, abscondit.* Non enim assumenda est vera, & perfecta pudicitia nisi magis, ac magis abscondatur, non solùm sub terrenæ fragilitatis abdito, sed & magis sub cælestis amoris flammis. Tunc equidem verè ostenditur cultæ virginitatis valor, cùm illam cælestis amoris prætextu magis obducis, eiúsque flammis cingis vndequaque: vt enim mundialibus thesauris, non solùm terræ abscondita parabantur, quibus laterent, sed insuper flammantes dracones inibi accubantes, prorsus inaccessibiles reddebant thesauros, adeò vt non censeretur thesaurus, cui non flammans draco incubaret. Sic Christianæ pudicitiæ valor tunc apparet, cùm ad eius custodiam adducuntur cœlestium amoris flammæ. Id notat Nazianz. in præceptis ad virgines, fatus:

Sponte domant alij carnem, non cælite flamma
Incensi; quare nec virginitatis honore,
Nec titulo digna est talis compressio carnis. Nazianz.

Non putes esse pudicitiæ valorem, vbi cælestium amor non flammat, de cælesti incendio virum cingente, & obducente, mirus nascitur pudicitiæ Christianæ valor. Sap. 4. *Quia pulchra est casta generatio cum charitate.* Expende illud, *cum charitate*; & puta illam censeri apud Deum castitatem, quam clarissimæ cingunt, & obducunt cælestis amoris flammæ. Id quod insinuans D. Bern. epist. 47. legit ibi: *Quàm pulchra est casta generatio cum charitate.* Et quidem cælestis charitatis flammæ & pretium, & valorem præbent generationi castæ thesauro virginitatis. Ad hæc Bern. ibi: *Quantalibet venustate sui castitas eminere appareat, sine charitate tamen nec pretium habet, nec meritum. Castitas sine charitate, lampas est sine oleo. Subtrahe oleum, lampas non lucet. Tolle charitatem, lampas non placet.* Tolle cælestia incendia, quibus hominis animus rapitur, vt ad sublimia aspiret, & sine his nec virginitas honore, nec titulo digna est compressio carnis. Ait Cantic. 3. *Ferculum sibi fecit Rex Salomon de lignis Libani: columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constrauit.* Cùm Libanus idem sit, quod dealbatio, insuper & Sapient. 4. Bernard. Cant. 3.

recognoscit pudicus, quæ minimè lasciuiæ patent. Ex quo lucem capit obscurus valde locus Genes. 2. vbi Abimelech Rex intactam honestissimam Saram restituens marito, ait: Genes. 2. *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes, qui tecum sunt*, &c. Cur sapiens Rex sic prouidit velamen, quo Saræ pulchritudo veletur, & obumbretur etiam dum est inter famulos? Illam à latere mariti in aulam adduxit, in domóque regia manere fecit, & coram se stare, nihil tunc cogitans de velamine, de operimento tantæ pulchritudinis; postea verò cùm illam marito restituit, statim prouidit velamen. Cur quod antea non prouidit, modò tam solicitè prouidit? Cùm primùm in domum suam adduxit fœminam, eius pulchritudine captus, non velat pulchritudinem, quam à se posse coëmi sperabat: at vbi nouit inexpugnabilem mulieris pulchritudinem, meritò iubet illam velari; vt quæ minimè venditioni, & alienationi pateat, sed inter Saræ bona æternùm habeatur. Non longè abfuit ab hac cogitatione D. Isidor. Hispalens. quæst. in Genes. Isidorus. lib. 16. aiens: *Munera Saræ obtulit Rex Abimelech, plus in ea mirans formæ decus, quod amore potuit, & violare non potuit.* Et meritò nec vendenda, nec alienanda à tanta fœmina pulchritudo apparuit, quæ nullo impudico potuit pertingere conatu. Illa enim corporalia bona, vt propria habentur, & possidentur ab homine, quæ minimè lasciuiæ patent. Paul. 1. 1 Thess. 4. ad Thessalon. 4. ait: *Hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione, vt sciat vnusquisque vas suum possidere in sanctificatione, & honore.* Expende, ad quid iubeat Apostolus fornicationem vitari, nimirum, *vt sciat vnusquisque vas suum possidere*, &c. Quidquid enim lasciuiæ manet expositum, minimè possidetur ab homine, sed quasi venditum, & alienatum apparet. Ait Diuus Anselmus, ibi: Anselm. *Ille possidere suum vas dicitur, qui in potestate sua suum corpus tenet, vt non seruiat mens desideryt carnis.* Et quidem vt homo fræno & lupatis dominatur equorum, sic etiam dominatur omnium bonorum corporalium castitate. Cant. 1. sic ad spōsam Cant. 1. Dominus fatur: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te, amica mea. Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis.* Quid equus cum turture? Equo in primis assimilatur tota sponsa, deinde eius genæ turturi; nec dū equum audis rebelles aliquos appetitus intelligas, quando Propheta de rebellibus Ierem. 5. appetitibus loeutus, Hierem. 5. ait: *Equi in fœminas currentes facti*; addidit in genis similitudinem turturis, nimirum symbolum castitatis; vt enim frænum in maxillis positū equum reddit sub potestate, & arbitrio equitis, sic castitas est pro fræno, quæ belluinos appetitus in nostram redigit potestatem. Nissenus. Ad hæc Nissen. homil. 8. in Cant. *Non sunt maxillæ tuæ eiusmodi, vt sicut equus chamo, & fræno opus habeas, vt constringaris; sed per puritatem turturum tibi ornatur gena, quod pro fræno fuerit diuini equi maxillæ turturis assimilatio.* Est equidem turturi similis castitas pro fræno, quo sub nostra potestate belluinos motus habeamus.

§. XII.

Ingenui hominis nomen non habet, qui bona suā cum meretricibus consumit.

Quàm verè homo dicitur, & homo sapiens, & ingenuus ille, qui nouit omnia sua vendere pro pudicitiæ agro emendo, qui nulli rei parcit, vt castum conseruet pectus, hic homo verus, & ingenuus est. At qui non pro hoc cælesti pudicitiæ thesauro, sed volnptate habenda, omnia dissipat sua, vt meretricibus præbeat, hic non ingenuus, sed infamis, & stultissimus hominum est. Sapienter Chrysost. hom. 86. in Chrysost. Ioan. ait: *Qui meretricibus dat, ridiculus, & infamis est, & multos sibi inimicos parat, & breuem voluptatem, vel nullam potius. Quæcumque dat alienis mulieribus, ex his nulla gratia habebitur. Muliebre genus temerarium est, & inferno eius similatur cupiditas, tunc sistet, cùm omnibus rebus spoliauit amantem: imò nec tunc quidem, sed magis conuitiatur, & insultat iacienti.* Expende agmina illa, quibus notatur iuuenis cum meretricibus prodigus, nimirùm, *ridiculus, & infamis est.* Vis nosse, quàm sit infamis? Propone tibi ob oculos cantatissimos Imperatores, & Duces ex omni natione, & infideli, & barbara; in his dum laudantur ab Oratoribus facinora, & sumptus facti liberalissimè pro republica, pro ciuibus: æterno teguntur silentio sumptus facti pro meretricibus. Quis Imperator, vel Deus effictus fuit à nationibus, qui ob meretricios sumptus laudes sibi conquireret, & non magis æternam infamiam, vt non magis ingenuus homo, sed & de ridiculis belluis nomen capiat? Effingebatur maximus Deorum à nationibus Iupiter, & simul lasciuus adeò dicebatur, vt donis, & muneribus puellarum amores solicitaret. Quid tunc? Ecce maximus Deus vacuatis thesauris, ipsæ sese in aurum conuertens, non de nubibus tonat, sed de puluere, & tegularum fragminum pluuias effingit aureas; iam taurus effectus prosilit in arenam, iam cygnus factus morti sanè vicinum assumit cantū. Hæc sunt meretricia fœdera, quæ nec Deum nec hominem ostendant, nec infamem furem, sed ridiculas belluas faciant. Sapienter de hoc Arnobius aiebat contra Gentes lib. 4. *Potest vlla grauior contumelia Ioui vestro infligi, aut quidquam est aliud, quod labefactet, ac destruat Deorū Principis authoritatem, quàm quòd eum creditis voluptatibus aliquando libidinosis vinctum, & in fœmineos appetitus inflammotì pectoris incaluisse feruore? O egregia merces culpæ, ò digna, & pretiosa dulcedo, propter quam Iupiter maximus cygnus fieret, & taurus.* Arnob. Quid magis infame Imperatori, & Deo, & homini? Quid magis ridiculum, quàm regiam, imò diuinam magnificentiam ostentare in ditandis meretricibus, ob quas cogaris mugire vt taurus, vel vt cygnus mortis socium edere cantum? Hæc libentior adduxi, vt apertiùs tradam sensum Spiritus sancti in Prouerb. cap. 7. Ait ibi de adolescenti meretricum amore capto. *Statim eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciuiens, & ignorans, quòd ad vincula stultus trahatur, velut si auis festinet ad laqueum.* Prouerb. 7. Quæ verba sic profero ex lectione Caietani: *Statim eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam, & tanquam tintinnabulum ad castigationem stulti, velut si auis festinet ad laqueum.* Ecce tibi, qualis erat adolescens, dum patrimonium dissipat cum meretricibus, quasi bos, quasi tintinnabulum stultorum, quasi auis, &c. Sed qui boui assimilatur? Ait, *quasi bos ductus ad victimam*, ducebatur equidem bos ad victimam auratis cornibus, in illisque mille coronæ floridæ, mille munera alia posita, quæ simul cum occiso boue cadebant ante aras. Sic miser adolescens dum munera aurea portat metrici, bouinam æmulatur stoliditatem, simul enim & munera perdit, & vitam corporis, & animæ. Nec malè in laniena tanti bonis additur tintinnabulum, quòd lugubrem exitum publicet miserabilis, sed ait: *quasi tintinnabulum in castigationem stulti*; quod potiùs refero ad stolidi cuiusdam malefactoris supplicium: solemne enim iudicibus est, vbi aliquis stolidus, & penè amens homuncio scelus aliquod perpetrauit, vt in illo simile nefas caueatur, ex ferreo collari erigere supra caput ferream virgam, à qua pendeat tintinnabulum. Quid tunc? Ad tintinnabuli sonitum sese puerorum effundunt turbæ, inter quas dum ipse lætans caput mouet, simul edito sono, & castigationem, & delictum suum publicat. Sic stolidissimus iuuenum meretricius totus factus, in conuentu similium dum munera exhibita ostentat, dum suam magnificentiam, vel prodigalitatem garrit, nil aliud est, quàm tintinnabulū suæ castigationis, & stultitiæ. Miser bos victimæ est, dum offert tintinnabulum, dum ostentat oblata, & *velut auis festinat ad laqueum.* Miraris, quòd aui comparetur bouina tarditas lasciuientium iuuenum? Sed comparatur aui capiendæ iam iam; imò vt expressius quid dicam, comparatur aui cygno, qui cùm dulce canit, se vicinum morti protestatur. Sic omnes lasciui luxus. & cantus mortem iam iam instantem halant. Liceat modò cum Arnobio exclamare. *O pretiosa dulcedo, propter quam Iupiter maximus, imò nobilis quisquis iuuenis cygnus fit, & taurus!* Arnob. Sed cur vni sapienti iuueni tot proponuntur mortes? Mors illi proponitur, vt boui cadenti in victimam; insuper & alia mors proponitur, vt aui ad laqueum festinanti, vel vt canenti cygno: quid necessum fuit illi sic mortes duplicari? Cur non sufficit mors bouis, sed insuper additur mors auis? An quia donis meretrices implens, duplicem sibi & animæ, & corporis mortem acquirit? Ait D. Chrysostom. homil. 18. in Matth. inquiens: Chrysost. *Audiant illi, qui propria meretricibus largiuntur, duplicem sibi accendentes ignem, & de iniquis certè fructibus, & de pernitiosis sumptibus puniendi.* Heu miser bos, heu hominum stultissimus, infamissimus! & non homo, sed cygnus, sed taurus, qui dum bona tua dissipas cum meretricibus, duplicem mortem asciscis, duplicem incendis rogum, quo æternos torrearis in dies. Quid hac stultitia miserius? Quid hac miseria infelicius? De meretricibus adhuc facundè satis Chrys. homil. 14. ad populum: *Hæc omnia faciunt, & negotiantur ad hoc,* Idem. *vt sollicites & ignominiæ, & paupertatis extremis malis incidant. Et quemadmodum venatores, retibus extensis, syluestria animalia immittere dicuntur, vt ipsa iugulint, ita & hæ postquam lasciuiæ alas vndique extenderint, per oculos, & habitus, & verba, postea suos iniiciunt amatores, & alligant, non priùs abstinentes, quam & ipsorum cruorem ebiberint, insultantes postmodum,* &

& ipsorum stultitiam carpentes, & multum de ipsis risum fundentes: neque enim iam misericordia dignus est huiusmodi, sed derideri, & morderi. Hæc ille.

§. XIII.

Qui aliquid ex Deo meretur accipere, teneat illud, quasi certus, quòd inde perueniat ad totum Deum habendum.

THesaurum in agro inuenit, & quasi oblitus thesauri, hoc curat homo prudens, vt emat omnibus suis bonis datum agrum illum: cur non magis venditis omnibus, thesaurum vocat in nundinas? Cur solum agrum inquit? Certus est homo prudens, quod si vel agrum semel ex Deo accipiat, statim & cælestem thesaurum, imò & totum Deum

Psal. 30.

accipiet. Psalm. 30. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te! Perfecisti eis, qui sperant in te in conspectu filiorum hominum. Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum.* Expende ascensum perfecit Dominus dulcedinem timentibus se in conspectu hominum, quid tunc? An accepta illa dulcedine timentes Dominum quieuerunt? An illa sola donati permanserunt? Absit; imò ex quo in conspectu hominum Dei dulcedinem gustauerant, non quieuerunt, vsque dum ad ipsum Deum accederent, in eiúsque facie inuenirent locum. Ait Aug. ibi:

August.

Qualis est locus ille? Non dixit, Absconde eos in paradiso: non dixit, Absconde eos in sinu Abrahæ. Multis enim fidelibus loca futura, in Scripturis sanctis posita sunt. Vilescat totum, quidquid præter Deum est, qui nos tuetur in loco vitæ huius, ipse post istam vitam sit locus noster. Ex quo Deus tutelam nobis præstitit in hac vita, iam non sufficit, quòd alia sua præstet bona, nisi & se ipsum totum præstiterit. Vilescit quicquid præter Deum est, apud illum, qui aliquid semel ex Deo accepit; qui ex accepto Dei bono, iam quasi securus est, quòd Deum ipsum

Cant. 1.

habebit. Hinc sponsa, Canticor. 1. *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino fragrantia vnguentis optimis.* Vel Dei labra amat pertingere bona Dei amatrix; & causam desiderij sui ostendit esse, quòd mille bonis manent sponsi vbera. Sed quid interest ô bona, quòd sponsi pectus plenum sit bonis, si tu sola labra permitteris attingere? Nouit sanè, quòd si vel parum aliquid ex Deo accipiat, & totum Deum statim accipiet; is enim est Deus, qui vbi aliquid sui dat, & statim tradit totum se ipsum. Ad hæc D.

Ambros.

Ambros. lib. de Isaac, & anima, cap. 3. inquit: *Illa osculū poscit, Deus Verbum se ei totum infundit, & nudauit ei vbera sua.* Nullo creato termino claudi possunt munera diuina; vbi aliquod munus præstat Deus, nescit ibi sistere, sed statim festinat totum se infundere, & præstare se ipsum. Actor. 1.

Act. 1.

dicitur: *Et conuescens præcepit eis, ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam audistis, inquit, per os meum: quia Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto, non post multos hos dies.* Et conuescitur, & plenitudinem Spiritus sancti postmodum immittendam promittit. Et quid conuiuium illud habebat connexum cum tanta Dei plenitudine? Exhibebatur equidem in illo conuiuio Christi caro, & ex quo fideles habuerunt aliquid Christi, vix poterant non accipere etiam Dei plenitudi-

Guillel.

nem. Aiebat Guillelmus apud Tilmannum in allegor. *Effudit enim de spiritu suo super omnem carnem, postquam remeauit ad Patrem, nescio an carne, an spiritu magis prodigus, vt quos carne saturauerat, spiritu inebriaret.* Iam caro Christi accepta in conuiuio, pignus erat totius effundendi Spiritus diuini. Nescit enim nec vmbra Dei ad nos venire, quin consequenter totum Deum venturum inferat. Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Vel, vt aliqui ex Hebræo legunt, *ad vmbram nostram.* Ex quo sapienter D. Ambr. aduentum Dei in carnem educit: quippe ait lib. 3. in

Ambros.

Luc. *Creatum præcessit in figura, vt notus in veritate præcederet, ad imaginem Dei factus prævenit, propter quam Dei imago descenderet.* Quasi teneretur iam Deus venire ad eum, cui vel suam vmbram commisit. Huc refero dicta tom. 3. lib. 14. c. 10. §. 31. & infra, cap. 15. §. 27.

Text. Iterum simile est regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas. Inuenta autem vna pretiosa margarita, abiit, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam.

§. XIV.

Nescit Deus sistere in donis exhibendis, sed semper de præstantiori alio exhibendo cogitat.

AGrum thesauro abscondito diuitem parauerat Dominus homini suo; & quidem ibi sistere posset, videns tantum agrum emptum ab homine, ad eius peruenisse possessionem. Sed nescit quiescere diuina munificentia, nec contenta est, quod ditissimum illum agrum dederit homini, aliud quid denuò excogitat, & summum margaritarum pretium præparat eidem homini. Nónne homo agrum emisti thesauro diuitem: cur in tanto agro non quiescis? Quis te facit denuò margaritarum negotiatorem? Non implet donatoris Dei desiderium totus ille ager, sed insuper dilecto suo inæstimabiles margaritas possidendas proponit. Vide diuinam munificentiam erga hominem. Genes. 1. ait Dominus: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis vniuersæ terræ, omníque reptili, quod mouetur in terra.* Sic homini conceditur dominium vniuersi orbis, & post tam magnificam Dei erga hominem largitatem, insuper addit, cap. 2. Genes. 1.

Plantauerat autem Dominus paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem. Proh Dei immensam largitatem! post concessum vniuersum orbem homini suo, adhuc cogitat nouum paradisum, delitiarum hortum, quem insuper tradat homini. Pulchrè ad hæc ait D. Basil. Seleuc. orat. 2. *Non est* Genes. 2.

eatenus priuatus, neque rebus dilargitis sua dona circumscribit, neque donatoris desiderium vniuersa terra, nec concessum mare satiauit, sed extractum manu sua paradisum delitiarum seorsim dilecto concessit. Non potuit diuinum largiendi desiderium concesso toto orbe satiari, & ideò nouam aliquam, & præstantissimam paradisi sedem excogitauit, ad quam etiam hominem suum perduceret. Hæc est profectò Dei natura, quæ semper præstantius aliud cogitat, vt præstet creaturis suis. Hinc legisperitus, Luc. 10. accedens ad Iesum ait: *Magister, quid faciendo, vitam æternam possidebo?* Nec facile est inuenire, vnde hic incidit in cogitationem æternæ vitæ: carnalissimi tunc Iudæi erant, & nisi carnalia bona, & temporalia vix alia esse credebant, totos se addicentes huius vitæ bonis, parum, aut nihil curantes de illis, quæ post mortem futura sunt. Vnde ergo opinionem concepit, æternam vitam posse post mortem obuenire hominibus? Nouerat iam mortuos aliquos à Iesu suscitatos; & vbi notum fuit illi, quòd Deus etiam post mortem redonabat hanc vitam hominibus, statim sibi persuasit fore, vt Deus prouideret homini suo æternam vitam, quando is est Deus, qui nesciat sistere in vno, aut alio dono, sed semper de præstando alio sublimiori apparet solicitus. Ait Tertull. lib. 4. in Mar. inquiens: *Quia mortui iam suscitabantur à Christo, exsuscitatur ad spem æternæ vitæ per exemplar recidiuæ, sublimior spe, ideircò consuluit de æterna vitæ consecutione.* Nouerat legis peritus eam esse Dei naturam, quæ nesciat satiari semel datis beneficiis, sed ad maiora, & præstantiora festinet; ideò ex data à Deo mortuis temporali vita, sublimior spe audet sperare à Deo omnium præstantissimam nempe æternam vitam. Notissima est Abrahami cum Deo pro Sodomis expostulatio, Gen. 18. qui timidus illorum impunitatem propter quinquaginta iustos petebat; hanc acceptam gratiam ex Deo expertus iam audet. & ait: *Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum. Quid si ibi fuerint viginti?* Acceperat condonationem Sodomorum, dummodo in illis essent quinquaginta iusti; imò dum essent quadraginta; imò triginta, imò viginti quinque: & adhuc aliquid maius petere audet. Cur post tantas concessiones, ad maiora audes, ô bone? Ipse ait, nimirum, *quia semel cœpi*; ex quo à Deo cœpit petere, & accipere, sapienter nequit in nullo accepto dono quiescere, sed ad maiora pergit postulanda: vt enim Deus post data dona, nunquam cessare solet maiora cogitare, sic gaudet illis postulatis, quæ semper sperant maxima. Ait Lippom. *Patitur Deus humano more secum loquentes, dum sibi tamen omnium maximè, & de maximis confidimus.* Numquam est Deo molestus ille, qui non quiescit in acceptis donis, dummodo postulet maxima, quandoquidem Deus ipse vbi aliquod dat donum, sese ad maiora accingit præstanda. Ait enim Richard. Victor. lib. 1. de incarn. c. 12. *Beneficentia inchoata parat nobis fiduciam præsumendi maiora. Salutem inchoatam speramus perficiendam.* Huc traho dicta tomo 2. libro 6. capite 3. §. 16. & 25.

Basilius.

Luc. 10.

Tertull.

Genes. 18.

Lippom.

Ric. Vict.

§. XV.

§. XV.

A regno cælorum ille omnium alieniſſimus eſt, qui aliorum offenſam, & peccata negotiatur.

NEgotiatori homini aſſimilatur regnum cælorum, ſed illi negotiatori, qui bonas margaritas negotiatur; qui enim non bonas margaritas, ſed peſſimas aliorum actiones negotiatur, is vel à regni cælorum vmbra omnium alieniſſimus eſt. Ezech. 28. dicit Dominus præſtantiſſimo Ange-
Ezech. 28. lorum: *Tu Cherub extenſus, & protegens, poſui te in monte ſancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulaſti. Perfectus in viis tuis, donec inuenta eſt iniquitas in te. In multitudine negotiationis tuæ repleta ſunt interiora tua iniquitate, & peccaſti; eieci te de monte ſancto Dei, & perdidi te*, &c. Quæ verba (prætermiſſis primis) ſic leguntur apud Tertullianum: *Fuiſti inuituperabilis in diebus tuis, ex qua die conditus es, donec inuentæ ſunt læſuræ tuæ, de multitudine negotiationis tuæ: promas tuas depleſti, & deliquiſti, eieci te, &c.* Expende, ex quo die cæleſtia non ſuſtinuerunt Angelum præſtantiſſimum, ſed a ſe expulere? nimirum, ex quo negotiationis eius læſuræ apparuerunt; hoc eſt, ex quo cœpit non virtutum ornatum, ſed læſuras, ſed peccata & in Angelis, & in hominibus negotiari.
Tertull. Quippè ait Tertul. lib. 2. in Mar. *Ex quo apparuerunt læſuræ tuæ, quibus ſcilicet læſit hominem electū à Dei obſequio; & ex illo deliquit, ex quo delictum ſeminauit: atque ita exinde negotiationis malitiæ ſuæ multitudinem exercuit, delictorum ſcilicet, & cenſum.* Duo tempora ſunt conſideranda in illo Angelorum maximo: primò ipſe elatus in ſuperbiam labitur, deinde malitiam ſuam & Angelis, & hominibus decernit perſuadere, illóſque omnes in ſui ſequelam trahere. Dum autem ipſe in ſe ſolùm ſuperbiens conſideratur, minimè in illo priori intelligitur à cælo eiectus; vbi autem conſideratur & Angelorum, & hominum voluntates negotians, vniuerſos vendens ſub peccato, ſtatim negotiationis nefariæ cenſum capit, nimirum, exturbationem à cæleſtibus. Ex quo ſeminauit delicta ſimul, & malitiæ negotiationem exercuit, & negotiationis cepit cenſum, à cæleſtibus funditùs eiectus. Heu quàm longè amandabitur à cælo, qui hanc nefariam negotiationē exercet; multos noui ego ſimiles negotiatores, impudentiſſimos iuuenes, qui inſtar mercatorum, ſocietates erigant, non quidem vt aliæ merces tractentur, quàm peccata, turpitudines, delictorum ictationes, & de horum facinorum credito, multos in ſocietatem alliciunt, & ſui ſequelam. Hi plus diſtant, quàm terra à cælo. Faciliùs credam reptantes vermiculos cum ſtellis poſſe videri inter cæleſtia. Ad perditiſſimam vrbem Niniue ait Naum, cap. 3.
Naum 3. *Ibi comedet te ignis, peribis gladio, deuorabit te bruchus. Congregare vt bruchus. Multiplicare vt locuſta. Plures feciſti negotiationes tuas, quàm ſtellæ ſunt cæli.* Expende miſeræ vrbis ruinam ab igne, à gladio, à brucho; non ſolùm à flamma conſumetur, vt Sodoma; nec ſolùm à gladio, vt Iericho; nec ſolùm à brucho, vt aliæ multæ prouinciæ; ſed & flamma, & gladius, & bruchus ſimul in illam inſurgent. Et quæ tantæ ruinæ cauſa? lam explicat ſic ciuitatis conuentus ironicè conuocans: *Congregare vt bruchus; multiplicare vt locuſta. Plures feciſti negotiationes tuas, quàm ſtellæ ſunt cæli.* Vt bruchus, & locuſtæ turmatim inſurgunt, omnia vorant, omnia vaſtant, nihil viride, nihil floridum, nihil fructuoſum non perdunt; ſic in miſera ciuitate colligationes perditorum iuuenum erant, omnia perdentes, & vaſtantes, eò reſpicientes, vt virtutum perditionem, & vitiorum ſectatores negotiarentur, quo à cæleſtibus, plus quàm vermis à ſtellis, elongarentur. Ru-
Rupert. pert. ibi ait: *Verè plures feciſti negotiationes tuas, negotiationes carnis, negotiando negotiatione infelici; vnde congregareris vt bruchus, multiplicareris vt locuſta, cuius videlicet bruchi ſiue locuſtæ exiguitas non minimùm à ſtellarum cæli dignitate diſtat.* Infelix ſanè negotiatio iſta, qua malitiæ tuæ ſectatores quæris, vt facta multorum colligatione, velut bruchus, aut locuſta, perdatis cuncta, & non minùs à cælo diſteris, quam diſtat ab ſtellis bruchus. Numquam, mihi crede, effugiet ſupplicium, qui in aliis negotiatur, vt ſe dedant vitiis. Da-
Num. 20. turus Moyſes aquam ex petra, ait Num. 20. *Audite rebelles, & incredulis, num de petra hac vobis aquam poterimus eycere?* Quid tunc? *Dixit Dominus ad Moyſen, & Aaron. Quia non credidiſtis mihi, vt ſanctificaretis me coram filiis Iſrael, non introducetis hos populos in terram*, &c. Ecce prorſus excluduntur Moyſes, & Aaron ab ingreſſu terræ promiſſæ; & cur modò ſic excluduntur? Nónne & aliàs peccauerant ſine tanto ſupplicio? Cur modò irreuocabiliter excluduntur? Modò non ſolum ipſi peccant, ſed publicantes delictum ſuum coram toto populo, populum accipiunt in ſocietatem criminis, & incredulitatis ſuæ, quo non permittuntur in terram promiſſam introire. Sap. D. Chryſoſt. ſerm. contra concubinarios,
ait: *Nihil aliud potuit Moyſem propoſitis præmiis priuare, quàm ſolum illud, quod apud aquas contigit: quod natura quidem minus erat, ſed quia cum damno aliorum fiebat, maius iudicatum eſt. Et reprehendens Deus hoc inſinuabat, dicens: Quia non ſanctificaſtis me coram filiis Iſrael, peccati eorum naturam detegens, & inde factum, quod veniam non mereatur, declarans. Si autem talem virum hoc fecit impingere, nos vermiculos quomodo non deſtinet, & perdet?* Sanè ab ingreſſu cæli longiſſimè abeſt, qui peccatorum ſuorum ſocios negotiatur, & citiſſimam ſibi perditionem affert. Oſeas cap. 13. *Loquente Ephraim, horror inuaſit Iſrael, & deliquit in Baal, & mortuus eſt.* Locutus fuit Ephraim de idolis adorandis, quando Ieroboam vitulos aureos extulit, & Iſraël timore, & horrore ductus ſeſe iunxit Ieroboamo, quid tunc? Qualem cenſum, quale lucrum de tanta negotiatione reportauit? *Et mortuus eſt.* D. Hieron. ibi: *Morietur cum populo, quem ſeduxit.* Hinc eſt ſenſus illorum, qui defectionem à Deo negotiantur.

Chryſoſt.

Oſea 13.

Hieron.

§. XVI.

Nulla eſt contraria poteſtas, nulla latebra, quæ impoſſibilem faciant Dei inuentionem.

INuenitur tandem à negotiatore vna pretioſa margarita, nulla enim vis contraria facere poteſt, quòd a quærente non inueniatur Dominus. Nil magis curauit dæmon, quàm omnem aditum occludere hominibus, ne poſſint vnquam inuenire Ieſum: inde eſt, quòd hominem aliquando nactus, illum & viuum ſepelit, vt dum in regione vmbræ mortis degit, nullus appareat aditus inueniendi vitam. Quid tunc? Accipe Lucam cap. 8. ſantem. *Et cùm egreſſus eſſet Ieſus ad terram, occurrit illi vir quidam, qui habebat dæmonium, iam temporibus multis, & veſtimento non induebatur, neque in domo manebat, ſed in monumentis*, &c. Miſerum hominem tenebat dæmon extra domum & nudum, & in monumentis incluſum, & tamen è monumentis egreditur, vt Ieſu occurrat. Quid agis, dæmon, cur ſic permittis captiuum tuum liberatori occurrere. Cur non magis abſcondis, imò ſepelis illum? Cur non catenas adhibes fortiores, quibus hæreat in monumentis conſtrictus, nec exiens inde liberatorem ſuum inueniat? Sanè ea erat cura diaboli, huc ſpectabat totum eius ſtudium, vt ſic homo clauderetur mortis tenebris, ne vnquam poſſet inuenire Dei lucem. Sed non poteſt id dæmon efficere; nulla enim eſt contraria poteſtas, quæ ſic valeat hominem impedire, ne inueniat ſuæ authorem ſalutis. Ait D. Baſil. Seleuc. orat. 23. *Tantis enim malis dæmon cum à ſe obſeſſum implicuiſſet, Domini congreſſu prohibere non valuit. Atque hæc prima ipſi prouidentiæ ratio.* Hoc equidem maximè curant dæmones, ſic homines implicare malis, & opprimere tenebris, vt minimè poſſint ad Deum accedere; ſed vanum, & inane dæmonium ſtudium iſtud eſt, quando nequit fieri, quòd Deus prorſus abſcondatur homini ſuo, præcipuè quærenti. Huc refero etiam illud Marci, cap. 7. aientis: *Inde ſurgens Ieſus abiit in fines Tyri, & Sidonis: & ingreſſus domum, neminem voluit ſcire, & non potuit latere.* Si Ieſus voluit non ſciri, quomodo non potuit latere? Nónne omnia, quæ voluit, fecit, & in cælo, & in terra? Sanè cùm neſciri volebat, id volebat, non applicando omnem ſuam abſolutam potentiam, ſed ſolùm applicando quædam impedimenta, nimirum ſecretum domus, diſcipulorum ſuorum ſilentium, domeſticorum diſſimulationem; ſed per vim humanorum impedimentorum non potuit occultari, non potuit non inueniri virtus illa diuina à ſe quærentibus. D. Auguſt. quæſt. 77. ex nouo Teſtam. ait: *Noluit ſe prodi, quòd eſſet in domo; inquiri autem ſe non noluit. Sic factum eſt, vt cum Saluator à diſcipulis proditus non eſſet, ab iis tamen proditus eſt; & cœpit ſciri, quòd eſſet in domo, vt intrarent ad illum, qui vellent conſequi beneficia.* Et quidem quæcūque impedimēta adhiberet, ne proderetur, dum non vetabat ſui inquiſitionem, ſed permittebat inquiri, non poterat non inueniri Dominus, quando ipſe non clamabat: *Quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis*, Matth. 7.

Luc. 8.

Baſilius.

Marc. 7.

Auguſt.

§. XVII.

Non habetur margarita cæleſtis ſine magnis laborum impenſis.

EMit bonus negotiator margaritam, non accipit; nec enim cæleſtis margarita datur, ſed venditur; & vēditur, non

non paruis laborum impensis. Nequissimus ille tentator omnia mundi regna, & gloriam eorum ostendens Iesu, Luc. 4. ait illi: *Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me.* Expende promissum, *tibi dabo*, ait: sed quo modo promittit, quod non potest? Ait Ioan. 1. epist. 5. *Non est potestas, nisi à Deo.* Si Deus est, qui dat potestates, quomodo malus audet dicere: *Hæc omnia tibi dabo?* Aut si malus potestates dat, quomodo dicitur, *non est potestas nisi à Deo?* In quo differunt & Deus, & diabolus in potestatibus dandis? Præclaram differentiam assignat D. Ambr. lib. 4. in Luc. satus: *A Deo potestatis ordinatio est, à malo ambitio potestatis. Nō est, inquit, potestas, nisi à Deo; quæ autē sunt à Deo, ordinatæ sunt; non datæ, sed ordinatæ.* Dei dona hoc habent singulare, quòd non prorsus data sunt, sed ordinem, & respectum habent ad operum, & laborū impensas, adeò vt nullus sit, qui nō debeat multa impendere, vt cælestem margaritam, vel cōseruet, vel habeat. Vnde petentibus Apostolis primas sedes in regno Christi, ipse respondit, Matth. 20. *Non est meum dare vobis*; quasi à se prorsus alienum putans morem, & consuetudinem dandi: sed quis credat à Deo alienum morem dandi beneficia, nisi qui sciuerit dona diuina multas semper operum, & laborum impensas postulare? Sapienter ad hæc Cæsarius Nazianzeni frater, dialog. 3. ait: *Non est meum dare: at neque Patris mei simpliciter petentibus; siquidem obsceni, & adulteri, & quiuis flagitiosus, & intemperans si petant, mecum sessuri essent. Non est nostrum dare temerè, & deprauare, quod iustum est; iusti enim iudicis est, vnicuique pro dignitate meriti tribuere, non negligere liberantes, ac ignauis aliquid largiri. Proinde, si thronos amatis, nolite ignorare certamina*, &c. Non sic expectare debemus, quòd Deus det regnum suum nobis nihil facientibus; hic enim modus dandi regnum prorsus à Deo alienus est, & nobis minùs gloriosus; quandoquidem pretium, & æstimatio coronæ maximè crescit & certaminibus, & laboribus, quibus comparatur. Ait enim D. Irenæus, lib. 4. cap. 72. *Pretiosam coronam arbitremur, quæ per agonem nobis acquiritur, sed non vltrò coalitam. Et quantò per agonem nobis aduenit, tantò est pretiosior.* Hæc ille.

Luc. 4.
1. Ioan. 5.
Ambrof.
Matt. 20.
Nazianz.
Irenæus.

CAPVT VII.

De sagena missa in mare.

QVIS non metuat, dum hanc sagenæ examinat parabolam? Non equidem sufficit intra Christi Ecclesiam contineri, nisi ibi sobriè, & castè viuamus, quando sub eadem sagena à sapientissimis piscatoribus, & pisces trahuntur, qui minimè sint reponendi in vasa. Non equidem sagena, non Ecclesia, non fides, sed vltima morum qualitas in vltimo examine apparens aut reiectitios, aut electos homines designabit.

Matth. 13. Iterum simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti.

§. I.

Ab aquis quid faustum nascitur hominibus.

REgnum cælorum sagenæ missæ in mare assimilatur, vt aliquid ex aquis salutare præsagiat hominibus, quando aquæ quid faustum soleant semper hominum generi ominari. Genes. 1. *Dixit autem Deus: Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram, sub firmamento cæli. Creauitque Deus cete grandia, & omnem animam viuentem, atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, & omne volatile secundum genus suum. Et vidit Deus, quòd esset bonum. Benedixitque eis*, &c. Nondum auditum fuerat verbum benedictionis diuinæ vsque nunc: radiarat iam cælum luminibus, terra floribus, & fructibus apparuerat ornata: sed nec cælum, nec terra benedictionem diuinam in se ostendunt. Ventum est ad aquas, & vix apparet fœcunditas aquarum, & ecce ait, *Benedixitque eis*; ostendentibus iam aquis benedictionem in primis venturam illis, qui ex aquis erant regenerandi. Id quod notans D. Anastas. Sinaita lib. 7. Exaëm. ait: *Videas, quæ ex aquis orta sunt animalia præripuisse eam, quæ à Deo datur, benedictionem.* Felices vos, qui regeneramini ex aquis, proculdubio cælestem præripitis benedictionem, qua in salutem

Genes. 1.
Anastas.

crescatis; nullum enim minus ab aquis potestis educere præsagium. Notissima est Esau, & Iacob historia; imò & illorum contentio pro obtinenda benedictione patris, promittitur benedictio Esau, cui ordine natiuitatis debebatur; sed nihilominùs de matris astu Iacob præripit benedictionem fratri, & primò de cælesti rore, terræque prouentu benedictus apparuit. Cur Iacob primus benedictionem inuenit? Rem pulchrè tractat D. Anastasius Sinaita lib. 7. Exaëm. satus: *Quomodo Iacob præripuit benedictionem Esau? Quoniam alter quidem erat venator, & tanquam è terra ortum habebat, & generationem, & vitam, quam degebat simul cum feris in agro, & cum reptilibus, vnde etiam Edem, hoc est, rufus, fuit Esau cognominatus: Iacob autem, qui simul cum benedictione eius rapuit primogenituram, euolauit in aquarum Mesopotamiam, vnde etiam accepit Rachel; Rachel autem etiam dicitur domus Dei*, &c. Quando Iacob de fontibus Mesopotamiæ, de Sichem fonte pulcherrimam Rachel spectabat, nil mirū, quòd primus ad benedictionem patris properaret; nihil enim prius quàm cælestem benedictionem propinant hominibus fontes aquarum. Hinc est, quòd Deus adhuc puer, adhuc sub primis vagitibus, sub primis lachrymis infantiæ in Ægyptum contendit; quò spectans Isaias, cap. 19. ait: *Ecce Dominus abscondet super nubem leuem, & ingredietur in Ægyptum.* In nube irroratio, & pluuia aquarum cernitur; & cur Dominus festinat ostendere Ægyptus virgineæ nubis primum illum infantiæ rorem, primam pluuiam lachrymarum? Vt dum aquas propinat, simul vitale illis ostendat præsagium, qui in rubro mari extremam passi fuerant tempestatem. Imperfect. homil. 2. in Mat. ait: *Vt iam non irent ad mare rubrum demergendi, sed vocarentur ad aquas baptismatis viuificandi, Vt impleatur, quod dictum est: Ecce Dominus ascendit in Ægyptum, sedens super nubem leuem*, &c. Ægrè tulerat Dominus, quòd aquæ essent vlli hominum generi infaustæ, & quando Ægyptij luctus fuerat ex aquis, festinat primas suæ infantiæ lachrymulas Ægyptiis dedicare, vt iam non mortem, sed vitam discant ab aquis sperare. Discipulis etiam postremam cœnam paratutis sic ait Dominus, Luc. 22. *Ecce introeuntibus vobis in ciuitatem occurret homo amphoram aquæ portans, sequimini eum*, &c. Non otiosè pro tantæ cœnę mysteriis præmisit signum in aqua amphoræ, sed vt inde immensa iam bona hominum generi venientia indigitaret. Multus est D. Ambr. lib. 10. in Luc. in extollendo hoc signo aquæ, ait enim: *De aqua quid loquar? Super aquam ante ipsos mundi nata es sanctus Spiritus ferebatur. O aqua, quæ humano aspersum sanguine, vt præsentium lauacrorum figura præcederes, orbem terrarum lauisti. O aqua, quæ sacramentum Christi esse meruisti, quæ lauas omnia, nec lauaris. Tu incipis prima, tu comples perfecta mysteria. A te principium, & finis, vel potiùs, tu facis, vt finem nesciamus. Per te fœtor tabidæ carnis aboletur, & pereuntia situ viscera asperso sale in multam seruantur ætatem. Per te arentibus æsta corporibus dulcis ad gratiam, salutaris ad vitam, suauis ad voluptatem potus infunditur. Tu nomen Prophetis, & Apostolis, tu nomen Saluatori dedisti. Illi nubes cæli, illi sal mundi, iste fons vitæ. Te prophetico percusso tactu, vt sitientia rigares corda, populorum vomuit petra; te, cùm de latere Saluatoris erumperee, percussores viderunt, & crediderunt; & ideò regenerationis nostræ e tribus vna es testis.* Hæc ille.

Idem.
Isai. 19.
Imperf.
Luc. 22.
Ambrof.

§. II.

Is est Deus, qui omnes ad bona trahat, excludat neminem.

QVàm meritò Dominus morem suum in trahendis hominibus assimilat sagenæ, & sagenæ congreganti de omni genere piscium; sicut enim sagena mare vertit, vt nullus prætermittatur pisciculus, sic Deus omnes ad bona trahens homines, vel minimum excludere nescit. Genes. 2. dicit: *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, vt videret, quid vocaret ea.* Ecce tibi omnia animalia adducta à Deo in paradisum ad Adamum; nec vsquam leges quòd semel adducta fuerint aliquando à Deo extracta à paradiso. Sed & cap. 7. dixit Dominus ad Noë: *Ingredere tu, & omnis domus tua in arcam; te enim vidi iustum coram me in generatione hac. Ex omnibus animantibus mundis tolles septena*, &c. Rursus c. 8. ait Dominus ad ipsū: *Egredere de arca tu, & vxor tua filij tui, & vxores filiorum tuorum tecum. Cuncta animantia*, &c. Simul & ingressus in arcam, & egressus ab ea mandatur; cur ergo qui curat, vt homines, & iumenta ingressa in arcam, egrediantur, minimè curat, vt animalia adducta in paradisū, à paradiso egrediantur? Arca vt carcer habebatur; paradisus

Genes. 2.

paradisus locus erat voluptatis, mille refertus bonis, & sciuit Deus, quos in arctum trahit, in latitudinem reducere; quos autem ad bona adduxit, ab illis eiicere nunquam nouit. Quò spectabat D. Anast. Sinait. lib. 9. in Exaemeron inquiens:
Anastas. *Deus illic præcipit Noe etiam ingressum bestiarum, & iumentorum, & volucrum in arcam. Similiter rursus post diluuium dicit etiam earum egressum ex arca; & hic Deus cùm in paradiso fecerit per se ingressum harum bestiarum, & fuerit earum veluti dux, & bubulcus, non ampliùs ea eduxit, sed intus reliquit.* Eduxit animantia Dominus ab arcto arcæ, sed à latitudine paradisi nullum eduxit, vt qui norit omnes ad bona adducere, & neminem excludere. At Genes. 3. de Adamo eiiciendo à pa-
Genes. 3. radiso, ait: *Nunc ergo ne fortè mittat manum suam, & sumat de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum, emisit eum Deus de paradiso.* Ergo & de bonis nouit eiicere Deus? Absit. ex quo enim peccauit Adamus, miserámque vitam incurrit, iam cœpit esse illi nociua paradisi habitatio, cuius ligni esus æternas faceret mortalis vitæ ærumnas: vnde misericors Deus non dedignatur eiicere hominem tunc
Eucher. à paradiso; quippe ait Eucher. in caten. Lyppeman. *Verè vt clementissimus Dominus eisdem dignatus est consulere ad salutem, ne fortè per transgressionem indigni iam facti, de ligno vitæ præsumerent edere, & ad perpetuum viuerent cruciatum.* Non sanè à bonis, sed ab æternis illos eiecit ærumnis; amat enim Deus ducem fieri, imò deductorem ingredientium ad bona: at quòd à bonis exulent creaturæ, id minimè est ope-
Rom. 2. ris diuini. Paul. 2. ad Roman. aiebat, de Deo locutus: *Qui reddet vnicuique secundùm opera eius: ijs quidem, qui secundùm patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam: ijs autem, qui ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira, & indignatio,* &c. In quibus verbis acutè, & sapienter illud notat Phocius, quòd non simili phrasi vtatur Apostolus, vt ostendat Deum inter munera iustorum agentem, aut inter supplicia peccatorum. Vbi autem de iustis agit, dicit, quòd iis reddet Dominus vitam æternam: verùm vbi de impiis loquitur, solùm dicit, *ijs ira, & indignatio;* cauens sicut vitam æternam, sic iram, & indignationem redditam à Deo dicere, vtpote qui sciret ad bona per Deum duci homines, non ad pœnam, nec ad dolorem. Ibi equidem Deum solùm senties, vbi largitiones inueniuntur bo-
Iob 28. norum. Ait enim Iob cap. 28. *Sapientia verò vbi inuenitur, & quis est locus intelligentiæ? Nescit homo pretium eius, nec inuenitur in terra suauiter viuentium. Abyssus dicit: Non est in me: & mare loquitur, Non est mecum,* &c. Quæ verba sic tra-
Ambros. ctat D. Ambros. in exhortat. ad virginit. *Mare quoque, hoc est, sæculum, dicit, Mundus hic dicit, Non est mecum, quia supra mundum est, quem vitæ humanæ lapsus, nec illecebra non immutauit; quia peccatum non fecit, nec est inuentus dolus in ore eius. Abyssus ergo dicit, Non est in me. Mare dicit, Non est mecum. Sed cælum non dixit, quia non est apud se, quem receperat resurgentem. Paradisus non dixit, Non est in me, quem regnare in se absoluto quoque latrone cognouerat.* In cœlo, in paradiso, vbi sunt tot bonorum fontes, non potest negari ibi esse Deum hominem deductorem, & introductorem: at vbi extra cœlum, extra paradisum, & fortè ad abyssum, & tenebras exteriores eundum est, vbi iam cauet sentiri, & agnosci Dominus. Vbi
Luc. 8. dæmonum legio ad abyssum mittenda erat, Luc. 8. *Rogabant Iesum, ne imperaret illis, vt in abyssum irent. Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte: & rogabant eum, vt permitteret eis in illos ingredi. Et permisit illis. Exierunt ergo dæmonia ab homine, & intrauerunt in porcos, & impetu abijt grex per præceps in stagnum, & suffocatus est.* Nullum verbum fecerat Iesus de electione in abyssum, & iam dæmones quasi certam suam eiectionem clamant, eiici in porcos amant, & ex illis sese committunt abyssui. Et cur, cùm peterent non eiici in abyssum, ipsi sese abyssui committunt, cùm porcos optatos fuerint nacti? Sanè vt clareret Dei bonitas, quæ ex se nesciat creaturas suas tradere malis, in quæ ipsæ solæ se
Ambros. iactant. Id quod notans D. Ambros. ait lib. 6. in Luc. *Primùm clementiam Domini debemus aduertere, quòd nullum priùs ipse condemnat, sed vnusquisque sibi author est pœnæ. Non mittuntur in porcos dæmones, sed ipsi petunt, quia cælestis luminis claritatem sustinere non poterant.* Non à Iesu venit, quòd dæmones crudelissimi nec in porcos, nec in abyssum eiicerentur, sed ipsi petierunt eiectiones, & tanti mali sibi fuerunt authores, & causæ.

Text. Quam, cùm impleta esset, educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt, Sic erit in consummatione, exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus, & stridor dentium.

§. III.

Summa perfectio reipublicæ, quòd nocentes puniantur, & iusti coronentur.

CVm audis in præsenti consummationem sæculi; dicit enim: *Sic erit in consummatione*, non intelligas sæculi ruinam, sed perfectionem, sed coronidem, non enim perit sæculum, sed perficitur, sed consummatur, vbi nocentes sub suppliciis, iustos sub coronis ostendit. Hæc est tota perfectissimæ, & absolutissimæ reipublicæ consummatio, & exaltatio, quòd in illa nocentes puniantur. Ad hæc dicebat D. Paschas. lib. 7. in Matth. *Qui præordinati sunt ad vitam, ipsi in fine sæculi colligentur in vasis, id est, in mansionibus æternis; & mali ab eo regno, & à claritate æternæ vitæ foras mittentur. Et hæc est consummatio sæculi. Non quòd elementa mundi peribunt, quia erit cælum nouum, & terra noua, sed consummatio sæculi perfectionis intelligitur plenitudo.* Non equidem in eo posita est reipublicæ, siue familiæ, siue mundi perfectio, & consummatio, quòd in ea peccatores non sint, alioquin nec cœlum, nec Apostolorum collegium perfectionem habuit, vtque peccatores habuerunt. Sed perfectio, & consummatio reipublicæ tunc ostenditur, quando in ea & iusti coronantur, & peccatores supplicio afficiuntur. Nihil enim sic extollit, & commendat rempublicam, quàm reorum supplicium. Marc. 1. dæmoniacus quidam a Iesu inuisibiliter tortus clamabat: *Quid nobis, & tibi, Iesu Nazarene? Venisti perdere nos, scio quòd sis sanctus Dei.* Et dum sic laudat miser, sic extollit, & prædicat Iesum, ad illum iratus Iesus loquitur, dicens: *Obmutesce.* Et cur, bone Iesu, laudatorem tuum, prædicatorem tuum tanto silentio premis? Non poterat esse laus Iesu, quæ veniebat ab ore peccatoris, & dæmonij; sed magna erat laus eius, quæ a peccatoris supplicio veniebat.
Hinc D. Chrysostom. homil. 5. in Marc. *Obmutesce. Laus mea sit silentium tuum. Nolo me laudet vox tua, sed tormenta tua, pœna tua laus mea est.* Et quidem perfectissimi gubernatoris laus, non iam ab alio, quàm à nocentium supplicio sumenda est. Tunc perfectissimi, & absolutissimi gubernatoris laus in tota sua ostenditur plenitudine, quando castigantur nocentes. Hinc monebat Paul. 2. ad Tim. 4. *Prædica verbum, insta opportunè, importunè: argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina. Erit enim tempus, cùm sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple.* Non commendat Paulus Timothei prælaturā, ex eo, quòd nulli in illa peccatores sint futuri, quin potiùs asserit in illa multos insurrecturos contra veritatem. Quid tunc? Iam inde totus episcopatus damnandus? Absit; hoc vnum restat, vt instet correctioni Episcopus, vt arguat, vt increpet, vt feriat nocentes, vt obscuret, & suspiciat iustos, & sic totam perfectionem, & vltimā consummationem gubernationis implet. Quippe ait, *ministerium tuum imple*; non enim plenitudo perfectionis humanæ gubernationis ostenditur, per hoc, quòd non habeat nocentes, sed per hoc, quòd illos suppliciis afficiat. Aiebat Psal. *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis,* &c. Ex quo patet, quòd Angeli præpositi sint à Deo, in custodiam hominum, ne in mala incidant; sed & Matth. 13. *Tunc exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis.* Et cur qui dati sunt ad custodiam hominum Angeli, postea tā seueri in homines esse permittentur? Nónne aptiùs dæmones eligerentur, vt malos separarent, & in ignē mitterent? Cur hoc seuerissimum officium Angelis mādatur? Sanè hoc pertinebat ad plenitudinem, & consummationē Angelicæ administrationis; qui enim regimen hominū susceperāt, & tot peccatores sustinuerant, plurimum viderentur distare à perfectione nisi aliquando viderentur & nocentes punire. Quò spectabat D. Pasch. lib. 7. in Matth. inquiens: *Nec dubium, quin Angelos suos per quos nunc regitur Ecclesia, tunc implebit benignus Saluator, vt tollantur impij de medio iustorum, ne videant gloriā Dei, & foras mittentur in tenebras exteriores.* Expende illud, *tunc implebit*; Angelorum enim regentium Ecclesiam summa plenitudo, & perfectio in gubernando, modò quasi nubila, & imperfecta est, quando

Right-column margin notes: Paschas. · Chrysost. · 2. Tim 4. · Psal. 90. · Matth. 13. · Paschas.

tot peccata hominum dissimulant: sed tunc in omni gloria, & plenitudine sua splendescent, quando appareant castigantes tot turbas nocentium. Hinc Iud. 4. cùm Debora iuberet, vt Barach pergeret oppressurus Iabim hostem Israëlitarum, ait Barach, ex lectione Septuag. apud August. lib. 7.
August. quæst. super Iud. quæst. 26. *Si ibis, ibo: & si non ieris mecum, non ibo: quoniam nescio diem, in qua prosperat Angelum Dominus mecum.* Et meritò quæstionem facit August. quid sit, *prosperat Angelum Dominus mecum?* An quòd Barach victoriam reportaret, & quòd Sisara Israëlitarum hostis tunc occumberet, & occideretur, id ad prosperitatem Angelorum potiùs pertinere? Et qualem prosperitatem acquirent Angeli ex morte hominum? Angeli rectores, & gubernatores mundi tunc in omni prosperitatis & perfectionis apparent gloria, cùm & coronas iustis tribuunt, & simul inferunt iniustis supplicium, & mortem. Meritò ergo Barach Angeli prosperitatem illam nominabat, qua iusti Israëlitæ coronas, & iniusti hostes illorum incurrent damnationem.

§. IV.

Religiosi status perfectio summa, quia diu non patitur peccatores.

VSque dum perueniat ad littus sagena; hoc est, vsque ad finem mundi perueniat Ecclesia, mille peccatores, mille dæmonum mancipia includit, nec euomit illos; & licèt sanctissima sit, & immaculata, non detrectat secum habere homines corruptissimos. Hos equidem patitur sagena Ecclesiæ vsque in finem; at in hac Ecclesiæ sagena selectior quædam pars inuenitur, nimirum status religiosus, qui vt subtilioribus cœli auris fruitur, sic delicatioris est ventriculi, nec diu potest retinere corruptum. Quò spe-
Bernard. ctans ait D. Bernard. ad fratres de Monte Dei: *Vix vmquam aliquis, nisi cœlo prædestinatus, in cella religionis vsque ad mortem persistit. Alienum, qui non est filius, citius à se proycit, quasi abortiuum, euomit tanquam inutilem, ac noxium cibum, nec diu talem pati potest in visceribus suis officina pietatis; venitque pes superbiæ, & asportat eum, & manus peccatoris, & mouet eum.* Et quoties vanitate ductus, aut cupiditate religiosus religionem deserit, & putatur ipse deserere religionem; & non ipse deserit, sed potiùs deseritur, & à religione euomitur. Cùm enim morticinus fit, vel potiùs mortuus, non diu potest ibi durare, sed statim permittitur in illo intrare pes superbiæ, quæ illum inde asportat, imò & effert. Fallar, nisi his verbis Bernardus alluserit ad locum Actor. 5. vbi Saphiræ neganti votum Domino, & furanti de obla-
Actor. 5. tis, ait Petrus: *Quid vtique conuenit vobis tentare spiritum Domini? Ecce pedes eorum, qui sepelierunt virum tuum ad ostium, & efferent te. Confestim cecidit ante pedes eius, & expirauit. Intrantes autem iuuenes, inuenerunt illam mortuam, & extulerunt,* &c. Expende verba illa, *Ecce pedes, & efferent te,* & compone illa cum verbis Bernardi, nimirum, *venitque pes superbiæ, & asportat eum.* Vt enim Saphiræ peccanti adfuerunt statim pedes eorum, qui illam efferrent, sic pro foribus religiosorum est pes superbiæ, quæ vbi mortuum aliquem intrinsecus sentit, statim illum inuadit, & effert, nec quòd ibi putrescat patitur. Exod. 3. ait Domi-
Exod. 3. nus ad Moysem cupientem videre visionem magnam: *Solue calceamenta pedum tuorum, locus enim, in quo stas, terra sancta est.* Et meritò calceamenta mortuorum pellibus facta iubentur deponi, non enim terra sancta, in qua Deus vi-
Bernard. detur, in se mortuos patitur. Vnde D. Bernard. vbi suprà: *Cella terra sancta, & locus sanctus est; morticinum mortuarum affectionum, vel hominem mortuum à corde locus sanctus, vel terra sancta nequaquam diu patitur.* Potest aliquis in religione sceleribus corrumpi, sed statim efferentium pedes videbuntur pro foribus, statim terra sancta à se expellet mortuum, vt rarus sit, qui in religione maneat, qui debeat expelli à Dei regno in morte. Ante quàm perueniatur ad littus, iam religiosa sagena euomit malos pisces, & foras misit, vt qui in littore de religionis aluo exierint, omnes
Ephrem. recipiantur à Christo. Dicebat enim D. Ephrem in vita S. Iuliani: *Beatus ideo ille, qui abdicata vita sæculari, in cœtu virorum sanctorum conuersatur, & sub obedientia spiritualium Patrum, suámque in conscientia pura vitam traducit; quoniam non confundetur in resurrectione iustorum.* Dummodo in religionis sagena perueniatur, fallar, nisi rarus fuerit qui in fine confusionem incurrat.

Quo refero dicta tom. 3. lib. 15. cap. 10. §. 8.

§. V.

Summum reproborum malum in iudicio, quòd Angelos sibi infensos videant.

EXibunt Angeli, vt malos in ignem mittant, nec tanti supplicij executio Angelis mandaretur, nisi inde in immensum cresceret malorum dolor, & infelicitas, dum sibi infensos contrarios videant Angelos ipsos. Huc referrem illud Isaiæ, cap. 13. *Vlulate, quia propè est dies Domini; qua-* Isai. 13.
si vastitas à Domino veniet. Propter hoc omnes manus dissoluentur, & omne cor hominis contabescet, & conteretur. Torsiones, & dolores tenebunt, quasi parturiens dolebunt: vnusquisque ad proximum suum stupebit; facies combustæ vultus eorum. Expende, vnde stupor, & maximus dolor erit in reprobis, nimirum ait, *vnusquisque ad proximum suum stupebit,* &c. à flammantibus proximorum faciebus magnus erit & stupor, & dolor reproborum. Et quis magis pronus hominibus, quàm Angelus bonus? Sanè homo vulneratus à latronibus, dum esset in via, ab Angelis curatus est, ab Angelis misericordiæ oleo proposito confotus, ab Angelis ductus ad stabularium, ductus ad pœnitentiæ, & Eucharistiæ domum; quæ omnia officia præstita ab Angelis, officia sunt viri proximi, vt habes Luc. 10. Quantus ergo erit reproborum stupor, quantus dolor in iudicio ad faciem horum proximorum? Tunc proximi, tunc Angeli non oleum misericordiæ porrigent, sed ignem, sed flammas emittent: *Facies combustæ, facies eorum;* siue iuxta Hebræum *facies flammarum vultus eorum.* Proh dolor! Quis ferat Angelos quondam oleum porrigentes, iam non oleum, sed æternum ignem flammámque immortalem clamantes? Daniel. 5. Balthasar conuiuium celebrabat cum optimatibus suis: *Et eadem hora apparuerunt* Daniel 5.
digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ: & Rex aspiciebat articulos manus scribentis. Tunc facies Regis commutata est, & cogitationes eius conturbabant eum: & compages renum eius soluebantur, & genua eius ad se inuicem collidebantur. Exclamauit itaque Rex fortiter, &c. Expende metum, & dolorem, & clamores in potentissimo Rege; & simul expende illorum causam; hæc nempè fuit visio digitorum scribentium sententiam mortis. Et ex hac visione sola tantus tremor, tantus dolor, tantus clamor? Pulchrè Theodoretus hic fatur: *Si digitorum scri-* Theod.
bentium species ita perterruit eum, qui maximum administrabat regnum; vt etiam articulorum compages præ metu dissoluerentur, & artus tremore incompositè conterentur, quid non sustinuisset Deo infestus, si fulminis genus, aut fulmina conspexisset, aut Angelos torùè intuentes, quorum conspectu, vel magnus quidem Daniel absque metu ferre potuit? Equidem ad Angelorum facies flammantes, fulminantes, nullus erit reus, qui immensum penè dolorem, & tremorem non concipiat. Angelus fuit, qui Danieli apparuit, cuius facies velut species fulguris, & oculi eius, vt lampas ardens. Et quid Daniel ad huius conspectum Angeli? Ipse ait cap. 10. *Vidi visionem* Dan. 10.
grandem hanc, & non remansit in me fortitudo, sed & species mea immutata est in me, & emarcui, nec habui quidquam virium, &c. Pro quo Dionysius Carthus. serm. de iudicio finali, ait:
Tunc quoque omnes angelici spiritus aderunt, & visibiliter apparebunt, in forma vtique reprobis valdè terrifica. Cui ergo vnius Angeli apparitio sit fragilitati humanæ tam intolerabilis, quàm intolerandum erit, & horrendum iniquis, videre tam innumerabilia Angelorum spirituum millia in sensibili forma, instar iudicis, reprobis metuenda? Non dubito, quin & horrenda, & intolerabilis fiat hæc Angelorum apparitio. Carthus.

Text. Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideò omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patri familias, qui profert de thesauro suo noua, & vetera.

§. VI.

Doctrina eius, qui odio afficitur in proximos, improbabilitatis suspecta est.

DOctorem Christianũ non otiosè comparauit Dominus homini patri familias, sed vt doceat, quale sit fundamentum doctrinæ ab improbabilitatis suspicione alienæ; is enim est paternus affectus, quo Doctor Christianus debet moueri ad omnes homines diligendos. In quo autem non hic paternus est affectus, sed intimum odium

proximi alicuius docti viri nutritur, rarò, aut numquam eius doctrina improbabilitatis non est suspecta. Hoc præcipuum doctrinæ minimè solidæ apponit fundamentum disertissimus ille Claudius Mamertus presbyter Viennensis, [Mamert.] lib. I. de statu animæ, cap. I. dicens: *Accedit ad hoc etiam accrescentis semper liuoris intentio, inuidentis animæ crimen, & pœna. Nam si quid ab his, quos iniquis lacessunt odio, ad vtilitatem publicam veri prodatur, diuersum protinus astruunt, etsi idem sentiant. Ac sic inexhausto firmatoque odio, eam his, quos sibi odisse institutum est, nequaquam metuunt veritatis fecisse iacturam.* Vanè de veritate doctrinæ sibi blanditur, qui charitate abiurata, odio mouetur; is enim, dum odiosis nocere liceat, minimè metuit veritatem perdere. Vnde Moyses Doctoribus factis imaginem præferens, duos Cherubinos super arcam posuit; vt enim Cherubini nomine plenitudo scientiæ significabatur, sic in duobus Cherubinis vnio, & charitatis amor, qui fundamentum sit soliditatis scientificæ. [August.] Ait August. quæst. 105. in Exod. *Creatura rationalis in multitudine scientiæ (quoniam hanc interpretationem habet Cherubim) duobus ipsis animalibus significatur: ideò duo sunt, vt societatem charitatis commendent.* Tolle charitatem à Doctore Christiano, qua vel vt filios, vel vt fratres habeat omnes, etiam sibi contrarios, & tota eius sapientia, & doctrina manet suspecta falsitatis. Abacuc cap. 3. recensens creaturas vindicantes, & irascentes in peccatores, sic ait: [Abac. 3.] *Ficus enim non florebit, & non erit germen in vineis: mentietur opus oliuæ, & arua non afferent cibum: abscindetur de ouili pecus, & non erit armentum in præsepi.* Expende illud, *mentietur opus oliuæ*; & cur oliuæ defectibus sitis castigantis peccantes attribuitur mendacium? Quòd oliua suos fructus neget rebelli, & aduersario peccatori, ideò dicenda est in mendacium ire? Equidem non potest non subesse falsitati, & mendacio creatura illa, quæ nouit odisse, & ferire aduersarios: illa enim amicior est veritati, quæ omnes ex æquo amat. Hinc [Tertull.] Tertull. lib. ad Scapul. de Deo ait: *Denique qui est verus, omnia sua ex æquo & prophanis, & suis præstat.* Et adeò mihi persuadeo, quòd æqualis charitatis affectus ad omnes sit fundamentum ostendendæ, & amplectendæ veritatis, vt ab odio, & cupiditate vindictæ credam ortas esse, aut omnes, aut plures falsitates. Huc traho Nazianz. orat. 15. vbi lugens [Nazianz.] sui temporis discordantium incommoda ait: *Hinc ego lugens, & contristatus ingrediebar, quoniam dilecti excalcitrarunt, & verterunt ad me terga, & non facies: quoniam vinea illa à bono agricola perpurgata, & quæ pulchram segetem in diuina horrea metere solebat, in amaritudinem versa est: quoniam amici mei, & proximi mei aduersum me appropinquauerunt, & steterunt: quoniam qui Deum, & Christum maiorem in modum amabamus, Christum diuisimus, ob veritatem mendacijs nos ipsos mutuò incessimus,* &c. Expende, quid ex contentione, ex amaritudine, & discordia religiosissimorum virorum in primis ortum sit, nimirum: *Christum diuisimus ob veritatem, mendacijs nos ipsos incessimus*; id parit discordia, & animorũ amaritudo, quòd & Christus diuidatur, & veritatem mendacia obnubilent. Vbi Sacerdotis summi vestes ordinabantur, ait Do- [Exod. 39.] minus, Exod. 39. *Deorsum autem ad pedes mala punica ex hyacintho, purpura, vermiculo, ac bysso retorta: & tintinnabula de auro purissimo, quæ posuerunt inter malogranata in extrema parte tunicæ per gyrum.* Nemo nescit in malogranatis & concordiam, & vnionem, & charitatem repræsentari. Sic D. Isidorus relatus à Lyppomano in caten. sic ferè vniuersi Patres. Cur ergo inter tot charitatis symbola, & vnionis fraternæ tintinnabula aurea ponuntur? An vt ostendatur, vnde puritatem sumat aureus sapientiæ sonus, nimirum de charitate, & vnione fraterna comite? Tantùm non aiebat [Hieron.] id D. Hieron. epist. ad Fabiol. docens: *Tanta debet esse scientia, & eruditio Pontificis Dei, vt egressus eius, & motus, vniuersa vocalia sint: veritatem mente concipiat, & toto eam habitu resonet, & ornatu.* Pulchrè sapientissimus Doctor ibi reddit rationem, cur in extrema parte tunicæ inter malogranata, tintinnabula aurea iuberentur poni, nimirum, vt præconceptas sapientiæ, & scientiarum veritates toto externo habito resonaret, quòd scientificæ veritates in Pontificis animo essent, vt eas purè, & defæcatè resonaret foris, nisi illarum sonitus inter malogranata audiretur, hoc est, de charitate fraterna prodiret comite. Huc trahe dicta 3. tom. lib. 14. c. 20. §. 8.

§. VII.

Vetera sapientiæ inuenta, etsi grauiora, suum habeant honorem nouis, & veteribus similiter noua, etsi præstantiora.

QVàm facilè absoluit simultates scholarum Christianus Doctor, nec fastidiens vetera sapientiæ inuenta, nec contemnens noua, sed suum cuique seruat honorem, in thesauris habens noua, & vetera, & de thesauris promens. Numquam non peccauit consilium illud, quod vel veteribus nimis adhærẽs noua despicit, vel nimis inhians nouis, fastidit vetera omnia. Ad veterum nimios sectatores sapienter loquitur Arnob. lib. 2. *Neque enim cælo Deus aliquis lapsus est, aut suis res vestras commentatus est manibus: aut ratione consimili nostris rebus, & religionibus derogatis. Ab hominibus hæc scripta, & illa sunt ab hominibus scripta, mortalibus edisserta sermonibus: & quidquid dicere de nostris conscriptoribus intenderitis, & de vestris hæc dicta paribus sumite, atque habetote momentis. Vultis vera esse, quæ in vestris comprehensa sunt scriptis: & quæ in nostris consignata sunt litteris, confiteamini necesse est, esse vera. Falsitatis arguitis res nostras, & nos vestras arguimus falsitatis. Sed antiquiora, inquitis, nostra sunt, ac per hoc fidei, & veritatis plenissima: quasi verò errorum non antiquitas plenissima mater sit. Ante millia enim annorum decem non poterunt falsa & audiri, & credi?* [Arnob.] Præclarè vir sapientissimus demonstrat, quam irrationabiliter noua sapientiæ inuenta contemnantur, corrodantur à veterum sectationibus, eò solùm, quòd hæc noua sint, & sua vetera. Quibus & Horat. aiebat lib. 2. ep. 1 ad August.

Indignor quidquam reprehendi, non quia crassè [Horat.]
Compositum, illepidéve putetur, sed quia nuper
Nec veniam antiquis, sed honorem, & præmia posci.
Ingeniis non ille fauet, plauditque sepultis,
Nostra sed impugnat, nos, nostráque liuidus odit.
Quòd si tam Græcis nouitas inuisa fuisset,
Quàm nobis, quid nunc esset vetus, aut quid haberet
Quod legeret, tereretque viritim publicus vsus?

Ille equidem verè Christianus Doctor est, qui vtrisque suum honorem habet, & neutris nescit detrahere, sciens plurimam veteribus obtigisse authoritatem, & iunioribus maiorem posse obuenire præstantiam. Sic enim Deus creata omnia solet moderari. Consule cap. 1. Geneseos, & in primis videbis cœlum, & terram facta rudia, & informia vtraque: & post quartum diem incipiunt fieri luminaria, lucidissimus sol, candidissima Luna, & astra. Cur hæc postremò? Ne prima nimis de quantitate se iactent, cùm videant se vinci posteriorum præstantia, nec hæc postrema immensè extollantur, quando minora se vident ætate. sed vtraque suum cuique honorem habeant. Ita D. Augustin. quæst. 3. ex veteri Testamento farue: *Dum minora priùs facta memorat, deinde maiora, nihil horum infectum habetur: quia quæ tempore minora sunt, & virtute maiora sunt, vt si illa præscribere de tempore se putent, ipsi infirmitate, qua posterioribus subiecta sunt, conuincantur: aut si hæc de virtute præsumendo primatum sibi vendicent, posteritatem ipsa humilientur.* [August.] Noua posteritatis conscia suę veterum authoritatem revereantur, & vetera conscia nouorum splendoris, & præstantiæ, non aspernentur nouitatem, sed magis laudent præstantiam, & sic perfectè constituetur Doctor Christianus. Id quod spectat Ecclesiast. cap. 24. vbi sapientiam solidam, & veram assimilat mari, aiens: *A mari enim abundabit cogitatio eius, & consilium eius in abysso magna. Ego sapientia effudi flumina,* &c. [Ecclesi. 24.] Ecce tibi sapientia velut vastissimum mare plenum fluctibus scientiarum, à quo effunduntur flumina, nimirum, Doctores particulares, qui de sapientiæ aluo scaturiunt, vt terram fœcundent. Sed hæc flumina vbi per terrarum spatia cœlestibus pluuiis grandescunt, contemnunt illum suum originem, nempe mare? Absit: imò, vt ait Ecclesiast. cap. 1. *Ad locum vnde exeunt flumina, reuertantur*; & sapientes viri nouis inuentis aucti, numquam non suspiciunt illum vetustissimum suum originem, quem venerantur. [Ecclesi. 1.] Quid pulchrius in mari? Accipite D. Cæsarium Nazianzeni fratrem dialog. 1. *Pulchrum quoque, quòd cum fluminum sit mater, ipsum eadem rursus suscipit; hinc quidem quasi in lucem proferens, illinc verò recipiens quasi hospites.* [Cæsar.] Pulchrum sanè in mari, quòd emittens à se flumina, illa nouis limphis aucta reuertentia honorabili admittat hospitio, & quòd flumina post largissimos profectus nouarum aquarum non dedignentur vetustum illud principium reuerentia venerari. Sed tota hæc pulchritudo maximè ornat magistros Christianos; fuit equidem sapientia veterum magna velut

mare, ab illa tot flumina manarunt, quot Doctores iuniores; ij per longos studiorum, & vigiliarum tractus multa noua inuenerunt, quibus mirificè aucti orbem implêt. Quid tunc? Sanè quos vt filios emisit sapientia vetus, reuertentes locupletissimos, vt hospites suscipit, & veneratur, & ij cum omni suo augmento non dedignantur vetustum illum originem, sed magis colunt, & nouis suis augmentis nituntur locupletare. Quid pulchrius in Doctore Christiano, quàm quòd noua veteribus sistantur, & vetera nouis honorem habeant? Fallor, nisi huc respexit etiam Eccles. c. 24. aiens:

Eccles. 24. *Qui implet, quasi Phison, sapientiam, & sicut Tigris in diebus nouorum.* Ecce Tigris in diebus nouorum, nouis ipse auctus aquis, non dedignatur recurrere ad vetustum originem maris, à quo grataner excipitur; sic Doctor Christianus in diebus nouorum, quando magis noua placent, nouis ipse plenus inuentis, adhuc veteres sapientes venerationi habet, multúmque credit eorum auctoritati, quæ valdè nouis augmentis illustratur.

§. VIII.

Nouitius in virtutibus splendor, & feruor semper seruandus.

Miraris, quòd de thesauro suo noua proferat bonus familias pater, thesaurus enim de antiquitate, & vetustate vocatur; antiquitate diuitiæ supra memoriam, & notitiam hominum communiter faciunt thesauros. Si ergo thesaurus à vetustate fit, qualiter fieri potest, vt noua ab illo proferantur? Proferuntur ex thesauro noua, non quòd ibi nouiter, & recenter fuerint reposita, sed quòd etiam in multa temporis vetustate, eum splendorem, & perfectionem præseferant, vt videantur noua, nullúmque vmquam cognouisse vetustatem. Felix, qui in virtutibus sic nouiter viuit, sic omnem abiurat vetustatem nec nouum illum primi feruoris virorem à se abiicit, is Deo gratus, & præ manibus erit cœlesti Patri, vt dignus cœlesti thesauro. Id in iusto

Psal. 91. homine cupiebat Psal 91. *Iustus, vt palma florebit.* Cur in pal-

Ambros. ma? Pulchrè D. Ambros. lib. 3. Hexaem. c. 17. *Seruat indumentum suum semper olea, vel pinus, sed tamen folia sua sæpè commutant: nec ea quasi diurno, sed quasi succedaneo prætendunt suæ arboris pulchritudini, perpetua integritate vestitæ, vice muneris obumbrantes. Palma autem virens semper manet conseruatione, & diuturnitate, non immutatione foliorum. Nam quæ primò germinauerit folia, ea sine vlla substitutionis successione conseruat. Imitare ergo eam, ô homo; serua viriditatem pueritia tua, & illius innocentiæ naturalis, quam à primordio recepisti, vt folium suum non desinat.* Huc tendant omnes hominis conatus, vt in prima nouitate spiritus semper ambulet, vt omnem vetustatem nesciat, sed primum illud virtutum studium quasi nouum, & recèns semper possideat. Quo fallar, nisi hostes debellet, nisi ingentes victorias obtineat. De illo duce Israëlitarum Iesu Naue dicitur Iosue 10. quòd hostes penè innumeros perdidit, quòd Soli, & astris imperauit, & quòd

Iosue 10. *steterunt Sol, & Luna, donec vlcisceretur se gens de inimicis suis.* Et vnde tanta potentia in viro isto? An quia fortis? Sed fortior fuit Samson, nec talia fecit, vt Solem sisteret. An quia Iesus vocabatur? Sed & alij tunc fuerant hoc efficacissimo nomine insigniti. Vnde ergo huic tanta virtus? Ait D. Iust.

Iustin. Mart. relatus in gl. *Accepistis terram Chanaam, tanto virtute fusis, fugatisque hostibus, vt Sol ipse cursum sisteret spectando res gerentem vestrum ducem Iesum, recèns cognominatum.* Expende, quid vereantur in tanto Duce creaturæ; reuerentur enim Iesum non vtcumque, sed recèns cognominatum, quia in illo Iesu nomen, quasi nouum, & recèns ostendebatur, nulla vetustate obscuratum; inde & in cœlestes creaturas obtinet principatum. Huc accedant viri Iesuitæ, & discant, vnde possint astris dominari, nimirum, si in illis Iesu nomen non veterascat, sed quasi recens primum suum splendorem nouum habeat. Quisquis sic prima virtutum conamina, & virentia, & noua conseruat, non est mirandum, quòd mundo dominetur, & astris, nec quòd in Deum euadat. Sethus ille tertius Adami filius Deus fuit communiter vocatus, vt in-

Genes. 6. nuit Gen 6. *Videntes filij Dei filias hominum*; hoc est, filij Sethi filias Caini. Quòd si quæras, vnde sibi tantum nomen comparauit Seth? Ait text. c. 5. *Vixit autem Adam centum triginta annis, & genuit filium ad imaginem, & similitudinem suam, vocauítque nomen eius Seth.* Fuerat quondam in Adamo imago, & similitudo Dei, quæ per peccatum obsoleuerat, neque amplius visa fuit hæc imago, & similitudo, nec in Caino apparuit, nec in Abele adeò perfecta fuit: hanc autem obsoletam, & in veteri homine corruptam imaginem in se ostendit Seth adeò viuidam, & nouam, quasi tunc recèns impressa fuerit humanæ animæ, quo Dei nomen sibi comparauit. Ita aie-

bat D. Cæsar. Nazianz. frater dialog. 1. fatus: *Adamus genuit filium ad similitudinem suam, & secundum imaginem suam; hoc est, qualem habuit ab initio, quando factus est à Deo, imaginem, & splendorem in facie, & vocauit nomen eius Sethus; hoc est, resuscitatio. Quoniam videbat in illo pristinam, & admirandam illam formam, & gratiam renouatam, & splendorem sacrosancti Spiritus, quem videntes illius temporis homines, Deum appellarunt.* Nec miror, quòd Deus haberetur, qui primam Dei imaginem in homine expressam, nulla vetustate corruptam, sed nouam, sed sub primo lucentem splendore in se demonstrabat. Semper enim qui à parte Dei est, abiurat vetustatẽ, noua cura ostendere virtutum conamina. De primis Adami Nazianz.

filijs ait Gen. 4. *Fuit autem Abel pastor ouium, & Cain agricola.* Genes. 4.

Nullus ante Abel pastor, ante Cain agricola fuit, & Adam terrenis culturis damnatus: quò enim iustior Abel, & Deo gratior, eò veteri abiurata seruitute, noua, & pulchriora obsequia nititur demonstrare. Vt dicat D. Ambros. lib. 1. de

Abel, & Cain, cap. 3. *Operari terram vsu prius est. Meritò senior* Ambros.

à vetustioribus inchoauit, iunior recentiora prætulit, quæ nullas spinas, nullos tribulos germinarent, nulli sententiæ essent obnoxia. Sic noua studia ab omni vetustatis damno aliena sanctissimus, & Deo gratissimus Abel tractauit, vt cuiusque sanctitas, imò (si sic fas loqui) cuiusque diuinitas ea nouitate splendenti in operibus virtutum demonstraretur. Huc reuoca aliqua ea dictis tom. 3. lib. 15. cap. 10. & 11. & 12. & alibi.

CAPVT VIII.

De Rege ponente rationem cum seruis.

MERITO diuinæ indulgentiæ fit indignus, qui nescit aliquid fratri suo indulgere: quod pulchra parabola Dominus ostendit in Rege durissimè puniente seruum nescientem præstare proximo vel minimam debiti remissionem, quando ingentem ipse ab vtriusque Domino receperat. Sub hoc scopo tota voluitur parabola præsens.

Matth. 18. Assimilatum est regnum cœlorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis.

§. I.

Summa dignitas hominis expenditur.

Regnum cœlorum homini assimilatum dum cerno, non possum non mirari dignitatem hominis, quando nil cœlo, aut terræ collatum video, quod similiter non conferat Dominus suo homini. Creauit Deus cœlum, creauit terram, creauit luminaria mundi, creauit lucem, creauit fructus, & animantia omnia. At animantia, & fructus, & lux creata sunt solo imperio Dei. *Dixit enim, Fiat lux, & facta est lux. Germinet terra herbam virentem, & facientem semen; & lignum pomiferum faciens fructum.* &c. *Et factum est ita.* De cœlo autem, de terra, de luminaribus mundi aliter lo-

quitur ibi Gen. 1. *Creauit Deus cœlum, & terram*, & paulò pòst: Genes. 1.

fecítque Deus duo luminaria, quasi non solùm imperium, sed & manus proprias adhibuerit ad opus. Post hæc ad creationem hominis accedens, similiter ait: *Et creauit Deus hominem*, &c. Id quod animaduertens Origen. relatus

à Lyppoman. in caten. ait: *Videamus, quæ sane, quæ ipse* Origen.

Deus fecit, & per hæc, quæ magnitudo hominis sit, aduertamus. In principio fecit Deus cœlum, & terram; similiter ait, Fecit Deus duo luminaria magna; & nunc iterum: Faciamus hominem. In his solis factura Dei adscribitur, in alijs verò nusquam, sed tantummodo cœlum, & terra, Sol, & Luna ac stella, & nunc homo à Deo factus est, omnia verò reliqua iussione eius facta esse dicuntur. Ex hoc ergo considera, quanta sit magnitudo hominis, qui tam magnis elementis, támque præcipuis adæquatur; qui habet honorem cœli, propter quod & cœlorum ei promittitur regnum. Habet & terræ honorem, quoniam quidem in terram bonam, & terram vinorum fluentem lac, & mel, ingredi sperat. Habet honorem Solis, & Lunæ, habens repromissionem fulgere, sicut Sol in regno Dei. Quid pulchrum, quid diues in cœlo inuenitur,

cuius

cuius in ſe honorem homo non transferat? Totius cœleſtis militiæ decus & ornamentum hominis oſtendum magnitudinem. Quid magnum homini, quod externum cœlorum ſplendorem induat, quando & ipſis cœlis excelſior factus potentiſſimum cœli Regem in ſe ſuſcipit? Aiebat Paul. 2. ad
1.Cor.13. Cor.13. *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus?* Quod ponderans D.Chryſoſt hom.9.in epiſt.ad Rom.
Chryſoſt. inquit: *Si Christus per nos reſonuerit, tunc certè & ſpiritus omninò præſtò aderit, erimuſque cœlo meliores, non Solem habentes, aut Lunam corpori impreſſam, ſed Solis, & Lunæ, & Angelorum Dominum inambulantem in nobis.* Tota pulchritudo cœleſtis cedit homini, intra cuius pectus Chriſtus fuerit, & per cuius os reſonuerit. De Chriſti præſentia obumbrat homo cœlum & cuncta cœleſtia, & ſuper omnia apparet excelſus. At ſi vltrà fuerit progreſſus, & non cœlis, ſed Deo aſſimilari voluerit, tunc totus homo euanet, & quaſi nihil vi-
Iob 37. detur. Iob cap. 37. *Tu forſitan cum eo fabricatus es cœlos, qui ſoliſſimi quaſi ære fuſi ſunt. Oſtende nobis, quid dicamus illi, nos quippe inuoluimur tenebris. Quis narrabit ei, quæ loquor? Etiam ſi locutus fuerit homo, deuorabitur.* Solent homines, cùm magna quædam coguntur exprimere, ſaliuam glutire, & verba mandere. At hoc, qui Deum loquitur, qui magnalia diuina cogitur explicare, non ſolùm ſaliuam glutit, aut verba mandit, ſed totus ipſe voratur, & penitus euanet.
Gregor. Ad hæc Gregor. lib.27. Moral.cap.25. *Homo cùm de Deo tacet, per rationem, in qua conditus eſt, eſſe aliquid videtur. At ſi loqui de Deo cœperit, illicò quàm ſit, nihil oſtenditur: quia magnitudinis illius immenſitate deuoratur, & quaſi in profundum voraginis abſconditur, quia fari ineffabilem cupiens, ipſa ſua ignorantiæ anguſtia deglutitur.* Qui ſupra cœleſtia omnia ſe extollit homo, vbi Deo comparandus ſe ſiſtit, penitus manet abſorptus, & reputatur quaſi nihil.

§. II.

Nil magis homini proprium, quàm rigorem iuſtitiæ, ſeueritatémque alijs velle, non ſibi.

PVlchrè dum Rex homo exhiberetur, cùm ſeruis volt ponere rationem, non ſecum; ad alios enim, non ad ſe cupiunt homines ſeueritatem regiam. Audita Dauid parabola de peregrino rapiente ouiculam pauperis, vehementer
2.Reg.12. exaſperatur; quippe ait text. 2.Reg.12. *Iratus enim indignatione Dauid aduerſus hominem illum, dixit ad Nathan: Viuit Dominus quoniam filius mortis eſt vir, qui fecit hoc. Ouem reddet in quadruplum, eò quòd fecerit verbum iſtud, & non pepercerit.* At poſtquam poſt Nathan ſciuit parabolæ explicationem, & ſe tanti facinoris ignouit authorem, lenior iam factus ait: *Peccaui Domino.* Supra culpam exaggerat, crimen morte plectendum pronunriat, legem de reſtituendo quadruplo pro furto adducit, nunc ſolùm ait: *Peccaui Domino.* Cur non magis ait, Filius ſum mortis, quadruplum reddam, ſed illis omiſſis, ad ſimplicem ſui peccati confugit confeſſionem? Equidem erat Rex homo, & ideò non ſibi, ſed aliis volebat regium rigorem. Pulchrè D.Baſil. Seleuc.
Baſil. orat.17. inquit: *Ob peccatum ſuum ſic officitur, at ob alienum regiè diſcernit.* Proh quàm ſeueros iudices agimus omnes homines erga alienos errores! quàm exactè ponderamus eorum grauitatem! quàm applicamus illis totum legum rigorem! At ergà noſtros quam blandè, quàm leniter, quot ſcaturiunt hinc inde excuſationes, quot humanæ fragilitatis memoriæ, quot proſiliunt rationes miſerationum! A Saulis ira ſeruauit Dauidem Michol Saulis filia, 1.Reg.19. Sed & eidem Dauidi fugienti dedit Abimelech Sacerdos Dei panes, dedit & gladium. Vtriuſque facinus fuit Soli reuelatum, & quòd filia liberaret infenſiſſimum ſibi hoſtem, & quòd eumdem Sacerdos Dei cibaret. Quid tunc Saul? Ad filiam ait, cap.19. *Quare ſic illuſiſti mihi, & dimiſiſti inimicum meum?* Ad Sacerdotem autem, cap. 22. *Morte morieris, Abimelech, tu, & omnis domus patris tui. Et ait Rex emiſſarijs, qui circumſtabant eum: Conuertimini, & interficite Sacerdotes Domini.* Quid ſeuerius? Sic nullam admittit excuſationem à Sacerdotibus, nullum eorum accuſabat verbum, ſed omnes ſuſpicatur reos mortis, & omnes iubet interfici. At erga filiam leniſſimus, nullum illi verbum aſperum dicit, & rem, quam vocat in Sacerdotibus rebellionem, in filia vocat luſum. Nihil hoc miracolum, erat Saul homo, qui ad propria non poterat non emolliri, etiam quando ſeueriſſimè caſtigabat aliena. Chryſoſt. homil. 33.
Chryſoſt. in 1. ad Corinth. 13. inquit: *Saule quid erat agreſtius, ſuriouſiuſve magis? Et tamen cùm hoſtem filia liberaſſet, ne vocem illi quidem acerbiorem emiſit: & propter quem Sacerdotes illos mactauit, filiam, cum eundem ſua ex ædibus dimiſiſſet, ne verbo quidem interpellauit tanta fraude commiſſa, ſine dubio, quòd validiori fræno, charitatis ... et, teneretur.* Neſcit penè ab hominibus aliter exerceri iudicium; omnia affectus iudicat, quos fratres, quos amicos, quos filios habemus, Deus bone, quam ſicut noſmet ipſos amamus, eorum etiam turpiſſima facinora putamus luſum, nihilque in eis inuenimus examinationis dignum. At erga alienos, à nobiſque diſſitos diſtrictiſſimè agimus, omnia illorum ſunt apud nos facinora, & crimina, vehementiſſiméque zelamus Dei, virtutiſque honorem in illis. Pro quo ſapienter D.Bernard.ſer.4. de Aduentu, ait: *Alij tam vehementer contra aliorum debito zelantur, vt videri poſſent eſurire, & ſitire iuſtitiam, ſi eſſet apud illos de ſuis quoque peccatis idem iudicium: ſed nunc pondus & pondus, vtrumque abominatio eſt apud Deum.* Bernard. Felix ille eſſet vir, qui non ſolùm ſeruos ad rationem reddẽdam vocaret, ſed ſimul & ſe, & filios, & amicos adduceret in idẽ periculum, vt quod de ſuis faceret iudicium, illud idem, & minimè aliud faceret de alienis delictis. Imò altera ſic ſuis permiſceret, vt minimè inter vtraque diſtingueret, ſed eiſdem trutinis aliena penſaret, quibus ſua.

§. III.

Manſuetudo, & ſuauitas, non ſtrictus rigor, præſtantes elicit, & alit virtutes.

FLoridiſſimorum cœlis regnum, in quo virtutum præſtantiſſimarum ſegetes metuntur, meritò dicitur comparari homini Regi, non leoni Regi; non enim ſtrictus rigor, & feralis laniena valet ad eliciendas, fouendaſque præſtantes virtutes, ſed id præſtant hominis ſuauitas, & manſuetudo. Quis neſciat nauiculam illam, in qua ibat Saluator, penè ventorum quaſſatam turbinibus, fluctuum aſſultibus verberatam, æſtus inundationis ſuperfluam, & penè obrutam, iam iam titubantem? Tunc ait Luc.c.8. *At ille ſurgens increpauit ventum, & tempeſtatem aquæ; & ceſſauit, & facta eſt tranquillitas.* Luc.8. Non ſolum ceſſat tempeſtas, ſed noua, & inuſitata exoritur tranquillitas. Sed mirandum, quòd adeò turbatum mare increpationem perhorreſcat, & ſeſe contineat intra carceres, quando vel infirmi ſeruuli dominorum increpationibus magis ſolent irritari, & vehementibus iris rapi. Qui ergo fieri potuit, quòd increpatio ſola Domini tam efferum, & violentum ſeruum in tam bonam frugem ſubitò transmutaret. Non equidem ſola increpatio id effecit, ſed benignitas, & ſuauitas increpantis ab initio conditionis nota, & manifeſtata in congregandis aquis. Aiebat acutè D.Baſil. Seleuc. orat 22. *Verbo minaci mare continet Deus, & modico voce ingens elementum frænabatur. Recognoſcebat enim veterem vocem, recordabatur antiqui præcepti: Congregentur aquæ in vnum locum,* &c. Baſil.Sel. Suauitas, & benignitas Creatoris, qua ab initio locum, & ſedem aptam prouidebat aquis: ea inter minas, & increpationes recognita valuit turbulentiſſimos fluctus frænare, & reducere in tranquillitatem. Non tam ſtrictus rigor, quàm ſuauitas poteſt rebelles mentes reducere in mores placidos. De ſummo omnium moderatore locutus Dominus ait Ioann.15. *Pater meus agricola eſt.* Ioann.15. Quid agricola ad regnum? Agricola ad extirpandas ſpinas, eradicandáſque, ad vineas colendas, ad nemora plantanda, erigendáque aptatur: verùm ad mores hominum componendos, quid poteſt agricola præſtare? Sapienter D.Ambroſ. rem Ambroſ. tractat, lib 3 de virg. fatus: *Sæpè etiam relicto aratro, ipſe validus agricola digito ſolum ſcalpit, vt florum deponat radices, & aſperis manibus, quibus luctantes inter vincla flectit iuuencos, molliter omnium preſſat vbera.* Expende, quæſo, pulcherrima verba, & pulchriorem mentem Ambroſij: duo officia exercet agricola, circa quæ etiam dupliciter ſe habet: proſcindenda illa terra eſt, ferique iuuenci domandi, tunc flores colendi illi ſunt, lacteæque diuitiæ ſugendæ. Ad proſcindendam terram dura ferri adhibet aratra: ad iuuencos domandos lacertoſis, duritiémque halantibus vtitur brachiis, aſperrimiſque manibus. Verùm vbi ad flores nutriendos ventum eſt ad lacteas diuitias ſugenda, non ibi aratri ferrea cuſpis, ſed digitos ſolùm ſcalpit; non lacertoſa brachia, regentéſque manus, ſed manus in mollitudinem efformatæ omnium vbera nouerunt preſtare. Poteſt equidem ferrea cuſpis ſpinas proſcindere; poteſt lacertorum durities iuuencos luctantes comprimere: at flores educere, lacteos ſuccos ab vberibus exprimere, nec potuit aratrum, nec lacertorum durities, ſed ſuauitas & manuum mollitudo. Quid pulcrius?

Strictus rigor, & seueritas potest forsan sceleratos comprimere: at floridas virtutes, dulcissimos morum fructus educere omnino non potest: vt iuuencæ ferocia comprimatur, opus est violentiæ, & asperitatis, vt eiusdem vbera dulces succos emittant, non est opus lacertorum, sed manus molliter, suauitérque ductæ. Quisquis ergo effrænatos velit comprimere mores, regiam induat seueritatem, & agricolæ vtatur ferro; at qui velit præstantes virtutes producere, addat lenitudinem, & suauitatem hominis. Titum dum admonebat Paulus, cap.2. ait: *Argue cum omni imperio*; at verò
Tit.2.
Tim.7. admonens Timotheum, cap.7. fatur. *Argue, obsecra.* &c. in Tito solam regiam seueritatem requirebat: in Timotheo & lenitudinem amabat hominis, dum ait, *obsecra.* Quocirca
Anselm. D.Anselm. ait: *Quid est, quòd vni imperium, alij patientiam præcipit, nisi quòd vnum lenioris, alterum feruentioris spiritus esse conspexit? Leni per authoritatem imperij iungenda erat seueritas verbi: is autem, qui spiritu feruebat, per patientiam temperandus fuerat, ne plus iusto inseruiscens, non ad salutem vulnerata reduceret, sed sana vulneraret.* Sanè vt aliquando stringendum est ferrum ad proscindendas spinas, sic etiam cohibenda est, & dissimulanda austeritas, & rigor, vt spes salutis ad calorem charitatis oriatur.

Text. Et cùm cœpisset rationem ponere, oblatus est ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta.

§. IV.

Non parua Dei misericordia fit illi, cui iudicij seueritas diuini non differtur.

VIx incipit Dominus iudicium facere, & ecce iudici sistitur decem millium talentorum debitor. Cur tanto debitori non largius spatium datur, vt sua componat? In iudiciis humanis solent in primis res minoris momenti discuti; quæ grauiores sunt, reseruantur in posterum, & præcipuè maioris summæ debitoribus longiores dantur induciæ. Cur non sic in diuinis, sed tot millium talentorum debitor, recens sedenti iudicio iam sistitur? Non tribuas hoc crudelitati Regis suos debitores augentis ante sententiam, sed potiùs misericordiæ, eò citiùs vocanti ad iudicium, quem debitorem magis diligit. Apud Ezech.cap.9. missurus suos ministros Dominus, qui rationes peccatorum sumerent, & inferrent supplicium, hoc illis mandat in primis:
Ezech.9. *A sanctuario meo incipite.* Septuaginta, *A sanctis meis incipite.* Et quomodo iuberet sanctos suos in primis sub gladio poni, nisi hoc pertineret ad misericordiam diuinam? Ait D.
Ambros. Ambros. in Psalm.118. serm.20. *Quos miseretur enim, citò castigat, vt non diutiùs efficiantur futuri expectatione iudicij, non prolixiùs misera reatus sorte macerentur.* Quid induciæ largiores efficiant, nisi angustiam, & prolixum dolorem in his, qui habent, vnde timeant iudicium? Grauior ipsa morte censetur à plurimis mortis timor; & sanè suppliciorum expectatio vehementer angit impios. Vide D. Petrus locu-
2.Petr.2. tus de Angelorum rebellium supplicio, ait, epist. 2. *Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reseruari.* Non statim totum cum illis iudicium peregit; sed data ex tunc pœna grauissima damni, & ignis, adhuc iubet eos expectare damnationem æternæ reclusionis, quam post hominum omnium iudicium ipsi postremi capiant. Sic Apoc.20.
Apoc.20. de impiis hominibus inquit: *Et descendit ignis à Deo de cælo, & deuorauit eos; & diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis*, &c. Priùs impij vorabuntur ab ignita Dei sententia, deinde illorum seductor diabolus. Et cur hæc diaboli damnatio sic in posterum reseruatur, nisi in maiorem dolorem, & tormentum diaboli, qui illius expectatione vehementissimè cruciatur? D.Ambros. ser.20. in Psal.118.
Ambros. *Differtur diaboli iudicium, vt sit semper in pœnis reus, semper improbitatis suæ innexus catenæ, conscientiæque suæ: vt in perpetuum sustineat ipse iudicium.* Dolor ille, quem auditio sententiæ causabit, etsi maximus, tamen breuiter finietur: hinc est, quòd vt Dominus aduersùs nocentiores illum dolorem extendat, illum plus faciat ab impiis expectari, vt per expectationem, non instantaneam, sed quasi æternam, sustineant illam vocem damnationis suæ, & habeant iudicium, non vt cæteri in ictu oculi, sed in perpetuum. Quò spectant illa: *Differtur diaboli iudicium, vt in perpetuum sustineat ipse*
Psal.118. *iudicium.* Nouit hoc, qui clamabat, Psalm.118. *Iudica iudicium meum, & libera me: propter nomen tuum viuifica me. Longè est à peccatoribus salus, quoniam iustificationes tuas non exquisierunt.* In eo ponit salutem suam, quòd citiùs iudicetur; & in eo à peccatoribus longè facit salutem, quòd eis iudicium differatur. Ait enim ibi D.Ambros. vbi suprà: *Quorum serum est iudicium, eorum salus longè est.* Quomodo enim salutis habebit proxima gaudia, qui non cessat iudicij seuerissimi expectatione vexari? Sanè hæc vna expectatio longè facit omnem salutis gustum ab anima. Huc traho dicta 3.tom.lib.13.cap.1.§.3.

§. V.

Principum, & Prælatorum peccata, etiam quæ minima apparent, grauissima solent esse, grauissimámque Dei sententiam sustinent.

NOn immeritò, ex eo, quòd hic homo primus trahitur in iudicium, colligit Origen. per illum debere intelligi Prælatos, quando solemne est Deo iudicium incipere à Sanctis suis; hoc est, à Prælatis, & Principibus populi, Ezechiel. 9. Sed notandum, quòd hic Prælatus dicatur debere decem millia talenta; quod enim minimum forsan apparet in Prælatis erratum, id talentum est, hoc est, maximum peccatum, & grauissimum. Orig. hom.7. in Matth. ait: *Nihil* Origen.
modicum, sed omnia maxima, & pessima peccauit iste, qui oblatus est Regi. Quantum à denariis talentum distat, tantum distant à subditorum peccatis, etiam quæ in Prælatis apparent minima. Moyses de mandato Dei descendebat in Ægyptum, Israëliticum populum inde deducturus, Exod.4. *Cum esset in* Exod.4.
itinere in diuersorio occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum. Quanta hæc mortis pœna? Quale peccatum habebat Moyses, per quod fieret tanti supplicij dignus? Sanè qualecumque esset illud peccatum, non magnum apparet; incredibile est enim, quòd vir paulò antè ad visionem rubi ardentis admissus, colloquio Dei nobilitatus, populi sceptro insignitus, tam citò crimen aliquod magnum commisisset; quòd si propter humanam infirmitatem id commisisset, etiam videtur incredibile, quòd vir Dei colloquiis illustratus magnum aliquod crimen non recognosceret, non aduerteret. Ergo quando nõ aduertebatur quodcumque illud esset, non apparebat, sed minimum. Cur ergo Deus vel ad minimum peccati Moysis sic excandet? Cur tantam in illum mortis pœnam comminiscitur? An quia in Prælatis & Principibus etiam, quæ apparent minima, magna sunt, & grauissima? Ait Author quæst. veteris Testam. apud August.
q.16. *Ideò sic infestum Angelum in se vidit Moyses, & paratum* August.
ad vindictam, quia viri sublimis culpa, graue peccatum est: quantò enim persona sublimior est, tantò magis leue delictum eius. Quod verò à summo viro, vtpote à ductore populi fit, acerbissimum est peccatum. Acerbissimum est peccatum, quod à ductore populi fit; quasi putet Author in peccatis Prælatorum non posse esse mediocre; & quidem quod aliàs censeretur minimum, in iis longè maius suspicit incrementum. Propone tibi modò ob oculos præsentem huius parabolæ ministrum, scilicet hominem, qui debebat domino suo decem millia talẽta, & simul ex Zachar.5. fœminam super talentum plumbi sedentem. Ait enim cap. 5. *Ecce talentum plumbi portabatur,* Zach.5.
& ecce mulier vna sedens in medio amphoræ. Et dixit: Hæc est impietas. Ecce totam fœminæ huius impietatem, imò absolutam impietatem, & piissimam in vno talento plumbi expressam: & in homine illo decem millibus talentis vix exprimitur iniquitas. Cur ad expressissimam impietatis imaginem sufficit in Zacharia vnum plumbi talentum, & in Euangelio decem millia talentorum assumuntur? Rationem videtur insinuasse Interlinealis, aiens: *Per hanc amphoram ostendo tibi peccata populi.* Ostendebantur peccata po- Interlin.
puli in amphora Zachariæ, ad quorum ostendendam grauitatem satis plumbi talentum videbatur; at in Euangelio ostenduntur Prælati peccata, quæ vt maiora popularibus, sic non vnico, sed decenis millenis talentis exprimebantur. Quò refero illud Ecclesiast.cap.10. *Si spiritus potestatem ha-* Eccles.10.
bentis ascenderit super te, locum tuum non dimiseris, quia curatio faciet cessare peccata maxima. Et quæ curatio facit cessare peccata maxima? Illa, quæ facit hominem in subditi statu manere, ne ad dignitatum principatus prosiliat. Sic Campen- Campens.
sis paraphrasis ait: *Si dominandi cupiditas animum tuum inuaserit, locum priorem ne facilè deserueris; qui enim compescit in huiusmodi cupiditatibus animum suum, multa vitabit, & grauia peccata.* Hæc ille ait, quasi putans principatibus, & prælaturis assuta, non qualiacumque peccata, sed grauissima, sed maxima.

§. VI.

§. VI.

Grauissimum hominis malum est, quòd ipse ex se nullam memoriam habeat futuri iudicij: vbi & felicitas illius, qui sese iudicio frequenter sistit.

EXpende, vnde incipiat ostendi miserrimus hominis status; dicitur enim, quòd allatus est vnus, non quòd ipse venit, non quòd ipse iudicij locum voluit videre; sed quòd repentè, & coactè, & prorsus ignorans ipse allatus est. Quid in homine peius, quàm quòd ipse ex se totam iudicij curam abiiciat? Quàm, quòd iudicium nesciat, nisi vbi velit, nolit, sistetur illi? Fallar, nisi hoc grauissimum sit malum in
Psal. 9. hominibus. Psalm. 9. de homine iam deplorato ait: *Non est Deus in conspectu eius, polluantur viæ eius in omni tempore, auferuntur iudicia tua à facie eius.* Quid periculosius in homine, quàm faciem à iudicio Dei auertere? D. August. serm. 120. de Tempore: *Irremediabile periculum est, sic aliquem vitiis, & cupiditatibus frena laxare, vt se rationem Deo non meminerit redditurum. Puto, quia magna sit iam peccati pœna, metum, ac memoriam futuri perdidisse iudicij.* Et meritò iudicij obliuio, irremediabile periculum vocatur; vix enim apparet, vnde homini medicina veniat, si iudicij vltimi diem prorsus à memoria
Eccles. 5. sua segregat. Ad hæc Ecclesiastes, cap. 5. *Est & alia infirmitas, quam vidi sub Sole, diuitiæ conseruatæ in malum Domini sui.* Et quæ diuitiæ in malum Domini conseruantur? Diuitiæ, quæ tollunt iudicij memoriam, eæ sunt, quæ penè irremediabile malum causent. Sic Chaldæus Casti: *Est autem perniciosum malum, quod vidi sub Sole, cui medicina non est, homo, qui diuitias congregat, neque ... ad pietatem confert, parum sane prauidens dierum finem. Hæc enim substantia illi in perniciem venturo sæculo seruatur.* Ecce tibi perniciosum malum, cui medicina non est, quod irremediabile vocatur à D. Augustino, nimirum malum, quo inter accepta mundi bona, minimè finis, & reddenda ratio videatur. Heu miser homo, qui illius diei lucem abnegat, qui refugit tanti examinis claritatem. Cla-
Psal. 33. mat Dauid Psalm. 33. *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur.* Qui fieri potest, quòd peccatorum facies non confundantur, vbi sub luce Dei omnia opera sua appareant? Modum ostendit Psaltes illis verbis: *Accedite ad eum*, nimirum, ne expectetis, vt vi, & coactè trahamini, vos ipsi accedite, & sæpè accedite ad tanti diei lucem, & nullum damnum, sed magnam vtilitatem capietis; ille solùm accipit damnum, qui nec amat iudicij recordari. Ad
Basilius. hæc D. Basil. ibi. *Omnis, qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt eius opera non manifestentur. Accedite igitur ad ipsum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur. Beatus, qui in die iusti iudicij, quando venerit Dominus ad illuminandum abscondita tenebrarum, & manifestandum consilia cordium, absque ... illa redargutionem consistet.* Vt irremediabile penè malum est, vel à memoria iudicij abstinere, & fugere, & in iudiciū nequissimæ animæ, deploratæque salutis: sic frequenter accedere ad iudicium cordis scrutinium, & reuelationem sustinere, iudici sese in dies sistere, indicium est hominis electi ad beatitudinem. Miser, qui affertur, qui trahitur inuitus ad illustrationem iudicij: felix, qui per se ipsum ac-
Psal. 98. cedit, & examen sustinet. Quippè ait Psalm. 98 *Honor Regis iudicium diligit.* Et quale iudicium bonus Rex diligit? Qui natus est Rex Iudæorum, cui crucem ascendens, titulum ibi Regis ostendit scriptum, quale iudicium diligit? An iudicium, ad quod miseri trahentur inuiti? Absit; minimè natus, & crucifixus Rex illud iudicium diligit; sed iudicium diligit, ad quod volentes accedamus, vt dum nos ipsos diiudicamus, liberemur à seueritate iudicij. Ait D. Bernard. ser. 3.
Bernard. in Aduentu: *Diligit enim animam, quæ in conspectu eius, & sine intermissione considerat, & sine simulatione diiudicat seipsam. Idque iudicium non nisi propter nos à nobis exigit, quia si nosmetipsos diiudicauerimus, non vtique iudicabimur.* Hæc ille.

§. VII.

Summum hominis discrimen est, quòd vnicum sustineat iudicium diuinum.

TAntorum talentorum debitor nullum aliud dicitur sustinuisse iudicium, sed nunc primò, & vltimò se sistit iudici requirenti rationem muneris. Quid periculosius homini? Nescio si tanti discriminis sit tantum talentorum debitum, quanti discriminis est, vnico semel tantùm Dei sisti iudicio. Sanè Sap. cap. 6. loquens cum Principibus mundi, &
Sapient. 6. cum Prælatis, ait: *Horrendè, & citò apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum in his, qui præsunt, fiet.* Sed scire cupis, ex qua parte erit durius, & horribilius iudicium faciendum cum præsulibus, quàm iudicium faciendum cum popularibus? An quia peccata Principum maiori examine discutientur, vel maiori castigatione mulctabuntur? Minimè gentium; omniū enim peccata pari discussione proponentur, & sub debita pœna plectentur, siue sint peccata popularis, siue Principis. Vnde ergo durius erit iudicium Principum? Ex eo, quòd Principes, & Prælati nullum aliud vmquam subierint iudicium, sed nunc primò, & vltimò adeant iudicio. Sic Galfridus apud Tilmannum in allegoriis: *Iudicant quotidie in Ecclesia Dei prælati subditos: semel veniet Dominus iudicare Prælatos. Quotidie eum monachi suis Abbates videntur exhibere iudicium. Sed numquid melior est Abbatum conditio, qui videntur expectare nouissimum? Et quàm miseri sunt, qui gloriantur, quòd videantur humanum euasisse; quàm trepidi venient ad diuinum? Quàm terribile illud capitulum erit, quòd semel, & nihil deinceps susceperint corrigendum?* Sapienter equidem est dictum, quòd durissimum sit, & horribilissimum, quòd homines ad rem necessariam, & plenam periculi, & discriminis cogantur tantùm semel venire. Felix, qui non semel, nec tunc primùm sese iudici sistit, sed frequenter tribunal intrat, examen sustinet, sententiam subit, & pœna afficitur, hic nō habet, quod timeat in supremo iudicio. Aiebat Dominus
Ioan. 12. Ioan. 12. *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* Et cur princeps mundi periit tunc, & eiectus fuit foras? Inter alia plurima hæc causa insinuatur etiam ibi: *nunc iudicium est*, nimirum, nunc primò in Dei iudicium venit, nullum antea passus examen à seipso, nec ab alia creatura passus iudicium. Ex quo monebat D. Bernard. serm.
Bernard. ad milites templi, cap. 8. *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras. Erit iudicium cæli, quando ipsum vocabitur cælum desursum, & terra discernere populum suum; in quo sanè timendum, ne proiiciaris tu cum ipso, & Angelis eius, si tamen tunc ... fueris iniudicatus.* Expende, qualem causam apponat timoris, nimirum, si ad iudicium veneris iniudicatus; hoc est, nullum antea expertus iudicium. Plena equidem timoris res est, si nullum expertus iudicium, diuino te sistas iudici, quando mundi princeps, nec à se, nec ab alio diiudicatus, in iudicio Dei causa cecidit. Vnde Petrus 1. epist. 4. exhortans primitiuos Christianos, dum ad tribunalia traherentur, ait: *Tempus est incipere iudicium à domo Dei.* Et
1. Pet. 4. cur Dei domestici sic anticipata tribunalia, & iudicia sustinerent? Ait D. Bernardus, vbi supra: *Propter hoc, ergo iudicium*
Bernard. *incipit à domo Dei, vt suos, quos nouit Iudex, cum venerit, inueniat iudicatos; & non nihil de eis habeat iudicare.* Qui enim alia nouit subire iudicia, cùm ad diuinum venerit, vix inuenit, quid timeat.

Text. Cùm autem non haberet, vnde redderet, iussit eum dominus eius venundari, & vxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi. Procidens autem seruus ille orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.

§. VIII.

Inde claret seueritas diuini iudicij, quòd nullum ibi manebit bonorum suffugium debitori.

MIserrimum est, quòd debitor Dei iudicio sistaris, nullum tibi manebit bonorum suffugium, de quo viuas; quando iudicante Deo, debitoris omnia venduntur, & vxor. Cur & venditur vxor? Nónne vxoris pars libera est, in quauis spoliatione, quæ iure propter mariti debita fiat? Hoc iubent Senatusconsulta, hoc iustitiæ leges mandant, quòd vxorū dotes integræ sint, & intactæ, adeò vt in iudiciis debitor quisquis ad vxoris dotem respiciat, de qua postmodum viuat. Sunt, fateor, vxorū dotes solatium, & suffugium debitorum in iudiciis humanis, at iudicante Deo, nullum suffugium manet improbis, & omnia bona, & filij, & vxoris dotes, & ipsa vxor perduntur. Propone tibi ob oculos primum illum Dei debitorem, nimirum, Adamum, ea nomine vocatum ad Dei iudicium, Genesis 3. non solùm paradisi hæreditate spoliatur, sed & ipse, & vxor venundatur sub peccato, & eorum possessio, terra subditur & maledictis, & spinis. Hoccine est Dei iudicium, in quo omnia debitoris bona pereunt cum ipsa vxoria dote, imò cum vxore ipsa, ne quid

remaneat, vnde viuat. Ex quo lucem capit Tertullianus, Tertull. libro de pœnitentia, cap. 1. inquiens: *Deus, poſt tot, ac tanta delicta humanæ temeritatis à Principe generis Adam auſpicata: poſt condemnatum hominem cum ſæculi dote, poſt eiectum paradiſo*, &c Expende verba illa, *poſt condemnatum hominem cum ſæculi dote*; quippè Adam acceperat à Deo Euam in vxorem, ſimúlque orbem vniuerſum in dotem tanti matrimonij, qua coniuges viuerent, & in filios diuiderent, & nepotes. Verùm ibi miſer Adam debitor apparuit in Dei iudicio, omnibus bonis ſpoliatus eſt, adeò vt nulli rei parceretur, nec etiam ſæculi doti, nec remaneret miſero, vnde lætus viueret. De hac ſeueriſſima die meritò ait Ioel, cap. 1. *Propè eſt dies Domini, & quaſi vaſtitas à potente veniet*. Vbi D. Ælredus Ælredus. in cap. 13. Iſai. ait: *Hæc vtique dies tanquam vaſtitas à Domino veniet. Quid enim dies illa non deuaſtat? Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, ait quidam ſanctus, & nudus reuertar illuc. Vbi ergo diuitiæ, vbi lætitiæ, vbi pulchritudo corporis, vbi fortitudo? Omnia certè morientis vaſtantur*. Vbi ad Dei iudicium venitur, ſic omnia debitoris bona vaſtantur, vt nullum videat, à quo valeat aliquam ſpem conſolationis accipere. Vide apud Lucam Dominum petentem rationem à villico, ait enim, *Redde rationem villicationis tuæ; iam enim non poteris villicare. Ait autem villicus intra ſe: Quid faciam?* Expende illa verba, *ait intra ſe*, &c. Non cum alio aliquando loquitur, non conſulit amicum, non vxorem, non filium. Et quis credat, quòd famoſiſſimus villicus non multos haberet amicos, non multos ſeruos, non vxorem haberet, aut fratrem? Cur ergo non magis ad hos accedit? Cur ſolùm intra ſe loquitor? Habuiſſet amicos, & fratres, & vxorem villicus iſte; at vbi ad reddendam rationem Deo Iudici ſiſtitur, omnes illi euanent, & tolluntur, nec vllus remanet, à quo conſolationem accipiat. Pulchrè Chryſol. ſerm. 125. inquit: Chryſol. *Quærit, inquit, intra ſe conſilium, qui foris, vnde ſibi iam ſuccurreret, non habeat*. Is eſt rigor diuini iudicij, qui nulli externo bono parcat, qui nil patitur ſubſiſtere, vnde debitores ſolatium poſſint habere; quinimò omnia illis conuertuntur in aſperitatem, & duritiem, vt dicat Tertul. lib. de idololatria: Tertull. *Nec illæ litteræ regnantes, victoria oris noſtri in die iudicij aduerſus nos proferuntur ſignata ſigna, non iam Aduocatorum, ſed Angelorum*. Expende illud, *non iam Aduocatorum*; aderunt Angeli Dei iudicio, ſed non qui Aduocati ſint, ſed qui ſint accuſatores: proferentur noſtrorum debitorum chartæ, & ſchedulæ; ſed in quibus nulla ſubſcriptio, nullum ſignum appareat Aduocati defendentis, ſed ſola ibi debita appareant, & accuſatio. Huc reuoca dicta tom. 3. lib. 13. cap. 1. § 1. & alibi.

§. IX.

Felix, qui in hac vita Deum iratum experitur; non enim ea ira, ſed miſericordia eſt.

MIrabat iudicem iubentem omnia bona debitoris, & filios, & vxorem venundari, & nihilominus non dici tunc iratum iudicem. Paulò inferiùs dicitur, *& iratus Dominus tradidit eum tortoribus*, modò dicitur iuſſiſſe omnia eius venundari, & iratus non dicitur. Nónne ira eſt ſic perdere omnia debitoris? Ira eſt, ſed ira, quæ miſericordiam oleat, quæ non perdat, ſed faciat felicem: quæ non in gehennam abijciat, ſed ad pœnitentiam adducat; quippe poſt illam iram au... *videas autem ſeruum illum ...* [illegible] *eum, dicens*, &c. O quàm felix peccator, cui iraſcitur Dominus in hac vita, qui Deum iraſcentem experitur, non diu ſub ira manebit, ſed ocyſſimè ad gratiam ibit. Melliſluus totus factus eſt Bernard. Bernard. ſerm. 42. in Cantic. inquiens: *Miſereamur impio, dicis, & non diſcet facere iuſtitiam. Miſericordiam hanc ego nolo. Super omnem iram miſeratio iſta, ſi ...* [illegible] *viam iuſtitiæ. Satis proſectò, mihi apprehendere diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & peream de via iuſta. Volo ...* [illegible] *mihi, Pater miſericordiarum; ſed illa ira, qua ...* [illegible] *non qua excendis deuia. Illud ...* [illegible] *formidoloſa nutrit diſſimulatio.* Neſcin, an homini in hac vita quid magis periculoſum accidat, quàm quòd dum peccat, nihil à Deo recipiat mali, ſed potiùs omnia bene habeat. Formidoloſa eſt hæc diſſimulatio, quæ homini damnationem prænunciat maximam, & oſtendit ſalutem penè deploratam. Satius quòd iraſcatur Deus in erroribus noſtris, & caſtiget in præſenti peccata Pſal. 98. noſtra. De Deo chariſſimis locutus Pſalm. 98 ait: *Deus, tu propitius fuiſti eis, & vlciſcens in omnes adinuentiones eorum*. Quomodo propitius, ſi vlciſcens? Ideò propitius, quia nullum peccatum diſſimulabat, ſed peccatis ſingulis vltio aderat, ex qua ratione reddebantur in mentem ſanam. De quo D. Bernardus, vbi ſuprà: Bernard. *Hoc vocat propitiationem, quòd iram Deus non perpetit ex eis*. Numquam Deus peccatori magis propitiatur, quam vbi nullum eius peccatum inultum patitur. Vltio hæc, ira hæc Dei non perdit, ſed coronat amicos. Per Iſaiam, cap. 13. Iſai. 13. *Ego mandaui ſanctificatis meis, & vocaui fortes meos in ira mea, exultantes in gloria*. Expende, qualiter trahat fortes ſuos Dominus ad glorioſam exultationem, mirum, *in ira mea*. Ira enim Dei quæ in hac vita exercetur circa hominum peccata, non perditionem, ſed coronas parit. D. Ælred. apud Tilmannum in allegor. ait: Ælredus. *Hic vocat ... ira Dei, qua electi puniti ſunt, vt coronarentur*. Qui frequenter iram Dei ſentit in erroribus ſuis, is ſe intra Dei domeſticos, intra reſeruatos ad vitam, & coronam annumeret. Ille metuat, qui dum totus eſt in peccatis, nihil à Deo experitur, non blandum non beneuolum, non amicum. Quis magis in peccatis, quàm Iudas? Et tamen qui Petrum increpuit Dominus, & Sathanam vocauit, Iudæ nullum verbum aſperum dixit, ſed amicum ſe illi exhibuit; ſed & buccella panis, & ſacramento ſui corporis honorauit. Et cur non magis fulmen contorſit in Iudam, ſed corpus ſuum illi præbere maluit. Hildebertus Epiſc. epiſt. 64. ait: Hildeb. *Iudas prius ad mortem ſaginatus eſt corpore, quod erat traditurus*. Et quidem cùm vitulus ad mortem deſtinatur, tota paſtoris cura circa illum inuenitur, & cùm cæteros ſtimulis petat, cauet, ne hic malum incurrat, ſed lætiſſimam paſcuam accipiat, qua totus abeat in ſaginam. Sic Dominus qui dilectos corripit, multa indulgebat illi, qui in diaboli macellum abibat. Quo ſpectabat Minutius Felix in Octauio, cum impiis diteſcentibus locutus: Minutius. *Niſi fortè vos decipit, quod Deum neſcientes diuitiis affluant, honoribus floreant, polleant poteſtatibus. Miſeri in hoc altius tolluntur, vt decidant altiùs. Hi enim vt victimæ ad ſupplicium ſaginantur, vt beſtiæ ad pœnam coronantur*. Vt moris erat hoſtias coronari, & coronatas ad mortem duci, ſic impios proſperitatibus coronatos deſignat iam mors futura. Huc voca dicta 1. tom. lib. 3 cap. 7. §. 9. & tom. 5. lib. 12. cap. 5. §. 1.

Text. Miſertus autem Dominus ſerui illius, dimiſit eum, & debitum dimiſit ei.

§. X.

Qui à primordio iuſtus fuit, etiam poſt ingentia peccata, ſi conuertatur, promptiorem, & faciliorem Dei miſericordiam inuenit.

DEcem millia talenta qui debebat, iam iam puniendus humili corde procidens, vnum verbum pœnitentiæ dixit, & ecce tibi abſque mora, *miſertus Dominus ſerui illius, dimiſit eum* &c. Et cur tam facilè, tam promptè miſertus eſt dominus? Rationem inuenio in verbis illis, *miſertus dominus ſerui illius*; fuerat equidem hic debitor vnus è ſeruis, è domeſticis Dei, & dignus habitus apud illum, cui tot crederentur talenta, & negotia virtutum: quæ etſi diſſipauit, etſi perdidit omnia, tamen compunctus facilem, & promptum ad miſerandum Deum inuenit. Is enim eſt Deus, qui facili negotio, & abſque mora currat ad illos, quos à primordio charos habuit, ſi vel poſt ingentia peccata conuerſi veniam requirant. Matth. 3. venit Ieſus ad Ioannem, vbi baptizaretur ab illo: Matth. 3. *Baptizatus autem Ieſus, confeſtim aſcendit de aqua, & ecce aperti ſunt ei cæli: & vidit ſpiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe*. Triginta annos vixerat Ieſus in mundo, nec vmquam oſtendit hominibus cælum adeò facile, & promptum ad ſe aperiendum, nec Spiritum ſanctum ſic de cælis ad nos volantem, vt oſtendit modò, cùm aquas tangit vmbratilis baptiſmi. Et cur ad has aquas ſic omnia cæleſtia, facilia, & prompta oſtenduntur? Sanè aquæ à primordio Deo ſe ſubiecerunt, ait enim Geneſ. 1. Geneſ. 1. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*; & quæ à primordio Deo ſeruierant, vel poſt longiſſima tempora, ſi ad idem remittantur ſeruitium, & prompta, & facilia cæleſtia omnia, & Dei aduolantem inueniunt ſpiritum. Pulchrè aiebat Tertul. lib. de baptiſm. Tertull. *Tunc ille ſanctiſſimus Spiritus ſuper emundata, & benedicta corpora libens à Patre deſcendit ſuper baptiſmi aquas, tanquam priſtinam ſedem recognoſcens conquieſcit*. Expende illa verba *priſtinam ſedem recognoſcens*; non longinquitas temporis, non interpoſitæ tantorum annorum noctes, non homicidia in aquis perpetrata, non latronum, ſeu piratarum claſſes currentes per vndas, potuerunt oblitterare priſtina aquarum ſeruitia, vbi aquæ ſeſe Ieſu ſubmittunt, ſed abſque mora in illis diuinus Spiritus recognoſcit

priſtinam

pristinam suam sedem, & aduolat requieturus in illa. Felix quicumque a primordio sedem fecit Deo in animo suo; is vel post turpissima facinora, & antiquata scelera, si conuertatur, si pœnitens sese Deo sistat, omnia cælestia prompta, & aperta inuenit, & Dei spiritus recognoscens pristinam suam sedem, ocyssimè volabit ad illam. Notissimum fuit Ionathæ facinus, quo abiuratum à patre ieiunium violauit; imò & Dei offensio propter illud facinus est notissima, quam vt tolleret Saul, sententiam mortis tulit aduersùs peccatorem designatum à Domino; designauit Dominus

1. Reg. 14. Ionathã, qui de peccato accusatus ait, 1. Reg. 14. *Gustans gustaui in summitate virgæ, quæ erat in manu mea paululum mellis, & ecce ego morior.* Vix hæc confessionis, & compunctionis verba fecerat, & à Deo motus clamat populus: *Ergo ne Ionathas morietur, qui fecit salutem hanc magnam in Israel? Hoc nefas est; viuit Dominus, si ceciderit capillus de capite eius in terram, quia cum Deo operatus est hodie.* Nemo non sciebat præclara facta Ionathæ, & quod secum habuisset in illis Deum; sed hæc facta per peccatum abolita erant, & Deus adeò offensus, & auersus à Ionatha, vt illum manifestaret ad mortem. Cur ergo post Ionathæ confessionem, & compunctionem, sic Deus inspirat populo, vt pristinas Ionathæ virtutes proponat, eiusdémque cum Deo recolat familiaritatem, nisi quia in compunctis peccatoribus plurimum valent pristina seruitia, vt facilem, & promptum Deum faciant suppliciorum remissionem? Ait enim ibi Glossa: *Multum profuit translatio bona: cui enim Ionathan præterita bona innissent, imminentia mala non contigisset: non enim iniustus Deus, vt obliuiscatur bonorum.* Nec scelera, nec peccata adeò obliterant pristinas virtutes, quod vbi compunctio venerit, non meminerit illorum Dominus: quin potiùs pristina bona multum conducunt, vt de pœnitentia comite Deum alliciant, & peccatorum nexus absoluant. Chananæa fœmina multum ad Dominum clamat, nec clamanti Deus respondit, sed taciturnus quasi contemnit voces; at vix filius ille prodigus in se

Luc. 15. reuersus ad patrem pergit, & ait Lucas cap. 15. *Cum adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens,* &c. Nondum clamanti prodigo accurrit Dominus, & totam profundit misericordiam; & clamanti Chananææ obdurat aures, prætendit moras. Vnde hæc differen-

Mat. 15. tia oritur? Ipse ait Matth. 15. *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Chananæa nunquam inter Dei filios, nec inter Dei domesticos fuerat numerata; prodigus autem etsi nunc alienus, & adulterinus videbatur, tamen vnus è filiis fuerat in domo patris Dei natus, altus, & educatus, qui vel post tantam perditionem in se reuersus, de pristinarum virtutum commendatione, & facilem, & promptum imò & sibi accurrentem inuenit patrem. Multum equidem valent pristinæ virtutes, vt vel post peccata humiliato certissimam veniam trahant. De Iesu humilibus, & contritis veniam da-

Isa. 42. turo ait Isaias, cap. 42. *Calamum quassatum non confringet;* & meritò attritum, & humilem post peccata intelligit Procopius ibi calamum quassatum. Et cur Iesus adeò facilis, adeò bonus exhibeatur humiliato post peccata? Rem insinuat Hieronymus ex illo verbo, *calamum quassatum.* Quippe ait

Hieron. epist. ad Algasiam, quæst. 2. *Calamum fractum non conteret. Calamus fractus, qui fuit antea vocalis, & in laudes Domini continebat.* Sic post peccata humilitas pristina virtutibus commendata Deum nanciscitur, & benignum, & facilem.

Text. Egressus autem seruus ille inuenit vnum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios: & tenens suffocabat eum, dicens: Redde, quod debes. Et procidens conseruus eius, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit, sed abiit, & misit eum in carcerem, donec redderet debitum.

§. XI.

Mortis iudiciique memoria sic continet hominem, vt minimè illum sinat vel inimicis nocere.

EGressus autem seruus ille inuenit debitorem suum, quem apprehendens suffocabat pro debito, nec vllis parcere volebat. Et vnde egressus ad talia venit? Equidem egressus à conspectu iudicij sui, egressus à iudicis diuini conspectu, in suum debitorem exardescit; nunquam enim talia auderet, si à conspectu iudicis non fuisset egressus. Quisquis illam postremam horam mente versat; quisquis nescit egredi a consideratione vltimi illius conflictus, sed totus in illo est, fallar, nisi amet parcere etiam hostibus vniuersis. Vidisti aliquando Deum ipsum iratum in homines rebelles, homines sibi inimicos, quos diluuio perdidit, & post perditos infensissimos hostes illos prænoscens alios

nascituros in terra, Genes. 9. *Dixit Dominus ad Noe, & ad filios eius cum eo: Ecce ego statuam pactum meum vobiscum: nec erit deinceps diluuium dissipans terram,* &c. Cur sic mansuescit Dominus in homines futuros? Nunquid & ipsi futuri erant etiam hostes, & rebelles? Quòd si rebelles, & hostes futuri erant, cur promittit Deus se non vindicaturum de illis? Rem insinuat lectio Græca apud D. Chrysostom. vbi habet: *Ecce statuo testamentum meum vobiscum, nec erit deinceps diluuium.* Et quidem vbi testamentum meminit, & mortem meminit subeundam, quam semper designat testamentum, nec potuit cum memoria mortalis illius conflictus, non aboleri totum vindictæ desiderium. Vtinam homines sic se considerarent, quasi iam accedentes ad testamentum condendum, numquam sanè meminissent vindictæ etiam de infensissimis hostibus sumendæ. Barbarissimi Ægyptij barbarissimè tractabant Israëlitas, propter quos durissimas plagas sustinebant à Deo, imò dilectissimos filios mortuos videbant. At inter hæc tantum abfuit, vt Ægyptij insurgerent in Israëlitas, quos malorum tantorum causas sciebant, quòd potiùs illos ad fugam, & profectionem hortarentur. Dicit

Num. 33. *Profecti igitur de Ramesse mense primo, quinta decima die mensis primi, altera die Phase, filij Israel in manu excelsa, videntibus cunctis Ægyptijs, & sepelientibus primogenitos,* &c. Quid miraculosius? Israelitæ post contritam Ægyptum, post spoliatos singulos Ægyptiorum, aureis spolijs onusti egrediebantur videntibus Ægyptijs, nec reclamãtibus, nec persequentibus, sed ad profectionem hortantibus. Vnde tam sedatus animus, & amicus ortus fuit in barbarissima natione erga suorum causas malorum? Nónne illos egredi videbant, cur non magis in illos insurgebant? Videbant illos egredi, sed & eisdem oculis simul videbant sepulturas suas adapertas, dum primogenitos sepeliebant; ait enim textus: *Videntibus Ægyptijs, & sepelientibus primogenitos;* mors autem ob oculos posita, non ad vindicandum, sed ad dimittendum illos promptos reddebat. Procopius ait: *Plaga imminens eorum refrænabat audaciam, promptósque ad dimittendos eos fecit.* Nequit equidem simul stare memoria mortis cum vindictæ desiderio, quin potiùs vbi illa est, [illegible] inuenitur iniuriarum obliuio & indulgẽtia. Nullus duriorem hostem passus fuit, quàm patiebatur Dauid Saulem; inter eius hostiles incursus, occasionem se vindicandi nactus, ingreditur Dauid hostis tentorium intempesta nocte, hominem dormientem inuenit, & lanceam ad eius caput. Quid tunc Dauid? An arrepta lancea confodit hostem, suósque finiuit labores? Absit; imò socium cupientem percutere cohibuit. 1. Regum 26.

Et dixit Dauid ad Abisai: Ne interficias eum; & simul ait: *Propitius sit mihi Dominus, ne extendam manum meam in Christum Domini.* Quis in Dauide tam iustam vindictam de infestissimo hoste cohibere potuit? Pulchrè alio datus Chrysostom. homil. de Dauide, & Saule ait: *Dauid inueniens inimicum dormientem socium, hinc maximè sumpsit animum Philosophicum. Conspiciebat illum dormientem, & de morte omnibus communi philosophabatur.* Non potuit vel à somno vmbra mortis eam non ebibere Philosophiam: qua indemnem, & prorsus liberum dimitteret etiam hostem. Ideo monebat Ecclesiasticus, cap. 28. *Memento nouissimorum, & desine inimicari.* Huc traho dicta tom. 3. lib. 14. cap. 7. §. 10. 1. Reg. 26. Chrysost. Eccles. 28.

§. XII.

Nimia festinatio in proximorum causis damnandis, & a malo venit, & nimis periculosum est.

EXpende notam damnosissimi exactoris in debitis fratrum nimirum, *Tenens suffocabat eum, dicens, Redde quod debes,* nullas suppetias inducias nullas misero debitori præstabat, nec manum paulisper ab illo retrahebat, sed magis augebat. suffocabat, omnia spatia præcidens respirandi. Sic damnosissimi homines sunt in causas fratrum; sic multos agit diabolus in fratres; numquam enim à Deo, sed à diabolo venit, hæc nimia, & præceps festinatio debitis exigendis a fratribus. Nouit aliquando Saul filium suum Ionatham reum sacramenti violati, & clamans ait 1. Reg. 14. *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia morte morieris, Ionatha.* Græcus 1. Reg. 14.

addit

addit apud Chrysost. *quia morte morieris hodie.* Quis non miretur religiosissimum Saulem, qui pro sacramento violato, nec proprio filio parcit? Nónne hæc erat Saulis religio, quæ illum impellebat ad tantam vindictam de Dei offensa sumendam? Absit; non enim religio, nec virtus, sed diabolus mouebat hominem; quod vt pateat, expende illa verba, *morieris hodie*; numquam equidem vera virtus tam præceps est, & festina in exigendis debitis proximorum, quòd omnes indutias amputet. Id solùm potest venire de furore diaboli. Chrysost. Chrysost. homil. 14. ad popul. ait: *Non simpliciter dixit, non morieris, sed hodie. Festinabat enim diabolus ipsum in hanc impiam agere cædem, & impellere. Propterea nec sententiæ studium adhibere permittit, ne qua ex mora mali fiat correctio.* Omnes indutiæ, omnia defensionis, siue emendationis spatia tolluntur, festinatissimè mors Ionathæ tractatur; faciebat hoc non religionis amor, non Dei offensi dolor, sed diabolus; quippè ait, *festinabat diabolus*; raro enim, aut numquam tanta festinatio castigationis ab alio venit, quàm à diabolo cupiente profusionem sanguinis humani. Vt meritò dicat Tertull. lib. Tertull. de patient. *Igitur natales impatientiæ in ipso diabolo deprehendo*; diabolicum consilium est, quòd nimis properè, & festinanter curramus in correctionem fratrum, nec inde potest Eccles. 28. elici, nisi sanguis. Aiebat Eccles. cap. 28. *Certamen festinatum accendit ignem, & lis festinans effundit sanguinem.* Quod est Carthus. certamen festinatum? Carthusian. ibi ait: *Increpatio impetuosa inflammat ignem, furorisque impetum.* Maximè cauendi sunt impetuosi motus, & nimis festinantes in fratres, vt qui ingentes irarum flammas soleant excitare. Sunt in litibus vniuersis sua decreta spatia, creatæ induciæ datæ, in quibus & Aduocatorum consultationes fiunt, & causæ pondus accuratiùs perpenditur, examinatur, quæ spatia si præ festinatione tollantur, nullum bonum iudicium potest sperari. Sic prorsus accidit in quauis causa, quam cum proximo habeas, si certes cum illo, si litiges sine temporis spatiis, sine indutiis, sine moroso consilio largissimam materiam ignibus dabis; proximi, imò Iesu prodiges sanguinem. Præclarè ait Tertul. Tertul. lib. de patient. *Nihil impetu actum, non aut offendit, aut corruit, aut præceps abit.* Hinc Psalm. 7. de Deo puniente pecPsalm. 7. cata, ait: *Deus iudex iustus, fortis, & patiens.* Cauit meritò iudicem iustum proponere, nisi & patientem adderet. Et cur necessum fuit punitiuæ iustitiæ patientiam addere? Pulchrè Cassiod. Cassiodorus ibi: *Quia vbi est feruida vindicta, non est temperata iustitia.* Et quas iustitiæ leges, & charitatis non conculcat feruidum cor, abruptumque ingenium in proximorum erroribus tractandis.

§. XIII.

Patientia expectantis dat, fratres posse lucrari.

Vnam hanc conditionem petit homo, nimirum, *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi*; dum enim exactor patientiam habeat, & sciat expectare, fallar, nisi omnium Tertul. lucrum faciat. Ad hæc eleganter Tertul. lib. de patient. *Erroneam ouem patientia pastoris requirit, & inuenit. Nam impatientia vnam facilè contemneret. Sed laborem inquisitionis patientia suscipit, & humeris insuper aduehit baiulus patiens peccatricem derelictam. Illum quoque prodigum filium patientia patris & recipit, & vestit, & pascit, & apud impatientem fratrem excusat.* Nec bellua, nec homo est, quem patientia non acquirat Deo; nisi Deo patientia esset, quomodo erratilis ouis non periret, cùm primùm fugit? Quomodo filius in substantiæ dissipatione non dissiparetur & ipse? Tolle patientiam, & perit filius viuendo luxuriosè, & petit ouis errabunda, imò vix vnus manet agnus, qui ad dexteram Dei consistat. Sic Oseas 4. vbi innumerosissimum populum accipit Dominus Osea 4. regendum ferrea virga, ait: *Pascet eos Dominus, sicut agnum in latitudine.* In verbo illo, *pascet*, summum Pastoris Dei rigorem, & iram intelligunt Theophylactus, Cyrillus, Theodor. Antioch. Hieron. & meritò vbi Deus inducitur irascens, & peccatores feriens, vix è numeroso populo agnum numerans. Rarus esset, aut nullus, qui cum hœdis non periret, si Deus statim peccatores puniret, & non magis circa illos patientiæ, & longanimitatis ostentaret diuitias. Præclarè Rom. 2. Paul. ad Rom. 2. *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans, quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te adducet.* Præclarè D. Bernard. serm. 9. in Cant. verborum consequentiam in eo ponit, quòd ex eo, quod Deus sit diues in patientia, non statim puniens, sed expectans per multa tempora, sequatur, quòd homines sese recipiant ad pœnitentiam. Et cur vocat diuitias patientiæ, & longanimitatis? Equidem patientia, & longanimitas duo sunt diuitiarum diuinarum fontes affluentissimi, quando ea faciunt animarum lucra, quibus Deus non potest non apparere ditissimus. Rem explico ex Psalm. 68. vbi ait Dominus: *Pauper, & dolens ego sum.* Psalm. 68. Pauperem se Deus vocat, dum inter locupletissimos cæli thesauros esset; quod si scire cupis, in quo consistat illa Dei paupertas, ait Chrysost. in Psalm. 9. *Pauper erat, quia nos esuriebat*; Chrysost. quasi tota Dei paupertas in eo esset, quòd raras ad se trahebat hominum animas. Qui ergo ignorat Dei paupertatem consistere in raritate animarum acquisitarum, ille & ignorabit patientiæ, & longanimitatis diuitias, quandoquidem patientia, & longanimitas ingentia lucra animarum faciunt. Et à patientia habet Deus tot lucra animarum, quibus non pauper, sed ditissimus appareat. Quicumque enim peccatores post pœnitentiam cælum replent, id patientiæ diuinæ debent referre. Naum c. 1. *Deus æmulator, & vlciscens Dominus, vlciscens Dominus, & habens furorem, vlciscens Dominus in hostes suos, & irascens ipse* Naum 1. *inimicis suis. Dominus patiens, & magnus fortitudine.* Inter tot exaggerationes diuini furoris, statim diuinam patientiam proponit: quòd si quæras, cur tibi tot iræ Dei ponderantur, patientia etiam proponitur? Sapienter respondet Rupert. lib. 1. in Nahum cap. 1. *Vt omnis pœnitens id, quod saluatur, debere se sciat expectantis patientiæ, & nullus impœnitens in damnatione sua derogare valeat, quasi festinantis impatientiæ.* Rupert. Duo asserit doctus Pater, ob quæ fuit necesse inter iras diuinas ostentatas, etiam ostentare patientiam: alterum, ne reprobi damnationem suam tribuerent Dei festinatissimæ iræ, feruidæque vindictæ: alterum, vt pœnitentes scirent, cui salutem suam debeant, nimirùm patientiæ. Et verè cùnctatio patiens multa mala corrigit, multa bona seminat. Ideo iram illam Saulis in filium, qua dicebat 1. Reg. 14. *Morieris hodie,* 1. Reg. 14. diabolo attribuit Chrysost. citatus §. præcedenti, illis ver- Chrysost. bis: *Festinabat diabolus ipsum in hanc impiam agere cædem, propterea nec scientia studium habere permittit, ne ex mora mali fiat correctio.* Nouerat malus, quot curationes malorum ex mora, & cunctatione consilij prodierint.

§. XIV.

Impœnitentibus detrimentosa est Dei patientia.

NOn paruam pœnam super se petit, nisi resipiscat, qui Dei patientiam petit, dicens: *Patientiam habe in me,* Psalm. 7. &c. patientia enim Dei valdè formidabilis est, & tremenda iis, qui nullam habent curam obtinendæ salutis. Psal. 7. *Deus iudex iustus, fortis, & patiens, numquid irascitur per singulos dies?* Hæc vltima verba sine interrogatione leguntur in Hebræo, & sine interrogatione transferuntur à pluribus. Aquila sic vertit: *Deus iudex, iustus, fortis, & patiens comminans, & infrendens in omni die.* Deum proponit nobis patientem, & simul dicit, quòd comminatur, & infrendet in omni die. Si singulis horis, & momentis comminatur, & infrendet, quo modo dicitur patiens? Sanè patientia Dei ea est, quæ impœnitentibus hominibus grauissimam intonet comminationem, & iudicium intolerabile. Aiebat D. Hieronym. *Pulchrè ait comminans, & infrendens omni die. Qui enim propter patientiam suam ita delicta non punit, quasi iratus, & comminatus, diem vltionis expectat.* Hieron. Patientia Dei in rebellium, & impœnitentium delictis ferendis iram sapit, & futuram vltionem, eò grauiorem, quò tardiorem. Quò spectat illud Prouerb. 5. *Non dixeris, peccaui, & quid accidit mihi triste? Altissimus enim est patiens redditor.* Prouerb. 5. Ex eo, quòd peccatis pœnam Dominus reddat, meritò vocatur redditor; sed illud notandum in hoc redditore, quòd vt peccatores perterrefaciat, dicatur patiens redditor; quasi in Deo punituro delicta, metuenda sit patientia impœnitentibus. D. Gregor. hom. 13. *Patiens redditor dicitur, quia peccata hominum & patitur, & reddit. Nam quos diu, vt conuertatur, tolerat, non conuersos durius damnat.* Gregor. Cui consonat Psalm. 9. *Exacerbauit Dominum peccator, præ magnitudine iræ suæ non quæret.* Psalm 9. Quæ verba sic ponderat D. August. serm. 37. de verbis Domini. *Irritauit Dominum peccator, vis nosse nulla pœna, quanta sit pœna? Irritauit Dominum peccator. Quare hoc dixisti? Quid enim vidisti? Præ magnitudine iræ suæ non requiret. Ideo non exquirit, quia multùm irascitur. Magna est ira eius, parcendo sæuit, & iustè sæuit.* August. De hoc sæpe aliàs, vide suprà §. 9.

Text. Videntes autem conserui eius, quæ fiebant, contristati sunt valdè, & venerunt, &

narraue

narrauerunt domino suo omnia, quæ facta fuerant. Tunc vocauit illum dominus suus, & ait illi: Serue nequam, omne debitum remisi tibi, quoniam rogasti me: nónne ergo oportuit misereri te conserui tui, sicut & ego tui misertus sum? Et iratus dominus eius tradidit eum tortoribus, quoad vsque reddat vniuersum debitum.

§. XV.

Præiudicia proximis facta in iudicio Dei summum subeunt discrimen.

QVi tot sibi debita talenta facilè dimisit Dominus, vbi crudelem propriarum iniuriarum vltorem nactus est, hominem illum irremissibiliter tradit torroribus. Væ tibi, homo, qui seuerus es in vindicandis iniuriis tibi illatis à proximis; in iudicio diuino nullum inuenies solatium, sed durissimum experieris Deum vindicatorem. Tecum loquitur Psalm.51. *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua: sicut nouacula acuta fecisti dolum. Dilexisti malitiam super benignitatem*, &c. Hæc misero opponuntur crimina, quòd nimirum abiecta omni benignitate, & mansuetudine totam malitiam exerceat aduersùs suos iniuriatores. Quid tunc? *Propterea Deus destruet te in finem, euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium.* Propter quod tot mala veniunt in hominem ex Deo? Propterea solùm, quòd diligitur malitia super benignitatem, quòd abiecta benignitate, non cessas iniurium tibi percutere fratrem. Pulchrè adhuc aiebat D. Athanas. in vita S. Syncletiæ, quam è vetustissimo Codice Græco apud Cœnobium D. Laurentij Regalis manente translatam in sua bibliotheca habet cultissimus, & studiosissimus iuuenis D. Franciscus Brabo de Acuña. Quippè ait ibi Athanas. *Iniustitiam cogitauit lingua tua, quia non cessas conuitiis onerare fratrem tuum, ideoque iustum tibi iudicium per eumdem Psalmistam ab Spiritu sancto imponitur. Propterea Deus destruet te in finem, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium. Hæc sunt liuidi hominis, & iniuriarum sempiternam memoriam retinentis munera.* Hæc mala parit liuor; hæc munera, siue has ruinas, ex Deo omnipotente habet iniuriarum propriarum recordatio. Hoc sanè præ omnibus debes timere iudiciũ, nimirùm, quod tu intuleris fratribus. Sapienter Dauid Ps.118. ait: *Iudica, Domine, iudicium meũ, & libera me.* Nihil solicitus est de adulterio, nec de homicidio à se perpetrato, nec illorũ meminit, dum meminit se iudicandum, & in iudicio Dei petit liberari à malo; sed tantùm ait, *Iudica iudicium meum*, non adulterium, non homicidium, sed iudicium, *& libera me.* Quasi iudicando homini illud maximè sit timendum iudicium, quod fecit de iniuriis sibi illatis. D. Ambros. serm. 20. in Psalm. 118. *Grauior nobis causa est dicenda de iudicio nostro, quàm de errore. Erranti enim faciliùs datur venia, quàm improbè in alium iudicanti. Necesse est enim eam formam in te redire iudicij, quam in alium ipse discernendam putaueris.* Caue, homo, seuerè in fratrem tuum animaduertere; caue districtum iudicem erga fratris iniurias tibi illatas agere; nisi velis in Dei iudicio miserè periclitari. Qui enim seuerus vltor iniuriarum existit in fratres, nihil sibi relinquit, ex quo possit sibi in iudicio Dei euasionem autumare. Iacob, Genesis 49. dum multas benedictiones filiis suis precatur, durè admodum aliquos tractat. Rubeno dicit: *Effusus es sicut aqua, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius. Simeon, & Leui fratres, vasa iniquitatis bellantia. In consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu eorum non sit gloria mea, quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate suffoderunt murum. Maledictus furor eorum, quia pertinax; & indignatio eorum, quia dura.* Sic & Rubeno, & Simeoni dira precatur bonus pater; verùm post hæc Moyses, Deuteronom. 33. dum eosdem Iacobi filios ad benedictionem vocat, sic causam Rubeni melio- rans incipit: *Viuat Ruben*, & singulos benedictionibus annumerans, solùm Simeonem missum facit, nec illum nominat. Et cur Ruben maledictus à patre, benedicitur à Moyse, & Simeon in maledictione relinquitur? Ruben maximum commisit crimen, dum cubile paternum violauit, sed alioquin mansuetissimus fuit erga omnes fratres, quæ mansuetudo maledictionem in benedictionem commutauit. At Simeon, etsi in castitate non peccauit, seuerissimus fuit vltor iniuriarum à Sichimitis illatarum, homines crudeliter absque vlla misericordia interficiens, quo non habuit ansam, vnde sibi benedictionem conciliaret. Theodoret. in Deuteronom. quæst. 76. *Quamobrem non benedixit Simeoni? Fraternus amor Rubeni fuit illi benedictionis occasio. Nam illius ergo liberatus est à maledictione. Porrò Simeon nullam habuit ansam maledictionis, vt benedictionem cõsequi deberet.* Tota maledictio Simeonis erat de furore concepto in proximos, de vindicta sumpta propter sibi iniurias illatas, quæ nullam habebat ansam, vt possit in benedictionem commutari. Maledictio pro stupris, pro incestis, & aliis facinoribus, dum inter illa inueniat fraternum amorem, & benignitatem, habet vnde in iudicio Dei possit mutari; verum maledictio pro vindicta iniuriarum, nullam relinquit ansam benè sperandi.

Psal. 51. — Athanas. — Psal. 118. — Ambros. — Genes. 49. — Theodor.

§. XVI.

Tanta est Dei seueritas in castigandis iniuriatoribus hominum, vt inde teneamur minimè de vindicta tractare.

NOtandum queritur ille, qui in carcerem missus est, nec verbum facit apud Deum, & ecce tibi Deus irascitur, & seuerissimè plectit eum, qui conseruum suum misit in carcerem. Cur, ô Deus, non màgis cohibes iram tuam? Cur ante omnem patientis querelam, in oppressorem eius tam seuerè animaduertis? Nónne optimi iudicis est expectare oppressorum voces, & querimonias? Cur tu ante ipsas querimonias iam plectis oppressorem? Sanè ante patientis querimonias Deus irascitur, quia tota diuina seueritas eò tendit, vt præoccupet omnem querelarum locum, vt nulla sit inter homines querela, sed in pace, & dilectione sint omnes. Hinc illæ Dei Patris ad Filium voces, Psalm. 4. *Accingere gladio tuo super fœmur tuum, potentissime.* Qui enim creabatur Rex totius orbis, non sine causa gladium portat, sed ad vindictam malorum. Sed miraris, quòd iubeatur gladium portare, qui veniebat in mundum prædicaturus dilectionem erga ipsos hostes; quippè ait Matth. 6. *Ego autem dico vobis; diligite inimicos vestros.* Si ergo dilectio etiam ad hostes prædicanda erat, ad quid gladium ipse portat? Sanè quò Deus sese paratiorem ostendit ad vindictam, eò firmiùs tenetur seruari dilectio inter homines; eò enim tendit diuina seueritas, vt omnem vindictæ locum præoccupet. Ait D. Paschas. in dictum Psalm. *Imperatur à Patre, vt accingatur gladio suæ fortitudinis ad vltionem inimicorum, ad seruanda rerum omnium iura, vt in pace sint omnia, quæ possidet. Nec vllus de vindicta cogitet seruorum, dum viderit præliantem Dominum mucrone vltionis accinctum.* Qui tam solicitum, & seuerum Deum vindicem iniuriarum nouit, impius est, si ipse de vindicta cogitet, si vni Deo non credat vindictam iniuriæ propriæ. Sapienter monebat Paul. ad Rom. 12. *Non vos metipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ; scriptum est enim: Mihi vindictam, & ego retribuam.* Expende illud, *date locum iræ.* Cui iræ, nisi diuinæ? Equidem iniurius est Dei iræ, qui se vindicare præsumit, nec satis nouit, quàm aptiùs, & meliùs Dei ira vindicabit illum. Ibid Chrysostom. aiebat: *Date locum iræ. Cui iræ? Dei. Nam si teipsum non fueris vltus, Deus erit, cui iuuando vlciscetur. Permitte itaque illi, vt aduersarium tuum in lui voc.* Stultissimus est, & iniuriosus Deo, qui de alio vltore iniuriarum cogitat; ipse, ipse nouit vltionum modum, ipse amat per se omnes exercere vltiones; væ tibi, si illi non credis honorem tuum, tuam satisfactionem: ex quo enim ipse in vindictas accingit, omnes iubet supersedere à vindictæ rigore.

Psal. 4. — Matth. 6. — Paschas. — Rom. 12. — Chrysost.

CAPVT IX.

De incidente in latrones.

INTERROGAT Legisperitus, quis sit suus proximus? Cui Dominus respondet, docens opera, ex quibus censendus sit proximus quisque. Non equidem proximus per patriam, nec per cognationem, nec per amicitiam, nec per sectam, nec per religionem; sed per misericordiam impendendam indigenti debet definiri. Et si cætera desint, munus proximi impletur, vbi indigenti cuique homini subuenitur. Dum habes hominem misericordiæ tuæ indigentem, habes & proximum,

&

& cui te proximum exhibeas. Hunc sensum facilè in præsenti parabola inuenies conspicuum.

Luc. 10. Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Iericho, & incidit in latrones.

§. I.

Hominis cogitatio in Deum eleuata, omnimodam parit securitatem: ad terram inclinata, ruinam parit.

TOta ruina hominis miserabilis quòd ab Hierusalem in Iericho descendat; hoc est, à pacis, Deique visione, ad curas veniat carnales: dum enim per Hierosolymam intelligit ascendentes ad Deum cogitationes, pulchrè in præsenti elicit Theophylactus: *Nisi quis à cogitationibus sublimibus deciderit, non incidit in dæmones.* Securissimum, & penè inuulnerabilem seruat hominem suum alta, & sublimis ad Deum cogitatio. Quis Deum præ oculis habet, & vulnus accipit? Hinc est, quòd nihil magis curet Dominus, quàm hominum & oculos, & cogitationes ad se rapere, vt sic in tuto homines afferantur. Ad Philipp. 2. ait Paul. *Propter quod & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum*, &c. Quantulus hic honor ad Filium Dei? Siquidem omnes creaturæ ad Deum comparatæ quasi nihil habentur, quid magni est, quòd omnium genua Filio Dei sistantur? Sanè non hunc honorem iubet Deus exhiberi Filio suo, propter eius emolumentum, sed propter creaturarum vtilitatem, quando dum Deo prosternuntur, eumque in mente habent, non est, vnde possint sentire inimicorum iaculum. Pulchrè Arnob. lib. 1. aduersùs Gentes, ait. *Non ipse desiderat supplices nos esse, aut amat substerni tot millium venerationem videre: vtilitas hæc nostra est, & commodi nostri rationem spectans. Nam quia proni ad culpas, & ad libidinis varios appetitus vitio sumus infirmitatis ingenitæ, patitur se semper nostris cogitationibus concipi: vt dum illum oramus, & mereri eius contendimus munera, accipiamus innocentiæ voluntatem, & ab omni nos labe delictorum omnium amputatione purgemus.* Expende ab illis verbis, *patitur se nostris cogitationibus concipi*, &c. Nihil non agit Dominus, vt nostris in se inserat cogitationibus, ratus, inde posse constare totam hominis incolumitatem: ex quo enim homo cogitationes suas in Deo fixas habet, gustum innocentiæ capit, & omne inimici vulnus cauet. Deut. 27. ait Moyses; *Si audieris vocem Dei tui, vt facias, atque custodias omnia mandata eius, quæ ego præcipio tibi hodie, faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis gentibus.* Hoc magis miraberis, si præcepta legis Moysis memineris, si minutissima erant, circa ciborum electionem, circa vasculorum omnium munditiem, circa frequentes omnium lotiones. Nihil erat in vsibus humanis adeò minimum, quod non esset cautum in lege Moysis. Et quomodo per has præceptorum minutias posset conferri tanta celsitudo homini? Tam grata erat Deo vasculorum mundities, ciborum delectio, manuum lotiones, vt per has sic extolleret hominis sui gloriam? Non equidem Deus sibi gratas habebat has minutias, sed illas omnes sub lege posuit, vt dum homo, quidquid videt, quidquid tractat, ad Dei legem pertinere nouerit, in omni actione sua semper Deum habeat præ oculis, quo maneat superior omni hosti. Ad hæc Tertul. lib. 2. in Mar. *Sacrificiorum quoque onera, & operationum, & oblationum negotiosas scrupulositates nemo reprehendat, quasi Deus talia sibi propriè desiderauerit. Sed & in ipsis commerciis vitæ, & conuersationis humanæ domi, ac foris, ad vsque curam vasculorum omnifariam distinxit, vt istis legalibus disciplinis occurrentibus vbique, neque momento vacarent à Dei respectu. Quid enim faceret beatum hominem, quam in lege Domini voluntas eius, & in lege Domini meditabitur die, ac nocte?* Huc solùm spectabat prolixa illa lex circa omnes hominum actiones, vt concurrentibus vndique tot legalibus disciplinis, nec momento à Dei conspectu vacarent humanæ cogitationes, quo in summa felicitate assererent hominem. Cogitatio enim hominis fixa in Deo, hominem reddit omni insultui superiorem, vt illa, quæ à Deo descendit, & separatur hominem suum penè irremediabili tradit perditioni. Aiebat Sapiens, cap. 9. *Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit mentem multa cogitantem.* Expende totas & carnis, & mundi impugnationes, aduersùs quam mentem præualere possint; nimirum ait, *Deprimit mentem multa cogitantem.* Mens enim, quæ vnum Deum cogitat, nullis externis corruptelis deprimitur; illa deprimitur mens, quæ ab vno Deo diuisa, multa cogitat, multitudini negotiorum suas tradit cogitationes. Hæc est perditio penè irremediabilis hominis. Id pulchro exemplo exprimit D. Athanas. in vita S. Syncleticæ, nuper Latinis donata ex Regali S. Laurentij Cœnobio; quippè ait: *In tempestatibus, quæ ab externis fluctibus incumbunt, ad nautarum voces sæpè à vicinis nauibus auxilium adest: at sentina nautis dormientibus, marique quieto nauim sæpè submergit, eósque nec opinantes opprimit. Est igitur aduersùs cogitationes diligentior cura adhibenda.* Quid pulchrius? Componit S. Doctor hominem cum naui, & vt nauis tempestatibus acta salutem potest negotiari suam, siue nautarum diligentia, siue nautarum clamoribus petentibus auxilium a simul nauigantibus. Sic homo dum ab externo impugnatur, non difficilè potest liberari, & incolumis euadere. At sicut nauis, dum tranquillo vtitur cursu, fluctibúsque peccatis gaudet, nisi magna diligentia sentinæ vacuandæ adhibeatur, etiam dormientibus nautis, & nihil sentientibus, solet submersioni appropinquare. Sic homo, nisi internis cogitationibus constringendis, & à mundi fæce vacuandis maximè inuigilet, insensibiliter naufragium incurret penè ineuitabile.

Theoph. Philipp. 2. Arnob. Deut. 27. Tertull. Sapient. 9. Athanas.

§. II.

Qui angustas cæli vias vel semel arripit, caueat ad latitudinem mundialem deflectere, ni velit perire.

AB Hierosolymorum virtute descendens in Iericho, hoc est, in mundanam latitudinem, cur in latrones non incideret, à quibus lethalia vulnera reciperet? Iis equidem semper est latitudo mundana lethalis, qui aliquando triuerunt angustam cæli viam. Threnor. 2. de valentioribus adolescentibus Hierosolymæ dicitur: *Matribus suis dixerunt; Vbi est triticum, & vinum? Cum deficerent, quasi vulnerati in plateis.* Expende, vbi miseri Hierosolymitæ deficiebant vulnerati, nimirum, in plateis. Qui in arcto, & angusto templi custoditi erant, vbi illas pertæsi angustias latiores viuendi campos amabant, ibi lethaliter vulnerabantur. Ad hæc D. Paschas. ibi. *Nostra Hierusalem amara plorat, quia numerosior eius pars vulnerata in plateis exhalatur, cum relicto angusto itinere, vias arripit latiores.* In latioribus viuendi campis vulnera inueniet, & mortem, quisquis ab Angusta cæli via deflectit. Nidum tuum aliquando in altis posuisti, Christiane, vt angustam cæli viam calcares, caue ne deorsum respicias, ne ad latiores mundi vias descendas, nisi velis mille latronum iaculis transuerberari. Hierem. 2. *Quare ergo Israël factus est in prædam? Super eum rugierunt leones, & dederunt vocem suam: posuerunt terram eius in solitudinem, ciuitates exustæ sunt, & non est, qui habitet in eis. Numquid non istud factum est tibi, quia dereliquisti Dominum Deum tuum, eo tempore, quo ducebat te per viam?* Ductorem nactus Deum in cælesti via, viam reliquit Israël, vt in latitudinem mundialem abiret, & factus est in prædam leonibus & periit consumptus igne. Quid aliud inueniret, qui relicto angusto cæli itinere, vias arripit latiores? Pro deploratis Iudæis orat Dauid Psal. 73. *Vt quid auertis manum tuam, & dexteram tuam de medio sinu tuo vsque in finem?* In dextera manu egrediente de sinu Dei intelligit Psaltes populum Israëliticum a Deo deficientem, vt mundi bona possideat. Id quod Exod. 4. significabatur similiter per manum Moysis egredientem de sinu, & sese extendentem in tantum, vt leprosa fieret. Quo posito, notandum est, quòd Dauid non solùm deplorat populum a Dei sinu egressum, sed simul reputat æternum, & irremediabilem egressionem illam. Quippè ait: *Auertis manum dexteram tuam de medio sinu tuo vsque in finem.* Sed vnde colligit Dauid, quòd egressio illa, & separatio populi a Dei sinu vsque in finem erit, æterna erit? Nónne à sinu Moysis extrahebatur manus, & leprosa fiebat, & statim in eundem reuocabatur sinum, quo manebat munda? Cur non idem sperabatur in Dei populo egrediente à Dei sinu, quòd statim rediret? Cur non magis irreuocabilem putat populum à Dei sinu egredientem, quàm manu egredientem à Moysis sinu? Equidem qui in Dei sinu fuit aliquando, in arctaque eius mandatorum via constitutus, si inde deflectat, vt sæculi terat vias, certissima inueniet mortis pericula; latrones crudelissimos incurret, a quibus sic spolietur, & deturpetur, vt permittatur à Deo in æternum abire exterminium. D. Paschas. lib. 2. in Thren. ait: *Idcircò, quia de sinu Dei egressa foris anima, vnà cum Dina, vt videret filias regionis huius sæculi, vulnerata est à diabolo, & in membris eius compacta: iam in furore suo auertit Dominus manum suam, Iudæos videlicet abire permisit in exterminium.* Vix est reuocabilis egressus, qui ab arcta cæli fit via, ad vias mundi;

Thren. 2. Paschas. Hierem. 2. Psalm. 73. Paschal.

mundi; vbi quis sinum Dei, angustum cœli iter relinquit, & spatia quærit latioris vitæ vt instar Dinæ, cum filiabus religionis huius sæculi lætetur, heu quæ pericula incurret! quot latrones inueniet, quot spoliationes patietur, quot vulnera excipiet! Quibus sic nudus, & fœdatus appareat, vt iratus Deus illum permittat abire in æternum extermi- nium. Ideo pulchrè monebat D. Athan. in dicta vita S. Syn-
Athanas. cleticæ: *In sensus nostros, nobis etiam nolentibus, fures obstrepunt; qui enim fieri potest, vt fumo foris excitato, domus nostra, si fenestræ pateant, non denigretur? Quare omnes in forum egressiones prorsus sunt euitandæ.* Et meritò euitandæ sunt omnes egressiones in forum, nimirum egressiones, quibus à Deo egredimur, vt fori otiosos conuentus, latioresque vitæ plateas teramus; in his enim viis, etiam nolentibus nobis fures obrepunt, qui sensus spolient, interna fœdent. Rara equidem virtus est, & præstantissima, quæ inter mundanorum conuentus latronum vulnera non recipiat. Id quod notans Petrus Damianus in Apolog. cap. 28. ex 4. Reg. 4. in-
Damian. quit: *Quòd autem Elisæus ad resuscitandum Sunamitis filium de montana remotione descendit, huius temporis Monachus potius est venerationi habendum, quàm imitandum. Liceat sanè Monacho ad sæculum ex voluntate recurrere, quoties mortuum hominem ad vitam potuerit suscitare. Illud namque propheticum iter omninò cognoscitur virtute plenum per resurrectionis humanæ miraculum.* Vix alius ab arcto virtutis itinere, & sublimi perfectionis ad latiores sæculi vias securus respicit, nisi ille, qui vel mortuos posset in vitam asserere.

§. III.

Qui à proximorum pace, & concordia discedit, totus fit inconstans, & mutabilis.

Hierosolyma idem est, ac visio pacis; Iericho autem significat Lunam: meritò ergo iste homo descendens ab Hierosolymis, veniebat ad Iericho, quando qui à pace proximorum discedit, totam recipit Lunæ mutabilitatem, &
Nazianz. inconstantiam. Ad hæc aiebat Nazianzen. orat. 32. *Iidem homines hodie, eiusdem nobiscum throni, fideique sententiæ sunt. si ita nos duces, & antistites nostri tulerint: cras contrariæ sedis, & sententiæ, si spiritus reflauerit. Odium, atque amicitiam nomina comitantur: nec, quod grauissimum est, apud eosdem auditores contraria loqui erubescimus: nec nobis ipsis constamus, subinde nos immutante contentione. Dicas Euripos quosdam esse, nunc exundantes, nunc reciproco fluctu subsidentes.* Sanè exundantes, & subsidentes Euriporum fluctus Lunam imitantur, sequuntur; videbis enim ad auras matutinas mouente Luna, mare horridum dorso purpureo, cæruleóque spectantibus obiici, nec violenter propinquam terram pulsat, neque penitus quiescens, sed pacificis quibusdam amplexibus littora salutans, arenam operit, & aridam conuertit in pontum. At post paucas horas, ad semetipsum resilit, & resiliens arentia manentia littora quasi ridet. Sic varij, & inconstantes homines, quod hodie amplexantur, & commendant, post parùm damnant, abominantur; & vnde
Idem. hoc prouenit? Præclarè Nazianzen. ibi ait: *Immutante eos contentione*, vbi contentio exoritur, vbi discordia incipit, non erubescimus contraria loqui apud eosdem auditores. Hanc inconstantiæ notam in suis sectatoribus maximè ca-
Matth. 11. uet Dominus, Matth. 11. *Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi, mittens duos ex discipulis suis, ait illi: Tu es, qui venturus es?* Quam Ioannis interrogationem vbi Iesus coram multitudine excepit, sic statim ad multitudinem loquitur: *Cœpit dicere ad turbas de Ioanne: Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam?* Cùm interrogatur à Ioanne, an sit ipse Messias, nihil magis facit Dominus, quàm notam mutabilitatis, & incõstantiæ depellere à Ioanne, prædicans illum non esse arundinem vento agitatam. Id quod notans D. Hieron. epistol. ad Algasiam, quæst. 1. ait:
Hieron. *Numquid ad hoc existis in eremum, vt videretis hominem instar arundinis ventorum flatu in partes varias inclinari, vt quem antea laudauerat, de eo nunc dubitet; & de quo priùs dixerat: Ecce Agnus Dei, nunc interroget, vtrum ipse, an alius sit, qui vel venerit, vel venturus sit? Absit.* Sanè cùm Ioannes iam semel Iesum prædicauisset Agnum Dei, poterat præsens interrogatio apud ignaram multitudinem, aliquam mutabilitatis notam incurrere. Quod vehementer in amico suo Dominus cauit, & meritò prædicat non eum esse Ioannem, qui semel à se laudatum, postea vituperaret, & semel cognitum, postea ignoraret; quod maximè abhorret à Dei affeclis. Et huius indolis mutabilis genium quando vel in

vmbra non fuit Deo exosum? Deut. 23. *Non ingredietur mamzer, hoc est, de scorto natus, in Ecclesiam Domini.* Et cur me- Deut. 23.
retricum filios sic Dominus ab Ecclesia sua eliminat? Filius meretricis, vt non habet certum patrem, sic pro temporum, & necessitatis, & vtilitatis occasione parentes variat, modò hunc patrem vocans, modò illum relictum, imò despectum faciens, alij sese accommodans sibi vtiliori. Sic semper Deo abominabiles sunt, quicumque in nulla re, siue doctrina firmi sunt; sed prout res tulerit, vel hanc, vel illam colunt; vel hunc magistrum, & parentem, & Deum, vel alium prorsus diuersum, & contrarium vocant. Clemens Alexand. ad Gentes ait: *Vides Moysem iubentem, vt* Cl. Alex.
non ingrediatur in Ecclesiam is, qui ex meretrice natus est, significat autem eum, qui pro vno solo, qui est Deus, multos falso nomine Deos sibi adscribit, sicut is, qui natus est ex meretrice, multos adscribit sibi patres propter veri patris ignorationem. Equidem adulterinum genium est illud, quod tanta inconstantia laborat, vt pro vtilitatis occasione, Deos, & patres, & patronos, & amicos mutet; & quos modo colit, postmodum vituperet, & vocet in abominationem. Absint vtinam ab Ecclesia Christiana illæ adulterinæ factiones, quibus diuisi populi iam hunc magistrum, iam pestem vocant, præsertim cùm vnus debeat esse nobis Magister Christus Dominus. Vnde sapienter Nazianzen. orat. 32. sic ad sapientum virorum congregationem loquitur: *Quousque enim* Nazianz.
hæc audientur: Meus, & tuus, antiquus, & nouus, multitudine opulentior, aut tenuior? Senectutis meæ pudet, cùm aliorum nomine censeor, qui à Christo salutem accepi. Non fero circos vestros, & theatra, atque æmulum hunc, tam in sumptibus, quàm in animorum studijs, furorem. Adeant hunc præstantissimum Magistrum iuniores, & abominentur sub Doctorum nominibus factiones, & diuisiones nutrire in Ecclesia Christi, & censeri sub alio nomine, qui à Christo salutem acceperunt. Quin potiùs vniuersas has factionarias voces adulterinas reputent, quæ facili negotio, data occasione vel vindictæ, vel lucri maioris, ad alios migrabunt, relictis amicis prioribus. Qui enim relinquunt Hierosolymas; hoc est, qui Dei amorem, & proximi non habent præ oculis, necessum est, vt descendant Iericho, nimirum, vt subsint Lunæ mutationibus.

Text. Qui etiam spoliauerunt eum, & plagis impositis abierunt, semiuiuo relicto.

§. IV.

Virtutum opera custodiunt hominem ab hostium iaculis.

Non priùs infligunt plagas latrones hi, quàm spolient hominem à virtutum ornatu; dum enim virtutum adesset ornatus, dum adessent virtutum opera, vix nullus relinqueretur locus plagis latronum. 2. Esdræ 4. *Et reuersi su-* 2. Esdr. 4.
mus omnes ad muros, vnusquisque ad opus suum. Et factum est in die illa, media pars iuuenum eorum faciebat opus, & media pars erat ad bellum, & lanceæ, & scuta, & arcus, & loricæ, & Principes post eos in omni domo Iuda ædificantium in muro, & portantium onera, & imponentium: vna manu suum faciebat opus, & altera tenebat gladium. Expende modò, quid faciebant ædificantium manus; equidem altera manus gladium habebat, quo ferire posset hostes: verum dextera manus instans operi, muros construebat, quibus ipsi prorsus inuulnerabiles redderentur hostibus. Quid plura? Quæ operibus virtutum instat manus, inexpugnabiles muros construit, ne vllus pateat locus iaculis latronum. Ad hæc Ruricius Ruric.
Episcop. lib. 2. epist. 14. *Scutum fidei læua contra aduersarios prætendentes, & dextra bonorum operum, tanquam lapidum compositorum mœnia construentes*, &c. Si quò plura à nobis fiunt virtutum opera, eò altiora, & inexpugnabiliora mœnia exiguntur, sub quibus tuti simus ab omni incursu latronum. Et adeò nobis pro muris sunt virtutum opera, vt si hæc deficiant, statim pateat ruinæ locus. Matth. 21. ficui virentibus pulchrè foliis ait Dominus: *Numquam ex te fructus* Matth. 21.
nascatur in sempiternum. Et arefacta est continuò ficulnea. Non iussit Dominus, quòd ficus arefieret, sed quòd infrugifera maneret, cur ergo statim arefacta est ficulnea? Vbi ficus sterilis facta est, ab omnique fructu in perpetuũ spoliata, statim non potuit non patere ruinis, non patere & igni, & ariditati. Ex quo Galfridus apud Tilmanum in allegor. ait: *Ma-* Galfrid.
ledicta arescit ficus, in qua Deus fructum non inuenit. Sic illis euenit, qui non præmittentes fructus dignos pœnitentiæ, ad sterilem ante tempus festinant deuotionem. Nec immeritò etiam ficcitas

sequitur, vbi sterilitas inuenitur. A virtutum fructibus caueat sterilis inueniri, quisquis metuit aridus fieri, vt in ignem mittatur, sequitur enim ruina sterilitatem; adeò vt vix inueniri possit operum cessatio, quin simul & ruina accidat. Bis missos nuntios inuenio in Euangelio, semel ad Iesum, & semel ad Ioannem: ad Iesum misit Ioannes, Matth. 11. discipulos, vt interrogarent: *Tu es qui venturus es?* Quibus Iesus respondit: *Euntes renuntiate Ioanni, quæ audistis, & vidistis; cæci vident, claudi ambulant,* &c. Ad Ioannem autem mittunt Iudæi Sacerdotes, & Leuitas, Ioan. 1. vt interrogarent: *Tu quis es?* Quibus Ioannes respondit: *Ego vox clamantis in deserto,* &c. Quocirca sapienter Origenes addubitat, cur Ioannes testimonium vocis solùm reddidit, dicens: *Ego vox clamantis.* Iesus autem non solùm vocis, sed & virtutum reddidit testimonium, aiens: *Renuntiate Ioanni, quæ audistis, & vidistis; cæci vident, claudi ambulant.* Rationem crediderim redditam ab ipso Ioanne, Ioann. 3. dicentem de Iesu: *Illum oportet crescere, me autem minui.* Et quidem qui minuendus erat, cui instabat occasus, meritò explicatur, non per testimonium operum, sed vocis tantùm, quando defectum operum semper comitatur occasus.

Matth. 11.

Ioan. 1.

Ioann. 3.

§. V.

In proximis nunquam sunt sola per se mala spectanda, sed simul cum bonis.

Ecce tibi bonus morum humanorum Magister, dum hominem spoliatum, & latronum plagis percussum, noluit & occisum, & mortuum appellare, sed magis nominat semiuiuum. Et quis in tot lethalia vulnera, aliud, quàm mortem clamaret, nisi Iesus, qui vt verus hominum Magister, docuit nos in proximis nostris non solùm ponderare, quæ mortis sunt, sed & quæ sunt vitæ? Hunc ebibamus omnes Iesu spiritum. & minimè proximorum videamus mala, quin & bona videamus simul. Tertullian. lib. de carnis resurrect. dum pro carnis gloria strenuè dimicat, sic ait: *Tenes scorpenias, quibus caca infuscatur? Tene etiam, quibus illustratur. Legis sùm quando deprimitur? Adige oculos, cum quando releuatur. Omnis caro fœnum, non hoc solùm pronuntiauit Isaias, sed & omnis caro videbit salutare Dei. Notetur in Genesi, dicens: Non manebit spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt. Sed & auditur per Ioelem: Effundam de spiritu meo in omnem carnem. Itaque si ignominiæ carnis resurrectionem eius expellunt, cur non dignitates potiùs inducunt?* Felix, qui (vt Tertullianus de carne philosophatur) ita de singulis suis proximis dicit, in quibus nec videre, nec audire velit mala sola, sed simul cum bonis coniuncta, vt quem propter sola mala visa repelleret, de bonorum commendatione in amore retineat. Præclarè, qui amabat Deum Christum, D. Hilar. lib. aduersùs Arrianos, dum sibi & mortem, & ignominias obiectas videt, inquit: *Non ego audio; Christus ex Maria natus est, nisi & audiam, In principio erat Verbum, & Deus erat Verbum. Non audiam, mortuus est, nisi audiam, resurrexit. Nihil solitarium ex diuinis sacramentis ad suspicionem audientium, & ad occasionem blasphemantium proferemus.* Et prudentissimè sanctus Pater, vel in Christo sola abiecta, & despecta proponere cauet, ne humanis iudiciis errorem inseminaret. Cuius enim vel sanctissimi viri obscura, & despecta omnia solitariè cernantur, quæ despectionem illi, & damnationem non afferant? Propterea verus proximorum amator, hanc nitatur regulam imitari, ne quid obscurum, & inconditum à proximo peractum audiat solitariè, sed simul cum obscuris componat semper res præclaras. Quæstio aliquando agitabatur de Dauide, cur Deo adeò placuit? Cur tanta beneficia à Deo recepit? Nónne homo adulter fuit, & homicida? Sed & de Saul nullum adulterium sciebatur, nullum homicidium, cùm iam Dei sententia à regno pellebatur. Cur ergo Dauid adulterio, & homicidio fœdatus, sic placuit? Non consideranda sunt Dauidis peccata solitariè, sed simul cum illis ponderanda sunt eiusdem facinora virtutum, quæ simul considerata, tot, tantáque sunt, vt meritò ex benefico Deo possent tanta beneficia sibi comparare. Procopius in Glossa ad 2. Reg. 7. fatur: *Deus nihilominus Dauidem elegit, qui erga alias mulieres continenter vixit: imperium intrepidè gessit, cultum diuinum exercuit; intentus orationi, psalmodiæ diuinæ, dilectioni, & saluti totius populi magnam curam habuit. Præterea erga amicos fidus fuit, gratus erga benefactores, non crudelis in eos, qui iniuria aliqua eum affecissent. Deinde si quisquam alius vnquam, certè hic pauperes amplexatus est, ob quas res homo secundum cor*

Tertull.

Hilar.

Procop.

Dei esse dicitur. Cæterum, si quando humanum aliquid passus errauit, castigauit eum Dominus; non auersatus est bonum aliquem existentem, paucis exceptis, vt qui ad iustam stateram exigens, plura benefacta, quam malefacta reperit. Ecce tibi diuini iudicij moralissimam formam in expendendis humanis factis; non solitariè respicit mala, sed bona, & mala coniungens sub eadem statera diligenter vtramque spectat partem, nec permittit à paucis malis ingentia bona obnubilari. Hanc & nos Dei stateram capiamus, nec vnquam fratrum errores solitariè ponderemus; sed vbi oculi erroribus instant, simul illos ad benefacta conuertamus, nec de illis, sine iis sententiam feramus. Qui est, qui non condemnetur, si eius errores solitariè vocentur in examen? Huc reuoco dicta tomo 2. lib. 6. cap. 3. §. 46. à loco Isaiæ 66.

Text. Accidit autem, vt Sacerdos quidam descenderet eadem via: & viso illo, præteriuit. Similiter & Leuita cùm esset secùs locum, & videret eum, pertransiuit.

§. VI.

Nullus crudelior, & durior in proximos quàm Sacerdos, qui à Deo deficit, vt vitijs seruiat.

Qvis posset videre hominem animam media in via agentem absque eo, quòd aliqua compassione tangeretur, aliquódque illi officium exhiberet? Sanè vnus Sacerdos, qui similiter ab Hierusalem in Iericho descenderet; hoc est, qui à Deo ad vitia properaret. Non inuenit Dominus hominem, cui parabolam crudelitatis, & immisericordiæ aptaret, nisi Sacerdoti à Deo deficienti; & ideo solus Sacerdos, & Leuita proponuntur descendentes ab Hierosolymis, & decliuem peccatorum viam terentes, qui nulla tanguntur misericordia, & compassione proximi morientis. Sunt equidem in viris Ecclesiasticis hæc duo adeò connexa, vt penè videantur inseparabilia, nimirum, & vitiorum seruitus, & incredibilis in proximos crudelitas. Videbis plurimos è sæcularibus hominibus, qui vitiis seruiant, qui multis constringantur sceleribus, sed qui simul circa misericordiæ opera promptissimi sint. At ex Ecclesiasticis nec vnum vidi vitiis seruientem, qui durissimus non sit, & crudelissimus in proximos egentes. Zachar. capit. 7. dicitur: *Factum est verbum Domini ad me, dicens: Loquere ad omnem populum, & ad Sacerdotes.* Et cùm statim subiiciantur, quæ annuntianda essent omni populo, post hæc secundò ponuntur, quæ sint dicenda Sacerdotibus. Qualia hæc? *Iudicate iudicium meum, & misericordiam, & miserationes facite vnusquisque cum fratre suo, & viduam, & pupillum, & aduenam, & pauperem nolite calumniari, & vir fratri suo malum non cogitet in corde suo; & noluerunt attendere, & verterunt scapulam recedentem, & aures suas aggrauarunt, ne audirent, & posuerunt cor suum adamantem.* Expende pulchrum epilogum malitiæ sacerdotalis, & incredibilis eorum duritiei in proximos, illis verbis, *Posuerunt cor suum adamantem.* In adamante duo inuenies coniuncta, nimirum, summam duritiem, & mollitiem summam. Durissimus est adamas, & inflexibilis prorsus, nec vlla vi potest frangi, & simul adeò blandus est, & mollis, vt si sanguine hircorum perfundatur, ipsa cera inueniatur mollior. Non equidem est hæc mollitudo in adamante sine illa duritie; nec similiter in Sacerdote datur multitudo vitiorum, qua sanguinibus seruiat, quin simul detur incredibilis durities, & crudelitas in proximos. Pulchrè Rupert. lib 3. ibi: *De adamante illud mirandum, quòd cùm tantæ sit duritiæ, solo perfusus sanguine hirci, quod animal libidinosum est, statim dissoluitur. Vnde congrua similitudo est valde, & cor suum posuerunt adamantem, quia cùm durissimæ ceruicis, & cordis indomabilis essent contra Deum, mollissimè erant in omnium libidinum fluxum, vt meritò in illos Isaias dicat: Audite verbum Domini, Principes Sodomorum.* Non sunt hæc duo in Principibus Ecclesiæ, & Sacerdotibus separabilia, & durities, & mollitudo; quanta fuerit mollitudo ad vitia, tanta in eis erit durities, & crudelitas ad opera misericordiæ, vt inde pateat, quàm rectè æmulentur adamantis naturam. Hos proculdubio respiciebat Hierem. Thren. 4. inquiens: *Filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto. Adhæsit lingua lactentis ad palatum eius in siti. Paruuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.* Fateor, iuxta primitiuam litteram, ibi Prophetam

Zach. 7.

Rupert.

Thren. 4.

locutum

locutum de Principibus populi Iudaici, de Sacerdotibus, & Scribis; verùm nemo est, qui possit negare ea ad Sacerdotes, & magistros nostri temporis vsque peruenire. In quibus, postquam se captiuos vitiis tradiderunt, maximè viget crudelitas in proximos suos. Pro quo dicebat D. Pasch. ibi:
Paschas. *Quæ enim filia populi mei, nisi Ecclesia plangitur? Sed talibus, & huiuscemodi inuoluta more bestiali peccandi vsibus, crudelis quasi struthio in deserto efficitur, nihil nisi præsentia cogitans, nullam filiorum habēs solicitudinem.* Quòd si solemne sit in Scripturis, vniuersos peccatores bestiis terræ, marisque comparare, vt iumentis, vt equis lasciuientibus, vt piscibus, vt passim videre licet. At Hieremias vbi Ecclesiasticos magistros brutescere vidit in cupiditatibus suis, nulli illos pecori comparat, nisi struthionibus, & lamiis, quas crudelitate vincant; innuens, quàm sint cum Ecclesiasticorum vitiis connexa crudelitas, & immanis durities. Inde post aliqua ipse Pasch.
Idem. dicit: *Multi Doctores impietate sua pellecti, crudeliores iure lanijs censentur, & negligentibus struthionibus: quoniam etsi lamiæ crudeliores videantur, nudant tamen mammam, & lactant catulos suos. In quorum profectò comparatione, quia sectantur, & terrena quærunt, atrociores meritò planguntur,* &c. Hæc ille.

Text. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum: & videns eum, misericordia motus est. Et appropians alligauit vulnera eius, & infundens oleum, & vinum, & imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum, & curam eius egit.

§. VII.

Filij Dei spiritus ille est, cuius beneficentiam remotissima, & prorsus inaccessa loca sentiet, si ibi fuerit egens aliquis.

Concors est Patrum sententia, per hunc Samaritanum intelligens Dei Filium, verum hominem, custodem iampridem à Iobo, & Prophetis vocatum. Sed quî fieri potest, quòd filius Dei terat viam hominis descendentis in Iericho, & incidentis in latrones? Non id te moueat, ô bone; vbi enim fuerit corpus, ibi & congregatur aquila; & vbi fuerit egens, licèt in recessibus terræ, ibi & Dei filius nouit appropiare. Imò inde sese extollit Filij Dei beneficentia, quòd nullum prætermittat horroris locum, dummodo in illo sit aliquis, cui benefaciat. Petrus adhuc rerum diuinarum ignarus, Matth. 17. visibili Thaboris gloria captus,
Matth. 17. clamabat: *Bonum est nos hîc esse. Faciamus hîc tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, Eliæ vnum*; sic amans Iesum, vt simul vellet Moysem, & Eliam habere cum illo; quam Petri inscitiam vno verbo refutat Euangelista; multis, & præclaris D. Proclus, probans nec Moysem, nec Eliam necessarios, vbi Iesus Dei Filius adest. Quid Moyses ad Dei Filium? Quid Elias? Vnius Dei Filij est descendere in omnia loca, etiam horribilia, & inaccessa viuis, si in illa aliquis cadat beneficentiæ capax. Ait Proclus serm. de trans-
Proclus. figurat. *Elias precatus farinam viduæ multiplicauit, eiusdémque filium à mortuis suscitauit; Iesus verò postquam à piscatione te, Petre, vocasset, quinque chiliadas satiauit: & ad inferos vsque penetrauit, omnes, qui captiui tibi tenebantur, eduxit.* Nullum prætermisit locum Iesus, quò non penetraret, vt egentibus benefaceret, inferna ipsa loca viuis inaccessa ipse calcauit, quia inibi tunc erant eius beneficentiæ capaces. Descendat egens non in Iericho solùm, sed in terræ viscera descendat, ibique latronum carceribus adstrictus teneatur, dirissiméque vapulet, dummodo medicinæ sit capax, non relinquetur à Filio Dei, sed ibi eum consolabitur. Ioann. cap. 16. aiebat Dominus ad discipulos suos.
Ioann. 17. *Modicum, & iam non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad Patrem.* Quia ad Patrem ibat, quia sese ostensurus iam erat dignum Filium tanti Patris, expende quid dicat: *Modicum, & non videbitis me*, &c. Subtrahendus erat ad modicum viuentium oculis, morti tradendus, sepulchro corpus eius claudendum, & anima diuinissima inter iustorum animas in Limbo locanda. Et cur necessarius fuit etiam ad modicum tantus descensus Filij Dei, vt se sisteret Patri? An non possit ire ad Patrem, nisi vsque ad illa infima loca descendisset? Equidem non plena Filij Dei misericordia ostenderetur, nisi vniuersa loca peruaderet, in quibus erant egentes eius auxilij. Quippe ait D. Cy-
Cyrill. rill. Alexand. lib. 11. in Ioann. cap. 3. *Sic enim plena misericordia ostenditur, si non solùm viuis in hoc mundo, verùm etiam morte oppressis, & in tenebrosis abyssi recessibus sedentibus dimissionem prædicauerit.* Tunc plenariè se Dei Filium ostendit Dominus, suóque simillimum Patri, quando nulli loco, nullis tenebris se subtrahit, in quibus possit egentibus benefacere. Nec miror Filium Dei nullū locum prætermittere, vt benefaciat, quando eius aduersarius diabolus vt malefaciat, in horrentia cadaueribus loca se claudit. Matth. 8. dicitur de Iesu: *Et cùm venisset trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes*, &c. Dæmones in monumentis habitabant, Matth. 8. quibus liberum erat habitare in paradiso; & quidem antiquitùs in paradiso erant, & arboribus insertì mortem conciliarunt humano generi. Quomodo ergo modò non paradisos incolunt, vt capiant Euas, vt impugnent Susannas, sed horrentia habitant monumenta? Tanta est magnalitas dæmonis, qui inter mortuorum horrorem degit, dummodo noceat humano generi. D. Pasch. lib. 5. in Matth. *Attende, quæ* Paschas. *sæuitia dæmonum, quíve furor, aut quæ rabies erga humanum genus, dum ferre nequeunt mori homines, qui viuos gestiunt sepelire, & se ipsos sepulchri mandant, vt homines redigant in sepulchra.* Non horret dæmon sepulchra intrare, dum homines percutiat; & horrebit Dei Filius descendere vsque ad mortuos, vsque ad inferni intima, vt egentibus proficiat? Absit; imò hoc certum sit, quòd vbicumque fuerit inops, & capax misericordiæ diuinæ, eò descendet Dei Filius.

§. VIII.

Qui peccatori medelam afferre velit, non tot adhibeat remedia austera, quot mitia, & suauia.

Huc conueniant, qui animarum saluti operam impendunt, & videant, qualia diuinus Samaritanus adhibeat remedia peccatorum vulneribus. Vinum equidem habet, quod mordax est, & austerum, sed & oleum, & alligaturas adhibet, & deinde ponit infirmum supra iumentum, & quem tripliciter fouet per oleum, per alligaturas, per impositionem supra iumentum, semel per vinum mordet, & ferit. Sic quisquis plagis peccatorum medetur, pluries vtatur mitibus remediis, quàm austeris. Paul. 2. ad Corinth. 4. *In virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis?* Ex vna parte virgam nominat, & ex altera charitatem, 2. Cor. 4. & spiritum mansuetudinis, binas lenitatis species vni opponens austeritati. Ibi D. Ambros. *Quid vultis, inquit? In* Ambros. *virga veniam ad vos, an in mansuetudinis spiritu, & in charitate? Semel virgam dixit, bis mitiorā subiecit, adijciens mansuetudinem charitati.* De rigoris thesauro vnam apponit virgam; at de lenitatis arcano binas subiicit species, & charitatem, & mansuetudinem; vt omnes discant sese in lenitate erga errantes proximos abundantiores exhibere. Quam superabundantiam misericordiæ in Iesu agnoscebat illa, Cant. 1. aiens: *Meliora vbera tua vino*; mordacem increpationem per Cant. 1. vinum explicat, per vbera miserendi fontes; vbi autem increpationem & rigorem meminit, singulariter vinum nominat; verùm ad expressionem misericordiæ, non singulariter, sed pluraliter vbera proponit. Nescit enim misericordiæ, & lenitatis affectus, nisi de duplici gurgite prosilire in effectum. Ait D. Bernard. serm. 10. in Cant. *Duo sponsi vbera,* Bernard. *duo in ipso sunt ingentia mansuetudinis argumenta, quod patienter expectat delinquentem, & elementer recipit pœnitentem. Gemina, inquam, dulcedo suauitatis exuberat in pectore Domini Iesu.* Bina semper à Iesu spiritu veniunt fluenta lenitudinis; nec nisi de multiplici gurgite charitatis vena profunditur, quādo rigor vix oriri permittitur ab vno. Hinc Isai. 61. *Spiritus* Isai. 61. *Domini super me, eo quòd vnxerit me: ad annuntiandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem. Vt prædicarem annum placabilem Domino, & diem vltionis Deo nostro.* Expende illud, *annum placabilem, & diem vltionis*; quippe ira vindex vnius diei clauditur spatio, mãsuetudo placabilis annum implet: & cur sic angustat iram, qui in tantum misericordiæ dilatat campus? Ipse ait, *vt mederer contritis corde*; vbi infirmi sanandi sunt, vbi miseri errones in bonam frugem reuocandi, rigor aliquis forsan erit necessarius; at mansuetudinis, & lenitatis fontes semper supra rigorem debent multiplicari: nescit enim aliter mederi Spiritus Christianus. De ipso item Iesu Isaias ait, cap. 11. *Requiescet super eum spiritus* Isai. 11. *Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini.* Hæc tot dona habet Iesus, nimirum, sapien

sapientiam, intellectum, consilium, fortitudinem, scientiam, pietatem, timorem Domini; è quibus, duo tantum video aliquid triste hominibus renuntiare; timor enim, & fortitudo nescio quid præseferunt tristitiæ, & insuauitatis, reliqua quinque dona multiplicem ostendunt suauitatem. Et cur duo solum apparent insuauia; quinque autem dulcedine videntur redundare, nisi quia de Iesu spiritu venit, quòd plura sint argumenta mansuetudinis in vulneribus peccatorum curandis? [Bernard.] Ait D. Bernard. serm. 16. in Cantic. *Vides, quot phialas plenas odoramentis cælestis medicus præparauit ad sananda vulnera? Attulit spiritum sapientiæ, & intellectus, spiritum consilij, & fortitudinis, spiritum scientiæ, & pietatis, & spiritum timoris Domini. Septem sunt numero; ex his profectò infudit oleum meis vulneribus; infudit & vinum, sed minus quàm oleum. Sic nempè congruebat infirmitatibus meis, vt misericordia superexaltaret iudicio, quemadmodum oleum vino superfertur infusum. Attulit proinde quinque cados olei, vini non nisi duas. Vinum siquidem timor tantum, & fortitudo fuere, vel quæ quinque oleum propria suauitate designant.* Sic semper in mansuetudinis, & lenitatis argumentis abundet, quisquis cupit in proximis curare peccatorum vulnera.

§. IX.

Deum decuit, nihil vile, & iniuriosum non perpeti, sed omnia subire.

Mirabar Dauidis humilitatem, qua clamabat, *iumentum factus sum*, &c. Sed vt mirere magis, Dei Filius celsissimam humanitatem suam velut iumentum fecit, vt semi necem hominem propriis sustollat humeris; quippe ait, *et imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum.* Vbi ferè vniuersi Patres per iumentum hoc intelligunt Christi humanitatem, quæ iuxta Isaiam, dolores nostros tulit, & verè lãguores nostros ipsa portauit. Sed cur, Domine, sic altitudinem tuam exinanis, vt vel instar iumenti fias in comportandis hominibus? An aliquid est iumento seruilius, & vilius? Docet equidem infinitam, increatámque Dei virtutem, quod sicut in altitudine sua nihil altum, & illustre prætereat, quod in se non contineat; sic & in demissione, nihil imum, & vile refugiat, quod non sustineat. In omnibus enim debet patere virtutum diuinarum infinitudo: & vt ex limitatione creatæ virtutis prouenit non omnia sustinere; sic ex illimitatione, & infinitudine increatæ virtutis venit, quòd se dimittens Deus omnia vilia sustineat, & nihil refugiat. [Philip. 2.] Ad Philipp. 2. ait Paulus de Iesu: *Semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, habitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Sanè obedientissimum sese Dominus posset exhibere Patri, etiam mortis illius ignominia sublata; cur ergo maluit non solùm Patri obedire, sed etiam obedire ei in sustinenda morte plena acerbitatis ignominiæ? Ex quo Deus sese dimittens, formam seruitutis suscipit, nihil seruile, etsi humile, & ignominiosum detrectare decuit, sed omnia sustinere. Ait D. Chry- [Chrysol.] solog. serm. 6. de passione: *Quare totius Dominus creaturæ formam seruitutis intraret, nisi vt totas seruitutis iniurias sustineret?* Cur aliquod sustinere refugeret infinita virtus sustinendi? Vt nullum est attributum diuinum, quod non comprehendat omnia sui generis obiecta; sic nec diuina est patientia, quæ non sustineat omnia genera patiendi. Apud [Luc. 18.] Lucam, cap. 18. ait Dominus: *Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ dicta sunt per Prophetas de filio hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur & conspuetur*, &c. Sustinuisset Filius Dei crucem, sustinuisset mortem; quid necessum erat sustinere tot genera irrisionum, & opprobria, tot sputa? Quia sustinebat Filius Dei, cuius infinitæ virtutis erat nullum genus prætermittere sustinentiæ, vt sic illiminata eius potestas illucesceret. [Chrysol.] Chrysol. serm. 6. de passion. ait: *Non sufficit passio communis, non mors secreta, non mors simplex, nisi vt quanta erat patientia singularitatis, tanta esset & singularitas passionis. Alium est, vt author sæculi, sæculo teste moreretur; & à mundo, mundi Dominus antè per pœnam, quàm per gloriam cognosceretur.* Singularitati patientiæ singularitas passionis debuit respondere, ne dum aliquid passionis subtrahitur, aliqua suspicio contra infinitudinem patientiæ generetur; quin potiùs dum omni acerbitatis, & vilitatis genera accipiuntur, omnipotens Dominus in iis accipiendis clarissima suæ virtutis augmenta edat. Memini aliquando illud Ecclesiast. 1. [Eccles. 1.] *Qui addit scientiam, addit & laborem*; quæ verba expendens Hugo Cardin. ait: *Siue homo sit, siue Deus, qui addit scientiam, addit & laborem.* Et quidem in Deo, & scientia, & laborum sustinentia pari passu currunt; vt enim Verbum diuinum omnia dicendo, & repræsentando, infinitudinem paternæ sapientiæ manifestat, sic idem Verbum omnia sustinendo in mundo, & nihil vilitatis refugiendo, infinitudinem paternæ ostendit patientiæ. Quò spectans D. Cyprian., de patientia, ait: *Quia ad hoc descendisse se dixerat, vt voluntatem Patris faceret: inter cætera admirabilia virtutum suarum, quibus indicia diuinæ maiestatis expressit, paternam quoque patientiam tolerantiæ tenore seruauit.* [Cypria.] Tolerantiæ tenor exprimebat in Iesu paternam, & diuinissimam patientiam, quæ vt diuina, & infinita erat, sic eodem tenore tolerantiæ ad vniuersa ferebatur mala. De quo Paulus ad Hebræos, cap. 4. *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia.* [Hebr. 4.] Tolle peccatum, & nullum tentationum, & acerbitatum genus inuenies, quod Iesus meus non fuerit passus? cuius infinitam patientiam non minus dedeceret, aliquam acerbitatem subterfugere, quàm eiusdem sapientiam dedeceret, si aliquam non calleret veritatem. Decuit ergo Dei Filium, sicut omnia noscere, sic per omnia tentari, vt dicat D. Cyrill. Hierosolymit. catech. 4. *Cùm absoluisset Iesus cursum patientiæ, ascendit tandem ad cælos.* [Cyrill.] Absoluit cursum patientiæ, quia quidquid patientia diuina potest, omnia in singulis generibus subiuit.

Text. Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Curam illius habe, & quodcumque supererogaueris, ego cùm rediero, reddam tibi.

§. X.

Non sine magno laborum pretio salus est comparanda.

Avdis Deum de infirmo suo cum stabulario paciscentem: duxerat enim infirmum in stabulum. Cur non magis duxit infirmum in xenodochium, & ibi egit de infirmo suo cum xenodochei, sed maluit ducere in stabulum, & agere cum stabulario? In xenodochio gratis prorsus curantur infirmi omnes, in stabulo autem illi infirmi curantur solùm, qui pro cura accipienda exhibent pretium. Huc conueniant peccatores, & discant, vnde curam debent requirere suis vulneribus; non equidem ex xenodochio, sed ex stabulo, non gratis, nec sine operum sumptu, sed magno exhibito laborum pretio. De seruo suo dicit Dominus Isai. 42. *Lignum fumigans non extinguet.* [Isai. 42.] Et quantum hoc ad Dei seruum, quòd non extinguat lignum fumigans? Sanè ex ligno fumigante non facilè excitatur clara ignis flamma, sed difficilè, & ægrè, & multis à fumo priùs extractis lacrymis, adeò vt propterea rarus sit, qui tanto lachrymarum sumptu velit instare fumiganti ligno, & non magis illud extinguat. Qui autem lignum fumigans non refugit, nec extinguit, sed magis illi instat, vt flammam excitet, is non amat habere sibi vltrò oblatam flammam ignis, sed magno lacrymarum sumptu comparat illam. Quid plura? Dei serui vt in se excitent diuinum salutis ignem, non fumigans lignum, hoc est, non molestias operum repellunt, sed per lacrymas, & labores illum excitare nituntur. Ad hæc ait Athanas. in vita D. Syncleticæ nuper translata: *Magnus labor iis, qui ad Deum primum accedunt, propositus est, sed inenarrabilis postea manet eos lætitia. Quemadmodum enim qui ignem suscitare volunt, fumi molestia lachrymas ab eorum oculis excutit, deinde quod quærebant, consequuntur. Sic quoque diuinus ignis in nobis lacrymis, & laboribus accendendus.* [Athanas.] Non vltrò accenditur flamma salutis, sed lacrymis a fumo extractis, & laboribus plurimis excitanda est. Turpiter equidem errat, qui tantam animæ salutem comparare præsumit, & nullum laborum sumptum prætendit. Matth. 20. aiebat Dominus: *Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum*, &c. [Matth. 20.] Vix ascensus in Hierosolymam proponitur, & filius hominis ostenditur sub flagellis, sub morte; numquam enim cœlestis ciuitatis ascensus habetur absque magno externi hominis dispendio, & laborũ pretio. Quippe ait Abbas Isaac homil. 1. apud Tilmanum, *Ad pacis visionem properantibus (hoc est Hierosolymam) tradendus est filius hominis, homo exterior gentibus alienis, id est, abstinentiæ, vigiliis,*

cineri-

tineri, & cilicio, laboribus, & alieno imperio, vt ab his affligatur, & cruci affigatur, donec funditus à proprio sensu, & veteris vitæ consuetudine moriatur. Ciuitatem cœlestem, salutem æternam ille peccator videbit, qui sese tradit laboribus pœnitentiæ: à mortificatione, & carnis maceratione habebis posse ascendere in cœlestia. Nec vllus est filius hominis, qui sine laborum, operúmque sumptu, & pretio peccatori comparauerit vitam æternam. Imò de similitudine filij hominis hoc venit, quòd non rapina, sed magno laborum pretio salus comparetur. Paul. cap. 8. ad Roman. *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit; quos autem iustificauit, illos & glorificauit.* Vidisti homines a Deo prædestinatos, & vocatos, & iustificatos, & glorificatos; sic Deus illis & iustitiam, & gloriam impertiuit gratis? Sic absque vllo labore suo, absque vllo pretio operum exhibito vsque ad gloriam peruenerunt? Sanè vocatos, iustificatos, glorificatos ibi audio; & vbi dicuntur laborantes? In illis verbis gloriæ pretium innuitur, nimirum, *Conformes fieri imagini filij sui*; in quibus enim aliqualis similitudo, & conformitas cum Filio Dei est, non potest non esse laborum tolerantia, & passio ad salutem comparandam. Si nascens Dominus in Bethleem, salutem dum coæuis infantibus præparat, illos ferro, mortíque tradit. Et cur largiturus salutem pueris, non largitur illam, nisi cruci occisione mediante? Erant pueri Dei Filio similes ætate temporali, & quia similes Filio Dei, sine tanti laboris pretio salutem non debuerunt comparare. Ait pulchrè D. Leo serm. 7. in Epiphan. *Vt imitatoribus suis quid gloriæ pararet, ostenderet, ortus sui tempore editos martyrio consecrauit, vt in Bethleem geniti per communionem ætatis, consortes fierent passionis.* In quibus fuit conformitas cum Dei Filio, vel in ætate, non debuit non esse conformitas passionum, & laborum, per quos intrarent in regna cœlorum.

Rom. 8.

§. XI.

Mundanæ amicitiæ omnes deficiunt; Christiana charitas veteribus donis semper noua addit.

PRoh charitas à Iesu mundo illata! seminecem hominem videt, curandum suscipit, oleo delinit, ligaturis fouet, ducit in stabulum, stabularium denariis datis obligat, & insuper promittit alia aiens: *Cùm rediero, reddam tibi.* Et cùm redierit, reddet; quando ergo finem faciet præstandi? Ea est, mihi credite, sola Christi charitas humanis cordibus inseminata, quæ nullum vnquam præstandi finem faciat. Cant. 1. *Meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis. Oleum effusum nomen tuum, ideò adolescentulæ dilexerunt te.* Christianam charitatem vberibus comparat, & prophanas amicitias vino; & quò vbera excedunt vuas, eò Christiana charitas mundiales excedit amicitias. Sed vuæ pretiosiores sunt, & ditiores, & gratiores hominibus, quàm vbera: in quo ergo vuæ possunt superari ab vberibus? In eo maximè superantur ab vberibus vuæ, quòd vuæ facilè expolientur omni succo, & prorsus aridæ relinquuntur ad ignem; vbera autem nunquam valent exhauriri, sed nouis quotidie augmentis ora sitientia rigant. D. Bernard. serm. 9. in Cant. *Pulchrè vino comparat carnalem affectum. Vt enim vua semel expressa non habet iam quod denuò fundat, sed perpetua ariditate domatur; sic caro impressura mortis ab omni prorsus sua delectatione siccatur, nec vltrà reuirescit ad libidines. Verùm vbera non sic. Hæc enim cùm exhausta fuerint, rursus de fonte materni pectoris sumunt, quod propinent sugentibus. Meritò proinde meliora carnis, sæcaliue amore asseruntur vbera sponsæ, quæ nullo vnquam lactentium numero arescunt, sed semper abundant de visceribus charitatis, vt iterum fluant.* Qui carnalis amor, non tandem vel in morte siccatur? Quæ mundialis amicitia non exhauritur vel in pressuris vt vua? Vna est charitas Christiana, quæ nescit exhauriri, nescit præstandi finem; siue in lætitia, siue in pressuris vetera dona nouis obscurat. Propone tibi ob oculos adolescentem illum filium, Luc. 15. dum à patre discedit, mille carnales obit amicitias, & post paululum *omnia consumpsit, viuendo luxuriosè*, in summam paupertatem redactus, cupiebat ventrem implere de siliquis, *& nemo illi dabat.* Vbi amici, vbi dilectæ? Sanè nemo illi dabat, omnia fuerant iam exhaurita. In se reuersus ad patrem festinat; quid tunc pater? *Misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum.* Insuper ad seruos dicit, *Citò proferte stolam primam, & induite illum; date annulum in manu eius, & calceamenta in pedes eius: & adducite vitulum*, &c. Sufecisset filio, quòd pater illi misericordiam faceret; cur post hanc addit tot dona, & amplexus, & oscula, & vestes, & calceos, & vitulum? Sanè filio ea misericordia prima sufficiebat, qua admitteretur in domo paterna: at diuinæ charitati non sufficiebat vna misericordia, sed nouis semper muneribus manifestanda erat, nec exhaurienda. Præclarè ad hæc Ruricius Episcopus, lib. 1. epist. 2. ait: *Ea misericordia sufficit hæredi, quin etiam paternæ clementiæ venia sola non sufficit, quòd vlnis fouet, quòd gratia permulcet: nisi & munera larga multiplicet. Dat annulum, ne rursus à patre, perfidia duce, discedat: calceamenta dat pedibus, quò faciliùs arduum itineris aspera, & dura contemnat; dat & ipsam primam stolam*, &c. Nec vllum finem ponit largiendo, quæ à cœlis venit clementia, & charitas. De hac dicebat Apost. 1. Cor. 13. *Charitas nunquam excidit*; hoc est, perpetuis viret operum augmentis, in eodem semper vigore est, vt benefaciat. Fulbertus Carnotensis epistol. 70. ait: *Verè viuit hic, & fulgurat illa fortis, & speciosa charitas, quæ secundùm Apostolum patiens est, benigna est, & cuius vigor nunquam excidit.* Nullis effusis donis nouit arescere charitas Christiana, sed semper sub eodem vigore ad largiendum perseuerat, vt illi optimè quadret, quod diuinæ bonitati aptatur, nimirum ait D. Basil. Seleuc. orat. 2. *Diuinæ bonitatis imber delatus posterioribus donis obscurat priora.* Sic charitatis imber nunquam non effudit illustriora dona.

Cant. 1. — Bernard. — Luc. 15. — Ruric. — 1. Cor. 13. — Fulbert. — Basil. Sel.

Text. Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Iesus: Vade, & tu fac similiter.

§. XII.

A quocumque fiant, siue vicino, siue extraneo, opera salutis, per se spectanda sunt, & imitanda.

A Samaritanorum conuictu, & operibus maximè Iudæi omnes abhorrebant, & quidem meritò, quando alienissimos ab illa vera religione mores habebant. At vbi inuentus est Samaritanus, qui fecit misericordiam in hominem percussum à latronibus, statim Dominus monet Iudæum: *Vade, & tu fac similiter.* Cur, Domine, non magis caues Samaritanorum mores? Cur proponis sequendum Samaritani exteri, & infidelis opus? Erat opus misericordiæ; & quæcumque salutis opera non à quo fiant censenda, sed per se spectanda, & imitanda sunt. Rem pulchra ratione conficit Theodor. serm. 1. de fide: *Atque alibi quidem videre est, eos, qui singularum artium quærunt fructus percipere, minùs esse solicitos, qua elocutione, quòve idiomate sint illorum artifices. Neque enim Atticos esse sutores curant, neque fabros ferrarios, neque architectos, neque pictores, non ipsos denique factores nauium, non gubernatores. Verum siue Scithæ, siue Sauromatæ, siue Hispani sint, siue Ægyptij, summa cum voluptate vtuntur eorum artibus, solam ab his fidem, diligentiámque poscentes; minùs autem ægrè ferunt gentium, locorúmque differentiam. Item, qui citharœdi fidibus oblectantur, solam audire vocum consonantiam quærunt, neque sit ne is Græcus, aut Barbarus, sciscitari contendunt. Et tamen in solo perdiscendæ virtutis studio, non curiosi, ac non soliciti esse non possunt, sed ignominiam fieri sibi, probrúmque, existimant, si quis homo externus eos ad veritatem erudiat.* Et quando omnium artium opera à quouis fiant, siue extero, siue vicino, per se ipsa spectantur, quæruntur, suspiciuntur; cur non etiam per se spectentur, & suspiciantur opera salutis? Hæc equidem ratio euidentissimè conuincit Gentiles; aliam proponit ad Christianos Nazianzen. orat. 25. aiens: *At etiam peregrinum, & externum præconem habemus, dicet fortassè quispiam ex his, qui nimis circumscripti, & carni dediti sunt: Quid? Nónne Apostoli peregrini fuerunt? Nónne multarum nationum, atque vrbium hospites? Audi, quid Paulus dicat; vt nos, inquit, ad gentes, illi autem ad circumcisionem. Sit sanè Petri Iudæa, quid Paulo cum gentibus commune? Lucæ cum Achaia, Andreæ cum Epiro, Ioanni cum Ephesο, Thomæ cum India, Marco cum Italia?* Et quis præconem salutis, quia exterum repellat, & non magis accipiat? Et verba, & opera bona etiam exterorum, & peregrinorum potestatem habent præstandi suscipientibus salutem. Propone tibi ob oculos Ionam, cap. 3. *Et cœpit Ionas introire ciuitatem itinere diei vnius; & clamauit, & dixit: Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur. Et crediderunt viri*

Theod. — Nazianz. — Ion. 3.

Niniuita. &c. Sanè exterus erat, qui ruinam minabatur, & tamen Niniuitæ salutarem timorem ebibunt, quo mereati fuere salutem. Basil. Id quod ponderat D.Basil.Seleuc.orat.12.inquiens: *comminatur extraneus, & ad eius orationem mores commutat ciuitas vniuersa: extraneus loquebatur, ac veluti demissum cœlitus oraculum pertimuerunt, & ad vnam vocem luctus indulgebant.* Et quidem sapientissimè, res enim tanti periculi, in cuiusuis ore erat timenda, vt à quouis diceretur: Obligabat sapientes, vt haberent rationem salutis.

§. XIII.

Opera misericordiæ ab infidelibus facta, summa efficacia sunt, vt fideles trahant in sui imitationem.

Samaritani misericordia proponitur, & statim ait Dominus Iudæo; *Vade, & tu fac similiter.* Et cur fidelis homo non faciat bona, quæ vel ab infidelibus fieri videt? Equidem efficacissimæ sunt infidelium misericordiæ, vt misericordes, & humanos fideles efficiant. Elias dum populum dura fame percutit, nec fructus, quibus vescantur miseri, generari sinit, & ipse etiam famem incurrit. Cur Dominus
3 Reg.17. ait, 3.Reg.17. *Surge, & vade in Sarepta Sidoniorum, & manebis ibi; præcepi enim ibi mulieri viduæ, vt pascat te.* Sidonij Gentiles erant, & infideles, similiter & vidua illa erat Gentilis; cur ergo Dominus voluit, vt Elias acciperet cibum à
Basil. Gentili? Pulchrè D.Basil.Seleuc.orat 11. *Viduam, & pauperem, ac præterea Gentilem nominat, vt vel inuitus Elias maneat humanus.* Videns enim viduæ Gentilis in se humanitatem, lapideus esset prorsus Propheta, nisi & ipse humanus erga suos fieret. Valent etiam infidelium bona opera, fideles, licèt inuitos, ad similia trahere. Notissimus est ille Centurio Romanus, cuius fides visa fuit admirationem facere ipsi
Luc.7. Christo. Is cùm audisset de Iesu, Luc.7. *Misit ad eum seniores Iudæorum, rogans eum, vt veniret, & saluaret seruum eius. At illi cùm venissent ad Iesum, rogabant eum sollicitè, dicentes ei: Quia dignus est, vt hoc illi præstes; diligit enim gentem nostram. & Synagogam ipse ædificauit nobis. Iesus autem ibat cum illis*, &c. Annuit Iesus Iudæorum votis, & cum illis ibat ad Centurionem; cur cum illis voluit ire? Aliàs omnes dimittere consueuerat, aliquod miraculum patraturus; & maximè cauebat Iudæis etiam petentibus ostendere signa. Cur modò tot senioribus Iudæorum comitatus pergit daturus puero Centurionis salutem? Equidem non cum illis ibat ad miraculi affectionem, sed magis illos ducebat ad videndam Gentilis Centurionis virtutem, quæ vel deberet conuertere Iudæos obduratissimos. Pulcrè ait Chrysol.ser.102.
Chrysol. *Videtis, quia Christus ducebat magis Iudæos, quàm adducebatur à Iudæis; vt audirent esse penes Centurionem diuinitatis reuerentiam, penes Gentilem legis cultum, penes militem stipendium gratiæ, penes Romanum fidei doctrinam, in frigore pagano Christianum calorem, in terreno pectore cœleste secretum, & notitiam totam dominationis supernæ in tota sæculi seruitute.* Et quis fidelis de hoc exemplo non exardesceret? Quis ad similia peragenda non raperetur, quando illa videt peragi ab homine Ethnico? Iudæorum religio cùm florebat, & Iudæi à Gentilium conuictu sese amouebant, magnis quotidie criminibus constringebantur, Prophetas occidebant, filios filiasque dæmonibus litabant, & alia, quorum vel recordationem animus perhorrescit. Post Christum prædicatum, & gentes in Ecclesiam Dei admissas, nil tale in Iudæis etiam perditissimis auditur. Vnde Iudæi rebelles adhuc post Christum se ipsis meliores facti sunt? Sanè ex quo viderunt Gentes doctrina Christi cicurari, & in misericordiæ operibus exerceri, quæ antea sine Deo, sine lege, & sine humanitate erant, sic affecti sunt ipsi Iudæi, vt si non fidei, saltem melioribus
Chrysost. moribus adhærerent. Chrysost. in Psal.8.ait: *Quandiu legem habuistis, & occidebatis, & filios mactabatis, & adulterabatis. Postquam autem illuxit Sol iustitiæ, de vestris malis multum decessit, & moderatiùs vitam instituistis, correcti per vestram in nos æmulationem. Propterea vos dispersit, vt sciretis quantum in terris plantauit rempublicam, vos vel inuitus à vitio abducens.* Non potuerunt vel perditissimi Iudæi non vitia relinquere, quæ videbant quotidie relinqui à Gentilibus, dum conuertebantur ad Christum. Sic infidelium virtutes possunt ad se trahere etiam obduratissimos.

CAPVT X.

De diuite feracem agrum habente.

DIVITIARVM creatarum vanitatem pulchra parabola Dominus ostendit, dum agrum feracissimum, ditissimumque proponit, qui eam frugum abundantiam produxit, quæ multos possent annos felicitate implere, sed nec vnam noctem securam possessori reddiderunt. Quis iam diuitiis credat, inter quarum cumulos, & ita absumitur, & ocyor mors venit.

Luc.12. Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit.

§. I.

Infelicissimus homo est, quem ditant sola creatura, & non Deus.

NOtanter dicitur hominis iustus ager fructus tulisse, & non magis Deus eorum productor exprimitur, vt miseri insinuetur infelicitas summa, quem creatus ager, & non increatus Deus ditat. Paulus 1.Corinth.12. explicans dona communicata hominibus a primordio Ecclesiæ, quibus donis maximè nobilitantur Christiani primitiui, sic inquit:
Vnicuique autem datur manifestatio spiritus ad vtilitatem. Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ, secundum eundem spiritum: alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatum in vno spiritu, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem spiritus, diuidens singulis, prout vult. 1.Cor.12. Cur Paulus post singula dona enumerata tam anxiè curauit apponere illorum authorem spirituum? Vel cur in enumerandis donis tunc Ecclesiæ concessis nec semel præterinit eorum authorem, sed singulis verbis spiritum apponebat? Sanè iam tunc diuinitatem Spiritus sancti asserebat; nisi enim Deus esset Spiritus, non toties diceretur author donorum, quibus nobilitabatur Ecclesia, quando dona non à Deo, sed a creatura orta potiùs hominem fœdant. Ad hæc aiebat Chryso-
stom. ibi, homil.29. sanus: *Si minor spiritus, & alterius esset substantiæ, nihil consolatio profuisset, neque audire eumdem spiritum. Qui enim à Rege accipit, multi id facit, quod à Rege accipit. Qui autem a seruo, tunc magis dolet, quando id sibi in memoriam reducitur. Itaque hinc constat, quòd non seruilis, sed regiæ substantiæ Spiritus sanctus est.* Chrysost. Non multum equidem curaret Paulus singulis donis Spiritum sanctum apponere authorem, si Spiritus sanctus seruus esset; quando dona, quæ a seruis veniunt, & non à domino, ingenuos viros magis solent fœdare. Nec ingenuus est, sed vilis, & valdè miser, qui non dolet, quoties meminit, se, suáque omnia deberi non domino, sed conseruo. Nobilis ille fidelium pater Abraham Genes.14. Sodomitæ Principi offerenti munera sic respondit: *A filo subtegminis vsque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt, ne dicas: Ego ditaui Abram.* Genes.14. Sed cùm sic recusat muneribus huius ditari, simul dicitur: *At vero Melchisedech Rex Salem proferens panem, & vinum (erat enim Sacerdos Dei altissimi) benedixit ei*, &c. A Melchisedech prolatum panem, & vinum minimè recusat Abraham, quin potiùs & panem, & vinum accipit libens. Cur ergo, qui adeò cauit prima munera accipere, & illis ditari, non recusat accipere hæc secunda? Rationem insinuat textus de Melchisedech, dicens? *Erat enim Sacerdos Dei altissimi*; resplendebat enim Deus in muneribus Melchisedech, & ideo Abraham non veretur illa accipere, quia potiùs amat ditari de manu Dei, qui prudentissimè refugit & dona, & diuitias habere, quæ non à Deo veniant. Chrysostom. homil.39. in Genes. Chrysost. *A Rege Sodomorum accipere nihil voluit; accipit autem ea, quæ à Sacerdote Dei sunt oblata. Erat enim Sacerdos Dei altissimi.* Ea sola amat habere munera, quæ videt in se à Deo venire per manus Sacerdotis Dei summi; reliqua omnia abiicit, indignum reputans ingenuo viro, quod aliquid non à Deo, sed à conseruis accipiat. Quòd si vel à conseruis habere bona indignum reputant sancti viri, quid dicetur, si a peccato illa accipias? Fallax, si quid in hac vita infelicius accidat homini, quàm quòd à peccato habeat bona sua. Iob cap.1. aiebat primus cladium nuntius:

Irruerunt

Iob 1. *Irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia, & pueros percusserunt gladio.* Quid ad hæc vir sanctus, & nobilis, & tunc adhuc diues, & potens? Qualem parat vindictam? Quale malum minatur hostibus? Hoc vnum, & quidem grauissimum, nimirum, quòd sibi habeant ea bona, quæ cum peccato adquisierunt. Quippè ait Origen. homil. 1. in Iob: Origen. *Sine illos possidere hæc cum iniquitate, nobis verò dabit Deus alia sine peccato.* Nullum maius damnum temporale potuit euenire Dei hostibus, quàm quòd ex peccato, & iniquitate habeat bona sua; ingenuique viri ea à se deprecantur bona, & sola illa cupiunt, quæ ea Deo accipiunt. Huc reuoca dicta tom. 2. lib. 9 cap. 2. §. 32.

Text. Et cogitabat intra se, dicens: Quid faciam, quia non habeo, quò congregem fructus meos.

§. II.

Vna Dei prouidentia est, quæ omnia necessaria prompta, & parata habet: creatæ omnes prouidentiæ mille experiuntur defectus.

EXpende hominis auarissimi, & diuitiarum auidissimi verba, quibus dolet, quòd non habeat, quò congreget fructus suos. Nónne cùm diuitias cogitabat, cùm semina iaciebat, cum arua colebat, eo studio, vt fructus congereret, simul & prouidebat horrea, quibus fructus immitterentur? Equidem prouidebat; sed quantula est hominis etiam oculatissimi prouidentia? Incertæ sunt omnes prouidentiæ nostræ, & post omnem curam adhibitam, post vigilias plures, post præparata omnia, cùm ad rem ventum fuerit, etiam potentissimus, & oculatissimus, se aliquid necessarium non habere intelligit. Ecclesiast. 9. Eccles. 9. *Verti me ad aliud, & vidi sub Sole, nec velocium esse cursum, nec fortium bella, nec sapientium panem, nec doctorum diuitias, nec artificum gratiam, sed tempus, casumque omnibus.* Collige in vnum vniuersas naturæ humanæ dotes, siue velocitatem, siue fortitudinem, siue sapientiam, & industriam simul cum potentia siue artes omnes, & disciplinas, omnes hæ in occasione deficient, & clamabunt, se, id quod sunt, non habere. Instante necessitate, non habebit cursum velocissimus, nec fortitudinem fortissimus, nec artes nec disciplinæ, nec industriæ emolumentum. Id in præsenti considerans Olympiodorus, & verè, & religiosè Olymp. loquitur: *Aliud contemplatus sum, quòd vincere in cursu, non sit cuiusque leuis, & expediti ad currendum; neque omnium, qui potentes sunt, egregios, ac victores, se præstare in bello; neque ad prudentes, sapientésque viros, atque doctissimos diuitias deuolui; sed nec eos, qui multa nouerunt, gratiam consequi: casus enim omnibus communes contingunt; hoc est, incertis rerum euentus; nihilque est hominibus vnquam satis, nihil vndique perfectum, nihil æquale, omniaque ferè dissimili fine terminantur.* Quid verius? Fatuus est, qui in omni prouidentia humana, etiam quæ videbantur & certissima, & paratissima, non videat deficere. Imo ex eo præcipuè ostenditur prouidentia diuina, quòd ipsa sola omnia sibi necessaria parata habeat, quin experiatur defectum vllum. Recolite ex Luc. 10. hominem illum ab Hierusalem descendentem, quem latrones spoliant, & vulneribus Luc. 10. confossum semiuiuum relinquunt. Quid tunc? *Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum, & videns eum, misericordia motus est. Et appropians alligauit vulnera eius, infundens oleum, & vinum,* &c. Mirabar ego sæpè, quòd viatori homini in deserto itinere tam prompta, & parata essent omnia vulnerato inuento commoda. Esto, quòd viator deferret secum vinum; at oleum vnde habuit? Sed forsan mos erat tunc viatorum etiam secum oleum deferre; sic enim Iacob, Gen. 28. Genes. 28. cùm solus viam ageret, *erexit lapidem, fundens oleum desuper;* tulisset ergo secum deuiatorum more Samaritanus ille vinum, & oleum; at ligaturas vulnerum vnde tam cito habuit in loco deserto? Sanè non homo erat Samaritanus ille, sed Deus, id quod vel eo solo claret, quòd omnia necessaria vulneri prompta, & parata inuenit; humanæ autem prouidentiæ vel omnia, vel plura deficerent in arcto temporis. Origen. Sapienter Origen. homil. 34. in Luc. ait: *Vt autem scias, quòd iuxta prouidentiam Dei Samaritanus iste descenderit, vt curaret eum, qui inciderat in latrones, manifestè doceberis ex eo, quòd secum habebat alligaturas, secum oleum, secum vinum.* Vni diuinæ prouidentiæ hæc omnia etiam in deserto loco non potuerunt deficere, quæ vel in mediis vrbibus non adeò præ manibus essent creatæ industriæ. Propone tibi ob oculos Apostolos missos à Iesu sine sacculo, sine pera, ab omnique humano subsidio destitutos; & eosdem habentes peram, & sacculos, & artis industriam, qua sibi victum, vestitumque conquirerent mediis vrbibus. Sic Paul. 1. ad Corinth. 4. 1. Cor. 4. *Laboramus operantes manibus nostris,* &c. Sed qui sine artis industria, sine victus cura, sine humano subsidio in viis, & oppidis erant, interrogati à Domino, Luc. 22. an aliquo caruissent, constanter respondent, in omnibus se abundasse. Verùm qui operam, & industriam apposuerunt, vt sibi necessaria conquirerent, clamant vixisse, 2 ad Cor. 11. 2. Cor. 11. *in fame, & siti, in frigore, & nuditate.* Et cur illi in tanta omnium abnegatione, nihil non promptum, & paratum inuenerũt: hi autem tot necessariorum sustinuerunt defectus. Pulchrè Euthym. in cap. 22. Lucæ. Euthym. *Primum quidem ipse tenebat illos, non sinens, vt aliquo egerent; postmodum verò dimisit ipsos, vt sibi ipsis essent auxilio. Tunc nullo indiguerunt, vt Dei potentiam, & [illegible] agnoscerent, nunc & esurierunt, & sitierunt, & nuditatem passi sunt.* Euidentissimè equidem sese discernunt diuina, & humana prouidentia in copia, siue inopia rerum. Vbi omnia abundant, ibi Dei prouidentia cognoscitur, quæ sola potens est omnes defectus præuenire: nulla prouidentia creata sine aliquo defectu inuenitur, quæ defectus omnes excludit; & in ipsa penuria necessariis habendis habet promptitudinem, hæc prouidentia est diuina. Felix qui sub illa viuit, omnia sibi & prompta, & parata in quouis loco poterit inuenire.

§. III.

Vbi temporalibus niteris, non effugies penuriam, milleque defectus; omnium habebis copiam, si solo niteris Christo.

VT bona temporalia creuerunt diuiti isti, sic statim in illo vox egentis auditur; quippè anxius clamat; *non habeo, quò congregem fructus;* quasi nesciant in homine separari, & amara temporalia, & vox indigentis. Hoc certò sciant homines, quòd à temporalibus fiduciæ nostræ fulcris, mille penuriæ prosilient; ille magis abundat, qui nititur solo Christo. Luc. 22. ait Dominus: Luc. 22. *Quando misi vos sine sacculo, & sine pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt, nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram,* &c. Si quando nec sacculum, nec peram habuerunt, nullum defectum experti sunt, nullam senserunt penuriam; quid necessum est iubere illis, vt modò & sacculos habeant, & peram emant? An habentes sacculos pecuniis plenos, & peras cibariis onustas, magis expellent penurias rerum, quàm antea caruere sine istis? Absit; imò quia oblatis omnibus temporalibus, & vno fidentes Christo, nullam potuerunt sentire penuriam; cupiens Dominus, quòd penuriam & egestatem paterentur, illis permittit habere sacculos pecuniæ, & cibariorum peras, sciens tot fontes oriri penuriæ atque egestatis, quot apponuntur temporalium bonorum fiduciæ. Ait D. Chrysost. in Cat. D. Thom. Chrysost. *Quando nec calceamenta, nec zonam habebant, nec baculum, nec æs, nullius passi sunt penuriam; vt autem marsupium concessit eis, & peram, esurire, videntur, sitire, & nuditatem pati. Ac si diceret Dominus: Hactenus cuncta vobis vberrime affluebant, nunc autem volo, vos & inopiam experiri, ideoque non adduco necessitati publicæ legis, sed mando sacculum habere, & peram.* Nec certiùs possent homines subijci penuriæ, & egestati, quàm vbi ab vnius Dei descendentes fiducia permittuntur & sacculos habere, & operam conquirere. Cum sacculorum, & operarum augmentis venit simul penuria, & egestas. Vtinam hanc veritatem non adeò euidentem Hispani homines inuenirent, ex quo enim Indiarum thesauros cœperunt habere, quis numeret eorum egestates, & penurias? Non fuit atauis nostris tantum argenti, nec auri, nec pretiosæ supellectilis; sed nec illis fuerunt tot suspiria à defectu rerum necessariarum extorta. Creuit Hispanorum substantia in argento, & auro, in pretiosis supellectilibus, in censualibus redditibus, & cum eorum augmentis, & voces non habentium necessaria augentur quotidie. Hæc pereant, & crescat nostra in solo Christo fiducia, qua nihil nobis non promptum, & paratum adueniet. Marc. 6. loquens de Apostolis ad prædicandum missis, ait: Marc. 6. *Et præcepit eis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantùm, non peram, non panem, neque in zona æs.* Non solùm eos pecunia exonerat, sed & panem eripit illis, solámque virgam haberi permittit. Et cur ablatis aliis omnibus bonis, sola permittitur haberi virga? Virga permissa illa est, quæ egressa fuit ex radice Iesse, nempè Christus,

cui soli si innitamur, omnia bona nobis abundantissimè *Paschas.* suppetent. Ait D.Paschas.lib.6.in cap.10 Matth. *Nihil enim cundum in via nisi virga tantùm mandatur; ex cuius profectò potestate, quæ necessaria sunt ad futura, nihil . . . etiam dubitandum. Ipsa est enim virga de radice Iesse, quam Moyses olim . . . lit, & in cuius potestate plurima signorum gessit.* Felix ille est, cui datur hæc vna niti virga, & illi dulcia mella petræ dabunt, oleúmque durissima saxa. Sub hac virga & syrtes ipsæ,& inhospitalis locus necessaria omnia suppeditabunt.

§. IV.

Bona temporala longè ablegant Deum à mente hominis.

EXpende, quid efficiant in diuite isto vberes agelli fructos; ait textus: *Cogitabat intra se, &c.* Non Deum, sed se vnum ad consilia capienda meminit: ea enim sunt bona temporalia, quæ Deum longè ablegent ab humana mente. *Matth. 22.* Matth 22. *Congregatis autem Pharisæis, interrogauit eos Iesus, dicens: Quid vobis videtur de Christo? Cuius filius est? Dicunt ei, Dauidis. Ait illis: Quomodo ergo Dauid in spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum? Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodo filius eius est? Et nemo poterat respondere verbum.* Ecce tibi tota Iudæorum sapientia oppilata est, nec quid supra Dauidem in Christo meminisse potuerunt. Illis opponite modò rudem piscatorem Petrum, is *Matth. 16.* similiter de Christo interrogatus, Matth. 16. clamat: *Tu es Christus Filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti. Respondens autem Iesus, dixit ei: Beatus es Simon Barjona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi,*&c. Cur sapientissimi illi, & oculatissimi nil supra Dauidem in Christo meminere, rudis autem piscator sic supra Dauidem, & omnes creaturas euolauit, vt Filium Dei in Petris sinu perringeret? Causam insinuat Dominus dicens Petro: *Caro, & sanguis non reuelauit tibi*; nullum carnale, & temporale bonum non euanuit ab oculis Petri; at Pharisæorum oculos tenebat regius Dauidis temporalis splendor, quo pressi Deum meminisse nequiuerunt. Sapien- *Leo.* ter D.Leo serm.9 de Natiuitate, ait: *Intercludistis vobis, ô Iudæi, intelligentiæ viam, & dum solam naturam carnis aspicitis, tota vos veritatis luce priuastis. Expectantes enim secundùm vestræ persuasionis fabuloso figmento, Dauid filium de sola stirpe corporea, dum spem vestram in homine tantum constituistis. Deum, Dei Filium repulistis.* Quid carnalia, & temporalia bona ob oculos posita aliud prius efficerent, quàm Dei repulsam? De Pharisæo illo, qui temporalem gloriam captabat, dicit Luc. *Luc. 18.* cap. 18. *Pharisæus stans, hæc apud se orabat.* Expende, apud quem orat homo temporalis, *apud se*, inquit, vbi D. Basil. in *Basilius.* Caten. D.Thom. ait: *Dicit, apud se orabat, quasi non apud Deum.* Nec miror, quòd temporalis gloria locum negaret orationi ad Deum, quando & omnimodam Dei obliuionem parit Paulus ad Galat. 4. notans occasionem aduentus Dei in *Galat. 4.* mundum, ait: *Quando venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum* Et cur non antea misit Filium, nisi quando venit temporis plenitudo? Numquam Filius Dei magis exclusus à mundo intelligi potuit, quam vbi temporalia omnia ingenti applaudebant plenitudine. Sic D.Bernard.serm. 1. Ad- *Bernard.* uentus, inquit: *Quando venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum; nimirum plenitudo, & abundantia temporalium obliuionem, & inediam fecerat æternorum.* Hæc pariuntur à vobis temporalibus, nimirum obliuio æternorum, obliuio Dei. Quot homines in rerum penuria strenui Dei existebant cultores, qui ad temporalia culmina euecti & Dei, & æternitatis profundissimam habuerunt obliuionem? Hos numeret, qui terræ puluerem numerare nouit: hine mirabundus D Basil. Seleuc. Dauidem extollit, cui nullam Dei, virtutisque memoriam abstulere illa ipsa culmina quę Saolem prorsus Dei fecerant obliuiosum. Quippè de Dauide *Basilius.* fatur orat. 17. *Sublatum Saulem caleuter admodum lugebat Dauid, illustrabat tumulo, tumulum lamentis ornabat, & hæres sceptrorum non adibat hæreditatem.* Miraculum sanè potentię Dei, quòd Saulis regnum totum ad Dauidem veniret, & quòd nulla Dei obliuio, nullus præceptorum diuinorum contemptus illorum tangerent. In Saule fuerunt iuncta obliuio Dei, & temporalia culmina, vt ferè in omnibus iuncta esse solent; at in Dauide potuerunt esse culmina temporalia sine Dei obliuione

Text Et dixit: Hoc faciam, destruam horrea mea, & maiora faciam.

§. V.

Solent peccatores ipsi sibi supplicium inferre, dum cupiditates adimplent.

SVpplicium, & pœna est non parua auaro homini, horreorum destructio, & pecuniarum consumptio; quam pœnam ipse sibi auarus diues infert, dum seruus auaritiæ, aiens: *Destruam horrea mea & maiora faciam.* sic miser voluntariam horreorum destructionem, & dispersionem pecuniarum in ædificiis cogitur eligere. Quid peccatore miserius? In ipsa suarum cupiditatum persecutione & adimpletione, supplicium, & pœnam peccato debitam sibi infert. Esau cupiens sibi habere Iacobi edulium, Genes. 25. etiam primogenium vendidit, vt vesceretur illo; quippè ait textus: *Et vendidit primogenita. Et sic accepto pane, & lentis edulio, comedit, & bibit, & abijt, paruipendens, quòd primogenita vendidisset.* *Genes. 25.* Et cur permissus à Deo est in tantam deuenire stultitiam, vt pretio vilis edulij primogenita vendiderit? Sanè decretū hoc malum est à Deo peccatoribus, quòd in adimpletione suarum cupiditatum debitum in mundo peccatis supplicium sibi inferant. Aiebat D. Isidor. Pelus. lib. 2. epist. 47. *Quoniam primogenita & regnum, & sacerdotium debebatur; porro virtute iste vacuus erat, idcirco in eam necessitatem redactus est, vt etiam sua sponte id venderet, quo etiam inuitus spoliari merebatur.* *Isidorus.* Quod merebatur supplicium, nimirum, spoliationis pœnam, hanc ipse sibi intulit, dum nititur suas cupiditates adimplere. Sic multi peccatores durissimè se castigant, dum suas cupiditates exercent. Alius in ludo sese bonis spoliat, alius in Venere salutem dilapidat, alius in duellis vitam perdit. Iephthe stultum fecit votum Deo, Iudic. 11. quo vidit se obstrictum, vt filiam litaret; quid magis stultum? Filiam vt litaret, gladium exerit, nec a Deo, nec ab Angelo tenetur, sed filiā iugulare permittitur. An Deo talis hostia placebat? Quòd si Deo non placebat, cur permittitur homo tātum facinus adimplere? Vt stultum votum minimè impunitum maneret, sed in sui adimpletione durissimum suppliciū inferret. Ait D.Aug. q. 49. in Iudic. *Hæc pœna patri fuit retributa, ne impunitum talis voti relinqueretur exemplū.* *August.* Et hæc pœna solet esse peccatoribus, ne impunitæ eorum cupiditates videantur, quando earum adimpletio non fit sine damno salutis. Nónne facinorosorum solet esse pœna, quæ solis pecuniis constet, alia, quæ damno corporali? Sed lasciuus homo, quot incommoda corporis pendit, vt fœmineis fruatur amplexibus? Sed aleator vt operam det talis, quot spoliatur aureis. Propone tibi ob oculos prodigum illum suis cupiditatibus permissum, quòd substantiam consumit, quòd vili pecori adhæret, quod fame perit, quod maius supplicium expectaret a prætore propter homicidium, quàm est id, quod ipse sibi intulit, dum suas cupiditates perficit? Clamat auarus iste: *Destruam horrea mea.* Cui statim D.Basil. ait: *Illis ego sanè dicerem, bene facis. Nam iniquitatis horrea proculcatione digna sunt, quæ diruantur. Euerte miser tuis ipse manibus, quod malè ædificasti.* *Basilius.* Non alio eget tortore peccator, illa ipsa manus, quæ operam dat sceleribus, & dat operam pœnæ, dissipat bona eius. Nequeunt vitia aliquid aliud præstare sectatoribus suis, quàm mortem, quam ruinam. Matth. 8 dicitur: *Et cùm venisset Iesus trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, &c.* *Matth. 8.* Miraberis, quòd dæmon sic habitationem suam faciat in sepulchris, cui liberum erat in quouis amœno terræ loco esse Cur non magis habitat inter flores? Cur non magis inter humanas pulchritudines? Sanè ex quo dæmon totus est in persuadendis vitiis, nihilque agit, quòd vitium non sit, non potest fugere habitationem sepulchri, quando vitia semper grauitant in mortem, in destructionem, in sepulchrum. D.Paschas. lib. 5. in Matth. inquit: *Digna* *Paschas.* *quidem vtrorumque conditio, vt qui cælo præsidere nolunt, pascantur cadaueribus, & foueantur putredine: delicientur fœtore, quibus tota voluptas est vitiis deseruire.* Non aliud nouerunt parere suis affectis vitia: & immortalis natura, si seruiat vitiis, licèt mori non possit, saltem cogetur habitare in mortis, & ruinæ domiciliis. Sic semper vitia vltionem inferunt peccatoribus. Iob 24. de impiis locutus ait: *Sicut summitates* *Iob 24.* *spicarum conterentur.* Vbi ex Græco dicit, *Emarcuit sicut malua in æstu, aut sicut spica, quæ de culmo sua sponte cecidit.* Expende illud, *sua sponte*, hoc est, ipsa sibi exitium inferens. Pro quo Auctor Cat. Græcæ: *Contabescit autem spica, vbi à frumento, & sustinente illam culmo fuerit excussa, neque ex terra humorem ampliùs, adipemque, quibus nutriebatur, haurire potuerit. Intereunt etiam impius, cùm ab ea, qua is irritabatur, vtebaturque felicitate, deciderit.*

deciderit. Rectissimèque dictum est, sua sponte; vnusquisque enim suum, ac proprium peccatum habet vltorem. Sic ibi. Vide infrà lib.18. cap.1. §.22.

Text. Et illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, & epulare.

§. VI.

Hominis illa vera felicitas, quòd non ipse solus bona possideat, sed & alij per ipsum.

HÆc miserrimi hominis vox: *Illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi,& dicam animæ meæ.* Hæc,inquam vox hominis est miserrimi, omnia vni sibi congregantis, quando felicitas vera hominis ex eo magis constaret,si non vni sibi omnia vellet,sed per se multa cuperet ad alios transire. Sic
Genes.9. ad Noë aiebat Dominus, Genes. 9. *Ecce ego statuam pactum meum vobiscum, & cum semine vestro post vos: & ad omnem animam viuentem,quæ est vobiscum tam in volucribus,*&c. Non solùm beneuolentiæ firmitatem promittit Noemi semini, sed & omnibus animalibus;& quid intererat Noemo,quòd & cæteris animalibus Deus suam benignitatem promitteret? Nónne sufficeret illi, si ipse Dei benignitatem haberet securam?Profectò magna illi struebatur felicitas, si non soli, sed & cæteris animalibus per ipsum Domini exhibere-
Chrysost. tur benignitas. Ait Chrysostom.homil.28.in Gen. *Et homini solatio sunt, quod non solùm in se collocentur beneficia, sed propter se, & in alia animalia extendatur liberalitas.* Huc spectet homo, qui felix cupit haberi in mundo à Deo, & hominibus: minimè omnia bona vni sibi velit, sed magis amet, quòd propter se alij plures multa etiam bona participent. Hoc est hominis felicis,hoc est hominis, qui apud Deum habetur felicissimus. Bonus Loth cùm Sodomorū effugit discri-
Genes.19. men,Genes.19. audit ex Deo:*Ne stes in omni circa regione,sed in monte saluum te fac.* Vix sibi salutem in monte promitti audit, & statim summa cordis anxietate supplicat, ne sibi mandetur salus in monte, sed in ciuitate parua, quæ propè erat, & inquit: *Est ciuitas hæc iuxta, parua, & saluabor in ea; numquid non modica est,& viuet anima mea? Dixitque ad eum: Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, vt non subuertam vrbem, pro qua locutus es.Festina,& saluare ibi.* Bonus renuit salutem habere in monte,magis illam amauit habere in vrbe; dum enim in monte esset, ipse solus potiretur salute;at si vrbem teneret, salus ibi & sibi, & propter se, aliis plurimis obueniret, quod & felicitatem, & meritum prædicaret viri. Id pulchro carmine cecinit Claudius Marius Victor lib. 3. in Genes. inquiens:

Claudius.
Ipse Segor lacrymis petiit, secura recessus
Antra sui; lacrymas autem non sensit inanes,
Concessumque sibi donum speciale salutis
Pluribus impertit, munitumque è munere fecit.

Sanè donum speciale salutis non æstimat vir diuinus, nisi dum illud valet & pluribus impertire, vt sic ex donis suis, dum ea aliis communicat, merita ipse faciat,quibus prædicabilis reddatur Deo,& hominibus. Hanc ebibant mentem omnes, qui se munerare velint in Dei familia, nulla bona recipiant,quæ non velint proximis esse communia.Post defunctum Lazarum venit Iesus in Bethaniam, vt illum vitæ restitueret. Quid sorores eius fecerunt ad aduentum Iesu?
Ioan.11. Ioan.11. *Martha ergo vt audiuit, quia Iesus venit, occurrit illi: Maria autem domi sedebat. Dixit autem Martha ad Iesum:Domine,si fuisses hic, frater meus non esset mortuus,* &c. Hæc Martha fecit verba cum Iesu, à quo fraternæ resurrectionis accipiens pignus,*abiit,& vocauit Mariam sororem suam silentio,dicens:Magister adest,& vocat te.Illa vt audiuit,surgit citò,& venit ad eum.* Expende modò, quòd Martha prima vice audiens Iesum venisse,non vocat sororem,nec verbum illi fatur de Iesu; postmodum autem & sororem vocat, & cum illa venit ad Iesum? Et cur quæ sola venit sine sorore, sola etiam non vult permanere sine illa? Quando primò venit, putabat se venire, vt tristia nunciaret, tristiáque de orbitate sua audiret; quæ autem tristia erant.cauit communicare sorori,sed sibi soli ea assumit; postmodū autem,vbi pignus accepit fraternæ resurrectionis, tantum bonum noluit vni retinere sibi. sed statim currit,vt illud sorori communicet;
Basilius. quippe ait D. Basil. Seleuc. serm. 40. *Cur verò sororem non assumit in occursum Christi itura? Vult eum seorsum nāctisci, quódque euenerat renunciare. Vbi autem eas in spes meliores induxit Christus,tunc abiit Martha,& vocat Mariam, & occurrit Christo.* Meritò Christi disciplina noluit vllum bonum habere soli sibi, sed vbi meliorem spem concipit, statim illam sorori communicare festinat: tunc verè felix, si & alij propter se bona participent.

§. VII.

Qui animus sic hæret carnalibus bonis, vt ab illis nequeat diuelli, is prorsus brutescit, & animalis fit: spiritualis autem, quando facili negotio carnalia expuit.

ANimæ suæ dicit iste, Requiesce,comede, bibe, & epulare;at comedere bibere,epulari, corporalis, & carnalis substantiæ sunt proprietates, non spiritualis. Cur miser non paras animæ tuæ alia bona, nisi illa, quæ & animalibus,& pecoribus parari solent? Sic tota hærebat eius anima carnalibus bonis, vt quasi tota carnea esset,& animalis in illis solis amaret manere, in quibus pecora esse possunt. Vis nosse,quàm hæreret carnalibus? Dicitur illi:*Habes multa bona in annos plurimos.* Non solùm carnalia diligebat,sed & nolebat putare fore, vt aliquando ab illis secerni possit. Quid carnalius? Quid magis pecuinum? Carnalis est,animalis est,pecuinus est ille animus, qui carnalibus sic adhæret, vt numquam inde vellet euelli;spiritualis autem, qui facilis est & in promptu,ad omnia carnalia deponenda.Meritò D.August.quæst.73. in Genes. duos vterinos fratres Esau,& Iacob ponit in signum duorum populorum, alterius,qui sit carnalis,alterius,qui sit spiritualis; quippè ait. *Carnales, qui sunt in populo Dei,significantur per maiorem filium,spirituales per minorem.* Et cur ille carnalis,& hic spiritualis? Esau pro terrena benedictione totus in lacrymas ibat, magno eiulatu, & fletu curabat,ne ab illa reiiceretur; Iacob licèt benedictionem,& primogenitum accepisset, tamen facili negotio adducitur, vt relictis omnibus à domo excedat paterna, & longam peregrinationem suscipiat,vt habes Genes.27. Meritò ergo Esau carnalis dicitur, & pecuinus, vtpote qui sic terrenis adhærebat, vt ægetrimè ferret priuari illis: Iacob spiritualis, qui nullo bono terreno tenetur, sed facilè omnia relinquit. Non enim quærendus est homo adeò spiritualis, qui prorsus à se omnia carnis bona excludat;sed qui ita habeat bona carnalia, vt facilis sit & promptus ad omnia dimittenda pro Deo, & virtute. Vt daretur Adamo sponsa, tulit Deus costam de Adami latere, Genes.2. *Ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem,& adduxit eam ad Adam.* Et vt Christo daretur sponsa, non educitur ab illo costa, sed è percusso latere aqua, & sanguis exiuit, quibus Ecclesia ædificatur, vt concors est omnium Patrum sententia. Cur non etiam costa aliqua Christi assumitur ad ædificandam eius sponsam, vt assumpta fuit Adami costa ad ædificandam Euam? Costa ossea est, & dura, multúmque ictibus resistens, & ægrè, & difficulter à carnibus educitur;aqua autem, & sanguis liquores sunt promptissimi ad effusionem, si vel minima detur scissio venæ, aut parua alia percussio, statim sanguis prosilit, carnem deserit, & profunditur. Ideò quia dum Eua fiebat, sponsa Adami creabatur carnalis,meritò ex costa fit, vt vel ex primo sui fundamento constet, quàm inhæreat, & immergatur carnalibus, à quibus ægerrimè feret separari. At dum Ecclesia fit, non carnalis sponsa, sed spiritualis sponsa aptabatur Christi, & ideo ex sanguine, & aqua profluente à percusso latere construitur;consistit enim hoc, quòd quis spiritualis sit,non in eo, quòd prorsus sit alienus à carnalibus, sed in eo,quòd velut sanguis, & aqua in promptu sit, ad hoc, vt vel ad minimam Dei pulsationem, vel ictum carnalia relinquat & profundat.Huc spectat D.Zeno,serm. de duplici circumcisione, inquiens: *De Christi latere in ictu lanceæ non costa diuellitur,sed per aquam, & sanguinem,quod est baptismus, atque martyrium spirituale corpus spiritualis fœminæ effunditur.* Et meritò ad spiritualis fœminæ formationem, non costa assumitur, quæ nimis carnalibus immergitur, & ægrè euellitur inde,sed assumitur sanguis, qui promptus est, vt carnem deserat & se effundat.In hoc enim consistit tota hominis spiritualis ratio,quòd ita carnalibus bonis vtatur, vt videatur esse in procinctu ad deferenda,& profundenda illa,vbi & virtus, & Deus iusserit. Ostensurus Moyses populum Israëliticum iam paratum, & quasi in procinctu ad egrediendum de Ægypto, ait, Exod.1. *Erant igitur omnes animæ eorum,qui egressi sunt de fœmore Iacob, septuaginta: Ioseph autem*

Margin notes (right column): August. — Genes.2. — Zeno. — Exod.1.

autem in Ægypto erat, &c. Expende illud, *omnis anima*, id dicit, quasi in illis hominibus nil carnis esset, sed toti essent anima, & spiritus. Et cur sic numerantur, quasi toti spiritus essent, an quia nil carnis habebant? Absit, quin potiùs fatentur ipsi se adeò carnales de Ægypto exiuisse. Exod. 16. vt
Exod. 16. dicant: *sedebamus super ollas carnium.* Cur ergo qui super ollas carnium sedebant, modò non de carne, sed de spiritu censentur? Meritò de spiritu censentur, qui iam expediti, & in procinctu visebantur ad egrediendum de Ægypto, & omnia Ægypti carnalia relinquenda, & arripiendam etiam per desertum Dei sequelam. Ex quo pulchrè elicit D. Am-
Ambros. brosius serm. 4. in Psalm. 118. *Ergo illi, qui habitabant cum Ioseph, & de Ægypto exierunt, anima sunt.* Non caro, sed anima est; & spiritus, qui in procinctu cernitur, vt carnalia deserat; quam distinctionem, fallar, nisi Dominus docuerit,
Matth. 26. Matth. 26. vbi passionem deprecans ait: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Pertinet equidem ad spiritum promptitudo, & facilitas ad carnalia omnia pro Deo, & virtute effundenda. Vide homo, quo possis ad spiritualem gradum pertinere, si promptus sis ad relinquenda opera carnis, & quò in hac parte promptior, eò eris spiritualior.
Ambros. Vnde monebat D. Ambros. serm. 4. in Psalm. 118. *Non ergo fiat anima nostra caro, hoc est, vt dicamur caro, sicut & illi, qui in diluuio perierunt, de quibus dictum est: Quia caro sunt, sed magis caro nostra obediens, animæ gubernaculo fiat anima, & hoc appellari mereatur nomine, sicut appellata est familia Iacob, & generationis eius sancta posteritas. Sic enim scriptum est: Hi filij Balæ, quam dedit Laban Rachel filiæ suæ, peperit hac Iacob animas septem,* &c. Felix, qui sic de solo spiritu censeri valeat.

Text. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem parasti, cuius erunt? Sic est, qui sibi thesaurizat, & non est in Deo diues.

§. VIII.

Sapiens non credit bonis, quæ nouit posse deficere.

Meritò stultitiæ conuincit Deus hominem, qui adeò credebat bonis minimè in æternum duraturis, sed vel post paululum fluxuris. Quando enim iste magis æstimabat bona sua, séque totum illis tradebat, non ausus est præsumere illa in æternum duratura, sed in annos plurimos, vt qui singulis diebus illorum consumptionem spectabat. Et quis non stultus sic sese credat rebus caducis? Qui sapiens est, vnum cùm videt rerum finem, minimè illis credit. Cùm Israëlitici populi egrediebantur de Ægypto, Ægyptij facultatis datæ pœnitentes arma capiunt, fugientes persequuntur, mare diuisum intrant. Quid tunc? Exod. 14.
Exod. 14. *Liberauitque Dominus in die illa Israelem de manu Ægyptiorum. Et viderunt Ægyptios mortuos super littus maris*, &c. Mare diuisum virga incolumes fecit esse Israëlitas, & Ægyptios perdens, illos mortuos obiecit oculis Israëlitarum. Sed cur Deus permisit Ægyptios sic in Israelitas commoueri vt in prosecutione inimicitiæ funditùs perirent? Deo disponente aliquando Ægyptiorum corda sic mutata sunt in Israëlitas, vt illis omnia pretiosa sua commodarent, imò & anxiè procurarent, quod exirent de Ægypto. Cur ergo non sanauit Deus hunc affectum in Ægyptijs, vt gauderent in exitu Israelitarũ, & prosequerentur illos in tympanis, & hymnis? Cur magis voluit, vt Ægyptij persequutores Israelitas, ante eorum oculos perirent? Id Deus faciebat, ne Israelitæ videntes Ægyptiorum finem, aliquid inde Ægyptiorum diligerent. Quomodo ergo sapiens homo apperat nimis, quod scit & posse & debere finiri? Aiebat D. Basil. Seleuc. orat. 9.
Basilius. *Sic igitur Ægyptios Deus vlciscitur; at Moyses populi magister eorum diuinæ cognitionis documenta tradit. Volebat enim egressos de Ægypto nullum impietatis Ægyptiacæ secum exportare viaticum.* Meritò in Ægyptiorum fine diuinæ cognitionis documenta tradebat, quia nulli Ægyptiorum inde crederetur; qui enim res cognoscit, & non penitus est stultus, non potest ampliùs credere rebus, quas noscit frequenter ire in ruinam. Huc voco totam Sansonis historiam ex Iud. cap. 17. is dum capillos Deo sacratos de Nazaræorum more haberet ab illis tantam accipiebat fortitudinem, vt non solùm ipse maneret inuincibilis, sed & solus exercitus fortissimorum hostium neci addiceret. Non potuit vinci Sanson dum capillos seruat integros, at capilli coniugis astu potuerunt mutilari: quis nesciat mutilari Sansoni clades? quis ignoret eius ruinas? Tandem creuerunt capilli, iterum sacri, iterum integri, iterum fortitudinem ingerunt. Vbi autem Sanson integram recognouit comam suam, & expertus est reflorescentes vires, vt infideles Allophylos percuteret, Dagonisque templum prosterneret, complectens columnas eius, Deum inuocat, quippe ait textus: *At ille inuocato Domino ait: Domine Deus, memento mei, & redde mihi nunc fortitudinem pristinam, Deus meus*, &c. Sciebat equidem sibi cum capillis venire fortitudinem, sciebat sibi capillitium renatum; cur præterea Deum precatur sibi restitui pristinam fortitudinem? Sufficisset petere, quòd sibi capilli seruarentur illæsi, cur non meminit capillos? Cur maluit à solo Deo venire fortitudinem? Sapiens vir, ex quo nouit capillos potuisse perdi, nihil æstimat capillos, & nihil æstimat ab illis ortam fortitudinem sed ad Deum confugit, quæ sola non potest deficere. Pulchrè in præsenti Caietan. ait: *Non confidit* Caietan. *in auctis capillis, qui obsecrat supplex pro robore hac vice.* Et meritò non confidit in capillis, quos aliquando vidit sectos, ne quis sapiens rebus confidat, quas scit posse, & debere finiri.

§. IX.

Magna stultitia est, quòd Deo non offeramus vltrò, quæ ipse potest auferre, vel inuitis.

Nota insignem hominis stultitiam, nimirum, quòd vnî sibi volebat retinere bona sua, negans Deo, quæ Deus pro potestate sua auferre poterat, & de facto erat statim ablaturus. Ait enim; *Stulte, hac nocte animam tuã repetunt à te*, &c. Et nisi stultissimi essemus, minimè negaremus Deo, quæ ipse vel inuitis nobis potest eripere. Abraham litaturus filium, rem minime explicat vxori, & dilectissimæ, & sanctissimæ, quin potiùs Genes. 22. *de nocte consurgens strauit asinum* Genes. 22. *suum*, &c. Et cur nocturnis tenebris celas vxori facinus adeò lacrymabile ipsi? Qualem consolationem poteris afferre matri post mortem tanti filij? Aut qua ratione apud illum excusabis, eius dolorem mitigans? Vnam equidem rationem habebat Abraham, quæ omnimodam excusationem & consolationem attulisset, nimirum: Mactaui filium meum, petente illo, qui pro potestate sua, & citiùs, & acerbiùs posset mactare illum. Sic ipse Abrahamus apud D. Basil. Seleuc. orat. 7. *Ego post iugulationem lamentantem fœminam* Basilius. *alloquar; ego solam plorantem hisce verbis: Desine lamentari, ne flet puerum ipsa iugulatione cohonestatum. Qui tibi aluo effœtæ matrem esse concessit, & puerum iugulatum remittet ad vitam. Quodque ad solatium valet plurimum, ô mulier, cuius in potestate est illius, vt mactaretur, flagitauit.* Quis non stultus renuat vltrò rem offerre illi, in cuius potestate est, illam inuitis etiam auferre? Dauidi petenti cincto exercitu, & petenti panes homuncio inermis Nabal negat, 1. Reg. 25. quod noscens prudentissima vxor eius Abigail lautissimis assumptis cibis obuiam tulit Dauidi irato, & minanti omnium ruinam, lo-
quit: *Ne ponat Dominus meus Rex cor suum super virum istum* 1. Reg. 25. *iniquum Nabal, quoniam secundum nomen suum stultus est, & stultitia est cum eo: ego autem ancilla tua non vidi pueros tuos, Domine mi, quos misisti: quapropter suscipe benedictionem hanc*, &c. Et cibos offert Dauidi, & mariti sui negantis illos profitetur stultitiam. Multus est Abul. quæst. 10. in inuestiganda ratione, cur hæc fœmina maluerit vocare maritum suum stultum. Vocasset iniquum, aut ingratum, quæ optimè illi conuenirent; at vnde apparet stultus fuisse? Sanè ex quo vidit à Nabale inermi homine negatos panes Dauidi petenti potentissimo, & multis, & fortibus cincto militibus, qui possent omnia facili negotio capere sibi, non dubitat viri prædicare stultitiam. Solus enim stultus, & demens negat rem petenti homini, qui posset liberè eripere illam. Qui autem sapiens est, eo ipso, quòd videat rem posse facilè auferri sibi per potentiorem Deum, non refugit vltrò illam offerre illi. Paratis iam Israëlitis ad egrediendum de Ægypto, Exod. 12. *Factum est in noctis medio, percussit Deus omne pri-* Exod. 12. *mogenitum in terra Ægypti*, &c. Et cur sic Dominus ante oculos egredientium Israëlitarum percussit omne Ægyptiorum primogenitum? Ibid. cap. 13. aiebat Dominus ad Israëlitam: *Separabis omne, quod aperit vuluam Domino, & quod* Ibid. 13. *primitiuum est in pecoribus tuis: quidquid habueris masculini sexus, consecrabis Domino.* Qui sic amabat primogenita Israëlitarum, vt illa sibi vellet offerri, cui ante oculos eorum percutit primogenita Ægypti? Percutit Dominus Ægyptia primogenita, vt dum hæc videntur auferri à Deo, discant Hebræi illi sua vltrò offerre; quis enim, si sapit, non vltrò offerat primogenitum petenti Deo, cuius potestatis est, &

primogenita

primogenita auferre parentibus etiam inuitis? Ad hæc D. Hieronym.epist. ad Fabiolam, ait *Ad extremum Dominus primogenita Ægyptiorum perdidit, vt primogenita Israëlis Domino sacrarentur.* Ne quis refugeret sacrare primogenitum suum illi Domino, cuius in potestate est, omnia primogenita absumere. Hieron.

CAPVT XI.

De ficu plantata in vineis.

VNVM habet suffugium peccator, quo se defendat à diuina ira, si pœnitentiæ fructus emittat: hos expectat Dominus, quos dum non inuenit peccatorem damnat. Id optimè exprimunt arbores ab hominibus plantatæ:excoluntur binis, ternísve annis, etsi post culturam adhibitam, post longam fructuum expectationem,adhuc sine fructu appareant, quis ferat illis terram occupari? Rapitur in ignem ficus,& post culturam sterilis,cuius instar & rapitur in ignem peccator, qui pœnitentiæ fructibus caret.

Luc. 13. Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, & venit quærere fructum in illa, & non inuenit.

§. I.

Magnum beneficium confertur homini, qui sanctorum est filius.

NOn in deserto,& inculto campo, sed in fertili, cultáque vinea Dei nascitur hæc ficulnea; nec enim paruum beneficium est arbori, quod in fertili, & culto solo nascatur;sicut non paruum,sed magnum est homini beneficium à sanctis parentibus oriri?Et quantum homini beneficium est sanctos parentes habuisse?Accipe Exod.20.*Ego sum Dominus Deus tuus fortis,zelotes,visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam,& quartam generationem eorum,qui oderunt me: & faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.* Ecce tibi vsquequo extendantur bona diligentium Dei. Quippè ait: *Faciens misericordiam in millia his,qui diligunt me*, post mille generationes inueniunt nati emolumentum sanctitatis auitæ.Id quod notans D.August. in quæst.veteris Testamenti 14.ait:*Et faciens misericordiam in millia millium iis, qui diligunt me:vt bonum patris non vsque ad pronepotem,sed vsque ad millia millium reddat.Vt puta si quis ex semine Dauid diligat Dominum, quem constat vtique porrò ante mille annos fuisse: huic additur misericordia Dei,vt in necessitate duabus suffragantibus causis, misericordiam accipere mereatur: quia & ipse Dei cultor est, & ex eius semine est, qui amauerit Deum.* Nullus annus, nulla ætatum interualla impediunt, quominùs parentum virtus maximum emolumentum pariat bonis filiis. Sed quid si filij boni sint? Ea est etiam parentum virtus,quæ non vacua apparet fructu aliquo, etiam in filiis adulterinis. Ait Genes. 6. *Gigantes erant super terram in diebus illis;postquam enim ingressi sunt filij Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, isti sunt potentes à sæculo viri famosi.* Fuerunt filij Sethi, ob conspicuam parentis iustitiam, & sanctitatem vocati filij Dei, quasi eorum Pater Seth Deus esset, ij tamen cupiditate victi adhæserunt filiabus Caini, ex quorum complexu nati sunt gigantes, viri potentissimi, & famosissimi. Et quæres, vnde hi gigantes, & famosi viri habuerunt sic posse nasci, vt proceritate, & robore,& opinione omnes coætaneos vincerent?Id præstitit illis aui iustitia, & virtus, quæ non potuit non plurimùm prodesse ortis inde filiis.Huc voco D.Cæsarium Nazianzeni fratrem, dialog.1. *Rectè igitur filij Sethi, & Enoti, filij-Dei intelligendi sunt, qui per libidinem capti ad filias Caini ingressi sunt, ex quorum mutua contaminatione nuptiali in vitam editi sunt gigantes, propter iustitiam quidem robusti,propter Cainum autem mali.* Ab vtrisque auis profectus fuit suus effectus in nepotes;à pessimo Caino non potuit non proficisci malitia, quæ nepotes fœdaret; verùm à iustissimo Seth,non potuit non magnum aliquod emolumentum nepotibus communicari, vt saltem robore,& fama coæuos superarent.Numquam non aliquod commodum à parentum virtutibus proficiscitur in filios, Matth.1.dum Saluatoris genealogia narratur,dicitur; *Ioram autem genuit Oziam; Ozias autem genuit Ionatham*; in quibus prætermittuntur tres Reges,nam Ioram non genuit immediatè Oziam, sed genuit Ochoziam, Ochozias autem genuit Ioam;Ioas autem genuit Amasiam;Amasias autem genuit Oziam, vt ex libris Regum patet legenti. Quare ergo hi tres Reges prætermittuntur?An quia & ipsi mali?Sed & plures alij ponuntur ibi, qui mali, & idololatræ fuerunt, nónne Salomon malus,& idololatra?Cur ergo soli illi tres à genealogia Saluatoris excluduntur?Fateor & alios Reges malos numerari ibi, sed qui sanctissimos habuere parentes, de quorum merito,hoc ipsi recepere beneficium,vt possent in Christi genealogia conscribi. At illi tres, & ipsi pessimi cùm fuissent,& pessimos habuerunt parentes,quare vel paternæ virtutis suffragio carentes, meritò à Christiana genealogia fuerunt exclusi. Ait D. August. in quæst. ex nouo Testam.85. *Non immeritò hi ab Euangelista sublati sunt de numero cæterorum. Sic enim horum continuauit impietas, vt malignum eorum nullum interuallum haberet. A Ioram autem cœptum malignum, sic perambulauit vsque ad Oziam filium Amaziæ, vt nullius lateris esset suffragium, quo ex parte meriti patris aliquis horum remaneret in numero Regum. Nam Ioram malignè agens, merito Iosaphat remissus in numero est. Salomon quoque merito patris remissus est.* Illi pereunt à computatione progenitorum Christi,qui nec patres sanctos habuerunt; quibus autem patres sancti fuerunt,non potuit tantum illorum malitia, vt hoc beneficium non acciperet,vel parentum merito.

Exod. 20. — August. — Genes. 6. — Cæsar. — August.

Text. Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio. Succide ergo illam, vt quid etiam terram occupat?

§. II.

Deus in peccatis castigandis illa magis solet respicere damna, quæ aliis inferuntur: homo magis respicere ea, quæ sibi sunt damnosa.

INfrugiferam ficum succidi iubet Dominus; & cur eam succidi mandat?An quia sibi aliquod damnum importat? Absit;sed qui terræ detrimentosa est, illam inutiliter occupans; quippè ait: *Vt quid etiam terram occupat?* Non punit Deus sontes vt homo;homo enim sontium supplicium magis metitur ex damno sibi illato,quàm ex illato aliis. Ionas meritam peccatis ruinam minaturus, Niniuem adit, cap.3. *Et Niniue erat ciuitas magna itinere trium dierum.Et cœpit Ionas introire ciuitatem itinere diei vnius, & clamauit, & dixit: Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.* Septuag.posuere, *Adhuc tres dies, & Niniue subuertetur.* Nusquam inuenies à Deo determinatos dies,post quos subuertenda Niniue erat; cur Propheta tres dies præire subuersioni clamat? Vnde elicere potuit, quòd terminus euertendæ vrbis tribus diebus clauderetur?Erat sibi terenda ciuitas per spatium trium dierum,quando eius magnitudo itinere trium dierum claudebatur. Vnde Ionas ex mensura laboris sui in deambulanda ciuitate, supplicium minatur,& ingeminat.Pulchrè Origen. homil. 16. in Num. ait: *Obserua igitur, quòd non inuenitur in sermonibus Dei, quibus ad Prophetam locutus est, quia adhuc tres dies,& Niniue subuertetur; sed Ionas,cùm ingrederetur ciuitatem,quasi iter dierum trium, ipse dixit, quia adhuc tres dies,& Niniue subuertetur.* Non Deus, sed Ionas tres tantùm dies euersioni præposuit, & eos præposuit, cùm iter susciperet trium dierum, non aliunde metiens supplicium inferendum, quàm de suo incommodo in labore itineris inuento. Vtinam non tam manifestum esset hoc hominum ingenium, qui vix æstimant damnum, quod sibi non infertur; & tunc solùm ita exardescunt in reos, quando sibi, suísque nociuos sentiunt, vt proprium suum damnum solùm mensuram statuat pœnæ infligendæ. Alienissimum à Deo est hoc humanum ingenium, Deus enim in peccatis puniendis non tam propria, quàm aliorum incommoda respicit. Psalm. 105. *Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua, Domine:non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ. Et irritauerunt ascendentes in mare, mare rubrum. Et saluauit eos de manu odientium: & redemit eos in manu inimici. Et operuit aqua tribulantes eos: vnus ex eis non remansit. Et crediderunt verbis eius, & laudauerunt laudem eius. Citò fecerunt,obliti sunt operum eius, & non sustinuerunt consilium eius,*

Iona 3. — Origen. — Psal. 105.

Et

Et concupierunt concupiscentiam in deserto, & tentauerunt Deum in inaquoso. Dedit eis petitionem ipsorum, & misit saturitatem in animas eorum. Et irritauerunt Moysem in castris: Aaron sanctum Domini. Aperta est terra, & deglutiuit Dathan, & operuit super congregationem Abiron, &c. Quid Deo magis familiare? Dum ipse irritatur, parcit, imò benefacit; dum autem Moyses, & Aaron irritantur, tunc Deus irascitur, & vindictam sumit de
Chrysost. peccantibus. Pulchrè D. Chrysost. hîc: *Nec tum Deum in mari rubro ad iracundiam prouocassent, nec cùm eundem in deserto tentassent, ut de ipsis supplicium sumpsit; imò verò cupiditates eorum expleuit. At cùm Dathan, & Abiron Moysem ira commouissent, dicentes: Numquid Moysi dumtaxat locutus est Deus, & non etiam nobis? Eos cum vniuersa familia dehiscenti terræ tradidit*, &c. Sic Dei spiritus proprias dissimulans iniurias, illas quæ aliis nocent, statim punit. Cantatissimum est Adami, & Euæ aduersùs Deum facinus, quo mortis incurrerant senten-
Genes. 2. tiam, dicitur enim Genes. 2. *In quocumque die comederis, morte morieris*. Et comederunt, & non mortui sunt statim, sed viui euaserunt, & Deum pœnitentia placarunt. Non sic eorum
Genes. 6. posteri, de quibus Genes. 6. ait Dominus: *Finis vniuersæ carnis venit coram me: repleta est terra iniquitate à facie eorum, & disperdam eos cum terra*. Vniuersos homines tradit morti diluuium inducens; & cur quam remouit à primis peccatoribus mortem, illam modò vniuersis hominibus infert? Faciliùs tunc duo occidi possent, quàm modò penè innumeri; cur ergo qui duobus illis primis pepercit, ne morerentur, tam ingentem multitudinem hominum irremediabiliter vocat in ruinam? Rationem textus insinuat, cùm ait: *Repleta est terra iniquitate à facie eorum*; siue, vt explicatiùs ponit Oleaster; *corrupta est terra coram Domino, & impleta est violentia, aut subuersione*. Eò deuenerat malitia hominum, vt vel terram ipsam inficeret, & omnes opprimeret homines: vnde non miror, quòd Deus, qui mortem dissimulauit inferre primis hominibus sibi odiosis, postmodum tantam multitudinem mactet, quæ vel terræ ipsi erat iniuriosa; Deus enim promptior, & seuerior ostenditur in vindicandis alienis iniuriis, quàm propriis.

Text. At ille respondens dicit illi: Domine, dimitte illam & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora, & siquidem fecerit fructum: sin autem in futurum, succides eam.

§. III.

Validissimus ad virtutem pene inamissibilem capessendam illex Christi Domini passio ob oculos posita.

Expende, quale remedium adhibendum promittat, vt arborem ad fructus edendos trahat, ait: *Fodiam circa illam*, &c. id est, fossuram circa illam ponam. Et quidem fallar, si vel homo sterile lignum factus ad fructus virtutum edendos, non rapiatur, si circa se fossam illam Filij Dei humum
Isai. 2. positam habeat. Clamabat Isaias cap. 2. *Abscondere in fossa humo à facie timoris Domini*. Et quæ fossa humi est, in qua à Deo
Psal. 138. irato abscondamur? Aliter clamabat Dauid Psalm. 138. *Quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es; si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua*. Non superna, nec inferna, nec terra, nec mare est, in quo à Deo non inueniamur: quæ ergo erit illa humi fossa nos à Deo irato abscondere valens? Fossa humus est Christi humanitas, quæ quot vulnera, tot nobis apponit fossas, in quibus ab omni ira diuina protegamur, & sanitatem firmissimam recipiamus. D. Bernard. serm. 62. in Cant.
Bernard. *Etsi intelleximus fossam humum, illam, quæ ait: Foderunt manus meas, & pedes meos, non erit ambigendum de salute in ea citiùs adipiscenda animæ vulneratæ, quæ in ea demorabitur*. Felix anima ante cuius oculos ponitur fossa hæc humus, circa quam fossuræ à clauis peractæ in Christo Iesu constituuntur, de harum fossurarum vicinio, & conspectu non miter, si in ingentem, & penè inamissibilem crescat salutem. Quis ignores vberrimos illos salutis fructus factos ab Israëlitis illis primis, quos Iesus elegit, vt prima suæ Ecclesiæ fundamina
Osee 9. ponerent? De illis Oseas cap. 9. *Quasi vuas in deserto inuenit Israel: quasi prima poma ficulneæ in cacumine eius vidi patres eorum*. Quæ verba sic legit D. Cyrill. Alex. lib. 3. in Iulianum:
Cyrillus Alexand. *Quasi botrum in deserto inueni Israel, & vt fructum in ficu præcocem vidi patres eorum*. Præcoces ficulneæ fructus notissimi sunt, qui primo vere apparent, quorum plurimis immaturis decidentibus, rari perueniunt vsque ad plenam maturitatem. Et qui perseuerant, illi soli sunt qui de medio duarum virgularum clauiculo breui erumpente promergunt. Pulchra ergo similitudine electi a Christo ex populo Israëlitico in Euangelium vocantur fici præcoces, vt qui perseuerantem gratiam, & eius penè incredibile augmentum duarum virgularum medio debeant, nimirum crucis, & legis. Vbi enim crucis fossuræ circa positæ apparuerunt, qui antea steriles, & penè euanidi videbantur, statim dulcissimos gratiæ succos reddiderunt. Ad hæc D. Ambros. lib. 13. in Luc.
Primi tamē ex Israel, quos naturæ validioris ramus extulerat, sub vmbra legis, & crucis, in vtriusque sinu, succo gemino colorati, grossi maturescentis exemplo, pulcherrimorum gratia fructuum cæteris præstiterunt, quibus dicitur: Sedebitis super duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Israel. Sanè Apostoli sub lege Ambros.
steriles, & nullius momenti homines, & penè euanidi instar primi fructus ficulneæ, vbi cruci accesserunt, & illam præ oculis habuerunt, instar maturi, & pretiosi fici in magnam gratiæ dulcedinem effusi suam salutem stabilierunt. Et quis non frugifer fiat, dum circa se videat fossuram passionis Christi? Matth. 17. requirebant tributum à Iesu, quod solueret Cæsari; Iesus autem asserens se non debere tributum vllum, quia Dei erat Filius, nihilominus ait Petro: *Da eis pro me, & pro te*. Non petebatur tributum ex Petro, sed Matth. 17.
ex Iesu; cur Iesus vbi pro se dare iubet tributum, simul & à Petro tributum extorquet. Non hærebat Dominus in illo æris tributo Cæsari dando, sed altiùs aspiciens considerabat etiam in illo tributum mortis, quam ipse indebitè, voluntarius tamen subiturus erat. Quam Christi mortem si ante oculos haberet Petrus, consequens erat, vt ad similes fructus edendos ipse vinificaretur. Ait D. Zeno lib. 2. serm. 8. de somnio Iacob: *Dabis autem pro me, & pro te; hoc est, meam prædicabis crucem, sed & tu crucis tuæ similiter dignitate gaudebis*. Zeno.
Et quis crucem Christi præ oculis habeat, qui non gaudeat in se tollere similis fructus ramos? Sanè ab eius vicinio, & conspectu, similis vbertas in nobis nascitur, & in vbertate robur, & perseuerantia. Iam iam comprehendendus Iesus pro peccatis mundi, sic de discipulis suis imperat carnificibus, Ioan. 18. *Sinite hos abire, vt impleretur sermo, quem dixit: Quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam*. Itaque ne per- Ioan. 18.
derentur à Iesu, curat, ne Apostoli comprehendantur tunc temporis; sed Apostoli tradendi erant & carceri, & verberibus, & morti, & in iis triumphaturi erant. Cur ergo modò cauet, ne comprehendantur, ne eorum perditioni occasio detur? Nondum erat Iesus passus, nondum fossuræ passionis Christi erant positæ ante oculos discipulorum, & de quibus timeri posset ruina ante visam passionem Christi, post hanc visam, idem ipsi securissimè omnia pro salute sustinerent. Pulchrè Philippus Abbas epist. 14. ait: *Vt igitur sermo, quem de illis non perdendis dixerat, impleretur, refrænato persecutore, illorum quispiam non tenetur; sed pro saluandis illis prior elegit ipse mori, vt postmodum facti fortes idem referant Saluatori*. Philipp.
Priùs fossuræ passionis Christi præcedant ob oculos, & post has circa visas, quis non contemnat mortem? quis virtutum difficultates non ebibat omnes.

§. IV.

Dei beneficia bonis sunt adiumenta vitalis progressus: malis autem conuertuntur in mortem, & sepulchrum.

Expende, quale beneficium adhibeat sterili ficulneæ bonus cultor; quippe ait: *Fodiam circa illa*; fossam illi apponit pro beneficio, vt per hanc cælestes rores possit accipere, quibus reddatur fœcunda. Sunt, quæ à Deo proficiscuntur beneficia talis formæ, talisque naturæ, vt succulentis, & vitalibus germinibus, virendi, & fructificandi occasionem tribuant; aridis, & sterilibus fossam exhibeant, & sepulchrum. Notissimum est illud à Deo dilapsum beneficium in Israëlitas, quando egrediebantur ex Ægypto. Leuauit Moyses manum & percussa virga mare, & ecce tibi fugientibus aquis in dexteram, & sinistram, vastissima apparet vorago, per quam possent exercitus transire. Israëlitæ transeunt, & pertranseunt, ascendunt Ægyptij, & audent voraginem intrare; quid tunc? Exod. 14. *Reuersæ sunt aquæ, & operuerunt currus, & equites cuncti exercitus Pharaonis: qui sequentes ingressi fuerant mare, neque vnus quidem superfuit ex eis. Filij autem Israël perrexerunt per medium sicci maris, & aquæ eis erant quasi pro muro*, &c. Vna, eadémque maris vorago obiecta fuit Ægyptiis, & Israëlitis, sed quanto cum discrimine sortis? In illa Exod. 14.
inuene

inuenerunt Ægyptij sepulchrum, Israëlitæ iter, quò tenderent in vitam. Rem sic pulchrè ponderat D. Basil. Seleuc.
Basil.Sel. orat.9 *Virga percussum mare bis iter, illis sepulchrum fuit; & mare continentis instar viam Abrahamitis aperuit, cæteros fluctibus hausit.* Sibi à diuinis beneficiis metuat, qui sterilis, & aridus est: quot enim potat bonorum occasiones per illa recipere, tot circa se fossas inuenit, quibus maneat miserè sepultus. Vt enim per diuina beneficia bonis panditur iter vitæ, iter salutis; sic malis, & impiis occasiones sunt, quibus labantur in sepulchrum. Hoc respiciebat Paul.2.ad Cor.2. inquiens:
2.Cor.2. *Christi bonus odor sumus Deo, in his, qui salui fiunt, & in his, qui pereunt.* Quis neget Apostolicam culturam bonam fuisse Christianis viribus? Imò illam pro summo Dei extitisse beneficio? Sed & tanta, & tam benefica cultura non prorsus perditionem eliminat, sed in illa multi salui fiunt, & multi pereunt; sanè qui bonam voluntatem habent, in illa cultura proficiunt in vitam, qui mali sunt, abeunt in ruinam. Ex quo
August. monebat D. August. lib.2. in Exod. quæst.24. *Non dixit Christus se bonum odorem esse ijs, qui salui fiunt: malum autem ijs, qui pereunt; sed tantum bonum odorem se dixit. Illi verò tales sunt, vt bono odore pereant, secundùm sui cordis qualitatem, quæ mundata est bona voluntate in Dei gratiam, vt incipiant ei prodesse iudicio Dei, quæ malis cordibus nocent.* In ipsa bonitate, & beneficentia, & misericordia diuina inueniunt mali & ruinam, & sepulchrum sibi; qui autem iusti sunt, & vitales, maxima inde capiunt augmenta vitæ, qua fructus gloriæ possint edere tempore suo.

§. V.

Non minus diuinæ potestatis argumentum est, posse à peccatis hominem in salutem venire, quàm à sepulchro in vitam.

NOn otiosè pro fœcunditate ficulneæ sterilis ait diuinus cultor, se illi fossam adhibiturum, dum inquit: *Fodiant circa illam.* Et cur ex innumeris remediis, hoc maluit apponere, nisi vt simul erigeret potestatis suæ insigne, cui non minus erat animam à vitiis reuocare in bonam frugem, quàm corpus a fossa, vel sepulchro trahere in vitam? Et quidem crediderim facilius esse Deo, nos à fossa in auras vitales reuocare, quàm à vitiis in virtutem. Nouimus Nabuchodonosorem ab hominibus electum, in bestiam transisse, septémque annis latuisse bestialiter viuentem, & postea in
Dan.4. hominem rediisse; ait enim Daniel.4. *Post finem dierum ego Nabuchodonosor oculos meos ad cœlum leuaui, & sensus meus redditus est mihi.* Quantum hoc miraculum? Profectò qui ex bestia in hominem se reduxit, non mirarer, si ex mortuo rediret in vitam. Accipite D. Augustin. citatum à Pamelio in commentario cap.16. lib. de anima, apud Tertull. quippe ait
Tertull. loquens de variis transmutationibus: *Quod minùs mirabitur, qui in sacris litteris legerit Nabuchodonosorem Regem mutatum in bouem, & septem annis fœno victitasse, tandem Dei misericordia in hominem redijsse. Cuius corpus post mortem filius dedit in escam vulturibus, ne resurgeret à mortuis, qui iam de bestia redierat in hominem.* Nec immeritò qui de bestia redierat in hominem, timetur, ne à mortuis resurgeret, quando maioris virtutis est bestialem exuere vitam quàm relinquere sepulcrum. Non desinit mirari Chrysost. Dauidis virtutem, & potestatem, qui furentem Saulem in hominem mirem conuertisset. Dum enim Sauli parcens oram eius chlamydis rescidisset, post tergum egredientis clamabat, & ora ostensa vestimenti, suum simul protestabatur animum benignum.
1.Reg.24. Ad quæ respiciens Saul ait 1. Reg. cap. 24. *Cùm autem complesset Dauid, loquens sermones huiuscemodi ad Saul, dixit Saul: Numquid vox tua est, fili mi Dauid? Et leuauit Saul vocem suam, & fleuit.* Expende modò verborum Dauidis efficacissimam virtutem, quæ furentem hostem Saulem sic commutarunt, vt ab illo vocaretur filius: & lapideum cor ad lacrymarum traxerunt blanditiem. Quantum hoc facinus?
Chrysost. Pulchrè D. Chrysost. ait hom. de Dauide & Saule: *Etenim si Saul fuisset homo moderatus, & æquus, non admodum magni erat negotij ad pristinam reuocare virtutem. At efferatum, & ad extremam prouectum malitiam, iámque ad cædem properantem breui temporis momenta sic efficere, vt omnem illam amaritudinem euomat ex animo, quem non obstupet omnium, qui vnquam supra philosophia doctrina clarum promeruere nomen.* Philosophiæ omnem superat cognitionem, & virtutem quòd quis efferatis moribus dimissis, conuertatur in hominis mansuetudinem. Imò faciliùs credant Philosophi, posse mortuum trahi in vitam, quàm posse vitiis immersa corda trahi in virtutum facinora. Huc reuoca dicta tom.2. lib.9. cap.1. §.9. & tom.3. lib.14. cap.22. §.2.

§. VI.

Quæ a Deo venit in præsenti seueritas, non ad perditionem venit.

ADhibendum ferrum ficulneæ cultor parat, sed quòd intrinsecus non feriat; ait enim: *Fodiam circa illam*, hoc est, ferrum appropinquabo, non infigam, sic vicina tangam, vt intrinsecus non feriam. Bonus cultor apertissimè se Deũ manifestat, quando in præsenti ferri seueritatem applicat; sed nõ ferit. Dum Moyses pasceret greges soceri sui, Exod.3. *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat, quòd rubus arderet, & non combureretur.* Exod.3. Vndique rubum flamma cingebat, sed rubum non exurebat. Et cur adeò vicina flamma non exurebat rubũ? Cùm Deus ardenter in præsenti in peccatores venit, flammas apponit, seueritatem, & rigorẽ applicat; sed qui minimè feriat, sed extrinsecus sistẽs integra omnia interna reseruet. Pulcrè D. Ambr. in Ps.43. inquit: *Ideo spinas rubus vrebatur, & non exurebatur, quia terram illam, quæ nobis generabat, & sentes, disponebat vrere per continentiæ disciplinam, non consumere per metu aramus.* Ambros. Ignẽ adhibuit circum circa, qui tamen nihil exureret, nihil consumeret, sed omnia seruaret integra, & à perditione libera. Huc enim peruenit asperitas ex Deo, vt spicula approximet, non tamen illa infigat; nec damnum ruinæ, sed vtilitatem emendationis procuret. Sic fugitiuo, & rebelli Ionæ ferrum applicat, à quo sanetur, non a quo interficiatur. Iam enim sorte deprehensus erat, iam aderat mittendus in mare, quin potiùs iam in furentes vndas fuerat iactus; quid tunc? Ionæ c. 2. *Et præparauit Dominus piscem grandem, qui deglutiret Ionam.* Ion.2. Quid agis Domine? Nónne misero rebelli tuo, & peccatori sufficiebat, quòd inter furentes fluctus maris mitteretur; cur insuper paras feralia piscis viscera, quibus includatur? Vbi sunt vniuersi fluctus maris in ipsum commoti, quid necessum est piscis ventrem addere? Permiserat, imò iusserat Dominus fluctibus, quòd irascerentur, quòd sæuirent iuxta rebellem Ionam, vt sic eum ad bonam frugem traherent: & ne fluctus sæuitiæ metas excederent, & quæ circa illum erant, prætereuntes, vsque ad intima penetrarent, & hominem suffocarent, præparatus est à Domino piscis, cuius aluus metã præfigeret fluctibus, & omnia circa Ionam turpans, ipsum daret incolumitati. Id penè cecinit Sedul. lib.1. Pasch aiens:

Ionas puppe cadens, ceto sorbente voratus, Sedul.
In pelaga non sentit aquas, vitale sepulchrum,
Ne moreretur, habens.

Totus rigor, & asperitas excitata in Ionam, eò tendebat, vt viueret, & quia à Deo in rebellẽ parabatur, debebat sic hominem inuadere, ne hominem mactaret, sed in vitam seruaret. Ex quo lucem capit locus Sap.1. vbi sic: *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum. Creauit enim, vt essent, omnia, & sanabiles fecit nationes orbis terrarum, & non est illis medicamentum exterminij, nec inferorum regnum in terra.* Sap.1. Non solùm dicitur Deus amare vitam hominum, & velle, quòd omnes salui fiant; sed & naturam illorum ita aptauit, vt à quocumque peccati vulnere per pœnitentiã sanari possent; sic dicuntur sanabiles factę omnes hominum nationes. Rursus ab ipso Deo parata sunt remedia, & medicamenta, nimirum, fomenta, scissiones, &c quibus sanari homines possent. Et qualia hæc medicamenta à Deo sunt nobis parata? Pulcrè ait: *Non est illis* (nempe à Deo) *medicamentum exterminij, nec inferorum regnum in terra.* Dura equidem, & aspera sunt medicamenta, quæ pro corporea salute adipiscenda adhibentur, amaræ potiones, scissiones venarum: quæ cum omni sua duritie & hoc habent, quòd non semper vtilitatem afferunt, sed sæpiùs inferunt mortem, & quæ putabantur medicamenta, sunt venena, quæ infirmos affligant, & vitam exterminent. Nõ sic quæ à Deo dantur peccatoribus medicamẽta; non enim sunt medicamenta exterminij, nec eorũ asperitas, & rigor inutilis est, & nociua; similes enim asperitates, & rigores, quæ inutiliter noceant, ad infernum pertinent. Deus autẽ inferni proprietates non ponit in terra, sed ea adhibet ex se medicamenta, quæ pungant quæ affligant, sed non exterminẽt, non perdant; quin potiùs incolumitatẽ reddant. Et potiones, & scissiones Deo peccatoribus prouisæ in terra nõ sunt medicamẽta exterminij, sed medicamẽta salutis, qualia nulla nouit infernus. Vis videre asperrimum Dei medicamentum peccatori adhibitum? Ait Gen.3. *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Genes.3. Quid durius? Quid asperius? Sed quid

Bernard. ſalubrius? D.Bernard. in ſerm. S.Martini, ait: *Pepercisti ergo creaturæ tuæ, Domine, pepercisti gloriæ nominis tui, & propter hoc cùm iratus fuiſſes, miſericordiæ meminiſti, non damnans hominem in loca perditionis, ſed in loca afflictionis humilians. Quid cauſaris homo? Quid ſententiam quæreris duriorem? Terræ addictus es, factus es è terra, vt ipſa tibi ſit patria, quæ materia fuit.* Poſſet mittere in perditionem, ſed maluit in afflictionem mittere, quæ non exterminium, ſed medelam peccatori parturiret. Huc enim ſpectat tota Chriſti œconomia, vt peccatores in loco ſint afflictionis, nec locum perditionis videant, vt affligantur extrinſecus, dum intrinſecus viuant. Ioann. 8. ait Dominus: *Abraham pater veſter exultauit, vt videret diem meum: vidit, & gauiſus eſt.* Sed quando Abraham vidit diem Chriſti? Quando ſtrinxit gladium in filium, quem tamen minimè percuſſit; tunc pleniſſimè diem Chriſti vidit, à quo venit, quòd gladij aſperitas, & rigoris ſeueritas applicentur, non tamen cedant, nec percutiant. Non longè abeſt D.Baſil.Sel.orat.32. *Abraham*, inquit, *deſiderauit videre diem meum: & vidit, & gauiſus eſt. Qui ſenio curuatus intrepida manu chariſſimæ proli gladium intentat, & imperantis Dei charitate vincit naturæ difficultatem, vt hoſtia minime cæſa Domini ſacrificium imitaretur.* Expēde, in quo dies Chriſti dicitur ab Abrahamo viſus, nimirum in eo, quòd ſub ſtricto gladio *hoſtia minimè cæſa* exiſtat; nullo enim magis explicantur tempora Chriſti, quàm vbi oſtenditur gladius, qui affligat, ſed non qui percutiat.

(margin: Ioann. 8. — Baſil. Sel.)

CAPVT XII.

De cœna magna.

QVI hominum Deus ſalutarem finem non prouidit? Ecce tibi à Deo cœna magna paratur, ne ſola Aurora, & meridies, ſed ipſe diei finis viaticum habeat ſalutis. Hoc perdunt ambitioſi, dum dominatus terminis extendendis inuigilant ementes villas. Auari, dum terram ſolicitant, vt diuitias acquirant: laſciui, dum ſe carnalibus immergunt delitiis. Nec ideo cœnatoria menſa inuenitur vacua conuiuis, quin potiùs alij plures vndique quæruntur, qui venientes diuinis aſſident menſis, cœleſtiáque abſumunt conuiuia.

Luc. 14. Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos.

§. I.

In fine vitæ ditiores virtutum ſumptus elucere debent.

MAgnitudo conuiuij meritò ſeruatur oſtendenda in cœna, quæ fit poſt finitum diem; ſemper enim in fine vitæ maiores ſunt explicandi virtutum ſumptus. De feliciſ-
Pſal. 44. ſima Chriſti Sponſa ait Pſal. 44. *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato*; inſuper poſt pauca addit, *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.* Expende, quòd veſtitus dicatur deauratus, fimbria autem non deaurata, ſed tota aurea, & varietatibus plena. Et cur fimbria, quæ infima pars eſt veſtis, & humi repeat, ditior, & pulchrior fit cæteris partibus? In fimbria finis vitæ exprimitur, in quo & ditiores & opulentiores debent eſſe ſum-
Paſchaſ. ptus virtutum. Ait D.Paſch. ibi: *Per fimbriam vita hominum ſignificatur extrema, quam non deauratam, vt ſuprà veſtitu fuiſſe monſtratur, ſed auream eſſe totam debere oſtenditur. Quia in fine vitæ tota perfectio amoris quæritur. Circumamicta tamen varietate propter varias virtutes fidelium.* Non quælibet virtus exhibenda eſt in fine vitæ, ſed omnes virtutum diuitiæ ſunt oſtendendæ, vt qui in vita deauratus apparet, in fine non deauratus, ſed totus aureus videatur. Vita Chriſtiani commendetur de vno, aut alio virtutis opere: at Chriſtiani mors de inſignibus operibus virtutum charitatiſque debet commendari. Ex prouerbiis diuinis illud inuenio apud Saluianum lib. 4. ad Eccleſ. Cathol. nimirum: *Sapientia in exitu canitur*; quaſi tota ſapientiæ Chriſtianæ feſtiuitas, & lætitiæ plenum conuiuium ad vitæ exitum debeat ſeruari, vt tunc præcipue diuini amoris, aliarúmque virtutum diuitiæ pateant. Quis adeò auarus eſt in occultandis pecuniis, & aſſeruandis, qui illas omnes in hora mortis non manifeſtet, & declaret? Sic virtutum diuitiæ tunc maximè oſtendendæ ſunt, cùm morti appropinquamus. Sic Saluian. vbi ſu-
prà: *Quid eſt, quæſo, ſapientia Chriſtiani? Quid niſi timor, & amor Chriſti? Itaque ſi ſapientia Chriſtiani timor eſt, atque amor Domini, ita demum verè ſapientes ſumus, ſi Deum ſemper, ac ſuper omnia diligamus: & hoc cum omni tempore, tum præcipuè in exitu noſtro, quia ſapientia in exitu canitur.* Hinc tota ſpectet ſapientia Chriſtiani, vt in exitu vitæ diuini amoris theſauros patefaciat; licèt enim omni tempore documenta virtutum nobis exhibendæ ſint: at tempore mortis ditiores debent illarum oſtendi gazæ. Non longè abeſt illud Iob cap. 5. teſtimonium: *Ingredieris in abundantia ſepulchrum, ſicut infertur aceruus tritici in tempore ſuo.* Vatablus in annotationibus legit explicatiùs. *Sicut ſuccidítur aceruus, aut meſſis in tempore ſuo.* Tygurina: *Quemadmodum frugum aceruus increſcit.* Vbi pulchro exemplo explicatur virtutum abundantia, quæ oſtendenda eſt tempore mortis: vt enim tempore meſſis omnia ſub falce ſunt, & falcis beneficio frugum aceruus paſſim increſcit, & qui principio vix vnius culmi erat, hinc inde iactis culmis in molem exurgit grandem. Sic dum homo mortis appropinquat falci, de beneficio mortis appropinquantis, hoc habeat, vt multiplices virtutum manipulos congerat, ditiſſimóſque diuini amoris aperiat theſauros. Audiui à quodam virtutis ſtudioſo, quod aliquando ſe per ſomnium crederet morti approximare, ex qua perſuaſione ſic immutabatur, vt etiam ſomnians ad innumera virtutum exercitia ſimul præſtanda feſtinaret, & ſcuticam arripiebat, & cilicium applicabat, & humi proſternebatur, & pectus percutiebat, & ore clamabat, & Deiparam, & ſanctos ſolicitabat; nec vllum erat virtutis exercitium, quod tunc temporis feſtinatiſſimè non faceret. Facit hoc præſentanea mors, vt ad omnes virtutes curramus, & ditiſſimam illorum ſegetem exhibeamus. De Eucharistica menſa locutus Dominus, Luc. 22. ait: *Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar.* Nec deſinam mirari, quòd adeò deſideratam cœnam Dominus differret vſque ad mortem. Cur quam vehementer deſiderabat, non feſtinabat perficere? Cur illam vſque ad mortem diſtulit? Sanè non niſi ſub mortis falce debebat creſcere frugum aceruus tantus; non niſi de mortis inſtantis beneficio debebat effundi tantus diuitiarum diuini amoris theſaurus. Pulchrè ait Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 2. *Ergo Saluator noſter diſceſſurus ex hoc mundo ad Patrem Sacramentum hoc inſtituit, in quo diuitias diuini ſui erga homines amoris velut effudit.* Non terit Dominus mortis limina, quin amoris erga homines diuitias totas effundat, intrans vitæ ſuæ finem, velut aceruus tritici infertur tempore ſuo. Vt meritò dicat Ioann. 13. *Cùm dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos.* Quid eſt, in finem dilexit? In fine vitæ & coronidem, & culmen amoris exhibuit. Similiter aiebat Sidon. Appollin. lib. 3. epiſt. 1. amico ſuo: *Et quod fatendum eſt, diu erectis vtrinque amoris machinis, ipſe culmina poſuiſti.* Diu dum eſſet apud homines Ieſus, amoris machinas erigebat, dum peruenit ad finem vitæ, cœnam Euchariſticam inſtituens, amoris poſuit culmina.

(margin: Saluian. — Iob 5. — Luc. 22. — Concil. Trident. — Ioann. 13. — Sid. Apoll.)

§. II.

Euchariſtiæ beneficium inſtituit Dominus, vt mortis calamitatem in hominibus leniret.

STo à ſententia eorum, qui hanc cœnam magnam ab homine factam, putant Euchariſtiam paratam à Chriſto. Et cur Euchariſtia non pro meridiano prandio, ſed pro cœna ſumitur? Cur non magis prandium dicitur, quod meridie celebratur, quàm cœna, quæ in fine diei ponitur, quādo iam homines dormire feſtinant? Proponitur equidē Euchariſtia pro cœna in diei fine ante ſomnum, vt oſtendatur inſtituta ad leniendum horrorē, & dolorem, qui ex vitæ fine, & dormitione mortis aduenit hominibus. Huic excogitationi lucem affero ex ponderatione D.Naz. in orat. 10. vbi ponderās, quòd frater Cæſarius priùs ſalutē diuinitus accipiens, poſt-
Nazianz. modum correptus morte fuerit, inquit: *Cùm autem Nicææ terræmotus poſt hominum memoriam maximus, exortus, omnes penè inuaſiſſet, atque vnà cum vrbis pulchritudine deleuiſſet, ſolus ipſe ex illuſtribus viris, aut certè cum admodum paucis è periculo ſaluus, & incolumnis euadit, idque modo quodam incredibili, hoc eſt, ipſa ruina protectus, ac paruas quaſdam periculi notas referens. Verùm terræmotu quidem ſuperior fuit, morbo verò non item, homo enim erat. Atque illud proprium illi fuit, hoc cum aliis commune; illud pietatis, hoc naturæ. Atque conſolatio*

calamita

calamitatem anteuertit, vt ipsius morte concussi, ob admirandum salutu genus gloriemur. Quid pulchrius adduci potest ad rem præsentem de Eucharistia mortem præueniente? Mortē nullus hominum fugiet, sed ante mortē mirabilem Eucharistiæ cœnam parat, & offert Pater cœlestis. Cur tanta ante mortem cœna? Pulchrè dixerim: *Consolatio calamitatum anteuertit, vt mortis falce penè concussi, ob admirandum salutis genus,* in præcedenti Eucharistiæ mensæ exhibitum, *gloriemur.* Nulla asperitas, nullus in morte conflictus, non sapitur, vbi cœna Eucharistica præcedit. Cui meritò refert D. Pasch. de corpore, & sanguine Domini, c. 10. illud Psal. 147. *Lauda Hierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion: qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te.* Ponuntur iustis viris fines, & vitæ exitus pacifici, quieti, omni periculoso conflictu carentes, sed hoc de cœlesti frumenti præmissi beneficio; quippe ait: *Et adipe frumenti satiat te.* Ideo vsque ad saturitatem præmittit cœlestem illum cibum, vt in fine vitæ nullus sentiatur conflictus, sed omnia mortis hebetentur spicula. Apud Luc. c. 22. ait Dominus: *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum.* Cur singulariter illud præsens pascha manducare sic ardenter optauerat? Chrysost. hom. 82. in Matth. ait: *Quare hoc pascha, id est, hoc anno comedere pascha desiderauit? Quia videlicet tunc salutem orbi allaturus esset, tunc mysteria traditurus, & dolores mortis oppressurus.* Et quidem ideò exoptabat tradere diuinæ mēsæ mysteria, quia sciebat illis hebetari posse mortis spicula. Nec miror, mortis spicula hebetari ab hac mensa, cùm & Iesus post tantum cibum datū doleat, adhuc necessum esse in mortem ire. Inmediatè enim post vltimam cœnam factam, & cœlestem hunc cibum exhibitum, surgit Iesus, & pergens in villam Gethsemani, ait discipulis suis, Matth. 26. *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Adhuc escæ erant in ore eius, & ecce tristitia; adhuc calebat lætificans illud vinum Eucharistiæ in discipulorum pectoribus, & totus traditur Dominus tyrannidi tristitiæ. Cur non magis post tam cœlestem potum lætatur? Cur post escas adeò exoptatas non magis gaudio afficitur? Tristabatur videns damnum pristini cibi, cùm post cœlestem hunc exhibitum, adhuc necessarium sciebat, quòd homines in mortem irent. Ait D. Ambros. lib. 10. in Luc. *Ideò tristis est, quia post Adæ lapsum tali transitu nobis erat ex hoc sæculo recedendum, vt mori esset necesse. Deus enim mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum, & ideò fastidit, quod ipse non fecit.* Meritò dolet Dominus, quòd post gustatum cœlestem cibum, adhuc sit nobis necesse mori, quòd primi cibi venenum non penitus extirpetur vel dapibus cœlestibus, sed & post has mors restet.

Paschas. — Luc. 22. — Chrysost. — Matth. 26. — Ambros.

§. III.

Potens est Deus vel in hora mortis multorum annorum fames implere.

POst portatum pondus diei, & æstus, in fame, & siti, in frigore, & nuditate accedit Deus magnam paraturus cœnam; magnam, inquam, cœnam in fine die paraturus, vt qui sciat multorum annorum fames in vno appropinquantis mortis momento cumulatissimè implere. Quò respiciens Eccl. c. 11. ait: *In die malorum ne immemor sis bonorum, quoniam facile est coram Deo in die obitus retribuere vnicuique secundùm vias suas.* Nullum bonum iustis perit; etsi tempora euolent in egestate, & tristitia, non desperet iustus, quando vel in die obitus, vel in vltimo vitæ momento potens est Deus multorum annorū bona retribuere. Imò hoc est proprium, & singulare iustorum donum, quòd spei suæ adimpletionem cumulatissimā in ipso mortis vicinio repositam habeāt. Sic bellicosissimus ille Dauid cùm sibi à bellis minimè vacare cerneret, certus clamabat, Psal. 4. *In pace, in idipsum dormiam, & requiescam. Quoniam tu Domine, singulariter in spe, constituisti me.* Latissimam pacis ætatem sperat in vicinio dormitionis, hoc est, in vicinio mortis. Et vnde credit in tam arcto tempore posse haberi pacem, quā per tot annos vitæ nec videre quiuit? Ipse ait: *Quoniam tu Domine, singulariter in spe constituisti me.* Sciebat singulariter esse sibi, & cuiq; iusto ex Deo id habere donum, quòd spei cumulatissima adimpletio in vicinio mortis comparetur. Theod. apud Caten. Lyppom. in Psal. ait: *Cùm enim plerique hac præsenti vita feliciter egerint, ab iniustis, ac perditis hominibus attriti calamitatibus, ex hac vita decedunt, nullum quamlibet paruum auxilium assecuti, hoc magnus Dauid docet, non oportere aliqua molestia affici; vt qui spem morti coniunctam habeant.* Et meritò iubentur nulla molestia affici, qui ærumnis pleni, nec vlla bona recipientes in vita ad mortem accedunt, quando impletio spei à Deo in mortis vicinio est. In ipso mortis limine datur locus longissimæ spei, quam Dominus impleat. Id quod ad magnam timentium Deum commendationem conducit: namque Isaac electus à Deo, vt pater esset populi Israelitici, habens hanc spē in sinu suo, tamē ad confinium mortis peruenit, stricto gladio, & iam cadenti ceruicem parat; sed tunc totius spei adimpletionem inuenit, & fœcundissimam incolumitatem recipit. Vnde Isaac in arcto mortis positus tāta potuit ex Deo capere beneficia? Præclare D. Zen. ser. 5. de Abraham. inquit: *Ecce meritum principale, diuinam indulgentiam meruisse sub casibus.* Quòd locus detur diuinæ magnificentiæ in confinio mortis, nō id casu euenit, sed ingentis meriti opus solet esse.

Eccles. 11. — Psal. 4. — Lyppom. — Zeno.

§. IV.

Felix, quem nulla fames temporalitatis in morte premit. Vbi quàm pessimum sit in moribundis iudicium si adhuc terrena esuriant.

POst finitum diem cœna magna paratur hominibus iustis, ne temporalitatis fames tunc illos agitet, sed magis recreet omnium saturitas. Sic de Isaaco, Gen. 35. *Et completi sunt dies Isaac centum octuaginta annorum, consumptúsque ætate mortuus est, & appositus est populo suo senex, & plenus dierum.* vbi Onkelus legit, *senex, & satur.* Felix Isaac, qui ad mortem peruenit satur, nullius temporalitatis fame detentus, quando qui tunc temporalia famescunt, non paruum suæ perditionis præbent argumentum. De se aiebat Iob c. 7. *Dies mei velocius transierunt, quàm à texente tela succiditur, & consumpti sunt absque vlla spe.* Græcus in Cat. legit: *Perij autem in spe vana.* Consumpti ponuntur dies absque vlla spe, & simul se periisse in spe vana. Si in spe vana periit, quomodo dies eius periere absque vlla spe? An potest quis perire in spe, & insimul non perire? Crediderim ibi à Iobo duorum hominum vitas repræsentari, & mortes etiam; alteram, qua moritur electus; alteram, qua reprobus perit. Ille ad finem, & consummationem dierum peruenit sic satur, vt nullā spem, nec cupiditatem nutriant temporalitatis. Hic in ipso mortis limine est, & vanissimas bonorum temporalium spes alit, & pro illis suspirat, & angustiatur, illorum sustinens etiam tunc rabidissimam famem. Pulchrè enim ait D. Greg. lib. 8. Mor. c. 7. *Electi igitur, quia præsentis vitæ momenta decurrere sub festinatione conspiciuntur, nequaquam in hoc tantæ nobilitatis itinere, cordis intentione figuntur. Vnde subditur: Et consumpti sunt absque vlla spe. Reproborum mens, erga dies vitæ præsentis tanto amore constringitur, vt sic semper hic appetant viuere: quatenus si valeant, viuendi cursum desiderant nunquam finire. Vnde fit, vt sæpè iam corpus molestia quatiat, & vicina mors virtutem vitalis spiritus incidat; nec tamen curas, quæ mundi sunt, desinat.* In mortis sunt falce, & miserè affliguntur fame, & siti rerum mundialium, quibus auidissimè inhiant, etiam dum agunt animam. Quis istis miseris bonum aliquid præsagiat, cùm videat illos in fine vitæ non saturitatem cœnæ ex Deo habere, sed famescentes pro temporalibus micis clamare? De illis aiebat Hierem. Thren. 2. *Matribus suis dixerunt, Vbi est triticum, & vinum, cùm deficerent vulnerati in plateis ciuitatis; cùm exhalarent animas suas in sinu matrum suarum?* Sanè in fine diei homo, nempe æternus Pater, cœnam magnam parauit, quam electi omnes haberent præ manibus. Cur isti miseri non cœnam à Patre paratam requirunt, sed panem, & vinum petunt à manibus, hoc est, non à Deo, sed à carne? Reprobi sunt, & ideò etiam dum agunt animam, nesciunt non famescere temporalia. D. Paschas. lib. 2. in Thren. ait: *In carne torpentes ab illa ista petunt; idcirco in sinu carnis intereunt.* Quo tempore Deus saturitatem habet paratam suis iustis, isti infelices carnalibus immersi carnalia famescunt, inter quarum fames, & penurias intereunt. Quod sibi metuebat vilicus ille, Luc. 16. dum sese vicinum rationi reddendæ agnoscit, tunc ait: *Mendicare erubesco.* nullam rem sic expauit, vt mendicorum famem, & indulgentiam habere tunc temporis. Vbi Chrysol. ait serm. 125. *Miser, quem temporalitas habuit diuitem: mendicum sempiternalitas possidebit.* Et quidem summa est hominis miseria, quòd æternitati approximet, adhuc tunc bonorum temporalium fame pressus.

Gene. 35. — Iob 7. — Gregor. — Thren 2. — Paschas. — Chrysol.

§. V.

Qui simul cum cibis ingeritur affectus, aut rarò, aut nunquam tollitur.

NEminem hic homo vocat, nisi priùs paratam exhibens cœnam; fortissimi enim sunt, & validissimi affectus, qui

qui ingeruntur simul cum epulis. Propone tibi ob oculos vniuersos illos affectus, quibus humana natura trahitur, siue in bonum, siue in malum. Validissimos plures inuenies, & iam fortiter inhærentes visceribus, vt vix maneat spes illos inde abstrahendi. Sed nihilominus quilibet affectus, etsi validissimus, potest mutari; at effectus, qui simul cum cibi quæstu venit, aut tardè, aut nunquam mutatur. Post vituli adorationem, Exod. 32: *Exod. 32.* accessit Moyses, *arripiénsque vitulum, quem fecerat, combussit, & contriuit vsque ad puluerem, quem sparsit in aquam, & dedit ex eo potum filijs Israel.* Quid tunc? Armantur Leuitæ, & à porta in portam currentes, quotquot inueniunt, perimunt, adeò vt penè innumerabilis fuerit occisorum multitudo. Quis non crederet hoc supplicio idololatriam penitus extirpatam fuisse à Dei populo? Quis in populo sic percusso propter adoratum idolum vituli, crederet, fore amplius vitulos in honore? Sed *3.Reg. 12.* & 3.Reg. 12. Ieroboam *fecit duos vitulos aureos, & dixit eis: Nolite vltrà ascendere in Hierusalem. Ecce dij tui Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti.* Iterum aurei vituli, iterum diuinitatis acclamatio, iterum idololatria in populo Israelitico. Et cur primo illo, & seuerissimo supplicio non penitus extinctus fuit affectus populi ad vitulos? Ipse textus insinuat, inquiens: *Sparsit in aquam & dedit ex ea potum filijs Israel.* Biberunt Israelitæ auream illam aquam pretiosi vituli puluere conspersam, & quem cum potu conceperunt affectum, nulla diligentia potuit eripi illis. Aiebat D. Bru- *Bruno.* no citatus a Tilmano in allegor. *Bibunt aurum Iudæi, quia cupidi sunt, & auari. Bibunt aurum idoli, quia idololatræ, & sacrilegi. Sic enim hæc mortifera potio, hæc doctrina idololatriæ eorum viscera penetrauit, vt vix aliquando ab idolorum cultura potuerint auelli.* Quæ doctrina cum potu simul ingesta fuit, hanc penè indelebiliter miser populus retinuit. Væ tibi, homo, si malitia, prætextu cibi habendi, in te coalescat, nescio an valeas illam à te excutere. Quæ à luxuria contrahunt homines peccata, saltem vel moribundi dimittunt: similiter, quæ ab inuidia, siue vanitate incurrunt; at illa, quæ contrahunt specie acquirendi sibi, & familiæ cibos, vix in aliquo inuenies dimissa. Paul. 1. ad Corinth. 15. de morte *1.Cor. 15.* asserit: *Nouissima autem inimica destruetur mors.* Cur mors adeò resistens inuenitur, & potens, vt nequeat destrui, nisi post omnium ruinas. Primò diabolus eiicietur foras, & mundi gloria euanebit, & peccatum extinguetur, & post hæc omnium postrema destruetur mors inimica. Cur hæc postrema? Hæc præ omnibus magis peculiariter illata fuit *Genes. 2.* cum primi esu cibi, ait enim Genes. 2. *Quocumque die comederis ex ea, morte morieris.* Cætera mala per alias causas potuerunt intrare in mundum; mortis aduentus singulariter annexus fuit vetito cibo, hinc habuit mors quòd minimè expellatur à mundo. Pulchra sunt verba D. Zenonis in rem præsentem: is namque lib. 1. serm. 6. de patient. ait: *Zeno.* *Vbi Adam furtiuæ arboris pomum malè dulce delibauit, lachrymas reperit, dolores, & gemitus: vltimóque sudore tributus, posteris hæreditatem indigesta mortis dereliquit.* Expende illud, *indigesta mortis*; quippe mala, quæ prætextu cibi nascuntur, prorsus indigesta videntur, & adeò indigesta, vt vix possint extrahi ab intimis. Quòd si mala sic firmantur per cibos, qualiter etiam bona firmabuntur, dum viuifico, & cœlesti nitantur cibo? Isaac, Genes. 27. miratus bene- *Genes. 27.* dictionem sibi ereptam à filio iuniore, ait seniori filio: *Comedi ex omnibus, priusquàm tu venires, benedixíque ei, & erit benedictus.* Dolo quæsitam benedictione nouit, & tamen illam confirmat; cur non magis pro benedictione maledictionem fulminat in furem? Ipse ait: *Comedi ex omnibus, & benedixi.* nouit in esca sua sacramentum diuinum, à quo profectæ benedictiones reuocationem non admittunt, sed firmitudinem. Quò forsan respexit D. August apud Lyppo- *August.* man. in Caten. aiens: *Non se deceptum esse conqueritur, imò confestim reuelato sibi intus in corde magno sacramento, deuitat indignationem, confirmat benedictionem.* Vbi viuifici sacramenti lux apparuit, debuit benedictio confirmari, non aboleri. Id quod paulò pòst affirmabat ipse Isaac, eodem cap. 27. aiens: *Frumento, & vino stabiliui eum.* Ecce stabilitas, & firmitudo benedictionum cœlestium, vt nitantur *Lyppom.* conuiuio cœlesti. Vbi Lyppoman. ait: *Sic etiam filij Dei benedicti sunt à Domino benedictione irreuocabili, vt domini sint huius mundi, & omnis creatura eis seruiat, & nulla re necessaria ad corporis, animæve salutem careant, pane verbi Dei stabilitatis, & vino exhilarante conscientiam à Spiritu sancto.* Venit equidem à pane, & vino cœlesti ea firmitas, & stabilitas, qua cœlestes benedictiones propè fiant irreuocabiles.

§. VI.

Ad Eucharistiam si accedere debemus, quasi immediatè post ipsam morti occumbendum sit.

NOn otiosè cœnam magnam factam insinuat Dominus, sed vt qui cœnant, statim somno sese tradunt, sic nos ita epulas sumamus diuinas, quasi immediatè post ipsas dormitionem mortis ituri. Bona illa vidua cibum petenti, sic fatur 3. Reg. 17. *Viuit Dominus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria, & paulum olei in lecytho: en colligo duo ligna, vt ingrediar, & faciam illud mihi, & filio meo, vt comedamus, & moriamur.* *3.Reg. 17.* Simul cibos parat, & ad mortem se accingit, quam credit sibi imminere immediatè post prandium. Id quod pulcris verbis exprimit D Basil. Sel. orat. 12. aiens: *Vitæ modus farinæ pugillus nobis constitutus est, vnum, idemque cibi, & mortis tempus præstolamur, post hanc escam mortem pabulum erimus.* *Basil. Sel.* Proh vitam halans consideratio! Vtinam Deus hanc mentem dederit omnibus Christianis, qui putent vitæ modum cœlestis farinæ pugillũ sibi constitutum esse; vnum, idémque diuini cibi, & mortis tempus præstolentur. Sicque comesturi Christi corpus adsint, quasi immediatè pòst, ipsi habendi sint mortis pabulum. Matth. 26. missurus discipulos, qui cœnaculum pararent, vbi paschalia cœlestis panis sacramenta perficeret, ait illis. *Ite in ciuitatem ad quemdam, & dicite ei: Magister dicit, Tempus meum propè est, apud te facio pascha.* *Matth 26.* Nec otiosè vbi cœlestem cibum meminit, statim edidit illud, *tempus meum propè est*, quo signabat instantem mortem suam, vt innueret & cibi diuinissimi, & mortis tempus idem debere esse, & sic debere pascha sumi, quasi simul esset statim mors excipiẽda. Chrysost. hom. 82. in Matth. ait: *Tu autem perpende rursus, quomodo virtus eius apparet. Non enim solum dixit, Apud te facio pascha, sed illud proposuit, Tempus meum propè est.* *Chrysost.* Non equidem solitariè sumendus est cibus diuinus, sed cum additamento instantis mortis, ac si post buccellam migraturus esset à terra. Hinc Matth. 6. iuberis petere: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* *Matth. 6.* non petis panẽ ad omnem vitam, sed solùm ad hodiernum diẽ. Sed maior esset felicitas, si non solùm haberes panem ad vnum diem, sed & ad plures annos. qua sibi blandiebatur ille, qui vberes frumenti fructus acceperat, dicens animæ suæ, Luc. 12. *Habes multa bona in annos multos.* *Luc 12.* Cur ergo non liceat petere panẽ in annos plurimos, sed solùm in præsentem diem? Erat sermo ibi de pane supersubstantiali Eucharistiæ, qui sic sumendus est, quasi post illũ nulli restẽt dies vitæ. Quò acutè respiciens Chrys. ser 68. ait *Quotidianum, & in diẽ vult nos in sacramento sui corporis panis viaticum postulare.* *Chrysol.* Vt accipitur à morituris viaticum, sic & sani debemus semper diuinũ panem participare, quasi statim debeamus à vita migrare. Sic Exod. 12. iubetur sumi Agnus paschalis: *Sic autem comedetis illum: renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus*; *Exod 12.* ne vlla intersit mora, sed post buccellã in procinctu sint ad migrandũ. Imò dum iubetur agnus parari, ait: *Decima die mensis huius tollat vnusquisque agnum, & seruabitis eum vsque ad quartamdecimam diem mensis.* &c. Et cur litandus agnus in profectione iubetur per tot dies seruari apud Israëlitas? Pulchrã rationem excogitauit Rup. in Exod. lib. 2. c. 3. *Vt quid tandiu antè tollitur, tanto tempore seruatur? Videlicet, vt dum ille præsto est, causa quoque eius vestra corda solicitet, ne sitis immemores, vel imparati, quia transeundum est: dum ille tot antè diebus de profectione peragenda vos admonet. Quoties enim ille balatum emittit, toties quasi tuba sonitu, exituras castrorum acies excitet.* *Rupert.* Quid pulchrius in rem præsentẽ? Habemus præ oculis Dei agniculum, seruatum in Eucharistia, vt solicitet corda nostra, vt diem exitus migrationis è vita annũtiet, ne imparati simus; vt quoties balatum edit, quoties se nobis præbet, quoties sese oculis offert in cymbali signo, putemus intonare nouissimam tubam, & instare iam migrationem à vita.

Text. Et misit seruum suum hora cœnæ dicere inuitatis, vt venirent, quia iam parata sunt omnia.

§. VII.

Deum ad homines accedentem multa præcedunt eius in homines beneficia.

QVot beneficia à Deo in nos profecta præcedunt eiusdem aduentum? Et vocationes, & inspirationes, & impulsus

impulsis præmittit, qui animam alliciant,& incendant. Ad te venturus est Dominus, & antequam veniat, iam illius
Cant.5. donis implêris. Aiebat illa Cant.5. *Surrexi, vt aperirem dilecto meo; manus meæ distillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima.* Nondum ianua aperta fuerat Domino, nondum intrauerat ipse, & ecce manus Sponsæ plenæ apparent pretiosis vnguentis. Vnde manus Sponsæ implentur? Non equidem ex vendentibus, sed ex ipso Deo mittente, qui antequam intret humana corda, præmissis beneficiis illa præuenit. Ex quo D.Ambros.lib.3.de virg.post medium,
Ambros. ait: *Surge, aperi, ad ianuam Christus est, vestibula domus tuæ pulsat; si aperueris, introibit, & introibit cum Patre. Nec solùm cùm ingressus fuerit, mercedem relinquit, sed etiam prius quàm ingrediatur, mercedem præmittit. Adhuc anima turbatur, adhuc parietes domus suæ palpat, adhuc ostium quærit, vbi Christus est, adhuc Christus fores pulsat. Manus, inquit, meæ distillauerunt myrrham, & digiti mei pleni,*&c. Nondum intrò habet Sponsum, & iam de donis eius ditescit. Is enim est Dominus Deus noster, qui nesciat non præmittere innumera beneficia, quibus impleantur illi, ad quos decernit venire. Nota est
Luc.19. Zachæi historia, de quo Lucas cap. 19. ait: *Quòd quærebat videre Iesum, quis esset, & non poterat præ turba, quia pusillus erat. Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum, vt videret eum, quia inde erat transiturus. Et cum venisset ad locum, suspiciens Iesus vidit illum; & dixit ad eum: Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Ascenderat pusillus homo arborem, vt videret Iesum,& adhuc non videbat, sed cùm nondum ipse videret, visus à Iesu est,& vocatus. Cur Domine, non magis expectas, vt ipse videat te, & oret? Cur vel eius oculos præuenis, videns illum ante,& vocans, vt ad te descendat? Ipse Saluator ait: *Quia in domo tua oportet me manere*; vbi enim non decreuerat Dominus illius intrare domum, ea munera præstat, quibus homo inueniatur præuêtus. Chrysost.hom.de patre,& duobus filiis,
Chrysost. ait: *Cùm desiderasset videre Dominum, & ob hoc in arborem ascendisset, præueniente Domino conspicitur, & vocatur.& illicò in domo eius ad conuiuandum, ipse delinquentium se esse promittit.* Expende illud, *præueniente Domino*, nescit quippe Dominus non præuenire muneribus illum, cuius donum intrare destinat. Id quod in præsenti Luc.14.capite, dum sese edendum
Luc.14. proponit pluribus, ait seruo suo: *Exi citò in plateas, & vicos ciuitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.* Si debiles,& infirmi sunt, ac claudi, qualiter adducendi, & introducendi ad diuinam cœnam? Non claudi venient, nec cæci; ex quo enim Deus sese illis in cibum præbet, priùs præmittit,& firmos pedes, & oculorum claritatem. Ait D.
Ambros. Ambros.lib.6.in Luc.ad cap.9. *Qui vocantur ad cœnam, priùs vocando sanantur. Si claudus fuit, gradiendi facultatem, vt veniret, accepit. Si lumine oculorum priuatus, domum vtique Domini, nisi refusa luce, intrare non poterat.* Vocationem ad Dei cœnam multa comitantur beneficia à Deo profecta, quæ homines ditent, & expeditiores reddant ad veniendum.

Text. Et cœperunt simul omnes excusare. Primus dixit: Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam, rogo te, habe me excusatum.

§. VIII.

Cum quibus posset quis Deum habere, inexcusabilis est, dum mauult habere diabolum.

PRoh egregiam excusationem hominis prorsus inexcusabilis. Villam emit, & quia emit villam à vocatione Dei se excusat, quasi & esse in villa, & cum Deo non posset. Et quidem ab excusatione sua omninò redditur inexcusabilis, quando cum ipsa villa, per quam à Deo discedit, posset & ipsum Deum comparare. Componite namque hunc hominem dicentem: *Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam, rogo te, habe me excusatum.* & alia ex parte componite
Cant.7. Sponsam aientem Cantic. 7. *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.* Ille, quia in villam vadit, Deum dimittit: hæc, quia in villam vadit, Deum allicit. Illum villa eripit Deo; hanc villa Deo affert. Cur Domine, non magis à villa caues, quando vides propter villam emptam despici ab homine conuiuium immortale? Cur pateris ab Sponsa in villam vocari, & illic commorari amas? Amat Dominus cum Sponsa in villa commorari, vt ostendat, quam inexcusabilis ille est, qui propter villam à Deo discedit, quem sibi per villam posset comparare. Et quis non amens per illas ipsas res à Deo discedat, per quas posset illi appropinquare? Genes.8. Noë post diluuium, *ædificauit altare Domino,& tollens de cunctis pecoribus,& volucribus mundis, obtulit holocausta super altare.* Mirabar, vnde in mentem iusti potuisset venire, quòd animalium oblationes, & sacrificia placitura essent Deo. Equidê Deus, vt ipse Ioan.4. spiritus est,& adoratores in spiritu amat; cur tunc temporis voluit adorari in carne animalium? Accipite D. Chrysost. Genes.8.
hom.27.fanem: *Quia homines à vero Dei cultu desciscturi erant, & proprios Deos effecturi, quibus sacrificia immolarent, priùs voluit, vt sibi dona offerrentur, vt vel sic à proposito pelleret pernitioso.* Equidem à proposito pellitur pernitioso deficiendi à Deo ille homo, qui videat per eorundem rerum sumptus, quibus deficit, posse Deum comparare. Quis bona temporalia insumat, vt perditionem habeat, videns per eosdem,& minores sumptus se posse & salutem, & Deû mercari? Quis ouem mactet diabolo, quam potest Deo mactare? Quis honores, dominatus,& diuitias acquirat, vt pereat, cùm easdem possit habere, vt fiat saluus? Sanè non linquitur excusatio peccandi, imò vix peccandi linquitur potestas, vbi in eisdem sibi complacet Deus rebus, è quibus sumit malus materiam peccandi. Id quod expressiùs dixit Tertull. lib.2. in Marc.dum enim sacrificiorum veteris legis insinuat causas, Chrysost.
ait. *Illam Dei industriam senti, qua populum pronum in idololatriam,& transgressionê, eiusmodi officiis religionis suæ voluit astringere, quibus superstitio sæculi agebatur, vt ab ea auocaret illos, sibi iubens fieri quasi desideranti, ne simulachris faciendis delinqueret.* Dum Deus illis eisdem rebus sese dedit, quibus perditio côparatur, quis perditionem comparet, & non magis Deum? Astrictus est Deo seruiendo, omni excusatione deposita, quisquis per eadem ipsa potest seruire, per quæ discedit. Tertull.

§. IX.

Inexcusabilis est, qui sola sublimia, & excelsa prospicit, non humilia.

EMptæ villæ videndæ prætextu, in qua dominetur, celsitudinémque habeat super omnes (vt notat D.August.) immaculati Agni cœnam iste despicit, & se haberi excusatum rogat. Vana profectò rogatio est, quando inexcusabilis omninò redditur, qui solam celsitudinem, & sublimitatem habet præ oculis. Paul. ad Roman. cap.1. aiebat: *Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus,& diuinitas, ita vt sint inexcusabiles*, &c. Expende vnde inexcusabilitas pereuntium nascatur, ex eo, quòd illis pateat sempiterna Dei virtus & diuinitas. Et quomodo ex prospectu supernæ illius virtutis inexcusabiles redditi sunt pereuntes? An quia malum sit Dei sublimitatem videre? Absit; non enim malum est, quòd Dei sublimitatem absolutè videas, sed quòd illam solam ames videre, nihilque patiaris cernere, quod non excellens sit, atque sublime. Id quod meditatus D.Bernard.ait, Rom.1.
serm.8. in Cant. *Audi denique, quid eis de Deo reuelatum fuerit; sempiterna, ait, virtus, & diuinitas. Vides, quia quod sublimitatis, quod maiestatis est in præsumptione spiritus, non Dei, sed sui rimati sunt; quòd autem mitis sit,& humilis corde, non intellexerint.* Ad Dei celsitudinem Angeli humilitatem eius fastidiebant: quidquid celsum,& sublime in Deo odorabantur, facilè capiebant, vt celsitudinis,& dominatus studiosi; humile autem, & deiectum prorsus expuebant, quo inexcusabiliter pereunt apud Dominum. Iunior ille filius apud Luc. cap.15. à Patre Deo petit substantiam suam, ait enim: *Pater, da mihi portionem substantiæ meæ, quæ me contingit*; quam vt accepit à patre perdidit, dissipanit. Et cur tanti Patris, nempè Dei bona data filio iam facili negotio perduntur, & filium trahunt in miseriam vltimam? Filius in accipiendis illis solùm quod præstans est in Deo considerabat: nihil infirmum, nihil humile, nihil mortale voluit percipere, ex quo in penè vltimam calamitatem ruit. Acutè,& eleganter Chrysol.serm.1. ait: *Cælestem Patrem sciebat nullo claudendum fine, concludendum tempore nullo, nulla mortis potestate soluendum. Et ideò cupit viuendi libertate gaudere, qui ditari noluerat facultatibus decedentibus.* Boni filij vt bona possideant, parentum spectant infirmitates, parêtum funera obseruant, vt sic de parentum puluere bonorum segetes sibi acquirant. Prodigus iste non parentis infima, & humilia voluit spectare, nec ditari de morte, vel de puluere sed sola lucida, & præstantia prospexit, cæteris præstare cupiens & inde inexcusabilis venit in ruinam. Saniori consilio ille, Psalm.83. Bernard. Luc.15. Chrysol.

Psal. 83. *Ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum*; sic ascensum meditabatur, vt minimè excluderet lacrymarum vallem, sed simul & humilia lacrymarum, & alta virtutum mente tractabat. Inde Iesus regale conuiuium parans, ait
1. Cor. 11. apud Paul. 1. ad Corinth. 11. *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* Cur non magis iubet annunciari diuinitatem, dominationem? Ne ad solos honores, & suauitates raperentur Christiani, hoc curat, vt infirma Dei, & mortalia annuntient, & præ oculis habeant. Quapropter Dei amatrix, Cantic. 5. ex lectione D. Ambros. lib. 5. de Sacrament. cap. 3. ait: *Manducaui panem meum cum melle meo.* De quo D. Paschas. lib. de
Paschas. corpore, & sanguine Domini, cap. 10. inquit: *Comedi panem cum melle meo, quoniam in illo diuinitatis dulcedo, & humanitas prædicatur*; ne quis ad diuina, & celsa tendens solùm, deiecta, & humilia prætereat humanitatis.

Text. Et alter dixit: Iuga boum emi quinque, & eo probare illa; rogo te, habe me excusatum.

§. X.

Nisi spiritualibus ardenter inhient iusti, in asperitate, & maceratione carnalium, à peccatoribus, & infidelibus superantur sæpissimè.

HVc veniant viri pij, qui de carnis maceratione gloriantur: quis iustus quinque boum iugis carnem suam domauit? Vnum lego iustum à Christo Domino suis sequacibus ostensum, cum ait: *Iugum meum suaue est.* at iste vt à Christo fugiat, quinque iuga boum subit voluntarius. Et quidem nisi spiritualibus inhiemus, in maceratione carnis etiam strictissimi Religiosi à peccatoribus superantur. Pau-
1. Cor. 7. lus 1. ad Corinth. 7. inquit: *Circumcisio nihil est, & præputium nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei.* Mirabar Paulum sic circumcisioni iniurium, vt dicat, illam nihil esse. Nónnè circumcisio asperrimum est opus macerationis? Nónne per illam caro Deo mactabatur? Cur illam nihil æstimat Paulus? Dum Paulus in circumcisis nullam esse videbat famem spiritualium, nullum desiderium ad inuisibilia tendens, meritò despicit carnis circumcisionem, etsi asperam, quando in asperitate carnali etiam ab infidelibus su-
Zeno. perabantur. Id quod notans D. Zeno lib. 3. serm. 8. sic inquit: *Circumcisio est in damnum, vulneris ferro circumlata cicatrix. Quòd, si Iudæus existimat gloriam: maior est eius, qui in honorem Deæ suæ, sanè anus turpis, atque amatricis non paruam cutem eiusdem membri, sed ipsum membrum radicitùs abscissum ministerijs turpioribus immolauit.* Quam æstimet gloriam in sola carnis percussione, qui nouit infideles, & peccatores sese mactare pro turpissimis idolis, pro voluptaribus habendis, & mundialibus bonis? Maior aliquando gloria est in percussione carnis apud infideles, apud peccatores, quàm apud strictissimos Religiosos, si hæc censeatur esse gloria. Huc referam Tertulliani verba, quibus duritiem continentiæ Christianæ viduitatis emollit, dum illam ostendit deuictam Ethnicæ virginitatis rigore; etenim ait
Tertull. lib. 1. ad vxorem: *Durum planè, & arduum satis continentia sancta fœminæ post viri excessum, Dei causa, cùm Gentiles Sathanæ suo, & virginitatis sacerdotia proferant? Romæ quidem, quæ ignis illius inextinguibilis imaginem tractant, auspicia pœnæ suæ cum ipso dracone curantes, de virginitate censentur. Achaa Iunoni apud Ægium oppidum virgo sortitur; & quæ Delphis insaniunt, nubere nesciunt. Hæc Diabolum præcipue, & audiuntur: prouocet nimirum Dei seruos continentia suorum, quasi ex æquo! O continentiam gehennæ sacerdotum!* Non equidem est, cur glorietur Christianus in sola exteriori carnis pressura, quam strictiorem sustinent infideles, & peccatores; dum per vigilias, per fames, per labores innumeros suas nituntur implere cupiditates. Vide ipsum Tertullianum, vt Christianis martyribus proponit mille alios Gentiles, qui ante idolorum aras suæ carnis acerbissimas perpessi sunt strages. Non ergo in sola carnis maceratione gloria nostra est, nisi & cum hac adiungamus ardentissimam famem rerum spiritualium. His dum instas, longè vincis omnes pressuras carnis. Apud Matthæum cap. 20. accessit mater filio-
Matth. 20. rum Zebedæi ad Iesum, & adorans ait: *Dic, vt sedeant duo filij mei, vnus ad dexteram, & vnus ad sinistram in regno tuo.* Non terrenum aliquod, & mundiale regnum spectat, vt putat Chrysostomus, sed sublimius quid, & à sensibus remotum, nimirum regnum Christi spirituale, & cœleste. Pro quo etiam latro in cruce positus clamabat: *Memento mei, Domine, cum veneris in regnum tuum.* Hoc affectabat latro inter mortalia vulnera iam agens animam: idem petebat mulier, nullo vulnere accepto; imò nóndum videns stadium. Cur fœmina non expectas plura pati? Cur ante vulnera coronam cupis trahere? Erat illi vehemens desiderium rerum supernaturalium, quod vbi adest, superat omnes pressuras, & conflictus carnis. Quò respiciens D. Basil. Seleuc. orat. 22. ait: *Accurrit, vt apparet, latronis voces mulier. Ille in cruce orationes fundebat: Memento mei, cùm veneris in* Basil.
regnum tuum. Hæc ante crucem pro regno supplicabat: Dic, vt sedeant duo filij mei, vnus ad dexteram, alius ad sinistram in regno tuo. O desiderium passione maius! Et quidem desiderium efficax æternorum in hominibus iustis longè superat vniuersas passiones, & macerationes carnis, cùm per illud iusti viri supra perpessores ignium, & crucum extollantur.

§. XI.

Qualis exhibetur homo, vt à Deo fugiat, talis exhibendus est, vt Deum acquirat.

ECce tibi mensuram officij exhibendi Deo, vt illum acquiras, nimirũ, id quod pateris, vt ab illo deficias. Quinque subis iuga boum, vt magnam Dei cœnam despicias, tandem subire teneris, vt illam æternitatis cœnam accipias. Qui per quinque sensuum pressuram Deum fugis, Dei mensæ halanti vitam, nisi quinque sensus mactas, non accumbes.
Ea est lex Leuit. 22. *Qui comederit de sanctificatis per ignorantiam, addet quintam partem cum eo, quod comedit, & dabit Sacerdoti in Sanctuario.* Leuit. 22.
Vbi ignorantia fuerit diuinarum epularum, statim tenetur quis addere quintam partem cum eo, quod comedit. Et cur ignorantiæ diuini cibi addenda quinta pars? Ignorantia cibi omnes quinque sensus occupauit, non enim ignorantia esset, si aliquis sensus non falleretur, ideò quinta pars addi iubetur, vt etiam quinque sensus in eodem sumendo cibo occupentur. Quò spectat D. Paschas.
lib. de Sacramento Corporis Christi, cap. 2. inquiens: *Merito* Paschas.
igitur pars illius nunc rectè à nobis superadditur ei, quòd per ignorantiam accipiebatur; si quinque sensus corporis intus ad vestigia illius conuertantur. Quia si rectè sapimus, diuinus Spiritus, qui in nobis est, etiam per eandem gratiam ampliatur, eosdem sensus nostros ad ea percipienda instruit, & componit: seu sanè, vt non solùm gustum interius ad mystica perducat, verum & visum, atque auditum, nec non odoratum, & tactum, interius quodammodo illustret, vt nihil in eis, nisi diuina sentiantur, nihilque, nisi cœlestia. Et meritò à diuino Spiritu constringuntur sensus quinque ad hoc, vt in cœlesti epulo sola sentiant diuina, & supernaturalia, quando ipsi effusi ad terrena æternorum fastidia generarent. Quò etiam spectat tota Eucharistiæ œconomia, in qua exhibetur panis, qui non panis, sed filius Dei credatur, dum volunt homines in obsequium fidei intellectum suum captiuare. Sed cur necessum fuit adducere intellectum humanum, vt credat, Filium Dei subesse speciebus panis? Quia etiam intellectus humanus adductus fuit, vt crederet, diuinitatem inesse cibo scientiæ boni, & mali. Rem acutissimè ponderans Rupertus lib. 12. de victoria, cap. 12. sic inquit: *Quia, cum non viderent nisi pomum, quantumlibet suaue, aut visu pulchrum, crediderunt, in illo esse diuinitatis effectum, credidentes diabolo dicenti: Si comederitis, eritis sicut Dij. Contra cibum illum, qui cibus fuit mortis, dictante interius iustitia, dari oportebat cibum alium, qui esset cibus vitæ, & simili ordine, vt sicut licet inesse illi meus crederet, quod oculus non viderit, crederet esse cibum, & potum æterni communicandæ diuinitatis. Per hanc fidem sibi Deus ab homine satisfactum esse iudicat, dum non minus sibi credit, quàm diabolo crediderat.* Semper Deus hoc curauit, ne minus facerent homines in Dei causa, quam in causa diaboli, & peccati. Vnde ad Philippenses cap. 2.
de Dei Filio veniente in hunc mundum dicitur: *Factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur,* &c. A ligno pendenti Deo omne genu curuatur; sed scire cupis, cur se Deus exhibuerit adorandum à ligno pendens, & non magis sedens in throno maiestatis? Pulchram rationem in rem præsentem affert Tertullianus, libro 4. in Marc. fatus: *Memoriam pro* Tertull.
sua homine deposuit, per imagine, & similitudine sua, non aliena: vt quoniam homo non erubuerat lapidem, & lignum adorans, eadem constantia, non confusus de Christo, pro impudentia idololatriæ, satis Deo faceret per impudentiam fidei. Philip. 2.

Non

Non minus sobeundum est homini pro Deo habeodo, quàm subiit pro peccato, si Deo satisfacere cupit. Nec ratio, nec æquitas permittit, quòd Deus Opt. Max. suæ gloriæ thesauros præbeas illis, qui multò maiora subiere pro diabolo, & tissime; semper enim esset, vnde magis aduersus Deum diabolus superbiret, quòd maiora sibi exhiberens obsequia, quam Deo etiam ipsi cælestes principes.

§. XII.

Temporalibus hominibus annexa mendacia.

Hora cœnæ vocabantur isti, & egregiam confingunt excusationem: *Iugo boum emi quinque, & eo probare illa.* Cœnæ hora dicit se ire probare empta iuga boum; quod apertius mendacium? Hora cœnæ à iure veniunt homines domum, cùm iam non liceat per noctem rusticari; cùm soluunrur iuga ad cœnam, vadis su ad probanda iuga? Sed sanè temporalibus hominibus nil magis familiare, quam mentiri. Numer. 27. accesserunt filiæ Salphaad ad Moysen, cùm distribueret terram filiis Israel, atque dixerunt: *Pater noster mortuus est in deserto, nec fuit in seditione, quæ concitata est contra Dominum sub Core, sed in peccato suo mortuus est: hic non habuit mares filios. Cur tollitur nomen illius de familia sua, quia non habet filium? Date nobis possessionem* &c. Hæ solæ fœminæ inueniuntur pro terrenis bonis litigasse apud Moysem: quod notans D. Ambros. lib. 3. de virg. ait: *Terrenam possessionem sibi Salphæ filiæ postularunt, sed quia Salphæ filia. Salphæ autem filia, quid sunt, quæ terrena petunt, nisi vt interpretatio docet, oris obumbratio? Quæ vtique in illa est, quibus non est verbum in ore ipsorum, nec in sermone eorum veritas.* Cùm terrenarum possessionum cupiditate connexa veniunt mendacia, quot sunt homines a terrenis bonis habendis insudantes, tot sunt filiæ Salphæ, hoc est, tot sunt, in quibus fit oris obumbratio, à quorum ore vix audiatur aliud, quàm mendacium. Id quod notabat Dauid Psalm. 4. *Filij hominum vsquequò graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium.* Expende, ex quo principio oriatur mendacium, primò ponit, quod diligant vanitatem, & statim, quòd quærans mendacium, quasi mendacium ex dilectione vanitatis nascatur. Sed quæ est illa vanitas, quæ præcedit mendacium? D. Augustinus explicat, aiens: *Vt quid ergo temporalium rerum amore detinemini? Vt quid tanquam prima, extrema sectamini, quod est vanitas & mendacium?* Hæ duæ sunt temporalium rerum affectæ, & vanitas, & mendacium. Hinc Psalm. 70. ex distinctione Cassiodori ait: *Os meum annuntiabit iustitiam tuam; tota die salutare tuum. Quoniam non cognoui litteraturam.* Alij legunt: *Quoniam non cognoui negotiationes.* Expende causam, cur in ore eius iustitia, & veritas fuerit, nimirum, qui sæculares bonorum cogitationes ablegauerit. Ex quo pulchrè ait Cassiodorus: *Negotiatores ergo illi abominabiles æstimantur, qui iustitiam Domini minimè considerantes per immoderatum pecuniæ ambitum polluuntur, merces suas plus periuriis onerando, quàm pretiis.* Quasi inseparabilis est à negotiatione temporali & falsitas, & periurium, de quo plura tom. 1. lib. 6. cap. 2. §. 8. & hoc tomo 3. lib. 14. cap. 9. §. 1. & cap. 13. § 7.

Num. 27. Ambros. Psalm. 4. August. Psalm. 70. Cassiod.

Text. Et alius dixit: Vxorem duxi, & ideo non possum venire.

§. XIII.

Libidinosi homines omnium impudentissimi, & rusticissimi.

Duo priores homines sic à cœna Dei recedunt, vt inuitatori aliqualem reuerentiam habeant, dum dicunt illi: *Rogo te, habe me excusatum.* Hic posterius solus nihil reuerentiæ, nihil boni respectus, nihil comitatis prætendit, sed omni eo, quod ad reuerentiam, & comitantiam conduceret, prætermisso, tantùm ait: *Non possum venire.* Quid impudentius? Quid magis rusticum, & inhumanum? Quod si tantæ impudentiæ, & rusticitatis quæras causam, illam ipse præmisit, aiens: *Vxorem duxi,* quibus verbis impudicitiæ, libidinisque excessus notatos putant communiter & Patres, & expositores sacri. Nec mirum, quòd ab excessu libidinis tansa impudentia nascatur; sunt enim libidinosi homines omnium impudentissimi, rusticissimi. De primis hominibus post peccatum patratum, ait Genes. 3. *Abscondit se Adam, & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradisi, vocauit ac Dominus Deus Adam, & dixit ei: Vbi es? Qui ait: Vocem tuam audiui in paradiso, & timui.* Quibus verbis meritò notat Lippomanus impudentiam, & rusticitatem Adami ortam à peccato, quando locutus eum Deo è latebris, nullum præmittit honoris titulum, non ait, Fortissime potentissime, clementissime Deus, sed omni honoris, & comitatis vocabulo prætermisso simpliciter & intrepidè dicit: *Vocem tuam audiui,* &c. Vnde Adamus adeo impudens, & rusticus? Quid erat in latebris illis, à quo tantam biberes impudentiam, & rusticitatem? Textus ait: *Abscondit se Adam, & vxor eius;* & quidem vs peccatum eius venit ab excessu fœmineæ dilectionis, sic illi & impudentiam ingessit, & rusticitatem, quando nemo impudentior, & rusticior inuenitur eo, qui excedit in fœmineis flammis. Ait D. Petrus 2. epist. cap. 2. *Qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt, audaces sibi placentes,* &c. Apud OEcumenium expressius in rem præsentem, *Qui carnem sequente: in concupiscentia pollutionis ambulant, ac dominationem contemnunt, audaces, præfracti, qui splendores non verentur conuitiis incessere.* Nihil reuerentiæ, nihil comitatis, nihil pudoris, & boni respectus inuenies in iis, qui se dedunt amoribus carnalibus, sed audaciam, sed impudentiam, sed contemptum omnium, & vt nullum reuereantur, nolli etsi clarissimo, & splendidissimo reuerentiam habeant. De illis meritò ait ipse OEcumenius: *Nil mirum, quòd huiusmodi sint audaces, & præfracti; hoc est, sibi ipsis sequentes sibi placentia. Sed & conuitiatores dicit. Nam qui ex contemptu dominationem non timent, quid mirum, si aduersus omnem splendorem intrepidè persistant:* Nullus splendor, nulla dignitas 10 honore est apud huiusmodi homines voluptuosos, & carnales. Genes. 9. dum propter incognitam, & inexpertam ebrietatem iaceres nudus Noë, ait textus: *Quod cùm vidisset Cham pater Chanaan, verenda scilicet patris sui esse nudata, nuntiauit duobus fratribus suis foris.* Cur non maiorem reuerentiam præstat parenti nudato? Cur non magis operit eius pudenda, sed impudens publicat, & despicit? Notantur ab Spiritu sancto tantæ impudentiæ, & procacitatis causa notatur, vbi dicitur, *Cham pater Chanaan,* quasi insinuetur pater Chanaam factus illo ipso tempore diluuij; vt qui adeo fuerit incontinens, qui nec inter tot angustias appetitus cohiberet carnales. Quare non mirandum, quòd tn carnali homine ea impudentia extaret, qua nullam reuerentiam exhiberet patri. Chrysostomus ibi inquit: *Quare, dic mihi, & hoc loco sic vocabulum assignat: Vt discas illum fuisse incompetentem, & incontinentem, & mente, qua in tanta perturbatione procreandæ prolis vacabat, eodem etiam nunc in contumeliam patris prorupit. Et nuntiauit, inquit, duobus fratribus suis foris. Fortassis autem & irrisit, ac subsannauit patrem, turpitudinem illius nunciando.* Quis ioagis ab omni pudore, & humanitate alienus? Quæ tu illo feruebat cupiditas carnalis, eumdem sic audacem, præfractum, & impudentem fecit, vt nulli splendori, nulli dignitati, nec parenti optimo reuerentiam præstaret. Prouerb. 9. introducitur sapientia ædificans domum, pronens mensam, & mittens ancillas ad inuitandum; & statim e regione sapientiæ, vt placet Caietano constituitur voluptas diuertens à sapientia inuitatos, & ad se trahens. Et qualis hæc voluptas? Ait textus: *Mulier clamosa, plenaque illecebris, & nihil omnino sciens.* Septuag. legunt: *Et non nouit pudorem.* quasi hæc sit propria voluptatis passio, nimirùm pudoris exclusio, qua nihil vereatur, nullique dignitati parcat. Ex quo D. Zeno, sermone de pudicitia, impudicam meorem describens ait: *Discurrit quippe verana per populos, hominumque lubricas mentes libidinum flagrantibus flumnis præcipitat in furorem, non sexui parcens, non ætati, non pietati, non, quia pudorem alienum que ergo etiam primò suum perdidit.* Non pudor, non comitas, non humanitas inuenienda est in animis lasciuis, sed summa impudentia, qua nullam dominationem, nullam dignitatem in honore habeant. Huc refer dicta infra cap. 15. §. 5.

Genes. 3. OEcum. Idem. Genes. 9. Chrysost. Prouerb. 9. Zeno.

Text. Et reuersus seruus nuntiauit hæc domino suo. Tunc iratus paterfamilias dixit seruo suo: Exi citò in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc. Et ait seruus domino: Factum est, vt imperasti, & adhuc locus est.

§. XIV

Inter ipsas iras accessibilis est Deus, vt bona facias.

Cvm iratus Deus ostenditus, iam putabat conniuium dissoluendum, imò mensas ipsas euertendas, obserandas fores,

fores, ne vlli pateat locus roganti. Sic facere solent homi-
1 Reg 25. nes irati: sic de Nabal aiebant serui 1. Reg. 25. *Ipse est filius Belial, ita vt nemo possit ei loqui.* Nesciunt iracundi homines, moderationem seruare, sed vbi irascuntur in aliquem, prorsus inaccessibiles ad vniuersos manent. Non sic Deus irascitur, quin potiùs inter iras non obliuiscitur benefacere; iratus in vnum, sese misericordem præbet alijs. Quid terribilius Deo, vbi Ægyptios omnes in profundum deiecit maris? At tunc inter ipsas iras salutem Israëlitis parat per medium
Exod. 14. sicci maris. Exod. 14. *Reuersæ sunt aquæ, & operuerunt currus, & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare: nec vnus quidem superfuit ex eis. Filij autem Israel perrexerunt per medium sicci maris.* Iratus Deus in illos, maria voluit, ne qua salutis via pateat, & simul in hos blandus latissimos in mari aperit salutis campos. Salutis viam obstruebant impiis fluctus iram Dei portantes, & simul salutare, & securum iter præbebant sanctis. D. Hilar. in Psalm.
Hilarius. 144. ait: *Terribilis fuit virtus Dei cum ingessit in maris iter impiis, vbi fuerat salus religiosorum, ibi pœnam constituit impiorum. Circumstant alios firmitate muri solidata vnda, alios refusa illa ipsa, quæ constiterant, absumebant. Ad illos pelagus naturam suam nescit, hos per naturam suam punit.* Non sic irascitur in illos, vt non suauis sit, & blandus aliis; nescit enim Dei ira exarde-
Psal. 134. scere, quin misericordiæ venæ scaturiant. Psalm. 134. *Educens nubes ab extremo terræ fulgura in pluuiam fecit.* Proh Dei irati genium! Quando iracundior Deus ostenditur, quàm ibi obducens cælum nubibus, classicum tonans vndique, ardentibus iaculis terram fulminat? Ecce Deus adest fulmina vibrans, an non perdet omnia potentissimus fulminator? Absit, fulmina enim in pluuiam facit, simul fulminator, & rigator terræ ostenditur; dum enim quatit fulmine turres, arentia arua pluuia rigat, & fœcundat in fructus. Hæc est ira Dei instar fulminantis, & pluentis nubis, à qua & iaciuntur fulmina, & cadit pluuia, vtraque simul. Quippe mi-
Chrysost. rabundus D. Chrysost. in præsenti ait: *Vide varius aliud miserabiles, & diuersas naturas conuenientes. Neque enim fulgure est quicquam magis igneum, neque aqua est aliquid frigidius, ea tamen miscentur, nec con\[f\]unduntur, sed vtraque æque conseruat fines suos. Manet enim ignis in aqua, & aqua in igne.* Ignis quidem manet in aqua, & aqua in igne, nec adeò exardescit ignis, vt non relinquat locum fœcundissimæ pluuiæ. Sic Dei ira nunquam exardescit, nunquam aduersùs aliquos fulminat, quin simul misericordiæ fontes emittat, quibus arentia corda fructiferos succos imbibant. Quò spectans Psalm. 28. ait: *Vox Domini intercidentis flammam ignis.* Quomodo intercidit flammam ignis Dominus, nisi dum simul iram accendit in aliquem, & misericordiæ pluuia irrorat alios? Sic D. Basil.
Basilius. ibi: *Intercidit flammam ignis Deus, secundum historiam trium puerorum apud Babylonem, quando fornax super cubitos quadraginta nouem effusa, eos, qui circumstabant, combussit omnes. E diuerso autem eadem flamma Dei præcepto intercisa recipit in se spirantem auram, refrigerationem pueris illis tribuens.* Interciditur semper flammans Dei ira, vt dum alios vrit, aliis rorem misericordiæ infundat. Quod miraculum in Dei ira stupebant Azoticorum diuini, 1. Reg. 6. vbi ex lectione D. Chrysostom.
Chrysost. in Psalm 135. aiunt: *Hic est Deus fortis, qui percussit Ægyptum, & quando [illegible] eos, [illegible] ipsos* scilicet Israëlitas, [illegible]. Non equidem parùm Dei fortitudinem commendat, quòd simul possit irasci in aliquos & inter irascendum possit aliis benefacere. Si tunc temporis irascebatur in Ægyptios vsque ad eorum internecionem, & quando irascebatur, simul Israëliticis salutem dabat. Quid fortius? Huc respiciebat Moyses, Numeror cap. 16. sic Deus ob Chore offensam iratum in omnes emolliens: *Fortissime Deus spirituum vniuersæ carnis, num [illegible] peccante, [illegible] omnes ira tua desæuiet?* Absit hoc à fortissimo Deo, cuius fortitudinis proprium est inter irascendum aduersùs aliquem, aliorum procurare tutelam. Nulli enim in ira parcere, fragilitatis est humanæ, non fortitudinis diuinæ.

§. XV.

Dei gratia minimè obest humana fortunæ vilitas, & abiectio.

ET pauperes, & debiles, & cæci, & claudi iubentur adduci diuinæ mensæ, animas inspiciens Dei gratia, non fortunas, & vbi apta anima inuenitur, vilitas fortunæ nihil obest. Multæ, & proceræ, & pulchræ arbores erant in deserto Sin, diuini tamen ignis splendor in rubo sedit. Ait enim
Exod 3. Exod. 3. *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat, quod rubus arderet, & non comburebatur.* Non cedrus, non palma eligitur, quæ diuinum sustineat ignem, sed vilis rubus: quando enim rubus is est, qui virere possit inter ignes, minimè Dominus eius vilitatem excludit. Vnde ait D. Basil. Seleuc. orat. 9. *Ecce ignem monstrat in rubo ardentem* Basil.
ignis effectu deposito, quippe flos igne coronatur, vilisque planta succensa flammæ obsistit. Dimissis pretiosis lignis, vilis rubus assumitur, qui thronum præbet inter flammas apparenti maiestati, dum enim gratia inueniat indolem, in qua sese ostendere possit, non respuit ab humanis iudiciis profectam vilitatem. Abiectus erat, & vilis Dauid puer inter fratres suos, & adeò abiectus, vt dum fratres gloriam militarem ostentarent, ipse pro se ait, 1. Reg. 17. *Pascebat seruus tuus pa-* 1 Reg. 17.
tris sui gregem & veniebat leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, &c. Pugnabat Dauid, non pro ciuitate obtinenda, non pro principatu, non pro regno, sed pro oue, vt solet vilis pastor pugnare; & strenuos pugnatores dimittens Dominus, hunc adlegebat diuina gratia. Quare non magis allicit auratos equites, duces cantatissimus? Quare mauult rudem, & obscurum pastorem pugnantem cum lupo in syluis? Pulchrè D. Basil. Seleuc. orat. 15. *Tales ani-* Basilius.
mas legere nouit gratia, quare & curæ gregis deditum vocauit ad regnum. Nam cognito animi merito, minimè erubescit artem. Placet sibi Deus, abstrusum in despecto corpore margaritum conspicatus. Non vilis ars, non abiectio personæ obest, quominùs à diuina gratia eligaris, quando hæc non erubescit artem, nec vilitatem personæ à fortuna ortam, quando indolis ingeniique animaduertit præstantiam. Expende illud: *In despecto corpore margaritum conspicatus.* Inspicienda enim est in omni electione pretiositas genij, & pro hac despicienda vilitas artis à fortuna orta. Cui excogitationi lucem adfert illud à Platone excogitatum 3. de Republ. vbi fatur. *Deus* Plato.
informans vos, qui ad imperium nati estis, aurum in generatione immiscuit. Quapropter honoratissimi estis. Eis verò, qui ad auxilium ferendum præstant, argentum. Agricolis autem, & reliquis opificibus æs, & ferrum. Proinde vt qui cognati omnes sitis, plerumque similes vobis generatis. Quandoque tamen ex aurea [illegible] generari poterit argentea, & ex argentea, aurea; & reliqua omnes eodem modo, & ex aliis vicissim. Principibus igitur & primum, & maximè præcipit Deus, vt nullius rei ita boni custodes sint, quæ quicquam ita obseruent, quàm quid in animis filiorum suorum ex illis immixtum sit. Et si filius eorum subaratus, aut subferratus sit, nullo modo miserabuntur, sed conuenientem naturæ honorem tribuentes, ad agricolas, aut opifices ipsum detrudent. Et si rursus ex opificibus, aut agricolis, nascatur quis subauratus, aut argentum immixtum habens, honore delato hunc deuehent, ita vt tales partim inter custodes, partim inter auxiliatores referant. Pulchro, & eleganti commento bonus Philosophus ostendit, quid sit in hominibus seligendis spectandum; non extrinsecus splendor, aut vilitas, sed internum aurum: vbi autem aurum, siue margaritum, hoc est, pretiositas ingenij etiam in despecto corpore, inter viles artes inuenitur; tota hæc fortunæ externæ vilitas, & despectio non obest eligenti gratiæ. Placet enim sibi Deus abstrusum in despecto corpore margaritum conspicatus. Hinc Num. 27. ait Dominus ad Moysem: *Tolle Iosue filium Nun, virum, in quo est spiritus* Num 27.
Dei, & pone manum tuam super eum. Quæ verba sic legit D. August lib. 3. quæstionum in Num. quæst. 54. *Accipe ad te Iesum filium Naue, hominem qui habet spiritum in seipso,* &c. Ecce tibi quid conspiciat Dominus in suis electis, non quòd habeant fortunas non quòd pecunias habeant, nec pulchritudinem, nec nobilitatem, sed quòd habeant spiritum in seipsis, quòd habeant mentem, & genium ad munera aptum, cætera parui faciet. Placet enim sibi Deus abstrusum in despecto corpore margaritum conspicatus.

§. XVI.

Paupertas, & nuditas Christiana aptior ad magnalia patranda.

NOn otiosè vocat Dominus pauperes, sed vt qui aptiores sint ad magnalia patranda. Omnium bonorum temporalium amissionem & ruinam sic leniebat Iob, cap. 1. *Nudus egressus sum de vtero matris meæ.* Et qualis hæc conso- Iob 1.
latio? Imò quia nudus egressus est, ideo magis deberet dolere de perditione rerum temporalium. Nónne damnosior est oblatio pallij, ei, qui non habet aliud, sed nudus manet? Qualis ergo erat illa consolatio in omnium perditione? Magna equidem, quando nuditas, & paupertas aptior est, vt homines in magna nouerint comparare. Chrysost. in Cat.

Chrysost. Græca fator: *Nudus procreatus est homo, vt, eodem studio adhibito, videres quemadmodum imbres declinares, quemadmodum ſapientèr frigus arceret, quemadmodum ad repellendos ictus munitetur, quemadmodum terram coleret, quemadmodum feris, ac bellius metum incuteret, quemadmodum robustiora, ac valentiora ſe animalia domaret. Quamobrem aqua madidus, pluuiâque perfuſus tecta ſabricauit, refrigeratus vehementiùs indumenta excogitauit, ictus, ac vulneratus thoracem inuenit; cum manus in agricolatione occupata ſpinis cruentarentur, ruſtica inſtrumenta quæſiuit. Quia nudus erat eſca bellui, artificioſam rationem, ad eas, quæ terribiles ſunt, exterrendas comparauit. Nempè igitur aliam ex alia ſolertiam nuditas genuit. Vt iam nuditas donum ſit, munúſque imperatorium.* Quæcumque magna ſunt inter homines, ea nuditas perfecit: vt diſcas, quàm aptior ſit diuitiis paupertas Christiana, ad magna quæque peragenda, comparanda. Iam antiquitùs a mundi diuitibus obiiciebatur Christo Domino, quòd pauperes & debiles adſciſceret in ſuam ſcholam, quibus & abſtruſiſſima doctrinæ ſuæ myſteria traderet. Cur non magis diuitibus, & nobilibus? Horum ora præclarè obstruit Minutius Felix in Octauio, fatus: Minut. *Et quoniam meus ſtaret erupit, ægrè ſe ferre, ſtomachari, dolere, illiteratos pauperes, imperitos de rebus cœleſtibus diſputare: ſciret omnes homines ſine delectu ætatis, ſexus, dignitatis, rationis, & ſenſus capaces, & habiles procreatos: nec fortuna nactos, ſed natura inſitos eſſe ſapientiam: quin ipſos etiam Philoſophos, vel ſi qui alij artium repertores in memoriam exierunt, prius quàm ſolertia mentis parerent nominis claritatem, habitos eſſe plebeios, indoctos, ſeminudos; adeò diuites, facultatibus ſuis illigatos, magis aurum reſpicere conſueſſe, quàm cælum: noſtrates pauperes, & commentus eſſe prudentiam, & tradidiſſe cæteris diſciplinam.* Sic diuitiæ potiùs illigant, impedimentóque ſunt, paupertas verò expeditiores animos ad magna patranda.

§. XVII.

Etiam in latitudine ſæcularis vitæ poſſunt inueniri, qui ſuperent homines religioſos, & ſtrictioris ſtatus.

DE plateis iubet Dominus vocari pauperes, qui paratam Dei magnam cœnam accipiant, ſolent enim inueniri homines in habitudine vitæ ſæcularis, à quorum deuotione etiam religioſi vincuntur. Aiebat illa Dei amatrix, Cant 3. Cant. 3. *Per vicos, & plateas quæram, quem diligit anima mea.* Non mirarer, quòd quæreret dilectum ſuum feruentiſſima amatrix, verùm illud valdè mirer, quòd dilectum in plateis quærat. Fieri ne poteſt, quòd Deus adeò conſpicuus ſit in plateis mundi, vt ibi poſſit à quærentibus inueniri? Quomodo ergo ſponſa quærit in plateis dilectum ſuum? Cur non magis quærit in monaſteriorum clauſtris? Cur non quærit in religioſorum ſeptis, ſed amat quærere in plateis? Scit, etiam poſſe in plateis mundi aliquos inueniri, in quibus Deus manifeſtiùs vigeat, quàm in clauſuris. Ait Gillib. Gillib. Abb. ſerm. 5. in Cant. *Non dedignatur etiam ab his, qui foris ſunt, qui nulla arctiorum vitæ regula conſtringuntur, mutuari virtutis inſignia, reputans feruentiorem ibi frequenter affectum, vbi inferior fuerit ordinis gradus.* Non ſemper virtus cadit in plateis, euenit aliquando, quòd mediis mundi plateis, in tota illa latitudine ſæcularis vitæ inueniantur aliqui ita virtutum ſtudioſi, & pietati zelatores, vt in feruore, & deuotione ſtrictiſſimæ religionis homines vincant. Genes. 4. de duobus Genes. 4. illis primorum hominum filiis ait: *Fuit autem Abel paſtor ouium, Cain agricola. Factum eſt autem poſt multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino; Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui, & adipibus eorum. Et reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius non reſpexit.* Ecce tibi Abel placet Deo & Cain natu maior diſplicet; ſed & Cain ſtrictioris vitæ normam ſequebatur ſolicitandæ terræ, addictus ex præſcripto diuino. Dixerat enim Deus, Genes. 3. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo,* quod præſcriptum ſic accepit Cain, vt ab illo minimè deflecteret, imo toto conamine curaret implere illud factus agricola. Cur ergo ſtrictioris vitæ normam ſecutus minus placuit, quàm ille, qui ab omni præſcripto liberam agebat vitam? Equidem iam tunc oſtendebatur, quòd religioſi viri poterant in deuotione ſuperari ab his, qui laxiorem viuendi normam erant ſecuturi. Meritò enim ait Lyppom. in Cat. Lyppom. *Fit igitur Abel paſtor pecorum, Cain agricola. Ambo quidem habent ſancta exercitia, ſed Abel ſine mandato Dei, vt videri poterat. Cain operam dat obedientiæ, ſanctiùs agit iuxta rationem operis, non tamen electionis. Rei neceſſariæ operam dat, puriora tractat, grauiùs laborat, pœnam humano generi decretam diligentiùs ſuſtinet, ſed fide, ac deuotione minor fuit, quæ Deus intuetur.* Conueniant huc viri religioſi, & diſcant, quo timore debeant ſuam operari ſalutem, ne ſuperentur in Dei approbatione ab hominibus ſæcularis vitæ. Viri religioſi, fateor, obedientiæ operam dant, puriora tractant, grauius laborant, ſub diſciplinæ ſtrictione viuunt: ſed cùm hæc ita ſint, tamen fieri poteſt, quòd in mundi plateis inueniantur aliqui, qui fide, & deuotione totas illas ſtatus religioſi ſtrictiones vincant.

Text. Et ait Dominus ſeruo: Exi in vias, & ſepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea. Dico autem vobis, quòd nemo virorum illorum, qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam.

§. XVIII.

Pœna in vitiis inuenta, à vitiiſque orta, maximè hominem in ſalutem impellunt.

CÆteros omnes inuitari iubebat Dominus; at hos, qui è viis, & ſepibus colligebantur, compelli mandat. Et quem non compellant ad Deum ire vitiorum difficillimæ viæ, ſpinoſæ peccatorum ſepes? Sentiantur vel ſemel ſpinæ, & ærumnæ, quas vitia trahunt, & fallar, ſi quis non compellatur viam ſalutis procurare. Ecce tibi Ionas à Deo fugit rebellis, & ne Niniuem ciuitatem vel pulſet, naui ſe committit, & ſecuriſſimo ſomno tradit. Iam ſomno ſepultus nauigabat, quando à frementi mare petitus excitatur, fluctibus iactandus. Nec fluctus dignantur rebellem ſuſcipere, ſed immanis bellua adeſt, quæ miſerum deuorat, & nigro ſepelit ventris carcere. Quid plura? Tertio die euomitus in ſe reuerſus, Dei præceptis obſequentiſſimus Niniuem adit. Ait textus cap. 3. Ionæ 3. *Et ſurrexit Ionas, & abiit in Niniuem, iuxta verbum Domini: & Niniue erat ciuitas magna itinere trium dierum. Et cœpit Ionas introire ciuitatem itinere vnius diei, & clamauit,* &c. Itinere vnius diei peruadit Ionas ciuitatem adeò magnam; quæ erat itineris trium dierum. Quomodo trium dierum ſpatia vnico ſolo die potuit Ionas peragere? Quis ſic vatem impellebat, vt neceſſum eſſet nō tam currere, quam volare, vt tam citò ciuitatem peruaderet? Cur non magis lentat greſſus? Equidem naufragium inuentum in fuga ſua ſic illum impellebat, vt non poſſet cohibere impetum, quo iam volabat in executionem diuini mandati. Ait D. Hieron. in Gloſſa: Gloſſ. *Tam ampla erat Niniue, vt vix poſſet circumiri itinere trium dierum; at ille memor præcepti, & ſui naufragij, iter trium dierum feſtinatione vnius diei compleuit.* Tam potens erat naufragij in fuga facti memoria, vt nullam ſuſtineret moram, nec permitteret pauliſper quieſcere, ſed illum cogeret volare in Niniuem, vt diſcas, quam longè ex tunc aberat ab excuſatione adimplendi mandati. Nec miror, ſi enim peccatores vniuerſi ſuis delictis debitam penderent pœnam, ſi vel eorum amaritudinem in ſupplicio probarent, vix inueniretur, qui vellet ampliùs peccare. Noſti Luciferi audaciam? Is ait, Iſaiæ c. 14. Iſai. 14 *In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis,* &c. Hos thronos dum ſibi mente voluit, adeſt diuinus gladius, deturbat miſerum ab aſtris, inferniſque addicit flammis. Inde egreſſus coluber tortuoſus hominem aggreditur, & vt illum ſui ſimilem faceret, Geneſ. 3. ait. Geneſ. 3. *In quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dij, ſcientes bonum, & malum.* Non ait, aſcendetis in cælum, ſuper aſtra Dei exaltabitis ſolium, ſed, *eritis ſcientes bonum, & malum.* Et cur non magis ſuggerit tentationem de ſolio cæleſti acquirendo, quàm de ſcientia? Sanè tentatio de acquirendo ſolio, quàm vehemens eſſet, & ipſe in ſe expertus erat; cur ergo ad illam non recurrit? Non adeò perditus eſt, vt audeat meminiſſe tentationem, cuius cauſa tam immane ſupplicium ipſe accepit; vix ſolium meditabatur, & Dei fulmine percuſſus decidit in infernum, quo minimè audet recurrere ad idem tentationis irritamentum. Ad hæc D. Bernard. ſerm. 4. de Aſcenſ. ait: Bernard. *Poſt aſcenſum ſuum iudicio cruciante, Sathanas malè ſolicitus de ſupplantando homine, illius tamen montis aſcenſum nullatenus auſus eſt perſuadere, in quo nimirum pro inani aſcenſu tam immane præcipitium cognoſceretur expertus.* Cauet vel ipſe diabolus iterum in memoriam trahere illud, pro quo tam diras ſuſtinet plagas, & non cauebit homo repetere peccatum, quod ſibi doloris, & lacrymarum nouit fuiſſe cauſam? Vtinam præſentaneam ſemper pœnam afferrent peccata; vel nos illa

ingenti

ingenti supplicio vellemus castigare; fallar, nisi ab illis maximè abhorremus, & impelleremus ad salutem comparandam. Huc refero dicta 1.tom.lib.2. cap.10.§.12, & lib:4. capite 6. §.5. & lib.5.cap.4. §.9. quæ omnia facilè huc possunt reduci.

CAPVT XIII.

De oue perdita.

QVIS pastor ouem à grege separatam contemnat? Imò sæpiùs visitur, qui totam gregem in monte relinquat, vt vnam infirmitate detentam, vel errabundam inquirat: inuentam sustollat humeris, gregi associet non sine ingenti gaudio, & sociorum congratulatione. Hoc pastor efficit in oue, & Deus in homine suo, nullum contemnit, nec infirmantem, nec refugientem; ad miserum, & infirmum, etiam præteriens valentes, festinat, nullíque parcit incommodo, vt vel minimo peccatori obtinendæ salutis commoditatem tribuat.

Luc. 15. Quis ex vobis homo, qui habet centum oues, & si perdiderit vnam ex illis, nónne dimittit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inueniat eam?

§. I.

Maximè totam suam gentem Deo acceptam, & commendabilem reddit, quisquis à primis annis sese Deo sacrare festinat.

ACceptus semper inuenitur Deo grex ouium, & adeò acceptus, vt de illarum nomine gratissimos sibi ob simplicitatem, & iustitiam vocet homines. Perlege Euangelium, & passim inuenies ouium nomina dulcescere in Iesu ore. Et vnde oues tam dulcem, & suauem recordationem receperunt in mente Domini, nisi ex agnis anniculis, qui primo in vitæ limine sacrabantur Domino? Quisquis enim se Deo sacrare festinat in vitæ exordio, potens est omnem suam gentem reddere Deo acceptam, & gratiosam. Nolo, vt hoc consideres in solis ouibus, sed in omni huiùs speciei grege, in quo nihil inuenies, siue ouis sit, siue aries, siue agnus, qui non probetur Domino. Probatur aries, dum pro Isaac offertur; probantur agni, dum eorum quotidie rigabatur templum cruore; probantur oues, de quarum nomine insigniuntur iusti omnes. Et quæ virtus vniuersum hoc pecus sic commendauit Domino? Habes de mundi primordiis, Genesis 4. *Fuit autem Abel pastor ouium*; & post pauca iterum habes: *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum*, &c. E cunctis viuentibus festinauit Agnus ab Abele adductus ascendere aras, & Deo sacrari in mundi exordio, ex quo non miror, quòd totam suam gentem redderet Deo gratiosam. Ait D. Alcimus lib.1.ad sororem. (*Genes.* 4.)

(Alcim.)
Nulla Deo siquidem est acceptior hostia, quàm quæ
Immaculata sibi primis offertur in annis.
Sic quondam cùm prima nouo splendesceret ortu
Terra nitens, pulchrásque darent sua semina fruges,
Viuentem ducens ad sancta altaria fœtum,
Innocuum sonuisse Deo balatibus agnum
Insinuante Deo iustus cognouerat Abel,
Cum capite oblato placuit grex totus ab vno.

Ecce vobis totus grex placuit ab vno illo Agno, qui in primis & mundi nascentis & vitæ suæ annis Deo sacratur. Magna equidem est virtus, & potestas festinantis ad aras, & adeò magna, vt valeat totam suam gentem reddere Deo commendabilem. Sterili Annæ vxori Manue apparuit Angelus Domini, Iudic.13. & ait illi: *Concipies, & paries filium, cuius non tanget caput nouacula; erit enim Nazaræus Dei ab infantia sua, & ex matris vtero, & ipse incipiet liberare Israël de manu Philisthinorum.* Tale accipit de nascituro filio bona fœmina oraculum, & vt accepit, sic festinat narrare viro suo, inquiens: *Vir Dei venit ad me, habens vultum angelicum, terribilis nimis. Quem cùm interrogassem, quis esset, & vnde venisset, & quo nomine vocaretur, noluit mihi dicere; sed hoc respondit: Ecce concipies, & paries filium; caue, ne vinum bibas, nec siceram, & ne aliquo vescaris immundo: erit enim puer Nazaræus Dei ab infantia sua, & ex vtero matris suæ, vsque in diem mortis suæ.* Hæc illa, & tacuit: ad quæ verba D. August. quæst.52. quæstionem facit, cur hæc mulier explicans omnia Angeli dicta viro suo, illud postremum tacuerit, nimirùm, *ipse incipiet liberare Israel.* Et quidem hoc maximè conduceret ad exhilarandum maritum, cùm spectaret sibi filium nasciturum, per quem tota Israëlitica gens reconciliaretur Deo, & triumpharet de inimicis. At mulier solùm occupatur in explicanda pueri infantia, quod à matris vtero Nazaræus hoc est, Deo sacratus futurus sit, & de Israëlis bono per illum consequendo nec verbum dixit. Et cur Deus, qui misit Angelum suum, vt prædicaret Israëlis felicitatem ab illo puero exorturam, permisit, quòd mater eius illam præteriret, occupata in explicanda pueri infantia Deo consecranda à primis vnguiculis? Satis publicabatur Israëlis felicitas, dum puer proponebatur, qui Deo sacraretur ab annis primis, horum enim tanta est potestas, & tam conspicua virtus, quæ manifestissimè sufficiat, vt Deo reddat gratam, & acceptam vniuersam gentem suam. Huc conueniant vniuersæ mundi familiæ, & discant, qua possint ratione æternare & splendorem, & gratiam suam apud Deum. Hoc est medium singularissimum obtinendæ a Deo tantæ gratiæ, quæ sufficiat facere Deo gratam totam familiam, si in ea nascatur filius, qui vel primo vagitu sese Deo sacratum exhibeat. Quod noscens Chrysol. serm. 10. aiebat: *Quomodo domum suam indicat ouile Dei, vbi non paschale germen Dei, pecus dat balatum?* Quasi tunc maximè tota domus, & familia cernatur sub protectione diuina, quando in ea agnus anniculus, hoc est, puer aliquis filius gratam se Deo exhibet victimam. Ex hac enim præcoci victima & parentes, & tota familia sibi Deum singulariter obstringunt. Quis nesciat illam matrem Samuëlis, antequam mater fieret? Quas preces, quas lachrymas ipsa in conspectu Dei non fudit? Quæ vota non fecit? Audiuit Sacerdos eius vota, & lachrymas, & preces, & ait illi 1.Reg.1. *Deus Israël det tibi petitionem tuam,* &c. Post annos rediit ipsa iam mater facta, & afferens filium, vt eum Domino sistat; quem filium sacratum Sacerdos habens sic dicit parentibus, cap.2. *Reddet tibi Dominus semen de muliere hac*, &c. Expende, cùm gementem, lacrymantem, orantem, vouentem audit, solùm dicit, *det tibi Dominus*; cùm filium offerentem videt, iam dicit, *reddat tibi*, non det, sed *reddat*, tunc enim maximè obligatus constituitur Deus & parentibus, & toti familiæ; quando vidit infantem à primis annis consecrari sibi. Ait D. Chrysostom. homil. de Anna, & Samuële: *Initio non dixit, reddat tibi, sed det tibi Dominus: verùm postquam illa Deum debitorem fecerat, ait, reddat tibi, bonam de futuris spem ponens.* Iam ex filio infante sibi consecrato debitor constituitur Dominus & parentibus, & vniuersæ familiæ, cui bonas de futuris spes iubet habere. (*Iud.* 13.) (August.) (Chrysol.) (1.Reg 1.) (Chrysost.)

§. II.

Quò te magis ab hominum frequentia remoueris, eo minus negotium Deo in tui protectione dabis.

MIraris derelictas nonaginta oues à bono pastore; sed ne multum mireris, considerandus est locus, in quo derelictæ apparent, nimirum in deserto; non sic relinquerentur in transeuntium frequentia; desertus enim locus vt remotior est ab hominibus, sic minùs negotij præbet diuino pastori, vt oues in tuto habeat. Verissimum est illud Hieremiæ 31. *Inuenit gratiam in deserto populus, qui remanserat gladio.* Hier.31.
Non frequentia hominum, sed desertum, sed remotio, & fuga à popularibus conuentibus reddit iustos viros penè inuulnerabiles. Securissimus est à peccatorum iaculis quisquis scinit hominum frequentias fugere, & sibi, & Deo vacare studet. Fallar, si hunc virum mortale posset vulnus attingere. Quò respiciens Oseas, cap.13. ait: *Adducet Dominus ventum vrentem, de deserto ascendentem, & siccabit venas eius.* Osea 13.
Vbi Interlinealis explicat, *& siccabit venas mortis.* Afflatur enim desertum illis ventis, quibus mortis venæ, & viæ siccentur, & euanescant. Felix, qui desertum incolis, qui hominum fugis frequentias, non corruptas, & venenatas ebibis auras, quibus peccatorum contagia sentias. Sunt in deserto, in sæcularium fuga salutares auræ, quæ mortem exsufflent, & eius venas penitus exsiccent, ne quid maneat, quod remotus à sæcularium contagio possit offendere. Audisti sæpius Eliam à Iezabel fugientem, in desertum declinasse, vbi cælesti cibo refectus, 3.Reg.19. *ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus* 3.Reg.19.
vsque

vsque ad montem Dei Horeb. Quid est, quòd deserti cibus Eliam vsque in Horeb impellat? Horeb est idem atque exsiccatio, desertum autem, & fuga frequentiarum nil prius facit, quàm perducere hominem ad eum statum, in quo quidquid mortiferæ contagionis est, penitùs desiccetur, & Ambros. exsuffletur. Vnde D. Ambros. de fuga sæculi, cap. 6. ait. *Vtique non mulierem fugiebat Propheta tantum, sed sæculum; nec mortem timebat, sed fugiebat sæcularem illecebram, & conuersationis maculosæ contagionem, & impiæ, atque præuaricatricis nationis sacrilegia. Fugiebat mulierem Iezabel; id est, effusionem vanitatis, & fugit ad montem Horeb, quod significat exsiccationem, vt siccaretur in eo carnalis profluuium vanitatis, & cognosceret pleniùs Deum.* Huc deducunt hominem auræ deserti, nimirum in Horeb, in exsiccationem mortalis venæ, quando quidquid mortiferum, & contagiosum ex corruptela hominum nascitur, neque attinget illum, qui anxiè fugit hominum frequentias. Has fugiat, quisquis sapit, & protectus erit contra omnia tela maligni. Cùm Iesus comprehensus duceretur, Marc. 14. Marc. 14. *Adolescens quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo, & tenuerunt eum. At ille, reiecta sindone, nudus profugit ab eis.* Sic adolescens hic, qui Ioannes putatur, comprehendentium Iesu frequentias fugit, non sic Petrus, qui potiùs illos secutus vsque intrò in atrium summi Sacerdotis, ibi semel, & ter negauit Magistrum. Quid tunc? Post Iesu resurrectionem Petrus, & Ioannes nauim ascendunt piscationi incumbunt, & inter piscandum sese illis manifestauit, Ioan. 21. Ioan. 21. *Simon Petrus cùm audisset, quia Dominus est, tunica succinxit se, erat enim nudus.* Cùm comprehenditur Iesus, Ioannes nudus dicitur; cùm resurgit Iesus, iam non Ioannes, sed Petrus inuenitur nudus. Et cur modò solus Petrus inuenitur nudus, & non Ioannes? Quia solus Petrus inuenitur non fugisse, sed amasse Iudæorum frequentias, inter quas Iesum negans miseram nuditatem incurrit. Ioannes autem, quia fugit Iudæos, fugit consortia persequentium Christum, ipsa sua fuga protectus fuit, ne quid damni reciperet. Quippè Chrysol. ait D. Petrus Chrysologus serm. 78. *Mirum, fratres, cùm comprehenderetur Dominus, Ioannes abiecit sindonem, & Petrus inuentus est nudus, quia Ioannem texit fuga, Petrum negatio sic nudauit.* Expende illud, *Ioannem texit fuga*; & quem non tegat, & protegat fuga conuersationis malignæ? Fuge perditorum conuentus, & solus viue, & securissimam ab omni lethali malo duces vitam. Huc reuoca dicta 1. tom. lib. 3. cap. 2. §. 14.

§. III.

Muliebre ingenium pronius discessioni.

NOn aries, nec agnus introducitur, qui à grege discedat, & in perditionem abeat, sed ouis: & meritò ouis sola dicitur discessisse à grege, & erronea facta, quando muliebre ingenium promptissimum est discessioni meditandæ. Quis muliebre ingenium contineat, ne abeat, ne excedat, Genes. 2. ne in præcipitia vadat? Genes. 2. *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cùmque obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem: & adduxit eam ad Adam,* &c. Non miror quòd Deus Adamo fiat præsens, quòd innocuè vnam illi auferat costam, quòd hanc ædificet in mulierem; sed illud maximè miror, quod addidit, nimirum, *& adduxit eam ad Adam.* Qualiter adduxit eam? Nónne Adamo erat Deus proximus, nónne ibi iuxta Adam ædificauit costam in mulierem, nónne cùm tunc ædificaretur mulier, præ manibus erat Deo? Quomodo ergo dicit, *adduxit eam?* Adducimus, quæ longè sunt; quæ præ manibus habemus, non adducimus: sed tale est muliebre ingenium, tam pronum discessioni, quod cùm putabatur præ manibus esse, eodem tempore, quo formata constitit, & fugit, & discessit, adeò, vt necessum esset, quòd Deus adduceret eam. Acutè, Anastas. & pulchrè D. Anast. Sinait. lib. 9. Exaëm. ait: *Illud enim, adduxit eam, significat, quòd postquam ipsa facta est, aliquo aufugit, & procul separata fuit à suo viro. Deinde Deus eam conuersam reduxit ad Adamum.* Nec momento passa est consistere, sed eodem puncto, quo ex costa producta fuit, fugam arripuit, & discessit à Creatore suo, & à marito. Nescit mulier vel paulisper consistere. Iesu venienti, vt reuocaret in vitam amicum Lazarum, Martha soror eius occurrit, & post pauca: *Abijt, & vocauit Mariam, sororem suam silentio, dicens: Magister adest, & vocat te. Illa vt audiuit, surgit citò, & venit ad eum; nondum enim venerat Iesus in castellum, sed erat adhuc in illo loco, vbi occurrerat ei Martha.* Quid est, quòd eodem loco Iesus immotus manet? Cur non magis festinat suscitaturus Lazarum? Festinus venerat, vt vocaret amicum in vitam, & modò moratur spectans fœminam sororem eius, vt illam consoletur, & instruat; cur non priùs iuit, vt mortuum à sepulchro traheret, deinde dolentis fœminæ mederetur lacrymis? Sanè mortuus in sepulchro manebat, & quocumque tempore accederet Saluator, immotum illum reperiret, & posset in vitam vocare: at de fœmina non tanta erat securitas, quod ibi permaneret, & ideò illam curare volens Iesus expectauit, & distulit Lazari suscitationem, ne si hanc priùs efficeret, interim illa in perditionem iret. Quod attigit Chrysolog. serm. 64. aiens: *Hinc est, quòd in loco Christus restitit: expectauit Christus, quòd non intrauit ad turbas, quod non contendit ad domum, quòd non ad sepulchrum diuertit, quod non ad Lazarum, propter quem venerat, festinauit, sed mulierem sustinet, mulierem remoratur: ne multis perisset mulier, si antè ad vitam Christus Dominus peruenisset.* Chrysol. Prius mœrenti fœminæ Dominus maluit succurrere quàm mortuo Lazaro; nisi enim magis ad illam festinasset, sed paulisper differret, multis interea periisset mulier ad multas occasiones perditionis distracta. Nouit hoc muliebre ingenium illa Dei amatrix, Cant. 1. dum clamat: *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.* Cant. 1. Meritò nil prius sibi metuit, quàm vagationem, nouit enim muliebre ingenium quietis impatiés, & promptissimum ad euagandum. Audio, Genes. 2. Adamum sic sponsæ blandientem: *Hoc nunc os ex ossibus meis; & caro de carne mea; hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ.* Genes. 2. Hæc ille clamabat in consortem suam; quid tunc? Statim cap. 3. incipit: *Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem,* &c. Vbi erat serpens, quando talia incepit fari, an erat in paradiso iuxta ipsum Adamum? Qualiter fieri posset, quòd serpens verba faceret Euæ, quando similiter illam alloqueretur Adamus, nisi & proximus esset serpens Adamo? Equidem non erat serpens proximus, sed longè aberat, siue in paradiso, siue extra paradisum; at fœmina quietis impatiens non mansit eodem loco cum Adamo, sed dum ille loquebatur, antequam sermones finisset, iam illa vaga discesserat, & serpenti appropinquarat. Vnde meritò ait Ruper. lib. 3. in Genes. cap. 2. *Mulier corpore, & oculis vaga dum incontinenter deambulat, fortè prospectans, qualis extra paradisum mundus haberetur, locus diabolo datus est, & occasio porrecta, vnde tentaret.* Rupert. Sic vagantem fœminam in eodem loco detinere non potuit nec mariti amor, nec verborum blandimenta, sed despectis illis, iam aberat, & occasionem inuenerat errandi.

§. IV.

Omnium laborum, & detrimentorum compensationem habet bonus pastor in salute sibi creditæ animæ.

ECce terminus laboris suscepti à pastore in quærenda oue, nimirum, *donec inueniat eam.* huc solùm spectat bonus pastor, vt amissam ouem inueniat, & præter hoc, nihil aliud. Perdantur omnia licèt bona temporalia; teratur corpus, & periclitetur salus corporalis, pro his omnibus dispendiis, vna datur compensatio, si ouis inuenitur; hæc inuentio dum fit, nihil ampliùs manet, quod pastor requirat, etiam si omnia sua in quærendo perdiderit. Patet ille euangelicus, Luc. 15. dederat bonorum substantiam filiis, cuius partem dissipauerat iunior, & per montes errat, cupiens saturari de siliquis porcorum. Tandem nudus, famelicus redit ad patrem suum. *Cum autem adhuc longè esset, videt illum pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum. Dixit autem pater ad seruos suos: Citò proferte stolam,* &c. Luc. 15. Nec verbum de substantia dissipata facit, nec curat illam, totus occupatus in recipiendo filio; & cur non interrogat de substantia, vt sciat, verùm possit recuperare illam? Bonus pastor nihili facit damna sua, dum inueniat filium. in hoc vno compensat, quidquid aliud perdiderit. Ait Ruricius lib. 1. epist. 2. *Sic ille Euangelij indulgentissimus pater filium præceptæ substantiæ decoctorem læto suscipit amplexu, promptior gaudere de reditu, quàm imputare de lapsu. Denique non exprobrantur facinora, non luxuria, non egestas: sola conuersi reuersio omnia damna compensat, quia maior fuit proculdubio patri facultas reditus, quàm rerum facultas.* Ruricius. Huc spectent vniuersi animarum pastores, & notent, quid debeant requirere etiam in detrimento substantiæ propriæ, nimirum, vt, quæ perierat anima subditi, saluetur. In huius

salute sola compensatio est omnium detrimentorum : non sic temporalis honor, tēporalis substantia ditat, & illustrat pastorem, vt ditat, & illustrat illum reditus peccatoris. Remuneraturus Dominus illi, qui cum decem mnis alias decem acquisierat, ait : *Eris potestatem habens super decem ciuitates*; (Luc. 19.) adeò largè ciuitates suas donans, quasi amet sibi retinere nullam. Et cur sic omnes tuas tribuis ciuitates, Domine? Sanè bono patri tota facultas est in acquisitione perditi filij, cætera parui ducit. (Ephrem.) Ait D. Ephrem, serm. de pœnit. *Etiam, Domine, argentum accipis, & ciuitates donas? Talenta dedisti, & ciuitates tradis? Etiam*, inquit, *ciuitates sunt pœnitentiæ agricultura. Quia vobis vestram comparatis salutem, & ego vos principes populorum constituo ad laudem, & gloriam. Benè ergo dixerimus quòd non marsupium Dei sit pœnitentia.* Sunt regia marsupia, & thesauri in ciuitatibus, & populis : at Rex cælestis libenter ciuitates donat, vt qui marsupium in pœnitentia habeat & omnes diuitias. Maior equidem est patri facultas reditus filij, quàm rerum facultas: omnibus licèt priuetur suis bonis bonus pastor, in hoc vno totus gaudet, si ouem in salute asserat. Iis pastoribus facem prætulit Paulus ad Rom. 9. aiens: (Rom. 9.) *Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis*, &c. Quid non perderet libentius, qui & Christi societatem relinqueret, vt reciperet in salutem fratres? Maior equidem erat Paulo facultas salus fratrum, quàm etiam cælestis status tenendi facultas gaudij. Quod miratus Nazianzen. apolo. 1. ait: (Nazianz.) *O ingentem animi præstantiam! O ingentem spiritus feruorem! Christum, qui nostra causa maledictum factus est, qui infirmitates nostras suscepit, & morbos portauit, imitatur; aut, vt moderatiùs dicam, primus post Christum eorum causa, etiam tanquam impius aliquid perpeti non recusat, modò ipsi salutem consequantur. Hic enim spiritualis omnis imperij finis est, vbique priuata vtilitate neglecta, commodis aliorum consulere.* Ecce tibi quales fines sibi debant spirituales pastores præfigere, nimirum, quòd ouis salus possit inueniri, etiam si omnia sua commoda ipsi pastores perdant; in hoc vno diuites, quòd dederint suas oues saluti. Nec vllum aliud solatiū potest esse pastori, quòd non fuerit cum ouium salute coniunctum. Pro quo (Bernard.) eleganter D. Bern. serm. 42. in Cant. inquit : *Doleas forsan mihi quòd bonum meum ad me reuertatur, & quia liberaui animam meam, & mundus sum à sanguine hominis. cui annuntiaui, & locutus sum, vt auerteretur à via sua mala, & viueret. Sed etsi innumera alia addas, me tamen minimè ista consolabuntur, mortem filij intuentem. Quasi verò meam illa reprehensione liberationem quæsierim, & non magis illius. Quæ mater etiamsi omnem, quam potuit curam, & diligentiam ægrotanti filio adhibuisse se sciat, si demùm frustratam se viderit, & omnes labores suos esse penitus inefficaces; illo nihilominùs moriente, propterea vnquam à fletibus temperabit? Et illa quidem hoc pro morte temporali; quantò magis me pro morte æterna mei filij manet vtique ploratus, & vlulatus multus, etiamsi nihil mihi conscius sim, quominùs annuntiauerim illi.* Quàm rarus est animarum pastor, qui has veri pastoris æmuletur curas.

Text. Et cùm inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens.

§. V.

Peccatori reducendo prior benignitas exhibenda est.

POtuit inuentam ouem, vel virga minari, vel ictibus in gregem agere; sed his omissis, humeros parat; hoc boni, præclarique pastoris indicium præstans, quòd priorem benignitatem obtulit erranti. Quò respiciens Ruricius lib. 2. (Ruricius.) epist. 22. ait : *Ipse est bonus pater, qui ouem perditam ad caulas dominicas mauult propriis humeris reportare solicitus, quàm stimulis vrgentibus reuocare districtus.* Non statim virgam, non statim stimulos mōstrauit; sed priùs humeros adhibuit, quibus lassam benignè sustentaret. De patre filium substantiæ (Luc. 15.) decoctorē recipiente, dicitur etiam Luc. 15. *Accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum. Dixitque ei filius: Pater, peccaui in cælum, & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus. Dixit autem pater ad seruos suos : Citò proferte stolam primam, & induite illum; date annulum in manu eius, & calceamenta in pedibus eius: & adducite vitulum saginatum*, &c. Decoctori, & dissipatori substantiæ filio & delicatas vestes, & pretiosū conuiuium bonus pater præparat. Cur non magis cilicium, & ieiunia illi mandat? Pater est, & maluit priùs benignitatem (Ephrem.) exhibere. Quod norat D. Ephr. serm. de pœn. aiens : *Cernis non priùs, quod austerū est, offerre peccantibus; verùm quod gratum, ac placidum est, simulque suaue, ac facile. Non mox ieiunium imposuit, non abstinentiam, ac temperantiam poposcit; non vigilias demonstrauit, sed à lenioribus duxit principia.* Præcedat benignitas, & suauitas paterna, vbi cupimus ad meliorem frugem homines reuocare, hoc natura docet, hoc experientia clamat, hoc sæpè à Deo nobis insinuatur. Psalm. 100. ait Dauid: *Misericordiam, & iudicium cantabo tibi, Domine.* Expende, quid posuit primo loco, nimirum misericordiam, vt quæ semper debeat præcedere in negotio animarum. Pulchrè D. Ambrosius lib. de Noë, cap. 3. fatur: *Principale est enim virtutis inchoare à beneficiis, & præeminere gratiam. Vnde & Dauid ait: Misericordiam, & iudicium cantabo tibi, Domine. Præcedit beneficij gratia, sequitur censura sobriæ disciplinæ. Diuinum est igitur, quod bona præmittuntur.* (Ambros.) Quæ ad beneficentiam spectant, priùs ostendenda sunt ab eo, qui gloriatur se spiritu Dei moueri; nihil enim prius Deus exerit, quam misericordiam, & beneficentiam. Et cur hæc non sit in Deo prima quando & probatur esse ad trahendos homines fortissima? Vnde Isaias, cap. 41. clamat ad Dominum: *Consurge, consurge, induere fortitudinem, brachium Domini. Consurge, sicut in diebus antiquis, in generationibus sæculorum.* (Isai. 41) A Deo petit, vt induat fortitudinem suam, fortitudinem videlicet illam, quam initio in generatione sæculorum proposuit. Atqui in generatione prima sæculorum totus Deus suauis factus, non tam fortitudinem ostendit, quàm benignitatem, quam amorem. Tunc terram ditauit fructibus, paradisum condidit suo homini, illi animalia subiecit: formosissimam addidit vxorem. Nihil in illo initio orbis inuenio, quod non amorem & charitatem sonet, vbi potius amantis teneritudo visitur, quam fortitudo valentis. Vnde ergo sumenda fortitudo est, quam Deus constituat in prima suæ potentiæ fronte? An ex teneritudine amoris in homines? Equidem effusio amoris, & charitatis, qua immerētes etiam implet Deus homines, hæc & prima valentiæ diuinæ frons, & fortissima est ad capiendos animos hominum. Rup. lib. 2. in Is. c. 13. inquit: *Quid tamdiu te contines in sinu Patris, ô brachium Domini? Consurge, & induere fortitudinem, induere pulchram, & dilectionem pulchram, & fortem obedientiæ charitatē. Ita consurge, sicut in diebus antiquis, in generatione sæculorum.* (Rupert.) Non ita facilè amo fortitudinem Dei, qua perdidit orbem in diluuio, quàm illam, qua orbem condidit, beneficentiæ, & charitatis suæ thesauros exponens. Ad hanc fortitudinem confugit Deus, quoties velit triumphare de homine; quæ potentissima est, vt sibi subijciat humana corda. Magnus ille Ioseph, seruata frumenta dum famelicis distribuit Ægyptiis, quid non comparat? Genes. 47. accedunt miseri clamantes. *Et nos, & terra nostra tui erimus : eme nos in seruitutem regiam*, &c. (Genes. 47.) Sese in seruitutem dant Ægyptij dum accipiunt ex Ioseph frumentum. Id notans Nazianzen. orat. 20. inquit : *Ioseph ex fame quæstum captat, ac per benignitatem Ægyptum emit.* (Nazianz.) Et quem non emat, & sibi acquirat benignitas? Hæc præmittatur, & fallar, si inueniatur illi aliquis rebellis.

§. VI.

Lætissima sunt portanti onera euntis in cælum.

INuentam ouem gaudens humeris sustinet bonus Pastor, nec miror, quando onera euntis in viam salutis numquam non lætissima sunt portatori suo. Apud Luc. cap. 16 habes pulchram historiam de purpurato diuite, & Lazaro mendico, & de hoc dicit: *Factum est autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* (Luc. 16.) Proh nobiles portatores! Diues non sustinet vel videre mendicum, & Angeli currunt, vt eius onus manibus suis, & humeris sustineant. Cur non magis mendici onus refugiunt Angeli? Cur non sinunt, vt mendicus ipse per se vadat? Nónne suffecisset, quòd Angeli ducatum præberent? Lego Tobiam iuniorem ab Angelo Raphaële ductum fuisse in ciuitatem Rages, non lego fuisse portatum. Cur modò Angeli non solùm ducunt, sed & portant mendicum? Portant equidem in Abrahæ sinum, in viam salutis; euntis autem in salutem onus numquam non lætissimum est portatoribus suis. Chrysost. homil. de diuite, ait: *Non suffecerat ad portandum pauperem vnus Angelus: sed propterea plures veniunt, vt chorum lætitiæ faciant. Et portaretur ab Angelis. Gaudet vnusquisque Angelorum tantum onus tangere, libenter talibus oneribus prægrauantur, vt ducant homines ad regna cælorum.* (Chrysost.) Lætissimum onus facit etiam Angelis, quisquis ab eorum humeris ad cælum transit: hæc onera non gemitus, sed gaudia causant. Gemunt gigantes sub aquis, ait Iob; verùm sub ponderibus frumenti cælestia in horrea condendi quis non gaudeat? Euangelicos

satores,

Psal.126. satores, vt putat D. Ambros. respiciebat Psal.126. *Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.* Dum onera vacuant seminantes, gemunt sub aquis; dum autem portant onera, tunc gaudent, tunc exultant. Et quod onus tamen exultationem parit? At ipse: *In exultatione portantes manipulos suos*; manipulorum in horrea vehendorum onus gaudium, & exultationem parit portanti. Sustinuit aliquando D. Francis. Xauerius, dum dormit, immensum penè hominis Indi pondus. Quid tunc? Oneri succubuit? An onus repudiauit? Absit; imò surgens à somno nullum sibi diem lætiorem spectabat, quàm illum, in quo Indis salutis viam monstraret. Hoc semper gaudium efficiunt onera ad cœlum euolantium, quale efficiunt messis onera manipulos portantium. Quò spectans
Isai.9. Isai. c.9. iuxta Sept. lectionem, ait: *Plurimam partem populi deduxisti in lætitia, & lætabuntur in conspectu tuo, sicut qui lætantur in messe.* Sto à sententia D. Cyrill. & D. Hieron. putantium hic describi Apostolorum gaudia in trahendis gentibus ad fidem. Lætabantur itaque Apostoli, sicut in messe; non sicut in choreis solent homines lætari, quæ enim est in choreis lætitia, & exultatio, nec pallij onus sustinet, nudant se, & vestiunt: onera abiiciunt homines, in choreis saliant. At in messe vt exultatio venit a copia frugũ, quò plura sunt frumenti onera, eò maius est metentis gaudium, adeò vt non gratius amplexetur agricola dilectum filium, quàm saccum ponderosissimi frumenti amplexatur, vt in horrea vacuet. Sic Apostolicis viris gaudium ab oneribus prouenit humani frumenti in cœlestia asportandi; nesciunt enim hæc
Hieron. onera immensam lætitiam non causare. Ad hæc Hieron. *Tunc lætabuntur Apostoli, sicut messores lætantur in messe, de quibus Dominus loquebatur: Messis quidem multa, operarij autem pauci.* Et quomodo pauci operarij sub multa messe non potiùs fatigantur? Equidem ea est vis messis, quæ non fatigationem, sed gaudium pariat; & quò maior messis, & magis excedit eius onus metentium vires, maiori illos lætitia afficit.

§. VII.

Væ pastori, qui onus refugit sibi commissarum ouium, honorem solum muneris capiens.

ECce obligationem boni pastoris, quòd nimirum humeros adhibeat suos, vt portet onera ouis sibi commendatæ. Miser ille erit, qui onus refugiat, & solum crediti muneris spectet gaudia. 1. Reg. 6. Arca Dei à Philisthinis capta, plaustro imposita, cum muneribus reuertebatur vsque dum
1.Reg.6. peruenisset ad agros Bethsamitarum. *Porrò Bethsamitæ metebant triticum in valle, & eleuantes oculos suos, viderunt arcam, & gauisi sunt, cùm vidissent.* Et post pauca addit: *Percussit autem Dominus de viris Bethsamitibus, eò quòd vidissent arcam Domini, & percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis.* Sic percutiuntur, qui gauisi sunt videntes Dei arcam. Et quale hoc crimen erat, propter quod sic Deus Bethsamites mulctaret? Tantum nefas erat, arcam Dei videri ab hominibus? Sanè multum nefas fuit, quòd Bethsamites gaudere vellent ad solum conspectũ arcæ Dei; nec esset in illis, qui humeros subiecisset, vt arcam portaret, sed solùm gauderet de visu. Huc accedant pastores gregis Christiani, & timeant imminens mortis periculum, si recusato onere ad fulgidæ dignitatis conspectum gaudeant, tripudient. D.
Gregor. Gregor. lib.3. ibi: *Quid est enim, videntur, nisi quia eius gloriam videndo concupierunt? Nunc autem per orbem vniuersam sanctæ Ecclesiæ gloria est copiosa. Quæ profectò gloria, quia à reprobis Sacerdotibus sæculariter appetitur, Bethsamitæ viri arcam Dei exteriùs videndo moriuntur. Non enim spiritualem eius honorem pro interna virtutum gloria appetunt; sed vt arcæ Dei splendorem rapiant, & Ecclesiasticæ prælationis fulgorem in flore sæculi suis cultibus Grant.* Cur non pereat, quia in Ecclesiæ munere, in pastorali officio honores, & lucra intuetur, illorúmque desiderio vehementer afficitur: quod autem oneris est, & despicitur, & afficitur. Hæc illa notior vox in ore multorum
Zach.11. pastorum, quam refert Zacharias c.11. *Benedictus Dominus, quia diuites facti sumus.* Hoc clamant, hoc æstimant reprobi pastores, raro, aut numquam in ore eorum audies, Benedictus Deus, quia ouem perditam inueni, quia reduxi, quia sanaui; hoc nec tam æstimant, nec suspiciunt, vt æstimant vberes anni fructus, quibus horrea impleant, & maiori ambitionis pompa effulgeant. Hos seuerè percutit Dominus,
Ezech.34. Ezech.34. *Væ pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos, nonne greges à pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis; gregem autem meum non pascebatis.* Pastoribus dicitur væ, & vix inuenio peccatum dignum supplicio tantùm. Nihil illis obiicitur, præter aliqualem incuriam in pascendis gregibus Dei. Et tanti est apud Deum incuria gregis? Equidem vbi incuria gregis coniuncta est cum solicitudine ardenti de proprio pastu, de honore, de gloria propria sæculari, non mirer, quòd æternam damnationem afferat. August. tract. de pastore, cap.2. & 3. *Quid ergo isti increpantur, vnde arguuntur? Quia, cum lac sumerent, & lanis se tegerent, oues negligebant. Qui præbet lac, victum præbet; qui præbet lanam, honorem præbet. Ista sunt duo, quæ à populis quærunt, qui se ipsos pascunt.* Lethalis est semper pastori solicitudo de recipiendo honore, & victu à populis iuncta cum incuria; & negligentiæ ouis in salutem portandæ. Et quis non putet damnari pastorem, cui solùm sunt cordi lac, & lanæ ouium, vt lautas mensas, & ambitiosas vestes habeat. Matth.7. ait Dominus: *Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium.* Expende, quos prophetas iubet Dominus caueri, nimirum eos, qui in vestitus simplicitate ouium lanas æmulantur. Ex quo eleganter ait D. Paschas. lib.4. in Matth. *Si ab istis cauendum est, qui & prophetiam prædicationis impendunt, & habitum sanctæ religionis gerunt, quòd vtique ab his, qui cultioribus sæculi se ornant vestibus, & mundi sectantur gloriam?* Si moderatus sumptus ab omnibus receptus, cum despectu earum formidolosus est; quis non formidet, purpureos ornatus, & splendentes glorias in iis, qui molestè ferunt, vel audire ouium suarum boatum. Huc reuoco dicta 2. tom. lib.6. cap.1. §.11. & tom.3. lib.14. cap.4. §.15. & lib.15. cap.4. §.2. August. Matth.7. Paschas.

§. VIII.

Pastores hominum non vaticinijs particularibus credant ouium salutem, sed laboribus exantlandis.

VEreor, ne in animis alicuius delicati pastoris tanta sit æstimatio cœlestium reuelationum, vt tempus insumant in audiendis piis mulieribus, quod equidem salubrius esset & illi, & gregi, si laboribus impenderetur pro grege tuando. Hos docuit nobilis pastor, dum pro amissa oue neminem auscultat, nullum consulit oraculum, ex nulla pia prophetide responsum expectat, sed viam ipse arripit, & humeros parat, qui onere ouis premantur. Hoc requirit Dominus in pastore suo; illud vt faciliùs, & humanæ curiositati aptius fortè non amat. Apud Num. c.11. selegit Moyses septuaginta viros, quos obtulit Deo in pastores, & gubernatores populi: *Descendítque Dominus per nubem, & locutus est ad eum, auferens de spiritu, qui erat in Moyse, & dans septuaginta viris. Cúmque requieuisset in eis spiritus, prophetauerunt,* &c. Num.11.
Audis omnes istos electos in gubernatores Dei spiritu correptos prophetasse in ipso muneris limine, sed illud valde notandum est, quòd posthac numquam audiantur prophetasse. Rem pulcrè tractans Theod. q.20. ait: *Quamobrem Septuaginta statim vt præfecti sunt, prophetabant, postea verò minimè? Non vaticinandi, sed gubernandi causa propheabantur.* Tulit Dominus à gubernatoribus populi sui spiritum vaticinij, ne nimis intenti vaticinationibus, minus laboris impenderent pro ouibus suis. Bonus ille pastor Iacob inde suam curam iactat, Gen.31. *Die, noctúque æstu vrgebar, & gelu, fugiebátque somnus ab oculis meis.* Quod meditatus Nazianz. orat.28. inquit: *Et perustus sum æstu diei, & nocturna glacie vexatus, inquit Patriarcha Iacob, cuius sunt oues illæ signatæ, & quæ in cælestibus canalibus concipere didicerunt.* Non prophetidis consultatione, non vacans vaticiniis excipiendis, sed diei æstus, noctúrnúmque gelu sustinens, facit bonus pastor oues suas de cœlestibus canalibus concipere. Faciliùs, mihi crede, & gratiùs sedisset domi Iacob piósque sermones sanctarum fœminarum exciperet, quàm per æstus, & gelu ouium salutem inquireret. Sed hoc ad pastorem spectat, illud minimè: & quisquis amat oues in salutem dirigere, sic pro illis insudet, ne sibi vacet aures nimium præbere vaticiniis. Præterquam quòd in negotio humanæ salutis, ad otium particularium reuelationum recurrere, æstimo periculosissimum. Scio Cornelio adhuc Ethnico Angelum apparuisse, Act.10. qui ait illi: *Corneli, mitte viros in Ioppem, & accersi Simonem quemdam, qui cognominatur Petrus: hic dicet tibi, quid te oporteat facere.* Cur non magis illi id dicit Angelus? Quid necessum est, Petrum trahi, vt doceat, quod posset etiam docere Angelus? Cauit semper Deus in negotio humanæ salutis introducere reuelationes particulares, quæ eripiãt occasiones laborandi prælatis. Ait D. Isid. Pel. lib.3. epist.165. *Angeli ex prædicationis securitate tantam voluptatem capiebant, vt si etiam,* Theod. Genes.13. Nazianz. Act.10. Isid.Pel.

qui ad Cornelium missus fuerat, magistrum indicaret, non autem sibi ipsi docendi munus permiserit. Nescio, si adeò amant securitatem prædicationis, qui nimis credunt particularibus vaticiniis.

§. IX.

Qui vulneribus Christi passi adhæret, ad omnia etiam eius bona introibit.

AVdio ouem inuentam humeris pastoris sustolli, sed nullum ei parari prandium video; & quidem Pater ille cœlestis, qui reuertentem filium excipit, & stolam ei, & annulum, & calceos exhibet, & prandium parari iubet, quo fames reficeretur recuperati filij. Cur similia bona non præparat pastor ouiculæ suæ? Cur vel famescenti pabulum non offert, quo vescatur, contentus offerre ei humeros, quibus adhæreat? Vide, quos humeros illi offerat; vt enim sapien-
Nazianz. ter notat Nazianz. orat. 2t. *inuentam ouem eisdem humeris, quibus & crucis lignum, sustulit.* Quando ergo humeros crucis pondere & pressos, & percussos offert pastor ouiculæ, ibi omnia bona sua offert; qui enim adhæret vulneribus Christi, simul in omnia bona illius creditur introductus. Nec stolam primam, nec immortalitatis prandium requiret, qui adhæret vulneribus Christi, ad omnia facili negotio introibit. Quàm difficile sit, quòd diuites huius sæculi in æterna gaudia intrent, pulchro exemplo explicauit Dominus,
Matth. 19. Matth. 19. inquiens: *Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem in regnum cælorum intrare.* Ecce quò deducatur tota rei difficultas nimirum, quòd tunc intrabunt diuites in cœlum, quando camelus in foramen acus intret. Cura, ò diues, sic extenuari, vt te foramen capiat acus, & te rejnta ad omnia cœli gaudia introductum. Acus Dei Filius est, tot exhibens foramina, quot humanitatis vulnera: iis foraminibus adhæret, securissimè peruadet ad omnia bona, ad quæ venit Dei Filus. Accipite D. Paschas. lib. 8. in Matth.
Paschas. dicentem: *Acus geminam formam habet, priorem acutissimam, per quam cuncta perforat, ac penetrat, & aliam verò retrò, quæ perforata est, & post se fila trahit. Unde nec immeritò per acum ipse Christus intelligitur, perforatus in passione: per quod vtique foramen omnia ad se, & post se trahit. Cuius diuinitas penetrat omnia, pertingit ad omnia: cuius humanitas, quia passa est, trahit post se omnia. Per cuius vulnus passionis, gentes ingressæ sunt in vitam æternam. Et diuinitas eius ac si prior pars cuncta nostra penetrat, & perlustrat interiora; à quo consuta est immortalitatis tunica, quæ olim concissa fuerat per Adam.* Ecce tibi & stola prima, & cœlestia omnia parata, & patentia illi, qui se tantæ acus foramini immiserit. Dum sic te componis, vt vulneribus Christi adhæreas, instar fili in foramen deductus acus, omnia tenes, ad quæ diuinissima acus intrat. Quæ vt omnia cœlestia penetrat, sic tu in immensa cœlitum bona ingredieris post ipsum. Quò ingreditur acus, & non ingreditur filum eius foramini immissum? Sic nullo ibit Dei Filius, quò non eat ille, qui eius vulneribus incubat. Ne miremur, pastorem sola crucis vulnera obtulisse ouiculæ, quando in illis insidens ouis omnia à se dissipata bona recipiet. Similiter Ioan. 20. recuperaturus Dominus penè amis-
Ioann. 20. sum discipulum, ait: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus,* &c. Dum aliis apparet Dominus discipulis, & prandet cum illis, & panem ipse frangit, & porrigit pisces, & fauos mellis; vni Thomæ sola offert foramina vulnerum; & cur sola foramina offert? Vt omnia in illis exhiberet discipulo; quid enim ostenderet acus filo introducendo in purpuram, quàm foramen, cui iusit? Sic Thomas vt foramina tetigit, in omnia Domini gaudia introiuit. D.
Bernard. Bernard. serm. 61. in Cantic. *Dominus meus, inquit, & Deus meus. Unde hoc reportatum oraculum, nisi ex foraminibus? In his passer inuenit sibi domum, & turtur nidum, vbi ponat pullos suos.* Nihil est, quod non inueniat, & habeat, qui his se nouit inserere foraminibus. Hinc clamat ipse Dominus, Can-
Cant. 2. tic. 2. *Surge amica mea, soror mea, & veni; columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.* Non ad pastum, sed ad foramina vocat, in quæ si anima intret, & pabulum, & omnia
Gregor. bona inueniet. D. Gregor. Papa, ibi: *Benè columba in foraminibus petræ, & in cauerna maceriæ esse dicitur, quia dum in crucis recordatione, patientiam Christi imitatur, dum ipsa vulnera propter exemplum ad memoriam reducit, quasi columba in foraminibus, sic simplex anima in vulneribus, nutrimentum, quo conualescat, inuenit.* Sunt equidem & pabula, & omnia bona exhibita qui in vulneribus crucis.

Text. Et veniens domum conuocat amicos, & vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quæ perierat. Dico autem vobis, quòd ita gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm supra nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia.

§. X.

Deus non aliena, sed sua opera reparare, & fouere gaudet.

EXpendendum maximè est, vnde Dei gaudium, & congratulatio crescat; quippe ait: *Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam;* ad hominis gaudium sufficeret, quòd ipse inuenisset ouem, qua vel censum posset augere: ad Dei gaudium id tantùm spectat, quòd suam ouem inuenerit. Sua enim, non aliena opera gaudet Dominus reparare, & foue-
re. Dæmon ille videns Iesum, Marc. 5. clamabat: *Quid mihi, & tibi, Iesu Fili Dei altissimi? Adiuro te per Deum ne me torqueas.* *Marc. 5.*
Sic se Iesus sensit honorari Filij Dei appellatione, & per Deum adiurari, ne inferat damnum roganti: & tamen sic rogantem, & adiurantē, & honorantē minimè audit, sed prorsus despicit. Alij clamabant: *Iesu fili David, miserere nobis*; & festinatissimè ad eorum preces currebat, illisque suam impertiebat benignitatem. Hic clamat, & Dei Filiū prædicat, & supplex adorat, & repellitur. Quare? Quia non erat ex Dei ouibus, non iam pertinebat ad Dei moralia opera; Deus autem non alienum, sed suum fouet opus. Ait Chrys. ser. 17.
Credit infelix, vt eum, quem tentatione vincere, quem muneribus Chrysol.
nequiuit inflectere, possit adulatione pulsare: sed ille consueuit vinctos absoluere, reuocare captiuos, nec acquisitos, sed conditos à se sibi restituere terminos. Expende Dei consuetudinem, & mortem in assumptis laboribus: non equidem Deus laborat, vt de alienis inquisitis suæ terminos extendat ditionis, sed de restitutione propriorum. Huc Dei labor, & cura, & solicitudo spectat, vt sua sibi restituat opera, vt quod ipse condidit,
& suum habuit, id reparet, & foueat. Meritò apud Isai. c. 57. *Isai. 75.*
Quia hæc dicit Excelsus, & sublimis, habitans æternitatem: & sanctum nomen eius in excelso, & in sancto habitans, & cum contrito, & humili spiritu: vt viuificet spiritum humilium, & viuificet cor contritorum. Non enim in sempiternum litigabo, neque vsque ad finem irascar, quia spiritus à facie mea egredietur, & flatus ego faciam. Tota cura, & diligentia Dei circa spiritum humilium viuificandum, & non alia assignatur huius rei causa, nisi illa, quia nimirum *spiritus à facie mea,* &c. Quia spirauit Deus spiraculum vitæ in Adamum, hoc est, spiritum humilem, milléque viuidis virtutibus ornatum illi de suo effudit, inde venit, quòd anxiè curet opus illud suum fouere, & repara-
re. Inde Procopius in Glossa fatur: *Est enim, vt opificem de-* Procop.
cet spiritus ille curæ, quem nobis ipse largitus est, quem cùm hominem crearet, in animam viuentem inspirauit. Non alia curat Dominus nisi opera sua, quæ ipse condidit, & promouit, etiam dilapsa reparat: perdita quærit, & in pristinam integritatē restituit. Vanè à Deo speras reparari, & foueri opus, quòd non ex Deo, sed ex diabolo, & appetitu tuo aggressus es; non enim ea opera curat Deus, sed solū illa, quæ ab eius spiritu proficiscuntur. Isai. 1. Hierosolymæ penè euersæ ait
Dominus: *Restituam iudices tuos, vt fuerunt priùs, & consilia-* *Isai. 1.*
rios tuos sicut antiquitus. Et sanè in illa ciuitate fuerant Reges, quorum virtutem, & sanctitatem, & fortitudinem posset ciuitas desiderare, vt meliùs haberet. Fuit David, qui victoriis, & diuitiis Hierosolymitanos impleuit, Deo, & hominibus maximè gratus; huic nepotes successerunt & fortitudine, & pietate non prorsus inæquales. Cur ergo Dominus Hierosolymitanos consolatus non ait: Restituam tibi Reges illos antiquos; sed Regibus prætermissis, ait: *Restituam iudices tuos, vt fuerunt priùs?* Regum institutio à rebelli populo dimanauit, quando clamantes ad Samuelem, Regem extorserunt: at iudicum administratio à Deo ipso fuerat & excitata, & ordinata. Deus autem non aliena, sed sua opera
gaudet restituere in pristinā dignitatem. Ait D. Basil. ibi. *Cur* Basil.
omissis Regibus, meminit iudicum? An quia reipublicæ administratio per iudices fuerit liberior, quòd populus tunc solum Deum agnoscebat Regem? Tandem Regum institutio illorum temeritate successit. Sic semper promptus ostenditur Deus ad sua opera
reparanda. Ex quo illum vocat Abacuc, cap. 3. *Domine, opus* *Abac. 3.*
tuum in medio annorum, viuifica illud. Et Psalm. 85. *Saluum* *Psal. 85.*
fac filium ancillæ tuæ; quippe filius ancillæ ad eumdem

Dominum

Dominum pertinet, quando, vt aiunt Iurisconsulti, partus
Psal.18. sequitur ventrem. Et clariùs Psalm.18. *Tunc ego sum, satiatum me fac.* Habet enim hoc Deus, quòd ad reficienda sua opera libenter exiliat.

§. XI.

Quæ ex affectu carnali, & temporali bona quæruntur, vbi habentur, citiùs despectum, & fastidia generant.

QVæsitam diu, & inuentam ouem gaudens bonus Pastor suscipit, & gaudens refert domum, & conuocat amicos, & vicinos, & congratulationes sibi fieri postulat, totus plenus lætitiæ. Quò tot gaudia de inuenta oue spectant? Ait: *Ita gaudium erit in cælo,* &c. Cœlestia & quæ à Deo sunt gaudia exprimuntur, non carnalia, & temporalia, quæ potiùs inuentis rebus desideratis, & anxiè quæsitis festinatissimè perduntur. Sola quæ ex cœlesti desiderio quæruntur bona, solent inuentas longas parturire lætitias: quæ autem ex carnali desiderio inueniuntur bona, nil citius patiunt, quàm despectum, & fastidia. Habes apud Luc.cap.23. clarissimũ huius rei testimonium in Herode: is anxius quærebat videre Iesum, vidit tandem, & gauisus est. Quid tunc?
Luc.23. Statim ibi dicitur: *Spreuit Iesum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste alba.* Quem anxius quærebas videre, & de cuius conspectu gauisus es, tam citò spernis, & fastidis? Qualiter diu desideratũ potuisti tam festinatè contemnere? Equidem desideria Herodis non cœlestia, sed carnalia erãt; non à Deo, sed à temporali, & carnali affectu oriebantur, & ideò citissimè fastidiunt & contemnunt bona, quæ iam habent. Pulcrè ad hæc P.Dam. in apolog. de contemptu sæculi,
Damian. c.26. fatur: *Herodes, viso Jesu, gauisus est valde: erat enim ex multo tempore cupiẽs videre eum, eo quòd audierat multa de illo.* Sed videamus hoc tam magnum, tam diuturnũ desiderium, quod in absentem Dominum falsitas Herodiana tenuerat, in quem tandem exitum, oblata videndi facultate, concluserit: quod manifestè declaratur, cùm paulò inferiùs subditur: *Spreuit autem eum Herodes cum exercitu suo, & illuxit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum. Ecce quem vulpes illa maltiiosa desiderauerat, spreuit quem videre cupiebat, illusit: & quia vitam non pro viuendi amore quæsiuit, in impietatu suæ morte remansit.* Et quid aliud carnalis affectus generaret, quàm fastidium, & contemptum bonorum, quæ multo tempore anxiè quæsiuerat? Sic vniuersa bona, quæ non cœlesti, & à Deo orto desiderio quæruntur, statim cùm habentur, spernuntur. Elizabethæ matris Ioannis quis ignoret anxia suspiria pro habenda prole ex viro suo? Habuit tandem, & ipsa concepit
Luc.1. in senectute sua. Quid tunc? Ait Luc.c.1. *Et celabat se mensibus quinque*; iam nequit videri esse mater, quæ tot antea
Chrysol. suspiriis quærebat filium. Hinc D.Chrysol. serm.92. *Modò fatigat conceptus verecundia, quandiu negati partus ærumna afflixit.* Quem filium sub diuturna afflictione quæsiuit, vbi habuit, iam nollet videri mater illius filij. Vt hinc discant homines minimè affectibus temporalibus duci, quando per illos obtenta bona, quo motosè inuenta fuerunt, eo citiùs veniunt in contemptum, & fastidium. Non sic quæ ex Dei affectu desideria fluunt, quæ potiùs largiora solent efficere
Genes.2. spatia inuentæ lætitiæ. Genes.2. dicitur: *Fluuius egrediebatur de loco voluptatis, ad irrigandum paradisum.* Dixerat antea, fuisse in medio paradisi fontem; & quidem de hoc fonte egrediebatur fluuius hic: cur ergo non dixit, & fluuius egrediebatur de fonte, sed maluit dicere, egrediebatur de loco
Hugo. voluptatis? Hugo Victor. in Cat. Lyppom. ait id dictum, *quòd ibi ortus non statim exiret ad alia loca, sed ad irrigandum paradisum ipsum egrediebatur.* Vbi maximè expendendum est, quòd vt fluuius ille intelligatur nõ exire statim ad alia loca extra paradisum, sed manere diutiùs intra ipsum paradisum, illum irrigans, fœcundans, & lætificans, dicatur manasse, & oriri à loco voluptatis. Et quæ voluptas est, quæ potest sic impetum fluminis detinere, & cohibere, & non potiùs illum impellat, vt ad alia festinet? Non sanè voluptas temporalis, & carnalis id posset efficere, quæ præhabita bona festinatò fastidit, & contemnit, & depellit: id sola efficiet voluptas, quæ à Deo venit, & in Deo sistit, quæ sola potest facere, vt impetus fluminis diutiùs ciuitatem Dei lætificet. Ad hæc aiebat Cellensis Abbas, lib. de panibus, cap.12. in-
Cellens. quiens: *Locus voluptatis in Deo est, & Deus est. Neque vnam originem, neque vnum finem habent delectationes spiritus, & carnis, non patitur cohabitare summa illa voluptas cum nostra infima: nam illa mundat, ista inquinat; illa Deo copulat, ista à Deo separat; illa semper sine fastidio, ista plena tadio.* Deus est solus, à quo affectus potest venire, qui bonum desideratum, & habitum non fastidiat, non contemnat, sed in illo nos faciat permanere cum ingenti lætitia. Quò spectans Psalm.
147. ait: *Lauda Deum tuum Sion, quoniam confortauit seras portarũ tuarum, benedixit filys tuis in te. Qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te.* Non posuit satietatem frumenti aliunde potuisse venire, nisi à Deo, quando alij non tam satietatem, quàm fastidium darent. Vnde D.Bernard. ser.33. Psal.147.
in Cant. ait: *Quis non illic vehementer cupiat pasci, & propter pacem, & propter adipem, & propter satietatem? Nil ibi formidatur, nil fastiditur, nil deficit.* Stultus est, qui non ex Deo, & per Deum bona quærit, inueniet proculdubio illa, & inuenta nullum generabunt despectum, nullum fastidium. Bernard.

CAPVT XIV.

De drachma perdita.

AVARISSIMVM est muliebre genus, paucos nummos, quasi ingentes thesauros custodit, & de amissione vnius nummi ingentes curas suscipit, nec habet in tota domo, quod non euerset, quod non commoueat, vt nummulum perditum requirat. Facit hoc in muliere ingens amor pecuniæ; sed totum hunc affectum muliebrem vincit amor Dei erga homines, quorum vel vnum, & perditum vt quærat, totas naturæ leges confringit, & deiectus ad terras, magno cœlestium gaudio pauperem de puluere exsuscitat.

Luc. 15. At quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam vnam, nónne accendit lucernam, & euerrit domum, & quærit diligenter, donec inueniat eam?

§. I.

Vehementissimi hominum affectus circa lucra sua vincuntur à Dei amore circa homines.

QVid muliebris auaritia faceret pro drachma quærenda? Euerrit domum, omnia domestica commouet, & reuersat, accensa lucerna. Præclarè notabat Plinius: *Imus in viscera terræ, & in sedes manium, opes quærimus, illæ nos ad inferos agunt.* Hæc ille in prooemio, lib.33. & deinde cap.4. Plinius.
vbi agit de naturali ratione inueniendi aurum: *Eò tendit auaritiæ ardor, vt nihil immotum maneat, dum aurum innotescat, ipsos altissimos montes excauat, reuersat, naturæ leges euertit, solicitat manium sedes, inferos ipsos pulsat, imò & premit.* Et quis affectus hunc auaritiæ ardorem superabit? Vnus sanè inuenitur affectus amoris in Filio Dei, erga homines suos, qui auarorum ardorem in quærendo auro longè excedat. Ille ad viscera terræ peruadens, naturæ repagula rumpit, & penè ad sedes manium, ad inferos ipsos peruenit, vt aurum inde extrahat. Hic noster Dei amor à cœlo descendit, in terris visus est, imò in corde terræ abditus, inuiolabiles Tartari leges euertit, vectes ferreos confringit, tenebrosis inferorum spelæis lumen infert, vt sibi inde acquirat hominem, qui perierat. Id quod Eccles.c.24. clamat
incarnata sapientia: *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.* Numquam auaritiæ ardor peruenit eò, quò peruenit Dei filius, vt hominem quærat, penetrat viscera terræ, verè it in sedes manium, & vacuat ipsas inferorum sedes, naturæ repagula, & leges euertens. De hoc diuini amoris Eccles.24.
ardore ait Ionas, cap.2. *Pelagus operuit caput meum. Ad extrema montium descendit: terræ vectes concluserunt me.* Vbi Ion.2.
glossa fatur: *In Christo homine, quasi caput fuit anima, quæ descendit ad inferiora loca, vbi animæ hominum sub diaboli potestate tenebantur. Isti sunt vectes, qui prohibent animas ab inferis exire; hos vectes frangit Dominus, & eos, qui clausi tenebantur, liberat.* O diuinissima Dei nostri auaritia, non pro auro, sed pro homine suo acquirendo penetrat omnes inferiores partes terræ: nigris Tartari spelæis lumen primus inuehit: omnia euertit repagula, extrema montium pulsat, vacuat inferorũ sedes. Nescio si huc respiciebat Isai.c.9. dicens: Glossa.
Delectabitur infans ab vbere super foramine aspidum, & in cauerna reguli, qui ablactatus, manum suam mittet. Erat equidem Isai.9.

apud veteres tritissima, & receptissima persuasio, quòd in spelæis, vbi aurum gignebatur, simul & dracones, & serpentes venenatissimi incubabant; neque adeo euidens periculum potuit ardorem auaritiæ restinguere, quando horrendos terræ hiatus, de draconum veneno suspectos intrant homines, vt hauriant diuitias. Quātum hoc ad Dei nostri amorem? Is innocentia infans aspidum foramina ludibundus intrat, vt detentos ibi Sanctorum spiritus sibi acquirat. Rem pulchrè depingit D. Damasc. orat. in Sabbat. sanct. inquiens: Damasc. *Natus, datúsque nobis puer, in foramen aspidum descendens vexat, interimit, perdit arrogantem illum, magnáque iactantia insolescentem. Nunc inferorum sedes cœlum quoddam efficitur: infima terræ luce complentur: caligo, quæ antea illi insederat, nunc dissipatur, cœlúmque visus restituitur.* Nullum draconum cubile, nullum aspidis foramen auaritia solicitat, vt aurum extrahat, quo horribilius filius Dei non intrat vt suum hominem liberet, lucem ipsis inferorum tenebris inuehens. Et quando auri sitis non vincitur, & superatur à diuina animarum siti? Sanè video has duas sites, quasi æmulo volatu orbē percurrere, & in hoc prædico diuinam animarum sitim longè maiorē diuitiarum siti, quia super huius pennas euolat illa, & peruadit abstrusissima montium iugera. Remotissima, & inaccessa Orientis, & Occidentis claustra rupit Hispana auaritia, vt de montium visceribus, de præruptis, de spelæis draconum, de aquarum abyssu & aurum eriperet, & gemmas, & pretiosos lapillos. Quid plura? Dum inaccessas nationes auri causa peregrinantur Hispani, cœlestis doctrinæ copiam remotissimis illis nationibus refundunt. Et visus est erumpere fluuius de fontibus Saluatoris inter eos, quos solus ditescere cupiens animus immisit. Huc refero locum ex Iob, Iob 28. c. 28. vbi sic de diuina sapientia dicitur: *Tempus posuit tenebris, & vniuersorum finem ipse considerat, lapidem quoque caliginis, & vmbram mortis. Diuidit torrens à populo peregrinante eos, quos oblitus est pes egentis hominis, & inuios.* Duo in primis consideranda sunt data à Deo tenebris, & mortis vmbris, nimirum & pretiosa quæque, siue auri, siue lapillorùm, aut margaritarum in Orientis, Occidentísque latebris abstrusa, & simul incolarum Ethnicorum animæ, non abs re ob ignorātiam, & errorum caliginem vocatæ lapides caliginis, & mortis vmbræ. At nec lapillorum pretiositas, nec Indorum illorum animæ perpetuis erant tenebris occultandæ; sed Deus illorum tenebris terminum posuerat, & infinita sapientiæ suæ vi ordinarat, quando sedentibus in regione vmbræ mortis lux appaIitura erat. *Etenim tempus posuit tenebris, & vniuersorum finem ipse considerat, lapidem quoque caliginis, & vmbram mortis.* Non discernit in sua consideratione Dominus tempus adducendi in lucem auri, lapillorúmque pretiositatem, & animas Indorum; sed simul vt à radicibus montium, à cubilibus draconum dedit posse trahi in lucem Orientales, Occidentalésque diuitias, & dedit ab vmbra mortis posse reuocari animas Indorum. Quid tunc? *Diuidit torrens à populo peregrinante eos, quos oblitus est pes egentis hominis, & inuios.* Vel, vt ex Hebræo, *Erupit torrens à cum habitatore, vel peregrinante*; quem torrentem meritò refert Hugo Card. torrenti sapientiæ; quippe inter quærendas abstrusas Orientis, Occidentísque diuitias, sapientiæ Christianæ torrens erupit à populo peregrinante, nimirū populo Hispano in illis regionibus peregrino, & aduentitio, qui fidei notitia discernit, & diuidit regionum incolas, eos nimirum, quos oblitus est pes egentis hominis, hoc est, pes Apostolorum Isai. 52. pauperum, de quibus Isai. c. 52. ait: *Quàm pulchri super montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem.* Vel, vt ex Hebræo legit cum Procopio, & Eusebio Leo Cast. *annuntiantis, & prædicantis Iesum.* Hi pedes quasi obliti sunt Sinas, Iapponios, Peruanas, & alias remotissimas, & penè inaccessas regiones, præcipuè pauperibus hominibus. Quis spiritu pauper meminisset prima auri, diuitiarúmque incunabula. Et quis censu pauper posset peruenire ad illas regiones, ad quas non perueniunt sine ingenti sumptu in nauibus comparandis? Equidem vbi tantùm fuit pes pauperis, obliuioni datæ sunt remotissimæ Orientis, Occidentísque regiones: at vbi pes diuitum cœpit apparere; hoc est, vbi Hispani & censu, & animo & cupiditate diuites apparuere, cœperúntque mundi inuestigare thesauros, omniáque naturæ euellere repagula, domare indomita maria, cubilia versare draconum, terræ viscera scrutari, & Solis cunas, & sepulcra lustrari, statim à peregrinante hoc populo per mundi extrema, Christianæ sapientiæ torrens exundat, qui cum auro, & gemmis animas Indorum eruit à mortis vmbris. Sic non peruenit auri cupiditas, quò non peruenerit ingens Dei sitis de animarum salute. Huc forsan spectat illud Genes. 2. vbi de fluuiis paradisi dicitur: *Nomen vni Phison: ipse est, qui circuit omnem terram* Genes. 2. *Euilath, vbi nascitur aurum. Et aurum terræ illius optimum est, ibique inuenitur bdellium, & lapis onychinus.* Nec mysterio vacat, quòd de solo hoc fluuio locutus Moyses notet diuitias regionis, quam rigat; de aliarum regionum fructibus prorsus silet, & cur de aliis silens, de huius regione notat diuitias? Phison idē est, ac *os mutationis*, siue *alterationis*, per quem significatur genita Dei sapientia, nimirum eius filius, potens verbo virtutis suæ omnia ad se mutare, & conuertere: vnde meritò notantur ab hoc iam flumine rigari omnes regiones auriferæ, & pretiosorum lapillorum productrices, ne putetur posse auaritia hominum peruenire ad locum, è quo torrens ille Christianæ sapientiæ non exundet. Non multum ab hoc abest D. Anastas. Sinait. in Exaëmer. lib. 8. *Dei filius* Anastas. *dicitur Phison, qui est os Patris, & mutauit genus nostrum à corruptione in corruptionem, & circuit, & custodit omnem terram Euilath. Quamobrem subduxit, dicens de hac spirituali Euilath, quod illic est aurum*, &c. Ex quo enim aurum, & gemmæ Orientis venerunt in notitiam, simul apparuit sapientiæ diuinæ fluuius regiones rigans in fructus vitæ. Nec potuit auaritia humana eò duci, quò non perueniret scaturigo Christianæ fidei.

§. II.

In Principis animo nullis subditorum florentium copijs dissimulari debet remedium vel minimi subditi periclitantis.

Regalissimus Dei affectus erga creaturas suas sub hoc vno nobis proponitur exemplo, mulieris nimirum, quæ ob vnum è decem nummis perditum, tota insurgit in curas, & molestias, donec illum inueniat, nec nouem seruatis, inquisitio vnius potuit detineri. Quid auarius in fœmina? Quid regalius in Deo? Sanè quod auarissimo circa obolum accidit, id regalissimo circa minimum subditum accidere debet. Nullis florentissimorum subditorum copiis sopienda est in regali animo cura, & solicitudo de remedio periclitantis seruuli. Notandus apud Matth. c. 8. nobilis ille, & regalissimus Centurio, de quo ibi: *Cùm introisset Capharnaum Iesus, accessit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Domine, puer* Matth. 8. *meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur*, &c. Vnus eius seruulus tacebat, cùm centum alij milites sub eius potestate valerent. Quid ergo, quòd iacet puer, dum tot valent, quorum comitatus satellitio clarescat? In nobili Principis animo tot valentibus militibus, non potuit sopiri cura, & solicitudo vel vnius periclitantis pueruli. Vbi D. Basil. Sel. orat. 19. ait: *Non præ voluptate, quam ex numeroso satellitio ca-* Basil. Sel. *piebat, pueri immobilis oblitus est, verùm obibat inuestigans periculo remedium. Nec à cura destitit, dum ipse in curationis fontem incideret.* Hinc perueniunt Principes in omnium bonorum fontem, si multitudine splendentium, valentiúmque subditorū minimè attoniti, adhuc miseri alicuius oppressionem diligenter intelligent. De se Iob aiebat c. 29. *Quando erat* Iob. 29. *omnipotens mecum, & in circuitu meo pueri mei. Quando lauabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi riuos olei. Quando procedebant ad portam ciuitatis, & in platea parabant cathedram mihi.* Quid inter hæc adeò splendida, & gloriosa? Quid inter adeò fulgentes circumstantium phalanges? Statim ait, *Pater eram pauperum, & causam, quam nesciebam, inuestigabam.* Non sanè quiescebat in throno apparato sibi, in circumstante satellitio; sed & tunc totus erat in peruestigando oppresso, & ibat inuestigans, si quis miser iaceret, cui opem præstaret suam. Ex quo eleganter D. Chrysost. in Cat. Græca inquit: *Neque enim expectabat, dum ad eum ij, quibus* Chrysost. *facta erat iniuria, accederent; verùm ipse præuertens lustrabat omnia, eos quærens, qui læsi essent iniuria, nec quoquomodo quærebat, sed multa adhibita vigilantia. Nec enim dixit, quæsiui; verùm causam, quam ignorabam, inuestigaui, scrutatus sum, studiosus disquisiui: omnia moui, vt calamitosos reperirem, nève quispiam violatus iniuria vspiam lateret. Genus profecturæ vides*, &c. Hanc sibi profecturæ doctrinam ebibant omnes Principes, persuasi, quòd inter vniuersas principatus glorias, hoc semper debeant agitari stimulo, hac solicitari cura, qua omnia præuertant, omnia moueant, ne lateat vel vnus miser, sed quisquis sit, ad remedium possit reperiri. Verè regius ille Theodori animus, qui aiebat apud Cassiod. 3. var. 20. *Inter gloriosas reipublicæ curas, quas pepeti cogitatione, Deo au-* Cassiod. *xiliante, reuoluimus, cordi nostro est leuamen humilium: vt contra potentiam superborum nostræ pietatis erigamus obstaculum; nec liceat quicquam apud nos audaciæ, cuius est propositi superba calcare.*

caltare. Verè Rex est, & verè Princeps, quem totum minimè occupant gloriosæ reipublicæ curæ, sed inter gloriosas scit solicitari misellı cuiusque cura.

Text. Et cùm inuenerit, conuocat amicas, & vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inueni drachmam, quam perdideram. Ita, dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.

§. III.

In terris nihil secretum inuenitur.

DE inuenta drachma expectat mulier amicarum, & vicinarum congratulationem; vt enim notat Salmeron, omnibus his patuerat & drachmæ perditio. Quale namque inter mulieres potuisset esse secretum? Imò dum in terris sumus, vix apud aliquem secretum potest inueniri. De se
2.Cor.12. ait Paul.2.ad Corinth 12. *Et scio huiusmodi hominem (siue in corpore, siue extra corpus, nescio) quoniam raptus est in paradisum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Ad verba arcana, & secreta audienda raptus est Paulus in paradisum. Cur necessum fuit in paradisum rapi? Cur in terris positus non exciperet illa eadem verba? Verba erant arcana, verba minimè publicanda, sed profundo custodienda secreto; quapropter necessum fuit, quòd raperetur Paulus in cœlum ad excipienda illa, quando in terris nihil arcanum, &
Ambros. secretum potest custodiri. Ait S.Ambros. lib.1. de interpellation.cap.9. *Paulus audiuit aliqua secreto sapientiæ, quæ prohibitus est alijs intimare, & ideò raptus est in paradisum, raptus est vsque ad tertium cælum, vt ea audiret.* Non capit terra secretum, non est terrenæ huius infirmitatis aliquod arcanum, & secretum custodire; & meritò ad cœlestia rapitur ille, cui aliquod secretum debeat committi. Aiebat Isaias,
Isa.16. cap.16. *A finibus terræ laudes audiuimus, gloriam iusti: secretum meum mihi, secretum meum mihi.* De laudibus iusti in terra auditis asserit sibi mandatum secretum, insuper affirmat, se seruaturum secretum, dum inquit, *secretum meum mihi;* sed pro illis verbis secretum sonantibus vertunt Vatablus, & Pagninus: *Macies mihi est;* & alij vertunt: *Tabes mihi est.* Ecce tibi sub eadem voce clamat: *Secretum meum mihi, & macies, & tabes mihi est.* Quare secretum, & tabes, & macies iunguntur? Expende illud: *A finibus terræ audiuimus;* quæ enim ea auditis in terra secreta mandatur, macies, & tabes sunt, quibus macrescunt, & contabescunt homines intimo dolore, donec ea edantur in lucem. Ad cœlum abeat, qui velit seruare secretum sibi commissum; terra nescit portare tantum onus, mille tormenta, mille cruciatus immittet, vt
Eccles. 10. illud publicent. Imo, vt monet Ecclesiast.cap.10. *Aues cæli portabunt vocem tuam, & qui habent pennas, annuntiabunt sententiam.* Vbi acutè Titelmanus adeò irremediabilem secreti fractionem considerat, vt si reuelationis eius authorem quæras, nullum alium inuenias, quam vel aues, vel terram ipsam. Id quod notans Petrus Blesensis, epist.59. confirmat ex Iuuenalis Satyr.9.

Iuuen.
O Corydon, Corydon, secretum diuitis vllum
Esse putas? Serui vt taceant, iumenta loquentur,
Et canis, & postes, & marmora: claude fenestras,
Vela tegant rimas: iunge ostia: tollit lumen
E medio: clamant omnes, propè nemo recumbot.
Quod tamen ad cantum galli facit ille secundi,
Proximus ante diem caupo sciet.

Hoc facit terrena infirmitas, quæ impotens est, tantum depositum custodire; ex quo arcani seruatores alterius ordi-
Antioch. nis alteriúsque virtutis, prædicans S.Antiochus, hom. 64. inquit; *Generosa igitur, ac virilis anima est, modis omnibus vlcisci secretum penes se recondere, nec vllam ob causam, aut inuectum tristitiæ nubilum prodere & euulgare arcanum cum fiducia concreditum.* Hæc ille.

§. IV.

Vt cœlestis, & Angelicus est ille, qui in salute fratris lætatur, sic longè à sanctis, & cœlis distat, qui lætatur in ruina fratris.

DIgnum & cœlo, & Angelis gaudium quod fit super peccatore reducto ad sanitatem: de fratrum profectu qui gaudet, coram Angelis gaudet, angelicus est, cœlestis est: solus impius, & ab Angelorum consortio longè separatus nescit gaudere in profectu, sed in casu fratrum. Genes. 9. quem nunquam nouerat vini potum, cùm bibisset Noe, ebrius factus, somno sepultus, turpiter nudatus iacebat humi. *Quod cum vidisset Cham pater Chanaam, verenda*
Genes. 9. *scilicet patris sui esse nudata, nuntiauit duobus fratribus suis foras.* Nec potes hoc a Cham nuntiatum fuisse simpliciter, sed cum risu, & gaudio. Et maximè notandum est, vnde Cham sumpserit initium sui risus, & lætitiæ, post ingentem diluuij calamitatem, & tristitiam, nimirum ex turpi Noe nudatione. Tantum ne materiam risus offerebat Noemi per ignorantiam casus. Equidem vel leuissimi iustorum casus ingentem risus, & gaudij segetem suppetunt impiis, qui nesciunt gaudere, & lætari in profectibus, sed in ruinis fratrum, quippe ait D.Ambros.lib.de Noe, cap 30. *Ridet igi-*
Ambros. *tur Cham nudatum patrem videns: omnis namque improbus, quoniam ipse deuius disciplinæ est, aliorum lapsus non solum sui errorıs solatio accipit, quòd consortes inuenerit culpæ, verùm etiam improbo lætatur affectu. Mala enim mens lætatur præter propositum aliquid accidisse sapienti.* Materiam sumunt gaudiorum improbi à fratrum lapsibus, & ruinis, vt inde pateat, qualis quisque sit, qui lætus, & gaudens ruinas aspicit hominum, impius est, à cœlo, & Angelis longè separatus; qui verò in salute, & in incolumitate fratrum gaudet, is coram Angelis gaudet, Angelicus est, cœlestis est. Ex quo lucem affero verbis datis Iudith, cap. 16. vbi post occisum Holophernem, post liberatam Bethuliam, & liberati Bethulienses, & omnis reliquus Iudæorum populus venerunt Hierosolymam, vt gratias referrent Domino. Quid tunc?
Iudit.16. *Erat autem populus iucundus secundùm faciem Sanctorum, & per tres menses gaudium huius victoriæ celebratum est cum Iudith. Post dies autem illos, vnusquisque rediyt in domum suam,* &c. Expende illa verba: *Erat populus iucundus secundum faciem Sanctorum.* hoc est, iucunditas, & lætitia perfundens non solùm Bethulienses, sed vniuersum populum, sic singulos efformabat, vt ex illa sancti apparerent, & cœlestes prorsus homines. At scire cupis, vnde lætitia, & iucunditas hæc faciem cœlestium hominum referebat? Sanè vniuersus populus lætabatur, & gaudebat, visa Bethuliensium fratrum liberatione, & victoria: gaudium autem, quod est de fratrum bono, in quocumque sit, illum euidenter demonstrat & cœlestem, & Angelicum hominem. Qui in salute recepta fratris gaudet, sic gaudet, vt gaudeat Angeli Dei, iucundus, & lætans est secundùm faciem Angelorum. Nescit gaudium de fratrum salute esse in aliquo, quem non referat ad consortium Sanctorum, & Angelorum. Carissima est altera populi Israelitici liberatio, qua per Mardochæi, Estherísque industriam, Assueri gratiam recuperans, à
Esth.8. morte liberatus est: quippe ait, Esth.cap 8. *Iudæis autem noua lux oriri visa est, gaudium, honor, & tripudium. Apud omnes populos, vrbes, atque prouincias, quocumque Regis iussus veniebant, miro exultatio, epulæ, atque conuiuia, & festus dies: in tantum, vt plures alterius gentis, & sectæ, eorum religioni, & ceremonijs iungerentur.* Obseruandum maximè est, quòd gaudia & lætitiæ populorum eò deueniebant, vt multos Ethnicos ad veram traherent religionem, & fidelibus Iudæis adiungerent. Et vnde gaudia hanc vim habebant? In gaudiis, & lætitiis publicis citiùs ad errores, & peccata itur; quare hæc gaudia ad fidem magis ferebant? Gaudebant, & exultabant nationes de salute Iudæorum recuperata, nec miror, quòd gaudia de recuperata salute proximorum, in quocumque sint, illum in consortium Sanctorum traherent.

§. V.

Vnus virtutum studiosus Deo est pro ingenti multitudine.

TOta Angelorum, cœlestiúmque in præsenti relata gaudia vnus peccator ad pœnitentiam adductus facit; nec mireris, quòd sic cœlestia super vno conuerso gaudeant, quando vnus virtutum studiosus apud Deum pro numeroso multitudine valet. Postquam Loth discesserat ab Abraham, statim introducitur Deus cum ipso Abraham locutus
Genes.13. Genes.13. *Dixitque Dominus ad Abraham, postquam diuisus est ab eo Loth.* Et cur sic festinat Dominus loqui cum Abraham post Lothi discessum? Ne dum Abraham videt se à nepote suo diuisum, putet, se solum esse, quin potius numquam minùs se solùm existimet apud Deum, quàm vbi tantum specimen edidit virtutis; est enim vnus virtutis studiosus Deo, instar numerosissimæ prouinciæ, ait Claudius Marius lib.3.in Genes.

Marius. *Tunc Deus hac Abram mœsti spe pectora firmans,*
Ne mouearis, ait, fratris quòd prole relicta,
Nunc solus videare tibi: innumerabile vulgus
Tu mihi solus eris.

Solus vitiis, qui virtutibus habendis incumbat, innumerabile vulgus Deo refert, éstque illi instar clarissimæ, & numerosissimæ multitudinis. Monebat Dominus, Exod.22. *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non vigebis eum, quasi exactor, nec vsuris opprimes.* Illud, *pauperi*, per expositionem additum est, vt explicet, quem vocat Dominus populum suum. Et meritò pauper quilibet, qui nobiscum habitat, velut populus Dei habendus est, quando vel vnus studiosus virtutum ingentem refert Deo multitudinem. Proh euangelicorum pauperum gloriam! Quid ais, paupercule homo? Putas ne te solitarium, ab omnibus derelictum, & despectum? Eia felix homo, habes, vnde solitudinē tuam consoleris, virtuti habendæ da operum, & non es solitarius, sed innumerabile vulgus Deo venis. Non longè abest Prou.c.11. vbi dicitur: *Vbi non est gubernator populus corruet: salus autem, vbi multa consilia.* In Hebræo, & Græco habetur, *salus autem in multitudine consiliary.* quasi vnus sapiens, & consiliarius pro multitudine sit, & multorum instar. Hinc est, quòd legem vniuersis popularibus promulgās Dominus ait Exod.20. *Non occides, non mœchaberis*, &c. Non pluraliter loquitur, quasi ad multos; sed singulariter, quasi ad vnum. Et cur, Domine, cùm populorum multitudini legem ponas, sic loqueris, quasi vnus singularis sit, qui illam accipiat? Sanè vbi Dei lex accipitur, & custoditur, vel vnus verus legis custos est Deo instar ingentis multitudinis ait Philo lib. de Decalogo: *Quærat & aliud aliquis non immeritò, cur in concione tam multorum millium, quódque oraculum singulos appellat, non plures. Non mœchaberis, non occides, & ad eum modum cætera? Respondendum est igitur, ideò placuisse hanc formulam, vt lectores sacræ Scripturæ discerent quiddam valde pulchrum, & necessarium, videlicet, vnumquemque tantisper, dum Deo paret, ac legibus, honore æquari frequentissimo populo, vel potiùs omnibus gentibus, addo ampliùs, mundo vniuerso.* Quid pulchrius? Aiebat Dominus, Matth. 18. *Vbi sunt duo congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Cùm dicuntur congregati, multitudo ibi repræsentatur; vtimur enim sæpiùs congregandi verbo, vbi multitudo est congregandorum: cur ergo duo dicuntur congregati; an duo multitudinem sonant, & non magis paucitatem? Equidem duo soli, dum secum Deum non habeant, non paucitatem, sed innumerabilem referunt multitudinem. Vt dicat D.Chrysost. homil.26. in Acta: *Vbi sunt duo in nomine meo, inquit Dominus, congregati, ibi sum in medio eorum. Vbi Christus medius, magna multitudo est.* Vel vnus Deum habens, pleno hominum regno comparari potest, vt habes tom.3. lib.14. cap.4. §.3. ex Marc.c.6. & tom.1. lib.1. cap.2. §.9. ex Daniel. cap.3.

Margin: Exod.22. — Prou.11. — Exod.20. — Philo. — Matth.18 — Chrysost.

CAPVT XV.

De filio prodigo.

NVLLVS viam perditionis terit, quam si relinquat, ingentem Dei benignitatem non sentiat. Sed quomodo ouis, & drachma semel perdita, à perditione cauerent, nisi & pastor, & mulier magna solicitudine ferrentur ad quærenda illa? Aliter filius hominis, qui mente, & ratiocinatione præcellit, is, dum se dat perditioni, non quæritur à parente, sed vix ipse paterni fauoris cogitatione excitatus, ad se reuersus viam arripit, qua in cœlestis patris domum recurrat; & ecce tibi pater cœlestis obuiam it reuertenti filio, quem gratiis, & beneficiis saturat, vel ante vituli saginati cœleste conuiuium. Patris est, ærumnosum filium non respuere, & inter degeneres habitus, degenerésque mores filij resipiscentis voce moueri, vt regeneret gratia, quem priùs virtute genuerat. Quid ad hæc Pharisæus? negabit Deo, quod optimo parenti nemo negat, in quo vel perditissimi filij perditionis suæ habent remedium?

Luc 15. Homo quidam habuit duos filios, & dixit adolescentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit. Et diuisit illis substantiam.

§. I.

Maiori cum discrimine tuo Deum offendis, vbi ab aliis honoratur.

TAcente filio maiori, imò renuente patrem suam à bonis paternis separari, accedit adolescentior filius, & petit portionem suam, nolens habere aliquid apud patrem. Non adeò forsan offendisset patrem hæc iunioris filij audacia, nisi tunc prodiret, quando simul maioris filij erga patrem clarebat obseruantia. Vbi enim alter adeò patrem reueretur, magno suo discrimine eundem offendit alter. Cantarissimi sunt Angeli illi, qui missi à Deo Sodomicam regionem dederunt flammis: ij venientes primò ingressi sunt Abrahæ tabernaculum, summáque ibi reuerentia, & obsequio à bono sene habiti, multa illi bona annuntiauerunt. Quid tunc? Ait textus, Genes.18. *Cùm ergo surrexissent inde viri, direxerunt oculos contra Sodomam*, &c. Quare ab Abrahæ hospitio contra Sodomam insurgunt? Quare maluerunt priùs apud Abrahamum sedere, eiúsque obsequia acceptare; deinde abituri Sodomam, vt illam flammis traderént? Sanè voluere Sodomitarum crimina in Deum tunc maximè periculosè ostendi, quando apparuerat Abrahami in Deum reuerentia, & obseruantia. Ait D.Ambr. lib.1. de Abraham c.5. *Quid sibi autem vult, quòd illi, qui ad Abraham simul cum Domino venerant, Sodomam petierunt viri, nisi vt acerbaretur crimen eorum, si quos iustus honorauerat, hi maiori sacrilegio impij vim conarentur inferre?* Multum equidem crescit ad ruinam impiorum offensa inter iustorum obsequia, & reuerentias. Et nescio, si vmquam peccator perditioni vicinior est, quàm vbi Deum offendit, eo ipso & loco, & tempore quo illi alij præcipuam exhibent reuerentiam. De zizaniis ortis cum tritico offensi Dei serui aiebant ad Dominum, Matth.13. *Vis, imus, & colligimus ea?* Quibus Dominus respondit: *Sinite vtraque crescere vsque ad messem, & in tempore messis, dicam messoribus: Colligite primùm zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum*, &c. Serui Dei solùm petunt zizania colligi, nullum de combustione eius faciunt verbum: at Deus non solùm colligendam asserit, sed simul & alligandam, & parandam flammis æternis. Vnde Deus sæuior apparet quàm homines? Cur summè misericors, & benignus se vinci patitur in benignitate à suis seruis? illi auulsionem solam zizaniis decernunt; Deus non solam auulsionem, sed & ignem parat æternum. Quid habuere zizania, quo magis offenderent, & exacerbarent benignissimum Deum? Equidem zizania ab hominibus visebantur, cùm adhuc nullus esset fructus in terra; at eadem à Deo cogitabantur in tempore messis, vbi autem per vniuersos campos maturæ perstrepebant spicæ, diuitésque fructibus areæ cœlestia repleturæ horrea apparebant, quæ tunc prodibát zizania, non simplicem, sed æterno igne dignam incurrebant offensam. Hinc Principis Apostolorum iudicium seuerius ostenditur lenitate, & mansuetudine plenum. Is, Act.5. Ananiam, & Saphiram coniuges ob fallaciam quandam morte corporali plectit. *Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit, & expirauit.* Cur adeò seuerus es, ô Petre in peccatores? Ter negasti, & primo in scelere Ananiam perimis? Cur non magis expectas, & differs vindictam peccatorum. Cauit Petrus vindictam differre in tempus, quo vberior Euangelij fructus meteretur, ne crimen, quod tunc primo exortu temporali solùm pœna posset deleri, postmodum vberiores fructus, & inter ditissimas Christianæ religionis segetes apparens, æterno igne plectendum seruaretur. Aiebat D.Isid.Pel. lib.2. ep.181. *Cum tunc Euangelij sementem Apostoli facere cœpissent, at statim zizania enata conspexissent, sapienti consilio ea confestim euulserunt, ne vnà cum tritico aucta, futuro igni ad exustionem seruarentur.* Quæ enim zizania inter purum, & aureum triticum nigricarét, vix fieri posset, quòd non offenderent patrem familias adeò, vt igni æterno deputarentur. Huc reuoca dicta 1. tom. lib.5. c.1. §.16. & tom.2. lib.6. cap.6. §.27. & lib.12. cap.6. §.2.

Margin: Genes.18. — Ambros. — Matth.13. — Act.5. — Isid.Pel.

§. II.

Non est paternum, sed ominosum, quòd permittatur inter fratres diuisio.

NOn dicit, quòd pater diuisit illis substantiam, sed notanter omittens patris suppositum, solùm ait: *Et diuisit illis substantiam*; vbi enim diuisio inter fratres permittitur, nihil ibi paternum potest inueniri. Prudentissimus Salomon 3. Reg. 3. cupiens agnoscere, è duabus fœminis vera esset vera

vera mater cuiusdam pueri, iubet gladio diuidi infantem. 3 Reg. 3. Reipuebat mater diuisionem; è contrario illa dicebat: *Nec mihi, nec tibi, sed diuidatur.* Quid tunc Salomon? A qua diuisionem admitti vidit, repulit, negans quid paternum inueniri posse, vbi filij diuisio petebatur. Ad quæ eleganter D. Bernard. Bernard.epist.258. ait: *Vnum scio, non patris, non matris illa vox erit: Nec mihi, nec tibi, sed diuidatur.* Nihil paternum putes, & fauorabile, vbi diuisio sonet, qua semper iniquitas triumphat; iustitia enim nescit triumphare, nisi vnitate. Propone tibi ob oculos ingens illud miraculum, quo Dominus deduxit populum suum per mediū maris. Ait enim Exod.14. Exod. 14. *Diuisa est aqua, & ingressi sunt filij Israel per medium sicci maris; erat enim aqua, quasi murus à dextera eorum, & laua. Persequentésque Ægyptij ingressi sunt post eos,* &c. Diuisio permissa, imò facta fuit in mari, vt per illam filij Israël persecutores Ægyptios non paterentur: an consecuti id fuerunt filij Israel per diuisionem ambulantes? Minimè, quin potiùs tunc audacior Ægyptiorum impudentia fit, tunc eorum ostenditur rabies maior, medióque scisso mari sic insultant armati, vt potuerint tunc timeri ampliùs. Quid plura? *Cum extendisset Moyses manum contra mare, reuersum est primo diluculo ad priorem locum: fugientibúsque Ægyptiis, occurrerunt aquæ, & operuerunt currus, & equites,* &c. Ecce tibi, vbi aquæ diuisæ adunantur, qui in diuisione aquarum insultabant Ægyptij, miserè suffocantur: & qui inter diuisiones adhuc trepidabant filij Israël, in concordia exultantes triumphant aquarum. Sic diuisio nescit quid fauorabile, nisi iniustitiæ parere, quando iustitia sola viuit concordia, & vnitate. Hoc aiebat Tertull.lib. 4. in Mar.fatus: Tertull. *Aspice mari rubro virgam Moysi imperantem, vt funditùs profecissum, & pars vtriusque stupere discrimina fixum sicco populum pede, intellina itinere transmitteret, rursusque sub eiusdem virga nutum, redeunte natura, Ægyptium exercitum vndarum concordia obrueret.* Expende, quæ res perimat exercitum iniustitiæ, nimirum, *vndarum concordia*; dum dabatur diuisio, non poterat non timeri malignitas, adhuc florebat, & timebatur impietatis furia, quæ funditus periit, vbi in concordiam redire vndæ diuisæ. Nulla sanè temporalis res sic debet timeri à piis viris, vt discordia, & diuisio. 2.Cor.7. Paul.2.ad Corinth 7.aiebat: *Foris gladius, intùs autem timor.* Stringebatur equidem ab externis gladius aduersùs gregem Christi, sed non vbi gladius sæuiebat, timebat discipulus Christi. Vbi timebat? Intus autem timor, & intrinsecis, & domesticis fideliū discordiis solùm erat verus timor; quæ meritò debent timeri à viris iustis super omnia mundi terribilia. Chrysost.homil.1.de Resurrect.ait: Chrysost. *Neque hoc solùm erat graue, quòd foris frequens bellum gerebatur, & continuum; sed quòd inter fideles ipsos exorta fuerunt nonnulla scandala, & lites, & contentiones, & æmulationes; quæ Paulus manifestat, dicens: Foris gladius, intùs autem timor. Verùm istud ipsum bellum an non atrocius erat & subditis, & præceptoribus? Profectò, non tantum inimicorum insidias formidabat Paulus, quantum domesticas contentiones.* Timori erat bono parenti, ne inter filios adoptionis, quos ipse per Euangelium parturiebat Deo, ingrauesceret diuisionis, & discordiæ malum, sciens nihil paternum, nec filiale esse posse, ablata per diuisiones vnitate. Dum Iesus transfiguratur in Thabor, ait Matth.c7. Matth.cap.17. *Et apparuerunt illi Moyses, & Elias cum eo loquentes. Respondens autem Petrus, dixit ad Iesum: Domine, bonum est nos hîc esse; si vis, faciamus hîc tria tabernacula, tibi vnū, & Moysi vnum, & Eliæ vnum. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos, & ecce vox de nube, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipsum audite. Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valdè. Et accessit Iesus, & tetigit eos, dixitque eis: Surgite, & nolite timere. Leuantes autem oculos suos, neminem viderunt, nisi solùm Iesum.* Expende, quæso, vnus, & solus Iesus apparet, quando vox Patris intonuit, quando voce Patris declaratur. Et cur etiam post hoc Patris signum adhuc non manent vel paulisper Moyses & Elias; sed vnus, & solus Iesus ostenditur? Vbi Elias, & Moyses erant præsentes, diuisionem Petrus meditabatur, cupiens tria illis separata tabernacula facere; & ideo cum illis non potuit ostendi pater, ex quo enim paternum aliquid incipit monstrari, nullus diuisionis olor maneat necessum est, sed omnia ostendantur redacta in vnitatem. Pulchrè aiebat D.Paschas.lib 8.in Matth. Paschas. *Non ante Iesus solus in monte monstratur, quàm nubes clara eum obtexit, & de nube, in qua Spiritus sanctus erat, vox Patris sonuit: Hic est filius meus,* &c. *Tunc siquidem nube desuper clarescente, cùm vox Patris intonuit per nubem, inuentus est Iesus solus. Et cum tres essent, vt dixi, vnus est factus. Tres siquidem in principio videbantur, & vnus in fine est Dominus Iesus Christus, qui omnia, quæ perfecta sunt, vnum facit.* Vbi ostenditur signum Patris, & Dei Filius declaratur, nihil ad diuisionem conducens debuit perseuerare, sed omnia ostendi sub perfectissima vnitate, qualis est illa, quam omnes res in Christo Iesu habent.

Text. Et non post multos dies, congregatis omnibus, adolescentior filius peregrè profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipauit substantiam suam, viuendo luxuriosè.

§. III.

Affectus carnalis concupiscentiæ totum hominem cum omnibus suis rapit.

Congregatis omnibus, adolescens proficiscitur, vt luxuriosè viuat; nequit enim concupiscentia carnis aliquid hominis carnali affectui permittere, sed omnia quæ hominis sunt, imò totum hominem rapit sibi. Pulchrè Claudius Mamertus, lib.2.de statu animæ, hoc affectus pondus aduertit, dicens cap.5. Mamert. *Animæ verò pondus voluntas est eius, quæ propriò magis amor dicitur, quo scilicet vel se ipsum, vel quæuis alia amat. Item pondus hoc est, amor animæ in id, quod diligit, & memoriam, & consilium secum cogit, quia nihil aliud vel meminisse, vel cogitare valet, nisi illud, cuius amore feruescit.* Ecce tibi, quidquid in homine est & cogitatio, & memoria, & sensus omnes rapiuntur à concupiscentia hominis. Quò sese carnalis affectus porrigit, eò cogit ire omnia, quæ sunt in homine congregata. Clamabat Sichem, Genes.34.ad filios Iacob: Genes. 34. *Augete dotem, & munera postulate, & libenter tribuam, quod petieritis: tantum date mihi puellam.* Filij autem Iacob petunt, vt circumcidatur, & circumciso puellam offerunt. Quid tunc, est aliquid, quod pro habenda puella adolescens non offerat? Nihil prorsus; ait enim textus: *Placuit oblatio eorum Hemor, & Sichem filio eius. Nec distulit adolescens, quin statim quod petebatur impleret; amabat enim puellam valdè.* Quid, quòd amaret puellam? An ideò sese, & suos vulneri dare tenebatur? An non magis sibi debebat parcere? Absit; vbi enim amore carnali afficiebatur, in nullo sibi debebat parcere, sed totum se periculo dare. Ait D. Chrysost. homil.59. in Genes. Chrysost. *Placuit eorum eis sermo, & non neglexit adimplere dicta adolescens. Deperibat enim puellam inquit; hoc est, totum secum puellæ amorem effundebat.* Expende illud, *hoc est, totum se,* &c. quippè idem reputat sanctissimus pater, quòd adolescens dicatur amare puellam, & quòd se totum effundere dicatur, quin sibi in aliquo parcat. Ait Prouerb.24. Prou.24. *Per agrum hominis pigri transiui, & per vinum viri stulti. Et ecce totum repleuerunt vrticæ.* Et quæ vrticæ sic potuerunt totum agrum hominis occupare? Hugo ibi fatur: *Totum repleuerant vrticæ, id est, incitatiua libidinis.* Nescit hæc flamma totum hominem non depascere, vt meritò dicat D.Cyprian. lib. de pudicit. Cyprian. *Impudicitia obscænum ludibrium reddit ministris suis, nec corporibus parcens, neque animis: totum hominem suum sub triumphum libidinis facit.* Nihil permittit homini, nec Deo in homine, sed totum, quod homo est, sibi libido rapit. Hinc Ecclesiast. cap.7. *Inueni amariorem morte mulierem.* Vbi in rem præsentem Chaldæus fatur: *Inueni ego rem, quæ amarior est super hominem, magis quàm amaritudo diei mortis.* Equidem si dies mortis & libido in homine comparentur, hæc illa lōgè sæuior, & voracior apparet. Mors corpus depascit: sensus internos, & externos populatur: omnibus bonis spoliat hominem. & deiicit exprobratum. vni animæ nouit parcere, quæ sola nescit timere mortis falcem. Libido nulli parcit, omnia hominis bona, & sensus, & potentias, & corpus, & animam populatur. Amarior equidem est super hominem libidinosus amor, quàm amaritudo diei mortis. Quò respiciebat D.August.lib.de ciuit.14.cap.16.inquiens: August. *Hæc libido tibi non solùm corpus totum, nec solùm extrinsecus, verùm etiam intrinsecùs vendicat, totùmque commouet hominem.* Adeò omnia hominis congregat, & rapit ad se amor iste carnalis, vt vel eius imminens accessus temperatus, totum hominem prosternat, & mortuo non absimilem iacere faciat. Genes.2. Genes.2. *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam, cùmque obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem,* &c. Cur necessum fuit tam citò Adamum sepeliri somno? Paucis ab hinc horis creatus fuerat, & in paradisum relatus nondum plenè deliciarum hortum conspexerat, non satis orbis luminare fuerat miratus, & iam somno sepelitur,

& velut mortuus iacere cogitur. Quare viuidissimus hominum sic traheris in imaginem mortis, nigro totus sepultus sopore? Imminebat iam illi adiungenda mulier, quam amaret: cuius amor quantumuis coniugio honestatus, quia tamen carnalis erat, vbi hominem approximat, totum ad se hominem rapit, negans illi aliud vel meminisse, vel cogitare; sed instar mortui iacere faciens. D. Ambros. lib. de Paral. Ambros. cap. 11. ait: *Quis est iste sopor, nisi quia paulisper ad coniugium copulandum cum intendimus animam, veluti intentos oculos ad Dei regnum inclinare, atque inflectere videmur ad quemdam somnum istius mundi, & paulisper obdormire diuinis, dum in secularibus, & mundanis requiescimus?* Præfert secum amor carnalis, quantumuis modestus, & temperatus sit, soporem quemdam, quo vniuersos hominis sensus, & potentias hominis depascit, ne liceat homini aliud meminisse, sed totum sese cum suis omnibus affectui tradat. Hæc facit carnalis amor, etiam ille, qui se intra regulas rationis continere prætendit: at qui exorbitat, non solùm omnia, quæ sunt hominis, rapit, sed & quæ sunt Dei in homine sibi seruire facit. Quippè ait D. Iudas epist. canonic. cap. 1. Iud. 1. *Subintroierunt enim quidam homines, qui olim præscripti sunt in hoc iudicium impy, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriem.* Quasi rabidissimo luxuriæ affectui non sufficeret omnia hominis rapere, & memoriam, & cogitationem, & voluntatem, & sensus vniuersos, nisi etiam quæ sũt solius Dei in homine rapuisset. Huc refertur Herodes stimulis agitatus luxuriæ, à quo dum petitur caput Ioánis interdicentis eius amores iniquos, dissimulat in vultu tristitiam, verùm vt ait Marc. cap. 6. Marc. 4. *Propter iusiurandum, & propter discumbentes noluit eam contristare; sed misso spiculatore, præcepit afferri caput,* &c. Nolebat miser in veritate contristare puellam, nolebat contristare suos amores; quid necessum fuit fingere iurisiurádi causam? Qui amabat puellam nulla alia ratione egebat, vt faceret homicidium. Pulchrè enim ait Zorobabel apud Esdram lib. 3. cap. 4. Zorob. *Et accipit homo gladium suum, & vadit in viam facere furta, & homicidia, & mare nauigare, & flumina, & leonem videt, & in tenebris ingreditur, & cùm furtum fecerit, & fraudes, & rapinas amabili suæ affert.* Hæc est vnica, & efficacissima causa cuiusuis facinoris, & homicidij, nimirum, quòd homo placeat dilectæ suæ. Cur aliam causam Herodes requirit? Cur iusiurandum prætendit? Non contentus erat homo lasciuissimus, nisi & iusiurandi religionem faceret esse sub triumphum libidinis. Fulgent. Beda. *Vt luxurietur Herodes, necatur Ioannes,* ait D. Fulgent. & Beda etiam inquit: *Scelus excusat iuramento, vt sub occasione pietatis impius fieret.* Heu quot etiam nunc inueniuntur, qui sic Dei nostri gratiam transferunt in luxuriam, & religionem, & pietatem, & Christi sanguinem, & Deum ipsum (si sic loqui fas est) suæ faciunt seruire libidini.

§. IV.

Carnalis cupiditas longissimè facit hominem à Deo distare, adeò vt penitus ignoretur, vbi sit.

IN regionem longinquam dicitur profectus adolescens, dum traditur cupiditatibus suis, nec nomen regionis declaratur, sed solùm declaratur, quòd est regio longissimè distans. Et quidem in cupiditatis carnalis progressu euidentissimum est hominem à Deo maximè distare, & quàm longissimè esse; quæ autem regio illum teneat, penitùs ignoratur. Huc refero illud Prouerb. 30. Prou. 30. *Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitùs ignoro. Viam aquilæ in cælo, viam colubri super terram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adolescentia.* Ecce tibi quarta via penitus ignorata etiam a sapientissimo nimirum via viri in adolescentia; dum enim adolescens carnalibus cupiditatibus sese tradit, scimus ab illo longissimam, & à Deo remotissimam viam teri: quæ autem sit hæc via, vel per quam regionem fiat, prorsus ignoramus. Meritò Galfrid. Galfridus apud Tilmannum in allegor. ait: *Affectio desiderij, sicut exitus [illegible] ad perniciem vehementer comprobatur. Ipsa est via viri in adolescentia post concupiscentias suas euntis, via quam tenebrosa, & lubrica, peruersa, & auersa à Deo, nec modò aliena à sapientia, sed vsquequaque remota, & penitus ignorata.* Penitus ignoratur via, & regio, per quam rapiant adolescentem hominem carnales cupiditates, & desideria lasciua; hoc vnum scitur de illa, quòd remotissima est à Deo, quòd longissimè distat à vera sapientia: quæ autem sit, & quod nomen habeat, penitus nescitur. Huc forsan respexit Ecclesiastes cap. 7. Eccles. 7. *Cuncta tentaui in sapientia. Dixi, sapiens efficiar: & ipsa longius recessit à me multò magis quàm erat, & alta profunditas, quis inueniet eam?* Quæ verba per Hypallagen intelligenda sunt, hoc est, conuerso ordine explicanda, vt non sapientia dicatur fugisse, sed homo intelligatur recessisse a sapientia; ex quo enim Salomon sese voluptatibus dedit, magnum chaos inter eum, & sapientiam firmatum est, vt alter ab altero longissimè distaret, immensa interposita voragine. Id quod explicans Taumaturgus ait in nomine Salomonis per voluptates infatuati: *Hæc omnia ego* Taumat. *noram, sapientiam à Deo consecutus: qua deinde amissa, iam mei similis esse nequibam; sapientia enim à me in infinitam longitudinem fugit, & in immensam profunditatem.* Immensa est profunditatis vorago, & infinita longitudo inter voluptuosum hominem, & veram sapientiam, inter carnis cupiditates, & Deum. Alter ab altero fugit in infinitum; quò autem perueniat lasciuus, non explicatur, sed sola dicitur immensitas distantiæ, quæ à Deo separatur, regio, & via, per quam inambulat, minimè inuenitur. Nec ideò securior lasciuus, quia eius ignoratur via; illi enim erit & notissimum, & certissimum nomen, per quod pateat eius via æterno iudici. Pulchrè D. Fulgent. Herodem, & Herodiadem pungit, dum illos videt armatos in caput Ioannis Baptistæ. *Dicite mihi, quid ha-* Fulgent. *betis cum Ioanne Baptista Herodes, & Herodias, quos ad consortium adduxit nominum impuritas criminum? An hoc timetis, ne qui vobis vocabulis coniungimini, in luxuria forsitan separamini? Estote certissimi, quia sicut vno consensu caditis in luxuriam, ita vno nomine suscipietis sententiam.* Anonymi licèt fuerint lasciui, anonymæ licèt fuerint eorum viæ, & regiones, vt inde videantur penitus ignorandæ, mihi credant, suppetent illis & nomina, & vocabula, sub quibus sententiam damnationis suscipiant. Certissimi sint omnes lasciui, quòd sicut vno consensu ad luxuriam currunt, sic vno nomine vocabuntur, & afferentur ad seuerissimi iudicis tribunal.

§. V.

Lasciuus homo rusticissimus est Dei, & bonorum æternorum contemptor.

QVidquid petierat filius, pater liberalissimè donauit; quid tunc filius? Patri gratias agit de donatis? An profecturus, patrem adit, benedictionem petit? Minimè; sed congregatis omnibus nulla habita memoria patris, profectus est in regionem longinquam. Prudentissima fœmina Rebecca, Genes. 27. & 28. consulens filio suo Iacob profectionem, & fugam è domo paterna, noluit tamen, quòd proficisceretur filius, quin pater illi denuò benediceret: vocauitque Isaac Iacob, & benedixit eum; & statim post explicatam benedictionem ait: *Iacob profectus peruenit in Meso-* Genes. 27. & 28. *potamiam Syriæ.* Non proficiscitur etiam ad propinquos Iacob sine petita patris benedictione: hic autem adolescens proficiscitur in regionem longinquam, nihil æstimans benedictionem paternam, nec volens, nec curans eam accipere. Vnde huic tanta obliuio, contemptus tantus paternæ benedictionis? Explicat textus, vbi dicit: *Ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè,* ibi sese totum daturus luxuriæ; vbi autem luxuria regnat, inaudita gignitur rusticitas, & contemptus parentis diuini. Apud Luc. c. 14. dum Dominus mittit seruũ, qui vocet ad cœleste conuiuium, *cœperunt omnes simul excusare. Primus dixit: Villa emi, & necesse ha-* Luc. 14. *beo exire, & videre illam; rogo te, habe me excusatum. Et alter dixit: Iuga boum emi quinque, & eo probare illa; rogo te, habe me excusatum. Et alius dixit: Vxorem duxi, & ideò non possum venire.* Duo primi excusationem prætendunt Deo inuitanti, illámque rogãt admitti; tertius iste nullam prætendit excusationem, nihil rogat, sed totus rusticus, & inurbanus, & ferus inuitatorem Deum despicit. Vnde huic tanta rusticitas, & Dei contemptus? Ille explicat, dum ait, *vxorem duxi,* sese ostendens carnalibus voluptatibus prorsus imbibitum, quò fit Dei contemptor rusticissimus. Ibi D. Anselm. ait: *Per* Anselm. *hunc designantur illi, qui se luxuriæ, carnisque voluptatibus per omnia subijciunt: qui excusari non quærunt, quia solam hanc vitam diligentes, aliam parui pendunt.* Nihil boni respectus, nihil reuerentiæ, nihil comitatis, & humanitatis in nomine lasciuo quærendum est, qui dum voluptatibus carnalibus inhiat, nihil supra carnem æstimat, imò & Deum, & patrem, & hæreditatem cælestem parui pendit: vt enim comitas, & humanitas coniuncta est cum castitate; sic cum luxuria venit rusticitas, feritas, Dei, parentísque, & omnis pietatis obliuio. Dum Saluatoris genealogiam exprimit Matthæus, cap. 1. ait: *Booz autem genuit Obed ex Ruth.* Notan- Matth. 1. ter adduxit Ruth in memoriam, vbi Obedi natiuitatem indixit: Obed enim idem est, quod subditus. Et maximè

miror,

miror, quòd dum Booz Ruth in vxorem assumit, subditum, & benè meritum de parentibus filium possit gignere. Booz Israëlites erat, Ruth autem Moabites, & quomodo ab Israëlita, & Moabitide matrimonium extitit, quòd filium subditum gigneret, & non potiùs in Deum, & in parentes
Num.25. suos contumacem, & rebellem? Num.25. *Fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt, & adorauerunt Deos earum, initiatusque est Israël Belphegor, & iratus est Dominus, &c.* Et post pauca, adhuc bestialiora ponit, aiens: *Et ecce vnus de filiis Israël intrauit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem, vidente Moyse, &c.* Iunguntur Israëlitæ, & Moabitides, ex quo innumera nascuntur scandala, & contemptus Dei, & despectio religionis, & omnis humanitatis, & boni respectus abolitio. Quî ergo fieri potest, vt Ruth Moabites iuncta Boozo Israëlitæ subditum, & humanum filium pariat? Sanè Moabitæ fœminæ in Numeris splendenti forma, pulchritudinisque lenocinio intendebant Israëlitarum libidini fomitem ministrare; ex libidine autem quidquid nascitur, scandalum est, feritas est, contemptus est religionis, & cælestis patris, & omnis humanitatis. Verùm Ruth castissima nihil libidinis traxit, sed multa pietatis, vbicumque non libido fuerit, sed castitas, quidquid inde procedit, suum honorem defert Deo, & patribus in omnibus subditus, in omnibus huma-
Imperf. nus. Author operis imperfecti, homil.1. in Matth. ait: *Talis Booz ex tali coniuge qualem filium genuit? Obed, qui interpretatur subditus. Nunc autem qui diuitias eligunt, & non mores, pulchritudinem, & non fidem: & quod in meretricibus solet quæri, hoc in coniugibus optant: propterea non genuerunt filios subditos vel sibi, vel Deo: sed contumaces & contra se, & contra Deū.* Vanè ex libidine putatur nasciturū aliud, quàm impudentia, contumacia, cōtemptus omnis religionis, & pietatis. Vnde acutè, vt assolet Tertull. notans ordinem diuinorum præcepto-
Tertul. rum, ait lib. de pudicitia: *Post interdictam alienorum Deorum superstitionem, ipsorùmque idolorum fabricationem: post commendatam Sabbati venerationem, post imperatam in parentes secundam à Deo religionem, nullum aliud in talibus titulis firmandis, monendisque substruxit præceptum, quàm, non mœchaberis.* Quasi in expulsione libidinis firmetur & pietas, & humanitas erga Deum, & patrem; quæ, præsente illa, ruat necessum est, & mutetur in feritatem, & tetricam rusticitatem. Quò spectans D. Iudas in canonica, cap.1. ait: de impudicis homini-
Iud. 1. bus locutus: *Similiter & hi carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, maiestatem autem blasphemant.* Sic ille. Huc refer dicta suprà, cap.12. §.13.

§. VI.

Prima gratia post peccatum accepta facili negotio deperditur, nisi virtute operum fuerit munita.

NOn latrones sustinet in via adolescens iste, non hostiles patitur incursus, & tamen totam suam substantiam dissipatam videt. Et quæ erat hæc adolescentis substantia, quæ nullis latronum iaculis, nullo hostili incursu petita, nihilominus tota ruit, & penitus disparet? Meritò, &
Euthym. sapienter Euthymius ait: *Dissipauit substantiam, corrupit donum, quod à Baptismo susceperat.* Et quidem hoc habet prima illa gratia recepta in Baptismo, quòd non egeat hostis iaculis, nec arcu, vt pereat; sed facili negotio, & penè sine
Apocal. 4. hostili incursu possit ruere. Apocal. cap.4. *In conspectu sedis, tanquam mare vitreum simile crystallo.* quod mare splendidam monstrabat gratiam Christiani Baptismi, non enim tanto splendore nitens oritur Sol ex Oceano, vt anima hominis splendet sub vndis Baptismi. Sed notandum, quòd totus ille splendor vitreus est; hoc est, qui facili negotio possit dissipari, & infringi. Ex quo eleganter Bacharius epist. ad Ia-
Bachar. nuar. de recipiendis lapsis, monet: *Memento frater, quòd caro sumus, mare illud, id est, forma Baptismi, quod beatus Ioannes vidisse se dicit, virtutem fuisse describitur, & ideò in nobis citò periclitatur, aut frangitur. Lubrica via est sæculi huius glaciali iniquitate conscripta, quam cùm immodicæ concupiscentiæ calor soluerit, facilis est ad lapsum, ruinámque miserorum.* Et quis firmitati vitrei speculi credat, nisi illud magna diligentia custodiat? Nisi æneis capsulis includat? Vitrea est prima gratia, & facilis ad perditionem, nisi operibus virtutum duretur, nisi obtegatur multis, & fortibus operculis bonorum operum. Do illustre exemplum in duabus sororibus Orpha, & Ruth, vtraque cum socru amat ad populum Dei venire. Ait
Ruth 1. Ruth cap.1. *Quæ eleuata voce flere cœperunt, & dicere: Tecum pergemus ad populum tuum.* Sed nihilominus Orpha facili negotio ad Deos suos redit, & sola Ruth in populo Dei perseuerat, ibique & vitæ, & fidei fulcimentum sibi parat. Et cur altera tam facilè abit, altera tam firmiter radicatur? Illa nihil laborat, imò labores nouæ religionis cauens, pristina consuetudine trahitur: hæc mille laboribus, & sudoribus induratur pro sustentanda socru, spicas legens, quo fidei suę meruit obtinere fulcrum, & firmitatem. Sic Prudentius dulciter canit in Hamartigenia.

——*Pristinus Orphæ* Prudent.
Fanorum ritus præputia barbara suasit
Malle, & semiferi stirpem nutrire Goliæ.
Ruth dum per stipulas agresti amburitur æstu,
Fulcra Booz meruit, castóque ascita cubili
Christigenam fœcunda domum, & Dauidica regna
Edidit, atque Deo mortales miscuit ortus.

Expende illud, quo recèns conuersa fidei firmitatem, & gratiæ inuenit, nimirum, *dum per stipulas agrestis amburitur æstu; fulcra Booz meruit;* & æstus, & sudor sub opere virtuoso exantlatus; sic recentis conuersæ gratiam defendit, sic firmauit, vt domum venturo Deo ipsa faceret. Iam audio Apocal.16. *Et vidi tanquam mare vitreum mixtum igne, & eos, qui vicerunt bestiam, & imaginem eius, & numerum nominis eius, stantes super mare vitreum, habentes citharas Dei*, &c. In Apoc. 16.
mari vitreo pugnæ, & victoriæ audiuntur; quomodo non magis inter hostiles pugnas mare vitreum frangitur? Ipse addit: *Vide mare vitreum mixtum igne*, &c. Non solùm primæuam vitri fragilitatem ibi nota, sed & superadditam mixtionem cum igne, potest equidem & vitrum temperamenti ignis indurari, vt non frangatur, & sine dubio gratia prima sub feruore operum dum aduritur æstu laboris, penè inamissibilem inuenit firmitatem. Accipe, quid de vitro dicat Petrus Dam. lib.4. epist.17. *Tradit historia, quia faber quidam sub Tiberio Cæsare tale quoddam excogitauit temperamentum, quo vitrum ductile fieret, atque flexibile, & iuxta naturam cuiusque metalli ad feriendum ictum infractum, ac solidum permaneret. Qui dum aulæ Regis foribus fuisset admissus, porrexit Imperatori phialam, hoc, quod excogitauerat, artificio temperatam. Quam Rex indignatus subitò proiecit in pauimentum, quæ nimirum phiala nullatenus est confracta, sed ad similitudinem vasis ænei, vel argentei reperta est, ex quodam latere complicata. Faber autem protinùs phialam de pauimento leuauit, vasculum de sinu protulit, & vas non scissura collisum, obliquè retortum correxit. Hoc facto Cæsar admiratus dixit artifici: Est ne alius præter te, qui hanc vitrorum sciat effitere condituram? Iurat faber, neminem esse super terram, præter se solùm, qui huius artis comprehendat ingenium. Quo Cæsar audito præcepit, eum protinùs decollari: nimirum reputans, quia si huius artis exquisitæ subtilitas in communem hominum notitiam deueniret, aurum conspueretur vt lutum, omniúmque vilesceret species metallorum.* Hæc ille; quæ sanè in gratia irrefragabilem continent veritatem, quandoquidem gratia vitrea est, & fragilis, & quæ facilè frangitur, si nullius operis feruore temperetur. At eadem, quæ vitrea est, tale ab operum feruore temperamentum suscipit, vt pugnas sustineat, & nullo hostili incursu frangatur, quin potiùs mille de hostibus victorias cantet. Damian.

§. VII.

Quod in Iesu habemus fulcrum, & stabile bonorum fundamentum, inter lasciuas voluptates prorsus disparet.

NIl magis dissipat adolescens viuendo luxuriosè, quàm totam Christianitatis substantiam; vbi enim regnat libido, stabile bonorum fundamentum, nempè Christus, protinus abit. D. Iudas epist. canonic. cap.1. ait: *Subintroierunt* Iud. 1.
quidam homines, qui olim præscripti sunt in hoc iudicium impij, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, & solum dominatorem Iesum Christum negantes. Expende ordinem, nimirum, priùs in luxuriam, deinde in negationem Iesu Christi deuenerunt: non possunt luxuriæ, & Christus non inter se quàm longissimè distare. Quò respicit OEcumenius, aiens: *Deprauane detorquentes à temperantia ad lasciuiam, vnde & negare* OEcum.
contingit ipsos Dominum nostrum Iesum Christum. An non negant, qui via impuritate Doctorem omnis temperantiæ veluti clamosa, ac sonora voce abiurant. Quæ enim communio est luci cum tenebris? Nequit fieri, vt inter tenebrosas concupiscentiæ caligines Christi clarissima lux effulgeat, nec inter fluxas libidinis voluptates, quod in Christo habemus stabile bonorum fundamentum emineat. Sic peccatoris vox illa, Psalm.68.
Infixus sum in limo profundi, & non est substantia. Quid est, Psalm.68.
infigi

insigi in limo profundi, & non inuenire substantiam? Ad rem maximè Euthym. (Euthym.) *Fæcem illam propheta significare voluit, quæ sub profundo aquæ esse solet. Qui igitur in huiusmodi fæce infixi sunt, substantiam, hoc est, stabilitatem nullam inueniunt; ipsa nimirum fæce, ob cœnosam, ac fluxam illam materiam semper magis infra se confidère.* Quid pulchrius in rem præsentem? Sicut enim qui limo profundi infiguntur, propter fluxam, & cœnosam materiam, stabilitatem amittunt, & deficit, quidquid stabile, & firmum illos posset sustentare, ne periret. Sic qui fluxis, & cœnosis carnis voluptatibus se dedunt, qui turpibus, & fœtulẽtis libidinibus infiguntur, Christi stabile fundamentum à se reiiciunt, & inter instabiles concupiscentias fluitant perituri. Ad hæc Paul. 1. ad Timoth. 1. (1. Tim. 1.) *Quam bonam conscientiam quidam repellentes, circa fidem naufragauerunt.* Vbi D. Anselm. (Anselm.) *Quam puritatis, ac bonæ voluntatis conscientiam quidam repellentes, & consentire peccatis eligentes, vt qui in sordibus est, sordescat amplius naufragium, &c.* Itaque puritatis in primis conscientia repulsa, & sordibus adscitis, statim naufragi homines apparent. Quid est, naufragi apparent? Inter aquarum instabilitates fluitant, nullum stabilitatis fundamentum habentes, quo nitentes viuant. Et fanè à lasciuo homine bonorum omnium stabile fundamentum Christus fugit, solùm illi manent aquarum fluctus; hoc est, fluxæ voluptates carnis, inter quas naufragio perdendus fluiter. Accipe pulchrum rei exemplum in Iudæis, ij simul repellentes, & persequentes Christum, Matth. 5. clamant ad illum: (Matth. 5.) *Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? Non enim lauant manus, cùm panem manducant.* Fontem viuentium aquarum reiiciunt, persequuntur, & multùm soliciti sunt de manuum lauacris. Cur sapientissimi viri Iesum expuentes, sic anxiè curatis manuum lauacra? Sanè homines voluptatibus terrenis dediti circa fidem naufragium faciunt, & dum naufragia apparent, stabili bonorum omnium fundamento Iesu amisso, vt inter aquarum solos fluctus, sic inter solas fluitant carnis voluptates. Quod pulchrè notans D. Zeno, serm. 13. de Iudæis, fatur: (Zeno.) *Sanè hoc solùm retinent Iudæi proprium, quòd vt vilem libidinem magis, ac magis augeant, vilioribus se lauacris omni momento baptizant Deo semper ingrati.* Hoc solùm Iudæos manet, quod manet miserrimos quousque naufragos, nimirum instabiles fluctus & libidinum, & aquarum; quidquid substantiale est, quidquid firmum, & stabile, prorsum ab illis cum Iesu disparuit. Hoc te solùm manet, voluptuose homo, quod solùm manet naufragos; vt hos solùm manent instabiles fluctus aquarum, quibus submergantur, amissa omni re stabili: sic te penè circa fidem naufragum solæ manent fluxæ carnis voluptates, inter quas fluites, nullam vmquam inueniens firmitatem.

Text. Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa, & ipse cœpit egere. Et abiit, & adhæsit vni ciuium regionis illius.

§. VIII.

Quæcumque redundantia bonorum temporalium inter luxuriandum existere appareat, non erit perpetua, sed in famem desinet.

Regio, in qua impunè adolescens luxuriatur, quid aliud pareret, quàm rabidam famem? Ne multùm credatis, ô viri, abundantiæ bonorum temporalium, quæcumque illa sit, licèt Crœsi, aut Salomonis diuitias excedat, si vel à luxuria nascatur, vel luxuriæ adiungatur, minimè durabit, sed in rabidissimam desinet famem. Nemo inter luxuriandum bonis abundauit, qui postmodum non cœperit sentire egestatem. Genes. 41. (Genes. 41.) *Vidit Pharao somnium. Putabat se stare super fluuium, de quo ascendebant septem boues pulchræ, & crassæ nimis; & pascebantur in locis palustribus. Aliæ quoque septem emergebant de flumine fœdæ, confectæque macie, & pascebantur in ipsa amnis ripa in locis virentibus, deuorauerùntque eas, quarum mira species, & habitudo corporum erat.* Quid tunc? Quæsiti sunt diuinatores, adductus est Ioseph, qui somnij significationem explicaret: qui incredibilem abundantiam in primis vaccis præsagit, cui statim succedat in secundis penè inaudita fames. Sed vnde sapientissimus coniecit, tam citò totam illam primarum abundantiam desituram in famem? An quia immediatè pòst vidit septem alias macras, & macie confectas? Non fuit hoc necesse videre; sufficiebat enim quòd totam illam abundantiam significaret vacca, animal & rusticum, & lasciuum, vt quisque etiam inferior Iosepho in sapientia certissimè coniectaret illam non duraturam, sed desituram in rabidissimam famem. Præclarè ait D. Ambr. lib. de Ioseph, cap. 7. *Et si non ego Ioseph, clamabam tamen vaccas illas pingues non solùm lasciuiam, sed etiam incuriam diuinæ significare reuerentiæ. Et ideò somnium illud redundantiæ sæcularis perpetuum esse non posse, sed fore tempus, quo his fames dura succederet.* (Ambros.) Rustica in Deum lasciuia non patitur, diu esse abundantiam bonorum temporalium, sed anxiè conuocat famem, in quam durissimam desinent certo certiùs, quæcumque bona tibi inter luxuriandum arriserint. Qui opulentius luxuriari possunt, quàm illi, quos notat Isaias? Tamen de illis dicit cap. 5. *Væ, qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & potandum vsque ad vesperam, vt vino æstuetis. Cithara & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuijs vestris, & opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis. Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, & nobiles eius interierunt fame.* (Isai. 5.) Huc deueniunt vniuersæ hominum opulentiæ inter luxuriandum ostentatæ: penè concessum est, vt luxuriosis hominibus omnes vacuentur thesauri, & ipsi bonorum fontes areant, & delitiosæ vitæ, & cantibus, & ebrietatibus succedant interitus, lacrymæ, fames. Hæc Isaiæ verba ponderans D. Cyrill. lib. 1. orat. 3. fatur: *Luxuria diffluunt, ebrietatibus continuis, cæterisque malis, quæ ex carnis libidine oriuntur, commaculantur. Opulentia enim abundè stimulare potest ad voluptates, omnémque satietatem in illis excludere. At qui seminat in carne, ex carne metet corruptiones: finis enim temperarij luxus, longa, & perennis erit lacryma, & carnalis voluptatis fructus, & interitus. Abibunt sanè captiui, & serment inimicis, ac tanta erit siti, & inedia pereuntium multitudo, vt infernus lasciuia quodammodo sit exultaturus.* (Cyrillus.) Numquam mihi crede, redundantia, & opulentia mixta voluptatibus perpetua erit, sed semper desinet in rabidissimam famem, vt fames sit, quæ cogat miseros lasciuos in æternum supplicium.

§. IX.

Nulla inopia homines cogit in libidines, sed proprium cuiusque vitium est, quòd in illas abeat.

Vidi regionis famem, & timui, ne fortè fames tanta cogeret adolescentem pro pane acquirendo luxuriari; sed audio, quod ipse dum cœpit egere, *abiit, & adhæsit*, &c. Non compulsus est, non tractus, non reptatus, sed ipse vltrò abiit, & adhæsit, hoc est, spurcissimo vitio sese conglutinauit. Et quidem non adeò valida est fames, quæ cogeret hominem, nisi proprium vitium abeuntis in libidines adesset: vbi enim hoc non adest, quælibet fames, etsi extrema, à virtute animi superatur. Vnde voluptatum mancipia desinant suas libidines excusare, quòd inuita ad illas trahantur extremæ inopiæ subleuandæ causa: non est inopia, quæ cogat, sed proprium vitium, quo traheris, vt adhærescas voluptati. Quæ pauperiorem vitam egit, quàm Ruth, sed & quæ honestiorem? Rem sapienter ponderans Petrus Dam. lib. 8. epist. 14. ait: (Damian.) *Numquid paupercula Moabitis Ruth exilium, calamitates, famem, sitim, laborum intolerabilium patientiam ignoratis? Numquid vobis pro pudicissimæ viduitatis aliquandiu honestate seruanda, ad tantam illam deueniisse penuriam, vt resides spicas post metentium terga colligeret, & virga cadens, non dicam virili, sed humano destituta prorsus auxilio, ipsa quod collegerat, triturarat. Nimirum, ex qua tantorum Regum soboles fuerat processura, tanquam vile mancipium seruilibus operibus videbatur addicta. Inter tot autem pressuras, atque angustias constituta, virtutes animi non deseruit, & inopis quidem vitæ pondus, quo premebatur, æquanimiter tulit, ab intimæ verò nobilitatis culmine degenerare indignum duxit.* Nulla inopia, nulla fames potuit animum castum ab intimæ ingenuitatis culmine deturbare: sit fœminæ amori virtus, sit illi in pretio castitatis honos, & minimè timebit famem, ne illi egestas vllum inferat damnum. Non fames cogit, sed voluptas allicit, sed voluptas vocat, & toto corde curritur ad voluptatem, prætextu subleuandæ famis. Sic de impudica dicitur Oseæ 2. *Fornicata est mater eorum, confusa est, quæ concepit eos, quia dixit: Vadam post amatores meos qui dant panes mihi, & aquas meas, lanam meam, & linum meum.* (Osea 2.) Panis acquisitionem proponit sibi, ac toto corde amplectitur libidines, & currit post amatores suos.

§. X.

§. X.

Quæ toto corde castitatem seruat in qualibet rerum penuria, vel numquam, vel post omnes penuriæ damna sentiet.

VIx fames incipit fieri, & iam adolescens lasciuus dicitur cœpisse egere, & abiisse cibos quærere. Et cur iste solus, & primus dicitur famis sensisse spicula, nisi quia solus lasciuus perhibetur? Et quidem cui castitas cordi est, in qualibet fructuum penuria, & rerum egestate, nequit primus ea damna sentire; sed vel numquam, vel omnia postremus ea sentit. Propone tibi ob oculos honestissimam viduam, ad quam mittitur Elias post tres annos, & sex menses durissimæ famis. Hanc audit Propheta, & panem petit: 3. Reg. 17. illa autem ait 3. Reg. 17. *Viuit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho.* Tres anni, & sex menses præterierunt famis, & sterilitatis, in quibus & multi opulenti, & prædiuites eius damna experti fuerant, vna hæc vidua post illos tres annos nunc primùm ait, *non habeo*; nunc primùm pauperis vocem emittit, & nondum omninò vacua erat. Vnde per tot annos se potuit ab egestate tueri? Cur sic tardauit damna sentire penuriæ? An quia nimis diues erat? Quia diues erat, non censu, sed virtutibus; non frumento, sed honestate. Huc spectans D. Ambros. lib. de viduis, fatur: Ambros. *Cùm in omni terra esset fames maxima, viduæ tamen Deo cura non defuit, atque ad alendum eam Propheta directus est. Quæ enim talis, ad quam tantus Propheta, qui ad cælum raptus est, dirigatur, eo præsertim tempore, quo clausum est cælum annis tribus, & mensibus sex, cùm facta esset fames magna in omni terra? Vbique ergo fames erat, & adhuc tamen hæc vidua non egebat.* Sanè quæ eas virtutes, animique honestatem seruabat, ob quam meruit cœlestis Prophetæ obtinere præsentiam, non potuit vniuersalis famis damna timere, nisi omnium postrema. Iam vniuersi diuites, & opulenti sub falce famis erant, & hæc honesta vidua adhuc nō egebat. Sed & aliam non absimilis honestatis fœminam tibi propone, nimirum Noëmi; hæc famis tempora vidit; sed & inter aliorum fames semper à Ruth 1. Deo inuenit sibi præuisa alimenta; quippè ait Ruth 1. *Facta est fames in terra: abiitque homo de Bethleem Iuda, vt peregrinaretur in regione Moabitide, cum vxore sua, ac duobus liberis, ipse vocabatur Elimelech, & vxor eius Noëmi.* Ecce tibi Noëmi è regione famelica eripitur, & ducitur in Moab, quæ regio tum abundabat frumento, vbi & famem non vidit, & nurum sibi vtilissimam inuenit, nempè Ruth, quæ post orbitatem suam, comitata socrum in Bethleemitarum terram, lectis spicis, illam sustentabat, & tandem ad abundantiam prouexit. Quid in ipsa infelicitate feliciùs? Tristia incurrit tempora Noëmi, sed numquam non præstò habuit, vnde penuriæ suæ mederetur, quòd si quæras causam tam certæ cum fœmina prouidentiæ, vnam eius virtutem, & honesta- Ambros. tem inuenies. Ad hæc D. Ambros. lib. de viduis, ait: *Videtis igitur, sanctæ fœminæ, quàm fœcunda sit vidua prole virtutum, meritorúmque suorum sobole, quæ perire non possit. Bona igitur vidua egere non nouit; & si fessæ fuerit ætatis, & supremæ paupertatis, eruditionis tamen suæ solet habere mercedem. Sic illa Noëmi duobus destituta filiis, & marito, quæ fructus fœcunditatis amiserat, pietatis emolumentum non perdidit: nam & solatium mœroris, & subsidium paupertatis inuenit.* Non deserat te virtus, & honestas, & fallar, nisi tibi necessaria vitæ subsidia suppeditent. Penuria enim, & fames non vigilantes animos, sed cupiditatum somno deditos primò inuadit, & perdit. Sic Prou. 6. Prouerb. 6. *Paululùm dormies, paululùm dormitabis, paululùm conseres manum, vt dormias, & veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus.* In eos, qui libidinum somno sopiuntur, sua spicula contorquet egestas, ad illos maximè festinat, vt premat illos fame; vigiles enim animos, & minimè somno libidinum incumbentes prorsus fugit. Audio Genes. 41. Genes. 41. *Erat autem fames in terra Chanaam, & Ioseph erat Princeps in terra Ægypti, atque ad illius nutum frumenta populis vendebantur.* Ecce tibi, dum vniuersa terra fame tabescit, ad vnius Iosephi nutum dispensantur frumenta. Et quis est hic Ioseph, qui sic abundat frumento, quando vniuersa terra famescit? Nónne hic est ille puer pauperculus, Ismaëlitis diuenditus, Putipharis seruulus, qui captiuus, & miser inter vinctos agebat? Equidem seruus erat Ioseph, sed qui liberè repellebat lasciuæ dominæ voces clamantes: *Dormi mecum*, qui nefariæ libidini non consentiebat, qui pro ipsa pudicitia vigilabat in neruo. Non potuit ergo non abundare frumento in totius orbis inedia, qui à se lasciuiæ somnum expulit factus castitatis exemplar.

§. XI.

Qui Iesu adhæret, omni necessitati medetur; nil, quod timeat, habet.

MIser adolescens adhæsit vni ciuium regionis illius, nimirū regionis longinquo separatæ a Patre cœlesti; & ideò tantùm abfuit, vt famem caueret, quòd etiam omnia hominum alimenta perdidit. Felices, qui non ciui regionis separatæ à Deo adhærescunt, sed ciui cœlestis regionis, imò Principi cœlesti Iesu adhærent. ij & famem, & omnia mala præcauent, & in illo habent quo omni necessitati adhibeant remedium. Esau aliam benedictionem, qua benedictionem fratris suppleret, postulanti ait bonus senex Isaac, Gen. 27. *Frumento, & vino stabiliui eū, & tibi post hæc, fili mi, vltrà quid faciam?* Genes. 27. Qui enim frumentum, & vinum perdidit, quid aliud posset expectare, quàm durissimam famem? Nihilominus Esau instat pro benedictione alia, cui pater statim: *Viues gladio, fratri tuo seruies.* Qualis hæc benedictio Esau, quòd fratri seruiat? Cur post frumenti perditionem, adhuc illi hæc seruitus mandatur? Nonne per seruitutem fratri exhibendam magis Esau malum exacerbatur? Absit; imò cùm Iacob Christum repræsentaret, hoc vnum restabat Esau remedium ad omnium bonorum instaurationem parandam si Iesu seruituti adhæreret in fratre. Ait D. Ambrosius, lib. de Parad. cap. 14. *Per hanc igitur seruitutem ille, qui per gulam primitias suas antè vendiderat, & studio venationis agrestis gratiam benedictionis amiserat, credidit, se eò futurum esse meliorem, si typum Christi veneraretur in fratre.* Ambros. Et quam iacturam non repares, si Christum habeas? Profectò etsi frumentum, vinum & oleum, omniáque reliqua bona tibi fuerint erepta, omnibus his malis medeberis, si Deo, & Christo eius adhærere malis, nullæ enim sunt diuitiæ, quæ in Christo non possint instaurari. De diuitiis Abrahami locutus textus sacer ait, Gen. 13. *Erat autem Abraham diues valdè in possessione auri, & argenti.* Genes. 13. Et post pauca, ad eius consobrinum accedens, ait: *Sed & Loth, qui erat cum Abraham, fuerunt greges ouium, & armenta, & tabernacula.* In auro, & argento non solùm diuitiæ ostenduntur, sed & illæ diuinæ, quibus omnia obediunt, per quas vniuersa alia possunt instaurari. Cur ergo Lotho non assignantur diuitiæ auri, sed pecorum diuitiæ solæ, & Abrahamo diuitiæ assignantur auri? Quia de solo Abrahamo dicitur. Ioan. 8. *Exultauit, vt videret diem meum; vidit, & gauisus est.* Ioan. 8. qui autem Christum videt, & Christo adhæret, eas diuitias habet, per quas omnia possint instaurari. D. Ambr. lib. 2. de Abrah. cap. 5. *Loth non habebat aurum, quod habebat ille, qui vidit Christi posteriora, de quo scriptum est: Et posteriora eius in specie auri. Vidit illum Abraham, sicut testatus est Dominus, dicens: Abraham diem meum vidit, & gauisus est. Et ideò auri speciem habere meruit, & possidere.* Ambros. Quid non habeat, qui Christum habet? Habet id, quod per omnia possit sibi comparare, per quod ab omnibus possit liberari malis. Sic Genes. 26. dicitur: *Orta autem fame super terram, abiit Isaac ad Abimelech Regem Palæsthinorū in Gerara. Apparuitque ei Dominus, & ait: Ne ascendas in Ægyptum, sed quiesce in terra, quam dixero tibi, & peregrinare in ea, erôque tecum.* Genes. 26. Isaac vetatur deserere terram panis, & vetatur descendere in Ægyptum, vbi erat frumenti abundantia. Cur vetatur descendere ad abundantiam, & iubetur manere inter fames? Volebat Deus seruum suum affligere? Cur ergo non mauult, quòd exeat à terra famis? Ipse Dominus ait: *Ero tecum*; vbi enim quis Deo adhæreat, Deum secum habeat, iam habet quo fami, & omnibus malis medeatur, non est cur timeat viuere inter ipsas fames. D. Chrysost. in Cat. Lyppom. ait: *Ne putes iniustum, quòd hoc imperet Deus, quasi volens eum famis angustiam experiri, & non permittere ei transitum in Ægyptum, inquit: Ero tecum, & benedicam tibi. Ne sis anxius, neque curam habe; ego enim ero tecum. Igitur cum suppeditatorem bonorum omnium habeas, ne sis solicitus, ego enim Dominus omnium ero tecum.* Chrysost. Haud dubium, quin felicissimus sit vel inter mala, qui non adhæret vni ciuium regionis famescentis, sed adhæret, & secum habet Deum suppeditatorem omnis abundantiæ,

Text. Et misit illum in villam suam, vt pasceret porcos. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat.

§. XII.

§. XII.

Eò peruenit nobilium impudens petulantia, vt non tam in voluptate haurienda, quàm in ostentando mulicularum dominatu superbiant.

IN villam mittitur prodigus adolescens; hoc est, vt putat Beda, mundiali potestati sufficitur à dæmone. Et cur dæmon mancipio suo principatus, & potestatis nobilitatem quærit? Ait ipse textus: *Vt pasceret porcos*; hoc est, vt de grege muliercularum lasciuarum à se pasto superbiret. Quid aliud faciunt nobiles multi? Sanè eò deuenit multorum nobilium, & Principum lasciua impudentia, siue insania, vt non tam de voluptate, quàm de pastu glorientur gregalium meretricum. *Ezech. 23.* Ezech. cap. 23. *Insaniuit super eos concupiscentia oculorum suorum, & misit nuntios ad eos in Chaldæam.* Ad satiandam concupiscentiam, nónne sufficerent, quæ in Iudæa erant, cur & ad Chaldæos mittit? Pulchrè D. Hieronym. ibi: *Hieron.* *Saturati voluptatibus, ab aliis ad alias transimus; & non tam fornicationem, quàm meretricum numerum desideramus.* Hæc est impudentia lasciuorum, vt voluptatum saturi, iam non in voluptate, sed in meretricum numero glorientur; tunc magis sublati, cùm copiosiorem illarum præferunt gregem. Proh brutissima carnalium hominum gloria! Meritò talium gloria à Propheta vocatur & fœnum, & flos fœni, vt inde notentur ipsi, quàm sint boues, quàm sint belluæ, & irrationabilia iumenta. *Hierem. 5.* Illos sic pungit Hieremias cap. 5. *Equi amatores, & emissarij facti sunt: vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat.* Hi hominem exuerunt, equinam insaniam in fœminas induerunt; equi certissimè facti sunt, non quicumque, sed equi emissarij; hoc est, equi, qui præficiuntur gregi equarum, vt per voluptuosam vitam instent fœtibus habendis, gaudentes in numero gregum. Quò respiciens Saluianus lib. 7. de gubernat. sic nobiles sui æui Romanos pungit: *Siluian.* *Verè vt emissarij equi non ad paucas tantùm, sed penè ad omnes vernulas suas; id est, quasi ad greges proprios hinniebant, & in morem eorum pecudum, qui mariti gregum appellantur, feruida libidinis debacchatione grassantes, in quancumque eos fœminam primùm, ardens impudicitiæ furor traxerat, irruebant.* Expende, ad effrænatissimam nobilium libidinem ponderandam, illa verba: *In morem eorum pecudum, qui mariti gregum appellantur.* Non satis est viro nobili, quòd maritus sit vxoris, vel quòd vnus alterius fœminæ amore depereat; sed eò tendit lasciui impudentia, vt habeatur maritus gregum, tunc lætior cùm præficitur à sua impudentia gregi meretricum pascendo atque ducendo. Quam profusissimam nobilium libidinem suggillari credit Martinus Delrio noster, in illis verbis *Cant. 6.* Cant. 6. *Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus.* Sic miseri ad omnes feruntur, vt non videantur soliciti de voluptate adimplenda, sed de pascendo & ducendo grege, verè appellati mariti gregum. Quod in Salomone damnat D. Hieron. epist. 132. ad Vitalem: *Hieron.* *Salomon in tantum secutus est libidinem, vt septuaginta habuerit vxores, & trecentas concubinas, & adolescentulas, & scorta passim, quarum non erat numerus; & fuerit, Vt non pr...,iddi Dia, id est, amabilis Domino, sed amator mulierum.* Non satiatur nobilium libido vna aliqua fœmina, sed ad greges aspirat; & tunc solùm contenta est, quando sub gregibus viuit in morem eorum pecudum, qui gregum appellantur mariti.

§. XIII.

Lasciuientes Principum, nobiliúmque animi illis inhiant facetiis, quibus extremè periclitantur.

ECce extrema in hac vita miseria nobilis adolescentis voluptatibus prorsus traditi, nimirum, *Cupiebat implere ventrem suum de siliquis*, &c. Sunt siliquæ apud Bedam sterili suauitate resonantes sermones, de quibus idolorum laudes pulchris carminibus percrepant. Equidem tunc extremè periclitantur nobiles viri, & ingenui adolescentes, quando eorum luxurians gustus eò deuenit, vt totus inhiet & carminibus & facetiis, & verborum iocis, quibus & vitia gratiosiora finguntur, & virtutes, licet non seriò, tamen dehonestantur. *Psalm. 4.* Ad hæc Dauid clamabat, Psalm. 4. *Filij hominum vsquequò graui corde? Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Pertinet ad grauitatem, & indurationem cordis dilectio vanitatis, & mendaciorum inquisitio, qui enim totus inhiat & vanitati, & mendaciis, quare penitus non lapidescat? Sed inter omnes vanitates, & mendacia, illa sunt perniciosissima, quę facetiis carminum, dicteriis argutiarum, & verborum lusibus, & iocis turpitudini fucum faciunt, & virtuti videntur detrahere. Hæ facetiæ hi ioci corda humana valent conuertere in lapidem. Sapienter D. Maximus Taurisen. serm. de Circumcis. ait: *Maxim.* *Cui cum sane sapientibus patet, nihil ibi inesse sanitatis, vbi impia, vbi inhonesta, vbi turpia sunt vniuersa, quæ & faciunt, & loquuntur homines, non audientes clamantem Dauid: Filij hominum vsquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Graue vtique eorum cor est, atque omni impietate depressum, qui per sacrilegos iocos diuina monita illudentes vana diligunt, & falsa iectantur.* Expende, per quid grauetur cor, & deprimatur in omni impietate, nimirum, *per sacrilegos iocos*; garriuntur enim passim inter adolescentum conuentus multa iocosa & faceta, sub quibus & virtutum viæ obscurantur, & ornantur lasciuæ voluptates, & per hos iocos impietas bibitur, & corda bibentium lapidescunt, adeo, vt difficile redeant ad sanitatis temperantiam. Caue hoc periculum, tunc enim quasi extremè de salute periclitaris, quando circa virtutes iocaris, & totus inhias dicteriis, & facetiis, & carminibus; per quos iocos & vana, & falsa, & vitiosa placent. Prouerbiorum cap. 10. dicitur: *Stultus per risum operatur scelus*; quocirca ait Saluianus libro 6. de gubernat. *Saluian.* *Dum inter turpia, ac dedecorosa ridemus, scelera committimus; & quidem scelera non minima, sed ab hoc ipso pœnaliora, quia cum videantur specie esse parua, rebus sunt exitiosis pestilentissima.* Metuo, ne in his iocis sic humanus animus lapidescat, vt nequeat curari. Sanè Sidon. Apollinar. lib. 3. epist. 13. nobili & aulico viro amico suo sic fatur: *Sidon.* *Vnicè probo, gaudeo, admiror, quod castitatis affectu contubernia fugis impudicorum, præsertim quibus nihil pensi, nihil sancti est in appetendis, garriendísque turpitudinibus; quíque quòd verbis inuerecundis aurium publicarum reuerentiam incessant, granditer sibi videntur facetiari.* Et meritò sapiens Episcopus vnicè probat, valdéque admiratur, nobilem virum potuisse reduci ad Christianam temperantiam ex conuentu, & consortio illorum, qui libidinibus appetendis, garriendísque nulli parcunt sacrario; qui valdè sibi blandiuntur de facetiis, de argutiis, de verborum lusibus, & iocis, cum verbis, aut cantibus inuerecundis, & turpissimis publicarum aurium reuerentiam incessant. Adeò hæ siliquæ trahunt gustum lasciuientium iuuenum, vt mirum sit, si possint ab illis separari. Nec otiosè porcorum siliquis has lasciuientium facetias comparamus, quando D. Chrysost. eas & fimo, & stercori comparat, quo misera voluptatum mancipia saturantur. Dux ille Babylonius sic aduersùs Regem Israël clamabat, Isaiæ 36. *Isai. 36.* *Numquid ad Dominum tuum, & ad te misit me Dominus meus, vt loquerer omnia verba ista, & non potiùs ad viros, qui sedent in muro, vt comedant stercora sua, & bibant vrinam pedum suorum?* In qua obsidione redacti sunt obsessi ad tantam miseriam, quòd comederent stercora sua? Nulli vmquam obsessi ab hostili exercitu, dicuntur talia comedisse; sed comedunt ea obsessi à libidine, quoties cantibus, & versibus, & aliis lasciuię facetiis inhiant. Ita D. Chrysost. hom. 38. in Matth. inquit: *Chrysost.* *Quemadmodum sordes, & limus aures corporis obstruere solent: sic meretricij cantus aures mentis solent obstruere, atque immundas facere. quasi enim stercus auribus vestris immittunt huiusmodi colloquia, & quòd Barbarus ille minabatur, dicens: Comedetis stercus vestrum; id nunc multi non verbo, sed re in vobis faciunt, imò verò etiam multò peius, ac fœdiùs. Nam fornicatorij cantus, multò magis, quàm stercora, sunt abominabiles.* Quàm dura obsidione premuntur, & quàm insuperabili, qui coguntur stercora comedere; tam dura obsidione premuntur, & tam insuperabili voluptuosi homines addicti lasciuorum facetiis, & meretriciis cantibus, quibus gaudere, nihil aliud est, quàm stercore saturari.

§. XIV.

Rapinis acquisita bona tota euanida nullam satisfactionem possidenti afferunt.

MIser adolescens cupiebat saturari de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat. Quid intererat, quòd nemo illi daret? Nónne ipse poterat vel à porcorum ore eas rapere & raptis saturari? Raptas ab illo fuisse aliquas ex ore porcorum, putat sapienter Maldonatus, sed non tot, quot necessariæ erant ad saturationem, imò nec ad tollendam famem. Et quidem qui rapinis victitat, nullam satisfactionem, nec plenitudinem capit, quando rapinis acquisita bona, & euanida sunt; & causa maioris famis Iob cap. 20. ex lectione D. Damasc. lib. 2. Paral. cap. 17. ait: *Damasc.* *Multorum imbecillium domos confregit; victum autem pupillorum rapuit,*

rapuit, & non fleuit. Non est ipsi satus in bonis suis. In desiderio suo non saluabitur: non florebunt ipsius bona. Hæc vltima apud vulgatam: *Nec est satiatus venter eius, & cùm habuerit, quæ concupierat, possidere non poterit.* Nullum emolumentum, nullam satietatem rapinæ afferunt: cibus raptus non stat, sed totus euanei, nec ab illo raptores salutem aliquam, vel corporis confirmationem capiunt, sed in grauiorem decidunt famem, quasi nihil gustarint. Quò respicit Iob, ipso in cap.
Iob 2. aiens, secundùm lectionem Græcam: *In vanum autem, & stultè laborauit: diuitiæ autem, è quibus gustabit, sicut herba, quæ mandi, ac deuorari non potest.* Erunt diuitiæ, erunt rapta bona, quæ & ventrem, & os videantur implere posse; sed quæ in veritate non perueniunt ad saturationem. Est optimum exemplum in herba, quæ dicitur striphnus, hæc & manus, & oculos colligentis implet; verùm ori admota, nullam alimenti vtilitatem affert. De quo pulchrè Catena Græca ait:
Caten. Græc. *Qui putat se rapinis locupletatum iri, partis bonis ideò non potietur, quia Deus vindex fortunarum illi possessionem eripiet. Ea verò, quorum causa stultè laborauit, quasi striphnus illi erunt: est autê striphnus herba, quæ mandere conantis linguam reddit asperiorem, quæ mandi nequit, atque ob id ipsum nec deglutiri. Dicit igitur impium nequaquam sua bona decollurum, neque illis planè potiturum: verùm quemadmodum, qui herbam illam sumit, quamuis dentibus exterere magnopere conetur, nequit tamen deuorare: sic, qui frui rebus cupit alienis, nihil lucelli suis laboribus faciet. Minimè enim debes, si tibi omnia abrepta sunt in conspectu: quæ enim rapina fueras adeptus, hæc ipsa iure à te Deus abstulit.* Nullum mihi, crede, lucrum firmum, & stabile venit à rapinis; sed quidquid rapitur, ocyssimè euanet. Potest fieri, quòd prædam facias, quòd bona aliqua rapias; sed non potest fieri, quòd bona rapta tibi prosint, & diu
Prou. 12. tecum consistere valeant. Prouerb. 12. *Non inueniet fraudulentus lucrum.* Septuag. *Non consequitur venationes dolosus.* Hebraicè autem: *Non aduret fraudulentia venationem suarum.* Quod fraudulentus prædatus fuerit, quod rapuerit, non sibi acquiret, nec secum manere faciet. Moris erat Hebræis captarum auium alas adurere, ue auolarent, sed manerent apud aucupem. Quò respiciens Salomon de raptoribus bonorum fatur, quòd venationem suam non adurent; sic enim venient rapta bona in eorum manus, vt antequam detineri possint, auolent. Quæ à Deo data acquiris, ea ex se permanentia sunt, & vtilia, quæ rapis ad effugiendum velociores sunt aquilis, quæ minimè sustinent suas aduri alas. In diem dabatur à Deo manna, adeò vt hodie minimè vellet dare in
Exod. 16. crastinum. Exod. 16. *Sed diuiserunt quidam ex eis vsque manè, & scatere cœpit vermibus, atque computruit.* Erat ne tam exilis substantiæ manna, vt asseruatum in crastinum statim computresceret? Absit; non enim ex natura manna id accidit, quando feria sexta pro Sabbato seruabatur, nec corrumpebatur. Id ex præripientis prouenit manu; vbi enim manna à Deo datum capiebant, incorruptum seruabant: sed quando non datum pro crastino sumebatur, tunc statim corrumpebatur. Sic omnia bona iniustè rapta in celerem corru-
Balduin. ptionem abeunt. Balduin. in allegor. Tilm. *Hoc exemplo de manna damnatur malum auaritiæ, qua pecunia malè parta possessori suo in vermem vertitur.* Sic ille.

Text. In se autem reuersus dixit: Quanti mercenarij patris mei abundant panibus: ego autem hîc fame pereo.

§. XV.

Mentis cæcitas vbi expellitur, statim cœlestis panis odoratur, à quo valdè acuitur mentis perspicacia.

INter glandes porcorum degens miser adolescens, miror, quòd ibi meminerit paternum panem, paternas dapes; ait enim: *Quanti mercenarij patris mei abundant panibus!* Vnde potuit cœlestis panis, cœlestis conuiuij meminisse, qui sic inhiabat porcorum glandibus? Textus ait: *In se reuersus dixit: Quanti mercenarij patris mei;* priùs in se reuertitur, priùs tenebras mentis excutit, & à vexatione recipiens intellectû oculos aperit, vt recognoscat verum patrem, quibus præmissis, vel inter ipsas glandes cœleste conuiuium apparet.
Genes. 18. De Abrahamo dicitur, Genes. 18. *Apparuit ei Dominus in conualle Mambre sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso feruore diei. Cùmque eleuasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum. Quos cùm vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui, & adorauit in terra, & dixit: Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum, sed afferam pauxillum aquæ, & lauentur pedes vestri, & requiescite sub arbore, ponámque buccellam panis,* &c. Sub arbore Mambre conuiuij cœlestis repræsentatur imago, & quod mirere magis, arbor erat ilex, siue quercus, cuius fructus in porcorum alimoniã solet cadere. Cur ergo, ô bone, inter glandes porcorum in querceto conuiuium Dei paras? An quercus, quæ porcis fructum præbet, locum diuini conuiuij, vel vmbræ poterit præstare? Expende, qualis quercus sit, nimirum, quercus conuallis Mambre, & per Mambre explicatur visio, perspicia; vbi enim fugata mentis cæcitate visio est clara, etiam inter glandes diuinum conuiuium potest repræsentari. Ad hæc D. August. serm. 70. de temp. ait: *Ad ilicem Mambre facta est iusto apparitio. Mambre in Latina lingua interpretatur visio, & perspicacia. Vides, qualis sit locus, in quo Dominus potest habere conuiuium? Delectauit enim eum visio, & perspicacia Abrahæ. In tali ergo loco, & in tali corde potest Deum habere conuiuium.* Semper maximè fugit obcæcatas mentes cœlestis, atque diuinus panis: vbi autem cæcitas fugatur, & perspicacia mentis apparet, iam locus est diuino conuiuio paratus, iam odoratur ibi cœlestis panis, qui nullo modo sustinet mentis cæcitatem. Apud Luc. c. 24. Discipuli euntes in Emaus Iesum offenderunt, cum quo fabulabantur: *Oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoscerent.* Et dum castello appropinquarent, ibique manerent, *dum recumberet cum eis, accepit panem, benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum.* Dum fabulantur, colloquiáque de Scripturis intelligendis miscentur, eorum oculi tenentur impediti à Sathana, ne agnoscerent Iesum; vbi autem mensa apponitur, cœleste apparet conuiuium, nullum iam permittitur impedimentum esse in oculis, sed clara, & perspicax efficitur visio. Et cur, quòd inter aperiendas Scripturas permissum fuit apponi in oculis impedimentum, inter frangendum panem non ampliùs esse permittitur? Hoc sanè de virtute cœlestis panis veniebat, qui minimè sustinet cæcitates, nec apparet vmquam, nisi vbi est perspicax visus, & Dei clara cognitio. Chrysost. apud Caten. D. Thom. inquit: *Non incongruenter accipimus hoc impedimentum in oculis eorum à Sathana fuisse, ne agnosceretur Iesus, sed tantùm à Christo facta est permissio vsque ad Sacramentum panis, vt Christus possit agnosci.* Manente cæcitate, non dignè accederet panis diuinus, qui nequit in tenebris comedi, sed media in clarissima luce, & lucidissima notitia veri numinis. Permittútur obtenebrari & mentes, & oculi hominum, sed vsque ad Sacramentum panis; hoc est, vt tenebrarum abolitio sit iam cœlestis conuiuij prænuntia: nec vnquam inueniatur mensæ cœlestis participatio, nisi vbi aperti sunt oculi, & perspicax cognitio Deitatis. Isai. c. 1. aiebat: *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui.* Miraris, quòd bos, & asinus dicantur cognouisse, quando cognitio non debeat attribui pecudibus; sed cùm hæc bruta ad præsepe Bethleemiticum, in quo erat panis viuus de cœlo descendens, erant admittenda, non potuit vel in eis non illuminari Dei cognitio, sine qua ægrè panis diuinus subsistit. Vnde ait D. Chrysol. ser. 159. *Vterque agnouit, quia vterque ad vnum præsepe domini epulaturus accessit.* Tota lux mentis effulgeat, necessum est, vbi cœleste proponendum est conuiuium. Is est enim panis diuinus, qui nequeat in tenebris esse, & amet clarissimam lucem. De parcissimo, & tenuissimo, insuauíque hominis cibo, ait Ecclesiast. c. 5. *Cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris.* Ex quo Thuanus cecinit insuauitatem cibi, inquiens:

——— *Nigrantibus vndique cinctus*
Triste caput tenebris malè gratas vescitur escas.

Quis non insuaues, & tenues escas putet, quæ amant in tenebris glutiri? Atqui suauissimus cœlestis cibus, vt omni suauitate abundans, sic non sentitur, nisi vbi diuinitatis lumen in cordis humani irradiat notitia. Hæc dum in nobis effulgeat, statim vel odoratur panis diuinus. Vt dicat D. Ephr. in serm. de iudicio: *Hoc ergo restat nobis, misericors Christe, vt pleni gratia, & illuminatione gratiæ tuæ accedamus ad calicem tuum, vt proficiat nobis ad remissionem peccatorum, non ad confusionem in die iudicij.* Hæc ille: quasi innuens, tunc comedi cæleste panem non ad confusionem, cùm comeditur inter lumina.

August. Luc. 24. Chrysost. Isai. 1. Chrysol. Eccles. 5. Thuan. Ephrem.

§. XVI.

Nec parua spes salutis nutritur, quæ cœleste conuiuium non respiciat.

IN se reuerti incipit adolescens, & aliqualem salutis spem nutrire, & statim clamat: *Quanti mercenarij patris mei abundant panibus!* Vel paruula salutis spes vbi nutriri incipit;

simul & cogitatus, imò & appetitus incipit cœlestis cibi. Thren 4. Thren.4.aiebat Hierem. *Paruuli petierunt panem, nec erat, qui frangeret eis.* Paruuli sunt,& tamen in sua paruitate iam panem meminerunt cœlestem; non est enim dare vel patuulum de Deo,& salute cogitatum,quin & simul circa panem Paschas. diuinum habendum cura versetur. D.Paschas.lib.4.ait: *Paruuli petierunt panem, scilicet parui cogitatus, cum de Christo, & sempiterna vita concipiuntur, mox requirunt panem illum, qui de cœlo descendit.* Vbi primùm oriuntur, de Deo, & salute vel paruuli cogitatus, iam cœlestem panem requirunt, iam velut catelli diuinæ mensæ micis inhiant. Hinc vocatus Iesus, vt sanaret filiam cuiuslibet Hierosolymitani Principis, cùm illam inuenisset defunctam,voluit etiam illi refundere Luc.8. vitam.Quid tunc? Ait Luc.c.8.*Iesus autem tenens manum eius, clamauit, dicens: Puella, surge. Et reuersus est spiritus eius, & surrexit continuò. Et iussit illi dare manducare.* Alios vocauit Dominus in vitam, nec iussit illis dare manducare;cur huic recenter rediuiuæ cibos apponi iubet? Adolescentem filium viduæ,& Lazarum solo imperio vocis vocat in vitam:puellam hanc & manu tenet,& pane cibat.Cur in puella magis? Exprimebantur ibi prima salutaris spei incunabula.quando primi de Deo, & salute cogitatus, adhuc pusilli,& paruuli, velut infantuli manu trahi indigeant. Ij ergo, licèt adeò paruuli sint, vt manu trahi indigeant, tamen iam requirunt cibum cœlestem, de cuius adipe nutriantur, & viuant. Ex quo fa-Ambros. tur D.Ambros.lib.6.in Luc.*Vtinam meam teneat manum iustitia, spiritum auertat erroris, conuertat salutis, dare mihi iubeat manducare. Panis enim cœlestis Dei verbum est. Inde & illa sapientia, quæ diuini corporis,& sanguinis sacrosancta altaria repleuit alimentis: Venite,inquit, edite panes meos, & bibite vinum, quod miscui vobis.* Expende ordinem, nimirum, priùs petit manu teneri, ab spiritu erroris auerti, & conuerti ad spiritum salutis;tunc cibari contendit cœlesti, & supersubstantiali cibo, hunc enim in primis respiciunt vel paruuli de salute cogitatus:sic Dei sapientia deposcit,vbi sacram mensam instituit vt paruuli haberent,quo possint crescere in sa-Prou 9. lutem. Prou.c.9. *Sapientia ædificauit sibi domum,excidit columnas septem. Immolauit victimas suas:miscuit vinum, & proposuit mensam suam. Misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis.Si quis est paruulus,veniat ad me.*Vinum,& panem in altari proponit,nimirum,corpus,& sanguinem Christi Domini,& paruulos vocat ad cibum,vt innuat,quòd nulla, vel paruula spes salutis possit nutriri,quin saltim animo properet ad hunc cœlestem cibum. Quis non amet cœlestem hanc mensam,panem hunc diuinissimum,ad quam necessum est properent vel paruuli cogitatus salutis,vt vel de eius odore, vel de eius gustu possint nutriri. Nec mireris, quòd sic paruulis, & infirmis panis præparetur, & vinum, habet enim cœlestis hic cibus,etsi robustissimus,& pinguissimus,quod se temperet paruulis,& infirmis. Exod.c.16. de Exod.16. cœlesti pane dicitur: *Appellauitque domus Israel nomen eius Man:quod erat quasi semen coriandri.*Panis cœlestis erat & coriandri speciem referebat, vt ostenderet in se & virtutem panis, & oleris facilitatem, qua posset manducari ab infir-August. mis,& paruulis. D.Aug.ser.91.de tempore,ait: *Tu ergo si vis manducare manna, si cupis suscipere verbum Dei,scito illud minutum esse,& valde subtile, sicut semen coriandri: habet enim in se aliquid oleris,quo nutriri,& recreari possit infirmus,quia qui infirmus est,olera manducet.*Ne cadat animo paruulus,vel ob suam firmitatem, vel paruitatem; sed magis instet in quærendo cœlesti pane, in quo inueniet oleris facilitatem, quam infirmitas capiat,& de qua alatur infantia.

§. XVII.

In Iesu vero, & viuo pane omnia abundant, sine quo esuries est, & penuria.

DE mercenariis patris ait adolescens,quòd abundant panibus; & meritò abundare dicuntur panibus, quando in pane vero, & viuo Iesu omnium abundantia,& immensæ diuitiæ percipiuntur. De Ioseph illo,qui à Pilato corpus Luc.23. Iesu accepit,vt mandaret sepulchro,ait Luc.c.23. *Et ecce vir nomine Ioseph, nobilis Decurio,vir bonus,& iustus,* &c. De eodem, Matth. cap.27. *Venit quidam homo diues ab Arimathia, nomine Ioseph,*&c. Lucas illum de iustitia laudat, Matthæus maluit in eo prædicare diuitias. Et cur Matthæus prætermittés iustitias hominis, solas eius proponit diuitias,nisi vt ostendat, quàm abundare, & ditescere soleat quis, eo ipso, Ambros. quòd Christi Domini corpus accipiat. Ibi D.Ambr.ait:*Hunc Ioseph iustum dixit Lucas, Matthæus diuitem. Et meritò diues hoc loco dicitur,vbi corpus; suscepit Christi suscipiendo enim diuitem, nescit fidei paupertatem.* Imò nullam non nescit penuriam,quando in vno suscepto corpore Christi omnia abundant,quæ humana corda adimpleant. Quid aliud desideret, qui accipit à Deo pro mercede panem viuum, nempe corpus Christi? In eo sunt omnes & diuitiæ,& delitiæ, quibus infinitæ possint & impleri, & abundare creaturæ. Psal.147. *Lauda Hierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion: quia posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te.* Psal.147. Expende, quo dicatur ciuitas Hierusalem impleri, & satiari, nimirum, *adipe frumenti*; sed quid ad ciuitatis abundantiam, & saturitatem, quòd frumenti adeps sit, si cætera alimonia desint, ad abundantiam, & satietatem ciuitatis multa alia requirentur,sine quibus ciuitas infirma erit,& pauper. Cur ergo tota ciuitatis satietas,& abundantia constituitur in frumenti adipe? Non de quolibet frumento loquitur,sed de frumẽto vero,& viuo,nempe Iesu;in quo vno omnium inueniuntur & diuitiæ,& delitiæ, & abundantia. Ait D.Pasch.lib.de corpore,& sanguine Domini,c.9. *Hoc frumentum, corpus videlicet Christi, adipem habet, & non solùm adipem, sed & omnes delitias: ita & potus sanguinis. Vnde,quod de petra mysticè manauit,nunc mel,nunc oleum,nunc aqua,nunc quoque potus dicitur: quia quidquid prægustare spiritualiter potueris, hoc totum ibidem inuenies.* Paschas. Omnia abundant in vno Iesu pane viuo;quidquid concupieris,quidquid conducere potest vel ad delitias, vel ad diuitias, ibidem inuenitur, vt extra hunc viuidissimum panem, sola sit macies,& penuria. Quò respiciens Isai.c.65. *Propter hoc, hæc dixit Dominus Deus: Ecce serui mei comedent, & vos esurietis: ecce serui mei bibent, & vos sitietis,*&c. Isai 65. Esto, quòd serui Dei comedant, cur necessum sit, quòd esuriant cæteri? Cibus seruorum Dei est panis cœlestis, nimirum corpus Christi, quod vbi solis Dei seruis datur, necessum est,vt iis abundantibus,& prandentibus,ad omnes reliquos sola fames restet. Cyrill.Alex.lib.5.in Isai.tom.6. *Comedent enim, inquit, qui seruiunt mihi. At vos esurietis. Nam qui natura,& verè Deum agnouerunt, delitiabuntur verè superis benedictionibus, saginantes corda, accedentes ad viuificam mensam omnium nostrûm Seruatoris Christi, panem vitæ edentes.* Cyrill. Meritò abundantibus, & prandentibus Dei seruis, cæteri esuriunt, qui tota abundantia,& copia in viuifica mensa,& pane Iesu viuo constituta est. Sic soli, qui huic accumbunt mensæ. & comedunt,& saginãtur,& omnium benedictionum cumulo implentur; cæteros & macies, & dira fames premit. Hinc Ioël c.2. *Ecce ego mittam vobis frumentum,& vinum,& oleum, & replebimini in eis.* Ioël 2. Putabant Iudæi in præsenti corporale, & materiale frumentum debere intelligi, quando hæc omnia temporalia bona à Deo solent suis seruis concedi: sed certum est, non agi modo de frumento temporali, sed de viuo,& vero frumento, nempe Iesu. Vnde ergo colligitur, non de frumento temporali, sed de æterno, & cœlesti agi? Certissimè colligitur ex his, nimirum: *Et replebimini in eis.* repleri autem, & abundari bonis homo non potest, nisi in Iesu pane viuo,& vero. Ad hæc Rupert. ait ibi: *Frumentum corporale,vinum,& oleum dona Dei sunt,& nonnunquam timentibus Deum dantur: sed frustrà dantur,& frustra sumuntur, nisi vtentes istis operemur, vel quæramus frumentum illud, quod est Verbum Dei, scilicet Christus. Et vinum, & oleum, quod Samaritanus vulneribus illius, qui incidit in latrones, infudit. Quia nimirum, de talibus veraciter dicitur: Et replebimini in eis. Sola namque hæc sunt, quibus repleri posset vsque ad sufficientiam vacuitas nostræ mortalitatis.* Ruperi. Vt sibi homines persuadeant à solo Iesu posse venire & repletionem, & abundantiam omnium rerum.

§. XVIII.

Et magna Dei virtus est, quòd peccatores per famem, & ærumnas reducantur in bonam frugem;& magna eiusdem ira, quòd vel inter ærumnas adhuc inhæreant vitiis.

REuersus dicitur adolescens iste in se,non ipse ad se tedijt; non enim opus est hominis, posse per famem, & ærumnas reuocari à vitiis, sed id potestatis est homine maioris, potestatis magnæ, & diuinæ. Peccata,& vitia per famem solent augeri, diuendi enim solet pro fame pudicitia, & nulli facinori parcitur pro pane. Superat ergo humanas vires, & magnã Dei arguit potestatem, quòd fames militet Deo,& destruat peccata.Ioël c.2.*Reddã vobis annos,quos comedit locusta, bruchus, & rubigo,& eruca,fortitudo mea magna, quã misi in vos,& comedetis vescẽtes,& laudabitis nomẽ Domini* Ioël 2.

Dei

Deo vestri. Expende verba illa, *rubigo, & eruca, fortitudo mea magna.* Vnde hæc vilissima, & minutissima animacula vocari possunt fortitudo Dei magna? Deo cui militat æther cui Angelorum phalanges assistunt, cui fulmina sunt præ manibus, quomodo possunt & locusta, & bruchus, & eruca numerari inter magnas eius fortitudines? Aduerte, quid post frugum omnium vastationem, & famem introductam à locustis, & erucis sequatur, nimirum, *Comedetis vescentes, & laudabitis nomen Domini.* secuta est post vastitatem, & famem ab erucis, & locustis causatam non morum perditio maior, vt assolet, sed & laudatio Dei, & diuini nominis inuocatio, & scelerum omniũ castigatio: ea quo veraciter dicitur locusta, & eruca fortitudo Dei magna. Magnæ enim, & diuinæ fortitudinis opus est, quòd per famis ærumnas vitia tollantur, & Deus inquiratur. D. Ambros. lib. 3. Hexaëm. cap. 16. fatur: *Magnam suam virtutem in locustis esse dixit Dominus, & brucho, eo quòd diuina maiestate offensa, magno moderamine fertilitatis Iudaica, atque inopia solueretur. Indigni enim erant, qui vterentur fœcunditate terrena, qui terrarum lacesseant Creatorem. Et verè magnus, qui miserabili fame nefas tantæ impietatis vlciscitur.* Quare non magna Dei virtus ostenditur, quæ nullo vibrato ferro, nullo iaculato fulmine, sed vna fame immissa, peccatorum expugnat munimenta, & viam aperit virtuti. Magna est Ducis & sapientia & potestas, quæ absque sanguine per famem cogit rebelles in obsequiũ naturalis Regis venire. Magna itidem est Dei sapientia, & virtus, quando per famem, & inopiam facit, quòd diuinæ maiestatis læsio, & offensa abeat in nihilum. Quòd autem sæuiente fame, & ærumna, adhuc homines non excitentur ad quærendam salutem, id magna est Dei ira, & extremæ perditionis signum. Psal. 75. *Ab increpatione tua, Deus Iacob, dormitauerunt omnes, qui ascenderunt equos.* Deus increpat, leo rugit, & adhuc homines somno incumbunt: sanè nullo magis ostenditur increpantis Dei ira. Præclarè D. August. ibi: *Increpat Deus, & dormis. Magna ira sacrepontis est, magna ira.* Increpatio Dei, supplicium Dei adest, flagellum famis, vel ærumnarum pro foribus est, & tu adhuc vitiorum somno sepeliris, nec inter malorum voces, & gemitus excitaris, vt quæras salutẽ. Quis neget hoc pertinere ad magnam Dei iram? Fallar, nisi qui sub flagello ærumnarũ constitutus, adhuc dormit, non excitatur ad quærendam salutem, non reseruetur tradendus æterno carnifici. Psal. 76. *Dedit ærugini fructus eorum, & labores eorum locustæ. Et occidit in grandine vineas eorum, & mores eorum in pruina. Et tradidit grandini iumenta eorum, & possessionem eorum igni. Misit in eos iram indignationis suæ; indignationem, & iram, & tribulationem: immissiones per Angelos malos.* Vniuersas fruges dum vastat, miserabilissimam famem induxit, & post totam hanc vastitatem, & famem, dicit: *Misit in eos iram suam, immissiones per Angelos malos.* Cur tot calamitatibus addit iram? Cur fame enectos malis Angelis tradidit? Meritò, qui sub flagello famis à Deo immissæ adhuc dormierunt, nec excitati sunt, durissimo gehennæ traduntur carnifici. Rupert. lib. 2. in Exod. cap. 3. *Rectè percussori traduntur Angelo malo, postquam subijci noluerunt per semetipsum corripienti, & decem plagis ad pœnitentiam inuitanti Deo.* Quos plagæ immissæ non excitant ad salutem quærendam, excitabit iam frustrà æterni carnificis flagellum. Huc reuoca dicta tom. 1. lib. 4. cap. 5. §. 8. & cap. 1. §. 15.

Ambros. Psal. 75. August. Psal. 76. Rupert.

Text. Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cœlum, & coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenariis tuis. Et surgens venit ad patrem suum.

§. XIX.

Hoc maximè diuinum est, quod inter ipsas acceptas iniurias, & contumelias, possit benignus, & veniæ largitor credi.

ET cœlestia omnia, & ipsum Deum iniuriis affectum meditatur hic adolescens, & nihilominus inter Dei seruos admitti postulare decernit. Cœlum vides, & simul Deum tuis laboribus offensum, ô adolescens, & munera à Deo petis? Clamas te in cœlum, & Deum peccasse, & inter hæc, dona à Deo obtinere contendis? Cur non magis iniurias Deo illatas abscondis, vt sic securior ab illo beneficia accipienda speres? Sanè is est Deus, & eius spiritus, qui inter acceptas iniurias, munerum largitor possit credi. Apud Gen. cap. 32. cùm Iacob nocte quadam solus oraret: *Ecce vir luctabatur cum eo vsque mane. Et cum præualuisset Iacob, dixit ei Angelus: Dimitte me, iam enim ascendit aurora. Respondit Iacob: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Iacob Angelum superat, & vincit, & à victo benedictionem flagitat: Angelum detinet brachiis, & arctat amplexus, & fortiter constringit, & simul munera benedictionis contendit. Victus aptior est ad effundendas lacrymas, ad gemitus proferendos, ad vindictam meditandam, quam ad munera præstanda. Cur Iacob non magis à victo vindictam sibi timet, & cauet, quàm munera petit? Sanè erat in hoc victo Deus Christus, qui vel inter ipsas iniurias acceptas, munerum distributor potest & credi, & sperari. Rem pulchrè attigit Euseb. Gallian. hom. 8. de Paschate fatus: *Quid est hoc? Qui vincitur, benedicit. In Iacob ergo Iudæorum populus, in Angelo Christus agnoscitur. Præualuerunt ad tempus in Christi passione Iudæi; ii eo impietate sæuientes præualuerunt, quando occiderunt. Ergo cum vicisset Iacob, benedici tamen se à victo posse cognouit.* Quando Deus Christus erat, qui vincebatur, qui percutiebatur, qui iniurias penè innumeras sustinebat sic se gerebat, vt simul omnium benedictionum largitor posset credi. Felix Iacob, felices nos homines talem Deum nacti, quem & offendimus, & iniuriis implemus, & hæc clamantes, & profitentes, certo certiùs credimus, ab illo nos posse & benedictiones, & munera obtinere, impetrare. Quid magis diuinum? Et quid in Deo mirandum magis? Abacuc c. 3. ait: *Domine, audiui auditionem tuam, & timui: Domine, opus tuum in medio annorum, viuifica illud. Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Vbi dicit, *Audiui auditionem tuam*, de ea auditione loquitur, qua Deus apud peccatores malè audit; & vt Rupertus putat, quia iniurias, contumelias, blasphemias à suo populo excipiebat auribus. Vates ergo fatetur, se Deum vidisse impleri contumeliis, iniuriis affici; quid tunc? Timore correptus expectat fulminari? Absit; quin visis iniuriis in Deum iaculatis, clamat: *Domine, opus tuum, viuifica illud.* O bone, tempus est nunc, quo Deus attendat hominum viuificationi? Quando totus apparet positus ad sustinendas iniurias ab hominibus illatas: quando vniuersi in eum contumelias, & blasphemias congerebant; quippe ait Matth. cap. 27. *Prætereuntes autem blasphemabant eum: similiter & Principes Sacerdotum illudentes eum, cum Scribis, & Senioribus. Idipsum autem & latrones, qui crucifixi sunt cum eo.* Nullus est, apud quem malè non audiat Deus, à quo iniuriam non accipiat; & tamen ab illo sic iniuriato, & contumeliis pleno petis, vt incumbat vitæ dandæ? Equidem is erat Deus, qui patiebatur, qui inter ipsas iniurias persequentium posset credi, & cognosci largitor gratiæ. Quod respexere Septuag. legentes hunc locum: *Domine, audiui auditum tuum, & timui: Domine consideraui opera tua, & obstupui: in medio duorum animalium cognosceris.* Et quis videns Deum inter contumelias, inter iniurias à prætereuntibus, à Principibus, ab ipsis iniquis crucis latronibus acceptas, non timeret? Sanè inter hæc timendus Dominus ostendebatur, sed & in hoc magis mirabilis, quòd inter ipsas latronum blasphemias, adhuc largitor gratiæ cognoscebatur, adoptans in filium, illum, qui vt seruus malus erat damnandus. Iniuriæ Dei audiuntur, proponuntur, & inter illas ab iniuriato munera petuntur, sperantur, imò dantur. Chrysol. serm. 68. *Pietatis erga se tanta considerans tanc opera, admiratione tremore concussus est, & pauore Vates. Adoptatum se tunc stupuit in filium, quando perdiderat ipsius fiduciam seruitutis.* Quando vt seruus nequam rebellabat in Deum, innumeráque iniurias iaculabat, quas in se retorquenda timeret, tunc cognoscit cum ingenti admiratione & stupore, se à Deo iniuriato posse benedici, & sentit se in filium aptari. Ad hæc D. Cyprian. serm. de montibus Sina, & Sion, ait: *Tunc Iudæi intellexerunt, se offendisse Deum, & in luctum conuersi sunt, & fuit exacerbatio. Eo enim tempore, quo in ligno crucifixus pependit, dies fuerunt Azymorum, qui sunt dies festi Iudæorum. Eo die metuentes factum e[illegible] c terræmotum, & cæli fragorem, prostrati in faciem, in terra plangentes, in luctu conuersi sunt: & in ipsa passione compleuit propheticum dictum Amos 8. Et conuertam d[illegible] festos eorum in luctum, & cantica eorum in lamentationem.* Cùm maiores contumelias Iudæi in Dominum iactabant, sic Dominus illis ostendebatur, vt ab eo benedictionem obtinendam per lacrymas, & luctum sperarent. Is enim est spiritus diuinus, qui inter ipsas iniurias acceptas credi, & cognosci potest dator gratiarum.

Genes. 32. Euseb. Abac. 3. Matth. 27. LXX. Chrysol. Cyprian.

§. XX.

Vera peccatorum pœnitentia eleuat hominem ad sublimiorem gratiam.

Ecce tibi non paruum veri pœnitentis indicium, nimirum, *Surgam, & ibo*, &c. Vnde enim, & fames & porcorum squalor potuissent surgendi & desiderium, & virtutem suggerere, nisi de pœnitentiæ veræ suffragio? Ij sunt pœnitentis squalores, qui vel aridum truncum in vitam alant, & Cant. 3. ascendere in fructus faciant. Cant. 3. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?* Vbi noster posuit, *sicut virgula*. Septuag. habent, *sicut truncus*, Nyssenus, *sicut virgulta*. Nec admiratione vacat, quòd truncus arboris dicatur ascendere: sanè truncus intelligitur omni radice, & fronde viduatus, & fumo, & puluere obsitus: quomodo potest ali, quomodo potest virtutem ascendendi, & crescendi capere? Quòd à natura non potest fieri, hoc faciunt pœnitentiæ veræ squalores, & labores, qui dum adsint, etiam aridum lignum facient exurgere in fructiferam arborem. Do D. Gregor. Nyssen. Greg. Nyss. hom. 6. in Cant. *Hoc est quod maiorem affert stuporem, cerni caudices in altum ascendere, & crescere. Quod autem alit caudices, non sit terra pinguis, sed squalida, arida, & deserta. In quibnam ergo radices agunt hi trunci, & vnde augentur? Radix quidem eius est puluis aromatum. Desertum vt videtur, est causa, quòd ipsa sicut virgultum ascendat in altum.* Vbi audis myrrheum puluerem, vbi desertum audis, carnísque macerationem, & animi pœnitentiam ibi percipis, non dubites, aridissimos etiam, & deiectos truncos reuiuiscere posse, & velut viuida virgulta exurgere in fructiferas arbores. Vel puluis, & cinis pœnitentiæ valet, vt deiecti trunci exurgant, & mirum in modum augeantur. Psal. 1. Ait Psalm. 1. *Et erit sicut lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium eius non defluet.* Hoc habuit, qui in paradisi consitione plantatus fuit homo, dum ibi erat, dum peccatum non nouerat, proculdubio ligni fructiferi, & succo, & pulchritudine pleni speciem repræsentabat. At postquam à paradiso eiectus, viuido fonte caruit in terra peccati, & maledictionis habitauit, & spinis, & sudoribus additis, vnde potuit succi semper virentis virtutem instaurare? Vnde potuit ad alta consurgere? Quod præstabat viuidus fons in paradiso, hoc in terra peccati præstat & puluis, & labor & squalor veræ pœnitentiæ, quæ vel aridissimos truncos facit exurgere in fructiferas arbores. Ad Tertull. hæc Tert. lib. de pœnit. ad illam exhortans, ait: *Rape occasionem inopinatæ fœlicitatis, vt ille, nihil quondam apud Deum, nisi stilla situlæ, & areæ puluis, & vasculum figuli, arbor exinde fias illa, quæ penes aquas seritur, & in folijs perennat, & in tempore suo fructum agit: quæ non ignem, non securim videbit.* Ecce tibi, quàm inopinata felicitas ab squalore, & contritione pœnitentiæ nascatur; mediante enim illa, qui vel pulueris instar, confracti vasculi iacebat, exurgit in arborem, & ad alta tendens, mirificos salutis fructus affert. Huc traho illud Ioëlis, cap. 2. *Nunc ergo dicit Dominus: Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu. Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* Et cur scindi corda iubet? Cur non magis sibi integra reseruari mandat? An cor scissum magis fructuosum Deo, quàm integrum? Fallar: nisi in pœnitentiæ operibus, arborum augmenta Dominus meditabatur; vt enim scissio, & putatio ramorum solet esse causa, quòd arbor exurgat altiùs, sic vbi pœnitentiæ scissio adsit cordi, fies viridissima arbos, diuite fructu surgens in astra. Et quem pon-driorem, & altiorem vera pœnitentia faciat? Hominem in innocentia constituturum creans Domi- Genes. 2. nus, Genes. 2. *Spirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Verùm hunc prodigum filium in se reuersum, & reuertentem ad patrem, dum excipit pater, *accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum.* Non solùm spirat in faciem eius spiraculum vitæ, sed os ori applicat, & exosculatur. Et cur exosculatur, nisi vt ostendat, maius augmentum gratiæ in pœni- Bernard. tentem delabi? Aiebat D. Bernard. serm. 16. in Cant. *Os ori applicat, iterato spirans in faciem meam spiraculum vitæ sed sanctioris, quam primò. nam primò quidem in animam viuentem creauit me, secundò in spiritum viuificantem confirmauit me.* Sic in reformatione per pœnitentiam altius exurgere solet gratia. Vt dicat D. Chrysolog. serm. 3.

Chrysol. *Apud cælestem patrem filius surgit plus de venia, quàm corruit de reatu.*

§. XXI.

Vera, & vtilis pœnitentia cœlesti innititur Patri.

Verè, & fructuosè pœnitentis consilium illud erat *Surgam, & ibo ad patrem meum*; vanè enim exurgere in altum sperat pœnitentiæ arbor, nisi de accepto fulcro diuini patris. De pœnitentis progressu aiebat Cant. 3. *Quæ est ista,* Cantic. 3. *quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi*, &c. Vbi noster habet, *sicut virgula fumi*; legit D. Ambros. lib. de Isaac, cap. 5. *Quæ est ista, quæ ascendit à deserto, tanquam vitis propago.* Et Ambros. quidem de vite ait Tertullianus, libro de anima: *Video &* Tertull. *vitem adhuc teneram, & impuberem, intelligentem tamen iam opera sua, & volentem alicubi adhærere, cui innixa, & innexa proficiat.* Sic vitis nascitur, vt vel à primis pampinis intelligat, se fulcro egere, à cuius brachijs exurgat in altum. Verè in hoc pœnitentis anima similis viti propagini, quando nullum potest firmum facere gradum, nisi Patris diuini spectet brachia, quibus nitatur. Apud Lucam, c. 23 ascendens Iesus crucem, statim ait: *Pater dimitte illis, non enim* Luc. 23. *sciunt, quid faciunt.* Hæc verba dedit Iesus, hoc petiit à Patre, & in se reuersus latro, ait: *Et nos quidem iustè; nam digna factis recipimus: hic verò nil mali gessit. Et dicebat ad Iesum: Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum. Et dixit illi Iesus: Hodie mecum eris in paradiso.* Ecce tibi latronem pœnitentem, & scelera sua confitentem; qua pœnitentia duce, ad paradisum statim euolauit. Vnde pœnitentia latronis habuit sic in altum ascendere? Sanè id habuit de cœlestis Patris brachijs, vbi enim audiuit latro, diuinum Patrem à Iesu inuocari, ab illóque pro persecutoribus, & blasphemantibus veniam postulare, eam inde scelerum pœnitentiam animo concepit, quæ nullo passionis turbine potuit eradicari, sed facta arbor creuit vsque ad astra. Ad hæc ait D. Hilarius in Psalm. 1. *Huic itaque ligno beatus ille vir* Hilar. *similis fiet, cum translatis latronis in paradisum modò, secùs decursus aquarum & ipse plantetur, & fiet beata illa, & nouella plantatio, quam Dominus significat, cùm de aliena plantatione queritur, dicens: Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus, eradicabitur.* Pulchram, & nouellam pœnitentiæ plantationem Pater diuinus plantauit in animo latronis: de Patris enim nomine audito sic suam pœnitentiam firmauit, vt nullis turbinibus potuerit eradicari. Felix ille, qui ad huius latronis modum pœnituerit, diuinum aspiciens largitorem veniæ Patrem: hæc plantatio non eradicabitur, sed ad perfectam regni possessionem euolabit. Tandem aliquando pœnituit Iudam criminis sui; quid tunc Matth. cap. 27. *Pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos Principibus* Matth. 27. *Sacerdotum & Senioribus, dicens: Peccaui, tradens sanguinem iusti.* Dum dicitur pœnitentia ductus, simul in eo pœnitentiæ bona plantatio recognoscitur; ait enim D. Paschasius, lib. 12. in Matthæum: *Nisi in eo aliqua bona plantationis natu-* Paschas. *ra esset, virtutem pœnitentiæ, ac iustitiæ sentire omninò non posset.* In se aliqualem virtutem pœnitentiæ sentit, & in Iesu virtutem iustitiæ agnoscit, cùm pœnitentia ductus, clamat: *Peccaui tradens sanguinem iusti.* Cur hæc bona pœnitentiæ plantatio non magis adoleuit? Cur tam citò eradicata euanuit? Totus clamans Iesu iustitiam, dum ait: *Tradidi sanguinem iusti*, nihil meminit paternæ misericordiæ, & ideò pœnitentia nihil paternum spectans, conseruari non potuit. Id innuit D. Leo, serm. de passione, aiens: *Mali-* Leo. *gno cordi documentorum misericordia Saluatoris insederat.* Vbi nihil misericordiæ, nihil paternum in Deo meminit, cur funditùs non pereat eius pœnitentia?

§. XXII.

Indignissimum est, quòd nomini facta minimè respondeant.

Filius Dei vocari abnuit adolescens hic, vbi dicit: *Non iam dignus vocari filius tuus.* & meritò: indignissimum enim est, id vocari, quod opera minimè exprimant. Hebræorum nationem de Israëlis appellatione gloriantem, sic pungit D. Basil. Seleuc. orat. 19. *Nomen, quo tu appellaris, Dei co-* Basil. Sel. *gniti argumentum est, vt amplius incredulitatem tuam patefacias. Cur igitur appellationis, cuius virtute cares, contumeliam irrogas? Quid gestas cognomen, quod personæ probro sit? Tacitus appellationem impugnas, & calumnia nomen tuum afficis.* Aduersarium operibus nomen qui portat, non tantum de nominis gloria, quantum de operum turpitudine capit; nescit enim nomen sine re nominis non augere dedecus, non inferre pudorem. Id cauens prudens illa Noëmi,

cùm & ætatis flores, & diuitias amitteret, clamabat Ruth *Ruth 1.* cap. 1. *Ne vocetis me Noemi, id est, pulchram; sed vocate me Mara, id est amaram, quia amaritudine valdè repleuit me omnipotens.* Meritò detrectat vocari Noëmi; vt enim notat Fenardentius maximo illi erat pudori, felicitatis nomen præferre, cùm adeò calamitosa esset. Nec solùm pudorem infert nomen sine renomine, sed & insaniam denotat hominis adeò inane præferens nomen. Hinc Gen. 3. post mulierem *Genes. 3.* addictam morti, post auditam illam sententiam, *Puluis es, & in puluerem reuerteris, & vocauit Adam nomen vxoris suæ Euam, eo quòd mater esset omnium viuentium.* Audit in puluerem reuertendam vxorem, & immediatè vocat eam Euam; id est, vitam, & matrem viuentium, quo nihil insanius putat Rupert. quippe lib. 3. in Genes. cap. 26. ait: *Rupert.* *Et nunc in præsentiarum audiebat, puluis es, & in puluerem reuerteris, & sic vtraque morte, corporis scilicet, & animæ iam mortuus, & adhuc moriturus erat, tam ipse, quàm vxor sua. Quid ergo insanius, quàm in illo talis causæ indicio illam nuncupare Euam; id est, vitam, quæ nec saltem habebat vitam; dicere matrem cunctorum viuentium eam, quæ potiùs mater est cunctorum morientium?* Sanè insanientium est gloriosa nomina iactare, & opera præferre turpissima, & cum vitæ inscriptione ostendere in operibus fœtida mortuorum sepulchra. Quam notatu inu- *Apoc. 3.* rebat Dominus Episcopo Sardis, Apocal. 3. dicens: *Angelo Ecclesiæ Sardis, scribe: Noui opera tua, quia nomen habes, quòd viuas, & mortuus es.* Pulchrè enim abludit nomine Sardis, qui lapis pretiosus est; vulgò *carnelina* dictus, quia viuidæ carnis imitatur colorem, vt notat Rupertus: quasi diceret, in nomine lapis est pretiosus, in re lapis sepulchralis; in nomine velut sarda, seu carnalina viuidum imitaris nitorem, in re velut sepulchri marmor & putredinem, & ossa mortuorum vomis. Quid insanius, quàm velle sic confundere nomina? De sanctissima Virgine, quæ vocabatur Digna, *Eulog.* locutus D. Eulogius, lib. 3. Memor. Sanct. c. 7. ait: *Hæc autem puella cum pro summa humilitate, atque obedientia, inter conuirginales vltimam se iudicaret, esséque incredibili apparatu obsecundatrix, numquam tamen appellari se Dignam patiebatur, dicebàtque eum lacrymis: Nolite me Dignam vocare, sed magis indignam, quia cuius meriti sum, etiam nomine debeo insigniri.* Flebat humillima, & sanctissima virgo, dum se audiebat eo nomine vocari, à quo putabat longè abesse factis. Et re vera, plangenda res est, quòd opera tua minimè correspondeant nominis vocabulo.

§. XXIII.

Salutis nostræ negotia quàm primùm peragenda sunt.

Simul dixit in corde suo, *Surgam, & ibo ad patrem,* &c. & statim subditur, *& surgens venit,* &c. Non in futurum distulit, non turpiter correptus iacuit, sed vt primùm ruinam suam animaduertit, & decreuit surgere, & ire ad patrem, & de facto surrexit, & abiit. Bonus ille pœnitens Dauid, *Psal. 60.* Psal. 60. *Sic psallam nomini tuo, Deus in sæculum sæculi, vt reddam vota mea de die in diem.* Expende spatium adimplendi animi decreta circa salutem facta, nimirum, *de die in diem;* illa ipsa dies, quæ te videt decernentem, vt saluti opera na- *Valerian.* ues, illa ipsa te videat operantem. Ait D. Valerian. homil. 4. *Nunquid dixit, de anno in annum? Sed dixit, de die in diem. Omni ergo die operandum nobis est, debitum autem Deo, & promissum munus non est tempore prolongandum.* Væ, qui ruinam animæ suæ videns, & illam vitare decernit, & nihil agit, vt vitet; sed expectat, & reexpectat. Salutare est, quod animo circa animæ salutem decreueris, statim operibus exhibere; quælibet expectatio maligna est, imò non est expectatio; sed somnolentia, quæ hostibus victoriam decernit. Ausus est Dauid intrare medium Saulis exercitum, & dum per medios milites armatos intrat, nullus in illum arma mouet. Cur sic nullus inimicum præsentem auertit? Ait textus: *Omnes dormiebant, quia sopor Domini irruerat super eos.* Non sufficeret, quòd omnes dormissent, nisi dormissent illo sopore, qui à Deo tradente illos hostibus suis processit. Væ tibi, homo, quando præsente hoste, sic permitteris soporari, vt hastam manu tenens, qua decreueras hostem configere, nihil efficias, sed totus hæreas. Pulcherrimè Saluian. lib. 6. de gubernat. pingit suorum, etiam in periculo mortis viso, *Saluian.* somnolentiam. *Tanta animorum, vel tanta potiùs peccatorum cæcitas fuit, vt cùm absque dubio nullus perire vellet, nullus tamen id ageret, ne periret. Totum incuria, & segnities, & somnolentia possidebant, secundum illud: Quia sopor Domini irruerat super eos; sopor enim infunditur, vt perditio sequatur.* Quid familiarius etiam hoc nostro sæculo? Innumeri vident animæ suæ stragem, norunt imminentem ignem æternum, dæmoniorum exercitus paratos iamiam ad inuadendum, & tanta est cœcitas, vt cùm nemo perire velit, vt cùm omnes decernant perditionē cauere, vix inuenitur, qui faciat, ne pereat. Præ manibus arma habent, quibus hostes confodiant, propè sunt virtutum opera, exercitia sancta sacramentorum iacula; sed sic totos occupat incuria, segnities, & somnolentia, vt videantur illo sopore correpti, quo perditioni destinentur. Psalm. 75. *Ab increpatione tua, Deus Iacob, dormitauerunt omnes, qui ascenderunt equos. Tu terribilis es, & quis resistet tibi, ex tunc ira tua.* *Psal. 75.* Quantum hoc malum fuit ad tantam Dei iram excitandam, quòd paulisper dormitassent? Equidem de virginibus dicitur, Matth. 25. *Dormitauerunt omnes;* & nihilominùs illarum quinque in thalamos suos sunt assumptæ *Matth. 25.* cœlestes. Cur ergo in præsenti diuinæ iræ destinantur omnes hi, qui dormitauerunt? Non solùm dormitauerunt, sed dormitauerunt ab increpatione Dei, dum haberent equos; hoc est, sentientes, & noscentes Deum increpantem, & ruinas, & perditiones minitantem, imò inferentem; & simul ad manum tenentes velocissimos equos, quorum pernicitate euadere potuissent, tamen se somno, & sopore corripi siuerunt, vt nihil salutare perficerent. Qui sopor malignior, & vicinior perditioni? Dormitio hæc, obduratio cordis est. Ait Ruffinus, & pergit: *Ecce ipse Deus Jacob increpat peccatores, intonat iras suas, minatur iudicium, minatur æternales pœnas. Inter tanta tonitrua adhuc dormiunt, adhuc vitam veterem nolunt damnare, neque in nouam vigilare. Duritia enim cordis, obdormitio ista est.* *Ruffin.* Lapideus iste torpor est, & homo qui sic torpet, lapide durior inuenitur, & ira diuina reseruatur fulminandus. Ait Psalm. 72. *Domine in ciuitate tua imaginem eorum ad nihilum rediges.* Cur imaginem eorum, & non magis eos? Equidem ij sunt, qui sub nomine imaginis intelliguntur à Deo conterendi, qui lapideas imagines imitantur in moribus. Vt enim lapidea statua in platea & inter tonitrua, atque fulmina hærens, nec manum mouet, vt caput operiat, nec pedem vt tempestatem fugiat, quo fit, vt fulmine dissipetur. Sic peccatores lapidescunt, vt inter minas Dei, & notissima pericula, cupientes non parire, nihil faciunt, ne pereant, vt qui instar lapidearum imaginum viuunt, instar earum in perditionem veniant.

Text. Cùm autem adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum.

§. XXIV.

Dei misericordes oculi, salutares sunt illis hominibus, qui operibus salutis incumbunt.

Dum in se reuersus adolescēs meliorem iam viam arripuisset, illum venientem pater conspexit, & misericordia motus accurrit illi, & oscula dat. Et quidem & antea illum videbat pater suus, quandoquidem nihil est, quod possit latere oculos diuinos; sed quamuis antea pater misericors filium videret, nec accurrit, nec illi oscula dat signū salutis. Et cur, qui antea videns filium, in nulla, nunc in tot signa misericordiæ mouetur? An modò pater magis pater, magis misericors quàm antea? Absit; pater idem est modò, quàm antea, filius alius est: antea nihil salutis operabatur filius, modò videt illum pater suus currētem in viam mandatorum, & ideò accurrit, & tot misericordiæ efficacis signa pandit. Exod. c. 3. *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audiui, propter duritiem eorum, qui præsunt operibus, & sciens dolorem eius, descendi, vt liberem eum,* &c. *Exod. 3.* Felices, qui sic affecti, sic clamantes sistuntur oculis diuinis, nunquam non à diuinis oculis multa veniunt bona in salutis operatores. Ait D. Basil. Seleuc. orat. 26. sub Dei nomine: *Vidi Israelitarum gregem morbis deuinctum: vidi ouile Dei abyssi in dæmonum diuersorum: vidi gregem à dæmonibus haud secius, quàm à lupis laniatum. Et quæ conspexi, non despexi.* *Basil. Sel.* Nesciunt diuini oculi despicere, quem conspiciunt, præcipuè si operantem conspiciunt. Nouimus Deum in Niniuitas iratum, ad quos Ionas mittitur, qui instantem Dei vindictam insinuet; & ecce Niniuitæ terrore concussi, pœnitentiam arripiunt. Quid tunc Deus? Ionæ cap. 3. ait: *Et vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt de via sua mala, & misertus est Deus super malitia, quam locutus fuerat.* *Ion. 3.*

Vt vidit Deus, vt misertus est; sed vt vidit pœnitentes, vt vidit clamantes, vt vidit nauantes operam acquirendæ salutis. Basil.Sel. Pulcrè D. Basil.Sel orat.12. *Dei namque in homines procliuior aspectus accedentem suspicit pœnitentiam: supplicanti pares, sedat lacrymantem, lamentanti condolet, demisque victoriam reportare iubet.* Maximè, fateor, procliuis est in homines Dei aspectus; sed vbi procliuior est, opera spectat, ne te sine operibus credas diuinis obtutibus. Vnde Exod.cap.2.de Israe- Exod. 2. litis apud Ægyptios laborantibus ait: *Ascenditque clamor eorum ab operibus. Et audiuit gemitum eorum, ac recordatus est fœderis*, &c. Expende, vnde clamor Deo gratus ascendit, nimirum, ab operibus. Id quod notans Origenes, Origen. homil.2.in Cantic. fatur: *Vbi refert, ingemuisse Israelem, non dicit à luto, neque à latere, sed ab operibus suis*, inquit; *propter quod & subiunxit: Quia exaudiuit Dominus gemitum ipsorum, cum vtique non exaudiuit totum gemitum, qui non ex operibus suis clamant ad Dominum.* Dum nihil salutare operaris, vanè speras à Domino salutem: vanissimè tete diuino sistis obtutui, vt ab oculis diuinis saneris, nisi tu operibus salutaribus incumbas. Lucæ, cap.19. de Iesu ad Hierosoly- Luc 19. mitanam vrbem eunte dicitur: *Et cùm appropinquauit, videns ciuitatem, fleuit super illam, dicens: Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi; nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis, quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui*, &c. Ecce tibi, Iesus Hierosolymam videt, imò videns illam sub hostilibus iaculis, sic pientissima eius viscera commouentur, vt ingentem lacrymarum copiam profundat. At inter adeò misericordes, & teneros aspectus, qui misericorditer ad fletum mouetur, nónne & mouetur ad liberandam ciuitatem, ad repellendos hostiles incursus? Absit; non enim ea est Dei misericordia, quæ impœnitentes liberet, quantumuis eos videat, & doleat cruciari ærumnis. Rupertus, lib.1. cap.1.in Rupert. Nahum: *Videns ciuitatem Hierusalem, fleuit super illam, & tamen non liberauit eam, vt non circumdarent eam inimici eius vallo. Impossibile enim est, eum iniustè quid agere, iniustè misereri, vel parcere, nisi præeunte pœnitentiæ humilitate.* Adfuit in Deo misericordia tanta, quæ eum impulit in fletum propter Hierosolymæ mala, & tamen cùm facilè posset, minimè ea auertit, quia nulla erat Hierosolymitis salutis operatio.

§. XXV.

Nuda cuiusque facta inspicienda, vt probari debeant, nisi velis falsò indicare, quod semper homines faciunt.

VEnientem nudum amplectitur, & osculatur pater, postmodum petiturus vestes, calceósque, & annulum, quibus & vestiatur, & ornetur. Et cur non priùs ornari, & vestiri iubet, & vestitum & ornatum amplexu, & osculis excipit? Cur maluit prius oscula porrigere, quàm vestes? Bonus pater, & iustus daturus fauorem osculi, non expectat vestes, & ornatus externos, sed nudum omni extrinseco respectu, filium conuenit; nudè enim, & secundùm se expectari debent cuiusque facta ab illo, qui velit Nahum 1. iustè procedere. Sic de Deo aiebat Nahum, cap.1. *Dominus patiens, & magnus fortitudine, & mundans non faciet innocentem.* Non facilè intelligitur, quid sit, quòd Deus mundans non faciat innocentem; crediderim ego, hoc spectare ad integerrimam æquitatem, & iustitiam Dei, quòd nimirum ipse non mundet, non ornet, vt de solo ornatu eius extrinseco, appareat quis innocens. Vitium est enim familiare hominibus, quòd ipsi mundantes faciunt innocentes amicos, & familiares suos; nihil nudum in illis contemplantur, sed etiam nociuissima facta pro affectus sui optatis, sic vestiunt, sic affictis circumstantiis exornant, sic de communi hominum fragilitate, de subreptione, de inaduertentia philosophantes componunt, vt inter ipsa facinora appareant innocentes. Non sic Deus, non sic iustus, & æquus, sed ablatis coloribus, extrinsecisque respectibus, nuda cuiusque facta respicit, vt improbet, vel probet. Rupert. Ad hæc Rupertus, ibi: *Iustus in eo, vt mundans non faciat innocentem; id est, vt quæcumque mala, vel nociua sunt, auferat, nullam accipiat personam, sed solam respiciat causam, vt eum, quem culpa facit nocentem, et ille sit, qui simul dulces capiebat cibos, homo vnanimis, dux suus, & notus suus, non per proprium fauorem dimittat impunitum velut innocentem.* Non aliter, quam prout in se sunt, nudè sumpta hominum facta permittit Deus sibi sisti, fucos omnes, & ornatus extrinsecùs

venientes prorsus excludit, quo iustam, & æquam approbationem, vel reprobationem facinoribus præstat. Et quis nuda merita inspiceret, nisi Deus? Sanè id non est humani iudicij, penes quod nihil apparet sine fuco, & ornatu iudicantis affectus. Quò spectans Ecclesiastes, cap.3.aiebat: Eccles 3. *Cuncta fecit Dominus bona in tempore suo, & mundum tradidit disputationi eorum, vt non inueniat homo opus, quod operatus est Deus.* Expende, quod opus bonum a Deo inspiratum, & in nobis effectum à nullo homine cernitur, à nullo inuenitur? Quia omnia sæcularia tradita sunt disputationi hominum, non nudè considerantur, non simpliciter inuestigantur; sed præmissis longis ratiocinationibus, à causis, ab effectibus desumptis, quo vniuersa, quæ cupiunt homines, faciunt probabilia. Hoc clariùs attigere Septuag.legentes: *Vniuersa, quæ fecit bona in tempore suo; & quidem omne sæculum dedit in corde eorum, vt non inueniat homo opus, quod fecit Deus.* LXX. Non equidem traduntur hominibus res, prout in se sunt, nudè consideratæ, sed vt prout sunt cordi eorum: hinc nascitur, quòd nullum verum opus inueniatur ab homine, sed fraus vbique nascatur, & deceptio. Ait ibi Author Catenæ Græcæ: *Omne æuum dedit in corde eorum. Hoc pacto de se habet, ac si dixisset; animalem hanc vitam animali hominum vitæ addixit Deus, & idcirca fraus præualuit animæ.* Caten. Græc. Nihil in se inspicitur ab homine, sed iuxta cuiusque affectus, & cordis colores omnia ornata apparent: vnde apud homines rarissimè non præualent deceptiones, & fraudes. Ait Isaias, cap. 59. *Non est, qui inuocet iustitiam, neque est, qui iudicet verè.* Ex Hebræo dicitur: *Non est, qui in iudicem litiget, aut disceptet verè, sed confidunt in nihilo.* Vbi disceptationi est locus, iam adsunt & Rhetorum fuci, & Logicorum fallaciæ, & ratiocinationum apparentiæ, quibus non sola veritas, sed latuæ quædam inanes præualeant. Quæ latuæ solùm vitantur, cùm nuda veritas operis in seipsa, vt iustum iudicem decet, consideratur. Quò refero dicta 2.tom. lib.10.cap.3.§.16.

§. XXVI.

Magna viri præstantia est, quòd vel nudè conspectus, nihil deforme, aut Deo ingratum prætendat.

ANte stolam acceptam nudus adolescens ad patrem ibat, nullo vestium operculo decoratus, & sic in nudum prorsus adolescentem pater incidit, nec cunctatur, sed nudum amplectitur, & osculatur. Sanè primus homo, Genes 3. congressum Dei fugiebat, *eo quod nudus esset*, veritus, Genes. 3. ne, quæ nudè conspici deberent, aliqua ex parte nigricarent, & oculos offenderent maiestatis. Facit ergo ad magnam commendationem huius adolescentis quòd solitariè, & nudè conspectus, nihil habeat, quod Deus purissimus respuat amplecti, & probare. De castissimo iuuene Ioseph dicitur, Genes. 39. quòd lasciuæ fœminæ petitus insidiis, *relicto in* Genes 39. *manu eius pallio fugit, & egressus est foras.* Pallium rapit audax lasciuia à nobili strenuo iuuene, quem nullum abire foras cogit; an quia nudus ostenditur, ideò in eo aliqua deformitas apparet? Absit, imò inde eius gloria maior, quòd nec nudè conspectus, vllam ostendit maculam. D Zeno, lib.1. serm.1. de amore lasciuo fatur: *Hic Iosephum mulier flagitat esse violentum, quem etiam dum denudat, esse non inuenit impudicum.* Zeno. Nullum operculum relinquitur casto iuueni, quo operiatur, nudatus omni fuco, omni colore, omni respectu, exponitur, & nihilominùs ex nulla parte apparet macula, quæ offendat, sed vndique inuenitur probabilis. Iosepho gloriosior Christus ascendit crucem, & nudus vestibus, & omni auxilio sensibili vsque ad mortem nudatus, vt clamet: *Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Quis nudior in mundo? Psal.21. *Foderunt manus meas, & pedes meos; dinumerauerunt omnia ossa mea. Ipsi verò considerauerunt, & inspexerunt me.* Nemo quidem nudior, nemo apertior, & patentior oculis inspicientium, & nemo tunc gloriosior, quando ne tunc aliquis in eo næuus apparuit, quo videretur indignus osculo patris. Ad hæc eleganter Theod serm.10.de prouidentia, ait: *Contra dæmonem litigat propugnator nostræ naturæ Iesus,* Theod. *& ad dirum tyrannum meritò dicit: Captus es, pessime, & tuis proprijs retibus comprehensus es. Dic enim, quare corpus meum cruci affixisti, & morti tradidisti? Quam peccati speciem in me conspicatus es? Quam legis transgressionem vidisti? En diligentius nunc nudum in cruce videns, hoc scrutare.* Magna hæc nostri Saluatoris exultatio, magna eiusdem gloria, quòd omni auxilio, & operimento nudatus, tantam vndique plenitudinem perfectionis habeat, quod nequeat vel à tyrannis improbari

probari. Tanto profectò crescit gloria approbati, quanto nudius ab omni respectu, & fuco consideratur. Quò refero dicta tom. 2. lib. ix. c. 8. §. 10.

§. XXVII.

Cui Deus aliquod beneficium dedit, nisi obstet illi, non cessabit, donec sese totum illi tradat.

Vide beneficentiæ diuinæ augmentum, quo sese extendat: primò conicit pater oculos in venientem à longe filium; ait enim: *Cùm adhuc longè esset, vidit illum pater suus*; postmodum non oculos rantùm conicit, sed & sese totum dimittit; quippe ait: *Cecidit super collum eius, & osculatus est eum.* Ecce totum filio se exhibet pater; vbi enim cœpit aliquod beneficium præstare, nescit sistere, donec sese totum tradat. Cùm Dominus crucifigeretur, eius vestes milites Romani susceperunt, per quos peragebatur nefandum facinus illud. Sic Matth. 27. *Postquam autem crucifixerunt eum, diuiserunt vestimenta eius, sortes mittentes*, &c. Duo etiam alij crucifixi sunt cum Iesu, de quorum vestibus non dicitur, quòd datæ fuerint militibus. Cur de Iesu vestibus singulariter id notatum est? Vt iam inde in Romanis, nempè in gentibus ostenderetur pignus, quòd totus Iesus ad illas erat transferendus, quando vbi Deus vel filum aliquod præstat pignus est, quod & sese totum aliquando præstare velit. Pulchrè D. Damascen. homil. de Sabbatho sancto, ait: *Vestem quoque militum sorti permittit, quòd futurum sit, vt resurgens à mortuis, mittat gentibus, quos ipse delegit discipulos; statque ipse fidelibus diuini baptismatis indumentum. Quicumque enim, inquit Paulus, in Christum baptizati estis, Christum induistis.* Concessæ fuere militibus Romanis Christiani indumenti partes, vt qui postmodum induturi erant totum Christum: neque enim Christus totus non ornare eum, quem semel aliquo dono suo vestiuit. Iam gaudet fidelis, Isai. cap. 61. iuxta lectionem Septuag. *Exultet animus meus in Domino. Induit me vestimentum salutaris, & tunicam lætitiæ. Quasi sponso circumaedit mihi mitram, & quasi sponsam ornauit me ornatu. Sicut terra afferens fructum suum, & sicut hortus gemina sua germinat, sic germinabit Dominus*, &c. Quam ornata apparet fidelis anima? Nempè ornata mitra, ornata tunica, induta vestimento salutaris; hoc est, induta iam totum Iesum; sic enim ex Hebræo redditur: *Induit me vestimento Iesu.* quod bene notauit D. Cyrill. in Genes. lib 9. Sed qualiter tantum vestimentum, nimirum, totus Iesus datus est in fidelium ornatum? Iam explicat Vates, dum ait: *Sicut terra afferens fructum, sic germinabit Dominus*, &c. Terra verno tempore humiles lini herbas progerminat, quæ vbi in terra apparent, non sicut fœnum decidens & arescens; sed & pretiosa carbasa, & byssinas tunicas hominibus induendis aptatas facit sperari. Quæ fœmina io pullulante iam lini germine non meditatur & pulcherrima, & integra indumenta, quibus filij vestiantur? *Sic pretiosus Dominus germinabit iustitiam*; nec primum iustitiæ, salutisque germen à Deo in nos venier, quin, quantum est ex se, totum nos Iesum, salutis vestem induere faciet. Hinc clamat Psalm. x. *Apprehendite disciplinam.* Vbi Tirobosc*us*: *Adorate frumentum.* Iosuper Galatinus: *Adorate fa̅ciculum spicatum.* Tandem Genebrad. & Eugub. *Osculamini filium.* Qui enim semel aliquid Dei apprehenderit, siue herbam, siue frumentum, tandem & per ipsum non steterit, totum filium Dei habebit exosculandum. Quapropter sponsa clamat, Cant. 1. *Osculetur me osculo oris sui.* Cur tam anxiè osculum requirit dilecti Multa eius dona tecceperat, quibus acceptis, nescit quiescere, donec ipsu̅ habeat. Orig. hom. 1. ex quatuor ait: *Omnia beneficia perfecta sum muneribus, quæ dotis titulo ante nuptias sumpsi. Ministrauerunt mihi Angeli, ministrauerunt mihi etiam Prophetæ; propter hoc ad te, Patrem sponsi mei, precem fundo, vt tandem misereatus amorem nostrum, mittas eum, vt iam non mihi per ministros suos, sed ipse per semetipsum veniat, & osculetur me*, &c. Sic post exhibita à Deo dona, potest expectari totus ipse Deus. Huc reuoco dicta tom 3. libro 14. cap. 10. §. 31. & suprà in hoc tomo, cap. 6 §. 13.

Text. Dixitque ei filius: Pater, peccaui in cœlum, & coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus. Dixit autem pater ad seruos suos: Citò proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius.

Matth. 27.

Damasc.

Isai. 61.

Psalm. x.

Cant. 1.

Origen.

§. XXVIII.

Iustus non curat nuditatem, quæ bonis aperitur operibus.

De nuditate filij tegenda solicitus Pater cœlestis, mandat vestes afferri; at filius, qui nudus erat, nihil solicitus est de vestibus; imo nec in eius mentem venerunt vestimenta. Paulò ante dum ruinam suam, & eius remedia meditabatur, solùm meminit mercenariorum panes, solum decernit viam arripere, patrem conuenire, eius pulsare animum precibus, vt admittatur inter mercenariorum greges. Sic venit, sic clamat, sic petit, & inter hæc nudus, non meminit vestes, nec de operienda sua nuditate facit verbum. Cur quam pater mandat tegi, filius non magis curat suam nuditatem operire? Sanè iustus non curat nuditatem, nec illam meminit, dum bonis virtutum, & charitatis incumbit operibus, sciens hæc esse præclara nuditatis opercula. Vnde D. Ambros. lib. de Noe, cap. 31. locutus de viro sapienti & iusto, ait: *Operit, quæ aliter gesta sunt, amictu quodam, & gratia, vel præsentis operis, vel futuri, vt nihil indecorum prætereat, nihil inornatum relinquat.* Non est cura iusto de nuditate tegenda, vbi opera virtutum vel præstò sunt, vel decernuntur facienda, inter quæ nihil nudum, & inornatum potest apparere, quando vel charitas sola regale sit peccatorum operimentum. Præclarè aiebat Paulus ad Philipp. 3. *Quæ quidem retrò sunt, obliuiscens; ad ea verò, quæ sunt priora, extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu.* Quæ retrò erant in Paulo? Puta Ecclesiæ persecutiones, odium Christi, sanguinis Christiani sites, minas, scelera, & alia huiusmodi. Et quomodo hæc poterat Paulus obliuisci? Quomodo non magis illis pungebatur? equidem nuditatet illæ obliuioni penitus dabantur in Paulo, & abscondebantur, dum ille totus incumberet primis operibus charitatis, virtutumque aliarum. Ait D. Ambros. lib. de Noë, cap. 31. *Paulus superiora obliuiscebatur, priora appetebat; sed obliuiscebatur, vt absconderet persecutionis errores, vt tegeret superioris delicta, bonisque operibus obumbraret. Beati enim & illi, quorum ablata sunt peccata; id est, tegantur bonis operibus, & operiantur virtutum sequentibus dissip̃tis.* Poterit vir iustus sua omnia superiora, nimirum persecutiones suas, scelera sua antè acta penitus obliuisci, nullo modo in memoriam vocare, quasi nudatus ab illis, nunc in nuditate perseueraret; sed dum operibus insudaret virtutum, & charitatis, quibus illa & obumbrabantur, & tegebantur. Inter charitatis, & virtutum tegumenta, quis æstimaret, & meminisset peccatorum nuditatem? Sanctissimus, & pussimus Iob, cap. 1. diaboli victor, ærumnarum triumphator, non erubescit, nec reputat nuditatem, quam multis virtutum clarissimarum tegumentis videt celatam; sic enim ait: *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc.* Et quæ fœdior nuditas, quàm illa, sub qua ab vtero matris homines nascimur. Ex tunc nudi, & miserabiles, venundati sub peccato sumus Cur Iob nò magis erubescit illá habuisse miseriam, & nuditatem? Cur non magis clamat verbis illis c. 3. *Pereat dies, in qua natus sum, & nox in qua dictum est: Conceptus est homo. Dies ille vertatur in tenebras: non requirat eum Deus desuper, & non illustretur lumine. Obscurent eum tenebræ, & vmbra mortis, occupet eum caligo.* Quibus verbis, iuxta Bedam & Diuum Thomam, & communem Theologorum sententiam creditur Iob detestatur nuditatem iustitiæ originalis, qua fuit conceptus, & natus. Quam ergo fic detestatur ve penitùs amet illam ignorari; cur non veterus illam meminisse, imò illam in memoriam vocare, cùm ad communem Parentem Deum se videt per ærumnas festinare. Quippè ait: *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc*; nimirum, reuertar ad locum, vbi est Deus verus pater, & mater nostra, vt explicat Clemens in Caten. & Nissen. orat de quadraginta martyrib. Sic non erubescis nuditatem iustitiæ. cùm festinas ad brachia cœlestis Parris: Non equidem crubescit nuditatem, quam videt sub tot virtutum latere operibus, & charitatis. Pulchrè apud Origenem, hom. 1. *Nudus exiui de vtero matris meæ, nudus ibo; nudus, sed peccato; nudus substantia, sed iustitia. Nudus malis; bonis verò omnibus indutus, iustitia vestitus, sanctitate circumdatus, charitate ornatus, misericordia, ac bonis operibus certo natus.* Meritò non reputat nuditatem illam, nec de illa tollenda ostenditur solicitus, etiam cùm ad Deum festinat, quando tot virtutum facinoribus illam videt rectam, & vestitam.

Ambros.

Philip. 3.

Ambros.

Iob 1.

Iob 3.

Origen.

§. XXIX.

De Patre Deo venit, quòd hominum saluti consulatur.

PAter est, qui monet seruos, vt nudo homini vestes prouideant, & ornatus; non enim id meminissent serui, nisi Patrem cœlestem viderent imperantem. Et quidem de solo Deo Patre optimo venit, quod hominum saluti subueniatur. Qui percussum hominem à latronibus in via inuenit, Luc. 10. deduxit in stabulum. (*Luc. 10.*) Quid tunc? *Protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Curam illius habe.* Duo dantur denarij, vt percussi hominis cura habeatur. Sed qui sunt ij duo denarij, per quos hominum cura inseritur menti stabularij? Sapienter duo denarij explicantur per notitiam duarum diuinarum personarum, nimirum Patris, & Filij; de cœlestis enim Patris notitia, & impulso potest venire, quòd hominum cura suscipiatur a creatura aliqua. Origen. homil. 34. in Luc. (*Origen.*) fatur: *Duo denarij notitia mihi videtur Patris, & Filij, & scientia sacramenti, quomodo Pater in Filio, & Filius in Patre sit, qui velut mercedes donantur Angelo, vt diligentius curet sibi hominem commendatum.* Notitia diuini Patris est, quæ diligentiam ministris addit, qua citiùs volent ad homines tuandos, adeò, vt ferè cum diuinæ generationis notitia semper adiuncta sit de hominibus custodiendis commendatio. Hinc Matth. 16. (*Matth. 16.*) *Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus Filius Dei viui. Respondens autem Iesus, dixit ei: Beatus es, Simon Barjona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est.* Sanè Petrus notitiam Patris, & Filij à Patre cœlesti tunc habuit. Quid inde, quòd ex Patre haberet notitiam Filij, & Patris? Iam addit Petri munus Saluator, aiens: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ecce tibi, ex Patris notitia, & confessione, quomodo cura hominum Petro mandatur. Pulchrè D. Chrysost. homil. 55. ait: (*Chrysost.*) *Sublimiora sapere ipsum facit, & Ecclesiæ futuræ pastorem eum constituit.* O quàm à diuini Patris notitia, ad pascendos homines euolauit! Ex quo sublimiora Patris penetrauit mysteria, meritò fit pastor gregis Christiani; à Patre enim acceperat, quo diligentiùs sibi creditos homines pasceret. Quippe singulare de fouendis hominibus studium numquam non venit à diuino Patre. Ioan. 2. dum deficeret vinum in nuptiis, & Maria Virgo defectum Filio Iesu repræsentaret, vt ille pro sua pietate homines, & potentia opem indigentibus præstaret, ait Iesus: *Quid mihi, & tibi est, mulier?* quasi in se dissimulans respectum filij in tantam matrem. Et cur, Domine, respectum hunc ad matrem Virginem dissimulas? Nónne tibi gloriosum est, quòd filius intemeratæ Virginis habearis? Cur mauis tantam gloriam dissimulare? Mauult Deus pro subueniendis hominibus respectum filij ad matrem dissimulare, vt euidentiùs ostendat, non ab alio, quàm a Patre cœlesti se habere, quod pro saluandis hominibus miracula faciat. Ait Beda in præsenti: (*Beda.*) *In eo, quod miraculum facturus, ait: Quid mihi, & tibi est, mulier? significat, se diuinitatem, qua miraculum erat patraturus, non principium temporaliter accepisse de matre, sed ab æternitate semper habuisse de patre.* De Patre habebat Iesus quòd hominibus subueniret per miracula; eo enim, quòd quis de illo cœlesti Patre aliquid habeat, vel noscat, non indiget alio impulsu, sed inde solùm nulla beneficia homini indigenti negabit. Id quod exprimunt etiam verba sequentia in eodem 2. cap. Ioannis, (*Ioan. 2.*) nimirum: *Quid mihi, & tibi est, mulier? Nondum venit hora mea.* Ideò ostendit, se differre beneficium, quia nondum venit hora non differendi. Sed quæ est hora, in qua Iesus non differret hominibus, munera, & dona communicare? Crediderim cum ferè omnibus expositoribus, in præsenti intelligi horam, qua transeat Iesus ex hoc mundo ad Patrem; vbi enim ad Patrem ierit, sederitque ad dexteram Patris, de Patris vicinio habebit, quòd nullum velit hominibus beneficium negare. Sic D. Gaudent. serm. 2. in hoc Euang. fatus: (*Gaudent.*) *Quid mihi, & tibi est, mulier? Nondum venit hora mea. Tanquam si diceret: Quid tam præpropere es, ò mulier, suggerendo, cùm hora passionis mea nondum aduenerit. Post passionem, resurrectionémque meam, cùm ad Patrem redierò, tunc eis donabitur vinum Spiritus sancti.* Equidem non sinet vicinum Patris dona tardari pro hominibus fouendis, iuuandis.

Vide dicta 1. tom. lib. 2. cap 3. §. 3.
& tom. 2. lib. 6. cap. 3.
§. 34.

§. XXX.

Spiritus Dei est, non hominis, qui de suo aliorum defectus velit tegere.

ET pater filium redeuntem exceperat, & cum patre serui etiam aderant, ad quos pater loquitur, vt stolam afferrent filio operiendo; & hoc mirabile, quòd cum filius nudus appareret, & coram patre, & coram seruis, solus pater solicitus inuenitur de veste, de tegumento. Et quidem non hominis, sed Dei spiritus est, qui de suo studet aliorum nuditates, & defectus obtegere. Genes. 9. cùm Noe nudatus in tabernaculo iaceret, à nequam filio irridebatur, *At verò Sem, & Iaphet pallium imposuerunt humeris suis, & incedentes retrorsum, operuerunt verenda patris sui.* (*Genes. 9.*) Prætenso pallio inter amborum humeros incedebant retrorsum, vt patrem operirent; & quid necessum fuit incedere retrorsum? Possent equidem recto, & naturali cursu procedere pallium extensum ante oculos tenentes, quo non viderent patris nuditatem, & illam operirent. Cur maluerunt retrorsum incedere? Sanè dum pergebant patris nuditatem, & fœditatem obtegere, ipso modo pergendi ostendebant, se illud peragere opus, quod inusitatum, & præposterum est humanis moribus. Quid magis præposterum, & inusitatum homini, quàm de suo velle aliorum obuelare defectus? Id sanè non est in vsu hominis, sed Dei spiritus est proprium. Hinc vbi Maria Virgo in Cana nuptiis præsensit, & imminentem defectum vini, & nuptorum verecundiam, cupiens eorum vel paupertatem, vel iniuriam operire, filium conuenit, Ioan. 2. periculum præmonet. Cui Iesus: *Quid mihi, & tibi est, mulier?* O bone, scio, te non permissurum nuptorum manifestari defectum, publicari verecundam inopiam, sed magis facturum, vt hæc occulta maneant. Cur ergo respectum filij ad tantam matrem dissimulas, & quasi ab illa alienum ostendis? Meritò se ostendit alienum ab homine, cùm totus incumbit operiendis defectibus aliorum. Non longè abest D. Gaudent. serm. 2. ad hoc Euang. aiens: *Quid mihi, & tibi est, mulier? Addit ergo diuinam rationem spei communis, ac vitæ: Nascitur Christus non sibi, sed nobis.* (*Gaudent.*) Alienus est ab homine, qui sui non habēs rationem, totum se profundit aliis iuuandis, aliorúmque obtegendis ruboribus. Vnde meritò Iesus, vbi sese accingit ad operiendum defectum vini proximorum, dissimulat natiuitatem hominis, vt extollat mentes ad diuinum ortum: numquam enim ab homine, sed à Deo venit, quòd obtegebantur defectus proximorum. Luc. 10. Samaritanus inuenit hominem iacentem, iaculis latronum confossum, accedit, *& alligauit vulnera eius, & infundens vinum & oleum, &c.* (*Luc. 10.*) Quis erat hic Samaritanus? An homo aliquis? Absit: Deus erat, signa Dei cognosco per sua; non enim solùm infundit oleum, & vinum quod etiam faceret homo: sed insuper vulnera fasciis tegit & operit, ne ab alio videantur, nec sciantur, quod minimè faceret homo. Ait Chrysost. homil. 3. in Lucam: (*Chrysost.*) *Iam teguntur vulnera, quæ fuerant antea nudata. Iam à cœlesti Medico confossa loca ligantur, vt intra semetipsa medicinam retinentia, operante medicamine, pristinæ sanitati reddantur.* Hinc tot moriuntur animæ in manu hominis medici, quia homo totus est in vino mittendo, & oleo, sed nescit operire vulnera fasciis: nescit tegere aliorum errores, quo minimè operante medicamine, rari, aut nulli sanantur. Adest cœlestis Medicus & vbi Dei spiritus adest, nihil prius præ manibus apparet, quàm fascia, quam alligatura, quibus manent obtecta vulnera, & intra semetipsa medicinam retinentia, operante Dei medicamine, multi infirmi recuperant sanitatem.

§. XXXI.

Qui primaria aliqua virtute florent, Dei particularibus fauoribus gaudent.

QVem ad osculum recipit filium Dominus, stola prima meritò vestiri mandat: is enim solet ad præcipuos Dei fauores extolli, qui aliqua primaria virtute gaudent. Nemini dubium est, inter Apostolos, tres sibi habuisse Dominum magis familiares, & præcipuos in omnibus socios. Vbi transfigurandus ascendit montem, Matth. 17. *Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem.* (*Matth. 17.*) Similiter vbi Iairi filia ad vitam erat euocanda. Sed cur ij tres præcipuè à Iesu assumuntur, qui videant eius miracula, qui possint eius gloriam immensam prægustare? Florebat illorum quisque & speciali, & primaria aliqua virtute: Petrus enim primus

Deitatis

Deitatis filij confeſſione meruit Eccleſiæ primatum ; Iacobus & martyrij laurea primus Apoſtolorum ornandus erat : Ioannes poſt Mariam primus in grege Chriſti amauit virginitatem; cui ergo primis fulgebant ſtolis, ad præcipuos Dei fauores erant meritò ſublimandi. Ait D. Chryſoſtom. Chryſoſt. homil. 7. in Marcum: *Quare isti ſemper aſſumuntur, & cæteri dimittuntur? Eligitur Petrus, ſuper quem fundata eſt Eccleſia, & Iacobus, qui primus de Apoſtolis martyrio coronatus eſt, & Ioannes, qui virginitatis eſt exordium.* Non affectus aliquis partialis fauores diuinos ſpargit; abſit hoc à Deo, Deique ſpiritu, quòd ſolùm proprium eſt hominum carnalium. In Dei fauoribus ille primus, qui floret aliqua virtute primaria. Qui ſibi rapit primas virtutum, is & præcipuos Dei fauores ſibi rapit. Quis in Dei fauoribus præſtantior, quàm Iob ? De illo ipſe Deus fit concionator, dum loquitur ad diabolum, Iob cap. 1.
Iob 1. *Numquid conſiderasti ſeruum meum Iob, quòd non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo?* De quo ſic Deus loquitur? Cui tale præconium Deus dedit ore ſuo, quòd non haberet ſimilem in terra ? Sed quibus meritis Iob ad tantum Dei fauòrem aſcendit ? Qua virtute floruit primaria ? Imò in omnibus virtutibus ipſe primus extitit, qui nullum alium viderat imitandum ; quo tantum Dei fauorem ſibi comparauit. Ait D. Auguſt. ex vtroque
Auguſt. mixtim, quæſt. 118. *Non eſt enim Iob ſimilis in terris verus Dei cultor. Quis tantum potuit promereri, cui tale teſtimonium Dominus prohiberet, niſi hic, qui non imitator inuenitur, ſed auctor eorum, quæ geſſit?* Quando ipſe in primis ſibi Deum colendum propoſuit, neminem antea videns Dei cultorem, nullius ſecutus exemplum, meritò in virtute primarius, primarios etiam, & ſingulares Dei fauores accepit. Apocalypſ. 14. de
Apoc. 14. triumphali cœlitum phalange dicit : *Hi ſequuntur agnum quocumque ierit. Hi empti ſunt ex hominibus primitiæ Deo, & Agno* ; qui enim primitias ſe Deo exhibuerunt, non mirum, quòd fiant inſeparabiles laterones Verbi, nec quòd apud Deum primarios ſemper obtineant honores. Similiter Apo-
Apocal. 4. cal. 4. dicit: *Ecce oſtium apertum in cælo, & vox prima, quam audiui, tanquam tubæ loquentis mecum*, &c. Et cuius eſt vox, quæ prima auditur in cœlo ? Sapienter putat Petrus Damianus, quòd vox illa, quæ primò clamauit in deſerto, & prædicauit pœnitentiam, ſit etiam, quæ prima audiatur inter gau-
Damian. dia cœleſtia, quippè ait ſerm. 1. de Ioan. Baptiſta: *Veni ergo ad Ioannem, & audi vocem exultationis, vocem nouitatis, vocem lætitiæ, miſericordiæ verbum, ſermonem gloriæ, gratiæ largitorem; quod celauerat Deus: tacuerat Angelus: latuerat Patriarchas: Prophetæ neſcierant : Pœnitentiam, inquit, agite ; appropinquat enim regnum cælorum. Verbum pœnitentiæ dulce, & glorioſum verbum regni cælorum lætum, & adorandum: illi ſoli primario cantitans, quò primus noui teſtamenti poſuit fundamentum. Hæc eſt illa vox, de qua maximus contemplator cæleſtium viſionum ait: Et vox prima, quam audiui, tamquam citharædorum citharizantium in citharis ſuis.* Cur inter primaria cœli gaudia non reſonet vox, quæ prima clamauit in deſerto, & claſſicum aduerſus peccatum cecinit, & vocauit ad pœnitentiam ? Huc reuoco dicta 1. tom. lib. 2. cap. 3. §. 15. & tom. 3. lib. 14. cap. 1. §. 17.

Text. Adducite vitulum ſaginatum, & occidite : & manducemus, & epulemur, quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit : perierat, & inuentus eſt.

§. XXXII.

In corde à terrenis ad cœleſtia eleuato grandeſcit Deus.

QVi vt vitulus datur filio reuertenti, vt agnus dabatur Iſraeli egredienti ex Ægypto ; ſub vtraque imagine Chriſtus filius Dei exhibetur. Sed cur, dum Iſraeli proficiſcẽti datur, agnus eſt; dum datur filio redeunti, iam vitulus ſaginatus oſtenditur ? Iſraël etiam dum egrediebatur de Ægypto, nihil aliud meditabatur, quàm terram, quàm bona temporalia, & terreſtria: filius hic reuertens nihil terrenum meditatur, ſolùm quærit habere patrem cœleſtem. In corde ergo ſola cœleſtia, & ſublimia requirenti, mirum in mo-
Pſalm 63. dum Deus exaltatur, & grandeſcit. Pſalm. 63. *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.* Ecce tibi, Deus quo ad nos magnam exaltationem recipit: & quando exaltationem re-
Caſſiod. cipit ? Iam ait : *Accedet homo ad cor altum.* ex quo homo cor ſuum exaltat à terra, illudque facit pertingere altiſſima cœli : quò enim cor humanum ad alta erigitur, eò Deus apud illum videtur grandeſcere. Ait Caſſiod. ibi : *Cum dicit: Accedet homo ad cor altum, illos ſignificat, qui res diuinas pia intentione perquirunt, cor enim altum tunc eſt, quando cæleſtia cogitat, & terrena deuitat. Iſte non deficit, ſed magis, magiſque creſcit, & vſque ad hoc peruenit, vt ab eo ſummus, atque omnipotens Deus eſſe credatur, non quod Deus altior fiat, ſed quia in corde ſancti hominis diuinitas conſiderata grandeſcat.* In exaltato corde à terrenis, neceſſum eſt, vt Deus ad maiorem exaltationem appareat excreſcens. Efformet Deum terrena mens, puſillum, iuxta puſillitatem ſuorum conceptuum; in mente autem, quæ nihil amat terrenum, cui ſunt chara ſola cœleſtia, non poteſt Deus ſub ingenti exaltatione, & magnitudine non apparere. Lucæ cap. 1. ait Maria: *Magnificat anima* Luc. 1.
mea Dominum : & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Magnificat, ait de præſenti, *exultauit*, poſuit de præterito; prius enim fuit, quòd Mariæ ſpiritus exultaret in vno Deo ſalutari ſuo, cæteras omnes deuitans exultationis materias, & tunc eius anima magnificatum, & exaltatum Deum oſtendit. D. Ambroſ. lib. 2. in Lucam, ait : *Magnificat autem anima Mariæ Dominum, & exultauit ſpiritus eius in Deo, eo quòd & anima, & ſpiritu Patri, Filioque deuota, vnum Deum, ex quo omnia, & vnum Dominum, per quem omnia, pio veneratur affectu.* Vbi ſpiritus inuenitur, qui nihil terrenum amet, ſed ad ſola aſpiret cœleſtia, ſolúmque cœleſtem Patrem, & cupiat, & veneretur, iam in eo, & exaltatus, & magnificatus vehementer Dominus oſtenditur. Ait Iſaias, capite 6. *Vi-* Iſai. 6.
di Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum, & ea, quæ ſub ipſo erant, replebant templum. Seraphim ſtabant ſuper illud : ſex alæ vni, & ſex alæ alteri ; duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes, & duabus volabant. Hæc videbat Iſaias, ſed & Daniel, cap. 7. ait: *Aſpiciebam, donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit*, &c. Vterque thronum meminit, & Deum ſedentem aſſerit; ſed Iſaias notat thronum excelſum fuiſſe, & maximè eleuatum, Daniel non vidit eleuatum. Et cur non Danieli, ſed Iſaiæ oſtenditur Dei thronus excelſus, & eleuatus ? Oſtendebatur equidem Dei thronus Iſaiæ inter duo Seraphim ſtantia, imò ad ſuperiora, & ſublimiora euolantia : vbi autem Deus inter cœleſtes mentes ad altiora tendentes oſtenditur, non poteſt non oſtendi altior, & eleuatior : quippè ait Gloſſa ibi:
Qui videt Dominum regnantem in cæleſtibus virtutibus, videt Gloſſa.
eum ſuper ſolium excelſum, & eleuatum. Equidem in mente cœleſtia ſola cupienti, & cogitanti, mirum in modum exaltatus, & eleuatus Deus apparet. Hinc Pſalm. 7. ait ad Dominum: *Exaltare in finibus inimicorum tuorum.* Quomodo in fine inimicorum poteſt Deus exaltari? An is eſt Deus, qui creſcat de ruina alterius ? Non creſcit Deus in ruina hominis, ſed in ruina, & fine vitæ carnalis, vbi homo peccator terreni imaginem exuit, & peſſundat bona hæc terrena inimicitiarum ſeminaria, Deum ſolùm quærens, eúmque laudans, tunc in eo Deus incipit apparere magnificatus, & exaltatus. Ait
Aimon in Caten. Lyppomani, ſuper Pſalm. *Tunc exaltatur* Lyppom.
Dominus in peccatoribus, quando illi à conuerſis confeſſio laudis offertur. Felix, qui ſic ad Deum tendit, ſic ad cœleſtia eleuat animam, vt in ea Dominus grandis appareat.

§. XXXIII.

Non minax nimium rigor, ſed manſuetudo ſuauis homines facit in vitam fructificare.

SApienter pater filio ad fructus ferendos immortales diſponendo, non cornutum, & minacem oſtendit taurum, ſed ſuauem, ſed dulcem, ſed ſaginatum vitulum adduci mandat, vt qui ſciat hominem ſuauitate trahi, & ad ferendos fructus conſeruari. Accipite pulchra D. Zenonis verba,
lib. 3. ſerm. 30. vbi ait : *Non torminis ceruice, non toruus fronte,* Zeno.
non minax cornu taurus, ſed optimus, dulcis, blandus, ac mitis vos admonet vitulus, vt nulla captantes angustia, eius ſine malitia ſuccedentes iugo, terrámque veſtræ carnis domando fœcundantes, lætam diuinorum ſeminum meſſem cæleſtibus horreis inferatis. Non taurus cornu minax meſſes facit, ſed manſuetus, dulcis, mitis vitulus, ſeu bos terram findit aratro, fœcundat & in diuites ſegetes abire facit. A tauri cornu etiam contremiſcunt & campi, ſed à manſueti bouis pede omnia im-
plentur vbertate. Exod. 34. *Cùm deſcenderet Moyſes de monte* Exod. 34.
Sinai, tenebat duas tabulas teſtimonij, & ignorabat, quòd cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis Domini. Videntes autem Aaron, & filij Iſrael cornutam Moyſi faciem, timuerunt propè accedere. At de Ieſu meo locutus Matth. cap. 3. ait : *Baptizatus* Matth. 3.
autem Ieſus confeſtim aſcendit de aqua, & ecce aperti ſunt ei cæli, & vidit ſpiritum deſcendentem, ſicut columbam, & venientem

ſuper

super se. A Moyse omnes fugiunt, nullus est, qui propè consistere audeat, cœli penitùs occlusi manent in conspectu illius: at vero Iesum nemo fugit, imò ad eius præsentiam cœlestia iam horrea aperta monstrantur, eius implenda Iesu fructibus. Cur hæc sic accidunt? Cur Iesu horrea cœlestia panduntur, vt fructibus impleantur, Moysi verò omnia occlusa manent? Rationem affert Petrus Damian. serm. *Damian.* de S. Eleuchadio, fatus: *Moyses nempè ad [illegible] indictum, descendens de monte, cornutus apparuit, super Dominum autem in mansuetudinis spiritu columba descendit.* Non ad aspectum cornuti, & minacis tauri horrea cœlestia referantur; sed mansuetudinis spiritus est, qui eas frugum messes facit, ad quas capienda cœlestia horrea aperiuntur, imo amplian- *Prou. 14.* tur. Prouerbior. cap. 14. dicitur: *Vbi plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo bouis;* non tauri cornuti, & minacis furor, sed mansueti, & mitis bouis fortitudo plurimas segetes facit. *Hieron.* Pro quo D. Hieronym. in cap. 3. Abac. fatur: *Vbi plena sunt præsepia, manifesta est fortitudo bouis. Bos operarius est, bos Domini sustentans iugum, bos, in cuius vestigium qui seuerit, beatus erit.* Quod numquam faciet furor tauri, id perficit mansuetudo bouis, à qua & iugum Domini sustentatur, quod frequenter a rigore conteritur; sub qua mansuetudine qui cœlestia semina acceperit, in beatitudinis horrea copiosam introducet messem. Conueniant huc, qui hominum suscipiunt regimen, & intelligant, in quod opus vocati sunt, non equidem vt taurini cornu ventilatione spectacula in dies faciant, sed vt cœlestis vituli compares iugum virtutis sustentent, mansuetudine terram euoluant, & fructiferam *1. Cor 3.* reddant. Hoc docebat Paulus 1. ad Corinthios 3. aiens: *Dei [illegible] enim sumus adiutores: Dei agricultura estis.* Vt bos cum suo compare iugum sustentans se ad agriculturam comparat, sic præfecti omnes se comparare debent ad homines colendos, quasi compares sint diuini, & mansuetissimi iuuenci, & quasi sub iugo positi ligaminibus obsita cornua haberent, vt sic magis culturæ intendant. De quo laudat ami- *Sid. Apol.* cum Sidonius Apollinar. lib. 4. epist. 3 inquiens: *Ergo familiam suam, neque in proferendo alloquio minax, nec in admittendo consilio spernax, nec in reatu inuestigando persequax subiectorum statum, conditionémque non dominio, sed iudicio regit: putes, cum domum propriam non possidere, sed administrare.* Expedita sunt cornua tauri ad spectacula facienda in arena; verùm bos mansuetus vbi in agriculturam accedit, magis impedit cornua, & sub iugo ligaminibus sepelit, ne quid in se rigidum, & timendum ostendat. Non minax, non spernax, non reatuum persequax, non dominans, sed sub iugo seruiens, sic in suis facit crescere virtutum segetes.

Text. Erat autem filius eius senior in agro, & cùm veniret, & appropinquaret domui, audiuit symphoniam, & chorum: & vocauit vnum de seruis, & interrogauit, quid hæc essent. Isque dixit illi: Frater tuus venit, & occidit pater tuus vitulum saginatum, quia saluum illum recepit. Indignatus est autem, & nolebat introire.

§. XXXIV.

Externa negotia, quantumuis pia sint, vix vmquam nociua non sunt animo religioso.

Filius senior numquam à patre discedens, nunc a paternæ domus gaudiis ipse se excludit: audiens enim festa de reditu fratris, non vult in hæc festa introire nec videre patrem. Et quæ causa tam bono filio inseuit stultitiam tantam? Creditur huius insipientiæ causa illis verbis insinuari, nimirum: *Erat filius senior in agro;* hoc est, iuxta Ambros. & August. erat externis negotiis traditus: exteriora autem negotia, etsi pia, ferè numquam non sunt nociua religiosis animis. Propone tibi ob oculos Esau, & Iacob fratres, seniorem illum, iuniorem hunc; tamen iunior primogenia seniori surripuit. Et cur senior primogenia perdidit? Ait textus, Ge- *Genes. 25.* nes. 25. vtriusque mores describens. *Quibus adultis, factus est Esau gnarus venandi, & homo agricola; Iacob autem vir simplex, habitabat in tabernaculis.* Ex quo seniorem in agro facit, exterioribus deditum occupationibus, & negotiis, iam illum in detrimenta primogenij venturum præsagiit. Aiebat Petrus *Damian.* Damian. apolog. de contemptu sæculi, cap. 21. *Esau nisi perna-gus in exteriora se proiiceret, primatus sui priuilegio non careret; Iacob domestica quietis otium tenuit, & diuina largiente gratia, in aliena iura successit: ille venandi labore constrictus, & hoc quod sibi iure competebat, amisit.* Numquam externa negotia, exteriores occupationes non aliquod detrimentum religiosis mentibus inferunt. Quocumque prætextu exterioribus negotiis vaces; siue vt prospicias familiæ, siue communi bono prospicias; siue vt iuuandis proximis vaces, siue vt aliquod obsequium Deo exhibeas, vix fieri potest, quòd ab exterioribus negotiis damnum nullum recipias. Exemplum esto ipse Esau, dum pro acquirenda patris benedictione vigilat, & insudat, & nihilominùs illam amittit. Et vnde amittit? Ait illi pater, Genes. 27. *Sume arma tua, pharetram, & arcum, &* *Genes. 27* *egredere foras. Cumque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum, sicut velle me nosti, & offer mihi, vt comedam, & benedicat tibi anima mea.* Pro obtinenda benedictione paterna foras mittitur, exterioribus ferarum nociuarum venationibus iubetur nauare operam; fallar, nisi inde magis benedictionem amittat. Pulchrè Lyppoman. ibi: *Esau igitur exter-* *Lyppom.* *nis solatiis incumbebat, & negotiis homine non inutilibus, ob feras, & bestias hominibus sæpè perniciosas. Id saulto patri non displicuit, malum non fuit, benedictioni tamen obfuit.* Et cui vel sanctissimo non officiat terrenorum, exteriorúmque negotiorum administratio? Fallar, si quis ab horum fumo aliquam turbationem non traxerit, vt traxit ipsa Dei hospes Martha, dum circa frequens ministerium externum sollicita turbationem incurrit, quæ Dei reprehensione non caruit. Quod si etiam Sancti inter exteriora negotia reprehensionem Dei minimè cauent, qui totos sese penitùs tradunt terrenis his, & temporalibus negotiis, quantum patientur malum? De his via æstimat Deus, quòd perdantur. Monebat Dominus, Zachar. cap. 11. *Vlula abies, quia cecidit cedrus;* in rui- *Zach. 11.* na cedri meritò indicens planctum cæteris arboribus. At Ionæ cap. 3 cùm Propheta indignè ferret, hederam viridantem exaruisse, magnámque inde tristitiam, & indignationem caperet, ait illi Deus: *Putas ne, benè irasceris tu super hederam?* Qua reprehendat vatem, quòd tristetur ad hederæ casum. Sed cur, Domine, pro cedri casu & tristitiam, & planctum haberi mandas, pro hederæ autem ruina vetas Ionam tristari? Cedrus & incorruptibilitate, & altitudine commendatur, quando tota cedrus a terra surgens frondium vertice cœlestia nititur tangere, in quo spirituales viri adumbrantur, qui licèt in terra sint, tamen sola cœlestia nituntur comparare. Ij, si quando cadant, meritò debent saltim lacrymis videntium ornari: at hedera tota reptans, mille brachiolis iactis, terrenos succos exsugit, terram amplexatur, nec a terra surgere valet; per quam exprimuntur homines temporales, terreni submersi negotiis, de quorum casu, & perditione vix permittit Deus, vt dolor habeatur. Væ tibi, temporalis homo, qui totus repens habendis bonis temporalibus, multa enim Dei benedictione, & gratia priuaberis. Filij Iacob decem, dimisso minimo fratre Beniamin apud patrem venerunt Ægyptum, vt frumentum quærerent sibi, quod vt compararent, humi procidentes, adorarunt Ioseph, Genes. 43. *Cum adorarent eum fratres sui,* &c. Quid plura? *Genes. 43.* Ea tunc exclusit illos Deus ne habitaret apud illos; sed in parte Beniamin designauit sibi locum ad habitandum. Ita Græcus apud Lyppom. *Notandum verò, quòd Beniamin, neque* *Lyppom.* *Ioseph, quemadmodum reliqui fratres, adorauit; ideo in partes Beniamin cessit templum.* Vicinium Dei amiserunt terreni homines, bonorum temporalium negotiatores, & adoratores: & templum, & propitiatorium in parte sua habuit, qui non seruiuit temporalitati.

§. XXXV.

Inuidi non sustinent videre fratrem, nec in honoris vmbra.

Audit hic, fratrem à patre honori habitum, & indignatus non vult introire, vt videat: nequit inuidus videre fratrem in honore; imò nec in vmbra honoris sustinet videre illum. Notissimum, & famosissimum est illud filiorum Iacob facinus, quo fratrem suum Ioseph vendiderunt Ismaëlitis. Ait enim, Genes. 37. *Extrahentes eum de cisterna, ven-* *Genes. 37.* *diderunt eum Ismaelitis.* Et quod Iosephi opus fuit causa tanti odij, quòd fratres illum à domo paterna, & à patria facerent exulare? Cur voluerunt sic remouere ab oculis suis iuuenem adeò amabilem? Nullam aliam inuenio causam, præter quam ipsi insinuant, dicentes paulò antè, in eum sese armantes: *Ecce somniator venit*, se in somnis conspexerat bonus

bonus iuuenis, quasi adoraretur, & regiè tractaretur à fratribus, quorum inuidia in tantum creuit, vt minimè sustineret videre fratrem nec in gloria & honore somniato. & ideò illum à patria faciunt exulare. Pulchrè Theodoretus, Theod. serm. 8. de prouidentia, fatur: *Paulò pòst Ismaelitis mercatoribus illum vendunt, cùm in somnis regnantem ne aspectu quidem dignari possent.* Proh feralissima inuidiæ rabies! Sanè aspis dicitur ad vmbram exurgere, & horum inuidia nec adumbratum, nec somniatum imperium sustinent videre in fratre. Verè eorum successores Iudæi in inuidendo Dei Filio, hunc à Iudæis accusatum accipiunt milites, regium quoddam in illo spectrum ridiculum efficiunt, viri purpuræ paludamento induunt, spinis, & arundine pro sceptro, & corona ornant. Quid tunc? Ioan. c. 19. Ioan. 19. *Exijt ergo Iesus portans spineam coronam, & purpureum vestimentum, & dicit eis Pilatus: Ecce homo. Cùm ergo vidissent eum Pontifices, & ministri, clamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum.* Non solùm amant, quòd Iesus interficiatur, sed etiam quòd turpissima ea morte pereat, qua penitùs & ab oculis, & ab hominum memoria eradicetur. Sed vnde adeò fuerint miseri, vt sic Iesum velint eliminari? Vident in eo ridiculi, & ignominiosi regni signa; quæ signa regni vt ridicula, & ignominiosa sunt, sic validiora apparent ad extinguendam inuidiam. Nónne ridiculum illud regni spectrum magis inuidiam sedat? Minimè: ea enim est inuidiæ rabies, quæ non possit ferre vel ridiculam vmbram regni in fratre, sed crescit, & exardescit magis, etiam ad vmbras. August. D. August. tractat. 116. in Ioannem, ait: *Egreditur ad eos Iesus portans spineam coronam, & purpureum vestimentum, non clarus imperio, sed plenus opprobrio. Si Regi inuidetis, iam parcite, quia deiectum videtis. Flagellatus est, spinis coronatus est, ludibrioso veste amictus est, amaris conuitiis illusus est, fremit ignominia, frigescit inuidia; sed non frigescit, inardescit potiùs, & crescit.* Nescit non crescere, & inardescere magis inuidia, dum frater sit vel sub ficto, & ludibundo regno. Non lusus non ludibria, non conuitia patitur inuidia videre in fratre, si hæc quamuis ridiculè regni alicuius meminerint. Quid magis carneis oculis ridiculum, quàm titulus crucifixi Domini? Inter duos latrones cruci nudus suffixus erat Iesus, carnificibus, & in cruce iussus est poni hic titulus: *Iesus Nazarenus, Rex Iudaeorum.* Quid ad hæc Iudæi? Rident titulum? Absit, quinimò etiam ipsi totis viribus conantur, quod titulus tollatur è cruce. Ioan. 19. Ioan. 19. *Dicebant ergo Pilato Pontifices Iudaeorum: Noli scribere, Rex Iudaeorum.* Quos sapienti quæstione Chrysost. Chrysostom. homil. 84. in Ioan. torquet, inquiens: *Quid hoc vobis nocebat, Iudæi? Nihil. Nam si mortalis erat, & imbecillus, & moriturus, quid scripturam timuistis, quòd esset Rex Iudaeorum?* Non equidem ferebat inuidia vel ridiculum, & inanem regni titulum in Iesu videre, & sic illum eradere nituntur. Cyrillus Alexand. D. Cyrill. Alexand lib. 12. in Ioan. cap. 31. inquit: *Non possunt ferre huiusmodi titulum Principes Iudaeorum, sed acri turbati inuidia, regnum pernegant Christi.* Non attendit inuidia, quòd honor fratris sit verus, vel fictus adumbratus, an solidus: si vel efficta honoris imago, vel vmbra, vel somnium appareat, minimè id sustinet inuidus.

Text. Pater ergo illius egressus cœpit rogare illum. At ille respondens dixit patri suo: Ecce tot annis seruio tibi, & numquam mandatum tuum præteriui, & numquam dedisti mihi hœdum, vt cum amicis meis epularer: sed postquam filius tuus hic, qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti ei vitulum saginatum.

§. XXXVI.

Ex ignorantia sui venit, quòd homo vitia carpat aliena, & peccatores abominetur.

QVam peoitus se ignorat, qui ad Deum dicit: *Ecce tot annis seruio tibi, & nullum mandatum tuum præteriui!* Sanè præsumptio hæc est hominis minimè se inspicientis, minimè sua facta scrutantis. A quo etiam naturaliter venit illa statim adhibita fratris abominatio, & reprehensio, nimirùm: *Postquam filius tuus hic, qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus, venit* & illum luxuriæ, & prodigalitatis accusat, & dum sic accusat, non dignatur vocare suum fratrem, sed solùm ait: *Filius tuus hic.* Vnde sic abominatur, & accusat hominem? Ex illo primò, quòd in se nullum voluit aduertere fractum patris præceptum: ex quo enim sua peccata, quæ verè erant, noluit aduertere, noluit inspicere, noluit scrutari, iam naturali motu ferebatur, vt cæteros accusaret, & abominaretur. Proponite vobis ob oculos huius rei præclarissimum exemplum in fornace Babyloniæ, hæc erat penè ad prodigium accensa, cùm mediis stridentibus flammis tres Hebræi pueri religionis ergo immissi sunt. Quid plura? Ait Daniel cap. 3. *Effundebatur flamma super fornacem, cubitis quadraginta nouem: & erupit, & incendit, quos reperit iuxta fornacem de Chaldæis. Angelus autem Domini descendit cum Azaria, & sociis eius, & fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omninò ignis,* &c. Dan. 3. Habebat in se fornax tres pueros, quos minimè tangebat, nec vllam illis molestiam inferebat: verùm, quos Chaldæos extra se inueniebat, hos exurebat. Et cur qui parcebat sibi intrinsecis, exurebat à se distantes, & alienos? Ideò exurebat distantes, & alienos à se, quia sibi intrinsecos minimè attingebat. Acutè, & sapienter D. Chrysostom. homil. de tribus pueris, ait: *Furatus pastus alienos incendium, nam consumpsit, quos propè inuenit, quia ieiunat in suis.* Chrysost. Quid verius, & certius in rem præsentem? Quia fornax in suis ieiunat, ideò furatur pastus alienos, ideò tendit ad distantes exurendos. Sic igneus hominum zelus, quia ieiunat in suis, quia nihil in se reprehensibile aduertit, quia in se reprehendenda non vult inspicere, nec inspecta æstimat, ideò alienos lancinat, ideò proximos exurit, & perdit. Fallar, nisi huc afferri posset illud Psalm. 115. *Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax.* Psal. 115. Per excessum homo protsùs à se alienatur; & quæ vox est hominis à se penitùs alienati, hæc nimirùm, *Omnis homo mendax.* nil prius facit homo, qui à se alienatur, quàm omnes alios homines & notare, & arguere criminum reos. Exemplum cape in Pharisæo illo, de quo Luc. cap. 18. *Pharisæus stans hæc apud se orabat: Domine, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti,* &c. Luc. 18. Vni sibi parcit in correptione, & sugillatione, à se solo excedit, & dum se solùm præterit, omnium aliorum iniustitias percutit. D. Bernard. tractans de gradibus humil. ait: *Quid ille deprompsit in excessu suo? Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri. Dum in se singulariter exultat, aliis arroganter insultat. Nondum de suo trabem eiecerat, & festucas in oculis fratrum enumerat.* Bernard. Dum trabem habeas in oculis, quia interiora tua non videas, quia errores tuos non scruteris, & ponderes, sed totus à tui notitia te alienes, non desines proximos lenocinare, proximorum errores hostiliter persequi. Quos solus ille non attendit, qui scrutandis propriis est intentus. Notissima erat arrogantia prædicti Pharisæi, patentissimæ erant iniuriæ, quas in alios coniiciebat. Quæ omnia ad præsentiam, imò ad oculos, & aures publicani hominis peragebantur, & tamen publicanus ille nec dicitur vidisse, nec audisse. Et cur illa non perspiciebat? Ait Lucas, ibi: *Publicanus à longè stans, nolebat nec oculos ad cælum leuare, sed percutiebat pectus suum.* Hoc erat publicani opus, percutere suum pectus, vt peccata sua videret, ex quo veniebat, quòd de aliorum erroribus nullum haberet sensum. D. Zeno in Psalm. 129. *A quo procedunt vniuersa gratiæ peccatorum pectus crebrò percutiens postulat tantùm veniam delictorum.* Dum sui pectoris piscinam mouet, in eòque notat scaturigines peccatorum, vnum tantum curat, vt sibi veniam acquirat, nil in aliis notans.

§. XXXVII.

Nimij censores errorum proximorum misere permittuntur à Deo cadere in grauiora. Vbi de moderatione in aliorum peccatis castigandis.

FRatrem meretricibus deditum accusat hic senior filius, & simul queritur, sibi numquam datum hœdum; sed hœdus animal petulans est, & lasciuum, cuius sanguinis calore & adamantes soluuntur; imò vt aliquid plus dicam, hœdus inter mercedes meretricias ponitur. Sic Genes. 38. vt Iudas meretricio concubitu frueretur, hœdum promittit: vbi maximè noto, quòd senior hic filius dum meretricios amplexus in fratre, & durè carpit, & abominatur, simul ipse queratur de non accipiendo hœdo, nempè meretricio præmio, voluptatum incentiuo. Et quando non eadem facit, aut maiora, qui nimis persequitur peccata proximorum? Nouisti à Sichimitis raptam, & constupratam Dinam filiam Iacob; sed & vindictam sumptam de voluptuosis raptoribus à puellæ fratribus, Iacob filiis audisti. Quippè ardentissimi & honoris, & integritatis zelatores arreptis gladiis Sichimitas adoriuntur,

adoriuntur, ciuitatem populantur, nec minimo parcit furor eorum dum vindicent facinus voluptuosum. Quid tunc? Vnus ex his zelatoribus, & vindicatoribus Ruben imme-

Genes. 35.

diatè ad hæc, Genes. 35. *Dormiuit cum Bala concubina patris sui.* Sichimitam persequitur, & peremit propter Dinam constupratam, & interea ipse rabidiori, & insolentiori lascinia percitus non veretur ingredi ad patris vxorem. Vnde in tam insuetam lasciuiam incidit, nisi quia nimis rigidus zelator, & persecutor erat Sichimitarum erroris. Solent ij nimis rigidi zelatores puniri à Deo in eo, quòd permittantur incidere in crimina maiora. Lyppom. in Caten. ad cap. 34.

Lyppom.

Genes. *Acerrimi quidem filij Iacob aduersus Sichimitas insiliebant, sed non sine Dei offensa, quam casum maiorem criminum postea vindicauit, cum eorum motor patris cubile fœdaret, longè turpiori scelere, quàm Dina. Sinit enim iustitia Dei tam zelosos in aliena peccata vindices, turpiùs nonnumquam peccare.* Iusta Dei vindicta est in eos, qui nimis acriter proximorum errores persequuntur, quòd ipsi in maiora etiam crimina labantur. Quis nesciat, Iudæos feruentiores esse Sabbati defensores? Sic zelabant religionem Sabbati, vt totis viribus Iesu discipulos accusarēt de Sabbato violato, licèt in paruis. Ait enim Matt.

Matth. 12.

12. *Abijt Iesus per sata Sabbato: discipuli autem eius esurientes cœperant vellere spicas, & mãducare. Pharisæi autem videntes dixerunt ei: Ecce discipuli tui faciunt, quod non licet eis facere Sabbatis.* Ecce tibi, acerrimi inuasores eorum, qui vel in minimis videbantur Sabbatum non obseruare: sed proh dolor, ij ipsi, qui sic Sabbatum obseruant, vt pro eius obseruantia nimij zelatores existant aduersus alios; ij ipsi, inquam, & præcipuum Sabbatum, & omnia sua Sabbata turpiter fœdant, Dei Filium per illos dies morti dantes, vt vel ex hoc crimine sui zeli malitia prodatur. Rem pulchrè attigit

Athan.

D. Athan. homil. de semente, inquit: *Illi, qui Iesum in Sabbato pro crimine abscidebant, ipsi cædem in Dominum ipso Sabbato moliuntur. Refert autem Scriptura in Euangelio de die, in qua Dominus passus est: Erat autem dies illa magna Sabbati. Legis ergo latorem ijdem per Sabbati diem è medio tollunt, & discipulos vesci in Sabbata non permittunt.* Sic finuntur à Deo vindice errare, qui nimis acres sunt circa proximorum errata. Quis ignoret rigidum Petri animum aduersus Christi Domini com-

Ioan. 18.

prehensores? De illo Ioan. 18. *Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum, & percussit Pontificis seruum,* &c. Cur non percuteret Filij Dei comprehensores? At non multum post & ipse Filium Dei abnegat, & iurat, sub eius numquam fuisse disciplina. Cur sic Petrus permissus est, tam nefariè Dominum negare? Fecit hoc seuerus ille rigor, quo absque vlla miserationis memoria putauit percutiēdum Malchum.

Cæsar.

Ait Cæsar. Nazianzeni frater, dialog. 4. *Putabat Petrus illos numquam per pœnitentiam dignos habendos benignitate: permittit ipsum cadere. Dominus, propter percussum Pontificis seruum, & amputatam eius aurem.* Hanc solent habere pœnam nimis rigidi proximorum zelatores, vt ipsi in maiora cadere permittantur. Amat Deus proximorum crimina longanimiter sustineri, & sic puniri à vero Dei æmulatore, vt locus pœnitentiæ detur, & proximi salus possit spectari. Chananæorum semen valdè erat Deo ingratum, & odiosum, propter quod decreuit illud è medio tollere, & eorum terram Israëlitis dare. Ecce rei executio monstratur: venit armata Israelitarum manus illas nationes expugnatura. Tunc ait Sa-

Sap. 12.

pient. cap. 12. *Et misisti antecessores exercitus tui vespas, vt illos paulatim exterminarent. Non quia impotens eras, in bello subijcere impios iustis, aut bestijs sæuis, aut verbo duro simul exterminare. Sed partibus iudicans, dabas locum pœnitentiæ, non ignorans, quoniam nequam est natio eorum, & naturalis malitia ipsorum: & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum. Semen enim erat maledictum ab initio.* Itaque ibat exercitus Israëlitarum, sed ante exercitum ibat vespa, quæ paulatim regiones Idololatrarum pessimorum vastabat, dans illis locum pœnitentiæ, quam illi minimè facturi erant, quandoquidem sic in malitia erant obdurati, vt minimè illam relinquere vellent. Sed quando pessimas noscebat Deus nationes, & earum obdurationem in malis, cur ante exercitum suum præmisit vespas, quæ paulatim vastarent, & locum pœnitentiæ darent? Cur sine vespis antecambulonibus & sine his ad pœnitentiam inductis, non statim exercitum Israelitarum permisit intrare, vt sceleratos conficerent, & eorum regiones expugnarent? Cur maluit, vt exercitus præcederent vespæ sic paulatim vastantes? Voluit Deus, quòd Israelitæ milites dum ferro vsuri erant, ad sceleratas nationes extirpandas, ante se vespas à Deo immissas viderent, à quibus discerent moderationem circa peccatores etiam immanissimos, & sic illos persequerentur, vt non obliuiscerentur humanitatis, sed locum pœnitentiæ darent. Numquam enim Deus aliter cupit, quòd homines eant aduersùs aliorum peccata, licèt sint omnium maxima.

Athan.

D. Athanas. in Synopsi fatur: *Vespas dimisit, & lenitate vsus, etiam illis postea pœnitentiæ locum dedit, per ista populum instruens, vt benignus esset, & humanus, tantra elementorum, ranarum, vermiculorum, locustarum, serpentum, imaginum ex auro, argento, lapidibus, aut ligno fabricatarum, adoratores.* Etsi potestatem habeas aduersùs scelestissimum peccatorem, cuius impœnitentiam scias, quem obduratam noscas, & semen esse maledictum: tamen caue, quòd sine humanitate, & benignitate in illum insurgas, non dans ei locum pœnitentiæ. Numquam, mihi crede, à Deo venit hominibus gladius aduersùs aliorum peccata, quamuis omnium maxima, qui non exerendus sit magna longanimitate, & expectatione, vt locus pœnitentiæ possit dari. Iussus agricola succidere sterilem ficum, ait, Luc. 13. *Domine, dimitte illam & hoc anno, vsque*

Luc. 13.

dum fodiam circa illam, & mittam stercora, &c. Et falcem habebat bonus agricola, & iussus erat sterilem succidere, & nihilominus cunctatur, & rogat, & succisionem dilatari. Cur non magis Deo iubenti obedit? Cur non magis quàm Deus mandat exerit facem? Nouit Dei imperium de vlciscendis aliorum peccatis quanta moderatione & expectatione exhibendum est. Ex quo D. Nissen. hom. in eos, qui alios acer-

Nissenus.

biùs iudicant, sic monet potestates: *Noli igitur esse tam facilis ad amputandum, & excindendum, tu, qui Dominum, ac ... debes obsecrare, neque tam celeriter desperandum existima. Diligentiam adhibita, reprehensionibus circumfodito, cohortationibus ... tanquam fimo: documentorum, quasi aquarum copia irrigato: præceptis, vt vallo communito.* Sic ibi, vt doceat, quanta cum longanimitate debeant castigari proximorum peccata.

Text. At ille dixit: Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt, epulari autem, & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus est.

§. XXXVIII.

In Iesu præsentia nullum deficit nobis Dei bonum.

EXpende sequelam: *Tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt.* ex quo quis cum Deo sit, Dei præsentiam fruatur, omnia Dei bona habet. Nescit equidem Deus vlla bona sua negare iis, quibus præsens efficitur, Matth. 15. ait Dominus,

Matth. 15.

Misereor turbæ, quia iam triduo perseuerant mecum, & non habent, quod manducent, & dimittere eos ieiunos nolo. Hæc fatus accepit septem panes, & paucos pisciculos, quos fregit, & distribuit per quatuor millia hominum, exceptis paruulis, & mulieribus. *Et comederunt omnes, & saturati sunt. Et quod superfuit de fragmentis, tulerunt septem sportas plenas.* Ex quo tanta vbertas, & alimenti copia nata est, cùm panes adeò pauci essent? Vbertatis causam insinuat Dominus cùm ait: *Iam triduò perseuerant mecum.* Vbi enim Dei præsentia asseritur, necessum est, vt exuberent omnia Dei dona. Ait D. Basi-

Basilius Seleuc.

lius Seleuc. orat. 33. *Aderat enim, qui terra latera ad fructificandum excitat: aderat, qui cœlum nubibus circumuestit: aderat, qui artis industriam mortalibus est elargitus: aderat, qui portat omnia verbo virtutis suæ: aderat in ea, quam gestauerat carnem, fidem præsentia faciens.* Hoc sufficit scire, nimirum, quòd diuina præsentia sit, quòd velit Deus credi præsens, vt omnia eius superefluant bona, & ab eo in homines proficiscantur. Quis Deum sibi præsentem, & proximum habere potest, & potest egere aliquo? Matth. 3. de Iesu, dum inter multos alios egentes fonte, & maris ad lauacrum, baptisma suscipit Ioan-

Matth. 3.

nis, ait: *Baptizatus autem Iesus confestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt ei cœli: & vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se. Et ecce vox de cœlis, dicens: Hic est filius meus,* &c. Ecce tibi, & Pater, & Spiritus sanctus sese ostendunt Iesu, assistentes tunc præcipuè, cùm ascendit de lauacro. Et cur hanc ostensionem magis facere voluerunt in Iesu baptismate, quàm in Iesu natiuitate, quàm in Iesu circumcisione? Nonne in Iesu maius natiuitatis opus, maius & circumcisionis, quàm baptismatis opus? Sanè maius opus circumcisionis, & natiuitatis, sed & plenius signis diuinitatis; in illo enim sic ostendebatur pauper Dominus, vt simul ostenderetur habere Angelorum famulatum. In baptismo sic adfuit Iesus, quasi vnus è populo; quasi vnus ex his, qui egerent lauacris: vnde, sese tunc illis assistentes ostendunt Pater,

Pater, & Spiritus sanctus, vt de tanti Patris præsentia alateret nulla posse filium inopia premi, sed omnium copia abundare. Ait D. Basil. Sel. orat. 39. *Fluuius (vt iustam circumdedit, baptizatum verò supernè fontis acclamatione prædicabatur; & ne eum ipsum, qui baptisma in Iordanis fluento primum instituit, gratiæ inopiam secum detulisse, verbis vrgeas. Ideo Pater cum clamore præconium fecit, Spiritus volatu indicium.* Expende, cur Pater dicatur sese in Iesu tunc ostendisse, nimirum, *Ne baptizatus gratiæ inopiam secum detulisse diceretur.* Quasi implicaret, alicuius esse inopiam in eo, qui secum tantum habebat Patrem, cui sic vndique diuinitas astaret. Nequit sanè cum diuinis personis esse consuetudo, & vacuatas manere manus. Quò spectans D. Ioan. 1. epist. c. 1. ait: *Quod fuit ab initio, quod vidimus oculis nostris: quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ.* Vbi Verbum diuinum in carne apparuit, nobiscum habitauit: ex tanti Verbi consuetudine, & præsentia non potuerunt vacuæ esse nostræ manus, sed & manus nostræ contrectauerût de Verbo vitæ. Et quid contrectarent manus nostræ, nisi omnem plenitudinem bonorum, quæ à Deo in homines cadit? Rutic. lib. 2. ep. 53. *Hoc erat illud Verbum, quod sine tempore à Patre genitum in tempore creatum ex matre, vt creator fieret; vt esse possit humanitatis quædam portio, diuinitatis totius plenitudo.* Ex quo nobiscum Deus habitauit, & nos cum Deo; datur, vt sit portio hominis, diuinitatis totius plenitudo, ne aliquod Dei bonum deficiat, vbi tanta est cum Deo familiaritas, & consuetudo. Hoc curet homo, vt cum Deo sit, & Deum secum habeat, & omnia bona habebit atque omnia mala fugient. Psalm. 130 inquit: *Posuisti tenebras, & facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiæ siluæ. Catuli leonum rugientes, vt rapiant, & quærant à Deo escam sibi. Ortus est Sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur.* Expende, quid in absentia Solis, & quid in Solis accidat præsentia: absente Sole, omnes bestiæ siluarum insurgunt, quæ ad ortum Solis diffugiunt. Sic absente Deo, sic absente Christo, multa nos mala turbant quæ nequeunt permanere, vbi nobis illucescit Christus. Cassiodor. in præsenti fatur: *Cum in passione Domini nostri factæ fuissent tenebræ, dæmones ad escam sibi quærendam, permittente Domino, prorumpebant, quia inuenire poterant corda titubantium. Tunc autem quando ortus est Sol, id est, resurrectio sancta declarata est, maiestatem eius minimè sustinentes, in suis se trepidis cubilibus abdiderunt.* Quantum valoit diabolus in discipulos Christi, in eius passione, in eius morte? Rediit ad vitam Saluator, cœpit cum discipulis conuersari, & statim fugit malus, & cœlestia dona cœperunt abundare.

Basil. Sel. — Ioann. 1. — Rutic. — Psal. 130. — Cassiod.

CAPVT XVI.

De villico iniquitatis.

QVANTA industria, & diligentia adhibita debeant peccatores ad Dei gratiam redire, pulchrè ostenditur in parabola villici. Hic iniquè munus suum exercuit, & adeo iniquè, vt iamiam sibi à domino suo videret imminere supplicium. Quid tunc? Cùm ipse domino satisfacere non possit, non cadit animo, non otiosus decumbit; sed datis litteris, & cautionibus, aliorum debita leuat, vt de beneficio villici leuati cæteri debitores facti iis ipsi pro se satisfaciant domino, & postea gratias referant villico, eius procurantes salutem. Quid prudentius? Hoc videant peccatores, & cùm debiti sui onere se premi videant, ne otio torpeant, sed toto conatu aliorum proximorum onere, quæcumque sint, curent leuare ipsi; licèt in iis impendant & operam, & substantiam suam: quotquot enim vel à paupertatis, vel ab alio pressuræ onere leuauerint, tot habebunt ora, quæ pro illis stent apud diuinum iudicem.

Luc. 16. Homo quidam erat diues, qui habebat villicum: & hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius.

§. I.

Viris bonis cura debet esse de bona fama habenda.

NOn absolutè asseritur villicus iste, quòd dissipasset bona domini, sed solùm dicitur diffamatus, quasi dissipasset. Iniquũ est non solum quòd male agas, sed & quòd diffameris, quasi malè agas. Bonus enim vir non solùm debet mala absolutè non agere, sed & curare, ne diffametur, nec habeatur quasi malefactor. Paulus 1. Thessal. 5. monet: *Ab omni specie mala abstinete vos.* Pro quo D. Bernard. lib. 3. de consid. sic monet Eugenium Pontif. Max. *Sanè interest tuæ perfectionis, & malas res, & malas pariter species deuitare. In altero conscientiæ, in altero famæ consulis.* Et vix tua conscientia, bonæ non consulitur famæ. Anna illa Samuelis mater dum oraret ad Deum, quasi ebria apparebat: vnde ait illi Sacerdos 1. Reg. 1. *Vsquequo ebria eris? Digere paulisper vinum, quo mades.* Quid ad hæc verè humilis, imò humiliata fœmina? Sustulit ne haberi ebria à Sacerdote? Ait ipsa ibi: *Nequaquam Domine mi, nam mulier infelix nimis ego sum, vinumque, & omne, quod inebriare potest, non bibi, sed effudi animam meam in conspectu Domini. Ne reputes ancillam tuam quasi vnam de filiabus Belial.* Et cur verè humilis fœmina non magis contemnit, ebriam æstimari? Cur tantis contendit sinistram de se conceptam opinionem eradere? Boni sanè, virtuosique animi est, fœdam minimè sustinere maculam inuri famæ, sed de bono nomine cum moderatione curare. Chrysost. hom. de fide Annæ ait: *Multam adhibet curam, ne à sacerdote malam referat opinionem, nec apud se dixit: Quid mihi cura istius calumniæ? Ignoranter, & temerè accusat, suspicatus, vbi nihil erat opus. Mea conscientia pura esto, & omnes me traducant. Sed Apostolicam illam implens legem, quæ iubet, vt prouideamus bona, non tantùm coram Domino, sed etiam coram hominibus. Atque omni modo suspicionem depulit.* Inter maximas animi sui curas, pro quibus bona fœmina ad Deum orabat, non parui momenti rem putauit, si suæ consuleret famæ; imò paulisper orationem, & supplicationem suam distulit, totùmque impetum spiritus sistere fecit, dum malam de se conceptam opinionem frangeret. Ea enim debet esse iustis hominibus cura, non solum vt in virtutibus acquirendis fortiter se gerant, sed vt nullam specie mali inurant maculam famæ. Quò forsan spectabat Psalm. 92. aiens: *Dominus regnauit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem,* &c. Duo vestimentorum genera induendo Domino aptat, aliud fortitudinis, decoris aliud. Sed quæ fortitudo, & qui decor pro indumentis sumi debent à iusto Dei æmulatore? In fortitudine intellige virtutum operationes, in decore splendorem bonæ famæ, iis duobus componitur gloria iusti animi. Vnde D. Bernard. lib. 3. de consid. ait: *Tu quoque esto fortis in fide, decorus in gloria, & probasti te imitatorem Dei. Fortitudo tua fiducia bonæ conscientiæ: decor tuus, splendor bonæ opinionis. Iam quæso, induere fortitudinem: induere vestimentis gloriæ tuæ: istis duplicibus, quibus domesticos suos fortis illa mulier induere consueuit. Non sit in conscientia nutans infirmitas modicæ fidei; non sit in fama naeuus malæ speciei, & vestieris duplicibus, & gaudebit sponsus super sponsam animam tuam; & gaudebit super te Deus tuus.* Non sic de conscientiæ puritate gaudeas, quòd penitus contemnas næuos in fama; vtriusque debes curam agere qui turpem oculis diuinis timeas incurrere nuditatem. Non fortis est anima, cuius domestici vestiti duplicibus non sunt, ex Prouerb. 31. hoc est, cuius opera cùm sint bona, non etiam omni mala specie, & suspicione carent. Id in matre sua Dominus maximè custodiuit, eius enim annuntiationem narrans Luc. c. 2. ait: *Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro* &c. Virgo eligitur ad Dei partum: sed virgo desponsata homini; & cur virgo eligitur homini desponsata, nisi vt eius grauis vtero appareret, vt virgo pura erat in opere, sic nullam speciem corruptionis ingereret famæ. Pulchrè ad hæc D. Ambros. lib. 2. in Lucam fatur: *Virgo eligitur, vt expers virilis consortij videretur, desponsata, ne temeratæ virginitatis aduereretur infamia, cui grauis aluus corruptelæ videretur insigne præferre. Maluit autem Dominus aliquos, de suo ortu, quàm de matris pudore dubitare: sciebat enim teneram esse virginis, & lubricam famam pudoris, nec putauit ortus sui fidem matris iniuriis adstruendam. Seruatur itaque sanctæ Mariæ sicut pudore integra, ita inuiolabilis opinione virginitas.* Non esset digna mens, in quam Deus veniret, quæ iis duplicibus ornamentis non esset vestita, nimirum & conscientia virtutis, & opinione bona incontaminatæ pudicitiæ.

1. Thess. 5. — Bernard. — 1. Reg. 1. — Chrysost. — Psal. 92. — Bernard. — Luc. 2.

§. II.

Dei dona dum publicantur, perduntur.

DIffamatus est hic villicus, quasi domini bona dissipasset: nec immeritò Dei bona quasi dissipata dicuntur, cũ per

famæ ora volitare intelliguntur; sufficit enim hoc ad Dei dona perdenda, ad Dei fauores dissipandos, quòd eos fama loquatur, & euulget. Hinc Abacuc, c.3. iuxta Septuag. ait: *Custodiui, & expauit venter meus à voce orationis labiorum meorum.* Expende illud, *custodiui*, antequam se sistat Domino, antequam labia in oratione moueat, antequam aliquid & pauendum, & mirandum in oratione percipiat à Deo, iam præparat custodiam, iam se accingit ad custodiendum, ad obseruandum. Cur oraturus tam festinatã parat custodiam? Scit, diuina dona vel sui publicatione, & eulgatione deperdi, & ideò cum orationi incumbit, aliquid diuinum accepturus, de nullo magis curat, quàm de adhibenda custodia. Prima illa hominum parens dum diuina colloquia euulgat, & serpenti prodit, perdidit omnia: ex quo metuenda venit viro iusto diuini publicatio colloquij. D.P.Chrysol.ser.68. ait: *Custodiui, inquit, & expauit venter meus à voce orationis labiorum meorum. Postea quàm diuini muneris senserat largitatem, custodiuit se, ne se hostem, ne inimicum, ne latronem se iterum sicut in paradiso sustineret.* Dum sub custodia mansit Dei cum hominibus colloquium, ipsáque Dei munera data homini in paradiso, omnia humana procedebant prosperè: malesuada fœmina omnia perdidit, omnia euulgauit; sic omnia perduntur, quasi inciderent in latrones, & in crudelissimos hostes. Cautior inde factus Propheta, vbi Dei largitatem experitur, vbi à Deo in se profecta sentit bona, ori custodiam adhibet, ne publicetur, vel se ipsum timens latronẽ. Maximum enim detrimentum facit, imò maximè Deum lædit, quisquis eius publicat occultanda bona. Psal.118. *In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* Expende, quod damnum præcauet, dum eloquia Dei abscondit; præcauet damnum non homini, sed Deo inferendum; quippe ait: *Vt non peccem tibi*, quasi in euulgatione, & publicatione diuinorum præcipuè Deum offendat homo. D.Hilar. in Psal.118. littera Beth, ait: *Cùm cætera peccata secundùm differentias rerum, aut in nos ipsos, aut in alios exercentur, tamen tum fiunt in Deum propria, cùm quæ occultorum cordium essent condenda secretè, hæc in profanæ cognitionis scientiam proderentur.* Huc conueniat aliquorum vanitas in publicandis Dei donis: huc etiam conueniant multi viri, qui nescio, quo spiritu dona Dei sibi data, vel aliis, ad prophanissimos deferunt conuentus. Nec vllus Dei fauor est secretissimè alicui exhibitus, qui festinatissimè non rapiatur, & inter mundiales Principes circumferatur, per omnium volitans ora. Fallar, nisi hinc Deus maximè offendatur, maximúmque Dei donis inferatur incommodũ. Peccata sunt hæc aduersus Deum propria, & inde grauiora, & longè difficilis curationis. Matth.13. *Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro, quem qui inuenit homo, abscondit*, &c. Ipse thesaurus absconditus erat, & tamen bonus homo quem absconditũ thesaurum nouit, magis abscondit. Cur magis abscondit? Vt hinc doceantur & virtutum amatores, & animarum curatores, quale munus debeant exercere circa thesauros cœlestes, quibus hoc debent præstare, quòd illos magis, ac magis abscõdant. Sæpissimè homo Dei, dum in abscondito ad Deum oras, aliquid de diuinis thesauris tibi venit absconditè; sæpissimè animarum curator in abiecta aliqua fœmina, & occulta cœlestem inuenit thesaurum absconditum. Quid tunc fiet? Debent ij publicari thesauri? Absit; imò magis debent abscondi: qui enim publicet, maximam incurret offensam apud thesauri conditorem. D.Hilar. in Psalm.118. littera Beth. *Legimus & in Euangelio, in agro vberi, atque fæcundo repertum thesaurum, eundémque empto agro occultari. Nouimus, neque margaritas ante porcos proijciendas esse, neque sanctum canibus dari oportere. Ergo intelligimus quædam nos cordis nostri secretò continere, quæ diuulgata inexpiabilis peccati culpam comparabunt.* Ne miremur, Dei bona dissipari, vbi per omnium ora incipiunt volitare; penè idem est, publicari Dei dona, & dissipari, & in perditionem vocari.

Abac.3. — Chrysol. — Psal.118. — Hilar. — Matth.13. — Hilar.

Text. Et vocauit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ: iam non poteris villicari.

§. III.

Malis Christianis celerius solet inferri supplicium.

VBi facinorum villici huius fama peruenit ad dominum, statim dominus hominem in iudicium vocat, à villicationis munere deturbandũ. Gen.18. dicebat Dominus ad Abrahamum: *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis. Descendam, & videbo, vtrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint.* Iam peccata Sodomorum clamore famæ prædicabantur, & singulis momentis Dei aures pulsabant; & nihilominus Deus in castigandis Sodomis cunctatur, nec famæ clamoribus mouetur, sed perfectionem parat, qua omnia ipse descendens prospiciat, scrutetur. Non sic cum hoc villico res agitur, imò vt primum diffamatus est apud dominum, vt primùm scelerum clamor, Dei aures pulsat, nulla expectata mora, nulla profectione interposita, confestim miser in iudicium vocatur à munere deturbandus. Cur non magis spectatur hic? Cur magis credit Dominus huius malæ famæ clamoribus, quàm clamoribus Sodomitarũ? Ij infelices erãt, à Iesu notitia prorsus alieni, villicus autem pertinebat ad domesticos fidei Christianæ: malis autem Christianis citiùs, & celeriùs supplicium solet parari. Iob c.25. iuxta lectionem Græcam, ait: *Neque enim quis existimet, quòd dilatio sit piratis.* Piratæ in aquis latrocinium exercent, illísque supplicium dicto citiùs adueniet. Et cur festinatum supplicium præcipuè minatur piratis vir sanctus? Cur non vniuersim latronibus omnibus, sed piratis dicit, non fore differendũ supplicium? Non de omnibus peccatoribus agit, sed de illis, qui in baptismi Christiani aquis tincti, adhuc sceleribus operam nauant, ij quidem præ omnibus aliis festinatissimè supplicium capient. Quod docens D.Hieron. in c.6. Oseæ, tandem fatur: *Quamuis enim præsenti sæculo se iactare videantur, & conturbare aquas, & operari vana, & exercere piraticam: tamen non est mora pœnarum, quæ eos velociter comprehendent.* Miser, qui baptismi professionem conturbat, qui super aquas baptismi latrocinatur, hic quamprimum ad supplicium vocabitur. Væ tibi, qui abuteris baptismi aquis, vt sub professione sanctitatis viuas sceleratus, absque dubio supplicium tuum non tardabit. Quis nesciat, festinatissimam illam pœnam Ananiæ, & Saphiræ illatam? Fraudarunt de pretio agri Deo oblati, & illicò pœnã sustulere peccati. Cur non magis eorum supplicium dilatum? Sanè non est dilatatio pirati, hoc est, non est dilatatio pœnæ iis, qui abutuntur baptismi gratia, & professione sanctitatis. Hinc D.Petrus ad hoc ait, Act.5. *Cur tentauit Sathanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto?* Syrus ait: *Vt mentireris in Spiritum sanctitatis?* Nec est quærenda alia causa accelerati supplicij, vbi opera non correspondent & spiritui professioni acceptæ sanctitatis. Ezech. c.9. sic iubet Dominus vltricibus potestatibus: *Non parcat oculus vester, neque misereamini senem, adolescentulum, & virginem, paruulos, & mulieres interficite vsque ad internecionem: à Sanctuario meo incipite.* Septuag. *A Sanctis meis incipite.* hoc est, iuxta Theodoretum, ab his, qui sanctitatis professionem habent, nec implent; vltio incipiat. Quò respiciens D.Petrus 1.epist.4. ait: *Tempus est, vt incipiat iudicium à domo Dei*, quasi illa prophetia Ezechielis, non tam pro illo, quàm pro Christianorum tempore fuerit prolata. Tunc dictum est, *A Sanctis meis incipite*; nunc autẽ tempus est, quo mandatum illud debeat executioni mandari, quando baptismi sanctitate abutentes, quãprimum debent flagellis dari. Quò spectabat Ioan. Baptista, asserens de Iesu baptismi institutore, Matth.3. *Baptizabit vos Spiritu sancto, & igne.* Baptismi sanctificationi ignẽ statim apposuit, vt baptizati, qui offenderint, non putent supplicium dilatandum: sed iamiam imminentem, imò aduolantẽ, & sibi proximum ignem punitiuum experiantur. Ait D.Pasch. lib.2. in Matth. *Baptizabit nos Spiritu sancto, & igne, quasi nos in præsenti Spiritu sancto abluat, & deinceps, si qua peccanti macula subrepserit, per ignem conflagrationis ad purum exurat.* Est equidem baptismi aquis vicinus punitionis ignis, vt credant baptizari, si peccauerint, in proximo sibi esse pœnam peccati.

Genes.18. — Iob.25. — Hieron. — Actor.5. — Ezech.9. — 1.Petr.4. — Paschas.

§. IV.

Præfecti, qui præclarè rempublicam administrant, nec in morte videntur priuari munere suo.

VOcato ad rationem reddendam villico, hoc illi pro supplicio malè administrati muneris dicitur: *Iam non poteris villicare.* Quid hoc peculiare malo, & pessimo villico? Nónne etiam si bonus fuisset, & diem rationis reddendæ erat habiturus, nimirum diem mortis suæ, & post hunc omni priuandus munere? Absit: boni enim administratores reipublicæ nec in morte videntur munere priuati, sed & tũc apparent, quasi in illo adhuc floreant, & viuant. Deut.17. de Rege locutus Dominus, ait: *Nec eleuetur cor eius in superbiam super fratres suos, nec declinet in partem dexteram, vel sinistram, vt longo tẽpore regnet.* At præclarissimus, & sanctissimus fuit

Deut.17.

fuit Rex Iosias, qui nihilominus paruo tempore regnauit, & penè adolescens ereptus fuit è viuis. Quomodo ergo vera illa promissio erit de longæuitate regni, quando & præclarissimi Reges adhuc adolescentes morte abripiuntur? Non promittit longæuitatem vitæ, sed longæuitatem regni, quando præclari Reges vel in morte regnum non amittunt. Aiebat enim Philo, lib. de creat. Princip. *Tali autem Principi legitimo, ius æquabile honoranti, incorruptè iudicanti, semper meditanti iustitiam, longæuum principatum Propheta proponit vice præmij: non quòd annosam ætatem polliceatur rectè administrantibus rempublicam, sed vt nos doceat, legitimum Principem victurum etiam post mortem, relicta post se immortali virtutis, rerúmque à se gestarum memoria.* Nescit finiri principatus in bono Principe, etiam dum ita finitur, adhuc ipse existimatur sceptrum tenere, qui piè, & sanctè deposuit vitam. Quò forsan aspiciebat Iob, vbi locutus de sanctè acta vita, vt mauult D. Greg. ait c. 3. *Nunc etiam dormiens silerem, & somno meo requiescerem cũ Regibus, & consulibus terræ.* Et mortem somnum vocat, & in illa se putat Regibus, & Consulibus non absimilem; nihil enim de regno, & principatu eripit mors illis, qui præclarè administrauerunt sibi creditam rempublicam. Quàm aliter accidit malis administratoribus; ij enim omni regali munere, & decore priuati mortem incurrunt. De Heli & tepido, & pessimo gubernatore populi Israëlitici dicitur 1. Reg. 4. *Cúmque ille nominasset arcam Dei* (scilicet captam) *cecidit de sella retrorsum iuxta ostium, & fractis ceruicibus mortuus est.* Nec otiosè notatũ, quòd in eius morte, & sella retrorsum ceciderit, & eius ceruix facta fuisset. In sella enim iudiciaria potestas innuitur; in capite autem corona regni decor effulget, pessimè autem administranti gubernatoris munera, vniuersa potestatis signa per mortem eripiuntur. Rupert. lib. 4. de vict. cap. 10. ait. *Cecidit de sella retrorsum, iuxta ostium, & fractis ceruicibus mortuus est. Nimirum cadendo de sella retrorsum, & fractis ceruicibus moriendo palam fecit, quòd neque sedile, neque coronam auream mereretur habere inter iudices alios.* Meritò pessimum iudicem de iudicum honore, & catalogo mors delet, reseruans hoc bonis iudicibus præmium, quòd etiam in mortis somno appareant cum Regibus, & Consulibus terræ, & solium, & regale decus adhuc retinentes.

Philo. Gregor. 1. Reg. 4. Rupert.

§. V.

Bonus gubernator neminem inauditum, inexaminatum, & non conuictum à munere potest repellere.

DEus erat, qui famam malæ villicationis huius audierat, non tamen audita fama mouetur, vt munere priuet villicum; sed illum vocat, accusationem denuntiat, rationem reddendam expectat. Numquam enim gubernator, qui Dei spiritu agitur, etiam proclamante fama, aliquem inauditum, inexaminatum, & in ratione fori non conuictum à munere pellit. Flacci summam tyrannidem in Iudæos hinc prædicat Philo, lib. aduersùs illum: *Post paucos dies edictum proposuit, in quo nos appellabat inquilinos, & exteros, nec causæ quidem dicendæ potestatem faciens, sed iniudicatos condemnans; quo quid possit esse magis tyrannicum? Ipse sibi vsurpabat partes delatoris, inimici, testis, iudicis, pœnarum exactoris.* Et quidem nullus est prætextus, qui à tyrannide liberet iudicium illud, quo inauditus, & minimè conuictus damnatur frater. Aiebat enim Apuleius lib. 10. *Vt ritè, & more maiorum iudicio reddito, & vtrinsecus allegationibus examinatis ciuiliter sententia promereretur, nec ad instar barbaricæ feritatis, vel tyrannicæ impotentiæ damnaretur aliquis inauditus.* Si quando iniudicatus frater condemnari posset, tunc erat, cùm iudicium illius fit inter sanctos, de quorum piis animis non potest dubitari, & quorum decreta sæpè sibi acquisiuere totam opinionem & prudentiæ & sanctitatis. At neque inter hos licet ad damnationem procedere inauditi, iniudicati, & minimè conuicti. Vbi enim maior sanctitas, maior virtutis feruor, maior fidelium charitas, quam primis illis Ecclesiæ nascentis cunabulis, cum Christiana infantia, Apostolorum doctrina, velut lacte roboratur? Tunc sic cauet Paulus 1. Timoth. 5. *Aduersùs presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus.* Vbi, vt notat D. Thom. non solùm vetat damnationem inferri iniudicato, sed vel accusationem factam aduersùs aliquem minimè audiendam docet, nisi à duobus, vel tribus fiat. Et tunc feruor erat charitatis maximus in omnibus fidelibus, de quorum nullo credi poterat, quòd mentiretur in fratrem. Et tunc maximus erat zelus religionis in Apostolis; ad cuiusuis enim scandalum Paulus exurebatur, ait enim ipse: *Quis scandalizatur, & ego non vror?* Nec tamen tota illa opinio sanctitatis accusantium, nec totus hic zelus religionis, etsi maximus, adduxit Paulum, vt crederet, posse aliquid subtrahi iudiciali foro, pro damnando homine, cuius scelus maximè tunc temporis scandalizaret, & Christi doctrinam infamaret. Ex quo Theodoretus, lib. 4. hæreticarum fabularum, de Audianis ait; *Non animaduerterunt, quòd ne diligentibus quidem, & suo officio exactè fungentibus Episcopis abscindere facile est; sed opus est quidem accusatoribus, opus autem est etiam testibus, vt vult lex Apostolica. Accusationem enim*, inquit, *aduersus presbyterum non admittes, sine duabus, vel tribus personis.* Et Apostoli, & Apostolorum inspirator, Dei vtique spiritus ad fratris damnationem, iudicij talem formam requirunt, qua difficile sit, resecare etiam putridum membrum, iudicantes faciliùs tolerari posse impunitum scelus, quàm quòd possit contingere, quòd innocenti negetur locus defensæ. Idémque Theodor. lib. 1. histor. cap. 33. sic rem conficit: *Et doceam simul, non solis accusatoribus credendum, quamuis digni videantur, quibus sit habenda fides, sed alteram aurem integram seruandam reo.* Sic credibile scelus debet dimitti, dum exauditus reus non conuincitur. Vt enim rarò in condonando potest esse periculum, sic semper in iudicando, & damnando incurritur discrimen. Sapienter enim dicebat Cassiodor. lib. 11. var. 40. *Quamuis nomen ipsum iudicis videatur esse iustitiæ; iis tamen diebus in domicilium pietatis deflectimus, vt ad Redemptorem omnium remissionis itinere peruenire possimus. Ex hac enim virtute suauissimos fructus legimus, & remittendo aliis nobis parcimus. Nam qui periculosè iusti sumus, sub securitate semper ignoscimus.* Hæc ille, & prudentissimè, & Christianissimè.

Philo. Apuleius. 1. Tim. 5. Theod. Idem. Cassiod.

§. VI.

Suspectus est Princeps, qui suorum ministrorum audita præterit crimina, & totus fertur ad inquirendos, & castigandos eorum accusatores.

COnueniant huc plurimi mundialium Principum, & discant, quo se animo gerant erga suos etiam selectissimos ministros. Sanè Deus villicum suum diffamari cernit, eiúsque facinora publicari. Quid tunc? Irascitur in infamatores? illos inquirit? illos vocat in iudicium, & acerbè punit? Hoc faciunt sæpè mundiales Principes, qui de audita fama scelerum suorum ministrorum hoc eliciunt, vt famigeratores inquirant, perdant accusatores: suorum autẽ ministrorum qui sibi in pretio sunt, crimina nec velint agnoscere. Non hic Dei spiritus, sed mundialis, sed carnalis; Deus enim vbi in præsenti boni Principis agit personam, videns villicum suum diffamatum, nihil nunc aduersùs infamatores, & accusatores loquitur, nec illos vocat in iudicium, sed prorsus illos prætereiens, villicum suum in examen vocat, & de remedio tractat eius perditionis. Hoc faciat, quisquis Princeps velit se Dei ostentare æmulatorem: audita fama errantis ministri, quamuis electi & dilecti, hoc vnum curet, vt factum ministri in examen vocet, illique remedium salutare prouideat, nulla ira exardescens in famigeratores, & accusatores. Nota est Noëmi, licèt inuoluntaria, ebrietas, qua sepultus somno iacebat nudatus in tabernaculo, Gen. 9. *Quòd cùm vidisset Cham, pater Chanaam, verenda patris sui esse nudata, nuntiauit duobus fratribus suis foras. At verò Sem, & Japhet pallium imposuerunt humeris suis, & incedentes retrorsum, operuerunt verenda patris sui.* In iis duobus fratribus opus prædico laudatissimum, quòd patris nuditati remedium prouideant, & scandala familiæ; sed aliud in illis requiro, quòd cùm audiunt à fratre publicari paternam nuditatem, & fœditatem, nihil illi asperum dicant. Cur magis non irascimini in fratrem publicatorem paternæ fœditatis? Veram, & sinceram beneuolentiam habebant erga patrem, quam vt ostenderent, sapienter elegerunt, nihil asperum loqui in famigatorem, totis viribus curantes remedium præbere paternæ nuditati. Vnde D. Chrysost. hom. 22. in Genes. ait. *Vide illorum cum magna beneuolentia mansuetudinem: neque increpant, nec verberant fratrem; sed vt audierunt, mox curarunt emendari, & honestari factum.* Proh vera, & sincera beneuolentia in patrem, quæ vt sincera erat, sic nuditatis publicatæ correctioni attendit, publicatori, & famigeratori parcens. Hic erit affectus, vt sincerissimus, omníque suspicione alienus, sic dignus Principe, quo erroribus familiarium auditis, remedium adhibeat, vt qui credat, posse peccare etiam familiares suos, quorum famigeratores, & accusatores magis sustineat. Non enim regius est, neque ingenuus,

Genes. 9. Chrysost.

ingenuus, sed oimis carnalis affectus ille, quo publicos errores familiarium suorum oon æstimans, in publicatores Princeps insurgit. Huc peruenit Alexandri nimia teneritu-
Plutarch. do in amicos, de qoo scribit Plutarch. in eius vita. *Illos, qui Arpali fugam primi nunteauerunt, in vincula coniecit Ephiaitem, & Gissum, tanquam meodacia deauntiantee.* Qnid aliud faceret affectus carnalis, & turpis in amicos, quam testatissimam amici fugam ab hostilibus non curare, nec credere, & illius nuncios in carcerem cõiicere. Sic faciunt in dies plurimi, quos carnalis affectus tenet, qoi nõ sinit æstimare crimina amicorum, sed magnas aduersùs accusatores excitat iras.

Text. Ait autem villicus intra se: Quid faciam, quia dominus meus aufert à me villicationem? Fodere non valeo: mendicare erubesco.

§. VII.

Omnia humana, & temporalia fulcra deserunt hominem, illúmque solum relinquunt, vbi Deus vindex ostenditur: quod est primum in Principibus supplicium.

AIt villicus intra se, nollius alterius consilio vtitur, nollius animatur promissis; sed sibi soli consulit, & secum solo agit: forsan, quia se solum videt, ab omni alio tẽporali, & humano fulcro derelictum. Et quis credat, quòd diuitiis substantiæ administrator non habuisset plures amicos, familiares, & defensores plurimos, qui pro illo sponderent vitam? Habuit equidem, dum floreret in mundo; at vbi Deus vindex hominem cõuenit omnia humana fulcra diffugiunt, & miser in primis se solũ videt, & derelictum. Nemo ignorat numerosissimum illum exercitum, quo cinctus Senacherib, Hierosolymam crudelissima obsidione premebat: dum
4. Reg. 19. tameo Rex ingenti militum copia insolesceret. 4 Reg. 19. *Factum est in nocte illa, venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. Cumque diluculo surrexisset, vidit omnia corpora mortuorum. & recedens abyt, & reuersus est Senacherib.* &c. Vbi omnes milites interficiuntur, vni parcitur Regi insolentissimo. Et cur inter tot militum strages vni parcitur Senacheribo? Vt hoc de iræ diuinæ vase primum haustum gustet, quòd se solum ab omnibus videat derelictum. Theod. serm. 10. de prouidentia, inquit:
Theod. *Assyrium illum contra se insanientem, & insanis illis verbis vsum: Quoniam non liberauit vos Dominus Deus de manu meo, vt propriam infirmitatem cognosceret, castigans, & solum aufugere coëgit, multa illa hominum millia, quibus superbiebat, breui temporis momento per vnum Angelum morti tradens.* Ecce tibi primum irati Dei exhibitum officium, quòd dissipatis militibus, miserum solum reliquit, & coëgit solum aufugere. Huc conueniant vniuersi mundiales Principes militum, fortissimorum copiis validissimi, & discant, qualem exitum sint habituri, vbi incurrerint Dei iram. Hoc erit illis dolorum initium, quòd soli in primis appareant, omni spoliati auxilio, omnibus copiis nudi. Dum diuitias augent, dum thesauros conglomerant, dum subditis nationibus terram implent, dum ingenti sumptu exercitus validissimos comparant, quid aliud faciunt, quàm struere sibi solitudinem, sub qua Deo irato cogantur occurrere? Hanc primam omnium
Iob 3. Principum calamitatem Iob nouerat, cap. 3. vbi inquit: *Quare non in vulua mortuus sum, egressus ex vtero non statim perÿ? Quare exceptus genibus? Cur lactatus vberibus? Nunc enim dormiens silerem, & somno meo requiescerem cum Regibus. & Consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines.* Græcus in Catena legit: *Cum Regibus, & Consiliarÿs terræ, qui gloriantur in gladÿs.* Expende modò, in quo sibi possint conuenire hæc duo, nimirum, *ædificare solitudines*, aut *gloriari in gladÿs*. Gloriare in gladiis est, extolli de multitudine exercituum, de frequentia fortissimorum militum: ædificare solitudines, est, omni frequentia, & auxilio carere. An idem potest esse in Regibus, & Principibus gloriari in multitudine exercituum, & ædificare sibi solitudinem? Equidem idem prorsus est; dum enim Princeps exercitus comparat, fortissimorum militum adauget numerum, nihil aliud facit, quam ædificare sibi solitudinem, sub qua relinquendus est solus, & patens diuinæ iræ. De Attalo Rege Gotho scribit Paulus
Orosius. Orosius lib. 7. circa finem: *Ipse tandem cum immensa, certè temporibus nostris, & fatu encredibili classe nauium, Romam contendit. Nam habuisse tunc tres mille, & ducentas naues dicitur: quem numerum, nec apud Xerxem illum præclarum Persarum Regem, neque Alexandrum magnum, vel quemquam alium Regum fuisse, historia ferunt. Is simul vt cum agmine militum ad vrbem pergens littore egressus occursu Comitis marini territus, & in fugam versus, arrepta naui, solus Carthaginem rediÿt, atque ibi continuò militari manu interfectus est.* Ecce tibi Attalum ædificantem incredibilem illam, & inauditam natium multitudinem: & quid tunc ædificabat potentissimus Princeps in tanto natium numero! Sanè ædificabat solitudinem, quando arrepta naui, solus Carthaginem fugit, pœnas ibi irato Deo daturus.

§. VIII.

Grauissimum malum est ingenuo animo, aliqua confusionis nota perfundi.

EXpende, quid villicus iste in Dei iudicio magis expaueat, nimirum mendicitatis erubescentiam: non sibi ob oculos ponit, quòd torrebitur igne, quòd maledictione sicut diploide amicietur; sed hoc tantùm ait: *Mendicare erubesco.* Et ad hanc publicæ mendicationis notam totus expauet, quasi hoc sit grauissimum, & prorsus importabile malum homini ingenuo, quòd publicæ confusionis, & erubescentiæ notam incurrat. Hinc apud Isa. c. 1. ait: *Audite cæli, & auribus* Isai. 1.
percipe terra, quoniam Dominus locutus est: Filios enutriui, & exaltaui; ipsi autem spreuerunt me. Perditissimos, & ingratissimos filios suos proponit Dominus, ad illósque videndos, multæ malitiæ, & ingratitudinis reos conuocat vniuersa cœlestia, & terrena; cur non magis illos verberat, durissimóque percutit flagello? Cor necessum est, sic publicare reos, & coram cœlo, & terra illos traducere; & non magis vult illos percutere? Sanè ingenuo animo durissimũ flagellum est, & quauis percussione, aut morte grauius, quòd publicæ confusionis notam incurrat. Ait D Zeno, lib. 3. ser. 35.
Quia apud sapientes, & honestos grauius est aliqua notu confundi, quàm mori: Deus Iudaicum populum luxuriæ æstu exuberante corruptum publica increpatione confuese: cælum, terrámque testes citat. Zeno.
Nemo sapiens, nemo bonus non plus dolet sub confusione, & erubescentia, quàm sub ipsa morte. Et cur bonus non caueat plus quam mortem, confusionis notam, cùm & omnium improbissimi dæmones confusionem suam ex Iesu conspectu metuentes, longè mallent duplicato torreri igne, quàm in conspectu eius venire. De illis Isai. c. 9. iuxta Sept.
Quoniam omnem stolam congregatam dolo, & vestimentum cum commutatione restituent, & volent esse igne combusti: quia puer natus est nobis, &c. Isai. 9.
Expende illud, *volent*; quis velit igne comburi? Aut quomodo fieri potest, quòd creatura aliqua adducatur, vt ipsa ex sese velit flammis ardere? Et dæmones libentissimè omne imperium in homines acquisitum ponerent, & insuper flammis maioribus torreri eligerent, dum confusionem cauerent, quam ex Iesu in terris agentis conspectu sibi imminentem viderent. Id fatur Procop. ibi: *Quo-* Procop.
niam animæ ornatum, ipsiusque stolam deprædari, nudámque relinquere, & deturpare ausus est diabolus, ideò restituent, inquit. Deinde restitutionis tempus metuentes, cupient igne potius esse combusti, quàm Saluatorem omnium inter mortales agentem, intueri. Quanta hæc confusio superbissimi Angeli Dei soliũ immoderanter aspirantis, adduci coram illo Deo, qui non refugit sedere in puluere? Non miror, quòd sic confundi caueat diabolus, plus quàm viri, & quòd flammæ illi sint in deliciis, dum tantæ confusionis, & verecundiæ occasionem fugiat. Multa timenda nouerat, imò passus fuerat ille, qui ait Ps. 43.
Tota verecundia mea contra me est; & confusio vultus mei operuit Psal. 43.
me. A voce exprobrantis, & obloquentis. Non flammas, non crucem meminit: non ferreos pectines, non exquisita instrumenta pœnarum in medium adduxit, sed vnam tantùm verecundiam, & confusionem meminerunt. An quia verecundia omnium habebatur cruciatuũ maxima? Ait D. Chrys. ibi:
Has verecundiæ supplicia illos magis cruciabant. Non sic horrori Chrysost.
erat ingenuæ menti flãma, nec gladius, nec ardentes liquato plumbo sartagines, vt verecundia, & confusio faciei, hæc videtur suprema inter maximos cruciatus, & tormenta.

§. IX.

Terrena, voluptuosaque vitæ labores horrori sunt illi, qui diuini ingi gustauit sanitatem.

A Villicatione deturbandus, hoc est, à Dei obsequio in terrenarum cupiditatum seruitutem eiiciendus, importabiles

tabiles prorsus putat terrenæ vitæ labores, cum suspirio clamans: *Quid faciam, quia Dominus meus aufert à me villicationem? Fodere non valeo.* Mundialium operarum vitam difficilem, & laboriosam vniuersi clamant, sic illi voluptuosi homines, Sap. c. 5. aiunt: *Ambulauimus vias difficiles*, hic autem non solùm difficiles, sed prorsus sibi incomportabiles asserit, dum ait: *Fodere non valeo.* Non ait, difficile est mihi terræ infodiendæ vacare; sed prorsus non valeo tantam laborum molem sustentare. Et cur hic sic labores mundiales præ illis expauet magis? Cur, quos illi solùm dixerunt difficiles, hic prorsus iudicat incomportabiles? Fuerat hic sub Dei obsequio aliquandiu, dum villicationis munus accepit, dum illud sanctè administrauit: qui autem Dei suauitatem gustarunt, horrori habeant, necessum est, ad seruitutem terrenarum cupiditatum trahi. Et verè, & sapienter aiebat D. Bernard. serm. 35. in Cant. *Quæ enim anima semel à Domino didicit in intimis suis Dei præsentiam suspirare, & quærere faciem eius semper, talis, inquam, anima, nescio, an vel ipsam gehennam ad tempus experiri pœnalius, horribiliusque ducat, quàm post spiritualis studij huius gustatam semel suauitatem exire denuò ad illecebras, vel potius ad molestias carnis.* Horribilissimum homini est, quòd à diuini obsequij suauitate, in terrenarum cupiditatum seruitutem, imò tyrannidem abire cogatur. Quis diuina dulcedine innutritus ferat amaritudines negotiorum mundialium? Quis suauitate Dei gustata, quis regnum cœlorum intra se expertus, ligonem non expaueat quæ de terræ visceribus laboris summi fructus tenuissimos capiat? Amatrici suæ animæ hoc minimè ferendum aliquando Dominus minabatur, Cantic. 1. *Si ignoras te, ô pulcerrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum.* Quanta hæc comminatio ad animam? Et quantum est malum, quòd quis post vestigia gregum suorum egrediatur? Et qui nihil aliud nouerunt, forsitan durum, & laboriosum æstimabunt, ad bestiarum conditionem non viuere. At qui semel Dei dona, & munera gustarunt, ad animales, & terrenas cupiditates mitti, id sibi omnium acerbissimum, & terribilissimum putabunt: etenim D. Bernard. serm. 35. in Cant. sic inquit: *Dico ergo vobis, nihil est, quod in tantum formidet, quisquis Dei beneficium semel accepit, quàm, ne gratia derelictus, necesse habeat denuò egredi ad carnis consolationes, imo desolationes, rursúmque carnalium sensuum sustinere tumultus. Terribilis proinde, & nimis formidolosa comminatio. Egredere post vestigia.* &c. Equidem minimè feret carnis iugum subire, qui gustauit diuini iugi suauitatem; vel Dei iugi suauitas tanta est, quæ semel gustata, non patietur hominem durare in seruitute, & tyrannide carnis, aut peccati. Prodigus ille filius sub seruitute carnalium cupiditatum iacebat; & dum sub hac seruitute iacet, sic cœpit intra se cogitare, Lucæ cap. 15. *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hîc fame pereo. Surgam, & ibo ad patrem meum,* &c. Tantùm in mentem suam reuocauit expertam domus paternæ abundantiam, & ex tunc iam putat intolerabilem famem, quam patiebatur sub cupiditatum carnalium tyrannide. Antea esuriebat, & fame intus tabescebat, & vt fugeret famem, adhæsit vni ciui, cuius porcos pascendos suscepit: modò & famem, & seruitutem iudicat intolerabilem, & vtramque à se eiicere decernit. Quis illum in iam bonam mentem traxit, vt seruitutem illam, & famem intolerabilem reputaret? Vna solùm memoria paternæ abundantiæ semel gustatæ. Ad hæc inquit D. Ephrem sermone de pœnitentia: *Pœnitentia suauitatem percipiens pristinæ eius vitæ, ad reprehensionem conuersa est, & cum non ferret afflictiones, reprehensionem tulit conscientiæ. Mollis igitur eius educatio, conuersionis causa extitit, ipsúmque vel inuitam perduxit ad pietatem.* Felicissimus ille, qui sub Dei obsequio nutritus est, qui diuini iugi expertus est suauitatem; hæc faciet, vt minimè duret sub carnalium cupiditatum tyrannide, sed potiùs memor semel perceptæ suauitatis, voluptuosorum vitam fugiat, vt prorsus intolerabilem.

Sap. 5.
Bernard.
Cant. 1.
Bernard.
Luc. 15.
Ephrem.

Text. Scio, quid faciam: vt cùm amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos suas. Conuocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primò: Quantum debes domino meo? At ille dixit: Centum cados olei. Dixítque illi: Accipe cautionem tuam, & sede citò, scribe quinquaginta. Deinde alij dixit: Tu verò quantum debes? Qui ait: Centum coros tritici. Ait illi: Accipe litteras tuas, scribe octoginta.

§. X.

Cibi, potúsve cœlestis acceptio, quasi homines cogit ad referendas gratias. Vbi de damno ingratitudinis.

AD gratias sibi referendas, dum villicus iste cupit cogere debitorum animos, expende, quali astu vtatur; & oleum, & triticum domini sui remisit illis. Et quis non referat gratias Dei tritico donatus? Post cœnam vltimam Iesu notabat Matth. cap. 26. quòd *hymno dicto, exierunt in montem Oliueti.* Circa quæ verba fatur D. Paschas. lib. 12. in Matthæum: *Hoc est, quod in Psalmo legimus: Manducauerunt, & adorauerunt omnes pingues terræ, quoniam nemo huius adipe frumenti satiatus, neque huius dulcedine sanguinis Christi ebrius, iam repletus cessat à laude Dei.* Hoc singulare habent dona illa, quæ circa cibum cœlestem, potumve sunt, quòd semper vel extorqueant gratias. Ait Dominus apud Ioan. c. 4. *Aqua, quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Expende, quid fiat cœlestis aqua in eo, cui datur; non quidem fit stagnum, sed fons saliens in vitam; stagnum enim vni sibi retinet, & conseruat acceptas aquas; fons autem quas accipit, simul & refundit aliis, vt suis omnes viuant aquis. Sic cœlestis potus nescit in accipiente stagnari, sed inde salit, vt referat datori gratias. Aiebat Ruric. Episcopus Lemouicensis, lib. 2. epist. 33. *Hanc aquam si quis fidelis, non gustu tantum summo tenus ore libauerit, sed tota anima visceribus appetens conuiuia sorbuerit, protinus in laudem Domini omnipotentis erumpet, & hoc incipiet ructare, quod biberit.* Nescit quiescere in visceribus accipientis cœlestis potus, sed inde erumpit in datoris laudem, & gratias. Idem os & accipit cœleste pabulum, & refert actiones gratiarum, vt sic fiat cœlestis cibus, vel potus fons saliens, non fit stagnum. Nunquam enim cœlestis cibus stagnatur in ore accipientis, ita vt nullam referat actionem gratiarum, quòd non fiat stagnatio hæc in maximam eiusdem accipientis perniciem, & damnum Ioan. 13. *Cum intinxisset panem, dedit Iudæ Simonis Iscariotæ, & post buccellam introiuit in eum Sathanas.* Vbi meritò D. August. notat, quid cum cœlesti cibo accipiat, qui non refert gratias, accipit Sathanam, accipit infensissimum hostem, à quo feratur in laqueum. Ait enim tract. 62. in Ioannem: *Homini ingrato intrauit panis in ventrem, hostis in mentem.* Hostiles proculdubio sentiet iras, qui de cibo accepto cœlesti nescit referre gratias. Ex Prou. c. 25 ait D. Paulus ad Romanos 12. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius.* Est cibus, potúsque ignitus carbo super accipientis caput: & cur ibi dicitur ignitus carbo? Quia vel accendit in gratitudinem, & in gratiarum actiones, vel adurit, & absumit ingratum. Id in Iuda completum notat Rupertus, lib. 11. in Ioann. *Denique etsi carbonibus non est attactus pœnitentiæ, sed ex beneficio peior factus; attamen combustus est ardore iracundiæ. Siquidem post buccellam introiuit hostis.* Numquam cœlestis cibus aut certam gratitudinem non extorquet, aut certius inferni exitium. Quis nesciat illam Pharaonis cladem, & Ægyptiorum in mari rubro, quando Hebræos persequebantur? De illa ait Exod. c. 14. *Reuersæ sunt aquæ, & operuerunt currus, & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare, nec vnus quidem superfuit ex eis.* Et quæ causa fuit tam diræ, & extremæ cladis? Aliàs Ægyptij persecuti fuerant Hebræos, in illósque extremam sæuitiam exercuerant, propter quod variis plagis vapularunt: sed numquam sic atrociter, numquam sic funditùs perierunt. Quæ igitur causa fuit tam miserandæ, & extremæ ruinæ? Illam optimè insinuat Greg. Turonensis, lib. 1. histor. sic inquiens: *Super ripam Nili non Babylonia, de qua suprà meminimus; sed Babylonis ciuitas collocatur, in qua Ioseph horrea miro opere de lapidibus quadris, & cemento ædificauit, ita vt ad fundum capaciora, ad summum verò constricta sint, vt per paruulum foramen ibidem triticum iaceretur. Quæ horrea vsque hodie cernuntur. De hac ciuitate Rex ad persequendos Hebræos, cum exercitibus curruum, ac multa pedestri manu directus est.* Nec miror, quod inde in tantam fuerit dilapsus calamitatem. Qui enim visis horreis frumenti accepti ab Hebræo iuuene, quo tamdiu & vixit, & floruit Ægypti regnum, nullam animi gratitudinem inde concepit in Hebræos, sed peior, & acrior persecutor illorum est factus, non potuit non in summam calamitatem præcipitari. Horrea illa eadem frumenti, quæ

Matth. 26.
Paschas.
Ioann. 4.
Ruric.
Ioann. 13.
Rom. 12.
Rupert.
Exod. 14.
Gregor.

quæ sustentarunt Ægyptios in Iosephum gratos; vbi acceperunt eos ingratos, & benefactoris sui persecutores, similiter fecerunt, vt extremam incurrerent calamitatem. Huc conueniant inconsiderati illi iuuenes Christiani, qui ad frequentissima veniunt templa, vbi sunt, & visuntur diuini frumenti à Deo in vitam accepti horrea, vt inde aduersus Deum scelerum bella moueant; fallar, nisi inde in certissimum exitium abeant.

§. XI.

Infirmis peccatoribus, quæ leuiora sunt, & faciliora pœnitentiæ, in primis proponenda.

VIllicus iste iratum Dominum cernit, & iam imminentem suam damnationem pertimescit, quo anxius currit ad salutis suæ remedium. Sed scire cupis, ad quale confugiat remedium? Sanè ad remedium confugit omnium facillimum, & sibi aut parum, aut nihil damnosum; hoc enim solùm facit, vt conseruis suis remittantur aliqua debita. Hoc singularissimum est diuini spiritus consilium, quòd peccatores infirmi, & imbecilles ad faciliora, & suauiora ferantur remedia, ne strictioribus, & austerioribus deterreantur à pœnitentia. Sic prodigus ille, Lucæ Luc. 15. cap. 15. in se reuersus, inquit: *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus; ego autem hîc fame pereo. Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui,* &c. Profusissimus peccator, vbi meditatur salutis obtinendæ remedium, nihil austerum, nihil strictum meminit, hoc vnum facere disponit, nimirum: *Dicam ei: Pater, peccaui,* &c. Quid facilius, quàm id, quod solis absoluitur verbis? Dicam, ait, non ait, hoc faciam, me flagellis percutiam, ieiuniis conficiam, sub sacco, & cilicio macerabo. Et cur non magis ad hæc confugit? Sanè prudens pœnitentiæ affectus in homine infirmo illa consulit, quæ magis sunt facilia, atque suauia. Sic D. Ephrem, serm. de pœnitentia, Ephrem. fatur: *Cernis eam, non primum, quod austerum est, offerre peccantibus; verùm quod gratum, ac placidum est, simúlque suaue, ac facile. Non mox ieiunium imposuit, non abstinentiam, ac temperantiam poposcit, non vigilantiam demonstrauit, sed à confessione ipsum appellauit, à leuioribus duxit principia, sciens gratam, ac candidam esse conscientiam.* Huc spectat Dei spiritus, vt homines infirmi sustententur, roborentur, ne oneri succumbant, sed magis in vitam alantur. Inde est, quòd suauiora, & faciliora consulit, ne quis deterreatur, & pereat propter intolerabilem sibi asperitatem. Hinc Dominus succensens Pharisæorum pernitiosam duritiem, ait Matth. 23. *Alligant enim onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum.* Hoc proprium est deterrentium à salutis via, non trahentium ad Domini caules. Pro quo eleganter, & sapienter ex D. Chrysostomo disserit D. Thomas D.Thom. in Catena, sic fatus: *Tales sunt, qui graue pondus venientibus ad pœnitentiam imponunt: & sic dum pœna præsens fugitur, contemnitur pœna futura. Si enim fascem super humeros adolescentis, quem non potest baiulare, posueris, necesse habet, quòd aut fascem reijciat, aut sub pondere confringatur: sic & homini, cui graue pondus pœnitentiæ imponis, necesse est, vt aut pœnitentiam reijciat, aut suscipiens, dum sufficere non potest, scandalizatus ampliùs peccet. Deinde, etsi erramus, modicam pœnitentiam imponentes, nónne melius est, propter misericordiam reddere rationem, quàm propter crudelitatem? Vbi paterfamilias largus est, dispensator non debet esse tenax. Si Deus benignus, vt quid Sacerdos eius austerus.* Quid ad hoc pulchrius? Quid suauius? Sanè verus animarum curator huc debet semper spectare, vt onera pœnitentibus alleuentur, vt facilis, & suauis illis salus acquirenda videatur. Et quidem sapientissimè dictum illud est: *Si erramus, modicam imponentes pœnitentiam, melius est, propter misericordiam reddere rationem, quàm propter crudelitatem.* Veniabilis est excessus in misericordia: in austeritate autem, & crudelitate excedere, inhumanum est, & damnationi proximum. Vnde dicebat Ericus. Ericus, homil. in cap. 23. Matth. *Si erramus, modicam pœnitentiam peccatoribus imponentes, melius est tamen de misericordia à Deo iudicari, quàm de crudelitate condemnari.* Quasi austeritatis excessus nunquam non appareat euidenter damnabilis.

§. XII.

Nimis rigidi, seuerique in proximos, nihil citius ad salutem obtinendam curent, quàm misericordiæ operam dare, quæ à iudicio liberentur.

NEquam villicus vbi de obtinenda salute agit, nihil magis curat, quàm conseruorum debita leuare, relaxare. Et cur hoc solùm salutis obtinendæ medium sibi proponit, vt conseruorum debita ipse relaxet? Equidem qui seuerus nimis proximos conseruos perdebat, quasi vnam solam ad salutem viam habet, quòd nimirum impartiendæ misericordiæ omninò vacet. Babylonio Regi, post explicatam imminentem cladem, ait Daniel. cap. 4. *Quamobrem, Rex, consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum,* &c. Dan 4. Pro quo reuoca in memoriam Niniuitarum pœnitentiam, ibíque neque à Rege, neque à Principibus, neque à popularibus vllum de eleemosynis, misericordiisque faciendis verbum procedit. Omnes ad cilicium, ad ieiunium, & planctum festinant: ait enim, Ionæ cap. 3. *Et peruenit verbum ad Regem Niniuæ, & surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere. Et clamauit, & dixit in Niniue, ex ore Regis, & Principum eius, dicens: Homines, & iumenta, & boues, & pecora non gustent quicquam, nec pascantur, & aquam non bibant. Et operiantur saccis homines, & iumenta, & clament ad Dominum in fortitudine,* &c. Ion. 3. Omnis hîc solicitudo de sacco, de cinere, de ieiunio, de planctu; de impartienda misericordia nec verbum vllum: ibi autem apud Babylonium Regem, nec verbum fit de ieiunio, aut de induendo sacco; sed vna proponitur misericordia facienda. Et cur Babylonio vna misericordia consulitur? Crudelissimo, sæuissimóque in suos tyranno hæc erat necessaria ad salutem via, si misericordiæ operibus incubuisset. Poscit enim ratio iustitiæ, vt qui sæuus, & crudelis in alios est, contrà, bonis mala compensando, in plurimos misericors, benignus, & beneficus existat. Pro quo aiebat Theodor. ibi: *Hic inexplebilem illius crudelitatem declarat, quam in sibi subiectos exercuerat: Vis, inquit, clementiæ fructum percipere? Hanc eandem erga eos ostendito, vnam tecum sortiti sunt naturam; ita enim iudici persuadere poteris, vt minas extinguat, neque sinat eas ad exitum perduci.* Theod. Hæc restat via tyrannis, & crudelibus in proximos hominibus, qua ad salutem possint peruenire, nimirum, si beneficentiæ, ac misericordiæ operibus erga eos incumbant. Crudeli homini, nimísque seuero in proximos, hoc necessarium ad salutem petitur, quòd misericordiæ erga proximos instet, sine qua minimè obtinebit misericordiam diuinam. Ait Isaias, cap. 28. ex lectione Septuag. *Ponam iudicium in spem; at misericordia mea in stateras.* Isai. 28. Ecce tibi, quàm nouum, & penè inauditum afferat Dominus, quòd nimirum eius seuerissimum iudicium sic ponetur, vt non timorem inferat, sed spem nutriat. Et quomodo Dei iudicium non ad timorem, sed ad spem erit? Ait ipse: *At misericordia mea in stateris*; erit in stateræ lance diuina misericordia, cui humana respondeat, & totus metus tollatur iudicij. Felix, qui misericordiæ operibus insudat, huic diuina misericordia appropinquat, & elongat se rigor iudicij. Nazianzenus orat. 16. inquit: *Nec vlli alij res potius quàm benignitati benignitas ab eo rependitur, qui iuste remetitur, atque in pondere, & mensura misericordiam ponit.* Nazianz. Itaque benignitatem, & misericordiam exerceat, qui cupit rigorem euadere iudicij, quandoquidem benignitas Dei nulli alij rei potius quàm benignitati rependitur: nullúsque manet iudicij rigori locus, vbi à te opus misericordiæ exercetur. Hinc Dominus minabatur Psal. 74. *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo*; hoc est, cùm per tempus liceat, cùm vacauero, tunc iudicium faciam. Et quando Deus non vacat? Potest ne fieri, quòd sic Deus occupetur, vt minimè illi vacet iudicium facere? Equidem Deus, vbi misericordiæ viscera in hominibus videt, totus in illis videndis, sic occupatur, vt minimè vacet ad rigorem iustitiæ exacerbandum. De Iesu puero ait D. Chrysolog. serm. 48. *Se claudit vtero, cunis mititur, vberibus occupat, arctat gremio.* Chrysol. Expende illud, *vberibus occupat*; & quidem nec in vteri, aut cunæ angustiis, nec inter infantiles fascias dicitur occupari; vbi autem ad vbera accedit, ibi iam vides Deum occupatum. Et cur, quem tot cunarum angustiæ, tot fasciarum ligamina minimè impediunt, solis vberibus dicitur occupari? Ab vberibus egens, & famelicus sustentatur, & inter opera, quæ egentibus consulunt, sic

ſic Deus occupatur, vt minimè illi vacet, aliquid timendum præſtare.

Text. Et laudauit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter feciſſet: quia filij huius ſæculi, prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt.

§. XIII.

Tota prudentia eſt in quouis genere, quòd præſens damnum ſuſtineas, vt maius tibi compares futurum lucrum.

DVm diſſipatæ ſubſtantiæ reus in diſcrimen adducitur villicus, non veretur maiori alia iactura nouum ſibi comparare periculum, dum debitoribus non paruam debiti partem dimittit. Et quidem quantum aliis remittit, tantum eripit ſibi. Quid agis, homo, quando non es ſoluendo, adhuc & illud, quod videris habere, perdere cupis? Hæc ſanè eſt prudentia hominis, hinc habetur homo in negotio ſuo prudentiſſimus, ſi ſciat in præſenti facere iacturas, per quas maiora ſibi lucra in futurum acquirat. Quis in temporalibus lucris acquirendis & ſapientior, & prudentior, quàm ille diues, cui fuerat ager feraciſſimus? Eius hoc erat conſilium, [Luc. 12.] Luc. cap. 12. *Quid faciam, quia non habeo, quò congregem fructus meos? Et dixit: Hoc faciam: deſtruam horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia, quæ nata ſunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona in annos multos,* &c. Expende decretum, & conſilium hominis auariſſimi, & pecuniarum tenaciſſimi, nimirum decernit omnia horrea ſua deſtruere, & maiora ædificare, quod minimè fieri poſſet ſine ingenti pecuniarum ſumptu, & iactura. Et qualis ſapientia eſt, quòd homo pecuniarum amantiſſimus, de quarum conſpectu, vel memoria viuit, velit tot pecunias profundere in deſtruendis, & reædificandis horreis? Sanè vbi maius lucrum apparet, ibi reponendorum fructuum, hæc eſt tota prudentia, & ſapientia hominis, nulli parcere præſenti ſumptui, & iacturæ pro acquirendo lucro illo. Hinc magnus Ioſeph, & fratrum ſuorum amator eximius Geneſ. 44. illos in magnas facit venire anguſtias, furti conuincit Beniaminum, reum tenet, & minatur ſupplicium, nullis lacrymis, & precibus placari vult, ſed maiorē oſtendit iram. Cur bonus fratrum amator ſic perdis fratres tuos, ſic eos calamitoſos facis? Prudentiſſimè Ioſeph nihili æſtimat iacturam, & calamitatem illam, per quam ſic comparandas diuturniores lætitias in ſui manifeſtatione; quippè ait [August.] D. Auguſt. lib. 1. quæſt. in Geneſ. quæſt. 146. *Non negligenter conſiderandum puto tantam miſeriam in hac perturbatione fratrum ſuorum, quos Ioſeph, quandiu voluit, tenuit, & quanta voluit mora protraxit; non eos vtique faciens calamitoſos, quando tantæ etiam ipſorum futuræ lætitiæ exitum cogitabat. Et totum hoc, quod agebat, vt eorum gaudium differretur, ob hoc agebat, vt eadem dilatione cumularetur, tamquam non eſſent condignæ paſſiones eorum in toto illo tempore, quo turbabantur ad futuram gloriam exultationis, quæ in eis fuerat reuelanda, fratre cognito, quem à ſe perditum eſſe arbitrabantur.* Bonus equidem, & prudens negotiator fraterni gaudij non veretur eorum diſpendia, & iacturas facere in luctu, & lacrymis, & in vinculis, per quæ noſcit, illos ad maiora peruenturos gaudia, vbi in ſeueriſſimo, & ſtrictiſſimo iudice recognoſcant ſibi amabiliſſimum fratrem. Nulli enim iacturæ prudenter parcitur, quæ ſeruiat ad maius lucrum reportandum. Quò ſpectans negotiatorum omnium prudentiſſimus negotiator, ait [Matth. 13.] Matth. 13. *Simile eſt regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas, inuenta autem vna pretioſa margarita abiit, & vendidit vniuerſa, quæ habuit, & emit eam.* Pro vna acquirenda margarita, non veretur omnia præhabita bona profundere, omnia vendere. Et quanta hæc prudentia negotiatoris, vt omnia ſua vendat? Non dubito, quin prudentiſſimus ſit negotiator, qui omnium iacturam patitur, vt ſibi aliud, & ſibi vtilius, & pretioſius habeat. Euſebius Gallicanus in na- [Euſebius Gallic.] tali huius virginis pulchrè inquit: *Pro amore cœleſtis patriæ, & æternæ felicitatis, non ſolùm ea, quæ habuit, vendidit, verum & ſe ipſam ſeruituti ſubiugauit, vt emere, & poſſidere valeat. Callidus enim negotiator eſt, qui ex his, quæ diu poſſidere non poteſt, tale aliquid emit, quod numquam amittere timeat, & in quo vniuerſa poſſideat.* Quid pulchrius? Ecce tota prudentia negotiatoris, quòd nimirum ſciat perdere ſubſtantiam, vbi acquirenda ſunt alia lucra, in quibus & pretioſiora inueniantur, & omnia deperdita poſſint inſtaurari. Hoc in regni cœlorum negotiatoribus primò requirendum eſt, quòd ſciant perdere, & pro Deo vero habendo, ne timeant veram aliquam iacturam facere. Iudic. cap. 11. Iephte Iſraëlitarum dux filiæ vnicæ ſanguinem decreuit Deo litare. Quid plura? Aris imponit victimam voluntariam, ſtringit gladium, *& fecit ei ſicut vouerat.* Nulla cœleſtis vox, nullus Angelus deterruit Iephte à ſacrificio filiæ, ſicut quondam deterruerat Abrahamum. Et cur, qui Abrahamo filium eripuit ſacrificandum, ſimiliter non eripuit Iephte filiam? Ait D. Auguſt. quæſt. 49. ibi: *Ne non vera, ſed ſimulata eadem vota eſſent, cum velut,* [August.] *exemplo Abrahæ ſperarent, qui vouiſſent, Deum prohibiturum talia vota compleri.* Nequit Deus in ſuis fidelibus permittere ſimulationem in oblationibus, quòd ſcilicet ſic offerant, vt nequeant vllum in oblatione ſuſtinere pro Deo damnum; ideò quod ſemel Abrahamo permiſit, vt oblatum filium, integrum recuperaret, hoc Iephte denegauit, vt ſciant negotiatores cœleſtium veram iacturam facere pro vita in cœleſtibus æternanda. Id quod monebat Eccleſiaſtic. cap. 29. aiens: *Perde pecuniam propter fratrem, & amicum tuum: & non abſcondas illam ſub lapide in perditionem. Pone theſaurum tuum in præceptis Altiſſimi, & proderit tibi magis, quàm aurum.* Hæc ſit prima prudentiæ regula in omni negotiatore, quòd ſciat profundere, & perdere ſua, vt ad maiora veniat.

§. XIV.

Regaliſſimi, diuiniſſimique animi virtus eſt, plus ſubditorum, quàm diuitiarum probare augmentum.

VIllicus reddendæ rationis in tempore, domini ſui ſubſtantiam plus lædit, dum debitores à debiti pōdere liberat, & tamen dominus laudat villicū, quòd prudenter feciſſet. Mirabar, quòd in tam ſibi damnoſa fraude poſſet dominus aliquid laudabile inuenire. Quid laudet, quid probet dominus in tam fraudulento villico? Sapienter D. Bernardus inuenit, quod poſſit eſſe diuino Principi gratum in hoc diſpendio villici, qui licèt domini ſubſtantiam vacuat, ſubditos auget, dum eos debitis liberat. Regius autem animus id ſibi maximè laudabile probat in miniſtris, vnde augentur ſubditi. Pro Sodomitis captiuis pugnat Abraham, hoſtes Sodomitarum fugat, captiuos liberat, & Abrahamo victori redeunti, ſpoliis hoſtium diuiti Rex Sodomorum occurrit. Quid peteret bonus Rex à tanto duce? Accipite vocem è Rege, Deo digna, quippe ait: *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Septuag. poſuere, *Da mihi homines.* Hæc eſt regaliſſimi, imò diuiniſſimi animi virtus, quæ non reſpicit aurum, non curat diuitias, dum ſubditorum augmentum, & leuamen nanciſcitur. Pulchrè Gothus ille Italiæ Rex apud Caſſiodorum lib. 6. var. 13. ait: *Exeunt à nobis dignitates reducentes, quaſi à* [Caſſiod.] *Sole radij, vt in orbis noſtri parte reſplendeat cuſtodita iuſtitia. Ideò enim tot emolumentorum commoda ſerimus, vt ſecuritatem prouincialium colligamus. Meſſis noſtra cunctorum quies eſt, quam non poſſumus aliter recordari niſi vbi ſubiecti non videantur aliquid irrationabiliter perdidiſſe.* Expende, qualem faciat meſſem regalis animus, nimirum ait: *Meſſis noſtra cunctorum quies eſt,* &c. Spargere ſemina, vt frumento horrea impleantur, hoc agricolarum eſt; dare pecunias, vt cum vſura recipias, id eſt mercatorum, & negotiantium. Regalis animi virtus eò ſolum ſpectat, vt homines metat, & ſubditos augeat, & in tuto afferat. Apud Luc. cap. 19. ait Dominus: *Homo quidam* [Luc 19.] *nobilis abiit in regionem longinquam accipere ſibi regnum, & reuerti. Vocatis autem decem ſeruis dedit eis decem mnas, & ait ad illos: Negotiamini, dum venio.* Quis credat, hanc vocem à nobili, & regio viro exiiſſe, & non potiùs à mercatore? Mercator negotiationem exercet, & in multitudine negotiationis ſuæ diuitias auget; quis credat Regem, à quo ſolùm auditur verbum negotiandi? Cùm ergo audis negotiandi verbum ab homine regio exire, minimè putes negotia illa pertinere ad diuitiarum lucra, ſed ad ſubditorum augmenta, & leuamen. Hoc eſt vnum regium negotium, quòd homines, quòd ſubditi augeantur. Ait Euſebius Gallicanus, homil. in natali vnius confeſſoris: *Dei autem negotiatores om-* [Euſebius Gallic.] *nes ſunt ſerui, & nihil aliud, niſi ſeruos emunt. Nihil enim aliud de mundi diuitiis, niſi ſolùm ſeruos eorum Dominus concupiſcit.* Frugum augmenta agricolis, diuitiarum lucra mercatoribus permittantur, regiùs animus hoc quærat, quòd ſubditi augeantur. Pulchrè enim Syneſius de regno ad Arcadium: *Rex autem pecuniæ appetens multò eſt inſtitore turpior: hic enim* [Syneſ.] *familiæ egeſtati ſubuenit; in illo verò animi nequitia omni prorſus excuſatione caret. Neque tributis ciuitates exhaurire, regium eſt,*

bono enim Principi vbinam tam pecuniis opus est? Cum neque insolenti animi fasta sumptuosa operum molitur, nec intemperanti vsui loco inanem, atque ambitiosam magnificentiam affectet, neque iuuenili consilio in scenicos ludos guanorum hominum labores consumat. Vna sit Regum messis, ciuium quies, ciuium augmenta, & lucra; dum subditorum augmenta regius animus acquirat, à cæteris omnibus libenter abstineat; quippe ait Pro-

Prou. 14. uerb. cap. 14. *In multitudine populi dignitas Regis: in paucitate plebis ignominia Principis.* Hebræus dicit. *Et in non gente fractio Principis.* Per hoc solùm regna franguntur, si ciues deficiant: vbi præclarè ostenditur, quàm distincta debeat esse ingenua Principum negotiatio a negotiatione illiberali mercatorum. Mercatoris negotiatio vt circa pecunias habendas est, sic deficientibus pecuniis frangitur; quis non audiat negotiatorum fractiones ex defectu pecuniæ? Ab his longe alia est Principum negotiatio quæ minimè circa pecunias est, sed circa populi multitudinem, in hac stat Principum dignitas, & in non gente fractio Principis. Mercatores frangat defectus pecuniæ, Reges non potest frangere, nisi defectus ciuium.

§. XV.

Tota secularis prudentia eò nititur, quòd augmentum suum quærat Princeps ex subditorum leuamine.

QVi à debitis subditos leuat, laudatur villicus, quòd prudenter egisset, ex cuius exemplo sæcularis prudentia laudatur in generatione sua, in augmento suo quærendo quando illud quærit ex leuamine ciuium. Ridendum esset prudentium hominum consilium, qui vt populos augeant, vt ciuitates impleant & regna stabiliant, hoc totis viribus intendunt, vt crebra sint nuptiarum fœdera, vt nullus maneat adolescens innuptus. Quantum hoc ad augmentum populi sub debitis pressi, substantia vacuati? Permitte substantiam haberi, permitte oleum crescere, & triticum, & vel paucæ nuptiæ orbem implent, & imperia augebuntur.

Eccles. 5. Ecclesiastes cap. 5. *Vbi multæ sunt opes, multi & comedunt eas.* Expressè in rem præsentem Chaldæus Casti ait: *Quo tempore maior rerum vbertas, augetur etiam & hominum numerus, vt hic viator.* Ad augmentum pabuli crescit comedentium numerus: exemplum habes in villulis, & pagis Montanæ regionis vbi rari innupti, & nihilominus in sua paruitate perpetuò pagi illi manent, ea solùm ratione, quia non sunt ibi pabula, quibus numerus hominum augeatur. Permitte triticum, & vinum, & oleum populis, vt iis fruantur abundanter, & fallar nisi exurgant hominum examina, quibus regna

Exod. 1. stabiliantur. Exod. 1. dicitur: *Filij Israel creuerunt, & quasi germinantes multiplicati sunt: ac roborati nimis, impleuerunt terram.* Quæ verba sic reddiderunt Septuaginta, causam multiplicationis tantæ insinuantes: *Filij Israel creuerant, & multiplicati sunt, & effusi facti sunt, & inualescebant valdè: multiplicabat autem illos terra.* Etenim pauci filij Iacob descēdentes in Ægyptum, donati sunt terræ parte abundantissima; quæ vt multiplices fructus reddebat, sic etiam comedentes homines

Psal. 4. multiplicabat. Quò spectans Psalm. 4. ait: *A fructu frumenti, & vini, & olei sui multiplicati sunt.* Numquam non augmenta ciuium, & multiplicatio illorum, in abundantia, & vbertate alimentorum nititur, nec sæcularis prudentia aliunde nouit talibus augmentis consulere. Hæc paucis attigi, propter aliquos, qui in Hispania Castellæ prouinciæ populationem tribuunt religiosis Ordinibus, qui virgineis floribus triumphalem coronant vitam. Non inde rarescunt homines, sed ex penuria orta à luxu & otio nationis.

Text. Et ego vobis dico, facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

§. XVI.

Sanctorum patrocinia & validissima, & vtilissima in temporis angustia.

EO tendant beneficentiæ nostræ opera, vt sanctorum amicitiam venemur; plurimum enim valent sancti viri, vt tempore angustiæ, amanter à Deo recipiamur. Filij Iacob fame coacti sunt descendere in Ægyptum, relicto apud patrem puero Beniamino; accedunt igitur fratres ad Magi-

Genes. 42. stratum Ægyptiorum, petituri frumenta, Genes. 42. *Et Ioseph erat Princeps in terra Ægypti, atque ad eius nutum frumenta populis vendebantur. Cumque adorassent eum fratres sui, & agnouisset eos, quasi ad alienos durius loquebatur, interrogans eos: Vnde venistis?* Nec solùm illis duriùs loquebatur: sed & exploratores vocat & vnum illorum vinculis constringit. Quid tunc? Abeunt ipsi ad patrem, secum deferunt Beniamin, &

redeunt in Ægyptum, Genes. 43. *Igitur ingressus est Ioseph domum suam, obtuleruntque ei munera, tenentes in manibus suis, & adorauerunt proni in terram. At ille clementer, resalutatis eis, interrogauit eos, &c.* Primo seuerè duriter loquebatur, metus inferens, vincula minans: modo clementer alloquitur, totus factus apparet suauis, & mellifluus. Quis seuerum & durum hominem sic in suauitatem conuertit erga conflictos? Vnus gratus Beniamini conspectus sic hominem affecit, vt non potuerit ampliùs apparere durus. Et quidem in Beniamino adumbrabatur filius eius Paulus Christi seruus, cuius patrocinium numquam non validissimum, & vtilissimum est illis, qui sub eius amicitia viuunt, vt in tempore afflictionis benè habeant apud æternum Principem. Pulchrè enim aie- Genes. 43.

bat D. Ambros. lib. de Ioseph cap. 9. inquiens: *Iam videntur Hebræi, & videntur à Christo, qui verus Ioseph est, quando iam Pauli veniunt typo: & loquitur illis mitia, atque mansueta, vt panitur cibum sumant. Suprà autem, quia sine Beniamin venerunt, agnoscebat quidem eos, sed ab eis se auertebat, vt scriptum est: & loquebatur eis dura, quia ipsi non agnoscebant eum, à quo cognoscebantur. Pauli autem merito profecerunt, quem Dominus Iesus tamquam iuniorē fratrem, ex eadem matre generatum, ampliùs cæteris fratribus diligebat.* Expende illa verba, nimirum, *Pauli autem merito profecerunt*; vbi secum vel Pauli vmbram habuere, mitissimum, beneficentissimùmque nacti sunt Magistratum, de cuius magnificentia ditati, à familia sua famem exsuebaruot. Et quid non possent sub patrocinio tanti sancti? Valent equidem sanctorum vmbræ homines in tempore angustiæ sustentare. Aiebat Dominus ad amicus Iob, c. 42. Ambros.

Sumite ergo vobis septem tauros, & septem arietes, & ite ad seruum meum Iob, & offerte holocaustum pro vobis, Iob autem seruus meus orabit pro vobis. Faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia. Paulò acerbiùs hæc in Græco sonant: *Iobus autem seruus meus orabit pro vobis. Si enim non propter eum, perdidissem vos.* Sanè & ea iussu Dei victimas illi, & holocausta offerebant, & inter has oblationes audiunt à Domino: *Si enim non propter Iobum, perdidissem vos*; quasi non sic holocausta, vt Iobi preces potuissent illos liberare à perditione. Ait in Caten. Græca D. Chrysostom. *Illud etiam docet, haud illa satis fatura esse sacrificia ad expiationem, nisi Iobi quoque merita accessissent. Illius, inquit, causa vobis ignosco.* Validissima quidem sunt nobis sanctorum patrocinia pro cultu, beneficētiæque operibus procurata, & extorta Et quæ nihil obtinerent per se sacrificia, amicorum cœlestium fauore adiuncta, homines a perditione liberant. Solet enim Deus in sanctorum suorum gratiam, multa dissimulare in peccatoribus. Etenim 2. Paralip. 21. aiebat de Achab. *Et fecit malum coram Domino, & noluit Dominus perdere domum Dauid, propter testamentum, quod disposuerat cum Dauid.* Etiam peccante Achabo & regiæ domus, ruinam merente, potuerunt Dauidis merita Deum à vindicta reuocare, vt qui sciat in suorum sanctorum gratiam viuis peccatoribus aliquando fauere. Ibi ait Theod. *Malos etiam tolerat benignus Dominus recordans virtutis defunctorum.* Sic sancti defuncti suis prosunt, etiamsi peccatores existant. Vbi autem sanctorum orationes desunt, etiam viri iusti carent commodis multis. Ge- Iob 42. Chrysost. 2. Par. 21. Theod.

nes. 19. *Recordatus est Deus Abrahæ, & emisit Loth ex media subuersione.* Sic legit, & ait D. Chrysost. homil. 44. in Genes. *cur igitur dicet aliquis, Propter orationem Patriarchæ iustus seruatus est, & non propter suam iustitiam? Ita certè propter orationem Patriarchæ. Quando enim quod ex nobis est, simul afferimus, & accedit intercessio sanctorum, plurimum nobis confert.* Hæc ille. Genes. 19. Chrysost.

§. XVII.

Patrocinia sanctorum tunc maximè prosunt, cùm piis nostris operibus solicitantur.

IVbemur de mammona iniquitatis facere nobis amicos tutelares, & defensores, nos enim sumus, qui facimus, quod sancti viri efficaciter nos protegere, & defendere possint. Ipsi sancti per se non semper efficaces defensores sunt, sed tunc maxime sunt efficaces, cùm tales fiunt a nobis per pietatis, & virtutum opera. Efficacia enim sanctorum in nostra defensione à virtutibus nostris manare solet. Quò respiciens D. Chrysost. homil. 1. in epist. 1. ad Thess. aiebat:

Thessal. 1. aiebat: *Quid profuit Hieremias Iudæis? An non sæpius pro eis Deum interpellauit, & vicissim te stò audiuit: Neque oraueris, neque obsecraueris pro populo isto, non enim exaudiam te. Quid Saulem iuuit Samuel? Quid profuit Israelitis? Nónne omnes perierunt? Nihil profunt, inquis, preces? Prosunt plurimùm. Sed quando nos aliquid fategerimus. Adiuuant enim, & auxiliantur. Auxilio autem quis eo dignus est, qui & ipse operatur.* Etiam pro nobis vniuerso sanctorum choro orante, peribimus, nisi operibus virtutum, & nos illorum preces faciamus efficaces. Notissimum fuit peccatum Israelitarum in adoratione vituli, sed & pœnæ pro peccato datæ sunt notissimæ: post pœnas datas, ait Moyses, Exod. 32. *Peccastis peccatum maximum; ascendam ad Dominum, si quomodo quiuero eum deprecari pro scelere vestro.*

Exod. 32. Ascendit igitur Moyses, precatus est, & salutem populi obtinuit, illúmque in terram promissam statim iubetur ducere. Sed Num. 12. idem Moyses videns sororem suam Mariam lepra percussam, pro illa orationem fundit. *Clamauit Moyses ad Dominum, dicens: Deus, sana eam*; & non vult Deus illam statim sanare. Cur oratio Moysis efficax fuit pro salute populi, & non pro salute sororis? Putat Chrysostom. quòd pœnitentia, & clamore populi adiutus Moyses orauerit ad Dominum pro eorum salute; verùm pro salute sororis exoranda nullo eius fuerit adiutus opere; quippe ait

Chrysost. homil. 5. 10 cap. 1. Matth. *Habent enim vim pro nobis, & quidem maximam, orationes supplicationésque sanctorum: sed tunc profectò, cùm nos quoque id ipsum per pœnitentiam postulamus, & ad studia meliora confugimus. Alioquin ipse Moyses, qui ad fratrem suum, & sexcenta illa millia armatorum ab imminenti Dei liberauit ira, sororem tamen suam nequiuit eruere.* Pro liberandis nobis necessum est, vt sanctorum orationes, & patrocinia ex nostra cooperatione efficaciam sumant. Orabit sanctus pro te; sed tunc erit eius oratio efficaciter exaudita, ne tibi malum aliquod contingat, cùm etiam tu placendo Deo operam impenderis tuam. Compone modò duas Hierosolymitarum obsidiones, alteram à Senacheribo, alteram à Nabuchodonosore factam. Senacherib Hierosolymam multo cingit milite, 4 Reg 19. eius autem feritatem, & blasphemias audiens Hierosolymitanos Rex Ezechias, humi prostratus longissimam Deo orationem fudit. Tunc Dominus

4. Reg. 19. ait: *Protegam vrbem hanc, & saluabo eam propter me, & propter Dauid seruum meum. Factum est igitur in nocte illa, venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia*, &c. Ecce tibi, perituræ vrbi merita Dauidis prosunt, ne veniat in ruinam. Sed à Nabuchodonosore obsessa est ciuitas eadem, atque funditùs destructa: ait enim

4. Reg. 25. 4. Reg. 25. *Et clausa est ciuitas, atque vallata vsque ad vndecimum annum Regis Sedeciæ, nona die mensis, præualuitque fames in ciuitate, nec erat panis populo terræ. Et interrupta est ciuitas, omnes viri bellatores nocte fugerunt*, &c. Sanè Dauidis merita similiter nunc pro ciuitate sua stabant, ac steterunt tempore illius obsidionis primæ. Cur ergo nunc nòn possunt ciuitatem liberare, quam tam facilè liberarunt prima illa vice? Tunc non erant sola sancti Dauidis merita, sed simul Rex Hierosolymitanus Ezechias prosternitur humi, preces fundit, piisque operibus misericordiam sollicitat diuinam. Modò non est Rex, qui aliquod bonum operetur, sed sola Dauidis merita relinquuntur, quæ sola sine cooperatore Rege pio non valent regnum à manibus tyranni eripere.

Chrysost. Ait D. Chrysostom homil. 1. in epist. ad Thessalon *Audi Deum dicentem: Protegam ciuitatem istam propter me, & propter Dauid seruum meum. Sed hoc dixit: Cùm esset Ezechias Rex iustus. Quare non dixit hoc Deus etiam, cùm Nabuchodonosor illos adoreretur, sed ciuitatem hanc tradidit? Ideò scilicet, quòd plus potuerit illorum malitia.* Parùm prosunt sanctorum merita pro te orantia, vbi tua exuberat malitia: vbi autem tu operibus etiam iustis incumbis, eam præbes sanctorum precibus efficaciam, quæ te à calamitate eripiat.

§. XVIII.

Sanctorum patrocinia permanentem felicitatem hominibus acquirunt.

ECce quid conferant nobis sanctorum patrocinia; ait enim: *Vt recipiant vos in æterna tabernacula*; ea enim sunt, quæ nobis felicitatem virtutis æternent. Quò spectans D. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in theoria rerum Ecclesiasticarum, loquens de felicitate Ecclesiæ mi-

German. litantis, ait: *Ipsa quæ propitiatorium, & sancta sanctorum est; in Prophetis prænunciata, in Hierarchis exornata, & in martyribus consummata, & in throno sanctarum eorum reliquiarum fundata.* Ecce tibi, sanctorum martyrum reliquiæ pro cemento, & imperturbabili fundamento sunt Ecclesiæ Christianæ. Non equidem eæ sunt tabernacula fidelium quæ facilè transferri possint; fundata enim sunt in throno sanctarum reliquiarum; hoc est, habent pro fundamento sanctorum patrocinia, quæ pene imperturbabilem conferunt firmitatem. De sua Ecclesia aiebat Dominus, Matth. 16. *Et portæ inferi non*

Matth. 16. *præualebunt aduersus eam.* Non equidem lababit infernorum impetu Dei Ecclesia, vt quæ præterquam quòd Christum pro fundamento habet, etiam tot firmissimos lapides in cæmentis ponit, quot ossa secum recipit, & patrocinia martyrum. Non negabo in præsenti D. Ambrosium, cuius lingua sic melle manat, serm. 77. *Semper nobiscum sunt sancti marty-*

Ambros. *res, semper nobiscum morantur; hoc est, & in corpore nos viuentes custodiunt, & de corpore nos recedentes excipiunt. Hic ne peccatorum nos labes absumat, ibi ne inferni horror inuadat. Nam ideò hoc à maioribus prouisum est, vt sanctorum ossibus nostra corpora sociemus, vt dum illos tartarus metuit, nos pœna non tangat: dum illis Christus illuminat, nobis tenebrarum caligo diffugiat. Cum sanctis ergo martyribus quiescentes, euadimus inferi tenebras eorum proprijs meritis, attamen consocij sanctitate. Ait enim Dominus Petrus: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt ei. Si ergo Apostolo, & martyri Petro inferni porta non præualet: quisquis sociatur martyri, tartara non tenetur; martyres enim inferni porta non possidet, quoniam tot paradisi regna suscipiunt.* Felix, qui martyri sociatur, qui eam imperturbabilem firmitatem, vel de sanctorum martyrum cineribus accipit, quam minimè expugnant portæ inferi, si tamen martyri conuiuit eius æmulus vitæ. Huc trahe dicta tom. 2. lib. 6. §. 3.

§. XIX.

Bona temporalia vt transmitti debeant in vitam æternam.

SAnissimum, & suauissimum consilium Dei, vt de mammona iniquitatis faciamus amicos, qui in tempore defectionis nos recipiant in æterna tabernacula. Vtcumque enim nunc floreas, bonisque omnibus abundes, te manet tempus defectionis, in quo tibi omnia hæc temporalia deficiãt, & omnibus nudus cogaris ire in domum æternitatis. Væ tibi, si nihil ibi inuenias amicorum manibus translatum. Accipe in rem præsentem pulchram historiam, quam confingit D. Damascen. in vita Barlaami, cap. 14. *Vrbem*

Damasc. *quamdam magnam extitisse accepi, in qua ciues hoc in more, ac instituto positum habebant, vt peregrinum quemdam, & ignotum virum, ac legum, & consuetudinum ciuitatis omninò rudem, & ignarum acciperent, eumque sibi ipsis Regem constituerent, penes quem per vnius anni curriculum, rerum omnium potestas esset, quique liberè, & sine vllo impedimento, quicquid vellet, faceret. Pòst autem, dum ille omni prorsus cura vacuus degeret, atque in luxu, & delitiis sine vllo metu versaretur, perpetuúmque sibi regnum fore existimaret, repentè aduersùs eum insurgentes, regiámque ipsi vestem detrahentes, ac nudum per totam vrbem, tamquam in triumphum trahentes, in magnam quamdam, ac longè remotam insulam relegabant, in qua nec victu, atque indumentis suppetentibus, fame, ac nuditate miserrimè premebatur, voluptate scilicet, atque animi hilaritate, quæ præter spem ipsi concessa fuerat, in mœrorem rursus, præter spem omnem, & expectationem commutata. Contigit ergo, vt pro antiqua ciuium illorum more, atque instituto vir quidam magno ingenij acumine præditus ad regnum asciscretur. Qui statim subita ea felicitate, quæ ipsi obtigerat, haudquaquam præceps abreptus, nec eorum, qui ante se regiam dignitatem obtinuerant, miseréque eiecti fuerant, incuriam imitatus, animo anxio, ac sollicito id agitabat, quónam pacto rebus suis optimè consuleret. Dum ergo crebra meditatione hæc secum versaret, per sapientissimum quemdam consiliarium, de ciuium consuetudine, ac perpetuo exilij loco certior factus est; quo namque pacto, sine vllo errore, ipse sibi cauere deberet, intellexit. Cùm igitur hoc cognouisset, futurumque propè diem, vt ad illam insulam ablegaretur, atque aduentitium illud, & alienum regnum aliis relinqueret, patefactis thesauris suis, quorum tunc promptum, ac liberum vsum habebat, aurique, atque argẽti, ac pretiosorum lapidum ingentem molem, famulis quibusdam, quos fidelissimos habebat, traditam ad eam insulam, ad quam abducendus erat, præmisit. Vertente autem anno, ciues commota seditione, nudum eum, quemadmodum superiores Reges, in exilium miserunt. At cæteri quidem amentes, & breuis temporis Reges grauissima fame laborabant; ille contra, qui opes suas præmiserat, in perpetua rerum copia vitam ducens, atque infinita voluptate fruens, perfidorum, atque sceleratorum ciuium prorsus metu abiecto; sapientissimi consilij sui nomine beatum se prædicabat.*

prædicabat. Hæc ille, quibus in rem præsentē nihil pulchrius dici, excogitarive potuit. Temporanea sunt omnia, quæ accidunt hominibus bona, à quibus breui tempore vniuersi exuentur, & in tenebrosam terram, mortisque caliginem mittentur. Miseri, qui præsentibus immersi, hæc non cogitant, sed quasi æternùm duratura bona possideant, de defectionis tempore nihil curant; heu quanta in fine prementur penuria! Ille felix, qui malè credens præsentibus bonis, solicitus est de eorum fine, is indagabit sanè tempora futuræ calamitatis, & sciens alium restare mundum, in quem nudus, & omnibus spoliatus bonis est transmittendus, quæ hîc habet præ manibus bona, illuc per fidissimos famulos, & amicos curabit transmittere, & per manus pauperum proculdubiò transmittet. Quò esurientibus aliis ipse etiam ab his bonis exclusus, in summa erit abundantia, & copia constitutus. Propterea monebat Ecclesiasticus, capite 18.

Eccles. 18. *Memento paupertatis in tempore abundantiæ, & necessitatum paupertatis in die diuitiarum. A manè vsque ad vesperam immutabitur tempus, & hæc omnia citata in oculis Dei.* Stultissimus est, qui nimis credens temporali abundantiæ, non meminit imminentis iam temporis paupertatis, in quo positus pro gutta aquæ clamabit, & dabit nemo. Ille sapiens, qui ita sua in præsenti disponit, vt & in futura vita ingens illi suppetat copia rerum. De sapientissimo Iob ait text. c. 1. iuxta lectionem

Iob 1. Græcam: *Erant pecora eius ouium septem millia, camelorum tria millia, iuga boum quingenta, asinæ fœminæ sequentes pascua, quingenta, & ministerium multum valdè.* Quantum hoc ministerium? Sanè ministerij erat illi adeò copiosum, vt suppeterent illi pro hac, & futura vita ministri. Vt enim de bonis terrenis ministrabat pauperibus, sic illum in ventura vita copiosa ministrorum turba expectabat. Sic inquit Orige-

Origen. nes libro 1. in Iob. *Ministerium eius nimis copiosum. Certum est quòd mensæ eius, atque sedis eius ministerium copiosum erat; sed plùs erat ministerium copiosum, quod ministrabat hospitibus, peregrinis, & pauperibus infelicibus. Pro horum susceptione nimium copiosum habuit ministerium: putò, quòd in cælo & copiosum nimis habuerit ministerium. Plurimi ministrarunt ei super terram pro miserorum susceptione; sed plura ministrabant ei in cælis cælestes Angeli eleemosynas in memoriam coram Deo deferentes.* Hæc ille.

CAPVT XVII.

De seruo arante.

EA est serui conducti conditio, vt post aliquod laboris sui opus perfectum illum excipiat, & vocet aliud, & post hoc aliud; nec cessat catenati laboris, operisque successio, nisi vbi totum seruitij tempus absolutum existens cessauit. Hæc omnium seruorum, siue famulorum conditio est quam qui penitus adimplet, nihil eximium, nihil singulare, & præstans super alios facit, nec inde habet, quare vltra communes mercedes, singularem aliquam aliam gratiam, aut fauorem sibi præsumat comparare. Quid fecit, quod non faciant alij? Imò & omnes id tenentur facere. Omnes Dei serui sumus peculiariter à Deo conducti in adimpletionem præceptorum; horum aliquod dum instat, non excusamur ab eo. & si aliud maximum iam adimpleuerimus, per ordinem adimplenda sunt omnia, nec inde aliquid eximium, & singulare præstamus; sed vbi supra præcepta operamur, tunc vltra mercedem de singulari gloria, & laude possumus lætari. Sic ait

1. Cor. 9. Paulus 1. ad Corinthios 9. *Nam si euangelizauero, non est mihi gloria*; hoc est laus & gloria præcipua, & singularis; *necessitas enim mihi incumbit*, nimirum necessitas seruitutis in adimpletione mandati, quod nisi adimpleam, & vapulabo vt seruus nequam, & mercedem non capiam. *Quæ est ergo merces mea? Vt Euangelium prædicans, sine sumptu ponam Euangelium.* Licebat Paulo de altari viuere, & cum sumptu ponere Euangelium, sed ipse sine sumptu ponebat aliquid supra præceptum addens, de cuius operis mercede, & præmio magis gloriatur, quasi de re singulari, & super omnes præceptorum adimpletiones præstanti.

Luc 17. Quis autem vestrûm habens seruum arantem, aut pascentem, qui regresso de agro, dicat illi: Statim transi, & recumbe, & non dicit ei: Para, quod cœnam, & præcinge te, & ministra mihi, donec manducem, & bibam, & post hæc tu manducabis, & bibes.

§. I.

Nobilium mensas comptuli, & otiosi adstantes seruuli vacuant, perdunt: operantes autem, & laborantes, serui illas implent, ditant.

PArari sibi cœnam petit Dominus à seruo veniente ex agro quem ararat; non sunt alij quàm plures serui, qui nihil operis impendunt, sed tantummodò dominis otiosi assistunt? Sed cur necessarium fuit, requiri cœnam à seruo aratore, diuturni laboris improbitate defesso? Sanè quòd comedant domini à seruis arantibus, & laborantibus venit: serui autem otiosi, & comptuli assistentes, ad fastum solùm inuenti, & mensas dominorum vacuant, & funditùs perdunt. Naum cap. 3. inquit: *Custodes tui, quasi locustæ.* Custodes *Naum 3.* posuit pro ministris Principum, & nobilium seruulis, qui eis assistunt, latera cingentes, custodientes. Quo posito, pulcherrimè legit Tigurina: *Comptuli tui locustas referunt.* Quid verius? Serui aratores segetes ditissimas faciunt, quibus Principum implentur horrea, implentur mensæ. Comptuli autem isti, prorsus otiosi, dominis solùm assistentes, locustas referunt, quæ absumant segetes, & famem inferant regnis. Fallar, si maius damnum à locustis venit segetibus, quàm ab istis comptulis otiosis recipiunt familiæ vniuersæ. Felicissima domus illa dicitur, in qua serui, & famuli non ad otiosum, atque auidum faustum, sed ad quæstum dominorum, & verum adiumentum sunt. Prouerb. 27. *Qui seruat fi-* *Prou. 27.* *cum, comedet fructus eius, & qui custos est domini sui, glorificabitur.* Vt herum cum ficu comparat, sic famulum, seruúmve cum fici cultore, nec otiosè cultorem agri iungit cum custode seu famulo domus sed vt doceat, quàm iungenda hæc duo munera sint, & quàm inseparabilia, & tunc domus florer, vbi famulus domini adhærens lateri, ab agricultore non separatur, imò idem prorsus est cultor agri, & domino assistens famulus. Athenæus, lib. 6. propè finem, ait: *Agatharchi-* *Athen.* *des Gnidius libro trigesimo octauo rerum Europæ scribit, ex Dardanis aliquem seruos mille possedisse, quemdam etiam plures, ac eorum vnumquemque pacis tempore agros colere; belli verò militiæ nomen dare, suósque illis duces esse dominos.* Cur non florerent Dardani, quibus nullus otiosus famulus, nullus comptulus, sed milleni erāt in agris, vel in bello, vbi opus erat, certantes? Nec egeo prophanorum exemplis, vbi supersunt sacra. Genes. 14. de Abrahamo dicitur: *Cùm audisset Abraham, captum* *Genes. 14.* *videlicet Loth fratrem suum, numerauit expeditos vernaculos suos trecentos decem & octo, & persecutus est eos vsque Dan. Et diuisis sociis, irruit super eos nocte,* &c. Expende, quàm ingentem famulorum turbam habebat, ex qua trecentos expeditos assumpsit ad pugnam. At ipse tres Angelicos iuuenes domi excipiens, Genes. 18. *Festinauit in tabernaculum ad Saram, di-* *Genes. 18.* *xítque ei: Accelera, tria sata similæ commisce, & fac subcineritios panes. Ipse verò ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum, & optimum, deditque puero, qui festinauit, & coxit illum. Tulit quoque butyrum, & lac, & vitulum, quem coxerat, & posuit coram eis: ipse verò stabat iuxta eos sub arbore.* Ecce tibi, conuiuia paraturus hospitibus, ipse ad armenta currit, & ex armentorum custodibus puerum vnum assumit, qui deferat vitulum, ipse solus prandentibus assistit. An non erant famuli Abrahamo? Vbi erant trecenti illi expediti, quos eduxit in pugnam? Erant equidem Abrahamo famuli plures, qui aruis colendis, armentis pascendis instarent, è quibus tempore belli, vt occasio tulisset, trecentos, aut mille in arenam produceret. Famuli verò qui otiosi assisterent, nati solùm consumere fruges, non erant viro opulentissimo, & ordinato ex Deo ad regis adquirendas diuitias. De Iobo item dicitur cap. 1. *Et fuit possessio eius septem millia ouium, & tria* *Iob 1.* *millia camelorum, quingenta quoque iuga boum, & quingentæ asinæ, ac familia multa nimis.* Prius recensuit possessiones armentorum, & statim addidit famulorum multitudinem, dicens: *Et familia multa nimis*, vt innueret famulos non in aliud esse, quam in id, vt armentis prospicerent, & nauarent operam rei rusticæ. Id quod clariùs expressit Græcus, inquiens: *Et ministerium multum valdè, & opera magna erant in terra.* Numerosa ministrorum turba armentorum, & agrorum fructibus respondebant; iuxta rei rusticæ operam, & labores

mensura

menſurabatur famulorum numerus, ne vllus eſſet, qui prouentibus augendis non incumberet. Ex quo aiebat Eccleſiaſtes, cap.1. *Poſſedi ſeruos, & ancillas, multamque familiam habui, armenta quoque, & magnos ouium greges, vltra omnes, qui fuerunt ante me.* Expende, quò referat multitudinem ſeruorum, famulorumque, nimirū gregum prouentibus augendis. Niſſenus. Ait D. Niſſ. hom. 4. in Eccl. *Cū dixiſſet: Poſſedi ſeruos, & ancillas, adiecit, quanta ſibi priùs fuiſſet proſperitas in bobus, & ouibus.* Ne quis ſuſpicetur, alios ſeruos, & famulos illi fuiſſe, niſi ex quibus potuiſſet naſci tanta prouentuum copia, quantam nullus antea habuiſſet. Non abſimile ait Plinius, lib. 18. Plinius. cap. 6. *Tutius Creſinus è ſeruitute liberatus, cùm in paruo admodum agello largiores multò fructus perciperet, quàm ex ampliſſimis vicinitas, inuidia magna erat, ſeu fruges alienas pelliceret veneficiis. Quamobrem à Sp. Albino Curuli die dicta, metuens damnationem, cùm in ſuffragium tribus oporteret ire, inſtrumentum ruſticum omne in forum attulit, & adduxit familiam validam, atque (vt ait Piſo) benè curatam, ac veſtitam, ferramenta egregiè facta, graues ligones, vomeres ponderoſos, boues ſaturos. Poſtea dixit: Veneficia mea, Quirites, hæc ſunt.* Prudentiſſimè vir ſapiens oſtendit familiam; hoc eſt, famulos omnes ſuos aratris, ligonibúſque iunctos, vt inde oſtenderet cauſas augendi prouentus, augendi diuitias. Hæc æmulentur Hiſpani nobiles, abiiciántque famulorum otioſum multitudinem, illóſque famulos ſibi eligant miniſtraturos, qui ab aratro veniant, niſi velint, quò breuiſſimè cœna deficiat.

§. II.

Famulorum iners multitudo minimè à Deo eſt, nec dum grata illi.

A Reuertente ex agro ſeruo debere menſam parari, docet Dominus; quaſi non ſit alius, cui poſſit tale munus mandari. Et quidem ſeruorum multitudo Deo nec grata, Leuit. 25. nec nota eſt. Leuit. cap. 25. ſic Deus cauet: *Sex annis ſeres agrum tuum, & ſex annis putabis vineam tuam, colligéſque fructus eius: ſeptimo autem anno Sabbatum erit terræ requietionis Domini. Agrum non ſeres, & vineam non putabis: quæ ſponte gignet humus, non metes, & vuas primitiarum tuarum non colliges quaſi vindemiam; annus enim requietionis terræ eſt: ſed erunt vobis in cibum, tibi, & ſeruo tuo, ancillæ, & mercenario tuo,* &c. Expende illud, *Tibi, & ſeruo tuo, & ancillæ,* quaſi ſupponat Dominus, quòd ſeruorum, famularúmve numerus nunquam exurget in plures, ideò nouit aſſignare pro cuiuſuis familia niſi ſeruum vnum, ancillam vnam. Chryſoſtomus, in priChryſoſt. mam ad Corinthios, homil. 40. ait: *Verum nec neceſſitate, nec humanitate adducti plures ſerui ſunt, ſed faſtu ſolo. Nam quo ſamiliares tot alis? Quemadmodum enim in veſtibus, ita vtcu neceſſitatem ſolam reſpicere oportet, ſic in famulis. Quæ ergo neceſſitas eſt? Nulla ſanè. Herum vnum vno ſeruo contentum eſſe decebit, imò vno ſeruo tres heros.* Non neceſſitas, ſed vanitas multitudinem famulorum inuexit; nec à Deo venit, ſed à vitio, quòd multis vndique cincti famulis appareamus. Meritò aiebat Seneca. Seneca, lib. 6. epiſt. 47. *Superbiſſima conſuetudo, cœnantem dominum ſtantium ſeruorum turba circumdedit, alius ſputa detergit, alius reliquias temulentorum colligit: alius pretioſas aues ſcindit per pectus, & clunes certis ductibus circumferens erudita manu fruſtra excutit. Infelix, qui huic vni rei viuit, vt altilia decenter ſecet, niſi quòd miſerior eſt, qui hæc voluptatis cauſa docet, quàm qui neceſſitatis diſcit. Alius vini miniſter, alius cui conuiuarum cenſura permiſſa eſt, expectat, quos reuocet in craſtinum,* &c. Sic pergit ſapiens Philoſophus, carpens famulorum multitudinem, non ob aliud introductam, quàm ob ſuperbiſſimam conſuetudinem. Res eſt ſuperbiæ maximæ, velle extolli in multitudine famulorum, quaſi non ſit maior gloria, nullo egere. Superbiſſimi homines de pediſſequorum multitudine in magnos ſpiritus exurgunt; facit equidem hoc ad vanitatem, & adumbratam gloriam, ſed non magis ad gloriæ veritatem. Vera enim gloria, & præſtantia eſt, nullo egere. Id quod in Angelis notandum putarim; quippè 1 Regum 29. ait ad Dauidem, illum patrocinio ſuo deſtituens Rex Achis: 1. Reg 29. *Scio, quia bonus es in oculis meis, ſicut Angelus Dei.* Quid ais, Rex, eiicis Dauidem à facie tua, deſtituis illum patrocinio tuo, vt ſolus abeat, & vocas Angelum? Cur Angelica appellatione delinire cupis hominem reiectitium, & deſolatum? Angelum vocat, cùm ſolum abiicit, proponens illi ob oculos ſummam præſtantiam, & gloriam, quæ in eo conſiſtit, quò quis nullius egeat famulatu, nullius requirat fulcrum, ſed ſolus poſſit vbique agere. Aiebat D. Chryſoſtom. Chryſoſt. in epiſt. ad Hebræos, homil. 28. *Dic enim mihi, nónne Angeli ſoli totum mundum circumeunt, & pediſſequis nullis egent? Num propterea nobis inferiores exiſtunt, indigentibus non indigentes? Si itaque nequaquam indigere pediſſequis Angelicum quidem eſt, quæ eſt ergo quæ Angelicæ vitæ propinqua eſt? Illa ne, quæ pluribus indiget ſeruis, an quæ paucis?* Sanè quo maiori famulorum multitudine eges, vt procedas in publicum, eò magis à præſtantiori natura te oſtendis diſtare.

§. III.

Dei ſerui in nullo debent laſſari mandato, ſed omnia etiam perdiligentiſſime obire.

AB aratro reuertens ſeruus miniſterium domeſticum ſuſcipit, nec debet primi laboris laſſitudinem ſibi obiicere, vt à domeſtico labore ſe excuſet, ſed ab vno labore ad alium auidè tranſire, nec quieſcere, donec omnia adimpleat. Hæc eſt ſeruituris conditio, vt quiſquis Domino ſeruit, non laſſetur ex vno mandato, ſed vniuerſa adimpleat. De hominum exemplari Dei Filio ſic inquit Paulus ad Philippenſes cap. 2. *Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chri-* Philipp. 2. *ſto Ieſu; qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem; mortem autem crucis.* Iuſſus ire in vincula, protinus ſeſe dat vinculis; verberari iuſſus, non refugit flagella, imò de flagellis ad ſpinas, de ſpinis ad ſententiam mortis, hinc arripit crucem. Cur nihil horum refugit? Imò vt fatetur apud Iſaiam, c. 50. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: fa-* Iſai. 50. *ciem meam non auerti ab increpantibus, & conſpuentibus.* Et ſi neceſſum fuerit, quòd Deus pateretur, vnde neceſſum fuit, quòd per tot labores in omnium acerbiſſimam mortem iret? Cur primò ad vincula, poſt vincula ad alapas, ad ſputa, hinc ad verbera, hinc ad ſpinas, tandem ad crucem? Cauſam inſinuauit Paulus verbis illis, *formam ſerui accipiens;* vbi enim Dei Filius ſeruum agebat, non laſſabatur ex vno, ſed per totos labores debebat currere. Chryſoſt ſer. 6. de paſſ. *Quare totius Dominus naturæ formam ſeruitutis intrauit, niſi vt totas* Chryſoſt. *ſeruitutis iniurias ſuſtineret?* Ex quo ſe ſeruum facit Dominus, omnis ſeruitutis munera, quamuis duriſſima præcurrit, non ſe laſſatum oſtendit vno, aut alio; ſed alacer, & in procinctu ſtetit, vſque dum omnes labores abſumpſit. Sic ſeruiat homo Creatori ſuo, vt minimè in vno mandato laſſetur, ſed eo vno completo, ad aliud promptior ſe accingat, donec omnia perficiat. Hoc in lucidiſſimis Dei ſeruis, ſiue in lucis filiis notabat Iob, cap. 38. *Mittes fulgura, & ibunt, & reuertentia dicent tibi: Adſumus.* Iob. 38. Non inſtar corui egreditur filius lucis, vt primo volatu fatigatus, cadauerum carnibus inſideat; inſtar columbæ egrediens, nullam parat requiem pedibus ſuis, ſed iterum reuolat, parata iterum mitti. Sic Eccleſiæ lumina, ſic lucidiſſimi ſerui Dei viam mandatorum arripiunt, nec laſſantur in vno, aut altero, ſed ab vno perfecto opere, & labore reuertentes, dicunt, *Adſumus,* ſe promptos, & alacres offerentes ad perficienda cuncta. Hæc ſic elucidat Author Catenæ Græcæ: *Reuertentia tuo præſtolabuntur imperio, hanc ferè vocem mittentia: En ipſe præſtò ſumus, quidnam eſt, quod optas facere?* Nullo præcepto laſſantur, nullo franguntur, nec quòd laboris quies interrumpatur, maioris alicuius additione, impatientes ferunt, ſed ad omnium executionem parati, promptíque exiſtunt. De præſtantiſſimo Dei ſeruo Tobia dicitur cap. 2. *Contigit autem, vt quadam die* Tob. 2. *fatigatus, à ſepultura veniens in domum ſuam, iactaſſet ſe iuxta parietem, & obdormiſſet: & ex nido hirundinum dormienti illi calida ſtercora inciderent ſuper oculos eius, & fieret cæcus.* Ecce tibi, fatigatum ab opere laborioſo Tobiam maior alius labor requieſcere non ſinit; ſepulturæ labore fractum labor cæcitatis excipit. Quid tunc bonus ſeruus? Nouo hoc labore addito commouetur in Dominum? Abſit; imò qui in omnibus decreuit ſeruire, nullo laſſatur labore, ſed à primis mandatis executioni datis alacrior, & promptior ad vniuerſa exantlanda exurgit. Pulchrè ibi textus ponderat. *Cum ab infantia ſua ſemper Deum timuerit, & mandata eius cuſtodierit, non eſt contriſtatus, contra Deum, quòd plaga cæcitatis euenerit ei; ſed immobilis in Dei timore permanſit.* Non is erat ſeruus, qui primis mandatis laſſaretur, ſed ſic ab infantia ſeſe Dei mandatis implendis tradidit, vt in nullo frangeretur, ſed ad omnia etſi acerbiora ſuſtinenda immobilis exiſteret. Dauid de ſe aiebat Pſal. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri.* Quale hoc? Præſtantiſſimum quidem ſeruitium eſt exhibitum Pſal. 118. Deo. Propone tibi ob oculos hominem in via equitantem,

ante

ante cuius faciē præit seruus præcinctus, & expeditus velocissimis pedibus, eamdem viam cōficiens & per illam currens, peruenitur tandem ad hospitium, vbi & lectus, & mensa lassum expectant. Quid tunc? Accedit seruus impiger præcursor, & quasi nihil egisset, sic promptus hospitij munera suscipit; ab equo descendenti domino adstat, equi cibum procurat, sacculis oneratur, deponit onera, domini leuamen tractat indefessa opera, & vix dum adstat prandenti, cibum sumit: & statim ad equum currit, refert onera; vt ascendat dominus, inuitat, & egrediente domino, ipse primus alacer arripit viam. Sic laborem viæ excipit labor hospitij; hunc alter labor viæ, & ab vno ad alium curritur. Hæc bonus cursor Dauid præstat, dum mandatorum currit vias; ad vnum currit, nec in huius perfectione, & consummatione sistit, sed statim ad aliud percurrendum exurgens, per omnia nititur ire. Hinc Dei seruos, atque ministros

2. Cor 11. Paulus designans 2. ad Corinthios 11. inquit: *Ministri Christi sunt, & ego, vt minùs sapiens dico, plus ego. In laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies quadragenas, vna minùs accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum; ter naufragium feci; nocte, & die in profundo maris fui. In itineribus sæpè*, &c. Quorsum tot, tantáque iungit, vt se Christi ministrum probet? Nónne in paucioribus satis probaretur Christi minister. Equidem verus Christi seruus, & minister non ab vno aut alio, sed à plurimis, sed ab omnibus seruitiis debitis ante vllum sti-

Anselm. pendium exantlatis debet designari. Ait D. Anselm. ibi: *Plus sum ego minister Christi, quàm sunt alij prædicatores, comprobatus in laboribus plurimis. Nam & illi laborauerunt, sed ego durius, & multiplicius; quia & plura à Iudæis pertuli, & pluribus gentibus prædicaui, & plura fecit ipsi, & stipendium non accepi.* Quis ignoret catenatos Pauli labores? Nullibi quies; vnum laborem maior excipiebat alius, quo veri ministri veram referebat imaginem.

§. IV.

Deo solus notus dominus ille, qui curam habet famulorum, seruorúmque.

PRoposuit nobis Iesus ob oculos dominum illum, qui etsi seruum sibi seruire impigrè faciat, tamen ait illi: *Post hæc manducabis, & bibes.* Non omnes domini hæc seruis

Seneca. suis permittunt, quippè ait Seneca, lib. 6 epist. 47. *Superbissima consuetudo, cœnantem Dominum adstantium turba circumdedit. At infelicibus seruis mouere labra, ne in hoc quidem vt loquantur, licet, nocte tota ieiuni, mutique perstant.* Cur ergo Dominus non magis meminit heres illos, quorum serui tota nocte, diéque ieiunant? Cur magis meminit illum, qui cibaria prouidit seruo suo? Equidem qui seruorum saluti non prospiciunt, non censentur, nec agnoscuntur à Deo. Ille felix in Dei memoriam venit, imò pro se habet Deum, qui sic à suis famulis exigit seruitium, vt simul eorum bono pro-

Matth. 8. spiciat. De felicissimo Centurione ait Matthæus, cap. 8. *Accessit ad Iesum Centurio, rogans eum, & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur.* Quanta hæc felicitas Centurionis, quòd ad Iesum accessisset? Et in totam hanc felicitatem ideò deuenit, quia solicitus est de famuli sui salute. Vnde pulchrè D. Basilius Seleuc. orat. 19. inquit:

Basilius Seleuc. *O miraculum modò non spinabile! Puer membra dissolutus iacens Domino ducatum præbet ad Dominum. Serui sui actionem Centurio perquirens Dominum reperit, dúmque ipsi serui sanationem venatur, fit ipse Domini præda.* Qui sic famuli saluti consulebat, non potuit non in Dei gratiam venire, annumerarique gregi diuino; Deo enim maximè placet in dominis hoc erga famulos studium. Et fallar, si quis dominus famulis suis consuluit, qui à Deo ob id aliquod non receperit munus. Cùm hostiles exercitus appropinquarent, vt Elisæum percuterent, Elisæi famulus vehementi concutitur pauore, quem vt trementem Propheta videt, pro timore eius tollendo preces fundit, vt eius oculi aperirentur, quibus cerneret sibi adstantia cœlestium auxilia. Quid tunc? Ait text.

4 Reg 6. 4. Regum 6. *Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit, & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Elisæi: Hostes verò descenderunt ad eum: porrò Elisæus orauit ad Dominum, dicens: Percute, obsecro, gentem hanc cæcitate. Percussitque eos Dominus, ne viderent, iuxta verbum Elisæi.* Priùs famuli oculos aperit, eiúsque timorem tollit, deinde pro excæcandis hostibus orat, & illorum obtinet cæcitatem. Cur non priùs hoc petiuit, vt hostes cæcarentur? Sanè priùs famulo consulit, & inde erga hostes potentior euadit, & de beneficiis famulo collatis sic augescit, vt facilè possit hostiles exercitus prostrare. Ait D. Ambros. serm. 1. de Elisæo fatus: *Nunc igi-* Ambros. *tur oculos [illegible], & omnem hostilem exercitum cæcitate percussit. Non mirum si adue[illegible] cæcitas intulit, qui famulo largitus est claritatem: eis hostibus aufert visum, qui ministro præstat aspectum.* Quid non posset, qui potuit famulo suo conferre beneficium? Quid ex Deo non acciperet, qui famulo curauit dare subsidium? Deo placent filiorum studiosi parentes, sed domini, qui erga famulos habent idem studium, nescio quomodo citius Deum sibi obstringunt. Petenti famulis medelam Centurioni statim annuit Iesus, Matth. 8. dicens: *Ego* Matth. 8. *veniam, & curabo eum.* mulieri autem Chananææ pro filia supplicanti, vel non respondit verbum, vel ait: *Non [illegible] tollere panem filiorum, & dare canibus.* Cur sic duratur ad matris preces, & festinat molliri ad centurionis petita? Herus hic erat, pro seruo supplicans; mater illa rogabat pro filia: & ideò non tanti æstimat Dominus preces matris pro filia, quanti æstimat heri voces pro famulo supplicis. Quò respiciens D. Basil. Seleuc. orat. 19. ait: *Herus pro famulo [illegible] exo-* Basilius. *rator fuit, mater pro filia rogans tulit repulsam.* Sic gratissima est in dominis pro seruis solicitudo, & cura.

Text. Numquid gratiam habet seruo illi, quia fecit, quæ ei imperauerat? Non puto. Sic & vos, cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus.

§. V.

Gratiæ, & fauores à Deo in homines proficisci solent in præsenti, cùm homines aliquid etiam supra debitum operantur.

IMperia domini famulo adimplenti non negat Magister noster Iesus reddendam mercedem, cùm seruitia consummauerit; sed negat interea illi deberi aliquam gratiam, seu fauorem aliquem. Et quidem gratia, & peculiaris fauor Domini tunc maximè venit, cum seruus aliquid gratiosè, & vltra ex condicto debitum operatur. Is enim est Deus, qui peculiaribus fauoribus, & gratiis non omnes passim ditet, sed illos præcipuè, qui etiam supererogationis operibus Dei beneficentiam nouerint solicitare. Ait parens meus sanctus Ignatius in constitutionibus 19. *Quanto aliquis se* Ignatius. *arctius Deo adstrinxerit, & liberaliorem erga summam maiestatem se præstiterit, tanto eum in se liberaliorē etiam experietur, & ipse in dies magis idoneus erit ad gratias, & dona spiritualia vberiora recipienda.* Expende, ad gratias, & vberiores donationes excipiendas, quibus operibus idoneus magis fias, omnium ex operibus, quæ absque vllo debito liberaliter agas. Acquiruntur equidem Dei liberalia dona, & gratiæ peculiares, nullo magis, quàm operibus superabundanter, & gratuitò factis. Ex quo lucem præbuerim Zachariæ cap. 4. dicenti: *Et educet lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ* Zach 4. *eius.* Et cui gratia respondeat, nisi gratiæ? Hoc enim debet esse fundamentum perfectionis, imò & vitæ Christianæ, quòd Dei gratiæ peculiares, & fauores communiter non comparentur, nisi operibus supererogationis vltrò, & gratiosè factis. Abrahamus ille maximus non solùm credidit Deo sibi ingentes possessiones promittenti, sed cùm adhuc peregrinus esset, & aduena, spolia Sodomorum, quæ sibi, tamquam victori iure debebantur, & à Rege, cuius antea fuerant, suppliciter offerebantur, nec digno acquieuit attingere; quippè ait, Genes. 14. *Leuo manum meam ad Dominum* Genes. 14. *meum excelsum, possessorem cœli & terræ, quòd à filo subtegminis, vsque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt, ne dicas, Ego ditaui Abram.* Sic bonus athleta omnia spolia hostium dimittit, vt Dei fiduciæ morem gerat. Quid tunc? Ait text. cap. 15. *His itaque transactis, factus est sermo Domini ad Abram per visionem, dicens: Noli timere Abram, Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Duo illi promittit Dominus statim, & protectionem suam & ingentem mercedem. Et sto à sententia illorum, qui apud nostrum Pereyram in præsenti existimant, verbis illis: *Ego protector tuus, & merces magna*, significata esse duo maxima bona quæ felicibus hominibus contingunt. Et horum quidem vnum est æternum, id autem est æterna electio, & prædestinatio ad gloriam, idque significatum esse illis verbis: *Merces tua magna nimis*, quando collatio gloriæ fiet nobis in mercedem laborum.

laborom. Alterum bonum, & donum Dei est temporale, sed maximum omnium, quæ in hac vita dantur homini, & quod minimè cadit sub meritum hominis, sed pendet ex gratuita Dei bonitate,& donatione. Hoc autem est donum perseuerantiæ, & videtur id significatum illis verbis, *Ego protector enus*; non enim videtur aliud esse donum perseuerantiæ,quam singularis Dei assistétia protegentis hominem à malo, nec sinentis eum labi in peccatum mortalu, aot si labi sinat, erigentis eum, rursúsque in gratiam reponentis, in qua vitam claudat. His suppositis,espendendū venit,quo maximè tempore Abrahamo duo hæc dona, quæ ad mercedes futuras,& ad præstantissimam donationem, & gratiam in præsenti spectant, promittunrur. Promittuntor equidem immediatè post despecta,& dimissa ab Abrahamo Solomorum spolia; ait itaque text. *His itaque transactis, factus est sermo*, &c. Alia egregia facinora egerat Abraham, & postmodum facturus erat,egressus namque à cognatione sua,& domo paterna,io alienis peregrinabatur:& postmodum habēs filium vnicum dilectissimum, oon dubitauit, illum Deo petenti mactare:nec pòst adeò egregias virtutes accipit,similem huic promissionem à Deo, de infallibili gratia protectionis,& de gloriæ mercede. Nóone & abnegatio cognationis, & filij amantissimi litatio, præstantissimæ virtutes erant? Cur ergo hæ noo habent promissionem in domo infallibilis protectionis, quàm tunc solùm accipit Abraham, cùm abstinet à spoliis hostium accipiendis?Sanè vbi cognationem relinquit suam Abraham,opus præcepti, & ex præ-
Genes. 12. cepto debitom adimplet:sic enim habes Gen.12. *Egressus itaque Abraham, sicut præceperat ei Dominus*,&c. Et dum filium litat,similiter iuxta præceptum Domini operatur, dicentis,
Genes. 22. Gen 22. *Tolle filium tuum vnigenitum,quem diligis,Isaac,& vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum*, &c. Verùm vbi ab accipiendis spoliis abstinet, nullum ibi opus præcepti facit, sed multa opera præstat supererogationis,& spontaneæ liberalitatis. Nullo audito præcepto, ipse in defensionem Lothi exurgit,& reoertens victor decimas offert Melchisedecho:& multa & pretiosa spolia iure bellia equirens, ab omnibus mundas manus ad Deum leuat. Vbi ergo tor liberaliter Deo obtulit gratuita seruitia,similiter à Deo in illum proficiscuntur gratuita,& præstantissima beneficia.
Chrysost. Ait Chrysost.hom.36.in Gen. *Post contemptum illū spoliorum, postquam ea,quæ à rege data sunt, repulit; post doctrinam illam, quam reiectis donis pronuntiauit,vt pietate,& agnitione conditorū omnium Regem initiaret; postquam decimas Melchisedech obtulit, tunc post verba hæc: Factum est verbum Domini ad Abram in visione noctu,dicens: Ne timeas,Abram,ego protego te;merces tua multa valdè erit. Vide misericordiam Domini, qui statim & è vestigio sequens, beneficijs suum athletam remunerat.* Non hîc tam attendenda est merces, quàm beneficia, quæ remunerationem referunt obsequiis gratuitis. Vbi enim tot liberalia, & spontanea supererogationis opera eshibentur, non erat satis, si sola merces proponeretur: vltra eshibendam mercedē,& debuit assignari gratuita, & liberalis protectio, quando gratuita obsequia iure suo petuot exsolui beneficiis gratuitis. Et quis speret gratuitum Dei beneficium protectionis infallibilis, si nunquam ipse vouit aliquid Deo offerre spontaneum,& gratuitum? Hinc lucem affero notissimis verbis apud Matth.25. vbi iudex supremus, nulla facta mentione de obseruatione præceptorum,nec de illorum de-
Matth. 25. spectione, dicit iustis: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum ab origine mundi;esuriui enim, & dedistis mihi manducare; sitiui*,&c. Deinde ad impios conuersus ait: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, esuriui enim, & non dedistis mihi manducare: sitiui*, &c. Et cur in tanto rigorosæ iustitiæ spectaculo, sola meminit misericordiæ,& supererogationis opera. Non de præceptis, siue adimpleris,siue fractis agit, sed solùm in medium producit, vel exhibita, vel nō exhibita opera gratuita, ne quis concedens æqualitatem retributionis circa hominum merita, adhuc accuset in Deo inæqualitatem circa largitionem liberalem auxiliorum efficacium,quando hæc non omnibus fuerunt data: vnde prouenit, quòd qui acceperunt ex Deo auxilia efficacia, in vitam æternam properarent,quam respuerunt omnes illi,quibus illa efficacia auxilia gratuita minimè fuerunt data. Ne ergo hinc vlla querimoniæ ansa nascatur, Dominus in iudicio supererogationis opera hominibus exhibita æstimat; ne miremur, quòd qui debitis ex præcepto operibus addiderunt supererogationis alia,simul à Deo acciperent & gratuita auxilia efficacia,quibus ad vitam properarent. Rursus, ne querantur, quod talia auxilia efficacia gratuita non receperint, qui nihil gratiosum, & supererogationis fuerunt operati. Pulchrè enim ait ad hæc Euthym.in præsenti. *Iustissima est æquitas, vt inhumanitas inhumanis, & misericordibus misericordia rependatur.* Illa meritò sperat gratiam, qui gratiosis, & superogationis operibus operam naoat; naturale enim est, gratias gratiis respondere. Euthym.

§. VI.

Qui præcepta sola decernit implere, nihil supererogationis additurus, fallar, nisi periclitetur in salute.

NOn miror,quòd sola præcepta respicienti non habeatur gratia, nec peculiaris illi regulariter detur fauor, imò crediderim, illi imminere perditionem, & extremam ruinam. Quis credat,verum esse, quòd sine lethali vulnere inter tot hostes viuat,qui supererogationis operibus nequit sibi solicitare peculiares fauores diuinos,sed totam operam nauat, vt sola præcepta impleat? Prouerb. 15. dicitur: *In abundanti iustitia, virtus maxima est.* Equidem virtus, & fortitudo ad vincendas tentationes omnes, & firmitatem inconcussibilem acquirendam,ab ea iustitia venit, quæ minimè constringitur ad solam præceptorum obseruationem; sed magis abundat, vt multa alia supererogationis opera perficiat. Matth.19. interroganti de mediis ponendis ad vitam æternam consequendam respondet Dominus: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Dicit illi adolescens: Omnia hæc custodiui à iuuentute mea; quid adhuc mihi deest? Ait illi Iesus: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus: & habebis thesaurum in cœlo, & veni sequere me. Cùm audisset autem adolescens verbum, abijt tristis.* De abnegatione rerum, de danda eleemosyna verbum audiens abiit tristis, qui se omnia adimplesse præcepta asseuerat. In quo putat, illom mentitum fuisse D. Iren. lib.4. cap.26. D.Ambros. in Psal.1.& D.Basil.hom.7.in ditescentes. Et vnde colligunt hi Patres, adolescentem mentitum fuisse? Crediderim,id manifestissimè colligi posse ex eo,quòd de operibus supererogationis verbum audiens, abscessit tristis; qui enim supererogationis opera declinat, contentus sola adimplere præcepta, egregiè mentitur, si glorietur,quòd præcepta omnia adimpleat. Quomodo enim gratiam accipiet ad omnia custodienda præcepta, qui vnquam gratiosum ac indebitum præstare nequit?Ille gloriari potest,quòd omnia adimpleat, qui supra præcepta addit multa alia opera, quæ à consiliis veniunt. Matth.5. ait Dominus: *Nolite putare, quoniam veni soluere legem,aut Prophetas: non veni soluere, sed adimplere.* Et quomodo venit adimplere legem Dominus? Plura docens gratuita,& ex vi præceptorum indebita addenda circa abrenuntiationem sæculi, circa virginitatem amandam, circa paupertatem sequendam,hæc consilia sunt in Euangelio,nō præcepta;sed consilia superaddita faciūt,dum gratiosa opera gratiam impetrant,vt adimpleantur præcepta. Ait Rup. lib.6.de oper.Trin.c.27. *Verum,& matura grauitate ponderandum verbum locutus est Dominus,nimirū consciens sibimet spiritus consilij,quē daturus erat,per quē multò melius,multò abundantius, quàm dicere potuimus,legem implere habebat;quia nemine docuit legem soluere, aut prophetas, docendo potius, vt quod minùs inferat infirma lex, superadijcerent spontanea sui consilij electione.* Spontanea consiliorum electio, & supererogationis operis exhibitio est, quæ nos facit omnia præcepta implere; tunc enim quis potest sibi paratam promittere efficacem gratiam, qua omnia præcepta adimpleat, cum præceptis addit multa alia opera supererogationis,& consilij. Quò spectans Tertull. in apolog. cap. 9. criminis Christianis à Gentibus impositi,quòd nimirum frequentibus incestis corrumperentur, sic falsitatem retondit. *Nos ab isto euentu diligentissima, & fidelissima castitas sepsit: quantumque ab stupris, & ab omni post matrimonium excessu, tantum & ab incesti casu tuti sumus. Quidam multò securiores totam vim huius erroris virginea continentia depellunt.* Et meritò securiorem à lapsu, & fœda transgressione præcepti ostendit illum,qui ad consilium de seruanda virginitate festinat. Vbi enim tam excellens supererogationis cernitur votum, longè amandatur quæuis ruinæ suspicio. Hinc Luc. cap.10. stabulario merces magis confirmatur, dicit enim: *Si quid amplius supererogaueris, cùm rediero, reddam.* In supererogationis opere redhibitio præmij firmatur. Quod in Paulo ostendit completum D.Paulin. epist.4.aiens: *Reddidit illi Dominus,& beatæ virginitatis de innumeris huius boni fructibus vberes gratias, & innumerabiles coronas,quia hoc consilium præcepto adijciens,de suo supererogauit.* Expende,vnde in Paulo tot coronæ, tot gratiæ, tot fructus manarunt, nempè ex consilio præceptis addito. Quod qui

Prou. 15. — Matth. 19. — Matth. 5. — Rupert. — Tertull. — Luc. 10. — Paulin.

non addunt, & infructuosi, & otiosi manent. Matth.20. Dominus hora tertia, *vidit alios stantes in foro otiosos.* Qui erant isti? Imperfectus, homil.34. in Matth. *Quis est otiosus? Qui opus Dei non operatur. Puta, si alienas res tollis, non es otiosus, sed mortuus. Si autem aliena quidem non tollis, tamen nec de rebus tuis impendis, tunc otiosus es. Vis non esse otiosus? Nec aliena tollas, & de tuis des, & operatus es in vinea Domini, & coluisti misericordiæ vitem.* Sic qui nil supererogat, timeat, & otiosum esse, & extra vineam manere.

Matth.20. Imperf.

§. VII.

Dum homo de se loquitur, aliud est, quod de se dicit, & longè aliud, quod in veritate est.

MEritò homo post præcepta adimpleta omnia, iubetur se inutilem seruum dicere; nullo enim magis se vtilem ostendit, & proficuum in obsequio diuino, quàm dum inutilem sese ostendit, & dicit ore suo. Talis enim est humana conditio, quòd hominum vita in se semper contraria sit verbis, quæ ipsi de se dicunt. Quò spectans D.Chrysost. hom.3. in Matth. monebat: *Si te laudandum esse dixeris, reprobus effectus es, etiam si fueris antè laudabilis. Si verò inutilem te esse fatearis, factus es vtilis, etiamsi fueris antea culpabilis.* Semper quæ loquimur de nobis, dissentiunt ab iis, quæ sumus; si vis scire, quid sit in homine, audi eum de se loquentem, & huic loquelæ contrarium puta. Paulus ad Rom.1. de sæculi hominibus locutus ait: *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.* Nihil mediat, vt se aliquid dicunt, contrarium existunt. Attendenda sunt hominum verba, quæ de se loquuntur, & vice versa iudicandus est, qualis homo existat. Ait Luc.c.18. *Dixit autem Iesus ad quosdam, qui in se confidebant tanquam iusti, & aspernabantur cæteros, parabolam istam. Duo homines ascendebant in templum, vt orarent, vnus Pharisæus, alter publicanus. Pharisæus stans hæc apud se orabat: Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, &c. Et Publicanus à longè stans, nolebat nec oculos ad cælum leuare: sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.* Expende, quòd Pharisæus se iustum clamabat. Publicanus se dicebat peccatorem. Vter in veritate respondebat dictis? Neuter; ait enim text. de Publicano: *Descendit hic iustificatus præ illo.* qui se peccatorem dicebat, apparuit iustus; & qui de iustitia blandiebatur sibi, Deo, vt peccator fuit inuisus. Pulchrè D.Basil. Sel. orat. 35. ait: *Expendit oratione iustum de se magnificè sentientem, & peccatorem abiectè, vt inopinato versæ victoriæ spes fugam superbiæ annunciet.* Expende illud, nimirum, *versæ victoriæ*; semper enim vertitur conditio illorum, qui de se loquuntur, vt appareant in veritate contrarij dictis. Hinc lucem non paruam capit locus Oseæ, c.10. vbi tota hæc serui arantis parabola videtur explicari; quippe ait: *Arabit Iudas, confringet sibi sulcos Iacob. Seminate vobis in veritate iustitiam, & metite in ore misericordiæ.* De Iuda, & Iacob in veri Dei cultu existentibus loquitur, non præsentia, sed futura spectantibus, vt qui arant, futuros fructus spectare solent. His ergo veri Dei cultoribus, perfectis seruis aratoribus, expende, quale detur monitum, nimirum: *Seminate iustitiam; metite in ore misericordiæ.* Quid magis contrarium, quàm iustitia, & misericordia? Iustitia petit merita, & condignitatē operum, misericordia indignitatem supponit. Cur ergo iubet iustitiam seminari, sed messem fieri in ore misericordiæ? Pulchrè cùm in manibus petit opera, quæ condignitatem iustitiæ sonent, contrarium debuit petere in ore, nimirum verba significantia indignitatem, spectantem ad misericordiam. Semper enim verba, quæ quis de se loquitur, per contrarium sensum explicant, qualis sit homo.

Chrysost.

Luc.18.

Basil Sel.

Osea 10.

CAPVT XVIII.

De iudice iniquo.

QVEM non frangas, & ad tua desideria trahas assidua precatione? Finge tibi seuerissimum, inexorabilissimum, & penitus obduratum hominem, & hunc molliens preces continuare à miserabilissimo quoquam. Sic finxit Dominus iudicem, & Dei timore, & hominum reuerentia vacuum, vt à natura, & munere, & malis moribus obduratum proponat; à quo tamen assidua viduæ oratio extorquet defensionem, (quam nomine tenus vindictam vocat) ne quis putet Deum molliri continuatis precibus non posse, quando & obduratissimus hominum eadem precum assiduitate flecti potest. Hæc in parabola de iniquo iudice.

Luc.18. Iudex quidam erat in quadam ciuitate, qui Deum non timebat, & hominem non verebatur.

§. I.

Potentiæ assecla est impudentia.

HOc frequentissimum vitium est, & penè naturale potestatibus quòd neminem reuereantur, quòd abiecto omni pudore, & respectu, effrænes in affectus ferantur. De illis ait D.Ambros.1.apol.Dauid, cap.3. *Quem mihi tu huiuscemodi reperias virum, qui in potestate constitutus, non magis peccata sua diligat, culpam prædicet, crimina defendat: qui putet sibi, quod non decet, non licere: qui se legibus obstringat, & quod per iustitiam non licet, per potestatem non licere agnoscat?* Nullus est, aut rarus in sublimi constitutus, qui vel obligatione officij accepti, vel respectu aliquo, vel pudore, & reuerentia frænetur, ne post affectus suos currat. Nihil magis alieoum à mundiali potestate, quàm pudoris, & reuerentiæ frænum; vt cui familiarissima, & penè inseparabilis sit audacia, & impudentia. Quid vereatur, quid erubescat, appetitibus suis raptata potestas? Ioan.c.19. *Exiuit iterum Pilatus foras, & dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras, vt cognoscatis, quia nullam inuenio in eo causam. Exiuit ergo Iesus portans coronam spineam, & purpureum vestimentum. Et dicit eis: Ecce homo. Cùm ergo vidissent eum Pontifices, & ministri, clamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum.* Et tota popularis multitudo aderat, & simul Pontifices, & Principes erant: non tamen simul omnes crucifixionem Iesu petunt, sed tacentibus popularibus, & Principes, & Pontifices clamare incipiunt, *Crucifige, crucifige eum.* Cur non magis id clamant populares homines? Cur soli Principes, & Pontifices clamant? Sanè erubescentibus popularibus, & reuerentibus virum, à quo multa beneficia susceperant, soli Principes, & Pontifices clamāt, vt qui impudentissimi erubescere, & reuereri aliquid nesciant. Ait D.Cyrill. Alex. lib.12. in Ioan.c.19. *Cùm enim viderunt ipsum Pontifices, & ministri, clamarunt: Crucifige, crucifige eum. Nam cùm multitudo aliquo modo his factis suberubesceret, recordati forsan miraculorum illius, ipsi primùm clamant, & vulgus incendunt.* Dum pudor, & respectus populares tenebat, illorum Principes in Iesum exclamant, vt quibus familiarior sit impudentia, qua nihil sciunt reuereri; sed in maiora facinora plus audent. Noui Absalonem aduersùs patrem insurgentem, ad summa regni fastigia sublimatum, potentissimo cinctum exercitu, iam & palatium Hierosolymitanum, & solium occupare regale. Quid tunc ad tantam elatus potentiam Absalon? Quod consilium capit? Fallar, si quis in tantam impudentiam, & audaciam fuerit præcipitatus; quippe ait textus 2.Reg.16. *Tetenderunt ergo Absalon tabernaculum in solario, ingressúsque est ad concubinas patris sui coram vniuerso Israël. Consilium autem Achitophel, quod dabat in diebus illis, quasi si quis consuleret Deum.* Impudentissimum, & fœdissimum Achitophelis consilium de stuprandis patris concubinis coram omni populo audit iuuenis Absalon, nec cunctatur, sed vt audiat, sic continuò perficit, imò sic perficit, quasi à Deo consilium capiat. Quid horribilius? Sed qualiter homo non bellua tam immanem impudentiam velut à Deo consultam potuit amplexari? Quare non magis refugit facinus adeò pudori homano cōtrarium? Quare non magis cunctatur fieri populorum fœdissima pabula? Equidem ructabat in eo regalis potentiæ nectar tunc primùm gustatum: vbi enim throni gustum percepit, & pudorem exuit, & omnem respectum humanum, nihil veretur, & se, & populos, & parentem, & Deum turpissimè fœdare, imò religionis ergò impudentiam amplexatur. Hanc maculam inurit sui temporis potestatibus Arnob. lib.4. aduersus Gentes: *Verùm ita se res habet, vt quoniam plurimum gladys, & potestate valetis ferri, anteire vos etiam veritatis scientia iudicetis: & esse pro Dijs pios, quorū potentias primi opinionum obscænitate fœdastis.* Sic potentia homines insolescere facit, vt nihil non audeant, nihil non præsumant, nihil quod à se sit, vel in Deum, vel in homines fœdum vereantur. Ait Nazianzen. orat. de laude Basil. de sublimiori loquens potestate: *Hic contrà superbè stat, & arroganter præsidet, superciliumque aduersùs meliores attollit, nec thronis intremiscit; nec ex aspectu horrorem concipit,*

Ambros.

Ioann.19.

Cyrill.

2.Reg.16.

Arnob.

Basil.

concipit, hominem continentiæ studiosum infra se vident; verùm simul cum imperio sapientiorem quoque se existimat, pravè vtique sentiens, atque à potentia, & auctoritate de mente deturbatus. Hinc gloria Dauidis maximè solet prædicari, quòd adulterij, homicidijque conuictus erubuit, & reueritus est Prophetam accusantem. Cuius occasione addubitare quis posset, vtrùm rariùs, & gloriosius esset, vinci fastidiosam potentiæ impudentiam, an libidinis intemperantiam? D. Ambros. pro victoria potentiæ asserit in 2. Dauidis apol. cap.3.

Ambrof. *Bonus ergo David, & multò admirabilior, qui potestatem vicit, quàm qui amorem. Faciliùs reperias, qui se in amore cohibeat, quàm in potestate moderetur.* Hæc verissimè Ambrosius, quando nullum libido potuit trahere in tantam impudentiam, in quantam regni potentia traxit Absalonem.

§. II.

Nulla vitia sic funditùs perdunt iudicem, vt illum perdit nimia mollitudo, & desidia in puniendis delictis.

QVi nec Deum timet, nec hominem reueretur, adhuc a Deo dicitur esse iudex, ait enim: *Iudex quidam erat in quadam ciuitate, qui Deum non timebat, & hominem non reuerebatur.* Quis sic perditum, & flagitiosum vitiorum mancipium iudicem credat? Cur, Domine, à nomine, & re iudicis non excludis hominem impudentissimum? Cur necessarium fuit fingi iudicem illum, qui sic perditè viuebat? Pulchrè noster Salmeron putat, hunc a Deo fuisse introductum iudicem, propter censoriam, & rigidam seueritatem ostendendam; quasi inter tot impudentias, & facinora hic rigidam seueritatem in puniendis reis retineret. Et quidem ille solus debet rem, & nomen iudicis perdere, qui nihil seueritatis retinet in puniendis delictis. Quo solo nomine & Deum, & iudicem à Marcione cõfictum expungit Tert. lib.1. aduersùs

Tertull. Marc. inquiens: *Quale est enim, vt præcepta constituat, non executurus; vt delicta prohibeat, non vindicaturus; quia non vindicaturus, extraneus scilicet ab omnibus sensibus seueritatis, & animaduersionis. Cur enim prohibet admitti, quod non defendit admissum? Cùm multò rectiùs non prohibuisset, quod defensurus non esset.* Vanè putatur, posse esse iudicem, qui omni seueritate caret animaduersionis; imò sapientiùs totam rem iudicij tollis ab illo, in quo nulla est seueritas in puniẽdis delictis.

Iudic.18. Post defunctum Sansonem immediatè ait textus, Iud.18. *In diebus illis non erat Rex in Israel*; quæ verba non facilem explicationem habent, si iuxta communiorem sententiam expositorum credatur Heli successisse in iudicatura Sansoni; de quo Heli communiter asseritur, iudicasse Israëlem quadraginta annis, ex 1. Reg. c.4. Si ergo tunc regnabat, & iudicabat Heli, cur dicitur Rex, vel iudex non esse in Israël? Et cur Heli, qui tamdiu reipublicæ illius clauum tenuit, non dicitur iudex, quin potiùs à iudicum albo prorsus excluditur? An quia ipse malus iudex? Sed & plures alij Reges fuerunt pessimi, qui tamen in Regum catalogo recẽsentur? Cur ergo solus hic Heli à nomine, & catalogo iudicum excluditur? Non equidem ob quamlibet improbitatem excluditur, sed ob peculiarem illam mollitudinẽ, & indulgentiam, qua omni seueritate vacuus, nullum sciebat inferre delinquentibus supplicium. Nulla enim improbitas, vt nimia hæc indulgentia sic perdit iudicem, illúmque & nomine, & re

Rupert. priuat. Rupert. lib.4. de vict. c.10. ait: *Notandum quippe, quòd mortuo Sansone, dignum non existimauit scriptura, vt diceret: Post hunc fuit, vel hunc successit Heli, licèt iudicauerit Israel quadraginta annis. Sed inter infelices dierum illorum historias ista querela frequens est: in diebus illis non erat Rex in Israel, sed vnusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat. Quid nisi vecordiam Sacerdotis accusat, & iudices huiusmodi hoc dicendo. Idem namque est, ac si dicat, qui in diebus illis iudicabat Israel, & si secundùm nomen, personámque aliquis erat, secundùm rem, meritumque nullus erat; quia in diebus eius calce abijcere legem Dei, nimia ferè omnibus licentia fuit.* Reorum impunitas, & peccandi licentia prorsus iudicem perdunt, & faciunt esse, quasi nihil: quis enim credat, potestatem esse, vbi nihil potestatis videt? vbi nullam cernit scelerum vindictam? Pulcrè Baruch,

Baruch 6. c.6. de idolis gentium philosophans, ait: *Sceptrum autem habent, vt homo, sicut iudex regionis, qui in se peccantem non interficit; habent etiam in manu gladium, & securim; se autem de bello, & à latronibus non liberant. Vnde vobis notum sit, quia non sunt Dij.* Sanè iudex verus non sine causa gladium portat, vt notat Paul ad Rom 13. Sed est Dei minister ad vindictam malorum? vbi autem mala sunt, & gladius otiosus est, & nulla

datur vindicta, sed impunitas in sceleribus viget, ibi notum sit nobis, quòd nec Dei, nec iudicis est spiritus. Nequit esse Deus, neque iudex, vbi mala sunt sine vllo seueritatis gustu. Ex quo præclarè Tert. lib.2. aduersùs Marc. ait: *Igitur vsque ad delictum hominis, Deus à primordio tantum bonus, exinde iudex, & seuerus; statim mulier in doloribus parere, & viro seruire damnatur, statim & terra maledicitur*, &c. Qua necessitate Deus erat, & iudex, eadem & seuerus iniquitatum vltor debuit apparere, vbi apparuit delictum. Tollat delictum, qui seueritatem Dei, & iudicis amat expungere, qui enim, exorbitante malitia, seueritatem, & vindictam tollit, priùs tollat & Deum, & iudicem, quando vbi est delictum, nec Deus potest esse sine iudice, nec iudex sine seueritate vindictæ. Aiebat Tertull. lib.2. in Marc. non longè à fine: *Iudicem quidem Deum esse iam ostendimus, & de iudice necessariè seuerum.* De seueritatis notione circa sontes, concluditur, quis sit iudex. Saulis depositionem nemo ignorat, qui tunc regno pulsus est, quando pepercit Regi Amalecitæ. Ibi enim dicitur illi 1. Reg.15. *Pro eo, quòd abiecisti sermonem Domini*, nimirum de occidendis Amalecitis, *abiecit te Deus, ne sis Rex.* De quo præclare Theod. q.33. *Oportebat enim, stultum intelligere, quòd vna gutta diuinæ clementiæ vincit omnem hominum bonitatem. Sed infelix, cùm Deus iussisset punire, misertus est: & cùm Deus morte damnasset, ipse, vt existimauit, vitam tribuit. Non ergo fuit paruum eius peccatum, sed maximum.* Ob quam miserationis nimietatem funditùs eius nomen, & vita periit. 1.Reg.15.

Tertull.

§. III.

Ille bonus, & perfectus iudex, qui nihil faciat, vnde possit timere.

SVnt, qui sub persona huius iniqui iudicis Christum Dominum vellent repræsentari, vt notat Salmeron in præsenti tract.31. nec inficior, id, quod de hoc in malum dicitur, posse dici de bono, & diuinissimo iudice in bonũ. Quid magis Christo Domino proprium, quàm quòd in se nihil mali admittat, vnde Dei iram timeat, & hominum iudicium cogatur reuereri? Sanè hoc vnus Christus habet, & ille iudex perfectissimus erit, qui sic se componat, vt nihil admittat, vnde vindicem iram possit timere. Dum Moyses leges acciperet, quibus iudicaret populum, Exod.24. *Ascendit in montem, & fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Exod.24.
Nisi per quadraginta dierum ieiunium non accipit Moyses leges, quibus iudicet populum. Et cur Deus ante dandas leges tam longo ieiunio vacuat Moysem, nisi vt in illo vacuetur tota infirmitas hominis, quo transferatur in superiorem, & diuinam naturam, quæ nihil ferendis legibus contrarium admittat, vnde habeat, quod timeat. Pulchrè id docet Chrysol. serm.166. fatus: *Moyses ipse dierum quadraginta ieiunio, ita humano defæcatus est, & exinanitus à corpore, vt totus diuinitatis mutaretur in gloriam. Meritò hic talis legem sancire meruit, qui totum, quidquid in homine lex vrgere poterat, peramisit.* Non prius legum custos promulgatur, & vindex, quàm vbi ostenditur, quasi legi in se contrariari non posset. Facit hoc ad perfectionem iudicis, quòd nihil contrarium legibus admittat, vnde ipse aliquid timeat. Ex quo se commendabat Iob. c.29. *Iustitia indutus sum, & vestiui me sicut vestimento, & diademate iudicio meo.* Non aliter iudicis munere vsus fuit, quàm vestibus communiter homines solent vti. Et quidem homines hoc in primis spectant, dum vestes sumunt, vt ipsi se illis adornent, & vndequaque regant, ne quid appareat in se inconcinnum, ne quid nudum, vnde temporis timeant iniurias. Sic de muliere forti, Prou.c.31. *Non timebit domui suæ à frigoribus niuis; omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus.* Pro fugando timore temporalis iniuriæ inuentæ vestes fuerunt: sic bonus, & perfectus iudex iustitiam assumit, non solùm vt aliorum componat mores, sed præcipuè vt ornet suos, & ab omni timore se protegat, ne quid in se admittat, quo vereatur alios, & vindicem timeat. Chrysost. in Caten. Græc. inquit: *Non fuit ex hominum genere, qui cæteris præsunt; verum ipsorum vita turpis est, & inglorια: non ita hic noster. Sed quid ille? Vestitus sum, inquit, iuditio, hoc ego vestitus genere exornabar.* Dum iudicem agebar, sic iustitiæ legibus vtebatur, vt vndequaque videretur fulgere sub ipsis, quasi sub pulcherrimo ornatu, nihil indecorum, nihil nudum exhibeat, ob quod posset vereri vindicem iram. Pulchrius ad rem loquitur Sapient. cap.5. vbi de Deo iudice ait: *Induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galea iudicium certum, sumet*

Chrysol.

Iob 29.

Prou.31.

Chrysost.

scutum inexpugnabile æquitatem. Quis perfectior, & præstantior iudex? Sanè iudicandi munus sic accipiet, quasi nobilis Imperator arma accipit, quibus sese munit, vt omnes etiam hostilium telorum timores dimittat. Inter iudiciales administrationes sic vndique splendebit in se compositus, imò armatus, vt in notandis delictis aliorum nullam repercussionem vereatur. Vtinam sic se componant omnes iudices, vt dum iudicat alios, nihil ipsi habeant, vnde timeant; nihil admittant indecorum, nihil nudum, nihil infirmum.

Arnob. Ait enim sapientissimè Arnob. lib. 2. aduersus Gentes: *Cuius est autem pudoris, quin imò inuerecundiæ cuius, quod agere te videas, in eo alterum reprehendere; maledicti, & criminis loco dare ea, quæ in te possint reciproca vicissitudine retorqueri?* Omnem equidem absoluit hominis impudentiam, & audaciam; aliis castigationem procurare, quam satiùs ipse sibi deberet timere. Sic ergo se iudex componat, vt nullam in se ostendat infirmitatem, qua repercuti valeat. Nec putet iudex, aliud sibi magis præ oculis, quàm se ipsum habendum, nec offendat.

Num. 24. Numer. cap. 24. dicitur: *Surrexitque Balaam, & reuersus est in locum suum: Balac quoque via, qua venerat, rediit.* Alij legunt, iuxta Septuag. lectionem hæc vltima verba: *Balac abiit ad semetipsum.* Nec otiosè ponitur hæc differentia, quòd vbi de Balaam fit sermo, dicatur abiisse ad locum suum; de Rege autem Balac, non ad locum suum, sed ad se ipsum rediisse dicitur, quasi præcipuum dominij, & refugij locum in se ipsis Principes, & iudices habeant. Id quod insinuans D. August. lib. 4. quæstionum super Numer.

August. quæst. 61 inquit: *De ipso autem Balac non dictum est, ad locum suum rediisse, sed ad semetipsum, id est, vbi dominans habitabat.* Idem esse putat Augustinus, dici de Rege, quòd rediit ad se ipsum, ac si diceretur, quòd rediit ad locum, vbi dominans habitabat, ipse etenim Rex sibi est locus præcipuus dominij, in quo præcipuè conuenit dominari, se ita componens, & muniens, vt nihil ibi, quod timeat, habeat; sed

Isai. 7. prorsus appareat inuulnerabilis. Hinc Isaias, cap. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. Butyrum, & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum.* Nec dum nato infanti iam paratur esca, quæ in bono firmetur, & fugiat omne malum. Et cur tanta cura de confirmando infantulo in bono? Nascitur infans, vt iudicet orbem terrarum: ideò nil priùs ostendat, necessum

Procop. est, quàm in bono obfirmatam. Procopius ibi ait: *Ab ipso enim ortus principio iudex, sponte naturæ, boni agendi, malique fugiendi vim sortietur: vt hinc commune illud vnius in omnes iudicium intelligas, quo tanquam ætate prouectus, scelera à virtute, quæ in bonis habetur, reijcere valeat.* Sic innatam impeccabilitatem prætendit pro iudicio iudiciariæ potestatis. Huc trahe dicta tom. 2. lib. 8. §. 10.

§. IV.

Vbi leges nulli timori sunt Magistratibus, valdè infirmus est, & labilis status reipublicæ.

IN quadam ciuitate dicitur fuisse quidam iudex, qui nec Deum, nec homines timebat; nec determinat, quæ fuerit illa ciuitas, vt cuius vel nomē fuerat iam ab hominum memoria obliteratum. Nec miror, sic penitùs excidisse memoriam ciuitatis, cuius Magistratui nulli erant timori leges, sed ad arbitrium omnia impunè moderabatur, quippe ait

Plato. Plato, dialog. 4. de legibus: *Interitum paratum illi ciuitati video, in qua non lex Magistratibus, sed legi Magistratus præsunt. Salutem verò illi, vbi lex seruientibus Magistratibus dominatur.* Vbi leges minimè sunt timori Magistratibus, non potest inde non venire citissimus interitus, quandoquidem leges sunt, quæ firmant, & stabiliunt regnum, dum æquè sibi ab illis timent & Magistratus, & populi. Verùm si non lex, sed Magistratus arbitrium imperat, inauditum erit, nisi omnia veniant in interitum. 2. Machab. 7. sic aiebat ad tyrannum

2. Mach. 7. quintus frater occidendus: *Potestatem inter homines habens, cùm sis corruptibilis, facis quod vis; noli autem putare, genus nostrum à Deo esse derelictum: tu autem patienter sustine, & videbis magnam potestatem ipsius, qualiter te, & semen tuum torquebit.* Expende, vnde auguretur bonus iuuenis imminens supplicium, & interitum Regis Antiochi, ait enim: *Potestatem inter homines habens, facis quod vis,* nullam legem vereris, non Dei, non hominis, sed regia potestate insolens, vna tibi est pro lege, & pro ratione voluntas. Et cur non citò pereat, non citò euaneat & Rex, & regnum, in quo Magistratus nullam legem veretur, sed pro arbitrio omnia componit, & explicat? Saul mandatum acceperat, quo debebat expectare septem dies, vt sacrificia offerret, ipse tamen non adhærens mandato ante præfinitum tempus, sacrificia perfecit. Quid tunc? Illi statim intonat vox Samuelis 1. Regum 13. *Stultè egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod si non fecisses, iam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum, sed nequaquam regnum tuum vltra consurget.* Ecce tibi, vbi primum Saul se continet sub præcepto legis, statim cœpit labare eius regnum, imò statim audit de ruina, & perditione regni. 1. Reg. 13. Et etiam 1. Reg. 15. accipiens legem de occidendis Amalecitis, ipse selectioribus in Dei gratiam, vt putabat, pepercit. Cui etiam statim Samuel: *Melior est obedientia, quàm victimæ, & auscultare magis; quàm offerre adipem arietum: quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Pro eo ergo, quòd abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus, ne sis Rex.* Hunc Samuelis 1. Reg. 15. sermonem de obedientia auidè arripiunt Prælati, dum subditis suis obedire persuadent. Sed velim, quòd animaduertant, non factum fuisse hunc sermonem ad subditorū exercitum præsentem, sed ad solum Regem. Nil enim sic ciuitates & ordines, & regna perdit, quàm vbi in Magistratibus, & Præsulibus non est reuerentia propriarū legum, & quando ij non multum curant sibi iniunctas leges, sed omnia pro arbitrio moderantur, nihil non sibi pro potestate putantes licere. Nónne hoc confecit Saulis regnum? Planè confecit, quippè tantæ pœnæ causam notans Rupert. lib. 10. comment. c. 20. ait: *Duo peccata pœnam hanc præcedentia, dictæ Saulis superbiæ nobis indicia sunt. Primum est, quòd homo de tribu Benjamin regis fastu nihil sibi non licere arbitratus,* &c. Sic Rupert. regia potestate insolescit, vt nihil verens, etiam sibi iniunctas leges pro arbitrio explicat, moderatur, quod in Magistratibus adeò maximum peccatum est, quod nisi regni perditione minimè castigetur. Ait enim Abulensis in præsenti, quæst. 10. *Quia Saul peccauerat per inobedientiam, meruit priuari regno, & non peccauit contra aliqua præcepta, quæ essent de lege communi, scilicet data vniuersaliter, sed peccauit contra ea, quæ specialiter fuerunt data sibi, ideo erat magis inobediens.* Vt hinc Abulens. timeant Magistratus, non se ostendere obedientes iniunctis sibi legibus, à qua obedientia pendet regni firmamentum, & stabilitas. Nec potest dubitari, quòd multa mala veniant à Deo in regnum, cuius Rex nullum timorem habet ex eo, quod leges frangat. Etenim Isaias, cap. 6. ait: *In anno, quo mortuus est Rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum.* Tanti fauoris tempus cùm notatur, meritò dicitur Isai. 6. fuisse in anno, quo mortuus est Ozias. Et cur non potiùs id accidit viuente ipso Ozia? Chrysost. homil. 4. in hæc verba ait: *Exiuit igitur Rex cum lepra, nec tamen eiecerunt eum è ciuitate, diadema illius, regiámque dignitatem reueriti: sed consedit in throno rursus legem transgredientes. Hinc Propheta necessariò designat mortis tempus, dicens: & factum est, anno, quo mortuus est Rex Ozias, videbam Dominum sedentem in throno excelso, & eleuato. Cùm ille mortuus esset, tunc vidi Dominum: nam antea Deum non videbam, nobis iratum. Venit mors impuri, & soluit iram.* Et quidem dum Rex inobediens legis viuebat, nullus à Deo in populum veniebat specialis fauor, sed ira Dei stabat, proculdubio perditura populum, nisi Regem impurum mors caperet. Huc reuoca dicta tom. 3. lib. 14. cap. 4. §. 20. Chrysost.

Text. Vidua autem quædam erat in ciuitate illa, & veniebat ad eum, dicens: Vindica me aduersario meo. Et nolebat per multum tempus. Post hæc autem dixit intra se: Etsi Deum non timeo, nec hominem reuereor, tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in nouissimo veniens suggillet me.

§. V.

Culpa populi meritò tribuitur, quòd Princeps peragat iniustitias.

QVis adeò infirmus ciuis se excusabit à culpa in Magistratus, seu Principis iniustitiis, quandò vidua hæc vel importuno clamore persuasit impudentissimo iudici facere iustum? Sanè populi potentissimi sunt ad trahendos Principes suos in bonam frugem, si velint ipsi vel precibus, vel clamori

clamoribus importunis insistere. Vnde, quòd Principes iniusti sint, meritò populi culpæ tribuitur, & culpæ digno plectendæ supplicio. Iam nouem plagis erant Ægyptij affecti, & in nulla earum curarunt dimittere Israelitas donec primogenita sua morte arripi viderunt; tunc dolore superati vniuersi Ægyptij, vna cum Rege suo, solicitant Iudæorum
Exod.12. profectionem. Imò, vt ait textus, Exod.12. *Vrgebántque Ægyptij populum de terra exire velociter, dicentes: Omnes moriemur.* Sed vix egressi sunt Israëlitæ, & ecce tibi Pharao datæ proficiscendi facultatis pœnitens, conuocat exercitum, & cum infinito penè milite Israëlitas etiá per miraculosè diuisum mare persequitur. Quid tunc? Quæ diuidebantur vndæ ad ingressum Israelitarum; vbi intra se habent Ægyptios, ad sui vnionem redeunt, quo vniuersi Ægyptij cum suo Rege suffocati miserè pereunt. Dignus equidem Pharao tanto supplicio erat: at miseri Ægyptij qualem culpam habebant, vt sic funditus perirent? Cur sic atrociter puniuntur, quando nō à se, sed à suo Rege seruiunt aduersùs Hebræos? Sanè culpa erat populi, quòd Rex tyrannus non desisteret à persecutione Hebræorum; quando enim populus filiorum suorum damna sentiebat, clamoribus instans Regem mouit, ne noceret Hebræis, imò ipsi illos liberos emittebant. Io quo si perstitissent, próculdubio Regē à persecutione remouerent: vnde, quòd duret Rex in tyrannide, culpa est, & socordia populi conniuentis, & tacentis: nec mirandum, quòd ab eis Dominus tantæ culpæ exigat pœnas. Præclarè D.Chrysost.
Psal.134. in Psal.134. aiebat: *Ne quis diceret: Cur puniuntur omnes Ægyptij, cùm Rex Iudæos detineret, & peccaret? Per hoc vltimum soluit hanc quæstionem: Quoniam quando percussa sunt eorum primogenita, vel inuito Rege Iudæos expulerunt. Quare etiam si voluissent ab initio, potuissent esse eo superiores. Non igitur Regem ideò non vicerunt, quòd non possent, sed quòd nollent.* Quid non concedant Principes importunis precibus, & importunis clamoribus subditorum? Et quid subditi semel. & bis clamantes, & exorantes, humi repentes, à seuerissimo quoque Rege non extorqueant? Equidem socordia est, desidia est culpabilis, & plectibilis ipsorum subditorum, si non trahant Principes suos in bonum. Legem tulerat Saul, & legem iuramento firmauerat, qua necessum erat occidi Ionatham, vt
1.Reg.14. dicitur 1.Reg.cap.14. *Dixitque populus ad Saul: Ergo ne Ionathas morietur, qui fecit salutem hanc magnam in Israel? Hoc nefas est: viuit Dominus, si ceciderit capillus de capite eius in terram, quia cum Deo operatus est hodie. Liberauit ergo populus Ionatham.* Vidisti potentiam populi apud Regem suum, vbi aliquid bonum ab illo efficaciter vult extorquere? Accipe desidiam eiusdem populi 1. Reg. cap. 22. Vehementissimè iratus Saul aduersùs ciuitatem sacerdotalem, illo cum vniuerso exercitu suo proficiscitur, & comprehensos omnes Sacerdotes iubet à quodam Doëg Idumæo interfici, vidente populo, imò & indignè ferente nequissimam necem Sacerdotum. Sed quale hoc facinus populi? Sanè facinus Regis erat irati, & Doëg: etenim populus dolebat vicem interfectorum. Qualem inde culpam contrahere potuit? Magnam equidem contraxit populus culpam, quia non instauit, non clamauit, non rogauit pro Sacerdotibus; posset enim, si vellet, & hos à Rege irato liberare, sicut quando valuit, liberauit Ionatham. Chrysost. in Psalm.134.
Chrysost. *Quando Saulis filium eripere oportebat, omnes communiter offensantes Regem, licet se iniustè gessisset, eripuerunt. Quando autem volebat eripere tot Sacerdotes, ne vocem quidem emiserunt, nec eos defenderunt. Quòd si tunc habebant naturam, quæ pro eis foueret, hic etiam habebant illic naturam. Erant enim Sacerdotes, & erat cædes nefaria, quæ ex ira, non ex recto iudicio oriebatur. Sed huius rei causa erat socordia, & quòd Sacerdotum vicem non valde dolebant. Vide ergo in quæ mala postea inciderint; illius enim negligentiæ non leues pœnas dederunt. Quando ergo factum fuerit aliquid nefarium, nemo sit iners, & ignauus; sed igne ardentior, nec minùs doleas, quàm ij quibus fit iniuria, & ita plurima mala sistentur.* Validissima equidem est vel vilissimi hominis obnitentia, vt magistratus trahat, vbi ius, fasque suffragatur.

§. VI.

Rarior, & præstantior, imò diuinior est patientia in abiectione, & desolatione.

VT Dominus exaggeraret abiectionem, & miseriam, & desolationem, sapientissimè viduam proposuit: nescio enim si persona abiectior, & miserior, & desolatior inueniri posset in ciuitate, quàm vidua; sed nec importunior in contendenda vindicta, siue defensione de aduersario. Equidem quo abiectior, & magis desolatus status personæ est, eò ibi patientia rarior, & diuinior, & præstantior. Dauid pedes cum paucis seruis suis eiectus à regia, filij rebellis iram fugiens incidit in Semei contumelias 2.Regum 16. quem volentibus interficere seruis suis patientissimus Rex ait: *Dimitte eum, vt maledicat; Dominus enim præcepit ei* 2.Reg.16.
vt malediceret Dauid. Quantum hoc, quòd Rex eiectus à ciuitate, & domo, nudis pedibus incedens, ad mortem quæsitus, in maledicum audacem non insurgat, nec permittat de illo vindictam sumi? Sanè maximum, & præclarissimum fuit hoc in Dauide patientiæ specimen; & quòd rarò, aut nunquam reperitur in tantæ abiectionis, desolationísque statu; quippe ait D.Chrysost.hom.de fide Annæ: *Si quis dixe-* Chrysost.
rit: Quid mirum, si non vltus est Dauid, cùm propter imbecillitatem, vlciscendi potestatem non haberet? Primum illud dixerim: Non perinde mirarer eum, si diadema gestans, & regno potiens, inque throno sedens contumeliantem pertulisset, vt nunc illum & laudo, & admiror tempore calamitatis philosophantem, animóque moderantem. Neque enim æquè nos in rerum prosperitate, atque in aduersis opprobria mordere solent; sed vbi conciderimus, tunc magis pungunt nos, acriusque mordent conuitia. Intolerabilis penè dolor venit ab iniuriis in hominem ad abiectionis, & desolationis statum dilapsum congestis; quem dolorem, quæ superet patientia, rara est, præstantissima est, imò diuinissima, & prorsus supra humanam naturam. De Christo Domino comprehenso, & in tenebrarum potestatem tradito, & ad iudicium adducto locutus
Matth. cap. 27. ait: *Et cum accusaretur à Principibus Sacerdo-* Matth.27.
tum, & Senioribus, nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis quanta aduersum te dicunt testimonia? Et non respondit ad vllum verbum, ita vt miraretur Præses vehementer. Homo discretus, & humana sapientia pollens valde miratur, & inaudito tribuit miraculo, quod vinctus pauper inter tot potentium & nobilium accusationes taceret. Et quàm mirum hoc? Equidem quo accusati status abiectior, & miserior, eò maius miraculum, quòd ad conuitia taceat, & quòd inter tot falsitates. & patientiam referat, & humilitatem. Hæc patientia supra hominem est, & tam clara manifestatio diuinitatis, vt in illa clarius, quàm in cæteris miraculis, deberet Iesus Deus credi, & vt Deus adorari. Id quod notans D.Chrysostomus, homil.77. in Matth.
sic fatur: *Non temerè scripta sunt omnia, quæ Iesus fecit, quæ* Chrysost.
certè poterant Iudæos reuocare. Nam illos vel supinos in terram proiecit, & auriculam seruo restituit, & humiliter eos allocutus est, & mirabilia pendens in cruce signa edidit, radios Solis auertens, lapides findens, mortuos ad vitam reuocans; vxorem iudicis somnijs territans, & in ipso iudicio inauditam humilitatem ostendens, quæ non minus, quàm signa, potuisset eos attrahere. Expende ab illis verbis: *Et in ipso iudicio inauditam humilitatem.* Supra hominem enim est, quòd quis ad miserabilem reorum statum deturbatus, ibi prorsus taceat, nullúmque edat clamorem, qui vel querela sit, vel defensio, vel supplicatio. Quando hoc silentium admirabilem virtutem, imò diuinam testatam non facit? Rem apertiùs conficiebat D.Paschas. lib.12. in Matth. fatus: *Fortior namque erat* Paschas.
in Iesu virtus, quàm humana natura se habeat. Ideò poterat non solùm admirari Pilatus, verùm etiam vehementer, quoniam dignum ei videbatur pro magno miraculo admirari valdè, vt exhibitus homo ad criminale iudicium, & adiudicatus morti imperturbabilis maneret, & imperterritus: vt staret ante mortem, quæ omnibus terribilis est, sine vllo pauore mortis, & taceret sine vlla defensione sua, cùm posset se, si vellet, in iudicio defendere. Nemo, mihi crede, abiicit defensionem suam, nisi qui virtutem habet supra hominem.

§. VII.

Innocentia iniuriarum acceptarum acuit dolores.

QVis miretur viduam de iniusto aduersario vindictam postulantem? Stimulus enim, qui ab iniustè accepta iniuria venit, durissimus est, & qui vehementissimè impellat hominem ad vindictam. Pulchrè in hanc rem dicebat Arnobius, lib.4. aduersùs Gentes: *Minora contumelia res* Arnob.
est, falsis quemdam notare, atque insignire criminibus, quàm vera suggerere, atque obiectare delicta. Quod enim fit, dici, & quod esse te sentias, morsum habet minorem testimonio tacitæ recognitionis suffractum. Illud verò acerbissimè vulnerat, quod inurit innoxios, & quod detrahit nominis, atque existimationi infamat. Multum equidem minuit de infamiæ doloro

conscientia criminis; sed vbi erimen nou est, acerbissimè vulnerat, quòd inurit innoxium. Nescio, an quis intolerabilius percutiatur, quàm qui in se nullam agnoscit causam percussionis, sed potiùs de suis meritis potuisset sperare fauorem. Dauid in dies petebatur ad mortem a Saule, & Saul in dies vitam recipiebat à Dauide. Tandem dum latet in spelunca Dauid, ecce in manibus habet infensissimum hostem, cui licèt pepercerit, tamen egredientem post tergum sequitur, & inter alia, sic ad illum loquitur 1. Reg. cap. 24.
1. Reg. 24. *Cum præscinderem summitatem chlamydis tuæ, nolui extendere manum meam in te; animaduerte, & vide, quoniam non est in manu mea malum, neque iniquitas, neque peccaui in te: tu autem insidiaris animæ meæ, vt auferas eam. Iudicet Dominus inter me, & te, & vlciscatur Dominus me ex te.* Ecce mitissimus Dauid ad Dei tribunal stat, iudicem clamat, de vindicta, seu defensione loquitur. Quis fortissimum virum ad iudicem ire cogit? Quis mitissimum, suauissimúmque virum trahit in vel iustæ vindictæ, seu defensionis cogitationem? Sanè dolor iniustissimè acceptæ iniuriæ sic etiam fortissimos homines commouere potest. Do pulcherrima verba D. Basil. Se-
Basil. Sel. leuc. orat. 16. dicentis: *Qui iniuriam fecit, ne deinde ad supplicium conquiritur, ex perpetrati facinoris audacia mali solatium capit, & conscientiam circumferens accusatricem sui, persequenti ex animo patrocinatur, actáque sua iustè dyndicans, pœnam non queritur. At qui solicitè ab eo, quem non verò seruauit, ad necem circumuenitur: beneficentiæ suæ recordatione mouetur, quòd per eam in arma contra se concitarit aduersarium, intolerabilis doloris morsu sauciatur. Ita Dauid aduersis vndequaque ingruentibus obruebatur.* Mordebat sanè Dauidem intolerabiliter iniuria iniustissimè illata: & qui in se nihil videbat, quod non iure repeteret & vitam, & gratias immortales, vehementissimè commouebatur, vbi solam metebat relationem iniuriarum. Quis sub hoc dolore non fremat? Quis homini tolerabile putet, iniustè pati? Huc reuoca dicta 1. tom. lib. 4. cap. 4. §. 15.

§. VIII.

Iudicialis fori iniquitas non parua est in dilatione causarum.

INiquus hic iudex non dicitur iniustam aliquam sententiam tulisse, sed hoc ei crimen datur, quòd sententiam ferre de iniuriis illatis viduæ *nolebat per multum tempus.* Neque enim parua est iniquitas in iudiciis forensibus, dilatio litigantium, quæ & eorum vehementissimè cruciat animos, & substantias vacuat. Philo Iudæus lib. in Flaccum, de ini-
Philo. quo iudice Lampone, hoc in primis crimen exaggerat: *Iudex malitiosè differebat sententiam, vt etiam si reus absolueretur à crimine, saltem metu incerti euentus impendentis cruciaretur quàm diutissimè, & vitam morte grauiorem viueret. Imò & postquam euasisse visus est, aiebat, se mulctatum facultatibus.* Hæc est communis in forensibus hominibus malitia, quæ omnia ferè iudicia, & tribunalia peruadit. Vbi causæ protrahuntur, dilatantur in summum incommodum litigantium, & vt officiales, & ministri iustitiæ auctiores inde prædas faciant.
Soph. 3. Hos pungebat Sophonias, cap 3. *Iudices eius lupi vespere.* Sed cur vespertinis lupis iudices comparat? Quia tota eorum ferocia consistit in dilatione, & quòd nihil non serò faciant. Prouerbium est, de quo agit Delrius noster, tom. 1. summam ferociam, & rabidissimam famem non matutinis, & prædam maturantibus lupis tribuere, sed eis, qui pigrescunt in die, & fame protracta in vesperum surgunt in prædam. Et crediderim, non adeò nocentiores esse iudices illos, qui maturant causas vel iniustè finire, quàm qui protrahunt, & differunt, nihil celerius, sed omnia nimis serò, & morosè perficientes. Moræ namque hæ non nisi ad venationem bonorum, imò ad populationem spectant ciuium. Pro quo sic monebat D. Ber-
Bernard. nard Eugenium suum, lib. 1. de consid. *Ergo illas, quas ad te necesse erit intrare causas, diligenter velim, sed breuiter decidere assuescas, frustratoriásque, & venatorias præcidere dilationes.* Pulchrè dilationes causarum venatorias vocat, vt quæ ad prædam, & venationem faciendam de litigantium bonis institui soleant. Sanè lupi isti differunt causas miserorum, vt quod potentiores prædones reliquerunt, ipsi venentur. Id
Ambros. quod sapienter adnotans D. Ambros. ser. 59. ait: *Aiunt plerumque lupos leonum subsequi vestigia, & non longè ab eorum venatibus aberrare, scilicet vt rabiem suam rapina satient aliena, & quod leonum saturitati remanet, id luporum rapacitate consumatur. Sic & isti auaritiæ lupi* (nempe fori officiales) *prædonum vestigia subsecuti sunt, vt quod illorum rapacitas superauit, bestiam cederes feritati.* Et quidem si noteutur fori negotia, plura ibi visentur retia posita à ministris iustitiæ, vt venentur pecunias relictas à prædonibus, quàm vt vlciscantur factas iniurias. Qui acceptæ iniuriæ satisfactionem petit, fallar, nisi magis perdat in foro inter iustitiæ ministros, quàm in solitudine inter fures. Cauebat lex, Exod. 22. *Captum à bestia non* Exod. 22.
comedent. Ex qua lege iudicum venationes pungens D. Ambros. serm. 59. ait: *Dicit Scriptura sacra ad filios Israel: A bestia captum ne tetigeritis. Et per hoc deterior bestia est, quisquis sumit, quod bestia superauit. Dic igitur mihi, Christiane, cur prædam eiectam à prædonibus præsumpsisti? Cur quod bestiis superauit bestia, tu sæuior bestia deuorasti?* Coniice oculos per vniuersa tribunalia iudiciorum, diligenter perquire, quod comedant turbæ illæ officialium, quæ forum implent? Sanè id comedunt omnes, quod bestia potentior reliquit in misero, crudeliores inde bestiis ipsis. Tota horum saturitas in extensione, & dilatatione litium consistit; tunc macrescunt, vbi finiuntur causæ; vbi hæ differuntur, & est illis venatio securior, & certius lucrum. Hinc Dauid tribunal Dei extollens, hoc prædicat de illo, quòd nullas dilationes admittat.
Ait Psalm 9. *Parauit in iudicio thronum suum.* Quod expen- Psal. 9.
dens D. Chrysost. ait: *Omnia enim sunt parata, & supplicia, &* Chrysost.
coronæ, & sententiæ. Non est cunctatio, nec tempus, nec tarditas apud Deum. Vtinam hoc haberent humana iudicia, quàm multorum fortunæ adhuc consisterent!

§. IX.

Fœdissimum est magistratui ea facere, quæ potestate deposita non possint defendi.

IMpudentissimum iudicem vnus tandem pudor continuit, nimirum, ne ea faceret, quorum sugillationem in fine saltem muneris cauere non posset. Et quid turpius homini, quàm quòd in potestate constitutus ea perficiat, quæ potestate exutus minimè valeat defendere? Ingenui, & præstan-
tis iudicis formam exprimens Isaias, cap 11. ait: *Vitulus, &* Isai. 11.
leo, & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos. Non virile brachium funda, aut baculo potens, sed paruulus puer exhibetur, & præficitur gregi composito ex ouibus, & leonibus, & vitulis. Et putas, quòd in hoc monstretur pastoris dignitas, an infirmitas? Et qualis in hoc pastoris dignitas? Maxima equidem, & præstantissima, quando talis ostenditur esse in exequendo munere suo, vt nulla potestate egeat, sed etsi omni appareat potestate exutus, ad paruulíque infirmitatẽ redactus, adhuc possit vel à tauris, & leonibus sua defendere facinora. In hoc enim stat tota dignitas, & præstantia iudicij, quòd non timeat à potestatis fine, sed & sine potestate timores fugiat; quippè ait Cassiod. lib. 7.
var. 1. dum iudicem instruit: *Nec quicquam præsumas facere, nisi* Cassiod.
quòd priuatus possis legibus vindicare. Ipsa est enim recta administratio, quæ & sine potestate defenditur. Turpis est, infamis est administratio, quæ solùm habet potestatis patrociniũ, adeò, vt extra potestatem posita necessum habeat in conculcationem venire. Illa administratio & recta, & præclara, & ingenuo homine digna, quæ omnem etiam potestatem exuens in rationes, legibus defensionem inuenit, qua vincat. De
hac gloriabatur Iob, c. 31. inquiens. *Si contempsi subire iudi-* Iob 31.
cium cum seruo meo, & ancilla mea, cùm disceptarent aduersùm me. Non equidem supercilio potestatis aduersarios sibi seruorum rationes abigebat, contemnebat; sed potiùs sic se conseruis, & subditis, vt si ipse in eadem esset seruili fortuna constitutus, possit se ab illis defendere, & illos vincere.
Quod astupens D. Gregor. lib. Mor. 21. cap. 10. ait: *Ecce apparet* Gregor.
mira modò in potestate Principibus potentior, in certamine seruis æqualis. Sic ius administrat, vt potestatis non meminerit, sed ea faciat, quæ possit sustentare sub habitu seruili. Nec otiosè vir sanctissimus, dum Iobi iuris administrationem commemorans vsus est verbis illis, *in certamine*, sed vt ostendat, quàm par debeat esse honor magistratuũ bonorũ pugilum. Pugil enim in certamen prouocatus inexpugnabilem exuit loricam, nudat pectus, fœdissimum sibi reputans, si superiori ferri potestate putetur, solùm posse vincere. Sic magistratus, sic iudex in certamine iudicij rem sibi facit turpissimam, si in ea non perficiat, quæ etiam nudus, & priuatus non timeat. Matth. 17. in Thabor ascendens Iesus transfigu-
ratus est. *Et resplenduit facies eius sicut Sol; vestimenta autẽ eius* Matth. 17.
facta sunt alba sicut nix. Et ecce apparuerunt illi Moyses, & Elias cum eo loquentes. Quòd si quæras, quid loquerentur in tanta manifestatione potestatis, nil aliud loquebantur, quàm excessum, & passionem eius, vt alij Euangelistæ testantur.

At

Ioan. 12. At Ioan.cap.12. clamans Iesus,ait: *Nunc iudicium est mundi, nunc Princeps huius mundi eiicietur foras. Et ego si exultatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. Hoc autem dicebat, significans, qua morte esset moriturus.* Compone modò hæc cum illis; illic gloriosus apparens in potestate sua,nec verbum facit,nec admittit de iudicando mundo; hic dum mortem prædicat suam, dum se instar vermis bombycis in ligno morientis proponit, iudicium clamat,iudicium minitat. Et cur, dum in cruce infirmus, nunc iudicium mundi, nunc Princeps mundi iudicio frangitur, & non potiùs dum in gloria potestatis elucet? Equidem præstantissima iudicij administratio est,quàm non pro potestate,sed etiam priuatus videtur efficere. Præclarè aiebat D.August.quæst.58.ex
August. nouo testam. *Idcirco commissum est Christus à Deo Patre suo,qui dæmonē vinceret,& se manifestaret,regnum eius auferens ratione, non potestate: quamquam omnia possit Deus,sed illud facit, quod congruit rationi, vt irreprehensibilis perseueret.* Quasi non possit Deus reprehensionem omninò fugere, si ea solùm faceret in administratione iudicij, quæ nisi potestate nitentia stare non potuissent. Quis hoc non reprehensibile,& turpe clamaret in iudice? Quare vbi iudicare venit Dominus mundum,& mundum prorsus vincere,in ea forma sese exhibuit, in qua non potestas appareret, sed infirmitas, sciens illam esse optimam administrationem, quæ potestate non defenditur,sed & defendi potest à nudo. Pro quo dicebat S. Ma-
Maxim. xim.serm.de magistratu,ex Aristotele: *Sapiutes magistratum non propter magistratum, sed propter virtutem in admiratione esse debent, vt mutata fortuna,eisdem laudibus digni iudicentur.*

§. X.

Turpissimum est iudici, posse timere subditum.

QVi nec Deum timebat, nec homines verebatur, hoc vno timore concutitur, ne in nouissimo sugilletur ab inaudita vidua;quippè ait:*Vindicabo illam,ne in nouissima veniens sugillet me.* Et quantula hæc res timoris erat, quòd iudex sugillationem viduæ incurreret? Sanè turpissimum est semper, quòd iudex faciat, vnde priuatos subditos timeat. Cassiod.lib.11. var.9. iudicibus prouinciarum regio nomine
Cassiod. inquit: *Nullos vestrarum actuum facimus esse custodes, nec sub priuato arbitrio ingenium iudicis inclinamus:sed omnia sic gerite, ne fiat necessarium, quod nunc credimus esse turpissimum.* Equidem à nemine non credatur esse turpissimum, quòd iudex viuat sub metu,& tremore censuræ subditorum; & ea efficiat, ob quæ necessarium sit illi, timere accusationem, vel vilissimi subditi. Audi Iobum se inde gloriantem capite 31.
Iob 31. *Si contempsi subire iudicium cum seruo meo, & ancilla mea, cum disceptarent aduersum me.* In Hæbræo dicit: *Si abhorrui subire iudicium cum seruo,*&c.Sciebat vir optimus,quantum faceret ad commendationem iudicis,quòd non abhorreret descendere in iudicium etiam cum vilissimo;quando nihil turpius iudice illo, cui timor sit,& horror, venire in iudicium, &
Philo. accusari à subdito.Ait Philo in Flaccum: *Nihil est molestius, quàm maiores ab inferioribus, & magistratus accusari à subditis, haud secus,quàm si herus reus postuletur à verna suo, aut emptitio mancipio.* Quis non condoleat hero trementi sub serui sui flagello? Ex malis,quæ in vita hac solent accidere,illud est semper omnium horribilissimum, quòd non oculi seruorum in manibus dominorum suorum, sed oculi domini in manibus serui sint, à quibus vel expectet veniam,vel caueat censuram.Dauidi expulso à regia,& fugienti obuiauit cum alimenti misericordia Siba seruus Miphiboseth; deinde adstat Semei multa in illum congerens maledicta; ait
2.Reg. 16. enim 2.Reg.16. *Egredere,egredere vir sanguinum,& vir Belial. Reddidit tibi Dominus vniuersum sanguinem domus Saul, quoniam inuasisti regnum pro eo.* Quantum ad hoc dedecus Dauidis? Multum sanè,ait enim Saluianus,lib.12. de prouidentia:
Saluian. *Fugiens Dauid cum metu,cum dedecore deiectus vsque in suorum seruorum,vel,quod graue est,contumeliam, vel, quod grauius,misericordiam,vt vel Siba eum pasceret,vel maledicere Semei publicè non timeret.* Nescio, an Regi, & iudici grauius aliquid in hac vita possit accidere,quàm quòd cogatur timere subditorum probra,nisi illud grauius sit,nimirum, quòd cogatur mendicare à seruis misericordiam, & salutem.

Text. Ait autem Dominus: Audite, quod iudex iniquitatis dicit: Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die, ac nocte, & patientiam habebit in illis. Dico vobis, quòd citò faciet vindictam illorum.

§. XI.

Iusti oratio non frustrari solet pro defensione sua.

NOn desistat iustus ab oratione,& fallar, ni Deus properet in eius defensionem, & vindictam. Exemplum præclarissimum habes in Sirorum exercitu, qui cingebat Dothaim,vt caperet Elisæum. Quid tunc? Ait text.4.Reg.6.
Orauit Elisæus ad Dominum, & dixit: Percute iam gentem hanc cæcitate. Et percussit eos Dominus cæcitate, iuxta verbum Elisæi. 4. Reg.6.
Vt iustus orauit,hostes suos obcæcatos in manus sibi traditos vidit.Quocirca D.Ambros.ibi serm.1.inquit: *Tunc igitur* Ambros.
orauit Elisæus, & omnem hostilem exercitum cæcitate percussit. Vbi sunt, qui dicunt, plus quam preces sanctorum hominum, armis posse? Ecce vna oratio Elisæi totum exercitum vulnerauit,& vnius Prophetæ meritis omnis est hostium numerus captiuus. Et simul fuit oratio,& defensio orantis; non plus tardauit Deus, vt veniret in defensionem sui Prophetæ, & in vindictam hostium illius,quàm tardauit Elisæus, vt ad Dominum oraret. Non equidem potest tardare pro nobis defensio diuina, quandoquidem Deus vt acceleret, adest in propinquo oraturis.Deuter.4. *Non est alia natio tam grandis,quæ habeat Deos* Deut. 4.
appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. In rem præsentem expressiùs transtulit Onkelus:
Quæ est populus magnus, cui Deus ita appropinquet, vt suscipiat Onkel.
orationem eius in tempore tribulationis, sicut est Dominus Deus noster in omni tempore,quo nos oramus coram eo? Vix oratio nostra incipit, & iam nobis Deus quasi latere hæret, protegens nos,& defendens ab omni malo.Quò respiciens Ps.11.
ait: *Propter miseriam inopum,& gemitum pauperum,nunc exurgam,dicit Dominus*,&c. Vna vox,vnus gemitus pauperis,hoc Psal. 11.
est,iusti afflicti sonat, & Deus ait: *Nunc exurgam*; non ampliùs expectat, vt in auxilium, & protectionem eius aduolet, nisi vt vel gemat pauper. Vnde Chrysostom.ibi:*Magna* Chrysost.
est vis aiulutus,quæ supernum euocat auxilium.Timete,quicumque pauperem iniustè afficitis. Habetis vos potentiam, opes, & pecuniam, & iudicum beneuolentiam; sed habent illi arma omnium validissima, luctus, & eiulatus, quæ è cælo auxilium attrahunt. Hæc arma domus effodiunt:hæc fundamenta euertunt: hæc integras gentes submergunt. gemitus dico eorum,qui afficiuntur iniuria. Vbi vox, vbi gemitus iusti afflicti in aure diuina sonat; dicto citiùs solet palàm cerni defensio diuina, & hostilium incursuum ruina. Quid mirum quòd orante iusto afflicto, statim Dei defensio appareat, & hostium ruina? Sanè & vel iusto tacente,eius hostis de se celerrimam sumit vindictam.
Ponite ob oculos Paulum à vipera morsum,Actor.28.*Et ille* Act. 28.
quidem excutiens bestiam in igne, nil mali passus est. Rem pulchris verbis tractans Theodoretus, quæst. 18. in Genes.ait:
Vipera,quæ dentes iniecerat in manum Apostoli, cùm nihil peccata tenerum,aut molle in eo reperisset, mox resiliit,& in ignem se coniecit, supplicium quodammodo de se ipsa sumens, quò corpus sibi nullatenus conueniens adorta esset. Quis credat, posse tardè à Deo venire defensionem iusti sui, quando & aduersarij illius tam festinanter per se currunt ad pœnam sumendam pro facta iniuria. Theod.

CAPVT XIX.

De operariis in vineam missis.

VT gratiæ auxilia Deus pro libito largitur, nullo spectato merito condigno, sic posset, & gloriam suam similiter largiri. Attamen in largienda gloria sic merita spectat, vt nihil magis,minúsve tribuat,quà id,quod merita postulare videt. Horum per se qualitas, & quantitas sola spectatur, quæ vt in disparibus aliis circumstantiis, v.g. temporis, potest esse par,& prorsus similis: sic fieri potest, vt breuis hora æqualem diuturno labori coronam accipiat. Quod non aliter fit in virtutum cultu,ac in cultura vineæ, in quam pacta mercede mittuntur operarij à patre familias. Mittuntur, inquam,alij primo manė, alij hora tertia, alij hora nona,serò nimis:sed finito labore,omnibus æqualis merces præstatur, cum hoc discrimine, quòd postremi mercedem accipiunt primi. Quis credat, hoc prouenisse ea mero libito patris

familias,

familias, volentis gratis seros, & immerentes operarios æquare iis, qui strenuam operam labori impenderant tota die? Sanè ipse queribundus respondet: *An non possum, quod volo facere?* Non quòd id de facto faciat, sed quòd hac certa, & euidenti ratione faciliùs ora querelarum oppilet. Alioquin nullus pater familias inuenitur, qui in remunerando labore operariorum, eius qualitate diligentiùs non trutinet, iuxta quam & hic æquauit omnes in præmio, quia & nouissimi laborem exhibuerunt æqualem primis: & pro breuitate temporis, qua implent aliorum tempora, multa similiter lucrantur, vt citiùs debitam mercedem accipiant. Quis seruus operarius aliud expectaret à prudenti patre familias? Nec dum à Deo, qui in hoc se prudentissimo patri familias assimilat.

Matth. 20. Simile est regnum cœlorum homini patri familias, qui exiit primo manè conducere operarios in vineam suam.

§. I.

Nihil sic hominem auget, vt cultura cœlestis vineæ, hoc est, cultura fidei. Vbi de Hispani populi gloria.

Ecce tibi, paruulus ille, qui natus est nobis, & filius, qui datus est nobis, Isai cap. 9. qualiter iam non paruulus, non filius, sed pleno ore dicatur pater familias: quippè ait
Hilarius. D. Hilar. *Patrem familias hunc Dominum nostrum Iesum Christum existimari necessum est.* Et cur ibi paruulus, & filius vocatus est, hic autem pater familias vocatur? De puero, & paruulo
Isai. 8. dicit Isaias cap. 8. *Antequam sciat puer vocare patrem, aut matrem, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coram Rege Assyriorum.* Verùm de patre iam facto dicit Matthæus: *Simile est regnum cœlorum homini patri familias, qui exiit primo manè conducere operarios*, &c. Vbi arma tractātur, nullum augmentum ostenditur; sed adhuc puer, & paruulus, & filius monstratur. Vbi cultura exercetur, & procuratur, quòd de diuina vite fœcundissimi excrescunt palmites, omnis pueritia euacuatur, & in tantum crescit Dominus, vt pater familias
Hilarius. appareat. Ad hæc Hilarius ait: *Patrem familias hunc Dominum nostrum Iesum Christum existimare necesse est, qui totius humani generis curam habens, omni tempore vniuersos ad culturam legis vocauerit.* Vbi ad culturam legis, vbi ad arma vocat, auctus in patrem familias apparet, quando non bella, sed cultura fidei mundiales etiam dominos auget. De Saul exercitus in
1 *Reg.* 13. prælia parente ait Scriptura, 1. Reg. 13. *Filius vnius anni erat Saul, cum regnare cœpisset, duobus annis regnauit super Israël. Et elegit Saul sibi tria millia de Israël.* Etsi enim multo cinctus milite hostiles exercitus adortus millia prælia conficeret, multas reportaret victorias quia tamē nihil in cultura veri numinis profecit, numquam mensuram filij vnius anni aut duorum excessit. Non enim bella, sed veri Dei doctrina, & cultus augent homines, augent mundiales Principes. De magno Alexandro post innumeros penè triumphos mori-
1. *Machab.* 1. bundo dicitur 1. Machabæor. 1. *Et vocauit pueros suos nobiles, qui secum erant nutriti à iuuentute, & diuisit illis regnum suum,* &c. Et quidem nemini dubium est, quòd ij, qui pueri dicuntur, strenuissimi fuissent Alexandri duces, quorum opera, & labore tot victoriæ comparatæ sunt, tot celebrati regnorum triumphi. Imò de illis locutus Gorionides, lib. 3. ait:
Gorion. *Alexander partitus est terram in quatuor Principes magnos è familia sua.* Qui magni, & præstantissimi erant militari gloria apud Alexandrum, vocantur pueri ab Scriptura. Hoc pondera, & simul illud ex 1. Paralip. 4. vbi de Hiram dicitur:
1. *Paral.* 4. *Omnia vasa* (nimirum omnia templi vasa) *fecit Salomoni Hiram pater eius, in domo Domini ex ære mundissimo.* Sed & de
2. *Paral.* 2. eodem Hiram locutus Rex Tyri, ait 2. Paral. 2. *Misi ego tibi virum prudentem, & scientissimum Hiram patrem meum.* Expende modò, cur Alexandri duces, validissimi regnorum expugnatores, propugnatores, vocentur filij, siue pueri; Salomonis autem & Tyri Regis seruus, non puer, non filius, sed pater absolutè dicatur? Vnde hic in tantū creuit, vt pater habeatur Salomonis, & Regis Tyri? De Rege Tyri ait Hieron. in traditionibus, citatus à nostro Pineda, lib. 5. de rebus
Hieron. Salom. cap. 13. num. 23. *Idcirco vocat illum patrem suum, quia docuit eum timorem Domini, & adduxit eum ad cognitionem Dei.* Et meritò numquam pueritiam excedentibus bellatoribus ducibus, is in tantum creuit, vt Regum pater sit, vt qui alteri omnia vasa templi ad cultum religionis veræ perfecit, alterum ad notitiam veri Dei adduxit; qui enim veri Dei notitiæ, & cultui propagando operam nauat, is solus non potest non crescere in patrem familias. Quis ignoret paruulam Hispanorum familiam? Quantula illa fuit, tota erat in spelunca apud Astures conclusa: ibi regia proles, regius filius Pelaius cum paucis pueris suis erat, & inde egressus homo Hispanus, vt puer paruulus, & filius vnius anni, hodie apparet auctus in patrem familias, vt cui non vna familia, sed plura imperia fuerint addita. Et cur omnium minimo populo, & abiectissimo tam ingens augmentum accidit? Ob bellicam virtutem? Ob armorum potentiam, & dexteritatem? Apage; non equidem creuit imperium Hispanum, quia eius militaris gloria maior, sed quia eius arma non tam internecioni hostium, quàm fidei culturæ operam nauant. Huc spectat Isaias, cap. 2. *Et iudicabit gentes, & arguet populos multos: & conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces.* Non vnum, sed multos populos, plurima regna acquirens, gladios in vomeres, & lanceas in falces conflat; & quid sibi vult eo, quod è gladiis, & lanceis & vomeres, & falces faciat? Pulchrè Procopius ait: *Isai.* 2.
Vt qui gladius fuerat ad interimendi vsum fabricatus, in aratrum iam conuersus, semina illa viuifica, quæ sapientiæ beneficio, rationis participibus animis innascuntur, præparet: lancea autem eminùs petere, & propellere solita in id, quod propè cogendi, colligendique facultatem habet, verteretur. Falx enim, quæ dispersa sunt, cogens in vnum, manipulos ad colligationem præparat. Conferunt verò ista ad verbi messem. Sunt etenim Hispanorum arma in vsum excolendarum gentium, colligēdarúmque nationum in messem euangelicam. Et gladij, & lanceæ Hispanicæ seruiunt Deo pro aratris, quæ terram præparent ad recipienda diuini verbi semina, pro falcibus ad colligendas nationes in cœleste regnum. Quò deuenerunt Hispanorum arma, vbi non cernantur Euangelij messes? In Gallia, in Italia, in Belgio, in Germania gladij Hispani, non tam gladij, quàm aratra, vt sentes hæreticorum, & spinas eradicent: in Mexicanis, & Peruanis, aliorúmque Barbarorum aruis lanceæ Hispanæ, non tam lanceæ, quàm falces, quæ in aream Christi colligunt barbarissimas, perditissimásque gentes. Vbi ergo Hispanorum arma in aratra, & falces versa sunt pro cælesti messe facienda, non mirum, quod pusillum Hispanorum regnum crescat in immensum. Pusillus Israëlitarum populus in Ægyptum descendit, ibique captiuus quatuor sæcula egit; sed inde egressus, potenti Dei virtute maximo cœpit incremento: hostes in mari submersos vidit, quod ipse transiuit siccis pedibus: cœlestem commeatum habuit; tubis cecinit, quæ æreis machinis valentiores inexpugnabilia penè mœnia æquarunt terræ. Regna multa, vel exterminarunt, vel sibi seruire in tributis fecerunt: vnde tanta augmenta eueniebant populo omnium miserrimo? Theodor. *Procop.*
serm. 10. de prouidentia, ait: *Sic Israëlem immensum auctum Ægyptiaca seruitute liberare volens Deus, per multa signa liberat, inde gloriam, & magnificentiam ipsis concilians. Hanc etenim gentem, vt omnibus gentibus, ad Dei notitiam magistra esset, elegit.* Electa fuit Hebræorum gens, vt veri Dei notitiæ haberet ad vniuersas gentes magisterium, inde signis, & prodigiis cœlestibus seruitutem excutiens in magnam gloriam, & magnificentiam deuenit. Sed dum ij desipuerunt, quid fecit illis Dominus vineæ cœlestis? ipsi aiunt. Matth. 21. *Malos malè perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis.* Equidem locata est Dei vinea aliis agricolis, locata fuit viris Hispanis, qui sub barbarissimæ nationis seruitute pressi diu iacuerunt, & placuit Deo illos à seruitute liberare, & post septingentos annos per multa signa liberat, adeò, vt pro illis in certaminibus adsit cœlestis eques Christi Apostolus Iacobus, qui hostiles sæpiùs visus est prosternere exercitus. Inde gloriam militarem, & magnificentiam Deus suis Hispanis concilians, quæ per vniuersas nationes perstrepat, & qua in summum orbis imperium deuenerunt. Vnde hæc Hispano populo, seu potiùs paruæ coronæ Castellæ? Ait suprà Theodoretus: *Hanc etenim gentem, vt omnibus gentibus ad Dei notitiam magistra esset, Dominus elegit.* Da mihi aliquam nationem, vel è propinquis, vel è remotissimis, & barbaris, in qua veræ fidei, verique Dei, siue Hispani, siue Hispanorum nutritij non exercuerint magisterium. Nullum dabis. Alumni Hispanorum sunt, & eorum sumptibus nutriti, & edocti, qui stant in Britania pro fide vera: qui vtriusque Æthiopiæ hominibus, & barbaris, & non adeò barbaris candidam salutem referunt, Hispani sunt. Qui apud Indos Occidentis, & Orientis, apud Iapponios, apud Sinas, & alios penè innumeros insulanos pro Dei notitia ingerenda virilem operam nauant, Hispani sunt. & Hispanorum regiis classibus, & sumptibus illuc asportati perueniunt. Crescat ergo necessum Theodor.
Matth. 21.

sum est populus à Deo electus in fidei culturam, in Euangelij messem, in lucem gentium.

§. II.

Quò citiùs à primis annis vocatur quis, eò in virtute est perseuerantior.

MAnè festinat exire Dominus conducere operarios certus perseuerantiores futuros esse in labore virtutum, qui à primo vitæ manè illius viam arripuerint: quod enim ab infantia penè cum lacte sugitur, id vsque in nouissimum diem solet retineri. Dicebat Angelus matri Sansonis, cap. 13. Iudic. (Iud. 13.) *Concipies, & paries filium, cuius non tanget caput nouacula; erit enim Nazaræus Dei ab infantia sua, & ex matris vtero, & ipse incipiet liberare Israel.* Quæ verba referens mulier marito suo, aiebat: *Erit enim puer Nazaræus ab infantia sua, & ex vtero matris suæ, vsque in diem mortis suæ.* Et quidem Angelus nihil dixerat de Nazaræatus perseuerantia vsque ad mortem: illam mulier addidit de suo. Id quod notans D. Augustin. (August.) quæst. 52. ait: *Quod ait mulier dictum sibi ab Angelo, quoniam Nazaræus Dei erit puer à ventre vsque ad diem mortis, non legitur ab Angelo dictum.* Cur ergo mulier retulit ea, quæ minimè ab Angelo dicta sunt? Cur non contenta fuit dicere præproperum filij Nazaræatum ab infantia, imò ab vtero incipientem, quòd solùm Angelus dixerat? Cur maluit addere perseuerantiam eius vsque ad mortem, quæ minimè ab Angelo fuerat dicta? Sanè prudentissima fœmina nihil dixit, quod non putaret contentum esse sub verbis Angeli; eo enim ipso ab Angelo dictum accepit de præpropero Nazaræatu filij, inibi etiam putauit, fuisse dictum de eius perseuerantia vsque in finem vitæ; quando quæ ab infantia sugitur virtus perseuerare soleat vsque in nouissimum diem. Hinc est, quòd D. Basilius putet, firmitatem, & adhæsionem Angelorum in bono venire ex eo, quòd gratiam, & sanctitatem à primo instanti suæ receperint vitæ: quippè ait in Psalm 32. (Psal. 32.) *Angeli in prima constitutione, & quasi conspersione suæ substantiæ, simul habuere infusam sanctitatem. Quapropter & ad malitiā difficilè se poterant transmutare, nimirum sibi indulta sanctitate, quasi tinctura quadam confirmati.* Firma equidem est virtus, quæ à primo vitæ manè sugitur, & quæ vix sinat dubitari, quòd perseueratura sit vsque in finem. Paruulum Samuelem offerens Dei templo mater, dicebat, 1. Regum 1. (1. Reg. 1.) *Ego commodaui eum Domino cunctis diebus.* Vel, vt legit Chrysostom. *Et ego commodo omnibus diebus vitæ suæ.* Vnde scis mulier quòd ipse vellet omnibus diebus vitæ suæ in Dei obsequio persistere? Cur offers Deo, quod nescis, an sit præstandum? Callet bona fœmina efficaciam virtutis, quæ primis bibitur annis, & ideò quem à primis vnguiculis Dei donum facit, non dubitat, in eo inueniendum esse etiam in vltimis annis. Ad hæc Chrysostomus (Chrysost.), de Anna, & Samuelis educatione fatur: *Ascendit igitur in templum, & agellum induxit in aream, ac vitulum perduxit ad armentum, & in pratum deduxit rosam à spinis liberam; rosam, inquam, quæ numquam marcescit, sed floret perpetuò, quæque possit ad ipsum vsque cælum extollere, cuius fragrantia in hodiernum vsque diem innotescit, ac efficiuntur omnes; tantus annorum numerus præterit, & tamen virtutis illius fragrantia semper augescit, nec tanta temporis magnitudine facta est languidior.* Hoc habent recentes anni, vbi odore virtutum imbuuntur, quòd illum nulla temporis diuturnitate dimittent. Ideò Dauid nihil magis curabat, quàm inuenire remedium, quo prima hominis ætas curaretur, quippè ait Psalm. 118. (Psal. 118.) *In quo corrigit adolescentior viam suam?* Cur magis solicitus est de corrigendis iuuenibus, nisi quòd quam sugit prima ætas virtutem, in ea constantior perseuerat? Ait D. Hilarius hic: (Hilarius.) *Placiturum Deo virum Propheta conformans, non spectat post longam, ac diuturnam criminum consuetudinem doctrina Dei & præceptis timoris constitui, sed rudes à peccatis annos, & ætatem adhuc criminum nesciam vult non modo studio aliquando innocentiæ, sed etiam ipsa adolescentia consuetudine imbui. Difficile est ab vsitatis desciscere, difficile à familiaribus abstrahi.* Hæc ille & valdè sapienter probans, quantum conducat ad perseuerantiam, quòd virtus à primis annis incipiat. De Ioanne ait Matthæus cap. 11. (Matt. 11.) *Ioannes autem cùm audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis*, &c. Vide Ioannis constantiam; nec carcer obscurus, nec vincula impedimentum illi attulere, quominùs quæreret Christum. Quid mirum? Et in ipso vtero sciuit se naturæ vinculis expedire, vt Iesum honori habeât. Ait D. Ambros. homil. 1. in Ioannem: (Ambros.) *Mirari non debemus, quòd ab Herode missus in carcerem, clausus Christum suis discipulis intimaret, cùm etiam clausus in vtero eamdem Dominum gestibus prædicauit.* Quò referri possunt dicta 2. tom. lib. 6. cap. 1. §. 15.

§. III.

Ne qui à Deo deficiunt, labores in hac vita fugiunt, ideóque digniores sunt supplicio.

OPerarios vocat Dominus in vineam suam, non qui tunc primò operarij fiunt, cùm vineam Dei ingrediuntur; sed qui & ante operarij sunt, & etiam à Dei vinea fugientes, & ærumnas, & labores subeunt. Seruus ille nequam, qui otiari maluit, quàm negotiari Dei lucrum, vbi rationem reddit, Luc. 19 ait: *Domine, ecce mna tua, quam habui repositam in sudario.* (Luc 19.) Miraris, quòd otiosus homo, qui vt otiaretur, Dei negotiationem fugiebat; adhuc sudarium haberet, quo otiosas pecunias obuolueret. In Dei negotiis forsan labor, & sudor esset, & sudarij necessitas, sed & qui fugit Dei negotia, vt quærat voluntatum otia, & labores maximos habet, & sudores; nec dari potest, qui à Deo fugiat, qui sudariis non egeat fractus laboribus. Ait Eusebius Gallicanus, homil. 1. in Natali vnius Confessoris: *In sudario namque talentum reponit, qui gratiam sibi datam in hac carne laboribus, & fatigationibus tradita torpescere sinit.* (Eusebius Gallic.) Non equidem Dei negotium finitur, quin in laboriosa, & fatigationibus plena abeatur. Numquam, mihi crede, gratiam Dei torpescere in te finis, imò à te ablegas, quin te totum laboribus, & fatigationibus tradas. Propone tibi ante oculos veteres illos Israelitas, ij vbi cœlestem panem fastidire cœperunt, in cæparum, & alliorum cupiditatem abeunt. Numerorum c. 11. dicitur: *In mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cæpe, & allia. Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi Man.* (Num. 11.) Expende, quid eligant, quando cœlestem panem fastidiunt; eligunt quidem & porros, & cepas, & allia, quæ vix comedi possunt, quin à comedentium oculis extrahant ingentem vim lachrymarum. Huiusmodi est misera conditio mortalium, qui Deum fastidiunt, vt abeant in labores. Procopius, ad primum caput Isaiæ, fatur: *Lugebant memores cucumerum, & peponum, cibi videlicet Ægypti; quem numquam comedere veras Israelita cœlesti pane nutritas; quem qui fastidiebant, cepas, & allia deposcebant. Talis enim est, quæ voluptatibus vita indulget, pungens, & acris, & lachrymas ex illius gustu viuentibus prouocans.* (Procop.) Quisquis Dei negotium fugis, quisquis Dei refugis colere arua; in otio, & voluntate nihil aliud inuenies prius, quàm labores, quàm lachrymas. Nullibi non laborandum est, nullibi non flendum; miser, & multo dignus supplicio, qui Dei labores fugit, vt voluptatum labores grauiores amplectatur. Ecclesiastes cap. 10. inquit: *Qui transfert lapides, affligatur in eis.* (Eccles 10.) Syrus ponit, *cruciabitur in eis*; & meritò cruciatum, & dolorem acquiret, qui eò solùm spectat, vt transferat lapides; hoc est, vt vnum lapidem eo loco tollens, alium sumat, quem ibi reponat. Et quorsum hæc? Pulchra equidem metaphora mordentur homines, qui diuinarum legum pondera abiiciunt, non vt à pondere sustinendo vacent, sed vt sumant aliud pondus vitiorum, quo fracti labore nouos sibi cruciatus acquirunt, & afflictiones. Rem in particulari de Rege Manasse explicat Chaldæus Casti, aiens: *Inquit verò Rex, & Propheta Salomon: Compertum habeo Manassem Ezechiæ filium, eò scelerum deductum iri, vt simulacra, & lapides adoret: quare in manus Assyriorum veniet, qui eum domabit frenis, quia vel ab ipsis radicibus sermones legis in tabulis lapideis incisos conspexerat.* Tabulas legis contempsit, eorum lapideum pondus abiiciens, sed vt aliud lapidum etiam pondus subiret. Pro diuinarum legum lapide relecto, lapidea idola quæsiuit, qui labor magis stultus? magis dignus supplicio? Si vel in cultu Dei, vel in idolorum cultu lapideum pondus erat subeundum; stultus est, qui mauult Dei pondus, quàm idolorum pondus subire. Nec miror, quòd pœnas det, qui legis diuinæ lapides reiicit, vt idola sibi lapidea constituat. Huc reuoca dicta 1. tomo, lib. 3. cap. 4. §. 26. & lib. 4. cap. 4. §. 16. & alibi.

Text. Conuentione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam.

§. IV.

Potentissima Dei manus facinus est, quòd adolescens non declinet à Dei seruitio.

MAtutinos hos operarios dicitur Deus notanter misisse in vineam suam, de cæteris infrà seriùs vocatis non dicitur,

dicitur, quòd Deus misit illos: sed solùm ad illos loquebatur Dominus, aiens: *Ite & vos in vineam meam*; non additur, & misit illos. Cur autem solis primis additur, *& misit illos*, imo & non misit vtcumque, sed pacta prius mercede ex denario diurno? An difficilius erat, quod irent ij in Dei vineam? Sanè difficillimum est, non nisi potentissimæ diuinæ manus opus, quod qui in primo sunt iuuentutis flore, primisque in ætatis annis vocantur, Dei, rationisque sequantur ductum, vitiaque protinus aspernentur. Vates Philistinorum hoc consilium dederunt, quo posset manus diuina apertissimè demonstrari in suos resurgere 1. Regum 6. *Facite plaustrum nouum, vnum, & duas vaccas fetas, quibus non est impositum iugum, iungite in plaustro, & recludite vitulos earum domi. Tolletisque arcam Domini, & ponetis in plaustro: & dimittite eam, vt vadat. Et aspicietis: & siquidem per viam finium suorum ascenderit, contra Bethsames, ipse fecit nobis hoc malum grande; sin autem minimè, sciemus, quia nequaquam manus eius tetigit nos.*

1. Reg 6.

Hæc Vates consulebant sapienter ex iuuenculaꝛum recta via adeo nulla possent vi retardari, coniicientes, an Philistinorum calamitas opus potentissimæ Dei manus fuerit. Et quando manifestior apparet Dei potentissima manus, nisi vbi iuuenis, & prima ætas onus Dei sustinet, rectàque cum illo incedit? Id quod amplius explicat D. Chrysostomus, homil. 6. in Matthæum, dum hæc verba pulchra paraphrasi expendit. Ait enim: *Tunc eorum responderunt Vates, vt iuuencas indomitas adhuc primiparas ad plaustrum iungerent, quo arca vehi [illegible] eae regente, quò vellent, ire permitterent: sic apparitarum [illegible], vtrùm à Deo plaga illa venisset. Si iniquitate iugum [illegible] cerbi ceruice contriuerint, atque mugientes ad vitulas recurrerint, casu id factum esse manifestum est; si verò directa itinere contenderint [illegible] neque ad mugitum tentauerint redire vitulorum, neque in aliam regionem ignota via errare detorserint, liquidò patebit Dei manus*, &c. Expende, quæso, singula signa operantis manus Dei; in primis duæ iuuencæ indomitæ, adhuc primo iuuentutis flore lasciuientes assumuntur, vt sub iugo diuinæ arcæ consistant. Quid tunc? Si iugum non contriuerint, si non resiliant ad delicias suas, si recta ierint, si in regionem ignotam non retorserint, liquido manus Dei ibi esse constat. Et quidem Luc. cap. 15. iugum paternum non sustinens, *adolescentior filius peregrè profectus est in regionem longinquam*; quòd ergo iuuenis non conterat iugum Dei, sed recta incedat, nec in regionem ignotam declinet, non humanæ potestatis opus est, sed facinus manus diuinæ. Psal. 118. *In quo corrigit adolescentior viam suam. In custodiendo sermones tuos.* Anxius erat Dauid, vt inquireret quo medio possit iuuenis viam virtutis arripere & tenere, & vis de hoc medio agit quærendo, & statim subiicit: *In custodienda sermones tuos*; quasi vna diuina potestas in eo possit præsentiri. Ait enim D. Ambrosius, ibi, serm. 2. *Hic deliberantis est finis, quo viam suam corrigat. Et respondet: In custodienda verba tua. Et benè ad Deum tanquam respondit deliberantis, quasi prece, atque oratione deli[illegible], consilium hoc Domini inspiratione reperiret, vt non præsumptione humana, sed dignatione diuina remedium crederetur.* Sola enim diuina manus potentissima potest præstare remedium, quo iuuenis non præceps fiat, sed intra legis diuinæ terminos se contineat. Hinc est quòd Ioannes Euangelista, qui cæteris Apostolis iunior erat, longè maiori fulcro in hac vita opus habuit, quo stare potuit. De se enim cap. 19. scribit, quòd in sua acceperit Dei matrem; quippè ait: *Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.* Quid est, quòd accepit eam in sua. Pulchre D. August. ait, tractatu 119. in Ioannem: *Quia actorum quarto legitur. Quotquot enim possessores agrorum, vel domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, & ponebant ad pedes Apostolorum: distribuebatur autem vnicuique, prout cuique opus erat: intelligendum est, sic distributum fuisse huic discipulo, quod opus erat*, &c. Ergo vt suorum loco dabantur cuique, quod opus habebat; sic data est Dei mater Ioanni: qui enim iunior erat, opus habebat toto Dei matris patrocinio, vt in virginea pudicitia firmaretur. Hinc facilè transferri possunt dicta tom. 3. lib. 14. cap. 1. §. 11. & lib. 15. cap. 1. §. 23.

Chrysost.
Luc. 15.
Psal. 118.
Ambros.
Ioan 19.
August.

Text. Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos, & dixit illis: Ite & vos in vineam meam, & quod iustum fuerit, dabo vobis. Illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa sextam, & nonam horam, & fecit similiter.

§. V.

Miserè fallitur, qui efficacia Dei auxilia, & vocationes sibi assiduas, & pro quacumque ipse hora voluerit, esse paratas præsumit.

EGreditur bonus pater familias ad operarios trahendos, non singulis momentis, & horis sed certis, & determinatis, si vis notis, ne quis vanè putet habenda efficacia Dei auxilia, & eiusdem peculiarem assistentiam quacumque hora, vel momento voluerit homo illam suscipere. Ecce tibi, in foro apparet Dominus trahens operarios hora tertia, & sexta, & nona; at hora quarta quinta, septima, octaua nullibi visitur. Instat equidem Deus trahendis efficaciter hominibus, sed non continuò, nec pro humano libito: sed quando ipse vult, & vult plures abesse quam adesse, adeò vt etiam amicissimis, & vehementer de eius absentia quærentibus sese frequentissimè subtrahat, & eos in lachrymis sinat. Sponsa erat, & valdè dilecta illa, Cantic. 1. *Indica mihi, vbi pascas, vbi cubes in meridie.* Sufficeret amanti scire, vbi pasceret dilectus; dum enim pastionis locum nosceret, plenam ibi pastoris sui copiam inueniret. Cur non contenta est, sibi demonstrari hunc locum? Cur adhuc & ad alterius cognitionem festinat, nimirum, vt etiam vbi cubet, sciat. Nota est sponsæ dilecti sui conditio, qui nullibi assiduus sit, nec perpetuò sciat cum etiam sibi dilectis morari, quin potius crebris fugis se subtrahit illis, & ideò omnia eius scire amat suffugia, nec vllum locum, nec tempus ab eius inquisitione prætermittat. D. Bernardus, serm. 32. in Cantic. *Cum vigiliis, & obsecrationibus, & multo labore, & imbre lachrymarum quæsitus Dominus affuerit, subitò dum teneri putatur, elabitur; & rursum lachrymanti, & insectanti occurrens comprehendi patitur, sed minime retineri, dum subitò iterum quasi manibus euolat, & si institerit precibus, & fletibus deuota anima, denuò reuertetur, & voluntate labiorum eius non fraudabit eam; sed rursum mox disparebit, & non videbitur, nisi iterum toto desiderio quæratur. Ita ergo & in hoc corpore potest esse de præsentia sponsi lætitia, sed nõ copia, quia etsi visitatio lætificat, sed molestat vicissitudo.* Huc, quæso, conueniant omnes, qui otiosam vitam agunt in mundiali foro, & dum in cupiditatibus suis implendis sunt, nullam solicitudinem, nullam æstimationẽ habent de Deo habendo; nec magni ducunt hos, & illos dies, imò hos & illos annos negare Deo, eiusque vocationi repugnare, negotium salutis vel non curantes, vel in aliud tempus differentes, certi, quod Deum pro quacumque hora ipsi voluerint, paratum, & expeditum habebunt, vt eis efficacia auxilia præstet, & singularem sui assistentiam. Vnde hæc sibi promittere, aut confingere possunt? Sanè & qui omni studio, & labore, in lachrymis, & solicitudine quærunt Deum, talia sibi promittere vix possunt, quandoquidem Deus nec iis amicissimis assiduus peculiariter adstat, nec pro quacumque hora & momento certus est, sed frequentibus fugis se illis eripit, & absentem exhibet. Si ergo etiam laborantes & anxiè quærentes pro quacumque hora certò Deum sibi peculiariter assistentem non inueniunt, sed illum lugent absentem, qui otiosi in foro viuunt, in lecto stertunt, nec vlla Dei habendi solicitudine tenentur, qua temeritate præsumunt, illum sibi præstò futurum pro quacumque hora ipsi voluerint? Adfuit aliquandiu sponsæ foribus, Cant. 1. *Vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi, soror mea, amica mea, immaculata mea.* Quid tunc? Ipsa inquit: *Pessulum ostij mei aperui dilecto meo, at ille declinauerat, atque transierat.* Quis crederet, non magis expectaturum eum, qui sic ad ostium dilectæ, & immaculatæ pulsabat? Quæ dilecta non præsumeret, a se inueniendum illum, quem sentiebat pulsantem, & ad ianuam vocantem? Et nihilominus dum paululum per moratur respondere, cùm vult admittere, iam non inuenit, quem admittat. Non equidem pro omni hora, quæ vult homo, adest Deus efficaciter vocaturus, sed frequenti fuga, & inopinata & absentiam, & alienationem ostendit suam. Mirabundus Iob cap. 30. inquit: *Comparatus sum luto, & assimilatus sum fauillæ, & cineri. Clamo ad te, & non exaudis me; sto, & non respicis me.* Quantum hoc, quòd Deus non respiciat, sed prætereat hominem lutum, & limum factum? Multum equidem & penè inauditum in Deo, qui sic in homine humili sibi complacet, vt in hoc humilitatis humanæ luto penè maneat infixus, ne inde possit præterire. Forsan id notabat in Psalm aiens: *Infixus sum in limo profundi.* Sed & Genes. 1. vbi limus venit in Dei manus, vt homo fiat, ait Tertullianus, libro de resurrectione carnis: *Limus in manus Dei peruenit, satis beatus, & solummodo contrectatus. Recogita totum illi Deo occupatum, ac deditum, manu, sensu,*

Cant 1.
Bernard.
Cant 1.
Iob 30.
Tertull.

sensu, opere, consilio, ipsa in primis effectione, qua lineamenta detebat. Sic limus totum Deum rapit, & eius tenet cogitationem, oculos, manus, & tamen tota hæc limi valentia apud Deum, in Iobo deficit, ipse namque ad limum redactus, totum suum obiicit Deo lutum, & Deus lutum pertransit, nec ibi figit oculos, neque ponit aures. *Comparatus*, inquit, *sum luto. Clamo ad te, & non exaudis; sto, & nō respicis.* Nihil sic Deum prendit, quod non à Deo prætereatur; in nullo sic Deus figitur, & hæret, de quo non euolet, & longiùs abeat, adeò vt pluries se sine Deo possit lugere, quàm cum præsente Deo gaudeat. Cantic. 3. *In lectulo meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea.* Nescio, an vnum diem integrum ab sponsa cum Iesu inuenies actum, & plures noctes vides, in quibus Iesu præsentia caret. Hinc dicebat Guillelmus Abbas, serm. 1. in Cant. *Noctes eius frequenter interpolantur absentia sponsi; cùm adest, lux est; cùm abest, nox est. Ideò multæ sunt noctes sponsæ, quia multi sunt elapsus sponsi, & multæ latebræ.* Quandoquidem nox respondet absentiæ Dei, necessum est, quòd multæ, & frequentissimæ sint Dei absentiæ, ne quis putet, quòd verbum Dei posset esse alligatum, vt illud pro quacumque hora homo voluerit, habeat. Sæpè enim præsumunt multi de Deo certis temporibus habendo, & miserè se fallunt. Huc reuoco dicta 1. tom. lib. 5. cap. 2. §. 3.

Cant. 3.

Guillelm. Abbas.

§. VI.

Periculosum est homini, quòd Deum nec ad se venientem, nec à se recedentem obseruet.

NOn otiosè notat Dominus horas, quibus exit pater familias conducere operarios, sed vt ostendat, non minimum salutis negotium in eo consistere, quòd homo diligenter attendat, & sciat, quando Deus accedit, vel quando abest. Mirari ego soleo homines in mundiali foro adeò suis voluptatibus, vel lucris deditos, vt vix Deum in aliquo meminerint, nec curant, nec attendunt, an inter alia negotia, vel otia aliquos Dei impulsus patiantur, vel potiùs illis careant. Proh dolor, quàm periculosa est humanæ saluti hæc ignorantia! Aiebat Dominus, Ioan. 3. *Spiritus vbi vult, spirat, & vocem eius audis, & nescis vnde veniat, aut quò vadat.* Vnde veniat Deus ad nos, & quò vadat, semper ignoratur, sed venientis vocem numquam vult Deus ignorari à nobis, sed potius ait: *Vocem eius audis.* Sed quandoquidem vnde veniat, & quò vadat, ignoramus, cur tam diligenter curat, vt venientis vox audiatur, nisi vt saltem accessus eius, & recessus ex voce percipiantur, qui sine magno salutis periculo non possunt ignorari. Ait D. Bernard. serm. 17. in Cant. *Venit spiritus Dei, & vadit, prout vult, & nemo facilè scit, vnde veniat, aut quò vadat. At illud sine damno forsan salutis nescire licet. Cæterùm quando veniat, vel quando vadat, id planè periculosissimè ignoratur. Mens enim, quæ ignorat abscessum, patet seductioni; & quæ reditus non obseruat, erit ingrata visitationi.* Et rarò sine ingenti salutis periculo tam inerter, & inconsideratè viuitur, vt minimè vel Dei accessus per intimas pulsationes, vel Dei recessus obseruetur. Etenim qui periclitari in salute metuit, nil magis debet attendere, quàm ne se inscio accedens Dominus cum salutis occasione prætereat. Ex Isaiæ cap. 49. monebat id Paulus 2. ad Cor. 6. *Ait enim Isaias: Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis audiui te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Docebat Isaias, Deo tempus esse certum, & determinatum, quo ipse declinabat ad homines exaudiendos, diésque certos etiam eidem esse præfixos saluti causandæ. Quid inde infert Paulus? Nimirum, *Ecce nunc tempus*, &c. Expende illam particulam, *Ecce*, quæ summam attentionem, & vigilantiam postulat, ne res per illam designata, innota, & incognita prætereat. Et quando certas horas habet Deus designatas ad accipiendos homines, summa vigilantia homines attendere debent, ne inscienter & Deus, & horæ illæ prætereant. Aiebat Adamus in cap. 49. Isaiæ: *Ecce nunc ait, tempus acceptabile; quasi dicat Propheta. Qui tam viuitis, attendite diligenter ad tempus illud placabile, ad diem illum salutis, id est, ad diem Christi, ne vos fallas, néve prætereat.* Quis sine ingenti periculo ruinæ fallatur in occasione salutis? Et quis saluus erit, qui nescit, quando Deus accedit, & quando præterit? Felix ille, cui attendenti, & conspicienti Deus accedit. De Abrahamo, Genes. 18. dicitur: *Apparuit autem ei Dominus in conualle Mambre sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso feruore diei. Cumque eleuasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes propè eum. Quos cùm vidisset, cucurrit*, &c. Nota, quòd solùm dicatur Deus apparuisse Abrahamo, pro summo Abrahami lucro: & quantum lucrum, quòd solùm appareat Deus homini? Non ibi lucrum, quod solùm appareat, sed quod appareat stanti in ostio. Virtutis hospitalitatis auidissimus in ostio continuus erat, ne se inscio hospes accederet, & præteriret, sed magis caperet vel à longè apparentes. Solent equidem diligentissimi venatores in syluis stare, paratos, & intentos arcus prætendere, summa vigilantia obseruare, & attendere, an præda aliqua accedat, vel saltem à longè appareat: cuius venationis negotium totum ab illa obseruantia, & oculorum intentione pendet. Sic bonus virtutis venator ad ostium erat, quasi in specula, ne præda, se inscio, appareret, ac perderetur, sed omnes fierent præda. Ait Chrysostomus: *Tempus hoc vt idoneum elegit, & sedens eos, qui prætetibant, venabatur.* Diligentissimo, & oculatissimo venatori nullus hospes, neque Deus ipse apparuit, qui non iret in prædam. Sic qui nouit attendere omnes Dei accessus, vel recessus, fallar, nisi vniuersas Dei felicitates venetur. Huc refero dicta 1. tom. lib. 2. c. 7. §. 9.

Ioan. 3.

Bernard.

1. Cor. 6.

Adamus.

Genes. 18.

Chrysost.

§. VII.

Vanum, & prorsus otiosum, imò & perniciosum crucis viti est studium illorum concionatorum, qui forensi eloquentiæ, siue acquirendæ, siue ostentandæ totam suam operam impendunt.

IN foro otiosos inuenit Dominus, quos ad vineam suam iubet ire; & quidem præclarissimi operarij fierent, si Dei vineæ, Scripturis sacris, doctrinis Patrum operam nauarent; qui dum forensi eloquentiæ dant operam, & extra Dei septa sunt, & prorsus euanidi, & otiosi. Imò, vt verum etiam dicam, & Deo, & sibi, & omnibus sunt perniciosi. De hac eloquētia forensi locutus Petrus Damianus lib. 8. epist. 9. ad Bonifacium Causidicum, ait: *Hæc & huiusmodi eloquentiæ phalerata ludibria ij, qui spiritu Dei viuunt, vt re vera friuola, & vana contemnunt, & sicut Apostolus ait, arbitrantur vt stercora. Qui etiam locutum se esse perhibet, non humanæ sapientiæ verbis, vt non euacuetur crux Christi. Et quàm pulchra, quàm vtilis, quàm honesta locutio, quæ dum authorem suum vento vanæ gloriæ per arrogantiam inflat, crucem Christi, qui est mundi salus, euacuat.* Compone modò totum crucis negotium cum otio eloquentiæ forensis, & mundialis, crux inuenta est, vt veram salutem parturiret, hæc vt parturiat vanitatem, & adstruat mendacia. Crux stat brachiata, vt omnes ad salutem rapiat, hæc nihil habet, quod brachium requirat, nec manus, sed in locis parandis, vbi verba otiosa consideant occupatur. Præclara sanè locutio, quæ totum negotium crucis euacuat, & suos artifices reddit euanidos. Non equidem potest stare per crucem salus, & hæc locutio. De longissima captiuitate Israëlitarum locutus Dominus, Genes. 15. ait: *Generatione autem quarta reuertentur huc, necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum vsque ad præsens tempus.* Itaque Israëlitarum redemptio, & terræ promissæ possessio non stabit simul, vbi liberè steterint Amorrhæi, sed necessum est, vt primùm Amorrhæi iniquitates ad supplicium compleantur, & tunc redemptionis Israëliticæ fructus in possessione terræ explicabitur. Et qui sunt Amorrhæi, qui sic impediunt fructus redemptionis? Si nominis significationem attendas, Amorrhæi significant loquentes, & quidem non possunt simul & fructus redemptionis, & phaleratæ, & forensis eloquentiæ vanitas stare. Ait Philo libro, Quis rerum diuinarum sit hæres: *Amorrhæi loquentes interpretantur. Ergo donec consumentur Amorrhæorum peccata, hoc est, sermones sophistici, qui valent nos rationibus persuasibilibus ductare, non possumus eos auersari talibus inescati illecebris, & manere apud eos cogimur.* Detinemur sermonibus iis, ne in terram lacte, & melle manantem abeamus, ne redemptionis fructus percipiamus: numquam enim inanis hæc, & ludicra verborum phalanx non euacuat redemptionis fructum. Adhuc addit Philo, horum loquacium trutinans ingenium nociuum: *Hi sunt adulatores, præstigiatores, inuentores sophismatum persuasibilium, impostores fallaciarum peritissimi, de mendacio vitando haud soliciti, & insuper affectatores obscuritatis; est autem obscuritas caligo profunda in sermone, res commodatissima furibus. Quapropter Moyses summum Pontificem claritate ornat, & veritate, volens perspicuum simul, & veracem esse viri boni orationem. At vulgus hominum obscuram, atque mendacem mauult sectari, in quorum grege censetur contemptissimus quisque.* Hoc auidiùs dixisset Philo, si nuperos in Hispania nostra eloquentes, siue elingues notasset; quorum tota laus è caligine in sermone petitur. Tonant verbis compositis, quæ si attendas, nihil præter fouos capis, quorum infantiam rident, qui sapiunt, qui

Damian.

Genes. 15.

Philo.

parùm docti sunt,& vulgariter sentiunt in verborum caligine,nescio quid arcanum de monte Sina fumante, & inter nebulas perstrepente stupent,& adorant. Imò dignam oratore, & sacro concionatore claritatem & dicendi lumina fastidientes, ad caligines illas verborum, & tenebras quasi noctuæ euolant. Quàm longè hæc à vera sapientia absunt; videbit quisquis ad fructus conuerterit oculos. De vera sapientia enim locutus Apostolus Iacobus in canonica,cap.3.
Iacob. 3. *Quæ autem desursum est sapientia,primùm quidem pudica est,deinde pacifica,modesta,suadibilis,bonis consentiens,plena misericordia,& operibus bonis.* Expende, quo flumine impleatur veræ sapientiæ alueus, nimirum misericordia,& operibus bonis; vbi non solùm turbida, & crepitantia verba voluuntur,sed perspicuus fructus virtutum apparet, ibi vera, & cœlestis sapientia ostenditur,quæ non de forensi. & profano strepitu, sed de cœlestis vineæ operatoribus debet colligi. Ad
Paulin. rem enim aiebat D. Paulinus epist.4. *Vbique occupemur verbum Dei,de omnium fidelium ore pendeamus,quia in omnem fidelem spiritus Dei spirat, & necesse est à minimo Dei seruo vel guttam cœlestis sapientiæ distillare,quæ ariditatem mei cordis irroret, & mihi supra omnium sæculi sapientum flumina,ad portum vtilitatis exuberet;quia malo quinque verba loqui in lege, quàm multa millia in lingua.*Expende illud,*ad portum vtilitatis.*In prophanis eloquentiæ fluminibus nulla ripa fertilis,nullus vtilitatis ros visitur; vtinam qui super illa flumina sedent ad Dei vineam confugiant,operámque dent diuinis Scripturis, fallar, nisi vtilissimi, atque fructuosissimi operarij fiant.

Text. Circa vndecimam verò exiit, & inuenit alios stantes, & dixit illis: Quid hîc statis tota die otiosi? Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit. Dixit illis: Ite & vos in vineam meam.

§. VIII.

Otiosus est, & prorsus infrugifer, qui solis præsentibus rebus immoratur.

MEritò otiositatis, & inutilitatis accusantur, qui hîc stant, hoc est, qui solis huius vitæ præsentis rebus inituntur, & parum, aut nihil de venturis. & longè positis,
Genes. 18. comminiscuntur. Genes.18.de Abrahamo dicit:*Apparuit autem ei Dominus in conualle Mambre sedenti in ostio tabernaculi, in ipso feruore diei. Cúmque eleuasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes propè eum, quos cùm vidisset, occurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi.* Otiosissimam vitam ostendit senis Abraham sedentis ad ostium tabernaculi sui:sic nihil aliud agit, quàm sedere in tabernaculi ostio vir bonus? Quid otiosus? Sanè vnum agebat, quòd solùm vniuersa abigit otia; ait enim textus, *Cúmque eleuasset oculos*, &c. Non fixis oculis in terra præsenti hærebat,quin potiùs eleuabat oculos, vt vel longè à se dissitos perspicere posset, quo solo etiam si nil aliud ageret, minimè erat otiosus; quippè ait
Ambros. D.Ambros.lib.de Abrah. cap.5. *Respiciens,inquit,oculis vidit,* &c.*Non otiosus sedet,qui longè aspicit.*Satis vtilem,& fructuosam vitam agit, qui longè posita respicit, & oculos eleuat, vt ventura sæcula rimetur. Qui nihil de futuris, nihil de longè positis curat,præsentibus solis intentus,& immersus, is otiosus prorsus est, nihílque operis humani exercet. sed ad belluinam desidiam deflectit. Ioel cap. 1. locutus de infructuositate, & desidia hominum huius præsentis vitæ
Ioel. 1. amatorum, ait: *Computruerunt iumenta in stercore suo:demolita sunt horrea, dissipatæ sunt apothecæ; quoniam confusum est triticum. Quid ingemuit animal,mugierunt greges armenti? Quia non est pascua eis.* Nihil humanum, nihil operosum in his videre licet;iumenta sunt,armenta sunt, nihil aliud agentia, quàm sedere in stercore suo, & ibi torpentia computrescere, & cùm nec pedem inde moueant,mugitus,& clamores edunt. Cuiusmodi hæc turpissima. & infructuosissima vita est? An solius armenti? Imò & hominis nil aliud spectantis, quàm hæc præsentia & super hæc incumbentis, & putrescentis.
Rupertus. Pulchrè ait Rupert.ibi: *Brutis animalibus,& gregibus armenti similes eos vult haberi,quamuis homines sint, qui ingemiscere nesciunt, nisi pro penuria cibi, nullum habentes dolorem de peccatis suis, & solùm esse miserum, siue dolendum reputantes, si ventri quippiam desit.* Qui oculos non habent,vt videant à sensibus remota, vt longè posita, sed tamen instantia animæ mala prospiciant; sed toti sunt in præsentibus, ij licèt homines sint,nihil distant à bruto torpente, & armento sedente, & putrescente in stercore suo. Propone tibi ob oculos ingentem bouem putri fœno incubantem, ibique insidentem, & macellum expectantem, cùm in otio sagina creuerit. Huic similis est homo, qui de solis his sensibilibus bonis curat, nihílque aliud æstimat, nisi hæc, quæ à Paulo reputantur stercora,inter quæ sedet totus inutilis, & infructuosus,nisi vt maiorem faciat putri materiam. Aiebat Eccles.1.
*Quid habet ampliùs homo de vniuerso labore suo,quo laborat sub Sole.*Syrus legit: *Quæ vtilitas filio hominis*, &c. Quasi enim inutilis, & prorsus truncus hæret homo,qui nihil aspicit ex iis,quæ sunt in venturo sæculo, & supra Solem. Id quod Eccles. 1.
notat ibi D.Greg.Neocæsar.inquiens:*Nemo est,qui vtilitatem vllam iis annexam dicere possit, quæ homines humi reptantes perficere contendunt rebus caducis,& temporariis addicti,supra sydera autem generoso animæ oculo ne tantillum quidem aspicere valentes.* A qua otiositate, & sterilitate ille alienus est solus, qui longè posita spectat, & pro futuro solicitatur sæculo. Gregor. Neocæs.
Hinc apud Oseam, cap.14. ait Dominus: *Ephraim quid mihi vltra idola? Ego exaudiam,& dirigam eum;ego vt abietem virentem: ex me fructus tuus inuentus est.* vbi noster posuit,*vt abietem* posuere Septuag.*iuniperum*, & ponderandum venit,vnde nascatur, quòd Deus Ephraimum fructiferum faciat, dum ait, *ex me fructus tuus.* Vnde ab Ephraimo fructus? Ibi exprimit Dominus, dum ait: *Dirigam eum ego vt iuniperum virentem.* Homo enim qui velut iuniperus surgit, virens frondibus,qui arceat æstus, spinis scatens, quibus pro futuro sæculo solicitetur, is fructifer est, ingentíque fructuum abundantia plenus. Theophylactus apud Delrium nostrum Osea 14.
in adagiis,tom.1.ait:*Iuniperus arbor est densa,densos habens ramos,semper virens, & quæ comam habeat spinosam. Ait ergo Dominus: Sic te ornabo densis ramis,& protegam meo auxilio,vt tu viuas sub auxilio meo, & protectione Dei cæli,spina verò omninò est ei, qui secundùm Deum volet viuere, & sic necesse est ei vita aspera, quæ pungat cura iudicij postremi.* Quæ iuniperus habet ornamenta a virentibus foliis, ab spinis, hæc habeat Christianus homo, qui frugis cupit esse, & fructibus abundare, exurgat,licèt velut arbor procera,& pulchra.habeat tamen spinas, quibus minimè dormire sinatur, sed magis vrgeatur solicitudine de ventura vita,de futuro iudicio, & fructuum abundabit copia, multásque ex Deo mercedes recipiet. Theoph.
Elias fugiebat Iezabelem 3.Reg.19. *Cúmque venisset,& sederet subter vnam iuniperum, petiuit animæ suæ, vt moreretur, & ait: Sufficit mihi, Domine,tolle animam meam,neque enim melior sum,quam patris mei. Proiecítque se,& obdormiuit in vmbra iuniperi.Et ecce Angelus Domini tetigit eum:& dixit illi:Surge,& comede. Respexit,& ecce ad caput subcineritius panis*, &c. Dormienti, imò stertenti parat Angelus cibum, & vbi est illa 3.Reg. 19.
Apostolica lex 2. ad Thessalon. 3. *Quoniam si quis non vult operari, non manducet.* Et quis magis ab operibus desistit, & otiosus vult esse, quàm qui se somno tradit? Cur ergo Angelus cibum parat sic otianti, sic dormienti, sic stertenti? Meritò non putat otiantem,quem dormire cernit in vmbra iuniperi,eius spinis sic transfixum, vt præ oculis habeat futuram vitam, illámque vehementissimè cupiat, omnia præsentia fastidiens, petens animæ suæ, vt præsentem hanc vitam finiat. Non equidem otiosus dormit,qui longè aspicit, præ oculísque habet futuram vitam. 2.Thess. 3.

§. IX.

Miserum homini, quòd nullo salutis æternæ profectu sese laboribus conficiat.

QVàm miserum est homini, quòd nec sedere liceat, sed tota die cogatur stare, & hoc sine vllo profectu, sine vllo salutis æternæ fructu? Sic quasi summam horum operariorum miseriam illis obiiciens,ait Dominus: *Quid statis tota die otiosi?*Et quidem valdè miserum est homini, sic tota die stare,vt numquam sedere liceat Daniel,cap.7.dum quatuor potentissimos Reges ob miseram fortunam venturos sub quatuor bestiarum figuris,& nominibus repræsentaret,
ait de primo.*Prima quidem leæna, & alas habebat aquilæ:aspiciebam,donec euulsæ sunt alæ eius,& sublata est de terra,& super pedes homo stetit.* Ecce tibi potentissima bellua, regium leonum ingenium habens, imò & aquilarum pennas, quibus sese extollat in altum, & pro libito prædas faciat, in quantam deuenit calamitatem. Euulsæ sunt alæ eius, à throno eiecta est,& quæ postrema est miseria, *super pedes quasi homo stetit.* Et meritò quasi summum malum de illa dicitur,quòd nec ei sedere liceat,nec ambulando proficere,sed quod sine requie, Dan. 7.

requie, sine fructu vllo salutis stet supra pedes suos, se inutiliter conficiens. Ait Rich.Vict.lib.3.de erudit.hom.p.1.c.7. Richard. *Iam non volat in summum, sed ambulat in imo; imo iam non ambulat, sed stat, qui amorem, & spem proficiendi amisit. Non autem iacet, sed stat, vt numquam requiescat. Assidue ergo stat, quia sine intermissione laborat. Pedes sine incessu fatigat, sine fructu laborat.* Quid miserius? Requiem ablegant, vt nec sedere liceat, assiduum laborem assumunt, continua fatigatione conteruntur, nec vllum veræ vtilitatis, veræque salutis percipiunt Isai.55. fructum. Hos pungebat Dominus, Isai.c.55.aiens: *Quare appenditis argentum, & non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate?* Ad summam equidem miseriam pertinet, quòd inter summos labores, inter largissimos sumptus vacuus maneas, omni fructu, & emolumento vero frustratus. Labores ij adeò dedecent hominem, vt magis videantur esse Eccles.10. labores belluarum, vt dicat Eccles.c.10. *Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in vrbem pergere.* In rem præsentem expressiùs Syrus: *Labor stultorum defatigat eos, quia ignorauerunt ire in ciuitatem.* Inde belluina, & stulta defatigatio est, quia inter laborandum nec gradum faciunt, quo cœlesti approximent ciuitati. Qui sic infructuosè laborat, sui similem ha- Matth.18. bet pœnam. Matth.18. *Expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius,* &c. Homo enim qui sine spectatione salutaris, cœlestisque lucri laborat, & ipse est asinus ligatus ad molam, cuius pondere tam ipse, quàm triticum conteritur, nec vllam inde vtilitatem capit. Non sunt ij in labore hominum, sed iumentorum, & non cum hominibus, sed cum iu- Chrysol. mentis flagellantur. Quò respiciens Chrysol.ser.27.ait: *Benè ergo illi, sicut alibi, dixit, vt mola asinaria colligetur collo eius, & inde sumat pœnam, vnde sumpsit & sensum, & exaquetur iumentis insipientibus, qui noluit hominibus superna sapientibus comparari.* Qui nihil vltra sensum iumentorum cogitant, nec vllum ex laboribus fructum salutis æternæ respiciunt, miserè tanquam iumenta molæ illigata conteruntur. Vide dicta tom.2.lib.6.cap.6.§.7.

§. X.

Vita terrenis curis immersa, quò diuturnior, eò miserabilior.

Sic obiicit Dominus iis operariis, quòd stent tota die extra Dei vineam, quasi illis obiiciat rē & calamitosam, & penè incomportabilem, qua terreantur. Et quidem longa in præsenti statio calamitosa est, & miserabilis iis, qui solis immerguntur rebus sæcularibus, qui pro beneficio habere de- Eccles.1. bent, quòd citiùs inde abripiantur. Eccles.c.1. *Generatio præterit, generatio aduenit; terra autem in perpetuum stat. Oritur Sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur, ibique renascens gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem, lustrans vniuersa in circuitu, pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur. Omnia flumina intrant mare, & mare non redundat: ad locum, vnde exeunt, flumina reuertuntur,* &c. Ecce vobis, inter tot deficientes naturas, de sola terra dicitur, quòd in se perpetuū stat; si pulcherrimi omnium mixti spectetur natiuitas, sanè sepulcrum sequitur pulcherrimorū incunabula; ait enim: *Generatio præterit, generatio aduenit,* vt prius omnium occasus, quàm ortus appareat. Idque non solùm in mixtis videre licet, sed in pulcherrimis elementis. Sole quid pulchrius? Quid splendidius aqua? Sed & vocalissimi riuuli, & splendidissima flumina immensum maris gurgitem pro sepulchro habent, à quo glutiuntur: & pulcherrimus Sol quoties ortum ascendit, labitur in occasum. Inter hæc Solis, & fluminum, & omnium pulchritudinum funera, *terra autem in perpetuum stat.* Quanta hæc dignitas terræ supra omnes? Imò quanta hæc infra omnes terræ indignitas? Quæ pulchriora sunt in sæculo, celerē finem pro beneficio habent, ne diutiùs cogantur inter sæculares labores suspirare: quæ autem vilior, & ponderosior est, suæ vtilitatis patitur damna, & condemnationem, dum diuturniorem permanentiam, & stationem habet. D.Nyssen. Nyssen. hom.1.in Eccles. *Terra, quæ vt stet, est condemnata, manet in stabili immobilis.* Non beneficium, sed supplicium, sed condemnatio est terræ, quòd diutiùs stet. Commendatio est equidem hominis terreni, & nihil præter terram cogitantis, quòd longa die, quòd longo tempore stet. Nec putes, paradoxum esse Christianum, quòd terrenam diuturnitatem instar supplicij, & commendationis habeat; sic & illam habuere Philosophi Ethnici. De diuitiarum terrenarum custode, & proposito locutus Lucianus aiebat,

Et Rector terræ, quem longa in sæcula torquet
Mors dilata Deum.

Nec miror, quod terrenis curis immersum diuturnior vita torqueat, quando sunt, qui hanc diuturnitatem, nescio, quem gustum, seu imaginem putent esse tormentorum, quibus plectuntur sontes apud inferos. Aiebat Dauid, Ps.85. *Eruisti* Psal.85. *animam meam ex inferno inferiori.* Notanter dixit, *ex inferno inferiori;* quasi duos statuat esse infernos, alius superior, alius inferior. In hoc damnati post mortem plectuntur, in illo, & in vita hac homines terreni miserabiliter dolent. Remig. ait: *Est infernus superior, & est inferior. Vita enim ista, quantum ad* Remig. *dignitatem illam, in qua sunt Angeli, infernus superior dici potest; sed infernus inferior, pœna, quæ consequitur post hanc vitam.* Quis non horreat vitam, quæ potest comparari inferno damnatorum? Sapienter iam dictum putas, quòd terreni homines condemnantur, vt stent, vt viuant: cuius vitæ diuturnitatem non donum, sed tormentum, & damnationem æstimabat Amasia illa Iouis Iuturna, apud Virgil. Æneid.6.aiens:

Quò vitam dedit æternam? Cur mortis adempta est Virgil.
Conditio? Possem tantos finire dolores.
Nunc certè & misero fratri comes ire per vmbras
Iam mortalis ego.

Nec meliùs de diuturnitate vitæ sentire potest, quisquis illam immersam terrenis curis, & ærumnis sentit. Vnde sapientius Iob, c.14. conditorem humanæ vitæ extollens, huius breuitatem, & ærumnarum plenitudinem simul ponit, ait enim: *Homo natus de muliere breui viuens tempore, repletur* Iob 14. *multis miserijs;* non equidem adeò benè actum esset cum homine, si longior fuisset vita, quæ tot ærumnas in se colligit. Quapropter bonus ille senex, qui oculis carneis visurus erat natum Dominum, sic sustinuit vitam, vt fidelium animæ sustinent carcerem, & ignem purgatorij, ex quo purificatæ transeant ad Dei visionem; quippe ait Luc.2. *Nunc dimittis* Luc.2. *seruum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Expende illud, *Nunc dimittis,* vbi D.Ambros.lib.de bono mor- Ambros. tis, cap.2. *Ita dimitti peti quasi à vinculis quibusdam ad libertatem festinaret.* Itaque vita illa terrena carcer erat, catena erat, infernus erat, in quo purgante igne præparabatur, vt videret Dominum. Huc reuoco dicta 1.tom.lib.3.cap.9.§.7. tom.2.lib.12.§.15.& alibi.

§. XI.

Quò diutius hæres terrenis bonis, eo inuenies ea proximiora nihilo.

Qui serò in vineam vocantur à nemine se conductos fatentur, & quidem terreni homines, vitiisque seruientes verissimè à Paulo dicuntur *venundati sub peccato.* Cur ergo, si venundati sunt, emptorem, imò conductorem se habere negant? Sanè post integrum diem seruitutis sapienter confitentur conductorem suum neminem esse, quibus enim seruiunt carnales homines, nihil sunt & tunc nihilo proximiora apparent, cùm diutiùs isti homines inhærent. Hinc est, quòd otiosi illi, qui hora tertia vocantur, non dicunt, se esse conductos à nemine, adhuc putabant aliquid esse boni in rebus illis sensibilibus, quibus tunc primùm seruire incipiebant: at qui post horam vndecimam, post consumptam penè ætatem vocantur, ij meritò, vt diutiùs rebus sensibilibus sunt immorati, sic certiùs conductorem suum neminem esse inueniunt, & nihil in huiusmodi rebus esse substantiæ. Eccles. c.1. *Quid habet amplius homo de vniuerso labore suo, qui laborat* Eccles.1. *sub Sole?* Meritò non conuenit eos, qui sub lucenti aurora solùm laborarunt, ij forsan sibi persuadebant aliquid lucri, & boni esse in diuitiis, in voluptate; sed sapienter conuenit eos, qui integrum Solis cursum in labore peregerunt, quos à longo, & diutino labore reuocat vitæ occasus. Ait Hugo: *Qui dixit sub Sole, idem est, ac si dixisset, sub tempore;* veniant Hugo. ergo huc, qui longum peregerunt tempus, inseruiendo voluptati, & creaturæ sensibili, quid inde lucri, quid receperūt substantiæ? Sanè ab iis necessum est cognosci, omnia hæc sensibilia & nihil esse, & omni vtilitate vacua. Ex quo præclarè infert D.Nyss.hom.1.in Eccles. *Quoniam ergo est tempo-* Nyssen. *raria, & quæ mox interit, sensuum operatio, per sublimem hanc vocem, hoc dicamus, quòd qui ad hæc aspicit, nihil aspicit.* Hoc vnum inuenies in vniuersis bonis sensibilibus, post longa in eorum seruitute tempora exantlata quod de illis possis prædicare, nimirum illa omni prorsus carere substantia, & vtilitate. Protrahentium tempora in vitiis, & concupiscentiis ingenium, & confessionem pulchrè depingit Isa.c.28.aiens ex illorum nomine: *Manda, remanda; manda, remanda; expecta, reexpecta; expecta, reexpecta; modicum ibi, modicum ibi.* Ecce carnalium hominum ingenium totum positum in dilatando

tempore seruiendi suis cupiditatibus; non enim cupiunt solùm expectari, vt ab illis se excutiant, sed & reexpectari, & iterum, & bis, & sæpè reexpectari: & cur tam longam, & prolixam expectationem faciunt? Ipsi aiunt, *Modicum ibi, modicum ibi.* Quò plura tempora consumunt in pascendis sensibus, eò minora omnia illorum bona esse inueniunt. Ait Rich. Vict. datus à Delrio nostro in adag. *Certè ad satiandum desiderium suum, totum huius vitæ spatium videtur carnali menti permodicum. Et de eiusmodi anima, quæ modò in vno vitio, modò in altero multa tempora expendit, totùmque tamen velut momentaneum reputat; quid, quæso, aliud in diuinæ patientiæ aure, quàm modicum ibi, modicum ibi, resonat?* Post multa tempora in carnali vita consumpta, hoc vnum in ore carnali resonat, nimirum, *modicum ibi, modicum ibi*; nihil enim est in rebus sensibilibus, quod modicum, & inane longa experientia non sentiat. Iob c.29. *Dicebam in nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies meos.* Vbi à vulgata posita *palma* est, alij ex proprietate vocis originalis *arenam* posuere, vt dicat Iob, *Et sicut arena multiplicabo dies meos*; & meritò vbi dierum longa multiplicatio asseritur, eò deducitur vox similitudinis, vt non solùm palmam, sed & simul significet arenam. Quam enim mundialem gloriam longi anni non videant in arenam inutilem, & infrugiferam conuersam? D. Nyssen. hom.1. in Eccles. *Omne studium hominum, quod versatur in ijs, quæ ad vitam carnalem pertinent, est planè puerorum ludus in arena, hoc est, humana vita, arena est ambitio, arena est potentia, arena diuitiæ, arena est, quidquid est.* Hoc penitùs callebant illi, qui aiebant Sapient. 2. *Vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter*; durior enim creaturarum vsus nihil in illis inuenit, nisi arenam.

Richard.

Iob 29.

Nyssen.

Text. Cùm serò autem factum esset, dicit Dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouissimis vsque ad primos. Cùm venissent ergo, qui circa vndecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios.

§. XII.

Vt salus inueterati criminis primas tenet in triumpho de peccatis.

QVi diutiùs otio stabant torpentes, & vix tandem ad Dei vineam se receperant, ij primi iubentur salutis mercedem accipere: & meritò ij primi donantur salute, quando in eis saluandis & difficilius, & summæ Dei potentiæ opus extenditur. Quo enim difficilius est opus, eò illud in primis Dominus aggreditur. Ait Paulus, 1. ad Thess. c.4 *Et nos, qui viuimus, qui residui sumus, non præueniemus eos, qui dormierunt: quoniam ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo: & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis, in nubibus obuiam Christo.* In Christi aduentu futuro omnia sanctorum corpora glorificāda sunt; sic vt corpora sanctorum mortuorum simul à sepulchris eruenda, & in gloriam transmutanda sint: corpora autem sanctorum, qui tunc viui inuenientur, vt multorum fert sententia, solùm in gloria sunt transmutanda. Sed dubium esse poterat de singulorum corporum glorificatione, vter chorus illorum primus in gloriam transmutabitur, an chorus mortuorum, an chorus adhuc tunc viuentium? Dubium absoluit Apostolus, dicens: *Nos, qui viuimus, non præueniemus eos, qui dormierunt*, quinimò, *mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi, deinde nos simul rapiemur.* Cuius rationem pulcram inuenit Imperfectus in eo, quòd maius, & præstantius Dei opus sit, suscitare, & glorificare simul mortuorum corpora, quàm viuorum corpora solùm transmutare in gloriam: & ideò illud in primis ostendendum, quia maius, & præstantius, quippè ait hom.34. in Matth. *Magis secundùm rem erat, vt primi viuentes immutarentur, postea mortui resurgerent incorrupti. Sed quia in conuertendis viuentibus vna est virtus, hoc solùm, quòd ad immortalitatem mutantur: quòd autem mortui incorrupti insurgant, duo sunt opera: primò, quia resurgunt, secundò, quia incorrupti resurgunt. Ergo vt ostendat Deus inæstimabilem potentiam suam, quando quod difficillimum est, mortuos suscitat incorruptos, postea viuentes immutat.* Quod difficillimum est, & maiorem requirit potestatem diuinam, hoc in primis opus aggreditur Deus, & hoc ostendit exemplum suorum facinorum. Et quidem magis secundùm rem

1.Thess.4.

Imperf.

erat, quòd qui venerunt in Dei vineam nouissimi, & etiam nouissimi mercedem reciperent salutis. Sed quia difficillimum est, quòd qui adeò serò a peccatis desistunt, aliquam possint obtinere salutem, vt ostendat Deus inæstimabilem potentiam suam, in primis aggreditur, & ostendit difficillimum; & nouissimos salutis mercede remunerat. Sic vt verbi diuini potentissima virtus ostenderetur, dicitur Ionæ, cap. 3. *Et cæpit Ionas introire ciuitatem itinere diei vnius, & clamauit, & dixit: Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertur. Et crediderunt viri Niniuitæ in Deum, & prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis à maiori vsque ad minorem.* primos proposuit maiores natu ad pœnitentiam conuersos, in quibus maior ostendebatur diuini verbi potentia, valens etiam triumphare de iis, qui in peccatis adoleuerunt. Compone modò Petrum cum beato latrone: Petrus cupiebat cum Iesu & in carcerē, & in mortem ire, & omnium primus intrare regnum illius, & meritò quando & ipse fuit vnus è primis, qui secutus fuerat Christum. Petro tamen hæc cupienti ait Dominus: Ioan.13. *Non potes me modò sequi, sequeris autem postea.* Latro autem, qui nusquam vineæ Christianæ labores, nec operas viderat, accessit tamen in tempore vindemiæ, quando botrus cypri Iesu sub prælo exprimebatur crucis, & vix diuino liquore rota crucis torcularia exundare vidit, & cum Iesu in cœlestem petiit intrare paradisum. Quid tunc? Ait illi Iesus, Luc.23. *Hodie mecum eris in paradiso.* Expende modò verba latroni, & Petro data; Petro dicitur, non modò, sed sequeris postea: latroni autem, non postea, sed hodie, sed modò. Pulchrè id expendit D. Max. homil.8. de sancto latrone, aiens: *Petro dicitur à Christo: Non potes me modò sequi, sequeris postea. Et huic dicitur: Hodie mecum eris in paradiso. Tanquam discipulus ille differtur, & hic tanquam socius inuitatur. Ille adhuc reseruatur ad præmium, etiam ad consortium iste deligitur. Non in aliud differtur tempus; non in diem alteram reseruatur. Cur tantorum criminum inueteratus latro, & scelerum suorum confessione damnatus paradisum in ipso patibulo potuit promereri, & tanta fuit celeritate saluatus?* Equidem quò magis criminibus erat inueteratus, eò eius salus difficilius erat Saluatoris opus: inde venit, quòd in triumpho Christiano de peccatis, qualis fiebat in cruce, in primis ostenderetur salute donatus ille, cuius salus eo difficilior, quo diuturnior fuerat infirmitas peccati. Ab hac sententia videtur stare D. Chrysostom. serm. de latrone: *Quid ais! ô Christe? Crucifixus es, & paradisum tam facilè polliceris? Volo, inquit, vt in cruce possint meam omnes inuenire virtutem, vt in ligno mea largitas demonstretur. Et quoniam crux dedecoris erat signum, crucis infamiam mirandis beneficijs decorauit, & ex hoc magis magisque virtutes eius ostenduntur. Non enim illo tempore mortuum aliquem reddidit luci, nec mare à suo tumore compescuit, nec expulit dæmones, sed latronis auersam mentem valuit commutare, vt ex omni parte eius diuinitas sentiretur.* Ostendatur in primis salute donatus ille, in cuius salutis acquisitione & diuinitas Saluatoris apparet clarior, & potentia maior. Vt difficilius est opus Dei, & potentius, & præstantius, salus hominis inueterati in criminibus, sic opus hoc primas debet tenere in triumpho Christiano.

Ion.3.

Ioann 13.

Maxim.

Chrysost.

§. XIII.

Quò quis plus de suo ex Dei gratia præstat, eò magis mercedem operis adauget.

NOn abnuo, ad mercedis cumulum maiorem pertinuisse, quòd nouissimi operarij in primis, cæteris spectantibus, & expectantibus mercedem caperent. Et vnde illis aduenit merces auctior? Sanè labor forsan omnibus fuit æqualis, licèt dispar tempus: sed disparem modum operandi inuenio in illis, in quo excedūt nouissimi operarij, qui enim primi vocantur, non antea in viam pergunt, quàm post pactam mercedē à Deo missi sunt, quasi Deus illos, velut mercedis & præmij brachiis portaret: at qui nouissimi venerūt, nullo mercedis fulcro accepto, necdum audito, ipsi de se, de suóque ingenio, & liberali animo gratia vocationis tracto in vineam vadunt. Et cur, qui de suo magis offerunt, nō illis respōdeat merces auctior? Cùm Israelitę de Ægypto profectionē parant, conuiuia ex Dei oraculo celebrant, in quibus iubentur agnum anniculū vorare. Sic habes Exod.12. *Tollat vnusquisque agnum per familias, & domos suas.* ab integra familia agnus iubetur tolli, & manducari: sed pro reuertēti filio ad patrē, Luc.15. non agnus, sed vitulus saginatus mactatur; quippe ait: *Adducite vitulū saginatū, & manducemus, & epulemur, quia filius meus mortuus erat, & reuixit.* Illis agnus permittitur, huic

Exod.12.

Luc.15.

huic vitulus saginatus datur, & cur huius conuiuium maius, & præstantius? Cur quando illi accipiunt agnum, hic vitulum saginatum meretur accipere a patre? Ambo in seruitute fuerant, ambo captiui; ambo miseram seruitutem dimittunt, vt sub Dei Patris viuant vmbraculis. Cur in tam pari obsequio tam dispar conuiuium illis paratur, vt alter agno, alter vitulo saginato vescatur? Vide disparem modum Deut.32. proficiscendi vtriusque. De Israelitis ait Deut.cap.32. *Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris* Luc.15. *suis.* De filio prodigo ait Luc.cap.15. *Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cœlum, & coram te; iam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum de mercenariis tuis. Et surgens venit ad patrem suum.* Illi pergebant, sed ingentis mercedis spe tracti, imò quasi humeris patris portati: hic non portatus vadit, sed ipse pedibus suis, de vocantis tamen beneficio, iter agebat; inde est, quòd auctiorem Ruric. mercedem capit. Ait Ruric. Episcop. lib.1. epist.1. *Datur etiam ipsi iuniori vitulus reuerso, qui seniori agnus datus fuerat ex Ægypto profecturo, quia ipse educit ex Ægypto pater.* Vbi totum est gratiæ diuinæ, & parum, aut nihil laboris humani, non adeò debuit esse merces aucta, quam auctiorem accepit, qui ex gratia Dei multum laboris humani præ se habuit. Ierem.31. De sanctorum puerorum martyrio locutus Ierem.31. ait: *Vox in Rhama audita est, ploratus, & vlulatus multus, Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt.* Et meritò sanctis occisis pulcherrima Rachel datur, quæ eorum honoret funus lacrymis suis. De Christi autem palmitibus, nimirum Iob 8. sanctis martyribus Christianis locutus Iob, cap.8. ait: *Super aceruum petrarum radices eius densabuntur, & inter lapides commorabitur. Si absorbuerit eum de loco suo, negabit eum, & dicet, non noui te. Hæc est enim lætitia viæ eius*, &c. Non in lacrymis, non in luctu, sed in lætitia & exultatione absorbentur à morte martyres Christi. Et cur Ecclesiæ Christianæ martyres celebrantur hymnis, & cantibus, & lætitia; sancti illi pueri non sine lacrymis, & luctibus pro Christo honorantur occisi? Ij totum habuerunt ex diuina gratia, nihil suum, inde minorem honorem recipiunt, vt qui constet funereis luctibus; at nobiles Ecclesiæ palmites vt ex gratia Dei multum impenderunt sui laboris, sic & lætiores, & præstantiores obtinent triumphos. Pulchrè ad hæc Galliæ martyres extollit Eusebius Gallicanus, hom. de S. Blandina, inquiens: Euseb. *Legimus in Bethleem ab Herode millia felicium extincta esse puerorum, dicente Propheta: Rachel plorat filios suos, & noluit consolari, quia non sunt. Hæc autem beata parens* (nempe Gallia) *etsi ad momentum orbari visa est, non plorat filios suos, quia dum perderet, acquisiuit. O Bethleem, in martyrum titulis tu fortè numero præcedis, ego merito; in tuis interfectio fuit, confessio non fuit. Tu in sanguine paruulorum potuisti videre percuntes, non potuisti spectare triumphantes: te coronauit innocentia morientium, me gloria triumphantium.* His vocibus suorum martyrum glorias extollebat Gallia; vt enim in illis plus cernebatur humani laboris ex Dei gratia, quàm in pueris Bethleemiticis, sic & in illis triumphus maior. Id quod etiam in præsenti de suis martyribus potest Ecclesia Iapponia prædicare, quos vt videt pro Christi vite plantanda, & colenda immensè sudare, nec tot externis miraculis recreari, sic in illis gloriosissimas coronas auspicatur.

Text. Venientes autem & primi arbitrati sunt, quòd plus essent accepturi: acceperunt autem & ipsi singulos denarios. Et accipientes murmurabant aduersùs patrem familias, dicentes: Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei, & æstus?

§. XIV.

Cœlestis præmij vicinitas labores humanos vel omninò tollit, vel valde minuit.

De nouissimis operariis in vinea Domini laborantibus locuti, dicunt, quòd *vna hora fecerunt*, non dicunt, quòd *vna hora laborarunt*; & cur laborandi verbum effugiunt, & libentiùs faciendi verbum assumunt? Meritò de his, qui appropinquante iam tempore retributionis, in vltima hora constituti operæ incumbebant, non dicitur, quòd laborassent, vicinitas enim cœlestis præmij vniuersos labores vel penitùs absumit, vel valde minuit. Quis enim laboriosior, quàm latro ille suffixus cruci iuxta Filium Dei crucifixum? Et tamen quia manibus Domini in cruce extensis retributuris paradisum proximus erat, meritò putatur nullos iam labores pertulisse. De illo ait D. Maxim. serm. de latrone, & Petro, &c. *Peccata latronis gratia præuenit, antequam* Maxim. *pœna, & prius in malis suis gloriari cœpit, quàm puniri. Non enim patitur supplicium, dum paradisum promeretur.* Sic vicinus iam paradisus omnes labores ablegauerat, vt magis bonus latro videretur gloriari, quàm puniri, magis putaretur lumine gloriæ vestiri, quam mortis caligine. An non quasi lumen gloriæ, quo Deum in patibulo intuebatur, confitetur? Ait D. August. serm.120. de tempore: *Apostolis post diuina miracula desperantibus solus hic non acquieuit scandalo crucis, & mortu. Solus hic testis est maiestatis, qui socius probatur doloris. Et* August. *ideò adhuc in latrocinijs positus, inuisibilem Deum Angelicis iam oculis videt.* Non tam de fidei nubilis, quàm de Solis radiis videbatur felix hic latro viuere, diceres nouum hunc Prometheum de cœlesti lumine aliquid surripuisse, quo magis in patibulo gloriosius splendescere videretur, quàm reus puniri? Sic labores vniuersi euanent, vbi adest gloriosi regni vicinitas: pro quo ostendendo hæc erat huius beati latronis ad Iesum vox prima Luc. 23. *Domine memento mei;* Luc.23. *cùm veneris in regnum tuum.* Circa quæ verba pulchrè Eusebius Gallicanus, hom. de latrone beato, inquit: *Memento,* Euseb. *inquit, mei; gloriosa voce præsentes temperat cruciatus: Temperat, diximus, quasi etsi pœna cœperit in latrone, nouo genere consummatus in martyre: de ligno crucis clamas, sed iam tempora media retributionis absentat.* Qui cruciatus, qui labores non temparantur, imò non potiùs disparent, vbi illis cernitur respondere gloria martyrij, & hoc tempore dilationis in retributione abrupto? Sanè vbi temporales dilationes cœlestis mercedis absentantur, nouam temperiem, imò nouam suauitatem, & dulcedinem cruciatus, & labores induunt, qua labores ipsi videantur esse delitiæ. Discipulis suis metum laborũ in prædicatione erepturus ait Dominus, Ioan.4. *Ego nisi vos metere, quod vos non laborastis: alij laborauerunt,* Ioann.4. *vos in labores eorum introijstis.* Qua metaphora ostēdit Deus, quàm absorbeat labores omnes præsens iam fructus; quippe labores non in Apostolis dicuntur esse, sed in antiquis Prophetis, vt sunt labores in seminatoribus frugum, non in messoribus. At cur solùm labores putantur esse in seminatoribus? Nónne & qui metunt, laborant, & æstus pondus sustinent? Nónne & Apostoli, etiamsi messores erant, laborabant, eùm cruciabantur, secabantur, torrebantur? Sanè & ij labores erant in messoribus? Absit; seminatio sola est laboriosa, quæ longa fatigatur expectatione; messis autem non potest habere labores, vt cui adsit iam largissimus fructus operis. Ait Hugo Cardin. in præsenti: *In messe facilitas* Hugo. *est, & securitas, & iucunditas de præsentia fructus. In semine autem multus labor, diutina expectatio.* Mercedis, fructúsque præsentia, & vicinitas neminem sinit laborare, imò labores omnes conuertit in festa, in iucunditates. Huc reuoca dicta 3 tom. lib.14. cap.3. §.19.

§. XV.

Summa est de viro iusto prædicatio, quòd videatur prioribus æqualis.

Non silentio prætereundum est quò nouissimorũ operariorum præstantissimus labor peruenerit, nimirum, quòd primorum labori videatur æqualis; quippe ad Dei cum illis liberalitatem summè exaggerandam aiunt primi: *Et pares illos nobis fecisti.* Et quidem potuisset nouissimorum superior esse labor, & superiores coronas ex Deo reportare; cur non potiùs de superiori virtute prædicantur? Absit hoc inter viros sapientes, & sanctos, quòd nouissimi diei permittantur superiores, satis est ad summam horum commendationem, quòd prioribus dicantur æquales. Hanc euidentissimam modestiam sapientissimis viris propriam nouit etiam Ethnica philosophia; sic ait, Seneca. lib.11. epist.80. *Iam cu-* Seneca. *pis grande aliquid, & par prioribus scribere, plus enim sperare modestia tua tibi non permittit, quæ tanta in te est, vt videaris mihi retractaturus ingenij tui vires, si vincendi periculum sit. tanta tibi priorum reuerentia est. Inter cætera hoc habet bonum sapientia. Nemo ab alterno potest vinci, nisi dum ascenditur, dum ad summum perueneris, paria sunt.* Caueant, qui de sapientia, ant iustitia amant prædicari, quòd se super primos ament extolli; summa hæc est in præsenti sapientis, & iusti viri prædicatio, quòd par prioribus habeatur. Quam etiam

etiam regulam similiter Dominus obseruauit, Matth.cap.11. dum in præcursoris sui Ioannis exurgit laudes. De illo enim
Matth.11. ait: *Inter natos mulierum, non surrexit maior Ioanne Baptista.* Ioannem comparat cum priorum iustorum choro, & hoc studet, vt nullus maior appareat, sed omnes videantur
Hieron. æquales. Fatur Hier.ibi: *Non cæteris Prophetis, & Patriarchis, cunctisque hominibus Ioannem prætulit; sed cæteris Ioannem exæquauit. Non enim statim sequitur, vt si alij maiores non sunt, ille maior aliorum sit; verùm vt æqualitatem cum cæteris sanctis habeat.* Quidquid sit de intrinseco, & occulto meritorum excessu, qui maior potest esse, & maximus, at in ordine ad externam in hac vita prædicationem, summum est, quòd aliquis prioribus dicatur æqualis. Non multum ab his distant alibi tradita, præcipuè 1.tom.lib.2.cap.7.§.3.

§. XVI.

Minimè solidum est præcellentiæ fulcrum, quod à solo temporis excessu sumitur.

QVàm familiare est hominibus, vnam temporis longæuitatem prætendere, qua in omnibus vincant, tam familiare est Deo, nullum ibi firmum excellentiæ fulcrum constituere, sed solam operum, facinorúmque qualitatem respicere. Toti in temporis longæuitate erant, qui queruli in præsenti repræsentantur apud Deum, dicentes: *Ij nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei, & æstus.* Nihil minus inueniunt in nouissimis, quàm tempus; nihil pro se magis proponunt, quàm tempus idem. Tempori tota nititur humana præsumptio; felicior ille est, qui non tempori, sed operibus, sed facinoribus nititur. Feli-
Genes.48. citatem auguraturus Iosephi filiis Iacob, Genes.48. *Extendens manum dexteram, posuit super caput Ephraim minoris fratris: sinistram autem super caput Manasse, qui maior natu erat.* Et sanè omnia sibi dextera promittebat Manasses per excessum ætatis; imò ex hoc capite omnia illi dextera deberi putabat Ioseph pater; sed Deus ostendit, quàm vana, & infirma sit præsumptio in sola longæuitate fundata, felicitatem benedictionis in iuniorem transferens, qui operum excellentia præstabat. Hinc D.Paulin. epist. 5. Christianorum gloriam
Paulin. supra Iudæos exaltans, sic inquit: *Nobis Ephrem similiter ad dexteram benedictus proficit, illos in Manasse, qui præsumptione senioris, quo dexter astiterat, translata in caput sinistra denotauit.* Qui præsumptione senioris dexteras sibi affectant, in Manasse denotantur, vt in eo videant, quàm vanum, atque infirmum felicitatis fulcrum habeat. Quam translationem gloriæ nullo modo pertimescant ij, qui operibus parcentes, toti sunt in longæuitatis suæ obseruantia? Nobis proficit iunior ad dexteram benedictus, dum docet, non tempora, sed facinora esse, quæ veram, & solidam gloriam aucupantur. Vt enim
Ambrof. ait D.Ambrof.lib.2.de pœnit.cap.9. *Infirma deinde spes, quæ committitur tempori*; & meritò vocatur infirma hæc spes, quando longissima temporis curricula breui facinorum ho-
Sap.4. ra possunt superari. Notissimum est illud Sapient.4. *Consummatus in breui expleuerit tempora multa.* Circa quæ disertissi-
Bernard. mè D.Bernard.epist.253.ait: *Benè multa, quia & vniuersa complectitur. Quanta sanè tempora non longæuitate, sed longanimitate, hoc est, non annorum serie, vel dierum numero, sed mentis deuotione, & inextinguibili semper proficiscendi desiderio percurrere potuit, tanta sibi in meritis non immeritò vindicauit. Retinet quidem virtute, quod amisit in tempore.* Possunt sine dubio temporis damna virtutum cumulis reparari, nec multum interest, quòd ille in sacerdotio agat Heli annos, si tu Samuelis referas in virtutibus alacritatem. Quot ardenti deuotione, & animo annos seruiisse cupis, tot seruisti. Non enim sic annos agunt momenta temporis, vt vita operibus plena, & facinoribus clara; nec canities venerabilis tam venit à tempore, quàm à virtutum meritis, & operum claritate. Quis neget, venisse hominem in mundum post omnia animantia? An ideò inferior homo est asino, quia ille antiquitate commendatur? Absit: ait enim D. Ambrosius epist. 39. probans & in nouissimis posse esse virtutes, quæ
Ambrof. prioribus præferantur. *Ne fortè adhuc moueat, quòd nouissimus homo factus est, idem equus nos doceat, non ad contemplationem referendum esse, sed honorem. Portat posteriorem suum, nec despicit.* Et meritò qui tanta stultitia agitur, vt de sola temporis prioritate intumescat, ad animantia mittitur, vt ab illis doceatur, non nimis in illa prioritate gloriari, quando & ipsa priora sunt, & antiquiora in mundo, & nihilominus posteriori suo homini honorem maiorem habet. Pharisæis hanc tribuebat Dominus stultitiam, quod solùm temporis prioritatem venerarentur; quippe ait Matth. 23.
Væ vobis, Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta iustorum. Quale hoc pec- Matth.23.
catum, monumenta iustorum ornare? Sanè in eo notabatur eorum stultitia, qui nullum putabant dignum honore, nisi illum, qui iam decesserat, qui priori vixerant sæculo. Eusebius Emissenus, hom.in D.Petrum: *Stultissimus, qui dum videt Prophetas, eos vituperat: post mortem verò eos veneratur, & monumenta eis ædificat, neque tales vlteriùs nasci posse arbitratur.* Et sanè stultitia est, solis prædecessoribus honorem tribuere, nec putare, tales vlteriùs nasci posse, quales illi fuerunt. Euseb.

§. XVII.

Qui ab incunabulis virtutem ebiberunt, fortiores, & aptiores inueniuntur, vt grauiora, & difficiliora sustineant, quàm qui post plures annos vitiis datos, tandem ad Deum accedunt.

ECce qui dicantur portasse onus diei, & æstus, non qui nouissimo sub tempore accesserunt, sed qui primo manè in Dei vineam conducti sunt. Equidem minimè datur onus, neque æstus portandus illis, qui post exactos carnalis vitæ annos ad Deum veniunt, sed illis securius creditur onus, creduntur grauia, & difficilia virtutum, qui nihil primò nouerunt, quàm virtutem suggere præueniri à Dei gratia. Sic Hieremias, Thren.cap.3.inquit: *Bonum est viro, cùm portauerit iugum ab adolescentia sua.* Quòd sit melius, portari Dei iugum ab adolescentia, nemo est, qui ambigat, luce id clarius est: vnde crediderim, à Propheta aliquid ampliùs addi, quando non comparatiuè dixit: Melius est viro, &c. Sed simpliciter asserit, *Bonum est viro, cùm portauerit iugum ab adolescentia*, quasi portare velle iugum non ab adolescentia, sed à senectute, & periculosum sit, & penè malum. Pulchrè ait D.Hilar.in Psalm.118.sub littera Beth: *Nouit Hieremias iuuentutis beatitudinem, dicens: Bonum est inueni viro, cùm fert iugum graue in iuuentute sua. Non expectat frigescentes senectutis annos, nec emortuam iam per ætatem vitiorum consuetudinem: vult longi prælij militem, vult eum Christi seruum, quem nec ipsa quidem præteritorum criminum recordatio polluat. Nam in iis, qui iam prouectioris ætatis crediderunt, inest quidem per donum gratiæ præteritorum indulgentia, sed non abest per conscientiæ naturam gestorum recordatio. Onus istud maturi ad obediendum anni ægri ferunt. Cæterùm ætas tenera, grauis oneris molestiam per virtutis incrementa non sentit.* Ætas tenera virtutibus innutrita, & adulta oneris molestias non sentit, sine damni periculo & grauia, & difficilia aggreditur, & triumphat in illis. Non sic frigescentes senectutis anni præcipuè qui iuuenilem vigorem consumpserunt in vitiis, ij etsi auidè virtutis viam arripiant, ægrè ferunt onera, & timendum est de illis, ne oneri succumbant. Ad hæc etiam ait D.Ambrof. *Et autem, qui post decursæ iuuentutis annos iugum tulerit, non est statim perfectum bonum: stimulant enim eum peccata sua, exagitat conscientiam consuetudo peccandi, & vsus erroris instabilem facit. Luctandum est huiusmodi viro, vt abolefaciat inueterata, atque diurna. Huic in periculo res est, illi in bono.* Itaque res oneris, grauia, & difficilia virtutum periculosa sunt serò venienti ad Dei veniam; bona, & vtilia illis, qui à primo manè fuerunt conducti. Thren.3. Hilar. Ambrof.

§. XVIII.

Præstantissimum meritorum argumentum est, quòd voluptatum ardores superaueris.

PRæstantissimo argumento sua merita extollunt ij operarij, dicentes: *Portauimus pondus diei, & æstus*; quis enim sub libidinum, voluptatúmque æstu non fatigatur? Quis ad Ætneos carnis ardores non contremiscat? Cui sub hac fornace vel legum vincula non laxentur? Hos tamen ignes sustinuere inuicti boni operarij, dum primum ætatis florem in vinea Dei consumunt; nec dubitari potest, eum in illis laborem fuisse magni, & præstantissimi triumphi. Notus est Eliæ triumphus, de quo 4.Reg.2. *Ecce currus igneus, & equi ignei, & ascendit Elias*, &c. Nulli Imperatorum datus fuit similis currus ad triumphum: nullus Sanctorum visus est tali pompa ferri in cœlum, qualia fuerunt Eliæ merita, propter quæ fulgentissimum ascendit currum? Castissima fuit semper in Elia castitas virginea, quam à primis annis coluit; & ob quam inaudito donatus fuit triumpho. 4.Reg.2.

Ambrof. triumpho. Ait D.Ambros.ser.de Eliseo: *Elias magister Elisei nanus Angelis discurrentibus raptus ad cœlum est, & quadriga igaea impositus, quasi in quodam triumpho victor ascendit? Victor enim extiterat non gentium barbararum, sed saecularium voluptatum.* Vbi voluptates domantur, vbi lasciuientis carnis æstus comprimuntur, nullus non debetur triumphus; meritò totus splendescens currus aptatur? Cui magis vnquam debitus triumphus, & laus, & prædicatio, quàm florenti ætati domatrici voluptatum? Commendaturus Iosephi merita Iacob

Genes.49. pater, ait, Genes.49. *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens, decorus aspectu: filiæ discurrerunt super murum, sed exasperauerunt eum*, &c. Et crescentia eius merita stuper, & nil priùs meminit, quàm eius pulchritudinem, & apud fœminas gratiam. Quantum hoc ad Iosephi meritum? Quantum hoc in sanctissimi viri commendationem est, quòd pulcher sit aspectu? quòd fœminis placuerit? Hoc in laudem Paridis assumat Homerus: at in laudem sanctissimi, commendatissimique Iosephi, cur in primis assumi debet? Sanè Iosephi pulchritudo fuit præcipua materies, & causa certaminum eius, imò clarissima omnium victoria inde venit, quod iuuenis, & pulcher, à lasciuientis carnis ardoribus inter ipsas lasciuiæ tædas inuictus maneret. Ideóque immediatè ad eius crescentia merita, eius inuicta pulchritudo celebrari debuit. Ab hoc

Rupert. placito stat Rupert.lib.9. in Genes. c.36. *Nisi filiæ vagæ, ac petulantes discurrentes super murum, iniecissent oculos in eum, dixissentque, Dormi mecum, non adeò memoriâ traditum esset, eum aspectu fuisse decorum. Nunc autem quia decor aspectus sui, causa certaminis, & vinculorum, magnaque fuit victoriæ occasio, dignè prædicatur filius fuisse decorus aspectu.* Nil priùs ad hominis meritorum commendationem assumi debet, quam victoriæ de lasciuia occasio: hæc est victoria magna, non sic fratrum inuidia, non sic ferrum Iosephi merita extulerunt, vt illum extulit pulchritudo victrix lasciuientium flammarum; ea qua dignissimè debuit prædicari. Maximè equidem inter hominis commendationes, merita adauget laus castitatis. Ipsius Iosephi fratres vnà cum iuniori Benjamino venientes, excepti sunt ab ipso Ægypti Prorege, & conui-

Genes.43. uiuio magna cum lætitia vocati. Genes. 43. mensis assident vnanimiter omnes, *& mirabantur nimis, sumptis partibus, quas ab eo acceperant, maiórque pars venit Benjamin, ita vt quinque partibus excederet.* Iunior frater erat Benjamin, & iuniori iubetur dari in conuiuio pars quintupliciter maior. Cur tantus excessus in parte Benjamini? Quid iuueniles eius anni præseferebant, quòd adeò multiplicatas merebatur accipere Proregis gratias? In Benjamino merita Pauli notabantur condecorari, & certaminibus pro castitate tutanda, & victoriis in illa virtute reportatis, quibus se multipliciter super alios cœlestis vineæ operarios exaltauit. Notabat D.

Ambros. Ambros.lib de Ioseph, c.10. *Ideo in conuiuio pars Pauli quintupliciter maior effecta est, quòd haberet superioribus anteferri, non solùm mentis prudentia, sed etiam malitia corporis, & gratia castitatis.* Qui iuuenis castitati militauit, & ardentes repulit libidinum flammas, quem non excedat in triumphis? Quales glorias sibi non acquirat super omnes multiplicatas? Ad

Paulin. loquitur etiam D.Paulin.epist.4. aliàs datus: *Redditurus est Dominus Paulo, & eius beatæ virginitati de innumeris huius boni fructibus vberes gratias, & innumerabiles coronas, quia hoc consilium præcepto adiiciens de suo supererogauit.* Expende illud, *innumerabiles coronas* reddendas Paulinæ virginitati, id enim est certamen pro castitate initum, vt minimè vna corona gaudeat, sed ad innumeras aspiret reportandas.

§. XIX.

Qui externis laboribus multum impendit, alios sibi minores, & inferiores putare solet.

NOn prætereo istorum operariorum querelam aduersùs Dominum vineæ, qua inquiunt: *Hi nouissimè nobiscum vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei, & æstus.* Querela sanè propria, & naturalissima in iis, qui portant pondus diei, hoc est, qui multum temporis exterois laboribus tribuunt, in illisque se aspiciunt. Quando ij non queruli? Quando cæteros omnes non sibi inferiores putant? Exemplum sit illa deuotissima Christi

Luc.10. hospes, Luc.10. de qua dicitur: *Martha autem satagebat circa frequens ministerium. Quæ stetit, & ait: Domine, non est tibi curæ, quòd soror mea reliquit me solam ministrare?* Sæpè de Martha sermo fit in Euangelio, & numquam dicitur questam fuisse de sorore, nisi in præsenti, cur modò magis queritur? cur modò ipsum Iesum Magistrum in causam vocat? Numquam crediderim deuotam fœminam magis traditam externis laboribus; sanè modò satagebat circa frequens ministerium, in multis se occupatam cernebat, nec mirandum, quòd à qua tot labores cernebantur exerceri, simul aduersus sororem querela existeret, & in illam quod minùs laboret, causa dicatur. D.Thomas in Caten. ex Augustino inquit: *Ecce quod Maria audiebat, Verbum caro factum est. Ecce cui Martha ministrabat, laborabat illa, vacabat ista; veruntamen Martha laborans multum, in illa occupatione, & negotio ministrandi interpellauit Dominum, & de sorore conquesta est.* Dum multum externis laboribus impendebat, in ea statim præsumptione fuit, quòd sibi inferiorem sororem putaret, & simul sororem, & magistrum vocaret in causam. Vtinam non ad externos labores sic acciperet, sed animum internum, sed intima cordis sui penetralia magis lustraret, fallar, si cui sese præferre fuerit ausa. Propone tibi ob oculos colloquium inter Iesum, & Petrum, de quo D.Thom.

Ioannes, cap.21. vbi sic: *Dixit Iesus Simoni Petro: Simon Ioannis, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu scis, quia amo te.* Non ait, tu scis, quia amo te plus his, & quidem de hoc signanter interrogabatur à Domino, non si amaret simpliciter, sed si amaret plus cæteris condiscipulis. Cur, Petre, non respondes ad hæc? Cur non intrepidè asseris, amo te plus omnibus? Nónne aliquando dicebas, Matth 26. *Etiam si omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor?* Quibus nunc te præferebas, cur modò te præferre non audes? Didicerat iam Petrus, non ad exteriora aspicere, sed interna sui cordis lustrare, ex quo hoc commodo accepit, quòd suos affectus testetur, de aliorum comparatione prorsus taceat. D.August.serm.24.de Sanctis, inquit: *Reuocabat ergo oculos suos ad cor suum Petrus, quando interrogabatur à Domino, & fidens respondebat, quod sibi videbatur. Non ausus est tamen dicere, quod Dominus interrogauerat. De aliis discipulis ille non potuit dicere, nisi, amo te, non ausus est dicere, plus his, sufficeret ei testimonium perhibere cordi suo, non debuit esse iudex cordis alieni.* Qui circa cordis intima versantur oculi, hanc ebibunt modestiam, quòd nesciant quid inferius videre in aliis. Parum interna lustrat, multum credit externis, qui sibi in aliquo inferiores inuenit cæteros fratres. Ioann.21. Matth.26. August.

Text. At ille respondens vni eorum, dixit: Amice, non facio tibi iniuriam, nónne ex denario conuenisti mecum? Tolle, quod tuum est, & vade.

§. XX.

In futura vita id solum inuenietmus, quod nostrum fuerit, bonorum operum pretio comparatum.

CVm præsentis vitæ labor finitur, nemo speret aliud inuenire, quam id, quod suum fuerit, quod bonorum fuerit pretio comparatum; hæc est enim pro omnibus hominibus tunc sententia, nimirum, *Tolle, quod tuum est.* Non ibi recipies, nisi quod tuum sit, non ibis nisi in tua. Magnus Abraham dum defunctæ vxori parat sepulchrum, speluncam duplicem emere curat: ait enim Genes.23. *Det mihi speluncam duplicem, quam habet in extrema parte agri sui: pecunia digna tradat eam mihi coram vobis in possessionem sepulchri.* Nullibi legitur Abraham emisse terram, nisi in possessionem sepulchri, quando curabat sepelire vxorem suam: nec vllis precibus adducitur, vt sepulturæ terram accipiat, antequam illam numerata emat pecunia. Et cur, viuens nullam emit terram, tam anxiè curat illam emere defunctæ? Agebatur sanè magnus pater illo Dei spiritu, quo docemur viuentes posse consistere aliquandiu de aliorum solis beneficiis; at morientes non posse ire nisi in sua. Ait D.Basil. hom. in Psalm.14. *Incola fuit Abraham, qui nec terræ quidem vestigium propriè possedit, sed vbi opus ei sepulchro fuit, id argento mercatus est. Ex quo sanè scriptura demonstrat, quemadmodum in carne viuentem incolam esse oporteat, migrantémque ex hac vita in locis propriis requiescere.* Expende, quæ loca expectent migrantem ex hac vita, nimirum *loca propria*, non ampliùs emendicare licet beneficia, non ampliùs valent preces, vbi ex hac vita exieris, ad sola illa ibis, quæ tua fuerint, quæ propriis laboribus empta tibi venerint. De Diuo Stephano iam iam in cœlum migraturo ait textus, Actor.7. *Lapidabant Stephanum inuocantem, & dicentem: Domine Iesu, suscipe spiritum meum. Positis autem genibus* Genes.23. Basil. Act.7.

clamauit voce magna, dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Dum persecutorum oegotia agit genua flectit, orationem supplex fundit: dum pro se loquebatur, stans loquitur, & ait: *Suscipe spiritum meum.* Dimissius ageret, si etiam pro se non staret, sed genu flecteret, & diceret; Domine omnium, suscipe hunc tuum; sic enim Dauid aliquando precabatur: *Saluum me fac, tuus ego.* nihil in se suum agnoscebat, sed se totum Dei esse putabat. Cur non simili spiritu orat Stephanus inquiens, accipe hunc spiritum tuum? Cur in illo articulo maluit spiritum suum agnoscere, & prædicare, quàm Dei? Sanè iam tunc à vita migrabat, iam futuro sæculo erat vicinus, in quo quis abit in sua, & cum suis agit, non aliena spectans, sed sua & debita sibi vt propria exigēs, non genu flectens, sed stans clamat: *Suscipe spiritum meum.* Id

August. quod meditabatur D. August. ser. 93. inquiens: *Iustus clamabat, Domine Iesu, accipe spiritum meum, & hoc stans. Exigebat enim debitum, quando dicebat, Domine Iesu accipe spiritum meum.* Non beneficia, aut gratiam sperat in futuro examine, sed pro sibi debitis clamat; & ideò non genu flectit, quasi accepturus gratiam ibi, nec impetraturus fauoeem, sed stat, quasi ad sua, & propria ingressurus, nihilque in ore sumit, quod suum non dicat. Non enim alia ibi, sed sua obueniunt cuique. Pro

2. Tim. 4. quo aiebat Paul. 2. ad Tim. 4. *Cursum consummaui, fidem seruaui, in reliqua reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus iustus iudex.* Ibi Anselm. *Quam non dabit, sed reddet mihi quasi debitam.* Non ibi spectanda sunt dona, sed debita, vbi enim cursum consummaueris, non de alienis fauoribus,

2. Tim. 1. sed de tuis viues. Vnde idem Paul. 2. ad Tim 1. *Scio, cui credidi, & certus sum, quia potens est Deus depositum meum seruare in*

D. Thom. *illum diem.* Quale depositum? D Thom. ait, *opera mea.* Et cur Paulus sic æstimat, quòd opera sua apud Deum sint deposita in iudicij diem? Nónne meliùs peteret, & æstimaret, quòd Dei gratia pro tūc parata esset? Scit sapientissimus gentium Doctor, tunc non licere homini abire, nisi in sua, vnde nihil sic æstimat, quam quòd opera sua ea Dei gratia peracta permaneant pro illo die custodita in thesauris diuinis.

§. XXI.

In solis cælestibus est homo quasi in suis, quasi in proprijs, in alijs quasi in alienis.

VBi merces gloriæ datur benè operanti, simul dicitur illi: *Tolle, quod tuum est,* in sua enim, sibíque præparata ingreditur quisque hominum, quando ingreditur in cœlestem gloriam, quam dum non tenet, in alienis est. Sic Matth.

Matth. 25. 25. iustis hominibus ait Dominus: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Vbi autem ad impios loquitur, ait: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius.* Cœlestia homini præparata dicuntur, æternus ignis non homini, sed diabolo paratus est, ne putet homo habere aliquid suum præter regnum cœleste. Sed vt benedictis parata sunt cœlestia à constitutione mundi, cur & simili phrasi non dicitur maledictis ignis paratus æternus? Sanè quantumuis maledicti, tamen homines sunt, & homini solùm est proprium cœlum, præter quod cætera maximè sunt illi aliena.

Irenæus. Ait enim D. Iren. lib. 3. cap. 35. *Non homini principaliter præparatus est æternus ignis, sed ei, qui seduxit, & offendere fecit hominem.* Datur homini, quod suum est, quod illi paratum fuit ab origine, nempe cœleste regnum, ignis æternus non est res hominis, sed quàm longè ab homine aliena. Quò

Prou. 5. respiciens Sapiens, Prouerb. 5. monebat: *Ne des alienis honorem tuum. nec annos tuos crudeli.* Et quidem quidquid cœlo acquirendo non datur, alienis datur; in alienis es, crudelissimis traditus tyrannis, quoties à cœlesti domo, à Deo habendo deflectis. Ad hæc eleganter Chrysost. homil. 15. in

Chrysost. Matth. *Quæ est ergo insipientia, vt contentus sis super terram, id est, in alienis seruire diabolo, cum possis in cœlis, id est, in proprijs regnare cum Christo?* Habes propria tua, ad quæ eas, in quibus cum Christo regnes; caue propria perdas & in alienis versatus miserè pereas. Extra Dei donum quidquid est, & alienum & extraneum tibi est, in sola Dei domo habes omnis tua, & quæcumque ibi sunt, tibi reputa propria. De re-

3. Reg. 4. gno Salomonis ait 3. Reg. 4. *Habitabátque Iuda, & Israël absque timore vllo, vnusquisque sub vite sua, & sub ficu sua, à Dan vsque ad Bersabee cunctis diebus Salomonis.* Hoc de terreno Salomone in figuram veri Salomonis crediderim dictum; quando enim ad clarissimos dies immortalis Salomonis ascendemus tunc sub ficu sua, & sub vite sua stabit homo securus; quidquid ibi erit, suum erit. Ait Orig. hom. 15. in Iosue:

Tunc tibi dabitur requies, vt requiescas sub vite tua, qui est Origen. *Christus Iesus, & sub ficu tua, qui est Spiritus sanctus.* Quid non putabit homo in cœlestibus suum, quando & Dei filium, & Spiritum sanctum accipiet in sua? Felix possessio, in qua Iesus vitis est, in qua Spiritus sanctus est ficus. Hæc sola possessio putatur propria hominis, quidquid extra hanc inuenitur, non reputat homo suum: de vno Iuda audio, quod dum descendit in infernum, dicatur descendisse in locum suum.

Sic Actor. 1. *Præuaricatus est Iudas, vt abiret in locum suum.* Actor. 1. Quomodo terra horroris, & vastæ solitudinis dici potest locus proprius Iudæ? An sic hominem exuerat, sic diabolum induerat, vt inde diaboli propria, ipse solus acciperet in sua?

Ait Ioan. cap. 6. *Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vo-* Ioan. 6. *bis diabolus est?* Diabolus sit necessum est, qui suum aliquid putat extra cœlum; qui autem penitus diabolus non est, dolet se in alienis esse, dum non est inter cœlestes ciues.

Vnde monebat Eccles. cap. 7. *Noli esse stultus, ne moriaris in* Eccles. 7. *tempore non tuo,* quasi hæc sit prima peccatorum pœna, quòd in alienis sint, quòd nihil suum, nec tempus ipsum videant. Longè aliter iustus, qui in paradiso Dei plantatus est, de il-

lo Psal. 1. *Erit tanquam lignum quod plantatum est secùs decursus* Psal. 1. *aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Et quare est tempus suum? Tempus futuræ felicitatis, tempus gloriæ.

De quo Eusebius in Caten. Lyppom ait: *Illud tempus sæcu-* Euseb. *lum futurum est, quoniam præsentis non domesticum est, sed alienum.* Nihil non alienum tibi est extra cœlum, cœlestia omnia tua sunt, vt dicat Psal 149. *Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.* Vbi D. August. serm. 100. de temp.

ait: *Tunc resurgent corpora sepultorum, tunc exultabunt sancti in* August. *gloria, tunc in suis cubilibus lætabuntur.* Nec res lætitiæ po-

test in alienis placere. *Quomodo enim cantabimus in terra alie-* Psal. 119. *na?* Psal. 119. At vbi glorioso sæculo appropinquauerimus, nihil alienum ibi inuenient iusti, sed lætabuntur in cubilibus suis. Id equidem tuum habes solùm, quod in cœlis spectas. Apud Luc. cap. 16. sic cum terrenis hominibus argu-

mentatur Dominus: *Et si in alieno fideles non fuistis, quod ve-* Luc. 16. *strum est, quis dabit vobis?* Expende, quid vocet alienum, & quid nostrum vocet: alienum est, quidquid extra cœlum; quæcumque in cœlo sunt, ea sunt nostra. Theoph. ibi: *No-* Theoph. *stra sunt diuitiæ cælestes, & diuina, illic noster municipatus est, eo quòd homo ad imaginem Dei est conditus. Pecuniæ autem, & possessiones alienæ sunt, nil enim simile illi ex his. Diuinorum autem bonorum fruitio, & participatio Dei nostra sunt.* Ecce, homo, vbi tua habeas; habes equidem tua in cœlis, quidquid cœleste est, quidquid diuinum, tuum est, & ipse Deus est

tuus. Vnde monemur petere, Matth 6. *Panem nostrum quo-* Matth. 6. *tidianum da nobis hodie;* dum enim supersubstantialia, & cœlestia petimus, nostra petimus. Vbi pulchrè D. Paschas.

lib. 4. ait: *Quia puer natus est nobis, & filius datus est nobis,* Paschas. *illum oremus, quasi thesaurum nostrum; oremus, vt cibum nostrum; noster enim est, & idcò cum eo simul omnia nostra sunt. Propterea, quod nostrum est, ante omnia, & super omnia requiramus, quatenus ille sit nobis panis, ille cibus, ille vita, pro cuius amore quæ mundi sunt omnia postponentes, quasi in aliena deputemus.* Expue aliena extra cœlum, qui in cœlesti ciuitate habes tua reposita in annos plurimos.

Text. Volo autem & huic nouissimo dare sicut tibi. Aut non licet mihi, quod volo facere? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi.

§. XXII.

Oculus, qui in aliorum defectus intendit, vix fieri potest, quòd nequitiam, & præsumptionem in vidente non parturiat.

NOn querimoniæ iniustæ verba succenset Dominus, nec linguam murmurantem, seséque de exantlatis laboribus, ponderibúsque portatis extollentem taxat. Tota Dei seueritas ad oculos dirigitur, oculúmque nequitiæ accusat, & damnat, inquiens: *Oculus tuus nequam est.* Cur non magis lingua murmurans, & de laboribus præsumens, damnatur? Cur hac omissa oculus arguitur? Meritò oculus solus arguitur, qui defectus videbat, qui eò intendebat, vt notaret, quid nimis pater familias præstaret. Raro enim, aut numquam non efficitur sona

præsum

præſnmptionis,& neqnitiæ oculus ille,qui,quod alij minùs faciunr,amat proſpicere, Accipite Loc.cap.22. vbi proponit Dominum de prodiiore ſuo ante paſſionent verba facientem ad diſcipulos ſuos. Luc.22. Tunc ſic: *Et ipſi cæperunt quærere inter ſe,quis eſſet ex eis,qui hoc facturus eſſet. Facta eſt autem contentio inter eos,quis eorum videretur eſſe maior.* Nota connexionem, quærebant Apoſtoli inter ſe proditorem, tanti mali ſigna inter ſe ipſos ſinguli ſpeculantes; nec mora,ſtatim & contentio oritur inter eos, quis eorum videretur maior. Vnde hæc contentio maioritatis in tempore tantæ conſternationis fuit orta? Vnde, qui per triennium humilitatem, & dimiſſionem didicerant à Deo ipſo, tam facilè rapiuntur modò ſpiritu elationis? Sanè vbi incepit quiſque in alio notare ſigna proditionis, & defectionis à magiſtro, & eò intendit oculum, vt ex his ſignis proditorem per ſingulos diſcurrens cognoſceret, quaſi neceſſum fuit ex aliorum defectibus notatis, eum ebibere ſpiritum elationis, quo ſe ſuper alios ſuperponeret. Vt ſapienter, ſic D.Thom. ſanctè D.Thom.ex Theophylacto ait in Caten. *Cùm inter ſe quærerent, quis eſſet Dominum traditurus, conſequens erat ad inuicem ſibi dicere: Tu proditurus es; & ex hoc coacti ſunt dicere,ego potior,ego maior.* Vbi in ſingulis quærebant ſinguli ſigna defectus,ſigna proditionis, quaſi neceſſariò coacti ſunt in illum ſpiritum deuenire, quo ſe quiſque reputaret ceteris omnibus potiorem,& meliorem. Oculos cuſtodi tuos,ne eò tendant,vt videant, quòd alij faciunt minùs, niſi velis inaniter efferri, & gloriari ſuper illos. Sanctiſſimus erat Elias & in ſummis anguſtiis conſtitutus,dum fugiens Iezabelem iaceret in montis Oreb ſpelunca. Inter hæc requiſitus à Deo 3.Reg.19. reſpondit 3. Reg. 19. *Dereliquerunt pactum Domini filij Iſraël: altaria tua deſtruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio.& derelictus ſum ego ſolus.* Se vnicum, & ſolum in Dei ſeruitio audet prædicare, nec vllum ſibi parem eſſe permittit. Quis in tanto viro, & tantarum anguſtiarum tempore tantam elationem, & præſumptionem crederet? Illam meritò carpunt Eucherius, Rabanus, & alij Patres plurimi; nos videamus vnde inter tot calamitates, inter tot anguſtias, inter tot timores, quando tædebat ipſum viuere, potuit elatio, & præſumptio ſubrepere Eliæ. Nec difficile eſt id inuenire, quando apparet Propheta eò intentus, vt Iſraëlitarum notet, & prædicet ſola crimina. Ecce ait,omnes derelinquunt Dei pactum altaria deſtruunt, Prophetas occidunt: dum autem ſic Iſraëlitarum proponit, & expendit errores, ex hoc coactus eſt ſeſe extollere, & ſe prædicare ſolum,& vnicum, nec parem admittere. Ad hæc D. Greg.3. Gregor. Moral.18 inquit: *Dum in alio penſat malum, quod ipſe non habet,in ſe negligit conſiderare, quod habet: ſicque fit, vt dum ad aliena diiudicanda mens ducitur, proprij iudicij lumine priuetur, vt durus contra aliena ſuperbiat.* Sed quacúnque virtute floreas, quibuſcumque meritis ſis munitus, te proculdubio elatio proſternet,ſi oculus tuos pateat, vt aliorum errores videat. Quemcumque oculi tui ictum ad videndum proximi errorem, puta tibi appoſitam trabalem machinam, quæ te erigat,vt deiiciat. Matth.7. Matth. 7. *Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non vides? Aut quomodo dicis fratri tuo, ſine eijciam feſtucam de oculo tuo; & ecce trabs eſt in oculo tuo?* Scire cupis, quæ ſit iſta trabs, quæ ſic vel in aëra ſuſpendit, vel deprimit aſpicientium oculos? Sanè trabs hæc non alia,quàm viſio,& ſcrutatio feſtucarum.hoc eſt, defectuum, qui ſunt in fratre tuo Sic enim B. Doroth doctr.6. per oculi trabem intelligit iudicium, quo intentus es,vt iudices, & veniles vel minutiſſimos inſtar feſtucarum errores fratrum:à qua trabe quid aliud expectas,quàm vel ſuſtolli,vel ſuſpendi in aere?Ex quo ſic monet Doroth. Doroth. *Qui optant igitur ſaluari, numquam curioſi ſunt circa minima proximorum delicta, ſed circa ſua ſemper occupantur.* Hæc ibi.

§. XXIII.

Non temporis, ſed diligentia res eſt quòd primas in Dei muneribus feras.

NOn officit temporis tarditas, vbi diligentia ſuffragatur, quæ vel nouiſſimum tempus ad ferendas primas de manu Dei poteſt preparare. Paſſim fiunt nouiſſimi primi, quando nouiſſimorum diligentia ea eſt, quæ neſcit tardare. Egregium exemplum proponit Luc.23.in latrone cum Domino crucifixo:hic vt aſcendit crucem, ſeſéque iuxta Dei Filium vidit in ſtipite eleuatum.non moratus eſt,ſed ad illum pro regno clamat. Cui ſtatim Ieſus: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Cur tam cita Dei venia in latronem venit? Pulchrè D.Ambroſ.ibi: *Citò igitur ignoſcit Dominus, quia citò ille conuerſus.* Ambroſ. Io adeò ſero tempore citiſſima potuit eſſe latronis conuerſio,quia nihil moratus; ſed vbi ſalutis authorem vidit,diligentiſſime feſtinauit ſalutem poſtulare. Meritò ergo non moras paſſus eſt, ſed primas redemptionis ſortitur,qui vel in nouiſſimo tempore omnes conuerſionis moras ſciuit fugare. Vt enim homo velox eſt in Dei vocatione exequenda,ſic Deus eſt velox in homine muoerando, adeò vt nemo prius appareat in Dei muneribus, quàm qui velociſſimus in reſpondendo eius vocationi apparuerit. Iſaias cap.9. *Primo tempore alleuiata eſt terra Zabulon, & Nephtalim,* &c. Iſai. 9. Si ordinem tribuum ſpectes, inuenies Nephtalim inter poſtremas; cur ergo Nephtalimo.& Zabuloni in primis peccatorum leuamen offertur? Id inſinuat ſingularis lectio Septuag.inquiens: *Hoc primùm bibe,velociter fac regio Zabulon, terra Nephtalim.* Septuag. Sanè vbi cœleſtis doctrina iis regionibus affulſit, ſtatim ipſæ crediderunt, velociſſimæque fuerunt in ſugendo ſucco Euangelico. Quid tardauit Petrus? Quid Ioannes? Quid Iacobus? Ad primam Chriſti vocem,relictis retibus,ſecuti ſunt eum. Hinc omnia Chriſti prima meruerunt. Pro quo D.Hier ait: *Hoc primum bibe,velociter fac,quia terra Zabulon, & Nephtalim prima Chriſti videre miracula, vt prima biberet fidei potionem, quæ prima viderat Dominum ſigna facientem. Et primo tempore reuelata eſſe dicuntur onere peccatorum,quia crediderunt velociter, vt audientes: Venite faciam vos piſcatores hominum. ſtatim & patrem relinquerent & nauiculam.* Hieron. Non obfuit Zabulon, & Nephtalino poſtremus natiuitatis locus, quando cæteros vicerunt velocitate, vt ſequerentur Dominum: in nouiſſimo natiuitatis tempore omnia prima inuenerunt apud Dominum. Habes homo, quo tempora poſtrema facias prima habes, quo in nouiſſimos annos,quo in occaſum vitæ trahas primitias auroræ, ſi velociter Deo vocanti reſpondeas,ſi vt Deum ſequaris, omnes abrumpas moras. Ad hæc præclarè monebat D.Ambroſ.in Pſalm.1.ſic loquens: *Bibe Chriſtum, quia flumen eſt. cuius impetus lætificat ciuitatem Dei. Bibe Chriſtum,quia pax eſt. Bibe Chriſtum, quia flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Bibe ergo citò, vt lux tibi effulgeat magna. Lux non quotidiana, non diei,non Solis,non Lunæ,ſed lux illa,quæ vmbram mortis excludat.* Ambroſ. Quippè licèt ſub vmbra mortis ſis, bibe citò Chriſtum velocem eius voluntatis executorem te vel tunc præbe,& omnes ſurgentis auroræ primitias ad te allicies.

CAPVT XX.

De decem mnis datis ad lucrum.

VERE nobilis homo id regnum affectaſſet, quod longè eſſet à ſenſibus remotum; caduca hæc, & temporalia regna quis crederet affectanda ab eo,qui Deus eſt, & ex diuino origine verè nobilis? Hunc Regem norint carnales Iudæi, qui verè nobilis ſit, & regnum habeat à ſenſibus remotum: ni velint perire in tanti regni, & Regis adminiſtratione. Huc præſens ſpectat parabola, proponens hominem nobilem proficiſcentem in longinquam regionem, vt vbi regnum accipiat,& inde reuertatur, minutiſſimá exacturus à primis ſeruis de creditis pecuniis rationem. Ex longinqua, & remota regni ratione facilè oſtenditur, qualia ſunt paranda lucra tanto Domino, ea nimirum, quæ non in carnalibus conſiſtunt, ſed ad animarum profectum ſpectare poſſit. Felix lucrum, quod gratiam habebit apud nobiliſſimum Dominum, à quo vel lucri ceſſatio iram trahit, damnationem extorquet.

Luc.19. Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere ſibi regnum, & reuerti.

§. I.

Quò à ſenſibus remotiores res quæſieris, eò magis in te veram oſtendis nobilitatem.

VErè nobilis dicitur, qui non in præſentibus, & proximis ſenſibilibus rebus ſuam conſtituit coronam, ſed è longinquo, è rebus à ſenſu remotis illam petit. Nnmquam credam nobilitatem eſſe, ſed vilem, & abiectam ſeruitu-

 tem,

tem, quæ præsenti temporalitati nititur. Ad Roman. 8. Rom. 8. *Vanitati enim creatura subiecta est, non volens, sed propter eum, qui subiecit eam in spe. Quia in ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Sanè & ipsa insensibilis creatura vilissimam, & abiectissimam seruitutem putat, quòd vanissimis huius temporis rebus immergatur. In rebus enim præsentibus non ingenuitas, nec nobilitas, sed seruitus, sed captiuitas, sed abiectio inuenitur, quibus vel insensibilia polluantur. Ex quo monet hominem Chrysost. Chrysost. *Nec tu creatura efficiare deterior, nec tu præsentibus rebus acquiescas, non enim illas solùm non amplecti oportet, sed ingemiscere ob retardationem nostræ ab hoc orbe profectionis.* Vanè se iactat de nobilitate, & ingenuitate, qui præsentibus amat incubare; puluere vilior est, & verme abiectior, quisquis à sensibilibus, & temporaneis profectionem non parat, quisquis ad longè posita nequit properare. Inde profectò vera elucet nobilitas animi, si despectis iis, ad ea, quæ altiora sunt, & à sensibus remotiora, festinamus. Apud Luc. cap. 11. Luc. 11. ait Dominus: *Regina Austri surget in iudicio cum viris generationis huius, & condemnabit illos, quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis.* Adulterinæ Iudæorum generationi opponitur ingenua, & regalis fœmina, quæ à finibus terræ veniens, Salomonis gloriam adeò mirabatur, vt diceret 3. Reg. 10. 3. Reg. 10. *Beati viri tui, & beati serui tui, hi, qui stant coram te semper.* Sed valdè notandum, quòd vbi Abrahamides vocantur adulterini, & nothi, fœmina hæc prædicetur regalis, & ingenua, & iudicatura Iudæos, de qua nil maius dicitur, quàm quòd Salomonis gloriam intuita admirabatur, eiúsque seruos longis acclamationibus beabat. Quid hoc ostendit ingenuum? Quid regale? An regale est, præsentem gloriam stupere, & temporum seruituti inuidere? Absit, non ideò hæc regia, & nobilis, & iudicatura asseritur, quia temporalis Salomonis præsentis gloriam admirabatur, sed quia ex hac præsenti Salomonis gloria, ad celsiorem & remotiorem à sensibus Christi gloriam spectabat. Ait D. Paulin. epistol. 1. Paulin. *De Iudæis adulteris iudicandis, ipsius ore iudicio digna censetur, quia Christum in Salomone mirata, verum Reginæ cælestis affectum in imagine mystica Ecclesiæ prouidentis impleuerat.* Expende, quo impleuerat verum Reginæ cœlestis affectum, nimirum quatenus non præsentis Salomonis gloriam stupebat, sed ex illa præsagus animus remotiorē aliam Christi veri Salomonis rimabatur. Meritò qui præsentibus gloriis inhærebant Iudæi minimè nobiles, sed adulterini, & viles nothi prædicantur, illa verè regalis, & nobilis anima, quæ per præsentia, futura, & à sensibus remota spectabat. Hinc Paulus ad Hebr. cap. 11. Hebraicæ nobilitatis signa capit, ait enim: Hebr. 11. *Propter quod & ab vno orti sunt, & hoc emortuo, tamquam sydera cœli in multitudine, & sicut arena, quæ est ad oram maris, innumerabiles. Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes, & salutantes, & confitentes, quia peregrini & hospites sunt super terram; qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere.* Duo genera hominum ponit, qui ab Abrahamo originem trahant, aliud syderibus cœli, aliud arenæ maris comparatur: illud illustre, & nobile, hoc abiectum, & vile, humi repens & sub pedibus iacens. His duobus in syderibus, & arena notatis, statim subiicit: *Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes*, &c. Sed qui sunt omnes isti, qui sic dicuntur defuncti, non acceptis in terra repromissionibus, sed remotiora, & cœlestia spectantes? An ij sunt vniuersi filij Abrahæ, tam qui sydenum claritudine, quàm qui arenæ vilitate notantur? Absit; imò hoc solius clarissimi, & nobilissimi hominis testimonium est, quòd non præsentibus terræ bonis hæreat, sed ad cœlestia illa, & à sensibus remotiora spectanda, & speranda pertranseat. Ait D. Anselm. Anselm. *Quod autem subditur, iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, de illis solummodo, qui stellis comparantur, intelligendum est. Illi omnes non elongati à fide, sed iuxta eam persistentes defuncti sunt, non acceptis in terra repromissionibus, & ideò spectabant eas in cælo. Credebant enim, ipsas promissiones non esse factas de terrestribus, sed promissa sperabant de cœlestibus.* Non enim nobiles, & clarissimi, instar stellarum firmamenti animi sibi persuadebant coronas suas in præsentaneis iis, & fugitiuis rebus fuisse positas; & ideò hinc egredientes, hoc maximè curabant, nimirum ab hoc mundialium bonorum puluere, & affectum, & manus, & pedes prorsùs excussos ostendere, quæ longè posita sunt cœlestia bona salutantes, & appetentes. Qui arena vilis est, & è puluere natus, vt vilis est, sic vilibus, & præsentibus est contentus, hoc gaudens, si humi liceat repere; qui stelliferis gaudet, clarissimisque natalibus, veramque ingenuitatem, & nobilitatem in se monstrare prætendit, is non in terra, sed in altissimis, & æternis cœli thesauris bona sua posita cernit, & illinc ea nititur comparare. Fallar, nisi huc respexit Ecclesiast. cap. 10. fatus: *Væ tibi, terra, cuius Rex puer est, & cuius Principes manè comedunt. Beata terra, cuius Principes vescuntur in tempore suo.* Eccles. 10. Ecce tibi, Regi puero opponitur Rex nobilis, quasi puer Rex nobilis non sit. Et quomodo fieri potest, quòd Rex nobilis non sit? Expende signum, quo crescit, vel perit omnis nobilitas in Principibus, nimirum, *Cuius Principes manè comedunt*; hoc est, nihil sciunt spectare futurum, sed toti præsentaneis rebus se dedunt. Ita D. August. lib. 17. de ciuit. cap. 20. inquit: *Principes manè manducantes, id est, ante horam congruam, quia non expectant opportunam, quæ in futuro sæculo est, felicitatem, festinantes beari huius sæculi felicitates cupientes.* August. Ecce tibi, Rex, & Princeps, qui nobilis non est, sed puer, sed seruus, & abiectus, nimirum ille, qui festinat in præsenti beari, qui nescit expectare futura nec longè à sensibus remota intuetur. In hoc nulla ingenuitas, nec nobilitas est, sed vilis, & abiecta seruitus. Quò adduco dicta tom. 3. lib. 14. cap. 1. §. 3.

§. II.

E mundialibus nobilibus aut rari, aut pauci in salutem abeunt.

SI aspicias ad cœlestium mandatorum vias, quibus itur in longè à sensibus remotissimam patriam, sanè non multi in eis nobiles apparent, vt ait Paul. 1. ad Corinth. 1. Sed ex nobilibus rarus est, qui eas vias terat, propter quod introducitur in præsenti quidam nobilis, in illam regionem viuentium proficiscens. Nobilis homo quidam dicitur, vtpote singularis; multitudinem enim nobilium mundialium cœlestis via non tenet, sed perditionis barathrum. Diabolus equidem, quos in perditioni via amat confirmare, nobiles facit. Sic Luc. 15. vbi accepit filium illum prodigum, substantiæ dissipatorem, meretricum amatorem, quid putatis de illo fecisse? Ait textus: *Misit illum in villam suam*, hoc est, Luc. 15. illum villis, & oppidis præfecit, vt de dominatus fibulis splendesceret inter nobiles mundiales, & sic difficiliùs à meretricum fœce desisteret, & à dissipatione substantiæ, & vix ad cœlestia posset reuocari. Ibi ait Beda. *In villam mitti, est substantiæ mundialis potentiæ subiugari. De qua in alia parabola quidam spirituales, epulas, ad quas inuitabatur, fastidiens dixit: Villam emi, & necesse habeo exire*, &c. Beda. Ecce tibi diaboli astutia, quos sibi adhærere cupit, in quibus cœlestium fastidia amat generare, villis præficit, hoc est, dominatus mundialis potestate & claros, & conspicuos facit. Alter villæ præficitur, vt securiùs à diabolo in scelerum fæce retineatur; alter ex quo villam emit, cœlestia omnia fastidiens, nec diuinas epulas amat gustare. Vtinam hæc non tam frequentia essent in nobilibus, & dominis mundialibus qui de dominatus flexuris hoc solùm videntur capere, quòd cœlestium virtutum decora fugiant, & vitiorum fæces auidè rapiant. De illo nobili primogenito dicitur Luc. cap. 15. quòd audiens in domo paterna symphoniam, & chorum, *indignatus nolebat introire.* Luc. 15. Et cur nobilis primogenitus dedignatur intrare, vbi chorus cantorum est? Vbi symphonia sonat? Quid regalius, & nobilius, quàm inter canentium choros versari? Hoc regni signum, & auspiciū datur Sauli, 1. Reg. 10. *Et hoc tibi signum, quòd elegit te Deus in Principem: obuium habebis gregem Prophetarum descendentium de excelso, & ante eos psalterium, & tympanum, & tibiam, & citharam, ipsosque prophetantes. Et insiliet in te spiritus Domini*, &c. Inter canentium choros ebibit Saul primos spiritus nobiles, & regales: cur ergo qui nobilis, imò regius primogenitus est, vbi symphonia, & chorus est, sic refugit intrare? Sanè erat ille chorus lætantium de abolitione vitiorum, qui chorus solis Dei Principibus placet: mundiales autem Principes non ad choros de tollendis vitiis, sed ad choros theatrales, in quibus meretricum vocibus fæces vitiorum bibuntur, & magis accenduntur voluptates. Pulchrè D. Ambros. ibi fatur. *Chorum, & symphoniam ille audire non potest, hoc est, non vlla theatralis incentiua lasciuiæ, sed plebis concordiam concinentis, de peccatore saluato dulcem lætitiæ suauitatem resultat.* Ambros. Refugit quidem mundialis dominus choros, in quibus lætitia agitur de tollendis vitiis; ad hos choros non ingreditur, & si cogatur ingredi, vel dormitat, vel non curat tales cantus percipere, non sic in theatralibus canticis, vbi accenditur lasciuia, ad hæc auidissimè curritur à nobilibus, stupentibus & vocem, & cantus, & saltus meretricum. Et quod vel rideas, vel lugeas,

lugeas, videbis ingentem nobilium partem eò stoliditatis deuenisse, vt ingenti substantiæ ruina emant ingredi ad theatralem saltatricem, vel cantatricem, vilissimam fœminam, ab stabulis eductam, & gratis à mille agasonibus subactam primò. Pro his sunt vigiliæ Principum mundialium, apud quas dormiunt agasones vilissimi: & qui pro illis vigilant Principes, ad omnia cœlestia æterno somno apparent sepulti. Ait Psalm. 75. *Ab increpatione tua, Deus, dormitauerunt omnes, qui ascenderunt equos.* Mirabar, ad diuinos cantus dormitasse mundiales Principes, sed quod mirere magis, expende, quòd non solùm ad cantus, sed ad increpationem diuinam etiam dormitare dicuntur. Id quod adstupens Ruffinus, & ipse nobilis ait: *Sonat euangelica tuba, minatur iudicium, minatur æternales pœnas. Inter tanta tonitrua adhuc dormiunt superbi, adhuc vitam veterem nolunt damnare, neque in nouam vigilare. Quare hoc, nisi quia ascenderunt equos, id est, extulerunt se in honoribus, in potestatibus, in incerto diuitiarum? Tales sunt equi eorum, quibus tamquam indomitis in æternum feruntur supplicium.* Proh stultissimi equites, qui de nobilitatis, & potestatis, & honorum, & diuitiarum titulis, hoc solùm eliciunt, quòd gregatim per vitiorum fæces in æternos cruciatus prosiliant!

Psal. 75.

Ruffin.

Text. Vocatis autem decem seruis suis, dedit eis decem mnas, & ait ad illos: Negotiamini, dum venio. Ciues autem eius oderant eum, & miserunt legationem post illum, dicentes: Nolumus, hunc regnare super nos.

§. III.

Beneficia principaliùs in propinquiores egentes conferenda.

NObilis hic homo & ciues habebat, & seruos; cùm autem argentum partiri vult, seruos, hoc est, domesticos omnes vocat: nec vllum ciuem audis vocatum, qui mnam accipiat, cum nullus seruus maneat sine accepta ex Domino mna. Vt hinc discant sæculi potentes, quorum & ventres, & manus præcipuè impleant, nimirum domesticorum, & illorum, qui sunt propinquiores sibi. Ait Paulus 1. ad Timoth. 5. *Si quis autem suorum, maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* Expende illud sæpiùs alibi à nobis repetitum, *maximè domesticorum*, à domesticis egentibus debet semper Christiana beneficentia incipere. Ait D. Ambros. lib. 1. offic. cap. 30. *Est etiam illa probanda liberalitas, vt proximos seminis tui non despicias, si egere cognoscas. Melius est enim, vt ipse subuenias tuis, quibus pudor est, ab aliis sumptum deposcere.* Non infirmior, sed potior est causa propinqui, & domestici pauperis in charitate Christiana. Quò propinquior tibi quis est, eò maximè ad eius indigentiam euola subleuandam. In Christi Domini genealogia audio multos peccatores egentes Dei gratia numerari. Ait enim Matth. cap. 1. *Iudas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar;* & rursus ait: *Dauid autem Rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ.* Insuper addit: *Ionatham genuit Achab*, &c. Thamarem & Bersabee, & Achab, & alios ibi audis magnis criminibus conspurcatos, nec detrectat Matthæus has maculas in clarissima diuini Solis generatione annumerare. Et cur non magis cauet Matthæus Dei ortum ab his maculis? Rationem reddit D. Ambros. in 2. Dauidis apolog. cap. 6. aiens: *Denique ea dispositione Bersabee, & Thamar inter auctores Dominici generis computantur; quarum altera adulterium fecit, altera commisit incestum. Ea dispositione & Achab, & Iechonias adnumerantur maioribus Christi, vt omnes homines redempturus, beneficium à suis maioribus incohearet.* Hoc semper est Christianissimum, quòd in accipiendis beneficiis propinquiores egentes ferant primas. De hoc plura dixi tom. 1. lib. 1. cap. 8. §. 6. & lib. 4. cap. 5. §. 19. & tom. 3. lib. 15. cap. 3. §. 9. & c. 9. §. 17.

1. Tim. 5.

Ambros.

Matth. 1.

Ambros.

§. IV.

Regnis non tam damnosa bella, quàm pacifica prosperitas diu prolongata.

VIx profectionem parat nobilis homo, vt regnum accipiat; & ecce tibi ciuium rebellio, ecce illorum clamor importunus: *Nolumus hunc regnare super nos.* Cur Domine, non magis comprimis hos rebelles ciues? Cur non magis solicitaris clamoribus his in regni initio? Sanè sapientissimus rerum moderator nouit regnantium vires, & potentiam non sic infringi pugnis, & bellis aduersariorum, vt infringitur prosperitate pacifica. Aiebat ipse Matt. c. 18. *Necesse est, vt veniant scandala;* nec solùm putat scandala, & seditiones vtiles, sed necessarias, ne penitùs cœleste regnum in hominibus collabatur. Et quod regnum, vbi nec pugnæ, nec bella, sed pacifica prosperitas versabatur, non fuit penitùs collapsum? Ad hæc D. Chrysostomus, homil. 60. in Matth. fatur: *Quòd si vis, à primo statim homine id considera. Nam si tum breui tempore, nec die fortasse integra in paradiso delitiarum vixerit, ad tantum prauitatis deuenit, vt æqualitatem Dei falsa cogitatione sperauerit, & seductorem huius beneficij auctorem opinatus vnum præceptum seruare non potuit; quid ille non fecisset, si longissima in tranquillitate illa tempora vixisset?* Vel breuis tranquillitas, & prosperitas totum humanum imperium quassauit; fortissimum Regum omnium & clarissimum prostrauit, deiecit, vt hinc discant homines, quid humanæ mentes à longa, & desidiosa prosperitate trahant; trahunt equidem eam desidiam, qua fundițùs euertantur, vt firmiter nequeant stare. Legi imperia seruata, imò aucta inter hostiles incursus, hinc inde à contrariis petita, dum in præliis sudant, & per aduersos casus prosperitates liquant. Ast vbi pax vndique floret, nihil aduersum existit, numquam legi, nisi effœminatorum scaturigines, scelestorum turbas, & tandem miseras ruinas. Vt sapienter dicat D. Chrysologus, serm. 131. *Qui aduersa non senserat, prospera seruare nesciuit.* Romanum imperium in ferreis cruribus designabat Dan. cap. 2. Ait enim: *Tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis. Videbas illa, donec abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & comminuit eos.* Equidem dum imperium ferreum erat, dum non vacabat Romanis à ferro exui, omnia domabant, vniuersásque nationes redigebant sub tributo. Vbi autem licuit ferrum dimittere, & pacificos, properósque dies habuerunt, illicò & terrenæ voluptates emerserunt, & exsufflati sunt, tamquam puluis, quem proiicit ventus à facie terræ. Rem graphicè depingit, & plorat Saluianus lib. 5. de prouidentia, vbi inquit: *Si quando Deus à se ipso exoratus pacificos nobis dies, prouentus vberes, diuitem bonis omnibus tranquillitatem, & abundantiam dederit supra vota crescentem: tanta secundarum rerum prosperitate corrumpimur, tanta morum insolentium prauitate vitiamur, vt & Dei penitus obliuiscamur, & nostri, & cùm omnem fructum datæ à Deo pacis in hoc consistere Apostolus dicat, vt quietam, & tranquillam viam agamus, in omni pietate, & castitate: ad hoc tantùm à Deo data quiete vtimur, vt in ebrietate, vt in luxuria, vt in flagitiis, vt in rapinis, vt in omni scelere, atque improbitate viuamus: quasi verò beneficium datæ pacis vocatio sit probrositatis, & ad hoc inducias tranquillitatis, Deo dante, capiamus, vt licentiùs, atque securiùs peccemus. Et miramur post omnia ista, si ruinam rerum suarum passi sunt, qui tanto antè mentibus corruerunt?* Numquam non longa tranquillitas & effœminatos parit, & ruinas trahit imperiis. Vnde sapientes Reges tunc maximè sibi cauere debent, cùm pace, & tranquillitate florent. De Babylonio Rege Nabuchodonosor dicitur Iudith 2. *Factum est verbum in domo Nabuchodonosor Regis Assyriorum, vt defenderet se.* Et sanè nullum tunc experiebatur hostem, nullum aduersarium videbat, sed placidissima pace fruebatur: & nihilominus hoc intonat in domo eius verbum, vt defenderet se: numquam enim maior cura debet esse Regibus se defendendi, quàm vbi vndique floret tranquillitas. Quod curabat Theodoricus ille cantatissimus Rex Italiæ; in cuius panegyrico ait D. Ennodius: *Vrbis omne pomerium simulachro congressionis atteritur, agit figuram certaminis, ne cum periculo vera nascantur.* Dum pax diurna bella tollebat, non tollebat bellorum meditamenta; ad bellorum formam comparabantur ludi vniuersi; nihil nisi puluereum, & bellicum etiam in pace placebat, ne vera bella è pace periculosè nascerentur. Illa sola pax vera, & minimè periculosa, quæ non torpet otio, sed bellicis machinis parandis, munitionibus instruendis, militibus exercendis operam impendit. Vide tom. 2. lib. 5. cap. 4. §. 6. & tom. 2. lib. 6. cap. 6. §. 38. & tom. 3. lib. 14. cap. 15. §. 19.

Matt. 18.

Chrysost.

Chrysol.

Dan. 2.

Saluian.

Iudith 2.

Ennodius.

Text. Et factum est, vt rediret, accepto regno, & iussit vocare seruos, quibus dedit pecuniam, vt sciret, quantum quisque negotiatus esset.

§. V.

§. V.

Vt in prosperitate modestia, sic in calamitate animositas magis plauditur.

COmpone antecedentia verba cum præcedentibus; ibi enim dicitur, quod abeuntem prosequebantur rebellium ciuium legati, qui clamarent: *Nolumus hunc regnare super nos.* Equidem inter hos clamores, atque inter rebellium, impugnantiúmve turmas, accepto regno, apparet ipse conspicuus, conuocat seruos, rationes exigit. Cur non magis latet? cur non magis cauet calamitoso propter rebelles tempore? Sanè ad laudabilem quemque hominem magis pertinet animositas in calamitoso tempore, vt tempore prosperitatis pertinet modestia. Mirantes Apostoli Iesum ascendentem in cœlum, audiunt Angelicas voces, quæ dicebant,
Act. 1. Actor 1. *Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Semel venerat Iesus in mundum, natus ex virgine, puer, pauper, & humilis, mundiales omnes glorias despiciens, & habens suspectas, imò & dissimulans, & abscondens glorias cœlestes. Modo iterum venturus asseritur; & qualiter veniet? Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum, vt gloriosus, & conspicuus ascendit; sic gloriosus, & conspicuus veniet. Et cur, qui primò humilis, & absconditus venit, secundò gloriosus, & manifestus veniet? Hanc diuersitatem non ipse fecit, sed diuersa tempora fecerunt; in primo aduentu omnia mundialia pace florebant, vbique visebatur pacifica prosperitas: in secundo aduentu, nihil pacificum, nihil prosperum. vndique exurgent prælia, & seditiones, & terræmotus, & fames, & pestilentiæ. Vt ergo inter prospera venientem decuit modestia, sic inter seditiones, & calamitates venientem animositas decebit. Ait Galfridus apud Tilmannum in allegoriis super cap. 21. Luc.
Galfrid. *Nec modò aduentus eius posterior à priore longè alius erit, seu ipsa eius qualitas valdè dissimilis; siquidem turbulentissimo sæculi tempore veniet eius reparare statum, cuius pacatissimo tempore, venit prædicare contemptum. Occultum sese præbuit in sæculi gloria, sed manifestabitur in ruina. Væ, qui apparere in prosperis, latere cupiunt in aduersis, nec caput dimittunt inter prospera humiles, nec leuant inter aduersa securi.* Manifestatio, & animositas splendet inter aduersa, & calamitosa; inter prospera autem magis latibulum decet. Felix es, qui scis latere, & cauere prospera sæculi, & simul scis tete ostendere in aduersis. De se aiebat Paulus ad Galatas, cap. 6. *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini.* Omnis gloriatio in hoc sæculo suspecta est viris sanctis; nihilque magis cauere solent prudentes viri quam sæculares gloriationes: quod sciebat Paulus, vbi ait:
Galat. 6. *Mihi absit gloriari;* & cùm hoc ita sit, vbi ad crucem ventum est, vbi sese inter cruces considerat, tunc minimè gloriari refugit; imò tunc clamat, *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini,* quasi inter cruces libenter admittat gloriationem. Et quidem id sapientissimè præstat. ostensio enim, & animositas tunc maximè decet, quando nubila sunt tempora. Ait
Valerian. enim D. Valerianus, homil. 11. *Ibi sanè de se gloriari hominem oportet, vbi pro nomine Domini voluntaria pœna succedit. Quæ tamen gloriatio hunc habet fructum, si auxiliante Christo mercatur effectum.* Expende tempus, quo gloriatio secura est homini, nimirum quo tempore pro Christi nomine homo sub pœna est, quo tempore est in persecutione, in tentatione, in tormentis, inter has cruces magis animositas, & ostensio splendet. Accipe exemplum ex 4. Regum 4. ibi Elisæi hospes fœmina de mortuo filio dolens cucurrit ad Prophetam:
4. Reg. 4. *Cùmque venisset ad virum Dei in montem, apprehendit pedes eius,* &c. Vbi autem Elisæus puerum reuocauit in vitam, *Venit illa, & corruit ad pedes eius, & adorauit super terram.* Expende discrimen, in præsenti non apprehendit Prophetæ pedes, quos primò apprehenderat. Et cur in præsenti, quando tantum beneficium acceperat, cauet tangere Elisæi pedes, quos paulò antè ambabus manibus tenebat? Pulchrè ait Caieta-
Caietan. nus ibi: *Cerne diuersitatem, quòd mœrore affecta tenuit pedes Elisæi: læta autem ob resuscitatum filium non tangit pedes Elisæi, sed iuxta pedes super terram se prosternens, solitam seruat modestiam, quam mœrorque dolor oblitum tradiderat.* Inter prospera, & læta magis ornat homines modestia, quibus licet mœroris tempore, eius obliuisci cancellos, & in animositatem securiùs exurgere. De postremis sæculi periculis locutus
Luc. 21. Dominus ait apud Lucam, cap. 21. *His autem fieri incipientibus, respicite, & leuate capita vestra,* &c. Expende consilium pro tribulationis tempore, non ait prosternimini, humi sedete; sed quod ostensionem, & animositatem sonat, nimirum: *Leuate capita vestra.* Pro quo eleganter differit Galfridus apud Tilmannum, in allegoriis, inquiens: *His autem fieri incipientibus, terra scilicet malis, confusione sonitus maris, & fluctuum signis in Sole, & Luna, & stellis. Erigite capita vestra. Non expectemus, vt mundus non obruat, quia necesse est, ruat. Dimittamus in prosperis capita, ne vanitatis aura nos rapiat. Leuemus in aduersis capita, ne nos torrentis merget vnda, vel trahat. Leuandum erigitur est caput, & resistendum his, qui dicunt, inebriare, & transeamus. Sic enim loquuntur tentationes,* &c. Tunc enim maximè licet homini animositas, quando ob impetum aduersariorum posset de illo timeri, ne cadat animo. Galfrid.

§. VI.

Regno Christiano inter omnes affectus maximè suspectus videtur affectus ad pecuniam.

POst acceptum regnum, nil prius dicitur nobilis hic vir curasse, quàm rationes petere pecuniarum, quas dederat seruis, antequam regnum accepisset. Quis hoc crederet de homine ad regnum euecto? Sanè D. Chrysologus, ser. 23. ait: *Est consuetudinis, est animi felicis, vt adsciitus ad regnum, quod fuit proprium, quod priuatum; mox parentibus, mox propinquis, ciuibus indigentibus, liberaliter prorogare, ne sit mendicus anima, qui censu functus, & honore.* Et quando hoc ad regium, felicemque animum pertinet, quòd Rex factus non curet proprias antecedentes fortunulas, sed eas liberaliter dimittat? Cur hic homo diuinus, regno accepto, exactam rationem petit sibi reddi de datis antea pecuniis? Ne mireris, quòd Rex hic ad rationem vocet non alia, sed solùm datas pecunias; fortè enim alia bona dimitteret, sed pecuniarum affectus sic suspectos habet regno Dei, vt pro illis examinandis, & purificandis maximoperè inuigilet. Tibi caue, homo, a pecuniis, harum possessio numquam non solicita, & plena timoris; numquam securus de examine, de ratione reddenda est ille, qui nescit contemnere pecunias. Huc reuoca factum illud cantatissimum Abrahæ, qui oblatæ sibi sepulchrum Saræ, renuit illud accipere aliter, quam data pecunia. Ait enim Genes. 23. *Dabo pecuniam pro agro: suscipe eam, & sic sepeliam mortuum meum in agro.* Sapiēter pensabant vir sanctus mortis quietem, securitatem iudicij, quæ in sepultura significantur, minimè haberi posse, nisi abiecta priùs contemptaque pecunia. Pro quo exclamat D. Hieronymus, epist. ad Geruntiæ filias: *O vertias, ò altitudo sapientiæ, & scientiæ Dei! Quid est sepulchrum? Locus quietis, vbi iuxta mundi rationem defunctorum corpora collocantur. Vera ergo intelligentia locum sibi requietionis pater Abraham fide sua, & contemptu pecuniæ comparauit.* Prudentissimus homo ad finalem quietem nihil sibi actum putabat, dum contemptum in se non ostendebat pecuniæ. Semper equidem pecunia suspecta fuit sanctis viris, à qua & solet vinci, qui cætera omnia temporalia bona facilè superat. Proponite vobis ob oculos Ananiam & Saphiram, Actorum 5. qui diuitem agrum possidebant, sed audito nomine Christi agrum facili negotio despiciunt, illumque à se abiiciunt; quippè ait textus: *Ananias cum Saphira vxore sua vendidit agrum, & fraudauit de pretio agri.* Expende, quid vendat, & quid defraudet, vendit agrum, & fraudat de pretio, qui enim potuit agrum pro Christi nomine despicere, non potuit omninò despicere pecunias, a quibus miserè vincitur. Quò respiciens D. Ambrosius, serm. 59. ait de Anania: *Solus ergo in cœtu sancto pestilens fuit, qui cunctis contemptu pecuniæ lucrum vitæ requirentibus, ipse tantùm lucrum magis pecuniæ mercatus est, quàm salutem, & dum vitij sperat compendium, animæ reperit detrimentum.* Non postposuit salutem agro diuitis, & illam postposuit pecuniæ, vt ostendat, quàm lethalis sit Dei regno pecunia. Et meritò quasi exaltans similitudinem primorum Romanorum canebat Iuuenalis Satyra 1.

——— Et si funesta pecunia templa
Nondum habitas, nullas nummorum ereximus aras. Iuuen.

Dum enim pecunia non colitur, pacata imperia durant, & maximè floret regnum diuinum, quod mirum erit, si non periclitetur, vbi datur pecuniæ cultus.

Text. Venit autem primus, dicens: Domine, mna tua decem mnas acquisiuit. Et ait illi: Euge, bone serue, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem ciuitates.

§. VII.

§. VII.

Summa felicitas, & gloria est viri quòd nihil suum ostendat in operibus suis, sed in omnibus solus Deus appareat.

MIraris gloriarum cumulum, quem Deus congerit super hunc seruum suum? Quippè ait: *Esto potestatem habēs supra decem ciuitates.* Tantumne meruit acquisitio decem mnarum? Quantulæ sunt minæ, vt pro illis decem ciuitatum detur dominium? Non propter solas acquisitas mnas, crediderim tantum gloriæ augmentum fuisse, sed propter illam ingentem animi virtutem, qua seruus hic bonus in acquisitione mnarum nihil suum ostendit, sed omnia Deo tribuit, ait enim: *Domine mna tua decem mnas acquisiuit.* Non ait, ego acquisiui, sed mna tua acquisiuit, hoc curans, vt non ipse, sed Deus solus appareat in laude virtutis acquisitæ: quod & fructuosissimum, & præstantissimum Dei seruis existit. Magnus ille Noe, Genesis cap. 9 cumulaturus bene-
Genes. 9. dictionum gloriis filios suos, vbi ad Sem peruenit: *Dixitque Benedictus Dominus Deus Sem*, amabat benedicere Sem; & non Sem, sed Deus Semi apparet benedictus: & quidem hoc ad gloriam, & benedictionem Semi maximè conducit, in cuius laudibus, & facinoribus vnicus author videatur Dominus Deus innui. Vnde aiebat D. Chrysostom hom. 29.
Chrysost. ibi: *Benedictus Dominus Sem. Hoc fortè quis dixerit, non est benedicere Sem: imò valde benedixit illum. Quando enim Dominus benedicitur, & aguntur illi gratia ab hominibus, tunc vberior ab illo soles illis benedictio dari, propter quos ipse benedicitur.* Tunc vberior, & altior benedictionum cumulus à Deo in te proficiscitur, quando in exhibitione tuarum virtutum, non tu curas apparere, qui ab omnibus debeat benedici. Huc reuo-
Isai 44. co Isaiæ illam promissionem, c. 44. *Effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam.* Et qui erunt digni tanta effusione diuini Spiritus? Quis capiet iam largas, & magnificas Dei benedictiones? Iam dicit, inquiens: *Et germinabunt inter herbas, quasi salices iuxta præterfluentes aquas. Iste dicet. Dominus ego sum: & ille vocabit in nomine Iacob, & hic scribet manu sua. Domino.* Salix arbor est ex se infrugifera, & debilis, opaca tamen, & diues foliis, & vmbris: sic felicissimi illi, quibus cumulatissimè effunduntur benedictiones diuinæ, instar salicum sese ostendent, ex se infrugiferos, & infirmos, imò & sese totos vmbris dabunt, vt vnus in illis eluceat, & intonet Christus. Nihil aliud in ipsorum, nec in vultu, nec in manu videbitur, quod non referat vnius Dei virtutem, vt in se obscuri, & infrugiferi ostendentur, sic in Deo exaltando inuenientur vocalissimi. Alius enim dicet, Domini ego sum; alius scribet manu sua, Domino: vel vt legit Arabicus, *Hic scribet se è proprietate Domini* ne quam in se ostendant virtutem quæ à Deo non venerit, & Dei non sit. Quem spiritum ebibit Abraham, de
Genes. 21. quo legitur Genes 21. *Abraham autem plantauit nemus in Bersabee, & inuocauit ibi nomen Domini Dei æterni.* Expende iustissimi viri, cœlestibúsque benedictionibus dignissimi perfectionem; vt nemus plantat, statim Dei nomen inuocat, ne quid suum ibi appareat, sed quidquid ab eius cultura creuerit, vni Deo militet. Ex quo monet Lyppomanus in Ca-
Lyppom. ten, *Vt nos quoque discamus studium promouendæ gloriæ Dei, vt omne nostrum studium, peculium, eloquium, Domino Deo nostro seruiat.* Hæc illis.

Text. Et alter venit, dicens: Domine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: Et tu esto super quinque ciuitates.

§. VIII.

Potestas, quæ à Deo venit, mensuratur benefaciendi facultati.

QVæ Dei mna decem alias fecerat, potestatem accepit homini suo super decem ciuitates; quæ verò quinque alias tantùm fecit, etiam tantùm potestatem accepit super alias quinque ciuitates. Numquam enim à Deo maior potestas homini datur, quàm est facultas benefaciendi, quando diuina potestas beneficiorum, gratiarúmque augmentis innotescit, quippe qui de accepta mna, alias ipse facit, ille ast, qui de accepta gratiā, etiam alias ipse gratias facit, vt benefaciendo homines Deo trahat. Quantam ergo quis in se ostenderit benefaciendi facultatem, tantam à Deo solet accipere regendi populos potestatem. Tres menses egerat populus Israeliticus in deserto, potentissimam Dei prouidentiam in aquis à rupe eductis, in manna dato, in carnibus adductis, in hostibus deuictis expertus, & post hanc experientiam. Exod. 19. intonante, & fumante Sina monte, clangente buccina, supremæ potestatis leges cœpit audire. Cur non antea hæc Dei potestas super populum in exhibendis legibus monstrata est? Vt potestas hæc condendi leges super populum ostenderetur diuina, quæ non priùs apparet, quàm appareat facultas promouendi, & sustentandi, imò augendi populum in media deserti sterilitate. Quippe ait Philo, lib. de Decal. *Quoniam oportebat persuasum esse mortalibus, leges has non esse commenta humana, sed oracula certa diuinitus prodita, adducta est multitudo longè ab vrbibus in vastā solitudinem omnium fructuum mitiū sterilem atque etiam aqua carentem limpida: vt constituti in summa cibi, potusque inopia, & salutis periculo repentè inuenirent sponte oblatam rerum copiam, in panis vicē defluente manna cœlitus, accedentibusque in obsonium coturnicibus, aquis autem tunc edulcatis depositā salsugine, nunc è rupe largo fronte promanantibus, ne post hæc Deū esse legum nouarum auctorē ambigerent sumpto bonitatis eius experimento manifestissimo in tam insperato egestatis remedio.* Necessarium fuit, quòd beneficiorum lucris & facultati auxiliatrici & sustentatrici potestas condendi leges super populum responderet, vt mōstraretur esse diuina. Nullus enim ambigendi locus manet diuino spiritu agi legislatorem, cuius potestas faciendi leges, par est facultati præstandi beneficia, & faciendi lucra in reparatione ciuium. Et quando diuina potestas non mensuratur benemerendi facultati? Equidem sic puto huic illam respondere, vt vbi parua sit benefaciendi, benemerendique facultas, etiam parua appareat ibi potestas diuina, & vix hæc vlla appareat, vbi illa fuerit nulla. Accipite Exod. 32. dicentem Dominum: *Cerno, quòd populus iste duræ cer- Exod. 32.
uicis sit: dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos.* Expende, quòd petat Deus à Moyse dimitti, quasi ipse non sit in sua potestate, sed Moysi sit subditus. Et vbi est, Domine, illa tua ingens potestas, qua facis, quod vis, qua omnium dominaris, qua super omnia Rex, & Princeps es constitutus? Cur sic te ostendis subditum homini, quasi nullam, aut pusillā habeas potestatē faciendi quod vis? Planè totū negotium Dei in præsenti erat plenum ira, qua non acquirere, & sustentare, sed perdere populum decernebat, adeò vt vix parua ostenderetur benefaciendi scintillula, & sic necesse fuit, vt parua, aut nulla etiam ostenderetur potestas diuina quando hæc mensuratur facultati auxiliatrici, benefactrici. Sapienter ad hæc aiebat Tertull. lib. 2. in Mar.
Solus & tunc pusillus Deus in ipsa etiam ferocia sua, cum ob vituli consecrationem efferatus in populum, de famulo suo postulat Moyse, sine me, & indignatus ira disperdam illos. Vbi in di- Tertull.
spersionem populi, & non in acquisitionem exurgit Dominus, pusillus satis apparet in ferocia illa, quia in misericordia penè se ostendebat tunc nullum. Et simul se ostendebat totum vltorem, & totum subditum, vt potestas videretur diminuta, in diminutione facultatis benefactricis.

Text. Et alter venit, dicens: Domine, ecce mna tua, quam habui repositam in sudario: timui enim te, quia homo austerus es: tollis, quod non posuisti, & metis, quod non seminasti.

§. IX.

Id suum habebit homo ex Deo, quo vtitur in Dei obsequio.

MErito hic seruus de mna accepta loquitur, quasi de deposito, non quasi de proprio; ait enim: *Repositum habui in sudario*; vbi enim cum illa non laborauit in Dei obsequium, non potuit illam vt proprium quid æstimare, sed vt alienum depositum. Equidem id solùm suum proprium videtur habere homo, cum quo Deo seruiendo operam nauat. Aiebat Paul. ad Rom. 8. *Scimus enim, quòd omnis creatura Rom 8.
ingemiscit, & parturit vsque adhuc. Non solum autem illa, sed & nos ipsi spiritus primitias habentes.* Expende hæc verba, *spiritus primitias habentes*, & mirare Pauli sapientiam, quod quasi sub Apostolorum possessione primitias spiritus constituat. Et vnde sic audet ille diuinus, vt à se & à cæteris Apostolis putet haberi, & possideri spiritus primitias? In se, & in aliis

videbat

videbat spiritus gratias non vacuas, non otiantes, sed operantes, sed lucra Deo reportantes, & meritò suas putat primitias spiritus. quas in se ipsis cernit Deo impensas, & oblatas Sic explicabat D. Anselm. ibi: *Non solùm illa ingemiscunt, sed & nos ipsi primitias spiritus habentes, in ..., qui ... spiritu Deo seruimus, qui iam mente Deo credimus, & in ipsa fide primitias quasdam dedimus, vt primitias nostra sequamur.* Meritò primitias spiritus se putant habere, qui Deo seruiendo tribuunt spiritus primitias; quas ideò vocant suas, quia in Dei obsequium illis vtuntur. Cantatissima illa Elcanæ vxor 1. Reg. 1. donum ea Deo accepit Samuëlem filium, quem ablactatum Sacerdoti offerens ait: *Pro puero isto oraui, & dedit mihi Dominus petitionem meam, quam postulaui eum. Idcircò & ego commendaui eum Domino,* &c. Sic relicto puero in templo, abiit Anna in suam domum, de qua statim cap. 2. loquens textus ait: *Samuel autem ministrabat ante faciem Domini, puer accinctus ephod lineo. Et tunicam paruam faciebat ei mater sua, quam afferebat statutis diebus.* Expende illa verba, *mater sua*; nunc enim primò verba proprietatis dicuntur circa Samuelem; antea prudens fœmina non se vocat illius matrem, nec illum vocat filium suum, nec vllum verbum proprietatis erga illum profert, sed quasi acceptum depositum, sic illum Deo reddit. Nunc autem vbi ostenditur puer Deo ministrans, iam vocatur Anna mater sua, quasi ex quo, accepto filio vtitur in Dei obsequium, illum suum habeat. Id quod sanctissimè ponderabat Diuus Ambrosius in exhortatione ad virginem satus: *Egregia sanè fœmina, quæ sibi nihil reliquit: totum, quod habuit, Deo obtulit: cuius vita institutio disciplinæ est. Procedit in Ecclesiam domesticum decus inuehens, & inuenit in Ecclesia, quod suum dicat, filium sacrarum testimonia oracula personantem.* Quæ filium à se sciuit alienare, & totum Deo offerre, vt Deo in templo ministret, ex tunc inuenit in templo quod suum dicat; nihil enim magis tuum habes, quam id, quod Dei obsequio à te mancipatum vides. Quo vteris, vt Deo impendas obsequium. id facis tuum, & tibi acquiris. quidquid impenderis Deo. Felix illa peccatrix. Luc. 7 lachrymis rigabat Domini pedes, osculabatur, capillis tergebat, inter hæc ait illi Dominus: *Fides tua te saluam fecit.* Quid magis Deo proprium, & homini magis alienum, quam fides? Sanè si qua fides in peccatrice erat, donum Dei erat; cur ergo dicitur illi, *fides tua*? Ex quo accepta fide vtebatur, vt talia Deo obsequia exhiberet, non solùm quidquid Deo præstat. suum facit, sed & ipsam fidem suam fecit D. Paulin. epist. 4. ait: *Quidquid Christo impendimus, nobis potiùs conferimus. Denique illa perfundendo Christum, se abluit; pedes illius detergendo, suo peccato mundauit. Illud diligens, si dilexit. Et ideò meruit audire: Fides tua te saluum fecit.* Eò peruenit Magdalena seruiens Deo, Christo ministrans, vt vel dono acceptam fidem suam operationibus redderet. Id enim specialissimè suum homo fecit, quo vtitur, vt operam nauet Deo seruiendo. Hinc est, quod petimus Matthæi 5. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*; quem panem nostrum vocamus cur adhuc dari nobis petimus, nisi quod ex dono Dei habemus adhuc specialiùs nostrum facimus operationis effectum? Aiebat D. Paschas. lib. 6. *Noster quippe est, quia nobis iam iure debetur; ideò oramus, vt quod nostrum est per donum, quotidie tribuatur per effectum.* Tunc nobis per effectum bona omnia acquirimus, cùm illa Deo impendimus; nihil enim nostrum putare debemus, nisi quod Christo exhibemus. Vide dicta 3. tomo lib. 15. cap. 9. §. 7.

Anselm. 1. Reg. 1. Ambros. Luc 7. Paulin. Matth 5. Paschas.

Text. Dicit ei: De ore tuo te iudico, serue nequam, sciebas, quòd ego homo austerus sum, tollens, quod non posui, & metens, quod non seminaui: & quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego veniens cum vsuris vtique exegissem illam?

§. X.

In mensa Eucharistica totus suauis, & magnificus Deus apparet.

NEquissimus seruus vt Domini austeritatem fugeret, in sudario acceptam mnam reposuit, cum faciliùs posset non austeritatem, sed suauitatem, sed munificentiam Domini sentire si non in sudario, sed in viuifica altaris mensa acceptam mnam collocasset. Reposuisses miser pecuniam in hac Dei mensa, & fallar, nisi Deum ibi & munificentissimum, & suauissimum spectares. Mensa enim diuina omnium non ostendit patentissimos bonitatis, & suauitatis thesauros. Paul. 1. ad Corinth. 10. ait: *... benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Ecce qui vocetur calix Eucharisticæ mensæ in quo Christi sanguinem participamus, vocatur equidem calix benedictionis, quasi ab hac mensa omnis maledictio & austeritas absit, solique omnium benedictionū, & suauitatum ibi inueniantur thesauri. Ibi ait Chrys. hom. 24. *Cùm benedictionem dico, Eucharistiam dico; & dicendo Eucharistiam, omnem benignitatis Dei thesaurum aperio.* Qui austerum & nimis rigidū Dominum meruistis, currite ad hanc viuificam Eucharistiæ mensam, & in ea apertos thesauros totius inuenietis benignitatis Nihil ibi deficit mansuetum, nihil benignum, nihil suaue; nihil horrendum, nihil metuendum adest. Quò respiciens Isai. c. 65. aiebat: *Propter hoc, hæc dicit Dominus Deus: Ecce serui mei comedent, & vos esurietis. Ecce serui mei bibent, & vos sitietis. Ecce serui mei lætabuntur. & vos confundemini. Ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis*, &c. Expende, quid faciant Dei serui, vbi comedunt, & bibunt; sanè non aliud faciunt, quàm lætari, & exultare; in Dei enim conuiuio nihil inueniunt, de quo metuant, sed omnia ibi sentiunt & suauitate. & exultatione plena. Ait D. Cyrillus Alexand lib. 5. tom. 6. in Isai. ex translatione Turriani, de Sacramento Eucharistiæ, cap 30. *Cælestibus benedictionibus verè perfruentur, qui corda sua optima reddiderunt, accubantes mensa mystica Domini, & Saluatoris nostri Iesu Christi, & panem vitæ comedentes, ac diuinum potum potantes; qui quidem potus cælestis latitiæ participes eos efficere potest. Purgat enim peccata, & extrahit, quod mœrore affecit, neque patitur, vt metus supplicii animas nostras perterreat.* Qui tanto cibo munitur, qui tantæ accubat mensæ, omnes ibi ponit metus; nihil enim metuendum sinitur apparere à mensa cœlesti, qui potiùs terribilia omnia fugat, & solos munificentiæ, & suauitatis thesauros iubet petere. Hinc Paul. 1. ad Cor. 11. *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* Inter manducandum diuinum epulum, nihil prius annunciatur, quam Domini mors; cur non magis ibi annunciatur Dominica resurrectio, vel Dominica ascensio vel secundus Domini aduentus? Sanè in nullis Christi magnalibus sic suauitatis, & munificentiæ thesauri patuerunt, vt in morte eius; ideòque in cœlesti mensa sola mors Christi annuntiari permittitur in qua totius suauitatis, & munificentiæ memoria exhibetur. Ait enim Chrysost. hom 4. ad Ephesios: *Quoties, ait Paulus, hæc facitis, mortem Domini annunciatis, hoc est, salutis vestræ memoriam instauratis, nempè munificentia Christi omnibus ablata.* Nil in hac mensa permittitur, quod medelam non clamet, quod profusissimam Dei non ostendat suauitatem. Totam Iesu mortem ibi ob oculos ponit, ne videamus aliud, quàm scaturigines gratiarum, quàm apertos thesauros suauitatis, quàm rigoris aculeos confractos. Huc reuoca dicta tom. 3. lib. 14. cap. 10. §. 11. & tom 1. lib. 3. cap. 8. §. 6. & alibi.

1. Cor. 10. Chrysost. Isai. 65. Cyrillus Alexand. 1. Cor. 11. Chrysost.

§. XI.

Ab Eucharistia mensa plurima lucra.

INexcusabilis est hominum ignauia apud Deum, quando vel si asperitatis alia opera horrent, per hoc ingentia possent lucra comparare, si vel altaris sacræ mensæ assiderent. Vnde meritò huic seruo obiicitur, non quod horreret virtutum asperitatem sed quòd nec ad mensam curreret, in qua sine difficultate plurima lucra teneret. Sic enim ait Hieron. epist. ad Heliodorum: *Serue nequam, quare non dedisti mihi pecuniam meam ad mensam, & ego veniens cum vsuris exegissem eam? Id est, deposuisses ad altare, quod ferre non poteras.* Quidquid graue, & ponderosum refugeres, non otio torperes, sed pro illo dimisso ad altaris sacri mensam accederes, & fallar, nisi omnia lucra inde suppleuisses. Quale bonum à sola altaris mensa lucratus non esses? Matth 6. petimus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*; & quia diuinæ mensæ panem petituri accedimus, nullum est cœleste bonum, quod nobis cum illo non donetur. Quippe ait ibi D. Paschas. lib. 4. *Vnde illum, quia puer natus est nobis, & filius datus est nobis, oremus quasi thesaurum nostrum, oremus vt cibum nostrum; noster enim est, & ideò cum eo simul omnia nostra sunt. Si tantùm ille cibus nobis quotidianus, & omnia in eo simul nostra erunt.* Vnum est nobis opus, nimirum quòd ad cœlestem mensam conuolemus, quòd cœlesti epulo reficiamur frequenter, ex quo proculdubio illud commodum adipiscemur, quòd omnia in eo cœlestia lucra nostra habeamus. Quæstuosissimum enim est Eucharistiæ mensæ negotium, adeò,

Hieron. Paschas.

adeò, vt plus ab illa lucrorum acquiras, si vel obiter accedas, quàm si mundialibus nummulariis ingentem operam naues. Quis nesciat Saulis iuuenis diligentiam in quærendis asinis patris? Huc intentissimum adiiciebat animum, vt nullus esset locus, in quo ipse non requireret amissas asinas.
1.Reg.9. Interea à Samuele inuentus, si ex illo audit, 1.Reg.9. *Ego sum videns, ascende ante me in excelsum, vt comedas mecum hodie, & dimittam te manè; & omnia, quæ sunt in corde tuo, indicabo tibi. Et de asinis, quas nudius tertius perdidisti, ne sollicitus sis, quia inuentæ sunt. Et cuius erunt optima quæque Israël? Nónne tibi, & omni domui patris tui?* Expende, quot bona cum prophetico epulo Saul nanciscatur: solas asinas ex intentione quærebat, iis inueniendis totam suam operam, & diligentiam dabat, & dum has anxius requirit, obiter Prophetam adit, ibique excipitur prandio. Quid inde? Cum prandio prophetico omnia optima Israëlis accipit, plus acquirens ex prophetica mensa, cui obiter accubat, quàm ex ingenti labore, & diligentia præstita quærendis asinis. Id
Nazianz. quod notans Nazianzen.orat.20.ait: *Mihi dispari modo idem, quod Sauli accidit, qui patris asinas quærens, regnum inuenit, plusque in ea re, quàm obiter agebat, quàm in ea, quæ præcipuè ipsi curæ erat, lucri fecit.* Id quod & cuiuis Christiano homini accidit, si vel obiter diuinum prandium adeat, plus sanè in ea re lucri faciet, quàm si vel immensam curam, & diligentiam adhibeat negotiis mundialibus. Quæstuosissimum enim omnium negotium inuenitur in mensa sacri altaris. De hoc vide tom.3.lib.14.cap.10.§.4.

Text. Et adstantibus dixit: Auferte ab illo mnam, & date illi, qui decem mnas habet. Et dixerunt ei: Domine, habet decem mnas. Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur: ab eo autem, qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo.

§. XII.

Qui in Dei gratia viget, languentium vicinorum fugit augmenta.

QVi vsque ad decem gratiarum mnas florenti virtute peruenerat, iussus est accipere & vnicam mnam, quam piger, & ignauus conseruus videbatur habere. Sic arbor robusta, & vigens infirmioribus vicinis plantis succos eripit, & dum vni sibi omnia rapit augmenta, necessum est, circa illam infirmiores decrescere. Sic iustus in gratia vigens languentium vicinorum augmenta fugit, quibus prosperabatur, & crescit in dies, decrescentibus illis. Propone tibi ob oculos, ex 1.Reg.17. Dauidem iuuenem splendidum, & præcinctum in prælium, quem Dei gratia in coronas audere faciebat, hunc adeò per gratiam strenuum iuuenem Saul suis vestibus, & armis decorabat; quippe ait textus: *Et induit Saul Dauid vestimentis suis, & imposuit galeam æream super caput eius, & vestiuit eum lorica.* Quid tunc? An casu agebatur, vt ignotus iuuenis acciperet, & armaret vestimenta regia? Absit; imò gratia Dei tunc vigens, & florens in Dauide, id iam operabatur, vt languentis vicini alumno suo raperet ornamenta. Languidum possessorem deserebant augmenta, vt ad vegetiorem, & præstantiorem Dauidis gratiam confluerent. Pulchrè ait D. Basil.Sel.
Basil.Sel. orat.15. *Imprudens Saul diuinæ gratiæ obsecundabat, & cùm ornaret armis, quē antea ornarat gratia, ornamenta dignitatis exuebat.* Regiis vestibus exuebatur Saul, quibus induebatur, & ornabatur Dauid ad hoc præparatus à gratia, vt enim gratiæ ornamentis vigebat, sic languenti vicino ornamenta eripiebat, quæ ille à se exuens, gratiæ Dauidis deseruiēs imprudēs donabat. Dauidis item filia erat Maria, vbi trima in templo Hierosolymitano præsentata apparuit: cuius nomine, iuxta
Psal.51. Damascenum canebat ille Psal.51. *Ego autem quasi oliua fructifera in domo Dei, speraui in misericordia Dei,* &c. In domo Dei, in templo Dei apparuit quasi oliua fructifera, præclarissima Dauidis filia Maria Virgo. Quid tunc? Accipite Oseam cap. 14. dicentem: *Israël germinabit sicut lilium, & erumpet radix eius vt Libani. Ibunt rami eius, & erit quasi oliua gloria eius.* Mariam in templo fructiferæ oliuæ comparat Spiritus Domini, idémque Spiritus Israëlem comparat liliorum germini, & Libani virgulis infrugiferis, non tamen sic inquiens, manet Israël, sed rami eius ibunt, & quò ibunt rami eius? Eò ibunt Israëlis rami, vbi in oliuæ gloriam translati appareant; quidquid enim succulentum, & glo-

riosum fuerit in Israële, id omne confluet ad Mariam, vt crescens in gloria hæc fructifera oliua, decrescant penitus vmbratilia arbusta circa illam. Quò spectans Georgius Nicomediensis Archiepiscop.in orat.de Deipara, apud Surium posita, die 21. Nouembr. inquit: *Postquam autem fuit intro-* Georg.
ductum eius spatium, quod est vel cœlis ipsis latius, signum eorum dissolutionis, quæ in templo fieri consueuerunt, eam statim viderunt, gloriam quidem sua sponte ad eam currere: se autem ea in dies priuari animaduerterunt. Quid mirum, quòd fructifera, & vigens oliua Maria vmbratilibus templi arbustis succum præripiat, & cadentibus illis, de illorum gloria glorisior exurgat? Sic procera, & vigens arbos eripuit succum vicinis oleribus & arbustis, & rapit sibi, quo hæc depereant, & ipsa prosperetur in dies. Sic aiebat Baptista de se, & de Iesu, Ioann.3. *Illum oportet crescere, me autem minui.* Sic non poterant simul crescere Baptista, & Christus? Sic augmentum externæ gloriæ eripiebat necessariò Christus Baptistæ? Equidem apparente viuidissima arbore Christo, non poterant humilium arbustorum gloriæ non ire ad illum: apparente sanctitatum palma, non poterant peccatoris hominis virtutes non disparere circa illam. Vnde D.August.tract.14.
in Ioann. *Quid ergo est, illum oportet crescere, me autem minui?* August.
Antequā veniret Dominus Iesus, homines gloriabantur de se. Venit ille homo, vt minueretur hominis gloria, & augeretur gloria Dei. Etenim venit ille sine peccato, & inuenit omnes cum peccato. Nequit peccator non minui, vbi iuxta fructuosissimū appareat iustum, quando iustus arbor vitæ est crescens, & vigens, quæ vicinorum olerum, & vilium virgultorū augmenta exsugit.

CAPVT XXI.

De vinea conducta agricolis.

PVLCHRE ingratissimis Iudæis eorum ingratitudo, & ingratitudinis pœna monstratur in rusticorum agricolarum capite. Ij dum conductæ sibi vineæ redditus Domino negant, non solùm aduersus modestissimos exactores insaniunt, sed nec Domini filio parcunt, quem, ne vel inuisibiles vites defenderent, extra vineam eiectum acerbissimæ morti tradunt. Quis inultum sineret scelus tantum? Non equidem Dominus vineæ, qui vbi agricolarum rabidissimam vidit feritatem, vel de ipsorum reorum suffragio, nefarios perdit, præstantiores alios exaltat in hæreditate. Huc adeste, Iudæi, de vobis enim tota hæc compositio narratur, vos vineam ex Deo, hoc est, veræ religionis Ecclesiam sortiti, affluenti omnium cœlestium terrestriúmque bonorum copia ditati, prouentuum loco insidias Prophetis, & necem crudelissimam ipsi Dei Filio estis machinati. Nec tantum scelus potuit sine digna mercede relinqui, quando miseri Iudæi omnibus bonis spoliati, funditus perditi, gemunt expositi omnium populorum ludibriis, & rapinis, coacti videre in summa exaltatione æmulum suum, nimirum populum Christianum; de hoc Matth. 21.Marc.12.Luc.20.

*Matth.*21. Homo erat pater familias, qui plantauit vineam, & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis, & peregrè profectus est.

§. I.

A Dei manibus, quæ proficiscuntur bona, non mobilia, sed stabilia sunt, & permanentia.

QVis nesciat, apud mundiale forum vineas inter bona stabilia, & permanentia censeri, nec vllo modo ad mobilia pertinere bona? Et quidem talia debebant esse bona, quæ Dei manibus plantantur, nimirum stabilia, & permanentia. Propone tibi ob oculos 1.c.1.Genes.in quo differentiam causarum, & effectuum, ex vna parte dicit: *In princi-* Genes.1.
pio creauit Deus cœlum, & terram. post hæc statim ait: *Fecit duo luminaria;* immediatè post: *Fecit firmamentum.* Ex altera parte dicit: *Germinet terra herbam virentem;* insuper addit: *Producant aquæ reptile.* Vbi Deus suis manibus cœlum, & stellas, & firmamentū condidit, permisit terræ & aquis, quòd herbas,

& teptilia producerent. Cut non magis omnia Deus per se condidit? Meritò diuinæ manus abstinuere à condeodis herbis, teptilibúsqne, vt quæ corruptiooi subiaceant; à diuinis enim manibus illa veniunt, quæ stabilitatem, & firmitatem habent. Rupert. Rupertus ibi fatut: *Quæcumque Deus fecisse dicitur, manent, stabilia sunt. Dictum est, quia fecit Deus firmamentum, & vocauit cœlum, & ipsum manet: dictum est, quòd plantauit paradisum, & ille manet. E contra, quæ mouentur in terra & in mari non manent, idcircò cautum est, vt non dixerit Deus, fiunt reptilia, quorum esse citò præterit; sed dixit Deus, producant aqua reptile.* A corruptibilium, mobiliúmque bonorum productione cauit Deus, cauerunt diuinæ manus, vt quæ per se solas nesciant, nisi stabilia, & firmissima bona præstare. Multi fuerunt impij, qui hominem posse resurgere in vitam immortalem negarent, iis fundati D. Pauli verbis, quibus ait: *Præterit figura huius mundi*, quasi mundialia omnia, vt similiter sunt facta, sic similiter corruptioni, & interitioni subiaceant. Com istis confligit Tertull. lib. de resurrect. carois, quorum vt opilet os, illud obiicit verbum diuinum, qoo ait Deus: *Faciamus hominem*, &c. quasi nequeat corruptibilitati funditus subiacere, qui Dei manibus conditus Tertull. comprobatur. Quippe ait: *Homo & sermone Dei constitit propter formam, ne quid sine sermone. Et ampliùs manu propter prælationem, ne corruptibili vniuersitati compararetur.* Manus applicuit suas Deus condendo homini, ne quis aoderet illum prorsus inter mobilia, & corruptilia oumerare, quando diuinæ manus nesciant suis affectibus non tribuere stabilitatem, firmitatem. Nihil enim licet corruptioni, vbi per se Deut. 34. adest virtus Domini. Accipite Deuter. 34. vbi sic dicitur de Moyse: *Mortuúsque est ibi Moyses, seruus Domini in terra Moab iubente Domino, & sepeliuit eum in valle terræ Moab contra Phogor, & non cognouit homo sepulchrum eius vsque in præsentem diem. Moyses centum & viginti annorum erat quando mortuus est, non caligauit oculus eius, nec dentes illius moti.* Ecce tibi Moyses etiam in morte incorruptus, nihil in eius morte apparet, quod corruptionem ostendat, nec ipsum sepulchrum. Et vnde potuit vel in ipsa morte sic incorruptos ostendi, nisi inde, quòd mortem accepit de manu Domini? Ait enim: *Mortuus est Moyses seruus Domini in terra Moab, iubente Domino.* Ea quo pulchrè D. Ambros. lib. 1. de Abel, c. 2. Ambros. ait: *Moyses autem mortuus quidem legis, sed per verbum Dei mortuus est, per quod facta sunt omnia. Verbo autem Dei cœli firmati sunt. Per verbum igitur Dei non lapsus operis, sed firmamentum est. Non ergo tanquam relapsus in terram deprehenditur corporis solutione, sed tanquam verbi cœlestis operatione donatus, & munere, vt quietem magis caro eius, quàm bustum acceperit.* Sic vbi innuitur Deus operans, firma, & stabilia sunt omnia, vt corruptioni nihil liceat, etiam in morte. Hinc Abraham, Gen. 22. mortem à Deo decretam non dubitat inferre filio, Genes. 22. quem simul suæ posteritatis fulcrum existimabat. Imò *cùm alligasset Isaac filium suum, posuit eum in altare super struem lignorum. Extendítque manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium suum.* Quid facis, senex, sic morti tradis, quem magis deberes donare æternitate? Cut non magis metuis perdere, quem accepisti fulcrum tuæ posteritatis? August. Pulchrè ad hæc D. August. ait serm. 73. de tempore: *Magna fides Abrahæ, magna pietas, non solùm in Deum, sed etiam in vnicum filium, cui nihil mali credidit ipse pater, quidquid de illo iussetat, qui creauit.* Vbi Dei iussio intererat, nihil etiam io morte credebatur fore contrarium Isaaci perennitati.

§. II.

Ea est spiritualis hominum vita, vt etiam de lethali vulnere conualeat, imò fructuosior resurgat.

Spiritualem animarum salutem, & religiosam vitam vocat in præsenti Dominus vineam, meritò; vt enim ea est vinearum natura, vt de vulnere palmitum reuiuiscant, & vberiores fiant; sic spiritualis hominum vita non funditus perit de accepto lethali vulnere, imò inde & conualet, & Eccles. 42. fructuosior solet existere. Aiebat Ecclesiasticus, cap. 42. *Melior est iniquitas viri, quàm mulier benefaciens.* Mirabar quòd posset sapiens io aliquo inuenire iniquitatem meliorem, quando iniquitas numquam bona est. Et cui potest iniquitas esse bona? Sanè viro fideli, & sapienti sic bona iniquitas, vt sectio, & vulnus vitibus solet esse bonum, in quo nō pereunt, sed eaurgunt in vitam vberiorem. Huc spectans D. Gregor. Gregor. lib. 11. Moral. cap. 26. ait: *Districtus quisque ex eo, quòd male se egisse intelligit, ad districtionis regulæ altiùs se reducit, & inde altiùs ad iustitiam proficit, vnde ad tempus à iustitia decidisse videbatur. Quia nonnumquam etiam culpa fortium, occasio virtutis fit.* Sic composita est a Deo plantatio humanæ salutis, ne funditus pereat primo in vulnere, sed & à vulneribus cooualere possit, & vegetior exurgere. Sanè felicissimæ sunt plantationes diuinæ, quæ de lapsu se erigunt, de vulnere viuunt, & ditantur iacturis. Felicitas hæc vt sequitur vinearum naturam, sic sequitur plantationes diuinas, à quibus nemo tollet, quòd possint de vulnere reuiuiscere. Hinc Sanson supernaturalis fortitudinis suæ fundamentum assignat Deo sacratam capillorum cæsariem; quippe ait Iud. 16. *Ferrum numquam ascendit super caput meum, quia Nazaræus, id est, consecratus Deo sum de vtero matris meæ.* Et cur Deus Iudic. 16. concessi doni fortitudinis signum capillos Sansonis statuit? Cur non potiùs tantum donum addidit lacertis brachiorum eius, seu potiùs digitis manuum? A Deo acceptam fortitudinem in manibus suis videbatur recognoscere Psaltes, dum ait: *Qui docet manus meas ad bellum, & digitos meos ad prælium.* Cur non sic Sansonis digitis fortitudo addicta est, sed maluit illam Dominus capillis eius addicere? Hoc habent capilli singulare, quòd de vulnere vegetiores crescant; manus si abscindatur, si amputetur digitus, sub vulnere perit. Caput, si capillis rasum fuerit, radices retinet, ex quibus capilli maiori solent eacrescere incremento: vnde Deus capillis suam gratiam addicere maluit, docens nulla vi posse fieri, quòd plantationes diuinæ, etiam post lethale vulnus, oon iterum crescant. Ex quo ait D. Petrus Damianus, opuscul. 7. cap. 23. *Philisthæi, crines Sanson potuere radere, sed non euellere; quia & iniqui spiritus indè charismata spiritus sancti à te ad tempus excluserint, non præualent diuinæ reconciliationis remedium irreparabiliter abnegare.* Est Damian. vitæ hominis spirituali vel in vulnere, vel in morte ipsa remedium, quo reparari possunt, quæcumque bona hostiles incursus confecerant. Et via est in animarum pastore maior virtus, quam quòd sibi persuadeat, in nullo vulnere de ouicularum salute desperandum. Hinc maximè extollit Lupum antistitem Sidonius Apollinaris, lib. 6. epistol. 1. fatus: *Nosti vt appareat ex aduersa acie fauciatos, dux veterane, colligere; & peritissimus subitem ad Christum à peccatis receptus canere, & Euangelici pastoris exemplo non ampliùs lætum, si permaneant soni, quàm si non permaneant desperati.* Hanc Sid. Apol. præstantissimam lætitiam habeant omnes pastores animarum, quòd in nullo ouicularum vulnere est desperandum, quominùs ea illo conualeant. Huc possunt trahi, quæ dicta sunt tom. 3. lib. 14. cap. 4. §. 13.

§. III.

Angelica, spiritualisque præstantia sumitur ex virtute, qua protegunt alumnos suos.

Vbi spem vineæ circumdatam audiunt, statim Patres, & alij expositores per illam Angelorum intelligunt patrocinium hominibus exhibitum. Nec putant indignum, quòd Angeli sepes vocentur vineæ, quando Angelicæ, spiritualisque naturæ præstantia à virtute sumitur, qua protectionem, & defensionem exhibent hominibus. In defensionem populi Israelitæ iubebatur ire Barach, qui Iudicum cap. 4. sic respondet Delboræ Prophetidi: *Si veneris mecum,* Iud 4. *vadam; si nolueris venire, non pergam.* Quibus verbis addunt Septuaginta, apud Diuum Augustinum, quæst. 26. *Nescio diem, in qua prosperat Dominus Angelum mecum.* Ex- August. pende illa verba, *Prosperat Dominus Angelum*; quasi Angeli prosperitas, & felicitas inde etiam posset venire, quòd fugatis hostibus, popularea Israeliticæ manerent securi, & tuti. Et quidem facit hoc ad præstantiam, & prosperitatem Angelicæ oaturæ quòd incolumes eorum pupilli viuant. Paulus ad Galatas, cap. 6. monet: *Fratres, si præoccupatus fue-* Galat 6. *rit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritum lenitatis,* &c. Expende, quòd peccator dicatur homo; & illi, quibus curandus traditur, dicuntur spirituales. Sed quid requirit a viris spiritualibus? An vt fugiant à peccatore? An vt consortium carnalium caueant, & sibi consulant? Imò hoc ab spiritualibus viris magis requirit, nimirum quo homines peccatores in spiritu lenitatis instruant, & protegant à perditionis via. Id quod ponderans D. Chrysostomus, homil. de nomine Abraham, inquit: *Is, qui peccat, homo; qui verò benè operantur, spiri-* Chrysost. *tuales dicantur. Hic virtutis vocabulum posuit, illic naturæ nomen dixit. Multum autem differt homo, & spiritualis. Vos, qui spirituales estis. Si spiritualis es, ostende mihi virtutem tuam:*

nam

non à tua, sed à mea salute, sed à subsidio, quo lapsos fers. Hoc enim spiritualis est, non despicere sua membra periclitantia. Non se spiritualem putet, qui sibi soli consulit, qui nulla teneatur proximi solicitudine; ex subsidio lapsis præstito, ex protectione, & defensione salutis animarum, spiritualitatem debemus metiri. Nec vllus est magis spiritualis, quam ex proximis proficuus. Inde etiam Paulus spiritualitatem
2.Cor.10. suam mensurabat, inquiens 2.ad Corinth. cap.10. *In carne enim ambulantes, non secundùm carnem militamus. Sed arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum*, &c. Vnde probat Apostolus, nec se, nec arma suæ militiæ esse carnalia? Sanè ex eo, quòd tam sibi, quàm Deo, & animarum saluti, & defensioni operam impendat. Quò militia Pauli magis circa animarum salutem versatur, eò probatur spiritualior. Quò spectans D. Anselm.
Anselm. ait: *Arma militiæ nostræ, non carnalia, sed spiritualia, & potentia Deo Regi nostro, cui militamus. Ideò arma, quia repugnant vitiis, & debellant regnum diaboli. Potentia Deo, vt per hac valenter expugnemus inimicos eius, & subyciamus ei orbem vniuersum.* Hinc nosces, si secundùm spiritum milites, si spiritualis es, nimirum ex affectu, quem habeas circa saluandas, & Deo seruandas animas. Qui vt tibi consulas, non adeò solicitaris de proximi salute, carnalis es, nondum es effectus spiritualis.

§. IV.

Nomen Dei veneratum præstantissima hominum protectio est. Vbi de iuramentis.

Sepis vineam circumdantis nomine intelligit D. Hilarius, Abrahami, Isaaci, & Iacobi nomen, sub quo anti-
Hilar. qui Hebræi defendebantur: quippe ait canon.22. *Deus Iudæos sanctificatione paterni nominis, id est, nobilitate Abrahæ, Isaac, & Iacob, intra fines suos, tanquam septo aliquo custodiæ peculiaris inclusit.* Inexpugnabilem sepem, & murum populi meritò D. Hilar in sanctificatione paterni nominis constituit, vt hinc discamus Christiani, qualem habeamus pro nobis murum in sanctificatione nominis diuini. Hoc cura, Christiane, vt apud te sanctificatum Dei nomen vigeat, & sepem habes, & murum habes, quem opponas non solùm dæmoniacis, sed & diuinis iris. Esdras, lib.4.c.3. sic Deo ira-
4.Esdr.3. to in populum suum clamat: *Numquid meliora facit Babylon, quàm Sion, aut alia gens cognouit te, præter Israel? Nunc ergo pondera in statera nostras iniquitates, & eorum, qui habitant in sæculo, & non inuenietur nomen tuum, nisi in Israël.* Etiam dato quòd idololatræ Babylonij meliora faciant, quàm fideles Iudæi; imò dato, quòd ij flagitiis superent omnes gentes, audet Esdras, & petit à Deo, quòd Iudæorum iniquitates maximè in statera constituantur, & etiam Ethnicorum flagitia. Quis hoc petat? Siquidem admittis tuorum scelera maiora, & grauiora, & numerosiora esse; cur vis, vt in statera constituantur cum aliis minoribus gentium sceleribus? Nónne magis Iudæi perdentur ob crimina maiora? Absit; etiam si maiora habeant crimina, non possunt, nec debent perdi; habent enim pro se firmissimam sepem, validissimum propugnaculum, nimirum nomen Dei in Israele veneratum, blasphematum in gentibus. *Nunc ergo pondera nostras iniquitates in statera, & eorum, qui habitant in sæculo, & non inuenietur nomen tuum, nisi in Israël.* Nostræ iniquitates si ponderentur, superabunt iniquitates nationum; maiora in nobis crimina inuenientur, quàm in gentibus; sed etiam inuenietur in nobis maior sanctificatio nominis Dei, qua solæ debemus præ illis defendi. Nec miremur, quod Diuus Ambrosius, lib.7. in Lucam, fatur de Dei
Ambros. nomine, nimirum: *Tantum est Christi nomen, vt etiam parum sanctis opituletur ad præsidium.* Quantum hoc? Ego crediderim, non solùm parum sanctis, sed & grauissimis peccatoribus firmissima obuenire præsidia ex sanctificatione diuini nominis. Felix, apud quem Dei nomen sanctificatur, vel ex hoc capite munimentum habet, quod nulla expugnetur mala incursione. Et sanè Matth.5. nil priùs iubemur postulare à Domino, quam *sanctificetur nomen tuum*; hæc est prima petitio nostræ orationis, & debet esse prima cura, & solicitudo hominis. Si enim hoc in primis obtinemus, vt in nobis sanctificetur Dei nomen, in eo habemus, quo excludamus aduersa omnia. Ait Diuus Chrysologus, ser-
Chrysol. mone 71. *Petimus, vt sanctificet nomen suum Deus, quod sanctitate sua totum saluat, & sanctificat creaturam. Hoc nomen est, quod supernæ potestates pauent, quod tremenda suspiciunt seruitute: hoc nomen est, quod mundo perdito dat salutem; sed petimus, vt nomen Dei actu nostro sanctificetur in nobis.* Nullum præsidium deficit illi, in quo Dei nomen apparet sanctissimum; sub huius enim tota consistit creatura. Vnde Iob inter hostiles impetus, inexpugnabilis factus, in has voces prorumpit, cap.1. *Sit nomen Domini benedictum*, quasi Iob 1.
vni Dei nomini tribuat, quòd hostiles impetus superet. De quo ait Origenes, lib.1. in Iob: *Sit nomen Domini benedictum. Nomen Domini, inquit, propter quod omnia sustineo, atque sufficio, propter quod omnibus, quæ mihi obuenerunt, superior existo. Non est nomen aliud sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Hoc, inquam, nomen Domini sit benedictum, quod iram auertit, quod maledictum abstulit, atque remisit, quod dæmonet terruit.* Nihil mali nouit intrare in locum, vbi Dei nomen venerabile fuerit; imò de hac diuini nominis venerabili inuocatione clarissimum signum habebis te seruari in possessionem æternam. Aiebat Moyses, Exod.33. *Non indicas mihi, quem missurus es mecum, præsertim cum dixeris, Noui te ex nomine.* Hinc magnum quid autumat, quod sibi dictum à Deo sciat, *Noui te ex nomine.* Sed quid magnum est, quòd Deus noscat Moysem ex nomine? Nónne Deo omnia notissima? Quid singulare, quòd Moyses notus sit ex nomine? Crediderim, non inde ostendi Moysis præstantiam singularem, quod sit notus Deo ex nomine proprio, sed quòd sit notus Deo ex inuocatione diuini nominis; qui enim ita venerabiliter curat in se vocari, & inuocari Dei nomen, vt ex hac inuocatione sit notus, is in numero ostenditur intrantium æternam possessionem. Rupertus lib.4. in Exod. cap.39. *Igitur cùm dicit, te ipsum noui ex nomine, subauditum est, Dei, quod inuocatum est super te. Ex hoc enim nomine, Deo notus est omnis, qui scriptus est in libro vitæ.* Ecce tibi, vt in vno Dei nomine venerato habeant homines, vnde se protegant à malis, vnde acquirant omnia bona. Vt è conuerso in vilipendio diuini nominis, quale fit per quotidiana hominum iuramenta, penè consistit perditio omnium bonorum. Gen.26. iuxta lectionem Septuagint. dicit: *Et venerunt pueri Isaac, & nuntiauerunt ei de puteo, quem foderunt, & dixerunt ei: Non inuenimus aquam: & vocauit nomen eius iuramentum.* Nec desinit dubitare D. Hieron. ibi, ob quam conuenientiam vocetur puerus ille iuramentum, ex eo quòd in eo non inueniantur aquæ? Quid interest, quòd non inueniatur aqua, vt Iuramentum locus appelletur? Si vocabulorum attendatur consonantia, non miror, quòd nulla inueniatur inter sterilitatem aquarum, & iuramentum; at si res ipsæ attendantur, non parua ibi est, sed maxima consonantia, & connexio est. Quid enim magis sterile, quàm iuramentum? Vt aquarum penuria omnium rerum affert sterilitatem; sic iuramentum vbi est, omnium rerum perditio protinus adest. Vnde sapienter monet in præsenti D. Chrysost. *Quia effosso fonte nihil inuenerunt in die illo, quo iuramenta inter se fecerunt, puteum iuramenti vocauerunt nomen loci, vt facti duraret memoria.* Nec posset inueniri vocabulum, quod euidentius poneret ob oculos omnium rerum defectum, & cladem, quàm iuramentum; quando contemptus nominis Dei, qui per crebra iuramenta fit, causa est omnium penuriarum, & cladium. Huc trahe dicta tom.3. lib.14. cap.6. §.8. & cap.16. §.21. Item de protectione nominis Dei, vide dicta tom.2. lib.12. cap.3. §.13. & alibi.

Origen. Exod.33. Rupert. Genes.26. Chrysost.

§. V.

Scholastica disciplina vtilissima ad defensionem Ecclesiæ.

Audio à Deo vineæ suæ datas firmissimas sepes, quæ longè amandent vastatrices feras; nec dubito per has sepes diuinæ vineę intelligere scholasticas illas disciplinas, quibus Theologi quotidie quasi in dialectico stadio decertant. Sic Isai. cap.58. de bono Ecclesiaste locutus ait: *Et vocaberis ædificator sepium auertens semitas iniquitatum.* Vbi sa- Isai.58.
pienter Procopius ait: *Maceriam rursus ædificare dicitur, qui* Procop.
Ecclesiæ dogmata dialecticis demonstrationibus, tanquam excitato muro obsepsit, nec eadem, velùti hortum desertum, quicumque voluerint, peruagentur. Quot disputationes scholasticæ excitantur, tot construuntur sepes, aculeisque argumentorum muniuntur, ne singulari feræ liceat demoliri, & depascere Dei vineam. Vnde semper odi homines qui offenduntur theologicis speculatiuis argumentis, quibus inueniendis, & explicandis insudant florentissima ingenia. Putantur illa à multis inutilia, infructifera; & quidem si fructus, succósque morum, & aliorum sensibilium emolumentorum spectes, tibi infrugifera erunt; sed pro Ecclesiæ sepe, &

& propugnaculo,ad arcendas feras non poteſt eſſe dubium, quin afferant vtilitates ingentes. Vbi lex diuina cauebat de lignis infrugiferis, ſic ait apud Philonem, libro de agricul-
Philo. tura: *Omne, quod non fert fructum cibo vtilem,excides,& facies inde vallum oppido, ſi quis tibi bellum inferat.* Quæ verba pulchrè tractans ipſe Philo in rem præſentem, ait: *Huiuſmodi arbores ſunt ſimiles doctrinis contemplationem ſolùm habentibus; huc accedunt & dialecticæ, geometriæque partes, quæ momenti nihil ad morum correctionem habēt,ſed intellectum ſolùm acuunt, ne hebetior ſit ad ſingula, de quibus ambigitur: ſed diuidendo, diſtinguendóque proprietates ſingulorum diſcernat à communibus qualitatibus. Certè philoſophiæ rationem triplicem priſcos aiunt agro aſſimilaſſe; ita vt naturalem arboribus, ſtipitibúſque facerent ſimilem; moralem verò fructibus, propter quos ſunt arbores: denique rationalem ſepi, & maceriæ. Quemadmodum enim maceria fructus, plantáſque agri conſeruat, arcens irrumpendi, nocendique cupidos, ita & rationalis pars philoſophiæ præſidium munitiſſimum eſt reliquarum duarum, moralis, atque naturalis.* Hæc ille; quibus patet, quàm muniatur fœcundiſſima Dei vinea, etiam ſterilibus Scholaſticorum diſputationibus, vt quæ ingenium acuat, ne permittat veritatis colore mendacium irrepere vineæ.

§. VI.

Securiſſima Sanctorum munitio non niſi à cruce Chriſti.

NOn otiosè ſepi vineæ appoſuit torcular Dominus; nulla enim ſeps, nullus murus, hoc eſt, nulla poteſt dari ſanctorū tutela,& munitio, niſi de vicino crucis Chriſti, quæ per præſens torcular exprimitur,vt ait Simon Caſſienſ.lib.6.c.23. Nec eſt ingrata Patribus expoſitio,ſed communiſſima:iungatur ergo torcular ſepi vineæ,iungatur crux Chriſti munitionibus fidelium, de qua ſancti viri tutelam obtinent præſtantiſſimam. Propone tibi ob oculos Salomonis illud magnificum templum, cuius parietes ædificabantur de lapidibus dolatis, atque perfectis, quibus lapidibus & pulcherrimi,& validiſſimi iam erant parietes conſtructi.
3.Reg.6. Quid tunc? Inſuper addit textus 3.Reg.c.6. *Et ædificauit parietes domus intrinſecùs tabulatis cedrinis: à pauimento domus vſque ad ſummitatem parietum, & vſque ad laquearia operuit lignis cedrinis intrinſecùs.* Ecce tibi pulcherrimis, & validiſſimis lapidibus conſtructos parietes operit intrinſecus liguis,& quid neceſſum fuit ligna addere parietibus lapideis, niſi vt appareret, quòd in Dei domo, & hæreditate nulla firmitas eſſe poteſt, niſi à crucis ligno?Ait D.Iſidor.in lib.3.
3.Reg.2. Reg.cap.2. *Quòd parietes templi interiùs ligno teguntur, hoc ob myſterium Dominicæ crucis imaginatum eſt, ſub cuius tutela proteguntur omnes ſancti, qui indiſſuptæ pacis perſeuerantia ſolidantur.* Niſi enim adderetur lignum crucis, nullum præſidium, nulla tutela vel à lapideis muris poſſet ſancto viro obuenire. Quòd muri quadratis lapidibus conſtructi non cerei ſint in defenſionem, & protectionem ſanctorum, hoc habent ex adiuncto ligno crucis. Lapideæ enim erant, imò marmoreæ legis tabulæ, quæ tamen facili negotio
Exod.32. Moyſis manibus confringuntur, ait enim Exod 32. *Proiecit de manu tabulas, & confregit eas.* Quid tunc? Deuter.10. iubet Deus alias tabulas ſibi ſiſti, in quibus iterum lex inſcribatur, quæ in arca cuſtodiantur, ne vlteriùs confringi valeant. Et cur poſteriores tabulæ nulli ſubiacent contritioni,ſed ſecuriſſimæ aſſeruantur in arca? An harum marmora firmiora, & duriora erant, quàm prima? Non equidem ex maiori robore marmoris, ſed ex ligno arcæ addito, in quo crucis memoria repræſentatur, illud acquirunt robur, quo nulli ruinæ patent. Ad hæc D.Petrus Damian. ſerm.de inuentione ſanctæ crucis, ait: *Poſtea verò dantur tabulæ, ſed non franguntur, quia noui teſtamenti gratia, quæ per crucis eſt ſolidata myſterium, nullum nouit habere defectum.* A cruce venit,quòd ſanctorum gratia eam acquirat firmitudinem, qua ruinas omnes poſſint vitare,& arcere mala.Vbi autem crux abeſt, nullum robur, nulla ſecuritas etiam in marmoribus,
Matth.16. æneiſque muris poteſt conſtare. Matth. 16. dicit Dominus Petro: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.& portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.*Quid Petro firmius? Quid magis marmoreum? Sed accipe, quæ dicuntur poſt pauca: *Aſſumens Ieſum Petrus cœpit increpare illum, dicens: Abſit à te, Domine,non erit tibi hoc. Qui conuerſus dixit Petro: Vade poſt me, Sathana, ſcandalum mihi es.* Quid Petro infirmius? Quid fragilius, quàm cùm Sathanas vocatur? Paulo antè firmiſſima petra videbatur, modò Sathanæ Angelis labilior apparet, vnde tanta firmitas tantam contraxit infirmitatem? Sanè qui antea diuinitatem Chriſti prædicabat, modò eius crucem detrectat, & qui ex diuinitatis confeſſione firmus apparebat, non potuit non monſtrari labilis, & infirmus, vbi beneficium crucis cœpit detrectare. Ait Germanus Patriarcha, oratione in exaltatione crucis, contra Bogomillos: *Quid Petro firmius,* German.
cui, nec caro, nec ſanguis filium Dei reuelauit? Nihilominus cùm Magiſtrum ad crucis patibulum feſtinantem intelligeret, conatus quidem eſt curſum illum, & feſtinationem prohibere. Sed contrà audit: Vade poſt me, Sathana. O miraculum ingens! Sathanas appellatur magnus Petrus, quòd crucem detrectet, & vt petra ſcandali, & lapis offenſionis retrò abijcitur infractum illud Eccleſiæ fundamentum. Sic ænei muri labant, vbi abeſt lignum crucis, à quo omne tutamen, & præſidium accreſcit ſanctis viris. Aiebat Dominus, Matth 6. *Si quis vult venire poſt me,* Matth.6.
abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Quæ verba ponderans Diuus Chryſoſtomus, oratione in adoratione crucis, apud Gretſerum,tom.2. inquit: *Vides,* Chryſoſt.
quomodo militem, qui ſe ſequitur, Rex cælorum armat, non dedit ſcutum, non galeam, non arcum, non thoracem,nec aliud quid de genere horum, ſed quod hic omnibus firmius, & valentius eſt, præſidium à cruce, & ſymbolum victoriæ contra dæmones. Hoc gladius eſt, hoc clypeus, hoc thorax, hoc tutum propugnaculum, hoc portus, hoc perfugium, hoc corona, &c. Nullum tutamen requiritur, quod ſanctis viris non veniat à cruce Chriſti, ſub cuius vmbra tranquillam, ſecurámque poſſunt ducere vitam. Tandem ait Eſdras relatus à Lactantio, lib.4.cap.18. *Hoc paſcha Saluator noſter eſt, & refugium noſtrum: cogitate,& aſcendat in cor veſtrum, quoniam habemus humiliare eum in ligno: & poſt hæc ſperabimus in eum.* quaſi à Chriſti ligno humanæ ſpei omne fulcimentum exiſtat. Vnde meritò canebat Iſaias, cap. 5. *Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filij olei.* Iſai.5.
Expende illud, *in cornu*, alludit enim ad illud Abacuc 3. vbi de diuiniſſimo botro Cypri dicitur: *Cornua in manibus eius*, nimirum in manibus habebat brachia crucis, quibus mirum in modum tutabatur fructus vineæ ſuæ. Sic denique Diuus Baſilius ibi: *Ob hoc, in cornu tanquam aduerſus inimicum, habente arma tutelaria, nempe crucem Chriſti.* Sic ibi.

§. VII.

Crux Chriſti in nobis virtutum exprimit facinora, & diuitias.

QVid vinea ſine torculari? Quid homo ſine cruce Chriſti? De torcularis beneficio habet vinea, quòd dominos diuitiis impleat; ſic homo à crucis potentia habet, quòd in ſe exprimantur virtutum facinora. Exod.7.ait Dominus ad Moyſem: *Cum dixerit vobis Pharao, oſtendite ſigna.* Exod.7.
Dices Aaron, tolle virgam, &c. Expende, quid in primis iubeatur Moyſes tollere, vt ſigna, & virtutes faciat, nimirum iubetur tollere virgam: quippe ſine crucis ligno nullum virtutum facinus poteſt ab hominibus perpetrari. Meritò enim ait Seuerian. in Caten. Lyppom. Exod.5. *Virgam* Scuerian.
ferre Moyſes iubetur, vt per illam miraculorum vim declararet, virgam non aliunde vim miracula efficiendi habuiſſe,quam ob latentem in ea pretioſæ crucis figuram, atque ſine illa, quæ crucis ſignum fuit, nihil admiratione dignum Moyſes fecit. Nec ſolùm Moyſes,ſed nec vllus alius potuit inſigne aliquod exprimere virtutis,niſi de crucis Dominicæ beneficio.Huius meritū in nobis perficit,quidquid & admiratione,& laude videtur dignum:& quid poteſt eſſe boni ſine merito crucis? Iter faciebat Agar cum Iſmaële puero, Gen.3. & deficiente aqua, puer penè exaruerat ſiti: *Cùmque conſumpta eſſet aqua in vtre,* Geneſ 3.
abiecit puerum ſubter vnam arborem, quæ ibi erat. Quid tunc? *Aperuitque oculos eius Deus; quæ videns puteum aquæ,abijt,impleuit vtrem, deditque puero bibere.* Non ſic puero ſalutaria erant matris brachia, vt ſalutaris fuit arboris vmbra; dum matris brachiis tenebatur,omnia illi deficiebant,& penitus peribat aquæ penuria. At vbi à matre proiectus eſt, & ſub arbore iacuit moribundus, ecce omnia ſuppetunt: mater videt puteos adeſt, aquæ profiliunt, impletur vter, & puer bibit,vt poſſit viuere. O quot Iudæi, qui pereunt in Synagogæ manibus, omniáque ſibi abeſſe cernunt virtutum inſignia, ſi ad arborem crucis confugiſſent, præſtantiſſima quæque ſibi reciperent! Ait S.Iſidor.in Gen.c.17. *Quòd filium* Iſidor.
morientem ſiti ſub arbore proijcit,& ſic demonſtrante Angelo aſpicit fontem, ſignificabat quoſdam ex eo populo ad vmbram ligni crucis refugium petituros. Expende illa verba: *Filium morientem ſub arbore proijcit, & ſic demonſtrante Angelo, aſpicit fontem.*

Proiecta

proiecta sub crucis arbore, non potuit non statim patere fons vitæ: non potuit ampliùs indigere, qui sub vmbraculo erat crucis, sed absque mora recipit, quo abundantissimè viuat. Et fallar, nisi de crucis potentia omnia bona tibi non possis acquirere. Sanè latro ille, qui à Iesu latere pendebat, Luc. 23. vix fatus est, & statim audit; *Hodie mecum eris in paradiso*; nudus, & pauper, & miserabilis erat, & horæ momento factus est omnium ditissimus, habens sibi totum cœlestem paradisum. Et vnde tam breui tanta bona

Chrysost. potuit pertingere? Ait D. Chrysost. serm. 3. de resurrect. *Fecit latro de cruce impetum, & intrauit paradisum rhomphea flamma circumdatum.* In quæ bona non intret, qui crucis potentia nititur. Crux est illud lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, dabitque fructum tempore suo, vt habes Psalm. 1. De quo ait D. August. serm. 101. de tempo-

August. re: *Dedit hoc lignum fructum in tempore suo, dedit fructum in-terim Domini resurrectione, dabit & cùm apparuerit de cœlo ille, qui visus est super terram, cùm præcedente ipso crucis signo, iam fulgido venerit de supernis: tunc resurgent corpora sepultorum, tunc exultabunt sancti in gloria, tunc in suis cubilibus lætabuntur, qui non de sui Regis, ac Domini cruce non confunduntur, sed potiùs gloriantur.* Quid fructuosius quam lignum crucis?

§. VIII.

Christus passus, & crucifixus intima humanorum affectuum penetrauit, & sibi rapuit. Vbi quòd passio Christi debeat in corde figi.

NOtanter dixit, quòd Dominus in vinea sua fodit torcular, potuisset solùm dicere, quòd fecit torcular, sed notanter dicit, *fodit*, vt ostenderet, per Christi passiones, & pressuras humana corda fuisse defossa charitate. Et quò non penetrauit Christus passus? Sanè intima nostrorum affectuum tunc maximè penetrauit, & sibi rapuit. Cantic. 7.

Cant. 7. *Ascendam in palmam, apprehendam fructus eius.* Miraris, quòd fructus apprehendat Dominus? Imò ex quo in crucem ascendit & intima cordis penetrauit, & affectus humanos omnes allicit. Aiebat enim Petrus Damian. serm. de inuent.

Damian. Crucis: *Ascendit igitur Dominus palmam, & apprehendit fructus eius, quia mox vt in cruce pro nostra salute pependit, omnes electos ad semetipsum per amoris desiderium traxit.* Quem affectum non caperet, cuius viscera non perfoderet crucifixus

Bernard. Dominus? Meritò dicit D. Bernard. serm 20. in Cant. *Super omnia reddit amabilem te mihi, bone Iesu, calix, quem bibisti, opus nostræ redemptionis. Hic omninò amorem nostrum facilè totum vendicat sibi. Hoc, inquam, est, quod nostram deuotionem & blandiùs allicit, iustiùs exigit, & arctiùs stringit, & afficit vehementiùs.* Quid est, afficit vehementiùs? Omnia cordis intima penetrat, & perfodit, vt crucis claui non solùm Christi manus, sed viscera transfigant fidelium, & succendant amore. Sic se transfossam Christi passione experieba-

Cant. 2. tur illa, quæ Cant. 2. ait, iuxta Septuag. lect. *Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios. Sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi: & fructus eius dulcis gutturi meo. Introducite me in cellam vinariam, ordinate in me charitatem; fulcite me vnguentis; stipate me in pomis, quoniam ego amore sum vulnerata.* Ecce tibi, vbi lignum crucis apparuit, vbi Iesus mensuratus, affixúsque fuit ligno, quanta torqueatur siti sponsa, quæ in cellam vinariam petit introduci, quantis transfigatur aculeis, quæ se charitatis iaculis transfossam

Theod. dicit! quippe ait ibi Psellus apud Theodoret. *Siti vrgeor, inquit sponsa, ad sponsum meum; ad vitæ botrum illum maturum, atque diuinum, per crucis mortem dulcedine fluentem. Quamobrem in huius cellam me quoque introducite, vt purè sponsi pulchritudinem conspicata, amoris ignem erga illum adaugeam. Quoniam saggitta amoris istius confixa sum.* Nec miror, quòd crucis arcui affixus Dominus, sic vulneret sponsæ suæ intima, si eius transfodiat viscera. Ibi enim crediderim fuis-

Isai. 46. se, quando inquit per Isaiam, cap. 46. *Posuit me sicut sagittam electam.* Nec vnquam magis apparuit sagitta, quàm vbi crucis arcui fuit affixus, ex quo transfixit fidelium intima.

Chrysost. Pulchrè ad hæc dicebat Chrysostom homil. de turture: *Ista sagitta vulneratus mente Dauid dicebat: Adhæsit anima mea post te. Ista sagitta vulneratus Petrus dicebat Christo: Domine, tu nosti, quoniam diligo te. Ista sagitta vulneratus Paulus, & conuinculatus Christo dicebat: Quis nos separabit à charitate Christi? Ista sagitta vulnerata omnis casta Ecclesia dicebat: Vulnerata charitate ego sum. O gemitus de medio cordis amabilis!* Ea sunt crucifixi Domini amoris spicula, quæ nesciant siste-re nisi in cordis intimis; dum enim in corde effosso amoris iaculis non figitur crucifixus, vix vllum fructum ex tanta crucis arbore percipies. Vt captiuitatem Ægyptiacam fugerent Israëlitæ, cauit Dominus, Exod. 12. vt hyssopi fasciculus agni sanguine tingeretur, quo vtrumque postem portæ lenirent. Quid inde? Petrus Damian. serm. de inuent. crucis, sic monet: *Præferimus igitur crucem in fronte, sed eamdem crucem multò salubriùs recondamus in corde. In vtroque poste sanguinem percussor Angelus videat, vt exclusus euadat, non peremptus irrumpat.* Non equidem quæ foris geruntur passionis signa, sed quæ in effosso corde figuntur, ea causant salutem. Quò respiciens Moyses, Deuteron. 28. ait populo Iudaico: *Et erit pendens vita tua ante oculos tuos, & timebis die, ac nocte.* Cur non magis sperabit à vita pendente? In pendentis à cruce Christi manibus, tota mundi salus constituitur. Cur non sperat Iudæus à pendente Iesu, magis, quàm timet? Ipse explicat, dum ait: erit pendens ante oculos, non in corde habebitur crucifixus, sed solùm præ oculis; inde est, quòd non sperant ab illo salutem. Hinc Diuus Leo, serm. 8. de passione: *Isti nihil in crucifixo Domino præter factum suum cogitare potuerunt, habentes timorem, quo conscientia iniqua torquetur. Noster verò intellectus, quem spiritus veritatis illuminat, gloriam crucis cœlo, terráque radiantem puro, ac libero corde suscipit.* Hinc illorum damna censentur, quòd solum exteriùs cernant crucifixum; hinc nostra lucra, quòd crucis bona intimo corde sentimus.

Damian.

Deut. 28.

Leo.

§. IX.

Tunc fructuosa sunt crucis mysteria, cùm corda terrenis affectibus vacua intrant.

ADhuc insto verbis illis, *fodit torcular in ea*; numquam enim torcularis signum adducitur, vt possis seruire, nisi priùs lacunæ effodiantur in terra, & omni appareant vacuatæ puluere. Sic etiam vt totum crucis mysterium fructuosum sit, priùs debent humana corda terreno affectu vacuari, & apparere prorsus munda. Abrahum vt Deo faceret conuiuium, Genes. 18. *Ad boues cucurrit, & vitulum tenerum & bonum sumpsit, & dedit puero, & festinauit facere illum.* Cur non magis ipse per se attulit vitulum? Cur maluit illum tradere puero? Meritò vitulum, in quo exprimebatur passio Christi, noluit portari ab alio, quàm à puero, qui pueruli innocentia florebat, nullúmque veteris hominis terrenum affectum videbatur habuisse. Ait D. Ambros. lib. 1. de Abrah. cap. 5. *Vir occurrat ad boues, sumat vitulum, & sacramentum Dominicæ passionis festinato impiger studio, non lento otio remissus accipiat, tradat illud puero, qui innocentiam teneræ seruet ætatis, dolum nesciat, referire non nouerit, incorrupti corporis castimoniam custodiat.* Ille aptus crucem Christi suscipere, qui nihil in se habet terrenæ malitiæ, qui & induit nouitatem vitæ, & vetustis terrenorum affectibus vale dixit. Psalm. 1. *Et erunt tanquam lignum, quod plantatum est secùs decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Non videtur in terra plantatum hoc lignum, sed in aquarum decursibus, quasi inde habeat viuificum lignum crucis, suauissimos posse producere fructus, si non inter terrenos affectus existat. Ait Diuus Petrus Damian. serm. de inuent. crucis: *Postquam crux à terreno cespite præcisa est, frondet: quia quisquis per amorem crucis à terrenis desiderijs ipsam mentis radicem præcidit, ad hæreditatem immarcescibilem capessendam, & semper virentia æternæ vitæ pascua conualescit.* Fallitur, qui terrenis deditus putat & ditissimos, & suauissimos crucis fructus posse percipere: priùs euellat, necessum est, à terra radices suas, affectus suos, & tunc currat ad crucem, ex qua conualescat in pascua æternæ vitæ. Cùm duceretur Iesus in mortem, baiulans sibi crucem, ait Luc. cap. 23. *Apprehenderunt Simonem quemdam Cyrenensem venientem de villa, & imposuerunt illi crucem portare post Jesum.* Expende, cui permittitur imponi crux post Iesum, nimirum operario homini venienti de villa, & pergenti in ciuitatem sanctam Hierusalem. Quid inde? Pulchrè Theophylact. ibi ait. *Ille autem potest fieri subditus Christi, & tollere crucem suam, qui virtutis operarius est, qui venit à villa relinquens mundum, & ea, quæ sunt in mundo, & ad Hierusalem illam supernam, & liberam tendit.* Terram, mundúmque relinquat, necessum est, qui velit gloriari in abundanti fructu crucis Christi.

Genes. 18.

Ambros.

Psal. 1.

Damian.

Luc. 23.

Text. Cùm autem tempus fructuum appropinquasset, misit seruos suos ad agricolas, vt conciperent fructus eius, & agricolæ apprehensis seruis eius, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium verò lapidauerunt. Iterum misit alios seruos plures prioribus, & fecerunt illis similiter.

§. XII.

Potentes viri caueant vinum, cum quo ebibunt feritatem & crudelitatem in suos.

Expende, qui dicantur interfectores, & lapidatores conseruorum suorum, nimirum illi, qui pleni erant fructibus vineæ; & quidē nulli aptius assumi potuissent, qui suorum repræsentarent occisores, quàm qui vinearum tractabant fructus. Hanc enim ebibunt cum vino feritatem viri potentes, quod æquè sint crudeles in suos. De seruo super omnia Domini bona constituto ait Luc. cap. 13. *Quod si dicat seruus ille in corde suo, moram facit Dominus meus venire, &* [Luc. 13.] *cœperit percutere pueros, & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari*, &c. Expende, quàm iuncta sint & vini potus, & conseruorum suorum percussio. [Chrysol.] Ait Chrysolog. serm. 26. *Propriè dixit, edere, & bibere, & inebriari, & percutere. Ebrietas cædis mater, parens litium; hanc qui habet, se non habet, homo non est.* Sic à vino tota humanitas exuitur, vt percutiantur omnes tam alieni, quàm propinqui. De Sansonis matre locutus Angelus, sic monet eius maritum, patrem futurum tanti ducis. [Iud. 13.] Iud. 13. *Quidquid ex vinea nascitur, non comedat; vinum, & siceram non bibat*, &c. Nil magis curans ex tunc Angelus, quàm quòd cantatissimus Israëlis dux Sanson minimè nutriatur fructibus vineæ. Et cur tam anxiè cauit à Sansone vineæ fructus? Præclarè in rem præsentem monet Procopius in [Procop.] Glossa: *A vino, ac vineis ipsum iussit abstinere, ne ad naturalem vinolento ascito, contra propinquos quoque, & cognatos indigna patraret.* Ne Sanson, qui à Deo armabatur in alienigenas, simili ira ferretur in cognatos, meritò cauet, vt ab omni abstineat fructu vinearum. Est hoc in vino peculiarissimum discrimen, quo nec parcitur cognatis, nec æstimantur iura amicitiæ, seu propinquitatis. De illo 3. Esdræ cap. 3. dicitur: [3. Esdra 3.] *Et non meminerunt, cùm biberunt, amicitiam, nec fraternitatem, sed non multò post sumunt gladios*, &c. Necessum est, vt regnum vini decrescat, si iura amicitiæ sunt seruanda: hinc vino possessus Alexander propriis manibus occidit Clytum, inferens mortem viro; cui ipse debebat vitam. Quid tunc? Ait [Curtius.] Curtius lib. 8. *Ebrietate discussa, magnitudinem facinoris sera æstimatione prospexit. Videbat tunc immodica libertate abusum, sed alioqui egregium bello virum, & seruatorem sui occisum.* Priùs vini regnum decrescit, & tunc noscit amicum occisum; dum autem viget vinum, nulla noscuntur amicitiæ, aut propinquitatis iura. Pincernæ Pharaonis in carcere constituto, prosperitatem, & principatus restitutionem annuntiat Ioseph. [Genes. 30.] Quid tunc? Ait Genes. 30. apud D. Ambros. *Pharao restituit præpositum pincernarum in principatum suum, & dedit calicem in manu Pharaonis. Et non est recordatus præpositus pincernarum Ioseph, sed oblitus est eius.* Expende, quando obliuiscitur benefactoris sui, nimirùm cùm in vini ministrationem restituitur; quippè inter calices, & inter vina penitùs à memoria euolant amicitiæ, & humanitatis iura. Quò respiciens [Ambros.] D. Ambros. lib. de Ioseph. cap. 6. inquit: *Elatus potentia non recordabatur. Et quanta hæc potentia, vbi vini ministerium?* Fateor, non magna potentia est, quæ solùm versatur circa ministerium vini, sed quia inter vina versatur, sufficiens est, vt inferat obliuionem debitæ amicitiæ. Nec immeritò vini regno tribuitur tota strages facta à Principibus Iudæorum Hierosolymis, vbi Iesus occiditur. Quippè ait Isaias, cap. 28. [Isai. 28.] *Hi quoque præ vino nescierunt, præ ebrietate errauerunt; Sacerdos, & Propheta nescierunt; præ ebrietate absorpti sunt à vino; errauerunt in ebrietate, nescierunt videntem.* Nec mireris, quòd Iudæi Regem gloriæ non agnouerint, benefactorem, & cognatum suum, imò & seruatorem occiderint, vigebat enim in illis regnum vini, & oppleti erant vineæ fructibus. Pro [Psal. 68.] quo ait ipse Psalm. 68. *Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ. Quoniam zelus domus tuæ comedit me: & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. Et operui in ieiunio animam meam: & factum est in opprobrium mihi. Et posui vestimentum meum cilicium: & factus sum illis in parabolam. Aduersum me loquebantur qui sedebant in porta, & in me psallebant qui bibebant vinum.* Expende, vnde Deus queritur exiisse omnia opprobria sua, & quòd à fratribus, quasi extraneus reputaretur, nimirum ex comparatione vini, quòd solum nescit debitæ amicitiæ meminisse.

§. XIII.

Admonitio, exhortatoriúsque sermo mundialium, terrenorúmque corda non tangit, quin potiùs audit apud illos.

Qvid facerent serui Dei cum agricolis, humi repentibus hominibus, & nihil præter terram suspicantibus? Horum sanè corda parùm tangit propheticus sermo, parùm penetrat Prophetarum, Apostolorumque virorum exhortatio. Hierem. cap. 10. de Deo per Prophetas suos loquente ait, *Eleuas nebulas ab extremitatibus terræ: fulgura in pluuiam facit.* [Hier. 10.] Vt inter pluendum nubes solent fulmina iaculare; sic Prophetæ dati à Deo in fœcunditatem animarum fulmina verborum iaciunt. Ex quo aiebat Origen. homil. 5. in Hierem. *Moyses nubes erat; Iesus nunc nubes erat. Isti si secum loquantur, ex sermonibus eorum fulgura migrant, Hieremias, & Baruch nubes erant, sermocinentur inuicem, & videbis rutilare fulgera.* [Origen.] Præclarè Dei ministros nubibus, eorum adhortatoria verba fulminibus comparat, vt eorum ponderet efficacitatem. At scire cupis, in quo possint Prophetarum verba violentissimæ, efficacissimæque naturæ fulminum assimilari? Accipe perspicuam similitudinem; fulmina totam suam efficacitatē in turrium altissimarum culminibus ostendunt humi repentes casas nec tangunt imo in terrena mollitie habent quò sepeliantur. Quid pulchrius? Fulmina sunt verba Prophetarum; fulmina sunt Dei ministrorum verba, potentia animos incendere, & conuertere in flammas. Sed totam hanc efficaciam ostendunt circa sublimes animos, vbi corda sursum elata inueniuntur; at circa humi repentes animos, circa terrenas mentes tantum abest, vt ibi aliquid efficiant, vt circa istas penitùs emortua, & extincta appareant. Ad hæc ait Gillibert. Abbas serm. 45. [Gillibert.] *Non sunt passim huiusmodi iacula fundenda, nec in omni multitudine, sed tantùm vbi idoneæ mentes creduntur inueniri, quas tam excellens doctrina non effugiat. Quasi fulgura sunt hæc, summa feriunt, submissa effugiunt.* In terrenæ mollitiei imis extinguuntur, & sepeliuntur verba salutis, quæ ab ore Prophetarum instar fulminum iaculata prosiliunt. Et quæ summa nouerunt ferire, quæ sursum elata corda penitùs penetrant, inutiliter extinguuntur apud repentia humi. Ecce tibi sublimis animus, & ad cœlestia elatus loquitur. Cant. 5. *Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatem; percusserunt me, & vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.* [Cant. 5.] Quæ per vicos, & plateas quærebat Dominum suum, quæ tota erat in inueniendo Deo, à custodibus percutitur, & vulneratur: sic imperfectam inueniunt custodes sponsam, vt illam percutiant, & vulnerent? Non equidem hæc vulnera dicunt imperfectionem in sponsa, sed celsitudinem, sed sublimitatem quò enim sublimior erat in vita, & à terrena conuersatione eleuatior, eò citiùs debuit feriri, & transuerberari à verbis custodum Ecclesiæ, quæ instar fulminum iaculata summa feriunt, submissa effugiunt. Ait Gillibert. serm. 45. in Cant. *Quò quis perfectior est, vulneratur faciliùs; & tener affectus verborum citiùs sentit aculeos. O felicem animum, ad quem tam sublimia exhortationis iacula veniunt, quem inueniunt sua aptum vulneribus, quando non abeunt retrorsum auditorum, vel duritia, vel stoliditate repulsa.* [Gillib.] Aculeata, ignitáque Dei ministrorum verba vim equidem habent efficacissimam, sed apud mentes sublimes, quæ ad sublimia aspirant, has facilè feriunt, & vulnerant. In submissis autem ad terram mentibus, aut parum, aut nihil proficiunt. Felix animus ille, qui nouit sese à terra leuare, qui non adeò terrenis se immergit cupiditatibus: vt minimè verborum diuinorum aculeis transfigatur. Hæc enim verba etsi validissima, etsi efficacissima. tamen in mentibus terrenis penè euanent. Et quidem in Petro ipso dum adhuc imperfectus, dum adhuc terrena meditabatur, quid potuerunt Dei exhortationes? Accipe D. Maximum, homil. 8. de passione, quæ est de Petro, & ancilla; ait enim ibi: *Denique fidem Petrus, nec admonitus potuit custodire, toties lapsus est, quoties ne laberetur, admonitus.* [Maxim.] Lapsus mensurabant admonitiones, exhortationes, quæ in terrenis, imperfectisque animis parum, aut nihil solent proficere.

§. XIV.

Quot sunt terrenis immersi in populo, tot Satanæ instrumenta sunt ad perditiones moliendas.

AB agricolis istis hic naturalis percipitur fructus, nimirum ministrorum Dei ruina, & perditio; ait enim: *Agricolæ, apprehensis seruis eius, alium ceciderunt*, &c. Et quid aliud expectari posset à terræ cultoribus? Quot enim terrenas colunt cupiditates, tot instrumenta sunt diabolo aptissima, vt suam effundat malitiam. De regno hominis in statu innocentiæ ait Dominus, Genes. 1. *Præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis, vniuersæque terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra.* Bonum homini fuisset cum piscibus, cum volatilibus, cum quadrupedibus animantibus; at vbi & humi repentia in suo regno habuit, non potuit non habere instrumenta perditionis à diabolo causandæ. D. Basil. Seleuc. orat. 5. fatur: *Adstat homini leo blandè subsultans: lupus inter oues placidè agebat, & serpens hominis erat subiectus arbitrio; sic enim factum est, vt linguam diabolo commodarit ad inuehendam confusionem.* Nota connexionem prudentissimè excogitatam: ex quo inter hominis subditos serpens humi reptans, & terra vescens apparuit, inde iam factum est, vt diabolo in promptu esset lingua, in promptu esset instrumentum, quo perniciem, & confusionem inferret mundo. Heu nocentissimam terrenorum hominum conditionem? Sanè qui humi repat homo, qui immergitur terrenis lucris, adeò diabolicis aptus est insidiis, vt vnus totum valeat peruertere mundum. Miraris in Christi etiam collegium eam potuisse pestem venire, qua percusso pastore, vniuersi dispergerentur discipuli? Et vnde tantum malum potuit diabolus inferre? Sicut in paradiso serpens; sic in Christi familia homo fuit lucris deditus terrenis, nempe Iudas, qui diabolo potuit seruire, vt suam perniciem effunderet. Quod notabat D. Maximus serm. de passione 9. inquiens: *Fuit in paradiso deliciarum diabolus, nec defuit in prætorio Iudæorum. Ibi immurebat Sathanas serpens, hic Iudas coluber perurgebat.* Vtrobique diabolus neces causans, quia vtrobique erat, qui humi reperet, qui terra vesceretur. Serpens in paradiso, in Iudæa Iudas terrenis cupiditatibus ferebantur; quod malum non veniret, vbi erat homo terrenus & temporalis? Fallar, nisi in eo tota ostendatur potentia Sathanæ. Exod. 18. dicitur: *Cum leuaret Moyses manus, vincebat Israël; sin autem paululum remisisset, superabat Amalech.* Ecce totius Israëlis ruina, & perditio quo ex fonte manabat, nimirùm ex eo, quòd Moysis manus deorsum vergerent. Vbi ad terram inclinarentur Moysis manus, aduersaria potestas exaltabatur, & Israelitæ perdebantur. De quo loquens D. Hilarius aiebat in Psalm. 135. *Moyses nos docuit exemplo, qui cum eleuatis constitisset manibus vincebat; submissis verò in terram, vincendum populum ab hoste præbebat, ostendens per hanc formam, hostem nostrum, si terrena opera nostra sint, vincere.* Inter terrena opera numquam non ostenditur potentia Sathanæ, qui omnia bonorum hominum perdat, deuastet. Vincendus datur populus Sathanæ, in quo sunt homines penitùs terrenis traditi cupiditatibus, eisque affixi.

Genes. 1. — Basilius Seleuc. — Maxim. — Exod. 18. — Hilar.

§. XV.

Diabolici furoris est, damna semel illata nescire corrigere.

VT Deus semel benefacere incipiens, nescit cessare, sic diabolicus furor semel damna inferens, nescit nociua facta corrigere. Quotquot ergo mittit seruos beneficus Deus, tot occidunt agricolæ, & semper denuò missis faciunt similiter; nesciunt enim, quæ semel patrarunt, damna corrigere. Adducatur in medium certamen illud cantatissimum inter Moysem, & Pharaonis incantatores de conuertenda virga in draconem. Moyses à se virgam proiiciens in terram, videbat illam in draconem conuersam, quem timeret; at dum eius caudam apprehendit, tota draconis abibat feritas, sola virga remanebat. Exod 7. *Vocauit Pharao sapientes, & maleficos: & fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptiacas, & arcana quædam similiter. Proieceruntque singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones.* Ecce & malefici ex aridis virgis faciunt etiam dracones, qui metum inferant, & venena diffundant. Quid, tunc? Vt venenatos faciunt dracones ex virgis, sic etiam dracones conuertunt in virgas, vt virga sola maneat draconis exuta malitia? Absit; non enim est diabolici furoris illata damna corrigere; hoc solùm spectat ad Dei spiritum. Pulchrè aiebat Origen. hom. 13. in Num. *Effecit tamen similiter & contraria virtus virgam serpentem, sicut fecerat virtus Dei, sed serpens, qui per virtutem Dei factus fuerat, obsorbuit, & deuorauit omnes illos serpentes, qui arte magica ex virgis versi fuerant in serpentes. Non enim potuit virtus dæmoniaca malum, quod ex bono fecerat, restituere in bonum. Potuit ex virga facere serpentem, virgam verò reddere ex serpente non potuit.* Numquam diabolicus furor correctionem mali nouit perficere, quidquid venenosum est, quidquid mortiferum, quidquid malignum, facilè à malo fit. Non cunctatur malus, vt mala inferat; at malefacta vitare, corrigere, hoc solùm ad Dei potest pertinere spiritum. Quisquis ergo damna irremediabiliter inferre timet, caueat diabolicum spiritum, à quo nihil percipiet, nisi quòd damnum sine fine inferat. Erat apud Bethleem fons hostilibus cinctus exercitibus, cuius aqua dulcis, Dauidis sociis non nisi lethalis erat, quando sine ingenti vitæ discrimine non poterat hauriri. Nihilominus Dauidis duces contempto vitæ periculo per medios hostes aquam hauriunt, eámque præsentant domino suo. At Dauid 2. Reg. 23. *noluit bibere, sed libauit eam Domino.* Cur Dauid cauit bibere de fonte illo? Equidem noluit bonus Rex potare aquam, quæ apparebat sola pericula, & damna aliena parturire; ad viuificum Dei fontem prospiciens, de quo omnium salutes, & remedia scaturiunt. Ait enim pulchris verbis D. Isid. in lib. 2. Reg. 4. *Non bibit oblatam aquam, sed Domino fundit, significans fuisse se Domini sacrificium, non naturæ fluentum, sed illud sacrificium, in quo esset remissio peccatorum. Illum fuisse fontem æternum, non qui periculis quæreretur alienis, sed periculo alieno deleret.* Duo semper proponuntur fontes hominibus; alter inter hostiles cuneos, alter inter paradisi delitias: ab illo perenniter manant pericula, discrimina, damna illata plurimis: ab hoc semper venit salus, medicina. Miser, qui de hostili fonte bibit, qui diabolicum fugit spiritum, in quo solùm habebit damna inferre multa, corrigere nulla: qui Dauid est, suasque cupiditates optimè regit, damnosum hunc fontem malorum fugit, & ad Deum bonorum fontem confugit, de cuius munere habet posse vniuersa mala resarcire. Vide quæ dicta sunt suprà, tom. 3. lib. 14. cap. 19 §. 8.

Exod 7. — Origen. — 2. Reg. 23. — Isidorus.

Text. Nouissimè autem misit ad eos filium suum, dicens: Verebuntur filium meum. Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra se: Hic est hæres, venite, occidamus eum, & habebimus hereditatem eius. Et apprehensum eum eiecerunt extra vineam, & occiderunt eum.

§. XVI.

In Christi morte veterum Prophetarum mortes pulcherrimè desinerunt.

POst veterum Prophetarum percussiones, & mortes nouissima introducitur Filij Dei mors, vt quæ pulcherrimam pristinis martyribus inuexit coronidem. De D. Basilij auis, atauisque locutus Nazianzenus, in eius orat. sic fatur: *Maximum tyrannum athletarum quidem nostrorum permulti superarunt, & ad mortem vsque decertantes, & penè vsque ad mortem: hactenus videlicet vt illis, vt victoriæ suæ superstites essent, ne ab ipsis certaminibus abscederent, sed alijs virtutis alipta, viui martyres, spirantes columnæ, tacitáque præconia relinquerentur cum multis alijs, & quidem celebribus paterni Basilij proaui, quibus, cum omne pietatis genus coluissent, eximiam tempestas illa coronidem inuexit.* Pulchrè pro Basilij proauis excogitauit vir diuinus; quorum passione, multis alijs celebribus, ac insignibus martyribus eximiam tempestas illa maximi tyranni coronidem inuexit. Non enim strenui viri postremi in lanienam venerunt, quia postremi erant virtute, & fortitudine; sed vt, quia in omni pietatis genere erant eximij, in illis, tamquam in pulcherrima coronide, tota illius tempestatis martyrum series desineret. Liceat ergo parua magnis comparare, & de Deo prædicare, quod Nazianz. prædicat de hominibus. Post occisos, post lapidatos, post serratos multos veterum Prophetarum, nouissimè accedit Filius Dei occidendus & ipse. Et cur accessit nouissimus? Vt cum multis alijs, & quidem celebribus, in illo, tamquam in omnium virtutum fonte, & ornamento, tempestas illa veterum patientium præstantissimam coronidem inueniret. Huc referam illud Psalm. 141. *Libera me de persequentibus me, quia confor*

Nazianz. — Psal. 141.

confortati sunt super me. Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant iusti. Et orat Dominus afflictiones suas, passiones suas citò transire, & asserit, se in eis espectari à iustis; & quidem omnis sanguis iustus è sanguine iusti Abel vsque ad sanguinem Zachariæ expectabat sanguinem Christi fundendum pro ipsis. Expectabant iusti persecutiones passi passionem Christi, sine qua adhuc iacebant obscuri, per quam vltimam gloriæ suæ perfectionem acciperent. Id quod insinuat lectio Hieronymi ex Hebræo; vbi enim posuit noster: *Me expectant iusti*, posuit ille: *In me coronabuntur iusti*; quasi interfectis iustis espectantibus Christi mortem in Limbo, accedat Christi mors, velut corona, sub qua illustrentur omnia illorum facinora. Quò respexit Psalm. 64. dicens: *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ.* Annus equidem Dominicæ benignitatis fuit totum illud tempus, quod in passionibus & ærumnis consumpsit, quod dum meminit Vates, non potuit non coronæ meminisse. Etenim potuisset dicere, Benedices anno benignitatis tuæ, sed maluit addere, Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, vt ostenderet Iesu benignitatem in passione ostensam pro coronide, & corona extitisse temporis illius. Ad hæc D. Ambros. in instit. virg. cap. 15. *Tunc ergo Dominus operibus suis, & gloria, & honore sui tempus coronauit aduentus. Totus enim ille annus conuersationis eius in hoc mundo diuersarum habuit certamina passionum. Vicit Herodem parentem, de quo in passione infantium triumphauit. Esuriuit, sitiuit: pro nobis vapulauit, pro nobis contumeliarum indigna tolerauit: crucem ascendit: mortuus est pro nobis.* In passionum certamina dum descendit Dominus, dum sitiuit, dum vapulauit, dum occubuit, quid aliud egit, quàm tempora illa legis pristinæ gloria, & honore coronare? Tunc eximiam coronidem tempestas illa inuexit iustis passis.

Psal. 64.

Ambros.

§. XVII.

Vltra Christum nihil est requirendum.

NOuissimus venit Christus Iesus, quasi verus terminus humanorum desideriorum; nihil enim boni, aut vtilis saluti humanæ vltra illum inueniri potest. Acutissimi licèt oculi sint, necessum est enim in Christo solo omnium videre bonorum terminum, vltra quem nil boni. Et qui acutiores oculi, quàm Prophetarum oculi? Ij ad futura, & longissima tempora se extendunt, & nihilominùs de illis dicitur, Math. 5. *Lex, & Prophetæ vsque ad Ioannem.* Et cur non vlteriùs possent sese extendere Prophetæ? Erat cum Ioanne Iesus, vltra quem nihil possent videre, nec inuenire Prophetæ, quod conduceret ad salutem hominum. Ait D. August. quæst. ex nouo testam. 69: *Lex enim, & Prophetæ vsque ad ipsum. Prophetæ enim de ipso locuti sunt, ideo vltra illum, qua ab his de hoc, id est, de Christo dicta sunt, tendi non possunt, neque post ipsum aliquid huiusmodi Prophetæ reperire poterunt.* Quid reperiant Prophetæ post Christum? Quid vltra Iesum videre possunt creati oculi? Qui Iesum videt vltimum bonorum omnium terminum, quia videt, nihil ampliùs videre cupit, imò nil aliud est, quod videat. Apud Matth. 14. visus est Iesus ambulans super mare, cuius visu raptus & Petrus, de eius imperio prosilit ex nauicula, & cœpit per fluctus ambulare. Ait enim: *Et descendens Petrus de nauicula, ambulabat super aquas, vt veniret ad Iesum.* Mirabar sæpè hominem videntem mobiles, instabilésque maris fluctus potuisse sese credere fluctibus maris? Cur magis, Petre, non caues tumescentes fluctus? Cur videns aquarum vortices non expaues? Sanè qui præ oculis habebat Iesum, nihil attendebat aliud, nihil videbat ampliùs. Pulcherrimè enim hæc tractans D. Maxim. homil. 10. de pass. quæ est de D. Petro, sic fatur: *Ambulauit in mari Petrus, magis dilectione, quàm pedibus. Non enim videbat, vbi pedum vestigium poneret, videbat autem, vbi figeret vestigium charitatis. In naui enim positus considerat Dominum, & amore eius ductus descendit in mare, non cogitat labentes aquas, non fluenta currentia, & dum Christum respicit, non respicit elementum.* Espende vltima hæc verba, nimirum, *dum Christum respicit, non respicit elementum*; non equidem possunt oculi coram habentes Christum, intueri alia, sed in Christo Iesu debent terminari. Nec miror, quòd Iesus desideriorum terminus habeatur, quando in eo vno vniuersa bona conglobantur. Ait Isaias de Iesu prædicatoribus, cap. 52. *Quam pulchri super montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem, annunciantis bonum.* Alij legunt, *annunciantis bona*, & quæ bona annunciantur? Vnum Iesum habebis à Prophetis, ab Apostolis & figuratum, & annunciatum, qui bonorum nomine intelligitur, vt qui in se omnia bona habeat. Ait Origenes

Math. 5.

August.

Matt. 14.

Maxim.

Isai. 52.

citatus ibi à Gloss. *Euangelizabant Apostoli bona, scilicet Iesum. Nec miretur quisque, si nomine bonorum, numero multitudinis exposuerimus annunciatum Iesum, facilè enim intelliges, quomodo multa bona sit Iesus. Vita bonum est, Iesus est vita; resurrectio bonum est, Iesus est resurrectio. Lux mundi bonum est, Iesus est lux vera, veritas, ostium, sapientia, potentia, thesaurus denique omnium bonorum Iesus est.* Quid ergo vltra Iesum manet? Sanè in eo omnia bona capis. *Origen.*

§. XVIII.

Iesus efficacissimus pro hominum vita, & sanitate.

AGricolis iis in peius labentibus post alia multa, hoc vltimum remedium additum est, vt Iesus Dei Filius veniret ad illos, & meritò Iesus nouissimus aduenit, vt qui omnium efficacissimus sit pro hominum sanitate. Aiebant perditissimi Iudæi apud Isaiam, cap. 1. *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus.* Et quidem apud Sodomitas Loth erat, insuper & duo Angeli missi sunt, sed nec Loth, nec Angeli potuerunt miseros a perditione auertere. Quis ergo potuit apud Iudæos, quod non potuerunt nec Angeli, nec Sancti apud Sodomitas? Sanè id potuit vnum semen relictum a Deo, ait enim: *Nisi Dominus reliquisset semen*, & expende, quòd non ait semina, sed semen, quasi vnus solus, qui a Deo venit Iesus, omnium efficacissimus sit ad perditionem hominum auertendam. Ait ibi Procopius: *Tamquam enim de vno dixit, Christo videlicet, qui, ne Sodoma, & Gomorrha similia paterentur, prohibuit.* Vnus enim id valet Iesus, de cuius efficacia venit, quòd vel mortui in vitam efformentur. Post peccatum à primis parentibus commissum, post auditam mortis sententiam, iuxta quam vniuersi homines morti subiacebant, ait textus, Genes. 13. *Et vocauit Adam nomen vxoris suæ, Eua, eo quòd esset mater cunctorum viuentium.* Vnde tale potuit occurrere Adamo, quòd inter sententiam mortis vocet vxorem Euam, id est, vitam? Audis & te, & vxorem, & filios morituros, & in puluerem conuertendos, & nihilominùs vxorem vitam vocas, & matrem viuentium? Vnde hoc potuisti credere? Memini dormientis latus fuisse apertum, vt vxor inde prodiret, in quo adumbrabatur Dominici aperti lateris mysterium, quod vbi apparuit, non potuerunt & ipsi mortui non apparere viuentes. Ad hæc D. August. tractat. 120. in Ioannem: *Vnus militum lancea latus eius aperuit. Hoc prenunciabat, quod Noë in latere arcæ ostium facere iussus est, quo intrarent animalia, quæ non erant diluuio peritura. Propter hoc prima mulier facta est de latere viri dormientis, & appellata est vita, materque viuorum.* Vbi in latere Adami dormientis, ex quo vxor ædificata est latus Christi præfiguratum est, lancea in cruce apertum; non est cur non speret Adamus sibi, & vxori, & posteris omnibus etiam inter mortes esse viuendum. Pulchre enim habetur Christus Iesus arbor vitæ, cuius vel ab vmbra hauriunt homines, quo viuant. Post Ionæ prædicationem apud Niniuitas, ait textus cap 3. *Et crediderunt viri Niniuitæ in Deum à maiori vsque ad minorem.* Espende, qui verbum vitæ primò accipiant, nimirum à maioribus fides, & crudelitas incepit. Cur maiores primò vitam hauriant, nisi quia perfecta ætas plenitudinem Christi adumbrabat? Ait Paulus ad Galatas c. 4. *Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum*, &c. Ex quo D. Hieronymus in Ioannem fatur: *Primum credunt viri de Niniue, qui ad ætatem Christi peruenerant, prædicant ieiunium, & vestiuntur sacco à maiore vsque ad minorem.* Sic efficax est vel vmbra Christi, vt homines trahat in fidem, trahat in vitam.

Isai. 1.

Procop.

Genes. 13.

August.

Galat. 4.

Hieron.

§. XIX.

Pudoris affectus vbi est, ibi & sanitas est.

DVm Dominus agricolis mittit Filium suum, hoc vnum intendit tanto præstito dono, vt vel ab ingratis pudorem extorqueat, ait enim: *Verebuntur Filium meum*, quasi potens sit pudor beneficiis extortus ad spem salutis trahere homines. Huc eleganter spectabat D. Ennodius, lib. 5. epist. 6. aiens: *Ille, qui vulnera nostra suscepit, & pro nobis doluit, mutata meritorum conditione, quos flagellis dignos viderit, castigat muneribus: & versa vice noxiorum animas dum fecundo replet, pudore meliorat.* Quam salutem mille alij validissimi affectus non causabant, pudor beneficij extortus causare solet. Felix, qui eo adducitur, vt possit, imò vt cogatur erubescere, is enim in proximo ad salutem est. Primus ille peccator

Ennodius.

Adamus

Adamus diuinis vocibus quæsitus, respondit, Genesis 3. *Genes. 3.* *Timui, eo quod nudus essem, & abscondi me.* In quibus verbis, vt peccatoris erubescentiam recognoscit Ambrosius, sic iam in proximo salutem eius sperat. Ait enim lib. de paradiso, *Ambros.* cap. 14. *Noca, qui absconditur, erubescit; qui erubescit, conuertitur; sicut scriptum est: Confundantur, & conuertantur valdè velociter.* Velocissimè venit salus, vbi pudor præcessit, nec diu potes esse in pudore, quin de salute adepta glorieris. Quò respiciens Hieremias, *Hier. 6.* cap. 6. ait: *Confusi sunt, qui abominationem fecerunt: quin potiùs confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt, quamobrem cadent inter cadentes: in tempore visitationis suæ corruent, dicit Dominus.* Quos confusos & erubescentes asserebat, vt vidit supplicio destinatos, statim dictum correxit, nec putauit posse fieri, quòd pœna non minuatur illis, qui sciunt erubescere: quippe ait D. Ambrosius in Psalm. 37. *Psal 37.* *Pœnam, quam defensione cuitare non possumus, pudore sublenamus.* Non durat, imò non venit pœna, quando pudor antecedit. Da, pudorem esse in homine, & dabis in illo remedium, quo se ab omni malo liberum reseruet. Hinc sunt illæ *Psalm. 6.* Dauidis voces, Psalm. 6. *Erubescant, & conturbentur omnes inimici mei, conuertantur, & erubescant valdè velociter.* Qui toties inimicis suis precatus fuit bona, nunc illis imprecatur confusionem. Vnde mutatus es, ô Dauid? Cur qui toties bonus in hostes, nunc malus fit, imprecans ei confusionem? Non malus in hostes est, qui rogat, vt erubescere cogatur; dum enim pudor intercedit, omni malitiæ intercluditur *Nyssenus.* aditus. Ad hæc ait D. Nyssen. in Psalm. 6. *Vt igitur in perpetuum maneat id, quod ex pœnitentia bonum ipsi accessit, ac ne ita non altera rursus pœnitentia opus habeat, orat, vt inimici sui pudore castigati auertantur. Nam qui ob id, quòd malum facere aggressus sit, erubuit pudore, quasi moderatore vtens ad hoc, ne amplius iisdem malis confligatur, à tentatione similium in posterum abstinebit.* Sic pudor malitiam refrænat, nec sinit illam progredi vlterius, nequit enim malum consistere, vbi pudor est, qui index solet esse sanitatis venientis. Huc trahe dicta tom. 3. lib. 5. cap. 7. §. 4.

§. XX.

Temporalis homo Deum mallet perire, dum ipse lucra non perdat.

AGnito Dei Filio, & sæculorum hærede, de eius interfectione agunt, vt sibi reseruent temporariam hæreditatem; & quid non moliantur in Deum homines temporarij, *Matth 21.* ne ipsi suis lucris careant? Matth. 21. *Intrauit Iesus in templum Dei, & eiiciebat omnes ementes, & vendentes in templo, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit, & dicit eis: Scriptum est, Domus mea, domus orationis vocabitur, vos autem fecistis eam speluncam latronum. Et accesserunt ad eum cæci, & claudi in templo, & sanauit eos. Videntes autem Principes Sacerdotum, & Scribæ mirabilia, quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes: Osanna filio Dauid, indignati sunt.* Expende, vbi in Iesum indignantur isti: vbi Iesus suam diuinitatem ostendit, eiectis impunè negotiatoribus à templo, sanatis cæcis, & claudis, & adhibitis vocibus puerorum canentium, tunc Sacerdotes, & Scribæ magnam iram concipiunt, & vellent ipsum Deum manifestatum perdere. Cur non magis timent Deum, quem omnipotentem cernunt? Cur non magis adorant, quem audiunt prædicari vel à pueris? Cum vident à Iesu cathedras columbarum euerti, eiicique omnia lucrorum negotia à templo, malunt perdi Deum, quàm sita è templi negotiis lucra perdi. Imperfect. *Imperf.* homil. 40. in Matth. *Postquam Iesus introiuit in templum, & omnes vendentes animalia, quæ ad sacrificium vendebantur, foras eiecit, in quibus Sacerdotes anni tunc delectabantur, tunc præcipuè cogitauerunt eum occidere, dicentes intra se: Si populus illum habuerit Deum, necesse est, vt dimittat consuetudinem hostiarum, quæ ad nostrum pertinent lucrum: & sic iam non erit populus iste possessio nostra, sed Dei, videlicet, non ad nostrum quæstum pertinens, sed Dei.* Ecce tibi, cur vellent perdere Deum, quia nimirum putabant, illum esse illius conditionis, quæ ab aris suis, & templis suis arceret occasiones lucrorum Sacerdotum: vbi autem lucra necessum est perdi, magis volunt temporarij ministri, quòd perdatur Deus. Nec miror, quando auarissimi homines nullum Deum æstiment, nisi qui seruit eorum lucris? Apud Lucam temporalis ille filius parentis optimi vitam non sustinet, dum apud illum videt retineri bona sua. Quare ad illum accedit, & inquit cap. 15. *Luc. 15.* *Pater, da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit.* Miraris iuuenis impudentiam, quòd a patre optimo Deo adhuc viuente postulet portionem suam. Cur petis à viuente patre portionem, quæ non contingit filium, nisi post patris mortem? Petit portionem, quam vt habeat, simul si posset, parenti Deo inferret mortem ipse. Non enim sustinet viuere Deum, qui impedit eius lucra. Ait D. Chrysolog. serm. 1. *Chrysol.* *Quantum potest, tantum habet impatiens, qui patris fatigatur ad vitam; qui patris, quia tempus auferre non potest, nititur auferre substantiam.* Eadem cupiditate vitæ tempus auferret Deo ipsi, si posset, qua ab illo aufert portionem suam. Numquam enim temporalis homo velit vitam siue Dei, siue parentis, qui impedit lucrorum suorum augmenta. Similem ebiberat insaniam Acham ille, qui Iosue 8. dicitur furatus fuisse de anathemate, hoc est, de bonis reseruatis Deo, furatus est autem pallium coccineum, ducentos siclos argenti, regulamque auream. Et cur in hæc bona Deo reseruata fuit ausus? Ait Iosephus relatus in Glossa: *Iosephus.* *Acham dum inuenisset chlamydem regiam, totam auro contextam, crudele iudicans, si lucrum inuenient, quod in sua vtilitate conferret, daret hoc Deo, & non magis egenti, suffodit eam,* &c. Expende iudicium hominis auarissimi, quod iudicat, crudele esse, sibi adimere lucrum inuentum, vt daretur Deo. Et quid iste non auderet in Deum, quem sic pro lucello vilipendit.

§. XXI.

A Christo Domino non potest non prosilire beneficentia in hostes suos.

NIl magis iure humano cautum est, quàm quòd parricidæ iura hæreditatis amittant, quomodo ergo agricolæ ij talem errorem sibi persuaserunt, quo Dominum occiderent, vt hæreditatem eius possiderent. Dicunt enim; *Occidamus eum, & hæreditatem eius habebimus.* Quomodo eius occisores, eius hæreditatem habere poterunt? Vnde illis venit in mentem tam inauditum hominis occisi facinus, quòd ab illo accipiant hæreditatem ipsissimi eius occisores? Sanè vbi Iesus erat, qui occidendus apparebat, non potuit ab illo non prosilire excogitatio de beneficentia in hostes Matth. 1. purissima Virgo Maria apparuit in vtero habens Filium Dei. Quid ad hæc sponsus ignarus mysterij, videns vterum tumentem vxoris? *Ioseph autem cum esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* *Matth 1.* Cur non magis tradit eam iudici, imò & carnifici? Cur non magis irascitur? Cur, vt putabatur, læsus, non quærit satisfactionem, sed magis curat celare offensam, & reddere pro malo bonum? Erat Iesus in vtero Mariæ, de cuius habitu veniebat, quòd Ioseph eam philosophiam ebiberet, qua non solùm condonaret iniurias, sed & iniurianti, si quis esset, & prospiceret. Ait D. Chrysost. homil. 4. in Matth. *Chrysost.* *Sub lege viuens Ioseph supra legem philosophatur, siquidem aduentante iam gratia, multa sublimioris disciplinæ documenta fulgere oportebat. Vt enim Sol nondum radiis ostensis, eminùs tamen splendore suo maximam partem orbis illuminat: ita & Christus ex vtero Virginis iam, iamque progrediens, vniuerso orbi, etiam priusquam oriretur, illuxit. Propterea igitur Ioseph tantam philosophiæ mentis ostendit. Neque enim aut in suo domum traxit sponsam, aut ipse saltem ei manifestam vitæ exprobrauit errorem.* Quid pulchrius? Appropinquante Sole, licèt nondum apparente, eius tamen splendorem, & lucem in se exhibet terra: sic de vicino Christo, licet adhuc sub nube virginei vteri, iam fulgent in Ioseph Christianæ virtutes, quibus efficaciter trahebatur in eam philosophiam, quo pro apparente malo bonum redderet. Sic Iesu vicinitas solet humanos animos in hanc impellere mentem, vt remittant iniurias, & iniuriantes munerent. Apud Matth. c. 5. aiebat Dominus: *Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos.* *Matth. 5.* Vix vllum verbum inuenies in lege veteri, quod charitatem explicitè commendet ad hostes, hæc virtus prædicanda reseruabatur in testamento nouo, quia hoc nouum testamentum nobilitandum erat præsentia Domini; vbi autem Christi vox erat, Christi erat præsentia, non potuit non radiare dilectio inimicorum. Id quod tractans D. August. serm. 5. in Feriam sextam, vt habetur in Biblioth. homil. ait: *August.* *Quare ergo antiquis non dictum est: Diliges proximum tuum, & diliges inimicum tuum? Quia fortassis & ipsis dictum est. Sed nobis apertiùs pro temporum distributione, per eius præsentiam, qui videbo, quid quibus vel tegendum erat, vel aperiendum.* Expende illud, *per eius præsentiam*, &c. Vbi enim Christus Dominus verus iustitiæ Sol apparuit, non potuerunt non manifestari eius radij in charitate, quæ amplecteretur eius aduersarios. Vide tom. 1. lib. 4. cap. 5. §. 1. & tom. 3. lib. 13. cap. 3. §. 21.

§. XXII.

§. XXII.

Sententia, quæ iuridicè profertur, vix credi potest iniusta, etiamsi ab iniquissimo iudice prolata sit.

IEsu Dei Filij mors explicatur, & dicitur, quòd agricolæ, nempe Iudæi *eum eiecerunt extra vineam, & occiderunt.* Quod hîc tribunal? Qui iudex? Qui testes? Quæ iudiciales dilationes, & probationes? Meritò non iuridicè, sed tumultuariè fit Iesu damnatio, vt tanti Domini pateat euidentissimè, & absque vllo scrupulo innocentia: quando quæ iuridicè profertur sententia, vix credi posset iniusta. De eadem Christi Domini damnatione locuti Euangelistæ, non parum negotij fecerunt sacris scriptoribus. Ait enim Marc.
Marc. 15. cap. 15. *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum.* Ioan. autem cap. 19. *Erat autem parasceue Paschæ, hora quasi sexta, & dicit Iudæis,* &c. Itaque Marcus intra horam tertiam, ponit absolutam, & completam Domini crucifixionem, quam Ioannes à Pilato putat permissam hora sexta. Sunt ergo sibi Euangelistæ contrarij? Absit; imò maximè inter se conueniunt; Ioannes enim insinuat, quid coactus est permittere Pilatus in Christum Domini, & quidquid à malo Iudice Pilato extortum est, id hora quasi sexta cœpit. Marcus verò in re damnationis Christi, non ad Pilatum attendit, sed ad Iudæos clamantes iuxta prætorium: *Tolle, tolle, crucifige eum,* quod hora tertia factum est; quorum clamoribus crucifixionem Christi meritò tribuens, cauit, ne in illa nefarissima actione aliquid iuridicæ sententiæ appareret, cum qua difficiliùs Christi Domini innocentia probaretur. Id sapienter
August. notauit D. August. quæst. noui testam. 65. *Sententiam ergo non dedit Pilatus, sed Iudæi, qui præmoniti sunt à Principibus Sacerdotum, vt dicerent, crucifigatur. Hanc sententiam tertia hora datam vult Marcus intelligi, in qua assiduis vocibus perdurantes cum internallo horarum ferè trium, quibus itum, & reditum est ab Herode, crucifixerunt Saluatorem. Manifestauit igitur Marcus, quia non in iudicis sententia Saluator crucifixus est. Difficilè est enim innocentem probare eum, qui sententia iudicis punitur.* Vbi iudex iuridice procederet, suumque tempus concederet probationibus, & defensionibus, nihilque à iudiciali ordine dimitteret, sed omnia obseruaret, difficillimè probatur innocens, qui inter hæc apparet condemnatus. Vix enim crediderit posse aliquid peruersitas in innocentem, si iuridicus ordo seruetur. Quis iudex iniquior, quàm Herodes? Ipse ve-
Matt. 14. hementer iratus in Ioannem Baptistam, Matth. 14. *alligauit eum, & posuit in carcerem,* cur non statim damnauit? Cur vbi alligauit, sententiam mortis non dixit? Non equidem facile erat etiam nequissimo iudici, vbi iuridicè procedendum erat, sententiam ferre aduersus innocentem Ioannem. Quò
Chrysol. spectans Chrysolog. serm. 173. ait, *Captiuum iste iustum tantùm tenuit, vinxit inclusum, quia in innocentem reus facilè non poterat dictare sententiam.* Dum iuridicum ordinem reuerebatur Herodes, etsi vinctum tenebat Ioannem, non facilè poterat illum plectere capite; difficilè enim vel à iudice iniquo sententia aduersus innocentem potest dari. Hinc etiam Dominus apud Hierem. 12. suam innocentiam ostendit, quòd non iuridice, sed tumultuariè fuerit damnatus: *Reliqui domum meum, dimisi hæreditatem meam; dedi dilectum animam in manibus inimicorum eius; facta est mihi hæreditas mea, quasi leo in sylua, dedit contra me vocem suam.* Sic legit D. Cyrill. Alexand. quo patet, Iesum occisum fuisse tumultuariè, clamoribus, & vocibus Iudæorum, vt damula in syluis solet à leone necari. Damula quidem in sylua priùs rugitibus leonis, quàm vnguibus cadit; sic Iesus à tumultuariis vocibus, & clamoribus, non à iudiciali ordine fuit damnatus. Ait Cyrill. Ale-
Cyrillus Alexand. xand. lib. 12. in Ioan. cap. 14. *Fertur igitur leo, cùm animal aliquod capere velit, mirabilem solere rugitum edere, eóque, quæ propinqua sunt animalia, perterrita cadunt. Ita solo leonis clamore superantur, ac capiuntur. Quasi ergo leo in sylua aduersus Saluatorem Synagoga facta est. Nam quamuis nullo ille terrore perculsus sit (expers enim formidinis Deus est) clamoribus tamen suis Christum synagoga interfecit. Pilatus enim dimittere volebat, & modum ipse cogitauit.* Hoc semper Deus prouidit ad euidentiam innocentiæ Christi Filij sui, ne tribueretur eius damnatio iudiciali decreto, sed plebi tumultuanti, quando difficilè creditur innocens, qui sententia iudicis punitur.

Text. Cùm ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? Aiunt illi: Malos malè perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddent ei fructum temporibus suis.

§. XXIII.

Iudicij humani seueritas non sic in viros potentes, vt in plebeios, & viles exardescit.

NOn multùm hæsitant iudices isti, sed vbi agricolarum crimina audiunt, statim totum iudicij rigorem exacuunt, clamantes: *Malos malè perdet.* Quis iudex non iocunctanter perdit agricolam malum? Non sic potentium virorum crimina castigantur; in iis ferè nihil dignum morte inuenitur; pœnæ, & supplicia vix nisi pro solis plebeis, & vilibus homuncionibus inuenta sunt à iudicibus humanis. Cauebat Dominus, Deuteronom. 1. *Quod iustum est, iudicate,* Deut. 1.
siue ciuis sit ille, siue peregrinus. Nulla erit distantia personarum, ita paruum audietis, vt magnum: nec accipietis cuiusquam personam, quia Dei iudicium est. Expende illud, *quia Dei iudicium est;* quasi inde pateat, iudicium Dei esse, quod ex æquo omnes respiciat, omnes sontes puniat, siue potentes, siue viles. Non sic humanum iudicium, sed quò magis humanum, eo ampliùs punit crimina in pauperibus, in diuitibus minùs. Quò spectans Petrus Dam. lib. 1. epist. 6. ait: *Porrò autem nos, contra diuina mandata personarum acceptores, in minoribus quidem Sacerdotibus luxuriæ inquinamenta persequimur; in maioribus autem, quod nimis absurdum est, per silentij tolerantiam veneramur.* Hoc est discrimen inter facinorosos, & scelestos homines apud humanum iudicium; qui pauper est, & vilis ob minima crimina, maximas iudicum incurrit indignationes; quis potens est, & illustris est, vel in maximis delictis acquirit sibi venerationem. Quod iudicibus obiiciebat Deus, Psalm. 81. aiens: *Vsquequò iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis?* Euthymius, & Nicephorus de acceptione personarum in iudicio intelligunt, in quo puniuntur pauperes sontes, & diuites criminosiores sunt venerationi. Id quod exprimens Apollinarius, ait: *Venerumini* Apollin.
verò facies superborum molestorum. Et quando in iudicio humano pecuniosus homo, etsi scelestissimus, subiit discrimen? Et quando potens periclitatus est? Quàm raró! Vbi potentia accrescit, decrescunt crimina apud humanos iudices, & penitus disparent. De ciuitate Samariæ strage locutus Oseas, ait cap. 7. *Fur ingressus est spolians, & latrunculus foris.* Vbi sa- Osea 7.
pienter noster Ribera intelligit, rapinas Samariæ factas tam à domesticis ciuibus, quàm ab exercitibus hostium. Ab intus erant fures, erant ciues, suos conciues spoliantes: foris autem erant latrunculi, nimirum exercitus hostiles, qui vastabant omnia. Sed expendendum, quòd domestici, & ciuiles spoliatores vocentur fures pleno ore: at potentissimi exercitus hostium vocentur latrunculi per diminutionem. Vnde hoc, quòd singularis ciuis vocetur fur, & latro; potentissimus autem hostium exercitus per diminutiuum latrunculus nominetur? Loquitur Propheta ad iudicij humani morem, apud quod in solis minoribus crimina seruant suam fœditatem, & nomen; in potentioribus autem omnia euanent crimina, imò reprehensionis loco accipiunt venerationem. Vnde factum est, quòd vilis homuncio Cacus latrociniis suis malè audiat apud omnes: at latronum maximus Iulius Cæsar, & Imperator habeatur, vt referatur in numero Deorum. Et quantò hoc fit malo potentium hominum? Sanè crediderim, ideò Deum permittere, viros potentes à iudicibus humanis non castigari, vt eorum integra maneat causa, quæ à iudice Deo seueriùs puniatur. Ex quo lucem affero loco Psalm. 57. vbi ex cantatissima versione dicitur, potentissimis peccatoribus: *Priusquam intelligant ollæ vestræ rhamnum, sic viuentem, sic ira turbine absorbebit eum.* Equidem absorbebit ira diuina potentem scelestum, priusquam caro eius intellexerit rhamni. Sapientissimè enim iudex, & gubernator iniquus exprimitur, Iudic. cap. 9. per rhamnum; à quo procedens ignis arida potest comburere ligna, carnes autem coquere non potest. Sic per iniquum iudicem viles sontes puniuntur, potens autem scelestus, vt olla carnium à rhamni igne manet integra, sic iste ab iniquo, iudice manet intactus, vt totum impetum diuinæ iræ sustineat.

§. XXIV.

Præstantia iudicis non tam in vilium hominum, quàm in potentissimorum damnatione.

NEquissimi alioquin homines præstantem iudicem agunt in agricolarum dominatione, dum agricolarum audiunt nequitia, statim illorum decernunt perditionem. Etenim clamant: *Malos malè perdet, & vineam suam*

leccabit aliis, &c. Et quantula hæc iudicis præstantia? Sanè parum est, quòd index reos agricolas damnet, illud maximè iudicem commendat, si audeat sententiam ferre aduersus potentissimos quosque. Hinc cantatissimus extitit iustitiæ zelus in Phinee, qui iniquissimos fornicarios interfecit in ipso concubitu. Quod facinus vix compleuit vir iustissimus,& ad eius zeli commendationem ait text.Num.25.*Erat autem nomen viri Israëlitæ,qui occisus est cum Madianitide,Zambri,filius Salai, dux de cognatione, & tribu Simeonis. Porrò mulier Madianitis, quæ pariter interfecta est,vocabatur Cosbi, filia Sur Principis nobilissimi Madianitarum.* Vt quid occisorum hominum scelestorũ sic explicatur nobilitas, nisi vt in Phinee clareat præstantissimus zelus iustitiæ, qui non viles,sed potentissimos.& nobilissimos sciuit punire? De quo Petrus Damian.lib.1.epist.7.inquit:*Ecce hic Phinees diuini spiritus zelo succensus, cùm totus penè Israëlitarum populus cum filiabus Moab fornicando corrueret,non in despectos quoscumque,vel infimos diuinæ legis propugnator insiluit:sed excellentiores,& clariores in populo,quos ad trahendum cæteros,trucidaret,elegit.Testante Scriptura,quæ dicit: Erat nomen viri, qui occisus est cum Madianitide,Zambri filius Salai, dux de cognatione & tribu Simeonis,&c. Et qui tales commotus vlcifcitur,pacem superni iudicis,& gratiam non modò sibi, sed & populo absque dubio promeretur.* Non sibi blandiatur de zelo iustitiæ, qui solùm infirmos,& viles eos nouit punire;faciũt hoc etiam nequissimi iudices; imò quò nequior iudex est, eò magis viles homunciones castigat. Mensuranda est præstantia iudicis per eum zelum, qui audeat etiam incelsos, & conspicuos viros, si in his inueniatur culpa. De maximo illo Iosepho,qui à Deo nutriebatur in iudicem, & gubernatorem præstantissimum totius Ægypti,notat scriptura, dum eius expendit pueritiam, Genes.37. *Ioseph cùm sedecim esset annorum, pascebat gregem cum fratribus suis adhuc puer, & erat cum filiis Balæ, & Zelphæ vxorum patris sui, accusauitque fratres suos apud patrem crimine pessimo.* Audio Iosephum accusantem fratres suos apud patrem, & dubito an accusatio hæc orta fuerit à puerili illa leuitate, qua pueri parentibus, & præceptoribus aliorum errores suggerunt?An leuis hæc, & inuidiosa indoles accusandi in tanto puero fuit? Absit,non enim leuitas puerilis, sed zelus iustitiæ potuit esse, qui non quoscumque infirmos,sed præstantissimos, & maiores natu,potentes facultatibus,& viribus vocat in iudicium.Ad hæc enim ait Ruper. lib.8. in Genes. cap.19. *Hoc enim diligenti inspectione dignum est, quia grandiores fratres accusauit adhuc puer. Quod vtique non fecisset,si non puritatis amorem, zelumque iustitiæ iam haberet.*Meritò inde probat in iuuene iustitiæ zelum fuisse,quòd grandiores & potentiores fratres non veritus est accusare de crimine; quod vt est difficile, sic est difficile inueniri perfectum iudicem. Vt meritò moneat Ecclesiasticus cap. 7. *Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne fortè extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in agilitate tua.* Inde debent mensurari vires perfecti iudicis, si posset etiam potentiores punire.

Num. 25. — Damian. — Genes. 37. — Genes. 19. — Eccles. 7.

§. XXV.

Solius diuini tribunalis est, quòd mali plectantur iuxta malitiam suam: in mundialibus tribunalibus multoties mali triumphant.

CRediderim aliquid diuinum odoratum fuisse in Domino vineæ, de quo isti sic indubitanter pronunciant, quòd veniens, *malos malè perdet*;non enim hoc sic indubitatum est apud alium,quàm apud Deum. Apud homines tantum abest, quòd mali malè perdantur, quòd sæpiùs mali in eorum iudiciis triumphant.Prouerb.19.dicitur:*Multi colunt personam potentis, & amici sunt dona tribuentis. Fratres omnes pauperis oderunt eum,& amici procul recesserunt ab eo.*Hæc verba sic legit vulgata, vt aperiat falsæ amicitiæ naturam, quæ diuitum gratiam aucupatur. pauperes autem etiam fratres, & consanguineos fugit. Verùm Chaldaica translatio alium sensum reddit, æquè verum, & rei præsenti aptiorem. Ait enim: *Multi sunt, qui ministrant coram Principe, sed malis dat munera.* Quid verius apud mundiales Principes,apud mundiales iudices? Ij ex multis ministris, malos eligunt, non quos malè perdant, sed quibus dent munera. Mali,& pessimi omnium in humanis iudiciis pro morte merita triumphum, & ouationem acquirent. Ecclesiastes cap.3. inquit: *Vidi sub Sole in loco iudicij impietatem,& in loco iustitiæ iniquitatem.* Hæc sub Sole quotidie videntur,nimirum quòd iudicum,Principũmque fauores, & munera iniqui, & pessimi omnium arripiant. Quid mirum? Quo iniquior quis, plura habet media, quibus fauores Principum aucupetur; nulli enim mendacio, nulli sceleri parcit, dum sibi gratiam Principis acquirat, quo fit, vt ferè semper in iudiciis humanis impius triumphet. Ad hæc paraphrasis D. Hieronymi ait: *Arbitratus sum aliquid iustitiæ in præsenti sæculo geri, vel pium nunc pro suo merito accipere, vel impium pro suo scelere puniri:& è contrario reperi,quàm putabam. Vidi enim & iustum multa mala hîc perpeti,& impium regnare pro scelere.* Frequentissimi sunt in mundiali foro scelesti homines, qui coronas reportent pro sceleribus suis. Quis ignoret accusationem illam iustissimam, & euidentissimam à viris Iudæis agitatam aduersus Menelaum, scelus ipsum coram Rege Antiocho?Religiosissimi erant accusatores, reus notissimus, eius crimina adeò maxima,& claris probationibus conuicta, vt Rex decreuerit illum punire. Quid tunc?ait textus,2.Machab.4. *Cùm superaretur Menelaus, promisit Ptolomæo multas pecunias dare ad suadendum Regi. Itaque Ptolomæus in quodam atrio positum, quasi refrigerandi gratia,Regem adiit, & deduxit à sententia: & Menelaum quidem vniuersæ malitiæ reum criminibus absoluit; miseros autem,qui etiamsi apud Scythas causam dixissent,innocentes iudicarentur, hos morte damnauit.* Hæccine sunt humana iudicia,apud quæ nocentissimi quique triumphant. Nec velim putes,id solùm euenire apud iniquos iudices,& Reges, qualis erat Antiochus, præualet enim malitia etiam apud sanctissimos. Qui Rex Dauide sanctior, & iustior? Apud hunc tamen sic valuit nequissimus Domini proditor Siba,vt in primis omnia innocentis Miphiboseth bona acciperet,& deinde etiam eius proditione cognita, adhuc recipit illorum medietatem. Ait enim Dauid 1.Reg.19. *Fixum est,quod locutus sum:Tu,& Siba diuidite possessiones.*Ex quo monet sanctissimum, & æquissimum iudicem Petrus Damian. lib. 2. epist.9. *Quid mirum si te,licèt prudentem,& sanctum virum,potuit artifex seruitus, & versuta decipere, cùm & prophetico plenum spiritu Dauidem Siba seruus Saul callidè mentiens,compulit à iustitia declinare.Tu,inquit,& Siba diuidite possessiones.*Quamuis sit in iudice plena æquitas, & sanctitas, & prophetiæ donum, tamen fieri nequit, vt dum in hoc sæculo est, non triumphet in eius tribunali malitia, & mendacium.

Prou. 19. — Eccles. 3. — Hieron. — 2.Mach.4. — 1.Reg. 19. — Damian.

§. XXVI.

Beneficorum sibi hominum proditores, & persecutores rarò communi clade, frequentiùs singulari aliquo modo conficiuntur.

NOn solùm perdendos dicit agricolas rebelles in beneficentissimum Dominum suum, sed notanter addit, malè perdendos,dum dicit:*Malos malè perdet.* Non equidem pessimi ij,& ingratissimi hominum communi debebãt perimi supplicio,sed nouo aliquo,& singulari mali genere perdendi sunt.Et quando non singulari,& inaudito malo perimuntur,qui in beneficos sibi insurgunt?Notissima est rebellio Absalonis cum maiori parte Israëlitarum,in beneficentissimum parentem,& Regem Dauidem:ventum est in certamen proditorum,rebelliumque exercitus apparet ingens: concurritur, & horæ puncto rebelles sese dant in fugam,& in vicinum montem confugiunt. Quid tunc?ait text.2.Reg. 18. *Fuit autem ibi prælium dispersum super faciem omnis terræ,& multò plures erant, quos saltus consumpserat de populo, quàm hi, quos vorauerat gladius in die illa.* Commune est militibus victis,victoris gladio perire, at in hac rebellis Absalomi pugna non multi gladio cadunt, plurimi, imò innumerabiles consumuntur à monte,ad quem confugiunt,Sed quali modo mons potuit tot miseros consumere?Sapienter excogitauit Petrus Damianus huius difficultatis solutionem, ait enim libro 2.epist.20.*Nobis autem videtur,quia vesani quique,& infruniti, qui cum Absalon perduelliones extiterant, Deo deserente, cæcati arbustis occurrentibus impingebant: atque ideò dicatur, quia plures ceciderant saltu consumente perempti,quàm ij,qui gladio fuerint trucidãte vorati.* Vt furiosi fugiebant ad condensa saltus, sic cæci ad arbusta impingebant, & miserè contriti perimebantur,vt dignum erat,malè perire eos,qui in beneficum Dauidem rebellabant. Nullus persecutor benefactoris sui finem speret alium, quàm qui venit ab insufitato, & fœdissimo genere mali, quòd nimirum sic pereat, vt non possit vllum effugium spectare. Inter gladios cadẽtes poterãt sperare veniam à contribulibus suis, à quibus cædebantur, at inter ligna contriti omnem habebant interclusum veniæ aditum. Similiter famosissimus ille sui magistri proditor periit, vt enim sceleris malitiam notauit Matth. 26.

2.Reg. 18. — Damian.

Abiens

Matth.26. *Abiens laqueo se suspendit*, ad lignum cucurrit, & sese ipse mulctauit, ne vlla spes veniæ illi affulgeret, sed vndique esset perditio mala. Pro quo ait D.Maxim.ser.2.de passione,

Maxim. *Non enim Iudam damnat Pilatus, non damnat populus, sed quod est grauius, se ipse condemnat, & cessante iustitia iudicatur. Quem enim alter iudicatur, potest vtcumque esse excusabilis; reus autem sine excusatione est, qui conscientiæ suæ iudicio condemnatur. Quem alter iudicat, potest quandoque a suo iudice sperare indulgentiam, qui se ipse iudicat, à quo indulgentiam postulabit?* Id supplicium prouisum est misero proditori, in quo nihil non malum posset respicere, id quod iustè merentur, qui suorum bonorum persequuntur auctores.

Text. Dicit illis Iesus: Numquam legistis in Scripturis: Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris? Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.

§. XXVII.

Is est Deus, qui de huius mundi reiectaneis nobilissimos gloriæ titulos sciat eligere.

Vilissimus, & reiectaneus lapis in caput anguli fit à Domino, ne quis animo cadat, cùm se reiici, & reprobari videat à mundo, imò tunc magis quærat manum diuinam, cuius potestatis est, de reiectitiis, & vilibus huius mundi nobilissimos gloriæ titulos sibi affigere. Propone tibi ob oculos Dauidem persequẽtem Amalecitas, media in via inuenit seruulum Amalecitarum à domino suo semiuiuum derelictum, inedia iam penè consumptum. Hunc cibo, & potu confirmans Dauid, & audiens esse seruũ propter infirmitatem derelictum à domino suo, statim ex eo quærit, 1.Reg.

1.Reg.30. c.30. *Potes me ducere ad cuneum istum?* Vide quam egregium ducem Dauid eligat sibi, vt de hostibus triumphet. Scit seruulum, scit infirmum, scit reiectum à domino suo, tanquam pondus inutile, & tamen audet hunc proponere sibi ducem, vt gloriosas, & singulares victorias à Deo promissas acquirat. Quis hoc auderet, nisi qui omnipotentis Dei adumbrat virtutem, quæ sola scit de reiectitiis, & vilibus hominibus nobilissimos insculpere gloriæ titulos? Ad hæc aiebat Eu-

Eucher. cher.lib.1.in Reg. *Hunc tamen Dauid inuenit, eique cibum, & potum præbuit, quia manu fortis Deus abiecta mundi non despicit, & plerumque eos, qui mundũ sequi minimè valent, & quasi in via remanent, ad amoris sui gratiã conuertit, eisque verbi sui cibũ porrigit, & quasi duces sibi in via dirigit, dum suos etiã prædicatores facit, qui superbos quosque, qui se in mundo despexerat, Domini virtute prosternunt.* Hic est manu fortis Deus noster, cui ad nobilissimas victorias, ad ingentes glorias, mundi abiecta & reiectanea seruire solent. Hunc Deum, hunc Dominum sequamur omnes, quæramus omnes, qui nec infirmis grauatur, neque reiecta despicit, neque abiecta, & vilia fastidit, vt qui nulla vilitate turpatur; quin potius scit de vilibus, & reiectitiis ingenti gloriæ pulchritudinem adiicere. Vilissimum quandoque, & à mundi mari euomitum latronem offendit iamiam animam agentem in supplicio hũc tamen videns audet illum sibi commilitonem parare, vt ingrediatur

Luc.23. gloriam suam. Et ait illi, Luc.23. *Hodie mecum eris in paradiso.* Quid ais, Domine, vt paradisum intres, vilissimum hunc, & reiectitium latronem assumis? Quis credat regnum, quis credat gloriam, quæ haberi finitur ab homine vilissimo? Quis credat Regem gloriæ, cuius latronem videat hominem huiusmodi reiectitium? Imò tunc Rex gloriæ apparet Christus, qui de reiectitiis, & abiectis hominibus scit non infamiam, sed ornamentum, & decorem addere gloriæ

Chrysost. suæ. Ait D.Chrysost. hom.de cruce, & latrone: *Imperatori quidem iniuriosum putatur, si personam vilissimam participem sui actus accipiat; Christo autem nostro non iniuriæ fuit sacrum ingredienti paradisum, facere ingressus sui latronem participem. Nam secum eum perduxit, non confundens calcantibus latronis pedibus paradisum, sed honorem præstans paradiso. Honor enim loci est, talem Dominum promereri, qui & latronem dignum reddiderit paradiso.* Nemo Christianus abiectionem timeat; licèt enim omnium abiectissimus sit, licèt vt reiectitia quædam, & mundi purgamenta habeatur, sub illo Domino viuet, qui scit de puluere erigere egenum, & de stercore pauperem suscitare, & de reiectitiis sibi duces cõ-

stituere ad glorias comparandas. Nónne habes apud Luc. c.10. hominem a latronibus spoliatum, & in via semiuiuum relictum, quem nec Sacerdos, nec Leuita respicit; hunc à Samaritano quodam in stabulum mitti, & inde educi in triumphum salutis? Et quis tibi videtur Samaritanus hic, qui de reiectitio, & inutili pondere salutis triumphum effingat? Pulcrè ait D.Ambros.lib.7. in Luc. *Non mediocris iste Samaritanus, qui eum, quem Sacerdos, quem Leuita despexerat, non etiam* Ambros. *ipse despexit.* Et quidem non mediocris Samaritanus, sed omnipotens, & summus hominum custos est, qui sic relictum, & despectum hominem in salutem, & gloriam admittit.

§. XXVIII.

Omnia fiat, quisquis Deum sibi cupit inuenire factum omnia.

Etsi multi dixerant, perdendos malos agricolas, & vineam aliis locandam; multi alij id minimè posse fieri credebant, vt explicatiùs D.Lucas posuit. Hos vt confundat Dominus, subitò ad lapidis reprobati, & in caput anguli sublati similitudinem confugit: nec mireris iam vitis similitudine, iam lapidis, Christianæ fidei mysteria explicari à Domino; docemur enim interea, qualiter omnia fieri debeamus, vt nobis Deus fiat omnia. De sponsa dicebatur, Cant.1. *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te, amica* Cant.1. *mea.* Et post pauca, iuxta lectionem Pselli apud Theodoretum, inquit: *Botrus Cypri fratris mea filius, mihi in vineis Engaddi.* Vbi sessor est Dominus, equa fit anima, in qua triumphet eques nobilissimus; vbi autem botrus Deus intelligitur, iam proficiens anima appatet vitis, sic enim vt omnia in dilecto inuenit, omnia etiam sponsa fit. Pro quo ait Psellus, ibi: *O præclaram progressionis sponsæ mutationem! Quæ enim* Psellus. *perspicuè paulò antè similis equæ dicta fuerat, nunc amicorum obsequio planè proficiens, se ipsam vt vitem fructiferam agnoscit. omnis enim anima pura, Domini succensa desiderio, operum progressione fit omnia. Nunc quidem sedes Cherubim, nunc sedes Regis, nunc autem vitis fructifera in aula Domini.* Nulla forma fugienda est illi, qui vult proficere in obsequio Domini iam scabellum pedis fiat, iam sedes, iam thronus, vbi gaudendum est de tanto sessore: iam vinea fructifera, vt de tanto botro diues fiat. Sic per omnia virtutum decora currens, omnia fiat, qui omnia in Deo cupit inuenire. Ad hæc D. Chrysost. locutus de Paulo, hom.2.de Pentec. *Cùm esset vnus,* Chrysost. *omnia fiebat, Dominum suum imitans: etenim cùm sit diuinitas vnius substantiæ, & immutabilis, pro nostra salute omnibus omnia fit. Tu palmes factus es, & ipse tibi vitis, sicut ipse dicit: Ego sum vitis, vos autem palmites. Promouere gressum voluisti? Factus est tibi via, dicens: Ego sum via, per me, si quis intrarit, exiet, & pascua inueniet. Ouis factus es, ille tibi pastor. Ego sum pastor bonus: pastor namque bonus ponit animam suam pro ouibus. Peccator effectus es? Factus est tibi agnus: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Manducare voluisti, factus est tibi mensa. Sponsa fieri voluisti, factus est tibi sponsus.* Sic dũ per omnia discurris, omnia factus, omnia factum inuenis tibi Deum ipsum.

§. XXIX.

Mirabilius est, quòd Iesus hominum corda trahat in salutem, quàm quòd ipse in gloriam à morte resurgat.

Qvòd à reprobatione, & mortis damnatione in creaturarum omnium caput resurgat Dominus, mirabile quiddam est; sed notanter dicitur hoc, quod *mirabile est in oculis nostris.* Quis neget apud humanos oculos miraculum esse magnum, & summum, quòd Iesus mortuus in gloriam resurgat? Apud diuinos autem oculos non est id miraculum summum: sed quòd Iesus humana corda deducat in viam salutis, hoc mirabilissimum est in oculis diuinis. Paulus ad Ephesios, cap.1. ait: *Non cesso gratias agens pro vobis, memo-* Ephes.1. *riam vestri faciens in orationibus meis, vt Deus Domini nostri Iesu Christi, Pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ, & reuelationis in agnitione eius, illuminatos oculos cordis vestri, vt sciatis, quæ sit spes vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in sanctis, & quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos, qui credimus secundùm operationem potentiæ virtutis eius, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cælestibus supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed*

in futuro. Et omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, &c. Duplicem Dei virtutem, & potestatem inter alias exaggerat Apostolus in præsenti, alterã ostensam in nobis, qui credidimus, alteram ostensam in Christo, qui à mortuis fuit excitatus, & constitutus ad dexteram Patris, super omnem principatum factus Ecclesiæ caput. De prima ait: *Quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius, in nos, qui credidimus*; de secunda verò dicit: *Secundum operationem potentiæ virtutis eius, quam operatus est in Christo, suscitans illum*, &c. Itaque Apostolus virtutem, qua Christum suscitat, & eleuat in creaturarum caput, simpliciter illam vocat operationem potentiæ virtutis eius, nullo exaggerante ibi vtitur vocabulo. At vbi ad virtutem, qua tracti sumus ad fidem, accessit, ibi non simpliciter, sed cum magna exaggeratione vocat supereminentem magnitudinem virtutis eius. Et cur potius vocatur supereminens, & magna virtus, quæ traxit nos ad fidem, quàm virtus, quæ in tantum gloriæ cumulum Christum suscitauit? An difficilius Dei opus ostéditur in conuertendis hominibus, quàm in suscitando, &

Chrysost. glorificando Iesu? Ait ibi Chrysost. hom. 3. *Multò sanè admirabilius, quòd animæ ad fidem persuadeantur, vt credant, quàm quod morticina caro resurgat.* Non tanta est in Dei conspectu potentia, non tantum miraculum, quòd membra mortua eleuentur in vitam, & de puluere sepulchri in sede gloriæ exaltentur, quàm quòd carnales, & infirmæ hominum mentes in voluntariam fidem trahantur. Propone tibi ob oculos Dominum mortuos suscitantem: accedit ad quatriduanum

Ioann. 11. Ioan. 11. & ait: *Lazare, veni foras. Et statim prodijt, qui fuerat mortuus.* Vix fatus fuerat, & dicto citiùs mortuus paruit. Verùm vbi ad trahendos Iudæorum animos accedit, ipse ait,

Luc. 13. Luc. 13. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum auis niduum suum sub pennis, & noluisti?* Ad vitam mortui vocantur, & surgunt statim; ad fidem Iudæi vocantur, & reluctantur; mirabilius ergo, & difficilius opus est, quòd homines carnei ad fidem trahantur, quàm quòd mortui possint ad vitam re-

Chrysost. uocari. Ibidem Chrysost. *Dixit Christus iam mortuo: Lazare, veni foras, dicto citiùs paruit. Dixit Petrus: Thabita surge, quæ nihil cunctata dicenti gessit morem. Dicet Christus extrema illa die. Et resurgent omnes, idque tanta cum velocitate, vt tunc viuentes, ne puncto quidem eos præuenturi sint. Sicque in momento, in ictu oculi vniuersa hæc conficientur, concurrentque. Vt autē quis fidem amplectatur, non sic rursum audi dicentem: Quoties volui congregare filios vestros, & noluistis? Vides ne, vt hoc illo sit difficilius? Multò enim difficilius est humanis rationibus libero hominis arbitrio persuasisse, vt Christi fidem complectatur, quàm vt eredat quid vis naturam operari. Sicque meritò dixit, supereminentem esse magnitudinem potentiæ eius in nos, qui credimus.* Natura nescit resistere Dei imperio, vt vocatur, statim paret: liberum hominis arbitrium eius conditionis est, vt resistentiam habeat Deo imperanti: vnde fit vt supereminens magnitudo virtututis diuinæ plus ostendatur in trahendis ad fidem humanis voluntatibus, quàm mortuis suscitandis. Huc reuoca dicta tom. 2. lib. 9. c. 1. §. 9. & tom. 3. lib. 14. c. 22. §. 2. & lib. 15. c. 9. §. 2.

§. XXX.

Non paruum à Deo in hominem beneficium venit, cui datur in alieno capite videre, quod ipse cauere debeat.

Spoliatis Iudæis assumuntur gentes in Christianum regnum: constans est enim sententia Saluatoris dicentis Scribis, & Pharisæis: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Non ante à gentibus datur regnum Christi, quàm illud à Iudæis fuerit amissum, vt in spoliatis Iudæis videant gentes reproborum discrimina, & caueant illa, & ex aliorum ruinis sibi discant prospicere. Quid felicius? Crediderim, hoc fuisse præstantissimum à Deo in gētes profectum beneficium, ad magnamque gentium felicitatem

Zeno. pertinuisse. Ait D. Zeno, serm. 6. de Isaia: *Iudaicus quidem populus impietatis arguitur, sed Christianus, ne talis euadat, pariter commonetur. Denique vt iste plus timeat, ille terretur; ille vapulat, vt iste proficiat. Compendiosum felicitatis genus, alterius periculo discere, quid debeas deuitare.* Præclarè ad felicitatis sublimitatem refert quòd ab alieno periculo discat homo sibi prospicere: solet equidem Deus, quos amat, sic instituere, ne in se ipsis, sed in aliis experiantur primò errorum pericula. Quis à Deo dilectus vocatur ad munus, cuius discrimina in aliis non vidit? Genes. 49. benedicens Dominus tribui Iuda, & prospiciens in virum secundùm cor suum Dauidem, aie-

Genes. 49. bat: *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est*, &c. Ecce tibi das æternando Iudæ regno loquitur Dominus, quod quidem iam tunc æternandum videbat per Dauidis familiam. Hæc ibi à Domino: verum vbi venit ad populi sui regnum stabiliendum, & regem cōstituendum, nec meminit tribum Iuda, nec meminit Dauidem. Quippe ait 1. Reg. 10. *Et applicuit tribum Benjamin, & cognationes eius, & cecidit cognatio Metri, & peruenit vsque ad Saul filium Cis.* 1. Reg. 10. Promissum erat regnum tribui Iuda per Dauidem; & vbi sors regni fit, dirigitur à Deo in tribum Benjamin vsque ad Saulem. Cur Deus non magis dirigis sortem ad tribum Iuda, cui æternum regnum promisisti? Cur non magis vocas Dauidem, in quo scis æternandum esse regnum? Facit hoc ad maiorem felicitatem, & ad maius beneficium collatum Dauidi, quòd priùs eligatur Saul, in cuius reprobatione, & ruina discat Dauid, quid ipse debeat deuitare, vt imperium sibi possit consistere. Pulchrè ad hæc aiebat D. Greg. lib. 4. in 1. Reg. inquiens: *Idcirco reprobus rex eligitur, vt electus successor eius rex David in eo cognosceret, quid cauere debuisset. Sic nimirum & de Angelorū curia legimus: quia de Apostata primo Angelo scribitur, ipse est principium viarum Dei: sed qui ante omnia conditus est, per superbiam cecidit, & in eius ruina sancti Angeli didicerunt qua virtute stare potuissent.* Gregor. Prouidere solet Deus dilectis suis, ne ex suo, sed ex alieno periculo discant: vt videntes aliorum miseras ruinas ipsi cautiores fiant. Sic in lege alia animalia vocauit immunda, & ob aliquas proprietates à sacrificiis, templóque reiecit, alia autem munda vocauit, quæ sibi offerri permisit. Sed cur sic abhorruit ab animalibus, nisi vt in brutorum reprobatione homines discerent cauere suam? Aiebat Tertul. lib. aduersus Psychicos. *Proficere poterant intellecto, plus in homine vitia fugienda, quæ lex damnasset etiam in pecoribus. Nam quando irrationale animal ob aliquid reijcitur, magis illud ipsum in rationali homine damnatur. Ergo vt homines mandarentur, pecora culpata sunt. Quo pacto factum est, vt nec animalia damnarentur ab institutore sui culpa, & homines in pecoribus eruditi ad immaculatam institutionis suæ possent redire naturam.* Tertull. Ita bonus Deus in animalium percussione cautelam prouidit homini suo.

Text. Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem verò ceciderit, conteret eum.

§. XXXI.

Ex inuidentia ortus error, ferè irreparabilem importat ruinam inuidenti.

Qui cadit super lapidem, inferiorem habet lapidem ipsum, qui lapis superior prorsus habetur respectu illius super quem cecidit. Ecce tibi duplex error hominum circa angularem lapidem Christum; & simul duplex errorum pœna. Alij errabant cadentes super lapidem, illum inferiorem, & nouissimum hominem per ignorantiam habentes: alij autem errabant circa illum, quia superiores eius virtutes, & potestatem supra hominem agnoscentes, inuidentiæ flammis exardescebant. Illos percussio quædam reparabilis expectabat: hos omnimoda contritio, & irreparabilis pœna manebat. Et quando inuidentium error non malum causat sine medela? Vt enim inuidentia in altiores, & eminentiores temerarie fertur, sic tanquam subaltrinsecus cadente pondere irreparabiliter comprimatur, erit necesse. Ad hæc ait Eric. in Biblioth. hom. *Illi super lapidem cadebant, qui tum eum per simplicitatem & ignorantiam contemnebant, & iniurijs afficiebant: ideò conquassantur, non tamen penitus conteruntur. Qui verò illum scientes Dei filium, per inuidiam negabant, & contra suam conscientiam eius opera Beelzebub assignabant, super hos irruet lapis, & conteret eos sempiterna perditione, atque comminuet, vt sint impij sicut puluis ante faciem venti.* Eric. Habet hoc pessimum incommodum inuidentia, quòd semper subtus cadit, & quasi sub malo pondere veniente ex alto miserè, & irreparabiliter conteritur. Ex quo lucem capit locus Ioann. 1. epist. cap. 5. dicentis: *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita, peccanti non ad mortem. Et peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt roget quis.* 1. Ioan. 5. Fatetur Ioannes peccatum esse, quod potest sanari: & simul peccatum esse, quod ægrè, & difficulter, & rarò aut nunquam ad sanatiorem venit: non quidem ex defectu medici diuinissimi, qui omnia sanare potest, sed ex prauis accidentibus, & dispositionibus, quæ cum illo nascitur in anima peccatoris. Et quòd peccatum sic peccatorem afficit,

afficit, vt de eius penè faciat desperare salute, vt facit inuidia? Huius ictus vt ab eminentibus trahit malum suum, sic miserum peccatorem comprimit, & pessundat, vt vix possit
August. illi patere aditus ad vitam. Vnde D. August. ex lib. 1. de serm. Dom. in monte ait. *Peccatum ergo fratres ad mortem puto esse, cum post agnitionem Dei per gratiam Domini nostri Iesu Christi, quisque oppugnat fraternitatem, & aduersus ipsam gratiam, qua reconciliatus est Deo, inuidentiæ facibus agitur.* Heu inuidentiæ faces, quibus sic exuritur, & obtenebratur mens humana, vt videns non videat, & odio tabescens falsò credat se amare fratrem; & festina ad iniurias, sera, & nulla sit ad veniam procurandam! Talis est inuidiæ labes, quæ de supernis, cœlestibúsque donis in fratre visis, in inuidentis anima contra-
Matth. 12. trahitur. Illam notans Dominus Matth. 12. ait. *Quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Qui nihil diuinum cogitans in filium hominis peccat, hoc est, hominem fratrem lædit, is maculam contrahit peccati sanabilem. Verùm qui aduersus superna dona, & diuina in fratre nota, per inuidiã insurgit, is fallax, si æternum supplicium euadet, vix enim adducetur, vt velit veniam, vt oportet, postulare. Id quod notans D. August. vbi
August. suprà fatur: *Illius peccati tanta labes est, vt deprecandi humilitatem subire non possit, etiam si peccatum suum mala conscientia & agnoscere, & annuntiare cogatur. Multi enim multò citiùs se fatentur peccasse, sed tamen animam ad humiliandum, & temperandum cor, implorandámque veniam non deponunt. Quam mentis affectionem propter peccati magnitudinem iam de damnatione illos habere credendum est. Et hoc est fortasse peccare in Spiritum sanctum: id est per malitiam, & inuidiam fraternam oppugnare charitatem, quod peccatum Dominus, neque hic, neque in futuro sæculo dimitti dicit.* Expende qualem affectionem animis nostris indat inuidiæ malum, quod descendit de supernis donis visis in fratre: indit equidem affectionem ortam iam de damnatione, qua deprecandi, & veniam postulandi humilitas prorsus respuatur. Nihil enim inuidia in anima hominis permittit esse vitale; vnde Isai. c. 59. *Conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem.* Vbi noster posuit *laborem.* Theodor. posuit *cædem,* & Cyrillus, & Procopius intellexerunt *inuidiam:* ne à morte inuidia videatur distare vel vocabulo. Pro
Bernard. quo D. Bernard. epist. 7. *An nescitis, quia inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum? Attende itaque tibi. Si tibi inuidia, ibi mors, non potes simul inuidere, & viuere.* Quasi putet Bernard. non absimilem esse dispositionem in inuidente illi, quam peccatores post mortem ad salutem habent. Sicut enim post mortem nullus petendæ veniæ locus restat peccatori; sic inuidus, quasi in mortuorum statu sit, vix habet petendæ, & impetrandæ veniæ potestatem.

Text. Et cùm audissent principes sacerdotum parabolas eius, cognouerunt, quia de ipsis diceret. Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas: quoniam sicut prophetam eum habebant.

§. XXXII.

Pessimi omnium sunt, qui omnem à se timorem etiam humanum excludunt.

NEfarissimi isti Pharisæi adhuc non audent tenere ad mortem Christum, quia adhuc in illis aliquid timoris popularis inerat, semper enim vel humanus timor cohibet homines, ne effundantur in extremam malitiam. Qui enim nullo spiritu timoris aguntur, ij perditissimi, & flagitiosissi-
Luc. 18. mi omnium existunt. Apud Luc. cap. 18. dicitur: *Iudex quidam erat in quadam ciuitate, qui Deum non timebat, nec hominem reuerebatur.* Cur malitiosum, & pessimum iudicem vt explicaret, non contentus est de illo dicere, quòd Deum non timebat? Quid necessum fuit addere, quod nec hominem reuerebatur? Nónne sufficit ad omne incrementum malitiæ, quòd Deus non timeatur? Minimè ad summum malitia peruenire potest, si vel aliquis humanus timor in corde maneat. Vnde ablato Dei timore, necessum fuit, & auferri timorem hominum, vt vel sic summus malitiæ vertex ob
Theoph. oculos proponatur. Theoph. in præsenti ait: *Vide autem maioris malitiæ iudicium esse, neque homines reuereri. Deum enim multi non timent, attamen homines reuerentur, ideò & minùs peccant: quando autem apud homines quis imprudens fuerit, tunc omnis malitiæ vertex videtur.* Nihil malitiæ desiderabis in eo homine, quem nullus, nec humanus timor teneat: is ad omnia se flagitia effundet; quin potiùs ad illum omnia flagitia conuenient, tanquam ad malorum omnium centrum. Id quod respiciebat Sapiens Prouerb. cap. 18. dum ait: *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit: sed sequitur eum ignominia, & opprobrium.* Hieron. cum Athanasio verbum illud *contemnit,* ad impudentiam refert, qua impius nihil timet, nihil veretur. Quam impudentiam eleganter Sapiens connectit cum profundo malorum, id est, cum malorum centro: vt enim in omnium mundialium materialium elementorum profundo cẽtrum est, quò vniuersa elementa tendunt: sic in profundo malorum est impudentia, ad quam omnia facinora, & mala statim conueniunt. Nec longè ab hac mente abest Nazianz. in carm. ad Olympiadem inquiens: *Extincto porrò subeunt mala cuncta pudore.* Tolle impedimenta, videbis cuncta elementa præcipitanter sese dare in profundum centri; tolle timorem omnem, & non erit mora, sed subitò omnia mala, vitia omnia in animum impudentem confluent. Prou. 18. Nazianz.

CAPVT XXII.

De Rege faciente nuptias filio suo.

NOn omnibus placent rusticæ, & agrestes similitudines; sunt ingenia nihil nisi nobile, & grande percipientia, quibus vt morem gerat Dominus, è domibus regum exempla notat, quæ in veram doctrinam grandes hominum mentes allicere possint. Et sapientissimè Christianam œconomiam cum Regia componit; hic præsidet rex, illic Deus pater, hic nuptiæ fiunt, quibus filio regis puella iungitur; illic nuptiali festo primogenitus Dei naturam humanam indissolubili vinculo sibi copulat. Quis æstimet nuptialia regis conuiuia? Inæstimabilia sunt etiam bona, quæ Dei filius potest adiunctam sibi humanam naturam, parat suo populo: parat enim tot sanitatum fontes, quot sacramenta, tot pretiosissima fercula, quot Dei verba: tot sapores, quot vulnera in alite Iesu corpore. Iudæus vt fugiat hanc mensam, inuitantes seruos occidit, & ipse præcipitatur in mortem, quam non illi infert vnus, aut alius carnifex, sed vniuersus creaturarum exercitus, quæ militant Domino. Pro rebellibus Iudæis, accedunt meliore fide nationes, conuiuium excipiunt, auidè diuina omnia vorant. Sed proh dolor! Est qui ad conuiuium ingressus ex sordido habitu incurrat Dei offensionem; & quidem non pauci sunt, qui inter Ecclesiæ Christianæ sacra adhuc vitiis sordeant, quibus merentur excludi, & mitti in tenebras exteriores.

Matth. 22. Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.

§. I.

Nil prius quàm humanitas decet Præsulem.

NOlo in præsenti præterire communem ponderationem in eo positam, quòd non antea dicatur regnum cœlorum simile regi, quàm homini, vt sciatur nullus regno, & præsulatui aptior, quàm ille cui prior, est humanitas cordi. D. Synes. lib. de Prou. quendam Osiridem effingit, cui debeatur imperium Orbis, de quo ait: *Quin & de via, & sede Aegyptijs senibus facilè cedebat: cum tamen eo esset parente natus, qui summum apud suos imperium administraret. Ad hæc accedebat æqualium reuerentia, naturáque insita in eo erga homines cura, adeò vt vel in ea ætate vix inter Aegyptios vllus reperiri posset, cui non ab adolescente aliquid boni à patre esset impetratum.* Cur non regnet, qui sic humanus apparet in homines? Ad hanc se effigiem omnes regnaturi componant, scientes nulla virtute, sese magis aptare ad imperium, quàm si humanitate floreant. Vide Paulum ad Romanos, siue Corinthios, siue alios populos scribentem; quibus omnibus hanc præfigit in epistolis salutationem: *Gratia vobis, & pax à Deo patre,* &c. Verum vbi primò scribit ad Timoth. communi salutationi aliud quid putat addendum; ait enim: *Gratia, & misericordia, & pax à Deo patre,* &c. Romanis & cæteris populis gratiam postulat, & pacem; vni Timotheo petit misericordiam. Et cur vni Timotheo misericordiã postulat? Episcopus erat Timotheus; præsulibus autem, & Episcopis Synes.

ſcit Paulus nullam virtutem eſſe potiorem, quàm miſericordiam, & humanitatem. Ait Rupert. lib. 1. in Apoc. *Miſericordiam interponit Timotheo. Nam quia in illo Epiſcopos omnes informabat, cuius officij ſummum, & neceſſarium decus eſt miſericordia, & ille (vt fertur) zeli ferventioris erat, idcircò rectè & opportunè viſcera miſericordiæ illi, vt haberet, præoptat.* Hoc ſibi perſuadeant principes omnes, quòd in nulla virtute magis decorantur, quàm in miſericordia, & humanitate: huius virtutis decus, vt ſummum & neceſſarium ſibi aſſumant. Nec multum metuat princeps Deum offendere, & irritare, dum in ſubditos miſericordiam exercet, quando & ipſe error principis, qui fit prætextu miſericordiæ veræ, apud Deũ veniabilis apparere ſolet. Gabaonitarum ſallacia circumuentus maximus dux & imperator Ioſue, fœdus cum illis iniit, & inconſulto Domino iurauit illis incolumitatem. Sic enim textus Ioſue c. 9. *Susceperunt igitur de cibarijs eorum; & os Domini non interrogauerunt. Fecitque Joſuë cum eis pacem, & inito fœdere pollicitus eſt, vt non occiderentur: principes quoque multitudinis iurauerunt eis.* Sanè iuramentum hoc, & fœdus cum Gabaonitis inconſideratum fuit, quia ante illud deberent conſulere Dominum, à quo fallaciam diſcerent; verùm maluerunt iurare illis pacem, ante conſultationem diuinam; & Deus tacuit, nec ducem ſuum admonuit, nec repulit iuramentum extortum fallacia. Quæ huius diuini ſilentij cauſa, niſi quia non adeò diſplicebat Deo error, qui ad miſericordiam habendam ordinabatur? Ait Auguſt. q. 14. *Sic ergo poſſet, quamuis non conſultus Deus, de ipſis Gabaonitis admonere, qui eſſent: cum longinquos eſſe mentirentur, niſi ei placuiſſet illa iuratio, quæ ſubiectis parcere cogitet.* Rarò non placet Deo in principe, quod ſubditis fauet, quando vel iuratio fallaciter extorta, vt ait Auguſt. inde Deo placuit, quia miſericordiam ſubiectis exhibendam meditabatur, nulla enim in gubernatione moralis virtus commendabilior, quàm humanitas. Pro humanitate, & miſericordia principum, & Prælatorum multa manent paſſim dicta.

Margin: Rupert. — Ioſue 9. — Auguſt.

§. II.

Summa Principum huius temporis calamitas, quòd vix aliquis eorum hominem referat in vita, & homo ſit.

DVm regnum cœlorum Regi Dominus aſſimilabat, ſperabam dicturum ſimile eſſe regnum cœleſte Regi præſtantiſſimo, ſiue Regi iuſtiſſimo, aut vigilantiſſimo, ſed ſolùm vocat ſimile cœleſte regnum homini regi, hoc eſt, Regi, qui hoc habeat, quod homo ſit. Quaſi hoc ſummum ſit, quod à principibus peti poteſt, quod non belluæ, ſed homines ſint; & quidem in hac miſera tempeſtate eiuſmodi eſt vita principum, vt rarus ſit, qui hominem referat in vita. De penè deplorato peccatore aiebat Iob 33. *Reſpiciet homines, & dicet, peccaui.* Vt errantem ſuam vitam cognoſcat, non neceſſe erit illam cum virtutibus diuinis componere, in quarum comparatione nec Angelicæ puritates ſunt mundæ. Sed nec cum virtutibus, Dominationibus, Throniſque cœleſtibus; imò nec cum Ioanne Baptiſta nec cum Petro, nec cum Antonio: denique nec cum aliquo pio, & iuſto viro comparauit illam; vt quæ ab illis forſan ſine maximo crimine diſtare potuiſſet. Verùm ſi cum gregali quodam homine comparetur, ab hoc etiam erit multum diſſimilis. Quid infelicius? Ait ad hæc D. Gregor. lib. 24. c. 6. *Reſpiciet homines; & tunc deinde ſubiungitur, & dicet, peccaui. Nam ſi conſideraret homines, citius agnoſceret, quantum peccando infrà homines cecidiſſet.* Eo ſolùm quòd hominem videat, in quo nihil aliud boni inueniatur, quàm id, quo poteſt dici, quod homo ſit, experietur, ſe neque ad id perueniſſe, ſed longè ab homine diſtare, & appropinquare naturæ belluinæ. Linque Deum, linque cœleſtes virtutes, linque homines religioſos, pios; propone tibi ob oculos hominem rationis ſolùm pollentem vſu, quo homo conſtituitur, à belluis diſtinctus, fallar, ſi ab hoc etiam principes huius temporis non videantur diſtantiſſimi. Poſt pulcherrimam, & intactam fœminam ædificatam de latere ipſius viri in loco paradiſi, ait Deus benè callens hominis naturam, Geneſ. 2. *Propter hanc relinquet homo patrem, & matrem ſuam,* &c. Validiſſimus ſanè affectus eſt, qui hominem eo adducit, vt parentes & omnia relinquat ſibi chariſſima propter fœminam; tamen ille affectus à Deo cenſetur homine dignus, quippe ait: *Propter hanc relinquet homo* &c. Dignum equidem homine eſt, quod chariſſima omnia relinquat, vt pulcherrimæ, & æquali, & intactæ, & in paradiſo ortæ adhæreat vxori ſuæ. At quòd relictis parentibus, diſſipata ſubſtantia & deſpecta pulcherrima; & æquali vxore, adhæreat quis viliſſimæ meretriculæ, è macellorum fæcibus ortæ, à mille ganeonibus immundiſque, viliſſimiſque lenonibus ſubactæ priùs, quod apud hanc diuerſetur, & pro huius ornatu opes, ingentiáque patrimonia conſumat: cuiuſmodi hæc vita eſt? Quis ſic viuit? Nónne principes, nobiléſque viri? Hos homines dicas? Imò illis melius aptarim illud, 2. Petr. 2. *Canis reuerſus ad vomitum, ſus lota in volutabro luti.* Quando propter fœces, & ganeonum reliquias, chariſſimis ſuis vale dicunt. De his Hier. 5. *Equi amatores, & emiſſarij facti ſunt.* &c. Ex quo Saluian. lib. 1. de Gubern. Dei ait. *Quotuſquiſque eſt diuitum connubij ſacramenta conſeruans, quem non libidinis furor rapiat in præceps? Cui non domus, ac familia ſua ſcortum ſit? Et quæ non, quamcumque perſonam cupiditatis improbæ calor traxerit, mentis ſequatur inſania? Secundum illud, quod de talibus dicitur: Equi inſanientes in fœminas facti ſunt.* Iam vel ex immodica, & turpiſſima libidine patet, quàm longè ab homine principes, & potentes viri abſint. Quid ſi eorum frequentiores conuerſationes, & confabulationes ſpectes? Has ſolas qui ſpectabit, D. Syneſius lib. de regno, ait: *Quandiu ergo humanam conditionem aſpernamini, ne hominis quidem perfectionem attingitis. Nam quorum in quotidiano victu, aliiſve in rebus conſortium adſciſcitis, exiguo capite, iuxta & mente, quos natura deerrans adulteratos edidit, vti numiſmata menſarij corrumpere ac deprauare ſolent: ita vt regi munus ſit ſtolidus homuncio, eóque acceptius, quò ſtolidior eſt, ij eodem tempore indecoris geſticulationibus, aliiſque quibus poſſunt ſcurrilitatibus, vna vobiſcum perperam tempus abſumunt, mentiſque caliginem, quam ex eo contrahitis, quòd ſecundum naturam nequaquam viuitis, grauioris mali ſolatio demulcent.* Expende cauſam cur principes vtantur ſcurris, nimirum: *Quod ſecundum naturam nequaquam viuunt*, nihil enim in illis minus viget quàm humanæ naturæ vita. Adde aliud hominis inſigne poſitum ab Eccleſ. cap. 12. dum inquit: *Ibit homo in domum æternitatis ſuæ.* Vel vt ex Hebræo legitur; *In domum ſui ſæculi*: vel vt poſuit Tygurina, *In domum ſuam perpetuam*: vel vt maulit Caietan. *In domum mundi ſui.* Quaſi hæc ſit ſpecialiſſima hominis notio, quòd alium mundum, aliud ſæculum, aliam domum numquam perituram, alios honores, & glorias ſemper duraturas ſibi prouideat. Quid de iis mundiales principes? Fallar, ſi quid æſtiment de alio mundo, toti, velut bruta animantia, immerſi præſentibus deliciis. Pulchrè huc reſpiciebat Iſaias cap. 14. *Omnes reges gentium vniuerſi dormierunt in gloria, vir in domo ſua.* Diſtinguit inter reges, & virum; quaſi aliud ſit eſſe virum, eſſe hominem, & aliud longè multùm eſſe regem huius temporis. Et vnde poteſt ſumi hæc diſtinctio? Iam dicit: *Vir in domo ſua.* Qui vir eſt, qui homo eſt, non quieſcit donec domum illam ſuam æternitatis poſſideat: reges autem qui viri non ſunt, vt ab homine diſtant, ſic requieſcunt & incubant præſentibus gloriis, & deliciis, in nullo à pecoribus diſſiti. Aiebat D. Bernard. epiſt. 104. glorioſo culdam principi: *Iſto tamen liceat tibi hæc interim adſcribere nomini tuo, & gloriari in laude tua, & facere tibi nomen grande dumtaxat ſuper terram: quid tibi poſt mortem de ijs omnibus, niſi ſola fortaſſe memoria relinquetur, & hoc quoque ſolummodo ſuper terram? Quòd ſi hic eſt finis laborum tuorum, quid habes amplius iumento? Siquidem & de tuo palefrido, cùm mortuus fuerit, perhibebitur, quòd bonus fuit.* Omnis gloria, omnis laus, qua rapiuntur principes mundiales, non diſtat à gloria, à laude quæ communiter tribuitur brutis. Gloriatur equus in crine in membrorum pulchra diſpoſitione, in ornatu diuite, in agilitate: de his apud huius ſæculi homines etiam poſthumam laudem acquirit. Quid aliud quæſierunt ſibi mundiales principes? Sanè ſi in morte laudandi ſunt & prædicandi homines, neceſſum eſt abſcondere omnem eorum vitam ne videantur, inſtar belluarum periiſſe. Aliter rurſus explicatur hominis natura Eccleſiaſtici cap. 18. *Miſeratio hominis circa proximum ſuum.* habet hoc proprium ſibi humana natura, quòd proximi ſui habeat ſpecialem curam. Et videbis principes, qui infirmiorum ſeruorum non nouerunt limina: quibus ſi equus vulneratus eſt, vel canis venaticus, ſepties in die ſtabula inuiſant. Et qui in genus humanum truciores, & feraciores quàm principes, vt lucra terrena ſibi acquirant? Accipite Iſai. cap. 31. *Et cadet Aſſur in gladio non viri, & gladius non hominis vulnerabit eum*, &c. Loquitur vates de Aſſyriis bello proſtratis, qui hoſtili gladio percuſsi ſunt; quod ſi verũ eſt, quòd gladio ciciderunt, cur dicit illos non cecidiſſe gladio hominum? An alij gladio feriunt quàm homines? Sed meritò qui gladio vtuntur, vt pro ſubſtantiola terrena acquirẽda tot vitas hominũ profundant, ij homines non

Margin: Iob 33. — Gregor. — Geneſ. 2. — 2. Petr. 2. — Hier. 5. — Eccleſ. 12. — Caietan. — Iſai. 14. — Bernard. — Eccleſ. 18. — Iſai. 31.

non sunt, sed bestiæ feralissimæ. Possum ire per omnes hominis notiones, quas solas natura hominis sibi effingit; quarum vix vlla viget in principibus. Voca hominem scien di studiosum; quæ conditio litterarum rudior, quam nobilitas? Voca verecundum in crimine, adeo, vt pene hoc illi
Iob 31. detur vitio, dicente Iobo cap. 31. *Si abscondi, quasi homo peccatum meum.* Longè alia est notio nobilium, qui lætantur cum malefecerint: & gloriæ deputant, quòd turpitudines eorum pateant, publicentur. Illum non dissimulabo, quasi præcipuum hominis ornamentum; de quo communiter dicitur, quòd homo ore capitur, & fera laqueo: nec aliud vult
Prou. 6. sapiens Prou. 6. iuxta Septuag. *Laqueus enim fortis viro propria labia, & capitur verbis oris sui.* Sic humanum est firmiter dictis stare. Conueniant huc vniuersi nuperi principes, & vel ex fructu oris sui explorent, quid in se hominis habeant. Vix vlla dicta infirmioris fidei hodie reperiuntur, quam quæ à principibus dantur.; eorum promissiones, quasi nugæ habentur apud cordatos: & verba, quasi rationis expertia sibila reputantur, ne quid hominis in illis esse pateat. Isai. 33. de
Isai. 33. gente prorsus dissipata loquens ait: *Dissipatæ sunt viæ, cessauit transiens per semitas, irritum factum est pactum, proiecit ciuitates, non reputauit homines.* Expende præcipitium, priùs dicit, quòd *irritum factum est pactum*, hoc est, irritæ factæ sunt promissiones, nulla fides in verbis mansit. Quid tunc? *Non reputauit homines*, cum dictorum fide, quidquid hominis erat, abiit. Impossibile est quòd quis non stet dictis, & stet naturæ humanæ. Vnde Iacob c. 49. Gen. de Simeone, & Leui locutus, qui pactum cum Sichimitis irritum fecerunt, ait: *Simeon & Leui vasa iniquitatis bellantia in consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu eorum non sit gloria mea.* Vbi Chaldæus expressius in rem nostram legit: *In secretis eorum non fuit anima mea, & cum congregarentur, vt irent, non descendi de gloria mea.* Descenderet proculdubio de gloria hominis & statu, si assentiretur euntibus contra initum pactum, & promissionem firmatam.

§. III.

Qui hominem adimplet, ille solus regnum, & principatum sibi stabilit.

DVm ait cœleste regnum simile homini regi, pulchrè hominem præposuit regi: fundamentum enim penè inconcussibile splendoris regij, in eo habebis, quòd possis ho-
Eccles. 49. minem adimplere. Ecclesiastic. cap. 49. *Et Ioseph, qui natus est homo, princeps fratrum, firmamentum gentis, rector fratrum, stabilimentum populi.* Vnde Ioseph minimus omnium fratrum ad eorum principatum peruenit? Cur qui minimus, erat princeps, & rector, & firmamentum, & stabilimentum? Meritò Paulus de Palacios ad primam Iosephi commendationem, ponit illam: *Qui natus est homo*; hoc est, qui ab ipsis penè cunabulis bestiales appetitus coercuit, & hominem adimpleuit, fratres amans, & resistens petulanti fœminæ. Qui ergo hominem sic adimplebat, iam firmissimum in se regni auspicium præbebat. Quò spectans D. Synes. lib. de
Synes. regno ait: *Is consentaneum regnandi initium cœperit, qui ab eo, quòd secundum naturam est, imperandi auspicium fecerit: quoniam quæcumque rationis expertes partes, curatas, ac tractabiles reddens, rationi obsequentes fecerit, & ad vnius principatus sapiens moderamen, multitudinem componit, hic verè diuinus, siue rex, siue priuatus, homo est.* Ecce tibi totum stabiliter regnandi auspicium vnde sumi debeat, nempe *ab eo, quod secundum naturam est*, ab eo quod quis hominem induat, belluinum exuat. Hinc apparet mendacissimum diabolum apud Luc.
Luc. 4. cap. 4. de quo dicitur: *Et ostendit Iesu omnia regna orbis terræ, in momento temporis, & ait illi: Tibi dabo potestatem hanc vniuersam, & gloriam illorum: quia mihi tradita sunt, & cui volo, do illa.* Proh dæmonis mendacium euidentissimum! Et quomodo fieri potest, quod peruersor hominis, possit con-
Irenæus. dere reges? Pulchrè ad hæc D. Irenæus lib. 5. cap. 24. ait: *Manifestum est, quoniam mentitur diabolus, dicens: Mihi tradita sunt regna, & cui volo do ea. Cuius enim iussu homines nascuntur, & reges constituuntur.* Expende penès quem solum sit potestas reges constituendi, & æternandi, nimirum penès illum, cuius iussu nascuntur homines, non cuius allectione brutescimus, sed cuius imperio, & auxilio hominem adimplemus.
Apoc. 1. Hinc Apocal. 1. dicitur de Iesu: *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos regnum, & sacerdotes Deo Patri suo.* Priùs redempti sumus Iesu sanguine à dæmonis, & vitiorum seruitute, & abrutescentis concupiscentiæ labibus lauati, deinde facti reges Deo, & patri Christi: vt is sit rex regum, & dominus dominantium. Ait enim Rupert. ibi: *Rex & sacerdos solus erat Iesus: reges, & sacerdotes facere de seruis peccati proposuerat, & idcircò sanguinem fundebat.* Hoc spectabat redemptio hominum facta à Iesu, vt peccati seruitus tolleretur, vt bestialium concupiscentiarum raderetur dominium, quo hominum redintegrata natura regium splendorem subiret. Rupert.

§. IV.

Bonus Princeps Reipublicæ restaurandæ tempore, nil molle, & deliciosum debet meditari sibi.

HOminum statum in pecus vergentem reparaturus Dominus, sapienter, & diuinè se comparauit Regi, qui nuptias facit non sibi, sed filio suo. Equidem non esset boni regis, calamitoso tempore vbi de reipublicæ labentis statu instaurando pugnandum erat, sibi nuptiales parare, & comparare delicias. Hoc in magno Pompeio reprehensum est, qui Reipublicæ Romanæ labentis accepto clauo, nil prius egit, quàm sibi nuptias parare, & Corneliam ducere. De quo Plutarchus in eius vita: *Verumtamen non placebant quibusdam intempestiuæ hæ nuptiæ. Quippe erat Corneliæ Pompey filio maturius matrimonium. Honesti verò viri Pompeium existimabant rempublicam deposuisse vt iactatam fortunis, quarum elegerat ipsum medicum, atque vni se commiserat. Cùm interim ille coronatus sacra nuptialia faceret, qui illum deberet pro calamitate ducere consulatum.* Expediret forsan bono Principi, vel turbulento tempore nuptias comparare filio suo, at inter labentium clamores, inter calamitates communes sibi, meditari nuptiales choros, nuptiales delicias, serta, corollas, cantilenas, hoc principis est non curantis, sed deponentis rempublicam. Meliori consilio maximus ille Ioseph ad Ægypti regnum euectus, vt penuria panis labenti regno consuleret, vbi inter famescentes populos côuiuio excipit fratres suos, Genes. 43. *Egressus continuit se, & ait, ponite panes.* Dum solum panes petit parari, & alia etiam obsonia requirit, sed quæ non ad lautitiam, & delicias conducant. Indignum enim putauit principi, inter periclitantes populos indulgere deliciis. Id quod notans Philo Iudæus lib. de Ioseph, inquit: *Interim sibi non valde lauti apponuntur, quòd conuiuatori non liberet vti delicijs in publica penuria.* Procul absint deliciæ à principe qui rempublicam labentem instaurare nititur; fœdissimum enim est, quod princeps sibi mollia, & suauia omnia meditetur, vbi ferro, & igne opus est, vt status publicus consistat. Hinc Isaias contemplatus Babylonem penè labentem in hostium spicula, clamat cap. 21. *Babylon dilecta mea posita est mihi in miraculum. Pone mensam, contemplare in specula comedentes, & bibentes surgite principes, arripite clypeum.* Stupendam miratur imminentem iamiam Babyloniis calamitatem, insuper & fœdissimam illorum desidiam, qui mensis, & comessationibus instent, penè in hostilia ruentes spicula. Quam desidiam in vniuersis Babyloniis videns propheta, sic clamat ad principes, *Surgite principes, arripite clypeos.* Et quãdo omnes mensis instant, cur iubet solis principibus, quòd inde surgant, & currant ad clypeos, nisi quia in solo principe id maximè fœdum est, quod vel delicias ciborum meminerit, vbi ferro, & igne indiget respublica? Arripiant alij suauium ciborum fercula, vnguentis madeant in conuiuio, vos principes, vbi hostis instat, calamitas terit iam ciuitatis limina, non suauitates, sed ferri duritiies arripite. Alij legunt: *Surgite principes, vngite clypeum.* Quidquid ornatus, & splendoris meditandum est, hoc eò spectet, vt arma rutilent, vt splendeant spicula, non vt principum corpora madeant deliciis. Quod ominosum in suis principibus luget Saluian. de Guber. lib. 6. inquiens: *Ad hoc postremò rabida vini auiditate peruentum est, vt principes verbis ipsius, nec tunc quidem de conuiuijs surgerent, cum iam hostis vrbem intraret: adeò etiam Deus ipsis euidenter manifestare voluit, cur perirent, cum per quam rem ad perditionem vltimam venerant, eam ipsam agerent, cum perirent.* Et sic vniuersi principes peribunt, qui nec calamitatis tempore desinunt meditari sibi delicias. Plutarch. Genes. 43. Philo. Isai. 21. Saluian.

§. V.

Humilitas in Principibus habet ex Deo fœcunditatis præmia, vt ditentur filijs.

FIlij nuptias meditatur rex, & qui rex introducitur sic prosperatus in filio nobili? Rex homo; ait enim: *Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.* Da mihi regem,

regem, qui se hominem meminerit, qui non se supra hominem extollat, & hunc, fallar, nisi Deus fœcundissima prole ditet. Quis ignoret sterilitatem Abrahæ toties ab illo deploratam? Tandem aliquando peregrinos excepit hospitio, Genes.18. conuiuio cibat, ait enim Genes.18. *Tulit quoque butyrum, & lac, & vitulum, quem coxerat, & posuit coram eis: ipse verò stabat iuxta eos sub arbore. Cumque comedissent, dixerunt ad eum: Vbi est Sara vxor tua? Ille respondit: Ecce in tabernaculo est. Cui dixit, Reuertens veniam ad te tempore isto, vita comite, & habebit filium Sara vxor tua.* Quid tunc? Saræ & sterili, & seni datur filius in Abrahamo, & sene & sterili; sed tunc mandatur eis filius, quando Abraham instar famuli adstat Ambros. hospitibus. Ait D. Ambros. cap. 5. *Aduertimus, officium Abrahæ commendare humilitatem, Abraham stabat, in primam accubitionis partem occupat? Denique ea humilitas inuenit gratiam, vt promitteretur ei filius.* Magnus Abrahamus vbi humile officium non detrectat exhibere hospitibus, & mauult coram illis quasi seruus adstare, quàm velut dominus sedere, obtinet promissionem, filium, & vbi humilis apparuit, ibi spe promissionis iam patet dicitur. O notissimam humilitatis virtutem, cui in magnis hominibus existenti peculiari præmio Dominus fœcunditatem immittit. Huc accedit Booz vir nobilis apud Bethleemitas, qui pauperculam, & stipendiariam Ruth non dedignatur accipere in coniugem, imò conuocatis viris ciuitatis suæ, sic loquitur Ruth cap. 4. Ruth. Ruth 4. *Moabitidem, vxorem Mahalon in coniugium sumo, vt suscitem nomen defuncti in hæreditate sua, ne vocabulum eius de familia sua, ac fratribus, & populo deleatur. Vos, inquam, huius rei testes estis. Respondit omnis populus, qui erat in porta & maiores natu, Nos testes sumus. Faciat Dominus hanc mulierem, quæ ingreditur domum tuam sicut Rachel, & Liam, quæ ædificauerunt domum Israel, vt sit exemplum virtutis in Ephrata, & habeat celebre nomen in Bethleem: fiatque domus tua, sicut domus Phares, quem Thamar peperit Iuda, de semine quod tibi dederit Dominus ex hac puella. Tulit itaque Booz Ruth, & accepit vxorem, ingressúsque est ad eam, & dedit illi Dominus, vt conciperet, & pareret filium.* Grandæuus, & sterilis erat Booz, qui post longissimas alias nuptias, non habebat filium, simul & Ruth sterilis erat, quæ iuncta iuueni manserat sine filiis, nec nouum fuit, quòd qui videbantur steriles, tandem prosperarentur in filiis, sic Anna Samuelis mater, sic Elizabeth mater Baptistæ. Dum tamen noua, & inaudita inuenio in Booz, & Ruth, expendenda, nimirum longissimam illam populi omnis supplicationem, & precationem pro illorum fœcunditate, rursus modum, quo dicitur Deus votis eorum annuisse. Ait enim textus: *Dedit illi Deus, vt conciperet,* &c. Pro aliis sterilibus nullus populus supplicat, & si pro Anna supplicat sacerdos, id facit breuissimè 1.Reg 1. 1. Reg 1. inquiens solùm: *det tibi Deus petitionem tuam.* Pro Booz, & Ruth totus populus precatur, idque precibus longissimis petens, vt fiat Ruth Boozo, sicut Rachel, & Lia, & sicut Thamar, & quòd habeat grande nomen, &c. Insuper de aliis solùm dicitur, quòd tandem conceperunt, 1.Reg.1. 1.Reg.1. *Post circulum dierum concepit Anna.* & Luc.1. *Post hos dies con-* Luc.1. *cepit Elizabeth.* De Boozi vxore Ruth. specialiter dicitur, *& dedit illi Dominus vt conciperet.* Et cur singulariter pro iis orat populus, & singulariter dicitur Deus annuisse votis, vt Ruth conciperet. Meritò id deputat Boozi humilitatis Imperfectus hom. 1. in Matth. sed breuius ait Carthus. in Ruth art. 7. Carthus. *Omnia hæc bona imprecati sunt viri illi huic Booz, quia ipse multum benignè & iustè & humiliter habuit se accipiendo illam pauperculam. Denique imprecatio illa fuit copiosè impleta, quia benedixit Dominus huic Ruth, fecitque eam exemplarem, & famosam non solum in Bethleem, sed vbique terrarum, atque ex semine eius orta est regia tribus,* &c. Adeò potuit Booz humilitas, vt populos in preces traheret, eásque faceret efficaces, vt & senex, & sterilis à Deo eam reciperet fœcunditatem, qua regiam produceret prosapiam. Vtinam hanc virtutem discerent vniuersi principes, qui omnium hominum sterilissimi, suam superbiam, & arrogantiam ostendunt in Hier.22. orbitate. Hierem. 22 aiebat de Iechonia: *Terra, terra, terra, audi sermonem Domini. Hæc dicit Dominus: scribe virum istum sterilem, virum, qui in diebus suis non prosperabitur: neque enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solium Dauid.* Quod telum, vt in arrogantem, & superbientem principem contortum, sic illud simili aliis minatur P. Damian lib. 1. epist. 20. Damian. fatus: *Cur per ambitionem adipiscendi culminis, inaccessibilisque fastigij totum ferè mundum in commendationem tuæ surgunt concitasti? Vt illud Hieremiæ Prophetæ vociferantis exclament: Terra, terra, terra audi sermonem Domini. Hæc dicit Dominus, scribe virum illum sterilem, virum, qui in diebus suis non prosperabitur.* Sic sterilitas principum superbiæ est adnata: quot filios numeres Alexandri? Quot Nabuchodonosor nepotes? Firma illa Iobi sententia cap. 15. *Congregatio hypocritæ sterilis: & ignis deuorabit tabernaculum illorum, qui munera libenter accipiebant.* Mulctat Deus homines potestate elatos ea sterilitate, qua minimè filiorum patres fiant, vt è contrario humiles impleantur filiis. Huc trahe dicta tom. 3. lib. 13. cap. 5. §. 1.

Text. Et misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias: & nolebant venire. Iterum misit alios seruos, dicens: Dicite inuitatis: Ecce prandium meum paraui; tauri mei, & altilia occisa, & omnia parata: venite ad nuptias.

§. VI.

Facinora, & triumphi sanctorum non permittunt contemni Deum ab aliis sine supplicio.

Contemnentibus primò venire ad nuptias, iterum agit Deus de vocandis illis, sed iam non anteà vocat, quàm simul tauros suos, & altilia occisa exhibeat. Hoc est, sic secundò Deus vocat, vt non solùm verbis instet, sed & exempla proponat illorum, qui ad eum vt venirent, nec vitæ pepercerunt suæ. Proh quanto discrimine vocatorum, vocationi adduntur facinora, & triumphi eorum, qui ob Deum fuerunt priuati vita. Tanta enim hæc sanctorum facinora non sinent vocantem Deum ad nuptias contemni ab aliis sine ingenti supplicio. Viri Dei ministri Angeli tres ingressi domum Abrahæ, ibi omni cura, & diligentia hospitati sunt, ingentique Abrahæ pietate suscepti, & obsequiis, officiísque deuincti. Quid tunc? Ait Genes. 18. *Cum ergo surrexissent inde* Genes.18. *viri, direxerunt oculos contra Sodomam: & Abraham simul gradiebatur deducens eos.* Expende, quòd ab Abrahæ conuiuio, & obsequiis pleno hospitio egredientes diuertunt Angeli ad Sodomitas, mansuri apud illos. Et cur non antea ad Sodomitas iuerunt, quàm apud Abraham mansissent, ibique & satorum trium, & vituli pinguis conuiuio potirentur? An prius saturari, & impleri ab Abraham amant, ne postea molesti sint Sodomitis? Minimè, quin potiùs de Abrahami conuiuio, & hospitio vadunt ad Sodomitas, vt Abrahami pietas, & deuotio acuat eorum iram, & augeat Sodomitarum crimen. Nec permittat inultam manere, si qua veniat in Angelos à Sodomitis iniuria. Ait D. Ambros. lib. 1. de Abrah. cap. 3. *Quid sibi vult, quòd illi, qui ad Abraham simul cum Do-* Ambros. *mino venerant, Sodomam petierant viri, nisi vt acerbarentur crimina eorum, si quam iniuriam honorauerat, his maiore sacrilegio impij vim tentarentur inferre.* Quot Abrahami fuerunt obsequia, & officia erga Dei nuntios, tot exaggerationes erant criminis rebellium Sodomitarum; & illud ipsum, quòd Abraham excepit Angelos, quòd occidit vitulum, quòd mensam posuit, quòd pedes lauit, quòd prandentibus adstitit humilis, erat damnatio Sodomitarum, qui maluerunt esse in eosdem Angelos iniurij. Equidem sunt Sanctorum præmissa facinora, quæ impiorum magis ostendunt crimina, & non permittunt illa impunè abire. Apud Matth. cap. 8. notissima est sententia illa Saluatoris dicentis: *Dico autem vobis, quòd multi* Matth.8. *ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cælorum: filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores.* Venientibus multis ab Oriente, & Occidente ad Deum, filij regni, qui nec gradum pro Deo facere voluerunt, eijcientur in tenebras exteriores. Sed cur ij non eijciuntur, antequam illi venerint? Cur necessum fuit expectare, vt Orientales, & Occidentales ad Deũ veniant, vt tunc & nõ ante torpentes filij regni in tenebras eijcerentur? Aduentus externorum, & deuotio in Deum, dissidiã, & torporem ostẽdit domesticorum; & qui antea tolerari potuissent, postquam tot Deo obsequentes apparuerunt, in miseram deueniunt damnationem tracti ab exterarum virtutum operibus. Quò spectans D. Chrysost. hom. 70. in Matth. ait: *Ad* Chrysost. *ea, quæ dicta sunt, scorta etiam Iudæis renuentibus crediderunt; quare non solùm à scelestissimo Iudæo, verùm etiam ab aliorum clarissimo factuore condemnantur.* Ea sunt clarissima Deum sequentium facinora, quæ rebelles animos impiorum, in vitiísque torpentes damnationi citius faciant subiacere. Adde ex 1. Reg. c. 20. vbi de Ionatha paciscente cum afflicto Dauid ait: *Pepigit ergo Ionathas fœdus cum domo Dauid: & requisiuit* 1.Reg.20. *Dominus de manu inimicorum Dauid.* Expende connexionem operum: vbi apparuit Ionathas paciscẽs cum Dauide, simul

apparuit

apparuit Dei vindicta in Dauidis aduersarios, quasi Ionathæ facinus Dauidis inimicos magis apud Deum accusaret, damnaret. Eucher. ibi ait: *Cum adiungeret scriptura: Pepigit ergo Ionathas fœdus cum Dauid; continuò subintulit, dicens: Et requisiuit Dominus de manu inimicorum Dauid. Quia dictum est, quòd fœdus pepigerit Ionathas: requisiuit Deus, quare non & ipsi fœdus cum eo pacis inire voluerunt, cum quo esse Dominum viderunt.* Sic Ionathæ facinus virtutis traxit Deum, vt de sceleratis vindictam sumeret. Huc accedunt dicta 1. tom. lib. 5. cap. 1. §. 16. & tom. 2. lib. 6. cap. 6. §. 27. & lib. 12. c. 6. §. 2.

Eucher.

§. VII.

Summus hic est Christianæ œconomiæ apex, quòd non solùm verbis, sed & virtutum agamus operibus.

FAmulorum vocantium ad nuptias verbis sapientissimè Dominus adiûxit altilia occisa, & occisos tauros, ne videretur res Christiana solis verbis agi, sed operibus virtutũ, qualia ostendunt, qui animal suum Deo, & virtuti mactarunt. Huc enim spectat Christiana perfectio, vt verbis respondeāt manus. Apostoli Act. 6. dicunt de se ad multitudinem. *Non est æquum, nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis; considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonij septem plenos Spiritu sancto, & sapientia, quos constituamus super hoc opus. Nos verò orationi, & ministerio, verbi instantes erimus.* A ciborum distributione abstinent Apostoli, vt liberius possint instare Dei verbo; sed cur viri piissimi sic detrectant ministrare pauperibus, cum alimenta distribuerent, nonne posset lingua prædicare Dei verbum? Vbi verba sonabant spiritum, & præcisionem carnalium desideriorum, necessum fuit, vt manus à carnalibus operibus abstinerent, vt sic spiritualiori opere comitarentur verba, in quo consistit Christiana perfectio. Pulchra sunt in rem præsentem verba Cæsarij Nazianzeni fratris Dialogo 3. vbi inquit: *Christi discipuli relicta mensarum observatione pietatis sermonem potius capessere voluerunt, non vt verbis tantùm sapienter docentes, sed & factis instituentes. Nam benè loqui lyræ, vel cymbalo simile est; vtiliter autem agere, cum Angeli natura coniunctum est.* Quid pulchrius? Qui verbis floret, illísque nititur sese ostendere, is lyræ, aut cymbali præstantiam non excedit. Etiam cymbalum dulciter sonat, & ad sacra vocat: sed qui verbis opera iungit, is humanam infirmitatem transcendit, angelicam attingit perfectionem. Non adeò curet de verbis, magis de operibus curet, quisquis in Christi Ecclesia cymbala cupit excedere, & angelicis choris inseri. Id quod maximè cupit Deus suis sectatoribus persuadere quasi nihil magnum efficiant, nisi vbi verbis & manus adiungant. Vnde excitaturus Lazarus Ioan. 11. in primis quærit, *vbi posuistis eum?* Respondentibus illis: *Veni, & vide*; insuper iubet viso sepulchro: *Tollite lapidem.* Cur ante suscitationem amici, tot moras nectit, iam quærens de sepulchro, iam iubens sepulchrum aperiri? Sciebat equidem vbi iaceret defunctus; & posset facilè simul & lapidem tollere, & amicum adducere in vitam. Cur maluit moram facere interrogationibus? Imò & post interrogationem, cur imperium addit de tollendo lapide? Qui miraculis suis instruere præsentes ad perfectionem optabat, pedetentim procedit, & quando interrogationibus sola verba elicuit, addidit imperium de tollendo lapide, vt verbis adderentur & manus in quo consistit Christianæ perfectionis testificatio. Sic D. Basil. Seleuc. ser. 4. *Eo nomine rogat, vbi posuistis eum? Vt responderent, veni, & vide eique duces essent, dicere non habeant alterum à Lazaro suscitatum. Denique vt vox testetur, & manus; illa dicens, veni, & vide: hæc lapide elato, fasciísque solutis.* Quasi imperfecta esset, & indigna virtutis Christianæ testificatio, quæ sola voce constabat; additum fuit opus manuum, vt dum & vox loquitur, & manus seruiunt tollendo lapidi, perfectissima Christi virtus inde pateat.

Act. 6. Nazianz. Ioan 11. Basilius Seleuc.

Text. Illi autem neglexerunt, & abierunt, alius in villam suam, alius verò ad negotiationem suam; reliqui verò tenuerunt seruos eius, & contumeliis affectos occiderunt. Rex autem cùm audisset, iratus est: & missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit.

§. VIII.

Seruos Dei qui offendit, celerem ex Deo trahit ruinam.

VBi Deus audiuit seruos suos percussos, statim exardescit ira, statim in percussores vindictam mittit, non sic festinat Dominus aduersus iniquum villicum, sed post audita eius facinora, adhuc moratur, & vocat hominem in iudicium. Sic Luc. cap. 16. *Vocauit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris villicare.* Post audita villici crimina, expectat adhuc Deus rationem ex eius ore audire, & tempus illi concedit, quo possit cum aliis debitoribus pacisci. At præsentium hominum crimina, vt audit, non differt, sed subitò irascitur, & statim vindictam sumit de illis. Cur qui adeò seuerus fuit in villicum, adeò festinus est in hos miseros? Sanè ij crudeles erant in Dei seruos, illos occidentes, & ignominia afficientes, & qui Dei seruos offendit, hoc habet peculiare, quòd celerem sibi ex Deo trahat ruinam. Huc spectat illud Iob ex lectione Septuag. apud Hier. in cap. 6. Oseæ. nimirum: *Non est dilatio piratis.* Alij equidem peccatores, & periuri, & homicidæ solent dilationes supplicij obtinere: piratis solis non solet præstari dilatio. Et quis pirata? Qui nauali certamine persequitur eos, qui per maria dirigunt viam suam, is pirata est, in quo absque dubio notantur illi, quorum rabies extenditur ad Christi aues ascendentes de baptismi aquis; qui ergo ablutos aqua Christiana persequitur, qui percussit seruos Christi, dilationem supplicij non expectet, in eum enim, quàm primum diuina ira solet venire. Sic hanc excogitationem finit D. Hieron. vbi suprà: *Non est dilatio piratis. Quamuis enim præsenti sæculo se iactare videantur, & conturbare aquas, & operari vana, & exercere piraticam, tamen non est mora pœnarum, quæ eos velociter comprehendent.* Huc conueniant, & metuant, qui terrenorum hominum mores corruptissimos cum possint percutere, malunt diuinarum gratiarum maria infestare, & pias mentes inter spiritus fluctus aliquando depressas, aliquando sublimes persequi; ij vt piratis sunt similes in vita, sic erunt similes in celeri, & festinato supplicio. Deus enim qui longanimis est in peccatoribus expectandis, in suorum seruorum persecutoribus castigandis, vix paruas moras sustinet. Adeò vt cum differre iræ suæ ostensionem decernit, nil magis curet, quàm quod non sit suorum seruorum persecutor, quasi cum hoc non possit stare dilatio diuinæ iræ. Num. 22. magnus ille Balaam vigebat, qui dæmonum familiaritate potens multa faciebat, hic dæmones consulebat, eorúmque consilio innumera hominum generi inferebat mala. Dum tamen quadam die regales nuntios secum haberet, quorum rogatu pararetur vt dæmones aduersus populum Israelis conuocaret, ecce tibi nō dæmones, sed verus Deus illi adest: *Dixitque Deus ad Balaam, noli ire cum eis*, &c. Circa quæ, illud in primis maximè notandum, quòd Deus optimus maximus dignatus sit venire ad Magum, & sua præsentia dæmonum aduentum impedire. Facilè quidem posset Deus omnia consilia venientium dæmonum infatuare, illorúmque mala deuitare: sed maluit impedire, ne dæmones ad consilium venirent, nec loquerentur cum Mago. Et cur hoc dominus maluit? Pulchram in rem præsentem rationem reddit Orig. homil. 13. Num. *Dæmones non vult Deus ante tempus à proposito sui intentione violenter abstrahere, & ideo ex initio non eis sinuisse, conuocari per Balaam, ne inuocati destruerentur ante tempus, & permanerent defendente populum suum Deo.* Erat iuxta Dei decretum danda dæmonibus illis dilatio, qua terrenorum dominarentur: ideo sapientissimè cauit, ne venirent dæmones ad Balaam consulenti aliquid contra Dei popolum: non enim stat dilatio supplicij piratis persequentibus Dei seruos, sed cogeretur Deus dilationis tempus breuiare, & ante tempus rebelles insitorum persecutores castigare.

Luc. 16. Hier. 6. Hieron. Num. 22. Origen.

§. IX.

Diuina ira vniuersa creatura militat aduersùs peccatores, ne sit peccator, qui malorum non experiatur exercitus.

VBi audis Deum iratum, ecce tibi validissimi & numerosissimi exercitus apparent, qui in rebelles mittuntur. Ait enim: *Rex autem cum audisset, iratus est, missísque exercitibus suis, perdidit homicidas.* Non stat pro Deo vnus, aut alter carnifex, sed exercitus ingens: nescit Deus irasci quin secum vniuersos creaturarum exercitus trahat in iras aduersus impios. Ait Iesus Ioan. 12. *Nunc iudicium est mundi, nunc*

Ioan. 12.

princeps huius mundi eijcietur foras. Et cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. Qualis hæc dictorum coniunctio est? Vocabat Deus in iudicium mundum, damnabat mundi principem seueriſſimus iniquitatum vltor, fateor. Sed ad hæc quid facit illud: *Cum exaltatus fuero, omnia traham ad me ipsum?* Vt iudicet, & damnet Deus principem, quid interest, quòd omnia ad se ipsum trahat? Sanè magna inde ostenditur ruina mũdialis principis, quem damnat ille, qui nescit solus in aliquem irasci, sed in similem iram vniuersas creaturas adducit. Et quidem ille est Deus, cuius iram qui patitur, simul in se iratas vniuersas creaturas experitur. Ad hæc D. Leo serm. 4. de Paſſ. fatur: *Traxisti domine omnia ad te, cum in execrationem Iudaici sceleris vnam protulerunt omnia elementa sententiam, cum obscuratis luminibus cœli, & conuerso in noctem die, terra motibus quoque quateretur insolitis, vniuersaque creatura impiorum se vsui negaret.* Audisti, & lapides concuti, & terrã moueri, & astra obtenebrari, & monumenta aperiri, dum Dominus in cruce exaltatus thesauros iræ in sibi contradicentem populum comparabat. Et qualis erat illa rerum species? Sanè iratus Deus in Iudæos, illósque tunc maximè proiiciens, ad se vniuersas creaturas trahebat, quæ rigidæ sententiæ subscriberent, ne aliqua maneret creatura, quæ Deo irato non militaret, seseque ostenderet miseris rebellibus aduersariam. Sic nullus est impius, nullus est peccator in Deum rebellis, in cuius ruinam vniuersæ non armentur copiæ, & malorum, & creaturarum. Quò alludens Ecclesiastes cap. 8. ait: *Non est in hominis potestate, prohibere spiritum, nec habet potestatem in die mortis, nec sinitur quiescere, ingruente bello.* Pulchra paraphrasi dies mortis peccatoris, vocatur dies belli. vt enim mors imminet peccatori, sic bella ingruunt, sic ingentes horribilium copiæ, & hostiles exercitus apparent, qui miserum inuadant. Quod pia & vera meditatione ponderans D. Ephrem, serm. in eos, qui in Christo obdormierunt, fatur: *Repentè constringitur lingua, immutantur oculi, concutitur mens, quando Dominicæ copiæ, atque satellites aduenerint: quando formidabiles exercitus inuaserint, atque apprehenderint, quando diuini nuntij, atque emissarij animam è corpore migrare iusserint: quando inexorabiles apparitores in iudicium non trahentes detulerint.* Heu miseram peccatoris conditionem! Non equidem vnus carnifex, sed carnificum formidabiles exercitus, ingentes copiæ reum inuadent, quibus vndique cinctus feretur in iudicium ineuitabile. Heu quantam in se multitudinẽ seueriſſimorum iudicum, terribilium hostium commotam miser peccator aspiciet? De hoc die ait Apoc. 1. *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt, & plangent se super eum omnes tribus terræ, Ego sum Alpha, & Omega,* Græcè α, & ω: iudicium in fine minatur seueriſſimum aduersus impios, & vbi de se iudice seuero, veniente in nubibus aduersus impios loquitur, statim subiungit illud: *Ego sum α, & ω.* Quid hæc ad iudicium seueriſſimum, quod de impiis fiet? Multùm equidem: nam litteræ illæ Græcæ simul referunt notas numeri, vt α significet vnum, & ω significet octingentos, seu plures Quid tunc? Veniet equidem iudex seueriſſimus, iudex, qui sit vnus, prorsus inuariabilis, & iudex, qui sit ω, hoc est, sic cum omnibus compositus creaturis, vt quot fuerint creaturæ, tot appareant seueriſſimi, & crudeliſſimi iudices. Quemadmodum Sol materialis componi solet aliquando cum nubibus, vt cum in se vnus, & inuariabilis sit, appareat factus plures: ita iustitiæ Sol Iesus veniens in nubibus, seueriſſimus index, sic secum compositas habebit vniuersas creaturas, vt non tam vnus, quàm plures appareant iudices perdituri impium. Rupert. lib. 1. Apocal. ait: *Littera α vnum, ω autem apud Græcos octingentos significat, quia qui in principio vnus erat filius, vnicus siuè vnigenitus, in fine sæculorum filios Dei secum adoptatos habebit quasi octingentos, id est, innumerabiles. Ampliùs autem quando veniet eum nubibus, quando videlicet eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt: tunc opportunè dicet his Dominus Deus, tunc, inquam, vociferabitur, & clamabit, & super illos inimicos suos confortabitur, & istud dicet eis: Ego sum α, & ω.* Equidem qui semper est α, vnus & inuariabilis Deus, vbi aduersus rebelles venerit, & iudex in nubibus sederit, tunc maximè sic se componit, vt appareat ω. hoc est, plures seueriſſimi iudices peccatorem plectentes. Ex quo, si quid interest, lumen accipiunt obscuriſſima verba Tertulliani, lib. 2. in Marc. aientis: *Ita Deus tunc maximè vnus, cùm homini duo, aut plures.* Numquam enim Deus magis inuariabilis, & vnus in se erit, quàm in illa die truculentiſſima, in qua ita secum habebit compositas creaturas, vt appareat homini peccatori multiplicatus in illis.

D. Leo. Eccles. 8. Ephrem. Apocal. 1. Rupert. Tertull.

§. X.

Quo magis seruilis est homini animus, eo ineptior Christianæ cruci excipiendæ.

NOn prætereundi sunt, qui altilis, taurique occisi conuiuia negligunt, nimirum, qui in villam suam, & qui in negotiationem suam abeunt. Sic textus: *Illi autem neglexerunt, atque abierunt, alius in villam suam, alius verò in negotiationem.* Nec miror, quod qui seruilibus mundi operibus incumbunt, ij saginati vituli conuiuia negligant. paruam enim, & penè nullam æstimationem habent mysteria crucis in animis seruilibus. Magnus ille Abraham filium Deo mactaturus, cùm iam ad montis iuga peruenisset, Genes. 22. *Dixit ad pueros suos, expectate hic cum asino: ego autem, & puer illuc vsque properantes,* &c. Ad montis radicem iubet seruos expectare, nec eos permittit ascendere, vt Isaaci immolationem videant. Et cur magis illos secum non adducit, & præsentes facit esse tanto sacrificio? In immolatione Isaac adumbrabatur & crux, & paſſio Christi, quam æstimare minimè poſſent animi seruiles. D. Isidorus in Genesim cap. 18. inquit: *Duo autem serui dimiſſi, & non perducti ad locum sacrificij, Iudæos significabant, qui cùm seruiliter viuerent, & carnaliter saperent, non intelligebant humilitatem Christi, non intelligebat paſſionem Christi, ideò non peruenerunt ad locum sacrificij.* Non poterat seruilis animus Dominicæ mortis mysterium penetrare, neceſſum enim est, vt quidquid in homine mundo seruit, deponatur, vt quis aptus fiat, vt filij Dei immolationem percalleat. Sapientiſſimus ille pater dum redeuntem filium saginati vituli conuiuio excipere parat, sic cauet, Luc. 15. *Citò proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius, adducite vitulum saginatum,* &c. Non priùs vituli saginati, nempè Christi pro nobis occisi ferculum offert, quàm excluso seruili habitu filius induebat stemmata libertatis, & nobilitatis in stola, in annulo, in calceis. Ex iis nobilem virum denotat Iacobus in sua epistola, c. 2. aiens: *Etenim si introierit in conuentum vestrum vir aureum annulum habens in veste candida,* &c. Et ex iis etiam designat diuinus Pater, quam ingenuus, & nobilis debeat esse animus, qui ad percipienda crucifixi mysteria dignus habeatur. Hinc de se locutus Ioannes, Apocal. 1. ait: *Ego Ioannes frater vester, & particeps in tribulatione, & regno, & patientia Iesu, fui in insula Pathmos.* Circa quæ verba duo sunt expendenda & quòd se vocet fratrem, & non seruum, & quòd priùs dicat se participem regno, quam patientia Iesu. Sanè illa est notiſſima Pauli sententia, *qui compatitur, & conregnabit,* vt priùs ad patientiam, quàm Iesu venire debeamus ad regnum. Cur tu Ioannes & canes nomen serui, & priùs te facis participem regno, quàm Iesu patientia? Est regnum, & regnum est regnum Dei intra nos, nostris inclusum visceribus, & regnum Dei exteriùs gloriosum, quale tenent Principes cœlestes. Ad hoc qui vult peruenire, neceſſum est, vt priùs det operam Christi patientiæ, verùm vt hanc æmuletur, priùs neceſſe habet interiori animi regno pollere, vt exclusa omni seruitute induat animum regium, qui solus valet Christi Domini crucem ascendere. Non longè abest Rupertus, lib. 1. in Apocal. dicens: *Cùm autem dixiſſet Ioannes in tribulatione, & regno, addidit, & patientia Iesu. Nam & postquam particeps fuit in illa tribulatione morientis, & regno resurgentis, Iesu patientiam habuit, imitando paſſum, opprobria, irrisiones, colaphos, & verbera.* Priùs crucis tribulationi adstitit Ioannes, & in Dominica resurrectione regium ebibit animum, ex quo quidquid patientiæ Iesu vidit, in se auidiſſimè concupiuit transferre. Et crediderim, non otiosè à Marco notatam esse & nobilitatem, & regium animum illius, cui commiſſa est Domini corporis sepultura. Ait enim cap. 15. *Venit Ioseph ab Arimathia nobilis Decurio, qui & ipse erat expectans regnum Dei, & audacter introiuit ad Pilatum, & petiit corpus Iesu.* Nobilis vir, & qui non in mundiali seruitute, sed in Dei regno spem fixam habebat, eligitur, qui deponat corpus Iesu; quis enim alius, nisi animus ingenuus, & regius percuſſi illius corporis æstimationem poſſit habere? Præclarè ad hæc fatur D. Laurentius Iustinianus, de triumphali Christi agone, cap. 21. *Beatus planè præ vniuersis mortalibus iste venerabilis Ioseph. Meruit quippè Dominicum corpus habere pro munere: meruit illud de cruce deponere: meruit in tumulo, quem pro se exciderat, sepelire. Meritò tamquam cordis sui singularem thesaurum in proprio Christi corpus tumulo collocauit: verum non in qualicumque illud monimento composuit, sed in eo, quod in petra exciderat, vt verum se Christi fateretur discipulum, & vt quanti foret, quod habebat,*

Genes. 22. Isidorus. Luc. 15. Iacob. 2. Apocal. 1. Rupertus. Marc. 15. Laur. Iust.

habebat, ostenderet. Hanc occisi æstimationem potuit ostendere nobilis, & regius animus Iosephi, ex quo sic pergit idem Laurentius commonefaciens cunctos. *Esto igitur talis, vt Dominum Iesum merearis accipere. Iustificatus, inquam, per fidem, etiam cogitatione, & actione iustus esto, atque virtutibus locuples, vt dignè regnum Dei valeas expectare.* Quasi donec regium animum induas, non dignus inueniaris, qui tractes membra Crucifixi.

Text. Tunc ait seruis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt: sed qui inuitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum, & quoscumque inueneritis, vocate ad nuptias.

§. XI.

Vbi dies exitus adest, multi ad Deum sine resistentia trahuntur.

NOn semel vocarant alios ij Dei serui, qui contempserant venire, qua ergo confidentia sperat Dominus venturos illos, quos non cogi modò, sed vocari solùm iubet? Signanter dixit, in viarum exitibus quærendos esse, qui modò vocentur, ne ampliùs timeatur resistentia vlla, vbi enim dies exitus instat, ad finemque viæ peruenitur, non est, qui resistat; multi ad Deum currunt. Huc traho pulchra
Isai. 5. illa Isaiæ verba data cap. 5. *Et eleuauit signum in nationibus procul, & sibilabit eum de finibus terræ: & ecce festinus velociter*
Cyrillus *veniet.* Placet D. Cyrill. Alexand. lectionem affigere: *Leuabit*
Alexand. *signum in gentibus longinquis, & assibilabit illis ab extremo terræ. Et ecce citò leuiter veniens.* Deus ipse introducitur congregans ad se gentes multas, pro quibus trahendis hoc solùm dicitur effecturus, nimirum *assibilabit illis*, vel sibilum edet solum, & ingentes hominum copiæ creduntur ad Deum aduolaturæ. Et quis credat, Dei sibilum tam potens esse, vt trahat homines, quando vel Dei clamores passim ab hominibus repelluntur? Si clamantem Deum contemnunt, cur sibilantem solùm sequentur? Nota vnde sibilet Deus, & non miraberis, quòd currant homines ad Dei sibilum; quippè ait; *Sibilabit de finibus terræ*: siue iuxta Cyrill. *assibilabit illis ab extremo terræ.* Vbi in terræ finibus, in viarum exitibus, in extremo vitæ Deus sibilat, proculdubio vel ad tenue sibilum, innumeri ad Deum current. Quis vitæ commodis inhians non surdescit ad clamatores diuinos? Vt autem ad vitæ exitum ventum est, multi sunt, qui vel sibilo ad Deum trahuntur. Sapienter de se dicebat Dominus, Apocalyps. 1.
Apocal. 1. *Ego sum Alpha, & Omega, principium, & finis*: per Alphæ, & omegæ notas iam dixi apud Græcos significari numeros, ita vt Alpha, quà α, significet vnum: & Omega, quæ est ω, significet octingentos. Vocatur ergo Deus Alpha, & Omega, principium, & finis; hoc est, Alpha in principio, & Omega in fine, quia in vitæ principio vnus, & solus est Deus, vix inuenitur, qui pro commodis vitæ habendis Deum solum non relinquat. At in fine vitæ iam Deus non Alpha, non vnus, & solitarius, sed Omega est, octingentorum, siue innumerabilium numerum sibi adsciscens. Ad hæc aliò datus
Rupert. Rupert. lib. 1. in Apocal. ait: *Littera α vnum, ω autem apud Græcos octingentos significat, quia qui in principio vnus erat, filius vnicus, siue vnigenitus, in fine sæculorum filios Dei, quasi adoptatos habebit octingentos, id est, innumerabiles.* Exitus, & finis vitæ est, qui Deum minimè solitarium esse permittunt, quin potiùs illi plurimos, seu filios, seu famulos adscribunt, innumeri enim, qui viuentes vix Dei nouerant limina, ad eius voces surdi, vbi ad exitum peruenerunt, ad Deum currunt, & fidissimi eius laterones existunt. Quò crediderim respe-
Psal. 67. xisse Dauidem, Psalm. 67. vbi ait: *Deus noster, Deus saluos faciendi, & Domini, Domini exitus mortis.* Solent equidem regnorum exitus pro Regibus asseruari, quorum thesauri vt vacui sunt, dum nil transportatur à regno in regnum, sed intra regni fines omnia consumuntur; sic vbi incipiunt transportari bona; & ad regni fines accedere, vt inde exeant, simul incipiunt thesauri Regis impleri. Sic similiter Deus noster habens bona sua non in regnis, sed in salute hominum, vt vocetur Deus saluos faciendi, sibi peculiaria, & propria determinat, quibus seruatorum hominibus impleat thesauros cœlorum. Et qualia hæc? Ait dicens: *Domini. Domini exitus mortis.* Exitus, qui per mortem fiunt, sic ad Deum pertinent, vt inde Deus trahat, quo impleat salutis horrea. Cui excogitationi accinit Sapiens, cap. 8. ex lectione
Sapient. 8. Hugonis: *Sapientiam autem non vincit malitia. Attingit ergo à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Expende, vnde probet, malitiam non posse præualere aduersus Deum. Vnde fortiter, id est, sine resistentia, imò cum magna suauitate, vt ait Hugo, captiuos educat à seruitute peccati, & sibi seruos faciat, nimirùm *attingit à fine vsque ad finem*, August.
hoc est, fines vniuscuiusque præstolatur, & vbi ad finem peruenitur, Dei famulitium sine resistentia augetur, & diaboli stultitia irridetur, damnatur. Quippè ait D. Augustinus, lib. 4. de Trinitate, cap. 13. *Nescit diabolus, quomodo illo insidiante, & furente vtatur ad salutem fidelium suorum excellentissima sapientia Dei, à fine vsque ad finem inferiorem, qui est mors corporis pertendens fortiter, & disponens omnia suauiter.* Et quidem vbi exitus à vita interest, & mors corporis, non miror, quod stultissimus diaboli furor irrideatur, & triumphet potentia Dei in suis fidelibus congregandis.

Text. Egressi serui eius in vias, congregauerunt omnes, quos inuenerunt, malos, & bonos, & impletæ sunt nuptiæ discumbentium.

§. XII.

Nequit penè in terris vlla adeò sancta dari hominum congregatio, quæ reprobandos non teneat.

MIraris ad Filij Dei nuptias, non solùm bonos, sed & malos collectos fuisse; ait enim: *Congregauerunt omnes, quos inuenerūt, malos, & bonos, & impletæ sūt nuptiæ.* Proh Deus immortalis, & diuinæ nuptiæ, & Dei nuptialis domus malos excipit! Nulla, mihi crede, in terris erit hominum collectio, adeò sancta, adeò defœcata, & pura, in qua non admittantur, qui etiam debeant dimitti. Ait Psalm. 39. *Annun-* Psal. 39.
tiaui, & locutus sum, multiplicati sunt super numerum. Ex quo salutis viæ cœperunt annunciari, & qui vias salutis arriperent, cœperunt multiplicari, & in tantum ij multiplicati sunt, vt saluandorum numerum superarent. Nulla semita salutis fuit commonstrata, ad quam non cucurrerint, in qua non fuerint aliqui, qui de electorum numero sint exturbandi. Sapienter ad hæc dicebat Aymo Episcopus Alberstatensis, homil. de virginibus: *Boni soli nusquam sunt, nisi in cælo, mali autem nusquam soli sunt, nisi in inferno. Hæc autem Ecclesia, quæ in medio consistit, vtriusque partis ciues recipit, sicut per Psalmistam dicitur: Annuntiaui, & locutus sum, multiplicati sunt super numerum. Vbi considerandum est, quia supra numerum electorum modò in Ecclesiam multi reprobi intrare possunt.* Ad quamlibet salutis semitam voces, etsi angustissima, strictissimaque sit, in illam reprobi inuenientur intrasse; nesciunt enim iusti, & boni esse soli nisi in cœlo. Nullius virtutis, nullius disciplinæ, nullius status Euāgelici introitus adeò purus est in terris, qui non capiat perdendos, qui non excipiat reprobandos. Si quis locus occlusus omni reprobo excogitari posset, maximè ille, qui exprimebatur per Christi Domini os, quis crederet aliquid reprobandum in diuino posse admitti ore? Erat tamen Iesus sub cruce positus, quam vbi deposuit, statim crucifigendus; dum omnia parantur, dum ligno aptatur fouea, dum carnifices clauos examinant; amarissimum poculum propinant Domino: dederunt enim ei bibere cum felle mixtum vinum.
Quid tunc? Ait Matth. 27. *Cùm gustasset noluit bibere.* Expende Matth. 27.
illud, *cùm gustasset*: quod gustamus, proculdubio excipimus ore, sic Deus amarissimum, felleúmque vinum excepit ore, insuper & gustauit. Quid diceres de vino, quod os diuinum excipit, quod os diuinum gustat? An illo felicior liquor inueniri potuit? Non inde probatum iam haberetur illud vinū, quod meruit tanto excipi, & gustari ore? Intrauit equidem felleum illud vinum in os Domini, ibique illud Deus gustauit, & admisit, non vt haberet, sed vt repelleret. Quis iam sibi blanditur de ingressu sanctissimi status: de ingressu purissimi, & arctissimi instituti vitæ, quando vel in lympidissimo Dei ore admissum reprobari soleat? Sanè ad primum diuinæ vocis sonum, plures sese recipiunt ad virtutis scholas, ibique admittuntur, imò cum aliquali Dei gustu admitti solent, qui tamen inde celeriorem sibi malis moribus trahunt reprobationem. Hos in Iudæorum capite ex
dictis signat D. Chrysostom. homil. 2. de resurrect. *Acetum* Chrysost.
quoque amaro felle propinasti Deo commixtum. Ille tamen accepit, non quod biberet, sed quod potiùs reprobaret: denique gustauit merum tuum, & amputauit fructum tuum. Non quidquid in Christi sanctissimo corpore admittitur, id probandum est; admittuntur & cum aliquali Dei gustu inter virtutum ardua, fellea vina, fellei mores; sed non qui in Dei viscera
trans

transmittantur, sed qui reprobentur, & eiiciantur. Huc accedit illud de primitiua Ecclesia notatum, Act. 8. vbi fic: *Tunc Simon & ipse credidit; & cum baptizatus esset, adhærebat Philippo.* Ecce tibi ad sonum Euangelicæ tubæ & Simon Magus venit, & in Sanctorum cœtu admittitur, adhærescens ipse Apostolicis viris. Hunc tamen vt gustat Petrus, ait ad illum: *In felle amaritudinis & obligatione peccati te video esse.* Quid est, in felle amaritudinis esse? Venire in corpus Christi, non vt retineatur, sed vt reprobetur; quod exprimit lectio Græca dicens: *In choleram acerbitatis, & colligationem iniquitatis video te positum.* Positus hic erat in schola virtutum, in defœcatissimo tunc mystico corpore Christi, sed positus vt felleum vinum in ore, quod accipit Deus, non vt bibat, sed vt illud iratus proiiciat. Sustinet semper Deus, etiam in perfectionis statu, quem reprobet, in quem & choleram exerceat & iram. Quò respiciens Tertull. lib. de idololatria, circa hunc Simonem ait: *Patientia Dei traxit magos ad Euangelium vsque. Nam & Simon Magus magis iam fidelis, quoniam aliquid adhuc de circulatoria secta cogitaret, vt scilicet inter miracula professionis suæ etiam Spiritum sanctum per manuum impositionem venunderet, maledictus ab Apostolis de fide effectus est.* Ecce tibi patientia Dei, vt trahit. & excipit malos vsque ad summam perfectionem Euangelicam, sed qui non probentur, sed reprobentur inde.

Act. 8.

Tertul.

Text. Intrauit autem Rex, vt videret discumbentes: & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali.

§. XIII.

Ad magnam hominis felicitatem pertinet, quòd propriis oculis videat bona sua multis proficere.

Ecce felicissimi Regis argumentum, *intrauit, vt videret discumbentes*, non aliud sibi felicitatis, & gaudij quærit, quam vt discumbentes videat, quàm vt oculis propriis spectet plenas conuiuarum mensas. Nonne & hoc felicissimum cuilibet homini est, si bona sua videat plurimis prodesse? Air Ecclesiastes cap. 5. *Vbi multa sunt opes, multi & comedunt eas. Et quid prodest possessori, nisi quòd cernit diuitias oculis suis?* In rem præsentem apertiùs facit lectio Veneta: *Quando multiplicatur bonum, multiplicantur etiam qui illud comedunt. & quid gratius esse poterit Domino eius, quàm videre hoc ipsum oculis suis.* Gratissimum equidem debet esse spectaculum sapienti, & ingenuo homini, quòd multitudinem bonorum suorum videat multis proficere. Quod adhuc apertiùs insinuat lectio Syriaca: *In multitudine boni multiplicati sunt comedentes eius. Et factum est felix possidentibus se, quoniam de capite meo vidi oculis meis.* Tunc bona ad summam felicitatem possidentis spectant, quando propriis oculis videt ex illorum abundantia multos crescere. Quid felicius illo homine, qui coram videat de sua beneficentia ingentem hominum multitudinem ali in vitam? Huius felicissimos oculos aptissimè crediderim comparari posse frequentissimis fontibus, viuisque pellucidarum aquarum stagnis. Ait enim Cant. 7. *Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis.* Per has piscinas Esebon intelligit noster Delrius frequentissimos fontes ad eius vrbis portam constitutos, qui vt erant suaues, & clarissimi, sic ad se alliciebant tantam hominum multitudinem, quæ nomen portæ præstare sufficeret. Et quid est singulare in clarissimis, frequentissimisque fontibus, ex quo similitudinem ducat ad extollendam felicitatem oculorum sponsæ? Sanè fons quo lucidior, eò magis totus oculus est, qui dum coram habet multitudinem de dulcedine suarum aquarum, haurientem, non turbatur, sed tunc hilarior, nescio quid risui simile immurmurat, cùm simul crystallinis vndis & tranti, & satiari multitudines, & claro oculo satiatas videt. Proh felicissimus oculus, qui potes coram tenere, tot multitudines satiatas de tuo! Proh felicissimus homo, cuius oculi instar lucidissimorum fontium sunt, cùm vident suis operibus impleri vacuos multos. Fallar, nisi de hoc dicat Prouerb. cap. 10. iuxta Septuag. *Fons vitæ in manu iusti.* Et quidem felicissimum est præ oculis habere multitudinem, quaoi à te auctam etiam manu designes. Huc spectat D. Ambros. lib. 3. offic. cap. 7. vbi commendans hominem, qui non passos est, eiicere ab vrbe tempore famis pauperes peregrinos, sed coram ali procurauit, loquit: *Quanta apud homines gloria? Hic magnus verè probatur, qui verè potuit Imperatori dicere, demonstrans prouintiæ populos. Hos tibi omnes seruaui, hi viuunt beneficio tui senatus, hos tua curia iam morti abstulit.* Sanè felix Imperator, qui tot viuere de suorum beneficio videat: felicior Senator, qui in sua industria, & ope, & opibus possit præ oculis habere, & manu ostendere tantam multitudinem sustentatam.

Eccles. 5.

Cant. 7.

Ambros.

§. XIV.

Mensæ diuinæ conuiua ex florenti virtutum ornatu placeat.

Expende, quam citò oculos offenderit diuinos, qui incommuni, & sordida veste præsumebat diuinas dapes: offendit sanè minimè, quisquis veterem indutus hominem diuinæ mensæ assidet; quando tantus conuiuæ necessum est, vt florenti virtutum ornatu placeat. Hinc Artimidorum quemdam commendabat Theodoricus Rex apud Cassiodorum, lib. 1. var. 43. *Qui tanta se animi puritate clarificauit, vt cùm apud nos mereretur aulicas dignitates, spectaculorum ordinatione latissimam sibi militiam vendicaret, quatenus sub specie voluptatis libenter videretur velle seruire. A laboribus quidem temperaui, sed in nulla se nobis parte difficiens. Regalem quin etiam mensam conuiua gemmatus ornauit: ibi se nobis iungens, vbi certum est, nos posse gaudere.* Nota illud in conuiua suo merito à Rege prædicatum. *Regalem mensam conuiua gemmatus ornauit:* & quidem in regali mensa nil magis Principi placet, quàm conuiuarum ornatus. Is & mensam ornat, & conuiuam commendat Regi, qui amat commensales suos videre florenti sub virtutum habitu. Notissimum est conuiuium illud agni immaculati paratum, & præceptum à Deo populo suo, cùm educeret illum de captiuitate Ægypti. Quod conuiuium iubebatur celebrari quotannis in mense Nisam, hoc est, in mense Aprili; sic enim habes Exod. 12. *Decima die mensis huius tollat vnusquisque agnum.* Et cur Aprilis tempus designatur tanti agni conuiuio? Vt sicut Aprilis tempus totum floridum nihil in se ostendit vetustum, sed vndique appareret viriditatis decore vestium, sic in cœlestis mensæ conuiuis ornatum Deo gratû designaret, vt vniuersi qui placere vellent, abiecta vetustate, virtutibus floridi, nouo, recentique decore vestiri tantis epulis adstarent. Id notabat Rupertus, lib. 2. in Exod. c. 5. aiens: *Sed & ipsa mensis Nisam, id est, Aprilis virens temperies, cum tellus reflorescit, totusque post hyemem, quasi post senium iuuenescit orbis, nonne sensatum hominem docet, qualiter renouatus spiritu mentis suæ, fide viridis, spe lætus, & charitate floridus paschalis agni epulis interesse spiritualibus?* Discat sensatus homo à tempore, quo agnus editur, quali habitu ipse potest placere in diuinis epulis; vt enim Aprilis totus floridus, renouarisque syluis iuuenescens agni conuiuium excipiebat, sic tu, quisquis es conuiua diuinæ mensæ, exue vetustos pannos, detrita vestimenta exue, florentique virtutum amictu redimitus, diuino regi floridum, & gemmatum conuiuam te præbe. Ad gloriam cuiusque iusti dicebat Psalm. 127. *Filij tui sicut nouella oliuarum in circuitu mensæ tuæ;* cur non sicut oliuæ, sed sicut nouellæ oliuarum? Grandæua iā oliua solet vetustis foliis aliquibus sordescere, qui ergo gloriam, & felicitatem iusti commendabat à mensa, maluit illi affigere oliuarum nouellas, in quibus nec folium vetustum, nec sordes aliquæ appareant, sed omni ex parte nouis, viridantibusque foliis niterent, quando ex nitore assidentium commendantur præstantissimorum virorum mensæ. Ex quo sic monet D. Chrysostom. homil. 3. in epist. ad Ephes. inquiens: *Qui salutari compunctione atteris corda mortalium, ipse corda nostra compungere digneris; vt à timore tuo promereamus concipere, simul & parere spiritum salutis, & cum omni fiducia ad mensam dominicam accedere. Filij enim tui, vt scriptura sic ait nouellæ oliuarum sint in circuitu mensæ tuæ. Nihil his vetustum, nihil immite, nihil acerbum. Tales enim nouella plantulæ ad proferendum frugem bonam accommodatæ sunt, & apparatus. Sed & fortes, ac vegetæ sunt, ita vt omnes consistant in circuitu mensæ salutaris.* Hoc curet in se ostendere, quisquis cœlesti epulo assidet ad gloriam, non ad ignominiam, vt nimirùm assideat, vt oliuarum nouellæ, de nouitate vitæ fulgens, de spe viridis, de charitate floridus, nihil vetustum, nihil sordidum in se admittens. Insuper ait Chrysostom. hom 16. ad Hebræos: *Si enim Rex Babylonius ex captiuitate eligens iuuenes, bonos, forma, & decoras facie elegit: multò ampliùs ad hoc adstantes mensæ regali bonos specie animæ esse oportet, ornatum habentes aureum, stolam mundam, calceamenta regalia, vultum animæ formosum; oporteat eam ornatu aureo circumdatam esse, cingulum veritatis habere. Talis accedat, & calicem tangat regalem.* Quid pulchrius? Sanè decretû Regis Babylonis sic habet apud Dan. cap.

Cassiod.

Exod. 12.

Rupert.

Psal. 127.

Chrysost.

Dan. 1. cap. 1. *Et ait Rex Asphenez praeposito eunuchorum, vt introduceret de filiis Israel, & de semine regio, & tyrannorum pueros in quibus nulla esset macula, decoros forma, & eruditos omni sapientia, cautos scientia, qui possent stare in palatio Regis. Et constituit eis Rex annonam per singulos dies de cibis suis, & de vino, vnde bibat ipse.* Et merito immaculati, pulchri, & speciosi iubentur esse, qui pane, & vino regio fruebantur. Si ergo haec apud Babylonium, cur non magis apud coelorum Regem?

§. XV.

Conuiuium caeli non admittit eos, qui fratrum rodunt vitas.

IN toto illo conuiuio, vbi ex omni hominum genere erant congregati multi, vbi innumeri aderant ministri, nullus inueniur, qui sordentem conuiuam notaret, & obloqueretur illi; Rex fuit solus, qui hunc vidit, qui hunc vocat in discrimen, quippe ait: *Intrauit autem Rex, vt videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum*, &c. Rex vidit, non alius è multis inibi discurrentibus, & quomodo fieri potuit, quòd nullus alius hunc videret, hunc notaret, & de illo aliquid diceret? Erant omnes vel ministri, vel conuiuae coelestis epuli, cuius hoc proprium est, non permittere in suis conuiuiis, quod fratrum sordes attendant, nec rodant vitas. Dum populus Israëlis per desertum ageret, verissimè expertus didicit, quòd potuit Deus in deserto parare mensam popolo suo, quando homines illi auide manducabant Angelorum cibum. Quid tunc? Habes Num. 21. *Et taedere coepit populum itineris, & laboris, locutusque contra Dominum, & Moysem, ait: Cur eduxisti nos de Aegypto, vt moreremur in solitudine? Deest panis, non sunt aquae, anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo.* Numquam satis ego solebam mirari, quòd mensa à Deo parata sic repentè coram Israëlitico populo viluisset, vt eis quasi nihil videretur. Quando spiritus Dei testatur, quòd *panem Angelorum manducauit homo*, ipse homo clamat, *deest panis*; quando coelestis cibus vniuscuiusque seruiebat voluntati, habens in se omnium saporum delectamenta; dicit populus: *Anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo.* Qua ex causa multiplex ille sapor, tantus ille panis coram Israelitis euanuit? An id potuit nasci ex coelestis cibi vilitate? Absit: non ex cibo, sed ex comedentium prouenit insignitate; nota enim quid de illis primò dicatur: *Taedere coepit populum itineris, locutusque contra Dominum, & Moysem. &c.* Nec miror, quòd vbi populus coepit de Moyse murmurare, eiusque opera carpere, statim coram populo murmuratore coelestis cibus euaneat, qui ad se accedentes murmuratores non patitur. Ait D. Hieron. epist. ad Fabiolam, de mansione 35. & 36. *In ijs Aaron moritur murmurantibus contra Deum, & Moysem, manna assiduum*, &c. Expende consequentiam; post murmurationem popularem in Moysem, nihil prius generatur in murmuratoribus quàm fastidia supernae dapis; nonenim ad se admittit coelestis cibus labia, quae rodant fratres. Nec solùm coram murmuratorum linguis coelestis cibus prouocat fastidia, prouocat nauseam, sed extremam ruinam minatur. De Aaron filiis dicitur, Leuit. 10. *Arreptisque Nadab, & Abiu filii Aaron thuribulis, posuerunt ignem, & incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis praeceptum non erat. Egressusque ignis à Domino, deuorauit eos, & mortui sunt.* Et quale hoc crimen adumbrabatur quòd tantùm sibi ab altari Domini traxit interitum? Id ostendit Ischius in Glossa, dicens: *Thymiama autem thuribula, vel igaibus linguarum supponunt.* Non tam io igne materiali fit error, quàm in linguarum igne, quae enim lingua accedunt diuino altari, eo charitatis igne debent fulgere, quo operiant multitudinem proximorum peccatorum, hic charitatis ignis proprius est linguarum accedentium ad altare Domini. Ignis autem, qui proximum adurat, qui maculam inurat proximi honori, alienus est à lingua tractante Dominum, qui, fallor, nisi ab altari trahat mortem. Hac aspiciens Petrus Damian. epist. ad Nicolaum Pontif. max. 12. cap. 4. *Filij Aaron idcirco caelesti igne consumpti sunt, quoniam alienum ignem offerre Domino praesumpserunt. Altarem quippè Domini non alienum, sed diuini amoris ignem accipiunt.* Alienus ille ignis est, & altari inimicus, qui dum proximo maculam inurit, eius pandens errores, maximè charitati diuinae se opponit, quae in omnibus operit multitudinem peccatorum. Ignem adeò alienum à charitate non solùm non admittunt Dei altaria, sed etiam illum perdunt igne maiori, ne quid in homine detractore maneat, quod viuere Deo possit. Vnde mouebat D. Petrus 1. epist. 2. docens dispositiones ad Eucharistiam, vt contra Volaonum haereticum probat noster Turrian. tract. 2. cap. 20. *Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & inuidias, & omnes detractiones, sicut modo geniti infantes rationabile sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem. Si tamen gustatis, quoniam dulcis est Dominus.* Tria petuntur in his verbis & duo prima, quasi ad tertium praeparatoria: & petitur depositio omnis malitiae, & detractionis & regeneratio nouae vitae, & gustus diuini lactis, diuini epuli, quo perfectae aetatis recipimus augmentum. Qui gustus diuini epuli vt detur, quid necessum est? Vt in primis deposita omni detractione, quasi infantes fiamus noviter regenerati in Domino, quasi nequeat fieri quod vbi lingua detrahens est honori proximorum, incipiat in nobis illa regeneratio quae coelesti cibo ali possit. Nos sicut modò genitus infans exit, vt gustet Dominum, si lingua pascatur solis proximi erroribus? Meritò aiebat D. Iacobus epist. canon. cap. 3. *Lingua constituitur in membris nostris, quae inflammat rotam natiuitatis nostrae inflammata à gehenna.* Expende, quae lingua inflammet rotam natiuitatis nostrae, nimitum lingua ipsa inflammata à gehenna, gehennalis ignis instar omnia vorans. Quippe gehennalis ignis non habet proprium, vt pro pabulo vtatur solis peccatis hominum, & solùm circa illa peccata versetur, eorum grauitatem ostendens. Sic lingua detractoris gehennali ardet incendio, quando in fratre solos videt, solos notat errores, solisque proximorum criminibus pasci solet. Haec autem lingua, quae pascitur criminibus aliorum, prorsus inflammat rotam natiuitatis nostrae, hoc est, prorsus tollit virtutem illam qua in dies vetustate deposita nouitatem acquirimus, vt quasi modò geniti infantes gustemus Dominum. Illa, mihi crede, lingua gustat Dominum, quae magis peccata proximorum. Sic Cant. 4. de sponsa nuptiali conuiuio assidente dicitur: *Sicut vitta coccinea labia tua, eloquium tuum dulce.* Expende qualia sint labia sponsae: *sunt sicut vitta coccinea*, vt potiùs alligent, & operiant vulnera proximorum. Ad duo enim munera vittae effingi solent, nimirum & ad liganda & operienda vulnera, vel ad prendendum, & trahendum aliquem. Vtrumque in labiis charitatis inueniri solet, ex quo enim labia alligant, & obtegunt vulnera proximorum, & trahunt, & intra se includunt ipsum Dominum. Pulchrè ad haec Gillib. Abb. ser. 24. in Cant. *Non decent sponsam nisi verba dulcia, verba amari, verboque delicati funiculi vice funguntur, verba quae sponsum retinent, extrahunt vincula charitatis. Felix anima, quae huiusmodi nouit dulcium verborum nectere vestes, quibus Iesum tanquam alliget verbum Patris, animi affectibus ve affatibus Christum includet.* Nec sunt equidem labia attingere, necdum includere Christum, nisi quae dulcibus verbis faciunt ad amorem, nisi quae alligaturas eas emittunt, quibus & proximi percussi vulnera tegantur foueanturque, & inde Deus al igetur. Ex quo aiebat Petrus Dam. lib. 6. epist. 26. *Recessat igitur ab ore meo (Christe omnis vani immanis inepta; & lingua, quae modò altari agat, iniecta fomni Verbi rubet sanguine, dedignetur ex ore immania ... actibus sugurare. Noli cuiquam detrahere, &c.* Abeat procul detractionis sermo a lingua, in qua viuificus Christi sanguis venit, ne qui propter tegenda hominum vulnera effusus est, linguam, quae illa prodat, abominetur.

Text. Et ait illi: Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit Rex ministris: Ligatis manibus, & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores.

§. XVI.

Reis ob delicta castigandis saltem debent dari à Praesulibus humana, & mitia verba.

CRiminosum hominem, & statim carnificibus tradendum bonus Rex amicum vocat, & quidem in hoc bonus Rex, qui dum cogitur reo conuicto dura supplicia mandare, saltem ei praestat suauia, & mitia verba. Vtinam hanc mentem bibant omnes iudices, & qui efferantur suppliciis illatis in reos, saltem hominem se ostendant in verbis. Purpuratus ille dum esset in tormentis, clamabat ad Abraham, petens aliquod sibi dari refrigerium, quo minùs duritiem sentiret incendij, cui statim Abraham dicit Luc. cap. 16. *Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua, &c.* Quem flammis aduri sinit, cui omne denegat refrigerium Abraham, illum

Marginalia: Num. 21. — Hieron. — Leuit. 10. — Ischius. — Damian. — Turrian. — Iacob. 3. — Cant. 4. — Gillib. — Damian. — Luc. 16.

illum nihilominus filium vocat, vt quam factis non potest, saltem offendat humanitatem in reum verbis. Quod ponde-

Chrysost.

rat D.Chrysost.serm.3. de Lazaro: *Fili, recepisti bona. Vide humanitatem tuli. Non dixit, inhumane, crudelis, sceleratissime, cum tam multa commiseris in hominem, nunc mentionem nobis facis misericordiæ, & veniæ? Non pudet? Non erubescis? Sed quid dixit? Fili, inquit, recepisti bona. Ne putaret, quod memor præteritorum malorum venerit abire Lazarum, filium illum appellat. Quod in meo potestate est, inquit, impertio tibi.* Non semper licet iudicibus tormenta non inferre criminosis, at semper iudices decet illis mitia, & humana præstare verba. Prudentissimè enim dicit Ecclesiasticus, cap.29. Est correptio mendax in ira contumeliosi: vbi Septuag. legunt: *Est correptio indecora, in ira contumeliosi*: nec quid fortassis magis indecorum, & indecens est corripienti iudici, quàm si contumeliis, & opprobriis agat aduersus eos, quos castigat. Et quamuis vera sint, & probata hominis crimina, ob quæ duras debeat dare pœnas, numquam tamen debet sustinere audire verba immitia. Ex quo dum Iob immanissimè torqueretur, & inuito animo sustineret tormenta sua; aduersus eos, quorum

Iob 19.

pungebatur contumeliis, sic inquit cap.19. *Nempe etsi ignoraui, mecum erit ignorantia mea. At vos contra me erigimini, & arguitis me opprobriis.* Expressiùs in rem præsentem loquuntur Septuag. *Profectò iam ego verè erraui, apud me habitat error, loqui verbum non oportebat: verba autem mea errant, sine autem, quia in me magnificamini, insultatis autem mihi opprobrio.* Quando quis verè errat, quando graues mereatur pœnas, illasque det, non est æqui iudicis, non est moderati hominis illum talem opprobriis impetere. Sic data verba explicabat

Caten. Græc.

auctor Cat.Græc. *Illam vobis concedo hypothesim, me prorsus vixisse, primam verò vitam etiam praue, & falsis rationibus me nunc velle tueri, neque me velle ab errore discedere, an non decebat vos me mala patienti homini veniam tribuere? Nec verò conuitiis solùm, quibus lacessitis non moderamini*, &c. Absurdum est, & valdè indecens viris bonis etiam conuictos criminosos conuitiis lacessere.

§. XVII.

Vbi confessio deficit, ibi ineuitabile supplicium timeri debet.

NOn adeò seuerus Rex ostenditur in hominē istum, vbi illum fœdidū in nuptiali conuiuio inuenit, quam vbi ipsum de sordibus requisitū vidit silentem. Antea conuictus audaciæ locum habet pro se respondendi; at *vbi obmutuit*, nec vllum confessionis protulit verbum, tunc ineuitabilem damnationem, & ligatus, & traditus carnificibus sentit. Non sic ineuitabiliter hominem perdunt crimina, vt illum perdit, quod nolit confiteri. Quis ignoret Ananiæ Saphiræque supplicium a D.Petro illatum? Ij Actor.5. agrum vendiderunt, cuius pretium Deo sacrarunt, sed de pretio simu-

Act. 5.

late partem sibi taciti reseruarunt. Tunc Petrus ait: *Anania, cur tentauit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri? Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate? Quare posuisti in corde tuo rem hanc? Non es mentitus hominibus, sed Deo. Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit, & expirauit.* Quis supplicium seuerissimum non expaueat? Peccarant sanè homines isti semel de pretio agri fraudantes, sed non peccauerunt semel & ter Dominum, vt Petrus, negantes. Cur ergo Petrus sic illos irremediabiliter damnauit? Quando tu ô Petre, pro trina Dei negatione veniam obtinuisti, cur non magis indulges semel tantùm fraudantibus? Sanè Petrus vbi Dei oculis admonitus est statim [illegible] in lachrymas; Ananias autem iste nec [illegible] ondit, nec verbum, aut signum confessionis ostendit [illegible] merito incurrit sine reparatione damnum. Ad hæc ait Cæsarius Nazianzeni frater,

Cæsar.

dial.5. *Quamobrem ergo tam enormiter lapsum [illegible] ille vir Petrus & veniam consecutus, [illegible] quoque venia non dedit Ananiæ, Saphiræ, sed in vna hora vtrosque occidit verbo? Licèt nullus esset lapsus [illegible] illius obnegationis. Aurum absconderant proprium, non alienum [illegible] etiam si alienum fuisset, non est par peccatum priuatarum rerum partem quid abscondisse, & obnegasse Iesum. Non de mensura est, primorumque illius ordine sui fontis [illegible], sed prius in disciplina plurima ciuitatum sanatoris vitiis. Quandoquidem semel Deo dicatum aurum sacrilegio vulnerati absconderant, interrogatique negauerant. Nec enim facultas concedendi scelus erat, non consentiente cum labiis corde.* Vbi cordis vulnera in labiis prodita non apparebant, non erat, cur venia speraretur eorum. Facultas erat Petro concedendi veniam magnis sceleribus, sed quæ non abscondita manerent in corde, sed & per humilem confessionem apparerent in ore. Vbi ad os non accedunt scelera, sed manent in cordis absconditio non est mirum, si sanari non possunt. Vide Genes. 9. dicitur Dominum Noemo. *Terror vester, & tremor sit super cuncta anima-*

Genes. 9.

lia terræ, & super omnes volucres cæli, cum vniuersis, quæ mouentur super terram: omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt, & omne quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia. Excepto, quod carnem cum sanguine non comedetis. Iuxta hanc homini comedendi datam facultatem est illa facultas, quæ datur Petro recipiendi homines ad sanitatem spiritualem. Ait enim Actor. 10. *Vidit cælum*

Act 10.

apertum, & descendens vas quoddam velut linteum magnum, quatuor initiis submitti de cælo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ & volatilia cæli. Et facta est vox ad eum: Surge, Petre, occide, & manduca. Quid similius? Vtrobique omnia animalia in cibum dantur: Noemo conceditur facultas, qua à nullo animante abstineat, sed ex omnibus possit ali: & Petro facultas datur, nullum brutum, & ferum animal despiciendi, sed ex omnibus Christi corpus coagmentare. Vnum solum in figura video caueri, nimirum ait: *Excepto, quòd carnem cum sanguine non comedetis.* Cur sic erit caro cum sanguine abominabilis, nisi quod intùs seruati sanguinei mores & non extra per confessionem profusi, nullo modo possunt pertinere ad corpus Christianum; nec est facultas in Petro ad eos in Christum transmutandos?

Isidorus.

Pro quo D.Isidorus cap.14. in Genes. ait: *Dantur eis in escam omnia animalia, sicut in illo disco Petro dicitur, Occide, & manduca. Electo sanguine iubentur manducare, ne vita pristina, quasi suffocata in conscientia teneatur, sed habeant tamquam effusionem per confessionem.* Nihil sanguineum intùs abscondat, sed exterius omnia effundant per confessionem, qui quis amat frui Petri benignissima potestate. Hæc enim nulla est, vbi confessio non est; quandoquidem vera confessio est, quæ vix vllum desperatum permittere potest. De damnatis ad flam-

Matth.8.

mas æternas locutus Matth.8. & alias sæpè ait: *Illic erit fletus, & stridor dentium.* comitatur equidem inutiles fletus & desperatas mentes stridor dentium, non confessionis verba; hæc enim si adessent, vel possent extinguere ipsam gehennam. Ait enim Galfridus in cap.22. Matth. apud Tilmanum

Galfrid.

in allegoriis: *Ibi ergo fletus ex dolore, stridor dentium ex rancore. At [illegible] si æquanimiter ferre, si humiliter flere, si dicere possent, nos quidem iustè, nam digna factis recipimus, audeo dicere, ignis ille inextinguibilis, tamen extingueretur.* Nec potest intelligi desperata salus, vbi est confessio vera.

§. XVIII.

Supplicium vni exhibitum peccatori, plures alios similes expectat.

NEc te moueat, quòd vnum solum ligari, & mitti videas in tenebras, vnus in præsenti proponitur in quo multorum similium supplicium exhibetur. Quotquot sacris sordidi accedunt, quotquot scelera tacent, in hoc se videant ligari, & mitti in gehennam. Actor.1. aiebat Petrus: *Viri fra-*

Act. 1.

tres, oportet impleri scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os Dauid de Iuda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Iesum. Itaque de Iudæ pœna locuturus scripturam citat. Et

Psal 106.

quam scripturam? Ea est Psalm. 106. *Fiat habitatio eorum deserta, & non sit, qui inhabitet in ea, & episcopatum eius accipiat alter.* Dicturus de Iuda adducit testimonium, loquens de multis aliis, imo de tota multitudine Iudæorum, dum ait: *Fiat habitatio eorum [illegible]*; cur non magis in singulari locutus est de solo Iuda? Cur necessum fuit & Iudæorum mentionem facere? Equidem quando de Iudæ supplicio sermonem texuit, necessum fuit in illo & similium pœna annuntiati; nequit enim fieri, quòd in cuiuslibet peccatoris pœna omnes eius similes non exprimantur. Ait Rup. lib.1. de

Rupert.

intellectu, cap.1. *Duo testimonia coniunxit, & alterum quidem singulariter de psalmo centesimo octauo: Et episcopatum eius accipiat alter. Alterum verò pluraliter de sexagesimo octauo: Fiat habitatio eorum deserta. Proposuerat autem tantum de vno singulariter, sed & hic addit pluraliter. Quid igitur nisi enortam in cordibus Apostolorum intellectus lucem, hoc dicto sentimus? Iudam quippe, & infelices Iudæos sicut eodem scelere inuolutos, sic & simul pœna significat addictos: quatenus quod vni Iudæ contingebat, vt episcopatum eius accipiat alter, idem & Iudæis contingeret, vt episcopolis eorum habitatio deserta fieret.* Sic quidquid in vno peccatore fit, expectent sibi vniuersi similes, & putent sibi etiam dictam sententiam, quæ ferit aliquē similem,

Non

Non longè ab hoc abest, quòd Dominus locutus cum Ecclesiæ Pergami Episcopo, statim subdit, Apocal.2 *Qui habet aurem, audiat, quid Spiritus dicat Ecclesijs.* Et sanè tunc cum sola Ecclesia Pergami loquebatur: cur iubet attendi, quod Ecclesijs dicitur, nisi quia vniuscuiusque defectu carpuntur ab spiritu omnes similes? Ex quo Rupert. lib.2. in Apocal. *Sanè cum non dicit, quid Spiritus dicat Ecclesiæ Ephesi, sed quid Spiritus dicat Ecclesijs, sciendum est, quia quæ singulis scribit, vniuersis dicit. In omnibus quippe Ecclesijs sunt, quibus dici debeant ea, quæ sunt timoris*, &c. Non multum curet homo scire aduersus quem in particulari lata sit sententia diuina, sed videat, an ipse habeat in se delictum damnatum per illam: Deus enim numquam vnum damnat, in quo non damnet omnes similes. Apoc.2. Rupert.

CAPVT XXIII.

De decem virginibus.

A Nuptiali conuiuio ad nuptiarum cœlestium perfectionem venimus: hinc decem virgines de more sunt, quæ sponsis accedentibus obuiam procedunt, nempe vniuersi fideles, qui obuiam ibunt Christo venienti cum omni triumphanti Ecclesia ad iudicium. Virgines meritò dicuntur, qui incorrupta vixerunt fide, quarum multitudinem numerus denarius designat: prudentiam, vel fatuitatem illarum cognosces ex ornatu lampadum; sicut enim prudentissimus est fidelis ille, cuius fidei oculos sequuntur manus, dum facinoribus virtutum adimplent, & ornant vitam; sic ille stultissimus, qui fide sola nitens ab opere vacuus se finit in somnum, vel in mortem ire. Subitò veniet Dominus, & sponsi sub forma dicitur venire, ne solam fidem, sed & operum ornatum ostendatur requirere; in sponsi enim throno de nullo magis præcipuè, quam de ornatu fit disquisitio. Id norunt, vel serò ipsæ fatuæ virgines, quæ vbi sponsum venientem audiunt, quem despexerant ornatum virtutum anxiæ, & timidæ nunc inquirunt. Quæ enim virgo ornatus defectu non timeat sponso displicere suo? Vanè iam quærunt ornatum intempestiuum; sed magis vanè de prudentium sociarum industria sibi putant posse parare remedium stultitiæ, quando vix prudentissimæ sufficiunt sibi. Nec miror, quod adeo stultæ, & incompositæ, & intempestiuæ virgines æternum maneant à diuino sponso exclusæ.

Matth.25. Simile est regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obuiam sponso, & sponsæ.

§. I.

Cœlestis gloriæ imago euidentissimè apparet in virginitate.

IAm regnum cœlorum dicitur simile decem virginibus; nec in vllo alio euidentius, quàm in virginitate gloriæ cœlestis imago exprimitur. Isai.c.7. ait: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel.* Non alia, sed virgo Deum à cœlo venientem excipit; nec Deus è cœlo ad aliam confugit, nisi ad virginem, quia nimirum in virginitate cœlestis gloriæ imaginem expressissimam inuenit. Quò spectans ait D. Thom. opusc.221. *Ad hoc Dei filius veniebat in mundum carne assumpta, vt nos ad resurrectionis statum promoueret, in quo neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo. Vnde & continentiæ, & integritatis doctrinam introduxit, vt in fidelium vita resplendeat aliqualiter gloriæ futuræ imago.* Ad Virginem venit è cœlo Dominus, in qua cœlestium etiam inuenires imaginem, & virginitatem hominibus persuasit, vt in eis ostendat virtutem, quæ cœlestes glorias possit in terris repræsentare; nec immeritò virginitas habetur futuræ gloriæ imago, quando nec coinquinationem per se admittit, sed eam amat puritatem, qua sola beatitudo gaudet. De Hieremia dicitur cap.1. *Priusquam te formarem in vtero, noui te: & antequam exires de vulua, sanctificaui te.* Cur Prophetæ tam antelucana sanctitas, tam antelucana puritas paratur? Pulchram rationem attigit D. Hieron. lib.1. contra Iouinianum, aliò datus: *Hieremias in vtero sanctificatus est, & cognitus in vulua matris, ideo hoc priuilegio fruitur, quia virginitatis erat beatitudini destinatus.* Expende rationem, nimirum, *quia virginitatis erat beatitudini destinatus*, quasi duæ sint beatitudines, alia in cœlis, in terris alia: illa implet cœlorum Principes, hæc in virginibus radiat; vtraque sibi similes, & penè pares adeò vt sicut cœlestis beatitudo non admittit aliquid coinquinatum, sed omnimoda puritas, & sanctitas ad illam sola accedere valet, sic necessum est vt omnigena puritate, & sanctitate præparetur, qui aptatur beatitudini virginitatis. Quid plura? Scimus cœlestes sedes pluisse manna in deserto, quo vixit populus Israelita: sed & de Ioannis Euangelistæ sepulchro ferunt manna frequenter prodiisse, quasi vel in hac pluuia & cœlum, & virginitas ostenderentur similia. Pro quo D.P. Dam. ser.2. de Ioanne fatur: *Veniant igitur omnes nationes gentium, & obstupescant miraculum omnibus sæculis inauditum. Veniant, inquam, & admirantes aspiciant, quia in sepulchro, quod proculdubio domus est vermium, panis nascitur Angelorum, adeò vt cum Propheta in magni muneris admiratione pronunciet, quod Israelitico populo manna Deus concessit in cibum, dicens: Panem Angelorum manducauit homo, panem cæli dedit eis: quod illis tunc mittebatur è cælo, nunc scaturire conspicitur è sepulchro. Ecce quid mereatur pudicitia virginalis: ecce quantæ magnitudinis est inuiolatæ carnis integritas.* Huc potuit peruenire virginitas, quòd in mannæ exhibitione cœlorum æmuletur virtutem: & quidquid in cœlis magis splendet, huius expressissima imago in virginitate inuenietur. Ne miremur, quòd & cœlorum ciues maiorem exhibeant virgini venerationē quàm ipsis cœlis. De Gabriele aiebat Luc.cap.1. *Missus est Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem*, &c. Quod notans D.Basil.Seleuc.orat.1. ait: *Cum Gabriel ad Deiparam Virginem missus ad inferiora hæc descendebat, cælos vtique à tergo relinquebat.* Quasi innueret bonus Pater cœlestia tergo dari ab Angelis, vbi præ oculis virginem possunt habere. Quare non mirabor illud fuisse dictum à D. Bern. epist.42. *Sola est castitas, quæ in hoc mortalitatis & loco, & tempore statum quendam immortalis gloriæ repræsentat. Sola inter nuptiarum solemnia morem beatæ illius vendicat regionis, in qua neque nubunt, neque nubuntur, præbens quodammodo terris cælestis iam illius conuersationis experientiam.* Sic ille. Isai.7. D.Thom. Hier.1. Hieron. Damian. Luc.1. Bernard.

§. II.

Fidei seruandæ constanti affectui comes solet esse immaculata corporis pudicitia.

QVos virgines decem vocat, intelligit Dominus vniuersos fideles, qui viriliter pro fide stare decernunt, hos virgines vocat, vt qui sciat corporis pudicitiam sociam esse fidei seruandæ constanti affectui. Et vbi fidei stabiliendæ affectus viget, fallar, si hic desinat sociam sibi pudicitiam perire. Castissima illa fœmina Iudith, quæ ab oculis conciuium suorum sese arcebat domi conclusa, tandem non dubitauit pulcritudinem suā obiicere Babylonis exercitibus, & inter virorum alienigenarum agmina versari, imò vt ad hos pergat, primum ornatu pulchro pulchritudinem acuit suam. Quis hoc crederet de fœmina pudicissima, honestissima? Cur, ô Iudith, si tuam pulchritudinem exponis? Cur magis non times castitati tuæ inter iuuenum lasciuientium exercitus apud ducem & potestate, & lasciuia insignem? Et si viros tales non times, cur potes non timere tibi ab affectu tuo, ne inter Assyrias delitias, & diuitias mollescere contingat? Ferebatur sancta fœmina tuendæ fidei, veræque religionis studio: vbi autem fidei tuendæ studium, & affectus feruet, minimè sinet periclitari pudicitiam. Pro quo aiebat D.Ambr.lib.2. de virg. *Iudith se, vt adultero placeret, ornauit; quæ tamen, quia hoc religione faciebat, non amore, nemo eā adulterā iudicauit. Benè successit exemplum: nam si illa, quæ se commisit religioni, & pudorem seruauit & patriam; si vtrasque & nos seruādo religionem, seruabimus etiam castitatem.* In validissimo tutandæ fidei, religionisque affectu tutamen habuit castitas validissimum; nec contigit, quòd hæc subiret discrimen, vbi vigebat in affectu religio. Connexæ sunt, & penè inseparabiles hæ virtutes, & sese mutuò inferunt; nec quis lasciuiæ traditus blandiatur sibi in zelo fidei; nec in fide titubans glorietur, quòd floret pudicitia. Hoc magis morale est, quòd fidei religionisque ardor in anima non sinit periclitari pudicitiam; & quòd religionis defectus sit etiā coniunctus cum defectu pudicitiæ. Hinc Ioan.20. Magdalenæ ploranti ad Christi sepulchrum dicunt Angeli, imò & ipse Iesus dicit: *Mulier, quid ploras?* Expēde verbum illud, *Mulier*: sic enim vocatur à Luc. c.9. vbi eius notissimam proponit lasciuiam, dicens. *Mulier erat in ciuitate peccatrix.* Cur ergo Domine modò meminisli vocabu- Ambros. Ioann.20. Luc.9.

vocabulum, quo fuerat Magdalenæ notata impudica vita, mores corrupti? Sanè in præſenti oſtenditur Magdalena minus conſtans in fide, cum deberet potius gaudere de Ieſu rediuiuo, quàm flere pro defuncto. Quæ fidei inconſtantia caſtitatem in ea fulgere non ſiuit, ſed in memoriam adducit vel priſtinam impudicitiam. Quippe ait D. Ambroſ. lib. 3. de
Ambroſ. virg. *Quæ non credit, mulier eſt: nam qui credit, in virum perfectum reſurgit, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Mulier, inquit, non de ſexu, ſed de cunctatione conuicium eſt. Et benè mulier, quæ nutabat, quia virgo iam crediderat.* Expende vnde oriatur conuicium illud corruptionis carnalis in vocabulo mulieris notatum, nimirum ait: *De cunctatione conuicium eſt.* Vbi enim circa fidem fit cunctatio, nil prius præ oculis eſt, quàm carnis corruptela. Ne credamus multum eſſe de religionis, fideíque affectu in homine, quem laſciuis ignibus aduri videmus, pariter enim ſolent eſſe, & titubatio in fide, & in caſtitate titubatio. Quid plura? Sine ſocia caſtitate vix
Geneſ. 19. fidei initium adoleſcit? Gen. 19. ait: *Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam, & Gomorrham ſulphur, & ignem,* &c. Fulmina ignea iaciuntur, & dicitur Deus pluiſſe, cum pluo verbum potius ad aquarum nimbos ſpectet, quia nimirum, & inter ignes aquarum pluuiæ cedebant, vt oſtendit ingens lacus maris mortui, in quod flumina illa deſiere. Nec ſine myſterio Sodomitis ignibus aquæ adduntur, in quas illi deſinant; ſed vt oſtendatur munus baptiſmi, à quo initiantur fideles, cuius effectus eſt, carnis ardores tollere, vt de caſtitate fides poſſit adoleſcere. Ait Claudius Marius in Geneſ. lib. 3.

Nec tamen hic occulta vacant myſteria, nam quòd
Vndæ hic ſunt, vbi flamma fuit, quod flamma miſſis
Deſuper extinxit limphis: fortaſſe notabat
Luxuriæ calidos ignes, fomentáque primi
Peccato contracta patris, cœleſtibus vndis
Extinctum quandoque iri.

Ecce tibi fidei initium, nempe totum baptiſmi Chriſtiani fluentum parari, non ſolùm tollendę originali culpæ, ſed extinguendis libidinum ignibus: vt fidei lumen radiet de ſocio odio libidinis. Huc velim trahere multos præſtantes nobilitate viros, qui cum luxuriæ ſint mancipia, non ceſſant gloriari de affectu ad fidem, patriámque religionem? Heu quàm vana gloriatio iſta! faxit Deus, ne pro fide adducantur in periculum, ſanè vt ſunt immerſi cupidinibus, & naufragabunt circa fidem. Sapientior iſtis Raab meretrix fatur Io-
Ioſue 2. ſue 2. *Deus veſter in cœlo & in terra.* Cauit dicere, Deus meus, ſiue Deus noſter; vbi enim ſe ſciuit impuram meretricem, non auſa eſt reputare, ſe in veri Dei cultu, & fide, & reli-
Cyrill. gione exiſtere. Cyrill. Hieroſol. catech. 2. *Suum enim dicere non audebat, eo quòd ſe impuram ſentiebat.* Sic qui ſapiunt, vbi mores ſuos vident impudicos, non ſic audenter ſentiant de ſuo circa religionem & fidem cultu, imò magis timeant; ſolet enim ardor fidei trahere ſecum ſociam pudicitiam. Et quidem impudicitia magis deſeruit apoſtaſiæ. Ait D. Atha-
Athanaſ. naſ. orat. contra Idolo. *Cum profectus eſſet in Ægyptum Adrianus Imperator, defunctum ibi voluptatis ſuæ miniſtrum publico edicto ſtatuit, vt ſacrificijs colerent: qua quidem re, vt ipſe etiam à funere pueri ſe amatorem oſtendit, ita recepi refutandæ Idololatriæ documentum de ſe præbuit, declarauitque, eam non alia de cauſa ab hominibus inſtitutam eſſe, quàm deſiderio eorum, qui figmentis repræſentantur, quemadmodum ſapientia Dei atteſtatur: Origo fornicationis, idolorum adinuentio eſt.* Hæc ille.

§. III.

Pudicitiæ integritas quodcumque regnum etiam glorioſiſſimum poteſt magnificare.

NOn parum extollit Dominus regnum ſuum, etiam ſi glorioſum ſit & excelſum, dum illud in virginibus decem prædicat rutilare. Nullum enim eſt regnum adeò clarum quod de caſtitatis commendatione non poſſit penè in immenſum magnificari. Dei regina, & Dei ſponſa Eccleſia
Cant. 4. dicitur Cant. 4. *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ.* Totus purpureus mali punici ſplendor in genis ſponſæ ponitur, vt quæ debeat a caſto & virgineo pudore commendari, à quo quæuis præſtantiſſima pulchritudo & extollitur, & commendatur. Quocirca fatur Apon lib. 6. in Cant. *In genarum pulchritudine virginitatis, vel caſtimoniæ verecundia intelligitur demonſtrari, quoniam nihil ita ſpecioſum in Eccleſiæ ſpecie, quòd fideles ſimul & infideles poſſet ſimul magnificare, niſi caſtimoniæ decus.* Quod à caſtitate ſumitur decus, hoc valet, quancumque gentem, quodcumque regnum magnificare; & ſine hoc decore etiam maxima, & ſplendida imperia, quaſi nihilo reputantur. Quis non miretur regni Salomonis diuitias, & ingentes glorias? De illo tamen ait Dominus Matth. 6. *Con-* Matth. 6.
ſiderate lilia agri quomodo creſcunt, non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut vnum ex iſtis. Proponit ob oculos campi lilia, & Salomonis regium ſplendorem in gloria ſua; & hunc inferiorem reputat illis. Et quomodo ſplendidiſſimi regis, & ditiſſima gloria poteſt eſſe inferior campi liliis? In liliis conſideratur caſtitatis ſplendor, ſine quo verum eſt, quòd vileſcant, & ſordeſcant, etiam imperia ampliſſima, ſplendidiſſima. Ad hæc D. Paſchaſ. in Pſalm. 44. inquit: *Vir-* Paſchaſ.
ginitas, quæ Angelis comparatur, per lilia ſæpe in ſcripturis ſacris præfiguratur. Et dixit Dominus, quod nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt, ſicut vnum ex iſtis. In quibus nimirum floribus, retinet intus floris vers incorruptio, & pulchritudo per claritatem integræ caſtitatis. Nulla eſt gloria gentis, nullus ſplendor regni, qui poſſit comparari liliis, qui non ſordeat, & vel fœni flori inferior ſit, dum in ſe non habeat claritatem caſtitatis integræ. Quæ ſola caſtitatis claritas ampliſſima coniugatorum imperia valet illuſtrare. Quò refero dicta tom. 2. lib. 11. cap. 2. §. 3.

§. IV.

Pudicitia, & caſtitas deſignat homines ad cœleſtem gloriam approximari. Et luxuria deſignat damnandos.

COEleſtibus nuptiis qui aptantur fideles, merito virgines dicuntur; ſi enim ex aliqua virtute morali, maximè ex caſtitate & virginitate habent homines, quòd proximè ad cœleſtem gloriam appareant deſignati. Ioann. 4. aiebat
Dominus: *Leuate oculos veſtros, & videte regiones, quia albæ* Ioann. 4.
ſunt ad meſſem. Regiones iam albicabant ad meſſem, vt in cœleſtia horrea intrarent, ſed albedo illa à caſtitate manabat, vt de huius virtutis beneficio intelligerentur homines cœleſti gloriæ quaſi proximè aptari. Id docebat D. Baſil. orat. de vera virgin. fatus: *Virginitas enim vitam noſtram de corruptione ad ſanctitatis gloriam colligit. Nam priores illi homines ex paucis ſeminibus, fœderatis nuptijs orbem terrarum humanitatis fruge impleuerunt: hæc autem ſata iam toto orbe per voluptatem connubij grana intra cœlorum horrea congregat. Hanc nempe ſatorum in caſtimoniæ gloriam tranſlationem ſignificans Dominus dicebat: Leuate oculos veſtros, & videte regiones, quia iam albæ ſunt ad meſſem.* Meſſem indicat caſtitas, qua homines in cœleſtia horrea claudantur. ex quo albicare cœpit homo caſtitatis propoſito, & opere, iam vicina meſſis, iam horrea cœleſtia aperta apparent. Vnde Cantic. 8. de aſcendente in
cœlum anima dicitur: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto?* Cant. 8.
Septuag. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit dealbata.* D. Ambr. ſer. 14.
in Pſal. 118. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit candida?* Quaſi in caſti- Ambroſ.
tis candore, & albedine ſignum ponatur iamiam aſcendentatis in cœleſtem patriam. Quò reſpiciens D. Paſch. in Pſ. 44.
ait: *Sicut ſponſus à principio, ſua in ſpecie formoſus, ita & ipſa* Paſchaſ.
ſpecioſa laudatur, quia dealbata aſcendit. Felix igitur nimirum, & beata veſtra virginitas, felix & viduitas ſancta quæ ſic quotidie aſcẽdit vt fiet à dextris Dei. Habet hoc caſtitatis albedo, quòd deſignet, & denotet eos, qui cœleſtibus aſcenſionibus aptãtur. Quis non amplectatur hanc virtutem, de cuius munere
habet ad æterna horrea iam deſignari? Matth. 25. *Congrega-* Matth. 25.
buntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab inuicem, ſicut paſtor ſegregat oues ab hædis, & ſtatuet oues quidem à dextris, hædos autem à ſiniſtris. Hinc oues, illinc hædos ponit; oues ad gloriam, hædos ſeparat ad ignem. Et cur ſeparatio reproborum à iuſtis, deſignatur per ſeparationem hædorum ab ouibus, niſi quia in hædis libido, in ouibus caſtitas innuitur, in qua proximum ponitur ſalutis ſignum? Quò ſpectans D. Alcimus ait lib. ad Sororem.

Conijce virgineis quantum diſponitur illic
Quo Chriſtus vocat hinc meritis, & quanta futura eſt
Gloria: cum cuncti iudex atque arbiter Orbis
Laſciuos caſtis hædos ſecernet ab agnis.

Hæc virginitatis gloria, hæc ſumma caſtitatis laus, quod de eius inuſtione ſignentur in gloriam intraturi, ſic ſunt caſti proximi ſaluti æternæ, vt qui ab hac deflectunt virtute, vel inde reputentur arcendi, vel ſaltem ægrè, & difficulter extremam ruinam caueant. Ieiunij in bello fracti inuenitur Ionathas reus à patre, & vix reſiſtẽte toto exercitu à morte
eripitur, adeò vt ipſe clamet 1. Reg. 14. *Guſtans guſtaui in ſum-* 1. Reg. 14.
mitate virgæ, quæ in manu mea, paulul ũ mellis, & ecce ego morior. Quantum hoc malum, quod guſtaret nobilis adoleſcens mellis

mellis paululum, vt hinc debeat mori destinari? Cur tam seuera sententia in principem, ob paruum gustum mellis? Ne sitas in melle illo paruo gustato, sed in eo, quod per mellis dulcedinem significabatur; erat in melle illo typus lasciuarum voluptatum. ne miremur, quod vbi adolescens vel paruum gustum sumit lasciuiæ dulcedinis, vix queat ab extremo exitio reuocari. Adhæc D. Isid. in 1 Reg. c. 8. ait:

Isidor. *Non potest aduersus principes tenebrarum viribus animus concurrere, qui adhuc huius mundi negligit dulcedines declinare: mel enim distillant labia meretricis, quod est delectatio voluptatis carnalis, de quo putatur iuxta mysticos sensus hunc gustasse Ionathan, & forte deprehensum, vix precibus populi liberatum.* Vix liberatur à morte adolescens, qui vel parum gustauit lasciuiæ voluptatis: qui autem sese libidinum cœno inuoluit, is quasi iam morti videtur datus. Hinc meritò lasciuientium dona exhibita meretricibus habentur quasi testamenti legata, non tam à viuente, quam a moribundo ordinata. Vbi enim Herodes saltatrici puellæ ait Marc. 6.

Marc. 6. *Quidquid petieris dabo tibi, etiam si dimidium regni.* Corripitur, quod sibi statim moribūdo aliud dimidium regni reseruauit. Nam dona illa a lasciuo rege in lasciuam fœminā collata, non poterant nisi renuntiare donatorem iam mori traditū. Id quod acutè notans D. Chrysol. serm. 173. ait:

Chrysol. *Quare sibi, vel pro parte seruauit, qui post tale castitatis exemplum esse, videri, viuere non debebat?* Non poterat lasciuia tanta cum vita durare; nec dona illa profecta ex cœno voluptatum poterant mortem donatoris non testari, adeò vt superfluum esset sibi aliquid reseruare.

§. V.

Iesu excipiendo ille maximè aptatur, qui conformis ei fit in castitate. Vbi quam periculose lasciuus Eucharistiam sumit.

NOtantes dicuntur virgines, *quæ exierunt obuiam sponso, & sponsæ.* Ille enim maximè aptatur, vt Iesum excipiat, qui ei similis, & conformis existit merito castitatis. Vox illa est Iesu vocantis animas, in quibus excipiatur Cant. 2. *Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni.* In quo formosa magis, quàm in roseo candore pudicitiæ? Qui hac speciositate pulchrescit, habet multum vnde possit Iesu appropinquare. Ideo D. Paschas. in Psalm. 44. monet:

Paschas. *Illum sectamini decorem, quo species vestræ specio... progrediuntur. Tunc itaque bene seruantur sæcreta nuptiarum, si ex vtraque parte impenditur amor casta dilectionis, & pudor perpetuus castitatis, si respondeat inuicem pulchritudinis forma & decoris, si inuigilet morum probitas, & diligentia castæ obseruationis.* Vbi castitas est & corporis & animæ, non contemnendus paratur thalamus, quo diuinus sponsus excipiatur. Habet in hac virtute anima, quo intimam inter se, & sponsum possit publicare conformitatem. Vnde clamat ipsa Cant. 2.

Cant. 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia.* Ex quo Deus inter lilia pascitur, roseòque tenetur decore castitatis, nihil inter se. & Deū putat esse diuersitatis. Quod pulchrè expendens Apon. lib. 5. in Cant. fatur:

Apon. *Dilectus meus mihi, gratia vocationis, adoptionis clarissima libertate. Et quid ego illi? Voluntatem obedientiam, conseruandæ integritatis studium, quod indidit per naturam. Quid ille mihi? Singulare conseruandæ virginitatis exemplum, nascendo per virginem. Et quid ego illi? Singularem lætitiam, denuo nascendo per baptismum, in toto corde meo seruando præcepta, & Angelicam, cœlestémque imitando naturam, vt intactum corpus reddas ad paradisum. Nam sicut diabolus cruenta iracundia, & exæstuado cœno libidinis saginatur, ita & Christus Dei filius, misericordia mansuetudinis, vel castimoniæ illius pascitur.* Eccce tibi quàm sese Iesu debet conformare in puritate, & castitate ille, qui Iesu approximari, imò & copulari nititur, quò enim Iesu qui quis est propinquior, eò castitate debet esse similior. Quod notabat Tertul. lib. de Monogamia inquiens:

Tertull. *Ecce statim quasi in limine duo nobis antistites Christianæ sanctitatis occurrunt. Monogamia, & continentia: alia pudica in Zacharia sacerdote: alia tota in in Ioanne antecursore: alia placans Deum, alia prædicans Christum.* Quò enim Ioannes propinquior Christo, quàm Zacharias, eo pudicitia, & castitatis gradu longè præstantior. Is namque est Christus, qui amet castitate eminere sibi propinquos. Hinc est, quod non solum voluit nasci de virgine, sed & putatiuum parentem Ioseph voluit etiàm esse virginem. Ex quo sic sapienter argumentatur P. Damian. epist. 6. ad Nicol. 2.

Damian. *Hoc sufficere videbatur, vt tantummodo virgo sit mater: Ecclesiæ fides est, vt virgo fuerit is, qui simulatus est pater. Si ergo redemptor noster tantopere dilexit floridi pudoris integritatem, vt non modo de virgineo vtero nasceretur, sed etiam à nutritio virgine tractaretur, & hoc cum adhuc paruulus vagiret in cunis: à quibus nunc obsecro tractari vult corpus suum, cum iam immensus regnat in cælis.* Metuat vel attingere fimbriam Christi, qui ab omni lasciuiæ labe non est mundissimus. Famescentibus Dauidis sociis, petebat Dauid a sacerdote, vt panes propositionis darentur illis. Cui Sacerdos ait 1 Reg. 21.

1. Reg. 21. *Si custoditi sunt pueri à muliere, manducabunt.* De castitate militum inquirit, antequam panes tribuat, sed fames vrget, sed milites pereunt, & est periculum in mora cibi: nihilominus prudens sacerdos expectat, ne panes Deo sacros parum castis tribuat. Vbi Sixtus Pont. Max. epist. de Cast. ait:

Maximus *Ostendit facilius posse incontinentes inedia mori, quàm panem sanctificationis accipere.* Huc veniant innumeri sacerdotes, qui libidinum facibus ardentes non tamen abstinent à cœlestis panis conuiuio, vt sic possint de altaris quæstu corporaliter viuere: sanè vtilius illis foret, si inedia morerentur, quam corporis Christi panem cœlestem accipere. Infestissimus enim est Christus, & debellator aduersus eos qui aduruntur libidinum flammis. Nota est Abimelechi mors, de qua dicitur Iudic. 9.

Iud. 9. *Erat autem turris excelsa in media ciuitate, ad quam confugerant simul viri, ac mulieres, & omnes principes ciuitatis, clausa firmissime ianua, & super turris tectum stantes per propugnacula. Accedens Abimelech iuxta turrim pugnabat fortiter: & appropinquans ostio, ignem supponere nitebatur: & ecce vna mulier fragmen molæ desuper iaciens illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum eius.* Quid in hoc prælio repræsentatur? Petrus Damianus totum hoc bellum putat esse bellum pro castitate tuenda. quæ turris est celsissima, & pro omnium virorum, fœminarumque simul præsidio data. In huius impugnatione perit Abimelech, dū fœmina in illum dimittit grauissimum lapidem. Sed scire cupis, quis sit iste lapis, qui a fœminea manu iactus, iam miserè premit principem tantum? Equidem lapis Christus est, qui castitatis impugnatoribus prorsus accedit exitialis. Ad hæc P. Dam. lib. 2. epist. 10.

Damian. *Vt autem in his verbis non immoremur, fragmen molæ, quod Abimelech cerebrum fregit, nihil est aliud quàm saxum illud, quod Daniel sine manibus abscissum de monte conspexit. Mulier verò, de cuius manu mittitur, lex est, quæ flagitiosis pudicitiæ contemptoribus repentinum Christi iudicium comminatur.* Ecce tibi castis, pudicisque venit Iesus blandus, & suauis vt sponsus, in lasciuos autem in lapidem durescit, & cadentis desuper lapidis impetu descendit, ad eos penitus conterendos.

§. VI.

Qui Christo adhæret, hoc ardentissimè amat, quod pluribus communicetur.

EXpende quibus obuiam eant virgines, nimirum *sponso, & sponsæ.* Deus bone, & quomodo poterit occursus hic puellarum esse gratus sponsæ venienti cum sponso? Nonne zelotypa est sponsa? Nonne timebit amori suo ab iis virginibus accedentibus ad sponsum? Absit, quæ enim anima Deo adsistet, hoc maximè cupit, quòd Deus a pluribus ametur, & plures amet. Cantic. 3. vbi inuenit sponsum, sic sponsa loquitur:

Cant. 3. *Tenui, nec dimittam, donec introducam eum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* De viro dicebatur Gen. 2. *Propter hunc relinquet homo patrem, & matrem suam.* Cur & sponsa meministi parentum tuorum, vbi habes Christum? Cur in illam in parentum domum vis introducere? Cur non magis reseruas vni tibi? Sic sunt amores mundiales, qui vt creaturas finitas amant, sic verentur illas partiri per plures, sed sibi malunt integras. At qui Deum amat, nulli inuidet amatori, imò id studet, quo dilectum suum pluribus communicet. Ait D. Bernard. ser. 79. in Cant.

Bernard. *Quomodo ergo sponsum, & hunc sponsum non teneat, ne dimittat, cupit? Cupit quidem illum teneri, non tamen, vt cedat illi sed vt communicet.* Nequit amatrix anima sponso carere; sed amat simul illum possideri a pluribus, & tunc maximè lætatur, cum plures inuenit, qui de amatoris sui amore, & fauore viuant. Similiter aiebat Cant. 3.

Cantic. 3. *Surgam, circuibo ciuitatem per vicos, & plateas quæram, quem diligit anima mea.* Non miror, quòd per plateas quærat dilectum suum, sed hoc miror, quòd non vereatur illū vel in vicis, vel in plateis inuenire, vbi sunt puellarum formosissimarum concursus. Sanè mundialis fœmina multum affligeretur, si dilectum suum apud alias diuersari sentiret; nō sic Dei dilectrix, imò tūc gaudet magis, cū videt dilectū circundatum à pluribus. Sapienter Gillib. Abb. ser. 6. in Cant.

Gillibert. *Deliciæ eius sunt, tecum esse dilectum suum. Non inuidet, non zelatur. Dilectum suum, amasium vult esse dilectum.*

Idee apud omnes quærit, vt illum apud omnes aut inueniat, aut inoitet. Sic semper Dei amatrix anima cupit Deum omnibus communem fieri.

§. VII.

Christus Dominus sine vera Ecclesia haberi minimè potest.

OBuiam procedunt virgines non solùm sponso, sed sponso simul & sponsæ; oullibi enim solus inuenitur Christus, nec sine sponsa Ecclesia haberi potest. Damnabiliter fallitur, quisquis de Christo habito gloriatur, dũ eius simul non admittit sponsam, amat Iesus sponsam suam, amat Ecclesiam suam, à qua minimè vult separari nec in mente hominum. Dum Iesus sanat leprosos decem, illis imperat Luc. Luc. 13. 13. *Ite, ostendite vos sacerdotibus.* Cur sine sacerdotibus non sanat ipse solus? An is est Iesus, qui egeat auxilio sacerdotum? Absit; posset equidem sanare illos solus; sed oulli vult diuinus sponsus salutaris esse sine Ecclesia sibi copulata in sponsam. Quocirca pulcherrimè loquitur Isaac Presbyter Antiochenus citatus à Tilmano io Allegor. circa c. 8. Matth. Matth. 8. *Omnia per se potest omnipotens Christus, scilicet, baptizare, Eucharistiam consecrare, ordinare, peccata dimittere, & similia. Sed nihil vult sine sponsa humilis, & fidelis sponsus. Quod igitur Deus coniunxit, homo non separet. Noli caput corporis detruncare. Noli corpori caput subtrahere, vt nusquam totus sit Christus. Neque enim totus Christus sine Ecclesia vsquam, sicut tota Ecclesia sine Christo nusquam.* Impossibile est inueniri Christum solum sine Ecclesia: nulli in re salutis æternæ adest solus, sed se, & sponsam obiicit, vt in vtriusque suffragio salus hominis ionitatur. Vanus est homo peccator, qui sine sacerdotis ministerio præsumit sibi salutem dandam; nuoquã eoim salubriter Deus quæritur, nisi Ecclesia sponsa comitante. Psal. 44. Psalm. 44. *Adducentur regi virgines post eam: proxima eius afferentur tibi.* Quæ verba sic reddunt Septuag. apud D. Paschas. *Ducentur ad regem virgines, & sequentur eam amicæ eius.* Expende inseparabilem illam conneaionem, nimirum, quòd ducantur ad regem, & sequantur eam. Quam eam? Sponsam regis Ecclesiam, quasi nec gradus fieri posset in quærendo rege, qui simul non fiat in sequela Ecclesiæ. Paschas. Pro quo sapienter D. Paschas. ait. *Quæ virgines ad regem, & ad regis thalamum tam specialiter deducuntur? Ego puto, charissima, de huiuscemodi virginibus dictum, quales vos esse credo: quæ sequuntur vnà vobiscum Ecclesiam, & agnum, quocumque vadit.* Non sequeris agnum, nisi eius sequaris Ecclesiam: nisi enim detentæ sponsæ suffragio, nemioi sponsus exhibetur. Et dum in vtriusque sequela quis est, fallar, si spoliari Osiæ 7. possit spe vitæ. Ait enim Oseas cap. 7. *Fur ingressus est, & spolians latrunculus foris.* Sunt equidem & intra Ecclesiam fures, qui conentur vacuare hoois animam; at qui de facto illam de vitæ spe deturbent, foris sunt, quia nisi extra Ecclesiam anima fiat, minimè spem hanc vitæ dimittet. Pro quo aiebat Hieron. D. Hieron. ibi: *Significanter ait, quòd fur ingressus clam sit, & latrunculus spoliet foris. Non enim possunt spoliare vestem Christi, quos decuerunt, nisi eos de Ecclesia foris eduxerint, & in peruersa doctrinarum suarum via fecerint ambulare.* Itaque spem vitæ, nempe Christum nullus latro nobis eripiet, dum in Ecclesia fuerimus; Christus & Ecclesia sic mutuò adhærent sibi, vt simul commorentur io fidelibus suis, adeò vt si habeatur verè Christus, non possis non haberi eius Ecclesia, & si hæc habeatur, non possit non haberi saltem in spe Christus. Nulla enim est contraria potestas, quæ ab existente in Ecclesia possit Christi vestem auferre, nempe spem vitæ.

§. VIII.

De Mariæ consortio Dominus Iesus apparet hominibus salutaris.

NOn solùm sponso obuiam eunt virgines, sed sponso, & sponsæ simul viuentibus; vbi enim sponsum cum matre, & sponsa Maria venientem mediantur, omnia sibi ea tali coosortio promittunt salutaria. Et cui non salutaris est Iesus per Mariam matrem? Ex quo profecti sunt de Ægypto Num. 33. Israelitæ, per quadraginta duas mãsiones Num. 33 *Transierunt ad campestria Moab, supra Iordanem contra Iericho.* Itaque iuxta Iordanem finita est tota Israelitarum peregrinatio; & promissæ terræ diuitiæ cœperunt apparere, vt innueretur æternæ salutis apparitio, quæ hominibus obtingere consueuit. Sed cur salutis æternæ auspicium primum datur, in peruentu Israëlis ad Iordanem post quadraginta & duas mansiones? Crediderim ideò io iis primum salutis auspicium dari humano generi, quia totum ibi aduentus Dei ad Mariam adumbratur mysterium. Consule Euangelia, & tot Mariæ auos numeratos inuenies, quot mansiones populi peregrinantis recensentur, vt accessus Israëlis ad Iordanem, sit quasi vmbra Dei ad Mariam accedentis, de cuius consortio statim salus apparuit promissa humaoo generi. Ait D. Hieron. epist. ad Fabiolam: *Nec mirum si in illo numero sacramento peruenimus ad regna cælorum, sub quo Dominus atque Saluator à primo Patriarcha peruenit ad Virginem, quasi ad Iordanem.* Et sanè vbi Hieron. Dei, & Mariæ consortium intelligitur, non mirum est, quòd homines perueniant ad æternam salutem. Veniat Deus ad Mariam, siue cum Maria veniat, & qui timebatur seuerissimus iudex, sponsus apparebit, æterna gaudia suis parans fidelibus. Etenim Deus de Mariæ præsentia nunquam non salutaris, & propriis hominibus redditur. De diuino iudice veniente dicitur Matth. 24. *Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret vsque in Occidentem, sic erit aduentus filij hominis?* Matth. 24. Nec otiosè aduentus filij hominis ad iudicium comparatur fulguri egredienti de cœlo, sed vt innuatur, vnde habebit seuerissimus iudex, quo in hominum salutem, & gloriam mansuescat. Quippe aiunt, fulgurum splendores, dum attingunt marinas conchas, totam esse causam nascendi gemmis, & voionibus, quæ in honorem, & diuitias hominum crescunt. Sic prorsus seuerissimus ille iudex, fulgur ille æternus descendens de cœlis, de Mariæ consortio non poterit non præsentare honores, & gloriam humano generi. Ex quo eleganter aiebat D. Damascen. orat. 1. de Natiuit. Mariæ. *Commouetur mundi mare: in ipso enim concha gignitur, quæ cælitus ex diuinitatis fulgetra in vtero concipiet, & Christum ingentis pretij vnionem pariet: ex qua rex gloriæ carnis purpura conuestitus, ad captiuos se conferens remissionem, et veniam prædicabit.* Damasc. Et quid aliud spectes in Christo, & Maria simul, quam concham, & fulgur, ex quibus hominum parturiantur gloriæ, & diuitiæ? Concha Maria est in mundi mari posita; Dei filius fulgur à cœlo veniens; dum Maria, & Dei filius apparent simul, vniones generantur, & peccatorum remissio, & cœlestium bonorum elargitio. Nil amarum, nihil egenũ, nihil triste, sed omnia plena sunt gaudiis, & diuitiis, vbi ostenditur Maria iuncta Christo. Propone tibi ob oculos Dauidem ante arcam saltantem: ait 2. Reg. 6. *Dauid percutiebat in organis armigatis, & saltabat totis viribus ante Dominum.* 2. Reg. 6. Conscius Dauid facinorum suorum satius timeret à conspectu Domioi; quid ergo videt tunc, quo metus expellat, & in lætissimos saltus prorumpat? Id arcã illã videbat Mariam sociandam Christo, ea quorum consortio viso non poterat noo ingentia gaudia percipere. D. Ambros. serm. 80. inquit: *Dauid rex pariter, & propheta dum multa cecinerit, ante arcam testamenti etiam saltasse dicitur. Elatus enim gaudio in saltationem prorupit. Præuidebat enim in spiritu Mariam de genere suo Christi thalamo sociandam. Vnde ait: Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Ambros. Ecce vbi Dauid præuidebat Mariam sociandam Dei filio, nihil noo lætum præsagiebat inde. Et addit Ambros. *Ideo Dauid præ cæteris plus cantauit, quia lætior sanctis per hæc gaudia suos posteros coniungabat, & ad propria vota solito dulcius inuitans, docuit nos quid in ipsis nuptijs facere deberemus, cum ipse ante nuptias tanta exultatione saltauerit ante arcam.* Idem. Vel ea vmbra sponsæ & sponsi diuini saltans Dauid, docet nos ab iis sponsis nihil non lætum sperare, quando per Mariam semper Deus hominibus redditur salutaris. Quò reuoco dicta 1. tom. lib. 1. cap. 5. §. 8. & tom. 2. lib. 8. c. 3. §. 22.

§. IX.

De Maria vt de matre prosiliunt virginum examina.

SPonso, & sponsæ, nimirum Mariæ, & Iesu obuiam procedunt virgines, nec antea virgines audiuntur exiisse, quàm de hoc sponso Iesu, & hac sponsa Maria venientibus mentio fit, vt innuantur nuptiæ, de quibus pullulant virgines. Non enim à carnalibus sponsis, sed à spiritualibus, nimirum Iesu, & Maria virgines parturiuntur. Vnde D. Damasc. orat. 1. de Natiu. Mar. ait. *Meritò te beatam prædicant omnes generationes, vt eximium humani generis decus. Tu sacerdotum gloria, Christianorum spes, virginitatis feracissima planta. Per te enim virginitatis pulchritudo latissimè se diffudit.* Damasc. De virginea Mariæ planta veniunt, quæcumque florent virgines io toto orbe terrarum. Quæ orbis pars est, in qua non prosiliant virginum agmina? Et omnia hæc agmina ad Mariam currunt

currunt tanquam ad matrem, quàm talem meritò recognoscit, quidquid in mundo virgineum est, quidquid est castum.
Ioann.19. De Iesu crucifixo agens Ioann.cap.19. ait: *cum vidisset ergo Iesus matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier ecce filius tuus, deinde dicit discipulo, Ecce mater tua.* Indubitatè asseritur Ioannes à Iesu Mariæ filius, & Maria dicitur Ioannis mater: & quomodo verum est, quòd Ioannes sit Mariæ filius? Non equidem erat Ioannes Mariæ filius carnali generatione qua homo erat, sed qua virgo erat mundissimus, in hoc spirituali virtute iure debuit Mariæ filius reputari. Ait Galfridus apud Tilmanum in Alle-
Galfrid. gor. *Quodam modo Ioannes virginis matris in virginitate filius fuit: cuius illa si non carnem, carnis tamen integritatem edidit, & illum si non hominem, tamen virginem genuit. Cæterum quam multos hodie parit sanctissima illa fœcundissimáque virginitas. Quàm felix eiusmodi generatio, suo equidem modo fœcunda quidem, & incorrupta posteritas.* Agnoscant virgines matrem suam, quarum, si non carnem, saltem integritatem Maria edidit: Mariæ partus fuit, quidquid virgineum, quidquid castum est in mundo. Parere cessant fœcundissimæ quæque mulieres, Mariæ virginitas quotidie exultat nouis fœtibus, nunquam in Christi Ecclesia deficient virgines, sic numquam in Maria fœcunditas deerit. Vt dicat ipsa illud Ec-
Ecclesi.24. clesi.cap.24. *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris, & flores mei fructus honoris, & honestatis. Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. In me gratia omnis vitæ & veritatis: in me omnes spes vitæ, & virtutis. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini.* Quòd si quæras, quæ sint hæ Mariæ generationes? Ibi insinuantur, vbi ait: *Ego quasi vitis fructificaui;*
Hugo. vbi Hugo fatur: *Sicut vitis aquam conuertit in vinum, quod lætificat cor hominis, & germinat virgines.* Equidem ab hac vite Mariæ germina sunt vbique virginitatem halantia: quando ipsa nobis peperit viuificum illum calicem, ex quo incorruptio nascitur, & immortalitas.

Text. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes: sed quinque fatuæ acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum, prudentes verò acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. Moram autem faciente sponso, dormitauerunt omnes, & dormierunt.

§. X.

Mirùm est Dei beneficentissimi opus, quòd stultorum, fatuorúmve numerus non infinitus sit, sed aliquis sapiens inueniri possit.

NOn placet Caiet. stupens miseram hominis conditionem, quòd de decem virginibus quinque stultescant, & pereant, ego magis stuperem, & mirarer, quòd non omnes stultæ sint, & fatuæ, sed quinque possunt prudentes in-
Ecclesi.1. ueniri. Sanè ait Eccl.c.1. *Stultorum infinitus est numerus*; & in re vitæ æternæ, quando non stultescit omnis multitudo?
Senec. Notum est illud Senecæ de vita beata c.2. *Cum de beata vita agitur, non est, quòd mihi illud discessionum more respondeas. Hæc pars maior esse videtur. Ideò enim peior est. Non tam benè cum rebus humanis agitur, vt meliora pluribus placeant. Argumentum pessimi turba est.* Numquam non turmatim in stultitiam itur, adeò vt Dei beneficentissimi opus mirabile sit, quòd aliquem sibi sapientia adsciscat. Apud Malach. c.1. ait Domi-
Malach.1. nus: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Ecce tibi duos fratres ab eisdem parentibus progenitos: & alter in odium, alter in Dei amorem incurrit. Cur non ambo efficaciter in gratiam trahuntur? Cur & duobus solis alter perditioni relinquitur dari? In huius partitionis misera stupeat, & doleat alius: mihi potiùs placet gaudere, & laudare, quòd vnus alter potuerit Deo esse gratus. Suffragatur Rupert.lib.3. in
Rupert. Genes. cap.23. aiens: *Non quæstionibus ventilandum, cur non vtrumque dilexerit Deus, sed gratiæ illi agendæ sunt, quòd duobus vermiculis de vna massa peccatrice scaturientibus saltē vnum eorum dilectione sua dignum fecit, quia qui vtrumque iustè relinquere poterat, alterum misericorditer diligens assumpsit.* Non in altero reprobato nimis hærendum, sed magis gratiæ agendæ sunt Deo beneficētissimo, de cuius mirabili ope venit, quòd potuit è corrupta massa eripi, & in salutem venire. Quòd à corrupta natura nihil sanabile nascatur, sed vniuersæ eius propagines pereant, nihil inde magno stupore dignum efficitur: at quòd aliquis ad sapientiam currat, & Deo amatore appareat dignus; hoc ad magnum Dei opus pertinet, & beneficium. Penè infinitæ Israëlitarum rebellium multitudini aiebat Dominus Numer. 14. *Omnes qui numerati estis à* Num.14.
viginti annis & suprà, & murmurastis contra me, non intrabitis terram, super quam leuaui manum meam vt habitare vos facerem præter Caleb filium Iephone, & Iosue filium Nun. Paruulos autem vestros, de quibus dixistis, quòd prædæ hostibus forent, introducam, vt videant terram, quæ vobis displicuit. Vestra cadauera iacebunt in solitudine. Quale hoc spectaculum? Tot millium virorum cadauera dantur solitudini, paruulorum tantum vita reseruatur terræ promissæ. Vtrum stupeas, & mireris magis, quòd tot myriades pereant, an quòd viuant paruuli? Sanè non magnum est, quod spectes in multiplici hominum ruina; id solùm est magnum, & clarissimum Dei facinus, quòd possint viuere paruuli. Ait Procop. in Glossa: *Non enim* Procop.
magnum est, per quadraginta annos, corpora eorum iacere in deserto. Magnum verò est, quòd progenies eorum non exciditur. Quòd ex tam corrupta massa vnus aliquis excipiatur, qui in perditionem non abeat, hoc magnum est, & in Deo summis efferendum laudibus. Perditio, & mors adeò propria est hominibus, illisque adnata, vt nequeat non mirabilius esse, quòd vel è duobus alter salutem potiatur. Quòd vt ostenderet Dominus aiebat Matth.24. *Duo erunt in agro:* Matth.24.
vnus assumetur, & vnus relinquetur. Vnus perit in agro, quid magnum? At magnum est, quòd ex mundi huius agro, in quo tot corruptelæ sunt, vel vnus cœlestibus horreis includatur. Scio tamen aliquando duo esse potuisse in hoc agro, quorum nullus relictus est, sed in cœlestia assumptos fuisse ambos. Quòd solùm potuit spectare ad omnipotentiam saluantis. Sic aiebat ad amicum suum D. Paulin. epist.5. *Duo* Paulin.
verè, vt scripsisti, fuimus in agro, sed bonitate, & omnipotentia Dei ausim dicere, ita de nobis vnus assumptus est, quod neuter est relictus. Expende, vnde venit, quòd è duobus nullus sit relictus; nimirum *bonitate, & omnipotentia Dei.* Magnæ equidem potestatis argumentum est, quòd è duobus vnus assumatur; at quòd vterque in salutem abeat, id opus à sola Dei omnipotentia potest sperari.

§. XI.

Qui ad externorum sensuum conditionem viuit, numquam à vera sapientia non aberrabit.

NOn ignobilis Doctorum pars in quinque virginibus fatuis quinque sensuum externorum conditionem putat repræsentari, quibus sensibus illud propriissimum est, quòd fatui sint, & vix queant pertingere veritatē. Et quidem virgo licèt sis, & præstantissimis aliis virtutibus adornatus, si tamen ad sensuum externorum conditionem viuis, longissimè à vera sapientia aberrabis, summam insipientiam contrahes, & fatuitatem. Sic in præsenti D.Paschas. Orig. & alij. A nemine crediderim ignorari Mariæ Magdalenæ virtutem, qua omnia dimisit; qua pretiosis vnguentis Iesum non semel perfudit; qua semper ipsum secuta est, nec in cruce dereliquit. De hac igitur tanta fœmina, tot virtutibus illustri, dicit Ioann.cap.20. *Conuersa est retrorsum, & vi-* Ioann.20.
dit Iesum stantem, & non sciebat, quia Iesus est; dicit ei Iesus: Mulier quid ploras? Quem quæris? illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei: Domine si tu sustulisti eum, dicito mihi, vbi posuisti eum, & ego eum tollam. Dicit ei Iesus; Maria. Conuersa illa dicit ei: Rabboni, quod dicitur Magister. Bis dicitur conuersa Magdalena; primò conuersa retrorsum, vidit Iesum stantem, & minimè eum cognoscit, sed reputans hortulanum, cum eo loquitur. Tunc ad verbum eius iterum conuersa eum agnoscit, & magistrum vocat. Sed quæ antea iam conuersa dicitur ad Iesum, cum quo colloquebatur, tanquam cum hortulano, quomodo iterum dicitur conuersa ad illum, dum eum agnoscit? An à primo plenè non erat conuersa ad Iesum? Erat quidē à primo plenè conuersa ad Iesum, sed erat solùm conuersa ad conditionem sensuum externorum, nihil aliud attendens, nisi id quod poterat vel auribus percipere, vel oculis, vnde venit, quòd Iesum non agnosceret, nec in illo, quod erat, sed quòd non erat, attingere posset. Ait D.August. tract.121. in Ioannem: *Sed si* August.
ista mulier, quæ iam conuersa fuerat retrorsum, vt videret Iesum, quando eum putauit esse hortulanum, & eum illo vtique loquebatur, quomodo rursus conuersa dicitur, vt ei diceret Rabboni, nisi quia tunc conuersa corpore, quod non erat, putauit; nunc corde conuersa, quod erat, agnouit? Quid moralius? Sanè vbi oculos, sensúsque

sensúsque externos conuertimus, & solùm eorum ducatum sectari volumus, longissimè à vera sapientia distamus; quod non est, rem putamus; nec quid percipimus, quod excedat hortos olerum. Sic infatuamur, sic desipimus, vt animarum cultorem nihilo magis æstimemus, quam olerum cultorem. Vis non infatuari? Caue oculos, caue externos sensus, confuge ad cordis intima, ad mentis aciem: per hanc, quod verè est agnosces: per illos, in hortos olerum cedent tibi

2. Cor. 11. cœlestia omnia. Quò spectans Paul. ad Cor. 2. cap. 11 ait: *Timeo autem, ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua: ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo.* Timet Paulus Corinthiis, & non ab aliis timet, quàm ab affectione sensuum, ne sensus in Corinthiis sint, sicut fuerunt in Eua, dum seducta fuit à serpente. Equidem Eua aures externas dedit serpenti, oculos dedit ligno. Quid tunc? Diuinitatem putauit hortorum fructus esse, quibus vesceretur.

Rupert. Ad hæc Rupert. lib. 3. in Genes. cap. 9. *Vidit igitur mulier, considerauit, diligenter intuita est, & iudex eorum, quæ audierat, ipsa esse voluit. Audierat, quòd dixisset Deus; In quacumque die comederitis ex eo, morte moriemini: audierat serpentem è contrario dicentem; nequaquam moriemini, sed eritis sicut dij. Inter hæc anceps, naturam ligni proprijs sensibus dijudicare voluit. Itaque solis exterioribus oculis naturam ligni considerauit: & deprehendit malè cauta, quòd in ligno non esset venenum; erat enim bonum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectu delectabile. Sic vidit, & sic sacrilego diabolo magis, quam Deo credidit.* Sic solent infatuari externi sensus, & sic cœlestia omnia, & ipsam diuinitatem putabunt pomorum esum, & pro hortulano totum Deum habebunt. Meritò ergo Paulus timet Corinthiis ab externis sensibus, vt qui soli numquam soleant pertingere veram sapientiam. Annuebat 4. Esdras 8.

4. Esdr. 8. vbi sic: *O Domine, si non permittis seruo tuo, vt oremus coram te: & des nobis semen cordi, & sensui culturam, vnde fructus fiat, vnde viuere possit omnis corruptus, qui portauit locum hominis.* Expende ad fructus vitæ percipiendos, quid petat dari, nimirum *semen cordi, & culturam sensui.* Nisi enim sensus externi ita colantur, vt semini diuino in cordis intima iacto correspondeant, numquam ex illis fructus fiet, quo viuere possit verus homo.

§. XII.

Tunc maximè obtenebrescit quis, cùm non diuini, sed sui nominis splendorem quærit.

Cant. 1. QVod oleum lampadi, hoc est nomen Dei virtutum operibus, quippe ait Cant. 1. *Oleum effusum nomen tuum.* nisi enim per omnia virtutum opera nominis laus, & gloria effundatur; nullum splendorem, sed tenebras & caliginem virtutes parient. Et quid aliud quàm tenebras sperat, qui oleum non habet, quod infundat lampadi? Similiter tunc maximè sub tenebris latitabit, qui non diuini, sed sui nominis quærit per virtutes, laudem. Apud 2. Reg. 23. iuxta men-

2. Reg. 23. tem Isidori Clari, & aliorum plurium sic legitur: *Hæc sunt nomina fortium David: Sedens in cathedra sapientissimus, princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu vno. Post hunc Eleazar,* &c. Proponit fortium nomina scribenda; & proponitur primus sine nomine vllo, imò cùm fuerit sapientissimus, & facile omnium princeps, vocatur tenerrimus ligni vermiculus. Quis erat in cathedra sapientissimus? Quis erat ille fortissimorum princeps? Sanè tacetur nomen, & additur vermiculi lignarij similitudo. Hic namque vermiculus in corde ligni sepultus non paruo strepitu rodit lignum ingens, & dum perdit ligna, ipse etiam perit tenebroso in sepulchro corruptus. Sic vniuersi viri, qui ob terrenam sui nominis gloriam ingentes operantur virtutes, in ipso strepitu famæ velut lignarij vermiculi tenebris concluduntur, ne apud cœlestes principes nomen habeant. Non longè ab hoc erat Galfrid. in Tilman. allegorijs inquiens: *Primò huic in historia regum non protinus nomen datur: quia nec dum ad nomen transit. Nam etsi magnum illi exinde datum fuerit nomen in terra, iuxta nomen magnorum, qui sunt in ea, multum desipit, qui præsumit, quòd continuò etiam nomen suum similiter adscribatur in cælis.* Non omnes sapientissimi, non omnes fortissimi, etiam dum propter præstitas virtutes videantur per hominum ora volitare; veram nominis celebritatem & gloriam habent, insipientia enim est, si putent de terrena sui nominis celebritate se emicaturos inter astra, & non magis in ipsa terra cum sonitu obtenebrandos. Non continuò ex terreni nominis quæsita gloria per virtutes transeunt ad nomen immortale: immortalis enim splendor, non terreni, sed diuini nominis nutritur substantia.

1. Mach. 5. Audio 1. Mach. 5. Iosephum, & Azariam principem virtutis bellicæ dicentem: *Faciamus, & ipsi nobis nomen, & eamus pugnare aduersus gentes: quæ in circuitu nostro sunt.* Quid tunc? Vt dixerunt, sic in pugnam iuerunt, in qua cum magna populi strage perditi sunt. Et cur ij perditi sunt, quando sub Machabæis Israelitæ maxima gloria fulgebant? Ait text. *Ipsi autem non erant de semine virorum illorum, per quos salus facta est.* Est semen à Deo destinatum ad gloriam: sic enim ait Isai. c. 1. *Nisi nobis reliquisset semen, quasi Sodoma essemus.* Quòd semen relictum nobis à Deo, ne caderemus in perditionem, meritò putatur à Procopio Iesu nomen. Et quidem qui de hoc semine non sunt, nec pro salutaris Iesu nominis gloria, sed vt sibi faciant sæculare, contendunt, nomen, ij necessum est, quod maneant inglorij, & eant in perditionem. Omnis enim splendor verus nescit oriri nisi de diuini celebritate

Psal. 39. nominis. Sic Psalm. 39. *Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius; & non respexit in vanitates, & insanias falsas.* Sæculares glorias, & celebritates pulchrè vocat insanias; amens enim est, & insanus, qui ad hæc respicit, & propter hæc laborat, & non magis pro diuino nomine exaltando, quando quidem de huius olei pinguedine ardet, quidquid lucet in mundo Christiano. Quippe ait D. Bernard. citatus ab Inco-

Bernard. gnito ad hæc verba Psal. *Vnde putas in toto orbe tanta, & tam subita lux nisi de prædicato Iesu? Nonne in huius nominis luce Deus nos vocauit in admirabile lumen suum, quibus illuminatis, & in lumine isto videntibus lumen dicat meritò Paulus: Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Non de eo, quòd se homines prædicant, sed de prædicato Iesu, quasi de oleo suauissimo & lux, & splendor ascendit, quo abiectis tenebris

Act. 13. simus lucidissimi, splendidissimi Deo, & mundo. Act. 13. *Tunc constanter Paulus, & Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ; ecce conuertimur ad gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus: Posui te in lucem gentium,* &c. Expende quid sibi à Deo dictum asserat Paulus, nimirum illud: *Posui te in lucem gentium,* & qualiter Paulus obscurus, & vilis homuncio potuit fieri gentium luminare maius?

Actor. 9. Ipse Dominus aiebat Actor. 9. dicens: *Vas electionis est mihi iste vt portet nomen meum coram regibus,* &c. Itaque commissum est nomen Iesu Paulo portandum, & extollendum per multas virtutes suas, & quasi de oleo immisso lucet lampas, sic de diuini nominis gloria quæsita splenduit Paulus, velut magnum orbis luminare. Aiebat D. Bern. serm. 18.

Bernard. in Cant. *Hoc denique nomen coram regibus, & filijs Israel portare iussus est Paulus, & portabat nomen tamquam lumen, & illuminabat patriam, & clamabat: Nox præcessit, dies autem appropinquauit, abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamus arma lucis. Et monstrabat omnem lucernam supra candelabrum: annuntians in omni loco Iesum, & hunc crucifixum.* Sic totus splendens, & radians vbique apparebat Paulus, non equidem de sui nominis claritate, sed de Iesu prædicato, eiúsque nomine exaltato, quod vt oleum est, sic solum potest in operibus nostris lucidissimas nutrire flammas. Hoc potest nos ab obscuro, & caliginoso seruitutis educere in lucem immortalem, si in nobis non aliud nomen quàm Dei, & seruatoris nostri

Isai. 10. inuocatur, ait Isai. c. 10. *Computrescit iugum à facie olei.* Ex quo

Gillibert. Gillib. Abb. ser. 26. in Cant. *Computrescit iugum à facie olei, ex quo cœpimus nomine alio vocari, & inuocatum est super nos nomen secundi Adam, cuius oleum effusum nomen eius.* Ex quo de hoc oleo nutrimur, de hoc nomine viuimus, illiúsque gloriam solam quærimus & laudem prorsus tenebrosæ seruitutis iugum euanet, & viget splendor, & claritas. Væ illi qui de hoc nomine non viuit, sed de proprio; sanè sicut in lampade, vbi deficit oleum, flammæ splendor extinguitur aqua: sic qui non diuini nominis gloriam, sed suam quærunt, quasi defectu olei, aquis suffocantur. Vt metus aquarum diluuij

Genes. 6. tolleretur, aiebat Dominus Genes. 6. *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram.* Arcus in nubibus ponitur in signum, quod non erit diluuium, & cur arcus sumitur in hoc signum? Arcus non splendet de proprio, sed splendentes, vt ait Virgil. trahit aduerso sole colores, sic qui non de sua, sed de Iesu gloria vult fugere, is non timet diluuij aquas, quibus perit, qui propriæ, & non

Isidor. diuinæ gloriæ splendorem quærit. Ait D. Isid. in Gen. c. 6. *Quod verò testamentum Deus posuit inter se & homines, atque omnem animam viuam, ne perdat eam diluuio, arcum scilicet in nubibus, qui nunquam nisi de sole resplendet. Illi enim non pereunt diluuio, qui in prophetis, & omnibus diuinis scripturis tanquam in Dei nubibus agnoscunt Christi gloriam, & non quærunt suam.* Et aquæ, & vniuersæ creaturæ valent aduersus illum hominem,

qui

qui magis solicitus est de nomine proprio, quàm de excollendo diuino: cui cordi est non Dei gloria, sed sua. At qui Deo omnem virtutem, & gloriam tribuit, nihilque suum ostendit, is indefectibilem habet olei fontem vnde viuat, & luceat, nec sibi ab aquis timet.

§. XIII.

Alacris virtutum exercitatio, & multiplex virtutum disciplinam suauissimam reddit, illam remissio facit duram, & incomportabilem.

Lampadibus acceptis non sumunt secum oleum fatuæ virgines: sed contentæ sunt paruo illo, quod in lampadibus habent. At prudentes virgines & lampades cum oleo accipiunt, & insuper secum in vasis oleum capiunt. Et hanc prudentiam voces? Et illam stultitiam habeas? Sanè dum sit oleum in lampade, non videtur plus olei necessarium; imò si plus habeatur, potius poterit esse impedimenti obuiam euntibus sponso, quam solatij. Nonne quæ minus olei habēt, expeditiores, & faciliores ibunt obuiam sponso, quàm illæ, quæ & lampadum oleo, & insuper aliud oleum portantibus vasis onustæ apparent? Nonne hæ difficiliorem, & duriorem occursum sponsi existimabant? Absit: per oleum enim apud omnes commentatores sumuntur virtutum opera, & hæc quo plura fuerint, eò magis emollient vniuersas Christianæ, religiosæve semitæ difficultates. Sapiēter aiebat D. Leo ser. 5. in Epiph. *Facilè omnia præcepta veniunt in effectum, quando & gratia prætendit auxilium, & obedientia mollit imperium.* Expēde quo oleo imperij durities molliatur, vt facilia apparcāt præcepta; nimirum ait: *Obedientia mollit imperium,* hoc est, exercitium præstitæ obedientiæ, quo enim fuerit quis impigrior in operanda obedientia, eò inueniet imperium & facilius, & suauius. Numquam equidem multiplicatio operatæ virtutis non fit vnguentum, quo disciplinæ Christianæ rigores, & asperitates dulcorentur. Can. 4. miratus Dominus assiduas, & multiplices sponsæ suæ in virtutibus exercitationes aiebat: *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum, cum pomorum fructibus: Cypri cum nardo,* &c. Vnius ficulneæ fructus requirebat aliquando Dominus, & non inuenit, sunt enim homines adeò steriles, vt & multi vnius arboris fructus non referant. At in prudentissima sponsa, tanta est fructuum copia, vt multos hortos, eosque fructibus plenos in se ostendat. Et quales fructus? Notanter ait, *paradisus malorum punicorum:* vbi Richard. Vict. part. 2. in Cantic. cap. 29. *Continet autem intus malum punicum grana multa, sic quoque anima habet in se se multa opera: quòd se per compassionem proximi affligit, quòd lædenti se ignoscit, quod inimicum diligit, quod carnem abstinentia, & vigiliis castigat, quod contra tentationes laborat; quod propriæ voluntati renititur,* &c. Non vnum, aut aliud opus fit ab sponsa fideli, sed quot grana à malis punicis erumpunt, tot virtutum & mortificationum opera ab sponsa fiunt. Illud autem maximè notandum venit, quod immediatè post mala punica, post multiplices has mortificationum exercitationes, statim & illi frutices ponuntur, nimirum *Cypri cum nardo,* & quidem cyprorum semen, vt fama est, numquam iacitur nisi oleo delibutum. Et merito post mala punica apparent cypri, quia vbi in anima tot segetes præcedunt mortificationis, tot opera virtutum, oleum inde suppetit, quo nihil non suaue apparere incipiat. Huc spectant pulcherrima verba Gillib. Abb. serm. 36. in Cant. *In malis punicis humilitas, in Cypro sublimitas exprimitur. In illis labor, in his deliciæ. Cypri, vt aiunt, semen decoqui oleo solet, vt vnguentum exprimatur ex eo. Alij seminant in lachrymis, sed sponsa in oleo. Semina nostra, opera nostra sunt.* A malis punicis ad cyprum accedit sponsa, hoc est, à multiplicibus mortificationum operibus ad culturam suauissimam, quę minimè lachrymas, nec sudores gignat, sed vnguentis perfundat. Eò venit, vt seminet non in lachrymis, sed in oleo: quanto enim semina, hoc est, virtutum opera multiplicantur, tanto citius suauitatum fontes scaturiunt, ne quid asperum appāreat, ne quid difficile. Post multiplicem virtutum exercitationem desinunt lachrymæ, desinit labor, incipit suauitas, & facilitas, vt iam de illo, qui sic operatur, non dicatur, quod in lachrymis seminat, sed quod seminat in oleo, totus delibutus suauitate. Iam is talis non malorum punicorū cultor, in quibus exprimitur multiplex mortificationis, & laboris exercitatio, sed cypri sator dicitur, vt oleo delibutus, & mira plenus suauitate appareat. Semper enim multiplex virtutum exercitatio suauitatem causat, duritia autem, & incomportabilitas disciplinæ Christianæ, à nullo magis, quàm à torpore & remissione nascitur. Esurienti Domino in deserto dicebat malus Matth. 3. *Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Esurienti Iesu nihil prius offert nequissimus hostis, quam lapides, cur non magis alia suauiora proponit? Figurabat Dominus in sua esurie, quid illis accidat, qui in cælestium persecutione torpori dantur, ij enim nihil non durum experiuntur, & graue. Ait Isaac presbyter apud Tilmanum in Alleg. *Torpentem spiritum à desiderio, & meditatione cælestium, tamquam à pane Angelorum, ad lapidem frigidum, durum, & siccum inuitat. Non autem quod Dei filius talis erat, sed tales illa signabat esuries.* Quid aliud inueniat remissio, & torpor in virtute, quàm duritiam, quam siccitatem, quàm pondus lapideum? Audio apud Matth. cap. 20. querulos operarios quosdam, & dicentes, *Qui portauimus pondus diei, & æstus.* Et qui sunt isti operarij, qui sic de pondere portato queruntur? Origen. homil. 10. in Matth. ait: *Qui vndecima sumus vocati, sicut primi non portauimus pondus diei, & æstus, portauimus autem pondus, eo quod stetimus otiosi, antequam pater familias veniret ad nos.* Et meritò sub pondere gemunt, qui otiosi, & remissi in virtutum curriculo stare videntur. Huc spectabat ille gemitus apud Ecclesiastem capit. 1. *Quid amplius est homini in omni labore suo, quo laborat sub sole?* Vbi D. Nyssen. homil. 1. *Quæ in corpore agitur vita, appellauit laborem, qui nullo reliè facto lucrum quærit.* Et quidem laboriosissima est, & ponderosissima vita, quæ sic torpet otio, vt nihil ad salutem operetur.

D. Leo. — Cant. 4. — Richard. — Gillibert. — Matth. 3. — Isaac. — Matt. 20. — Origen. — Ecclesi. 1. — Nyssen.

§. XIV.

Qui non gaudenter, nec alacriter virtutem arripiunt, vix sciunt placere Deo.

Meritò fatuæ, & minimè Deo gratæ virgines dicuntur, quæ acceptis lampadibus, non acceperunt oleum secum, hoc est, arrepta virtutum via, minimè accipiunt lætitiæ, & exultationis oleum, quo lætanter, & alacriter gradiantur. Quando enim votum sine lætitia exhibitum non fuit aliqualis offensionis argumentum? Iephte filiam Deo litabat, vt Abraham filium, hic placuit Deo, ille Deum offendit. Et vnde offendit? Nonne vt vouit, sic votum expleuit? Sed expleuit votum, in quo explendo doluit, gemuit, summaque tristitia, & luctu fuit affectus. Sic enim de illo, vt primùm vidit filiam offerendam, ait textus. Iudic. 11. *Qua visa scidit vestimenta sua, & ait: Heu me, filia mi, decepisti me,* &c. Ecce tristitia, ecce gemitus. & luctus, & dolor in voto offerendo. Pro quo D. Ambrosius in apolog. Dauid, cap. 4. *Ad quid sacramenta tristia Domino Deo redaidit, vt cruentis soluat sua vota funeribus?* Quasi inutilia & sterilia, & absque fructu reputat vir sanctus ea vota, quæ non à læto, & alacri animo proficiuntur, sed ægrè, & cum intima tristitia Deo exhibentur. Sterilitatem solet facere tristitia; lætitia autem quos peruadit, sic fœcundat, vt germinent. Hinc Psalm. 64. *In stillicidiis eius lætabitur germinans.* Expende, quàm sit coniuncta germinatio cum lætitiæ irrigatione; vbi enim à cœlestibus stillicidiis incipiunt lætificari humana corda, statim tota abeunt in germen. Vnde Gillibertus Abbas, ser. 34. in Cant. aiebat: *Quis dabit hortulo meo hanc aquam? Quis dabit vt tota horculi mei facies irrigua sit lætitiæ, & lucis riuulis, nihil in eo aut sterile sit, aut quadam in deuotis ne tristi. Ui ina sterilitati videtur operatio tristis, & spiritualis gaudij carens irrigatione. Denique si quid nascitur, quasi radix ascendit de terra sitienti. Quasi radix, non quasi flores, non quasi fructus. Quasi radix: hoc est, aut parum, aut nihil plus habens in radice.* Fallar, si vbi tristitia adest, aliquid possit floridum, aut fructuosum generari; quin potius tunc omnes fructiferæ radices quasi arent, & exsiccentur. Ait enim Prouerb. 17. *Animus gaudens ætatem floridam facit, spiritus tristis exsiccat ossa;* sic tristitia omnem succum adimit, ne quid bonum valeat in anima germinari. Vnde aiebat D. Chrystomus, lib. 2. de prouident. *Non dæmon est, qui mœrorem mouet, sed mœror potius vires dæmoni administrat, cogitationesque malas suscitat. Attestatur huic rationi Paulus, qui cum Corinthiis scriberet, non dæmonem aliquem metuere, sed mœroris magnitudinem timere deprehenditur. Ne fortè, inquiens, abundantiori tristitia absorbeatur, qui talis est.* Tristitia plus quàm dæmon fuit Paulo timori; vt quæ benè operandi fontes exsiccet, & qua sublata, vix manet impedimentum, quominus homo ex Dei gratia in perfectionem sese erigat. Quippe aiebat D. Iacobus in epist. can. 1. *Patientia opus perfectum habet.* Nec facilè probari posset, quòd patientiæ proprium sit perfectionem habere, nisi illius esset proprium & cum

Iud. 11. — Ambros. — Psalm. 64. — Gillib. — Prou. 17. — Chrysost.

cum tristitia coofligere, & illam tollere è oiedio. Ex quo enim patieotia tristitiam superat, non est difficile, quòd habeat opus perfectum. Ait D.Thom.1.2.quæst.66.art.4.ad 2. D.Thom. *Patientia dicitur habere opus perfectum in tolerantia malorum, in quibus non solum extludit iniustam vindictam, quam etiam excludit iustitia, neque solum odium quod facit charitas, neque solum iram, quod facit mansuetudo: sed etiam extludit tristitiam inordinatam, quæ est radix omnium prædictorum.* Itaque ex victorioso conflictu cũ tristitia, à qua tot mala nascuntur, habet patientia quòd attingat perfectum opus, quando ablata tristitia animus gaudẽs facit ætatem, imò animam floridam.

§. XV.

Ubi resurrectio corporum persuadetur, gratiùs in virginitatis bonum curritur.

OMnes virgines dormitauerunt, & dormierunt tardante sponso, hoc est, omnes morti occubuerunt, vt placet expositoribus plurimis. Et vbi tot virgines morti occumbunt, de nulla dicitur, quòd refugeret, quòd ægrè ferret virgo ad sepulchrom ire. Iudic. 11. Iephte filia destinata Iud.11. morti, sic precatur patrem. *Dimitte me, vt duobus mensibus circumeam montes, & plangam virginitatem meam cum sodalibus meis.* Et luctuosam, & luctibus prosequendam virginitatem suam putabat bona puella, dum necessum est illi morti occumbere, & quæ ipsam mortem non expauet, sed animosa subit, so virginem esse tunc temporis longo celebrat luctu. Cur similiter virgines istæ lachrymosis oculis virginitatem vel in morte non respiciunt? Offerebatur illis mors, non vt mors, sed vt somnus, de quo citò resurgerent; ex quo autem mors veluti somnus apparuit, & resurrectio innotuit, nihil lachrymabile, nec luctuosum in virginitate inuenitur, quin potius ad illam lætanter curritur. Chrysost. in Psalm. 113. reddens rationem, cur in Geoesi multiplicatio filiorum per Chrysost. nuptias, in Euangelio autem virginitas florebat, ait: *Quoniam mors introducta erat à peccato, Deus genus consolans, & ostendens eam non modo non consumpturam, nec interim ablaturam, sed longè etiam plures, quàm antea futuros, inquit: Crescite, & multiplicamini. Postquam autẽ cognitum fuit, mortem esse somnum, introductum est bonum virginitatis.* Vbi recens decreta mors post peccatum sæuiebat, eiúsque aculeus durissimus exhibebatur, aduersus illam nuptiæ parabantur, ne periret genus humanum: vbi autem mors absorpta in Christi victoria apparuit, & adeò absorpta, vt non mors videretur, sed somnus placidus, iucundam, & citam excitationem habens, iam inde virginitatis gloria radiauit, nec virginitas detri- Psalm.91. mento, sed gloriæ cœpit dari. Hinc Psalm.91. aiebat: *Iustus vt palma florebit, & sicut cedrus Libani multiplicabitur.* quasi non à nuptialibus thalamis, sed a propria incorruptibilitate, & integritate iustorum multiplicatio veniat, sic in propagatione comparantur palmis, & cedris. Et vnde venit, quod iusti per propriam incorruptibilitatem, integritatémque virginalem instar cedrorum mallent generis sui propagationem, & æternitatem, quàm per thalamos? Id explicat lectio singularis Tertulliani libro de resurrectione car- Tertull. nis, vbi ait: *Iustus vt phœnix florebit.* Phœnix nuptias non nouit, in natiua perseuerans semper & singularitate, & integritate, habens in morte non sepulchrum, sed nidum, in quo dormit, vt inde resurgat vegetior, & viuacior. Et cur nuptias amet, vel non magis æstimet splendorem natiuæ integritatis, quisquis sepulchrum pro nido, & mortem pro somno habebat, ex quo resurgat agilior, & præstantior? Ac- Nazianz. cinebat D.Nazianzenus, carm. de præceptis ad virgines.

Vt phœnix moriens primos reuirescit ad annos,
In medio flammis post plurima lustra renascens,
Atque nouum veteri surgit de corpore corpus.
Haud secus egregio redduntur morte perennes,
Dum pia diuinis ardescunt pectora flammis.
Hæc quisquis bene prospiciet, tum corpore fœdus
Non feriet.

Sanè renunciantur corporeæ voluptates, dimittuntur fœdera nuptialia, quæ ad propagationem corporum sunt inuenta; vbi sepulchrum in nidum, & mors in somnum euadit, a quo & viuaciora, & vegetiora excitanda sunt corpora humana. Hinc nouam lucem capiet notissimus locus Za- Zach.9. chariæ, cap.9. *Quid bonum eius est, & quid pulchrum eius: nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Alia erat mens Pauli clamantis: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria:* quippe putabat vino nil citius, quàm luxuriam posse oriri. Vnde ergo in Zachariæ mentem venit, quòd vinum posset generare virgines? Et cur potiùs vino quàm frumento generationem virginum attribuit? Lyra, & D.Paschas. & Remigius in glossa, putant Zachariam non de quolibet vino fuisse locutum, sed de vino, qui Christi sanguis est, effusus in supplicio crucis. Effusus enim Christi sanguis in cruce, illam mortem effecit, qua potius videatur somnus effectus à vino, vt dicat Saluator de illa Psalm.3. *Ego dormiui, & soporatus sum, & exsurrexi.* Psalm. 3. Vbi autem tota effusio sanguinis, mors Domini in cruce, non aliter apparuit, quàm si somnus, aut sopor esset à vino causatus, qui expeditiorem excitationem inducit; innumeri prosilierunt inde, qui virginitatis bonum arriperent. Non sic frumenti adeps dicitur conduxisse, vt virginitas esset in mundo; vt vinum conduxit, in vino enim non tam mortuus, quàm soporatus ostenditur Deus in cruce, a quo somno sese per resurrectionem excussit; quo factum est, vt mors contemneretur, & virginitatis incorruptio cœperit admitti. Id non paucis verbis asserebat D.Athanas. in Euang. de pass. & cruce Dom. *Ipse Dominus cum* Athan. *illusisset morti, nobis eam conculcandam tradidit; quod his verbis indicat: Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem potestatem inimici; & rursum, Conculcabis leonem, & draconem. Olim etiam serpens deceperat Euam, & eius inuidia mors in orbem venit: nunc autem conculcatur, & volens decipere audit, vade retro Satana. Olim aduersarius noster diabolus, vt leo circuibat, sitiens nostram animam. Nunc autem cum dracone conculcatur, ac iam tantopere despicatus, ac ludibrio est, vt qui in cauernam aspidum manum iniiceras, non reformidet. Hoc enim Isaias prophetauit, & dixit: Pueri certè voluptatem olim grandæuos decipientem iam ut prosternendam derident, & qui nondum sunt legitimæ ætatis, eo castitate, quæ supra legem est, lumbos suos accingunt, & virgines permanentes ratione calcant serpentinæ voluptatis astutias.* Itaque vbi Iesus morti illusit, vbi illam resurgens conculcauit, illam hominibus conculcandam tradidit; tradidit illam conculcandam, dicens, vt calcemus super serpentes, & scorpiones, super leonem, & draconem; & quid est, calcare serpentes, scorpiones, & draconem, nisi solùm mortem calcare, nisi etiam vniuersas humi repentes voluptates? Ex quo enim mors conculcanda apparet & terribilis ille leo, vel mortuus, vel consopitus iacet, iam & pueri, & puellæ in serpentes, & scorpiones, hoc est, in voluptates audent, virginésque permanere eligunt, omni venenosa libidine calcata.

§. XVI.

Virginum in morte requies, & solatium coniugatorum non item.

DVm morti occumbunt virgines hæ, dicuntur somno se tradere; ait enim: *Dormitauerunt omnes, & dormierunt;* sic quieta est mora virginum, vt meritò somno dulci, & saluifero possit comparari. Coniux erat ille, & plenus filiorum, de quo dicebat Iob cap.21. *Ipse ad sepulchra ducetur, & in congerie mortuorum vigilabit.* Iob.21. Ecce tibi quò perueniant vigiliæ, & solicitudines coniugatorum, nimirum vsque ad illud tempus, quo quis mortuis additur. Pro magno dispendio ponebat Paulus vigilias, & solicitudines coniugatorum viuentium, aiens 1. ad Corinth 7. *Qui autem cum vxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est.* 1.Cor.7. Magnum hoc detrimentum in coniugio putarur à Paulo, quòd solicitudines, quòd vigiliæ semper dum viuunt, coniuges insequantur. Sed vide aliud maius: *Et ipse in congerie mortuorum vigilabit:* vbi mors instat, vbi iam iam agitur anima, & corpus terræ mandatur, quando quies vel summo erat emenda pretio, tunc adhuc vigiliæ, adhuc solicitudines temporales. Quis coniux in ipsa mortis falce constitutus est, qui tunc non maximè vigilet, & solicitus sit de charissima vxore relinquenda, de filiis amantissimis orbandis, de facultatibus firmandis filiorum causa? Quis coniux morti appropinquat, quem non turbent natorum lachrymæ, coniugis suspiria, miserabilis famulorum facies? Coniux erat Rex ille, qui 1.Regũ. ad horum aspectum exclamauit: *Siccine separas amara mors?* Quippe amarissimum est, & maxi- 1.Reg.15. mè solicitum coniugi, à filiis, ab vxore, à familia separari. Durissimas vigilias in morte patiuntur coniugati, amarissimas tunc sibi solicitudines trahunt. Virginum autem proprium est, tunc temporis non vigilare, non solicitari, sed dormire, sed quietem capere. Iob cap.3. sibi immaturam, & ante nuptias mortem exoptabat; vellet enim ab vtero in sepulchrum transferri, & vnam sibi accidere mortem, quæ accidit iis, qui virginitatis consilium capiunt. *Quare non in*

vulua

vuluæ mortuus sum, egressus ex vtero non statim perij? Quare exceptus genibus? Cur lactatus vberibus? Nunc enim dormiens silerem, & in somno meo requiescerem. Cum Regibus, & Consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines. Vellet mortuum esse in infantia, in primo limine vitæ, quia si tunc mortuus fuisset, non tam mortuus fuisset, quàm dormiuisset, & quasi in somno requieuisset. Sed vnde colligit tunc mortem, non mortem, sed somnum extituram fuisse? Ait illis verbis: *In somno meo requiescerem cum Regibus, & Consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines.* Dormire, non mori putat Reges, & Consules terræ, quorum in mortis quiete se æmulum scribit. Et quid stultius, quàm æmulari Regum mundialium mortis quietem? An est mors inquietior, & plenior tumultibus, quam mors Regum? Diuinus ille Balaam, Num.21. aie-
Num.21. bat: *Moriatur anima mea morte iustorum*; non morte Regum terræ? Cur ergo Iob vel à Mago non discit Sanctorum optare mortem? Cur potius non horret mortem mundialium Principum? An in eligenda morte sapientior erat Magus, quàm Iob sanctissimus? Absit; non enim temporalium Regum, sed spiritualium mortem exoptat, nimirum illorum Regum, qui passiones suas sub rationis imperio contineant, qui consules verè sint, & ore, & opere consilium virginita-
Gregor. tis annuntient. Ait D. Greg. lib.4. Moral. cap.27. *Reges isti sunt, qui semetipsos regere sciunt; terræ autem sunt consules, qui terrenas mentes per exhortationis suæ consilium ad cœlestia pertrahunt. An terræ consul non erat, qui dicebat: De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Ij sanè Reges, & Consules, apud quos viget virginitatis consilium, & lasciuientium cupiditatum subiectio, ædificant sibi solitudines; vt enim à filiorum, coniugisque solicitudine vacui sint, sic ad mortem accedunt, quasi ad somnum, vt inde quietem sumant. Sapientissimè ergo Iob ante nuptias mortem exoptabat, vt quæ foret virginum morti simillima, nec illa putaretur mori, sed dormire, vt dormiunt in Domino virgines. Et cur coniugatorum mors non sit solicita, plenáque luctibus, virginum autem mors quietis plena, omniquè carens solicitudine? In illa enim videntur separari, & amitti omnia præsentia bona coniugij, in hac augentur, & coronantur bona virginum. Hinc est, quòd Deut 34. agens de
Deut. 34. Moysis morte, ait: *Fleuerúntque ei filij Israël*, &c. De eius autem successore Iosue nullibi dicitur, quòd eum mortuum fleuerint Israëlitæ. Cuius rationem attingens D. Hieronym. lib.1. ad Iouinianum, ait: *In Moyse coniugium, in Iosue virgini-*
Hieron. *tas repræsentatur. Quamobrem & Moyses moriens plangitur à populo Israël: Iesus autem quasi victurus non plangitur. Nuptiæ enim finiuntur in morte, virginitas post mortem incipit coronari.* Cur nupti morientes non luctuosi sint? In morte enim omnia nuptiarum bona prorsus perduntur. Cur virgini aliquid sit in morte luctuosum? Virginitatis enim bonum in morte crescit, & ostendit suæ pulchritudinis coronas.

§. XVII.

Post Christi mortem, a teneris etiam virginibus habetur mors pro somno.

Dormitare, & dormire dicuntur virgines, dum in Domino moriuntur, quasi illis mors, non mors, sed somnus sit; & vnde mors virginibus pro somno habetur, nisi quia sponsum per mortem ablatum præstolantur redeuntem? Sic enim habet: *Moram autē faciente sponso, dormitauerunt omnes, & dormierunt.* Ex quo mors Dominum detinuit, illúmque nobis eripuit, & patri reddidit rediturum, vt inde ad nos iterum veniat; iam mors non mors, sed somnus putatur, & quasi pro somno habetur à teneris etiam virginibus. Abraham vbi habitabat in Geraris, vehementer timuit vitæ suæ propter vxoris pulchritudinem; quare ait illi, iuxta lectio-
Chrysost. nem D. Chrysostom. *Dixit autem Abraham de Sara vxore sua: Soror mea est: ne fortè occiderent eum viri ciuitatis propter illam.* Sic timet vir sanctus occidi, vt non videatur vereri, ne maculetur vxoris pudicitia. Et quando zeli furor vehementissimus est in viris; in Abraham maior metus mortis inuenitur. Quid plura? Pulchrè ad hæc D. Chrysost. ibi: *Hæc audiens dilecte, ne condemnes iustum ob pusillanimitatem, quòd mortem timuerit; sed potiùs admirare conditorem vniuersi, qui tantæ erga nos est misericordiæ, quòd mortem iustis illis, & sanctis tunc terribilem, tandem nunc ita contemptibilem fecerit Christus, vt quam formidabant illi virtute clari, & tanta erga eum fiducia fieri, nunc derideant & iuuenes, & teneræ virgines. Nihil enim mors est, vltra quam somnus, & trāsmigratio à deterioribus ad meliora.* Expende, qui sunt, qui contemnant mortem, & pro somno habeant post Christum, nimirum ait: *Mortem derideant iuuenes, & teneræ virgines*: nulla est adeò infirma virguncula, quæ mortem somnum non putet, ex quo expectat Christum redeuntem à gloria, in quam profectus fuit per mortem crucis. Hinc ait Paul.1. ad Thessal.cap.4. *Quòd Iesus pas-* 1. Thess. 4.
sus, & mortuus est, & resurrexit: ita & Deus eos, qui dormierunt per Iesum adducet. Expende, vbi de Iesu loquitur, clarè dicit, quòd passus, quòd mortuus est, vbi autem de eius sequacibus verba facit, non mortem meminit, sed solùm dicit, *eos, qui dormierunt*: in Iesu mors, in cæteris somnus dicitur. Huius rationem reddit D. Basilius Seleuc. orat. 32. inquiens:
Christi finem mortem appellauit: bellum siquidem fuit illi contra Basilius
mortem viuentem; aliorum, qui post Christum, somnum agnoscit, Seleuc.
non mortem. Inde factum, vt viros pro religione concertare videamus: puellos mortem irrisui habere, puellas eam adire ludibundas. Sic teneræ puellæ, sic virgunculæ mortem iam post Christum pro somno habent, & pro ludo: nec lætiores ad requiem somni contendunt, quàm contendunt morti occumbere. Sic horribilissimum illud mortis spectrum, quod olim perterrefaciebat fortes viros, hodie pro ludo & somno habetur à virginibus. Hæc fuit potentia Christi crucifixi, qui mortem deuicit, illámque in somnum conuertit dulcem. Quò spectauit etiam Paulus 1. ad Corinth. 15. inquiens:
Et resurrexit tertia die, & visus est Iacobo, deinde plusquam 1. Cor. 15.
quingentis mille fratribus simul, ex quibus multi manent vsque adhuc, quidam autem dormierunt. Post mortem, & resurrectionem Christi non amplius mortem nominat, sed quasi de somno, sic loquitur de illa. Ait D. Basil. Seleuc.
orat.32. *Quidam autem dormierunt. Non iam mortui sunt. Depa-* Basilius
ßa namque cruce somnus mors est: ante crucem formidabilis, & Seleuc.
post crucem despicabilis. Absorpta fuit mors in victoria sua, & aculeos amisit, & magis quietis, somnive figuram induit.

Text. Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit. Exite obuiam ei.

§. XVIII.

In morte nuptiæ celebrantur viris iustis.

Dormientibus virginibus vox intonat de aduentu sponsi, monens, & iubens illi obuiam exire. Et quid dormientes cum sponso? In somno hoc mors repræsentatur, in sponsi nomine nuptiæ intelliguntur, an mortis dies potest esse idem, & nuptiarum dies? Equidem iustorum mors ad eorum spectat nuptias, quando in æterni sponsi domum excipiuntur. Cùm Abraham senex esset, filiumque Isaac videret nubilem, vocauit fidelissimum seruum suum, & ait illi,
Genes.24. *Pone manum tuam super fœmur meum, vt adiurem te* Genes. 24.
per Dominum Deum cœli, & terræ, vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito, sed ad terram, & cognationem meam proficiscaris. Sic adiurat seruum pro quærendis nuptiis filio suo pater Abraham, post quem Iacob nepos eius videns se iam morti proximum, filium suum
Ioseph vocat, Gen.47. aiens: *Si inueni gratiam in cōspectu tuo,* Genes. 47.
pone manum tuam sub fœmore meo, & facies mihi misericordiam, & veritatem, vt non sepelias me in Ægypto, sed dormiam cum patribus meis, &c. Ecce tibi pro sepultura habenda similem adiurationem facit Iacob illi, quam fecerat Abraham pro nuptiis filij sui, nec miror, quòd de nuptialibus scriniis adiurationem quærat de sepultura paranda, quasi viro iusto idem sit sepultura, & thalamus, quo nuptiæ fiant. Tantum id
non dixit Eucher. lib.1. in Genes. vbi sic: *Ea filium adiuratio-* Eucher.
ne constrinxit, qua seruum constrinxerat Abraham: ille mandans, vnde vxor ducatur filio suo; iste sepulchrum commendans corporis sui. Non alia verba dedit pro paranda sepultura, quàm ea, quæ data fuerant antiquitus pro parandis nuptiis, æstimans viro iusto mortem medium esse, quo Deo nubat: & crediderim in iustorum morte nihil esse lacrymandum, sed omnia ibi esse plena festis nuptiarum.
Hinc voces illæ Cant.6. ad animas sanctas: *Egredimini, & vi-* Cant. 6.
dete filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua, in die desponsationis illius. Et quidem mater Iesu Synagoga nullum illi aliud diadema posuit, nisi spinarum, quo tempore illum cruci tradidit. Quomodo ergo dicitur Iesus coronatus à matre in die desponsationis? An passio, an mors, an crucis, & interitus dies potuit pro die desponsationis reputari? Planè iusto dies mortis, dies desponsationis est, quo intrat ad inamissibilia gaudia. Ad hæc D.Bern. lib. de passione, cap. 4. loquens de Synagoga vin-
ciente, & interficiente Iesum, fatur: *O mater amara! Quid* Bernard.
peccauit

peccauit bonus hic filius tuus, vt vinculis etiam vinciatur? Hancne dotem, hæccine mannsenula nuptiis illius impendis? Dies enim desponsationis illius, dies ista est: dies indignationis, & blasphemiæ, dies tribulationis, & miseriæ: dies percussionis, & doloris, dies vinculorum, & mortis: dies desponsationis illius est. Vbi mors Filij Dei iusti hominis apparet, ibi crede diem desponsationis eius. Nec te moueant amaritudines, dolores, tormenta, miseriæ, percussiones, quæ cum iustorum morte solent esse, in iis etiam est aliquid, quod ad nuptias spectat, nempè dos, non enim filij Dei à sæculo hoc aliam dotem accipiunt, quàm ærumnas, quàm miserias, quàm dolores, iunctos morti. Mundus parens innumeras miserias solet adiicere iustorum morti, vt solent parentes nubentibus filiis præstare dotem.

§. XIX.

Magnus Dei fauor, quòd vocet hominem, quando in illo sopita est, vel mortua carnalis vita.

DOrmientibus virginibus, media nocte clamor factus est, ecce spōsus venit. Quid felicius? Felix est, qui à Deo aliquando vocatur, at ille felicissimus, ingentique Dei fauore donatus, qui vocatur, quando in se sopitos habet appetitus carnales, quando iam nihil mundiale apparet, quod oculos rapiat, & mentem alliciat, sed omnia mundi pulchra obtenebrata sunt. O quàm curabit hic vocibus respondere diuinis, & sibi consulere. De primis peccatoribus
Genes. 3. dicitur Genesis 3. *Et cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem.* Plures Latini Co-
August. dices, & D. August. legunt: *Cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad vesperam.* Iam inclinata, imò aduesperascente die, sonat Dei vox in paradiso, sonat equidem, & percipitur, & auditur. Et quantum hoc Dei beneficium? Sanè magnus fauor, quod in fine diei, vbi mundialia omnia obumbrantur, tunc Deus clamet, tunc Deus vocet peccatorem, & erit quidem clamor ille serotinus, sed qui pœnitentiæ affectum causet in anima. Accipite D. Ambros.
Ambros. lib. de paradiso santem, cap. 14. *Quid est, ad vesperam, nisi quia culpam suam serò cognoscit, & serò venit quædam erroris præteriti verecundia, quæ errorem præuenire debuerat? Nam dum culpa feruet in corpore, & anima exagitatur corporis passionibus, non cogitat Deum sensus errantis, hoc est, non audit Deum ambulantem in mentibus singulorum.* Numquam non homini suspecta est exaltatio vitæ carnalis, vbi omnia pulchrescunt, omnia splendent, nihilque non lucidum præ oculis versatur, vnde fre-
Psal. 55. quens erat Dauidi illud Psalmo 55. *Ab altitudine diei timebo.* Heu quantum licet passionibus corporis in feruore diei! quantum licet appetitibus, dum decore, & splendore rerum irritantur! Voces licet Dei tunc intonent, fallar si audiantur. Audientur tamen Dei voces clamantis non in diei altitudine, sed ad vesperam, vbi omnia vergunt in occasum, vbi instantibus mortis tenebris, & passiones sopiuntur, & quidquid mundiale lucidum est, ab oculis euanet. Quis Deum ad vesperam clamantem non audiat? Felix, qui tunc vocatur, serotinus enim ille clamor non sterilitatis, sed magnæ erit indicium fœcunditatis. Potentissima equidem est Dei vox ad trahendas animas, vbi illi mortis vmbræ suffragan-
Matth. 13. tur. Matth. 13. aiebat Dominus: *Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omnium genere piscium congreganti, quam, cum impleta esset, educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos,* &c. Expende, vbi electio diuina suam ostendit firmitatem, vbi maximum hoc beneficium electionis sese pandit, nimirum ait: *Educentes, & littus secus sedentes,* tunc cùm homo in extremis vitæ oris se constituit tunc maximè aptus per Dei gratiam, vt electionis beneficio fruatur, spuens à se vniuersa peccata. Galfridus apud Tilmanum ait:
Galfrid. *Sedendum nobis est iuxta littus, vt mortis memoriam ante oculos statuentes, confessionis remedio mala omnia foras mittamus.* Stet mors ob oculos, sedeat homo in extremo vitæ humanæ littore, & interea loquatur Dominus, & fallar, nisi tunc omissis peccatis, magnum beneficium electionis elucebit. Huc spectant dicta tom. 2. lib. 8. cap. 2. §. 2. Et vide dicta tom. 3. lib. 15. cap. 1. §. 18. & quæ citantur ibi.

§. XX.

Eò manifestior Christus homini, quò ille sese magis obscurat propter Christum.

NOn cùm in lucem virgines prosiliunt, lætosque, & splendentes in se ostendunt dies, sed media nocte, dum tenebrosis sub vmbris iacent quasi sepultæ, dicitur illis: *Ecce sponsus venit;* solis e[ni]m sese Iesus manifestum exhibet, quæ propter illum obscurari, & obumbrari sciunt. De Israëlitis iter facientibus dicit Numer. 10. *Nubes quoque quoque Domini super eos erat per diem, cum incederent.* Itaque Num. 10.
illis Dominus aderat non clarus, non conspicuus, sed sic opertus nubibus, vt potius nubes viderentur adesse, quàm Dominus ipse. Vnde ait: *Nubes quoque Domini super eos erat.* Et cur non tā Deus, quàm nubis caligo dicitur adesse hominibus illis, nisi quia ambulant in die; hoc est lucere, & splendescere ambiebant in mundo? Ait Stephanus apud Tilmanum in allegor. *Præcessit ergo columna nubis in die, quia Chri-* Stephan.
stus nulla luce claret illis, qui se putant esse in die, superbis scilicet, & præsumptuosis, & columna ignis in nocte, quia qui se infirmos reputant, igne sui amoris illustrat. Cur se & dilectum, & sponsum, & totum amorem non exhibeat Iesus illis, qui se tenebris abdunt propter illum? Qui minimè desiderant humanum diem? Qui quasi noctuæ tenebris sepultæ de oleo lampadarum viuunt? Iis totus amor factus apparet Iesus, qui totus obnubilatur illis, qui ambiunt in se ostendere lucidissimos sæculi dies. Mirabar ego, & stupebam Ioannis Baptistæ consilium, quo nihil curabat magis, quàm se obscurare, & Christum exaltare; negat interrogatus se esse Christum, negat se esse Eliam, negat se esse Prophetam, imò penè se quid esse negat. Et tandem ait Ioan. 1. *Ipse est, qui post* Ioan. 1.
me venturus est, cuius non sum dignus, vt soluam corrigiam calceamenti. Id quod narrans Marcus cap. 1. ait: *Prædicabat, di-* Marc. 1.
cens: Venit fortior me post me, cuius non sum dignus procumbens soluere corrigiam calceamentorum eius. Ego baptizaui vos aqua, ille verò baptizabit vos Spiritu sancto. Et factum est in diebus illis, venit Iesus à Nazareth Galileæ, & baptizatus est à Ioanne in Iordane. Expende connexionem, Ioannes prædicabat se nihil esse, & minimè dignum, quòd manus tenderet ad Iesu calceos, & tunc temporis in illis ipsis diebus obscurationis Ioannis venit Iesus, Ioanni adstat, illique submittit caput baptizanti. Quid plura? Hoc facit Iesus, apparens, & exaltans illos, qui magis curant obscurari, & sub vmbris ire. Chry-
sostom. homil. 38. apud popul. ait: *Ioannes dixit: Non sum di-* Chrysost.
gnus soluere corrigiam calceamentorum eius: & ideò amicus quoque fuit sponsi. Et manum, quam esse calceamentorum dixit indigam, hanc super caput suum Christus attraxit, quando ad baptismum Ioannis verticem inclinauit. Ecce tibi, Christi caput manifestè suppositum manui Ioannis, & cui manui? Pulchrè ait: *Quam esse calceamentorum dixit indignam,* quam sub pedibus posuit, quam infra calceos delitescere amabat. Ne timeas manus, & opera tua illustria abscondere, obscurare, quando quæ magis deiicitur, & obscuratur inter calceos Ioannis manus, ea citius Christi verticem tangit, Christum quasi sibi subiectum manifestè habet, & vix manifestatur Christus, quòd eius manifestatio non tribuatur sub calceorum puluere obscuratæ manui. Sic Ioan. 1. *Stabat Ioannes, &* Ioan. 1.
discipuli eius duo, & aspiciens Iesum ambulantem dixit: Ecce agnus Dei, non enim otiosè ponitur, quod dixerit, *Ecce,* sed vt ostenderetur Ioannes visus fuisse extensione manus in Christo manifestando, quippè ait Beda, ibi: *Quare voluit di-* Beda.
cere, ecce? Quando dicitur, ecce, quodammodo ille, qui ostēditur, digito demonstratur. Et meritò Christus nequit prius demonstrari ab alio, quàm à digito, qui propter illum amabat latere inter calceos. Numquam enim in aliquo perspicua est Christi manifestatio, in quo simul non sit latendi amor. Post Baptistam Petrus clariorem Christi notitiam habuit. Matth.
16. de solo Petro dicitur: *Respondens Simon Petrus dixit: Tu es* Matt. 16.
Christus filius Dei viui. Et cui sic Christus patuit, quantus ipse erat in se occultando? Vbi tributum ex Iesu exigitur à Cæsaris ministris, iubet Deus Petro staterem ab ore piscis extrahere, insuper addit Matth. 18. *Da eis pro me, & pro te:* quasi inde notaret iam Petri Christianæ familiæ caput. Sed illud est maximè mirandum quòd Marcus, qui penè descriptor Matthæi videtur, hoc in suo Euangelio non posuerit præcipuè cum discipulus Petri fuerit, & hoc ad magnam Petri gloriam facit. Cur, Marce, Magistri tui amantissimi gloriam dissimulas, abscondis? An ipse ita iubebat? Equidem crediderim hanc fuisse curam Petro, hoc studium singulare, ne quid sibi gloriosum, vel ipse, vel discipuli eius manifestarent. Chrysostom. homil. 59. in Matth. *Vidisti honoris excellen-* Chrysost.
tiam, video nunc quanta philosophia vtitur Petrus. Hunc enim locum Marcus, qui discipulus Petri fuit, ideo non scripsisse videtur, quoniam ingens hinc honor Magistro deferebatur. Sed negationem ille quoque diligentissimè scripsit, hæc verò quoad laudem eius pertinent, ipso forsitan ita volente, omnino siluit. Et par erat, quòd hanc curam latendi, & obscurandi se se haberet ille, cui

cui gloria Christi adeò manifestè fuit communicata. Quis item neget hanc gloriam Iosue, quòd in illo fuerit Christi Domini typus,& illustrior, & clarior? Sanè hoc receptissimum est,& tritissimum apud Patres.Et is tam clarus Christi typus,quanto studio latere curauit?Num.11.accidit,quòd duo viri prophetarent,vt rem nouit Iosue,Moysem adit,& ait: *Domine mi, prohibe eos.*Cur sic Iosue curat Prophetas in populo prohiberi? Prophetabant ipsius Iosue glorias,vt ait Thargum. Hierosol. apud Eliam ex Genebrar. versione,dicens:*Sic vaticinabantur: En Moyses Propheta Scriba Israelitarum congregatus est de medio mundi, & Iesus filius Nuni eius discipulus administrabit res exercitui.*Nec miror,quòd clarissimus Christi typus velit prohibere prædicationem suarum virtutum, & amet magis illas latere sub vmbris. Non vacat ire per singulos, sed hoc pro certo dicam, quòd nullus dabitur, cui Christus perspicuè familiaris assistat, in quo etiam non sit latendi amor notissimus.

Num.11.

Tharg.

Text. Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, & ornauerunt lampades suas.

§. XXI.

Numquam cum Dei verbo audito non stat aliquod signum salutis.

SAlutis signum est, quòd excitari possunt hæ virgines, quòd à somno surgunt; sed quando hoc exhibetur signum?*Tunc surrexerunt*,tunc nimirum quando clamor factus fuit, quando vox cœlestis intonuit;de audita Dei voce venit,quòd a somno excitarentur omnes virgines. Nec potuit cum Dei verbo audito, non stare aliquod signum salutis. De primis hominibus peccatoribus dicitur Genes.3.*Cùm audissent vocem Domini Dei deambulantis ad auram,post meridiem abscondit se Adā,& vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradisi.Vocauitque Dominus Deus Adam,& dixit ei:Vbi es?* Intonat Dei vox,& peccatores timidi ad mediū ligni paradisi confugiunt; nec de Dei voce audita, aliò citius confugerent,quàm ad lignū,quando in ligno salus inuenienda erat, & mūdi vita.Pulchrè aiebat D.Ambr.lib.de parad.c.14.*Adhuc in his remedium salutis est, quia audiunt Dei verbum.* Numquā in auditione diuini verbi non est aliquid quod spectet ad salutem: dum Dei verbum auditur, nullius est prorsus desperata salus, adhuc remedium apparet, adhuc aliquid sentitur vitale. Cant.5. ait sponsa: *Vox dilecti mei pulsantis.* Quid est *vox pulsantis?* Duo dixerim posse ibi significari, aliud ad medicam, aliud ad musicam spectās artem;verumque auspicatissimum diuinas voces audienti. In primo sensu ait:*Vox dilecti mei pulsantis*: quasi vbi percipitur Dei vox semper, ibi socius pulsus salutis index inueniatur. Vbi fibræ infirmorum nullum exhibent pulsum,lethalis infirmus est, & deploratus: quod malum nondum inuenitur in eo, qui diuinas voces audit; de Dei namque verbo adhuc pulsus est in infirmo, & pulsus index sanitatis. *Vox dilecti mei pulsantis*, & simul vocem dat, & pulsum exhibet, per quem salus annuntiatur. Quò respexisse videtur D. Basil. Seleuc. orat.35. vbi de Christo Domino loquente ait:*Vox emittebatur, ac morbus pellebatur.* Ad Iesu vocem exhibebatur in infirmis pulsus, qui annuntiabat salutem. Luc. 7. ait Iesus ad defunctum iuuenem: *Adolescens,tibi dico,surge. Et resedit, qui fuerat mortuus.* Ecce cum Dei voce pulsus etiam in defuncto. Pro quo D. Ambros.lib. 15. in Luc. *Verbo Dei etiam mortua resurgunt cadauera:vox redit, redditur filius matri;reuocatur à tumulo,eripitur à sepulchro.Quis est iste tumulus tuus,nisi mali mores? Tumulus tuus perfidia est: sepulchrum tuum guttur est. Ab hoc sepulchro te liberat Christus, ab hoc tumulo surgis, si audias verbum Dei.* Sic vbi Dei vox, vitalis exhibetur pulsus in infirmis, vt dicat illa: *Vox dilecti mei pulsantis*; hoc est, vitalem imprimentis pulsum. Vidisti sensum? Accipe alterum, qui fortè arrideat magis: is est Deus, qui nesciat solam vocem emittere; vt enim cantor non adducitur, vt canat solitariè sine instrumento aliquo, quod simul pulsetur, sed tunc ad cantum se disponit, cùm & potest vocem emittere,& instrumenti chordas pulsare, quæ correspondenti harmonia vocem comitantur. Sic Deus vbi vocem dat, non dat vocem solitariam, sed simul pulsans humanarum mentium chordas,illas diuinæ voci in harmonia salutari correspondere facit.Pulchrè Gillib.Abb. serm.42.in Cant. *Vox dilecti mei pulsantis. Vide,quid tibi sonet ista positio,quid ipsa pulsandi causa. Et ipsa maximè ad cor nostrum pulsat, & excitat,vt nos velut cithara quadam effecti,sit conso-*

Genes. 3.

Ambros.

Cant. 5.

Basilius Seleuc.

Luc. 7.

Ambros.

Gillib.

nari nitamur. Nequit vox Dei audiri, quin in nobis, tanquam in pulsatis fidibus aliquid correspondens diuinæ voci incipiat insonare. Vtinam vox Dei intonet, vtinam liceat vocem Dei audire, vix fieri poterit, quòd cordis nostri fides non assonet aliquid salutis. Hæc erat Christi vox, Matth. 16. *Vos autem quem me esse dicitis?* Hæc fuit Petro data, & statim ipse: *Tu es Christus Filius Dei vini, qui in hunc mundum venisti.* Vnde rudis Petrus ad tam salutare dogma potuit pertenire? Erat Petrus cithara in manu Dei emittentis vocem circa suæ personæ notionem; vnde quò perueniebat vox diuina,necessum fuit,quòd pertingeret cithara ab illo pulsata simul. Sic aliò datus D.Basil.Seleuc.orat.25.*Ad quam vocem sponte mouebatur,primatem(scilicet Petrum)Dominus inclinat,velut citharam quamdam ratione præditam, ictibus exsuscitans.* Quasi nequeat vox Dei solitaria prodire, nisi cum socia harmonia pulsatæ citharæ, vt verè dicatur illud. *Vox dilecti mei pulsantis*, vt simul & cantor,& pulsator sit,& sonet voce,& assonet humana citharæ fibris.

Matth.16.

Basilius Seleuc.

§. XXII.

A verbo Dei præstantissimum ornatum excipimus.

DEi voce excitatæ virgines,non solum exsurgunt,sed & *ornauerunt lampades suas.*Ea enim est Dei vox,qua & excitet dormientes, & pulchrum, & pretiosum ornatum illis præbeat, quo obuiam possint sponso prodire. Et qualem ornatum a verbo Dei non accipias? Imaginare ornatum,& pretiosum, & pulchrum, quicumque ille sit, in Dei verbo inuenies illum. Ait D.August.ex 50. hom.26. *Qui verbum Dei libenter audit, in aures animæ de patria paradisi transmissas se suscepisse non dubitet. Qui admonetur, vt pauperi tribuat aliquid, dum manus ad eleemosynas expandit, dextralia a Christo transmissa percipiet. Quomodo enim terrenis ornamentis caro luxuriosa paruo tempore ornatur; sic anima sancta diuinis sermonibus,tamquam spiritualibus, & æternis bonorum operum margaritis componitur, vt ad illius cœlestis sponsi consortium, & nuptiale conuiuium feliciter ornata perueniat.* Nullum & pretiosum,& pulchrum ornatum non exhibet animæ sermo diuinus, si auditur. De verbo Dei potest homo accipere, quidquid pretij, quidquid decoris, quidquid ornamenti requirit, vt nuptiale cœlestium potiatur conuiuium. Nullus thesaurus est paratior, ex quo pretiosa ornamenta possint requiri, quàm verbum Dei. Vnde Psalm. 118. aiebat Dauid: *Secundum verbum tuum Domine, mihi tribue intellectum.* Expende illud, *secundum verbum tuum*; intellectum petebat, & simul ostendebat, vnde poterat illum accipere ornatissimum, nimirum ex Dei verbo. Non alios thesauros volebat aperiri, à quibus petitionum complementum acciperet,sciens,quòd si vnum Dei verbum adesset,ibi præstantissimum haberet, quidquid requireret. Pro quo aiebat D.Ambros.ibi, serm.22. *Secundum verbum tuum mihi tribue intellectum;id est,non secundum Philosophos,non secundum causidicos, non secundum mercatores huius sæculi, sed secundum verbum tuum, quod est veræ sapientiæ, bonorumque operum fundamentum, vt super illud constituat Propheta aurum cordis sui,argentum sermonis sui,lapides pretiosos operationum suarum.* Ecce quot diuitiæ, quot decora, quot ornamenta in verbo Dei habeantur:ex nullo mercatore, mihi crede,tot accipies ornamenta,quot habes, vbi Dei verbum audis. Sunt mundialibus Principibus promptuaria diuite plena supellectili, qua gloriosè possint exornari:at iusti viri in verbo Dei habent,quidquid ad ornamentum spectat. Ecclesiastes cap.12. *Verba sapientium,quasi stimuli,& quasi claui in altum defixi,quæ per magistrorum consilium data sunt à pastore vno.* Quæ verba pulcherrimè sonant in rem præsentem apud lectionem Veteram:*Verba sapientum similia sunt stimulis,& clauis fortiter fixis,sustinentibus collectam supellectilem,sed quæ dantur à pastore vno.* In verbis sapientiæ, quæ ab vno Deo proueniunt, tot sunt ornamenta, tot diuites supellectiles, quot sunt in clauis, seu paxillis mundialium diuitum. Quid enim sunt paxilli diuitibus ad supellectilem, & ornatum sustinendum; hoc sunt verba Dei fidelibus,vt inde habeant,quo gloriosè possint ornari & amiciri. Quò spectat Dominus Isaiæ c.22. vbi in Eliachim loquens de Pontifice maximo,penes quem est dispensatio diuini verbi, ait:*Et figam illum paxillum in loco fideli; & erit in solium gloriæ domus patris sui, & suspendam super eum omnem gloriam domus patris eius.* Sic Doctor maximus, qui Dei populum pascit verbo, paxillus est, in quo omne gloriæ ornamentum habetur.Nullum promptuarium pretiosiores supellectiles, gratiosiora ornamenta præbet, quàm

August.

Psal. 118.

Ambros.

Eccles.12.

Isai. 22.

quàm ea, quæ verbum Dei præbet suis fidelibus. Hinc *Act. 15.* Actor.15.dicitur: *Iudas autem & Silas, & ipsi cum essent Prophetæ verbo plurimo consolati sunt fratres, & confirmauerunt.* Ibi Syrus nô verbo plurimo, sed *verbo diuite* legit, quasi in verbo Dei thesauros diuites ornamentorum exprimere vellet.

§. XXIII.

Virginitas, & castitas splendidissimum humanæ naturæ decus, & ornamentum.

ORnarunt virgines lampades suas; & quidem & corpora, & ipsa natura humana maximè ornatur, & pulchrescit, dum in illa splendet dos virginitatis. Psalm.92. *Psalm. 92.* *Dominus regnauit, decorem indutus est; induit Dominus fortitudinem, & præcinxit se.* Expende illud, *decorem indutus est*, & quo indumento potuit Deus ornari, & decorari extrinsecùs, nisi virginea assumpta carne? Sic ait Rupert.lib.3.in Apocal.c.3. *Rupert.* *Vbi enim indutus Dominus decorem, & fortitudinem regnauit, id est, virgineam assumpsit carnem.* In virginea carne decorem induit Dominus singularem, quando virginitatis flos, per se sumptus non potest non ad præstantissimum, & maximè decorum ornamentum spectare. Hine clamabat ipse Dauid *Psalm. 44.* Psalm.44. *Accingere gladio tuo super fœmur tuum potentissime, specie tua, & pulchritudine tua.* Sic apponit Tertull.lib. 3. in Marc. & D.Hieron.in epist.ad Principiam; quasi petat Dominum accingi gladio illo suo, qui species, & pulchritudo, & honor, & ornamentum eius sit. Et quis gladius sic Dominum ornauit? Vel vbi ornauit? Iam explicat, dum dicit, *super fœmur tuum*; gladius enim, qui aduersus libidines est, qui pudicitiæ septa seruat inexpugnabilia; is equidem gladius, & ornatum, & speciosum reddit quemliber, etiam potentissimum. Et qualis est hic virginitatis ornatus? Aiebat *Matth. 6.* Matth.cap.6. *Considerate lilia agri, quomodo crescunt, non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut vnum ex istis.* Vicit Salomonis ornatus omnem mundialium ornatum, sed ipse ab vno ornatu liliorum vincitur, quando in liliis solus virginitatis ornatus intelligitur, qui solus potest quàm longissime superare ornatus cunctos. *Paschas.* Ait D.Paschas.in Psalm.44. *Virginitas, quæ Angelis comparatur, per lilia quàm sæpè in scripturis præfiguratur. Et ideò dixit Dominus, quòd nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex istis. In quibus nimirum floribus renitet intus floris veri incorruptio, & pulchritudo per claritatem integræ castitatis.* Lilia spiritualia sunt, lilia virginitatis, quæ in ornatu possunt excedere ornatissimum quemquam, adeò vt florida virginitate considerata, etiam gloriosissimus Salomonis vilescat, sordescátque ornatus. Numquam Salomon ab ornatu sic gloriosus apparuit, vt apparet virgo de sola stola purissimæ castitatis. Ex quo aiebat Paul.1.ad Thessal.3. *1. Thess. 3.* *Hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra: vt abstineatis vos à fornicatione, vt sciat vnusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore.* Expende, ex quo putet Paulus vas humanæ naturæ, honorificè ornari in nobis, & non solum in quibuscumque hominibus, sed etiam in præstantissimis & insignibus munere altaris? Nimirum; si fornicatione eliminita fulgeat in corporibus humanis castitas, inde iam possidentur nostrorum corporum vasa, sic ornata, vt in honore, & gloria esse videantur. Ad quod D.Bernard.epist.42. *Bernard.* ait: *Vas interim fragile, quod portamus, in quo & crebrò periclitamur: tenet castitas, vt monet Apostolus, in sanctificatione, & instar odoriferi balsami, quo condita cadauera incorrupta seruantur, sensus ipsa, & artus continet, & constringit, ne dissoluantur otio, ne corrumpantur desideriis: ne carnis voluptatibus computrescant. Hoc itaque tantæ pulchritudinis ornamentum dignè dixerim sacerdotium honorare, quòd dilectum Deo, & hominibus sacrat sacerdotem, cuius quippe memoria non in carnis successione, sed in spirituali benedictione, reddatque similem in gloria sanctorum, in hac licèt regione dissimilitudinis constitutum.* Tædùit Bernardum mundialium Principum ornatus componere cum castis, virgineísque corporibus. Vasa enim humanitatis nostræ vel vna castitate vestita, & ornata Salomonis ornatus vincunt, æmulantur cœlestium Principum ornatus gloriosos. Aiebat *Apoc. 3.* Dominus, Apocalyps.3. Episcopo Sardis. *Habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt vestimenta sua, & ambulabunt mecum in albis, quoniam digni sunt. Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis.* Sanè si ipsi habent vestimenta minimè inquinata, sed alba, sed purissima. adeò vt digni videantur socij esse agni immaculati; cur illis solum hoc præmium offertur post victoriam, quòd sic vestientur vestimentis albis? Nec in puluere belli vestimenta inquinata habent, sed alba, sed purissima; quid mirum quòd post victoriam similia habeant? Cur non splendidiora, & pretiosiora illis promittuntur? Sanè corporibus humanis nec in gloria est ornatus alius præstantior, quàm virginitas, & integritas; vnde quæ corpora habent stolam hanc albissimam, purissimam in mundo, sic ornata sunt, vt neque in gloria aliter pretiosius possint ornari, nisi eadem stola fulgida appareant. Ait Rupert.lib.2.in Apocal. *Qui non inquinauerunt vestimenta sua,* *Rupert.* *id est, incorrupta seruauerunt corpora sua. Ambulabunt mecum in albis, mecum inquit, filio virginis, mecum, cuius exemplo virginea continentia dedicauit exemplum, qui iam virgineus flos, virginitatis lilium. Mecum ambulabunt in albis, id est, in corporibus immaculatis, cum quibus resurgunt nitidi, velut agni nouelli.* Non alius in lachrymarum valle, & in resurrectionis statu, erit virgineis corporibus ornatus; sed qui ab incorrupta virginitate venit ornatus in hac valle lachrymarum, idem est cum eo, quem habebunt virgines, dum gloria immortali vestiantur.

§. XXIV.

Continentium statui singularis, & splendidissimus ornatus est multitudo filiorum spiritualium. Vbi de Virgine Maria omnium prædestinatorum matre.

MIrabar, quòd virgines dicerentur ornasse lampades suas; qualis enim lampadis ornatus potest esse virginibus, quibus nulla spes posteritatis per filiorum generationem potest esse? Sapienter illa fœmina 2. Reg. 14. dum apud Dauidem queritur, quòd vnicus sibi relictus filius, ad mortem à cognatis peteretur, ait: *Quærunt extinguere scintillam meam, quæ relicta est, vt non supersit viro meo nomen, nec reliquiæ super terram.* *2. Reg. 14.* Meritò, inquam, & sapienter putabat fœmina cùm abolitione & ablatione filiorum, non solum lampadem ornatam, sed nec scintillulam posse sibi manere. Et qualis lampas, vel scintilla potest esse, cui nullus filius est, nulla posteritas? Adde, quòd vt filij pro lampadibus vsurpentur, sic & pro ornamento in sacris litteris habentur. Isai.49. *Leua in circuitu oculos tuos, & vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi; viuo ego, dicit Dominus, quia omnibus* *Isai. 49.* *his velut ornamento vestieris, & circumdabis tibi eos quasi sponsa.* Quomodo ergo virgines proponuntur cum lampadibus? Quomodo virgines cum filiorum ornamentis? Equidem nullus proprior virginum ornatus, quàm spirituales filij, nemo putet virgineum statum sterilem; quin potiùs nulla vnquam mater tot filios peperit, quot virgines filios pariunt quotidie Deo. Nuptiæ orbem terrarum filiis replent, at vt cœli filiis repleantur, hoc virginum, continentiumque laboribus debetur. Isaias cap.62. *Habitabit iuuenis cum virgine, & habitabunt in te filij tui. Et gaudebit sponsus super sponsam, & gaudebit super te Deus tuus.* *Isai. 62.* Verba sunt mysticum Dei, & Ecclesiæ explicantia connubium: & illud asserunt quod, ex quo nobilissimus iuuenis, & sponsus. Dei filius habet sponsam Ecclesiam virginem, filiorum crescit numerus & ornamentum: quippe ait; *Habitabit iuuenis cum virgine, & habitabunt in te filij*: vt filij habitent in Ecclesia, necessum est, iuuenis diuinus habitet cum virgine, vt sit in Ecclesia & perseueret virginitas. Quis virginitatem seruet, vt nascantur filij, vt ornentur filiis? Sanè si de filiis spiritualibus, qui in Christo regenerentur, sermo fiat, hoc verissimum, & certissimum est, quòd necessum est, vt floreat continentia, & virginitas, vt filiorum multiplicetur numerus. Ait D.Pasch. in Psalm.44. *Tale est istius virginis connubium, nempè Ecclesiæ,* *Paschal.* *vt ideo fœcundetur ab hoc viro virginitas, quia in hoc connubio nulla vnquam potest esse corruptio; & tanta in hac matre virginitas perseuerat, & integritas. vt nisi virgo semper esset, mater esse non posset.* quasi tota Ecclesiæ fœcunditas, vel saltem præcipua, vt filios Dei acquirat, vt velut ornamento vestiatur ingenti filiorum numero, ex virginea virtute venit florente in illa. Non enim alij, quàm continentium, & virginum statui videtur Deus concessisse hanc fœcunditatem, qua possint ornari renatis in Christo filiis. Et crediderim ex hoc ornamento maximè extolli, & exornari Christi sponsas virgineas. De Lia Zabulonem sextum filium pariente, ait textus Gen.30. *Rursus Lia concipiens peperit sextum filium,* *Genes. 30.* *& ait: Dotauit me Deus dote bona.* Expende, quando bona fœmina glorietur de dote ex Deo accepta, nimirum quando sextum Zabulonem filium parit, tunc meminit dotem, tunc dotis pretium, & ornamentum exaggerat. Et cur Zabulon sextus filius sic facit ad commendationem dotis matris suæ? De illo dicitur Deut.33. *Lætare, Zabulon, in exitu tuo, &* *Deut. 33.* *Issachar in tabernaculis tuis. Populos vocabunt ad montem, ibi*

immo

immolabunt victimas iustitiæ. Et quidem de terra Zabulon exiliere Apostoli primi. Ecclesiæ Christianæ fundamina prima qui relictis parentibus,& vxoribus cœperūt in hoc incumbere, vt filios parerent Christo, vt nationes vocarent ad fidē & renatorum in Domino facerent crescere numerum. Meritò ergo cùm Zabulon à quo filiorum renatorum in Christo progenies exiuit, dicitur bona dos nata fuisse; hac enim dote filiorum spiritualium maximè floret sponsa virginea. Accipite pulcherrimè super hoc disserentem Rich. Vict. de Richard. præparatione contemp. lib. 1. c. 44. *Nescio, si potest homo aliquid à Deo in hac vita maius accipere: ignoro, an possit hac gratia interim maiorem aliquam Deus homini concedere, quam vt eius ministerio peruersi homines in melius mutentur, vt de filiis diaboli filij Dei efficiantur. An fortè cuiquam magis videbitur mortuos suscitare? Ergóne maius erit, restituere carni bona transeuntia, iterum peritura, quam animæ reddere bona æterna in æternum mansura? O qualis dos: quanta dignitas talem gratia à Deo accipere, non debuit Dei sponsa à sponso suo dotem aliam accipere: non decuit cœlestem sponsum sponsæ suæ dotem aliam donare, quam vt per adoptionis gratiam possit multos Deo filio gignere, & de filijs iræ, regni cœlestis heredes adscribere. Meritò ergo Zabulon nato exclamat mater eius Lia: Ditauit me Deus dote bona.* Quid pulcrius? Aliquid decerpsisse magnum fuisset piaculum. Hac singulari dote virgineæ Christi sponsæ ornatur; nec in hac vita aliud inuenitur ornamentum præstantius, quàm quòd liceat homini filios Dei regenerare. Non sic ornatur sancti mortuorum suscitatione, vt ornantur filiis per adoptionis gratiam regeneratis. Sanè non sic de alio ornamēto fulgerent Christi sponsæ; nec decens erat quòd Deus virgineis suis sponsis hanc dotem, hoc ornamentum negaret. Vnde fit, vt quam primam virginem sponsam elegit, eam simul in matrē filiorum Dei fœcundaret. Apoc. 21. Apoc. 21. ait Ioann. *Vidi ciuitatem Hierusalem nouam, descendentem de cœlo, à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo. Et audiui vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitauit cum eis.* Nemo inficiabitur, iis verbis prædicari filij Dei descensum de cœlo in vterum Mariæ, vbi homo factus est, & habitauit in nobis. Sed illud notandum, quòd vbi de Dei descensu loquitur, & solum ad eum nos attendere velit, dicens: *Ecce tabernaculum Dei cū hominibus, & habitauit cum eis.* Simul exhibeatur oculis non vnus Deus, sed frequentissima ciuitas hominum etiam cum Deo descendens, & cum eo veniens. Si Deus ad Mariæ virginis tabernaculum descendit, cur ibi ciuitas adeò frequens hominum ostenditur? Pulcrè cum Deo ad Mariam venientem depingitur, & ibi ciuitas hominum frequens; ex quo enim Deus tantam Mariæ virginitatem in matrem, & sponsam elegit, vix potuit non illi concedere, quòd simul pareret per adoptionis gratiā prædestinatorum populos vniuersos. Ait Ansbertus citatus à nostro Viegas Ansbert. in c. 3. Apoc. comment. 2. sect. 5. *Multitudo electorum cum Christo in vtero Virginis prædestinata descendit.* Vbi sese Dominus virginitati Marianæ dedit, & simul illi dedit omnes prædestinatorum segetes, vt inde parturirentur. Et quidem non debuit Dei sponsa aliam dotem à cœlesti sponso accipere; nec deceret cœlestem sponsum sponsæ suæ aliam præstare dotem, quàm vt per adoptionis gratiam multos Dei filios exhiberet. Hæc enim, hæc propria dos est data à Deo vir- Ezech. 24. ginibus, & continentibus. De se aiebat Ezech. cap. 24. *Mortua est vxor mea ad vesperam, & feci manè sicut præceptum mihi* Hieron. *erat.* Quod sic ponderat D. Hieron. lib. 1. in Iouinian. *Diligenter perpende, donec vxor viueret, non habebat libertatem populum commonendi. Moritur vxor, & absque vlla trepidatione semper in officio prophetalis est.* Non ea est dos nuptorum, sed virginum, sed continentium, quod lucrentur populos, quod pariant populos Christo: sic ex quo prima virginitas Deo sacratur, cum Deo ibi morante prædestinatorum examina parturiuntur. Huc trahe dicta tom. 3. lib. 15. §. 10.

Text. Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur.

§. XXV.

Extremam caueat ruinam, qui in strenua virtutis professione ad hominum laudes expiscandas componit vitam.

Ecce fatuæ virginis, nimirum animæ reprobæ propriissimum studium, quòd in ardua virginitatis omnimodæ professione solicita sit de aliorum oleo inquirendo, de captandis aliorum plausibilibus assentiunculis. D. Augustinus serm. 23. de verbis Domini: *Date nobis, inquiunt, de oleo ve-* August. *stro; hoc quærebant, quod consueuerant, id est, alieno lucere, ad alienas laudes ambulare.* Sic fatuæ virgines, sic reprobæ animæ in perfectionis statu, in strenuarum virtutum professione viuunt, vt pro plausibus hominum,& laudibus hauriendis nihil prætermittant, omnia perambulent, circumcursent omnia, illis adhæreant, & intimi latrones fiant, à quibus laudantur plenioribus buccis. Proh ridiculum, & verecundum in homine mediocriter prudenti studium! In illo autem qui altioris virtutis professionem induit id extremæ fatuitatis, & reprobæ stultitiæ signum est perspicuum, si inter hæc ad alienas laudes ambulare studeat. Notissimus apud omnes est Simon ille Magus, mundi pestis: is fidei Christianæ mysteria audiens, mundi abiectionem per filij Dei exinanitionem prædicatam cognoscens, decreuit nomen dare cœlesti doctrinæ. Act. 8. dicitur: *Tunc Simon, &* Actor. 8. *ipse credidit, & cùm baptizatus esset, adhærebat Philippo.* Professus fuit & iste Simon Apostolicam vitam, sectatus est Iesu recenter effusi sanguinis,& penè calentis semitam angustam. Quid tunc? Vidit, quòd per impositionem manus Apostoli baptizatis visibiliter infundebant diuinum Spiritum, siue quod Spiritus sanctus ad Apostolorum manus descenderet in igneis linguis, siue quòd in alia externa, & visibili figura. Hanc æmulatus potestatem Simon, cupiénsque illam sibi obtinere datis pecuniis, audit à Petro: *Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. Non est tibi pars, neque sors in sermone isto.* Sic Petrus reiicit Simonem miserum, sic prorsus à regno Dei excludit,& declarat perditionis filium. Cur Petrus in Simonem tam durus & tam irreconciliabilis existit? Peccauit, fateor, Magus iste, sed & Petrus peccauit, tribus vicibus negans Christum, à quo tot receperat beneficia, & tamen veniam obtinuit. Cur & peccanti fratri non mansuetior existit? Cur magis dicit perditionis filium Magum, quàm se ipsum? Pulchram rationem attigit alibi datus Tertull. lib. de idololatria, inquiens: *Simon Magus iam fidelis, quo-* Tertull. *niam aliquid de circulatoria secta cogitaret, vt scilicet inter miracula professionis suæ, etiam Spiritum sanctum per manuum impositionem venundaret maledictus ab Apostolo, de fide reiectus est.* Expende, cur funditus perdatur hic miser, nimirum, quia inter miracula professionis suæ per exhibitionem visibilem Spiritus sancti, aliquid de circulatoria secta cogitabat. Quid plura? Magis vocatur circulatoria secta, quia in eius exercitio Magi circulis effictis vtuntur, vt suas euocationes, & spectra perficiant; imò & quia Magi circulatores sunt, & circumitores vrbium, & castellorum, lustrantes vniuersos hominum concursus, in compitis, & plateis spectra suæ artis efferentes, vt plausus populares venentur, & laudes, & nomen diuinum. Dum autem hic Magus inter miracula professionis suæ, in ipsa Euangelicæ virtutis professione, in exhibitione visibili Spiritus sancti, ad Magorum conditionem cogitabat viuere; nimirum circumiens vrbes, conueniens hominum concursus, vt peractis diuinis virtutibus humanos plausus expiscaretur, laudésque,& nomen diuinū acquireret, inde periit irreparabiliter. Huc conueniant vniuersi viri perfectionis Christianæ studiosi, qui sunt in scholis & perfectionis, & virtutum magistri, qui ex professione habent abiectionem mundi, sequelam Christi. Ij huc conueniant, & notent, quid in circumitionibus suis quærant; si obambulent ad laudes expiscandas, si inter miracula religiosæ vitæ inter Spiritus sancti exhibitiones, de plausibus humanis acquirendis sint perditè soliciti, & metuant virginum incurrere fatuitatem extremam. Reprobus ille Saül post peccatum suum, non semel dixit, peccaui, sed & bis eadem repetiuit verba pœnitentiæ, nec tamen obtinuit veniam, sed irremediabiliter periit. Et cur irremediabiliter periit? Ait 1. Reg. 15. *Peccaui, sed nunc honora me coram se-* 1. Reg. 15. *nioribus populi mei, & coram Israël.* Ad quæ verba præclarè Rupert. lib. 2. in Apocalyps. cap. 2. ait: *Honorem ergo, vel glo-* Rupert. *riam non Dei, sed suam ista confessione mercari voluit, dicendo, peccaui. Iustè ergo solium eius de loco suo moueri debuit.* Sic professores perfectionis, qui de virtutum credito plausus humanos quæritant, non mirabor, si pereant. Et metuo, ne multi religiosi concionatores mereantur repulsam à cœlis, quia inter miracula Christianæ professionis, aliquid, imò & multum cogitant de circulatoria secta, instar Magorum, & vagorum homuncionum circumeuntes vrbes, & castella, vt figuris effectis, & Rhetorum flumina vomentes de Spiritus sancti credito plausus populares sibi venentur.

§. XXVI.

Adulatorum sermones lethales.

HEu virginum fatuarum miseriam! aiunt enim: *Lampades nostræ extinguuntur.* & cur non extinguantur lampades, quæ de solis alieni oris laudibus lucebant? Sanè laudatoria verba, adulatores sermones nihil melius faciunt, quàm extinguere vitæ flammas, & funditus perdere. Hóc *Psal.140.* nouerat Dauid Psalm.140. aiens: *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Nemini dubium est, ibi detestari Dauid hominum laudes, quæ instar olei demulcent, & suauiant audientium aures, quas laudes meritò vocat *oleum peccatoris*; pro quo alij legunt, *Oleum venenatum non infringet caput meum.* Sunt quidem populares laudes suauissimæ, sed venenatæ, quæ venenum spirent ad perdendum, ad deuastandum, vt ægrè, & difficulter aliquem permittant vitam agere. Philo Carpathius in Cantica, sic de adulatoribus fatur: *Philo.* *Teterrima pestis vrbibus assentatorum vito tabificus morbus eorum consuetudo, adolescentibus, domibus ruina, monasterijs euersio, Christiano religioni extrema calamitas, omniumque malorum seminarium, & origo.* Ecce tibi laudatorij sermones, verba assentatoria quàm sint ad perdendum nata; quàm nulli statui, nulli ætati, nulli vrbi parcant, sed florentissima quæque perdere, & exurere nitantur. Hierem. c.11. dicit Israeli: *Hier.11.* *Oliuam vberem pulchram vocauit Dominus nomen tuum; ad vocem loquelæ grandis ignis exarsit in ea.* Grandia verba sunt, quæ dicuntur in hominum laudes, sed quæ nutriant ignem, qui nulli virori pareat. Ex Dei beneficiis habuit Israel, quòd vbique eius fertilitas, eius gloria prædicaretur, laudaretur; at quò magis laudabatur, eò citiùs abijt in flammas. *Gregor.* Ait D.Gregorius, homil.21.in Ezech. *Ad vocem ergo loquelæ grandis, exarsit ignis in eo, quia in magnitudine fauoris, flamma in corde accenditur de amore laudis. Sed omnia eius fruteta comburuntur, quia ante Dei oculos, vel quæ bene gesta, vel quæ scienter sunt dicta, depereunt, cum iam non amore Domini, sed intentione transitoriæ laudis fiunt.* Sic laudatorij plausus omnem animæ virtutem dant flammis, nec sinunt aliquid viride germinari. Hanc pestem caueant vniuersi, qui bona sua ab incendio amant liberari, & volunt animæ suæ parcere. Sapienter enim monebat Reges D. Synesius libro de *Synes.* regno, fatus: *Cauendum præsertim, idque totis animi viribus, aut etiam si fieri possit, vniuersa ad hoc regiorum aularum arma comparanda sunt, ne amicitiæ personis extrinsecus circumfusa insanis obrepat adulatio. Sola quippe hæc, ne quicquam vigilantibus satellitibus imperium deprædatur; nisi enim penitus arceatur, in ima vsque conclauia sensum penetrat, Regumque nobilissimam partem, animam nimirum adoritur.* Proh oleum venenatum! Sic inter placidissima laudum verba, inter suauiantes plausus hostis venit, qui regna perdat, qui nec animam viuere desinat. De hoc periculo etiam monebat Petrus Damian. epist.ad Blancam Comitissam, cap.8.aiens: *Damian.* *Sæpe malignus spiritus velut ouis in ramo arboris; sic in linguis ponitur adulantis: tu autem obturo aures malè suadentibus Sirenibus, & Scyllæ voraginis prudenter euade naufragium: sicque cor tuum in sancto proposito terror indicij figat, vt nequaquam ventus assentatorij fauoris hinc euellat.* Hanc nobis cautelam *Ioann.8.* docuit Iesus, cui dicunt Iudæi, Ioann. 8. *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es, & dæmonium habes? Et respondit Iesus: Ego dæmonium non habeo.* Sic placidè, sic mansuetè ad tantam contumeliam respondit. Huc trahite illud Matth. *Matth.12.* cap. 12. vbi sic ait. *Accesserunt ad Iesum Scribæ, & Pharisæi, dicentes: Magister, volumus à te signum videre. Qui respondens, ait illis: Generatio mala, & adultera signum quærit.* Vbi Samaritanus, & dæmonium habens vocatur, placidè respondit; vbi Magister dicitur, & laudatur, diris persequitur illos, vt quis doceat, plus timendum esse, & cauendum à laudibus, quàm ab iniuriis. Chrysost hom.44.in Matth.in- *Chrysost.* quit: *Ita cùm illi asperè, & contumeliosè loquuntur, iucundius, atque humilius respondet: cùm verò assentantur, tunc non mediocri vtitur acrimonia, omni se perturbatione superiorem ostendens. Veluti enim tunc nulla ira concitatur eadem, nunc modo adulationibus non delinitur.* Vtinam hinc Christiani discant, qualiter à laudibus exhibitis sibi timeant.

§. XXVII.

Vanè sanctorum nititur patrocinio, qui illud obsequijs sibi comparare non curat.

VIde stultissimam imprudentiam istarum virginum: vident suas lampades extingui, & adhuc per tempus licere remedium inquirere: nondum enim ostium clausum erat, sed patebant viæ, saltem de prudentum patrocinio possent præcauere ruinam. Itaque adeunt eborum prudentum virginum, patrocinium earum requirunt; sed quomodo requirunt? Quippe aiunt: *Date nobis de oleo vestro*; nullum honorem, nullum obsequium, nullum pretium illis offerunt, sed tantùm dicunt, *date nobis*: sic enim stultescunt, vt promittant sibi patrocinium nullo obsequio, nullo honore, nullo pretio acquisitum. Quid stultius? Monebat Deus amicos Iob, peccatis magnis obstrictos: *Sumite ergo vobis septem tauros, & septem arietes, & ite ad seruum meum Iob, & offerte holocaustum pro vobis. Iob autem seruus meus orabit pro vobis. Faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia.* Iubentur ij amicissimi Iobi niti patrocinio, ea illóque auxilium petere, ne à Deo castigentur, vt stulti. Sed expende, qualiter iubentur requirere illud patrocinium; dicit enim: *Sumite ergo vobis septem tauros,* &c. Quasi velit, vt & victimas insumant, & Iobo deferant sacerdotij honorem, & munus, vt notat Chrysostomus in Catena Græca. Et quidem nisi donis, & obsequiis exhibitis sanctorum negotieris patrocinia, extremæ lues pœnam stultitiæ. Magdalena dolens quærebat Dominum in sepulchro, & non inueniebat. Quid tunc? Ioann.cap.20. inquit: *Conuersa est retrorsum, & vidit Iesum stantem, & non sciebat, quia Iesus esset. Dicit ei Iesus: Mulier, quid ploras? Quem quæris? Illa existimans, quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, vbi posuisti eum, & ego eum tollam. Dicit ei Iesus: Maria. Conuersa illa dicit ei: Rabboni, quod interpretatur, Magister.* *Ioann.20.* Vbi cum hortulano putat se agere, illum vocat Dominum; at vbi cum Iesu loquitur, non Dominum, sed Magistrum vocat. Et cur, quæ Iesum solùm Magistrum vocat, sic æstimat hortulanum, sic extollit, vt vocet eum Dominum? Prudentissima fœmina quando hortulanum credebat, eius patrocinium ad inueniendum dilectum comparare volens, illum honore, & obsequio alliciens Dominum vocat. Pulchrè D.August. tract.121. in Ioannem, ait: *Nemo calumnietur mulieri, quòd hortulanum dixerit Dominum, & Iesum Magistrum. Ibi enim rogabat, hic agnoscebat. Ibi honorabat hominem, à quo beneficium postulabat, hic recolebat Doctorem.* *August.* Stultum sanè esset, & vanum sperare beneficiũ nullo saltem obsequio honoris extortum; ideo sapiens mulier, quem credit sibi in tanta desolatione fauere posse, honorificis vocabulis allicit, vt vel obsequiis ad benefaciendum cogat. Similiter de filiorum Zebedæi matre dicitur, Matth.20. *Accessit ad Iesum mater filiorum Zebedæi, adorans, & petens aliquid ab eo.* *Matth.20.* Expende illud, *adorans, & petens*: de quo D.Thom.in Catena, ait: *Reuerentia exhibita petit, vt quod petierit, sibi detur.* *D.Thom.* Multum, mihi crede, stultescit, qui vel à filiis Dei beneficium expetit, ob quod comparandum nihil honoris, nihil obsequij, nihil pretij vult exhibere. Quis nimis certus, speret moueri sanctos gratis ad auxiliandum eis, à quibus nullum obsequium acceperunt? Matth.8.dicebat nobilis Centurio Deo: *Dic verbo, & sanabitur puer meus*: at fœmina prudens, quæ sanguinis fluxum patiebatur, Matth. c.9. *Accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius,* &c. *Matth.9.* Non quiescit in alio, vt salutem speret, quàm si vel fimbriam tangat; & cur cùm Centurio in verbo quiescat, hæc non in verbo, sed tactum præstolatur? Sanè hæc agebat cum fimbria vestimenti Iesu, per quam intelligebatur humillimi sancti, quorum patrocinium minimè habebit, nisi quia ad illos extenderit obsequentes manus. Ex quo monebat D.Bern.serm.de quatuor modis orandi, fatus: *Qui facit peccatum, huic minimè expedit per se ipsum ad Christum accedere, sed tangere, si quam inuenerit eius fimbriam: hoc est, eum considerare hominem, quem humiliorem viderit, & extremum in Ecclesia, quæ est vestis Christi: eum, inquam, qui elegit abiectus esse in domo Dei, oportet considerare: quoniam is verè est fimbria posita in ora vestimenti, ad quam vtique spiritualis vnguenti descendens à capite copia tota decurrit. Hunc si beneficijs aliquibus, vel prece humili, aut confessione pura tetigerit, vt effectum eius ergo se moueat ad compatiendum sibi, habeat fidem, & sine dubitatione sanabitur.* *Bernard.* Expende, quando iubeat Bernardus peccatori sperare salutem, nimirum quando sanctum hominem beneficiis, obsequiis precibus in sui compassionem adduxerit. Velle autem de sanctorum viuere patrocinio, quod nullis obsequiis solicitas, id planè est vitium stultissimum, impudentissimum.

Text. Responderunt prudentes, dicentes: Ne fortè non sufficiat nobis, & vobis, ite potiùs ad vendentes, & emite vobis.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Sanctorum patrocinia non iuuant, vbi regnat in pauperes duritia.

Meritò fatentur prudentes virgines, non sufficere sibi, & aliis, quas sine oleo misericordiæ in pauperes vident. Non enim sufficiunt Sanctorum patrocinia illis, quos tenet possessos in pauperes siccitas, & durities. Apud Luc. cap. 16. clamabat Dominus ad fideles suos: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Non solùm monet, vt faciamus nobis amicos, de quorum auxilio in æterna tabernacula possimus introire. Sed insuper addit, quòd amici faciendi sint de mammona iniquitatis, hoc est, de bonis inter pauperes dispertitis. Sed quid, si facio mihi amicos sanctissimos, & potentissimos in æternis tabernaculis, & tamen non de mammona facio illos? Nónne sufficiet mihi, quòd habeam illos potentissimos amicos, quocumque modo acquisierim illos, licet non per mammonam dispertitam? Crediderim non sufficere nobis habere in cœlis amicos, nec eorum nobis profutura patrocinia, nisi etiam stet pro nobis misericordia pauperibus impertita. Aiebat D. Chrysost. conc. 3. de Lazaro:

Luc. 16.

Chrysost. *Verum habes amicum, egregium, admirandumque. At ne istr quidem nunc tibi est adfuturus. Quomodo igitur dicit: Facite vobis amicos ex mammona iniquitatis, vt recipiant vos in æterna tabernacula sua? Non hic est amicitia opitulatrix, sed eleemosyna. Etenim si sola auxiliaretur amicitia, dicendum erat, facite vobis amicos. Nunc autem ostendens, quòd non sola sufficit amicitia, addidit, ex mammona iniquitatis.* Quid pulchrius? Non equidem tibi sufficient ad auxilium cœlestes amici, si desit mammonæ erogatio, si desit misericordia in pauperes. Vnde

Idem. addit ipse Chrysost. *At fortasse dixerit aliquis: possum & absque mammona conciliare amicum, eúmque potiorem, quàm ex mammona. Verum vti scires, quod eleemosyna est, quæ patrocinatur opus tuum, ac beneficium tuum, non simpliciter in bonorum amicitiis, sed in amicitiis per mammonam partis iussit te confidere.* Nullius etsi sanctissimi amicitiæ nimis fidendum est, quam non comitatur eleemosyna erogata pauperibus. Vanè fere gloriaris amicum, imò patrem nancisci in cœlis, qui pro te stet, nisi simul circa pauperes misericordiam impenderis. Diues ille purpuratus immensum gloriabatur de Abrahamo parente, imò necessitatis tempore, tota fiducia ad

Luc. 16. tantum patrem contendit: clamat enim, Luc. cap. 16. *Pater Abraham, miserere mei.* nec Abraham negauit se patrem, imò id ipsum fatetur, respondens: *Fili, recepisti bona in vita tua, &c.* Ecce tibi hinc inde & dulcissimæ, & arctissimæ necessitudinis vocabula tractantur, patrocinium tamen ea tanto patre nullum filius habet. Nulla enim necessitudo, nulla amicitia fauet apud illos, qui apud homines nescierunt fauorem pauperibus præstare. Chrysol. serm. 125. & 124. ait:

Chrysol. *Stulte, petis à patre misericordiam, quam negaueras fratri. Non pater ignoscere, non affectio potuit subuenire.* Habeas licet in te propensissimum in cœlis parentem, habeas licet multis aliis titulis animum obligatum, si misericordiam circa proximos pauperes non habes, si durus es in egentes proximos, nullum patrocinium in cœlis habes. Apud Danielem, c. 10. vbi Deus volebat à Persarum dominio educere captiuos Israëlitas, adest Persarum patronus Angelus, qui pro suis alumnis fortiter decertabat; quippe ait textus: *Noli metuere Daniel, quia ex die prima, qua posuisti cor tuum ad intelligendum, vt te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua: & ego veni propter sermones tuos. Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti & vno diebus.* Quod hic Persarum Princeps fuerit bonus Angelus eorum patronus, auctor est Theodoretus in præsenti, D. Gregor. 17 Moral. 8. D. Thom. 1. part. q. 113. art. 7. & ferè omnes Scholastici. Hic ergo Angelus pro Persis stabat, eorúmque iura, & vtilitates in detentione Israelitarum tuebatur. Non sic vbi Israëlitæ eruendi erant de Ægypto, ibi nullus stat Angelus pro Ægyptiis, & licet Ægyptij vt de fide est, haberēt patronos Angelos, nullus dicitur Angelus alumnis Ægyptiis fuisse patrocinatus, nec detinuisse eorum plagas, sed vniuersi relicti sunt mergi sub vndis maris. Cur ergo Persæ etiam contra Israelem patrociniū Angelorum habent, Ægyptij autem sine patrocinio vllo permittuntur suffocari? Ægyptij receperant Israëlitas famescentes tanquam aduenas, & peregrinos, & hospites: itaque vbi in peregrinos, & hospites pauperes insurgunt, illósque crudeliter tractant, id consequuntur, vt nequeant in ruina sua vllum experiri sanctorum patrocinium. Quod no-

Athanas. tabat D. Athan. in synopsi libri Sap. inquiens: *Pro morte verò Ægyptiarum in mari rubro, fuit ira Dei absque misericordia, & iter populi insolens. Quod præter inhumanitatem erga aduenas mala illa passi sunt Ægyptij.* Meritò, qui hospites, & peregrinos Israelitas tam inhumanè, & crudeliter tractarunt, perierunt omnes, nullo cœlitū ciuium experto patrocinio. Hinc lucem affero Ezech. loco, apud quem ait Dominus: *Si autem & pestilentiam immisero super terram illam, & effudero indignationem meam super eam in sanguine, vt auferam ex ea hominem, & iumentum, & Noe, & Daniel, & Iob fuerint in medio eius: Viuo ego, dicit Dominus Deus, quia filium, & filiam non liberabunt, sed ipsi iustitia sua liberabunt animas suas.* Ad hæc verba dubitat D. Hier. cur potius meminerit Deus Noe, Danielem, & Iobum, & non magis meminerit Abraham, Isaac, & Iacob? Sanè apud Deū celeberrimi erant hi tres patres, & crebrò in Dei ore versabantur, vt passim diceret, se aliquid facere propter Abrahā, Isaac, & Iacob; cur ergo in præsenti Ezechielis loco, illorū oblitus, solum meminit Noemum, Danielem, & Iobum? Sanè Iob, & Danielis, & Noemi filij poterant esse absque eo, quod insignes fuissent in misericordia circa peregrinos, & pauperes hospites, quando eorum parentes non inde extollebantur apud Dominū. Ex quo etiā poterat accidere, quod nec Noëmus, nec Daniel, nec Iob vllum filiis suis præberēt auxilium, siquidem nec à parente, nec ab amico sancto habent patrociniū apud Deum qui in pauperes non sunt misericordes. Verùm Abrahami filij non poterant esse, qui minimè haberent misericordiam, ex hac enim virtute maximè censebantur tantorum Patriarcharum proles. Vnde Zachæo dicenti, Luc. 19. *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus.* Respondit illicò Dominus: *Hodie salus huic domui facta est, eò quod ipse sit filius Abrahæ.* Veri igitur Abrahæ filij, vt illustres misericordia, nunquam non haberent apud Deum patrocinium propter tantorum parentum nomen. Ezech. 14.

Luc. 19.

§. XXIX.

Magnus dolor homini est, quòd tempore angustiæ cogatur non Deum respicere, sed creaturas.

QVale hoc consilium prudentum virginum, quod afflictas socias ob defectum olei remittant ad vendentes? Aiunt enim: *Ite potius ad vendentes*; cur non magis in arcto positæ iubentur ire ad Deum, iubentur clamare ad Dominū, quàm ad vendentes? Non quærebant illæ sociarum commodum, sed afflictionem maiorem, sed dolorem, qualem habet, qui in necessitatis tempore cogitur clamare ad eum, qui in nullo iuuare potest. Prudentes in præsenti non consulunt, sed irrident fatuas, vt quæ non ad Deum sed a creaturarum cogantur pulsare portas. Et quanta hæc afflictio egenis? Et quantus dolor? Apud Ioan. c. 19. vbi Christus Dominus suffixus cruci apparet, *dicit Matri suæ: Mulier, ecce filius tuus*, dum illi discipulum loco filij ostendit. Hæc dixit Iesus Matri suæ, & crediderim tunc singulariter sanctissimam Matris animam acutissimo fuisse doloris gladio transuerberatam, vbi audit sibi pro Dei filio hominem dari spectandum. Quis Mariæ tunc dolorem explicet? Pijssimè, & sanctissimè ait D. Edmund. Cantuariensis in speculo Ecclesiæ, c. 23. *Quanta angustia erat repleta Maria, quando stetit ad dexteram filij sui, & recepit discipulum pro magistro, & quando habuit magnum dolorem, quando recepit seruum pro domino, & filium peccatoris pro filio Dei.* Meritò ad magnum Mariæ dolorem refertur, quòd iuberetur ire ad filium peccatoris pro filio Dei, licet hoc malum breui finiendum erat. Quantus ergo erit dolor, quanta angustia illorum hominum, quibus egentibus non per breue tempus, & benignè, sed in sempiternum, & cum magna irrisione dicatur, quod pro magnifico Deo, eant ad vanissimas, & auarissimas creaturas? Sic miseri Israelitæ extremum captiuitatis suæ dolorem exaggerant, Psalm. 136. dum dicunt: *Quia illic interrogauerunt nos, qui captiuos duxerunt nos, verba cantionum. Et qui adduxerunt nos: Hymnum cantate nobis de canticis Sion.* Magnus fuerat dolor, quod iuberentur à patria, à paterna domo, à templo Dei exire, & miseri, egentes, angustiati, captiui inter emptores, & venditores Babylonios ambulare. Sed accipe alium dolorem longè maiorem, quod ibi pro Deo cogebantur habere emptores suos prophanissimos auditores cantionum suarum. Vt quæ Deo auxiliatori vero deberent canere, ea passim prophanissimis irrisoribus cantitarent. Ait Cassiodor. in præsenti: *Addunt aliud pondus doloribus suis, vt vsque ad hæc ludibrium venire defleant, quatenus Dei carmina reuerenda hominum pessima voluptate perfundant, fiátque illis necessitas paganis dicere, quod sola plebs Domini consueuit audire.* Edmund. Psal. 136. Cassiod.

Magnum quidem additamentum doloris, & afflictionis est, quòd faciendas Deo preces, non Deo, sed creaturis, sed tyrannis faciamus, qui nos in miseram,& durissimam seruitutem trahunt,& quòd necessitas cogat non ad Dei legem, sed ad conditionem captiuantium nos, voces formare.

§. XXX.

Auaritia Ecclesiasticorum perditio est animarum.

AD vendentes mittuntur fatuæ virgines à prudentibus, hoc est, vt mauult Caietanus, ad Sacerdotes, qui vendunt pœnitentiam contritis; ego crediderim magis ab irridentibus virginibus mitti fatuas illas ad Sacerdotes,qui vendunt pro pane absolutiones à peccatis. Et quibus aliis mitterentur irridendi pœnitentes? Scatent equidem Dei templa venditoribus istis, qui pro temporalibus lucris miseros pœnitentes non tam absoluunt culpis,quàm illudunt,

Luc.19. & extremam perditionem animabus inferunt. Luc. 19. *Vt appropinquauit Iesus videns ciuitatem, fleuit super illam, dicens: Quia si cognouisses, & tu, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quoniam venient dies in te, & circumdabunt te, & coangustabunt te. Et ingressus in templum cœpit eycere vendentes in illo, & ementes.* Expendendum maximè est, quod post deploratam ciuitatem, nil prius agit Iesus, quàm ementes, & vendentes è templo eiicere, quasi innueret, quod populorum, animarúmque ruina, & perditio inde maximè nascitur, quod in Dei Ecclesia multiplicentur venditores absolutionum isti. Pulchrè ait Galfridus

Galfrid. apud Tilmanum in allegoriis, inquiens: *Si aduertimus,quomodo cœpit Iesus eycere ementes, & vendentes de templo, mirum, si non lugemus, qui tam multos etiam nunc in Ecclesia vendentes,& ementes videmus. Liquet enim quod ob auaritiam maximè eorum, qui in templo negotiabantur, imminere ciuitatis excidia videbantur, quando post lachrymas, & querelas illi potissimum sunt eiecti. Quid verò hodie nobis timendum est, si de similibus idem iudicium? Cœpit igitur Iesus eycere ementes, & vendentes de templo. Eycere cœpit, quia nondum eiecit, & certè timeo, ne hodie paucos relinqueret, si vniuersos eyceret. Et fortè propter hoc pauci inueniantur electi in multitudine vocatorum, quod vehementer excreuerit venditorum numerus, & emptorum.* Vtinam solùm antiquitus hæc lues grassaretur in viris Ecclesiasticis, at & nunc eodem aliqui tenentur morbo, ad propriorum lucrorum conditionem salutem mensurantes animarum, id præcipuè spectantes,non quo animæ in veritate curentur, sed quo sui crescant prouentus temporales. Quanta hæc animarum perditio? Fallar,nisi hoc sit aut maximum, aut præcipuum in Ecclesia malum. Actor.8. Simon ille Magus miratus per manuum impositionē ab Apostolis dari visibiliter Spiritum sanctum, vehementer cupiens po-

Actor.8. testatem similem, pecuniam accipit, Apostolos adit: *Obtulit eis pecuniam, dicens: Date mihi hanc potestatem.* Quid tunc? Petrus diuina inflammatus ira,illi respondit: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. Non est tibi pars, neque sors in sermone isto, cor enim tuum non est rectum coram Deo: in felle amaritudinis, & in obligatione peccati video te esse.* Et quantum erat scelus,quod rudis adhuc in Christiana doctrina, & perfectione homo pecuniam offerat pro habendo diuino spiritu?Cur sic exarsit Petrus? Cur sic aduersus hominem, & pecuniam eius inflammatur, vt perditionem minetur vtrisque? Sanè sapientissimum Ecclesiæ caput nouit in pecunia illa telum inimici ad perdendum vniuersum mundum. Vt enim antiquitus in pomo latuit anguis, qui caput hominum infecit Adamum, & inde ad vniuersos homines venenum diffudit. Sic modo in pecunia illa latebat anguis idem, persuasus posse iterum totum mundum inficere, si capite Ecclesiæ pecuniarum amore correpto, Ecclesiasticos viros faceret venditores diuinorum charismatum.D.Clem. Rom.6.

Cl. Rom. constitut. cap. 7. ex Petri ore inquit: *Voluntas diaboli erat, vt ipsum Adamum post degustatum cibum interdictum promissa immortalitate priuarat, sic nos pecunia delinitos, & captos dono Dei priuare, si hac permutatione facta, donum Spiritus sancti, quod æstimationem superat, nummis addiceremus.* Itaque eadem voluntas, idem intentum fuit diabolo in exhibendo pomo Adamo: vtrobique caput petitur, ibi orbis, hic Ecclesiæ: vtrobique intenditur orbis totius excidium: ibi de capitis affectu ad mulierem: hîc de capitis affectu ad pecuniam: ibi si in paradiso præualeat ambitio; hîc si in Ecclesia præualeat auaritia, bonorum spiritualium emptio, & venditio.

Text. Dum autem irent emere, venit sponsus; & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua. Nouissimè verò veniunt & reliquæ virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. At ille respondens ait: Amen dico vobis, nescio vos. Vigilate itaque, &c.

§. XXXI.

Inueterata in aliquo vitio consuetudo facili negotio trahit hominem in perditionem ab ipso penè gloriæ ingressu.

POstquam virgines excitatæ sunt clamore cœlesti, vbi sponsus penè in ianuis erat, & instabat æterni connubij momentum. Tunc de fatuis virginibus dicitur: *Et factum est, dum irent*, nimirum ad vendentes. Tunc simplici verbo prudentum de vendentibus monitæ domo exeunt, & eunt ad vendentes. Cur in tanta expectatione sponsi, in tanta propinquitate instauratis gloriæ, tam facili, & simplici verbo commouemini, vt domo exeatis, vt eatis ad vendentes? Erat illis consuetudo cum illis venditoribus agendi; quippe ait D.Paschas. *Quid est dicere, ite ad vendentes? Nisi quia sic facere consueuistis.* Consueuerant cum laudum Paschas. venditoribus commorari; consueuerant circumire populos, vt plausus populares emerent: vnde fit, vt inter tot expectationes gloriarum,ab ipso penè gloriæ ingressu illas vel verbulum auditum trahat ad notos vendentes, vbi pereant. Metue, Christiane, inueteratam consuetudinem alicuius vitij, hæc te penè in gloria constitutum, facili negotio faciet venire ad consueta præcipitia. Propone tibi ante oculos Israëlitas illos in terram promissam pergentes, pane iam viuentes Angelorum, non tam pedibus suis, quàm super alas Dei abeuntes. Quid tunc? Ait Num. 11. *Vulgus* Num.11. *quippe promiscuum, quod ascenderet cum eis, flagrauit desiderio carnium, sedens, & flens, iunctis sibi pariter filys Israel, & ait: Quis dabit nobis ad vescendum carnes? Recordamur piscium, quos comedabamus in Aegypto gratis, in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cæpe, & allia. Anima nostra arida est, nihil respiciunt oculi nostri, nisi Man.* Expende, quibus rudentibus trahantur in Ægyptum, qui pro Ægyptiis bonis vtebantur cœlestibus delitiis. Aiunt quidem: *In mentem nobis veniunt*, &c. Non in manus, nec in buccam illis veniebant cibi illi, sed solùm menti eorum accedebat quædam vmbratilis repræsentatio, qua penitus rapiebantur. Quòd si cibi illi præ manibus essent, vel saltem proximi adessent, non mirarer, quòd carnales homines ad se raperent. At cùm longissimi abfuissent, & tantùm quædam quasi vmbra illorum menti appareret, vnde potuerunt sic homines afficere, vt illos à tantis cœlorum dapibus abhorrere facerent? Consueuerant illis vti cibis Israëlitæ, & vbi consuetudo longa alicuius rei interuenit, vel illius vmbra hominem prorsus rapit, & in vsus consuetos abire facit. Heu quoties hominem super astra eleuatum, carnali vita penè exutum & iamiam penè in gaudia Domini intrantem vel simplex apprehensio consuetæ turpitudinis adoritur, & illum facit currere ad consuetum præcipitium. Legi in historia Anglicana, quam Cæsaraugustanus Episcopus scripsit, iuuenem voluptatibus lasciuis Histor. Anglic. penitus deditum in lethalem morbum incidisse; qui vbi se morti vidit appropinquare, copiosis lachrymis mundans delicta, cœlesti cibo reficitur, sperans protinus euolare ad paradisum. Quid tunc? Penè exanimem hominem, & iam quasi in Dei manibus positum spiritum, cogitatio leuis lasciua aggreditur, cui vt semper assentire consueuerat, sic tūc quasi cogitur assensum præstare,quo relictis bonis æternis penè manu apprehensis, sese in tartara præcipitauit, vt ipse apparens post obitum fuit testatus.Hoc malum lamentabatur Isai.cap.5.vbi ait: *Væ qui trahitis iniquitatem in funi-* Isai.5. *culis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum.* Concors est omnium expositorum sententia,verba hæc fieri ad illos, qui sese vitiis assuescunt, qui trahi, & trahere dicuntur in funiculis vanitatis; hoc est, vt placet D.Hieron. inanibus, Hieron. & futilibus,& quasi aranearum filis. Sed illud maximè expendendum,quod dicantur ij mortē,& peccatum trahere in funiculis vanitatis, in aranearū filis, & in vinculis plaustri, vbi iunguntur & infirmissima omniū, & fortissima omnium vincula; prima adeò futilia, & inania, vt vix valerent muscam

muſcam prendere; ſecunda adeò fortia, vt & tauros ad plauſtrum alligent. Quid arenearum fila euanida cum vinculis plauſtri? Equidem vitia longa conſuetudine exercita vel leuiſſimis, & futilibus, & penè euanidis filis ſic rapiunt expeditiſſimum quemquam, vt ſi validiſſimis loris, fortiſſimiſque vinculis eſſent compacta. Quod lorum validum facit, vbi prendit taurum, dum illum trahit, & iugo plauſtri alligat; idem facit vel futiliſſimum araneæ filum, vt trahat hominem ad conſueta iuga & perditionis, & peccati. Quò reſpicit illud Prouerbior. 5. Prou.5. *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur.* Auguſt. Auguſtinus tractat. 10. in Ioann. legit: *Criniculis peccatorum ſuorum conſtringitur.* Aſſueta per longum tempus peccata, catenatáque illorum conſuetudo, vt elabentem, imò iam euolantem hominem prendant, in priſtinóſque abire faciant carceres: non ferreis catenis, non plauſtri vinculis opus habent, ſufficit, quòd vel criniculum peccati obiiciant, & criniculo priſtini peccati etiam validiſſimus trahitur, raptatur. Mirabar ex Geneſ.19. fœminam illam vxorem Lothi: Sodomam euaſerat, & trahente Angelo per manus, in montem ſalutis trahebatur, Geneſ.19. iam penè montis iuga tenuerat, & ecce caſus: *Reſpiciénſque vxor eius poſt ſe, conuerſa eſt in ſtatuam ſalis.* Quid leuius ictu oculorum? Et oculorum ictus elabentem à calamitate fœminam in perditionem venire facit. Vnde tantùm potuit vel ictus oculorum inſtantáneus, inter perſtrepentes flammas ſuppliciorum, in ipſo termino libertatis? Nilus. Ait Diuus Nilus in Aſcetico: *Conſuetudo, cuius illa ſpeciem gerit, eos, qui volunt omnino recedere, ad ſe trahit.* Ad conſueta diu vitia vel leuiſſimo quoque etiam expeditiſſimus fugitiuus trahitur. Elabentem, imò euolantem in cœleſtia, potens eſt vel futilis proſpectus conſuetorum ad conſueta reuocare.

§. XXXII.

Inter clariores felicitatum progreſſus impijs adeſt ruina, & perditio.

DVm irent oleum emere virgines fatuæ, clauditur illis ſponſi ianua: quid miſerius? Hæc eſt ferè ſemper impiorum conditio, quòd dum proſperiùs procedunt, dum felicius inter humanas laudes progrediuntur, in ruinam, & perditionem incurrunt. Sic de impio aiebat Iob, cap.18. Iob 18. *Abſcondita eſt in terra pedica eius, & decipula illius ſuper ſemitam.* Expende, vbi ponatur impio decipula, nimirum, *ſuper ſemitam*; hoc eſt, ſuper clariſſimos illius proceſſus, quibus proſperior intendit, procedit, & regnat. Id quod Caten. Græc. obſeruabat Catena Græca, inquiens: *Incurſiones, atque irruptiones in ſolitudinibus, locíſque deſertis fieri ſolent; verùm impius non in deſerta regione, ſed in media via comprehenditur, hoc eſt, in ſummo fortunæ ſplendore ſubitam conuerſionem cogitur ſuſtinere.* Nihil non ſuſpectum, imò lethale eſt impio; in ipſis proſperitatibus, in ipſis fortunæ decoribus, in ipſis bonorum floribus, dum omnia ſibi arridere videt, dum omnium ſibi exhibita ſeruitia ſentit, inopinatum rapitur ad interitum. Præciſionem ſuam, expulſionem à regno turbatus in ſomnis videbat Nabuchodonoſor; & quando hanc Dan.4. videbat? Ipſe ait Daniel. 4. *Ego Nabuchodonoſor quietus eram in domo mea, & florens in palatio meo ſomnium vidi, quod perterruit me.* Dum in florentiſſimo ſtatu omnia Regis impij erant, terrorem mortis incurrit, in ipſóque palatij ſplendore, multóque vndique cinctus aureorum militum exercitu potuit perterreri. Meritò ergo Dominus perditu- Hier.48. rus Moab, Hierem. 48. clamat; *Date florem Moab, quia flo-* Vatabl. *rens egredietur.* Vatablus legit: *Date alam Moab, quia volando volabit.* Alij legunt: *Date coronam Moab.* Deus bone, deſtruendæ vrbi tot bona tribuis, tot coronas, tot florida ſerta, tot alas, vt florens, & coronata euolet, ſeſéque in altum ſuſtollat? Cur flores, cur coronæ, cur præpetes in aſtra volatus parantur illi vrbi, quæ ſtatim cogetur venire in perditionem? Sanè hæc eſt notiſſima impiorum conditio, qui dum magis florent in ſummo fortunæ ſplendore, inter ipſas floridiſſimæ vitæ coronides, dum ad altaria euolant, ſubitam ſuſtinere coguntur conuerſionem, imò euer- Hier.15. ſionem. De illis idem Hierem. dicebat, cap. 15. *Occidit ei Sol, cum adhuc dies eſſet.* Vbi Chaldæus in rem præſentem ait: *Migrauit gloria eorum in vita eorum, & interea dum ipſi ſtant, confuſi fuerunt.* Dum clariores ſibi dies effingunt, dum florentiores, & nitidiores in aſtra volant, miſeram, & extremam deueniunt in confuſionem.

§. XXXIII.

Damnati rabidiſſima concupiſcentia viſionis Dei cruciabuntur.

COEleſti clauſo, imò & confirmato oſtio, excluſæ à cœlo virgines fatuæ nihil prius proferunt, quàm clamorem, qui dicit: *Domine, Domine aperi nobis.* Dominum clamant, Dominum ſemel, & bis vocant, vt quæ adhuc rabidiſſima ferantur concupiſcentia, vt videant Dominum. Quippe de damnatis ait Cardin. Bellarmin. tom. 3. lib.2. de purgatorio, cap. 14. *Damnati propter ſe ipſos coguntur conſpectum Dei ardentiſſimè diligere, quia intelligunt in viſione Dei conſiſtere ſuum ſummum bonum.* Bellarm. Et licèt ſciant, impoſſibile ſibi eſſe, quod optant, tamen ad penè ſummum tormentorum augmentum coguntur ardentiſſimè concupiſcere Dei viſionem. Illos crediderim ſignificatos Pſalm.58. vbi dicitur de ſerò, & intempeſtiuè conuerſis: *Conuertentur ad veſperam, famem patientur vt canes, circuibunt ciuitatem.* Pſal.58. Cùm Sol occubuerit, cùm tenebræ mortis terram occupauerint, cum recepto Domino in cubile cum pueris ſuis, oſtium fuerit clauſum, tunc ſeram, & intempeſtiuam pœnitentiam clamabunt, & dum ciuitatem illam cœleſtem mente luſtrant, caninam coguntur habere famem, hoc eſt, rabidiſſimè eſurinnt, & concipiunt videre Dei faciem, qua ſatiantur. Sic in hæc verba de damnato loquitur Nyſſen. tractat.2. in Pſalm. cap.16. *Tunc à ſuperna ciuitate excidens, omnium bonorum penuria, & fame punietur.* Nyſſen. Punietur quidem damnatus æternum duraturis flammis, ſed longè acerbiùs punietur rabidiſſima tunc appetentia ſummi boni, nimirum diuini conſpectus, qui fartam deliciis menſam præbet beatis. Quò reſpiciens Iob, cap. 18. ait: *Tenebitur planta illius laqueo, & exardeſcet contra eum ſitis.* Pulchrè philoſophatur de impio iam ad æternum macellum capto, ac de fera venatione capta. In laqueum incidit ceruus, in quo dum ſeſe huc, illúcque agit, & agitationis calore, & ardore bilis excitatæ, & timoris ſiccitate, qua velut corpus ardet, in eam ſitim deuenit, qua cogatur aperto ore linguam exertam habere, ſi vel aura poſſit refrigerari. Sic ergo vt captam feram ſitis inuadit, in cuius rabidi tormenti ſignum, os apertum, linguam exertam habet: eodem modo rudentibus inferni capto imperio, aduerſus eum rabidiſſima ſitis videndi Deum exardeſcit, qua cogitur iuxta diuitis epulonis voces, Luc.16. pro refrigerio linguæ clamare, quaſi nullo ſic arderet igne, vt ſiti videndi Deum rabidè exardet. Vnde Damaſc. in hiſtor. cap.8. ait: *Tormentorum omnium nullum æquè graue damnatis, & acerbum eſt, atque à Deo abalienari, & à dulciſſima eius facie abijci, gloriáque illa, quæ nullis verbis exponi poteſt, orbari.* Damaſc. Luculentius adhuc D.Chryſoſtom. homil.24. in Matth. fatur: *Intolerabilis quidem res eſt, etiam gehenna: quis neſciat, & ſupplicium illud horribile? Tamen ſi mille aliquis ponat gehennas, nihil tale dicturus eſt, quale eſt à beatæ illius gloriæ honore repelli, exoſúmque eſſe Chriſto, & audire ab illo, non noui vos.* Et quidem non ſic aduerſus damnatos exardeſcit gehennæ flamma, etiamſi millies multiplicetur, vt exardeſcit ſitis poculi æterni, quod bibitur in cœleſti regno, à faciem Dei videntibus. Hac ſiti ardentiſsima, rabidiſsimáque coguntur miſeri. Tantali captare ſemper fugientia diuina fluenta. Hac fame intolerabili viliſsimi iſti canes cruciabuntur, dum mente voluunt ſaturam illam, & opulentam ciuitatem cœleſtem. Et meritò, qui in præſenti nihili æſtimarunt Deum, in inferno inani, & intolerabili concupiſcentia in eius conſpectum feruntur. Vt dicat Pſalm. 111. *Peccator videbit, & iraſcetur, dentibus ſuis fremet, & tabeſcet: deſiderium peccatorum peribit.* Pſal.111. Erunt equidem frementi, & tabeſcenti peccatori in inferno deſideria ardentiſsima, auidiſsima videndi Deum, gloriam potiundi, ſed euanida, ſed irrita, quæ torqueant crudeliſsimè miſerum, non quæ in effectum proſiliant.

CAPVT XXIV.

De talentis datis.

QVIS credat, à Deo in homines proficisci dona sine ratione, & sine alicuius retributionis expectatione? Sanè is est Deus, qui nihil suum in creaturis patitur deperire, imò nec esse otiosum: dat singulis talenta sua, alij quinque, alij duo, alij vnum: plura aliis, aliis pauciora. Nullus excipit à Deo excessiuum, cui cooperari non possit, ne piger excosetur, sed impiger habeat gloriam. Hanc proculdubio habebit, quisquis ad talentorum numerum, lucra numerat suæ negotiationis, ille verò funditus omnia perdit, cuius in manibus stultescit, & vacuum salutis fructu manet acceptum donum.

Matth. 25. Sicut enim homo peregrè proficiscens vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua. Et vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij autem vnum: vnicuique secundùm propriam virtutem, & profectus est statim.

§. I.

Gratiùs videtur esse Domino Iesu inter homines agere, quàm sine illis vel in cælesti gloria esse.

EXpende verba, quibus sese ostendit Dominus per Patris regna proficiscentem, ait enim: *Sicut homo peregrè proficiscens*, peregrini subit affectum, vbi se à suis absentem proponit in cœlesti regno. Ait D.Thom. *Ascendit Iesus in cælum, peregrinatur, quia nos ab eo peregrinamus.* Sic nos
D Thom.
amat, sic nostri tenetur desiderio, vt dum nos secum non habet, & peregrinum, & extraneum se reputet in cœlestibus, nec sic amet in gloria, quàm nobiscum esse. Quis nesciat Iesu alacritatem, qua mortem expetebat, & oportebat? Non semel illam ardentissimè desiderabat, adeò vt videretur æstuare mortis desiderio. Tandem ad mortem ventum est, hora moriendi instabat, Iesus in horto erat, & humi procumbens hanc Patri orationem dedit. Matth. 26.
Matth. 26. *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste.* Ecce tibi maximus ille mortis desiderator mortem deprecatur: cur, Domine deprecaris mortem? Quid in illa times? Nonne scis mortem à te esse superandam, & vincendam? Qui dux timet hostem quem scit certò à se esse vincendum? Cur non magis gaudes de victoria certa, quid times de conflictu, in quo victor existere debes? Vnum in morte Iesu inuenio, quod non miror illi tanto fuisse timori, vt mortem alias concupitam deprecaretur: erat quippe morti coniuncta resurrectio, fateor, sed & erat morti coniuncta ascensio in cœlos, qua à suis peregrinaretur: vnde deprecabatur mortē, si quomodo potuisset ascensum in cœlos differre, & diutius apud suos manere. In hanc excogitationem me impu-
Basil Sel. lit D.Basil.Seleuc.orat.32. vbi ait: *Quid causa est, cur si euidens est victoria, recusetur passio? An vt ascensum præpediat, Christus passionem subit illubens?* Ita sanè detrectat mortem, vt ascensum in cœlos præpediat, quasi libentius apud suos in terra, quàm in cœlestibus sese haberet. Vna hominum societas videtur Iesu magis in optatis esse, quam vt habeat, mortem deprecatur propter necessario connexam ascensionem in cœlos, & à suis absentiam, & vt eandem acquirat, non veretur etiam vitam perdere. Sic quidquid amat, eò tendit, vt inter homines degat, etiam si necessum sit exulare à cœlis. Apud Ioann cap 3. sic suam, & Patris charita-
Ioann 3. tem in homines ostendit: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Expende, in quantum dilecti à Deo fuerimus homines præ omnibus rebus, non equidem traditus filius Dei fuit morti pro Angelis reducendis ad cœlos, non pro cœlestibus mansionibus sibi acquirendis, sed pro solis hominibus fuit traditus, vt ostendatur plus omnibus amori fuisse Deo hominum societas. Quod no-
Imperf. tans Imperfectus in Matthæum, homil. 53. inquit: *Vis scire, quantum diligat Iesus fideles suos, considera, quid passus est pro eis. Si enim magis quàm gloriam suam illos amauit, quasi homo moriens propter eos, quid mirum, si maiore dilectione tenebatur sanctorum, quos relinquebat in terris, quàm dilectione gloriæ, quam habebat in cælis?* Non sic ad gloriam suam afficiebatur Dominus, quàm ad hominum societatem sibi acquirendam, pro qua habenda mortem oppetiit, vt propter diutius illam fruendam, & mortem differret: quasi pro hac sola hominum societate habenda, cætera contemneret, & pro nihilo haberet. Vide cui se assimilet, Luc. 15. *Quis ex vobis homo,* Luc. 15.
qui habet centum oues, & si perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illam, &c. Fatetur se habuisse centum oues, nimirum angelicam, & humanam naturam: angelicam habebat iam glorificatam in cœlo, sed humana instar vnius ouiculæ in perditionem abierat. Quid tunc? Contemnit vnius perditionem, lætus, quod cum nonaginta & nouem possit esse in gloria cœlesti? Absit, imò & cœlestia omnia licet tot Angelis plena, illi vacua, & deserta videbantur, dum in illis cum homine suo non erat. Beda ibi fatur: *Dimisit nonaginta nouem oues* Beda.
in deserto, quia illos summos Angelorum choros reliquit in cælo. Cur autem cælum desertum vocat, nisi quod desertum dicitur derelictum? Tunc autem cælum homo deseruit, cum peccauit. Itaque vnius hominis discessus à cœlo fecit, quod cœlum etsi Angelis plenum, Iesu meo desertum appareret, qui vna præ omnibus hominum societate gaudebat.

§. II.

Quod superfluum, & excessiuum est, non tam seruit ad talentorum splendorem, quàm ruinam.

HVc spectat perfecta patrisfamilias œconomia, quòd in distribuendis talentis suis diligenter attendat, quid cuiusque postulet & status, & natura, & virtus, *Dedit enim vnicuique secundum propriam virtutem.* Nihilominus nihil superfluum, nec excessiuum, quidquid enim superfluum est, & excessiuum in cuiusque munere, potius confusionem, & ruinam, quam splendorem talentorum gignit. Aiebat Plato de sua repub. dial. 4. *Possemus etiam agricolis iubere, vt subti-* Plato.
libus vestibus induti, & auro ornati ad voluptatem terram colerent: & figulis imperare, vt ad dexteram reclinati ad ignem præpotarent, & conuiuarentur, & rota apposita, quantum liberet, figulinam exerceant, & alios omnes tali modo beatos facere, quo tota ciuitas beata foret. Verum nos ne ita admoneas: nam si tibi pareamus, nec agricola, agricola erit, nec figulus, figulus, nec alius quisquam vllam formam habebit, ex quibus ciuitas constat. Manifestè confunditur, & perditur tota reipublicæ forma. vbi supra exigentiam status proprij, seu muneris, seu naturæ, seu virtutis, quisque nititur ad excessiua & superflua. Nonquã, mihi credite, superfluum, & excessiuum venit à Scrutatore, sed à corpore reipublicæ, & æternæ salutis. Matth. 13. *Simile* Matth. 13.
est regnum cælorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo: venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici. Perpende & Saluatoris opus, & inimici salutis: ille seminat, hic superseminat, ille ad exigentiam mensurámque virtutis semen apponit: hic exigentiam non curat, sed supra exigentiam, ad superflua aspicit, & excessiua, quibus & perdantur natiua. Felix, qui nihil superfluum, nihil excessiuum admittit, quia de manu Scrutatoris plenus viuet, vt hostili manui succumbit, qui superfluis nititur, & excessiuis. Hoc monebat Nysseo. lib. de orat. Dom. c. 4. *Panem pete propter vi-* Nyssen.
ta necessarium vsum, huius te corporis natura debitorem fecit. Cætera, quæ præter hæc, delitijs, ac luxui deditarum excogitata & inuenta sunt, ea de zizaniorum semine sunt. Semen patris familias frumentum est, & ex frumento panis conficitur. At luxus, atque delitiæ zizanium est, quod ab inimico iuxta frumentum satum est. Sed homines omisso ministerio naturæ necessario, re vera suffocantur vanarum rerum studijs, & infrugiferi manent. Ecce tota causa humanæ ruinæ procuratæ ab inimico salutis, quod homines, omisso modo exigentiæ, vniuersi ad superflua, & excessiua nitantur. Hominum amator Deus nunquam non seminat frumentum, nunquam non dona distribuit iuxta exigentiam cuiuscumque: qui zizania, hoc est, superflua superseminat, is meritò habetur hominis inimicus. Vt enim sata loliis, zizanijsq; nascentibus sterilia fiunt ferēdo tritico, quia imparia sunt semini vtrique, sic homines superfluis intenti, inutiles fiūt saluti, & prorsus succūbunt rabidissimi sui hostis cōsilijs. Famescenti Iesu post quadraginta dierū ieiunia accessit tentator, & ait: *Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Lapides offert esurienti panē. Quid insipientius? Quid ineptius esurienti? Quid crudelius in dante? Ait Matth. 7.

Quis ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, numquid lapidem porriget ei? Non est homo, non est pater, sed inimicus, sed euersor naturæ humanæ, qui esurientibus panem porrigit lapides, & tamen hic amatur, hic quæritur, & despecto pane currimus auidissimè ad diaboli lapides, quoties ad superflua & excessiua properamus. Rem pulchrè expendit Nyssen. de beatitudinibus, orat. 4. aiens: *Cum appetitus necessarij vsus fines excedit, quid id aliud, nisi diaboli ex seminibus reiicientis cibum ad ea, quæ à natura sunt aliena appetitum prouocantis, consilium est? De lapidibus comedunt, qui sumptuosas, & redundantes mensas sibi parant: quorum apparatus cœnarum pompa quædam, fastus, & ostentatio est ad stuporem vulgi commouendum excogitata, quæ vitæ necessarium vsum prælabitur, & excedit. Potum natura desiderat, tu verò pretiosas tripodas paras, labra, crateras, amphoras, & alia sexcenta, quæ nihil cum eo, quod vsus requirit, commune habent. An non planè per ea dicto audiens ei, qui tibi consulit, vt ad lapides respicias?* Et quidem tota illa catinorum pretiosa varietas, abacum superbia, lapidibus, auróve mirè fulgentia vasa inuenta sunt ab appetitu, quem diabolus allicit, vt amet lapides, metallaque vorare. Sitienti potum, ad quid tot lapillorum pretiosissimorum vasa, nisi quia à diabolo traheris, vt bibas etiam lapides, & magis obstupescas, & rigescas de epoto lapide? Esurienti panem, ad quid totus ille catinorum argenteus exercitus, nisi quia à diabolo impelleris, vt manduces etiam metalla, & de metallis manducatis, totus æreus, vel aheneus efficiaris? Sic diaboli consilium ad perditionem amatur, vbicumque respectu cuiuscumque status, & naturæ excessiua, & superflua amplexamur. — Nyssen.

Text. Abiit autem, qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque. Similiter & qui duo acceperat, lucratus est alia duo. Qui autem vnum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam domini sui.

§. III.

Non qui timidè, & eneruiter, sed qui confidenter, & alacriter virtutis negotium arripiunt, pertinent ad salutem.

TAlentis ex Domino acceptis nil morantur strenui serui, sed confidenter, & alacriter in eis negotiari incipiunt, & ea duplicant. Nec miror, illos enim semper expectant salutis lucra, qui eius negotia confidenter, & alacriter arripiunt, non pigritantes, & timidos. Aduersus Iudam Machabæum veniebat Timotheus 1. Machab. 5. & circa flumen subsistens inquit: *Cùm appropinquauerit Iudas, & exercitus eius ad torrentem aquæ, si transierit ad nos prior, non poterimus sustinere eum, quia potens poterit aduersus nos. Si verò timuerit transire, & posuerit castra extra flumen, transfretemus ad eos, & poterimus aduersus illum.* — 1. Mach. 5. Expende in quo Timotheus ponat aut victoriam, aut perditionem Iudæ; si veniens non retardetur flumine, sed illum traiiciat pergens ad appropinquantem hostem, victor erit; si flumine tardatus hæreat, expectans ante flumen inuadentem hostem, absque dubio peribit. Quo nititur fundamento præsagium istud? An vana, & inanis diuinatio est? Absit, imò est fundatissima, & prudentissima præsumptio; quãdo enim in fortissimo aliàs Iuda ea alacritas, & confidentia appareret, quæ nihil verius per ignem vel aquam transiret, vt ad perenriendos hostes curreret, merito creditur victoriam ingentemque gloriam reportaturus: non sic vbi tarditatem ostenderit, & teporem in traiiciendo flumine. Ait ibi D. Thom. adductus à nostro Sanchez: *Æstimo, quod credebat Timotheus, Iudam esse tantæ fortitudinis, quòd nisi diffideret, non superaretur, & quandiu confideret, superaret; ex diffidentia autem dimisisset eos transire.* — D. Thom. Tepor, & tarditas in duce diffidentiam ostendit, quæ apertissimè sibi trahet ruinam: alacritas autem, & confidentia nihil timens, omnia superans, victoriam proculdubio in quouis conflictu conciliat. Quid plura? Quem in virtutum via timidum, tepore, & tarditate plenum in quauis difficultate hærentem videris, metue, ne funditus tandem debeat perire. Victoria enim, & salutis lucrum ingens eos expectat, qui alacriter, & confidenter difficultates vorant, & per viam virtutis indesinenter currunt. Meritò tardantem exercitum & meticulosum, & passim hærentem, & ad conflictus cunctantem despiciens ille aiebat: *Si timuerit transire, transfretemus ad eos, & poterimus aduersus illum.* Numquam enim non potens est malum aduersus pigritantes. Huic assonat illud Prouerb. 6. *Vsquequo piger dormies, quando consurges de somno tuo? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus tuas, vt dormias. Et veniet tibi quasi viator egestas, & pauperitas quasi vir armatus. Si verò impiger fueris, veniet vt fons messis tua.* — Prouerb. 6. Ad cunctantem, & hærentem trans flumen præclarè aiebat Timotheus: *Transfretemus ad eos, & poterimus*, numquam enim ad pigrum non venit ruina & egestas quasi vir armatus. De alacri, & confidente, nihilque verente ait: *Potens poterit aduersus nos*, quia qui impiger est, omnium bonorum affluentem experitur messem suam. Caue ergo torporem, caue cunctationem & pigritiam in via virtutum, ni velis supra te veniant hostiles impetus, quibus minimè resistas. Sed esto diligens, & impiger in arripienda virtute, & veniet, vt fons messis tua. Fallar, si quò maior est diligentia, & alacritas, & confidentia in virtutum curriculo, non fit lucrum & maius, & securius. Nota est illa vox Dominica: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me.* Expende, quòd solum iuberis ire, & sequi post Christum: magis audebat illa Cant. 1. *Trahe me post te, & curremus in odorem vnguentorum tuorum.* — Cant. 1. Solum ire iubetur post Christum, & illa mauult currere; cur non magis timet currere, quando Christus sub cruce per ardua, & accliuia ducit? Imò quia per ardua, & accliuia eundum erat elegit potius currere, quàm ambulare, quò enim confidentius, & alacrius post Christum curritur, eò facilius, & securius est lucrum. Theodoretus aiebat: *Animæ strenuæ amore tuo, Deus, sic accensæ sunt, & post te ita secutæ sunt, vt cursu id fecerint, ne relinquerentur, néve seiungerentur à dilecto suo. Anima igitur strenuo, ac virili sensu prædita, voluptatem, & lasciuiam, atque desidiam fugientes, & laborem deliciis anteponentes post sponsum currunt vnguenti fragrantia illectæ, ac veluti vinculo quodam inexplicabili vinctæ, atque illigatæ.* — Theodor. Itaque elegerunt sequi Iesum non ambulatione, sed cursu, ait enim, *cursu id faciunt, ne relinquerentur.* Quo enim magis impigrè omnem excludunt torporem, & desidiam, minora, aut nulla impedimenta experiuntur. Sic enim promittebat Prouer. 4. *Et currens non habebis offendiculum.* — Prouer. 4. Offendicula enim vix ab ambulantibus superabilia, currentibus sunt nulla: quod patet in equis venatorum; qui dum montium ardua, & abrupta ambulant, passim hærens, passim offendunt, & mille inueniunt offendicula, quæ necessum habent declinare: at dum veloci feruntur cursu, sic saltant, & transiliunt prærupta omnia, & difficilia, quasi essent nulla. Vide tom. 2. lib. 9. cap. 5. §. 2.

§. IV.

Felix qui non vilibus, sed pretiosioribus operam impendit suam. In quo consistit cælestis negotiationis lucrum.

QVi quinque acceperunt talenta, *operati sunt in eis, & lucrati sunt alia*, hoc est, in operibus eorum nihil aliud respicitur, quàm talentorum multiplicatio, quàm pretiosissimarum rerum acquisitio. Est enim talentum genus pecuniæ pretiosissimum: vt hinc iam pateat seruorum Christi felicitas in eo posita, quod semper speciosissima, & pretiosissima spectemus virtutum. Matth. 13. *Simile est regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas.* — Matth 13. Ecce tibi quid debeat spectari in hominum cœlestium negotiatione, nimirum non quid infimum, & vile, sed sublime, & pretiosum, videlicet margaritæ optimæ. Quò aspiciens D. Bernard. allatus à Tilmanno in allegoriis fatur: *Quærit ergo bonas margaritas, qui in opere salutis suæ non est contentus inferioribus, sed summa & excelsiora perquirit.* — Bernard. Sareptana illa vidua verè summam sui temporis calamitatem, & miseriam designat, cuius totum negotium eo spectabat, vt duo ligna colligeret, vt de parua farinula cum filio possit aliquantisper viuere. Feliciora sunt Euangelica tempora, quibus virtutum negotiatores, non ad stipulas colligendas, sed ad pretiosas margaritas comparandas aspirant. Non sunt contenti negotiari in paruis pecuniolis, sed in talentis, hoc est, in summis, & excellentioribus virtutibus, vt præstãtissima adimpleant. De illa castissima in Euang. Dei amatrice dicitur Luc. 10. *Maria optimam partem elegit*; — Luc. 10. est enim sapientis, est animi felicis, non contentum esse in minimis, sed ad maxima spectare virtutum. Ex quo monebat D. Ambrosius ibi: *Agat et sicut Mariam desiderium sapientiæ, hoc enim maius, hoc perfectius* — Ambros.

opus, nec ministery cura à cognitione verbi cœlestis auertat, nec arguas eos, & otiosos iudices, quos videas studere sapientiæ. Nec Martha in bono ministerio reprehenditur, sed Maria, quia meliorem partem elegit, antefertur. Iesus enim multis abundat, & multa largitur, & ideò Maria sapientior iudicatur, quia, quod principale aduertit, elegit. Vbi & minima, & mediocria, & summa esse vidit, quibus posset in Domino viuere; non hæsit in minimis, nec in mediocribus, sed aspirauit ad summa de magnis, & præstantissimis operibus cupiens negotiari salutem. Hinc tepido Episcopo, homini paucis, & paruis virtutum operibus contento, oscitanti, imò penitùs dormienti ad perfectionis excellentiam, & de cœlestibus gloriarum diuitiis, (vt sapienter explicat Alcazar) postquam illuxit Dominus, sic

Apoc. 3. dicit Apocal. 3. *Quia dicis, quòd diues sum, & locupletatus, & nullius egeo: & nescis, quia tu es miser, & miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus, suadeo tibi emere aurum ignitum probatum, vt locuples fias, & vestimentis albis induaris, vt non appareat confusio nuditatis tuæ.* Se diuitem & locupletem putabat tepidus ille; & vnde se putabat diuitem? Ait Anspertus:

Ansperr. *Idcirco nullius egere se dicit, quia & rectè credens mala cauet, & mala cauens nonnullis bonis insistit.* Ex nonnullis bonis factis, ex minutissimis operibus virtutum, se locupletem putat; & non locuples, sed pauper est, & nudus, numquam enim in minutissimorum nummulorum negotiatione sunt diuitiæ, sed nuditas. Qui ad diuitias aspirat, circa pretiosas merces negotietur, necessum est; quo monet: *Suadeo tibi emere aurum ignitum, probatum, vt locuples fias.* Est mercator ligulis vendendis contentus; qui de sacculo pleno æreis nummulis lætus putat se diuitem, & nullius egere, at si hominem videas, & verè pauper est, & proximus nudo, adeò vt vel de centum obolis requisitus à iudice carcerem intret, vbi cogatur perire. Numquam minutissimarum rerum negotiationes hominem eleuant ad fortunam diuitum; vbi autem negotiatio crescit, & circa pretiosa versatur, circa aurum, circa margaritas, tunc & diuitiæ apparent, & ingentia lucra, quæ hominem prædicent felicissimum. Noli in minimis solum negotiari virtutem, qui extremam nuditatem cauere cupis, in aureis talentis, in summis, & præstantissimis fit negotiatio tua, vt bona duplices. De felicissima anima dicitur

Prou. 31. Prouerb. 31. *Gustauit, & vidit, quoniam bona est negotiatio eius, non extinguetur in nocte lucerna eius. Manum suam misit ad fortia, digiti eius apprehenderunt fusum. Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem. Non timebit domui suæ à frigoribus niuis; omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus.* Ex quo negotiationis prouentum experta est, non moratur, sed manum mittit ad fortia: hoc est iuxta Dionysium Carthus. opera perfectionis aggressa est, non contenta implere sola præcepta, sed Euangelica quoque studuit implere consilia; & prælia contra aciem vitiorum victoriosè exercuit, opera misericordiæ tam corporalia, quàm spiritualia, exercuit copiosè, liberaliter, ac feruenter. Quid post hæc timeat ista negotiatrix? Sanè vbi adeò in magnis, & pretiosis exercetur negotium, non timetur nuditas, augentur diuitiæ, omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus. Huc accedant vniuersi Christi serui, & sciant hoc inter omnes negotiatores primum principium, quod nisi in magnis, & pretiosis negotium fiat, nec cauetur extremæ nuditatis periculum, nec valde augmentantur diuitiæ. Ex quo Exod. 13. ha-

Exod. 13. bes: *Cum introduxerit te Dominus in terram Chananæi, sicut iurauit tibi, & patribus tuis, & dederit tibi eam: separabis omne, quod aperit vuluam Domino, quod primogenitum est in pecoribus tuis.* Petit Dominus ab Israëlitis, quod primogenita sua, & præstantissima offerat Domino cum in terrã Chananæorum ingressi fuerint. Et cur non antea iubentur Deo cum primogenitis seruire? Quadraginta anni fluxerat erant, antea quàm Chanaam aspicerent; cur ergo non statim ab egressu Ægypti iubentur offerre primogenita sua? Cur primogenitorum oblatio tandiu differtur, & tunc solum præcipitur, cum in terram Chananæorum iam fuerint ingressi Israëlitæ? Chanaam in Scriptura non tam sumi solet pro gentis nomine, quàm pro officio, nempè pro mercatore, negotiatore; sic notans Isidorus Clarius, Vatablus, Pagninus, Palacius relati à Delrio in Adagial. ad cap. 2. Oseæ. Et meritò quando negotiatorum, mercatorumque terram possident Israëlitæ, tunc solum iubentur offerre Deo primogenita sua; ad negotiationis enim certum, & maximum lucrum, multum interest, quod negotiatio circa maxima, & præstantissima fiat.

Ambrof. Vnde monebat D. Ambros. lib. 1. de Abel. cap. 10. *Cum introduxerit te Dominus in terram Chananæi; ibi quæramus omne quod aperit vuluam, masculinum, hoc est, iustum & principale, quòd sanctificare Domino debeamus.* Expende illud, *ibi quæramus*, &c. Ibi inter Chananæos, vbi inter negotiatores, & mercatores agendum est; vbi mercatus fiet, & negotiatio salutis; vbi ad mercatorum possessiones tenendas, & augendas vocati fuerimus, ibi non minutis mercibus, non paruis & minimis operibus contenti simus, sed ad magna respiciamus, & præstantissima.

§. V.

Rationalis naturæ fructus quo remotior à terra, eo securior, terræ autem proximus perditioni est vicinus.

QVi vnum talentum acceperat, abiens *fodit in terram, & abscondit pecuniam*, &c. Et planè ostendit, quàm exile mentis talentum accepisset, qui illud in terra absconditum seruare nititur. Magis perditur, & exponitur talentum rationis dum terræ adhæret; quare qui sapiens est, nil magis studet, quàm terram cauere, aspirare ad sublimia. Psalm. 91. *Iustus vt palma florebit.* Et quid in palma magis miramur, Psal. 91.
cui florentem iustum assimilare possimus? An est arboris proceritas, & rectitudo? An est comarum viror? An dulcedo fructuum? Præclara sunt hæc in palma, sed illud maiore admiratione dignum, quòd fructum non ferat nisi in sublimiori vertice, ne si terræ esset proximus, terrenis pateat rapinis. Nyssen. homil. 8. in Cant. *Quomodo autem efficit palma, vt fructum suum fures difficiliter aggrediantur, vt quæ eum tanquam thesaurum sursum recondat, nec vicinum terræ eum ferat.* Nyssen.
Palma docet homines, vbi effodiant thesauros; non in terra, non in terræ vicinio; quidquid enim terræ vicinum est, & periculis & rapinis patet. Sursum reponendus est thesaurus, qui furibus negatur, qui æternũ debet conseruari; qua enim parte homo ad sublimia respicit, sublimia rimatur, & securiores, & fœcũdiores fructus parit. Pulcherrimus ille Absalon, dum fugit à prælio, in ramo quercus apparet suspensus crinibus. Quid tunc? Ait textus, 2. Reg. 18. de Ioab. *Tulit ergo tres lanceas in manu sua, & infixit eas in corde Absalon; cumque adhuc palpitaret hærens in quercu, cucurrerunt decem iuuenes armigeri Ioab, & percutientes interfecerunt eum: Et tulerunt Absalon, & proiecerunt eum in saltu, in foueam grandem, & comportauerunt super eum aceruum lapidum magnum nimis: Porro Absalon erexerat sibi, cum adhuc viueret, titulum, qui est in valle regis*, &c. Expende, vbi mentio inferatur de titulo erecto ab Absalone in valle Regis; vbi ruina Absalonis scribitur, vbi eius calamitas extrema ponitur; dum dicit Scriptura Absalonem mortuum, & proiectum in foueam, lapidibus obrutum, statim addit: *Porro Absalon erexerat sibi titulum, qui est in valle regis.* Quid hæc ad Absalonis adeo miserandam ruinam? Scio ab Absalone titulum erectum fuisse in valle, an in eo iam tanta calamitas viri annunciabatur? Equidem qui audiunt Absalonem latronum lanceis transuerberatum, occisum, & in foueam proiectum, non multum mirentur, is enim erat Absalon viuens, adeo terrenis bonis immersus, vt etiam cum de erigendo titulo cogitauit, nihil sublime, & altum: sed infimum, & profundum, & quasi in terrarum ima vergentem vallem excogitauit, in eoque titulum magis sepeliuit, quàm erexit. Homo ergo sic sublimium oblitus, & ad ima inclinatus, cur non incidat in latronum lanceas, quas ille deuitat, & securos fructus parat, qui ad sublimia aspicit. Pulchrè cum Helia, & Helisæo, & Petro superiora tenentibus Absalonem comparans D. Ambros. lib. epist. 12. 2. Reg. 18.
fatur: *Denique Elias mortuum viduæ filium tulit ad superiora, in quibus consueuerat sedere, & ibi eum resuscitauit. Helisæo quoque Sunamitis illa in superioribus hospitium parauit, & ibi concipiendæ prolis meruit prærogatiuam, eiusdemque resuscitati pignoris vidit miracula. Quid de Petro dicam, qui ad horam sextam ascendens in superiora baptizandarum gentium cognouit mysterium? At verò parricida Absalon in valle sibi regis titulum statuit, & in fossam proiectus est, cum esset peremptus.* Iusti illi viri, vt palma fructificabant, in vertice, in sublimitate, ad sublimia enim ferebantur, & ibi securos vitæ fructus dabant; at verò parricida Absalon vt ad ima inclinatus, nihil sublime respiciens, sed imis inhærens vallium; non mirum quòd pereat ipso terræ hiatu voratus. Vt terræ, sic perditioni proximus apparuit, securitas enim & fructificatio de sublimi venit mentibus humanis, vt venit palmæ. Propone tibi ob oculos Iesum ascendentem in montem, & descendentem ad turbas, quæ in imis iacebant. De vtroque Luc. cap. 6. *Exiit Iesus in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Et cum dies factus esset, vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex eis.* Ambrof.
Luc. 6.
Ecce tibi in montium sublimia eligendos inuenit Iesus: sed descendens de monte quid inuenit in imis? Ipse sic ait: *Et descendens cum illis stetit in loco campestri, & turba discipulorum eius,*

eius, & multitudo copioſa plebis ab omni Iudæa & Ieruſalem, & maritima & Tyri, & Sidonis, qui venerat, vt audirent eum, & ſanarentur à languoribus ſuis. Et qui vexabantur ab immundis ſpiritibus, curabantur. Itaque in montis vertice eligendi inueniuntur; in imis camporum languentium inuenitur multitudo, vt enim de ſublimi ſalus, ſic de imis trahitur perditio.
Ambroſ. Ait D. Ambroſ. lib. 5. in Luc. *Aduerte omnia diligenter, quomodo & cum Apoſtolis aſcendat, & deſcendat ad turbas. Quomodo enim turba niſi in humili Chriſtum videret? Non ſequitur ad excelſa, non aſcendit ad ſublimia. Denique vbi aſcendit, inuenit infirmos, in excelſis enim infirmi eſſe non poſſunt.* In excelſis, & ſublimibus aura ſalutis aſpirat; ima omnia & morbis patent, & ſcatent vitæ periculis.

Text. Poſt multum verò temporis venit Dominus ſeruorum illorum, & poſuit rationem cum eis. Et accedens, qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque, dicens, Domine quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia ſuperlucratus ſum. Ait illi Dominus eius: Euge ſerue bone, & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui. Acceſſit autem, & qui duo talenta acceperat, &c.

§. VI.

Princeps non ita fidat miniſtris, illiſque negotia ſubditorum credat, vt per ſe actiones miniſtrorum non inquirat, non diligenti trutinet examine etiam non vocatus.

ET poteſtatum, dignitatumque talenta, & ſæculorum negotia Dominus miniſtris tradidit, omnia enim per miniſtros placuit adminiſtrare; ſed non ideò ſe à curis exemit, ipſe enim per ſe ipſum venit, vt diligenti diſcuſſione miniſtrorum ſuorũ actiones examinet. Quippe ait: *Venit Dominus ſeruorum illorum, & poſuit rationem cum eis.* Venit, inquam, non vocatus, non adductus iniuriatorum clamoribus, ſed ipſe ex ſe ſuorum ſolicitus venit inquirere, & miniſtros examinare. Vtinam hanc mentem vniuerſi principes ebiberent, & non nimis fiderent miniſtris ſuis in ſubditorum cauſis, ſed per ſe ipſi inquirerent, & attenta inquiſitione eorum actiones examinarent. Hanc mentem ſuggerebat ſuo principi Regino Ferrandus Diaconus in Parænetico regula 3. aiens:
Fernand. *Non poteſt ſapiens dux excuſari de ignorantia, quoties forſitan dixerit: Ego neſcio, non audiui, nullius ad me querela peruenit. Per ipſum namque, quid agatur à ſuis oportet inquiri, quia nemo eos audet publicis interpellationibus accuſare, quorum violentias alij timent, alij patiuntur.* Putet Princeps, poſſe facilius, & damno maiori errare miniſtros, homines è vulgo natos, quàm ipſum principem, cui per naturam dedit Deus imperare. Non enim prorſus abſurda eſt illa ſententia nefariſſimi Imperatoris Caij apud Philonẽ in legatione ſua:
Philo. *Quemadmodum corporis forma habitu, geſtu, conſilijs, actionibus progenati maiores ſuos referunt, eodem modo probabile eſt in ipſo ſemine delineari quamdam habilitatem dignam principe. Et audebit aliquis indoctus me, qui in materno vtero, & naturæ officina imperator formatus ſui docere artes imperatorias? An certè fas eſt in mentem venire poſſe ciui paulò antè priuato, & humili regia conſilia?* Non, inquam, prorſus abſurda eſt hæc præſumptio arrogantis principis, qua parte perſuadet in naturali principe innatas eſſe ex Deo quaſdam virtutes ſubditos gubernandi, quas vix priuatus homo poteſt imitari. Vnde nullus ſapiens princeps penitus credere debet priuatis miniſtris ſubditorum cauſas, quin ipſe per ſe ipſum diligenter inquirat quid à ſuis agatur. Nec ſperet clamoribus iniuriatorum vocari, ſed ipſe per ſe non vocatus exurgat ad examen. Hanc ſibi laudem attribuebat Iob cap. 29.
Iob 29. *Cauſam, quam neſciebam, inueſtigabam.* Non expectabat ſapiens rex vocari clamoribus, ſed ipſe omni cura, omni diligentia inueſtigabat, ne quis eſſet iniuria pulſatus. Pro quo eleganter
Chryſoſt. Chryſoſt. in Cat. Græca ait: *Noſter Iob vel præſtantiſſimos iudices ſuperauit, ac multis partibus antecelluit. Nec enim expectabat, dum ad eum ij, quibus facta erat iniuria, accederent, nec poſt eorum aduentum, atque congreſſum ſuppetias ferebat: verum ipſe præueniens luſtrabat omnia, ea quærens, qui læſi eſſent iniuria. Cauſam, ait, quam ignorabam, inueſtigabam, ſcrutatus ſum, ſtudioſius diſquiſiui, curioſè ſemper perſpexi; omnia moui, vt calamitoſos reperirem, nève quiſpiam violatus iniuria vſpiam lateret. Genus præfecturæ vides, quæ non in ſolis ſpectatur verbis, non in cibis tantum, non ſolum in ipſis indumentis, ſed etiam in periculis, quæ alienis etiam iudicijs præſtat, ac præeſt.* Ad hanc formam ſe principes componant, & non nimis miniſtrorum ſuorum iudicijs fidant, ſed ſoliciti ſint ad illa etiam non vocati examinanda. Quo reſpicit illud Prouerb. 25. *Gloria regum inueſtigare ſermonem*: ſpectat enim ad magnam regum gloriam, Prouer. 25.
quòd ſic inueniantur ſoliciti de ſuis, vt nullum eſſe poſſit vel murmur abſconditum, de quo ipſi non inquirãt. Vt poſſint ſinguli principes dicere, quod de ſe aiebat Theodoricus apud Caſſiodorum 2. variar. 23. *Deteſtamur miſeros premi,* Caſſiod.
commouemur & non querentium malis: velociuſque ad nos peruenit, quòd diſſimulatio patientis abſcondit. Sic bonus princeps inueſtigabat omnia, vt vel ſecretiſſima murmura de miniſtris non poſſent abſcondi.

§. VII.

Sola mala conſcientia ſupplicij ſtantis præſaga poteſt mortis aduenientis tempus breuiſſimum, citiſſimumque habere.

P*oſt multum verò temporis* dicitur Dominus venire, vt rationem inquirat ex ſeruis ſuis; quis fidelium ſeruorum non putet aduentum Domini, & mortis tempus in immenſum differri? Hæc erat Dauidis vox, hoc commune fidelis ſerui ſuſpirium Pſalm. 119. *Hei mihi, quia incolatus meus pro-* Pſal 119.
longatus eſt: Sola mala conſcientia, & de inſtanti iam ſupplicio timida præproperum nimis, & citiſſimum putat aduentum Domini, mortis diem. Matth. 8. clamabant maligni ſpiritus voce humana ad Ieſum: *Veniſti ante tempus torquere nos.* Matth. 8.
Ecce putant circinatum, & decurtatum tempus Dominici aduentus; ſed vnde poſſunt iſti ſcire tempus decurtatum? Inſtans ſupplicij metus facit, quòd rei miſeri etiam longiſſimum, & nimis dilatum tempus putent fuiſſe multum decurtatum. Ait pulchrè D. Paſchaſ. lib. 3. in Matth. *Malis ſem-* Paſchaſ.
per, licet longa patientia breuis videtur, ſicut & bonis vltio tarda. Idcirco illi, non quòd ſciant, quando debet eſſe tempus, ſed quod licet longiſſimum, eis breue videatur, eo quòd acrior inſit cruciatus, & tempus concupiſcentiarum, cum pertranſierit, ſic ſit, ac ſi non eſſet. Vt bonis, & fidelibus ſeruis remunerationem expectantibus nimis ſera venit vltima dies, ita ſeruis malis magnitudo ſupplicij iam inſtantis facit apparere Dominici aduentus tempus nimis breuiatum & circinatum. Hæc enim eſt vox in omnium peccatorum ore inuenta Sapient. 5. *Et* Sap. 5.
nos nati continuo deſinimus eſſe, & virtutis quidem nullum ſignum valuimus oſtendere, in malignitate noſtra conſumpti ſumus. Talia dixerunt in inferno ij, qui peccauerunt. Nota locum, vbi loquuntur iſti, nẽpè in inferno loquuntur, ſupplicijs immanibus addicti, flammis æternis ſepulti, ad lucem autem vltricium flammarum non miror, quod diſpareant anni vitæ. Qui viuentes dicebant animæ ſuæ Luc. 12. *Anima habes mul-* Luc. 12.
ta bona poſita in annos plurimos. Numquam non vitæ curriculos longiſſimos cogitabant. Vbi ſupplicio approximant, etiam longiſſima tempora iudicant momentanea, imò nulla, clamantes, *Nos nati continuo deſinimus eſſe,* quaſi momentaneam, aut nullam ducerent vitam. Hinc Sophonias cap. 1. clamat de die iudicij locutus: *Iuxta eſt dies Domini magnus,* Sophon. 1.
iuxta eſt, & velox nimis. Dominus in præſenti aiebat: *Poſt multum verò temporis venit Dominus.* Propheta dicit: *Iuxta eſt dies Domini,* & non contentus id ſemel dixiſſe, & bis, & ter inſtat, *iuxta eſt, & velox nimis.* Et quando nonniſi poſt multum temporis veniet dies illa, quomodo auderet propheta dicere illam iuxta eſſe, niſi magnitudo periculi apud malè conſcios, & reos ad nihilum redigeret tempora multa? Aiebat Rupert. ibi: *Nec ſemel contentus dixiſſet, iuxta eſt dies* Rupert.
Domini, repetiuit, iuxta eſt, & velox nimis, & verè ſecundum magnitudinem periculi. Vbi tantum periculum imminet, reus animus pro nihilo æſtimat tempora multa; & qui nimis ſerò voluuntur dies, quaſi velociſſimi veniunt periclitantibus de ſalute. Id quod innuebat Dominus per Malach. cap. 3. inquiens: *Et accedam ad vos in iudicio, & ero teſtis* Malac. 3.
velox maleficis, & adulteris, & periuris. Vbi ſeuerus inſtet Dominus, eiuſque ira pene in ianuis ſentiatur, non ſera, ſed nimis cita putabitur a malis diuina vindicta.

§. VIII.

§. VIII.

Securior apud Deum salus illius, qui non in sola promissione de futuris, sed in præsenti exhibitione operis nititur.

IAm mihi plaudit secura felicitas serui fidelis dicentis ad Dominum: *Ecce alia quinque, vel, alia duo lucratus sum.* Non ait, in posterum lucrabor; postmodum operam lucris acquirendis dabo; sed ecce lucra, ecce opera mea in promptu sunt, in præsentiarum adsunt. Quid felicius? Sanè non sic largissimæ de futuris promissiones Deum alliciunt, vt opera præsentanea. Largissimus promissor Petrus Luc. 22. ait:
Luc. 22. *Domine tecum paratus sum, & in carcerem, & in mortem ire.* Quanta hæc promissio? Quantum Petri facinus vt morti sese offerat pro Iesu? Et nihilominus illi respondet Iesus: *Dico tibi Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me.* Hæc apud Lucam de Petro; feliciora alia habes apud Ioan.
Ioan. 21. cap. 21. vbi Petrus simpliciter ait ad Iesum: *Tu scis Domine, quia amo te.* Et statim Iesus ad Petrum: *Pasce agnos meos.* Vbi morti sese offert pro Iesu, durissima futuræ abnegationis denuntiatione feritur, vbi solū dicit se amare Iesum, in Ecclesiæ constituitur caput. Quorsum hæc? Nónne summa charitas est, si quis pro amico moriatur? Cur ergo Petrus cum simpliciter amat, plus placet, quàm cum libertatem, & vitam spondet pro amato? Prima erat promissio de futuro, spondebat Petrus in posterum sese pro Deo moriturum: secundò præsentem exhibebat amorem, & ideò in promissione de futuro feritur, in præsenti amore exhibito prorsus
August. placet. Ait D. August. serm. 24. de sanctis: *Quando ait, tu scis, quia amo te; hoc respondebat, quòd in corde suo videbat. Quando autem dixit, animam meam pro te ponam, de futuris voluit præsumere viribus.* Et quidem facilè est pro futuris spondere multa, & peccatores id faciunt, & nocentissimi dicunt sese in posterum meliorandos; aliqua in præsenti dari, hoc opus hic labor est. Quisquis erga se Dei cupit benignitatem firmare, non multum credat futuris facinoribus, vt quæ incertissima sunt, sed præsentibus virtutum actibus operam nauet, per hos enim Deum ad se trahet. Ait D. Ioan. 1. epistol.
1. Ioan. 3. cap. 3. *Qui facit iustitiam iustus est.* Non qui se facturum promittit, non qui largissimas de virtute facienda sponsiones facit, iam iustus est, sed qui illam instanter operatur. Id
Euchum. quod notabat ibi Euchemenius: *Animaduertendum est autem, quòd non dixit in superioribus. Omnis, qui fecit, aut qui faciet iustitiam, sed qui facit. Virtutes enim semper operantur, & dum fiunt, habent esse; cessantes verò, aut futuræ, ne esse quidem habent.* Et quidem in re virtutum, qui cum potest, nullam præsentem exhibet, contentus multas futuras spondere; sic æstimatur à Deo, quasi nihil offerret. Vnde dicebat Dominus Ioan. 8.
Ioan. 8. *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* De virtutibus sui asseclæ locutus verbum posuit præsentis temporis, dicens, *qui sequitur*; de præmio autem illarum, statuit verbum futuri. Sic notabat August. tract. 34. inquiens:
August. *In eo, quod facere debemus, præsens tempus posuit, quòd autem promisit facientibus, futuri temporis verbo significauit. Qui sequitur, habebit: modo sequitur, post habebit.* Huc reuoco dicta tom. 2. lib. 6. cap. 3. §. 37.

§. IX.

Seruum prorsus exuat, filium induat, qui ad Dei sublimes honores scandere cupit.

FIdelissimi serui iubentur in Domini sui gaudia intrare; ait enim: *Euge serue bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* In gaudia intrant & serui ad sublimes Dei honores vocantur filij. Fel x, qui vbi Deo apparet sic omne in se seruile abscondit, vt prorsus appareat filius, is non solum cum seruis in patris gaudia, sed in summos Dei honores introibit. In Luc. cap. 15. habes ouem, & filium: illam bonus pastor quærit, inuentam humeris imponit suis, & ad caulas reducit: hunc reuertentem expectat Dominus, & vt noscit filium amplexu tenet, osculis delinit, stolam primam exhibet, annulo ornat, vitulique saginati saturat conuiuio. Non sic cum oue pastor, vt pater, exhibetur cum filio; illi quidquid refrigerij est, parat; hunc ad honoris paterni erigit partici-
Ambros. pium. Id ponderans D. Ambros. lib. 7. in Lucam inquit: *Malo ergo filius esse, quàm ouis. Ouis enim à pastore reperitur, à patre filius honoratur.* Tota ouis felicitas, tota seruulorum fortuna, quòd a via perditionis reducantur à Deo in viam salutis, & ab eodem æterna gaudiorum pascua accipiant. Super hæc autem maximè sese extollit filiorum felicitas, quia quidquid honoris pater habet, ipsi participant. Vt homines in honore distant a cæteris animantibus, etiam plurimi habitis apud mundiales principes; sic qui filiorum spiritu ducuntur, distant apud Deum ab his, qui seruituris feruntur spiritu ad capessendam virtutem. Id quod docebat Dominus Hierem. cap. 31. inquiens: *Ecce dies veniunt dicit Dominus,* Hierem.
& seminabo domum Israel, & domum Iuda semine hominum, & semine iumentorum. Et sicut vigilaui super eos, vt euellerem, & demolirer, & dissiparem, & disperderem, & affligerem; sic vigilabo super eos, vt ædificem, & plantem, ait Dominus. Loquitur Dominus de liberatione à captiuitate populi Israëlitici; & qualiter adducturus erat eos in plenam libertatem. Sed maximè expendendum est discrimen illud, quo vsurus erat, vt eos traheret, nimirum ait: *Seminabo domum Israël, & domum Iuda semine hominum, & semine iumentorum.* Distinctè D. Ambros. lib. in Luc. ait: *Semen Israël in semen hominum, & Iuda in semen* Ambros.
animalium. Non enim omnes æqualiter feruntur ad salutem, sed alij sicut iumenta seruilia, alij instar hominis ingenui filiorum nobilitate ornati. Filius primogenitus Israël, quasi homo regius, Iuda quasi seruile animal in salutem intrabit; homo vt honoribus regni potiatur, seruile animal, vt teneat æterna gaudia. Et meritò vbi gaudia seruiles animos replent, regni culmina filiis reseruantur. Ad hæc Psalm. 35.
Homines & iumenta saluabis Domine: quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus: Filij autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, Psalm 35.
&c. Sunt homines & iumenta, quæ saluantur, & sunt filij homines, qui sub Dei triumphant patrocinio, & mirum in modum sese extollunt. Sed qualis ista distinctio inter homines, & iumenta ex vna parte, & filios hominum ex alia? Voluit Dauid innuere distinctionem saluādorum: alij enim ad salutem currunt animo seruili, & mercenario ducti, vt fugiant mala, & habeāt bona: ij dicuntur homines, & iumenta, eò quòd instar iumentorum feruntur ductu vtilitatis propriæ. Alij autem filij hominum dicuntur, vt qui solo ingenuo spiritu ducantur filiorum, nihil in se seruile, nihil mercenariorum ostendentes, vtrisque Deus largitur salutem, sed iis filiis longè honorabiliorem, & gloriosiorem. Seruitutis spiritus deponendus est illi, qui cupit cumulatissimam apud Deum gloriam potiri. Ioannes Baptista aiebat de Iesu Ioan. 3. *Qui habet sponsam, sponsus est, amicus autem sponsi stat, & audit eum, & gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est.* Non solùm dicit se in gaudio esse, sed insuper de cumulatissimo gaudio, nimirum de gaudio in se pleno & perfecto gloriatur; & quod inde probat, quia & si sponsus non est, tamen nec seruus, sed amicus est. Cyril. Alexand. lib. 2. in Ioan. cap. 62. *Cælestis est sponsus, ego verò vnigeniti gaudio triumpho, quia serui conditione depolita, iam nomine, quàm re amicitiæ fruor.* Satis est seruo, quòd in Domini gaudium intret, ego qui non seruus, sed amicus; non simpliciter intro in gaudium, sed intro ouans & triumphans, gaudio enim triumpho. Ioan 3. Cyrillus Alexand.

Text. Accedens autem, & qui vnum talentum acceperat, ait: Domine, scio, quia homo durus es, metis vbi non seminasti, & congregas, vbi non sparsisti, & timens abij, & abscondi talentum in terra; ecce habes, quod tuum est.

§. X.

Summa hominis perditio est, quòd neque seuerissimi iudicis minaci vultu ad virtutum operationem trahatur.

HVc vsque peruenit nequissimi serui malitia, quòd iudicis duritiam noscens adhuc hæret peccatis; & sciens se viuere sub iudice seuerissimo, tamen de tanta iudicis seueritate hoc educit, vt magis velit otio, & inertiæ se tradere. Sic enim ait: *Scio, quia homo durus es; metis, vbi non seminasti: & timens abij, & abscondi talentum,* &c. Quid insanius? De duritie iudicis nota educit, quòd nolit bene operari. Pulchrè ad hæc Imperfectus homil. 53. ait: *O malitia peccatorum, qui neque futuri iudicij terrore mutantur.* Iudicem seuerissimum vident, imò vident strictum gladium: inexorabilitatem iudicij norunt, & toti contremiscunt, & summo horrore pauent, & inter hæc minimæ in melius excitantur. Nónne hanc deploratam malitiam putaueris? Imò & iam Imperf.

iam in talibus summus diuinæ iræ ardor apparet. Psalm. 75.
Psalm. 75. stupefaciens Dauid clamat: *Ab increpatione tua Domine, dormitauerunt omnes, qui ascenderunt equos.* Increpatio clamorem habet, horrendum quid solet intonare, quod minimè dormire sinit, imò cogit sub ingenti pauore vigilare. Quis adeò stolidus est, & vecors, vt inter increpatorios clamores dormire possit? Sanè somnus iste non tam somnus, quàm summum iam supplicium ab increpantis Dei ira in dormientem deueniens videtur. Ait D. August. ibi: *Attendat charitas vestra rem tremendam. Increpatio strepitum habet, strepitus expergisci solet homines facere. Increpat Deus, & dormiunt. Magna ira increpantis, magna ira.* Nescio, an maior Dei ira soleat esse aduersus peccatores in mundo existentes, quàm vbi facit ita increpationes suas, minas suas, seueritates suas, imò & flagellorum strepitus audiri, & cognosci, quin ex hoc vlla à vitiorum somno excitatio fiat. Magna hæc est ira increpantis Dei, tremenda res, & omni pauore digna, & quę sola explicat extremam peccatoris malitiam Isai. cap. 50. ad rebelles Iudæos, & miseram ciuitatem à Tito, & Vespesiano exurendam, ait: *Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, & flammis, quas succendistis: de manu mea factum est hoc vobis, in doloribus dormietis.* Expende illud: *De manu mea factum est hoc vobis*; exaggerat enim Deus immensam iustitiæ suæ vindicatiuæ potentiam, quasi dicat, ait Carthusianus: *Mea potestate secundum ordinem diuinæ iustitiæ illata sunt vobis tanta tormenta à Romanis.* Et quanta hæc iustitiæ potestas? Quantum est ad ostentationem seuerissimæ iustitiæ Dei, quod impij flammis vltricibus dentur? Hoc non adeò magna ira Dei in qualicumque impio præstat. Quid magis in rebellibus Iudæis ostenditur, quod particulariter denotet in illis diuinæ iræ potestatem immensam? Illud crediderim demonstrari verbo sequenti, nimirum: *In doloribus dormietis*, hoc est, mediis flammis sæuientibus, tormentis vndique pungentibus, doloribus viscera penetrantibus, adhuc in malitia dormietis, nec excitabimini, vt quæratis à Deo remedium. Hoc nisi ex magna Dei ira, vix homini accidere posset credi. Quanta hæc peccatoris malitia, quòd vel inter acerbissima supplicia, adhuc somno vitiorum stertat! Quanta Dei seueritas, quòd tormenta exhibeat, quæ multum crucient, & à somno minimè excitent! Huc trahe dicta tom. 1. lib. 4. cap. 1. §. 15.

August. *Isai. 50.* *Carthus.*

§. XI.

Vix donum Dei apparet in illo esse, in quo nullus extenditur ad proximos fructus.

Miraris, quòd reprobandus seruus ostendat in se Dei dona integra, nullatenus diminuta, dum dicit Deo: *Ecce habes, quod tuum est.* Si ergo, quod Dei erat, integrum reddit, cur puniendus sistitur iudici. Verùm ô Domine Deus, miserè fallitur malus iste, dum tuum integrum donum putat, quod in terra sepultum, proximis nullum parturiuit fructum. Quod tuum est, in eo cognoscitur, quòd nequit solitarium inueniri, sed magis amat vsque ad proximos diuidi. Magnus ille Elisæus 4. Reg. 2. à magistro Elia postulabat spiritum duplicem, nimirum donum sancti Spiritus habitans in illo; ait enim, *Obsecro, vt fiat in me duplex spiritus tuus.* Et cur duplicem vocat spiritum Eliæ? An erat spiritus Eliæ ex duobus compositus? Absit; imò simplicissimus erat diuinus spiritus habitans in Elia, sed ideò vocatur duplex, quia Dei spiritus in quocumque sit, quia in se non potest, tamen in suis operationibus amat vsque ad proximos diuidi. Id quod eleganter notabat Galfridus apud Tilmannum in Allegor. inquiens: *Alter ab Elisæo duplex, quem Elias habuerat, postulatur spiritus, non quia in seipso diuisus est spiritus, sed quia in munere suo, vel opere duplicatur. Vnus est enim spiritus per quem charitas diffunditur, ita tamen in amorem Dei, & proximi deriuatur: nec adesse credendus est vnicus ille spiritus, vbi duplex non inuenitur effectus. Cum enim in se ipso sit simplex, in nobis nunquam poterit fieri nisi duplex.* Hæc est diuini doni in nobis inhabitantis notio, quòd non maneat vnicum, & solitarium, sed dupliciter diuisum inter fratres. Dum vnicum, & solitarium in nobis est, vix Dei donum noscitur, vix ex Deo esse putatur, quando Deus sua illa recognoscit dona, quæ in operibus videt per proximos multiplicata. Ecclesiastes, cap. 4. aiebat: *Considerans reperi aliam vanitatem sub sole. Vnus est, & secundum non habet, non filium, non fratrem: & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi eius diuitiis: nec recogitans dicit, Cui laboro, & fraudo animam meam bonis? In hoc quoque vanitas est, & afflictio spiritus.* Quid vanius? Quid luctuosius, quàm illud, *Vnus est, & secundum non habet, non fratrem*, &c. Sed libet hanc vanitatẽ expendere ex paraphraste Chaldaica, vbi sic: *Est vir solus, & non est ei secundus, filium quoque, & fratrem non habet, & non est finis vniuersi labori suo, oculus quoque eius non potest satiari diuitiis, & non dicit in corde suo, cui ego laboro, & fraudo animam meam bonis? Surgam & faciam ex eo eleemosynam, & lætabor in hoc sæculo cum filiis hominum, & in sæculo venturo cum iustis. Hoc quoque est vanitas & occupatio pessima.* Et quando pessimum non est, & à Deo donum alienissimum, quòd quis ita solus sit, & vnicus sibi, vt terrenis bonis habendis immersus, nec fratrem, nec amicum velit habere cui egenti aliquid communicet. Sanè qui se ita solitarium seruat & prorsus vanus est, nihilque in se ostendit diuini Spiritus. Ait Catena Græca ibi: *Si quis fratrem non habet, is procul dubio spiritum adoptionis filiorum non accepit, & si quis pater non est, is porrò improbus est, id enim eiusmodi sacra imprecatur scriptura, inquiens: Non est progenies mali. Is iure, ac meritò, nec vitiositate quidem exsatiatur, cum suam ipsius animam Dei cognitione defraudet.* Non loquitur de carnalibus patribus, aut fratribus, absque eo enim quod quis fratrem habeat carnalem, seu filium, æternam solicitatem introibit Dei spiritus auxilio. Loquitur ergo de eo qui nec pater est orphanorum, nec compassione charitatis fratrem vllum acquirit, sed solus ipse, & solitarius vult suis incubare diuitiis. Is vt planè sterilis, sic & visione Dei caret, & nullum in se Spiritus sancti donum ostendit, quando diuini doni proprium est non solitarium manere, sed longa operatione ad proximos sese extendere. Vnde Ecclesiastic. cap. 1. ait: *Plenitudo sapientiæ est timere Deum, & plenitudo à fructibus illius. Omnem domum illius implebit à generationibus, & receptacula à thesauris illius, corona sapientiæ timor Domini replens pacem, & salutis fructum. Et vidit, & dinumerauit eam. Vtraque autem sunt dona Dei.* Vbi noster posuit: *Replens pacem*, &c. Septuaginta legerunt: *Germinans pacem, & fructum salutis.* Nullo enim alio explicantur Dei dona, quàm ex multiplici fructu ex illis orto, qui perueniat ad receptacula proximorum. Similiter & Ecclesiastes cap. 5. *Et omnis homini, cui dedit Deus diuitias, atque substantiam: potestatemque ei tribuit, vt comedat ex eis, & fruatur parte sua, & lætetur de labore suo, hoc est donum Dei.* De quo explicatius in rem præsentem Chaldæus: *Etiam omnis homo, cui dederit Dominus diuitias, & facultates, & præposuerit eum Dominus, vt comedat ex eis in sæculo hoc, & vt faciat ex eis eleemosynam, & vt accipiat mercedem partis suæ perfectam in sæculum venturum. Ecce hoc donum, quod datum illi à Domino est.* Nullo magis ostenditur, quod sit Dei donum, quàm ex fructibus ad proximos ortis. Ostende substantias, & diuitias proximis fructuosas, & simul ostendes illas profectas ex Dei dono. Vbi cito Zachæo potueris dicere. Ecce dimidium do pauperibus, statim & dicam tibi, Ecce hoc donum, quod datum tibi à Domino est. Hinc colliges talenta tua, opes tuas esse dona Dei, si ex eorum fructibus participent proximi: nequeunt enim Dei dona non esse proximis proficua. Vnde aiebat D. Greg. Thaumat. in hoc c. *Non negauerim etiam opes bonas esse, Dei enim donum est, si homo latè perfruatur laboribus suis, modo opes illæ à Deo sint concessæ: talis enim benefico in omnes est animo, & in munere diuino exultat, & omnem vitam suam bonis operibus, ac largitionibus adornat.* Expende notionem hominis illius, qui opes habet à Deo sibi particulari dono concessas, nempe ait: *Talis benefico est animo in omnes, & vitam suam largitionibus adornat.* Quasi hoc proprium velit esse diuini doni, quod impellat ad benefaciendum.

Ps. 4. Reg. 2. *Tilman.* *Ecclef. 4.* *Chald.* *Cat. Græc.* *Ecclef. 1.* *Ecclef. 5.* *Gregor. Thaum.*

Text. Respondens autem Dominus eius, dixit ei: Serue male, & piger, sciebas, quia meto vbi non semino, & congrego, vbi non sparsi; oportuit ergo tè committere pecuniam meam nummulariis, & veniens ego recepissem vtique, quod meum est cum vsura.

§. XII.

Summa diuinæ sapientiæ laus, quæ ab ipsis peccatorum morbis messem faciat humanæ salutis.

NOn negat Dominus se metere vbi non seminauit, imò vbi ille dixerat: *Scio, quia homo durus es, & metis vbi non seminasti.* De duritiei obiectione prorsus tacet, solum memorat, quod dicatur metere, vbi non seminauit, quasi hoc verum

verum esse admittat,& sibi non vitio tribuit,sed laudi.Cum enim solum inueniatur malum non fuisse à Deo seminatum, vt qui omnis boni sit author, in immensum extollit diuinæ sapientiæ laudem,quod sciat de ipsis malis,de morte ipsa, de ipsis peccatis, humanæ salutis copiosissimam segetem facere.Ad Rom.8.ait Paul.extollens Dei gratiam supra legem: *Quòd impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem:Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum.* Non poterat lex vlla, nec vllus legislator in infirmitate, in vulnere ipso, in ipso peccato, medelam inuenire, & remedium peccati. Quid tunc? Venit Dei filius, & de eius sapientissima arte vniuersæ malorum venæ cœperunt scaturire sanitatibus.Pulchrè ad hæc aiebat Cellensis Abb.lib.de Pan.cap.12. fatus: *De fonte igitur peccatorum vena exiliuit omnium lachrymarum.Mirum tamen in hoc artificis Dei ingenium,vt lachryma de venis erumpens peccatorum,humiliter profusa absorberet omne peccatum. Planè,sic de peccato damnatur peccatum.* Nihil à Deo alienius, quàm peccatum est,vt enim peccatum non fecit, similiter nec potuit Dominus facere peccatum, sed sic dominica præualuit ars, vt alienissimum à se peccatum, sibi in restaurationem hominum seruire faciat, dum illud materiam ministrat fluentis lachrymarum. Hæc est maxima Dei sapientia,de qua fatur Exod.7.*Immittamque manum meam super Ægyptum,& ducam exercitum, & populum meum Israël de terra Ægypti per iudicia maxima.* Expende, quod non dicat educendum populum per fortitudinem maximam, plura enim erant alia Dei opera longè maioris fortitudinis, & potestatis,qui enim de nihilo eduxit omnes exercitus creaturarum, quid magnum faceret, quod educeret populum suum de Ægypto? Non sanè hoc ad maxima diuinarum fortitudinum decora pertinuisset, quando & vnus Angelus ingentem Assyriorum exercitum vna nocte interemit, vt Hierosolymam ab obsidione liberaret.Vnde meritò tacens,quod per fortitudinem populum eduxerit,notanter ostendit eductum illum *per iudicia maxima*, hoc est,maximam, & præstantissimam sapientiam. Et in quo tunc Dei sapientia ostensa fuit maxima? Qualis res Dei sapientiam tunc temporis in illa eductione ostendit adeò magnam, quæ excederet sapientiam Angeli? Sanè cum tunc Pharao magis in Deum rebellaret, maioremque cumulum malitiæ ostenderet,aggrauans cor suum, obdurans aduersus Dei præcepta, eo peruenit Dei sapientia,vt totam illam Pharaonis malitiam gloriosiori eductioni Israëlitarum, & educentis seruire faceret. Quocirca aiebat Nyssen.orat. de Infantibus, qui, &c. *Excellentia sapientiæ suæ Deus nimirum etiam malum ad adiuuandum bonum trahere, & accommodare sciuit.* Ad excellentissimam Dei sapientiam pertinet,quod ipsa mala, ipsa peccata eo trahantur, vt virtutibus possint iuuamen præstare, imò vt ex ipsis malitiæ luxuriantibus pratis copiosæ virtutum segetes metantur. Is equidem est Deus, iuxta Paul.2. ad Corinth.4. *Qui dixit de tenebris lucem splendescere.* Quid est de tenebris? Nimirum de peccatis,de hominum sceleribus lucidissimam luminum messem traxit.Accipe Orig.homil.14.in Num.fantem: *Malitiam Deus non fecit,tamen cum ab aliis inuentam possit prohibere, non prohibet, sed vtitur ea ad necessarias causas. Tolle malitiam fratrum Ioseph,tolle inuidiam,tolle omne parricidiale commentum, quo sæuierunt in fratrem, quousque venderent eum. Si hæc auferas,vide quantam simul peremeris dispensationem Dei.Simul enim abscondes cuncta illa, quæ apud Ægyptum, per Ioseph pro salute omnium gesta sunt. Non fuisset interpretatio somni Pharaonis,nemo necessitatem famis curasset, periisset Ægyptus,interiisset etiam ipse Israël, & semen eius quærens panem. Nusquam plagæ in Ægyptios,neque virtutes illæ quas fecit Deus per Moysem. Nemo rubrum mare siccis vestigiis incessisset. Cibum manna mortalis vita nesciisset. Nulla de sequenti petra aquarum fluenta prorupissent. Si auferas malitiam Iudæ, abstuleris pariter crucem Christi:& si non sit crux,non exuuntur principatus, nec potestates,nec triumphatur in ligno.Si non fuisset mors Christi,vtique neque resurrectio,neque spes nobis resurrectionis fulsisset. Ex quibus omnibus colligitur, quia Deus non solum bonis vtatur ad opus bonum, sed etiam malis.* Quid pulchrius? Quæ vberior messis virtutum esse potuit,quam hæc, quam Dominus metit de malitia,quam minimè seminauit? De vno peccato vendentium Ioseph, & huius exaltatio, & ipsorum venditorum vita, & Ægyptiorum conseruatio, & cantatissimus maris rubri transitus, & dulcissimæ è saxis aquæ manarunt. De vna Iudæ proditione,& crux Christi,& resurectio,& mundi salus,& Dei glorificatio affulsit.Quis non miretur summi artificis ingenium maximum, qui tot virtutum messes in dies facit,de malitiæ agris, in quibus non seminauit? Quò spectans ipse Paulus aiebat ad Rom.8. *Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum.* Quæ verba sic pulcherrimè expendit D.Bernard.serm. de vitæ fallacia,aiens: *Vsque adeò omnia nobis cooperantur in bonum,vt inter hæc omnia, etiam ea,quæ nihil sunt, numerentur, molestia,morbus, & ipsa mors etiam & peccatum. An verè ei peccata ipsa non cooperantur in bonum, qui ex eis humilior, feruentior,timoratior,& cautior inuenitur? Hæc sunt ergo primitiæ spiritus,hæ primitiæ regni, hæ gloriæ prælibatio, hoc potestatis initium,& arrha quædã paternæ hæreditatis.* Hæc ille. quibus patet,quanta bona soleat Deus educere ex ipso lapsu peccati.

Margin notes: Roman. 8. — Cellens. — Exod. 7. — Nyssen. — 2. Cor. 4. — Origen. — Rom. 8. — Bernard.

Text. Tollite itaque ab eo talentum, & date ei, qui habet decem talenta: omni enim habenti dabitur, & abundabit; ei autem, qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo.Et inutilem seruum eiicite in tenebras exteriores.

§. XIII.

Deus in summa suæ seueritatis duritie aduersùs malos nescit non in bonos tenerescere.

DVrus homo habebatur Dominus à pigro seruo;aduersus quem durissimum se meritò ipse Dominus exhibet, dum illum spoliari mandat bonis omnibus, & mitti in tenebras.Sed illud notandum venit, quod in hac ipsa seueritatis duritie erga malum seruum, simul se mansuetissimum præbet erga bonos,quos iubet ditari nouis talentis.Quippe ait:*Tollite ab eo talentum,& date ei,qui habet decem.* Numquam enim adeò durum sese ostendit Deus, vt in bonos non tenerescat. Num.21. pro remedio serpentini veneni, iubetur serpens æneus extolli super lignum, & populo percusso exhiberi. *Fecit ergo Moyses serpentem æneum, & proposuit eum pro signo, quem cum percussi aspicerent, sanabantur.* Notissima est in serpente hoc filij Dei mundi Saluatoris adumbratio, in qua illud numquam mirari desinam, quòd vbi proponitur Dei filius saluaturus mundum in signo, proponatur totus æneus. Quid ære durius? Vt immensam duritiem minaretur Dominus,aiebat Leuit. cap.26. *Conteram superbiam duritiæ vestræ. Daboque vobis cœlum desuper sicut ferrum, & terram æneam.* Hoc minabatur Dominus peccatoribus,quòd cœlestia ænea,hoc est,durissima,& penè inexorabilia experturi essent.Cur ergo salutis signum iubet æneum fieri? Dum te æneum exhibeas, ô Deus,quis sperabit salutem? Quis credet ab æneo collo salutiferum rorem posse descendere? Quisquis credat sub ære latere Deum, is simul credet, ab æneo vultu salutis succum posse obtineri; Deus enim etiam in summa duritie erga malos positus,in bonorum salutem tenerescit. Vt mirabundus dicat D.Athanas.in Synopi ad lib.Sap.*Contra morsum serpentum curatus est populus.* Potuit populus fidelis vel ex æneo vultu succum salutis obtinere, quando inibi Dei latebat mysterium. Id quod ponderans D.Cæsar.Arelat.aiebat: *Tam prompta aderat salubritas ducendi. quàm velox incrat felicitas intuendi, sequebatur certum sub momentanea contemplatione remedium,quia latebat in serpente mysterium.* Expende,vnde ab æneo aspectu potuit salutis succus exhiberi, nimirum ait: *Quia latebat in serpente mysterium.* Latebat sub æneo serpente Deus, qui etiam in summa suæ seueritatis duritie non potest ad bonorum salutem largiendam non tenerescere. Quid durius Deo per Ægyptum lugubri illa nocte ingrediente? Ait Sap. cap.18. *Cum enim quietum silentium continerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet,omnipotens sermo tuus exiliens de cœlo à regalibus sedibus,durus debellator,in mediam exterminij terram prosiliuit, gladius acutus*, &c. Hæc inter durissima Dei ostensa,simul per domos Israëlitarum agnus anniculus immolandus exhibetur. In plateis Ægypti durus debellator, gladius acutus apparet, omnia morte replens;& in Israëlitarum domibus quasi agnus ostenditur, protegens, & defendens, quia nescit Deus etiam medias inter duritiês, & seueritates, non se mansuetum, & benignum suis fidelibus ostendere. Ait Rupert.lib.3.de vict.c.16. *Mirabile vtique fecit inter domos Ægyptiorum, & domos Israël, vno eodémque tempore,vna,eadémque nocte. Illic, id est, in domibus Ægyptiorum tamquam durus bellator erat, tamquam gladius acutus sententiam vibrabat. In domibus autem filiorum Israël mitem se,& humilem naturæ esse signabat per agnum, simplex, & mansuetum animal.* Numquam tam durus in malos, numquam tam æneus

Margin notes: Num.21. — Leuit.26. — Athan. — Cæsar. — Sap.18. — Rupert.

æneus apparuit, quio media illa duitie non inueniretur mansuetus, & beneficus in eos, qui illum irritauerunt.

§. XIV.

In impio homine cœlestium virtutum, quæ gloria donantur, tantùm inueniuntur vmbratiles apparentiæ, & phantasia. Imò & ipsa hominis ratio in illo solùm est apparenter.

Expende, quid cœlestis talenti iubeatur tolli in seruo nequam; nimirum ait: *Quod videtur habere, auferetur ab eo*; non quod in veritate habet, sed quod videtur habere; cœlestium enim virtutum, quæ gloriam adipiscuntur, in impio non veræ existentiæ, sed solum inueniuntur apparentiæ. Dum somnium arboris explicat Dan. cap. 4. sic loquitur
Dan 4. ad Nabuchodonosor: *Tu es Rex, qui magnificatus es, & inualuisti, & magnitudo tua creuit, & peruenit vsque ad cœlum, & potestas tua in terminos vniuersæ terræ.* Non mirabor, quòd florentissimi Regis potestas vsque ad vniuersos tinniret fines terræ; at illud valde miror, quòd in tanto tyranno dicatur esse aliquid, quod cœlum pertingat. Ait enim: *Magnitudo tua creuit, & peruenit vsque ad cœlum*: qui fieri potest, vt in viro pessimo ea splendoris magnitudo inueniatur, quæ cœlestium splendorum sit æmula? An erant in Rege hoc virtutes aliquæ pertingentes cœlestia? Non equidem in re erant in Nabuchodonosor virtutes cœlestes; sed Propheta non loquitur de eo, quod in re erat, sed quod vel in phantasia Regis, vel in quadam vmbratili apparentia videbatur esse. Quandiu enim de cœlestibus virtutibus fit sermo, sic intelligendus est, quòd in impiis solæ illarum inueniantur phantasiæ, & apparentiæ. Ait Procop. in Glossa:
Procop. *Aptè admodum, & opportunè cælo, & terræ accommodanit. Dominationem enim peruenisse ad fines terræ: ad cælum verò non item dominationem, sed magnitudinem, hoc est, cogitationis phantasiam.* Sapienter Propheta impij Regis magnitudinem solam dixit peruenire ad cœlum, vt euidentiùs ostenderet, id non posse esse in veritate, sed in phantasia cogitationis, & vmbratili, & fallaci apparentia. Nihil enim in impio inuenitur pertingens cœlum in veritate, sed in apparentia, & cogitationis phantasia. Hinc apud Isai. c. 10. ait Dominus: *Visitabo super fructum magnifici cordis Regis Assur, & super gloriam altitudinis oculorum eius*: non super verè existentem gloriam eius, quæ nulla erat, sed super gloriam altitudinis oculorum eius, nimirum quæ solùm habet esse in apparentia. Isai. 10.
Quo respiciens Eccles. c. 8. ait: *Non sit bonum impio, nec prolongentur dies eius; sed quasi vmbra transeant, qui non timent faciem Domini.* Non solum cœlestes virtutes æternitatis meritoriæ, sed quidquid ad bonum honestum, imò quidquid ad veram rationem hominis attinet, vult esse in impio non timente Deum, non in veritate, sed velut in vmbratili repræsentatione. Ait ibi Caiet. *Hominem non timentem à conspectu Dei assimilat vmbræ, eo quòd sicut vmbra non est verè corpus eius, cuius est vmbra, sed quædam repræsentatio illius: ita non timens diuinum conspectum non est homo, sed hominis vmbra. Non est, inquam, homo secundùm mentis vsum, sed vmbra hominis. Vsus enim humani animi pendet à timore diuini conspectus, tanquam à prima regula.* Nihil solidum, nihil verum in impio homine inueniri potest in ordine ad gloriam, & cœlestes virtutes; imò & ipsa hominis ratio in illo quasi apparenter existit, velut imago vmbratilis quædam. Vnde de impiis dicebat Iob c. 33. *Respiciet homines, & dicet: peccaui.* Vbi D. Gregor. lib. 24. Mor. c. 6. *Ideo peccasse se nesciunt, quia homines non attendunt. Nam si considerarent homines, citiùs agnoscerent, quantum peccando infra homines cecidissent.* Inuenirent procul dubio in se solam esse vmbram, & apparentiam hominis. Eccles. 8. Caietan. Iob 33. Gregor.

LIBER DECIMVSSEPTIMVS, DE HISTORIIS ADDVCTIS A IESV.

VT effictis similitudinibus, siue parabolis Dominus sermones exornabat suos, sic etiam de veris historiis exempla proponebat, quibus pulcherrimæ orationi non minimam addebat pulchritudinem. Quid desideres in cœlesti Oratore de orationum luminibus? Habes neruosa argumenta, propositiones spectatissimas, similitudines aureas à parabolis, exempla ab historiis petita, ne vllus pulchritudinum fons deficiat, quò gratiùs, & efficaciùs currat orationis flumen.

CAPVT I.

De Epulone, & Lazaro.

ADEST cantatissima toto in orbe historia de diuite in damnatorum ima descendente, & paupere Lazaro ad felicitatem præstantissima sublato. De vtroque Dominus ornatè, & oratoriè disserit, & suppositis in vtrisque & diuitiarum, & tormentorum, & miseriarum, & felicitatis statibus, alia de oratoris licentia effingit Dominus, non quæ in re fuerint, sed quæ apprimè explicent vtriusque statum. Spiritibus dat membra, dat voces, vt eadem solent Oratores attribuere vel lapidi; quibus ostenditur, quid à præsenti tormento flammæ cogetur miser sibi desiderare, cùm post resurrectionem corpus habeat. Sanè ad epulonis tormentum non parum faciet, quòd vt anima propter gulam torretur, sic vbi adsit corpus, lingua truculentius torreatur. Sicut & hominis crudelitas non parum punitur, dum in se omnium rerum penuriam videat, de quarum abundãtia despectus quondam Lazarus sic lætatur, vt vel de eius reliquiis æterna miserorum tormenta possint refrigerari. Hæc afflictis vtrinque colloquiis sapiẽtissimè exprimuntur; tandem additur colloquium aliud de mittendo Lazaro prædicatore ad miseri diuitis fratres. Nõ quòd possit epulo bona velle alicui, sed quod naturale cuiquam est, cupere, vt sibi noti certò sciant, rem à se euidentissimè expertam, quam noscit ab illis crassissimè ignorari. Sed prouidentior Deus circa omnes extitit, quàm damnatus iste, quando nulli negauit certissima testimonia, per quæ si vellent, salutarem omnem inuenirent veritatem.

Luc.16. Homo quidam erat diues, & induebatur purpura, & bysso, & epulabatur quotidie splendidè.

§. I.

Nequit vir nominis esse, qui nimis epulis, gulæque deditur.

NOmen epulatoris istius à Domino tacetur, & meritò; quando vix fieri potest, vt vir nominis euadat, quisquis nimis indulget epulis. Apud Marc. cap.4. dicebat Do-
Marc.4. minus: *Num lucerna incenditur, vt subter modium ponatur, aut subter lectum? Nonne vt super candelabrum ponatur?* Nemo vnquam credet, lucernam posse accendi, vt subter modium sit; imò ex quo sub modio aliquid est, euidenter colligitur, illud non posse esse lucernam accensam, & in domo lucentem. Et quidem modius inuentus est, vt triticum recipiat, & mensuret, simul & alias fruges; vnde vt aptus est frugibus recipiendis, sic est ineptus vt in se ostendat lucernam accensam: quando enim quis lucere potest inter epu-
las? Sapienter Theoph. in præsenti ait: *Erit autem vnusquisque* *Theoph.*
vestrum lucerna, qui debet poni super candelabrum, hoc est, super summitatem diuinæ vitæ, vt alijs possit lucere: sed non sub modio, hoc est, sub ciborum cura. Nullus enim cui tibi curæ sunt, & qui requiem desiderat, poterit lucerna esse omnibus lucens, etiam per suam vitam. Nunquam epularum studium hominem luci dedit; nunquam de sub ferculis potuit quis constitui in mundi lucernam, & inter mundi lumina splendescere. Et quam claritudinem obtinebit, qui totus videtur natus, vt mente euoluat culinarum fumos? Mentiar, si quis mihi assignetur gulæ deditus, & facinorum gloria, nominisque claritate insignis. Apud Num. cap.11. vbi gulæ tentatio, & punitio
describitur, notanter dicit textus: *Vulgus quippe promiscuum,* *Num.11.*
quod ascenderat cum eo, flagrauit desiderio carnium. Vix in aliis tentationibus populi defuerunt aliqui viri nominati, qui illis corriperentur, vt in ambitu sacerdotij, Core, & Dathan, & Abiron, in ipso Madianiticæ fornicationis crimine Zambri filius Salu, dux de cognatione Simeonis. Vbi autem ad tentationem gulæ ventum est, ecce vobis, quid dicat: *Vulgus promiscuum flagrauit desiderio carnium.* Nullus vir nominis claritate insignis, seu inter fæces vulgi obscurus maneat, necessum est, qui se ventris seruituti tradit. Et illud notandum, quòd non contentus sit dicere, quòd vulgus concupierit; sed notãter addit illud, *vulgus promiscuum:* quasi id faciat ad maiorem epulonum obscuritatem. Quid enim est vulgus promiscuum? Sanè id ponitur ad distinctionem vulgi clarioris, compositi ex viris nominatis, quale erat vulgus Israëlitarum. Etenim cũ Moyse exierant de Ægypto & Israëlitæ, & Ægyptiorum familiæ innumerabiles, in Israëlitarum autem multitudinum censu nunquam habebatur ratio fœminarũ, nec puerorum, sed solum virorum illorum, qui ad nomen iam accedebant. Verum in Ægyptiorum censu, nulla erat distinctio inter viros, & fœminas, omnes confusè, & promiscuè cẽsebantur, vnde fit, quod de epulone, & guloso vulgo locuturus Moyses, dicat illud fuisse vulgus promiscuum, inter fœminas, & pueros confusum, ad distinctionem vulgi Israëlitici, qui solis nominatis viris constabat. Sic ait Abul.
ibi, q.10. *Respondendum est, Ægyptio vocari vulgus promiscuum,* *Abulens.*
ad distinctionem Israëlitarum, quia in Israelitis non vocabatur populus, nisi ipsa multitudo virorum transeuntium ad nomen; inter Ægyptios autem tam viri, quam fœminæ computabantur populus, & de Ægyptijs dictum est, quod ascenderat vulgus promiscuum, & flagrauit desiderio carnium Et merito vulgus flagrans desiderio carnium distinguitur à vulgo constanti ex hominibus transeuntibus ad nomen, nunquam enim ad claritatem nominis transit, sed inter promiscui vulgi fæces confusus cum fœminis & pueris manet, qui nimis solicite epulis traditur. Non equidem in comessationibus, sed in sobrietate ad nominis claritatem itur. De clarissimo illo Israëlitarum iubare Samsone ait Angelus ad matrem eius, Iud.13.
Caue ergo, ne bibas vinum, ac siceram, nec immundum quicquam *Iud.13.*
comedas, quia concipies, & paries filium, cuius non tanget caput nouacula: erit enim Nazaræus Dei ab infantia sua, & ex matris vtero, & ipse incipiet liberare Israël. Quid tunc? Quid

post

post hoc angelicum nuntium? Ait text.ibi: *Peperit itaque filium, & vocauit nomen eius Sanson.* Mater filio nomen imponit, & vocat Sanson, id est, solem, neque id sine spiritu diuino, sed illo spiritu, quo admonita de abstinentia circa potum, victúmque, filium Nazaræum patriæ liberatorem iussa est expectare, illum lucidissimi syderis nomine nuncupauit, certa, quod inter Nazaræatus sobrietates non poterat non clarissimi nominis homo procreari. Id quod notat Arias Montan.fatus: *Illa ab Angelo de nati munere, atque officio edocta, nomen opportunum inuenit.* Et cui opportunius, quam abstemio infanti nomen præstantissimæ datur claritatis. Nunquam, mihi credite, tantum nomen adipisceretur, si inter dapes nutriretur. Ex quo apud Minucium Felicem insultat Cæcilius in Octau.fatus: *Et quid ad hæc audes Octauius homo Plantinæ prosapiæ, vt Pistorum præcipuus, ita postremus Philosophorum?* Negans posse expectari de pistoria arte aliquid præclatum: quando quod eximium est, magis nascitur de frugilitate. Psal.119. *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Expende, vnde exaltatio oriatur, non de vinis pretiosis, sed de torrentis aquis, hoc est, de vita frugali. Ibi Chrysost. *Et tu, dilecte, vitam luxuriantem, fastúque, & potentia extrinsecus repletam contemne, tenuem, ac facilem, & minimè exquisitam persequere, si vis esse clarus, & magnus. Audiant ergo, qui sibi mensas apponunt sybariticas, epulisque condimentorum omne genus excogitant, & alias huiusmodi delicias importani, vt euadant omnium abiectissimi. Nec enim excelsum quid consueuit facere, quod pluribus indiget.* Hæc ille.

Arias Montan. Cæcilius. Psal.119. Chrysost.

§. II.

Lauta conuiuia diuitiarum excedunt, & longè superant malitiam, ne Deum admittant.

Ecce clausulam diuitis perditissimi: *Epulabatur quotidie splendidè*, non sic ab omnibus mundi diuitiis suffocatur in homine verbum Dei, vt suffocatur à conuiuiis, imò, vt quid certius dicam, diuitiæ suffocant verbum Dei, aliquales agens in corde radices, at conuiuia nullo modo permittunt Deum in corde admitti. Cauebat Dominus, Deut.8. *Ne postquam comederis, & satiatus fueris, domos pulchras ædificaueris, & habitaueris in eis, habuerisque armenta boum, & ouium greges, argenti, & auri, cunctarumque rerum copiam, eleuetur cor tuum, & non reminiscaris Domini Dei tui, &c.* Ecce tibi inter pericula, à quibus posset timeri obliuio Dei, in primis ponuntur conuiuia, deinde domorum, armentorum, auri, & argenti possessiones copiosissimæ, quasi tota auri copia, & infinitæ armentorum possessiones. & vniuersæ diuitiæ cedant primas epulis, & conuiuiis in excludendo Deo ab hominum intimis. Id sapienter notabat Tertull. in insipienti, lib.aduers.Psychicos, inquiens: *Ne, inquit Deus, cum manducaueris, & biberis, & domos optimas ædificaueris, ouibus, & bobus multiplicatis, & argento, & auro, extollatur cor tuum, & obliuiscaris Domini Dei tui. Præposuit corruptelæ diuitiarum edacitatis enormitatem, cui ipsæ diuitiæ procurant. Per illam scilicet incrassatum erat cor populi, ne oculis videret, & auribus audiret, & corde conijceret adipibus obstructo.* In hoc diuitiæ amplissimæ primas cedunt epulis, & conuiuiis, quod ille admitti sinunt verbum Dei, licet tandem suffocent illud, conuiuia autem superflua sic obstruunt conuiuantium oculos, aures, & vniuersos sensus, vt nullus aditus maneat, qui vel minimam Dei memoriã possit admittere. Monebat Dominus, Matth.6. *Non potestis Deo seruire, & Mammonæ,* quasi necessum sit, vt mammona nobiscum existens Deum minimè admittat, sed prorsus excludat. Sed scire cupis, quæ sit mammona hæc à Deo sic aliena? Communiter per mammonam intelliguntur diuitiæ, sed Clem. Alexand. putat, non debere intelligi diuitias solitariè, & per se sumptas, sed diuitias expensas, & suppeditatas in varios appetituũ vsus. Hæc diuitiarum suppeditatio, vt carnales comparentur deliciæ in epulis, & conuiuiis, seu aliis quibuscumque minimè secum Deum admittit. Ait Clem.Alex.lib.7.strom. *Nemo enim potest duobus dominis seruire, Deo, & mammonæ: non pecuniam dicens, sic nudè dicit, sed suppeditationem, quæ fit à pecunia in varias voluptates.* Forsan si diuitias solitariè spectes, posset cum illis & stare, & radicari, & vel aliquantisper crescere verbum diuinum, vbi autem non solæ diuitiæ, sed & earum suppeditatio in acquirendas delicias, & voluptates per epulas, per conuiuia, concurrunt, neque ad momentum Dei verbum admittitur. Isai.22. *Et vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, & ad planctum, ad caluitium, & ad cingulum sacci: & ecce gaudium, & lætitia occidere vitulos, & iugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum: Comedamus, & bibamus, cras enim moriemur.* Clamabat Deus, vocans miseros ad pœnitentiam, ostendens vias, quibus possint saluari, & interea ab illis quid fiebat? Occidere vitulos, comedere carnes, & bibere vinum, nullúmque aliud æstimantes bonum, quam epulari. Vnde clamant, comedamus, & bibamus, & cras moriemur, putantes, quod totum mortis malum vna epularum dulcedine posset saporari. Pulchrè hos pingebat Philo lib.de mundi opificio: *Qui coquorum, & popinariorum laborem obliguriunt, attacti caput nidoribus, & condimentis exhalantibus participes turpitudinis fieri cupiunt, & vbi quis sumptuosam mensam viderit, toto corpore in apposita ruit, hoc solum spectans, vt nihil tanto apparatu sinat reliquum.* Expende illud, *hoc solum spectat*, adipes enim oculos, aures, mentem obstruentes, minimè aliud, quod extra esculenta sit, percipi sinũt. Matth.24. aiebat Dominus: *Sicut autem in diebus Noe, ita erit in aduentu filij hominis, sicut enim erant in diebus ante diluuium, comedentes, & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes, vsque ad eum diem, quo intrauit Noë in arcam, & non cognouerunt, donec venit diluuium, & tulit omnes.* Expende, quod ait, *& non cognouerunt*: id est, non habuerunt notitiam, nec cognitionem diluuij, &c. Et qui fieri potest, quod non haberent notitiam? Nónne illos passim monebat Noë? Nónne ad illos singulis momentis clamabat? Nónne ob oculos ponebat arcam? Quomodo tam clara, & aperta non cognoscebant? Erant comedentes, & bibentes, quo sic obstructos habebant sensus, vt audientes non audirent, & videntes non viderent. Vnde de iis dicebat Paul.1.ad Thessalon.5. *Eis repentinus superueniet interitus.* Imperfect.hom.51.in Matth. *Repentinus autem non ante nuntiatus*: & quidem sic erant in epulis toti, quasi nihil eis de salute diceretur.

Deut.8. Tertull. Matth.6. Cl.Alex. Isai.22. Philo. Matth.24. 1.Thess.5. Impesf.

§. III.

Bona temporalia impios homines non tam ornant, quàm designant perditioni.

Cui nomen negatur, nec dignus est, qui vocetur proprio nomine, is maximus in diuitiis ostenditur, & purpura, & bysso ornatus, & magnificis conuiuiis oppletus. Quid purpura, & byssus, & splendidæ mensæ faciunt apud hominem indignum nomine? Crediderim pessimum hominem affluentia tẽporalium bonorum non tam ornari, quàm designari ad extremam perditionem. Huc respiciebat pulcherrima mens Minutij Felicis, qui sic in suo aureo Octauio loquitur: *Nisi fortè vos decipit, quod Deum nescientes diuitijs affluant, honoribus floreant, polleant potestatibus. Miseri in hoc altius tolluntur, vt decidant altius. Hi enim vt victimæ ad supplicium saginantur, vt hostiæ ad pœnam coronantur.* Quis nesciat sacrificãdis pecudibus, & florida serta, & aurea decora simul & gladium parari? Et quidem dum taurorũm cornua auro splendebant, totúmque caput mille floribus adornatum, iam in vicino præcognoscebatur gladius, quo victima casura erat sub aris. Hinc Hier.48. *Date florem Moab, quia florens egredietur, & ciuitates eius desertæ erunt.* Alij legunt: *Date coronam Moab.* Alij ponunt: *Date signa Moab.* Eo enim ipso, quod peccatrici ciuitati florentes coronæ darentur, iam incipiebat designari perditioni extremæ. Quò spectans Syrus, & Arabicus, sic ibi legebant: *Date coronam Moab, quia destructione destruetur, & omnes ciuitates eius in desertum erunt.* Nequit enim felicitas in impiis, non esse iudicium appropinquantis vltimæ miseriæ, vt floridissimus impiorum status illos iam prædicet proximos lanienæ. Ex hoc lucem capiet Amos, c.6. vbi sic fatur: *Væ qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ, optimates, capita populorum ingredientes pompaticè domus Israël: Qui separati estis in diem malum, & appropinquatis solio iniquitatis.* Et quidem vt armenta pascebat Amos, sic in opulentia pessimorum Principum, aliquod de bubulcorum consuetudine meditabatur. Duo erant notissima bubulcis circa armenta, quæ pascebantur: illorum plura in primis ad selectiora pascua separabantur, vt inde inciperent iam pro victimis designari. Sic Ouid.4. Pont.eleg.7.

——— *Gramine pasta Phalisco*
Victima, Tarpeior inficit icta focos.

Et Varro lib.2.de re rustica, c.5. loquens de tauris, ait: *Tametsi quidam de Italicis, quos propter amplitudinem præstare dicunt, ad victimas faciunt, atque ad Deorum seruant supplicia.* Post hanc ad selectiora pascua separationem, iamiam immolandi separabantur tauri, vt auro eorũ cornua inficerentur, vt corollis pulcherrimis ornarentur: vt dicat Plutarch. in

Minut. Felic. Hier.48. Amos 6. Ouid. Varro.

Plutarch. in triumpho Pauli Æmilij: *Ducebantur post hos centum viginti boues armentales cum auratis cornibus, quibus etiam mitræ, & coronæ.* Nihilque magis notum, & decantatum apud prophanos, quàm aurea cornua, quàm pretiosæ coronæ suarum victimarum, adeo, vt ex auro, & frontis ornatu imminentem iam gladium victimæ colligerent. Hinc Iuuenal. Satyr. 12.

Iuuen. *Sed procul extensum petulans quatit hostia funem*
Tarpeio seruata Ioui, frontémque coruscat.
Quippe ferox vitulus templis maturus, & aris.

Quid ad nostri Prophetæ rem pulchrius? Si licet aliquando prophana componere diuinis, compone Prophetam. & Vatem: hic loquatur de iam immolandis victimis, ille de impiis perditioni dãdis. A Vate vitulus describitur, & selecto gramine pastus, & fronte auro, mitris coronísque coruscans, quibus maturus iam ostenditur aris, quasi hostia seruata Diuis, & statim mactanda. A Propheta similiter ostenduntur scelesti Principes *opulenti*, farti delitiis, & diuitiis, selectiora potiuntes pascua, nimirum *confidentes in monte Samariæ, ingredientes pompaticè*, onusti auro, floribus redimiti. Quid ex hoc? An seruati victimæ Ioui? An maturi ararum focis? Planè ait: *Qui separati estis in diem malum, & appropinquatis solio iniquitatis.* Ex quo selectiori pastu farti, mitris, coronis, auro fronte coruscant, iam maturi ostenduntur victimarum gladiis, iam apparent lanienæ separati, & approximantes.

Ambros. Huc spectans D. Ambros. lib. de virg. dicebat: *Denique Petrus vulneratur, Iudas osculatur. Illum oscula condemnant, hunc vulnera emendant. Illius osculis proditionis venena funduntur, istius lachrymis culpa lauatur.* Sic prosperitas hominem nequam perditioni designat, luctus, & angustia erigit in spem vitæ. D. Max homil. 7. de sancto latrone, latronis dolores cum Iudæ fauoribus componens ait: *Mira res, plus in cruce latro Christum diligit, quàm Iudas dilexit in cœna. Ille per cibum supplantat Magistrum, hic credidit Dominum per dolorem, sic ait Proph. Qui edebat panes meos, adampliauit aduersus me supplantationem.* Hæc ille.

Text. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, vlceribus plenus, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis, sed & canes veniebant, & lingebant vlcera eius.

§. IV.

Nimia rerum abundantia, & copia plus solet virtuti esse, quàm omnia mala.

LIcet in præsenti videre & calamitatum, & felicitatum phalanges aduersus virtutem, & Deum armatas. Vide in diuite felicitatum exercitum, cui militat aurum, militant pretiosa ornamenta, mensæ lautæ, conuiuia quotidiana, & continua omnium delitiarum suppeditatio. In Lazaro autem exercitus inuenitur longè alius, constans omni genere calamitatum; ibi extrema paupertas, summa desolatio, morbi, vlcera, dolores ingentes, rabidissima fames. Quorsum illa bona, & hæc mala? Licèt tam diuersis exercitibus, dum prætenditur negotium, nimirum vt homines probentur, & virtus Dei pateat. Et ecce tibi omnia malorum genera nihil faciunt contra virtutem in Lazaro; felicitas autem, & abundantia in diuite nullum virtuti relinquunt aditum. Quid plura? Fortior videtur felicitas nimia contra Deum, & virtutem, quam vniuersa genera calamitatum. De

Matt. 24. extremis temporibus locutus Matth. 24. ait: *Surget gens in gentem, & regnum in regnum; & erunt pestilentiæ, & fames, & terræmotus per loca. Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos*, &c. Hæc de malis temporis illius; & post hæc ait: *Sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes vsque ad eum diem, quo intrauit Noë in arcam, & non cognouerunt, donec venit diluuium, & tulit omnes; ita erit & aduentus filij hominis.* Componite modò: in primis bella, & pestilentiæ, fames, occisiones, & omnium tribulationum genera apparebunt; post hæc conuiuia, nuptiæ, gaudia, celebritates, & omnia ad iucundissimam pacem spectantia? Cur magis tribulationum exercitus non durabunt? Cur in tempore probationi determinato, datus est locus paci, conuiuiis, gaudiis? An hoc ad probationem poterunt deseruire magis quàm bella, pestilentiæ, fames? Equidem permittuntur tunc temporis pacis gaudia, & conuiuia, vt quæ sic valeant contra virtutem, vt mirum sit, si

Paschas. inter illa aliquis Dei memor permaneat. Ait Pasch. *Post pugnas, & dissensiones insidiantium, & cætera, quibus semper genus vastatur humanum, breuis ad modicum subsequenda est pax, quæ quietare permittit omnia, vt fides credentium comprobetur, virum transactis malis, sperent iudicem Deum esse venturum.* Quasi vniuersa mala non sufficienter probauerint homines, introducuntur bona, conuiuia, felicitates adeò efficaces probationes, vt illis positis, meritò possit dubitari, an maneat, qui Deum nouit spectare. Fortè ad hæc miraris? Accipe aliud, vnde mirere magis: propone tibi ob oculos diuitem hunc Epulonem, & iudicem inquum, de quo Lucas 18. vtrumque vult Deum adducere ad virtutem, & vt ad virtutem adducat, obiicit diuiti Lazarum, & iudici iniquo viduam obiicit miserabilem. Armatur diues, armatur iudex contra voces miserandas, ne virtutem faciant. Diues armatur purpura, & bysso, & epulis, & conuiuiis quotidianis: iudex armatur contemptu Dei, despectu hominum, qui *nec Deum timebat, nec homines reuerebatur.* Vter durior, & inexorabilior, qui purpura & bysso, & conuiuiis; an qui Dei, hominúmque despectu armabatur? Planè hic, quàm ille expugnabilior à virtute apparuit: obdurato enim Epulone ad Lazarum, sic iudex ad viduam fatur: *Etsi Deum non timeo, nec hominem reuereor, tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illã.* Non sic Dei, hominúmque contemptus hominem ad virtutem obdurarunt, vt purpura, & byssus, & epulę videntur obdurasse. Qui nec Deum, nec homines timebat, tamen viduæ flectitur clamoribus: qui purpura induebatur, & epulis vacabat, nullo mouetur clamore pauperis Lazari. Chrysost. hom. 1. de Lazaro ait: *Nihil misericordiæ sensit Epulo; sed illo quoque iudice, qui neque Deum metuebat, nec hominem reuerebatur, & impudentior erat, & inexorabilior: nam illum quidem viduæ instantiæ, quamuis crudelem, & asperum, tamen flexit ad gratificandum, viuitque mulieris supplicatio. Hunc verò ne ista quidem res flectere potuit ad subueniendum pauperi.* Nescio quid habet delitiosa vita magis virtuti aduersarium: sæpe vidi obduratissimos publicanos tangi vel pauperis clamantis importunitate: à comptulis autem istis in otio, & lætitia viuentibus raro, aut numquam aliquid extorquet vel miserabilissimi clamor pauperis. Hæc vox deliciosorum, Sap. 2. *Venite ergo, & fruamur bonis, quæ sunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. Vino pretioso, & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant; nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo vestrum exors sit luxuriæ nostræ. Vbique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra. Opprimamus pauperem iustum, & non parcamus viduæ*, &c. Expende, quid ab vnguentis, à vino, ab epulis, à floribus sertis prodeat, qualis sit horum coronatorum, & epulantium sonus, nimirum opprimamus pauperem iustum, & non parcamus viduæ. August. *Ex hac enumeratione libidinum, videte in quæ facinora, & in quàm immania scelera prosilietur. Exhausti enim, atque submersi immoderatorum deliciorum corruptela; opprimamus, inquiunt, iustum pauperem, non parcamus viduæ. Omnia horrenda facinora, quæ timentur in sceleratis hominibus, videte de qua labe consurgant: id dudum dicebant: fruamur bonis, quæ sunt; vino pretioso, & vnguentis nos impleamus; nunc dicunt opprimentes pauperem, non parcamus viduæ. Vinum sequitur furor, vnguenta tormenta, sanguis rosas, ira lætitiam.* Solent à prædonibus, à latronibus, à Dei osoribus crudelissima damna timeri; sed iam ostenditur nihil esse sic exitiale, vt sunt lauta conuiuia, bonorum affluentia; hæc magis possunt aduersus Deum, & virtutem, quàm omnia reliqua. Propone tibi duarum feminarum impugnationes aduersus hominem: Eua insurgit aduersus Adamum, & vxor aduersus Iobum: Euæ militat dulcis esca, integer deliciarum paradisus; vxori Iobi militat paupertas, sterquilinium, morbi, dolores immensi, vermes ab vlceribus scaturientes. De quo magis timeas, de Adamo impugnato deliciis, epulis; an de Iobo impugnato paupertate, doloribus, desolatione, vermibus. Pulchrè August. *Euam Adam in paradiso non recusat, repulit Iob in sterquilinio. In stercore sedebat Iob, cùm flueret vermibus, atque putresceret, sed melior Iob vulneribus plenus in stercore, quàm Adam integer in paradiso.* Sic efficaciores sunt deliciæ ad perdendum, quàm mala alia vniuersa.

Chrysost. | Sap. 2. | August. | Idem.

§. V.

Epulæ, seu conuiuia, in quibus Deus adest, minimè sustinent iacere desolatum pauperem vllum.

DVm hominis diuitis afferuntur epulæ, lautáque celebrantur conuiuia: *Erat quidam mendicus nomine Lazarus*

Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius. Sapienter solus dicitur homo diues epulari, dum desolatus mendicus ad eius ianuam iacere dicitur. Hominis enim est, non Dei conuiuium, quod patitur iacere desolatos mendicos. Fallar, si clariori aliquo signo ostendi posset Deus, & non solus homo adesse conuiuiis, quam si non permittatur iacere desolatus pauper vllus. Quis nesciat cœnaculum illud magnum in quo Deus homo Christus manducauit Pascha cum discipulis suis? Ibi mensæ Dominus accubuit, ibi corporis sui panem, & sanguinis calicem communicauit: inde *hymno dicto exierunt in montem Oliuarum.* Nec aliò potuerunt diuertere, qui à conuiuio illo exierant, quàm ad montem Oliuarum: semper enim conuiuium, in quo Deus adest, impellit ad multiplices misericordiæ actus. Cum hoc conuiuio componit Chrysost. conuiuium quotidianum, quod celebratur in altari, & inde probat, non solum illud, sed & hoc Dei præsentia gaudere, quò necesse habeamus exire ad pauperes, nullósque permittere iacere desolatos: quippe ait Chrysost. hom. 83. in Matth.

Chrysost. *Non sunt humanæ virtutis hæc opera, quæ tunc in illa cœna confecit; ipse nunc operatur, ipse perficit. Cum discipulis meis, inquit, facio pascha: hæc enim illa, non alia mensa est; hæc nulla re minor, quàm illa est. Non enim illam Christus, & hanc homo quispiam facit, sed vtramque ipse. Hoc est illud cœnaculum, vbi tunc Christus cum discipulis erat, hinc ad montem Oliuarum exiuit. Hinc & nos ad manus pauperum exeamus, ibi enim mons Oliuarum est. Oliuæ in domo Dei plantatæ multitudo pauperum est: hinc stillat oleum, quo nobis nunc opus erit: hoc est, quod virgines habebant; hoc est, quo alteræ carentes perierunt.* Expende illa verba: *Non enim illam Christus, & hanc homo quispiam facit,* &c. Meritò canit mensæ huic altaris non solum simplicem hominem, sed Deum hominem Christum adesse, vt Deus homo Christus adfuit cœnæ illi, in cœnaculo celebratæ, de qua exiuit in montem Oliuarum. Quid tunc? Ex eo, quod vtramque hanc mensam fecerit non homo simplex, sed homo Deus Christus, quid inde? Id maxime inde elicit, quòd necessum sit mensas à Deo præsentia sua honoratas non esse absque misericordia in pauperes; sed vt altera egit conuiuas suos in montem Oliuarum, sic altera nos agat in manus pauperum, in quibus oliuæ sunt, de quorum oleo curentur vulnera pauperis, & lampades nostræ numquam apud Deum extinguantur. Ad has oliuas nos mittat, necessum est, conuiuium, in quo non homo solus, sed & Deus adsit. Nolo comessationes, nolo conuiuia penitus extirpare: sed signum offero euidentissimum, quo prospicias, an Deus tuis conuiuiis adsit. Cum conuiuia paras, cum epulas diuidis inuitatis, simul agis, vt pars aliqua pauperibus exhibeatur. Sanè mensam hanc non homo quispiam, sed Deus, & homo facit; mensæ Deum habentis proprium est, ad oliuas impellere, ad misericordias faciendas inclinare. Quam mensam homo sine Deo facit, ex immisericordia manifestè notatur.

Amos 6. De hac loquebatur Amos cap. 6. inquiens: *Væ qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti. Qui canitis ad vocem psaltery: sicut David putauerunt se habere vasa cantici. Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti; & nihil patiebantur super contritione Ioseph.* Ecce tibi, & conuiuia, & compotationes, & immisericordia erga egentes fratres. Nihil patiuntur super contritione Ioseph, super egente fratre, dum epulis ipsi, & compotationibus instant; dum ferculorum adipibus implentur, dum ad hauriendos calices mutua propinatione sese alliciunt: quid iniquius? Fallar, si Deus adsit istis conuiuiis. Aiebat D. August. serm. 231. de

August. tempor. *O infelicitas generis humani, quàm multi inueniuntur, qui ebriosos amplius quàm oportet, cogunt eos bibere, & ante ostium pauperibus petentibus vel vnum calicem dissimulant dare. Qui tales sunt, quando alios in nimio potu sepeliunt, pauperi eleemosynam petenti dicunt: Vade in ante, & dabit tibi Deus. Quid est ergo quod dicit, vade in antè, & dabit tibi Deus, nisi vade ad illum hominem, qui habet Deum, quia daturus est Deus? At sic ore suo ipse confitetur, apud se Deum non esse, quo sperare possit erogare pauperibus.* Estsanè quando inter pinguia conuiuia, inter calicum concertationes, quibus & pleni iam coguntur iterum ad epulas, ad vina descendere; & pauper ieiunus permittitur perire, aut iubetur abire: in iis conuiuiis non potest esse Deus. Magnificus, imò superfluus ad conuiuas tuos, pauperi petenti dicis: Abi, Deus te adiuuet; planè ostendis apud te Deum non esse, quando à te iubes abire illum, qui à Deo recepturus est auxilium. Et quid parient aliud lauta conuiuia, in quibus Deus non adest, nisi immisericordiam, nisi inexorabilem cordis duritiem? De iis ait

Deut. 32. Deut. 32. *Impinguatus est, incrassatus est, dilatatus est dilectus,*

Chrysol. *& recalcitrauit.* Circa quæ verba Chrysol. concion. 1. de Lazaro notat *Non ait, recessit, sed recalcitrauit, illius intractabilitatem nobis significans.* Vt enim Deo accepta conuiuia eò tendunt, vt homines hominibus fiant tractabiles, & humani; sic ex conuiuiis, à quibus Deus exulat, nil prius elicitur, quam intractabilitas; & inhumanitas, quibus homines efferantur.

§. VI.

Vt in proximo sunt tibi pauperes, sic in proximo salutem habes.

ECce ad diuitis ianuam mendicus iacet, cupiens de illius micis saturari, quem vbi despicit diues, non solum putandus est despicere mendicum, sed & ipsam Dei misericordiam in paupere etiam iacente ad ianuam. Ait enim D. Chrysol. serm. 121. *Iste diues non pauperem, sed ipsam misericordiam despexit ad ianuam suam Lazaro sic iacente.* Idem. Non longius erat à diuite Dei misericordia, quam pauper, vtcque iacebat ad ianuam; non enim salutis præmia plus distant, quàm eleemosynarum erogatio, sed illa hanc comitantur. Circa Emaus castellum duobus discipulis Iesus in peregrini specie apparet; peregrinum socium illi admittunt, ad hospitium inuitant, & morantem compellunt intrare, mensam apponunt, offerunt peregrino panem. Quid tunc? Ait Luc. c. 24. *Factum est autem, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, ac porrigebat illis, & aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum.* Luc. 24. Non amplius stulti, & tardo corde; panis in manu peregrini frangitur, & hospitantium cæcitas, & tarditas abest. Non plus distauit Dei cognitio salutaris, quàm erogatio panis distauit. Pulchrè D. Laur. Iust. de triumphali Christi agone, cap. 25. *In panis fractione potius quàm in prædicatione agnoscere meruerunt, quatenus sicut egeni miseris sunt, ita misericordiam reperirent.* Iustin. Ibi vbi pauper accepit misericordiam fuerunt nacti; iunctæ sunt semper & misericordia Dei, & erogatio in pauperes, nequit altera distare ab altera. Tam in proximo habebis Dei misericordiam, quam in proximo habeas pauperes, quibus de tuis bonis aliquid largiaris. Laodicensi Episcopo, qui fallaciter se diuitem, & locupletem putabat, sic ait Dominus Apoc. 3. *Æmulare ergo, & age pœnitentiam: Ecce sto ad ostium, & pulso.* Apoc. 3. Cur, Domine, ad ostium stas pulsans? Si ad amicum accedis, cur non intimius intras? Si ad inimicum, cur adeò accessibilem te præbes, vt pro eius foribus adsis? Sunt ad ostium diuitum pauperes, quibus sese Dominus assimilat, vt ostendat se nec proximiorē, nec distantiorem esse, quàm est pauper, cui penitus assimilatur. Ad hæc Rup. lib. 2. in Apoc. ait: *Illud, quod hactenus corripiens te, dixi, simile est flanti ad ostium cuiuspiam diuitis, & pulsanti, quatenus admissus hospitio cœnet cum illo.* Rupert. Non præteriit peregrini pauperis terminos Dominus, nec ab illis elongatur, sed quò pauper solet peruenire hospitium quærens, eo accedit Dominus etiam, cùm magis se ostendit in peccatores iratū: vt intelligant omnes, non magis distantem à se habere Dominum, quam pauperes habent. Quid proximius diuitibus, quàm sunt pauperes? Eorum perpetuo hærēt ianuis; æquè proximus illis Deus adest, non longiori via egent, vt perueniant ad Deum, quàm vt perueniant ad pauperem. Huc spectat illud Isaiæ cap. 58. *Frange esurienti panem tuum, egenos, vagósque induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam non despexeris. Tunc erumpet quasi manè lumen tuum, & sanitas tua citius orietur, & ante ibit faciem tuam iustitia tua, & gloria Domini colliget te. Tunc vocabis, & Dominus exaudiet; clamabis, & dicet: Ego adsum.* Isai. 58. Non magis distabit Deus à te, quàm pauper; dum egenos induxeris in domum tuam, non longum iter capias, vt Deum habeas; habes Deum præsentem illi ipsi loco, cui pauperem. Pulchrè D. Chrysost. hom. 55. in Matth. *Non dixit, montes pertranseas, maria nauiges, tot, tantáque terræ iugera effodias, ieiunus permaneas, cilicio te induas, sed præbe de tuis, frange panem esurienti, iniusta chirographa prouce. Quid istis facilius inuenire potes?* Chrysost. Non est necesse plus ambulare, quàm vsque ad pauperem, vt Deum inuenias; quid proximius? Ij pro foribus adstant: ij continuo tibi sunt ad manus; ne minùs ad manus habeas Deum, cui satisfacias. De muliere forti dicitur Prou. 31. iuxta Sept. apud Complut. & Reg. edit. *Manus suas aperuit pauperi, & fructum extendit inopi.* Prou. 31. Nec putes hic eundem esse pauperem, & inopem; superflua enim videretur repetitio. Sed alius est pauper, cui manus suas extendit, & alius est inops, nempe Christus, cui extendit fructum, vt inde ostenderetur, quàm fini, & quàm ad manus inueniātur pauper, & Christus; pauper, cui liberalem misericordiam exhibeas; Christus, cui pendas debitum fructum, & satisfa

August. satisfacias illi. Ait August. *Manus pauperi, fructus inopi est; quidam inops fructum tuum quærit, qui non vult à te nisi quod necessitati suæ prosit, pauper est, manus suas quærens. Est autem alius inops, scilicet Christus, qui non quærit datum, sed requirit fructum.* Itaque eadem extensione manus, qua pauperem inuenis, inuenis & Christum, cui satisfacias pro debitis fructibus; non plus distat Christus, quam pauper, sed simul, & in eodem loco sunt, vt dum pauperi exhibes, de satisfactione præstita Christo viuas.

§. VII.

Pauperibus Christi solum licet concupiscere, quæ vilia sunt, & necessaria ad vitam sustentandam.

AD diuitis quotidie splendidè epulantis ianuam iacebat Lazarus, bonus Christi pauper & de tot splendidæ mensæ cibis, vnum solum concupiscit de cadentibus micis saturari. Sic enim ait textus: *Cupiens saturari de micis, quæ cadebant*, &c. Longè appetibiliores erant in mensa diuitis epulæ aliæ, quæ vel mortui cupiditatem poterant excitare, imò irritare: sed bonus pauper non has cupit, solum de vilibus micis amans saturari. Huc veniant vniuersi Christi pauperes; vniuersi, qui desiderio perfectionis paupertati nomen dederunt, & vestigia sequuntur Christi pauperis, & videant, quid liceat illis concupiscere de diuitum facultatibus. Præ oculis erat byssus nudo, & vlcerato Lazaro. præ oculis erant famelico mēsæ pretiosis obsoniis fartæ: & de iis omnibus nihil concupiscit, nisi solas micas panis. Nec aliud concupiscere licet pauperibus Christi de tota mundi despecti substantia, nisi quod vile, & necessarium est ad sustentationem vitæ humanæ. Hinc probat D. Nilus in Ascetico, pauperes Christi sese extulisse super omnes mundiales potestates.
Nilus. *Frugalitatem enim amplexi dii paucis, minimisque rebus contenti sunt, eò peruenerunt, vt nullis indigerent, proximéque ad incorporeas virtutes accederent. Quamobrem cùm obscuri, ingloriisque essent secundum corpus, illis, qui omnia posse videri volunt, potentiores extiterant.* Expende, de quo fonte veniat omnis pauperum Christi excellentia, quòd mundialium gloriam superent, & appropinquent angelicæ, nimirum *dum paucis, minimisque rebus contenti sunt:* dum in eorum optatis nihil grande, sed omnia vilia, & frugalia sunt. De primis Christianæ paupertatis fundatoribus dicit, Actor. 2.
Act. 2. *Possessiones, & substantiam vendebant, & diuidebant illa omnibus, prout cuique opus erat. Quotidie quoque perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione.* Et in cibo, & in vestitu id solum attendebatur, quod vitæ erat necessarium: tota exultatio erat de solo accepto pane in cibum. Quid felicius paupere Christiano? Bene D. Petrus Damian. serm. de omnibus sanctis, ait: *Qui pauper est spiritu, vilitate gaudet, humilitatem amplectitur, desideria terrena conculcat. Illa paupertas execrabilis est, quæ regio spiritu intumescit.* Suam rideat, imò execretur paupertatem, qui sub paupertatis voto pretiosa quæque amat, suauiores semper escas meditatur, honoratiores affectat gradus, nihil non excelsum, & sublime mente tractat. Hic non est spiritus paupertatis, sed regius fastus, & pestilens tumor, qui solet Christi pauperes infestare. In hos
Damian.
Bernard. D. Bernard. hom. 4. super Missus est: *Video post spretam sæculi pompam nonnullos in schola humilitatis superbiam magis addiscere, ac sub alis mitis, humilisque magistri grauiùs insolescere, & impatientes amplius fieri in claustro, quàm fuissent in sæculo. Quódque magis peruersum est, plerique in domo Dei non patiuntur haberi contemptui, qui in sua non nisi contemptibiles esse potuerunt, vt qui videlicet, vbi à pluribus honores appetuntur, ipsi locum habere non meruerunt, saltem ibi honorabiles videantur, vbi ab omnibus honores contemnuntur.* Ij tumores solent Christi pauperibus innasci, quibus perdantur, reddántque Deo, & hominibus suam paupertatem execrabilem. Quæ enim vera paupertas est cœlorum regno destinata, quidquid sublime, & pretiosum est, calcat, vilitate gaudet. Felices illi Magi, qui prima paupertatis cœlestis viderunt cunabula. Matth. 2.
Matth. 2. *Procidentes adorauerunt puerum, & apertis thesauris suis, obtulerunt aurum, thus, & myrrham.* Cur hæc offerunt puero, & pauperi? Sanè offerunt, & abdicant à se, quæ præsentiebant adimenda ab illo, qui spiritu paupertatis seminabat, vt in humilitate, & fragilitate, vilibus gaudentes, eius
Tertull. asseclæ agerent. Tertull. lib. de idolol. *Nam & thus illud, & myrrham, & aurum ideò infanti Domino obtulerunt, quasi clausulam sacrificationis, & gloriæ sæcularis, quam Christus erat ademturus.* Quidquid ad gloriam, ad honores, & delitias sæculares spectat, hoc à se abiiciunt, & ponunt ad pedes diuini infantis, scientes omnia illa auferenda esse à suorum cordibus per Principem, & Magistrum paupertatis, qui nullo modo permittit pauperes suos nisi in vilibus, & abiectis exultare, nisi velint turpiter cadere. De illis Isaias, cap. 4. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ*, &c. Quid felicius iis, qui mundialia bona exuerunt, qui nesciunt in alio, quàm in Domino sperare? Ij profectò sublimi se eleuant volatu, & sicut aquilæ astrorum altitudinem æmulantur: ait enim D. Bernard. serm. 3. in aduent. *Magna quædam penna est paupertatis, qua tam citò volatur in regnum cœlorum.* Sed ô pauper Christi, vt paupertatis penna, velut aquila, te super astra extollis; caue, ne sicut aquila etiam te præcipites ob appetentiam escarum carnalium; quippe D. Ambros. lib. 3. de virgin. ait: *Escis quoque omnibus, quæ gignant membris calorem, parcè vtendum puto. Carnes etiam aquilas volantes deponunt: in vobis quoque auis interior illa, de qua legitur, renouabitur, vt aquila iuuentus tua, sublime tenens, virgineo perpes volatu, superfluæ carnis nesciat appetentiam.* Vt appetentia humi iacentis carnis sublimes volatu aquilas facit à cœlo ipso descendere, & in ima terrarum sese præcipitare, vt cupitis fruantur epulis: sic vbi in religioso corde excitatur appetentia superfluæ carnis, appetentia superflui circa victum vestitúmque, & alia splendidiora sæculi proculdubio trahet hominem à cœlorum sublimi ad imum inferni. Quod prosecutus D. Bernard. serm. 3. in Psalm. *Qui habitat*, sic fatur: *Quid ergo timendum est sic volanti, nisi ne fortè cadauer, vel simile aliquid in terra videat, cuius desiderio tractus videatur à venatoribus pessimis, & præparatis laqueis captatur, & fint nouissima hominis illius peiora prioribus? Hoc est, quod vehementer singulis timendum est, ne quando fortè eatenus Deum offendant, vt manifestè abyciantur, & euomantur: aut si pudor neget apostasiam corporis, tepor ipse paulatim ingerat apostasiam cordis, vt videlicet in habitu religionis cor sæculare gerant, & quidquid sæcularis consolationis inuenire potuerint, amplectantur.* Quis credat Deo esse religiosum, & Christianæ paupertatis æmulatorem, illum, qui ad carnalia, & sæcularia euolat; qui de sæculi bonis, & consolationibus, & gaudiis illa sola dimittit, quæ nulla potentia, & diligentia habere potest? Huic pauperis professionis frugalitas non penna est ad cœlum, sed pœna durissima, qua mergitur in abyssum. Fallar, nisi hunc indigitaret Iob cap. 26. dum inquit: *Gigantes gemunt sub aquis:* qui giganteo robore videbantur posse cœlestia omnia sustinere humeris, sub aquis, hoc est, sub frugali vita, pane, & aqua vilibúsque contenta, dant tristia suspiria, & quasi sub immenso pondere pressi merguntur. Et dum pretiosis vinis, pretiosis & suauibus epulis, splendentibúsque sæculi bonis inhiant, quid mirum si panem, & aquā, si sola necessaria ad vitam putent durissima, & importabilia, miserisque crucientur & querelis, & suspiriis? Hoc malum, hanc pœnam vt æternæ proximiorem curat diabolus religiosis hominibus immittere. Vnde famelico Iesu accessit tentator, Matth. 4. *Si filius Dei es, dic, vt lapides isti panes fiant.* Quæ verba ponderans Galfrid. apud Tilmanum in allegoriis, ait: *Ille dicit, vt lapides panes fiant, qui duritiam disciplinæ, quam professus est, conuertit ad commoditatem vitæ, non recolens in verbo Dei sibi potius esse viuendum. Peius tamen dicit aliter, vt panes lapides fiant, cùm necessaria suppetant, occasiones querelæ, & murmurationis exquirens.* Malum est religioso pauperi duritiem professionis ad commoditatem retorquere suam; sed illud pessimum, quòd de frugali victu, & vestitu ponderosum, & importabilem lapidem efficiat, & quasi quid durissimum effingat, quo semper in querelis, & murmurationibus religiosæ frugalitatis viuunt. Quisquis ergo hæc præcauere studet, & de Christianæ paupertatis æmulatione gloriari cupit, hoc faciat, ne sibi permittat velle, nec desiderare nisi abiecta, & vilia. Quidquid splendidum, quidquid opulentum est, nullo prætextu accipiat. Sic Apostoli faciebant, cuius ad pedes ponebantur venditarum possessionum pecuniæ. Actor. 4. *Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant. & ponebant ante pedes Apostolorum.* Vbi sapienter notat D. Cyrill. Hierosol. catech. 10. *Pedibus diuitias ad pauperum alimenta oblatas conculcabant.* Falluntur enim plurimi Christi pauperes, qui diuitias amant, prætextu benefaciendi pauperibus. Heu quàm fallax prætextus iste; equidem Apostoli, etiam oblatas pecunias pro pauperibus sustentandis despiciebant, conculcabant: scientes pauperi cordi nullo prætextu licere, diuitias spectare.

Isai. 4. Bernard. Ambros. Bernard. Iob 26. Galfrid. Actor. 4. Cyrill.

Text.

Text. Factum est autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno.

§. VIII.

Omnia eueniunt apud Deum contraria iis, quæ nunc apud mundiales censentur.

ECce qui iacebat ad ianuam, & qui splendebat in toro, vbi apud Deum venitur, quàm miras in se mutationes ostendat; dum ille in cœlorum sublimibus, & hic apparet in imis inferni. Sanè apud veracem iudicem Deum è conuerso repræsentantur omnia esse in veritate, quæ aliter apparebant in terra. Miserum exhibebat Lazarum terra, felicem epulonem; vbi ad Deum acceditur, non sic, sed Lazarus felix, & miser epulo exhibetur. Præclarè de omnium
Sapient. 7. creaturarum iudice Filio Dei dicitur Sap. 7. quòd sit *candor lucis æternæ, speculum sine macula Dei maiestatis*, &c. Speculum est Dei Filius, speculum est iudex viuentium omnium, & mortuorum, & quid, quòd sit speculum? Speculum è conuerso repræsentat, quæ sibi accedunt; si adsis speculo, in illo appares sic commutato situ, vt dextera in sinistris, & sinistra in dextris appareat. Speculum est fulgentissimum Filius Dei, & quidquid mundialibus dextrum putatur, in sinistris ostendat, necessum est; quod autem sinistrum modò videtur, in dextris apparere facit. Quocirca aiebat Galfri-
Galfrid. dus in allegor. Tilmanni: *Contigit, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis. Mortuus est autem diues & sepultus est in inferno. Videbatur ad dexteram Domini stare, dum viueret, sed moriens statim inuentus est ad sinistram. Videbatur & pauper positus ad sinistram, dum multipliciter affligeretur, sed ad dexteram factus est, dum in sinum Abrahæ portaretur.* Sic perlucidum speculum Deus in se ostendit commutatos situs rerum mundialium, vt in dextris sint, quæ sinistra, & in sinistris, quæ dextera videbantur. Vnde ipse clamabat, Matth. 5.
Matth. 5. *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proiice abs te: Et si manus dextra tua scandalizat te, abscinde eam.* Scindendum manum dexteram vocat, & dexterum oculum etiam scindendum: cur non magis communi vtitur vocabulo, dicens, si manus tua, vel si oculus tuus? Cur maluit addere oculum dexterum, manum dexteram? Simul voluit ostendere, quæ sint huius sæculi dextra; quæ sanè nisi abscindantur, in futuro sæculo sinistra erunt. Sinistra enim venturi iudicis tota implebitur de mundialibus dextris. Ait D. Laurentius No-
Laurent. Nouar. uariensis, homil. de pœnit. *Quando committis peccatum, oculo tibi ministrante, dulce tibi, & dextrum videtur. Et dextrum hoc tunc corrigitur in sinistrum, quando residente Domino, & discutiente peccata cœperis inter multos alios & ipse audire: Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Ecce quàm è conuerso res accidant iudicante Domino, qui ostendet sinistra esse, quæ modo apparent in dextris. Infelix, qui nititur huius mundi dextris, quando hæc non dextera, sed sinistra sunt apud Deum, apud quem quod est dexterum, verè dexterum est.
Psal. 136. Psalm. 136. *Si oblitus fuero tui Hierusalem, obliuioni detur dextera mea.* Et cuius dexteræ petit obliuionem? Dum fecit dexteram, solam æternam felicitatem intelligit, quæ sola est, & vocari potest dextera; temporalitas enim non dextera, sed
August. sinistra est. Ex quo D. August. *Qui obliuiscuntur Hierusalem, hoc contingit, quod dicit, obliuiscitur illos dextera eorum. Vita enim æterna manet in se, illi manent in delectatione temporali, & faciunt sibi dextrum, quod sinistrum est.* Hoc habent, qui temporalibus delectationibus adhærent, putant dextrum, quod sinistrum est; adeò vt qui modo omnia dextra videntur habere, dum ad mortem ventum fuerit, in perlucido iudicij diuini speculo in sinistris consistere apparebunt.

§. IX.

Temporalitatibus seruienti nec vlla sepulturæ requies permittitur.

NOn otiosè vbi defunctum epulonem ostendit, de eius sepulchro in terra tacet, & solùm dicit, sepultum fuisse in inferno. Cur etiam de sepultura eius in terra non facit verbum? Cur, vt defunctum perhibet, simul & eius exequias, & nobile sepulchrum in terra ostendit, sed statim transit ad sepulchrum inferni? Ne dum terræ sepulturam meminit, aliquam spem, vel quietis, vel alicuius boni apparenter ingeneret, quando ille, qui terrenis se bonis immersit, non potest habere sepulchrū, quod boni speciem præseferat. Hierem. cap. 22. *Hæc dicit Dominus ad Ioakim filium Iosiæ* Hier. 22.
Regē Iuda. Non plangent eum, væ frater, & væ soror; non concrepabunt ei, væ Domine, & væ inclyte. Sepultura asini sepelietur, putrefactus, proiectus extra portas Hierusalē. Nihil vel sepulchralis solatij permittitur impio regi; nec ei ea sepultura datur alia spes, quā asino: vt enim asinus in sepultura solos rodentes vermes spectat, sic ille, qui temporalibus sepultus vixit, eam solam habebit sepulturam, ex qua nihil boni, sed omnia tremenda sibi auspicetur. Pulchrè enim D. Ambr. lib. 3. epist. 12. *Qui enim viuum se sub terram infodit, & tamquam in sepulchro sepeliuit, eripuit sibi mortuo requiem sepulturæ. Depositus itaque in valle corporalium delectationum non inuenit sepulchrum, de quo possit resurgere.* In terrena sepultura requies promittitur defunctis, insuper & promittitur illis, quòd germinabunt iterum, & inde florebunt rediuiui, vt de terra germinant, & florent quæuis semina, quæ ibi putrescunt sepulta. Hinc spem ebibunt à terræ sepultura, qui terrenis despectis, cœlestibus bonis inhiantes duxerunt vitam. Qui autem viui sese terrenis tradiderunt bonis, illis penitus immersi, & sepulti, terrenæ sepulturæ spem abiecerunt, nec meruerunt habere sepulturam, ex qua aliquid sibi boni possent præsagire. Vnum habebunt in inferno sepulchrum, quod flāmanti æstu omnem viuendi spem funditus succidat, & miseram animam quasi fœtidum cadauer æterno vermi rodendam detineat. Sic ad superbissimum, & deliciosissimum tyrannum aiebat Isai. cap. 14. *Tu autem proiectus es de* Isai. 14.
sepulchro tuo, quasi stirps inutilis pollutus, & obuolutus cum iis, qui interfecti sunt gladio, & descenderunt ad fundamenta laci, quasi cadauer putridum. Expende illud *quasi stirps inutilis*, vt enim stirps arida & sine succo etsi terræ insita sit, nulla est ei spes, quòd de terra germinet, sed etiam inter fœcundissima arua signatur igni: sic voluptuosi homines nihil boni habent, quod sperent de sepultura; in qua enim sancti habent, quòd rursus germinabunt, & in flores ibunt; voluptuosi solùm expectant, quòd æterno cruciabuntur igne.

Text. Eleuans autem oculos suos, cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eis. Et ipse clamans dixit: Pater Abraham miserere mei.

§. X.

Hoc est præstantissimum hominis remedium, si videat.

NOn cunctatus est miser in misericordia postulanda, cum primùm vidit Lazarum in Abrahæ sinu; visus hic illum fecit currere ad misericordiam petendam, sed fuit visus serus nimis; *Cum enim esset in tormentis, vidit.* Non antea vidit, non antea aspexit; posset enim illi vel vnus temporaneus visus salutis præstare remedium. Deditus antea deliciarum epulis, fercula pretiosa videbat, & vina rubentia, nihil aliud quiuit videre. Vbi autem ab iis abstractus Lazarum vidit in Abrahæ sinu, anxiè veniam postulat, quam & acciperet, nisi visus, & postulatio serotina essent. Felix cui datum est in tempore posse eleuare oculos, & videre, fallar si visus non attulerit malis remedium. Propone tibi ob oculos serpentem illum antiquum frondenti arbori innexum, & de sub viridantibus foliis, de sub aureis fructibus illud instillantem venenum Genes. 3. *In quacumque die co-* Genes. 3.
mederitis, eritis sicut Dij. Hæc verba dabat mulieri serpens latens sub aureis escis. Quid tunc mulier? *Vidit mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, tulit de fructu illius, & comedit*, &c. Nil vidit mulier præter escas, nil vidit præter arboris pulchritudinem, & amænitatem, sicque totum ebibit serpentis venenum, & vniuersa mala mundo inuexit. Quis ignoret Israëlitarum calamitates in deserto? Cadebunt passim percussi à venenosis serpentibus, in cuius mali remedium de Dei mandato serpens æneus fit: & assumptum serpentem æneum Num. 21. Moyses, *posuit eum pro* Num. 21.
signo, quem cum percussi aspicerent, sanarentur. Serpentem obiicis ô bone, vt sanentur homines, cùm vniuersa hominum mala à serpente venerint? Serpens arbori innexus vbi mulieri accessit, perditionem mundo dedit; cur non magis caues à ligno, & serpente? Cur lignum, & serpens non magis suspectus homini erit? Expende medelam, *quem cum percussi aspicerent*, ponitur serpens, quem videant homines; mulier solùm vidit escas, solùm vidit arboris pulchritudinem, nihil

Xx 4 aliud

aliud attendit cæca. Vtinam & ipsa plenè videret; vtinam & nos videamus plenè; non malum hauriemus, sed visus dabit malorum remedium. Aiebat Philo lib de agricultura: *Portentosa quidem illa videntur. Draco mulierem decipiens, ac rursus aliis solo aspectu salutem afferens. Hanc speciem quisquis bene considerauerit, etiam si forte prius à veneficiis voluptatis morsus fuerit, necessum est eum viuere.* Et sane necessum est eum viuere, qui in tempore oculos aperuerit, & plenariè res intuitus fuerit. Vix homo habes, à quo timeas, vbi tibi datum fuerit, quòd plenariè res videas. Nosti puerum Elisæi timentem saluti suæ ab appropinquante exercitu 4. Reg 6. *Et orauit Elisæus, & dixit, Domine aperi oculos eius, & videat. Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit.* Vt consulat Elisæus puero suo, hoc solùm petit, & impetrat, vt puer videat; eo enim ipso, quòd quis plenariè res videat, vix poterit ab aliquo timere saluti suæ. Vnde aiebat D. Ambros. serm. 1. in rem præsentem, *Minus timere cœpit, postquam plus videre promeruit.* Vbi visus clarus est rerum, quid timeat homo? Quale malum non potest cauere? Ille irremediabiliter perit, qui non videt, qui cæcus volubilium rerum statui hæret Hinc Matt. 26. *Duæ molentes in mola, vna assumetur, & vna relinquetur.* Et cur vna ad molam assidens relinquetur? Vnam causam eius perditionis assignat Diuus Paschasius, quòd volubili rerum statui adhæreat cæca. Sic enim ait lib. 11. in Matth. *Altera verò, quæ permanserit cæca ad molam relinquetur gyrando in sua cæcitate. Alioquin ille Samson fortissimus numquam ad hanc molam venisset, nisi priùs gratiam Spiritus sancti, deinde oculos perdidisset.* Et quis habens oculos ad videndum vellet volubilibus rebus inhærere? Sanè solus cæcus iis hæret, & vt cæcus est, sic penè irremediabiliter perit.

Philo.

4. Reg. 6.

Ambros.

Matth. 26.

Paschas.

§. XI.

Ditissimis, liberalissimisque eleemosynarum largitoribus minimè impares sunt in præmio Christi pauperes.

Ecce tibi Abraham apparet in sinu habens Lazarum pauperem; habet quidem in sinu, hoc est, tanquam filium charissimum, & prorsus paternis virtutibus æqualem. Sic enim D. Chrysost. homil. 14. in Ioannem, ex eo quòd filius Dei dicatur esse in sinu patris, probat eiusdem cum patre æqualitatem. Sed quomodo Lazarus, & Abraham æquales? Hic ditissimus, ille pauperrimus: ille liberalissimis eleemosynis datis clarus, hic penitus nihil habens, quod posset dare. Vnde ergo æqualis? Dicatur Zachæus verus filius Abrahæ, quando dimidium substantiæ pauperibus dabat; at Lazarus Iobi sterquilinio magis, quàm Abrahæ muneribus potest comparari. Sed ea est paupertas in sancto paupere, quæ possit ditissimis largitionibus virorum misericordium æquiparari, & minimè inferior putari. Vnde aiebat Chrysostom. homil. 9. quòd nemo læditur, nisi à se ipso. *Paupertas non impedit hominem ad misericordiam faciendam, hominem inquo misericordem. Quamuis enim pauper sis, erunt tibi duo minuta, quæ cum obtuleris, super omnem diuitum censum reputabuntur tibi, & erit tibi manus plena farinæ, quæ sufficiunt tibi ad pascendum prophetam. Quòd si defuerint etiam hæc, numquam tibi, crede mihi, deerit calix aquæ frigidæ, ex quibus omnes diuitias effusas pro misericordia superabis.* Itaque vel omnium pauperrimus in summa paupertate habet, quo ditissimas largitiones exæquet, imò quo possit ditissimo cuique, & liberalissimo in largiendo assimilari. Dixerat Dominus Matth 6. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Pauperibus propriũ dicit esse regnum cœlorum non tamen audio illud dari alicui pauperi. Ea enim est vox regnum dãtis Matth. 25. *Venite, benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare.* Vbi hic inuenitur pauper? Bonorum suorum largitores, diuitiarum expensores, & erogatores hic in regnum tolluntur de paupere, qui nihil habuit, quod dederit, & nihil dedit, nec verbum audio. Quid habet commune munificentia largiendi cum extrema paupertate? Si ergo magnifici largitores tantum vocantur, quando pauperes ad regnum intrabunt? Equidem vbi magnifici in largiendo vocantur, pariter intrant, & pauperes, & magnificis largitoribus pares, & minimè ab illis separãdi. Pulchrè hanc excogitationem conficit Nyssen. orat. 8. de beatitud. aiens: *Pariter in cœlum ducit eum, qui pauper spiritu fuerit, & eos, qui condolentiam erga proximos præstiterint. Quid igitur ad hæc dicimus? Nam omnia inter sese cohærent. Etenim egestas pulsu facilis, & benignitas in pauperes, & egenos, à paupertate aliena non est.* Inseparabiles sunt paupertas spiritu, & magnifica benignitas in pauperes, neutra est in præmio sine altera: pariter ambo ducuntur in cœlorum regnum, & quo pertingit magnifica largitas, eo perducitur spiritu pauper. Numquam enim paupertas sciuit impar esse erogationibus largis. Ait enim Paul. 2. ad Cor. 8. *Altissima paupertas eorum, abundauit in diuitias simplicitatis eorum, quia secundum virtutem, & supra virtutem voluntarij fuerunt.* Expende illud, *abundauit in diuitias* &c. non enim sufficiens videbatur, si summa paupertas Christianorum æquaretur diuitibus largitionibus, sed & abundauit superans quascunque largas effusiones eleemosynarum. Ad hæc D. Thom. *Idem facit in paupere contemptus diuitiarum, quod in diuite abundantia, & ideo dicit, altissima paupertas sic supra abundauit, id est, effectum abundantiæ fecit in diuitias simplicitatis eorum.* Quidquid præstantis effectus ab abundantibus diuitijs nascitur, idem & superabundanter nascitur à Christiana, & perfecta paupertate.

Chrysost.

Matt. 6.

Matth. 25.

Nyssen.

2. Cor. 8.

D. Thom.

§. XII.

Impiorum gaudia magna non minoribus soluentur clamoribus.

Vidit epulo miser Abrahamum, vidit & à longè Lazarum, quid tunc? *Et ipse clamans dixit:* qui modo epulabatur, iam misere clamat, sic sapienter notat Prouerbium Hispanum: *A buen bocado, buen grito.* Nunquam enim minori clamore soluuntur impiorum gaudia. Thren. 2. *Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ, tradidit in manus inimici muros turrium eius, vocem dederunt in domo Domini sicut in die solemni.* Illuc vsque peruenit Israelitarum calamitas, vt à Deo repellerentur, vt in hostiles traderentur manus; sed inter hæc ait: *Vocem dederunt in domo Domini, sicut in die solemni,* quia captiuorum gemitus, & suspiria, & clamores luctuosi exæquabant instrumenta musica maiorum festiuitatum. Nullus fuit illorum cantus in die solemni, cui non responderet par clamor in die captiuitatis, quo eorum augeretur calamitas. Ait Rup. ibi cap. 42. *Magnitudinem doloris, & miseriarum cumulum quam vehementer expressit, dicendo: Vocem dederunt in domo Domini, sicut in die solemni, ac si diceret: Numquam altius in gaudio solemnitatis cecinerant, quàm nunc in angustia, & dolore suo clamauerunt.* Extrema sanè hominis est calamitas, quando non licet dedisse lætitiæ sonum, cui non æquè ingens luctus, & clamor respondeat. Cuius præterita gaudia, non tam gaudia apparent, quam certæ mensuræ dolorum. Hinc Iob. cap. 30. calamitates suas maxime ponderat fatus: *Frater fui draconum, & socius struthionum. Cutis mea denigrata est super me, & ossa mea aruerunt præ caumate. Versa est in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium.* Nec alio posset melius explicari maximus cumulus calamitatis, quàm vbi ostenduntur omnia lætitiæ præteritæ instrumenta conuersa in instrumenta fletuum, & lachrymarum, adeo vt vel simplici voci iubili respondeat ingens à dolore extortus clamor.

Thren. 2.

Rupert.

Iob 30.

Text. Et mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.

§. XIII.

Impij sola iustorum extrema desiderant.

Qvàm proprium istud est reproborum desiderium? refrigerium aquæ desiderat miser, sed quod veniat de extremitate digiti hominis iusti; ait enim: *Intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam.* Nescit reprobus animus desiderare alia, quam extrema, & nouissima iusti. Ait D. Gregor. in præsenti: *Ab extremo digiti se tangi desiderat, quia æternis supplicijs datus optat operatione iustorum, vel vltima participari.* Vt reprobis, & impiis hominibus odio sunt iustorum media, quibus per virtutum exercitia gloriam, dum viuunt, mercantur, sic in illorum sunt optatis iustorum extrema, quæ requie plena apparent, & solatio. Sic ille reproborum non infimus Balaam cap. 23. Num. ait: *Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia.* Sapientius dixisset, & optasset: *Viuat anima mea vita iustorum,* sed malus, imò pessimus Vates vitam iustam cauebat: quæ autem in vitæ iustæ extremis sunt gaudia, hæc solummodo sibi optabat. Ex quo pulchrè D. Bernard. ser. 21. in Cant. *Optabat sibi extrema iustorum, sed non ita & principia. Mortem spiritualium optaut sibi etiam carnales, quorum tamen vitam*

Gregor.

Num. 23.

Bernard.

vitam abhorrens, sciens pretiosam mortem esse sanctorum, quoniam cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini; & quia beati mortui, qui in Domino moriuntur. Non curant quærere, quem tamen desiderant inuenire, cupientes consequi: sed non sequi. Nullus est adeò impius, adeo desperatus, & vel in ipsis æternis suppliciis constitutus, qui extrema iustorum non concupiscat, qui vt vehementer odit virtutem in vita, sic virtuosorum hominum non sibi eligat finem. Habes etiam ex 3.Reg 13. pessimum Ieroboami Vatem, pene senio confectum, is cum audiret sanctissimum Prophetam, virum Dei à leone interfectum, eius requirit cadauer, celebrique luctu 3 Reg. 13. proprio inuehit monumento. *Cumque planxissent eum, dixit ad filios suos: Cum mortuus fuero, sepelite me in sepulchro, in quo vir Dei sepultus est, iuxta ossa eius ponite ossa mea. Profectò enim veniet sermo, quem prædixit in sermone Domini contra altare, quod est in Bethel, & contra vniuersa phana excelsorum, quæ sunt in vrbibus Samariæ.* Iniquus iste, & pessimus idololatra, & præcipuus ex iis, qui in Bethel adolebant incensum Ieroboami vitulis, sciens prophetias iusti defuncti veras esse contra idola Bethel, & contra vniuersos idolorum Sacerdotes: quid inde educit? Textus ait: *Sepelite me in sepulchro, in quo vir Dei sepultus est, iuxta ossa eius ponite ossa mea. Profectò enim veniet sermo, quem prædixit contra altare,* &c. Si veniet sermo eius contra altare, cur non magis caues ab altari adeo periculoso? Cur non magis times in idololatria persistere? Cur non dicis filiis tuis, quod & te, & sese eripiant imminenti iræ diuinæ, benè viuendo, amplectendo virtutes, & iustorum hominum imitationes? Sanè impius homo nihil de iustorum vita in se amat imo quidquid in sanctorum vita videt, expuit, abominatur, abiecta iusta vita iustorum mortis solum amat fieri participem. Se mortuum coniungi mandat viro Dei defuncto, vt de extremis eius aliquid participet, cuius prorsus refugit participem fieri vitæ. Totus iusti Vatis defuncti morti inhiat, vbi ait: *Iuxta ossa eius ponite ossa mea.* Sed quia, quod facile posset, non vult iuxta vitam eius ponere vitam suam, nullam sibi, & suis venientem calamitatem vitat.

§. XIV.

Carnales homines plus moueri consueuerunt ad inanes, & apparentes solum repræsentationes, quàm ad solida, & vera.

VEhementissimos, & durissimos cruciatus in veritate sustinens miser epulo, de ardore linguæ, qui solùm erat apparenter in apprehensione, maxime queritur; ait enim: *Refrigeret linguam meam, quia crucior,* &c. Quam linguam, miser? Anima non habet linguam, nec vlla alia membra, sunt autem hæc membra in damnatorum animis solum apparenter, in apprehensionibus elicitis ex pristinis vitæ speciebus. Cur ergo relictis durissimis tormentis, quibus in veritate misera anima torquetur, de apparentibus solum linguæ ardoribus queritur, pro iisque dolet vehementius? Hæc est semper carnalium, & impiorum animorum natura, quod magis moueantur ad apparentias, & mendacia, quàm ad solida, & vera. Hinc pulchrè Gentiles mordebat Minutius Felix in suo Octauio fatus: Minutius. *In ludis curulibus quis non horreat populi rixantis insaniam? In gladiatoriis homicidij disciplinam: in scenicis etiam non minor furor, turpitudo prolixior. Nunc enim histrio, amorem dum fingit, infligit. Idem Deos vestros, induendo stupra, suspiria, odia dedecorat. Idem simulatis doloribus, lacrymas vestras vanis gestibus, & nutibus prouocat. Sic homicidium in vero flagitatis, in mendacio fletis.* Quid pulchrius? Componite modo inter se de Romanorum ludis, & arenam gladiatorum, & scenarum theatrum. Sunt in arena duo neruosi iuuenes, qui sese petunt strictis gladiis, vterque de alterius vulnere laborat sibi rapere populares plausus. Ambo in rixa furunt, ambo se miserè feriunt, interea populus gaudet, robustiori applaudet, & plausibilibus vocibus hominem hortatur, vt abrupta mora insiliat, feriat, mactet: nullusque est, qui in cæde victori non arrideat, mactatori non applaudat. Sed iam adest in scenarum theatro histrio amatoriam agens fabulam, dumque amasiæ fauoribus fruitur, hostiles incidit in manus, reptat miser, emensus vulneribus: sanguineum præmonstrat vultum, lacrymabilem vocem, suspiria crebra, & dum inter amasiæ brachia videtur quasi exhalare animam, quis siccis oculis videt miserum spectaculum? Quis non doleat & fleat? Quid agitis, ô carnalissimi Romani? *Sic homicidium in vero flagitatis, in mendacio fletis.* Sic ad vera mala obduratis animos, & valdè commouemini ad apparentia, & falsa. Vnde monebat Paul. ad Ephes. 4. *Hoc igitur dico, & testificor in Domino, vt iam non ambuletis, sicut & gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum.* Ephes. 4. Quasi hoc sit proprium gentium carnalium, non iuxta veritatem rerum, sed iuxta vanissimi sensus fictionem, & apparentias ambulare; sic Paulus & monet, & contestatur suos asseclas, ne in hanc deueniant vanitatem. Ne moueantur inani rerum fictione, ne vehementius currant ad apparentias inanes, ne magis agitentur mendaciis. Hoc relinquatur gentibus hoc carnalibus hominibus proprium præbeamus, quod ipsi non in veritate, sed in vanitate sensus sui ambulent, in vero insensibiles, in mendacio turbati. De iis Chrysostom. in præsenti ait: Chrysost. *Talia quædam mania, & mendacia multo cum timore, magnaque cum mentis perturbatione metuunt. Quæ vero merito timenda essent, illa non timent, sed quemadmodum pueri, qui dum à nutricibus baiulantur, in ignem quidem, ac lucernam ardentem timere, & cum audacia manus immittunt, vitrum verò, quæ facta inanatus sit, exhorrent, ita & Græci isti,* &c. Larua timori est puero, non verus ignis. hunc præterit puerilis animus, ad illam totus expauet, & vociferatur. Sic gentes, sic homines carnales circa vera, & solida verè nullum sensum habent, circa mentis fictiones, & apparentias falsas ardentius concitantur. Huc referri possunt dicta tomo 3. lib. 15. cap. 1. §. 11.

Text. Et dixit illi Abraham: Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris. Et in his omnibus, inter nos, & vos, chaos magnum firmatum est, vt hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare.

§. XV.

Spes bonorum æternorum reddit animos ab omni molestia liberos, consolatione plenos.

APud inferos erat adhuc Lazarus; nigro illo Limbi carcere detentus, nullis æternæ vitæ fruebatur bonis, sed solum illorum certam spem tenebat: & quia in sinu illo spes hæc vigebat, nulla ibi tristitia, nullus mœror de subterraneo loco, de angustia carceris; sed & gaudium magnum, & consolatio erat; ait enim prorsus verè: *Hic autem consolatur,* hic qui adhuc apud inferos, qui adhuc sub terra, qui adhuc quasi nigro est in carcere, tamen consolatione est plenus, quia certò sperat. Hinc Zacharias cap. 9 sanctos Patres in sinu Abrahæ quiescentes, non dubitat vocare vinctos, & incarceratos; quippe ait ad Iesû: *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Zach 9. *Conuertimini ad munitionem vincti spei.* Zacharias putat, sanctos in Limbo vinciri, & incarcerari. Abraham publicat eosdem ibi consolari, aiens: *Hic autem consolatur.* Qualis consolatio in vinculis, in carcere? Quos vinctos, & incarceratos audisti gloriari de consolatione, de gaudio? Notanter designat Propheta dum ait: *Conuertimini ad munitionem vincti spei:* vinctos vocat, sed qui certa bonorum æternorum spe potiuntur, qui autem hac nutriuntur spe, vel in vinculis habent consolationem maximam. Quis neget tristissimum fuisse carcerem Noëmi arcam? Genes. 7. *In articulo diei illius ingressus est Noë,* Genes. 7. *& Sem, & Cham, & Iaphet filij eius in arcam: ipsi & omne animal,* &c. Nullus carcer obscurior, nec angustior excogitari potuit; ibi claudebatur vir iustus cum paucis animabus; inibi erant vniuersa mundi animalia; vt arca videatur, & carcer & stabulum; & iustum affligebat intus aspectus carceris, carentia lucis, pedor stabuli, & extrinsecus lamentabiles gemitus pereuntium, horrificus fluctuum sonitus iustum vexabat. Quis inter hæc non tristitia absorberetur? Sanè ille solus qui mediis iis malis spem diuinam in sinu suo fouebat, sustentabat, hæc sola potens erat ab omni molestia hominem liberum conseruare. Ait D. Chrysost. homil. 26. in Genes. Chrysost. *Ego verò admiror, quomodo præ tristitia non fuerit Noe absorptus, cum mentem illius subiret humani generis interitus, sua solitudo, & difficilis illa vita. At cum spe pasceretur, nihil triste sentiebat.* Spes absorbebat omnes difficultates. Spatium arcæ dilatabat, angustias omnes absumebat, nihilque in corde iusti permittebat exire, quod ad consolationem, & lætitiam non faceret. Propter hoc monebat Oseas cap. 10. Osee 10. *Seminate vobis in iustitia, & metite in ore misericordiæ.* Vbi Septuaginta legunt.

legunt, *Seminate vobis in iustitia, vindemiate fructum vitæ.* Aliter in rem præsentem accommodatius legit D. Bernardus
Bernard. serm.38. in Cant. *Seminate vobis ad iustitiam, metite spem vitæ.* Et quidem spes magis videtur pertinere ad sementem, quàm ad messem; in semente omnia in spe sunt, in messe autem iam desinit spes, & intrat possessio, quæ ditat corda humana, & bonis replet. Cur ergo dicit, metite spem vitæ, quando messis non spem, sed possessionem importat? Planè temporalium spes tota pertinet ad sementem, nihil habet messis, at æternorum spes iam habet messem, iam habet, vnde homines lætari possint, sicut qui lætantur in messe. Quò
Psal. 121. spectans Dauid Psalm.121. aiebat: *Lætatus sum in iis, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Nondum domum Domini intrauerat, tantùm data illi fuerat spes illuc eundi, & iam ipse fatetur, se totum lætitia perfundi. De aliis ait Psal.125. *Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.* Dum eundum erat, nihil nisi lachrymas fundebant, & suspiria; lætitiam, & exultationem tunc solùm habebant, cum iam finierant viam. Itaque læta manipulorum messis post finitam viam aliis venire solet, Dauid autem ante viam finitam iam lætatur in messe, quia spe æternorum hilarescit. Ait
Bernard. D. Bern. ser.37. in Cant. *Dauid non læcaturum, sed lætatum se dixit, quòd in domum Domini se speraret iturum. Nondum vitam tenebat, sed spem profectò vitæ messuerat; atque in semetipso experiebatur veritatem scripturæ perhibentis, quia non modo remuneratio, sed ipsa quoque expectatio iustorum lætitia est.* Expende illud, *spem vitæ messuerat*, quia in ipsa spe iam gaudiorum æternorum messem faciebat. Sic lætabatur in spe, sicut qui lætantur in messe, quia spes certa bonorum permanentium sementis labores non sentiebat, & nouis gaudiis hominem
Oseas 2. implebat. Hinc vbi Oseas c.2. ait iuxta vulgatam: *Dabo vallem Achor, ad aperiendam spem.* Symmachus ponit, *Ad ostium spei:* Chaldæus autem reddit: *Ad delicias animæ.* Quasi innuat, quòd vbi spes æternorum subintrat, iam anima habet messem deliciarum.

§. XVI.

Infernus est quisquis firmatam diuisionem inter fratres, & proximos facit.

VT minutissimæ vrbes profunda, & læta fossa cinguntur, vt aditum aut difficilem reddant, aut penitus occludant, sic inter Abrahæ sinum, & locum damnatorum ingens quoddam spatium est, nimirum penè media pars inferni, quæ omni communicationi in bonum, sic Deo disponente occludit aditum. Hoc sibi proprium habet ingens inferni chaos, quòd sic diuidat, & separet suos alumnos ab aliis, vt nulla cum illis in bonum communicatio permittatur, nec etiam amicis, nec cognatis. Huc accedant, qui eo incumbunt, vt seminatis discordiis, diuisiones efficiant inter fratres, & videant, cuius munere, & officio fungantur, nimirum chaos sunt, & inferni hiatus, qui solus id munus proprium habet, ne permittat fratribus communicari fratres. Oseas
Oseas 13. cap.13. *Consolatio abscondita est ab oculis meis: quia ipse inter fratres diuidet.* Quis est ille ipse, qui inter fratres diuidit? Dixerat paulò ante in Christi nomine: *Ero morsus tuus inferne,* & quia infernum nominauit, statim de eius malicia stupefactus, hoc dolet in illo esse maximum malum, nimirum, quod infernus diuidat inter fratres, irreconciliabilésque separationes causet. Id quod notans D. Hieronym. ibi fatur:
Hieron. *Non valeo consolari, quidquid mente concepero, dolorem meum non potest mitigare: cernentis charissima inter se nomina morte seiungi: ipse enim infernus inter fratres diuidit. Quidquid igitur separat fratres, infernus est appellandus.* Et nomen, & officium inferni habet, quisquis separationes, & discussiones inter fratres causat. Parum est, quòd seminator discordiarum inter fratres diabolus vocetur, vt passim vocatur; non enim solùm diabolus est, sed totus infernus est, & ingens est infer-
Prouer. 16. ni hiatus. Hinc lucem capit Prouerb.16. vbi dicitur: *Vir impius fodit malum, & in labiis illius ignis ardescit.* Ex Hebræo propriè: *Vir Belial fodit malū, & super labiis suis, vt ignis ardens.* Apud Chaldæum autem: *Vir calumniator fodit malum, & in labiis eius ignis dat scintillas.* Expēde qualis exhibeatur discordiarum inter fratres seminator, nimirum & fodiens malum, & ignem iaculans; vt enim qui vrbes inaccessibiles reddere student, ingentes, & profundissimas fossas obiiciunt, insuper & flamantes ignes addunt, qui accedentes arceant. Sic isti discordiarum satores, velut ingentes, profundissimæque foueæ interponuntur, flammas, ignémque iaculantes, vt penitus simillimi inferni hiatibus appareant, qui nullam charitatis communicationem permittant fratribus.

§. XVII.

Charitati nullum esse potest impedimentum distantiæ, quod non peruadat.

IMmisericordi diuiti meritò obiicitur magnum chaos interpositum, quod minimè possit transmeari. *Est enim* (ait Abraham) *inter nos, & vos chaos magnum firmatum.* Intransmeabilem enim distantiam ab bona sibi immisericordia facit, cuius impedimentum sentire numquam nouit charitas. Vnicus parentibus suis Samuel postquam ablactatus est, in Silo adducitur, ibíque Deo ministraturus offertur, post quam oblationem ait textus 1.Reg.cap.2. *Et abiit Elcana in Ramatha, in domum suam; puer autem erat minister in conspectu Domini ante faciem Heli.* 1.Reg.2 Puer adeò desideratus, adeò à parentibus expetitus, tam facilè in Silo relinquitur, & redeunt parentes sine illo in Ramatha in domum suam. Multum esset, quòd mater amantissima filij permitteret esse puerum extra domum suam in eadem vrbe, at Samuelis mater non in eadem vrbe, sed in longè distanti oppido patitur esse filium amantissimum. Cur non magis sentit absentiam pueri? Cur non manet ipsa cum illo? Cur non magis veretur distantiam domus suæ? Sanè distabat à filio, interiacente terra, sed illi erat charitate coniuncta; in quibus autem est charitas, nullum sciunt impedimentum distantiæ sentire. Pulcherrimè aiebat Chrysostom. homil. de educatione Samuelis, inquiens: *Nec ipse puer ægrè tulit à matre diuulsus, sed ad Dominum respexit, qui matrem creauerat: nec ipsa mater doluit à puero sciuncta, propterea quòd vterque se alteri coniunctè existimabat: quemadmodum eodem in loco fixa vitis in longum producit palmites, & vua multo interuallo pendent cum radice habet commercium. Itidem, & in hac accidit fœmina, quæ in vrbe manens vsque ad templum extendit suum palmitem, atque illic vuam suspendit maturam: nec interuallum illud vllam attulit impedimentum, cum charitas, quæ secundum Deum est, puerum matri copularet.* Chrysost. Non sentitur impedimentum distantiæ, vbi interest charitas, quæ distantissima copulat, & vniuersa peruadit? Quod interuallum, quod chaos, qui hiatus, aut fouea firmari potest, quam non pertranseat, & transuolet charitas? Sanè ait Cant.8. *Fortis est vt mors dilectio, & dura sicut infernus æmulatio; lampades eius, lampades ignis, atque flammarum.* Cant 8. Habes apud Septuag. *Alæ eius, alæ ignis.* non enim tantum chaos firmare potest infernus, vt separationem faciat, quantum transuolant alæ charitatis, nec vllum interualli sentiant damnum. Vix enim apparet interuallum, vbi est charitas. Magnum illud Ecclesiæ caput Petrus præ amoris ardore sequitur Christum vsque ad domum Cayphæ, sed tamen præ humana fragilitate ibi Christum negauit. Quid tunc? Ait Luc. cap. 22. *Et egressus foras, fleuit amarè.* Luc.22. Cur foras egrederis? Cur imbecillus factus non magis metuis à forti Iesu distare? Cur non magis expaues inter te, & Iesum ponere interuallum? Egreditur ploraturus, sed non egreditur amans; vbi enim pœnitentiæ fletibus charitatem in se incipit excitare, nescit timere interualli damna per charitatem Domino copulatus. Theodor. orat. de charitate, fatur: *Neque enim post negationem in animum induxit, vt magistrum relinqueret; sed fleuit quidem amarè, & quòd victus esset, suam defleuit imbecillitatem: assedit autem vinculis amoris irretitus.* Theodor. Putabatur egressus à Iesu, vt ploraret, sed quia amabat Iesum, etiam dum abest, illi assidet vinculis amoris copulatus. Nullam non prætervolant distantiam charitatis alæ. Hic reuoca dicta 2.tom.lib.6.cap.6.§.12.

Text. Et ait: Rogo ergo te, pater, vt mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Et ait illi Abraham: Habent Moysem, & Prophetas, audiant illos.

§. XVIII.

Reproborum oratio, vt inconstans, sic vana posset fructifera inueniri, si perseuerasset.

VIde inconstantissimam mentem hominis reprobi, semel flagitauit refrigerium aquæ, & cùm primum non obtinet,

obtinet, statim ab illa cessat oratione, & transit ad alia. Semel dixit: *Mitte Lazarum, vt refrigeret linguam meam*, & subitò hoc dimittens ait: *mittas eum ad domum patris*, &c. Sic reproborum orationes vt inconstantes, sic euanidæ. Pulchrè
Prou. 10. illos pingebat Prouerb. 10. *Desiderium suum iustis dabitur. Quasi tempestas transiens, non erit impius, iustus autem quasi fundamentum sempiternum.* Dantur impleta desideria iustis, impiis penitus negantur. Et cur impiis negantur? Ait: *quasi tempestas transiens non erit impius.* Chaldæus legit: *Sicut transit turbo, sic transibit impius.* Et in se, & in omnibus suis desideriis, & in precibus ipsis transit impius quasi turbo; videbis sæpè obscurissimo nubilo cœlum obduci, quod rapidissimo vento turbinis agitatum iam huc trahitur, & omnia exundat aquis, temporis momento sic turbo quiescit, sic cœlum rutilat in præsenti clarum, vt vix maneat memoria præteritæ tempestatis. Sed interea aliò & nubilum, & turbo incipit insonare, fulminare. Quid tunc? Sic impius, sic reprobus animus ad desideria, ad preces rapitur, quasi turbo, quasi tempestas, quæ citissimè desiit, & alio transit. Ecce reprobi animi turbinem. Ioan. 18. ingerebat Iesus Pilato desi-
Ioan. 18. derium noscendæ veritatis: *Dicit ei Pilatus: Quid est veritas? Et cum hoc dixisset, exiuit ad Iudæos.* Affectus ad veritatem desiderio rapitur, pro eius notitia orat, & subito ad aliud transit. Cur non magis expectas responsum miser? Sanè sicut trãsit turbo, sic transibit impius, in nulla prece, in nulla oratione scivit durare, sed ad varia desideria quasi turbo trãsit. Proh orationes reproborum euanidæ! Vtinam possent vel reprobi, vel damnati ipsi in supplici oratione perseuerare, fallar, si posset illis esse chaos firmatum, aut ostium clau-
Luc. 11. sum, ne ad cœlum volarent. Ait Dominus, Luc. 11. *Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo, quod ponam ante illum: & ille deintus respondens dicat: Noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili: non possum surgere, & dare tibi. Et si ille perseuerauerit pulsans, dico vobis: dabit illi quotquot habet necessarios*, &c. Dixerat Abraham epuloni: inter nos, & vos chaos magnum firmatum est, vt hinc ad vos transire non possint. Dixerat autem & amicus hic: ostium clausum est, non possum surgere, &c. Vterque videtur æqualem præseferre impossibilitatem postulanti, quid tunc, vbi chaos firmatum, vbi ostium clausum est, sperabitur? Sed & pro tunc ait: *Si ille perseuerauerit pulsans, dico vobis: dabit illi*, &c. Non sic chaos firmatum, non sic ostium clausum impedit, vt orationis impedit inconstantia; da, vel damnatum posse perseuerare in humiliter pulsando, & dabo tibi posse eius precibus æneas cœli portas penetrari, & lapideum Dei cor ad
Iob 19. mansuetudinem inclinari. Aiebat Iob, cap. 19. *Clamo ad te, & non exaudis me, sto, & non respicis me. Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ aduersaris mihi. Eleuasti me, & quasi super ventum ponens, elisisti me valdè. Scio, quia si morti tradees me, vbi constituta est domus omni viuenti. Verumtamen non ad consumptionem eorum, emittis manum tuam, & si corruerint, ipse saluabis.* Vnde hæc spes iusto viro, quod Deus sic obduratus, sic crudelis factus, sic ad mala omnia inferenda paratus, tandem saluabit, & auxilium dabit? Vbi incipit, *Clamo, & sto, & non respicis.* Vbi Philippus in Cat. *In clamore intentio est orantis: in stando verò perseuerantia, & indeclinabilis fiducia:* vbi autem orationis erat perseuerantia, non poterat non sperari auxilium vel ab obdurato & obfirmato lapide. Huc
Gillibert. spectans Gillib. Abb. ser. 6. in Cant. fatur: *Pertinax oratio pertingit ad finem. Et si tibi in initiis sicca, & saxea videatur, oleum tamen gratiarum elicies de hoc saxo durissimo, tantum si perseueres.* Nulla est durities, quæ non cedat, & in fontes gratiarum erumpat, vbi quis in oratione perseuerat. Exemplum esto mulier illa Chananæa, quæ bis, & ter à Deo repulsa,
Matth. 15. tandem instans orationi audit, Matth. 15. *Fiat tibi, sicut vis.* De
Ambros. qua D. Ambros. lib. 5 in Luc. *Verè hæc regnum cogit, pertinax in precibus. Prætereuntem reuocat, tacentem rogat, excusantem adorat, negantem inclinat.* Negantem, imò obduratè negantem emollit, & inclinat oratio, quæ etiam inter repulsas in petendo perseuerat, & durat. Ille damnatorum comes, qui nescit in oratione perseuerare, Saul 1. Reg. 15. vbi se regno
1. Reg. 15. priuari audit, sic orat: *Peccaui: sed nunc honora me coram populo.* Hæc dixit, & nihil magis curauit, vnde sapienter eius damnationem expendens D. Ambros. in epist. ad Rom. cap. 9.
Ambros. ait: *Dauid, & Saul, vterque eorum necessitatem passus est regni. Et quanta fuit Dauid necessitas, vt filius eius vellet eum regno priuare? In qua necessitate flens, nudo pede iter faciebat, vt per patientiam Deum sibi propitium faceret. Saul autem nec in tali necessitate iacentem, insuper fertur, quia semel, & iterum non sit auditus, cum esset indignus, nec in prece perstitit, vt meritum sibi faceret, per quod esset dignus.* Cur non pereat qui in precibus persistere nescit?

§. XIX.

Oratio fructuosa nihil prius requirat, quam id, quod magis vrget, magis necessarium est cuique.

Miser epulo suos cruciatus præterit, suam dissimulat salutem, & de aliis ostenditur solicitus. Ait: *Rogo te, vt mittas eum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres, vt testetur illis*, &c. Proh stulta, & vana oratio, quæ circa extrinseca alia versatur, & quæ intima sunt, & magis propria, & magis vrgentia prætermittit. Quid magis vrgens & necessarium epuloni, quam à cruciatibus instantibus liberari? Sanè si ipse saperet, si fructiferè orasset, hoc vnum & vrgens, & necessarium sibi instanter peteret, de aliis nec verbum eliceret. Duo cæci apud Iericho misericordiam à Iesu contendebant, Matth. 20. & requisiti, qui tot clamoribus, tot postulationibus repetitis vellent, sibi hoc vnum di- Matt. 20.
cunt: *Domine, vt aperiantur oculi nostri.* Et sane ipsi mendici erant, ostiatimque in dies quærebant victum, & ad potentissimum, & magnificentissimum Dominum proximi erant, à quo omnium necessitatum remedia possent obtinere, & ab illo requirebantur, quid sibi vellent, & vnum postulant oculorum visum. Cur non & paupertatis remedia petunt? Cur hoc vno contenti sunt? Sapientissimè oratores illud, quod primum erat, & maximè necessarium postulant enixè, omnia alia prætereunt, & dissimulant, dum id, quod magis vrgebat, & necessarium erat, possunt habere sibi. Vnde
D. Ephrem de panoplia spirituali fatur: *Considera duos illos cæcos ad eum accedentes, atque clamantes, miserere nostri, Fili Dauid. Et quid ad illos Dominus? Quid vultis, inquit, vt faciam vobis? At illi, secundum dolorem, & afflictam cordis sui petierunt, vt aperirentur sibi oculi. Numquid petierunt sibi donari aliquid etiam earum rerum, quibus verè indigebant? Numquid dixerunt, da nobis vestimentum, quoniam pauperes sumus? Minimè verò, sed illud postularunt potius, quod magis vrgebat. Quapropter, mi frater, quod vrget magis, quæque in omni tempore tibi magis necessaria sunt, ea à Deo postula.* Hoc semper attendat, qui fructuosè contendit orare; nimirum, quòd magis vrgentia, & necessaria sibi inprimis contendat habere, & dum hæc non habet, nihil curet de aliis. Numquam enim non erit & stulta, & vana illa postulatio, quæ vrgentia, & necessaria, sibique proxima prætermittens, pro minoribus, & remotioribus, & adiectitiis totam solicitudinem habeat. Non equidem pro remotis, & sibi superfluis, sed pro vrgentibus, & necessariis fructuosus exardescit orator. Psal. 26. *Vnam petii à* Psal. 26.
Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Mirabar, quòd tantus Rex, tot hostibus circumdatus, vnam tantum rem à Deo petere statuat, in illamque acquirendam totus incumbat. Cur vnam tantum petis, ô bone? Cur non plura alia petenda tibi in mentem veniunt? Bonus orator nescit prætermittere, quæ magis vrgent, quæ magis sunt necessaria, vt ipse in domum Dei abeat, cætera omnia, vt superflua præterit, nec de illis verbum
facit. Ait enim D. Ambros. lib. 1. de Iacob, cap. 7. *Abundat* Ambros.
huiusmodi viro ad beatitudinem, & ad possessionem boni, & ideò nihil aliud desiderat: nihil enim quasi nouum expetit, qui omnia habet, nec superfluis delectatur, sed necessariis. Eò in primis tendit, vt necessaria habeat, sine quibus infelix erit, etiam si suppetant alia; & cum quibus felicitatem habebit, etiam si cæteris careat. Hanc mentem ebibant, qui reprobæ stultitiæ effugiunt maculam, & curent omnes preces suas eò dirigere, vt sibi acquirant necessaria; stultum enim, & reprobum est necessariorum, & vrgentium in re penuriam pati, & pro superfluis, & remotis omnis solicitari.

§. XX.

Dona Dei damnabiliter à creaturis emendicantur.

Damnatus homo dum esset in tormentis, duo maximè dona sibi flagitat: & quòd à cœlo mittatur Lazarus ad refrigerandam linguam suam, & quod ad fratres suos monendos mittatur. Vtrumque donum & maximum erat, & non nisi Dei potentia absoluta patrandum; verum ille, vt vtrumque acquirat, nullam Dei mentionem facit, sed vnum rogat Abrahamum. Quid magis damnabile? Sanè quæ Dei sunt propria dona, damnabiliter non à Deo, sed à creaturis flagitantur.

3.Reg.3. flagitantur. Salomon, lib.3.Reg.3. orabat ad Dominum: *Dabis ergo seruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare possit, & discernere inter bonum, & malum.* Expende, quòd petat Salomon cor docile, cor sapiens, & sciens bonum, & malum, & quidem huius scientiæ boni, & mali desiderium magna causa fuit damnationis generis humani. Sic Genes.3. infundebat ser-

Genes. 3. pens damnationis venenum: *Quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dy, scientes bonum, & malum.* Ecce tibi Adamo instillatum venenum, quo vniuersi filij eius damnantur, nimirum scientia boni, & mali: quam scientiam Salomon dum exquirit, nullam damnationem incurrit, imò maximè placet. Et cur huius scientiæ desiderium Adamo lethale fuit, Salomoni autem salutare? Salomon vt nouit donum scientiæ à Deo esse; sic non aliunde, sed ex Deo scientiam boni, & mali obtinere amat, Deum pro illa precatus: Adamus autem non à Deo, sed à serpentis ore, ab vxoris manu requirit fructum, quo sciat bonum, & malum. Cur non fuerit illi lethale, Dei donum, non à Deo, sed à creaturis emendicare? Ait D. Ambros. adductus in

Ambros. Glossa: *Quod enim scire, diuinum est, à Domino, vt possis cognoscere, promerendum est. Si petiisset Adam, vt petiuit Salomon, nequaquam in illos inextricabiles erroris laqueos incidisset, quibus omnis eius hæreditas strangulatur.* Non à creaturis emendicandum est, sed à Deo, quod diuinæ potestatis est, vt largiatur. Vtinam Adam non de manu vxoris, non de serpentis consilio scientiam vellet habere boni, & mali, sed illam à Deo postularet, & sapiens esset, & eius hæreditas illæsa perseueraret. Sic Salomon vbi sciuit boni, & mali sapientiam à Deo esse, illam à Deo postulauit, imò & cum multis aliis acquisiuit, iam ex tunc damnans eos, qui Dei dona non à Deo, sed à creaturis infructuosè, & damnabiliter flagitant. Hoc patuit in Ochosia illo infausto Rege Israëlis, de quo lib.4.

4.Reg.1. Reg.cap.1. *Ægrotauit, misitque nuntios, dicens ad eos: Ite, consulite Beelzebub Deum Acarum, vtrum viuere queam de infirmitate mea hac. Angelus autem Domini locutus est ad Eliam Thesbitem dicens: Surge, & ascende in occursum nuntiorum Regis Samariæ, & dices ad eos. Nunquid non est Deus in Israël, vt eatis ad consulendum Beelzebub Deum Accaron? Quamobrem hæc dicit Dominus: De lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.* Et meritò mori iubetur, qui, quam vnus Deus Israël salutem dare posset, illam ab effictis idolis quærit. De quo sapienter Eucher. ait: *Quia Dei præsidium dereliquit, salutis remedium non inuenit.* Et quando inuenietur salutis remedium ab eo, qui illá quærit, non ex Deo vera salutis causa, sed ex creaturis, penes quas nec vmbra salutis potest esse? Quę Dei sūt dona, caueat homo petere, nisi à Deo si amat illa tenere. Quod monebat Dominus, Ioan.4. dicens Samaritanæ fœmi-

Ioan. 4. næ: *Si scires donū Dei, & quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere, tu forsitan petiisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam.* Expende, à quo petiisset, vt acciperet Dei donum, nempè ab eo, hoc est, ab ipso Deo. Nullus alius daret Dei dona, nisi Deus, & à nullo alio nisi stultè, & damnabiliter exquirerentur. Ex

Ambros. 2.Paral.16. ponderat D. Ambr. orat. de obitu Theodosij: *Asa Rex adhuc inualidus corporis robore, cum regnandi curricula recepisset, quadraginta annis regnauit in Hierusalem, quoniam cum Æthiopum infinita vigeretur, atque innumerabili multitudine, sperauit à Domino, & in paucis se posse saluari. Vtinam tam fidelis processu, quam exordio. Nam seruatus in paucis, & victor, postea à Syriis auxilia, relicto Domino, postulauit, & medicos adhibuit ad pedum dolorem. Accepto enim tanto indicio diuini fauoris auxiliatorem suum non derelinquere debuit, sed tenere. Ideò ei, nec medici profuerunt, & quasi incredulus mortem impleuit.* Sic ille, vt caueamus dona Dei nisi à Deo petere.

§. XXI.

Sanctorum verba efficacissima sunt ad salutem.

AD Moysem, & Prophetas remittuntur peccatores, vt salutem possent sibi comparare. Ait enim: *Habent Moysem, & Prophetas, audiant illos*; quasi ex quo Prophetas, & Moysem audierint, nihil requirant amplius, sed in eis habeant, quo possint æterna cauere mala. Et quidem adeò valida sunt sanctorum verba, quæ, si audiantur, feralissimos quosque possunt ad salutem trahere. Ait D. Paulinus epist.4.

Paulin. *De omnium fidelium ore pendeamus, quia in omnem fidelem Spiritus Dei spirat, & necesse est, à minimo Dei seruo vel guttam cœlestis sapientiæ, distillare, quæ ariditatem mei cordis irroret, & mihi supra huius sæculi sapientum flumina, ad portum vtilitatis exuberet: quia malo quinque verba loqui in lege, quàm multa millia in lingua; sicut vnam diem in atriis Domini viuere, quàm millia in tabernaculis peccantium.* Expende illud: *Necesse est à minimo Dei seruo vel guttam cœlestis sapientiæ distillare,* &c. Quicumque enim seruus Dei, vel minimus, si audiatur, eam stillabit pluuiam voluntariam, quæ in corde audientium diuites salutis segetes faciat. Nec sic Rhetorum flumina valent animos fœcundare, vt vel verbulum ex lege diuina prolatum. Quis crederet, in leonis faucibus posse inueniri terram melle & lacte manantem? Et ecce habes Iudic.14. leonem in via à Samsone percussum, & cùm post aliquot dies voluisset videre leonis cadauer: *Ecce examen apum in ore leonis* Iud.14.
erat, & fauus mellis. Quid mirabilius? Et hoc potuerunt apiculæ facere; quæ dum floridi roris guttulas ibi apponunt, de feralissimo leonis rictu efficiunt fontem suauitatum. Nec, mihi crede, inuenies efferatiorem gentem, quàm erat populus nationum; hic meritò & in tyrannide, & in feritate leoni comparatur: huius tamen in ore humiles Christi apiculæ, nimirum Apostoli, non Rhetorum flumina, sed diuini Verbi rorem instillarunt; & videres leonem, non leonem, hoc est, totam gentium vastitatem, & feritatem conuersam in terram lacte, & melle manantem. Ad hæc Diuus Paulinus epist.4. ait: *Gentium figuram plerique in hoc leone po-* Paulin.
suerunt, quia populus gentium, qui credidit, corpus feritatis erat antè, nunc Christi est, in quo Apostoli, velut apes à rore cœli, & diuinarum floribus gratiarum mella sapientiæ condiderunt, ac si esca ab ore edentis exiret; quia prius efferæ à Deo nationes receptum Dei verbum fideli corde sumentes, fructum salutis ediderunt. Sanè validissimum Dei verbum est ad conuertendas animas, quando humiles apiculæ florido instillato rore feralissimum leonem conuerterunt in suauitatem; hoc est, humiles, & abiecti piscatores, verbo Dei instillato, vastissimam, & ferissimam gentium nationem adduxerunt ad salutis pascua. Mirabar ego verbi diuini ab Apostolicis apiculis irrorati efficaciam in trahendis ad fidem gentibus adeò feris, & barbaris; & ecce incido in omnium barbarissimum, & feracissimum hominem Pilatum; hunc Iesus vermis factus, & non homo, sed abiectio plebis, vel verbulo veritatis prolato, ad desiderium veritatis traxit. Dicebat Iesus, dum vt reus staret, dum opprobrium hominū videretur, Ioan 18. *Om-* Ioan.18.
nis, qui est ex veritate, audit vocem meam. Dicit ei Pilatus: Quid est veritas? Pulchrè ibi Theoph. notauit: *Paucis his verbis Pilatum rapuit, atque ita vt de veritate interrogarit, quid sit.* Abiectissimus tunc Iesus videbatur, & vnum verbum fecit de veritate; & vel vno verbulo Pilatum rapuit, vt desideraret venire in cognitionem veritatis. Sic sunt Dei verba valida. De hoc sæpè aliàs.

Text. At ille dixit: Non pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent Ait autem illi: Si Moysem, & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

§. XXII.

Gentilicus error fuit corporum mortuorum fidere responsis. Quæ fugienda sunt viuenti in Christo homini, quia nociua, & vana.

STultissimus epulo, nec in tormentis fit sapientior, adhuc illic gentiliter cogitat, dum mortuis totam rationem credit circa ordinem vitæ. Erat hic apud gentes error cantatissimus, quòd magis fiderent mortuorum nutibus, quàm sapientia plenis virorum discursibus: & in pecudum mortuis fibris quærerent, vnde vtiliter homines viui possent præcauere ruinas: Quid stultius? Pulchrè in hos inuehens D. Chrysol. serm.5. fatur: *Quicidebatur pecus, vt quod viuum nihil scierat, diuinaret occisum: & loqueretur ex fibris mortuum, quod numquam fuerat ore prolocutum.* Huc vsque dementia Chrysol.
gentilica peruenit, vt pecudi mortuo credat plus quàm viuidissimis argumentis pro ordinanda vita. Cuius erroris vanitatem damnans Dominus dicebat Isaiæ cap.8. iuxta lectionem Septuag. *Et si dixerint vobis, requirite vates de terra* Isai. 8.
vocē edentes, ventriloquos, vaniloquos, & qui de ventre loquentur, nonne gens ad Deum suum. Quid consulitis pro viuis mortuos? Legem enim in adiumētum dedit. Non potest vnquam ab stultitia vacare, quòd pro viuis instituendis à mortuis petamus consilium, præcipuè cum Dei viuentis ore prolatam habeamus legem, in qua quidquid ad salutem spectat, possumus addiscere. Sapienter enim aiebat ad hæc D. Cyrill. Alexand. Cyrillus.
lib.1. orat.5. *Quem colorem rationis habet pro his, qui etiam nunc viuunt,*

viuunt, homines in terra iacentes, vel animas, quæ fortè sunt apud inferos, sciscitari? Quin alio modo insulsum, & ineptum est falsis præstigiatorum verbis, qui mentem mortuam habent, attendere. Etenim vniuersitatis opificem ignorant, nec habent in se ipsis viuentem Dei sermonem; imò mortuorum operum cultores, & sectatores sunt. Quomodo ergo, qui viuunt, qui viuo Dei verbo ditati sunt, pro illis mortuos consulunt? Hæc ergo, inquit, dicite. Legem in adiumentum dedit, id est, Euangelicam. Præstat volentibus cœleste vaticinium, per quod ad omnia bona, quasi pede ducimur. Quæcumque enim futura sunt, & fieri debent, discimus. Quid pulchrius? Sanè non habet colorem rationis, quòd credamus mortuis & in terra, siue apud inferos iacentibus institutionem vitæ; quæ conuentio lucis cum tenebris, & mortis cum vita? Quod veritatem habet non solum in corporibus mortuis naturalibus, sed in spiritualiter mortuis, non solum qui mortuus est in carne, & cadauer est, sed & qui mortuus est in spiritu, operúmque mortuorum sectator inuenitur, cauendus est à viuis, qui legem Dei habent in adiutorium vitæ, & diuina oracula halantia vitam, qua ad omnia bona ducuntur, & sciunt, quidquid necessarium est de futuris. Vnde adolescentem volentem ire ad sepeliendum patrem defunctum, vt de mortui conspectu perueniret ad sequendam vitam in Christo, sic monet Dominus
Matth.8. Matth.8. *Sine mortuos sepelire mortuos suos.* Et erat mortuus eius pater in carne, & erant mortui in corde innumeri alij assistentes officio sepulturæ; quapropter adolescentem ab omnibus cauere iubet, vt cui iã suppeditabat verbum vitæ. Qui enim viuit in Domino, caueat necessum est mortuos
Paschas. consulere: quocirca ait D.Paschas.lib.5.in Matth. *Sine mortuos sepelire mortuos suos. Ac si patenter dicat: Tu qui fide viuis, & mortuus sæculo probaris, nihil tibi cum mortuis, ideò illud consortibus relinque: Tu autem vnà cum electis sequere me in vitam; alioquin cum mortuis deputaberis. Hæc non, vt ab officio patris filium reuocet, sed vt à consortio impiorum eum secerneret.* Non credat mortuis institutionem vitæ, qui non vult fieri sicut vnus ex illis; caueat mortuorum in carne, & in spiritu placita, qui agitur fidei vita; mortui enim nihil magis curabunt, quàm facere sibi similes. Ecce vobis Saul mortuum
1.Reg.28. Samuelem consulit, 1. Reg. 28. & quid mortuus surgens à terra Sauli? Ait ibi: *Cras autem tu, & filij tui mecum eritis.* Huc sanè tendunt omnia mortuorum responsa, vt secum esse faciant homines viuos; quare nihil cum mortuis habeas, qui nequit reputari cum illis, sed viuida Dei sequatur verba. Ad hæc dabat Ecclesi.c.9.obscura verba inquiens: *Nemo est, qui semper viuat, & qui huius rei habeat fiduciam: melior est canis viuus leone mortuo.* Quæ in rem præsentem elucidat lectio Veneta, inquiens: *Ille tamen qui societatem habet cum omnibus viuentibus, habet spem; cum & cani viuo melius sit, quam leoni mortuo.* Nunquam non est vtilior communicatio cum viuis, quàm communicatio cum mortuis; canis viuus vtilior semper est, quam leo mortuus. Sic de viuentibus, licet vilissimi appareant, emolumentum, & spem bonorum elicies; de mortuis autem vel leonibus, vel præstantissimis, nihil elicies nisi fœtorem. Et qui sunt hi viui adeò fructuosi? Viuos vocat eos, qui diuinas leges, diuináque verba habent præ oculis; de consuetudine enim legum diuinarum ad vitã perueniet homo, ad quam minimè eum deducent de terra surgentes omnes mortui. Chald. Complutens. ait: *Quicumque vir, qui adhæret omnibus verbis legis, & vt possideat vitam venturi sæculi, est ei spes: quoniam canis viuus melior est leone mortuo.* Da minimum verbum, & contemptibilius diuinæ legis vitam halantis, plus hoc tibi proderit ad vitam, quàm & præstantissimi mortuorum. Potuit aliquando ab vno leone mortuo fauos melleos educere Samson; sed quod aliquando vnus mortuus leo exhibuit Samsoni, hoc singulis momentis exhibebunt vel contemptibiliores diuini Verbi sententiæ, quarum dulcedine, dum in hoc sæculo permanes, viuere possis.

CAPVT II.

De Sareptana vidua, & Naaman Syro.

NOTISSIMÆ sunt duæ historiæ adductæ à Christo Domino, Luc.cap.4. altera petita ex 3. Reg.17. altera ex 4. Regum 5. Erat equidem Sareptæ Sidoniorum paupercula vidua, quæ in extrema totius regionis fame, adhuc retinebat paululum farinæ, quantum semel comedere possent ipsa, & filius, quem habebat vnicum. Pugillus farinæ erat tota spes vitæ matri, & filio: quibus tamen Dominus addidit tertium conuiuam, nimirum Eliam Thesbitem. Quid plura? Farina, quæ in hydria clausa vix pugnum explebat, & designabat prandium diei vnius, cum egente diuisa tot prandia explet, quot fames egit in Israële dies. Profuit Prophetæ hospitium paupercula viduæ; sed & diues Naaman Syrus non minorem gratiam inuenit Elisæo Eliæ discipulo. Imò qui regio fastu tumens Prophetam despiceret, humilior factus de Prophetæ consilio Iordanis aquas leprosus intrat, è quibus exit mundus. Sic pauper fœmina, & diuites Principes, licèt exteri, licèt Gentiles sint, à Dei Prophetis tanta obtinent beneficia, quanta non obtinuerat Israëlitarum vicinorum vnus.

Luc.4. Amen dico vobis, quia nemo Propheta acceptus est in patria sua. In veritate dico vobis: Multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israël, quando clausum est cœlum annis tribus, & mensibus sex, cùm facta esset fames magna in omni terra: & ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniæ ad mulierem viduam.

§. I.

Veri domini, & Reges à Deo habere solent eum spiritum ad bonum annuntiandum, quo videantur Prophetæ.

DE se locutus Iesus paulò antè, vt de vero Christo, & Rege Israëlitarum, iam etiam de se loquitur, vt de Propheta, excusans, quòd non fecerit miracula in patria sua, *Quia nemo Propheta acceptus est in patria sua.* Siquidem tu vnctus es Rex Israël, & vt Rex, & Princeps, & verus mundi Dominus annuntiaris à Prophetis, cur te Prophetam vocas? Cur Prophetæ appellatione regalem illam, atque Dominatricem potestatem à patre receptam abscondis? Minimè quidem absconditur regia potestas appellatione Prophetæ, sed illustratur, sed proditur; qui enim verus Dominus, & Rex est, eum spiritum habet ex Deo ad annuntiandum, & persuadendum bonum, vt meritò Propheta dici possit. Huc traho illud 3.Esdræ cap.1. *Misit Rex Ægypti ad Iosiam, dicens: Quid mihi, & tibi est, Rex Iuda? Non sum missus à Domino, vt pugnem contra te; super Euphratem enim meum bellum est. Festinans descende. Et non est reuersus Iosias super currum, sed expugnare eum conabatur, non attendens verbum Prophetæ ex ore Domini.* Vnus Pharao Rex Ægypti locutus est, consulens Iosiæ reuersionem, & annuntians voluntatem Domini; & dicitur Iosias non attendisse verbum Prophetæ. Cuius Prophetæ? Ibi nulla alia persona intercedit, solus Pharao loquitur, & Iosias audit, cuius ergo Prophetæ verba non attendit? An Pharao Rex dicitur Propheta? Ita Lyranus ait: *Ipse Pharao dicitur hic Propheta Domini:* & meritò, qui Rex est, in consulendo bono Propheta dicitur; solet enim venire à Deo cũ potestate regia ille spiritus, qui propheticè se habeat in annuntiandis, & consulendis bonis. Vbi tres pueri in fornace Babylonio illæsi conseruabantur, Rex Nabuchodonosor stupefactus rei nouitate, accessit ad os fornacis cum Principibus suis, vt clarius rem videret. Tunc ait, Daniel.3. *Ecce ego video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis est in eis, & species quarti similis Filio Dei.* Scelestissimus Rex fit videns, fit Propheta, & Filium Dei clara voce annuntiat; & vnde tacentibus ipsis sanctis pueris, & nihil de Filio Dei dicentibus, solus pessimus Rex Filium Dei annuntiat, nisi quia & regiæ potestati inserta est vis diuina, quæ necessarias ad vitam veritates & solet præsentire, & illas annuntiat? Proximè huc accessit D.Hippolyt.martyr adductus à nostro Pereyra, in præsenti: *Dic mihi, Nabuchodonosor, quando, & vbi vidisti filium Dei, vt hunc Dei filium confitereris? Quibus oculis potuisti tantas has diuitias, velut in speculo prospicere? Cur tibi soli, & nulli præterea tuorum Satraparum innotuit? Sed quando scriptum est, cor Regis in manu Domini, hæc profectò est manus Domini, vt cognoscens eum in camino, ipsum prædicaret, & glorificaret.* Dixerat Prouerbior. 21. diuinus Spiritus, *Cor Regis in manu Domini,* quasi hoc esset regiæ potestatis insigne, quòd Regum cordi, & menti singulariter assisteret manus

Marginal notes (right column): 3.Esdr.1. — Lyran. — Daniel.3. — Hippol.

manus Domini: ex quo præclarè educit D.Hippolytus, natum fuisse, quod cæteris tacentibus,& nihil videntibus, solus Rex barbarus, & scelestus potuit præsentire, & annuntiare filium Dei: non quidem quia ipse sanctior,aut perspicacior, sed quia ipse erat Rex, cui peculiaris vis diuina inseritur, vt prænoscat, & annuntiet bonum. Huic Regi addam Salomonem ob mentis perspicaciam, & veritatum auspicia cantatissimum; de quo dubitari solet apud Doctores, an voluptatibus immersus, vt perdidit fidem idololatra factus similiter & mentis perspicaciam perdiderit? Vel an in ipso idololatra, & voluptuosissimo homine adhuc potuisset perseuerare sapientia illa singularissima in veritate prænoscenda, & annuntianda? De quo sapienter D.Augustin. ex veteri testamento,q.18.fatur: *Primum merito suo Salomon accepit spiritum prudentiæ, postea verò quàm mulieribus cœpit vti, & per hoc peccare, si habuit spiritum sapientiæ, regni merito habuit: sicut & Nabuchodonosor regni merito in camino Christum vidit.* Et Salomon, & Nabuchodonosor licèt sceleratissimi, tamen regni merito, hoc est, quia Reges erant, eum ex Deo retinebant spiritum, quo possent diuinas veritates ad bonum vitæ conducentes annuntiare,& præsentire. August.

§. II.

Diuinæ virtutis honor,& splendor præferendus est carnali cognationi, atque bono.

PEtentibus cognatis,& conciuibus Iesu,vt diuinas efficeret in patria sua virtutes, iis verbis sese Dominus excusat, inquiens: *Dico vobis, quia nemo Propheta acceptus in patria sua.* Vel vt Matth.ait c.13. *Non est Propheta sine honore,nisi in patria sua, in domo sua.* Ratio equidem efficacissima ad ostendendum,quàm necessarium sit,vt contemnatur patria, & cognatio, quando virtutum diuinarum honori consulitur. Etenim nihil in primis prospiciendum est, quàm quòd suus habeatur honor & Deo, & virtuti diuinæ; is habeatur in primis licèt cæteræ omnes necessitudines, & patria, & cognatio ruant. Rubenitæ,& Gadditæ strenuè pugnauerunt contra Gentes pro fratribus suis; bello autem finito, Iosue habens illis gratias maximas, cum diuitiis multis auri, & argenti illos in sortes suas dimisit. Quid tunc? Ait Iosue, cap.22.de Rubenitis, & Gadditis: *Cùmque venissent ad tumulos Iordanis in terram Chanaam, ædificauerunt iuxta Iordanem altare infinitæ magnitudinis. Quod cùm audissent filij Israël, & ad eos certi nuntij detulissent, ædificasse filios Ruben & Gad, & dimidiam tribum Manasse altare in terra Chanaam super Iordanis tumulos contra filios Israel, conuenerunt omnes in Silo, vt ascenderent, & dimicarent contra eos.* Ecce vobis, vix discedunt Rubenitæ in sortem suam, & iam decernitur bellum à fratribus contra illos. Et sanè Rubenitæ fratres erant Israëlitarum ab eodem patre Iacob orti, insuper & amici erant; & quod magis est,pro illis durissima obierant certamina aduersus gentes, nec antea voluerunt esse in parte sua, quàm cæteri Israëlitæ ab aduersariis manerent liberi. Vix dum hæc præstiterunt officia in sortem suam redeuntes, altare ædificant, cuius ædificij nuntium vbi acceperunt Israëlitæ, quasi obliti & cognationis, & amicitiæ, & recentium beneficiorum bellum publicant aduersus Rubenitas. Cur non magis consulunt fratribus suis? Cur non magis cunctantur aduersus cognatos suos? Cur tam citò obliuiscuntur beneficia accepta, consanguinitatem,& testatam amicitiam? Vbi audierunt altare erectum, aliquid suspicati sunt contra honorem diuinum, pro quo non dubitant obliuisci, & calcare omnes cognationes, & necessitudines. Iosephus lib.5.antiquit.cap.5. *Pro cultu nouorum Deorum hoc altare erectum credentes, erant armati ad vltionem, puniturl eos pro paternarum solemnitatum destructione. Non enim videbatur eis iustum, vt cognationem respicerent, aut dignitatem eorum, qui auctores fuerant harum rerum: sed Dei amplectebantur mandata, & quomodo honorari congauderat.* Non enim est iustum, quod respicias cognationem, aut necessitudinem, aut obligationem aliam, vbi intercedit Dei, & virtutis honor, qui debet præferri in omnibus. Æquius est, quòd vniuersi cognati pereant, & omnes temporales euaneant obligationes, quàm quòd suus non deseratur & virtuti,& religioni honor. Quis nesciat arctissimam amicitiam, quam habuit Assuerus Rex cum Aman? Illum super omnes Principes exaltauit: vt sui similem fecit coli, imò adorari; sibique in omnibus charissimum, & gratissimum reperit. Sed tandem repentè mutatus, ad Reginæ gratiam tantum amicum suspendi fecit. Sic habes Esth.c.7 *Suspensus est itaque Aman in patibulo.* Miraris Regis ferociam, & leuitatem, quòd tam subito in amicissimum caput exarsit? Cur non magis meminit amicitiæ, & necessitudinis? Cur non morosiùs in clarissimum, & gratissimum hominem processit? Non fuit sanè barbaricus iste rigor,sed prudentissimus, sed debitus, quando regius honor, & splendor nigricare incipiebat ex decreto per Aman extorto in innumerabiles innocentes. Vbi autem iustitiæ, & honestatis splendor in discrimine versatur,omnes necessitudines, & amicitiæ perire debent, vt ille conseruetur. Ait D.Ambros.lib.3.officior. cap.15. *Denique quem secundum à se, ac præcipuum inter omnes amicos haberet, cruci tradidit, quòd debonestatum se eius fraudulentis consilys animaduertisset. Ea enim amicitia probabilis, quæ honestatem tuetur, præferenda sanè opibus, honoribus, potestatibus, honestati verò præferri non solet.* Nulla est necessitudo, quæ non contemni debeat, vt suus honor virtuti debeatur. Pereat amicus scelestus, pereat patria, pereant cognati, ne virtutis diuinæ turbetur splendor. Quid miraris, quòd necessarij scelesti pereant, ne pereat virtus. Imò & amici sanctissimi, & religiosissimi, & optimi parentes contemni aliquo modo debent, si inde clarior, & præstantior Deo honor exhibeatur. Sanè Ioannes Baptista amicus erat Iesu, & consanguinitate iunctus, & qui non minima Iesu præstiterat obsequia.Hic charissimus,hic sanctissimus Christi amicus, & affinis in vincula coniectus est ab Herode Rege: ait enim Matth.cap.14. *Herodes enim tenuit Joannem, & alligauit eum, & posuit in carcerem.* Iesus autem,qui sic affectus erat in amicos,vt non timeret ire inter hostes suos Iudæos, iam paratus ad necem, vt amicum Lazarum à sepulchri vinculis erueret, Ioann.cap.11. Et qui ab Herodis carcere eripuit Petrum, vt ait Actor.12. *Eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum:* & qui queritur se non requisitum in carcere. Matth. 25. *In carcere eram, & non venistis ad me.* Nihilominus sciens amicum Ioannem in carcere esse, nec illum inuisit, nec liberat à vinculis,nec pro illo facit verbum, sed tacès permittit illum occumbere manu impiissimi Regis. Cur, Domine, non curas eripere à vinculis amicissimum Ioannem? Cur vt Petrum ab Herodis carcere eripis, vt tuum nomen prædicet,similiter Ioannem non liberas, vt post tuam ascensionem doctrina sua sustentet Ecclesiam? Accipite singularem Theophylacti opinionem in tertium caput Ioannis aientis: *Opinor autem permissum Joannis maturari mortem, vt omnis populus paratus ad Christum transiret, & non diuiderentur sententiæ de Christo, & Ioanne.* Ioannes habebat scholam,& discipulos adeò sequaces Magistri sui, vt quamuis ille mitteret eos ad Iesum, tamen ipsi & Christianæ scholæ inuidebant, & passim curabant obscurare discipulatum Christi. Quid tunc? Id putatur à Theophylacto permissionem mortis Ioannis maturauisse; æquius enim erat, vt tantus Dei amicus, & cognatus Iesu tolleretur de mundo, quàm vel tantillum retardaretur augmentum Christianæ virtutis,& Christi scholæ splendor minus fulgeret. Hinc adeò placuit Centurio Matth. 8. qui ardenter cupiens filij salutem, cùm audit Iesum ad domum venientem, humi prostratus ait: *Domine, non sum dignus, vt intres sub tectum meum,* &c. Iis dictis Iesum à via suscepta impediebat: *Audiens autem Iesus miratus est, & sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel.* Sed vnde tantus Centurio iste, quod omnes præsentes excederet? Sanè inde magnus erat, cùm in ardentissimo desiderio salutis filij, simul cauebat, ne quid indignum, aut indecens Saluator pateretur, & hanc curam curæ de filio præferebat. Ait D.Chrysost. ibi: *Nec doloris magnitudo animum eius confudit, vt non philosopharetur. Non enim salutem solum filij respiciebat, sed ne quid ipse minus decenter faceret, animaduertebat.* Sic verebatur indecentiam domus in summo salutis desiderio, & omnia sua religioni postponebat. Similiter mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur, similem habuit cautelam, ne pro salute obtinenda aliquid indecorum fieret contra Deum. De illa S.Dionys.Alexand.epist.ad Basilidem, ait: *Neque enim quæ duodecim annorum fluxum habebat, ipsum ad medicinam tetigit, sed solum eius fimbriam.* Sic vel salutem postponebat Christianæ decentiæ. Vtinam modo multi Christiani, etiam proprij solatij dispendio emerent, quod in Christi corpore tractando decentia, & honor cresceret.

Matth.13. Iosue 22. Ioseph. Esth.7. Ambros. Matth.14. Matth.25. Matth.8. Chrysost. Dionys.

§. III.

Barbarissimi hominum mores, apud quos ideo vilescunt bona, quia propria, ad externa, & aliena affectissimi.

QVi populus æstimat ciuium suorum virtutes? Sanè verissimè dictum est, *Nemo propheta acceptus est in patria sua*: eo enim quod populus suum aliquem videat ciuem, non credit summum. Hæc semper barbaries insita est hominum intimis, vt ex nullo capite prius vilescat aliquid apud illos, quàm si proprium sit. Nota est Adami historia, quando è latere dormientis educta costa ædificata est in mulierem. *Genes. 2.* Hanc expergefactus vt vidit, ait, Genes. 2. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Propter hanc relinquet homo patrem, & matrem suam.* Expende illud, *hoc nunc*: nunc, ait, hoc os ex ossibus meis est, quasi antea non fuisset. Sanè & antea hoc os magis tuum erat, tibi adhærebat intimius, & annumerabatur inter costas lateris tui. Cur nunc magis tibi arridet? Cur nunc magis æstimatur vt tuum, & illud nunc tuum magis reputas, & propter illud parentes relinquis? Ideo magis nunc reputas suum, quia minus est suum, & magis alienatum est ab illo. D. Basil. Seleuc. orat. 2. ait: *Basil.* *Agnosco membrum, donum amplector: verum in vestibulum, quod costæ accidit. Hoc nunc os ex ossibus meis. Hoc, quod nunc vere intueor, non illa priora, quæ cum in mea essent potestate eorum ego visionem minimè desiderabam. Tamen à membro abiunctum philtro vincior, loco seiunctum est & desiderio coniunctum.* Quid pulchrius? Quid magis expressiuum barbarissimi hominis? Dum os in sua potestate erat, intra suas costas annumerabatur, nullum habebat affectum ad illud, nullo illius tenebatur desiderio, vbi seiunctum est os, & abalienatum ab illo, nunc ardet ossis desiderio, nunc os mille affectibus prosequitur; & tanto magis illud suum æstimat, quanto est minus suum. Hanc barbariem ebiberunt homines innumeri, apud quos eo solum nomine vilescunt bona, quia propria. Vides hominem, cui est vxor & iuuenis, & pulcherrima, & prudens, & mille aliis naturæ, & gratiæ dotibus insignis; ipse autem minimè in vxore quiescens, ad aliam rapitur, alterius vel conspectum & vigiliis, & pecuniarum dispendio emere procurat. Cur nō magis ad vxorem aspicis? Nōnne pulchrior? Nōnne gratantior? Sed vxor in potestate, & ideò vilis apud illum; & quæ tibi vilescit, quia tua, si aliena esset, deperires illam. Tales sunt homines plures, quorum bona non alio nomine vilescunt, nisi quia sua. Quò refero illud *Malach. 2.* Malach. c. 2. *Dominus testificatus est inter te, & vxorem pubertatis tuæ, quam tu despexisti, & hæc particeps tua, & vxor fœderis tui.* Loquitur ad pristinos Israëlitas, quibus licebat adducere plures in coniugium, quorum in potestatem quæ primò veniebat, ea primùm despiciebatur. In tantum non erat fœmina despecta ab homine, in quantum non erat sua. Quæ maturabat coniugium, vt puberem maritum haberet, simul maturabat despectionem suam. Sed cur hoc malum appropriatur à Malachia non tam omnibus nuptis, quàm illi, quæ in annis pubertatis fuit tradita viro? Sanè rationem indicant verba illa: *Et hæc particeps tua, & vxor fœderis tui:* hæc vt prima erat, sic magis præcipua inter vxores, & magis peculiariter, & naturaliter fiebat vna caro cum marito, & sub eo vt capite peculiarius censebatur: vnde quò magis videbatur propria viri, necessum erat, vt citiùs despecta fieret. Est hæc barbaries mentibus humanis indita, vt citiùs propria despiciant. *Hier. 2.* Vnde dicebat ille, Hier. 2. *Adamaui quippe alienos, & post eos ambulabo.* Cui videtur succensere D. *Ambros.* Ambros. lib. 4. in Luc. dicens: *Cur tu fastidias, quod natus es, appetas quod indebitum est?* Genium prorsus barbarissimum propria, & propinqua despicere, ad aliena & inexperta toto *3. Reg. 21.* desiderio currere. Aiebat Achab ad Naboth 3 Reg. 21. *Da mihi vineam tuam acceptu pecunia; aut si tibi placuerit, dabo tibi vineam meliorem pro ea.* Fatetur meliorem se habere, & sciens meliorem esse suam, illam despicit, vt alienam acquirat. D. *Ambros.* Ambros. lib. de Nab. cap. 2. *Diues, quod suum est, quasi vile fastidis; quod alienum est, quasi pretiosissimum concupiscis.* Hæc ille. Nunquam stultus non fastidit sua. Ioseph dum somniat, *Genes. 37.* quòd adoraretur à Sole, & Luna, Genes. 37. *Increpauit eum pater suus, & dixit: Num ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te?* Cur increpat pater filium, ex eo quòd insinuet se *Ambros.* adorandum? Ait D. Ambros. lib. de Ioseph, cap. 2. *Obiurgatio patris significat duritiem populi Israel, ex quibus Christus secundum carnem, quem hodie Deum esse non credunt, nec volunt adorare, quia ex se natum esse cognoscunt.* Quia illum suum noscunt filium, ideò contemnunt, quid stultius?

§. IV.

Vbi cœlum clauditur, ne gratia rorem mittat, nil citius in terra apparet, quam orbitates, & mortes.

ECce verissimum Dei testimonium nimirum: *Multæ viduæ erant in diebus Eliæ, in Israel, quando clausum est cœlum*, &c. Et quidem quando clausum erat cœlum Israelitis, cur non essent multæ viduæ? Cœlo enim clauso in terra nil prius appareret, quàm orbitates, quàm mortes, quàm omnis solatij vacuitas. Exemplum esto facinus illud in Iordane à Deo peractum, vt populus transiret: ait enim Iosue 3 *Iosue 3.* *Steterunt aquæ descendentes in loco vno, & ad instar montis intumescentes apparebant procul ab vrbe, quæ vocatur Edon, vsque ad locum Sarthan. Quæ autem inferiores erant, in mare solitudinis (quod nunc vocatur mortuum) descenderunt vsquequo omnino deficerent.* Itaque superiores aquæ Iordanis steterunt, quasi conclusæ intra diuini præcepti carceres, ne vllum influxum deorsum versus darent. Inferiores autem aquæ descenderunt, vsquequo deficerent in mare solitudinis, quod nunc vocatur mortuum. Quibus illud venit notandum, quod priùs notauit Richardus Victor. 1. part. de exterminat. mali, tract. 1. cap. 18. nimirum, quòd tunc temporis, quando accidit miraculum, mare illud, in quod defluebant Iordanis aquæ non vocabatur mare mortuum sed mare solitudinis vocabatur; ex quo autem illud miraculum accidit, & influxus Iordanis desiuit per aliquod spatium in mare ingredi, mare mortuum est vocatum; quippe ait ille: *Richard.* *Postquam cœpit influens inundatio deficere, & commotionum causa perire, cœpit & ipsum mare quasi mortuum quiescere, & nomen mutare.* Et quidem dum dulcissimæ Iordanis aquæ influebāt in mare, sic agitabantur omnes vicinæ aquæ maris, vt viderentur in vitam saltare. Verum vbi ipse Iordanis fluxus hæsit, steterúntque eius vndæ quasi clausæ, ne præterirent diuini præcepti carceres, statim nihil in mari potuit apparere vitale, sed omnia illius quasi mortua apparent, vnde incepit mare mortuum vocari. Quid mirum, si fontibus cœlestium influxuum clausis in terra appareant mortes, appareant orbitates? Potuit vnius influxus Iordanis detentus reddere mortuum mare; cur totum cœlum clausum non faciat, vt terrena omnia mortua appareant? Infelix terra, cui cœlum clauditur, cui cœlestis gratiæ influxus suspenditur; mirum erit, si in hac terra maneat aliquid vitale, si non passim & tristes viduæ, & miseræ orbitates videantur. Gen. 1. *Genes. 1.* ait Moyses: *In principio creauit Deus cœlum, & terram.* Præponit creationem cœli creationi terræ, quasi cœlum terram præcederet in aliqua prioritate: quod quæstionem fecit multis huius quasi apparentis absurditatis causam indagantibus, *Chrysost.* inter quos Chrysost. serm. de Gen. & ieiuniis ait: *Cur autem primum cœlum fecit, deinde terram, ante tectum, quàm solum?* Et quidem diuinissimus artifex geometricam artē callens probè sciebat, centrum præponi debere sphæræ, & solum tecto, & respectu aliarum generationum præclarè rerum naturas obseruauit, vt terram præponeret herbis, & plantis, & has animantibus. Cur ergo illam non etiam præposuit cœlo, quando & natura rerum, & ars ædificandi non minùs requirebant, quòd centrum, & solum antecederet sphæram, & tectum, quàm cæteras generationes animalium? Cur solius cœli respectu debita prioritas terræ negatur? Sanè iam tunc in terra creabatur omnium viuentium matrix, quæ si absque cœlo gigneretur ab eiúsque conspectu esset separata; iam nō viuida, sed mortua perseueraret, & nihil in se ostenderet præter orbitates. Huc refero D. Anastas. Sinait. lib. Hexaem. *Anastas.* vbi fatur: *Quando cum cælo Deus fecit terram, non appellabatur arida; [illegible] enim, ac [illegible] Deus fecit hominem, & [illegible]. Quando autem fuit suffocata à tenebris, quæ super eam erant, & aquis, tunc facta est arida, & mortua.* Vbi terra humana cœlestibus influxibus patet, cœlúmque sibi amicum, & socium, & quasi vterinum fratrem habet, tota vitam halat, nihil ostendit in se non vitale. Sapientissimè enim prouidit Deus homini suo, vt liberum cœlū, & amicum poneretur, vt inde totus abiret in partus vitales. Verum vbi cœlum obducitur, & obtenebratur, & terra quasi sine cœlo apparet, tunc fit arida, tunc fit mortua, tunc in se solas ostendit mortes, & viduitates. Quis mortem fugiat, sibi cœlum habens clausum? De Iesu omnium Saluatore dicitur, *Matth. 4.* Matth. 4. *Baptizatus autem Iesus, confestim ascendit de aqua; & ecce aperti sunt ei cæli: & vidit spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se. Et ecce vox de cælis dicens: Hic est Filius meus dilectus*, &c. Sed & Matth 17. dum transfiguratur: *Matth. 17.* *Ecce vox de nube dicens: Hic est filius meus dilectus*, &c.

Vtrobique intonat vox Patris, vtrobique Iesus Dei filius prædicatur, sed in Iordane præter hoc additur, quòd cœli aperti sunt ei. Cur in Thabor tantum Pater,& vox intonat, in Iordane & Pater,& vox sonat, & cœli aperiuntur? Quid necessum fuit magis in Iordane aperiri cœlos? Magnum ibi venit mysterium notandum: in Thabor filius Dei prædicatur, quando ipse loquebatur de excessu; hoc est, quando imminens mors præ oculis erat: vbi autem Iesus in Iordane baptizatur, simul aquæ viuificatricem virtutem accipiebant, qua ex illis non mortui in peccato, sed viuidi homines possent regenerari. Vbi autem aduersus mortem culpæ fontes parabantur vitales, non poterant tunc cœli non ostendi, & amici, & parentes. Ad hæc D.Basil. Sel.orat.34.

Basil.Sel. *Fluuius Christum circumdedit, baptizatum verò supernè cœlum fausta prosequebatur acclamatione, ne spectatores baptizati dignitas lateret, neve ipsum, qui baptisma in Iordanis fluento primum instituit, gratiæ inopiam secum detulisse, verbis vrgeas. Ideò Pater cum clamore præconium fecit, Spiritus volatu indicium. Et videre erat rem inopinatam, in aquis matrix parabatur quæ cœlo ciues pareret. O inaccessa mysteria! aqua pariebat, & cœlo ciues adscribebantur: gratia erat, non natura, quæ producebat; gratia, non quæ legibus obnoxia, sed quæ cœli tenet regna.* Non potuit cœlum esse clausum, vbi vitalissimi partus gratiæ parabantur: de cœlorum apertione, & amicitia ostenduntur vitalissimi fontes gratiæ parari, à quibus viuidi homines renascantur. Dum cœlum clausum erat, non nisi mors,& orbitas vbique visebatur; vbi iam mors abolebatur,& fontes vitæ cœperant parari, necessum fuit, vt sese iam cœlos apertos manifestarét? Quomodo enim nisi de cœlestium beneficio posset mors fugari, & apiari vitæ matrix? Hinc Nazianz.orat.28. locutus de bono, & diligenti pastore animarum, qui in animabus viuificandis, non minùs diligens est,

Nazianz. quàm fuit Iacob in ouibus, ait: *Perustus sum æstu diei,& nocturna glacie vexatus, inquit Patriarcha Iacob, cuius sunt illæ oues signatæ, quæ in cœlestibus canalibus concipere didicerunt.* Bonus hic pastor est, qui ouibus suis curat, vt suppetant canales cœlestes; de iis enim vix fieri potest, vt in vitales partus non veniant.

§. V.

Solus Deus potest corda humana implere, ne famescant.

Vide consequentiam verborum; ait enim: *Quando clausum est cœlum annis tribus, & mensibus sex, cum facta esset fames magna.* A cœli clausura necessum est, quòd homines in magnum famem deueniant, quando sola cœlestia, solus Deus potest facere, ne homines famescant. De prima

Genes.1. terræ creatione locutus Dominus, Genes.1. ait: *Terra autem*

Ambrof. *erat inanis, & vacua.* Vnde hæc vacuitas in terra? D.Ambros. lib.1. Hexaëm.c.7. legit: *Terra erat inuisibilis, & incomposita:* & statim subdens rationem huius fœditatis ait: *Sic accipimus inuisibilem terram, quòd nondum verbo Dei & protectione visitabatur, quæ hominem non habebat, propter quem Dominus respiceret in eam.* Vbi nondum Deus oculos suos ad terram inclinabat, necessum est, quòd terra esset omni decore, omni pulchritudine, & ornatu, omni bono vacua. Dum tibi cœlum claudatur, dum Deus tibi non adsit; plenus quibuscumque aliis bonis, vacuus eris, & rabidissima torqueberis

Psal.101. fame. Psalm.101. *Concupierunt concupiscentiam in deserto, & dedit eis petitionem ipsorum, & misit saturitatem in animas eo-*

Hieron. *rum.* D.Hieron. legit: *Et misit tenuitatem.* Chaldæus posuit: *Misit maciem.* Nec miror; quando enim Deus abest, quando cœlum est clausum quæuis bonorum abundantia tenuitas est, & ipsa maior saturitas est fames. Et quæ sunt bona, præter Deum, quæ non famescentes faciant? An voluptas?

Luc.15. De prodigo illo dicitur, Luc.15. *Dissipauit substantiam suam, viuendo luxuriosè. Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa,* &c. Ecce tibi miser adolescens & simul immergitur voluptatibus, & rabidissimam experitur famem. Quod expendens D.Bernard. apud Tilmanum in al-

Bernard. legor. ait: *Vnde huic egestas tanta, nisi ex eo, quòd legitur dissipasse bona sua cum meretricibus, viuendo luxuriosè? Meretrices istæ carnis sunt concupiscentiæ, cum quibus luxuriosè viuendo dissipat bona naturæ, qui eis abutitur ad voluptatem. Huic egestas perniciosa succedit, eo quòd non satietur oculus visu, nec auris auditu impleatur.* Numquam non famescit lasciuus inter ipsos cumulos voluptatum; nec fieri potest, quòd harum abundantia non faciat rabidam famem in corde humano. Et quando voluptatum copia famem facit an diuitiæ afferunt plenam saturitatem? Ecce tibi diues Israëlitarum Rex Achab inter suarum diuitiarum segetes dicit ad Naboth 3.

3.Reg.21. Reg.21. *Da mihi vineam tuam.* quæ verba ponderans D.Am-

Ambrof. bros.lib.de Naboth, cap.2.ait: *Da mihi, hoc est, da mihi, quia egeo. Da mihi, quia aliud viuendi subsidium habere non possum. Da mihi, quia non est mihi panis ad victum, nummus ad potum, sumptus ad alimentum, aut indumentum substantia.* Et fallar, nisi hæ sint voces in ore diuitum frequentissimæ, nisi quia hic solam vineam requirit, pro hac habenda incœnatus occumbit; alij mille alia requirunt, & quò plura habent, eò rabidiori fame ad alia feruntur. Nec miror, quòd sic famescant, quibus cœlestia omnia clausa video, quæ sola hominum fames tollere sufficiunt.

§. VI.

Tribulationes, & pressuræ lucem afferunt hominibus, qua sibi necessaria clarius videant.

Tempus adeò nubilum, quando cœlum clausum erat, quando multæ viduæ, quando magna fames sentiebatur, vocat Dominus dies Eliæ; quippe ait: *Multæ viduæ erant in diebus Eliæ, quando cœlum clausum est,* &c. Cur non magis dicuntur tempora illa tenebrosa, & obscura velut noctes, quàm lucida, & clara sicut dies? An tribulatio non magis pertineat ad noctem, quàm ad diem? Absit, imò tribulatio, & pressura lucem addunt clarissimam, qua homines sibi necessaria videant. Dan.4. de Nabuchodonosor dicitur: *Ex ho-* Dan.4.
minibus abiectus est, & fœnum vt bos comedit, & rore cœli corpus eius infectum est, donec capilli eius in similitudinem aquilarum crescerent, & vngues eius quasi auium. Igitur post finem dierum ego Nabuchodonosor oculos meos ad cœlum leuaui. Expende, quos vocet dies, nimirum illos vocat dies, quibus seuerissimum Dei iudicium subiuit, quibus sub iudicij diuini seueritate pressus, coactus est inter belluas viuere. De aduentu seuerissimi iudicis, vt homines puniat locutus Matth.25. ait: *Media nocte clamor factus est, Ecce sponsus venit:* Matth.25.
quasi piguerit diurnæ claritati tempus adeo nubilum,& tenebrosum tribuere. Cur similiter seuerissimi iudicij tempus circa Nabuchodonosor, non æstimatur noctis tempus? Cur maluit dies vocare, nisi quia seueritatis iudicia in hac mortali vita, vt tenebrosa carni sunt, sic lucida, & clara sunt menti, quam faciunt deuenire in salutis remedia. Aiebat ad hæc Richard. Victor. lib.2. de erud. inter hom. part.1. cap.45. *Iudicia Dei dies sunt, quia in lumine veritatis, quia in luce re-* Richard.
ctitudinis fiunt. Talium dierum finis completur, quando diuinæ seueritatis animaduersio in misericordiam commutatur. Ex quibus illud noto, quod ad dierum numerum reuocat iudicia Dei seuerissima, quia in lumine veritatis fiunt, imo sic veritatem illuminant, vt nullus sit adeo cæcus, qui ad eam non accedat per tribulationis viam. Vidisti primam mulierem à Deo ædificatam de costa viri, quæ simul vt facta est, pulcherrimum sibi socium sponsum videt, ditissimas auspicatur nuptias cum sæculi dote, in sua enim potestate noscit esse totas delicias paradisi, & cum tanta recipit, non dicitur in datoris memoriam deuenisse. A tanto statu misere ruit, excluditur à paradiso, iubetur in doloribus parere. accedit ad partum primum, parit Cain,& vix accipit filium & tota exclamat Genes.4. *Possedi hominem per Deum.* quis tibi, ô fœ- Genes.4.
mina, fecit videre datorē præsentis munusculi? Cum possides pulcherrimum, & immortalem maritum, cum possides paradisum; non vides, nec manifestas, à quo ista possideas: cum autem possides ærumnosi partus fructum, nil citius vides, quam Deum auctorem beneficij. Quæ sic te illuminauit causa? An partus dolores faciunt videre, quod abscondunt deliciæ? Aiebat Basil.Seleuc.orat.4. *Possedi hominem per Deum,* Basil.Sel.
noui meam diuini mandati transgressionem, noui à paradiso excidisse me, vt, quæ pertuli, docta sum: agnosco punitorem, excepi pœnam, quæ vt magistra, me ab errore vindicat. Ecce tibi tribulatio, quam illustrat oculos, quam claros reddit dies, quam tenebras dissipat. vt veritas cernatur, & ad auctorem bonorum omnium infenso pede curratur. Præclarè dicebat Ecclesiast.cap.7. *Melius est ire ad domum luctus, quàm ad do-* Ecclef.7.
mum conuiuij: in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat, quid futurum sit. In rem præsentem Chaldæus Complutensis ait: *Cum ibit vir iustus in domum luctus,* Chald.
sedebit, & ponet in corde suo verba mortis, & si est in eo aliquid mali, dimittet illud, & conuertetur ad pœnitentiam in conspectu dominatoris sæculi. quasi hoc proprium sit luctuosi temporis, quod nos faciat conspicere dominatorem sæculi.

§. VII.

§. VII.

Detrimentosum est apud Deum, quòd qui potior debebat esse, is sit minor in diuino obsequio.

MVltæ Israëlitæ viduæ reiiciuntur à Deo, & permittuntur in fame perire, quando vna Sareptana vidua eligitur, cui Elias subueniat, vt quæ illis præstantior sit, & alacrior in misericordiæ affectu. Ait enim: *Ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta,&c.* Et meritò Israëlitæ præ illa relinquuntur, quando quæ potiores esse deberent, minores inueniuntur à Deo. Audio apud Matth.12. Dominum aliquantulum seuerum in fratres suos, cum enim ille in Synagoga côcionaretur ad plures, dictum fuit illi de matre, & de fratribus, quod foris starent, quærentes eum. Quid plura?

Matth.12. Statim ait: *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?* Nemo ambigit sub iis verbis aliquid seuerum latere, & cur modo mansuetissimus agnus fit seuerus? In quo potuit prorsus inculpabilis mater, & fratres Iesu seueritatem excitare? Dum aliis audientibus verbum Iesu mater, & fratres perhibentur foris manere, cur Iesus non seuerus exhibeatur? Detrimêtosum enim esset & fratribus, & ipsi matri, si in obsequio diuino possit ipsa, quæ mater erat, minus præstare,

Tertull. quam extranei. Ad hæc fatur Tert.lib.4.in Marc. *Iam proximas personas foris stare extraneis intus defixis ad sermones eius, merito indignatus est, non tam negauit, quam abdicauit. Atque adeo cum præmisisset, quis mihi mater, & qui mihi fratres? Subiungens, nisi qui audiunt verba mea, & faciunt ea, transtulit sanguinis nomina in alios, quos magis proximos pro fide iudicaret.* Non censentur à Deo propinquitates, quas caro, & sanguis, sed quas fides, & virtus facit, imo vix tolerat non iratus, quod qui multis obstricti titulis potiore esse tenebamur, ij tardiores sese exhibeant in diuino famulatu, quàm extranei. Propinquior Deo status, arctior obligatio tunc prodest multum, quando vt in iis alios superas, similiter eos superas in obsequio præstando: caue tibi, ne qui propinquior es in statu, in obsequio remotior vt [illegible] caris, fallar, nisi inde detrimentum patiaris. Videre est apud Luc.c.7. peccatricem fœminam à Deo protectam, cum repellitur Pharisæus Simon, is, secum habebat Iesum recumbentem in mensa sua, eius præsentia, & colloquio fruebatur, & interim peccatrix mulier à tergo stans totum ad se rapit, & allicit Christum. Cur, Dominè, sic Simonem hospitem relinquis? Cur præfers mulierem peccatricem? Nónne ille te inuitauerat ad mensam suam? Inuitauerat iste, fateor, & hospes erat Iesu, sed in obsequio exhibendo longè erat remissior, quàm fœmina il-

Luc.7. la. Sic ait Iesus ad Pharisæum: *Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti, hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit,&c.* Quid, quod propinquior inueniaris corpore, quod Iesum habeas in domo tua, si præstantior alia venit in obsequio diuino? Equidem despicieris à Deo præ

Paulin. illa. Pulchrè D.Paulin.epist.4.inquit: *Quo te miser Iudæe iactabis? In domo tua, te peccatrix nostra præuenit, ingressa in labores tuos. Tu enim epulabaris, vt superbires: illa ieiunabat, vt seruiret. Et quam de vrceis tuis effundendam negaueras aquam, illa de suis oculis ministrabat. Tu pedes Christi non linteo: illa crine detersit: quos tu indignè, nec manibus contingere voluisti, illa osculis mulcere non destitit. At certe ex potius hoc ministerium in domo tua, recepto hospite debuisses, si vel exemplo Patrum sas hospitale seruasses. Sed sufficit vobis ad superbiam iactare patrem Abraham, & ideo te præuenit, quæ affectu fideli se potius patris tui filiam comprobauit.* Vnus apud Deum valet titulus, nimirum præstiti officij, qui in officio exhibito excedit, ille omnes alias propinquitates reddit inutiles, imo propinquitas maior, obligatio prima potius detrimentum inducunt, vbi est officij exhibitio vltima. Qui, quod postulat vel conditio, vel status, vel munus non implet, non miretur, si reiiciatur, vbi sunt alij qui præstent plus, quam requiri poterat ab illis. Audio etiam Moysem Deo familiarissimû fuisse, sed etiam audio parum abfuisse, quin ab Angelo occideretur in via, dum de mandato Dei descêdebat in Ægyptum,

Exod.4. inde Israëlitas educturus. Sic enim habes Exod.4. *Cumque esset Moyses in itinere in diuersorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.* Cur, Domine, quem mittis in Ægyptum, occidere vis in itinere? In quo te offendit, qui adeo tuis audiens dictis vix mandatum accipit, & statim proficiscitur, vt Israëlem ab Ægypto educat? Offensionis causam ostendit textus verbis illis: *Tulit ergo Moyses vxorem suam, & filios suos, & imposuit eos super asinum, reuersúsque est in Ægyptum.* Cum totus Israël clamabat, vt exiret ex Ægypto, cum Deus illorum votis annuens, de illorum eductione tractabat, cum ipse Moyses iubetur, vt nullum Israëlitam permittat manere in Ægypto, ipse nihilominus illo ducit filios suos, cur inde Deum non irritet? Sane ex Dei familiaritate, ex electione diuina magis tenebatur educere omnes de Ægypto, & cum alij educendi essent, ipse mittit suos. D.August.q.16. ex veteri testam. ait: *Filios ducere secum ad Ægyptum non debuit, qui cæteros inde educturus.* Meritò offendit, & pene reiicitur etiam familiarissimus, qui patitur suos ire in Ægyptum, quando vel omnes alij erant inde eruendi, & crebris suspitiis contendebat egressionem suam. August.

Text. Et multi leprosi erant in Israel sub Elisæo Propheta: & nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus.

§. VIII.

Qui de Deo, & virtute facilè magna credit, & magna præsumit, non indonatus abibit.

VIdes & Sareptanam fœminam, & Naaman Syrum, & prælatos Israëlitis, & donis muneratos diuinis, illam perenni pabulo, hunc lepræ mundicie. Vt vnde ij gratiam rapuere diuinam? Mulier Sareptana, vt habetur 3.Reg.17. simplici verbo Prophetæ audito, dicente: *Hydria farinæ non deficiet*, indubitanter credidit, magnum id futurum ex Deo, & misericordiæ virtute, qua persuasione extremum vitæ suæ, & filij sui contempsit periculum, & prius Prophetæ fecit conuiuium, quam sibi. Non minor in Naaman fides, is enim ex ancillulæ Hebrææ ore audiuit summi Dei Prophetam Elisæum esse in Israel, qui in nomine Domini morbos eliminabat cunctos, & statim non dubitauit fore, quod à magno Deo Israel per Prophetas suos salus veniret. Sic habes 4 Reg cap.5. Qui ergo tam faciles fuerunt, vt de Deo, & virtute tam magna indubitanter crederent, ad illáque festinarent despectis periculis, vel vitæ, vel longissimi itineris, quomodo non sibi præriperent gratiam diuinam? Gabaonitæ illæ Iosue c.9. cum dolo, & simulatione extorsere pacem ab Israëlitis, ne & ipsi perirent eorum gladiis, vt cæteræ nationes peribant. Et quod maius est, quod Deus ipse voluit, vt pax illa licet extorta, firma, & stabilis perseueraret. Et cur Deo placuit illa pax? Sane ad illam extorquendam moti fuerant Gabaonitæ ex fide, qua cum primum audierunt summi Dei potentiam ad exterminandas nationes, non dubitarunt de Deo credere quid magnum; aiunt enim: *Venerunt serui tui in nomine Domini Dei tui. Audiuimus enim famam potentiæ eius,&c.* Vt audierunt, sic indubitâter de illa sibi persuaserunt, & statim festinarunt illius acquirere gratiam, quæ vix potuit illis sic credentibus negari. Ad hæc D.August.lib.6. q.14. *Considerant enim Deum, quem audierant suo populo promisisse, quod illas gentes subuerteret, eorumque terram obtineret, & hanc eorum fidem non [illegible] peracendo remunerauit quodammodo.* Non æquû videbatur, quod prompta fides ad credendum de Deo magna, maneret non remunerata: sed qui indubitanter credunt in Dei potestate omnia esse; ab illoque magnum quid suis cultoribus manare, illud in se ipsis experiantur. Ad modum enim crescentis fidei de Deo, crescit diuinæ beneficentiæ liberalitas. Quo se non proripit Chananææ fides? Tantum de Iesu beneficentia credebat, vt salutem filiæ à dæmonio vexatæ, quasi diuinæ mensæ deciduas micas putaret. Hinc merito Dominus ait, Matth.15. *O mulier, magna est fides tua: fiat tibi, sicut vis.* Non contentus est illi aliquid donare, sed maluit eius implere, & superare voluntatem, ne quid maneret in fœminæ optaris, quod non esset à beneficentia diuina superatum. Et cur hoc? Iam præmisit, dicens: *O mulier, magna est fides tua*, vt ipsa magnitudine, & promptitudine fidei multos alios superabat, sic quasi necesse fuit, vt eius optata diuinis donis Dominus superaret. Pulchrè aiebat D.Basil.Selec.orat.20. *Totam tibi curationis mensam explico, non vt cani micas, sed vt filiæ panem largior. Tu quidem Iudæos fide vicisti: ego vero dabo meo tua postulata. Fiat tibi sicut vis.* Nullum postulatum non manebit à Dei largitate superatum, vbi filios de Deo præcedat, quæ & magnitudine, & facilitate aliis superior appareat. Centurio puerum paralyticum obiiciebat Domino, vt salutem impetraret: & vt audiuit Iesum ad suam domum festinare, vt puerum sanaret, humi deiectus sic clamat, Matth.8. *Domine, non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Audiens autem Iesus miratus est, & sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel,&c.* Et statim in illa hora sanatus est

Margin (right): August. — 3.Reg.17. — Iosue 9. — August. — Matth.15. — Basil.Sel. — Matth.8.

est puer, absque eo, quòd intraret Iesus domum eius. Sed cur Iesus non magis impleuit, quod promiserat? Promiserat, se iterum ad domum, cur non iuit? Nonne sic humillimum hominem magis honoraret? Quando Ioannes propter humilitatem non volebat Iesum baptizare, Iesus tamen fecit, vt a Ioanne baptizaretur. Cur ergo cùm Centurio propter humilitatem petebat, ne Iesus intraret sub eius tectum, tam facilè Iesus cessit? Cur non magis intrauit, vt sic eius honorem augeret? Sanè vbi fides Centurionis vniuersos Israëlitas vincebat, necessum erat, vt omnia eius postulata vinceret Dominus datis muneribus, sicque pariter fides Centurionis honorata fuit a Deo, quando quodcumque optauit munus, accepit, & salutem pueri, & hanc, antequam limen domus videretur. Ait D. Chrysostom. ibi: *Dices fortasse quispiam, & cuius rei gratia pariter Centurionem Christus non honorauit? Respondebimus pariter, & plusquam pariter, Christum ipsum habuisse honoratum. Primum, quia benignam, & humilem mentem illius declarauit: quod inde maximè apparuit, quòd domum ipsius non adyt, & filium curauit.* Tam superioris fidei postulata inhonorata manerent, si in aliquo non adimplerentur: non debuit vel in minimo frustrari tanta fides, in quo maiorem honorem bonus Centurio accepit, quando quidquid optauit, accepit, ne magnitudo fidei eius in aliquo frustraretur. Huc reuoca dicta 1.tom.lib.1.cap.8.§.16. Chrysost.

§. IX.

Dei dona frequentibus petitionibus sunt extorquenda.

MEritò Naaman Syrus præfertur leprosis Israëlitis nihil ex Propheta petentibus, quia ipse per se venit, & humilis remedium postulauit; & quidem in Dei donis, in virtutibus præstandis, id in primis respicitur, si anxiè postulentur. Vanè enim putat ad se diuina ventura esse dona, qui nullam in illis habendis præstat diligentiam, sed nec pro illis vllam orationem attexit. Pulchrè in præsenti aiebat D.Ambros.4.in Luc. *Cur igitur non curabat fratres, non sanabat ciues, non sanabat Propheta consortes, cum sanaret alienos, sanaret eos, qui obseruantiam legis, & religionis consortium non hab bant; nisi quia voluntatis est medicina, non gentis, & diuinum munus votis eligitur, non naturæ iure defertur? Disce, Christiane, rogare, quod cupias impetrare: assiduosos viros cælestium profectus munerum non sequantur.* Non naturæ, non cognationis, non status, non muneris iuri multum fidat, qui optat sibi obuenire Dei bona, sed postulet, & frequenter postulet; non enim sic ad alia attendere Dominus solet, vt ad postulationes, vt largiatur sua dona. Samaritanæ dicebat Ioann.4. *Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi, da mihi bibere; tu forsitan petisses ab eo, & daret tibi,* &c. Expẽde illud, *tu forsitan petisses,* &c. quasi assignet medium necessarium ad acquirenda dona diuina, nimirum quod præcedat oratio, quòd præcedat petitio, sine qua nec coniunctissimi obtinent à Deo donum vllum. Origen.apud D.Thom. in Cat. ait: *Quasi dogma quoddam est, neminem accipere diuinum donum ex non quærentibus illud: ipsum autem Saluatorem iubet Pater poscere, vt det illi, secundum illud psalmi, Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Quando ipse filius iubetur postulare, vt paterna dona acquirat, quis sine orationibus, & postulationibus præsumet illa acquirere? Sanè qui nihil curat petere, nihil sibi speret dari, quando diuina dona magis currunt ad postulantes. Habes Luc.18. Pharisæum, & Publicanum; ille sic ad Deum ait: *Deus, gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri hominum: raptores, iniusti, adulteri: velut etiam hic publicanus. Ieiuno bis in Sabbato, decimas do omnium, quæ possideo.* Hæc Pharisæus, & nulla alia. Publicanus autem procumbens humi, percutiens pectus suum, clamabat: *Propitius esto mihi peccatori.* Quid plura? *Descendit hic iustificatus præ illo.* Et cur hic diuinum donum sibi rapuit? Cur ille vacuus à Deo discessit, tanta de se fatus: hic autem Publicanus plenus abijt? Ille nihil postulauit, nihil petijt: hic ex quo intrauit, non cessauit postulare, semel, & ter clamans: *Propitius esto mihi peccatori*; ne mirum quòd diuina dona minimè dentur alij, quam illi, qui anxiè, & perseueranter postulauit. Ait Gillibert.Abb.ser.33.in Cant. *Duo quædam in oratione tua, ô Pharisæe, non tam redolent, quam fœtent tumor, & tepor. Tumor est in eo, quod Publicano improperas: Tepor quidem, quia omnino nihil rogas.* Cur dentur diuina dona non roganti, non petenti, præsertim cùm alius sit, qui non cessat postulare?

Ambros. Ioann. 4. Origen. Luc. 18. Gillibert.

Text. Et repleti sunt omnes in Synagoga ira, hæc audientes.

§. X.

Quòd Deus alienis, & indignis videatur fauere, in suis non tam iram, quam spem debet excitare.

QVòd Sareptanæ fœminæ, & Naaman Syro dicantur data diuina munera, in iram abeunt Israëlitæ audientes; quid stultum magis? Imò si saperent, non tam iram, quàm spem in se excitare debebant, vbi audirent diuinam beneficentiam etiam ad alienorum, & criminosorum pulsare ianuas. Quando magis debet homo sapiens suam salutem à Deo sperare, quam vbi nouit Deum etiam criminosissimis hominibus adstare? De sapienti illa peccatrice dicitur, Luc.7. *Vt cognouit, quod accubuisset Iesus in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti; & stans retro secus pedes eius, lacrymis cœpit rigare,* &c. Expende, quando mulier prudens sese totam effundit in lacrymas; quando in salutis negotio incipit nulli sumptui parcere, nimirum vbi cognouit, quòd accubuisset Iesus in domo Pharisæi, vbi vidit misericordiæ diuinæ pedes etiam limina fastuosi, & superbi Pharisæi ianuas intrare. Et quis non speraret, se posse operum diligentia comparare cœlestem Regem; qui videtur etiam ad superbissimi hominis ianuam pulsare? Acutè D.Chrysolog. serm.93. fatur: *Inclinem ad miserandum supernam didicit maiestatem; & ideo credidit, quòd esset ad veniam sibi promptus, qui Pharisæis venerat tam promptus ad mensam.* O felix argumentatrix! Non sibi persuasit, posse contemni suas lacrymas ad veniam ab illo, qui non fuit tus contemnebat impietatem Pharisaicam, sed Pharisæi mensis gratiosus aderat. Non indignè tulit, quòd sanctus Deus Pharisæo fastuoso inuitanti annuerit; sed magis inde sese ad Deum habendum excitauit, minimè credens posse sibi laboranti, & pœnitenti deficere, qui Pharisæum recumbentem præstolabatur. Hinc Paulus cap. 11. ad Romanos lucrum exortum de vocatione gentium ponderans fatur: *Illorum delicto, salus est gentibus, vt illos æmulentur.* Ibi D. Anselmus: *Illorum delicto salus est gentibus, vt illos æmulentur Iudæi, hoc est, imitentur.* Itaque Deus salutem præstat gentibus, vt ex hoc efficacius pronocentur Iudæi in virtutum sequelam. Sed quantum est istud medium ad trahendos Iudæos? Quare gentium salus speratur efficacior, vt quærant Deum Iudæi, quàm vt contra Deum exacerbentur? Sanè apud eos, qui sapiunt, efficacissimum debet esse, quod videant Deum inclinem esse perditis, & deploratis gentibus, ad hóc, vt ipsi sperent similem posse Deum reddere, & ad eum similiter acquirendum operam impendant. Pulchrè enim ad hæc dicebat Theodoretus: *Hoc autem satis est ad contradicentes Iudæos excitandos, & ad æmulationem prouocandos, & salutis participationem sibi conciliandam. Vident enim eos euasisse primos, qui erant vltimi.* Quantum hoc calcar in animo sapienti, vt arripiat negotiationem illam, in qua videt pauperrimos, & despectos homines subitò ditatos, & exaltatos esse? Quis non magis operam impendat seruiendo illi Deo, apud quem nec vilissimus fastiditur, nec sceleratissimus salutem desperat, si illam negotietur? Sic peccatorum, & sceleratissimorum hominum salus calcar debet esse prudentibus hominibus, vt post Deum currant; qui inde exacerbatur, magis insanus est, & omnium stultissimus. Ex Deuter. 32. adducit Paul.ad Roman.10.testimonium illud: *Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem: in gentem insipientem, in iram vos mittam.* Quippe augendo gentes vsque modo cœcas, & abiectas, & pro nihilo habitas, ea præstat Dominus, ex quibus Iudæi iris exardent, & rabidissimè flagrant. Facit hoc Deus? Faciunt hoc diuina dona gentibus data? Absit, hoc namque facit deplorata Iudæorum insania, & stultissima pertinacia. Id quod insinuat D.Hieron. lect.ad Deuter.cap.in vltima mansione ad Fabiolam, aiens: *Generatio pessima filij instructi: ipsi ad æmulationem me prouocauerunt in eo, qui non erat Deus: irritauerunt me in sculptilibus suis: & ego zelare hos faciam nationes, & contra gentem stultam incitabo eos.* Inuidia, & rabida æmulatione feruntur contra saluatas nationes, cur non magis bona æmulatione. Insinuant illa verba: *Generatio pessima, filij instructi:* quia enim Dei sapientiam amiserunt, ideo in iram abeunt ex eo, ex quo sapientes viri maiorem hauriunt spem veniæ.

Luc.7. Chrysol. Rom.11. Anselm. Theod. Rom.10. Hieron.

Text.

Text. Et surrexerunt, & eiecerunt illum extra ciuitatem, & duxerunt illum vsque ad supercilium montis, super quem ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eum. Ipse autem transiens per medium illorum ibat.

§. XI.

In Christi Domini morte non deiectio, sed exaltatio exprimenda.

COmponite modo Nazarenos ciues, & Hierosolymitanos, vt rabie sua diuinæ sapientiæ seruiunt, vtrique in Iesum inuidia exardescunt, vtrique eum extra ciuitatem educunt, vtrique ad montis verticem Iesum impellunt, Nazareni vt inde deiiciant, Hierosolymitani vt in cruce exaltent eum. Illos deludit Iesus, horum furoribus cedit, vt qui sapientiùs insanirent, quando in Iesu morte nihil meditantur deiectum, nec deiectionem, sed exaltationem cogitant, moriente Deo. Ad hæc clamabat Isai. cap. 13. *Super montem caliginosum leuate signum.* Quasi ciues Nazaræos corrodat, & laudet Hierosolymitanos, vel in ipsa insania sapientes. Dum super mõtem montis caligine opertum curritis; dum Deum vsque ad verticem montis persequimini, nihil ibi deiectum, nihil demissum cogitetis; non deiicite, non præcipitate, sed leuate signum. Præstantius Dei sapientiæ deseruiunt, qui morientis Dei signum super montem eleuant, non dormitaunt, quando in morte Domini triumphalis exaltatio venit exprimenda. Pro quo D. Ælredus in allegoriis T. lmanni ait: *Super montem igitur caliginosum vexillum crucis extollitur, vt sua virtute mundi huius potentiam premat; superbis redemptionis nostræ mysterio concludat, apud mites verò, & humiles omni mundanæ gloriæ superemineat.* Hoc meditabatur diuina sapientia, cùm Dei Filium, & morti, & cruci permittebat non quo Dei Filius deiiceretur, sed quo exaltaretur, quo vniuersam mundi potentiam conculcaret, & premeret & omni mundanæ gloriæ supereminenet. Hoc spectabat ipse Dominus Cant. 7. locutus de morte sua: *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius.* Nihil non sublime, & victoriosum in morte sua suspiciens: vt dicat D. Cyprian. ser. de pass. *Ascendisti, Domine, palmam, quia illud crucis tuæ signum protendebat triumphum de diabolo, vel de principatibus, & potestatibus, & nequitiis spiritualibus victoriam.* Nihil deiectum in morte Christi, sed omnia ibi sublimia victorias halantia, & triomphos; quidquid Iesu morti deseruire debebat, eam simul debebat habere naturam, quæ ingentem exaltationem eius, & gloriam exprimeret. Vnde D. Ambros. in cap. 23 Luc. sic Iesum vocat ad mortem crucis: *Nunc entrum suum triumphator ascendat, non arborum truncis manubias de mortuis hoste quæsitas, sed patibulo triumphali captiuo de sæculo spolia suspendat. Non hic reuinctis post tergum brachiis gentes, nec excisarum vrbium imagines cernimus, sed ouantes populos exercitum, quæsitos non ad supplicium, sed ad præmium, Reges liberis affectibus adorantes, in mentis reformatas imagines oppidorum, quas non fucus expresserit, sed deuotio colorauerit, fidei arma, victoriarumque tota toto orbe currentia, variarum virtutum species non ferculis, sed moribus emicantes. Fulget æternitas, fiant splendet, & induta mortis exuuiis deuotio fortitudinis iam resurgit. Vnus Dei triumphus erit omnes homines triumphatores crux Domini.* Quidquid sublime est, & victoriosum in cruce Dominica pulchrè delineauit, in qua velut in nouo, & diuino triomphali curru eliminantur omnia, quę deiectionem, & euersionem sonant, & solùm illa proferuntur, quæ ad exaltationẽ & gloriam, & victoriam faciunt. Videre solent in aliorum triumphis dirutarum vrbium imagines, in cruce Dominica vniuersus orbis apparet instauratus: in aliis captiui populi præcedunt, currunt; in Christi morte nationes antea captiuæ iam certantur ouantes. Cogita magnum, & gloriosum, & exaltatum id omne protendit crucis palma super verticem montis exaltata, quidquid deiectum est, & imum, vt à Deo alienum, sic non potest à cruce demonstrari, nec decuit Deum aliud mortis genus, nisi illud, quod à terra ostẽderet Deum eleuatum, & exaltatum. Quippe sapienter ait Lactantius lib. 2. cap. 19. *Qui vnquam ... amentum hominis tuetur, eatenemque naturæ suæ nititur obtinere, ipse se ab humo suscitet, & erecta mente oculos suos tendat in cælum: non sub pedibus quærat, ... neque à vestigiis suis eruat, quod ... : quia quidquid homini subiacet, infra hominem sit, necessum est, sed quærat in sublimi, quærat in summo.* Iam ex iis vides, quam tibi ostendat arbor crucis Deum, non in imis, non sub pedibus sed in sublimi, sed in summo, ne quid appareat in morte Dei, quod non eius exaltationi referri posset.

Isai. 13.

Ælredus.

Cant. 7.

Ambros.

Lactant.

CAPVT III.

De Dauid manducante propositionis panes.

PROXIMORVM animabus parantea pabulum Iesu discipuli, adeo proprij corporalis cibi parandi obliuiscuntur, vt cogerentur etiam Sabbatis spicas vellere, quarum rudibus granis possent sustentari. Quid sanctius? Sed tamen patitur accusationem pharisaicam, quam vt refellat Dominus, ob oculos proponit Dauidem famelicentem 1. Reg. cap. 21. & propositionis vescentem panibus, quod non minus erat lege cautum hominibus laicis, quam Sabbati obseruatio. Liceat ergo discipulis Iesu vel propter inediam facere, quod ob eandem causam licuit sanctissimo, & legis obseruantissimo Patriarchæ.

Matth. 12. Abiit Iesus per sata Sabbato: discipuli autem eius esurientes cœperunt vellere spicas, & manducare.

§. I.

Lauta conuiuia aptiora persequendo, quam sequendo Christo.

EXpende, qualia sint conuiuia sectatorum Iesu. ait enim *Cœperunt vellere spicas, & manducare*, & quidem tenues spicarum mensæ, pauper, & vilis cibus Christi generat sectatores, & discipulos. De lautis conuiuiis, splendidisque mensis non Christi sequela, sed immanis oritur persecutio. Quis neget, rabidissimam fuisse persecutionem Iesu illam, qua comprehensus à militibus, & traditus Principibus Sacerdotibus, tandem ad mortem fuit ductus? Quod si huius immanis persecutionis tempus obserues, illud fuit, quando nulla erat domus in Israel, quæ non vacaret paschali conuiuio Matth. 26. habes ipsum Dominum cum suis manducantem pascha, & sane quando ab omnibus Iudæis manducatur, & vix cœna peracta, & hymno dicto, egreditur Dominus, & ecce persecutorum cohors, ecce militum manus missa in Iesum ab Scribis, & Principibus populi tunc temporis conuiuantibus, quasi lautæ, & splendidæ mensæ nihil prius emittere potuerint, quàm in Deum, & Christum eius armatas manus. Aiebat Rupert. in Naum, cap. 1. *In conuiuio, & inter potandum Iudæorum Pontifices iam temulenti, ... paschalis culturam, & ministros ad comprehendendum Dominum nostrum miserunt, vnde & præsciens spiritus ... in Psalm. 68. conquerens inter cætera, & in me, ait, psallebant, qui bibebant vinum.* Non abstemij, non sobrij, sed largi cœnatores, sed epulones, sed temulenti cohortem armarunt, quæ Iesum persequeretur. Ni fallar, sit aliud in Deum suauius conuiuia parturierint. Naum cap. 1. *Sicut spinæ se inuicem complectuntur: sic conuiuium eorum ... potantium.* Abstemiæ, & pudicæ fœminæ mensam dum extollit Psaltes ait. *Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ.* Componite modo conuiuium cum conuiuio, mensam cum mensa, hæc mensa oliuas generat, illa spinas, ab hac mensa psalmi non nisi amplexus fraternæ charitatis, ab illa Naum mensa sanguinolenti, & ferales amplexus parturiuntur, quales sunt amplexus spinarum, sanguinem, vulneraque suspectractantes. Nec aliud à largis conuiuiis, & splendidis posset spectari, quàm mortis sanctorum virtutisque tractatio. Quod notauit ibi Rup. ait. *Non ... sicut spinæ se inuicem complectuntur, sic ipsi sunt, sed dixit, quod amplexus ... sic conuiuium eorum pariter potantium. Nam in conuiuiis, & inter potationes abundantiori loquacitate ... & satiare consueuerunt ad necem sanctorum.* Parum dixit, ad necem sanctorum, nisi ibi magis armarentur ad necem Sancti Sanctorum, ad necem Filij Dei, ad necem Christi. In conuiuio natalitio Regis Herodis quid tractatur? Habes Matt. 14. *Volo, vt des mihi in disco caput Ioannis.* Non linguam petit Ioannis, sed notanter caput. Et cur non contenta est pessima conuiua, si solum peteret, quod occideretur Ioannes? Si solum sit insensam linguam

Rupert.

Naum 1.

Matth. 14.

postulare? Cur magis petiuit caput? Non erat petitio solius fœminæ, sed magis diaboli, qui conuiuij occasionem nactus, iam armabatur in caput omnium creaturarum. Ad hæc
Chrysol. D. Chrysol. serm. 174. *Ecce quid pariunt totis noctibus protracta conuiuia. ecce quid generat, quod tam immaniter emitur, & sine mensura bibitur vinum. Volo, vt dei mihi in disco caput Ioannis: iam tunc auidus draco in serui capite, Domini degustabat sitiens passionem.* Nec miror, quod inter epularum satietates inciperet sitiri Christi sanguis, & immanissimus illius interitus tractari. Quid aliud splendida conuiuia germinarent? Notissima sunt, & pietate plena conuiuia filiorum Iob, de illis sic
Iob. 1. cap. 1. *Cumque in orbem transissent dies conuiuij, mittebat ad eos Iob, & sanctificabat illos, consurgensque diluculo offerebat holocausta per singulos. Dicebat enim: Ne fortè peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis.* Ex Græco dicit: *Ne fortè filij mei in corde suo mala cogitarint contra Deum.* Non minus nefas timet in filiis suis vir sanctissimus quam quod contra Deum insurrexerint, quam quod ipsi Deo mala inferre voluerint. Et cur in sanctissimis filiis tantam in Deum timet malitiam?
Polych. Pulchrè Polychron. in Cat. ait. *Verebatur intelligentiæ perturbationem, quæ cœnas, atque conuiuia comitari solet.* Vbi filios videbat largis vacare conuiuiis, totus erat solicitus, ne perturbata mente dapibus in Deum insurgerent, quando nil aliud citius parturiunt longa conuiuia.

§. II.

Euangelicis veritatis ministris suspectæ sint mundialium deliciæ, & epulæ.

FAmescentes discipulos Iesus ad sata ducit, & rudes spicarum cibos illis permittit. iam tunc ostendens, quales parari debent cibi veritatis ministris: a delicatioribus enim, lautioribusque conuiuiis annunciatio veritatis numquam non sibi timet. Hinc de præcursore Domini dicit Matth. 3.
Matt. 3. *Venit Ioannes Baptista prædicans in deserto Iudææ, & dicens, Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum. Hic est enim, qui dictus est per Isaiam Prophetam dicentem: Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos: esca autem eius erant locustæ, & mel siluestre.* Quid vilius ad victum, vestitumque parari potuit præcursori sanctissimo? Sanè Ioannes nobilibus, & diuitibus parentibus natus erat, cur nec in cibo, nec in vestitu, nec in habitatione aliquid de nobilium, diuitumque consuetudine habere permittitur? Ordinabatur iam euangelicæ veritatis præco, qui tam à mendacio oste[n]ditur alienus, quàm à diuitum cibo, atque vestitu. Aiebat D. Hieron. ad
Hieron. Algasiam, quæst. 1. *Quia omnis prædicatio alta fecit atur lucra, & gloriam quærit humanam: asserit eum camelorum vestitum pilis nulli posse adulationi succumbere: & qui locustis vescitur, ac melle siluestri, nec opes, nec alias delicias quærere, sordidamque, & austera vita aulas vitare palatij.* Itaque vt falsæ prædicationi sese opponat prædicator euangelicus in victu, & in vestitu talem se debet ostendere, qualis nullus vnquam ex palatinis, aulicisque viris erit. Quantum enim horum mendacia sunt fugienda ei, qui veritatem cupit asserere, tantum, & eorumdem sunt cibi, & vestitus cauendi: ille solus potest credi prorsus alienus à mendacio, qui in agresti cibo, & in vestitu, austeraque, ac rigida vita alienissimum sese ostendit ab aulis. Inter miseros Israelitas Babylone captiuos, selecti fuere nobilissimi quidam viri, nimirum Daniel, Ananias,
Dan. 1. Misael, qui Regi placuerunt. *Et constituit Rex annonam per singulos dies de cibis suis, & de vino vnde bibebat ipse.* Dan. 1. Quis non æstimet magnam felicitatem horum virorum, quod sic grati Regi accedant? An non felicitas est, quod apud illum Regem, apud quem cæteri Israelitæ non nisi catenas inueniebant, & carceres, Daniel, & Ananias inuenirent mensas dapibus sartas regalibus. Felicitas hæc esset aliis, at veritatis præconibus, & sectatoribus non fuit nisi
Ephrem. magna tentatio. Accipite D. Ephrem [illegible] *[illegible] conspicient, [illegible] in obsidione [illegible] luisse abstrahere à Domino: neque in [illegible] illos inducere potuit. Quare in [illegible] dicque vt per singulos dies constitueut eis annonam de cibis suis, & de vino, vnde bibebat ipse.* Ecce tibi, non fauor erat, quod sanctis Dei præconibus cibi Regis darentur, sed dæmonis æstus qui, quos tormentis militaribus non potuit, cibis regiis expugnare volebat. Quid tunc? Ait Daniel ad Regis præpositum: *Dentur nobis legumina ad vescendum, & aqua ad bibendum, & contemplare vultus nostros,* &c. Agrestia legumina, & aquam præponit Daniel cibis regiis. hos vehementer cauet, illa enixe contendit. An quia auidior erat leguminum? Absit regia proles erat, & eius socij regali etiam pro sapia gaudebant, & regalibus cibis nutriti erant, sed illos merito nunc cauent & agrestia legumina petunt, quia apud idololatras existentes sciebant se frequenter pro veritate tuenda, & annuncianda descensuros in arenam. Et caueat, mihi credat lautos diuitum cibos, qui diuitibus contrariam veritatem annuntiare debet. Sapienter D. Ephrem, ibi: *Ne[c]*
Idem *enim quod tantopere escam leguminum appeterent, hanc sibi deligerunt dicitum, si de quo pro veritate certamen subirent. Tu igitur dic erat mihi gloria meorum qui regio cibo, ac pretioso vino sat [illegible] pro veritate laborare noluerunt, ab tu, qui delicias vitæ [illegible] præ[illegible] lusarunt, & laboris vitæ subierunt.* Vbi veritas stabilienda erat & annuntianda, fugiuntur cibi regij & rustica, & simplicia legumina petuntur ab iis, qui pro veritate stare decreuerant. Nec vanus fuit iste ciborum metus, quando è multis Israelitis, qui morabantur in aula Babylonis Regis, soli ij inueniuntur stetisse pro veritate qui cibos regios abiecerant, & rusticis leguminibus contenti fuerant. Et quidem delicatorum ciborum compositio, non mirum est, si mendaciis suffragans veritati aduersetur, quæ simplicissima est, & nullam compositionem, aut simulationem exhibet. Vnde Prouerb. 30. saturitatem timebat, vt quæ mater mendacij esset. Ait enim: *Ne fortè satiatus eliciar ad negandum.* Ibi ex Hebræo: *Ne fortè satier, & mentiar.* Septuag legunt: *Ne saturatus, mendax fiam.* Nihil equidem prius quam mendacia pretiosi cibi germinant.

§. III.

Virtutum propugnatores fortissimi sunt, qui necessitati, non voluptati indulgent in temporalibus.

QVos virtutum Christianarum propugnatores elegerat Dominus, & eos per sata ducit, vt de fricatarum spicarum granis pauperem cibum, sed necessitati sufficientem illis apponat. Quid aptius virtutum propugnatoribus? Fortissimus erit, & inuictissimus, quisquis vni necessitati seruire nouerit. Hæc habes lege cauta apud Leuit. cap. 11. *Omne de* Leuit. 11.
volucribus, quod graditur super quatuor pedes, abominabile erit vobis. Quod ambulat super manus ex cunctis animantibus, quæ incedunt quadrupedia, immundum erit. Cum hæc legis, reuoca in memoriam cautatissimum Ionathæ facinus, quando Ionathas cum armigero suo ascendit altissimam stationem Philisthinorum, eosque & fugauit, & prostrauit. Dicit enim 1. Reg.
14. *Ascendit autem Ionathas manibus, & pedibus reptans, & armiger eius post eum. Itaque aly cadebant ante Ionatham,* &c. 1. Reg. 14.
Quando diuina lege immundum erat, & abominabile volucribus, & animantibus super quatuor pedes incedere, vel super manus ambulare, Ionathæ virtuti datur, quòd pedibus, manibusque repataret. Sic quod in animantibus immundum est [illegible] terram manibus, pedibusque incumbere, id in homine [illegible] præstantissimum, & clarissimum virtutis specimen? Sanè erit in homine præstantissimum terrenis aliquando inhærere, non prout cupiditas, sed prout necessitas postulabit. Id quod notabat in Ionatha D. Nilus in
Asectico suo: *Non simpliciter immunda dicuntur, quæ super quatuor pedes gradiuntur, sed quæ semper ita gradiuntur [illegible] in corpore sunt, tempus concessum est, quo seruiant corporis necessitati. Ita que Ionathas cum Naas Ammanita pugnans, [illegible] [illegible] vicit, quoniam soli naturæ necessitati parnit.* Non Nilus
statim, vt terrenis, temporalibusque bonis quis incumbit, censendus est imperfectus, & infirmus, quia cum ex terra simus, necessario cogimur aliqualem terrenis rebus impendere curam. Illud autem spectandum, an cupiditati, an necessitati seruimus; qui enim soli necessitati seruit, nec in terrenis plus amat, quàm quæ necessaria sunt ad vitam, is ipse inexpugnabilis acerrimus erit expugnator hostium, & propugnator virtutum. Quo spectans D. Paulus dicebat ad
Timoth. 6. *Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* Hortatur Paulus vt sufficientibus necessitati naturali contenti simus, ne de cibis, aut vestibus plus velimus, quàm id quod necessitati sufficit. Et cur non plus cupiamus, quam sufficientia? Ait ipse: *Est quæstus magnus pietas cum sufficientia:* vbi pietas, vbi virtus eo deuenit, vt solâ sufficientia necessitati requirat, quos eius quæstus, quis eius victorias, & triumphos enumerer? Hæc reuocari possunt dicta supra lib. 19. cap. 6. §. 1. 1. Tim. 6.

§. IV

§. IV.

Iesus solus est, qui potest nos eò deducere, vbi efficacia æternæ salutis media in promptu habeamus.

NOta & tacitam, & potentissimam Iesu prouidentiam circa suos,nouit,illos famescere,nouit illos cibis egere,vt possint viuere, & tacitus ducit illos per sata, vbi occurrentes hinc inde spicæ cibos famescentibus præsentabant.Hæc miratus Psalm.22.ait:*Dominus regit me,& nihil mihi deerit,in loco pascuæ ibi me collocabit.* Nemo alius,nisi solus Iesus sic nos posset dirigere,vt quidquid efficaciter conducit ad vitam æternam,in promptu habeamus. Dum vitalem annonam Elias viduæ Sareptanæ promitteret, ait 3.Reg.17.
3.Reg. 17. *Hæc dicit Dominus Deus Israel:Hydria farinæ non deficiet,nec lecythus olei minuetur vsque ad diem, in qua Dominus daturus est pluuiam super faciem terræ.* Non tantum modò promittit,non defecturam farinam,sed ad promissionis firmitatem præmisit illud: *Hæc dicit Dominus.* Et cur præmisit illud, nisi vt ostenderet rem adeò magnam à solo Dei Filio, diuinaque virtute posse sperari? Ex quo D.Ambros.lib. de viduis, ait:
Ambros. *Licèt mos sit ita præfari Prophetis, tamen hic vera Dei vox est, ideò præmissum est, Quia hæc dicit Dominus:Domini enim est perpetuitatem sacramentorum spondere cœlestium, & non defuturam spiritalis exultationis gratiam polliceri. Largiri monimenta vitæ, fidei signacula, dona virtutum.* Indefectibiles pascuæ salutis, efficacia dona, quibus perpetuo alamur in vitam æternam, à solo Deo venire possunt per Iesum. Solus Iesus verus Deus Israëlitas sic potest subdeducere, vt numquam non sibi parata media efficacia ad vitam æternam inueniant.
Ioan.10. Quò aspiciebat ipse.Ioan.10. inquiens:*Ego sum ostium,per me si quis introierit,saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet.* Nota phrasim in illis verbis, *& ingredietur, &*
2.Reg 3. *egredietur:*sic 2.Reg.3. *Sciret exitum tuum, & introitum tuum:*
3.Reg.3. sic etiam 3.Reg.3.*Ignorans ingressum, & exitum meum:*quibus vel felicitas,vel infelicitas in omnibus negotiis agendis explicatur. Qui ergo à Iesu ductus in vitam fuerit, felix erit, & adeò felix,vt sine ingrediatur,pascua inueniat:hoc est,in omnibus negotiis,etiam in illis,in quibus videatur magis à Deo alienus, & à curriculis vitæ egressus, in iis etiam halantia vitam auxiliorum pascua inueniat.Cant.5.ait Domi-
Cant.5. nus:*Veni in hortum meum, soror mea sponsa.*Mirabar ego,quòd sponsa duceretur ad hortum, in quo ad summum poma sunt,& olera,pabula vel propria infirmiorum,vel quæ infirmitates gignere solent. Sanè dilectum populum *adipe frumenti* satiabat,& sponsa pane egebat, quo confortari possit, & quo viuere possit: cur non magis vocatur ad sata,quàm ad hortum?An arbores frumentum dare poterunt?Equidem vbi Iesus ducit,& vocat,vel de arboribus, de quibus infirmitas oriri solet,faciet parari panem,qui cõfirmet,& robo-
Nyssen. ret in vitam sponsam.Nyss.hom.10.in Cant.*Poma autem sunt ad esum imbecillioris virtutis,quàm sit panis,quod attinet ad bonam illorum,qui aluntur,habitudinem.Ille verò cùm in suum hortū descendisset,& in id,quod est maius,& pretiosius fructuum mutasset natura,pro pomis efficit,vt arbores panes ferant.* Tantus est dux noster Iesus,tam potens ad paranda tibi pascua,quibus roboreris,& in æternum viuas;vt vel ab ipsis arboribus faciat,non iam infirma poma, sed salutiferos panes parturiri.

Text. Pharisæi autem videntes, dixerunt ei: Ecce discipuli tui faciunt, quod non licet eis facere Sabbatis.

§. V.

Pessimi, & perniciosissimi accusatores illi sunt, qui quod reprehensibile in fratribus apparet,promptissime attendentes; quod factum excusat, vel commendat, prorsus prætereunt.

FOrsan discipuli Iesu dum stergerent spicas, opera faciebant, quæ Sabbatis fieri lex Mosaica cauebat;sed vix spicas illi fricant, & ecce accusatores pessimi insurgunt in eos,Pharisæe vt vides spicarum opus Sabbatis fieri,cur non vides extremam hominum famem, qua coacti ad tam vile currunt alimentum? Sanè flagitiosissimi accusatores solum attendunt,quod reprehenbile videtur;prætereuntes cætera, quæ si aduertantur, vel prorsus factum excusant,vt in præsenti, vel aliquando maximè commendant. Dixerat Iesus apud Caypham,se Filium Dei esse,audiuit dictum Pontifex nefarissimus,audierunt Pharisæi,& blasphemiæ illum accusantes ad Pilatum ducunt, cui clamantes dicunt, Ioann.20.
Nos legem habeamus,& secundum legem debet mori,quia Filium Dei se fecit. Et quidem si homo nudus ab omni alia circumstantia sumatur, dignè haberur blasphemus, quia sese Filium Dei, Deumque dixit. Quid audacius? Quid temerarius?Quid blasphemius,quàm quòd homo terrenus ex limo factus dicat se Deum esse?At quod homo multarum virtutum opifex, dum mortuos in vitam vocat, dum cæcos illuminat,dum abigit omnes morbos, dum propheticis oraculis correspondet, dicat se Deum esse, hoc minimè temerarium est,sed verum,sed certo certius.Cur ergo nefariè cùm Iesum accusas. non omnia illius opera profers in medium? Cur non dicis,quòd Filium Dei se dixerit,mortuos exsuscitans,& innumeras alias virtutes præstans?Nefarissimi accusatores,atque perniciosissimi nudè proferunt,quæ reprehensioni secundum se possent subiacere;cætera,quæ reprehensionem tollerent,non curant,sed prætereunt.Ad hæc Cyril. Alexand.12. in Ioan.cap.19. *Oportebat sanè, quando Pilato dixisset, quia filium Dei se ipsum fecit: nunc opera etiam ipsius in medium afferre. Oportebat quatriduò iam mortuum voce sola in vitam restitutum narrare.Oportebat vnigenitum filium viduæ non relinquere. Oportebat Synagogæ Principis puellam nequaquam omittere:Oportebat modum miraculorum etiam non præterire; in altero quidem, adolescens tibi dico, surge, in altero verò, puella surge.Hæc,cæteraque eiusmodi, quibus verè Deus monstrari poterat,malitiosè prætereuntes,cauillationibus vtuntur.*Qui sincerè, & bono animo accusat fratrem, huc conueniat, & notet, quam nihil debeat præterire eorum,quæ excusent fratrem, imò simul cum opere,aut dicto suspecto,simul debet omnes circumstantias, quæ in bonum faciunt, explicare. Non sincerus est,sed nefarius accusator,qui sola,quæ reprehensibilia apparent,profert ad alia vel cæcutiens,vel si illa videat, prorsus tacens. Quod nefarissimum vitium in hæreticis Christum Dominum puram creaturam asserentibus carpit Nazianzen.orat.42.fatus:*At tu ea quidem,quæ minuunt,atque extenuant,profers;quæ autem efferunt, præteris: atque id quidem expendis, quòd passus sit; quòd autem sponte,non adiungis.* Sic pessimi fratrum accusatores, quæ fratris virtutem minuunt, quæ extenuant, proferunt;quæ sublenant,prætereunt;quod apparet erratum, expendunt; quod possit tollere erroris notam, non adiungunt. Id quod intendebat D.Iacobus in canonica sua,cap.3. inquiens: *Lingua constituitur in membris nostris,quæ maculat totum corpus,& inflammat rotam natiuitatis nostræ,inflammata à gehenna.*Expende illa verba,*inflammata à gehenna*: cur noeiuæ linguæ soli attribuit, quòd gehennali incendio ardeat ipsa,& alios adurat? Propriissimum id esse puto in maleuola lingua;vt enim gehenna ad sola peccata fertur, sic maleuoli hominis lingua omnia alia præterit. & dissimulat:peccata autem quæcumque apparent,in medium profert inexcusabiliter. Hinc euidentissimè cognoscetur, quali moueatur accusator igne,gehennali,an diuino? Si ad reprehensibilia in fratre circumstantias adiungit, quæ subleuent,& Argos fiat in prospiciendis & euulgandis iis,quæ fratris factum excusent, aut commendent;tunc sanè lingua accusantis diuino inflammatur charitatis igne. Verum si in circumstantiis, siue adiunctis operibus excusantibus fratrem oscitet,& cæcutiat, reprehensibilia sola expendens,& proferens, is proculdubio gehennalibus flammis corroditur, aduritur.

Ioan.20.

Cyrill. Alexand.

Nazianz.

Iacob. 3.

Text. At ille dixit eis: Non legistis, quid fecerit Dauid, quando esuriit, & qui cum eo erant? Quomodo intrauit in domum Dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere,neque iis,qui cum eo erant.

§. VI.

Etiam qui videntur errores, diuersissimè colorantur in amicis, & præstantibus viris, ac in aliis.

SApientissime Dominus Pharisæis accusantibus discipulos parantes sibi pabulum ex spicis contusis Sabbaro, obiecit Dauidem vescentem propositionis panibus: vt quam famis excusationem in discipulis videbant,in Dauide & amantissimo, & cultissimo omnibus Iudæis viro eam dicto citius notaret.Quis Iudæus accusaret Dauidem vescentem propositionis panibus?Aut cui Iudæo occultaretur Dauidis fames extrema, quæ permisit illi edere vetitos alioquin

quin panes? Sanè in amico capite non tot capilli, quot excusationes prosiliunt, ob oculosque ponuntur, quibus diuersissimè amicorum facta, ac aliorum colorantur. Audis non amati hominis lapsum, & nihil inuenis, quod non damnes in illo, nulla tibi venit in mentem excusatio: eumdem aut fortè grauiorem lapsum audis amici tui, & statim hinc inde innumeræ erumpunt excusationes quòd homines sumus, quòd infirmi, quòd nequit vita hominis sine næuo inueniri, quòd & dormitant prudentes virgines; quòd necessitati; imò & coactioni cedendum est, totque ab affectu fuci apponuntur, vt etiam errores appareant virtutes, vel salient innocentiæ testimoniis locus amplissimus pateat. Potuit aliquando homo innocens ob obscuritatem causæ damnari à iudice; at homo innocens etiam in causa obscurissima numquam potuit damnari ab amico. Sic lyncei sumus ad videndas excusationes in amicorum facinore. Proponite vobis ob oculos Dauidem iudicantem inter duorum filiorum facinora, 2. Reg. 13. Ammon enim sororum Absalonis Thamar stuprauit, & post stuprum à se summo dedecore abiecit, vt nobilissimæ fœminæ infamia vulgaretur. Quod
2. Reg. 13. facinus audiuit eorum pater Dauid: *Noluit contristare spiritum Ammon filij sui, quoniam diligebat eum, quia primogenitus erat eius.* Sed & Absalon sororis suæ dedecore affectus & stupratorem, & infamatorem fratrem occidit. Quid tunc Dauid? Vehementer iratus fugitiuum fecit homicidam, & persecutus est eum tribus annis: *Absalon autem cum fugisset & venisset in Gessur, fuit ibi tribus annis, cessauitque Rex Dauid persequi Absalon*, &c. Non antea cessauit Dauid à persequendo Absalone, quam tres integri anni fluxissent? Sanè Absalon si quis alius magnam excusationem habebat sui facinoris, in stupro, & dedecorosa eiectione sororis suæ: & tamen Dauid hunc persequitur, hunc damnat; Ammoni autem stupratori, & infamatori sororis suæ nullum verbum asperum dixit. Cur tantùm Ammonis facinus nulla persecutione apparuit dignum, & Absalonis facinus tot colligit Regis iras? Vterque erat Regis filius, vterque in iuuentutis flore, & Absalon nefarissimo prouocatus facinore, quod nullus nobilis passus est in sorore sua: & tamen in Absalone nihil datur impudentiæ ætatis, nihil iniustæ iniuriæ, nihil regio sanguini, quorum vel aliqua Ammonem liberauerant à supplicio. Vnde hoc? Textus innuit, quia Dauid *diligebat Ammon, quia primogenitus erat*: diligebatur Ammon, & in dilecti facinore innumera inueniuntur, quæ facinus minuant, & faciant illud apparere nullo supplicio dignum. Ad
Theod. hæc ponderāda sunt Theodoreti verba, q. 29. dicentis: *Dauid Ammonis ne exprobrauit quidem, quòd cū sorore habuisset consuetudinem, etiam si factum illud eum magno dolore affecerit. Absalonem autem, qui propter hoc ipsum eum interfecerat, & expulit, & fugitiuum reddidit. Nam ille quidem erat primogenitus, etiam si laborauerit morbo libidinis: hic autem per multam crudelitatem, & inhumanitatem fratrem occidit.* Expende quæso, illud de Ammone, quod *laborauerit morbo libidinis*; de Absalone, quòd *per multã crudelitatem, & inhumanitatem fratrem occidit.* Illius facinus morbus, & infirmitas vocatur, huius autem ira vehementissimè prouocata, inhumanitas multa, & crudelitas vocatur. Sed ille amabatur, hic non amabatur, & in amati, etiam turpissimo, & inhumanissimo facinore, inuenitur infirmitas, & morbus lasciuientis ætatis, quæ excusent. Quid turpius, & facinorosius, quàm regiam puellam, & sororem per vim stuprare? Quid inhumanius, & crudelius, quam stupratam domo eiicere, media in platea publicis conspectibus obiectam relinquere? Forsan minus offenderet, si occidisset domi, quando ingenuis personis plus decus, quàm vita æstimatur. Et nihilominus inter hæc turpissima, & crudelissima, morbus ætatis, & infirmitas apparet, & præualet ad excusandum, quia amabatur Ammon; in Absalone autem, qui non amabatur, etiam euidentissimæ excusationes nullum locum habent, sed sine vllo respectu ætatis infirmæ, aut iniuriæ illatæ, crudelis habetur, & inhumanus. Sic sanè numquam erit facinus adeò inexcusabile, quòd ab amico extorqueat damnationis rigorem, nec seueritatem. Quod facinus adeò inexcusabile apparuit, quam facinus impositum Susannæ? Ostenditur à iudicibus populi deprehensa in facinore, ipsi tenent ream, ipsi grauissimi, & summæ authoritatis viri testantur. Ad testatorem voces accurrunt famuli; deprehensam vident testificationem grauissimorum iudicum audiunt: quid tunc irascuntur in ream, vt
Dan. 13. domini sui infamatricem? Accipe Dan. cap. 13. fantem: *Postquam senes locuti sunt, erubuerunt serui vehementer.* Ecce erubescunt serui ad vxoris domini sui facinus inexcusabile: cur non potiùs irascuntur in eam? Cur pudibundos magis, quam iracundos & seueritate plenos vultus illi obiicere malunt? Ait Lyra: *Erubuerunt quia diligebant Susannam*: potuit Lyra.
dilectæ fœminæ facinus etiam inexcusabile rubore famulis exprimere, sed non potuit in illis iracundiam excitare, nec seueritatem. Vnde euidenti prorsus ratione conuincit Arnulphus Legionens. Episc. nullam fuisse vel scintillulam charitatis in iudice, qui omnimoda seueritate damnauit fratrem. Ait enim epist. ad Pap. Alexand. pro Londoniens. Episc. *Videtur de motu magis animi, quam de charitate* Arnul.
processisse, quod factum est, quia totam se procinus ad pœnam irrogandam potentia Præsidentis effudit, nihil reseruans in posterum, in quo vel dispensans prudentia posset, vel misericordia subuenire. Vanè se iactat de charitate in fratrē, qui totū se ad pœnam irrogandam effundit, nihil attendens misericordia dignum.

Text. Aut non legistis in lege, quia Sabbatis Sacerdotes in templo Sabbatum violant, & sine crimine sunt? Dico autem vobis, quia templo maior est hic. Si autem sciretis, quid est: Misericordiam volo, & non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes.

§. VII.

In misericordia proximis præstita consistunt Christianorum præstantia sacrificia.

QVæ Sabbatorum obseruantia, quæ pecudum sacrificia Deo sic placet, vt placeat misericordia proximis exhibita? Sanè non in innocentium agnorum iugulatione, sed in subleuandis proximis Christianorum consistunt sacrificia Domino placitura. Non sic Deum colis si festum obserues, quam si proximum à fame, seu periculo liberes; hæc enim proximi liberatio placidissima est Deo victima, & quam Deus vult magis quam sacrificia. Aiebat Minutius Felix in
Octauio. *Igitur qui innocentiam colit, Domino supplicat; qui iustitiam Deo libat: qui fraudibus abstinent propitiant Deum: qui hominem periculo surripit, opimam victimam cadit.* Ecce qualem cultum intueatur Dominus in populum suum, non qui constet tam ex obseruatione festorum, quàm ex acquisitione, & exhibitione virtutum. Tota hostiarum multitudo in innocentiæ, & iustitiæ cultu sita est; pro opimis victimis proximorum subleuatio sufficit, vt qui fratrem à periculo surripit, censeatur præstantissimam reddere victimam, quæ apud Deum omnem legalem obseruationem superet. Ad hæc Minut. Felix.
Michæas, cap. 6. *Quid dignum offeram Domino? Numquid offeram ei holocaustomata, & vitulos anniculos? Numquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? Numquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ? Indicabo tibi, homo, quid sit bonum, quid Dominus requirat à te. Vtique facere iudicium, diligere misericordiam.* Ibi Glossa in rem nostram sapit: Mich. 6.
O humanum genus, tu quæris, & non inuenis in te, quid dignè possit offerri Deo pro abolitione peccatorum. Ego inueniam sufficientem hostiam, & docebo te, quid boni postea debeas agere. Vtique facere iudicium, & diligere misericordiam. Ecce tibi vnam hostiam, & Glossa.
Deo placentem, & pro omnibus legis hostiis sufficientem, nempe misericordiam in proximos. Vbi egentem proximum alacriter subleuas, vel dolentem curas, vel inimicum parcis victimam cædis, hostiam offers, quæ omnium hostiarum pristinarum cultus vincit, & obseruationes. Quo tendebat illa Pauli vox, ad Hebr. 13. *Beneficentiæ autem, & communionis nolite obliuisci, talibus enim hostiis promeretur Deus.* Hebr. 13.
Et quidem vt misericordia in proximos nobis acquirit Deum, sic & duritiès in proximos, disponit Dei abnegationem. Compone modo Petrum cum Petro, Petrum in horto, cum Petro in Cayphæ domo. In horto Petrus, quam alacer defensor Iesu, stricto gladio totius seruitii Iesu comprehensores, & percutiens serui auriculam amputat, vt defendat Dominum. Ioan. 18. *Percussit Pontificis seruum, & abscidit auriculam eius.* In Cayphæ domo vel de ancillulæ voce totus trepidus negat, se nunquam Iesum nouisse, nec vidisse oculis. Vnde ad tam cæcam Dei negationem peruenit ille Petrus, qui pro Deo tuendo armatos percutit, & auriculam Malchi amputat? Inde quia Malchi auriculam amputat, peruenit ad negationem, de vulnere namque proximi, quid aliud nasceretur, quam abnegatio Domini? Cæsar Nazianzeni frater, dialog. *Permisit Petrum cadere Dominus propter percussum Pontificis seruum, & amputatam eius aurem.* Hoc Ioan. 18. Cæsar.
solet

solet durities in proximos parere, quod permittaris in Dei negationem cadere: vt misericordia te Dei cultorem præclarissimis hostius facit.

§. VIII.

In præstantibus viris non plebeiorum, sed clarissimorum hominum exempla spectanda sunt.

VT discipulorum suorum factum minimè reprehensibile ostendat Dominus, similia proponit, & Dauidis circa panes propositionis, & Sacerdotum circa quotidiana in templo sacrificia, nec voluit nisi de præstantissimorum virorum exemplis suorum discipulorum commendare & opera, & vitam. In iis enim, qui Christiani orbis erant columnæ, & fundamenta prima, nihil plebeium voluit ostendere, sed vel minimas actiones eorum, non esse aut Dauidis, aut sacrorum Sacerdotum absimiles. De Isaac dicitur
Genes. 35. Gen. 35. iuxta lectionē D. Ambr. lib. 1. de Abel, c. 2. *Consumptus ætate mortuus est, & appositus est ad genus suum.* Quibus illud ponderat Ambr. quod cum alij, & Reges, & Patriarchę dicti sint appositi ad populū suum, solus Isaac dicatur appositus non ad populum, sed ad genus suum. Et cur Isaac non dicitur appositus non ad populū, sed ad genus suum? Et ea erat Isaac vitæ præstantia, vt in se nihil posset ostendere, nec referre populare, sed præstātissimis, & singularissimis viris de-
Ambros. beret assimilari. Ait quippe D. Ambr. vbi suprà: *Qui ergo Dei erat generatus promissione, qui ad sacrificiū probandæ pietatis electus, qui vnius vxoris, hoc est, solius sapientiæ societate contentus, superni illius generis, quod vnum est, sibique semper conueniens, non plebeiæ vilitatis imitator, adstruendus fuit scriptura diuina testimonio.* Cauet semper Spiritus diuinus, cauet Scriptura sacra, ne electi ad magna, appareant in aliquo plebeiæ vilitatis imitatores, & curat, vt vel in minimis videantur referre præstantissimos quosque. Hinc illa quæ se electam sentiebat in Dei sponsam, efficaciter vrgebat amatorem suum.
Cant. 1. Cant. 1. *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.* Non equidem decens erat, quòd Dei sponsa ad gregalium hominum viueret conditionem; sed quidquid egregium est, & præstantissimum, id haberet præ oculis. Vbi Dominus mandabat diuini tabernaculi ædificationem, statim canet,
Exod. 25. *Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est in monte.* Exod. 25.
De montis cacumine voluit prælucere exemplar diuini tabernaculi, non de populorum domibus, vt innueret, vnde diuini ædificij præstantia in te surgere possit; nimirum si nihil in te gregale, nihil vile, & plebeium appareat, sed præstantissimum, & egregium, & à vulgo remotum aspicias in omnibus. Aiebat Diuus Bernardus apud Lyppom. *Quid responsum est Moysi, cum fabricaturus* Bernard.
esset tabernaculum? Vide, inquit, omnia facito, secundum exemplar, quod ostensum est tibi in monte. Non à sæculi hominibus docet fieri tabernaculum Dei cum hominibus. Ipsi, quibus in altitudine mentis ostenditur exemplar domus Dei, ipsi ædificent sibi. Ipsi, quibus solicitudo interiorum suorum contemptum, & negligentiam indicit omnium exteriorum, ipsi ædificent sibi formam paupertatis, sanctæ simplicioris speciem, & paternæ frugalitatis lineamenta. Qui sese accingit ad cœlestem fabricam, non ad deiectorum hominum mores, non ad plebeias consuetudines aspiciat, sublimia spectet, & egregia virtutum cacumina speculetur, de quorum exemplari diuini tabernaculi fabrica & commendari, & exurgere potest. Ex quo monebat D. Ambrosius epistola 6. ad Irenæum,
Sacerdotes: *Nihil in Sacerdotibus plebeium requiritur, nihil* Ambros.
populare, nihil commune cum studio, atque vsu & moribus incondıtæ multitudinis. Quomodo enim obseruari debet à populo, qui nihil habet secretum à populo? Dispar à multitudine? Quid enim in te miretur, si sua in te recognoscat, si nihil in te aspiciat, quod vltra se inueniat, si quæ in se erubescit, in te, quem venerendum arbitratur, offendat? Supergrediamur igitur stratu quodam gregalis conuersationis, ne detrita via orbitas declinemus, ne vulgaris semitæ solum, quod curris ille, cuius vita leuior cursore, de quo dicitur Iob 9. Transiuit, & non vidit. Hæc ille, vt ostendat, quàm alieni à plebeis moribus debeant esse viri egregij.

LIBER DECIMVSOCTAVVS, DE IESV FAMILIARIBVS COLLOQVIIS, ET DISPVTATIONIBVS.

TENEMVS, Deo dante, Euangelicæ nauigationis portum; dum post Iesu vitam, post miracula, post prophetias, post sermones datos populis, post similitudines, & parabolas in iis adductas, & historias, nos iam vocant familiaria eiusdem colloquia, & disputationes. Hæ vt portum referunt, quia vltimæ tractatus nostri, sic quia difficiliores, & siccis prominentes scopulis.

CAPVT I.

Iesus cum Nicodemo disputat de regeneratione.

EA erant Christi Domini signa, quæ non solùm plebeios homines, sed & de Principibus, & Pharisæis non paucos traherent. Ex his vnus Nicodemus nomine, miratus Christi miracula, etsi nihil diuinum in Iesu suspicabatur, tamen illum insignem aliquem Prophetam à Deo missum absque dubio putabat, è cuius gremio sic esse posse confidebat, vt nihil mundialis dignitatis perderet, nihil adiiceret super veteris legis obseruantiam. Hanc illi persuasionem adimit Dominus, ostendens neminem posse venire ad Dei regnum, qui totus non renouetur, & renascatur alter, non quidem carnali natiuitate, sed spirituali, qualis Spiritu sancto operante fit in baptismi sacramento. Ibi homo terrenus exuitur, & induitur cœlestis, sic operatoris Spiritus factus æmulus, vt eius in omnibus operationibus gaudeat & libertate, & secreto. Quis liberior, quàm diuinus Spiritus, qui vbi vult, spirat? Quis manifestior quàm ille ipse, cuius opera, & voces halantes vitam præ oculis sunt? Quis item secretior, quàm cuius fines nemo nouit? His nititur virtutibus renatus homo, Spiritui sancto genitori respondens, & veteris legis, & humanæ infirmitatis seruitutem exuens, insignia virtutum opera proferens, & tamen fines operũ soli Deo abscondens. Quis homo hæc in se humanis oculis vidit? Et quando hæc quæ apud nos sunt, & terrenis vicina non hauriuntur oculis; quæ remotiora sunt, & diuiniora, & Deo propria, nullus etiam videbit humanus oculus. Quare in his noscendis, non oculis nitendum, sed auribus, non scientia sed fide habita ei qui solus videre potuit. Is est vnigenitus Dei homo factus, positus in signum quò respiciamus, qui saluari volumus: vt serpentis signum respiciebant Iudæi ob salutem corporis. Felices homines, quibus tantus filius datus est, vt ex illo nihil asperum & durum, sed suauia omnia, & salutaria haurire possint.

Ioan. 3. Erat autem homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, Princeps Iudæorum. Hic venit ad Iesum nocte, & dixit ei: Rabbi, scimus, quia à Deo venisti Magister. Nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.

§. I.

Principatus amor rabidissimus animarum carnifex est.

QVàm multi ad Iesum in conspectu Solis accedebant! ingens illum turba per vicos, per plateas, per vias comitabatur; vnus hic Nicodemus non audet in die accedere, sed nocte venit ad Iesum, quem non dubitat Prophetam à Deo Iudæis fuisse datum. Et cur tot audentibus accedere ad Iesum in conspectu Solis, hic solus accedere non audet? Princeps erat, & amans principatum; amor autem principatus & hominem à Deo detinet, & facilè ei persuadet, etiam animæ ruinam vorare. Ait in præsenti D. Cyrill. Alexand. *Conscientia quidem stimulis suis miraculorum magnitudine ad fidem eum pellebat; principatus autem gentis suæ, ne palam Christo adhæreret, facilè illi persuadebat, qui principatus detrimentum, calamitatem non paruam existimabat. Vtrumque igitur, & fidem scilicet, & gloriam hominum retinere cupiens, tenebris se commisit.* Vnus principatus amor contra conscientiæ stimulos valet calcitrare; imò valet conscientiam contemnere, tenebris, & tenebrarum Principibus se dare, dummodo fulgeat in sublimi dignitatis. Quid non fecit Pilatus, vt Iudæis persuaderet Iesu absolutionem? Quid Iudæi non faciunt, vt Iesum damnarent? Iesum examinat Pilatus, & innocentem fatetur; sed vt à Iudæis misericordiam extorqueat, Iesum flagris macerat, spinis confodit, & inter tot tormenta videns eius inconcussam magnanimitatem, in illo regium quemdam animũ auspicatus, dicit Iudæis, Ioan 19. *Ecce Rex vester. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum.* Dicente, & pronunciante iudice Iesum esse Regem Iudæorũ, Iudæi, magis clamant, vt tollatur, & crucifigatur! Cur miseri à sententia iudicis non magis statis? Cur vel iudicis Ethnici testimonium non facit vos venire in veritatem, vt Iesum dimittatis, sed inde magis eius sititis sanguinem? Sapienter D. Thom. in Caten. ex Chrysost. fatur: *Quæ dicta sunt, erant sufficientia, vt facerent eos de cætero ab ira cessare; sed trepidabant, ne dimissus turbam ducat. Amor enim principatus versutum quid est, & animam sufficiens perdere.* Conuincebantur quidem Iudæi vel Pilati testimoniis, vt crederent, imò vt vellent Iesum liberandum; sed nihilominus insistebant contra conscientiam suam, vt perderetur. Et vnde insistebant? Quia amabant principatum suum, cui à Iesu timebant; amor autem principatus versutum quid est, & animam sufficiens perdere: numquam non nouit amor principatus parere aliud, quàm ruinas, quàm animarum mores. Vnde Ecclesiast. cap. 10. *Si Spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris, quia curatio facit cessare peccata maxima.* Quæ verba sic in rem nostram elucidat Campensis lectio: *Si dominandi cupiditas animum tuum inuaserit, locum priorem ne facilè deserueris; qui enim compescit in huiusmodi cupiditatibus animum suum, multa vitabit, & grauia peccata.* Vbi dominandi cupiditas, vbi amor principatus abest, multa, & grauissima absunt peccata; quæ omnia sequitur ferè ineuitabiliter dominandi cupiditatem. Sapienter enim ait D. Ambros. lib. 4. in Luc. *Sæpè quos vitia nulla deflectunt, quos nulla potuit mouere luxuria, nulla auaritia subruere, facit ambitio criminosos.* Non valent fortè luxuria, nec auaritia, nec vitia alia expugnare animum illum, qui nondum amore principatus tenetur: at vbi dominandi cupiditas animum intrauit, vix vllum est adeò graue, & fœdum peccatum, quod similiter non intret. Da locum ex 2. Machab. cap. 4. vbi dicitur: *Ambiebat Iason frater Oniæ summum sacerdotium: adito Rege, promit*

Cyrill. Alexand.

Ioan. 19.

D. Thom.

Eccles. 10.

Ambros.

2. Machab. 4.

promittens ei argenti talenta trecenta sexaginta, & ex redditibus aliis talenta octoginta, super hoc promittebat & alia centum quinquaginta, si potestas eius concederetur gymnasium, & ephebiam sibi constituere, & eos, qui in Hierosolymis erant, Antiochenos scribere. Miraret in sanctissimi Oniæ fratre tam insolita crimina, & audacta ootari; in primis homo Iudæus vocatur Iasoo, quod nomen vt Ethnicis erat familiarissimom, sic Iudæis prorsus ignotum; quare homo hic a parentibus vocatus fuerat Iesus, quod nomen ipse fastidiens abiecit, & vocatus

Ioseph. est Iason. Testis est Iosephus, lib.12.antiq. c 6. aiens: *Cæterùm Iesus Iasonem se vocari maluit.* Deinde gymnasij, ephebiæque ædificandæ facultatem coëmit, vt in gymnasiis meretricum prælia, & in ephebiis masculinæ Veneres exercitarentur, quæ vitia colebantur à gentibus. Rursus Hierosolymæ ciues, non Hierosolymitanos, sed & scribi, & vocari curauit Antiochenos. Quis in Iudæo, & fideli homine & sanctissimi Oniæ fratre tam nefaria, & abominãda vitia crederet? Vnde sanctissimæ stirpis homo sic Iesu nomen, sic Hierosolymę vocabulum abominatus est, & omniũ turpissimas, & impudentissimas voluptates coëmit? Causam nõ obscurè insinuat textus, vbi ait: *Ambiebat Iason summum sacerdotium:* homo enim ambitiosissimus vt regis gratiã, & sacerdotalem principatum ambiebat, sic vel Iesu vmbram, vel nomen expuit salutis, & impudentissima omnium amplexatur facinora. Quæ vitia non admittat, qui amore principatus incenditur? In hoc fallar, si nomeo Iesu luceat.

§. II.

Vanissima aulicorum Principum ambitio, quòd se secreta omnia regalia, abstrusaque Senatusconsulta scire fingant.

ADhuc de Principom ambitione io hoc Principe Nicodemo video; accedit ad Iesom nocte, sed non prorsùs relioquit aulicorum mores ambitiooem redolentes. Et in quo non relinqoit aulæ malitiam? Non humilis interrogat. noo dicendi curam ostendit, ne aliquid videatur ignorasse, sed quasi omnia percalleat, omnia etiam secretissima teneat, sic ait: *Scimus, quia à Deo venisti*, &c. Expende verbum, scimus; timet aulicus homo alicuios videri secreti ignarus, & hoc studet, vt appareat omnium sciolus. Quis ab aulico Principe extorsit verbum, quo ostendat se regalium secretorum non esse participem? Propone aulico homini abstrusissimum quodque Senatus consultum: in promptu est illi respõsum; scimus, scimus, iam nihil hoc suboluerat, iam callueram, iam scieeram. Heu falsa ambitionis insania! Sanè in aulicos Principes deuenit hæc vanissima omnia sciendi secreta ambitio à tenebrarum Principibus. Apud Matth. c.8.

Matth. 8. clamant dæmoniaci: *Quid nobis, & tibi, Iesu Fili Dei? Venisti ante tempus torquere nos.* Aduentus filij Dei ad iudicium, ad torturam dæmonom secretissimus est; sic in diuinis arcanis manet repositus, vt oulla creatura sciat de die illo, an sit propè, vel distet. Quomodo ergo dæmones isti audent asserere tempus iudicij præoccupatum, & Deum ante tempus venisse? An sciebant ipsi secretissima Dei decreta de tẽpore iudicij, vt querãtur de immaturitate supplicij? Absit, de die enim illo non Angeli, non Sancti, nõ ipse filius hominis scit; sed ea est Principum tenebrarum ambitio, vt oolint videri ignorare secreta diuina, & ideò sic loquuntur vt appareant omnia etiã occultissima. etiam quæ non dedignatur Angelorum Princeps quoad nos ignorare, ipsi scire. Ait D.Pasch.

Paschas. lib.5.in Matth. *Venisti, inquiunt, ante tẽpus. & præscribunt illud, quasi nouerint tempus iudicij: præsumunt enim plus scire, quàm sciant, non curantes de mendacio.* Dũmodo sese ostentent arcanorum sciolos, parui æstimãt mendacia mille compingere: hoc vanissimè student, vt videantur à secretis diuinis. Quam ambitionem à tenebrarum Principibus ebibere audiui Principes, qui regaliũ arcanorum scientiam passim mentiuntur.

§. III.

Malorum abolitio vnius Dei signum est. Vbi de crucis signo.

EX tot Iesu signis ad hominum mala depellenda perfectis, sapienter colligit Nicodemus, Iesu adesse diuinam potestatem. *Nemo, inquit, potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum illo.* Proprium enim est Dei signum illud, quo morbi, & vulnera, & mortes, & vitia, & vniuersa mala pellantur. Vbi videris funditus malum perdi, & eradicari puta ibi præsentissimum esse signum assistentis diuinitatis. Apud Luc.c.13. dum agricola orat ad Dominum pro sterili, & infirma ficulnea, fatur: *Domine, dimitte illam & hoc anno vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora. & siquidem fecerit fructum. sin autem, in futurum succides eam.* Expende, quod non ait agricola, *in futurum succidam eam*; sed succisionem domino permittit, dicens, *in futurum succides eam.* Cur non magis ipse promittit, se succisurum, sed Deo succisionem reseruat? Ostendebatur in ficulnea illa infirmitas, & malitia prolapsi generis humani; hæc autem de medio si tollatur, non hominis, non Angeli, sed Dei opus, & signum est soli Deo reseruatũ. Ait D.Ambr.lib.1.de Iacob, c.1. *Meritò ad Dominum retulit, quia excidenda temporalis prolapsionis potestatem sibi ipse vendicare non poterat, sed domino reseruabat.* Ambros. Non sunt ex humanæ infirmitates, humana mala, quæ funditus perdi possent ab homine, nisi potestas diuina adsit, Deo soli reseruatã est nostrorum malorũ & abolitio, & curatio. Malorum eradicatio, & abolitio signum euidentissimum est assistentis diuinitatis. Iamiam tradendus Dominus veniebat Hierosolymam, & non inueniens fructum in ficulnea, fecit, quod agricola postularat, maledixit ei, *& arefacta est continuo ficulnea*, Matth.21. Cur sic perdit arborem, & arboris perditione damnat dominum arboris, cum ipse vadat ascensurus crucis arborem, vt pro diuandis hominibus moriatur? Ficulneæ arboris ariditate agricolam percutit, & statim ipse scandit crucis arborem, vt ostendatur, quod si ab arbore crucis non prosiliant mala, & perditiones in homines, sed potius ibi omnis absorbeatur malitia, id euidentissimum signum est non solius hominis, sed & Dei assistentis in illa. Accipite Cæsarium Nazianz. fratrem dialog.4. fatentem: *Hierosolymam veniens, haud ita longo tempore post, pro nobis crucem sponte sua subit, simul nudo verbo confestim arborem abiecit, ostendens, quod ille ipse sit, qui præcipere possit ligno crucis, vt fulmine feriat se affigentes, quodque patiatur affixus, vt Deus.* Cæsar. Propone tibi ob oculos in ficulnea arescente damnum agricolæ, in cruce exalta nullum hominum malum, nullum damnum carnificum, sed potius omnium abolitionem malorum nascentem inde. Et cur, vt ficulnea arefacta agricolæ damnum intulit, sic crux non fulmina iacit, non calamitates immittit in vicinos carnifices? Posset equidem, sed patiens in illa, patiebatur, vt Deus, & omnia mala abolenda erant à cruce, quando crux euidentissimum proponebatur Dei patientis signum. Aliæ arbores damna inferant, damnorum autem, malorùmque abolitio vni reseruatur cruci, vt quæ sit Dei signum clarissimum. Qui ergo voluerit a malis liberari, sub Dei signis fugiat, confugiat ad signum crucis, quæ vel inde in se Deum patientem ostendit, quod aduersus mala potestatem induat. Vnde clamabat Isaias ad Angelos humana mala curaturos, dicens c.13. *Super montem caliginosum leuate signum.* Isai.13. Mirabar, quod vt montem caliginosum illuminaret, vt omnes caligines expelleret, hoc solum iubeat Angelis quod signum leuent. Et quale hoc signum, quod datur pro malorum remedio? Hoc signum crucis est, quod vt est Dei signum, sic nullam caliginem, nullum malum patitur non aboleri. Ad hæc D.Ælred.apud Tilman.in allegor. *Ad Angelos, credo, vox illa dirigitur, quos Dominus animarum nostrarum iussit esse custodes, vt cordibus totum, quos adhuc mundus de[illegible], vel tentat, recordationem crucis imponant, & singulis vitiis, quæ animam vel vastant, vel impugnant, singulas crucis virtutes opponant. Hi sunt administratorij spiritus, hi se spiritibus immundis opponunt, illecebras mundi suadentibus exemplum Dominicæ passionis obijciunt; mentem ira inflammare volentibus Dominicæ patientiæ benitatẽ opponunt; elationem illis immittentibus, humilitatem humilis I[illegible]u nobis suggerunt imitandã.* Ælred. Sic de crucis mysteriis medelã sumũt aduersus vniuersa vitia, in quorum expulsione manifestat Pater salutiferum hoc Dei signum.

Text. Respondit Iesus, & dixit ei: Amen, amen dico tibi, nisi quis natus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei.

§. IV.

Ille felix, qui non semel, sed & bis, & ter sciuit renasci.

EXpende, quos regnum expectet cœleste, nimirum eos, qui semel nati sciunt denuò nasci; hoc est, sciunt sic denuò intrinsecus reformari, quasi tunc denuo nascantur. Ad iustorum felicitatem respicieos Ps.91.ait: *Iustus vt palma florebit*; vel vt alij legunt: *Iustus vt phœnix florebit.* Psal.91. Cur vt phœnix?

nis? Sola hæc auis non contenta est semel nasci, sed frequentibus natiuitatibus curat suam æternare felicitatem; sic iusti hominis felicitas inde æternatur, quòd non semel, sed & bis, & ter sciuit nasci. Similitudinem agnouit D. Alcim. lib. de peccato originali 1. vbi canit de phœnice:

Alcim.

Non contenta suo tantum semel ordine nasci,
Longa veternosi renouantur corpora nitas,
Incensáque leuant incendia crebra senectam.

Proh felicem iusti hominis conditionem, qui non contentus suo tantum semel nasci ordine, veteri exuto homine, sic sæpè renouatur; quasi totidem denuò natus videatur. Ex quo enim peccati mors intrauit, non sufficit vna natiuitas, sed multoties nasci debet homo, qui cupit apud Deum regnare.
Matth. 19. Hinc Matth. 19. aiebat Dominus: *Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos*, &c. Expende, vbi sedes gloriæ promittitur discipulis Christi, nimirum *in regeneratione*; non in generatione, sed in regeneratione, cùm quis generationi primæ alteram adiecerit. Nullus equidem homo est, qui pluribus generationibus, & natiuitatibus non egeat, vt possit seruari cœlesti regno. Pro quo aiebat D. Bern.
Bernard. in declamatione ad hæc verba: *Quid est, quòd dicit in regeneratione? Aut quæ est hæc noua generatio? Fortè & alteram regenerationem opus esse videtur; nec solùm denuò, sed & tertiò hominem nasci, necesse est. Infelix ego homo, & miserabilis casus meus, cui non vna sufficit, cui necessaria est duplex regeneratio.* Non contentus sit homo, quòd semel se natum videat; miser erit, si in vna tantum natiuitate hæreat; non ea est hominis felicitas, quæ vnico parturiatur enisu; bis & ter, & sæpiùs ad partum veniat, quisquis Dei regnum amat potiri. Huc respiciens Psalm 101. ait: *Scribantur hæc in generatione altera. & populus qui creabitur, laudabit Dominum.* Notanter dixit, in generatione altera, vt innueret, duplici debere gaudere generatione qui pertinet ad Dominum. Id quod no-
Chrysol. tabat D. Chrysol. ser. 126. aiens: *Scribantur hæc, inquit, in generatione altera. Altera hæc est generatio quærentium Dominum.* Non simplex est, sed duplex, imo multiplex generatio illius, qui Deum, eiúsque beatitudinem quærit. Pulchrè ad hæc aiebat D. Zeno, lib. 3. serm. 24. *Beatus esse non potest in prima natiuitate persistens: quem aliquantum delictorum suæ incensa omnibus momentis exurit. qui pædorem sui secum carceris portat: qui carnificem sentit, antequam videat: qui nomen iudicis pertimescit: qui secunde susurrus ingruerit, se quæri, se existimat inueniri.* Hæc sunt primæ natiuitatis propria signa, quæ vsque dum per aliam, & aliam natiuitatem exuantur, non potest homini beatitudo obtingere. Felix ille, qui non prima in natiuitate hæret, sed denuo nascens renouatur de
Cant. 4. die in diem. De hoc dicitur Cantic. 4. *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium.* Circa quæ verba ait Richard. Vict. part.
Richard. 2. cap. 30. *Fons est animo deuota, quæ manat, & fluit, semperque noua oritur, quia semper in Deo renouatur. Fons esse non cessat ebullire, & erumpere ad Dei amorem; non enim per corporem veterascit, sed perfectissimè, & ad plenum semper excrescit.* Hæc ibi.

Text. Dicit ei Nicodemus: Quomodo potest homo nasci, cùm sit senex? Numquid potest in ventrem matris suæ iterum introire, & nasci? Respondit Iesus: Amen, amen, dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu, non potest introire in regnum Dei.

§. V.

Præclaris initiis similes solent fines respondere, & è contrà.

REgnaturo homini meritò paratur noua natiuitas, qua denuo quasi incipiat esse, solent enim initiis fines respondere, adeo vt vix aliud reperiatur in fine, quam id, quod fuit in initio inuentum. Vnde eleganter D. Bernard. de gradibus humilitatis loquens, ex initio trahit omnem
Bernard. infelicitatem humani interitus; quippe ait: *nascimur, morimur, ideoque nascimur morituri, quia prius morimur nascituri.* Vbi vitæ primas mors tenet, quasi necessum est, vt vitæ fines etiam teneat: sub mortis falce nasceris, proculdubio ab illa ipsa falce meteris. Is est progressus, & finis hominis, quod fuit initium eius. De Ioanne Baptista ait Dominus: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista,* Matth. 11.
Matth. 11. sic Ioannes sese extollit, vt nullus illo videatur maior, vt quicumque magni sunt in regno Christiano, nequeant vnum excedere Ioannem. Et vnde tam singularis virtutum cumulus accreuit Ioanni? D. Prosper id refert ad citissimam eius regenerationem in gratia, ait enim lib. 2. de vocation. Gent. cap. 11. *Ioannes intra matris viscera Spiritu sancto repletus exultat, & vt nullus inter natos mulierum maior sit,* Prosper.
prius sensit initia gratiæ, quam naturæ. Sic initiis viuendi refert totum progredientis Ioannis virtutum culmen, qui enim vix habuit, sed, vt melius loquar, vix sensit initia naturæ, initia terrenæ fragilitatis, ab Spiritu sancto renatus in vtero, similes tanto initio obtinuit virtutum fines. Huc veniant, quicumque ad cœlestia culmina adspirant, & discant, vnde possint altissimos fines comparare, nimirum si non ab infimo luto, sed ab alto cœli ducant natales si incipiant, non cadendo, non moriendo, sed viuendo, initium enim in lapsu, & morte, quid nisi labile, & mortale pariat, vt de vitali initio viuidissimi fines exaltantur. Exuenda nobis est terrena natiuitas plena morte, plena lapsibus, & quasi in nouam matricem reducendi sumus, vt quasi denuo vitalissimi nascamur, & ad æternam vitam ascendamus. Hoc terra dare non potest, sed dabunt id aquæ consortæ ab Spiritu sancto, necesse enim est, quod qui nati sumus à limo terræ in mortem, ab aquis in vitam renascamur. Sed illud inuestigandum, cur magis natura aquæ assumpta est, vt homines denuo ad vitam pariat? Cur non ex terræ puluere, & ex Spiritu sancto fecit Dominus matricem ad homines regenerandos, vt illam fecit ex aquis? Si attendas originem elementorum omnium, aqua est, quæ prius iubetur producere animas. Genes. 1. dicitur terræ: *Germinet terra herbam virentem:* deinde fiunt luminaria, luminare maius, & luminare minus; rursus dixit etiam Deus: *Producant aquæ reptile animæ viuentis.* Non terra, non elementum aliud, sed solæ ab initio iubentur in primis producere animæ, ex quo ostensa fuit natura aquarum aptior, vt assumeretur postmodum ad efficiendam regenerationem animarum. Ait Tertull. lib. de baptism. *Primus liquor, quod viueret, edidit. ne mirum sit, si in baptismo aquæ animare nouerunt.* Vbi primordia tenuit aqua in generatione animarum, non miremur, quod vbicumque post aliquid magnum ad animarum salutem efficiatur, ad id inueniantur aptiores aquæ. Semper enim initia felicia, & præclara felicissimi, & præclarissimi progressus solent comitari. Hinc assumptis ad regenerationem aquis additur Spiritus sanctus. ait enim: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto.* Neque inficior, supernaturales omnes effectus ab Spiritu sancto causari, sed tamen mihi dubium facit, cur præcipuè in baptismo aquæ exprimatur Spiritus sanctus. Cum sacramentum Eucharistiæ condidit, licet totum illud fiat operante Spiritu sancto, cuius virtute ibi Christus fit, & creatur, vt cum Soario nostro sentit non parua Doctorum pars, tamen non dicitur, neque exprimitur ibi Spiritus sanctus, sed solum ait Dominus: *Accipite, & comedite: Hoc est enim corpus meum.* Cur de solo baptismo agens maluit ibi exprimere Spiritum sanctum? Ordinabatur in aquis noua quædam hominum natiuitas, nouum quoddam initium viuendi: vbi autem viuendi initium ordinabatur, debuit exprimi in illo Spiritus sanctus, vt expressius doceremur, qualia debeant esse primordia vitæ, quæ ad vltimam perfectionem conducere valent. Quò respiciens D. Chrysol. ser. 17.
fatur: *Hinc est, fratres, quod virgineum fontis vterum cœlestis Spiritus arcana luminis sui admixtione fœcundat, vt quos origo limosæ stirpis profuderat, sub misera conditione terrenos cœlestes pariat, & ad similitudinem sui perducat Auctoris.* Facit hoc viuendi initium sub Spiritu sancto, quod possis ad vltimam perduci perfectionem, in qua Deum videns, Deo perfectissimè sis similis, sicut est ipse. Chrysol.

§. VI.

A terrenis abscedat, qui vitalissimi Dei Spiritus vult in se sentire virtutem.

NOn terris, sed aquis additur Spiritus diuinus, non enim dicit, nisi quis renatus fuerit ex terra, & Spiritu sancto, sed ex aqua, & Spiritu sancto; terra enim non diuinum, sed mundialem, & caducum alit spiritum. Ad Cor. 1. c. 15. ait: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis. Qualis terrenus, tales & terreni.* Nullos alios spiritus 1. Cor. 15.
alit terra, nisi sibi similes: dum terrenus sis ortus, dum terrenis sis præoccupatus, nihil inde sublime, nihil ad vitam

condu

conducens hauries. Quò spectabat Tertull. lib. 2. in Marc. fatus: *Quid mirum, si homo redhibitus materiæ suæ, & in ergastulum terræ laborandæ relegatus, ipso opere prono & deuexo ad terram, vsurpatum ex illa spiritum mundi vniuerso generi suo tradidit?* A terra vnus mundialis spiritus hauritur, quo totum genus terrenorum hominum inficitur; quod diuinum est, quod sublime, quod ad vitam spectat, id non cum terra, sed cum altiori elemento coniungitur. Hinc aquæ, vt super terram feruntur, vt cœlestia diuidunt, sic diuinum sibi adsciscunt spiritum, & hominum genus faciunt æternam aspirare ad vitam. De diluuio, quo terrenorum hominum nationes deletæ sunt, dicitur Gen. 7. *Multiplicatæ sunt aquæ, & eleuauerunt arcam in sublime à terra.* Ecce tibi, quò magis terra absconditur, quò aquæ magis augentur, eò viuentium arca tollitur in sublimius; vt innuatur, quã seruiat terræ desolatio, & aquarum accretio ad hoc, vt homo sublimiori agatur spiritu, & æternum viuat. Rem pulchris verbis tractat D. Chrysol. ser. 166. inquiens: *Cùm mundus intra generis humani primordia perdesfenda nefando vitiorum squalore sordesceret, & totus criminum fœteret horrore, ac penè ipso iniquitatis suæ fumo fuscare cœli tantam contenderet claritatem: quadraginta diebus, ac noctibus expiaturus terram cœlestis imber effunditur; vt, quia perire sibi mundus, quod factus fuerat, iam deberet, gauderet tali baptismate se renatum; sciréque, quod est, non se naturæ, sed auctoris sui gratiæ iam debere, ipsámque nostri baptismatis formam terra nostri corporis origo prælibaret; vt quæ antea natos homines producebat ad mortem, hos ad vitam produceret iam renatos.* Ecce tibi, quid terrena ariditas, quid cœlestis aqua pariat: vbi terræ laborandæ deditur homo, nil inde non sordidum, non squallidum, non tenebris dignum dimanat; vbi autem cœlestis imber diffunditur, & aquæ multiplicantur, ruinam suam cœpit mundus videre, & Dei gratiæ referre, quòd maneat. Iam inde patuit, quid possent aquæ ex virtute Spiritus sancti; qualiter possent in spem vitæ homines ad cœlestia vsque subleuare. Vbi enim Dei Spiritus operatur vitam, eam ostendit operam de sociis aquis. Cantatissimi illi tres pueri Hebræi vbi missi fuerunt à Babylonio Rege in fornacem flammantem, cùm in cineres redigendi erant, inuenti sunt viridiores, & hymnos cantantes. De illis ait Dan. c. 3. *Angelus autem Domini descendit cum Azaria, & socijs eius in fornacem, & excussit flammam ignis de fornace: & fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem.* Non solum viui tres pueri in fornace conseruantur, sed & miracula multiplicantur, dum inter vrentes fornacis flammas etiam ros introducitur aquæ. Ad quid hæc multiplicatio miraculorũ? Cùm possint pueri saluari sine illo rore aquæ, cur maluit Deus eorum saluti rorem addere, nisi vt ostenderet, diuinam virtutem sic proficuam esse saluti humanæ, vt ad eam causandam sibi socias assumat baptismi aquas? Ad hæc ait D. Zeno, lib. 2. ser. 30. *Credo diuina prouidentia sacramento Trinitatis, spiritualem quoque numerum illis conuenire. Denique neque irrorati camini eis baptismatis defuit gratia.* Vt illis Deus, affuit, qui eos in vitam animabat, sic in rore introducto, baptismatis illis non defuit gratia, quæ diuini Spiritus virtutem, & operationem comitatur.

Tertull. — Genes. 7. — Chrysol. — Daniel. 3. — Zeno.

§. VII.

Baptismi gratia singulariter opponitur lasciuiæ flammis.

EX aquarum gremio per Spiritum sanctum regeneramur, vt ostendatur, quam parum possint in Christiana religione lasciuæ flammæ. Quid aquæ, & flammis? Quid luxuriæ, & baptizatis? Sanè vt aquæ aduersus ignem, sic baptismi gratia militat, & triumphat libidinum flammas. De euersione Sodomæ dicitur Gen. 19. *Igitur Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrham sulphur, & ignem à Domino è cœlo.* Notanter vsus est verbo, *pluit*, vt innueret vna cum fulminibus igneis iaculatis simul cecidisse copiosam pluuiam aquæ, vt lacus manẽtes in illarum ciuitatum locis testantur. Sed cur cum libidinum vltoribus ignibus mittit Deus aquas, nisi vt prænotaret libidinum remedia tandem in baptismi aquis esse paranda? Accinit Claud. Marius, lib. 3. in Genes. fatus:

Genes. 19. — Claud.

Nec tamen hîc occulta vacant mysteria; nam quòd
Vade hîc sunt, vbi flamma fuit; quòd flammea missis
Desuper extinxit lymphis, fortasse notabat
Luxuriæ calidos ignes, fomentáque primi.
Peccato contracta patris cœlestibus vndis
Extinctum quandoque iri.

Iam ex tunc aquæ notabantur, quæ aduersus libidinum flammas militent, illasque penitùs detriumphent. Quæ libido non fugiat, vbi sonent sacrati baptismi fontis gurgites? Vbi baptismi gratia adest, vix inuenitur, quod seruiat libidini. Notissima est Thamar Iudæ Patriarchæ nurus, quæ vsque ad soceri concubitum facta est meretrix; dum autem concubitus pretium, nimirum hœdus ad illam mittitur, non inuenitur. Sic habes Gen. 38. *Misit autem Iudas hœdum per pastorem suum Odollamitem, vt reciperet pignus, quod dederat mulieri: qui, cùm non inuenisset eam, interrogauit homines loci illius: Vbi est mulier, quæ sedebat in biuio? Respondentibus cunctis: Non fuit in loco isto meretrix.* Non solùm non apparet meretrix, sed & omnes clamant, nunquam ibi fuisse meretricem. Qui fieri potuit, vt quæ venerat meretrix Thamar, sic à memoria hominum lapsa sit, vt prorsus negetur eius meretricium? Vbi post meretricium exercitum accepit Thamar à socero annuli pignus pro hœdo mittendo, figura fuit Ecclesiæ Gentium oppignorata à Deo baptismi signo, quod vbi extitit, non potuit ibi inueniri aliquid meretricii. Ait enim D. Zeno, lib. 2. ser. 9. *Denique fornicaria requisita, non est inuenta, quia renatus per aquam, & Spiritum sanctum, desinit esse, quod fuerat.* Non potuit non dispatere ignis luxuriæ, vbi aqua apparuit sacri baptismatis. Et meritò in baptismi aquis posuit Deus aduersarium luxuriæ; quando enim de aquarum spuma Venus fingitur ab Ethnicis nata fuisse; decuit in aquis esse clariorẽ castitatis triumphum, in quibus fuerat antea voluptatum venerearum officina. Iacob moribundus, Gen. 48. ait ad Ioseph: *Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo.* Expressiùs legit D. Ambros. *Do tibi Sichimam præcipuam super omnes fratres tuos.* In Sichimis violata fuit Dina Iacobi filia, ibi dominata fuit carnalis voluptas; cur ergo Iacob terram stupris infamem Iosepho omnium fratrum castissimo attribuit, nisi quia curabat, vt vbi luxuria floruerat, vigeret magis castitatis triũphus? Ad hæc ait D. Ambros. lib. de benedict. Patriach. cap. 3. *Tum præterea immaculatus, & castus, de hoc terreno dimersorio, & impuritatis auctoribus manubias reportauit: locum stupris, & flagitijs vacantem ad incolatum sanctorum verbis cœlestibus, & gladio capiens spiritali: vt vbi inhabitatores ante lasciuiæ, & Principes luxuriæ versabantur, vbi fuerant incentiua libidinis, & fomenta nequitiæ, ibi nunc sancti Sacerdotes magisteria doceant castitatis, & plurima virginalis integritatis exempla velut quodam supernæ lucis fulgore resplendeant.* Sic Sichima luxuriæ officina ad Iosephum transfertur exemplar castitatis; sic aquæ venereæ voluptatis matrices assumuntur à diuino Spiritu assertore castitatis, vt vbi floruit libido, magis vigeat pudicitia virginalis.

Genes. 38. — Zeno. — Genes. 48. — Ambros. — Idem.

§. VIII.

Baptismi fons non foris manet, sed quasi intimis inseritur præcordijs, ibique conseruatur, vt fluant inde & pœnitentiæ, & cæterarum virtutum riui.

NOto philosophicè verba illa textus dicentis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu*, &c. particula enim illa, *ex*, non dicit extrinsecam causalitatem, sed intrinsecam, vt quando dicitur homo ex materia, & forma constare; sic materia quid intrinsecus penetrans, & constituens hominem est; sic vbi dicitur quis renasci ex aqua, particula, *ex*, denotat baptismi fontem intrinsecus imbibitum esse, & manere semper ipso in animo, saltem secundùm aliquam congruitatem alliciẽdi diuini auxilij, quo videantur illius fontis intrinseci manentis riuuli pœnitentiæ, lacrymæ, cæteræque virtutes. De quo D. Laur. Nouar. hom. de pœn. *Post baptismum remedium tuum in te ipso est. Itaque desinat duritia, cesset desperatio: fons nunquam deficit, aqua intus est; ablutio in arbitrio est, remissio in rore lacrymarũ. Fons est in homine conseruatus perpetua plenitudo.* Non deficit fontis baptismi scaturigo, etiam si finitus videatur extrinsecus actus baptismi: intus in nobis ipsis semper manet fons indeficiens, quatenus baptismi virtus facit pœnitentiæ lacrymas scaturire. Fons est in nobis cõseruatus perpetua pœnitudo, vt videantur lacrymę riuuli orti ab aliquo fonte intimo, nempe à baptismi aliquali virtute manente intrinsecus. Hinc forsan locutus Dominus de regeneratione ex aqua, & Spiritu sancto, ait Ioan. 4. *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Aqua enim, in qua Spiritus sãctus venit, nõ extrinsecus fluit, sed in intimis animorũ recessibus manẽs, & penetrans, ibi fit fons, qui exundans pœnitentiæ lacrymas, nos in vitam æternam agit. Ad hæc aiebat Rupert. lib. 4. in Ioan. *Quæ est enim hæc aqua viua, nisi illa, quæ in baptismo Christi percipitur gratia Spiritus sancti? Aqua hæc Spiritus sanctus est, aqua hæc Deus est.*

Laurent. — Ioann. 4. — Rupert.

Aqua hæc in corde Dei Patris fons vitæ est; in ore Dei filij, gratiæ, & pacis flumen est; in beatis Angelis torrens gloriæ est; in electis hominibus inundatio vitæ est. Quæ à quocumque bibita fuerit, ad matrem suam æternæ diuinitatis abyssum resilit. Illuc, inquam, resilit, vnde venit, pariterque bibentis animam, etiam si in infernum descenderit, saliendo in vitam æternam sustollit. Et antequam illuc saliat, fons in bibente fit, & per signum cordis riuos sapientiæ, & scientiæ diffundit, &c. Ex aqua Spiritus sancti renatus, sic à fonte egreditur externo, vt in intimis præcordiis ferat totum salientis in vitam æternam aquæ fontem; nunquam enim baptismi vena prorsus siccatur, vel limo vitiorũ sic obducitur, quin aliqua trahat desuper auxilia, quibus & pœnitentiæ, & aliarum virtutum riuulos emittat.
Nyssen. Vnde Nyss. lib. de orat. Dominica, ait: *Aquam ad aspergendum, non ex alienis riuis, sed in nobis ipsis scaturientem Deus largitur, siue oculorum quis fontes dicat, siue puram cordis conscientiam, nullum à vitiositate, atque malitia bonum inhibentem.* Sunt nobis per Spiritus sancti gratiam fontes intrinsecus inditi, in pura conscientia vnde virtutum riui scaturiunt; & licèt aliquando hi fontes vitiorum limo obducantur, ex baptismi vena, & merito habere possunt vnde iterum fluant.

Text. Quod natum est ex carne, caro est; & quod natum est ex spiritu, spiritus est.

§. IX.

Vbi luxuriæ absunt opera, per castitatis virtutem fit totus homo spiritus.

INter carnis illecebras, non miror, quòd homo totus fiat caro; carnis enim voluptas in carnes transfert ipsos spiritus. At vbi nihil voluptatis, nihil luxuriæ adest; sed omnia puritate virginea clarent, nec ipsa conceptio, nec partus ipse aliud quam puritatem sapit, inter hæc tota spiritus fiet ipsa caro. Meritò ait: *Quod natum est ex spiritu spiritus est*, quod non à carnis illecebris, sed à diuini spiritus haustu vitam trahit, nihil in se ostendit carnale, sed totum
Isai. 26. in spiritum abit. Apud Isaiam, cap. 26. aiunt iusti: *Concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum.* Ecce inter conceptus, & partus inuenitur nascens spiritus: sed quid spiritui, & natiuitati, & partui? Et conceptio, & partus ad solam carnem spectant; quare dicitur parturiri spiritus? Loquitur de conceptione ab omni luxuria libera, qualis mentis conceptio fit, operante diuino Spiritu, per hanc autem conceptionem, quæ fugat libidinem, ipsa caro fit spiritus. Pulchrè adhæc ait Chrysolom. serm. de Spiritu san-
Chrysost. cto: *Stupendus sermo, at non meus ille sermo. Propter timorem tuum, Domine, vterum gessimus, & parturiuimus, & peperimus verbum salutis. Nos qui sumus carnes infirmitatis, peperimus spiritum salutis: quia concepimus hodie ab excelso spiritum adoptionis filiorum.* Vbi non carnis voluptates concepimus, sed iis prorsus abiuratis de Spiritus sancti halitu cœpimus viuere, puri, & casti, etiam cum carnes simus, concipimus spiritum salutis, & toti simus, & videmur spiritus. Mater
1. Reg. 1. illa Samuelis 1. Reg. 1. ait de se: *Vinum, & omne quod inebriare potest, non bibi, sed effudi animam meam in conspectu Domini.* Corpus suum coram Deo prostrauerat, & nõ meminit corpus prostratum, sed effusam animam suam proclamat, quasi
Psal. 41. solam haberet animam: cui similiter aiebat Psal. 41. *Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam.* Super se animam effudisse fatetur, dum enim corporis fugit voluptates, sic apparet, quasi totus sit spiritus, & anima. Id quod eleganter
Ambros. ponderat D. Ambros. lib. de fuga sæculi, c. 9. *Effundit super se animam suam, vt nihil passioni carnis relinquat, sed vbique anima supereffluat. Pulchrè eam effudit Susanna, vt euaporare in eam posset incendia corporis, mortis formidines, vitæ cupiditates. Effusa super ipsam anima, omne collexuxit carnale desiderium, sæculare studium, non mortem plorans, sed castitatis calumniam. Religionis iniuriam plorauit, & effudit super se non corpus, sed animam. Effudisset enim corpus si carnalibus acquieuisset.* Vt à carnalibus operibus abstinuit, sic quasi tota esset anima apparuit, quemadmodum enim qui super se vnguentum effudit, totus vndique apparet vnctus & opertus vnguento, sic qui carnales abiurat voluptates, super se effundit animam, vt nihil sui ostendat, quod spiritus non sit, & anima. Hinc est, quòd Elias
4. Reg. 2. 4. Reg. 2. dum adhuc in corpore esset, raptus est in cœlũ, ait enim text. *Ecce currus igneus, & equi ignei diuiserunt vtrumque, & ascendit Elias per turbinem in cœlum.* Mirabar, quod cum corpore ascenderet Elias in cœlum, ad cœlum enim modo Sanctorum euolat animæ, corpora in terra manent: cur Elias etiam in corpore in cœlum rapitur? Qui virginea puritate vigebat, ab omni carnis illecebra extraneus, sic censetur quasi tota anima, totus spiritus, æmulus virtutum angelicarum. Non multum abest D. Ambros. lib. de Elia c. . fatus:
Meritò illum dignum cœlo diuina iudicauit sententia, vt cum ipso raperetur corpore, quoniam cælestem vitam viuebat in corpore, et superna vsum conuersationis exhibebat in terris. Ambros. Sic viuebat in corpore, quasi expers corporis, cœlestésque ciues æmulabatur, totus spiritus factus, & inde meritò debuit in loco cœlestium spirituum collocari. Nec nunc veniens in mundum Deus lasciuiæ osorem sibi parauit præcursorem Ioannem, qui vt castitate eminebat, sic spirituum ministerium
posset Deo præstare. Ait enim Chrysol. serm 89. *Cum Christus* Chrysol.
Deus nasceretur in carne, Ioannes Angelus est generatus in terris, vt in terra Deo Angelus, Domino cui sit ordo obsequij non deesset. Sic qui à carnalibus illecebris abstinent, quasi incorporei censentur, & toti spiritus facti.

Text. Non mireris, quia dixi tibi, oportet vos nasci denuò. Spiritus vbi vult, spirat; vocem eius audis, sed nescis, vnde veniat, aut quò vadat: sic est omnis, qui natus est ex spiritu.

§. X.

Vbi in cordis occulto vitia mundialia expugnantur, externi actus facili negotio fiunt conspicui, & præclari: non è contra.

QVisquis notat vel materialis venti, vel Spiritus sancti penè easdem proprietates, non mirum erit, si persuadeatur posse in homine abolita veteri ostendi nouam natiuitatem. Ventus enim occultissimus oculis humanis est, occultissimus, & prorsus ignotus eius cursus, si currentis substantia esset spectanda, sed tamen ex eius sibilo, & voce, eius præsentiam minimè potes ignorare. Similiter Spiritus sanctus in se occultissimus est, menti hominis immittitur, & eripitur prorsus homine ignorante, at verò vbi adest, licet occultissimus in se, in externo aliquo signo, in voce, seu virtutis externæ operatione nequit ignorari, non possunt ab occultissima etiam diuini Spiritus præsentia, aliqua externa virtutum signa non declarari. Quid plura? Sic interioris hominis interna renouatio, & quasi natiuitas occultissima est, & prorsus à sensibus remota: quod sæcularia desideria omnia in corde abscindatur, nemo videt, nemo scit: at iis prorsus abscissis, & expulsis à corde, nequit id non exterius in operationibus manifestari. Vbi enim sæcularia desideria in corde occiduntur ab anima, facili negotio externi actus ad similem diriguntur palmam. Moyses puer à filia Pharaonis receptus, & educatus fuit in palatio, & quasi Regis filius
ibi habitus; de illo tamen dicitur Exod. 2. *Postquam creuerat* Exod. 2.
Moyses, egressus est ad fratres suos, viditque afflictionem eorum, & virum Ægyptium percutientem quendam de Hebræis fratribus suis. Cumque circumspexisset huc, atque illuc, & nullum adesse vidisset, percussum Ægyptium abscondit sabulo. Ecce tibi, qui Ægyptio palatio nutritus fuerat, qui Ægyptij Regis filius habebatur, vbi vidit Ægyptium aduersatiuum Hebræis, non dubitat, non cunctatur, imò non se continet, quin Ægyptiũ neci tradat. Vnde Moyses sic fertur in Ægyptij manifestam mortem, & Hebræi liberationem? Pulchrè ad hæc respiciens
D. Paul. ad Hebr. cap. 11. fatur: *Fide Moyses grandis factus ne-* Hebr. 11.
gauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem. Iam corde abnegauerat sanctus vir regalem filiationẽ, totam illam suam apud Ægyptium Regem adscriptam natiuitatem, etsi plenam temporalibus bonis, etsi delicijs sæcularibus redundantem mente exuerat, eligens præ illa pauperem Israëlitarum cognationem, de quibus mentis conceptibus non potuit non exire exterior actus qui & Ægyptium interficeret, & Israelitam liberaret. Ad hæc D. Ambros. lib. de Abel,
cap. 4. ait: *Interfecit nempe Moyses Ægyptium, & fugax factus* Ambros.
est de terra Ægypti, vt declinaret eius terræ tyrannum. Sed non ante illum interfecisset Ægyptium, nisi prius in se nequitiæ spiritalis Ægyptium interfecisset, & abdicasset regalium luxum bonorum, maius patrimonium æstimans thesauris Ægypti opprobrium Christi. Prius fuit, quod Moyses in animo suo, in mente sua Ægyptias generationis sæculares glorias, & iucunditates abnegaret, eligens præ illis Christi improperia, nisi hæc prius in corde fecisset, minimè ad Ægyptij mortem

mortem externam exiret, sed vbi prius illa mente perfecit, iam statim ad externam Ægyptij mortem,& Israëlitæ liberationem prosiliuit. Nequit equidem vetus, & sæcularis abiurata in corde natiuitas non præmonstrari in actibus extrinsecis: vbi in corde suo homo sæcularia desideria abiecit, veteris hominis natiuitatem abnegauit, nihil vetustum, nihil sæculare ibi permittens, sed omnia noua eligens: facili negotio actus eius externi præclari existent, & conspicui. Verùm si in oculo cordis nihil nouum est, sed omnia vetera, non Deus adest, sed idolum, fallitur, quisquis nititur externa perditionis opera non efficere. Vbi de Iacob loquitur Dominus,

Genes.35. Genes.35.dicit: *Dederúntque ei omnes Deos alienos, quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum, at ille infodit eas super terebinthum.* D.Nilus in Ascetico legit:

Nilus. *Abscondit eas,* &c. Itaque Iacob sanctissimus omnia suæ familiæ idola abstulit, & defossa terra, ibi sepeliuit,& abscondit.

Deut.27. Sed Deut.27. ait Dominus: *Maledictus homo, qui facit sculptile, & conflatile, abominationem Domini, opus manuum artificum, ponítque illud in abscondito.* Itáque non solum est maledictioni obnoxius, qui facit idolum, sed & qui ipsum in abscondito ponit. Quãdo ergo maledictus est, qui ponit idolum in abscondito, quomodo Iacob laudatur, qui in Sichimis abscondit familiæ suæ idola? Iacob in abscondito ponit idola, & laudatur, & benedicitur à Deo; cur ergo manet obnoxius maledictioni, qui ponit idola in abscondito? Aliud est, ponere idola in abscondito, sepeliendo ea,& perdẽdo ea, vt fecit Iacob idola terræ mandans, & terrenis molibus obruens; aliud est, ponere idola in abscondito, seruando ea integra, vt faciunt multi, qui idola ab aliorum oculis abscondunt, sed ea sibi seruant in secreto cordis. Sanè qui in abscondito perdit idola, ipse vt Iacob mille ex Deo reportabit victorias, at qui in abscondito cordis sibi integra seruat idola, is nihil efficiet, quo eripiatur maledictioni. Rem sic conficit

Nilus. D.Nilus in Ascet. fatus: *Contraria videntur abscondere Deos in Sichimis & ponere idola in abscondito. Illud enim laudabile est, hoc vitiosum, & execrandum. Neque enim idem est in terra defodere in perpetuum, & in abscondito ponere. Nam quod in terra defossum est, & à sensu remotum, tempore ipso deletur etiam ex memoria. At quod in abscondito positum est, eos fortasse, qui foris sunt, latet, sed cum ab eo, qui posuit, assiduè cernatur, memoriam sui renouat, & circumfert. Periculosum igitur est, ponere simulachrum in abscondito. Cogitatio enim facilè expulsa vitia repetit, & voluptatis lancem ad terram vsque deprimit.* Væ, cui in mentis secreto sæcularium voluptatum adsunt idola; vix fieri quibit, quòd is eripiatur maledictioni. Cui autem ita erepta sunt idola ab animo, vt quasi prorsus eliminata sint, & perdita funditus, is facili negotio in facinora exurget præstantiora. Hinc Christi spõsæ victorias externas ab hostibus reportatas tribuit D.Fulgent. internæ integritati cordis, namque ait epist.

Fulgent. ad Probam 3.cap.5. *Ecclesia, quæ virgo in fide, & charitate persistens & sapientiam possidet, & virtutem. Et ideò nec seductione decipitur, nec violentia vincitur, quia internæ virginitatis integritate fulcitur.* Vbi intrinsecè in cordis secreto omnia sunt integra, nihil deuiat extrinsecus.

Text. Respondit Nicodemus,& dixit ei: Quomodo possunt hæc fieri? Respondit Iesus, & dixit ei: Tu es magister in Israël, & hæc ignoras? Amen, amen dico vobis, quia quod scimus, loquimur, & quod vidimus, testamur, & testimonium nostrum non accipitur. Si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo, si dixero vobis cœlestia, credetis.

§. XI.

Nihil sæculare sic debet ab homine æstimari, quàm scientia de mysterijs, & vijs salutis.

MVlta de Spiritus sancti donis à Iesu dicta audit Nicodemus, nimirum, quod ponat in hominis arbitrio, quòd se excutiat à legis, & peccati seruitute, quod exuat carnales infirmitates,& spirituum virtutes quasi denuo natus induat. Et tamen nullum horum donum petit, sed solum paulo capacior factus, ignorando interrogat, quasi discere cupiens. Ait enim: *Quomodo possunt hæc fieri?* Cum muliere Samaritana habuit etiam Iesus sermonem de aqua Spiritus sancti, quam qui biberit, non sitiet, sed in se habebit fontem aquæ salientis in vitam æternam. Hæc audiens fœmina, Ioann.4. statim clamat: *Domine, da mihi hanc aquam, vt non* Ioann.4. *sitiam, neque veniam huc haurire.* Id procurat fœmina, vt accipiat aquam, qua à molestiis præsentibus possit manere libera,& ideo enixè petit aquã illam. Cur similiter Nicodemus audiens homines ex Spiritu sancto,& aqua nasciturus, legis, & peccati molestiis liberos, & exutis carnalibus infirmitatibus, recepturos spirituum virtutes, non amat bona sua,& commoditatem suam.& petit aquam illam tantorum bonorum effectricem, sed nihil petens hoc scire cupit. quomodo omnia illa fieri possent? Bonus homo etsi imperfectus in Christi doctrina, tamen de eius schola hoc habet, vt nihil carnali cupiditati permittens, id super omnia temporalia commoda æstimet, si scientiam,& notitiam certam recipiat de mysteriis,& viis salutis. Hoc enim solum studium,& homini vtilissimum est,& Christianissimum. Deut.33. sic pingebatur Dominus: *Apparuit de monte Pharam, & cum eo san-* Deut.33. *ctorum millia, in dextera eius ignea lex.* Ecce tibi, in dextera Dei apparentis liber legis visitur, in sinistra autem quid? Nihil ibi dicitur de sinistra, at Prouerb.3. ait: *In sinistra eius* Prou.3. *diuitiæ, & gloria.* Itáque in dextera Dei vnus liber legis est, in sinistra autem sunt diuitiæ omnigenæ, sunt gloriæ innumeræ; quid ergo de iis sumat homo, qui sibi amat consulere? Ad quam Dei manum ibit, ad dexteram, an ad sinistram, an ad vtramque, vt sumat & de libro legis,& de gloriis,& diuitiis? Sanè de vtraque manu gloriabatur illa sponsa, Cant. 2. inquiens: *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexa-* Cant.2. *bitur me.* Vtriusque manus,& sinistræ,& dexteræ bonis gaudebat hæc; at qui Deo parenti magis assimilatur, nempe eius filius Iesus, longè aliter gaudet, & solùm ad dexteram currit, vt accipiat librum. Sic Apocal.5. *Et vidi, & ecce in me-* Apoc.5. *dio throni, & quatuor animalium, & seniorum agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua septem, & oculos septem. Et venit, & accepit de dextera sedentis in throno librum.* Non de sinistræ gloriis,& diuitiis accipiendis curat Agnus diuinus, sed totus ad dexteram currit, vt librum accipiat, quo & mysteria aperiat, & salutis vias, quarum scientia à Christi asseclis æstimari debet supra omnes mũdi glorias & diuitias. Ad hæc Rupert.lib.4.in Apoc. inquit: *Cùm in dextera sedentis* Rupert. *ignea sit lex, quæ est ille liber, in sinistra verò illius diuitiæ, & gloriæ, valdè notandum, quia veniens Christus in hunc mundum, nihil diuitiarum, aut gloriæ de sinistra; sed tantummodo librum, siue igneam legem accepit de dextera. Bonum exemplum cunctis præbens discipulis, & credentibus in se, nihil diuitiarum, aut gloriæ voluit, aut quæsiuit in hoc mundo, tantummodo librum de dextera dignatus est accipere, intendens aperire illum, & soluere signacula eius.* Non ad gloriam, non ad diuitias, sed ad legis diuinæ librum inclinat Spiritus Christi, vt præ omnibus bonis hoc æstimemus vnum, quòd mysteria, & vias possimus scire, & penetrare salutis. Felix, qui hac salutis scientia impleri curat, is & Dei addetur triũphis, & singularẽ prouidentiam in se experietur diuinam. Nemo ignorat triumphalem currum ostensum Ezechieli, cuius auriga erat ipse Deus triumphans de mundo; sed si quæras, qualia erant animalia triumphali in curru posita. quæ & diuinos triumphos exaltarent, & ipsa regerentur à Deo. Ait Ezech.c.10. *Et vidi, & ecce quatuor rotæ iuxta Cherubin; rota vna iuxta Che-* Ezech.10. *rub vnum,* &c. Pro animalibus Cherubin apponuntur diuinis triumphis; vt enim Cherub significat scientiæ plenitudinem, sic illi, qui salutis implentur scientia & diuino adduntur triumpho, & Deum peculiarem Rectorem nanciscuntur. Ait Origen.hom.1.in Ezech. *Vides qualia sint, quæ* Origen. *regantur à Deo, vt ibi: Qui sedes super Cherubin, appare. Cherubin interpretatur plenitudo scientiæ, & quicumque scientiæ plenus est, efficitur Cherubin, quem regit Deus.* Rectorem habet Deum, qui salutis scientia impletur, vt possit cum Dauid clamare: *Dominus regit me, nihil mihi deerit;* nihil deesse potest illi, qui à Deo regitur, vt studiosus diuinorum mysteriorum,& diuinæ legis: quin potiùs Salomoni nihil aliud de manu Dei petenti, quàm scientiam, vt ab erroribus abstineret, dicit Dominus 3.Reg.3. *Quia postulasti verbum hoc, &* 3.Reg.3. *non petijsti tibi dies multos, nec diuitias, aut animas inimicorum tuorum; sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum iudicium, ecce feci tibi secundum sermones tuos. Et dedi tibi cor sapiens, & intelligens in tantum, vt nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit. Sed & hæc, quæ non postulasti, dedi tibi, diuitias scilicet, & gloriam.* Et merito crescit in donis acceptis, qui præ omnibus diuitiis hoc solum quæsiuit,& æstimauit, quòd sciret viam salutis. Ait Tertull. lib.4. in Marc.cap.15. *Quia permissa sibi optione, maluit ea postulare, quæ sciebat Deo* Tertull. *grata, sapientiam; meruit etiam diuitias consequi, quas non magis voluit.* Sanè vbi non ad diuitias,& glorias sinistræ attendit,

sed solum librum de dextera Dei accepit, omnia merito consecutus est, & gloriam, & sapientiam. Pro quo aiebat Ecclesiasticus, cap. 2. *Qui timent Dominum, inquirent, quæ beneplacita sunt ei; & qui diligunt eum, replebuntur lege ipsius.* Expende illud, *replebuntur lege*: non aliud requirent, quam legis notitiam, in hac sola quiescent, & plenos se dicent. Et cur non pleni sint, qui solum amant scire legem vitæ? Ait Psalm. 83. *Etenim benedictionem dabit Legislator*, &c. Chaldæus legit: *Benedictione amicientur, qui infundant, vt discant legem.* Sic ibi.

Eccles. 2.

Psal. 83.

§. XII.

Fides mundiales homines in cœlestes, & diuinos commutat.

SCiscitanti Nicodemo regenerationis modum, quo possit terrenus homo cœlestis inueniri, & regno cœlorum dignus, sic respondit Dominus, vt illi suggerat necessariam fidem. Ait enim: *Amen dico vobis, quia, quod scimus, loquimur; quod vidimus, testamur*, &c. quasi postulet sibi haberi fidē ab eo, qui in se effectum tantæ regenerationis desiderat; quippe aiebat Ioann. epist. 1. cap. 5. *Omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum: & hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.* Cum regeneratione diuina semper intelligitur mundialium, carnaliumque desideriorum abolitio; nemo enim nasci ex Deo incipit, qui non incipiat aduersari mundo, qui non incipiat expugnare, & detriumphare mundialia vitia. Et qualia sunt illi arma pro tanto triumpho? *Fides nostra*, in detriumphato mundo apparet iam ex Deo noua natiuitas, sed quæ nullum agit triumphum nisi ea fide; fides enim est, quæ homines à mundo separat, & asserit cœlesti vitæ. Pulchrè rem notabat D. Bernard. serm. in octaua pass. inquiens: *Benè ergo quod natum est ex Deo, vincit mundum, vt sit testimonium cœlestis generationis victoria tentationis. Et sicut is, qui filius est per naturam, mundum cum suo Principe triumphauit; sic & nos victores inueniamur, quotquot sumus filij adoptionis. Victores sanè, sed in ipso, qui confortat nos, in quo & possumus omnia, quia hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.* O fides virtutem carissimam! Crede, homo, Deo, & senties te incipere regenerari in Dei filium, & nil mundiale appetere, sed mundialibus calcatis, aspirare in cœlorum sublimia. Cum fidem habes, habes iam regenerationem diuinam & habes, in quo mundiales insultus detriumphes, & tibi asseras cœlum ipsum. Matth. 16 dicebat Dominus Chananææ fœminæ: *Magna est fides tua, fiat tibi, sicut vis.* Expende illud, *fiat tibi, sicut vis*: ad quæ verba sapienter D. Chrysost. ait: *Fides quidem tua, maiora, quàm petis, posset impetrare; verumtamen fiat, vt vis. Hæc vox illi affinis est, quæ dictum est: Fiat cœlum, & factum est cœlum.* Nec vacat mysterio in arbitrio mulieris magnæ fidei positam esse à Deo vocem illam, qua cœlestes condidit pulchritudines; sed vt ostēdatur, quid posset facere voluntas humana informata præstanti fide, potest dicere, fiat lux, & fiant luminaria, & fiat cœlum, & omnia cœlestia ita fient; tanta enim fides nihil terrenum, sed Soles, & cœlos spirat. Vide infra §. 18.

1. Ioan. 5.

Bernard.

Matth. 16.

§. XIII.

Quæ in terris à Deo dantur dona, parua sunt, & vilia, si comparentur cum iis, quæ sunt in cœlestibus.

STo à sententia D. Cyrill. & Chrysost. putantium, quæ de regeneratione ex Spiritu sancto dicta sunt, vocari à Iesu terrena, cum dicit: *Si terrena dixi vobis*, &c. Nec miror, nam respectu eorum, quæ in cœlestibus manent, quæcumque in terris dona à Deo dantur, parua, & vilia possunt nuncupari. Aiebat ille Matth. 25. *Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum.* Cui statim Dominus respondit: *Euge, serue bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam.* Et sanè nullus magis à Deo acceperat, quàm quinque talēta; hoc erat donorum diuinorū summum, & nihilominus hæc dicuntur pauca à Deo ipso? Cur pauca dicūtur, quæ sic dantur à Deo beneficentissimo, vt nulli dederit plura? Comparabat illa cum iis, quæ in cœlestibus manebant; cum iis autem comparata maxima quæque Dei dona data in terris, non mirum est, si videantur parua, & minima. Ad hæc Chrysost. inquit: *Pauca sunt admodum. Si quis de magna massa cuiuis modicam dederit drachmam, aut de magno vase vini modicum dederit gustum; sic de magno thesauro regni cœlestis modica nobis per Spiritum sanctum verba præstantur.* Vbi quæ in cœlis thesaurizantur, conspiciuntur, parua videntur, quæcumque ab Spiritu sancto in terris dona præstantur. Solent equidem disparere, & quasi annihilari maxima quæque bona ad comparationem maiorum. De Moyse dicitur Exodi 34. *Texebat duas tabulas testimonij, & ignorabat, quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Dei.* Septuag. legunt: *Et ignorabat, quia glorificatus est aspectus*, &c. Itaque sic radiabat Moysis facies, quasi in gloria esset, vt glorificatus videretur. Huc spectans D. Paul. 2. ad Corinth. 3. ait: *Nec glorificatum est, quod claruit in hac parte propter excellentem gloriam.* In Exodo dicitur glorificatus fuisse Moyses, & Paulus negat fuisse glorificatum; quomodo quod Exodus affirmat, negat Paulus? Non negat absolutè, sed comparatiuè ad Christi gloriam respectu cuius tota illa Moysis gloria, quasi non fuisset, apparuit. Cui fauet Syriaca versio, aiens: *Quandoquidem ne glorificatum quidem fuit, quod glorificatum est, in comparatione huius excellentis gloriæ.* Vbi Theodoretus ait: *Tanta est ad ministros gratia reditura gloria, vt merito neque gloriam quispiam dicat eam, quæ Moysem secuta est, si ad hoc respiciat: siquidem lucerna lux in nocte videtur esse splendidissima; at in meridie occultatur, vt ne lux quidem esse existimetur.* Sic in comparatione maiorum etiam maxima bona disparent, & videntur proxima nihilo; ne mireris, quòd iustorum regeneratio, quæ fit in terris ab Spiritu sancto, habeatur quasi terræ puluis, respectu eorum, quæ in cœlestibus inueniuntur. De Iesu aiebat Psalm. 44. *Speciosus forma præ filijs hominum.* Sed Isai. cap. 53 ait: *Non est species ei, neque decor*, &c. Quem decorem asserebat in Iesu Psalmus, Isaias dicit, nullum prorsus fuisse. Quomodo id dicere potuit? Pulchrè D. Chrysostom. homil. 28. in Matth. *Dicit Isaias: Non habebat speciem, neque pulchritudinem; quoniam ad Deitatis suæ ineffabilem gloriam respexit.* Et quidem in comparatione Deitatis, omnia Christi decor, & pulchritudo alia disparebat.

Chrysost.

Exod. 34.

2. Cor. 3.

Theod.

Psal. 44.

Chrysost.

Text. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo. Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis: vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

§. XIV.

Crucis Christi opprobrium subliniorem, & gloriosiorem thronum super omnes creaturas statuit.

NOn te moueat, quòd infamissimum crucis supplicium vocetur filij Dei exaltatio; ea enim sunt opprobria pro Deo, & virtute sublata, quæ sublimiorem, & gloriosiorem thronum super omnes creaturas faciunt. De Moyse dicebat Paul. ad Hebr. cap. 11. *Fide Moyses grandis factus, negauit, se esse filium filiæ Pharaonis: magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem; maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi.* Sanè improperium Christi erat crucis aridum lignum, omni decore viduatum: sic Moysi ex vna parte obiectum est Ægyptiorum sceptrum auro gemmisque diues; ex altera parte nuda ligni virgula, qua pauperes captiuos Israëlitas in desertum ageret. In sceptro vniuersa Pharaonis erat gloria; in ligni nuda virgula totū Christi crucis improperium visebatur. Contempsit ille glorias Ægyptiorū; arripuit ignobilem virgam: quid inde? Ignobilior ne ideò factus? Absit; quin potiùs vide Exod. 14 Moysem extendentem manum virga sola armatam super maria, & ecce virgæ ignobili cedunt maria, & iter Israëlitis parant. Quando talia præstaret Pharaonis sceptrum? Quando plenæ thesauris manus ignobili virga armatæ? Equidem non mundiales thesauri, sed ignobile crucis lignum, sed Christi improperium nouit super omnes creaturas solium exaltare. Ait Ambros. lib. 2. de Iacob c. 9. *Opprobrium Christi thesauris Ægypti pretiosius æstimatum est, & ideò Moyses Pharaonis Regis aulam reliquit, & fidei elegit opprobria, cui se opprobria maria diuidebant.* Non regali chlamydi, non aureo, & potentissimo sceptro; sed Christi opprobrio sese subdunt maria; sese subijciunt potentissimi orbis Monarchæ. Hinc aiebat Isai. cap. 9. *Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humeros eius.* Super huius diuinissimi filij hominis humeros lignum crucis inuenio, ideò ibi positum, vt à memoria hominum Iesus exterminaretur: quî fieri potest, vt dicatur factus principatus super humeros eius? Dixisses, facta

Hebr. 11.

Ambros.

Isai. 9.

facta est ignominia, factum est opprobrium, & improperium super humeros eius;quid improperio, & principatui? Quid arido ligno, & aureo sceptro? Sapienter equidem in ipso crucis improperio dixit principatum fieri,quando crucis opprobria Iesum super omnes principatus mundiales euexerunt. Nazianz. Ait Nazianz.orat.37.*Paruulus natus est nobis, filius datus est nobis, cuius principatus super humerum eius. Cum cruce etenim extollitur.* Crux pro virtute sublata non facit depressionem, sed exaltationem; non despectum, sed gloriosam æmulationem extorquet à Principibus sæculi. Ad viros illos Hebræos in fornacem coniectos, & ibi illæsos magnus inter sæculi Monarchas Nabuchodonosor totus mirabundus accessit, & eorum virtutum æmulus ait, Dan. 3. Dan.3. *A me ergo positum est hoc decretum, vt omnis populus, tribus, & lingua quæcumque locuta fuerit blasphemiam contra Deum Sidrach, Misach, & Abdenago, dispereat.* Puerorum virtutes, & fidem in Deum æmulabatur Rex, qui talia cauebat, & qua potestate pueri sibi Regem æmulum reddiderunt? An per sapientiam, in qua erant nutriti? An per regiam prosapiam, per ornamenta regia? Absit, omnia hæc infirma sunt ad subiiciendos Reges. Per hoc, quòd vna cum aridis lignis in fornacem missi sunt, vt in cineres redigerentur, infamis hæc pœna pro virtute sublata valuit tantæ gloriæ inuidiosum reddere mundialem Regem. Zeno. D.Zeno lib.2 serm.36. *Meliaratur vita supplicio; non inuideret pueris, si non eos præcepisset ardere.* Quos despexit sublimes, & cum lignis in fornacem coniacit, ibi inter fumantia, & ardentia ligna conspectos suspexit, & sese eorum religioni subiecit, inuidens illis, quòd sic super omnia elementa sublati essent. Huc trahi possunt multa 1.tom dicta, lib.4.cap.5.§.5. & §.10.lib.5.§ 31.& §.26. & tom.3.lib.15.cap.12.& alibi.

§. XV.

Humilitas, & abiectio crucis Dei filios signat.

MIrabile dictu, quòd oportet exaltari Filium hominis, hoc est, quòd oportet suffigi cruci Filium hominis; sic enim in illa abiectione, & depressione Filius hominis exaltatur, vt inde euidentissimè signetur Filius Dei. Malè sani Matt. 26. Iudæi clamabant ad crucifixum Iesum, Matth. 26. *Si Filius Dei es, descende de cruce.* Quibus D. Athan. orat. de pass. ait: *Neque descendenda de cruce voluit Filius Dei agnosci, sed ex eo, quòd in cruce permaneret.* Non fuga crucis Filium Dei ostenderet, sed dignatio illa, qua nihil supplicij metuens, vsque ad abiectionem crucis aliorum causa sponte peruenit, manifestissimè diuinam generationem ostendebat. Apocalyp 21. ait Apoc. 21. Ioan. *Ostendit mihi ciuitatem sanctam Hierusalem descendentem de cœlo à Deo, habentem claritatem Dei.* Non mirarer, quòd ciuitas hæc videretur à terra in cœlum ascendens, tunc ostenderetur habere claritatem Dei, & esse simillima Deo. Quid enim magis diuinum, quàm super cœlos ascendere? Psal. 67. Ait Psalm. 67. *Regna terræ cantate Deo, psallite Domino, psallite Deo, qui ascendit super cælum cæli ad Orientem.* Inde cantatur Deus, quia ascēdit super cœlum: quomodo ergo non ascendens, sed descendens à cœlo ciuitas sub radiis diuinitatis splendet? Sanè pulcherrimus est hic voluntariæ deiectionis effectus, qui reddit homines filios Dei, suóque simillimos parenti. Rupert. Aiebat Rupert. lib. 15. in Apocal. *Pulchrè nimirum distendit, quæ in ipso descensu, in ipsa humilitate descensus sui claritatem habet Dei; id est, similis est claritati Dei.* Quis abiectionis descensum contemnat, quando in ipsa abiectione, in ipso voluntario descensu splendet, vt Deus? Nulla est abiectio, & humiliatio voluntariè, & sponte pro Deo, & virtute sumpta, quæ hominem non faciat splendescere sub radiis Ioan. 1. diuinis. Vnde aiebat Ioan. cap. 1. *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre.* Et quidem Moyses, & Elias visi sunt in gloria, Matth. 17. & Angeli, & Cherubin Ezech. 10 in magna gloria etiam visebantur: sed de nullius gloria dicitur, quòd visa esset gloria, quasi vnigeniti à Patre, nisi de Iesu gloria. In quo ergo Iesu gloria magis apparuit esse vnigeniti à Patre. Chrysost. D. Chrysost. homil. 11. in Ioan. fatur: *Nec enim miraculorum gratia Christum dumtaxat admirantur, sed & passionis, vt cùm affixus est cruci, flagellis, & alapis cæsus ab iis, de quibus tam bene merebatur. Siquidem in iis ipsis, quæ probri, & ignominiæ plena esse videbantur, ipsum rursus Verbum clarissimum apparuit, hoc Ioannes gloriam appellauit.* Sic in crucifixo vnigeniti gloria ostendebatur. Claritatem Dei ostendit, qui pro Deo & virtute vsque ad infame sese humiliat supplicium: at qui in hoc supplicio meretur in cruce finire vitam, is aut Filius Dei est, aut Filio Dei simillimus, quatenus in eadem sede, in eodem Dei Filij curru de mundo triumphat. Cùm rapiendus à Deo esset Elias 4.Reg.2. 4.Reg.2. *Ecce currus igneus, & equi ignei,* &c. Strenuo enim Dei militi non miror, quòd splendidissimus pararetur currus, vt in cœlum iret. At vbi Iesus in cœlum ascenderet, dicit, Actor. 1. Act. 1. *Nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Fulgentissimus currus mittitur ascensuro Eliæ, & ascensuro Iesu mittitur nubes; cur huic nubes, & illi currus? Nonne gloriosior erat splendidus currus, quàm nubes? Absit; nubes enim erat propria sedes diuinissimi Patris, & ideò mittēda Filio: hinc enim ostenditur, qui tractabatur vt alienus, & qui tractabatur vt filius, quando alieno currus mittitur, Filio autem non alia, quam Patris sedes ipsissima. Chrysost. Ait D.Chrysostom. ibi: *Quando seruus vocabatur, currus mittebatur, vt veniret; & quando filius ascendebat, Dominica sedes occurrebat, nec tantum Dominica, sed & paterna. Nam de Patre eius ait Isaias: Ecce Dominus sedet in nube leui.* Non æquandus erat in triumphi apparatu seruus filio: accedat seruus ad cœlum in triumphali curru, inter flammantes axes coruscus: at filius inde claret, quòd non in alio, quam in paterna sede ad cœlum ibit. Conueniant huc, qui Petri, & aliorum amant comparare triumphos, comparare martyria. huic enim vt filio, non alia, nisi ipsissima Dei sedes præmittitur.

§. XVI.

In Iesu conspectu maxima sunt posita augmenta salutis.

SIcut serpens exaltatus in deserto sanabat visus; sic exaltatur Iesus, & proponitur omnibus conspicuus; nescit enim non magna præstare augmenta si visitur. De Zachæo Luc. 19. dicitur, Luc. cap. 19. *Quærebat videre Iesum, quis esset, & non poterat præ turba, quia statura pusillus erat.* Meritò notatur pusillus, cùm dicitur non vidisse Iesum; qui enim Iesum vident, in bonis omnibus solent crescere. Ad hæc aiebat Ambros. D.Ambros. ibi: *Vide, ne fortè malitia sit pusillus, aut adhuc in fide pusillus. Nondum enim promiserat, cum ascenderet: nondum viderat Christum, meritò adhuc pusillus. Denique Ioannes magnus, quia & Christum vidit, & Spiritum sicut columbam super Christum manentem, sicut ipse ait: Vidi Spiritum descendentem sicut columbam, & manentem super eum.* Ecce vnde censeatur & Zachæi pusillitas, & Ioannis magnitudo, qua natos mulierum superet. Qui autem frequenti Saluatoris sui Iesu conspectu gaudet, quale incrementum salutis non recipiat? Fallar, si vel viuat, vel sit alius, quam is, qui præ oculis charum sibi meruit habere Christum. Eccles. 1. Ecclesiast. cap. 1. *Non est priorum memoria, sed neque eorum quidem, quæ postea futura sunt, erit recordatio apud eos, qui futuri sunt in nouissimo.* Itaque de omnium sæculorum hominibus nulla erit memoria, nullus erit, qui illorum meminerit, sic erunt, quasi nunquam fuerint. De illis solis erit recordatio, qui in nouissimo tempore sunt, & quare ij nouissimi in memoria sunt, nisi quia ij conspectu Christi fruuntur? Chaldæus Costi ait: *Ac profectò præteritarum nationum memoria non extat, neque earum, quæ post futura sunt, recordatio erit iis, qui temporibus Regis Messiæ victuri sunt.* Felices illi, qui temporibus Messiæ nati sunt, quibus datum est Iesum præ oculis habere, vel ad eius vmbram aspicere; ij profectò in memoria æterna erunt, & à tanto dilecti Regis conspectu hoc ebibent, vt censeantur ad vitam. Accipite iam verba illius senis Simeonis, qui responsum acceperat, non visurum se mortem, nisi videret Christum Dominum. Tandem vidit, & videns clamat, Luc. 2. Luc 2. *Nunc dimittis seruum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Expende illud, *Nunc dimittis*, vbi promissio facta est, mors exprimitur manifestè; dicit enim textus quòd responsum acceperat, *non visurum se mortem*: ecce ibi mors non siletur: at vbi promissio adimpletur, & Iesus præ oculis ponitur, vel mortis nomen cauetur, solum dicit, *nunc dimittis*, non ait, nunc moriar, nunc trade morti, sed mortis vocabulo reiecto, dicit, nunc dimittis seruum tuum, Domine. Et quidem vbi Iesus præ oculis est, mors non apparet, sed salus, sed vita augetur. Ambros. D.Ambros. ibi: *Qui vult dimitti, veniat in templum, veniat in Hierusalem; expectet Christum Domini; accipiat in manibus verbum Dei; complectatur operibus, velut quibusdam suæ fidei brachiis. Tunc dimittetur, vt non videat mortem, quia viderit vitam.* Nec in ipsa morte mortem videbit, qui Iesu speciosissimum potitur conspectum. Hoc dum expendo, incido in membranam, in qua S. Martini canonici regularis vita apud Cœnobium Legionense sub D. Isidori titulo continetur. Ibi ait S. Martinus, se ex cuiusdam Sacerdotis defuncti animæ

relatu didicisse, hoc concedi animabus in purgatorio igne existentibus, quod diebus Dominicis, & aliis Christi Domini festis à carcere exeant, & proprij cadaueris sepulchrum conueniant: quòd si in templo fuerit, in quo mysterium Eucharistiæ celebretur, Christi Domini humanitatem sub speciebus Eucharistiæ existentem possint videre. Quantum hoc solatium animabus sanctis erit? Fallar, si tormenta, si carcerem vix meminerint, dum possunt tantum Dominum præ oculis habere. Ex quo hæc legi, mihi aucta est sollicitudo, ne peccatis meis merear sepeliri extra templum, vbi non possim tantum bonum tenere.

Text. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

§. XVII.

Amor, qui ad creaturas extenditur, numquam non carò stetit amanti.

QVis creaturas sine ingenti sui dispendio amauit? Ipse diuinus amor, qui intra diuinarum personarum septa æternum quiescebat, vbi ad creaturas se extendit, vbi mundum dilexit, statim dilectionis experitur impensas, Filium suum vnigenitum morti dando. Ad hæc pulchrè D. Bernard.
Bernard. serm. 64. in Cant. fatur: *O suauitatem, ò gratiam, ò vim amoris! Quid violentius? Amor. Quid tamen tam non violentum? Amor est. Quæ est ista vis, quæso, tam violenta ad victoriam, tam victa ad violentiam? Denique semetipsum exinaniuit, vt scias amoris fuisse, quòd altitudo adæquata est, quòd singularitas associata est.* Expende quot sustinet Deus, quasi dispendia vbi cœpit homines amare, & sese exinanit, & quasi euacuat plenitudinem suam, & altitudinem solo exæquat, & à singularitate discedit, vnus è nobis factus. Et vix quiuit amor ad creaturas extensus minori constare, quàm vt se exinaniat, & per-
Galat. 2. dat amans. De ipso Filio Dei aiebat Paul. ad Galatas 2. *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Idem in Dei Filio fuit dare habenas amori, vt se ad homines funderet, & sese traderet morti, & cui omnia integra apud Patrem constabant, ex quo amare me cœpit, ipsam suam pretiosissimam vitam perdidit. Ait D. Cyrill. Alexand. lib. 9. in Ioan. cap. 23.
Cyrillus. *Vides nouum, atque inauditum dilectionis modum. Lex enim fratrem diligendum esse ait, ficut seipsum. Christus autem magis nos, quàm se ipsum amauit. Nam aliter nequaquam ad nostram humilitatem descendisset, nequaquam tam acerbum pro nobis crucis patibulum sustulisset.* Huc peruenit erga nos Iesu amor, vt se minus, quàm nos diligeret, vt se perderet, vt nos viueremus, quasi non posset sine sui dispendio creaturas amare. Et simul vt in Deo cœpit ostendi creaturarum amor, & cœperunt ostendi ærumnæ, abiectiones, & flagella posse ad Dei tabernacula appropinquare. In quo ergo erit amor hic sine dispendio amantis? Iacob nobilissimi patris filius, vbi incepit amare, cœpit & durissimæ seruitutis iugum portare. Ait
Genes. 29. Genes. 29. *Erat Rachel decora facie, & venusto aspectu. Quam diligens Iacob ait: Seruiam tibi pro Rachel filia tua minore septem annis.* Expende, qui dixit, *seruiam tibi*, nimirum ille, qui paulò ante audierat ex patre benedictionem suam, in qua dicebatur.
Genes. 27. Genes. 27. *Seruiant tibi populi, & adorent te tribus: esto Dominus fratrum tuorum*, &c. Cui populorum seruitus, & tribuum adoratio, & principatus in fratres promissus est, se modo seruum profitebatur, & septennij seruientem durissimam amplectebatur. Vnde tibi in mentem venit tam nouum, & inusitatum seruitium, ô adolescens? Non miror, diligebat sanctissimè, & honestissimè Rachelem: & vbi in illo cœpit creaturæ licèt honestissimus amor, non potuit non incipere, & seruitus dura, & durissimus seruitutis labor. Huc crediderim respexisse Oseam cap. 10. vbi loquens de tribu
Osee 10. Ephraim ait: *Ephraim vitula docta diligere tritura m.* Septuag. leguut, *diligere contentionem.* Alius potuit, *diligere victoriam.* Et quidem nullius triumphi sæcularis dari potest amor, qui contentionibus, & laboribus, & ærumnis amantem non conterat. Vt simul in Deo hominum amor, & crux apparuit; sic in quolibet homine, in quo creaturarum amor fuerit, si-
Marc. 15. mul & crucem subire cogetur. Marc. 15. *Et angariauerunt prætereuntem quemdam Simonem venientem de villa, vt tolleret crucem eius.* Quid Simon sub cruce? Sanè in Iesu, & in Simone ostenditur, quid afferat amor sæculi, in Iesu amor ordinatissimus, diuinissimus; in Simone amor inordinatus, qui nusquam est sine cruciatuum expensis. Ait D. Hieron. ibi:
Simon, qui portat crucem in angaria, ipse est, qui laborat pro laude humana. Cogunt eum homines huic labori, quem non cogit dilectio Dei. Hæc enim parit quietem, à dilectione mundi numquam non cruces veniunt. De hoc vide etiam pulchra in præsenti capite vltimo §. vltimo. Hieron.

§. XVIII.

Dei magna cognitio, & confessio hominem reformat, & in firmam, & stabilem salutem euehit.

EXpende, quale pharmacum humanæ infirmitati diuinus amor dederit, nimirum Filium Dei vnigenitum, vt Deum agnoscamus, & cum fide suscipiamus, & confiteamur, quo solo & reformamur, & in statum salutis æternæ euehimur; sic enim ait: *Vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Miraris? Sed propone tibi ob oculos Nabuchodonosorem à regno, & ab hominibus eiectum, cum feris habitantem per septennium, & ferè nihil distantem à feris. Tunc sic Dan. 4. *Igitur post finem dierum, ego Nabuchodonosor oculos meos ad cœlum leuaui, & sensus meus redditus est mihi, & Altissimo benedixit. In ipso tempore sensus meus reuersus est ad me, & ad honorē regni mei, decorémque perueni, & figura mea reuersa est ad me*, &c. Qui feris minimè absimilis viuebat, qui à regno eiectus, & ab hominis figura erat, aperuit oculos, suspexit in cœlum, Deum agnoscit, & confitetur, & benedicit: quid tunc? Totus statim reformatur in hominem, & in splendorem regium. Ad hæc D. Paulin. epist. 4. inquit: Dan. 4.
Regi Assyrio in solitudine, feritatémque damnato luxuriosa concretio capitis intonsi, in iubam leonis horruit, vt etiam corporis specie transiret in belluam, qui non solùm à regnis suis, sed etiam à sensibus exulabat humanis. Intellecto tamen, tandem Deo, & sensui reformatur, & regno: factus & ipse nobis est exemplar fidei, &c. Vt Deum mente suspexit, & ore confessus est, statim sensui, & regno reformatur: non potuit vitam ferarum non exuere, & reformari in hominem, & restitui in thronum regalem, qui oculos ad cœlum leuauit, nobis exemplar fidei factus. Quando enim fides magna non in fidem viuam abiit? Et quidem qui Deum fide magna, & attenta suscipit, qui fide Filium Dei confitetur, veneratur, in illam reformabitur vitam, quæ æternum possit in gloria, & honore durare. Apud Matth. 16. ponitur confessio Petri de Christo, & præmium pro confessione reportatur; quippe ait: *Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus Filius Dei viui. Respondens autem Iesus dixit ei: Beatus es, Simon Barjona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Petrus fidei oculis Filium Dei vidit, Filium Dei confessus est, & statim firmatur in virtutibus, adeò vt marmoreus appareat, & permansurus in æternum. Ait enim: *& super hanc petram*; quæ ibi petra erat? Petrus caro erat, non petra; vnde petra apparuit? Ex quo Filio Dei crediderit, ex quo fidem tantam habuit Filij Dei, illúmque confessus, euacuauit quæ erant carnis, quæ erant infirmitatis, & in petræ firmitatem abiens, eam salutis spem consecutus est, quæ in vitam abeat æternam. Vnde aiebat Chrysost. serm. de Pentecost. 1. *Super hanc petram, non dixit super Petrum; non enim super hominem, sed super fidem ædificauit Ecclesiam suam. Quid autem erat fides? Tu es Christus Filius Dei viui. Quid est super petram? Hoc est, super confessionem, super sermones pietatis; confessionem autem pietatis, neque dæmones, neque vlla creatura vincere potest.* Fides Filij Dei, & confessio, sufficiens est infirmos homines, & labiles, in eam virtutum firmitatem conuertere, vt instar marmorum annos æternos æmulentur, nec vlli contrariæ potestati cedant. Hinc Matth. 24. monebat Dominus: *Cùm videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto, tunc, qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes.* Mirabar, quòd solùm consulat fugam in montes iis, qui in Iudæa sunt: & cur, Domine, de iis solùm tibi cura est, qui sunt in Iudæa? Cur de iis, qui sunt alibi, non curas? Iudæa significat confessionem, & meritò soli, qui in confessione Filij Dei sunt, præmonentur montem ascendere, vt qui de talis confessionis merito habeant, ab omni incursu malo posse defendi. Quippe ait Cæsarius Nazianzeni frater, dialog. 3. *Qui in Iudæa sunt, ad montes confugiant, qui in pietate sunt, ad sublime refugium, nempe Christum respiciant, sub eius confessione custoditi.* Vbi Filium Dei fide respicimus, & confitemur, habemus, quo à malis liberemur, & bonis abundemus. Aiebat Eccles. cap. 4. *Consideraus reperi aliam vanitatem sub Sole. Vnus est, & secundum non habet,* Paulin. Matt. 16. Chrysost. Matth. 24. Cæsar. Eccles. 4.

non

non filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi eius diuitiis, nec recogitat dicens, cui laboro, & fraudo animam meam bonis? Hæc vltima verba sic expendit Catena Græca, dicens: *Priuat animam suam cognitione Dei:* quasi idem sit priuare animam suam Dei cognitione, & illam fraudare infinitis bonis, quibus abundat, qui Deum cognoscit, & fide colit. Vide suprà cap. 12.

§. XIX.

Spiritus diuinus eò tendit, vt facili, leuique diligentia possimus comparare salutem, quam Iesus ingenti sui sanguinis pretio comparauit.

ECce tibi charitas Dei pro mundo effusa, tradens vnicum Filium diuinum morti, quid spectet, nimirum, *vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Cur non saltem par ratio fuit, vt omnis, qui credens in in eum, crucifigeretur? Nemo equidem admiratus non commendaret Dei amorem, quòd exaltationem, & mortem à seruo posceret pro Filij Dei morte, & exaltatione, & tamen non hoc fecit, sed Filium exaltari fecit in cruce; à nobis autem rem facillimam petiit, nimirum vt credamus in illum. Ipse quidem moritur in cruce, nos commorimur in baptismo; ipse pendet, nos fide viua in eum respicimus, & sic de fidei viuæ signo æternam requirimus vitam. Aiebat Paulus ad Rom. 6. *Si enim complantati, facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus.* Quibus verbis, vt sapienter notat Tertull. de resurrect. carnis, cap. 47. non petitur à nobis omnibus mors, vt necessaria ad salutem consequendam, sed vel Christi mortis simulachrum, aut signum: dum enim fide viua sub Crucifixi signo viuamus, vitam nostram in gloria poterimus æternare. Sed vnde hoc nobis accidit, quòd vel solo signo crucis in viua fide suscepto possimus habere, quam vitam vera crucifixione, verà morte Filius Dei comparauit, & non aliter? Sanè id de Dei charitate in nos effusa venit, de Spiritu amoris diuini manauit, quòd carò à Christo comparatam salutem illam, nos per rem facilem habeamus. Rupert. lib. 2. de sapient. cap. 9. fatur: *Tunc stigmata passionis Christi, signaculum crucis in fronte sua suscipit homo; & quia patronum habet Spiritum sanctum, quia humilem loquitur veritatem, secundum spiritum, tantùm est illi videlicet signatum esse signaculo crucis passionis, & mortis Christi, ac si ipse crucifixus, passus, & mortuus sit.* Vide, homo, quanta debeas dilectori tuo Deo; vide, quanta debeas amori diuini Spiritus, quia pro te stat Dei charitas, diuinissimus Spiritus sanctitatis; non ad mortem, & carnificinam crucis necessariò subeundam vocaris, sed solùm ad mortis simulachrum; suscipe fide viua crucem, & habebis vitam, quam obtinuit Filius Dei crucifixus, & passus. Huc respiciebat Psalm. 4. *Multi dicunt, quis ostendet nobis bona? Signatum est lumen vultus tui super nos, dedisti lætitiam in corde meo.* Quippe multis fuit hæc solicitudo de veris bonis quærendis, & acquirendis; multi inter mundialia mala clamabant, quis ostendet nobis bona? Quis deducet nos in vitam, vndequaque beatam? Sed felices illi, quos Deus bonus amauit, in quos suam effudit Dominus charitatem; qui Spiritu diuini amoris sunt præoccupati, ij non per multa vulnera, non per multas mortes, sed signum Crucifixi fide viua suscipientes, & in se habentes, in bonorum cumulum euolarunt. Qui enim Spiritus charitatis diuinæ nobis æterna bona per Iesum Filium Dei procurauit, is ipse Spiritus fecit, quòd illa habere possimus, non vera crucis perpessione, sed signo tantùm. Id quod Cassiodorus in hunc Psalmum notabat, aiens: *In crucis impressione lumen est vultus Dei, quia in eis semper noscitur radiare, qui se non aliqua eligunt prauitate polluere; sicut dicit Apostolus: Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis.* Expende, quis, & quo pretio nobis ostendit bona, nimirum Spiritus Sanctus Dei, Spiritus diuinissimæ charitatis, nobis per fidem signum crucis impressit; signum, inquam, crucis, quod esset nobis lumen vultus Dei ad videnda bona, ad extirpanda mala; vbi hic Spiritus amoris sic ad nos peruenit, in eo signati sumus; hoc est, non in vera crucis perpessione, sed vel in signo eius fide viua suscepto habemus posse ad vitam peruenire. Eò semper spectat diuinus amoris Spiritus, vt per rem facilem nobis ostendat obtinendam vitam: quòd autem hæc caro comparari debeat, vt plurimùm non à Dei Spiritu procedit, sed ab spiritu nequam, & maligno. Propone tibi ob oculos vnguentum illud super Dominum effusum à muliere, in quo totum sepulturæ suæ mysterium ipse Dominus ostendebat, Matth. 26. De illo Iudas fatur: *Potuit vnguentum istud venundari multo, & dari pauperibus.* Apertiùs in rem nostram Marc. cap. 14. *Poterat vnguentum istud venundari plus quàm trecentis denariis.* Cur Iudas tam carò æstimat vnguentum effusum, in quo adumbrabatur salus orbis per Iesu mortem? Non minori, ait, venundari, & emi posset, quàm trecentis denariis vnguentum istud, non enim nisi carissimo pretio passionis Christi medelam haberi posse putabat, & prædicabat miser, vt in quo non loquebatur Spiritus diuini amoris, sed spiritus diabolicus, excessiuo vnguenti pretio auertens homines à medicina languorum. Pulchrè aiebat ad hæc Diuus Ambros. lib. 3. de Spiritu sancto, c. 18. *Cur igitur Iudas hoc cariùs æstimauit? Aut quia in maleuolam animam non intrat sapientia, etiam hoc loquebatur proditoris affectu: cariùs æstimabat Dominici corporis passionem, vt omnes à fide pretij enormitate reuocaret. Ideoque Dominus gratis se obtulit, ne quem reuocaret à Christo paupertatis necessitas. Isaias dixit: Quicumque non habetis argentum, venite, emite, &c.* Non se Iudæ infuderat Spiritus sapientiæ, Spiritus diuini amoris, solùm loquebatur de haustu spiritus diabolici, & ideò passionis Dominicæ fructum comparandum prædicabat pretio enormi, vt infirmi deterrerentur. Proh Deum immortalem, quàm alius est tuus Spiritus, qui salutem exhibet penè gratis, ac sine vllo pretio, & commutatione, vt Isaiæ clamant quotidie voces.

Rom. 6.

Rupert.

Psal. 4.

Cassiod.

Matt. 26.

Marc. 14.

Ambros.

Text. Non enim misit Deus Filium suum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.

§. XX.

Supplicium de reis sumptum numquam penitius malitiam exterminat.

DE aduentu Domini locutus, dicit ipse, non venisse, vt iudicet mundum, hoc est, vt damnet, vt puniat sontes, *sed vt saluetur mundus*; & quidem si iudicaturus veniret, si puniturus reos esset, non saluaretur mundus. Numquam enim supplicium de reis sumptum sic exterminat malitiam, vt obicem nullum relinquat saluti. Pulchrè rem tractat D. Ambros. de fuga sæculi, cap. 7. inquiens: *Itaque malitia, quoniam in cælis locum non habet, hîc circuit, hîc sæuit, seséque infundit, non mundano illo mersa diluuio, non Sodomitano exusta incendio. Denique grauius postea in seminariis pullulauit.* Et quidem duo meminit vir sanctissimus supplicia de mundo sumpta, quæ viderentur sufficientia, vt explosis de medio reis, maneret sanus mundus. Alterum fuit per aquas diluuij; alterum per ignem super Sodomitas compluitum. Quis non crederet omnem mundi malitiam submersam; vbi mundus omnis apparuit sub inundanti flagello diluuij? Quis præsumeret, posse ampliùs voluptates excrescere in terris, vbi illas tam horribiliter vidit ardere in Sodomitis, iaculatis cœli fulminibus? Sed post tam ingentia supplicia grauius inde in seminariis malitia pullulauit; non equidem supplicia valent ad exterminandam malitiam, & expiandum mundum. Scimus sæpè exerceri à multis latrocinia eo ipso tempore, quo fures aguntur in crucem. Nec est adhuc populus notus, in quo funditus extirpata sunt vitia, reorum suppliciis. Vnde post diluuium aiebat Dominus ad Noë, Genes. 8. *Nequaquam maledicam terræ propter homines: sensus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Ecce tibi, cur caueat Dominus à suppliciis inferendis vniuerso orbi, nimirù, qui & post tantum flagellum videt in hominibus malitiæ seminarium manere, ex quo noua vitia prodeant. Ait D. Chrysost. ibi: *Quia, inquit, incumbit mens hominis in mala opera ab adolescentia sua; propter hoc, inquit, non vltra adiiciam, vt maledicam terræ. Ego, inquit, quod ad me pertinet, semel atque iterum exhibui: quia autem video malitiam ita increscere, promitto me non vltra maledicturum terræ.* A maledictis, & flagellis inferendis abstinet Dominus, videns inter flagella excrescere hominum malitiam. Iesu item præsentata fuit mulier in adulterio deprehensa à Pharisæis, qui à Iesu intendebant seuerissimam in illam extorquere sententiam. Quid tunc Iesus? Ait Ioan. cap. 8. *Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra, &c.* Inclinat se deorsum, vt se inclinem ad misericordiam ostendat. Sed cur Dominus castitatis virgineæ seminator, non magis irascitur in adulteria? Cur non tradit legali supplicio fœminam tantæ turpidinis ream? In adultera illa recognoscebat Dominus totum Synagogæ statum, quæ inter flagella peior in sceleribus apparebat; sæpius flagellata fuit à Deo misera Syna

Ambros.

Genes. 8.

Chrysost.

Ioan. 8.

Synagoga, sed in illa supplicium licèt tremendum potius videbatur peccata augere. Ideò Iesus maluit à suppliciis abstinere, vt peccatorum fomitem faciliùs depelleret. Rem pulchrè depingit Chrysolog. serm. 115. fatus de Synagoga

Chrysol. sceleribus plena. *Quam cum vir tantus* (nempè Deus) *visam iusta indignatione despiceret, & eam procul à sua societate propelleret, atque toto execraretur iudicij grauitate; illa nec despectu tremuit, nec contempta se correxit, nec resipuit sic repulsa, sed tota praeceps ad idolorum lupinaria conuolauit, & maluit subire fornicationis infamiam, atque adulterij crimen incurrere, quàm maleplacitis habitus turpitudinem non habere. Vnde & meritò eam Isaias cap. 1. deplorat, dicens: Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis Sion? Hinc est, fratres, quod cum in Euangelio à Scribis, & Doctoribus legis apud Dominum illa accusaretur adultera, auertit faciem suam Dominus, & declinauit in terram, ne crimen cerneret, quod puniret; & maluit in puluere scribere veniam, quàm dare in carne sententiam.* Quid pulchrius? Puniuit Deus sæpè Synagogam veterem sponsam suam; puniuit eam, quando vitulum adorauit; quando initiata fuit Beelphegor; quando carnes concupiuit Ægyptias; & vix permissa est ire post amatores alienos, quin sub durissimo flagello fieret. Nec ideò melior facta fuit, nec ideò ab adulteriis abhorruit, quin potiùs inter supplicia audacior in adulteria ibat. Quod notans Dominus, vbi accusatam videt adulteram, ad terram sese inclinat, quasi metuens videre, quod puniat, sciens supplicia magis perditioni, quàm meliorationi seruire. Hinc

Nazianz. aiebat Nazianzen. epist. 81. data Theodoro Tyanensi: *Magnum esse censemus de iis, à quibus læsi sumus, pœnas sumere; magnum, inquam, nam & hoc ad aliorum vitia corrigenda vtile est: at multò maius, & diuinius est, acceptam iniuriam tolerare. Illud enim improbitatem coercet, hoc autem ad probitatem adducit, quod quidem longè præstantius est, & perfectius, quàm à vitio abstinere.* Huc trahi possunt dicta tom. 2. lib. 6. cap 7. §. 7. & alibi.

Text. Qui credit in eum, non iudicatur, qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine vnigeniti Filij Dei.

§. XXI.

Sententia in vnum peccatorem lata, omnes similes comprehendit, & ferit.

Miraris, quòd eo ipso, quòd quis non credit in Filium Dei, & non suscipit Saluatorem, dicatur iam iudicatus, iam damnatus. Quando iam damnatus fuit? Vbi primus peccator damnatus fuit à Deo, ibi omnes similes peccatores apparuerunt damnari. quod enim iudicium facit Dominus de vno peccatore, sub eodem intelliguntur iam comprehensi similes alij. Id quòd notabat Tertull. lib. de spe-

Tertull. ctac. fatus: *Specialiter quædam pronuntiata generaliter sapiunt. Cum Deus Israelitas admonet disciplinæ, vel obiurgat, vtique ad omnes habet; cum Ægypto, & Æthiopiæ exitium comminatur, in omnem gentem peccatricem præiudicat.* Non is est Deus, qui pondus, & pondus habeat; qui vni graue, alij aut leue, aut nullum supplicium paret, sed omnes æqualiter peccantes æquali sententia percutit, æqualem immittit plagam. Quod fuit Adami, Caini, Pharaonis, & aliorum iudicium, simul erat ad vniuersos peccatores futuros præiudicium: iudicabat illos tunc damnans Dominus, sed & cæteros omnes venturos præiudicabat, vt nemo videre posset peccatum, qui iudicium suum, sententiam suam, condemnationem suam non videat in peccatoribus primis. Aiebat D. Petrus

2. Petr. 2. epist. cap. 2. *Ciuitates Sodomorum, & Gomorrhæorum in cinerem redigens, euersione damnauit; exemplum eorum, qui impiè acturi sunt, ponens.* Expende illud, nimirum, *exemplum eorum*, &c. Primæ enim illæ damnationes, prima illa iudicia erant exemplaria omnium damnatorum; in illis tamquam in sententiarum latarum exemplis, legebantur supplicia, quæ in futuris recepturi erant singuli peccatores particulares pœnitentiam non agentes. Quod non obscurè insinuabat Saluia-

Salvianus. nus lib. 1. de prouidentia, fatus: *In præsenti autem illud, quod futurum est, Deus voluit declarare iudicium, quando super impium populum gehennam misit è cælo. Sicut enim Petrus dicit, quòd Deus ciuitates Sodomam, & Gomorrham euersione damnauit, exemplum ponens impiè acturis.* Non aliud iudicium expectent lasciui, & immisericordes, quàm id quod sustinuerunt Sodomitæ; in horum damnatione exemplaria sunt sententiarum, & damnationis, quæ ferit omnes futuros. Hinc Do-

Luc. 17. minus locutus de extremo iudicio, Luc. 17. ait: *Et sicut factum est in diebus Noe, ita erit & in diebus Filij hominis. Edebant, & bibebant, & dabantur ad nuptias, vsque in diem, qua intrauit Noe in arcam; & venit diluuium, & perdidit omnes. Similiter sicut factum est in diebus Loth: Edebant, & bibebant; emebant, & vendebant; plantabant, & ædificabant; qua die autem exiit Loth à Sodomis, pluit ignem, & sulphur de cælo, & omnes perdidit: secundum hæc erit, qua die Filius hominis reuelabitur.* Expende illud, *secundum hæc erit*, &c. quasi hoc intendat Dominus ostendere, quod iudicium vltimum sit transumptum ex Sodomorum, & aliorum veterum peccatorum iudicio. Etenim in re iudiciali, vbi ex prototypis, & exemplaribus decretis regalibus aliquod particulare decretum transcribitur, simul & testimonium Notarij additur, illud transcriptum prorsus esse secundùm id, quod positum est in exemplari. Ita Dominus memorans iudicium vltimum, sapienter addit illud futurum, secundùm quod in damnatione Sodomitarum fuit iudicatum; vt hinc discamus nouissimorum damnationes, & sententias originarias, & prototypas esse in primis peccatoribus castigatis; per quarum transumpta nunc etiam supplicia in aliis executioni mandantur. Hoc præ oculis habebat Paul. ad Coloss. 2. fatus de Iesu: *Donans vobis omnia delicta, delens, quod aduersus nos erat, chirographum decreti*, &c. Quale Coloss. 2.
chirographum, & quale decretum erat aduersus nos? D. Anselm. ait: *Chirographum erat perpetratæ præuaricationis Adæ. Decretum verò, quod erat contrarium nobis, ipsa fuit sententia damnationis nostræ, quæ erant cunctis hominibus aduersa.* Itaque ex Anselm.
quo primus peccator apparuit paradisi exilio mulctatus, laborandæ terræ addictus, morti subiectus, perditioni obnoxius: huius damnationis decretum, & chirographum aduersus omnes homines manebat in scriniis diuinæ sapientiæ repositum. Dum Filius Dei accepit non tollit illud chirographum, necessum est, vt maneat & ostendat damnatos vniuersos peccatores. Nec putes, vnum solùm esse decretum damnationis humanæ: sed quod primitus damnationes exercebantur in peccatores, tot decreta, tot sententiæ latæ manebant aduersus eos, qui similibus imbuerentur erroribus. Quod forsan attendens Chrysost. homil. 6. in præsenti sic legit hunc locum: *Condonans nobis omnia delicta, delens, quod aduersus nos erat, chirographum in decretis.* Non vnum decretum damnationis habebant homines, sed tot decreta aduersus nos erant, quot damnationes exercebantur in primos peccatores. Vnde Dominus recentes peccatores ad antiquos remittebat, vt in illis legerent suas damnationes. Chrysost.
Sic 4. Esdr. 2. *Væ tibi, Assur, qui abscondis iniquos penes te. Gens mala, memorare, quid fecerim Sodomæ, & Gomorrhæ, quorum terra iacet in piceis glebis, & aggeribus cinerum. Sic dabo eos, qui me non audierunt, dicit Dominus omnipotens.* Ecce tibi ad antiqua suppliciorum scrinia remittit Dominus peccatores, vt in eis legant decreta damnationis suæ; quæ enim fuit antiquis damnatio, eadem feriet, quoscumque inuenerit similes. Huc 4 Esdr. 2.
spectabat D. Fulgent. serm. in decollat. S. Ioan. Bapt. vbi sic de Herode, & Herodiade loquitur: *Dicite mihi, quid habetis cum Ioanne Baptista Herodes, & Herodias, quos ad consortium adduxit hominum impuritas criminum? An hoc timetis, ne què vobis vocabulis coniungimini, in luxuria forsitan separemini? Estote certissimi, quia sicut vno consensu cadistis in luxuriam; ita vno nomine suscipietis sententiam.* Expende ab illis, *ita vno nomine*, &c. quicumque enim alteri assimilantur in crimine, in illius nomine se putent damnationis sententiam suscipere. Fulgent.

Text. Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem: erant enim eorum mala opera. Omnis enim, qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta.

§. XXII.

Non potest humana malitia abesse à pœnis, & debitis suppliciis.

Diuinæ legis refugæ tenebras sibi amplectuntur, & sanè hoc esset non paruum impiorum, Deo iudice, supplicium, quòd iubeantur in tenebras exteriores mitti. Cur ergo miser, quæ pro ingenti supplicio sunt tenebræ, eas diligis? Pulchrè causam insinuat reatus aiens: *Erant eorum mala opera.* Qui malis operibus abundabant, non miror, quòd

ample

amplecterentur tenebras ſibi; malitia enim nequit longè abeſſe à pœna ſua, & ſupplicio ſuo. Sic de primis hominibus dicitur Geneſ.3. *Abſcondit ſe Adam, & vxor eius à facie Domini,in medio ligni paradiſi.* Expende,quo tendant homines primi;ad arborum vmbras,& latibula confugiunt,putantes ibi Dei faciem poſſe caueri. Quid ſtultius? Dei faciem fugiunt,in qua eſt æterna hominum felicitas; ad latebras, ad vmbras,ad tenebras lignorum confugiunt, quæ ſolũ parantur improbis pro ſupplicio; ſed nequit hominis malitia aliud facere, quàm illum ſupplicio reddere conterminum, & vicinum. Rem pulchrè, vt aſſolet,concionatur Claud. Mar. lib.1.in Gen.inquiens:

Geneſ. 3.

Claudius Mar.

——— Cuperent, ſi fortè pateret,
Condere ſe barathro; vſque adeò contermina pœna
Culpa ſua eſt, vt iam miſeros mortale pauentes,
Mortis imago iuuet, ſyluas, vmbroſáque luſtra
Obtendunt, vanu ſolatia falſa tenebris.

Non miror,quod peccator latebras,tenebráſque amet,ipſos etiam inferni hiatus peteret, quando malitia eum ſemper impellit ad vicinium ſuæ pœnæ. Expendenda enim maximè ſunt illa verba: *Vſque adeò contermina pœna culpa ſua eſt:* numquam culpa, & vitium non nititur ſupplicio ſuo appropinquare, & vel in confinio ſuæ pœnæ eſſe. Cùm poteſtas tenebrarum exercebatur in Ieſum,& tota ſerpentis antiqui malitia effundebatur,dicit Matth.27.*Plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput eius, & arundinem in dextera eius*, &c. Ecce tibi ſerpens antiquus vt Dei Patris ſplendorem Ieſum eliminet, ad arundinem confugit, quam illius manibus inſerit. Et cur in Ieſu ludibrio maluit arundine vti,niſi quia virulenta malitia non potuit in ſuis actionibus non eſſe in confinio exitij ſui,quando ſerpens in arundineti vmbris perimitur? Sapienter ait D.Athan.lib. de paſſ. & cruce Domini, inquiens:*Arundinem Chriſtus accepit,cùm illi à diabolo porrigeretur ignaro, quòd contra ſe ipſum gladium obtuerit. Dicitur enim arundo ſerpentibus lethalis eſſe, atque inde potiſſimum interfici.* Virulenta ſerpentis malitia pro Ieſu ludibrio inclinabat ad arundinem, ſub cuius vmbris ipſa periret;nequit enim eſſe niſi in vicinio pœnæ ſuæ. Pro quo tibi ob oculos pone miſerum illum hominem,quem Luc.cap.8.depingit;quippe ait:*Occurrit Ieſu vir quidam, qui habebat dæmonium iam temporibus multis,& veſtimento non induebatur,neque in domo manebat, ſed in monumentis.* Cuius in viſceribus dæmon erat, & ſimul illi erat cordi diabolus, & nuditas, & vmbra mortis, nec aliud diuerſorium erit diabolicæ malitiæ, quàm iuxta mortuos, vt ipſa ſibi adiungat iudicij ſui pœnam. Quod notabat D.Baſil.Seleuc. orat.23.*Cùm ipſe dæmonum eſſet domicilium, pro domicilio habebat monumenta,vt & habitans,& non habitatus,mortuos inter habitare cogeretur.*Suos ſemper alumnos diabolica malitia in mortis vicinium cogit, circa ſupplicia facit conſidere.Hinc aleatores in bonorum perditione ſunt; luxurioſi vitam diſſipant, nullúmque videbitur vitium, quod ruinæ, & morti non ſeſe oſtendat vicinum.Pro quo Sapient.cap.1. *Iniuſtitia autem mortis eſt acquiſitio.Impij autem manibus,& verbis accerſerunt illam,& æſtimantes illam amicam, defluxerunt*, &c. Sic omnis iniuſtitia contendit ſibi appropinquare ſupplicium, vt meritò dicat Iſai.cap. 64. *Allidiſti nos in manu iniquitatis noſtræ, & peccata noſtra abſtulerunt nos.* Quaſi aduerſus peccatores non alij requirantur carnifices, quàm vitia ſua; horum manibus conteruntur, perimuntur. Huc referri poſſunt dicta tom.3. lib.14.cap.9 §.25. & tom.4.lib.16.cap.10.§.5.

Matth.27.

Athan.

Luc 8.

Baſil. Seleuc.

Sapient. 1.

Iſai.64.

§. XXIII.

Deploratus eſt homo, cui in delitiis ſunt ſæculares duritiæ.

ECce iudicium, ecce damnationem hominum certiſſimam, quòd homines magis *dilexerunt tenebras*:quid durius,quàm in tenebris eſſe?Sanè multum eſſet ad humanam naturam, ſi homo ſuſtineret eſſe in tenebroſa caligine; at non ſolum ſuſtinere,ſed & tenebras diligere, & habere illas in delitiis, id non crediderim pertinere poſſe niſi ad hominem deploratæ ſalutis. Notiſſima eſt Ægyptiorum extrema perditio,& Iſraëlitarum ſalus,& libertas;& quidem vterque populus dabat operam conſtruendis ædificiis;vterque occupabatur operibus luti, & lateris, vt Pharaoni ſeruiret; inter ea tamen opera Iſraël obtinuit ſalutem, Ægyptus extremum incurrit exitium.Vnde ab eiſdem luti operibus exitium huic,ſalus fuit illi?Exod c.2.dicit de Iſraëlitis: *Ingemiſcentes filij Iſraël propter opera vociferati ſunt, aſcenditque clamor eorum ad Deum de operibus. Et audiuit gemitum eorum*, &c. Sub eodem labore, & opere lateritio erant Iſraëlitæ, ſub quo erant Ægyptij;ſed Iſraëlitæ cum gemitu, & triſtitia obſcuram illam, & vilem nauabant operam Pharaoni; Ægyptij autem non cum gemitu, ſed cum lætitia operi incumbebant viliſſimo, obſcuriſſimo, indéque meruerunt extremum exitium. Accipite D. Ambroſ.lib. de paradiſo,cap. vltim.ſcientem: *Denique Hebræi, qui ingemiſcebant in laboribus Ægyptij,in ſtorum gratiam conſecuti ſunt.Et quia panem in triſtitia manducabant, eſca donati ſunt ſpirituali. Ægyptij verò, qui talia opera cum exultatione celebrabant, Regi deteſtabili ſeruientes,nullam veniam ſunt adepti.*Et iuſti, & impij multas ſuſtinent vitæ aſperitates; multa vitæ incommoda: cogitur iuſtus pernoctare. ſimul & aleator,& adulter: cogitur iuſtus mundi operibus incumbere propter familiæ honeſtam ſuſtentationem ſimiliter cogitur & auarus, ſed iuſti in triſtitia ſeruiunt mundialibus operibus, gementes ſæpè ſub aquis;at prophani aleatores ſummo cum gaudio peruigiles noctes agunt; adulteri lætiſſimi pericula arripiunt,& diſſipant ſubſtantiam, auari alacriter ſeſe macerant fame,& in tenebris iacent. Cur hi non pereant? Fallar,niſi perditioni reſeruentur, qui ſic amant, & in deliciis habent res adeò rationi contrarias, & ipſi naturæ humanæ aduerſarias.Hanc maculam Ephraimitis inurebat Oſe.cap.10.dicens: *Ephraim vitula docta diligere trituram.* Quid turpius, quid ſceleratius, quàm ipſam contritionem, & diſſipationem virium haberi in amore, & deliciis?D.Gregor.lib.20.moral.cap 16. *Amant peruerſi homines mundi glorias, etiam tribulationes, cunctiſque pro eo ſudoribus libenter ſeruiunt, & grauiam laborum iugo deuotiſſimè colla ſubmittunt. Quod bene ſub Ephraim ſpecie deſcribitur:Vitula Ephraim docta diligere trituram. Vitula enim trituræ laboribus aſſueta, relaxata plerumque ad eumdem laboris vſum reuertitur. Ita prauorum mens, huius mundi ſeruitiis dedita, & rerum temporalium fatigationibus aſſueta, ſubeſſe terrenis ſudoribus feſtinat,vt à iugo mundanæ ſeruitutis ceſſare non libeat,etiam ſi liceat.*Hæc eſt miſera reproborum hominum conditio,qua lætantes arripiunt ea, quæ luctu, & gemitu eſſent proſecuturi.De reproborum ciuitate locutus Iſaias 34. ait:*Erit cubile draconum, & paſcua ſtruthionum, & occurrent dæmonia, onocentauris, & piloſus, & clamabit alter ad alterum.*Onocentaurus eſt animal aſino, & boui ſimile, & in oneribus, & iugis ferendis oſtendit aſininam,& bouinam ſtultitiam. Huic in reproborum ciuitate aſſimilantur ſtultiſſimi peccatores, qui ſub oneribus vitiorum, & ſub mundi iugo gradiuntur lætiſſimi.De his ait Anſbertus,lib.8.in Apoc. *Onocentauri ergo ſunt, qui ſubiecti luxuriæ vitiis, inde erectiùs eriguntur, vnde humiliari debuerunt. Qui carnis ſuæ voluptatibus ſeruientes,expulſa longè verecundia,non ſolùm ſe amiſiſſe rectitudinem non dolent, ſed adhuc etiam de opere confuſionis gaudent. Onocentauris autem dæmonia occurrunt,quia maligni ſpiritus valde eis ad votum deſeruiunt,quos de iis gaudere conſpiciunt, quæ flere debuerint.*Illos proculdubio diabolus habet chariſſimos,& ſecuriſſimos,qui iuga fletu,& triſtitia digna arripiunt libentiſſimi.

Exod. 2.

Ambroſ.

Oſea 10.

Gregor.

Iſai. 34.

Anſbert.

CAPVT II.

Cum diſcipulis agit Dominus de ſalute abſcondita mundi ſapientibus.

POST reditum diſcipulorum Ieſu à prædicatione, proſperum prædicationis ſucceſſum narrantibus ipſis;in ſummi Parentis laudes Chriſtus exurgit, quòd videat legis ſapientes ob propria peccata lumine priuatos, quo Filij Dei aduentum, viámque ſalutis agnoſcerent; in quorum cognitionem rudes, & inſipientes homines, nimirum Apoſtoli & diſcipuli ex gratia Dei intrabant. Rurſus Parentem laudat Dei Filius, quòd ipſe ſit hominum Saluator,in propriáque habeat manu omnia illa, quæ pertinent ad diſpenſationem, & gubernationem ſalutis humanæ. Quapropter ad ſe vocat vniuerſos, qui ſalute indigeant, qui ſi Chriſto accedant, ſub eiuſque diſciplinæ iugo viuant, præterquam quòd ſuauiſſimam vitam agent, ad ſempiternam requiem euolabunt.

Matth. 11. In illo tempore, reſpondens Ieſus dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine cœli, & terræ,quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.

§. I.

§. I.

Prima, & præstantior virtus in Principe misericordia, & suauitas.

VBi pro iusta superborum sapientum reprobatione, & humilium electione gratias Dominus agit iustissimo rerum moderatori; nihil in illo priùs miratur, quàm paternam misericordiam, & charitatem; vnde antequam Dominum cœli, & terræ, prædicat Patrem. Ait enim: *Confiteor tibi Pater, Domine cæli, & terræ*, &c. Priùs Pater, quàm Dominus prædicatur, quia misericordia, & suauitas paterna in Principe prior virtus est, & præstantior. Cui sic Theodoricus Rex
Theod. applaudebat apud Cassiod. 1. variat. 9 inquiens: *Inclinari precibus nostra nouit humanitas, nec pro affectu pietatis fines potest iustitiæ custodire. Benigni quippe Principis est, ad clementiæ commodum transilire terminos æquitatis, quando sola est misericordia, cui omnes virtutes cedere honorabiliter non recusant.* Quin potiùs omnes virtutes morales tunc triumphant, quando misericordiæ cedunt primas, vt quæ primum in omnibus locum natura ipsa obtineat. Vnde D. Paul. 2. ad Cor. 3. compa-
2. Cor 3. rans Iesu suauitatem cùm Mosaico rigore, inquit: *Quod si ministratio mortis litteris deformata in lapidibus fuit in gloria, ita vt non possent intendere filij Israël in faciem Moysi propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur. Quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria?* Et quidem laudabile est, & gloriosum Principi, quòd leges seueras ferat aduersus rebelles, imò quod rebelles feriat, & morti aliquando tradat. Hoc quippe gloriosum est Principi, quòd si hoc gloriosum est, vt argumentatur Paulus, gloriosum magis debet esse Principi, quòd spiritum lenitatis habeat quando lenitas, & misericordia primas inter omnes virtutes capit. Sapienter
Ambros. hic D. Ambros. fatur: *Maior est gloria in salute, quàm in morte: & quamuis iustè damnet, tamen ad laudem magis proficit, si indulgeat, vt possit reum corrigere se.* Semper indulgentia & paterna charitas pertinet in Principe ad maiorem eius gloriam & laudem. Habes notissimũ Phinees zelum, qui Num. 25. arrepto pugione sceleratos scortatores in ipso actu
Psal. 105. transuerberauit; sed de illo ait Psaltes: *Et stetit Phinees, & placauit, & cessauit quassatio. Et reputatum est ei in iustitiam in generatione, & generationem.* Non ait, *percussit Phinees*, sed *stetit*, quasi stetisset coram Deo orans, vt populo parceret; vtrumque enim fecit vir diuinus, & duos scortatores interemit, & pro reliqua multitudine similiter peccante intercessit apud Deum, vt parceret. Psalmista autem non tam cantu celebrat interfectionem, quàm misericordem stationem, quando quod misericordiæ est, id primum debet esse in Principis laudibus. Nazianzen. epist. 81 data Theodoro Tya-
Nazianz. nensi ait: *Zelotæ cognominationem hinc obtinuit Phinees, quòd Madianitidem vna cum eo, qui stuprum ipsi inferebat, gladio transfixit, atque ex Israëlitica natione probrum exemit. At maiorem hoc nomine laudem tulit, quod pro populo in scelus collapso preces fudit. Stetimus igitur nos quoque, ac placemus, & cesset quassatio, nobisque illud ad iustitiam reputetur. Laudibus item affectum est Moysis, quod ex illata Israëlitæ iniuria cõmotus Ægyptium obtruncarit; verum maiorem hinc sibi admirationem conciliauit, quòd Mariam sororem lepra, propter quod murmurauerat, laborantem precibus suis in sanitatem vindicauit.* Sic in omnium virtutum laude misericordia, & benignitas tulit primas.
Ioan. 3. Hinc Ioan. 3. dicitur: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret: Non enim misit Deus Filium suum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus.* Quomodo non misit Filium suum, vt iudicet mundum? Numquid Filius Dei non iudicaturus est mundum? Equidem iudicaturus est Filius Dei mundum, sed in nouissimo tempore; in primis enim hoc solum curat, vt saluetur mundus. Id quod notans Euthymius
Euthym. in præsenti ait: *Neque solum dedit Filium suum vnigenitum, sed & iudicium reiecit, atque in secundum eius distulit aduentum.* Hoc fecit, vt & iustitia, cæteræque virtutes misericordiæ cederent primas.

§. II.

Apud Deum latiores sunt fines benignitatis, quàm dominij.

DVo in Deo præstantissima voluit Dominus decantare, & dominij potestatem, qua potest subiectos plectere, & benignitatẽ, qua potest gratias donare. Pro dominij potestate vocat Dominum cœli, & terræ; & quale dominium potest cogitari latius, quam quod includit cœli, & terræ ambitum? Pro benignitate vocat Patrem, nec addit amplius; vbi enim paterna Dei vis ostenditur, eius termini, & fines supra terram, & cœlum sunt, infinita pertingunt, & increata. O nostri Dei incomprehensibilis præstantia, apud quem, cùm dominium omnipotentiæ nitatur adhuc benignitatis paternæ longè latiores termini dantur. Reginam Italiæ sic extollebat Cassiodorus 11. var. 1. *Lætæ præstante*
Cassiod. *Deo, felix domina, quod habet eximium vtrique sexui, impleuit. Nam & gloriosum Regem nobis edidit, & latissimum imperium animi fortitudine vindicauit. Quæ si pietatis eius velimus acta mirari, vix nobis poterunt centum linguæ, centumque ora sufficere. Nam pat est quidem æquitas, & voluntas; sed maior benignitas, quàm potestas.* Hæc de Rege terreno summa, & incredibilis est commendatio; de summo omnium, & diuino Rege Deo nostro satis verè dici potest, quòd licèt imperium latissimum habeat, & sub dominio suo ponat, quidquid omnipotens eius voluntas velit facere, adhuc maior in illo elucet benignitas, quàm potestas, & maiora præstat Pater, quam Dominus potest præstare. Dominantis opera sic Genes. 1.
Genes. 1. claudit: *In principio creauit Deus cælum, & terram*; nec Dei omnipotentia potest excedere fines creaturarum. At de pa-
Ioan 3 terna benignitate ait Ioan 3 *Sic Deus dilexit mundum, vt Fi-*
Chrysost. *lium suum vnigenitum daret.* Vbi D. Chrysost. hom. 26. ponderat. *Vt Filium suum vnigenitum daret: Non seruum, non Angelum, non Archangelum.* Non enim Dei Patris est illa mirabilis benignitas, & charitas, quæ non se extẽdit ad quid omni creatura maius. Accipite D. Cyrill. Alexand. lib. 2. in Ioan. cap. 51.
Cyrill. Alexand. fantem: *Vt ergo mirabilis sit hæc Dei Patris charitas, Filius datus non creatura esse credatur. Filium autem eum dico, qui cum ex substantia Patris sit, Genitori est consubstantialis, & verus profectò Deus. Nam sicut vos dicitis, ex substantia Dei Patris non est, non potest secundum naturam Filius Dei esse. Ita mirabilis illa charitas Patris nulla esse videbitur. Creaturam enim pro creaturis, non verum Filium dedit.* Expende illud, nimirum, *Charitas Patris nulla esse videbitur*, &c. quasi nequeat mirabilis Dei Patris charitas æstimari, quæ non supra omnes creaturas se extendit, & increata Dei bona præstat. Et quidem dominij diuini latitudo, etsi maxima, etsi asseclа omnipotentiæ, tamen supra creaturas omnes non peruenit; at diuinæ, & paternæ charitatis fines non in creaturis sistunt, sed vsque ad increata perueniunt. Huc spectabat argumentum D. Ambr. quo probat, ab Spiritu sancto vniuersas creaturas fuisse procreatas; quando enim ab illo proditum fuit summum illud opus benignitatis, nempè Filij Dei incarnatio; necessum est, vt ipse omnes creaturas posset operari. Et cur qui altissimos, latissimósque benignitatis terminos omnes attigit, incarnationem Verbi operatus, terminos omnes diuinæ potentiæ non attingeret, qui angustiores sunt, vtpote conclusi intra creaturarum carceres? Ait Ambros. lib. 2 de Spir.
Ambros. sanct. cap. 5. *Accipiant documentum euidens, nihil posse esse, quod Spiritus sancti negetur operatus, nec de Angelis, nec de Archangelis, nec de Thronis, nec de Dominationibus posse dubitari, quòd eius operatione subsistant. Quandoquidem ipse secundum carnem Dominus, Spiritu in Virgine superueniente, generatus sit.* Hæc ille. Qui dedit benignissimè, Dei Filium gigni hominibus, quid merè creabile non faceret?

§. III.

Hoc Patri diuina proprium est, quòd de viliori materia facinora sua educat.

SApientes erant, & prudentes viri in Iudæorum populo, simul & paruuli, & contemptibiles; & ij, & illi peccatores erant, & merebantur peccatis suis priuari lumine efficaci in salutis viam. Sed ecce vobis sapientes priuantur lumine illo, paruuli illo abundant; & cur Deus sic sapientes mulctat, sic paruulos ditat, quando ij, & illi merebantur vindictam? Causam insinuat Dominus, dum opus Patri diuino tribuit, inquiens: *Confiteor tibi, Pater, Domine cæli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis.* Vbi enim Pater operabatur, non miror, quòd despectis sapientibus, & prudentibus magis velit in paruulis sua elucere munera, quando hoc proprissimum est Dei Patris, quòd de viliori materia gloriam suam educat; cum enim illi creatio, & productio ex nihilo per appropriationem tribuantur, & operationes ex vili materia, quę sunt quasi ea nihilo, illi rectè per appropriationem tribuuntur. Propone tibi ob oculos Deum Patrem se accingentem ad opus; similiter & Spiritum sanctum cui recreatio, & eleuatio ad gratiam appropriantur, volentem producere opus suum; Pater primum

Adamum

Adamum meditabatur, Spiritus S. secundum, nempe Christum. De illo dicitur Genes.2. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ.* de hoc ait Angelus ad Mariam, Luc.1. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: ideò & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Pater limum terræ assumit, vt ex illo hominem suum perficiat; Spiritus S. non limum terræ, sed immaculatum, purissimúmque sanguinem Mariæ Virginis apponit operi suo; vt meritò dicat Paulus: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis.* Et cur primus homo non etiam de cœlo factus est, vel secundus de limo terræ? Seruant diuinæ personæ proprietates suas, vt Pater de abiectiori, & viliori materia opus educens, mirabiliora opera sua ostendat super opera Spiritus S. quæ de præstantiori materia fiunt. Pro quo aiebat Rupert.lib.1.de operibus Spiritus S.c.14. *Ambos istos homines formauit Dominus Deus de limo terræ, sed illum quidem Dominus de limo terræ insensibilis, & inanimatæ, istum autem Spiritus S. de limo terræ, sed animatæ, id est, de humore carnis virgineæ sua formauit operatione. Vtraque formatio mirabilis. Verumtamen istam quidem mirabilem, sed illam dicere non dubitamus mirabiliorem. Ista quidem formatio venerabilior est, sed illa mirabilior.* Hoc est Patri diuino appropriatum, quòd viliori instrumento, aut materia vtens apparet in operibus suis mirabiliter, quando vel Spiritus S. non procedat ad opus, nisi præstantiorē materiam sibi sumens. Notissima fuit visio illa exhibita Moysi, Exod.3. vbi sic: *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat, quòd rubus arderet, & non combureretur.* Vide quam arborem assumit Dominus, vt omnipotentiæ suæ ostēdat miracula, nimirum vile, & abiectum rubi virgultum. Verum Apoc.3. vbi tepido Episcopo remedium salutis datur, ait Dominus: *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum.* Illic ignis in rubo ostenditur, hic exhibetur ignis in auro: & quæ differentiæ ratio? In rubo ignescente paternæ omnipotentiæ diuina virtus exhibebatur, cuius est proprium per vilia, & abiecta media ingentes salutes præstare. In auro ignito opus est Spiritus S. qui nō circa vilia, sed circa pretiosa, solet operari. Pro quo aiebat D. Ambr.lib.1.de Spiritu S.c.16. *Quis est igitur iste ignis Spiritus S. Non vtique virgultis vilibus conferetus, aut stipula syluarum fragosus incendijs, sed ignis ille, qui vt aurum bona facta meliorat, & vt stipulam peccata consumit.* Ignita omnipotentis Patris virtus & humiles myricas assumit, vt inde præstet facinora; Spiritus S. ignis non sic in humilibus virgultis, vt in auro pretioso solet elucere, & sua ostendere insignia. Cantatissima est illa apud concionatores Ioannis Baptistæ commendatio, quòd fuerit Apostolus æterni Patris; & simul Paulus, & Barnabas dicuntur Apostoli Spiritus sancti. Sed Ioannes adhuc in vtero existens, quasi vilis virgula à summo Patre assumitur, vt nunciet Christum: at Paulus, & Barnabas non nisi post longa legis studia, cùm pleni essent doctrina, ad pedes Gamalielis instituti, tunc assumuntur à diuino Spiritu. Cui vt videtur proprium pretiosis semper instrumentis vti; sic Patri proprium est, vti vilibus, vt inde eius opera appareant mirabilia.

Genes.2. Luc.1. Rupert. Exod.3. Ambros.

§. IV.

Præstantissima iudicis æquitas primos in fauoribus, etiam facit primos in seueritate.

Meritò Iesus extollit Deum Patris nomine, in electione paruulorum; sed & nomine Domini extollit ipsum in reprobatione sapientum, & prudentum, inquiens: *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Meritò, inquam, laudatur Deus, vt æquissimus, iustissimúsque Dominus, penes quem sit gubernatio vtriusque mundi, quando eius seueritas prius attingit primates sapientiæ, & prudentiæ, fidelis reipublicæ. Ecce tibi, qui primi erant in honoribus legis, in plausu doctrinæ, in religionis præmiis, nempe Magistri, & Principes Pharisæorum, ij primi ostenduntur mulctati priuatione diuini luminis. Quam aliter fieri consueuit apud sæculares iudices; vbi fauor præstandus est, vbi gratiæ exhibendæ, primates reipublicæ quæruntur, in quibus omnia stagnantur honoris, & vtilitatis munera. Vbi autem seueritas exhibenda est, & iustitiæ rigor, tunc primates prorsus prætermittuntur, & res defertur ad pauperculos, & miseros. Id facit corruptissima mundialis dominatio: ast vbi integra æquitas manet, eundem ordinem, & in gratiis, & in seueritate seruat; vt quos primò donis implet, ab iis primò seueritas incipiat. Maximus ille Ioseph vbi inscios fratres conuiuio excepit, primos honores detulit ætate primis: ait Gen. c.43. *Sederunt coram eo primogeniti iuxta primogenita sua, & minimus iuxta ætatem suam.* Primates in cōuiuio fuerunt primi; & postremi, qui erant minimi; idque in omni fauore sic apud mundiales iudices. Sed ecce tibi, res subito commutatur, & accusantur omnes de furto, imò vas furto ablatum requiritur: sed scire cupis, apud quem inquisitio fiat, cuius saccum priùs examinet lictor missus? Ait Gen.44. *Quos scrutatur, incipiēs à maiori vsque ad minimū.* A maiori etiam incipit seuerum scrutinium. O penè ignota æquitas iudicibus? Quos primates habuit in cōuiuio, hos & primos habuit in seueritate scrutinij. Ait D. Ambr.lib.de Ioseph, c.11. *Per ordinem singulorum prius inspiciuntur sacculi: docet te moralitatem diuina scriptura. Per ordinem antè discubuerunt in conuiuio coram eo, primitus secundùm ætatem. Per ordinem iterum requiruntur sacculi singulorum, vt scias electum cœlesti iudicio.* Non equidem mundialis, sed cœlestis iudicij res erat, quando in furti inquisitione, in seueritate scrutinij, nō itur ad paruulos, & minimos; non curritur ad abiectos, sed in primis itur ad ipsos magnates, & primarios. Res est non mundialis, sed diuinæ æquitatis, quòd seueritas seruet ordinem, quem seruat fauor; & vt primarij homines primi sunt in accipiendis fauoribus, sic primi sint in sustinenda seueritate.

Genes.43. Genes.44. Ambros.

§. V.

Terrenis etiam monarchijs illi sint cordi ministri, qui spiritu paruuli, & paruis contenti sunt.

Vbi despectis superbis sapientibus paruuli eliguntur in ministerium, non otiosè vocatur diuinus Elector, *Dominus cœli, & terræ*; sed vt videant etiam terrarū Monarchæ, quales sibi ministri debeant cordi esse. Quippe non solùm ad cœlestem politiam regni æterni, sed & ad temporalem terreni imperij politiā multum interest, quòd ministri spiritu paruuli sint: hoc est, paucis, & paruulis inueniri soleant contenti. Argumentum hoc nullus præteriit, qui scripsit de mundiali regno. Accipite Saluianum, lib.1.de gubernatione Dei, sic fantem de columnis Romani imperij: *Minimè antiquis illis priscæ virtutis viris, Fabijs, Fabricijs, Concinnatis, graue fuisse existimamus, quòd pauperes erant, qui diuites esse nolebant, cum omnia scilicet studia sua, omnes conatus suos ad communia emolumenta conferrent, & crescentes reipublicæ vires priuata paupertate ditarent. Non despiciebant tunc pauperes cultus, cùm ab aratro arcesserentur ad fasces, & illis fortasse ipsis, quas assumpturi erant, imperialibus togis madidum sudore puluerem detergerent. Itaque tunc illi pauperes magistratus opulentam rempublicam habebant: nunc autem diues potestas pauperem facit esse rempublicam. Et quæ, rogo, insania est, aut quæ cæcitas, vt egestuosa, ac mendicante republica, diuitias posse credant stare priuatas?* Piaculum duxi aliqua horum verborum debere, vt quæ demonstrent reipublicæ fulcra esse illos magistratus, qui paucis, & paruis erant contenti, nec volebant ipsi diuites fieri. Hoc enim euidentissimum est, quòd vt cum mendicante republica non possunt durare, & conseruari diu diuitiæ priuatæ; si cum magistratibus priuatas abiurantibus diuitias, non potest respublica non crescere, & penè in immensum dilatari. Hæc sunt duo felicissimi iudicis Gedeonis signa, Iudic.cap.6. Pro altero sic ait: *Ponam hoc vellus lanæ in area: si ros in solo vellere fuerit, & in omni terra siccitas,* &c. Hoc videns Gedeon expressum signum, nondum quietus mansit, sed ad alterum festinat petendum; ait enim iterum: *Oro vt solum vellus siccum sit, & omnis terra rore madens. Fecitque Dominus nocte illa, vt postulauerat, & fuit siccitas in solo vellere, & ros in omni terra.* Hic quieuit Gedeon, nec aliud signum expectauit, vt crederet per manus suas posse reipublicæ prostratæ statum reparari. Cur ergo in hoc secundo signo magis quieuit, quàm in primo? An hoc secundum exprimebat magis modum aliquem particularem reipublicæ reparandæ? Equidem præter mysteria ibi explicata à Patribus, ego duo clarissima exempla contemplor euentuum, qui reipublicæ accidunt per magistratus. Vbi enim magistratus instar velleris, sic rorem cœlestem sitit; sic bona, quæ cœlo auctore proueniunt, sibi, suísque solis accipere amant in omni terra; in omni republica siccitas est, & campi, & areæ vniuersæ flaccescunt, & prorsus arent. Vbi autem magistratus non sitit rorem, non diuitias sibi, & suis amat, sed paucis contentus vitam agit, ros in omni terra est, respublica rigata bonis reuirescit; campi, & areæ replentur vbertate. Cùm videris agricolas rarescere, regni agriculturam deficere, oppidda, ciuitates ruinas minari, cur tantæ siccitatis, & ruinæ non vides causas? Vide magistratuum

Saluian. Iud.6.

vellera rore plena; vide magistratus, in hoc solùm intentos, vt sibi, & suis bona trahant. Vtinam magistratus sicci vellēt esse, & aridi: vtinam paucis contenti ingens diuitiarum augmentum recusarent. O quàm areæ diuites essent cœlesti rore! O quàm vigeret respublica inter aridos magistratus! Ioann. Baptista militaribus Principibus hoc mandabat, Luc.
Luc. 3. c. 3. *Contenti estote stipendijs vestris.* quasi non velit ab iis concupisci bona alia, quæ super taxata ab Imperatore stipendia haberi possunt. Sed quando negotiatoribus omnibus licet, non esse contentos mediocri aliquo lucro; sed possunt licitè maiora expetere alia: cur vult Ioannes, vt qui rempublicam defendunt, & muniunt, sint adeò pauperes spiritu, vt recipientes taxata stipendia, contenti sint, & nihil velint accipere aliud? Rem pulchrè attigit Ferrand. Diaconus in Pa-
Ferrand. rænetico ad Reginum Comitem, regul. 2. fatus: *Hinc autem plerumque maximis ciuitatibus afflictio nascitur, hinc grauissimæ crudelitates, hinc mille artibus lucri exquisita compendia. Hinc venalitas in iudicijs, hinc remissio in prælijs, hinc totius reipublicæ diminutio. Si Dux expetit non esse contentus stipendijs suis, & super emolumenta publica, priuatis amplificari commodis cupiens, vtilitati tantum suæ curam gerat, salutem verò negligat subditorum, talis Dux non est circa æquales modestus pariter, & suauis; sed litigiosus, & auarus. Non est circa inferiores mansuetus, sed crudelis, personarum acceptor, & difficilis.* Sanè magistratus, qui non est liber ab omni siti diuitiarum, nunquam non multa mala infert ciuitati. Hæc sit reipublicæ conseruatoris vox: solùm vellus sit siccum, & omnis terra rore madeat; solus magistratus excudat à se habendi cupiditatem, & fallar, nisi arua afferant fructus, & campi repleantur vbertate.

Text. Ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Et nemo nouit filium nisi Pater, nec Patrem quis nouit nisi filius, & cui voluerit filius reuelare.

§. VI.

Seueritas in malos non potest diuino Spirituì non esse. Nec enim Spiritu Dei agitur, cui non militat & timor, & amor.

Reprobationem sapientum à Patre Deo peractam approbans Iesus, admirationem nobis faceret, dum in eo seuerus & ipse videretur, qui omnis suauitatis, & misericordiæ fons aduenit. Quid ais, Domine, *Ita Pater*, vt videatis approbare seueritatis sententiam latam aduersus sapientes? Nónne tu Deus omnis consolationis, & omnis bonitatis? Quid tibi cum repulsa sapientum? Iam ad hæc respondent illa verba, scilicet, *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*, &c. Debuit Iesus, vt Patris diuinitate gaudebat, sic omnia pro stabiliendo bono fieri. Omnia, & quæ ad benignitatem, & quæ ad seueritatem spectant, debent in promptu esse illi, qui diuinum Spiritum ebibit. Quod argumentum conficiens
Tertull. Tertull. lib. 2. in Marc. tandem ait de Deo, vt debeat seuerus esse. *Qui boni auctor, nisi qui & exactor? Quis expugnator, nisi qui & punitor? Sic denique omnipotens, quia iuuandi, & lædendi potens. Sic totus Deus bonus est, dum pro bono omnia est.* Omnia debent esse in promptu bono Deo, quæ possunt ad exterminationem mali, & boni promotionem prodesse. Quid equiti interest, quòd habeat habenas, quibus equum retrahat à præcipitio, nisi & habeat calcar, quo ad cursum excitet? Tunc solus bonus, & perfectus eques est, cùm pro equi præstantia omnia est. Tunc te totum bonū, & Deo plenum æstima, cùm pro Deo, & virtutum bono omnia scieris esse. Quid, quòd scieris esse amori, nisi scieris esse timori? Quid, quòd benignus sis, nisi scias esse seuerus? Equidem si Deo impleris, si Deus es, omnia in promptu debes habere,
Deut. 10. vt te facias amari, sed & timeri. Deut. 10. *Et nunc Israël, quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius, & diligas eum, ac seruias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua?* Deus est, qui petit, vt timeatur, & qui petit, vt ametur; quasi nesciat Spiritus Dei esse, nisi qui omnia pro virtute est. Tertull.
Tertull. lib. 2. in Marc. *Lex vtrumque definit, diliges Deum, & timebis eum. Aliud obsecutori proposuit, aliud exorbitatori. Ad omnia tibi occurrit Deus, idem percutiens, sed & sanans; mortificans, sed & viuificans; humilians, sed & subleuans; condens mala, sed & pacem faciens.* Non est Deus, qui pro bono non est omnia; non est Dei Spiritus, qui altera gaudet parte solum benignus, vel seuerus solum; ad omnia occurrat, necessum est, ad seueritatem, vel ad benignitatem, prout fuerit opus. Hinc Iesus in præsenti aiebat, *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli, & terræ.* Vbi Patrem vocat, quid necessum fuit vocare Dominum? In patre benignitatis aperiebat fontes; in Domino seueritatis ostendebat rigorem; nec satis diuinitatem eius explicasset, si benignitati paternæ non admisceret rigorem. Tert. lib. 2. in Marc. *Vsque adeò iustitia etiam plenitudo est diuinitatis ipsius, exhibens Deum perfectum, & Patrem, & Dominum: Patrem clementia, Dominum disciplina: Patrem potestate blanda, Dominum seuera: Patrem diligendum piè, Dominum timendum necessariè. Diligendum, quia malit misericordiam, quàm sacrificium: & timendum, quia nolit peccatum. Diligendum, quia malit pœnitentiam peccatoris, quàm mortem; timendum, quia nolit peccatores sui iam non pœnitentes.* Idem.
Nunquam planè Deum statuis, si separes ab illo seueritatem; & seueritas, & benignitas perfectum Deum ostendit, qui pro bono, & virtute omnia est, tam in iis, quæ spectant ad amorem, quàm in iis, quæ spectant ad seueritatem. Ne tu aliter velis te habere, cum Dei Spiritu agetis; sed nec aliter credas, Deum appariturum tibi, nisi sub vtraque virtute seueritatis, & benignitatis. Vnde monebat Chrysost. hom. de proditione Iudæ: *Non ergo videndo meretricem, de tua liberatione desperes; sed & Judam cogitando, non debes esse securus: vtrumque enim periculosum est, & confidentia, & desperatio; nam & confidentia stantem euertit, & desperatio post lapsum non admittit exurgere.* Vt enim periculosum est nimis hærere aut benignitati, vnde oritur confidentia, aut seueritati, vnde oritur desperatio; sic salutare est, vtrumque spectare; & in amore, & timore nostram salutem operari. Chrysost.

§. VII.

Per Iesu manus omnia nobis salutaria redduntur.

NOn otiosè clamat Iesus, dicens: *Omnia tradita sunt mihi à Patre meo*; sed vt videntes nos omnia in Iesu manibus esse, nihil inde non salutare expectamus: quippe ait D. Athanas. homil. in hæc verba. *Postquam illi tradita sunt omnia, & factus est homo, correcta sunt omnia, & perfecta terra pro maledictione benedictionem obtinuit; paradisus reseratus est: infernus se metu contraxit: monumenta aperta sunt, resurgentibus mortuis: portæ cœli eleuati sunt, vt intraret ille ex Edon.* Ecce tibi, vt creaturæ omnes in manu Iesu positæ, vbi per Iesum ad nos transeunt, quàm salutarem conditionem nanciscantur. Homini dicebat Dominus, Ge- Athanas.
nes. 3. *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea.* Septuag. posuere: *In tristitijs comedes*, &c. Sic omnis terra plena fuit maledictione, vt vix succus elici ab ea possit, nisi mille laboribus, mille tristitiis plenus. Isaias autem c. 12. ait: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* Ibi cibus datur in tristitiis, hic potus in gaudio; quando omnis terra tristitiis manat, vnde exire possunt aquæ in gaudio? Iam ipse dicebat, nimirum, *de fontibus Saluatoris.* Sanè aquæ recipiunt qualitates venarum, per quas transeunt; quæ per ferri venas veniunt, ipsæ ferreæ, & graues sunt; quæ per sulphuris venas currunt, & nociuæ sunt, & pestilentes. At, quæ auri fodinas transeunt, hæ suauitatem, & salutem halant. Sic vniuersa mundi bona, vbi de maledicta terra exibant, nihil nisi nociuum referebant, & malum: at in Iesum, benedictam, & auream terram, tanquam in fontem translata, & per Iesum nobis data non possunt non generare & salutem, & gaudia. Ad hæc pulchrè Imperfect. hom. 28. in Genes. 3. Isai. 12.
Matth. *Omnia Iesu tradita sunt, cœlestia, terrestria, & infernalia. Cœlestia quidem, vt iam nunquam sint rebellantia: nec dicat aliquis eorum: Ponam sedem meam in nube, similis ero Altissimo. Terrestria, vt relinquentes idola, & peccata, credant in eum, & obediant eius mandatis. Infernalia, vt vocentur ad vitam, vt in nomine Iesu omne genu flectatur. Cœlestia, vt sint in adiutorio terrestribus. Terrestria autem, vt fiant imitatores cœlestium. Infernalia, vt iam non expugnatione hominum proficiant, sed ad probationem Sanctorum.* Sic omnia per Iesum ad nos profecta nobis fiunt proficua, & salutaria, etiam illa, quæ erant nociua, & perniciosa antea; nisi nos ipsi nostra culpa velimus ea noxia reddere. Nihil enim, quod per Iesu salutiferas trāsit manus, non salutem, & vitam halat. Hinc erat ille propheticus clamor ad diuinum Patrem, Psalm. 71. *Deus iudicium tuum Regi da.* Feceral enim diuinus Pater iudicium de homine peccatore; sententiam tulerat, qua nos omni bono spoliabat: Imperf. Psal. 71.

spoliabat : manebátque hoc iudicium conscriptum in diuinis scrinijs apud Patrem. Comẽdit ergo Dauid, vt hoc iudicium detur Regi Messiæ, detur Iesu filio suo. Quid tunc? Quid, quòd iudicium nobis aduersarium detur Regi Iesu? Petendum erat magis, quòd deleretur, quòd rescinderetur, cur nõ petit Dauid, quòd rescindatur, sed quòd detur Regi? Equidem sciebat, quòd si semel Iesu manibus traderetur sententia illa, fieri non posset, quòd suam vim non frangeret, & inde ad nos perueniret non lethalis. Ait D. Athanas.
Athanas. hom. in hæc verba. *Omnia tradita sunt, &c. in qua fatur : Ideò in septuagesimo primo Psalmo ad istum modum inducuntur loqui, qui super humano genere preces fundunt : Deus, iudicium tuum Regi da, vt & iudicium mortis contra nos, quod hactenus constiterat, traderetur filio, ac iam deinde ipse in se ipso illud aboleret.* Nec dubium, quin à Iesu manibus nihil ad nos lethale peruenisset : imò quæcumque nocumenta per Iesum ad nos transirent, ibi omnem vim nocendi amitterent, & nobis salutaria existerent. Quò spectans ipse Dominus, Ioan. 17. ait:
Ioann. 17. *Pater, venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te. Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne, quod dedisti ei, det eis vitam æternam.* Ecce ad quid data sunt Iesu omnia in manibus, nempè vt omnibus faciat halare salutem, &
Imperf. vitam. Ad hæc dicebat Imperfectus, hom. 28. in Matth. *Iesu tradita est vita, & mors, vt nec vita ad peccatum sit homini, nec mors ad pœnam : sed vt qui viuunt, iustitiæ benè viuentes faciant, & qui mortui fuerint, melius viuant, regnantes in cælo Iesu tradita sunt diuitiæ, & paupertas. Vsque nunc enim paupertas blasphemare cogebat, furtum committere suadebat : diuitiæ autem inflabant, nocendi virtutem præstabant. Nunc autem Iesu tradita sunt, vt paupertas, dum magnanimiter sustinetur, ad gloriam Dei proficiat ; & diuitiæ, dum misericorditer dispensantur, ad gloriam Dei proficiant*, &c. Et quidem per Iesu manus omnia transeunt in melius. Felices nos, quibus contingit, nihil nisi de Iesu manibus habere; de Iesu autem manibus, quid non floridum? Quid non mille suauitatibus plenum? Iesu meo aptare libet epigramma datum à Venantio, lib. 6. Childeberto Regi, qui manu propria plantauerunt hortum.

Venant. *De cultore trahit meliorem planta saporem.*
Forsan & hic tacitus miscuit ille fauos.
Regis honore nouo duplicata est gratia pomis,
Suauis odor nari, dulcis in ore sapor.
Qualiter ille hominum poterit prodesse saluti,
Cuius & in pomis tactus odore placet?

Omnia Iesu meo veraciter dixisset, de cuius manibus creata omnia habent plus proficere, plus placere ; & quando Iesu manus sic vel creaturas insensibiles perficit hominum mentes?

Text. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.

§. VIII.

Vix est liberalitas, nisi qua bona sua egentibus tribuit.

COnueniant huc, quicumque liberalitate insigni amant cognosci, & discant ab omnium virtutũ Magistro Domino Iesu, quales quærendi sint receptores suorum munerum. Quos vocat liberalissimus Dominus, & liberalitatis exemplar, vt sua communicet? Sanè ait : *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Nunquam enim ad liberalem pertinet aliis, quàm egentibus sua bona largiri. Præclara est in hanc rem illa sententia Cassiod. 12. var. 27.
Cassiod. *Egentibus visum est, non diuitibus subuenire, fundit potius, qui mittit in plenum.* Quid pulcrius? Et quidem circa diuites omni substantia plenos munerabundos non liberalis erogatio
1. Tim. vlt. versatur, sed prodigalitas effusa. Aiebat Paul. 1. ad Tim. vlt. *Diuitibus huius sæculi præcipe: facilè tribuere, communicare.* Quibus verbis sese iactare possent prodigi homines, quod & ipsi iuxta Apostoli sententiam viuant, dum facilè tribuunt, & bona sua libenter communicant. At explorandum illis erat, quibus tribuant; dum enim non pauperibus, sed diuitibus, & plenis tribuunt, non liberaliter tribuunt, sed prodigunt, &
D. Thom. effundunt. Sic D. Thom. 2. 2. q. 119. art. 2. ad 2. inquit: *Apostolus monet diuites, vt facilè tribuant, & communicent sua, sicut oportet : quod non faciunt prodigi; quia, vt Philosophus dicit in 4. Ethicorum, dationes eorum non sunt bonæ, neque boni gratia, neque secundùm quod oportet; sed quandoque dant multis illis, quos oportet pauperes esse.* Ecce tibi iuxta Angelicum Doctorem, donationes, quæ offeruntur minimè egentibus, non tam liberalitatis, quàm prodigalitatis sapiunt effusionem. Vnde monebat Dominus, Luc. 14. *Cùm facis prandium, aut cœnam,* Luc. 14.
noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos diuites. Qui erunt igitur vocandi? Iam fatur: *Voca pauperes, debiles, claudos, cæcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi.* Vix permittit liberali homini buccellam panis dare diuitibus. Quod ponderans D. Chrysost. in epist. ad Coloss. homil. 2. ait : *Dic, quæso, si inter seminandum,* Chrysost.
alia quidem super petram, alia in terram bonam proieceris, an & satis tibi fuerit hoc, vt dicas, quid damni est, si alia quidem temere, & inaniter, alia verò in terram bonam proiecerimus? Nam qua ratione non omnia in terram bonam? Et si fœnerandum sit, non dices : quare hæc quidem egentibus, illa verò diuitibus dabimus? Quin demus illis omnia. Hîc verò, vbi tantum est lucri, non repudiabis illud, & cessabis aliquando vane sumptum facere, & frustra bona tua perdere. Pulchrè vir diuinus duobus exemplis ponderat absurditatem eorum, qui diuites vocant ad prandium, & communionem rerum suarum. Alterum est seminatoris, qui cùm possit semen suum in terram bonam iacere; absurdè facit, si vel minimum iaciat in petras, inter quas fructus perdatur. Sic perditè facit, qui diuitibus præstat aliquid. Alterum exemplum est fœneratoris, qui vbi maius lucrum appetit, diligenter cauet cum diuitibus inire pactum; sed potiùs ad pauperes abit, de quorum paupertate fœnus mirum in modum adauget. Sic homo liberalis, qui bona sua perdere nequit, caueat diuites, adeat pauperes, de quorum subleuatione, quis numeret, quanta lucra capiet? Ad hæc ipse Chrysost. hom. 28. in Matth. addit:
Si verò non credis, itura tu, qui diues es, qui Duces, & Principes vocas, voca pauperes, & ex his imple conuiuium, nisi ab omnibus plaudatur, nisi ab omnibus ameris, nisi omnes vt patrem habeant. Idem.
Et quis ex dono diuitibus dato aliud acquisiuit, quam doni amissionem? Quis ex conuiuio Principibus parato, & diuitibus recepit aliud, quam sumptum, & bonorum perditionem? At ex his, quæ pauperi dantur, hoc consequuntur omnes, vt ab omnibus celebrentur eorum dona, vt maneant in æterna memoria. Vbi enim ad veras laudes hominis cuiusuis ventum est, hoc maximè student laudatores, ne sciantur Principis sui sumptus facti cum aliis Principibus, & diuitibus; illa sola publicant, quæ profuerunt egenis, ex quibus penè incredibilem nituntur elicere hominis commendationem.

§. IX.

Nequit fieri, vt quæ per multorum manus tribuuntur, non defluant cum magna accepturi iniuria.

REfectionem promittit Deus suis militibus, quam ipsemet per se præstet, non quam præstet per alios, & alios ministros. Ait enim : *Ego reficiam vos :* non mandabo aliis, non ministrorum seriem statuam, per quorum manus mea dona currant. Proh Imperatoris mundi sapientissimum consilium! Vtinam sic possent facere mundiales Principes; verùm quia multis ministris vtuntur, quorum alij maiores sunt, alij minores, alij infimi, per tot manus sic regales donationes corrumpuntur, vt nihil veniat à Rege sine accipientis iniuria. Mundialis monarchiæ exemplum esto statua illa Regi Babylonio ostensa, Dan. 3. Huic erat caput aureum. Quid pretiosius? Quid pulcrius? Sed capiti aureo brachia, & pectus argenteum hæret: his venter æneus: huic crura ferrea, quæ tandem excipiunt pulnerei, testaceique digiti. Aurum in se purissimum, & pretiosissimum est; ast si descendere incipiat, & pectoris argẽto immisceatur, iam aliquid eius pretiositatis minuitur; si amplius descendere pergat, & per æris, ferrique, & pulueris mixturas decurrat, quis neget plurimũ à puritate, & pretiositate degenerasse prima? Sanè quod aurum erat in capite, in infimis aut æs redditur, aut puluis. Est equidem Princeps caput aureum, nihil non pretiosum, & purũ, & lucens cogitans suis subditis. Sed sunt Principi affixi argentei ministri, nempe viri à Rege secundi, hi post se habent alios inferioris pretij, videlicet instar æris, quibus vtuntur. Et post hos inueniuntur alij prorsus valoris infimi, quasi ferrei, vel nati ex puluere. Regia ergo munera licèt in capite sint pretiosa, vbi per tot diuersi valoris ministros, etiam per infimos, & testaceos distribuuntur, quis speret

minimè corrumpenda? Mirum erit, si non reddantur vicina
Cassiod. nihilo. Huc penè spectabat Cassiod. lib. 12. variar. 11. *Aurum ipsum cùm soluitur in liquorem; nisi mundissimo calculo suscipiatur, inficitur: quando puritatem suis illa sola custodiunt, quæ nulla sordium admixtione fuscantur. Quam gratum per niueos calculos riuulos videre currentes? Et ipsam quodammodo naturæ liberam videre puritatem, quando in nullis maculis inuenitur turpatur? Sic dona Regum nulla debent pollutione fuscari; sed sicut ab ipso exeunt copiosa, ita debent ad ciues peruenire purissima: mutant enim quamlibet largitatem rapientium manus. Et sicut fontis puritas per limosa corrumpitur; sic affluentia boni Regis auaris distributionibus immutatur.* Deberent auri riuuli per purissimos caliculos currere; deberent aurea Regis munera per manus tradi purissimas; ast vbi præsto sunt ministrorum turbæ, aliæ aliis inferiores, vsque ad infimos; vt per limosa currens aureus liquor corrumpitur, sic vbi per tot officia ministrorum, mediocrium, & infimorum decurrunt regia munera, non possunt non mutari, & minui cum accipientium iniuria. Ex hoc lucem capit illud Eccles. cap. 5.
Eccles. 5. *Si videris calumnias egenorum, & violenta iudicia, & subuerti iustitiam in prouincia, non mireris super hoc negotio, quia excelso excelsior est alius, & super hos quoque eminentiores sunt alij.* Expende rationem, ob quam non mirandum sit quòd iniuriæ, & calumniæ, & iniustitiæ fiant, nimirum, *quia excelso excelsior est alius*, &c. Non administrantur res per vnum Regem, aut Principem immediatè; sed est ministrorum gubernantium quasi scala, in qua alij sunt superiores, inferiores, & infimi alij; vt sic iustitia per multorum manus, à supremo Rege deriuata vsque ad infimum, & vilissimum ministrum, multum de integritate amittat, & vel diminuta, vel corrupta perueniat ad egenos tradita per tot manus.

§. X.

Peccatum maximè deprimit, & grauat.

AD laborantes, & oneratos clamat Dominus: *Venite ad me qui laboratis, & onerati estis*; onerati, inquam, non alio onere, quàm peccati, quod est maximum onus, & maximè nos deprimens, & grauans. Nautæ illi, qui secum ferebant Ionam, vbi viderunt nauim sæuissima tempestate agitari, nihil priùs curarunt, quàm nauim alleuiare, immissis
Ion. 1. omnibus oneribus in mare. Ait enim, Ion. cap. 1. *Miserunt vasa, quæ erant in naui, in mare, vt alleuiaretur ab eis*, &c. Sed non alleuiatur nauis, missis oneribus; seruabatur enim adhuc in naui Iona, qui vt peccatum inobedientiæ habebat, sic deprimebat, & grauabat nauim super omnia onera alia.
Chrysost. Pulchrè D. Chrysost. homil. de Iona, fatur: *Nautæ nondum agnita causa naufragij nauim aliquantarum rerum iactatione subleuari arbitrabantur: & nihilominus nauigium turbabatur. Apud se enim peccati sarcinam retinebant, & magis magisque Propheta corpore grauabatur, non corporis magnitudine, sed peccati.* Vanè nitebantur onera nauis tollere, dum non tollebant Ionam, in quo erat onus peccati longè omnibus aliis oneribus grauius, & valens submergere nauem. Vnde Tertull. carm. de Iona, sic nautis consulit:

Quin date præcipitem causam, nauémque leuantes
Vnum onus hoc magnum pelago iactari volentem.

Expende verba illa, *Vnum onus hoc magnum*; quæuis enim alia onera, etsi importabilia videantur, onera non sunt, si cum peccati onere comparentur, quod solum onus ma-
Luc 13. gnum est. De fœmina quadam dicitur, Luc. 13. *Habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo: & erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere.* Inclinabatur ad terram fœmina hæc quasi qui sub aliquo ingenti pondere pressus vergit ad infima. Sed quod pondus sic illam grauabat, quando solùm dicitur, spiritum infirmitatis habuisse? An spiritus grauare potest, aut deprimere. Non spiritus, sed spiritualis nequitia latens intus illam sic deprimit, & ad terram inclinat.
Chrysol. Ait D. Chrysol. serm. 105. *Habebat spiritum infirmitatis, & erat inclinata: patebat vulnus, sed auctor vulneris non patebat: languorem videbant cuncti, sed languoris materiam non videbant; erant in aperto pœna, sed in ipsa pœna carnifex latebat induem: corpus aspiciebatur incuruum, sed non aspiciebatur incurui corporis pondus. Arte nequissimi spiritus corporis necessitas credebatur.* Vbi nequitia spiritualis in fœmina latebat, ibi erat pondus inclusum potens inclinare fœminam ad terram, imò illam penitus opprimere.

CAPVT III.

Disputatio cum Martha, de optima parte.

EXCEPTVS Iesus in castellum, non paruam Marthæ quæstionem absoluit: querebatur illa, quòd sola relinqueretur parando tanti hospitis conuiuio, cùm interim Maria soror quieta sederet ad pedes Christi. Nihil tamen profuit Marthæ querela sua, quia potiùs eius solicitudini prælata fuit à vero iudice Mariæ quies.

Luc. 10. Intrauit Iesus in quoddam castellum, & mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam: huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secùs pedes Domini, audiebat verbum illius.

§. I.

Misericordi, hospitalique viro nunquam deficiunt clarissimi fratres, & propinqui.

VIx Iesu hospitatrix Martha ob oculos ponitur, & statim subiicitur illud: *Huic erat soror*, &c. quasi iam inde pateat benefici, & hospitalis animi non vulgare commodum, quod nusquam sit solus, sed clarissimam vbique potiatur manum fratrum, & propinquiorum. Zach. 4. ait: *Isti* Zach. 4.
sunt duo filij olei, splendoris, quia assistunt dominatori vniuersæ terræ. Et quidem notanter dixit, duo filij olei, splendoris; qui enim misericordiæ oleo inungitur, nequit esse vnus, & solus, sed splendidissimis gaudet fratribus propinquis, & sociis. Solus fugerat Moyses ab Ægypto in Madiam; vbi Iethro filias inuenit, earum greges adaquauit; quod à Iethro cognitum cum esset, Exod. 2. ait: *Quare dimisistis hominem? Vo-* Exod. 2.
cate eum, vt comedat panem. Iurauit ergo Moyses, quòd habitaret cum eo. Accepitque Sephoram filiam eius vxorem. Hîc licet admirari & Moysis, & Iethri felicitatem: Moyses solus, peregrinus, à suis remotus, inter barbaros Madianitas agens, ibi per potum præstitum ouibus Iethri, regios, & clarissimos sibi fratres, & cognatos facit. Iethro itè barbarissimi populi Princeps, & ipse barbarus virili semine orbus, per peregrini hospitium, & exhibitionem panis, filium nanciscitur, cui obediant maria. Quid de beneficentia, & hospitalitate dici potest in præsenti clarius, quàm quòd exsuffiet solitudinem, & orbitatem, & vel in populo barbaro clarissimos, & splendidissimos fratres, & cognatos nanciscatur? Ad hæc D. Chry-
sost. hom. 30. in c. 16. ad Rom. *Magnus est fructus hospitalitatis,* Chrysost.
& vehementer magnus: sic & Iethro, tametsi barbarus esset, generum adeptus est, tanta potestate mari imperantem. Orbitatem, & solitudinem ignorat hospitalitas, cuius proprium est, vndique colligere fratres, cum quibus floreat, & gaudeat. De immisericordi homine asserebat Eccles. c. 4. *Vnus est, & secun-* Eccles 4.
dum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi eius diuitijs, nec recogitat, dicens: cui laboro, & fraudo animam meam bonis? Compone modo hæc verba cum iis, quæ in principio dicebamus ex Zacharia; ibi de misericordiæ filiis ait: *Sunt duo filij olei splendoris*, in præsenti de auaritiæ filiis dicitur: *Vnus est, & secundum non habet, neque filium, neque fratrem.* Ille emolumentis splendidissimæ societatis, & cognationis vbique gaudet; hic nunquam non sentit sordidissimam orbitatem, vnus agens absque fratre, absque propinquo, absque familiari. Sed illud valde Ecclesiastes miratur, quòd in tam sordida orbitate positus auarus, non recogitat eam; ait enim: *Non recogitat, dicens: cui laboro?* Et quid, si recogitaret? An posset inuenire modum, quo illam orbitatē exueret, & se cognatis amplificaret? Sanè perfacilem inueniret modum, nimirum, si solum sese ad misericordiam excitaret, nullam sentiret orbitatem. Quò
spectans Chaldæus Complutens. ait: *Est vir solus, & non est* Chald.
et secundus: filium quoque, & fratrem non habet, vt sit hæres substantiæ suæ, & non est finis vniuersi laboris sui; oculus quoque eius non potest satiari diuitijs, & non dicit in corde suo: cui ego laboro, & fraudo animam meam bonis? Surgam, & faciam ex ea eleemosynam, & lætabor in hoc sæculo cum filijs hominum, & in sæculo venturo cum iustis. Ideò vnus est, & solitarius.

&

& omni propinquo orbus, quia nunquam recogitans dicit, surgam, & faciam eleemosynam; si enim hanc faceret, non solitarius esset, neque orbus, sed mediis viueret in filiis hominum, vbique inueniens & propinquos, & fratres, & sorores. Quò spectans Olympiod. ait: *Vnum hoc loco accipe, qui seipsum tantummodo fouet, ac diligit: qui nec habere quidem velit filios, aut fratres. Nam qui desiderio illorum tenetur, quamuis natura nullos affines, & consanguineos habeat, quia tamen charitatem scrutatur, omnes homines, quamuis externos, esse sibi filiorum loco putat, & fratrum.* Non potest non abundare fratribus, atque propinquo, qui sub signis charitatis, & misericordiæ viuit.

Olymp.

§. II.

Misericordia in pauperes facit domos, & æternat.

TRes erant fratres Lazarus, & Martha, & Maria; & è tribus Marthæ domus appropriatur, de qua dicitur, *excepit illum in domum suam.* Nec miror, quòd vni Marthæ domus attribuatur, quando de illa singulariter prædicatur virtus hospitalitatis: hospitalitas enim, & misericordia & domos hominibus facit, & eas sola valet æternare. De obstetricibus Ægyptiis, quæ fecerunt misericordiam Israëli, ait Exod. c. 1. *Quia timuerunt obstetrices Deum, ædificauit eis domos.* Quid est, ædificauit eis domos? Crediderim cum Caietano, id & materiale ædificium, & simul metaphoricum, quale fit ex progeniei, & posteritatis perennitate importare. Sic vulgò domorũ erectores vocantur, à quibus familiarum splendor in ædificiis, & in longa progenie ortum habuit. Huc ergo conueniant mundiales homines, qui operam nauant domibus illustribus egrediendis æternandis, & videant, quibus copiis id præstare valeant, nimirum misericordia, & charitate. Vna misericordia est, quæ domos facit, in quibus æternum firmetur generis humani claritas. Ad hæc dicebat D. Chrysost. in epist. ad Hebr. hom. 15. *In hæc igitur ædificia studeamus nostras euacuare pecunias, nec fabris, nec structoribus, nec operarijs opus habebimus. Manus namque pauperum tales domos ædificant: claudi, cæci, vel debiles isti, qui domos illas ædificant, & non mireris; eleemosyna quippe artifex magna consistit, & auxiliatrix eorum, qui illam faciunt.* Æternum duraturas domus qui sibi erigeret meditatur, non curet alios artifices perquirere; eleemosyna, & misericordia artifex est, de cuius munere venit, quòd domus stabiliantur, & nouis in dies augmentis irradient. Vbi noster dicit Prou. 14. *Misericordia, & veritas præparant bonum:* legunt Sept. apud Salazarem nostrum: *Eleemosyna autem, & fides apud fabricatores bonos:* vt iam non inueniantur boni fabricatores domorum, apud quos non sit eleemosyna, & misericordia in pauperes. Pro quo dicebat Ecclesiasticus, cap. 44. *Illi viri misericordiæ sunt, quarum pietates non defuerunt; cum semine eorum permanent bona, hæreditas sancta nepotes eorum, & in testamentis stetit semen eorum, & filij eorum propter illos in æternum manent: semen eorum de gloria eorum non derelinquetur.* Expende, qualia ponat virorum misericordium signa, nimirum diuturnitatem domus in splendore familiæ, filiorum, & nepotum. Non potest misericordiæ domus deficere, semen enim misericordum, & gloria eorum non derelinquetur, & filij eorum propter illos in æternum manent. Hinc illa Sunamitis, 4. Reg. 4. cùm absque liberis esset, in penè ruitura domo hospitium Elisæo parat, & eius precibus filium impetrat à Domino. Sed iam duodenis puer in matris gremio moritur. Quid tunc? Peribit domus patens pauperi hospiti? Quid faciet bona mater filio mortuo: vnico fulcro suæ domus? Ait textus: *Ascendit autem, & collocauit eum super lectum hominis Dei, & clausit ostium.* Magnum quid cogitabat de cubiculo, & lecto parato hospiti, vt notat Chrysost. & ideò cùm illi præstò esset lectulum filij, ab hoc abstinuit, & sumens cadauer pueri, non in alio lecto collocat, quàm in eo, quod parauerat hospiti, iam tunc sperans non posse non in hospitio exhibito pauperi reparari, imò reædificari lapsam domum cum filio mortuo. Pro quo aiebat D. Ambros. epist. 12. ad Irenæum, citatus à Glossa in præsenti: *Sunamitis illa magna mulier in superioribus hospitium parauit, & ibi concipiendæ sobolis meruit prærogatiuam. Ibidémque resuscitati pignoris vidit miracula.* Ecce tibi, vbi incepit ædificatio, & reædificatio domus in filiis, & nepotibus; dum parat hospitium pauperi Prophetæ, per hunc affectum misericordiæ accipit, posse sperare diuturnitatem suæ domus.

Exod. 1.
Chrysost.
Prou. 14.
4. Reg. 4.
Ambros.

§. III.

Maria Virgo omnes suæ gentis virtutes in se habet.

GRunniunt hæretici, cùm audiunt Mariæ Virginis ascendentis in cœlum triumphum sub harum duarum sororum Euangelio decantari. Quid Marthæ, & Mariæ œconomia cum triumpho ascendentis in cœlum Dei Matris? Pulchrè Ecclesia Romana apposuit triũpho Reginæ cœli, quod Roma Ethnica apponebat suis Imperatoribus triumphantibus. Hæc triumphatori iuueni malorum etiam addebat fumosas imagines, vt ostenderet in vno omnia prosapiæ veteris facinora renouari. Sic Ecclesia Romana Israëlitarum virtutum imagines, nempe Martham, & Mariam, in quibus hospitalitates, & propheticæ contemplationes veteris testamenti exprimebantur, apposuit triumpho Mariano, vt in vna Dei Matre, quidquid fuit in veteri populo, gloriosè ostenderetur renouatum. Propone tibi ob oculos in Martha Patriarchas veteres hospitantes, & Deum, & Angelos, in Maria Prophetas diuinitatis arcana rimantes, contemplantes, nullam in iis inuenies virtutem, quæ in nostra triumphatrice non appareat. In immensum extollit Reginæ suæ virtutes Cassiod. 11. var. 1. inquiens: *Hanc si parentum cohors illa regalis aspiceret, tanquam in speculo purissimo sua præconia mox videret. Enituit enim Amalus felicitate, Ostrogotha patientia; Athala mansuetudine, Munitaurus æquitate, Vnimundus forma; Thorismus castitate. Cognoscerent hîc profectò vniuersi sigillatim propria, feliciter faterentur esse superata, quando vnius præconium cum turba se potest æquare virtutum.* Hæc de Regina Italiæ dicebat Cassiodorus, longè veraciùs dicenda de cœli Regina, quàm si totius suæ gentis regalis illa, & prophetalis cohors vellet aspicere, tanquam in speculo sua præconia mox videret. Enituit Abraham Dei hospitio, Isaac incruento holocausto, Iacob obsequio, Ioseph castitate, Dauid victoriis, Salomon pace, Isaias contemplatione Seraphica, Rachel forma. Cognoscerent in Maria vniuersi veterum virtutum exercitus propria, & felices faterentur superata, quando vnius Reginæ gloria cum turba potest se virtutum æquare. Hinc ascendentem adstupent Angeli, Cant. 6. *Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata.* Vna fœmina ascendere cernitur, & in vna castrorum apparêt acies; quid mirabilius? Quî fieri potest, vt vna cùm sit, admirationem visarum acierum faciat? Equidem vna erat, sed sic vniuersas virtutum veterũ formas referebat, vt singuli, qui pro Deo antiquitus militauerant, apud illam viderentur stare. Dum Deum ventris suscipit hospitio, & inde abiit in montana, vt propinquum suum Ioannem à peccato liberet, & faciat exultare, ostenditur alter Abraham de Dei hospitio clarus, dum cum trecentis seruis abiit consobrinum Lothi de captiuitate liberare. Cùm ad Ægyptum diuertit, fugiens Herodis rabiem, Dauidem à Saule fugitiuum, & ad vicinos Reges confugientem cum militum suorum manu facit. Cùm apud filium queritur, quòd maneret quasi absconditus Hierosolymis, est, quasi Iacob queribundus apud Labanẽ, quòd non Rachelem, sed sibi Liam daret. Cum filij cruci adstat, Isaac est lignis inhærens holocausti. Sic vna cùm sit, in illa vna exhibentur vniuersæ Sanctorum veterum phalanges. Ad quod aiebat D. Hier. hom. de Assumpt. *Admiratur autem Spiritus sanctus, quia omnes de ascensu huius Virginis admirantes facit, quòd quasi noui diluculi aurora rutilans ascensu suo resplendeat, multis freta, & vallata Sanctorum agminibus. Vnde dicitur, terribilis vt castrorum acies ordinata. Siquidem terribilis suis facta virtutibus, vt castrorum acies admodum ordinata.* Expende, qui dicitur admirationem sui facere, quòd ascendat, *multis freta, & vallata Sanctorum agminibus.* Et quanta hæc admiratio? Sanè omnes Sancti notissimi erant Spiritui sancto, notissimi erant Angelis; cur ergo admirentur Angeli, quòd circa Mariam Reginam viderent Sanctorum omnium phalanges? Non equidem erat magna admiratio, quòd in se Sancti Reginam comitarentur; sed quod omnem admirationem superat, id erat, quòd non in se ipsis, sed in vna Maria vniuersæ Sanctorum ostenderentur phalanges, ita vt vna cùm fuerit, repræsentaretur in suis virtutibus, quasi haberet in se, vel quasi ipsa esset ordinatissima Sanctorum acies. Circumspice vniuersas phalanges virtutum, & nullam requires in Maria, ita vt vna cùm sit, plurium in se speciem exhibeat. Vnde de illa Epiphan. serm. de Assumpt. dicebat: *Dico enim, illum esse cœlum, thronum simul, & crucem; extendens enim sanctas vlnas Dominum portauit. Thronus Cherubicus, cruciformis, & cœlestis.* Expende illa, *thronus Cherubicus;* &

Cassiod.
Cant. 6.
Hieron.
Epiphan.

& quidem, vt aliàs ex nostro Alcaçare in Apoc. dedi, *cherub*, iuxta nominis etymologiam, idem est ac *plures*, vel *pugnans multitudo*. Vocatur ergo Maria thronus Cherubicus, vt in qua ostenduntur non solùm plures, sed vniuersæ omnium Sanctorum virtutes, & fortitudines. Quò enim spectat il-
Cantic.3. lud Cantic.3. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, tanquam virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij.* Expende illa, *& vniuersi pulueris*, &c. Vna enim cùm esset, vniuersas Sanctorum virtutes repræsenta-
Ildeph. bat. Ait Ildeph. serm. de Assumpt. *Odoramenta virtutum spargebat, non qualiacumque, sed vniuersi pulueris pigmentarij: ita vt in ea esset forma non solùm Virginum, verùm etiam omnium Ecclesiarum Dei.* Quascumque veneratur Ecclesia virtutes in aliis, eas potest in Maria venerari.

§. IV.

Perfectionis studiosus nihil aliud æstimet, nec noscat, quàm Deum solum. Vbi de B. Virginis vita morti simili.

FElix Maria, quæ *sedens iuxta pedes Domini, audiebat verbum illius*, nihil aliud curans, nec reputans, nisi Deum ipsum; in tota hospitij solicitudine, inter ipsam ferculorum præparationem nihil ipsa videbat, nihil curabat, nisi Deum vnum. Felix, qui sic componit vitam suam, vt in mediis mundi solicitudinibus nihil mundiale videat, sed Deum solum spectet in illis. Vbi Raab periculum exploratorum Is-
Iosue 2. raëlitarum animaduertit, dicitur de illa, Iosue c.2. *Tollénsque mulier viros abscondit, & ait*, &c. Quæ verba sic ex Hebræo redduntur: *Tollénsque mulier viros, abscondit eum.* De quo multam facit quæstionẽ Abul. q. 27. in Iosue quomodo si tulit viros, vt absconderet, dicitur, quòd abscondit eum? Cur non magis dicitur, quòd abscondit eos? Sed quæstio-
Hebr.11. nem facile absoluit D.Paul. ad Hebr. 11. *Fide Raab meretrix non perijt cum incredulis, excipiens exploratores in pace.* Erat equidem opus huius fœminæ, non opus humanæ sapientiæ, sed opus fidei, vnum solum Deum, quem potentissimum nouerat, agnoscentis. Audierat mulier magnalia Dei Israëlis, erga quem solum rapiebatur, illúmque solum aspiciebat, adeò vt in exploratoribus, non exploratores curaret, nec exploratores attenderet, sed Deum; & sic illos abscondebat, quasi non illos, sed Deum absconderet. Ita ad vnum Deum erat attenta, quasi ad alia videnda vel cæca, vel prorsus mortua esset. Hæc erat Maria sedens ad pedes Iesu, nihil aliud cernens, nihil aliud æstimans, nisi Deum, mortua prorsus omnibus reliquis. Accipe ex 4.Reg.4. de filio Suna-
4.Reg 4. mitidis dictum: *Posuit eum illa super genua sua vsque ad meridiem, & mortuus est.* Feruore æstus correptus puer matri adducitur, super genua eius positus, mortuus est. Quid accommodatius Mariæ? Amoris flammis ipsa correpta ad pedes Iesu adducitur, & iuxta tanti parentis pedes, statim mortua apparuit mundialibus curis. Sed hoc longè præstantius erat, videre in Maria Deipara, quæ de se ait Can-
Cant.5. tic.5. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Sic Deo adhærescebat intrinsecus, vt ad externa omnia videretur defuncta; adeò vt non facilè posset discerni inter eius mortem, & vitam.
Damasc. Vnde aiebat Damascen. orat.1. de eius dormitione: *Sacram tuam migrationem, mortem haudquaquam appellabimus, sed somnum, vel peregrinationem, vel (vt aptiori verbo loquar) cum Deo præsentiam.* Considerat sanctus Pater Deiparam Deo præsentem, iuxta pedes assidentem diuinos, & considerat eam mortuam; & non distinguit inter hanc mortem, & illam vitam. Sic prorsus apparebat mortua, vt apparebat, cùm Deo præsentabatur in vita: vbi erat Deo præsens, non alia erat, quàm vbi mortua apparebat proxima sepulchro. Mirabatur aliquando D. Bernard. sanctum Malachiam viuentem adhuc in mundo, & simul eundem defunctum, &
Bernard. ait in eius vita: *Hæc erat gratia corporis eius, & hæc gloria vultus eius, quæ non euacuatur, neque in morte quidem. Talis quoad vixit, talis & mortuus apparebat viuenti similior.* Sanè nullus similior Malachiæ viuenti, quàm mortuus ipse. Mortui anima cum Deo erat, Deum vnicè aspiciebat, vnicè amplectebatur; corpus autem ab omni mundiali bono iacebat exutum. Quid aliud erat in Malachia viuo. Et tunc mens Deo inhærebat, & corporei sensus nihil mundiale amabant, & æstimabant. Id excellentiori modo videndum erat in Deipara Deo prorsus affixa: *Talis quoad vixit, talis & mortua apparebat viuenti similior.* Dum mortua erat, nulli rei similior, quàm viuenti sibi, vt non facilè distingueret mens humana inter Dei matrem mortuam, & viuam.

Text. Martha autem satagebat circa frequens ministerium, quæ stetit, & ait: Domine, non est tibi curæ, quòd soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi, vt me adiuuet.

§. V.

Maria Deipara vnica, & sola est post Christum in hominibus regenerandis.

GAudet animus in hac Marthæ querela Deiparæ excellentiam notare, quòd ipsa sola, & vnica relicta sit post Iesum in mysterio salutis humanæ. Cui debes, homo, post Christum salutem tuam, vt Deiparæ debes? Sanè inter vniuersas creaturas, Deipara vnica est, & sola, quæ nouit optimè humanæ saluti ministrare. Ait enim Andr. Cretens.
hom.2. de dormitione Mariæ: *O nouas remunerationes! O diuinas permutationes! Produxit natura liberum arbitrium spinis obseptum. Maria contra produxit eum, qui impleret paternam voluntatem. Peperit natura ex inobedientia mortem voluntariam. Ipsa contra peperit eum, qui mortem sustulit per obedientiam. Sola enim, sola præter naturam fuit electa ad naturam renouandam. Sola seruijt opifici vniuersæ naturæ.* Non est improbabilis illorum sententia, quæ asserit, Deum in formatione primi hominis vsum fuisse Angelorum ministerio, ita vt Angeli seruierint summo Opifici, adducentes puluerem de limo, & corporis simulachrum efformantes. Id quod meminit noster Pereyra, lib.4. in Genes. cap.2. quæst.2. At in reparatione generis humani, in regeneratione hominis, non Angeli, non Archangeli, non vlla creatura, sed, vt ait Andreas Cretensis, sola, sola Maria fuit electa, vt ministraret; sola seruiit Opifici vniuersæ naturæ, quæ sola generans Iesum, sola nos in Christo, & cum Christo regenerauit. De
se aiebat Paul.1. ad Cor. 4. *Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo; sed non multos patres. Nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui.* Et quidem decem millia habemus pædagogorum in Christo, habemus pædagogiam Angelorum, & Sanctorum omnium, & magistrorum, sed non multas matres. imò vna nobis, & sola relicta est Mater Maria, cui alteri modo, quàm Paulo debemus, quod simus in Christo regenerati. Ad hæc aiebat Guarricus Abb. serm.1. de Assumpt. *Si seruus Christi filios suos iterum, atque iterum parturit, cura, atque desiderio pietatis, donec formetur in eis Christus, quanto magis ipsa Mater Christi? Et Paulus quidem genuit eos, verbo veritatis, quo generati sunt, prædicando: Maria autem longè diuinius atque sanctius Verbum ipsum generando. Laudo quidem in Paulo prædicationis ministerium, sed plus miror, ac veneror in Maria generationis mysterium.* Non vt Maria, Paulus regenerationis nostræ ministrauit; in ministerio verbi forsan multi apparebunt Pauli, sed non multæ matres; sed vna, & sola Dei Mater nos cum Christo, & in Christo parit. Accinit Dominus Cant.6. aiens: *Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus. Vna est columba mea, perfecta mea; vna est matri suæ, electa genitrici suæ.* In ministerio verbi prædicandi, quid nisi turbas, & multitudines inuenias; at in ministerio salutis à Iesu causatæ, vna, & sola, & vnica inuenietur Mariæ ministratio. Ait enim Guillelm. apud Delrium nostrum: *Est enim Maria vnicè electa genitrici suæ; singulariter electa ad ministerium redemptionis, & regenerationis gratiæ. Insigne quippè, & singulare ministerium gratiæ redemptrici exhibuit in eo, quòd ipsum Redemptorem sibi nobísque genuit, sibi, nobísque pio lacte aluit, atque ad annos maturitatis perduxit. Quia ergo sola erat, ad hoc diuinitus præordinata, & præparata, meritò dicitur, vna matri suæ, & electa genetrici suæ.* Vt inde pateat, quàm vnico, & singulari ministerio Maria sola auctori humanæ salutis seruiuit.

And.Cret.
1.Cor 3.
Guarric.
Cant.6.
Guillelm.

§. VI.

Maria Deipara sic præ omnibus aliis creaturis simul iunctis Deo placuit, vt non mirum esset, si Deus habens Mariam reliquas omnes derelinqueret.

ALicui audax illud Marthæ videbitur verbum, quo omnium rerum conditori, & prouisori Iesu dicit: *Domine, non est tibi curæ*, &c. Quid ais, Martha, incuriæ accusas oculatissimum prouisorem mundi? Vnde tibi potuit in mentem venire,

venire, quòd qui curam filiorum coruorum ſuſcipit, non habeat tui laboris, tuæ derelictionis curam? Abſit a Martha, quòd putet Deum incurium prouiſorem ſuarum creaturarum; ſed ex quo Mariam apud Ieſum vides illi prorſus affixam, non miraretur, ſi Deus habens tantæ virtutis fœminam alias longè inferiores derelinquat. Et quantum hoc ad Mariam, reſpectu Marthæ? Non parua ſanè gloria erat illius Mariæ, quòd Deus habens illam, putaretur poſſe ſororem eius derelinquere. Sed id vmbra erat Mariæ Deiparæ, cuius gratia præ omnibus aliis creaturis ſic Deum capiebat, vt poſſet fieri, quòd habens Deus ſecum Mariam, non multum curaret habere cæteras creaturas, ſed potiùs illas delinqueret. (Cant. 6.) Aiebat Dominus proculdubio Matri ſuæ, Cant. 6. *Auerte à me oculos tuos, quia ipſi me auolare fecerunt.* Quid eſt, me auolare fecerunt? Ad impiorum mentem loquitur, qui vt Deum non prouidere rebus aſſererent, dicebant Iob 22. *Nec noſtra conſiderat, & circa cardines cæli perambulat.* Affinis ſententia (Ezech. 8.) illi Ezech. 8. *Dereliquit Dominus terram, & Dominus non videt.* Petit ergo Deus à Matre ſua, vt abſcondat oculorum ſuorum pulchritudinem, quæ tanta eſt, vt ſibi illam Deus acquirens, poſſet auolare à cæteris aliis, omneſque derelictas facere. Non grauabor aurea D. Ambroſ. verba dare, ſanctis de (Ambroſ.) Iſaac, cap. 7. *Auerte oculos tuos à me, & ſi tu perfecta es, alia mihi adhuc retinenda ſunt anima, alia fulcienda. Eleuas enim me videndo; ego autem video deſcendi, vt omnes eleuem. Et ſi ſurrexi, & habeo Patris ſedem, tamen orphanos non derelinquam vos, paterno ſtudio quoſi deſtitutos, ſed præſentia mea vos confirmabo. Vult ergo auertere illam oculos, ne eam conſiderans, quòd iam ad ſuperiora ſequi poſſit, eleuetur, & cæteras animas derelinquat.* Quid pulchrius? quaſi caueret ipſe Dominus in aſcendente ad cœlum Matre, immenſam eius pulchritudinem contemplari, ne videns illam in cœlum aſcendere, illa contentus ſit, & cæteras contemnat animas. Quid non poſſet derelinqui à Deo ſecum Mariâ tenente: Cyril. Alex. orat. cont. Neſt. (Cyrillus.) ſic Mariam Dei Matrem alloquitur: *Tu enim pretioſa es margarita orbis terrarum.* Quod cum audio, ſtatim recolo illud Matth. 13. *Simile eſt regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas, & inuenta vna pretioſa margarita, vendit omnia, quæ habet, & emit eam.* Hæc Dei optimi maximi proprietas, quod vnam pretioſam margaritam inueniens, ſic maneat illa contentus, vt pro illa omnia ſua dimittat, & vendat. Vt hinc pateat, quantum miraculum ſit diuinæ benignitatis, quòd habens Mariam pretioſam margaritam illa contentus cætera omnia non derelinquat, & diuidat. Ea enim eſt perfectio Mariæ, quæ poſſit præ ſe vna cæteros omnes facere derelinqui à Deo. In cruce erat Ieſus, omnium hominum ſalutem procurans; tunc ait Ioan. cap. 19. (Ioan. 19.) *Cùm vidiſſet ergo Ieſus Matrem, & Diſcipulum ſtantem, quem diligebat, dicit Matri ſuæ: Mulier, ecce filius tuus.* Quanta hæc cura Ieſu de Matre? Omnium hominum ſalutis negotium agit, & inter hæc quaſi omnium obliuiſcitur, & vnius curam agit Matris. Ambroſ. lib. de inſtit. ad Virgin. cap. 7. ait: (Ambroſ.) *Paulisper publicam ſalutem differt, ne Matrem inhonoratam relinquat.* Ea erat Mariæ perfectio, Mariæ virtus cui vt Deus proſpiceret, cæterorum omnium ſalutem differre non grauatur, imò miraculum fuit ſuæ bonitatis, quòd non prorſus deſereret præ illa cæteras animas. Et quid, quòd præ illa cæteras animas derelinqueret; quando pro illa dereliquit humanitatem ſuam vſque ad mortem in manus carnificum? Vix Ioan. 19. prouidetat Matri filium dicens: (Ioan. 19.) *Mulier ecce filius tuus:* & ſtatim eleuata voce cũ Patre loquens, Matt. 27. inquit: *Deus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me.* Cur a Matris prouidentia, ad oſtendendam ſuæ humanitatis derelictionem in manus hoſtiles recurrit? An hæc derelictio non fuit pro vniuerſis animabus ſaluandis; cur illam maluit coniungere, cùm matris cura quaſi particularius pro illa fuiſſet? Equidem vt mundus ſaluaretur, non fuit ſimpliciter neceſſaria tanta humanitatis Chriſti derelictio, vt mortem obiret: magis ea neceſſaria videbatur, vt Ieſus oſtenderetur Mariæ Filius, vtpotè impaſſibilitate, & mortalitate ſimilis. Quò ſpectans D. Ildeph. ſerm. 8. de Aſſumpt. ait ad Mariam. *Vt te veram matrem oſtenderet, verum ſe Hominem tormenta patiendo monſtrauit.* (Ildeph.) Non equidem neceſſarium erat ſimpliciter, quòd Ieſus relinqueretur occidendus à carnificibus, vt ſaluaretur mundus; verum ſic Deus afficiebatur ad Matrem ſuam, vt pro eius maternitatis euidentiori oſtenſione non dubitaret relinquere humanitatem ſuam in manus carnificum, vt mortem obiret. Et quidem temporalis Ieſu vita longè pluris valoris erat, quàm totius mundi æterna vita; & nihilominus illam dereliquit Deus pro gloria Mariæ; cur præ eadem cæteras animas non derelinqueret, niſi miraculum eſſet bonitatis vtriuſque, nimirum Matris, & Filij?

§. VII.

Mariæ Virginis ſplendidiſſimus, &glorioſiſſimus comitatus.

POtuit Martha queri, ſe ſolam in miniſterio relictam; vox enim eſt hæc non prorsùs feliciter laborantium, quo deflent ſuam ſolitudinem, & orbitatem. Non ſic quereretur Deipara, cuius comitatus & ſplendidior, & glorioſior, qui conſtat non ex ſorore, ſed ex progenie filiorum innumera. Non enim exterorum, aut fratrum comitatum requirit, quando ipſa ſibi comites fecit, & parturiuit. Quid hoc ſplendidius? De duobus ſoceris Ruth dicitur cap. 1. *Ipſe vocabatur Elimelech, & vxor eius Noemi, & duo filij, alter Mahalon, alter Chelion.* (Ruth 1.) Hæc dicuntur, quando abſcedebant de Iſraele; vbi autem redit Elimelech vxor, ipſa clamat: *Ne vocetis me Noemi, id eſt, pulchram, quia amaritudine valdè repleuit me Omnipotens. Egreſſa ſum plena, & vacuam reduxit me Dominus.* Ecce pulchritudinis, & venuſtatis nomen à ſe depellit Noemi; ſed quando non vult vocari pulchra? Quando vacua, & orba filiis redibat. Vbi patriam ingrediebatur vidua filiis orbata, nihil in ſe, aut de ſe amat audire, quod ad querelas & planctus non pertineat. At vbi a patria excedebat comitata viro, comitata, & coronata filiis, tunc pleno ore vocatur pulchra; quid enim pulchrius, & glorioſius fœminæ, quàm quòd illam filiorum agmina vndique cingant? Non pro parua gloria aiebat Iſaias, cap. 6. *Erit corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui. Non vocaberis vltra derelicta, & terra tua non vocabitur amplius deſolata; ſed vocaberis voluntas mea in ea, & terra tua inhabitabitur. Habitabit enim iuuenis cum virgine, & habitabunt in te filij tui.* (Iſai 6.) Nomen derelictæ, nomen deſolatæ prorſus deletur, ſolum auditur nomen gloriæ, nomen diadematis, nomen regni. Sed qui comites, qui ciues, ſic derelictionem, & orbitatem excludunt, vt ſplendorem coronæ, & regni efficiant? Explicat dicens: *Habitabunt in te filij tui.* Proh ſplendidus comitatus, qui conſtat ex filiis! O glorioſa Regina, quam vt innumeri comitantur exercitus, ſic omnes eius comites ſunt filij. Ad hæc exclamat Guarric. Abb. ſer. 1. de Aſſumptione: *O Maria, non vocaberis, ait Dominus, vltra derelicta, & terra tua non vocabitur vltra deſolata, vt quia virgo, ideò ſis infecunda. Sed vocaberis voluntas mea; id eſt, dilectus meus Filius in ea. Habitabit enim iuuenis in virgine, & habitabit in te filius tuus, imò habitabunt in te filij tui. Ipſa enim vnica Virgo, & Mater, quæ ſe Patris vnicum genuiſſe gloriatur; eundem vnicum ſuum in omnibus eius membris amplectitur, omniumque, in quibus chriſtum ſuum formari agnoſcit, Matrè ſe vocari non confunditur.* (Guarr.) Verè hodie Maria pulcherrima fœminarum, imò creaturarum debet dici; vera ipſa Noemi in toto pulchritudinis flore eſt, quando è mundo egrediens, plena egreditur filiis, vndique ſtipata ſanctorum agminibus, qui in regeneratione glorianter habita per ipſam. Ad hæc Cant. 6. *Viderunt eam filiæ, & beatiſſimam prædicauerunt reginæ, & concubinæ, & laudauerunt eam. Quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi aurora conſurgens, pulchra vt Luna:* (Cant 6.) Ecce quotquot in Mariæ triumpho laudatores aſſumuntur, filiæ dicuntur; vt enim innumeros Principes ſtipatores habet, ſic nullum in eis videt, cuius mater non ſit. Hinc triumphalis eius pulchritudo commendatur quòd ſit, vt eſt Lunæ pulchritudo, hoc eſt in omni ſua plenitudine. quam proculdubio habet, dum aſcendit ſtipata filiis. Ait enim Ailgrinus apud Delrium: *Maria vt concepit, facta eſt Luna plena.* (Ailgr.) De conceptu habet Maria immenſam gloriæ plenitudinem, quando nullus eſt in numeroſiſſimo comitatu, qui non ſit eius filius. Vnde ſic eius gloriam exaltabat D. Ildephonſ. ſerm. 1. de Aſſumpt. *In qua nimirum cæleſti domo hodiè læta introiuit, & ſequuntur illam omnium electorum animæ, quæ ſunt ex parte illius.* (Ildeph.) Quàntum hoc ad Mariæ gloriam, quod in copioſiſſimo comitatu nullum videat, qui à ſe felicitatis æternæ non ducat originem? Non aliter Eccleſiam extollit Iſaias, cap 60. quàm hodie extollitur Maria: *Surge, illuminare Hieruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: ſuper te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui. Leua in circuitu oculos tuos, & vide, omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi: filij tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent.* (Iſai 60.) Hæc eſt profectò ſummi Dei gloria, & vnici Creatoris, quòd inter miniſtrantium

exercitus & regios, & innumeros, nullum videat, qui ab alio sit, sed vniuersos à se ortos videat. In quo potest hæc Dei gloria inueniri? Sanè inuenitur in ascendenti in cœlum Maria: Surge, ô noua Hierusalem surge, ô vera mater viuentium, & gloria Domini in te videbitur. Dum tu surgis in cœlum, & tenebræ, & caligo terram operiunt, sed tibi assistunt vniuersa cœli lumina. Assistunt omnes Angelorum exercitus, assistunt vniuersi iusti, Reges innumeri; sed in tanto assistentium comitatu leua oculos tuos in circuitu, & vide: nullum videbis, qui non sit tuus filius; qui de longe, hoc est, de cœlo veniunt Angeli, filij tui sunt; qui de latere surgunt, hoc est, sancti homines, filij tui sunt; & ipse Deus est tuus Filius. Quanta gloria est, in tanta gloria nullum videre, qui a te ortum non ducat?

Text. Et respondens dixit illi Dominus: Martha, Martha, solicita es, & turbaris erga plurima. Porrò vnum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

§. VIII.

Maria Deipara in cœlis gloriam habet, quam Deus non potest dare alteri, quæ mater Dei non sit.

CONcors est Patrum sententia, essentialem gloriam Mariæ esse super omnes cœlestes Virtutes, vnique inferiorem esse Dei Filio, ideóque Mariæ pars in cœlis absolute optima est omnium de facto creatorum: imò quando non respectiuè, non comparatiuè, sed absolutè optima dicitur pars Mariæ, crediderim in parte Mariæ aliquam esse gloriam, quæ sic omnes creaturas antecedat, vt nulli alteri communicari à Deo possit, nisi illi quæ fuerit mater sua. Poterit visionem Dei tantam, quantam habet Maria, Deus alteri cõmunicare; sed quòd videat Deum aliqua creatura a se orta carne condecoratum, vestitum; nemo dubitabit id gloriosissimum esse creaturæ, & nulli posse
Cant. 3. communicari, nisi Dei genitrici. Ad hæc Cant. 3. *Egredimini filiæ Hierusalem, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua.* Hæc magna pars omnium cœlitum est, quòd possint Deum videre; imò quòd videant Deum sub carnis splendore desumpto à Maria. Hucusque peruenire possunt omnes spiritus possibiles; at in hoc Dei genitrix supergressa est vniuersos, quæ Deum videt in diademate, quo coronauit eum ipsa; Deumque videt nitescere sub splendenti carne, quam ipsa parturiuit. Pulchrè Guarri
Guarr. cus Abb. serm. 4. de Assumpt. *Venite, & videte, quoniam Iesus est Deus. Visio prorsùs ineffabilis gaudij, summaque delectationis omnibus, qui diligunt Iesum, sed præ omnibus illi, quæ genuit Iesum. Cui sicut singulariter excepta gratia Deum generandi, sic & prærogatiua gloriandi in eo, quem genuit. Omnino singularis, atque incomparabilis gloria Virginis Matris, videre Deum Regem omnium in diademate carnis, quo coronauit eum, vt & Deum agnoscat, & adoret corpore proprio, & corpus proprium glorificatum videat in Deo.* Expende ab illis, *Omnino singularis, & incomparabilis,* nulla equidem creatura possibilis, nisi quæ sit Dei Mater, huic gloriæ potest comparari, quòd Deum videat in diademate assumptæ a se carnis, & adoret Deum corpore proprio, & corpus proprium videat in Deo glorificatum. Hæc est optima pars Dei Matris, hæc est optima pars Ma-
Cant. 2. riana. Vt meritò dicat ipsa, Cant. 2. *Dilectus meus mihi;* vbi explicationis gratia addit Beda: *Dilectus meus mihi, non alteri cuilibet;* non equidem alteri, quæ mater Dei non sit, Mariæ gloriæ possunt communicari, vt quæ sunt illi singulares.
Guilielm. Cant. 6. Pro quo ait Guillelm. apud Delrium, Cant. 6. ex Mariæ voce: *Nulli tantum contulit, quantum mihi. Ego dilecto meo ex carne mea dedi carnis substantiam, & dilectus meus mihi refudit singularem inter homines gloriam: Quid enim insignius, præclariusque conferre mihi potuit, quam vt Mater Verbi fierem, & hoc tam excellenter, vt non tantum de me, sed & à me in vsum redemptionis humanæ carnem sumere dignaretur. Et hoc ipsum ad quantam gloriam mihi tempore suo reuelandum?* Sanè quasi incommunicabilis alteri apparet gloria, quam Mater habet, videns carnem suam in Filio vnitam Verbo diuino.

§. IX.

Maria pars optima in resurrectione, si resurrexit in cœlis.

DVm Mariæ Deiparæ partem contemplor, vnde optima dicatur, eiusque ad hæc excellentias examino, incidi in eius gloriosam resurrectionem, quam iam pene fidei dogma testatur. Et ecce tibi de hac aliqualis quæstio in mentem venit, vbi fuerit Mariæ resurrectio celebrata. An in sepulchro, descendente à cœlis anima ad corpus, vel in cœlis sublato corpore ad animam? Hæc mente voluenti adest Lausanensis Episcopus, tum pius, tum eruditus Amadeus, homil. 7. de virginea Matre, citatus à nostro Canisio lib. 5. de Maria Deipara, cap. 5. quippè ait: *Maria prima post Deum super omnes coeligenas in sede gloriæ collocatur: ibi resumpta carnis substantia, & duplici stola induta Deum, & hominem in vtraque natura, quanto cæteris clarius, tantò ardentius vniuersis mentis, & carnis oculis contemplatur.* Ex- Amadeus.
pende à verbis illis: *Ibi resumpta carne;* dixerat enim, quòd Deiparæ anima super omnes cœligenas in gloriosa sede fuerat collocata; & statim addit, *Ibi resumpta carne,* &c. Et quidem cœlorum Reginam in throno gloriæ sedentem magis videtur decuisse, quòd non inde descenderet, vt carnem a sepulchro resumeret; sed quòd in sede maiestatis suæ expectaret adducendam, & ibi resumendam carnem suam. Non mutauit Regina cœli sedem, vt Deo suam carnem tribueret, quod ponderans D. Epiph. orat. in Assumpt. ait: *Latabantur Angeli, tamquam ipsi dumtaxat Deum haberent, quibus sanctissima Virgo superior nato, Deum habitantem in cœlis concepit in terra.* In hoc superior Angelis apparuit, quòd non iuit in cœlos, vt Filium suum faceret Deum, suisque clauderet visceribus, sed in terra manens, in propria sede morata, tantum peregit mysterium. Cur non magis deceret Reginam cœli, à cœlesti sede, & throno non descendere, vt carnis suæ indueret vestimentum? Aiebat Psalm. 44. *Adstitit* Epiphan. Psal. 44.
Regina à dextris tuis in vestitu deaurato: quem vestitum rectè D. Athan. putat, carnem virgineam esse in gloria resurgentem. Nec otiosè virginea caro gloriosa vocatur vestis Reginæ cœli, sed vt innuatur, vbi resumpta fuit, nempè in cœlis. quando Reges non in apothecas descendunt, vt sibi sumant vestes, sed in cubiculo regio expectant, vt sibi adductis induant, & splendeant. Huc videntur respicere, qui dicunt, Mariæ corpus à sepulchro in cœlum translatum esse. Sic Metaphrastes in oratione de vita & dormitione Mariæ, ait: *Hinc ad sacratissimum abducitur Gethsemani, & illic sanctissimum corpus mandatur sepulturæ. Quidni enim, cum etiam qui erat Deus eius Filius more hominum sepelitur? Per ipsam autem ad cœlestia, & diuina transmittitur tabernacula.* Adest etiam Metaph.
Andreas Cretensis, homil. 2. in Assumpt. *Meta sunt castra Dei à tabernaculis Cedar, ad materiæ expertia, & vetustatis tabernacula. Hanc excipite candidis vestibus induti Angeli. Laudate cœli, glorificate terrigenæ. Attollite ostiorum Dei Regis magni. Plaude terra, prosequere laudibus: narro, quæ sunt gloriosa Virginis, partum, fascias, sepulchri miracula, quomodo sit sepultura, quomodo translata.* Et rursus infra: *Hi sunt hymni, & laudationes, quæ celebrantur in decessu. Hæc, quæ ante, & post sepulturam fiunt, monimenta, ad prosequendam eam, quæ planè ignoratur, translationem.* His Cretens.
addo Damascenum etiam sic fantem, sermone de dormitione Deiparæ; vbi introducit sepulchrum aiens: *Corpus sacrum, & sanctum, relictum sindonibus, cum me impertiisset sanctificatione, & vnguento, bonoque odore repleuisset, & templum diuinum effecisset; abiit raptum sublime, comitantibus Angelis, & cœlestibus omnibus.* Tunc in eodem sermone: *Postquam è viuis excessit, intemeratum eius, & impollutum corpus honorauit Deus translatione, ante communem, & vniuersam resurrectionem.* Illud expende in omnibus sententiis datis horum Patrum, quòd vbi loquuntur de virgineo corpore in sepulchro existente, & inde educto, cauent ibi resurrectionem nominare, qua ipsum corpus surgeret, & in cœlum euolaret; sed potius vt fuit ad sepulchrum adductum, sic videntur existimare, inde fuisse translatum, & transmissum in cœlum, imò & raptum. Quæ locutiones minimè possunt conuenire corpori glorioso animato, sed prorsus exanimi. Nec aliò videtur respexisse Ecclesia, cum distinguit inter Ascensionis, & Assumptionis festa, vt in Christo Domino dicatur Assumptio. Quam distinctionem non otiosam notans Petrus Damianus, hic ait; Damasc.
Intuere mentalibus oculis Filium ascendentem, & Matrem assumptam, & videbis aliquid excellentius in Ascensione Filij exhiberi, & aliquid gloriosius in Assumptione Virginis demonstrari. Sanè Damian.
in Christi Ascensione monstratur gloriosi corporis animati
excel

excellentia, quod poteſt ſua virtute vniuerſos cœlos penetrare, & ſuper omnes aſcendere. Hæc excellentia non monſtratur in Mariæ Aſſumptione; & cur non monſtratur, niſi quia ibi non reſpicitur corpus glorioſum animatum, ſed corpus exanime, quòd eget alieno auxilio, vt poſſit ſubleuari? Verum etſi hæc excellentia deficit in Aſſumptione, affuit in illa quid glorioſius, quod nec Ieſus redioinus habuit, cuius reſurrectio fuit in terra; at Maria in cœlorum regia induit decorem ſuæ carnis. Accipe huius Deiparæ gloriæ exemplum in prima hominum matre. Factus eſt homo primus ex limo terræ extra paradiſum, quẽ iam perfectũ tulit Deus, & poſuit in paradiſo voluptatis. Quid tunc? Adamus eſt in paradiſo, inter vitam halantia ligna, ibi formatur Eua, quæ ſocia primo homini datur. Sic ſecũdus homo Ieſus in regeneratione ſua, quando eius diuiniſſima anima apud inferos degere fuit dignata; inde egrediens ad ſepulchrum contendit, ibique reſumit ſuam carnem, vt ſic reſurrectionis exemplar hominibus præſtaret, & apud illos aliquando ageret. Paucis tranſactis diebus, hic cœleſtis Adamus à terra, in cœlum, tamquam in paradiſum ſe contulit. Ibi erat nouiſſimus Adamus, & ecce ibi anima Mariæ illi adſtat, quæ ſimiliter reſumpta erat ſuam carnem, vt noua, & felicior viuentium mater in corpore, & anima ſuam gloriam æternaret. Sed vbi regeneranda erat noua viuentium mater? Quòd extra paradiſum regeneraretur, non id permittebat Euæ figura, quæ fuit in paradiſo generata: vnde apparet, quòd eius corpus in paradiſum ſublatum fuerit, vt ibi felicior Eua regenerationem ſuam conſummaret. Id quod forſan inſinuabat D. Damaſcenus in præſenti ſtatus: *Portatur autem corpus Mariæ manibus Apoſtolorum Rege Regum, id tegente ſplendore ſua, quæ ſub aſpectum non cadit, diuinitatis, & emittente, & ſacrificante ſacrificium laudis, donec in ſepulchro, tamquam in thalamo, & per ipſum in delicias Edem, & in cœleſtibus repoſitum fuit tabernaculũ.* Expende ab illis verbis, *in delicias Edem:* quibus perfectiſſimè manet regeneratio Beatæ Mariæ Euæ generationi aſſimilata: quemadmodum enim hæc in Edem orta fuit, ſic Maria in cœlis fuit regenerata. Et dices mihi, at quid neceſſum fuiſſet, quòd anima Mariæ deſcenderet à regalibus ſedibus, vt reſumeret carnem? Negat maior Theologorum pars, Chriſtum, & Mariam aliquando à cœleſtibus thronis deſcendiſſe, vt apparerent mortalibus; ſed illas apparitiones putant fieri ab Angelis Mariam, & Ieſum repræſentantibus; quanto magis ergo negandum videtur, quòd cœlorum Regina thronum cœleſtem relinqueret, vt è ſepulchro ſibi corpus copularet? Ieſu anima non deſcendit à throno, in quo nondum erat, imò aſcendit ab inferis, & venit ad corpus ſepultum; quòd quidem vnitum erat diuinitati, & ea hac parte æqualis erat perfectionis cũ ipſa anima, æqualiterque per ſe æſtimabatur. Rurſus, reſurgens in terra Chriſtus mirum in modum terram augebat, innumeraſque præſtitit hominibus vtilitates, tamdiu cum illis conuerſatus. Mariæ anima in throno erat regali, longéque præſtantior erat, quàm corpus in ſepulchro iacens: nec decorum videretur, quòd præſtantior pars relinqueret ſedem gloriæ, vt deſcenderet ad inferiorem partem, quando hæc facilius ad illam poſſet tranſportari. Sic pro Ieſu nato, & renato in terra, aliqualis datur cœleſtibus compenſatio, quòd Mariam habeant ſuis in ſedibus regenerantem. Cui ſententiæ ſubſcribit manifeſtè noſter Coſterus in Aſſumpt. Beatæ Virginis, meditatione 34. vbi ſic ait: *Conſidera igitur ſecundo poſt elapſum triduum, ſacrum corpus Mariæ Matris, iuſſu Filij ab Angelis magna celeritate, ac reuerentia ex ſepulchro in cœlos transferri, in quod anima beatiſſima virtute diuina ingreſſa, noua ſplendore & corpus, & vniuerſum cœlum illuſtrauit.* Quid clarius? Hæc forſan perſuadere poſſent, hunc fuiſſe honorem cœlicolis, quòd ibi Mariam reſurgentem viderint, niſi aliqui Patres contrarium expreſsè ſuppoſuiſſent: quibus ego ſubſcribo, ne videar de meo aliquid noui moliri etiam in laudem Mariæ, cui credo & noua, & vetera reſeruari à Filio.

Damaſc.

CAPVT IV.

Diſputatio de manibus diſcipulorum illotis.

PHARISÆI rabidiſſimi exploratores Chriſtianæ ſcholæ, Diſcipulos deprehendunt, aliquo modo oſcitantes circa nimias illas purificationes, & lotiones traditas à Senioribus: mandatant enim Seniores Iudæi vltra legem Moyſis alia non pauca, quæ licèt ſine peccato omitti poſſent, tamen tunc temporis implebantur religiosè, vt quæ ordinabantur ad accuratiorem obſeruationem mandatorum: quod nunc etiam fit in multis regulis Religioſorum. Inter hæc erant frequentiſſimæ manuum lotiones, vt ferè poſt ſingula fercula inſtaret lauacrum. Diſcipuli autem Ieſu maioribus aſſueti, & diuinioribus, nihil intereſſe putabant, ſi ſemel loti, aliquas inutiles diſſimularent lotiones, quarum diſſimulatio non peccati, ſed inurbanitatis maculam inurere poſſet. De hoc tamen vehementer accuſantur à Phariſæis; quorum accuſationem refellit diuiniſſimus Iudex duplici ratione: altera oſtendente malitiam accuſatorum; altera manifeſtante inutilitatem frequentioris illius externæ lotionis. Accuſatorum malitia ea erat, quæ in obſeruatione traditionum non reſpiciebat vllum bonum, quando diuina præcepta contemnebat circa parentum curam, vt ſuis inhæreret traditionibus. Vbi enim parentes petebant à filiis ſubſidium lege naturali, & diuina mandatum; iuxta traditiones negabatur tale ſubſidium, prætextu offerendi illud Domino. Quid magis impium, & ſceleſtum? Sapientiſſimè ergo refelluntur à Deo iſti peſſimi accuſatores, vt qui camelum in ſe glutientes, culicem fratrum colant. Præterquam quòd defectus lotionis manuum nullam maculam afferebat in moribus; maculæ namque, quæ inquinant mores, à concupiſcentiis ſunt, quæ militant in membris, & exeunt à corde. Hæc apud Matth. 15. & Marc. 8.

Matth. 15. Acceſſerunt ad eum ab Hieroſolymis Scribæ, & Phariſæi, dicentes: Quare Diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones Seniorum? Non lauant manus ſuas, cùm panem manducant.

§. I.

Rabidiſſimi dæmonis eſt ſpiritus, qui relicta, & diſſimulata mundialium nequitia, iuſtorum ſuſcepit impugnationes.

VIde Hieroſolymitanorum Principum ſpicula quos petant ad mortem, quos pugnant, & vehementiſſimè mordeant, nimirum Diſcipulos Domini. Erant equidem Hieroſolymis innumeri facinoroſi; erãt adulteri, prædones, homicidæ, & pacis turbatores; nullus tamen horum accuſatur, nullus impugnatur à legis ſapientibus, & Doctoribus. Ij namque eò tendunt, vt illis relictis, ſolos Ieſu Diſcipulos impugnent, qui ſoli apparebant virtutum ſtudioſi. Hinc iam manifeſtatur ſpiritus diabolicus habitans in animis Phariſæorum, de cuius aſtu venit, quòd deſpecta euidenti mundialium nequitia, auidè ſuſcipiantur iuſtorum impugnationes. Malus ille nuntius dicebat ad Iob cap. 1. *Chaldæi fecerunt tres turmas, & inuaſerunt camelos, & tulerunt eos, necnon & pueros percuſſerunt gladio.* E tot mundialium gregibus, vnus Iobi grex petitur, vnus inuaditur, & percutitur à Chaldæis iſtis, nónne & alij erant innumeri greges, cur vnum Iobi gregem inuaditis, ô Chaldæi? Non Chaldæi ij erant, ſed dæmones, quorum rabies vt alios facinoroſos diſſimulat, ſic præ omnibus non ceſſat percutere ſanctos. Ad hæc Origen. fatur, lib. 1. in Iob: *Vniuerſa potentia, atque exercitum, & omnes dæmonum cateruæ ſimul illic conuenerunt, & pariter ſe aduerſum beatum Iob in prælio armauerunt; vniuerſum mundum deſpexerunt, tantum vt Iob ſuperarent.* Deſpiciuntur mundani facinoroſi, diſſimulantur adulteri, raptores, athei; vnus iuſtus vehementiſſimè impugnatur ab omni ſpiritu diabolico. Vt vel hinc ſignum euidentiſſimum habeas impugnantis diaboli, ſi deſpectis aliis, vnus Dei aſſecla impugnationem patitur. Quis vel hinc ignoret prima diaboli ſpicula in Adamum contorta? Vnus erat Adamus inter mundiales creaturas, qui Dei imaginem referebat. Deíque parebat voluntarius imperio. Hunc adoritur ſerpens venenoſus, aduerſus hunc ſolum armatur aſtutia ſua coluber; cur coluber, relictis aliis tibi ſimilioribus, vni inſidiaris homini? Non coluber, ſed diabolus erat in colubro, qui inſtrumenta ſua ſemper armat in meliores. De quo pulchrè aiebat Philip. Abb epiſt. 1. *Nec mirum, ſi homo diaboli fraudibus præuenitur, quorum ille in principio, iſte verò ſexta die conditus inuenitur; ille feruens malitia, iam conſueuerat melioribus inuidere.* Quò melior, & ſanctior apparuit homo in terra, eò citius in ſe excitauit dæmonem inter bruta agentem: cuius feritas eſt, vt deſpectis aliis, ſemper melioribus inſidietur, melio

Iob 1.

Origen.

Philipp.

ribus

tibus insidietur, meliores fetiat. Nomquam conspicui iusti felicitas durare potest in infelici hoc mundo, in quo Principes tenebrarum triumphant, sed necessum est, vt impugnationes sustineat. Hinc sapiens ille senex habens Iesum sanctitatum culmen, statim clamat, *Luc. 2.* Luc. cap. 2. *Nunc dimittis seruum tuum, Domine, secundùm verbum tuum in pace; quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Quia videbat salutare Dei, petebat absolui à vita: cur non magis optat tunc viuere, vt tanto bono possit diutius frui? Nonne sibi vtilissimum esset tanti Saluatoris conspectu gaudere? Cur sic mori festinat? Videbat quidem tunc sanctum Dei in terra celebrari cantibus: & quò puerum & sanctiorem, & feliciorem videt, eò certiùs præsagit impugnationes in illum vicinas, quas videre maximè formidabant. Aiebat Timotheus Hierosol. in præsenti: *Hieros. Timoth.* *Perspexe vniuersam creaturam præ gaudio exultantem: animadaeris cælestia, & terrestria inter se transcurrere, pariterque coire. Absolue nunc, quæso, Domine, ut diutiùs hîc hærens, quæ nolim, intueri compellar.* Putabat vir diuinus, quòd si diutius in terra moraretur, necessum esset, videre recens natum Iesum impugnari à Iudæis; non enim fieri poterat, vt crescens Iesus ætate, & sapientia apud homines feliciter diutiùs ageret; quò enim est maior quis, & sanctior, eo festiuatiores in se trahit impugnationes. E mundo abeat, qui nolit sanctiorem ab impiis imperi videre. Huc traho dicta tom. 5. lib. 14. cap. 9. §. 18. & alibi.

§. II.

Religiosioris instituti homines, vbi passione aliqua inficiuntur, peiores sunt in iudicando, quàm ipsi exleges homines.

NOn otiosè dicuntur accusatores isti ab Hierosolymis esse, sed vt ostendatur, quàm rabidiores sint in iudicando illi, qui maiori vinculo perfectionis tenentur, vbi aliqua inficiuntur passione? Sanè Hierosolymitæ Pharisæi, & doctrinæ, & sanctitatis opinione apud omnes Iudæos erant celebriores; ij tamen quod cæteri non audent, Christianæ scholę fiunt manifesti accusatores Et quam non inferant iniuriam homines perfectioris status, vbi ducuntur passione? Prudens est, qui hos fugiens, mauult subire iudicium tyrannorũ. Act. 25. vehementissimè accusabatur Paulus apud Præsidem Cæsareæ; *Act. 25.* cui ait Præses: *Vis Hierosolymam ascendere, & ibi de his iudicare apud me.* Quid aliud cuperet ex iudice homo Iudæus, quàm quòd remitteretur in sanctissimam omnium ciuitatem Hierosolymam, in qua & religio, & sapientia, & vniuersæ legis virtutes maximè florebant? At Paulus sapientiori consilio clamat: *Dixit autem Paulus: Ad tribunal Cæsaris sto, ibi me oportet iudicari.* Deus bone, Paulus fugit Hierosolymitanum iudicium, & Romanum amplectitur? Nónne Roma Ethnica erat? nónne Cæsares omnes tyranni, sine lege, & sine Deo? Cur Paulus mauult subire iudicium tyrannorum, quàm Hierosolymitarum, qui & pietatis, & doctrinæ fama pollebant? Sciebat Apostolus apud Hierosolymam, non legem, sed æmulationem vigere; & prudentissimè mauult subire iudicium tyrannorum, quàm iudicium eorum, qui cum perfectioris instituti essent, tamen æmulationis passione corrupti erant. Pro quo eleganter ait Philipp. *Philip. 9.* Abb epist. 9. fatus: *Vis, inquit, ad ciuitatem regiam Hierosolymam proficisci, vt ibi metearis, quod iustum æstimas, pleniùs adipisci; vbi lex tua viget; vbi gentis tuæ Principes conuersantur, qui pondus, & pondus abhorrentes, examen subdolum auersantur: vbi fons misericordiæ, vbi sedes iustitiæ reperitur? At ille sciens in Hierusalem tale quid non haberi, cùmque legis vinculo, misericordiæ affectu, iustitiæ perpendiculo non teneri, exhorret, & censet illum iudicio præsentari, prudenti concilio magis eligens apud exteros iudicari. Ad tribunal, inquiens, Cæsaris sto.* Prudentissimè Apostolus, ea quo nouit Hierosolymis non iustitiam, sed æmulationem regnare; eò magis exhorruit eius iudicium subire, quàm iudicium Romanæ tyrannidis, quò sciebat homines perfectioris vitæ, vbi maligno feruntur affectu, immaniores esse quolibet tyranno. De omnium nequissimo tyranno ait Luc. cap. 18. *Luc. 18.* *Iudex quidam erat in quadam ciuitate, qui nec Deum timebat, nec homines reuerebatur.* Quid peruersius? Quale esset huius iudicium aduersus pusillos, aduersus viduas? Ipse ait ibi: *Etsi Deum non timeo, nec hominem reuereor; tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in nouissimo veniens sugillet me.* Non potuit non apud illum audire bene viduæ causa. Ex quo attende modo Isaiam mirabundum, 1. cap. *Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij? Iustitia habitauit in ea.* Septoag. apud Adamum: *Iustitia dormiuit in ea, & nunc homicidæ. Argentum tuum versum est in scoriam: vinum tuum mixtum est aqua. Principes tui infideles, socij furum; omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non iudicant, & causa viduæ non ingreditur ad illos.* Compone modo fidelem hanc, & plenam iudicij ciuitatem cum iudice illo iniquo. In ciuitate plenitudo erat iustitiæ, veritas, & fidelitas erat in ea, in iudice verò nihil erat virtutis, quin potiùs ille nec Deum, nec homines reuerebatur; & nihilominus apud ciuitatem causa pupilli, & viduæ funditus cadit, quæ apud iudicem bene audit. Vnde ergo vidua peius audit apud ciuitatem, quàm apud iudicem prorsus exlegem nisi quia iudices perfectioris vitæ, si semel passione aliqua inficiantur, truculentiores sunt, & inexorabiliores, crudelissimis, & exlegibus tyrannis?

§. III.

In negotiis sæcularibus illæ semper contrahuntur maculæ, quæ debeant mundari.

DE crebris lotionibus, & purificationibus traditio erat Seniorum, superstitiosè forsan à recentioribus obseruata, sed sanctè, & vtiliter à maioribus tradita; vt tunnerent, quàm difficilè homo posset adire negotia sæcularia, imò nec creaturam affectu tangere, quin maculam contraheret, quæ egeret lauacro. Id quod adstruebat D. Leo, ser. 4. de Quadrag. aiens: *Leo.* *Dum per varias actiones vitæ huius sollicitudo distenditur, necesse est de mundano puluere, etiam religiosa corda sordescere.* Quis tangit picem, & non inquinabitur ab illa? Quis inter puluerulentas graditur semitas, & non sordescit? Sic omnis, qui ad creaturas respicit, vix fieri potest, quòd non ita sordescat, vt lauacro non egeat. Habet Genes. cap. 1. *Genes. 1.* *In principio creauit Deus cælum, & terram; terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi, & Spiritus Dei ferebatur super aquas* Vix terra creatur, & Dei Spiritus iam insidet aquis; cur immediatè ad terræ creationem Dei Spiritus adiungitur aquis? Sanè vbi creaturæ apparebant homini dandæ, hoc in primis fuit cordi, diuino Spiritui, nimirum lauacra parare; nequit enim hominis affectus ire ad creaturas, quin inde contrahat necessitatem lauacri. Pulchrè D. Ambros. in Exor. lib. de Spiritu sancto, ait: *Ambros.* *In principio fecit Deus cælum, & terram. De Spiritu dictum est: Spiritus Domini ferebatur super aquas. Et bene in exordio creatura baptismi figura signatur, per quod habuit creatura mundari.* Simul incipiunt, & creatura, & lauacra, vbi enim creatura est, & ibi est necessitas lauacri; nequeunt namque creaturarum negotia fieri, quin sordes contrahantur, quas necessum est, vt laues Hoc spectans Iob, cap. 10. sic ad Deum fatur: *Iob 10.* *Pelle, & carnibus vestisti me; ossibus, & neruis compegisti me. Vitam, & misericordiam tribuisti mihi.* Non antea dedit vitam, quàm & misericordiam apponeret; nequit enim vita hominis, vel gradum facere, quin statim egeat lauacro misericordiæ. Sic D. Gregor lib. 9. Moral. cap. 29. ait: *Gregor.* *Nisi enim misericordiam subroget, seruari non valet vita, quam præbet.* Hinc de magnis animarum negotiatoribus dicitur Cant. 5. *Cant. 5.* *Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident iuxta fluenta plenissima.* Vocat Ecclesiæ oculos, Prælatos, quorum est pro animarum salute, etiam sæcularia administrare; ij autem oculi non contenti sunt esse loti, sed insuper resident iuxta fluenta plenissima; nec patiuntur abesse a lauacris, qui coguntur tẽporalia administrare. Pro quo dicebat Guillelmus apud Delrium nostrum: *Guillelm.* *Etiam magnus Ecclesiæ Prælatus, de consuetudine vitæ huius, quædam veniales sordes quotidie, quasi furtim solent obrepere, quæ negligenda non sunt, tùm dicat sapiens, qui modica spernit, paulatim decidet: propterea quantalibet quis sinceritate hîc viuat, opus habet, quotidiana compunctionis lacrymis expiari. Ideò additur, super riuulos aquarum.* Nulla vita adeò pura est, dum inter creaturas agitur, quæ non egeat frequentibus lauacris; etiam maximi viri, etiam sanctissimi, qui sicut oculi in Ecclesia refulgent, in eo sese ostendunt sanctissimos, quòd nec gradum faciunt, nisi iuxta fluenta plenissima, in quibus frequenter sese lauant, & nitidam. Quò respicicie bant illa Domini ad Petrum verba, Ioan. 13. *Ioan. 13.* *Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus.* Quem lotum, & mundum totum fatetur, adhuc non eximet à necessitate se lauandi, sed ait illum indigere, vt pedes lauet. Quid est, pedes lauet? Nullum gradum faciat ad negotia quotidiana pro quo non sumat lauacrum. Ait Rupert. lib. 2. in Ioan. *Rupert.* *Pedes lauet, id est, quotidiana, vel communia, sine quibus humana vita transigi non potest, commissa quotidianis remediis expurget.* Vbi pedes habes, quibus ad negotia

gotia temporalia eas, cura etiam in proximo habere lauacrum; nequit enim non esse necessitas lauandi, vbi sunt commercia creaturarum. Hinc Psalm. 90. *Scuto circumdabit te veritas eius: non timebis à timore nocturno. A sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu, & dæmonio meridiano.* Ecce tibi, & sagitta, & dæmon ipse tamquam in die splendescit; negotium solum in tenebris est: potest enim quis cum dæmonis spiculis confligere aliquandiu, quin ab splendore vitæ discedat; at non potest esse in negotiis creaturarum, quin aliquo modo obscuretur, & sordidas culparum tenebras trahat. Chrysostom. in præsenti fatur: *Audi negotia, quæ rationabilia videntur esse Christianis, vt sunt tenebrosa: nam omne negotium inter ementes, & vendentes conficit mendacium. Nam quid dicebat ille? Quia non cognoui negotiationem, introibo in potentias Domini.* A negotiis creaturarum fugiat, qui nolit in aliqua culpæ sorde non nigricare.

Psal. 90.

Chrysost.

§. IV.

In re virtutis, illa in primis curanda, & animo infigenda, quæ solidiora, & necessariora sunt, etiam si præ illis alia minoris momenti dissimulanda sint.

NOn culpa Discipulorum erat, quòd non multum curarent lotiones manuum traditas à Senioribus, eo præcipuè tempore, quo solicitè curabant se adstringere Dei Filio. Imò hæc erat Christianæ scholæ, & perfectionis præstantissima disciplina, quòd etiam dissimulatis minoribus, totis contenderent viribus, vt præstantiora, & necessariora virtutum sibi in animis infigerent. Aspiranti ad perfectionem iuueni, regressum ad patris sepulturam vetat Dominus, inquiens: *Sine mortuos sepelire mortuos suos; tu autem vade, & annuntia regnum Dei.* Posset equidem & patri opus sepulturę præstare, & regno Dei acquirendo, & annuntiando incumbere: non enim sibi contrariantur virtutes, sed potiùs connexæ sunt. Quare ergo non permittitur hic iuuenis patri sepeliendo adesse, sed totus rapitur ad ministerium diuinum? Quando pluribus intentus, minor est ad singula sensus; sapientissimè prouidet Dominus in suis Discipulis, vt in primis ea animo infigant, quæ necessariora sunt, nec multum æstimat, quòd minora alia relinquant, dum illa intimis visceribus infigant. D. Ambr. lib. 7. in Luc. cap. 42. *Cùm religiosum humandi cœperimus officium: quemadmodum hic paterni quoque funeris sepultura prohibetur: nisi vt intelligas humana posthabenda diuinis? Bonum studium, sed maius impedimentum. Nam qui partitur studium, deriuat affectum. Qui diuidit curam, differt profectum. Ergo priùs obeunda, quæ maxima sunt. Nam & Apostoli ne occuparent studium disputandi, ministros pauperibus ordinarunt.* Hanc ebibant curam omnes Christi asseclæ, vt toto animi conatu, & attentione primùm arripiant illa, quæ diuiniora, & necessariora sunt, etiam si præ illis relinquenda sint alia minima. Tales enim complures hominum sunt, vt ad leuidensia, & minima auidè currant, pro illisque alacriter decertent, cùm interea maxima, & necessarissima nec tam anxiè curent, imò illa habeant suspecta, & inuisa. His iam Dominus respondet, Luc. 10. *Martha, Martha, solicita es, & turbaris erga plurima. Porrò vnum est necessarium.* Est equidem leuidensium, & paruorum operum bonorum ingens multitudo, quæ ratione materiæ, incompassibilitatem habent inter se; at præstantissimorum, & necessariorum raritas est, & summa vnitas. Et vix fieri potest, quòd qui nimis hæret leuidensibus, & minimis operibus, non turbationem incurrat, & malè afficiatur erga maxima, vt Martha erga Mariam. Hinc Nazianz. turbationum suarum causam defleet, quòd nimis paternæ pietati indulgens à præstantioribus sese remouerit: quippe ait orat. 20. *Me, & pietas erga parentes, & senilis ætatis curatio, & incursantes calamitates, ab illius, nempe sanctissimi Basilij, consortio abstractum tenuerunt, haud rectè id quidem, aut iustè fortasse, sed tamen tenuerunt. Atque haud scio, an mihi hinc quoque omnis vitæ difficultas, asperitásque orta sit.* Sic Nazianzenus vitæ difficultatem suæ tribuit indulgentiæ, qua pro parentum pietate, à perfectiorum abstinuerat consortio: est enim virtutum minimarum proprium, tribulationes, & difficultates vitæ inducere. Hinc illa Iesu in Discipulos seueritas, qua cauebat Luc. 10. *Neminem per viam salutaueritis*: non à malis solùm, sed etiam à bonis, & piis salutationibus illos auertens: vt doceat, quantò sit curandum studium circa maiora, & præstantiora: in quo etiam dimissis aliis, sibi complacet Deus. Ait D. Ambros. lib. 7. in Lucam, cap. 42. *Neminem in via salutare, Apostolis præscriptum est; non quòd beneuolentiæ displiceret officium, sed quod prosequendæ deuotionis intentio plus placeret.* Et illa semper sunt attendenda, quæ plus placent Deo, etiamsi præ illis alia minora sint posthabenda.

Ambros.

Luc. 10.

Nazianz.

Ambros.

Text. Ipse autem respondens, ait illis: Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?

§. V.

Pacem, & mansuetudinem etiam inter iniurias cogitantibus, paratum est diuinum, & cœleste præsidium.

CHristi Discipuli carpuntur a Pharisæis, acerbéque accusantur, qui dum inter accusantium calumnias mansueti, & mites tacent, nec quid durum aduersus accusatores cogitant; hæc obtinent, vt pro se Dominus descendat in scamma. Et quando qui non vindictam, sed mansuetudinem cogitant, & pacem, Deum, cœlestiáque omnia in protectionem suam non habent? De Filio Dei aiebat Isaias, cap. 11. *Iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ.* Ecce quorum suscipit Dominus patrocinium, nimirum pro mansuetis terræ stat, illósque propugnat, qui etiam lacessiti, nesciunt à mansuetudine deflectere; & inter ipsa spicula iniuriantium numquam non cogitant pacem. Ij pro se & Deum, & omnes cœlites protectores habent. De Iacob proficiscente ad fratrem Esau, à cuius ira fugerat, ait, Genes. 32. *Iacob quoque abiit itinere, quo cœperat, fueruntque ei obuiam Angeli Dei. Quos cùm vidisset, ait: Castra Dei sunt hæc, & appellauit nomen loci illius, Mahanaehim, id est, castra. Misit autem & nuntios ante se ad Esau fratrem suum in terra Seir, in regionem Edom; præcepitque eis, dicens: Sic loquimini domino meo Esau: Hæc dicit frater tuus Iacob,* &c. Ibat vir mitissimus Iacob ad infensissimum hostem suum Esau; non vt factus potens, illud debellaret, sed vt cum illo iniret pacem. Quid tunc? Proficiscenti Dei castra, Angelorum exercitus obuiam fuerunt; & vnde meruisset Iacob pro se habere omnia cœlitum castra; nisi quia inter iniurias acceptas, nihil aliud cogitabat, quàm habere pacem cum fratre? Aiebat D. Ambros. lib. 2. de Iacob, cap. 6. *Castra Dei hæc sunt. Perfectis enim & fidelibus diuina solent esse præsidia. Perfectus autem, qui cogitabat de reconciliatione fraterna, ita vt humilitate etiam inuitaret: officiis acquireret, muneribus quoque emendam putauerit. Occurrit itaque fratri cum vxoribus, & pignoribus suis, vt etiam si ipse indignaretur, necessitudinis obsequiis inflecteret.* Cùm iam plures iniurias suscepisset à fratre, & modò alias maiores suspicaretur, nil aliud parat, quàm signa mansuetudinis, & pacis; nihil aliud cogitat, quàm obsequiis obstringere iniuriantem. Cur ergo tam mansueto iniuriarum condonatori non obuient cœlestia omnia castra? Solet equidem cœleste auxilium citius adesse ei, qui mansuetè iniurias patitur. Quis nesciat iniurias à Labano illatas? Quis nesciat mansuetudinem Iacob in sustinendis iniuriis Labani? Ait autem Dominus ad Iacob, tunc temporis, quo maiores iniurias patiebatur, Genes. 31. *Leua oculos tuos, & vniuersos masculos ascendentes super fœminas, varios, maculosos, atque respersos, & diuersorum colorum. Vidi enim omnia, quæ fecit tibi Laban,* &c. Adest Dominus Iacob, eiusque oues promouet, sed eo tempore, quo à Labano malè tractaretur; ait enim: *Vidi omnia, quæ fecit tibi Laban.* Vbi namque Dominus videt suos iniuriis affici, ne iniuriis moueri, sed mansuetos esse, statim ipse aduolat, vt iniuriantes retundat, & suos defendat. Ad hæc ait Chrysost. homil. 57. in Genes. *Quando iniuria nobis fit, nósque mansueti, & mites, ac tolerantes fuerimus, maiori, & largiori auxilio diuino fruimur. Ne igitur oblectemur his, qui nos premunt, & calumniari volunt: sed feramus generosè, scientes, quòd nos omnium Dominus non despiciet.* Felix, qui scit sibi illatas iniurias dissimulare: qui inter calumniantium voces nouit mansuetus obmutescere; iis pro se habet pugnantem Deum, imò omnia cœlestium castra sibi inueniet adesse.

Isai. 11.

Genes. 32.

Ambros.

Genes. 31.

Chrysost.

§. VI.

Perniciosum hoc vitium est hominibus, quòd sic afficiantur erga humana statuta, vt pro illis tuendis, nulli aduersùs Deum pareant delicto.

VTinam soli Pharisæi propter traditionem suam transgressi fuissent mandata diuina; verùm hoc Pharisæis notum vitium, sic omnes homines peruadit, vt vix apud illos aliquod humanum statutum, & traditio seruetur,

pro

pro quo tuendo passim non infringantur præcepta, & naturalia, & diuina. Exemplum sit Labanus ille, Iacobi socer: is filiam Rachelem dederat in sponsam Iacobo seruituro septem annis pro illa; & post tempora finita seruitij, dum vxorem suam Iacob expectat, à Labano Lia non vxor, sed vxoris soror maior introducitur. Quis Labani scelera in sola hac fraude numeret? Numerat illa Saluianus noster in Annal. anno mundi 2283. Item Pereyra, in Genes. 28. disput. 4. Peccauit quippe Labanus, quia fit leno suæ filiæ maioris, quam producit in stuprum ei, quem sciebat non esse maritum: fit reus adulterij, qui filiam suam permittit coniugato viro: incestus quoque, quia Lia affinis erat in primo gradu, vtpote soror veræ coniugis, nempe Rachelis. Fiebat & reus pellicatus; Lia quippe extra coniugium mixta cum Iacob, fiebat eius pellex. Sed fuit insuper reus perfidiæ, pacta, & promissa, etiam cum graui seruituris onere coniuncta violando. Fuit & iniustitiæ reus in Rachelem, cui eripiebat maritum, si ipse detestaretur secundas nuptias; in Iacobum, quem in matrimonium ingratum quemadmodum cogebat; in Liam, quam amissa virginitate, infamiæ periculo obiecit. Tot hæc crimina in Deum, & in naturam incurrit Labanus; & pro qua re tot crimina admisit?
Genes. 29. Ipse ait Genes. 29. *Non est in loco nostro consuetudinis, vt minores antea tradantur ad nuptias.* Sic vt loci tueatur consuetudinem, vt gentis traditionem obseruet, & statuta; non dubitat tot criminibus, & sceleribus aduersus Deum se obstringere. Heu hominum perniciosum vitium! qui vel naturalis, vel diuinæ legis fractione comparant obseruantiam minimæ suæ traditiunculæ. Discurre per nationes, per familias, apud quas sint statuta ab hominibus inuenta; & nullum horum statutum, nullam humanam consuetudinem inuenies, quæ non seruetur contemptu præcepti naturalis,
Isai. 29. & diuini. Meritò Isaiæ cap. 29. ait Dominus: *Timuerunt me mandato hominum, & doctrinis. Ideò ecce ego addam, vt admirationem faciam populo huic miraculo grandi, & stupendo; peribit enim sapientia à sapientibus eius.* Vitio plectendo vertit Deus hominibus, quod timeant Deum mandato hominum. At Dei timor etiam ab hominibus imperatus non est virtus. Cur ergo Dominus offenditur illo timore, qui de hominum mandato venit, & illic acerbum minatur iudicium? Sanè habent hoc quasi proprium homines, qui humanis nituntur statutis, vt vix illa obseruent sine iniuria legis naturalis, & diuinæ. Quod humanum statutum obseruatur, cuius obseruatio non pariat mille legis diuinæ iniurias? Cauebat Do-
Leuit. 18. minus Leuit. cap. 18. *Iuxta consuetudinem terræ Ægypti, in qua habitatis, non facietis: & iuxta morem regionis Chanaam, ad quam ego introducturus sum vos, non agetis, nec in legitimis eorum ambulabitis.* In Hebræo: *In statutis eorum non ambulabitis. Facietis iudicia mea, & præcepta mea seruabitis.* Erant apud has nationes consuetudines, & statuta plurima politica quæ ad ciuilem pertinebant statum, nec vllam continebant turpitudinem; a quibus vt arcerentur Israëlitæ, non tanta necessitas apparet. Sufficisset enim quòd Deus iuberet, vt non facerent Israëlitæ turpitudines, & scelera nationum; cur non solum à turpitudine, sed & ab omni, in genere consuetudine, & statuto etiam non turpi, nec inhonesto, illos arcet & vnam suam legem proponit seruandam? Sapientissimè hanc h[illegible] ... ibus salutarem menti volebat Dominus imprimere, quo[illegible] ...m legem diuinam auidè spectarent, in illamque obseruandũ toto corde tota mẽte incumberent; nec sic afficerentur erga hominum consuetudines, & statuta, quãdo hæc, licèt honesta videãtur, vix vehemẽti affectu afficiunt homines, quin naturæ, & Dei præceptorum obliuionem faciant. Ego dogmata fidei aperta vidi sæpè & verbo, & calamo defendi à religiosis & sanctis viris absque vlla religiosæ vitæ nota; nec audiui vmquam à sancto viro stãte pro certa fidei veritate, iniuriam vllã in proximum iaculatam, nec naturæ, nec Dei præceptum perfractum. Vbi autem non fidei apertum dogma, sed opinio aliqua humana alicuius vel Sancti, vel Doctoris pij statuto defenditur; quis numeret scandala, iniurias in proximos inde natas? Quis percenseat iras, rixas, odia inter pios alioquin viros æternata? Vidi sæpè à principibus, & iudicibus, qui student legi Dei, & naturæ obseruandæ, iustissima egredi iudicia in malefactores, sine vllo reipublicæ incommodo, imò cum magna vtilitate: verùm vbi aliquid patiuntur humanum, vel minoris obseruantiæ, vel obsequij; Deus bone, quæ inde parturiuntur mala, quot clades! Durissimum bellum inter duos dracones initum, nimirum inter rabidissimum Amanum, & Mardochæum exprimitur vt ait Esther cap. 10. Aman Mardochæum accusabat, totúmque populum Iudæorum petebat ad lanienam; & quam ob causam? Eam ponit cap. 3. aiens: *Cuncti serui Re-* Esther 3
gis, qui in foribus palatij versabantur, flectebant genua, & adorabant Aman: sic enim præceperat eis Imperator; solus Mardochæus non flectebat genua, &c. Deficiebat Mardochæus in officioso cultu de gentium more, exhibito Principibus; pro cuius obseruatione tuenda, non miror, quòd pax turbaretur, & omnia iura naturalia, atque diuina frangerentur. Id quod eleganter notans Rupertus lib. 8. de victoriis, cap. 7. sic in-
quit: *Hæc belli causa, hoc duelli fuit initium; hoc modo duo draco-* Rupert.
nes illi pugnare contra se cœperunt. Numquam tam crudeliter, tam furiose suum quidem caput erexit draco diabolus. Et quidem non sic perturbatur respublica, quàm vbi inter Principes, atque iudices agitatur causa violatæ iurisdictionis, vel negati obsequij per hominea statuti. Eo namque modo homines afficiuntur ad traditiones suas, & statuta; vt præ illis nihil curent naturalia, neque diuina.

Text. Nam Deus dixit: Honora patrem, & matrem. Et qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri, vel matri: Munus quodcumque est ex me, tibi proderit; & non honorificauit patrem suum, aut matrem suam: & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.

§. VII.

Crudelitas erga egentes cognatos, præcipuè solet esse causa perditionis: vt è contra pietas erga illos inter præcipuas causas numeratur salutis.

MVlta, & grauia erant Pharisæorum crimina; sed Dominus ostensurus illos æterno esse adiudicatos supplicio, vt notat hic Chrysostomus, vnum hoc illis obijcit delictum, quod crudeles erga parentes, & cognatos fiant. Nec miror, quòd in ostendenda damnatione Pharisæorum Dominus memoretur præcipuè crudelitatem in pauperes cognatos, quando hæc solet esse vel prima, vel inter primas causas æterni supplicij. Sic inquit Amos cap 6. *Væ, qui opu-* Amos 6.
lenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ: Optimates, capita populorum, ingredientes pompaticè domum Israel. Qui separati estis in diem malum, & appropinquatis solio iniquitatis. Qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris: qui comeditis agnũ de grege, & vitulos de medio armenti. Qui canitis ad vocem psalterij: sicut Dauid, putauerunt se habere vasa cantici. Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti, & nihil patiebantur super contritionem Ioseph. Expende, post tot scelerum, & suppliciorum causas, quam pro suprema & maxima ponat, nimirum, *nihil patiebantur super contritionem Ioseph*: hoc est, non miserabantur super angustiatum, & in necessitate constitutum fratrem suum. Sane hoc supremum scelus videtur, etiam in hominibus facinorosis, quòd non afficiantur erga patres, seu fratres, seu cognatos egentes. Ad hæc Phi-
lippus Abbas epist. 9. inquit: *Cùm Propheta ille plura enume-* Philipp.
rasset, quorum rei Principes populi tenebantur, & propter quæ illud væ, quod præmisit, iusto iudicio merebantur, ad extremum intulit: Et nihil patiebantur super contritionem Ioseph, vt planè ostenderet, quoniam in hoc summa totius nequitia consummatur, quòd minor frater maioris imperio conteratur: quòd illo posse, nulla iste misericordia moueatur: quod illo tabescente iste hilarescere videatur. Expende ab illis. *Quia in hoc summa totius nequitia*, &c. Quippe vix nisi de summa totius nequitiæ venire potest, quòd homo adeò fit ferus, & crudelis, vt cognatorum egentium non misereſcat. Hæc crudelitas summa totius nequitiæ est; hæc præcipua est causa cuiusuis maximæ pœnæ. Hinc Iacob filij dum malè à Prorege Ægypti tractarentur, ad hanc præcipuam causam malorum confugiebant, omitum Genes. 42. aiunt: *Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, cum deprecaretur nos, & non audiuimus: ideircò venit super nos ista tribulatio.* Et quidem viri isti multa, & grauissima crimina alia perpetrarant: Roben cubile patris ascenderat: Simeon, & Leui ex Sichimorum fraude vasa iniquitatis à parente vocantur, & insuper omnes apud patrẽ suum fuerãt accusati de crimine pessimo, per quod fœdissima, & turpissima luxuriæ crimina ab auctoribus explicantur. Cur ergo cum se sub supplicio vident, non ad hæc crimina recurrunt: sed iis prætermissis, vnam meminerunt in fratrem crudelitatem, qua minimè audie

audierant deprecantem: nec cum lachrymis misericordiam petentis fuerant miserati? Hæc vna illis visa fuit vnica, & præcipua omnium malorum causa. Ait Philippus Abbas, vbi supra: *Cum Patriarchæ graues in Ægypto molestias paterentur: nulla magis causa reputant, se hæc incommoda promeruisse, quàm quòd fratri minimo noluerunt antea misereri. Meritò, inquiunt, hæc patimur*, &c. Nec dubites tibi fore omnium malorum, æternique supplicij causam, quòd videas parentem, aut fratrem, aut cognatum afflictum, angustiatum, egentem: & eius non miserearis, nec ad illius teneresceas lacrymas. Vnde Matth. cap. 3. loquens de Ioanne, ait: *Videns autem multos Pharisæorum, & Sadducæorum venientes ad baptismum suum, dixit eis: Progenies viperarum, quis docebit vos fugere à ventura ira*: quasi inter omnes à se baptizandos, hos præcipuè noret obnoxios diuinæ iræ, à qua minimè essent liberandi. Sed quæ ob crimina sic illorum desperat salutem? Ipse ait, dum dicit, *Progenies viperarum*, quando hoc est viperis commune parentes perimere; ait enim D. Isidorus Pelus. epist. 105. *Viperarum progenies Ioannes Iudæos appellauit, vt improborum parentum improbiores filios. Aiunt enim hanc feram, maternum ventrem, cùm in lucem editur, abrodere.* Qui ergo in parentes existebant crudelissimi, mirum erit, si euadant æternam Dei iram, æternúmque supplicium: hæc enim crudelitas in parentes, vel prima, vel præcipua causa est, quæ homines exponat diuinæ iræ, vt pietas in illos est, quæ præcipuè homines primò incipit promouere in vitam. Ait enim Paulus ad Ephes. 6. *Honora patrem tuum, & matrem, quod est præceptum primum in promissione.* Sanè in Decalogo non primum præceptum est, quod iubet honorari parentes; quomodo ergo dicitur primum à Paulo? Chrysostomus putat, primum esse eorum, quæ sunt circa capessendam virtutem: alia enim præcepta videntur data ad fugienda vitia; vt, non habebis Deos alienos; non assumes nomen Dei tui in vanum, non mœchaberis, &c. At inter illa, quæ non fugam consulunt vitiorum, sed potiùs petunt operationes positiuas virtutum, primum præceptum dicitur à D. Chrysostomo hoc, quod est de parentibus honorandis, quasi hæc pietas sit tanquam basis, & fundamentum virtutum. Pulchrè D. Chrysostomus, homilia 21. ibi: *Non dixit illud ordine, sed promissione primum esse. Illis quidem, quæ de malis, scilicet, à malis posita præcepta sunt, non est addita merces; illis, verò, quæ de bono sunt, luculenter addita est promissio. Et vide, quàm admirabilem virtutis profectui basim posuerit, honorem scilicet, & reuerentiam erga parentes.* Est pietas erga parentes, & cognatos basis non contemnenda, quæ mirum in modum deseruit virtutum profectibus. Huc reuoca dicta tom. 1. lib. 3. cap. 5. §. 14. & alibi.

Philipp. Abb. — Matth. 3. — Isid. Pel. — Ephes. 6. — Chrysost.

§. VIII.

A Dei Spiritu ille solus habetur honor, qui in vera munerum exhibitione consistit.

CVm iuberis à Deo honorem exhibere parentibus, ne credas, Deum sic esse de inanibus verborum officiis, ac de verbis inanibus largitionibus sollicitum; non enim apud Deum censetur honor, qui per inania verba exhibetur, sed qui in vera donorum exhibitione consistit. Hinc Paulus 1. ad Timoth. 5. *Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo, & doctrina. Dicit enim scriptura: Non alligabis os boui trituranti.* Meritò vt probet honorem deferendum presbyteris, adducit testimonium de cibandis laborantibus; non enim agnoscit Dei Spiritus alium honorem, nisi illum, qui ostenditur in dono exhibito. Ait enim D. Hieron. in cap. Matth. 15. *Honor in scripturis non tam in salutationibus deferendis, quàm in eleemosynis, ac munerum oblatione sentitur.* Absit honor ille à Dei Spiritu, qui nihil extra verba promit: tunc Dei dignum honorem exhibes, quando officiosis verbis addis dona, addis munera, quibus ditior accipiens, & conspicuus fiat. Hinc Psalm. 28. clamat Dauid: *Afferte Domino filij Dei; afferte Domino filios arietum: afferte Domino gloriam, & honorem.* Expende, quando petat afferri honorem Deo, nimirum quando præmiserat, quòd illi afferrent Dei filij filios arietum. Nunquam, mihi crede, apud Dei filios censetur honor ille, qui non constat muneribus. Quò respiciens D. Chrysol. serm. 10. ait: *Videtis, quia inclitus Pater sentit amorem donis, datis affectum, probat muneribus charitatem. Et re vera, fratres, nomen negat, ingratus est patri, qui auctorem vitæ suæ non obsequijs placat, non deuenerit cultu, muneribus non honorat.* Totus honor debitus à filio Spiritum Dei habente deficit, vbi deficiunt munera Patri exhibenda. Ille sapiens, qui nescit honorem exhibendum egenti à muneribus, & donis distinguere. Numer. 22. Rex Balach sic refertur dixisse Balaamo: *Ne cuncteris venire ad me: paratus sum honorare te.* Vbi noster posuit, *honorare*, est in Hebræo, *Cabad*, quod & onerare significat: pro quo ex Hebræo vertit Oleaster: *Onerando, onerabo te, scilicet diuitijs.* Et meritò sub eodem vocabulo & honor significatur exhibendus, & diuitiarum largitio; quando verus ille honor est apud Deum, & homines cordatos, qui non verbis solis, vel scriptis, sed rebus veris, & largitionibus subsistit.

1. Tim. 5. — Hieron. — Psal. 28. — Chrysol. — Num. 22.

Text. Hypocritæ, bene prophetauit de vobis Isaias, dicens: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me: sine causa autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum.

§. IX.

Non sic curanda, & æstimanda sunt externa, seu oris, seu operis facinora, vt animi virtutes internæ.

ET laudatores suos, & cultores suos malè accipit Dominus, & arguit velut hypocritas; quando inter externos cultus, & voces laudatorias, omni virtute desertum erat cor eorum. Et quidem non sic, quæ extrinsecus apparent, vt quæ intrinsecus sunt animi virtutes, æstimationem habent apud Dominum. Matth. cap. 3. de Ioanne fatur: *Venit Ioannes Baptista prædicans in deserto Iudææ, & dicens: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum. Hic est enim, qui dictus est per Isaiam Prophetam dicentem: Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos; esca autem eius erant locustæ, & mel siluestre.* Cuius vox sonorior in laudem Dei sonuit? Cuius opera de mundi voluptatibus clariorem reportarunt victoriam? Ad hæc aiebat D. Lucas, cap. 3. de eodem: *Factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto. Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Sicut scriptum est in libro sermonum Isaiæ Prophetæ: Vox clamantis in deserto. Parate viam Domini, rectas facite semitas eius*, &c. Hæc tantummodo inquit Lucas, nihil de vestitu, nihil de cibo, nec de potu locutus est Ioannis. Itaque Matthæus asperitatem vitæ Ioannis externam, eiúsque voces pro Deo ponit: Lucas hæc præterit, & tantùm ait: *Factum est verbum Domini super Ioannem*, quod Matthæus tacuit. Et cur Lucas hoc addens, cætera prætermisit? Sapienter equidem vbi Ioannes vt vox clamantis prædicabatur, eiúsque vitæ asperitas visebatur, ne tantarum virtutum splendor in solo tinnitu vocis putaretur cõsistere, recurrit Lucas ad verbum Dei Ioanni factum; in verbo quid internum esset in mente Ioannis designans maiorem eius gloriam ratus, si de internis animi splendoribus illum commendasset. D. Ambros. lib. 2. in Lucam, ait: *Factum est verbum, vox secuta est: Verbum enim prius intus operatur, sequitur vocis officium. Vnde & Dauid dicit: credidi, propter quod locutus sum. Prius credidit, vt id qui posset. Bene itaque sanctus Lucas compendio vsus est, vt Ioannem declararet Prophetam, dicens: Factum est verbum Domini super Ioannem, & alia non adderet. Vnum dixit, & omnia declarauit.* Ad id, quod intus erat, in primis recurrit Lucas, cætera exteros prætermittens, ratus hæc sine internis nulla esse; vbi autem internæ animi virtutes ostenduntur, omnia ibi videntur, quæ ad commendationem faciunt. Ex his D. Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 162. fatur: *Ad numeros omnes religiosæ vitæ absoluendos, Ioannis cibus, ac potus, & cultus minimè sufficit: verùm ad perfectionem adipiscendam Ioannis quoque animus requiritur. Quocirca si frugalitatem nostram, ac vilem tenuitatem laudas, tenuitatem consequi stude, quæ improbitatem omnem vitat.* Et quidem nec Ioannis abstinentia, nec externæ virtutes, nec clarissimæ voces pro Dei laude æstimari adeò valuerunt, donec eius internæ fuerunt ostensæ virtutes animi: hæc Ioannem sublimarunt; has præ aliis exquirat, qui gloriosiores, & splendidiores triumphos amat reportare. Nunquam enim non laudabilior est, & gloriosior, qui internum cordis affectum Deo mactat, quàm qui cum innumeris visibilibus hostibus pugnare audet. Dum Bethleem confertissimis hostium cuneis scateret, tres Dauidis milites

Matth. 3. — Luc. 3. — Ibidem. — Ambros. — Isid. Pel. — 2. Reg. 23.

2.Reg.23.audent per medias hostiles phalanges ad cisternā peruenire, ex qua concupitam aquam Dauidi adducant. 2.Reg.23. Quam aquam accipiens Dauid, *noluit bibere, sed libauit tam Domino.* Vter ausus gloriosior? An ausus trium militum, qui confertissimos hostium exercitus non timent, sed in illos irruunt, vt hauriant aquam Dauidi; an ipsius Dauidis, qui concupitam aquam Domino libat? Sanè illi cum externis hostibus, & periculis confligunt; Dauid cum sola sui cordis confligit cupiditate, cum interno appetitu; & inde laudabilior, & gloriosior, qui affectum cordis Deo litat, quàm qui mille externas difficultates superat, infinitos hostium externorum subit conflictus. Pulchrè D.Ambros.lib.1. de Iacob. Ambros. cap.1.inquit: *Laudo viros, qui erubuerunt desiderium sui Regis, & maluerunt finem eius verecundiæ proprio periculo afferre. Sed plus laudo eum, qui erubuit in suo desiderio alienum periculum, & aquam dubiæ sortis pretio quæsitam.* Numquam equidem non laudabilior est, qui de internis desideriis, quam qui de externis hostibus triumphat. Nunquam non gloriosior est, qui interna Deo subiecta, & tranquilla exhibet, quàm qui millenos externos hostes ostendit deuictos. Ad Philip.4. dici- Philip.4. tur: *Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra*, &c. Meritò bonum pacis, quod splendet extrinsecùs, non commendat; sed illud, quod in corde tenetur intrinsecus; quando interna cordis longè omnia externa superant. Ambros. Ad hæc inquit D.Ambros.lib.2.de Iacob, cap.6. *Illius pacis fructus in nobis est, quæ est in mentibus singulorum, quæ tenetur affectibus. Illius pacis maior est fructus, quo spiritualis nequitiæ tentamenta, quàm quo arma hostilia repelluntur. Ista pax sublimior, quæ corporalium passionum excludit illecebras, perturbationésque mitigat; quam ea, quæ barbaricos sedat incursus. Plus est enim clauso intra se hosti resistere, quàm remoto.* Tunc gloriosiorem victoriam te reportare puta, cùm interna cordis & libas, & mactas Deo.

Text. Et conuocatis ad se turbis, dixit eis: Audite, & intelligite. Non quod intrat in os, coinquinat hominem; sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.

§. X.

Linguæ malitia potens est homines inficere.

NOn est, cur Pharisæi adeò sibi timerent à manibus illotis Discipulorum Christi; manus enim sordēs cibos ori ministrans nullam maculam homini imprimit. Vtinam magis sibi cauerent Pharisæi à lingua sua: quæ à lingua venit lues, non solùm inquinat, sed & totum hominem, imò & totos homines inficit. Præclarè Dominus oris fœditatem timentibus ex manuum sordibus contrahendam, ostendit certiorem causam infectionis in ore ipso, nimirum verba malitiæ, verba proximos corrodentia, quæ & infectionem Psal 1. halant, & virus. Vnde ait Psalm.1. *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, in cathedra pestilentiæ non sedit.* Quæ est cathedra pestilentiæ, nisi in qua lingua erexit malitiam? Nunquam enim lingua vbi sonat, & contagiosum, & pestilens virus non instillat. Quò respiciens Tertull.lib.de spe- Tertull. ctacul. ait: *Nunquam ergo fugies sedilia hostium Christi, illam cathedram pestilentiariam, ipsúmque aërem, qui desuper incubat, scelestis vocibus constupratum.* Quis securus à maledicorum contagio, à quo nec aër vicinus manet liber? Ea est equidem maledicorum vox, vt vel aër ab illa percussus fugiendus sit tibi, nisi velis eius contagio totus infici. Hinc D.Ba- Basil. sil.in regulis fusè disputatis regula 51.sic monet: *Animi vitia sanet, veluti inanem gloriam, abiectioribus exercitiis: murmurationem, à reliquis separatione, vt videlicet, neque ex fratribus quisquam vnà cum ipso esse in opere velit: atque opus, quod ipse elaborauerit, cum reliquiis reliquorum misceatur.* Expende, quæso, quale contagium putet esse à murmurantis lingua, quando sic murmuratorem à reliquorum consortio ablegat, vt neque opus ab illo tactum permittat ab aliis attingi; quasi omnia illius & virus, & contagium adspirent. Hinc adolescenti petenti facultatem sepeliendi patrem Luc.9. suum. ait Dominus, Luc.cap.9. *Sine, mortuos sepelire mortuos suos.* Mortuo parenti non permittit adesse, imò nec ad momentum permittit mortuorum hominum meminisse. Sed qui sunt ij mortui, qui prorsus relinquendi sunt mortuos sepelire? Si qui alij, illi sunt præcipuè, quorū os sepulchrorum instar, nihil sciuit voluere nisi morticinium. Horum vel memoria prorsus cauenda ab illo, qui non vult infici. Sic D.Ambros. lib.7. in Lucam, inquit: *Quia sepulchrum patens* Ambros. *guttur est impiorum, memoria eorum abolenda præscribitur.* Ne mireris, quòd impiorum illorum non permittaris meminisse; guttur namque eorum velut sepulchrum est, nihil vitale admittens, sed omnium morticina, & fœtida, & corrupta semper tractat, à quibus necessum est, vt quàm longissimè separeris, nisi similem labem velis incurrere. Huc reuoca dicta tom.2.lib.6.cap.8.§.13.

Text. Tunc accedentes Discipuli eius, dixerunt ei: Scis, quia Pharisæi, audito verbo hoc scandalizati sunt. At ille respondens ait: Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cœlestis, eradicabitur. Sinite illos, cæci sunt, &c.

§. XI.

Qui vni Deo primò nititur, ille firmus, atque penè immutabilis est.

QVæ planta Dei manum ignorat, & non eradicatur? felices illi, qui vni Deo nituntur, qui nesciunt alij primò hærere, quàm Deo; ij soli eam in bonis firmitudinem habent, qua penè immutabiles videantur. Mirabar sæpè sanctorum Angelorum in bono firmitatem, & reproborum in quouis statu inconstantiam. Illi cœlestia nacti semel in cœlestibus, vsque in æternum durabunt; ij à cœlestibus eradicati, mundi obtinuerunt principatum, in quo non diu manserunt, sed & ab illo per Iesum fuerunt deturbati: etenim Ioannes sic inquit: *Et Princeps huius mundi eycietur foras.* Et vnde ij adeò mutabiles videntur; illi autem perpetua gaudent firmitate? Rationem pulchrè attigit Philippus Abbas epistola 1. inquiens: *Pars Angelorum altera sta-* Philipp. *tim Deum voluit, quem suum Creatorem & nouit, & amauit; pars verò altera ad volendum aliud declinauit. Et illa quidem in proposito confirmatur; & ab eo, quem voluit, accipit gratiam firmitatis; vt quæ erat mutabilis per naturam, pro eo scilicet, quòd de nihilo facta est, iam non possit mutari per gratiam, quia bono incommutabili voluntate spontanea coniuncta est. Pars autem altera ad se ipsam mox conuersa, eam perdididit, in qua facta fuerat, dignitatem: & quia sibi, non Deo peruersè voluit adhærere, nec in eo, quod erat, potuit permanere. Lapsa igitur,* &c. Itaque vbi primus angelici cordis gressus ad Deum directus est, Deúmque pro primo, & vnico sui affectus scopo fuit amplexatus; qui iam firmum supposuit fundamentum, ipsius Dei ebibit firmitatem, à qua vix potest deturbari. Miser ille, qui in primo illo conatu non Deum, sed se spectat, de infirmo fundamento, & arenoso non poterit, nisi ruinam capere, & inconstantiam. Nequit fieri, quòd non cadat, qui non Dei manibus, sed rebus nititur creatis: cuius prima germina non per Deum, sed per creaturas incipiunt pullulare. Herodes vt totam Christi fabricam destrueret, Matth.2. *occidit multos pueros*, non adulta germina Matth.2. naturæ, sed prima illa vix à terra surgentia puerorum agmina inuasit. Quid hæc? Sanè communis hostis tunc totam Christi fabricam casurum putat, si paruula illa, & prima virtutum conamina, quæ de Dei manu incipiunt eminere, ipse vel suffocet, vel ad se trahat. Aiebat enim sapienter Diuus Leo, serm.5.de Epiphan. *Herodes quoque in diabolo fremit, & auferri sibi iniquitatis regnum in iis, qui ad Christum transeunt, ingemiscit. Vnde si paruulos interficiat, Iesum sibi videtur occidere. Quod vtique facere sine cessatione molitur, dum primordiis renatorum Spiritum sanctum tentat eripere, & quandam teneræ fidei infantiam extinguere.* Expende illa, *Primordiis renatorum Spiritum sanctum tentat eripere.* Vbi enim prima mentis humanæ conamina de Spiritu sancto germinant, & erumpunt, mirum in modum fulcitur Christiana vita; at si hæc prima non de Spiritu sancto, sed de creatis bonis pullulant, facili impulsu, vel leui turbine totum ædificium abit in ruinam. Hinc volens Deus hominem æternare in deliciis, Genes. 2. dicit: *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso volupta-* Genes.2. *tis, vt operaretur, & custodiret illum.* Non Angelis commisit, vt ponerent hominem in paradiso, sed ipse Deus per se ipsum hominem tulit & in paradiso posuit, vt illum custodiret. A quo custodiret, quando nullus hostis erat, nec malus incursus? A proprio affectu suo, ne quid extra Deum admitteret, quo & status, & loci mutationem incurreret. Ait D. Augustinus, de Genes. ad litteram: *Custodi*

Custodiret eundem paradisum ipsi sibi, ne aliquid admitteret, quare inde mereretur expelli. Tota equidem illa plantatio maneret æternata Adamo,& filiis, nisi ille aliud præter Deum in se admitteret. Dum solum Deum habuit vectorem, & plantatorem; non potuit homo non apparere firmissimus. Vtinã hoc semper haberet, hoc semper custodiret, ne aliud præter Deum admitteret; nam vbi hoc in affectu admisit, protinùs ruit. Hoc custodi, homo. quisquis amas ruinæ timorem omnem excludere: sic tibi Deus sit vnicus,& primus in affectu, vt nullus tuus inueniatur affectus, aut non radicatus, aut non terminatus in illo. Angelus Gabriel mittebatur ad Mariam, nuntiaturus aduentum filij Dei in illam: ingressus autem Gabriel, [Luc.1.] Luc.1. ait: *Aue gratia plena, Dominus tecum.* Aduentum Dei nuntiaturus, Deum videt nuntium præuenisse,& iam cùm Angelus adest, esse in Maria. Cur, Angele, Deus sic præuenit tuum ingressum, & nuntium, & ante te conuenit Mariam? Ne Maria timeret in tanta felicitate ruinam, in illa Deus voluit existere prior omni creatura, prior Angelo ipso. Ad hæc Philipp. Abb. in Cant cap.1. [Philipp. Abb.] *Putabam, ait Angelus, mittentis imperia prænuntium me venire, sed Imperator nuntium mihi visus est præuenire: fortè quia Virginem solam prior voluit inuenire, ne videret fiat ipso ipsam rudem, & timidam conuenire.* Itaque nisi prior omni creatura Deus esset in Virgine, non posset non inueniri sub metu: at vbi in illa prior est Deus, de tam inconcussibili fundamento penè omnem excludit timorem ruinæ. Huc trahe dicta tom.1.lib.1.cap.9.§.15.& alibi.

Text. At ille dixit: Adhuc & vos sine intellectu estis? Nónne intelligitis, quia omne, quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum mittitur? Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem: de corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Hæc sunt, quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.

§. XII.

Non extrinsecùs, sed ab intimis cordis erumpunt sordes, quæ homines inficiunt, & perdunt.

QVæ a corde exeunt sordes, caueat ille, qui sic infici videtur, vt possit effugere perditionem: à solo enim cordis intimo erumpunt sordes, quæ perdant homines. Hine [Abac.1.] Abacuc c.1. aiebat: *Ecce ego suscitabo Chaldæos, gentem amaram, & velocem, ambulantem super latitudinem terræ, vt possideat tabernacula non sua. Horribilis, & terribilis est: ex semetipsa iudicium, & onus eius egredietur.* Expende illud, *ex semetipsa*, &c. non aliunde trahet mala, quibus pereat: sed hæc tantùm ex intimis illius procedent. [Rupert.] Ait Rupert. ibi: *Omne genus huius amaræ ex semetipsa egredietur, id est, spontanea cor eius impietate grauabitur, & totum in malum erit conuersus eius.* In proprio cuiusvis corde sita est omnimoda radix malitiæ, & turpitudinis, qua homo inficiatur, grauetur. Non ab extrinsecis, sed ab intimis animi sunt mala, & sordes, quæ perditionem negotiantur ex Deo. Vbi splendentibus inuitatis omnes nuptiarum regalium plenæ sedes erant, ait [Matth.22.] Matth.c.22. *Intrauit autem Rex, vt videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali.* Vnus inter tot discumbentes inuentus est sordidus veste: & hic inuentus est non à ministris, sed ab ipso Rege. Multi ministri conuiuio intererant, multi circumcursabant: & nemo illorum dicitur vidisse illius miseri conuiuæ sordes, sed vnus Rex illas vidit. Cur Rex solus,& non ministri valuerunt videre hominis sordes, nisi quia sordes, quibus homo perditè inquinatur, non ab externis, sed ab intimis erumpunt animi, qui soli Deo patet? Ait [Paschas.] Pasch.lib.10.in Matth. *Quia malus in conscientia intus intelligere, non omnium est: ideò hunc malum solus Deus terribilis, & Rex magnus inuenit.* Ne mireris, quòd solus Deus,& non ministri videant sordentem hominem, quando offensiuæ sordes ab intus sunt, ab hominis animo, qui soli Deo manifestè claret. Et quidem animus hominis est, qui hominem, aut sordescere, aut splendescere facit: [Genes.8.] Genes.8. ait: *Ædificauit Noe altare Domino: & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis obtulit holocausta super altare. Odoratúsque est Dominus odorem suauitatis.* Ex carnibus concrematis dicitur illo odor extitisse, qui Deo fragrantissimus, & suauissimus erat. Sed Isai. cap.1. ait Dominus populo suo: *Ne offeratis vltra sacrificium frustra: incensum abominatio est mihi.* [Isai.1.] Chrysost. legit: *Thymiama in abominatione mihi est.* Expende modo, Thymiama fit [Chrysost.] Deo abominatio, & semicremata caro fit odor suauitatis; vnde hæc diuersitas tam notanda, nisi ex offerentium animo, qui solus vel inquinat,& deturpat hominem; vel suauiat? Ita D.Chrysost. hom.27. in Genes. [Idem.] *Animus offerentis fumum, & nidorem, & omnem, quæ inde nascitur, insuauitatem multa fragrantia impleuit.* Et post pauca: *Iusti virtus fumum, & nidorem fecit odorem fragrantiæ; sic apud illos offerentium nequitia benè olens thymiama in abominationem conuertit.* Non aliunde, quam ab animo vel fit homo Deo placidus, vel abominabilis. Sit animus bonus, fit Deo gratus; & vel fumus, vel nidor, vel quæuis aliæ sordes vertuntur in floridas suauitates. Verum vbi animus malus est, nil non sordidum, & turpe inde hauries. Hinc Isai.52. monebat: [Isai.52.] *Solue vincula colli tui, captiua filia Sion.* Solent in collo virginis, non vincula, sed monilia aptari, sic sponsæ suæ ait Dominus, Cant.1. [Cant.1.] *Collum tuum sicut monilia.* In filiæ Sion vincula eius deturpãt pulchritudinem; in Dei sponsa monilia mille addunt pulchritudini gratias. Sed vnde, quæ ornamenta erant, sunt turpia vincula facta? Intimum cordis sic solet omnia turpare: ait Philipp. Abb. Cant.7. [Philipp.] *A collo tuo non tam aurum rutilat, non monile, sed illud deturpauit mens corrupta, carnis vlcus, desiderium inutile; solue, quæso, vincula, vt quod sordet inconcessa turpitudinis prostitutum, tergatur forti manu, honestati reddatur absolutum. Illo sorde huius nostræ Virginis collum non sorduit, non ceruice obstinata, non indomito corde obduruit; sed illud molli manu sponsus defricuit, defricato, læuigato onus leue, & suaue iugum imposuit.* Sic vbi mens corrupta, ibi vincula, ibi suppliciorum materies, ibi turpitudo, & sordes, sub quibus perit homo; vbi autem cor rectum, & animus purus; nihil apparet sordidum, sed omnia abeunt in pulcritudinem, & decorem.

CAPVT V.

De cœlesti signo.

DVM Pharisæi, & Sadducæi signum de cœlo à Iesu petunt, sapienter illos Dominus confundit, docens, serenitatem quidem, aut tempestatem ea cœlesti matutino, vel vespertino rubore dignosci. Sua tamen signa habet, & euidentiora, & certiora aduentus Saluatoris; quibus sine grandi piaculo non credit, qui pro serenitate, vel tempestate eminenti credit cœlesti rubori. Sic Dominus carpebat fermentum Pharisæorum; inter quæ discipuli, dum fermentum audiunt, putant, simul suam incuriam reprehendi à Domino, vt qui obliti fuerant panes sibi emere in alimoniam. At non de pane, sed de doctrina dicit Dominus se locutum, quando is erat, qui paucis panibus ingentem bis satiauerat hominum multitudinem.

Matth.16. Accesserunt ad eum Pharisæi, & Sadducæi tentantes: & rogauerunt eum, vt signum de cœlo ostenderet eis.

§. I.

Non ab altis sublimitatis, sed ab humilitatis imo petendum signum salutis.

MIseri Pharisæi semper euanescunt in cogitationibus suis, nihil non altum,& sublime volunt sapere: vtinam humilia respicerent, fallar, nisi de terræ imo citius non illis germinaret signum salutis. Hier.Thren.3.ait: [Thren.3.] *Bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia sua; ponet in puluere os suum, si fortè sit spes.* Legitur apud Paschasium: *Dabit in sepulturæ fossuram os suum, & tamen est spes patientiæ.* Expende, vnde adolescit sub Christi iugo sapiens vir; nimirum inde, quòd dabit in sepulturæ fossuram os suum, cineres, & fauillas sui finis contemplabitur; hoc solum aspiciet, quod ad pulueris spectet vilitatẽ. Et quid de tam puluerulẽto conspectu? *Et tamẽ est spes*, quò magis oculos ad terram dimittit, eò exurgit spes maior. De quo eleganter D.Paschas.lib.3.in

Thren. ait: *Principium est nostræ professionis in puluere os ponere, & momentu singulis, quòd cinis, quòd puluis sumus, cogitare; ex quo rursus spes nobis germinetur, ac dilatetur charitas.* Nunquam non crescit salutis spes, & reflorescit ex imo puluere nostræ vilitatis considerato. Non altitudo, neque affectata sublimitas; sed pulueris vilitas in nobis facit spem salutis crescere.

Isai.45. Hinc Isai.cap.45. *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum. Aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Expende, quid petat de cœlis splendescere, nimirum iustum; verum de terræ visceribus Saluatorem germinari expectat; in sublimitatibus enim vix effugitur iustitiæ rigor: à terræ autem humilitate nunquam non mille salutis signa proueniunt. Id quod videtur expressisse Pagnini lectio, inquiens: *Stillate cœli desuper, & cœli stillent iustitiam. Aperiat se terra, & fructificet salus.* Sed ad rem clarius Septnag. *Lætetur cœlum desuper, & nubes spargant iustitiam. Germinet terra, & proferat misericordiam.* Cœlestia omnia, vniuersæ sublimitates vix aliud protendebant homini, quàm seueritatem iustitiæ, quam firmatum gladium, quo homo transfigeretur. At vbi non ad sublimitates spectat homo, sed ad terram, terræ humilitas mille hominis salutis signa germinat. Huc spectabat

Psal.66. Psalm. 66. *Deus misereatur nostri, illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri. Vt cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum.* Hoc amat magis Dauid, vt cognoscamus vias Domini in terra, non in cœlo; & cur non magis in cœlo? Amabat cognoscere Dei vias, & salutare eius: salutem autem non germinat cœlum, sed terra; non enim sublimitas maiestatis in cœlo exaltata, sed maiestas vsque ad terrã humiliata hominibus præbet signa salutaria. Quò spectans Philipp. Abb.lib.1. in Cant.cap.9. dum expendit, quòd Dei salutare nomen dicatur oleum effusum, ait: *Oleum clausum in vase, vel conclaui cœlorum Angelos sanctos seruat, oleum verò effusum dispersos electorum hominum manipulos coaceruat; & misericordia, quæ ad protegendum sanos intra cœli sanctuarium se abscondit, inclinato vase ad sanandos ægrotos homines se effundit. Domine, ait, inclina cœlos tuos, & descende. Qui stantibus Angelis plenum misericordiæ vas propinat, ad medendum in terra ægrotis hominibus vas inclinat.* Necessum fuit, vt Dei maiestas sese inclinaret, ad terram, sese exinaniret, vt hominibus salutem propinaret: dum enim de cœlis splendebat, non hominibus, sed Angelis ostendebatur salutaris; vt inde docerentur homines, non de sublimitate, sed de inclinatione, & abiectione salutis suæ signa expectare.

Philipp.

Text. At ille respondens ait illis: Facto vespere dicitis: Serenum erit, rubicundum est enim cœlum. Et manè: Hodie tempestas, rutilat enim triste cœlum. Faciem ergo cœli diiudicare nostis, signa autem temporum non potestis scire?

§. II.

Ex quo Iesus in passione rubuit, ille solus nobis mansit pro totius felicitatis signo.

Mira cæcitas Iudæorum, quæ ex cœli rubore serenitatem, aut tempestates nouit præsagire; verum ex Iesu rubenti in passione nihil sibi vtile prænoscere sciuit. Et quidem ex quo Iesus in passione rubuit, non cœlum, non astra vlla manserunt in temporum signa, sed ipse solus Iesus mansit, qui omnia prospera hominibus designet. De Iesu

Matth.27. iam crucifixo locutus Matth. cap.27. ait: *A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque ad horam nonam.*

Luc.23. Addit Luc.23. *Et obscuratus est Sol.* Cœli luminaria magna id deliquium passa sunt, vt Dionysius Areopagita magnus Astrologus Athenis existens putaret, tunc temporis extremam imminere orbi dissolutionem. Cur ergo luminaria illa, quæ data fuerant in signa, iubentur tunc temporis abscondi, nisi vt constaret, quòd solus Iesus in cruce rubens ex tunc maneret pro signo felicitatis omni homini. Ad hæc enim ait D.Athanas.hom.ad illud: Omnia mihi tradita

Athanas. sunt, &c. *In salutifera passione non apparuit Sol, indicans finem prioris creaturæ adesse, & principium alterius superuenire, quæ diluuium suum, & exortum in Saluatore consecuta est.* Non à sole, non ab astris, non à militia, & splendore cœli, sed à Iesu solo nostra debemus auspicari bona, ex quo ille in cruce rubuit pro nobis. Hoc notans Sol tunc defecit, vt inde ostenderentur iam futuri, qui non egerent astris, habentes Iesum, à quo solo sibi præsagirent omnia bona. Hinc sponsa, Cant.2. *Dilectus meus mihi:* posuit Beda, *Dilectus meus mihi, & non alius.* Et cur non alius? Cur à solo dilecto bona sua præsagit? Ait Cant.5. *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus.* quasi dicat, si rubor cœli solet esse hominibus causa diuinandi serenitatem, vel tempestatem, melius, & gratius omni cœlo rubet Iesus in passione sua in cruce sua, vt ab illo solo debeam meam diuinare felicitatem. Ad hæc Richard. Victor.part.2. in Cant. cap.36. fatur. *Dilectus meus rubicundus, quia in passione sanguine suo perfusus, in qua non erat species, neque decor, vt decorum me faceret, & sanguis eius genas animæ meæ ornaret, & deformatam me reformaret. Idcirco dilectus meus mihi.* Vbi sic rubuit Iesus, non libet, non licet, respicere ad alia, sed ab illo solo auspicium trahere omnis felicitatis, vt se quisque homo persuadeat, nihil se alij debere posse, quàm Iesu in cruce purpurato. Actus erat Iesus in cruce inter duos alios crucifixos; & post emissum spiritum ait Matth.27. *Ecce velum templi scissum est in duas partes à summo vsque deorsum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, quæ dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis, post resurrectionem eius, venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. Centurio autem, & qui cum eo erant, custodientes Iesum, viso terræmotu, & his, quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Verè filius Dei erat iste.* Tres erant præ oculis crucifixi; & tamen circumstantes Ethnici miracula visa, & creaturarum motiones vni Iesu crucifixo tribuunt. Cur magis ea Iesu, quàm aliis crucifixis simul tribuunt? Ea erat vis effusi sanguinis diuini, vt ipse positus præ oculis non sineret putari, ab alio, quàm à se posse euenire, quidquid accidit in natura. Chrysost. hom.84. in Ioannem: *Crucifixi tres erant, claruit vnus Iesus; vt intelligas eius virtute omnia prouenisse, atque tribus crucifixis miracula patuerunt: nemo tamen vllum alteri latronum attribuit, sed soli Iesu.* Post Iesum crucifixum, post eius emissum spiritum, in omni creaturarum siue ruina, siue resurrectione vnus Iesus claret, nulli alteri tribuendum est, quàm Iesu, quidquid euenerit, de eius passione exantlata diuinandæ sunt omnes hominis felicitates. Dum scyphus Iosephi requiritur in sacculis fratrum, ait procurator, Genes.44. *Scyphus, quem furati estis, ipse est, in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari solet.* Qualis scyphus est iste, siue calix, in quo & bibere, & augurari solet Dominus, nisi calix passionis eius? Equidem Dominicæ passionis calix vnus inuentus est, non solum ad bibendum, sed & ad augurandum, vt ab illo solo auspicium humanæ felicitatis possimus capere. Inde sponsa speculabatur siue ventura incommoda, siue venientem pacem: sic illi fatur Dominus, Cant.7. *Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum:* vbi legit D.Ambros.serm.5. Psalm.118. *Naris tua sicut turris Libani, respiciens faciem Damasci.* Erat turris in Libano posita, quæ Damascenos incursus, & venientia incommoda tempora, siue pacifica speculabatur: sic Dei sponsæ quidquid venturum erat, subolebat; & vnde subolebat? Ex eo quòd erat respiciens Damascum: est enim Damascus apud Georgium Venetum in Armon.cant.3.tom.7.cap.13. *Osculum sanguinis,* vel *bibens sanguinem,* vel *propinans sanguinem.* Hic est Iesus, qui dum osculum accipit, traditur effusurus sanguinem: dum vltimo cœnat, suum sanguinem pretiosum & potat, & porrigit potandum; dum in cruce agit, nec guttam sanguinis seruat, quam non propinet pro salute generis humani. Ad hæc respiciens anima, turris fit speculatrix, quæ ventura omnia odoratur. Ait D.Hieron.epist.140. *Verè turris candoris, & Libani, quæ prospicit faciem Damasci, sanguinem videlicet Saluatoris.* Ex quo enim anima ad Iesu respicit sanguinem, quasi nequit fieri, quod non ventura omnia odoretur, siue bona, siue mala. Nuntiata Thomæ fuit Domini resurrectio, Ioann.20. Ille autem dixit: *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.* Quis ad resurrectionis, & vitæ signum peteret lethalia vulnera? Vbi nuntiatur vita, consequenter causæ mortis renuntiantur abolitæ; cur tu de tota resurrectionis gloria, dotibus quatuor prætermissis, clauorum locum solum requiris? Chrysol. serm.84. *Quæsiuit ista Thomas non solum cordis sui, sed omnium hominum curans incertum. Certè prophetiæ magis, quàm cunctatio fuit.* Non miror, quòd qui spiritu prophetico agebatur, non glorias, sed vulnera Iesu quæreret, tot certitudinis fulcra erant ad præsagiendum. Vnde D.Hilar.3. de Trin. Thomæ dictis maximè nititur, vt quæ nitantur vulneribus Iesu missis ait enim: *Credo Thomæ, non nisi contrectatis Christi vulneribus creaturo.* Hæc ille.

Cant.2. Cant.5. Richard. Matth.27. Chrysost. Genes.44. Cantic.7. Ambros. Venet. Hieron. Ioann.20. Chrysol. Hilar.

Text.

Text. Generatio mala,& adultera signum quærit,& signum non dabitur ei,nisi signum Ionæ Prophetæ. Et relictis illis, abiit.

§. III.

Humanitatis Christi humilia erant manifestissima signa diuinitatis.

NOn omnino negauit signum Iudæis, sed potius illis signum illud ostendit,quod in Iona repræsentatum,& in se verè apparuit exercitū,quando vt Ionas in ventre ceti, sic ipse Iesus iacuit in corde terræ.Hoc,quod non supra hominem erat, sed humanitati proprium signum ostendit: & meritò,quando quod humillimum erat in Christi humanitate,manifestum fuit factum signum Deitatis eius.Cupienti Moysi videre & faciem Dei,& gloriã,ait Dominus,Exod.32.
Exod.32. *Est locus apud me,& stabis supra petram. Cùmque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ,*&c. Ille visionem gloriæ cupiebat, & solum conceditur ei foramen petræ,ex quo prætereuntem Deum cernat.Quale hoc foramen ad tantam visionem? Sanè,vt ait Paulus, *Petra autem erat Christus*, cuius sacrę humanitatis vel rimulæ manifestissima signa sunt Deitatis ostentatiua.
Damasc. Ait enim Damasc.orat.de Transfigur. *Iam Moyses Deitatis gloriam liquido perspicit* (loquitur de Moyse vidente Iesum in Thabor) *sub petræ foramine coopertus; quæ quidem petra Christus est incarnatus, qui carnis suæ tanquam per exiguam quandam rimam strictim aperuit,immensóque lumine adstantium oculos perstrinxit.* Vel rimula humanitatis Christi immensum lumen iaculat,quo diuinitatis excelsa videãtur. Quò respiciens senex ille apud Luc.c.2.de Iesu puero dicebat,quòd esset
Luc.2. *lumen ad reuelationem gentium*;hoc est,lumen, quod veram Deitatem gentibus reuelaret. Et vnde reuelauit,nisi quando se ipsum humana sustinentem ostendit? Sic
Cyrill. ait D.Cyrill.lib.3.de recta fide ad Reginas: *Quomodo lumen ad reuelationem gentium,nisi Deus sit verè, & solus filius, natura quidem ex Patre Verbum: ex Virgine autem idem secundum carnem? Qualis reuelatio facta est gentibus? Nónne in ipso agnouerunt,quòd Deus sit, & seruiendo ei liberati sunt à crimine: quòd non seruiant Deo alteri,quàm vni?* Expende illa, *in ipso agnouerunt*, &c. Ipsa Christi humanitas in se ipsa considerata potẽs erat præferre facem,quæ diuinitatem manifestaret.Hinc accipiens recens natum Iesum Simeon in manibus aiebat,
Luc 2. Luc.2. *Nunc dimittis seruum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum*, &c. Trementem infantem videt in manibus,& nulla alia signa spectat; ratus in illo infante habere sufficiens lumen, sub quo eius videat celsitudinem Deitatis. Ambros.ser.20. de temp.
Ambros. ait: *Multum iste senex fuit ad audiendum serus, sed ad videndem maturus.Non expectauit,vt Christum audiret loquentem,quoniam videbat infantem.* Non expectauit, non requisiuit euidentiora signa,qui habebat puerum illum præ manibus;humilitas enim illa infantilis suffecit,vt ostenderet seni latentem diuinitatem.
Cant.2. Hinc Dominus,Cant.2.dixit: *Ascendam in palmam,& apprehendam fructus eius.* Quæ verba tractans Philipp.Abb.in Cant.c.24.per palmam intelligit Virginem Mariam, de cuius virginitate sublimis Iesus ad Diuinitatis suæ
Philipp. Abb. notionem omnes trahit:quippe inquit: *Ascendam in palmam, visibilis apparebo: ascendam in Virginem, per eam cæteris me monstrabo,per assumptam eius carnem mundi Principem triumphabo. Profundum meæ Diuinitatis erat hominibus inaccessum, quorum amore ductus ascendam in excelsum; vt cùm à profundo, & occulto inuisibili fuero visibiliter exaltatus, ad me traham omnia, trahendi efficacia non fraudatus.* Hæc ille: ex quibus constat, quàm efficax sit Christi humanitas, vt Diuinitatem latentem hominibus persuadeat.

Text. Et cùm venissent Discipuli eius trans fretum,obliti sunt panes accipere.Qui dixit illis: Intuemini, & cauete à fermento Pharisæorum,& Sadducæorum.At illi cogitabant intra se, dicentes: Quia panes non accepimus.

§. IV.

Non nimis vetustati adhærendum.

HOc maximè amat Iesus,quòd caueant à fermento Pharisæorum: & non simpliciter dixit,cauete à Pharisæis, vel, cauete à doctrina Pharisæorum, sed notanter dixit, cauete à Pharisæorum fermento; hoc est, à nimia vetustatis conseruandæ solicitudine. Fermentum enim massa vetusta est, quæ nouis induitur conspersionibus cuius similitudine rectè explicatur Pharisæorum mens,quæ nimis adhærescens vetustati maiorum,nihil vltra illud vetustum probat.Theophyl.in præsenti fatus: *Quemadmodum fermentum amarum est,* Theoph.
& vetus, ita & Pharisæorum doctrina mordet animas, veteres seniorum traditiones introducentes. Offendunt equidem plurimum, qui nimia proteruia ita solis veteribus adhærescunt, vt nihil noui audire velint, vt offenderent, qui ablatis nouis conspersionibus cogerent homines solo fermento vesci. Sanè ij nimij vetustatis amatores vitandi sunt, & cauendi, qui dispereunt vel audito verbo nouo. Vnde monebat Dominus Matth.cap.9. *Nemo immittit commissuram panni rudis in* Matth.9.
vestimentum vetus: tollit enim plenitudinem eius à vestimento, & peior scissura fit. Neque enim mittunt vinum nouum in vtres veteres:alioquin rumpuntur vtres, & vinum effunditur,& vtres pereunt. Cauendi sunt semper vtres veteres, qui nec ad modicum vini nouitatem sustinent, sed statim illa rumpuntur, & abeunt in mille scissuras. Sic cauendi homines nimis vetustati adhærentes,qui ibi aliquid ab illa vetustate alienum vident,non sustinent, sed inexaminatum abiiciunt. De iis pulchrè D.Isid.Pelus.lib.1.epist.57. *Eos, qui in vetustate com-* Isid.Pel.
putruerunt,nouámque gratiam reiecerunt,vtres veteres Dominus appellauit,vt qui frangerentur,ac nouum regni sermonem effunderent.Quo in genere fuisse Cayphas deprehensus est,nam cùm à Domino audisset,filius Dei sum,fregit vestimenta. At verò Petrus, qui spiritus vitæ legem acceperat, non modo cùm doceretur, non renuit,verum etiam ad solam interrogationem confessus est. Compone tibi Caypham, & Petrum; ille ad nouam vocem diuini filij incarnati expressiuam, grauiter offendit, & totus rabidus scidit vestimenta sua: hic vix tactus & filium Dei confessus, & totis visceribus amplexus est. Vnde hæc differentia? Sanè,vt notat Isidorus,Cayphas vter erat vetus,totus vetustati adhærescens, nec potuit percipere nouitatis factæ in terra voculam, quin statim disrumperetur. Vtinam hoc vitium in Caypha finiretur:sed sunt plures nimij vetustatis zelatores, qui rumpuntur ad solidissimæ etiam nouitatis speciem, vanè credentes,nihil nouum posse esse melius. Quò spectans Sidon.Apollin.lib.3.epist.8.inquit: *Veneror antiquos, non tamen ita vt coæquæuorum meorum virtutes,* Sid.Apoll.
aut merita postponam. Neque si Romana respublica in extremam hanc miseriarum defluxit, vt studiosos sui numquam remuneret; non idcirco Brutos, Torquatósque non pariunt sæcula mea. Quorsum ista hæc? De te, ad te mihi sermo est, vir efficacissime, cui debet respublica, quidquid de supradictis solum laudat historia. Quapropter ignari rerum temeraria iudicia suspendant,nec perseuerent satu, aut suspicere præteritos,aut despicere præsentes. Meritò vocat temeraria iudicia ea, quæ sic vni vetustati inhærent, vt nihil putent posse esse eximium, si sit recens. Quam vanitatem sapienter repellit Arnobius,lib.2. aduersus gentes, vbi obiicientibus Gentilibus nouitatem Christianismo, sic respondet: *Noua res est, quam gerimus; & quandoque & ipsa* Arnob.
vetus fiet. Vetus,quam vos agitis, sed temporibus quibus cœpit, noua fuit, ac repentina. Religionis autem auctoritas non est tempore æstimanda, sed nomine: nec colere qua die, sed qui cœperis, conuenit intueri. Sic ille.

Text. Sciens autem Iesus, dixit eis: Quid cogitatis intra vos modicæ fidei, quia panes non habetis? Nondum intelligitis, neque recordamini quinque panum in quinque millia hominum, & quot cophinos sumpsistis? Neque septem panum in quatuor millia hominum, & quot sportas sumpsistis. Quare non intelligitis? Quia non de pane dixi vobis: Cauete è fermento Pharisæorum & Sadducæorum? Tunc intellexerunt, &c.

§. V.

Infelix ingenium,quod non dulcedo excitat, sed asperitas, & pœna semper.

TVnc,inquit, intellexerunt;nõ quando panum beneficio pleni,sed quando increpati,& vehementissima acrimonia reprehensi, vt ait D.Chrysostom. ipsa panum beneficia recoluit.

recolunt. Infelix sanè ingenium, quod non per beneficia mansuetudinis, sed per acrimoniam reprehensionis trahitur ad cognitionem, & scientiam. Huius ingenij duritiem, & rusticitatem increpat Paul. in multis Iudæorum 2. ad Tim. 3.
2.Tim.3. aiens de illis: *Semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes.* Discebant equidem aliquid de Deo, de Iesu Saluatore; & tamen non putabantur habere veritatis scientiam. Et quando de Saluatore Iesu, de Deo Patre discebant aliqua; quæ scientia veritatis illis deerat? Quomodo videbantur adeò infelices, & rudes quasi nullam scientiam veritatis haberent? Discebant quidem, sed non per beneficia suauitatis; sed discebant acrimoniæ, & flagelli vi, quo minimè videbantur ad veros sapientes pertinere. Pro quo ait
Philipp. Philip. Abb. epist. 4. *Veritatis est scientia, Deum scire; sciendi beneficio illum plenius & sentire: non sicut dæmones, qui scientes eum, sua scientia torquebantur, sed sicut beati Angeli, qui sciendi merito Cherubin appellantur.* Expende ab illis, *sciendi beneficio,* &c. Illa enim vera censetur Dei scientia, quam pariunt exhibita beneficia, vt in Angelis euenire solet, non quam extorquet vis torturæ, vt in dæmone. Deum norunt Angeli, norunt dæmones; sed Angeli Deum norunt innumeris beneficiis tracti ad scientiam: dæmones autem torturis suppliciorum coacti, & Deum scire, & fateri solent. Vt hinc iam pateat, quàm simile sit infelicibus illud ingenium, quod non excitant, nisi flagrorum acrimoniæ. Vide infelicium scien-
Matth.8. tiam, Matth. c. 8. clamabant enim dæmones: *Scimus quis sis, sanctus Dei. Venisti ante tempus torquere nos.* Non aliter noscunt, nec fatentur Iesum filium Dei, nisi sentientes in se eius seueritatis acrimoniam; at sapientissimi illi Cherubim, qui à plenitudine scientiæ habent & nomen, non ex pœnarum acore, sed ex beneficiorum gustu sapiunt Dominum. Vt ergo Cherubicum ingenium felicissimum est, quod pulsatum beneficiis respondet; sic etiam durum, & infelix est ingenium dæmonum, quod non nisi flagris excitatur ad
Philipp. Dei memoriam. Ait Philippus Abbas, epist. 4. *Sciunt ergo Deum diaboli, sciunt & Cherubim; sed illi, vt sentiant iratum punitorem, isti vt gratum protectorem.* Doleo vicem hominum, qui in agnoscendo Deo potius diaboli genium, quàm Angelorum repræsentant, dum sola punitionis acrimonia ducuntur ad Dei laudes, & confessionem. Fallar, si inter hos
Cant.2. adeò Dei gloria efflorea; quippè ait Canticor. 2. *Ego flos campi.* Et cuius campi dicitur flos Dominus noster? Cur non magis dicitur flos paradisorum? Sanè in paradisis cultæ areolæ inueniuntur, nihil ibi obscurum, nihil sordidum; at verò in campo omnia sordida esse solent. Accipi-
Ezech.37. te Ezechielem, cap. 37. fantem: *Dimisit me in medio campi, qui erat plenus ossibus.* Quid sordidius campo isto? Et tamen amat Deus dici campi flos; an quia plus potuerunt placere Deo ossa sordida campi, quàm paradisi pulchritudo rota? Et vnde magis placuerunt ossa? Pulchritudo paradisi minimè exurgit, nisi post expertam acrimoniam ligonis; nihil enim floret, vel viret in paradiso, cui non præcedant mille ligonis ictus, mille terræ vulnera, & scissuræ. At ossa illa, etsi sordida ad solam Dei vocem, ad solam fœcundissimam auram sese in vitam recipiendam componunt. Vnde aiebat Philippus Abbas, lib. 1. in Cant. cap. 24.
Philipp. *Diues est campus iste, super quem videt Ezechiel ossa multa, siccaque vehementer, quæ auditu ineffabili verbum Dei praeceperunt, & neruos; carnes autem iunctura mirabili receperunt, tandémque à quatuor ventis, veniente spiritu, reuixerunt.* Cur non magis floreat Dei gloria in campo isto, in quo vel ossa arida, sic benefico Deo respondent, vt vel ad leuissimum diuinæ auræ halitum, & carnes faciant, & ad vitam se componant?

CAPVT VI.

Disputatio cum fratribus, & cognatis Iesu.

DECLARATAM Iudæorum rabiem fugiens Dominus in Galilæa delitescebat, quod minimè gratum erat cognatis eius, nec propinquis; qui licèt non omnino Iesu crederent, amabant tamen de eius facinoribus celebriores fieri. Quo animo à Iesu petunt, vt à latebris exeat, obscurámque, & humilem Galilæorum prouinciam derelinquat, Hierosolymam ascendat, ibique virtutum suarum glorias manifestet. Propinquorum petitis minimè assentitur Iesus, vt qui apprimè callebat absconsionis suæ, vel publicationis tempus; & dum paulisper latet, occasionem præbet, quòd multitudo adstantium Hierosolymis variis opinionibus scinderetur. Alij Iesum latentem rabidè carpebant, laudabant alij, sed magis summissè, ne à Pharisæis Iesu laudatores inuenirentur.

Ioan.7. Post hæc autem ambulabat Iesus in Galilæam, non enim volebat in Iudæam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere.

§. I.

Praeclara Iesu virtus, & firmissima est, quòd scias cedere hostilibus iris.

DVm furunt Iudæi Hierosolymis in Iesum, ipse placidissimus in illos. eorum furorem declinans loco cedit, & quasi exilio se mulctar, si fortè hostes leniores interea ebibant spiritus. Quanta hæc Iesu virtus? Sanè felicissimus est, qui sic nouit cedere hostilibus iris; fallar, nisi hic talis vel dormiens possit tenere virtutum sublimia. Notissimus est furor Esau armatus, imò strictus in fratrem suum Iacob; Iacob autem de matris consilio, nihil priùs cogitauit, quàm cedere furenti fratri; & vt cedat fratri domum paternã, maternas delicias fugit, per desertum errat, nocturnísque præpeditus tenebris, aliquãtisper dormiturus solo cubat. Quid tunc? Genes. 28. *Dormiuit in eodem loco, viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ, & dicentem sibi: Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui,* &c. Hæc ostensa sunt Iacobo dormienti, vt dormiens sibi cerneret paratos cœlos, & scalas facilè ascendendas, & Angelos adiutores, & Deum maiora promittentem. Vnde potuit dormiens tanta videre, nisi de animi lenitudine, qua loco cessit, & non dubitauit in deserto delitescere, dum frater occasionem haberet iram flectendi? Ita D. Ambros. lib. 2. de Iacob, cap. 1. *Paratum itaque parricidium Iacob declinauit exilio voluntario, eóque facto, sibi salutem quæsiuit, fratri innocentiam donauit. Meritò itaque eum diuina vbique comitata est gratia, vt & cùm dormiret, beatæ vitæ munus acquireret.* Quid cœleste non acquirat ille, qui sic loco cedere nouit, vt eius conspectu non haberet occasionem magis irascendi frater? Qui talem medelam quæsiuit fraternæ iræ, vt vel proprio incommodo emeret eius lenitatem, non mirum, si gloriosè dormiat & securè, vel si etiam dormiens cœlestia potiatur, in quibus æternam possideat tranquillitatem. Audio Dauidem, vt furenti Sauli cedat in spelunca delitescere, 1. Reg. 24. ibique latentem quiescere. Sed & Saulem ignarum audio in eandem speluncam intrasse. Ait enim textus: *Erat ibi spelunca, quam ingressus est Saul, vt purgaret ventrem: porrò Dauid, & viri eius in interiore parte speluncæ latebant. Et dixerunt serui Dauid ad eum: Ecce dies, de qua locutus est Deus ad te. Ego tradam tibi inimicum tuum,* &c. Quid pulchrius? Dum furori cedit Dauid, dum latens quiescit cum suis; ibi in manus traditum habet & hostem, & coronam, qua potiatur. Rem hanc pulcherrimè attigit D. Chrysostomus, homil. 2. de Dauide, & Saule, inquiens: *Saul, qui statuerat inuadere nudus, & inermis, omnibúsque destitutus auxiliis, non aliter, quàm captiuus in manus inimici traditus iacebat: Dauid verò dum cedit, & vbique dat locum, sine machinis, sine armis, sine equitatu hostem in potestatem accepit, & quod est omnium maximum, Deum erga se beneuolentiorem reddidit.* Sic vel quiescens omnia conficit, qui nouit cedere fratri irato. De Iacob dicitur, Genes. 32. quòd cùm rediret in patriam: *Fuerunt ei obuiam Angeli Dei. Quos cùm vidisset, ait: Castra Dei sunt hæc.* Sic Angelorũ exercitibus cingitur Iacob rediens in patriam; inter quos cùm irati fratris sui recordaretur, id secum meditabatur, quomodo illum non offenderet, sed magis placeret, ne iratus exurgeret ille in turpe aliquod facinus. Quæ dum meditatur Iacob, somno etiam traditur; ait enim textus: *Cúmque dormisset ibi nocte illa.* &c. dum armatum fratrem, & iratum iam iam appropinquantem expectat, nihilominus somno se tradit, quia decernit eius concordiam muneribus comparare. Qui autem sic afficitur erga iniurium sibi fratrem, nil quod timeat, habet: vel dormiens omnia propellet & felicissimam habebit tranquillitatem. Ait D. Ambros. lib. 2. de Iacobo cap. 6. *Denique petiturus à fratre concordiam, dormiuit in castris. Perfecta virtus habet quietis tranquillitatem, & stabilitatem.* Dormiat securus, & tranquillitatem possideat, qui hoc studet, vt concordiam compa

Marginal notes (right column): Genes. 28. — Ambros. — 1. Reg. 24. — Chrysost. — Genes. 32. — Ambros.

comparet etiam cum fratribus sibi infensissimis. Sanè inter Imperatorum victorias, illa non ignobilis est, quæ auro, non sanguine ciuium comparatur. Sic ille se gloriosiùs de hoste vindicat, qui non iniuriis, sed beneficiis illum deuincit. Pulchrè etenim ait D. Valerianus, homil. 13. de pace: *Qui inimicum diligit, se diligit: sibi enim pepercit, qui latrocinantis dexteram magni muneris præda compescuit. Nam partem constat esse victoriæ prælium oblato auri pondere redemisse.* Non ignauiæ, sed sapientiæ diuinæ, sed virtuti maximæ tribuendum est, quòd hostiles animos occupes, non ferro, sed auro; quòd iniuriatorem tuum muneribus vincas. Iacob dispofita munera ad efferum fratrem præmisit, Genes. cap. 32. *Et mansit solus: & ecce vir luctabatur cum eo vsque manè.* Manus conserit cum Deo, & quasi parem luctatorem Deum nanciscitur, qui iniurium fratrem studet muneribus mollire. Sic ait D. Ambr. lib. 2. de Iacob, cap. 7. inquiens: *Itaque Iacob, qui cor suum ab omni simultate mundauerat, vt pacificum affectum gereret, postquam præcedunt omnia sua, solus mansit, & luctatus est cum Deo. Qui enim sæcularia negligit, ad imaginem, similitudinemque Dei propiùs accedit.* Proh felix, & gloriosum duellum, in quo homo victor apparet simillimus Deo; cùm non effundit sanguinem, sed aurum; non ferro, sed muneribus deuincit rebelles.

Valer. Genes. 32. Ambros.

§. II.

Sub beneficiorum titulis, & nominibus maiora odia solent apud feralissimos homines excitari.

IEsus cauerat Iudæam, quia Iudæi volebant eum interficere; & quid aliud mundi salus, mortuorum vita, Iesus ipse de feralibus hominibus compararet, quam rabiem lethalem sibi? Sanè salutiferum, beneficentissimúmque nomen potens vel lapides emollire, in feralium hominum cordibus durissimè, & odiosissimè accipitur. De Paulo aiebat Dominus, Act. 9. *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus*, &c. Quæ verba sic legit D. Ambros. lib. de Ioseph, cap. 10. *Vade, quoniam vas electionis est mihi iste ad sufferendum nomen meum coram gentibus*, &c. Expende illud, *ad sufferendum nomen meum*, &c. vbi enim salutiferum, beneficentissimúmque nomen affulget, magna inde exoritur occasio sustinendi, sufferendíque iniurias pro beneficiis. Nihil priùs comparat beneficiorum titulus apud feros homines, quàm acerbiora odia, quàm rabidiores iniurias. Id quod in se meditatus Philippus Abbas, epist. 9. ait: *Si denudati Noë verenda nequaquam nota feci, sed in modum Sem, & Iaphet eis pallium superieci; quare mihi maledictio Cham irrogatur? Si cùm Saul ventrem purgaret, super eum gladium non extraxi, sed in eum irruentes reuocaui milites, & retraxi: quare idem Saül grauat, & persequitur me pusillum? Vt vobis fatear non liquet, quare factus sim odiosus, nisi quia, vt potui, factus sum fructuosus: iuxta quod, vt quasi per somnium recolo, quidam Ethnicus pulchrè dicit, qui fructiferam arborem loquentem introducit:*

Nil ego peccaui, nisi si peccasse vocetur,
Annua cultori poma referre suo.

Act. 9. Ambros. Philipp.

Hæc est potissima odiorum causa apud homines feros, quòd quis beneficus sit, & illis fructuosus euadat: quò fructuosior, quò beneficentior es, eò truculentiores excitas hominum rabies. Hinc Iesus donaturus vitam defuncto Lazaro, Ioan. 11. *Lacrymatus est.* Amplexatus crucem, non lacrymatur; sustinens durissimos clauos, nullas fundit lacrymas, & cùm ad vitam dandam accedit, tunc lacrymatus est. Et quæ inter dilargita dona apparere potuit causa lacrymarum? Sanè præsentes aderant innumeri Pharisæi, de quorum cordibus beneficia, & dona illis facta non aliud nouerunt extorquere, quàm maiorem duritiam, maiorem causam lacrymarum. Hinc August. serm. 104. de tempore, ait: *Propter Iudæorum flebat incredulitatem, quia nec resurgente Lazaro, Christo Domino fuerant credituri.* Dona Iesu de Iudæis non fidem, non beneuolentiam, sed incredulitatem, & lacrymarum causas valuerunt extrahere. Id quod notans Ioannes ibidem dicit, post excitatum Lazarum: *Quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisæos, & dixerunt eis, quæ fecit Iesus. Collegerunt ergo Pontifices, & Pharisæi concilium, & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic*, &c. Audiunt Iesu munera; vident ciuium vitas à Iesu venire; & concilium cogunt, vt benefactorem suum citiùs morti adiudicent. Rem stupet D. Basil. Seleuc. orat. 31. *Erant in oculis densissima miracula curationum, maria omni genere bonorum profluentia: sed ex beneficentia luctu conficiebantur. Paralyticus solidabatur; oculi cæco reficiebantur: mortuus ob illatam inferno cladem gestiebat, & medicus in crimen vocabatur. Adferebantur in libertatem à diabolica potestate, & rursum lamentantium voces inculcant. Quid facimus? Communis naturæ pernities sunt Iudæorum mores.* Et meritò vocantur illi naturæ pernicies, in quorum cordibus vel beneficia maiorem excitant rabiem, & acrimoniam.

Ioann. 11. August. Basil Sel.

Text. Erat autem in proximo dies festus Iudæorum, Scenopegia. Dixerunt autem ad eum fratres eius: Transi hinc, & vade in Iudæam, vt & discipuli tui videant opera tua, quæ facis. Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipse in palam esse: si hæc facis, manifesta te ipsum mundo.

§. III.

In creaturarum affectu nulla stabilitas.

AFfectum suum erga Deum ab Ægypto liberatorem ostendebant Iudæi celebrato festo Scenopegiorum; hoc est, tabernaculorum: egressi enim à domibus suis, sub tabernaculis morabantur in agris, dum durabat celebritas tanta. Et cur non in domibus, sed in tabernaculis permittuntur morari istius tempore celebritatis, nisi vt ostenderetur, in creaturarum affectu nihil posse esse durabile, nec stabile? Sanè vt tabernacula mobilia sunt, & iam huc, iam illuc transferuntur, sic affectus humani passim mutantur, nec diutius in eodem statu manent. Non creatura, sed Deus sit, cuius affectus & perpetuitatem habent, & perennitatem. Hinc aiebat Paulus ad Romanos cap. 5. *Spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Expende, vnde colligat firmitatem, & stabilem plenitudinem spei nostræ Apostolus, nimirum ex eo, quòd charitas à Deo in nos veniat, non per Angelum, non per Archangelum sed per Spiritum sanctum. Ex quo D. Ambros. aduersus hæreticos colligit, Spiritum sanctum non creaturam, sed Deum esse, quando facit Dei charitatem in hominibus perennare: quippe ait lib. 1. de Spiritu sancto cap. 7. *Charitas Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum: vt intelligamus non esse opus Spiritum sanctum qui diuinæ arbiter, & fons profluus charitatis est.* Et quidem non potest esse creatura; sed Deus, cui indeficiens, & perennis est charitatis fons, ne vnquam affectus siccetur vena. Ideò monebat Dominus apud Luc. cap. 14. *Cùm facies prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos tuos, neque vicinos diuites: sed voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos.* Cur non vocet etiam amicos, & vicinos diuites? Nónne bonum est homini, si amicos sibi conciliet? Nónne salutare est, si vicinos diuites sibi beneficiis obstringat? Cur ergo non permittitur homo alios inuitare, quàm pauperes? Cùm in pauperibus inuitetur Deus, præclarè docetur homo, vni Deo fidere, à quo solo potest venire firma, & stabilis beneuolentia: à creaturis enim nullus nascitur amicitiæ affectus, qui non decidat, & arescat. Ait enim D. Chrysostom. hom. 1. in epist. ad Colossens. *Amicum si vocaueris, ad vesperam durabit ista gratitudo. Propterea consumitur ista amicitia velocius, quàm qualibet temporum, ac momentorum exordia. Pauperem sanè, & mutilum si vocaueris, nunquam peribit gratitudo. Nam debitorem habes Deum, qui perpetuò reminiscitur, & nunquam obliuioni tradit.* Vanus est, qui in creaturis stabilitatem gratitudinis, & affectus expectat: non est creaturarum affectus tantus, qui durare, & permanere possit diutiùs. Id solùm pertinet ad affectum diuinum, vt dicat Ioann. cap. 13. de Dei filio: *Cùm dilexisset suos, qui erant in hoc mundo, in finem dilexit eos.* Quod ponderans D. Thom. in Cat. ait: *Hos ergo suos, qui erant in mundo, mansit amans continuè, & tandem perfectam amicitiam circa eos ostendit.* Et cuius amor maneret continuè, nisi Dei amor in suos? Deus est solus, in cuius affectu permanentiam, & stabilitatem possumus inuenire. In creaturarum autem affectibus nulla est permanentiæ securitas. Matth. 12. aiebat Dominus: *Ita erit filius hominis in corde terræ?* Ex quo educit celerem inde resurrectionem Chrysol. quia datur Iesus non manibus, non potestati terræ, sed cordi; in corde autem terreno nihil æternum durare potest. Chrysol. serm. 5. in feria 5. Passion. *Non dixit, in potestate, scilicet terræ; sed dixit, in corde: vt terra suum sentiret, agnosceret, tremeret, sed non teneret auctorem.* Nihil enim sciunt stabiliter tenere affectus creati cordis.

Rom. 5. Luc. 14. Chrysost. Ioan. 13. D. Thom. Matth. 12. Chrysol.

§. IV.

Carnales affectus numquam non coniiciunt hominem in grauiora, & difficiliora pericula.

AVscultare, quid moneant Iesum carnales eius propinqui, nimirum, *transi hinc, & vade in Iudæam*; in Iudæa enim erant validissimi Iesu osores, ibi hostiles Pharisæorum animi; ibi rabidior inuidia; ibi armata malitia, inermis iustitia, contempta virtus. Huc ire Iesum monebant carnales propinqui; & quando cuspidibus adnatare non monent hominem carnales affectus? Accipite Dauidem iustissimum, & prudentissimum hominem; de illo sic dicitur. 2.Reg.23.

2.Reg. 23. *Et Dauid erat in præsidio, porrò statio Philisthinorum tunc erat in Bethlehem iuxta portam. Desiderauit ergo Dauid, & ait: O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem iuxta portam.* Sanè præ manibus erant Dauidi mille fontes aquarum, mille stagna, imò & maria dulcissima, ex quibus posset facili negotio vsque ad satietatem aquam capere; sed omnes aquas prætериens illam desiderauit, quæ erat in porta Bethlehem. An quia illa cæteris dulcior, & suauior? Minimè; sed quia carnali, & animali affectu ducebatur, qui ardētiùs inclinat ad ea, quæ magis sunt plena periculis, & alea.

Ambros. D.Ambros.lib.1. de Iacob, cap.1. *Cùm aliis defuisse aquam non inueniamus in tanto exercitus numero, cùm vtique multò minùs Regi deesse potuerit ex cæteris fontibus aqua, irrationabilem quandam concupiscentiam passus desiderauit eam, quæ erat hostium circumfusione vallata, vnde sine maximo periculo non facilè potuisset deferri.* Et quidem nescit alio, quàm in summum discrimen impellere concupiscentia carnalis. Væ tibi, homo, cui imperant carnales affectus, mundiales concupiscentiæ; fallat, nisi præceps agaris, nisi ad summa discrimina festinatissimè feraris. Dum Machabæi pro patria, & religione decertant, initum erat cum ingenti multitudine hostium certamen; &

1.Mach.6. tunc sic dicitur lib.1.cap.6. de Eleazaro: *Et vidit Eleazar filius Saura vnam de bestiis loricatam loricis Regis: & erat eminens super cæteras bestias. Et visum est ei, quòd in ea esset Rex: & dedit se, vt liberaret populum suum, & acquireret sibi nomen æternum. Et cucurrit ad eam audacter in medio legionis, interficiens à dextris, & à sinistris, & cadebant ab eo huc, atque illuc. Et iuit sub pedes elephantis, & supposuit se ei, & occidit eum, & cecidit in terram super ipsum, & mortuus est illic.* Non contentus eminùs pugnare, dum videt elephantem, à quo mille strages suorum veniebat, sub pedes elephantis ipsius init; quale hoc discrimen? Sanè euidentissimum erat, & summum periculum vel elephanti approximari; at de sub pedibus, non tam periculum, quàm euidens, & certa videbatur ruina. Quis ergo impulit strenuum Eleazarum, vt sic festinaret ad ruinam, atque sibi duelli partem eligeret, in qua prorsus

Dan. 3. occlusum erat omne effugium? Ait textus: *Dedit se, vt acquireret sibi nomen æternum*: fame amor, validissimus quidem carnis affectus sic hominem egit, vt non contentus esset, nisi summa, & ineuitabilia amplexaretur discrimina. Sic semper feruntur, qui feruntur carnalibus affectibus, qui nesciunt nisi per grauissima pericula, & discrimina homines ferre. Magna illa Susanna, Dan.3. dum à lasciuis senibus circumuenitur, ait: *Angustiæ sunt mihi vndique*: dum angustias nominat, intrinsecum animi dolorē significat, non corporis pœnam vllam. Et mirabar, quòd angustiata mulier nullum in corpore incommodum inferret sibi: solent enim fœminæ in angustiis faciem percutere, lacerare, euellere crines, & alia efficere; quibus maximè in corpore feriuntur. At Susanna angustiis suis animam vehementer affligit; corpori autem sic parcit, vt nec capillum de capite patiatur perire. Et cur sic parcit corpori in tanta angustia? Non acquiescebat carnalibus affectibus sed ferebatur diuinis; carnales enim affectus nulli permitterent eam parcere periculo, sed & animam, & corpus in extremo constituerent discrimine. Ad

Ambros. hæc Ambros.lib. de fuga sæculi, cap.9. ait: *Susanna effudit supra se, non corpus, sed animam: effudisset enim corpus, si carnalibus acquieuisset.* Fallar, si carnales affectus illam non cogerent, nulli parcere periculo, sed potius impellerent induram sui corporis carnificinam: & facerent in Susanna, quod fecerunt in castissima illa Lucretia. quæ propriis manibus interfecta occubuit. Hanc lanienam suggesserunt Lucretiæ carnales affectus dominati illius; quos quia repulit Susanna, omninò exiuit victrix.

§. V.

Non adeò celsum, & remotum locum terit pes euangelizantis, quò non perueniat manus hominis temporalis.

SAnè venerat Iesus, vt faceret salutem in medio terræ; vt nimirum Hierosolymis mysteria regni, & faceret, & annuntiaret. Sed & fratres eius temporalis gloriolæ cupidi eumdem monent, vt Hierosolymam vadat. Quò non perueniat cupiditas temporalis. Nullò, mihi crede, accedet pes euangelizantis Dei regnum, euangelizantis æternam animarum salutem, & pacem, quò non perueniat vel priùs, vel simul cupidorum hominum manus. Aiebat Ioan. Apocal.10.

Et vidi alium Angelum descendentem de cœlo, amictum nube, & iris in capite eius, & facies eius erat vt Sol, & pedes eius tanquam columnæ ignis, & habebat in manu sua libellum apertum, & posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram, &c. Apoc. 10. Ecce tibi ministrum euangelicum velocissimum in annuntiando, & aperiendo scripturarum libro, vestitum nube, & totum roscidum, vt doctrinæ pluuia possit terram fœcundare: cuius pedes non solùm terras, sed & remotissima maria calcant. Quod mare non dextro pede calcat minister euangelicus? Sed & audio Psal.103. *Hoc mare magnum, & spatiosum manibus.* Psal. 103. Angelici ministri pedes maria remotissima calcant: & manus inueniuntur currere per maria. Pedes, vt ferant pacem: manus, vt rapiant bona temporalia; nullò enim accedit pes nuntians salutem, quò non perueniat manus cupiditatis, peruadens etiam remotissima maria. Quippè ait D.Basil.Seleuc.orat.35. *Vectigalium redemptionis ad vtraque elementa maris, & terræ inexplebilium publicanorum manus diuidit.* Basilius Seleuc. Non est terra adeò inaccessibilis, non est mare adeò impenetrabile, quò non perueniat pes euangelizātis salutē, quò non peruenerint Publicanorum auarissimæ manus, & inde bona temporalia rapiant. Cant.5. ait Dominus sponsæ suæ: *Oculi tui sicut columbæ super riuulos aquarum.* Cant.5. Sed & Esdras, lib.4.cap.11. ait: *Et vidi somnium, & ecce ascendebat de mari aquila, cui erant duodecim alæ pennarum, & capita tria. Et vidi, & ecce expandebat alas suas in omnem terram.* 4.Esdr.11 Meritò Christi sponsæ oculi, nimirum ministri euangelici dicuntur columbæ, cuius volatum non retardant maris aquæ, imo ipsæ sunt super omnes aquas: quocumque aquæ feruntur, eò feruntur oculi columbarum. Verùm & similiter dicitur de aquila, quòd surgit de mari, quòd sese eleuat de marinis aquis. Quid aquila cum aquis, super quas volitant columbæ euangelicæ? Ait Philipp.Abb. lib.4. in Cant. cap.19. *Aquila videt longè districtiùs & acutiùs ad rapinam; columba innocentiùs signans mitem, & simplicem disciplinam.* Philipp. Et quidem non antea columba euangelica penetrauit maria, vt salutem & disciplinam nunciaret animarum quam mundiales aquilæ suos eò protenderent volatus, vt inde ingentes raperent thesauros. Huc spectat illud Isaiæ cap. 18. *Ite Angeli veloces ad gentem conuulsam, & dilaceratam; ad populum terribilem, post quem non est alius.* Isai.18. Vbi lectio Pagnini habet, *Ad gentem tractam, & depilatam.* Iubentur ire velocissimi prędicatores ad vltimos mundi populos, vt inibi prædicetur salus. Sed licet remotissimi populi essent, & in vltimis oris constituti; tamen non priùs senserunt pedes velocissimos euangelizantium, quàm rapacium auarorum manus, adeò vt exinde apparerent depilati. Ad vltimos iubentur ire Angeli veloces, sed iam depilatos, ne velociores prædicantium pedes ad salutem nuntiandam appareant, quàm temporalium rapacitas ad populos depilandos.

§. VI.

Iesus siue in manifesto, siue in latebris: eodem modo hominibus est salutaris.

INscienter Iesum velut infructuosum carpunt fratres eius, quòd in Galilæa, quasi in occulto sit, nec sibi persuadent, posse aliquid magnum effici ab homine latente, quippè aiunt: *Nemo in occulto quid facit, manifesta te ipsum mundo.* Meritò de his dicitur, quòd non credebant Iesum; si enim crederent, quòd Iesus esset Dei Filius, non dubitarent; Deum tam latētem, quàm manifestum esse hominibus proficuum, & salutarem. Isaias cap.45. aiebat: *Verè tu es Deus absconditus.* Isai.45. Sponsa verò Cant.1. *Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te nimis.* Cant. 1. Expende, quàm manifestum est oleum, quod non intra vas tenetur, sed extra effunditur, tam patens, tam manifestus exponitur Deus, quò hominum animos detriumphet, & mille accendat in singulorum

cordi

cordibus amoris pyras. Hæc Deus effusus,& manifestus facit; cur ergo magis amat abscondi, quàm effundi; magis amat occultari, quàm manifestari?Cur,quem sponsa extollit manifestum, Isaias celebrat absconditum? An potest in abscondito manens esse æquè fructuosus, & proficuus? Ait
Psal. 30. Psalm.30. *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ,à conturbatione hominum.* Sanè vt manifestus animas incendit, sic absconditus easdem defendit, vt tam absconditus, quàm manifestus ostendatur hominibus proficuus. Aiebat Philip.Abb.lib.1.
Philipp. in Cant. c.11. *Quem Isaias dicit absconditum, effusum tamquam oleum iam videmus cunctis expositum: expositum quidem, vt sanatiuum ægrotis oleum effundat;absconditum, vt sanatos in faciei suæ abscondito nos abscondat.* Non minùs in abscondito,quàm in manifesto facit Iesus opus humanæ salutis; non minùs est nobis fructuosus: quando enim homo necesse habet & sanari,& abscondi;dum manifestus est Dominus, sanat homines,quos similiter protegit, & defendit in suo abscondito. Timentem ab hostibus puerum vt consolaretur Elisæus
4.Reg.6. 4.Reg.6. rogauit Dominum, vt se illi ostenderet defensorem: *Et apertis oculis,vidit puer currus, & equos.* Quod notans
Hieron. D.Hieronym. Psalm.75. ait: *Videte, quid videat; currus, & equos. Nemo hominum erat super ipsos; sed erant soli currus, & equi. Ascensor autem erat Dominus.* Itaque ascensor equorum, & curruum erat Dominus, qui tamen non videbatur, sed prorsus manebat absconditus,soli equi & currus versabantur ob pueri oculos.Et cur,ostensis curribus,ostensis equis, non sese ostendit Dominus, sed mauult manere occultus, & absconditus?Sanè vt puerum Elisæi, imò vt salutem omnium defendat Dominus, non interest, quòd absconditus, aut manifestus sit;vel in abscondito suo est æquè proficuus nobis,& fructuosus. Norant id illi,de quibus D.Luc. cap.4.
Luc.4. *Cum autem Sol occidisset, omnes, qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum.* Non sub luce existentem, sed sub tenebris obnubilatum adeunt, vt ab illo extorqueant infirmorum sanitatem. Et cur expectant ad id Solis occasum, nisi quia sciebant, à Iesu abscondito, & occulto eadem, & fortè maiora beneficia solere causari. Ad hæc
Hieron. D.Hieronym.in Matth.cap.8. *Omnes non manè,non meridie,sed ad vesperam curantur: quando Sol occubiturus est, quando granum tritici in terra moritur, vt multos fructus afferat.* Vt granum in terra absconditur, vt fructus pariat; sic Deus dum absconditur, dum videtur magis occultari, tunc salutares nouit fructus parere. Latente Iesu in vtero matris, ait ad
Luc. 1. matrem eius Elizabeth,Luc.cap.1. *Ecce vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in vtero meo.* Ad quæ verba sic D.August.serm.13.de tempore: *O omnipotentia nascentis, ô magnificentia de cælo ad terram descendentis. Adhuc in vtero portabatur, & ex vtero matris à Ioanne salutabatur.* Nec totum vteri latibulũ potuit impedire Christi magnalia.

§. VII.

Felix ille, cuius vel occultissima opera possunt sine formidine manifestari.

IAcentem, & sese occultantem in Galilæa Iesum sic vrgent fratres eius,vt velint, quòd eius ibi occulta, & abscondita opera manifestè mundo pateant. Nec verentur,sed amant,quòd ignotæ,& occultæ Iesu operationes in lucem, & conspectum omnium proferantur. Sic enim clamant: *Si hæc facis, manifesta te ipsum mundo.* Quid felicius,talem te in occulto gerere,vt nullo familiæ tuæ pudore,imò magno eius honore possis luminibus præsentari? Aiebat sponsa
Cant. 3. Cant.3. *In lectulo meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea.* In noctium latibulis, in tenebrarum abscondito nihil aliud agit, quàm quærere Dominum. Quid inde Psalm.138. *Nox illuminatio mea in deliciis meis.* Nox illi vertitur in lucem;latibulum fit repente clarum,nec in totis tenebris aliquod factum inuenitur,quod timeat diuulgari. Id quod stu-
Gillibert. pens Gillib. Abb.serm.1.in Cant.fatur: *Vtinam ego tales possim mihi noctes numerare, tam latebrosas, & tam luminosas. Et quis nostrum gloriabitur,omnes se tales noctes habere? Quisquis est,felix est,cui omnes noctes in vsum talem decurrunt, qui in occulto suo nihil agit occultatione dignum.* Hæc est maxima hominis laus, & felicitas, quòd eius opera, etiam in recessibus, & absconditis facta, possint gloriosè prodire in lucem. Non sunt illi latebræ ad occasionem turpitudinum,sed ad stimulum,quo magis appetantur lumina. Quò respiciens Dauid,
Psal 138. ait Psalm.138. *Non est occultatum os meum à te, quòd fecisti in occulto,& substantia mea in inferioribus terræ.* Talia erant Dauidis opera, quæ ossium nomine intelliguntur, vt etiam in occulto, & in speluncis facta, potuerint coram Deo subsistere.Sed adhuc pulchrius in rem nostram Hieronym.legit:
Non est occultatum os meum à te,quod fecisti in occulto,imaginatus sum in nouissimis terræ. Expende illud, *imaginatus sum in nouissimis terræ*; hoc est, imago pulcherrima factus sum in Hieron.
nouissimis terræ. Latebras quærit pictor,& secretissimos domus recessus; & quæ pariunt latebræ pictoris? An pariunt illa dedecora hominis, quæ debeant abscondi, summisque tenebris sepeliri? Absit; imò pictor,quò magis latenter,& secretè operatur, eò illas imagines perficit, quæ citius petant in diem lucemque prodire.Sic bonus,sic felix homo in nouissimis terræ, in absconditissimis recessibus, vbi alij Dei imagines turpant, vel prorsus delent, ipse sic ad imaginem Dei & politur, & viuit, vt numquam minus occultatione dignus videatur, quam vbi operatur in occulto. Equidem Dauid in occulto erat,in tenebrosa spelunca latens;vbi nactus infensissimum hostem Saulem,& inermem,& solum,& inscium periculi,maluit eius vitæ parcere;& postquam cohibuit suos,ne inimicum interficerẽt in latebris, ait textus,
1.Reg.cap.24. *Saul exurgens de spelunca,pergebat cœpto itinere. Surrexit autem & Dauid post eum,& egressus de spelunca,clamauit post tergum Saul, dicens: Domine mi, Rex*, &c. Expende 1.Reg. 24.
quæso, quid fecerint latebræ in Dauide, antea Dauid conspectum Saulis fugiebat, nec poterat eius oculis apparere:nunc ab spelunca egressus, talis egreditur, vt non dubitet sese regiis obtutibus dedere? Vnde hæc audacia Dauidi? Sanè hæc est Dauidis felicitas, quòd in abditis terræ spelæis,in abscondito speluncarum,vbi alij latronum sæuitiam,& turpitudinem exercent; ille sic se gessit,talia opera perpetrauit, quæ minimè paterentur latere, sed in lucem edi. Quod miratus Chrysostom.homil.de Saule,& Dauide,
inquit: *Egressus est Dauid ab spelunca gestans coronam iustitiæ. Egressus est amictus humanitate, naturam humanam superonse, quod pallium est quauis stola magnificentius. Egressus est spelunca tanta cum gloria,cum quanta egressi sunt tres pueri de camino ardenti.* Quid gloriosius?Quid felicius? Sanè in occulto nihil egit Dauid occultatione dignum; sed de latebrarum facinoribus meruit extolli, & nobilior fieri. Chrysost.

Text. Dicit ergo eis Iesus:Tempus meum nondum aduenit, tempus autem vestrum semper est paratum. Non potest mundus odisse vos: me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo,quòd opera eius mala sunt. Vos ascendite ad diem festum hunc,ego autem non ascendo ad diem festum istum, quia meum tempus nondum impletum est.

§. VIII.

Vni sibi taxans tempus honoris, & gloriæ Dominus, honorem sine vlla taxatione, & præscriptione temporis hominibus suis impertitur.

ASsentior D.Augustino,qui putat in præsenti sermonem esse de tempore honoris, & gloriæ; quod sibi negans aduenisse Dominus Iesus, affirmat, id semper paratum esse suis propinquis. Vbi enim sibi taxatum, & determinatum honoris tempus ostendit in mundo,propinquis suis sine vlla temporis taxatione honores definiuit. Nondum humanum tempus cernebatur, nondum homo vel primum agebat diem, & iam Deus circa eius perfectionem ostenditur
solicitus:quippe ait Genes.1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit*, &c. Nondum primus dies Genes. 1.
hominis venerat,nondum prima hora vitæ humanæ visebatur, & honoris, & principatus eius tituli iam parabantur, ne vllum esset tempus non paratum à Deo honori hominum, vel ante hominum conditionem. Id notans D. Basil.
Seleuc.orat.1.ait: *Nondum formatus homo à conditoris considerantia,& Dei consiliis commendationem, & pretium accipit: Faciamus,inquit,hominem ad imaginem nostram. Antiquiorem conditione sua honorem suscipit.* Nulla temporis taxatio est ad Basilius Seleuc.
præstandum honorem hominibus, vel ante tempus vitæ humanæ,eius honoris tempus à Deo paratur.Et qui sibi honoris tempus in mundo determinat, & præscribit, sine vllius temporis præscriptione,imò vel ante tempus honorem hominibus largitur.Hanc Dei mentem ebibe,Christiane,& tibi in re honorum cùm sis parcissimus; proximis tuis te ostẽde largissimum. Ad tuum honorem tempus determina, præfige;

præfige ; ad cæteros honorandos omne tempus sit opportunum,& in tempore, & ante tempus cura honorem cæteris largiri.Ioan.cap.2. ad nuptias venit Iesus,in quibus matri ostendenti defectum vini respondet, quo ad nos aliquantisper dutiuscule.Ait enim: *Quid mihi, & tibi, mulier? Nondum venit hora mea.*Et quæ hora non venerat Iesu?nempe hora, & tempus glorificationis suæ per miraculorum effectionem: non erat adhuc tempus glorificandi se,& iam erat tempus assidendi pauperculorum nuptiis. Cur, Domine,cùm nuptiis assideas,negas tuum adhuc venisse tẽpus?In negato tẽpore loquebatur de suæ glorificationis,& honoris tempore, quod in mundo non nisi taxatum, & determinatum sibi decreuit.Nuptiis adest,vt nascituris prouidens pararet benedictionem,& honorem sua præsentia. Et ad præstandum aliis honorem, nullum tempus non paratum, & opportunum reputat, etiam ante ipsam conditionem humani temporis.Cyrill.lib.2.in Ioan.cap.22.*Opportunè iam ad signorum initium accedit. Nam honestè celebratis nuptiis,tam mater,quàm ipse cum discipulis inuitatus adest: ad hæc vt natiuitatis nostræ principium, quantum ad carnem attinet, sanctificaret. Oportebat enim quoniam totam naturam hominis ad melius restaurabat, non solùm natis viam hominibus benedicere, verùm etiam nasciturus gratiam præparare.* Vt homines benedictionibus, & gratiis impleat, non expectat eorum natiuitatum tempora ; sed nuptiis ipsis parentum adest, omne tempus reputans opportunum, & paratum, vt alios honoret,& cumulet gratiis, vel ante eorum natiuitatem, vni sibi honoris tempus præscribit,& taxat.Huc spectabat illud Ecclesiastæ, cap.11. *Manè semina semen tuum, & vespere non cesset manus tua.*Et meritò,non in metendo, sed in seminando inaccessibilitatem amauit:sed vt ostendat, quòd ad metendos nobis honores,etsi parci simus, & tempora taxata. & definita habeamus;ad seminanda beneficia in alios,nulla temporis taxatione vtamur, sed omnia tempora putemus opportuna, atque parata esse.

Cyrillus. — Eccles. 11.

§. IX.

Mundana gloria ad diuinæ gloriæ præsentiam euanet, disparet.

SApienter Dominus ait, suæ glorificationis tempus nondum venisse, quando hominum mundialium gloriolæ tempus semper paratum erat. Et quidem possent minimè simul esse gloriola mundialis, & gloria diuina:ad huius enim præsentiam necessum esset,vt dispareret illa. Hierem cap.17.ait:*Sana me,Domine,& sanabor;saluus ero,quoniam laus mea tu es: & diem hominis non desideraui, tu scis.* Ecce vbi de solo Deo gloriatur, vbi laudem à Deo expectat, vt hæc veniat, nihil priùs in se ostendere cupit, quàm plenum humanæ laudis, & gloriolæ fastidium. Quippe ait:*Diem hominis non desideraui.* quasi dies hominum non possint stare simul cum diuino die: sed vbi hic apparet,necessum sit illos abire. Pulchrè hæc inquit Gillibertus Abbas, sermone 1.in Cantica, aiens:*Nescio,quo pacto sibi aduersantur,& alterutros se obscurant dies Domini,& dies hominis. Siquidem dum alter exoritur,alter reconditur. Diem,inquit,hominis non concupiui,hoc est, humanum fauorem, hominum gloriam, & inter reliquos, imò præ reliquis spectabilis videri. Rectè hanc diem Propheta abiurat.* Non patitur dies Domini esse simul cum humano die ; hic totus est in fauoribus aucupandis humanis, in expiscanda mundiali gloriola, qua præ cæteris fulgeat ; ille solam Dei gloriam spectat. quam qui respicit.& in se habere contendit, necessum est, vt mundialium gloriarum dies abitet. Nequit nec ad punctum diuina gloria simul cum mundiali, & inani consistere. Hinc petentibus Discipulis cœlestem consessum, Matth.20. respondit Dominus: *Sedere autem ad dexteram meam,vel ad sinistram,non est meum dare vobis.* Et sanè ipse Dominus est,qui arbitrio suæ diuinitatis,& suæ passionis meritò dedit illis,& omnibus Apostolicis viris. quòd sedeant ad dexteram suam;cur ergo tunc negat suum esse. illam præstare gloriam suis Discipulis? An tunc temporis erat ipse minùs potens ad largiendam gloriam diuinam? Absit; sed Discipuli dum inani gloria laborabant, faciebant, ne ad illos posset gloria peruenire diuina;quæ nec ad punctum potest cum inani,& mundiali gloria subsistere,sed illam prorsus excludit. Iuxta quod ait D.Cyrill. Alexand. lib.10.thesaur. cap.5. *Inani gloria moti à dextris, & à sinistris meis sedere concupistis:id autem dare meum non est. Ab inani ergo Zebedæi filios gloria, improbáque ambitione deterret.* Nemo speret cum mundiali gloria gloriam diuinam coniungere;

Hier. 17. — Gillib. — Matth. 20. — Cyrillus.

neque enim id potestas Dei ordinaria valet efficere, sed vt gloriam veram cælitùs trahit, illámque parat infundere, id satagit, vt abscedat prorsus mundialis gloria, nullúmque mundi idolum maneat, vbi diuina gloriæ inferuntur. In 1.Regum 5.gloria Dei,nimirùm eius arca introducta fuit in templum Dagonis.Quid tunc? *Dagon solus truncus remanserat*:statim cecidit ab ara Dagon, & ita confractus est,vt solus truncus remaneret. Eucherius legit:*Dagon solum dorsum remanserat*: ex quo arca Dei apparuit,sic euanuit Dagon, vt solùm eius dorsum posset monstrari.Cur solùm dorsum?Ait Eucherius ibi: *Dorsum illius solum inuenerunt,fractis omnibus eius membris. Dorsum quippe fugam significat. Quicumque enim fugiunt, persequentibus dorsum dant.* Eodem prorsus modo ad diuinæ gloriæ conspectum ambitiosa idola fugam arripiunt, solúmque dorsum mundialium gloriarum confugientium conspiciendum datur: quippe inquit Psalm. 67. *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora eius in pallore auri.* Nihil de columbæ pectore, nihil de ore, nihil de oculis, sed de solo dorso dicit. Cur non magis explicat, quale sit pectus columbæ, quale os, quales oculi? Cur solius dorsi explicatur pallor? Loquitur ad eos,qui in limine iam æternæ,& solidæ gloriæ quiescunt;ab iis autem sic euolant, sic fugiunt omnes gloriæ mundiales, vt solùm earum dorsum videndum possit dari, & id instante iam fine pallidum.

1.Reg 5. — Eucher. — Psalm. 67.

§. X.

Qui Dei magnalia nouit, & sperat, facili negotio infima hæc mundi despicit.

MVndialia festa, & gaudia mundanis relinquit Dominus, dicens: *Vos ascendite ad festum hunc, ego autem non ascendam,*&c. Quid enim de gaudiis mundi sumeret ille,cui cordi erant gaudia diuina? Ait enim D.Cyrill. in præsenti: *Ego verò, cui vmbræ iam cordi non sunt, non ascendo ad festum hunc, quia per figuras celebrare iucundum non est: expecto autem veræ solemnitatis tempus.* Sanè qui solida cœli gaudia videt, facili negotio à se abiicit, quidquid gaudij habet mundus. Ioannis pater Zacharias tẽpli sancta ingreditur, multa bona à Deo petiturus pro populo. Luc. cap. 1. *Apparuit autem illi Angelus Domini stans à dextris altaris incensi. Et Zacharias turbatus est*, &c. Angelus apparet, & Zacharias nil postulans,totus turbatus obmutuit.Cur non magis postulat?Cur non magis preces pro pace populi, pro terræ prouentibus fundit? Sanè qui cœlestium ciuium spectat in Angelo gloriam,infima hæc mundialia petere,imò & velle fastidit. Ait Chrysol.serm.86. *Non est mirum, si turbatur Sacerdos, si stupet Doctor,si pauescit antistes,si tacet minima,cum videt maxima.*Ad maximorum conspectum quis non abiiciat minima? Ad æternorum gaudiorum vel odorem, quis transitoria gaudia non fastidiat?Dicebant Iesu propinqui in hoc 7.Ioannis capit *Manifesta te ipsum mundo*:cupientes ex Christi miraculis humanam gloriolam ipsi expiscari. Et addit Ioannes:*Neque enim fratres eius credebant in eum*: nihil diuinum credebant esse in Iesu?Et cur hæc addidit Euangelista?Cur cũ propinqui Iesu amabant honorari de eius miraculis clam factis, publicat de illis Ioannes, quòd nihil in illo diuinum, nihil credebant maximum?Vt ostenderet radicem, qua illi mundanam gloriolam venerabantur; necessum enim fuisset, quòd minimarum harum rerum cupiditatem abiicerent, si vel sub fidei vmbris aliquid eximium, & diuinum in Iesu viderentur conspicari. *Miracula videntes occultius ab eo fieri in Galilæa, inanem gloriam hortantur. Addit autem necessario Ioannes,nondũ etiam illos in Iesu credidisse, ne tam friuola, delectaque verba credentes dicere viderentur.* Sic Cyrill.Alexand. lib.4.in Ioan. cap.32. Non poterat esse cum fide speculante aliquid magnum,& diuinũ in Christo cupiditas.& æstimatio rerum friuolarum deiectarum. Fides enim diuinarum rerum non nisi à magnis oritur, & circa magna, & illustria versatur deiecta, & humilia creaturarum maximè auersatur. De inæstimabili Dei erga homines charitate locutus Ioan.cap.3. aiebat: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret:vt omnis,qui credit in eum,non pereat.* Expende, quam dilectionem Dei erga homines proposuit Dominus credentibus, nimirum, dilectionem, quæ vnigenitum, & consubstantialem Filium Dei pro hominibus traderet. Poterat ne alia Dei dilectio.quæ non Dei Filium, sed creaturam aliquam offerret pro mundo, credẽtibus persuaderi? Absit;fides enim.quæ circa Dei magnalia versatur,vbi odorem diuinitatis sentit, nihil æstimat omnia creata: quippè ait D. Hilar. lib. 6. de Trinitate: *Ad ea, quæ ex nihilo sunt substitu*

Cyrill. — Luc. 1. — Chrysol. — Ioan. 7. — Cyrill. — Ioan 3.

substituta, redimenda, eum, qui ex nibilo substituit, præbuisse: non facit magni meriti fidem vilu, & spernenda iactura. Hinc dilectionis, & charitatu fides est, munus saluti & Filium, & suum, & vnigenitum præstitisse. Nescit fides æstimare quid nisi magnum, & diuinum: tunc credit dilectionem diuinam, & charitatem erga suos alumnos esse, cùm vnicum Dei Filium videt tradi pro illis; cætera omnia dona creata, si adsint sine illo, æstimat nihili.

Text. Hæc cùm dixisset, ipse mansit in Galilæa. Vt autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum, non manifestè, sed quasi in occulto. Iudæi ergo quærebant eum in die festo, & dicebant: Vbi est ille? Et murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant, quia bonus est: alij autem dicebant, non, sed seducit turbas: nemo tamen palàm loquebatur de illo propter metum Iudæorum.

§. XI.

Securitatis propriæ prætextus non deterreat ab animarum negotiatione eos, qui perfectioni student.

MAnsio in Galilæa & tranquillior, & securior erat Iesu; nihilominus Galilæam deserit, & Iudæam petit Dominus ad festum, in quo & hostium rabies, & scelerum malitia exundat. Cur ergo, Domine, securitate præfers pericula? Hoc est perfectissimæ mentis studium, quòd animarum instet saluti, prætextu propriæ securitatis deuicto. Luc. 5. videns Petrus ingentem piscium capturam, & Iesu
Luc. 5. admirans virtutem, clamat ad illum: *Exi à me, Domine, quia ego peccator sum.* At Iesus peccatorem videns exit ne ab illo? Absit, sed peccatori adstat, donec illum & nauim subducat ad littus. Et cur non magis sibi consulit Dominus? Cur non magis à peccatorum contagione fugit? Docebat quidem, qualiter debebat vinci prætextus propriæ incolumitatis ab studiosis perfectionis circa quærendam animarum salutem.
August. Ex quo D. August. lib. 2. quæst. euang. cap. 2. ait: *Non enim recessit ab eis Dominus, sed eos subductis nauibus, ad littus perduxit: significans in bonis, & spiritualibus viris, non esse oportere hanc voluntatem, vt peccatis turbarum commoti, quo quasi securiùs, tranquilliúsque viuant, munus ecclesiasticum deserant.* Munus equidem salutis animarum quærendæ non dimittendum est, prætextu quasi securioris, & tranquillioris vitæ. Quid perfectius extra Deum, & quid tranquillius, quàm procuratio animarum salutis? Qui hoc amplexatur studium, quo vincit prætextum propriæ securitatis, vt pretiosas animas à peccatorum fæce educat, fallar, nisi securissimus transeat, & quasi Deus omnia aduersa fugiat. Hierem. c. 15.
Hier. 15. dicitur: *Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris: conuertentur ipsi ad te, & tu non conuerteris ad eos.* Felix, qui huic incumbit officio separandi pretiosas animas à vili fæce vitiorum, quasi os Dei erit faciens lumina in mediis tenebris: nec torrente vitiorum ipse rapietur, sed magis ipse dulcissimas sibi venas faciet scaturire de vitiorum torrente. Ad
Chrysost. hæc aiebat D. Chrysostomus orat. 5. aduersus Iudæos. *Qui huic poterit æquiparari? Quod neque ieiunium, neque humi peractæ cubationes, neque peruigilia, neque aliud quidpiam potest efficere, efficit fratris procurata salus.* Non vtique ieiunia, non eremus, non claustrum, non humi cubationes, non similes aliæ virtutes, quæ circa creata versantur, sic hominem reddunt diuinum, & penè inexpugnabilem, vt proximorum procurata spiritualis salus? Sanè carnis vniuersæ macerationes, & afflictiones non tam inter diuina, quàm inter humana opera computantur, vt de Iesu patiente dicat Isaias,
Isai. 5. cap. 5. *Verè languores nostros ipse tulit, infirmitates nostras ipse portauit:* dum enim patitur, non se tam Deum, quàm hominem demonstrat. At verò negotiatio animarum non humanum opus, sed diuinissimum est. Vnde lex canebat, Exod. 20. de die Sabbathi: *Omne opus tuum non facies in ea.* ex quo eleganter elicit Tertull. non vetari opus circa salutem animarum, quia hoc opus non opus hominis, sed opus est Dei:
Tertul. quippe ait lib. 4. aduersùs Marc. cap. 12. *Dicendo tuum de humano opere definit, non de diuino. Opus autem salutis, & incolumitatis non est hominis, sed Dei proprium; sicut & rursus in lege: Non facies, inquit, omne opus in ea, nisi quod fiet omni animæ, id est, in causa animæ liberandæ, quia opus Dei etiam per hominem fieri potest in salute animæ.* Et sanè quoties homo animarum acquirendæ saluti studet, non facit humanum opus, sed diuinum, séque maximè protegit ab ira diuina. Pro quo illud
Is. c. 2. *Dies Domini exercituum super omnem superbum: & super omnes naues Tharsis.* quibus videtur Propheta diuini iudicij Isai. 2.
iram nauibus opponere: sed & Psalm. 106. ait: *Qui descendunt mare in nauibus facientes operationes in aquis multis: ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo.* Ecce tibi naues apud Isaiam expositæ apparent ruinis, irisque diuinis, Psal. 106.
& furoribus: & apud Dauidem inter Deitatis opera securissimè discurrunt. Ex quo potuerunt naues iris expositæ tantam trahere securitatem, vt & diuinis operibus profundisque Dei mirabilibus appropinquarent? Sanè ex quo homines per naues significati operationes faciunt in aquis multis, hoc est, in populis multis; nullam operationem, quantumuis temporalem, & fluxam fastidientes, qua possint animas lucrari, & Dei operibus sese interserunt, & ab ira protecti profundissima Dei mysteria speculantur. Ad hæc sapienter, & verissimè fatur Procopius in Isaiam: *Neque iis nauibus metuenda Domini dies esse potest, quæ sensus facultate destituuntur, sed iis qui in corporibus huius vitæ, tamquam maris tempestatibus agitantur, quas facilè contemnunt, qui in carne viuentes, eius imperantis castra non sequuntur, sed in aquis multis operationes faciunt, ideoque ad vitæ commoda sese dimittunt, vt eorum, qui in profundo demersi sunt, aliquos lucrentur: vnde opera Domini vidisse, id est, rei gestæ mercedem diuinorum operum, rerumque in profundo mirabilium cognitionem percepisse dicuntur.* Procop.
Non solum in montium ascensu, sed in descensu, & condescensu, inueniunt Apostolici viri, & protectionem, & securitatem, & diuini operis exercitium. Etiam dum populis se interserunt, & ad exercitia vitæ temporali commoda sese dimittunt; dum Grammaticam, dum Physicam, dum Mathematicam docent, vt eorum, qui solis temporalibus immerguntur, lucrentur aliquos, ibi opera exercent, & videnr diuina, & abstrusarum diuinitatum cognitionem pro illis percipiunt. Non multum sapit, qui religiosos viros, seu religiosum ordinem inde claudicare in perfectione putet, quòd vt omnes lucretur, omnibus omnia fit, & Grammaticus, & Physicus, & Mathematicus. Nisi velit quòd & Paulus inferior fuerit cæteris Iesu Discipulis, quòd inter lucrandas animas scenofactoriam artem exercuit, vt libèrius saluti animarum incumberet. Sunt equidem in omni religiosorum ordine multi viri & paruis, & temporalibus destinati officiis, nec ideò minus perfectus est monachalis ordo, quòd cocos habeat pro parandis cibis, procuratores pro colligendis, atque dispensandis fructibus, quando hi requiruntur, vt firmius teneatur finis religiosi instituti. Sic in mendicantibus ordinibus, quorum est animas Deo aquirere; non offendunt summam illorum perfectionem temporalia munera, quæ à multis sumuntur, vt media, quibus possint animas Deo acquirere. Quod sanè opus diuinissimum est, nisi dicas, quòd diuinius ageret Iesus in deserto perpetuo agens solitarius & ieiunans, quàm Publicanorum mensis accumbens, & sedens supra fontem, aquam ex Samaritana requirens. Sanè si perfectius esset ieiunium, & eremus, quàm pro acquirendis animis sudor, numquam mihi persuaderem, in religiosissimis mendicantium familiis, & strictissimis, potuisse ex instituti norma esse dispẽsationes, circa parcitatem victus, & aliorum, concionatoribus, & magistris. Neque etiam crediderim, potuisse euenire euangelicis sudoribus tantam diuinorum mirabilium lucem, quantam in dies videmus scaturire diuulgatis libris. Sed verissimum est illud Procopij dictum. *Qui se ad vitæ commoda dimittunt, vt eorum, qui in profundo demersi sunt, aliquos lucrentur, opera Domini vidisse, id est, rei gestæ mercedem, diuinorum operum, rerumque in profundo mirabilium cognitionem percepisse dicuntur.* Hæc ille. Idem.

CAPVT VII.

Disputatio Iesu cum Iudæis in festo Scenopegiorum.

POSTQVAM occultè Iesus Hierosolymam venit, mediante iam festo, hoc est, quarto die Scenopegiorum, palam, & conspicuus in templum venit, vbi doctrinam cœpit effundere cœlestem. Mirabundi concurrunt Iudæi, qui si saperent, non solum

ſolam admirationem, ſed fidem elicerent diuinitatis illius, qui ſic doctus apparebat, cum nuſquam ſciretur didiciſſe. Erat quidem doctrina Ieſu talis, qualis eſt doctrina, quæ à Deo Patre accepta venit, non qualis in proprio hominis cerebro confingitur. Quod rectè in illa perciperet, quiſquis non garrulis vocibus inſtaret, ſed multo virtutum opere præceptis diuinis implendis incumberet. Et planè vel ex hoc euidenter oſtenditur qualitas doctrinæ; quæ enim ex proprio cerebro confingitur, eò ſpectat, vt humanos plauſus, & auram popularem vel mendaciis ſibi acquirat; quæ autem doctrina a Deo venit, Dei ſolius gloriam quærit; mendacium reſpuit; iniuſtitiam ſecum non admittit. Hanc in ſe doctrinam, & innocentiam oſtendit Ieſus; ex quo probat, quam nequiter expectetur ad mortem à Iudæis Moſaycæ legis obſeruatoribus, quæ ſuis cultoribus vetabat aliquem, innocentem, & iuſtum perimere. Certum erat Ieſum expeti ad mortem a Iudæis, ex quo ſanum fecerat paralyticum piſcinæ Sabbathi die. Hoc vnum Ieſu opus illorum rabiem excitauit primò, vt illum decreuerint interficere, & id ſumma iniuria & malitia. Quando enim lex permittebat hominem die Sabbathi circumcidi; quomodo non vellet, & amaret, quòd totus homo erigeretur in ſalutem, ſi Iudæi vellent eſſe iuſti iudices? Interea Hieroſolymitani non pauci mirantes Ieſum ad mortem expetitum, liberè loquentem, & indemnem; parum abfuit, quòd ſibi perſuaderent illum a Principibus populi habitum eſſe Chriſtum, niſi Ieſu parentes notos ſibi putarent, parentes autem Chriſti ignotos futuros dicerent. Itaque ipſi Ieſu oſores nihil in illo inueniunt, quod non pertineat ad verum Chriſtum, niſi quòd eius parentes populus haberentur conſpicui. Quam perſuaſionem depellit Ieſus, oſtendens ſe à patre Deo veniſſe in mundum, qui vt pater Ieſu penitus ignorabatur a Iudæis, non ab amantiſſimo Filio, qui verè illum Patrem ſciebat, & amabat, à quo in terram fuerat miſſus. Ad hæc multi de turba crediderunt in Ieſum, putantes ſolum Chriſtum poſſe in tam mirabilia opera exſurgere. Quod præcauentes Phariſæi, miniſtros mittunt, qui Ieſum quærant, & vinciant; non id permittit Ieſus, vt qui comprehenſionis ſuæ tempora, & momenta haberet ſtatuta: quinimò vltimo die feſtiuitatis, magis clamoribus omnes inuitabat ad ſe venire, tanquam ad fontem vitæ.

Ioan. 7. Iam autem die feſto mediante, aſcendit Ieſus in templum, & docebat. Et mirabantur Iudæi, dicentes: Quomodo hic litteras ſcit, cùm non didicerit?

§. I.

In mundialium gaudiorum declinatione, & occaſu, tunc propior apparet Ieſus.

QVi occultus acceſſerat ad feſtum, mediante iam feſto; ſeſe omnibus manifeſtat; & quidem nuſquam propior & manifeſtior apparet Ieſus, quàm vbi mundialia gaudia declinant. Sic propinquis rogantibus, vt aſcenderet *Ioan. 7.* Hieroſolymam, reſpondit Dominus, Ioan. cap. 7. *Ego autem non aſcendam ad diem feſtum iſtum, quia meum tempus nondum impletum eſt. Hæc cùm dixiſſet, ipſe manſit in Galilæa. Vt autem aſcenderunt fratres eius, tunc & ipſe aſcendit ad diem feſtum.* Si tempus ſuum aſcendendi nondum impletum erat, quomodo ſtatim aſcendentibus illis, & ipſe aſcendit? Aut ſiquidem ipſe aſcendit ſtatim, quomodo non erat adimpletum aſcendendi tempus? Non equidem erat adimpletum tunc tempus, quo Ieſus aſcenderet in feſtum, quia adhuc erat feſtum in initio, adhuc primo gaudiorum ſplendore vigebat, in quo magis Ieſus oſtenditur; qui tunc apparet magis, & ſeſe oſtendit, quando feſtorum *Theoph.* gaudia declinant, & deferueſcunt. Ait Theoph. ibi: *Principio quidem aſcendere detrectabat, vtpote feruentibus furore Iudæis: Poſt hæc autem cùm feſtum ſoluendum eſſet, aſcendit, quando & inſaniam eorum veriſimile erat mitigatam eſſe.* Etenim dum gaudia feruent mundialia, feruet etiam Dei offenſio, qui ſeſe gratiorem oſtendit, & propinquiorem in gaudiorum de- *Exod. 35.* clinatione, & defectu. Vnde ſic cauebat Exod. 31. *Cuſtodiant filij Iſrael Sabbathum, & celebrent illud in generationibus ſuis. Pactum eſt ſempiternum inter me, & filios Iſraël, ſignumque perpetuum. Sex enim diebus fecit Deus cælum, & terram, in ſeptimo, ab opere ceſſauit.* Expende cur Sabbathum detur pro ſigno fœderis Dei cum hominibus, nimirum quia illo die opera Dei mundum fabricantia ceſſarunt. Cur non magis, Domine, tibi eligas primam diem, in qua oſtendis ab ore tuo lucis pulchritudinem progredientem? Cur non magis tibi eligis alteram, in qua cœli illa pulcherrima luminaria ab alto rutilant, vel in qua flores terram ornant, aut pictæ aues aëra implent? Cur præ iis diebus tibi Sabbathum placidius apparuit? Deo ſemper placent magis fines temporalium pulchritudinum; vt in quibus æternorum nouitas ſoleat exoptari. Ait D. Athanaſius, hom. ad illud, Omnia tradita ſunt, &c. *Vt cognoſceretis, quòd in hac die requieuit Dominus Deus veſter* *Athan.* *ab operibus, quæ cœperat facere. Volebat autem cognito iſtius creaturæ fine, initium quærere nouæ creaturæ.* Numquam quæ in Chriſto eſt noua creatura, ſic ſe manifeſtat, ſic ſe apparet, quam in defectione, & fine omnium pulchritudinum creaturarum. Mundialia gaudia abeant, & ecce noua creatura in Chriſto adeſt. Ioan. cap. 20. *Cum ergo ſerò eſſet die illo, vna* *Ioan 20.* *Sabbathorum, & fores eſſent clauſæ, venit Ieſus*, &c. Vbi pulchrè Gillibertus Abb. ſerm. 44. in Cant. inquit: *Illud oſtium maximè apertum Ieſu, quod ab aliis omnibus negotiis clauditur.* Veſpertinis vmbris addebatur vmbraculum clauſi oſtij, nec tamen id impedimentum fuit Ieſu ingredienti, quin potiùs quò magis clauditur oſtium mundialibus luminibus, eò clariùs manet Ieſu accedenti apertum. Apud Matth. c. 8. dicitur: *Veſperè autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia haben-* *Matth 8.* *tes*, &c. Cur adueſperaſcente die ſalutes ex Ieſu quærunt, niſi quia numquam Ieſus ipſe gratiùs adeſt, niſi quando mundialia lumina declinant, atque obtenebrantur? Ad hæc inquit D. Hier. in Matth. *Omnes non manè, non meridie curan-* *Hieron.* *tur, ſed ad veſperam, quando Sol occubiturus eſt.* Declinationem mundialium hominum expectat Dominus, vt citius ſalutem proferat ſuis aſſeclis: quod enim oſtium clauditur mundialibus, id Ieſu accedenti apertum manet.

§. II.

In Dei templis ſic ſtet, vt aperta facie poſſit eſſe. Vbi de reuerentia in templis.

IAm non occultus, ſed manifeſtus venit in templum Dominus; ſupra enim Ioan. 7. dixerat de illo: *Tunc & ipſe aſcen-* *Ioan. 7.* *dit ad diem feſtum, non manifeſtè, ſed quaſi in occulto.* Cum ad feſtum aſcendens Hieroſolymam venit, non manifeſtè, ſed quaſi in occulto venit, & occultus manſit diebus tribus: die autem feſti mediante, nimirum quarto die aſcendit in templum non iam occultè, ſed manifeſtè. Cur ergo, qui cauebat Hieroſolymis ſeſe manifeſtare, vbi ad templum accedere decernit, ſe manifeſtat? Cur non etiam quaſi in occulto ingreditur templum? Apage hoc à Chriſto ſpiritu, qui ſic ſuos amat in templis eſſe, vt qui in luce ſint, & facie aperta. Non capit templum Dei amicula; locus in quo Deus apparet, non ſuſtinet eas, quæ ibi nequeunt eſſe, niſi velatæ, & opertæ. Aiebat ſponſa, Cant. 1. *Indica mihi, quem diligit ani-* *Cant. 1.* *ma mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.* Septuag. legunt: *Ne fortè efficiar ſicut adoperta ſuper greges ſodalium tuorum.* Expende, quid timeat fieri, & quid petat; timet fieri, ſicut fœminæ illæ, quæ adopertæ virorum gregibus ſeſe immiſcent, vt de operculi beneficio maiorem habeant impudentiã. Timet ergo ſponſa iſtis opertis fœminis aſſimilari, & ideò petit, vt ſibi oſtendatur locus, vbi Deus paſcit, vbi quieſcit. Quale hoc remedium ad vitandum opertarum ingenium? An licèt in loco ſit vbi Deus paſcit, non poterit ibi & eſſe ſicut operta inter virorum greges? Abſit ab anima Chriſtiana tantum nefas, quod in Eccleſia Dei, vbi Deus ſacramentorũ paſcuam oſtẽdit, vbi cubat Dominus, ibi poſſit eſſe ſicut operta, ibi operculo egeat, quo diſſimulet impudentiam. Sanè quæ ad opertarum genium viuit in Dei templo, non Chriſtiana eſt, ſed prorſus diabolica, & æterno deſtinata letho. Apud Eſther cap 6 poſt tyrannidem Amani reuelatam in conuiuio, dicitur de Rege Aſſuero: *Qui cum reuerſus eſſet de horto nemoribus conſito, & intraſſet conuiuij locum, reperit Aman ſuper lectulum corruiſſe, in quo iacebat Eſther, & ait: Etiam Reginam vult* *Eſther 6.* *opprimere, me præſente in domo mea. Necdum verbum exierat de ore Regis, & ſtatim operuerunt faciem eius.* Equidem operuerunt faciem eius, vt ait Carthuſ. *tanquam proximè condemnan-* *Carthuſ.* *di, & iam quaſi condemnati ad mortem.* Sed cur in eo, quòd operiretur facies Amani, ſignatur eius proxima damnatio, & irremediabilis pœna? Alij alios gentium mores prætendant; mihi ſufficit videre, quòd in regio cubiculo, vbi regium conuiuium bis, & ter celebratum fuerat, inter adhuc calentia vini gaudia, non poterat eſſe Aman, niſi opertus, vt

eius

eius credam condemnationem, & ruinam in proximo esse. Caue. fœmina, adsis templo Dei, loco diuini connuuij, penetrali Regis, ea impudentia, qua nec velis, nec possis esse, nisi operta, fallar, nisi inde tuam æternam damnationem auspiceris. Regis enim diuini cubiculum minimè sustinet eos, qui operculis, & tenebris indigent, easque amant. Mariæ corpus sibi Dei filius in templum aptauit, in quo esset, & adoraretur à Ioanne. De quo ait Cant. 3. *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua in die desponsationis illius.* Ingressus Dei in vterum Mariæ vocatur desponsationis dies, & meritò quando vbi Deus est, nihil tenebrosum, nihil nocturnum, & occultum esse admittitur. Ex quo Philipp. Abb. lib. 4. in Cant. cap. 6. ait: *Quidquid in Virgine agitur, noctem nescit, cui Regem carne coronanti dies infunditur, lux splendescit, splendore diurno, vel magis diuturno mentis spiritus hilarescit.* Sic vbi in Maria Deus clauditur, quidquid in illa agitur, noctem nescire debet & in luce esse, vt sciamus, quod cum Deus claudatur in templis, in illis nihil nisi lucidum, & manifestum agi debet.

Cant. 3.

Philipp. Abb.

Text. Respondit eis Iesus, & dixit: Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me. Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, vtrùm ex Deo sit, an ego à me ipso loquor.

§. III.

Non Dei spiritus, sed humani, & diabolici proprium est, sapientiam non velle acceptam alteri referre.

NVnquam Dominus non ostendit suam diuinitatis plenitudinem, siue loquatur, siue operetur; cùm loquens auditur, meritò de illo dicunt: *nunquam sic locutus est homo,* quia supra hominem est, qui tam sapienter, tam dulciter prædicat. Verùm hodie, cùm suam doctrinam mirabilem patri refert acceptam, non solùm supra hominem est, sed sese Deum manifestat. Ait enim: *Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me.* Quid diuinius, quàm velle in sapientia alteri cedere? Id solus facit spiritus Dei, non spiritus miseri hominis, qui vel ea hac proprietate cognoscitur, quòd velit nulli in sapientia cedere. Hoc fuit venenum penè adnatum hominum generi, nimirum Gen. 3. *Eritis sicut Dij, scientes bonum, & malum:* ex hoc sic infecti sunt vniuersi filij hominum, vt nulla sit res adeò vilis, cuius sapientia vel homunciones non velint alios excedere. Rem pulcherrimè definit D. Bernard. serm. 4. de Ascens. saius. *Pessimus mons in fparte scientia est, in quem ascendebat, qui voluit esse sicut Deus sciens bonum, & malum, quem vsque hodie filij eius accumulant, & eleuant, nihil inuenientes tam vile, vnde non velleat montem eleuare scientiæ. Videas alium litterarum, alium mundialium curæ, illum scenilis cuiuslibet artis tam vehementer affectare scientiam, vt laborem non reputet, tantummodo vt possit aliquibus doctior reputari. Sic ædificant Babel, sic putant ad Dei se peruenturos similitudinem: sic concupiscunt, quod non expedit, quod expedit omittentes.* Deus sit, necessum est, quisquis hac lue non apparet infectus, qua velit in aliqua vel rei infimæ sapientia superiorem non habere, sed esse. Nec miraret, si hoc ad solos sapientes, & litteratos homines pertineret; sed nullus est homuncio, nulla muliercula, quæ in aliqua scientia nolit non doctior alijs apparere. Quæ fœmina non inflatur nendi sapientia, vel curandæ faciei, vel torquendarum crinium dexteritate? Qui Grammaticus cedat alteri in scientia loquendi? Quis faber alteri acceptum referat, quòd ipse scitè tractat artis suæ memoriam? Sanè vna est omnium hominum conspiratio ad palmam scientiæ consequendam, vt quisque alijs videatur in suo modulo doctior esse. Id quod præcauens Dominus, Genes. 2. ait: *De ligno scientiæ boni, & mali ne comedas.* Nec vnquam desinunt admirari multi interpretes, quòd primum præceptum positum sit de non edendo fructu scientiæ boni, & mali. Cur non magis positum fuit præceptum de edendo fructu scientiæ? Sanè æquè liberum erat Deo præcipere edi fructum scientiæ, vel non edi; æqualiter se homo exhiberet obsequentem, si ederet, ac si non ederet iuxta præceptum. Nónne modò iubemur edere panem vitæ, & in eius esu maximè iungimur Deo? Cur etiam tunc non iussi sunt homines potiùs edere, quàm non edere de ligno scientiæ? In præcepto illo imponendo spectabat Dominus illa iniungere, ad quæ non humanus spiritus, sed obseruandi diuini præcepti affectus impelleret. In præripienda autem scientia cuiusque rei, etiam vilissimæ, etiam prorsus malæ, & indecentis, sic humanus spiritus omnes impellit, vt nihil inde Dei, nihil præcepti reuerentiæ ostenderetur. Ad hæc ait Hugo Victorinus in Caten. Lyppomani: *Quare, quod prohibuit, non præcepit comedere, quod homini esset factiùs, & æquiualens obedientia ad meritum? Non præcepit comedere de ligno scientiæ boni, & mali, vt obedientia pura esset. Causaretur enim diabolus, dicens, non propter præceptum hominem comedere de ligno scientiæ boni, & mali.* Et quidem non agnosceretur Dei spiritus in homine circa scientiā boni, & mali præripiendam, quando hominis natura, præcipuè à diabolo infecta, sic capitur sciendi præcellētia, vt potiùs fræno, quàm calcaribus egeat. Exemplum esto prima fœmina, quæ vniuersas paradisi arbores prætereuns, ad vnam scientiæ arborem subsistit, ibique diabolico spiritu plena. Genes. 3. *Tulit de fructu illius, & comedit, dedítque viro suo.* Ad quæ non parum argutam quæstionem facit D. Athanas. Sinaita, lib. II. Hexaëmer. *Cur autem non ambo simul comederunt, sed mulier primum?* Sanè in re sciendi mulier diabolo plena nesciuit alteri cedere sed sibi primatum tenuit. Non ea est natura hominis à diabolo infecta, quæ velit fructum scientiæ alteri acceptum referre. Insuper notanda est ipsa forma præcepti, quæ sic habet, Genes. 2. *Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas.* Iuxta D. Ambros. lectionem sic est legendum: *Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem, quod est scientiæ boni, & mali, non edetis.* Ecce in primo singulariter dixit, *comede*; in secundo autem pluraliter posuit, *ne edetis.* De quo Ambrosius, ibi: *Qua ratione vbi præcepit ex omni ligno edendum, singulariter dixit, edes; vbi autem de ligno scientiæ boni, & mali pluraliter, edetis, dixerit, non otiosa quæstio.* Non quidem otiosa quæstio ea est, sed quæ iam ex dictis clarescat; non enim tantam hominum frequentiam circa alia bona acquirenda vidit Deus, quantam vidit circa sapientiam præripiendam, & ideò de hac pluraliter loquens, quasi innuit, circa sapientiæ palmam, nullum in hominibus futurum consensum, nullam concordiam, sed omnes in bello esse, ne in sapientia alteri cedant, sed sibi præripiant eam.

Genes. 3.

Bernard.

Genes. 2.

Hugo.

Genes. 3.

Athanas.

Genes. 2.

Ambros.

§. IV.

In re sapientiæ, & doctrinæ salutaris, vt periculosum est, proprijs niti, sic de acceptis splendescere gloriosum.

MAluit Dominus doctrinam suam Patri Deo acceptam referre, quàm ostendere propriam suam, dicens: *Doctrina mea non est mea, sed eius, qui misit me*: vt inde innueret, quam periculosum sit in re salutaris doctrinæ proprijs niti, & quam gloriosum acceptis splendescere. De perditis sapientibus aiebat Paulus ad Roman. 1. *Qui euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Nota periculum, scilicet, *euanuerunt in cogitationibus suis*: non in Patrum excogitationibus, sed vbi proprijs inuentis adhærere cœperunt, in summum barathrum deuenere stultitiæ. Ex quo eleganter D. Prosperus aduersus Collatorem ait: *Neque enim ignotum est, quàm Græca schola, quàm Romana eloquentia, & totius mundi inquisitio circa inueniendum summum bonum acerrimis studijs, & excellentissimis ingenijs laborando, nihil egerunt, nisi vt euanescerent in cogitationibus suis, & obscuraretur cor insipiens eorum, qui ad noscendam veritatem semet ipsis ducibus vtebantur.* Ex quo aliorum spretis doctrinis, proprijs tuis cogitationibus vteris pro ducibus, pro magistris, à veritate declinas, & in turpissimos errores incidis. Non est simul & veritas, & propria spiritus humani excogitatio: etenim ait Hieremias, cap. 23. *Nolite audire verba Prophetarum, qui decipiunt vos: visiones cordis sui loquuntur.* Expende, vnde deceptio, vnde error sit; *visiones cordis sui loquuntur*; quasi propriæ excogitationi annexa sit falsitas. Pro quo eleganter aiebat Philipp. Abb. lib. 4. in Cant. cap. 29. *Propheta, qui mentitur vera, & visa non videre, prophetans suo spiritu.* Numquam tantus veritatis indagator proprio spiritui fidit; vbi enim non acceptum, sed tuum profers, tantum non indigitas veritatis, & vilitatis ruinam. Non enim, mihi crede, ornator sapiens tam de proprio, quàm de accepto, in cæteris fortè fœdant habentem aliena; at in sapientiæ re & securiorem, & ornatiorem hominem constituunt. Vnde Hieron. epist. ad Heliodor. de Nepotiano aiebat, *Ingenuo pudore qui ornabat ætatem, quid cuius esset, simpliciter confitebatur. Atque in hunc*

Rom. 1.

Prosper.

Hier. 23.

Philipp.

Hieron.

modum eruditionis gloriam declinando, eruditissimus habebatur. Illud, aiebat, Tertulliani, illud Cypriani, hoc Lactantij, illud Hilary est,&c. Expende illud,*ornabas ætatem*; maximè enim ornat sapientem hominem, quòd doctrinam suam alteri acceptam referat,& in hoc solùm videatur stultescere, quod nihil sapientiæ suum ostendat, cùm omnium omnia teneat.

Eccles. 10. Ex quo lucem affero verbis Ecclesiastæ,cap.10.vbi sic: *Pretiosior est sapientia,& gloria parua, & ad tempus stultitia.* Vbi Chaldæus Zamorensis ait: *Quàm gloriosus,& decorus est, magis quàm sapientia sapientum, & diuitiæ diuitum vir, cuius insipientia est parua, & modica.* Quibus in decore, & gloria extollitur super omnes sapiētes ille vir, qui aliquam paruam, & modicam insipientiam habet. Et quæ est parua hæc insipiētia,quæ sic hominem super omnes sapientes extollit,nisi insipientia hæc, qua omnia sapientum noscens, nihil in sapientia suum norit. Sanè hæc parua est insipientia,quæ maximè pertinet ad ornatum hominis. Quod callens D. Ennod. lib.1. epist.4. sic se furti in re sapientiæ accusarum defendit:

Ennod. *Tobias huiuscemodi commissoribus occurrit, & diuina voce testatur, dicens: Non licet nobis aliquid manducare furtiuum. Cùm dixit manducare,non dixit nobis aliquid lectitare furtiuum. Iosiam, vt narrat historia 4.Reg.22. surrepta papyrus instruxit. Ego homuncio hoc non facerem, quem vos contra ingenij vires ad scientiam diligendam verborum stimulis foditis?* Sic sanctus vir censet in re sapientiæ non indecorum, sed gloriosum, & vtile esse homini vestiri alienis.

§. V.

Felicissimum est,& diuinum in domesticis,& tuis habere, quidquid necessarium habes ad virtutum doctrinam.

Expende iam maximam Iesu excellentiam,& felicitatem diuinissimam; fatetur, doctrinam suam non esse suam, sed illam à patre acceptam habere; non equidem necessum fuit Iesu ab aliis,& diuersis naturis emendicare doctrinam, quidquid virtutis, quidquid est doctrinæ, in patre habuit, & accepit ex illo. Antiquissimæ familiæ Deciorum filium inde maximè extollit Cassiodor. lib. 3. variar. 6. inquiens:

Cassiod. *Respice certè iuuenem per formæ gratiam pulchritudine plus placentem. Refert facie sanguinis decus, proditur animi natura per vultum, & serenitate corporis nubila quæque mentis abstergit. Verùm hæc natura bona litterarum decorauit insignibus, vt cote magistrarum artium detersis mentis penetralibus plus liceret. In libris veterum Decios cognouit antiquos, nobilémque progeniem gloriosæ mortis beneficio viuentem. Felicissimus profectò studiorum labor, cui priscorum carmen contigit discere per parentes, & de auita laude primordia teneri pectoris erudire.* Nihil ad mores, nihil ad doctrinam pertinens non bibit nobilis hic adolescens in suis atauis, & auis. & parentibus; quid felicius? De parentum suorum gloria in illum, & eruditio, & moralis doctrina veniebat. Si fortitudinis, si beneficentiæ, si iustitiæ, si prudentiæ, si continentiæ erat disciplinis imbuendus, non eas ab extraneis emendicare opus habebat, sed à suis maioribus illas licebat haurire. Et quis dubitet, Iacobi felicitatem longè præstantiorem esse felicitate fratris Esau? Hic benedictionem perdidit, ille acquisiuit; alter primatum vendidit, quem alter emit: sed Esau dicit

Genes. 27. pater suus, Genes.27. *Sume arma tua, pharetram, & arcum, & egredere foris. Cumque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum*, &c. Ad Iacob autem dicebat mater: *Nunc ergo, fili mi, acquiesce consilijs meis, & pergens ad gregem, affer mihi duos hædos optimos, vt faciam ex eis escas*, &c. Itaque Esau mittitur ad externa, vt inde cibos venetur: Iacob autem non ad externa, sed ad ipsos paternos greges remittitur. Cur Iacob ad paterna,& non ad externa remittitur,nisi vt iam eius explicaretur felicitas. qui statim benedicendus, quidquid ad sapientiam, quidquid ad doctrinam, quidquid ad beatam vitam comparandam necessarium erat,in domesticis suis,& paternis copiosè inueniret. Pro quo ait D.Ambros.lib.de fuga sæculi, cap.8.

Ambros. *Nec immeritò domesticos cibos detulit Iacob: quia de domesticis seminis sui sapientiæ sibi acquisiuit copulam.* Felix sanè homo est,cui datum est, omnes veræ sapientiæ, & morum posse ebibere disciplinas; si vel ad sola domestica, & paterna respiciat.

§. VI.

Veram Dei doctrinam ille percipit, qui bene operatur, & viuit.

Ecce vobis, qualia media proponat Dominus ad percipiendam diuinam & veram doctrinam; non quidem proponit longas elucubrationes, elaboratas disputationes, diuturnos scholarum cursus; sed solum proponit præclaras actiones vitæ. Ait enim: *Si quis voluerit voluntatem eius facere,cognoscet de doctrina, vtrum ex Deo sit.* Fac. vt bene agas, bene viuas, & habes, vnde non fallaris in doctrina, sed & veram,& diuinam facili negotio percipies. Vt dicat Ps.110. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Non deficit intellectus ad percipiendam doctrinam Dei illis, qui operantur, Psal. 110.
qui faciunt bona: imò,vt ait Iob cap.36.de Deo,*In manibus abscondit lucem*:non equidem in argumentis, & syllogismis, Iob 36.
sed in manibus lucem abscondit veræ sapientiæ, vt operationes manuum illam manifestent. Apud Isai.cap.49. dicit Dominus ciuitati Sion,id est, Ecclesiæ: *Ecce,in manibus meis descripsi te: muri tui coram oculis meis semper.* Et qui sunt Ecclesiæ muri? Memini aliàs me dixisse, muros Ecclesiæ esse Isai. 49.
scholasticas disciplinas de Deo, & virtute, artes disserendi, & inuestigandi veram sapientiam: quæ artes vt veram sapientiam demonstrent, & falsitatem repellant, in manibus fundari debent, hoc est, in bonis actionibus, & rectis. Ait Procopius ad cap.2. Isai. vers.15. *Murus enim ars est ipsa disserendi, eos, qui dogmata diripere, & dissoluere conantur, propulsans. Inde & vrbis Hierosolymitanæ muri in Domini manibus descripti esse dicuntur.* Lapidei muri in rupibus funduntur; Procop.
at muri scientifici non in rupibus, sed in manibus, à quarum rectis operationibus habent, vt veritatem conspiciant, falsitatem declinent. Multum enim fallitur,qui putat se veram Dei scientiam callere, dum nihil solicitus est de bonis operibus efficiendis. Apud Oseam, cap.6. sic ait Dominus: *Volui scientiam Dei, plus quam holocausta. Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum.* Expende,quid opponat scientiæ Dei, Osea 6.
nimirum pacti transgressiones: requirebat quidem Dominus a populo suo non holocausta; sed scientiam Dei, hoc vno contentus quòd populares optimè scirent & noscerent Deum. Et vnde demonstrat, hanc scientiam Dei non fuisse in populo? Quid illi oppositum, & contrarium inuenit? Ipse ait: *Ipsi autem transgressi sunt pactum*, quasi ex eo, quòd in illis fuerint pacti transgressiones, rectè concludatur non fuisse illam Dei salutem scientiam. De hoc pulcherrimè Philipp. Abb. Præmonstratensis, epist. 3. inquit: *Rectè qui sicut Adam prudenter peccare, pactúmque transgredi non verentur, scientiam non habere perhibentur, sed inscitia laborare; cum augmentum sciendi fit, non si qui de scripturis multa, & veracia volubiliter eloquuntur, sed si percepto earum sensui consensu morum affectuosius obsequuntur.* Hoc est medium, quo peruenimus ad veram Dei, & salutarem scientiam; quo diuinam doctrinam percallemus, si operam nauemus bonis operibus. Philipp.

Text. Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit. Qui autem quærit gloriam eius, qui misit illum: hic verax est, & iniustitia in illo non est.

§. VII.

Vt Deo,& veritate æqualitas ad omnes & iustitia nutritur, sic proprietas, & partialitas mendacijs nititur.

Cvi Deus est pro gloria, & verax est, & iniustitia in illo non est; & pulchrè id dictum est, quando Deus, & veritas iustitiam,& æqualitatem ad omnes seruant,inæqualitatem, & partialitatem abiurant. Propone tibi ob oculos piscinam illam probaticam,in cuius commotione sanabatur vnus,teste Ioanne c.5. Sanabatur equidem vnus è plurimis infirmis;sed ille vnus. qui hominē habebat, cuius niteretur auxilio.Huc accedit Iesus,& infirmi voluntatem solicitans, vt sanari vellet;respondit ipse infirmus: *Hominem non habeo.* quasi ad salutem obtinendam, hominem expectaret, hominem requireret. Sed quando in piscina Angelus erat mouēs aquas,& parans salutem;Angelum habens infirmus,cur adhuc salutarem sibi hominem requirit? In Angelo illo salutaris hominis signabatur vmbra:quare meritò infirmus vmbras præteriens,verum salutare requirebat,æstimans se non posse

posse manere infirmum, si veritas adesset, cuius est proprium salutem æqualiter, & iustè per omnes diffundere, quando in vmbris non nisi partialitas apparet, & iniustitia. Pulcherrimè D. Ambros. lib. de iis, qui initiantur, cap. 4.

Ambros. *Denique paralyticus ille expectabat hominem, quem? Nisi illum Dominum Iesum, cuius aduentu iam non vmbra sanaret singulos, sed veritas vniuersos.* Expende, quid vmbra, quid veritas efficeret: sub vmbris non æqualitas erat, non iusta diuisio salutis, sed singularitas, sed partialitas vigebat; vnus sanabatur, & ille vnus, qui viribus pollebat, & humano auxilio; semper enim partialitas, & inæqualitas sub vmbris, & apparentiis viret. Veritas accessit; & ecce tibi disparet omnis partialitas, & iniustitia: *Veritas vniuersos sanat*; æqualitatem ad omnes seruat, partialitatem abiurat. Nullus est tam remotus, tam destitutus auxilio, quem à Deo, & veritate salus non pertingat. A Dei veri spiritu, non quæritur proprium, sed facere æqualitatem multis. Psalm. 138. *Quò ibo à spiritu tuo? Et quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es; si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me*, &c. Quibus verbis probatur multis Spiritum hunc esse verum Deum, vt in quo summa inueniatur ad omnes æqualitas, adeò vt nullum ibi singularem locum adscribat, sed omnibus inueniatur propitius. Videndus est

Psal. 138.

Ambros. D. Ambrosius, lib. 1. de Spiritu sancto, cap. 7. inquiens: *De quo hoc Angelo scriptura dicit? De qua dominatione? De qua potestate? Cuius inuenimus Angeli virtutem per plurimos esse diffusam? Angeli enim ad paucos mittebantur; Spiritus autem sanctus populis infundebatur. Quis igitur dubitet, quin diuinum sit, quod infunditur simul pluribus, nec videtur?* Vna diuinissima, & vera dominatio, & potestas hoc habet, vt neminem indonatum prætereat, vt æqualiter ad omnes beneficia distribuat. Creatæ potestates, & dominationes, vt tantùm sunt vmbræ veræ dominationis, sic non ad omnes, sed ad partem inclinant, & amant videri erga suos partiales beneficentissimæ. Vis homo, scire, quo agaris spiritu, diuino, an creato, vero, an adumbrato? Inde tibi manifestus erit veritatis spiritus, & diuinissimus, si æqualitatem seruans ad omnes, non videri amat, & partialitatem abiurat, quæ est forma iniustitiæ. Quò respiciens Dominus Psal. 88. ait: *Neque nocebo in veritate mea*: quasi id sit proprium spiritus veritatis, quòd iniuriam vitet, & omnibus cum iusta æqualitate prospiciat.

Psal. 88.

Text. Nónne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem? Quid me quæritis interficere? Respondit turba, & dixit: Dæmonium habes? Quis te quærit interficere?

§. VIII.

Aliorum censores omni debent carere culpa.

TVrpissimè damnabatur Iesus de legis violatione ab iis, qui nullam legem non violabant: quibus sapienter proponit Dominus eorum exlegem vitam, vt doceat, quàm longè debeant esse ab eo affectu, quo de legis violatione accusent filium hominis. Carear enim necessum est omni culpa, qui culpas velit castigare aliorum. Cupienti Dauidi ædificare templum Dei 1. Paral. 22. dicit Dominus: *Non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuso sanguine coram me.* A templi ædificatione amouetur Dauid propter sanguinem hostium profusum; & cur sanguineæ manus Dauidis illum à tanto opere remouerunt? Notabantur ibi homines, qui humanos mores corrigere, & reparare præsumunt; à quo opere meritò prohibentur, si ipsi in se opera exhibeant sanguinea, & maculosa. Pro quo eleganter D. Isidorus in 2. Regum, cap. 1. ait: *Vir sanguinum templum Dei ædificare prohibetur: quia qui adhuc actibus carnalibus incubat, necesse est, vt instruere spiritualiter Ecclesiam non præsumat, quia nequaquam purè maculam in membro considerat oculus, quem puluis grauat, & superiectas sordes tergere non valet manus, quæ lutum tenet.* Priùs suas mactet culpas, quisquis alios castigare disponit: nunquam non impudens est, & temerarius zelus illius, qui cùm ipse peccatis abundet, crudeliter fratrum persequitur errores. Israëlitæ illi agnum manducaturi sic armabantur à Domino, Exod. 12. *Sic autem comedetis illum, Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, baculos in manibus.* Non priùs baculus eorum manibus permittitur, quàm fuerint circa renes accincti; ne qui dissoluti sunt in affectibus suis, putent sibi licere alios ob crimina fuste percutere. Rupert. ait lib. 2. in Exod. cap. 13. *Prius præcipimur renes accingere, postmodum baculos habere, quia illi debent curam pastoralem suscipere, qui iam suo corpore sciunt fluxa luxuriæ domare, vt cum aliis fortia prædicant, ipsi desideriis mollibus eneruiter non succumbant.* Turpissimum enim semper censebitur, quòd quis fratres suos mactet pro culpis, quibus ipse abundat: & quòd præteriens trabalia scelera sua, pro minutissimis festucis proximos crudeliter percutiat. Hinc quicumque armantur ad castigandos errores aliorum, nihil priùs illis iniungitur, quàm de vitæ propriæ innocentia fama integra. Dum Gedeon sibi eligit belli socios, Iud. 7. *Diuisit trecentos viros in tres partes, & dedit tubas in manibus eorum, lagenásque vacuas, ac lampades in medio lagenarum*, &c. Expende, qualiter vir sapiens armet eos, quos elegit ad percutiendos Dei hostes, nimirum armat eos tubis, lagenis, lampadibus. Cur non magis armat eos gladiis, & securibus ad feriendum? Sanè armabantur ibi vniuersi scelerum vindicatores, qui non priùs gladio ad feriendum debent armari, quàm virtutum operibus, & splendenti rectè factorum opinione. Ad hæc aiebat Philippus Abbas Præmonstratensis, epist. 19. *Vt video, in tubis, & hydriis, & lampadibus stat pugnantium fortitudo, quia in tubis figuratur vox hortatoria, & sonora prædicatio Prælatorum; in confractis hydriis carnis castigatio, & depressio motuum leuiorum: in ostensis lampadibus bona opinio, & forma bene lucens, & illuminans oculos subiectorum.* Hic sit ornatus illius, qui se vindicatorem scelerum ostendit, nimirum, quòd in illo nihil carnale appareat non confractum, & emortuum, quòd integra vigeat inculpatæ vitæ opinione. Hinc aiebat Paul. 1. ad Timoth. 3. *Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse: filios habentem subditos cum omni castitate.* Circa quod pulchrè in rem præsentem disserit D. Anselm. in epist. ad Titum, cap. 1. *Qua libertate alienos filios corripere, & docere possumus, quæ recta sunt, cùm nobis statim possit, quis fuerit correptus, suggerere, ante doce filios tuos? Aut qua fronte extraneum corripio fornicatorem, cùm mihi conscientia mea ipsa respondeat, exhæredat ergo filium fornicantem, abiice filios tuos vitiis seruientes? Cùm autem filius nequam tecum maneat, tu audes de alterius oculo festucam detrahere?* Sic ibi, vt sua, suósque castiger, qui velit aliorum crimina succensere. Vide infra, cap. 8. §. 6. & 32.

1. Par. 22.

Isidor.

Exod. 12.

Rupert.

Iud. 7.

Philipp. Abb.

1. Tim. 3.

Anselm.

§. IX.

Nunquam à Deo, sed à solo diabolo veniunt semper iudicia, quæ fratrem inexaminatum, & inauditum damnant.

IGnara turba suorum Principum nequitiæ iam damnantis capite Iesum, diabolico spiritui tribuit, quòd dicat Iesus, se iam ad mortem expostulari. Et cur id tribuerent diabolo, nisi quòd à solo diabolo potest venire illud iudicium, quod damnat, & pœnam statuit homini, quem sciunt inauditum adhuc esse, & inexaminatum. Solus creditur diabolus potuisse putare Iesum ad mortem quæri, vt solus diabolus tale iudicium facit, quo damnet, & mactet hominem inauditum, & cuius error à solis accusatoribus probatur. Et quidem popularis vox non decipit omninò, sed multùm sapit in eo, quod putat, nunquam à Deo, sed à diabolo posse euenire, quòd inauditus homo appareat damnatus. Constantius Imperator petebat à Lucifero Episcopo, vt damnaret D. Athanasium; cui opponit sanctissimus Antistes illud Exod. 16. quod dixit Moyses Iethro socero suo, nimirum: *Venit ad me populus quærens sententiam Dei.* Et qualis hæc responsio Episcopi ad Imperatorem? Fateor, quòd Episcopi esset ferre sententiam Dei; hoc postulabat Imperator, vt Lucifer credens multis aliis Episcopis accusantibus, & damnantibus Athanasium, & ipse illum sententia Dei feriret, & damnaret. Nónne hoc posset præstare iuxta Dei sententiam iudicans Lucifer Episcopus? Absit: accusatus enim erat Athanasius absens, non erat auditus, & ideò iuxta Dei sententiam non poterat damnari, sed iuxta sententiam solius diaboli. Ait ipse sanctissimus Lucifer, lib. 1. pro Athanas. ad Constantium: *Venit ad me, inquit Moyses, populus quærens iudicium à Deo. Igitur si iudicium Dei antistitum tam decet esse iustum, quòd Dei esse dicatur iudicium determinatum, quomodo tu inauditum iubebas damnari à nobis. Itaque hoc tuum præceptum, quod prolatum est à te, non est veniens de lege Dei, sed est planè ex voluntate firmatum diaboli.* Nunquam, mihi crede, Deus patietur, quòd inauditum proximum damnes; non enim rarò contigit, quòd etiam

Exod. 16.

etiam manifestissima crimina, audito eo, qui habebatur reus, vel prorsus euanent, vel multum minuuntur propter declaratam circonstantiam ab accusatoribus vel malitiosè dissimulatam, vel inuincibiliter ignoratam. Vnde non a Deo, sed a diabolo solo potest venire, quod homo damnetur inauditus. Primi illi peccatores, Genes. 3. *Cum audissent vocem Domini Dei ambulantis ad auram post meridiem, abscondit se Adam, & uxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradisi,* &c. Quis impulit peccatores fugere à facie venientis iudicis, nisi serpens ille, qui vetitum suaserat cibum? Sanè fugam eis etiam suasit serpens antiquus, non quòd putaret, eos posse latere Deum, sed vt iudicium in eos absentes ferretur, & inauditos: vt iam semper pateret, ex quo auctore veniat, quod absentes, & inauditi damnationem mortis incurrant. Quo posito sic ad Constantium Imperatorem fatur idem sanctissimus Lucifer, vbi suprà. *Cumque amatum Christianorum bona te hoc opus dixeris aggressum, vtique inspecta opera tua datus intelligi, serpentem te illum esse imitatum; cupiens enim Dei mandatorum fieri transgressores, dedisti praecepta, damnandum esse inauditum, absentem, negandámque esse audientiam, purgare posse se de crimine obiecta proclamanti.* Expende ab illis: *Inspecta opera tua datus intellige, serpentem te illum esse.* &c. Quippe praetextus Imperatoris optimus videbatur, proponebatur Ecclesiae Christianae pax, & bonum totius Christianitatis, & inter iam nobilem praetextum, tam sanctum finem, si opera Imperatoris inspiciatur, serpens antiquus in illo habitans apparet, quando iubet absentem, & inauditum damnari. Nullus praetextus non ostendit latentem diabolum, vbi inauditus aliquis qui fortè posset suae culpae aliquam excusationem afferre condemnatur: vt metuant homines perniciosa iudicia de fratribus facere, & publicare; vt quae soleant venire a diabolo. Pro quo S. Damasus Papa, epist. 6. ait: *Per sapientiam Salomonis dicitur: Antequam scruteris, non reprehendas: intellige primo, & tunc increpa: antequam audias, non reprehendas.* Et habetur apud Gratianum, 2. quaest. 3. cap 73 eorum.

Genes. 3.

Damas.

Text Respondit Iesus, & dixit eis: Vnum opus feci, & omnes miramini. Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem: (non quia ex Moyse est, sed ex Patribus) & in Sabbatho circumciditis hominem. Si circumcisionem accipit homo in Sabbatho, vt non soluatur lex Moysi: mihi indignamini, quia totum hominem saluum feci in Sabbatho? Nolite iudicare secundùm faciem, sed iustum iudicium iudicate.

§. X.

Ad felicitatem hominis pertinet, quòd prima virtutum eius semina tentationes consequantur.

VNum opus virtutum Iesus facit in Sabbatho. & ecce tibi vniuersi Iudaei turbantur. & in Iesum excitantur: & quanta haec felicitas hominis Christiani, quòd vel in primo virtutis gressu tentationes, & nubila, & tempestates patiatur? Sanè sic florent arua, sic fructificant, sic messes ditantur, nimirum de nubilis, de tempestatibus, de niuibus, de gelu supra prima semina iactis. Ait Moyses, Deut. 32. *Audiat terra verba oris mei. Concrescat in pluuiam doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum, quasi imber super herbam & quasi stillae super gramina.* Legit D. Ambros. amplius: *& sicut nix super foenum.* Ecce tibi & verbi Dei semen in populorum cordibus insertus, & illis pluuiae, & imbres, & niues desiderantur. Cur Moyses diuini verbi sator, virtutum cultor, non magis soles desiderat recenti virtutum semini iacto? Cur imbres? Cur niues optat magis? Bonus cultor cordis humani scit idem accidere humanis cordibus, quod agris quibus rigores niuium prosunt, officiunt Solis radij. Sub Solis tempore praepropera erumpunt seminum caules, luxuriant pampini, & flores arborum; sed qui aestum, aut gelu sustinere non valent, sed sub illis euanent. At sub rigoribus niuium detinentur in terra semina, & radices mittunt; viriditas arborum absconditur, sed seruatur, & in ampliores segetes eunt arua. Sic virtutum semina, quae in nouali cordis humani fauentibus euanescunt auris, sub tentationis asperitate in maiores messes seruantur. Ex quo D. Ambr lib. 7. in Luc. ait. *Vtinam, Domine Iesu, mens mea pluuiae tuae humore virescat;*

Deut 32.

Ambros.

vtinam terram meam niuis illius candore respergas, ne praepropero calore corpora mea luxurient, sed potius fotu niuali, semina verbi caelestis pressa saturentur. Nix cum cadit, aues caeli vbi inhabitent, non habent. & latius seges sertius prouentus exuberat. Sub niuali rigore semen & est protectum à coeli auibus, & ita radicatur vt postmodum in vberiores segetes exurgat. Felix anima, quae vel in trecentis virtutum nixu patitur tentationum niues; equidem inde certiores poterit sperare fructus. Hinc Sponsa, Cant. 4. *Surge Aquilo, veni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius.* Sto à sententia eorum, qui putant, vtrumque ventum, & Aquilonem, & Austrum in praesenti vocari ad hortum sponsae. Quòd Auster vocetur, nulli dubium est, sub huius enim auris lenibus terra incipit emollili, & flores erumpunt; sic per benignam Spiritus sancti auram incipiunt humana corda specimen praebere virtutum. Benè ergo petitur aduentus Austri, vbi ad flores virtutum praeparatur humanus ager. Sed quid cum Austro Aquilo? Aquilonis flatus frigidissimus est, nil nouit nisi hiemes, & niues parturire, sub quibus nil floridum, & succulentum foris apparet, sed tenetur totus. Cur sponsa Austrum vocat, & Aquilonem simul? Cur non magis sine Aquilone veniat Auster? Scit optimè arua foecundari à niuibus: scit ex niuali fotu, ex aspero tentationum mentis campos exurgere in segetes multiplices. Pulchrè ad haec Cassiodor. *Sciens Dominus, qui est Sponsus, & Redemptor Ecclesiae, ipsam Ecclesiam persecutionibus multiplicandam, ipsam quodam modo iubet venire persecutionem.* Iubet venire Aquilonem, sub cuius niuibus virtutum semina radicantur, defenduntur ab auibus, & multiplices messes agunt. Ex quo Gillibertus Abb. serm. 38. in Cant ait: *Ergo surgat Aquilo, saeuiat, quantumlibet fremat, dummodo accensionem, & quasi vim praestet flatibus Austro: fortè vbi abundauit Aquilo, superabundauit & Auster.* Semper niualis hiemis rigor foecundiores auras ad messem verno tempore parit, vt pateat, quàm felix ille animus, cuius non est virtutum semina iacere, quin Aquilonis niues, tentationum rigores patiatur.

Cant 4.

Cassiod.

Gilliber.

§. XI.

Totum, quod homo potest requirere, id in nullo alio, quam in Iesu habet.

NOn Moyses, non Patres, non quiuis alius, sed vnus Iesus totum hominem sanum facit; & Moyses, & Patres, circumcisionem inuenerunt, qua primordia hominis sanarentur; sed Iesus nihil reliquit in homine, quod non sanaret. Hic illius titulus singularis est: *Totum hominem saluum feci:* nihil saluti aptum reseruauit, omnia effudit remedia, ne quid ex defectu illius in homine aegrotaret. Hinc Cantic. 1. *Oleum effusum nomen tuum:* & quale nomen, nisi nomen salutis, nomen Iesu? Sic putat D. Bern & communiter alij Patres: opus habebat homo salute, & salute magna; diuinissimus autem medicus, vt ad hominem accessit, nihil salutis sibi decreuit reseruare, sed omnia effudit super hominem salutum vasa, ne quid hominis maneret non sanum. Huc spectans Philippus Abbas, lib. 1. in Cantic. cap. 9. ait: *Qui stantibus Angelis plenum misericordiae vas propinat, ad medendum in terra aegrotis hominibus vas inclinat: & quod in ea tenere videbatur, manu larga, vel prodiga iam effundit, & multum miserandis multam misericordiam superfundit.* Non erat maior aegritudo, quàm superflua sanitas; multae miseriae multam dedit salutem; non decurtauit manum; non doni mensuram diminuit, sed larga manu totum effudit vnguentum, vt totus appareat homo sanus. Ait D. Basilius Seleuc. oratione 13. *Sane nihil erat in hominum natura. Vbique idola, Deus inter eos nullibi: sed vulnera, Christi medicinam non erant exclusura.* Vanus erit homo, si alium respiciat quàm Iesum, in quo vno omnem medelam, omnia bona habet. Prouerb. 5. monebat Salomon: *Ceruus charissima, & gratissimus hinnulus; vbera eius inebrient te in omni tempore; in amore eius delectare iugiter. Quare seduceris, fili mi, ab aliena, & foueris in sinu alterius?* Prima huius loci verba sic legit D. Ambros. *Ceruus amicitiae, & pullus gratiarum conuersetur tecum. Amicitia autem praecedat te, & vnà sit tecum in omni tempore.* Et qui ceruus amicitiae, qui pullus gratiarum, nisi Deus homo Christus, toties ab sponsa vocatus sub isto nomine? Is vnus homo sit nobis amicus, is nobiscum moretur, & nos moremur cum illo, in quo solo habebimus omnia. Quod pulchrè tractans Ambrosius lib. 1. de Iacob, cap. 7. inquit: *Nihil aliud quaerit perfectus ille, nisi hoc salum, & praeclarum bonum. Vnde & dicit: Vnam petij à Domino,*

Cant 1.

Philipp.

Basil. Sel.

Prou 5.

Ambros.

hanc

hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnes dies vitæ meæ, & videam delectationem Domini. Neque verò eum tanquam angustum, inopémque fastidias, quia vnius hominis velut solitaria societate contentus sit. Huius enim amicitia circumdatus plurimus erit. Abundat enim huiusmodi vir ad beatitudinem, & ad possessionem boni, & ideò nihil aliud desiderat. Nihil enim quasi nouum expetit, qui omnia habet. Expende ab illis: *Neque verò eum tanquam angustum, &c.* Poterat enim contemni Dauid, vt qui vnum hominem solum amabat, & eius cohabitatione, & amicitia contentus erat. Quid angustius, quàm vnum solum amicum habere, vnico protectore, & familia gaudere? Sed ille vnus homo expetitus à Dauide, erat Dominus, erat Iesus, vltra quem non habet, quid desideret homo: Iesu amicitia circumdatus plurimus eris; in illo omnibus bonis abundabis; nulla erit salus, nullum bonum, quo egeas. Sanè nemo non prædicat Mariam, vt immensis bonis, & diuitiis plenissimam; sed & illud certum est, omnia illa Mariæ bona accepta referri vni Iesu. Cant. 3.
Cantic. 3. *Ferculū sibi fecit Rex Salomon de lignis Libani.* Ferculū pacifici Regis Maria est, sed de qua materia accepit, vt tanto splendesceret sub munere? Ait *de lignis Libani*, hoc est, de mundissimis virtutibus Christi; non enim de philosophia, non de Platone, non de Aristotele; sed in vno Iesu habuit Maria quidquid bonum, quidquid splendens exhiberi potest in vita. Ait Philipp. Abb. lib. 4. in Cant. cap. 5. *Ex lignis Libani asserunt sodales ferculum fabricari, vt rectè videatur opus à materia commendari, quia sanctitas Virginis ex Christi virtutibus est compacta.* In vastissimo illo virtutum, & gratiarum mari, quod fuit Maria, nihil splendidum, nihil pretiosum non fuit à Christo. Philipp. Abb.

§. XII.

Nunquam non errauit in iudicando, qui solas personas intuetur.

ET suum factum in homine curato die Sabbati, & Moysis facta in circumcisis puerulis eodem die curatis proponit Dominus ob oculos Iudæorum; & simul monet, ne solas tueantur personas, nisi velint incidere in errorem. *Nolite iudicare secundùm faciem, &c.* Respicite ad opera, respicite ad verba, ne totus respectus feratur ad personas; id enim solùm fit à iudice erroneo. Hinc enim totus error Iudæorum manauit, quòd solam viderent personam. Exod. 34. di-
Exod. 34. citur: *Cúmque descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonij, & ignorabat, quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini. Videntes autem Aaron, & filij Israël cornutam Moysi faciem, timuerunt propè accedere, &c.* Expende, quid Israëlitæ vident, quid reuereantur in Moyse; an Dei verba scripta? An tabulas testimonij? Minimè ad id attendisse dicuntur, sed solùm ad splendentem faciem Moysi, vnde factum est, vt semper iudicarent erroneè. Ait
Ambros. D. Ambros. lib. 7. in Luc. cap. 9. *Vidit populus in gloria faciem Moysi, sed velamen accepit, sed in montem non ascendit. Et ideò errauit, quia solum Moysem vidit, Dei verbum simul videre non potuit.* Qui nihil aliud attendit, quàm splendentem faciem Moysi, non Dei verba, non aliquod aliud opus, cur non biberet, vt aquas, errores? Quisquis non errare cupis, caue, ne respicias splendentes personas solas; dissimula, præteri splendentes vultus; respice opera; perpende verba, & liber eris ab errore. Et quidem sanctissimus Iob vbi tot de se errores ab amicis conceptos, & prædicatos audit, non putat, potuisse hoc illis euenire, nisi ex illo vitio, quòd alicuius po-
Iob 13. tentis respicerent faciem: quippe ait cap. 13. *Nunquid Deus indiget vestro mendacio, vt pro illo loquamini dolos? Numquid faciem eius accipitis?* Et quidem tot mendacia, tot errores aduersus deiectum, & vilificatum Iobum non possent affingi, nisi ab illo, qui alicuius potentis respectu alicuius vilis, respiceret faciem? Amici erant Iobi omnes illi, facundi alioquin, & boni viri, qui vbi iudicare voluerunt inter Deū, & Iobum solas personas respicientes, sic verecundati sunt potentissimum Deum, & contempserunt Iobum, vt pro victoria tantæ personæ in millia aduersus deiectum descenderent mendacia. Ait Author Cat. Græc. *Theodotio interpretatus est, An personam eius accipitis? Hebræus autem dixit, Verecundamini, id est, veremini contra Deum dicere; ideirco ad gratiam loquimini. Cùm enim mea sint vobis minimè ignorata, quædam tamen alia falsò affingitis. Veritatis enim specie assimulata, pro Deo dicitis.* Non Dei amor vos facit sic pro Deo stare, sed acceptio personæ, quando augustissimam eius faciem, amplissimámque potestatem humano more reuerentes, non potestis stare in veritate, sed ad mendacia, & simulationes conuolatis, quasi is sit Deus, cuius causa figmentis debeat agitari.

Text. Dicebant ergo quidam ex Hierosolymis: Nónne hic est, quem quærunt interficere? Ecce palàm loquitur, & nihil ei dicunt. Nunquid verè cognouerunt Principes, quia hic est Christus? Sed hunc scimus, vnde sit: Christus autem cùm venerit, nemo sciet, vnde sit.

§. XIII.

In curia nullum studium, nullæ litteræ, nulla sanctitas æstimatur ab aulicis, nisi quæ Regi placet.

IEsu sapientia, & doctrina, & virtus prorsus censebatur mirabilis; nihil in illo apparebat, quod non verum Messiam euidentissimè referret. Cur ergo non vt Messias adoratur? Quid in illo requiritis, Iudæi? Nónne potentiam ostendit in virtutibus, sapientiam in doctrina, in vita sanctitatem? Cur hæc videntes, & fatentes, adhuc inquiritis, verum Principes illum Christum iudicauerint? Sanè Hierosolymitani erant isti, & curiales, imò & aulici, quibus nulla virtus, nulla sapientia, nulla gratia probatur, æstimatur, nisi quæ Regi placet; quippe ait textus: *Dicebant ergo quidam ex Hierosolymis: Nónne hic est, quem quærunt interficere? Ecce palàm loquitur, & nihil ei dicunt? Nunquid verè cognouerunt Principes, quia hic est Christus?* Quid temporalius? Potentiam Iesu prædicant, qua rabidè peritus ad mortem, securus, & intrepidus agit inter hostes, & tamen illum non adorant, sed Principum iudicium de illo explorant. Proh miseram curialium conditionem, etiam in Deo, & virtute æstimanda Regi gerentem morem! Ad hæc D. Chrysost. hom. 49. in Ioan. *Cur ex Hierosolymitanis dixit? Vt ostenderet Euangelista, quòd qui multa, & magna videbant miracula, hi miserabiliores erant. Qui maximum Diuinitatis signum acceperant, perditorum Principum iudicium sequebantur.* Equidem non otiosè ponuntur hic Hierosolymitani, sed vt explicentur curialium, aulicorúmque mores, qui euidentissimis virtutibus visis, adhuc iudicium Regis de illis explorant, id solùm æstimantes bonum, quod est Regi conforme. Notissima est historia aulici Pincernæ, is dum esset in carcere, nactus Iosephum somnij interpretem, auspicium cœpit suæ in Regis gratiam restitutionis. Quid plura? Restitutus in aulam est, vidit euidentissima prophetici spiritus in Iosepho existentis signa, nil tamen de illo, nec pro illo locutus est. Tandem dum Rex somniat, nec est, qui regij somnij afferat explicationem, iam putans interpretem suum Regi placiturum, sic loquitur Gen. 41. *Confiteor peccatum meum: Iratus Rex seruis suis, me, & magistrum pistorum retrudi iussit in carcerem principis militum; vbi vna nocte vterque vidimus somnium, præsagium futurorum. Erat ibi puer Hebræus eiusdem ducis militum famulus, cui narrantes somnia audiuimus, quidquid postea rei probauit euentus, &c.* Sanè notissimus fuerat spiritus propheticus Iosephi Pincernæ isti, & tamen per totum biennium nihil de illo fatur; nunc autem illum prædicat, & extollit, & se peccasse in tanto silentio fatetur. Cur hæc modo? An ex animi gratitudine erga benefactorem suū? An ex pœnitētia ingratissimæ obliuionis suæ? Minimè, sed ex eo, quòd exploratum habet, illum Iosephi spiritum modo posse Regi probari. Pulchre D. Ambr. lib. de Ioseph, c. 7. ait de hoc Pincerna: *Beneficij auctorem oblitus est diu: aliquando tamen, vt Regi prouideret interpretem, non quasi gratus, sed quasi callidus intimauit seriem rei gestæ.* Huc solùm spectant omnia curialium studia, vt Regis nutum sequantur, eiúsque venentur gratiam: nec sapientiam, nec prophetiam, nec miracula, nec virtutes æstimant, ni quà, & quando videntur Regi posse accidere grata. Quidquid loquuntur bonum, quidquid admittunt religiosum, & prædicant, non id faciunt ex prudentia vera, sed ex calliditate ad fauorem regiū venandum. Hinc est, quòd cupiens Rex Achab capere Rhamoth Galaad 3. Reg 22. *Congregauit Rex Israel Prophetas quadringentos circiter viros, & ait ad eos: Ire debeo in Ramoth Galaad ad bellandum, an quiescere? Qui responderunt: Ascende, & dabit eam Dominus in manu Regis.* Ecce tibi, quadringenti viri, qui habebantur Prophetæ, vnanimiter bellum Achabi Regis prosperum, & Deo gratum prædicant, quod falsum fuisse rei monstrauit euentus. Sed vnde tot viri, nimirum quadringenti sic vnanimiter concurrere, vt falsum annunriarent pro vero? Non prophetabant ex Dei spiritu, sed ex proprio; palatini autem

Chrysost. Genes. 41. Ambros. 3. Reg. 22.

autem omnes propriam ſpiritum ſequentes nihil aliud ſpe-
ctant, niſi quod gratum putant Regi. Vnde Philipp. Abbas
Philipp. lib.4.in Cant.c.29. *Prophetæ, qui mententur vera, & vtilia non videre, prophetant ſuo ſpiritu, quidquid Regi nouerunt complacere. Seducti ergo illi ſeducunt Achab.* Hic eſt proprius ſpiritus Prophetarum curialium, quòd ſolùm æſtiment, & prædicent, quod ſciunt gratum Regi. Et mirum erit, ſi in curia vel vnus inueniatur Propheta, adeò ſpiritus diuini plenus, qui non vereatur prædicare Regi moleſta. 1.Reg.cap.15. de Samuele annunciaturo mala Sauli, dicitur: *Ait autem Samuel ad Saul:*
1.Reg.c.15. *ſine me, & indicabo tibi, quæ locutus ſit ad me Dominus nocte.* Expende illud, *ſine me*, quaſi teneretur regio conſpectu, regiique ſupercilij metu, ne poſſet dicere, quæ erant triſtia
Procop. Regi. Ibi Procopius in Gloſſa: *Quanquam Propheta ſit, tamen Regem allocuturus liberè, copiam loquendi petit.* Totus diuini ſpiritus halitus, quaſi hærebat in Propheta, vbi triſtia renuntianda erant Regi; nec audet tantus Vates ea fari, niſi petita priùs & obtenta copia loquendi. Non ſolùm ſit Propheta, ſed & hominem exuat, neceſſum eſt ille, qui velit
Ion 3. triſtia dicere Regibus. Ion. c.3. *Cœpit Ionas introire ciuitatem itinere diei vnius, & clamauit, & dixit: Et peruenit verbum ad Regem Niniue* &c. Peruenit verbum, hoc eſt, iuxta aliquorum interpretationem, peruenit ipſe Ionas, faciens verbum euerſionis Regi: quod putans D.Ephrem in præſenti fatur:
Ephrem. *Non pertimeſcit Ionas ad Regem properare, & ei ſuos morbus aperire. Non veretur vel ipſi auſteritatis pharmacum propinare.* Et cur, cùm de eodem Iona introeunte ciuitatem, & Regis aulam locutos, vbi de ciuitatis introitu loquitur, dicit; *Cœpit Ionas intrare. Peruenit verbum ad Regem.* Sanè qui Regi dura nuntiaret, ſic hominem exuerat, vt nihil in illo hominis appareret, niſi verbum tantùm. Et quis auſus eſt Herodi Regi ſcelus coram carpere, niſi ille, qui de ſe aiebat: *Ego vox clamantis in deſerto?* Quòd ſi aliquid hominis in te manet, præter vocem, difficile non geres morem Regi.

§. XIV.

Diuinitatis notio inde ſumitur, quòd abſcondita ſit humanæ cognitioni.

CHriſti diuinitatem ſatis oſtendunt illæ voces horum Hieroſolymitarum, nimirum, *Chriſtus autem cùm venerit, nemo ſcit, vnde ſit:* tantum non dicere, Chriſtus cùm venerit, Deus oſtendetur, quando diuinitatis notio ea eſt maniſeſtiſſima, quòd ſeſe prophanorum eripiat oculis, imò & diſertorum ſuperet præſumptuoſam indagationem. Pro quo
Arnob. aiebat Arnob.lib.3.contra gent. *Verus eſt hominis intellectus de Dei natura certiſſimus, ſi ſcias, & ſentias nihil de illo poſſe mortali oratione depromi.* Quis credat Deum, cuius perfectiones & lingua, & oculi humani metiuntur? Ille ſatiùs Deum oſtendit, qui ineffabilem, & inexplicabilem monſtrat. Ad
Iſai 45. Chriſtum Dominum aiebat Iſaias, cap. 45. *Tantum in te eſt Deus, & non eſt abſque te Deus. Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Saluator.* Vbi Deus abſconditus dicitur, legunt Septuag. *Deus, & neſciebamus:* quaſi ex nullo magis clareret Dei notio, quàm ſi ab hominibus neſciatur, & illis poſ
Actor.17. ſit occultari. Hinc Paulus, Act.17. dicit Athenienſibus: *Prætereuns vidi ſimulachra veſtra, inueni & aram, in qua ſcriptum erat, IGNOTO DEO. Quod ergo ignorantes colitis, hoc*
Chryſoſt. *ego annuntio vobis.* Vbi Chryſoſt. legit: *Quem igitur ignorantes bene colitis, hunc ego annuntio vobis.* Expende illud, *bene colitis*: & quomodo Ieſus dici poteſt bene ab Athenienſibus coli ſub titulo ignorati, & incogniti Dei, niſi hæc eſſet propriiſſima diuinitatis Ieſu notio, quòd ſe ſubtrahat infirmis hominum oculis. Ad hæc aiebat Arnob.lib.1.contr.gent. lo-
Arnob. quens cum Deo: *Vt intelligaris, tacendum eſt, atque vt per vmbram te poſſit errans inueſtigare, ſuſpicio, nihil eſt mutiendum. Da veniam, Rex ſumme, tuos perſequentibus famulus: & (quod tuæ benignitatis eſt proprium) fugientibus ignoſce tui nominis, & religionis cultum. Non eſt mirum, ſi ignoraris; maiores eſt admirationis, ſi ſciaris.* Et quidem & ſanctè & ſapienter ſentiunt de altitudine Dei. Et adhuc dicit eodem libro: *Dei deatis, licèt eis mors, atque in laſcinis in diſſoluamini incitationum, Ieſus Deus ſublimis ſuis. Deus eadice ab intimis, Deus ab incognitis regnis:* quaſi ea non vulgaris Dei notio ſit, quòd incognitum quid præſeferat.

Text. Clamabat ergo docens in templo Ieſus, & dicens: Et me ſcitis: & vnde ſim ſcitis, & à me ipſo non veni, ſed eſt verus, qui miſit me, quem vos neſcitis. Ego ſcio eum: & ſi dixero, quia neſcio eum, ero ſimilis vobis mendax. Sed ſcio eum, quia ab ipſo ſum, & ipſe me miſit. Quærebant ergo, &c.

§. XV.

Dei ignoratio in crimen, imò & in ſupplicium vt vocatur.

ECce vobis iratus Dominus, & in clamores exurgens, quale crimen obiicit Hieroſolymitanis: *Eſt verus, qui miſit me, quem vos neſcitis.* Magnum quidem ſcelus eſt hominum, qui inter Dei opera, & miracula nutriti ſunt, Dei, diuinarúmque perfectionum eſſe prorſus ignaros. Nec puto tantum hoc nefas inultum manere, præcipuè cùm Minutius
Fœlix loquens de pœnis inferni in Octauio fateatur: *Pœ-* Minut.
nale illud incendium non damnis ardentium paſcitur, ſed inexceſſa corporum laceratione nutritur: eos autem meritò torqueri, qui Deum neſciunt, vt impios, vt iniuſtos, niſi prophanus nemo deliberat: cùm parentem omnium, & omnium Dominum non minoris ſceleris ſit ignorare, quam lædere. A quo creati ſumus Parente, in quo viuimus, mouemur, & ſumus, & ſine quo nihil perficere poſſumus quis impunè ignoret? Quis abſque magno piaculo, imò & ſupplicio deſpiciat Parentem omnium, & omnium Dominum noſcere, eiúſque excellentias fre-
quenter meditari? Ait Iſai.c.1. *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum,* Iſai.1.
& aſinus præſepe domini ſui: Iſrael autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequam, filijs ſceleratis, dereliquerunt Dominum, blaſphemauerunt ſanctum Iſrael, abalienati ſunt retrorſum. Super quo percutiam vos vltra, addentes præuaricationem? Omne caput languidum, omne cor mœrens. A planta pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas, vulnus, & liuor, & plaga tumens, &c. Quæ ſcelera, quæ ſtrages, quæ mortes non afficiunt, & perdunt miſerum populum? Sanè eius concludat perditionem; factus eſt populus ille & ſcelere, & ſupplicio, *quaſi Sodoma, & Gomorrha.* Et vnde ad tam miſerabilem peruenit ſtatum? Ipſe Propheta indigitabat, dicens: *Iſrael autem me non cognouit, populus meus non intellexit.* Ex quo parentem omnium, & omnium Dominum Deum deſpexit cognoſcere populus, nihil mali eſt, nil ſceleris, nil plagæ quod in illo non videatur; illum paſſim peſſundant. & libidines Sodomæ, & flammæ.
Pro quo fatur Procopius in cap.1. Iſaiæ: *Ait enim Iſaias; Iſ-* Procop.
rael autem me non cognouit, & populus me non intellexit. Quo ſit, vt populus Gomorrhæ, Sodomorumque Principes euaſerint. Hanc putat bonus iſte auctor ſufficientem cauſam, quæ poſſit & fulmina, & ſulphureas flammas, & omnigena mala trahere; ſi nimirum Dominus Deus noſter non cognoſcatur. Et ab hac pene Dei ignoratione crediderim prouenire ſceleſtiſſimos illos, & barbariſſimos mores, qui graſſantur in non parua parte populi Chriſtiani. Nihil enim ſunt quæ tas in eis, in quibus aut nulla, aut parua cognitio Dei eſt. Oſe.
cap.4. *Audite verbum Domini, filij Iſrael, quia iudicium Domi-* Oſea 4.
ni cum habitatoribus terræ. Non eſt enim veritas, & non eſt miſericordia, & non eſt ſcientia Domini in terra. Propone tibi ob oculos vniuerſam terram, & vix in aliquo apparet veritas; mendacium, & fallacia vbique præualet; in raro apparet opus dignum diuina miſericordia, ſed omnia fulminantem Dei iuſtitiam excitant; vnde hæc mala? *Et non eſt ſcientia Dei in terra;* vis ex millibus dabis vnum ex nobilibus, ex diuitibus, ex iuriſprudentibus, qui det operam cognoſcendo Deo, qui non parui æſtimet Dei cognitionem; qui ergo ſic deſpiciunt noſſe Deum, cur & veritatis, & miſericordiæ non deſtituantur bonis? Theodoretus in præſenti
ait: *Veritate, inquit Oſeas, & miſericordia priuamini, Dei no-* Theod.
titiæ deſtituti. Quando vos non multum curatis Deum noſcere, nil mirum, quòd tradamini mendaciis, imò & tradamini ſeueriſſimo, & abſque miſericordia iudicio Dei. Is
enim eſt Deus, qui dicat, Oſeæ cap. 6. *Volui ſcientiam Dei* Oſea 6.
pluſquam holocauſta: quippe agnitio Dei ſaporat & condit alias omnes virtutes, adeò vt ſine illa propè nihil illæ ſint apud Deum. Rem pulchrè tractat Lactantius, lib.6. de
vero cultu, cap.9. *Huius legis caput eſt, primum ipſum Deum* Lactant.
noſſe, illi obtemperare, ſolum colere. Non poteſt enim rationem hominis obtinere, qui parentem animæ ſuæ Deum neſcit, quod eſt ſummum nefas. Et quia ſibi obiecerat, poſſe eſſe homines moraliter bonos, qui Deum non norint, addit ſtatim: *Putemus fieri poſſe, vt aliquis naturali, & ingenito bono veras virtutes capiat: qualem fuiſſe Simonem Athenis accepimus,*

qui

qui & egentibus stipem dedit, & pauperes inuitauit, & nudos induit. Tamen cùm illud vnum, quod est maximum, deest, agnitio Dei, iam illa bona omnia superuacua sunt, & inania, vt frustra in iis assequendis laborauerit. Omnis enim iustitia eius similis est humano corpori caput non habenti: in quo tametsi membra omnia, & locis suis constent, & figura, & habitudine, tamen quoniam deest id quod est omnium principale, & vita, & omni sensu caret. Itaque membra illa formam tantummodo membrorum habent, vsum non habent: tam scilicet, quàm caput sine corpore; cui similis est, qui cùm Deum non ignoret, viuit iniustè. Id enim solum habet, quod est summum, sed frustrà, quonia virtutibus, tamquam membris caret. Itaque vt sit viuum, & sensibile corpus, & agnitio Dei necessaria est, tanquam caput, & omnes virtutes, quasi corpus. Ita fiet homo perfectus, ac viuus. Sed tamen summa omnis in capite est, quòd quamuis constare non possit sine omnibus, sine quibusdam tamen potest. Et erit quoddam animal vitiosum, ac debile, sed tamen viuet, sicut & is, qui Deum nouit, & in aliqua re peccat. Dat enim veniam peccati Deus. Quid pulchrius? Agnitio Dei etiam peccatori proficit ad obtinendam veniam; qui autem Deum minimè noscit, est quasi sine capite corpus, & non faciet, vnde veniam efficaciter obtinere possit.

Text. Miserunt Principes, & Pharisæi ministros, vt apprehenderent Iesum. Dixit ergo eis Iesus: Adhuc modicum tempus vobiscum sum, & vado ad eum, qui misit me.

§. XVI.

Famulorum discrimina, qui subeat, vnus Dominus Deus adest: mundiales enim domini, & principes, quidquid discriminis est in propriis seruandis lucris, in famulos reiiciunt.

QVando non semel Iesus furentium hostium manus reliquit inanes, res erat discriminis, & verecundiæ, in illum iterum manus iniicere, tentare; quare Principes Iudæorum metuentes sibi à Iesu, ministros mittunt ad comprehendendum illum. Et quando mundiales Principes in famulos non remittunt, quidquid discriminis est in adimplendis propriis cupidinibus? Pulchrè ad hæc aiebat Theophyl. in præsenti: *Miserunt autem, sed non ipsi venerunt metuentes turbam, ne tumultuarentur: & propterea ministros mittunt, seipsos subducentes, ne quid periculi suboriretur, illos autem furori populi exponentes.* Hic est genius mundialium principum, mundialium dominorum, qui famulos hostilibus furoribus, & ingruentibus periculis exponunt, & vt ipsi vel libitum perficiant, vel lucra acquirant, se subducentes labori, nulli parcunt famulorum discrimini. Obuiantem Esau cum quadringentis armatis viris timuit Iacob. Quid tunc? Ait Genes. 33. *Diuisitque filios Liæ, & Rachel, ambarùmque famularum: & posuit vtramque ancillam, & liberos earum in principio. Liam verò, & filios eius secundo loco, Rachel autem, & Ioseph nouissimo.* Ecce tibi, vbi constituuntur famulæ in phalāgis fronte; vt primæ exciperent hostiles impetus, & Iacob de famulorum sanguine dilectis filiis pararet salutem. Hostium furori exponuntur famuli, discrimina subeunt, proprio corpore frangunt hostiles iras, vt mundialis princeps quietus viuat; vnus enim est verus Dominus Deus noster, qui famulorum ipse subit discrimina, illorúmque subit pœnas, vt illi quiescant, & triumphent. Hinc apud Matth cap. 11. clamabat, Dominus: *Omnia tradita sunt mihi à Patre meo, Et nemo nouit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Ex quo omnia sibi accepit à Patre, in suúmque reduxit famulatum, quid egit? An nos hostibus, vulneribus exposuit, vt de famulorum sanguine regna sibi instauraret? Absit; non is est spiritus veri Domini, quin potiùs sic se exponit laboribus, vt nullum famulum permittat laborare; sic se telis hostilibus exponit, vt famuli vix aliud, quàm quietem experiantur. Aiebat D. Athan. homil. in hæc verba: *Ad emendationem autem tradi illi omnia decuit, vt homo fieret, & in ipso omnia reuocarentur: eo enim ipso, quòd homo erat, humanitas nostra viuificabatur. Nam ideò coniunctum est Verbum homini, ne maledictio vlterius vim suam in hominibus haberet. Illud enim etiam ipse significans, dixit in Psalm. 87. In me confirmatus, defixúsque est furor tuus; siquidem iram aduersus nos conceptam ipse gestauit.* Ipse, ipse Dominus pro seruis se obiecit, & in se inimica excepit iacula, ne nisi confracta, & remissa ad seruulos penetrarent. De differentia inter seruos Dei, & mundialium principum multa, & pulchra habes passim, præcipuè 1. tom. lib. 2. c. 8. §. 9. & lib. 3. c. 5. §. 4. & §. 16. & sæpe aliàs.

Theoph.

Genes. 33.

Athanas.

§. XVII.

Ægrè, & difficulter adducitur Iesus, vt etiam mille iniuriis repulsus, ab hominibus abscedat.

HOstibus suis, & persecutoribus eum à mundo eliminare cupientibus, quale responsum præbet Iesus? Ioann. ait: *Dixit ergo eis Iesus: Adhuc modicum tempus vobiscum sum.* Quid ais, Domine, cum iis, qui te ad mortem petunt, adhuc morari vis, adhuc cum illis esse satagis? Cur non magis fugis? Cur non magis illos relinquis, & abis? Is est Dominus, qui nec iniuriis petitus ab hominibus abscedere amat, sed illorum saluti cupit instare. Ex illius ore fatur in præsenti Theophylactus: *Etiam si persecuti fueritis, etiam si abnegaueritis, ego adhuc vobiscum sum; hoc est, pro vobis curam gero, & loquor ea, quæ ad salutem vestram spectant.* Non iactatæ iniuriæ, non persecutiones tantum possunt, vt Iesum valeant prorsus fugare; qui vel iniuriatorum, vel persecutorum saluti instat procurandæ. Paul. 1. ad Corinth. 10. ait: *Nolo vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari: & omnes eamdem escam spiritalem manducauerunt, eumdem potum spiritalem biberunt: (bibebant autem de spiritali consequente eos petra; petra autem erat Christus) sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo, nam prostrati sunt in deserto. Hæc autem in figura facta sunt nostri, vt non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt, neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis. Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, & ceciderunt vna die viginti tria millia. Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentauerunt, & à serpentibus perierunt. Neque murmurauerітis, sicut quidam eorum murmurauerunt, &c.* Quis populus sic in Deo rebellis, & impius dari potuit? Populus sanè fuit in deserto concupiscentia plenus, idololatria infamis, Deo rebellis, fornicator, Dei tentator, querulus, murmurator, & inter tot iniurias Deo illatas, illud maxima admiratione notandum venit, quòd *bibebant de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus.* Illi concupiscebant, idolis immolabant, fornicabantur, Deum tentabant, murmurabant; & petra Christus illos adhuc expectabat, imò illos in via sequebatur, comitabatur. Neque iniuriis, neque murmurationibus fugabatur Iesus, sed adhuc illorum saluti acquirendæ incumbebat. D. Ambr. in Psal. 36. ait: *Illos igitur querulos, illos murmurantes, illos præuaricantes, tamen non deserebat Dominus, sed sequebatur.* Quasi nulla iniuria accepta, potuisset Deus dimoueri à salute hominum quærenda, sic adhuc inter iniuriatores, inter rabidissimos persecutores degit. Non aliter Exod. 32. vbi Israëlitæ vitulo sacrificia parabant, ait Dominus Moysi: *Vade, descende, peccauit populus tuus, quem eduxisti de Ægypto. Recesserunt citò de via, quam ostendisti eis, feceruntque sibi vitulum conflatilem, & adorauerunt, atque immolantes ei hostias dixerunt, Isti sunt Dij tui Israël, qui te eduxerūt de terra Ægypti. Rursúmque ait Dominus ad Moysem: Cerno, quod populus iste duræ ceruicis sit, dimitte me, vt irascatur furor meus, &c.* Expende illud, *dimitte me:* iniurias sibi inferri videt, audit blasphemias contra se iaculari, & non abscedit iratus, sed moras nectit, & quasi minimè cupiat abire, sic rogat dimitti. Quid rogas, Domine, dimitti? Cur non magis abscedis? Cur & moras, & impedimenta non abrumpis? Non sic facilè Dominus abscedit ab homine suo, etiam iniuriis, vel ipsis calcibus impulsus adhuc moratur, nec amat à salutis opere desistere. D. Cyrill. Hierosolym. Catech. 2. *Etiam si vniuersus populus peccet, non superabit diuinam benignitatem. Vitulum populus fabricauerat, sed non destitit Dominus Deus à benignitate. Negauerunt Deum homines, sed Deus seipsum non negauit. Isti sunt Dij tui Israel, & tamen pro more suo Deus seruabat illos.* Is est Deus, qui vel fustibus, vel calcibus eiectus, adhuc moretur, & instet procurandæ eiicientium saluti.

Theoph.

1. Cor. 10.

Ambros.

Exod. 32.

Cyrill.

§. XVIII.

Homines, neque ad modicum possunt esse, nisi cum eo, qui sciat peccata dimittere.

NOn solum promittit Iesus, se ad modicum tempus adfuturum Iudæis, sed insuper addit illa, *Et vado ad Patrem*, scienter innuens, numquā non posse non esse molestissimam, & incomportabilem hominibus præsentiam illius,

qui

qui semper iudicem, & nũquam patrẽ ostendat; qui semper vlcisci, & numquã sciat dimittere. Es quis hominũ ferat vel ad modicum secum esse illum, qui numquam patrem exhibeat? Exod. 33. Deus promitit Moysi, quòd ipse mittet Angelum suum, qui ducat populum, & introducat eum in terram promissionis, & sit ibi cum illo. Cui Moyses respondit: *Si non tu ipse præcedas, ne educas nos de loco isto.* Cur Moyses non contentus est eum Angelo ductore, & assisteote populo suo? Cur Angeli præsentiam, & ducatum refugit, nec vult gradum facere nisi ducat, & adsit Deus ipse? Equidem in Angelo noo nouit patrem, nec potestatem dimittendi delicta, sed vindices iras vidit: at in Deo nouit pattem, oouit affectum paternum potentem peccata dimittere, & putauit intolerabile, & omnino molestum humano populo, vel ad momentum esse; vel gradum facere cum eo, qoi semper iudicem, & numqram patrem in peccatis dimittendis eshibeat.

Procop. Ait Procopius in cap 6. Isaiæ: *Quamobrem Angelus displicet? Quia nimirum sceleratus populus peccatorum remissione, quam Angeli præstare nequeunt, opus habebat. Peccata enim vlcisci quidem, sed non item possunt remittere. Vnde & alium supplex, quem mitteret, verum illum scilicet legislatorem, qui vnus potest salutem dare, vnus item peccata remittere, proferendum dicebat.* Qnid facerent peccatores homines enm solo scelerum viodice? Fallat, si vel ad modicum possent viuere, nisi sub eo, qui & patrem sciat ostendere, & peccata possit paternè dimittere. Petit homo cum vindicante; æstimat esse cum eo, qui misericordiam nouit impertiri. Iacob Filij vbi nouerunt se apud Patrem de crimine pessimo accusatos, Iosephum accusatorem vendunt Ismaelitis, ait enim Genes. 37.

Genes. 37. *Vendiderunt eum Ismaelitis viginti argenteis.* In Euangelio venditur Iesus triginta, qnippè ait Matthæus, cap. 26. *At illi constituerunt ei triginta argenteos.* Matt. 26. In vtraque venditione vendebatur Christus, in Genesi vendebatur in typo; in Euangelio vendebatur in veritate. Cur ergo quando vna in vtroque spectatur venditio, tantum est in pretio discrimen. Cur illi vendunt viginti, hi autem emunt triginta. Illi vendebant sceletum vindicem, hi autem emebant Redemptorem, & vt vendatur, & alienetur scelerum vindex, nullam patiuntur moram, sed vel vili pretio illum abiiciunt, vt autem habeatur ille, qui scit peccata dimittere, nulli pretio parcunt, vel maximo pretio illum habere festinant.

Ambros. Quò spectans D. Ambros. lib 3. de Spiritu sancto, inquit: *Viginti aureis in veteri testamento venditur, triginta in Euangelio. Pretiosior enim typo veritas, largior gratia, quàm disciplina.* Et quidem disciplinæ rigorem quis peccator sustineat? Vt mercator inutiles sibi, & periculosas merces secum morari non desinit, sed vel vilissimo accepto pretio illas à se abiicere festinat. Sic qui Iosephum typum Christi vindicis & accusatoris vendebant, nec ad modicum secum morari permittunt, sed vili accepto pretio illum à se abiiciunt, & tradunt Israëlitis. At qui Redemptorem peccatorum emebant, nulli pretio parcunt; vt mundo acquirant illum, qui peccata sciat, & velit remittere.

§. XIX.

Qualis fuerit vita Christiani, talis & mors erit.

NOn pauci interpretes expendunt, quòd loquens Iesus de abitione, per mortem post tempus futuram, nihilominus de præsenti loquatur, dicens: *Adhuc modicum tempus vobiscum sum, & vado ad eum, qui misit me.* Non ait, & ibo sed *& vado*: quasi præsentis vitæ gressus iidem essent, ac gressus mortis futuræ, nec in nullo possent distingui. Et quidem sapientissimè id est dictum, vitæ enim præsentis gressus, aut iidem, aut similes sunt gressibus mortis futuræ. qualis gradieris in vita talis prorsus gradieris in ipso mortis puncto; nunc in præsenti ostendis gressus, quos habebis etiam moribundus. Cant. 2. ait de se Dominus: *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Et quod mireris magis, id referunt multi expositores Christo Domino, quando in Caluarij monte crucis stipiti apparuit affisus Tunc Iesus verus flos apparuit, tunc maximè in se & pulchritudinem, & naturam floris monstrauit. Quid tunc Christo, & flori? De Iesu crucifixo audio

Matth 26. Matth. cap. 26. *Iesus autem iterum clamans voce magna emisit spiritum. Et ecce velum templi scissum est in duas partes à summo vsque deorsum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.* Quid hæc ad naturam floris? Multum per omnem modum; floris enim naturæ est, eumdem semper vel in ipsa succisione seruare odorem. Sic Iesus, qualis fuit in vita, talis prorsus ostenditur in morte; in vita scripturarum velamina explicabat, terrenos animos, saxea peccatorum corda percutiebat, monumenta aperiebat, vitam defunctis præstabat. Nonne id prorsus facit & moriens, dum terra quatitur, dum templi velum scinditur, rumpuntur saxa, & vita defunctis communicatur? Hoc facit etiam Christus in suis Christianis, qualis fueris in vita, talis prorsus in morte esse monstraueris. D. Ambr. lib. 5. de Spir. S.

c. 5. ait: *Flos odorem suum seruat succisus, & contritus accumulat, nec auulsus amittit. Ita & Dominus Iesus in illo patibulo crucis nec contritus emarcuit, nec auulsus euanuit, sed illa lanceæ punctione succisus, sacro speciosior fusi coloris cruore vernauit, mori ipse nescitus, & moriens, æterna vitæ munus exhalans.* Ambros. Quos spargebat odores in vita Christus, quas vitas halabat, eas & in morte halat; verus campi flos qui & succisus prorsus sui similis extitit, prout in viuida radice vernabat. Quam verè hoc accidit Christianis? Rarus inuenitur in morte dissimilis sui, prout in vita fuit: quales viuunt, tales moriuntur fere omnes homines. Vitæ gressus, mortis egressus similes penè infallibiliter futuros designant Psalm. 89. *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo: sæculum nostrum in illuminatione vultus tui.* Psalm. 89. Vbi noster, & Septuag. posuerunt, *sæculum nostrum*, ponit D. Hieronym. in epist. ad Cyprianum, *negligentias nostras*: & quinta editio legit: *adolescentiam nostram.* Et miratur Hieronymus, quòd pro erroribus adolescentiæ positum fuerit sæculum a Vulgata & Septuaginta. Hieron. Cur vbi legendum erat de erroribus adolescentiæ, maluit noster legere, sæculum nostrum? Equidem in adolescentia clarè ostenditur totum sæculum hominis, totiua vitæ nostræ monstratur curriculus, qualis enim fuerit quis in vita, qualis adoleuerit, talis inuenietur esse, vel in ipsius vitæ consummatione. Quò spectans Hugo Cardinalis allatus à nostro Magallanes, cap. 1.

Iudicum, sect. 1. annotat. 6. inquit: *Raro videmus, quempiam benè mori, qui malè vixerit. Num leonem vidisti, aliquando ouina cauda præditum? Fallitne adolescens, qui ætatis suæ flore confisus effusam sequitur peccandi licentiam.* Hugo. Planè nullum animal, & in cauda, & in capite non est sui simile, & penè vllus homo est qui non assimiletur sibi, & in morte, & in vita. Vnde Iob de homine impio locutus, cap. 20. *Ossa eius implebuntur vitiis adolescentiæ eius, & cum eo in puluere dormient.* Iob 20. Septua. breuius dixerunt: *Ossa eius impleta sunt iuuentute eius.* Septuag. quasi nihil aliud appareat in homine iam moribundo, iam in ossa, & puluerem redigendo, quam id quod apparuit in eodem iuuene, & adolescente. Erit homo iam magis cadauer, quàm corpus, erit ossium congeriei proximus, & illa ipsa mortis moles ossea in affectibus, in cupiditatibus prorsus sibi similis erit, prout erat in iouentutis flore. Tota illa iuuentus effrænis occupabit ipsum exitum mortis. Proponite vobis ob oculos diuitem illum purpuratum, de quo Lucas, cap. 16. iam erat sub falce mortis, imò iam erat demessus à morte, & quid tunc cogitat? Quid tunc petit? *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam.* Luc. 16. Cur miser de Lazari guttulis vis impleri? Cur non magis vel in mortis tormento constitutus, satagis de tuis bonis pauperes, & Lazarum implere? Cur non magis agis cum Abraham de tua substantia eroganda pauperibus? Diues miser non potuit esse sui dissimilis, vel in morte: ea est vita diuitum, vt de substantiolis pauperum ipsi ditentur; & ea debuit esse diuitis mors, vt etiam velit tunc de pauperis guttulis impleri. Nec nõ & de Moyse mortuo dicitur. Deuteron. 34. *Et non cognouit homo sepulchrum eius vsque in præsentem diem.* Deut. 34. Cur Moyses mortuus sic absconditus est ab oculis omnium viuentium? Putabatur superfluum, quòd videretur mortuus ille, qui viuus patentissimus omnibus fuit; cuius enim vita patet, & mors etiam patens est. quæ nequit esse vitæ dissimilis. Vnde aiebat D. Ambros. lib 1. de Abel. cap. 2. *Nemo ergo scit sepulturam Moysis, quia vitam eius omnes nouerunt*: & iam ex vita cognita poterant elicere, qualia erat futurus vel in sepolchro. Ambros.

Text. Quæretis me, & non inuenietis: & vbi ego sum, vos non potestis venire. Dixerunt ergo Iudæi ad semetipsos: Quò hic iturus est, quia non inuenimus eum? Numquid in dispersionem gentium iturus est, & docturus gentes? Quis est hic sermo, quem dixit: Quæretis me, & non inuenietis; & vbi ego sum, vos non potestis venire.

§. XX.

§. XX.

Iesus post mortis plagam, vt perfidis occultior, sic patentior fidelibus, & amabilior.

VBi per mortem crucis sese Dominus ad Patrem recepit, quis illò ibit? Quis, etsi quærat, inueniet? Ait ipse, *Vado ad Patrem meum, quæretis me, & non inuenietis; vbi ego sum, vos non potestis venire.* Sic omnibus eripit Christum mors inimica? Absit, ad perfidos Iudæos hæc solùm dicuntur, quibus sanè, vt per mortem crucis magis occultatur Iesus, sic fidelibus clarior apparet, & amabilior. Clamabant Iudæi,
Matt. 27. Matt. 27. *Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Sic petunt sanguinē Christi, quasi gladium petant, sub quo necessum sit
Apoc. 1. illos perire. Sed Ioan. Apoc. 1. ait: *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Ecce eadē Christi mors. idem sanguis illis accidit vt gladius, nobis lauacrum lucidissimum. Illi sanguinem Iesu desuper venientem, vt malum imprecantur, nos præ manibus habemus illum, quo lauemur, & acuamus lumina. Vnde hæc differentia oritur, nisi ex eo, quòd perfidi illi, nos fideles sumus? Et quidem mors, & sanguis Christi, vt fugit perfidos, sic fideles diligit: vt perfidis Iesum occultiorem, & difficiliorem reddit, sic fidelibus illum, & manifestiorem reddit, & magis benignum. Accipite
Chrysost. D. Chrysostom. homil. de cruce, & latrone fantem: *Sanguis Christi illis ad mortem, nobis ad vitam. Non est enim sanguis Christi deterior Babylonio igne. Ille fecit Sanctorum in camino honorare corpora, & Chaldæos comburere, quanto magis sanguis ille pretiosissimus sit perdere incredulos, & saluare fideles? Decuit enim splendorem crucis obcæcare infideles, & illuminare credentes: sola enim Christi crux est, quæ dissoluit tenebras, & regnum dæmonum dissipauit; crux nobis Sol iustitiæ facta est.* Ecce tibi à cruce Christi & mors & vita, & caligo oritur, & lux Solis fulgētissima Nobis credentibus lumina indidit, imò lumen præfert, quo agnoscamus, & videamus, & teneamus Dei Filium, perfidis autem, & rebellibus crucis occasione & maior cæcitas, & densiores tenebræ oriuntur, sub quibus omni bono vacuati dispereant. Et quidem Babylonius ignis fidelibus pueris Filij Dei societatem clariorem dedit; perfidos Chaldæos in cineres redegit. Cur crux Christi eadem non præstet Babylonico camino præstantior est Saluatoris crux; si sapis, si rectè mores tuos composueris, si auratas mundi imagines repuleris; à Saluatoris cruce, & morte, mille tibi Soles fulgebunt, qui Filium Dei tibi demonstrent, & amabilem socium præbeant. Væ tibi si desipis, si inanibus mundi imaginibus inhias; mortem sanè solam, & caliginem, & exteriores; & interiores tenebras culpa tua ex morte Saluatoris
1. Cor. 1. percipis. Præclarè Paulus 1. ad Corinth. 1. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum. Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam; ipsis autem vocatis Iudæis, atque Græcis Christum, Dei virtutem, & sapientiam.* Ecce vobis vt in cruce Domini perfidi, & vitiosi stultescunt, fideles autem, & boni sapiunt, nihilque in illo non inueniunt, quod ad maiorem amorem excitandum possit esse. Vnde aiebat D. Augustin. Psalm. 44.
August. *Christus crucifixus Iudæis scandalum Gentibus stultitia; nobis credentibus vbique sponsus pulcher occurrat: pulcher in cælo, pulcher in terra, pulcher in vtero, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher in ligno, pulcher in sepulchro, pulcher in intellectu.* Expende illa, *nobis credentibus vbique sponsus pulcher occurrat*: occultatur equidem perfidis post mille scandalorum petras, post mille stultitiæ nebulas, quæ ipsi sibi excitant, ne malè cupitum bonum inueniant. Verum vbi fidelis quis apparet, vix facit gressum post crucem, & ecce tibi vbique sponsus pulcher occurrit, vbique specie sua manifesta præuenit.

Text. In nouissimo autem die magno festiuitatis stabat Iesus, & clamabat, dicens: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de spiritu, quem erant accepturi credentes in eum: nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus, &c.

§. XXI.

In Christo crucifixo, & mortuo omnium bonorum fontes aperiuntur, manifestantur.

IN nouissimo, & vltimo die magno festiuitatis, clamat Iesus, & ait: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Et cur ante suos fontes non aperit, sed in nouissimo die? Sanè vt innueret quòd cum vita eius vltimarit, horaque crucis accesserit, sub qua vltimas imposuerit manus saluti, & gaudiis humanis, tunc in se omnium bonorum fontes incipient manifestari Similiter Matth. 8. dicitur: *Vespere autem facto, obtulerunt Iesu multos dæmonia habentes*: & Marcus cap. 1. addit: Matth. 8.
Vespere autem facto, cum occidisset Sol, afferebant ad eum omnes malè habentes. Cur ij afferuntur ad Iesum non antea, sed ad Solis occasum? Sanè de occasu suo habet Sol iustitiæ Christus, patentiores ostendere fontes omnium bonorum, & sanitatum. Quò spectabat D. Hieronym. in cap. 8. Matth. fa- Marc. 1.
tus: *Omnes non manè, non meridiè, sed ad vesperam curantur, quando Sol occubiturus est: quando granum tritici in terra moritur, vt multum fructum afferat.* Aperiuntur equidem sanitatum fontes, omnium bonorum scaturigines, quando Sol iustitiæ sub occasu apparet; quando granum tritici in florido virginitatis agro natum, & moti, & terræ se tradit. Quod desideres, quod sitias bonum, & pretiosum, quod de fontibus crucifixi Saluatoris non habeas? Dicitur Genes. 13. de Abra- Hieron.
ham: *Ascendit ergo Abraham de Ægypto, ipse, & vxor eius, & omnia, quæ habebat, & Loth cum eo ad Australem plagam. Erat autem diues valdè Abraham in possessione auri, & argenti. Sed & Loth, qui erat cum Abraham, fuerunt greges ouium, & armenta, & tabernacula.* Omnia splendida, & pretiosa habet Abraham, cum dicitur diues in possessione auri: Loth autem nihil splendidum. neque pretiosum habet; omnes eius diuitiæ ex pecoribus censentur, non ex auro. Et cur, cum simul fuerint Abraham, & Loth, & simul negotiarentur; ille ex auro totus splenderet aureus, hic ex pecore totus bubulus pecuinus appareret? Nonne ambo iusti, ambo pij in Deum, ambo in homines hospitales, ambo hospitio excipiunt Angelos? Cur ille plenus auro, iste auro vacuus? Vltra percensitas virtutes, aliud inuenio in Abraham, quod sanè illum pretiosis omnibus impleuit, ditauit: dum enim filium suum vnigenitum Deo litat, diuini filij passionem delineabat: ex passione autem Filij Dei innumeri scaturiunt riui aurei, & pretiosorum omnium fontes reuelantur. Aiebat D. Ambros. lib. 2 de Genes. 13.
Abraham cap. 5. *Non habebat Loth aurum, quod habebat ille, qui vidit Christi posteriora. De qua scriptum est: Et posteriora eius in pallore auri. Vidit illum Abraham, sicut testatus est Dominus dicens: Abraham diem meum vidit, & gauisus est. Ideò auri speciem habere meruit, & possidere.* Et quid non habeat, qui Christum crucifixum habet? Quot vulnera passionis Christi, tot aperiuntur, & scaturiunt riui aurei, qui de pretiosissimis rebus valeant omnem habendi cupiditatem in hominibus exsatiare. Quis post apertos Christi fontes in cruce aliquid mundiale sitiat, habens inde quidquid dulce, quidquid suaue, quidquid diues, & pretiosum potest esse ad vitam? Sitienti Iesu in cruce oblatum est à perfidis vas aceto plenum: tunc ait Ioan. c. 19. *Et cum accepisset acetum, dixit, consummatum est.* Quid est quòd potato aceto, omnia Iesus consummat, omnia implet, nisi quòd de passionis acerbitate bibita, hinc resultat, quòd nulla vacuitas, nulla amplius sitis sentiri debeat in hominibus? Quod sanè meditabatur D. Ambros. lib. 1 de Spir. sanct. cap. vlt. inquiens: *Bibit Iesus calicem, hoc est, passionem illam tuorum criminum redemptricem; vt tu sitim istius mundi sacri potus cruore restinguas.* Nihil mundiale debet sitiri ab hominibus, ex quo habent apertos fontes Christi crucifixi. de cuius vulnerum riuis pretiosissima quæque & suauissima acquirunt, ne quid egeant emendicare à creaturis. Ambros.
Ioan. 19.
Ambros.

§. XXII.

Mundiales Principes quàm dissimiles à Iesu, nihil ab illis accipiunt, nisi brachiati viri, & multo nitentes auxiliantium suffragio.

ECce tibi diuinissimi Iesu indolem in bonis suis communicandis, ait enim: *Si quis sitit, veniat ad me*: nullum arcet, nullum fastidit; tantum in te sit sitis, & habes, quo possis ex Iesu bona quæuis accipere. Væ tibi quantis aliis egeres, si quid accipiendum esset à mundiali Principe, quot tibi essent opus brachia, quot auxiliatores, quot munera,

quot

quot offæ, quibus caninas ianitorum fames elimines? Apud Iud. cap. 9. Abimelech rebellat in fratres suos & vt exercitum faceret, *conduxit sibi viros inopes, & vagos: & secuti sunt eum.* Quid tunc? Post millia prælia, post victorias mille expugnanda erat altissima turris in ciuitate Thebes, ad quam confugerant omnes Principes ciuitatis, clausa firmissimè ianua. Tunc ait textus. *Accedénsque Abimelech iuxta turrim, pugnabat fortiter, & appropinquans ostio ignem supponere nitebatur.* Multus exercitus erat cum Abimelech & tamen de nullo tanti exercitus milite dicitur, quòd accesserit ad expugnandam turrim, & capiendam eam de manu Principum; solus Abimelech accedit, solus ostio appropinquat, solus supponit ignem, & flammas excitat, & fumos. Cur solus Abimelech; cur non magis aliquis alius de exercitu miles? Sanè erant Abimelecho conducti milites viri inopes, & adumbrabantur ibi pacis bella, quæ quotidie fiunt in palatiis mundialium Principum pro obtinendis dignitatibus, & sedibus sublimibus, ad hæc non habent accessum inopes, & pauperes, sed solus Abimelech brachiatus homo, qui possit ianitores corrumpere & obcæcare munerum, & largitionum fumo. Pro quo ait Tilm. in alleg. *Accedens Abimelech iuxta turrim pugnabat fortiter, & ignem supponere nitebatur ostio. Pauper enim, qui nullum habet accessum, non ambit Episcopatum; sed diues, qui per amicos, vel aliquo modo accessum habet, ille appropinquat, & oppugnat fortiter, & ignē cupiditatis nititur supponere, cuius fumus oculos excæcat.* Ecce vobis, qui aggrediuntur dona mundialium Principum; non equidem pauperes quibus omnia sunt inaccessibilia; sed diuites, sed potentes, sed brachiati viri, cui mille brachia sunt, vt ianitores, vel palpationibus demulceant, vel muneribus excæcent, & corrumpant. Nemo carens auxiliorum brachiis speret aliquid obtinere à mundiali Principe. Accepturus erat Ioséphus per Dei decretum splendidissimam dignitatem à Rege Ægypti; & quid necessum fuit, vt Ioseph accessum haberet ad Regem? An suffecit illi quod ingenti polleret sapientia? Quòd omni esset ornatus virtute? Quòd singularem industriam rerum administrandarum haberet? Quòd incredibili fulgeret venustate & pulchritudine? Absit, captiuus enim erat, & pauper in Ægypto, & cum iis omnibus donis potius in carcerem, quàm in aulam iuit. In carcere ergo dum est, duos aulicos Principes nanciscitur, alterum eorum secundis præsagiis demulcet, & acquirit. Is postmodum videns Regem anxium de somni interpretatione, dixit Genes. 41. *Erat ibi puer Hebræus, eiusdem ducis militum famulus: cui narrantes somnia, audiuimus quidquid postea probauit euentus. Protinus ad Regis imperium eductum de carcere Ioseph totonderunt, ac veste mutata obtulerunt ei.* Ecce tibi Ioseph ad Regem introducitur, imò à Rege dignitatem accipit, sed mihi crede minime id per se obtinuisset Ioseph, nisi ad notissimas suas virtutes adhiberet etiam Principis pincernarum brachia. Quò spectans D. Chrysostom. homil. 53. in Genes. ait: *Vide quanta dispensata sunt, vt res Iosephi compleretur. Nam postquam summum illud certamen cessasset, & scelestæ illius Ægyptiæ perdicas effugisset, & in carcerem eius coniectus esset, permisit, vt præfectus Pincernarum, per illud tempus in carcerem inijceretur, & per diiudicationem somniorum disceret viri sapientiam, vt tunc tempestiuè memor eius in medium ducat.* Non antea Ioseph potuisset vel repere ad aulam, vel à Rege aliquid extorquere magnum, quam beneficio affectum, & deuinctum sibi palatinum Principem Pincernarum pararet. Non sapientia, non virtutes, sed potentium brachia accessum præbent ad obtinendas ex Regibus mundialibus dignitates. Brachia hæc tibi adsint, & licèt in sapientia, & virtute minimus sis, attinges maxima, & cum omni sapientia, & virtute nihil habes, si desint brachia. Hoc non obscurè monebat Prouerb. 30. *Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regum.* Stellio quidem minimum animalculum, turpissimum, morosissimum, vilissimum, & tamen tenet Regum aulas, in altissimisque turribus solet morari. Vnde hæc ascēdit stellio? Pulchrè ait, *nititur manibus:* vbi Galfrid. *Non alis in eo pedes, non alis manus:* non habet pedes, quibus nitatur, fateor, sed habet brachia quibus sanè cedunt fortissimæ valuæ palatij. Non nihil gratiæ addit Theodor. legens. *Manibus tractans, & moratur in domibus Regum.* Non valet pedibus ad currendum, non valet alis ad volandum, non valet ore ad causas, & negotia sua tractanda; sed valet manibus ad largiendum, valet brachiis, quibus nitatur, & iis solis tractat, & conficit apud mundiales Reges quæ nec sapientissimi, nec disertissimi auderent sibi excogitare.

Iud 9. Tilman. Genes. 41. Chrysost. Prou. 30. Galfrid. Theod.

§. XXIII.

Beneficia spiritualia eo magis crescunt in vnoquoque, quo ipse citius illa aliis communicat.

POculum offert Dominus affectis suis, dicens: *Veniat ad me, & bibat:* & statim subiungit, quòd flumina de bibentis ventre exibunt, aiens: *Et flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Si poculum accepit, quomodo statim manat fluminibus? Erat equidem poculum illud spiritus; quod autem spiritus in nobis est, exinde penè in immensum crescit, ex quo incipit ad alios fluere. Ait Philippus Abb. epist. 13. *Sic certum est, spiritualia beneficia se habere, vt cum alteri alter ea contulerit, non se tamen per hoc videat indigere; imò quo eis largiori animo proximum fœcundauerit, eo eis gratius, & feracius abundabit.* Nihil non crescit tibi spirituale, quod proximo communicas: de largitate tua erga proximos crescunt statim omnia dona spiritualia, & diuina, adeò, vt quæ in te vel roris guttis possent assimilari vbi ex te ad alios fluunt, iam appareant vel in ipso fonte quasi flumina. Minimè sis auarus, homo, in cōmunicandis bonis spiritualibus proximo tuo; non enim in hoc defraudas animam tuam, sed mirum in modum illam auges, & ditas. Helisæus, 4. Reg. 2. dicebat Eliæ: *Obsecro, vt fiat spiritus tuus duplex in me.* Qui simplex erat Eliæ spiritus, petebat Elisæus, vt in se cresceret, & fieret duplex, nónne videtur audax, imò quasi auara nimis hæc Elisæi petitio? Sed non erat audax, nec auara, sed charitatis plena, vt qui vellet de largitate sua erga proximos duplicari, & augeri spiritum. Sciebat enim Eliæ spiritum esse simplicem, quem vt petit non sibi retinendum, sed aliis communicandum, scit necessum esse, quòd sic augeatur, vt duplo maior fiat. Ait Galfridus in alleg. Tilman. *Duplicem petit spiritum, Magistri suscepturus officium, vt quam sibi priùs acceperat gratiam, nunc acciperet proximis erogandam.* Ex quo intendit acceptam gratiam proximis communicare, illam vocat duplicem, vt qui sciat spiritualia bona communicata crescere, non minui. Num. cap. 11. ait Dominus ad Moysem: *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israël, quos tu nosti, quod senes populi sint, ac magistri: & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciésque ibi stare tecum, vt descendam, & loquar tibi: & auferam de spiritu tuo, tradámque eis, vt sustentent tecum onus populi.* Expende illa, *Auferam de spiritu tuo, tradámque eis.* Cur non potiùs Deus de spiritu suo communicat aliquid illis? Cur mauult de spiritu Moysi auferre aliquid, quod illis communicetur? Intendebat Deus, ne Moyses propter additos socios Prophetas, & duces populi minor videretur, sed quòd maior appareret, & ideò Moysi spiritum communicandum illis asserit; quæ enim spiritualia dona aliis communicantur, semper crescunt, & maiora in se apparent. Ad hæc Abulens. in præsenti, quæstione 43. fatur, *Vt videretur Moyses semper manere vt maior in populo: ideò non dixit, dabo eis de spiritu meo, ne per hoc intelligeretur, quod dabat eis aliquem nouum spiritum, vel maiorem, quàm esset in Moyse; sed dixit, auferam de spiritu tuo, hoc est, tu eris principalis, quia de tuo illi accipient.* Quasi non clariùs ostēderetur Moyses, principalior, & maior omnibus esse in populo, quàm si spiritus eius aliis communicetur, quando spiritualia dona communicata crescunt. De Iesu dicebat Ioan. c. 1. *De plenitudine eius omnes accepimus:* & statim cap. 3. subdit Baptista: *Illum oportet crescere, me autem minui.* Si tanta erat eius plenitudo, vt omnibus communicata sufficeret, quomodo vlteriùs posset crescere? Sanè & quia communicabatur plenitudo eius, quando in se non posset saltem quoad nos necessum erat, vt maior appareret. Ambros. lib. de bened. Patriar. cap. 11. *Illum oportebat crescere, quia per illius salutare, perfectúmque nomen cumulata est in hoc mundo, & abundauit gratia.* Non enim poterat non ostendere mirum in modum auctum fontem suum gratiarum riuus communicatus cæteris.

Philipp. 4. Reg. 2. Galfrid. Num. 11. Abulens. Ioan. 1. Ambros.

CAPVT VIII.

Disputatio Iesu de adultera, & aliis.

MVLTIPLICITER congrediuntur Iudæi cum Iesu in adultera damnata, illi seueritatis notam volunt inurere, quam odiosum illum reddant populis, & gentibus. Sed cùm adultera lapidanda tradatur nocentibus, metuentes omnes, ne sua cuiusque peccata diuulgentur, infecta

insecta causa discedunt. Sed ecce alius instauratur congressus mendacij, suspicionem attribuens Iesu, quòd ipse suas excellentias restetur. Suas quidem excellentias testabatur Iesus, quia nullus hominum illas scire poterat, vt ipse eas sciebat, nec solus Iesus de se testimonium dicebat, verùm & Pater cœlestis eidem testimonio subscribebat, quando Iesu opera ea erant, quæ à Patre Deo venire viderentur. Filius ergo Dei erat Iesus, per quem à seruitute possent & Iudæi liberari, si vellent. Quod indignè audientes, patrem suum ostendunt, de cuius ingenuitate sese minimè seruos, sed prorsus nobiles, & ingenuos profitentur. Nec abnuit Iesus, eos Abrahamides esse, si carnalis generatio spectetur; at si eorum opera proferantur in medium, verissimè illos filios diaboli censet, qui quærunt interficere innocentem, & totius veritatis primicerium. Innocentem dixit, neque immeritò, quando nec ipsi rabidissimi hostes in eo manifestum peccatum, quod conuincere possent, non inueniunt. Et nihilominus nec à persecutione desistunt, nec verissimis, & euidentissimis Iesu dictis credunt; sed quomodo credant diuinæ veritati, qui nihil Dei in se habere ostendunt, imò nihil Abrahami parentis, quando hic nihil magis amabat, quàm Iesum, vel à longè videre.

*Ioan.*8. Adducunt autem Scribæ, & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam, & statuerunt eam in medio, dicúntque ei: Magister, hæc mulier modò deprehensa est in adulterio: in lege autem Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare: tu autem, quid dicis? Hæc autem dicebant tentantes eum, vt possent accusare eum.

§. I.

Qui in veritate vult rempublicam corrigere, non tam in vilibus homuncionibus corrigendis, quàm in nobilibus, & potentioribus occupatur.

NOlo non ponderare in præsenti, quàm alius sit spiritus Christi, etiam in seueritate, & correctione populorum, ab spiritu Pharisæorum, & iudicio mundialium. Respice Euangelium, & videbis Iesum flagello bis armatum, sed aduersus ditissimos mercatores: sæpè voce tonantem, imò fulminantem, sed aduersus Pharisæos, & Principes Synagogę; aduersus viles, plebeiósque homines etiam adulteros, nullum à Iesu inuenies asperum verbum prolatum. Pharisæi autem & mundiales iudices vbi iustitiæ zelum arripiunt, mulierē sine nomine, è fœce plebis eductam, adulterorum pœnis expositam in medio statuunt. Proh iustitiæ spiritus, quam alius in Christo, & in Pharisæis? Ille potentes, & nobiles ferit, plebeios præterit; hi nobiles, & potētes prætereunt plebeculos, & vilissimos mactant. Et quidem hi, vt non in veritate, sed apparenter quærunt salutem, & correctionem ciuitatum; sic solos viles homines ad iustitiam cogere satagunt. Qui autem amat in veritate ciuitatum, imò & prouinciarum reformationem, & salutem, parum de plebeiorum erroribus videtur curare, eò intendens, vt nobiles, & potentes reformentur, corrigantur; quibus reformatis tantùm non ostenditur tota respublica sana. Hinc est, quòd vbi nascitur Iesus in Bethlehem inter cœlestia lumina, inter Angelorum cantus, inter pastorum adorationes, securus agit. Pastores adorant puerulum, & diabolus non multum solicitatur: veniunt postmodum Magi, offerunt
*Matth.*2. puero thesauros, & statim Matth.2. *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge, accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum, & esto ibi vsque dum dicam tibi: futurum est enim, vt Herodes quærat puerum ad perdendum.* Vix Magi rapiuntur in morum correctionem, in adorationem Dei, oblatis auro, & thesauris, & ecce quàm furit diabolus, quàm excitat Herodem tyrannum, qui quærat puerum, & perdat! Cur malè, non antea sic irascebaris? Nónne patentissima fuit pastorum correctio, & adoratio? Cur tunc non excitasti tyrannum? Cur illum modo excitati mauis? Sanè in correctione, & melioratione vilium pastorum nihil sibi timebat magnum diabolus: at cùm videt Principes, potentésque viros corripi, & thesauris priuari, & ad Deum trahi, tunc iam incipit timere, fore, vt totus mundus corrigatur.
Chrysol. Pulchrè ad hæc Chrysol. fatur serm. 150. *Herodes quærebat, sed quærebat diabolus per Herodem, qui videbat Magos sibi, quos habebat in erroribus suis Principes, aufugisse. Sentiebat, quòd Christus doctrinis, virtutibus vitam mox repararet, & mundum totum, qui adhuc vagiens ipsum, quod erat mundani verticis, occuparat.* Expēde ab illis, *repararet & mundum totum*, vbi enim bonus iustitiæ assertor tenebat suis pedibus obuolutos, non tam plebeculos reos, quàm Principes, quàm potentes homines, quàm prouinciarum capita, non malè suspicatur, & timet diabolus, ab illo mundum totum esse separandum. Video sæpè reos criminum maximorum ad pedes iudicum trementes: & non video respublicas reformari, sed omnia in peius ire, & scelera exundare. Vnde hoc? Quia qui pedibus iudicum sistunt trementes, viles quidam homunciones sunt; ij tenentur, ij trahuntur, comprehenduntur: vtinam tenerentur nobiles flagitiosi; vtinam curuarentur ad pedes vindicum potentissimi scelerum vertices, & fallar, nisi tota respublica, imò totus mundus esset sanus. Putet iudex tunc se tenere verticem aduersus omnia vitia, cùm nobiles, & potentes viros vel vinctos trahit ad virtutem; quorum correctionis exemplo tota corripitur, & emendatur respublica. Apud Leuit. cap. 10. dicitur: *Arreptisque Nadab, & Abiu filij* *Leuit.* 10.
Aaron thuribulis, imposuerunt ignem, & incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat. Egressúsque ignis à Domino deuorauit eos, & mortui sunt coram Domino. Dixítque Moyses ad Aaron: Hoc est, quod locutus est Dominus, sanctificabor in ÿs, qui appropinquant mihi, & in conspectu omnis populi glorificabor. Expēde, ad quid referat Moyses istorum Principum supplicium, nimirum refert illud ad Dei decretum, quod decreuerat ab omni populo glorificari; sic enim ait: *In conspectu omnis populi glorificabor.* Et quidem vbi non solùm populares, sed & nobiles, & primarij viri plectuntur, omnis populus, vniuersa respublica in laudem, & gloriam Dei exurgit. Ad hæc aiebat Saluian. lib. 2. de prouid. *Porrò ex hoc consulere Deus voluit nostræ correctioni per* Saluian.
censuram salubris exempli, vt omnes laici intelligerent, quantum iram Dei timere deberent, cùm à præsenti pœna filios Sacerdotis, nec meritum parentis eriperet, nec mysterij sacri priuilegium vindicaret. Et meritò tam nobiles personæ corripiuntur à Domino, vbi ipse omnium intendit facere correctionem.

§. II.

Lasciui solent prælibare grauissima supplicia, quæ adhuc aliis imminent.

NOn otiosè in delicto suo apprehensa proponitur adultera, quando hæc est misera lasciuientium omnium conditio, quòd supplicia alios expectantia, illis præcurrant, vt prælibēt ipsi, quæ aliis imminent. Quis nesciat famosissimas Sodomitarum luxurias, quibus & in Angelicos Lothi hospites insaniebant? Et quis nesciat illis præcurrentia supplicia? Ait Genes. 19. *Igitur Dominus pluit super Sodomam, &* *Genes.* 19.
Gomorrham sulphur, & ignem à Domino de cœlo. Sulphureus ignis omnibus peccatoribus in inferno imminet; illic prædones, latrocinantes, ebrios, homicidas, & alios expectat flamma sulphurea. Cur modo flamma hæc viuorum sæculum expectare docta, ad viuos Sodomitas præmittitur? Cur non magis expectat eos descensuros ad abyssum? Solent equidem pœnæ, quæ alios expectant, luxuriosis præcurrere, qui sæpius supplicia aliis imminentia prælibant. Saluian.
lib. 4. de prouidentia, fatur: *Diu profectò flagitiosissimus ille po-* Saluian.
pulus Sodomæ ignem illum accēderat quo peribat. Et ideò completis iniquitatibus suis, arsit flammis criminum suorum. Tam malè enim de Deo meruit, vt gehennam, quæ in futuro iudicio datur, etiā in hoc sæculo sustineret. Præcucurrit infernus, præcucurrit mortuorum reproborum supplicium, vt vel anticipato tormento exundantes luxuria præureret. Sic inter omnes peccatores luxuriæ mancipia præcurrentibus pœnis apprehenduntur, & supplicia prælibant. Quò spectans D. Petrus
2. epist. 2. ait: *Et multi sequentur eorum luxurias, per quos via ve-* 2. *Petr.* 2.
ritatis blasphemabitur: & in auaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur. Quibus iudicium iam olim non cessat, & perditio eorum non dormitat. Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reseruari. Et originali mundo non pepercit, sed octauum Noë iustitiæ præconem custodiuit, diluuium mundo impiorum inducens. Et ciuitates Sodomorum, & Gomorrhæorum in cinerem redigens, euersione damnauit, exemplum eorum, qui impiè acturi sunt, ponens, &c. Propone tibi ante oculos omnia antiqua luxuriæ mancipia, vel primæuos filios hominum, qui exarserunt in cupiditatem fœminarum, vel Sodomitas priorum æmulos, nónne scis omnes istos inter ipsas luxurias

suæ

suæ malitiæ pœnas luisse? Numquid referuati sunt in futurum supplicium, in futuram pœnam, & ignem? Minimè, sed ad illos & pœna, & ignis, & infernus præcucurrit, vt illos delitiis vacantes præoccuparet. Sic prorsus erit omnibus, qui veteres luxurias sequuntur; *quibus iudicium iam olim non cessat, & perditio eorum non dormitat.* Non equidem olim exercitum iudicium in luxuriosos pristinos, in illis cessat & ad modernos luxuriosos magis dormitabit, pigritabit, tardabit, sed æquè citò, & præproperè ad vniuersos transit. Heu quoties hodie videmus luxuriantes inter ipsas voluptates corripi, & absumi infernalibus flammis, & a diuina iustitia apprehendi, & castigari! Pulchrè D. Bernard. de conuersione ad clericos fatur, cap. 29. citatus a Lyppom. in Cat. cap. 19.
Bernard. Genes. *Ecce ergo quomodo ciuitates illæ spurcitia Sodomiticæ maiores diuino prædamnatæ iudicio, & incendio sunt deletæ. Ecce quomodo gehennalis flamma moram non sustinens, execrabilem illam præuenit collere nationem, quòd ipsius specialiter essent peccata manifesta, præcedentia ad iudicium. Ecce, & quomodo ipsam conscissam tanta confusionis tellurem absumpt ignis, sulphur, & spiritus procellarum. Amputata sunt hydriæ capita septem, sed eò innumera surrexerunt. Quis reædificauit vrbes flagitij, quis turpitudinis mœnia dilatauit, quis extendit propagines virulentas? væ, væ, inimicus hominum sulphureis illius incendij reliquias infelices circumquaque dispersit.* Non cessat equidem iudicium iam olim circa luxuriosos, non tardat, non pigrescit, non dormitat perditio eorum, vt dantur luxuriæ mancipia. sic vel ante iudicium prædamnantur, & coguntur æternas prælibare pœnas. Vt turpitudinum conuentus, & vrbes visuntur hodie, sic & infernalis flamma moram non sustinet, non morosè intra specus suos expectat, sed præcurrit, & præuenit tollere has nationes peruersas. Vbique inimicus luxuriæ mœnia reædificat. vt vbique videantur immatura sulphuris incendia luxuriosos præuenire, vt dicat Prouerb. 7. de iuuene currente ad meretricem: *Statim eam sequitur, quasi bos*
Prou. 7. *ductus ad victimam, & quasi agnus lasciuiens, & ignorans, quòd ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta iecur eius; velut si auis festinet ad laqueum.* Itaque cum lasciuis gressibus festinatissimi, imò pennatissimi, & laquei, & lanienæ sunt: vix enim laniena, & luxuria vocabulo distinguuntur. Ait enim
2. Pet. 2. D. Pet. 2. epist. 2. *Et multi sequentur eorum luxurias.* Vbi legit Œcumenius: *Plerique sequentur eorum exitia.* In omnibus enim concurrunt & luxuries, & exitium, ne sine hoc pereipiatur illa. Hinc oritur illa festinatio lasciuientium, Sap. 2.
Sapient. 2. *Venite ergo, fruamur bonis, quæ sunt, & vtamur creatura, tanquam in iuuentute celeriter: vino pretioso, & vnguentis nos impleamus, ne prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant, nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra.* Et cur tanta festinatio, tanta in lasciuiendo, & luxuriando celeritas? Sic concurrit cum lasciuia exitium, vt nisi festinatissimè lasciuiæ gustent mella, futurum necesse sit, vt exitiorum absinthio præoccupentur.

§. III.

In ipso sceleris puncto extensa est diuina iustitia manus ad capiendum, & puniendum, præcipuè lasciuum.

DEprehensam in adulterio fœminam statuunt in medio; & magis miror, quòd adultera in ipso adulterij actu aliquando non comprehendatur, quando sic vniuersis peccantibus instat seuerissima iustitia Dei, vt dum illi nefario operi incumbunt, extensa sit iustitiæ diuinæ manus ad illos capiendos, & puniendos. De filiis Aaron dicitur, Le-
Leuit. 10. uit. 10. *Offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat. Egressusque ignis à Domino deuorauit eos.* In ipso culpæ actu, diuina ira exurgente, miserè pereunt, cœlitúsque immisso arripiuntur incendio. Cur Deus non magis expectat? Cur non moratur vsque ad consummationem sceleris? Cur non ad iudicium priùs vocat reos? Pulchrè Sal-
Saluian. uianus lib. 1. de prouidentia, inquit: *Extensam super nos dexteram suam, & imminentem iugiter gladium voluit ostendere, qui errorem supradictorum statim in ipso opere puniuit: nec peractum priùs penè est facinus peccantium, quàm vlcisceretur pœna peccatum.* Vide, miser homo, quanto discrimine tete sceleribus committis; sceleri operam das, & tibi præsentissima adest Dei irati dextera stricto armata gladio, vt statim feriat, & vlciscatur delictum. In nullo distas à seuerissimo iudice, & iniquitatum vindice, vt tu nefario præcipuè lasciuiæ operi manum extendis, simul super te stringitur gladius, & extenditur dextera diuina; heu comprehendere te potest in ipso facinore, & interficere: qua vana spe deludesis? Hoc explicabat Dominus, Apocal. 2. aiens: *Angelo Pergami Eccle-* *Apoc. 2.*
siæ scribe: Hæc dicit, qui habet rompheam ex vtraque parte acutam. Et quid dicit hic romphea armatus? *Habeo aduersus te pauca, quia habeo illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balach mittere scandalum coram filiis Israel, edere, & fornicari.* Non hic ostenditur Dominus romphea armatus aduersus alios, sed aduersus Balaami discipulos, nimirum fornicarios, & lasciuos homines, vt bene notabat Rupertus in præsenti. Vbi ergo aduersus lasciuos istos accedit, expende, qualem sese ostendit, nimirum inquit: *Hæc dicit, qui habet rompheam ex vtraque parte acutam.* Nota illud, *qui habet rompheam, &c.* Et quidem Isaias cap. 7. de Deo vindicaturo in peccatores, aiebat: *In die illa radet Dominus in nouacula conducta in his, qui* *Isai. 7.*
trans flumen sunt, in Rege Assyriorum caput, & pilos pedum, & barbam vniuersam. Et vbi aliquid seuerius ostéditur in Deo, dicitur Sap. 5. *Accipiet armaturam zelus illius, & armabit crea-* *Sapient. 5.*
turam ad vltionem inimicorum. Induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galea iudicium certum: acuet autem diram iram in lanceam. Apud Isaiam sic se inermem ostendit, vt ad feriendum promittat, se conducturum nouaculam, apud sapientiam non iam conducturum nouaculam, sed tamen minatur, se assumpturum arma, vt expugnet. Vbi autem ad Pergami Angelum loquitur, non dicit, quòd conducet, nec quòd gladium assumet de futuro, sed de præsenti, fatur: *Hæc dicit, qui habet rompheam, &c.* Et cur, qui illic expectat conducere gladium, vt feriat, vel illum assumere, & stringere, hic semper se gladio armatum ostendit, & illum strictum, & exacutum se habere dicit? Sanè hic res erat cum adulteris, cum fornicariis, cum lasciuis, aduersus quos præcipuè armatus sic incedit Dominus, vt neque ad punctum sine gladio, & stricto, & extenso velit existere, ne opus nefarium aggrediantur, quin simul sciant Deum imminentem sibi, habentem gladium strictum, quo statim percutiat. Vnde monebat Prouerb. 5. *Quare seduceris fili mi, ab aliena, & foueris in sinu alterius? Respicit Dominus vias hominis, & omnes gressus eius considerat. Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur, ipse morietur,* &c. Misera seductio est hominis, qui nihil aliud memorans, blanditiis meretricis incumbit; interea enim Deus adest habens extensam ad illum rompheam acutam, quo accidit sæpissimè, vt medius lasciuiæ actibus constrictus homo animam agat, æternámque mortem incurrat. Quis hoc non audiuit sæpe, præcipuè de luxuriæ mancipiis, qui à sinu meretricis rapti sunt ad æterna supplicia.

§. IV.

Scelerum inuita manifestatio apud magistratus peccatorem impellit ad lapides: at voluntaria scelerum confessio apud Sacerdotes, de lapideis peccatoribus, Dei filios facit.

SAnctissimè lex iubet lapidari hominem, cuius adulteria magistratibus manifestantur; nihil enim aliud apud iudices obtinet adulterij manifestatio, imò & confessio, quam pœnam tanti peccati, quam inter lapides durissimos animam agere. Quàm alios euentus habet voluntaria scelerum confessio apud Sacerdotes? Hæc lapidescentes etiam peccatores emollit, & de lapideis duritie in filios Dei transfert. In Iordane erat Ioannes baptizans, in ea parte. vbi visebantur duodecim lapides positi à Iosuè in signum, quòd Israëlitæ transiuerant siccis vestigiis per alueum Iordanis. quos lapides cernens Ioannes, vt mauult D. Anselmus, &
D. Remigius, ait Matth. cap. 3. *Potens est Deus de lapidibus* *Matth 3.*
istis suscitare filios Abrahæ. Non loquitur de quibuscumque lapidibus, iuxta prædictos Patres Anselmum, & Remigium, sed loquitur de illis determinatè. qui stabant in testationem miraculi transeuntis populi per Iordanem. Et cur de istis determinatè loquitur Matthæus? Habebant ne isti lapides aliquid particulare, per quod clariùs ostenderentur, posse per diuinam potentiam in filios Abrahæ transmutari? De istis dicitur, Iosue cap. 4. *Dixit Dominus ad Iosue: Elige* *Iosue 4.*
duodecim viros, singulos per singulas tribus, & præcipe eis, vt tollant de medio Iordanis alueo, vbi steterunt pedes Sacerdotum, duodecim durissimos lapides, &c. Expende, vnde tollantur lapides isti, nimirum ait: *Tollant de medio Iordanis alueo, vbi steterunt pedes Sacerdotum, lapides,* &c. Et quidem ad pedes Sacerdotum, vel durissimi lapides, si ponantur, confitentes peccata sua, certum est, quòd inde non solùm in filios Abrahæ, sed in filios Dei exurgent. Lapidibus durissimis durior sit homo, & obduratior in vitiis, si tamen pedibus obuoluitur Sacerdotis, dignè confitendo peccata sua, non dubitet

dubitet, ex Sirtum, saxorúmque propagine subitò fiet Dei filius. Et quis obduratior in sceleribus, quàm prodigus ille, qui dissipauerat omnem substantiam suam, viuendo luxu-
Luc.15. riosè? Is Luc.c.15. in se reuersus aiebat: *Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cœlum, & coram te.* Mirabar, quòd Patrem Deum toties audeat vocare, qui erat voluptatum mancipium, qui adhuc conuiuebat porcis, & cupiebat saturari de siliquis. Vnde homo adhuc in cœno luxuriæ positus, sic de cœlesti Patre præsumis? Cur, cùm nec inter seruos mercenarios numereris, iam patrem vocas, ac si esset filius? Expende verba illa: *Dicam ei, pater, peccaui, &c.* Ex quo sua delicta confiteri decernit, iam de luxuriæ mancipio incipit spiritum Dei filij ebibere, & Patrem sibi vbique occurrentem videt. D. Nyssen. lib. de orat. Domini-
Nyssen. ca, orat. 2. inquit: *Etiam huiusmodi confessionis meditatio aditu facilem ei patrem efficit, adeò vt etiam accurreret ad eum, & osculo collum appeteret.* Quid plura? Vel solum animi decretum, quòd ad pedes Sacerdotum iret, ibíque omnia sua delicta confiteretur, iam illi facilem aditum ad patrem ostendit, cuius fruatur hæreditate, & deliciis. Plura habes de confessione 1. 2. & 3. tomo, quære ibi.

Text. Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terram.

§. V.

In terra elementorúmque sordenti, & sterilescenti specie, qualia sint futura peccatoribus supplicia leguntur.

Adulteræ fœminæ sceleratissimis accusatoribus iratus Dominus, inclinans se deorsum, sententiam aduersus peccatores digito scribebat in terra; & crediderim terræ sordentem, sterilescentémque speciem omni charta clariùs in peccatores præferre imminentem sententiam. Quid turbatur Balthasar ad notas impressas parieti? Videant mundi Principes, videant Reges, videant homines, quam clariori scripto clamet terra sterilescens. Nutriendis seminibus vix imbrium copia est; non frugibus torrendis Solis tanta fragrantia, nec sic verna de tēperie sua sata lætantur; nec adeò arboreis de fructibus autumna ditescunt. Minus de effossis, & fatigatis montibus eruitur metalli, minus argenti, auri ve circum mittitur; pauperes venæ breuiantur in dies singulos: deficit in agris agricola, in mari piscator; commercia stupescunt. In tanta ergo terræ spoliatione, quis non videat, & legat scriptam futurorum suppliciorum aduersus peccatores sententiam? Sanè tanta terræ nudatio, & spoliatio legenda offert horrendissima supplicia peccatoribus imminentia. Fratricidæ illi Iacob filij Gen.37. mortem Iosepho
Genes.37. puerulo intentantes, arripiunt eum; *Mistrúntque eum in cisternam veterem, quæ non habebat aquam.* Sed cur rabidissimi illi homines non antea interimunt odiosum fratrem? Cur malunt illum in cisternam veterem mittere? Non aliter facere permittebat Deus, cuius iustitia eos fratris mortem cupientes, in cisternam veterem impellebat, vt in vetustate contrita cisterna, & inutili, & inani possint legere immanitatem suppliciorum sibi ob tale facinus imminentium: quādo enim sterilitas, & contritio solij, non proponit legenda futura supplicia aduersus peccatores in Deum rebelles? Ac-
Ambros. cipite D. Ambros. lib. 2. de Abel cap. 8. *Ioseph in lacum mittitur siccum. Iustum igitur natura est impertita iudicium, ea loca, in quibus erat futurum parricidium, muneris sui dote priuando: vt ex innocentis soli quadam damnatione ostenderet, quanto forent noxiora futura supplicia.* Vbi terra ostenditur muneris sui dote priuata, facta vt sterilis puluis, quem proiicit ventus, omni fructu vacuata; quid in hac terræ spoliatione, & nudatione aliud legas, quàm insolens, & horrendum peccatis tuis futurum supplicium? Heu miser peccator, vbi Deus se inclinat, & in terra scribit sententiam! Sanè damnata terra sterilitate, grauiorem in futuris damnationem peccatoribus imminentem proclamat. Scio, quòd Iesus in crucem actus inclinauit caput, & spiritum exhalauit. Quid tunc? Ait
Matth.27. Matth.27. *Et ecce velum templi excissum est in duas partes à summo vsque ad deorsum: & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt.* Luc. cap. 23. addidit: *Et obscuratus est Sol.* Expende, quæso, quomodo post diuini capitis inclinationem, in terra, & in cœlo appareant sterilitatis, & confusionis exarata signa. Quid enim aliud protendit defectus ille Solis, & terræ motus, & petrarum quassatio, quam seuerissimam sententiam imminentem Deicidis? Sic D. Leo, serm. 4.

de pass. cap. 4. *Cum ad tantam Diuinitatis inclinationem totius mundi compago quateretur. Cum facinus impium omnes sui confusione creaturæ damnarent, & manifestam in reos sententiam elementa proferrent.* In creaturarum confusione, in elementorum turbatione, in terræ tremore, in defectu Solis exarabatur, & publicabatur manifesta aduersus Deicidas sententia. Sic modo cum imbres, aut Soles deficiunt terræ prouentibus, cum arua fructibus orbantur; cum agricolæ rarescunt, cum bonorum fontes siccantur; in terra, in elementis sui muneris dote priuatis, legamus horribiliorem nobis imminentem sententiam. A qua enim Scriptura hæc euidentius monstrabitur, quàm à nuditate, & spoliatione terræ? Pulchrè Hierem. cap. 22. *Terra, terra, terra, audi sermonem Domini. Hæc dicit Dominus: Scribe virum istum sterilem.* Vatablus legit, *orbum.* Symmachus vertit, *vacuum.* Septuaginta ponunt, *abdicatum.* Aquila vertit, *non crescentem.* Sed cur sententia sterilitatis, orbitatis, abdicationis, & reprobationis mandatur terræ scribenda? Sanè terra omni scripto clarius, dum ipsa sterilescit, orbatur, ostendit omnium peccatorum sententiam. Vnde videns Italiam armis turbatam, plenam ferro, vacuatam pacis fructibus propter Cadaloi ambitionem, eius in terræ ruinis legit sententiam Petrus Damianus, lib. 1. epistol. 20. *Cur per ambitionem adipiscendi culminis, inaccessibilisque fastigij totum ferè mundum in condemnationis tuæ iurgium concitasti? Vt illud Hierem. exclament: Terra, terra, terra, audi sermonem Domini: scribe virum istum sterilem virum, qui in diebus suis non prosperabitur.* Et quidem in terra alterata, & oppressa, & muneris sui dote viduata, à fortiori legant peccatores suam damnationem exaratam. Huc trahi possunt dicta tomo 2. lib. 7. cap. 2. §. 14.

Leo. (right margin, beside the opening of the column)
Hier.22. (right margin, beside "Pulchrè Hierem.")
Damian. (right margin, beside "lib. 1. epistol. 20.")

Text. Cùm ergo perseuerarent interrogantes eum, erexit se, & dixit eis: Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat. Et iterum se inclinans scribebat in terram: audientes autem hæc, vnus post vnum exibant, incipientes à senioribus.

§. VI.

Rationalem hominem, qui prorsus non abijt in imprudentiam bruti, maximè deuincit proprij sceleris conscientia, ne similia scelera proximorum pungat.

Vide seuerissimos accusatores obmutescentes, imò vide illos abeuntes, & ab accusatione cessantes; cur iam accusare, imò & damnare desistunt? Cur muti abeunt? Dixerat illis Iesus: *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat;* & simul eorum conscientias excitans, fecit eorundem turpitudines, & adulteria mente recoli, & viuidissime sciri. Et quis non prorsus brutus, sed adhuc rationalis homo, conscius proprij sceleris similia alia in proximis persequatur, & acriter vindicet? Numer. cap. 25. dicitur:
Et ecce vnus de filijs Israël intrauit coram fratribus suis ad scortum Madianitem: vidente Moyse, & omni turba filiorum Israël, qui flebant ante fores tabernaculi. Quod cum vidisset Phineas filius Eleazari, filij Aaron Sacerdotis: surrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione, ingressus est post virum Israëlitam in lupanar, & perfodit ambo simul; virum scilicet, & mulierem in locis genitalibus. Cessauitque plaga à filijs Israel. Num.25.
Ecce vobis, Moyses videt turpitudinis facinus, & tacet, nec zelo rapitur ad illum vindicandum: Phineas autem tacente Moyse, Dei zelo inflammatur, & scelus vindicatur. Cur Moyses taces? Cur non stringis gladium, vt Israëlitam ad alienigenam Madianitem ingressum transfodias? Nónne Exod. 32. Dei zelo armatus arrepto gladio idololatras iugulasti; cur modo taces, & non curans vindictam, vt infirmus ad ostium tabernaculi lacrymaris? Sciebat Moyses, se etiam duxisse Madianitem vxorem, & inde quasi vinctus hæret, ne quid audeat aduersus illum, qui Medianitidis concubitum procurabat. Ait Abulensis ex aliorum opinione, quæst. 7. *Moyses non fuit hic motus zelo contra istum Zambri, nec contra alios peccatores, ad puniendos eos: sicut fuit motus in monte Sinai, occidendo viginti tria millia pro adoratione vituli; quia videbat se angustiatum, vel quasi conclusum ex argumento Zambri contra se pro vxore Madianitide, vt supra dictum est.* Vinctus hærebat Moyses, & quasi conclusus, memorans proprias nuptias cum Madianitide, ne auderet excandescere contra eos, qui currebat ad Madianitida scorta. Sic enim vincit rationalem Abulens.

 homi

hominem vel vmbra facti in fui cogniti, vt vix queat exurgere in facinora manifestiora proximorum. Hinc mulier Theucuitis parabolam proponit Dauidi de filio suo, quem propter fratricidium volebant interficere propinqui. Rem audit Dauid, & iratus in accusatores fratricidij, iurat, se non permissurum quòd præualeant illi aduersus filium suum.. Quid tunc mulier sapiens? Sic eleganter Dauidem

2.Reg.14. conuincit. 2.Regum 14. *Dixítque mulier Regi: Quare cogitasti huiuscemodi rem contra populum Dei, & locutus est Rex verbum istud, vt peccet, & non reducat eiectum suum?* Quasi rem impossibilem proponit, quòd Rex permittens filium proprium, Absalonem exulare, non permittat propinquos insurgere in filium mulieris viduæ, occisorem fratris sui. Quomodo enim dicere Rex potest, quòd coget propinquos, ne aspere tractent fratris occisorem, viduæ filium, quando ipse nullo amoris vinculo cogitur, nec malum velit Absalomo filio suo fratricidæ? Non equidem sperandum est ab homine rationali, quod alium vetet pro re, in quam & ipse incurrit. Sic Theodoret. quæst. 59. mulieris

Theod. sententiam enodat: *Quasi dicat ad Regem: Quomodo potes filium meum liberare à cæde, non reducens filium tuum?* Vix est potestas in homine rationali ad cohibendum in aliis facinus, quod facit ipse. Si Dauid non veretur contristare populum Israëlitam, procurans malum filio suo ob occisionem fratris, quis speret fore, vt ille vereatur, ne contristetur vidua à propinquis petentibus ad mortem filium eius ob simile fratricidium? Huc traham pulchrum consi-

Cassiod. lium datum iudici à Cassiodoro, lib.6. variat.21. *Ista vita continens, vt possis in alios esse iudex. Prima æquitas est, à se præsules inchoare, vt debeant crimina si metuere, quem nequeunt similem reperire. Nullas enim in se culpas timet reus, quas habere inspexerit cognitorem; quando agenti male nisi bonos mores non æstimat displicere. Suas actas nullas damnat in altero, quia natura est humani animi, vt nitatur pœnas vindicare, quòd se cognouerit amisisse.* Quid pulchrius? Expende illud: *Quia natura est humani animi*, &c. quasi in hoc etiam sese natura hominis à belluis ostendit distinctam, quòd illud solum nitatur vindicare, cuius se prorsus agnoscit liberam: nec vult in altero actus damnare suos. Vide supra cap. 7. §. 8. & infra §.32.

Text. Et remansit solus Iesus, & mulier in medio stans.

§. VII.

Carnalis concupiscentia non tam à supplicij metu, quàm ab halitu Iesu vincitur.

ABeuntibus seuerissimis accusatoribus vna cum legis rigore, manet sola adultera in præsentia Iesu; & quidem vt adulterium cauatur, vt carnalis tollatur concupiscentia, & vera induatur pudicitia, non tam venit de metu supplicij, quàm de halitu Iesu. Absit licet omnis causa metus, vnus non desit Iesus & in vno Iesu habes quidquid necessum est ad carnalem concupiscentiam tollendam, & retinendam veram carnis continentiam. & pudicitiam. Et quæ carnis concupiscentia non extinguitur, vel de halitu Dei

2.Reg.23. filij? Concupitam aquam Dauid accepit, 2.Reg.23. *Et noluit bibere, sed libauit eam Domino.* Quis potuit facere, quòd Dauid sic concupiscentiam carnalem reprimeret? Ecce remedium appositum ab illo *Libauit aquam Domino*: vnum Deum spectauit, de cuius solius halitu potuit venire, vt ardentissimam carnis concupiscentiam reprimeret. Aiebat D. Ambr.

Ambros. lib.1.de Iacob, cap.1. *Repressa victor cupiditate, profudit aquam Domino, vt ostenderet, quòd concupiscentiam suam Verbi consolatione restingueret.* Fallar, si præsentissimum omnium remedium non sit vnicus Dei filius, cui res concupitas libes, ad extinguendas carnis concupiscentias flagrantissimas. Ardeat, licèt, fornax libidinis, concupiscentiæ flammis rapiaris præceps in rem concupitam; gehennam putes obliuisci, honoris discrimen, & quæuis alia media salutaria, vnum si tibi proponas Iesum, cui res optatas sacrifices, incendia statim disparent, & victor exis. Noui hominem, qui raptatus concupiscentiæ æstibus, quando ij magis ardebant, dicebat ille: Fateor dulce opus libidinis, plenum delicijs, vacuum omni periculo; sed illud sacrifico Iesu, & propter Iesum amatum ab illo abstineo Quantum hoc carmen? Et mentis nubila, & concupiscentiæ fulmina statim abibant in nihilum, & tranquillum, & serenum veniebat pro illis. Huc spe-

2.Cor.1. ctans Paul. 2. ad Corinth. 1. *Despondi enim vos vni viro, virginem castam exhibere Christo.* Vt carnalis concupiscentia tolleretur, & introduceretur in mundo virginalis pudicitia; quid facit Apostolus? Quot media procurat? Quot custodes apponit castitatis? Ipse ait: *Despondi vos vni viro Christo*, sic totam Ecclesiam solam despondit vni viro Iesu, & de Iesu viro vno statim in Ecclesia albicant castissimæ, & purissimæ virgines. Ad hæc aiebat D. Pasch. in Psalm. 44. inquiens: *Quia* Paschas.
omnino Christus vir Oriens appellatur, ex cuius latere, & virtute formatur Ecclesia desponsata, iuxta Prophetam à Christo per charitatem. Hinc quoque generaliter omnis Ecclesia tota virgo, quia de viro Christo Iesu sumpta est, appellatur. Ab hoc vno viro Iesu veniunt virgines carnalium cupiditatum victrices, ab illóque solo habent, quo possint carnales æstus, & concupiscentias extinguere. Vnde D. Ambros. in exhortatione ad virgines, sic eas monet: *Vinea enim quidam fructus virgi-* Ambros.
nalis est. Non veniat ergo in vos Achab, qui concupiscat vineam vestram delere, & extinguere. Nec veniat in vos Iezabel, vanum illud, & sæculare profluuium, & vacua redundantia. Sed veniat Nabuthe, qui venit à Patre, sicut significat nominis ipsius significatio, qui vineam sanguine defendat suo, & pro ea mortem afferat. Infelix erat vinea Naboth, quando ab Achab, & à Iezabel procurabatur, qui illam amabant perdere funditus, vt olerum hortos facerent ex illa. Sed felix erat, cum vnius Nabothi addicta erat dominio, a qua & diues conseruabatur, & secura. Sic virginitatis flos, sic vinea Christianæ pudicitiæ sub aliis tyrannidem carnalium concupiscentiarum experitur à solo Iesu, eiúsque sanguine, & tutelam, & diuitem fœcunditatem inuenit. Et quæ carnalis redundantia non fugit à vinea cordis nostri, quam afflat Iesu spiritus, de cuius sanguine non possunt non virere castitatis pampini?
Vnde ad sponsam aiebat Cant.1. *Pulchra sunt genæ tuæ sicut* Cant.1.
turturis. Ex Græco sic: *Quàm pulchræ factæ sunt genæ tuæ sicut turturis.* Sic miratur pulchritudinem in genarum pudicitia, quasi antea non fuisset tanta pulchritudo. Et quidem sub rigore legis via sese ostendit hæc pulchritudo, quæ de solo Christi Domini halitu resurrexit, reuixit. Ait Origenes, ho-
mil. 2. ex quatuor: *Obserua, quia non dixit, quàm speciosæ sunt* Origen.
genæ tuæ; sed quàm speciosæ factæ sunt; vt ostendat prius quidem non eas ita fuisse speciosas: sed postquam suscepit oscula sponsi, & ipsa affuit, & mundauit sibi ipsi Ecclesiam, & fecit eam non habere maculam, neque rugam, & agnitionem sui præstitit, & tunc factæ sunt speciosæ genæ eius. Tunc enim castitas, & pudicitia, & virginitas, quæ prius non fuerat per Ecclesiæ genas, speciosâ decore effusa est. Non de rigore legis, sed de vno Iesu benignissimi halitu venit, quòd prorsus extinguantur æstus libidinis, & campi Ecclesiæ albicent de floridis exercitibus virginum. Hinc in præsenti capite dicit Iesus adulteræ liberatæ a Iudæorum rabie: *Nec ego te condemnabo; vade, & iam amplius noli peccare.* Indamnatam dimittis. & vis, vt à lascivia abstineat? Nónne melius curaretur, si perueteretur supplicio? Absit; est enim Iesus, qui eam abire iubet, de cuius halitu venit, vt introducatur castitas in corde lasciuo quam mille pœnæ non introducerent. Ait D. Ambr lib. 9. epist. 76.
Quid est ergo, vade amodo, vide ne pecces? Hoc est, ex quo te Ambros.
Christus redemit, corrigat gratia, quam pœna non emendaret, sed puniret. Nullus pœnæ rigor emendatum ostendit lasciuum, quem emendat halitus Christi.

Text. Erigens autem se Iesus, dixit ei: Mulier, vbi sunt, qui te accusabant, nemo te condemnauit? Quæ dixit, nemo Domine. Dixit autem Iesus: Nec ego te condemnabo: vade, & iam amplius noli peccare.

§. VIII.

Qui fragilia, & vilia humanæ conditionis cementa perspexit, non mirabor, si magnis etiam hominis sceleribus impendat veniam.

QVi ad terram inclinatus Dominus in puluere digito suo scribebat, inde se erigens adulteram ab accusatoribus relictam non condemnat; quin potius hanc profert in eius fauorem sententiam, *Nec ego te condemnabo.* Sic omnis castitatis assertor adulteræ miserescit? Cur non magis nefarissimum facinus castigat, & vel flammis vltricibus plectit? Erigit se à terra modo, in quam scribebat & qui terram hominibus vilem, & fragilem originem aspexerat, & adhuc pro oculis habebat, nullis humanis sceleribus negabit veniã,

ab

ab omni damnationis sententia in homines se monstrabit alienum. Post nefarissima hominum crimina visa à Deo, quando ipsi filij Dei in filias hominum exarserunt, ait text.

Genes. 6. Gen. 6. *Dixitque Deus: Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* Ex Hebræo sic leguntur hæc verba: *Non iudicabit spiritus meus homines istos in sempiternum, quoniam caro sunt.* Ecce tibi, qualiter ex cognitione humanæ fragilitatis decernat Deus abstinere ab hominum damnatione in perpetuum. Et quis damnet fragilissimum puluerem, quòd feratur à vento? Sanè Deus, quantum est ex se, magis propendet ad condonandum, ex quo nouit homines instar pulueris esse. Aiebat ad hæc D. Hieron. in quæstionibus Hebraicis. *Non iudicabit spiritus meus homines in sempiternum, quoniam caro sunt: hoc est, quia fragilis est in homine conditio, non eos ad æternos seruabo cruciatus, sed hic illis restituam, quod merentur.* Cognitio humani pulueris, & fragilitatis sedare iram Dei solet, & misericordiam eius in homines excitare; non enim elongat Deus misericordiam ab eo, quem scit fragilissimis, vilissimisque pulueris cementis constare. Aiebat Iob cap. 10. *Memento, quòd sicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me. Nónne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti? Pelle, & carnibus vestisti me; ossibus, & neruis compegisti me. Vitam, & misericordiam tribuisti mihi.* Catena Græca legit: *Vitam, & misericordiam posuisti iuxta me.* Expende diuini Fabricatoris artem: lutum assumit, ex quo hominem faciat; lutea membra connectit, & dum ea luteis membris videt exurgere fabricam, non potest morari, sed statim vitam, & misericordiam iuxta ponit, vt innouat, quòd lutea hominis fabrica dum viuit, misericordiam diuinam & vicinam, & annexam habet. Ad hæc D. Gregor. lib. 9. Moral. cap. 28. ait: *Sicut lutum itaque homo est conditus: quod sanctus vir bene pietatis iudicis obijcit, cum postulans dicit: Memento, quæso, quòd sicut lutum feceris me. Ac si apertè dicat: Infirmitatem carnis considera, & reatum iniquitatis relaxa.* Non posset esse non veniabilis fabricæ lapsus apud artificem, qui fecit illam consistere in cemento luteo, & fragili: nec Deus potest suam elongare misericordiam ab homine, quem scit ea pulueris fragilitate à se fuisse compactum. Pro quo dicebat Psalm. 102. *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognouit figmentum nostrum, recordatus est, quoniam puluis sumus.* Pulueris humani recordatio Deum misericordem in proximos statuit.

Hieron. — Iob 10. — Gregor. — Psal. 102.

§. IX.

Peccatoribus cautela in posterum, & emendatio maximè procuranda.

A Tanto discrimine liberatam adulteram sic monet Dominus: *Noli amplius peccare:* & quidem peccatoribus omnibus id est maximè procurandum, quòd sibi diligenter caueant, ne iterum in scelera prolabantur. Villicus ille sapiens vbi debitores domini sui conuocat, & singulorum pensat debita, sic aiebat singulis, Luc. 16. *Accipe cautionem tuam, & sede, citò scribe,* &c. Nihil aliud mandat debitoribus; quàm vt cautionem accipiant; non debita reposcit, non debitorum vsuras; hoc vnum dicit, vt cautione præmuniantur, quasi maximè sit id procurandum peccatori, vt cautus fiat, ne iterum debitum incurrat. Rupert. lib. 8. de operibus Spiritus sancti, cap. 21. *Singulis dicit: Accipe cautionem tuam, quod est dicere: Tantum tibi caueas, vt de cætero emendes.* Nulla potior sit cura peccatori, quàm ea, quòd nimirum iterum ad eadem redire caueat peccata. Qui minor in hac cura est, nihil æstimet se esse in aliis facinoribus maximum, sed putet penè suam esse salutem deploratam. Omnes norunt Samsonis facinora, quòd leonis catulum inter brachia suffocarit, quòd in mandibula asini exercitus hostiles prostrauerit; sed & eius pericula omnibus patent. Iud. cap. 16. dum in sinu Dalidæ dormit Samson septem neruiceis funibus ad mortem illigatur; sed facto clamore expergefactus, se ligatum videns, *rupit vincula, quomodo si rumpat quis filum de stupa tortum sputamine, cum odorem ignis acceperit; & non est cognitum, in quo esset fortitudo eius.* Hæc vix ligamina, & vincula lætus euasit, & ecce iterum ad blanditias accedit Dalida, & iterum ipse auscultans somno capitur, & nouis funibus ligatur. Sed via intonat voce fœmina, & excusso somno sic nouos funes rumpit Samson, *quasi fila telarum.* Quis iam fœmineis blanditiis credat? Quis vel tertio ligatus ad mortem in sinu Dalidæ, non caueat amplius illigari? Sed Samson semel, & bis, & tertio sese ligandum tradit, vsque eo deceptus, in quo non possit rumpere vincula, nec liberari. Heu hominis misera conditio! qui leones fortitudinis virtute superabat; dum in cautela minor apparet, & ter euadens pericula, ter se periculis tradit; tandem irreparabili ruina cadit. D. Ambros. in Proœmio ad lib. 2. de Spiritu sancto, ait: *Merito Sanson fortior cæteris habebatur, quia eum spiritus Domini dirigebat; quo duce solus nunc alienigenarum fugabat populos, nunc leonem morsu inuiolabilem, fortitudine insuperabilis discerptum manibus diuidebat. Vtinam tam cautus ad seruandam gratiam, quàm fortis ad superandam bestiam.* Non minor eius cautela in fugiendis periculis, & insidiis debuit esse, quàm erat virtutum in eo splendor, & præstantia. Sed quia semel, & bis vincula rumpens, adhuc vincula non cauet, nec in posterum fuit cautior; nihil ei profuit virtutum præstantia, vbi minor in cautela apparuit. Aiebat Iesus, Luc. 11. *Cum immundus spiritus exierit de homine, perambulat per loca inaquosa, quærens requiem: & non inueniens dicit: Reuertar in domum meam, vnde exiui. Et cum venerit, inuenit scopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus nequiores se; & ingressi habitant ibi. Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.* Itaque status hominis reincidentis ad peccatum, reuertentis ad vomitum, peior fit priori statu peccatoris. Et cur necessum est, quòd relabentis status peior sit? Nonne potius esset peccatũ reincidentiæ minus priori? Cur ergo quando minus peccare potuit, dicitur absolutè, & in omni casu, sine vlla exceptione status relabentis esse peior priori? Quæstionem & excitauit, & acutè resoluit maximus Ecclesiæ Theologus D. Gregor. Nazianz. orat. de baptismo 40. *Fiunt nouissima primis deteriora. Tunc enim spes emendationis, cautiorisque viuendi rationis erat: nunc autem perspicua, & manifesta est prauitas, per boni fugam malum attrahens, ob idque firmior iam, & stabilior est habitatori possessio.* Expende, quid priorem statum, etsi peccatis plenum faciat non adeò desperatum, sed multo melioris conditionis; nimirum: *Tunc erat spes emendationis, cautiorisque viuendi rationis.* Vbi enim emendatio, & cautela speratur, etiam grauissima delicta momenti videntur esse leuioris: at in reincidentia, quia spes cautionis euanet, sic etiam minora crimina possunt facere statum longè peiorem. Quid sapientius? Sanè peccatoris malum vel acerbatur, vel lenitur ab spe curationis, & emendationis. Si hæc adsit, maxima crimina apparent leuia; si desit, etiam non adeo grauia censentur omnibus grauiora in ordine ad certitudinem damnationis.

Luc. 16. — Rupert. — Iudic. 16. — Ambros. — Luc. 11. — Nazianz.

§. X.

Non tam timenda peccata, quæ ex fragilitate, quàm quæ ex malitia, & data opera fiunt.

NOn dicit Dominus adulteræ, ne pecces, sed notanter dicit, *Noli peccare,* hoc est, ne ex affectu, & voluntate pecces, & allicias peccatum; alioquin, vt sapienter in præsenti notat noster Salmeron, non est homo, qui non peccet; sed illud peremptorium est, & ægrè sanabile peccatũ, quod non tam nascitur ex infirmitate, quàm ex affectu, & voluntate peccandi. Caino de sacrificij repulsa contristato, ait Dominus, Gen. 4. *Nónne si benè egeris, recipies? si autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit? Sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Et quidem peccati appetitus subiectus est hominis voluntati, quæ domina est, & Regina respectu omnium affectuum, vel illos cohibens, vel illos exire permittens. Tunc autem voluntas penè insanabile incurrit vulnus, cum in tota plenitudine suæ potestatis, suique dominij consistens, non vt captiua trahitur, sed vt domina ea affectu currit ad crimen. Quò spectans lectio D. Ambros. sic modo pene insanabilem ostendit Cainum. *Peccasti? Quiesce. Ad te conuersio eius, tu princeps es illius.* In peccato tuo primo offerendi peiora Deo, non quasi fragilis seruus raptatus fuisti, vel ab occasione peccãdi, vel à persuasore maligno, sed tota illius facinoris culpa tota in te fuit. *Tu princeps es illius,* non vt seruus tractus, vel reptatus, vel impulsus, aut coactus, sed vt Princeps, in tota plenitudine tuæ potestatis constitutus, sciens, & prudens in tantum facinus prorupisti. Quis te liberabit à Dei ira? Ita D. Ambros. lib. de Abel c. 7. inquit. *Tu ergo Princeps operis tui, tu dux criminis. Non te inuitum, nõ imprudentem error traxit, sed voluntarius reus iudicio, non lapsu fecisti dolum, quo te diuina iustitia reum esse clamaret.* Et quidem reprobi Caini æmuli sunt, qui non infirmitate, sed iudicio eligunt vitiis seruire. Qui non coactè adducũtur in opera carnis, sed in tota suæ potestatis plenitudi-

Genes. 4. — Ambros. — Idem.

ne constituti ad illa currunt. His non absimilis Chanaam, maledictus Noëmi filius, de quo ait Oseas, cap. 12. *Chanaam in manu eius statera dolosa, calumniam dilexit.* Nullis verbis potuit nobis aptius proponere perditissimos populi mores; dilexit ille calumniam, dilexit iniustitiam; & quomodo dilexit? An aliqua necessitate coactus? Minimè, sed habens in manu stateram, & diligenti examine ponderans, & noscens, quid sit mala facere, pleno, & deliberato animo elegit peccare. Hoc in reprobato Chananæorum populo significat statera posita in manu, iuxta quam calumnia diligatur: quò spectans Ruffin. inquit: *Ubi enim talis animæ versatur affectus, vt non impetu, aut negligentia, sed cum deliberatione, quasi suspensis ab vtraque parte ponderibus, nefanda committat, dicitur peccasse sub trutina.* Et consequenter dicitur esse Chanaam populus deploratæ salutis; gens, quæ à domo Domini arcetur. Ait enim Zacharias, cap. vltim. *Non erit Chananæus vltrà in domo Domini.* Et meritò à Dei domo arcetur, qui non infirmitate, sed iudicio peccare elegit.

Osea 12.

Ruffin.

§. XI.

Peccati publicati verecundia patienter tolerata, non parua pœna peccati est.

Absoluit Iesus adulteram, in pacéque iubet abire eam, nullam illi imponens peccati pœnam: nec ideò aliquis malè colligat, nullam esse peccatori imponendam pœnitentiam. Absit hoc animo fideli; quin potiùs putet, maximam ab hac adultera toleratam esse pœnam, quando publicati peccati verecundiam patientissimè fuit perpessa. Cur benignissimus Iesus noua pœna affligeret eam, quam sceleris publicatione coram infamari cernebat? Pulchrè aiebat Euthym. *Satis erat talis diuulgatio, & coram tot aduersarys erubescentia pro supplicio.* Fœminæ non prorsus perfrictæ frontis, & impudenti non poterat esse pœna, & supplicium leue, quòd eius peccatū diuulgaretur, sub cuius diuulgatione & ipsa patientissimè erubescebat. Hoc quis paruū supplicium æstimet, Num. 12. Maria, & Aaron fratres murmurarunt aduersus Moysem; *Et ecce Maria apparuit candens lepra, sicut nix.* Maria, & Aaron facinus murmurationis committunt, & Maria sola supplicium lepræ sustinet, dum Aaron murmurationis particeps, lepræ supplicij visitur immunis. Cur & Aaron non similiter lepra afficitur? Cur etiam non & ipse mulctatur? An quia & vir, & sacerdos est, liber erit à peccati supplicio? Absit; Mariam enim dum afficit lepra, peccatum Aaronis publicat, nec minori supplicio afficitur Aaron peccati publicati confusione, & verecundia, quàm Maria dum lepra percutitur. Saluian. lib. 1. de prouidentia, inquit: *Coërcitio lepræ huiusmodi non Mariam tantùm, sed & Aaronem humiliauit: quia etsi deformari lepra summum Antistitem non oportuit, & ipsum tamen Dei flagellatio castigauit: nec solùm hac in pœna, quam Maria patitur, Aaron etiam quasi culpæ particeps coërcetur; Maria enim supplicio afficitur, vt Aaron confusione mutetur.* Non impunè abit, qui confusionis, & verecundiæ publicati sceleris subit pœnam.

Euthym.

Num. 12.

Saluian.

Text. Iterum ergo locutus est eis Iesus, dicens: Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.

§. XII.

Christi spiritus facit occultissimam quamque cordis malitiam manifestissimè cerni, cognosci.

Vt se cœlestium, diuinorúmque arcanorum manifestatorem Dominus ostenderet, suffecisset, quòd se cœlestium lucem nominaret; cur ergo non dicitur lux cœli, sed se mundi lucem vocare maluit? In cœlestibus solæ virtutes sunt; in mundo autem sub tenebris vitia latent, & innumera peccata. Is est ergo Iesus, qui vt splendidissima lux, non solas cœlestes virtutes manifestat, sed & de eius munere venit, quòd nihil mundiale, nihil malitiosum, nihil sceleratum in corde admissum non lateat, sed manifestissimè omnia malitiæ pabula proponantur. Exod 3. dum Moyses greges soceri sui ducit ad pascuam: *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat, quòd rubus arderet, & non combureretur.* Ecce tibi, splēdidissimus ignis diuinus rubo insidet, nec vllum rubus inde patitur damnum; & quando ignis rubum non comburit, quid in rubo facit aliud, quàm illuminare, & vniuersas rubi malitias propalare, ne vel minima spicula rubi sub tam ingenti luce non pateant. Cur ergo Dominus igneus, & splendens ad rubum accedis? Imò cur, cùm à combustione rubi abstines, non etiam astines à manifestatione illius spinarum? Sanè hæc est Dei accedentis ad animum proprietas inseparabilis, quòd nihil senticosum, nihil spinosum, & sceleratum non statim propalet. Ait D. Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto, c. 15. *Vox ergo de flamma, & in rubo flamma, & flamma non noxia. Vrebatur enim rubus, & non exurebatur, eo quòd illo mysterio Dominus figuraret, quia illuminaturus spinas nostri corporis adueniret.* Longè à Dei spiritu abest ille, quem proprij cordis spinæ latent; quando ad Dei lucidissimam præsentiam in anima, quidquid ibi spinosum, quidquid offensiuum, sic proditur, vt vel minima spicula in lucem prosiliant. Qui per annum ferè, aut ampliùs in adulterio fuerat, nec suam malitiam nouerat Dauid, iam ait Psalm. 50. *Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.* Vnde habuit Dauid, peccata sua videre, quæ per tot menses minimè cognouit? Ex eius ore ait Vrbanus IV. Pontifex maximus: *Ex illo tantillo spiritu, quem in me Dei visitatio reseruauit, cognosco iniquitatem meam.* Non equidem hominis spiritus, sed Dei spiritus aliquo modo iam in Dauide habitans, omnia illi nota fecit sua peccata. De spiritu enim Dei venit, quòd ad errores nostros dignoscendos non cæcutiamus, sed vniuersos præ oculis habeamus. Accipite Isaiam, cap. 6. hinc Deus præsens ostenditur super excelsum thronum eleuatus, Seraphinis clamantibus, & adorantibus cinctus. Quid tunc Isaias? *Ipse statim clamat: Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labys ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito.* Nunquam talia de se dixit Isaias; sed omnem suam efficaciam ostenderat in reprehensione populi sui, Iudæorum numerans comessationes, ebrietates, adulteria; in se nec minimam vitij speciem notarat. Vnde modò sic in suis labiis hæret? Vnde vidit sua polluta labia? Hoc fecit Dei præsentia; vbi enim assumitur, vt Dei gloriam in throno spectaret, sic de proximitate Dei illuminatur, vt omnes suos errores, & maculas manifestissimas sibi habeat. Siquidem ait Diuus Gregorius Nazianzenus, oratione 7. *Isaias priusquam Domini gloriam conspexisset, nihil huiusmodi loquitur, nec animo languet, nec metu concutitur: verùm in Israelitas quidem magno clamore inuehitur, sibi autem parcit, atque à se tanquam ab insonte abstinet. Postea verò quàm hæc vidit, ac vocem illam sanctam, & arcanam auribus vsurpauit, tunc demùm velut se ipsum magis agnoscens: Me miserum, inquit, quia compunctus sum. Nam quemadmodum Sol oculorum imbecillitatem prodit, eodem modo Deus animæ morbum aduentu suo indicat.* Lux est Deus, qui in nobis adueniens, quascumque animi sordes, quascumque labes manifestas facit, & publicat: ne quis Deo plenus in propriis erroribus valeat cæcutire.

Exod. 3.

Ambrof.

Psal. 50.

Isai. 6.

Nazianz.

§. XIII.

Nemo ab alijs hominibus amatur, quàm ab ijs, quibus proficuus est.

Non prætereunda est D. Thomæ obseruatio in Caten. quòd nimirum Iesus non dicat, ego sum lux Angelorum, nec ego sum lux cœli; sed tantummodo dixit: *Ego sum lux mundi;* & quidem qui à mundi incolis & suscipi & amari volebat, hoc solùm ostendit, quod est illis proficuum. Id enim solùm amant homines mundi, quod sibi salutare noscunt, & experiuntur: cætera val suspecta habent, vel inuisa. Hæc est vox Mariæ, Cant. 1. *Fily matris meæ pugnauerunt contra me:* nec ignotum est bellum aduersus Iesum excitatum, vbi cœpit ostendi Mariæ solus Filius. Quis non contrarius erat Iesu? Quis in Iesu non aduersabatur Mariæ? Sed & dixerat ipsa Virgo loquens ad filium: *Oleum effusum nomen tuum: ideò adolescentulæ dilexerunt te.* Modo impugnatus, modo dilectus? Qui paulò antea impugnabatur, quomodo tam citò incepit diligi? Antea solius Mariæ dicebatur filius, & quasi in Maria sola stagnata habebat Dei filius sua beneficia; sed cœpit inde in alios effundi, cœperunt alij sibi etiam salutarem experiri illum, & quotquot salutarem sibi putant, etiam diligunt. Pulchrè Philippus Abb. Præmonstratensis, lib. 1. Canticor. cap. 12. ait ex ore Mariæ: *Me autem repleta, ad eas, quæ iuxta sunt, oleum hoc effusum, vt capi valeat, adolescentulis est effusum: & quod infusum mihi,* cum

Cant. 1.

Philipp.

cùm non possent capere, neglexerunt, effusum sibi feruente spiritu dilexerunt. Non inuenies creaturam, quæ sciat diligere, & æstimare ea, quæ sibi non sint proficua; sis quantalibet sapientia præditus, omnibus virtutibus ornatus, si nulli es proficuus, diligeris, æstimaberis à nullo; quin potiùs omnibus eris & odio, & ludibrio. Quæ te incipient sibi sentire fructuosum creaturæ; eædem, & non aliæ te colent, atque summa animi alacritate seruient tibi. Ait Psalm.18. *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Dies diei eructat verbum; & nox nocti indicat scientiam. Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Et cœlum, & diem, & noctem, & terram nominat; & de solis cœlis dicit, quòd sese effundant in laudes diuinæ gloriæ. Non aliæ creaturæ in præsenti dicuntur narrare Dei gloriam, nisi cœli, ij non cessant à Dei laudibus, incredibili in eum ardentes amore. Et cur præ omnibus aliis cœli sic erga Deum afficiuntur; nisi quia magis sibi præ aliis experiuntur Deum proficuum, & fructuosum? In cœlis Deus suam sedem habet, in cœlis manifestat suam gloriam; nec miror, quòd cœli plus ament, quem sibi plus salutarem norunt. Philippus Abbas. lib.1. in Cantic.cap.16. inquit: *Cælestia, quæ & cœlum, vel cœli non incongruè nominantur, quia domus, vel habitatio, locus, sedes, solium Domini præparantur, ipsum re vera Dominum, & sessorem affectuosis desiderijs amplexantur, nec possunt non diligere, quem in se principari fortiter, regnare suauiter contemplantur.* Expende ab illis verbis: *Nec possunt non diligere*, &c. Ex quo enim in se creatura regnum Dei experitur, sic exardescit flammis amoris diuini, vt via posset ab amore desistere. Quo spectans sponsa, Canticor.2. sic ait: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Non priùs ipsa ad sponsum currit, quam sponsi in se sentiat, & experiatur beneficia. Priùs sponsus illi, & deinde illa ad sponsum alacriter currit. Hæc est creaturarum conditio, quòd minimè excitantur ad amorem, nisi priùs in se prægustato amoris lucro.

Psal.18.
Philipp. Abb.
Cant.2.

§. XIV.

Cognitio Dei secum trahit omnes operationes virtutum.

DE mundi illuminatione se commendat Iesus, qui certissimè venit, vt homines trahat in virtutum vias. Fateor, ô Domine, quòd lux mundi es, quòd mundum illuminasti, vt Deum noscat: & veri Dei, & iusti Dei mundo infudisti doctrinam. Quid hoc interest, vt reformetur mundus? Quid hoc, vt homines ament virtutes, & honestatem arripiant? Multùm per omnem modum; nam lucida Dei notitia, si ipsa sit, proculdubio potens est trahere secum omnes alias virtutes. Vtinam lucem mundus habeat, qua sciat Deum; fallat, nisi frequentes appareant homines in virtutum viis. Cant.cap.2. ait sponsa: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Et quid dilectus sponsæ dedit, quo tam citò ipse rapitur in bonam frugem? Crediderim hoc fuisse datum à dilecto sponsæ, nimirum, lucem, notitiam diuinitatis ipsius. Pulchrè enim ait Philo Carpathius in præsenti satus: *Ipse mihi sapientiam dedit, ego illi cor dabo. Ille mihi de suis sapientiam, ego verò illi de gentibus, fidei, spei, & charitatis fructus rependam.* Non plus tardauit mundus in reddendis operibus virtutum, quàm in accipienda luce, & vera diuinitatis notitia. Vt hæc data est mundo, & mundus cor suum effudit, vt seruiat Deo per omnes virtutum vias. Potentissima enim est notitia Dei veri, vt faciat homines sese ad bonam frugem reducere. Hinc viso Iesu cecinit Simeon, Lucæ cap.2. *Viderunt oculi mei salutare tuum. Quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad reuelationem gentium.* Expende, quòd vocatur Iesus salutare Dei missum mundo; insuper vocatur lumen ad reuelationem gentium. Quid lumen habet cum medicina? Lumen manifestat occulta; medicina autem morbos pellit, imbecillitates corroborat, virtutes acuit, vt felicior agatur vita. Quid ad hæc præstaret lumen? Sanè lumen, quod Deum verum hominibus manifestat, necessum est, vt eo ipso homines trahat in salutem, quando veri Dei notitia ipsa potens est, & impellere, & rapere animas in virtutum vias. Quippe ait Cyrill. Alexand.lib.3. de recta fide ad Reginas: *Quali reuelatio facta est gentibus? Nónne in Iesu agnouerunt, quòd Deus sit, & seruiendo ei, liberati sunt à crimine.* Dei cognitioni adiuncta est libertas à crimine, libertas à peccatis, atque delictis. Qui nos Dei veri clarissimo sub lumine posuit, is à nobis fugat vitia, & trahit in virtutes. Vnde non cessat Arnob.lib.1. contra Gentes, Iesum exaltare, ex eo, quòd nos fecerit Deum verum scire. *Honoribus quantis afficiendus est nobis Iesus, qui ab erroribus nos magnis insinuata veritate traduxit? Qui velut cæcos passim, ac sine vllo rectore gradientes, ab abruptis, ab deuijs, locis planioribus reddidit. Qui, quod frugiferum primò, atque humano generi salutare, Deum monstrauit, quid sit, quis, quantus, & qualis: qui profundas eius, atque inenarrabiles altitudines (quantum nostra quiuit mediocritas capere) & intelligere permisit, & docuit. Qui, quo auctore, quo patre, mundus iste sit constitutus, & conditus, fecit benignissime sciri.* Hanc autem de Deo lucem, & clarissimam, & præstantissimam vnus Iesus mundo effudit; quod nullus dubitabit & frugiferum, & salutare fuisse mundo, quando post hæc diuinæ cognitionis beneficia frequentissimas videmus hominibus salutis vias.

Cant.2.
Philo.
Luc.2.
Cyrill.
Arnob.

§. XV.

De sola Iesu venit, quòd homo à tenebris, & imperfectione in lumen abeat.

NOn qui mundiales scientias, mundiales haurit facultates, sed qui Iesu adhæret, tenebras exuit, & in lumen abit. Verum enim est, quod dicit Iesus: *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Da quemuis verum sectatorem Iesu, & dabis illum illustrem, clarum, vt qui vni adhæret fonti totius illustrationis, & claritatis. Luc. c.9. *Facta est, dum oraret, species vultus Iesu altera: & vestitus eius albus, & refulgens; & ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyses, & Elias visi in maiestate.* In qua maiestate visebantur Moyses, & Elias. Aut quam poterant humiles homines coram conditore suo ostentare maiestatem? Nónne Moyses Iesu seruus erat, quomodo seruus potest esse coram Domino suo in maiestate? Ideò Moyses in maiestate apparet, quia vt seruus Iesu illi adhærens apparet, quando à Iesu solo venit, quod homo illustrior appareat, & clarior. Id quod notans D.Damasc.orat.in Transfig. fatur: *Hodie diuinus legislator Moyses in monte Thabor Christo seruilem in modum tanquam hero adstat, eiq; humanitatem ab eo assumpta cognitione illustratur.* Non cùm legem in manibus portat Moyses, sed cum Iesu se subdit, Iesu cognitione illustratur, gloriosámque ebibit maiestatem. Nunquam enim ab alio, nisi à Iesu veniet ad homines perfectus splendor, & virtutum claritas. Audio Exod.34. Moysis venientis cum legis tabulis faciem gloriosis radiis illustrari, ita vt non possit ab Israëlitis conspici; sed & Exod. 4 audio de Moysis manu, *quam cùm misisset in sinum, protulit leprosam instar niuis.* Sed & manus Moysis habet legis tabulas, cur de beneficio legis non magis sanatur, illustratur? Cur non lepram exuit, & infirmitatē, vt habens legem gloriosa appareat manus? Non lex, non aliquis alius, nisi solus Iesus est, à quo habeāt homines, ab infirmitate cōualescere, & claritudinem virtutum intrare. Origen. hom.12. in Exod. fatur: *Quia ergo ex operibus legis nullus erat iustificandus, nec aliquem ad perfectum adducere poterat lex, idcirco manus Moysis leprosa fit, & in sinum reconditur, tanquam nihil perfecti operis habitura; facies autem eius glorificata est, quia sermo eius habet scientiæ gloriam.* Habebis equidem ex Moyse, ex lege, ex philosophia aliquid lucidum, quo splendeas, & illustreris ex ore; quo autem illustreris, & splendeas ex manu, ex operibus, ab alio non habebis, nisi à Iesu. Leprosæ sunt, & infirmæ omnes creatæ manus, nullum ab illis recipies perfectum, & splendidum opus Quæcumque creaturarum splendida ore tenus sunt, verba sunt composita: vbi ad earum manus spectes, vt aliquid accipias; inde omnia ad infirmitatem veniunt, nihil ad splendorem. Et quidem verissimum illud est de omni creatura, quod Ioannes de Moyse ait, cap.1. *Lex per Moysem data est, & gratia, & veritas per Iesum Christum.* Splendent ore creaturæ, vt splendebat Moyses, dant bona verba: si ad earum os spectes, quid non lucidum audias ibi, & splendidum? Si autem manus quæras, operum veritatem, gratiosum aliquod donum speres, proh dolor! In Moysis manibus, in creaturarum manibus solam lepram, solam infirmitatem videbis, quando & gratia, & veritas omnis perfecti operis à Iesu venit. Vnde incarnatam sapientiam præmonstrans Sapiens, cap.6. ait: *Clara est semper, & nunquam marcescet sapientia, & facilè videtur ab ijs, qui diligunt illam, & inuenitur ab his, qui quærunt illam, præoccupat eos, qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat.* Ex quo monebat P.Damian.lib.6.epist.17. *Illam ergo sapientiam quære, illam totis visceribus ardenter amplectere, ex qua non modo valeas sapere, sed & viuere, ac per eam sine fine gaudere.* Et quidem ea est incarnata sapientia Christus Iesus, de cuius claritate venit, non solùm vt radiet lingua in verbis, sed magis vt radiet manus in operibus vitæ.

Luc 9.
Damasc.
Exod.4.
Origen.
Ioann.1.
Sap.6.
Damian.

Habebis forsan à mundi sapientibus, quòd possis lucidè, & ornatè sapere, imò & dicere; verùm quòd lucidè, & ornatè vtuas, id ex vno habebis Iesu fulgentissimo claritatis iubare.

§. XVI.

Vnus Iesus indeficiens lumen est hominibus: cætera omnia creata deficiunt.

Acutè Augustinus agnoscit discrimen inter Iesu lumen, & alia quæuis mundialia; qui Iesum sequitur, non ambulat in tenebris; qui mundialia lumina sequitur, necessum est tenebras incurrere. Solem si sequaris, tandem ille re in noctis tenebris derelinquet; sic vniuersi mundi splendores, vniuersa bona mundi suos sectatores deludunt, & in tenebras mittunt. Qui Iesum sequitur, qui ad cœlestium conditionem viuit, nisi ipse faciat casum, nunquam in Iesu

Luc 4. sentiet occasum, Luc.4 ait Dominus: *Multæ viduæ erant in diebus Eliæ, quando clausum est cœlum, annis tribus, & mensibus sex, cùm facta esset fames magna in omni terra,* &c. Recole historiam ex 3. Reg.17. & 19. vbi inuenies ab Elia clausum cœlum, ne quid roris super terram mitteret; ex quo rabidissima fames increuit, quæ in luctu, & squalore vniuersam terram tenebat: solus Elias alimentum habebat, curantibus cœli auibus, ne quid deficeret Eliæ. Quo posito expendendum est, quòd dicatur cœlum clausum in diebus Eliæ. Si clausum erat cœlum, quomodo erant dies illi? Diea constituuntur ex lucida, & aperta facie cœli, ex prospera, & albescenti hominum fortuna. Non dies est, sed nox quæ notatur nigro lapillo, cui cœlum clauditur, in qua soli audiuntur gemitus, & suspiria. Quando ergo hæc erat facies mundi tunc temporis, quomodo vocantur dies illi? Vocantur dies, sed dies Eliæ: cui vnum Deum spectanti, & sequenti, non potuit lux, nec dies abundantiæ deficere. Ait enim D.

Ambros. Ambros. in Psalm 36 *In diebus Eliæ, quando clausum est cœlum, nox erat perfidiæ, sed Eliæ lumen erat. Clausum erat perfidis cœlum, sed Eliæ patebat. Fames erat perfidis, sed Eliæ vbertas. Neque tum esurire poterat, cui cibum cœlestia ministrabant.* Omnia deficiebant perfidis, & ingratis hominibus, qui sequebantur creaturas: & lux, & ros, & esca deficiebat illis: at Eliæ vnum Deum, & conditorem cœli spectanti, nihilque æstimanti, nisi quæ à conditore cœli poterant venire, nihil potuit deficere. Et quid deficeret sequenti Deum, cui totum cœlum seruiebat? Mihi crede, homo specta cœlum, specta Deum vnum, & quando alias omnia desint, nihil tibi deficiet. Compone modò Tobiam iuniorem cum Noëmi socru Ruth: vterque à patria exiit; vterque in alienis peregrinabatur, vterque post tempus ad patriam reducitur.

Tob.12. Sed Tobias gratias agens ductori suo dicit, cap.12. *Me duxit, & reduxit sanum, pecuniam a Gabelo ipse recepit; vxorem ipse me habere fecit, dæmonium ab ea ipse compescuit; gaudium parentibus eius fecit; me ipsum à deuoratione piscis eripuit; te quoque videre fecit lumen cœli, & bonis omnibus per eum repleti sumus.* Hæc ductori suo accepta refert Tobias; quàm alia sunt, quæ

Ruth 1. de se narrat Noëmi Ruth 1. inquiens: *Egressa sum plena, & vacuam reduxit me Dominus.* Ille vacuus egreditur, & redit plenus bonis cunctis; hæc egreditur bonis plena, & abundans, & redit vacua omnibus illis. Sed hæc cùm redit, præstantissimum reductorem habet Deum ipsum, quippe ait: *Vacuam reduxit me Dominus.* Sed cur hæc habens Deum reductorem, tantam vacuitatem experitur; quando ille reductus à Dei Angelo, adeò bonis plenus inuenitur? Sanè Tobias eumdem ductorem, & reductorem fortitus, nec gradum fecit, quin in omnibus sequeretur ductorem diuinum; ait enim: *Me duxit, & reduxit,* & inde nullum defectum, sed omnium abundantiam meruit experiri. Noëmi non à Domino ducitur, & reducitur; ducitur quidem à bonis temporalibus, ducitur à mundi creaturis, timens enim bona sua, & filios amittere in patria propter temporis angustias, sequena temporales commoditates, omnibus suis bonis, & filiis plena à Dei populo discedit, & abit in terram Gentilium, vbi adorabantur creaturæ, & sic quæ temporalem plenitudinem solam sequebatur, omnium temporalium defectum experitur. Egressa est plena, non Deum ductorem sequens, sed plenitudinis temporalis conseruationem solam inquirens: & inde vacuam reducit eam Dominus, vt ostendatur ille solus posse defectus, & vacuitates fugere, qui vnum Deum sequendum proponit sibi Tota hæc res pulcrè describitur iuxta communiorem sententiam 1.Paralip.cap 4. vbi Sela filij dum recensentur, dicitur: *Et qui stare fecit solem,*

vtrique mendacij, & securus, & incedens, qui Principes fuerunt in Moab, & qui reuersi sunt in Iaem. vel vt ex Hebræo, Hier. *& qui reuersi sunt in Iaem.* Ecce tibi de tota Noemi familia hæc dicta sunt: vir eius Elimelech, qui stare fecit solem, in quo Caietanus non miraculum aliquod particulare esse putat, sed viri præstantissimam explicari prosperitatem, & diuitias, vt qui solem, & astra sibi adstantia haberet. Quid tunc? *Vtrique mendacij, & securus, & incedens qui Principes fuerunt in Moab.* Duo Elimelech, & Noëmi filij de adstante patri suo sole, & astris securi, & incedètes ibant a populo Dei ad nationes alienigenas; ibique illustri matrimonio exaltati sunt. Sed quo magis sibi promittebant de fortuna patris, quam sequebantur, & magis apparebāt viri mendacij: quando soles illi, & prosperitates versæ sunt in mendacia; vbi omnia illis defecerunt & ipsimet defecerunt, adeò vt & Noëmi mater, & vxor Ruth vacuæ prorsus in Bethleem reuersæ sint. Nil aliud, mihi crede, inuenies in mundi luminaribus, quam mendacia, quam vmbras, quam fallacias. Aiebat Dauid Psal 36. *Nouit Dominus vias immaculatorum.* Ex Græco habes: Psal. 36.
Nouit Dominus dies immaculatorum. Et impiorum dies nónne etiam cogniti sunt à Domino? Cur non simul dicitur Deus nouisse dies tam iniustorum, quam iustorum? Sanè impij homines, qui temporalia sequuntur, nihil habent, præter vmbras, non diem, non lucem, sed omnia illis deficiunt, quorum plenitudo solos iustos implet. Ait D.Ambros. ibi:
Nouit Dominus dies immaculatorum; quia immaculatæ innocentiæ gratia eius, & plenitudo miseretur: non miseretur errantibus. Isti non habent diem, quia lucem fugiunt; de quibus pulchrè dictum est: Dies eorum sicut vmbra prætereunt. Qui post creaturas errant, nihil habent, nec diem, ne lucem; omnia, quæ putabantur stabilissima, deficiunt illis, & prætereunt sicut vmbra. Vera, & indeficiens plenitudo eos sequitur, qui per immaculatam viam sequuntur Christum. Ambros.

§. XVII.

Vbi peccatorum tenebræ abscedunt, adest Iesus.

Qvi Iesum sequitur, meritò dicitur, quod non ambulat in tenebris; non possunt esse tenebræ cum lucidissimo Iesu; sed vt vitiorum tenebræ prorsus discedunt, nunc apparet in anima fulgentissimus Iesus. Num. 3. *Ex quo percussi primogenitos in terra Ægypti, sanctificaui mihi, quidquid primo nascitur in Israel.* Tenebrosa Ægypti primogenia extincta prius sunt, vt saluator appareret in sibi dicatis primogenitis; non enim antea primogenia fulgerèt saluatoris luce quam extincta fuerit malitia in primogenitis. Rem ita fundat D. Ambros. lib.4. de Abel c.4. *Cum interficitur impius, Christus initiatur. Et vbi abominatio aboletur, sanctificatio cumulatur, quia Dominus dixit:* In die qua interfeci omne primogenitum Ægypti, sanctificaui mihi omne primogenitum in Israël. Idem.
Quod non ad vnum tempus refertur sed ad omne tempus. Cum enim renunciatur improbitati, statim adsistitur virtus. Egressus enim malitia virtutis operatur ingressum, eodémque studio, quo crimen excluditur, innocentia copulatur. Id ipsum tardas in recipiendo Iesu fonte virtutis & sanctitatis, quod tardas in abiiciendis ab anima peccatis. Hæc abeant, & Christum habes, & virtutem, & sanctitatem habes. Sapiens ille Centurio, Matth.8. dicebat: *Dico huic vade, & vadit, & alij veni, & venit.* Coniuncta est abitio mali, & allectio boni; vt facis à te malum abire, non dubito quin trahas fontem bonorum. Matth.8.
Nyssen hom.10. in Cant. *Cum ea dixisset, vade, & vadit, dicit se alium accersere. Nulla est enim societas lucis, cum tenebris: sed necesse est omnino, vt si tenebræ recesserint, sit lux, quæ pro eis cernitur, & si vitium fuerit amandatum, pro eo virtus introducatur.* Nyssen.
Non inuenietur cor hominis vacuum: eo ipso quòd vitium & peccatum missum facit, accersit sanctitatem. Vnam expectat expulsionem peccati Dominus, & statim ipse cum virtutibus adest. Apud Luc.cap.19 Zachæus in arbore sublimia apparuit, vt Iesum videret, ait illi Iesus: *Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Quid necessum fuit tam festinanter ire Iesum ad domum Zachæi? Viderat Dominus hominis cor, ab eóque vitia expulsa, & rapinas è domo eius eliminatas, nec amplius moratur, sed ad illum festinat. Ait D.Ambros. lib. de Abel. a.e.4. *Meritò videns studium eius, quòd in arborem ascendisset, dicit ei Dominus: Festinans descende, quia hodie in domo tua me oportet manere. Et descendit festinans, & excepit illum gaudens. Sed excipiendo Christum, exclusit auaritiam; relegauit perfidiam; renunciauit fraudibus.* Omnia hæc dum exclusit, statim meruit in domo sua habere Christum. Ambros.

Tras.

Text. Dixerunt ergo ei Pharisæi: Tu de te ipso testimonium perhibes; testimonium tuum non est verum. Respondit Iesus, & dixit eis: Etsi ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum. Quia scio, vnde veni, & quò vado: vos autem nescitis, vnde veni, & quò vado.

§. XVIII.

Extremæ infelicitatis est sub Christo nullum recipere gustum salutis, sed maiorem erroris caliginem.

MIseri Pharisæi nacti sunt Iesum Doctorem, & ostendentem manifestissimam suæ diuinitatis lucem; adhuc ipsi in tenebris manent; imò in maiorem errorum deturbati caliginem, eius testimonium repellunt, dum dicunt: *Testimonium tuum non est verum.* Quid infelicius? In medium procedente meridiana luce, deplorati homines magis inclinantur ad errorum vmbras. (Cant. 2.) Cant. 2. ait sponsa: *Dilectus meus mihi, & ego illi, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.* Cum dies iam occasui appropinquat, & parat à terris abire; tunc inclinantur vmbræ. At dum dies adhuc aspirat, adhuc in vigore lucis est, vix tantula apparet vmbra. Quales ergo sunt istæ vmbræ, quæ adspirante adhuc die inclinantur? Sanè infelicissimæ reproborum hominum vmbræ, quæ de salutis, lucisque fonte Iesu nihil volunt accipere, imò quò magis eius viget claritas, eius misericordia adspirat, illæ in maiores tenebras, & ineuitabiliores se coniiciunt. Pulchrè ad (Philipp.) hæc aiebat Philipp. Abb. lib. 3. in Cant. cap. 17. *Infelices vmbræ, quæ die adspirante coguntur inclinari, ceruice conquassata, pœnis infernalibus aggrauari.* Totas inferni tenebras in se iam habeat necessum est, quisquis inter adspirantes Iesu luces, adhuc tenebrosus manet, imò in longiores errorum vmbras inclinat, vnamque in se ostendit perditionis caliginem. Non otiosè Ioannes proponit nobis reprobum Iudam inter euidentiora Christi benignitatis signa obfirmatum fuisse in ca- (Ioan. 13.) liginosa sua malitia: quippè ait cap. 13. *Cum ergo accepisset ille buccellam, continuò exiuit; erat autem nox.* Quanta hęc Iudæ infelicitas? Inter Iesu epulas constitutus, fauum illum corporis Christi participans, quo illuminantur oculi cœlestium Principum, ipse ad perditionis vmbras inclinat, & sese dat in extremam scelerum caliginem. Vnde hoc? Ait Euangelista: *Erat autem nox:* in se totam inferni noctem habebat, qui adspirante per buccellam Christo, maiores ostendit sui sceleris vmbras? Pulchrè D. Ambros. lib. 2. de Abel, cap. 4. in- (Ambros.) quit: *Non solum exiuit, sed continuò, & nocte exiit. Nec mirum, si noctis tenebras habebat, qui Christum deserebat.* Totas æternarum noctium tenebras in se præhabere ostendit, qui ad lumen Christi tenebrescit, & nullo gustato tanti fontis salutis fructu mauult vitiorum suorum inhærere caligini. Pro (Ioan. 3.) quo meritò clamat Ioan. cap. 3. *Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem.* Hoc quippè est seuerissimi iudicii exercitium, quòd homines inter lucidissimas Christi lampades, auidiores ad tenebras currant: hoc qui faciunt, æternas in se ostendunt perditionis caligines.

§. XIX.

Mendaces homines eò temeritatis, & impietatis veniunt, vt Deum ipsum putent mentiri.

NOn cunctantur Pharisæi isti, vt sanctissimo veritatis Magistro mendacium attribuunt; quippè aiunt: *Testimonium tuum non est verum.* Nec miror, quòd mendacissimi homines mendacium Iesu attribuant, quando eò deuenit impudentia, & impietas hominum, qui frequenter mentiuntur, vt neminem, neque Deum ipsum putent à menda- (Matth. 7.) cio liberum. Apud Matth. cap. 7. dicit Dominus de reprobis hominibus: *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Tunc confitebor* (Chrysost.) *illis: Quia numquam noui vos,* &c. D. Chrysost. legit: *Tunc iurabo illis, quia numquam noui vos.* Non solum dicit se confessurum, sed addit, se iuraturum, quia numquam nouit eos. Sed ad quid necessum est, quòd Deus iuramentum adhibeat? Nonne sufficit simplex Dei verbum, vt putetur verissimè dictum? Equidem sufficit simplex Dei testimonium, vt nimis credibile videatur iustis hominibus; sed tunc loquetur Deus cum his, qui diligunt vanitatem, & quærunt mendacium: & ideò dictis addit iuramentum, sciens eò impietatis peruenire homines mendaces, vt à nemine, neque à Deo ipso putent, posse veritatem dici. Sapienter D. Chrysostom. homil. 19. in Matth. ait: *Iurat autem Christus, non vt suam* (Idem.) *veritatem commendet, sed vt illorum incredulitatem condemnet. Non enim si non iurauerit Christus, mentitur, sed vt illi amplius confundantur firmiori responso. Quoniam qui mendax est, neminem putat dicere veritatem, neque ipsum Deum.* Quid impius? Tales sunt mendaces homines, vt pro nihilo æstiment putare, Deum posse mentiri, sicut ipsi mentiuntur. Imò mendacissimi ipsi eamdem consequenter maculam mendacij Deo non dubitant inurere. Quò spectans Ioan. 1. epist. 1. ait: *Si dixerimus, quoniam non peccauimus, mendacem facimus Deum.* Expende, quid ex nostro mendacio nascatur, non enim sufficiens erit, quòd nos turpiter mentiamur, negantes peccata nostra; sed inde in maius quid deuenimus facinus, ne scilicet vereamur Deum mendacem facere. Quid turpius? Ait OEcum. *Si impudenter dicimus, nos non peccasse, duplex operabi-* (OEcum.) *mur malum, & nos ipsos ostendentes mendaces, & Deum, qui excedit omnem veritatem, de mendacio calumniantes.* Quò non ascendat mendacis hominis malitia, quando non veretur Deum ipsum veritatis auctorem de mendacio calumniari? Hinc ille diuini honoris zelus, qui vexabat Paulum dicentem ad Romanos 9. *Optabam enim ego ipse anathema esse in* (Rom. 9.) *Christo pro fratribus meis.* Et cur Paulus sic cupiebat Iudæos adiungere Christo, vt dum illi adiungerentur, mallet ipse Christo priuari? Cupiebat id Paulus propter Dei honorem, ne Deus separatus à Iudæis suspicionem apud viros mendacissimos incurreret minus veracis in promissionibus suis Iudæ factis. Non enim dubitaret mendax homo videns se priuatum promissis, Deum ipsum æstimare mendacem. Ait Theodolus aliò datus: *Anathema quærit fieri, vt Iudæi Christo* (Theod.) *accedant, ne videatur Deus in suis promissionibus minus esse verax.* Quid aliud magis timeret mali à viris mendacissimis Deo suo parari, quàm vt eum mendacem in dictis æstimarent? Hinc B. Isaias Abbas, orat. 8. monebat: *A mendacio abhorre, expellet enim abs te timorem Dei.* Qui enim mendaciis deditur, nulla dicta, nec Dei ipsius putat non mendacia, & sic nil quod timeat, habet.

Text. Vos secundùm carnem iudicatis: ego non iudico quemquam. Et si iudico ego, iudicium meum verum est, quia solus non sum, sed ego, & qui misit me, Pater. Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sum, qui testimonium perhibeo de me ipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater.

§. XX.

Accusationi, seu damnationi proximi carnalibus ducta principiis, vix potest non subesse falsum.

AGebatur de testimonio Iesu an esset verum; ostendebat ipse Iesus testimonium suum esse verissimum; & subiicit statim; *vos secundum carnem iudicatis; ego non iudico quemquam*, nimirum secundum carnem. Quid hoc cum re, quæ tractabatur? Quid quod iudicet, vel non iudicet, arguat, vel non arguat, ad hoc, vt eius testimonium sit verum, omni carens falsitate? Multum sanè, sapientissimè enim probat suam infallibilem veritatem Dominus, ex eo, quod non iudicet, non damnet, non arguat aliquem secundum carnem: quando iudicio hominis siue in damnando, siue in accusando secundum carnem vix potest non subesse falsum. Ad hæc aiebat D. Chrysost. in Psalm. 7. *Quis est autem,* (Chrysost.) *qui non fratrem contumelia affecit? Qui mulierem non aspexit impudicis oculis? Qui non inuidit? Qui non inani gloria laborauit? Qui non loquutus est verbum otiosum? Quis te accusauit, nec mentitus est?* Hæc ille; & sapienter inter illa vitia, sine quibus aut rarus, aut nullus inuenitur, posuit accusatoris mendacia, non enim minus impossibile videtur Chrysostomo inueniri hominem, qui nullum otiosum verbum dixerit, quàm, qui fratrem accusans non promat mendacium. Apud Leuit. cap. 19. ait Dominus: *Non eris criminator, nec susurro in* (Leuit. 19.) *populo. Non stabis contra sanguinem proximi tui.* Vbi noster posuit *criminator*, legit Caietanus; *non eris explorator*, & explicat (Caiet.)

de

de eo, qui facta fratrum eaplorat, vt atguat, vt aceuset. Ex Hebræo autem legit Oleaster: *Non ibis fraudulenter in populo tuo* Et Septuag. posuere: *Non ambulabis dolo*. Quæ omnia nostet elegantet simplici vocabulo eaplicoit, vbi diait, *non eris criminator*: qui enim fiatrum etimina in eaamen vocai, vt iudicet, vt accuset, via fieri poieſt, quod omuis fallaciæ, & doli fit immunis. Facilius mihi crede non accusabis fratrem, non damnabis crimine proximum; quàm si damnas, si accusas, effugies mendaciom, effugies dolum, & fallaciam. Hine Ioseph cùm esset iustus videns Mariam prægnantem, & mysterium ignorans maluit ab illa discedere, quam accusa

Matt. 1. re. Ait enim Matth. 1. *Joseph cum esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam*. Quocirca D. Ambros. ser. 7.

Ambros. in Psalm. 118. vers. 5. ait: *Non solum ab vltionis atrocitate, sed etiam ab accusationis seueritate, iusti aliena persona est: postusque ducit suam remissionem accusoci, quod non iudicauerit, quom alienum crimen arguere*. Hoc est iusti hominis, qui vt fugit mendacium, sic debet fugere accusationem fratrum facere. Non equidem est hominis in iudicin, & accusatione cauere mēdacium. Hinc Dominus in præsenti aiebat: *Si iudica ego, iudicium meum verum est, quia solus non sum, sed ego, & qui misit me*

Euseb. *pater*. Vbi Euseb. Emissen. *Ideo inquit, verum est iudicium meum, quia solus non sum, quia homo solummodo non sum: omnis enim homo mendax*. Quisquis non Deus, sed homo est, humanisque ducitur affectibus ad iudicandum fratrem, non id faciet, quin succumbat mendacio. Id enim manifestissimum est signum Deitatis, quod quis in omni iudicio proferat veritatem. Vnde Ezech 9. iubentur nonnolli iusti veritatis sequaces signari Thau, quod nutans Origen. in Psalm. 4. relatus in

Origen. cat. Græc. ait: *Omnem super quem videritis Thau, ne occidatis. Et quæso, quonam est significatio à Deo data religiosis, & piis viris, vel signum illud, quod frontibus eorum impressum est, qui veritatem diligunt, & propter populi transgressionem lugent, nisi communicatio diuinitatis?* Et quidem qui veritatem diligit, nec accusat, sed luget transgressiones fratrum, iam inde habet in fronte scriptum signum patens diuinitatis. Qòd spectat illud Apocal. 14. vbi de iis, qui in fronte habebant scriptum

Apoc. 14. nomen agni, & nomen Patris eius, dicitur notanter *Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo, & Agno, & in ore eorum non est inuentum mendacium*. Quasi inde sub diuioitatis oominibos clateant, quod longè sunt à mendacio.

Text. Dicebant ergo ei: Vbi est Pater tuus? Respondit Iesus: Neque me scitis, neque Patrem meum: si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis. Hæc locutus est Iesus in Gazophylacio, docens in templo, & nemo apprehendit eum, quia nec dum venerat hora eius.

§. XXI.

In Trinitatis diuinissima notitia summa est bonorum ad vitam spectantium abundantia.

DE se, vt Dei Filio, & de diuino suo Patre locutus Iesus, noo otiosè dicitur locutus in Gazophylacio, boc est. iuxta arcam, io qua pro pauperibus, & viduis sustentandis collatæ a fidelibus pecuniæ reponebantur. Sed cur de se, & Patre locuturus adit Gazophylacium, adit pro pauperibus repositos thesauros, nisi vt ostendat in notitia diuinissimæ Trinitatis esse eam bonam abundantiam, quæ posset implere thesautos ad vitam hominum sustentandam? Huc spectabat homo ille, qui habens amicum, Luc. 11.

Luc. 11. *Vadit ad illum media nocte, & dicit illi: Amice commoda mihi tres panes*, &c. Media in nocte coustitutus, tenebris obrutus, ad amicum abit, quærens tres panes, quasi si notitiam diuinissimæ accipiat Trinitatis, tantam bonorum recipiat abundantiam, quanta possit nocturnos omnes labores superare. Ait Diuus

August. August. io D. Thomæ Caten. *Amicus ad quem venitur media nocte, vt accommodet tres panes, vtique ad similitudinem ponitur, secundum quam quis rogat Deum in tribulatione constitutus, vt ei tribuat intelligentiam Trinitatis, qua præsentis vitæ consoletur labores*. Pro laboribus subleuandis meritò quæritur notitia Trinitatis, quæ sic abundat bonis, vt via sinat homioes penuriam pati eorum, quæ sunt ad vitam necessaria. Vnde mirabar aliquando, quòd homo iste habens hospitem, solum solicitus inueniatur pro quærendis tribus panibus: quippè solum ait: *Commoda mihi tres panes: quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo, quod ponam ante illum*. Non habet, quod ponat ante hospitem, & solum quærit tres panes. Si non babes, quod ponas, non solum deficit panis, sed & alia deficiunt vitæ necessaria, saltem enim deficit potus, sine quo impossibile est vitam agere. Cur ergo non quæris & alia? Cur non quæris potum? Cur contentus es quærere tres solos panes? Equidem si ipse notitiam habeat Trinitatis, & cum illa habebit cætera necessaria quibus indefectibilem vitam agat. August. in Cat. D. Thomæ: *Cum perueneris* Idem.
ad tres panes, hoc est, ad cibum, & intelligentiam Trinitatis, habes & vnde viuas, & vnde pascas. Ne timeas, ne finiat; non enim panis ille finitur, sed indigentiam tuam finiet. Disce, & doce; viue, & pasce. Quid homo requirat ad vitam, quod non habeat in diuinissima, & sibi nota Trinitate? Ex quo viuificæ Trinitatis notitia insignitus homo est, mala depellit, & nociua, habens vnde fortunatissimè, & æternum viuat. Thamari à Iuda hœdus promittitur, Genes. 38. & pro hœdi arrhabone dantur illi tria, nimirum annulus, armilla, & baculus, interea dum illi hœdus mittitur. Quid tunc? Acceptis tribus pignoribus, ipsa hœdum noluit expectare, sed statim discessit. Cur non magis expectat hœdum sibi promissum? Fidelis Ecclesiæ typum ferebat Thamar, quæ vbi in tribus pignoribus, diuinæ Trinitatis pignus recepit, non vult amplius cum hœdis, sed cum agnis felicibus io loco pascuæ diuinæ reperiri. Sic D. Zeno, ibi: *Hædum ei promittit Iudas, id est, qua fit* Zeno.
peccatori peccati merces ostendit. Quem accipere denituit, quia inter agnos venturo tempore, non inter hædos deputatur, qui pignus Trinitatis accepit. Sub sanctissimæ Trinitatis pignore infelicem cauet pascuam hœdorum; & cum agnis sibi promittit felicissimam.

Text. Ego vado, & quæretis me: & in peccato vestro moriemini. Quò ego vado, vos non potestis venire. Dicebant ergo Iudæi: Nunquid interficiet semetipsum, quia dicit, quò ego vado, non potestis venire.

§. XXII.

Aut nullus, aut rarus est adeò perditus homo, qui Deum non inuocet, sed prorsus neget.

OBdurantissimos, flagitiosissimosque Pharisæos allocutus Dominus illis dicit: *Quæretis me*; quis enim sic ob scelera sua desipit, vt Deum non quærat, Deum non inuocet, sed prorsus neget? Sanè nec de perditissimis hominibus eò malitiæ deueniunt plures, sed aut rarus, aut nullus. Vbicumque plures sint etiam perditissimi, puta ab illis inuocandum Deum; numquam enim Deum prorsus negat multitudo. Nullos errores diabolus non dicit, & persuadet quotidiè populis, & nationibus: at vbi ad errorem de Deo tollendo ventum est ait Dauid Psalm. 13 *Dixit insipiens in corde suo, non* Psal. 13.
est Deus. Hoc est semel aliquando in corde suo, & non in frequentiis populorum, nec in turbis ciuitatum ausus est diabolus sic stultescere, vt negaret Deum. Id equidem semel ausus fuit, sed ea tunc non amplius audet; sed si cui id forsan in secreto suggessit, statim sepeluit eum ne tam immanis stultitia etiam in perditissimis videretur. Accipe D. Chrysost. pulchrè de hac re disserentem, ibi: *Dixit insi-* Chrysost.
piens in corde suo; non dixit, dicit, sed dixit: semel ausus est, & dixit. Et quoniam cum dixisset, eiectus est è cælis tanquam superbus insurrectos, non amplius per se dicere ausus est. Quoniā enim semel tantum dixit: Ponam thronum meum super nubes, & ero similis Altissimo, & Deum negaui; Deum expertus est, ex alto deturbatus & in imo ab hominibus conculcatus, non amplius ausus est dicere: Non est Deus. Quia ergo semel dixit dogma impium, non amplius ausus est dicere. Dixit in Pharaone, non noui Dominum, & cucault, vt profundum maris esset ei sepulchrum. Mirabar, quòd qui tot in dies loquitur, & dicit blasphemias diabolus, tot prædicat errores, & illos populis, & nationibus persuadet, cur etiam non dicit, & persuadet populis, Deum non esse? Cur qui tot dicit Britanois mendacia accepta viris, accepta fœminis, accepta prouinciis, & regionibus; non dicit illis Deum non esse? Sanè non tanta est dæmonis audacia, & temeritas, vt putet, posse accipi à populis, à multitudine mendacium tantum. Semel illud ausus fuit dicere, sed non populis, non ciuitatibus; imò nec vni hominum; sed solum in corde suo diait, audiente, & subscribente nullo hominum, quòd non erat Deus. Ex tunc prorsus tacuit, quòd si forsan ausus est illud dogma iterum dicere, non populis, nec popularibus hominibus, sed vni Principi viro, vni Pharaoni id dixit,

dixit, & statim illum maris vndis sepelire curauit. *Dixit in Pharaoni, Non noui Dominum. & curauit, vt profundum maris esset ei sepulchrum.* Aut nullus sanè, aut rarus, & citissimè obruendus tenebris est, qui accipiat dogma de Deo negando.

Iob. 35. Eliu amicus Iob, cap. 35. *Propter multitudinem calumniatorum clamabunt, & eiulabunt propter vim brachij tyrannorum. Et non dixit, vbi est Deus, qui fecit me?* Expende illa, nimirum, *clamabunt, & eiulabunt, & non dixit.* Vbi enim affectus humanos aduersus homines depingit, non dubitauit loqui de plurali numero, sciens plures esse, qui se odiis, & iris aduersus alios dedant: at vbi de Deo non memorato, imò potius obliuioni tradito, quasi non esset, agendum erat, statim à numero plorali abstinuit, & in singulari posuit, *& non dixit, vbi est Deus?* putans Deum, sic quasi non esset, ignorari non posse, nisi ab aliquo vel inter sceleratissimos rarissimo.

§. XXIII.

Scelus immediatè aduersus Deum post se solet trahere catenata cætera omnia scelera, vsque ad impœnitentiam extremam.

Expende verba illa & consequentiam, nimirum *Quæretis, & in peccato vestro moriemini*: qui enim Deum odio quærit, vt Deum ipsum quantum est in se, perimat, vix fieri potest, quòd a peccatis vitæ humanæ, dum viuit, se expediat. Vix fieri potest, quòd alicui peccato pateat, quin potius cætera omnia catenata trahat vsque ad impœnitentiam extremam. Quis nesciat ingratum illud Deo sacrificium

Genes. 4. Caini? Ait Genes. 4. *Factum est post multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino.* Ecce tibi Cain per munera quærit Dominum, inuocat Dominum: sed per quæ munera? Per munera Deo odiosa, quæ Deum offendunt immediatè, diuinosque feriunt oculos, ne possint respici à Domino. Quæ dum Cain offert, statim sequitur: *Et iratus est Cain vehementer, & concidit vultus eius:* nec id solum de illo dicitur, *Sed consurrexit Cain aduersus fratrem suum Abel, & occidit eum.* Rursus hæc est illius vox: *Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear. Ecce eijcis me hodie, &c.* Quæ res sic Cainum in desperationem impellit, imò præcipitat? Vnde ad tot flagitia peruenit, vt inuideat fratri, vt irascatur vehementer, vt homicida fiat, vt tandem se venia indignum censeat, & non æstimet carere diuina venia? Hoc fuit primum eius scelus quòd Deum vilibus muneribus inhonorat, quòd impiè Deum inuocare non veretur: vbi autem impius hominis affectus aduersus Deum immediatè insurgere non timet, nulla non patrabit alia scelera, in quibus pereat. Ad hæc

Ambros. D. Ambros. lib. 2. de Abel, cap. 7. ait: *Etenim impietas ad Deum mater est delictorum, & qui grauiora peccauerit, in cætero facile prolabitur. Quomodo enim potest ab humanis temperare, qui diuina violauit, & hominibus bonus esse, qui Deum læsit? Atrociorem scelerum cæterum vitia reliqua sequuntur, quoniam quo flagitiosiora propenderint, eo inclinant cætera.* Expende illa, nimirum: *Quomodo potest ab humanis temperare, qui diuina violauit, & bonus esse hominibus, qui Deum læsit.* Cuius eò tendit audacia, vt non vereatur Deum inhonorare, Deum probris afficere, & quæcumque Dei sunt immediata, turpiter contemnere; rarum, & diuinæ omnipotentiæ opus erit, si non cæteris omnibus sceleribus, quæ ad creaturas spectant, pertinaciter adhæreat. Vix fieri potest, vt à carnalibus, & humanis vitiis abstineat, quinimo per omnia præcipitatus ad finalem impœnitentiam perueniat. Hoc proprium habet impietas erga Deum, quòd catenata omnia alia trahat vsque ad finalem impœnitentiam. Hinc Dominus post perditum irreparabiliter Angelum, vbi hominem creat, in paradisóque constituit, præceptum illi proposuit circa fructum scientiæ, ne quid arbori eriperet, vt comederet: quippè ait

Genes. 2. Genes. 2. *De ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas.* Et cur in tam vili materia proposuit præceptum? Cur non magis diuiniora alia imperauit, nimirum vt sacrificia offerret, vt litaret? Vel cur non maluit hominem degere sine præcepto positiuo? Nónne Angelum condidit, & sine vllo simili præcepto positiuo degere fecit? Cur similiter hominem non fecit sine hoc præcepto? In homine cauebat Dominus, ne fieret irreparabilis lapsus eius, vt lapsus Angeli irreparabilis extitit; & ideò proposuit præceptum circa materiam creatam, ne haberet præ manibus homo occasionem aduersus Deum immediatè insurgendi, quo penè irreparabilem ruinam sustineret. D. Chrysostom. homil. de Adam, & Eua

Chrysost. ait: *Deus noster faciens hominem ad imaginem, & similitudinem suam, dedit præceptum in creaturam, id est, in arbore, cogens, vt per transgressionem in creaturam peccaret, quàm sine mandato in creatorem offenderet. Et sicut Angelus, qui sine præcepto elatus cecidit, ita & homo, si præceptum non accepisset, æquè & ipse diceret: Ponam sedem meam in Aquilone, & ero similis Altissimo; & caderet irreparabiliter.* Hæc fuit benignissimi Dei erga hominem cautela, vt occasio peccandi longè à diuinis poneretur, ne si accideret peccatum, irreparabile penè videretur. Peccatum enim quod immediatè aduersus Deum tendit, sic ad cætera omnia impellit, & illis facit hominem adhærescere, vt vix fieri possit, quòd in illis non pereat. Caueant, qui Deum temerariis iuramentorum vocibus inhonorant; qui inter diuina templorum occasiones lasciuiendi quærunt, quas ibi Deo immediatè iniurias fecerint, forsan neque in morte ab illis sese expedient. Aiebat Dominus

Matth. 12. Matth. 12. *Qui autem dixerit verbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, nec in hoc sæculo, nec in futuro.* Ex quo sapienter colligit D. Ambros. Spiritum sanctum non posse numerari inter creaturas, vt hæretici volebant; sed debere numerari inter personas diuinas omnino, quando non quod fit aduersus creaturas peccatum, sed quod fit aduersus Deum immediatè, quasi annexam sibi habet finalem impœnitentiam. Ait D. Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto, cap. 3. *Quomodo* Ambros.
igitur inter creaturas audet quisquam Spiritum computare? Aut quis sic se obligat, vt si creaturæ derogauerit, non putet sibi hoc aliqua venia relaxandum? Qui non confitetur Spiritum sacrilegij reus sine venia damnatur: vtique hinc æstimari potest, non inter omnia, sed super omnia esse Spiritum sanctum, cuius iniuria æternis suppliciis expiatur. Hanc habent quasi proprietatem peccata immediata in Deum, quòd sine veniæ remedio maneant, hoc est, quòd ægrè, & difficulter possint curari. Numer. 12. murmurat contra Moysem soror eius Maria, & statim percutitur lepra. Sed & Iob amici murmurant contra Iobum, & non percutiuntur, quin potiùs Deus, Iob 42. ostendit illis modum, quo veniam possint impetrare. Et cur, quando & ij, & illa murmurant contra iustum, illa plectitur, iis veniæ locus datur? Nicetas ait in Cat. Græca *Quid est,* Nicet.
quòd cùm Maria Moysi obtrectasset, lepra infecta est? Iob verò amici nihil mali sunt passi: nimirum quia illa non tantum Moysem, sed Deum etiam Moysis laudatorem voce violauit. Hi verò cùm Dei dignitatem, & laudem extulissent, hominem tantummodo in vituperationem adduxerunt. Hæc ibi.

§. XXIV.

Ille solus, in quo est Dei amor, Christum crucifixum suspicere potest, & pro illo penetrare quemcumque locum, siue passionis, siue gloriæ.

Pergebat Dominus ad passionem, pergebat ad crucem; vnde meritò dicit osoribus suis: *Quò ego vado, vos non potestis venire*; qui enim nec minimam diuini amoris scintillulam habebant, minimè possent suspicere, & recipere crucifixum Dominum. Præmiserat Dominus illud, *quæretis me*; hoc est, iuxta D. August. tract. 38 in Ioan. *Quæretis me,* August.
non desiderio, sed odio: ex quo ergo affectus odij, quidquid diuini amoris erat in cordibus Pharisæorum, extinxerat, millies perire mallent, quàm crucifixo appropinquare. Ille nimirum solus crucifixo appropinquat, qui currit pedibus charitatis. Marc 15. post Iesum crucifixum: *Venit Ioseph ab Arimathæa nobilis Decurio, qui & ipse erat expectans regnum Dei, &* Marc. 15.
audacter introiuit ad Pilatum, & petiit corpus Iesu. Ab vno Ioseph audio peti, & accipi crucifixi Iesu corpus: vnus hic est, qui audacter ad Pilatum ingreditur, apud quem steterat Iesus, & damnatus, & accusatus; & quis impulit nobilem virum, vt damnati Iesu corpus curet accipere, nisi ardens in corde ipsius Dei amor? Ait Damascenus homil. in Parasceue: *Condonatur autem Iosepho corpus. O inuictam viri audaciam,* Damasc.
libertatémque ipsius singularem, quam fides, ac numinis amor excitarat. Non equidem auderet homo fidelis ad Iesu crucifixi corpus accedere; imò illi adesse non posset, nisi impelleret illum calcar diuini amoris. Hinc Petrus, & Ioannes vbi à Magdalena accipiunt Iesu corpus ereptum sepulchro; statim cum nunciatrice viam arripiunt, currunt ad inane sepulchrum, & vt perueniunt, & cernunt vacuum, non illic morari audent. Ait Ioan. 20. *Abierunt ergo iterum discipuli ad* Ioan. 20.
semetipsos: Maria autem stabat ad monumentum foris plorans. Discipuli ad semetipsos abierunt, non manere possunt ad Iesu monumentum; sola Maria Magdalena ibi manet, sola etiam mortui Iesu sepulchro adstat, quia sola tunc cæteros superabat Dei amore. Ad hæc Origenes in præsenti fatur:
O Maria, quid spei, quid consilij, aut quid cordis erat tibi, vt sola Origen.
flares

stares ad monumentum, discipulis abeuntibus? Sapiebas plùs illis, aut diligebas plùs quam illi, quia non timebas vt illi? Certè nihil modò sapiebat Maria, nisi diligere. Vt tota præ omnibus erat in amando Domino, sic omnes vincebat adhærens sepulchro mortui. Pro mensura amoris venit affectus adstandi Iesu mortuo, qui sub timoris gladio languentem habebant amorem, ad mortui monumentum stare non possunt, sed festinatissimi recedunt; quæ flammantes amoris diuini prunas in corde tenebat, nihil veretur, sepulchro instat, imò nullum non penetraret locum, vt inde Iesu posset accipere corpus. Huc spectant illa Magdalenæ verba ad putatum
Ioan 20. hortulanum, Ioan. 20. *Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, vbi posuisti eum, ego eum tollam.* Vnum cupit, nimirum, vt sciat locum, vbi sit Domini corpus, licèt locus difficilis sit, licèt periculosus, licèt mortis caligine occlusus, licèt planè insuperabilis, tamen non dubitat, sed promittit, se aditurum locum, vt inde Iesum asportet. Quis hanc audaciam mulieri daret, nisi amor Domini? Pulchrè Origenes in præsenti tra-
Origen. ctat hunc locum, dicens: *Maria noctem non præstolatur, nec Pilatum veretur, sed audacter promittit, dicens: Ego eum tollam. O Maria, si corpus Iesu fortè positum est in atrio Principis Sacerdotis, in quo Princeps Apostolorum calefaciebat se ad lumen, quid factura es? Ego eum tollam. Et si ancilla ostiaria interrogauerit te, quid factura es? Ego eum tollam. O ineffabilis huius mulieris amor, nullum locum excipit, nullum anteponit, sine timore dicit, absolutè promittit; Dicito mihi, vbi posuisti eum, & ego eum tollam.* Sit, homo, in te Dei amor, & nullus erit locus, vnde Deum non habere possis; qui amore ducitur, lustrabit omnia, penetrabit omnia. Siue Iesus sit in atrio Pilati, siue in Caluarij loco, siue in sepulchro, inde audebit sibi præripere Iesu corpus; licet in cœlo sit, & in sublimi Patris considear throno; si amas, ad Iesum venis, & pedibus eius obuolueris. Amor est qui ad Iesum facit homines accedere, vbicumque Iesus fuerit positus. Quis nesciat dæmones clamasse ad Iesum; *Iesu fili David*, & similiter: *Scio, quòd sis sanctus Dei*, & repel-
Matth. 16. luntur à Domino; semel ait Petrus Matth. 16. *Tu es Christus Filius Dei viui*, &c. Et statim audit ex Domino: *Beatus es Simon Barjona*, &c. D. Augustin. homil. 17. ex Quinquaginta
August. ait: *O Domine, hoc tibi dixerunt & dæmones, quare illi non sunt beati? Quare? Quia dæmones hoc dixerunt timore, Petrus amore.* In quo nil Dei amoris inuenitur, non miror, quòd repulsa inueniatur, & occlusus illi fiat aditus ad Dominum; amor enim Dei fidelissimum agit ostiarium; si amore ducaris, & Iesu lustrabis passiones, & eiusdem tenebis glorias.

§. XXV.

Idem videtur esse in Deo, posse à suis auertere oculos, & posse desinere esse.

VBi Iesus dicitur abire, desereréque suum populum, hæc dubitatio excitatur in animis auditorum: *Num interficiet semetipsum, quia dicit, quò ego vado, vos non potestis venire?* Quasi idem sit, aut saltem duo maximè connexa, quòd Iesus abeat, oculósque auertat à populo suo, illum prorsus deserens, & semetipsum perimere. Et quidem si nostri Dei bonitas spectetur, & nimius ad suos affectus, non miror, quòd idem videatur esse in illo, quòd à suis oculis auertat, & quòd esse desinat. Antiquus fuit insipientium hominum er-
Psalm. 52. ror, qui nullum Deum affirmabant esse, Psalm. 52. *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus.* Plures alij Deum esse affirmabant conditorem & creatorem omnium rerum; sed qui vbi res vniuersas condidit, statim illas omnes deseruit, ab earúmque cura, & prouisione oculos prorsus auertet. Psal. 93.
Psal. 93. *Et dixerunt, Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob.* De iis dubitari potest, an fuerint duo diuersi errores; alter, qui Deum esse neget: alter, qui Dei prouidentiam, & suorum curam tollat? Pulchrè Saluianus, lib. 4. de prouident. putat hos errores in vnum, atque idem reincidere; quando non magis credi potest de diuina bonitate, quòd creaturas à se conditas non aspiciat, non eis prouideat, sed prorsus oculos
Saluian. auertat, quàm quod esse desinere possit. Ait enim: *Non videbit, inquiunt, nec intelliget Deus Iacob. Ad quos vtique illud referri potest. Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus. Nam qui nihil à Deo aspici affirmant, propè est, vt cui affectum adimunt, & substantiam tollant, vt quem dicant omnino nihil esse.* Idem, aut valdè connexa sunt quòd à Deo adimas oculos suis creaturis prouidentes, & quòd adimas ei substantiam, dicens, Deum nihil esse. Non enim videtur magis possibile, quòd Deus sua pignora deserat, nec velit illa intueri, quàm quòd desinat esse. Substantiam Dei tollat necesse est, qui ab illo tollit scientiam, qua suis creaturis adest, & prouidet illis, quando & vita Dei inde censetur, si misericordiam præstet suis creaturis. Sapien. 12. *O quam bonus* *Sapien. 12.*
& quam suauis est, Domine, spiritus tuus in omnibus. Græcè dicit: *Incorruptibilis spiritus tuus est in omnibus. Ideóque eos, qui exerrant partibus corripis, & de quibus peccant, admones, & alloqueris, vt relicta malitia, credant in te. Domine.* Expende, quid nascatur ex Dei incorruptibilitate, immortalique spiritu, nimirum, quòd quia immortali spiritu gaudet, ideò res peccantium hominum curet; illis adsit, vt reuocet ad bonam frugem, quasi nequeat Deus aliter viuere. Nec miror; nam tunc maximè quoad nos intelligitur Deus percuti, deicidásque pati manus, vbi ab illo tollitur hæc cura suæ crea-
turæ. Psalm. 72. *Iniquitatem in excelso locuti. Posuerunt in cœlum* *Psal. 72.*
os suum, &c. Apollinaris ex Græco: *Perniciosis Altissimum con-* Apollin.
tumeliis feriebant. Sed quomodo Deus poterat feriri? Addit Psalm. *Et dixerunt, quomodo scit Deus, & si est scientia in Excelso?* Feritur Deus, & quasi interimitur, vt ostenditur deserere, nec curare suas creaturas. Saluianus de prouident. lib. 4. ait:
Non sufficiunt falsitates, non sufficiunt periuria, non sufficiunt de- Saluian.
nique cuncta ista, nisi blasphemia furiosarum mentium manus inijciant etiam in Deum. Posuerunt enim in cœlum os suum, & dixerunt: Quomodo scit Deus, & si est scientia in Excelso. Idem puta in Deo esse, quod dicatur suos deseruisse, & quod deicidas manus sustineat, quibus vitam amittat, si sic loqui li-
ceat. Vnde Psalm. 79. clamat: *Excita potentiam tuam, & veni, vt* *Psalm. 79.*
saluos facias nos. Hieronymus legit: *Suscita fortitudinem tuam:* Hieron.
quasi dum nostræ saluti non incumbit Dominus, mortuus sit; sic suscitari postulat, & idem sit Deo viuere, & nostram curare salutem.

Text. Et dicebat eis: Vos de deorsum estis, ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo. Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris; si enim non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro.

§. XXVI.

Diuinitas numquam, nisi ab alto, & sublimi affulget.

QVomodo diuinitas Christi poterat innotescere Iudæis, qui nihil nisi terrenum meditabantur, & imum? Quæ imis, & deorsum labentibus rebus mens tota inhæret, non mirum, quòd Iesu diuinitatem non percipiat; diuinitas enim numquam nisi ab alto, & sublimi præfulget. Vnde obiiciebat Iudæis errantibus Dominus: *vos de deorsum estis, ego de supernis sum:* vt enim ima non attingunt superna; sic mens imis inhærens, fieri nequit, vt diuina pertingat, quæ solùm radiant de sublimi. Quò respiciens Lactant. lib. 2. de origine
erroris, cap. 19. inquit: *Quicumque sacramentum hominis tueri,* Lactant.
rationémque naturæ suæ nititur obtinere, ipse se ab humo suscitet, & erecta mente oculos suos tendat in cœlum; non sub pedibus quærat Deum, neque à vestigiis suis eruat, quod adoret: quia quidquid homini subiacet, infra hominem sit, necessum est. Sed quærat in sublimi, quærat in summo, quia nihil potest homine maius esse, nisi quod fuerit supra hominem. Deus autem maior est homine: supra ergo, non infra est. Neque in ima potius, sed in summa regione quærendus est. Qui deorsum spectant, imisque rebus toti immerguntur, non mirentur, si nihil diuinum sentiant; in sublimi, in summo quærendus est Deus: despicienda sunt omnia ima, vt diuinitatis radius possit sentiri. Apud Genes. cap. 46.
dicitur: *Profectusque Israël cum omnibus, quæ habebat, venit ad* *Genes. 46.*
puteum iuramenti, & mactatis victimis Deo, &c. Quæ verba sic
legit D. Ambros. *Et eleuans se Israël, & omnia sua, venit ad pu-* Ambros.
teum iuramenti, immolauitque hostiam, &c. Expende, quòd antequam Deo immolaret hostiam, dicitur, quòd se eleuauit. necessum enim erat, vt qui Deum spectare, & præsentire vellet, cui hostiam immolaret, non imis hæreret, non deorsum vergeret, sed magis eleuaretur, quando diuinitas solùm de sublimi posset affulgere. Ait D. Ambrosius lib. de Ioseph,
cap. 14. *Meritò eleuatur, qui festinat ad Christum. Priùs se eleua-* Idem.
uit, postea immolauit. Ille enim benè immolat, qui cognitionem diuinitatis inuestigarit. Pro eodem posuit in homine, quòd se eleuet, & quòd diuinitatem inuestiget: ridendus enim est, qui ad ima deiectus, terrenis sepultus, & caducis, velit diuinitatis radios præsentire. Ima deserat priùs, & in alta se eleuet, & sic diuinitatis radios percipiet. De Verbo diuino

aiebat

Ioan. 1. aiebat Ioan. cap. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Expende, qui homo illustretur luce diuina, nimirùm homo, qui minimè immixtus sit mundo, sed qui superueniat mundo: qui cum mundi creatura non natus sit, sed materialem, & brutam abiuret originem. Pulchrè D. Ambr.
Ambros. Psalm. 36. *Ipse illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: hoc est, illum, qui ad imaginem, & similitudinem Dei viuit; illum, qui se hominem esse cognoscit, vt refugiat equorum libidinem, adhinnientem ferarum rabiem, lepusculorum formidinem, vulpium fraudem, rapinam luporum. Illum hominem, qui sic agit, quasi in hunc mundum superuenierit: qui non ex sanguine, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo natus sit. Venisti ergo, noli remanere, noli hærere terrenis.* Mundi bestialem creaturam exuat, ima despiciat, sublimem omni terræ, omni mundo mentem præseferat, qui vult radiare lumine diuino. Non equidem deorsum vergens, sed meditans sublimia præsentit in se homo diuinitatis lumina. Quò spectans Psalm. 83. ait: *Beatus*
Psal. 83. *vir, cuius est auxilium abs te; ascensiones in corde suo disposuit.* Non anteà percepit auxiliatricis diuinitatis lucem, quàm ima relinquere, & ascendere ad superna disposuit in corde
Nazianz. suo. Vt dicat Nazianzen. orat. 39. in sancta lumina: *Postquam anima nostra omni custodia seruata est, atque ascensionibus in corde dispositis, scientiæ lumen in nobis excitauerimus, tunc demum absconditam Dei sapientiam loquamur.* Numquam equidem, nisi in ascendenti, & sublimi corde excitari solet diuinū lumen.

§. XXVII.

In Christo Iesu omnium nostrorum bonorum habemus plenitudinem.

NOn dicit Dominus Iudæis, quòd in peccato morituri estis, si non credideritis, quia ego sum lux, vel quia ego sum vitis, vel panis; sed notanter ait: *Si non credideritis, quia ego sum*, nullum se esse bonum in particulari determinans, vt vel sic omnia esse in illo bona credantur. Qui lethalem finem cauere cupit, credat, quia Iesus est, non vnum, aut aliud bonum, sed omnia bona simul, omniúmque bonorum plenitudinem, & speret, & quærat ab illo. Cantic. 5. *Veni*
Cant. 5. *in hortum meum sponsa; messui myrrham meam cum aromatibus meis; comedi fauum cum melle meo.* Symmachus legit: *Depastus sum syluam meam.* Septuaginta posuere: *Comedi panem meum cum melle meo.* In horto arbores sunt plenæ pomis, cur ad arbores inuitat horti, & panem ostendit? Quid pani, & hortis, pani, & arboribus? Cur non magis inuitat ad poma arborum propria? Meritò arbores ostendit, & non poma, sed panem offert, vt innuat, quàm verum sit, quòd Christus sit omnia, & quòd per Christum vel ex arboribus panem colli-
Nyssen. ges. Ait Nyssenus homil. 10. in Cantic. *Pro pomis autem effecit, vt arbores panem ferant mixtam cum melle suo. Et sic explicetur propheticum illud, quòd eius mel, & cætera pulchra, ac bona, & vinum ab ipso sumitur contemperatum lacte eius. Ex ipso enim, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Quid in Iesu arbore vitæ requiras? Dum arbor dicitur, putas ab illo posse sola expectari poma? Absit hoc à meo Iesu; non ea planta est, quæ vnum aliquod in particulari fructum proferat, sed ab illo, & in illo sunt omnia. Et arbor est, quæ panem, & area est, quæ poma offert; nihílque in illo requires, quo in vitam abire possis. Hæc erat rabidissimorum Iudæorum in Iesum vox, Hie-
Hier. 11. rem. 11. *Mittamus lignum in panem eius:* in qua voce, vt in Cayphæ voce iam spiritus Domini operabatur, vt ostenderet, nihil inde in Iesu requiri posse, in quo vel ligna panes proferant, & de illius ligno, & pane omnem abundantiam ad
Ambros. satiandos homines fore. Vt dicant D. Ambros. Psal. 35. *Dominus in Christo carnem iunxit, & lignum, vt fames antiqua cessaret, vitæ gratia redderetur. Beatum lignum Domini, quod omnia peccata crucifixit; beata caro Domini, quæ victum omnibus ministrauit.* Quando in Christo ligna carnem, & panem proferunt, quid acquiramus in Christo? Sanè in illo vno omnium bonorum habemus plenitudinem, quæ nihil aduersarium admittat. Nequam spiritus, Matth. 12. veniens ad domum prio-
Matt. 12. rem; *Inuenit eam vacantem, & scopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus nequiores se, & ingressus habitat ibi.* Cur vacua inuenta est à diabolo domus illa, nisi quia non habebat in se Christum? Equidem si Christum haberet, tanta in eo esset bonorum omnium plenitudo, quæ minimè diabolum admitteret. Nazianzen. orat. 39. in sancta
Nazianz. lumina, ait: *Sunt, qui ad vitij fugam virtutis cultum adiungunt, totum Christum, vel certè quam maximè, in animi domicilium admittentes, ne præuia potestas vacuum aliquid offendens, damum rursus impleat.* Vnus Iesus contra omnes nostri cordis vacuitates sufficit, quod sic implet, vt non relinquat aditum nequam spiritui; nec homo extra Iesum habeat, quod requirat. Vnde D. August. serm. 43. ad fratres in eremo, inquit:
August. *O vos mundi amatores, qui terrena sapitis, & pro terrenis honoribus, & pompis discurrere non desistis transuolantes montes, & Alpes, inuestigare volentes alta cœli, & lata terræ, profunda maris in calore, & frigore, fame, & nuditate, cur Christum non quæritis, in quo & omnia, & maiora perfectè reperiuntur?* Nihil est, quod non habeas in vno Iesu; quem si perdas, omnia perdidisti, nihílque vltra manet, quod perdere timeas. Ioan. 20. venerunt Petrus, & Ioannes, & Maria Magdalena ad Iesu sepulchrum, à quo sublatum inuenerunt Iesu corpus. Quid tunc? Discipuli metu Iudæorum redierunt ad sua: Magdalena *autem stabat ad ostium monumenti, foris plorans.* Cur non magis Ioan. 20.
ipsa timet? Putabat Iesu corpus furto esse sublatum, & ex quo putat, quòd Iesum perdidisset, nullam aliam perditionem iam timet. Ait Origenes, ibi: *Petrus, & Ioannes timue-* Origen.
runt, & ideò ibi non steterunt: Maria autem non timebat, quia nihil suspicabatur sibi superesse, quod timere deberet. Facta Christi iactura, nihil restare putabat, quod timere posset, quando in Iesu omnia perdidisset.

Text. Dicebant ergo ei: Tu quis es? Dixit eis Iesus: Principium, qui & loquor vobis. Multa habeo de vobis loqui, ac iudicare; sed qui misit me, verax est: & ego, quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo. Et non cognouerunt, quòd Patrem suum dicebat Deum.

§. XXVIII.

Prima naturæ humanæ perfectio in Iesu.

MEritò Iesus meus dicitur etiam iuxta humanitatem assumptam esse principium, quo innuitur in illo esse omnia naturæ humanæ prima; nec ante Iesum fuit, qui respectu illius fulgeret perfectione humanæ naturæ. Paulus 1. ad Corinth. 15. de resurgentium ad gloriam statu locutus, ait: *Primitiæ Christus, deinde alij.* Quæ verba notantes nonnul- 1. Cor. 15.
li Patres, ex illis conficiunt congruentissimam rationem, qua decuit Christum gloriosè ascendere ad Patrem, nimirum, vt in cœlesti templo primitias Deo offerret naturæ humanæ. Sed Christus non est primus homo, quomodo humanæ naturæ primitias in se portauit? Cur non magis Adamus raptus in cœlum est, vt hominum primitias Deo repræsentaret? Nonne Adamus primus est? Nonne magis Adamus primitiæ? Absit; primitiæ enim non sunt ex primis vtcumque fructibus, sed ex primis perfectissimis, & absolutissimis: vnde fit, vt solus Iesus possit in se repræsentare Dei primitias humanæ naturæ. Ait D. Chrysostom. serm. de Ascensione: *Si primitiæ sunt, primus homo factus debuerat eleua-* Chrysost.
ri. At primum, quod pullulat, non est hoc primitiæ: nam imbecillis fructus nullus est, sed fortis, & validus, ipse debet offerri. Quia igitur ille fructus peccato fuerat alligatus, & peccati crimine tenebatur; ideò Adamus non leuatus est, licèt prior factus esse videatur; sed is Iesus, qui posteà factus est. Non Adamus, non alij primitiæ sunt, licèt primi nati fuerunt, qui magna ex parte claudicauerunt in hominis perfectione; vnus Iesus primitias Deo repræsentat, vt qui primam, & absolutissimam perfectionem humanæ naturæ in se habet. Quò spectans Sapientia ipsa incarnata, ait Prouerb. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* Septuaginta legunt: *Dominus creauit me initium viarum suarum in opera sua.* Symmach. ponit: *Dominus creauit me principium viarum suarum ante opificium suum.* Quòd Prou. 8.
si Deus homo in præsenti loquitur (vt sapientissimorum Patrum sententia est) quomodo Deus homo factus dicitur principium? Nonne ante Iesum multi, & sanctissimi, & religiosissimi viri fuerunt? Cur magis non dicitur Iesus finis, quàm principium. Meritò illis prætermissis, Iesus Dei facinora initiat, illorumque dicitur principium, vt cui soli perfectissima virtutum seruata sunt. Aiebat D. Ambros. lib. 2. de interpellat. cap. 2. *Soli Christo seruabatur magnarum prærogati-* Ambros.
ua virtutum: quia ipse est virtutum principium, sicut dixit, Dominus creauit me principium viarum suarum. Quæ prima, & præstantissima sunt in perfectione humanæ naturæ, in nullo alio possunt reperiri, nisi in meo Iesu, in quo inhabitat omnis perfectionis plenitudo. Hic Apocalyps. 1. vocatur Iesus: *Primogenitus mortuorum, Princeps Regum terræ.* Cur non ma- Apoc. 1.
gis vocatur primogenitus viuentium omnium? Cur magis voluit dici primogenitus mortuorum? In gloriosa regeneratione

ratione ex mortuis dabuntur perfectissimi homines, imò veri homines, qui de Dei viuant amore. Quod in tribus Adami filiis, nimirùm Abel, Seth, Enos, qui cœpit inuocare Dominum, ponderauit D.Isid. in Gen.c.12. *Abel luctus, Seth resurrectio, Enos homo; quia post luctum resurrectio, de resurrectione homo inuocans Deum.* Meritò ergo inter illos veros homines Deum habentes, in regeneratione ortos vocatur Dominus primogenitus mortuorum, vt qui in perfectione hominis primas ferat omnibus.

Isidorus.

§. XXIX.

In virtutum negotio numquam finias, sed vel finis ipse à te fiat initium ad alia.

VOcatur Iesus principium, cui nullum virtutis opus vltimum est, sed ex eo, quòd videtur vltimum, ipsi fiat maioris alicuius virtutis principium. Quis neget in Abrahamo, in Isaaco, in Moyse, & aliis Prophetis summa virtutum extitisse? Sed hæc summa Patrum, & Prophetarum virtus in Iesu meo apparuit primum limen virtutis, quando sic semper in altiora nitebatur, vt vltima in illo viderentur principia. Repetam illud Prouerb.8.ex lect.Septuag. *Dominus creauit me in initium viarum suarum.* Quæ sunt istæ viæ, in quibus Dominus Iesus apparet principium? Hierem.cap.6. aiebat: *State in ijs, & quærite semitas Domini sempiternas; & cum didiceritis, quæ sit via eius, ambulate in ipsa, & inuenietis munditiam animarum vestrarum.* Ex quo tam Cyrillus Alexandrinus, quàm alij putant, vias dici antiquos Prophetas, & legislatores omnium virtutum verarum opere, & doctrina magistros. Harum viarum dicitur Iesus principium; non quia ipsi fuerint Iesu posteriores, sed quia quæ in illis erant summa, & postrema virtutum, in Iesu non summa, sed prima apparuerunt virtutum limina, vt cui omnium vltimum opus fiat præstantioris principium. Ad hæc pulchrè D. Cyrill.Alexand.lib.5.thes.5. *Creauit igitur, inquit, me; hoc est, fecit me super legem, & Prophetas initium, hoc est, potestatem, vt non in verbis illorum sistere faciam, sed ad opera meliora traducam.* Hic est spiritus Christi, qui in nullo virtutum culmine sistat, sed semper ad altiora festinet, vt vltima, & summa sint prima in illo, & de postremis aliorum ipse faciat ad sublimiora principium. Felix, qui hunc ebibit Christi spiritum; cui finis operis virtuosi principium alterius est: nec vmquam inueniatur posuisse operi manus vltimas; quæ potiùs appareant semper primæ, & ipsa aliorum culmina sint illi principia. Quod persuadere nitebatur Ecclesiast.cap.18. inquiens: *Cum consummauerit homo, tunc incipiet.* Hæc regula sit felicis hominis, quòd nunquam attingat vltimum virtutis finem, sed vltima sint illi prima. Vnde D.Gregorius apud Hugonem sic fatur: *Nescit mens per corporem veterascere, quæ semper studet per desiderium inchoare.* Quidquid virtutis attigeris, si summum in aliis videatur, sit in te ad alia principium, vt semper inchoare videaris, numquam finire. Regulo iacenti ad pedes ait Iesus, Ioannis cap.4. *Vade, filius tuus viuit.* Præstantissimum est, & clarissimum signum vitæ, si non hæreas, sed semper ad alia vadas, imò & statim festines. Ad hæc eleganter ait Theophylactus, ibi: *Vide, quid dicat ad illum Dominus: Vade, filius tuus viuit, hoc est, ne sis immobilis ad bonum, sed vade, & inaccessibilem motionem ostende ad bonum. Tunc enim filius tuus viuet. Si autem quieueris non ambulans, morietur planè mens tua, eo quòd ad bonum te non promoueris.* Nullum sibi statuat finem in re virtuti, sed semper ad altiora festinet, qui cupit viuere. Apud Ioannem cap.4. dicit Iesus Samaritanæ: *Si scires donum Dei, & quis sit, qui dicit tibi, Da mihi bibere, tu forsan petiisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam.* Expende, quæ aqua sit Dei donum, nimirum aqua viua, quæ nouis fluctibus semper inchoet scaturire. Ait Theophylactus ibi: *Porrò aquam dicit non stantem, qualis est in puteis, & lacubus, putris, & corrupta: sed viuam, hoc est, scaturientem, & quæ mouetur. Nam gratia Spiritus semper agilem ad bonum facit animam, ascensiones semper disponentem. Talem aquam bibit Paulus, cum obliuisceretur eorum, quæ post se erant, & ad anteriora se extenderet.* De his plurima, sæpissiméque dicta sunt, tam in præsenti, quàm in aliis tomis.

Prou. 8.
Hier. 6.
Cyrill.
Eccles.18.
Gregor.
Ioan. 4.
Theoph.
Ioan. 4.
Theoph.

Text. Dixit ergo eis Iesus: Cùm exaltaueritis Filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum. Et à me ipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc ego loquor. Et qui misit me, mecum est, & non reliquit me solum, quia ego, quæ placitura sunt ei, facio semper. Hæc cùm dixisset, multi crediderunt in eum, &c.

§. XXX.

Nulla res sic discernit, & probat veros diuinitatis cognitores, & adoratores, quam Christi passio.

AD crucis tempus remittuntur Iudæi, quo Christi Domini cognoscant diuinitatem; ait enim: *Cum exaltaueritis Filium hominis, tunc cognoscetis, &c.* Et cur non antea, sed post crucem erectam, & ob oculos positam in Dei existentis in Christo cognitionem Iudæi abeunt? Sanè crux Christi validissima est, vt veros diuinitatis cognitores discernat, & falsos ableget. Accipe huius rei mysterium in Gedeone figuratum, de quo ait Iud.cap.6. *Venit autem Angelus Domini, & sedit super quercu, quæ erat in Ephra, & pertinebat ad Ioas patrem familiæ Ezri: cumque Gedeon filius eius excuteret, atque purgaret frumentum, &c.* Ecce tibi, Gedeon ab Angelo eligitur, & designatur Israëlitarum saluator, qui fidelem populum congreget, & alienigenas infideles quatiat; sed expendendum est, quando in tantum opus saluatoris designatur; nimirum tunc designatur, quando in paterno agro iuxta quercum, triticum excutit à paleis. Et quid quercus, & discussio tritici cum saluatoris Israëlitici negotio. Planè iam tunc adumbrabatur, quàm vnicè valeat crucis arbor, & Christi passio, ad discernendos veros fideles ab inanibus. Ait D.Ambros.in proœmio lib.2.de Spiritu sancto. *Ierobaal cum sub arbore quercu tritici messem virga cederet, accepit oraculum, vt à potestate alienigenarum in libertatem Dei populum vindicaret. Nec mirum, si est electus ad gratiam, cùm sub vmbra iam tunc sacræ crucis constitutus, feracis segetis sensibilia de latibulis frumenta produceret, electionémque sanctorum à purgamentis inanis paleæ sequestraret.* Non mirum, quod ad saluatoris negotium repræsentandum designetur Gedeon, quando sub quercus vmbra triticum à palearum latibulis secernit; id enim erat nostri Saluatoris mysterium, cuius sub vmbra crucis sensibilia frumenta, quæ verè sentiant Deum, & ad æternitatis horrea pertineant, à latibulis, & intermixtione palearum secernuntur. Triticum excutit à paleis Gedeon sub quercus vmbra constitutus: nec vlla res sic vera æternitatis frumenti à paleis secernit, à falsis fidelibus distincta sic trahit, & designat, vt vel vmbra Crucifixi. Christus patiens ob oculos positus non patitur esse confusionem, sed è latibulis facit prominere veros, & electos fideles, falsos dimittens, vt paleas ad ignem. Is. c.13. *Super montem caliginosum leuate signum.* Victoris Saluatoris nostri signum inter altas iubetur leuari mundi caligines. Cur non magis leuetur inter Soles, inter lucidissima sydera? An volunt tantum signum à tenebris conculcari? Absit; imò volunt quòd signum lucem à tenebris distinguat; tenebras det conculcationi, lucidissimos fidelium probet oculos. Nec potest, mihi crede, inueniri res, quæ sic vt signum crucis valeat inter mundiales caligines secernere, & probare eos, qui ad lucem pertineant: exterioribus tenebris alios conculcandos relinquere. Ait D.Ælredus citatus à Tilmanno in allegor. *Super montem igitur caliginosum vexillum crucis extollitur, vt sua virtute mundi potentiam premat; superbis redemptionis nostræ mysteria clau-dat; apud mites verò, & humiles omni mundanæ gloriæ supereminent.* Ecce, quàm secernit, quàm diuidit signum crucis inter mundi caligines; superbi, & fastuosi homines, vt paleæ excutiuntur, nec à crucis ligno permittuntur ingredi in salutem; qui autem mites sunt, & ad vitam pertinentes; ij etsi sint mille caliginibus obuoluti, tamen à cruce extrahuntur, & sic ornantur, vt omni gloriæ mundanæ supereminneant.

Iud 6.
Ambros.
Isai.13.
Ælredus.

Text. Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi.

§. XXXI.

Nullum malum sic cauendum est, vt cauendum est homini peccatum.

QVi sese paupertati, nuditati, fami, conculcationi, imo & morti dedit; nec vllum pœnæ malum sustinere vitauit; ecce quàm alacer, quàm inultus est hodie in depellenda à se vel suspicione peccati, quippe hostilibus turbis ait. *Quis ex*

ex vobis arguet me de peccato? Conculcationem, & mortem ab illis illatam patienter sustinet, sed minimè sustinet in se vel vmbram peccati, quod solum vt malorum omnium summum maximè cauet. Nec est, mihi crede, aliud malum, quod sic cauere debeamus. Elias audita Iezabelis ira, fugæ se dedit, & per inuia, & maquosa currens tandem ad iuniperi
3.Reg.19. vmbram consedit, 3.Reg.19. *Et petiuit animæ suæ, vt moreretur, & ait: Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam.* Si mortem petis, Elia, cur iram Iezabelis fugis? Quod aliud malum tibi à Iezabele times, quàm mortem? Mane apud illam, ibíque inuenies mortem, quam optas; cur fugis ab illa timens mori, & mortem postulas? Non fugit Elias mortem, sed peccandi occasionem; tolle occasionem peccati, quod fugit, vt omnium summum malorum, & nihil durum inuenit in morte, neque in aliis laboribus. Ait D.Ambros. lib. de fuga sæ-
Ambros. culi, cap.6. *Vtique non mulierem fugiebat Propheta tantus, sed sæculum: nec mortem timebat, qui se obtulerat requirenti, & qui dicebat ad Dominum: Tolle animam meam; sed fugiebat sæculorum illecebram, & conuersationis maculosæ contagionem, & impiæ, et præuaricatricis nationis sacrilegia.* Vnum malum sibi æstimat Propheta tantus sibi totis viribus fugiendum, & toto conatu depellendum, nimirum peccati contagium. non labores, non famem, non infamias, non mortem. Hæc omnia mala facilè amplectitur vir sapiens, & iustus, dum peccati contagium absit quàm longè. Psalm.105. locutus de rebel-
Psal.105. libus Israëlitis ait: *Et dixit, vt disperderet eos; si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius.* Ecce tibi, ex vna parte ira Dei disperdens sceleslissimos homines, illos tradens internecioni; ex alia Moyses dolore confractus inter seuerissimum supplicium peccatorum. Quid doles, ô bone, in tam iusta vindicta malorum? Quid doles in perditione, in morte nequissimi seminis? Non sic confractus dolore diceris, vbi affligi in Ægypto vidisti populum, cur modo tam anxiè doles? An te, quem nullum periculum fregit, modo potest frangere mors sceleratorum? Non dolet Moyses suorum mortes, sed peccata, sed culpas. quarum debitas
Chrysost. pœnas soluunt. D.Chrysost. serm. de Ascensione, fatur: *Ideò, inquit Moyses, doleo, ideò deprecor, quia dignè cruciantur, qui meritò puniuntur.* Tolle demerita peccatorum, & in summis pœnis non inueniet Moyses quod doleat. Vnum solum imprecantur malum sapientes viri, nimirum peccatum: vbi hoc adest, ibi dolor, ibi lacrymæ Sanctorum: vbi illud abest, vix manet alia causa doloris, sed gaudij, & exultationis. Ioan.cap.16. promiserat Dominus post mortem suam se missurum Spiritum paracletum, id est, consolatorem omnis
Ioann.16. gaudij, & consolationis auctorem: *Si enim, ait, non abiero, Paraclitus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos.* Sed & post passionem bis audio datum Spiritum sanctum, semel in ipso die resurrectionis, quando discipuli erant congregati ob metum Iudæorum. Tunc Ioann.20. ait
Ioann.20. Dominus insufflans super eos: *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Secundò post quinquaginta dies, vbi facto de cœlo sonitu tanquam spiritus vehementis, in specie linguarum ignearum descendit diuinus Spiritus, & repleuit totam domum, vbi Apostoli erant sedentes. Sed illud inuestigandum est, an in vtraque communicatione Spiritus sancti, communicatus sit iuxta promissionem Christi Spiritus paracletus, hoc est, spiritus gaudij, & consolationis? Pro quo sapienter ait Rupert. lib.3. de operib.
Rupert. Spirit.sanct. cap.10. *Primo dato remissionem peccatorum acceperunt, secundo, fortes, & zelo bono feruentes, scientes, atque sapientes, eloquentes & miraculorum potentes effecti sunt. Sine dubio paraclesis, id est, consolationis, vel gaudij causa præcipua in primo dato est.* Multa, & diuinissima munera, & dona in die Pentecostes receperunt: verùm in die resurrectionis expressiùs audiunt peccatorum abolitionem, quæ sapientibus hominibus inter omnes alias, præcipua causa est gaudij, & exultationis, etiam si alioquin instent ineuitabiles aliorum causæ malorum. Vna sanè, & sola causa doloris est peccati conscientia, & singularis gaudij causa abolitio est peccati.
Daniel.3. Dan.3. audita accusatione, & damnatione sua Susanna, *exclamauit voce magna.* Et cur honesta fœmina, quæ maluit mori, quàm fœdari, sic mediis turbis exclamat? Cur sic modo soluitur in lacrymas? Ambros. lib. de fuga sæcul. cap.9.
Ambros. ait: *Plorauit Susanna, cùm crimen obijceretur; non mortem deplorans, sed castitatis calumniam.* Non animum illius tangebat mors, sed vel apparentia peccati, quæ sola potest magnos viros impellere ad lacrymas. Sed & de eius parentibus dicitur eodem capite: *Helcias autem, & vxor eius laudauerunt*
Hieron. *Deum pro filia sua,* &c. Vbi D.Hieron. *Parentes Susannæ dignè laudant Deum non quia filia liberata est de manu presbyterorum,* (*hoc enim non satis laudabile est, nec magni discriminis, si non esset liberata*) *sed quia non est inuenta in ea res turpis.* Hæc tota gaudij illorum causa, quòd non mansit suspicio peccati.

§. XXXII.

Peccati vindex non potest esse, qui eiusdem in se peccati est conscius.

NOn solùm Dominus aduersariis suis suam propriam innocentiam proponit, quæ euidentissimè repellit omnes accusationes; sed & sceleratos mores illorum, à quibus minimè sinuntur vindicare etiam veros aliorũ errores. Quò spectans Dominus ait: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Quasi diceret, quis ex vobis potest non solùm me innocentissimum, sed etsi nocens fuissem arguere de peccato, cùm sitis scelestissimi omnes? Sanè etsi Dominus reus peccati fuisset, quod impleat, nullus illorum posset esse peccati vindex; quãdo quis peccatis scatet, malè insurgit in peccatores. Non multum absimilis erat vox Iob cap.24. *Quod si ita non* Iob 24.
est, quis me arguere poterit esse mentitum, & ponere ante Deum verba mea? Casum dat, in quo res verbis suis non respondeant; & tamen in illo casu asserit à nemine se reum mendacij dici posse: cur ô bone, sic præsumis, quòd etiam dum vera non loqueris, non possis habere mẽdacij accusatorem? An putas mendaciũ non ex se esse dignum iudicio, & damnatione? Absit; scit sapiens homo mendacia digna esse supplicio, digna esse accusatione; sed scit omnes homines mendaciorum esse reos, & ideò meritò præsumit non posse esse mendacij sui vindicatores. Ait D.Greg. lib.17. Mor. c.7. *Iustus* Gregor.
namque etsi quid vnquam delinquendo loquitur, dignum non est, vt ab iniustis, & prauè viuentibus iudicetur. Vnde sanctus vir amicorum superbiam deprimens, non solum si ita est, verum etiam si non est, vt protulit nequaquam se reprehendi posse confidit, quia nimirum illi rectè redarguere falsa possunt, qui falsa agere nesciunt. Sit Iob, se in verbis innocentem esse, sed etsi nocentissimus extitisset, adhuc putat, à nemine accusari, damnatiue posse; quando nullus est, qui sit à peccati noxiis multiplicibus liber. Nec putat fieri posse, quòd quis peccatorum suorum conscius audeat aliorum mores, & vitam corripere. Sanè vbi Iesus odiosissimi sibi adulterij vindicatores statuit, sic illos imponit, Ioann.8. *Qui sine peccato est vestrùm primus in* Ioann 8.
illam lapidem mittat. Quid ais, Domine, vt odiosissimum tibi facinus plectas, conditiones morosas in vindicatores requirit? Cur non magis festinas ad supplicium? D.Ambr. lib.9.
epist.76. *Quid tam diuinum, quàm ista sententia, vt is peccata* Ambros.
puniat, qui exors ipse peccati sit? Quomodo enim feras alieni vltorem, & proprij criminis defensorem? Nonne se magis ipse condemnat, qui in alio damnat, quod ipse committit? Suum crimen vel in aliis damnare æquè veretur quis, ac damnare seipsum; nec ratio promittit, quòd homo damnet in proximo, quod facit ipse. Hinc Dominus, Ioann 8 post accusatorum fugam dicit adulteræ mulieri: *Vbi sunt, qui te accusabant? Nemo te* Ioann 8.
condemnauit? Quæ dixit: Nemo, Domine. Dixit autem Iesus: Nec ego te condemnabo. Vade, &c. Id vnum intendebãt accusatores Pharisæi, nimirum vt Iesus absolueret adulteram, vt hinc ipsi occasionem sumerent accusandi Iesum tanquam reum legis diuinæ plectentis adulteros. Quam occasionem fugiens Dominus, ne ipso aliquo prætextu accusaretur, liberationem adulteræ differt, vsque dum accusatores abirent, quibus abeuntibus, statim pronuntiat, *Neque ego te condemnabo.* Sed & modò datur illis occasio accusandi Iesum? Nónne cùm ipsi audiant adulteram fuisse à Iesu dimissam, tunc & damnabunt Iesum tanquam reum legis diuinæ? Nullo modo. nam tunc Iesus nihil facit, quod non fecerint ipsi priùs: priùs ipsi dimittunt adulteram; priùs abstinent à damnatione illius; & post illos Iesus sententiam indemnitatis pronuntiat. Et quomodo possint iam accusare, quòd ipsi efficiunt? D.
Ambros. lib.9. epist.76. *Quid ergo quererentur, qui priores à* Ambros.
persecutione criminis, & ab executione supplicij destiterunt? Dum coguntur ipsi priùs abstinere à damnatione adulteræ, illis obstruitur os, ne possint damnare Iesum, quod illam liberam dimittat. Quis damnet, quod facit ipse? Vide in præsenti, cap.7. §.8. & cap.8. §.6. & in aliis tomis passim.

§. XXXIII.

Deus, & veritas prorsus inseparabiles sunt, nec vnus inuenitur sine alio.

ECce euidens testimonium Dei habitantis in Iesu, cui nullus possit refragari, nimirum, quòd Iesus veritatem loquatur

loquatur: & meritò, vt inexcusabiles ostendat Iudæos, dicit: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Fieri enim nequit, vt Deus non sit, in quo veritas nunquam non inuenitur. Vbicumque veritatem inuenire præsumpseris, hoc pro certo habe, quod si illa adfuerit, de diuino veneris inibi adstante numine. Ipse Dominus apud Isaiam, cap. 8. quærebat testes fidelissimos, in quorum ore absque dubio veritas splendesceret: & qui fuerunt isti testes à Deo quæsiti, Isai. 8. & inuenti? Ait ibi: *Et adhibuit mihi testes fideles Vriam Sacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ.* Sed illud maximè examinandum est, vnde adeò certum sit, quòd Vrias iste, & Zacharias sic fideles sint futuri in testanda veritate hominibus? In eorum nominum explicatione datur eorum veritatis fides, quando Vrias significat splendorem Dei, & Zacharias memoriâ Dei significat. Cui enim præsens cordi Deus est, statim in veritatem ibit; nec enim Deus sine veritate, nec veritas sine Deo inuenitur. Aiebat Procopius ibi: Procop. *Quis autem eo testis fide dignior, qui sit diuino splendore illustratus, qui sit memoriam Dei consecutus?* In nullo certiùs veritas inuenietur, quam in eo, cui Deus præ oculis assistat: nesciunt enim hæc duo, Deus, & veritas non sese inserere mutuò; vt & veritas Deum sibi assistentem prædicet, & Deus sibi sociam veritatem insinuet. Ioann. 8. sic minabatur Dominus: *Ego vado, & quò ego vado, vos non potestis venire.* Itaque si abiturum minabatur, vt miseros homines sua absentia grauiter puniret. Quis ergo effugiet hanc Dei iram? Quis retinebit Deum abeuntem? Ille, qui veritatis semina habuerit in corde suo. Fac, vt in corde tuo, in labiis tuis veritas sit, & ne metuas Dei absentiam, qui quasi nescit veritatis D. Thom. iugum effugere. D. Thom. in Cat. ex Origene fatur: *Præstat autem verbum minatur Christi recessum, sed quandiu seruamus ea, quæ anima nostræ sunt insita veritatis semina, nequaquam recedit à nobis verbum Dei.* Ecce tibi, quo Deum detineas, ne abeat, ne discedat: veritatis semina serua, nunquam recedat veritas à corde tuo, à lingua tua. Quandiu enim in te veritas Osee 4. durat, & Deus durat. Vnde dicebat Ose. cap. 4. *Non est veritas, non est misericordia, non est scientia Dei in terra.* Vbi erat veritas, erat Deus: sed cùm veritas abfuit, nihil Dei mansisse videtur, neque misericordia, nec scientia Dei. Ex quo Theoph. monebat Theophyl ibi: *Qui mendaces diuitias amat, & vanas opes, & fraudulentam gloriam, veritatem non habet: vnde neque misericordiam à Deo suscipit, neque agnoscit ipsum ea die reuelationis.* Videant homines, quanto discrimine sese mendacibus temporalitatis bonis immergunt; vix fieri nequit, vt de horum bonorum vsu ipsi veracitatem à se non expellant, & dum veritatem non habent, consequenter nec Dei misericordiam, nec scientiam habebunt, quando Deus cum veritate stat, & mendacium persequitur. Notissima sunt mendacia illa, quibus armati Israëlitæ senes aduersus Susannam mortis tulere sententiam. Quid tunc? Ait Dan. cap. 13. Dan 13. *Cumque duceretur ad mortem, suscitauit Dominus Spiritum sanctum pueri iunioris, cuius nomen Daniel: Et exclamauit voce magna, Mundus ego sum à sanguine huius. Et conuersus omnis populus ad eum, dixit: Qualis est iste sermo, quem tu locutus es? Qui cùm staret in medio eorum, ait; Sic fatui filij Israel, non iudicantes, neque quid verum est cognoscentes, condemnastis filiam Israël?* In tot senibus, atque prudentibus viris Israëlis, non est inuentus vnus, qui veritatem attingeret, & mendacium expueret; solus puer Daniel inter omnes pro veritate stetit, & sese aduersus mendacium muniuit, quia in illo solo spiritus Dei excitatus fuit. Vbi enim spiritus Dei adfuit, statim veritatis assertio apparuit, & mendacij ruina; quia non possunt veritas, & Deus simul existere. Quò spectans D. Ambros. Ambrof. lib. 3. de Spiritu sancto, cap. 7. inquit: *Daniel quoque nisi accepisset Dei spiritum, nunquam potuisset deprehendere mendacium fraudis.* Semper enim à Dei spiritu & veritas asseritur, & mendacium traducitur.

§. XXXIV.

Veritatis vis validissima est, vt homines in bonam frugem traducat.

MEritò Dominus miratur, quòd deseminatæ à se veritati increduli Iudæi resistant: quî enim fieri potest, vt corda humana veritati deseminatæ repugnent, quando veritatis vis ea est, quæ vel totum mundum trahere possit in bonam frugem? Vtinam qui loquerentur veritatem, essent in mundo; fallar, nisi ad virtutes facili negotio con-Malach. 2. uerteretur totus mundus. Malach. ait, cap. 2. *Lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non est inuenta in labijs eius, in pace, & in æquitate ambulauit mecum, & multos auertit ab iniquitate.* Ecce tibi vnam stabiliuit in mundo veritatis legem, quòd nimirum veritas vndequaque splendesceret, in cœtibus, in conuentibus; & dum sic propagatur per hominum ora veritatis vsus, exulant vitia, & multi amplexantur virtutes. Et fallar, nisi per veritatis vsum ablatis vitiis, possint res hominum instaurari. Apoc. 21. *Et dixit, qui sedebat in throno. Ecce* Apoc. 21. *noua facio omnia. Et dixit mihi, scribe, quia hæc verba fidelissima sunt, & vera.* Vt renouaret omnia, & ad bonam frugem reduceret, quid facit Dominus? Quid scribendum mandat? Hoc solùm scribit. *Quia hæc verba fidelissima sunt, & vera:* & vtinam verborum veritas introduceretur in mundo, quia totus ipse in nouitatem abibit vitæ. Philippus Abb. lib. 1. in Cant. cap. 17. *Noua facit Deus, cùm manu misericordiæ tergit nostram* Philipp. *vetustatem: cum rore detersò mendacij, loqui dat cum proximo* Abb. *veritatem, cum eius in veritatis infundit lenius voluptatem.* Expende, qualiter Deus renouat, imò restaurat omnia; nimirum mendacium amandans, & dans loqui cum proximo veritatem, eiusdémque veritatis gustum infundens. Vtinam hanc homines à Deo ebibant mentem, vt mendaciis nô adgaudeant, sed veritatis gustum percipiant, eiúsque inescari suauitate veritatē loquantur cum proximo suo, non mirum erit, si hinc festinent ad vitæ nouitatem. Dum veritas splendeat in mundo, minimè deficient, quos metat Iesus in horrea sua. Aiebat sponsa, Cant. 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi,* Cant. 2. *qui pascitur inter lilia.* Vnde lilia sufficient ad pascuam faciendam tanto Deo? D. Bernard ser. 70. in Cant. ait: *Bonum lilium* Bernard. *veritas candore conspicuum, odore præcipuum. Lilium planè, quod ad nouam benedictionem terra nostra produxit, & parauit ante faciem omnium populorum, lumen ad reuelationem gentium.* Ne Dei pascua deficiant, sed omnes populi, vniuersæ gentes cedant Domino, spargitur lilium veritatis super terram, & dat Deus, quòd terra veritatem germinet, veritate floreat. Et veritas florens, & populos, & gentes ducit ad Dominum. Vnde Psal. 44. *Specie tua, & pulchritudine tua intende prosperè,* Psal. 44. *procede, & regna; propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua.* Tres proponit virtutes, propter quas Dominus dicitur dominaturus nationū; sed illarum prima veritas est; vbi enim veritas in mundo floret, regnum Christianum extollitur, & facili negotio in salutem capiuntur à Deo homines. Ex quo dicebat D. Antioch. hom. 66. *Veritatem quisquis custodit, ac tuetur, citra difficultatem vllam potest sibi emereri vitam beatam. Ab ipsa enim protegitur veritate, nec vnde talem adoriatur, & vrgeat quidpiam mali.* Facile quidem est, quòd germinante in terra veritate, copiosæ messes in horrea æterna metantur.

Text. Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.

§. XXXV.

Verbum Dei fructuosum est in ijs, qui Dei ductum sequuntur, eiúsque operatione præparantur.

QVis Dei spiritu agitur, Deúmque sequitur, & verba Dei in se cum fructu audita non monstrat? Sanè in quo Dei apparent operationes, quibus præcordia muniuntur, aptantur, verbum Dei cum non minimo fructu apparet. Cant. 5. ex D. Nysseni lectione aiebat Dominus: *Aperi mihi* Cant 5. *soror mea, propinqua mea, columba mea, perfecta mea.* Prius soror Dei, & propinqua, & columba fit, tandem perfecta est; sed scire cupis, vnde singula hæc sponsæ acciderunt? Pulcrè in rem præsentem D. August. tract. 57. in Ioannem fatur: *Aperi mihi de sanguine meo soror mea, de accessu meo proxima* August. *mea, de spiritu meo columba mea, de sermone meo, quem plenius ex eo didicisti, perfecta mea.* Expende quòd prius ex sanguine effuso & participato fiat Dei soror; deinde ex appropinquante Deo fiat propinqua Dei; rursus Dei spiritus impulsu agitata volat, vt columba; tandem diuinum sermonem audit, qui illam reddit perfectam. Et semel, & ter voluitur terra sub agricolæ manu, vt fœcundum excipiat semen, quod diuites parturiat segetes; & semel & ter homo fiat Dei, cuius spiritu agitetur, & tunc de verbo Dei penè summum accipiet perfectionis augmentum. Matth. 20 dicitur de Verbo incarnato, & mortuo in cruce: *Et tertia die resurget.* Matth. 20. Quod transferens ad verbum veritatis Imperfectus, acutè expendit, quàm debet præparari, & coli terra cordis humani, vt in illa verbum Dei non euaneat. Vbi enim semel, & ter fuerit homo sub diuina manu, triúmque personarum diuinarum operationes exceperit, ex harum ductu,

&

& cultura habet, quòd de Dei verbo multiplices virtutum
Imperf. fructus pariat. Ait enim Imperf hom.35. in Matth. *Post tres dies resurget in animabus credentium sibi verbum veritatis, cum tres dies fuerint consummati in eis. Prima dies Pater, secunda dies Filius, & Spiritus sanctus tertia dies est, quoniam his tribus illuminantur corda credentium. In quibus ergo trium istorum scientia fuerint consummata, in eis veritatis verbum resurgit, & viuit, & operatur.* Non vacuum, & inane manet Dei verbum in iis, in quibus diuinarum trium personarum præcedit operatio; adsit tibi Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, cuius Spiritu agaris, cuius nutum spectes; & post hoc veritatis verbum in te resurgit, viuit, & operatur. Semen est verbum Dei, tunc fructificat, quando in corda cadit, quæ de Dei cultura parata sunt, & Dei spiritu aguntur, & eius nutum spectant.
Osea 10. Quo respiciebat Ose. cap. 10. *Ephraim vitula edocta diligere trituram, & ego transiui super pulchritudinem colli eius: ascendam super Ephraim; arabit Iudas, fuccidet sibi sulcos Iacob. Seminate vobis in iustitia, metite in ore misericordiæ, innouate vobis nouale: tempus autem requirendi Dominum est cum venerit Saluator, qui docebit vos iustitiam.* Expende, quò tendat totum illud rusticanum negotium arandi, proscindendi, metendi, noualia faciendi, nimirum eò tendit, quòd tempus est requirendi Dominum, qui doceat nos iustitiam. Et quid exercitiũ agriculturæ cum iustitiæ Doctore? Pulchrè D. Hieron. *Reddit causas, cur arent, cur seminent, cur metant, cur lata noualia innouent. Tempus, inquit, requirendi Dominum est; cum venerit Saluator, qui docebit vos iustitiam.* Et quidem vbi Dei verbum intonandum est, & persuadendum hominibus, vbi instat hora audiendi verbi diuini cum fructu, sic ex Deo assistente præcedat, æquum est, omne agriculturæ exercitium vt humani cordis terra exarata, & proscissa, & in lætum nouale composita appareat, quo veritatis verbum diuites segetes parturiat. Quando enim viuidum frumenti semen de inculto, & rudi monte fructificet? De verbi Dei efficacia, & virtutibus multa manent passim dicta.

(Margin note beside the Jerome quotation: Hieron.)

Text. Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Nónne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Respondit Iesus: Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum. Et vos inhonorastis me; ego autem non quæro gloriam meam, est, qui quærat, & iudicet.

§. XXXVI.

Non parua Christi passionis pars à verbis contumeliosis descendit.

QVi apud Hierem. cap. 11. ad lignum crucis confugiunt,
Hier. 11. vt opprimant Iesum, dicentes: *Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium:* nunc ligno prætermisso, ad contumelias, & conuitia descendunt, vocantes Iesum dæmoniacum, & Samaritanum, infidelem, non quidem eius parentes dolori, sed maiorem inferentes. Quando enim conuitium non durius est omni plaga, vt concutiat animum ingenuum? Iob post bonorum amissionem, post mortem filiorum, post incredibiles plagas corporis, hanc emittebat vocem, Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. Verum vbi ad probra, & contu-
Iob 19. melias audiendas accedit, sic clamat cap. 19. *Vsquequo affligitis animam meam, & atteritis me sermonibus?* Sept legunt, *& destruitis me sermonibus?* Cum pereunt bona omnia, cum corpus totum putrescit, adeo vt testa saniem raderet, sui destructionem non meminit; vbi autem ad contumelias subeundas accedit, totum se putat in destructionem vergere.
Origen. Pulchrè Origen. in Cat. Græc. *Sæpe numero qui corporis cruciamen tolerauit, non passus est verba; contumeliam enim perferre magni est viri. Sed Iobus est athletarum fortissimus, in totius libro nihil ita eminet, vt eius fortitudo, ac patientia; labores tamen sentit, quos ex eorum duo sermone, qui ad eum visendi causa veniebant, hauriebat. Quamobrem, ô amici, ait ad corporis dolorem, molestiam etiam animi adhibetis, dum me magis verbis, quàm dolore corpus conciditis?* Non tota plagarum phalanx sic Iobum conterebat, vt contumeliosa amicorum verba; hæc omni tormento duriora sunt animis ingenuis. Sic Iudic. c. 16. vbi Philisthiim habebant Samsonem obcæcatum, & vinctum, cum è carcere educunt, vt opprobriis satiarent. Ait enim
Iudic. 16. textus: *Qui adductus è carcere ludebat ante eos, feceruntque eum stare inter duas columnas.* Septuagint. posuere, *Vocauerunt Samson de domo custodiæ, & illudebant ei, & steterunt eum in medio duarum columnarum.* Expende illud, *illudebant ei*, &c. Iam non ferro oculos eius petunt, non opprimunt molæ pondere, sed verbis res agitur, contumelias iaculantur, conuitiis affligunt, & qui molæ pondus sustinuit, qui obcæcatus tacuit, ad contumelias, & irrisionis verba sic afficitur, vt ex tunc non dubitauerit se cum Philisthæis perimere. Ait D.
Ambr. ep. 70. *Grauibus in eum insultabant conuitiis, quod durius, & vltra ipsam captiuitatis speciem viro ingenuæ virtutis conscio tolerabatur. Nam viuere, & mori, naturæ functio; ludibrio esse, probro ducitur.* Nulla mors, mihi crede, accidere potest ingenuo viro, quæ illi non videatur tolerabilior, quàm contumelia, quàm conuitium. Quò adducenda sunt dicta 1. tom. lib. 4. cap. 4. §. 10. & tom. 2. lib. 10. cap. 9. §. 7. & alibi. Ambros.

§. XXXVII.

Peccatum omni dæmone horribilius est, nec sic lucet virtus in eyciendo dæmone, vt lucet in peccatis eyciendo.

EXpende, quàm acris sit Dominus in tollenda à se omni suspicione peccati, dicens: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Et quàm lenis est in tollenda à se suspicione dæmonij inhabitantis, inquiens: *Ego dæmonium non habeo.* Cur non magis te opponis, & ais: Quis ex vobis arguet me de dæmonio habito? Cur mauis lenius agere, vt solum dicas ego dæmonium non habeo? sanè non sic horribile est viro iusto dæmonium habere, ac peccatum; hoc omni dæmonio horribilius est, & multo magis vitandum. Matth. 15. Chananæa mulier sic ad Iesum clamat: *Miserere mei, Domine, fili Dauid, filia mea malè à dæmonio vexatur.* Quæ verba quotidie pro se ipsis à peccatoribus dicenda esse monet Chrysost. sed peccatores nec dæmonium habent, nec malè à dæmonio vexantur, quomodo ergo orabunt, dicentes, se à dæmonio vexari? Vexantur quidem à peccato, quod horribilius est omni diabolo. Ait Chrysost. hom 79. ad popul. *Sicut illa dicebat: Miserere mei, filia mea malè à dæmonio vexatur. Dic & tu. Miserere mei, anima mea malè à dæmonio vexatur. Magnus enim dæmon peccatum est: dæmonium habens, misericordiam inuenit, odio peccans habetur.* Non odiosus est Deo dæmonium habens, & valde odiosus Deo est, lethale peccatum habens; nec sic malè affectus est, qui omnia inferni dæmonia in se sustinet, vt male afficitur, qui peccato inquinatur. Hinc gaudentibus, lætantibúsque discipulis, quod multa dæmonia eiicerent, ait illis Iesus, Luc. 10. *In hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subyciuntur.* Et cur non gaudeant sancti videntes dæmonia ab humanis habitaculis fugere? Cur non gaudeant videntes hominem diabolica vexatione, ac tyrannide liberari? Erat adhuc alia longè maior tyrannis, nimirum, tyrannis peccati, quæ dum non tollebatur parum erat, quod fugarentur diaboli; & tunc licebat homini gaudere, cum de maiori hac peccati tyrannide liberabatur. Ruper lib. 3 de oper. Spiritus sancti cap. 10. *Apostolis ante Christi passionem dæmonia eiecerunt, & non erat illis gaudendum, nisi fieret, vt per Christi passionem primam, & præcipuam consolationem, primum, & præcipuum paracleti datum, id est, remissionem acciperent peccatorum.* Nulla censetur victoria reportata ex dæmone, dum peccatum viget, nec permittimur gaudere, quòd liberemur ab obsidione dæmoniorum, cum medullitus manent animo peccata infixa. Hæc peiora omni dæmone sunt, non tam in dæmonis, quàm in peccati eiectione nobis insudandum est, & tunc quasi de insigni, & miraculosa victoria gaudere licet, cum peccatum à nobis eiecerimus. Vnde D. Chrysost. homil. 33. in Matth. ait: *Quod si vis etiam signa videre, extermina abs te omne delictum, & vidisti, quod cupiebas. Magnus enim dæmon peccatum est, quod si abs te abieceris, maior tu eris, mihi crede, quàm qui dæmonia eyciunt.* Non ille magnus, qui à se, & à mundo dæmonia eiecit, qui se à peccato enodat, hic canet triumphum, vt qui expulerit omnium dæmoniorum pessimum inimicum. Parum est, quod diabolus abeat; si peccatum manet intus, quod solum ingentem faciet tibi ruinam. Audio diabolum ingressum in cor Iudæ ibi peccati, nempe proditionis semen reliquisse; hoc diabolus fecit; Iudas autem solius peccati conscius, quid fecit? Ait Matth. 26. *Abiens laqueo se suspendit.* Proh peccati venenum, & laqueos, & tortores, & carnifices, & rem totam suspendij ministrans! D. Ambros. in Psalm. 35. *Se ipse proprio ore egit in mortem. Quantos putamus in ipso fuisse tortores, vt sibi ipse tam grauis pœnæ exactor incumberet, & semetipsum strangularet?* Quid non parturiret peccatum

(Right-margin notes beside this section: Matth. 15. · Chrysost. · Luc. 10. · Rupert. · Chrysost. · Matth. 26. · Ambros.)

cordi infixum? in quo peccatum est, in eo, & tortores sunt, & carnifices; nec egent dæmonia ibi esse, vt extremæ
Luc.10. nascantur ruinæ. Vnde Luc.10. dicitur, quod miser homo *incidit in latrones, qui etiam despoliauerunt eum, & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto.* Nulli dubium est, quin latrones ij dæmones sint, qui hominem gratia spoliant peccato immisso; sed cur spoliatum adhuc semiuiuum relinquunt? Sanè vbi homo nudus gratia est, & peccato vulneratus, non curant iam dæmones multum de illius extrema ruina, quam peccatum manens potest perficere. Quò
Origen. spectans Origen.hom.34.in Luc. dicit: *Latrones, qui spoliauerant, & vulnerant eum, non assident nudo.* Non diabolus requiritur, vbi gratiæ nuditas, & peccati est vulnus, quæ peiores diabolo sunt ad causandam extremam ruinam. Non nouerat Cain diabolum, sed nouerat peccatum suum, &
Genes.4. aiebat Genes.4. *Ero vagus, & profugus in terra; omnis igitur, qui inuenerit me, occidet me.* Pro quo D.Ambros.in Psalm.35. *Cum adhuc à Domino pœna cessaret, torquebat eum suorum conscientia peccatorum. Latebat miser tremens, & timens, & cum adhuc percussor deesset, ipsa sese iniusti vita cruciabat. Acceperat signum, ne eum aliquis occideret; meruerat quidem vt percussor inhiberetur, sed sine vlla intermissione ipse sibi suus carnifex erat, & percussor.* Non aliunde exterminatorem expectat, qui peccatum in se admittit; quando peccatum in corde fixum sufficiens est ad omnia bona dilapidanda, ad causandas extremas ruinas. Quod si adhuc scire cupis, quam sit dæmone peius vitium in corde admissum, propone tibi ob oculos Saulem dæmone liberatum, & lancinantem Dauidem: de quo vide tom.2.lib.12.§.4.

§. XXXVIII.

Dæmonium est, qui sic superbit, vt facinorum, virtutúmque honorem sibi præripiat.

Efficaci ratione depellit Dominus dæmonij in se habitantis suspicionem fatus: *Ego dæmonium non habeo, sed honorifico patrem meum.* Et quidem tunc dæmonium in te non esse verè ostendis, quando non tuam, sed Dei gloriam venaris; ille enim minimè à dæmonio liber est, qui sibi præripere gloriam intentat, propriámque exaltationem quærit. Quam maculam vbi iniustè Christo Domino inurebant Iudæi, ex hoc præsupposito errore, satis consequenter dicebant: *Non bene dicimus nos, quia dæmonium habes.* In quo fundant, quod bene dicant, quia in Iesu est dæmonium? In clarissimo errore: quo putabant à Iesu præripi Dei honorem, propriámque & non Dei exaltationem quæri: supposito autem quod quis sic elatus probetur, bene concluditur in illo dæmonium esse. Elias Cretensis, in orat.4. Nazianz.
Cretens. *A dæmonio Christum obsessum aiunt, quod in more sit dæmonys debitum honorem Deo in sese transferre: sinéque verecundia Dei gloriam rapere, quòd ipsum à Christo fieri putabant, cum se, qui esset homo, in Dei sedem quasi collocaret ys verbis. Qui ex Deo est, verba mea audit.* Turpiter errant dum Iesum præsupponunt hac macula aspergi, quod non Dei, sed suam exaltationem quærit: verum hoc bene existimant, quod dæmonium sit in eo, qui Deo debitum honorem sibi præripit, & de illo effertur. Nunquam enim elatio vana in homine dæmoniorum proprium affectum non ostendit. Isai. cap.2.
Isai.2. ait: *Dies Domini exercituum super omnem superbum, & excelsum, & super omnem arrogantem, & humiliabitur. Et super omnes Cedros Libani sublimes, & erectas.* Superbos, & arrogantes homines, cum Cedris Libani miscet, & confundit in die furoris Domini. Et cur sic miscet superbos, & arrogantes cum Cedris Libani? Libanis idololatriam seruabat adeo, vt quot Cedri, tot idola, & tot dæmonia in illo essent; bene ergo cum idolis, & dæmoniis iungit, & miscet arrogantes, & elatos homines: dæmoniacum enim sapit
Procop. elatio omnis. Pulchrè ad hæc Procopius: *Præterea, cur istos arrogantes, Libani Cedros esse dixit? Primum quoniam dæmoniacum quidam omnis habet elatio. Erat vero omni idololatria refertissimus Libanus, hinc & quæ in eo vagabantur, malæ potestates, Cedri significant, quæ nequitiæ fastigia aduersus Dei notitiam sunt attollere solita.* Expende illud, nimirum: *dæmoniacum quidam omnis habet elatio*; quisquis rapto sibi honore effertur super alios, putet hanc elationem inhabitantis ibi dæmonis signum esse. Non longè à dæmonio distat, qui sic euanet, sic superbit, vt sibi honorem virtutum arroget, propriámque gloriam quærat. Ait enim D. Chry-
Chrysost. sostom.homil.43.ad Popul. *Nullum itaque malum par elationi, hominem reddit dæmonem*: dæmonibus æquat hominem elatio. Quod cauebat Paul. 1. ad Timoth. 3. monens: *Oportet* 1.Tim 3.
Episcopum irreprehensibilem esse: non neophytum, ne in superbiam elatus in iudicium incidat diaboli: quasi elatus non possit in omnibus diabolo non assimilari. Hinc Eccles. cap.1. *Vidi* Eccles 1.
cuncta, quæ fiunt sub sole, & ecce vniuersa vanitas, & afflictio spiritus. Septuagint. legunt; *&* *præsumptio spiritus.* Quod ad superbiam, & elationem, quibus mundialium hominum opera plena sunt, refert D. August. homil.1 de serm. Domin.in monte. Et quæ plena elationis, & superbiæ Augustino sunt; de illis locutus D. Gregor. Neocæsariensis, ait:
Spiritu prodigioso, & execrando omnia hæc inferiora plena sunt. Gregor.
Quasi eo ipso, quod quis elatione, & arrogantia inflectur, iam plenus nequissimo, & execrando spiritu, imò à diabolo possessus videatur.

§. XXXIX.

Impiorum hominum est eos inutiles, & prorsus inanes putare, in quibus nihil vitiosum, nihil diabolicum apparet.

VBi Iesus negat se dæmonium habere, statim sua explicat magnalia, dicens: *Sed honorifico patrem meum.* Patrando, videlicet, miracula, ignaros docendo, séque & omnia omnibus præbendo, vt inde pateret, quam ad omnia vtilis, & proficuus, qui dæmonium non haberet. Solent equidem impij, & mundiales homines inutilem, & frustraneum putare illum, in quo nihil vitij, nihil dæmonis partem spectans apparet. Sit vir nobilis Deo intentus, abstinens prorsus ab omnibus operibus diaboli, à comessationibus, ab ebrietatibus, à theatrali luxu, & ecce à mundialibus habebitur, quasi ad nihil valeat, quasi homo frustraneus. Aiebat Dominus Ioann.14. *Venit princeps huius mundi, & in me non habet quicquam.* Ambros. legit: *Et in me inuenit nihil*, qui fieri potest, vt in omnium bonorum fonte nihil inueniatur? In Iesu omnis diuitiæ inhabitabat corporaliter; illi data erat omnis potestas in cœlo, & in terra, in eius vestimenti fimbria salutem mulier sibi acquisiuit. Quomodo ergo in quo tot bonorum segetes erant, nihil inuenit princeps huius mundi? Non erat in Iesu vel vestigium peccati, non erat illi pars cum diabolo, & quando nec peccati vmbra inuenitur in viro iusto, quasi nihil aliud sit, censetur à
spiritu mundi. Ait D.Ambros. lib.de Fuga sæculi, c.4. *Quo-* Ambros.
modo nihil inueniri potuit in eo, in quo plenitudo diuinitatis habitabat corporaliter, de quo virtus exibat, & sanabat omnes? Quomodo nihil inuenire potuit in soliditate virtutis, veritate sapientiæ, integritate iustitiæ? Non ergo iste vacuus, sed ille vacuus, & inanis princeps istius mundi, qui nescit nisi sua cernere, nescit nisi sua inuenire. Hic est impius & mundialis spiritus, qui vnum æstimat, vnum videt, vnum reputat, quod suum est; videat in te aliquid suum, videat aliquid faciens ad peccatum, faciens ad vitia, tunc te æstimat, & prædicat plenum, etiam si summe inanis, & vacuus existas. At dum in te sua non respicit, licet in te bonorum omnium sit plenitudo, sic te æstimat quasi in te nihil sit, quasi valeas ad nihilum. Hæc erat
vox impiorum aduersus Iesum, Sap.c.2. *Circumueniamus er-* Sap.2.
go iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris. Et quidem vt notat Hugo Cardin. Iesus vtilissimus erat populo, sanando omnes, illuminando omnes, docendo omnes, vnde potuit apparere inutilis? Iam ipsi insinuant
illis verbis: *Contrarius est operibus nostris*; vbi ab omni ope- Hugo.
re malo abstinebat, vbi quidquid prophanum, & vitiosum erat, cauebat, & carpebat, in nullóque conueniebat cum impiis, necessum erat, vt haberetur ab illis, quasi homo frustraneus, & inutilis. Quorum impudentiam exprimit Iob
cap.22. *Qui dicebant Deo: Recede à nobis; & quasi nihil pos-* Iob 22.
set facere omnipotens, æstimabant eum. Ipsam Dei potentiam, eiúsque virtutis præstantissima opera, reputant impiissimi homines nihil esse, dum prorsus alienam vident à suis fœcibus. Quæcumque enim ad lasciuiam non pertinent, putat homo lasciuus nihil esse.

§. XL.

Laudabiliorem vitæ curriculum ages in hoc sæculo, si ius dicas nemini.

NOn otiosè dissimulat Iesus in præsenti potestatem iudicandi homines, cum ait: *Ego non quæro gloriam meam, est qui quærat, & iudicet.* quasi dicat, est Pater, qui iudicat in præsenti: ego autem non iudico in hac mundiali vita. Nec immerito

immerito rex regum, & dominus dominandi Iesus, dum nostram mortalem vitam agit, declinat exercitium iudicandi. sed vt ostendat, quàm laudabilior poterit esse vita illius, qui in præsenti ius dixerit nemini. Gothorum nobilitas, dum subiicit Romanos populos, quærebatur de rege suo, quòd ius dicendi munus relinqueret Romanis deuictis, & nullus illorum iudex Gothus crearetur. Quibus sapienter respondet Athalaricus Rex, apud Cassiod lib.9.var. cap.14.
Cassiod. *Ordinariis iudicibus administrationum suarum potestas illibata seruetur. Cognitores suos legitima turba comitetur. Obseruationum illarum non mouearis inuidia. Gothorum laus est ciuilitas custodita. Tota ad vos fama confluit, si vos rarus litigator obseruet. Vos armis iura defendite, Romanos sinite regum pace litigare.* Expende illa triumphatoris hominis ornamenta, nimirum; *tota ad vos fama confluit, si vos rarus litigator obseruet:* sanè laudabilem ille rem præstat, qui detrectat subire munus ius dicendi, qui horret litigatores auscultare: qui alios indicandi potestatem aliis integram remittit, seséque prorsus ab illa in hac vita mortali expedit. Hinc hominis felicitatem commendans Psalm.1. ait:
Psal. 1. *Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.* Impiorum peccatorúmve consortium, qui abiurat, beatus est etiam existens in mortali hoc corpore; insuper & beatus est, qui non sedit in cathedra pestilentiæ, qui nunquam pro tribunali sedit, qui forensia negotia non tractauit, qui ius dixit nemini. Vt enim vix vllus est, qui inter hæc munera iudicandi non inficiatur de eorum peste; sic qui ab illis fugit, beatam ducit vitam, & prorsus quietam.
Hilar. Ait D.Hilar.ibi: *Tertius quoque hic obtinendæ beatitudinis ordo est, in cathedra pestilentiæ non sedere. Cuius itaque cathedræ sessionem existimabimus pestilentem? Illa erit pestilens, cuius contagium Pilatus manum abluendo deuitat. Publicarum enim causarum ordo, manere iudices volentes, in legis sanctitate non sinit.* Pestilens est D. Hilario iudiciaria sedes, cuius administrationem qui deuitat, in ordine beatitudinis obtinendæ meritò constituitur. Vt dicat Psalm. 70
Psal.70. *Quia non cognoui litteraturam introibo in potentias Domini.* Literaturam vocat forenses leges, & totam administrationem fori, cuius fuga spem sacratioris diuiniorisque potestatis
Hugo. importat. Bene Hugo Card. *Introibo ergo in potentias Domini cælestes, quia illiteratus, & idiota potentias terrenas non ambiui, sed despexi.* Sic de despectis iudiciariis sedibus, sperat diuiniores apud Deum potentias.

Text. Amen, amen dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. Dixerunt ergo Iudæi: Nunc cognouimus, quia dæmonium habes. Abraham mortuus est, & Prophetæ, & tu dicis, si quis sermonem Deum seruauerit, non gustabit mortem in æternum. Numquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est, & Prophetæ mortui sunt? Quem te ipsum facis? Respondit Iesus: Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est.

§. XLI.

Propriissimum dæmoniorum officium est instantiam mortis ab hominum memoria longè facere.

QVæstio in præsenti celebris est, cur isti Pharisæi nunc maximè sese certiores factos ostendant, quod Iesus dæmoniaco spiritu agatur? Vbi enim Iesus hanc sermonis sui obseruati virtutem prædicat, quæ mortem in æternum abigit, statim illi: *Nunc cognouimus, quia dæmonium habes.* Cur perfidi homines nunc id magis cognoscitis? Quid nunc singulare in Iesu videtis, quo magis persuadeamini ad asserendum illum dæmoniaco spiritu agi? Sanè audiunt Iesum, dicentem de morte per suum sermonem eliminata, quod male intelligentes de morte hac temporali; quasi per euidentem consequentiam deducunt, verba illa non posse à diuino, sed à diabolico spiritu manare. Et quidem dum in hac vita sumus, non Iesus, sed solus diabolus nititur instantiam mortis ab humana cogitatione longè facere. Hæc fuit
Genes.3. diaboli vox in primis mundi cunabulis, Genes. 3. *Nequaquam moriemini:* quam etiam modo inter frequentissimas, & propinquorum, & amicorum mortes imprudentissimus inclamat; nihil magis curans, quàm persuadere nobis, vel distantissimam, vel nullam esse mortis plagam. Ad hæc D. Basil. Seleuc. orat.3. *O sententiam execrabilem, & plenam audaciæ vocem! Deus mortem transgressoribus statuit, & diabolus vitam contra legem agentibus spondet.* Basil. Sel. Diabolus est, qui à cogitatione adulteræ districtum coniugis separat gladium; diabolus est, qui auaris hominibus longissima vitæ sæcula proponit; diabolus est, qui nec signum instantis mortis ob oculos peccatorum esse patitur. Vbi arca Dei captiua apud Philisthæos erat, 1. Reg. 5. *Fiebat pauor mortis in singulis vrbibus, & grauissima valde manus Dei.* 1. Reg 5. Quid tunc? Philisthini augures suos, & diuinos suos consulunt, qui respondent, quod Dei arca imponatur plaustro, & relictis bobus, vt ipsi arcam ducant, permittant illam ferri ad Israëlitas: quod & factum est; nullo enim ductore mouente, imò natura boum reluctante boues ipsi impositam plaustro arcam deducunt eam vsque in Bethsames. Id quod sapienter putat Origenes diaboli arte dispositum per ministros suos augures; & propria ipsius virtute applicata peractum est. Quippe ait hom.16. in Numer. *Quis ergo in his, si diligenter inspiciat, præscientiam hanc, quæ de boum directione prædicta est, vel fortuitam dicat, vel aliqua arte compositam, & non operatione quadam dæmonum ministratam?* Origen. Sed cur dæmones tanta diligentia curant, vt arca Dei à Philisthinis abeat? Cur diabolus fit auriga, qui Dei arcam deferat à populis Philisthinorum? Sanè, vt ait textus dum arca Dei manebat apud Philisthæos, *flebat pauor mortis in singulis vrbibus:* nihilque magis proprium diaboli, quàm à peccatoribus eliminare vniuersas causas, quæ possint memoriam mortis excitare. Hoc proprium munus, hoc singulare dæmonis officium est, quod mortis instantia longè ab humanis mentibus separetur. Diues erat iam in occasu vitæ constitutus, iamiam à viuis eripiendus. De quo ait Luc.cap.12. *Et dixit hoc faciam, destruam horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, bona mea, & dicam animæ meæ: Anima habes multa bona, posita in annos plurimos,* &c. Luc.12. In limine erat mors, & multa aderant, quæ mortis memoriam excitarent; vel destructio horreorum excogitata, vel nocturnum tempus illi mortis instantiam poterant intimare. Sed inter hæc ille, nullam memoriam mortis habet, quin potius longa vitæ sæcula in mente voluit, dicens: *Habes multa bona posita in annos plurimos.* Cur hac ipsa nocte arripiendus non magis cogitas dierum paucitatem? Quis te facit mortis instantis sic obliuisci? Quis tibi pollicetur plures annos? Pulchrè Chrysolog. serm.104. *Erat in illo alter, quia ad eius penetralia, iam diabolus possessor intrauerat.* Chrysol. Ne miremur, quod tota mortis memoria abigatur; erat enim in illo diabolus, qui minimè permittit suis ad mortem spectare. Nec ab alio, quàm à malo potest sine mortis memoria longæua vita excogitari. Pro quo D.Basil.in præsenti ait: *Longa tibi vitæ tempora præfixisti: & profecto vitam hoc sibi modo polliceri, non bonitatis, sed malitiæ est indicium.* Basil. A malo venit quod vitam tibi longam statuas, quod plurimos tibi viuendi præfigas annos. Miseri illi dæmonis verberones in sepulchris habitabant, Matth.8. & videntes Iesum clamabant. *Quid nobis, & tibi Iesu Fili Dei, venisti ante tempus torquere nos?* Matth.8. Immaturum, & nimis properum putant aduentum Saluatoris, qui iam in sepulchris ipsis claudebantur, sed homini existenti in sepulchro, quomodo potuit Iesu aduētus videri fuisse ante tempus? Quantum tempus poterat expectare, qui iam in sepulchro erat? Sanè non hæc vox ab homine, sed à diabolo veniebat, qui etiam à penè enectis, ab ipsis senio confectis, & propè sepulchra existentibus longissima vitæ tempora facit spectari. Chrysolog. serm.16. *De tempore causatur nequitia sæculi indurata.* Chrysol. Indurata diaboli malitia, etiam in penè enectis immaturam mortem reputat, quæ ostendatur venire aliquando; tota enim diaboli astutia eo tendit, vt nunquam mors propè cernatur. Aiebat Dominus Luc.12. *Ignem veni mittere in terram, quid volo nisi vt accendatur.* Luc 12. Cur ignem venit mittere? Chrysol. ibi: *Ignem venit mittere in terram, vt suo cinere saginata pinguesceret.* Chrysol. Ignis diuinus hoc habet, vt suos cineres terræ ob oculos ponat, de quorum vel prospectu ipsa saginetur. Sed de diabolo locutus Iob cap.41. ait: *Halitus eius prunas ardere facit.* Iob 41. Deus ignem mittit, diabolus insufflat prunas; conueniunt ergo diabolus, & Deus in officio? Absit. Deus enim dicitur ignem mittere, vbi autem ignis est, & cineres sunt; verum diabolus non dicitur ignem mittere, sed prunas exsufflare, hoc est, illas prorsus à cineribus excutere; prunæ enim si relinquantur, vndique cinere circum

circumuoluuntur, & sub cinere conseruantur viuidæ, vbi accedit, qui prunas exsufflet, totum excitit, & exsufflat cinerem. Dei ea cura est, vt ignem accendat, qui faciat cineres, & terræ ob oculos ponat illos, ait diaboli officium est exsufflandi prunas, ab illisque excutiendi totos cineres, ne quid cinereum, & mortale posset sentiri. Quo refero illud Abac. cap. 3. (Abac. 3.) *Deus ab austro veniet, & sanctus de monte Pharam. Semper operuit cælos gloria eius, & laudis eius plena est terra. Splendor eius, vt lux erit, cornua in manibus eius; ibi abscondita est fortitudo eius. Ante faciem eius ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes eius.* Vt Deus ostendatur mundum detriumphans, meritò ante eius faciem mors præmittitur; sed vix mors præmittitur, & ecce tibi diabolus ante pedes eius egreditur, ne vel gradum faciat mors, quin diabolus ponatur ante illam relinquens à tergo, vt minimè possit videri. Miraris hoc? Sed accipe quod æquè mireris. Matth 8. (Matth 8.) *Cum venisset Iesus trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo dæmonia habentes, de monumentis exeuntes, sæui nimis, ita vt nemo posset transire per viam illam.* Equidem in via erant multa sepulchra mortuorum, quando mos erat Iudæis in viis sepelire mortuos suos; dæmoniaci autem isti, sic ad monumenta illa inhabitanda properabant, vt nullis possent detineri vinculis in vrbe. (Marc. 5.) Quippe ait Marc. cap. 5. de famoso: *Neque catenis iam quisquam poterat eum ligare: quoniam sæpe compedibus, & catenis vinctus, dirupisset catenas, & compedes comminuisset, & nemo poterat eum domare, & semper die, ac nocte in monumentis erat.* Nullis compedibus nullis catenis poterant detineri in vrbe, sed catenas vniuersas rumpentes festim abibant in sepulchra; hoc solum intendentes, vt sepulchrorum vias inaccessas redderent hominibus; vt enim ait Matth. *De monumentis exeuntes sæui nimis, vt nemo posset transire per viam illam.* Eo tendebat dæmonum sæuitia, & astutia habitans in sepulchris; vt nemo sepulchrorum vias auderet peringere; & sic quidquid mortis erat, ab hominum oculis longè fieret.

§. XLII.

Quò minus aliquis suam exaltationem quærit, eo nobilius quid est.

IN eo sita est hominis gloria, quod ipse non se ipsum glorificet; ait enim Iesus: *Si ergo glorifico me ipsum, gloria mea nihil est*; tunc crescit homini honor, cum minimè ab homine quæritur. Mulieri Chananeæ petenti salutem filiæ, re-(Matth. 15.) spondit Iesus Matth. 15. *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Cui appellationi illa annuens, ait: *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt,* &c. Ad hæc Iesus: *O mulier, magna est fides tua.* Paulò ante canem appellabat, depellebat vt canem; iam non canem, sed magnæ fidei mulierem compellat. Vnde Dominus cognoscit eam tantæ fidei esse mulierem, quam paulò ante vt canem repellebat? Aut in quo ad honorem humanæ appellationis peruenit, quæ modo expellebatur quasi catellus? Admisit ipsa catelli appellationem, & tantum abfuit, vt filiorum gloriam sibi præsumeret, quod inter ipsos catellos numerari vellet, quo apud Deum ad honorem nominis peruenit. D. (August.) August. serm. 74. de tempor. *O mulier, magna est fides tua; tu te agnouisti canem, ego te iam agnosco hominem.* Tunc apud Deum creuit mulier in humanam gloriam, cum ipsa sese inter canes annumerat, nihil ex se reputans habere nisi vile, & pecuinum, & æstimans gloriosiora quæque venire à (Dan. 4.) Domino. Sic suam gloriam exaltabat ille Rex Dan. 4. *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Sic se barbarus glorificabat, non Dei, sed suam gloriam ostentans: *Et ex hominibus abiectus est, fœnum vt bos comedit, & rore cæli corpus eius infectum est: donec capilli eius in similitudinem aquilarum crescerent, & vngues eius quasi auium. Igitur post finem dierum ego Nabuchodonosor, oculos meos ad cælum leuaui, & sensus meus redditus est mihi, & Altissimo benedixi, & viuentem in sempiternum laudaui, & glorificaui,* &c. Compone hominem cum homine, Nabuchodonosorem cum Nabuchodonosore; dum suam gloriam ostentat, ab omni exulat sensu hominis, annumeratur inter boues. Dum autem inter belluas annumeratus, nihil in se videns, nisi vile, & pecuinum, ad Deum leuat oculos, Deúmque agnoscit solum dignum gloria: iam non amplius bellua, sed statim appa-(Paulin.) ret regius homo. D. Paulin. epist. 4. *A regno suo, etiam & sensibus exulabat humanis: coma tristi Leonem, vnca vnguibus vulturem, sensu & pabulo, bouem referens. Intellectu tamen eadem Deo, & sensui reformatur, & regno.* Tandem exulauit ab homine, quandiu sibi præripiebat Dei gloriam, vbi gloriosa quæque intellexit Dei esse, & Deo retulit, omnia ad humanos, imò & diuinos fuit eleuatus honores. Isai. 6. de Deo sedenti super excelsum thronum ait: *Et ea quæ sub ipso erant, replebant templum.* (Isai 6.) Ad templum Deo soli sacratum admittuntur ea, quæ sub ipso Deo sunt, vt intelligant homines, qua via possint etiam diuinos percipere honores, nimirum, si sese Deo subiiciant, eiúsque & non suam quærant gloriam. Ex quo Bernard. serm. 2. in Isaiæ verbis ait: *Propterea (Bernard.) hoc dixi, humiliare, sub potenti manu Dei, vt exaltet te in tempore visitationis. Vide, vt sub ipso inueniaris, alioquin non esse poteris cum ipso.* Vt de te impleatur templum Dei, in eiusque gloriam intrare possis, sic te debes componere; vt semper sub Deo inueniaris, omnia Deo cedens gloriosa, nihil tibi assumens honoris. Hinc claudicare visus fuit magnus ille Moyses, de quo dicitur Numer 20. *Tulit igitur Moyses virgam,* (Num 20.) *quæ erat in conspectu Domini, sicut præceperat ei congregata multitudine ante petram; dixitque eis: Audite rebelles, & increduli. Num de petra hac vobis aquam poterimus eiicere? Cumque eleuasset Moyses manum, percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ, ita vt populus biberet, & iumenta. Dixítque Dominus ad Moysem, & Aaron, quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos,* &c. Non facilè inuenitur, qui fuerit Moysi error in iis verbis, aut in quo non sanctificauit Dominum, vt sic puniretur, & à munere excluderetur. Quod fuit Moysi verbum sic aberrans, sic contrarium Domino? Ego in illis verbis errorem inuenio, quibus dicit: *De petra hac vobis aquam poterimus eiicere.* Sic se ostendens, quasi & ipse sit, qui aquam de petra eiiciat, & non solus Dominus; *poterimus* enim, ait, saltem partem miraculi sibi assumens, non integram illius gloriam referens Domino: vnde meruit priuari principatus honore & tradi morti. Quod insinuat Christianus Druthmarus, ad illa verba Matth. 5. *Attendite, ne iustitiam ve-* (Matth. 5.) *stram faciatis,* &c. vbi inquit: *Sic Moyses offendit ad aquas contradictionis retorquendo in se virtutem Dei dicendo. Num de petra hac poterimus educere vobis aquas, cum Dei esset virtus, qua fiebat, & non hominis per quem fiebat.* Ne miremur, quod vitam Moyses amittat propriam, cum Dei sibi arrogat gloriam in extinguendo siti populi.

Text. Est pater meus, qui glorificat me. Quem vos dicitis, quia Deus vester, & non cognouistis eum Ego autem noui eum, & si dixero, quia non scio eum, ero similis vobis mendax, sed scio eum, & sermonem eius seruo. Abraham pater vester exultauit, vt videret diem meum, & vidit, & gauisus est. Dixerunt ergo Iudæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti? Dixit eis Iesus: Amen dico vobis: antequam Abraham fieret, ego sum. Tulerunt ergo lapides, &c.

§. XLIII.

Ille in veritate Christum videt, qui misericordiæ operibus incumbit; qui enim misericordiam nescit, nescit & Christum.

NOn otiosè relictis aliis Patriarchis, & Prophetis, de vno Abrahamo dicitur, quod exultaret vt videret diem Christi, & quod vidit; quando enim Abraham in hospitalitatis, & misericordiæ celebritatis singularis fuit, non mirũ quod singularis existat in cognoscendo, & præuidendo Christo, quĩ ille in veritate videt, qui operibus misericordiæ incumbit, Gen. 18. Tres viri peregrini apparuerũt Abrahamo, qui iuxta D. Greg. Pap. in præsenti, & Bedam, & alios plures, ideò apparuerũt illi, vt facerent, quod Abrahã videret diem Christi. Et visis tribus peregrinis, ait Abraham: *Afferam pau-* (Genes. 18.) *xillum aquæ, & lauentur pedes vestri, & requiescite sub arbore. Ponamq́ buccellam panis, & confortetur cor vestrum, postea transibitis; idcirco enim declinastis ad seruũ vestrum. Qui dixerunt; fac, vt locutus es. Festinauit Abraham ad tabernaculum ad Saram, dixitque ei: Accelera, tria sata similæ commisce, & fac subcinericios panes. Ipse verò ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum & optimũ, deditque puero, qui festinauit, & coxit illum.*

Tulit

Tulit quoque butyrum,& lac,& vitulum, quem coxerat,& posuit coram eis,ipse verò stabat iuxta eos sub arbore. Cumque comedissent, &c. Ecce misericordiæ plenum Abrahæ facinus, ecce pientissimum officium exhibitum diuinis peregrinis: sed quando peregrini homines non erant, nec vtebantur humano cibo; cur ad Abraham diuertentes, vt faciant illum videre Christum, necessitatem cibi præseferunt? Cur permittunt occupari tantum virum in parando hospitio, in exhibendo cibo, minimè egentibus illo? Cur non magis illum faciunt attendere ad videndum in domo sua existentem Christum, quàm ad paranda prandia peregrinis? Sanè, quia visurus erat Christum, ideò operibus misericordiæ permittitur incumbere, quando per has manifestissimè quisque videre potest Christum. Pulchrè ad hæc Chrysol. serm. 131. inquit: *Sic ad Abraham Deus venit hominis in forma se ostendit hospitis in figura: lassi viatoris in more accepit pedibus suis aquam, sed & inuitatus ad mensam vituli, & panis appositione saturatur, & ita se totus humano credit,& committit obsequio, vt ipso tactu, & visu verum hominē videatur explere,& hoc eo tempore, quo verus Deus sterilitati extremæ senis sobolem largiturus adueniit.* Expende illa, nimirum, *vt ipso tactu,& visu*,&c. quippe vt Deus verus, & homo, hoc est, Christus, visu possit percipi, prius omnia pietatis, & misericordiæ opera permittit exhiberi, quasi hæc sint, quæ faciunt, vt homines apertius Christum possint videre. Ex quo sapienter D. Gregor. in præsenti, ait: *Tunc quippe diem Domini Abraham vidit, cum in figura Trinitatis, tres Angelos hospicio suscepit.* Vbi hospitium peregrinis exhibuit, clarissimos habuit oculos, vt diem Christi videret. Non vidit, non nouit Christum, qui pauperem, & peregrinum nescit, qui super egenos non intelligit. Luc. 19. paruus homuncio Zachæus ascendit arborem, vt prætereuntem videret, quem iubet Iesus festinanter descendere & hospitium parare: *Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Cur Domine tam festinanter iubes hominem descendere ab arbore, ad quam desiderio te videndi ascenderat. Cur non permittis magis ibi esse, vt oculos suos pascat tuo conspectu? An non placet tibi hominis desiderium? Absit; imò quia placet, illi ostendit ex quo citius, & clarius possit Christum videre, quam ex arbore; nimirum si incumbat hospitio, & cibo parando egenus. Non cum altissimo ascenderis vertices, sic Christum videbis, vt illum videbis, si incubueris misericordiæ operibus. Hinc grauissimè nos monet Nazianz. orat. 40. *Zachæum imitare, illum heri publicanum, hodie animi magnitudine, & liberalitate præditum, facultates tuas omnes ingredienti Christo offert, vt licet corporea ætate paruus: animo tamen excelsus, Christum egregiè conspicatus.* Expende hæc vltima verba: *Christum egregiè conspicatus*; non equidem Zachæus de arboris beneficio, sed de hospitij, & misericordiæ exhibitæ beneficio habuit, vt Christum egregie conspicatus fuerit. Vane quærit videre Christum, qui eum non videt in misericordia exhibita pauperi. Luc. 2. Simeon habens puerulum Iesum in manibus, sic cecinit: *Nunc dimittis seruum tuum Domine. Quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Quæ verba quotidie à nobis posse dici verissimè testatur Beda. Sed quomodo possumus dicere, quod viderunt oculi nostri Dei salutare? Eò ipso, quod misericordiæ exhibendæ incumbamus, id ipsum possumus de nobis verissimè canere. Ait Beda ibi: *Ideò nos à peccatorum scandalo absoluens, iam in pace reconciliatos, passibus amoris propinquare cælestibus facis: qui fidei oculis salutare tuum Christum Dominum in membris eius intueri, eumque piis operibus, amplecti meruimus.* Et quidem ille egregie Christum intelligit, qui intelligit super pauperem. Huc trahe dicta 1. tom. lib. 3. cap. 2. §. 24. & lib. 5. c. 3. §. 3.

Chrysol. — D. Greg. — Luc. 19. — Nazianz. — Luc. 2. — Beda.

CAPVT IX.

Disputatio in festo Encæniorum.

DIE vigesimaquinta Nouembris, qui apud Iudæos erat mensis nouus, festum illud celebrabatur institutum, 1. Machab. 4. in memoriam illius temporis, quando altare à gentibus prophanatum, à Machabæis mundatum, & renouatum est. Et ex renouationis Græco vocabulo, nimirum, καινὸν, dicebantur hæc festa Encæniorum, quibus dum adest Dominus, & in porticu Salomonis deambularet, à Iudæis circumcinctus, eorum fraudes sapientissimè cauet, & multa diuina illos docet. Testimonium suæ diuinitatis, vt ex operibus à se peractis manifestum ostendit; sic minimè acceptum ex Iudæorum malitia euidentissimè statuit. Quid plura? Ex lege vocante sæpe Deos, humanas potestates conuincit Iesus, quod & ipse possit impune filius Dei dici; quo & inimicorum armatam lapidibus rabiem deludit, & ab eorum manibus euadit liber.

Ioan. 10. Facta sunt autem Encænia in Ierosolymis, & hyems erat. Et ambulabat Iesus in templo in porticu Salomonis.

§. I.

In salutis negotio numquam finiendum est, sed noua semper instauranda sunt opera.

VBi ad festum Encæniorum ventum est, non semel renouare altare veteres contenti sunt, sed nouis festis eandem renouationem instaurant, & meritò, salutis enim negotium, quod in altari agebatur, numquam debet vltimas manus videre, sed quotidie progredi in opus nouum. Dicitur Genes. 2. *Compleuitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat, & requieuit die septimo, ab omni opere, quod patrarat.* Sed & Ioannis cap. 5. ait Dominus: *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.* Illic dicitur Deus ab omni opere requieuisse, hic dicitur vsque modo operari; qualiter si requieuit ab opere, operatur, vel si operatur, qualiter requieuit ab opere? Ab opere quidem mūdano, quo creatura huius mundi senescentis fiebat, iam dudum requieuit Dominus, vltimásque illi imposuit manus: in illo tamen opere semper manet, quo detersa omni vetustate, noua creatura in vitam, & salutem æternam renascitur. Hinc discant homines mundanæ vetustati finem imponere; opera virtutū, quæ ad æternam salutem pertinent, semper augere. Ambros. lib. 7. in Luc. ait: *Deus ab operibus mundi quieuit, non ab operibus salutis, cuius sempiterna, & iugis operatio est, sicut filius ait: Pater meus vsque modo operatur, & ego operor; vt ad similitudinem Dei sæcularia nostra opera, non religiosa cessarent.* Non cesset in nobis operatio religiosa, qua in salutem quotidie debemus instaurari; sed hoc sit studium, hæc fidelium omnium cura, vt nihil religiosum, nihil operis salutaris ad finem vergat, quin potius quotidie nouitio splendore nascatur. Nec ab hoc mysterio alienum est, quod Sabbathi ille dies sanctissimus Iudæis, penitus è Christianorum solemnitatibus expungagatur; nihil enim voluit Deus in noua lege esse, quod cessationem operis virtuosi sapiat. Pro quo eleganter D. Athanasius homil. ad illud: *Omnia mihi tradita sunt.* sic philosophatur. *Priorem igitur creationem cum absoluisset Deus, quieti se dedit. Ac propterea Sabbatum in die septimo obseruabant homines generationis illius. Cæterum secunda ætas, sine creatio finem non habet. Ideòque neque quietem assumpsit, sed vsque in præsens operatur: Ideò enim priori populo Sabbatum iniunctum est, vt cognosceret finem, & prinicipium creaturæ. Cæterum noua creaturæ non præcepit obseruationem Sabbati, vt initium quidem in Dominica die agnosceret, sed tamen insinibilem esse, & numquam desituram gratiam certū haberet.* Expende illud: *noua creaturæ nō præcepit obseruantionem Sabbati*; non permittitur noua creatura videre finem operationis, vt quæ inde noua sit, quod infinibile operis exercitium habeat. Nescit lex gratiæ vltimas in operando manus, sed quandiu tempus est, tandiu eius operatio ad salutem instauratur. Ad sponsum suum dicebat illa Cantic. 1. *Oleum effusum nomen tuum, ideò adolescentulæ dilexerunt te nimis.* Et quod mirere magis, adolescentularum nomine significantur primi illi Christi dilectores, Apostolici viri, qui primitias spiritus receperunt, & per quos adoleuit Ecclesia Christiana. Et cur clarissimi viri, & validissimi vocantur adolescentulæ? Est hæc in adolescentulis cura, quæ validissimos quosque Christi athletas potest designare, nimirū, quod à pulchritudinis suæ exornādæ opere nesciant cessare, sed quotidie denuo idem aggrediantur. Non paucas horas consumpsit hodie puella ad speculum, intortos colligit crines, crispátésque flagellos ad aures vsque aptat; frontem læuigat, genarum candori minium admiscet; labij purpuram excitat; tota rosa, tota Venus. Nec vllus in iis finis, sed quoties nouus sol oritur, noua parantur pigmenta, & nouiter ad speculum accedit. Quod sic ponderat in rem præsentem Philippus Abbas, lib. 1. in Cantic. cap. 22. fatus: *Adolescentulæ dum voti finem desiderant obtinere, eis, quos diligunt, student curiosius complacere, & vt sese reddant illorum conspectui gratiores, nituntur summo studio, summa cura videri pulchriores. Dantes ergo, vel conseruandæ, vel acquirendæ operam speciei apposito sibi speculo, statum suæ considerant faciei: & aggaudentes*

Genes. 2. — Ioan. 5. — Ambros. — Athanas. — Cant. 1. — Philipp.

deuter bonis, quæ sibi adesse perpendunt à natura, quod illis minus consulit vigili supplent cura. Nulla die in puellis non instauratur studium adornandæ, expoliendæque speciei; quem conatum vtinam Christi athletæ in animæ pulchritudine æmulentur: nec sit dies, in qua de nouo addito virtutum decore non splendeant. Proh Deus immortalis, quam sic placebunt sponso diuino limò quam certo illum tenebunt! In præsenti ait: *Facta sunt Encænia, & ambulabat Iesus in porticu Salomonis.* Pro quo monet D. Thom in Cat. ex Theophy-
S. Thom. lacto, aiens: *Satagat tu quoque spirituales encænias tui templi celebrare; semper renouando te ipsum, & ascensiones in tuo corde disponens; tunc Iesus erit præsto tibi in porticu Salomonis, pacificum statum tibi tribuens sub tegmine proprio.* Vix pugnam noscet per Iesum, qui quotidie renouat, & instaurat virtutum opera. Vide in hoc, & aliis tomis plura de renouatione hominis.

§. II.

Vix tibi non pariet diuinos honores locus ipse, in quo obsequium Dei præstitisti.

IEsus ostenditur in porticu Salomonis: non solum quem Salomon ædificauit, sed magis in quo Salomon adorabat
Ericus. Dominum. Quippe ait Ericus homil. in præf. *Porticum Salomonis dicit, in qua rex ille quondam potentissimus ad adorandum stare solitus erat, atque ideò ex eius nomine cognominari cœperat.* Ecce tibi porticus destinatus Salomonis precibus, Iesum in se deambulantem ostendit, & quicumque locus à te diuino fuerit destinatus obsequio, nûquam non tibi ostendet, & pariet honores cœlestes. Potuit Salomon è viuis abscedere; sed locus, in quo Deum adorauit, & ad Deum fudit preces, non potuit illi auctorem æternæ salutis non exhi-
Ioan. 20. bere. Ioan 20. de Magdalena sic loquitur: *Maria autem stabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret, inclinauit se, & prospexit in monumentum, & vidit duos Angelos in albis, sedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi positum fuerat corpus Iesu.* Angeli Mariæ perseueranti apparent, vt illam consolentur, lætumque de Iesu nuntium referant, sed cur apparet alter ad caput, alter ad pedes diuinissimi corporis? Cur non magis vterque ad pedes, vel vterque ad latus diuinissimi corporis apparet? Pulchrè ait Galfridus apud Tilmannum
Galfrid. in alleg. *Meritò proinde duos vidisse Angelos, ad caput vnum, & ad pedes alterum perhibetur. Nam & ad pedes Domini vnguentum fuderat, & ad caput & pedes aliquando fleuerat.* Nota est Magdalenæ historia, quando stans retro secus pedes Iesu
Luc. 9. lacrymis cœpit eos lauare Luc. 9. & quando vnguenti li-
Ioan. 12. bram effudit super Iesu caput, Ioan 12. ne miremur, quod pedum capitísque locus exhibeat Mariæ cœlestia gaudia. quando in loco pedum, & capitis Iesu ipsa. & lacrymas & vnguenta effuderat in obsequium diuinum. Iud. cap. 2. etiam
Iud. 2. habes: *Ascenditque Angelus Domini de Galgalis.* Nimirum, dum Israelitæ effusi essent in idololatriam per varia loca, nec vllam penè veræ religionis memoriam haberent, de Galga-
1 lis ascendit Angelus Domini, qui illis apparuit, vt ad viam veritatis renouaret. Et cur non magis dicitur hic Angelus venisse de cœlis, quàm erupisse de Galgalis? Nónne cœli credi possent facilius posse proferre Angelos hominibus salutares, quàm Galgala? Ea loca Galgala dicebantur, in quibus Israelitæ sub Iosue, se suósque filios Domino per
Iosue 5. circumcisionem consecrarunt. Ait enim cap 5. Iosue: *Postquam autem omnes circumcisi sunt, manserunt in eodem castrorum loco, donec sanarentur. Vocatumque est nomen loci illius Galgala, vsque in præsentem diem.* Locus ergo tanto Israëlitarum erga Deum obsequio illustris, non miror, si promptior inueniatur ad proferendos Angelos eisdem salutares, quam cœle-
Theod. stia ipsa. Ad hæc Theodor. quæst. 6. in Iud. *Ascendit Angelus Domini à Galgalis. Galgala verò dictus est præputiorum locus. Inde mittit Angelum refricans illis puerorum circumcisionem.* Inde Angelus erumpit, vbi tanta in Dei obsequium celebrata est circumcisio; nec vllo magis clarent diuina obsequia in loco aliquo exhibita, quàm ex auxiliis, & bonis, quæ exinde ab illo loco scaturiunt. Iam Genes. 28. habes Iacob peregrinantem, & iuxta Luzam pernoctantem in monte, in quo vbi obdormit: ecce illi apparet scala ascendens à terra, vs-
Genes. 28. que ad cœlum: *Angeli quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam, & Dominus innixus scalæ,* &c. Non prius descendunt Angeli, vt ascendant, sed prius dicuntur ascendentes, deinde descendentes, quasi talis sit locus ille, quod ipse proferat Angelos, & præmittat in cœlum. Vnde euigilans Iacob, & totus pauescens, ait: *Quam terribilis est locus iste!* De quo Ru-
Rupert. pert. lib. 7. in Genes. cap. 33. *Notandum, quod non ipsum Dominum, sed locum pauescit, & dicit, terribilem esse.* Ex tanta visione hoc deducit, vt loco exhibeat reuerentiam, & in illum conferat causam tanti boni, quod emittantur Angeli, quod scala pateat cœlestis. quod Deus ipse adstet dormienti. Sed vnde huic loco hæ virtutes venerunt? Quid locus ille singulare habuit, propter quod ipse videatur causa tantorum bonorum esse? Cum Lyra & Carthus. & Caiet. respondet Va- Lyra.
tablus ibi: *Hic locus erat, vbi Abraham obtulerat filium suum.* Et Carthus.
quidem locus tanto Abrahami sacrificio illustris, non mi- Caiet.
ror si Angelos parturiat, & scalam, & Deum ipsum exhi- Vatablus.
beat protectorem Abrahamidum generi. Quo accedit, & illud Iud. 1. *Domus quoque Ioseph ascendit Bethel, & fuit Dominus cum eis,* &c. Erat Bethel locus vbi Abraham litauit filium Deo, iuxta supradictam sententiam; vbi ipse Abraham de Dei iussu construxit altare Deo, Genes. 12. vbi Iacob erexit lapidem, & votum vouit, nec potuit ille locus Iosepho tantorum Patriarcharum filio non exhibere Deum propitium.

§. III.

Huc tendat omne studium, & sciendi ardor, vt manifestius capiatur Deus.

IN porticu Salomonis deambulabat Iesus, ostendens sapientissimi, eruditissimi cuiusque laboris illud esse proprium, & singulare lucrum, quod adquirat, & habeat in se Dominum. Quò spectans Oseas cap 6. ait: *Sciemus, sequemurque, vt cognoscamus Dominum.* Expende, quo fine scire voluit, Osea 6.
quem scopum proponat sibi, in scientia acquirenda, inuestiganda, nimirum; *vt cognoscamus Dominum.* Ex quo monet amicum Philippus Abb. de Præmonstrato, epist. 4. *Te quoque* Philipp.
eo intuitu volo scire, multam literis diligentiam impertire, vt literarum adminiculo Deum scias, plenius, & sequaris, & sequendo instantia facie ad faciem cognoscere merearis. Vtinam omnes, qui mancipantur ordine literario, sic studerent, vt si illorum oculus eorum interior eorum scientia collyrio mundaretur, & ad videndum Deum promptior, & defæcatior redderetur. Hic si studiosi laboris scopus, vt in primis habeatur Deus, vt mentis puluis excussus literarum ludo cum sit, facilius ad diuina habenda animus extollatur. Et hoc vnum tolle à scientiis etiam prophanissimis, ne temporalia nimis quærant lucra, & fallar, nisi te ipsæ ad Dei cognitionem, & possessionem deducant.
Deuter. 21. sic cauet lex: *Si videris in numero captiuorum mulie-* Deut. 21.
rem pulchram, & adamaueris eam, voluerísque habere vxorem, introduces eam in domum tuam; quæ radet cæsariem. & circumcidet vngues, & deponet vestem, in qua capta est, sedénsque in domo tua, erit vxor tua. Mulier prophana adamata accipi in Israelitidem permittitur, dum & cæsariem radat, & vngues circumcidat, nec inepta putatur ad Dei cultum, quæ retia crinium, & vngues reliquerit. Quid plura? Id sapientiæ studioso dicitur, potest enim contingere, quod homo fidelis capiatur pulchritudine literarum prophanissimarum a quibus cum retia & vngues pro rapiendis bonis temporalibus succidat, ne quid temporale magis quærat. sed magis Deum exquirat, non damnum, sed lucrum maximum ex illarum studio percipiet. Quò accedit D. Hieronym. epistol. ad Pa-
mach. inquiens: *Sin autem adamaueris captiuam mulierem, id* Hieron.
est, sapientiam sæcularem, & eius pulchritudine captus fueris, decalua eam, & illecebras crinium, atque ornamenta verborum cum mortuis vnguibus seca: & multos tibi fœtus captiua dabit, ac de Moabitide efficietur Israëlitis. Sunt prophanæ literæ plenæ vnguibus ad capienda temporalia lucra, possis tu ab illis hos vngues tollere, has temporalitatis cupiditates succidere, vt solum vel præcipuè ametur diuina, & sapientia gentilis efficietur in te Israëlitis Deum manifestius videns. Hinc
Psalm. 70. *Quoniam non cognoui literaturam, introibo in potentias Domini: Domine memorabor iustitiæ tuæ solius.* Expende Psalm. 70.
quas literas expuat Dauid, vt potentias Domini intret; non expuit literas, sed literaturas expuit; nimirum, venales aduocatorum literas plenas vnguibus ad capiêda lucra temporalia: nec miror, quod expuat has hamatas literas, quibus sitibundi argenti aduocati iustitias litigantium tractant, prorsus immemores Dei iustitiæ. Ait Hugo Card. in præsen-
ti: *Maximè hoc intelligitur de literatura aduocatorum, quæ multas crabit, ne saluentur, & ipsa propriè dicitur literatura. Hæc literatura non placet Domino, quia est negotiatoria. Vnde alia editio habet, non cognoui negotiationes.* Tolle à literis vngues tolle negotiones lucrorum: & memor eris iustitiæ Dei solius: literæ enim, quæ negotiatoriæ sunt, & hamatæ ad tradenda lucra, & animabus sunt perditioni & orbi. Oseas cap. 11. non sic timet vallum machinarum, ætearum ignes, plumbosque Hugo.
fulmi

Osea 12. fulminantium, vt timet negotia rogarum, quippè ait: *Circumdedit me Ephraim negotiatione sua, & in dolo domus Israel*: quæ ad negotia fori trahit Hugo vbi supra; quasi hæc hostilius valleni, & expugnent vrbes, quã vllæ aliæ machinę bellicæ.

§. IV.

Templorum irreuerentia maximè cauenda.

NOn in templi interiori parte, sed in porticu exteriori deambulat Iesus, ne dum ab hostibus petitur, aliqua per illos fiat Dei templo irreuerentia. Sic religiosum est, sic diuinum, vt quis caueat, ne fiat irreuerentia templis, in quibus Dei præsentia hominibus exhibetur. Luc. cap. 2. vbi Mariæ partum meminit, ait: (Luc. 2.) *Peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio. Et pastores erant in regione eadem, vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce Angelus Domini stetit iuxta illos*, &c. Non miror modo quod Deus nasci voluerit in stabulo, & constitui in præsepio; sed illud maximè mirandum venit, quod nato Domino in stabolo, & posito in præsepio, nulli prius eius natiuitas ab Angelo nuntietur, quam pastoribus. Cur non prius nuntiatur Simeoni? Cur non prius Annæ prophetissæ? Nónne hi sanctiores, & illustriores erant in lege, & in gratia? Cur ergo iis dimissis, Saluatoris natiuitas nuntiatur prius pastori? Non fecit hoc pastorum meritum, sed stabuli in quo erat Deus reuerentia: quippe vicini pastores de more ad illud stabulum sese recipere solebant, ne autem inueterara consuetodine modo accederent, ideò vt qui propiores ad accedendum erant prius monentur de loci maiestate accepta à tanti regis præsentia, vt iam non consuetudine, sed debita reuerentia illuc accederent. Pulchrè in hanc rem fatur Eucher. homil. de Nat. (Eucher.) *Ea causa esse videtur, vt prius pastoribus hæc verba Angelus nunciaret, ne quasi incauti stabulum intrarent, & in præsepe adire tentarent, in quo puer positus erat.* Monitis pastoribus cauetur stabuli ingressus, ne incaute fiat, & irreuerenter; locus enim in quo Deus proponitur irreuerenter attingi minimè debet. Et quidem numquam non curant Angeli, vt sacris locis exhibeatur debita reuerentia Isai. c. 6. & sistitur Dei throno, & luget labiorum suorum immunditiem, & interea, sic ait: (Isai 6.) *Et volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari. Et tetigit os meum.* Cur necessum fuit quod Seraphim de altari sumeret forcipe prunam? Cur cauet eam mano accipere? An timet vri? Absit, sed vbi prunam in altari vident, indéque tollere illam est necesse, forcipe vtuntur, manum cauent, vt maiorem exhibeant reuerentiam. Ait Procopius, ibi: (Procop.) *Prophetæ purgationi subseruit vnus de Seraphim, qui carbone de altari forcipe accepto, honorem, quem altari exhibet, apertè significat, cum manu contingere non audet.* Huc veniant, qui sacra loca, res sacras nullam sciunt præstare reuerentiam, & discant à Deo, discant à virtutibus Angelicis, quàm debeant sacra omnia revereri.

Text. Circundederunt ergo eum Iudæi, & dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam.

§. V.

Horrendum est, quòd vel sub templi maiestate miseri homines ad bonam frugem non excitentur.

MEritò Iudæi isti sese effingunt homines animæ suspensæ, aut penè emortuæ, quando Iesum circumdantes in porticu templi, vel sub ipsa templi maiestate, æquè manent lapidei in salutis scientia. Meritò dum in templi porticu Iesum circundant malitiosè, & clamant: *Quousque animam nostram tollis?* Nescio enim an quid horribilius, & detrimentosius animæ hominis esse possit, quàm vel in templorum aditis Deum in malitiæ prosecutione non vereri. Nota est Iacobi historia, Genes. 28. quando exul à paterna domo pernoctat in deserto, lapidem capiti supponit, & ibi cubans, dum dormit, scalam vsque ad cœlos extentam prospicit, Angelos ascendentes, & descendentes. & Deum ipsum scalæ innitentem. Quid plura? Expergefit, & totus pauens, ait: *Terribilis est locus iste.* Cur locum Angelis scatentem, Deo plenum, sibi accessibile cœlum ostendentem vocat terribilem? Cur non magis dicitur suauis, deliciisque plenus talis locus? Quomodo potest putari terribilis, & non magis amabilis locus, qui scalas ad cœlos extensas ostendit, qui Deum cœlestia dona offerentem proponit? Sanè terribilis est locus iste illi homini, qui inter hæc omnia bona somno stertit; qui simul mente tractat, & spectat Angelos, scalas cœlestes, accessibilia cœlestia, Deum clementem, & ipse somno sepultus lapideus hæret, quem sic hæc omnia afficiunt ac si solum esse somniorum spectra. Non longè ab iis Rupert. lib. 7. in Genes. cap. 23. *Quid nam pauoris, vel quid terroris secundum se locus iste poterat habere? An quia Dominum in loco isto in somnis vidit? Nempe in aliis locis tam huic, quàm patribus eius multoties idem Deus apparuit.* (Rupert.) Non in aliis locis, sed in loco isto, & locus, & Deus terribilis redditur; & vna quidem sola res ibi erat maximi pauoris, maximique terroris, quod illic Deus, & cœlestia omnia ostenderentur dormienti, stertenti, lapidescenti, & non magis ad Angelos, ad scalas, ad Deum, quam ad insomnia attendenti. Sunt in templis Angeli, sunt sacramenta velut scalæ ad cœlum porrectæ, est Deus ipse in altari existens, est ibi patentissimum cœlum; hæc in templis vident plurimi, & mente ea credunt, nec tamen excitantur, sed maiori ibi voluptatum somno stertunt, & prorsus vitiis adhærent, ad illa omnia quasi lapidei dormientes, & non magis attendunt. Eu loci terribilitas pauenda! Eu maximi terroris res! Timeat, paueat, horreat, qui templis accedit, sic sepultus vitiorum somno; vt non maioris efficaciæ, quam insomnia, in illo omnia diuina videantur esse. Nec miror, quod huic sacer locus, quid pauendum intonet, & horrendum: lapidescere enim in vitiis, in tantorum sacramentorum conspectu, res est penè incredibilis malitiæ; quando hæc sacra vel ab ethnicis hominibus concilient sibi reuerentiam. Hinc Isaiæ cap. 60. ad Christi Ecclesiam fatur: *Gloria Libani ad te veniet, abies, & buxus, & pinus simul ad ornandum locum sanctificationis meæ, & locum pedum meorum glorificabo. Et venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum.* (Isai. 60.) Græcè legitur: *Et reges astabunt tibi.* Vbi maximè expendendum quod prius Ecclesiæ templa pretiosis lignis, lapidibúsque ædificanda, & ornanda, dicat, in quibus vestigia diuinorum pedum existant, & tunc statim addat: *Venient curui*, &c. vel iuxta Græcos, *reges astabunt tibi*, tanta enim erit sacri ornatus religio, & maiestas, vt vel à mundialibus regibus adorationem sibi concilient. Id quod Alexandri Magni exemplo confirmat Procopius in præsenti, satos, ex Iosepho lib. 11. Antiq. cap. 8. *Alexander vbi sacrum sacerdotis amictum est intuitus, iram statim, qua fuerat accensus, in adorationem commutauit.* (Procop.) Ira maxima dicitur exarsisse Alexander in Ierosolymitanos, quorum vrbem festinabat demoliri; at dum has iras mente tractat, in Pontificem sacris indutum vestibus sibi obuiantem incidit. Quid plura? Sacrum intuitus amictum, abiecit iram, & sese sacerdoti Dei supplex inclinat. Hæc potuit in ethnico, & ferocissimo iuuene, & mundi domitore, sacer amictus ob oculos propositus; qui es tu qui ad tantorum sacramentorum conspectum augeas vitiorum furias? Fallar, nisi peior es homine gentili, nisi penitus hominem exuisti. Oseas cap. 9. ait: *Speculator Ephraim cum Deo meo; propheta laqueus ruinæ factus est super omnes vias eius, insania in domo Dei eius.* (Osea 9.) Hæc verba vltima sic apud Theophylactum sonant: *Insaniam in domo Domini affixerunt*; (Theoph.) & quidem quæ alibi videntur esse peccata hominis infirmi, vbi in domo Dei peraguntur, non nisi ab insano, & prorsus rationis experte profecta putantur. Theophylact. ait: *In templo Dei execrationes infixerunt, has enim nominauit insanias, seu à dementia, insania, & stupore factas.* (Idem.) Insanus est, & longè ab humana ratione factus, qui in templo Dei peccata operatur. Huc trahe dicta tom. 3. lib. 15. cap. 7. §. 1. & alibi in hoc tom. 4.

§. VI.

Summa hominis miseria est, quod dæmoni mancipatus, & vitiis vitam agat laboriosissimam.

VIde Iudæorum miseriam vltimam, angustas Dei vias fugiunt, Iesum persequuntur, vt sese voluptatibus, vitiisque subiiciant, & tamen inter hæc clamant: *Quousque animam nostram tollis?* Sed ostendentes quasi in anxietate, & durissima, intolerabilique suspensione viuant. Quid miserius? Crediderim istam esse miseriam vltimam, quod quis sit dæmoni mancipatus, & vitiis; & ærumnosam, & anxiam, & laboriosam agat vitam. Luc. 8. sic extremam miseriam hominis explicat. *Qui habebat dæmonium iam temporibus multis, & vestimento non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis.* (Luc. 8.) Quota hæc miseria? Dæmonis erat domicilium iam

tempori

tempotibus multis,& interea, nec domum, nec vestem habebat, sed mortuis habitabat vicinus. Huc conueniant voluptatum mancipia, qui vt vitam agant luxuriosam, ad voces surdescunt diuinas, & malunt morem gerere tenebrarum principi. Quid tunc? Domicilia sunt dæmonum annis multis,& nec vestem habent,nec domum,nec valetudinem, nec vires; sed quasi cadauera putrida iam penè sunt in sepulchris. Sapienter ad hæc D.Basil.Seleuc. orat.23. inquit:

Basilius Seleuc. *Ærumna altera,altera grauior. Nam tum ipse dæmonum esset domicilium, pro domicilio habebat monumenta, vt & habitans, & vna habitatus mortuos inter habitare cogeretur.* Quid magis ærumnosum? Sanè hæc est extrema hominis miseria, quod sese dæmoni,vitiisque tradat,& laboriosissimus,& ærumnosissimus in perpetuis curis,& anxietatibus viuat. Quam miseriam, vt extremam aptat Oseas cap.12.rebelli,& idololatræ Ephraimo; ait enim:

Osea 12. *Ephraim pascit ventum, & sequitur æstum: tota die mendacium,& vastitatem multiplicat.* Expende quid pascat.& quid habeat; pascit,inquam,ventos,suauissimis voluptatum, diuitiarum, gloriæque temporalis auris aucupandis totus traditor,rectoribus aeris huius fit pascua, fit domicilium: sic ex Græco Theodoretus:

Theod. *Ephraim autem pessimi spiritus plenus.* Itaque & ipsum huius aëris rectorem, & omnes temporalium iucunditatum nouis in dies obsequiis captat,& pascit. Quid inde? *Sequitur æstum.* Pro auris captatis,quibus afflatus prospere mundi maria tranet,æstum habet, sub quo omnia germina salutis, & iucunditatis cadant.Quid miserius?

Hieron. Ait D.Hieronym *Spiritu pessimo pleni sequuntur ariditatem. siue ventum vrentem;qui contrarius floribus est,& germina cuncta disperdit.* Quis hanc non reputet extremam hominis miseriam? Quod rectori aëris huius seruias, quod vel tua ipsa substantia pascas ventos;& solum æstum obtineas, sub cuius venti flatu marcescas. decidas, & arescas,nónne hæc miserrima conditio hominis est? Accedant huc illi,qui Sapient.2. clamant:

Sapien.2. *Coronemus nos rosis; nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo vestrum exors sit luxuriæ nostræ;vbique relinquamus signa lætitiæ; quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors nostra.* Hanc partem suam, & sortem suam reputant omnes, qui pascunt ventos. qui sub signis rectoris aeris huius degunt, nimirum, quod floridi sint, quod in dies germinet illis noua lætitiæ materies. Vbi autem pro suauibus auris, pro floridis annis pro lætitiæ germinibus, vnus venit æstus,contrarios floribus, & qui omnia profert corrupta, & perdita; fallar nisi hæc sit calamitas extrema.

§. VII.

Impij, & deplorati peccatores, absque vllo studij, vel laboris pretio, volunt Deum habere, non aliter.

ECce deplorati peccatoris vox: *Si tu es Christus, dic nobis palam:* hoc est, dic apertissimè, vt nullo labore possimus percipere. Non aliter deplorati, peccatores volunt Deum habere. nisi ablato omni studio, & labore quærendi illum: vnde merito perduntur. Propone tibi ob oculos Ethnicos Magos ab Oriente venientes,vt quærant Iesum & Iudæorum principes Ierosolymis existentes, nec gradum facientes pro inueniendo Christo, sed solum expectantes Christum. Magi inquirunt de Christo nato,audiunt natiuitatis locum Bethleem esse,arripiunt viam

Matth. 2. Matth.2 *Et inuenerunt puerum, & Mariam matrem eius* Iudæi audiunt natum Christum; explicant natiuitatis locum, & domi manentes frustra expectant Christum. Et cur Magis, idololatris, nihil de Christo curantibus reuelatur & datur Christus; & Iudæis expectantibus Christum, auffertur Christus? Sanè illi peregrinantur,laborant,sciscitantur,vt inueniant Christum: & quamuis peccator, & perfidus sis, si laboras vt quæras Christum, inuenies illum. Hi autem expectant Christum, sed domi:quasi sedentibus, & non laborantibus occursurus sit Christus, vnde Christum amittunt, & spem salutis. Ex

August. quo monebat D.August ser.43 ad fratres in Eremo. *O Christiane caue,ne quæras Christum cum Iudæis,sed cum paganis regibus perquirere non desistas. Pagani veniendo ad Christum laborant, sed Iudæi quiescendo Christum ignorant.* Expende illud, *quiescendo Christum ignorant;* quisquis sit licet idololatra,licet vitiorum omnium mancipium, si operam dat quærendo Christo, inueniet procul dubio viam salutis, quia quærit cum regibus laborando Sed sunt perditissimi homines, qui cum Iudæis volunt Christum, nihil faciendo, sed prorsus quiescendo: sunt qui expectant Christum, qui expectant cœlestia bona; & quomodo expectant ea? Vt Iudæi expectabant domi sedentes Christum expectantes, quod absque diligentia sua,absque labore suo, absque studio suo,absque inquisitione sua, Christus illis sit occursurus. Eu perditissimorum hominum expectatio! Iudæus reprobus,& deploratus est, qui sic cœlestia expectat, & diuina, vt nihil, aut parum pro illis habendis efficiat Et quid magis deploratam vitam Christiani ostendit, quam quod iuxta sit occasio salutis Bethleem, seu domus panis, & ipse nec gradum facit, nec manum porrigit, vt accipiat, quo possit viuere? Oseas cap.6 inquit: *In domo Israel vidi horrendum: ibi fornicationes* Osea 6.
Ephraim:contaminatus est Israel. Sed Iuda pone messem tibi. Quæ verba sic apud Theodoretum leguntur: *In domo Israel vidi* Theod.
horribilia, ibi fornicationem Ephraim, contaminatus est Israel, & Iuda dimisit messem suam Inter horribilia crimina,& deplorata Israelitarum, illud ponitur quod Iuda *dimisit messem suam,*& quantum hoc crimen erat,quod reliquerit messem? Sane in ciuilibus summum esset detrimentum, quod quis ita otio, & inertiæ se dederit, vt messem iam collectam, & instantem dimiserit, ne aliquo modo laboraret in metenda illa. Et in spiritualibus dubitabit nemo summum esse deplorati sceleris indicium; quod vbi cœlestium fructuum messis instat, vbi perstrepent diuini frumenti spicæ in Eucharistia cæteraque gratiarum sacramenta exundant, tempus,& locus inuitat, & salus prope ob oculos posita arrideat;adeò quis pigritet;vt nec pedem moueat, nec manum porrigat, sed expectet sibi otianti, & sedenti, imò stertenti salutem obuenturam.Pulchrè ad hæc Theodoret.ibi: *Quod* Idem.
vero sceleratissimum est, eo tempore cum metendi essent, & percipiendi diuinorum promissorum fructus, tunc messem non collectam reliquit,at otio,inertia posthabita fuit à Iuda. Hoc semper sceleratissimum est, quod instanter occasiones metendæ salutis contemnas, nec manum porrigas ad opus, laborem fugiens, expectans tibi otianti, & nihil boni agenti omnia cœlestium felicitatum genera obuentura. Et sanè sine labore, & iustitiæ operibus possent magna aliqua Dei dona haberi, at nec minima spes salutis potest esse adultis sine illis. Apud Lucam multæ personæ introducuntur plenæ diuinorum munerum, & nulla earum vocatur expressè iusta: vbi autem ad Simeonem ventum est cap.2.statim ait: *Et ecce* Luc.2.
homo erat in Ierusalem,cui nomen Simeon, & homo iste iustus,& timoratus, expectans consolationem Israel. Dicitur paulo ante: ecce virgo concipiet.& non dicitur, quod virgo erat iusta: dicitur Elizabeth in senectute parere, & Ioannes in vtero exultare; & Zacharias prophetare ad pastores Angelos videre,& nullus iustorum dicitur esse iustus,quamuis omnes sanctitate pollebant. Simeon autem non nominatur quin statim dicatur iustus, & timoratus:& cur necessum fuit Simeonem magis exprimere iustum. quàm omnes alios dictos? Cæteri magna quidem,& gloriosa Dei munera excipiebant,sed quæ possent haberi sine operibus iustitiæ.at Simeon hoc recipiebat, vt expectaret consolationem Israël, nimirum, redemptionem, & animarum salutem: cuius nec minima spes potest esse sine operibus iustitiæ. Pulchrè D.Ambros.ibi: *Virgo generat,sterilis parit,mutus loquitur, Elizabeth prophetat,Magus adorat,vtero clausus exultat,vidua confitetur,iustus expectat.* Ambros.
Cum salutis spe non potuit non exprimi opus iustitiæ:turpiter enim expectat salutem,qui non laborat,& operam nauat acquirendæ illi.Componite adhuc iustum hunc senem, cum senioribus Ierosolymitis:de hoc dicitur Luc.2. *Homo iste iustus, & timoratus expectans consolationem Israel.Et venit in templum.Et cum inducerent puerum Iesum parentes eius, ipse accepit eum in vlnas suas, & benedixit,* &c. Luc.2.
Hic expectabat consolationem Israël:sed & seniores Ierosolymitani expectabant Messiam: ille autem,vt expectabat, sic primo spiritus impulsu viam arripit, venit in templum, puerum manibus tractat, & sacro pondere premit senescentes vlnas:hi,& expectabant,& audiunt natum clamantibus Magis,& locum indicant,& manent domi,& nec pedem nec manum mouent,vt vel existentem in ianuis attingant.Et quidem scelestissimus est,qui expectat & manet,nihil laboris,diligentiæ adhibens nihil:ille felix,qui expectat, & vadit,& manibus retractat incumbens operibus iustitiæ. Vnde extollit Simeonis accessum D.Thom.in Cat.ex Nysseno, inquiens: *Quam beatus ille factus ad sacra introitus per quem ad vitæ terminum maturauit. Beatæ manus, quæ verbum vitæ palpauerunt, & vlnæ quæque quas ad susceptionem parauit.* Para pedes, para vlnas, vt des operam iustitiæ, quisquis velis Iesum noscere, deque eius meritis habere salutem, quæ nulli sine studioso proprio labore inter adultos obtingit. D.Thom.

Text. Respondit eis Iesus: Loquor vobis, & non creditis. Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me. Sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis, oues meæ vocem meam audiunt. Et ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum. Et non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus, quod dedit mihi, maius omnibus est. Et nemo potest rapere de manu Patris: Ego & Pater vnum sumus.

§. VIII.

Paternæ virtutes, in quibus quis natus, & altus est, semper præ oculis habendæ sunt, vt quæ validissimæ sunt ad hominem firmandum in bono.

EXpende verba illa, nimirum: *Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei.* Quid est, *facio in nomine Patris mei*; quasi in omnibus operibus suis paternum nomen respiceret, paternas glorias, paternásque virtutes, patri semper acceptum referens quidquid illustre perficeret. Sic Ericus in præsenti: *Ericus.* *Suorum operum omnem gloriam Deo Patri adscribit, cum ea in eius se nomine facere asserit.* Nec miror, quòd adscribat patri, quæ paternum nomen, & virtutem intuens ipse facit; virtutes enim paternæ, in quibus quis natus est, si præ oculis ponantur, validissimæ sunt, vt filiú in virtutes, gloriosaque facinora trahant. *Psalm 38.* Dauid Psalm. 38. sic ad Deum clamat: *Aduena sum apud te, & peregrinus sicut omnes Patres mei.* Et Abrahami, & Iacobi peregrinationes, in quibus ipse natus, & educatus fuerat, mente voluebat, nec hoc sine lucro, quinimo ex hoc eius virtus creuit in miraculum. Quippè ait D. Chrysostom. *Chrysost.* homil. 65. in Matth. *Mirabilis Dauid factus est: maiorum enim suorum virtutes præ oculis ponebat. Aduena, inquit, ego sum, & peregrinus, sicut omnes patres mei. Neque is solum, sed omnes ei similes, non peccatores, sed virtutibus coruscantes tenaci mente vertebant.* Et Dauid, & Dauidi similes inde in virtutum & facinorum miracula surrexerunt, quod maiorum suorum virtutes, non vitia tenaci mente voluebant. Et quidem validissimæ sunt paternæ virtutes, in quibus quisque natus est, & educatus, vt vel præcipites in vitia filios, in præclara facinora trahant. Id quod speculabatur D. Ambros. in virdante illo filio à columba, post diluuium allato: ait enim Gen. 8. *Genes. 8.* de columbâ: *Venit ad eum ad vesperam portans ramum oliuæ virentibus foliis.* Et quando omnes arbores diluuij tempestate perditæ sunt, quomodo tam citò potuit inueniri virens ramulus? Fractæ sunt arbores omnes, & perditæ diluuij tempestate, sed viuida, & integra permansit oliuæ illius radix; vbi autem bona radix fixa manet, non mirum quod rideat diluuia, & ramos virentes agat. Quid plura? Vbi radicis virtus, vbi paternæ gloriæ nobis in mente fixæ manent, fallar, si in exitium eamus, si non magis in virtutum virore contineamur. Ad hæc pulchrè D. Ambros. lib. de Noë, cap. 19. *Ambros.* *Hoc alinæ rami interpretatione Noe collegit, quia Dominus Deus noster, quamuis acerbis iniquitatis nostræ offensus sit erroribus, tamen antiquæ nobis prosapiæ, patriæque virtutis, semen aliquod, vel exiguum reseruaret, ne penitus operis, & creaturæ suæ omne circa humanum genus amputaretur insigne. Vnde & Isaim ait; nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus.* Expende, quod semen in nobis à Deo relinquatur, ne in vitia, & damnationem penitus abeamus; nimirum, *antiquæ prosapiæ, patriæque virtutis semen*, hoc est, memoria virtutum paternarum, in quibus nati fuimus, & educati. hæ namque fixæ in animo manentes adeò validæ sunt, vt possent nos vel à perditione reuocare, & in bonam frugem trahere. *Prou. 6.* Hinc monet Prouerb. 6. *Conserua fili mi præcepta patris tui, & ne dimiseris legem matris tuæ. Liga ea in corde tuo iugiter, & circumda gutturi tuo.* Quasi nihil sic valeat ad continendum, siue instaurandum filium, quam iugis recordatio paternarum virtutum, sub quarum præceptis prima vitæ alimenta sumpsit. Hinc & Iesus, dum Matth. 12 accusatur, quod permiserit *Matth. 12.* Sabbato à discipulis legi spicas, statim respondet: *Non legistis, quid fecerit Dauid,* &c. Vbi D. Athanas. homil. de semente, inquit: *Qui ex Dauid est, Dauidem meminit:* nec aliud pro se quisquam melius testimonium adducet, quam si ostendat, semper præ oculis sibi esse paternas virtutes.

§. IX.

Thesaurum æternæ salutis, nisi tu dederis, nulla contraria vis tibi eripiet.

ECce vobis felicitatem Christianarum ouium: *Non rapiet eas quisquam de manu Dei*; nisi ipsæ se dedant, a nulla aduersa potest illis eripi thesaurus salutis. Petro audienti, & confitenti Dei filium, ait Iesus Matth. 16. *Matth. 16.* *Beatus es Simon Barjona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Quid mirabilius? Portæ inferi, vniuersæ contrariæ potestates aduersus fundatos in Christo insurgunt, nec præualent: acriter eos impugnant, sed non expugnant; occidunt, mactant, perdunt corpora, sed nihil sibi præripiút mentis. Marmoreum ne, aut æneum est tanti ædificij fundamentum? Non marmoreum, sed Christianum est, quando sola Christi confessio sic reddit suos inexpugnabiles, vt vel perditis omnibus externis, thesaurus salutis integer maneat. Pulchrè D. Chrysostom. serm. de Pentecost. ait: *Chrysost.* *Nec enim est insensibilis illa ædificatio, quod si talis esset, solueretur tempore, confessionem autem pietatis neque dæmones, neque vlla creatura vincere potest. Testantur martyres; quorum latera radebantur, sed fides non frangebatur. O noua rerum materies! Parietes effodiuntur, & thesaurus non aufertur. Etenim super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Expende illud; *parietes effodiuntur, & thesaurus non aufertur*; possunt equidem contrariæ potestates parietem effodere, hoc est, corpus secare, torrere, mactare, euiscerare, sed salutis æternæ thesaurum inibi absconditum, minimè possunt auferre, nisi ipse qui patitur prorsus liberè, & spontaneè dederit. Huc accedit illud Pauli ad Roman. 8. *Rom. 8.* *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? angustia? an fames, an nuditas? an periculum, an persecutio? an gladius?* Ecce tibi vt omnes aduersarias potestates vocat in certamen, & statim: *Certus sum enim, quia nec mors, nec vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Qui in Christo est fundatus salutis thesaurus omnes ridet creatas potestates, quę possunt quidem multa damna homini Christiano inferre, sed minimè possunt thesaurum eripere, nisi dante ipso. Vnde sapienter D. Bernard. serm. de duplici *Bernard.* baptismo, ad hæc fatur: *Attende quanta enumerauit Apostolus, minimè tamen adiiciens, nec nos ipsi. Nimirum, hæc est libertas, qua Christus nos liberauit, vt nulla penitus creatura auellere nos, aut vim facere posset. Soli id deserere possumus propria voluntate abstracti, & illecti à propria concupiscentia. Præter hanc enim nihil est, quod timeamus.* Dum nos volumus, thesaurus salutis prorsus est inaccessibilis, à nullo potest aduersario minui; nostra sola voluntas potest perdere illum. Quod probè calleos hostis noster vbi Iesum impugnaturus accedit, non militares admouet machinas, quæ vel æneos muros comminuant, sed solum quasi orator accedens, inquit Matth. 4. *Matth. 4.* *Mitte te deorsum,* vbi D. Pasch. ait: *Paschas.* *Mitte te deorsum, ait, in quo satis admodum infirmitatem suam nobis demonstrat, malitiamque designat, quod nemini posset nocere, nisi se homo infelix prius deorsum miserit.* Dum nos in protectione altissimi volumus esse, dum non inde nos liberè & spontaneè deiicimus, ficulnea sunt omnia inimici tela quæ possunt parietem fodere, corpus occidere, sed non possunt thesaurum eripere.

§. X.

Felix ille, cuius anima omnia hæc mundialia supergreditur, & vni Deo nititur.

TOta hæc felicitas hominis est, quod eius anima sese mundo eripiat, & in Dei manibus constituat; de manu enim Dei nullus est, qui possit animam eripere. Sic enim ait Dominus: *Et nemo potest rapere de manu patris.* Et quod malum pertinget eum, qui in Dei manibus solis nititur? De *Dan. 13.* Susanna aiebat Dan. 13. *Erat cor eius fiduciam habens in Deo:* cor Susannæ non in diuitiis, non in cognatis, non in pulchritudine, non in proprio corpore erat, sed in solo Deo figebatur, & inde habuit nullo posse tentationum ariete feriri. Ait enim D. Ambros. lib. de Fuga sæculi, cap 9. *Ambros.* *Pulchrè animam effudit Susanna, vt in eam non possint euaporare incendia corporis, mortis formidines, vitæ cupiditates.* Sapiẽter pia fœmina cor suum, animam suam, & sibi, & mundo eripuit, illamque

que in Deum totam effudit, quo factum est, vt nihil corporis, nihil mundi illam perringerent. Felix qui sic se mundo eripit, & se super astra constituit; non timebit sibi à terræ vaporibus, non a formidinibus hostium, non ab illecebris mundi; sed omnia secura habebit, & firma in Christo. Infelicissimus ille seruus dum thesaurum ab hoste abscondit, perditionem incurrit. Matth. 25. & cur qui tam anxie abs-
Matth. 25. condit thesaurum, perditionem inuenit? Ait ipse: *Timens abij, & abscondi talentum tuum in terra:* abscondit in terra, cur non periret? Vtinam absconderet in Christu, & haberet om-
Philipp. nia in tuto. Philipp Abb. lib. 3 in Cant. cap. 11. *Longè iste felicior, si labori huic operam non dedisset: si terram lutulentam molli negligentia non fodisset; & [illegible] damnum duplicato sumere respondisset, & abscondi sic in petra meruisset.* Hæc tota felicitas, quod in petra Christo absconderet thesaurum suum; in quo solo haberet omnimodam firmitudinem: quando extra Iesum quidquid est, labile est, & ruinæ labat addictum. Hinc
Matth 27. Matth. 27. vbi Iesus crucifixus erat: *Prætereuntes blasphemabant eum mouentes capita sua.* Et merito mouebant capita sua, ostendentes, quàm iam labarent ad ruinam, qui alienabantur à Christo, in quo tota est hominis securitas. Vt di-
August. cat D. August. Psalm. 41. *Verò enim ad caput agitabant, quia vero capiti non inhærebant.* Soli qui Iesu inhærent, ij minime timent firmitudini suæ. Huc trahe dicta 1. tom. lib. 4. cap. 1. §. 17. & alibi.

Text. Sustulerunt ergo lapides Iudæi, vt lapidarent eum. Respondit eis Iesus: Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis? Responderunt Iudæi, de bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, quia tu homo cùm sis, te facis Deum. Respondit eis Iesus: Nonne scriptum est in lege vestra, Ego dixi, dij estis? Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, &c.

§. XI.

Hostilis, diabolicique furoris est, etiam de magnis, euidentibusque proximi virtutibus, parum, aut nihil videre.

Multa dicuntur opera bona à Iesu facta, & Iudæis ostensa: Iudæi autem lapidibus armati clamant: *De bono opere non te lapidamus, sed de blasphemia;* de bono, inquiunt, opere, non bonis operibus; licet enim multa essent a Iesu bona ostensa; ipsi quasi de vno solo facto opere loquuntur, dicentes in singulari, de bono opere non te lapidamus. Et quando multa erant a Iesu virtutum opera facta, cur ô Iudæi, non magis dicitis, de bonis operibus non te lapidamus? Manifestissimus in illis apparet diabolicus furor, hostilis affectus, cuius proprium est, aut diminutas, aut nullas proxi-
Iob 1. mi virtutes videre. Accipe de Iob cap. 1. *Dixit Dominus ad Sathan: Nunquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit similis in terra, homo simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo? Cui respondit Sathan, ait: Nunquid Iob frustra timet Deum?* Expende Dei verba, & verba diaboli circa eumdem Iob; Deus Iobum commendat à simplicitate, à rectitudine, a timore diuino, ab innocentia, à singularitare in iis omnibus; ait enim: *Non est similis ei in terra, homo simplex, & rectus, ac timens Deum, recedens à malo.* Has tot virtutes euidentissimas, & singularissimas Deus in Iobo pandit. Quid ad tantas Iobi virtutes diabolus ipse ait: *Nunquid Iob frustra timet Deum?* Non simplicitudinem, non rectitudinem, non innocentiam, non singularitatem meminit, sed tantum timorem adducit, vt infamet. Pulchrè in præsenti ait Catenæ Græcæ auctor: *Verba pro[illegible]* ; nec maligni spiritus hostilisque furoris possent dari euidentiora verba, aut signa magis clara; quando de tanta virtutum segete, quod minimum poterat esse timoris seruilis, illud solum clamat, nihil videns am-
Hugo. plius Hugo Cardin. *Non fecerat Iob malum, quod vigeeret Sathan, bonum eius diminuit.* Huc vsque peruenit semper hostilis animus, vt vel notissimas proximi virtutes diminuat, & diminutas esse ostendat vel prorsus putet nullas. Ioan. 5. paralyticus homo post triginta & octo annos consumptos in infirmitate Christi Iesu opere salutem accepit adeò robustam, vt posset grabatum suum humeris portare. Erat autem Sabbatum cum portabat grabatum; in cuius rei excusationem miraculo[illegible] salutis opus ipse proclamabat aiens: *Qui* Ioan 5.
fecit me sanum, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula. Cui Iudæi statim: *Quis est ille homo, qui [illegible] Tolle grabatum tuum, & ambula.* Expende, quæso dum enim de Iesu clamabat paralyticus, & opus salutis suæ ab illo perfectum, & sublationem grabati imperatam. Iudæi autem nihil de bono salutis opere loquuntur, miraculosam sanitatem non vident; solum grabatum in Sabbato portatum attendunt, quod possent calumniari. Sic Iudæi, sic hostiles animi ad etiam euidentissimum opus bonum proximi sui sunt talpæ, qui lyncei sunt ad malum. Ait D. Athanas. homil de semente, fatus: *Ille surgens, tulit grabatum suum, & ambulabat; erat au-* Athanas.
tem Sabbatum. At Iudæi non viderunt miraculum factum in Sabbatho, sed eum qui grabatum suum baiulabat. Ecce ubi hostilis affectus proprietatem, lynceus est ad videndos defectus, vel ex vmbra; ad videnda autem præclara facta prorsus est talpa, minime videns etiam euidentissima virtutis documenta, quæ præ oculis habet. E contra verò in quo non hostilis, sed amicus affectus est erga proximum; remotissima quæque proximi sui bona facta callet, & in lucem trahit.
Post Iobi plagam enarratam, ait cap. 2. *Igitur audientes tres* Iob 2.
amici Iob omne malum, quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo Eliphaz Themanites, & Baldad Suhites, & Sophar Naamathites; condixerant enim, vt pariter venientes visitarent eum, & consolarentur. Cumque eleuassent procul oculos [illegible] non cognouerunt eum, & exclamantes plorauerunt, &c. A longè vident eum, & non cognoscunt & tamen eius vicem plorant? Cur sic afficiuntur erga eum, ac si hominem cognouissent, & clarissimè vidissent? Planè non cognoscunt ex facie, sed cognoscunt eius virtutes; potuit Sathan sic deformare hominem, vt penitus redderetur suis ignotus; at non potuit facere, vt vel in tanta deformitate, & perditione externæ figuræ interiores eius virtutes non olfacerent amici etiam remotissimè posi-
ti. Ait Orig homil 3. in Iob: *Videntes eum de longè, non cognouerunt eum. Vultum non agnoscunt. Faciem non agnouerunt sed sinceritatem agnouerunt.* Proh quam oculata est amicitia vt videat virtutes sui proximi; in deformato penitus amici vultu, vel a longe recognoscunt virtutum formas. Origen.

CAPVT X.

Disputatio de matrimonio, & cælibatu.

Matrimonii facilem dissolutionem cupientibus Pharisæis ostendit Dominus eius perpetuitatem ex ipsis naturæ humanæ primordiis, vbi vni viro vna fœmina creata fuit, quasi iam ex tunc horrens natura, quod vir ab vna ad aliam transire posset. Naturæ subscripsere diuinæ voces clamantes: *Erunt duo in carne vna*, ne putaretur facilior matrimonij dissolutio, quam est diuisio vnius indiuidui hominis. Qui verò hanc legem condidit Deus per Adamum, illam dispensauit per Moysen Israeliticis populis quasi coactus duritie eorum. Sed vbi abundantior spiritus hominibus datus est, cum legis Mosaicæ abolitione primæua apparuit indissolubilitas matrimonij, vt vel hinc virginitatis, continentiæve flores essent hominibus iam gratiores.

Matth. 19. Accesserunt ad Iesum Pharisæi, tentantes eum & dicentes: Si licet homini dimittere vxorem suam quacumque ex causa?

§. I.

Libido omnem modum abiurat.

Non est cur multum laboremus in quærenda occasione propositæ quæstionis, cum notissima sit voluptuosa Pharisæorum libido, cuius fax nullis nuptiis extinguitur, sed semper ad alias festinat. Isti ergo voluptuosi Pharisæi, vt erant pleni libidine, sic nil aliud mente voluebant, quàm si causam inuenirent, qua nouas facerent nuptias prioribus dimissis. Et non contenti causis à lege assignatis, adhuc alias inuestigant, & sic volunt rem disponere, ne vnquam causa deficiat, vt sic semper pateat locus nouæ libidini. Chrysost. hom 3. in Matt. *O effrænata lasciuia Pharisæorum. Interrogant ant,* Chrysost.
si

ſi ex omnibus cauſis licet dimittere vxorem, ſcientes, quia modum neſcit libido, ſed quanto magis exercetur, tanto magis accenditur, non leuiter, nec infra terminos vnius coniugij capit libido. Quo plus epotæ, plus ſitiuntur libidinoſæ aquæ, nullus modus, nullus terminus non tranſgreſſioni patet, vbi ardet libido. Nemo ſe fallat, & putet ſe in obtenta aliqua voluptate poſſe quieſcere, inſaturabilis eſt carnalis appetitus, & vbi

Prou.30. rem potitur, ad aliam feſtinat. Prouerb.30. *Tria ſunt inſaturabilia, & quartum quod nunquam dicit, ſufficit. Infernus, & os vuluæ, & terra.* &c. Septuag. legunt: *Infernus, & amor mulieris*, &c. Qui laſciuum amorem habet, quid habet gehennæ par, & ardentiſſimæ fornaci, quæ in appetendo finem non faciat.

Cyprian. Ex quo D.Cypr.lib.de ſingul.clericorum, ait: *Quanto magis ante prouidenda eſt omni prouiſione calamitas fœminarum, cuius cupido ſi admittitur incipere, nunquam prorſus accipit finem? Cuius comparationem Salomon explicat, dicens: Infernus, & amor mulieris. & terra, quæ non ſatiatur aqua, & ignis non dicit, ſufficit.* Inter inſaturabilia ponitur libidinis affectus inferno proximus, vt oſtendatur, quam in nullo ab inferno diſtet laſciuus, qui de inferni flammis habet, nunquam conſumi, nec terminum ſibi vllum præfigere, ſed ſemper noua appetere, & ab iis ad alia tranſilire. Dum ad fontem Iacob ſede-

Ioann.4. ret Ieſus, Ioann.4. dicebat mulieri Samaritanæ: *Omnis qui bibit ex aqua hac, ſitiet iterum:* quam proprietatē recognoſcens D.Auguſt. in illa meditatur, quid recipiant homines ex percepta voluptate.

Auguſt. Quippe ait lib. quæſt.83. quæſt.64. *De terrena conuerſatione hauriunt homines voluptatem, qua percepta iterum in eius appetitum inardeſcunt, ſicut de aqua illa, qui biberit, ſitiet iterum:* pari hydropiſi tenentur homines ex aqua, & voluptate; vt hydropicus non ſatiatur aqua, ſic voluptas nunquam affert ſatietatem, ſed ſitim acuit. Vnde monebat

Eccleſ.9. Eccleſiaſticus, cap. 9. *Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circumſpicias ſpeciem alienam. Propter ſpeciem mulieris multi perierunt; & ex hoc concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit.* Expende ſequelam illam; multi dicuntur ſeſe perdite tradidiſſe mulieribus, & ex hoc concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit: expectabam, quod qui ſe perdite tradiderit laſciniæ, aliquando ſatiatus hæreret; ſed contrarium prorſus accidit, quia nimirum ex hoc appetitus creuit, & ardentius cœpit

Deut.17. noua appetere. Hinc monebat diuina lex Deut.17. *Non habebit vxores plurimas, quæ alliciant animum eius.* Septuaginta in rem præſentem ſignificantius poſuerunt: *Vt non diſcedat cor eius.* Et quo poterit diſcedere cor hominis traditi pluribus fœminis? Non equidem tam timetur, quod laſciuium traditum pluribus fœminis, ibi penitus quaſi in ſalebra hæreat; quàm quod protinus inde ad alias diſcedat. Quò re-

Hieron. fero illud D.Hieron.lib.1. aduerſus Iouinianum: *Non hic de meretrice, non de adultera dicitur, ſed amor mulieris generaliter accuſatur; qui ſemper inſatiabilis eſt, qui extinctus accenditur, & poſt copiam rurſus inops eſt.* Vt de copioſis pabulis ignis accenditur, & in immenſum creſcit, vt maiori pabulo egeat, vt non ſolum vicina, ſed etiam longè diſſita petat; ſic mulierum amor de maiori pabulo maius excitat incendium, quod minimè prioribus ſit contentum.

Text. Qui reſpondens ait eis: Non legiſtis, quia qui fecit ab initio maſculum & fœminam fecit eos? Et dixit: Propter hoc, dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ: & erunt duo in carne vna. Itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet.

§. II.

Deus diſtinctionem poſuit maris, & fœminæ; laſciuia omnia confundit, & vniuerſos facit eſſe fœminas.

SVmmus rerum creator vbi hominis opificium aggreditur, quales putas homines condidiſſe? Ait textus: *Maſculum, & fœminam fecit eos:* maſculos fecit Deus eſſe, virilique robore, & virtute pollentes; at vbi laſciuia intrauit, ſic vniuerſam naturam effœminat, ſic viros ipſos conuertit in fœminas, vt vix diſcerni poſſent, vel nominum differentia.

Matth.14. Matth.cap.14. Ioannis Baptiſtæ paſſionem tractans, ſic eius tyrannos meminit: *Herodes enim tenuit Ioannem, & alligauit eum; & poſuit in carcerem propter Herodiadem vxorem fratris ſui: dicebat enim illi Ioannes, non licet tibi habere eam.* Ecce duo luxuriæ mancipia armantur in prædicatorem caſtitatis, nimirum, Herodes & Herodias: nec putes caſu factum eſſe, quod vtrique nomina adeò ſimilia, & pene vna dantur; ſemper enim laſciuia ſuos alumnos ad fœminarum, & nomina, & naturam trahit. Pro quo D.Fulgent.ſerm.7.de Ioan. ſic ad hos fatur: *Dicite mihi, quid habetis cum Ioanne Herodes, & Herodias, quos ad conſortium nominum adduxit impuritas criminum?* Vitæ impuritas, laſciuus animus ſic poteſt validiſſimos etiam viros effœminare, vt nec vocabulis à fœminis diſcernantur. Rideat hic Iuſtin.lib.1. ſuum Sardanapalum inter ſcortorum greges, purpuram colo nentem, & muliebri habitu omnes fœminas ante euntem. Rideat Seneca in Hippolyto cantatiſſimum Herculem, monſtris, & feris terribilem, tandem vbi libidinis flammis ardere cœpit: Fulgent.

Natus Alcmena poſuit pharetram Senec.
Paſſus aptari digitis ſmaragdos:
Et dari legem rudibus capillis,
Crura diſtincto religauit auro,
Luteo plantas cohibente ſocco.

Quid plura? Rideantur vniuerſi gentiles, quos ſic laſciuia euirauit, vt dicat D.Athanaſ.de illis, orat.contra idola: *Viri quoque abdicato ſexu, nec ſe amplius mares eſſe ferentes, mulierum naturam affectauerunt, tanquam ita honorifica, grataque matri deorum facturi eſſent.* Et vtinam hæc potuiſſet laſciuia in ſolis gentibus facere, at vereor ſimilia perfecta eſſe in hominibus fidelibus. De principibus & magiſtratibus Ieroſolytanæ vrbis loquebatur iuxta Forer.Iſai.cap.3. *Eleuatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum, ibant, & plaudebant, ambulabant, & pedibus ſuis compoſito gradu incedebant.* Magiſtratus carpis, & de fœminis ſermonem facis? Equidem ait Forerius, tales ex laſciuia redditi erant magiſtratus, & principes, vt nec in ornatu, nec in cultu, neque in inceſſu, neque in nomine poſſent à fœminis diſcerni. Quam fœditatem à laſciuia dilapſam in orbem Romanum miratus Saluian.lib.7. de gubern.ait: *Quis credere, aut audire etiam poſſit, conuertiſſe in muliebrem tolerantiam viros, non vſum ſuum tantum, atque naturam, ſed etiam vultum, inceſſum, habitum, & totum quidquid penitus, aut in ſexu eſt, aut in vſu viri? Adeò verſa in diuerſum omnia erant; vt cum viris nihil magis pudori eſſe oporteat, quam ſi muliebre aliquid habere videantur, illic nihil virus quibuſdam turpius videretur, quam ſi in aliquo viri viderentur.* Huc poteſt peruenire hominum laſciuia, vt non ſolum effœminentur, ſed & pudeat illos, viros apparere. Sic laſciuia prorſus mutat homines in fœminas. Oſe. cap.4. *Ipſi cum meretricibus conuerſabantur, & cum effœminatis conuerſabantur.* Qui erant ij effœminati? Qui ex meretricum conuerſatione mutabantur in fœminas. Vnde Aquila legebat: *Et cum mutatis conuerſabantur.* Vbi D.Hieron. *Mutatos, dicens, hoc oſtendere voluit, quod ſuam naturam mutauerint, & de viris facti ſint fœminæ.* Sic per laſciuiam viri effœminantur! Athanaſ. Forer. Saluian. Oſee 4. Aquil.

§. III.

Omnipotentiæ diuinæ præcipuum facinus eſt, quòd homines caſto amore in vnum conueniant.

MEritò Creatoris opus dicit, quod caſtè, & ſincere duo ſint in carne vna, duo natione etiam diuerſi ſic inter ſe conueniant, quaſi è duobus in vnum penitus confluxerint. Hinc Paul. ad Epheſ.5. notans præfata Dei verba, inquit: Epheſ.5.
Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum eſt. Ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia. Quod duo in vnum confluant, magnum putat abſtruſæ virtutis, & poteſtatis opus; & quam magnum opus eſt? *Ego dico in Chriſto, & Eccleſia;* quaſi dicat: tam magnum illud opus eſt, vt videatur præcipuum, & præſtantius, quod per Ieſu poteſtatem factum eſt, dum ex omnibus mundi plagis ſibi collegit Eccleſiam. Et quidem non ſic ſplenduit diuinæ poteſtatis opus in reuocandis hominibus à ſepulchro; vt ſplenduit in trahendis pluribus diuerſis in vnum. Sed præſtat in rem præſentem audire Nazianz.orat.42. *Quamuis per multa illius temporis miracula fuerint, ſol obſcuratus, & rurſus inflammatur, velum ſciſſum, ſanguis, & aqua profluentes ex latere, terra tremore concuſſa, petræ præruptæ, mortui reſurgentes, ſigna partim ante ſepulchrum edita, quæ quis eſt, qui pro dignitate laudare queat? Nullum tamen cum ſalutis meæ miraculo conferendum eſt; quo exiguæ cruoris guttæ orbem vniuerſum inſtaurarunt, atque idem quod lacti coagulum, hominibus præſtiterunt, in vnum nos coniungentes.* Ecce tibi præſtantiſſimum diuinæ poteſtatis opus, quod diſſidentes homines in vnum coniunxit. Nazianz.

Mortuos in vitam reuocauit, salutes ex ipsa impossibilitate traxit, lumina cœcis indidit; quantula hæc, si cum eo comparentur opere, quod multos, & diuersos homines fecit esse vnũ? Sanè qui hoc perficit, vt dissidentes in vnitatem trahat, maius opus facit, quàm si mortuis vitam daret. Pacis enim, & vnitatis seminatio adeò diuinum opus est, vt nequeat ab omnipotentia diuina separari. Hinc est, quod vbi omnipotens Dei sermo descendentes à regalibus sedibus in terram prosiliuit, statim vox Angelorum auditur dicentium, Luc. 2.

Luc 2. *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus:* cur non antea hæc vox auditur, nisi quia pacis seminatio non potuit nisi cum omnipotentis aduentu venire simul? D. Bern. serm. 1. de

Bernard. Annunt. ait: *Venturum regẽ, misericordia, & veritas præuenerunt, sicut scriptum est: Misericordia, & veritas præcedent faciem tuam. Iustitia thronum præparat, secundum illud: Iustitia, & iudicium præparatio sedis tuæ. Pax cum rege venit, vt propheta fidelis inueniatur, qui dixerat: Pax erit in terra nostra, cum venerit.* Et quidem potuerunt ante omnipotentem Regem venire & inueniri in terris misericordia, & veritas, & iustitia, aliæque præstantissimæ virtutes, quæ ab illo missæ, non adeò coniunctam propinquitatem habebant cum explicita, & manifesta præsentia illius. Verum pacis seminatio non potuit à præsentia Omnipotentis Regis separari, sed vna venit, & apparuit cum illo; vt hinc appareat, quod sit omnipotentis opus proprissimum, illique coniunctissimum; imò crediderim in nullo virtutum externarum opere, sic gaudere Dominum vt gaudet in pacis, & vnitatis facinore. Vnde ad multa alia fa-

Luc. 11. cientem Martham, ait Dominus Luc. 11. *Turbaris erga multa. Vnum porrò est necessarium.* Vbi D. Bernard. serm. in Assumpt. 5. *Erga hæc plurima turbaris, sed vnum est necessarium. Nisi enim opus tuum in vnitate feceris, Deo, qui vnus est, acceptum profectò non erit.* Vanè alia multa opera virtutum implere satagis, si vnitatis, & concordiæ opus relinquis; hoc maxime procura, sine quo cætera omnia, etsi maxima, & splendida, æstimantur nihili. Ioël cap. 2. clamat: *Sanctificate ieiunium, vocate cœtum:* non fidem ieiuniis, & virtutibus, quæ concordiæ, & vnitati non sunt coniuncta. Id quod eleganter ponderat D.

Bernard. Bernard. serm. 4. de orat. & ieiunio, inquiens: *Sanctificate, inquit, ieiunium, vocate cœtum. Quid est enim cœtum vocare? Vnitatem seruare, diligere pacem, fraternitatem amare. Superbus ille Pharisæus ieiunium habuit, ieiunium sanctificauit, quia nimirum, ieiunauit bis in Sabbato, & gratias egit Deo. Sed non vocauit Cœtum, dicens: Non sum sicut cæteri hominum; ideóque ala vna nitens ieiunium eius non peruenit in cœlum. Vos ergo charissimi lauate manus vestras in sanguine peccatoris, & solliciti estote, vt alas duas habeat ieiunium vestrum, sanctimoniam, scilicet, & pacem, sine qua nemo videbit Deum,* &c. Et ieiunia, & psalmi, & omnes virtutes eo spectent, non vt diuisionem, & separationem à proximis faciant, sed vt eos sibi magis coniungant, & arctent; ieiunia enim, & psalmi apud Deum nihil valent sine vinculo pacis, & vnitatis.

Text. Dicunt illi: Quid ergo Moyses mandauit dare libellum repudij, & dimittere? Ait illis: Quoniam Moyses ad duritiem cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras: ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimissam duxerit, mœchatur.

§. IV.

Deus maximè consulit fœminis coniugatis à sæuitia virorum.

QVi stabile coniugium statuerat Deus, vbi ad populum Israëliticum peruenit, legem tulit per Moysem, vt viri datis causis possent vxores suas dimittere. Et cur qui sic stabilitatem coniugij amabat in omnibus, in populo suo illam dispensauit, nisi vt fœminarum consuleret vitæ. Ait enim: *Propter duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores.* Nouit Dominus durissima Hebræorum corda, & quod facile in necem vxorum ruerent: vnde, etsi stabilitatem amaret coniugij tamen dispensauit in populo suo, vt daretur libellus repudij, ne vxores passim timerent vitæ suæ. Ait D. Hie-

Hieron. ron. *Cùm videret propter desiderium secundarum coniugum primas vxores interfici, maluit indulgere discordiam, quam odia, & homicidia perseuerare.* In sæuissima, & durissima natione non esset consultum fœminarum vitæ, nisi permitteretur libellus repudij: vnde Deus maluit esse diuortia, & coniungiorum dissolutiones, quam homicidia. Nunquam enim Deus non curat eripere bonas fœminas maritorum sæuitiæ, nec patitur in maritis esse prætextum vllum, quo insidietur vxorum vitis. Iephte ille castatissimus Israëlitarum dux hoc votum facit Iud. 11. *Quicumque primus fuerit egressus de foribus domus mea, mihique occurrerit reuertenti cum pace à filijs Amon, eum holocaustum offeram Domino.* Hoc eius erat votum, & reuertenti illi prima occurrit vnica, & virgo filia, quam voto stulte coactus Domino litat. Mirabar, quod prior filia virgo extra fores domus patri occurrat, & non potius vxor? Virgines filiæ in domus penetrali occultiori teneri à matribus solent custoditæ; matres familiæ, vt omnia tractant, sic propinquiores sunt, & exteriores audiũt rumores, & expeditiores, vt maritis venientibus occurrant. Cur ergo vxor non prior occurrit Iephte, quam filia? Cauit hoc Deus ne vxor prior exiret, eius consulens vitæ, ne inde venturi mariti exemplum sumerẽt, quo prætextu sacrificij, & obsequij diuini vxores occiderẽt. Huc accedit D. Aug. q. 49. in Iud. inquiens: *An ille coniugem cogitauit: & vt hoc fieret Deus noluit, & vt hoc ne maneret impunitum, ne quis postea id auderet,* &c. Cogitarat forsan Iephte vxorem sibi primò occursuram, quam litare Deo destinauit; sed Deus non id permisit, quin imò vitæ coniugis consulens exire fecit vnicam filiam, vt eius morte castigaretur malus affectus patris in vxorem suam, & posteri non auderent vota vouere vxorum vitis insidiatricia. Et nisi Deus ex tunc fœminarũ prospiceret vitæ, quot inuenirentur mariti, qui vellent sacrificare Deo vxores suas? Quot qui vxorum sanguine famam religionis compararent sibi? Absit, tantum piaculum à veri Dei disciplina; qui etsi aliquando petiuit filium vnicum à parente sibi occidi, quem tamen morti erat erepturus; tamen nec isto modo petiit, vnquam vxorem occidi à marito, neque id passus est manere impunitum.

Iudic. 11. August.

§. V.

Castus amor inconcussibile fundamentum matrimonij.

MEritò designat Dominus fornicationem, quæ possit esse causa diuortij, quo separentur coniuges, & viuat alter sine altera; quippe ait: *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit vxorem nisi ob fornicationem,* &c. Lasciuia sola est, quæ facit etiam firmissima matrimonij vincula si non prorsus cadere, saltem labare. Quando lasciuia, vel secuta, vel præmissa est matrimonio, & ipsam non diuortia fuit minarũ? Huc conueniant cõiuges qui sunt & qui se coniugio deuouent, & maximè caueant sibi à lasciuo affectu, à fornicationis malo; solus enim est castus amor, qui ex Deo possit omni ex parte inconcussum vinculum matrimonij fundare. Quò respiciens Paul. 1. ad Cor. 7. ait: *Si dormierit vir eius, cui vult, nubat, tantum in Domino.* Vnum petit in nuptiis maximè obseruandum, vt nimirum sint in Domino, hoc est, fundamentum supponatur sanctum, ne fundamentum sit appetitus voluptatis. Pro quo ait D. Basil. de Vera virgin. *Non vtcunque nubere debet, sed tantum in Domino. Quid est autem in Domino nubere? Non vt vile mancipium voluptatibus carnis ad concubitum pertrahi; sed iudicio, & commodioris vitæ ratione nuptias eligere. Ita fiant honorabiles nuptiæ, quando rationem coniugij non præit obscœna voluptas; sed iacto sancto fundamento, matrimonium necessario sequi voluptas ipsa concubitus, vnamque carnem duos facere deprehenditur. Sin autem ita se res habet; coniugium illi peccatum reputabitur, quia pessimum fundamentum voluptatem iecit.* Expende modo, vnde nuptiæ habeant suum inconcussum decorem, nimirum, ex fundamento illis supposito. Si obscœna voluptas, si lasciuus appetitus tota causa est, & fundamentum nuptiarum; ex puluereo, & limoso, & lutulento fundamento, quid citius orietur, quã ruina, quam scissiones? Rarò videbis suppositam lasciuiam pro fundamento coniugij, in quo non videas quam primum, & scissiones, & diuortia, & mille peccatorum occasiones pullulare. Sit autem nuptiarum fundamentum affectus castus, is valet ex Deo & nuptias æternare, & æternum honorabiles facere. Et quidem affectus castus fundamentum stabile est, & firmissima vasis nuptialis perfectionis, & castitatis. Luc 12. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptijs.* Ecce tibi in nuptiarum celebratione, quid in primis mandetur, vel ipsis nuptiarum famulis, nimirum

1. Cor. 7. Basil. Luc. 12.

nimirum *sint lumbi vestri præcincti*, quasi ad stabiliendam, & confirmandam in omnibus felicitatem, nullum fundamentum sit potius, quam fundamentum castitatis. Ait enim Philipp. Abb. in Cant. cap. 16. *Prudens iste artifex discretæ celsitudinis ordinans munimentum, primò velut vasim ponit, facit operis fundamentum: motus fluxus restringere forti cinctorio castitatis, vasis quadam est solida, & initiam sanctitatis.* Firmissimum sanè, & solidissimum est fundamentum affectus castus, pro quolibet virtutis, & felicitatis ædificio æternum sustentando, quo in eo, vel scissura pateat, vel ruina timeatur. — Philipp. Abb.

Text. Dicunt ei discipuli eius, si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere? Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi, qui de matris vtero sic nati sunt, & sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: & sunt eunuchi, qui se ipsos castrauerunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere, capiat.

§. VI.

Castitatis propositum, non nisi de magna pugna in perfectum ex Deo ducitur.

Quod ad castitatis propositum attinet, non omnium est, sed illorum, qui à Deo habent magnos in primis de vitiis reportare triumphos, magnas in se ex Deo ostendere virtutes. Perfectum in mundi stadio, vbi hominem video in corporis substantia, statim audio, quod Deus *inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Genes. 2. Et cur in faciem hominis spiraculum mittitur diuinum, nisi vt ostendatur, non humanarum esse virium, sed diuini halitus, quòd homo sensus habeat ab omni impuritate immunes? Ait D. Ambros. enarratione in Genes. ad Sabinum: *Nunc intelligo, quæ causa Dominus Deus insufflauit in faciem hominis. Ibi enim sensus omnium, ibi sedes, atque illecebra delectationis, in oculis, naribus, auribus, atque in ore, vt sensus nostros aduersus delectationem fortiores faceret.* Armabatur homo aduersus voluptatem; & sic habuit necesse prius ebibere diuinos halitus, quorum fortitudine, de multiplici virtutum triumpho, coronam sibi poneret castitatis. Vix enim ad castitatis coronam accedit, nisi qui penè innumeras Christi virtutes in se priùs ostendit per victorias vitiorum transformatas. Castissimæ Sponsæ dicunt Cant. 4. *Odor vestimentorum tuorum super omnia aromata,* & non multò post additur: *Odor vestimentorum tuorum sicut odor Libani:* & quidem Libanus idem est, ac candidatio; ne putetur aliquis posse in se ostendere candidum castitatis, nisi prius omnibus virtutum aromatibus, quibus sepultus fuit Christus, & ipse vitiis moriatur. De quo pulchrè ait D. Ambros. lib. 1. de Virg. *Odor, inquit, vestimentorum tuorum super omnia aromata. Et odor vestimentorum tuorum, sicut odor Libani. Vide quem nobis tribuat virgo processum. Primus enim odor tuus super omnia aromata, quæ in Saluatoris missa sunt sepulturam; & emortuos corporis motus, membrorumque redolet obisse delicias. Secundus odor tuus, sicut odor Libani. Dominici corporis, integritatem virgineæ florem castitatis exhalat.* Non priùs à casto corpore floridæ exoritur odor castitatis, quam in illo præcedant victoriæ ab omnibus deliciis reportatæ. Mortificationis aromata à Christo mortuo, & sepulto in te descendant, quibus & tu Christo commoriaris, & tunc iam tibi paratur corona castitatis, quæ non venit, nisi post mille victorias partas. Hinc Psalm. 44. titulus iuxta versionem Aquilæ ait: *Vincenti pro* [illegible]; quasi nusquam floreant lilia castitatis, nisi vbi priùs multæ fuerint in nobis per Christum victoriæ reportatæ. Venit enim à Christo, vt in illo & per illum hostes vincamus, & exinde floridi in castitate reddamur. Ex quo D. Pasch. in præsenti monebat: *Nunc ita, dilectissima, fortiter fertis, quia sursum, vbi Christus est, radicem cordis fixistis: quoniam alia sunt rosæ, quæ Christi sanguine intus pinguescunt, & rubricantur, vt semper floreant: alia, quæ in terra radicantur, vt cito floreant, & postmodum arescant: ostendentes semper virtutes Christi, vt vireant florida, augeantque lilia castitatis.* Expende, quid moneantur in primis sectari, vt ad lilia perueniant castitatis; priùs Christo inhærere debent, de eiúsque pinguedine roborari; eiúsque virtutes aduersus vitia in se ostendere semper viridas semper florentes, quo absque dubio castitatis liliis apparebit coronatus. Venit enim pudicitiæ mirum in modum aucta corona, vbi præcessit ex Christo victoriosus conflictus aduersus omnes corporeas voluptates. Gen. 43 in conuiuio Ioseph? *Maior pars venit Beniamin, ita vt quinque partibus excederet.* Vnde augmentum tantum Beniaminicæ partis? D. Ambros. lib. de Ioseph, cap. 10. *Ideo in conuiuio pars eius quinta, [illegible] mater [illegible] haberet superioribus ante ceteris, non solum mentis prudentia, sed etiam militia corporis, & gratia castitatis.* Expende quam ponatur vltimo loco post prudentiam mentis, post militiam corporis gratia castitatis; cuius præmium sit quintuplicitet auctum. Etenim vbi aduersus corporis voluptates fortiter dimicaueris, multásque in te virtutes ex Christo ostenderis, iam peruenies ad auctissimam coronam castitatis.

Genes. 2. — Ambros. — Cant. 4. — Ambros. — Psal. 44. — Paschas. — Genes. 43. — Ambros.

CAPVT XI.

Disputatio cum Petro de sedibus.

Quæ ad perfectionem obtinendam facienda Dominus adolescenti suggesserat ex se, suísque condiscipulis facta proponens Petrus, quid præmij in cœlis respondeat solicitus quærit. Et quid erit præmij omnia relinquenti, & Christum sequenti, nisi vt qui sequutus est in via, sequatur in sede maiestatis, qui sequutus est peregrinantem, sequatur in gloria sedentem? Igitur sedebit Iesus in gloriosa nube, vt iudicet nationes, quæ a mortuis surrexerint; & simul Apostoli in nubibus sedebūt ex suis laboribus conuincentes reprobos, quòd dignè meruerunt pœnā, qui Apostolicis sudoribus non responderunt.

Matth. 19. Tunc respondens Petrus dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te; quid ergo erit nobis.

§. I.

Apostolicæ bonorum omnium renuntiationis præmium supra hominem est, & diuinitati proximum.

Paulò autē audierat Petrus Dominum promittentem cœlestes thesauros homini, qui omnia reliquisset: cur ergo modo dubitat dicens: *Quid erit nobis?* Cur non magis ipse auditum præmium explicat cæteris Apostolis? Crediderim hanc dubitationem non iam de infirmitate Petri, quàm de præmij magnitudine fuisse exortam, quando Apostolicæ renontiationis præmium humanam superat cogitationem, supra hominem est, & Deitati proximum. Apud Luc. c. 6. dicitur de Iesu: *Et ipse eleuatis oculis in discipulos* [illegible], *dicebat: Beati pauperes spiritu, &c.* Expende, quod ipse filius altissimi, & ipse altissimus dicitur oculos ad discipulos suos leuare: vnde in tanta potuerunt esse Apostoli altitudine, vt Iesus ad illos videndos oculos leuaret? Ipse ait, dum dicit: *Beati pauperes spiritu, &c.* Ex quo enim Apostoli relinquentes, & abnegantes omnia mundialia Christianam paupertatem sunt amplexati sic se supra homines extulerunt, sic altitudini diuinitatis approximarunt, vt vel filius hominis non videat illos, nisi oculis leuatis. Aiebat enim Philipp. Abb. lib. de iustitia Clericorum, cap. 42. *Et si huius beatitudinis arcem, ait Iesus, vel non vult, vel non potest turba apprehendere; vos tamen, ò discipuli mei, & velle, & posse video, quorum sicut ordo, ita & sanctitas singularis, qui spatiosam viam deserentes, districtionem tenetis viæ, & vitæ regularis; vnde & ad videndum eas, oculos depono, quos constat in ima demorari; ad videndum verò vos, oculos eleuo, quos in cœlis gaudeo conuersari.* Abnegatio bonorū, paupertas Christiana sic eleuat homines, & supra homines facit, vt ex ea in cœlestibus, imò Deitati ipsi approximari videantur. De Iacob dicitur Gen. 32. *Traductis omnibus, quæ ad se pertinebant mansit solus. & ecce vir luctabatur cum eo vsque mane.* Hic vir, qui luctabatur filius Dei erat, vt receptissima tenet sententia Patrū, sed vnde Iacob audet cum filio Dei conserere manus? Cur non magis timet sese Deo quasi æquare? Omnia abiecerat bona solus ipse remāserat, ex quo eam assequutus est magnitudinem, qua videretur posse Deo approximare. Ait D. Ambr. lib. 2 de Iacob c. 6. *Traditis omnibus Iacob præmisit omnia sua, solus remansit, & luctatus est cum Deo. Quicumque enim sæcularia negligit, ad imaginem, similitudinémque Dei propius accedit.* Crede mihi, quò te minùs temporalibus dedis, eo magis exaltaris supra te, & Deo accedis.

Luc. 6. — Philipp. — Genes. 32. — Ambros.

Non facit inopem, & mendicum Christiana pauperies, sed potiùs ditissimum ostendit, & proximum Deo. Apud Luc. cap. 12. *Ait autem ei quidam de turba: Magister, dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem. At ille dixit ei: Homo, quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos?* Hominem vocat, & hæreditatem diuidendam à se negat; cur Domine non filium, non fratrem, sed hominem mauis vocare eum, cum illi hæreditatem negas? Sanè ostendit, quod qui homo est in appetenda hæreditate, in eius abnegatione possit similis Deo fieri. Pulchrè D. August. serm. 196. *Homo, ait, qui pro magno habet istam hæreditatem, quid es nisi homo? Volebat illum facere plus, quàm est homo. Quid plus volebat illum facere, cui volebat auaritiam tollere? Ego dixi, dij estis: ecce quid eum volebat facere, inter Deos numerare, qui auaritiam non habent.* Vbi cupiditas habendi tollitur ab homine, simul quidquid hominis est, exuitur, & manet quis in ea altitudine, qua fit Dei proximus.

Luc. 12.
August.

§. II.

Confusio est, & perditio, non lucrum, quòd velis Deum, & mundum habere simul.

BEnè omnia mundialia relinquunt Apostuli, vbi Deum sequuntur; quippe aiunt: *Reliquimus omnia, & secuti sumus te:* quòd enim quis simul & Deum velit habere, & mundum, ad perditionem pertinet, & confusionem, non ad lucrum. Ex quo dicebat D. Bernard. in declamation. *Est interdum videre nonnullos, qui relictis omnibus abrenuntiatione sæculo disponentes, cum rectè offerre velint, nolunt diuidere rectè calliditate humana totos sese diuino committere nimis formidantes, sed reseruantes, nescio quid fermenti, vt totam massam corrumpant.* Et quidem quidquid mundiale reseruatur cum Deo, ad corruptionem, & perditionem omnium maximè inclinat. Et Dei, & mundi non solet fieri vtilis commixtio, sed nociua; vnde cauebat Dominus, Genes. 2. *De ligno scientiæ boni, & mali ne comedas. In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Sed Adam multorum bonorum scientiam habebat, an non sciebat animalium naturas, quibus nomina imponebat? An non sciebat Deum naturæ auctorem? An non sciebat leges coniugij, cum ait: *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ?* Hæc, & alia plura bona sciebat Adam, cur ergo non permittitur comedere de ligno scientiæ boni, & mali? Quid timeat à ligno scientiæ boni, qui tot, tantáque cum ingenti lucro sciebat bona? Non negatur Adæ scientia boni; sed hoc negatur ne simul misceat boni scientiam, & scientiam mali: quando permixtio boni, & mali, magis pertinet ad confusionem, & perditionem. D. Seuerianus in Cat. Lyppom. ait: *Illo malum vitauit, vt quid bonum? Deus enim scientiam boni minimè prohibuit, illam namque Adam habebat. Non cognitionem boni prohibet Deus; sed cognitionem mali, vna cum cognitione boni, haudquaquam esse vult. Idque ait Paulus: Non potestis bibere poculum Domini, & dæmoniorum. Nunquid duo prohibuit? Et seruatur: Non potestis Deo seruire, & Mammonæ. Ita Deus cognitionem mali Adam percipere noluit, ne cognitioni boni permiscerentur.* Suspecta est Deo, imò & inuisa permixtio mali, & boni: quæ frequenter solet vergere in perditionem. Ea quo lumen affero castatissimo Apocalyps. loco cap. 3. *Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus. Vtinam frigidus esses, aut calidus. Sed quia tepidus es, & neque frigidus, neque calidus, incipiam te euomere.* In tepido mixtio est frigoris, & caloris: in quo notatur ille qui sic amat habere Deum, vt nolit se vitiis prorsus cauere: sed & habens Deum velit seruire mundo. & miscere vtrumque; quæ mixtio celeriorem & ineuitabiliorem solet afferre ruinam. Notissimus est Dei fauor, in parando cœlesti pabulo Israëlitis, Numer. cap. 11. sed & prouidentia qua murmur eorum compescuit, offerens illis coturnicum carnium, vsque ad satietatem. Vtrumque meminit Psalm. 77. *Pluit illis manna ad manducandum, & panem cæli dedit eis. Panem Angelorum manducauit homo: cibaria misit eis in abundantia. Et pluit super eos sicut puluerem carnes: & sicut arenam maris volatilia pennata. Et manducauerunt, & saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis, non sunt fraudati à desiderio suo. Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos. Et occidit pingues eorum,* &c. Expende, quod vbi male expetiunt, & accipiunt carnes; non differtur Dei ira super illos, sed vel habentes in ore cibum occiduntur. Et grauius quidem crimen fuit idololatriæ ab illis peractum, vbi relicto Deo caput adorauerunt vituli, vt habes Exod. 32. & nihilominus minimè inter adorandum perimuntur, quin potius lætis acclamationibus, festisque ludis, ingenti populi lætitia res idololatriæ perficitur, nec de illa supplicium sumitur, nisi veniente Moyse, post multos transactos dies. Cur ergo idololatriæ supplicium differtur, & non differtur carnium male expetitarum supplicium, quin potius in ipsa gula, cum adhuc escæ in ore ipsorum essent, ira Dei ascendit super illos? In vituli adoratione factus est populus omnino frigidus; prorsus à se Dei cultum abiecit, & elegit adorare vitulum. In appetitione carnium tepidus ostendebatur, non penitus abiiciens Deum, non penitus cœlestes fauores abiiciēs, sed simul habere volens. & Deum, & mundum & cœlestem panem, & carnales delicias; quę permixtio sic Deo inuisa est, vt via differat eius supplicium. Ait ad hæc Salu. lib. 1. de Prouid. *Quia quotidie manna edens explere ex illecebris ventrem cupit ingluuiem, optata quidem cupiditate saturatur, in ipsa tamen saturitate torquetur.* Intolerabilis planè videtur mixtio boni, & mali; quod timeas æque Deum, ac carnales illecebras perdere; quod vel inter edendum cœlestem panem, aut habendum Deum, velis, & mūdum simul habere, habebis forsan, sed vt perdaris, confusio enim, & perditio est, velle Deum, & mundum permiscere Eccl. c. 24. *Tanquam balsamum non mixtum odor meus.* Quæ verba sic in rem præsentē elucidat Gillib. Abb. ser. 17. in Cant. *Si eu virginitatem oles, si orationum instantiam, si ieiuniorum abstinentiam; bene oles, & balsamum oles. Si vero impatientiæ adhuc morbo laboras, si vaniloquium, si leuitas, si ardor explendæ propriæ voluntatis, si horum aliquod vnum in te nominatur, mixtus est iam odor tuus, & non purum balsamum spirat. Modica enim stilla admixtionis peregrina totam balsami massam contristat. Periculosa, & pessima mixtura cuiuslibet est, quando vitium virtutis mentitur speciem, & Angelus Satanæ in Angelum lucis se transfigurat, & quasi venenum facit balsamum spirare.* Caue mixturam mundi, & Dei, vitij, & virtutis in te velle, quisquis cauere cupis perditionis pericula. Nunquam enim non abominabile erit, quod Deum & mundum in te velis habere simul. Vnde Ezech. dicitur, c. 16. *Fili hominis notas fac Ierusalem abominationes suas.* Et quas abominationes suas? *Quando nata es, in die ortus tui non est præcisus vmbilicus tuus.* Per vmbilicum infans dū est in vtero de ipso matris pabulo sibi capit, quo possit sustentari: vbi in lucem editur, iam per proprium os, non matris, sed suum solum proprium cibum sumit. Et Israël in vtero matris, cum erat sub parentibus, & auis gentilibus; & tunc, eisdem vescebatur, quibus patres eius, vt infans, qui per vmbilicum matris alimento sustentatur. Verum vbi à Deo in lucem fidei vocatus est, tūc natus est Israël, imò in meliorem vitam, & diuiniorem renatus; sed vide eius nequitiæ summitatem; iam in diuiniorem vitam renatus, & cœlestium nutritus pabulo, adhuc nō habebat præcisum vmbilicū, vt simul ore cœlestia traheret, & tractaret, & per vmbilicum simul paternas, & auitas suggereret iniquitates, & idololatrias. Aiebat Theod. ibi: *Non est præcisus vmbilicus tuus, hoc est, hodie quoque ab vtero materna impietatis attrahis alimentum.* Nullum excludebat cibum, & dæmoniorum cibum per parentes acceptum trahebat, & Dei cibum sibi traditum obseruabat quo in summam veniebat iniquitatem. Nec negarim iniquitatem esse deploratam; qua cum malitia, & nequitia permiscere vis Dei sanctitatem. Nequissimus ille Iesu proditor in eo suam perditionem ostendit, quod cum nequitia proditionis miscere voluit signa charitatis, dum Iesum fuit osculatus. De quo ait D. Ambros. Psal. 35. *Quid de Iuda proditore loquar, qui quæsiuit auaritiam, & inuenit sacrilegium, dicens: Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? Neque expletus pauperum spolijs, ad plenitudinem criminum grauissimorum crimina ferendo peruenit, vt misceret charitatis sacramento flagitia, cum diceret: Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum.* Expende, vnde summa eius deploratæ malitiæ sit, nimirum, quia *misceret charitatis sacramento flagitijs*, vbi cum malitia voluit sanctitatem miscere, & se, & omnia protinus perdidit.

Bernard.
Genes. 2.
Seuerian.
Apoc. 3.
Psal. 77.
Saluian.
Ecclesi. 24.
Gillibert.
Ezech. 16.
Theod.
Ambros.

§. III.

Quæ à Deo veniunt in magnos viros præmia, non in præsentibus, sed in futuris sunt posita, & quæ grandi comparanda sunt expectatione.

RElictorum omnium bonorum præmium non in præsentiarum non statim requirit Petrus, sed contentus est illud in posterum expectare: ait enim. *Quid ergo erit nobis?* Non quid fit, sed quid erit, spectat: & laborum, abnegationisque impensas iam faciens, nō præsentes fructus requirit,

paratus

paratus illos, vel in longissimum tempus, expectare. Et cur non magis solicitus est de aliquo præsenti præmio accipiendo? Cur etiam non inquirit, quid est nobis? Sanè, quæ a Deo pro magnis laboribus parantur præmia, non in præsentibus, sed in futuris sunt posita, vt habeantur post longam expectationem. Vtinam sic omnes fideles saperent; quorum præcipua virtus est, post exantlatos labores instacta quædam, &

Thren.3. longanimis præmiorum futurorum expectatio. Thren.3. *Bonum est viro præstolari cum silentio salutare Domini.* Ecce tibi præstantissima viri valentia, quod sciat præstolari; non enim mensuratur animi magnitudo ex possessione, sed ex expectatione: quando quod ex Deo est singulare præmium magnis viris, nō datur in præsentiarum, sed reseruatur in posterum.

Bernard. Ad hæc ait D. Bernard. serm. 67. in Cant. *Patientem pro iustitia vult me expectare mercedem in posterum, non recipere in præsenti, quod iustitiæ merces salutare non sæculi, sed Domini sit.* Expende causam, cur iubeantur magni viri expectare iustitiæ suæ mercedem in posterum, nimirum: *quod iustitiæ merces salutare non sæculi, sed Domini sit*; vbi enim Dominus est iustitiæ redditurus mercedem, non de præsentibus, sed de futuris bonis illam retribuit, quæ veniant post longam expectationem.

Genes.13. Gen. 13. dicit Dominus Abrahamo: *Omnem terram, quam conspicis, tibi dabo, & semini tuo vsque in sempiternum.* Sic promittebat Deus iusto viro possessionem terræ in præsenti; at si rei exitū spectes, nec minimum terræ illius possedit Abra-

Act.7. ham, ait enim Act. 7. *Et non dedit illi hæreditatem in ea, nec passum pedis, & repromisit dare illi eam in possessionem, & semini eius post ipsum.* Si promisit eam illi, cur non dedit hæreditatem in ea, nec passum pedis. Promisit quidem Deus Abrahamo quasi carnali homini terrenam possessionem; quem vidēs iustitia, & sanctitate insignem, minime permisit donatum videri à Deo terrenis, sed maiora futurorum bonorum præmia illi

Chrysost. retribuit. Ait D. Chrysost. hom. 23. ad Hebr. *Dixit eis, quia dabo vobis præsentia, quoniam videbat eos; magis autem, quia exhibuerunt seipsos maioribus dignos, non eos permisit hæc accipere, sed illa maiora eis tribuit: nobis volens ostendere, quia maioribus digni sunt. Et enim propterea nepotes eorum terram accipiunt, illi quippe erant terra digni.* Vbi Deus agnouit magnanimos viros, à præsentibus dandis abstinuit, sed quæ in futura asseruantur maiora retribuit; non enim à Deo veniunt præmia in magnos viros, quæ in præsentibus sint, sed quæ maxima asseruantur in futuris. Sed nec magnanimi viri æstimant bona ex Deo, quæ nulla expectatione acquirantur. Paul. ad Hebr. c. 11. ait:

Hebr.11. *Fide Abraham demoratus est in terra repromissionis tanquam in aliena, in casulis habitando cum Isaac, & Iacob cohæredibus repromissionis eiusdem. Expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem*, &c. Promissam sibi terram, vt alienam terens, malens aliam expectare quam promissam possidere, nō curans præsentia, ad futura contendebat ea expectans alacriter: vt dicat

Chrysost. D. Chrysost. hom. 33. in præsenti: *Illi quidem promissionibus in terra factis non attendebat, sed futuram ciuitatem sequebant.* Quasi illud ex Deo accipere æstimarent, quod longa expectatione possent emere. His addendus venit Dauid. qui nactus Saulem sibi hostem dormientem, à quo & vitam & re-

1.Reg.26. gnum facile eripere posset, ait 1. Reg. 26. *Propitius sit mihi Dominus, ne extendam manum meam in Christum Domini.* Cur non magis æstimar occasionem præripiendi regnum sibi promis-

Ambros. sum? D. Ambros. Apologia 1. c. 6. *Debitum sibi imperium diu distulit, quod sciebat Deo auctore deberi. Quo solo docuit omnes homines, non præripiendum regnum, etiam si debeatur, sed expectandum, vt suo tempore deferatur.* Hanc ebibant mentem vniuersi viri, nec nimis properi, ac præcipites sint in accipiendis honoribus proprio labori debitis, sed sciant dilationem sustinere, sciant expectare; quando quod Deo auctore debetur, expectatione emitur. Nunquam mihi crede, magnum quid nisi expectare scientibus adueniet. Pro quo aiebat D. Ambr.

Idem. lib. 2. offic. c. 22. *Delicati isti, & ambitiosi elegerunt honorabilia, & grata ad tempus, & iucunda. Vbi autem parua processit dilatio, non potuerunt tolerare, ac sustinere.* Tale est delicatorum, & ambitiosorum ingenium, quod ad præsentia rapitur; futura etsi maxima paruipendit, & sub expectatione perit.

Text. Iesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quòd vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël. Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.

§. IV.

Fieri nequit, vt Dei, quem colis, & sequeris, forma, & habitus in te non effulgeat.

Ecce quales futuri sunt, qui corde, & animo sequuntur Christum: *Cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis, & vos*, &c. Non sanè absimiles erunt duci suo, quam ille sedem habuerit, quam maiestatem in se ostenderit, proportione seruata ostendent illi; nunquam, mihi crede, alia forma videbitur in homine, nisi forma Dei, quem ipse corde, & animo fuerit sequutus. Hinc illa Iesu patientis vox

Psal. 21. *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me.* *Psal.21.* Et tauros, & vitulos vocat Iudæos persecutores suos, vt volunt Theodor. Euseb. Didym. in Cat. Græca. Et cur vituli habentur, nisi ex quo Psalm. 105. *Fecerunt vitulum in Oreb, & adorauerunt sculptile?* *Psal.105.* Equidem non poterat eadem morum forma non videri inter adoratores, & adoratum numen. Non abest August. serm. 97. de temp. inquiens: *Præcedebat in eremo populum carens spiritu vitulus figuratus, vt tali duce demens populus vteretur, qualis erat & ipse delictis effectus.* August. Et quid aliud signaret vitulinus Deus, nisi quod tales erant sui cultores? Nequit enim fieri quod in nomine adorato non appareat forma, & figura adorantium, & sequentium illud. Nota est illa apud Matth cap. 20. parabola, in qua depingitur Deus operarios vocans in vineam suam. Quid tunc? *Circa vndecimam verò exijt, & inuenit alios stantes, & dicit illis: Quid hic statis tota die otiosi?* *Matth.20.* Hi, qui stantes inueniuntur in foro, putantur fuisse gentiles, idolorum cultores, nōdum efficaciter vocati in vineam Christi. Sed cur hic stantes & immobiles adorātes Deos ligneos, & lapideos, ex quibus trahere necessum habebant, quo & ipsi efficerentur lapidei? Pulcrè D. Paschas. lib. 9. in Matth. *Eos tota die otiosos stetisse dicimus quia non in labore legis fuerunt, non in aliqua Dei cultura, sed magis stabant otiosi suis moribus decertantes erecti, contra Deum ne crederent. Stabant autem, ac si lapides erecti, quos adorabant in Deos, similes eis facti.* Paschas. Adoratores lapidum, eorum repræsentebant immobilitatem; non poterant enim non videri immobiles lapides, qui lapides adorabant. Felices, qui veram Dei adorant maiestatem, ipsam ebibent maiestatem, gloriosósque sese cum glorioso in cœlestibus sedibus repræsentabunt. Sequere homo verum Deum Iesum, & Iesu assimilaberis, vbi gloriosius ille sederet, & tu sedebis, ne ab illo absimilis videaris. Aiebat Sapiens, cap. 4. *Senectus venerabilis est non diurna, nec annorum numero computata. Cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* *Sap 4.* Mirabar ego vnde poterat esse, quod vita immaculata canos etiam in iuuene faceret; dum incido in cap. 7. Danielis, vbi de auctore omnium virtutum humanarum dicit: *Aspiciebant, donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit: vestimentum eius candidum sicut nix, & capilli capitis eius quasi lana munda, thronus eius flammæ ignis*, &c. *Dan.7.* Et quidem vbi Deus noster senex proponitur, & plenus canis, non mirum est, quod eum colentes adolescentes cani efficiantur, & in numero seniorum appareant. Quòd meditatus Rupert. ait in cap. 1. Apocalyps. *Illud tandem sciendum, quia quisquis coram illo cano capite assurgit, & candidis eius capillis reuerentiam facit, id est, verba eius digne suscipit, propter hoc ipsum, quod verba eius suscipit, & meditatur, ipse quoque canescit, & senex meretur appellari, monstrante sapientia cum dicit: senectus venerabilis est, non diurna, neque annorum numero computata. Cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* *Apoc.1.* Felix, qui ad antiquum dierum respicit, eiúsque adorat maiestatem, déque illius verbis alitur; vel in media iuuentute, minimè iuuenis reputabitur, sed inter seniores mundi, inter senatores terræ apparebit collocatus. Quis enim de diuini Numinis cultu, & propinquitate similitudinem in se non trahit? Huc refer dicta 1. tomo lib. 2. cap. 3. §. 1.

§. V.

Perfecta Christi sequela in cœlestibus sedes parit curules, quibus gestentur perfecti asseclæ Christi.

Sectatoribus suis dicit Dominus: *In regeneratione sedebitis, & vos super sedes duodecim*, &c. In quibus verbis

non solum iudiciarios thronos, sed etiam sedes curules suspicor, quibus senatores, & Principes vtebantur, ne ad præstantiæ, & nobilitatis insigne, vel gradum pedites perficerent. Hinc præstantiores senatorum dignitates vocabantur curules, vt videre est apud Ambros. Calep. quoniam, qui curulem magistratum, hoc est, maiorem honorem gerebant, honoris gratia in curiam vehi soliti erant curru, in quo sella erat eburnea, supra quam considerent. Igitur in cœlestibus perfectis Christi asseclis, vt præstantissimos mundi senatores decet, sellæ curulis datur insigne. Et meritò, qui reptarunt in mundo, vt Christi Domini tenerent vestigia, gloriosis in cœlo gestantur curulibus, nec iam viles pedites visuntur.
Eccles. 10. Quò reuoco illud Ecclesiast. cap. 10. *Vidi seruos in equis, & Principes quasi seruos ambulantes super terram.* Quæ mutatio in regeneratione ostendetur candidissimè: vbi, qui modo cum Iesu non ministrari, sed ministrare eligunt, religiosámque amplectuntur seruitutem, & super terram repunt; tunc sublimes curulibus inter præstantissimos senatores videbantur.
1 Thess. 4. Paul. 1. ad Thessal. c. 4. dicebat: *Quoniam ipse Dominus in iussu. & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo, & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo.* Expende illud, *simul rapiemur*, in quibus verbis non nemo suspicatur aliquid simile raptui Eliæ, quando hic propheta igneo curru in cœlum raptus est. Cui subscribit
Psal. 44. Psal. 44. dicens de virginibus: *Adducentur regi virgines post eam.* Et quomodo adducentur virgines Regi? Sanè, vt Apostoli rapientur, non quidem pedibus suis, vt plebeij deduci solent, sed vt nobilissimos senatores, & regni æterni primates decet, viuidis Angelorum curribus, & lecticis, sellísque curulibus. Id quod notabat Euseb. in Cat. Græca,
Euseb. fatus: *Considerabis vero, quomodo hoc dictum sit de virginibus Apostolica sententia in consilium adhibita. quæ dicit, rapiemur in nubibus in occursum Domini in aera, & sic semper cum Domino erimus. Non enim ibunt ad regem virgines, sed deducentur alijs eas ducentibus, nimirum, sanctis Angelis, qui eas sublimes ferant, & in altum euehant.* Virgineus flos. Apostolicus puluis perfecta sequela Christi curulis insigne in cœlestibus parturiunt. Qui semper terram ambulant in præsenti serui Christi, niueóque pede mundialia decora conculcant, in regeneratione non ibunt pedites, sed curulibus, lecticísque
Luc. 16. viuidissimis deducentur sublimes. Sic Luc. 16. *Factum est, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem diues, & sepultus est in inferno.* De vtrisque sic in rem præsentem philosophatur Chrysostom. ho-
Chrysost. mil. 1. de diuite, vbi ait: *Vtrique mortui sunt, illum Angeli, istum pœna suscipiunt: ille portabatur in humeris Angelorum. Tantæ pœnæ repente delicijs commutantur, vt portaretur ab Angelis, & adduceretur, ne saltem ambulans laboraret. Gaudet vnusquisque Angelorum tantum onus tangere, libenter talibus oneribus prægrauantur.* Sanè vniuersi Angelici spiritus, in currus, in lecticas, in thronos efformantur, vt perfecti Christi asseclæ, non pedibus seruorum more ambulent, sed in cœlestibus, vt senatores decet sellis curulibus sublimes cōspiciantur. Sunt equidem Angeli gestatores Christianorum pauperum; vnde Exod. 25. post fabricationem arcæ, subditur
Exod. 25. statim: *Facies quoque vectes de lignis setim:* qui vectes sunt Nysseno Angeli, à quibus vehimur sublimes. felices Christi pauperes, qui fuerimus in patria. Ait enim Nyss. lib. de vita
Nyssen. Moysi: *In illo tabernaculo veri vectes nostri, & habitant, & sunt, qui ad ministerium mittuntur propter salutis futuros hæredes.* Sunt in cœlestibus quot Angeli, tot vectes, tot curules eburneæ, tot lecticæ, tot currus, quibus Christi asseclæ sublimes vehantur, vt decet senatorum, principúmque cœlestis regni præstantiam.

CAPVT XII.

Disputatio concilij de Iesu damnando.

ECCE tibi diuinissima Christi miracula, quid lucrentur ex Primatibus Ierosolymitanis: conueniunt omnes, & Pontifices, & Pharisæi, & vt plura noscunt facinora Christiana, magis propriam accusant tarditatem in Iesu perdendo, metuentes, ne dum miraculorum vi doctrinam suam omnibus persuadeat rebellio aliqua oriatur aduersus Romanos, quorum armis, & templum, & populus Iudæorum extremam incurrat calamitatem. Nihil hi Pontifices metuunt à Iesu veræ religioni, nihil metuunt pietati, aut saluti animarum; nec horum recordantur, sed quidquid de his sit, solum præ oculis habent temporalem reipublicæ statum, quem vehementer timent causarum auctore tantorum mirabilium stante. Quid stultum magis? Interea Cayphas anni illius Pontifex Maximus ex se nefarissimè Iesu insidians sanguini ea verba profert, quæ ab Spiritu sancto fuerunt etiam composita. Vt mors Christi ostenderetur expedientissima ad filios Dei à qualibet mundi ora trahendos, & in salutis ouile congregandos. Quid plura? Statutum hinc manet, quod Iesus interficiatur.

Ioan. 11. Collegerunt ergo Pontifices, & Pharisæi concilium. Et dicebant: Quid facimus? Quia hic homo multa signa facit.

§. I.

Vbi malitia multorum vna fit, à solo Deo potest deprehendi.

POntificum, & Pharisæorum in Iesum conspiratio fit, quæ nihilominus ab Euangelista collectio concilij vocatur; & cur sub honesto, & ciuili concilij vocabulo proponitur inhumana, & rabidissima aduersus Deum Pontificum coniuratio? Nónne patentissima erat Christiani sanguinis sitis? Nónne clarè constabat diuinorum facinorum contemptus? Cur ergo horum conuentus non dicitur, & æstimatur coniuratio, sed adhuc dicitur pro bono religionis concilium? Equidem valet hoc multorum adunata malitia, ne facilè posset ab hominibus conuinci, vbi enim multorum malitia fit vna, solus Deus potest deprehendere illam. Nota est parabola Regis facientis nuptias filio suo, Matth. 22. exhibitum iam fuerat nuptiale conuiuium, admissi aderant vniuersi conuiuæ, & tunc: *Intrauit Rex, vt videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali*, &c. Matth. 22. Mirabar, quòd vnus homo sine nuptiali veste ingressus fuisset, & magis mirabar, quod inter tot conspicuos, & fulgentes conuiuas à nemine dicatur sordidus iste visus fuisse, nisi à solo rege intrante in locum conuiuij. Non laterones assistentes, non circum agentes ministri, sordidum conuiuam notant, sed solus rex conspicit illum. Et quomodo potuit latere tot ministros, tot socios conuiuas sordidus vnus? Erat vnus non vnitate indiuidua, sed collectione multorum. Ait enim Hieron. *Vnus iste, omnes qui sociati sunt, malitia intelliguntur.* Hieron. Vbi autem multorum malitia, & sordida vita fit vna, non mirum est, quod possit hominum oculos fugere, & quod nequeat deprehendi nisi à Deo ipso. Huc spectans D. Paschas. lib. 10. in Matth. finit: *Quia malos in conscientia intus intelligere non omnium est; quoniam humana simplicitas difficile fradulentiam simulatæ mentis potest deprehendere, idcirco hunc malum cœtum peccantium, quorum non erunt peccata obtecta, solus Deus terribilis, & Rex magnus inueniet.* Paschas. Expende illa, nimirum: *hunc malum cœtum*, &c. Non enim singularis homo, sed malus hominum cœtus erat, qui à solo Deo potuit deprehendi. Quis noscat multorum adunatam malitiam? Quis partialitatis cœtus deprehendat in Republica? Non homo, sed Deus sit, qui adunatas partialitates possit peccati conuincere. Propone tibi ob oculos Iobi tres amicos, de quibus dicitur cap. 2. *Condixerant enim se, vt pariter venientes visitarent eum*, &c. Iob 2. Sic inter se adunati, & confœderati venerunt. & audientes Iobum se innocentem prædicantem, pro iusto iudice Deo aduersus Iobum acriter decertant. Quid tunc? Ad illos tandem Dominus, ait cap. 42. *Postquam autem locutus est Dominus verba hæc ad Iob, dixit ad Eliphaz Themanitem: Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos.* Iob 42. Septuag. posuere: *Peccasti tu, & duo amici tui.* LXX. Non Angelus, non homo, sed Deus manifestat, & conuincit amicorum peccatum; & cur necessum fuit, vt Deus illud peccatum per se ipsum ostenderet? Cur non alius, sed Deus ipse illos de peccato arguit? Pulchrè Auctor Cat. Græcæ, ait: *Namque hominum opinione præclarè fecerunt amici, qui Dei sint causæ patrocinati. Verum tamen diuino incorruptóque iudicio secus est visum.* Vnum solum Dei iudicium potuisset in amicis confœderatis, & Dei causæ patrocinantibus peccatum deprehendere. Vbi tantus Dei causæ defendendæ prætextus erat, tantáque amicorum erat adunatio, hominum censura prorsus euanescebat, quin potius pro illis erat totus humanus plausus.

Duo

Duo senes conuenerant in libidine, & amicitia, Daniel. 13. & confœderati inter se sententiam mortis ferunt in Susan- (Dan. 13.) nam. Illa innocens ad mortem ferebatur, tunc *excitauit Dominus Spiritum sanctum pueri iunioris, cui nomen Daniel. Et exclamauit voce magna. Mundus ego sum à sanguine huius.* Erant multi sapientes viri in populo, & nullus, nisi puer iste, valuit cognoscere duorum coniurationem in Susannam. Cur, quod tot sapientes latuit, vnus puerulus cognouit? In puero fuit Spiritus sanctus, cuius soli diuinissimi oculi potuerunt videre duorum confœderatorum insaniam. D. Ambr. (Ambros.) lib. 3. de Spiritu sancto cap. 8. *Cum Susanna presbyterorum coniurationibus appetita, inflexam populi mentem videret contemplatione seniorum, & omnibus destituta subsidiis, sola inter hostes pudicitiæ suæ conscientia Deum arbitrum precaretur; excitauit Dominus Spiritum sanctum pueri. Qui nisi accepisset Dei spiritum, numquam potuisset deprehendere adulterium libidinis, mendacium fraudis.* Non posset nisi à Deo deprehendi malitia adunata, quæ populares sibi trahit animos. Et quando multorum malitia adunata apud homines non se facit excusabilem? Iob (Iob 41.) cap. 41. de Leuiathan squammis dicitur: *Vna alteri adhærebit, & tenentes se nequaquam separabuntur.* (LXX) Septuag. legunt: *Vir fratri suo agglutinabitur, coniunguntur, & non auellantur.* Circa (Gregor.) quæ verba D. Gregor. lib. 33. Moral. cap. 24. *Peruersos vnitas corroborat, dum concordat, & tanto magis incorrigibiles, quanto vnanimes facit. Tenentes enim se, separari nequeunt: quia eo ad defensionem suam vicissim constricti sunt, quo se sibi per omnia similes esse meminerunt.* Ecce partialium insigne præclarum: *ad defensionem suam vicissim constricti sunt*, in cuiusque amici, & defensionem errorum, & prædicationem virtutum, sic vniuersi vnanimiter exsurgunt, vt vel aquilinos oculos fallat eorum malitia. Sed non fallet diuinos, à quibus deprehen- (1 Reg. 2.) ditur, ait enim 1. Reg. 2. *Deus scientiarum Dominus est, & ipsi* (Symmac.) *præparantur cogitationes.* Vbi Symmachus legit: *Non sunt apud eum prætextus, & excusationes.* Possunt poni ab adunatis, & confœderatis prætextus, & excusationes quæ valeant apud homines; sed Deus ridebit illos, apud quem nullus prætextus, nec excusatio habet valorem.

§. II.

Dum mutua malorum concordia, & adunatio viget, non potest viuere iustus.

Ecce tibi hostiles Iudæorum machinæ, quæ parantur aduersum Iesum, nimirum, ait: *Collegerunt ergo Sacerdotes, & Pharisæi concilium*; nec sic infestæ sunt iusto viro hostiles phalanges, vt est infesta reproborum concordia, & adunatio. (D. Greg.) Quo respiciens D. Greg. lib. 34. Moral. c. 4. aiebat: *Reproborum quippe vnitas bonorum vitam tanto durius præpedit, quanto et se per collectionem durior opponit.* Nusquam non aduersus iustorum vitam datur collectio, & vnitas impiorum; vbicumque videris duos, aut tres in scelere congregatos, puta ibi exquiri sanguinem iustorum. (Psal. 7.) Psalm. 7. dicit: *Zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns*: in verbo pacis, intelligit Apollinaris concordiam, vnitatem peccatorum, vt dicat: *Pacem videns improbitatis sociorum.* Hanc igitur videns Dauid concordiam, & vnanimem societatem impiorum, & iram, (Hieron.) zelo exardet aduersus eos. Sic enim ait Hieronym. *Aemulatus sum contra iniquos.* Et cur non magis metuit, quod iniqui non exorbitent à pace? Cur non magis gaudet illos, & concordes, & pacificos esse? Nunquam equidem bonus propheta de iniquorum concordia, & pace non suspicatur multa oritura esse aduersus iustos mala. Vnde D. Ambros. in (Ambros.) præsenti: *Refugiamus ergo pacem peccatorum: conspirant enim aduersus innocentes, coeunt, vt iustos opprimant, viduam exterminent, vel expugnent eius pudorem.* Hunc tendunt omnes impiorum conuentus, vt nullus iustus stare possit: & quo alio tendere posset impiorum collecta manus, quàm vt iustum adoriatur? (Iob 1.) Iob 1. *Chaldæi fecerunt tres turmas, & inuaserunt camelos* &c. Ecce tibi conglomerata Chaldæorum agmina de multis aliorum gregibus, vnum Iobi gregem petunt, & mactant; & cur vnum Iobi gregem mactant? In Chaldæis illis omnes mali spiritus erant adunati, & confœderati, à quorum confœderatione vnus iustus timet, non est cur timeat alius. (Origen.) Pulchrè Origen. lib. 1. in Iob. fatur: *Vniuersa potentia, atque exercitus, & omnes dæmonum cateruæ, simul illic conuenerunt, & pariter se aduersum beatum Iob armauerunt, vniuersum mundum despexerunt, tantum vt Iob superarent, vtpote quia non erat ei similis alius in toto mundo.* Vbi collecta impiorum omnium malitia, & adunata visebatur, non miror, quod solus iustus requireretur ad mortem, nullus ex toto orbe, nisi Iob iustus, qui viam virtutis inoffenso pede terebat, ad mortem petebatur, vbi simul conueniebant impiorum exercitus armati. Nec aliter melius iusti vitæ consulitur, quàm si impiorum colligationes diuidantur. Hinc Paulus in Iudæorum concilium vocatus, vt de Christiana prædicatione se purgaret, Actor. 23. *Sciens, quia vna pars esset Sadducæorum, altera* (Act. 23.) *Pharisæorum exclamauit in concilio, Viri fratres: Ego Pharisæus sum filius Pharisæorum, de spe, & resurrectione mortuorum, ego iudicor. Et cum hæc dixisset, facta est dissensio inter Pharisæos, & Sadducæos, & soluta est multitudo*, &c. Nec aliter iustus viueret, nisi in concilio impiorum dissensiones disseminaret. Pro quo eleganter D. Gregor. lib. 34. Moral. cap. 4. ait: *Cum in duas* (Gregor.) *partes tumultuantium multitudo diuiditur, Paulo vis ereptionis aperitur, quia quem turba persequentium vnita constrinxerat, diuisa laxabat. Eripiuntur ergo iusti, dum diuiduntur iniusti; & electorum vota ad perfectum perueniunt, dum reproborum agmina per discordiam confunduntur.* Tunc salus applaudit viro iusto, cùm malignantium adunata phalanx diuiditur, & scinditur; ex quo volens Daniel sanctissimæ Susannæ seruare vitam, hinc incipit, cap. 13. *Separate eos ab inuicem procul, & iu-* (Dan. 13.) *dicabo eos*: quasi ostenderet, quòd vix posset saluari vita iusti, nisi intercedat malignantium diuisio. Dum enim malignantes vniti sunt, iam in ianuis est interfectio iusti. Apud Lucam, cap. 23. *Spreuit autem Iesum Herodes cum exercitibus* (Luc. 23.) *suis, eúmque illusisset, indutum veste splendida remisit ad Pilatum, & facti sunt amici inter sese Herodes, & Pilatus in eodem die.* Et quæris, quis medius intercesserit, vt Pilatus, & Herodes fierent amici? Quis eorum animos sic pacauit, sic concordauit? Diabolus fuit, qui hanc fecit amicitiam, sciens nullam machinam aptiorem posse inueniri, quæ peteret Iesum iustum, quàm si impij homines iungantur amicitia. Ait Theophylactus ibi: *Vide quam discrepantes congreget diabolus, solum* (Theoph.) *vt Christo mortem præparet. In vnam enim conspirationem copulat, & conciliat inimicos.* Hanc diabolus manum armat, nimirum, malignantium amicitiam, qua posita putat, minimè posse iam Christum viuere.

§. III.

Non magni æstimanda est multorum iudicum auctoritas, in damnatione proximi, in quo sola, quæ damnentur, exquiruntur.

Sacerdotum, sapientúmque concilium colligitur; quis tantorum hominum iudicium, sententiámque non sanctam existimet? Qui viderit illos remissioni, & veniæ omnem aditum occludere, & solùm quod damnationis erat, velle audire. Huc spectant verba illa: *Quid facimus?* quasi omnia remissa, & temperata vellent à causa Iesu excludere, vnde D. August. tract. 49. ait: *Plus miseri homines cogitabant,* (August.) *quomodo nocerent, vt perderent.* Omnis veniæ locus interdicebatur; quidquid poterat facere ad remissionem, suspectum habetur, & prorsus dimittitur, illud solum admittitur, quod potest perditioni deseruire. Iudicium hoc licet à sacerdotum, sapientissimorúmque hominum censura veniat, habendum est iniquum; quæ enim sapientum multitudo probari potest, omnem remissionis locum prorsus excludens? Præclarè D. Bernard. epist. 257. Pontificem Maxim. Eugenium affatur in causa cuiusdam Philippi, sine vlla remissione damnati à pluribus iudicibus. *Philippus noster, cum se exaltauit,* (Bernard.) *humiliatus est, cum se humiliauit, non est exaltatus, quasi vtrumque pariter Dominus non dixisset. Rigor est, sed sine dispensatione. Iudicium, sed sine misericordia. Multi (quod negandum non est) sic mensurauerunt; sed nullus ita sibi voluit mensurari. Capax est vester Apostolatus rei vtriusque, & zeli, scilicet, & misericordiæ. Et honor quidem maiestatis iudicium diligit; sed absit, vt ad præiudicium mansuetudinis.* Non negat sanctus pater iudicium illud de multorum, sapientissimorúmque iudicum calculo, & sententia venisse, sed tunc non magni æstimanda est multorum sententia, quando nullus est, qui in se non haberet illam iniquam. Da mihi vel vnum hominem, qui iniquum non putet sibi omnem remissionis locum intercludi; qui dum minimè datur, nihili æstimanda est plurimorum auctoritas in ferendo absque omni pietate iudicio. Et meritò Bernardus humanitati maluit stare, quàm multorum auctoritati. Sanè Achitophelis sapientia in dandis consiliis cantatissima erat: hic consilium dedit Absaloni aduersus Dauidem, ne permitteretur viuere, sed statim perderetur, quod consilium, & Absalon, & omnes senes Israel probauerunt. Dicit enim textus 2. Reg. 17. *Placuit sermo eius Absa-* (2. Reg. 17.) *lon, & cunctis maioribus natu Israël.* Huc peruenerat Dauidis

calamitas; à regno pulsus solus, vel cum paucis delitescebat. Qui eum spoliauerat Absalon potentissimus degebat in throno; ingenti exercitu circumdatus, habens & sapientes, & fortes Israëlitas secum; quorum calculo Dauidis mors petebatur. Inter hos vnus Chusai pro Dauide stabat, de quo ibi dicitur: *Et dixit Chusai ad Absalonem: Non est bonum consilium, quod dedit Achitophel hac vice.* Vnde hic audet Achitophelis consilium sic infamare, præcipuè cum sciat illud & Regi, & maioribus natu probatum? Cur non magis veretur occurrere tantorum virorum auctoritati? Cur non magis æstimat sententiam à sapientissimis latam, pro qua totus Israel erat in armis? Sed & cur non discerptus est a tanto milite, vbi sic audet venerandum omnibus consilium

Chrysost. carpere? De illo pulchrè D. Chrysost. in Psalm. 7. fatur: *Cum Chusai flores, non vbi multitudo hominum, sed vbi erat virtutis præsidium, auxilium Dei ad se traxit. Id dico, vt nos quoque etsi simus imbecilles, à quorum parte stat ius, illorum partes tueamur, licet sint potentes, qui faciunt iniuriam, societatem illorum fugiamus. Vitium ergo, etsi secum habeat vniuersum orbem, est omnium maximè imbecillum.* Non dubitauit Chusai sapientissimorum, fortissimorúmque consilium contemnere, & reprobare; vt suus locus daretur humanitati, & quia non multitudini cessit, sed pro virtute decertauit, Dei auxilium ad se traxit. Vt hinc discamus nos stare pro virtute, etiam si vniuersus orbis contra reclamet. Non auctoritas, non sapientia, non multitudo damnantium æstimanda est; sed sententiæ virtus & humanitas: vbi hæc non inueniuntur, cætera nihil valent.

Text. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem.

§. IV.

Præcipua ad trahendos homines esca non in vita, sed in morte Iesu erat.

STultissimi scripturarum interpretes, plurimum valere putabant, quod Iesus viuus, & immunis maneret, vt omnes in Iesum crederent. Non equidem si dimitteretur, sed si non dimitteretur, sed occideretur, hoc efficeret, vt in sui fidem omnes impelleret. Dicebat ipse Ioan. 12. *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me.* Nulla esca placidior, & gratior, & efficacior ad trahendos homines posset inueniri, quam si pro eis appareret Iesus occisus. Senis Isaaci affectum capere cupiens Rebec-

Genes. 27. ca vocat filium Iacob, & ait Genes. 27. *Nunc ergo fili mi acquiesce consiliis meis: & pergens ad gregem, affer* &c. Dum patris imperio Esau ibat ad campum, vt aliquid venaretur patri; Iacob à sapientissima matre, & consultissima in greges mittitur, vt inde adducat, vnde patris affectum sibi citiùs acquirat. Sed cur dum venatio expetitur, de mansuetis gregibus prætendit Iacob gratiores parari parenti cibos? Mysterium erat venturi Christi, qui sicut ouis ductus ad victimam, & occisus humanos erat affectus capturus sibi. Pro

Ambros. quo D. Ambros. lib. 2. de Iacob, cap. 2. inquit: *Accessit ad oues Iacob, & attulit innocentiæ partus, vel sacra prophetiæ munera: quia Patriarcha cibum nullum credidit dulciorem esse, quam Christum, qui sicut ouis ad occisionem ductus est, & sicut agnus ad victimam.* Non sic dulcescit Iesus palato hominum, vt dulcescit pro nobis occisus; dum sic proponitur ad se vehementissimè allicit humanos gustus. Quod vt explicaret, aiebat

Matth. 13. Matth. 13. *Simile est regnum cælorum grano sinapis*, vt enim sinapis granum, dum conteritur, obtusos hominum gustus acuit, vt ferantur auidius ad cibos, sic Iesus contritus, & concisus fastidia depulit humana, & se maiori auiditate ab omnibus fecit inquiri. A quo non longè abest Chrysolog.

Chrysol. serm. 98. inquiens: *Christus velut granum sinapis in hortum virginei corporis missus, orbe tota crucis in arborem creuit, ac tantam dedit fructum sui saporem, cum teritur passione, vt qui... quid est vitale, suo saporaret, & condiret attactu.* Nec est facile inuenire, qui noscens Christum crucifixum, ad illum auidè currere fastidiat. Sic se condiuit passione, sic condiuit Dominus omnia sua, vt nihil videatur gratius, nihil persuasibilius, quam

Cant. 2. Christus occisus. Hinc aiebat Sponsa, Cantic. 2. *Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios.* Quæ verba ponderans D. Ambros. de malo pendenti a ligno, sic ait

Ambros. serm. 5. in Psal. 118. *Christus ergo affixus ad lignum, sicut malum pendebat in arbore, bonum odorem mundano fundebat redemptionis, quia peccati grauem abstersit fœtorem, & vnguentum pius vitalis effudit. Tanquam malum, inquit, in ligno sylua, ita consolatus meus in medio filiorum, eo quòd super prophetas intima corda hominum vberiori suauitate mulcebat.* Nullus Propheta, nullus vates, nullus orator sic suauitate orationis mulcebat hominum corda, trahebátque; vt Iesus affixus ad lignum. Quot plagæ, tot ora suauissima ad persuadendum, quot plagarum ora, tot hami ad capiendum, tot retia ad verrendum mare mundi, & congregandos humanos pisces. Occisus est Iesus & totus mundus vadit post ipsum, & omnia illi subiiciuntur. Aiebat Isaias, cap. 10. *Suscitabit super eum plagam Madian, in petra Oreb, & virgam suam super mare, & leuabit eam in via Ægypti.* Expende, qualia retia tendat in mari, vt omnia sibi subiiciat, nimirum, *virgam suam Dominus exercituum flagellum iuxta super mare*: hoc est, crucem suam super mare exaltauit, & omnia terræ marísque subiecit sibi. Diuus Ælredus, apud Tilmannum allegorias, inquit. *Gratias tibi Domine Iesu, qui exaltasti virgam tuam super mare, prosternens crucis tuæ virtute superbiam sæculi, Principatus, & potestates ei subiicient. Verè crux tua premit fluctus sæculi, persecutionum sedat tempestates, & mitigat tentationum procellas.* Numquam se efficaciorem ostendit Iesus ad omnia subiicienda, quam vbi apparuit suffixus cruci. Isai. 10. Ælred.

§. V.

Suspecta est æternæ saluti sapientia, quæ tota terrenis bonis comparandis inhæret.

ECce tota ratio timoris, quo tenentur sapientissimi, & prudentissimi isti Mosaicæ legis magistri, videlicet; *venient Romani, & tollent locum nostrum.* Nullum illis studium, nulla cura de religione, de animarum salute, de vita æterna, de abolitione peccatorum; sed totum studium erat, de locis, de oppidis, de hortis, de vinetis, ne miremur, quòd sapientia adeo inhærens terrenis bonis, in mille animarum præcipitia decidat. Aiebat Ecclesiastes cap. 2. *Sapientis oculi in capite,* per hoc explicans insigne veræ, & fecundæ sapientiæ, quod eius oculi non in calcaneum, non in terram, sed in capita, in sublimia ferantur, & æterna. Econtra de reproba serpentis prudentia dicit Genes. 3. *Tu insidiaberis calcaneo eius.* Compone modo mundi sapiẽtiam, & cœli sapientiam, vtraque oculos habet, illa quos figat in capite, quos figat in altis, & æternis bonis: hæc quos figat in calcaneo, quos figat in imis & terrenis, & quid de calcaneo eliciat, nisi dogmata contraria vitæ æternæ? Hue pulchrè aspicit D. Nissenus, homil. 5. in Ecclesiasten fatus: *Vides istos acres in hac vita versatos, ac versatiles, quos nos vocamus viros peritos: nam facilè efficiant, vt liceat facere iniuriam, testibus, ... iudicum obseruantia, vt & malum faciant, & fugiant supplicium? Quis non eorum miretur subtilitatem, & versatile ingenium? Sunt tamen isti cæci, si conferantur cum illo multo, qui ea, quæ supra sunt, aspicit, qui est in capite eorum, quæ verè sunt. Planè sunt cæci, qui summa amant calcaneum: propterea enim, quod ea, quæ infra sunt, aspiciunt, sibi ipsis imprimunt dogma peccati.* Vix aliud hauritur commodum ex terrenis bonis, vbi mens tota circa illa versatur, quàm dogma peccati. Quantalibet sit ingenij perspicuitas, & acies, dum tota imbibitur temporalibus tractatibus; dum circa terrena componẽda, & comparanda toto conatu versatur, nequit fieri, quod ad diuina, & animæ salutaria non obtenebretur, & in dogmata veniat saluti æternæ contraria. Hinc Eccles. c. 27. *Homo sanctus in sapientia manet sicut Sol, nam stultus sicut Luna mutatur.* Propone tibi ob oculos Solem & Lunam, in quorum lucis discrimine manifestè videbit causam, vnde veri sapientes sapientiores fiant, & prorsus stultescant sapientes mundiales. Sol omni parte lucidus, & sursum, & deorsum suæ lucis mittit radios, vt nesciat terrena illuminare, quin simul cœlestium sublimia luce tangat. E contra Luna minimè ex omni splendet parte, quin potius pro parte superiori totius expers lucis facie ad terras conuersa inde sic splendet, vt solas terras illuminet. Quo factum est, vt sæpè penitus obscuretur, & nigris immergatur sub vmbris. Quid plura? Ecce tibi veri sapientis, reprobæque sapientiæ discrimen, ille & sursum, & deorsum lucidus, & Sol manet in perpetuas æternitates: hic de parte superna nullum exhibens lumen, sed totus ad terram conuersus necessum est, quod patiatur, & tenebras, & obscurationem Lunæ. Pro quo eleganter D. August. epistol. ad Ianuarium cap. 5. fatur: *Quis est ergo ille stultus, qui tanquam Luna mutatur, nisi Adam in quo omnes peccauerunt? Anima quippe humana recedens à Sole iustitiæ, ab illa scilicet interna contemplatione incommutabilis veritatis, omnes vires suas in terrena conuertit, & ea magis, magisque obscuratur in interioribus,* Eccles. 2. Genes. 3. Nyssen. Eccles. 27. August.

ac

ac superioribus suis: & lux illa ingenij ad inferiora vergit, mutaturque in deterius, ad exteriora progrediens terrena sapiendo. Et quidem qui omnes vires suas ad terrena conuertit, non miror, quod inde tenebras sibi trahat, & obscuritatem. Adamo hæc fuit antiquitus sententia Genes. 3. *In laboribus comedes ex terra cunctis diebus vitæ tuæ.* quasi diuina sententia illum obligaret, vt laboraret terram, circaque terrenos labores versaretur: ex quo educit acutè Tertull. lib. 2. in Mar. totam penè infirmitatem generis humani. Ait enim: *Quid mirum. Si homo redhibitus materiæ suæ, & in ergastulum terræ laborandæ relegatus, ipso opere prono, & deuexo ad terram, vsurpatum ex illa spiritum mundi vniuerso generi suo tradidit?* Ad terram deiectus, quid ex terra traheret, nisi illum spiritum terrenum, & obscurum, quo totum genus suum infirmaret.

Genes. 3.

Tertull.

§. VI.

Qualis quis est in alios, tales putet inueniendas sibi creaturas.

STultè sibi metuunt Iudæi à Romanis, si dimittant Iesum viuere; non enim si dimittant, sed si mactent Iesum, timere debent Romanorum iram: quando qualis quis est in alios, talis solet cæteras creaturas sibi inuenire. Propone tibi ob oculos ex Dan. cap. 14. Danielem ipsum, & Satrapas Chaldæos; hi crudelissimi in Danielem, omni conatu eius internecionem procurant: ille mansuetissimus nihil mali aduersus hostes suos molitur. Quid tunc? Mansuetissimus Daniel opera Satraparum ad famelicos leones mittitur: *Et ecce Daniel, sedens in medio leonum.* Sed & ipsi hostes eius ad eosdem leones mittuntur, ait enim: *Porro illos, qui perditionis eius causa fuerant, intromisit in lacum, & deuorati sunt in momento coram eo.* Ecce tibi leones apud Danielem mansueti degunt, apud Strapas Chaldæos feralissimi; illi parcunt, hos perdunt: & vnde tantum hoc in feris discrimen? Quis fecit easdem feras in vnum mansuetas, in alios rabidissimas? Hoc fecit, & Danielis mansuetudo, & Satraparum rabies, fiunt enim tales creaturæ cuique, qualis est ipse. Quo spectans D. Chrysost. homil. 57. in Genes. *In Daniele imitabantur ouium mansuetudinem, & naturæ obliuiscebantur; in istos autem ferociam suam declarabant.* Equidem, vel ferocientes, vel mansuescentes leones declarabant, quid erat in singulis, nimirum in Daniele, & Satrapis: in Daniele mansueto, parcenti hostibus suis, leones mansuescebant, & parcebant cibo: in Satrapis crudelibus, sitientibus sanguinem iusti ferociebant leones ipsi, & illos festinarunt glutire. Caue homo tibi, tales enim tibi fient vniuersæ creaturæ, qualis tu inuenieris fuisse. Genes. 19. *Igitur Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrham sulphur, & ignem à Domino de cœlo.* Expende, quod dicatur Dominus pluisse ignem, sanè pluuia solet ignem extinguere, & datur à Deo pluuia in ardoris refrigerium, in remedium ignis. At Sodomitæ miseri, dum ardent. pluuiam inueniunt, sed in pluuia prorsus contrariam pluuiæ inueniunt naturam; quando ab illa non refrigerantur, sed magis accenduntur. Sed non miror, pluuia enim naturæ suæ obliuiscitur aduersus illos, qui obliti fuerunt propriam naturam, vt abirent in libidines. Ex quo dicebat D. Chrysostom. homil. de Adam, & Sodomitis: *Erat autem iusta retributio his, qui naturæ subuerterant legem, fœminas in masculis quærentes, vt inuertatur & eis naturæ ordo, & fiat eis naufragium ex igne, quasi ex aqua. Fiebat enim ignis euellans imbrem, imber caminum manans, flamma in flumen soluebatur, & pluuia flamma reaccendebatur.* Qui contrarij extiterant naturæ, in nullo non offendebant mutatam creaturarum naturam, vt mediis talibus contrarietatibus citius perirent.

Dan. 14.

Chrysost.

Genes. 19.

Chrysost.

§. VII.

Non vera fides, sed perfidia defectionem à Principe parit.

VAnè metuunt Iudæi ne credentes in Christum defectionem faciant à Romanis, quo tota Iudæa pereat sub Romanorum armis. Huc spectant illa Iudæorum verba: *Omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem.* Omnes, aiunt, credent in eum, & defectionem à Cæsare molientur: hic erat Iudæorum prætextus, hic metus, ne per fidem Christi, defectionis suspicio daretur Romanis. Sed numquam, mihi crede, vera Christi fides defectionem à Principe suasit; hoc non fidei veræ, sed perfidiæ manifestum insigne est, quę nescit vereri vllam potestatem. Accipite ex Ioan. 7. perfidos Iudæos de Christo Iesu philosophantes. *Nunquid verè cognouerunt Principes, quia hic est verè Christus? Sed hunc scimus vnde sit, Christus autem cum venerit, nemo sciet, vnde sit.* Expende, quod hi se ipsos ostendunt persuasos, quod Principes cognouerint Iesum esse venerunt Messiam. Quid inde? An cum videant Principes Iesum subscripsisse, quiescunt, & Principum definitionem amplexantur? Minime, quin, & contra Principum sententiam rationes proponunt & à Principibus deficere parant. Pulchrè ibi D. Chrysostom. homil. 49. in Ioan. ait: *O malitiam! ô pertinaciam! Non sequuntur Principum sententiam, sed aliam corruptam afferunt propriæ stultitiæ consentaneam. Scimus hunc, inquiunt, vnde sit.* Hinc conueniant Principes, & noient, qui sint, qui audeant Principum sententias contemnere, non sanè, qui veræ Christi fidei operam nauant, sed qui inscitiæ propriæ nitentes non in fidem, sed in perfidiam abeunt. Non à veris fidelibus, sed à perfidis contemnuntur sententiæ Principum, & defectiones parturiuntur. Do vnicum D. Ambros. in prologo ad 1. lib. de Spiritu sancto aientem. *Etiam Constantinopolis iam Dei verbum recepit, & euidentia meruit diuini documenta iudicij. Etenim quando venena Arrianorum suis fouebat inclusa visceribus, bellis finitimis inquieta, muros armis circumsonabat hostilibus. Postea vero, quàm fidei exules abdicauit, hostem ipsum, quem semper tremere consueuerat, deditum vidit, supplicem recepit, morientem obruit, sepultum possidet.* Ecce tibi, quid pariat aut fides, aut perfidia Reipublicæ, perfidiæ comites sunt arma hostilia, defectiones ciuium, bella durissima: vbi autem vera fides Christi accedit, abeunt omnia illa, pax alma viget, & obedientia Principum. Quam obedientiam persuasit Iesus mundo adhuc in vtero existens: de quo ait Luc. cap. 2. *Exiit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis, &c. & ibant omnes, vt profiterentur singuli in suā ciuitatem. Ascendit autem & Ioseph à Galilæa, &c. vt profiteretur cum Maria vxore prægnante.* Non patitur Iesus, quod parentes morentur in exhibendo obsequio Cæsari Augusto, vt hinc pateat, quàm sit proprium Christianæ fidei obsequium præstare Principibus. Ex quo dicebat D. Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 48. *Descriptus est Dominus, cum vtero gestaretur, & censum Cæsari pependit: hinc videlicet velut lata lege nobis indicens, vt ei, qui imperium tenet, obediamus, modo nihil ad pietatem detrimenti afferat. Quæ igitur ipse Deus noster, subita per dispensationem, & consilium paupertate, docuit, candido animo imitemur, nec pauperum obtentu tributum pendere detrectemus.* Hæc monet, hæc docet fides Christi, non vt deficiamus, sed vt obsequium exhibeamus, etiam Ethnicis Principibus.

Ioan. 7.

Chrysost.

Ambros.

Luc. 2.

Isidorus.

§. VIII.

Romana Ecclesia à cruce, & morte Christi. Vbi quòd sola crux valeat cohibere regales animos.

MAlè etiam putabant Iudæi, quod si dimitteretur Iesus liber, venirent Romani in locum suum; non enim si dimittitur Iesus, sed si morti datur, si cruci afficitur, Romani Synagogæ locum occupant, quando Ecclesia Romana in Christi viuifica cruce nititur. In cruce erat Iesus Ioan. 19. & videns Mariam, & Ioannem astantes cruci, dicit Mariæ: *Ecce filius tuus,* & statim dicit etiam discipulo, *ecce mater tua:* nec solum iis verbis dabat Dominus Mariæ filium, & Ioanni matrem; sed insuper ostendebat, vnde fideliū mater Romana Ecclesia surgeret, & sub quo signo tantæ matris filij parturiuntur, nempe sub signo crucis. Ex quo eleganter D. Ambros. lib. 7. in cap. 9. Lucæ, inquit: *Dicat & tibi de patibulo crucis Christus, ecce mater tua. Dicat & Ecclesiæ, ecce filius tuus. Tunc enim incipis esse filius Ecclesiæ, cum in cruce victorem videris Christum. Nam, qui crucem scandalum putat, Iudæus est, Ecclesiæ filius non est, Qui crucem stultitiam putat, Græcus est ille. Est autem Ecclesiæ filius, qui crucem triumphum putat, qui crucem Christi triumphantis agnoscit.* Non sic radiauit Roma sub Aquilis, vt Romana Ecclesia radiat sub cruce: crux est, quæ veram Ecclesiam Synagogæ suffecit, & Synagogam contriuit. Quo respiciens Cant. 8. Dominus dicit Ecclesiæ ex gentibus crediturę: *Sub arbore malo suscitaui te, ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tuo.* Quæ verba sic Ecclesiæ aptat D. Iustus Orgilitanus: *Sub arbore malo, ô Ecclesia, suscitaui te. In odorifero crucis patibulo, vbi ego occubui, illic te à peccatorum interitu suscitaui, quando te credentem signo crucis prænotare præcipio. Ibi corrupta est mater tua. Vbi tu per meam mortem suscitari meruisti, ibi per suam impietatem Synagoga capta est, quando, crucifige, clamabat.* Crux Christi erigitur, & ecce suscitatur Ecclesia Romana, totius orbis mater, & Synagoga contrita cadit. Et quidem sola crux Christi posset sistere impieta

Ioan. 19.

Ambros.

Iustus.

impietatem Romanam. Hoc signū maternæ gloriæ agnoscat Romanę Ecclesię filius, & prę oculis habeat, si velit à cupiditatum præcipitio, à peccatorum morte suscitari, & in gloriam eleuari. (Zach.14.) Zachar. cap. 14. aiebat: *In illa die erit, quod supra frænum equi est sanctum Domino.* Quam prophetiam refert D. Ambrosius ad Helenæ facinus; de qua dicitur, quod inuenta cruce Christi clauum eius apposuit fræno equi imperialis Constantini tunc tenentis clauum Orbis Romani. Sed cur Christi clauus fræno imperialis equi infigitur? Vt ostenderetur Principum appetitus, & libidines nullo alio posse detineri, & coërceri, nisi proposito sibi ob oculos Passionis Christi simulachro. Pulchrè D. Ambros. de Obitu Theodosij circa finem. (Ambros.) *Sed quæro, quare sanctum super frænum, nisi vt imperatorum insolentiam refrænaret, comprimeret licentiam tyrannorum, qui quasi equi in libidines adhinnirent, quod liceret illis adulteria impune committere? Quid ergo aliud egit Helenæ operatio, vt fræna dirigeret, nisi vt Imperatoribus sancto dicere spiritu videretur: Nolite fieri, sicut equus, & mulus: sed in chamo, & fræno maxillas eorum comprimeret? Prona enim potestas in vitio ferebatur, & more pecudum vaga se libidine polluebant, restrinxit eos crux Domini, & reuocauit à lapsu impietatis.* Vna Christi passio ob oculos posita posset potentes homines ad continentiam reuocare.

Text. Vnus autem ex ipsis, Caiphas nomine, cùm esset Pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quicquam, nec cogitatis, quia expedit nobis, vt vnus moriatur homo pro populo, ne tota gens pereat.

§. IX.

Eò deueniunt peccata, & perfidia hominum, vt cæcitatem faciant, qua saluti necessaria non videantur.

MEritò in salutis rebus ignorantiæ accusantur sapientissimi Hierosolymitani, quibus dicit Caiphas, *vos nescitis quicquam*, &c. Solet enim & perfidia, & peccata in eam cæcitatem, etiam sapientissimos trahere, qua minimè videant sibi ad salutem necessaria. Hinc 4. Reg. 6. Syrorum exercitus petebat Samuëlem sanctum ad necem, qui orauit ad Dominum, vt percuteretur exercitus cæcitate, qua percussus sequebatur Elisæum, donec introiret totus in hostilem, & sibi infensissimam ciuitatem, in qua sese iam mactandos cogitarent. Vnde potuit tanta cæcitas obuenire hominibus, vt ipsi sese in ciuitatem hostilem darent? Sanè hæc cæcitas est communis, & perfidis, & peccatoribus hominibus, qui videntes non vident, nec sibi cauent ab hostilibus iaculis. (Idem.) D. Ambros. de Obitu Theodosij, ait: *Rogauit Elisæus vt percuteret Deus eos cæcitate, & percussi sunt, & introierunt in ciuitatem, quo ingrederentur, nequaquam videntes. Audistis certè quia vbi perfidia, ibi est cæcitas. Meritò ergo cæcus erat exercitus infidelium.* Nescit perfidia non parere cæcitatem; vt qui à veritate recedunt sic cæci fiant, vt nullum caueant periculum perditionis æternæ, nullum videant salutis suæ remedium. Et vtinam hæc cæcitas in solis inueniretur infidelibus, sed quod indignius est, etiam fidelem hominem peccata sua eo cæcitas impellunt, vt communem omnibus salutis fontem prorsus nesciat. (Iud 2.) Apud Iudic. cap. 2. dicitur: *Surrexerunt alij, qui non nouerunt Dominum, & opera, quæ fecerat cum Israël.* Ex Hebræo sic: *Surrexit alia generatio post illos, quæ Dominum, & opus, quod fecerat Israeli, non cognouit.* (Origen.) Origenes autem legit: *Surrexit generatio alia, quæ non cognouit Iesum, & opera, quæ fecit magna.* Et quidem Iesu filij Naue opera præstita Israëlitis adeò clara erant, adeò illustria, vt viderentur in nulla generatione posse obliterari. Sed & opera nostri Iesu filij Dei, quod sanguine suo nos redemit, quod ad regnum vocauit, quod salutis viam patentissimam fecit; hęc, inquam, Iesu opera quis nesciat? Et tamen surgit in nobis generatio, quæ penitus nos cæcet, ne Iesum, ne tantum salutis fontem videamus. Et quæ est ista generatio? Hæ sunt cogitationes malæ, peccata ipsa, quæ nos faciunt obliuisci vniuersi remedij salutaris. Ait Origen. homil. 2. super Iud. (Idem.) *Generatio illa, quæ non cognouit Dominum Iesum, ista est malarum cogitationum, & pessimarum cupiditatum, quæ procedit ex corde. Ista est generatio, quæ non recognouit Dominum Iesum, neque opus magnum, quod fecit in Israel. Vides, quia peccatores eo vsque perueniunt, vt & opus illud magnum, & præclarum, quod fecit Dominus obliuiscantur, quod crucifixus est pro peccatis nostris.* Huc potest peruenire malitia peccati, vt tantam afferat menti humanæ cæcitatem, quæ vetet meminisse operis tanti. Eo homines impellunt peccata quotidiana, vt videantur prorsus obliti esse, quòd Christus Iesus pro illis crucifixus est, quod omnem suum effudit sanguinem, vt illos à peccatis lauaret.

§. X.

Vt plectantur homines, omnes faciunt creaturæ; vt saluentur homines, vnus facit Iesus.

NOn à Caipha, sed à Spiritu sancto illud verissimum dicebatur, nimirum: *Expedit nobis, vt vnus moriatur homo pro populo, ne tota gens pereat.* Et quidem vnus est homo Deus Iesus, qui pro hominibus possit stare, qui salutaris nobis sit; qui autem homines perditioni dedant, multi sunt, sunt creaturæ vniuersæ. Apud Isaiam dicit Dominus, c. 63. *Torcular calcaui solus, & de gentibus non fuit vir mecum.* (Isai.63.) Quod manifestè apparuit, vt notat D. Athanas. vbi fugientibus discipulis ipse solus in mortem ibat pro mundi salute. Quippe ait Athanas. quæst. 110. *Est vero omnino solus. Nam solus ipse Christus pro nobis mortuus est, non Angelus, vel senex aliquis, sed ipse Christus seruauit nos. Petrus namque Christum negauit, & ipso passionis tempore cæteri quoque Apostoli dederunt se in fugam.* (Athanas.) Ecce tibi, vt omnes Apostolos permittit à se fugere, & ipse solus in crucem pergit ob mundi salutem. Longè aliter Matth. 19. facit, tunc enim Apostolus dicit. *Cum venerit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos iudicantes duodecim tribus.* (Matth 19.) Quin & Sapient. 5. dicit: *Induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galea iudicium certum: sumet scutum inexpugnabile æquitatem: acuet autem diram iram in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* (Sapient 5.) Vbi in iudicium venit, secum admittit vniuersas creaturas, nullum deesse patitur discipulum, vbi autem ad saluãdos per mortem homines accedit, solus ipse manens. Apostolos omnes abire permittit. Cur Domine tot vocas socios, vt iudices, & vt salues, sic solus existis? Ad puniendos homines, quæuis apta est creatura, & sic vniuersæ assumuntur: ad saluandum nulla valet creatura, solus id potest Iesus verus Dei filius. Propone tibi ob oculos mulierem adulteram adductam ad Christum accusantibus vniuersis Pharisæis, vbi autem loquitur Iesus: nescio, quid misericordiæ significans Ioan. 8. *Audientes, vnus post vnum exibant, incipientes à senioribus. Et remansit solus Iesus, & mulier in medio stans.* (Ioan. 8.) Vbi iudicium legis expetebatur, multi aderant accusatores, multi indices; ad verbum Iesu omnes discedunt, & solus Iesus voluit relinqui. Et cur solus voluit relinqui? Non agebatur iam res iudicij, sed veniæ, sed salutis, vbi autem venia danda reis, & salus peccatoris procuranda erat, ne periret, nullus alius dignus, qui interueniret, nisi solus Iesus, vt qui solus fecit ne homines in perditionem irent. Dinus Ambros. lib. 7. epist. 58. *Denique discedentibus illis remansit solus Iesus, & mulier in medio stans. Donaturus peccatum, solus Iesus remanet, sicut ipse ait. Ecce venit hora, & iam venit, vt dispergamini vnusquisque in sua, & me solum relinquatis. Non enim legatus, neque nuntius, sed ipse Dominus saluum fecit populum suum. Solus remanet, quia non potest hoc cuiquam hominum cum Christo esse commune, vt peccata condonet.* (Ambros.) Punire norunt creaturæ, & plectere, & accusare; vbi ad veniam, & saltem dandam venitur, non creaturæ, sed Iesus est, qui solus nouit tanto operi incumbere. Dan. 7. ait: *Aspiciebam, donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit, vestimentum eius candidum, quasi nix, capilli capitis eius, quasi lana munda: millia millium ministrabant ei, & decies millia centena millia assistebant ei, iudicium sedit, & libri aperti sunt.* Hæc dum meditor, statim incido in illa Apocal. 4. vbi dicit Ioannes se vidisse obsignatum librum: *Et nemo poterat in cælo, nec in terra, neque subtus terram aperire librum, neque respicere illum. Et ego flebam multum, quia nemo inuentus est dignus aperire librum, nec videre illum. Et vnus de senioribus dixit mihi, ne fleueris: Ecce vicit leo de tribu Iuda aperire librum.* &c. (Apoc.4.) Ecce tibi apud Danielem, libri aperiuntur absque vlla difficultate; vbi enim sedenti in throno millia millium ministrant, statim forsan ab illis apparent aperti libri: verum apud Ioannem liber obsignatus est, quem nullus potest aperire, nisi solus agnus occisus. Cur Danielis libros omnes aperiunt, & Ioannis librum nemo valet aperire, nisi agnus Christus? Qui liber erat iste? Rupert. lib. 4. ibi: *Nemo illorum poterat sperare de semetipso, quod tantum tamque diuinum posset exequi salutis mundi negotium.* (Rupert.) Ioannis liber pertinebat ad salutem mundi, quam exequi nemo alius poterat, nisi agnus occisus

occisus, nisi solus Iesus Christus; Danielis libri pertinebant ad iudicium, & peccatorum supplicium, pro quo præstando validissimæ etiam sunt creaturæ.

Text. Hoc autem à semetipso non dixit, sed cùm esset Pontifex anni illius prophetauit. Quòd Iesus moriturus erat pro gente, & non tantùm pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum.

§. XI.

Christus Dominus per mortem suam arctiori vinculo hominum animas traxit, & sibi vniuit.

ECce tibi, quò spectabat mors Christi, nimirum, *vt Filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum*, vt sibi humanos animos aggregaret, vniret. Nunquam enim efficacius traxit homines, nec arctius sibi vniuit Christus, quam vbi apparuit moriēs pro illis. Id quod notans D. Greg. lib. 6.
Gregor. moral. c. 12. inquit: *Cum Sacerdotes populi nudum post Iesum ire cernerent; vt ab illo vim tantæ cōcursionis abscinderent; finire eius potentiam morte conati sunt, dicentes: Expedit, vt vnus homo moriatur, ne tota gens pereat: sed redemptoris mors ad coniunctionem sui corporis, id est, Ecclesia valuit, non ad separationem.* Stultius erat conatus, qui morti tradebat Iesum, vt percusso pastore, dispergerentur oues eius, & in diuersa irent. Non enim ad dispergendum, sed ad magis congregandum suum gregem Christi Domini mors valuit. Accipe legem Leuitic. cap. 1.
Leuit. 6. *Si autem de auibus holocausti oblatio fuerit Domino, de turturibus, & pullis columbæ offeres eam sacerdos ad altare: & retorto ad collum capite, ac rupto vulneris loco, decurrere faciet sanguinem super crepidinem altaris: vesiculam vero gutturis, & plumas proijciet prope altare ad oriētalem plagam, in loco, in quo cineres effundi solent. Confringetque ascellas eius, & non secabit, neque ferro diuidet eam.* Itaque ad oblationem secari guttur auiculæ præcipitur, non penitus abscindi, quinimò maximè cauetur, ne quid in ea penitus diuidatur, abscindatur. Nec immerito id cauebatur, quando illa oblatio figura erat Iesu occisi, à quo etiam mortuo membra eius non separabantur, sed magis illi coniungebantur; & ipse illis adhærebat amplius.
Gregor. De quo D. Gregor. lib. 6. Moral. cap. 12. ait: *Per legem tunturi in figura nostri sacrificij, secari guttur præcipitur, & non penitus abscindi, vt & post mortem corpori caput inhæreat, quia mediator Dei, & hominum, id est, caput nostrum, & verè medicationis hostia, vnde pro nobis mortem pertulit, inde nobis verius inhæsit.* Vinculum fuit Christi Domini Passio, quo penè inseparabiliter, & Deus hominibus alligatur, & homines Deo. Quò spectans
Cant. 7. Dominus aiebat, Cant. 7. *Dixi: Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius*; expende illud verbum, *apprehendam*, hoc est, non leniter, & perfunctoriè capiam palmæ fructus, sed apprehendam, vt qui fortiter tenet fugientem, ne possit elabi. Sic ex quo Iesus crucem ascendit, ita fortiter tenuit electos suos, vt nequaquam ab illo possint in æternum abscedere. Ante mortem etiam suos tenebat, sed exsufflantibus
Matth. 26. passionis ventis, Matth. 26. *relicto eo fugerunt*; vel parum reflante turbine, à Iesu longè facti fuere. Verum vbi Passio
Rom 8. Christi intercessit, ait vnus eorum ad Rom. 8. *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* Qui vel leui turbine antea exsufflabantur à Christo post eius crucem sic agglutinati sunt illi, vt nulla tempestate, nulla vi possint
Athanas. diuidi. Quod notans D. Athan. homil. de semente, ait: *Fugerunt quidem à viuo, sed ita vt pro eodem crucifixo mortem oppetant.* Sic illos sibi astrinxit gluten Dominicæ crucis, vt non permitteret amplius illos seiungi.

CAPVT VLT.

De tributo, de mandato maximo, & Resurrectionis statu.

PER confligit Dominus cum inimicis suis, ter triumphat de illis, primò ex imagine, & inscriptione numismatis conuincit pendendum Cæsari tributum, vt dependi Principi etiam Ethnico obedientia debet à fidelibus in iis, quæ Deo non contradicunt. Ad hæc obmutuere Pharisæi, & Herodiani, hoc est, Herodianæ fautores ambitionis: sed insurgunt Sadducæi vanissimi, & resurrectioni mortuorum irridentes mulierem septemuiram in medium producunt, & cui è septem in statu resurrectionis copulandam viro perquirunt? Hos secundò etiam detriumphat Dominus, vt qui nihil non carnale sapiant, nec magnalia Dei percipiant, qui minimè Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob vocaretur, nisi sanctorum horum spiritus modo felices viuerent. Et quis credens animarum æternitatem, corporum resurrectionem ambigere? Vna erat antiquitus circa animarum æternitatem, & corporis resurrectionem difficultas, & sic per illam, hanc euidenter Dominus ad hominem (vt aiunt Dialectici) confirmat. Vt certum est, quod manent hominum spiritus post hanc vitam, sic certum est, quòd homines resurgent non amplius morituri, & inde sicut Angeli prorsus erunt à nuptiis liberi. Non enim aliter Deus ad suæ gloriæ titulos, hunc adderet, quòd vocaretur Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, quandoquidem funditus perditi & redacti ad nihilum subditi, non gloriam, sed calamitatem ostenderent in Principe. Vix hæc confirmat Dominus, & ecce tertium certamen insurgit, de mandato maximo, & de Christo, mandatum maximum in dilectione Dei constituitur, & Christus Dauido superior esse conuincitur.

Matth. 22. Pharisæi consilium inierunt, vt caperent eum in sermone. Et mittunt ei discipulos suos, cum Herodianis, dicentes: Magister scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo, non enim respicis personam hominum. Dic ergo nobis, quid tibi videtur: licet censum dari Cæsari, an non?

§. I.

Palatini, Aulicique, eò spectant, vt auscultent, quæ deferant, & gestent verba, quasi delationibus, susurrisque viuant.

VBi Pharisæi nituntur Iesum capere in sermone, mittunt discipulos cum Herodianis, vt interrogent de soluendo tributo; nunquam antea videbis Pharisæos Herodianis vsos, nisi cum volunt capere in sermone Christum; quia ad sermones expiscandos, deferendos aulici, & palatini viri omnium sunt præstantissimi. Quis cogeret Herodis Regis laterones, & veneratores ad Christum ire, nisi inescati essent captura sperata sermonis, quem gestarent, & solicite deferrent Principi? Sanè hæc est aulicorum conditio, & natura, eò aduolare, vbi auscultent, quod deferant. & delationibus viuant. Ad hæc aiebat Ecclesiastes cap 10. *In cogitatione tua Regi non detrahas, & in secreto cubili tui ne maledixeris diuiti: quia aues cæli portabunt vocem tuam, & qui habet pennas, annuntiabit sententiam.* Expende quam periculosum sit detrahere Regi; etenim *aues cæli portabunt vocem tuam*: quæ cæli aues sic erunt verborum auscultatores & gestatores, nisi aulici homines? Ij magis garruli, quam aues, eo semper aduolant, vnde verba gestare, & deferre Regi possent. Apud Dan. cap. 4. Rex Babylonius sui imperij effigiem in arbore magna, & procera vidit delineatam: *Et in ramis eius conuersabantur volucres cæli*: ecce Regiæ arboris extentissimos ramos volucres cœli tenent, hoc est, garrulissimi aulici, & palatini, qui auibus loquaciores, & velociores huc illucque discursant, vt auscultatis sermonibus incumbant delationibus. Ait enim sapienter Lyra in præsenti. *Per volucres intelliguntur garruli, & mendaces ad alta tendentes, quia tales solent esse Principibus laterales.* Quæ auis magis garrula quā viri aulici? Qui & in aëre volitant, & altitudini insidiantur, & mendaciis pascuntur, & delationibus hinc inde collectis vitam agunt. Proh miseri Reges, qui harum infestarum auium, & garritus obseruatis, & volatus! De Manasse Rege dicitur. 4. Reg. 21. quod inter multa alia mala, quæ fecerat, *& obseruabat auguria*. Quod refert Tilman. in allegoris ad auium volantium obseruationem: vel quod idem est, ad leuissimorum aulicorum adulationes. Quid magis ridiculum, quam totam fortunam imperij cōstituere in auium garritu, dextro-sinistrove volatu? Ridemus sane totum Romanū auspicium felicitatis ab auibus volantibus, garientibusve desumptum; sed non solis hæc vanitas fuit Romanis; cuncti mundi Principes, & Christiani aruspices sunt,

Ecclef. 10.
Dan. 4.
4. Reg. 21.

sunt, dum aulicorum leuissimos obseruant garritus, & eorum fidunt delationibus, & mendaciis. Quid vanius in Principibus? Sunt enim infestissimæ, & sinistræ aues istæ, nunquam non mala audiunt, nunquam non mala nuntiant. De
Tacitus. eorum auribus pulchre dicebat Tacitus relatus a nostro Pineda, in Ecclesiastem, cap. 10. quod *instar cucurbitularum pessimum è corpore humorem educentium, pessimos aliorum sermones ad se trahunt. Sicut quibusdam in vrbibus porta quædam nefanda, & tristes sunt, per quas educuntur, qui a carnifice necandi sunt, & sordes, atque piaculo, nihil autem castum, & sacrum per eas intrat, aut exit.* Et vtinam ij hoc solum haberent, quòd nihil non malum viderent & nuntiarent; sed insuper habent hoc pessimum, quod in eorum ore semper mala maiora, quam sunt, apparent. Accipe de Niniue pœnitentia famam ad Re-
Ion. 3. gem delatam; ait enim, Ion. 3. *Peruenit verbum ad Regem Niniue, & surrexit de solio.* Nihil explicatur Regi narratum, sed solum dicitur peruenisse ad illum verbum; porro quia peruenerat simplex rei, vt erat, narratio. At 2. Reg. 13. vbi Amnô
2. Reg. 13. primogenitus Dauidis occiditur: *Fama peruenit ad Dauid, dicens: Percussit Absalon omnes filios Regis, & non remansit ex eis saltem vnus.* Ibi simplex verbum rei, vt erat, ad Regem peruenit: hic sic crescit fama, vt vnius occisio, non vnius, sed multorum videatur, quia ibi virtutes, hic crimina narrabantur, & fallar, si quando crimina non multo maiora, quàm sunt, Principibus iudicibusque deferantur. Vnde nolo debere illud prudentissimum consilium, quod præbet Im-
Dion. peratori Dion. lib. 52. *Quoniam auscultatores, & exploratores habere te oportet, quorum ope omnes imperij tui res cognoscas, ne quid custodia, aut emendatione indigens te fallere posset, memento non omnino statim, quæ ab eis referuntur, credendo: sed diligentem considerationem adhibendam &c. Quod si enim temerè fidem adhibueris, nullo tuo magno id fit damno, festinando autem fieri potest, vt peccatum aliquod irreparabile admittas.* Nunquam non damnosa est facilitas credendi proximi crimina, quando etiam prudentes, & religiosos delatores possunt latere circunstantiæ plurimæ, quæ proximum excusent.

§. II.

Ille solus verax debet haberi, qui nihil aliud respicit, quam Deum.

EXpende connexionem propositionum, nimirum, *verax es, viam Dei in veritate doces, non est tibi cura de aliquo:* quasi cum solicitudine, & cura de aliquo, quod nô sit Deus, nequeat inueniri homo verax qui viam Dei in veritate doceat. Et sanè vt materialis oculus, cum est aliquo humore in pupilla infectus, nequit res repræsentare, vt ipsæ in se sunt, sed iuxta humoris, quo pupilla inficitur, colorem; sic homo cupiditate temporali infectus minimè sincerum & verum iudicium feret de rebus, sed in omnibus cupiditati seruiet. Omnes exuat affectus, omnes curas de temporalibus exuat, & vno impleatur Deo, qui verax cupit esse, & viam Dei in veritate docere. Compone modo Petrum Christi Apostolum, cum ipso Petro: nimirum Petrum ancillæ respondentem Matth. 26. cum Petro Iesu respondente Ioan. 21. Vbi ancillæ respondet, quam intrepide mentitur, &
Matth. 26. negat se nouisse Iesum: *At ille negauit coram omnibus, dicens: Nescio quid dicis.* Verùm vbi Iesu respondit, se ipsum cauens ait: *Domine tu omnia scis, tu scis, quia amo te.* & interrogatus, si amaret plus aliis, de aliis prorsus siluit. Vnde Petrus, tam cautus in sermone? Vnde si hæret, ne quid nesciens dicat, qui antea solebat, tam intrepide mentiri. Sanè modo nihil in corde suo, in desiderio suo habebat, nisi solum Deum, nisi solum Iesum, & ex quo solum Deum respicit, habet veritati sequendæ cautissime insistere. Ait D. August. serm. 24 de
August. Sanctis: *Noluit iterum esse mendax, sufficeret ei testimonium perhibere cordis sui, non debuit esse iudex cordis alieni. Verax ergo Petrus, an verax in Petro Christus? Quando enim voluit Dominus Iesus Christus, deseruit Petrum, & inuentus est homo Petrus; quando autem placuit Domino Iesu Christo, impleuit Petrum, & inuentus est Petrus verax.* Expende quid fecit Christus vt veracem redderet discipulum ait ibi, *impleuit Petrum:* sic ipse impleuit Petrum, vt nihil aliud caperet Petrus, quam Christum, ex quo verax inuenitur. Nisi enim quis adeo sit Deo plenus, vt non capiat in se respectum aliquem temporalem, non poterit verax denotari. Vnde sapienter Ioan de verbo
Ioan. 1. Dei ait, cap. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis.* Prius eam plenitudine diuinarum gratiarum asseruit, quæ omnem excluderet temporalitatem, vt sic addere posset, & plenitudinem veritatis. In illo inueniri potest plena veracitas, qui Deo plenus nihil curat, imo nec capit aliud. In quo autem mundiales curæ sunt, & affectus temporalitatis, nec notitia inueniretur veritatis. Pilatus homo mundialis, nil minus respiciens, quam dum ait Ioan. 19. *Quid est veritas.* Vbi Theophylactus Ioan. 18.
ait: *De veritate interrogauit, quid sit. Forma enim tot hominibus abolita erat, & ignorabatur ab omnibus.* Dum enim homines Theoph.
seruiunt affectibus, & cupiditatibus temporalibus, quasi necessum est vt longissimè ab illis veritas abscit. Huc reuoca dicta tom. 3. lib. 15. cap. 8 §. 1. & lib. 24. cap. 2. §.

§. III.

Solam veram religionem comitatur studium circa licitas actiones cognoscendas, distinguendas.

IN iis pessimis Pharisæis aliquid ostenditur, quod in solis veræ religionis sectatoribus cernitur; nimirum quæstio illa proposita circa licitum in re tributi inueniendum; quærunt enim a sapientissimo magistro: *Licet censum dari Cæsari, an non.* Numquam enim quæstiones hæ, de licitis inueniendis in actione humana agitantur ab eis, qui extra veram religionem degunt. Vel ex hoc capite mihi euidentissimè patet vera Romana religio, in qua similes quæstiones crebrescunt, an liceat hoc, vel illud, nihilque fieri ab homine potest, quod diligenti examine non exaretur, perque doctissimos magistros ad amussim tractetur. Et Catholicorum hominum tenax liciti conscientia, & indagatrix recti, tot quotidie libros extorquet a Magistris, vt penè orbem repleant. Sanè in Anglia, & Holandia, & Germania Lutherani sunt mercatores ditissimi, sed quisquærat, & disputet, de contractibus licitis, de restitutione facienda, nec vllus inueoitur, nec magister, nec plebeius. Audiui a sapientissimo Patre nostro in Germania agête, nullum vnquam Lutheranum hominem quæsiuisse de licito alicuius actionis; nullus est apud has pestes magister, qui de moralibus curet doctrinam, nec de cauendis illicitis sit solicitus. Pulchrè de Manichæis matrimonium abiurantibus aiebat D. Gaudentius, tract. 8. *Quod Manichæis peruersis adeò displicet matrimonium constitutum: illis ego ob immunditiam suam puto non venire tem nuptiarum conspicere, sed legem, quæ non multas feminas vni viro, neque vnam feminam multis viris, ac etiam vnam feminam vni viro coniungit.* Non persequebantur Manichæi matrimonium propter amorem virginitatis, sed propter odium Gaudent.
honestæ temperantiæ, quam afferebat matrimonium Christi. Sic similiter de omnibus hæreticis dici potest, quod persequuntur Ecclesiam Romanam, & omnia sacramenta diuina, non propter amorem veritatis, sed propter odium moralis disciplinæ. Et vna cum Romana Ecclesia omne studium, & curam in quærendo, quid liceat in singulis actionibus, abiiciunt. Luc. 6. antequam Dominus hominis manum aridam curaret ait ad Scribas, & Pharisæos: *Interrogo vos si* Luc. 6.
licet Sabbatis benefacere, an malè? Animam saluam facere, an perdere. Et Marc. cap. 3. ait: *Illi autem tacebant.* Ecce tibi garru- Marc. 3.
lissimi aliàs homines, vbi ad quæstiones accedunt de licitis operibus faciendis prorsus obmutescunt. Quod notans D. Athanas. homil. de semente ait: *Cum nugandum est, magnas* Athanas.
nugas dicunt: cum calumniandum, altissimè voce, clamat: tolle, tolle, homo iste hac & illo designauit: cum autem quæritur, bene ne, an male facere liceat, silent. Hoc est hæreticorum ingenium, pro Grammaticorum particulis, pro struendis calumniis, contentionibus altissimè vociferantur. cum autem quæritur, bene ne, an male facere in conscientiæ foro liceat, prorsus silent: quasi ad illos nulla honestatis cura pertineat.

Text. Cognita autem Iesus nequitia eorum ait: Quid me tentatis hypocritæ? Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Iesus: Cuius est imago hæc, & superscriptio? Dicunt ei, Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Et audientes mirati sunt, & relicto eo abierunt.

§. IV.

Parua Dei ira peccatoribus in præsenti exhiberi solet, quæ nisi proficiat, ingentem, & ineuitabilem furorem pariet.

QVi flagello sumpto mensas nummulariorum in templo subuertebat, nunc in subdolos tentatores, & insidiatores

diatores eius vitæ iratus, solum ait; *Quid me tentatis hypocritæ?* Non gladio, non fulmine, non flagello, sed verbulo solo ferit eos, quos noscit suæ vitæ rabidissimè, impudentissiméque insidiari. Cur Domine non magis irasceris in homines pessimos? Cur cum tibi cognita est adeo magna illorum malitia, in eos ostendis iram adeo paruam? Parua quidem ostenditur Dei ira, sed quæ nisi proficiat, & magnam, & prorsus incomportabilem iram trahet. Sic paruæ iræ diuinæ, cum non proficiunt in durissimas, & ineuitabiles iras com-

Exod. 7. mutantur. Exod 7. dicit: *Tulitque Aaron virgam coram Pharaone, & seruis eius, quæ versa est in colubrum.* Expendi quale telum assumat Aaron aduersus potentissimum, & nefarissimum, & obduratissimum Pharaonem, nimirum *tulit Aaron virgam.* Simplici, & parua virga armatur aduersus Pharaonem: & quid metuat nefarius Rex virgam aduersus se strictam? Cur non magis ei igneus gladius ostenditur? Est in parua illa virga, non paruum maximi damni argumentum: quando non proficiens virga secundum se, in horribilem draconem conuertitur, qui effugi nequeat. Ad hæc D. Bru-

Bruno. no, apud Tilmanum, in Allegoriis fatur: *Venit Moyses ad Pharaonem non cum gladio, sed in virga. Vnde si punitere voluisset, facilem ad ignoscendum Deum per hæc cognoscere poterat. Sed quia pœnitere noluit, in colubrum virga conuertitur, vt maioris dignus supplicij, maioris correctionis tormento se expectare intelligat. Et idco, qui virga non corrigitur, draconi, id est, Diabolo traditur.* Huc peruenit ira Dei parua à peccatoribus contempta; virga mutatur in draconem, & leuis calamitas quæ leui manu poterat amoueri, si non amoueatur, eam calamitatem excitat, quæ funditus miseros perdat. Aiebat

Psal. 17. Psalm. 17. *Ascendit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarsit, carbones succensi sunt ab eo.* Expende diuinæ iræ præludium nimirum *ascendit fumus in ira eius:* non ignis, non flamma vorans, sed fumus ascendit perterrefaciens; sed quantum malũ est, quod fumus ascendat? Sanè parua ira est ascensio fumi, si secundum se consideretur: at si ascensio fumi contemnatur, despiciatur, horrenda, & irreparabilia post se affert incendia. Amica est perturbatio à fumo ascendente orta, dum non contemnitur, at contempta flammarum vortices offert nullo modo effugiendos. Rem adhuc illustro militari exemplo; solent vigiles, & speculatores, vbi hostiles exercitus aduentare cernunt, fumos excitare, quibus commonefaciunt suos de periculo imminenti. Cùm fumi ascendunt, commouentur vniuersi, turbantur, sed de turbatione fumi hoc educunt emolumentum, quod ad arma confugiunt, & fortiter hostiles incursus propellunt. At si dum fumus ascendit, despiciunt signum, rati nihil esse præterea quid tunc? Hostes accedunt, æra tonant, & fulgurant, imò ardentibus plumbis fulminant vniuersa. En quàm damnosè fumi signum contemnitur, cui necessum est, vt horrenda fulminanda succedant. Ascendit equidem fumus in ira Dei, cum Dominus aduersus nos calamitatem excitat, quæ non magna est, sed parua; verum nulla calamitas à Deo, vt parua contemnenda: sunt enim paruæ calamitates fumosa signa eleuata à Deo, post quæ, si contemnantur, innumeri malorum exercitus venient, qui nefarium peccatorem in carbones, & fauillas conuertant. *Sic ascendit fumus in ira eius,* & post hæc: *ignis à facie eius exarsit, carbones succensi sunt à Deo.* Post fumum contemptum ineuitabiles restant flammæ: & tota magnitudo integra pœnarum. Quò aspiciens Psal. 74.

Psal. 74. ait. *Calix in manu Domini, vini meri, plenus mixto, & inclinauit ex hoc in hoc, veruntamen fæx eius non est exinanita.* Ecce tibi iræ diuinæ calix inclinatur; & aliquid sui effundit, sed tamen, quod acerbissimum est, hoc non exinanitur, imò integrum semper manet in omni acerbitate sua. Et cur dum aliquid effunditur iræ, maior acerbitas conseruatur integra, nisi vt sciatur, quia contemptor paruæ iræ, totam irarum plenitudinem in se recipiet? Ait D. Nazianz. orat. de

Nazianz. Plaga grandinis: *Ex seueritate quidem gratiam ijs inclinat, qui metu erudiuntur, & ex parua calamitate concipiunt, ac morum correctionem parturiunt, fæcem autem, hoc est, id quod in ira extremum est, asseruat, vt eam totam in illos effundat, qui benignitate minimè sanantur, imò obdurantur.* Qui ex parua calamitate morum correctionem parturiunt, gratiam inueniunt, & inclinationem diuinam; vbi autem ex parua calamitate nihil proficiunt, quod extremum est, & summum in diuina ira, sibi asseruatum patiuntur. Væ qui ad paruam Dei iram non expauescit, nihil enim grauius est, quàm vel in paruis imminentia magna non præsentire. Vt dicat Nazianz. vbi su-

Idem. pra: *Grauia quidem hæc sunt, at plusquam grauia, quandiu præsentia sola molestiam afferunt, nec atrocioris plagæ sensus mœrore adhuc animam pulsat.* Plusquam graue est nullo atrocioris

plagæ imminentis sensu pulsari, quandiu huius temporis leuioribus molestiis afficimur: & quod in leui molestia non discamus cauere magnam, quæ imminet.

§. V.

Regius splendor inde commendatur, quod tributa non sint nimia & excessiua.

NOn otiosè, vt notat D. Chrysost. in re tributi vsus est Dominus verbis illis: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari,* Chrysost.
non ait, *date,* sed notanter dixit, *reddite:* vt innueret, vnde magis debeat commendari regius splendor, nimirum ex eo, quod ad debiti mensuram tributum velit exigere. Ne quid excessiuum, aut nimium expectet, sed iuxta id quod ipse præstat Princeps, speret reddi sibi à subditis. Illa erat Nabuchodonosoris gloria Dan. 4. *Magna arbor, & fortis, & pro-* Dan. 4.
ceritas eius contingens cœlum: aspectus illius erat vsque ad terminos vniuersæ terræ. Folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius, &c. In foliis arboris laudatur pulchritudo, in fructu non laudatur, cur cum Regiæ arboris folia pulchra dicantur, eiusdem fructus minimè dicitur pulcher, sed nimius? Arboris Regiæ fructus, sunt vectigalia & tributa à populis reddita, quæ vbi nimia sunt, & excessiua, nullum regium decorem definunt perseuerare. Ad hæc Theodoretus fatur:
Folia vocat decus illud, quod conspiciebatur in veste, & throno, Theod.
& Regijs, & statu, habitu, satellitibus, ac stipatoribus corporis. Fructum vero, tributum, quod vndique ei afferebatur. Idcirco autem, multum fructum, non autem pulchrum dixit, neque enim iuste impositum erat. Non pulchritudo, sed dedecus apparuit, vbi tributa non ad mensuram debiti exigebantur; vt vectigalia Principi soluta excessiua sunt, nec iure debentur, sic accipientem deturpant; quando tota Regia pulchritudo in eo stat, quòd vltra sibi debita non requirat amplius. Hinc de Rege Christo aiebat Psaltes: *Dominus regnauit, decorem indutus est, induit Dominus fortitudinem, & præcinxit se.* Ante fortitudinem Regiam decorem, & pulchritudinem induere Rex noster curauit, & vt fortis ad debellandos hostes, sic decorus, & pulcer ad alliciendos animos apparuit. Sed vnde sic pulcer, vt fortis ad debellandos hostes, nisi quia nihil iniustè accepit, nihil vnquam supra mensuram debiti, sibi tyrannicè postulauit? Do August. in Psalm. 44. pulchrè fatem:
Pulcher ergo Rex noster in cœlo, pulcher in terra, pulcher in vtero, August.
pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher inuitans ad vitam, pulcher non curans mortem, pulcher deponens animam, pulcher recipiens. Ibi eum non videbis pulchrum, vbi deprehendes iniustum. Cum iniustè ablatis cadit tota pulchritudo Regis: quæ tunc stat, cum nihil à subditis exigit, nisi ad debiti mensuram, quæ in Principibus sumitur, non pro pompa regalis familiæ: sed pro indigentia vera communis munimenis. Vnde Abacuc aiebat
Principibus cap. 2. *Sic erit vir superbus, & non decorabitur:* Abac. 2.
qui dilatauit, quasi infernus animam suam; & ipse quasi mors, & non adimpletur: & congregauit ad se omnes gentes, & coaceruauit ad se omnes populos. Nunquid non omnes isti super eum parabolam sument, & loquelam ænigmatum eius, & dicetur, Væ ei qui multiplicat non sua? Vsque quo, & aggrauat contra se densum lutum? Hæc posteriora sic sonant ex Græco apud Theo-
phylactum: *Et solidè ponderosum reddit colli sui ornamentum.* Theoph.
Expende in primis illud superbissimi Regis, & gentes, & populos sub se habentis insigne; *non decorabitur,* à nationibus, à populis adoratus, totus inter frequentissima Regna aureus effectus, nullum decorem exhibebit, nullam pulcritudinem. Quin potius in illum populares blasphemiæ, dicteria, satyræ, carmina famosa vndique insurgent. Cur hoc? Quia multiplicat non sua, quia non iuxta mensuram debiti exigit tributa, sed solide ponderosum reddit colli sui ornamentum; exigit non pro debiti muniminis Regnorũ, sed pro ambitiosi ornatus sui, & splendoris cumulo, Theophyl. ait:
Hæc canent lamentantes Babylonium: væ qui nihil se decentibus Idem.
manum inijcit: & colli sui ornamentum, siue onus imperij sui grauius constituit subditis suis, quod grauia tributa, & vectigalia imponat. Quot Satyras, quot famosa poëmata, quot turpes inscriptiones, quot libros plenos iniuriis excitat in se, qui nulli decenti operi pro Regni munimine manus imponens, ornatus sui ambitionem extollens noua in dies vectigalia, noua indicit tributa? Quã regaliter aiebat Athalaricus Rex
Præfecto Siracusano apud Cassiod 10. var. 24. inquiens: *Primo* Cassiod.
fronte pro reparatione murorum pecuniæ diuersis prouincialibus dicuntur extortæ, cum tamen nulla exinde successerit promissa constructio. Hæc si constat admissum, aut more exinde pro eorum

munimine construantur, aut vnusquisque recipiat, quod ei probatur incompetenter ereptum. Nimis enim absurdum est, spandere munitiones, & dare ciuibus execrabiles vastitates? Quæ mens regalior? Quæ consideratio Regis dignior?

§. VI.

Dei spiritus non effigiebus, & adumbratis imaginibus, sed veris, & solidis virtutibus nititur.

MEritò Dominus à Dei donis, Cæsaris donatia distinguit, quia hæc de Cæsaris adumbrata imagine valorem videbantur recepisse. Non enim, quæ Deo debentur, de adumbratis figuris, & imaginibus, sed de veris, & solidis virtutum operibus valorem accipiunt. Mundialibus tyrannis dentur figuræ, dentur imagines, & apparentiæ: at qui velit dare Deo, quod suum est, omnes ableget à se apparentes figuras, verísque & solidis insistat virtutibus. Iacob Genes. 31. sententia mortis damnat domesticum suum, apud quem idolorum Labani inuentæ fuerint imagines. Quid tūc? Labanus tota sedulitate in Iacobi domo suorum idolorum
Genes. 31. perquirit figuras, quæsitas nullas inuenit, *sic delusa sollicitudo quærentis est.* Vanè enim in domo Iacob quæruntur imagines, quando, qui Dei impletur spiritu, non figuris, non imaginibus, sed veris, & solidis virtutibus nititur. Ait D. Ambr.
Ambros. lib. de fuga sæculi, cap. 4. *Virtutibus velut gradibus quibusdam mens Iacob ascendit in cælum, & Dei secreta cognouit, & confirmatus est, & repletus, vt Laban scrutans domum eius, nihil apud eum inane, nihil vanum reperiret, nulla simulachra, nullam effigiem vanitatis. Non enim apud eum erat imago, sed veritas: non effigies ignaua, sed solida forma iustitiæ, & vera virtutis expressio intelligibilis.* Hoc solum inueniri debet in domo iusti, quod veri, solidíque est expressiuum, quidquid in sola imagine, in sola apparentia transit, longè abest ab homiñe pleno Dei virtute. Cauebat lex diuina, Deut. 33. apud Ambros. in ex-
Deut. 33. hort. ad virgines: *Date Leui sortes eius:* quasi ab eis, qui Deo, & Iesu Sacerdotum Principi sacrati sunt, prorsus excludat quidquid fictum, & apparens sit: & solum permittat esse solidum, & verum. Date, ast, Leui veros eius; quasi dicat, non fuco aliquo, seu apparenti simulacro, sed vera, & natiua forma virtutum vigeat, qui summo sacerdotum Principi Iesu
Ambros. offerendus est. Sic D. Ambros. ibi. *Date ergo vero illi Leui, illi sacerdotum Principi, vero Aaron, vero Melchisedech veras eius, quales ipse condidit, non quales sæculi huius vsus effecit; vt opus suum in vobis integrum recognoscat.* Nihil Deo, & huius mundi figuræ commune: in mundo quidquid præterit figura est, imago est inanis, apud Deum soliditas. & veritas in pretio sunt: euanidas fugiamus figuras, & solidas, & veras Deo offeramus virtutes, quales ab illo in nos profectæ sunt. Hinc enim censentur, qui habent in se Dei spiritum, Prou. 11. dicit:
Prou. 11. *Impius facit opus instabile: seminanti autem iustitiam merces fidelis.* Ex Hebræo legitur: *Impius facit opus mendacij: seminantis autem iustitiam merces veritatis.* In impio nihil solidum inuenitur, nihil non apparens, & mendax: in iusto autem iustitiam colente Deum spectante ibi merces veritatis, vt qui
Caietan. solis veris, & solidis nititur. Ex quo Caietan. ibi fatur: *Experientia quotidiana testatur, quod impij opera falsitatis plena sunt, vtpote fallaciis fraudis, & doli capiam secum ferentia. Contra vis seminans iustitiam verbis, & factis, stipendium sibi, & alijs parit veritatis.* Nec vana est hominis iusti notio, quod vmbras abigat, quod minimè in se admittat inanes rerum imagines. sed solum sciat in se repræsentare veritates. Quod respexit Dominus, Cant. 5. oculos sponsæ assimilans columbis, *quæ lacte sunt lotæ.* Et cur lotæ lacte? Rem tradit notissimus in hac re
Nyssen. Nyssen hom. 13. in Cant. *Res omnes, quæ humidæ naturæ sunt, ad similitudinem speculorum ob leuitatem superficiei faciunt: vt inspicientium in eas vicissim ex ipsis imagines reluceant. In solo autem lacte huiusmodi simulacrorum expressio locum non habet. Quo fit, vt hæc oculorum Ecclesiæ sit laus, quod nihil, quod non subsistat, nihil verum præter ipsam rerum veritatem repræsentent.* Sic ableganitur à iustis omnes euanidæ imagines, & solum quod verum est & solidum in illis commendatur. Ad hæc addenda sunt dicta tom. 3 lib. 14. cap. 19. § 21.

§. VII.

In mundialibus nihil solidum, & verum. sola apparentia bonorum, & euanida imagines.

CÆsaris imagines in denariis notatas, Cæsari tradi iubet Dominus, vt cui proprium erat, nihil habere, nihil possidere in veritate, sed in imagine. Quidquid enim apud mundiales auditur, aut visitur, non solidum bonum est, sed inane, & velut boni quædam efficta imago, ex inscriptione nota, non ex veritate. Omnes illæ vrbanitates, & nobilium cultus, quibus præstantes viri extolluntur, prædicantur, nihil de veritate habent, sed de pictura, & ambientium arte. Hinc Dominus aiebat Luc. 22. *Qui potestatem habent benefici vocantur.* Expende, non dixit, quod benefici sint, sed *Luc. 22.* quod benefici vocantur, quidquid enim de illis prædicatur, non de veritate, sed de fictione venit ambientium, & adulantium. D. Bernard. ser. 3. de Ascens. *Quam pauci euadunt, qui-* Bernard. *bus non dominandi libido dominetur? Hinc est, quod benefici vocantur, qui potestatem habent, hinc quod laudatur peccatum in desiderijs animæ suæ. Potentibus si quidem omnes adulantur.* Beneficentia Principum non veritas est, sed fictio adulantium; est meretricia quædam prodigalitas cum beneficētiæ inscriptione afficta ab illis, qui ambiunt. Solum sunt in mundialibus spectra quædam, & simulachra bonorum, cum virtutum inscriptionibus profectis ab arte adulandi. Dicebat Abac. c. 1. *Et facies homines, quasi pisces maris.* Non absimiles *Abac. 1.* sunt homines piscibus in profundissimo pelago habitantibus, sed merito piscibus assimilantur homines, de illis enim ait Nazianz. Carm. ad virgin.

Vt Sol in nitidis, Phœbéque, & sidera Lymphis, Nazianz.
Piscibus irradiant, quamquam non illa, sed vmbras,
Vanáque prospiciunt veri simulacra nitentis,
Lætantúrque vmbris, & imagine lucis inani.

Videmus quidem cœlestia astra in aquis, tanquam in speculis repræsentari, adeò vt mare secum videatur habere Solem, Lunam, & stellas, ad quas currunt pisces, tanta astrorū pulchritudine delectari: & imaginibus, simulacrísque astrorum. altiora, veriorâque ignorantes prorsus gaudent. Sic homines in mundiali pelago, velut pisces nantes ad solas currunt imagines, & simulacra, nihilque lucidū, & præclarum in illis apparet, quod verū sit, & solidum, sed inane verorum simulacrum. Meritò dicebat Paul. 1. ad Cor. 7. *Præterit figura* *1. Cor. 7.* *huius mundi:* quidquid enim in mundo visitur, figura solum est, & inane simulacrum, quod mundialissimus Regum Salomon fassus fuit illis verbis Eccles. 1. *Vanitas vanitatum, &* *Eccles. 1.* *omnia vanitas.* Ex quibus ait D. Chrysost. epist. ad Eutropium: *Hunc versiculum, si saperent, qui in potestate sunt, in parietibus* Chrysost. *omnibus, & in vestibus scriberent, in foro, in domo, in ianuis, in ingressibus: & ante omnia in conscientijs suis. vt semper eum acutis cernerent, & corde sentirent; quoniam quidem multæ sunt rerum facies, multæ imagines falsæ, quæ decipiunt incautos.* Imagines sunt, & inania simulacra, quæcunque ad gloriam faciunt mundanam. Vnde sapiens Rex Dauid, Psalm. 38 clamabat: *Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meo-* *Psal. 38.* *rum, qui est, vt sciam, quid desit mihi.* Sic sanctissimus Rex solicitus erat, vt sciret numerum dierum vitæ temporalis. Absit: imò sciens in temporalibus nihil esse solidum nihil verum, sed omnia in imagine transire. notanter petit scire *numerum dierum, qui est;* hoc est, qui vere sit, qui non in imagine pertranseat, sed in veritate maneat, & existat. De temporalibus, iam nouerat, quod in potentatibus octoginta anni soleant prætercurrere, sed quia eos non tam dies, quàm dierum imagines putat, illum diem scire cupit æternitatis, qui & vere est, & vere existit. Adhæc D. Ambr. lib. 1. off. c. 48. *Dies* Ambros. *illos requirit vitæ æternæ, qui sunt, non qui prætereunt, vt cognoscat, quid sibi desit, quæ terra sit repromissionis, perpetuos fructus ferens, quæ prima apud Patrē mansio, quæ secunda, quæ tertia, in quibus pro ratione meritorum vnusquisque quiescit. Illa ergo nobis expetenda, in quibus perfectio, in quibus veritas est. Hic vmbra, hic imago, illic veritas.* Misere fallitur, qui in mūdialibus aliud, quam vmbras, quam imagines putat esse; tantum tollantur larualia bonorum simulacra, & nihil prorsus remanebit. Vnde erat ille clamor propheticus, Psal. 72. *Domine in ciuitate* *Psal. 72.* *tua imagines illorum ad nihilum rediges.* Non dicit ipsos destruendos tyrannos, & à gloria eliminandos. sed tantum eorū imagines, quia si mundialibus laruales figuræ auferantur, nihil eorū manet. A mundo fugiat, & ad Deū confugiat, qui à laruali figura amat recurrere ad veritatē Ps. 36. *Spera in Do-* *Psal. 36.* *mino, & fac bonitatē, & inhabita terrā. & pasceris in diuitijs eius.* Vbi Hieron. *Et pasceris veritatem.* De Deo enim solum venit, Hieron. quod homo, & veris, & solidis pascatur. Vide lib. 17. §. 14.

Text. In illo die accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem, & interrogauerunt eum, dicentes: Magister, Moyses dixit, si quis mortuus fuerit,

nonhabens filium, vt ducat frater eius vxorem illius, & suscitet semen fratri suo Erant autem apud nos septem fratres, & primus vxore ducta defunctus est: & non habens semen reliquit vxorem suam fratri suo. Similiter secundus, & tertius, vsque ad septimum. Nouissimè autem omnium, & mulier defuncta est. In resurrectione ergo, cuius erit de septem vxor? Omnes enim habuerunt eam.

§. VIII.

Spes præmij, & supplicij metus continent homines in virtute.

AVdaciores, & impudentiores apparent Sadducæi isti, quam Pharisæi fuere; illi per se tentare Iesum erubescentes, & discipulis, & Herodianis rem committunt, Sadducæi autem nihil erubescunt, sed ipsi audacissimè accedũt; in quibus enim non erat resurrectionis, nec immortalis vitæ fides, non miror, quod impudentiores, & audentiores inuenirentur, quando spes æterni præmij, vel supplicij metus solet homines in virtute continere.

Matth. 13. Matth. 13. *Simile est Regnum cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti.* Nec immerito euangelica prædicatio sagenæ comparatur, vt homines ad cœlestes virtutes trahat; & extrahat ab amarissimo mari peccati. Sunt enim in sagena duo funes, alter inferius quasi repta; superius secus supernatat: quibus gubernata sagena, sorbet piscibus mare, & littora facit piscibus redundare. Quid plura? Dum ij quasi duo funes tendantur, alter, qui ima tangat, nimirum metus suppliciorum æternorum; alter, qui de sublimi feratur, videlicet spes cœlestis thesauri, fallar, nisi homines ad virtutes sequendas, & amplectendas capiantur. Aiebat D. Pasch. lib. 7. in Matth.

Paschas. *Trahitur hæc sagena duobus connexa funibus per medium hoc mare, à summo vsque deorsum extensa: sursum siquidẽ spe super omnes fluctus sæculi vehementer erecta, & firmata: deorsum vero vsque ad ima timore diuini iudicij demersa.* Quis sagenam Dei fugiat iis timoris, & spei æternorum funibus tractam? Vel quis, & supernam coronam, & infernam flammam videns in virtute

Osee 14. contineatur. Ose. 14. ait Dominus: *Ero quasi ros Israel, germinabit sicut lilium, & erumpet radix eius, vt Libani.* Duo ponit, quę maximè faciebant ad commendationem Israelis, & quæ illi accidebãt ex gratia diuina, nimirum quod instar lilium sese attolleret versus cœlum, & quod sicut radix proceræ arboris Libani, sese in ima deprimeret. Dum enim homo ad cœlestes coronas videndas attollitur, & in ima suppliciorum demergitur, & in fructu, & in securitate procerissimas arbores æmulatur quæ iacto ad cœlum vertice, & radicibus in ima iactis, fructuum plenæ rident tempestates. Ad hæc D.

Hieron. Hier. in præsenti aiebat: *Cum creuerimus in domo Domini, mittemus radices sicut arbores Libani, quæ quantũ in auras cõsurgũt, vertice tantum radicem in ima demergunt, vt nulla tẽpestate quatiantur, sed stabili mole consistant.* Et vertex in astra sublatus, & radix inferne demersa conferunt arbori aduersus tempestatem firmitatem; sic homo vbi spectet superna, timeátque inferna, immobilis à virtute manebit. Liceat hanc similitudinem ex Virgil. etiam mutuare, qui Æneid. 4. fatur.

Virgil.

Et veluti annosam valido cum robore quercum
Alpini Boreæ, nunc hinc, nunc flatibus illinc
Eruere inter se certant: it stridor, & altè
Consternunt terram concusso stipite frondes,
Ipsa hæret scopulis: & quantum vertice ad auras
Æthereas, tantum radice ad Tartara tendit.
Haud secus. &c.

Ita quo radix ad Tartara tendẽs, & vertex ad Æthera faciũt arborem sic hærere immobilem, vt nulla violentia possit deturbari, ne minorem immobilitatem à virtute putemus esse in homine, qui simul scit hæc duo in se repræsentare, nimirum quod & alia cœlestium præmiorum mente teneat, & simul quasi radicem mittat vsque ad Tartara, damnatorum supplicia contemplatus.

§. IX.

Resurrectionis certissima fides coniugijs debet ponere modum.

DE septenis imperatis nuptiis à diuina lege arma sumunt aduersus resurrectionem inimici resurrectionis,

nec miror quod homines ignorantes, & carnalissimi impingerent ad hunc scopulum: & quod toties iteratæ nuptiæ à male sanis oculis absconderent lucidissimam diem resurrectionis. Fides enim resurrectionis ex se, & nuptiis, & coniugali licentiæ solet ponere modum: imò incorruptum, & virgineum statum repræsentare. Nullis ferè verbis exprimitur resurrectionis status, quæ incorruptibilitatem non sonent & nuptias ablegent. Ait D. Petrus in 1. epist. 1. *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regenerauit nos in spem viuam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis. In hæreditatem incorruptibilem & incontaminatam, & immarcessibilem, conseruatam in cælis in vobis.* 1. Petr. 1.

Ecce resurrectio Christi gloriosa, nobis communicanda, quid proferat, nimirum hæreditatem incorruptibilem, incontaminatam, & immarcessibilem: quasi nihil sit in felicissimo illo resurrectionis statu, quod virgineum decus non afferat. Ad hæc D. Hieron. lib. 1. aduersus Iouin. ait: *Vbi incorrupta prædicatur hæreditas, & immaculata, & immarcessibilis, & præparata in cælis, & in tempus nouissimum reseruata, & spes vitæ æternæ, quando non nubent, neque nubentur, ibi alijs verbis virginitatis priuilegia describuntur.* Hieron. Totum sanè, quod est illius gloriosissimi resurgentium status puritatem, integritatem, & virginitatem halat; nec vix sinitur mens humana pudicitiam, & integritatem non meditari, vbi resurrectionis statum præ oculis habet. Quod idem Petrus asserebat epist. 1. cap. 1. aiens: *Qui per Iesum fideles estis in Deo, qui suscitauit eum à mortuis, & dedit ei gloriam, vt fides vestra, & spes esset in Deo, animas vestras castificantes in obedientia charitatis, &c.* 1. Petr. 1.

Expende ad quid dicat nobis propositam Iesu à mortuis resurrectionem, nimirum, vt spes nostra esset in Deo, animas castificantes; quasi castitas interna in primis veniat in mentem omnibus spectantibus, & sperantibus statum resurrectionis. Quò etiam spectat Ioann. epist. 1. c. 3. *Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Et omnis qui habet hanc spem in eo sanctificat se, & sicut ille sanctus est.* 1. Ioann. 3. D. August. ibi tract. 4. legit: *Et omnis, qui habet hanc spem in eo castificat se, sicut & ille castus est.* Quæ est tanta spes, qua homo se castificat, & in castitate curat assimilari Iesu? Illis verbis explicat, *cum apparuerit, similes ei erimus*, quæ Tert. lib. de resurr. carnis explicat de apparitione gloriosa Christi in regeneratione, quam Christo similem omnes beati consequentur. Et quidem quicumque hanc spẽ habet, quod vbi Christus gloriosus apparuerit a mortuis excitatus, similiter & ipse apparebit; nil prius intendit, quã castificare seipsum, vt incorruptionem, & integritatẽ corporis illius felicissimi status æmuletur. Resurrectionis gloriam promittens discipulis suis dicebat Dominus Matth. 26. *Non bibam de hoc genimine vitis, donec bibam illud nouum vobiscum in regno patris mei.* Matth. 26. Ecce vobis promittit nouum vinum bibendum in regno patris: & quale hoc vinum nouum erit? Proh Deus immortalis, vinum nouum propinas tuis discipulis! In vino est luxuria, vt testatur Salomon, cur ergo vinum tuis promittis? Vide quale vinum promittat, ait enim Aug. q. in Euang. 43. *Quid enim aliud nouum vinum, nisi immortalitatem renouandorum corporum intelligere debemus? Quod cum dicit, vobiscum bibam, etiam ipsis resurrectionem corporum ad induendam immortalitatem promittit.* Non qualecunque vinum promittit, sed vinum quod referat corporum resurrectionem, vbi autem in vino corporum resurrectio exprimitur, non luxuriam, sed castitatem sed puritatem, sed virginitatem generat tale vinum. Huc refero verba D. Hier. lib. 1. ad Iouin. *Hoc est vinum, quod cum ebiberint adolescentes, & puellas, statim virginitatem sitiunt, & in crapulam castitatis eructant, & explent illud vaticinium Zachariæ: Quid est bonum eius, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Hieron. Sanè de calore noui huius musti expressi in prælo crucis, quod corporum renouationem, & immortalitatem figurat, quisquis habet, & castimoniam, & virginitatem sitit: quod si nuptiali thalamo virginitas fuerit amissa, status resurrectionis maximè contradicit secundis nuptiis. Quod argumentum bene attigit Tertull. in malo lib. de Monogamia; vbi inquit: *Si autem in illo æuo, neque nubent, neque nubentur, sed erunt æquales Angelis: non ideò nõ tenebimur coniugibus defunctis, quia non erit restitutio coniugij. At quin eo magis tenebimur, quia in meliorem statum destinamur, resurrecturi in spiritualem consortium, agnituri tam nos metipsos, quam nostros.* Tertull. Tenetur quis ab alio coniugio abstinere, vbi scit coniugem, & viuum, & diuitem ab Indis rediturum, & non probro dem quod sciat quis coniugem in cœlesti Regno inueniendum quatuor dotis gloriæ insignem, & nihilominus det operam nouis nuptiis?

§. X.

Durissima ea lex, quæ cogit in secundas nuptias.

MOysis legem adducunt, isti tanquam præstantissimam, quæ defuncto marito sine liberis, cogebat vxorem in secúdas fratris defuncti abire nuptias. Quid durius? Sanè incomportabile iugum putabatur ab Apostolis lex Moysis, & vel solo ex isto capite incomportabile iugum erat. Quis non durus, & ferreus absolutum à vinculis cogat iterum ire in vincula? Quis alligatus catena vna, amet alligari pluribus? Iacob præstantissimus vir dum sub patrui Labani seruitio premitur, solius Rachelis amabat nuptias, sed circumuentus à Labano prius Liæ nupsit, Genes. 29. vt postmodum etiam traheretur in Rachelis amplexus expetitos. Ecce prudentissimus vir fit bigamus: sed hoc illi accidit non ex propria electione, sed ex dolo, & circumuentione Heri durissimi. Ex quo sapienter D. Hieron. lib. 1. aduersus Iouin. inquit:
Hieron. *Si autem duas bigas vxorum, & concubinarum habuit Iacob, & non vult aduersarius Liam deformem, atque lippam Synagogæ typum pratulisse. Rachel vero pulchram, & diu sterilem, Ecclesiæ significasse mysterium, sciat eo tempore hoc fecisse Iacob quando erat inter Assyrios, & in Mesopotamia Laban durissimo Domino seruiebat.* Expende, quando Iacob trahitur ad duplices nuptias, quando Laban durissimo domino seruiebat: nisi enim de durissimi domini tyrannica circumuentione prudens homo non cogeretur secundas nuptias experiri. Sed & Iacobo maior Abraham auus eius, & fide, & iustitia insignis, sed etiam duGenes. 15. bus nuptiis; de eius fide dicitur Genes. 15. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Quanta fides hæc Abrahami? quanta iustitia? Et tamen hic tantus bis accessit ad nuptias, sed expende, quid cum secundis nuptiis accipiat. Equidem post prædicatam viri fidem, & iustitiam, cap. 15. statim cap. 16. dicitur, quod Sara dixerit marito suo, quod acciperet ancillam in coniugem secundam. Quid tunc? Vix secundas amplexus est nuptias Abraham, & statim cum illis accipit præceptum de circumcisione durissimum, sic habes
Genes. 17. Genes. 17. *Circumcidetur ex vobis omne masculinum, &c.* Ne quis sit probus, qui cum secundis nuptiis durissimam non incurrat seruitutem. Ex quo non malè ponderabat Tertullian.
Tertull. lib. de Monogamia: *Quando credidit Abraham Deo, & deputatum est in iustitiam? Opinor adhuc in Monogamia, quia in circumcisione nondum. Quod si postea mutatus est in vtrumque & in digamiam per ancillæ concubinatum, & in circumcisionem per testamenti signaculum: si posteriorem Abraham patrem sequeris, vt digamum, recipe, & circumcisum.* Non est separabilis in Abraham durissima lex de circumcisione, & secundæ nuptiæ; dum non intelligitur circumcisus, nec intelligitur secundo nuptus: quia non poterant secundæ nuptiæ venire, nisi vel de præcepto durissimo, vel cum illo.

Text. Respondens autem Iesus ait illis: Erratis, nescientes scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim, neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut Angeli Dei in cœlo. De resurrectione autem mortuorum non legistis, quod dictum est à Deo, dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob? Non est Deus mortuorum, sed viuentium. Et audientes turbæ mirabantur in doctrina eius.

§. XI.

Non ab vna sola, sed à multiplici virtute Deus in nobis exprimitur.

MInus videtur de beatis asserere Iesus, quam asseruerat Ioannes eius discipulus; Iesus dicit, quod in resurrectione erunt *sicut Angeli Dei*: Ioannes asserit, quod erunt sicut Deus, quippe ait 1. ep. 3. *Cum apparuerit, similes ei erimus*? Cur ergo Dominus vult à Ioanne vinci in extollendis beatis, illos Angelis, & non Deo comparans? Nónne potuisset de illis dicere, quod erunt sicut Dij? Cur hoc prætereuns Angelis solum illos facit similes? Agebat Dominus de vna tantum beatorum virtute, nempe de abstinentia à coniugio, in vna autem sola virtute non Deus exprimitur, sed in virtu-
Exod. 7. tum segete multiplici. Moysi dixerat Dominus Exod. c. 7. *Ecce constitui te Deum Pharaonis*; Moysem adhuc in vita mundi constitutum Deum facit, vero, & ineffabili Deo assimilat, & beatitudinis, immortalitatisque candidatos, non Deo, sed Angelis vocat similes? In iis vnam virtutem ponderabat, in Moyse multiplicem attendebat virtutem, de cuius multitudinis vbertate Deus constituitur. D. Ambros. lib. 1. de Abel,
c. 2. ait: *Etenim victor passionum omnium, nec vllis captus sæculi illecebris, qui omnem istam secundum corpus habitationem cælestis puritate conuersationis obduxerat, mentem regens, carnem subijciens, & regia quadam auctoritate castigans, nomine Dei vocatus est: ad cuius similitudinem se perfecta virtutis vbertate formauerat.* Expende ex quo ad Dei similitudinem in se formandam peruenit, qua Deus diceretur, nimirum *perfecta virtutis vbertate*, non enim singularitas sed vbertas virtutum facit, quod quis ad similitudinem Dei conformetur. Huc spectat illud Ambros.
Apoc. 14. vbi sic: *Et vidi, & ecce agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen eius, & nomen patris eius scriptum in frontibus suis. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum, quocumque ierit.* Non solum contentus est dicere de hoc glorioso choro, quod non sunt coinquinati, quòd virgines sunt, sed insuper illud ad magnam illorum virtutum vbertatem ostentandam, quod *sequuntur agnum, quocumque ierit.* Nulla ad virtutem via arrepta fuit ab Agno, in qua hi aliqualem non fecerint gradum. Et cur necessum fuit hoc de purissimis, & minimè coinquinatis virginibus explicare? Dictum fuerat de illis, quod nomen agni, & nomen patris agni haberent scriptum in frontibus suis, adeò vt vel ex nomine Deo prorsus viderentur assimilari, ideo necessum fuit illos non ab vna, sed à multis virtutibus commendare. Pro quibus cecinit Naz. de laudo virginitatis. Apoc. 14.

——— *At chorus ingens* Nazianz.
Corpore, quem neguras, regem lætissimus ambit
Cælestis, studióque omni Deus esse laborans,
Christifer, atque crucis feruens, mundique rudentis
Contemptor, tota meditans cælestia mente.

Itaque ingens virginum chorus, dum Deus esse laborat, & Deo assimilari, omne suum studium impendit, nec contentus est virgineo candore radiare, sed insuper purpuram crucis amplectitur, mundialiáque omnia abiicit, mentéque tota ad cœlestia fertur. Ex quo D. Pasch. in Psal. 44. ait: *Vnde necessum* Paschas.
est respondeat virgo dotis titulo, respondeat moribus sponso, mente atque actu afferat cælestem vitam per naturam, quam consequuta est per gratiam, & sequatur agnum quocumque ierit. Sequitur autem virgo agnum quocunque vadit, ita tamen si concordiam virtutum teneat. Quoniam Christus Dei virtus, & Dei sapientia, principium est omnium viarum. Ideò qui post eum ire festinat, & sequi vult, quocunque abierit, debet primum mentis incorruptionem seruare atque carnis, deinde cæterarum virtutum vias ingredi, chastitatisque membra omnia custodire. Nec sibi quis blandiatur de similitudine agni, nisi multiplici virtutum vbertate radiet. Vnde D. Zen. Veronens. de Pudic. fatur: *Deum patrem vos, & habere,* Zeno.
& possidere monstratis, cum pudicitia, in qua Deus habitat, non dicam, diligitis: sed luculentis moribus adornatis. In quo non sola pudicitia, sed aliis virtutibus adornata irradiat, in ipso patet diuina prosapia. Huc trahe dicta 3. tom. lib. 15. c. 1. §. 17.

§. XII.

Quò quis à curis carnalibus separatior, & alienior, eo magis quietam, & suauem ducet vitam, vt possit dici angelica.

VBi à nuptiis prorsus dicuntur homines astineri, ne nubeant, neque nubeantur, statim illud sequitur, *sed sunt sicut Angeli Dei*, hoc est, vita est illis dulcis, suauis, angelica. Aiebat D. Ambros. in exhortat. ad virg. *Qui non nubunt,* Ambros.
& qui vxores non ducunt, sicut Angeli in terris sunt, vt tribulationem carnis non sentiant, seruitutem ignorent, à mundanæ cogitationis abluantur contagio, diuinis rebus mentem intendant: vt tanquam exuti corporis infirmitate, non quæ hominis sunt, sed quæ Dei sunt, cogitent. Hæc sunt prærogatiua illorum, qui à carnis operibus se alienant; quod seruitutes ignorent, & tribulationes, & perpetua suauitate perfusi degant, quasi angelicam suauitatem in vita æmulentur. Cantic. 5. *Dilectus* Cant. 5.
meus candidus, & rubicundus: & post alias eius enumeratas perfectiones, tandem sic definit: *Guttur eius suauissimum, & totus desiderabilis.* Et vnde tantam suauitatem in gustu compararet, nisi ex eo quod purissimo virginitatis candore pulchresceret? Ait D. Hieron. lib. 1. in Iouin. *Fratruelis meus candidus in virginitate, rubicundus in martyrio. Et quia rubicundus, & candidus, guttus eius dulcedines, & totus concupiscentia.*

Vbi

Vbi rubori additur candor, vbi martyrio apponitur virginitas, nihil in gustu apparet insuaue, nihil non dulce, & desiderabile. Vix est vnde possit aliud sentire, quam suauitatem gustus virginei. De virginibus est illud elogium Apoc.c.14.
Apoc.14. *Hi sequuntur Agnum, quocumque ierit.* Et quo ibit Agnus, nisi ad vbera matris, à quibus candidissimas hauriat dulcedines, quarum virgines participes erunt? Aiebat Aug.lib.de S.Virginitate:
August. *Quo putamus Agnum ire in quos saltus, & prata? Vbi credo sunt gramina gaudia, non gaudia sæculi huius vana, nec gaudia qualia in illo Regno Dei cæteris non virginibus, sed à cæterorum omnium gaudijs sorte distincta, gaudia virginum Christi.* Nesciet Agnus ducere virgines suas ad vana gaudia, ad gaudia communia, sed ad lectissima gramina, ad dulcissima vbera ducet, à quibus innumeras suauitates possint haurire. Merito
Psal.44. ait Psal. 44. *Adducentur Regi virgines post eam, proximæ eius afferentur tibi. Afferentur in lætitia, & exultatione:* quasi hoc sit proprium status virginei, quòd in illo, nec gradus fiat, nisi in exultatione, & lætitia. Quocirca D.Chrysost. in præsenti
Chrysost. fatur: *Vide hic dictum Apostolicum resplendere, & illam enuntiationem ostendi etiam in propheta. Quænam autem ea est? Tribulationem carnis habebunt, quæ nubunt. Quemadmodum autem illæ afflictionem, ita hæ lætitiam, & exultationem. Illæ enim filios, & maritum, & domum, & famulos, & cognatos, & generos, & soceros, & nepotes, liberorum multitudinem, eorundémque vel defectum, vel orbitatem curare coguntur. Virgo autem crucifixa, & à præsentibus liberata, & curis ad hanc vitam pertinentibus effecta superior; & Euripo traiecto in cœlum quoties suspiciens, fruitur gaudio spiritus, perfunditur exultatione.* Omnes amaritudines vanæ vt in nuptiis erumpunt, sic longissimè effluunt à virginibus; quæ nihil nisi dulce, & lætum nouerunt haurire. Bene
Ambros. D.Ambros.lib.1.de Virg. aiebat: *Digna virginitas, quæ apibus compararetur, sic laboriosa, sic pudica, sic continens. Rore pascitur apes, nescit concubitus, mella componit. Ros quoque virginis est sermo diuinus: pudor Virginis est intemerata natura: partus virginis fætus labiorum, expers amaritudinis, fertilis suauitatis.* In toto virginitatis, siue otio, siue negotio, nihil videbis non suaue, non floridum: vt & virginum, sicut apicularum labores in dulcedine compingenda sint positi.

§. XIII.

Virginitas promptissima est ad omnia Dei obsequia percurrenda.

Qui à nuptiis prorsus abstinent, iam *sunt sicut Angeli Dei*, & prompti, & veloces, vt sine impedimentis currant, quocumque Deus vocat. Habes de virginibus, Apocal. 14. *Hi sequuntur Agnum, quocumque ierit.* Hoc de solis virginibus asseritur, quod current, quod ibunt, quocumque Deus vocet. Sed etiam de aliis, & sanctissimis, & promptissimis id dici non potest? Respondet D.August. lib.de sancta virgin.
August. *Sequuntur Agnum cæteri fideles, qui virginitatem corporis amiserunt, non quocumque ille ierit, sed quousque illi potuerint.* In cæteris ad vocem Dei sequendam spectari debet, quid ipsi possint iuxta impedimentorum rationem in virginibus, eo ipso, quod virgines sunt, non dubitatur de eorum, & potestate, & promptitudine, & facilitate ad omnia. Vt à se omnia impedimenta virginitas ablegat, sic de se non permittit dubitari, quod expeditissime potest currere ad quæcumque munera obeunda, ad quæ Deus vocarit. Moysem euntem ad
Exod.3. visionem ardentis rubi vox impedit dicens Exod.3. *Ne appropies huc: solue calceamentum de pedibus tuis.* Solutio enim calceamenti, apud antiquos Israëlitas ritus erat renuntiandi debitis ex lege, nuptiis: neque Moyses potest peruenire, quo vocabat eum magna Dei visio, nisi prius quasi nuptiis renuntiet. De quo D. Hieron. lib. aduersus Iouinian. 1. ait:
Hieron. *Moyses cum vidisset visionem magnam, & Angelum, siue Dominum loquentem in rubo, nequaquam valuit ad eum accedere, nisi soluisset corrigiam calceamenti sui; & abiecisset vincula nuptiarum.* Nuptiis renuntiet, & lacteam virginitatis viam arripiat, qui velit facilis, & expeditus omnia Dei obsequia obire. Isaias cap.19. *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, &*
Isai.19. *ingredietur Ægyptum.* De quo D. Ambros. in Exhortat. ad
Ambros. virgin. *Nubem itaque Mariam dixit, quia carnem gerebat, leuem, quia virgo erat.* Nescit virgo salubri leuitate non pollere, qua facilis, & prompta sit, vt vel à minimo Dei flatu excitata currat ad obsequium diuinum. Quod in nube leui explicabat Isaias, id explicat Nazianz. in naui leui fatus in Carmine de laudibus virginitatis,
Nazianz. *Vtque per exiguam venti vis paruula puppim*
Incitat, expansis velo malis alta secantem,
Aut etiam remis pulsa, per æquora cursu
Fertur: attingentem non fert lenis aura carinam,
Quæ nisi pergrauibus mentis agitata quoqu'is.
Sic etiam innupti, quoniam leuioribus æuum
Traijciunt pedibus, leuiore videntur agere
Numinis æterni auxilio, afflatúque minore.
Propone tibi ob oculos ingentem Lusitaniæ nauem Indicorum opibus grauem, & nuntiis ferendis aptam, & expeditam naniculam: illam ventorum furor vix mouet: hanc vel minimus auræ sibilus citissimam, in quem voluerit portum defert. Sic innupti, sic virgines adeò expediti sunt, adeò à terrena grauedine liberi, vt vel ad minimum Dei afflatum, totum mundi fretum transcurrant, & in altum virtutum sese deducant. Ad virginem sponsam erat vox illa Cant.4. *Veni* Cant.4.
de Libano sponsa mea, veni de Libano: circa quæ verba D.Ambros. in Exhortat. ad virg. ait: *Virgo est illa, quam vocat Iesus, cui & dixit: Ades huc à Libano sponsa, ades huc à Libano, transibis, & pertransibis. A principio fidei non solum transit virgo, sed etiam pertransit, quæ festinat ad sponsum. Transit sæculum, pertransit ad Christum.* Expeditissima est virginitas, & ad omnia virtutum decora facile excitatur, & facile currit. Ambros.

§. XIV.

Virginitas, & castitas, ipsa sibi, & alijs tutela est, & defensio.

Non grauabor tandem credere innuptos Angelis similes in eo quod & ipsi tutelam exhibeant: est castitas pro muro, & defensione sibi, & aliis cæterarum virtutum. Paul. ad Gal. c.5. ait: *Fructus autem spiritus est: Charitas gaudium, pax patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* Expende quo loco castitas ponatur, nempe in fronte ipsa, quasi pro defensione, & tutela cæterarum, vt dicat D.Hier. lib.1. aduersus Iouin. Galat.5.
Omnes spiritus virtutes, quasi solidum fundamentum, & sublime culmen, continentia sustentat, & protegit. Et quanta sit hæc castitatis tutela, & protectio, testatur Susanna, quam nudam, & solam in horto duo procacissimè iudices aggrediuntur; potestate erant ipsi armati, & Susanna nuda, nec tamen potuit ab illis deuinci, vt testatur Dan.cap.13. Sed vnde tenera puella tam dira potestatis, & mortis tela euasit immunis? Videbatur bona fœmina in congressu, & sola, & nuda, sed erat inexpugnabili castitatis muro munita. Quippe ait D. Hieron.
Zeno Veronen.serm.de Pudicitia: *Susannam cum adulterent muro castitatis in paradisi solitudine circumseptam aggrediuntur.* Zeno.
Erat Susanna nuda, & sola, sed eius castitas extitit pro muro, quo vndique circumsepta à rabidissimis hostium incursibus euasit libera. Murus est castitas, quæ hostium conatus exsibilet. Hinc Cantic.4. *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus fons signatus.* Sed cupis scire, quàm sit conclusus hortus iste, cui assimilatur sponsa? Conclusus sane est non leui aliqua sepe, sed muro castitatis. vbi enim castitas est, & murus est, qui protegat, & defendat virtutes alias. D.Ambros.ibi: *Hortus clausus, quia vndique vallata est muro castitatis. Habet igitur murum suum virginitas aduersus mundi huius turbines, & ideò septo diuinæ munita protectionis, nullis sæculi flabris inquietatur.* Vix potest intelligi castitas, quæ non sit pro inexpugnabili muro ad se, & alias virtutes tutandas. Floreat in te castitatis amor, & custodiam, & tutelam, & murum habes, sub quo vix poteris expugnari; imò arma habes, quibus hostes vsque ad internecionem persequaris, Cant. 3. dicit: *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi vniuscuiusque ensis super fæmur suum.* Expende, validissimæ lectuli Salomonici custodiæ ex quo commendentur, nimirum ex ense super fœmur posito; in quo est gladius ad carnis illecebras amputandas, ipse & fortissimus custos, & defensor est Dei populi. Audio enim Iudic.3. suscitatum à Deo sui populi saluatorem Aod, de quo aduersus pinguissimum Englon insurgente dicitur: *Extendit Aod sinistram manum, & tulit sicam de dextero fæmore, infixítque eam in ventre eius.* Vix gladius positus super fœmur aduersus voluptuosas illecebras scit vacuus esse, quin hostes prosternat, virtutes defendat. Vnde aiebat D.Hieron. aduersus Iouin. lib.1. Ambros. Cant.3. Iudic 3.
Qui in circuitu Salomonis sunt, gladium habent in fæmore, sicut Aod ille iudex, qui interfecit hostem pinguissimum, & totum carnis deditum, omnes amputans voluptates. Quasi tota protectio, & defensio virtutum populi, non tam ab alio, quàm ab amore castitatis descenderet. Id quod notans D.Ambrof. in exhor.ad virg. ait. *Multas feminas scriptura diuina in laude exit, palmam tamen publicæ salutis solis virginibus dedit. In veteri* Hieron. Ambros.

testamento terra, ac mari clausum populum Hebræorum virgo per maria pedes perduxit. In Euangelio auctorem mundi virgo generauit. Stat ergo virginitas, & castitas pro communi salute, vt quæ Dei populum, & populum virtutum ab hostibus protegat, & faciat esse liberum.

§. XV.

Bona funditus perdita non gloriam, sed benedictionem, sed calamitatem ostendunt in possessore.

Exod.3. NVlli dubium esse potuit, quod ad commendationem gloriæ suæ Dominus Exod.3. dixerit: *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob.* Ex quo euidenti ratione proponitur à Christo Domino resurrectio mortuorũ. Etenim si Abraham, Isaac, & Iacob, funditus essent consumpti, qualis esset diuinæ gloriæ commendatio, quod diceretur Deus eorum? Quis Rex vnquam gloriosos titulos sibi affixit ex perditis Regnis? Sanè perditorũ bonorũ memoria non gloriam, sed calamitatem ostẽdunt in possessore. Notissimũ perspice Adami Principatum, & gloriam, cum & sui, & paradisi erat Dominus. In immensum eius augebãt gloriam subiecta animalia imperio, subiecti appetitus rationi; totus hic dominatus euanuit, in nihilum prorsus abiit. Quid tunc? Ereptus paradisus, dominatus funditus perditus potuit inde ad gloriam Adami reuocari in memoriam? Absit; quin imo nihil illi calamitosius, quam recordari fuisse illorum Dominum. Pulchrè canebat Claud. Marius, lib.2. in Genes.

Claud.
Heu quibus hæc spectant oculis, quo pectore cernunt,
Quorum animis Paradisus inest, quæ causa doloris
Vna subest, dum cunctorum iam plena malorum
Se pandit facies longè tristissima, post tot
Delicias paradise tuas, & amæna locorum
Gaudia fertilium; quorum vanissima præsens
Semper adest, tristésque animos idæa fatigat.

Amissi, & funditus perditi boni idæa, quem non fatigat? Vanus esset, & ridiculus Princeps, qui inter inanes ideas amissorum Regnorum iactaretur, & de perditis rebus ostentaret solos gloriarum titulos. Titulus enim sine re, & idea sine substantia non gloriæ, sed calamitatis efferunt signa. Hinc Ezech.28. Ezech.28. dicit: *Leua planctum super Regẽ Tyri, & dices ei. Hæc dicit Dominus Deus. Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & decore. In delicijs paradisi Dei fuisti; omnis lapis pretiosus operimentum tuum, sardis, topazius, & iaspis, chrysolitus, & onyx, berillus, & sapphirus,* &c. Quis ditior, quis felicior hoc Rege? Omnia pretiosa, & pulchra illi attribuuntur: & paradisus, & pretiosi lapides, & diuitiæ vniuersæ ostendũtur apud illum, & nihilominus iubetur Propheta illum flere, & lamentari tãquam omnino calamitosum, & infelicem? Et cur lachrymis dignus, qui tot bona habebat, qui tot fruebatur paradisi delicijs? Nota ipsa verba, & lamenti rationẽ facile percipies: quippe ait; *In delicijs paradisi Dei fuisti:* non modo es, sed fuisti: bona autem quæ fuerunt, & non sunt, calamitosum designant possessorẽ, & infelicem. Similiter enim calamita-Virgil. tem suam lugebat ille apud Virgil. *Fuimus Troes, fuit Ilium, & ingens gloria Teucrorum.* Lugendus semper, & non prædicandus ille, cui bona fuerunt, dum cogitur manere sine illis.

§. XVI.

Quo quis Deo iunctior, eo magis viuentibus inclinatur.

NOn est Deus mortuorum, *sed viuentium,* nec vult alicuius mortem, sed omnium vitam; adeò vt vel ex hoc singulariter appareant Dei propinqui, qui eius gaudent spiritu, sic gaudeant magis in creaturis viuis. Duorum primo-Genes.4. rum fratrum ingenia, dum notat, scriptura ait Genes.4. *Fuit Abel pastor ouium, & Cain agricola.* In Abel Dei spiritus, in Cain spiritus reprobi mundi vigebat; hic totus incepit meditari agriculturam, quomodo semina sepeliat in terra, & ipse se sepeliat cum seminibus. Abel in viridis gregibus positus, nihil meditabatur, quod non halaret vitam, quod pulchrè cecinit Claud. Mar. lib.2. in Genes. vbi sic inquit.

Claud.
At viuo gaudere lucro dignissimus Abel
Collibus in nudis, & sicci germine campi
Inno uas pascebat oues.

Mortua semper abnuit spiritus Dei, & in quocumque sit illius facis magis gaudere vitiis. Vnde ad adolescentem, qui diuino iam plenus spiritu in sequelam Iesu ire volebat, sic ipse præcipit Christus. *Sine mortuos sepelire mortuos suos,* Matth.8. Matth 8. Mortuos vocat eos, in quibus vita extincta erat, & eos in quibus diuinæ fidei spiritus erat nullus. Ij vt Dei spiritu carent, sic mortuorum incumbunt sepulchris, & qui Dei spiritu cœpit impleri, mortuos caueat, & sola meditetur viua. Adhæc D. Hilar. canon.7. in Matth. in fine: *Mortua mortuis officia sunt relinquenda, vt mortui sepeliantur à mortuis, quia per fidem viuos viuo oportet adhibere.* Non meminerit mortuos, qui in Dei fide viuit, sed vt totus impletus viuido spiritu, sic solis gaudeat viuis. Quid Dei spiritui, & mortuo? Puto quod vt ex viuorum consortio Dei spiritus, sic ex mortuorũ amicitia ostendatur spiritus malignus. Et quidem Luc.8. dicitur: *Occurrit vir quidam è ciuitate, qui habebat dæmonium iam multis temporibus, & vestimento non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis.* Ecce tibi vbi maneant, qui maligno implentur spiritu, nimirum, *in monumentis,* semper spiritus nequam amat mortis vicina, & propriæ malignitatis coactu ad mortuos festinat. Aiebat D. Basil. Seleuc. orat.23. *Cum ipse esset dæmonum domicilium, pro domicilio habebat monumenta, vt & habitans, & vna habitatus, mortuos inter habitare cogeretur.* Mortuorum socius est aduersarius spiritus, vt diuinus spiritus totus fertur ad vitam. Hilar. Luc.8. Basil.

Text. Pharisæi autem audientes, quòd silentium imposuisset Sadducæis, conuenerunt in vnum, & interrogauit eum vnus ex eis legis Doctor, tentans eum, Magister, quod est mandatum magnum in lege?

§. XVII.

In quo est dolus, nulla est pars Dei.

SApienter ab Euangelista dicitur hic legis Doctor, *vnus ex eis,* nimirum vnus ex eis, qui conuenerant aduersus Christum eius, qui enim in dolo accedebat vt tentaret, omnia in se ex Dei aduersariis habebat. nihil quod ad Dei partem veniret. Et quæ esse posset conuentio Dei cum dolo? Sap.1. Sap.1. *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum,* vel sicut legit D. Hieron. ad cap. Isaiæ 63. *Sanctus spiritus disciplinæ fugiet dolum.* Hieron. Non potest inueniri, & dolus, & Dei spiritus; da hominem dolosum, fraudulentum, simulatorem, & nihil in eo dabis, quod ad Deum pertineat. Ad simulatorem accedentem ad se dixit Iesus, Luc.9. *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos vbi requiescant: filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet.* Expende connexionem, *vulpes habent foueas, & filius hominis non habet,* &c. Non equidem potest esse, quod vbi vulpium sunt foueæ, vbi vulpinæ astutiæ, & doli, & simulationes, ibi aliqua sit pars Christi. Quod notans D. Ambros. lib.4. in Luc. ait: *Etenim dominante versutia, cum simplicitati nullus sit locus, nulla potest in affectibus singulorum diuinitatis esse possessio.* Dum totus in simulatione, & versutia, & dolo es, misere falleris, si putas te aliquid habere, quòd possit in Dei partem venire; nulla potest esse diuinitatis possessio, in quo dominatur versutia. Vt dicat Prouerb.14. *Filio doloso nihil erit boni:* nihil erit cum doloso animo, quod vere bonum sit, quod ad Deum bonitatis auctorem pertineat. Vnde Ecclesiastici, cap.2. *Væ duplici corde, & labijs scelestis, & manibus malefacientibus, & peccatori terram ingredienti duabus vijs.* Non sine væ, & maledicto habetur duplex cor, ex quo incipis habere cor, & cor, incipis exponi maledictis. Et cur duplex cor sequitur penè irreparabilis maledictio? Vbi in te incipit esse cordis duplicitas, incipis in toto à diabolo possideri, in nullo à Christo. Id notabat D. August. tract.7. in Ioannem, inquiens: *Væ duplici corde, qui in corde suo partem faciunt Deo, partem faciunt diabolo. Iratus Deus, quia fit ibi pars diabolo, discedet. & totum diabolus possidebit.* Nunquam duplicitas cordis alium Dominum nouit habere, nisi diabolum, nihil in illa inueniri potuit, quòd veniat ad partem Domini, cui placet sola candidissima simplicitas. Aiebat enim Salomon 1. Paralip. 29. *Scio Deus meus, quod probes corda, & simplicitatem diligas. Vnde & ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli vniuersa hæc.* Vt Deo accederet, illud in primis curauit, nimirum duplicitatem animi, simulationem omnem exuere, & candidam simplicitatem induere, Deus enim non ponit partem suam, nisi in candidissimis, & simplicibus. Cant.1. *Ego flos campi;* de quo D. Ambros. ait: *Ecce alium locum in quo solet Dominus diuersari, imò non in vno, sed in pluribus. Ego, inquit, flos campi: quia patentem simplicitatem puræ mentis frequentat.* Vbi simplicitas est, & omnis simulatio abest, ibi & Dei frequentia cernitur. Qui ad dolosos, & fictos, neque vt eos puniat venit, Isai.cap.1. *Væ Assur, virga furoris mei. & baculus ipse est in manu eorum indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam*

Luc.6. Ambros. Prou.14. Eccles.2. August. Cant.1.

mittam eam, & contra populum furoris mei mandabo illi, &c. Sic ibi Dominus, verum Gen. 18. ad Abraham, dum ipse Domi-
Genes. 18. nus iret calligatutus Sodomam dicit: *Clamor Sodomorum, & Gomorrhaeoru multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis. Descendam, & videbo.* &c. Expende, quod ad Sodomam non veretur Deus descendere, imò ipse illò accedit: & ad populum furoris sui, ad populum Israelitem peccantem minimè vult accedere, sed Assyrios aduersus illum mittit. Cur Domine, qui ad Sodomitas, illos castigaturus accedis, ad populum tuum rebellem non accedis, sed carnifices mittis? Ipse explicabat dicens: *Ad gentem fallacem mittam*, vel vt Chald. dicit: *Ad gentem hypocriticam*, &c. Adeò est execrabilis Deo fallacia, & simulatio prae omnibus aliis sceleribus; adeò sunt illi exosi fallaces, & simulatores, vt neque ad supplicium velit esse apud illos. Huc respicit illud Hier. Thre.
Hier. 4. 4. *Maior facta est iniquitas filiae populi mei peccato Sodomorum, quae subuersa est in momento, & non ceperunt in ea manus.* Id est, non creatae manus coeperunt in ea, sed Deus ipse eius supplicio instabat, quia Sodoma non subdolè, & simulatè peccabat, Iudaei autē, vt pulchrè notat D. Th. simulatores erant, & dolosi, ex quo Sodomis fuere Deo magis execrabiles.

§. XVIII.

Non tam sapientes, quàm simplices Deo probantur.

NE putes magnum, quod legis Doctor Iesum conueniat, & illum vocet Magistrum, & de maximo mandato interroget; omnia haec simulatè, & duplici animo faciebat: & vbi simulatio est, & duplicitas, totus Doctoratus splendor vilescit, non enim sapiētes, sed simplices sunt Deo
Luc. 2. in pretio, Luc. c. 2. *Pastores loquebantur adinuicem: transeamus vsque Bethleem, & videamus hoc verbum, quod factum est, sicut Dominus ostendit nobis.* Verbum diuinum Patris, pastoribus exhibetur, non mundi, nec legis Doctoribus, quia non sapiētia, sed simplicitas est in qua viget Dei verbum, id quod
Ambros. notabat D. Ambr. lib. 2. inquiens: *Non gymnasia chorus sapientum referta, sed plebem Dominus simplicem requisiuit, quae phaleratu audita, & fucare nesciret. Simplicitas enim quaeritur, nō ambitio desideratur.* Tota scholarum sapientia, tota Doctorum pompa à Deo reiicitur, vbi in iis simplicitatē non inuenit. Non sic sapientiae ebibendae incumbat, vt simplicitati acquirēdae, quisquis amat Deo esse gratus & propinquus. Pro quo D. Pet. c.
D. Pet. epist. c. 2. clamabat: *Quasi modo geniti infantes rationabile, & sine dolo lac cōcupiscite.* Clem. Alex. legebat, *verbale lac*, putabat enim ibi vocari homines ad Verbi diuini participium. Sed qui vocantur ad tantum verbum hauriendum? An sapientes mundi? Soli vocātur infantili simplicitate insigniti, non qua si modo in sapientum album relati, sed quasi modo geniti infantes omni dolo expertes ad lac incitantur, vt vel ex simplicitate vocatorū demonstretur in lacte illo propinari Verbum diuinum. Vix Dei verbum apparuit nostra mortalitate indutum, vt se Deum ostēderet, vel in stabulo, permittit sibi offerri infantium innocentium victimas. Ait enim Math. 2.
Matth. 2. *Herodes mittens occidit multos pueros*, &c. Pro nato paruulo puero multi pueri litantur, quis non credat Deum puerum illum, culus primae victimae selectiores, & castissimae, non tam ab alio, quàm à simplicitate commendantur infantili?
Ambros. Aiebat D. Ambr. lib. 2. in Luc. *Deinde infantes occidi iubet. Cui alij nisi Deo talis victima debebatur?* Satis Deum esse monstratur, Deique verbum pusio ille stabulum implens vagitibus, quando in propinquioribus sibi victimis, nihil magis, quàm infantilem simplicitatem requirit.

§. XIX.

Fraus, & dolus non potest abscondi.

AD Iesum legis Doctor accedit, non paruum religionis, & pietatis praeseferens specimen, dum Magistrum vocat, dum de aestimatione diuinorum mandatorum quaerit, & nihilominus dicitur à Mathęo, quod accesserit tētans. Quomodo intet tot externa signa religionis potuit subdolus Doctoris animus patere; nisi quia haec est natura doli, & frau-
Prou. 10. dis, quę abscōdi nequeat? Prou. 10. dicitur: *Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter: qui autē depcauat vias suas, manifestus*
Septuag. *erit.* Septuag. *Qui autē detorquet vias suas, cognoscetur.* Qui subdole, & tortuose agit, non potest non manifestus patere; multa simulet, pietatis magna signa praetendat, tamen fraus, & dolus internus cognoscetur. Vafrissimum, & calidissimum Iulianum in religionis rebus nemo non nouit: dum imperium ambiebat, multis pietatis operibus, etiam constructis martyrum templis, se pium, & religionis amatorem simula-
bat. Quid tunc? De illo Nazian. orat. 3. *Nec impetrata fraudem* Nazianz.
prorsus secum ipse solus meditari poterat. Quin potius, quemadmodum ignem in materia latentem, etiam si nondum in luculentam flammam attollatur, emicantes tamen scintillae quadam, aut fumus è profundo subindicant, &c. Nullus, mihi crede, est qui subdole agat; vt alium supplantet, qui secū ipse solus possit continere doli meditationem: non sic tormentarius puluis per secretos cuniculos iniectus, dum accenditur, omnia rumpit, & in ruina murorum sese prodit; vt dolus, & fraus sese nititur prodere in victoria. Quis dolosus, & vafer adeò sui compos extitit, quod non amauerit plausus ex acumine, & prosperitate supplantationis? Ex quo vel omnibus eius membris loquentibus manifestissimus omnibus manet animus fraudulentus, & dolosus. Et quando ipse tacuerit, ipse se dolus prodit mille signis vt ignis qui sub multo ligno absconditur, licet non in flammam exurgat, tamen numquam non fumat, & vel scintillulam proiicit vnde sese in manifesto ponit. Hanc Nazian. mentem explicatius ponit Elias Cretensis
ibi: *Dolumque apud se premere, ac sustinere non poterat, verum* Elias
quemadmodum ignis in imo ligno occultatus, etsi nondum in ingentem rogum attollatur, vt omnibus conspicuus fiat, tamen post fumū, ac scintillas eas, quae illinc emittuntur, sese subostendit. Cretensis.
Mirum erit, si aliquis dolosus, & fraudulētus aliquando latere sciuerit; si doli, & fraudes non sese manifestè prodiderint.
Ait Paul. 1. ad Corint. 3. *Sapientia huius mundi, stultitia est apud* 1. Cor. 3.
Deum. Scriptum est enim: comprehendam sapientes in astutia eorum. Vocat astutiam, calliditatem, sapientiam huius mundi, & hanc dici, haberi, & reputari apud Deum stultitiam. Et cur tota calliditas, & astutia humana vocatur à Deo stultitia? Iam assignat rationem, nimirum, quia *sapientes ipse comprehendam sapientes in astutia*, quia certum est, quod nulla astutia, nullus dolus, nulla vafricies erit, quae non deprehendatur, & manifesta fit. Quae ergo sapientia stultior, non solum apud Deum, sed & apud homines, quā illa, cuius techne, & labyrinthi patentissimi sunt, & perui) omnibus passim hominibus? Et sanè quos noui in calliditate, & vafritie nominatissimos, hos à prudentibus vitia vidi propter notos dolos,
habitos stultissimos. D. Cypr. lib. 1. epist. 3. ait: *Haec est frater* Cyprian.
vera dementia non cognoscere, & nescire, quod fallacia non diu fallant. Non solum stultus, sed & amens à Cypriano habetur, ille, qui putat dolos posse diu occultari.

Text. Ait illi Iesus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum, & primum mandatum. Secundum autem simile est huic. Diliges proximum tuum, sicut te ipsum. In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Prophetae.

§. XX.

Verus Dominus nil sic aestimat sibi dependi à subditis, quàm amorem.

SVmmi Dei, verique Domini lex nil prius, & principalius debebat requirere à suis subditis, quàm amorem. Hoc est primum, & praecipuum in vero Domino studiū, quod amet-
ur à subditis. Pro quo aiebat D. Chrys. ser. 6. de pass. *Deitatis* Chrysost.
autem non est velunt as hac noua. Antiqua lege prima vox hoc quasi sunt. Diliges, inquit, Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima tua: quia vera dominatio est ipsa, quae amore imperat, non timore: quae per affectum sibi, & corpora subdit, & corda, quae amando non tantum, sed voluntariam sibi instruit seruitutem. Expende ab illis verbis: *Quia vera dominatio est illa, quae amore imperat*, &c. Io nullo sic ostēditur verus Dominus, quàm in eo, quod primus, & praecipuus sui imperij scopus eo tendat, vt alliciat sibi amorem subditorum. Magnus Abraham, cum vixis-
set apud Hetheos, sic ad illos loquitur Gen. 23. *Aduena sum,* Genes. 23.
& peregrinus apud vos, date mihi ius sepulchri vobiscum. Cui statim viri respondernnt: *Audi nos Domine, Princeps Dei es apud nos.* Septuag. legūt: *Rex à Deo tu es in nobis.* Sanè vt pulchrè notat ibi Chrysost. Abraham, nec palmum terrae illius possidebat, sed peregrinus, & extraneus erat, & tamen terrae illius incolae Abrahamum, vt Regē suspiciebant. Vnde coniiciunt Regem ibi à Deo constitutum esse illum, qui extraneus erat, & totius domini terreni apparebat expers? Sic Abraham tenebat omnia corda, sic in singulis eorum sui amorem incitabat, vt ex hoc capite solo, quamuis alia de-

erant,verus Princeps, & Rex videretur;vera enim dominatio,& naturalis illa est,non quæ ceruices ad iugum,sed quæ corda hominum amore trahit. Et qui sic animorum dominatur, etiam inter extraneos, quasi proprius rex habetur,vt è contra qui non amatur, sed timetur, inter suos habetur quasi extraneus. Id quod pulchrè asserebat Ferrandus Dia-
Ferrand. conus,in Parænetico ad Regnum,regul.7.fatus:*Gubernationi autem, reipublicæ securitati, saluti concordiæ plus prospicitur, quando dux optimus amari eligit,non timeri. Dux amabilis murus est patriæ. Qui vero metuendus apparet,omnes subditos facit infideles, facilè timet proditionem, facilius patitur, exitantur viuit inter suos.* Nullus magis naturalis Princeps etiam si sit inter extraneos, quàm qui amorem sui allicit: vt nullus magis extraneus,licet inter suos agat,quam qui magis timeri gaudet. Huc reuoca dicta tom.2.lib.6.cap.7.§.7.

§. XXI.

Qui in cauenda legum transgressione,non Dei amore nititur, sed respectu aliquo alio temporali, ipse tandem ad legum transgressionem deuenit.

Ecce tibi fulcra firmissima,quibus nitaris,si leges obseruare cupis: in amoris diuini flammas euola, & à nulla transgressione legis time. Fortissimi illi Salomonici lectuli custodes, aduersus omnes timores gladio armabantur,dici-
Cant.3. tur enim Cant.3. *Vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos.* Et qualis ensis timores expelleret,nisi ensis amoris? Equidem datum est fortissimis hominibus,quod sub Dei amore viuant:quo muniti liberi à lapsibus præcur-
Richard. rum. Ait Richard.Victor. *Desuper femur habent milites Christi amoris gladium,propter timores nocturnos, id est, propter occultos peccandi lapsus,quia si non amant, propter ignorantiam,& cæcitatem in multis delinquunt.* Nequit non delinquere in multis, qui Dei amore ad obseruantiam non trahitur;ex hoc amore habet homo, quod possit præcauere lapsus, quod longè sit à transgressione legali. Vbi enim amore diuino duceris, valdè a lapsu cōfirmaris;si autem non Dei amore, sed quouis alio temporali affectu, & respectu ducaris, fallar, nisi turpiter labi relinquaris. Quis ignoret zelum Regis Saulis
1.Reg.28. aduersus Magos,& Ariolos?Sic 1.Reg.28.*Nosti quanta fecerit Saul, & quomodo eraserit magos, & Ariolos de terra.* Hoc virtutis facinus fecit Saul in sacris Literis cantatissimus: sed qui sic magos iusto zelo persequebatur,tandem eo deuenit, vt magnam ipse perquireret, quam consuleret, sic enim ait hostium metu perterritus: *Quærite mihi mulierem habentem Pythonem, & vadam ad eam, & sciscitabor per illam.* Quid miserius? Magorum persecutor, ad magam fœminam ipse confugit, responsum salutis quæsiturus. Vnde ad tantam miseriam deuenit,quod Magorum fiat socius,& amicus,qui illorum erat acerrimus persequutor? Cur Deus permisit Saulem sociari Ariolis, quando illius ope vsus omnes exterminarat Ariolos? Exterminarat Saul magos & Ariolos non ex Dei amore, sed ex amore temporali quem habebat ad conseruationem regni sui: & ideò meritò permittitur deuenire in malum, quod non Dei amore, sed temporalis commoditatis vitauerat studio. Ait Iustinus martyr, in re-
Iustin. sponsione ad quæst.52. *Sustinuit autem Saul venire [illegible] ea ratione Deum sibi reconciliaret, quo sententiam abrogaret, qua Saulem regno abdicauerat, non ille quidem ventriloquarum impietatem odio prosequens,sed regnum amans. Et quia non admisit [illegible] m eius,eum deseruit, vt egeret eis,quas non bona inten[illegible].* Huc conueniant, qui in cauendis legum transgressionib[us] fugiendisque peccatis,temporali prætextu respectuque feruntur, & timeant ad illa eadem peccata, & legum transgressionem deuenire,quæ non fugiunt, quia Deum amant, sed quia amant sua. A Dei enim amore pendet legum obseruatio: adeò vt si ab hominis corde absit Dei amor, vix possint ibi consistere aliæ virtutes. De quo habes tom.3.lib.15.cap.7.§.7.

§. XXII.

Cordis affectus vix potest ire ad creaturas sine damno.

Nihil cordis, aut animæ permittitur alio, quàm ad Deum ire, dum iubemur Deum diligere, *ex toto corde, & in tota anima* totum cordis affectum Deo demus, qui volumus quietam ducere vitam:qui enim, vel paruus,affectus it ad creaturas, numquam non magnas molestias incurret. Abrahamo dicebat Dominus Genes.22. *[illegible] filium tuum* Genes.22.
vnigenitum,quem diligis Isaac,& vade in terram visionis: atque ibi offeres eum in holocaustum,&c. Immolandus Isaac ex patre petitur,& cum immolandus petitur,simul explicatur, quod sit vnigenitus Abrahamo filius, & quod eum diligat. Quid necessum est dilectionem patris erga filium exprimere? Cur inter tot dolores explicatur,quod Abraham filium immolandum diligat nisi vt notetur, quod vbi dilectio est tendens ad creaturas, non possunt non vehementes dolores venire? Origen.homil.8.in Genes.ait: *ô [illegible] mine,quia* Origen.
commemoras de filio patrem, auidus, & charissimum, quem præcipis iugulari. Sufficiat hoc ad supplicium patris. [illegible] rursus,& quem diligis. Sint, & in hoc parentis triplicata supplicia. Quot ostenduntur amoris paterni ad filiū accessiones,tot supplicia tot augmenta dolorum ostenduntur, implicat enim,quod affectus cordis feratur ad creaturas, & quod omni tormento maneat immunis.Si quis affectus prorsus liber à pœna posset ire ad creaturas, maximè est affectus cordis diuini. Sed accipite, quid de diuino amore tradat Ioan.Apocal.1. *Dile-* Ioan.1.
xit nos, & lauit nos in sanguine suo. Lauit, inquam, nos, non aqua, sed suo pretioso sanguine, & vitam, & sanguinem profudit. vt nos lauaret. Vnde hoc necesse fuit? Fortissemus faciliori mundari lauacro,quis fecit,vt Iesus sibi adeo damnosum lauactum nobis applicaret? Insinuant verba præposita,*dilexit nos*, ex quo suum amorem Dominus extendit ad creaturas, tot vitæ suæ traxit damna. Pulchrè aiebat Chrysost.homil.6. de pass. *Christus intrat carnis iniuriam,subit contumelias passionum,pœnarum genera percurrit,mortem suscepit per amaram: quia damnari voluit,qui,quod fecerat, sic amauit.* Qui Chrysost.
Deum æternaliter summo in gaudio dilexit (dilexerant enim se personæ diuinæ ab æterno immensis exundantes gaudiis) vbi ad creaturam suam amorem extendit,pericula statim, & labores voluit exantlare; damnari puniri, mori voluit, qui quod fecerat, sic amauit. Nescit amor, qui ad creaturas tendit dolorum,& afflictionum non trahere tempestates. Hoc in se Dei filius expertus, similiter affirmat de suo patre, Ioan.3.fatus: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium* Ioan.3.
suum vnigenitum daret. Idem fuit in patre diuino amorem suum ad creaturas extendere, & quasi pati filij orbitatem. Quod notans D. Ambros. lib.1. de Iacob cap.6.ait: *Iustitio* Ambros.
verbo vsa est scriptura, vt Dei patris erga te pium propositum declararet,qui mortē pro te rei obtulit. Quod in patre fuit,nihil sibi ipsi reliquit;totum pro te obtulit. Considera affectum patris. Quod pietatis est, quasi mortem filij suscepit periculum, quasi orbitatis hausit amorem, ne tibi periret fructus redemptionis. Tantum fuit Domino studium tuæ salutis, vt propemodo de suo periclitaretur, dum te lucraretur. Ille propter te dispendia nostra suscepit. Vt amorem ad creaturas habuit & simul dispendia suscepit; quippe nescit amor creaturarum, vel in Deo esse, sine imagine damni. Quando autem amor iste temporalis in corde corruptibili ardet,quis numeret dispendia eius,quis percenseat, quæ glutit mala? Sichem pro amata Dina, sic ad fratres eius dicebat Genes.34. *Augete dotem, & munera po-* Genes.34.
stulate,& libenter tribuam, quod petieritis,&c. Vbi D.Chryso-
stom.ait: *Vide iuuenem promptè omnia promittentem, vt puella* Chrysost.
potiretur. Hæc enim perniciosa affectio omnia suscipienda capto persuadet, donec in inferni profundum ducat. Nec miror, quod infernus glutiatur,vbi affectus temporalis in corde creaturarum exurgit. Isaias cap.14. de Angelo ait: *Qui dicebas in* Isai.14.
corde tuo, In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum,sedebo in monte testamenti,in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium,similis ero Altissimo. Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci. Altitudinem appetiuit, & ima inferni tenuit, quod dolendum esset, si illi inscio accideret tantum malum: sed quod mireris magis, vbi cœpit amare altitudinem, simul vidit præcipitium, sed amor temporalis totum illud præcipitium fecit glutiri. D.August.quæst.113.de vtroque ait: *Quoquo enim modo desi-* August.
derium suum implere vult, & damnari: furore enim plenus minus putat damnari esse, quàm non explere auiditatem erroris. Proh rabidissimum affectum creaturarum; qui dum non cesset, etiam inter omnia tormenta inferni velit vincere.

Hæc de Christo Domino selectiora ex Testamento Nouo collegi, vtinam ei gloriosa, & animabus vtilia cedant; ego autem,ne mens, nec animus, nec calamus, aliud quàm Christum cernant,hoc deinceps curabo,vt celebriores eius imagines ex Veteri Testamento legam, quibus pro sertis trophæis Christianas etiam virtutes appendam.

FINIS.

AD

AD CONCIONES VESPERTINAS DOMINICARVM QVADRAGES.

Antichriſti Hiſtoria ſex concionibus elucidatur.

CONCIO I.

SANCTISSIMVS ille Patriarcha, Iacob, ſingulos, quibus filiorum vita erat agenda, præſentiens caſus, eos prædicturus, Geneſ. 49. *Congregamini* (ait) *vt annuntiem, quæ ventura ſunt vobis, in diebus nouiſſimis. Congregamini, & audite, filij Iacob.* Prodat quis memoriæ poſterorum, aliorum facinora iam obliuione conſepulta, emortuos annoſa vetuſtate euentus, calamus exſuſcitet ſcriptoris, ſeu ne intereant, qui nouiter caſus contigere, monumentis ſuis quiſque conſeruet; vos verò filij Iacob, nec antiquata, nec noua, ſed quæ extremis temporibus vobis euentura præſciui, paterno excepturi ab ore conuenite. Inſiſtentes nos Iacob veſtigiis, Chriſtiane lector, nec tibi vetuſta damus, nec quæ notam poſſint ſubire commenti; futurorum hiſtoriam teximus, quæ diuinam exigunt credulitatem, quæ iam iam morituro euenient mundo, naturamque agitabunt & affligent humanam. Id autem exequi non auderemus, ni Ioſiæ nos confirmaret exemplum. Ardenter cupiebat Rex, futuros regni ſui euentus prænoſcere: hac de re, miſit ad Holdam Prophetidem conſulendam. Sed cur magni conſilij vir Ieremias, quem habebat, non aditur à Rege, & fœmina Propheriſſa conſulitur? Præſtabat fœmina præſcientia à viro? Puto cum Lyra, Ieremiam plurimo Holda extitiſſe ſcientiorem; ideò tamen illa fuiſſe conſultam, vt terribilis vaticinij, quod Rex formidabat, rigor, blanda fluens per labia fœminæ, aliquantulo leniretur. Sic ego bella ſcripturus, quæ Antichriſtus cum Chriſtianis geret, ſubortas inde fames, Regum omnium vnico Tyranno ſubiectionem, execrabilem huius veſaniam, Eliæ & Enoch iugulationem accenſam Dei in peccatores iram, horribiles terræ motus, Antichriſti ruinam, vniuerſam hominum ſtragem, mundi euerſionem, extremum iudicij diem; Mariam Prophetidum Reginam, diuinantem & fauentem voco, per quam duriſſima hæc mala illabentia miteſcant; eius ope, breuiter commemorata perſtringam, caſurus animo, ſi leniſſimæ huius vatis carerem auxilio.

Genes. 49.

4. Reg. 22.

Priùs quàm initium narrandi faciam, operæpretium duxi præmonere, huiuſmodi hiſtoriam (quæ Geneſ. 49. Prophetia Danielis, Pauli epiſtolis, Ioannis Apocalypſi, carptim latebat) ex antiquioribus, in lucem protuliſſe, Lactantium, Hieronymum, Chryſoſtomum, Hippolytum, Irenęum; ex recentioribus Maluendam Dominicanum, è noſtra Societate Suarium, Pereyram, Leſſium, Acoſtam, & alios. Nec inutile laboris putauere penſum tanti viri, quæ ad extremum mala pateretur orbis, perſcrutari, horribilem huius creaturæ mortem nobis præſagire, certi, nullo ſtrictiori fræno, effrænatam hominum licentiam, quàm ſupplicij venturi memoria metuque, poſſe coërceri.

Amos 1. Homines cum hominibus de peccato certabant Amos 1. vbi recenſentur ſcelera Damaſci, tria ſcelera Gazæ, tria ſcelera Tyri, tria ſcelera Edom, tria ſcelera filiorum Ammon. Exercebant homines, vitam flagitiis augebant, quæ amplexi fuerant: omnes negligere Deum, probitatem, neque natura, neque lege ſequi: auaritia minui abundantia neſcia, peſſimi cuiuſque materies fomeſque luxuria, fallax animorum ambitio, duriſſime humana corda premebant, etiam electos hęc peſtis inuaſerat, & vexabat maximè. Tot tantiſque malis medicinam parare tentans Propheta, perſonat, quaſi tuba,

Amos 3. ſumendum à Deo de peccato ſupplicium: *Si clanget tuba in ciuitate, & populus non expaueſcet.* Quiſque ad canori bellici inſtrumenti ſonitum ſiſtitur, aures arrigit, vt attrahat ſonum. Cæterùm, ais, timet nemo, ſonitus enim ille militares ſpiritus ingenerat, animumque miniſtrat; tamen inficias quis ire poteſt, bellicam tubam, & armorum fragorem, nobis portendere multi ſanguinis effuſionem, mucrone cædendos alios, alios ſagittis transfigendos, plures in ora pronos, reſupinos plures equorum obtritione preſſum ſpiritum halaturos, lugubrem deuictorum ſuperſtitum clamorem; imò vincentium non modicam ſtragem. At quem res iſta non terreat? Expaueſcet ſanè populus ad clangorem tubæ, contremet etiam electus ad futuri ſupplicij vaticinium, expreſſum per tubæ ſonum. Id quod ſenſit Rupertus, ſic inquiens: *In collectione electorum, operatur etiam fortiſſimus iudicij* Rupert. *terror, ſequitur enim, ſi clanget tuba in ciuitate, & populus non expaueſcet. Tuba namque, belli ſignum, reuelationem iræ deſignat venturæ.* Efficaciſſima eſt cuiuis, quantumuis inſanabilis videatur, plagæ medicina, venturæ calamitatis altè fixa memoria: turpem hominum licentiam, per cuncta vitiorum genera effrænatè vagantem, nil arctiùs comprimit, nil magis terret, quàm extremi iudicij ſalubris recordatio, Ipſi etiam electi, huius memoria & conſideratione paueſcunt.

Huc reuoco illud Geneſ. 7. Fabricauit arcam Noë viuentium in commune refugium, homini domum, antra feris, auibus nidum. *Et de animantibus mundis, & immundis, duo, &* Genes. 7. *duo ingreſſa ſunt ad Noë in arcam.* Iuuencæ ſociatus incedebat Leo, Aquila paſſeribus commixta volabat, aſt immanem, & horrificum Leonem (prouida quem armauit natura,

Vngue pedes, & terga iubis, & dentibus ora, Claudian.
Qui mollem, ſtabuli decus armentique iuuencam
Arripiens, crudis nudatam pectora fodit
Vnguibus, & rabiem totos exegit in armos:
Stat craſſa turpis ſanie, nodoſque iubarum
Excutit, & viles paſtorum deſpicit iras.)

Quis ferociam deponere coëgit, quis in iuuencæ comitatum pergere? quis regalem belluam, quæ vaſtas ſyluas, montium iuga, & ima vallium habitare conſueuerat, in tam anguſtum compulit domicilium? Bellatricem, & victricem Aquilam (quæ

——— *Fulua Tonantis*
Armigera, ad liquidum cunctu ſpectantibus AEthrâ, Idem.
Correptum pedibus curuis innexuit hydrum,
Dumque reluctantem morſu partitur obunco,
Hæſit in vngue caput, truncatus decidit anguis.)

Imperioſam alituum reginam (quam

Innumeræ comitantur aues, ſtipatque volantem Idem.
Alituum ſuſpenſa cohors, exercitus ingens
Obnubuit vario latè connexa meatu,
Nec quiſquam tantis è millibus obuius audet
Ire duci, commune facit reuerentia fœdus.)

Velociſſimam omnium auem (quæ pernicioſi curſu reliquis præſtans, radit iter liquidum, celeres neque commouet alas, quæ eminentioribus in ſcopulis, nidum conſtruit) quis vili cuiuis paſſerculo iunctam, in arcam ſine faſtu, ſine comitatu, confluere volitando coëgit? Quis pro ſtricta, & obſcura domo, camporum planitiem, aëris vaſtitatem, & lucem cõmutare, & libertate contempta, anguſtiſſimo teneri ſpatio, imò concludi carcere, inibi ædificare nidum gaudenter affectat? Equidem commune, quod auſpicabatur venturum ſupplicium, potentiſſima futuræ calamitatis decreta vis, toti incubitura orbi, inundatura alluuies, vel ipſas feras collegit in arcam: inſitus à natura mali timor inter diſſimilis, & inimicæ ſpeciei animantia, commune confecit fœdus. Iuuencæ coniunctus Leo, Aquila paſſerculo, feritate relicta, deſpecta maieſtate, in vnum recipi confluxere. Venuſta ſanè mens, & venuſto carmine decantata à ſancto Alcimo. En illum.

Tunc iuſſæ accurrunt volucres, tunc beſtia quæque S. Alcim.
Conſuetum linquens ſylueſo tegmine luſtrum,
Depoſita veritate venit, ſeſeque tenendam
Ingerit occurrens, & libertate relicta,
Includi gaudet, tantùm decreta futuri
Vis valet.

Mirum non eſt, pertimeſcant homines iræ vẽturæ præſagia, quando

quando ferocissimæ belluæ trepidare cernuntur, diluuium præsentientes. Quid, si homines belluino insæuientes more mitescant, quando ipsæ feræ innatam exuunt ferociam? Quid, si ad meliorem frugem, ad arctiorem se redigant viuendi normam, quando animantia ipsa & aues camporum, & aëris vastitatem incolentia in tam strictam recepere se domum? Quid, si tantum apud homines valeat diuinata Dei ira, quando erga ipsa bruta rationis expertia, diluuij tantum decreta futuri vis valet, vt mitescant, includi gaudeant, foris manere formident.

Insultante dæmone, vitiis corrupta natura, euersa Roma, in decem orbis Reges partito Imperio, Babylone concipitur Antichristus, dæmone iis qualitatibus fœtum disponente, quæ futurum eius instrumentum decebant. Iudæos ex Tribu Dan habebit parentes. Vbi primum nascetur, in suam illum tutelam infernus recipiet, iisque artibus imbuet, quæ intento à se fini aptiores videbuntur: obscura erit & egens educatio pueri, & qualem abiecta parentum, qui seruierunt, exiget conditio. Quo magis ille crescet, maiori de singulari eius acumine, & parentes, & Babylonis ciues, expectatione replebuntur. Cum ingenij calliditate, & versutia, elatum iam adolescens animum patefaciet, incredibili strenuitate, magica arte, quàm perfectissimè callebat, vtetur; quæque mente concipi nequeunt, astutiæ, machinamenta, fallaciæ, sua intelligendi celeritate consequetur. Iudæorum cultum exterius profitebitur, cum adoret dæmonem sanctitate, & bonis moribus vitam simulabit imbutam, cum turpissima sit castimoniæ, & pudicitiæ sese cultorem mentietur, atque opem pauperibus ferendi studiosum; & quod caput erit, ad populi in se fidem, & amorem trahendum ingentibus quasi miraculis coruscabit. His artibus dæmonum auxilio, quam latissimè eius fama vagabitur, nouis aliis fictionibus, de se iam conceptæ fomitem ipso ministrante, omnes ad se afferet gentes, populum præcipuè Iudæorum, qui promissum sibi Messiam esse credentes, sub eius imperio stabunt alacres. Arrogans & elatus ille, totum orbem expugnare contendet; maximum, lucidissimúmque exercitum coget, initoque tribus cum vicinioribus Regibus sanguineo prælio, illos debellabit, occidet; quæ res tantam Antichristo gloriam pariet, vt omnes terræ Reges annua illi soluere tributa non dubitent. Vnicus ille orbis Imperator tandem existet. Iura dabit, & leges ponet tam quæ ad policitam gubernationem, quam quæ ad religionem spectent. Aduersatur Christianæ, iactat se Deum, præcipit adorari; vtque id consequi facilè possit dæmonum ope iuuatur: ex his alij mentientes Angelos, vbicumque se Antichristus contulerit, comitabuntur alij milites ac duces agent, rebellibus Antichristo mortem minitantes, alij concionatores induent, omni suadentes populo, vt Imperatori suo diuinos honores deferant. Hic Christianorum aras euertens, vt in eorumdem templis adoretur, sibi statuas erigit, blasphemat
Apoc.4. Christum, & vt Ioan. in Apocal. scribit: *Aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen eius &c. & data est illi potestas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem, & adorauerunt eum,* scilicet bestiam, quæ est Antichristus.

O nefandam, & sacrilegam linguam! O pestem teterrimam, quæ non solum tribum inuadis, sed serpis in populum, inficis linguas, & gentes. Hierem. 1. sui vaticinij capite:
Hier. 1. *Misit,* ait, *Dominus manum suam, & tetigit os meum.* Isaias verò
Isai. 6. cap. 6. sic inquit: *Volauit ad me vnus de Seraphim & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum.* Vbi ista legi, mihi incessit studium huius discriminis causam agnoscendi. Nonne sicut Ieremias Propheta, & sanctus Isaias erat? Ita planè. Cur igitur labia Isaiæ non tanguntur Dei manu, nec manu Seraphim; sed forcipe, non manu Seraphim; sed ipsa Dei manu contrectatur? Placet quod &
Origen. placuit Orig. *Quoniam Isaias confessus est, non habere immunda facta: sed verba, non extendit Dominus manum suam, neque vnum ex Seraphim manu sua labia tetigit, forcipe solum tangent.* Dixerat Isaias, *vir pollutus labiis ego sum.* Id non dixerat Ieremias. En tibi cui huius os, non illius manus diuina tetigerit: timet linguæ vitia seraphica manus, timet eius infici, & inquinari veneno, eaque est huius mali vis, huius pestis irreptio, vt ipse Deus, quasi ne inficiatur, eius fugiat attactum. Fuge sacrilegam, & periurantem linguam, ô tu, qui humanam participas concretionem, quando illius expers cœlestis spiritus, polluta labia non audet attingere; ne te infici non posse præsumas, ad blasphemiæ linguæ corruptionem, quando infinita Dei sanctitas tangeret impura labia recusat. Inde etiam agnosce, eum, qui intrepidè, & sine vllo metu, linguæ suscipit verba, præsentissimum ignorare venenum, quod tribus, populos, linguas, gentes, totum orbem inficere, & corrumpere serpendo potest. Nouerat illud sanctissimus Dauid, qui in pollutæ linguæ consortium numquam se dedit. Psalm. 1. ait: *In cathedra pest. non sedi.* Psal. 1.
Cathedra autem pestilentiæ hæc est, frequentes circuli, vbi omnia, quæ circumferuntur, periuria sunt, iuramenta, blasphemiæ. Hæ vestræ coronæ quas sæpe contexitis, quid sunt aliud, quam pestilentiæ cathedra, vnde omnia vitia linguæ docetis? sedilia illa, quibus domi sedentes, crebra euomitis iuramenta, blasphemias eructatis, sedilia sunt hostium Christi, pestilentiaria cathedra: scelestæ, quas effunditis, voces, pestis sunt totum aërem inficiens, per quæ serpit, omnia corrumpens. Habes hoc à Tertull. lib. de spectat. *Num ergo* Tertull.
fugies sedilia hostium Christi, illam cathedram pestilentiariam, ipsumque aërem, qui desuper incubat, scelestis vocibus constupratum? Nulla contagione magis constupratur aër, nulla pestilentiori inficitur qualitate, quàm venenosis, infectissimisque vocibus tuis.

Vis, quid eis facias, vno verbo cognoscere? Id facis quod diabolica non fuit ausa perpetrare malignitas. Affectauit hæc æqualem Deo gloriam. *In cælum conscendam, super astra* Isai. 14.
Dei exaltabo solium meum, sedebo in lateribus aquilonis, similis ero Altissimo. Non vides, vt Dei nomen non assumat in ore? Sed cur? Chrysost. *Sustulit Deum, & posuit Altissimum, timens* Chrysost.
quem iam offenderat nominare. Timet dæmon, Dei à se offensi proferre nomen; & tu non times Deum ipsum, & offendendo nominare & offendere nominando? Ipsa dæmonis impudentia erubuit Dei nomen in ore assumere; & te illud blasphemare non pudet? Quid dicam tibi; nisi quia quodammodo irreligiosior es dæmone, impudentior es dæmone, qui Dei nomen pronunciare non audet, dum tu illud pronunciando periurare, & blasphemare non erubescis.

Pergo vlteriùs. Antichristus blasphemare non desistit, solius Dei sibi arrogare gloriam, sui adorationem cunctis imperitare gentibus, parentibus polliceri salutem, præmia maxima; reluctantes suppliciis atrocibus afficere. Tyrannide Antichristi ferè iacebit Ecclesia, cum prouidentissimus eius procurator, & sponsus, tot flagitiorum vindices, fidelium salutis assertores, Eliam & Enoch iterum introducet in orbem. Hi ardore spiritus, efficacia verbi, tyranni fallacia, detegent; ficta illius miracula veris, magna cum populi admiratione patratis, penitùs inobscurabant. Adhæret eis innumera hominum multitudo, furit Imperator, inferni ministris concitatis, Eliam, & Enoch adstrictos vinculis conijci præcipit in carcerem: cuius dicto promptè obtemperantes, ocissimè illud executum accurrunt dæmones. Sed sancti viri per ora flammas expirantes, hostes fugant; rubore suffusi, Antichristo renunciant, vires suas infirmas esse ligatum robur, in Christianorum Duces præualere se minimè posse.

Et quid mirum, non lædat infernus, quem protegit Deus? fugiant dæmones quem sua ille virtute firmauit? Quid mirum, si Elias & Enoch nil timeant, mala cuncta propellant, qui Deo cultum veritati præstabant obsequium, qui fidei augendæ, & conseruandæ seruiebant? Ecce vobis Iordanem, qui rapidus fluebat in mare, cum primum fœderis arcam prospexit, totis stetit aquis, quasi rei nouitate perterritus; imò retrò agens cursum, refugit, vnde fluxerat; idem verò cû sui aluei ripas a Baptista teri cernit, aquas suas filij Dei baptismo ministrari, cœlum intonare voce Patris, cum totam Trinitatem præsentem habet, intrepidus fluit, securus labitur, tot ac tanta mysteria non stupet, non sistitur, fugam retrorsum non rapit. Quæ rei causa? Luculenter eam tradit Chrysolog. qui, & dubitationem proponit serm. 5. de
Epiph. *Quid est* (ait) *quod Iordanis, qui fugit ad præsentiam arcæ* Chrysol.
legalis, ad totius Trinitatis præsentiam non refugit? Quid est? Quia pietati obsequitur, incipit non timere. Non est quod paueat, qui totus est in prædicando Deum, qui ad veritatis viam compellit gentes, insuperabiles inferni vires franget, audaciam rex primet, detriumphabit in dæmones, detriumphabit Elias. Metuant, qui virtuti aduersantur, qui resistunt Deo, qui vitiis obsequuntur; qui verò se Deo commisit, metuat nihil, in ipsa acie nouaculæ securus stabit. Audi Athanas. serm. de Passione elegantissima id notatione monstrantem, cum scissum templi velum, cum tunica Christi inconsutili integra conseruata, componit. *Dominus namque crucifixus, car-* Athanas.
nifices deterrebat, ne tunicam scinderet, vt ea manente, maneret Iudæorum opprobrium, quod non multo post accidit, nimirum cum velo scisso, tunica Christi, ne à carnificibus quidem diuisa est, sed integra mansit. Tunica in carnificum manus data, scindi non timet, sanguineis militum gladiis exposita, scissuram non patitur, illæsa conseruata triumphat; & velum quod in

Iudæorum templo sanctissimum erat quod solerti cura seruabatur, multo Sacerdote custode, multo excubante. Leuita scinditur medium, quin illud custodes, vigiles, & locus, defendere potuerint? Sanè inconsutilis tunica Christo tegendo inseruierat, ideò *ne à carnificibus quidem diuisa est*; sed integra mansit. Fuerat obsequuta Deo; hostes quantumuis truces deuincat, necesse est, impauidi, quia obsequium præstabant Deo, sancti Elias & Enoch, dæmones profligarunt, & impauidi etiam nos, per medias hostium acies, victores transiremus, si Deo, ac virtuti promptè pareremus.

Metuimus verò, plurimis periculis exponimur, laboribus plurimis subiacemus, quia hominibus inseruimus. Egens fidelis ille Centurio diuini auxilij, nimirum, vt puer, quem domini habebat infirmum, pristinæ redderetur saluti, Regum Regem, creaturarum Dominum Christum adiens, sic

Matth. 8. loquitur: *Domine, puer meus iacet in domo paralyticus*. Admira-

Chrysol. tur Chrysolog. serm. 15. hominem inurbanum, & rusticum. *Et quomodo* (ait) *hic Centurio, qui sic cognoscit Dominum puerum suum ausus est profiteri, quasi nesciens, serui peculium ad Dominum pertinere.* Nonne aptius diceret Centurio, *Domine, puer tuus, quàm puer meus?* Ecquis dubitat hoc exigere Maiestatem diuinam, Christi dominatum, hoc illi humilem Centurionis debuisse comitatem? tam rusticitatis notari, quàm iacentem seruum Deo adscribere, Centurio maluit dicere, *puer meus*,

Idem. quia iacebat. *Meum dico, quia iacet* (subiungit Chrysol.) *si tuus esset, Domine, non iaceret.* Sciebat serui peculium ad Dominum pertinere, sciebat infirmi, & iacentis serui, ad Dominum creatum; ad increatum verò, serui non iacentis spectare dominum. Qui enim iacet, mutationibus acti, miseriis oppressi, rectissimè hominum serui dicuntur, quorum hæc stipendia sunt: totum enim quod homini famulatur, siue cœleste sit, siue incorruptibile, & ipsi etiam Angeli, quia in hominis ministerium facta sunt omnia, parturientium doloribus affliguntur, luctibus, & gemitibus subiacent. Crede Apostolo:

Rom. 8. *Vanitati creatura subiecta est, scimus enim, quod omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc.* Vides, vt non excipiat vllam creaturam; sed indiscriminatim ingemiscere, & parturire de omnibus dicat Apostolus? Nec cœlos excludit, nec

Gregor. Angelos, vt eleganter notauit Gregor. orat. 1. in Iul. sic: *Creatura omnis, & cœlestes, huiusmodi rerum sensu afficientur, nec enim semel tantum ingemiscit, & parturit corruptioni seruiens, hoc est, iis, qui in terra nascuntur, & intereunt homines.* Nec existiment Angeli, quia nobiliori eos Dominus ornauit natura, se humanis affectionibus cariturus; nec, quia incorruptibile cœlum, corruptioni se seruiturum non esse putet: necessum enim est, vt gemitus patiantur etiam Angeli, pressuras sustineat etiam cœlum, vbi hominum addicuntur seruitio, subiacent ministerio.

CONCIO II.

Accendebantur magis, magisque indies in Eliæ & Enoch interitum, Christianique populi ruinam Antichristi studia: ira & metu anxius, eorum executioni quæritabat remedia, non inuenit, inferni sapientiam in consilium vocat; plurimis illa consultationibus exhauritur, & adhuc in certa sententia non consistitur; nec de hominum damnatione, licet optata, decernitur. Rabiosus & arrogans, cœtu egressus consario, arcanorum suorum recessum, idolorum intrat theatrum, ad eorumque pedes prouolutus, lachrymis madens, in tanta animi deiectione, dæmonis sui implorat auxilium. Turpe est (ait) duos homunciones, vnico mihi orbis Imperatori tantum facessere negotij, honorique meo, gloriæ, & famæ impedimento esse, de quibus nec parta victoria, debuerat esse incremento. Fieri sic potest, vt noster animus solicito angatur metu, solicitudine crucietur assidua. Da, ô Deus, tot malis finem, nobis victoriam, hostibus necem. Vbi hæc dixit, impio edocetur oraculo, Christianos, Eliæ & Enoch præsentia roboratos, vi opprimi non posse; fame posse. Responso accepto, statim decretum fit, palatiique foribus fixum primo mane conspicitur, vt è suis nemo ad victum necessaria largiri, vendere, mutuare audeat; nisi eis, quos Antichristi effigiem collo suspensum, pectore gestare præuiderint. Ita ne, qui expugnari ferro non poterant, victus pressi charitate peribunt? Terreno quidem carebunt alimento, sed cœlesti gratiæ pabulo firmabuntur, quod etiam nobis salutatione Angelica postulantibus credimus elargiendum.

Siccine piissima Dei nostri conditio, peccatores vult esse saturos, esurientes suos; iniustos rerum omnium affligie inopia. Hanc inæqualitatem non admiror, quia certè necessum est, diuersitatem apparere donorum, vbi discretio fuerit personarum; illud verò maximè inter bonos & improbos stare discrimen: hos rerum omnium gaudere copia; illos in fame versari. Sanè Dei viscera improborum salutem ardentia, facilem hanc suorum infirmitati vitiorum adhibent curationem: temporalia illis bona, & diuitias largè profundunt, vt ipsi ex acceptis bonis, famosam in Christum, in pauperes largitionem facientes, iudicis valeant amouere furorem, sua scelera tegere, diuinam ad se trahere voluntatem. At quomodo eleemosyna diuinum furorê amouet; nec sinit quòd iudex misericordis hominis peccata videat? Ecce tibi Matth. 2. Angelus Iosepho in somnis apparens loquitur.

Accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum. O miseri Matth. 2.

Ægypti habitatores, quibus ante aduentum Iudicis, ad voluptatem omnia veniebant, quibus tellus Nili fœcundata fluentis, non tam concedebat necessaria naturæ, quam luxuriæ, & libidini obtemperabat, malo possidentium vsu, factis fomentis vitiorum, quæ incitamenta debuerant esse virtutum; modo verò venientis iudicis seueram passuri sunt suorum peccatorum censuram, graue supplicium! Profectò nil est, quod timeant Ægyptij, quia etsi iudex aduentat, venit inops, manus protendens, ab iis quos iudicaturus est, domum accepturus & cibum, quæ si ipsi largiantur, securi erunt: excæcant enim eleemosynæ nostrum iudicem; impediunt ipsum, ne videat peccata. Id quod eleganti exemplo explicat Chrysostomus apud Damascenum lib. 2. Parallelo-

rum, cap. 16. aiens. *O singularem eleemosynæ vim! Sola ad diui-* Chrysost.

num tribunal irrepit. Ne iudicem timeamus, ante iudicium manus protendentem. Qui videre non vult, ante oculos manus protendit. Sic iudex ad munera manus prodentes, ante oculos illas ponit; ne largientis peccata cernat. Præstat hoc eleemosyna. Sola ad diuinum tribunal irrepit, facit vt diuinus iudex manus protendat, & sic peccata non videat. Si cupis de tuis criminibus conceptum iudicis lenire rigorem, si tua ab illo peccata abscondere, ne illa videat, protende manus, ad eleemosynam pauperibus erogandam, sicut enim non videt iudex, si suas ipsius manus ante oculos protendat, sic etiam illum non videbit, qui ante se suas manus ei protenderit.

Accinit illud Ioan. 8. Scribæ & Pharisæi fallaci animo, mulierem in adulterio deprehensam Christo adducunt, derisuri eum, quasi pietatis, & misericordiæ, quam frequenter commendabat & suadebat, immemorem, si adulteram decerneret lapidari; damnaturi verò tamquam legi aduersantem, flagitiorum fautorem, si mulieri diceret ignoscendum.

Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra. Quid Ioan. 8.

scribebat? Ferebátne sententiam damnationis in mulierem lege damnatam? Ponderabat sceleris magnitudinem? Docebat legem strictè seruandam, eius transgressores seuerè fore puniendos, vt homines a peccando retraheret? Minimè. *Scribebat vtique dicens*, pulchrè fatur Ambrosius lib. 9. epi-

stol. 79. ad Stud. *Festucam, quæ in oculo est fratris sui, videt; tra-* Ambros.

bem autem, quæ in oculo suo est, non videt. Bone Iesu, puritatis, & iustitiæ fons, tantum scelus, quod impurissimos Scribarum & Pharisæorum oculos offendebat fœditate sua, festucam appellas? Quid trabem iudicas, si adulterium festucam dicis? Aduerte vbi hæc dixit Iesus, protinus desines admira-

ri. *Hæc verba*, ait Euangel. *loquutus est Iesus in gazophylacio.* Ioan. 8.

Quærit Ambrosius, quid est gazophylacium? Respondet. *Collatio fidelium, sumptus pauperum, requies egenorum.* En tibi quanto iure, adulterium Christus festucam appellet. Vbi pauperibus subuenitur, vbi eorum sustentationi incumbitur, vbi egenorum subleuationi studetur, maiora crimina Christi oculis minima apparent, vi eleemosynæ, vi miserationis, valdè decrescunt. Non potuit Christus non misereri mulieri peccatrici, vbi erat *collatio fidelium, sumptus pauperum, requies egenorum.* Locus ille miserationis, pietatis fontem solicitabat ad veniam, impellebat ad misericordiam, tot in pauperes misericordiæ collatæ. Et ideò in loco gazophylacij, absolutionis sententiam adultera meretur audire: *Nec ego te condemnabo, vade.*

Hi tamen, qui mulierem licet graui offensus scelere non damnauit, quo magis peccatorum inclinatur ad veniam, nostra in pauperes lenitate & misericordia, eo in ipsorum ardentiùs fertur vltionem, si in egenos & miseros nos viderit immisericordes. De ea ciuitate, & domo, Apostolos Christus iubet exire, in qua recepti non fuerint, imò addit:

exeuntes, excutite puluerem de pedibus vestris. Vt quid pulue- Matth. 10.

rem excuti præcipit? Meo quidem iudicio, in Iudaicæ inhu-

manitatis

manitatis testimonium, & quia Christus durum in duros homines iudicem agere volebat, & durum exercere iudicium, quod exequi minimè posset, si vel exiguus puluis in pauperum pedibus appareret, nam quantumuis exiguus iudicem leniret, & eius minas maxime temperaret, at excussus clamat ad Deum, immisericordis hominis vindictam exigit, eius crudelitatis accusator existit, iudicem minatur, qui tantum in suos commissum vindicet scelus. Id quod

Tertull. senserat Tertullianus in Marc. pulchrè aiens: *Cum iubet pulverem excutere de pedibus, in eos, à quibus non excepti fuissent, inhumanitatem in testationem redigi iubet, iudicem minatur.* Quot fuerint pulueris excussi granula, tot erunt testes in diuino iudicio, aduersus tantæ crudelitatis auctores, tot iudices eorum inhumanitatem damnantes, inhumanitatem in testationem redigent, supremum iudicem minitantes, qui quantum nostra in egeno miseratione placatur, vt parcat; tantum nostra in eosdem inhumanitate stimulatur vt feriat.

Redeo ad inceptum. Superiùs dicto promulgato decreto, ad exactam eius impletionem accinguntur omnes. Nullus è factione Antichristi cuipiam Christianorum, vel aquæ potum erogabit, adimpleta hic scriptura, quæ dixerat, *refrigescet charitas.* Crescet indies grauis rerum penuria. consumentur cibaria, nil reliquum erit, nisi vel Antichristo cedere, vel mori. At veri Imperatoris Christi ciuitas, nec fame capi, nec vinci potest necessitate, quin illius tempestatis fideles (quod ad nostram confusionem dixerim) demonstrabunt hominem in solo pane non viuere. Quot honestissimæ fœminæ, quot purissimæ virgines, victus omnis egentes, dura rupe in virtute firmiores, iis erunt dedecori, quæ modo, proh dolor! vilissimo pretio corpus vendentes, & animam, luxuriæ cedunt, seruiunt libidini. Putabat tyrannus fortissimum Eliam, vna cum fideli populo, cogente fame, ditioni suæ fore subdendum, nescius illum, multis ante annis, emissum cœlitus panem accipere consueuisse; sed experimento didicit, hominum infirmam esse potentiam, cum virtus adest diuina confirmans. Visit itaque duorum, & 40. mensium spacio securus Elias, suorum quotidie numerum magis augens, quo Antichristus, ardentioribus iræ & furoris incendiis æstuabat.

Quo elapso tempore, strenui Christianissimi duces, vltrò dedidere se hostibus, permisere se Regi. Itáne, iustissime Deus, Catholicæ religionis fundamentum corruet, quo ruat etiam ipsa, necesse est? Ecclesiæ defensores superari, interire pateris, quo fidem, Ecclesiam, religionem perituram mani-

Iud. 16. festè constat? Si vnus Samson, duas Dagonis templi columnas amplexus, molem ipsis innixam, ingenti Philistæorum præcipitauit strage; vnus Antichristus, duplicem religionis columnam euertens, non prosternet Ecclesiam? Non prosternet, longè namque a perfidiæ columnis, Christianorum columnæ distant; pereunt illæ, cum franguntur; hæ vero etiam contractæ, potentes sunt mysticum religionis ædificium suffulcire, victorias parere, multiplicare triumphos.

Nihili habiturum Dauidem persecutiones hominum, ob custodiæ firmitatem, quam habebat, prudens præsagiebat

1. Reg. 25. Abigail 1. Reg. 25. *Si surrexerit aliquando homo persequens te & quærens animam tuam, erit anima domini mei custodita quasi in fasciculo viuentium.* Inexpugnabilis quidem defensio, fortis murus, vitium fasciculus. Qui potest hic inimicorum ictus retundere, armis resistere? Si quadratis esset saxis constructus, si opere signino fabricatus, à persequentibus, & quærentibus animam Dauid, lædi illa non posset, firma siquidem custodita muniretur, vitium verò fasciculus, leui admoto igne, pasceretur; & anima, quam custodit, hostium patebit incursibus. Equidem, licèt sit demolitus hic murus, inexpugnabiles sunt milites, quos custodit; imò pluribus eos facit gaudere triumphis, triumphare gaudiis, figere trophæa, victorias parere: licet frangantur religionis columnæ, fortissimæ sunt, & eius machinam potentes sustinere. Huc, ni

Tertull. fallor, spectat Tertull. in Apologet. dum inquit: *Ecce nunc nos sarmentitios appelletis; quia ad stipitem dimidij axis deuincti, sarmentorum ambitu exurimur, hic est habitus victoriæ nostræ; tali curru triumphamus.* Exusta sanctorum corpora plurimo intercIusa sarmento, victoria sunt nostra: vitium ille ambitus quo vndi martyres circundantur, gloriæ nostræ habitus est, currus est triumphalis, vbi eorum, & nostra decantatur victoria, facta coronantur. Vincula illa, quibus medio alligabantur aut fortes viri, victoriæ præsaga; imò & ea sunt quibus victi hostes deuincti, & catenis onusti, triumphum nostrum præibunt: hos enim pariunt triumphos, victorias comparant, multiplicant trophæa, etiam cum franguntur, fidei columnæ, cum carceribus, igni, & ferro dantur sancti viri: in quo quàm longissimè differunt à perfidiæ columnis, quæ, vbi confringuntur, se, & quæ sustulciebant, præcipitia agunt. Teneri quidem potest vinculis Elias, cruciari, occidi; at religio Christiana euerti, fides ruere, cadere Ecclesia non potest.

Addixerat igitur Nabuchodonosor Rex tres iuuenes compeditos, ardensque religiosissimo puerorum sanguine saturari, fornacem adiut ardentem, vbi erant coniecti iuuenes, illos ardere visurus accessit; multaque solicitudine introspiciens, rei nouitate, quam videbat attonitus, ad suos conuersus, sic ait: *Nonne tres viros misimus compeditos? Ecce ego video quatuor viros solutos.* Ita erat profectò: tres miserat compeditos. Putabat eos tormenti atrocitate extinguere, & in medio cruciatu videt solutos, & illæsos quatuor, quartus enim ternarium accreuit ad numerum: tres vincere conabatur Regis impietas, & quatuor apparuere victores. quia sancti viri, religionis columnæ, etiam rogis indicti, atrocibus tormentis, amandati fortissimi sunt; multiplicant victorias. Addat Rex, si placet, ad numerum; vinciat quintum, igni cõmittat, & sex videbit illæsos; augeat damnatos ob fidem, augebit contra se triumphos; finiri enim sic damnari nequeunt, quia soli esse non possunt. Id quod Regem acutè pungens, aiebat Chrysostom. *Exclude, si potes, eum, qui crescit ad numerum, non potes iam tuos finire damnatos, qui soli esse non possunt.* Catenis adstringuntur Christiani populi duces Enoch & Elias, durissimè cum illis agitur; vincent tamen, quia soli esse non possunt, vincétque proinde Christi fides, vera religio, quæ duabus illis columnis innititur.

Quam primum verò clauduntur in carcere, res per Catholicos breui diuulgatur, ingens omnes inuasit modus. ingrauescente fame, vires deficere, deesse consilium, concursare ac diuagari per vrbem, pallere facies, consumi corpora, alios confusa vociferatione, aliorum opem exigere, omnes vitam pati morte grauiorem. Diuites & nobiles, vestium luxu deposito, asperrimis induti ciliciis, diuinam pietatem precibus solicitabant assiduis. Pulchriores fœminæ, præstantiores virgines, ornato corporis, fucato rubore, candoréque relictis, lacrymis genas illinentes, humili vestitu, qua agebantur, inopiam & charitatem aperiebant. Vtinam hac nostra tempestate videremus ornatum cultum comitari diuitias, cum ita se res habeat, vt plures videamus fœminas, nullo, vel exiguo, parentum, aut propinquorum beneficio vtentes, frequenti populo præbere se intuendas, multo maiori, quã res sua familiaris, quæ sæpè, aut exigua est, aut nulla ferre potest, muliebri splendentes mundo, gẽmis, & auro, crispatis calamistro capillis, faciéque nescio quibus pigmẽtorum medicamentis illita fœdissimis: sciunt ipsæ, vnde hæc habeant; dolemus nos. Induantur humiliter, quibus fuit parca fortuna, conueniat substantia habitus, sumptus respon-

Iob 1. deat diuitiis. Meminerint Iob, qui tonso capite Dominum adorauit; cur non compto, non ornato, non culto? summam experiebatur egestatem, non habebat, quo ornari posset, ideò tonso capite, Dominum adorauit. Hinc apparet, eas, de quibus paulo antea locuti sumus, ingenti corporis cultu collucentes, nec à marito nec a Patre accepto, aliquod adorare idolum, à quo inhonestatis, ac pudicitiæ, quam vendunt, pretium acquirunt, luxuriosas vestes.

Tandem Antichristus, Eliam & Enoch duro decreuit mactare supplicio. Notatur dies, venit hic, educuntur è carcere venerabiles viri, multaque satellitum constipati turba, totam vrbem circumeunt, vt ab omnibus conspici valeant: tandem ad locum accedunt supplicij, qui in medio eminet foro. Ascendunt læti, & graues, ingenti populo, qui ex Christianis, & infidelibus mistus astat: inducunt cultum serenitate vultus, quam vident omnes, morum sanctitate, quæ fugiebat neminem, flexisque genibus, oculos in cœlum leuantes, imò de pectore trahentes voces, diuini amoris & gloriæ zelo succensas, mundi conuersionem, Antichristi stragem, inferni ruinam precantur. Vbi finis orandi fit, immanis carnifex, diabolico actus furore, arrepto gladio, capita ceruicibus præcisuro, dexteram attollit. Heu quid agis, hominum sceleratissime? siste ictum, suspende manum. Suspendamus & nos rei huius euentum in sequentem Concionem, & Eliæ, & Enoch orationibus attendamus. Quid postulant? totius orbis conuersionem, destructionem tyranni, euersionem malorum, infernorum victoriam. Plura, & magna sunt hæc, vt possint breui expetita oratione obtineri; si pauciora, si minora forent, mirum non esset, si in eorum consequendi spem animus erigeretur. Quinimò, quia tanta sunt, certissimè illos ea, & maiora consequuturos esse non dubito.

dubito, Autequam ab Elisæi oculis raperetur Elias, discipulo Magister imperat, vt quidquid sibi fieri velit, id petat; ille autem generosiori, quàm credi potest, spiritu: *obsecro* (inquit) *vt fiat in me duplex spiritus tuus*. Videre quid exigat Elisæus: vnum Elias babebat spiritum, & Elisæus duplicem petere non veretur. Meritò sanè meruit à præceptore responsum. *Rem difficile postulasti*; qui enim præstare quis potest, quod ipse non habet? tamen licèt difficile sit, conceditur quod exigitur: *si videris me, quando tollor à te, erit tibi quod petisti*, ea est enim efficacia, & vis orationis, cum magna postulantur, vt eandem, & maiora certissimè obtineat; ea est dignitas sic orantis, vt meritis suis, plura, quam habet, homo, à quo petuntur, accipiat. Quod de Elisæo loquens, confirmat
Ambros. Ambros. *Dum à patre plus exigis, quam babebat, facit eum, meritu suo, plus præstare, quam poterat.* Difficillimum planè est, quempiam id præbere, quo caret, plura donare, quàm possit; cæterum vbi exigentis animosa fuerit deprecatio, vbi generosioris orationis intereesserint merita, nil est facilius, supra id, quod potest, donans babebit, & dabit: accipit enim à petentis oratione, quod tribuat Vnde cum oraturus accesseris, plurima, eáque maxima efflagitare noo dubites, eo te maiora consequuturum esse pro comperto habens: talis namque oratio, licèt à Patre æterno plusquam ipse habet non exigat, nec faciat meritis suis, eum plus præstastare, quàm potest; faciet, plus te, quàm petas, accipere; plus eum donare, quàm exigas.

Rogas; latroni à Christi dextris eruci infiso, cur cœlestis paradisi fores tam citò reserantur? Itane, qui scelestè, & flagitiosè vixerat, Deo inglorius, bominibus infestus, sibi noxius, diuinum audire promeretur eloquium: *Hodie mecum eris in paradiso?* Vnde tanta, & tam subita latroni promissio? Optimo quidem iure patet latroni cœlum, promittitur pa-
Arnold. radisus (acute respondet Arnold.) *iam spes subintrabat conuerso, dilatatus charitate, cum Christo tractabat de regno, affectabat superiora.* Qui tãta animi celsitate eluxit, vt ausus fuerit aspirare ad cœlestia, summam affectare gloriam, de regno Dei loqui, & inhianti, ac intrepido corde, superiori spiritu summo dicere Regi Christo: *Domine, memento mei, cum veneris in Regnum tuum*, quid mirum tantum excipiat responsum: *Hodie mecum eris in paradiso?* Is est excelsi animi, animosæ orationis fructus, maiora, quam petat consequi; vt sui meminisset in regno. Dimas postulabat à Christo; Christus verò cum se ipso regnaturum pollicetur, constituit Regem.

Nesciunt profectò non venire pretiosa, beneficia maxima non conferri à Deo, præcipuè cum mutuus intercedit amor.
Luc. 16. Ideo forte diues ille, qui æternis addictus erat cruciatibus, ab Abraham non obtinuit, quod petiuit, quia postulabat exiguum, vt extremum, scilicet, digiti intingeret aqua, & sic refrigeraret linguam eius. Memini ad rem. Morbu graui pe-
Ioann. 11. ne absumpto Lazaro, hæc ad Christum eius sorores. *Ecce quem amas, infirmatur.* Iesus verò mansit in eodem loco. Quid hoc? Laborat amicus earum frater, à quibus tot, ac tanta officia grati fuerat Iesus expertus hospitij, & leuissimam potest sustinere moram, aut præsenti necessitati non illico subuenire? hic est amor, hæc gratitudo, sed Dei; hoc Christi officium, qui summa nescit non impertire beneficia, largiri dona. Magnum quid esset infirmum saluti restituere; sed maius multo ad gloriam resurrectionis euehere: maneat ergo Christus, etiam post acceptas literas, conficiatur infirmitate Lazarus, dolere sorores non moueatur, non veniat Christus, vsque dum amicus morti concedat: *Eius enim amo-*
Chrysol. *re* (ait Chrysol.) *illud est, non vt dilectum alienet, sed ab inferis, vt reducat: dilectio non languoris medicinam, sed resurrectionis gloriam mox parauit.* Non gratitudinis signum est, sed ardentis amoris, curationem differre: quo enim maius est, à mortuis excitare quàm mederi; eo maius, eo æstimabilius est, ad vitam reuocare defunctum, quàm morbo adhibere remedium. Quibuscumque egeas, siue temporalia, siue spiritualia sint, fidenter à Christo efflagita, & quo plura, quo maiora, fidentius: hæc manus diuina negare non solet; quòd si differat largitionem, certior assecutionem expecta: nam qui Lazarum non curauit, vt ad gloriam resurrectionis eueheret, statim postulata non confert, vbi postmodum maiora dona diffundens, vberiorem conferens gratiam, ad æternam tandem gloriam perducat.

CONCIO III.

TAndem carnifex, suspensum brachium præcipitans, Eliam & Enoch ictu duplici iugulabit: dirabunt corpo-

ra terram; cœlum animæ: quo facto vix credi potest, quæ Antichristi exercitum occupabit lætitia: alij de victoria (tanquam eam comparassent) gratulabantur alijs: capi, occidi, interfectis ducibus, Christianos milites facile posse, communi rumore feretur, sui virtutem exercitus nullis iam viribus infringendam. Tertium cum dimidio diem in foro, trunca patebunt Sanctorũ cadauera, nulla vrbis formidine, nulla alteratione: nam quæ Dei filium cruci videre affixum non erubuit, quamcumque sustinere necem, quoduis intueri suppliciũ, non formidabit, quin potius omnes cateruatim ad spectaculũ confluentes, tyranni tunc elationis aures, sacrilega acclamatione demulcere, præ lætitia gestire videbuntur. Ille egressus regia, Principum & populi frequentia cõstipatus, ad forum accedet visui induturus suo, sibi inimico sanguine, quem cernet. Regustabit illũ, adstantium plaudẽte assentatione, eum ipso de triumpho gratulante cõmota terra, tonante repente cœlo, alto mundum silentio, terribilis vos ista complebit: *Ascendite huc*, ascendite, gloria & honore coronari, super manuum mearum opera constitui, indui immortalitate æternũ regnaturi. Vix illa sonabit, cum præcisa capita, suis reuniri ceruicibus, pauore confecta turba cõspiciet, totáque vrbe cernente, perterrito Antichristo, sancti Martyres, cœlesti splendore amicti, liquidum penetrantes aëra, ab omnium oculis eripientur, cœlos intrabunt: occurrent hi, fœcundum & præmaturum Dominici sanguinis fructum percepturi. Vbi verò ille æternis condetur horreis, totus orbis contremiscet horribili motu terræ, ciuitate concussa, decima eius pars labefactabitur, Antichristi sequacium septem millia interibunt. Vt tantas calamitates breui prosequamur sermone, vberi indigemus gratia, sulita eam oratione petamus. *Aue Maria.*

Plura narrauimus. Illud præ omnibus perpendendum occurrit, nimirum, de miseris Antichristianis, Deum sumpsisse supplicium, quo die generosiores vindemiauit remos, quos multis sæculis, Ecclesiæ vinea non dederat. Cum ita se feracem ostenrat Ecclesia, vt binos producat Martyres, binos Prophetas, binos Confessores, iram suam in peccatores ostendit Deus? Putarem ego, si quo tempore veniam assecuturi essent, suauiter cum ipsis agendum, diuina pietate fouendi, illud fore, cum Deus præsentem fructum lætus caperet, & spe nasci turi è tanto semine, delectaretur; & tunc gladium suum in peccatore distringit. Quid hoc? Proculdubio Ecclesiæ liberalitas, vbertas vineæ, nobiles sanctitatis fructus, soporatam Dei excitauere iustitiam recrudit diuina ira hominum flagitiis, corrobarum vetustate peccatorum odium, præsens sanctitatis exemplum renouauit.

Lucæ 13. quidam homo possidebat vineam, in qua ficus Luc 13. cõsita erat, nullum vero fructum ferebat, ingrata visui, inutilis Domino, arida, sterilis: mox vbi illam Dominus vidit, tanto ei sterilitas fastidio fuit, vt eam protinus succidi, & eradicari præceperit. Vt quid ita celeriter securi mandatur? circumfodiatur pluries, cinerum circumdetur aggeribus, putetur ad tempus mollescat humore, experiatur Dominus, an his indulgentiis fota lasciuiat? Experiretur credo, ni vineam luxuriasse vidisset, huius decora viriditas, vernãs fœcunditas, ficulneæ sterilitatem accusabat, damnabat fœditatem vnde vt ariditate deformem vidit, succidi iussit. Acuta quidem Gillib. mens. *Ficulneam sterilem, quam Dominus succidi* Gillibert. *iussit, fertiles de vicina vinea condemnabant.* Cohiberi non potuit Dominus, quin ficum perderet arescentem, vbi floridam, vbi amœnam vineam conspiciebat. Dormiebat Domini in ficulneam ira, eum vineæ non figeret obtutum; dum fiait, excitata est, præcidi iussit. Quam fœcunda vinea Hispania nostra? quot Religiosorum decorata, & munita copiis? quot illustrata viris sanctitate conspicuis? quot nobilitata fœminis notæ virtutis? peccare expaueat: spirituales fructus nõ ferre, qui in hac vinea consitus est: dormire quodammodo videtur Dei ira, in hæreticorũ regionibus, plagis infidelium; nulla est virtus, nulla iustitia, nullum bonum, quo excitetur, opus, vt iniurias sibi illatas vindicet; at vbi quotidie virtus virtutem insequitur, sanctitatem sanctitas æmulatur, vbi bona ebulliunt opera, feruent religiosa exempla: timeat supplicium, iustitiam Dei foribus suis adesse cognoscat, qui ita viuit, ac si in hæreticis, & infidelibus Prouinciis degeret: nam quæ erat quasi soporata Dei ira, sanctorum exemplis excitatur, vt puniat; solicitant iustorum virtutes peccatorum vindictam, condemnant Religiosi de vicino viri, irreligiosos homines; id quod in conspectu fertilis de vicino vineæ, ficus sterilis præcidi iussa significat.

Ad hæc. Qui nuptiali veste non indutus, ad nuptias venit, Matt. 22. in exteriores tenebras coniici, diris torqueri cruciatibus

iubetur. Cur in tam communi gaudio,vbi maiores exercere solent donorum largitiones, cum omnia occupatet risus, cum nil proponeretur oculis,resonaret in auribus,nisi iubilum,lætitia,& cantus,tam seuerum fertur iudicium,tam dura criminis, quod apparebat, castigatio ? nónne nuptiis adesse æstimabilius erat,quam abesse?Non erat. Nulla ad hanc lætitiam perfidia recipitur, malignitas omnis excluditur. Conuiuæ omnes, pretiosis charitatis cæterarúmque virtutibus ornabantur ; his se miscere peccatorem, sordido opertum sacco iustitiæ ornatu carentem,summa est impudentia, Dei oculos multum offendit : in tanti splendore ornatus, inornati hominis magis apparebat squalor, cernebatur iniquitas. Si serico indumento, ostro & auro nitenti, aut acu artificiose picto,rudem pannum oppones.Deus bone,quanto hic sordidior, quanto tibi vilior videbitur ? deturpat illum nitore suo, fœdat pulchritudine vestis pretiosa:sic impij iniustitia, iusti sanctitati opposita, turpior apparet, magnum sui despectum generat;melius ei foret sanctorum abesse cœtu, quam indecenter adesse. Accipe D. Maximum,

Maxim. *Pateretur minus displicuisse si in consortium iustorum minime se dedisset, qui non habens vestem nuptialem,nuptijs assistere se posse præsumpsit.* Fieri quidem posset,vt si commistus iustis non esset, eius non pateret iniquitas,lateret fortasse Dominum, quem egregia quæ cernebat in aliis documenta virtutum, vt in ipsum animaduerteret, compellebant ! Si aliqua te, ô peccator, infidelis teneret Prouincia, non Hispania,aliquallem tibi pollicereris securitatem. non mirarere:omnes enim peccant, flagitiosi suos omnes, nullis sanctitatis operibus, nullo exitio virtutum, de vicino damnantur. In Hispania verò, vbi semper versantur ob oculos incitamenta iustitiæ, etiam inuitos trahentia, caue Dei iram non dormientem. Caueat etiam, qui religiosam agit vitam, heroica virtutum opera non patrare, minima non vitare peccata vereatur, quia turpe & scelestum est, vbi nulla committuntur,delinquere ; vbi omnes charitatis igne inflammati, lucent & ardent, sed solum frigescere. Pertimescat Christianus, quadragesimali præsertim tempore,cum fideles omnes corpora castigant inedia, premunt ciliciis, caduunt flagris, internum animi de peccato dolorem,humectantibus pudentes oculis, vultu demisso,eor contritum & humiliatum referentes,pœnas indulgere sibi, totum se dedere voluptatibus, delicatiori cibo, pretiosiori vesti,scurrilitati,nugis,libidini: in societate enim iustorum, iustum non esse,maximè irritat furorem Dei, *cur poteras minus displicuisse, si in consortium iustorum minimè te dedisses.* Nec propterea hortari me putes, ne

Psal. 17. sanctis associeris, dicente Scriptura : *Cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruerteris.* Illud verò te monen, si cum iustis familiaritatem & necessitudinem habeas,talé te præbeas, quales eos se præstare conspexeris. Alioquin caueto.

Vlteriùs. Indecorum quid audio, & à fortissimo Dauide

Psal. 3. valde alienum in tit. 3. Psal. Ecce illum. *Psalmus Dauid, cùm fugeret à facie Absalon filij sui.* Itáne, virorum fortissime, qui horrendas belluas, Leonem & vrsum, mento apprehendis, adhuc iuuenis suffocabas ,qui incircumcisum gigantem, quem tota Saulis armata castra metuebant, emisso è funda lapide,prosternisti, quia millia millium hostium profligare, exercitus aduersos perdere,ingentes consueueras reportare victorias ; modo fugis ? At quem ? Vir adolescentem, Dux tyronem. Pater filium,fortis imbecillem ? *Absit istam rem facere* (Machabæi clamant) *vt fugiamus,& si tempus nostrum appropinquauit,moriamur in virtute : non inferamus crimen gloriæ nostræ.* Et Dauid timet ? súntne Machabæi Dauide fortiores? Puto non timore coactum ; sed filij captum amore, fugisse Dauidem, si enim expectaret Absalonem, sanctus impium, innocens peccatorem, veritus est ne sanctitatis ad conspectum paternæ, scelestus Absalon occumberet ; cùm autem filij pater teneretur amore, gloriæ suæ crimen fugiendo

Chrysost. maluit inferre, quàm filium non fugiendo necare. Id quod pulchrè satis insinuauit Chrysost. *Fugiebat Dauid,non quia timeret, sed quia caueret occidere.* Ecce quantam vim habeat iustitia & sanctitas, ad damnanda peccata, in cuius conspectu fieri nequiret,vt sceleftos viueret,& quot virtutes erant in patre, tot mitterentur iacula in filium.

Quid plora ? Sanctus Iob de impio loquens, *Pertransset et tiue iaculum. stellæ inambulent in tabernaculo eius.* Quæ imprecatio ista?Quis vnquam duo ista coniunxit;iaculo transfigurar stellæ inambulent in tabernaculo eius ? Quid syderum pulchritudo,& splendor viræ,ac felicitatis præsagium, cum telorum ictu emissione,& infixione iaculorum?Conuenientius sic imprecandum videbatur. Os impij pertranseat iaculum , stellæ non inambulent in tabernaculo eius. Quid enim non speret,quid sibi non promittat iniustus, cui multo sydere coruscante , fimbriatum arrisit cœlum, mille portendens fortunas , mille diuitiarum felicitates ? Aduerte, quid stellæ significent,& quàm appositè fuerit Iob locutus, agnosces.Græcus Scholiastes,*istas stellas vocat,qui tanquam luminaria sunt in mundo* , satísque in sacris litteris frequens est , stellarum nomine significari iustos : inambulent ergo stellæ,inambulent iusti in tabernaculis impiorum,fortentur improbis, quibus illis perniciosiores sunt iaculo : pungunt ipsos sanctorum exempla , torquent, quas cernunt passim exerceri virtutes, feriunt assiduæ, quibus ad meliorem frugem inuitantur,suasiones,tellis est iustus impium accusans, iudex condemnans ; integrum in se iudicium habet, qui in iustorum consortio iniustè viuit. Sub infelici signo natus es, dum inter sanctos degens stellis infestus, impiè agis ex horum syderû pulchritudinis luce,diuersitate,virtute, tuam tibi perniciem collector, inauguror infortunium. Hinc sapiens Iob infelicitatem imprecaos impio, dicebat:*Pertranseat os tiue iaculum, stellæ inambulent in tabernaculo eius.*

Sanctorum Prophetarum triumpho,in cœlos ascensione, quam videras attonitus hærebas tyrannus:quæ illum rabies dilaceret,quæ consumat inuidia,vix mente,nullatenus calamo attingi potest. Quem silicē tam patens miraculum non mollires ? Quod ferrū tanto diuinæ virtutis igne non liquesceret ? ipse vero silice durior,& ferro,quasi vile lutum,gemini illius solis radiis magis indurauit;lumínibus calligauit; confusúsque muto ministrorum silentio,& formidabili eiulatu eorum,qui terræ motu supereadentibus ædificiis obruti opprimebantur,paulo post animas halaturi ad regiam reuertitur,minori, quam venerat, comitatu, quippe innumeri eius sectatores , mendaci propalato figmento , pœnitentia ducti, Christi vexillis accedentes,per vicos, & plateas,sanctissimum Iesu nomen prædicabunt , eáque recens conuersi multis fides erit,vt additus veterano, coacto copioso agmine hostis Antichristi , declaretur. Egressus igitur Christianorum exercitus Ierosolymis in montem Appadnum proficiscitur, qui duas tantum distat leucas, & in summo illius fastigio(Daniele attestante)stationem castra faciunt. (*Mons hic castello Emaos proximus esse dicitur ab Hier. & Theodor.*) disponuntur copiæ,hostilem aciem expectant euersuræ. At quibus armis ? nam bellica instrumenta ex vrbe excepta non video. Quibus ? Fide viua, Dei inoixa potentis, quæ instrenuos Duces suos , Eliam & Enoch, operatricem Dei manum patrauisse conspexerior. Nulla armatura fide fortior, expugnari non potest, quem defendit fides.

Concideras animo Gedeon,prælium cum Madianitis inire trepidabat,quem sic metuentem,Angelus apparens allo-

Iud. 13. quitur:*Dominus tecum,virorum fortissime,* & Angelo Gedeon: *Si Dominus nobiscum, &c. vbi sunt mirabilia eius, quæ narrauerunt Patres nostri atque dixerunt : De Ægypto eduxit nos Dominus?* Ad quem iterum Angelus:*Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israël de manu Madian.* Pendo illa beati spiritus verba : *virorum fortissime*,& hæc,*vade in fortitudine tua.* Quipore, vt fortis appelletur,suæ confidere fortitudini suadeatur , qui graui perculsus metu , viribus fractus , non audet manus cum hoste conserere?Hoc imbecillitatem præ se ferre videtur,non virtutem. In qua fortitudine vincet?In quo animo,robore,Israël de Madianitis liberabit.qui hostes pertimescit, qui fortitudine nulla firmatur ? An quia meminerat magnalis Dei,quæ cum ipsos Patribus exercuerat, quia firmiter Dei gesta credebat , quia , vt decebat , opinabatur de Deo ? Ita profectò.Do Theodoretum huius conceptionis auctorem. *Memor erat Gedeon mirabilium Dei , firmámque de Deo habebat opinionem, & meruit audire ab Angelo : Proficiscere in robore fidei huius , & vinces.* Illustre fortissimi cognomentum, sua peperit Gedeoni credulitas, extorsit illa, quod timor negauerat ; vbi fides fuerit, fortitudo vigebat;credidit religiosus Dux, proculdubio hostilem dispetdet aciem,militem trucidabit aduersum Israëliticum populum liberabit. Ecce tibi, quàm fecit ab Angelo fortissimus appelletur,magna illi victoria portendatur.

Dan. 6. His addo. Inuisum satrapis Danielem,magis inuito,quàm volento Dario, Babyloniæ Rege. in leonum coniici lacum, publica auctoritate decernitur. Permisit Rex, credens Prophetâ à Deo sui , è ferarum faucibus iri liberatum. Soluto leonea alimento fraudantur , vt pressi fame prædæ auidius inhiantes , non prius fuisset illa dedita , quam deuorassent: pleno ore intenti, pascua expectabant, quod esset Daniel, & quasi refecti essent,& referti visu,intactâ reliquere prædam. Cum presset innocentia iosti bellninam ferocitatem ? Sua ipsius sanctitas Danielem seruauit illæsum?Dicat,qui velit;

ego

Tertull. ego ad rem meam Tertull.credo, in hæc verba: *Danielem statim vtique,conclusa & vsitata feritas leonum deuorasset,si Dary digna præsumptio de Deo falli potuisset.* Credulitas Regis incolumem nobis Prophetam reddidit,frustrari fides non potest,miraculorum existit effectrix,famelicas scit saturare feras,ferocissimos leuire leones;ibi virtus est,vbi credulitas.

Renuntiatum Antichristo fuit, fideles valde magnum exercitum collegisse,in verticē Appadmi castra constituta, munita;ex suis plurimos ad ipsa concurrere, gaudentes sub Christo duce mereri. Dirumpebat inuidia tyranni viscera, diabolica tractus rabie, iam circumquaque discurrebat furens, iam labia mandens,manu manum fricans,& premens, stabat intentus; iam vocabat suos, egredi iubebat ingressos.Méne inermes?Méne homines repetebat insaniens,sæpe verba secabat, sæpe iamiam prolaturus arcebat, totum infernus illum diceres agitare. Tandem exercitus sui Duces, Gog & Magog ad se vocat,venientibus imperat,vt maximū comparent agmen,in sibi rebelles impetum faciant,deleant, extinguant. Cogitur illud, instruitur, canitur bellicum, inundant agros Antichristi copiæ,medium tenentes exercitum prædicti Duces, iter faciunt, oppugnatori sanctam Dei ciuitatem in Appadmo conditam;bellicis instrumentis personantibus superbum graditur agmen, innumera militum multitudine, quam claudebat,totum orbem subigere facile potens. Obiicitur ipse exercitus Christianorum, montis fixus fastigio, subitóque intonant cœli, dare se præcipitia fulmina, in Antichristi copias non cessant; ingens harum sequitur clades.

Id præcipuè hic animaduertendum venit, cœlum tam amicum homini; ignem,qui totus vsui inseruiunt humano, in hominis perniciem conspirare. Cur ita? Hæreo inuenire rationem, nisi quia extremus instat dies, quia diuinum appropinquat iudicium, & accensa est in supplicium hominum.Dei irati censura. Videre est pulcherrimum illū mundi,& patrem,& oculum,hominis ministerio addictum, subiacentem,fouere plantas, decorare flores, generare fructus: solis æmulam,illo expirante,tot luminibus comitatam,præbere se facem communem, noctu deambulantibus: ignem, reliqua elementa,& creaturas, suas in humanam vtilitatem operas impendentes;at,vbi extrema peruenit dies,omnes illas in hominem coniurare. Cùm distringitur diuinæ iustitiæ gladius,quæ suauius modo demulcent,liberius seruiūt,quæ gratiora, & iucundiora se præbent, acrius accusabunt. En tibi, cur in homines cœlum iaculetur,eos ignis comburat. Accipe expressum huius veritatis exemplum à D. Bernard. Quàm ille facetus, quam lepidus mulierum primam considerans, dulcibus sponsi officiis placidam, ouantem; Adamum gratum, obsequiosum, plura pollicentem, patrem, & matrem,vt vxori adhæreat relinquentem? Cùm autem venit Dominus præuaricationis impositurus vltionem,excusat vxorem, totum sibi crimen adscribit? Nihil minùs. Audi pulcherrima Bernardi verba,ne nostris venustam hanc eius

Bernard. cogitationem fœdemus. *Ecce enim scimus, ô Adam, quia os de ossibus tuis, & caro de carne tua, & eius amore peccasti:videamus nunc, quantum diligas eam. Venit Dominus, igneum tenens gladium, in vltionem præuaricationis; oppone te discrimini, propter illam, & dic: Domine, mulier infirmior est, mulier seducta est, mea est iniquitas,in me vindicta procedat; sed non loquitur sic. Mulier, inquit, quam dedisti mihi, dedit, & comedi.* O tristem fœminam,homo ille, cuius te totam possidet amor, cui nimium fidis, qui aureos tibi pollicetur montes, qui fidem illæsam seruaturum iurat: hæc, quam iactas, qua superbis, oris pulchritudo, corporis elegantia; hæ, quibus gloriaris, & triūphas diuitiæ;hæc omnia sunt quæ acerbiorem tibi solicitabunt pœnam, qui diuinam in te iram ardentiùs cōmouebunt. Desere,desere,quæ,in diuino iudicio, nulli adiumento tibi esse possunt, nocumento maximo.

CONCIO IV.

IN densas hostium turmas, cœlum iaculari non cessat;ingens Antichristi exercitus, gemitu clamoribus intermisto funditur omnis; comminuuntur copiæ, cœlestibus ignibus inflammatæ phalanges non paucæ pereunt, eóque vis extēditur flammæ, vt non modo præliantes milites lambendo glutiat; verùm omnes Antichristi gentes, vbique terrarum sparsas, quasi admotis facibus, incendat, vno eodémque tempore, penè infinita earum multitudine exanimi concidente;eam tamen,inter populos communi strage morientes, cladem sentiet exercitus, vt per septem annos humani cadauera,pila, scuta, lanceæ, & alia instrumenta bellica, igni alimenta ministrare non cessent. Qui ex agmine incolumes superfuerint (nam pauci integri maior pars extincta)fugam arripient: & inter hos etiam superbi copiarum duces, Gog & Magog terga vertent, quasi fugientibus Deum securum pateret iter; sed plures gradus non facient, quando impium pondus, impatiens terra immanè dehiscens deuorabit. Deus se fugientes punit, quærentibus enim auxilia gratiæ reseruans, quam intercedente Virgine, & speramus, & consueta oratione deposcimus.

In maximum labuntur errorem,qui, vt imminens diuertant periculum instantem laborem vt fugiant,fugiunt Deū. O miser! si fortitudinem, si securitatem fugis, vbi securus eris? vbi fortis? vbi potens pericula deuitare, euadere labores:nimium ne credas creaturis, omnes tibi fugienti impedimento erunt,nulla subsidio,nulla te impunè abire permittet,nulla tibi audebit indulgere.Diuino compulsus præcepto Ionas, suam periclitari famam existimans, se dedit in fugam, commisit mari: vix hoc fugitiuum sustinere se sensit, cùm fluctus euehens, stridentes in auxilium conuocans ventos, præruptis aquæ montibus fremens, rapido vorandam vortice nauem,qua Ionas vehebatur,adoritur. Cur ita fuit mare,nunquámne nauale pondus expertum fuerat?terga nauibus terenda non dederat? Sæpiùs dederat, vnde ergo tam subita huius creaturæ commotio? Claud.Mammert. in vanos Poët. Ioann. 1.

—— Domini natura rebellem Claud.
Cognoscens, timuit per se, quasi conscia tutum
Ferre reum; & ventus fugitiuum vinxit,& vndæ.

Rebellant omnes creaturæ in rebelles & fugitiuos homines:insitus à natura insensibilibus creaturis peccati timor & odium, mare edocuit,ne Ionam sustinere fugientem; quasi supplicium timuit,si Prophetæ ferret auxilium;timuit,si Ionam,velut compedibus & catenis,ventis & vndis non vinciret. Sic Deum fugientem creaturæ impediunt, sic ligant, sicut compedes & vincula deambulantem. Vis pericula indemnis euadere? Vis Dei irascentis manus effugere? A singulis creaturis de illo sciscitare, quem fugis; nulla cura premaris,nisi vt Deum disquiras:quæritare non cesses quem offendisse cognoscis, interroga quos offenderis, an quem tua diligit anima, viderint? Audi,quid sanctæ animæ contigisse feratur. Exiit sponsa è domo sua, sponsum quæsitura per ciuitatē,vicos,& plateas,& ecce fiunt illi obuiæ armatæ custodum phalanges:*inuenerunt me ait vigiles, qui custodiunt ciuitatem.* Verùm inter militum arma, intempesta nocte, & sola, non timet: sed impauida percontatur ab illis: *num, quem diligit anima mea, vidistis?* & continenti arma: despicienti milites inoffensum hi transitum sponsæ dedere. Exiit secundo quærens sponsum,cui displicuerat,nolens ei aperire,& vbi primùm custodum phalangibus occurrit, grauiter ab illis percussa, vi multa pallio nudatur. Vnde modo sæuiunt in sponsam custodes,quos intrepida ante contempserat?Cur modò, non ante percutitur?Cur modò milites pallium tulerunt crudeles & barbari, quod pij antea permiserant? Ingessit hoc difficultatem Doctorum grauissimo, & acutissimo Ambrosio; tamen, quæ ad rem nostram spectat, ipse euasionem inuenit. Accipe illam. *Qua ratione supra non tulerint, hæreo reperire; nisi fortè, quia ibi interrogasse se dixit: numquid, quem diligit anima mea vidistis?* Mala omnia propellet, securus per media pericula incedet, inoffenso pede hostiles per copias transibit, qui Deum diligenter disquirens, de eo ab omnibus creaturis percontatur;certo autem, grauique periculo exponitur ille,qui Deum fugit.Sed quomodo, inquis, non fugiam Deum, cuius in me iram toties concitaui,quem districtum iustitiæ gladium capiti meo imminentem habere conspicio. Multa in Deum peccata commiserat Dauid, & illum non fugit;imò ait:*Ne declines in ira à seruo tuo.*At dices,ideò sic ab August.arguitur. *Quid times, ne declinet à te in ira? si à te declinauerit, non in te vindicabit; si incurras in illum iratum,vindicabit te: opta ergo potius,vt declinet à te in ira.* Adhuc Dauid in sua oratione persistit: *ne declines in ira à seruo tuo,*quid enim creaturæ infestius, quam à suo creatore auerti? quid magis homini noxium, quàm à Deo recedere? ab omni gratiarum fonte, incolumitate, vita fugis, vt viuis; & mori re,quia fugis: qui enim à vita fugit, in mortem incidat necesse est. Dei iram times, quem fugis; & in eam, fugiendo, deuenies. Nouerat id August. Dauidis sententiam probans, cùm subiungit. *Quid nouit, quid desiderat? ira eius non est; nisi auersio eius?* Iram volebat declinare Dauid,non vt ab eo, etiā in ira, declinaret Deus: Cant. 3. Cant. 5. Ambros. Psal. 39. August. Idem.

ira enim diuina esse non potest, vbi à Deo esse nequit auersio; nec abesse ira, vbi auersio adest. Adi ergo Deum in eius manus te conijce, & si iratus est, declinabit ab ira; non a te: ne fugias, quia auersio à Deo, Dei ira est; & in fugitiuũ hominem, insensibiles etiam creaturæ rebellant: sicut è contrà, etiam infidelem, si Deum non fugiat, sed confiteatur, & innocet, nulla creatura lædet, obsequentur omnes. hac inuocatione à te proposita, quælibet effugies pericula. Id quod ea Daniel. 3. sic confirmo. Misit Nabuchodonosur Rex tres illos pueros in fornacem ardentem, si quis ad caminum accede-
Daniel. 3. bat, vorax inde erumpebat flamma, & pascebat illum. *Erupit, & incendit, quos reperit iuxta fornacem de Chaldæis.* Ecce tibi Tyrannus accedit, tantæ impietatis reus, tam atrocis cruciatus auctor, & flamma, illum tangere reuerita cohibetur. Sanè mirum est, quòd impiissimus omnium igne non flagret, & Chaldæi miseri deuorentur. Quanto æquius hoc ille tormentum meruit, qui inuenit? cur igitur igne non læditur? Quia Rex, licet impius, licèt atrocitatis inuentor, commotus miraculo, quod cernebat, Deo puerorum flammis intactorum benedixit, confessus est, & benedicentes ac confitentes Deum, necessariò cognoscunt ac metuũt pericula, reuerẽtur labores, auidissima ignis creatura illis nocere formidat. Notauit hoc acutè Chrysost. hom. de tribus pueris nuper tra-
Chrysost. ducta, inquiens. *Tunc exijt Rex ad ostium fornacis ignis ardentis; nec cùm propè fuerit positus, flamma contingitur: necessariò enim ab ipso igne cognoscitur, qui Dominum cœperit confiteri, per hoc, & dixit: Benedictus Deus Sidrach, Misach, & Abdenago, qui liberauit pueros suos.* Non possunt Elias & Enoch non debellare dæmones, triumphare de Antichristo, quia Dominum confitentur, prædicant, adorant. Confitere Deum, nomen eius tua personet lingua, & voracibus flammis, prementibus malis, furentibus laborum fluctibus, conspirantibus in tuum interitum cunctis creaturis, facili negotio resistes, quæcunque euades pericula, diffugies calamitates.

Hærebat pauore plenus, cùm exercitus sui fusionem Antichristus cognouit, cladem ducum, crebra vndique nuntia, de frequenti interitu suorum, credénsque tantæ calamitatis Christi sectatores, & sibi rebelles causam extitisse, in illos, qui in Appadno monte, in acie collecta, stationem fecerant, totis viribus irruptionem facere decernit. maximum, hominibus ac dæmonibus commistum, cogit exercitum. Ipse copiarum Imperator, ad montem proficiscitur; lata illum militum corona circumcingit, adeò, vt omnem euadendi spem Christi militibus eripiat. Vna salus timidis, vna nox, quam lachrymis suffusum sanctum agmen, flexis genibus feruenti oratione consumere decernit, vt ad necem pro Christi gloria subeundam, vbi dies illuceat, disponatur. Producebatur sanctorũ oratio, quando (teste Lactãtio) rumpi repentè cœlum, clara luce fulgere terram, vnicum labi ensem, & Christianorum manibus offerri, magna ipsorum exultatione, videtur. Sed quid vnus gladius multo militi? Vnus duntaxat illo vti potest; at vnus in densissimas hostium copias præualere, qui potest? Potentior est vnus iustus, quem armauit cœlum, vasto quolibet exercitu peccatorum; tanta est imbecil-
1. Reg. 26. litas vitij, tanta virtus potentis. 1. Reg. 26 Saul maxima comparata manu, in Dauidis necem coniurans, ciuitate egressus, in planitie tentoriis apta, castra locauit; accidit, vt dormiente Saule, Dauid presso pede gradiens, & vestigium, quando accessit propiùs, suspensum tenens, ne à somno excitaret Regem, huius hastam caperet, & pari passu egressos, foris stans vociferari cœpisset. Obstupefactus Rex Dauidis
1. Reg. 24. vocibus, ipsum vocat, & venienti ait: *Iura mihi in Domino, ne deleas semen meum post me.* Tanti Imperator exercitus vnum hominem timet, & suum delere semen potentem iudicat? in manu ejus regnum æstimat constitutum? Irruat, & conficiat hominem phalanx militaris. Vtique non potest, tanta
Theod. enim est (ait luculenter Theod.) *imbecillitas vitij, vt Imperator tam multorum militum, rogaret fugitiuum; & qui erat cum multitudine militum, eum, qui aufugiebat, vt ipsam impertiret clementia, vt patrium suum nomen non expungeret.* Potens est vna iusti virtus, hostile multorum peccatorum agmen, quantumcumque illud sit, superare: inualidæ sunt fusissimæ horum copiæ, soli vni iusto resistere, aut ipsum inuadere; hic enim fortior & præstantior est, non solum vno exercitu, sed vno regno.

Saltanti puellæ dimidium regni (si peteret) promisit Herodes: illa ex nefariæ matris consilio, saltationis in præ-
Marc. 6. mium, Baptistæ caput exposcit. *Et contristatus est Rex propter iusiurandum.* O stoliditas! ô Regis imprudentia! quid tristaris? Nónne dimidiatum regnum puellæ promisisti? Quid amplius debes? Ad id tantum teneris, quod ei pollicitus es: id te daturum responde; non caput Ioannis, quia hoc non dimidiato, sed integro etiam tuo regno præstantius est! Huius conceptionis gloriam, suo demus Auctori Basil. Seleuc.
Quando dimidiatum regni pollicitus, (loquitur de Herode) *Ioannis caput pro munere reposcebatur, quid admirationis, si talia locutus fuisset? Ego dimidiatam regnum pollicebar, tu vero Baptistæ caput exquiris, toto meo regno præstantius.* Quid ergo mirum, si vnicus gladius, vnius tantum militis Christiani manum implens, Antichristi disperdat copias, victoriã reportet? Basil Sel.

Via dies aduenit, cùm sanctorum exercitus, cœlestibus armis munitus in inimicũ perruptionem facit, disijcit illum, & in fugam se dare pauidum, compellit. Dira correptus rabie Tyrannus, dispersas phalanges colligit, quas in fugam terror impulerat: censet exercitum, totusque minas expirans, prosilit in fideles, qui robore, ac virtute diuina communiti, contrarium impetum animosè retundentes, iterum hostes in tergum dedere. Ter Antichristus Catholicos inuasit, toties superatus recessit, multo metu perculsis inferni ministris, quibus augebatur: cùmque sagitta se vulneratum sentiret, receptui canit: milites reuocare gradum, percussus grauiter Imperator, se in regiam ferri iubet; ibi expers victoriæ, si viribus cum fidelibus congrediatur, ad malas artes, & machinamenta regreditur: & tam ipse, quam sequaces eius, mortalem illum esse in vulgus edunt; cæterum tertia post obitum die, propria virtute excitandum esse, omnibus gloriosus vt appareat. Tandem mentitur mortem, & triduo elapso (sic Haymon, & Beda, quem plures Recentiores sequuntur) in inanime corpus spiritum reduxisse se fingens, infinito se populo excitatum, & gloriosum dat. Hic hominum stupor, hic populi applausus, hic orbis acclamationes, triumphum mentiti resurgentis decantantes, fallaci miraculo credentes. Ille, vt æternitati suum litaret figmentum, vt imbecillitatem dissimularet, suam maiestate plenam ascensionem in cœlos machinatur: diuulgatur hæc; signatur dies, innumera hominum multitudo vndique in vrbem confluit. Superbus supra quàm dici potest, Antichristus, multis dæmonum cateruis, Angelorum species referentibus, constipatus, luce vestitus, Oliueti montem adit, inde æthera petiturus.

Heu miser! quàm certò, quam proximè tua instat ruina, nullus eminentis ruinæ, vicini casus, certior est index, quàm tot splendoribus simulata malitia, tot affectatæ diuinitatis, & virtutis signis tecta peccata. Audi Euangelistam.
Ab arbore fici discite parabolam: cum ramus eius tener fuerit, & folia nata, scitis quia propè est æstas. Cùm hyemis declinante rigore tenerescunt arborum rami, virescunt frondibus, concepti floris & fructus, diuitem partum promittunt, quasi digito, æstatis signant aduentum. Ita similiter, cùm peccator tenerescit, hoc est, quando, quæ germinat vitia, ficta virtutis specie, quasi florum colore, decorat, & quasi fructibus ditat, quando peccati turpitudinem, mentitæ iustitiæ pulchritudine & splendoribus illustrat, & ipsis flagitiis tanquã decoro prætextu, tegit (tantum abest, vt peccati fœditatem abhorreat) certissimè cognosce, proximam huic imminere ruinam: iam speculari mortem hos flores, quos demetat; propiorem æstatem esse. æterni, scilicet, ignis ardorem, qui ramulos, flores, honoresque criminosi huius hominis, tugi sua flamma comburat. Fallar, si hoc non innuebat Hila- Matth. 24.
rius his verbis. *Peccator, cùm tenerescere cœperit, atque frondescere, tunc proxima esse æstas sentietur. Erit enim flos criminosorum, & honor facinorosorum, quibus tamen æstus, id est calor æterni ignis in proximo est.* Ruet proculdubio in præcipitium miser Antichristus, qui, quasi cœlestibus malignitatem suam simulans claritatibus, commentitiæ diuinitatis argumentis peccata tegens, cœlos se ascensurum esse mentitur, flos enim criminosorum, facinorosorum honor, certam de vicino monstrat æstatem, æternos nimirum ignes, quibus absumentur. Hilar.

CONCIO V.

VBi ad Oliuarum montem Antichristus peruenit, infinita turba cernente, paulatim se è terra erigens, cœlesti splendore amictus, leuatur in aera. Pompæ huius maiestas, commentitia diuinitas, limpidissimos quosque perstringit oculos; innumeri ascendentem dæmones concomitantur, splendidissimos effingentes Angelos: alij in gloriosas diuisi turbas triumphatori suo sæpissimè occurrentes festiuas acclamationes fundunt: alij varios ducentes choros, circa

cingentes

cingentes latera, dulcissimo concentu, & terram implent, & æthera: omnium lucidissimi, nectentes manus, gloria & honore plenum texuere solium, vbi exceptum Antichristum, fictæ diuinitatis pondere opprimi simulantes, placido & lento volatu, superbissimum hominum alte fastigant: singulis, quibus aerem scandit, gradibus, omnium in se animos rapit, & oculos, fixo suscipientium obtutu, superámque hominis potentiam cunctis obstupentibus. Sed statim communis illa lætitia, triumphale gaudium, in horribilem metum; splendores illi, in noctem vertuntur obscurissimam. Stat subitò fictitia machina, ad conspectum veri Imperatoris, Regis Regum, & Domini dominantium. Christi Iesu, qui signifero suo Michaële comitatus, obuiam Antichristo factus, hoc illi verbum facit: *Morere.* Dicto citius, Michaël miserum, & insolentissimum hominem, in terram præcipitabit exanimem. *Et nemo auxiliabitur ei,* (scribit Daniel.) Nullus eorum qui Antichristi spem alebant, fouebant machinamenta, suadebant fallacia; eorum, quibus ille tantùm fidebat, opem feret: iustum sane supplicium insensati hominis, qui spem suam in vanissimis creaturis locabat, & ab eis expectabat auxilium, felicissimi, qui certum à Maria patrocinium expectant, & implorant: felices nos, qui id etiam speramus, & Angelica salutatione deposcimus Aue Maria.

Dan.11. O faxit Deus, alta mente reponatur illud Danielis verbum. *Et nemo auxiliabitur ei.* Erit, erit illud tempus, quando homo, quem adorat mundus, in cuius obsequium omnes creaturæ certatim, voluntaria æmulatione conspirant, mox vbi auxilij videatur egens, ab omnibus deseratur. Is priùs tui immemor erit, à quo pollicitationes firmiores hauseras, antea sibi, quàm tibi defuturum: priùs se periturum, quam in ipso tui memoria periret; tandem id de se, quod de te, agendum, vtpote, quos vnus agebat spiritus. Mentitis verbis ne adhibeas fidem, nam idem ipse vix te destitutum ope, indignum cognoscet auxilio, cùm cognouisse te neget, tecum conuixisse, necessitudinem aut consuetudinem habuisse se pudeat. En, qui diuitiarum & animæ nô modicam iacturam pateris, qui policitas & diuinas côculcas leges, vt animos, vt stipatores, vt assentatores acquiras, quid acquiris? Tu etiam, quem modo parentes, oculis semper & ore ferunt, adeò tui amore accensi, vt non diligi, sed ab ipsis coli videaris; ad eorum aspectum, perire te cognosces, & illos tui obliuiscentes periculi, non dolori, imò lætis acclamationibus alacres vacare.

Num.16. Do tibi propositæ veritatis exemplum Num.16. Cùm videretur Core, Dathan, & Abiron, Moysem populi dignitates sibi affectare & assumere, in defensionem & immunitatem populi coniurant, eius causam agunt, ad id factiones compellunt, Moysi apponuntur: officia planè, quibus omnium in se conciliabant amorem. Ecce tibi supplicium adest, & dehiscens terra, cum vxoribus, filiis ac domibus, Core, Dathan, & Abiron viuos absorbet. Quid tum familiares, quid propinqui, quid ciues? Tentat auxilium miseris præbere? Nec vnus. *Omnis Israël, qui stabat per gyrum,* (ait Scriptura) *fugit à clamore pereuntium, dicens: ne forte & nos terra deglutiat.* Miserrimum est, vt ipsi, quibus inseruis, quibus fidis, amici, coniuncti, patres, tui non misereantur, sed obliuiscantur doloris, festiuísque clamoribus incumbant. Notauit hoc Io-

Ioseph. sephus in prædicto supplicio lib.4.c.3. fatus: *Fuit hic casus eo miserabilior, quòd adeò nemo, nec propinquorum quidem, aut cognatorum eos miseratus; vt totus, quantus erat populus, ante actorum oblitus, lætis acclamationibus Dei sententiam comprobaret.*

Matth.25. Ad idem Matt. 25. exclusæ Virgines famæ pulsitabant ad prudentum ostium carentes oleo, dum domi erant; foris stantes frustra clamabant, nam quæ intus remanserant, nil respondent, nedum earum infelicitati se exprimunt condolere. Cur ita? Nónne virginibus virgines notæ? Nónne paulò ante familiariter conuiuebant, & stricta consuetudine,

Chrysost. amice nectebantur? Ita est (ait Chrysost. in Psal.40. *Notæ erant virgines virginibus; sed nil eas iuuit ea familiaritas.* Post sponsi aduentum, post clausam ianuam, cum imprudentum virginum incuriæ infligitur pœna, ipsæ sociæ, ipsæ familiares foris clamantium vocibus obsurdescunt: fatuæ apparuere, cùm dormierunt, virgines & oleo consumpto, extincta fuit lampas; nec minùs fatuæ, cùm exclusæ domo, ab amicis virginibus recipiendas fore se credunt. Ea quippe est creaturæ humanæ conditio, vt omnem in se fixam spem nunquam non fraudet. Vt videas, ô virguncula, quantum tuæ familiari fidere debeas, quantum fallacibus amantis blandimentis, fictis pollicitationibus credere. Vt videas, qui stipatorum exultas frequentia; qui mentitas adulantium voces inflatus captas; qui de amicorum multitudine gloriaris, confidis, quàm inanis sit iactatio tua, quam infirmo nitens fundamento fiducia. Horum verbis ne credas, vix enim aliud in humana vita communius est, quam ab iis, cùm affligimur, cùm egemus deseri, qui nostra cùm egebant ope, nos comitabantur, adulabantur, vixque aliud pertimescebat Dauid, quam huiusmodi solitudinem, & desertionem, cum alieno illi opus esset auxilio, quando aiebat Psalm.7. *Ne quando rapiat, vt leo, animam meam, dum non est, qui redimat, neque qui saluum faciat.* *Psal.7.*

Qualis autem sit ista desertio, vt plenè capias, accipe horrendum casum, quem Damianus scribit, eisdem P.Dam. verbis ep.10. ad Greg.7. Quidá pœnitens sub peregrino habitu, in nostris partibus exulabat, qui perquisitus, quæ eum exulare causa compelleret? Cum conuicano meo (inquit) ad ligna cædenda pergebam: & ecce trabalis magnitudinis serpens, duobus attollens squamosa colla capitibus, sinuosis flexibus obrepebat; qui nos vt eo ambulantes aspexit, continuò scintillans oculis, & tanquam linguis exacuens ora trisulcis, in nos impetum fecit, cui protinus conuiator meus, librata securi vnum caput abscidit, móxque ferramentum ex eius manibus cecidit. Protinus serpens in furoris rabiê implacabiliter efferatus, in sublime se erigit, quod solû remanserat, caput attollit, auctorémque proprij vulneris mordicus apprehendit, quê mox inuasit, sinuosis eum spiris implicuit, & inuoluit, totúmque hominem suis viribus vindicans, in subterraneum specus asportauit. Sed dum traheretur ille (quod solû poterat) me flagitat, in me clamosas voces ingeminat, vt vel ipse sibi promptus adiutor accurrerem, vel securim, quæ in meis erat manibus, porrigere festinarem; ego autem infelix, & degener, vltricibus flammis obnoxius, & ipse potius à serpentibus deuorandus, (væ mihi homicidæ) contremui: & cùm manibus esset agendum, causa dictante, non pedibus, fugam paraui. Ideóque à Sacerdotibus iniunctum mihi hoc exiliû patior, méque, vt reuera mortis illius auctorem, deflere compellor. Quæ gemendæ calamitatis historia, ita totû cor meum concutit, vt immensam cordis mei formidinê. nec stylo tradere, nec valeam sermone proferre. Meditor enim sæpe: ecce homo, & bestia, duo pariter in spelunca: non mediator adest, non ereptor accedit, ferinû sanè cor pietas non emollit, præsertim cùm rapidæ voracitati etiam semper additur, vt illatæ contumeliæ grauis vltio compensetur. Quæso, quæ rei tunc species erat? imò quæ mens miseri hominis esse poterat, cùm præda factus esset hosti inscio miserari, cùm euadendi suos nulla superesset; sed potius cruentis dentibus in escam traditus, ferinam ingluuiem satiaret? Huius ergo formidolosi casus speciem, in mea sæpè mente depingo, móxque draconem totius crudelitatis auctorem, quomodo capiat, ac deuoret animas, pauida consideratione pertracto illum sæpe versiculum repetens. *Ne quando rapiat, vt leo, animam meam, dum non est, qui redimat. neque qui saluum faciat.* Hæc Dominus. *Damian.*

Antichristi morte, latissimum eius euanuit imperium, dierum quadraginta & septem hominibus Deus concessit inducias (Ansel.& Thom. testantibus) vt à turpi ad honestam traducerentur vitam. Conducet ad hoc, subita, & horribilis elementorum commotio, tremenda cœlum prodigia dabit, quasi mutis homini suadentia vocibus, & vt ad sanguinem Saluatoris confugiat, nisi in manus Dei irati (quod horrendum est) velit incidere. Et quatuor orbis partibus, totidem ignea flumina vi tanta erumpent, vt in ictu oculi omnia in cinerem, & in fauillas redigant, hoc tamen seruato discrimine, vt ignis consumat iniustos; iustos relinquat illæsos: hi suauissimas Deo laudes concinent, quas interrumpet ingens clarissimæ tubæ sonus, medio personantis in aëre. & totam terram silentio, & pauore complentis. Tunc supremus iudex, graui & sonora voce pronuntiat: *surgite mortui, & venite ad iudicium*; quam ex Archangelis vnus, magno clamore ingeminans, intimat surrecturis, & de eius iussu, statim custodes Angeli, sui quisque alumni corpus, vbi maior pars inueniatur materiæ, iterum ex illa compingit. Iusti corpus elegans, & pulcherrimum apparebit; damnandi verò fœdum, horrendum. Post hæc, imperante Christo, infernus euomet, quod clauserat anima. quasque Limbus & cœlum habuerant, exhibebunt: accedent singulæ, suis reuniendæ corporibus. Qualis erit primus ille conspectus? Anima iusti, quàm amicabili dilecto accolæ affectu consociabitur? damnati anima, qua desperatione, qua rabie, in carneum illum carcerem, æternum crucianda trudetur, ex iam iam dicendis agnosces. *Anselm.*

Israëlis populus, ægrè ferens tardum Mosis cum Domino loquentis aduentum, conflauit sibi, quod adoraret idolum: vbi

vbi hoc Dux tantus agnouit, Dei gloriæ inflammatus zelo, in duræ ceruicis homines grauiter est indignatus: *arripiénsque*, Exod.32. *vitulum, quem fecerant, combussit, & contriuit vsque ad puluerem, quem sparsit in aquam, & dedit ex eo potum filijs Israël.* Duriorem infidelis & diffidens populus punitionem merebatur. Vt quid in tam turpe facinus, tale supplicij genus exercetur? quid illo Moses intendit? Puto exprobrare Israëlitis vilitatem, quem coluere, Dei; ac si eos obiurgando, proferret: erubescite cinerem, & puluerem adorasse. Videte, quid aureus vitulus, quid extimus, & fallax splendor, quid conflatilis Deus vellet contineat? Fallor, nisi huc respexit August. Psal. 73. aiens: *O ira prophetica! Quid egit? mitte in ignem, vt forma confundatur; minutatim comminue vt consumatur, da populo bibere.* Supplicium profectò simile ei, quod de anima damnata sumetur, cùm fœdo & horrendo suo corpori coniungenda accedens, videat illud, cui tantùm indulsit, cui nullas non appetiuit & quæsiuit illecebras, cui omnem, quem poterat, exhibebat honorem, quod ingenti luxu, pretiosis ac delicatis vestibus fouebat, ornabat; cum videat quod adorabat; idolum in pulueris horrorem, in cinerum redactum vilitatem. Cùm videat libidinosa mulier, quæ capillorum vestigia artificiosè calamistro notabat, quæ in facie candore, & rubore ficto illinienda, oculis inungendis stibio, in ornando corpore, noctes consumebat, & dies, eius iactans præstantiam, intuendum, & adorandum omnibus præbens, atque adorans ipsa, cum videat hæc, idoli, quod suspexit, squalorem, fœditatem. pædorem; cum videat deturpatos, & incomptos capillos; nigricantem, & deformem faciem, oculos rabiem scintillantes, totum corpus, horrendum & pestiferum fœtorem exhalans, quod sentiet infelix? Dici non potest, qua desperatione. quibus execrationibus, mulieris huius anima tam horrido claudetur ergastulo. Consule tibi, ô fœmina, consule tibi, cùm potes: alieno periculo, quod tibi depingo, cautior euade; ne capiaris pulchritudinis confictæ decipula, vide, quod te supplicium expectet.

Exod. 32.

August.

Cyprian. Tandem iusti resurgunt, & impij. Vt enim ait Cyprian. de Resurr. resurrectio communis est, & ante tribunal Christi, necesse est, in corpore iustos stare, & impios, Dei hoc dictante iustitia, vt pietas & impietas in operatoribus debitis stipendiis donarentur, & qui finem habere contempserunt in malis, infinita clauderentur vltione in pœnis; & qui gloriati sunt in cruce, cum Crucifixo regnantes beati, fierent perennitatis participes. Cæterum erit in communi resurrectione diuersitas: nam iusti corpus (secùs impij) non aggrauabit animã; sed caro sine mole, & põdere agilis, & mobilis, nullis clausa obstaculis, visu & auditu penetrans omnia & attingens quocunque voluerit, sine impedimento discurret, non admissura iam corruptibilitatis & mortis iniuriam; sed mortale hoc induet immortalitatem, corruptibile incorruptionem, nostræque humilitatis corpus, corpori claritatis Christi factum conforme, cœlestibus radians splendoribus collucebit. In valle Iosaphat, tam suscitati omnes, quàm quos diximus ignita flumina non attigisse, conueniunt. Cœli tunc dirupto velamine, Archangelus Michaël, visibili in forma, sole lucidor, sanctissimæ Crucis vexillum manu gestans, humanis conspectibus præsentatur.

Delectabile quidem spectaculum iustis; improbis formidabile, cùm cernant, suæ quod esse potuit instrumentum salutis, in propriæ damnationis testationem produci: cùm cernant, vnde iusti peperere sibi gloriã, inde ipsos maius sibi camparasse supplicium: cùm cernant prioris monimentum Reipublicæ, Christianæ Religionis signum, summam sibi ignominiam adducere. Heu, quantum illos Crux Saluatoris, ante oculos obiecta, mordebit! Dum à Babyloniis Israëlitæ captiui ducerentur, instrumenta musica, veri Dei inseruientia cultui, secum asportarunt: *in salicibus, in medio eius, suspendimus* (inquiunt) *organa nostra.* Cur ergo organa, & instrumenta musica deferunt, quæ pulsare recusant? *quomodo* enim aiunt, *cantabimus canticum Domini, in terra aliena?* Sanè, non sine magna Dei prouidentia factum est, nimirum, vt veræ Religionis signis, ob eorum oculos propositis, pungerentur, vt dulcis Sion monimenta cernentes, seruiles Ægyptiorum facti iam incolæ morderentur. Dixerat D. Chrysost. *Hoc quoque luctus à Deo prouisum, vt in aliena regione, haberent monimenta prioris Reipublicæ, magisque morderentur, dum Religionis & Dei cultus illa signa viderent.* Eadem Dei prouidentia, Crucis vexillum circundatur obtutibus, quos Babyloniæ Rex captiuos ducit ad inferos, vt religionis & cultus Dei illud signum, quod secuti non fuere, videntes, omni tormento atrociori desperatione & rabie corrodantur.

Psal. 136.

Chrysost.

Victorem signiferum comitantur cœlestium spirituum nouem chori, supercœlestibus vndique fulgoribus coruscãtes, in ostentationem gloriosæ sui Principis Maiestatis. Hos ipse sequitur, sublimi subnixus throno, fulgentissimis nubibus effecto, cuius pedes, rubeo candore splendentes, Cherubini & Seraphini indannatis affectibus certantes osculaturi ambiunt. Conspectu iudicis, ipso inferno impiis terribilior, adeò erit gratus, & iucundus sanctis, vt diuini amoris æstuantes incendio, adorationem & cultum præstandi auidi. Principi suo ascendentes occurrant. In hoc ascensu, qui vitam retinuerant, vti necessum est, morti concedent, & suscitari pariter, emissum ibidem spiritum resument.

Mirabar equidem, aliquos mundum potuisse deserere; quin mortis amaritudinem paterentur. Is namque mundus est, qui nesciat adhuc, quem, sua illi impertiendo bona, blandus fefellit, eadem ipsi, æternam afferendo mortem, crudelis non eripereris, est mundus, qui non permittat sui amatores, quos honoris vento. velut Chamæleontes pauit, quibus voluptatum vniuersitate seruiuit, quos fallaci pulchritudine præstantiáque captiuans, quieto iure possedit, non pati amarissimos mortis dolores: hoc est mundi testamentum, vltimáque voluntas: hæc est vnica filiorum eius hæreditas. Vide hoc in vno eius amatore, & filio Absalone. Audisti formosum iuuenem, decoram faciem, auream comam, eleganter à natura corpus constitutum, Imperio sanè dignum adolescentem, & reuera Imperatoris filium, nullius indignum, omnibus affluentem. Vide nunc illum, intortis capillis, ramo arboris præhensum, à Ioab triplici transfixum venabulo, à decem militibus, mille vulneribus confectum, in hiatu montis iniectum, saxis obrutum; & dic (sic enim fit) hic est humanæ pulchritudinis, humanæ felicitatis finis. *Hæc est hæreditas violentorum, quam ab omnipotente suscipiet*, aiebat Iob, iuxta Magni Gregorij mentem, hæc est hæreditas, quam filiis huius sæculi omnipotens seruat. Insequere fugientes honoris vmbras, aucupare voluptatum illecebras, obsequere fideliter mundo, vide, quæ tibi asseruetur hæreditas, miserabilis nempe casus, præsentium iactura bonorum, horror æternus: *Hæc* enim *est hæreditas violentorum, quam ab omnipotente suscipient.*

2. Reg 17.

Iob 27.

Illustrat, & protrahit Ecclesiasticus sententiam sancti Iob inquiens: *Testamentum enim huius mundi, morte morietur.* Scis, quorum te mundus fecit hæredem, quæ tibi testamento legauit, quas opes, quas dignitates? Profectò hoc: *Morte morietur.* Si alicui maximum legatum relinquendum erat, id quidem meruit Dei filius, qui antonomasticè filius hominis vocatus est, qui humanum genus emeritus adeò fuit, vt illum Præses Pilatus considerans æternis laudibus dignum indicaret; ast cùm illum Iudæis reddere volebat incolumen, communis populi clamor excreuit Ioann. 19. *Nos legem habemus, & secundum legem, debet mori.* Multus est D. Antonius de Padua, in ponderandis Iudæorum vocibus, & eas in mundialium bonorum, & voluptatum ore, sic collocat. En tibi, ô pulchritudo & decor humanus, hominem, qui maiorem suæ vitæ partem, in tui impendit obsequium, inquietus die, insomnis noctu, decoros & blandos oculos suscipiens, atque oris certantem cum rubore niuem adorans; quid pro his officiis rependes? Ad quæ sic illa. *Nos legem habemus, & secundum legem debet mori.* En adest, ô honor, qui nullum non mouit lapidem, nulli labori pepercit, vt falsæ gloriæ, popularis auræ aucuparetur vmbram. Quæ tot meritis præmia proponis? *Nos legem habemus, & secundum legem debet mori.* Ecce, ô voluptas, hominem tibi consecratum, cuius in te omnis fixa felicitas, qui honore postposito, salute despecta, te vnam semper amplexus, obsequentissimè coluit. Quam illi mercedem propinabis? *Nos legem habemus, & secundum legem debet mori.* Hoc enim est *testamentum mundi, morte morietur: hæc est hæreditas violentorum.* Vide, quem colis, quem amas, cui inseruis, ô infelix mundi mancipium, filius, amator!

Eccles. 14.

Ioann 19.

D. Anton.

CONCIO VI.

QVam læti, quàm festiui Sanctorum occursus ad Dominum, historiam proximæ clausere Concionis? Cœlo labebantur ab alto, cœlestium spirituum nouem Chori, visibilibus formis apparentes. Tot putares clarissimis solibus orbem illustrari. Ascendebant è terra, qui gloriosam fuerant adepti vitam, nunquam iam ad funera redituri; ardentissimóque animorum æmulantes affectu, Principis sui

sui Iesu pedes & manus deosculari accurrunt: vellent in rubentibus eius vulneribus sepeliri. His supremus stipatus Iudex, ad Iosaphat vallem appropinquat (intercludit eam hinc oliuarum mons; inde Hierosolyma, eiusque plantæ torrentis Cedrum argentea lingua lambuntur.) Hic Christi corpus iudicato honoratum throno, ministerio Thronorum & Dominationum affecto, vestito gloria supernæ Maiestatis, insidet: excelsum iidem Spiritus iuxta, & ad Filij dexteram, Matri parant consessum. Sequuntur duodecim Apostoli, duodecim gloriosa solia occupantes, variasque tenentes sedes varij viri, qui Apostolicam duxere vitam, Christi crucem gestantes, tribus paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ votis religati. Ea enim perfecti religiosi dignitas est, vt inter Iudices, reliquos homines iudicaturus, consideat. Ad dexteram cæteri beati, & spiritus, & homines, subsellia dicta coronant. Locatur ad læuam infinita damnatorum multitudo, quam cùm vallis ampla non capiat, vicinos montes, & campos occupabunt. Aderunt dæmones, horribiles animalium figuras referentes. In tam discordi beatorum gloriæ, & damnatorum calamitatis spectaculo, quæ humana, quæ Angelica mens, aut lingua, Iudicis Maiestatem, & gloriam complecti, aut explicare poterit? Veniet (ait de ipso Matthæus) in magna gloria. Vt nos ea tot & tantis, quæ hæc nobis loquitur gloria, aliqua loqui possimus, vsitatam Virgini orationem fundamus, certam eius opem imploramus. AVE MARIA.

Vt quid, si sapis, summus Iudex tantam gloriam, & Maiestatem ostentans, tot, quot damnat, hominibus conspiciendum se dat? Equidem id causæ est, vt innotescat omnibus, ipsis prospexisse; non sibi, cùm vitia propellenda clamaret, cum peccata cauenda priuatim suaderet, & publicè, Concionatorum permouens linguas, seuerè in effrænes aliquos homines animaduertens, singulorum illustrans mentes, excitans voluntates. Peccent, quantum velint, homines: blasphemiis, furtis, cædibus, adulteriis deturpentur. Peccare possunt, minimum gloriæ apicem eripere à Christo non possunt; possunt tamen se tota priuare, quam, si piè viuerent, obtinerent. Cui, ò peccator, damnum inferre te putas, cum peccatorum tela contorques in cœlum? Quem aggrederis prauæ actionis sagitta transfigere? Profectò temetipsum feris, occidis. Luxuria, qua virilem effœminante animum, tua vita fædatur; auaritiæ rapax iniquitas, diuitem largitatem deprædans; sæua iræ dementia, sensatum quemuis dementans; liuor, quo exsiccaris; inuidiæ violenta crudelitas, qua raptaris, inflatus superbiæ, quo grauaris, tumor; vitiorum varietas debacchantium, quam insanus exerces, pateris voluntariè; tota in tuam perniciem conspirat. Deo cuius est inaccessa sedes, ad quam nullum flagellum valet accedere, obesse non potest: immutabilis Dei gloria permaneat; tua in ignominiam, & pœnam mutetur, necesse est.

Ad rem. Optans Dominus, vt in veritatis agnitionem gens infidelis veniret, mendosque contemnere deos; & docens Israeliticum populum, veram, pro ficta, religionem
Hier. 2. mutasse, sic inquit per Ieremiam 2. cap. *Si mutauit gens deos suos, & certè ipsi non sunt dij; populus autem meus mutauit gloriam suam in idolum.* Expendo illud. *Mutauit gloriam suam.* Cur non dixit Dominus, *gloriam meam*: Nonne quas Deo Israëlitæ laudes decantabant, quos deferebant honores, quem præstabant cultum, quam exhibebant gloriam; falsis diis, veris spectris præstiterunt? Ergo Dei gloriam in gloriam idoli mutauere. Cur igitur non ait Dominus, *mutauit populus gloriam meam, sed suam?* Consule Chrysostomum oratione 1.
Chrysost. in Iudæos sanctam. *Non dixit: mutastis Deum vestrum, sed mutastis gloriam vestram. Neque enim me læsistis, inquit, neque vlla noxa ad me peruenit, vosmetipsos affecistis ignominia: Meam gloriam non immutastis; sed vestram ipsorum.* Sic ille. Vides, vt sceleribus tuis, nullum Deo vulnus infligas, nulla ipse tuorum criminum iniquitate lædatur. Quoties peccas, in te tela paras, quibus confossus, carceri trudaris æterno; igni alimenta paras, vt vltrici flamma conflagres: tuorum tenebræ peccatorum inaccessibilem lucem quam Deus inhabitat, obnubilare nequeunt; te verò si excæcant, vt videns non videas, & in infernum cadas, vbi ipso luxuriæ tuæ adipe frixus, ebullias, vbi inuidiæ vermibus exedaris, vbi vento raptus superbiæ in extremam confusionem ruas sæpiùs, & sine fine dandus in præceps, vbi ignominia, & pœnæ te expectant, cùm summa Dei laus, honor, & gloria, illæsa persistant.

Isai. 44. Id quod Isaias optimè explicuit hoc exemplo: *Deleui, vt nubem, iniquitates tuas: & quasi nebulam, peccata tua.* Similitu
Adamus. dinem pulchrè expendit Adamus. Videre est, claro & sereno cœlo feruente sole, nebeculam terrestri vapore coalescere, crescere, condensari, sua obscuritate cœlum obducere, obnubilare. Solem, hic ardenti virtute radiorum nubem ferit, & vrget. Ecce oritur violenta tempestas orbium cœlestium machina ruere & opprimere creditur terram: in niueos globos concretus aquosus vapor, vi magna iacitur: nube studium enixa fœtum, grauis vnda demittitur, fulminibus perrumpentibus, & per nubem dantibus iter, infremit. illa grauiter diruptione concussa. Sentit tellus tempestatis iniurias, deplorat stratas segetes, animantes emortuas, lassatas & confractas volucrum alas, ædificia æquata solo, labefactatas turres, arces demolitas. Sed vbi rarescit & attenuatur, duello deuicta nubes, vbi solis radiis patefacit viam: quàm splendidus, quàm imperiosus, quàm pulcher ille hominum offertur obtutibus, anteacti triumphi acclamationes accepturus? Eodem prorsus modo, cum scelestis hominibus se habet iustitiæ Sol: horum vitia, feralia crimina peccata furentia, quid aliud sunt, quàm densissimæ, & obscurissimæ nubes, quantumuis minimo solari iustitiæ radio, aditum præcludentes, negantes ingressum? Ferit igitur illas, virtute sua, Sol iste diuinus Et ecce tempestas gignitur, funduntur nimbi, impellitur grando, iaciuntur fulmina, & postquam, *deleuit, vt nubes, iniquitates suas, & quasi nebulam, peccata sua*, qui scientia inflati, humiles contemnebant, velut aues confractis alis apparebunt: qui suæ fortitudini inaniter confidebant, velut emortua animalia, conspicientur. Atqui Christus, in gloria sua ineffabili, incomprehensibili maiestate, hominum conspectibus triumphator adstabit.

Igitur tribunali constructo, sedente Iudice primum, Daniele teste, humanarum vitarum libri panduntur, in quibus singulorum hominum ratio præscripta sic est, vt ne minima quidem cogitatio, verbum, aut opus, illius dtei lucem effugiat. Deinde diuina virtus, beneficia in homines collata referre, quæ in eorum vtilitatem, salutemque gesserit, obiicere incipit. At quæ? Tui ortu præueniens, ingressus ego mundum salutis tuæ coram sustinui. Quanti mihi hoc steterit, testis est Bethleem quæ vagitus meos, lacrymas, nuditatem, infantilia membra, hyemis rigore trementia sensit. Testis est hortus Gethsemani, qui, ad terram vsque defluente, sanguinem meo rore maduit. Testis est Pilati prætorium, quod mea viscera, per surculos, quinquies mille verberibus dilaceratæ carnis, aspexit Testis est Crucis arbor, quæ, manus & pedes clauis terebrantibus, nudum meum corpus sustinuit. Testes verò iam omnes nationes, omnes Angeli? Quid plura? Cùm in lucem edendus eras, videns flagrantem hæresibus mundum, infidelitatis tenebris obuolutum, Hispaniam tibi ortum dedi, & parentes optimos, qui honestam tui educationem procurarent: tui in literarum studiis tolerati laboris vsuras; honores, scilicet, dignitates, diuitias, alios in extrema egestate relinquens, tibi largitus sum.

Quis hæc accepta considerans, non expaueat? Quis horum, sine magno tremore, rationem reddat? Insensibilis etiam creatura acceptum reddítura, metu concutitur. Matth. 27. Ioseph ab Arimathia, posuit corpus Iesu *in monumento suo noua, quod exciderat in petra: & aduoluit saxum magnum ad ostium monumenti.* Tertia autem die, cum Domi- Matt. 27.
nus resurrexisset, ait Euangel. cap. 28. *Et ecce terræ motus fa-* Matt. 28.
ctus est magnus. Vnde tremit modo sepulchrum, acceptum exhibens corpus Iesu? Inde sanè, quia accepit corpus Iesu, & quia reddit quod acceperat. Accepit à Patre, Patris thesaurum, cum accepisset Filium, & contremuit, Patri depositum redditurum. Quam pulchrè Chrysostomus in Psalm. 2. fatur? *Sepulchrum accepto corpore, tertium, quod Patris thesaurum accepisset, depositum cum tremore reddit.* Tertium sepulchrum, cum Christi corpus recepisset, vtpote quòd æterni Patris diuitias reciperet; tertium etiam est, cum suum Deo thesaurum, ac depositum redderet; ne forte totum non redderet, quod accepit. O quoties, Eucharistiam nempe sacram accipiens, æterni Patris thesaurum accepisti? reddistine Deo tantum, cum tremore, depositum? agens scilicet, pro tanto munere, gratias largitori tuo? filium, quem acceperas, cum te ipso, obtulisti Patri? Quam huius accepti, in diuino iudicio, rationem dabis? Et quis non contemnat fidelis, quando mortuos sepulchri lapis, accepto, & reddito Christi corpore, tremefactus est?

Post commemorata, quæ in homines Christus beneficia contulerat, quid (inquit) tui causa laborauit dæmon, quos labores, quæ tormenta fuit passus? Nec pedem mouit, nisi in tui perniciem Si quam tibi voluptatem propinauit quot illam impendiis persoluisti bonorum, salutisque iactura, multæ honoris, atque vitæ discrimine. Quo tunc rubore suffundetur diaboli seruus, qui gratis, & sine vlla mercede,

domino tam auaro seruiuit? Qua confusione miseri prementur damnati, cum in vniuersitatis humanæ præsentia comparentes, dæmonis crudelissimi domini imperio obsequuti fuisse videantur? cum irrideantur ab Angelis, irrideantur à iustis, irrideantur ab impiis, irrideantur ab ipso dæmone, cui seruierunt, ac pleno ore, stulti ab omnibus appellentur? Sine dubio, irrisio, & confusio hæc, ipsis erit inferno terribilior. *Luc. 12.*

Moueor ad hoc dicendum, auari diuitis casu lactabat ipse, quæ habebat, bona, quando ei Dominus sententiam intimat damnationis: *stulte, hac nocte, animam tuam repetunt à te.* Cur Deus diuitem, tantummodo vocat stultum? Nullum turpius, turpitudo & scelera sua, illi attulere cognomen? Nulla maior tot flagitiis infligitur pœna? Aliis additur; sed nulli maiori: lenior namque est æterna pœna, hac irrisione stultitiæ. Nil dico, quod D. Basilius non dixerit homil. in dites, sic: *Superat æternam pœnam irrisio illa stultitiæ.* Intolerabilis dolor est, igne perenni comburi, propriæ conscientiæ verme rodi, horrido & angustissimo carcere contineri; at intolerabilior est irrisio illa stultitiæ, quam, ab hominum generalitate, dæmonum turbis, Angelorum Choris, supremi Iudicis ore damnatus capiet. *Basil.*

Tandem post lectas, Angelorum, ac dæmonum, iustorum & impiorum hominum vitas, summus Iudex sententiam dicit: & conuersus ad iustos, placidissimo vultu, labiis dulcedinem effluentibus. *Venite*, inquit, *benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: esuriui enim, & dedistis mihi manducare,* &c. Plura alia, eaque heroica, virtutum opera iusti exercuerant; cur omnium oblitus, solius misericordiæ & eleemosynæ mentionem facit? Quia nulla virtus sine eleemosyna triumphat, sine misericordia coronatur. Victricem sponsæ mentem, triumphantes cogitationes & opera celebrans Sponsus, Cant. 5. ait: *Coma eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus:* video quantum, *palmatæ*, animæ mens, & victrices operationes Deo placeant sponso; qualis autem sit laus illa in palmatis comis, nempe *nigræ quasi coruus*, non video. Cur inter palmas non splendeat aurum? quid cum illis commune nigredini. Lege D. Paulin. eleganter loquentem epistol. 4. *Bonus iste coruus, nec ille, ad arcam reuertendi immemor; sed ille, pascendi Prophetæ memor.* Equidem assiduus erat quotidie coruus, in Elia famelico sustentando. Hoc opere famelico pascendi, commendantur triumphantes fidelium mentes. Nullius virtutis triumphus esse potest, nullius sanctæ operationis victoria, nisi vbi misericordia præit, vbi eleemosyna duce, pugnatur. Quod de virtutum seminario, ieiunio, notauit acutè Chrysol. serm. 8. inquiens: *Est ieiunium castitatis murus, pudicitiæ propugnaculum, ciuitas sanctitatis: est ieiunium inuictus Christianæ militiæ principatus; sed in his virtutibus ieiunium tunc viget, tunc vincit, tunc triumphat, cum, duce misericordia, pugnatur.* Quid pulchrius? *Matth. 25.* *Cant. 5.* *Paulin.* *Chrysol.*

Matth. 25. Dulcibus Christi D. verbis: *esuriui enim*, &c. iusti respondent, *Domine, quando te vidimus esurientem?* Quomodo ignorant iusti, quando pauerint Dominum esurientem? Quid aliud egerunt, dùm mortalem duxere vitam? dum continua cum inuisibilibus hostibus bella gessere? An ignorant, quia (vt aiebat Apost.) *Momentaneum, & leue tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis?* quia ad conspectum mercedis & coronæ, certaminis & laboris, tempus momentum apparet? Ita credo, vbi laboris præmium, coronam certaminis, Deus ob oculos illis proposuit: perbreuem, imò momentaneum ante actum laborem æstimarunt, & certaminis tempus instantaneum. Ita etiam credidit Chrysostom. homil. 8. de pœnit. dum ait. *Coronam proposuit certamen, atque leue fecit, & sæculum.* *2. Cor 4.* *Chrysost.*

Læta iam à Iudice salutari sententia, seuerissimo & irato aspectu conuersus ad improbos, *discedite*, inquit, *à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius.* Meditare tu, quia dici non potest, quid hac voce hoc fulmine damnati sentient. Tandem cernente miserrima illa turba, Summus Imperator Christus, & lucidissimus ille cœlestium spirituum, hominumque beatorum exercitus, agilitatis beneficio vsus aëra penetrando conscendit. Præcedentes, & subsequentes Angeli, Triumphatori Christo, victoribus iustis applaudunt. Tantæ magnificentiam pompæ hilares celebrabant, cantantes *Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit.* Recedentem gloriosam illam societatem intuebantur condemnati miseri, vsque dum ab eorum oculis erepta, cœlesti exciperetur ciuitate, æternum regnatura. Heu, quantum infelices exclusos homines triumphi huius conspectus, huius ascensionis maiestas cruciabit! Plus sanè, quàm æternus ignis. *Matth. 25.* *Psal. 67.*

Hunc patitur ille diues clamans ad Abraham: *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam.* Negatur diuiti aduentus Lazari, & ille iterum clamat: *Rogo ergo te, Pater, vt mittas eum in domum Patris mei, habeo enim quinque fratres.* Cur hoc petit? quid implacabilem linguæ temperauit ardorem? quòd si hic temperatus non est, cur non instat, vt mittatur Lazarus, refrigeret illum; sed petit vt suos mittatur ad fratres. Puto, quia non erat linguæ ardor, quo magis torquebatur infelix; sed felicitas Lazari, quam videbat, & tolerare non poterat: tunc se refrigerari putat, cum Lazarum felicem non videat, huius gloriæ & felicitatis visus, diuitem magis cruciat, & incendit quàm ignis, & ideò verbum illud ingeminat, mitte Lazarū ad me, mitte ad fratres meos. Accipe acumen Chrysolog. *Ante dixit: mitte ad me; modo dicit: mitte ad fratres meos. Dolet, agit infelix, ne videat felicem, & zelo magis incendit, quàm gehenna.* Quod si Lazari in sinu Abrahæ constituti præsentia, diuitem adeò torquebat, quantum generalis felicitas & gloriosa Beatorum, incomprehensibilis & ineffabilis Christi gloria, miseros damnatos vexabit? Quid mirum, si hoc conspectu magis, quàm gehenna crucientur infelices, quos, post visum triumphum, terra deglutiet, horridissimus & arctissimus æternum cōtinebit carcer, vbi erit fletus, & stridor dentium, vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat? *Luc. 16.* *Chrysol.*

F I N I S.

INDEX

INDEX

Locorum Scripturæ sanctæ, quæ enucleantur.

Iuxta numerum foliorum , & paragraphorum.

EX VETERI TESTAMENTO.

Ex Genesi.

Cap. 1. IN principio creauit Deus cœlum , & terram. 194.10 976,1
Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super, &c. 219. 11.552,2
Diuisitque lucem à tenebris. 233,15
Dixit Deus, congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt , in locum vnum. 232,15
Fiant luminaria in firmamento cœli , diuidant diem , ac noctem, & in signa. 9
Germinet terra herbam virentem , & facientem semen , & lignum,&c. ibid. & 351,17.368,542 5
Fiat lux , & facta est lux. 146,10
Faciamus hominem ad imaginem , & similitudinem nostram. 123,28.196,14.256,17 343.370,14.376,1
Et creauit Deus hominem ad imaginem , & similitudinem suam,ad imaginem Dei creauit illum. 171,14
Spiritus Domini ferebatur super aquas. 180,10 562,3
Protulit terra herbam virentem , & facientem semen iuxta genus suum. 331,3
Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ , & vniuersis volatilibus. 374
Præsit piscibus maris, & volatilibus cœli. 476,14
2. Crescite , & multiplicamini. 73,1
Vt operaretur , & custodiret illum. 110,2
Ædificauit Dominus Deus costam quam tulerat de Adam in mulierem , & adduxit eam. 167,5.393,7
Requieuit Deus die septimo ab omni opere quod patrarat. 195,11
Nomen vni Phison , ipse est , qui circuit omnem terram Euilath , vbi nascitur aurum. 264,7
Creauit hominem Deus ad imaginem , & similitudinem suam masculum, & fœminam, &c. 365,4
Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ,& inspirauit, &c. 424,20
Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ. 614,6
Plantauerat Dominus paradisum voluptatis à principio,in quo posuit hominem. 370,14
Fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum. 411,11
Nomen vni Phison,ipse est,qui circuit omnem terram Euilath, vbi nascitur aurum. 412
Et tulit Deus eum, & posuit eum in paradiso voluptatis. 366. 566,11
Immisit Dominus soporem in Adam, cumque obdormisset,tulit vnam costam,&c. 330,4
Hoc nunc os ex ossibus meis,& caro de carne mea,hæc vocabitur virago,&c. 407,3.531,3
De ligno scientiæ boni , & mali , ne comedas. 577,3.597, 23
Quacumque die comederis ex ea , morte morieris. 496.400. 405,18
Erat autem vterque nudus , Adam scilicet , & vxor eius. 366
3. Consuerunt folia ficus. 5
Cùm audissent vocem Domini Dei ambulantis , &c. 10,6.502, 29,5.80
Vocem tuam audiui in paradiso, & timui, eo quod nudus, &c. 86,8
In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec in terram,de qua sumptus es, reuertaris. 90,8
Quis indicauit tibi , quod nudus esses , nisi quod ex ligno , de quo tibi præceperam,ne comederes, comedisti. 220,13
Ecce Adam , quasi vnus ex nobis. 256,17
Quocumque die comederitis ex eo , aperientur oculi vestri , & eritis sicut Dij, scientes bonum, & malum. 405,18 528
Abscondit se Adam , & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni. 403,13.503,11.552
Vocauit Adam nomen vxoris suæ Euam , eo quòd esset mater cunctorum viuentium. 477,18
Puluis es , & in puluerem reuerteris , & vocauit Adam nomen vxoris suæ Euam. 425
Maledicta terra in opere tuo , in laboribus comedes. 554,7
Nunc ne forte mittat manum suam , & sumat de ligno vitæ, & comedat. 374
Tu insidiaberis calcaneo eius. 619 15
In laboribus comedes ex terra cunctis diebus. ibid
Abel obtulit de primogenitis suis , & de adipibus. 47,19. 405,18
Consurrexit Cain aduersus fratrem suum Abel , & interfecit eum 157,18
Eamus foras. 8,5
Vagus , & profugus eris super terram. 6,23.14,46
Nónne si rectè offeras , non rectè diuidas , peccasti? 71,6
Si autem egeris malè , statim peccatum pro foribus aderit. 5
Dixitque Lamech vxoribus suis Adæ , & Sellæ : Audite vocem meam vxores,&c. 26
Sed & Seth natus est filius, quem vocauit Enos : ipse cœpit inuocare,&c. 44.99.18,265.8
4 Fuit autem Abel pastor ouium , Cain agricola. Factum est autem post multos dies , vt offerret Cain , &c. 376,8. 404,17.405,18.619,16
Possedi hominem per Deum. 532,6
Sed & Seth ortus est filius, quem vocauit Enos : iste cœpit inuocare nomen Domini. 353,1
Ero vagus , & profugus , &c. 604
Nónne si benè egeris , recipies : si autem malè , statim in foribus peccatum tuum aderit? Sed sub te erit appetitus eius, tu dominaberis. 591,10
5. Videntes filij Dei filias hominum. 3,36.376,8
Fac tibi arcam de lignis leuigatis. 217,4
Gigantes erant super terram in diebus illis,postquam enim ingressi sunt filij Dei,&c. 395,5
Finis vniuersæ carnis venit coram me , repleta est iniquitate à facie eorum , & disperdam eos cum terra. 396
Non permanebit spiritus meus in homine in æternum , quia caro est. 591
7. In articulo diei illius ingressus est Noë , & Sem , &c. 525, 15
Multiplicatæ sunt aquæ , & eleuauerunt arcam. 542.5
8. Dimisit columbam ex arca , at illa venit ad eum ad vesperam portans ramum oliuæ virentibus folijs in ore suo. 55, 56
Recordatus autem Deus Noë , cunctorúmque animantium , & omnium iumentorum. 59,3.136,7
Non reuertebatur. 512,5
Quæ cùm non inuenisset, vbi requiesceret pes eius, reuersa est ad eum in arcam. 299,15
Egrediebatur,& non reuertebatur. 351,17

Venit

Venit ad eum ad veſperam, portans ramum oliuæ, &c. 61 t
Ædificauit altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis obtulit holocauſtum ſuper altare. 401,8. 567,12
Nequaquam maledicam terræ propter homines: ſenſus enim, & cogitatio, &c 549,20
9 Sanguinem animarum veſtrarum requiram de manu cunctarum beſtiarum. 556,13 207,10
Dixit Dominus ad Noë, & ad filios eius cum eo: Ecce ego ſtatuam pactum meum. 381,11
Ecce ego ſtatuam pactum meum vobiſcum, & cum ſemine veſtro poſt vos, & ad omnem animam viuentem, quæ eſt vobiſcum tam in volucribus, &c. 393,6
Quod cum vidiſſet Cham pater Chanaam, verecunda ſcilicet patris ſui eſſe nudata, nuntiauit duobus fratribus. 403,13. 413,4 435,6
At Sem, & Iaphet pallium impoſuerunt humeris ſuis, & incedentes retrorſum, operuerunt verenda patris ſui. 428,10
Dixitque, Benedictus Dominus Deus Sem. 467,7
11. Erat autem terra labij vnius, & ſermonum eorumdem: dixitque alter ad proximum ſuum, Venite faciamus lateres, &c.
12. Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Iſaac. 13,11
Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui. 340
Egreſſus itaque Abraham, ſicut præcepit ei Dominus. 445
13. Ecce vniuerſa terra coram te eſt, recede à me obſecro: ſi ad ſiniſtram ieris, ego dexteram tenebo: ſi tu dexteram elegeris, ego ad ſiniſtram pergam. 246,13
Da mihi animas, cætera tolle tibi. 298,12
Nec poterat eos capere terra, vt habitarent ſimul: erat quippè ſubſtantia eorum multa, & nequibant habitare communiter, &c. 299,13
Dixitque Dominus ad Abraham, poſtquam diuiſus eſt ab eo Loth. 413.4
Erat autem Abraham diues valdè in poſſeſſione auri, & argenti. 419,11
Aſcendit ergo Abraham de Ægypto, ipſe & vxor eius, & omnia, quæ habebat, & Loth cum eo ad auſtralem plagam: Erat autem diues valdè Abraham in poſſeſſione auri. 585, 21
14. Extendam manum meam ad Dominum altiſſimum, qui fecit cœlum & terram, ſi à filo vſque ad corrigiam calceamenti ſumam ex omnibus tuis, vt non dicas, quod ego ditaui Abraham. 88,13
Quòd cum audiſſet Abraham, captum videlicet Loth fratrem ſuum, expedìuit vernaculos ſuos trecentos. 215,3 358,5. 448, 1
Leuo manum meam ad Dominum Deum excelſum poſſeſſorem cœli, & terræ. 286,10
A filo ſubtegminis vſque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus, quæ tua ſunt, ne dicas, ego ditaui Abraham. 390,1
Leuo manus meas ad Dominum meum excelſum poſſeſſorem. 444,5
15. Domine Deus, quid dabis mihi. 48
Subiicient eos ſeruituti, & affligent quadringentis annis. 60
Generatione autem quarta reuertentur huc. 555.7
Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt illi ad iuſtitiam. 628.10
16. Profectò hic vidi poſteriora videntis me. 85
Saray vxorem tuam non vocabis Saray, ſed Sarram. 245,12
17. Circumcidetur ex vobis omne maſculinum. 628,10
18. Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus eſt. &c. deſcendam, & videbo, vtrum clamorem, &c. 141,6 74,3
Apparuerunt ei tres viri ſtantes prope eum, quos cum vidiſſet, cucurrit in occurſum eorum de oſtio tabernaculi ſui, & adorauit in terram, & dixit, Domine, &c. 213
Loquar ad Dominum cum ſim puluis, & cinis. 554,14
Quia ſemel cœpi loquar ad Dominum meum, cùm ſim puluis, & cinis. 170,7. 370,14
Afferam puſillum aquæ, & lauentur pedes veſtri, &c. 606,43
Feſtinauit in tabernaculum ad Saram. dixitque ei: accelera tria ſata ſimilæ commiſce. 442,1
Apparuit autem ei Dominus in conualle Mambre ſedenti in oſtio. 455,6
Cùm ergo ſurrexiſſent inde viri, direxerunt oculos contra Sodomam. 414,1
Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus eſt, &c. 434,3
19. Eduxerunt eum, & poſuerunt extra ciuitatem. 59.3
Feſtina, & ſaluare ibi: quia non potero facere quidquam donec ingrediaris illuc. 86,9
Eos percuſſerunt cæcitate à minimo vſque ad maximum, ita vt oſtium inuenire non poſſint. 551,8
Recordatus eſt Deus Abraham, & emiſit Loth è media ſubuerſione. 440.16
Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam, & Gomorrham ſulphur 621.6
Reſpiciensque vxor eius poſt ſe, conuerſa eſt in ſtatuam ſalis. 509.
20. Ecce mille argenteos dedi fratri tuo: hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes, qui tecum ſunt, &c. 64,14
Vbi ille argenteos dedit fratribus, hoc erit in velamen, &c. 569
21. Abraham autem plantauit nemus in Berſabeth, & inuocauit ibi nomen Dei ſui. 467.7
Cumque conſumpta eſſet aqua in vtre, abiecit puerum 472,7
22. Nec extendas manum ſuper puerum. 53,12
Quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me. benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli. 252,10
Deus prouidebit ſibi victimam holocauſti fili mi. 298,1 e
Cùm alligaſſet Iſaac filium ſuum, poſuit eum in altare. 54 13
Extenditque manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium ſuum. 92,4. 529,5
Die autem tertio, eleuatis oculis vidit locum procul, dixitque ad pueros ſuos, expectate hic cum aſino: ego autem, & puer illuc vſque properantes. 140,4
Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Iſaac: & vade in terram viſionis: atque ibi offeres eum in holocauſtum. 162. 445. 632
De nocte conſurgens ſtrauit aſinum. 394,9
Cum alligaſſet Iſaac filium ſuum, poſuit eum in altare ſuper ſtruem lignorum. 470
Dixit ad pueros ſuos, expectate hic cum aſino, &c. 488.10
23. Det mihi ſpeluncam duplicem, quam habet, &c. 461,20
Dabo pecuniam pro agro, ſuſcipe eam, & ſic ſepeliam mortuum meum 466,6
Princeps Dei es apud nos, 631,10
24. Serui tui venimus, vt emamus frumenta: omnes ſumus filij vnius viri, &c. 71,6
Egreſſus fuerat ad meditandum in agro. 295,4
Puella, cui ego dixero, inclina hydriam tuam, & bibam; & illa reſponderit, bibe, quin & camelis tuis, &c. 333
Igitur Rebecca, & puellæ ipſius aſcenſis camelis ſecutæ ſunt virum. 348
Pone manum tuam ſuper fœmur meum, vt adiurem te, &c. 502,18
25. Duæ gentes ſunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populúſque populum ſuperabit: & maior ſeruiet minori. 134.4
Protinus alter egrediens plantam fratris tenebat manu. 222,17
Et vendidit primogenita ſua, & ſic accepto pane, & edulio, comedit, & bibit, & abiit paruipendens, &c. 392,5
Quibus adultis factus eſt Eſau gnarus venandi, & vir agricola, &c. 430,34
Cùm adorarent eum fratres ſui. ibid.35
26. Et venerunt pueri Iſaac, & nuntiauerunt ei de puteo, quem foderant, & dixerunt, &c. 471,4
Orta autem fame poſt terram, abiit Iſaac ad Abimelech Regem Palæſtinorum in Gerara, apparuitque ei Dominus. 419,15
27. Eſau frater tuus minatur, vt occidat te, nunc igitur fili mi audi vocem meam, &c. 79 6
Quis igitur ille eſt, qui dudum captam venationem attulit mihi, & comedi ex omnibus priùs, quam tu venires, benedixique ei; & erit benedictus. 16,c 3
Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti, & vini. & ſeruiant tibi populi, &c. 20,8
Et veſtibus Eſau valde bonis, quas apud ſe habebat domo, induit eum, pelliculáſque hœdorum circumdedit manibus, &c. 32.14
Ecce odor fili mi, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Deus. 250,11 365,5
Viues in gladio, & fratri tuo ſeruies. 250,11
Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini, ſeruiant tibi populi: & adorent te tribus. 234,2
Hæc ergo cauſa ſomniorum, atque ſermonum inuidiæ, & odij ſomitem miniſtrauit. 533
Cùm venatu aliquid ceperis, fac mihi inde pulmentum: ſicut velle me noſti. 146,10
Nunc ergo fili mi, acquieſce conſiliis meis, & pergens ad gregem, affer, &c. 620,4
Frumento, & vino ſtabiliui eum, & tibi poſt hæc, fili mi, vltra quid faciam. 4 9,11
Sume arma tua, pharetram, & arcum, & egredere foras, cumque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum. 430,34
28. Ego ſum Dominus Deus Abraham patris mei, & Deus Iſaac, noli timere. 96,12
Quàm terribilis eſt locus iſte, non eſt hic aliud, niſi domus Dei, & porta cœli. 175.20
Dormiuit in eodem loco, viditque in ſomniis ſcalam ſtantem, &c. 570,1
Angelos aſcendentes, & deſcendentes. 608,2
Iacob profectus venit in Meſopotamiam. 416,5
Erexit lapidem, fundens oleum deſuper. 491,2
29 Quartò concepit, & peperit filium, & ait, modo confitebor Domino. 45
Et ecce Rachel veniebat cum ouibus patris ſui. nam gregem ipſa paſcebat: quam cum vidiſſet Iacob, & ſciret conſobrinam ſuam, &c. 91

Non est in loco nostro consuetudinis. 564
31. Cur ignorante me, fugere voluisti; nec indicarem tibi, &c. 11,8
Quòd appellatum est nomen eius in Galaad. 43,11
Voluntas Dei fuit, quod tam citò occurrerit mihi. 96,12
Dominus prouidebit sibi victimam, ego & puer illius, vt qui propetantes postquam adorauerimus reuertemur ad vos. 106,32
Die, noctuque æstu vrgebar, & gelu, fugiebatque somnus. 407,3
Leua oculos tuos, & vide vniuersos masculos ascendentes super fœminas, varios, maculosos, &c. 564
Si afflixeris filias meas, & si introduxeris alias vxores super eas, nullus sermonis nostri testis est absque Deo, qui præsens respicit. 132
Video faciem patris mei, quod non sit erga me sicut heri, & nudius tertius: Deus autem patris mei fuit mecum. 158,17
Tuménsque Iacob cum iurgio ait, quam ob culpam meam, & ob quod peccatum meum sic exarsisti post me, & scrutatus es omnem supellectilem meam. 160,21
32. Adorauit septies in terra. 22,11
Placabo eum muneribus. 79,6
Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. 614,239
Nequaquam, inquit, Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israël. 324,10
Ecce vir luctabatur cum eo vsque mane, & cum præualuisset Iacob dixit ei Angelus. 413,19.571
Iacob quoque abiit itinere, quo cœperat; fueruntque ei obuiam Angeli Dei, quos cum vidisset, ait: Castra Dei sunt. hæc. 570,1
33. Et erecto ibi altare inuocauit super illum fortissimum Deum Israël. 227
34. Augete dotem, & munera postulate, & libenter tribuam. 415. 3,631.22
35. Et completi sunt dies Isaac centum octoginta annorum, consumptusque est ætate. 399,4
Dederunt ei omnes Deos alienos, quos habebant. 545
36. In vniuerso orbe fames præualuit, in cuncta autem terra Ægypti panis erat. 154,8
37. Venite occidamus eum; dicemúsque, fera pessima deuorauit eum. 181
Extrahentes eum de cisterna, vendiderunt eum Ismaëlitis 248,3.430,35
Ioseph cum sedecim esset annorum, pascebat gregem cum fratribus suis. 480
Miseruntque eum in cisternam veterem. 589,5
Triginta argenteis. 584
Increpauit eum pater suus, & dixit: Nunc ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te. 531,3
38. Mittam tibi hœdum de gregibus. 74.1
Non fuit in loco isto meretrix. 545,7
39. Qui iratus est valdè: tradiditque Ioseph in carcerem: vbi vincti regis custodiebantur, & erat ibi clausus. 26,3
Fuit autem Dominus cum Ioseph, & misertus est illius, & dedit ei gratiam in conspectu Principis carceris. 46,18
Cumque vidisset mulier vestem in manibus suis, & se esse contemptam, vocauit ad se homines domus suæ, & ait ad eos: En introduxit virum Hebræum, vt illuderet nobis. 223
Dedit ei gratiam in conspectu Principis carceris: qui tradidit in manu illius vniuersos vinctos. 249,4
Relicto in manu eius pallio, fugit, & egressus est foras. 526,26
40. Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines, crescere paulatim in gemmas, & post flores vuas maturescere, &c. 122,15.126,33
41. Dixit rursus Pharao ad Ioseph: ecce constitui te super vniuersam terram Ægypti, &c. 112
Placuit Pharaoni consilium, & cunctis ministris eius, loquutus est ad eos, &c. 249,4
Septem spicæ pullulabunt in culmo vno plenæque formosæ. Aliæque totidem spicæ tenues, & percussæ vredine, oriebantur deuorantes omnium priorum pulchritudinem. 219,11
Vidit Pharao somnium. Putabat se stare super fluuium, de quo ascendebant septem boues pulchræ. 418,8
Erat ibi puer Hebræus eiusdem ducis militum famulus, cui narrantes somnia. 586
Confiteor peccatum meum: iratus Rex, &c. 581,13
42. Audiui quod triticum venunderetur in Ægypto, descendite, & emite necessaria, vt possimus viuere. 156,22
Iussit ministris, vt implerent saccos eorum tritico, & reponerent pecunias singulorum in saccis suis, datis supra cibariis in via; qui fecerunt ita. 182
Ioseph erat Princeps in terra Ægypti, atque ad eius nutum, &c. 440,16
Merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem, &c. 564,7
43. Ingressusque est Ioseph in domum suam, obtuleruntque ei munera. 440,16
Maior pars venit Benjamin, ita vt quinque partibus excederet. 615,6
Sederunt coram eo primogeniti iuxta primogenita sua. 530,4
44. Iamque vrbem exierant, & processerant paulum, &c. quare reddidistis malum pro bono, &c. 182,34
Egressus continuit se, & ait, ponite panes. 485,4
Quos scrutatus incipiens à maiori vsque ad minimum. 553,4
Scyphus, quem furati estis, ipse est in quo bibit Dominus. 568,2
46. Præmisitque Deus, vt reseruemini super terram, & escam ad viuendum habere possitis. 38
47. Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ. 19,6
Non sepelias me in Ægypto, sed dormiam cum patribus meis, &c. 117,15
En vt cernitis, & vos, & terram vestram Pharao possidet: accipite semina, & serite agros, vt fruges habere possitis, &c. 114
Et nos, & terra nostra tui erimus, eme nos in seruitutem regiam. 408,5
Si inueni gratiam in conspectu tuo, pone manum in femore meo, & facies mihi misericordiam, &c. 501,18
48. Angelus, qui eruit me de cunctis malis benedicat pueris istis. 49,2
Extendens manum dexteram, posuit super caput Ephraim minoris fratris, &c. 460,16
Do tibi partem vnam extra fratres meos, &c. 543,7
49. Dissoluta sunt vincula brachiorum, & manuum illius per manus potentis Iacob, inde pastor egressus est. 19,5.44,5
Issachar asinus fortis accubans inter terminos, vidit requiem quod esset bona, & terram quod optima, & supposuit humerum ad portandum. 110,2
Simeon, & Leui vasa iniquitatis bellantia in consilium eorum non veniat anima mea, &c. 179,29
Fiat Dam coluber in via: cerastes in semita mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retrò. 190,2
Do tibi partem vnam extra fratres tuos quantoli de manu Amorrhæi. 293,1
Filius accrescens Ioseph, filius accrescens decorus aspectu. 198, 17.461
Sedet in forti arcu eius: dissoluta sunt vincula brachiorum, & manuum illius per manus potentis Iacob: inde Pastor egressus est lapis Israël, Deus patris tui erit adiutor tuus. 275,9
Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius, donec veniat, qui mittendus est. 482,30
Effusus sicut aqua non crescas, quia ascendisti cubile patris tui. 333,15
50. Nolite timere, num Dei possumus resistere voluntati. 54,14
Ne forte memor sit iniuriæ, quam passus est, & reddat nobis omne malum, &c. 78

Ex Exodo.

1. Præposuit eis magistros operum, vt affligerent eos verberibus: ædificauerúntque vrbes tabernaculorum Pharaonis. 237,7
Tribus diebus nemo vidit fratrem. 287,12
Surrexit interea Rex nouus super Ægyptum, qui ignorabat Ioseph. 45
Ædificauerunt vrbes tabernaculorum Pharaoni Pithon, & Ramasses. 305,9
Quia de aqua tuli eum. 318,13
Erant igitur omnes animæ eorum, qui ingressi sunt de fœmore Iacob. 393,7
Filij Israël creuerunt, & quasi germinantes multiplicati sunt, &c. 440,15
Quia timuerunt obstetrices Deum, ædificauit eis domos. 557,2
2. Suscepit mulier, & nutriuit puerum, adultúmque tradidit filiæ Pharaonis, quem illa adoptauit in filium, &c. in diebus illis postquam creuerat Moyses egressus est ad fratres suos, &c. 153.7, 302
Ingemiscentes filij Israël propter opera vociferati sunt. 551. 23
Quare dimisistis hominem? Vocate eum, vt comedat panem. 556,1
3. Solue calceamentum pedum tuorum; locus enim, in quo stas, terra sancta est. 374,4.629,13
Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius. 425.24
Apparuit Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat, quòd rubus arderet, & non comburetur. 397,6.404,15. 553
Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob. 630,15
4. Dixitque Dominus rursus, mitte manum tuam, in sinum tuum: quam cum misisset in sinum, protulit leprosam instar niuis. 189,41
Extende manum tuam, & apprehende caudam eius; extendit, & tenuit, versa est in virgam. 226,2
Cùm esset in itinere in diuersorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum. Tulit illico Sephora acutissimam petram, & circumdidit præputium filij sui. 67,20.533,7

Impe

Impeditioris linguæ esset. 68,22
Quam cum misisset in sinum, protulit leprosam instar niuis. 593,15
5. Dabóque illam vobis possidendam ego Dominus. 102,23
Paleæ non dabuntur vobis, & redditis consuetum numerum laterum. 104,28
7. Vocauitque Pharao sapientes, & maleficos, & fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptiacas, &c. 244.476,14
Tulitque Aaron virgam coram Pharaone, & seruis eius, quæ versa est in colubrum. 625
Cum dixerit vobis Pharao, attendite signa; dices, tolle virgam. 472,7
Ecce constitui te Deum Pharaonis. 618,11
Immitamque manum meam super Ægyptum, & ducam exercitum, & populum meum Israël de terra Ægypti per iudicia maxima. 514,12
8. Abominationes Ægyptiorum immolabimus Deo nostro. 104
9. Videns autem Pharao, quod data esset requies, ingrauauit cor suum: & non audiuit eos, sicut præceperat Dominus. 238. 338,17
11. Eritque clamor magnus in vniuersa terra Ægypti, qualis nec antea fuit, nec postea futurus est, &c. 199
12. Fasciculum hyssopi tingite in sanguine, qui est in limine, & aspergite ex eo superliminare, &c. 281,1
Nox ista est obseruabilis Domino quando eduxit eos de terra Ægypti. 190,3
Tollat vnusquisque agnum per familias, & domos suas. 15,15. 127 2.364
Caput cum pedibus, & intestinis vorabitis, nec remanebit quidquam ex eo. 124,20
Sic autem comedetis illam, renes vestros accingetis, &c. 400, 6, 579.8
Ego Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem. 395.1
Factum est in noctis medio, percussit Deus omne primogenitum. 332,20
Vrgebántque Ægyptij populum de terra exire velociter. 449
13. Et ecce cœperant audiri tonitrua, & micare fulgura, & nubes densissima operire montem, clangórque buccinæ vehementius perstrepebat. 222
14. Tolléns que se Angelus Domini, qui præcedebat castra Israël, post eos, & cum eo pariter columna nobis priora dimittens post tergum stetit. 89,16
Quidquid autem maius fuerit referant ad te, & ipsi minora tantummodo iudicentur, leuiúsque sit tibi partito onere: si hoc, &c. 176,22
Liberauitque Dominus in die illa Israëlem de manu Ægyptiorum. 394,8
Reuersæ sunt aquæ, & operuerunt currus, & equites cuncti exercitus Pharaonis. 395,1.437,10
Diuisa est aqua, ingressi sunt filij Israël per medium maris. 415
15. Cùm leuasset Moyses manus, vincebat Israël. 190,2
Ibi constituit ei præcepta, atque iudicia, & ibi tentauit eum. 347
16. Manè quoque ros iacuit per circuitum castrorum: cúmque operuisset superficiem terræ, apparuit in solitudine minutum, & quasi pilo tusum in similitudinem pruinæ super terram. 35,20
Colligat vnusquisque ex eo quantum sufficit, gomor per singula capita. 66,18
Apparuit in solitudine minutum, & quasi pilo tusum, quod cum vidissent filij Israël, dixerunt inuicem, &c.
Sedebamus super ollas carnium. 394
Dimiserunt quædam ex eis vsque manè, & scatere cœpit vermibus. 421
Nomen eius Man. quod erat quasi semen coriandri. 422
17. Dixítque Moyses ad Iesum, elige tibi viros potentes, & egressus pugna cum Amalech. 199,19
Sumentes igitur lapidem posuerunt subter eum: Aaron autem, & Hurus tenebant manus eius ex vtraque parte, &c. 214
Elige viros, & egressus pugna contra Amalech. 65
Percuties petram, & exibit ex ea aqua, vt bibat populus. 302,2
Cúmque leuaret Moyses manus, vincebat Israël; sin autem paululum remisisset, superabat, &c. 315,8
Cúmque leuaret Moyses manu vincebat Israël. 353,1 476,14
Et notandum, quod non hos dispersos in plateis, sed in capite platearum dicit, quia & cum terrena agunt, summi videri appetunt, vt & lata itinera teneant ex voluptate delectationis, & tamen in platearum sint capite ex honore sanctitatis. 242
Sume autem vas vnum, mitte ibi manna quantum potest capere Gomor, & repone coram Domino ad seruandum illud. 111,4
Sedit Moyses, vt indicaret populum, qui assistebat Moysi à manè vsque ad vesperam. Quod cum vidisset cognatus eius, ait: Quid est hoc quod agis in plebe? 317,12
18 Venit ad me populus quærens sententiam Dei. 579,9
Venit ad me populus quærens sententiam Dei. 579,9
19. Sonitus buccinæ paulatim crescebat in maius, & prolixius tendebatur. 235
Steterunt ad radices montis, totus autem mons Sinai fumabat, eo quòd descendisset Deus super eum in igne, & sonitus buccinæ paulatim crescebat. 206,9
Et cœperunt audiri tonitrua, & micare fulgura, & nubes densissima operire montem, clamórque buccinæ vehementius perstrepebat, & timuit populus, qui erat in castris. 276,1
Ecce cœperunt audiri tonitrua, & micare fulgura, & nubes densissima operire montem, clamórque buccinæ vehementius perstrepebat. 80,8
20. Cunctus autem populus videbat voces, & lampades, & sonitum buccinæ montémque fumantem, & perterriti, ac pauore concussi steterunt procul dicentes Moysi, loquere, &c. 174,10 504,5
Cúmque ascendisset Moyses operuit nubes.
Videbat voces, & lampades, & sonitum buccinæ montémque fumantem. 232,14
Cunctus autem populus videbat voces, & lampades, & sonitum buccinæ, montémque fumantem, &c. 29
Omne opus tuum non facies in ea. 575,11
21. Taurus filium quoque, & filiam si cornu percusserit simili sententiæ subiacebit. 267,11
22. Captum à bestia non comedent. 410,8
Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi. 414
23. Non apparebis in conspectu meo vacuus. 119,12
Nec accipies munera, quæ excæcant etiam prudentes, & subuertunt verba iustorum. 299,13
Non suspicies vocem mendacij. 349,13
24. Erat autem species gloriæ Domini quasi ignis ardens super verticem montis in conspectu filiorum Israël. 196,13
Surrexerunt Moyses, & Iosue minister eius, ascendénsque Moyses in montem Dei senioribus ait: Expectate hic donec reuertamur ad vos. 169,10
Ascendit in montem; & fuit ibi quadraginta diebus, &c. 447.3
25. Loquere filiis Israël, vt tollat mihi primitias ab omni homine, qui offert, vltroneus accipieris eas, &c. 215,4
Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est. 539,8
28. Pones autem in rationali iudicij doctrinam, & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron quando ingredietur coram Domino. 231,12
Suméque lapides duos onychinos, & sculpes in eis nomina filiorum Israël. 272,2
30. Cúmque in tenuissimum puluerem vniuersa contuderis, pones ex eo coram tabernaculo testimonij in quo loco apparebo tibi, &c. 291,6
Sume tibi aromata stacten, & onycha galbanum boni odoris, thus lucidissimum, æqualis ponderis erunt omnia, faciésque thimiama compositum, &c. 278,3
31. Custodiant filij Israël pactum. 576,1
32. Si quis est Domini iungatur mihi: congregatique sunt ei omnes filij Leui. 191,4
Et reuersus est Moyses de monte portans duas tabulas testimonij in manu sua scriptas ex vtraque parte, & factas opere Domini. 64,13.295,5
Arripiensque vitulum, quem fecerant, combussit, & contriuit vsque ad puluerem, quem sparsit in aquam: & dedit ex eo potum populo Israël. 2,2
Videns ergo Moyses populum quod esset nudatus (spoliauerat eum Aaron propter ignominiam sordis) & inter hostes nudum constituerat. 86.9
Consecrasti manus vestras hodie Domino vnusquisque in filio, & in fratre suo vt detur vobis benedictio. 85,9
Proieci illud in ignem: egressus est vitulus. 302
Proiecit de manu tabulas, & confregit. 472,6
Cerno, quòd populus iste duræ ceruicis sit, dimitte me, vt irascatur, &c. 408.583,17
Peccastis peccatum maximum: ascendam ad Dominum, si quomodo quiuero eum deprecari. 441
33. Est locus apud me, & stabis supra petram. Cúmque transibit gloria mea, &c. 569.3
Videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris. 194.10
Ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea donec transeam: tollámque manum meam, & videbis posteriora mea. 221,14
Ego ostendam tibi omne bonum. 230,10
Si non tu ipse præcedas, ne educas nos de loco isto. 132,10
Non indicas mihi, quem missurus es mecum, præsertim cùm dixeris, noui te ex nomine. 375
34. Præcide tibi duas tabulas lapideas instar priorum. 295,5
Cúmque descenderet Moyses de monte Sinai tenebat duas tabulas testimonij, & ignorabat, quod cornuta esset facies sua, &c. 64.13.581,12
Et ignorabat quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini. 93,7
Videntes autem Aaron, & filij Israël cornutam Moyses faciem. 308,6
40. Operuit nubes tabernaculum testimonij, & gloria Domini impleuit illud, nec poterat Moyses ingredi tectum fœderis. 283,4

Ex Leuitico.

5. Si autem de auibus holocausti oblatio fuerit Domino, de turturibus, & pullis columbæ offeret eam Sacerdos ad altare: & retorto ad collum capite, ac rupto, &c. 623,11
7. Omnis mundus manducabit ex eo, & anima quæcunque comederit de carne sacrificij salutaris, & immunditia super illam est, peribit anima illa, &c. 132,10
Vbi immolabitur holocaustum, mactabitur hostia pro delicto. 191,4
10. Arreptísque Nadab, & Abiu filiis Aaron thuribulis, posuerunt ignem, & incensum desuper offerentes coram Domino ignem alienum, &c. 488,3
Non eris criminator, neque susurro. 345,6.595,20
13. Sin autem lucens candor fuerit in cute, nec humilior carne reliqua, & pili coloris pristini, recludet eum Sacerdos septem diebus, & considerabit, &c. 77
16. Nullus hominum sit in tabernaculo, quando Pontifex sanctuarium ingreditur, vt roget pro se, & pro domo sua. 124,29
19. Non eris criminator, nec susurro in populo. 406
25. Sex annis seres agrum tuum, & sex annis expectabis vineam. 443,2
22. Qui comederit de sanctificatis per ignorantiam, addet quintam partem, &c. 402,11
26. Dabóque vobis cœlum desuper, sicut ferrum, & terram æneam. 516,13

Ex Numeris.

2. Ad Orientem Iudas figet tentoria per turmas exercitus sui, eritque Princeps filiorum eius Nahasson filius Aminadab, & omnis de stirpe eius summa pugnantium, septuaginta quatuor millia sexcentorum, &c. 260,25
3. Ex quo percussi primogenitos in terra Ægypti, sanctificaui mihi, quidquid primò nascetur. 594,17
7. Primo die obtulit oblationem suam Nahasson filius Aminadab de Tribu Iuda, &c. Secundo die obtulit Nathanael filius Suar, dux de tribu Isacar, &c. Tertio die Princeps filiorum Zabul obtulit acetabulum argenteum, &c. 15,15
Dixitque Dominus ad Moysim, singuli duces per singulos dies offerant munera in dedicatione altaris. 260,24
10. Nubes quoque Domini super eos erat per diem, cùm incederent. 502,20
11. Adhuc carnes erant in ore ipsorum, nec defecerat huiusmodi cibus: & ecce furor Domini concitatus in populum percussit eum plaga magna. 15
Quis dabit nobis ad vescendum carnes? Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis, in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porríque, & cepæ, & allia. 36
Cúmque requieuisset in eis spiritus, prophetauerunt 188,40
In mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porríque, & cepæ, & allia. Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi Man. 210,1 240,4
In mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porríque, & cepæ. 453,3
Descenditque Dominus per nubem, & locutus est. 409,8
Sedens, & flens iuncti sibi pariter filij Israel, ait: quis dabit nobis ad vescendum carnes. 355,1
Domine mi prohibe eos. 503
Numquid manus Domini inualida est? 355,5
Vulgus quippe promiscuum, quod ascenderat cum eis, flagrauit desiderio carnium. 508,31.518,1
Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti, quia senes sunt, &c. 331,5.586,23
12. Quare ergo non timuistis detrahere seruo meo Moysi? Iratúsque contra eos abiit, nubes quoque recessit. 279
Ecce Maria apparuit candens lepra sicut nix. 592,11
13. Absciderunt palmitem, cum vua sua, quem portauerunt in vecte viri duo. 293,1
14. Omnes, qui numerati estis à viginti annis, & suprà, & murmurastis contra me, non intrabitis terram, &c. 497,10
15. Nequaquam ad hunc populum valemus ascendere, quia fortior nobis est, terra, quam lustrauimus, deuorat habitatores suos, populum, quem aspeximus proceræ staturæ est: ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo, quibus comparati, quasi locustæ videbamur. 187,38
Factum est cum est cum essent filij Israel in solitudine, & inuenissent hominem colligentem ligna die Sabbati, &c. 196,37
16. Dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit illos, &c. 167,6
17. Inuenit germinasse virgam Aaron in domo Leui, & turgentibus gemmis eruperunt flores, qui foliis dilatatis in amygdalas conuersi sunt. 142,1
20 Per tritam gradiemur viam, & si biberimus aquas tuas nos, & pecora nostra, dabimus quod iustum est. 37,23
Audite rebelles, & increduli, num de petra hac vobis aquam poterimus eiicere, cúmque eleuasset manum, &c. 65,16. 371,15 606,42
21. Iratúsque Dominus contra eos abiit, nubes quoque recessit, quæ erat super tabernaculum, & ecce Maria apparuit candens lepra sicut nix. 154,8
Misit Dominus ad populum serpentes ignitos. 172,16
Fecit ergo Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo, quem cum percussi aspicerent sanabantur. 194,10.110,1. 516,13
Et tædere cœpit populum itineris, & laboris, locutúsque est contra Dominum, &c. 491,15
22. Nauseat anima nostra super cibo isto leuissimo. 205,6
Aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit Angelum stantem in via gladio euaginato. 267,18
Perrexerúntque seniores Moab, & maiores natu Madian habentes diuinationis pretium in manibus suis. 299,13
Dixitque Deus ad Balaam, noli ire cum eis. 487,8
Veni igitur, & maledic populo huic, quia fortior me est. 349
Ne cuncteris venire ad me: paratus sum honorare te. 565,8
23. Non est augurium in Iacob, nec diuinatio in Israël, temporibus suis dicetur Iacob, & Israëli, quid operatus sit Dominus. 181,32
Quomodo maledicam, quem non maledixit Deus? 297,8
Quia iratus iurauit, dicens, si videbunt homines isti, qui ascenderunt ex Ægypto. 335
Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israël, & percutiet duces Moab. 363.524,13
Moriatur anima mea morte iustorum. 508
24. Balaam filius Beor: dixit homo cuius obturatus est oculus, qui visionem omnipotentis intuitus est. 174,19
Dixit Balaam filius Beor: dixit homo, cuius obturatus est oculus, dixit auditor sermonum Dei: qui visionem omnipotentis intuitus est. 206,8
Surrexitque Balaam, & reuersus est in locum suum. Balac quoque via, qua venerat. 448
25. Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra solem. 194,10
Quod cum vidisset Phinees filius Eleazari, &c. 589,6
Fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia. 417
27. Perrexerúntque seniores Moab, & maiores natu Madiam habentes diuinationis pretium in manibus. 174,19
Pater noster mortuus est in deserto, nec fuit in seditione, &c. 403,22
Tolle Iosue filium Nun, virum, in quo est spiritus, &c. 404,15
33. Profecti igitur de Ramasse mense primo, quinta decima die mensis primi. 381,11
Profectique de mari rubro, castrametati sunt in deserto Sin. 347
Transierunt ad campestria Moab supra Iordanem contra Iericho. 496,8

Ex Deuteronomio.

1. Quod iustum est, iudicate, siue ciuis sit ille, siue peregrinus. 479,23
Nec filiam illius accipe viro tuo, quia seducet filium tuum, ne sequantur me, & vt magis seruiat dijs alienis. 293,2
Nec filiam illius accipe filio tuo, quia seducet filium tuum, ne sequatur me, & vt magis seruiat dijs alienis, irascetúrque furor Domini, & delebit te citò. 102,24
8. Ne postquam comederis, & satiatus fueris, domos pulchras ædificaueris, & habitaueris in eis, &c. 516,2
10 Qui amat peregrinum, & dat ei victum. 160,21
Deus magnus, & potens, & terribilis, qui personam non accipit, nec munera, facit iudicium pupillo, & viduæ, amat peregrinum, & dat ei victum. 176,23
Et nunc Israël, quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, &c. 553,6
17. Cùm fuerit Rex constitutus, non habebit vxores plurimas, quæ alliciant animum eius. 26,2
Postquam autem sederit in regni sui solio, Deuteronomium legis huius describet sibi in volumina. 67,20
Non habebit vxores plurimas, quæ alliciant animum eius. 613
19. Reddent ei, sicut fratri suo facere cogitauit, & auferes malum de medio tui, vt audientes cæteri timorem habeant. 352,20
20. Quis est homo qui plantauit vineam, & nec dum fecit eam esse communem de qua vesci omnibus liceat, & cætera. 264,7
21. Si videris in numero captiuorum mulierem pulchram, & adamaueris eam: radet cæsariem, & circumcidet vngues. 608,3
22. Si puellam virginem desponderit vir, & inuenerit eam aliquis in ciuitate, & concubuerit cum ea, educes vtrumque ad portam ciuitatis illius, &c. 220,13
Non seres vineã tuam altero semine, ne ex sementis, quam seuisti, & quæ nascũtur ex eo, in ea pariter sanctificẽtur. 177,24
23. Non ingrediens manzer, id est, de scorto natus. 381,3
Sicut aquila prouocat ad volandum pullos suos. 459
24. Non pernoctabit apud te pignus, sed statim reddes ei ante solis occasum, vt dormiens in vestimento suo, &c. 394
25. Non ligabis os bouis terentis in area fruges tuas. 231,11
27. Si audieris vocem Dei tui, vt facias, atque custodias.

Maledictus homo, qui facit ſculptile,& conflatile abominationem Domini, &c. 545

32. Conſtituit eum ſuper excelſam terram, vt comederet fructus agrorum, & ſugeret mel de petra, oleúmque de ſaxo, &c. 304,5

Inuenit eum in terra deſerta, in loco horroris, & vaſtæ ſolitudinis. 286,10

Conſtituet eum ſuper excelſam terram, vt comederet fructus agrorum, vt ſugeret mel de petra, oleúmque de ſaxo duriſſimo. 43,4.304,5

Morere in monte. 65,16

Concreſcat in pluuiam doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum. 580,10

Impinguatus eſt, incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit. 521

33. Cornua Rhinocerotis, cornua illius, in ipſis ventilabit gentes vſque ad extremum terræ. 65

Qui dixit patri ſuo,& matri ſuæ, neſcio vos, & fratribus ſuis, ignoro illos, & neſcierunt filios ſuos, hi cuſtodierunt eloquium tuum, & pactum tuum ſeruauerunt. 160,21

Lætare, Zabulon, in exitu tuo, & Iſachar in tabernaculis tuis. Populos vocabunt,&c. 504,24

Apparuit de monte Pharan, & cum eo Sanctorum millia. 545,11

34. Mortuúſque eſt ibi Moyſes ſeruus Domini. 155.10,470

Fleuerunt ei filij Iſraël. 501

Et non cognouit homo ſepulchrum eius vſque in præſentem diem. 584,19

Ex libro Ioſue.

1. Moyſes ſeruus meus mortuus eſt. 16,16

Mementote ſermonis, quem præcepit vobis Moyſes famulus Domini. 263,5

2. Iurate mihi per Dominum, & quomodo ego miſericordiam feci vobiſcum, ita & vos faciatis,&c. 202,1.164.28

Patrem tuum, ac matrem, fratréſque, & omnem cognationem tuam congregaueris in domum tuam.

Qui oſtium domus tuæ egreſſus fuerit, ſanguis ipſius erit in caput eius. 145,8.

Fecit aſcendere viros in ſolarium domus ſuæ, operuítque eos ſtipula lini, quæ ibi erat. 164.28

Deſcenderunt exploratores de monte, & tranſmiſſo Iordane venerunt ad Ioſue filium Num: narrauerúntque ei omnia quæ acciderant ſibi,&c. 187

Si ingredientibus nobis terram ſignum fuerit funiculus iſte coccineus, & ligaueris illum in feneſtra per quam dimiſiſti nos,&c. 192,7

Et illa reſpondit: ſicuti locuti eſtis, ita fiat,&c. ibid.

Fateor, venerunt ad me, ſed neſciebam, vnde eſſent, cum porta clauderetur. 346,8

3. Steterunt aquæ deſcendentes in locum vnum, ad inſtar montis intumeſcentis,&c. 531.4

4. Præcipe eis, vt tollant de medio Iordanis alueo, & cætera. 588,4

5. Fac tibi cultros lapideos, & circumcide ſecundò filios Iſraël. 48,1

Poſtquam autem omnes circumciſi ſunt, manſerunt in eodem caſtrorum loco. 608,2

6. Rahab verò meretricem, & domum patris eius, & omnia quæ habebat fecit Ioſue viuere,& habitauerunt in medio Iſrael vſque in præſentem diem, eo quòd abſcondetit nuntios quos miſerat vt explorarent Iericho. 164

8. Nec poterit Iſraël ſtare ante hoſtes ſuos, eóſque fugiet, quia pollutus eſt anathemate. Non ero vltra vobiſcum. 190

9. Suſceperunt igitur de cibariis eorum, & os Domini non interrogauerunt. 484

10. Cùm adducti eſſent ad eum, vocauit omnes viros Iſraël, & ait ad Principes exercitus, qui ſecum erant: Ite & ponite pedes ſuper colla regum iſtorum. 61,8

Sol contra Gabaon ne mouearis,&c. ſtetit itaque ſol in medio cœli, & non feſtinauit occumbere ſpatio vnius diei. 83,11. 199,19

Et reuerſus eſt omnis populus ad Ioſue in Maceda in caſtra ſani, & non mutiuit filiorum Iſraël, neque vnus lingua ſua. 66 19

Percuſſit Ioſue, & interfecit eos, atque ſuſpendit ſuper quinque ſtipites. 131

Qui cùm pertexiſſent, & ſubiectorum colla pedibus calcarent, rurſus ait ad illos: Nolite timere, nec pauearis, & cætera. 317

Stetit itaque Sol in medio cœli, & non feſtinauit occumbere. 474.11

Steterunt Sol,& Luna, donec vlciſceretur ſe gens de inimicis. 376,8

11. Omnes Reges eorum cepit, percuſſit, & occidit. 162

Iabin Rex Aſor miſit ad Iohab regem Madon,& ad regem Semeron, atque ad regem, &c. 274,6

14. Hoc eſt quod poſſederunt filij Iſraël in terra Chanaan, quam dederunt eis Eliazar ſacerdos, & Ioſue filius Num. 142,1

Ex libro Iudicum.

1. Surrexerunt alij, qui non nouerunt Dominũ,& opera,&c.612,9

2. Omniſque illa generatio congregata eſt ad Patres ſuos, & ſurrexerunt alij, qui non nouerant Dominum. 55,15

Dimiſit ergo Ioſue populum, & abierunt filij Iſraël vnuſquiſque in poſſeſſionem ſuam, vt obtinerent eam. 59,3

Mortuus eſt Ieſus filius Naue. 58,2

Aſcenditque Angelus Domini in Galgalis. 608,2

3. Poſt hunc fuit Sangar, qui percuſſit de Philiſthiim ſexcentos viros vomere. 58,1.63,12

Qui ſuſcitauit Saluatorem vocabulo Aod: qui vtraque manu pro dextra vtebatur. 74.4

Qui fecit ſibi gladium aucipitem habentem in medio capulum longitudine palmæ manus, & cinctus eſt eo ſuper ſagum in dextro femore. ibid.

Clamauerunt ad Dominum, qui ſuſcitauit eis Saluatorem, & liberauit eos Othoniel, videlicet filium Cenez fratrem Caleb minorem, fuitque in eo ſpiritus Domini,& iudicauit Iſraël. 138,3

Extendit Aod ſiniſtram manum, & tulit ſicam de dextro fœmore; infixitque eam in ventre eius. 629,14

4. Si veneris mecum, vadam; ſi nolueris venire, non pergam. 470,3

6. Si ſaluum facis per manum meam Iſraël, ponam hoc vellus,&c. 516.

Si ros in ſolo vellere fuerit, &c. ibid.

Ponam hoc vellus lanæ in area, ſi ros in ſolo vellere fuerit,&c. 552,5

7. Dedit tubas in manibus eorum, lagenaſque vacuas. 579,8

8. Dixitque ad Zebee, & Salmana: quales fuerunt viri, quos occidiſtis in Thabor? 360,2

9. Ecce mulier fragmentum molæ deſuper iaciens illiſit,&c.251,9

Nunquid poſſum deſerere pinguedinem meam. 63,11

Venit in domum patris ſui in Ephrá,& occidit fratres ſuos,&c. 482.3

Erat autem turris excelſa in media ciuitate, ad quam confugerant ſimul viri, ac mulieres,&c. 495,5

10. Dixerunt filij Iſraël ad Dominum: Peccauimus, redde tu nobis quidquid placet. 292

Creuítque puer, & benedixit ei Dominus, cœpitque ſpiritus Domini eſſe cum eo. 219

11. Qua viſa ſcidit veſtimenta ſua, & ait: Heu me, filia mi, decepiſti me. 499,14

Quicumque primus fuerit egreſſus,&c. 614.4

13. Concipies,& paries filium, cuius non tanget caput nouacula, erit enim nazaræus 406,1.453,2

Quidquid ex vinea naſcitur, non comedat, vinum, & ſiceram non bibat. 474,11

Caue ergo, ne bibas vinum, ac ſiceram, nec immundum quidquam comedas, quia concipies, &c. 518,1

14. Apparuit catulus leonis ſæuus,& rugiens,& occurrit ei, irruit autem ſpiritus Domini. 18.30,10

16. Statim eruerunt oculos eius, & duxerunt Gazam vinctum catenis,& clauſum in carcere molere fecerũt 261,2.164.303

Egrediar ſicut antea feci,& me excutiam. 279,6

Ferrum nunquam aſcendit ſuper caput meum, quia nazaræus, id eſt, conſecratus Deo ſum de vtero matris meæ. 470,2

Rupit vincula, quomodo ſi rumpat quis filum de ſtupa tortum ſputamine 591,9

Quid adductus è carcere ludebat ante eos, feceruntque eos ſtare ante duas columnas. 603

18. In diebus illis non erat Rex in Iſraël. 447,2

Ex Ruth.

1. Egreſſa ſum plena, & vacuam reduxit me Dominus. 594,16

Quæ eleuata voce flere cœperunt, & dicere: tecum pergemus ad populum tuum. 417,6

Facta eſt fames in terra, abiitque homo de Bethleem Iuda, vt peregrinaretur,&c. 419

Ipſe vocabatur Elimelech,&c. 859,7

Vſquequo ebria eris; digere pauliſper vinum, quo mades. 433

Vinum,& omne, quod inebriare poteſt, non bibi, ſed effudi animam. 544 9

Ego commodaui eum Domino. 448.4

Pro puero iſto oraui, & dedit mihi Dominus petitionem meam. 468

Dedit illi Deus, vt conciperet. 481,27

Deus Iſraël det tibi petitionem tuam. 406,1

Vade in pace, & Deus Iſraël det tibi petitionem tuam. 361,4

4. Moabitidem vxorem Mahalon in coniugium ſumo, vt ſuſcitem nomen defuncti,&c. 486

Ex I. Regum.

1. Domine Deus exercituum, ſi reſpiciens videris afflictionem meam, & recordatus fueris mei, dederiſque ſeruæ tuæ ſexum virilem, dabo eum Domino. 269,6

Non

Non vadam donec ablactetur infans, & ducam eum, vt appareat. 72,7

2. Samuel autem ministrabat ante faciem Domini, puer accinctus Ephod lineo. 32,14

Porro filij Eli, filij Belial nescientes Dominum, neque officium sacerdotum ad populum, sed quicumque immolasset, &c. 172,16

Et abiit Elcana in Ramatha in domum suam; puer autem erat minister, &c. 526,17

3. Vade, & dormi, & si deinceps vocauerit, &c. 134,3

Et vocauit Dominus Samuelem. Qui respondens, ait: Ecce ego, & cucurrit ad Eli. 296

4. Quid actum est fili mi? 41,7

Arca Dei capta est, duo quoque filij Eli mortui sunt. 172,16

Cùmque ille nominasset arcam Dei, cecidit de sella retrorsum, &c. 435

5. Ecce Dagon iacebat pronus in terram ante Arcam Domini: & tulerunt Dagon, & restituerunt eum in locum suum. Rursúsque die altera inuenerunt Dagon iacentem, &c. 320 2

Dagon solus truncus remansit. 574,9

Fiebat pauor mortis in singulis vrbibus. 605,41

6. Percussit autem Dominus de viris Bethsamitibus, eo quòd vidissent Arcam Domini, & percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia populi. 61,7

Facite plaustrum nouum, &c. 454

Porrò Bethsamitæ metebant triticum in valle, & eleuantes oculos suos, viderunt arcam, & gauisi sunt, &c. 409,7

7. Egressique viri Israel de Masphath persecuti sunt Philisthæos, & percusserunt eos vsque ad locum, qui erat subter Bethchar. 74,4

8. Constitue nobis Regem, vt iudicet nos, sicut & vniuersæ habent nationes. 102,14

Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos; iuxta omnia opera sua, quæ fecerunt à die, qua eduxi eos de Ægypto. 818

9. Quæ respondentes dixerunt illis. Hic est ante te: festina nunc, hodie enim venit in ciuitatem, quia sacrificium, &c. 73,1

Cuius erunt optima quæque Israël. 222,17

Ego sum videns, ascende ante me in excelsum, vt comedas 469

10. Ecce cuneus Prophetarum obuius ei, & insiluit super eum spiritus Domini, & prophetauit in medio eorum. 79,9

Quando ergo euenerint signa hæc omnia tibi, fac quæcumque inuenerit manus tua. 32,14

Et hoc tibi signum, quia vnxit te Deus in principem, cùm abieris hodie à me, inuenies duos viros iuxta sepulchrum Rachel. 91

Indicauit Samuel, quod inuentæ essent asinæ, de sermone regni non indicauit ei. 133

Obuiam habebis gregem Prophetarum descendentem de excelso, &c 188,40.183

Et applicuit tribum Benjamin, & cognationes eius, & cecidit cognatio, &c. 481,30

11. In hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos vestros. 7

12. Loquimini de me coram Domino, & coram Christo eius, vtrum bouem cuiusquam tulerim, aut asinum, &c. 157,15

13. Præcepitque Saul populo, & recensuit eos quasi agnos. 248,2

Filius vnius anni erat Saul, cùm regnare cœpisset. 296,7

14. Et non manducauit vniuersus populus eius. 107,25

Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia morte morieris Ionatha. 129,5.381,12

Viuit Dominus, si ceciderit capillus de capite eius in terram, quia cum Domino operatus est hodie, liberauit ergo populus Ionatham. 538,11

Dixitque populus ad Saul: Ergone Ionathas morietur. 449

Gustans gustaui in summitate virgæ in manu mea paululum mellis. 381

Ascendit autem Ionathas manibus, & pedibus reptans, & armiger eius post eum. 536,3

15. Reuersus ergo Samuel sequutus est Saul, & adorauit Saul Dominum. 60,5

Peccaui, sed nunc honora me coram senioribus populi mei. 241,6

Conuersus est Samuel, vt abiret, Saul autem apprehendit summitatem, &c. 359,7

Sine me, & indicabo tibi, quæ locutus sit ad me Dominus nocte. 582

Peccaui, quia præuaricatus sum sermonem Domini, & verba tua timens populum. 358,5

Stultè egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui. 400,6

Pro eo, quòd abiecisti sermonem Domini. 447,8

Melior est obedientia, quàm victima, & auscultare, magis quàm offerre adipem. 448,4

Siccine separat amara mors? 516

16. Vsquequo tu luges Saul, cum ego proiecerim eum, ne regnet super Israel, &c. 51,9

Vnges quemcumque monstrauero tibi. 133

17. De qua progenie est adolescens? filius serui tui, &c. 197,16

Audita sunt autem verba, quæ loquutus est Dauid, & annuntiata in conspectu Saul. 133

Pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam; eruebámque de ore eorum. 32.157,15.404,15

Ego autem venio ad te in nomine Domini agminum Israël, quibus exprobrasti hodie, & dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te. 106,32

19. Fixum est, quod locutus sum; tu & Siba diuidite possessiones. 480,25

20. Pepigit ergo Ionathas fœdus cum domo Dauid. 486,6

Si custoditi sunt pueri à muliere, manducabunt. 495,5

21. Rex præcepit mihi sermonem, & dixit, nemo sciat rem. 32,15

22. Nobe autem sacerdotum, ciuitatem percussit in ore gladij viros, & mulieres, paruulos, &c. 138,11

24. Cogitaui, vt occiderem te: sed pepercit tibi oculus meus, &c. 51,8

Ecce hodie viderunt oculi tui, quod tradiderit te Dominus in manu mea. 317,11

Numquid hæc vox tua Dauid. ibid. & 79,7

Cùm præscinderem summitatem chlamydis tuæ, nolui extendere manum. 450

Saul exurgens de spelunca pergebat cœpto itinere, &c. 573,7

Vox ista tua, fili Dauid? 342,24

25. Ipse est filius Belial, ita vt nemo posset ei loqui. 404

Ne ponat Dominus meus Rex cor suum super virum istum iniquum Nabal, &c. 344,9

26. Odoretur sacrificium. 219,11

Tulit Dauid hastam, & scyphum, qui erat ad caput Saul: & abierunt, non erat quisquam, qui videret, & intelligeret. 297,9

Et dixit Dauid ad Abisai, ne interficias eum. 381,21

28. Scias autem tu, & filij tui mecum eritis: sed & castra Israel, tradet Dominus, &c. 318.24,529

Nosti quanta fecerit Saul, & quomodo erasesit Magos, & Ariolos. 632,21

29. Scio, quia bonus es in oculis meis, sicut Angelus Dei. 443,8

30. Potes me ducere ad cuneum istum. 481,27

Ex II. Regum.

1. Montes Gelboe, nec ros, nec pluuia veniant super vos, nec sint agri primitiarum; quia ibi abiectus est clypeus fortium. 61

2. Et nunc retribuet vobis misericordiam, & veritatem. 81,11

3. Ego autem delicatus & vnctus rex. 296,73

Noluit bibere, sed libauit eam Domino. 476,15

Hæ sunt nomina fortium Dauid. Sedens in cathedra sapientissimus, &c. 498,12

6. Extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam, quoniam calcitrauerunt boues, & declinauerunt eam. Iratus est Dominus, &c. 61.271,2 278,3

Dauid percutiebat in organis armigatis, & saltabat totis viribus. 496,8

7. Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium; quod si inique aliquid egerit, arguam illum. 309

Cùm completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te: ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam, &c. 197,16

Inuenit seruus tuus cor suum, vt oraret te. 213,9

Quis ego sum, Domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxisti me hucusque? 360,8

8. Et percussit Moab, & mensus est funiculo coæquando eos terræ. Mensus est autem duos funiculos, vnum ad occidendum, & vnum ad viuificandum. 103,26

11. Vidit mulierem se lauantem, &c. 99

12. Tu enim fecisti abscondita, ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israël, & in conspectu solis. 5

Igitur pugnabat Ioab contra Rabbath filiorum Ammon, & expugnabant omnem Regiam, misitque Ioab nuntios ad Dauid, dicens, &c. 35

Præcepit nuntio, cùm compleueris omnia verba prælij loqui ad Regem, si ascenderit ira Regis, & dixerit tibi, &c. 40,6

Peccaui Domino, dixitque Nathan ad Dauid: Dominus quoque transtulit peccatum tuum. 141,6.338,5

Iratus enim indignatione Dauid aduersus hominem illum, dixit ad Nathan, &c. 377,8

13. Factum est autem post tempus biennij, quod tonderentur oues Absalon in Baalhasor, quæ est iuxta Ephraim, & vocauit Absalon omnes filios Regis. 166,20

Noluit contristare spiritum Amon filij sui, &c. 538

Fama peruenit ad Dauid, dicens: Percussit Absalon filios Regis. 624

14. Quare veni de Gessur, melius mihi erat ibi esse, obsecro ergo, vt videam faciem Regis: quod si memor est iniquitatis meæ, interficiat me. 23

Et quando tondebat capillum (semel autē in anno tondebatur,

quia grauabat eum cæſaries) ponderabant capillos capitis ſui ducentis ſiclis. 31,12
14 Quare cogitaſti huiuſcemodi rem contra populum Dei, & locutus eſt Rex verbum iſtud, vt peccet, & non educat eiectum ſuum? 598
16. Semei autem per iugum montis ex latere contra illum gradiebatur maledicens, & mittens lapides aduersùs eum. 62,9
Dimitte eum, vt maledicat; Dominus enim præcepit. 449,6
Egredere, egredere vir ſanguinum. 451,10
Tenderunt ergo Abſalon tabernaculum in ſolario. 446,1
17. Placuit ſermo eius Abſalon, & cunctis maioribus natu. 619,3
Non eſt bonum conſilium quod dedit Achitophel hac vice. ibid.
18. Cùm ingreſſus fuiſſet mulus ſubter condenſam quercum, & magnam, adhæſit caput eius quercui; & illo ſuſpenſo inter cœlum, & terram mulus pertranſiuit. 9.31,18
Porro Abſalon erexerat ſibi cum adhuc viueret titulum, qui eſt in valle regis, vocauitque titulum nomine ſuo, & appellatur manus Abſalon. 36,21.191,5.171,15
Nequaquam mitterem manum in filium Regis, audientibus enim nobis præcepit tibi, & Abiſai,&c. dicens: Cuſtodite mihi puerum. 77,3
Fuit autem ibi prælium diſperſum ſuper faciem omnis terræ. 480,25
Deſiderauit autem Dauid, & ait: O ſi quis mihi daret, &c. 572,4
19. Obſecro vt reuertar ſeruus tuus, & moriar in ciuitate mea: eſt autem ſeruus tuus Chamaan: ipſe vadat tecum. 272,1
Confudiſti hodie vultus ſeruorum tuorum, qui ſaluam fecerunt animam tuam. 80,3
22. Aſcende, & dabit eam Dominus in manu Regis. 581,13
23. At ille noluit bibere, ſed libauit eam Domino. 317,21.566. 590,7

Ex III. Regum.

1. Veruntamen Domine mi Rex, in te oculi reſpiciunt totius Iſrael, vt indices eis, quis ſedere debeat in ſolio tuo poſt te. 40
3. Tunc venerunt duæ mulieres meretrices ad Regem, ſteterúntque coram eo. 26 a
Date illi infantem viuum, nolite interficere eum. 272,1
Mortuus eſt autem filius mulieris huius nocte, dormiens quippe oppreſſit eum. 345
Quia poſtulaſti verbum hoc, & non petiſti tibi dies multos, nec diuitias, &c. 545,11
6. Ædificauit parietes domus intrinſecus tabulatis cedrinis, &c. 472,6
10. Vniuerſa terra deſiderabat vultum Salomonis, vt audiret ſapientiam eius,&c. 319
Beati viri tui, & beati ſerui tui, ij, qui ſtant coram te. 464
11. Ieroboam quoque filius Nabat Ephrates de Sarda, ſeruus Salomonis, cuius mater erat, &c. 275,7
Diſrumpens ſcindam regnum tuum, & dabo illud ſeruo tuo. 279,6
13. Non habeo panem, niſi quantum pugillus capere poteſt farinam in hydria, faciam illud filio meo, vt comedamus, & moriamur. 129,5
Cúmque planxiſſent eum, dixit ad filios ſuos, cum mortuus fuero, ſepelite me in ſepulchro, in quo vir Dei, &c. 525
17. Tulitque eum Elias de ſinu eius, & portauit in cœnaculum. 301
Viuit Dominus Deus Iſraël in cuius conſpectu ſto: ſi erit annis his ros, & pluuia, niſi iuxta oris mei verba. 50,5.76
Coruis præcepi, vt paſcant te ibi. 53
Et ait ad matrem Elias, Da mihi filium tuum: tulitque eum de ſinu eius, &c. 139,2
Surge, & vade in Sarepta Sidoniorum, & manebis ibi; præcepi enim mulieri viduæ,&c. 390,13
Viuit Dominus, non erit per hos annos,&c. 358
Viuit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, niſi quantum pugillus capere poteſt farinæ,&c. 402,6 419,10
Hydria farinæ non deficit. 533,8 536,3
18. Et accedente ad ſe populo curauit altare. 123,27
Non ego turbaui Iſraël, ſed tu, & domus patris tui. 239
Clamabant ergo voce magna. 269,5
Abdias autem timebat Dominum Deum valde, &c. 163,17
19. Timuit ergo Elias & ſurgens abiit, quocumque eum ferebat voluntas, cumque veniſſet,&c. 6,10.150,3
Ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, &c. 127 406,2
Quid agis Elias? 94
Operuit vultum ſuum pallio: & egreſſus ſtetit in oſtio ſpeluncæ. 209,15
Tulit par boum,& mactauit illud,& in aratro boum coxit carnes,&c. 193
Altaria tua deſtruxerunt, & prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus ſum ego ſolus. 290,3
Dereliquerunt pactum Domini filij Iſrael, altaria tua deſtruxerunt. 463
Cumque veniſſet, & ſederet ſubter vnam Iuniperum, petiuit animæ ſuæ, vt moreretur, &c. 556,8
Timuit Elias, & ſurgens abiit quocumque eum ferebat voluntas. 333,7
21. Si mortuus fuerit Achab in ciuitate, comedent eum canes: ſi autem mortuus fuerit in agro, comedent eum volucres. 16
In loco, in quo linxerunt canes ſanguinem Naboth, in eo lingent canes ſanguinem tuum. & meretrices lauabunt ſe in ſanguine tuo. 25,1
Scripſit itaque litteras ad maiores natu, & optimates, qui erant in ciuitate eius,&c. 132
Prædicate ieiunium. 171
Da mihi vineam tuam, & erit mihi in hortum olerum. 210,2. 531,3. 532,5
22. Viuit Dominus, quia quæcumque dixerit mihi Dominus, hæc loquar. 41,7

Ex IV. Regum.

2. Obſecro, vt fiat ſpiritus tuus duplex in me. 586,23
2. Si videris me quando tollar à te, erit tibi quod petiiſti. 230, 10.262,5.275.7
Pater mi, Pater mi, currus Iſraël, & auriga. 193
Ecce currus igneus, & equi ignei, & aſcendit Elias, &c. 460,18 544,9.547,15
Si videris me quando tollar à te, erit tibi. 356,2
Obſecro, vt fiat in me duplex ſpiritus tuus. 514,11
3. Arripiens filium ſuum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo: obtulit holocauſtum ſuper murum, & facta eſt indignatio magna in Iſrael. 62
Adducite mihi Pſaltem. Cum caneret Pſaltes, & cætera. 37
4. Aſcendit, & incubuit ſuper puerum: poſuitque os ſuum ſuper os eius, & oculos ſuos ſuper oculos eius, &c. 606. 311,12
Ingreſſus eſt ergo Eliſeus domum, & ecce puer mortuus iacebat in lectulo eius, ingreſſuſque clauſit oſtium ſuper ſe, & puerum. 178,27
Cumque veniſſet ad virum Dei in montem apprehendit pedes eius. 466
Aſcendit autem, & collocauit eum ſuper lectum hominis Dei. 557,11
5. Dominus meus miſit me ad te, dicens: Modò venerunt ad me duo adoleſcentes de monte Ephraim ex filiis Prophetarum, da eis talentum argenti. 264
6. Non percuties, non enim cepiſti eos gladio. 4,5
Eu, eu Domine mi, & hoc ipſum mutuo acceperam. 48,1
Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit, & ecce mons plenus equorum. 444,4
Apertis oculis vidit puer currus, & equos. 573
9. Et non inuenerunt niſi caluariam, & pedes, & ſummas manus. 172
10. Protegam vrbem hanc, & ſaluabo eam propter me,& propter Dauid. 441
12. Fecitque Ioas rectum coram Domino, cunctis diebus, quibus docuit eum Ioiada Sacerdos. 230,10
13. Mortuus eſt ergo Eliſæus, & ſepelierunt eum, latrunculi autem de Moab venerunt, &c. 351,17
18. Confregit ſerpentem æneum, quem fecerat Moyſes: ſiquidem vſque ad illud tempus filij Iſrael adolebant ei incenſum, &c. 228,5
19. Cùm adoraret in templo Neſrath Deum ſuum Adramalech, & Saraſar filij eius percuſſerunt eum gladio. 70,8
Factum eſt in nocte illa, venit Angelus Domini,& percuſſit,&c. 436,7
20. Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ ſunt in domo tua, & quæ condiderunt patres tui vſque in diem hanc in Babylonem, &c. 83
Conuertit faciem ſuam ad parietem, & orauit Dominum, dicens: Obſecro Domine, memento quæſo, quomodo ambulauerim,&c. 539
21. Et obſeruabat auguria. 624
25. Venit Nabozardam princeps exercitus, ſeruus Regis Babylonis in Ieruſalem, & ſuccendit domum Domini,& domum regis, & domos Ieruſalem,&c. 175,21
Et perſecutus eſt exercitus Chaldæorum regem, comprehenditque eum. 70,8
Et clauſa eſt ciuitas, atque vallata vſque ad vndecimum annum Regis Sedeciæ, &c. 441

Ex I. Paralipom.

4. Omnia vaſa fecit Salomoni Hiram pater eius in domo Domini. 452,8
21. Leuans Dauid oculos ſuos vidit Angelum Domini ſtantem inter cœlum, & terram, euaginatum gladium in manu eius. 159,18
22. Non poteris ædificare domum nomini meo. 579,8
29. Scio Deus meus, quòd probes corda, & ſimplicitatem diligas, vnde & ego in ſimplicitate,&c. 630,17

Ex II. Paralip.

2. Miſit ergo tibi virum prudentem, & ſcientiſſimum Hitam patrem meum. 452,2
9. Fecit quoque Rex ſolium eburneum grande, & veſtiuit illud auro mundiſſimo, &c. 59.3
21. Et fecit malum coram Domino, & noluit Dominus perdere domum Dauid propter teſtamentum. 440,16
26. Appendebántque Ammonitæ munera Oziæ, & diuulgatum eſt nomen eius vſque ad Ægyptum propter crebras victorias. 63,12
Sedecim annorum erat Ozias cum regnare cœpiſſet,&c.Fecítque quod erat rectum in oculis Domini. 312,3
33. Ceperúntque Manaſſem, & vinctum catenis, atque compedibus duxerunt in Babylonem, &c. 27,5

Ex I. Eſdræ.

7. Ipſe Eſdras aſcendit de Babylone, & ipſe ſcriba velox in lege Moyſi. 183,35

Ex II. Eſdræ.

3. Ipſum autem Salomonem duxerunt ad peccatum mulieres alienigenæ,& certè in gentibus multis non erat rex ſimilis. 26,2
4. Vna manu ſua faciebant opus,& alteræ tenebant gladium.Ædificantium enim vnuſquiſque gladio erat accinctus. 297,9
Et reuerſi ſumus omnes ad muros, vnuſquiſque ad opus ſuum. Et factum eſt in die illa media pars iuuenum faciebat opus. 385,4

Ex III. Eſdræ.

1. Miſit Rex Ægypti ad Ioſiam,dicens: Quid mihi, & tibi eſt Rex Iudæ? 529,1
4. Et tunc Rex, & purpurati intuebantur in alterutrum. 40
Et non meminerunt, cùm elaboraſſent amicitiam. 475,12

Ex IV. Eſdræ.

2. Ideoque vobis dico,gentes,quæ auditis, & intelligitis,expectate paſtorem veſtrum. 342,23
Væ tibi Aſſur,qui abſcondis iniquos penes te. Gens mala, memorare, quid fecerim Sodomæ, &c. 550,21
3. Nunquid meliora fecit Babylon, quàm Sion, aut alia gens cognouit te, præter Iſraël? 471,4
8. O Domine, ſi non permittis ſeruo tuo, vt oremus coram te,& des nobis ſemen cordi, &c. 498
11. Vidi hominem, & ecce aſcendebat de mari aquila,&c. 572

Ex Tobia.

1. Hic ſolus fugiebat conſortia omnium, & pergebat in Hieruſalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Iſraël, omnia primitiua ſua fideliter offerens. 34
2. Contigit,vt quadam die fatigatus à ſepultura veniens domum, iactaſſet iuxta parietem, & obdormiſſet, atque ex nido hirundinem,&c. 218.443,3
5. Ego ſum Azarias Ananiæ magni filius. 33,16
Cordis eius particulam ſi ſuper carbones ponas. 345
6. Cordis eius particulam,ſi ſuper carbones ponas,fumus eius extricat omne genus. 269,4
8. Et factum eſt circa pullorum cantum accerſiri iuſſit Raguel ſeruos ſuos, & abierunt cum eo pariter, vt foderent ſepulchrum,&c. 57,20
Sara exurge, & deprecemur Deum hodie, & cras,& ſecundum cras, quia his tribus noctibus Deo iungimur; tertia autem tranſacta nocte in noſtro erimus coniugio:filij quippè ſanctorum ſumus, & non poſſumus coniungi, ſicut gentes, quæ ignorant Deum. 101,29
12. Cùm orabas tu, & nurus tua: ego orationes perferebam coram Deo. 87
Me duxit, & reduxit ſanum, pecuniam à Gabelo ipſe recepit: vxorem ipſe me habere fecit: & omnibus per eum repleti ſumus. 594,16

Ex Iudith.

3. Factum eſt verbum in domo Nabuchodonoſor Regis Ægyptiorum, vt defenderet ſe. 465,4
5. Et factum eſt, cùm ceſſaſſet loqui Achior verba hæc, irati ſunt omnes magnates Holoferni. 40,5
9. Ingreſſa eſt oratorium ſuum, induit ſe cilicio, poſuit cinerem ſuper caput ſuum,& proſternens ſe Domino clamabat,&c. 95,10
10. Lauit corpus ſuum, vnxit ſe myrto optimo, & diſcriminauit crinem capitis ſui, & impoſuit mitram ſuper caput ſuum, &c. 258,21
Abſtulit à ſe Iudith cilicium: vnxit ſe myrto optimo,& diſcriminauit crinem capitis ſui. 307,4
14. Cùm duces eorum concurrerent ad tabernaculum Holofernis, & inuenerint truncum in ſuo ſanguine volutatum, decidit ſuper eos timor. 2,2
16. Erat autem populus iucundus ſecundum faciem Sanctorum, &c. 413,4

Ex Eſther.

2. Qui fuit nutritius filiæ fratris ſui Ediſſæ, quæ altero nomine vocabatur Eſther, & vtrumque parentem amiſerat pulchra nimis,&c. 20,8
Pro nihilo duxit in vnicum Mardochæum extendere manus ſuas, magíſque voluit omnem Iudæorum, &c. 138
3. Solus Mardochæus non flectebat genua. 564
7. Suſpenſus eſt itaque Aman in patibulo. 530
8. Iudæis autem noua lux oriri viſa eſt,gaudium,honor, & tripudium,&c. 413,4
10. Fons paruus creuit in fluuium maximum, & in aquas plurimas,&c. 363,2
Paruus fons, qui creuit in fluuium Eſther eſt. 343,2
14. Tribue ſermonem compoſitum in ore meo,in conſpectu leonis, & transfer cor illius,&c. 108,37
Tu ſcis Domine neceſſitatem meam, quòd abominer ſignum ſuperbiæ,&c. 258,21.307,4
Quòd abominer ſignum ſuperbiæ, & gloriæ meæ, quod eſt ſuper caput meum in diebus oſtentationis meæ, & deteſter illud,&c. 307,4

Ex Iob.

1. Erat vir ſimplex, & rectus, ac timens Deum. 225,1
Filiis tuis, & filiabus bibentibus, &c. 227
Ventus vehemens irruit à regione deſerti, concuſſit quatuor angulos domus,&c. 8.262,4
In omnibus his non peccauit Iob labiis ſuis, neque ſtultum quid contra Deum loquutus eſt. 13,11
Nunquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quòd non ſit ei ſimilis in terra. 47,24.419
Egreſſus igitur Satan à facie Domini. 236.5,270
Ignis Dei cecidit de cœlo, & tactas oues, puerósque conſumpſit. 179,28
Irruerunt Sabæi, tulerúntque omnia,&c. 225,1
Et erat vir ille magnus inter Orientales. 320
Erant pecora eius ouium ſeptem millia,&c. 442
Et fuit poſſeſſio eius ſeptem millia ouium, & tria millia camelorum. 344,3.442.1
Et opera magna illi erant in terra. 344
Ne fortè peccauerint filij mei, & benedixerint Deo. 536
Extende paululum manum tuam, tange cuncta, quæ poſſidet. 337
Nunquid Iob fruſtrà timet Deum? 612,11
Sit nomen Domini benedictum. 471,4
Irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia, & pueros percuſſerunt gladio. 391
2. Oculus fui cæco, & pes claudo; pater eram pauperum, & cauſam,quam neſciebam,diligentiſſimè inueſtigabam,&c.21,9
Qui teſta ſaniem radebat ſedens in ſterquilinio. 117.15,234
Pellem pro pelle dabit homo pro anima ſua. 130,7
Et ſederunt cum eo in terra ſeptem diebus,& ſeptem noctibus, & nemo loquebatur. 232.13
Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ. 427,28
Cúmque eleuaſſent procul oculos ſuos,non cognouerunt eum. 612
3. Poſt hæc aperuit Iob os ſuum, & maledixit diei ſuo,& loquutus eſt: Pereat dies in qua natus ſum. 3,3
Timor, quem timebam, euenit mihi, & quod verebar accidit. 144,5
Paruus,& magnus ibi ſunt, & ſeruus liber à Domino ſuo. 155.10
Quare non in vulua mortuus ſum, & egreſſus ex vtero, &c. 436,7
Pereat dies, in qua natus ſum, & nox, in qua dictum eſt, &c. 427,28
4. Vbi eſt timor tuus, fortitudo tua. 145
5. Cuius meſſem famelicus comedet, & ipſum rapiet armatus, & bibent ſitientes diuitias eius. 4,5
In ſex tribulationibus liberauit te, & in ſeptima non tanget te malum. 145
Congregatio hypocritæ ſterilis. 180,30
Ingredieris in abundantia ſepulchrum, ſicut infertur aceruus. 398,1
6. Venerunt quoque vſque ad mane, & pudore cooperti ſunt. 5,12
Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ anguſtia cibi mei ſunt. 357,3
7. Et nunc in puluere dormio, & ſi manè me quæſieris, non ſubſiſtam. 6,11
Quare poſuiſti me contrarium tibi, & factus ſum mihimetipſi grauis? 17,2

7. Dies mei velocius tranſierunt, quam à texente tela ſucciditur, & conſumpti ſunt abſque vlla ſpe. 399,4
8. Super acetuum petrarum radices eius denſabuntur. 459
10. Memento, quod ſicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me. Nonne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti? Vitam & miſericordiam tribuiſti. 591
11. Oculi impiorum deficient, & effugium peribit ab eis, & ſpes eorum abominatio animæ. 7 130,6
Requieſces, & non erit, qui te exterreat, & deprecabuntur faciem tuam, &c. 251,8
13. Contra folium, quod vento rapitur oſtendis potentiam tuam. 415
Numquid Deus indiget veſtro mendacio, vt pro illo loquamini dolos? Numquid faciem eius accipitis? 581,12
14. Homo natus de muliere breui viuens tempore. 457,10
15. Sapientes confitentur, & non abſcondunt patres ſuos, quibus ſolis data eſt terra. 266,9
Congregatio hypocritæ ſterilis, & ignis deuorabit tabernaculum eius. 486
17. Putredini dixi, pater meus es, mater mea, & ſoror mea, vermibus. 156.13,78
19. Iuxta Septuaginta. Cognoſcite igitur, quia Dominus eſt, qui conturbauit, munitionem autem ſuam in me exaltauit. 241
Vſquequo affligitis animam meam: & atteritis me ſermonibus? 602,36
Nempè etſi ignoraui, mecum erit ignorantia mea, &c. 492
20. Quia donec ſupereſt halitus in me ſpiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem: nec lingua mea meditabitur mendacium. 108,36
Non remanſit quidem de cibo eius: & propterea nihil permanebit illius. 126,34
Reuelabunt cœli iniquitatem eius, & terra conſurget aduerſus eum. Apertum erit germen domus illius, detrahetur in die furoris Dei. Hæc eſt pars hominis impij à Deo: & hæc hæreditas verborum eius. 154,8 265,8
Oſſa eius implebuntur vitiis adoleſcentiæ. 584.19
21. Quis arguet contra eum viam eius? & quæ fecit, quis reddet illi? ipſe ad ſepulchra ducetur, & in congerie mortuorum vigilabit. 161,1
25. Neque enim quis cæſtimet, quòd dilatio ſit piratis. 434,3
28. Locus ſapphiri lapides eius, & glebæ illius aurum: ſemitam ignorauit auis, neque intuitus eſt eam oculus vulturis. 33
Sapientia verò vbi inuenitur, & quis eſt locus intelligentiæ? Neſcit homo pretium eius 374
Tempus poſuit tenebris, & vniuerſorum fines ipſe conſiderat, lapidem quoque caliginis, & vmbram mortis, &c. 412
29 Si quando videbam ad eos, non credebant, &c. 309
Petra fundebat mihi riuos olei. 43
Iuſtitia indutus ſum, & veſtiui me ſicut veſtimento, &c. 301,29. 447,3
In nidulo meo moriar, & ſicut palma multiplicabo dies meos. 279
Quis mihi det, vt ſim iuxta menſes priſtinos, ſecundùm dies, &c. 286,11
Pater eram pauperum, &c. 289,4
Cauſam, quam neſciebam, inueſtigabam. 513,6
Dicebam, in nidulo meo moriar, & ſicut palma multiplicabo dies. 458
30. Ad dexteram orientis calamitatis meæ, illicò ſurrexerunt, &c. 228
Nunc in eorum canticum verſus ſum, & factus ſum illis in prouerbium. 236,5
Comparatus ſum luto, & aſſimilatus ſum fauillæ, & cineri, &c. 454,5
31. Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine. 26,2
Si contempſi ſubire iudicium cum ſeruo meo, & ancilla mea. 451,10
Si abſcondi quaſi homo peccatum meum. 485
33. Ecce, & me ſicut & te fecit Deus, & de eodem luto ego quoque formatus ſum. 29
Reſpiciet homines, & dicet: Peccaui. 308 484,2. 519,14
Abominabilis fit ei in vita ſua panis, & animæ illius cibus ante deſiderabilis. 356
34. Noui opera eorum, & ideò inducet noctem, & conterentur. 230,10
Qui dicit regi, Apoſtata. 255.55,256
Pauit ſterilem, & quæ non parit. 309,8
35. Propter multitudinem calumniatorum clamabunt: & eiulabunt propter vim brachij tyrannorum. Et non dixit, &c. 597
36. In manibus abſcondit lucem. 578 6
37. Tu forſitan cum eo fabricatus es cœlos, qui ſolidiſſime, quaſi ex ære. 377
38. Mittes fulgura, & ibunt, & reuertentia dicent tibi, adſumus. 443,3
39 Numquid ad præceptum tuum eleuabitur Aquila, & in arduis ponet nidum ſuum. 55 15
Nunquid per ſapientiam tuam plumeſcit accipiter expandens alas ſuas ad Auſtrum. 242,8.356,2
41. Cùm apprehenderit eum gladius, non poterit ei reſiſtere, neque haſta, neque thorax. 70,3
42. Sumite ergo vobis ſeptem tauros, & ſeptem arietes, & ite ad ſeruum meum Iob, & offerte holocauſtum pro vobis, faciem eius ſuſcipiam, vt non vobis imputetur ſtultitia. 69,16.440,16

Ex Pſalmis.

1. Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit. 141.6
In cathedra peſtilentiæ non ſedit. 165,1.167,6.6-5.40
Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ; reges eos in virga ferrea, &c. 119,19
2. Erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum. 414.20 462,21
3. Ab arbore detinebantur, qui cum radice pugnabat, & tanquam fructus pendebat ab arbore. 13
Dormiui, & ſoporatus ſum, & exurrexi. 500,15
4 Vſquequo diligitis vanitatem. 192.410,13
In pace in idipſum. 268,2
Signatum eſt lumen vultus tui ſuper nos. 368,11
A fructu frumenti, vini, & olei, &c. 440,15
Quoniam tu, Domine, ſingulariter in ſpe conſtituiſti me. 399,3
Multi dicunt, quis oſtendit nobis bona? 549,19
5. Super eos cecidit ignis, & non viderunt ſolem. 23,13
9 Et gloriabuntur in te, qui diligunt nomen tuum. 95,9
Sepulchrum patens eſt guttur eorum. 152,2
6. Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum: lacrymis meis ſtratum meum rigabo. 21,10
Erubeſcant, & conturbentur omnes inimici mei; conuertantur, & erubeſcant. 478
7. Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrabit, arcum ſuum tetendit, & parauit in eo vaſa mortis. 131.8
Deus iudex iuſtus, fortis, & longanimis. 131,8 382,14
9. Non eſt Deus in conſpectu eius, polluuntur viæ eius omni tempore. 379,6
Parauit in iudicio thronum ſuum. 450,8
10. Pluet ſuper peccatores laqueos ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum. 10,5
Quomodo dicitis animæ meæ, Tranſmigra in montem ſicut paſſer; quoniam ecce peccatores intenderunt arcum. 39,3. 345,6
11. Propter miſericordiam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, &c. 451,12
12. In ſole poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tanquam ſponſus.
13. Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus. 596,22
17. Qui doces manus meas ad prælium, & poſuiſti vt arcum æreum brachia mea. 21,9
Aſcendit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarſit. 625
18. A ſummo cœlo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius. 24
Iudicia Domini vera, iuſtificata in ſemetipſa, deſiderabilia ſuper aurum, & lapidem pretioſum multum, & dulciora ſuper mel, & fauum. Etenim ſeruus tuus cuſtodit ea. 91,3
In ſole poſuit tabernaculum ſuum. 319,8
Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. 593
23. Attollite portas Principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Quis eſt iſte Rex gloriæ? &c. 142,8.169,10
Qui non accepit in vano animam ſuam. 91,8
26. Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini, &c. 527,19
28. Vox Domini præparantis ceruos, & reuelauit condenſa. 184
Hæc eſt generatio quærentium faciem Dei Iacob. 160,15
Afferte Domino filij Dei: afferte Domino filios arietum. 565,8
29. Quia ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius. 18,4
In Petra exaltauit me, & nunc ecce exaltauit caput meum ſuper inimicos meos. 43,11
Quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem 58,2
30. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti, &c. 370,13
Deus meus es tu, in manibus tuis ſortes meæ. 353,2
Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ. 573
31. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. 118,3
Super ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea. 257,19
33. Venite, filij, audite me; timorem Domini docebo vos. 11,7
Accedite ad eum, & illuminamini. 228,6 570,6
Guſtate, & videte quoniam ſuauis eſt Dominus. 359.18
Quærite Dominũ, & confirmamini, quærite faciem eius 338,16
35. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. 10,5.115,10

Ne veniat mihi pes superbiæ. 62.9
Homines,& iumenta saluabis,Domine,quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus. 513,9
36. Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani; transiui, & ecce non erat. 20
Nouit Dominus dies inmaculatorum. 353,2
37. Gemitus meus à te non est absconditus. 96,11
Dum commouentur pedes mei, super me magna locuti sunt. 104,29
38. Notum fac mihi, Domine, finem meum. 626,7
Et peregrinus sicut omnes patres mei. 611.8
39. Desine ab ira, & derelinque furorem; noli æmulari, vt malignetis,&c. 50,7
Multiplicati sunt super numerum. 223.489,12
Beatus vir, cuius nomen Domini spes eius,& non in vanitates, nec insanias falsas. 149,15
Non respexit in vanitates, & insanias falsas. 498,12
40. Beatus vir, qui intellexit super egenum, & pauperem; in die mala liberabit eum Dominus. 20
Verbum iniquum cogitauerunt aduersum me,nunquid qui dormit non adiiciet,vt resurgat,&c. 62,10
41. Effudi in me animam meam, quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis. 44,14
Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes, die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus. 52,10
42. Iudica me Domine,& discerne causam meam. 128,3
43. Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem, & derisum his, qui sunt in circuitu nostro,&c. 13.11
Tota die verecundia mea contra me est, & confusio faciei meæ,&c. 336,8
44. Omnis gloria eius filiæ regis ab intus. 66,177.25,118,17
Pro patribus tuis nati sunt filij; constitues eos Principes super omnem terram. 43.12
Sagittæ tuæ acutæ. 259
Accingere gladio tuo,&c. 158,16.383,16
Specie tua, & pulchritudine tua intende, prosperè procede, & regna. 64,13
Adducentur Regi virgines post eam, proximæ eius afferentur tibi. 341,21.396,7
Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus in fimbriis aureis. 398,1
45. Vacate,& videte quoniam ego sum Deus. 44,14
Sonuerunt, & turbatæ sunt aquæ eius,&c. 269,5
48. Sicut oues in inferno positi sunt: mors depascet eos. 15,15
Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis,&c. 255,15
49. Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum. 68,22
Arguam te, & statuam contra faciem tuam. 98
Imola Deum sacrificium laudis, & redde altissimo vota mea. 198,18
50. Tibi soli peccaui. 1,1
Et dixerunt, quomodo scit Deus, & si est scientia in excelso. 588,25
Quoniam iniquitatem meam ego cognosco. 592,12
51. Propterea Deus destruet te in finem, & euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo: videbunt iusti, & timebunt, & super eum ridebunt,&c. 7,13
Quid gloriaris in malitia, qui potens es iniquitate. 383,15
52. Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt, &c. 303,3.598,25
53. Deus in nomine tuo saluum me fac. 199,19
54. Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine. 334,9
55. In me sunt Deus vota tua, quæ reddam laudationes tuas. 268,2
57. Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ,&c. 71,5.95,9
58. Conuertentur ad vesperam; famem patientur, vt canes. 357, 3.509,33
59. Dedit timentibus se significationem, vt fugiant à facie arcus. 181,32
60. Vt reddam vota mea de die in diem. 425,23
61. Semel locutus est Deus, duo hæc audiuit: quia potestas est Dei, & tibi Domine misericordia. 14,12
Mendaces filij hominum in stateris. 299.308
Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. 336,13
64. Benedices coronæ anni benignitatis tuæ. 364,477
In stillicidiis eius lætabitur germinans. 499,14
67. Erunt pennæ columbæ,& posteriora dorsi eius in pallore auri. 49,3
Iter facite ei, qui ascendit super occasum, &c. 159
Posteriora dorsi eius in pallore auri. 273,3.236,6
Si dormiatis inter medios cleros. 273,3.574,9
Domini, Domini exitus mortis. 489,11
Qui ascendit super cœlum cœli ad Orientem. 549,15
68. Laudabo nomen Dei cum cantico,& magnificabo eum in laude, & placebit Deo super vitulum cornua producentem. 38,2
Sustinui, simul qui contristaretur,& non fuit. 135,4
Pauper, & dolens ego sum. 382.13
Manè floreat,& transeat,&c. 335,10
Infixus sum in limo profundi,&c. 417,7
70. Non cognoui litteraturam. 403,12
71. Iudicium tuum regi da,& iustitiam tuam filio regis; iudicare populum tuum in iustitia,& pauperes tuos. 176.23
Orietur in diebus iustitia,& abundantia pacis. 288
72. In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur: ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate. 65
Pars mea Dominus. 245,12
Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? Defecit caro mea,&c. 246,13
Deus, Iudicium tuum Regi da. 554.7
73. Posuerunt signa sua, signa, & non cognouerunt. 307,4
Vt quid auertis manum tuam,& dexteram tuam de medio sinu tuo vsque in finem. 384,2
74. Calix in manu Domini vini meri plenus misto. 10,5.625
Tu confregisti capita draconis: dedisti eum in escam populis Æthiopum. 116,12
75. Vouete,& reddite Domino Deo vestro,omnes,qui in circuitu eius offertis munera. 294
De cœlo auditum fecisti iudicium: terra tremuit, & quieuit. 5,9
Nihil inuenerunt in manibus suis. 304,7
Vouete, & reddite Domino Deo vestro omnes, qui in circuitu eius affertis munera. 62
Tu terribilis es,quis resistet tibi? Ex tunc ira tua. 320,2
Ab increpatione tua, Deus dormitauerunt omnes.423.425,23. 465.514
76. Deduxit sicut oues populum suum in manu Moysi, & Aaron. 68,22
Vox tonitrui tui in rota. 254
Dedit ærugini fructus eorum, & labores eorum locustæ, &c. 423
77. Tentauerunt Deum in cordibus suis,vt peterent escas animabus suis. 100,20
Occidit in grandine vineas eorum. 225
Et occidit pingues eorum, & electos Israël impediuit. 136,7
79. Et singularis ferus depastus est eam. 180,31
Excita potentiam tuam, & veni. 598,25
80. Dilata os tuum,& implebo illud. 111
Buccinate in Neomenia tuba, in insigni die solemnitatis. 202 24
Manus eius in cophino seruierunt. 288,14.
85. Eripuisti animam meam ex inferno inferiori. 457,10
86. Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei, memor ero Raab,& Babylonis scientium me,&c. 18,3.175,20
Fundamenta eius in montibus sanctis. 65
Diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Iacob. 169
87. In me pertransierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbauerunt me. 6.11
89. Anni nostri sicut aranea meditabuntur. 243
Sæculum nostrum illuminatione vultus tui. 584.19
90. Quoniam ipse liberauit me à laqueo venantium.22,12.152,5
Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te autem non appropinquabit. 27,2.208,13
Et retributionem peccatorum videbis. 97,14
91. Iustus vt palma florebit. 512,5
92. Dominus regnauit, decorem indutus est,&c. 433,1.504,23
93. Et dixerunt, non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob. 598,25
95. Quando domus ædificabitur post captiuitatem. 36,22
98. Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me. 27,5
Honor Regis iudicium diligit. 379,6
99. Seruite Domino in lætitia, intrate in conspectu eius in exultatione. 93,5.195
103. Qui facit Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem. 63,11
Hoc mare magnum & spatiosum manibus. 572,5
104. Humiliauerunt in compedibus eius: ferrum pertransiit animam eius, donec veniret verbum eius. 25,5
Iudicauit Dominus populum suum, & in seruis suis deprecabitur. 230,9
105. Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem,non crediderunt verbo eius, & murmurauerunt in tabernaculis suis. 118
Stetit Phinees, & placauit, cessauit quassatio. 552,1
106. Qui descendunt mare in nauibus facientes operationem in aquis multis, ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo. 100,21.178,26
Omnem escam abominata est animam eorum. 355,1
Nunquid Sion dicet homo. 362,5
Fiat habitatio eorum deserta,&c. 492,18
107. In Idumæam extendam calceamentum meum. 34,18
108. Et oratio eius fiat in peccatis. 179,28
Transferentur filij eius, & mendicent. 277,2
109. Ex vtero ante Luciferum genui te. 252,10
111. Dispersit, dedit pauperibus. 66,18
Gloria & diuitiæ in domo eius. 266.9
115. Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi. 45,112

Ego dixi in exceſſu meo: Omnis homo mendax. 231,12.431,36
117. Circundederunt me ſicut apes. 254
118. Anima mea in manibus meis ſemper. 20,7
Erraui ſicut ouis, quæ perierat. 27
Pax multa diligentibus nomen tuum. 55,16
Iudica, Domine, iudicium meum, & libera me. 383,15
Aſpice in me, & miſerere mei, ſecundum iudicium diligentium nomen tuum. 350,16
Dormitauit præ tædio anima mea; confirma me in verbis tuis. 355,5
In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam. 453,2.454
Secundum verbum tuum, Domine, mihi tribue intellectum. 503.22
119. Quomodo cantabimus in terra aliena. 462,21
Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt. 513,7
121. Lætatus ſum in iis, quæ dicta ſunt mihi. 526
127. Sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. 170,13
Filij tui ſicut nouellæ oliuarum, &c. 490,14
128. Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi. 23,13.253
130. Non eſt exaltatum cor meum: neque elati ſunt oculi mei, ſi non humiliter ſentiebam: ſed exaltaui, &c. 135
Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox, in ipſa pertranſibunt. 433
131. Memento Domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius. 50.7
Ego autem quaſi oliua fructifera in domo. 469,12
132. Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron. 55
136. In ſalicibus in medio eius ſuſpendimus organa noſtra. 9,3
Si oblitus fuero tui, Hieruſalem, obliuioni detur dextera mea. 523,8
138. Non eſt occultatum os meum à te quod feciſti in occulto: & ſubſtantia mea in inferioribus terræ imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur. 96,11
Dixi, forſitan tenebræ conculcabunt me: & nox illuminatio mea in deliciis meis. 153,7
Mihi autem nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum. 203,2
Nimis honorati ſunt amici tui Deus: dinumerabo eos, & ſicut arenam multiplicabuntur. 248,2
Quo à facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlum, tu illic es, &c. 396,30.579
Non eſt occultatum os meum à te, &c. 573,7
140. Abſorpti ſunt, iuncti petræ iudices eorum. 305,9
Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. 506,26
141. Libera me à perſequentibus me, quia confortati ſunt ſuper me. 476,16
143. Domine inclina cœlos tuos, & deſcende. 87,11
144 Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. 355,5
147. Qui poſuit fines tuos pacem, & adipe frumenti ſatiat te. 411,11.422,17

Ex Prouerbijs.

1. Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum.
3. Beatus homo, qui inuenit ſapientiam, & qui affluit prudentia: melior eſt acquiſitio eius negotiatione auri, & argenti, primi, & puriſſimi fructus eius. 34
Inuenies gratiam, & diſciplinam bonam coram Deo, & hominibus. 249.4
Lignum vitæ eſt iis, qui apprehendunt eam. 305 5
5. Ne des alienis nomen tuum, annos tuos crudeli. 73.1
Non dixeris, peccaui, & quid accidit mihi triſte, altiſſimus enim eſt patiens redditor. 382,14
Ceruа chariſſima gratiſſimus hinnulus, &c. 580,11
Cur deteſtatus ſum diſciplinam, & increpationibus non acquieuit cor meum. 337,11
Iniquitates ſuæ capient impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringetur. 509
6. Homo apoſtata vir inutilis, graditur ore peruerſo, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum: & in omni tempore iurgia ſeminat. 145,7
Laqueus enim fortis viro propria labia, & capitur verbis oris ſui. 485
Paululum dormies; paululum dormitabis, &c. 419,10
Vſquequo piger dormies? Quando conſurges de ſomno tuo, &c. 511,3
7. Victimas pro ſalute deuoui: ſtatim ſequitur tanquam bos ductus ad victimam. 179,28
Veni, inebriemur vberibus, & fruamur cupitis amplexibus donec illuceſcat dies, &c. 230,10
Statim eam ſequitur, quaſi bos ductus ad victimam. 369,12.588
8 Legem ponebas aquis ne tranſirent fines ſuos. 67,20
Qui inuenit me, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino. 96.12
Qui manè vigilauerint ad me, inuenient me. 101,22
9. Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem, immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam. 120.274,5
Mulier clamoſa, plenáque illecebris, & nihil omnino ſciens. 403,13
10. Benedictio Domini diuites facit, nec ſociabitur ei afflictio. 287
Qui nititur mendaciis, hic paſcit ventos, & idem ſequitur volantes. 313
Stultus per riſum operatur ſcelus. 410,12
11. Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt. 331,5
Salus autem, vbi multa conſilia. 414
Impius facit opus inſtabile, ſeminanti autem iuſtitiam merces fidelis. 626,6
12. Sicut autem in ligno vermis, ſic virum diſperdit mulier malefica. 75
Non inueniet fraudulentus lucrum. 421
14. In multitudine populi dignitas Regis, in paucitate plebis ignominia. 440
Miſericordia, & veritas præparauit bonum. 557,2
Vbi plurimæ ſegetes, manifeſta eſt fortitudo bouis. 430
Filio doloſo nil erit boni.
15. Semita vitæ ſuper eruditum. 33
Lingua placabilis, lignum vitæ. 51,9
16. In hilaritate vultus Regis vita, & clementia eius, quaſi imber ſerotinus. 10
Diuinatio in labiis regis. 67,20.106,32
Vir impius fodit malum, & in labiis illius ignis ardeſcit. 526,16
17. Animus gaudens ætatem floridam facit; ſpiritus triſtis exſiccat oſſa. 499,14
18. Spiritus viri ſuſtentat imbecillitatem ſuam; ſpiritum verò ad iraſcendum facilem, quis poterit ſuſtinere. 51
19. Multi colunt perſonam potentis, & amici ſunt bona tribuentis, &c. 480,25
20. Ne dicas: Reddam malum, expecta Dominum. 187.39
Ei, qui reuelat myſteria, & qui ambulat fraudulenter, & dilatat labia. 350
21. Sicut diuiſiones aquarum, ita & cor regis in manu Domini. 67,20
23. Quando ſederis, vt comedas cum principe, diligenter attende, quæ appoſita ſunt ante faciem tuam, & ſtatue cultrum, &c. 20,7
24. Per agrum hominis pigri tranſiui, & per vineam viri ſtulti: & ecce totum repleuerat vrticæ. 225.415
25. Fons turbatus pede, & vena corrupta. 46,18
Gratia, & amicitia liberant, quas tibi ſerua, &c. 80,9
Gloria Regum, inueſtigare ſermonem. 513,6
26. Quando ſummiſerit vocem ſuam ne credideris ei. 41,7
Princeps qui libenter audit verba mendacij, omnes miniſtros habet impios. 346,3
27. Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum, ſic probatur homo ore laudantis. 38,2
28. Qui cognoſcit in iudicio faciem, non benefacit iſte. 46,18
Beatus homo qui ſemper eſt pauidus: qui verò mentis eſt duræ, corruet in malum. 144.6
29 Erudi filium tuum, & refrigerabit te. 43,12
Qui delicatè à pueritia nutrit ſeruum ſuum, poſtea ſentiet eum contumacem. 340
30. Sanguiſugæ duæ filiæ dicentes, Affer.
Verba congregantis filij vomentis. Viſio quam locutus eſt vir, cum quo eſt Deus. 330,2
Tria ſunt inſatiabilia, & quartum, quod nunquam dicit, ſufficit. Infernus, & os vuluæ, & terra. 613
Tria ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro, viam aquilæ, &c. 347,10.416,4
Stellio manibus nititur, & moratur in domibus Regum. 586
31. Facta eſt quaſi nauis inſtitoris de longè portans panem. 41
Quæſiuit lanam, & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum. 66
Non timebit domui ſuæ à frigoribus niuis, omnes enim domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus. 447,3
Guſtauit, & dabit, quia bona eſt negotiatio eius, non extinguetur in nocte lucerna eius, &c. 512

Ex Eccleſiaſte.

1. Quid eſt quod fuit? Ipſum quod futurum eſt? Quid eſt quod factum eſt? ipſum quod faciendum eſt. 57,20
Quid habet amplius homo de vniuerſo labore ſuo quo laborat ſub ſole. 281,1
Generatio præterit, generatio aduenit, terra autem in perpetuum ſtat. 194.10
Vbi multæ ſunt opes, multi & comedunt eas. 440,15
Non eſt priorum memoria, ſed neque eorum quidem, quæ poſtea futura ſunt, erit recordatio, &c. 547,16
Quid habet amplius homo de vniuerſo labore ſuo, quo laborat ſub Sole. 456,8
Generatio præterit, generatio aduenit; terra autem in perpetuum ſtat. 557
Vniuerſa vanitas, & afflictio ſpiritus. 604

2. Homini

2. Homini bono in conſpectu ſuo dedit Deus ſapientiam, &c. 286,10
Multum habui familiam, armenta quoque, &c. 344,3
Sapientis oculi in capite. 620,5
3. Omnia tempus habent, & ſuis ſpatiis tranſeunt vniuerſa ſub cœlo, tempus naſcendi, &c. 192,7
Tempus naſcendi, & tempus moriendi. 209,15
Vidi ſub ſole in loco iudicij impietatem. 480,25
Cuncta fecit Dominus bona in tempore ſuo, & mundum tradidit diſputationi eorum. 426,25
4. Sapientia filiis ſuis vitam inſpirat,&c. 170
Stultus complicat manus ſuas,& comedit carnes ſuas. 334,8
Conſiderans reperi aliam vanitatem ſub Sole. Vnus eſt, & ſecundum non habet, non filium, non fratrem, &c. 514,11. 548,18.556,1
5. Et inſuper vniuerſæ terræ Rex imperat ſeruienti. 64
Et quidem omnibus diebus ſuis in tenebris comedit, & luctu, & iracundia multa, & languore, & inſania. 207,10
Eſt & alia infirmitas peſſima,quam vidi ſub Sole, diuitiæ conſeruatæ in malum. 337,14 379,6
Vbi multæ ſunt opes, multi comedunt eas. 490,13
Et omnis homo, cui dedit Deus diuitias poteſtatémque. 514, 11
6. Eſt & malum, quod vidiſti ſub ſole: vir cui dedit Deus diuitias, ſubſtantiam, & gloriam, & nihil deeſt animæ ſuæ ex omnibus, quæ deſiderat, nec tribuit ei poteſtatem Deus, vt comedat, &c. 165,2
Omnis labor hominis in manu eius, ſed anima illius non implebitur. 345,5
7. Sicut enim protegit ſapientia,ſic protegit pecunia: hoc autem plus habet eruditio,&c 170
Bonum eſt ſuſtentare iuſtum; ſed & ab illo ne ſubtrahas manum tuam,&c. 178,26
Noli eſſe iuſtus multum. 7,2
8. Eſt & alia vanitas, quæ fit ſuper terram: ſunt iuſti quibus mala proueniunt, quaſi opera fecerint impiorum. 311,3
Quaſi vmbra tranſeunt, qui non timent Dominum. 517,14
9. Melius eſt nomen bonum, quàm vnguenta pretioſa. 318,14
10. Stultus verba multiplicat. Ignorat homo, quid ante fuerit:& quid poſt ſe futurum ſit. 188,40
Mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas. 188,41
Vidi ſeruos in equis, & principes deambulantes,&c. 248,3
Florebit Amygdalus,impinguabitur locuſta,& diſſipabitur capparis, quoniam ibit homo, &c. 235
Labor ſtultorum affliget eos, qui neſciunt in vrbem pergere. 296.457
Muſcæ morientis perdunt ſuauitatem vnguenti. 58,2
In cogitatione tua Regi non detrahas; & in ſecreto cubiculi tui ne maledixeris diuiti. 41
Qui transfert lapides, affligetur in eis. 353,3
Væ tibi, terra, cuius Rex puer eſt, & cuius Principes manè comedunt,&c. 464
Nihil eſt iniquius, quàm amare pecuniam, hic enim animam ſuam venalem habet. 336,13
Aues cœli portabunt vocem tuam. 413,3
Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, locũ tuum ne admiſeris. 379,6.529,1
11. Manè ſemina ſemen tuum, & veſpere ne ceſſet manus tua.88, 18.574
Mittite panem tuum ſuper tranſeuntes aquas, &c. 148.164, 28
12. Verba ſapientum ſicut ſtimuli, & ſicut claui in altum defixi, quæ per magiſtrorum conſilium,&c. 147,12.503,22
Ibit homo in domum æternitatis ſuæ. 484,2

Ex Cantico Canticorum.

1. Indica mihi vbi paſcas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam, poſt greges ſodalium tuorum. 3,3.19.115,10.454,5. 539
Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi; inter vbera mea commorabitur. 10.5
Nigra ſum, ſed formoſa filiæ Hieruſalem; ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis. 64,13
Lectulus noſter floridus. 103
Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles; ſimilis eſt dilectus meus capræ, hinnulóque ceruorum;ipſe ſtat poſt parietem noſtrum. 93,6
Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi. 236,6.205,6
Cùm eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum. 195,12
Indica mihi,quem diligit anima mea, vbi paſcas,vbi cubes in meridie. 202.24
Si ignoras te, ô pulcherrima mulierum, egredere, & abi poſt veſtigia gregum tuorum,&c. 107,35.437
Oſculetur me oſculo oris ſui, quia meliora ſunt vbera tua vino. 370,17.387,8.389,11,227,27
Oleum effuſum nomen tuum. 355.572,5.580,10
Adoleſcentulæ dilexerunt te. 607.1
Ego flos campi, & lilium conuallium. 629.14
Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te. 481,28
Nolite me conſiderare, quòd fuſca ſim; quoniam decolorauit me Sol. 339,19
Trahe me poſt te,& curremus in odorem vnguentorum. 511, 3
Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis. 590,7
Filij matris meæ pugnauerunt contra me. 591,13
2. Sub vmbra illius,quem deſideraueram ſedi,& fructus illius dulcis gutturi meo. 12,9.219 393,18
Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia, donec aſpirat dies. 23,14,& 15 495,5.568,2.593,14
En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum reſpiciens per feneſtras,&c. 90
Ego flos campi, & lilium conuallium. 103
Sicut malus inter ligna ſyluarum,ſic dilectus, &c. 219,8
Similis eſto dilecte mi capreæ, hinnulóque ceruorum ſuper montes, &c. 235
Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua. 268,3
Surge amica mea, ſpecioſa mea, & veni columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ. 292,6.220
Tempus putationis aduenit. 76,1
Caput meum plenum eſt rore,& cincinni mei guttis noctium. 204,4
Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles; ſimilis dilectus meus capreæ,hinnulóque ceruorum,&c. 206,9
Iam hiems tranſiit, imber abiit, flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis aduenit. 311,3
Surge amica mea, ſpecioſa mea,& veni. 212,5
Donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ. 595,18
Aſcendam in palmam,& apprehendam fructus. 568,2
Oculi tui ſicut columbæ. 572,5
Sicut malus inter ligna ſyluarum, ſic dilectus meus. 620
Ego flos campi. 570
Surge amica mea, ſoror mea, & veni; columba mea in foraminibus. 410,9
Surge, propera, amica mea. 495,5
3. In lectulo meo per noctes quæſiui,&c. 153,7 219.230,10.269, 5.77,2 455.573,7
Per vicos & plateas quæram, quem diligit anima mea, quæſiui illum,& non inueni. 243.405,17
En lectulum Salomonis ſeptuaginta ambiunt ex fortiſſimis Iſraël. 248,2.269,4.316.629,14
Adiuro vos filiæ Hieruſalem per capreas, ceruóſque camporum,&c. 297,8
Tenui eum,nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ,& in cubiculum genetricis meæ. 203
Inuenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem. Numquid, quem diligit anima mea vidiſtis. 339,18
Surgam, circuibo ciuitatem per vicos, & plateas,&c. 495,6
Ferculum ſibi fecit Rex Salomon de lignis Libani, &c. 367,9. 581
Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus. 424,20,& 21.568,2
Vniuſcuiuſque enſis ſuper femur,&c. 632,21
4. Mel,& lac ſub lingua eius. 68.165,2
Duo vbera tua, ſicut duo hinnuli capreæ gemelli,&c. 167,5. 219,8
Vitta coccinea labia tua. 182
Sicut fragmen mali punici, ita genæ. 290,4,& 5
Dentes tui, ſicut greges tonſarum,quæ aſcenderunt de lauacro. 192,6.267,1.311,11
Fauus diſtillans labia tua. 271
Veni de Libano ſponſa mea, veni coronaberis de capite Amana,&c. 284,6.629,13
Vadam ad montem myrrhæ. 205.6 221,15
Vulneraſti cor meum, ſoror mea ſponſa, in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui. Quàm pulchræ mammæ tuæ. 293.2.362
Collum tuum ſicut turris Dauid,quæ ædificata eſt cum propugnaculis. 315,8
Surge Aquilo,& veni Auſter. 347
Sicut vitta coccinea labia tua. 491.15
Venter tuus ſicut crater tornatilis non indigens poculis. 358, 6
Fons hortorum, puteus aquarum viuentium. 542
Vulneraſti cor meum, ſoror mea ſponſa. 362
Hortus concluſus es, ſoror mea ſponſa, hortus concluſus, fons ſignatus. 368.629,13
Sicut fragmen mali punici ita genæ tuæ. 494.3
Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum. 499,13
Odor veſtimentorum tuorum ſuper omnia aromata. 615,10
Conſummatus in breui expleuit tempora multa. 460,16
Ætas ſenectutis vita immaculata. 354
Quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate. 367,9
5. Labia eius diſtillantia myrrham primam. 34
Comæ capitis tui purpura regis. 218
Meſſui myrrham meam cum aromatibus meis; comedi fauum cum melle. 180,7
Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt,&c 283,5
Percuſſerunt me, & vulnerauerunt me. 307

Exui me tunica mea, quomodo induar illa; laui pedes meos, quomodo inquinabo. 511,3
Caput eius aurum optimum. 211,6
Aperi mihi ſoror mea, ſponſa mea, amica mea, columba mea, immaculata mea. 72,7
Vox dilecti mei pulſantis. 503.21
Crura illius columnæ marmoreæ. 344,3
Bibite, & inebriamini chariſſimi. 339,18
Surrexi, vt aperirem dilecto meo, manus meæ diſtillauerunt, &c. 401
Veni in hortum meum, ſoror mea ſponſa. 537.4
Dilectus meus candidus, & rubicundus. 568,1.628,12
Aperi mihi, ſoror mea, propinqua mea, perfecta, &c. 602, 35
Induet pro thorace iuſtitiam, & accipiet pro galea iudicium. 447,3
6. Comæ eius ſicut elatæ palmarum nigræ, quaſi coruus, gena illius ſicut areulæ, &c. 94,8
Deſcendi in hortum meum, vt viderent poma conuallium. 82
Sicut cortex mali punici genæ tuæ, abſque eo, quod intrinſecus latet. 365.4
Viderunt eam filiæ, & beatiſſimam prædicauerunt, &c. 559,7
Sexaginta ſunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adoleſcentularum, &c. 367,8.420,12.558,5
Egredimini, & videte, filiæ Sion, Regem Salomonem in diademate, &c. 901,18
Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, &c. 557,3
Auerte à me oculos tuos, quia ipſi me auolare fecerunt. 859
Horrende, & citò apparebit vobis, quoniam iudicium duriſſimum in iis, qui præſunt. 379,7
Clara eſt ſemper, & nunquam marceſcet ſapientia, & facile videtur, &c. 593,25
7. Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus eius. 18,3.535, 11.623,11
Vmbilicus tuus crater tornatilis nunquam indigens poculis. 48,1
Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis. 142,1.331,3 366
Egrediamur in agrum, commoremur in villis. 281,8
Noua, & vetera, dilecte mi ſeruaui tibi. 310,10
Veni, dilecti mi, egrediamur in agrum. 401,8
Surgam, & circuibo ciuitatem per vicos, & plateas. 335
Ego dilecto meo, & ad me conuerſio eius, &c. 341
Naſus tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum. 568,2
Venter tuus aceruus tritici, vallatus liliis. 365.4
Oculi tui ſicut piſcinæ, &c. 490,13
8. Lampades eius, lampades ignis, atque flammarum. 217,8
Oculi tui ſicut piſcina in Eſebon, quæ ſunt in porta filiæ multitudinis. 156,17
Pone me vt ſignaculum ſupra cor tuum, ſignaculum ſuper brachium tuum. 225
Ego murus. vbera mea turres, ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem repetiens. 269,4.274,5
Ego murus. & vbera mea turres. 190,3
Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto? 494.3
Fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio, &c. 526,19
12. Miſiſti antecceſſores exercitus tui veſpas, &c. 432
O quam bonus, & quam ſuauis eſt, Domine, ſpiritus tuus in omnibus. 598,25

Ex Sapientia.

1. Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum. 630,17
Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum, &c. 397,6
Manibus, & verbis acceſſunt illa. 551
2. Circumueniamus iuſtum, mittamus lignum in panem eius. 159,18.604,38
Coronemus nos roſis, antequam marceſcant, nullum ſit pratum, &c. 229,8
Venite ergo, & fruamur bonis, quæ ſunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter, vino pretioſo, &c. 520,4
4. O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate. 251,8
Quoniam ſpes impij tanquam lanugo eſt, quæ à vento tollitur, & tanquam ſpuma gracilis quæ à procella diſpergitur, & tanquam fumus qui à vento diffuſus eſt, &c. 592
Quoniam diſrumpet illos inflatos, ſine voce. 205
5. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis. Dicentes intra ſe pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes. 9,4
Stabunt iuſti in magna conſtantia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt. 11,8
7. Super ſalutem, & omnem pulchritudinem dilexi ſapientiam. 193,8
9. Deprimit mentem multa cogitantem. 576,22
10. Iuſtum venditum non dereliquit, deſcenditque cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum. 17,8
16. Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum, & paratum panem de cœlo præſtitiſti illis ſine labore omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuauitatem 35,20
17. Cùm ſit timida nequitia, dat teſtimonium commendationis: ſemper enim præſumit ſæua perturbata conſcientia. 6
Apparebat autem illis ſubitaneus ignis timore plenus, & timore percuſſi illius, quæ non videbatur faciei, æſtimabant deteriora eſſe, quæ videbantur. 6,16
18. Omnipotens ſermo tuus Domine exiliens de cœlo è regalibus ſedibus durus debellator. 158,17

Ex Eccleſiaſtico.

1. Vnus eſt altiſſimus creator omnium, omnipotens, & Rex potens, & metuendus nimis, ſedens ſuper thronum illius. 14, 13
Plenitudo ſapientiæ eſt timere Deum, & plenitudo à fructibus illius omnem domum illius impleuit, &c. 514,11
2. Væ duplici corde, & labiis ſceleſtis, & manibus malè facientibus, & peccatori terram ingredienti duabus. 630,17
Qui timent Dominum, inquirent, quæ beneplacita ſunt ei, qui diligunt eum, replebuntur, &c. 546
18 Miſeratio Domini circa proximum ſuum. 484,2
Memento paupertatis in tempore abundantiæ, &c. 448
22. Ante ignem camini vapor, & fumus maius inalterantur, ſic & ante ſanguinem maledicta, &c. 551,4
24. Gyrum cœli circuiui ſola, & profundum abyſſi penetraui, & in fluctibus maris ambulaui, & in omni terra ſteti. 34
Quaſi balſamum non mixtum odor meus. 346,8
Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini. 358,6
Quaſi palma exaltata ſum in Cades. 368
Species mulieris exhilarat faciem viri ſui, & ſuper omnem concupiſcentiam, &c 362
Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes, &c. 411,8
Qui implet quaſi Phiſon ſapientiam, & ſicut Tigris in diebus nouorum. 378,5
25. Dominus iudex eſt, & non eſt apud illum gloria perſonæ. 36, 18
27. Homo ſanctus in ſapientia manet ſicut Sol, nam ſtultus ſicut Luna mutatur. 620,5
29. Perde pecuniam propter fratrem, & amicum tuum, & non abſcondas, &c 164,28
31. Splendidum in panibus benedicent labia multorum. 20
Lignum offenſionis eſt aurum ſacrificium tuum; væ illis qui ſectantur illud. 49,2
Beatus vir, qui inuentus eſt ſine macula, & qui poſt aurum non abiit, nec ſperauit in pecuniæ theſauris 49.4
32. Ducem te conſtituerunt, noli extolli, ſed eſto in illis, quaſi vnus ex illis. 356
41. Sapientia abſcondita, & theſaurus inuiſus, quæ vtilitas in vtriſque. 14,13
42. Melior eſt iniquitas viri, quam mulier benefaciens. 470,2
44. Cum leonibus luſit, quaſi cum agnis, & in vrſis ſimiliter fecit, ſicut in agnis ouium in adoleſcentia ſua. 31
51. Colluctata eſt anima mea in illa. 396,6

Ex Iſaia.

1. Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate ſemini nequam filiis ſceleratis, ſuper quo percutiam vos vltra? 98
Agnouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui. 247,1.421,15 582,15
Confundentur enim ab idolis, quibus ſacrificauerunt, & erubeſcetis ſuper hortis quos elegeratis. 2,2
Dies Domini ſuper omnem ſuperbum, & excelſum, ſuper omnem arrogantem, & humiliabitur, &c. 7,14
Audite cœli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus loquutus eſt. 13.69,1.436,8
Et reſtituam iudices tuos, vt fuerunt prius, & conſiliarios tuos ſicut antiquitus, & vocaberis ciuitas iuſti. 139,2
Excoquam ad purum ſcoriam tuam, &c. 143,3
Reſtituam iudices tuos, vt fuerunt prius. 410,10
Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, &c. 477, 18
Super quo percutiam vos vltra addentes præuaricationem. Omne caput languidum. 352
Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. 364, 3
Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur in Ægyptum. 373,1
Væ Aſſur, virga furoris mei, & baculus, ipſe eſt, in manu eorum indignatio mea. 630,17
2. Conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces. 51,8.159,19.296,6
Ingredere in petram, abſcondere in foſſa humo. 210
Super omnes quercus Baſam. 303,3
Et iudicabit gentes, & arguet populos multos, & conflabunt gladios ſuos in vomeres. 458,1

Dras

Dies Domini exercituum super omnem superbum, & super omnes quercus. 575,11
Et super omnes cedros Libani. 604 38
3. Ego mandaui sanctificatis meis, & vocaui fortes in ira mea, exultantes in gloria mea. 11,8
In domo mea non est panis, neque vestimentum; nolite constituere me Principem populi. 48,1.183
Apprehendet enim vir fratrem suum domesticum patris sui; vestimentum tibi est, Princeps esto noster. 31,13
Ruit Hierusalem, & Iudas concidit; quia lingua eorum, & adinuentiones eorum contra Dominum, vt prouocarent oculos maiestatis eius. Agnitio vultus eorum, &c. 424
Pro eo quod eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, & ambulabant, &c. 210,2
Princeps vero ea, quæ sunt digna Principe cogitabit, & ipse super Duces. 331,3
4. Lignum fumigans non extinguet. 388,10
Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem. 522,7
5. Nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius siti exaruit; propterea dilatauit infernus animam suam, &c. 53
6. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & Seraphin stabant super illud, &c. 7,13.190,3.222
Factum est anno quo mortuus est Ozias vidi Dominum. 190
Vinea facta est dilecto meo in cornu filij olei, &c. 472,6
Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis, &c 508 31
Væ, qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, &c. 418, 8
Et eleuabit signum in nationibus, & sibilabit eum. 489,11
In anno, quo mortuus est Rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum. 420,13.448,4
Quæ sub ipso erant, replebant templum. 606,42
In manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari. 609,4
7. Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum supra; & dixit Achaz, non petam. 109, 38
Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel. 493,1
8. Antequam sciat puer vocare patrem, aut matrem, auferetur fortitudo Damasci. 452,1
9. Quoniam omnem stolam congregatam dolo, & vestimentum, &c. 436,8
Primo tempore alleuiata est terra Zabulon, & Nephtalim, &c. 463,23
Delectabitur infans ab vbere super foramine aspidum, &c. 411,1
Paruulus natus est nobis, filius datus est nobis. 362.546,14
10. Visitabo super fructum magnifici Regis Assur, & super gloriam altitudinis oculorum eius. 42,9.517,14
Et erit lumen Israël in igne, sanctus eius in flammam, & succendetur, & deuorabitur spina eius, & vepres in die vna. 278.4
Computrescit iugum à facie olei. 498,12
Suscitauit super eum Dominum exercituum flagellum, iuxta plagam. Madian. 680,4
11 Egredietur virga de radice Iesse, &c. 170,12
Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit, &c. 297,8
Requiescit super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, &c. 387,8
Vitulus, & leo, & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos. 450,9
In die malorum ne immemor sis bonorum, quoniam facile est coram Deo in die obitus, &c. 399,3
12. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. 554,7
13. Et erit Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta in superbia Chaldæorum, sicut subuertit Dominus Sodoma. 73,1
Vnusquisque ad proximum suum stupebit, facies combustæ vultus eorum. 1,1.2,2
Et replebuntur domus eorum draconibus. ibid.
Dominus exercituum præcepit militiæ belli venientibus de terra procul. A summitate cœli Dominus, & vasa furoris eius, vt disperdat omnem terram. 11
Ego suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint; sed sagittis paruulos interficient. 59,4
Nec ponet tentoria Arabs, nec requiescent pastores ibi. 105, 3
Habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi, & respondebunt ibi vlulæ, &c. 229
Vlulate, quia propè est dies Domini: quasi vastitas à Domino veniet. Propter hoc omnes manus dissoluentur, &c. 376,5
Ego mandaui sanctificatis meis, & vocaui fortes meos in ira mea. 380.9
Super montem caliginosum leuate signum. 535.540,3
14 Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. 28 282,3
De radice colubri egredietur regulus, & semen eius absorbens volucrem. 173.344.4
Quomodo cecidisti Lucifer, qui manè oriebaris, &c. 314
Omnes Reges gentium vniuersi in gloria, &c. 484,2
Qui dicebas in corde tuo, in cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, &c. 632,12
16. Emitte agnum Domine Dominatorem terræ de petra deserti. 53,16
18. Ite Angeli veloces ad gentem expectantem, & conculcatam. 168,8.62,9
19. Ecce Dominus ascendit super nubem leuem. 251,9.629,12
Dominus misit in medio eius spiritum vertiginis, &c. 330,2
21. Babylon dilecta mea posita est mihi in miraculum, &c. 485,4
Ad me clamat ex Seir. Custos quid de nocte. 338,16
22. Figam illum paxillum in loco fideli, &c. 503,22
Et vocauit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, & ad planctum, ad caluitium, &c. 519,2
23. Qui obturat aures suas ne audiant sanguinem, & claudit oculos suos ne videant malum: iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius. 55,15
24. Calamum quassatum non confringet. 381
25. Ecce testem populis dedi eum ducem, ac præceptorem gentibus. 43,11
26. In terra sanctorum iniqua fecit: non videbit gloriam Dei. 23, 13
In tribulatione murmuris doctrina eius. 27,5
Incuruauit habitantes in excelso, ciuitatem sublimem humiliauit, humiliauit eam vsque ad terram, detrahet eam vsque ad puluerem. 62,9
Sicut quæ concipit, cùm appropinquauerit ad partum dolens clamat in doloribus suis, sic facti sumus à facie tua Domine, concepimus, & quasi parturiuimus, &c. 137,7.303,4
A facie tua Domine concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum, salutes non faciemus in terra. 192,6
Domine nomen tuum, & memoriale tuum in desiderio animæ. 399,19
Propter timorem Domini in vtero accepimus, & peperimus spiritum salutis. 609,15
A finibus terræ laudes audiuimus, gloriam iusti; secretum meum mihi, &c. 413,3
Concepimus, & quasi parturiuimus spiritum salutis. 544.9
28. Flagellum inundans cum transierit, erit eis in conculcationem, &c. quoniam manè diluculo pertransibit in die, & in nocte. 7 258
Et erit flos decidens gloriæ exultationis eius, qui est super verticem vallis pinguium, quasi temporaneum ante maturitatem autumni, &c. 95.9
Ponam iudicium in spem; at misericordia mea in stateris 438, 11
Manda, remanda; expecta, reexpecta, modicum ibi, &c. 417,11
Hi quoque præ vino nescierunt, præ ebrietate errauerunt. 475, 12
29. Secretum meum mihi, &c. 96,18
30. Væ filij desertores, dicit Dominus, vt faceretis consilium, & non ex me, & ordiremini telam, & non per spiritum meum. 101,13
Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur. Ecce merces eius cum eo, & opus illius coram eo. 163,26
31. Et cadet Assur in gladio non viri, & gladius non hominis vulnerabit eum. 484,2
32. Et factum est cum adoraret in templo Nesroch, Deum suum Adramalech, &c. filij eius percusserunt eum gladio 1,1
Et apparebit in Sion sicut fluuius fluens sub vmbra petræ gloriosus in terra sitienti. 42,10
33. Qui obturat aures suas ne audiant sanguinem, & claudit oculos suos ne videant malum: iste habitabit in excelsis. 45,16. 304,5
Qui ambulat in iustitia, & loquitur veritatem: qui proiicit auaritiam ex calumnia, &c. 123
Regem in decore suo videbunt oculi eius, cernent terram de longè. 161,23
Dissipatæ sunt viæ; cessauit transiens per semitas; irritum factum est pactum. 485
36. Nunquid ad Dominum tuũ, & ad te misit me Dominus meus, vt loquerer omnia verba ista, &c. 420,13
37. Venerunt filij vsque ad partum, & virtus non est pariendi. 303, 4
38. Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui, audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas: ecce ego adijciam, &c. 639,3. 257
Conuertit se ad parietem & fleuit. 276,9
39. Bonum verbum Domini, quod locutus est, fiat tantum pax, & veritas in diebus meis. 249
40. Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ. 311.12
Consolamini, consolamini popule meus, dicit Deus vester. Loquimini ad cor Ierusalem, & aduocate eam, &c. 245,77,2
Quoniam completa est malitia eius. 34,19
Super montem excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion. exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Ierusalem, exalta, noli timere, dic ciuitatibus Iudæ: Ecce Deus vester. 35

Vox

Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini. 35,20
Omnia vallis exaltabitur,& omnis mons humiliabitur,& erunt praua in directa, & reuelabitur gloria Dei,&c. 129
41. Conſurge ſicut in diebus antiquis, in generationibus populorum. 308,5
44 Deleuit, vt nubem iniquitates tuas, quaſi nebulam peccata tua. 17,2
Effundam ſpiritum meum ſuper ſemen tuum,& benedictionem meam per ſtirpem. 467,7
45. Neſcierunt, qui leuant lignum ſculpturæ ſuæ,& rogant Deum non ſaluantem. 116,13
Sic dicit Dominus Deus Chriſto meo Domino,cuius apprehendi dexteram: vt ſubiiciam ante eum gentes, & fortitudinem regum diſrumpam: aperiam ante eum ianuas,&c. 285,4
Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum. Aperiatur terra, &c. 568
46. Confractus eſt Bel, contritus eſt Nabo. 278,3
Poſuit me ſicut ſagittam electam. 473,8
47. Reuelabitur ignominia tua, & videbitur opprobrium tuum: vltionem capiam, & non reſiſtet mihi homo. 180,50
Defeciſti in multitudine conſiliorum tuorum, ſtent, & ſaluent te augures cœli,&c. 181,32
48. Propter nomen tuum longè faciam furorem meum: & laude mea infrenabo te. 38,2
Egredimini de Babylone, fugite à Chaldæis. 137,10
Scio enim quia præuaricans præuaricaberis, & tranſgreſſorem ex vtero vocaui te.
49. Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? & ſi illa oblita fuerit,&c. 237
Leua in circuitu oculos tuos, & vide, omnes iſti congregati ſunt,&c. 504,24
In manibus meis deſcripſi te; muri tui coram oculis meis. 578,6
50. Qui ambulat in tenebris,& non eſt lumen ei; ſperet in nomine Domini, & innitatur ſuper Deum ſuum. 85,2
Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non auerti,&c. 443,3
Ecce vos omnes accendentes ignem accincti flammis, &c. 514
51. Audite me qui ſcitis iuſtum, populus meus, lex mea in corde eorum,nolite timere opprobrium hominum,& blaſphemias eorum ne metuatis. 155
52. Quàm pulchri ſuper montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem. 311,12.412
Solue vincula colli tui,captiua filia Sion. 567,12
54. Ad punctum in modico dereliqui te:& in miſerationibus magnis congregabo te,&c. 18,4.233,1
Lauda ſterilis,quæ non paris,decanta laudem,& hinni,quæ non pariebas, &c. 252,10
Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum,&c. 257,19
Et in iuſtitia fundaberis. 336,12
Ego ſternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in ſaphiris, &c. 556
55. Venite, emite abſque argento, & abſque vlla commutatione vinum, & lac. 60,5
Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas. 331,3
Quare appenditis argentum,& non in panibus,&c. 457
56 Et non dicat Eunuchus: Ecce ego lignum aridum. 252,10
57. Iuſtus perit, nemo eſt, qui recogitet in corde ſuo,& viri miſericordiæ colliguntur: quia non eſt qui intelligat. 22,12
58. Et vocaberis ædificator ſepium. 471,5
Frange eſurienti panem tuum, egenos, vagóſque induc in domum tuam, &c 521,6
60. Tunc videbis,& afflues. 257,19
Me enim inſulæ expectant,& naues maris in principio,vt adducam filios tuos de longè,&c. 260,24
Suges lac gentium,& mammilla regum lactaberis. 275,8
Aperientur portæ tuæ iugiter die,ac nocte,&c. 559,7
Surge, illuminare Hieruſalem, quia venit lumen tuum,& gloria Domini, &c. 559,7
Et venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te,& adorabunt veſtigia pedum. 609,5
61. Spiritus Domini ſuper me, eo quod vnxit, &c. 387,8
62. Habitabit iuuenis cum virgine, & habitabunt in te filij tui, &c. 504,24
63. Quare ergo rubrum eſt indumentum tuum,& veſtimenta tua, &c. 168
Torcular calcaui ſolus. 622,9
64. Non eſt, qui inuocet nomen meum, qui conſurgat,& teneat te. 239,2
65. Expandi manus meas tota die ad populum non credentem, &c. 192,3
Ecce ſerui mei comedent,&c. 422,19.468,10
66. Et erunt ad ſatietatem viſionis omni carni. 63
Ecce ego declinabo ſuper eam, quaſi fluuium pacis, & quaſi torrentem inundantem gloriam gentium, quaſi ſugetis,&c. 151
Qui immolat bouem, quaſi qui interficit virum. 179,18

Ex Ieremia.

1. Priuſquam te formarem in vtero, noui te, & antequam exires, &c. 493,1
2. Tranſite ad inſulas Cethin, & videte, & in Cedar mittite, & conſiderate diligenter, & videte ſi factum eſt huiuſcemodi. 17.2
Recordatus ſum tui, miſerans adoleſcentiam tuam, & charitatem deſponſationis tuæ: quando ſecuta es me in deſerto. 30,11
Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes,& ſuper regna,vt euellas,& deſtruas,& diſperdas, &c. 265,5.295
Super eum rugierunt leones, & dederunt vocem ſuam. 384.2
Adamaui quippe alienos,& poſt eos ambulabo. 551,3
4. Nouate vobis nouale, & nolite ſerere ſuper ſpinas. 310,10
Ergo ne decepiſti populum iſtum Ieruſalem, dicens: Pax erit vobis,& ecce gladius,&c. 105,50
Heu, heu Domine Deus, ergo ne decepiſti populum iſtum Ieruſalem,dicens:Pax erit vobis,& ecce gladius. 259,19
5. Poſui arenam terminum mari, præceptum ſempiternum,quod non præteribit, & commouebuntur, & non poterunt, & intumeſcent fluctus eius,& non tranſibunt illum. 5,8
9. Deducant oculi noſtri lachrymas, & palpebræ noſtræ defluant aquas. 21,10
11. Inuenta eſt coniuratio in viris Iuda, & in habitatoribus Ieruſalem. Reuerſi ſunt ad iniquitates patrum,&c. 118
Oliuam vberem pulchram vocauit Dominus nomen tuum, ad vocem loquelæ grandis,&c. 506,26
Mittamus lignum in panem eius. 605,36
15. Si ſeparaueris pretioſum à vili, quaſi os meum eris. 575,11
22. Terra,terra,audi ſermonem Domini: hæc ait Dominus, ſcribe,&c. 486 589,5
Hæc dicit Dominus ad Ioachim filium Ioſiæ,Regem Iuda:Non plangent eum,&c. 523,9
23. Nolite audire verba Prophetarum,qui decipiunt vos; viſionem cordis ſui loquuntur. 577,4
31. Vox in Rhama audita eſt, ploratus, & vlulatus multus, &c. 459
Ecce dies veniunt, dicit Dominus,& ſeminabo domum Iſraël, & domum Iuda ſemine hominum, & ſemine iumentorum. 514,9
32. Qui poſuiſti ſigna, & portenta in terra Ægypti vſque in diem hanc. 4,5
39. Oculos quoque Sedeciæ eruit, & vinxit eum compedibus, vt duceretur in Babylonem. 176
Et occidit rex Babylonis filios Sedeciæ in Reblatha in oculis, &c. 260.26
48. Date florem Moab. 509,32.519,3
52. Venit Nabuzardam princeps militiæ, qui ſtabat coram rege Babylonis in Ieruſalem. Et incendit domum Domini, & domum regis, & omnes,&c. 172,16

Ex Threnis.

1. Viderunt eam hoſtes, & deriſerunt Sabbata eius. 579,28
Peccatum peccauit Ieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt, &c. 277,2
2. Defecerunt præ lachrymis oculi mei, conturbata ſunt viſcera mea; effuſum eſt in terra iecur meum ſuper contritione filiæ populi mei. 54,14
Matribus ſuis dixerunt, Vbi eſt triticum, & vinum? Cùm deficerent quaſi vulnerati in plateis ciuitatis, cum exhalarent animas ſuas in ſinu matrum ſuarum. 279,5.308,6.334,9 399,4
Tetendit arcum ſuum, quaſi inimicus,firmauit dexteram ſuam quaſi hoſtis, & occidit omne, quod pulchrum erat viſu. 131,8
Cui comparabo te,vel cui aſſimilabo te, filia Hieruſalem. 343,2
Repulit Dominus altare ſuum; maledixit ſanctificationi ſuæ; tradidit in manus inimici,&c. 524,12
3. Audiſti opprobrium eorum Domine, omnes cogitationes eorum aduerſus me, labia inſurgentium mihi, & meditationes eorum aduerſum me tota die. Seſſionem eorum, & reſurrectionem eorum. 236,3
Bonum eſt viro, cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua. 567,1
4. Candidiores Nazaræi eius niue,nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo,ſapphiro pulchriores. Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, non ſunt cogniti in plateis. 248
Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum. 242
Paruuli petierunt panem,& non erat,&c. 386,2.442
Maior effecta eſt iniquitas populi mei peccato Sodomorum. 335,10
Filia populi mei crudelis, quaſi ſtruthio in deſerto. Adhæſit lingua,&c. 385,6

Ex

Ex Ezechiele.

1. Aſpectus earũ,& opera quaſi ſit rota in medio rotæ. 57,20.354
Et manus hominis ſub pennis eorum,&c. 198,18
Cùm eleuabantur animalia de terra, eleuabantur pariter, & rotæ, &c. ibid. 2
Cùm eſſem in medio captiuorum iuxta fluuium Chobar aperti ſunt cœli, & vidi viſiones Dei. 87,11
Et vidi, & ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone:& nubes magna, & ignis inuoluens,& ſplendor in circuitu eius,& de medio eius, quaſi ſpecies electri. 91,3
Cùm ambulabant animalia, ambulabant pariter rotæ iuxta ea. 106,33.259,23
Duæ pennæ ſingulorum iungebantur, & duæ tegebant corpora eorum. 298
2. Et vidi,& cecidi in faciem meam, & audiui vocem loquentis, Et dixit ad me: Fili hominis, ſta ſuper pedes tuos, &c. 335,51
3. Vt adamantem, & vt ſilicem dedi faciem tuam. 289,2
Et aſſumpſit me ſpiritus,& audiui poſt me vocem commotionis magnæ Benedicta gloria Domini de loco ſuo. Et vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram. 189,3
Dixit ad me: Fili hominis, vade ad domum Iſrael,& loqueris verba mea ad eos,&c. 331,5
7. Quoniam terra plena eſt iudicio ſanguinum, & ciuitas plena iniquitate. 107,55
8. Et introduxit me per oſtium portæ domus Domini, quod reſpicit ad Aquilonem; & ecce ibi mulieres ſedebant plangentes Adonidem. 259,23
Fode parietem. Et cum fodiſſem parietem, apparuit oſtium vnum,& dixit ad me: Ingredere,&c. 184
9. Signa Tau ſuper frontes virorum gementium, & dolentium ſuper cunctis abominationibus. 3,4
Et ecce ſex viri veniebant de via portæ ſuperioris, quæ reſpicit ad Aquilonem,& vniuſcuiuſque vas interitus in manu eius: vir quoque vnus in medio eorum veſtitus erat lineis,& atramentarium ſcriptoris ad renes eius. 131,9
Non parcat oculus veſter, neque miſereamini. 434,3
10. Et vidi,& ecce quatuor rotæ Cherubin. 545,11
14. Hæc dicit Dominus Deus, homo, homo de domo Iſrael. 71,5
Si autem & peſtilentiam miſero ſuper terram illam, & effudero indignationem meam,&c. 507,28
16. Hæc dicit Dominus Ieruſalem, radix tua & generatio tua de terra Chanaam. 69,1
Soror tua maior Samaria ipſa, & filiæ eius, quæ habitant ad ſiniſtram tuam. 69,1
Ecce hæc fuit iniquitas Sodoma,ſororis tuæ,ſuperbia, & ſaturitas. 341,52
17. Aquila grandis magnarum alarum longo membrorum ductu, plena plumis, & varietate venit ad Libanum, & tulit medullam cedri, ſummitatem frondium eius auulſit, &c. 291,7
20. Ergo, & ego dedi eis præcepta non bona, & iudicia in quibus non viuant.
Vnuſquiſque offenſionem oculorum ſuorum abiiciat. 78,1.74,5
21. Gladius, gladius exacutus eſt, & limatus: vt cædat victimas exacutus eſt, vt ſplendeat limatus eſt. 285,3
23. Inſaniuit ſuper eos concupiſcentia oculorum ſuorum,& miſit nuntios ad eos. 480,12
24. Sanguis eius in medio eius,ſuper limpidiſſimam petram effudit illum, non effudit illum ſuper terram, vt poſſit operiri puluere. 154,8
27. Plaga autem Auſtralis meridiana à Thamar vſque ad aquas contradictionis. 103,27
28. Perdidiſti in decore tuo ſapientiam. 44,13
Poſui te in monte ſancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulaſti, perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inuenta eſt iniquitas in te,&c. 289
Tu Cherub extenſus, & protegens poſui te in monte ſancto Dei, &c. 371,15
Leua planctum ſuper Regem Tyri, & dices ei: Hæc dicit Dominus Deus. Tu ſignaculum ſimilitudinis,&c. 650,15
34. Et ſuſcitabo eis germen nominatum,& non erunt vltra imminuti fame in terra. 122,15
Ecce ego ipſe requiram oues meas, & viſitabo eas, ſicut viſitat paſtor gregem ſuum in die quando fuerit in medio ouium ſuarum diſſipatarum. 184
Væ paſtoribus Iſrael, quia paſcebant ſemetipſos, non gregem, &c. 409,7
37. Dimiſit me in medio campi, qui erat plenus oſſibus. 570
43. Oſtende domui Iſraël templum,vt confundantur ab iniquitatibus ſuis:metiantur fabricam,& erubeſcant,&c. 588,1

Ex Daniele.

2. Reſponderùntque Chaldæi Regi Syriacè. Rex in ſempiternum viue. 250,7
Abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus, & percuſſit ſtatuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & comminuit eos. 65,16
Lapis autem, qui percuſſerat ſtatuam, factus eſt mons. 210,8
Deus magnus oſtendit regi, quæ ventura ſunt poſtea. 183
Præcepit autem rex,vt conuocarentur arioli, & Magi, & Chaldæi, & vt indicarent regi ſomnia ſua. 143,9
Regnum tuum tibi manebit,&c. 62,9
Tibiæ autem ferreæ pedum,quædam pars ferrea, quædam autem fictilis. 465,4
3. Et confeſtim viri illi vincti, cum brachiis ſuis,& tiaris, & calceamentis,& veſtibus miſſi ſunt in medio fornacis ignis ardentis, &c. 186,36
Effundebatur flamma ſuper fornacem cubitis quadraginta nouem,& erupit,& incendit quos reperit,&c. 256,2 431,36
Nónne tres viros miſimus in medium ignis compeditos, &c. 278,4
Ecce ego video quatuor viros ſolutos, & ambulantes medio ignis, & nihil corruptionis in eis eſt,& ſpecies quarti ſimilis filio Dei. 318,1.519,1
Angelus autem Domini deſcendit cum Azaria, & ſociis eius. 543
A me ergo poſitum eſt hoc decretum,vt omnis populus tribus, & lingua, quæcumque locuta fuerit,&c. 547
4. Succidite arborem,& præſcindite ramos, excutite folia eius,& diſpergite. 13.310,2
Veruntamen germen radicum eius in terra ſinite. 263
Viſiones ſomniorum meorum, quas vidi, & ſolutionem earum narra. 29
Cumque ſermo adhuc eſſet in ore regis,vox de cœlo ruit: Tibi dicitur Nabuchodonoſor, regnum tranſibit à te,& ab hominibus eiicient te,&c. 166,4.255,15
Quamobrem rex, conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime, &c. 438,12
Tu es Rex, qui magnificatus es,& inualuiſti, & magnitudo tua creuit. 517,14
Poſt finem dierum ego Nabuchodonoſor oculos meos ad cœlum leuaui. 397,5.548,18.606,41
Magna arbor, & fortis, & proceritas eius contingens cœlum: folia eius pulcherrima & fructus nimius. 625,1
Ego Nabuchodonoſor quietus eram in domo mea, & florens, &c. 509,32
Ex hominibus abiectus eſt, & fœnum, vt bos comedit. 538,6
In ramis eius conuerſabantur volucres cœli. 613,1
7. Quatuor beſtiæ grandes aſcendebant de mari diuerſæ inter ſe. Prima quaſi leæna, & alas habet Aquilæ: & ecce beſtia alia, &c. 181
Prima quædam leæna & alas habebat aquilæ; aſpiciebam, donec euulſæ,&c. 456,9
Aſpiciebam donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit, & libri aperti ſunt. 628,10
8. Magnificatum eſt vſque ad fortitudinem cœli,& deiecit de fortitudine, & de ſtellis,& conculcauit eas. 68,9
11. Et docti in populo docebunt plurimos, & ruent in gladio, & in flamma. 119,19
13. Poſtquam ſenes locuti ſunt, erubuerunt ſerui vehementer. 538
Anguſtiæ ſunt mihi vndique. 578,4

Ex Baruch.

6. Videbitis in Babylone Deos aureos, & argenteos in humeris portari, oſtentantes metum gentibus. Videte ergo ne vos ſimiles efficiamini factis alienis, & metuatis, & metus vos capiat in ipſis. Viſa autem turba de retro,& ab ante adorantes dicite,&c. 107,35

Ex Oſea.

1. Et erit in loco vbi dicitur eis, non populus meus vos, dicetur eis, filij Dei viuentis, & congregabuntur filij Iuda,& filij Iſrael pariter apponent ſibimet caput vnum. 147,11
Voca nomen eius Iezrael, quoniam adhuc modicum,& viſitabo ſanguinem Iezrael ſuper domum Iehu. 179,18.180,30. & 188
Quoniam adhuc modicum,& viſitabo ſanguinem Iezraël ſuper domum Iehu. 188
Ab vtero ſupplantauit fratrem. 183,2
Et erit in loco vbi dicetur eis, non populus meus vos, dicetur eis, Filij Dei viuentis. Et congregabuntur filij Iuda, & filij Iſraël pariter,& ponent ſibimet caput vnum,& aſcendent de terra,quia magnus dies Iezraël. 147,9
2. Vadam poſt amatores meos,qui dant panes mihi,& aquas meas, lanam meam, & linum meum, oleum meum, & potum meum. 102,23
Dabo eis vallem Achor ad aperiendam ſpem. 107,34
Et ſequetur amatores ſuos, & non apprehendet eos, & quæret eos,& non inueniet,& dicet,&c. 211,4
Et erit in die illa ait Dominus, vocabit me vir meus,& non vocabit me vltra Baalim,&c. ibid.
Deſponſabo te mihi in ſempiternum. 512

Et hæc ceſciuit, quia ego dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicaui ei, & aurum quæ fecerunt Baal,&c. 282,2

3. Gloriam eorum in ignominiam commutabo, peccata populi mei comedent,& ad iniquitatem eorum ſubleuabunt animas eorum,& erit ſicut populus ſic ſacerdos. 263,6

4. Paſcet eos Dominus ſicut agnum in latitudinem. 145,8

Separatum eſt conuiuium eorum, fornicatione fornicati ſunt: dilexerunt afferre ignominiam protectores eius. 173,18

Neque iuraueritis, viuit Dominus. 15,7

5. Facti ſunt Principes quaſi aſſumentes terminum, ſuper ipſos effundam, quaſi aquam iram meam. Calumniam patiens Ephraim, fractus iudicio,&c. 320,2

6. Quaſi diluculum præparatus eſt egreſſus eius, & veniet nobis quaſi imber temporaneus,& ſerotinus terræ. 10

Ipſe cœpit, & ſanabit nos, percutiet, & curabit nos. 158,17

7. Expandam ſuper eos rete meum,quaſi volucres cœli detraham eos, cædam eos quaſi auditionem cœtus eorum. 5,9

Factus eſt Ephraim, ſicut columba ſeducta eſt,&c. 277,2

Et fur ingreſſus ſpolians,latrunculus foris. 16

In malitia ſua lætificauerunt regem,& in mendaciis ſuis Principes. 40

8. Ipſi regnauerunt, & non ex me, Principes extiterunt, & non cognoui argentum ſuum, & aurum ſuum fecerunt ſibi idola. 102,13

10. Ephraim vitula docta diligere trituram. 63,12

Seminate vobis ad iuſtitiam, vendimiate ad fructum vitæ: illuminate vobis lumen cognitionis. 106,32

Seminate vobis in iuſtitia, metite in ore miſericordiæ, innouate vobis nouale. 206,8

11. Ego quaſi nutritius Ephraim, portabam eos. 170,12.315

Circumdedit me Ephraim negotiatione ſua, & in dolo domus Iſraël. 609,4

12. Ephraim paſcit ventum, & ſequitur æſtum; tota die mendacium, & vaſtitatem multiplicat,& fœdus cum Aſſyriis iniit, & oleum in Ægyptum ferebat. 91,2

Chanaam in manu eius ſtatera doloſa calumniam dilexit. 592

Paſcit ventum, ſequitur oſtium,&c. 610

13. Ego ero eis quaſi leæna, ſicut pardus in via Aſſyriorum occurram eis,quaſi vrſa raptis catulis,&c. 4,6

Adducit vrentem ventum Dominus de deſerto. 262,4

Adducet Dominus ventum vrentem de deſerto aſcendentem, & ſiccabit venas eius. 209

Loquente Ephraim, horor inuaſit Iſraël, & deliquit in Baal. 371,15

Adducet Dominus ventum vrentem de deſerto aſcendentem, & ſiccabit venas eius. 406,2

Conſolatio abſcondita eſt ab oculis meis, quia ipſe inter fratres,&c. 526,16

14. Tollite vobiſcum verba, & conuertimini ad Dominum, &c. 270

Ex Ioële.

1. Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo, demolita ſunt horrea,&c. 455,8

Gens enim aſcendens ſuper terram meam fortis, & innumerabilis,&c. 333,7

2. Ante faciem eius ignis vorans, & poſt eum exurens flamma, quaſi ortus voluptatis terra coram eo, & poſt eum ſolitudo deſerti, neque eſt, qui effugiat eum. 8,1

Mittam vobis frumentum, & vinum, & replebimini. 422,17

Reddam vobis annos,quos comedit locuſta,bruchus,& rubigo, & eruca fortitudo mea magna,&c. ibid.

Sanctificate ieiunium,vocate cœtum. 614

Scindite corda veſtra,& non veſtimenta. 424,20

Ex Amos.

2. Et mittam ignem in Moab,& deuorabit ædes Carioth, & morietur in ſonitu Moab. 5,9

Stridebo ſuper vos ſicut plauſtrum fœno. 210,1

Numquid cadet auis in laqueum terræ abſque aucupe? 218,9

6. Væ qui opulenti eſtis in Sion,& confiditis in monte Samariæ, optimates capita populorum ingredientes pompaticè domum Iſraël. 22,11

Væ qui dormitis in lectis eburneis, & laſciuitis in ſtratis veſtris, qui comeditis agnum de grege, &c. 130,6

Qui ſeparati eſtis in diem malum,& appropinquatis ſolio iniquitatis. 186,37

Væ, qui opulenti eſtis in Sion, & confiditis in monte Samariæ optimates,capita populorum,&c. 519,3.564,7

Væ, qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti. Qui canitis ad vocem pſalterij, ſicut Dauid, putauerunt ſe habere vaſa cantici, &c. 521

7. Ecce vir ſtabat ſuper murum adamantinum. 54,14

Ex Iona.

2. Et peruenit verbum ad Regem,Niniue ſurrexit de ſolio. 337,14.438,12

Præparauit Dominus piſcem grandem, &c. 397,6

Pelagus operuit caput meum. Ad extrema montium deſcendi. 411,1

3. Operiantur ſaccis homines, & iumenta,& clament ad Dominum in fortitudine. 84,4

Et clamauit, & dixit: Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur, & crediderunt viri Niniuitæ, & prædicauerunt ieiunium,&c. 140

Et cœpit Ionas introire ciuitatem itinere diei vnius,& clamauit, & dixit: Adhuc quadraginta dies,&c. 389,12.405,18.458,12.582

Et vidit Deus opera eorum, quia conuerſi ſunt de via ſua mala, &c. 425,14

Peruenit verbum ad Regem Niniue, & ſurrexit. 624

Ex Michæa.

1. Verbum Domini, quod factum eſt ad Michæam Moraſthitem. 128

Nahum.

1. Deus æmulator,& vlciſcens Dominus, & habens furorem. 382,13

Dominus patiens,& magnus fortitudine,& mundans non facict innocentem. 436,25

Sicut ſpinæ ſe inuicem complectuntur, ſic conuiuium eorum, &c. 535,1

3. Cuſtodes tui quaſi locuſtæ.

Ex Habacuc.

1. Ipſe ſuper omnem munitionem ridebit, & comportabit aggerem,& capiet. 305,9

Facies hominis, quaſi piſces maris. 626,7

Ego ſuſcitabo Chaldæos gentem amaram, & velocem, & ambulantem ſuper latitudinem, &c. 567,12

2. Et ipſe de regibus triumphabit,tyranni ridiculi eius. 135,6

Si moram fecerit, expecta eum,quia veniens veniet,& non tardabit. 21,10

Vſquequo aggrauat contra ſe denſum lutum? 625,5

3. Cuſtodiui, & expauit venter meus à voce orationis labiorum meorum. 196,13

Splendor eius, vt lux erit, cornua in manibus eius,ante faciem eius ibit mors. 159

Ficus enim non florebit, & non erit germen in vineis, mentietur opus oliuæ,&c. 57,19.375

Cuſtodiui, & expauit venter meus à voce orationis, &c. 105,31.434

Domine,audiui auditionem tuam,& timui;Domine,opus tuum in medio annorum. 423,19

Deus ab Auſtro veniet, & ſanctus de monte Pharan, &c 606

Ex Sophonia.

1. Iuxta eſt dies Domini magnus, & iuxta eſt, & velox nimis,&c. 513,7

4. Iudices eius lupi veſperi. 450,8

Ex Zacharia.

1. Vidi per noctem,& ecce vir aſcendens ſuper equum rufum, & ipſe ſtabat inter myrteta. 290,4

2. Poſt gloriam miſit me ad gentes. 15

3. Ecce lapis quem dedi coram Ieſu,ſuper lapidem vnum ſeptem oculi ſunt. 39.464,14

4. Et educent lapidem primarium, & exæquabit gratiam. 444,5

Iſti duo filij olei,ſplendoris, qui aſſiſtunt dominatori. 556,1

5. Ecce volumen volans. 76,8

Ecce talentum plumbi portabatur,& ecce mulier vna ſedens in medio amphoræ. 378,5

6. Ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium, & montes ærei,in quadriga prima equi rufi,&c.in quadriga quarta equi varij,& fortes. 61,8

7. Et factum eſt, ſicut locutus eſt,& non audierunt,ſic clamabunt, & non exaudiam, &c. 241,6

Factum eſt verbum Domini ad me, dicens:Loquere ad omnem populum, & Sacerdotes. 386,6

9. Et Dominus Deus ſuper eos videbitur, & exibit vt fulgur iaculum eius,& Dominus Deus in tuba canet, & vadet in turbine auſtri, Dominus exercituum proteget eos. 11,7

Exulta ſatis filia Sion, iubila filia Ieruſalem, ecce rex tuus venit tibi iuſtus, & ſaluator ipſe pauper,& aſcendens ſuper aſinum. 92,2

Tu

Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, &c. 525,15
11. Vlula abies, quia cecidit cedrus. 190.430,34
Benedictus Dominus Deus, quia diuites facti ſumus. 409,7
In illa die erit, quod ſupra frænum equi eſt ſanctum Domino. 622
12. Et planget terra familiæ,& familiæ ſeorſum: familiæ domus Dauid ſeorſum,& mulieres eorum ſeorſum. 69,1
Effundam ſuper domum Dauid, & ſuper habitatores Ieruſalem ſpiritum gratiæ, & precum. 239
13. Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum. 148,14
Framea ſuſcitare ſupra paſtorem meum, & ſuper virum cohærentem mihi,&c. 159,18

Ex Malachia.

1. Ab ortu ſolis vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur: & offertur nomini oblatio munda,&c. 113
Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. 497,10
2. Maledicam benedictionibus veſtris. 179,28
Dominus teſtificatus eſt inter te,& vxorem pubertatis tuæ,&c. 531,3
3. Et accedam ad vos in iudicio, & ero teſtis velox maleficis. 517,7
4. Sit cibus in domo mea,& probate me ſuper hoc,dicit Dominus, ſi non aperiero vobis cataractas cœli,& effudero vobis benedictionem vſque ad abundantiam. 20
Et calcabitis impios cùm fuerit cinis ſub planta pedum veſtrorum, in die qua ego facio, dicit Dominus exercituum. 63
Orietur vobis timentibus nomen meum ſol iuſtitiæ, &c. 245

Ex I. Machabæorum.

2. Omnes qui fugiebant à malis, additi ſunt ad eos, & facti ſunt illis ad firmamentum. 149,1
Omnis qui habet zelum legis,ſtatuens teſtamentum exeat poſt me,& fuget ipſe, & filij eius in montes. 150,2
A verbis viri peccatoris ne timueritis;quia gloria eius ſtercus, & vermis eſt; hodie extollitur, & cras non inuenietur, quia conuerſus eſt in terram ſuam, & cogitatio eius periit. 152,5
5. Faciamus & ipſi nobis nomen, & eamus pugnare aduerſus gentes. 498,12
Cum appropinquauerit Iudas, & exercitus eius ad torrentem aquæ,ſi tranſierit ad nos prior,non poterimus ſuſtinere, &c. 511,3
6. Et vidit Eleazar filius Saura vnam de beſtiis loricatam loricis Regis,&c. 573.4
12. Nos cum nullo horum indigeremus,habentes ſolatio ſanctos libros,qui ſunt in manibus noſtris.Maluimus mittere ad vos renouare fraternitatem,& amicitiam. 283,5

Ex II. Machabæorum.

2. Ambierat Iaſon frater Oniæ ſummum ſacerdotium, adito Rege, promittens ei argenti talenta trecenta ſexaginta, &c. 539,1
6. Cùm Liberi ſacra celebrentur,cogebantur hædera coronati Libero circuire. 171
7. Dominus Deus aſpiciat veritatẽ,& conſolabitur in nobis,quemadmodum in proteſtatione cantici,&c. 182
Peto te nate,vt aſpicias ad cœlum, & terram, & ad omnia, quæ in eis ſunt,& intelligas;quia ex nihilo fecit illa Deus,& hominum genus; ita fiet, vt non timeas carnificem iſtum, ſed dignus fratribus tuis effectus particeps ſuſcipe mortem, &c. 127,1
Poſt hunc tertius eliditur, & linguam poſtulatus citò protulit, & manus conſtanter extendit,& cum fiducia,ait; è cœlo iſta poſſideo,ſed propter Dei leges nunc hæc ipſa deſpicio; quoniam ab ipſo me ea ſuſcepturum ſpero. 155,10
8. Iratus itaque Rex, iuſſit ſartagines, & ollas æneas ſuccendi. Quibus ſtatim ſuccenſis, iuſſit ei, qui prior fuerat locutus, amputari linguam. 130

EX NOVO TESTAMENTO.

Ex Matthæo.

Cap. 1. Ioſeph autem vir eius, cùm eſſet iuſtus,& nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. 220,13.478,21.596
Iudas autem genuit Phares,& Zaram de Thamar. 465,3
Antequam conuenirent,inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto. 347,10
Booz autem genuit Obed ex Ruth. 416,5
2. Herodes occidit multos pueros,qui erant Bethleem. 249,5
Vidimus ſtellam eius in oriente, & venimus, &c. 42,9.68.181,32
Surge, accipe puerum, & matrem,& fuge. 149,1.221,15.320,3
Inuenerunt puerum cum Maria matre eius,& procidentes adorauerunt eum; & apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera. 98,16.610,7
Et tu Bethleem terra Iuda,nequaquam minima es, ex te enim, &c. 292
Ne redirent ad Herodem. 211,4
Apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei aurum,thus,& myrrham. 522,7
Occidit multos pueros. 566,11
Fuge in Ægyptum,& eſto ibi. 587,1
3. Qui autem poſt me venturus eſt,fortior me eſt,cuius non ſum dignus calceamenta portare. 34,18
Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. 292,9
Baptizatus autem Ieſus confeſtim aſcendit de aqua, & ecce aperti ſunt ei cœli. 380,10.432,38.531,4
Dic,vt lapides iſti panes fiant. 499,13.522,7
Ipſe autem Ioannes habebat veſtimentum de pilis camelorum. 536,2.565,9
4. Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me, &c. 314
Ductus eſt in deſertum à ſpiritu. 320,3
Tunc reliquit eum diabolus; & ecce Angeli miniſtrabant ei: cùm autem audiſſet Ieſus, quòd Ioannes traditus eſſet. 28
Oſtendit ei omnia regna mundi,& gloriam eorum. 90
Vidit duos fratres,Simonem qui vocabatur Petrus,& Andream fratrem eius, mittentes rete in mare. 107,34
Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſolis ſeruies. 248,3
Relictis retibus,& patre, ſecuti ſunt eum. 568,10
Venite, faciam vos fieri piſcatores hominum. 340
Mitte te deorſum. 611,9
5. Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te;relinque ibi munus tuum, &c. 111,3.217,7
Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt. 134,3.564
Beati qui lugent,quoniam conſolabuntur. 357,3
Pater noſter, qui es in cœlis. 360,1.365,5
Panem noſtrum quotidianum. 462,21.468
Lex,& Prophetæ vſque ad Ioannem. 477,17
Ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus. 606.42
Audiſtis, quia dictum eſt: Diliges proximum, & odio habebis inimicum tuum?Ego autem, &c. 478,21
Si oculus tuus dexter ſcandalizat te. erue eum, & proiice abs te. 523.8
6. Non eritis ſicut hypocritæ, qui amant in Synagogis, & in angulis platearum ſtantes orare, vt videantur. 8
Neſciat ſiniſtra tua, quod faciat dextera tua. 12,9
Ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ, quid manducetis, neque corpori veſtro, quid induamini. 47,21
Niſi vt mittatur foras,& conculcetur ab hominibus. 168,8
Cùm ergo facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te ſicut hypocritæ faciunt in Synagogis. 67
Quærite primùm regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis. 99,10.171,14
Ne videaris hominibus ieiunans, ſed patri tuo, qui eſt in abſcondito. 111,3
Quare Magiſter veſter cum publicanis & peccatoribus manducat. 120,21
Adueniat regnum tuum. 270
Ego autem dico vobis,diligite inimicos veſtros. 383,16.478,21
Si quis vult venire poſt me, abneget, &c. 472,6
Conſiderate lilia agri, quomodo creſcant. 494,3.504,23
7. Tunc confitebor illis,quia nunquam noui vos. 131
Ne mittas margaritas ante porcos. 177,25
8. Sæui nimis, ita vt nemo poſſet tranſire per viam illam. 70,3
Ego veniam,& curabo eum. 272,2
Domine ſalua nos, perimus. 162,25
Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus. 180,31
Dico autem vobis,quòd multi ab Oriente,multi ab Occidente venient,&c. 230.259.306.486,6
Ibi erit fletus, & ſtridor dentium. 492,17
Veſpere autem facto,obtulerunt ei multos,&c. 576,1
Et cum veniſſet trans fretum in regionem Geraſenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia. 387,7 392,5.606
Veniſti ante tempus torquere nos. 513,7.540,2.570.606
Cum introiſſet Capharnaum Ieſus, acceſſit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Domine, puer meus iacet, &c. 412,2.530,2
Non inueni tantam fidem in Iſraël. 533.8

9. Accessit retrò, & tetigit fimbriam vestimenti eius: dicebat enim intra se, si tetigero tantùm vestimentum eius, salua ero. 96, 12.310,25 526,27
Cùm transiret inde Iesus, vidit hominem sedentem in telonio, &c. 101
Nemo mittit commissuram panni, &c. 569,4
10. Mitto vos sicut oues in medio luporum. 19,5
Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta. 101,22.216,5.313
Dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini; non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus, &c. 232,13
11. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis. 14,12. 583,16
Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista. 112
Quid existis in desertum videre, arundinem vento agitatam? 277,2
Nec patrem quis nouit, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. 196,13
Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi mittens duos, &c. 385,3.453,2
Tu es, qui venturus es? 386
Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista. 460. 542,5
12. Abiit Iesus per sata Sabbato; discipuli autem eius esurientes, cœperunt vellere spicas, & manducare, Pharisæi autem videntes dixerunt, &c. 176,22.329,1.932
Erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus. 191,4
Quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, &c. 483. 597,23
Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? 333,7
Non legistis, quid fecerit Dauid? 611,9
13. Simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas. 41,6.41,8.511.4
Cadit in terram bonam, & dat fructum. 31,8
Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum. 59,3
Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro. 199, 20.434
Alia ceciderant in petrosa, vbi non habebant terram multam. 339,19
Sinite vtraque crescere vsque ad messem, & in tempore messis dicam, &c. 414,1
14. Et allatum est caput eius in disco, & datum est puellæ. 215, 4
Domine, si tu es, iube me venire ad te. 106,32
Volo vt des mihi in disco caput Ioannis. 112.187.317,11
Propter iuramentum tamen, & eos qui recumbebant. 175,21. 180,30.535,1
Accedens discipuli tulerunt corpus, & sepelierunt illud, & venientes nuntiauerunt Iesu. Quod cùm audisset Iesus, secessit. 179,19
Simile est regnum cœlorum sagenæ, &c. 501,19.617,8
Superseminauit zizania in medio. 510,2
Ablegauit eum, & posuit in carcerem. 479,22.530,2.613,2
15. Videns ventum validum timuit, & cœpit mergi, &c. 180, 7
Non est bonum sumere panem filiorum, & dare canibus. 381
Miserere mei, Domine, fili Dauid, filia mea malè à dæmonio vexatur. 603,37
Misereor turbæ, quia iam triduo sustinent me. 431,38
Non enim manus lauant, cum manducant. 418
Fiat tibi sicut vis. 527,19
O mulier, magna est fides tua, fiat tibi, &c. 533,8.546,12
16. Tibi dabo claues regni cœlorum. 506.142,8
Absit à te Domine, non erit tibi hoc. 131
Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater. &c. 222,17.224,20
Quem dicunt homines esse filium hominis? 319,17
Sunt quidam de his stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant. 356,2
Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam. 502,20.611, 9
Tu es Christus, Filius Dei viui, &c. 548,18
Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam, &c. 472,6
Tu es Christus, Filius Dei viui. Respondens autem Iesus, dixit ei, &c. 428,29
Beatus es, Simon Bariona. 598
17. Et resplenduit facies eius sicut sol. 323,8
Duxit illos in montem excelsum. 217,8
Et audientes discipuli ceciderunt in facies suas super terram, & timuerunt valde. 161,28
Ecce apparuerunt illis Moyses, & Elias cum ei loquentes. 163, 26
Ecce nubes lucida obumbrauit eos, &c. 276,1
Faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum. 189,41.316
Bonum est nos hic esse. 200
Ecce vox de nube dicens. Hic est filius meus dilectus, in quo, &c. 204,5
Ascendit Iesus in montem, & transfiguratus est. 340,20
Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, &c. 428,31
Et resplenduit facies eius sicut Sol; vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. 450,9
Bonum est, nos hic esse. Faciamus, &c. 587,7
Neminem viderunt, nisi solum Iesum. 415
Ecce vox de nube, dicens: Hic est Filius meus dilectus. 531, 4
18. Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi; misertus autem dominus serui illius dimisit eum, & debitum dimisit ei. 105,31
Væ mundo à scandalis. 245,9
Aduocans Iesus paruulum, &c. 249,5
Quis putas maior est in regno cœlorum? 221,15
Si autem peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum, inter te, & ipsum solum. 189,1
Egressus autem seruus ille inuenit vnum de conseruis suis, &c. 350,16
Vbi sunt duo congregati in nomine meo, ibi sum. 414
Necesse est, vt veniant scandala. 465,4
Da eis pro me, & pro te. 502,20
Expedit ei, vt suspendatur mola asinaria. 457
Iudex quidam erat in quadam ciuitate, qui nec Deum timebat, &c. 562,2
Vespere autem facto, obtulere Iesu multos. 585,21
19. Et sunt Eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum cœlorum. 56,7
Si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere. 91
Sinite paruulos, nolite prohibere, &c. 249,3
Facilius est, camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum cœlorum. 344.3 410,9
Sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël. 350,16.542.622,20
Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. 545,6
20. Non est meum dare vobis. 192,6.372.574,9
Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur, &c. 236,5.388,10
Vidit alios stantes in foro otiosos. 446
Tertia die resurget. 602,35
Dic, vt sedeant duo filij mei, vnus ad dexteram, alius ad sinistram. 402,10
Qui portauimus pondus diei, & æstus. 499,13
Accessit ad Iesum mater filiorum Zebedæi, adorans, &c. 506, 27
Domine, vt aperiantur oculi nostri. 517
21. Vadit, & assumit alios septem spiritus secum nequiores. 98
Turba autem increpabat eos, vt tacerent. 107,33
Hic est hæres, venite occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius. 107,10
Intrauit Iesus in templum Dei, & eijciebat omnes ementes, & vendentes, &c. 478,20
Generatio mala, & adultera. 506,26
22. Mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium. 23,13
In resurrectione, neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo. 33,16
Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. 206,8
Intrauit autem Rex, vt videret discumbentes, & vidit ibi hominem. 567,12
23. Iam enim securis ad radicem arborum posita est. 13
Væ vobis, Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta, &c. 460,16
24. Audituri estis prælia, & opiniones præliorum, videte, &c. 226,2
Vbi corpus fuerit, congregabuntur & Aquilæ. 316,9
Cum videritis abominationem stantem in loco sancto, &c. 548,18
Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret vsque in Occidentem, &c. 496,8
Duo erunt in agro, vnus assumetur. 497,10
Vsque ad diem, in quo intrauit Noë in arcam, & non cognouerunt. 519,2.510,4
Duæ molentes in mola vna, vna assumetur. 514
Ligatis manibus, & pedibus mittite eum in tenebras, &c. 352, 19
Super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. 546, 13
Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Discedite à me maledicti, &c. 445.524
Et separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hædis. 494.4
Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit. 532, 6

Timens abij,& abscondi talentum tuum in terra. 612
Quid vultis mihi dare,& ego eum vobis tradam. 115,10
Constituerunt ei triginta argenteos. 584
Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. 394
Conuerte gladium tuum in locum suum, omnes enim, qui acceperint gladium,&c. 332
Non bibam de hoc genimine vitis, donec bibam illud nouum, &c. 627,9
Etiamsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. 461,19
Potuit vnguentum istud venundari multo, & dari pauperibus. 549,19
Hymno dicto, exierunt in montem Oliueti. 437,30
Accepit Iesus panem,& benedixit ac fregit, deditque discipulis,&c. 474,10
Tristis est anima mea vsque ad mortem. 399
Si filius Dei es, descende de cruce. 547,15
Abiens laqueo se suspendit. 480,26.603,37
25. Dormitauerunt omnes,& dormierunt. 261,5
Sol obscurabitur, luna non dabit lumen suum. 2,2
Ne fortè non sufficiat nobis & vobis ; ite potiùs ad vendentes. 7,13
Veniens Dominus separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hædis. 15,15
At ille respondens ait. Amen dico vobis,nescio vos. 17,1
Quod fecistis vni ex istis minimis fratribus meis,mihi fecistis. 107,34.114
Domine, Domine, aperi nobis. 180,37
Accepit Iesus panem,benedixit,ac fregit. 115,18
Esuriui, & dedistis mihi manducare. 154,9
Tunc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt ; Venite benedicti Patris mei; esuriui enim. 176,23
26. Non bibam de hoc genimine vitis ,donec bibam illud nouum vobiscum in regno Patris mei. 24.126,33
Conuerte gladium tuum in locum suum, omnes enim qui acceperint gladium,gladio peribunt. 46
Sinite illam. 60,6
Et egressus foras fleuit amarè. 93,5
Dico autem vobis , non bibam amodò de hoc genimine vitis, vsque in diem illum cùm illud bibam vobiscum nouum. 126,33
27. Non licet eos mittere in corbonam. 97,13
Habetis custodiam ; ite, custodite. 97,34
Videns autem Pilatus, quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret accepta aqua lauit manus coram populo. 555,23
Prætereuntes blasphemabant eum,mouentes capita sua. A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram. 133,7
Abiens laqueo se suspendit. 559,18.174,19.179,58
Tunc videns Iudas,qui eum tradidit,quod damnatus esset,pœnitentia motus,&c. 335,10 424,21
Velum templi scissum est,&c. 568,2.589,5
Iesus autem iterum clamans voce magna emisit spiritum , &c. 333,7.585,50
Prætereuntes autem blasphemabant eum:similiter & Principes Sacerdotum illudentes, &c. 423,19
Sanguis eius super nos. 385,20
Cum gustasset , noluit bibere. 489,18
Plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius. 551
A sexta autem hora tenebræ factæ sunt,&c. 568,2

Ex Marco.

1. Venit fortior me post me , cuius non sum dignus procumbens soluere calceamenta,&c. 302,20
4. Num lucerna accenditur,vt sub modium ponatur? 518,1
5. Quod tibi nomen ? Respondit, legio. 8,1
Sæpe compedibus,& catenis vinctus. 70,3
Quid mihi,& tibi,Iesu fili Dei altissimi? 410,10
Neque catenis iam quisquam poterat eum domare , &c. 605,41
6. Quidquid petieris,dabo tibi, licèt dimidium regni mei. 180,30
Volo vt protinus des mihi in disco caput Ioannis. 25,8
Et contristatus est rex propter iusiurandum. 59,3
Quem ego decollaui Ioannem, hic à mortuis surrexit. 257
Et præcepit eis , ne quid tollerent in via , nisi virgam , &c. 391,3
Etiamsi dimidium regni petieris. 495
7. Inde exurgens Iesus,abiit in fines Tyri, & Sydonis:& ingressus domum. 371,16
8. Video homines velut arbores ambulantes ; iterum posuit manus,&c. 12,19
Et manducauerunt,& saturati sunt, & sustulerunt quod superauerat de fragmentis septem sportas. 113
Dæmones autem rogabant eum,dicentes : Si eiicis nos , mitte nos in gregem. 347,12
9 Faciamus tria tabernacula, tibi vnum, & Moysi vnum , & Eliæ vnum ; non enim sciebat, quid diceret. 281,8
10. Nescitis quid petatis , potestis bibere calicem, quem ego bibo,aut baptismo,quo ego baptizor,baptizari? 58,1
Cœpit Iesus ostendere discipulis suis , quia oportet eum ire Hierosolymam,&c. 348,32
11. Iam non amplius in æternum , ex te fructum quisquam manducet. 90
14. Poterat vnguentum istud venundari plus quam trecentis denariis. 549,19
15. Erat autem hora tertia , cum crucifixerunt eum. 479,22
Venit Ioseph ab Arimathia , nobilis Decurio , qui & ipse erat expectans regnum Dei,&c. 488,10.597,24
Et angariauerunt quemdam Simonem, &c. 548,17

Ex Luca.

1. Quis putas puer iste erit ? Etenim manus Domini erat cum illo. 30,11.36,52
Multi in natiuitate eius gaudebunt. 249,4
Cùm primum audita est vox tua in auribus meis, exultauit infans,&c. 273,4
Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis. 205
Missus est Angelus Gabriel à Deo,&c. 208,12.433,1
Cogitabat,qualis esset ista salutatio. 113,3
Exiit edictum à Cæsare Augusto,vt describeretur vniuersus orbis,&c. 621,7
Post hos dies concepit Elizabeth. 436
Elizabeth impletum est tempus pariendi,&c. 354
Et celabat se mensibus quinque. 415,11
Spiritus sanctus superueniet in te, &c. 553
Aue gratia plena. ibid.
2. Pastores erant in regione eadem,vigilantes,& custodientes vigilias noctis super gregem suam,&c. 68
Responsum acceperat à Spiritu sancto non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. 241,6
Virtus altissimi obumbrabit tibi,&c. 351
Nunc dimittis seruum tuum,&c. 283,4 407,10.362.607
Conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo. 204
Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse. 329,1
Gloria in excelsis Deo, & in terra pax. 614
Homo iste iustus, & timoratus , expectans consolationem. 610,7
Et venit in templum. Et cum inducerent,&c. ibid.
Magnificat anima mea Dominum. 429,32
Et pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis, super gregem suum. Et ecce Angelus Domini stetit,&c. 609,4
Pastores loquebantur ad inuicem:transeamus vsque Bethleem. 631,18
3. Cuius ventilabrum in manu eius , & purgabit aream suam , & congregabit triticum in horreum suum. 29,9
Factum est autem cum baptizaretur omnis populus, & Iesu baptizato. 256
Paleas autem comburet igne. 352,19
Contenti estote stipendiis vestris. 553
Venit in omnem regionem Iordanis,prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. 565,9
4. Si filius Dei es,mitte te deorsum:scriptum est enim,&c.
Quid nobis,& tibi Iesu Nazarene ? venisti ante tempus perdere nos. 317,11
Multa audiuimus facta in Capharnaum ; fac & hic in patria. 301,17
Et consummata omni tentatione Diabolus recessit ab illo vsque ad tempus. 137,30
Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me. 371,16
Multæ viduæ erant in diebus Eliæ quando clausum est cœlum. 594,26
Ostendit Iesu omnia regna orbis terrarum in momento, &c. 485,3
Cum autem Sol occidisset,omnes, qui habebant infirmos, &c. 373
5. Exi à me, Domine, quia homo peccator sum. 575,21
6. Væ vobis diuitibus, quia habetis consolationem vestram. 130,6
Exit Iesus in montem orare,& erat pernoctans in oratione Dei, &c. 512,6
Si licet Sabbatis benefacere, an male? 624,3
Eleuatis oculis in discipulos suos , dicebat : Beati pauperes, &c. 615,1
7. Prout vultis, vt faciant vobis homines,facite & vos illis similiter. 66,18
Diligit enim gentem nostram , & Synagogam ipse ædificauit nobis. 93,6.175,20
Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit, quod Iesus accubuit,&c. 291,6
Quia dilexit multum. 202,1
Stans retrò secus pedes eius. 591
Misit ad eum seniores Iudæorum, rogans eum, vt veniret, &c. 390,13
Vt cognouit,quod accubuisset Iesus in domo Pharisæi,&c. 534,9

Fides tua te ſaluam fecit. 468
Adoleſcens, tibi dico, ſurge,&c. 503,21
Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti: hæc autem lacrymis,&c. 533,7
8. Quod tibi nomen eſt? at ille dixit, legio, quia intrauerant Dæmonia multa in eum. 69 2
Tetigit fimbriam veſtimenti eius. 339,18
Cum gaudio ſuſcipiunt verbum,&c. ibid.19
Quod tibi nomen? Et ille dixit, Legio. 349
Occurrit Ieſu vir quidam, qui habebat dæmonium, &c. 551. 630,16
Et cum egreſſus eſſet Ieſus ad terram,occurrit illi vir quidam, qui habebat dæmonium. 371,16
Rogabant Ieſum, ne imperaret illis, vt in abyſſum irent. 374
At ille ſurgens increpuit ventum. 377,3
Ieſus autem tenens manum eius clamauit. 488
Sine mortuos, ſepelire mortuos ſuus. 519
Qui habebat dæmonium iam temporibus multis,& veſtimento non induebatur, nec in domo manebat, ſed in monumentis. 509,6
Præceptor, bonum eſt nos hic eſſe, faciamus hic tria tabernacula,&c. 473,9
Erat mulier in ciuitate peccatrix. 493,2
Sine, vt mortui ſepeliant mortuos ſuos 566.10
Factum eſt,dum oraret, ſpecies vultus Ieſu altera, & veſtitus eius albus,&c. 593,15
Vulpes foueas habent,& volucres cœli nidos. 630,16
9. Dicebant exceſſum eius,quem completurus,&c. 323 8
In verbo autem tuo laxabo rete,& cum hoc feciſſent, concluſerunt,&c. 218 9
Et facta eſt,dum oraret, ſpecies vultus eius altera. 87
10. Gaudete autem, quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in libro vitæ 133,8
Et facto Sabbato cœpit in Synagoga docere,& multi audientes mirabantur in doctrina eius,dicentes, vnde huic hæc omnia, &c. 130,17.118,17
Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo. 113
Martha autem ſatagebat circa frequens miniſterium, quæ ſtetit, & ait, Domine non eſt tibi cura, quod ſoror,&c. 250,7
Maria ſedens ſecus pedes Domini audiebat verbum illius.203, 3
Martha, Martha ſollicita es, & turbaris circa plurima. Porro vnum eſt neceſſarium. Maria optimam partem elegit. 207, 11 362,5. 563,4
Maria optimam partem elegit,quæ non,&c. 512,4
Magiſter, quid faciendo,vitam æternam poſſidebo. 370,14
Plagis impoſitis abierunt ſemiuiuo relicto. 603,37
Si quid amplius erogaueris, cum rediero, reddam tibi. 445, 6
Martha autem ſatagebat circa frequens miniſterium,quæ ſtetit,& ait,&c. 461,19
Samaritanus autem quidam iter faciens venit ſecus eum,& videns eum, miſericordia motus. 39 ,2
Protulit duos denarios, & dedit ſtabulario,& ait, curam illius habe. 428,19
Et alligauit vulnera eius,& infundens,&c. 428,30
11. Quis veſtrum habet amicum, & ibit ad illum media nocte,& dicit illi: Amice, commoda mihi tres panes: quoniam amicus meus venit,&c. 241,6 527
Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia. 248,2 316
Regina Auſtri ſurget in iudicio cum viris generationis huius, & condemnabit eos,&c. 464
Cum immundus ſpiritus exierit, perambulat,&c. 591,9
Turbaris erga plurima. Porrò vnum eſt neceſſarium. 614
12. Nolite timere puſillus grex,quoniam complacuit Patri veſtro dare vobis regnum. 19,5.10,7,& 8
Sint lumbi veſtri præcincti,& lucernæ ardentes in manibus veſtris. 66.614,5
Faciet illos diſcumbere,& tranſiens miniſtrabit illis. 125,32. 263,5
Deſtruam horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia quæ nata ſunt mihi, & bona mea; & dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos: requieſce,comede,bibe,epulare. 100,20.150
Amen, Amen dico vobis, quia præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere,& tranſiens,miniſtrabit illis. 121
Reges gentium dominabuntur eorum, qui poteſtatem habent, benefici vocantur 319,16
Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos. 605,41
Quid faciam, quia non habeo, quò congregem fructus meos. 336,13 439,11
Hominis cuiuſdam diuitis vberes fructus attulit,&c. 341, 21
Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro, &c. 343,8
Ignem veni mittere in terram, quid volo, niſi vt accendatur. 605,41
13. Domine, dimitte illam & hoc anno vſque dum fodiam circa illam. 432.540,3
Ite, oſtendite vos Sacerdotibus. 496,7
Quod ſi dicat ſeruus ille in corde ſuo, moram facit Dominus meus venire,& cœperit percutere,&c. 475,12
Quoties volui congregare filios tuos,quemadmodum auis,&c. 482
Habebat ſpiritum infirmitatis annis decem & octo. & erat inclinata. 556,10
14. Vende omnia quæ habes,& da pauperibus, & habebis theſauros in cœlo,& veni ſequere me. 102,25
Iuga boum emi quinque, & eo probare illa. 354,3
Exi cito in plateas,& vicos ciuitatis,& pauperes,ac debiles,&c. 401
Cœperunt ſimul excuſare. Primus dixit, villam emi, &c. 416,5
Cum facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, &c. 555,8
15. Quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus. 34,18.279,5
Citò proferte ſtolam primam,& induite illum. 86,8
Ibo ad Patrem meum, dicam illi: Pater, peccaui in cœlum, & coram te, & iam non ſum dignus vocari filius tuus, fac me ſicut vnum de mercenariis tuis. 105 148
Erat filius eius ſenior in agro,& cùm veniret,& appropinquaret domui audiuit ſymphoniam,&c. 115,10
Epulari autem,& gaudere oportebat,quaſi frater tuus hic mortuus erat,& reuixit. 239,3
Surgam,& ibo ad patrem meum. 195,11.459.589
Cùm autem adhuc longè eſſet, vidit illum pater ipſius. ibid.21, & 196,14 407,4
Fili, tu ſemper mecum es: omnia mea tua ſunt. 203
Omnia conſumpſit viuendo luxurioſè. 389,11
Diſſipauit ſubſtantiam ſuam,&c. 538,5
Adoleſcentior filius peregrè profectus eſt in regionem longinquam. 454
Congregatis omnibus adoleſcentior. 474,11
Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, &c. 437 458,11
Adducite vitulum ſaginatum, & manducemus, & epulemur, &c 459
Indignatus nolebat introire. 464,6
Pater da mihi portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit. 401
Accurrens cecidit ſuper faciem eius. 408,5
Quis ex vobis homo,qui habet centum oues,&c. 518,1
16. Mendicare erubeſco. 5,& 6,11
Eleuans oculos ſuos vidit Abraham, & Lazarum in ſinus eius. 82.174, 19
Mitte Lazarum,vt intingat extremum digiti ſui. ibid.
Mitte Lazarum in domum patris mei. ibid.
Saturari de micis quæ cadebant de menſa diuitis, & nemo illi dabat. 53
Rogo te Pater Abraham, vt mittas Lazarum in domum patris mei,&c. 56,18.101,21
Homo quidam erat diues,& habebat villicum,& hic diffamatus eſt apud eum,&c. 194,10
Memento fili, quòd recepiſti bona in vita, & Lazarus ſimiliter mala. 211,3
Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus: & hic fame pereo 211,4
Et ſi in alieno fideles non fuiſtis, quod veſtrum eſt, quis dabit vobis? 463
Vocauit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem, &c. 487,8
Accipe cautionem tuam,& ſede cito,ſcribe,&c. 591,9
Sed & canes veniebant,& lambebant vlcera eius. 557,4
Factum eſt autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis. 408,6
Pater Abraham miſerere mei. 507,28
Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. ibid.
17. Non eſt inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena. 45
Et ſicut factum eſt in diebus Noë,ita erit & in diebus filij hominis. 350,21
18. Non ſum ſicut cæteri homines,raptores. 181,229,7
Ieſu fili Dauid, miſerere mei. 198,17
Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ dicta ſunt, &c. 388,9
Phariſæus ſtans hæc apud ſe orabat: Domine, gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri.&c. 431,36.439,14 534,10
Publicanus à longe ſtans nolebat oculos leuare,&c. 431,36
Dixit autem Ieſus ad quoſdam, qui in ſe confidebant, &c. 446,7
Iudex quidam erat in quadam ciuitate,qui Deum non timebat, &c. 483,38
19. Dixit ad eum, Zachæe feſtinans deſcende,&c. 313,3
Quærebat videre Ieſum, quis eſſet,& non poterat. 343,2.401. 347,16
Ingreſſus Ieſus perambulabat Iericho, & ecce vir nomine Zachæus,&c. 559,8
Cœpit eiicere ementes, & vendentes. 508,30
Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere ſibi regnum. 430,14

Domine, ecce mna tua, quam habui repoſitam in ſudario. 543,3
21. In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. 51
Conuerſus Dominus reſpexit Petrum, & recordatus eſt Petrus verbi Domini, ſicut dixerat, &c. 144.5
Venient dies in quibus non relinquetur lapis ſupra lapidem, &c. 293,1
His autem fieri incipientibus reſpicite, & leuate capita. 466,5
22. Videte ficulneam,& omnes arbores,cùm producunt ex ſe fructum; ſcitis quia prope eſt æſtas; ita & vos, &c. 13
Comprehendentes autem eum duxerunt ad domum Principis Sacerdotum. 40
Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, & calceamentis; numquid aliquid defuit vobis? at illi dixerunt, nihil. 101,22
Ipſe oſtendet vobis cœnaculum magnum ſtratum,& ibi parate. 143
Ego rogaui pro te,ne deficiat fides tua; ſed tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. 214,1
Et conuerſus Dominus reſpexit Petrum, & recordatus eſt Petrus. 313,3
Et poſt puſillum,alius videns eum dixit,& tu de illis es?Petrus verò ait; ô homo, non ſum. 193,8
Qui poteſtatem habent,benefici vocantur, &c. 726,7
Et tecum paratus ſum in carcerem, & in mortem ire. 514,8
Et ipſi cœperunt quærere inter ſe, quis eſſet ex eis qui hoc factus eſſet. Facta eſt autem contentio inter eos, quis eorum videretur, &c. 463
Quando miſi vos ſine ſacculo,& ſine pera,& ſine calceamentis numquid aliquid defuit? 391,3
Deſiderio deſideraui hoc paſcha, &c. 398,1
Egreſſus foras fleuit amarè. 526,17
23. Hodie mecum eris in Paradiſo. 50,6.97,14.211.4 648,6
Filiæ Hieruſalem nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros. 600,6
Obſcuratus eſt ſol. 154
Memento mei, dum fueris, &c. 160,24.454,14.
Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum. 196,13
Spreuit autem Ieſum Herodes cum exercitibus ſuis, &c. 411, 11.619,2
Apprehenderunt Simonem quemdam Cyrenenſem venientem de villa, &c. 474,10
Pater, dimitte illis, non enim ſciunt, &c. 424,21
24. Et factum eſt,dum recumberet cum eis accepit panem, & benedixit,ac fregit,& porrigebat illis;& aperti ſunt oculi eorum, & cognouerunt eum. 121
Accepit panem, & benedixit, ac fregit, ac porrigebat illis, & aperti ſunt oculi eorum. 521,6

Ex Ioanne.

1. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum. 270,8
Altera die vidit Ioannes Ieſum venientem ad ſe, & ait: Ecce agnus Dei. 87,12
In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt; & mundus eum non cognouit. ibid.
In propria venit, & ſui eum non receperunt; quotquot autem receperunt eum,dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.214,1. 277,362,5
Sui eum non receperunt. 253
Erat lux vera,quæ illuminat omnem hominem venientem,&c. 267.1
Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris. 195,12
Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, ibid. & 362,5.624,2
Vnigenitus filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit. 196, 13.
Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. 203,2.547,15
Videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei aſcendentes, & deſcendentes ſupra filium hominis. 512,5
Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. 599
De plenitudine eius omnes accepimus. 586,23
Non eſt poteſtates niſi à Deo. 372
Miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis Sacerdotes, & Leuitas ad Ioannem. 338,16
Tu quis es? Ego vox clamantis in deſerto. 386
Ipſe eſt, qui poſt me venturus eſt. 502,20
Stabat Ioannes, & diſcipuli eius duo, & aſpiciens Ieſum, &c. ibid.
Lex per Moyſem data eſt, gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum. 593,15
2. Hoc fecit initium ſignorum Ieſus, &c. 302,2
Soluite templum hoc, & in tribus diebus ſuſcitabo illud. 591,4
Quid mihi, & tibi eſt mulier? 334,8.428,19
3. Illum oportet creſcere, me autem minui. 386
Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, & neſcis,vnde veniat, aut quo vadat. 555,6
Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret. 510,1.552,1. & 2.574,10
Qui habet ſponſam, ſponſus eſt; amicus autem ſponſi ſtat, & audit eum. 513,9
Sic Deus dilexit muudum, vt Filium ſuum vnigenitum daret. 832,22
4. Cibus meus, vt faciam voluntatem Patris mei. 356,2
Omnis,qui biberit ex aqua;hic ſitiet iterum. 613
Aqua, quam ego dabo ei, fit in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. 437,10.543,8
Domine, da mihi hanc aquam, vt non ſitiam. 545,11
5. Si ego teſtimonium perhibeo de me, teſtimonium meum non eſt verum. 66,18
Quis eſt ille homo, qui dixit tibi: Tolle grabatum. 612,11
6. Illi ergo homines, cùm vidiſſent, quòd Ieſus fecerat ſignum, dicebant, quia hic eſt verè Propheta, qui venturus eſt in mundum. 146
Accepit panes, & cum gratias egiſſet, diſtribuit, &c. 111
Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. 204
Hæc locutus eſt Ieſus, & ſublenatis oculis in cœlum,dixit:Pater, venit hora, clarifica filium tuum. 212,5
Colligite, quæ ſuperauerunt fragmenta ne pereant. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos. 237,7
Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus è vobis diabolus eſt? 462,2.217,12
7. Vnum opus feci, & omnes miramini. 104,28
Manifeſta te ipſum mundo. 574,10
Ecce non aſcendam ad diem feſtum hunc, &c.
Numquid verè cognouerunt Principes, quia hic eſt verè Chriſtus? Sed hunc ſcimus, &c. 621,7
8. Nunc cognouimus, quia Dæmonium habes. Abraham mortuus eſt,& Prophetæ,& tu dicis; ſi quis ſermonem meum ſeruauerit, non guſtabit mortem. 174
Abraham pater veſter exultauit, vt videret diem meum. 398. 419,11
Ego dæmonium non habeo. 506,27
Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. 514,8
Ego ſum oſtium; per me ſi quis introierit, ſaluabitur, & ingredietur,& egredietur, &c. 537,4
Remanſit ſolus Ieſus, & mulier, &c. 622,10
9. Si cæci eſſetis, non habebitis peccatum. 99
11. Ieſus moriturus erat pro gente, & non tantùm pro gente, ſed vt filios Dei qui erant diſperſi congregaret in vnum. 18,3
Et ſtatim prodiit, qui mortuus fuerat ligatus pedes,& manus. 28,7
Domine iam fœtet, quatriduanus eſt. 178,27
Abraham exultauit, vt videret diem meum. 338,16
Infremuit ſpiritu, & turbauit ſe, &c. 334,8
Statim prodiit,qui fuerat mortuus. 354,4
Vbi poſuiſtis eum. 487,7
Martha ergo, vt audiuit, quia Ieſus venit, occurrit, &c. 393,6
12. Hæc dixit Iſaias quando vidit gloriam eius, & locutus eſt de eo. 393
Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum. 216. 12,194
Ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant. 267,1
Venit vox de cœlo, & clarificaui, & iterum clarificabo; turba ergo, &c. 204,5
Nunc iudicium eſt mundi, nunc Princeps huius mundi, &c. 379.7.451
Ego ſi exaltatus fuero, omnia traham. 474,19
Cum intinxiſſet panem, dedit Iudæ Simoni Iſcariotæ. 437, 10
13. Qui credit in me,opera quæ ego facio ipſe faciet, & maiora, &c. 234,2
Aſpiciebant ergo ad inuicem diſcipuli hæſitantes de quo diceret. 347,19
Cum accepiſſet ille buccellam, continuo exiuit, erat autem nox. 595,18
Cum dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos. 398,1
Qui lotus eſt, non indiget, niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus. 562,3
Videte regiones, quia albæ ſunt ad meſſem. 494,4
Si ſcires donum Dei,& quis eſt,qui dicit tibi: Da mihi bibere: tu forſitan petiiſſes ab eo,&c. 528.534,9
15. Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum, & omnem qui fert fructum, purgabit eum. 213
Ego ſum vitis. 143,9
16. Venit hora,vt diſpergamini vnuſquiſque in propria,& me ſolum relinquatis. 245,12
Modicum, & iam non videbitis me, & iterum modicum, &c. 387,7
17. Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. 206,8
Pater,venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te. 555
18. Ego ſum,ego ſum;ſi me quæritis,ſinite eos abire. 29
Quid eſt veritas?& cùm hoc dixiſſet, iterum exiuit ad Iudæos. 40

Sinite eos abire, vt compleretur sermo, quem dixit, &c. 351, 18.396,3
Regnum meum non est de hoc mundo:si ex hoc mundo esset, &c. 366
Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum, & percussit Pontificis seruum. 432
Qui est ex veritate, audit vocem meam;dicit ei Pilatus:Quid est veritas? 528,21
Percussit Pontificis seruum, & abscidit auriculam eius. 538,7
19. Rogauit Pilatum Ioseph ab Arimathia, eo quòd esset discipulus Iesu; occultus quidem, &c. 267,5
Postea sciens Iesus, quia iam omnia consummata sunt, vt consummaretur Scriptura, dixit; sitio. 54,13
Ecce Rex vester, illi autem clamabant: Tolle, crucifige. 540,1
Et ex illa hora suscepit eam discipulus in sua. 368,10
Mulier, ecce filius tuus. 368,10.497.507,19.859,621.8
Stabat iuxta crucem Iesu mater eius & soror matris, &c. 474, 11
Quid est veritas? 624,2
Exiit ergo Iesus portans coronam spineam,& purpureum vestimentum, & dixit eis Pilatus: Ecce homo. 431
Dicebant ergo Pilato Pontifices Iudæorum: Noli scribere, Rex Iudæorum. ibid.
Exiuit iterum Pilatus foras, & dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras. 446,1
Nos legem habemus, & secundùm hanc legem debet mori. 534,4
20. Mulier, quid ploras? 41.285,7
Dicito mihi, vbi posuisti eum? 182
Dicit ei Iesus, Maria; conuersa illa, dicit ei Rabboni. 285,7
Infer digitum tuum huc,& vide manus meas: & affer manum tuam,& mitte in latus meum, &c. 410,9
Mulier, quid ploras? 493,2
Nisi videro fixuras clauorum, &c. 568,2
21. Dominus est;Petrus vt audiuit quia Dominus est. 55,15
Pasce oues meas: amen,amen dico tibi, cùm esses iunior cingebas te, & ambulabas, &c. 143
Tu scis Domine, quia amo te. 141.350,16.461,19.124,2
Alius cinget te, & ducet, quo tu non vis. 252,11.301,5
Qui recubuit in cœna super pectus eius. 191
Simon Petrus cùm audisset quia Dominus est,tunica succinxit se, & misit se in mare. 203,2
Simon Petrus cum audisset quia Iesus est, tunica succinxit se. 407

Ex Actis Apostolorum.

1. Hic Iesus qui assumptus est à vobis, sic veniet, 321,4
Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, &c. 183,35
Videntibus illis, eleuatus est. 262,3
Et suspensus crepuit medius,& diffusa sunt omnia viscera eius. 172,16
Et conuescens præcepit eis ab Hierosolymis, ne discederent, sed expectarent promissionem,&c. 370,13
Nubes suscepit eum ab oculis eorum. 547,15
Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. 466,5
Viri fratres, oportet impleri scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus. 491,17
Præuaricatus est Iudas, vt abiret in locum suum. 462,21
2. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis. 206,9. 223,19.
Et appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia. 298, 12
Possessiones, & substantiam vendebant, & diuidebant illa omnibus, prout cuique opus erat,&c. 512,7
3. Argentum & aurum non est mihi. 50
4. Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna, ne quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat. 246,13.298,12
Quotquot enim possessores agrorum,aut domorum erant,vendentes afferebant pretia. 512,7
5. Dixit autem Petrus Ananiæ: cur tentauit Satana cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri. 91,2
Extitit Theodas, dicens se aliquem esse, cui consentit numerus virorum circiter quadringentorum,qui occisus est,&c. 167,5
Cur tentauit Sathanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto? 434,3.492,17
Quid vtique conuenit vobis tentare spiritum Domini? Ecce pedes eorum, qui sepelierunt virum. 374,4
Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit, & expirauit. 414,1
6. Hos custos misit in interiorem carcerem,& pedes eorum strinxit ligno. 17,5
Et non poterant resistere sapientiæ, & spiritui, qui loquebatur. 182
Viderunt faciem eius, quasi faciem Angeli. 216
Verbum Dei crescebat, & multiplicabatur numerus discipulorum. 294,3
7. Intendens in cœlum vidit gloriam Dei,& ait: Ecce video cœlos apertos, &c. 217,8.232,14
Lapidabant Stephanum inuocantem, & dicentem:Domine Iesu suscipe spiritum meum, &c. 295.161,20
Ecce video cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei. 366,3
8. Video cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris,&c. 363,1
Tunc Simon & ipse credidit: & cum baptizatus esset adhærebant,&c. 490.506,25
Pecunia tua tecum sit in perditionem. 141,7.508,30
9. Nihil videbat. 99
Vt portet nomen meum coram Regibus. 498,12 571,2
10. Vidit cœlum apertum,& descendens vas quoddam, velut linteum magnum quatuor initiis dimitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, &c. 173
Iesum à Nazareth quomodo vnxit eum Deus Spiritu sancto, & virtute,&c. 331,3
Corneli, mitte viros in Ioppen, & accersi Simonem, &c. 409,8
Vidit cœlum apertum, & descendens vas quoddam velut linteum,&c. 491,17
12. In ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus, & ecce Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo, &c. 35,16
Circumda tibi vestimentum tuum,& sequere me,&c. Venerunt ad portam ferream, quæ vltro aperta est eis. 250,6
13. Tunc constanter Paulus, & Barnabas dixerunt:Vobis oportebat primum loqui,&c. 498,12
17. Præteriens vidi simulachra vestra, inueni & aram, in qua scriptum erat, *Ignoto Deo.* 582,19
21. Quid facitis flentes, ac conterentes cor meum. 54,14
25. Vis Hierosolymam ascendere, & ibi de his iudicari? 562,2
26. Opto apud Deum,vt in modico, & in magno, non tantum te, sed & omnes, &c. 362,6

Ex Epistolis Pauli.

Ad Romanos.

1. Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea,quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. 402
Euanuerunt in cogitationibus suis, &c. 577,4
2. Cuius laus non est in hominibus, sed ex Deo est. 47,10
Qui reddet vnicuique secundum opera eius,iis quidem,qui secundum patientiam, &c. 374
An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis. 382,13
Non enim qui in manifesto Iudæus est, neque quæ in manifesto in carne est circumcisio. 365,4
5. Gloriamur in tribulationibus,scientes, quod tribulatio patientiam operatur. 96
6. Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati. 96
Si enim complantati facti sumus similitudini mortis, &c.261, 1.549,19
An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. ibid.
Hæc illi extrema benedictio congruit, qui esuriem nesciebat, &c. 208
8. Vanitati enim omnis creatura subiecta est, non volens, sed propter eum,qui subiecit eam in spe,&c.Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc. 3,4. 195,11
Si autem filij,& hæredes, hæredes quidem Dei,&c. 239,2
Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui. 389
Ipse spiritus pro nobis interpellat gemitibus inenarrabilibus. 276,9
Quicumque spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei, &c. 55,16.238,1
Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit, &c. 195,11. 467,8
Nos igitur primitias spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus. 209
Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. 516,12
Vanitati enim creatura subiecta est, non volens, sed propter eum,&c. 464
Quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem: Deus Filium suum mittens,&c. 514,12
Angustia? An fames? An nuditas, &c. 611,9
9. Optabam ego ipse anathema esse. 408.595,19
10. Idem Deus omnium diues in omnes, qui inuocant illum. 331,6
Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem,&c.534,10
11. Veniet ex Sion, qui eripiat, & auertat impietatem à Iacob. 144,5

Iudæo

Iudæorum delicto, salus est gentibus, vt illos æmularentur. 534,10
12. Obsecro vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra, &c. 44,14
Qui miseretur in hilaritate. 91,2
Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitit, potum da illi, &c. 342,24.437,10
Spiritu feruentes, Domino seruientes. 352,18
13. Nox præcessit, dies autem appropinquauit. 314,5

Ex I. ad Corinthios.

1. Non misit me Christus baptizare, sed euangelizare. 330
Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, &c. 585,20
2. Non enim iudicaui, me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. 324,9
In fame, & siti, frigore, & nuditate, &c. 391,2
Dei sumus adiutores, Dei agricultura estis. 430
3. Si quis videtur sapiens esse apud vos in hoc sæculo, stultus fiat. 42,9
Ego fratres non potui loqui vobis tanquam spiritualibus, &c. 309,9
Si quis autem superædificat super fundamentum hoc aurum, &c. 210,1
Qui autem cum vxore est sollicitus est. 500,16
Sapientia huius mundi stultitia est. 631,19
4. Scientia inflat. 170
Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus. 236,5
Nolite ante tempus iudicare, quo ad vsque veniat. 347,10
Laboramus operantes manibus nostris. 391,2
Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. 558,5
5. Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, &c. 84,4
6. Esca ventri, & venter escis, Deus autem, &c. 16,16
Qui autem adhæret Domino, vnus spiritus, &c. 146,10
7. Reliquum est, vt qui habent vxores tanquam non habentes, & qui flent, &c. 191,5
Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit, &c. 145,7
Propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum virum. 166,3
Circumcisio nihil est, & præputium nil est, sed obseruantia, &c. 401,10
Foris gladius, intùs timor. 415
Si dormierit vir eius, cui vult, nubat, tantùm in Domino. 614,5
9. Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos. 271
Factus sum Iudæis, tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer, his, qui sub lege, &c. 189
Nam si euangelizauero, non est mihi gloria. 442
10. Bibebant de spirituali consequente eos petra, petra autem erat Christus. 125 258
Calix benedictionis, cui benedicimus, nónne communicatio sanguinis Christi est? 468,10
Tentatio non vos apprehendat, nisi humana, fidelis autem Deus. 348.12
11. Ideò debet mulier potestatem habere supra caput propter Angelos. 3.3
Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine, hoc facite in meam commemorationem. 111,3
Dominus Iesus in qua nocte tradebatur accepit panem. 122,25
Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. 123.27
Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis. 468,10
12. Scio huiusceemodi hominem (siue intra corpus, siue extra corpus nescio) quoniam raptus, &c. 413,3
Vnicuique datur manifestatio spiritus, &c. 390,1
13. Cùm essem paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus: quando autem, &c. 30,10
Sicut in die honestè ambulemus, non in comessationibus, neque in ebrietatibus, non in cubiculis, & impudicitiis. 94
Non quærit quæ sua sunt. 202,1
Charitas numquam excidit. 389,11
Audio scissuras esse inter vos, nam oportet & hæreses esse. 347,10
14. Nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote. 176,22
15. Factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. 292,9
Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus, &c. 308
Seminatur corpus in ignobilitate, surgit in gloria, seminatur in infirmitate, surgit in virtute. Seminatur corpus animale, surgit spirituale. 325,11
In momento, in ictu oculi, in nouissima tuba. 206,9
Et resurrexit tertia die, & visus est Iacobo, deinde plusquam quinquies mille fratribus. 501,17
Primus homo de terra terrenus, &c. 542,6

Ex II. ad Corinthios.

1. Despondi enim vos vni viro, &c. 590,7
3. Non possent intendere filij Israël in faciem Moysi propter gloriam vultus eius. 177,25
Vsque in hodiernum diem cum legitur Moyses, velamen positum est. 256,18
Si quæ in Christo noua creatura, &c. 210,10
Nec glorificatum est, quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam, &c. 546,13
4. Sed enim, quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. 21.10
In virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis. 387,8
5. Siue mente excedimus Deo, siue sobrij sumus vobis. 149,15
6. Nihil habentes, & omnia possidentes, 266,9.298,12
Qui parcè seminat, parcè & metet; qui seminat in benedictionibus, &c. 330,4
Ait enim Isaias: Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis audiui te: Ecce nunc tempus acceptabile, &c. 455,6
8. Altissima paupertas eorum abundauit in delitiis, &c. 524,11
9. Vnusquisque prout destinauit in corde suo, non ex tristitia, aut necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus. 91,3.143,4
Necessarium ergo existimaui fratres, vt perueniam ad vos, & præparem repromissam benedictionem paratam esse sic, quasi benedictionem non tanquam auaritiam. 88.16
10. In carne enim ambulantes, non secundùm carnem militamus. 471
11. Per fenestram in sporta demissus sum. 150,3
12. Angelus Sathanæ, qui me collaphizet. 155,11
Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim (siue in corpore nescio, siue extra corpus nescio, Deus scit) quoniam raptus est in Paradisum. 45,16.103
Factus sum insipiens, vos me coëgistis. 290
Si quis confidit sibi, Christi se esse, hoc cogitet iterum apud se, quod sicut ipse Christi est, ita & nos. ibid.
Scio huiusmodi hominem, quoniam raptus est, &c. 298,11
Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est stimulus carni meæ, &c. 306,2
Neque enim debent filij parentibus thesaurizare, sed filij parentes. Ego autem libentissimè impendam, &c. 324,10
13. Non quærit, quæ sua sunt. 308,6
An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus. 377
15. Nouissima autem inimica destruetur mors. 400

Ad Galatas.

1. Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum Patrem. 323
2. Viuo ego, iam non ego, viuit in me Christus. 53,12.221,14
Iterum ascendi Hierosolymam, cum Barnaba, assumpto Tito: ascendi autem secundum reuelationem, &c. 296
Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. 548,17
4. Misit Deus spiritum filij sui in corda nostra clamantem Abba. 196,13
Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur in me Christus. 42.173,18
Quanto tempore paruulus est, nihil differt à seruo, cum sit Dominus omnium, sed sub tutoribus, & actoribus est vsque ad præfinitum, &c. 155,10
Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum. 392,4
5. Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. 129,4
Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis. 274
Fructus autem spiritus est: Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. 629,14
6. Fratres, & si occupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusceemodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris. 60,6
Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Neque ergo circumcisio quicquam valet, & cætera, sed noua creatura. 273,3
De cætero nemo molestus mihi sit. Ego enim stigmata Domini nostri, &c. 295
Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, &c. 471
Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini. 466,5

Aa

Ad Epheſios.

1. Non ceſſo gratias agens pro vobis, memoriam veſtri faciens in orationibus meis. 481,29
2. Ipſius enim figmentum ſumus creati In Chriſto Ieſu, in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. 12,9
Ergo iam non eſtis hoſpites, & aduenæ, ſed eſtis ciues. 304,6
In quo vos coædificamini in habitaculum Dei. Vt oſtenderet in ſæculis ſuperuenientibus abundantes diuitias. 288,14
Conreſuſcitauit, & conſedere nos fecit in cœleſtibus. 304 6
4. Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, &c. 42
Ego vinctus in Domino. 56,18
Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram, nolite locum dare diabolo. 69,2
Omnis amaritudo, & ira, & indignatio tollatur à vobis, &c. 70,4
Iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ,&c. 277,2
Deponite vos ſecundum priſtinam conuerſationem hominem veterem,&c. 311,11
Hoc igitur dico, & teſtificor in Domino, vt iam non ambuletis,ſicut & gentes ambulant in vanitate ſenſus ſui. 527,14
5. Videte itaque fratres, quomodo cautè ambuletis,non quaſi inſipientes, ſed vt ſapientes. 27
Surge,qui dormis,& exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. 29
Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, &c. 613,3
State dilectiſſimi ſuccincti lumbos mentis veſtræ, & calceati, &c. 316

Ad Philippenſes.

1. Scire autem vos volo fratres, quia quæ circa me ſunt, magis ad profectum venerunt Euangelij, ita vt vincula mea manifeſta fierent in Chriſto, & in omni prætorio, &c. 28,7
Non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes,ſed quæ aliorum. Hoc enim ſentite in vobis, quod in Chriſto Ieſu. 245
Vnum autem, quæ quidem retro ſunt obliuiſcens, ad ea verò quæ ſunt priora me extendens. 267,1
2. Idem ſapiatis eandem charitatem habentes vnanimes, idipſum ſentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam,ſed in humilitate ſuperiores ſibi Inuicem arbitrantes, non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes,ſed & ea quæ aliorum. 34,18
Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam,&c. 198,17
Semetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens,in ſimilitudinem hominum factus. 388.9
Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt, &c. 384,1
Hoc enim ſentite in vobis, quod in Chriſto Ieſu, qui cùm in forma Dei eſſet. 443,3
3. Omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam. 120,21.133,2.161,23
Verumtamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti Domini mei, &c. 112
4. Pax Dei, quæ exſuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra. 147,11

Ad Coloſſenſes.

2. Donans nobis omnia delicta, delens, quòd aduerſus nos erat, chirographum. 550.21
3. Pax Chriſti exultet in cordibus veſtris, in quæ & vocati eſtis in vno corpore. 46
Induite vos ergo ſicut electi Dei ſancti,& dilecti viſcera miſericordiæ. 54.14.350,16
Super omnia autem hæc charitatem habere,quod eſt vinculum perfectionis. 55.16
Quæ ſurſum ſunt, quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens. 157,14.280,7,8. & 304,7
Donantes vobiſmetipſis,ſi quis aduerſus alterum habet querelam,ſicut & Dominus donauit. 214,1

Ex I. ad Theſſalonicenſes.

4. Quoniam ipſe Dominus in iuſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cœlo,& mortui,qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi: deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur, &c. 321.4
Ita, & Deus eos, qui dormierunt, &c. 501,17
5. Ab omni ſpecie mala abſtinete vos, 433,1
Eis repentinus ſuperueniet interitus. 519,2

Ex II. ad Theſſal.

3. Quoniam ſi quis non vult operari, non manducet. 456,8
4. Et nos, qui viuimus, qui reſidui ſumus,non præueniemus eos, &c. 458,12

Ex I. ad Timotheum.

2. Similiter mulieres in habitu ornato,cum verecundia,& ſobrietate ornantes ſe, &c. 310
3. Non vinolentum, non percuſſorem. 166,9
Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, filios habentem ſubditos cum omni caſtitate. 578,8
Non neophytum, &c. 604,3
5. Quæ autem verè vidua eſt,& deſolata,ſperet in Deum,& inſtet obſecrationibus, & orationibus nocte, & die. 51,10
Aduerſus Preſbyterum accuſationem recipere. 435,5
Si quis autem ſuorum maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit. 465,3
Qui benè præſunt Preſbyteri, duplici honore digni habentur. 565,8
6 Diuitibus huius ſæculi præcipe non ſublime ſapere,neque ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo vero;bene agere,diuites fieri, in bonis operibus facilè tribuere, &c. 99,19
Radix omnium malorum eſt cupiditas,quam quidem appetentes errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. 108,36
Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli. 336,13
Eſt autem quæſtus magnus pietas cum ſufficientia; nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium,&c. 536,3
Vlt. Diuitibus huius ſæculi præcipe. 555,8

Ex II. ad Timoth.

1. Scio, cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt Deus depoſitum meum ſeruare. 462
2. Ne quando det illis Deus pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant. 140
3. Omnes qui volunt in Chriſto piè viuere, perſecutionem patiuntur. 223
Semper diſcentes, & numquam ad ſcientiam veritatis peruenientes. 570
4. Curſum conſummaui,fidem ſeruaui,in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ. 462

Ad Titum.

2. Argue cum omni imperio. 478

Ad Hebræos.

1. Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit. 135,5
2. Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit. 169.9
4. Non enim habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris. 388.9
6. Terra ſæpè ſuper ſe bibens venientem imbrem, & generans herbam opportunam illis à quibus colitur,&c. 126,34
10. Quam initiauit nobis viam nouam, & viuentem per velamen, id eſt, carnem ſuam. 169,10
Vinctis compaſſi eſtis, & rapinam bonorum veſtrorum, cum gladio ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos habere meliorem, & manentem ſubſtantiam. 92,4
Conſideremus inuicem in prouocationem charitatis, & bonorum operum non deſerentes collectionem noſtram. 145,8
Voluntariè enim peccantibus nobis,&c. terribilis quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio. 6
Corpus autem aptaſti mihi, holocauſtomata, & pro peccato non tibi placuerunt. 30,10
Rememoramini autem priſtinos dies,in quibus illuminati magnum certamen ſuſtinuiſtis paſſionum, &c. nam & vinctis compaſſi eſtis. ibid.
Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos habere meliorem,& manentem ſubſtantiam. 56,17
Fide plurimam hoſtiam Abel, quàm Cain obtulit. 92,4
Fide Moyſes natus, occultatus, &c. 197,15
11. Propter quod & ab vno orti ſunt, & hoc emortuo, tamquam ſydera cœli in multitudine, &c. 464
Fide Moyſes grandis factus: negauit ſe eſſe filium filiæ Regis Pharaonis, &c. 544,10.145,14
12. Recogitate enim eum,qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem. 28,7
13. Beneficentiæ autem, & communionis nolite obliuiſci. 538,7

Ex Canonica Iacobi.

1. Patientia opus perfectum habet. 499,14
2. Si introierit in conuentum veſtrum, vir aureum annulum habens in veſte candida; introierit autem & pauper in ſordido habitu, & intendatis in eum, qui induitus eſt veſte præclara, & dixeritis ei; tu ſede hic benè: pauperi autem dicatis, tu ſta illic, aut ſede ſub ſcabello pedum meorum: nónne

nónne iudicatis apud vosmetipsos, & facti estis iudices cogitationum iniquarum? 118,17
3. Quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, &c. 456
Lingua constituitur in membris nostris, & inflammat rotam natiuitatis, &c. 491,15.537,5

Ex I. Petri.

1. In quem desiderant Angeli prospicere. 161,22
Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundùm misericordiam suam magnam regenerauit nos, in spem viuam per resurrectionem, &c. 627,9
Animas nostras castigantes in obedientia, &c. ibid.
2. Sicut modo geniti infantes rationabiles, sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem, &c. 123,28.126,33
Et ipsi tanquam lapides viui superædificamini in habitaculum Dei. 274,5
4. Tempus est, vt incipiat iudicium à domo Dei. 434,3
5. Neque vt dominantes in cleris, sed forma gregis facti. 263,5

Ex II. Petri.

2. Canis reuersus ad vomitum. 434,3
Ciuitates Sodomorum, & Gomorrhæorum in cinerem redigens euersione damnauit. 550,21
Quibus iudicium iam olim non cessat, & perditio eorum non dormitat. 588

Ex I. Ioannis.

1. Lex per Moysem data est, gratia & virtus per Iesum Christum facta. 168
Nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt. 203
Quod fuit ab initio, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ. 433,1
Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, mendacem facimus Deum. 595,19
2. Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum. 130,6.195,12
Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & scandalum in eo non est. Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, &c. 206,8 217,8
Vnctionem habetis à sancto, & nostris, &c. 206.8
3. Scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum, sicuti est. 55,15
Qui facit iustitiam, iustus est. 513,9
Omnis, qui habet hanc spem in eo, sanctificat se. 627,9
5. Mandata eius grauia non sunt. 215,3
Qui scit fratrem suum peccare peccatum, non ad mortem, petat, & dabitur ei vita. 482,31
Omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum: & hæc est victoria, &c. 546,12

Ex Epistola Iudæ.

1. Subintroierant quidam homines, qui olim præscripti sunt in hoc iudicium, impij, &c. 417,6

Ex Apocalypsi.

1. Noli timere, ego sum primus, & nouissimus, viuus, & fui mortuus; ecce sum viuus in sæcula sæculorum. 47,21
Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors vltra non erit, neque luctus, &c. 51,9
Et conuersus vidi septem candelabra aurea, & in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis vestitum, &c. 19,1
Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis homo, &c. 488
Ego Ioannes frater vester, & particeps in tribulatione, & regno, &c. ibid.
Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. 341,21.485,3
Alpha, & Omega. 488
2. habeo aduersus te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam. 139
Habeo aduersus te quòd charitatem tuam primam reliquisti. 215,3
Sin autem venio tibi, & mouebo candelabrum tuum, &c. 217,8
Memento vnde scideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. 291,7
Vincenti dabo manna absconditum. 321
Hæc dicit, qui habet rompheam. 588,3
3. Esto vigilans, & confirma cætera quæ moritura erant; non enim inueni opera tua plena coram Deo meo, si ergo non vigilaueris, veniam ad te tanquam fur. 16, 16. 504,23
Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt vestimenta sua, & ambulabunt mecum in albis, quia dignæ sunt. 133,2
Angelo Ecclesiæ Sardis scribe. 425
Sto ad ostium, & pulso. 525,6
4. Et in circuitu sedis, sedilia viginti quatuor, &c. 134
Et in circuitu sedis, quatuor animalia plena oculis ante, & retro, & quatuor animalia, singula eorum habebant alas senas, &c. 198,18
In conspectu sedis, tanquam mare vitreũ simile crystallo. 417,6
Nemo poterat in cœlo, neque in terra, neque subtus terram aperire librum. 622,10
5. Ceciderunt coram Agno habentes singuli citharas & phialas aureas plenas odoramentorum. 219,11
Redemisti nos in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, &c. 259
Et vidi, & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & seniorum agnum stantem, &c. 545,11
6. Et cùm aperuisset sigillum quartum, audiui vocem quarti animalis dicentis, Veni, & vide; & ecce equus pallidus & qui sedebat super eum nomen illi mors, & infernus sequebatur eum, &c. 104
Ecce equus albus, & qui sedebant super illum habebat arcum, & data est ei corona, & exiuit vincens, vt vinceret. 170,21
9. Vidi stellam de cœlo cecidisse in terram, & data est ei clauis putei abyssi. 47,21
10. Accepi librum de manu Angeli, & deuoraui illum, & erat in ore meo tanquam mel dulce; & cùm deuorassem eum, amaricatus est venter meus. 92
Accipe librum, & deuora illum, & faciet amaricare ventrem tuum; sed in ore tuo erit dulcedo tanquam mel. 205,6
Et vidi alium Angelum descendentem de cælo, amictum nube, & iris in capite. 572,5
11. Et iratæ sunt gentes, & aduenit ira tua. 70.3
12. Corona duodecim stellarum. 95,10
Draco pugnabat, & Angeli eius, & non valuerunt, neque locus inuentus est eorum amplius in cœlo, & proiectus est Draco ille magnus, &c. 136,8
Angeli præliabantur cum dracone, &c. 299,14
Væ terræ, & mari: quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam. 306
14. Primitiæ Deo, & Agno. 34
Mitte falcem tuam acutam, quia venit hora, vt metatur. 162,14
Ecce agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen eius, &c. 280,7
Et audiui vocem de cœlo, tamquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrui magni, & vocem quam audiui, sicut citharœdorum citharizantium, in citharis suis. 127,1
Hi sequuntur agnum, quocunque ierit. 629
16. Et vidi tanquam mare vitrum mixtum igne, & eos, qui vicerunt, &c. 417,6
17. Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas, cum qua fornicati sunt reges terræ, &c. 49,2
18 Et flebunt, & plangent se super illam Reges terræ, qui cum illa fornicati sunt cùm viderint fumum incendij eius. 2,2
Reddite illi, sicut & illa reddidit vobis; & duplicate duplicia, secundùm opera eius. 313
19. Audiui quasi vocem turbæ magnæ, & sicut vocem aquarum multarum dicentium, Alleluia; quoniam regnauit Dominus. 108,37
20. Et descendit ignis à cœlo, & deuorauit eos, & diabolus, qui seducebat eos, missus est, &c. 378,4
21. Absterget Dominus omnem lacrymam ab oculis eorum. 21,10
Ego Ioannes vidi ciuitatem sanctam Ierusalem, nouam, descendentem de cœlo. 87,11.88,14.237,7
Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, &c. 312,1
Ostendit mihi ciuitatem Hierusalem descendentem de cœlo, & habentem claritatem Dei. 547,15
Ostendit mihi fluuium aquæ viuæ splendidum tamquam crystallum procedentem de sede Dei, & agni: ex vtraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim per menses singulos. 121,23

FINIS.

INDEX
RERVM, ET VERBORVM.

A

Abiectus, abiecta.

ABIECTOS homines facilè contemnunt alij. 62,9
Nihil abiectius Principi viro, quàm ad iocsiorum pedes obuolui. ibid.10
Abiecta mundi elegit Deus ad magnorum instrumenta. 481,27

Abnegatio.

Abnegatio perfecta mundialium bona multiplicat. 275,8

Absalon.

A comis peremptus. 31,12

Absentia.

Nec minimam à Deo habeant, qui animarum tractant salutem. 182,34
In absentia etiam præceptoris, quis virtuosus existat. 230,10
Absentiam Dei, qui non sentit, periculosè viuit. 454,5
Frequentissima est in hac vita. ibid.

Abundantia.

Rerum temporalium egestatem parit. 292,4
In illa nulla Dei memoria.
Abundantia virtutum in mortis tempore maximè lucere debet. 398,1
Abundantia nimia rerum plus solet obesse virtuti, quàm omnia mala. 320,4
Abundantia omnis in Iesu pane viuo, & vero. 421,37
Abundantia summa omnium bonorum in B. Trinitatis notitia. 424,21

Acceptatio personarum.

Acceptio personarum propria hominum. 360,2

Accessus.

Solus Iesus præbet nobis accessum ad Patrem. 195,11

Accusator, Accusatio.

Creaturæ apud Deum iudicem accusatores agunt aduersus homines. 194,10
Accusationes non facilè, aut sine exploratione admittendæ. 346,8
Accusatio ex carnali prætextu facta numquam non mendax. 593,20
Accusatores ampullatis verbis crimina tollentes, veritatem obnubilant. 330,25
Illis non credendum. 349,13 435,3
Accusatores pessimi reprehensibilia attendunt, non quod excusat factum. 537,5
Accusatores iustorum diabolici sunt. 361,5
Accusatores ex temporali prætextu mendaces sunt. 395,20

Acumen.

Acumen in sermonibus circa turpia periculosissimum. 420,13

Acus.

Acus perforatus Christus est in passione. 410,9

Adamas.

Adamas durissimus simul, & mollissimus. 380,6
Illi comparantur Sacerdotes iniqui. ibid.

Adamus.

Adamus præstantissimus hominum quia nudus. 393,6
Vnde impudens, & rusticus in Deum fuerit. 403,13

Administratio.

Administratio recta est, quæ etiam sine dignitate defendi potest. 450,9

Admonitio.

Admonitio sancta malè audit apud mundiales homines. 475,13

Adolescens, Adolescentia.

Adolescentiam victoriæ apud Deum gloriosæ. 259,23
Adolescens, qui bona sua meretricibus impendisse gloriatur, sturionabulo similis. 369,12
Illius viæ ignotæ. 486,4
Illi difficillimum in Dei seruitio perseuerare. 410,14
Omnipotentis virtute opus habet. ibid
Adolescentia ad virtutes capessendas apta. 460,27

Adulator.

Principibus, placet. 40
Dulcia semper, & mollia meditatur. 41,7
Adulatores cauendi. 506,26

Aduersa.

Aduersa non debent prosternere animum. 466,5

Adulterium.

Adulteri minimè reprehensionem sustinent. 25,8
Adultera lethalis viro suo. 75,5

Ædificium.

Ædificium bonis operibus constructum inexpugnabile. 386,5

Ærumna.

Vide *Labores*.

Æternitas.

Æternitatem non anni faciunt, sed virtus. 426,25

Ætas.

Ætas tenera aptissima ad virtutem. ibid.

Affectus.

De affectu nostro nascitur difficultas in operibus virtutum. 205,6
Affectus odij trucior. 25,2
Propter affectus caueat, qui veritatem cupit. 44,13
A carnalibus affectibus exutus quis, facilè in diuinis ingeritur. ibid 14
Affectus ad aurum damnationem parit. 49,2
Diuina promissa impedit. ibid.3
Affectus misericordiæ potens. 54,14
Rerum temporalium affectus dolos parit. 91,2
Affectus, qui cum cibis ingeritur, rarò, aut numquam tollitur. 399,5
Affectus æternorum longè excedit carnalem mortificationem. 402,10
Carnalis homines facit procaces, & rusticos. 403,13
Fastidium generat quæsitarum rerum. 410,10
Totum hominem rapit. 415,3
Puerilis est. 465,1
Circa pecunias caueatur ab eo, qui quærit regnum Dei. 466,6
Cœlestis lætitiam generat. 411,11
Regius est. 463,1
Iuxta cuiusque affectum res colorem induunt. 426,25
Ex affectu circa quærendam animarum salutem spiritualis apparet augmentum. 470,9
Tercenis affectibus liber fructum passionis Christi experitur. 473,9
ab Affectibus internis vanit pretiom operibus externis. 365,4
Affectuum humanorum intima penetrat Christi passio. 473,8
Affectus creaturarum non habet stabilitatem. 571,3
Affectus carnales impellunt ad difficiliora. 372,4
Affectus ad creaturas numquam sine damno. 632,12

Afflictio, Afflictus.

Afflictio ne augeas afflictionem, sed illum solare. 17,2
Solus Deus afflictos humaniter tractat. 19,5
Afflictiones terrenæ euanent inter cœlestia gaudia. 21,10
Afflictio diuinum auxilium rapit. 27,5
Afflictos Deus consolatur. 58,9
Afflictiones felices, vbi sordes vitant. 26
Patienter habitæ efficaces ad impetrandum. 27,5
Earum tolerantia præstantior alio factore. 28,7
In earum tolerantia Dei natura quasi visibilis exhibetur. ibid.
Afflictio parit gloriam iusto. 298,4
Ærumnæ nos faciunt Angelis superiores. 33,16
Exteriores corporis afflictiones indices sunt interioris virtutis.
Vide *Ærumnas*, *Labores*, &c.

Afflictio, quia cogitur homo conuerti ad creaturas, & non ad Deum dolenda. 507,29

Agricultura.

Agriculturæ diuitiæ non sic nocent. 544,3

Agnus.

Agnus cur Deo charus? 406,1

Alacritas.

Alacritas in virtute. 499,14

Altus.

Alta Dei prospicere, non verò humilia, periculosum. 401,9

Amaritudo.

Amaritudo virtutis Christi passione dulcescit. 357,4

Amasia.

Quamlibet iniustitiam amasia extorquet. 261,2
Amasiæ laudes inania vocabula. 47,20

Amator.

Amator virtutis sibi similes familiares facit. 361,6
Meretricius in famis bellua. 569,12
Amator virtutis fiat omnia. 431,28
Amicitiæ iura ebrij non seruant. 475,12
Mundanæ deficiunt. 389,11

Ambitiosi, Ambitio.

Potens est, vel totum orbem inficere. 136,8
Crudelissima. 180,31.282,3
Quem exultauit, miserè deiiciet. 168,8
Vt ipsa fulgeat, vel omnium morte procurabit. 282,3
Interiores virtutes, vt quæ ambitione securiores tenendæ. 306,3
Ambitiosi ebrio vomenti similes. 320,2
Stultissimi. ibid.
Ambitio carnifex animarum. 540,1
Aulicorum quæ. 541,2

Amicus, Amicitia.

Priùs amicis consulere perit charitas. 80,9.216,6
Nulla est amicitia, quæ sibi alterum præferri patiatur 132,1
Nullus inter mundiales amicus, qui pro religiosis stet. 38,11
Amicitiam Dei, vt assequaris, proximorum esto amicus. 217,7
Vbi amicitia non valet, longa prece vix exaudiris. 371,20
Amicus Christi nescit in illo considerare ignominiam carnis sine diuinitate. 296,5
Amicorum errores, quàm aliter colorantur, ac alij. 537,6

Amor, Amator.

Vbi verus Dei amor, nihil præter Deum amatur. 202,1
Eam in nobis componit mansionem, vt in illa videatur inuenescere Deus. 204,4
Sapientissimus de Deo gignit cognitiones. 206,8
Non timet mortem, sed amplexatur. 208,14
Amor filialis Dei semper pacem profert. 55,16
In amatoribus suis Deus, vel verbulo inamissibilem gratiam solet causare. 203,3
Etiam feruidos Dei amatores in exitu vitæ remoratur diuinorum mandatorum contemptus. 209,15
Ex amore Christi diuitias contemnere laudatissimum est. 49,4
Vide *Affectus, & Charitatem.*
Eum amorem proximis præstare debemus, quem Deus nobis 214,1
Proximorum operibus in dignoscendis multus est Iesus. ibidem 2
Id tuum reputa, quod amori proximorum impendis. 215,3
Verus amor proximi profert amicos inimicis, domesticos extraneis. 216,6
Diuina sibi mysteria manifesta experitur. 217,8
Vbi ille est, ibi charitas, & lux. 157,15
Non solum tua, sed teipsum proximis impendet.
Vide *lib. 14. cap. 21. per totum.*
Amator omnia rapit. 415,3
Omnia superat. 526,17
Carnalis morte crudelior. 415,3
Homines longissimè facit distare à Deo, & illos facit rusticos. 416,4
Amor seruilis Deum alils seuerum amat; filialis verò Deum propitium cunctis exoptat. 350,16
Amor auri insatiabilis. 344,3
Diuitiarum, naturæ leges rumpit, & ipsa tartara sollicitat. 411,1
Verbum Dei in corde obruit. 335,11
Creaturarum etiam in Christo laboriosus. 341,21.548,17
Temporalitatum comitatur gemitus. 341,21
Subditorum amorem quærit verus Dominus. 563,5
Amor Dei benignitatem in subditos parit. 350,16
Eius incendio castitas custoditur. 367,9
Vincit affectus hominum, etiam vehementissimos. 431,1
Vel leuiter gustatus nos maximè accendit. 358,6
Amor Dei Reges facit homines, amor temporalium adulterinos. 463,1
Amor supernorum nostram famem ad virtutem acuit. 356,2
In fine vitæ opulentissimus in nobis ardeat. 398,1
Amor principatus rabidissimus carnifex. 540,1
Amor castè homines in vnum iungens à Deo omnipotenti venit.
Amor castus coniugij fundamentum stabile. 614,5
Dei amor facit nos in Crucifixum respicere, & pro illo difficultates subire. 597,24
Amor cum timore venit à Dei spiritu. 553,6

Amor carnalis.

Importat ruinam animæ. 275,5

Angelus.

Angelus, & plusquam Angelus Ioannes est. 33,16
Angelis superiores nos faciunt ærumnæ. ibid.
Qui mundo renuntiat Angelorum colloquio dignatur. 90
Angeli boni bona, mali mala enuntiant.
In homines efficacissimi. 374,5
Terribiles vultu in peccatores. ibid.
Ministerium suum erga homines implent. 374,3
Eorum gloria punire nocentes. ibid.
Eos sibi infensos dolebunt reprobi. 374,4
Illorum præstantia vnde. 470,3

Angustia.

Angustiæ lucem afferunt. 532,5
Vide *Labor.*

Anima.

Hominum animæ fame perduntur. 52,11
Stultorum anima vacua & inanis. 100,20
Vbi de animæ damnatione agitur, omnia temporalia disparent. 130,6
Animæ salus à Deo. 130,7
Ad illius salutem reseruat Deus, quæ illis dederis. 129,5
Eius saluti obest procrastinatio. 192,7
Eius saluti consonum non differendum. ibid.
Eius virtus præ omnibus æstimanda. 211,7
Eius salutem peragi, maius opus est, quam mortuos suscitare. 234,2
Eius ruinam importat indulgentia carnalis. 274,6
Eius salutis indices sunt corporis afflictiones. 292,9
Quæ ad Christi vocem exurgit, de eius ouibus est. 285,7
Eius salus in omni oratione exquirenda. 270,8
Eius salutem quandiu præ oculis habeas, ferè inexpugnabilis eris. 262,3
Animabus pascendis occurrere, regalissima virtus est. 257,20
Animarum fructum, qui quærit in peccatoribus, non semper illis instet. 218,10
Nec momento separetur à Domino. 212,5
In animabus impiorum Dei verba vacua. 204,5
Animarum negotium non tractandum, nisi post multa superata bella. 296,6
Animæ decor in occultandis virtutibus. 333,7
Animarum saluti omni cura studendum. 329,1
Ea ab opportunitate medicinæ pendet. 351,17
Et est diuitiæ Dei. 407,4
Animarum perditio est Ecclesiasticorum auaritia. 508,30
De animarum salute non desperandum. 469,12
Illarum mortem inducunt verba blandientia. 506,26
In Christi vulneribus omnia bona habent. 410,9
Animæ spirituales sunt, quæ facilè carnalia relinquunt. 393,7
Qui perfectioni student, non deterreantur ab animarum negotio, securitatis propriæ prætextu. 575,11
Felicis hominis anima est, quæ omnia mundialia supergreditur, & vni Deo nititur. 611,10

Animus.

Animus Christianus in facinoribus suis solos Dei oculos amet. 312.3
Infirmos non statim in fortissimis virtutum operibus exercendus. 309,9
Elatus in casu funditus perditur, humilis vel in casu proficit. 278,3
Celsi & regales animi nullo sic tanguntur, vt nominis claritate. 38,2.318,14
Animus curis terrenis liber, statim ad cœlestia ascendit. 44,15
Ad labores paratus, omnes contemnit. 28,7 & 8
Etiam robustissimus frangitur ad regalium cinerum conspectum. 61,8
Et castissimus retardatur feminarum conspectu. 73,2
Diuinus capitur misericordiæ affectu. 59,4
Solus diabolico furore obduratus sese præcipitat in Iesu oculis. 313,3
Animi constantis virtus ad se omnes trahit. 277,2
Animus patiens egestatem nescit. 342,24
Carnalibus inhærens brutescit. 393,7
Ingenuus grauissimum habet confusionis notam perfundi. 436,8
Quò magis seruilis, eò ineptior ferendæ cruci. 488,10

Animositas.

Animositas in virtute quærenda. 511,3

Antecessor.

Quod antecessoribus euenisse noueris, idem ex mundo expecta. 57,20.

Antichristus.
Antichristi historia. 633.& seqq.
Antiquitas.
Ab illa sola qui gloriantur stulti. 460,17
Non illa veram excellentiam præstat, sed merita virtutum. 460,16
Antiquitati doctrinæ non nimis deferendum, vt nouis suus honor negetur. ibid.
Antiquos, vel in sapientia, vel in virtute æquale, summa laus. ibid.
Apostoli.
Sub veteri lege steriles, sub cruce Christi fertiles 396,3
Non ad vnum populum, sed ad totum orbem mittebantur. 331,5
Eorum cultura aliquibus in ruinam fuit. 396,3
Apostolicæ paupertatis præmium supra homines.
Appetitus.
Appetitus carnales faciliùs superantur, vbi est resurrectionis meditatio. 500,15
Aptitudo.
Aptitudo naturæ spectanda in his, quibus munus aliquod committitur. 301,9
Aqua.
Auspicatissima hominibus. 372,1
Cur ante omnes creaturas benedicatur. ibid.
Eius excellentia. ibid.
Bona in homines. ibid.
Aquarum obsequia vt Deus gratificat.
Arcanum.
Arcanum nullum in terris. 413,3
Arcanum seruare, generosi pectoris est. ibid.
Ardor.
Ardor maximus rerum spiritualium, Christianorum gloria est. 402,10
Ardores voluptatum superare, præstantissimæ virtutis est. 460,17
Ardor sciendi eò tendat, vt capiatur Deus. 608,3
Argumentum.
Argumentum diuinæ potestatis, conuersio peccatoris. 397,5
Argutiæ.
Argutiæ lasciuorum audientium aures incestant. 420,13
Arma.
Arma omnia assumenda aduersus voluptatem. 315,8
Arma efficacissima contra diabolum, oculi vigilantes. 344,4
Arrogantia.
Arrogantia virium stultissimum. 135,6
Aspectus.
Aspectus Dei procliuis est in nostra bona opera. 425,24
Asperitas.
Asperitas vitæ hominem in virtutibus suauiter confirmat. 304,5
Virtutem firmat. 340,20
Immatura nocet. 351,18
Diuina non ruinam, sed salutem in suppliciis intendit. 397,6
Nulla in mensa Eucharistiæ. 468,10
Asperitas sola infelices excitat. 565,5
Assiduitas.
Assiduitas virtutis ne fastidium generet, petendum à Deo. 356,2
Attalus.
Attalus Rex potentissimus Carthagine occiditur. 435,7
Auaritia, Auarus.
Inter auaritiæ laqueos nil nisi asperum expectandum. 23,13
Auaritia maledictionis, & orationis causa. 492,2
Falsitatis socia inseparabilis. 141,7
Promissa diuina impedit. 49,3
Crudelissima est. 287,12
Mentem retrahit ne videat cœlestia. 174,19
In viro Ecclesiastico turpissima. 263,6
Auaritia Iudæorum vnde proueniat. 399,5
Muliebris maxima. 411,1
Eius affectus vehementissimus. ibid.
Auctoritas.
Auctoritas multorum iudicum non æstimanda, vbi solitus apparet rigor in proximi damnatione. 619,3
Augmentum.
Augmentum vitæ spiritualis, qui intendunt illustriora virtutum opera exerceant. 511,4
Augmenta donorum Dei transfert Deus ad feruentes. 469,1
Maxima in Eucharistia. ibid.
Augmenta salutis multa in Iesu conspectu. 547,16
Auiditas.
Auiditas immedicabile malum. 337.14
Naturas rerum immutat. 338,17
Aula, Aulicus.
In aulis nil citius occurrit, quàm dissidia prælia. 237,7
Aula regum vestiarium est mundialis comœdiæ. 31,13
In ea mendacium præualet. 39,5
Aulici regum affectus induunt. ibid.
Aulicis nulla quies in adeptis dignitatibus, semper ad nouas enituntur. 330,2
Illorum ambitio, vt omnia regalia secreta se nosse fingant. 541,2
Aulici id solùm æstimant, quod Regi placet. 581,13
Eò spectant, vt auscultent, quæ deferant, delationibus, susurrisque viuentes. 623,1
Aurum.
Suos amatores excæcat, ne cœlestibus inhient. 174,19
In illo mors, & sepulchrum. 97,13
Illum contemnere ob Iesum gloriosum est. 49,4
Ferè non est damnatio, vbi aurum non est. 49,2
Diuina impedit promissa. ibid.3
Homines à cœlesti regno excludit. 344,3
Ad fouendam auaritiam aptissimum. ibid.
Austeritas.
Austeritas in pœnitentes solet esse intolerabilis. 438,11
Authores.
Diuersa authorum placita valdè conducunt ad fidem propagandam. 293,2
Authoribus virtutum Deus maximè fauet. 428,31
Auxilium.
Diuinum præstò adest in necessitatibus. 23,11
Solius Dei est opportunum auxilium præbere. 19,5
Dei auxilium adest laborantibus. 27,5
Efficax sibi semper paratum qui putat fallitur. 454,5
Auxilium sanctorum obsequiis comparandum. 506,27
Non iuuat vbi deficit misericordia in egenos. 507,28

B

Balaam.
Balaam auri cupidine captus Deo resistit. 337,14
Baptismus.
Baptismus lasciuiæ opponitur. 417,7
Eius fons intrinsecus manet in animo. ibid.
Barbaries.
Barbaries maxima rerum inauditum damnare. 349,13
Beatitudo.
Beatitudine alienissimæ infirmitates. 21,10
Eius priuatio morte æterna acerbior. 23.14
In ea nihil nisi delectabile. ibid.15
In illam octo viis itur. 48,1
In ea non omnes beati habent diadema regni. 50,6
Ad illam peruenitur per deuictas difficultates. 110,1
Bellum.
Cum bonorum temporalium hæreditate non pax, sed bellum. 207,10
In aulis nil citius quàm bella. 275,7
Durissima manent iustis tempore mortis. 208,13
Non nisi post multa superata descendas in animarum negotia. 296,6
Oues Christi, nec inter bella pacem amittunt. 399.15
Benedictio.
ad Benedictionem cœlestem impetrandam plurimum valent sacræ vestes. 32
Benedictione Dei adimplebitur, qui profectus suos non sibi, sed Deo adscribit. 467.8
Beneficus, Beneficentia.
Beneficentia in pauperes regno digna. 20,8
Sine illa firma bonorum possessio non fundatur. ibid.
Ipsa triumphum agit. 21,9
Quæ diuina, immensa est. 47,21
Benefiens mensura careat. 66,18
Illum omnis laudat Ecclesia. 20,8
Illa beneficentia Christiano digna, quæ prius in propinquiores. 181,33
Ex Maria habet Iesus beneficentiam mandare in hostes. 78,5
Benefici Dei filij. 343,1
Deo pleni. 351,6
Illis debentur imperia. 331,3
Beneficos qui persequuntur plectentur. 480,6
Beneficentiæ Dei maxima gloria, omnibus opitulari. 332,6
Beneficentiæ opera plena fueris. 331,3
Illius quantum habes, tantum deitaris. 342,24
Per illam facilè omnes homines trahuntur ad salutem. 408,5
Per illam Deus de nobis triumphat. 408,6
Maximè relucet in Eucharistia. 468,10
Beneficium.
Beneficia diuina cumulatissima. 18,4
Etiam in ipsis pœnis sunt. ibid.
Deitatem hominibus ostendunt. 19,1
Plura in misericordes. ibid.6
Deum cognosci faciunt. 29
Laudari debent. 41,7

Illa

Illa in primis, quibus quis in salutem afferitur, multis aliis pereuntibus. 312,8
Pro beneficiis non fit retributio ab hominibus huius sæculi 44,15
Beneficia sine mensura conferenda. 66,13
Inimicis dum conferuntur, triumphat Christianus. 62,10
Multa beneficia nobis paternus Dei amor impertitur. 1..,23
Beneficium ingens est filio, quod parentes sanctos habeat. 395,1
Beneficia proprium Dei semen. 331,3
Regium animum indicant. ibid.
Dei naturam à ... distinguunt. ibid.
Vel parua ingentem messem reddunt. 331,4
Amittuntur, dum euulgantur. 341,22
In plures, non in vnam effundenda. 331,4
Vni collata pereunt. ibid.
Deum illustrant. 332,5
Diuina, etsi parua certissimam faciunt spem magnorum. 370,13
Non inordinatè donanda, sed pro meritis. 374,17
Filij Dei propriè vbique quærunt egentes. 387,7
Communicata beant hominem. 393,6
Principalius in propinquos egentes conferenda. 465,3
Plurima conferuntur in Eucharistia. 467,11
Deo accepta firmissima. 469,1
Conferuntur à Deo media cruce Christi. 471,7
Magna conferuntur iis, qui de Deo magna credunt. 533,8
Frequentibus petitionibus sunt extorquenda. 534,9
Collata indignis spem excitare dignis debent. ibid.10
Diuina malis mortem, bonis vitam afferre solent. 395,4
Plurima præcedunt Deum in nos venientem. 400,7
Inter ipsas contumelias magis elucent. 413,19
Magnum Dei beneficium est, videre in alieno capite, quid caueas. 482,30
Et quòd vnus è multis, Dei amore dignus habearis. 491,10
Beneficium Dei pignus est ad aliud. 427,27
Quòd vocetis, quando in te habes sopitos humanos affectus. 508,19.
Quòd filiali ducaris ad Deum affectu. 473,9
Quòd Deum præ oculis semper habeas. 474,11
Beneficiorum diuinorum proprium est, quòd ad proximos se extendant. 510,11
Sub beneficiorum titulis maiora odia exercent feraler homines. 572,2
Beneficiis Deus hominum vota præuenit. 400,7
Beneficiis aliquem ad vitam trahere diuinum est. 408,5
Beneficia spiritualia eò magis crescunt in vnoquoque, quò citius illa aliis communicat. 586,23

Benignitas.

Quidquid benignitate plenum est, in Iesu est. 196,13
Benignitatem nulli negare, proprium veri Dei. 332,6
Benignitas, & beneuolentia in proximos, proprium filij Dei. 350,16
Priùs adhibenda peccatori reducendo, quàm rigor. 408,5
Omnia velut tenet. ibid.
Benignitatis diuinæ fines latiores sunt, quàm dominij. 552,6

Bona, Bonus.

Sola quæ æterna sunt verè censentur esse. 191,5
Vera, & plena in Christo quærenda. 210,1
Vbi Iesus intercedit plena, & integra. 239,3
Quæ à Deo in homine laudantur vera, & permanentia. 8,2
Bona sua propria mansuetudo habet. 50,7
Bona habet Deus in promptu, vt hominibus largiatur. 96,12
Nemo ex bonis externis cognoscitur. 118,17
Bonis abundat, qui similis Deo est. 26
Omnium possessionem per eleemosynam acquirimus. 20,7
Quæ Ecclesiastica sunt, non habeantur, vt propria à Prælatis. 245,12
Quæ ad animam spectant præ aliis æstimanda. 212,7
Quæ futura sint bona, prænuntiat legum obseruantia. 106,32
Dum æterna seruantur, temporalium iactura parua est. 255,1
In solis æternis, & diuinis bonis non est seruitus, in aliis maxima. 248,9
Æterna spectans, omnia sibi ad cœlum patentia inuenit. 250,6
Cœlestia bona ad virtutum opera impellunt. 102,15
Illorum spes, quasi possessio est. 304,6
Illis non spoliabitur, qui primus in se insurgit. 279,6
Illorum meditatio potens est illa efficere. 183
Ea solet etiam Deus largiri sectatoribus Christi. 232,13
Quæ in Christo acquirimus, salutem habeant. 286,11
Illorum abnegatio omnia multiplicat. 175,8
Occasiones sunt perditionis. 282,2
Suos amatores præcipites agunt. 12,10
Cœlestem benedictionem impediunt. 49,2
Non sufficiunt homini. 55,12
Æternis comparata nihil sunt. 219,19.191,5
Dolos, & fallacias pariunt. 91,2
Non ad thesaurum, sed ad sepulchrum pertinent. 96,12
Eorum acceptio ruinam etiam temporalem parit. 171,15
Quo leuiora, eò magis contrariantur solidis. 212,2
Eorum iactura parua, si maneant æterna. 233,1
Illis renunciatis ostenditur diuina origo. 240,8
Contemnuntur facile visis Christi laboribus. 221,14
Illis contentus iam nullum habes inimicum. 216,5
Qui sola illa in Christo quærit, insanus est. 212,2
Illorum hæreditas bella, & lites. 207,10
Illorum scientia obstat cognitioni diuinorum. 195,8
Eorum solicitudo turpissima in Ecclesiastico. 263,6
Illorum cupiditate corrumpitur ministerium veritatis. 299,13
Sine illis aptiores ministri Euangelici. 264,7
Eorum finem qui respicit, felix est. 256,18
Vide *Auaritia*, *Aurum*.
Nemo bonus, sine virtutibus, quæ ostendunt, qualis quis sit. 214,20
Durissima persecutio quæ à malis simul, & bonis venit. 225,2
Præstantissimum omnium bonum cum Iesu esse. 281,8
Bona non duratura malis contingunt. 338,12
Nulla sine examine accipienda. 340,20
Erogata magnos faciunt. 474,13
Meretricibus data seruos faciunt. 569,16
Et duplicem mortem accipiunt. ibid.
Quæ à Deo non veniunt, indigna homine. 390,15
Quæ à peccato summam afferunt cladem. 391,2
Omnia creata mille defectus patiuntur. ibid.
Sponsæ Deò offerenda, vt qui ab inuitis auferre potest. 394,9
Ex affectu carnali parta fastidium pariunt. 410,10
Ex affectu cœlesti quæsita, gaudiis plena. 411,11
Rapioris habita non satiant. ibid.
Lasciuia obtenta infamem desinunt. 418,8
Terrena nihil omninò sunt. 457,11
A Deo accepta stabilia. 469,1
Omnia in vno Iesu. 377,17
Cum Maria, & Iesu omnia simul. 496,8
Quo magis propria, eò citiùs displicuntur ab hominibus. 531,3
Bona naturæ rationalis eò securiora, quò remotiora à terris. 512,5
Illa tibi propria solùm habes, quibus vteris in Dei obsequium. 467,9
Felicissimè habes, quæ vides multis proficere. 490,13
Bonis deficientibus credere stultitia est. 394,9
Bonis alienis carere, vera felicitas. 365,6
Bonorum causam esse aliis vera felicitas. 393,6
Bona funditus perdita non gloriam, sed calamitatem ornant. 630,15
Bonorum omnium plenitudo in Christo habetur. 599,27
Bona cœlestia nobiles faciunt. 463,2
Illorum luctum in prosecutione illustrium operum. 511,4
Illorum spes reddit animos à molestia liberos. 525,15
Sola possunt humana corda implere. 538,5
Cœlestium comparatione vilia sunt terrena omnia. 546,13
Penuriam alunt. 391,3
Ablegant Deum ab humana mente. ibid.4
Orationi nocent. ibid.
Obliuionem æternorum faciunt. ibid.
Suos amatores obdurant. 338,17
Sunt vmbræ. 341,22
Quò magis verisimilia, eò citiùs veritatem occulant. 362,5
Sunt solum figurata. ibid.& 626,7
Facilè relinquenda. 387,7
Animalibus propria. ibid.
Impendenda suot saluti animarum. 407,4
Deum faciunt amicti. 430,34
Vt transmitti debent in vitam, 441,18
Implicat nos. 464,2
Relicta fructiferam tibi faciunt crucem. 473,9
A Deo beneficio veniunt, vbi proximis communicantur. 544,21
Impios non tam ornat, quàm designant perditionj. 519,3
Plus obsunt virtuti, quàm omnia mala. 520,4
Illis qui immergitur, nec requiescit in sepulchro. 523,9
Bonorum temporalium amorem infestant gemitus, & dolor. 548,21
Illorum felicitati assueti difficilè non labuntur. ibid.22
Illorum vmbra diabolus hominibus imponit. ibid.23
Illorum amatores mendaces. 403,12
Eorum asseclæ vanitas. ibid.
Illorum iacturam facere ob maiora lucra comparanda, prudentia. 439,13
Bonis temporalibus nimium fidentes sub ipso Dei lumine magis excutiunt. 338,17
Illis non excusamur, quominus Deum vocantem sequamur. 401,8
Cum his seruire diabolo, cum quibus possemus æternitatem comparare inexcusabile malum est. ibid.
Bonis terrenis inhærens sapientia suspecta sit saluti. 620,5

Bona opera certissimum virtutis testimonium. 337,15
Bonorum consortio peccatoribus vilissimum. 351,17

Bonitas.

Bonitatis diuinæ imber posterioribus bonis obscurat priora. 389,11
Bonitas Dei suauissima in Eucharistia. 468,10

Brutum.

Bruta animalia in Deo cognoscendo minus nequiora, quàm homo. 347,1
Brutis similes sunt, qui terrenis immorantur. 456,8

C

Calamitas.

Calamitatibus alienis nemo bonus sua gaudia nutrit. 317,11
Calamitates non frangant vires animi. 466,5
Vide *Labor*, *Afflictio*, &c.

Caligo.

Caliginem erroris qui recipiet sub Iesu, deploratus est. 594,17

Calumniator.

Calumniatores fugiendi. 79,6

Cantus.

Diuinis cantibus non demulceri summa est peruersitas. 36,22
Eorum suauitas sacræ legis obseruantiam mentibus ingerit. ibid.
Cantus, & symphonia auspicium regni. 464.2
Cantibus impudicis gaudere, quasi stercore saturati. 420,13

Carcer.

Hoc præstat carcer Christi affectis, vt voluptatum caueant simulacra. 26,3
Carcerem aperuit Pauli catena. 27,6

Caro.

Carnis indulgentia ruinam parat. 279,5
Caro Christi pignus certissimum possidendi totum Spiritum sanctum. 370,13
Carnis voluptates faciliùs relinquuntur, vbi corporum resurrectio persuadetur. 500,15
Carnalium voluptatum ardorem, qui vincunt gloriosissimè triumphant. 462.18
Carnali affectu quæsita mox fastidium pariunt. 411,11
Carnalia bona pecudibus propria. 393.7
Ab spiritualibus facilè relinquuntur. ibid.
Carnales veritatis luce carent. 392,4
Audaces, & nullius reuerentes. 403,13
Carnales affectus impellunt ad difficiliora. 572,4
Carnalis concupiscentia à Iesu solo vincitur. 590,2
Carnalia deserat, qui angelicam vitam ducere velit. 628,12

Castigatio.

Castigatio in alios sit moderata. 431,37

Castitas.

Quantum castitatis, tantum splendoris. 251,8
Castitatis nihil non expeditum, & pennatum. ibid 9
Lucidissimis partubus fœcunda. 252,10
Acuit mentis oculos, vt Deum videant. 55,15
Illam offendit vel fœminarum conspectus. 73,2
Castitas non nisi de magna pugna coalescit. 615,6
Ipsa sibi, & aliis tutum asylum. 615,14
Promptissima ad omnia Dei obsequia percurrenda. ibid.13
Castitas exterior sine interiori nullius apud Deum pretij. 365,4
Rara virtus. 367,8
Vera, quæ ob cœlestem amorem conseruatur. ibid.9
Conseruatur charitate. ibid.
Sine charitate vilis est. ibid.
Illa pretiosa, quæ nihil præter Deum admittit. 368,10
Nundinatiua est, quæ impudicis oculis patet. ibid.
Vbi castitas in amore est, vix est fames. 419,10
Cœlestis gloriæ imago. 493,1
Comes constantissimæ fidei. ibid.2
Regna magnificat. 494,3
Proximos cœlo designat. ibid.4
Disponit ad Eucharistiam. 495,5
Illustrissimum est humanæ naturæ decus. 504,13
Facit hominem totum spiritualem. 544,9

Casus, cadens.

Casus Principum plurimum valet ad commonendos homines de infirmitate. 61,8
In Casu funditus perit elatus animus, humilis proficit. 278,3
Casum certissimum affert dignitas, quæ à diabolo. 265,8
In cadentes culmine omnes insurgunt. 62,9.314,6

Cathedra D. Petri.

Est per se salutaris omnibus, & vitam halans. 165,1

Causa.

Rarò non iniustè agitatur causa, quam per ministros iudex tractat. 187
Causam inauditæ partis iudicare, barbarum est. 435.5.579

Censor.

Censores nimij errorum proximorum in grauiora sinuntur ruere. 431,37
Censores aliorum careant culpa in se. 579,8

Cham.

Cham impudentissimus, & rusticus. 403,13

Charitas.

Charitas in Deum semper pacem parit. 55,16
Charitatis ordo prius amicis fauet. 80,9.216,6
Charitatem habere non censemur, quam testatam non facimus. 140,5
Vbi vera nihil præter Deum æstimatur. 202,1
Eam facit in nobis mansionem, vt quasi ibi videatur Deus iuuenescere. 204,4
Diffusa in nobis sapientissimas de Deo gignit cogitationes. 206,8
Præstantior charitas prouidere propinquis. 216,6.271,9
Vbi charitas deest, exteræ virtutes abeunt in corruptionem. 291,7
Qui illa tenetur, non timet mortem. 208,14
In eius operibus in nobis dignoscendis, multus est Iesus. 214,2
Illud habes tuum, quod est opus charitatis in proximos. 215,3
Charitate fraterna comparatas Dei amicitiam. 217,7
Hæc diuina sibi mysteria inuenit manifesta. ibid.8
Claritatem habet, & lucem. 232,15
Quam Deus nobis exhibet charitatem, proximis exhibeamus. 214,1
Fraterna charitate pollentes eliguntur, vt Christum gentibus annuncient. 293,1
Charitas ad victorias armat. 360,1
Virginitatis est ornamentum. 367,8
Christiana vberibus comparatur. 389,11
Omnia sit, vt omnia factum Deum inueniat. 481,28
Illi nullum est impedimentum distantiæ. 525,17
Charitatem proximorum qui diuidit, similis inferno est. ibid.16
Charitas proximos in vnum trahens, de Dei potestate venit. 613,2
Charitas facit nos in crucifixum respicere, & pro illo pati. 597,24
Charitate in proximos fulgeat quisquis ad Eucharistiam accedit. 491,15

Chorus.

Chorus Societatis Iesu, qualis sit. 151,4

Christus.

Christus sic curat suorum infirmitates, vt illas in se exprimat. 188,41
Solus ostendit Deum patrem, cætera indicem. 194,10
Vbi moritur, paret accurrit præsentissimus. 196,14
Quidquid ipse est, hoc facit, quòd sint adhærentes sibi. 21,10
Eò tendit, vt nos à mundo abducat. 221,14
Non potest non patere in hominibus iustis. ibid.16
Acceptas habet iustorum lacrymas, quibus honoratur. 235,4
Vbi non rogatur pro saluandis hominibus, quasi mortuus est. 239,2
In humilitate fundauit regnum cœlorum. 250,6
Vbi Christus est, ille accedit, qui sustinet eius crucem. 280,7
Gloriosior est, in tolerantia passionum, quàm in mortuorum resurrectione. 28,8
Non perfectè habetur, nisi per plurium sanctorum imitationem. 41,8.256,16
Quolibet pœnitentiæ opere monetur. 108,37
Omnia nobis fit. 68,22
Nescit partita dona. 124,31
Christi verba fluctus vitæ tempestates homines muniunt. 181,32
Eius benignitas in homines asylum inexpugnabile. 190,3
Eius opes, vel ingentia promissa explent. 199,20
Eius thesaurus supra fidem præstitam. ibid.
In eius donis numquam infima sunt, quæ supereffluunt. ibid.
Eius spiritus propria simplicissima veritas, aliena simulatio. 200,21
Eius in conspectu nullum tempus, non breuissimum. 202,24
Eius labores efficaces ad contemnenda mundialia. 221,14
Eius Ecclesiam peteurit durissima persecutio à malis, & bonis simul. 225,1
Eius ab spiritu venit, posse multis gratum esse. 258,22
Eius spiritus non aliis tradit ministerij sui onus, sed ipse portat. 272,2
Eius sub cruce gloriantes nihil non nouum, & sublime meditentur. 273,3
Eius ad vocem, qui exurgit de omnibus est. 285,7
Eius sectatoribus temporalia etiam largitur Deus. 286,11
Vbi Christi res agitur, ibi persecutio. 294,3
Eius seruis gloriam afferunt fastuosæ altitudines contritæ, eius in morte maximæ gloriæ fulgent. 324,9
Eius à cruce cœlestium principum natales. 325,15
Eius crux salutaris. 8,2

Eius passionis signa impios in iudicio torquebunt. 9,3
Vel eius verbum sufficit ad omnium salutem operandam. 14,13
Eius gloria magna, quod ad eum ex omnibus gentibus concurrant. 18,3
Eius gloria pristinas omnes abolet egestates. 21,10
Eius solicitudo pro suis non cessat vsque in regenerationem sanctorum. 23,15
Eius sequela ab ipso vocante oriatur. 25,1
Eius deitas apparet in vinculis sanctorum. 28,7
Eius ministri gloriosum reputant, sine stipendio omnibus esse salutares. 38,1
Eius imperium pace stabilitur. 45,17
Eius Ecclesiam qui ignorat, inexcusabilis. 65,16
Eius conuiuium nulli deficit. 112,6
Eius assecla dum se vincat, cætera omnia deuicta inuenit. 129,4
Eius in regno solo verè magni sunt viri. 58,1
Christo, qui se addixit, nil vltra requirit. 182,34
Ei obedientis orationem citissimè exaudit Deus. 241,6
Eidem quod dederis, solum habebis. 304,7
Christum habentibus solis ostendit Deus faciem. 195,11
Post ipsum passum habemus, vbi à iaculis protegamur. 219,11
Vnum in se Christum refert Christianus. 221,15
Eundem habentibus omnia claustra aperiuntur. 190,4
Quæ Christum respiciunt opera omnium pretiosissima. 111,4
Christum in Eucharistia, qui non honorat, Iudæ similis. 116,12
ob Christum, qui patitur, eo ipso innocens ostenditur. 128,3
in Christo omnia habentur perfectissimè. 157,14
à Christo, qui deuiat, verè nec est, nec viuit. 193,9
Qui in Christo quærit leuia, & vilia, insanus est. 210,1
Inde operis præstantia, quòd pro Christo fiat. 215,3
Cum Christo esse præstantissimum bonum est. 281,8
In solo Christo possunt nobis abundare gratiæ, & donationes. 288,14
Christus prima hominis perfectio. 599,28
Inde probatur Deus, quòd nulli non auxiliatur. 332,6
Egregia opera humilitate obducit. ibid. 7
Vbi pertingitur, omnis ab illo diuinitatis suauitas haurituı. 339,18
Quia creaturas amauit, doloribus afficitur. 341,21
Dum Stephano subuenit, Patri se ostendit æqualem. 350,16
Filius Dei ostenditur in hominum subuentione. ibid.
Contritus in cruce gustum ad labores excitat. 357,3
Ab vtero affectum nostrum prædatur. 358,6
Numquam maior, quàm vbi minimus. 363,2
Hominem facit sua præsentia supra cœlum præstantem. 376,8
Nullum prætermisit locum, quo non penetraret, vt egentibus benefaceret. 387,7
Sicut in magnitudine, ita & in humilitatis vilitate omnes superat. 388,9
Mundi Dominus antè per pœnam, quàm per gloriam cognitus. ibid.
Per passionem infinitudinem suæ sapientiæ ostendit. ibid.
Nescit finem in benefaciendo. ibid. 10
Per Eucharistiam omnes mortis dolores oppressit. 398,2
Christus acus est, vulnera foramina, per quæ ad bona ingredimur. 410,9
Suas dumtaxat oues curat. ibid.
Nil non aggressus pro nobis. 411,9
Quasi æmulatione vincit hominum auaritiam in quærendis animabus. ibid. 1
Omnia facit vnum. 414,2
Inde Dei Filius declaratur. ibid.
Panis viuus omnibus abundans. 421,17
Scit vel inter iniurias ignoscere, & benefacere. 423,19
Absolutissimè expleuit personam serui. 443
Sua morte pulchram Prophetarum mortibus inuexit coronidem. 476,6
Efficacissimus est pro hominibus. 477,18
Suauissima erga pudicos. 495,5
Haberi non potest sine Ecclesia. 496,7
Salutaris hominibus de Mariæ consortio. ibid. 8
Eò manifestior homini, quo homo magis se abscondit propter illum.
Maius est, quòd trahat homines in salutem animæ, quàm in vitam corporis gloriosi abeat ipse. 481,29
Solus valet ad salutem. 622,10
Per mortem sibi omnes vnivit. ibid.
Christi patientia certissimum signum diuinitatis. 449,6
Eius triumphum salus peccatoris inueterati potissimè illustrat. 458,12
Eius discipuli discant neminem iudicare. 347,10
Eius vulnera famem ad virtutem excitant. 357,4
Eius crux virtutes firmat. 359,8
Eius humanitas est fons. 363,1
Diuinitatis thesauros, & occultat, & manifestat. ibid.
Eius opera diuinitatem halabant. 363,12
Eius diuinitas non torpatur sub carnis ignominiis. 385,4
Eius diuitiis potiturus, omnia relinquat. 392,4
In eius genealogia non numerantur ex malis parentibus, mali filij. 395,1
Eius vulnera fossam offerunt, in qua à Dei ira abscondamur. 396,3
Eius crux animæ fructus facit, & maturat. ibid.
Eius œconomia quæ? 397,6
Christi dies est, vbi gladius, qui affligat, sed non mactet. ibid.
Eius vulnera nobis omnia porrigunt bona. 410,9
Eius erga homines amor, maior quàm auaritiæ humanæ ardor. 441,1
Eius laus non ab extrinseco ornatu, sed ab ipsa nuditate maior. 425,26
Eius præsentia vt fugat dæmones. 432,38
Eius liberalitas, & suauitas simul in Eucharistia. 468,10
Eius mortis memoria suauissima. ibid.
Eius propriissimum est, benefacere hostibus suis. 478,21
Eius innocentia innotuit mundo, à modo, quo in illam lata est sententia mortis. 479,22
Eius seruos, qui offendit celerem ex Deo trahit ruinam. 487,8
Ad eius corpus sumendum virtutum ornatus præcedat. 490,14
Eius nomen, qui non exaltare curat, inglorius erit. 498,12
Christi humilia manifesta erant signa diuinitatis. 569,3
Christi virtus est, quòd sciamus cedere hostilibus iris. 570,1
Christi sequela in cœlis parit curules. 617,5
Christo Domino gratiùs videtur esse inter suos homines, quàm sine illis in cœlo. 510,1
Ei qui adhæret, amat ardentissimè, quòd aliis communicetur. 495,5
Ei, vnde veniat necessitas omnia subeundi. 443,3
Ei soli, qui nititur, omnibus abundat. 391,2
Christum quisquis habes, nil timeas, omnibus abundas. 419,11
Eum, quis amat, nescit sola in eo ignominias considerare. ibid.
Eum cogitanti nihil insuaue est in mundo. 356,2
Eum decuit omnia infamia subire. 388,9
Vltra Christum nil est, quod requiras. 477,17
In Christo plurima elucent suauitatis argumenta. 388,9
In Christo crucifixo omnium bonorum fontes aperiuntur. 585,21
Christum nescit, qui nescit pauperum misereri. 606,23
In Christo Iesu omnium bonorum plenitudo. 599,27

Christianus.

Verus Christianus vnum Christum in se refert. 221,15
Intimis animi virtutibus plus fidit. 218,10
Beneficentiam, in coniunctiores prius exercet. 301,17
Triumphat benefaciens inimicis. 80,9
Studet, quod pauci in illum peccent. 138,1
Christianus sæpè vincitur ab Ethnicis in carnis maceratione. 402,10
Peccans est pirata. 434,3
Celeriùs supplicio mulctatur. ibid.
Christianæ disciplinæ culmen non tam in verbis, quam in operibus consistit.
Christiani vita designat, qualis erit mors. 584,19
Salutem non gustare sub Christo infelicissimum est. 595,18

Cibus.

Cibus cœlestis ignitus carbo. 437,10
Per cibos mala firmantur. 399,5
Cibus quamuis dulcis, & spiritualis sui fastidium assiduitate generat. 356,2
Cibus Eucharisticus nutrit omnes spes salutis. 411,16
Cibus, potúsve cœlestis nos quasi cogit ad gratias Deo habendas. 437,10
Aut extorquet gratitudinem, aut infert exitum. ibid.
Cæcitas mentis vbi expellitur, panis cœlestis odoratur. 421,15

Clades.

Clades iustorum iucundissimum impiis faciunt spectaculum. 236,5

Claritas.

Claritas nequit non esse vbi est vnitas, & concordia. 232,15
Claritas in castitate est. 251,8
Claritas nominis regales animos maximè afficit. 318,14

Claustrum.

Claustra omnia patent habenti Christum. 283,4

Cœlum, Cœlestia.

Cœlestia meditantibus nihil nocent mundiales laquei. 226,3
Cœlestia spectans, omnia ad cœlum patentia inuenit. 250,6
Et ferè imperturbabilis est. ibid. 7
Vide *Beatitudo.*
Cœlum petentibus quæuis onera leuissima. 408,6

Extra cœlum, qui aliquid suum esse putat, diabolus est. 309,32
Cœlum vbi clauditur, statim in terra calamitates apparent. 331,4
Ad cœli viam amissam difficilis recursus. 384,2
Cœlestia sunt homini quasi propria, cætera vt aliena. 462,28
Cœlestis via paucos habet nobiles. 464,1
Cœlestia, quæ cogitas, Deum in te sublimiorem facis. 413,38
Cœlestis est, qui de proximorum profectu gaudet. 413,4
Cœlestis viæ desertores in mundiali latitudine pereunt. 384,2
Cœlestium bonorum fastidium cauendum. 355,1
Cœlestium memoria pellit virtutum fallidia. ibid.
Imò non accendit ad virtutem. 356,2
Cœlestia bona verè bona. 359
Cœlestia dona, quamuis minima, homines ad maxima quæque muniunt. ibid.
Cœlestibus adhærentes sydetibus comparantur. 464
Cœlestia, & sublimia aspiciat, qui Deum quærit habere. 398,26

Cogitatio.

Cogitatio in Deum eleuata securitatis plena, ad terram abiecta ruinæ proxima est. 384,8
Cogitatio rerum cœlestium virtutis fastidia discutit. 353,8

Cognatio.

Apud cognationes carnales spiritus Dei malè audit. 139,20

Cognatus.

Cognati despiciendi pro Deo. 530,2
Eorum miseria subleuanda potiùs, quàm aliorum. 465,3

Cognitio.

Cognitio perfecta de Deo generatur à charitate. 206,8
Cognitio propriæ naturæ vires tribuit apud Dei tribunal. 7,13
Cognitio magna Dei, & confessio hominem reformat, & in firmam salutem euehit. 548,18
Cognitio Dei secum trahit omnes operationes virtutum. 393,14

Colloquium.

Colloquiis hominum familiaris Deus post Iesum. 206,9

Comessationes.

Comessationes pariunt iras, & crudelitates. 266,10

Comitas.

Comitas nulla in lasciuis. 403,13

Commoditas.

Commoditas transiens quasi nihil. 191,1
Propria communi postponenda. 244,18

Communicatio.

Communicatio bonorum propria discipuli Christi. 375,6

Compassio.

Ex compassione iusti orta tristitia melior est, quàm mundi gaudia. 236,6

Compunctio.

Compunctionem cordis sequitur auidissima virtutis fames. 377,5
Conatus ad virtutem nunquam languescant. 376,8

Concio, concionator.

Conciones audire, numquam non salutare. 503,21
Concionator laudes quærens humanas periclitatur. 305,23
Vrbanè eloquens fructum impedit. 455,7
Obscure loquitur, vt fallat. ibid.
Forensi eloquentiæ studens perniciosus, ibid.

Concordia.

Vbi est, ibi & claritas, & lux. 286,18
Deo multum placet. 345,7
Qui illa emittet aptus ad publicandum Euangelium. 293,4
Concordia maxima patrantur. 414,2
Eam qui turbat, totus fit inconstans. 385,3
Dum malorum concordia, & adunatio viget, non potest viuere iustus. 619,2
Vbi multi mali in vnum concordant, solus Deus potest eorum malitiam noscere. 618,1

Concupiscentia.

Concupiscentia carnalis hominem non rapit. 415,3
A Deo distare hominem sic facit, et penitus ignoretur, vbi sit. 416,4
Carnalis non tam ab alio, quàm à Iesu vincitur. 390,7

Conditio.

Conditio humana est, vt illa magis despiciantur, quæ magis sunt propria. 531,3
Conditio suauissima Dei in Eucharistia. 468,10

Confessio, Confessarius.

Humilis delictorum celerrimam misericordiam consequitur. 297,2
Quæ non oritur à corde humiliato nihil prodest. 291,9
Confessio peccatorum vbi deficit, ineuitabile supplicium timendum. 492,17
Confessarius non sit nimis rigidus in imponendis pœnitentiis 438 11
Confessio de lapidibus facit Dei filios. 588,4

Congregatio.

Nulla est adeò sancta, quæ reprobos non admittat. 489,12

Coniux, coniugium.

Inter coniuges, nec vmbram dissidij Deus causat. 160,28
Coniugalis amor filiorum causa nutriendus. 75,6
Coniugatorum solicitudines crescunt in mortis articulo. 492
Coniugatis fœminis vt Deus consulit. 614,4
Coniugij fundamentum firmum castus amor est. ibid.
Secundum coniugium durum. 628,10

Conscientia.

In quouis malo intolerabilis est conscientia timida scelerum. 6,12
Conscientia mala mortem citissimam putat. 465
Conscientia proprij sceleris deuincit hominem, qui brutus non est ne similia in aliis puniat. 389,6

Consideratio.

Consideratio humanarum rerum efficax ad fugiendum peccatum. 523,10
Consideratio iudicij diuini à nocendo retrahit. 381,11
Mortis consideratio aufert omnem vindictæ memoriam. ibid.

Consolatio.

Quas Iesu consolatio abstergit lacrymas, puta felicissimas. 58,3

Consortium.

Consortio iustorum plurimum peccator proficit. 332,17

Conspectus.

Conspectus Iesu abiectus efficacissimus ad persuadendum. 205,6
Fœminarum conspectus nocens. 73,2

Constantia.

Constantis animi virtus omnium corda trahit ad se. 277,2

Consuetudo.

Laudabilia in pueris induendis religioso amictu. 32,14
Velut altera natura. ibid.
Consuetudo inueterata in vitio trahit hominem in perditionem. 108,31

Consultatio.

Ad virtutem capessendam necessaria. 340,22

Contemplatio.

Contemplatio vulnerum Christi Domini certissima solet esse salus animæ. 396,3

Contemptus.

Contemptus diuitiarum ex Christi amore gloriosus. 47,4
Contemptus diuinorum præceptorum etiam feruidos Dei amatores pungit in vitæ exitu. 209,15
Nec de minimis virtutibus dandus. 54,13

Contentio.

Contentiosi homines Euriporum mutabilitati similes. 385,5
Contentiones internæ fidelibus omni bello atrociores. 414,2

Continentia.

Continentiam status singularis ornatus est multitudo filiorum spiritualium. 304,24

Contritio, contritus.

Contritionis vis eximia. 424,20
Gustum cæcitas ad virtutes capessendas. 314,4
Contritus virtutum operibus satiari nequit. 317,8

Contumelia.

Contumeliis, qui nescit parcere, impudentissime extollitur. 825,1
Illis superiores sunt religiosi. 152,6
Inter illa parebit, quis fueris. 153,7
Contumeliæ non paruæ fuerunt passionis Christi pars. 603,36

Conuersatio.

Conuersatio cum hominibus Christo Domino charissima. 110,1
Sæcularis contagiosa. 406,2

Conuersio.

Conuersio peccatoris omnes Dei labores pro illo exactos compensat Deo. 370
Argumentum diuinæ potentiæ æquè ac resurrectio mortuorum. ibid.
Superat omnem Philosophiæ cognitionem. ibid.
Ad illa verbum Dei validissimum est. 158,21

Conuiciator.

Iustorum conuiciator non abscondetur ad supplicium.

Conuiuium.

Vniuersa conuiuia vilescunt comparata ad Christi conuiuium. 111,6
Conuiuia lauta malitiam diuitiarum excedunt. 319,2
In quibus adest Deus, non patiuntur pauperem iacere. 120,5

Conui

Conuiuia lauta aptiora persequendo quàm sequendo Christo. 535,1
Suspecta sint euangelicis ministris. 536,2

Cor.

In dignoscendis hominum cordibus euidens fit diuina virtus. 244,10
Confessio à corde non humiliato vana. 292,9
Habenti in corde Christum omnia patescunt. 283,4
Amore diuitiarum vacuum mœroris nihil patitur. 336,13
A diuitiis possessum non finit sentiri verbum Dei. 337,14
Iniquum virtutem vulgat. 333,7
Lapideum est per sacrilegos iocos vana loquentibus. 410,13
Terrenis irritum non admittit sermonem cœlestium. 475
Castum nullius in se admittit effigiem nisi Christi. 368,10
Sola excelsa meditans peribit. 401,9
Cordis affectus bonos Deus præ omnibus existimat. 352
Cordis vitia vbi expugnantur, externi actus boni faciles 344,10
à Corde exeunt quæ hominem inficiunt. 567,12

Corona.

ad Coronam vocantur solùm digni. 68,12
Eò pretiosior, quò non vltra coalescit, sed meritis acquiritur. 571,17

Corpus.

Corporis mollis cultus regibus fatalis. 31,12

Correctio.

Correctio mansueta correctionem parit. 387,8
Immatura nociua ægro. 351,18

Correptio.

Correptio sit moderata. 59,4
Quo mollior,& blandior, eo solet esse efficacior. 139,2
Qui corripit caueat,ne exasperet magis. 60,5
Tunc corripienti tribuitur salus peccatoris, quando leniter,& mansuete corripuit. 139,3

Creator,Creatura.

Creaturæ omnes ostendunt Deum iudicem. 194,10
Illis verecundum est fuisse scandalum ad peccandum. 3,3
in Creaturis tantum sunt signa humanæ perditionis, non causæ. 4,6
Creatoris sola manus producit cuncta perfecta. 355,5
Nescit malis tradere suas creaturas,ipsæ per se ruunt. ibid.
Suum opus reparare gaudet. 410,10
Creaturas sibi similes efficit. 362,6
Creaturarum amor etiam in Christo pœnas luit. 345,21
Infringit homines. ibid.
Creaturarum opus ab initio non potest esse perfectum. 355,5
Creaturæ omnes suam gloriam homini deferunt. 376,5
Qui à creaturis solis ditatur infelicissimus. 390,1
Illis aliquid deberi miseria est. ibid.
Earum conatus plerumque irriti. ibid.
à Creaturis damnabiliter emendicas Dei dona. 527,20
Creata omnis prouidentia defectuosa. 301,2
Creaturarum affectus non habet stabilitatem. 571,3
Creaturæ ad amorem non excitantur, nisi ex prægustato amoris lucro. 592,13
Creaturæ vniuersæ deficiunt, solus Iesus indeficiens est. 594,16
Creaturas tales tibi inuenies,qualis tu aliis es. 621,6
Creaturæ ad supplicium hominibus inferendum valent, Iesus ad salutem. 622,10

Crimen.

Maximis criminibus citissime inferendum supplicium. 141,6
Crimina licèt sint clara, authoris tamen iudicium Deo tribuamus. 347,10
Crimina exaggerantes mendaces. 349,14
Aliquando dissimulanda. ibid.
Ibi periculosissimè patiantur,vbi alij virtuti student. 414,1
Crimina dum puniunt iudices, humanitatis verbis vtantur. 491,16

Criminator.

Teterrima Reipublicæ pestis. 345,6
Pigmentariis similes. 346,8
Aliorum culpas verbis extollunt. 349,13
Componunt mendacia veritatibus. 346,8

Crudelitas.

Crudelitas, & iræ à comessationibus, & compotationibus. 260,10
Crudelitas auaritiæ. 287,17
Item iactantiæ, item luxuriæ. 25,1
Vino augetur. 475,12
Crudelitas mali Sacerdotis eximia. 420
Struthioni similis. ibid.
Crudelitas in proximos misericordia compensatur. 438,12
In egentes cognatos causa est perditionis. 564,7

Crux.

Crux Christi securos reddit iustos inter iudicij discrimina. 8,2
Prosperitatis auspicium. ibid.
Ad omnia impetranda valet. 27,5
Nos Christo fidere, & adhærere facit. 62,14
Eius gloria ex congregatione electorum. 18,3
Qui eam non refugit ad locum in quo Christus, ascendet. 167,7
Sub cruce, qui gloriantur, nihil non nouum, & sublime meditentur. 273,3
Eius de mundo abnegationem qui ostendit, maximo eget labore, & sumptu. 272,2
A cruce cœlestium principum natalitia. 525,11
Vt valet animos regales cohibere. 621,8
Crux Christi nobiles animos requirit. 488,10
Ob oculos posita valet ad capessendam virtutem. 396,9
In sterili anima fructus maturat. ibid.
Animæ robur est,& perseuerantia. ibid.
Securam virtutibus præbet sedem. 359,8
Rapuit sibi hominum corda. 473,8
Figenda intimo corde,vt salutaris sit. ibid.
Ad se trahit corda humana. 473,9
Tunc fructuosa cum corda terrenis vacua intrat. ibid.
Valet homines ad gloriam perducere. 474,10
Securissima sanctorum munitió. 472,6
A cruce Domini exempla virtutum,& miracula. ibid.
In cruce Christi decet gloriari. 473,8
Ab illa malorum abolitio. 481,16
Crucis opprobrium thronum exaltat. 497,10
Dei filios signat. ibid.
In ea omnium bonorum fontes. 585,21
Ab illa Romana Ecclesia. 621,8

Culpa.

Etiam in patentissimis culpis, non sunt maxima scelera præsumenda de proximo. 221,16

Cultura.

Culturam animarum bene tractat,qui mille prius sustinuerit conflictus pro virtute. 296,6
Cultura fidei hominem auget. 452,1
Culturæ fidei incumbunt Hispanorum arma. ibid.

Cupiditas.

Cupiditas rerum temporalium prorsus corrumpit ministerium veritatis. 299,13
Cum illa non potest esse pax. ibid.
Cupiditas diuitiarum verbum Dei suffocat. 336,13
Facit homines arescere. 338,17
Eius adimpletio pro supplicio peccatoribus est. 440,15

Cura.

Cura de bona fama habenda diligentissimè. 433,1
Cura animarum virtutis mensura est. 470,3

Curia.

In Regum curia mendacium semper præualet. 39,5

Curiales.

Curiales gestatoriæ in cœlis obueniunt perfectis asseclis Christi. 617,5

Custos.

Custos magnorum bonorum est mors. 155,10

D

Dæmon.

DÆmonis incursus non superatur, vbi non adest animositas. 511,3
Vt nobis malefaciat,vel immundissima loca intrat. 387,7
Dæmonium est, qui sic superbit,vt virtutum honorem sibi præripiat. 604,38

Damnatio,Damnatus.

Damnati cruciantur aliorum felicitatis memoria. 11,8
Solitudine cruciabuntur. ibid.
Maximum illis malum Dei visione priuari. 23,13
In eo quo peccauit torquentur. ibid.
Summa miseria,quod inter tot electos damnentur. ibid.14
Magna infelicitas in damnatis, quod se sub pedibus pauperum videant. 62,10
Penè non est damnatio,vbi aurum non est. 49,2
Certam habet damnationem iracundus. 69,2
In libidine nil non damnationi proximum. 74,3
Vbi de animæ damnatione agitur, disparent temporalia commoda. 130,6
Damnati eisdem rebus punientur,quibus delectabantur. 352,19
Rabidissimo desiderio videndi Deum cruciabuntur. 509,33

Damnum.

In cuiusuis peccato cæteri damnum timeant. 189,1
Damna sua peccatores diligunt. 354,3
Aliis illata in auctores deuoluuntur, 352,20
Propria damna dissimulat,aliena seuerissimè punit. 395,2
Damna maiora patitur regnum pace longa, quam bello. 465,4
Semel illata nescit corrigere diabolus. 476,15
Ineuitabilia sunt quando deficit confessio. 492,17
In damnando aliquem semper est periculum, in condonando raró. 335,8
Damnari reum inauditum tyrannis barbarissima est. 349,13. 435,5. 579

Index Rerum,

Decus.

Decus magnum humanæ naturæ est virginitas. 504,23

Defectus.

Defectus proximorum non amplificandi. 349,14
Non soli spectandi. 386,5
Vt medendi. 428,30
Illos non curat occupatus in se. 431
Eorum censor nimius maioribus irretitur. 431,37
Et superbit. 462,22

Deipara.

Mater est prædestinatorum. 504,24
De eius consortio apparet Christus hominibus salutaris. 496,8
De illa prosiliunt virginum agmina. ibid.9
Vnica post Christum homines regenerat. 558,5
Sic Deo placuit præ omnibus, vt illam Deus habens, non mirum, si cæteras derelinqueret. 859,6

Deliciæ.

Deliciæ carnis important ruinam animæ. 279,5
Fugiendæ à bono Principe, dum tempus est restaurandæ Reipub. 485
Mundanæ non valent saturare humana corda. 532,5
Inter delicias virtuti proxima ruina. 341,22
Delictis in puniendis abstineant iudices à contumeliæ verbis. 491,16

Dementia.

Dementia summa est non vincere propter diuinas, quas difficultates superamus propter temporalia. 110,1

Deploratus.

Deploratus est, qui in delitiis habet duricies seculares. 405,18
Qui absque vllo laboris pretio Deum vellent. 610,7
Deploratus est, qui sub Iesu maiores sentit errorum caligines. 595,18

Desertum.

Deserti auræ salutares. 406,2

Desiderium.

Desiderium vehemens spiritualium vincit omnes passiones carnis. 402,10
Carnale in bonis adeptis illico fastidit. 411,11
Desiderium animarum salutis magnum est argumentum virtutis. 470,2

Desidia.

Desidia contemptum, & dedecus parit. 334,8
Desidia in puniendis delictis perniciosa iudicibus. 447,2

Desolatio.

Desolatio,& solitudo torquebit impios. 210,22

Detractor.

Detractoris linguam, nec sanctissima effugiunt. 39,3
Omnia palam manifestat detractor. 41,7
Detractores indigni sunt, qui accedant ad Eucharistiæ mensam. 491,15

Deus.

Nil nisi salutem hominum adhuc in ipsis signis, & portentis meditatur Deus. 4.5
Dei potestas non in morte, sed in salute hominum effulget. ibid.
Dei iudicium etiam sanctissimi viri metuunt. 7.13
Deus vt puniat alienum habitum sumit. 10,6
Deus in virgine nil, nisi propitium meditatur. ibid.
Præmonet peccatores, vt sese ad tutum recipiant, & effugiant iræ diuinæ iacula. ibid.7
In desperatis diuinum auxilium præstò adest. 13,11
Dei verba efficacissima. 14,12
Dei gratia æqualem ex se omnibus effectum habet. 15,15
Quos Dei iustitia facit inæquales, æquat gratia. ibid.
Nulla est securitas vbi Dei gratia deest. ibid.
Omnia Deo vt Domino retribuenda sunt, si vis felicitatem consequi. 21,9
Etiam reproborum honori consulit. 17,1
Non Deo, sed sibi ipsis nocent peccatores. ibid.2
Deus in suppliciis contractior, largior in beneficiis. 18,4
In ipsis pœnis suæ beneficentiæ non immemor. ibid.
Proprium Dei est benefacere. 19,5
Solius Dei infinita potentia prouenit, vt afflicti, & despecti homines bene habeant. ibid.
Deus omnibus bonis cumulat misericordes. ibid.6
Deus nullum bonum inpræmiatum relinquit. 20,8
Deus ita remunerat nostra opera, vt omnium molestiarum temporalium vestigia prorsus deleat. 21,10
Dei regione damnati carceres eo atrocius cruciantur. 23,13
Absentia Dei lacrymas ciere debet. ibid.
Deus diligenter quærendus est. 26,4
Nunquam afflictos,& laborantes deserit. 27,9
Hominum peccata sua fuga vitare conatur. ibid.
Vltimus bonorum omnium finis similis Deo est. 29,7
Deus in Iesu humanissimus, & facillimo negotio accessibilis omnibus illis, qui amico accedunt animo. ibid.8
Deus non est acceptor personarum. ibid.
Virtutem in teneris annis receptam maximè commendat. 30,11
Nullum opus inpræmiatum relinquit. 32,15
Dei dona semper præstantissima. 35,20
Cui Dei manus fauet, nil non miraculosum operatur. ibid.
Deus in præmiando largissimus. 37,23
Deo magis placent laudes, quàm victimæ. 39,3
Quasi timet Deus sui nominis laudi. ibid.
Dei præsentia incrementum virtutis parit. 41,8
Abscondit Deus à sapientibus, quæ paruulis manifestat. ibid.
Id apud Deum quisque est, quod operibus exprimit. 47,19
Bona, quæ Deus in homine laudat vera, & permanentia sunt. ibid.20
Deus non patitur, quod homines parum fidant immensæ eius liberalitati. ibid.21
Deus,& promittit,& donat simul. ibid.
Deus omnia sua bona large profundit. ibid.
Promissa Dei impleri aurum impedit. 49,2
Deus semper consolatur afflictos. 51,9
Vbi Deus abest non censetur vita, quæ sine luctu est. 52,10
In iis qui ad Deum spectant potentissima est misericordia. 54,14
Deum facilè vident oculi casti. 55,15
Charitas in Deum semper pacem profert. ibid 16.
Dei odium excitat, qui semel acceptam virtutis viam relinquit. 58,2
Nullis in Deum contumeliis scit parcere furor iræ. 70,4
Quo quis Deo propinquior, eo magis fraternæ vnionis amator. 97,15
Deo nihil offerendum, quod non sit omni ex parte perfectum. 72,7
Dei nominis vsurpatio in iuramentis cauta. 75,7
Dei nominis prophanatio lethalis est homini. 76,8
Dei filius ostenditur, quòd illatas sibi iniurias patiatur manifestari. 80,8
Si Deus in tuis operibus videatur securus sis. 83,2
Deus solus veræ lætitiæ auctor est. 93,5
Deum allicit, qui in virtutis progressu ædificat. ibid.6
Præstantissimum hominis decus suam laudem à Deo solo quærere. 95,9
Deus æqualiter ad merita largitur præmium. 96,11
Solus Deus largissimus est in beneficiis conferendis. 96,12
in Deo esse totum hominem facit spes. 99,18
Deo placita non exequuntur huius sæculi diuites. ibid.
Dei solicitudo, & cura omnem humanam curam superat. 101,22
Omnia bona nobis per diuinas manus adueniunt. 102,23
Qualiter Deus vindictam sumat. 103.26
Deus antequam beneficia largiatur nos laboribus probat. 105,30
Semper ab eo, quid melius est obtinemus. ibid.31
Quidquid Deus assumit hominibus salutare est. 111,3
Deus non deserit, nisi prius deseratur. 115,10
Nihil est, quod non sit fortè, si Deum respicias. 117,14
Deus post Eucharistiam nobis datam mortis damnationem delere tenetur. 119,20
Ex quo parauit Deus nobis mensam in deserto huius vitæ tenetur, & in patria facere similiter. 120,22
Deo gratissima, quæ pro virtute pateris. 127,2
Quod Deo dederis ad salutem animæ reseruat. 129,5
A solo Deo est animæ salus. 130,7
in Dei regno non tam nominis hæredis, quam virtutis opus æstimatur. 134,4
Summè magnus apud Deum, qui apud se est humilis. ibidem,5
Deus suppliciis suis tolerantiæ commonitores adhibet. 136,7
Nihil tam alienum à Deo, quàm suorum diuisiones. 145,7
Solius Dei est diuersos populos sub vno capite constituere. 146,10
Vel nostri corporis dispendio comparare debemus, quod fratrum amor purus ad Deum ascendat. 228,5
Vbi Dei iudicium timetur, prorsus omnia mundialia decora perduntur. 229,8
Deo infensum, & odiosum peccatum infidelitatis præ omnibus aliis. 230,9
Solius Dei spiritus est inter loquendum linguæ lapsum cauere. 232,13
Deus quasi surdus, & mortuus, vbi pro hominibus saluandis non rogatur. 239,2
Deus nescit parcita bona tribuere. ibid.3
Qui cognoscit Deum authorem afflictionum, maximè confirmatur. 248,2
Deus citissimè audit orationem obedientis Christo. 241,6
Dei virtus euidens fit in dignoscendis hominum præcordiis. Solus Deus scit propriis cedere, cùm intercedit causa communis. 244,11
in Deo cognoscendo minus nequiora animalia bruta, quàm homo 241,7
Illi veri Dei ministri, qui familiares suos docent in vilitatis propriæ cognitionem venire. 254,14

Veram

Veram sibi gloriam Deus æstimat,quam dat suis. 257,19
Deum vt habeas, quæuis hora, etiam postrema potest esse prima. 260,24
in Deo primarum inuenies, etsi postremus accedas. ibid 25
Obsequium præstitum Deo, vt Domino proptio mollescit. 261,2
Quandiu ad Deum rectam habueris intentionem,ferè inexpugnabilis eris. 262,3
Deus ex se non solet funditus aliquem perdere. ibid.4
Magna sublimitas hominis,quod operibus suis alicui Dei nomini correspondeat. 266,9
Dei seruus fidelis solus dominatur omnium. ibid.
Deum vindicem dutissimum sentient persecutores iustorum.267,11
Nullis tenebris potest Deo occultari, qui fide ad Deum orat. 268,3
Oratio proficua, quæ Dei, & proximorum negotia agit. 270,7
Scire filios, vel parentes perdere propter Deum, vera pietas est. 272,1
Deus solet, etiam temporalia bona largiri sectatoribus Christi Domini. 286,11
Dei nutum facienti nihil non facile,& peruium. 297,8
Deum quisquis habeat suorum prouentuum authorem, ne amplius requirat. 498,11
in Dei parentis disciplina nihil lætitiam æternam afferens potest deficere. 308,6
Dei oculos, non hominum amet Christianus animus in facinoribus suis. 312,3
Qui Deum occultum coluit, manifestissimum eum videbit. 305,9
Deo placer, qui nihil sine vero lucro spirituali ponit. 145,7
Dei offensam timere præstantissimi est cuiusque. 155,11
Dei spiritus male audit apud cognationes carnales. Ex Dei spiritu non est, diuina præcepta aggrauari, sed emolliti. 166,3
Vbi malum iustis infertur,& Deo ipsi infertur. 179,29
Dei vindictam non effugient, qui per hypocrisim mala proximis inferunt. 180,30
Ipse Deus est solus, à quo futuri necessarij ad salutem scientia habetur, vanissimè aliunde. 181,32
Deus sapientibus inspirat; vt libros scribant, & typis mandent. 183,35
Deus seuerissimus iniuriarum vltor. 187,39
Deo proximus est, qui sic proximo infirmanti subuenit, vt cum illo quoque infirmetur. 188,41
Qui vt Deum spectet, mundialibus moritur, non timeat peccati turbationem. ibid.& 190,2
Deus asylum est ad se confugientium. ibid.3
Maximos Deus peccatores, si resipiscant, ad suam cœlestem habitationem admittet. 191,4
A solo Iesu habemus Deum Patrem, ab aliis iudicem. 194 10
Deus non ostendit faciem suam non habenti Christum. ibid.
Nec Deus quiescit,dum homo seruus stat,& non sedet in Patris sinu 195,11
Si quid in Deo paternum non experiretur homo, periret, nec diem bonum videret. ibid.12
Imò nec ipsa Iesu vulnera salutem assequerentur humanam. ibid.
De Iesu venit,quod Deum presentiamus Patrem. 196,13
Nec Deus, nec virtus exaltantur,& glorificantur, vbi opera non sunt. 198,18
Deus sic veritatem æstimat,vt etiam in ipso dæmone eam remuneret 229,21
Vbi verus Dei amor, nihil præter Deum æstimatur. 202,1
Amatorem suum penè inexpugnabilem reddit Deus. 203,2
Vel Dei verbulum in amatoribus suis penè inamissibilem gratiam causat. ibid.3
Ea in animis nostris ex amore mansio componitur Deo, vt in illa videatur inuenescere Deus. 204,4
Dei verba in animis impiorum instar vacui soni habentur. ibid.5
Difficultas in opere virtutis non ex Deo nascitur, sed ex affectu nostro. 205,6
Dei charitas infusa cordibus nostris sapientissimas de Deo generat cognitiones. 206,8
Post Iesum factus est Deus familiaris hominum colloquiis. ibid.9
Deus prouidit homini requiem, & tranquillitatem imperturbabilem. 207,11
Deum qui amat, mortem non timet, sed libenter amplexatur. 208,14
Deus ipse quasi sub onere gemit,dum vilia,& lenia bona in Christo quærimus. 210,1
Dei gladius inde suis gloriæ fructus parat, vnde oriebatur sterilitas vitiorum. ibid.2
Nec momentum separentur à Deo,qui in animarum salute fructum quærunt. 211,4
Solus Deus potest iram in misericordiam conuertere. 212,7
Charitatem, quam Deus nobis exhibet,debemus & nos proximis præstare. 214,1
Dei amicitiam, vt assequaris, proximorum te debes præbere amicum. 215,3
Solus Deus potest nos secernere ab sceleratorum grege. 218,9
Illa oratio ad Deum est efficax, quæ non accedit vacua. 219,11
Quem Deus Principem elegit, solet illi potiora tribuere. 222,17
Pro Deo, & virtute incurrimus in odium mundi. ibid.18
Deus,& mundus,non possunt haberi simul. 316,9
Deus à seruo per beneficia distinguitur. 331,3
Vel parua cumulatissimè remunerat. ibid.4
Et munificus, & munificos facit. 332,6
Abest à corde diuite. 337,14
Quærentibus manifestus. 338,17
Nemine vltra vires tentari permittit. 348,12
In tentationibus iudex,hostium arma temperat. ibid.
Talione torquet peccatores. 353,1
Magna per nos operatur. ibid.
Non agnoscit dies impiorum. ibid.2
Irascitur virtutem fastidientibus. 355,1
Mortuus vita mortalium est. 357,4
Quo minor nobis, eò grariot. 358,6
Vel leniter gustatus in sui amorem nos accendit. ibid.
Factus homo nostrorum affectuum deprædator. ibid.
Non aliquibus, sed omnibus sua bona largitur. 360.2
Nunquam maior, quam in humanitate. 363,1
Visibilia bona inuisibilibus stipat. 364,3
Non extrinseca, sed intrinseca æstimat. 365,4
Nescit parua donare. ibid.
Nequit in benefaciendo sistere. 370,13
Neminem à suis bonis excludit. 373,2
Tunc misericors, cùm irascitur in hac vita. 380,9
Electos corripit ne pereant. ibid.
Promptissimè miseretur illius, qui aliquando fuit iustus. ibid.
Patientia lucratur peccatores. 382,13
Deus nos esurit. ibid.
Punit iniuriatores hominum. 383
Curat dilectionem inter homines. ibid.
Nescit nisi pluribus benefacere. 392,6
In puniendis peccatis aliorum damna potissimè respicit. 395,2
Aptissima medicamina hominum saluti aptauit. 397,6
Curat ne sibi,quàm diabolo minus seruiamus. 403
Vel inter iram ad benefaciendum promptus. 403,14
Nescit irasci, quin simul benefaciat. ibid.
Viles personas non excludit à sua gratia. 404,15
Vel in plateis illustris apparet. 404,16
Nulli labori parcet, vt vel minimum peccatorem saluet. 405,18
Totam familiam illius amat, qui à primis annis illi seruit. 406,1
Misericordiam præmittit rigori. 408,5
Deus non aliena,sed sua opera fouere gaudet. 410,10
Vincit amore nostri vehementissimos hominum erga lucra affectus. 411,1
Quasi æmulatione vincit hominum auaritiam in quærendis animabus. ibid.
Vnum virtutis studiosum pro ingenti multitudine habet. 413,5
Iudicat de operibus nudè sumptis. 425
In benefaciendo sistere nescit,donec se totum dedat. 427,27
Non solùm sanat vulnera, sed & tegit, ne videantur. 428,30
Præcipuè fauet primotibus in aliqua virtute. 428,31
In nobis vt crescet. 429,32
Sinet in maiora cadere eos, qui carpunt nimis proximi delicta. 431,36
Offenditur in suorum donorum publicatione. 433,2
Erga misericordes, vt totus occupatur. 438,12
Fauet operantibus supra debitum. 444,5
Ex quo iudex seuerus. 447,3
Gloriam secundùm merita tribuit. 443,2
Tolerabilius pondus nobis imponet,quàm mundus. 453,3
Rarò sui copiam facit. 454,5
Obseruandus in occasu,vel in recessu. 455,6
Possessio nostra. 462,21
Accumulat dona illis,qui eius gloriam quærunt. 467,7
Tantam habet potestatem, quanta est benefaciendi facultas. ibid.8
Deus,quæ confert, firma sunt. 469,1
Deus dum se eripit hominis oculis, cum in magno finit discrimine. 474,11
De reiectaneis nobiles gloriæ titulos facit. 481,27
Inuidos vt flagellat. 482,31
Eò magis exaltat hominem, quò ille sese magis humiliat propter Deum. 502,20
Honoribus afficit,quos filios experitur. 513,9
Vel inter seueritates in malos tenerescit in bonos. 516,13

Misereatur

Miseretur misericordiam. 521,6
Solus potest saturare humana corda ne famescant. 535,5
Fauet illis, qui de ipso magna credunt. 534,8
Deus ipse putatur mentiri à mendacibus hominibus. 595,19
Deus à satis negatur esse. 596,22
In tantum censetur esse, in quantum suos aspicit. 592,14
Per multas virtutes exprimendus. 628,11
Deus à vita. 630,16
Non vmbris, sed veris, & solidis gaudet. 626,6
Deus & veritas simul. 601,33
Dei natura benefacere. 331,3.343,6
Dei gratia fultus omnem dæmonis rabiem vincit. 348,12
Dei spiritu aguntur, qui misericordiis magis, quàm seuere tractant subditos. 352
Dei est, quòd in nobis gratia eius oriatur. 353,8
Eius opera ab initio perfecta. 355,5
Eius studium alios sibi similes reddere. 362,6
Eius, vel vmbra in nobis existens ipsum obligat, vt se totum nobis dedat. 370,14
Eius diuitiæ patientia. 382,13
Dei patientia grauissimam minatur hominibus perniciem, nisi resipiscant. ibid.
Ei prouidentia sola perfecta est. 391,8
Eius seueritas in præsenti non perdit. 397,6
Sola Dei sublimia non seruanda. 402,9
Dei marsupium, peccatoris pœnitentia. 407,4
Eius fortitudo benignitas. 408,5
Dei oculi fauent operam saluti dantibus. 425,24
Eius præsentia omnia bona secum affert. 432,33
Abscessus, vel accessus periculosè ignoratur. 455,6
Eius nominis cultus nostra est protectio. 471,4
Dei misericordia est, quòd vel vnus properet ad salutem. 494,4
Dei donum est, quòd tunc vinceris, quando sopita est carnalis vita. 502,19
Dei laus quòd ab ipsis peccatorum morbis messem faciat salutis. 514,18
Dei ignoratio in crimen vocatur. 582,18
Deo reseruandum iudicium de proximi crimine etiam manifesto. 345
Illi offerenda libenter, quæ iniuria auferre potest. 394,9
Ei aliquid desideranti, quod non statim illud affere, excusationem caret. 402,9
Illi quisquis adhæret, nullius eget. 419,11
Illi vocanti statim assurgendum. 454,5
Illi vindicanti in peccatores creatura militat. 344,4
Deo vni qui nititur, ille firmus, & stabilis. 546,11
Deo probantur simplices. 631,18
Ad Deum qui vel paululum accedit, omnem deitatis suauitatem præsentit. 332,19
Deum propriis placa. 358
Deum decuit omnia perpeti. 388,9
Illum eadem via quæramus, quæ fugimus. 402,12
Apud Deum omnia eueniunt contraria iis, quæ apud mundiales censentur. 523,8
Deum ibi offendere, vbi ab aliis colitur, periculosum est. 414,1
Deum qui fugiunt otij ergo, in maiores labores incidunt. 453,3
De Deo licèt parum percipiamus, id totam deitatis efficaciam potest monstrare. 339,19
Sub irato Deo omnia deserunt hominem. 436,7
Aduersus Deum immediatum scelus cætera omnia quasi catenata trahere solet. 597,13
Qualem Deum colis, talis ipse fis. 617,4
Vide *Christus*.

Diabolus.

Tempore mortis validius præliatur. 208,13
Eius signa nunquam salutaria. 4,5
Nostram damnationem machinatur. 6,22
Nunquam defatigatur in tentationibus. 87,6
Ipse author iniuriæ religiosis inferendæ. 64,14
Quæ ab illo dignitas venit, occasum affert. 313,3
Diabolus præcipitat homines ad iudicandas proximorum causas. 379
Rabidissimus contra homines. 387
Duriora præcepit, quam Deus. 402,10
Superbit de obsequio sibi ab homine præstito. 402
Diabolo aptissima instrumenta sunt peccatores. 426,14
Diabolicæ nequitiæ est, mala semel illata non corrigere. ibid. 15
Laborat, ne Dei verbum animo concipiatur. 338
Oculos vigilantes pertimescit. 344,4
Perfectiores infestat. 346
Vitia virtutum specie transfigurat. ibid.
Est infirmus in Dei gratia munitos. 348
Priùs exarmat hominem virtutibus, quam feriat. 385
Eius potentia aduersus hominem exigua. 348
Diaboli, vitiique nil habens solet ab impiis inutilis æstimari. 604,19
Diaboli est mortis memoriam abigere. 605,41
Diabolo peior est peccatum. 505,37

Diadema.

Non omnibus sanctis in cœlis correspondet diadema regni. 50,5

Dies.

Diem bonum non videret homo, si quid in Deo paternum non experiretur. 595,18
Dies iudicij Principibus terribilior. 379,7
Eius seueritas est, quod nullum refugium permittat. ibid.
Qui eum semper ob oculos habet beatus. ibid.
In illo reprobi maximè torquebuntur videntes, sibi Angelos infestos. 374,5
In eo omnia hominibus contraria fiunt. 379
Dies peccatorum non existunt. 353,8
Dies Christi in quo peccatores curantur. 397,6

Difficultas.

In virtutis opere non nascitur ex Deo, sed ex affectu nostro. 205,6
Vincenda propter diuina. 509,39
Deuictas inueniet, qui sequitur Christum. 129,4
Difficultates omnes contemplatio Christi crucis collit. 326,3

Dignitas.

Non est contentiosè appetenda viris Apostolicis. 94,4
Qui ambitiosè primas occupat, conculcationi proximus est. 168,8
Dignitas quæ à Diabolo certissimum casum affert. 313,3
Semper timendum in dignitate periculum. 317,12
In nulla sistere dignitate intolerabile. 332
Dignitas regia benefico debetur. ibid.
Dignitates meritis acquirendæ, non temere donandæ. 378
In dignitatibus onera, non honores quærendi. 409

Dilatio.

Dilationes causarum, & litium venatoriæ sunt. 430

Dilectio.

Diligentes Deum penè inexpugnabiles sunt. 203,2. & 3
Eam debemus proximis, quam Deus nobis exhibet. 214,8
Dilectio proximi, sibi manifesta mysteria inuenit. 291,6
Dilectio filialis Deum cupit omnibus propitium. 350,16
Dilectioni stabiliendæ accingitur Deus. 383
Vide *Charitas, Amor*.

Diligentia.

Diligentia in eo, quòd te ad Deum conuertas, compensat omnem temporis tarditatem. 463,19
Per facilem diligentiam salutem comparari è nobis facit diuinus spiritus. 549,19

Disciplina.

In disciplinis tradendis humanæ infirmitatis habenda ratio. 168,9
In Dei disciplina nil lætitiæ deficit. 308,6
Boni pastoris disciplina in dando, non in recipiendo. 142,8
Disciplinæ scholasticæ magna Ecclesiæ defensio. 471,5

Discipulus.

Discipulos doctos solus Iesus facit. 167,7

Discordia.

Discordiarum seminatores absolutè peccatores vocantur. 345,6
Sæuissima omnium pestis. ibid.
Discordiarum seminator inconstans est. 384
Discordia super mundi terribilia timenda. 414,2
Discordiæ seminator inferno assimilatur. 516,16
Disputationes scholasticæ vtilissimæ. 472,5

Dissensio.

Nec inter dissensiones pacem amittit ouile Christianum. 299,25

Dissidium.

Deus neque vmbram dissidij inter coniuges adfert. 160,21
Dissidium inter coniuges ab aliqua furtiua leuitate alterius venit. ibid.
Venit dissidium à lucris propriis. 246,13

Dissimulatio.

Dissimulanda interdum proximorum vitia. 350,15

Diuinitas, diuinus.

In comparatione diuinitatis nulla sensibilis gloria non absorbetur. 321,7
Diuinitas nunquam nisi à sublimi affulget. 598,26
Diuinitas Iesu probatur, quòd immeritis benefaciat. 332
Diuinitatis humanitati gratissima, quasi confusione miscetur. 363,2
Eius thesaurus in Christi carne, & absconditus, & patentissimus. ibid. 1
Diuinitatis notio inde sumitur, quòd abscondita sit. 581,14
Diuinissimum est inter iniurias benignum inueniri, & haberi. 423
Et velle vltrò aliorum errores abtegere. 428,10
Et nulli suam opem negare. 338,6
Diuinæ potestatis argumentum peccatoris salus. 302,5

Diuisio.

Diuisio.
Vbi diuisio, ibi luporum præda. ibid.
Nil tam à Deo alienum, quàm suorum diuisiones. 145,7
Diuisio inter fratres non paternum, sed ominosum quid est. 414, 2
Nihil egregium facit. ibid.
Diuitiæ.
Diuitiarum inordinatus appetitus maledictionis causa. 49,2
Ministerium veritatis corrumpit. 299,13
Pacem tollit. ibid.
Vide *Aurum, Bona temporalia.*
Diuitiæ nisi nimis amentur, non obsunt, sed prosunt. 336,13
In Iobo clarissimarum erant materia virtutum. ibid.
Suis amatoribus, spem eripiunt salutis. 337.338,17
Eneruant animum. 341,22
Ex agricultura non illaudabiles. 344,3
Diuitiæ sæculi figurata tantum bona. 362,5
Verè tenebras amant. 366
Dum memoriam iudicij auferunt, irremediabile malum est. 374
A creaturis ortæ infelicitate plenæ. 390,1
Impediunt homines ne magna faciant. 404,16
Rapinis aggestæ non possidenter. 410,14
Sunt Dei beneficia, quando ex illis participant proximi. 514, 11
Non tam ornant quam designant perditioni hominem impium. 559,3
Plus solent obesse virtuti, quam omnia mala. ibid.
Diuitiæ lasciuorum egestatem, & famem pariunt. 418,8
Peccatis acquisitæ infelicissimæ. 380
Memoriam Dei auferunt. 392
Diuturnitatis vitæ temporalis inferno non absimilis. 457
Doctor, doctrina.
In eo defectus operum nulla eloquentia suppletur. 68,22
Doctrinam propriam habeat prælatus, non alienam. 48,1
Ad securitatem doctrinæ multum iuuat singularitas pastoris. 147,12
Doctores Christiani variis doctrinis orbem fœcundant. 375
Vitiis dediti crudeliores in proximos. 386
Doctorum discordia, & Christum diuidit, & se mendaciis lacessunt. 374,6
Doctrina proximos odio habentis, improbabilitatis suspecta. ibid.
Doctrinæ antiquæ, nouæque mutuo se honorent. 375,7
Nouæ irrationabiliter damnantur, quia nouæ. ibid.
Nouæ aliquando præstantiores antiquis. ibid.
Doctrina neutiquam ob vtilitatem, vel affectum demutanda. 385
Doctrinam virtutum in domesticis qui habet, gloriosus. 577.4
Veram Dei doctrinam percipit, qui benè operatur. 578,6
Dolor.
Vetus dolor pro peccatis gloriam vanam tollit. 95,10
Non habendus dolor in iacturis, quæ cœlum pariunt. 57,19
Dolor, qui iniustè infertur, vel fortissimos homines perdit. 449, 7
Dolor, & gemitus temporalium bonorum asseclæ. 341,21
Dolor peccatorum virtutis famem ascendit. 357,3
Dolus.
Dolus à Dei spiritu alienus. 630,17
Nequit abscondi. 631,19
Dominus, Dominari.
Subditi dominorum vitia facile addiscunt. 110,21
Cum aliis à Deo dominis homo inquietus. 195,11
Odiosa est in Prælatis, vel species dominatus. 263,5
Omnium dominatur fidelis Dei seruus. 266,9.50,5
Ille solus Deo notus est, qui curam habet seruorum. 444.4
Omnia consequitur hic à Deo. ibid.
Dominorum diuitiæ serui diligentes. 442,1
Vnus Dominus Deus familiarum subit discrimen. 583,16
Amorem subditi quærit verus. 631,20
In domesticis habere virtutum doctrinam gloriosum est. 577, 4
Domus.
Regia domus vestiarium est mundialis comœdiæ. 13,13
In illa mendacium regnat. 39,5
Donum.
Vel minima Iesu dona possunt explere humanas voluntates. 193,20
Numquam infima sunt, quæ supersunt in Christi donis. 200, 21
Dona diuina sic acceptemus, vt similia proximis reddamus. 214,2
In solo Iesu possunt nobis abundare. 288,14
Illa permanent, quibus seruiuit humana cooperatio. 295,5
Quæ in terris dantur parua sunt ad æterna comparata. 546, 13
Per multorum manus exhibita minuuntur. 555,8
A Deo acceptum stabile, & firmum est. 469.1
Quod pluribus donatur nunquam perit. 352
Vni collata inefficacia. ibid.
à Donorum largitione magnitudo Dei. 343,1
Dona Dei licet parua spem faciunt ipsum Deum possidendi. 369
Dona sua Deus reparare maximè curat. 410,10
Dona Dei, ipsum Deum nobis donant. 427,17
Dum publicantur, perduntur. 433,2
Damnabiliter à creaturis emendicantur. 527,20
Assiduis orationibus extorquenda. 534,9
Solùm apparent in eo, qui cum illis proximorum saluti incumbit. 514,11
Qui illis vtitur in Dei obsequium propria facit. 465
Dulcedo.
Dulcedinem Dei gustantibus nihil est horribilius mundialium sapore. 439,9
Duellum.
Duellum diabolicum homine æquale. 348,11
Duritiés.
Duritiés vitæ asperitas hominem suauiter confirmat. 304,5
Duritiés sæculares vbi in deliciis sunt, deploratum designant. 551,23

E

Ebrietas.
EBrietas, & comessatio pariunt iras, & crudelitates. 266,10
Ebrij crudeles etiam in suos. 339
Frangunt iura amicitiæ. ibid.
Ecclesia, Ecclesiasticus.
Extrema Ecclesiæ persecutio omnium seuerissima. 5,8
Ecclesiæ disciplinam non ad aliud, quam ad expugnanda vitia sumat, qui non velit in ea perire. 64,15
Christi Ecclesiam non cognoscere prorsus inexcusabile est. 91,3
Qui Ecclesiæ festos dies sceleribus inficit, timeat necessariam ruinam. 186,37
Solam Christi Ecclesiam percutit diutissima persecutio à bonis simul, & malis orta. 251,11
Prælatorum Ecclesiæ malum, quod sibi habeant, vt propria bona Ecclesiæ. 245,12
In viro Ecclesiastico turpissima solitudo acquirendi bona temporalia. 263,6
In Prælatis Ecclesiæ non tam otium contemplationis, quam negotium pro salute subditorum emineat. 395,4
Ecclesia Dei, digna hominis habitatio. 358
Extra illam nihil est homine dignum. ibid.
Nullam extabit imperium. ibid.
In ea viuere non sufficit, nisi sanctè viuatur. 371
In illa vtilissimi literarij congressus. 471,5
Sine illa non potest haberi Christus. 496,7
Ecclesia Romana à Cruce Christi. 621,8
Ecclesiastici vini pascendo gregi suo vacent. 329
Periculosè aulicis rebus immiscentur. ibid.
Lectioni sacræ insistant. 345,5
Et scientiæ scripturarum diuinarum. ibid.
Vitiosi crudelissimi in proximos. 386,6
Illorum auaritia est perditio animarum. 508,30
Egestas.
Egestas luxuriam comitatur. 410
Elatio.
Elatio propria inspicientium defectus alienos. 462,22
Electi, Electio.
Separatio electorum à reprobis, maximum reprobis incutiet dolorem. 39,3
Ex omnibus mundi plagis electi congregabuntur. 18,4
Seria debet esse electio in virtutis via sequenda. 29,9
Electi temporalia in morte nihil curant. 399
Electorum ad dignitatem nobilitas animi inspicienda. 404
Eleemosyna.
Eleemosyna omnimodam benedictionem, & beneficia omnia à Deo impetrat. 19,6
Omnium ore laudatur. 20,8
Ciuilem etiam bonorum possessionem apud Deum adquirit. ibid.
Firma est animarum possessio. ibid.
Ad cœleste regnum perducit misericordes. ibid 7
Præ cæteris virtutibus triumphat. 21,9
Misericordes viros ab omni verbo aspero illæsos custodiat. ibid.10
Eleemosynam faciat in magna quantitate, qui potest. 96,16
Vbi Deus Eucharisticum panem nobis præbuit, mortis damnationem delere tenetur. 119,20
Sine Eleemosyna non sentietur sanctorum patrocinium. 507, 28
Per illam misericordia obtinetur. 522,7
Est sacrificium. 538,7
Sine illa non est liberalitas. 555,8
Facit fratres, & propinquos. 556,1
Facit domos, & æternat. 557,2
Facit, quòd videamus Iesum, qui sine illa nescitur. 606,43

Index Rerum,

Efficax.

Efficacia salutis media à Iesu veniunt. 537,4

Eloquentia.

Eius defectus exhibitis operibus suppletur. 58,22
Non supplet defectum operum. ibid.
Eloquentiæ ostentandæ studentes concionatores crucem Christi euacuant. 455,7
Eloquentia forensis longè à vera sapientia distat. ibid.

Emendatio.

Emendatio in posterum procuranda. 591,9

Emissarij.

Emissarij equi sunt homines luxuriosi. 420,13

Emolumentum.

Emolumentum maximum ex consortio iustorum. 351,17

Episcopus.

Episcopum diuinum esse oportet. 39,4
Per se ipsum de ouibus curet. 48,3
Non emendicet sapientiam, sed à se habeat. ibid.
Curet, ne peccatà fiant. 58,1
Propriis necessitatibus parcat, vt suorum inuigilet saluti. 63,11
Episcopus non despectet de ouium suarum salute. 493,1
Illum decet à primis humanitas. ibid.
Vide *Prælatus.*

Epulæ.

Epulæ, in quibus Deus non adest, non admittunt pauperem. 520,5
Illis deditus non est vir nominis. 518,1
Deum à se reiicit. ibid.
Suspectæ sint Euangelicis ministris. 536,2

Error.

Errores principum parentissimi. 64,14
Aliorum errores simplicibus verbis deferendi sunt. 349,14
Et aliquando dissimulandi. 350,15
Aliorum erroribus medetur, qui non eos publicat. 428,30
Qui illos carpit ingratitudine sui laborat. 431,36
Et in peiores cadit. ibid.
Et superbire solet. 463,22
Illos obtegere diuinum. 428,30
Errores, quàm aliter apparent in amicis, ac in aliis. 537,6
Errorum caligines qui recepit sub Iesu deploratus est. 395,18

Erubescentia.

Plus torquet ingenuum malum, quàm omnia mala. 436,8
Erubescentia peccati non parua pœna. 592,11

Esuries.

Esuries maxima vbi non est Christus. 422,17
Comes luxuriæ. 418,8

Euangelium.

Eius ministri aptiores, qui lucris temporalibus non inhiant. 264,7
Euangelica paupertas potentissima ad trahendum. 262,3
Euangelium docet benefaciendum inimicis. 478,21
Euangelizantis pes quò peruenit, & manus perueniunt auari. 572.5

Eucharistia.

Pro gratiarum actione paratur. 110,2
Hominibus salutaris. ibid.
Ante illam pauperibus para escas. ibid.4
Quæstuosa res est. ibid.6
Cætera conuiuia superat. 112,6
Panis perpetuus, perpetua parans pabula. 114
Martyris, & Eucharistiæ collatio. ibid.9
Omnia in vitam restituit. ibid.
Non permittit orantem repulsam pati. 115,11
Triumphum agit de Idololatria. ibid.12
Mortem affert carnalibus. ibid.
Amat humiliatos. 120,21
Post Eucharistiæ epulas, alias in patria, qua tenetur Deus parate. 120,22
Multam præparationem petit. 121,16
Omnia nobis fit. 122,21
Regium splendorem ostendit, vt qui illum non videat, Iuda sit peior. ibid.25
Eius abstinentia lethalis. ibid.
Vitam tribuit. 123,27
Homines reddit diuinos. 124,29
Operit humanam nuditatem. ibid.30
Sic accipienda, vt in nobis Deus maneat, ne cogatur transire. 125,32
Semper quasi tunc de nouo sumenda. 335,6
Eius fructus periculosè in vita non ostenditur. 126,34
Vix fieri potest, vt pereat, qui Eucharistiam frequentat. ibid.35
Eucharistia instituta ad mortem leniendam. 398,2
Omnem benedictionem firmat. 400,6
Est viaticum ad vitam alteram. ibid.
Acuit mentis perspicaciam. 421,16
Nutrit, vel exiguos cogitatus salutis. ibid.
Et paruulis, & infirmis prodest. ibid.
Continet omnium abundantiam. ibid.
Corda saginat. 422,17
Extorquet gratias ab hominibus. 437,10
Fonti similis. ibid.
Deum præbet suauem, & magnificum. 468,10
Magna laeta exhibet homini. ibid.11
Non admittit detractores. 491,15
Ad Eucharistiam aptamur castitate. 494,4
Ad illam accedere debemus ornatu virtutum. 490,14
Eo quasi subinde morituri. 490,6
Miser, qui post illam, mortem sentit. ibid.
in Eucharistia Christus mortem nos admonet. ibid.

Euentus.

Euentus boni gaudia, qui Deo, refert, non potest à Iesu abesse. 312,1

Exactor.

Tributorum exactores perdendo regno validiores, quàm milites. 275,7

Exaltatio.

Nec Deus, nec virtus exaltantur, vbi opera non sunt. 273,4
Exaltationem à Deo habet, qui se illi præbet filium. 513,9

Examen.

Ante omnem sententiam examen adhibendum est. 435,5
Quò minus exaltationem tuam quæris, eò nobilior ostenderis. 606,42

Excelsus, excellentia.

Excelsa ne nimium mediteris, sed humilia. 401,9
Excellentia vera non antiquitati, sed operibus nititur. 460,16

Excessus.

Excessus in misericordia erga pœnitentes veniabilis est, in seueritate minimè. 436,9

Exemplum.

Multorum ruentium exemplum amplissimam ad perditionem aperit voraginem. 107,35
Exemplum clarissimorum spectanda. 539,8

Exercitia spiritualia.

Quanta illorum vtilitas. 178,27
Assidua virtutum exercitia illas suaues faciunt. 499,13
Exercitia externa facere solent homines aliorum despectores. 509,32
Spiritualia ne fastidio sint, petendum à Deo. 596

Exitus.

in Exitu vitæ etiam feruentes Dei amatores cauent. 209,15
in Exitu vitæ, & ingressu futuræ, vera nobilitas elucet. 281,1

Expectatio.

Expectatio vana deludit impios. 6,12

Experientia.

Experientia terrenorum bonorum docet nihil esse. 457,11

Exteriora.

Exteriora nimia plurimum nocent viro religioso. 430,34

F

Facetiæ.

FAcetiæ quibus nobiles inhiant periculosissimæ. 420,13

Facinus.

Facinora parentum, qui excedit, pars illis est. 198,17
In facinoribus Dei oculi solùm quæruntur. 312,3
Facinora sanctorum permittunt contemni Deum ab aliis sine supplicio. 486,6
Facinora de vili materia educta propria sunt Patris diuini. 552,3

Factum.

Facta nomini non respondere turpissimum est. 381
Facta cuiusque nude inspicienda, vt rectè de illis iudicetur. 426,25
Egregia facta, vel nude sumpta lucent. 427,26

Falsitas.

Falsitas veritatis vel obducta nocentior proximo. 346,8

Fallacia.

Fallaciæ cur frequentissimæ in hominum iudiciis. 426

Fama.

Fama bona præ omnibus temporalibus æstimanda est. 38,2
De illa curet Princeps. 39,3
Fama bona diligentissimè procuranda. 433,1
Vestimentum gloriæ est iusto. ibid.
Fama in virtute languentium, minuitur ad aspectum gratia Dei vigentium. 469,12

Fames.

Est grauissimum telum ad perdendas animas. 52,11
Famem vicisse gloriosum viro. ibid.
Fame veluti canina feruntur in virtutes, qui verè de peccatis conteruntur. 357,3
Fames ingens virtutum Christum crucifixum considerantibus. ibid.

Fames

Fames temporalium bonorum in moribundis pessimum indicium. 399,4
Fames nulla premit Christo adhærentes. 480,14
Fame, & inopia conuertit Deus homines ad se. 428,18
Fames maxima comitatur lasciuiam. 418,8
Nulla tamen fames, & inopia nos ad eam cogit. ibid.
Quos fames, & ærumnæ non excitant, excitabit æternus carnifex. 488,18

Familia.

Familiæ Principum Christianorum vitam legalissimam habeant. 67,10
Eam in facie ostendant 197,15
Familia illa beata in qua aliquis ab infantia Deo se consecrat. 406,1
Nulla est in terris à Deo sancta familia, vbi non inueniantur reprobandi. 489,12

Familiaritas.

Illius familiaritas cauenda, qui doctus cũ sit, vitiis seruit 154,5
Post Iesum factus est Deus hominibus familiaris. 206,9

Famulus.

Famulorum ingens multitudo Deo displicet. 440,2
Solùm vanitati, & superbiæ deseruit. 452,1
Famulorum multitudine qui eget longè à præstantissima Angelorum familia distat. 409
Famulorum suorum curam gerentes Domini, Deo sunt grati. ibid.
Nihil eis Deus denegat. ibid.
Famulorũ discrimina qui subeat, vnus est Dominus Deus. 583,16

Fastidia.

Fastidia ab assiduitate virtutis omnino pulsanda. 351,1
Ad fastidia in virtute tollenda efficacissimum condimentum loqui de Deo. ibid.
Si fastidio virtutis affeceris, cogita de cœlestibus. ibid 2
Fastidium pariunt res carnaliter quæsitæ. 418,11

Fastus, fastuosus.

Fastuosæ altitudines conterentur. 316,10

Fauor.

Quot fauores à Principe in suos proficiscuntur, tot obices sunt, ne ad illum pura veritas perueniat. 41,7
Fauores maiores à Deo experiuntur, qui virtutem aliquam prius exercuere. 418,34
Fauores Dei ne diuulgaueris, si protinus eos amittere nolis. 433
Singularis Dei fauor, quòd vocet homines quando in illis mortua est carnalis vita. 502,19
Primos in fauoribus, primos etiam fieri in seueritate, æquissimi iudicis est. 553,4

Felicitas, felix.

Pristinæ recordatio miseros cruciat. 9,3
Mundialis parit ruinam, & excidium. 12,9
Inter aliorum felicitates infelix miserrimus est. 23,13
Felicitat à vitiis castigatis. 74,4
Ab abstersore lacrymarum Deo. 81,9
Ab eo quòd gaudiorum finis inspiciendus detur. 256,17
Ab eo quòd in salutis negotio, neminem requiras. 268,2
A religiosis, qui in exitu vitæ saltem pœnitent. 309,8
Felicitatis humanæ fundamentum Trinitas. 340,14
Felicitas assidua virtutem corrumpit. 341,22
Felicitas peccatorum saginatio ad mortem. 379
Felicitas rerum tẽporalium obliuionem Dei in nobis generat. 420
Felicitas vera aliis largitur. 393,6
Humanæ felicitates plurimum obsunt virtuti. 519,3
Felicitatis signum Iesus. 569,2
Felix qui in morte temporalia non cupit. 398
Felix qui hac vita commeatum ad futuram comparat. 393,7
Felix ille qui in operibus Dei manifestationem quærit, non suam.
Felicissimum est videre hominem fortunas suas multis prodesse. 390,13

Feruor.

Feruor primus semper in virtute continuandus. 375,8
Feruore spiritus ne in alios immaturè sæuiamus. 352

Festinatio.

Festinatio in proximorum causis iudicandis periculosa. 381,12

Festum.

Quia festa sceleribus maculat, sine vindice manet ruinæ expositos. 186,3

Fides.

Fidei infirmitatem arguit tristitia in virtute. 92,4
in Fide nominis Iesu omnia tibi credit omnipotentia diuina. 199,19
Supra omnem fidem præstitam est Christi thesaurus. ibid. 20
Vbi per Spiritum sanctum firmatur fides, tunc Iesus clarus apparet. 232,14
Qui fide ad Deum orat, nullis tenebris potest Deo occultari. 268,3
Ad fidem propagandam conducunt diuersa Doctorum placita. 293,2
Virtus fructifera quæ ex fide. 303,3

Fidei cultura maximè hominem auget. 400
Fidei vbique seminandæ laborant Hispaniæ arma. 452,8
Ad fidei mensuram erga Deum accipies ab eo beneficia. 533
Constans animus fidei seruandæ comes solet esse castitatis. 493,2
Fides mundiales homines in cœlestes agit. 546,18
Fides resurrectionis coniugiis ponit modum, & virginitatem persuadet. 647,9
Fides vera, & diuina non patit defectiones à Principibus. 621,7

Fidelis.

Fidelium laudabilis consuetudo in induendis paruulis religioso amiculo. 32,14
Fidelis Christi imperium non ferro, sed pace stabilit. 45,17
Fidelis nullum in virtute sibi terminum præscribat. 81,23

Filius.

Filij præstantes virtute maximam parentibus gloriam accumulant. 43,22
Filialis Dei amor semper pacem sequitur. 55,15
Filiorum causa amor coniugalis nutriendus. 75,6
Qui filiorum spiritum habent molliter corriguntur. 139,2
Filij Deo immolati firmissimum sunt familiarum sustentaculum. 161,24
Non solùm filiis lucis paratur gloria, sed etiam filiis noctis si sciant pœnitere. 191,4
Parentum præstantia elucet in filio, qui eorum virtutes semper auget. 197,16
Ille solus filius parentibus parem se præbet, qui eos in aliquo facinore excedit. 198,17
Filiis qualiter patres consulant. 226,3
Scire filios perdere propter Deum, vera pietas est. 272,2
Filius Dei, qui aliis opitulatur. 330,16
Filialis in Deum affectus proximos benignè habet. ibid.
Filiorum virtus parentum laudibus fidem adquirit. 360,3
Filiorum Dei spiritus est, vel remotissima loca peragrare, vt egenis benefaciant. 389,7
Filius Dei nescit non ibi esse, vbi fuerit aliquis egens. ibid.
Filius Dei tunc se similis Patri ostendit, quando omnia loca peragrauit, vbi posset auxiliari ibid.
Filius Dei factus homo omnia patientiæ genera exhibere debuit. 388
Filios sanctorum Deus beneficiis implet. 393,1
Filij sanctorum, filij Dei vocantur. ibid.
Filij à parentibus vitia, vel virtutes sortiuntur. ibid.
Filij parentum impiorum in genealogia Christi non numerantur. ibid.
Filij præcoces qua ratione maturentur. 396
Filius ab infantia Deo sacratus æterno splendore suam gentem illustrat. 406
Filius Dei plura propter homines, quàm homines propter auaritiam fecit. 411,1
Filius Dei quasi auaritiæ ardore nostram salutem procurauit. ibid.
Maximum filiis confertur beneficium, qui à sanctis parentibus oriuntur. 395,1
Filiorum spiritualium fœcunditatem largitur Deus continentium statui. 504,24
Filiorum successionem habet ex Deo humilitas Principum. 485,4
Boni filij parentum necessitatem considerant, non diuitias. 401,9
Filiorum virtus parentum laudibus fidem adquirit. 360
Qui erga Deum filium se exhibet, à Deo honoratur. 514,9

Finis.

Finis ærumnarum si ponderetur, gaudium pariunt. 126,2
Cui temporalium bonorum finis datur inspiciendus, felix. 256,18
Finem, quidquid habet non pluris æstimandum. 394,8
Vbi finem rerum homo contemplatur, facilè tunc in Deum conuertitur. 502,19
in Fine vitæ magis virtutum opibus abundare debemus. 543,7
Finis respondet initiis. 541,5
Vnus virtutis finis sit tibi ad aliam initium. 600,19

Fœmina.

Fœminarum conspectus retardat virtutis studiosos. 73,2
Fœmina imago Dei ob beneficentiam. 343
Fœminæ auarissimæ 412,1
Fœminæ ingenium mobilissimum. 507,3
Fœminis coniugatis, vt fauet Dominus. 614

Fons.

Fontis magnitudo Oceano maior, quia hic accipit aquas, ille donat. 343,2

Fortitudo.

Sola Dei fortitudo potest iram in mansuetudinem conuertere. 213,8
Fortitudo animæ, virtutes celare. 333
Fortitudinis diuæ argumentum irasci simul, & parcere. 403,14
Fortitudinem dat hominibus Dei conspectus. 474
Fortitudo Dei benignitas, & misericordia. 407,2

Forum.

Forum Religionis periculosissimum. 384

Fortuna.

Fortunæ humilis abiectio non obstat, quò minus Deus in sua gratia sibi placeat, tanquam in margarito, despecto corpore abstruso. 424,15

In magna fortuna ac in parua æquè se gerere maxima laus. 402

Fortuna blandiente seruata modestiam laude dignissimum. 466

Fragilitas.

Fragilitati hominum interdum ignoscendum. 35

Magna fragilitas, vbi Christi crux serseitur. 472

Frater.

Qui diuisionem facit inter fratres, inferno assimilatur. 484

Qui vitas fratrum arrodunt, non merentur ad Eucharistiæ mensam accedere. 49

Fratrem inauditum damnare diabolicum est. 579,9

Fraus, siue dolus.

Fraus, & dolus semper auaritiam comitatur. 14

In amore rerum temporalium fraus. 92,8

Frequentia.

in Frequentia hominum maxima difficultas est, vt illæsus serueris. 406,2

Fructus.

Fructus naturæ rationalis, quò remotior à terra, eò securior terræ, proximus vicinus est perditioni. 512,5

Fructus plurimi à Christi cruce proueniunt. 472

Fructus passionis Christi sentit, qui à terrenis affectibus non possidetur. 473,9

Fructus virtutis Christi crux maturat. 396,3

Fructus gloriæ vnde sterilitas vitiorum. 55

Qui fructum quærit in salute animarum, ne momento separetur à Domino.

Fructuosam orationem habet, qui secum habet Iesum. 213,9

Qui fructum spiritualem in peccatoribus quærit, nec semper instet, &c. 21

Qui fructus metere cupit, vnam æstimet virtutem, quæ ex fide. 303,3

Fuga.

Fugæ dedecus, vbi res postulatis, contemnere, viri fortis facinus est. 549,1

Fuga conueniens, & ardua, & gloriosa viro forti. ibid.2

Fur.

Furis bona auanescunt. 417

Furor.

Furoris diabolici est damna semel inflicta non corrigere. 476,15

Et de magnis euidentibúsque proximi virtutibus parum, aut nihil videre. 5

Futurum.

Futurorum metu augentur mala præsentia.

G

Gaudium.

Gaudia mundi peritura, tanquam res, quæ non sunt. 591,5

Gaudium ab ærumnis mundi. 216,2

Gaudia sunt impiis iustorum clades. 2

Gaudia mundi superantur à tristitia ex iustorum compassione. ibid.6

Gaudia non debent nutriri alienis calamitatibus. 317,18

Gaudia Principum ab absentium æstimatione. 319,16

Gaudia mundi à tristitia occupantur.

Extinguuntur, vel memoriæ præteriti mali, à gaudiis præsentibus. 2

Gaudium cœleste, vel ad momentum superat omnia tormenta. ibid.

Gaudium à iacturis. 57,19

Veri gaudij solus Deus author est. 93,5

Gaudium vnde capturimus, inde quoque tormenta pariemur. 352

Gaudium nullum ex rebus affecto carnali partis. 411,18

Gaudium de salute fratris dignum cœlo, & Angelis. 413,4

Qui cum gaudio virtutem non arripiunt, vix sciunt placere Deo 499

Gaudia peccatorum non minori supplicio puniuntur. 524,12

Gaudium ingens est portantibus ad cœlum onera.

Gaudiorum mundialium in occasu apparet Iesus.

Gemitus.

Pietatis gemitus salutaria signa comitantur. 3,4

Tunc gemendum quando maior fructus speratur. 9,4

Gemitus pauperum omnipotentiam Dei in suam defensionem armant. 45

Vide *Lacryma.*

Gentilis.

Gentilium opera bona efficacissima ad exercendam Christianam imitationem. 390,13

In genealogia Christi non numerantur, qui ex malis parentibus nati, mali quoque fuere. 40

Gentilium opera asperiora, quàm Christianorum. ibid.

Generosi animi est seruare secretum. 413,3

Gloria.

Diuinæ gloriæ memoria malorum omnium memorialia delet. 21,10

Gloria vincti propter Deum superat Angeli gloriam. 33,16

Petri magisterio tribuimus, quod non opprimamur à Dei gloria considerata. 42

Gloria ex auro contempto ob Iesum. 49,4

A fame deuicta. 5

Gloria facies tempus breuissimum. 201

Gloria fructus ab sterilitate vitiorum. 2

Eam æstimat Deus gloriam, quam dat suis. 25

Diuina gloria in operibus nostris quæsita pro validissimo telo aduersus hostes.

Maxima Christi gloria à morte. 323,9

Nulla est sensibilis gloria, quæ non absorbeatur in comparatione diuinitatis. 3

Nec Deus nec virtus glorificantur, vbi opera non sunt. 198,18

Gloria Dei omnibus opem ferre, meritis, ac immeritis. 332

Gloriam suam Deus imminui censet, siquis etiam reluctans eius donis careat. ibid.

Gloriæ cœlestis imago in virginitate relucet. 481,17

Gloriam Dei quærentes, felicitatem sequuntur. 467,7

in Gloriam Dei quærentes eius spiritus effunditur. ibid.

Qui vanam sui nominis, & diuinam gloriam quærit, latebit in tenebris. 530,2

Propter gloriam Dei contemnendi sunt etiam propinquiores. 498,12

Gloria mundi figura. 362,5

Gloria mundi disparet ad præsentiam diuinæ. 474,9

Deus, dum ad cœlestia tendimus. 42

Gloria vana.

Quæ vana est mater omnium vitiorum vana est. 566,4

Sæuissima est. 180,31

E mundialibus gloriis sepulchrum.

Verus dolor de peccatis gloriæ vanæ aditum occludit.

Gladius.

Salutaris fit, qui gladium portat. 15

Vbi gladius ibi Iesus. ibid.

Non in iustos, sed in peccatores desæuit. 15

Nihil perdit, sed omnia seruat. 162,24

Inde iustis gloriam affert, vnde erat sterilitas vitiorum. 2

Gratia.

Vbicumque adsit eadem bona causat. 4

Penè inamissibilis causatur in amatoribus Dei. 203,3

Omnes Christi ad maiorem semper contendunt gratiam. 28

Gratia in solo Christo nobis abundat. 28

Gratia quo maior fuerit in nobis, eò sæuior erit hostium in nos pugna. 34

Gratia Dei homines potentissimos contra diabolum reddit. 349,12

Gratia Dei munitum non tota inferni rabies deuicerit. ibid. 12

Gratia diuina non tam nostro labore, quàm Dei beneficio adquiritur 353,8

Dei gratia munitus ante pugnam victoriis nos ornat. 359.8

Gratiæ Dei nihil obest personæ nobilitas, & abiectio. 404

Gratia Dei nihil in homine quærit, nisi indolem aptam sibi. ibid.

Gratiam præsemina, vt fructuum à peccatore decerpas. 408

Prima gratia facilè deperditur, nisi virtutibus muniatur. 417,6

Gratia baptismalis vitrea. ibid.

Gratiis & fauoribus Deus implet, etiam in præsenti homines aliquid supra debitum operantes. 444,5

Gratiarum loco iniurias accipere intolerabilis est dolor. 449,7

Gratia Dei vigentes vitiois languentibus eripiunt virtutum augmenta. 46

Singularis Dei gratia est, quòd in hominum multitudine aliqui inueniantur, qui curam habent de sua salute. 4

Gratiarum actio.

Rari sunt, qui gratias in paupertate Deo agant.

Pro gratiarum actionis opere cœlestis paratur cibus. 110,2

Gratiarum actiones extorquet ab hominibus cibus cœlestis. 437,10

Gratus.

Gratus homo summa virtutum culmina videtur attigisse. 44,15

Gratius Deo est, quod pateris pro virtute obtinenda, quam pro peccato tollendo. 1

Grex.

A grege sceleratorum non alius, quàm Deus potest nos seccernere. 218,9

Totus grex Deo placet ab vno agno oblato. 406,3

in Grege pascendo non tam propria emolumenta, quam gregis salus ambienda. 40

Gubernator.

Grauissima gubernatorum negotia circa pauperum necessitates. 376,13

Qui

Qui nimius est in paruis, & minimis, solet præstantissimis inferre damnum. 177,14
Gubernator nihil nouum subitò publicet, nisi præmissa fama,&c. 208,12
Gubernatoris eximia laus punire nocentes. 374,3
Væ gubernatori, non onera, sed honores,à dignitate sua quærenti. 409,7
Gubernatores ne vaticiniis particularibus credant ouium salutem. 409,7
Gubernatoris maxima gloria inter omnes curarum solicitudines, cuicumque misero prospicere. 412,2
Bonus gubernator neminem inauditum,inexaminatum & non conuictum punire potest. 435,5
Gubernator ille optimus, qui non eget dignitatis auctoritate ad sui defensionem. 433
Gubernatori fœdissimum est ea facere,quæ posito munere defendere nequeat. ibid.

Gula.

Quæ damna ab illa nascantur. 172,16
Facit hominem carnalem. 91,2
Feralissima est eius rabies. 112,5
Gulæ deditus nequit esse vir nominis. 518,1

Gustus.

Qui gustauit cœlestia, omnia terrena vtcumque insipida facile deuorat. 356,2
Gustus diuinarum voluptatum horret ad saporem terrenarum. 436,9
Gustum salutis qui non habet sub Iesu, deploratus est. 595,18

H

Habitatio.

Habitatio ferè inexpugnabilis à Deo fit eius amator. 203,2

Habraham.

Probatus à Deo vltimo patientiæ telo. 13,11
Pater astrorum vocatur, qui humani fuit contemptor seminis. 37,23

Hæreditas.

Cum hæreditate bonorum mundialium non pax, sed lites relinquuntur. 207,10

Hispania, Hispani.

Hispaniarum gloria ex Dei ministris Angelis receptis. 163,27
Hispania olim celeberrima otio metuet corripi. 334,8
Hispani proceres otio marcentes nihil egregium moliuntur. ibid.
Hispanorum auaritia omnia penetrauit. 411,1
Hispano populo vnde tam ampla gloria veniat. 452,1
Hispania olim perexigua familia nunc totum orbem occupat. ibid.
Hispanorum arma felicissimè victricia, quia fidei culturæ vbique pugnant. ibid.
Hispanorum gladij, non tam gladij sunt,quàm aratra quibus vbique fidei seminandæ labotant. ibid.
Hispanorum Regum sumptibus regiis classibus Catholica fides vbique terrarum regnat. ibid.

Homo.

Homo ipse sibi est suæ damnationis causa. 4,6
Crudelis hominis rabies, vel ipsa inanimata, lenitatis exempla cauet. 8,1
Hominum verba nobilia, & vana. 14,12
Tanta est hominis dignitas, vt Deum solum iudicem mereatur. 17,1
In salute hominum procuranda Dei potestas effulget. 4,5
Nemo hominum non est lupus rapax aduersùs afflictos. 19,5
Summa peruersitas hominis,qui humanis non demulcetur cantibus. 36,22
Supra hominis naturam est omnia mundi despicere. 75,5
Semper terrenti homines virtuosos, & cœlestes viros linguis impetunt. 39,3
Nulli hominum dicas,quæ iram excitare possit. 40,6
Hominum maledictio non est vbi aurum non est. 49,2
Homini miti, & mansueto terra fœcundissima est, ad perdendas hominum animas fames fortissimum telum. 52,11
Homini solus Iesus sufficit, cætera non sufficiunt. 53,12
Praui hominum mores multo moderamine corripiendi. 59,4
Ad commonendos homines de infirmitate humana plurimum valent Principum clades. 61,8
In deiectos à culmine homines vehementer insultant alij. 62,9
Iustus homo magis splendet post peccatum castigatum, quàm in ipsa innocentia. 64,13
Non tam hominum oculi in operibus bonis,quàm propria lingua cauenda est. 66,19
Fidelis homo non se intra naturæ carceres contineat. 81,13
Præstantissima hominis pulchritudo suam laudem à Deo quærere. 95,9
Nullus carnifex in hominem crudelior,quàm vitia ipsa. 101,22
Totum hominem in Deo esse facit spes. 99,18
Stulti homines nil nisi corporale animæ suæ meditatur. 100,10
Tota hominum erga nos solicitudo non exæquat Dei solicitudinem. 101,22
Homini salutare est, quidquid Deus sibi assumit. 111,3
Nobilissimum homini, quod dum litteras discit maiorum suorum ebibit magnalia. 113,7
Quo quis apud homines notior, eo magis apud illos solet vilescere. 118,18
Multis indiget homo, vt possit digne ad Eucharistiam accedere. 121,23
Hominem exuit,qui dignè accedit ad Eucharistiam. 124,29
Temporalis homo quauis occasione oblata rapitur. 145,9
Hominis maxima excellentia est, quod pati possit pro Deo. 148, 14
Nulla in sublimitate constitutus non glorietur homo de improperiis Christi. 154,9
Felix homo cui nihil datur spectari, nisi Christus. 157,14
Homo Christianus non statim publicet laudabilia quæ habet, etiamsi cogatur in suas laudes descendere. ibid.15
Gloriosum homini est,quòd Iesum magistrum habeat, qui solus doctos facit discipulos. 167,7
Summa impietas eò homines trahit, vt non differant eorum vota, & homicidia, sacrificia,& scelera, quod summum malum est. 179,18
Misera hominum conditio ex futurorum ignoratione. 188,40
Ille homo perfectè subuenit infirmitati,qui fit infirmari cum illo. ibid.41
Nulla quies est homini, vbi non cum patre, sed cum aliis dominis agit. 195,11
Homo si quid in Deo paternum non experiretur,periret,nec diem bonum haberet. ibid.12
Hominum colloquiis familiarissimus factus est Deus post Iesum. 206,9
Homini suo pronidit Deus requiem imperturbabilem, & tranquillitatem. 207,11
in Homine iusto non potest Iesus non parere. 221,16
Vbi in homine apparet virtus, & odia mundialia insurgunt. 222,18
Homini iusto omnis tribulatio vtilis. 227,4
Vbi pro hominibus saluandis Deus non rogatur, quia surdus, & mortuus est. 239,2
Vt ab homine infirmo ametur virtus,variari hæc debet. 240,4
In præcordiis hominum dignoscendis euidens fit diuina virtus. 244,10
Homo in cognoscendo Deo nequior brutis animantibus. 247,1
Homo absque meritis non potest multis placuisse. 249,4
Intra humanæ rationis terminos difficile se continet, qui præ cæteris splendet. 255,15
Hominis iusti virtus maxima, quòd in nullo venit à communitate eximi. ibid.16
Homo iustus multiplici virtutum studeat varietati. 256,17
Qui hominum saluti ministrant,sese, vel in habitu hominibus conformare solent. 258,21
Hominis summa seruitus, quod peccati mala videns à peccatis non desistat. 260,26
Hominis sublimitas magna,quod operibus suis aliqui Dei nomini correspondeat. 265,8
Hominis nobilitas,& gloria claret ab exitu huius vitæ,& ingressu futuræ 281,1
Homines infimæ virtutis in eo viuent, si percipiendæ Pastoris voci incumbant. 284,6
Homo non est, quem vel templi locus ad Deum non connectat. 288,1
Hominum culturam bene tractat,qui mille conflictus prius sustinuerit propter virtutem. 296,6
A Iesu venit, quod homines luteì omni virtute creatæ superiores euadant. 316,9
Homines prima perfectio in Iesu. 599,27
Homines in sua damna citatissimi. 354,3
Homo à sui nominis etymologia beneficia discat largiri. 331,3
Præstantior est cunctis animantibus, quia hæc sibi,suisque,homo verò omnibus. 332,6
Hominum conatus occulta Dei virtus fortunat. 353,1
Homines vitiorum acerbitatem experti,stultissimè ad ea redeunt. 354,3
Homo quia Dei opus,perfectus creatus est. 355,5
Homines humilitate Dei maximè ad ipsius amorem accenduntur. 358,5
Homines se suósque duntaxat promouere curant. 360,2
Hominum leges vtilitatibus solùm propriis consulunt. ibid.
Homo cur cœlo comparetur. imò homini cœlum. 376,1
Hominis summa dignitas esse proprium Dei opus. ibid.
in Homine est omnis rerum creatarum gloria. ibid.
Hominis suprema gloria Christus factus homo. ibid.
Hominem nimis se efferentem Deus absorbet. 377,2
Homo sibi benignus, aliis seuerissimus est. ibid.
Hominis summa felicitas de Deo cogitare. 384,1
Homo in omni actione sua vel minima Deum ob oculos habet. ibid.
Homo terrenis rebus intentus naui submersæ comparatur. ibid.
Hominis felicitas,quòd plures propter illū bona possideat. 395,6
Homo propria tantùm damna punit,Deus potissimum aliena. 397

Homo talis exhibendus est in quærendo Deum, qualis in fugiendo 402,11
Homines temporales mendaces. 403,12
Homines luxuriosi maximè agrestes, & rustici. ibid.13
Homines ita occupat ira, vt tunc benefacere nefelant. ibid.14
in Hominum frequentia difficillimè Deus aliquem seruat. 406,2
Hominum affectus ad diuitias vehementissimus. 411,1
Homines secretum aliquod auditum in terris custodire nequeunt. 413,3
Homines ab extrinseco petunt meritis valorem. 415,24
Non est hominis, sed omnino Dei defectus aliorum tegere. 418,30
Homines dum de se loquuntur, à veritate aberrant. 446,7
Homo in cœlestibus est quasi in suis, in aliis quasi in alienis. 462,21
Hominis propria possessio cœlum, cætera diaboli. ibid.
Homines non tam inficiatur bellum, quàm pacifica prosperitas diu prolongata. 465,3
Homines in Eucharistia magnis cumulantur beneficiis. 468,11
Homines perditi iustificandi à sanctis in virtutis operibus. 470,3
Præstantissima hominum protectio est nomen Dei veneratum, illorum perditio si contemnatur. ibid.
Corda hominum rapit Deus cruci affixus. 473,8
Vt eis sit salutare, agendus in corde. ibid.
Homini terrenis affectibus vacuo salutaria sunt crucis mysteria. ibid.9
Magnum homini periculum imminet, si Deus auertatur ab eius conspectu. 474,11
Homines vino traditi crudelitatem induunt. 475,12
Homines flagitiosi instrumenta sunt Sathanæ ad perditiones moliendas. 476,14
Homines apud mundiale tribunal sæpe triumphant 480,15
in Hominum salute mirabilior apparet Christus, quàm in sua resurrectione. 481,29
Pessimi hominum esse solent, qui diuinum à se, humanúmque timorem excludunt. 483,32
Ad magnam hominis felicitatem spectat, videre sua bona multis proficere. 490,13
Homo luxuriosus metuat accedere ad Eucharistiæ conuiuium. 495,5
Vbi finem mundialium contemplatur, facile ad Deum conuertitur. 502,19
Quò homo sese magis obscurat propter Christum, eò se magis manifestat Christus homini. ibid.
Facilè trahitur homo ad perditionem ab inueterata consuetudine in aliquo vitio. 508,31
Hominibus impiis inter maiores felicitates adest perditio. 509,32
Homo sceleratus metu supplicij mortem citò aduenire putat. 513,6
Magna ipsius perditio est, non retrahi à peccatis terrore iudicij futuri. ibid.10
in Homine impio cœlestium virtutum solùm apparentiæ, & vmbræ reperiuntur. 517,14
Deum à se omninò reiicit homo gulæ deditus. 518,1
Temporalia bona non tam ornant, quàm designant perditioni hominem impium. 519,3
Homines aliter iudicant, ac Deus. 523,8
Hominum conditio ea est, quæ propria despiciat, aliena æstimet. 531,3
Eorum affectus ad diuitias vehementissimus. 411,1
Sentiunt homines suauem Deum, & magnificum in Eucharistia. 468,10
Hominum bona omnia in vno Iesu. 580,11
Homines nec ad modicum possunt esse, nisi cum eo, qui sciat peccata dimittere. ibid.
Humana conditio considerata veniam trahit delictis. 590,8
Miser homo, qui etiam sub vitiis laborat. 609,6
Maximè confirmatur homo exemplo paternarum virtutum. 611,8
Homines solùm amant sibi proficuos. 592,13
Homo ex Iesu habet, quòd à tenebris abeat in lumen. 593,15
Homo spe præmij, & supplicij metu continetur. 627,8
Hominis miseria summa, quòd sub vitiis laboret. 609,6

Honor.

Cuiusque honori consulendum etiam damnati. 17,1
Honoris deperditi recordatio cruciat. 9,3
Multo honore persequendi, qui Principatus sedes tenent. 61,7
Honoris proprij blandimenta, & præstantes viros inficiunt. 306,2
Honores ambientes veluti vertigine aguntur. 330,2
Honores honoribus trudere continuo Principes laborant. ibid.
Honores in dignitatibus nequaquam ambiendi. 409,7
Honori proximi detrahentes indigni sunt accedere ad Eucharistiæ conuiuium. 491,15
Ingentem caueat ruinam, qui in religiosæ vitæ professione ad mercandos honores ex hominibus vitam componit. 506,25
Qui ad Dei honores euehi cupit, filium induat, & exuat seruum. 513,8
Dei honor præferendus est carnali cognationi atque bono. 531,3
Verus honor præstitus in vera munerum exhibitione consistit. 565,8
Honoris tempus sibi taxans Dominus, nobis illud sine mensura donat. 573,8
Honores diuinos tibi pariet locus, in quo Deo obsequium præstitisti. 608,2

Hora.

Quæuis hora etiam postrema potest esse prima, vt Deum habeas. 260,24

Hospitator.

Conficta virtus consumit domum hospitatoris sui. 170,11
Nunquam sine lucro Dei ministris hospitium præbet. 563,27

Hostia.

Hostia Deo acceptissima, quæ à primis annis ei offertur. 406,1

Hostis.

Hostis antiquus maximè obseruat nostræ mortis tempus. 208,13
Post Christum passum habemus, vbi ab hostibus protegamur. 219,12
Hostes validissimè prosternis, dum in tuis operibus laudem quæris Dei. 312,2
Hostium itis quòd sciamus cedere, Iesu virtus est. 570,1

Humanitas, humanus.

Humanitatem omnem exuit auaritia. 286,12
Humanitas Christi diuinitatis thesaurus. 363,1
Ea est in ea excellentia, vt eadem humanitas, & diuinitas censeatur ab hominibus. ibid 2
Nos ab ira Dei defendit. 395,2
Humanitas Principibus conuenientissima est. 483,1
Humana omnis prouidentia defectuosa. 391,2
Humanitas Christi humilis manifestat signa diuinitatis. 569,3

Humilis, humilitas.

Humilitas Iesu efficacior ad persuadendum, quàm sapientes mundi. 205,7
Humilitas virtutum opera custodit. 94,8
Ad Eucharistiam disponit. 120,21
Summam magnitudinem apud Deum præbet. 134,5
Diuini Patris exprimit fœcunditatem. 276,1
Nihil humile meditatur, qui spiritu Christi caret. 309,38
Humilis etiam in casu proficit. 278,3
Verè humilis aliorum virtutes sibi superiores agnoscit. 34,18
Sine humilitate non stat regnum cœlorum. 171,17
Humilitas Principum remuneratur à Deo fœcunditatis præmio. 485,5
Qui eam amplectuntur propter Christum, ab ipso exaltantur. 501,20
Qui humiliter Deo cuncta adscribit, illius donis cumulabitur. 467,7
Humilia Dei cum ipsius sublimibus respice. 401,9
Humilitas dat signum salutis. 567,1

Hypocrisis.

Ruinam trahit. 7,14
Ineuitabilem afferunt vindictam eius mala. 180,30
Hospitatoris domum consumit. 160,13

I

Iacob.

IAcob typus spiritualium virorum: Esau carnalium. 393,6

Iactantia.

Iactantia sæuissima est, & sitiens sanguinem. 180,31

Iactura.

Dum parit æternam lætitiam non dolenda. 57,19
Quæuis parua, dum cœlestia non perduntur. 233,1
Iacturam facere bonorum temporalium pro futuris lucris maxima gloria est. 439,13

Idolum, idololatria.

Idolis concupiscentiæ qui seruit, caueat diuinum calicem. 116,12
Eucharistia triumphat de idololatria. ibid.
Inobedientia sapit idololatriam. 191,4
Idololatriæ affectus Iudæis infusus extingui nequit. 399,5

Ieiunium.

Sine misericordia, non habet gloriam. 21,9
Facit hominem diuinum. 93,7

Iesuitæ.

in Iesuitarum linguis cœlspicua eorum iustitia. 223,9
Hi pro fide steterunt ab incunabulis. ibid. 5
Editis libris hæreses iugularunt. ibid.
Ex Dei gratia habent libros conscribere. 264,7

Iesus.

Iesus in iudicio seuerissimus iudex, quia extraneus, & ignotus ab externis veniens. 10,6
Eius verba permanentem ad omnes efficaciam habent. 14,12
Iesus, velut Sol nubes dissipat hominum iniquitates. 17,2
Summa Iesu gloria, quòd ex omnibus mundi plagis, electos suos congreget. 18,3

Iesus disertissimus concionator. 25,1
Iesus nummulariorum mensas impunè euertit. ibid.
Iesu,& Ioannis perfectissima similitudo. 27,6
Fugit Iesus hominum peccata. ibid.
Qui similis Iesu est omnia bona habet. 28,7
Iesus gloriosior apparet in tolerantia passionum, quàm in aliis miraculosis operibus. ibid.
Deus in Iesu humanissimus. ibid.8
Iesus omnibus tormentis, & tribulationibus paratum se obtulit. 30,10
Verè est Sapphirus ab aurifera Virginis terra orta,& inter peccatores latitans. 32,15
Ante Iesu mortem iam contundit Ioannes cœli claustra,& ruinam minari facit. 72,7
Qui ad Iesu pedes omnia deponit, Angelum sui itineris ducem habet. 37,23
Solus Rex Regnum Iesus potest habere ministros, qui subditis omnino proficui sint. 38,1
Felices lacrymæ, quas Iesus consolatur. 51,9
Sine Iesu vita luctus est. 52,10
Cui Iesus sufficit, cætera bona non sufficiunt. 53,12
Quot vulnera pro Iesu, tot gloriosæ palmæ. 56,18
Iesu odiosus est, qui semel acceptam virtutis viam deserit. 58,2
Ille solus Inimicis non parcit,qui ad Iesu verba surdescit. 62,9
Omnia à Iesu vitam halant. 117,15
Vbi Iesus resuscitat,nulla mortis vilitas timetur. 119,19
Solus Iesus nouit peccatoribus parcere. 31,10
In solo Iesu regno magni sunt viri. 133,2
Virtuosi operis præstantia inde maximè est, quod fiat propter Iesum. 215,4
Post Iesu passum, sine labore nostro habemus,vbi ab hostilibus iaculis protegamur. 219,12
Labores Iesu efficaces ad cōtemnenda bona mundialia. 221,14
Vnum Iesum in se refert verus Christus. ibid.
Iesus non potest non patere in hominibus iustis. ibid.16
Iesus tunc clarus,& conspicuus, vbi per Spiritum sanctum firmatur fides,& animorum puritas. 232,14
in Iesu nihil non magnum cogitandum. 234,3
Iesu morienti acceptæ sunt iustorum lacrymæ, quibus eius mors honoratur. 235,3
Vbi Iesus intercedit, omnia plena,& integra bona. 239,3
Solus Iesus,& ab eo vocati,in eundem spiritum mediis exterioribus mundi tenebris non perduntur. 241,7
Solus Iesus facit propriis cedere, cùm intercedit causa communis. 244,11
Iesus in humilitate fundauit regnum cœlorum. 249,5
Iesus illam sibi æstimat gloriam,quam dat suis. 257,19
De vnius Iesu spiritu venit posse multis in obsequio placere. 258,22
Apud Iesum,etiam postremus primogenium acquirit. 260,24
Iesus non aliis tradit, sed ipse portat ministerij sui onera. 272,2
Iesus vbi se humiliauit, diuinissimi parentis imaginem apertissimè expressit. 276,1
Esse cum Iesu est omnium bonorum præstantissimum. 281,8
Iesum si habeas in corde, omnia tibi claustra aperientur. 283,4
In solo Iesu nobis abundant donationes diuinæ. 288,14
Ab Iesu abesse nequit, qui boni euentus gaudia Deo refert accepta. 312,1
Solus animus diabolico furore obduratus potest se præcipitare in oculis Iesu,in quibus omnes confirmantur. 313,3
Vbi sunt oculi Iesu,non potest stare malus. 314,5
à Iesu venit quod lucei homines omni virtute creata superiores sint. 316,9
Nihil vnquam lucidum,quod Domini Iesu non prætulerit imaginem. ibid.
Ibi erit Iesus,vbi gladius. 158,17
Etiam nomina dignitatum à suis separat. 167,6
Nescit vni claudere cœlum, quin illud alteri aperiat. 170,12
Deum nobis dat patrem. 194,10,196,13
Habet quidquid est paternum. ibid.
Donis suis, vel minimis potest implere humanas voluntates. 199,19
Fecit Deum familiarissimum humanis colloquiis. 206,9
Non permittit à se abesse concionatores suos fructuosos. 312,5
Quidquid ipse est,facit quòd sint illi quibus adhæret. 232,15
Multus est in dignoscendis operibus charitas. 214,2
Felicem facit sua præsentia. 161,22
Sua absentia castigat. ibid.
Facit suauissima vilescere in sui comparatione. ibid.23
Etiam cùm ferit,non perdit,sed seruat. 162,24
Vbi adest, facit patere cœlestia. 169,10
Protectionem facit ab hostibus. 190,3
Et facit nos esse,& viuere. 193,8
Sub eius nomine omnia nobis creduntur à Deo. 199,19
Iesus adhuc duodenis omnia prædicationi postponenda docet. 329,1
Iesus meruit regalem suam dignitatem, hominibus benefaciendo. 331,3
Iesum noscendi studio non affici deploratæ salutis signum. 338,16
Iesus vbi est, omnes misericordes. 340
Iesus à dormientibus amittitur. 345
Iesum in cruce considerans omnia difficillima libentissimè aggreditur. 357,4
Iesus tunc maximè Patri æqualis, quando seruili habitu hominibus apparet. 363
Iesus adhuc infans lacrymas suas Ægyptiorum saluti dedicauit. 372
Nomen Iesu recenter Iosue inditum mirabilia facit. 376,1
Iesus, vt egentibus benefaceret,omnia loca audiuit. 387,7
Iesus tunc Patri simillimus, cùm vbique auxiliabitur egentibus. ibid.
Beneficentia Iesu superat maleficentiam diaboli. ibid.
Iesus gemino quasi fonte è pectore suo dulcedinem suauitatis ostendit. ibid.8
in Iesu argumenta mansuetudinis multò plura, quàm argumenta vindictæ. ibid.
Iesus omnia mala præter peccatum sustinuit. 388,9
Iesus infinitam suam sapientiam per tolerantiam manifestauit. ibid.
Iesus absoluit omnem patientiæ cursum. ibid.
In medio suæ vitæ machinas erigebat, sed in vltimo per Eucharistiam culmina posuit. 398,2
Iesus manifestissimus, nihil habet rigidum in homines. 381,11
In eius præsentia nullum nobis deficit bonum Dei. Apud Iesum plurimum valet patrocinium D.Pauli. 440,16
Iesus efficacissimus est pro hominum salute. 477,18
Qui Iesu adhæret, hoc ardenter optat, vt pluribus communicetur. 495,6
Iesus non potest haberi sine Ecclesia. 496,7
Vbi Iesus apparet simul cum Maria omnia bona simul apparent. ibid.8
Iesu nominis celebritate prouenit hominibus splendor. 498,12
Post ipsius mortem, mors habetur pro somno, etiam à teneris virginibus. 500,16
Iesus putat se esse peregrinum,etiam in cœlis dum inter homines non agit. 510,1
Iesus suauis est erga pudicos. 495
Terribilis erga impudicos. ibid.
Si aliquid à Iesu habes,totum Iesum habebis. 427,27
Iesus solus potest nos eò deducere, vbi efficacia æternæ salutis media in promptu habeamus. 537,4
in Iesu conspectu magna augmenta salutis. 547,16
Per Iesu manus omnia salutaria redduntur. 553,7
Ex quo Iesus in passione rubuit, ille pro signo felicitatis est 768,2
à Iesu venit,quod scias iris hostilibus cedere. 570,1
Iesus vel manifestus, vel latens, salutaris est. 572,6
Propior apparet in mundialium occasu. 576,1
in Iesu habet omnia homo. 580,11
Nullis iniuriis mouetur,vt ab hominibus discedat. 583,17
Post mortis pelagus fidelibus pate ntior. 585,20
In eo mortuo, & crucifixo omnium bonorum fontes aperiuntur. ibid.21
à Iesu venit,quòd homo in perfectionem abeat. 593,15
Vnus Iesus indeficiens lumen est. 594,16
Adest, vbi peccata absunt. ibid.
Præcipuus illex ad trahendum Iesus est moriens. 520,4

Ignatius.

Beati Ignatij Societatis Iesu Fundatoris præstantia. 366,7
Ignis diuini amoris magno lacrymarum sumptu sciscitatur. 388,10
Ex ignorantia sui venit aliena vitia carpere. 431,36
Quam curam reliquerit suæ familiæ prælatis. 291,6

Ignorantia.

Ignorantia rerum temporalium solet comitari sapientissimas de Deo cognitiones. 193,8

Imago.

Nil lucidum fuit, in quo Iesu non præexisteret imago. 319,1

Imitatio.

Per imitationem Sanctorum Christus Dominus perfectè habetur. 19,6.255,16

Imperfectio.

Instituti religiosi, quæ apparent imperfectiones non mordendæ. 307,4

Imperium.

Imperia mundi infima. 45,17
Eorum auspicia ex incorruptibilitate iudicij. 46,18
Durissima,quæ malis fauent. 109,39
Imperia benefico debentur. 331,3
In malis durare nesciunt. 339
Imperia nulla duratura, nisi vmbra Ecclesiæ. 359,7
Imperium spirituale, propria vtilitate neglecta,aliorum commodis studere. 407,4
Imperiis damnosior est pacifica prosperitas diu prolongata,quàm bella. 465,2
Imperia tradit Deus præstantibus beneficia. 467,8
Imperia quæuis, licèt opulentissima, possunt à castitate decorem accipere. 484,3

Sine illa vilescunt. ibid.
Imperia crescunt subditorum leuamine. 440,15

Impetratio.

Certissimæ impetrationes à laboribus tolerantur. 45,5

Impetus.

Impetus in iudicandis proximorum causis vitandus. 381,10

Impius.

Magnum impiorum supplicium, quod videant turpitudinem rerum ob quas perierunt. 5,2.228,6
Nunc illis iucunda, postea asperima erunt. 3,3
Vana spe deluduntur. 6,12
Torquebuntur in iudicio signis passionis Christi. 9,3
Nil nisi corporale meditantur. 100,10
Sera pœnitentia cruciantur. 9,4
In separatione ab electis torquebuntur. 11,8
Honore indigni. 17,2
Anima, & corpore cremabuntur. 23,13
Priuatione gloriæ cruciantur. ibid.
Miseri degunt inter felices. ibid.14
Eorum summa desolatio, & solitudo. 201,25
Timent iudicij diem. 351,4
Impiorum castigata scelera, laoa gubernatoris. 374,3
Impij solent eligi ab humanis Principibus in præmium. 480,15
Impiis inter maiores glorias adest ruina. 509,12
Ipsis vitæ tempus citò transire videtur. 513,7
In Impiis virtutes cœlestes, & ipsa hominum ratio phantasticè apparent. 517,14
Impios non tam ornant bona temporalia, quàm designant perditioni. 519,3
Impiorum gaudia non minoribus soluentur clamoribus. 554,15
Impij iustorum extrema desiderant. ibid.
Impius peccandi consuetudine labores delicias reputat. 554,3
Impij in aliorum lapsibus maximè gaudent. 473,4
Timeat impius supplicium, cùm videat in aliis exerceri propter delicta, quæ ipse commisit. 491,12
Impij eos putant inanes, & vanos, in quibus nihil diabolicum, & vitiosum vident. 604,19
Impij absque vllo labore volunt Deum. 610,7

Impudentia, Impudicus.

Impudicus semper impudens. 409,13
Nobilium impudentia eò peruenit, vt in ea maximè glorientur. 430,12
Impudentia semper comitatur potentiam. 446,1

Incommodum.

Incommoda propria homo punit, cætera nihil curat. 394,2

Inconstantia.

Inconstantia mulieris ingenij rata. 407,3
Inconstantes homines Deus maximè abhorret. 385,3

Incontinentia.

Incontinentia crudelis. 25,1
Mentes hominum subuertit. 56,5

Incrementum.

Magnum virtutis incrementum in Eucharistiæ mensa. 468,11

Increpatio.

Increpatio impetuosa maximè vitanda. 381,12
Increpante nos Dn. omnem soporem excutiamus. 425
Increpatio mordax rarò adhibenda. 387,8

Incuria.

Incuria pastoris in gubernando maximum peccatum. 409,7

Indulgentia.

Cum seueritate iuncta salutaris. 308,7

Industria.

Nullum donum diuinum permanere solet, cui non seruiat industria hominis. 295,5
Industria hominum defectibus plena. 391,3

Infantia.

Ab infantia qui Deo sacrantur, toti Reipublicæ vtilissimi. 406,5
Qui ab infantia Deo se sacrat, toti suæ familiæ Deum debitorem constituit. ibid.
Ab infantia qui virtutem capessunt, perseuerantiores in ea sunt. 419,2

Inferior.

Ad inferiorum pedes obuolui durissimum. 61,10

Infernus.

Eo durior quo Dei visionem tollit. 55,13
Eò rapiuntur impij, dum iusti ad coronas. ibid.14
Eius memoria potentissima ad salutem. 156,12
Infernus est quisquis firmatam diuisionem facit inter fratres, & proximos. 516,16

Infidelis.

Infidelium quæuis opera suspecta. 104,14
Infidelitates ad peccatum præ omnibus aliis grauiores. 230,9
Infideles sæpissimè vincunt Religiosos in maceratione carnis. 402,10
Infidelibus duriora Dij, quàm Deus Christianis præcipiebant. ibid.

Infirmitas.

In Infirmitatibus proximorum se quisque noscerit. 60,6
Infirmitatem humanam docent principum casus. 61,8
Infirmitatem fidei arguit tristitia in virtute. 84,5
Infirmus ad virtutum opera, qui dæmonis bonis nititur. 99,19
Infirmitas roboratur, dum Deum conspiciat. 117,14
Infirmitas virtutis custos. 333,7

Ingenium, ingenuus.

Ingenui hominis nomen perdit, qui bona sua meretricibus infumit. 569,12
Ingenuum hominem dedecet accipere dona nisi à Deo. 390,1
Ingenuo homini grauissimum malum est confusionis nota perfundi. 436,8
Ingenium illud infelix, quod non dulcedine, sed asperitatibus excitatur. 566

Ingratitudo.

Ingratitudo summam calamitatem affert ingratis. 437,10

Inimicus.

Non eis debellandis, sed in trahendis principum sit studium. 18,4
Illis non parcit, qui sibi malus est. 27,3
Illis benefacere Christianus triumphus. 78,4
Eorum dilectio salutis compendium. 79,7
Inimicos non reputat, qui mortem meditatur. 80,10
Inimico iratundus non sis. 81,11
Vera charitas præfert amicos inimicis. 516,6
Nullum habet inimicum, qui mundialia bona contemnit. ibid.
Inimicis facilè parcet, qui mortis meminerit. 381,11
Inimicum qui strictè iudicat, strictiùs in Dei iudicio punietur. 383,16
Inimicis cedere nos facit Iesus. 570,1
Inimicis qui mansuetè respondit, pro se habet totum cœlestem auxilium. ibid.
Vide *Hostis, Iniuria*, &c.

Iniquitas.

Iniquitatis signum publicatio virtutis. 333,5
Iudæorum, quàm sodomitarum iniquitas est maior? Ad Iudæorum consummatam iniquitatem templi sacra patuere scisso velo. ibid.

Initium.

Initia bona non continuare maximæ duritiæ signum. 335,10

Iniuria.

Iniuriæ religiosis inferendæ author Diabolus. 513,12
Iniurias acceptas decantare diuinum est. 80,8
Iniurias proprias Deus dissimulat, alienas non suffert. 395,2
Iniuriæ ab aliis iniustè illatæ, vel fortissimos homines ad vindictam excitant. 449,7
Iniuriarum acceptarum dolor maior est in innocentibus. ibid.
Iniurias pro gratiis accipere intolerabilem affert dolorem. ibid.
Iniurias suas vlciscentes maledicti sunt. 581,15
Iniurias hominibus illatas seuerissimè Deus vlciscitur. ibid.
Inter iniurias, & contumelias misericordem se gerere, & beneficum, omnino diuinum quid est. 423,19
Iniurias suas qui in fratre vlciscitur, summum Dei iudicium subit. 383,15

Iniustitia.

Nulla est tam atrox, quam amasia à Iudice non extorqueat. 26,2
Iniustitia Principum meritò ipsorum populis culpæ vertitur. 448,5

Innocentia.

Oculatior est ad percipienda diuina, quam sapientia mundi. 42,9
Non sic in innocentia splendet iustus, quam post peccatum castigatum. 64,13

Inobedientia.

Inobedientia speciem habet idololatriæ. 116,19

Inops, inopia.

Inops est omnis lasciuus. 418,6
Nulla inopia cogit homines ad lasciuiam; inopia nulla est vbi Christus adest. 433,18

Inspiratio.

Dei inspirationes operibus non exhibere nescit virilis virtus. 303,3

Instrumentum.

Instrumenta diaboli sunt flagitiosi homines. 476,14

Intentio.

Quandiu rectam ad Deum habueris intentionem, ferè inexpugnabilis es. 265,3

Intercessio.

Intercessio sanctorum plurimum nobis confert. 442,17
Efficax plerumque est nostris virtutum operibus adiuncta. ibid.

Inuidia, inuidus.

Magis aliorum felicitate torquet, quàm propriis malis. 12,8
Iustos in reproborum gregem transfert. 305,5
Inuidiæ peccatum grauissimè punitur à Deo. 482,18

Iudæo

Iudæorum maxima in Christum inuidia. ibid.
Inuidi non sustinent videre fratrem, vel in honoris vmbra. ibid.

Ioannes Baptista.

Iesum suarum laudum cantatorem habet. 25
Adulterii aduersarius. ibid. 1
Docet Deum à sapientibus maiori cura quæri. 26,5
Iesu simillimus. 27,6 36,21
In virtute constantissimus. 29,9
Prima eius vitæ lineamenta possunt diuinam commendare maonam. 30,22
Eius in deserto pueritia Deo commendabilis. ibid.
Cur plusquam Propheta. 32,15
Salutiferi fontis vena prius rupta à Ioanne. ibid.
Angelus, & plusquam Angelus dicitur. 33,16
Primas omnium tulit. ibid. 17
Nulli pietate secundus. ibid.
Maximè humilis. 34,18
Ante Iesu mortem claustra cœli contudit. ibid. 19
Quidquid magnum dici potest. 35,20
Instar Solis. ibid.
Eius natiuitas supra naturam. 37,23
Ioanni cur B. Virgo in matrem detur. 367,9
Ioannes Baptista constantissimus à Christo laudatur. ibid.
Ioannes cur in custodiam Virginis Mariæ offeratur. ibid. 10

Iocus.

Ioci lasciuientium Principum nocentissimi. 420,13

Iosue, Ioseph.

Iosue typus Christi. 358,16
Ioseph in sua sponsa nil nisi bonum iudicabat. 348,11
Ioseph cur à pulchritudine laudetur. 468

Ira, Iracundus.

Feros homines facit. 71,5
Nullis contumeliis parcit. 70,4
A comessationibus, & compotationibus orta. 266,10
Ira Dei neminem funditus perdit. 262,4
Sola in misericordiam solet conuerti. 213,8
Iracundus adeò certam habet damnationem, vt iam videatur carnifici traditus. 69,2
Carceribus & vinculis obnoxius. 70,3
Ira Dei erga homines in hac vita coronas parit. 380,9
Beneficia erga nos non impedit. 394
Diuinæ iræ vniuersa deseruit creatura aduersus peccatores. 482,31
Ira Dei eò maior, quò tardior. 378,4
Ira Dei dialis tantùm; mansuetudo verò per annum durat. 387,8
Ira Dei in præsenti contempta ingentem pariet furorem in futuro. 614,4
Iracundi homines inaccessibiles. 403,14
Irasci simul, & benefacere argumentum fortitudinis Dei. ibid.

Israel.

Israeliticus populus qua ratione in immensum creuerit. 455

Iudæus.

Iudæi temporalia solùm æstimant. 463
Iudæi cur adulterini vocentur. ibid.
Iudæi carnalissimi, & æternæ vitæ prorsus immemores. 370
Iudæi post Christi aduentum meliores fuere, quàm antea. 398
Iudæi quia carnales Christum non nouerant. ibid.
Iudæorum auaritia vnde veniat. 400
Iudæi mortuum Deum aspernati, vinum in suam perniciem sensere. 357,4

Iudex.

Iudex perfectus, nec res viles sub iniuria sinit. 231,21
Iudex serenissimus Iesus, quia ab externis. 10,6
Felix qui venientem iudicem, vt Dominum, non vt fuerem suscipit. ibid.
Iudex damnatorum etiam honori consulat. 27,6
Non sit acceptor personarum. 46,18
Qui personam accipit, est fons pede turbatus. ibid.
Causa à iudice per ministros tractata raro iustè agitur. 132,9
Deum iudicem ab aliis habemus, à Iesu patrem. 194,10
Obdurati in peccatis miserius perduntur in aduentu iudicis. 350,2
à Iudice extorquet amasia quamlibet iniustitiam. 26,2
Iudex non sit nimius circa pacta. 177,24
Iudex ne facilè criminationibus fidem adhibeat. 346,7
Iudex nullum inauditum damnet. 347,5
Iudex caueat audire accusatores crimina exaggerantes. 350,15
Iudex qui inexaminata causa ex sola fama condemnat, Tyrannus est. 435,5
Iudices periculosius damnant, quàm absoluunt. ibid.
Iudex non est, qui delicta seuerè non punit. 447,8
Optimus iudex est, qui nihil facit vnde possit timere. ibid. 3
Iudices suo munere tanquam vestibus vtantur. ibid.
Iudici æquitas pro thorace sit. ibid.
Iudex bonus ad se ipsum, tanquam ad arcem confugiat. ibid.
Iudex innatam impeccabilitatem habeat. ibid.
Iudices iniquissimi sunt, qui lites longè protrahunt. 450,8
Iudices lites differentes lupi sunt vespertini, prædones sunt. ibid.
Iudici fœdissimum est ea facere, quæ functus munere defendere non possit. ibid.
Iudices mali acriùs ferunt sententiam in plebeios, quàm in optimates. 479,13
Iudicis præstantia non tam in vilium, quàm in potentium hominum damnationem. ibid. 14
Apud humanos iudices multoties triumphant mali. ibid.
Iudices duro reos puniunt, humanitatem in verbis debent ostendere. 491,15
Iudex bonus, tanquam priuatus in dignitate se gerat. 458,10
Iudices ne velut impetu feruidam sententiam ferant. 381,11
Ipsos nihil sic perdit, ac mollities, & desideria in puniendis vitiis. 447,2
Iudici turpissimum est, posse timere subditum. 408
Iudex æquus primos in fauoribus, etiam facit primos in seueritate. 559,4
Vbi personas intuetur, semper errat. 580
Si iudex non sis, laudabilius viues. 604,40
Iudicum multorum auctoritas non magna habenda est, vbi nihil non rigidum apparet in sententia. 619,3

Iudicium.

Dum supremi iudicij sententia instat, nil nisi crudele etiam in amicioribus spectandum. 1,3
Iudicij diem amant iusti. 380,3
Quanta erit confusio in manifestatione peccatorum in die iudicij. 4,2
Tantum erit extremi iudicij malum, vt sola eius fama terreat peccatores. 5,14
Vbi Dei iudicium timetur, mundialia decora abeunt. 389,8
Iudicij terror quouis alio cruciatu maior. 5,10
Diuinum iudicium suspectum sibi habeant etiam sanctissimi viri. 7,13
In diuino iudicio, vnusquisque sibi prouidebit. ibid.
Propriæ vilitatis cognitio, in iudicio Dei iustos viros armat. ibid.
In diuino iudicio omnia timoris plena erunt. ibid.
Nuda ibi, sine fuco peccata apparebunt. ibid. 14
Nil in iudicio remanebit, quod possit seuerissimi iudicis misericordiam excitare. 8,4
Signum tantum crucis iustis securitatis præstabit, & impiis terrorem. ibid. 2 9,3
Iudicij timor multos collegit in vitam. 11,
In die iudicij soli misericordes viri cauebunt verbum asperum, quo immisericordes affligentur.
Iudicare alios proprium Dei. 347,10
Iudicium temerarium auctori suo parat ruinam. ibid.
Iudicium in criminibus præcipuè libidinosis vitare prudentis est, imprudentissimi temerè iudicare. 348,11
Iudicium hominis in alios crudele, in se leue. 377,2
Iudicij futuri obliuio grauissimum homini malum. 378,5
Illius frequens memoria, maxima felicitas. ibid.
Iudicium Dei ideò terribilius homini, quia vnicum. 349,6
Illius memoria continet homines, ne aliis noceant. 381,11
in Iudicio Dei si vis absolui, misericordiæ operam da. 438,12
Iudicium Dei spem affert misericordibus, non timorem. ibid.
Iudicium prolatum iuridicè, vix credi potest iniustum. 479,12
Iudicium humanum seueriùs ferri solet in plebeios, quàm in viros potentes. ibid.
In die iudicij maximus auget dolor reprobos, quòd Angelos sibi contrarios videant. 374,5
In Dei iudicio aliter contingit, atque in hominum. 517,14
Summa hominis perditio est, qui futuri iudicij terrore ab iniquitatibus non retrahitur. 487,2
Iudicium religiosi viri passione aliqua infecti perniciosissimum, & suspectissimum habeatur. 563,6
Iudicia damnantis inauditum diabolica. 349,13-435,5.279,9
Iudicium respiciens personas erroneum. 581,12

Iugum.

Iugum Dei tolerabilius, quàm mundi. 453,3

Iuramentum.

Lethale hominibus. 76,8
Debet esse cautum. 75,7
Votum periurij pœna quam plurimos perdit. 277,14

Ius, iustitia.

Iustitiæ diuinæ gladius in peccatores solum, &c. 555,11
Iustitia Dei non solet funditus perdere. 262,4
Qui propter iustitiam patiuntur, præuenient seuerissimum vltorem. 187,39
Iustitiæ puritas turbatur, vbi non solum merita attenduntur. 467,18
Nihil quod ad iustitiam conducat prætermittas. 54,13
Iustitia omnia maximè nociua. 349,23
Iustitia, quæ misericordia non admiscetur, inhumana est. ibid.
Iustitiæ fitis per lachrymas excitatur. 357,3
Iustitia in impios ad perfectionem Reipublicæ pertinet. 374,3
Iustitiam non in se, sed in aliis seruari volunt homines. 377,2
Iustitia Dei in hac vita in peccatores, non ira, sed misericordia est. 380,9
Iustitia, & æquitas veritate nutritur. 578,7

Ius, qui nemini dicit, laudabilius viuit. 640,40

Iustus.

Iusti in seuerissimo iudicij die signo crucis securi erunt. 8,2
Tempellius cruciuntur pœnitentia. 9,4
Nullibi, tam absconditi erunt, vt in eis congregandis diuina virtus non ostendatur. 18,3
Quæ iustis in hac vita tristia sunt, felicissima erunt in cœlesti. 23,15
Iusti quidquid bonum in aliis vident, sanctissimum reputant. 24,18
Magna est gloria iusti, à reprobis repelli. 36,13
Per iustorum imitationem, Christus Dominus perfectè haberus. 41,8 & 56,17
Nullam rerum temporalium solicitudinem habeat iustus. 47,21
Vel vnus iustus valet, vt omnem terram condiat, & saporet. 59,3
Iustus lucidior post peccatum castigatum, quàm in ipsa innocentia. 64,13
Iusto grauissimum tormentum est, cum pessimis hominibus comparati. 69,3
Quo quis iustior est, eo magis à peccatoribus arguitur. 143,17.
Qualibet occasione oblata impij in virum iustum insurgunt. 104,19
Iusti, quasi prudentes insaniunt, dum aduersus præsentem vitam insurgunt. 149,15
Iustorum conuitiator, non abscondetur, sed ad supplicium patebit. 154,8
Iusti viri nihil ad perfectionem suam pertinens non recuperabunt ex morte. 156,13
in Iustos non desæuit diuinæ iustitiæ gladius, sed in peccatores. 159,18
Vbi malum iustis infertur, & Deo ipsi infertur. 179,19
Iustorum conditio apud peccatores peior habetur, quam apud ferissimas creaturas. 186,36
Terrena persecutio sic iustos eleuat, & superiores facit, vt in sublimi constituti debellatores appareant vniuersæ terræ. 186,38
Iusti nullibi patiuntur solitudinem, & desolationem, quæ est summa pœna peccatorum. 201.21
Et sequentibus iustis manet graue certamen in mortis tempore. 208,15
Iusti etiam sanctissimi dum in hac terra sunt, indigent scissione, & purgatione. 214,3
Non potest Iesus non parere in hominibus iustis. 221,16
Odia mundi insurgunt in iustos pro Deo, & virtute. 222,18
In lingua iustorum adeò est conspicua eorum sanctitas, vt nulla aduersariis maneat excusatio. 223,19
Iustis omnis tribulatio vtilis, & conueniens. 227,4
Iesu morienti acceptæ sunt lacrymæ iustorum, quibus eius mors honoratur. 234,4
Iustorum clades semper lætissimum spectaculum impiis faciunt. 236,5
Tristitia ex iusti calamitosi compassione orta melior est, quàm vniuersa mundi gaudia. ibid.6
Iustorum pressuræ, & præstantia, & fructu, ex passione Christi vtiliores, quam labores mundanorum. 237,7
Iustorum oratio filios eos ostendit, cætera virtutis opera seruos notant. 238,8
Iustorum paucitas imperturbabilem ostendit eorum conditionem 247,2
Iustorum clades illis lætissimum faciunt spectaculum. 236,5
In eorum cordibus verba Dei vacua. 204,6
Illis Deus est omnino inaccessibilis. 28,8
Vide *ecrat. r.*
Iustorum consortium peccatoribus maximè proficuum. 351,17
Iustum tota rabies inferni non superabit. 348,12
Iustorum opera vincula sunt, quæ impios in officio teneant. 351
Iusti in persecutione exaltantur, eorum persecutores pereunt. 253,13
Iusti hominis virtus maxima, quod in nullo velit à communitate multitudinis eximi. 255,16
Iustus studeat multiplici virtutum varietati. 256,17
Iusti vigilanti mors non dicenda mors. 261,1
Iustorum persecutores durissimum sentient Deum vindicem. 267,55
Iustorum felicitas quod salutis suæ negotium sic disponant, vt à nullo alio pendeat. 268,2
Iustum acerbitates augent, & gloriosiorem reddunt. 278,4 321,5
Iusti auidè petunt diem iudicij non item impij. 322,4
Pressuræ, & labores extollunt iustos. ibid.5
Iusti, vel sola visa, aduersarios prosternunt. 328,6
Iustorum dies pleni. 332,8
Iusti enixè à Deo petant, ne ad virtutis fastidium assiduitate veniant 354,2
Quisquis iustus amicos suos sibi similes reddere cupit. 362,6
Iustus vnus Deo pro innumerabili vulgo est, 413
Iustis in morte plerumque pax summa. 398,1
Iustorum proprissimum est incumbere saluti proximorum. 471,4
Iustorum munitio non nisi à Christi cruce. ibid.
Ipsorum spes in cruce Christi sita est. 471,7
Iusti inimicis conferunt beneficia. 478,20
Qui offendit iustos, statim punitur. 487,8
Iustorum facinora non permittens contemni Deum ab aliis pœnæ supplicio. 486,6
Iustus non tam curet de verbis, quàm de operibus. 437,7
Iustis in morte nuptiæ celebrantur. 501,18
Iusti à mundo tormenta accipiunt pro dote. ibid.
Iustorum ornamentum in Dei verbo est. 503,22
Iusti spe bonorum cœlestium redduntur ab omni molestia liberi. 525,15
Deus erga iustos mansuetum se præbet, dum in peccatores seuerissimum. 516,13
Iustorum oratio pro exercitu est. 451,18
Iustum qui iniuria afficit, statim pœnas luit. ibid.
Iustus non curat nuditatem, quæ bonis operibus operitur 417,18
Iustorum impugnatio à diabolo venit, quando impij prætermittuntur. 561,1
Iustus non potest viuere inter malorum concordias. 619,2
Iustificatio peccatoris difficilior, quàm resurrectio mortuorum. 398.5

Iuuamen.

Iuuamen sanctorum comparandum obsequiis. 506,27
Sanctorum iuuamen non experitur, qui durus est in pauperes. 507,28

Iuuentus.

Iuuentutem velut induit Deus in cordibus dilectorum. 204.4
Iuuenum victoriæ apud Deum gloriosissimæ. ibid.
in Iuuentute edomanda maximè elucet Dei potentia. 483,4
Qui virtutem à iuuentute capessunt, fortiores in ea sunt. 460,17

L

Labor.

LAbori nulli parcendum, vt salutis occasionem arripias. 26,4
Labores patienter habiti vocalissimi sunt ad impetrandum. 27,5
Laborum tolerantia omni alio miraculoso opere longè præstantior est. 28,7
Ipsissima Dei natura, quasi visibilis in ea exhibetur. ibid.
Labores patienter tolerati Iesum gloriosiorem demonstrant. ibid.
Vilescunt labores animo ad illos parato. 30,10
Labores faciunt homines Angelis superiores. 33,16
Labores pro Christo tolerati palmæ sunt regales. 56,18
Laboribus omnibus subiacent iracundi. 70,3
Laborem dissimulat verus virtutis cultor. 91,3
Probatio in laboribus semper antecedit diuina. 105,10
Qui alienis laboribus suæ salutis spem credit totam, miserè fallitur. 127,2
Labores pati pro Deo maxima hominis excellentia. 148,4
Patienter tolerati nos Deo fidere faciunt. 162,25
Extollunt iustos. 321,5
Labores vtilissimi hominibus. 465
Eos accipiunt iusti in morte à mundo pro dote. 501,18
Laborare in salutem proximorum magna commendatio. 470,3
Labores afferunt lucem hominibus, qua sibi necessaria clarius videant. 532,6
Labor, & suspiria bonorum temporalium comites. 341,21
Laboribus emitur margarita cœlestis. 371,17
Labores gloriosiorem faciunt coronam per illos adeptam. ibid.
Boni pastoris labores in salute ouis compensantur. 407,4
Labores argumentum sapientiæ cuiusque. 388.10
Laboribus comparanda salus. ibid.
Laboribus vita sternitur ad cœlestem ciuitatem. ibid.
Labore gratia conseruatur. 417,6
Labores vbique te inuenient. 454,5
Laborare sine salutis æternæ fructu miserrimum est. 456,9
Labor iniustorum nihil proficit. ibid.
Asinus est, qui sic laborat. ibid.
Laboremus nos etiam in Dei vinea, nec omnia Deo relinquamus. 458,13
Labores omnino tollit vicinitas præmij cœlestis. 411,1
Labores non reputantur metentium, sed seminantium. 445
Laboribus externis, qui multum se dedunt, alios despicere solent. 461,19
Laboribus exercita virtus tentationes vincit. 339
Ingens dolor hominis est, quòd tempore laborum cogatur respicere ad creaturas, & non ad Deum. 506,29
Qui laboribus, & plagis non resipiscunt ad salutionem, proculdubio peribunt. 413
Vide *Afflictio, Tribulatio.*

Lacryma.

Efficacissimæ ad impetrandum. 873
Illis mors Christi honoratur. 235,6
Tunc fundendæ, quando maior fructus sperari possit 9,4
Illas comitantur signa salutaria. 4,5
Debent effundi propter Dei absentiam. 29

Felices

Felices lacrymæ quas Iesu consolatio absterget. 51,9
Nulla est vita sine lacrymis, quando Iesus abest. ibid.10
Lacrymæ de peccatis nostram sitim ad virtutes excitant. 357,3
Lacrymarum efficacia eximia. 361,4
Lacrymæ pueri Iesu salutem Ægypto annunciabant. 372,1
Lacrymæ pretium salutis. 388,10

Lætitia.

Nulla deest, vbi Dei Patris præsentia præsentitur. 195,11
Parturitur à mundi ærumnis, si earum fines ponderentur. 226,2
Lætitiam faciunt impiis clades iustorum. 235,4
Nil lætitiam afferens potest in Dei disciplina deficere. 308,6
Veræ lætitiæ Deus author est. 93,5
Qui lætatur de salute fratris, cœlestis, & Angelicus est. 413, 4
Lætitia de salute proximi homines beat.
Lætitia replentur homines in Eucharistiæ conuiuio. 468,10

Lamia.

Lamiarum crudelitas ab impiorum Sacerdotum crudelitate vincitur. 386,6

Laqueus.

Nihil nocet meditantibus cœlestia. 227

Largiendi verbum.

Largiri aliis vera hominis felicitas. 393,6

Lasciua, Lasciui.

Vide *Luxuria*, *libido.*
Lasciui longissimè à sapientia distant. 406,4
Lasciuus omnis ingratus, & rusticissimus. ibid.
Ex lasciuis hominibus semper nascuntur filij imprudentes. ibid 5
Lascini Christum negant. 417,6
Lasciui in voluptatum instabilitate fluitantes naufragantur. ibid. 7
Lasciuorum hominum diuitiæ in famem desinunt. 418,8
Lasciui vltrò in voluptates eunt, nulla eos cogente egestate. ibid.
Lascini primi omnium incipiunt pati famem, & egestatem. ibid. 10
Lasciuia nobilium impudentissima. ibid.
Lasciui omnia bona sua effundunt. 415,3
Lasciuia quidquid attingere potest, à nobis abiiciamus. 568, 11
Lasciniæ quidquid patet, nostrum non est, alienum est, vendibile est. ibid.
Lasciui homines timeant accedere ad Eucharistiæ mensam. 495, 5
Lasciui solent prælibare grauissima supplicia. 587,2
In ipso sceleris puncto frequentiùs capiuntur à iustitia diuina. 588,3
Omnia confundit, homines facit fœminas lasciuia. 613,2

Laus.

Laus vera à solo Deo. 95,9
Humana inconstans. 47,10
Virtuti contraria, quæ eius præmia furatur. 82,1
Laudis præconia plusquam mundialia omnia bona æstimantur à magnanimis. 38,1
Perfecta laus est, quæ Deo per operum exhibitionem præstatur. 198
Deus & virtus laudatur etiam ab impiis. ibid.
Laudis blandimenta etiam præstantes viros attingunt. 305,1
Diuina laus quæsita in operibus nostris, est validissimum telum aduersus hostes. 312,2
Laus propria mendacium est. 446,7
Extremam caueat ruinam, qui in virtutis professione laudem ex hominibus quærit. 505,25
Magna diuinæ sapientiæ laus est, quòd ab ipsis iniquitatum morbis messem faciat humanæ salutis. 514,12
Magna Angelorum laus cuncti homines. 470,3
Qui Dei laudem quærit, gloriosus erit in terris. 498,12

Lectio.

Multum homines nobilitat. 113,7
Lectio sacra nos armat aduersùs amaritudines vniuersas. 181, 33
Lectio sacra Scripturarum dæmonibus fugandis vtilissima. 345,5
Lectioni sacræ assiduè studendum. ibid.

Legatio.

Legatio efficacissima ad impetrandum est oratio facta cum lachrymis. 276,9

Leuitas.

Leuitas in iudicando proximos indigna Dei seruis. 347,10

Lex.

Diuinæ legis difficultas nascitur ex nostro affectu, non ex Deo. 205,6
Legis scriptæ, & legis gratiæ discrimen à suauitate sumptum. 29
Legis obseruatio necessaria in Principum domibus. 67,10
Futurorum bonorum prænuntia. 306,32
Leges humanæ semper partiales, secus diuinæ. 360
Lex originali peccato dicta in Maria dispensatur. 361,4
Leges Magistratibus præsunt in felici republica, non è contra. 448,4
Legislator humanam naturam exuat. ibid.
Leges is ferre potest, cuius liberalitas ciuibus innotescit. 419, 11
Legum obseruantia stabilit Respublicas. 400
Lex durissima esset, si cogeret in secundas nuptias. 628,10
Leges facilè frangentur, vbi Dei amor non intercedit. 632,11

Liberalitas.

Liberalitas Principem constituit, & Regem. 331,3
Liberalitas Dei maturam explicat. ibid.
In plures effundatur, ne fructu careat. 332,5
Tantum habes Deitatis, quantum liberalitatis. 343,1
Liberalitas Dei in paruis experta totum Deum possidendi spem nobis facit. 370,13
Liberalitas Dei nescit in vno beneficio sistere, sed semper maioribus elargiendis studet. ibid.
Liberalitas Christi maximè ostenditur in Eucharistia. 468,10
Vix est liberalitas, nisi quæ bona sua egentibus tribuit. 601, 33
Immensæ Dei liberalitati non parum fidendum. 47,22

Libertas.

Oratio est manifesta libertatis possessio. 238

Libido.

Vide *Luxuria.*
Libido triumphum agit de homine. 415,3
Morte crudelior. ibid.
Libidinosi rusticissimi. 403,13
Libido omnem modum abiurat. 612,1
Omnia confundit. ibid.

Libri.

Scribendorum librorum, non sapientis solùm studium est, sed Dei inspirantis gratia. 183,35

Lignum.

Lignum aridum pœnitentia virebit. 424,10

Lingua.

in Lingua iustorum conspicua eorum sanctitas. 123,19
Linguæ lapsum cauere inter loquendum solius est spiritus diuini. 232,13
Eius clamor à Deo auditur. 108,37
Linguæ terrenorum fieri nequit, vt in iustos non impingant. 39,3. 103,27
Lingua detractoris vibrata sagitta. 39,3
Magis cauenda est propria lingua in bonis operibus exhibendis. 66,19
Linguæ malitia potens est homines inficere omnes. 566,10

Lis.

Lites relinquuntur, cum bonorum temporalium hæreditate. 207, 10
Illis etiam inter coniunctos proprium lucrum parit. 146, 13
Lites citò à iudicibus dirimantur. 449
Lites qui protrahit, prædo est. 450,8

Littera.

Litterarum lectio multùm homines nobilitat. 113,7
Litterarum sacrarum studium necessarium ad populorum salutem. 169,11

Liuor.

Liuoris scelus seuerè punit Deus. 482,31

Locus.

Locus in quo primi virtutis progressus, non relinquendus. 297, 8
Locus, in quo obsequium Deo præstitisti, honores tibi pariet diuinos. 608,2

Lucrum.

Lucrum in rebus omnibus spiritualibus ponendum. 147,13
Sine illo, & ingenti numquam Dei ministrum protegis. 163, 27
Multum lucrum est in eo, qui vitiorum fulgores attentè penetrauerit. 178,26
Amatoris Dei lucrum è morte. 208,14
Vbi proprium lucrum, ibi diuisio etiam inter coniunctissimos. 146,13
Euangelicos ministros non teneat lucri temporalis solicitudo. 264,7
Temporalis lucri amatores infideles. ibid.
In quo est lucri amor, pax nulla. 299,14
Lucra plurima ab Eucharistia proueniunt. 468,11
Lucra dum homo temporalis non amittat, mallet Deum amittere. 478,20
Lucra in dignitatibus quærentes mors opprimet. 409,7

Ludouicus de la Puente.

Eius singularis pietas, & cœlestis doctrina commendatur. 265

Lumen.

Maius lumen necessarium est ad veritatem præsentem fallaciis obnubilatam cognoscendam, quàm ad prædicenda futura. 33

Lux.

Lucis anteambulo veritas, & concordia. 233
Tantum lucis, quantum castitatis. 251,8
Nulla vnquam lux Iesum non præmonstrauit. 319,1

Luxuria.

Nihil non graue infert suis. 251,9
Obscura, cæca, sordida. ibid.8
Crudelissima. 25,1
Quasi dapes homicidium æstimat. ibid.
Facit iudices iniustos. ibid.
Nihil non turpe habet. 73,2
Fugienda etiam cum oculorum amissione. 26
Et cum vitæ discrimine. ibid.
Est turpissima eius flamma. 73,1
Omnia sinistra habet. 74,3
Puræ sanctitatis fontes inficit. 104,19
Luxuria semper est egestas. 418,8
Luxuriam comitatur rusticitas. 416,5
Deturpat quodcumque regnum. 494,3
Designat homines damnandos. ibid.
Luxuriæ appetitus meliùs vincitur, vbi adest Iesus. 589,6
Vbi luxuria abest, fit totus homo spiritus. 544,9
Vide *Libido, Lasciuia.*

Luxuriosus.

Luxuriosi duplicem sibi mortem acquirunt. 569
Luxuriosi infames, stulti, ridiculi. ibid.

M

Magdalena.

Magistri præsentia roborata proficit in virtutibus. 42

Magistri.

Magistrorum vitia ebibunt facilè auditores. 172,17
Magistri spirituales mille doloribus conseruant filium, &c. 173,18
Magister Christianus omnigena sapientia imbuendus. 243,9
Magistrorum facilè mutantium indoles adulterina. 385,3

Magistratus.

Vide *Iudices.*
Magistratus legibus pareant, vel non stabit Respublica. 448,4
Fœdissimum est magistratui ea facere, quæ postea defendere nequeat. 450,19
Magistratus optimè se gerit, qui ad sui defensionem non eget auctoritatis dignitate. 402,11

Magnitudo.

Magnitudo vera abscondi non metuit. 366,7

Maledictio.

Maledictio hominum non est, vbi aurum non est. 49,2

Malus, Malum.

Mala præsentia augentur futurorum metu. 6,11
Et ex præteritæ felicitatis recordatione. 9
Malorum temporalium vestigia prorsus delentur diuinæ remunerationis gloria. 21,10
Quæuis in malis remissio æstimanda. 76,1
Malum non durat vbi mortis pallor ob oculos versatur. 90,1
Malorum numerus semper est multiplex. 84
Mala ventura præuidere perfectissimi viri est. 144,5
Pessimus sui custos est, qui nullum malum nouit timere antequam veniat. ibid.6
Mala mundi bene ponderata non tristitiam, sed gaudium pariunt. 226,2
Illud solum magnum malum est, quo vita eripitur cœlestis. 233,5
Vbi sunt oculi Iesu non potest stare malus. 314,5
Mala, quæ per cibos ingenerantur, inextinguibilia. 399,5
Si mala fratrem minuunt, cur non potiùs bona commendent. 385,5
Mala proximorum non sine bonis consideranda. ibid.
Malorum abolitio Dei signum est. 541,3
Malitia numquam penitus exterminatur per supplicij seueritatem. 549,20
Malitia non potest abesse à pœnis. 550,22
Ex malitia peccata timenda. 591,10
Occultissimam quamque malitiam manifestari facit diuinus spiritus. 592,12
Malitia multorum adunata à solo Deo deprehendi potest. 618,1

Mandatum.

Mandatum assiduum executione redditur suauissimum, remisso tamen exercitio durissimum fit. 499,13
Mandatorum obseruantiæ si non addideris etiam aliquid supererogationis, periclitaberis in salute. 445,5

Manifestatio.

Manifestatione exteriore operum virtus crescit. 65,17

Mansio.

Mansionem firmissimam facit Deus amatorem suum. 203,2
Ea mansio paratur Deo in nobis, vt videatur quasi iuuenescere. 204,4

Mansuetudo.

Mansuetudo innocens secura est etiam inter hostes. 197,9
Habet propria bona sua. 50,7
Naturam humanam in homine conseruat. 71,5
Illam Iesus ex Maria etiam habet. 78,5
Seruanda in correptione. 139,2
Mansuetudo in proximos iram Dei flectit in benedictiones. 383,15
Mansuetudo non corrigendis aliis efficacior rigore. 387,8
Mansuetudine pluries, quàm rigore corripiendi delinquentes. ibid.
Mansuetudo præstantes elicit, & alit virtutes. 377,3
Mansuetudine, quàm rigore faciliùs domantur animi. ibid.
Mansuetudini cœlestia horrea patent. 419,33
Mansuetudo magis, quàm rigor homines fructificare facit. ibid.
Nescit Deus non ostentare mansuetudinem in bonos, dum in aliis rigorem exercet. 516,13
Mansuetudinem cogitantibus etiam inter ipsas iniurias, paratum est cœleste præsidium. 563,5

Manus.

Manus rapinis dedita infame supplicium parat. 190,4
Manus Dei nescit non dare rebus esse simul, & perfectionem. 355,5
Manus Dei facinus proprium est, quòd adolescentes à seruitio eius non declinent. 453,3
Manus virtutum operibus intenta victoriam ab hostibus reportabit. 3?,4
Per multorum manus transeuntia dona minuuntur. 555,9
Manus hominis temporalis euangelizantium pedes æmulatur in cursu. 572,5

Mardochæus.

Purpuram, & regium splendorem beneficentia parauit. 20,8

Margarita.

Margarita cœlestis non sine magnis laborum impensis acquiritur. 371,17

B. Maria Virgo.

Maria Virgo, virginalis iustitiæ testis. 360,3
Si in Maria non durauisset originalis iustitia, facilè de illo statu dubitaret humana ratio. ibid.
Virgo Maria omnem originalis status felicitatem credibilem facit. ibid.
Quia Mater Dei, originariæ legis dispensationem habuit. ibid.
Maria ibi exaltatur, vbi cæteri cadunt. ibid.
Qui in Maria maculæ originalis labem opinantur, nullum progressum facient, donec eam opinionem abiurent. ibid.
Maria Virgo Mater simul, & Pater Christi. ibid.
Mariæ orationis efficacia filium Dei generauit. 361,4
Naturam humanam assumpsit Deus Mariæ Virginis pulchritudine captus. ibid.
Mariæ famam maluit Deus integram seruare, etsi de sui ex ea ortu dubitaretur. 431,1
De Mariæ consortio appatet Iesus benefaciens hominibus. 496,8
Maria Virgo mater est prædestinatorum omnium. 504,14
Mater est Virginum. 496,9
Omnes suæ gentis virtutes in se habet. 557,5
Vixit morruæ similis. 558,4
Vnica post Christum in hominibus regenerandis. ibid.5
Mariam vnam habens Deus, non miraretur, si contemneret cæteras omnes creaturas pro illa. ibid.6
Mariæ splendidissimus comitatus. 559,7
Singularem gloriam in cœlis habet, quam non potest habere, nisi Dei mater. 560,8
A quibus videtur asseri, quòd Maria resurrexit in cœlis. ibid.

Mitis.

Solus mitis habet propria sua bona. 50,7
Illis omnia frugifera. 51,8

Moderatio.

Moderatio in castigandis aliorum defectibus maximè necessaria. 432

Modestia.

Inter prima virtutum auspicia est modestia, qua Deo sistitur homo. 190,4
Curanda est in ministris Principum. 193,9
Modestia in prosperitate seruanda. 466,5

Mollicies.

In vestibus fatalis est regibus. 31,12
Regale decus molliciem immundam fugit. 32,13
Mollities, & crudelitas inseparabiles in Sacerdote. 386

Mora.

Mora omnis ad pœnitentiam, & salutem nocentissima est. 398

Mores.

Parui hominum mores multo moderamine corripiendi. 59,4
Latentium mores Deus trutinatos habet. 96,12

Mors.

Mortis metus amare facit ipsam mortem. 150,3
Corporis mors non timenda. 155,10
Mors corporis magnorum bonorum custos. ibid.
Ex morte receperant iusti quidquid ad perfectionem suam pertinens est. 156,13
Vbi Christus moritur, Pater præsentissimus accurrit filiis. 193,9
Mortem sibi inferat in præsenti, qui velit sibi vitam in futuro duraturam comparare. 201.23
Mortis nostræ tempus maximè obseruat antiquus hostis. 208,13
in Mortis tempore graue certamen manet iustis. ibid.
Mortem non timet, sed libenter amplexatur, qui Deum amat. 208,14
Mors Iesu honoratur lacrymis iustorum. 236,5
à Mortis conspectu non itur, nisi ad magnam gratiam. 257
Mors vigilantis animi non dicenda mors. 261,1
Porta mortis designat veram hominis nobilitatem,& gloriam. 281,1
Mors horrorem omnem perdidit, vbi apparuit resurrectio. 323,8
in Morte Christi maximæ illius gloriæ fulgent. 324,9
Mortis meditatio non finit inimicos reputari vllos. 80,10
Vbi mortis pallor ob oculos est, non durat malum. 90,1
Mors in diuitiis. 97,13
Omnis mortis vilitas obtegitur, vbi Iesus resuscitat. 119,19
ex Morte pro Christo accepta claret innocentia. 128,3
Mors Christi ob oculos proposita efficacissima est ad edendos in hominibus virtutum fructus. 394,9
in Morte maximè virtutibus abundare debemus. 398,1
In hora mortis omnes virtutum diuitias explicat sapientia Christiana. ibid.2
Mors somniata egregium quemdam virum in innumeris virtutibus exercebat. ibid.
Mortis horrorem Eucharistiæ dulcedo peruertit. ibid.
Tranquilla mors iustis ab Eucharistiæ sumptione. ibid.
in Morte solet Deus exsatiare famem plurium annorum. 399,3
Felix qui in morte temporalia non cupit. ibid.
Miser qui vel tunc ea procurat. ibid.
Mors iustorum fatura, impiorum famelica. 399,4
Mors per cibum in mundo regnans debellari nequit. ibid.5
Mortis Christi memoria suauissima. 468,10
Vbi mors adest, multi ad Deum sine resistentia trahuntur. 489,11
Post Christi mortem etiam à teneris virginibus mors tanquam somnus reputatur. 501,17
in Morte celebrantur nuptiæ viris iustis. ibid.
Mortem sanctorum reprobi concupiscunt. 524,13
Corporum mortuorum responsis non debet fidere homo viuens in Christo, quia nociua sunt. 528,22
Mortes & miseriæ statim apparent in terra, vbi cœlum clauditur, ne gratiæ rorem mittat. 531,4
Peccatori, timore supplicij mortem citissimè aduenire videtur. 513.7
Mors vitæ respondebit. 536,2
Mors Christi illum potentiorem exhibuit. ibid.
Mortis memoriam maximè abigit dæmon. 558

Martyr.

Tot palmas obtinet,quot vulnera pro Iesu tulit. 56,18
Martyres cur cantibus,& lætitia celebrentur,Innocentes verò lacrymis, & tristitia. 463

Martyrium.

Martyrium est voluntaria paupertas. 56,17

Maturitas.

Maturitas virtutum in cruce Christi. 396,3

Medicus.

Medici cœlestis medendi ratio aptissima. 428
Medicus animarum earum ægritudinibus non medetur præmaturo medicamine, imò maximè nocet. 351,18

Medicina.

Quod sit asperrimum medicamentum hominibus à Deo exhibitum. 377,6
Medicamina Dei salutem operantur, non mortem. ibid.
Medicina non statim difficillima vulneribus admouenda. 351,18
Medicina mitis plus peccatoribus prodest, quàm austera. 387,8
Medicina, quæ à Deo venit, vrit, sed non consumit. 397,6
Quæ extra opportunitatem exhibetur,inutilis est. 351,18

Meditatio.

Meditatio æterni boni, potens est, vel illud efficere. 192,6
Meditatio diuini iudicij prorsus omnia mundi decora facit obliuisci. 229,8
Meditantibus cœlestia nihil nocent laquei mundi. 226,3
Meditatio rerum cœlestium pellit ab anima omne virtutis tædium. 331

Memoria.

Præteritæ felicitatis memoria præsentia mala anget. 9,3.11,8
Passionis Christi memoria nihil habet amaritudinis. 10,5
Præteriti mali memoria omnino extinguitur præsentis mali magnitudine. 21,9
Infirmitatis humanæ memoria plurimum valet. 61,8
Memoria mortis vtilissima. 80,10
Memoria mortis hypocritarum opera expellit. 90
Memoria beneficiorum Dei tollit ab anima virtutis tædium. 356,2
Memoria regni cœlestis nostram famem ad virtutem excitat. ibid.
Memoria futuri iudicij vtilissima homini. 379,6
Continet homines, ne vel inimicis noceant. 381,15
Mortis memoria vindictæ amorem aufert. ibid.
Memoria de Deo nos in felicissimam celsitudinem euehit. 384,1
Memoria suauitatis diuini obsequij à mundi voluptatibus homines auertit. 437,9
Memoria mortis Christi suauissima. 668,10
Memoria passionis Christi accendit corda hominum. 473,8

Mendacium.

Ad quæuis scelera, & facinora mendacium parat. 108,36
Viget in curia.
Vide *Aula,Curia.*
Mendacia annexa temporalibus hominibus. 403.12
Mendacium quò verisimilius, eò nocentius. 346,8
Mendaciis nititur partialitas. 578,7
Mendaces, quicumque Principibus adulantur. 356,2
Mendaces eò temeritatis veniunt, vt Deum mendacem putent. 595,19

Mens.

Mens humana carnalibus affectibus exuta facilè se ingerit diuinis. 44,14

Mensura.

Nulla seruanda in benefaciendo. 166,8

Merces.

Merces inuitat hominum animos ad opera. 163,36
Merces misericordiæ securissima, certissima. 164,28
Mercedis vicinitas tollit labores, aut minuit. 459,14

Meretrix.

Meretricia voluptas hominibus infamis. 569,12
Ridiculus, qui meretricibus sua bona impendit. ibid.
Qui bona meretricibus impendisse gloriatur, suam stoliditatem velut tintinnabulum publicat. ibid.
Meretricius iuuenis duplicem sibi mortem adquirit. ibid.
Meretricios choros frequentant potentes. 466,1

Meritum.

Meritorum dignitatem solam respiciat Princeps. 46,18
Homo sine meritis non potest placuisse multis. 149,4
Merita præstantissima illa sunt, quæ ardorem voluptatum extinguunt. 460,18
Merita quæ nudè sumpta nihil habent deforme, præstantissima sunt. 426,25
Merita non ex vestibus externóque ornatu pensanda. ibid.
Meritis fabricata fortuna pretiosior est, quàm sponte sua coalescit. 372

Metus.

Metus mortis mortem ipsam reddit amabilem. 150,3
Vbi Dei,& hominum metus non est, ibi flagitia. 483,32
Metus supplicij, & spes præmij continet homines. 627,8

Miles.

Ad perdendum regnum validiores sunt regalium tributorum exactores, quàm milites. 275,7

Minister.

Ministri Iesu soli omnibus proficui sunt. 38,1
Recepti hospitem augent. 163,27
Doceant homines propriæ vtilitatis notitiam. 216,5
Temporali solicitudine careant. 264,7
A paupertate Christiana potentissimi sunt. 262,3
Principum ministri, vel ipsius frontis indicio ostendant indolem electæ vitæ. 197,15
Ministri otiosi, & comptuli vacuant merita Principum. 444,4
Laboriosi augent rem familiarem dominorum. 442,1
Multitudo ministrorum iners Deo displicet. ibid.
Minister Dei quæcumque laboriosa aggreditur in eius defensione. 444,4
Ministri humiles paruísque contenti cordi sint Principibus. 557,5

Miraculum.

Miraculum est diuinæ potestatis, quod opus virtutis oriatur à nostra peruersa indole. 302,2

Miseria.

Summa miseria est inter felices infelicem esse. 23,14
Miseria cognatorum leuanda potius quàm aliorum. 417
Miseria hominis est, quòd sub vitiis laboret. 609,6

Misericordia.

Eius merces nunquam deperditur. 164,28
Ea sit inter prima gubernatorum negotia. 176,23
Sola canet verbum asperum. 21,10
Trophæos erigit. ibid.9
Regali digna corona. 20,8

Bonorum

Bonorum omnium possessionem acquirit. ibid. 7
Beneficia profluere facit. 19,6
Omnimodam acquirit benedictionem. ibid. & 20,2
Illam debent omnes à Deo discere. 19,5
Ad inanimatis docetur. 8,1
Eius affectus potentissimus in animis diuinis. 54,14
Misericordiam celerrimam consequitur confessio humilis. 291,6
Iram in misericordiam solus Deus conuertit. 213,8
Misericordia in pauperes vbi deficit patrocinium sanctorum, nihil iuuat. 507,18
In conuiuiis vbi adest Deus, ibi exercent misericordia in pauperes. 510,5
Misericordiam à Deo accipit, ille qui eam erga pauperes exercet. 521,6
Misericordes filij Dei. 315,16
Misericordia Dei maxima est homines hic punire. 378,4
Misericordia Gentilium efficacissimè mouet fideles. 390,18
Excessus in misericordia tolerabilis est, secus in rigore. 438,11
Misericordiæ operam det, quisquis in proximum iniquè egit. ibid. 12
Ipsi studeat qui volt in iudicio Dei liberari. ibid.
Misericordibus iudicium Dei non ad timorem, sed ad spem est. ibid.
Cum illis Deus occupatur, ne ad rigorem vacet. ibid.
Misericordia quam Deus exercet erga alienos, in suis debet spem excitare. 534,10
Misericordiæ opera plena lucris. 531
Misericordia in proximos est præstantissimum sacrificium. 538,7
Est prima in Principe viro virtus. 552,1
Facit domos, & æternat. 557,2
Qui nescit misericordiam, nescit Christum. 606,43
Misericordi viro numquam deficiunt clarissimi fratres, & propinqui. 556,1

Mortificatio.

Mortificatio voluntaria amplectenda. 200
Quo magis voluntaria, eo magis Deo placet. 201,23
Per illam ad Christum itur. 280,7

Mos.

Mores hominum barbarissimi apud quos ideò vilescunt bona, quia propria, ad aliena efficacissimi. 531,3

Moyses.

Moysis laos quod seruus Dei mortuus sit. 16,16
In illo Deus terribilis apparebat. 28,8
Moyses dum in se dona continet, nihil proficit in populo, cum ea partitur aliis, populum in officio continet. 331
Moyses rigidissimus, & Iesus mansuetissimus. 429,33

Mulier.

Mulier adultera viro suo mortem infert. 74,1
Mulier corpore, & oculis vaga quietem nescit. 407,3
Mulieres auarissimæ. ibid.
Muliebre ingenium inconstantissimum. ibid.

Mundus, Mundialis.

Mundi bona suos amatores præcipitant. 12,10
Inter mundi latitudinem angustam salutis viam pertingere præstantissimum est. 32,15
Nihil de rebus mundialibus sumere super naturam humanam est. 37,23
Sapientia mundi stultitia est apud Deum. 42,9
à Mundi hominibus beneficia obliuioni traduntur. 44,25
Infirma mundi imperia. 45,27
Bona mundi benedictionem cœlestem impediunt. 49,3
Mundi bona non sufficiunt, cui Iesus sufficit. 52,12
Idem ex mundo expectandum, quod antecessoribus euenit. 57,20
Quem mundus persequitur, si patienter sustineat, mundum debellat. 186,38
Felix cui mundus occidit, vt vnum Deum spectet, hic expellet omnis peccati turbationem, & metum. 190,2
Mundi bona pro nihilo habenda sunt. 191,5
Qui se Christo addixit, nihil vltra quærit: qui mundo obsequitur, se deuoluitur ad Christum. 208,43
Totus Christus eo tendit, vt nos à mundo abduceret. 221,1
Mundi odium incurrimus pro Deo, & virtute. 222,18
si Mundi ærumnæ, earumque fines ponderentur, non tristitiam, sed gaudium pariunt. 226,21
Laquei mundi nihil nocent meditantibus cœlestia. 226,3
Mundialia omnia decora prorsus perduntur, vbi Dei iudicium timetur. 229,8
Solus Iesus, & ab eo vocati in eumdem spiritum, mediis mundi tenebris non perduntur. 241,7
Summa sapientia est in eo, qui scit mundi bonis renuntiare, & diuinam in se ostendere originem. 242,8
Veritatis præco malè audit apud mundiales, qui ad vana alacriores. 253,12
Ad perfectam mundi abnegationem, qualem ostendit crux Christi, non nisi magno labore peruenitur. 272,2
Mundus veritatem verosimilibus occultat. 362,5
Mundi bona verosimilia tantùm. ibid.
Mundialia bona somnium, & laruæ. ibid.
Mundani sua bona per vitri oculorum ludibria multiplicantia respiciunt. ibid.
Mundi latitudo periculosa est deserentibus angustam viam perfectionis 384,2
Mundiales aliquando religiosos in perfectione vincunt. 406
Quæ mundus reiicit, Deus ad gloriam eligere solet. 481,27
Mundana gloria ad diuinam comparata disparet. 574
Facile despicitur ab eo, qui cœlestia spectat. 598
in Mundialium bonorum occasu propior apparet Iesus. 576,1
Mundiales Principes Iesu dissimiles, apud quos soli brachiati valent. 586,10
Mundus, & Deus nequeunt haberi simul. 615,2
Mundialia bona non solida 626,7

Munificentia.

Munificentia Dei in vno beneficio sistere nescit. 370,14 & 426
Munificentia Principibus propria. 331,3
Munifici ditiores fiunt. ibid.

Munus.

Quod Deo offertur debet esse omni ex parte perfectum. 72,7
In mandando munere accipientis aptitudo spectanda est. 299
Munera omnibus largienda, nec in vno coarctanda. 332,6
Munera Dei licèt parua totum Deum trahunt 37
Munera non antè donanda, quàm promereantur. 371

Mutabilis.

Mutabilis sicut Luna, omnia pacem disturbans. 385,5
Mutabilis vel vmbra Deo exosa. ibid.

Mysterium.

Diuina mysteria, rudi piscatori manifesta, mundiali sapientiæ abscondunt. 42,9
Ita diuina mysteria nobis Petrus præsentat, vt à tantæ maiestatis gloria non opprimatur. ibid. 10
Mysteria diuinis facilè se ingerit mens humana carnalibus affectibus exuta. 44,4
Mysteriorum salutis scientia, præ manibus æstimanda. 545,11

N

Nabal.

NAbal cur stultissimus à muliere reputatur. 394,9

Natalis.

Natalis cœlestium Principum à Christi cruce. 325,11

Natiuitas.

Vt bina, aut terna quis debeat florere natiuitate. 541,4

Natura.

Naturæ aptitudo spectanda in eo, cui munus committitur. 301,1
in Naturam peccat qui se alteri præfert. 167,5
Supra naturam est nihil de rebus mundi tibi sumere. 37,23
Diuinam naturam sapit beneficiorum remuneratot. 44,25
Natura abhorret aliquem inauditū, seu absentem damnari. 349,19
Natura nihil subitò perfectum producit. 35,5
Tota naturæ pulchritudo cedit hominis dignitati. 372,8
Naturæ humanæ fructus, quò remotior à terra, eò securior, quò vicinior illi, eò periculosior est. 512,5
Splendidissimum naturæ humanæ ornamentum est castitas. 504,23
Naturalis simplicitas aptissima ad diuina mysteria capranda. 365,5
Naturæ humanæ perfectio prima in Iesu. 394

Necessitas.

Propriis necessitatibus parcant Prælati, & suorum inuigilent saluti. 63,21
Necessitati, non voluptati seruiendum. 563,3
Necessariora curanda sunt in re virtutis. 565,4

Negotium.

Negotia gubernatorum grauissima circa pauperes sublenandos. 176,23
Salutis propriæ negotium peragere, maius opus est, quàm mortuos suscitare. 234,2
Negotia Dei exequere, si laborare nolis. 405
Negotia sæculi laboribus suos asseclas cruciant. 453
Totum negotium Christiani sit in attendendo, quando Deus adsit, vel absit. 406,2
Negotia sæcularia hominem in æternam damnationem submergunt. 384,2
Negotia externa vtcumque pia semper religioso nocent. 430,34
Negotia Regum, quies, & augmentum subditorum esse debent. 449,15
Negotia salutis nostræ quàm primùm peragenda. 425,23
Sæcularibus negotiis impediti, verbo Dei seminando inepti. 329
Negotia sæcularia crebrò hominem inficiunt. 561,5

Negotiator.

Negotiator peccatorum proximi, alienissimus à Regno Dei. 371,15
Negotiator prudens nulli iacturæ parcit, vt maiora lucra faciat. 418

Negotia

Negotiatores cœleſtium ſciant nullâ lucra fieri ſine iactura temporalium. 438,13

Negotiatio.

Negotiatio infeliciſſima qua quis malitiæ ſuæ ſectatores quærit. 378

Negotiationes temporalium bonorum ſemper comitantur falſitas, & periurium. 403

Nobilis, Nobilitas.

Nobilitas vera claret in exitu huius vitæ. 581,8
  Vera nobilitas in rebus à ſenſibus remotis conſiſtit. 463,8

Nobilium impudentia eò peruenit, vt non tam in voluptate capienda, quàm in oſtendendo fœminatum dominatu glorientur. 420,12

Nobiles laſciui de multitudine muliercularum gloriantur. ibid.

Nobiles his facetiis inhiant, quibus extremè periclitantur. ibid.

Nobilium menſas compituli, & otioſi ſerui conſumunt. 442,8
  Seduli, & laborioſi ſugent. ibid.

Nobiles huius temporis, vt plurimum inhoneſtè viuunt. 484,2
  Parum æſtimant cœleſtia. ibid.
  Nulla commiſeratio erga ſeruos. ibid.
  Gloriantur de peccatis commiſſis. ibid.
  E nobilibus mundi pauci per viam ſalutis ambulant. 464,2
  Ad nullas Dei minas, vel tonitrua ſoporem ſuum excutiunt. ibid.

Nobiliores, & potentiores corrigendi ſunt ab eo, qui velit ſanctam ſeruare Rempublicam. 587,8
  Quò quis nobilior, eò minus ſuam exaltationem in præſenti quærit. 606,48

Nocumentum.

Nocumentũ aliis illatũ auctorem ſuũ acerbiſſimè affligit. 313,20

Nomen.

  In fide nominis Ieſu omnia tibi credet omnipotentia diuina. 199,19
  Electorum nomina nunquam, ſine ea triumphi. 328,13

Nominis claritas tenet hominum animos. ibid.24
  Indigniſſimum eſt, quòd nomini facta non reſpondeant. 484,22
  Glorioſa nomina iactare, & opera turpia patrare, inſanientium eſt. ibid.

Nomen Dei veneratum magna eſt hominum protectio. 471,4
  Ipſum contemnere perditio hominis eſt. ibid.
  Qui nomen Dei veneratur, ſignum habet ſeruari in æternam felicitatem. ibid.
  Qui nominis ſplendorem quærit, & non Dei, inglorius manebit. 498,22
  Gulæ deditus nequit vir nominis eſſe. 528,8

Notitia.

Notitia Regni cœleſtis pellit virtutis faſtidia. 356,2
  Noſtram famem ad virtutem accendit. ibid.
  Omnia aſpera dulcedine perfundit. ibid.

Nouitas, nouum.

Nouitas magni operis, ne quos offendat, eius fama præmittenda eſt. Ad perfectionem Chriſtianam pertinet, aliqua de nouo facere, in quibus nihil vetus ſit. 311,22
  Sub Chriſti cruce noua meditanda. ibid.

Nouitas opinionum laudabilis. 375
    Vide *Crux.*

Nuditas.

Nuditas Chriſtiana aptior ad magnalia patranda. 404,16

Nuditas donum eſt monúſque impetratorium. Ibid.

Nuditas nulla eſt, vbi dantur virtutum opera. ibid.

Numerus.

  Malorum numerus ſemper eſt multiplex. 137,9

Nuntia.

Nuntia læta in prioris dicere, prudentis hominis eſt. 40,6

Nuptiæ.

Nuptiæ celebrantur viris iuſtis in morte. 501,18

Nuptiæ ſecundæ à duriſſima lege veniunt. 628,10

O

Obduratio.

Obdurationis ſummum malum timeat, qui virtutem alacriter ſuſceptam deſerit. 335,20

Obediens.

  Oratio obedientis Chriſto citiſſimè abſque alio interpellatore auditur. 141,6

Obedienti natui Dei nil non facilè, & peruium. 197,8
  Verus obediens, vel ante præceptum, à ſuperioris nutu minimè diſcrepat. 146,10

Obex.

  Fauor Principis in ſuos obex eſt, ne ad illum veritas perueniat. 41,7

Obliuio.

Obliuio futuri iudicij, maximum hominis malum. 378,5

Obſcuritas.

Obſcuritas in loquendo pernicioſa concionatori. 455,7

Obſequium.

Obſequium gratum pluribus à ſolo Ieſu. 258,22
  Molleſcit obſequium, non alieno exhibitum Domino. 261,2

Obſequia propria efficaciſſima ad veniam obtinendam. 457,4

Obſequia noſtra erga Deum talia ſint, qualia diabolo præſtitimus. 428

Obſequia ſpontanea magis Deo placent.
  Quidquid Dei obſequium impendimus, noſtrum eſt. 467,9

Obſequiis comparandum ſanctorum patrocinium. 306,27

in Obſequio Dei qui minor eſt vbi potior eſſe debeat, periculoſè agit. 533,7

Obſequium Deo exhibitum, vel loca ſanctificat. 608,2

Obſeruantia.

Obſeruantia præceptorum ſuauiſſima fit continua exercitatione virtutum. 498

Obſeruantia præceptorum vix datur ſine obſeruantia conſiliorum. 445,6

Occaſio.

Occaſio perditionis in bonis temporalibus. 305,19
  Verecundum eſt aliis occaſionem peccandi præbere. 3,3. 138,2

Occaſio peccandi etiam inculpabilis dolenda. 3,3
  Nulla ſalutis occaſio prætermittenda eſt. 23,15
  Non virtutis via, quam occaſio offert, ſed quam ſeria electio præſtat, tenenda eſt. 29,9
  Vel minima occaſione data peccatores iuſtum vitam inſequuntur. 106,32
  Quauis occaſione ablata rapitur temporalis homo. 145,8

Occaſiones peccandi omnino fugiendæ. 34,9

Occupatio.

Occupationes exteriores obſunt animo religioſo. 431,34

Occupatus in ſe ipſo nihil curat de aliorum vitiis. 431,36

Oculus.

  Mentis oculos acuit caſtitas, vt diuina videant. 55,15
  Magis propria lingua cauenda eſt, quàm oculi hominum in bonis operibus exhibendis. 66,19
  Mortis pallor ante oculos verſans mala omnia expellit. 90,8
  Ex oculis cognoſcitur vita hominis. 98,16
  Deus plenus oculis ad dignoſcenda opera charitatis in proximos. 114,2
  Ea eſt excellentiſſima virtus, quæ non ſolum in oculis præceptoris, vindicíſque exiſtit. 330,18
  Qui præ oculis habet æterna, felix, imperturbabilis, & regio animo pollens. 240,7
  Quandiu Deum præ oculis habeas ferè inexpugnabilis eris. 261,3
  Dei oculos, non hominum amet Chriſtianus animus in ſuis facinoribus. 321,3
  In oculis Ieſu animus obduratus furore diabolico poteſt ſe præcipitare. 313,3
  A Ieſu oculis nemo non confirmatur. ibid.

vbi Oculi Ieſu, non poteſt ſtare malus. 314,3

Oculi vigilantes diabolum fugant. 344,4

Oculi in corpore cæteris membris præſtant. 365,6

Oculi crucem intuentes non abſterrentur à virtute. 396,8

ob Oculos propoſita Chriſti paſſio virtutum vbertatem generat. ibid.

Oculi Dei ſalutares ſunt illis, qui ſalutis operibus incumbunt. 423,24

Oculos à terrenis in cœleſtia, qui non extollunt, bruta ſunt. 456

Oculi præcipuè à Chriſto Domino arguuntur. 462,22

Oculi defectus aliorum inſpicientes plerumque ſuperbiunt. ibid.

Oculos habens inquiſitores trabem habet, vt in ea ſuſpendatur. 463

Oculos alios iudicans ſuo lumine priuatur. ibid.

Odium, Odioſus.

Odium mundi incurrimus pro Deo, & virtute. 235,17

Odioſum, & infenſum Deo peccatum inîdelicatis præ omnibus aliis. 330,9
  Qui primus ſe ipſum odio habet, bonis æternis non ſpoliabitur. 279,6
  Nullus affectus crudelior odio. 25,6

Odioſa, & amara principibus occultanda. 31,8

Odium mouet Dei, qui in accepta virtutis via non durat. 58,2

Odia diſſeminata inter fratres inferno aſſimilant ſeminatorem. 526,16

Odor.

Odor Chriſtianus malis nocet, bonos nutrit. 396,4

Offenſa.

Offenſa Dei periculoſior vbi aliis colitur. 416,4

Offerendi verbum.

  Quiſquis ſe Deo offert à primis annis, omnem ſuam familiam Deo ſponte, quæ vel inuitis auferre poterit. 394,9

Onera.

Onera in cœlum gradientis leuiſſima. 408,6

Operarius.

Operarij illi in vinea Dei maximè proficiunt, qui lucri ſpe maximè laborant. 438,13

Opes.

Opes Christi, vel ingentia promissa explere sufficiunt. 199,10
Opes impediunt homines ad magna patranda. 404,16
Vide *Diuitia, bona*, &c.

Opinio.

Opinionibus antiquis non ita hærendum, vt probes despiciamus. 375,7
Opiniones nouas, qui tanquam nouas cæci impugnant, inuidiæ liuore id faciunt. ibid.
Opinionum varietas vtilissima orbi. ibid.
Opiniones antiquæ aliquando auctoritatem suam nouarum præstantiæ submisiunt. ibid.

Opportunitas.

Opportunitas in corrigendis aliis maximè procuranda. 352

Opulentia.

Opulentia virtutum in fine vitæ maximè eluceat. 398,8

Opus.

Opera demonstrant verum regem, non purpura, & vestes. 31,13
Opera efficit miraculosa, qui manum Dei sibi præsentem habet. 36,21
Regum, & principum opera patentissima omnibus. 265
Quidquid operibus exprimit, id ipse apud Deum est. 47,19
Bona opera diuinam laudem merentur. ibid.
Externis operibus virtus est producenda. 65,17.&24,20
In bonis operibus exhibendis magis propria lingua, quàm hominum cauenda est 40
Qui opera sermoni addit, cœli magnalia occupat. 67,21
Defectus operum nulla eloquentia suppleri potest. ibid 22
Opera quæ Deum ostendunt, secura sunt. 85,2
Quoduis pœnitentiæ opus salutis auctorem mouet. 108,37
Opera quæ Christum respiciunt pretiosissima. 211,4
Opera nostram charitatem testari debent. 146,4
Opera misericordiæ certissimam habent apud Deum mercedem. 164,38
Omnia Iesu opera amantissimi Patris referunt potestatem. 196,14
Vbi opera non sunt, nec Deus, nec virtus exaltantur. 198,18
Difficultas in opere virtutis non ex Deo nascitur, sed ex affectu nostro. 205,6
Magni operis nouitas ne quos offendas, emolliatur præmissa fama, cuius auditu homines assuescant. 208,12
In dignoscendis operibus charitatis in proximos multus est Iesus. 214,4
Quod est opus charitatis erga proximos, id habes singulariter tuum. 215,3
Operis virtuosi præstantia inde maximè sumitur, quod fiat propter Iesum. ibid 4
Opera virtutis ostendunt, qualis quis sit, sine quibus nemo bonus. 214,50
Maius opus est animæ suæ salutem peragere, quam suscitare mortuos, & cœlos creare. 234,2
Cætera virtutis opera nos seruos notant, oratio designat liberos. 238,1
Qui opera sua non Deo dirigit, sed suis commodis temporalibus, perditionis viam terit. 285,2
Opus virtutis quo præstantius, eo magis debet occultari 290,5
Nullum Dei donum permanere solet, cui hominis opus, & industria non subscribat. 295,5
Quod nascatur opus salutis à peruersa hominis indole, miraculum Dei est. 3[illegible],2
Opera Dei in ipsa sui productione sunt perfecta. 314,5
Operibus propriis Deum nobis conciliemus. 357,4
Opera externa vacua nisi internis affectibus direscant. 364,3
Opera bona etiam transacta plurimum prosunt peccatoribus ad mouendum Deum ad misericordiam. 380,10
Egregia opera præstant veram gloriam, non antiquitas. 339,18
Opera de præsenti securiorem reddunt animæ salutem, quàm de futuris promissio. 514,8
Assiduis virtutum operibus, illarum exercitium redditur suauissimum, remissione verò fit intolerabile. 499,23
Quò magis homo opera sua occultat propter Deum, eò magis exaltatur ab ipso. 502,10
Operibus honor exhibitus apud Deum æstimatur. 564,7
Felix ille, cuius vel occulta opera possunt manifestari, 571,7
Operra virtutum tentationes excludunt. 384,4
Opera bona murus inexpugnabilis. ibid.
Opera mala non sine bonis ponderanda. ibid 5
Opera bona per se imitanda, nec consideranda à quo fiant 389,12
Opera misericordiæ Gentilium efficacissima sunt ad mouendum Christianos ad sui imitationem. 392,13
Operibus virtutum ne foueatur gratia, facilè perditur. 407,6
Opera ab spiritu Dei profecta Deus maximè curat 410,10
Opera pœnitentiæ sterilem hominem fructificare faciunt. 414,20
Opera nomini correspondeant. ibid 22
Saluti opera operantes amœnissimo vultu Deus respicit 425
Opera cuiusque nudè inspicienda, vt rectè de illis iudicetur. ibid.
Inter virtutum opera nihil nudum, & inornatum potest apparere. 427,28
Opera virtutum iustum vestiunt. ibid.
Operibus misericordiæ stude, si vis in Dei iudicio liberari. 438,22
Operibus misericordiæ Deum occupamus, ne ad rigorem vacet. ibid.
Operibus virtutum adiuncta Sanctorum patrocinia efficacissima sunt apud Deum. 440,17
de Operibus supererogationis peculiare correspondet præmium. 443,1
Opera supererogationis plurimis gratiis, & fauoribus cumulat Deus, etiam in hac vita. 493
Opera supererogationis Abrahamo meruere apud Deum diuinam protectionem. 444
Operibus supererogationis non solùm correspondet merces debita, sed & beneficium, & gratia etiam indebita. ibid.
Opera supererogationis mandatorum obseruantiæ si non addideris, maximè periclitaberis 445,6

Oratio.

Orationem facit fructuosam, qui secum habet Iesum. 215,9
Orationem efficacem ad Deum ille facit, qui non accedit vacuus peccator. 219,11
Cætera virtutis opera nos seruos notant, oratio ostendit liberos. 238,1
Oratio obedientis Christo, citissimè absque alio interpellatore auditur. 241,6
Qui fide ad Deum orat, nullis tenebris potest Deo occultari. 268,3
Oratio ad Deum timores omnes abigit. 269,4
Oratio efficax, quæ in occulto fit. ibid.5
Illa efficax oratio, quæ Deo reddere integrum intendit, quidquid ab alio petit. ibid.
Oratio prolicua, quæ Dei, & proximorum negotia agit. 270,7
Nulla a te exeat oratio, in qua propria etiam non requiratur salus. ibid.8
Vbi amicitia non valet, longa prece vix exaudiris; vbi autem amicitia, exaudiris etiam cogitans de oratione. 271,19
Oratio facta cum lacrymis efficacissima legatio ad impetrandum. 201,12
Oratio ex adiunctis laboribus efficax. 84,4
Oratio rauca, quæ? 84,8
in Oratione qui aliquid de Deo gustanit, maiora, imò ipsum Deum sibi speret 370,13
Orationes Sanctorum vtilissimæ sunt in tempore necessitatis. 440,16
Tunc maximè prosunt, cum piis nostris operibus sollicitantur. ibid.17
Orationes Sanctorum sine bonis operibus plerumque inefficaces sunt. ibid.
Orationes Sanctorum vel pro defensione sua audiuntur à Deo. 45 ,11
Orationes iustorum pro exercitibus sunt apud Deum. ibid.
Oratio peccatorum vt inconstans est. ibid.
Solet esse infructifera. 526 18
Oratio fructuosa nil prius requirat, quàm id, quod magis viget. ibid.
Orationibus assiduis obtinenda sunt dona Dei. 533,9

Ordinatio.

Ordinatio in donando propria Dei. 371,16

Origo.

Summa in eo sapientia, qui scit mundanis renunciare, & diuinam in se ostendere originem.

Originalis.

Originalis iustitiæ testimonium in sola Maria conseruatum. 360,3
Originalis iustitiæ felicitatem sola Maria fecit hominibus credibilem. ibid.
Originale peccatum ne Mariam afflaret, suam Deus antiquauit legem. ibid.

Ornamentum iustorum.

Ornamentum iustorum in verbo Dei est. 503,22
Illustrissimum naturæ humanæ ornamentum est castitas. ibid.
Ornamentum singulare est continentium status, multitudo filiorum spiritualium. 504,23

Ornatus.

Ornatus superfluus potiùs deseruit ad perditionem, quàm ad splendorem. 505,25
De ornatu externo iudicare alios, vitium stateum est. 416,25

Ortus.

Ortus à sanctis parentibus ingens filiis collatum beneficium. 395,1

Otium.

Otium res est contumeliis plenissima. 354,8
Otium Hispaniam vastat. ibid.

Otiosus.

Otiosos etiam labores comprehendunt. 405
Otiosus est, & inutilis, qui rebus præsentibus imperatur. 456,12
Otiosus non viuit, qui cœlestia cogitat. ibid.

Otis

Ouis, Ouile.

Singulatum ouium balatus,& voces debent prænoscere,& præuenire boni prælati. 283,5
de Ouibus Christi est, quæ ad solam eius vocem cognitam exurgit. 285,7
Ouibus suis temporalia in hoc sæculo,& æterna in futuro prouideant Prælati. 285,9
de Ouibus Christi sunt, qui non sistunt in parua gratia, sed in abundantiam gratiæ contendunt. 287,13
Christiani ouilis hoc insigne, quod etiam inter bella pacem non amittat. 299,15
Ouium nomen eut Christo charum. 417,7
per Ouem errantem mulier denotatur. 407,3
Ouium salus non per reuelationes, sed per labores procuranda. 409,8
Oues suas Deus, non alienas fouere gaudet. ibid.

P

Palatium.

Palatium vestiarium est mundialis comœdiæ. 25,1
In illo & mendacia, & femineæ nœniæ. 39,4
Vide *Aula.*

Palma.

Tot palmæ, quot vulnera pro Iesu. 56,18

Panegyris.

Panegyrica concio omnium gratior. 26
Panegyris in D.Petrum,& in D.Ioannem. 38,1
Vide *lib* 14. *cap.*3.*&* 2.

Panis

Panis cœlestis valdè acuit mentis perspicaciam. 522,17
Nec parua spes salutis nutritur,quæ cœlestem panem non respiciat. ibid.

Parens.

Parentum laudes posterorum virtus confirmat. 360,3
Parentibus,& propinquis præferendus est honor Dei. 530,2
Parentum sanctitas ingens filiis beneficium. 404
Parentes boni filiis suis quasi Deus. 395,1
à Parentibus malis filij quoque mali. ibid.

Passio.

Passionis Christi signa maximè impios in iudicio torquebunt. 9,3
Tempestiua dominicæ passionis memoratio tota mellea. 10.5
Passionis Christi virtus in congregandis electis. 18,3
Passio Christi validissimus illex ad virtutem capessendam. 396,3
Passio Christi causa est perseuerantiæ in virtutibus. ibid.
Passio Christi propria Filij Dei. 388,9
Passio Dominica rapit sibi hominum corda. 473,8
Plurimos traxit in vitam. ibid.
Passione Christi omnis amaritudo dulcescit. 357,4
Vbi in passione rubuit Dominus,nobis fit signum salutis 568,2
Passio Christi vt discernit veros diuinitatis adoratores. 600,30
Passio Christi non parua à verbis contumeliosis. 603,36

Pastor.

Vide *Princeps, Rex, Superior.*
Bona pastoris disciplina in dando,non recipiendo sita est. 142,1
Bonus pastor suæ vitæ non parcit, dum ouicularum prospicit saluti. ibid.2
Perfectissimi pastoris est mala ventura præuidere antequam veniant. 144,5
Perfectissimi pastoris est tales habere subditos,qui nullo etiam externo præcepto audito ab eius voluntate non discrepent, sed qualemcumque gaudenter exequantur. 146,11
Solius Dei vniuersum mundum sub vno pastore constituere. 147,11
Pastoris singularitas maximè conducit ad securitatem doctrinæ. 147,12
Pastoris boni diuitiæ, salus ouis. 407,4
Pastor bonus nihil omnes labores, & detrimenta reputat, dum ouem perditam inueniat. ibid.
Pastoris boni merces, salus ouis. ibid.
Væ pastori onera fugienti, & honorem in dignitate quærenti. 409,7
Pastoris incuria in pascendo gregem, maximum malum. ibid.
Pastores sui gregis saluti non per vaticinia, sed per labores consulant, ibid.8
Pastores animarum non debent desperare de earum salute. 470,2

Pater, Parens.

Parentibus gloriam accumulant filij præstantes. 43,12
Eorum præstantia ostenditur in filio, qui eorum virtutes auget. 197,16
Tunc patrem filium habent, cùm ab illo in facinoribus execeduntur. 198,17
Patres qualiter filiis consulant. 216,3
Vera pietas est scire patres perdere propter Deum. 272,1
Indulgentia salutaris coniuncta cum patris seueritate. 308,7
Pater diuinos filios generans,natura videtur diuinus. 44,13
Patrem Deum habemus à solo Iesu. 194,10
Nulla deest lætitia, vbi Deus pater. 308,6
Si quid in Deo non inueniret homo paternum, periret. 195,12
De Iesu venit,quòd Deum præsentiamus patrem. 196,13
Quidquid paternum in Iesu. ibid,14
Licèt omnia perdideris cœlestem patrem vbique inuenies. 201,22
Diuinum patrem, qui cognoscit authorem afflictionum suarum, maximè confirmatur. 240,5
Diuinissimi patris fœcunditatem in se exprimit,quisquis nouit se humiliare. 239,2
Pater, nomen naturale, Deo cæteris gratius. 365
de Patre Deo venit, quòd hominum saluti consulatur. 428,29
Cum notitia patris cœlestis venit cura animarum. ibid.
Patris diuini proprium, quòd de viliori materia facinora sua educat. 552,3

Patientia.

Malorum incursus exhaurit. 13,1
In laboribus omnia impetrat. 27,5
Patientia munitus abundat fructibus. 342,24
Patientia sibi conciliat inimicos. ibid.
Patientia lucratur fratrem. 382,13
Illa potiùs quàm rigore plures acquirit Deus. ibid.
Patientia diuitiæ Dei est. ibid.
Patientia Dei impœnitentibus detrimentosa. ibid.14
Eò terribilior, quò longior. 386.6
Patientia Dei illa est,quæ omnium tormentorum genera patitur. 388
Per illam Christus infinitudinem suæ sapientiæ ostendit. ibid.

Patrocinium.

Patrocinia Sanctorum non iuuant,vbi non regnat in pauperes misericordia. 507,18
Patrociniis Sanctorum ne fidamus, si à virtutibus operibus vacamus. 440,17
Patrocinia Sanctorum permanentem felicitatem hominibus afferunt. 441,18
Patrocinia Sanctorum vtilissima in tempore angustiæ. 440,16
Maximè prosunt, cùm piis operibus sollicitantur. ibid.

Paucitas.

Paucitas iustorum imperturbabilem facit eorum conditionem. 148,2

Pauper.

Pauperes, & afflictos solus Deus solatur. 19,5
Pauperes omnimodam benedictionem implorant à Deo immisericordes. ibid.6
Nullius labia muta sunt in benedictione illius, qui pauperum satiat famem. ibid.7
Bona aliqua in pauperes distributa regnum firmant. 20,7
Beneficentia in pauperes regno digna. ibid.8
Qui pauperem apud se recipit,omnia bona à Deo ipse recipiet. ibid.
Beneficentia in pauperes triumphat. 21,9
Qui pauperi inuigilat, totam verborum vitat asperitatem. 22,12
Pauperes spiritu cœlestium bonorum dominantur. 50,5
Rari sunt, qui in paupertate gratias Deo agant. ibid.
Pauperior cœlo aptior. 107,34
Pauperum arma validissima,gemitus. 45,11
Pauperem quisquis iniuria afficis, eum time. ibid.
Pauperes seueriùs puniuntur, quàm potentes ab humano iudicio. 479,23
Christi pauperibus solùm licet desiderare quæ vilia sunt,& necessaria ad vitam. 522,7
Pauperes propter Christum liberalissimis eleemosynarum largitoribus non sunt in præmio inæquales. 524,11
Dei misericordiam sentiet ille, qui erga pauperes exercet. 521,6
Pauperum spiritu ingens præmium. 615

Paupertas.

Potentissima in ministris Euangelij ad trahendas animas. 298,12
Voluntaria omnium dominatur. 50,5
Pennata est, vt Deum,& cœlestia acquirat. 49
Martyrium est. 56,17
Paupertas Dei est, non plurimas habere animas. 302,13
Paupertas Christiana aptior ad magnalia patranda. 404,16
Paupertas summa à lasciuia. 418,8
Nulla est tanta, vt homines ad libidinem cogat. ibid.9
Paupertas propinquorum principaliùs subleuanda. 465,3

Pax.

Pacem homini suo Deus prouidit. 207,11
Stabilit imperia. 45,17
Profertur à filiali charitate in Deum. 55,16
Pax Christiana in bello. 159,19
Pax nequit esse cum lucri cupiditate. 207,10
Christiani ouilis insigne pax. 399,15
Pace longa effœminati homines fiunt. 465,4
Pacem proximorum, qui turbat, totus fit inconstans, & mutabilis. 585,3

Pacem cogitantibus inter iniurias cœleste paratur præsidium. 563,5

Peccator.

Totos cœli exercitus in se armatos veretur. 1,5
Et amici, & propinqui in peccatorem deſæuient. ibid.
Maximum eius supplicium, quòd videat squalorem, & turpitudinem rerum ob quas peccauit. 2,1
Sibi supplicium soluat. 4,6
Iudicij terrore concutitur. 6,10
In eius pœnis etiam iusti timent. 9,13
A deliciarum summo transeunt in summum pœnatum. 14,14
Puniuntur eadem re, qua peccarunt. 22,12.26,4
Puniuntur acerbissimè gloriæ priuatione. 23,13
Ita sunt corrigendi ne exacerbentur. 60,5
Sanctos viros reddunt. 39.103,17
Eorum societas etiam in cœlesti patria timenda. 97,14
In iustos insurgunt ad primam offensionis vmbram. 104,18
Eorum nuditas in Eucharistia operitur. 124,12
Eorum supplicium eò grauius, quo magis differtur. 131,8
Eis parcere solus nouit Iesus. 132,10
Eorum numerus multiplex. 137,9
Peccatoris salus tunc potest correptori attribui, quando cum lenitate corripuit. 139,3
Peccator gladium capesitur. 159,18
Secessum amet à turbis, vt saluti incumbat. 178,17
Erga iustum nequior est, quàm fera. 186,16
Si conuertatur, & si maximus sit peccator, in cœlestibus videtur. 191,4
Dum scias pœnitere, nulla erit gloria, in quam non recipiatur. ibid.4
Nulla est creatura, quæ peccatorem Deo iudici non sistat. 193,9
Peccatoris summa pœna est desolatio. 201,22
Ab eorum grege solus Deus nos separat. 218,9
Maximum illorum supplicium, quod propria scelera in sua fœditate videant. 228,6
Qui prius se & sua vitia odio habet, non spoliabitur æternis. 279,6
Felix, cui in hac vita irascitur Deus. 380,9
Qui aliquando iustus fuit, faciliùs à Deo misericordiam consequitur. ibid.10
Ipse sibi supplicium infert, dum cupiditatibus fruitur. 392,5
Sępissimè vincit Religiosos in asperitate, & maceratione. 402,10
Obedit diabolo duriora præcipienti, quàm Deus. ibid.
Vtinam tantum Deo offerat, quantum diabolo. 404
Ad iustorum lapsus ridet. 408,5
Conuersus vel vnus, Deo pro ingenti multitudine est. 413,5
Ibi est maiori cum discrimine, vbi Deus ab aliis colitur. ibid.1
Sub Dei flagello dormiens, deploratæ salutis est. 423,& 425
Edocendus de cœlestibus ab hominibus sanctis. 470,5
Instrumentum est aptissimum diabolo ad perditiones moliendas. 475
Non æstimat Dei honorem, dum terrena non perdit. 478
Sæpè triumphat apud humanos principes. 480,25
Dum viderit alios puniri, idem timeat supplicium. 492,18
Inter clariores felicitatum progressus habet perditionem. 493,13
Breuissimum iudicat tempus vitæ timore supplicij. 513,6
Cœlestes virtutes, & ipsam naturam hominis vmbraticè in se ostendit. 517,14
Non tam ornatur bonis temporalibus, quàm designatur perditioni. 519
Sola extrema iustorum exoptat. 524,13
Plus mouetur ad apparentes repræsentationes, quàm ad solida, & vera. 525,14
Peccatorum preces ideò vanæ, quia inconstantes. 526,18
Illorum gaudia non minori soluentur pœna. 524,11
Illorum vocationes præstantissimæ, si vocentur, quando carnales habent appetitus carnales. 502,19
Illorum punitioni deseruiunt vniuersæ creaturæ, 407,9
Illorum conuersio potissima est triumphi Christi gloria. 458,12
Illis facilitas pœnitentiæ in primis proponenda. 438,11
Et prior illis benignitas exhibenda. 438,5
Illorum conuersio Dei diuitiæ. 437,4
Illorum præsens felicitas, saginatio est ad æternam victimam. 380,10
Peccatores labores ipsos stultissimè amant. 353,8
Illos cruciabunt ea, quæ modò delectant. 352,19
Illis nocebunt ea, in quibus aliis nocuere. ibid.
Tunc illorum vita, quando vitia excluduntur. 353
Illis iustorum consortium vtile. 351
Illorum tortor, peccatum. 392,5
In vnum peccatorem sententia lata vniuersos ferit. 550,21
Peccatoribus cautela in posterum procuranda. 594,9
Parua ira Dei in præsenti peccatoribus exhibetur, quæ in magnam conuertetur. 614

Peccatum.

Peccata etiam aliena dolere homini salutare est. 5,4
Peccatum necessariò manifestatio sequitur. 4,7
Grauissima peccata vel solo terrore solet Deus castigare. 5,10
Nuda visebuntur in conspectu iudicis. 7,14
Non Deo, sed suis authoribus damnum inferunt. 17,2
Peccata hominum Deus fugit. 70
Ne fiant, curet Christianus Princeps. 58,1
Post illa castigata lucidior apparet iustus, quàm in innocentia. 64,13
Verus illorum dolor gloriæ vanæ aditum occludit. 95,10
Gratius est Deo, quod patetis pro virtute obtinenda, quàm pro peccato tollendo. 127,2
Peccati supplicium certissimum. 141,6
In Peccatis etiam patentissimis proximorum non sunt præsumenda summa mala. 220,13
Peccatum infidelitatis præ omnibus Deo odiosum. 230,9
Peccati mala videns, nec à peccato fugitos miseremus. 260,16
Peccati damna. 289,8
In Peccatis obdurati miseriùs perduntur in aduentu iudicis. 320,1
Vt non durat peccati turbatio. 390,6
Peccatum præ omnibus cauendum. 600,31
Illius vindex esse non potest, qui eiusdem sibi est conscius. 601,32
Peccatum omni dæmone horribilius. 603,37
Cæcitatem facit. 622,9
Peccatum vbi non est, ibi Iesus est. 594,17
Peccatum aduersus Deú immediatè cætera post se trahit. 597,25
Peccatorum venia propriis acquirenda operibus. 357,4
Peccata qui proximo persuadet, alienissimus est à regno cœlorum. 371,15
Peccata publica Deus strictissimè punit. ibid.
In Peccata aliorum strictè scrutimur, in nostra molliùs decernimus. 377,2
Principum peccata, licet minima appareant, maxima esse solent. 378,5
Principum peccata, etsi parua appareant, seuerissimè à Deo puniuntur. ibid.
Peccata prælatorum grauissima. ibid.
Peccata non adeò destruunt pristinas virtutes, ut Deus illarum memor non facile peccatoribus misereatur. 380,10
Peccati amaritudo homines ad virtutem propellit. 405,18
Peccata aliorum ne nimium strictè iudices, si in eadem, vel maiora cadere nolis. 441,37
Peccata Christianorum celeriùs puniuntur. 383,4
Peccatum, quod viri spirituales committunt, deseruit illis ad virtutis augmentum. 414,10
Peccata proximorum non verbis exaggeranda, sed minuenda. 349,14
Peccatum maximè grauat. 556,10
Nisi peccata scias dimittere, non poterunt tecum homines esse. 553,28
Peccata ex fragilitate non tam timenda, quàm ex malitia. 598,10
Peccati publicati verecundia tolerata non parua pœna. ibid.

Pecunia.

Pecuniæ affectus abiiciendos à quærenti cœleste regnum. 466,6
Pecuniarum possessio semper sollicita, & timoris plena. ibid.
Illarum abiectio securitatem afferre. ibid.

Perditio.

Perditionis viam terit, qui sua opera non Deo dirigit, sed commodis temporalibus. 281,2
Perditionis occasio sunt temporalia bona. 305,9
Perditio hominum est, contemnere nomen Dei. 471,14
Perditio hominum prouenit ex eo, quòd Deus sese ab illorum eripiat conspectu. 474,11
Superflua potiùs deseruiunt ad perditioné, quàm ad ornatú. 510
Magna hominis perditio est, quòd iudicis seueritate à peccatis non arceatur. 513,10
Ecclesiasticorum auaritia est perditio animarum. 508,30

Perfectio.

Omnia ad suam perfectionem pertinentia recuperabunt iusti ex morte. 156,13. Ad perfectionem Christianam pertinet aliqua de nouo præstare, in quibus nil vetus appareat 310,10
ad Perfectionem non subitò, sed per suos gradus 354,4
Perfectionis viam deserentium irremediabilis egressio. 354,2
Perfecti vehementiùs à diabolo exercentur. 345,6

Periculum.

Vota in periculis concepta non meminit post acceptam salutem semiotus reproborum animus. 137,8
Semper timendum in prælaturis periculum. 317,12
Pericula difficiliora amplectitur carnalis affectus. 377,4

Periurium.

Periurij pœna, quamplurimos perdit. 175,21

Persecutio Persecutor.

Extrema persecutio Ecclesiæ omnium sæuissima. 5,6
Persecutionem patiens superiorem tenet locum, vt tyrannum debellet. 16,15
Præueniet iudicem seuerissimum iniuriarum vltorem 187,39
Durissima omnium persecutio à malis simul, & bonis orta. 225,1
In persecutione exaltantur iusti: eorum persecutores pereunt. 253,13

Persecutores

Persecutores iustorum durissimam sentient Deum vindicem. 267, 11
Persecutiones augent iustum. 278,4
Persecutio non potest non sentiri, vbi res Christi agitur. 294,3
Persecutores beneficorum sibi hominum, singulari clade confici solent. 480,25

Perseuerantia.

Perseuerare in virtute si vis, crucem Christi contemplare. 396,3
Perseuerantia adolescentium in Dei seruitio, potentius Dei facinus est. 453,4
Perseuerantia obtinentur Dei beneficia. 534,9
Qui à pueritia virtuti vacant, magis in ea perseuerant. 453,2
Perseuerantia annexa est infantili virtuti. 454,5

Persona.

Personæ vilitas, vel abiectio nihil obest, vt Dei gratia in ea resideat. 404,15
Persona non respiciatur in iudicio, ab eo, qui nolit errare. 581,12

Peruersitas.

Summa peruersitas hominum, qui humanis non demulcentur cantibus. 36,22

Pestis.

Pestis omnium grauissima, discordiarum seminator. 345,6

Petitio.

Petitiones nostræ id obtinent à Deo, quod nobis melius est. 115, 31
Petitiones nostræ inter Eucharistiam semper implentur. 115,11
Petenda sunt prius à Deo, quæ magis vrgent. 527,19
Petat maiora, qui aliquid à Deo accepit. 370,14

D. Petrus.

D. Petri magna sapientia, qui diuini verbi nouit originem. 42,10
Petro debemus in reuelatione summæ gloriæ non opprimi. ibid. & seq.
Petro debent gentes primas honoris Christiani. 43,11
Summa Petri altitudo. 45,16
Eius sapientia. ibid.
Petri imperium firmum, quia in pace fundatum. 45,17
Eius auspicium ab incorruptibilitate iudicij. 46,18
Petri virtutes veræ. 47,20

Pharao.

Pharao lucro deditus luteo, lati more sub maiore miraculorum lumine magis induratus. 338,17

Phœnix.

Phœnix virginitatis typus ob singularitatem. 367,8

Pietas.

Vide *Misericordia*
Præstantior propinquis prouidere. 171,9
Pietas est scire filios, vel parentes perdere pro Deo. 271,1
Pietas erga cognatos pauperes inter præcipuas causas salutis est. 364,7

Pœna.

Æqualis culpæ. 23,13
Ægre suscepta pro virtute, feralis laniena est. 143,4
Summa peccatorum pœna solitudo, & desolatio. 238,1
Pœna talionis hominibus grauissima.
Pœnæ in vitia iuuentæ homines in salutem impellunt. 405,18
Pœna semper contermina malitiæ est. 550,25

Pœnitentia, Pœnitens.

Discrimen inter impiorum, & iustorum pœnitentiam. 9,3
Non differenda in extremum vitæ tempus. 142,8
A Deo auditur. 108,37
Quæ non oritur à corde humili casa. 299,9
Pœnitentia gustum excitat ad virtutes. 357,3
Pœnitentiam agentes ad virtutem fame veluti canina aguntur. ibid.
Pœnitens verè vel mortem ipsam libentissimè exhaurit. ibid.
Pœnitentia non per alios, sed per nosmetipsos adimplenda. 358,5
Pœnitentia nostra Dei marsupium. 407,4
Pœnitentia vel aridum lignum florebit. 424.20
Pœnitentia vera cœlesti innititur Patri. ibid.
Pœnitentia viti similis. ibid 21
Pœnitentia vera diuinæ misericordiæ innitatur. ibid.
Pœnitentia non statim grauissima peccatoribus proponenda est, sed paulatim ad eam docendi. 438,11
Vera peccatoris pœnitentia eleuat homines ad sublimiorem gratiam. 423,19
Vide *Lacryma, Dolor.*

Populares.

Populares exemplo, & precibus principes suos in bonam frugem cogere debent. 448,5

Populus.

Diuersæ nationis populos sub vno capite constituere, diuinæ potestatis opus est. 147,11

Portenta.

Portenta operantur Sancti per Christi crucem. 472,7

Possessio.

Bonorum æternorum spes, quasi possessio illorum. 304,6
Quasi cuiusuis possessio bonorum per eleemosynam. 20,7

In possessione rerum affectu carnali quæsitarum, illicò fastidium generatur. 411,11
Possessio auri solum interdicta. 344,3
Possessio propria hominis cœlum. 462,21

Potentia.

Potentiæ diuinæ miraculum est, quod à peruersæ homine indolis nascatur opus salutis. 301,2
Potentia crucis magna ad ferendos homines ad gloriam. 474,10
Potentiæ affecla est impudentia. 446,1
Potentes huius sæculi belluis comparantur. 436,8
Potentes vt plurimum turpiter viuunt. ibid.
Potentium humilitatem præmiat Deus filiorum successione. 485, 5

Potestas.

Potestas, quæ à Deo venit, mensuratur benefaciendi facultate. 467,8
Potestas passionis ad rapienda sibi corda hominum maxima. 473,9

Præceptum.

Sub præceptis aliorum viuant prælati recentes, in prælaturæ infantia. 296,7
Quod diuina præcepta nimis aggrauentur, nunquam à Dei spiritu venit. 166,3
Præceptorum diuinorum difficultas non ex Deo, sed ex affectu nostro. 205,6 & seq.
Contemptus eorum etiam feruidos amatores remorari solet in vitæ exitu. 209,15

Præconium.

Magis præconia, quàm tributa principi bono placent. 38,2
Præconia, & laudes gratiores Deo, quàm victimæ. ibid.
Qui semper in alium præconia dicit, felix negotiator est. 41
Gloriosum est apud exteros, & dissitos homines prædicari. 318, 15
Vide *Laus.*

Prædestinatus.

Prædestinati multo sudore consequuntur gloriam. 388,10
Prædestinatorum omnium mater est sanctissima Virgo. 504,24

Prædicator.

Fructuosè quærens salutem animarum, nec minimam à Deo absentiam patiatur. 211,4
Fructum in peccatoribus requirens ne continuò instet, & super eos incumbat. 218,10
Prædicator veritatis malè audit inter mundiales. 252,11
Immunis sit à temporalis lucri cupiditate. 264,7
Nullis negotiis implicetur, sed verbo diuino seminando solùm incumbat. 319,1
Prædicator scientiam, doctrinámque suam ne malè ad principum gustum detorqueat. ibid.
Prædicationis munus otium requirit. 379,1
Prædicationis munus prætulere misericordiæ Apostoli. ibid.
Prædicatione Christi crucifixi ad virtutem efficacissimè accendimur. 357,4

Prælatus.

Vide *Superior, Princeps.*

Prælatus is sit, qui habeat doctrinam suam, non qui egeat emendicare alienam doctrinam, & vigilias 48,2
Parum prælati proficient in animis subditorum poliendis per emendicatum doctrinæ acumen. 49,2
Prælati multo sunt honore prosequendi. 61,7
Propriis necessitatibus parcant prælati, vt suorum inuigilent saluti. 63,12
Prælati errores potentissimi. 64,14
Prælatus subditorum saluti prospiciat. 142,2
Prælatus taliter se gerat, vt videatur omnia disponere ex adiuncto sibi spiritu prophetiæ erga futura. 182,34
Ea est excellentissima virtus, quæ non solum in oculis prælati, vindicisque existit prælatorum Ecclesiæ malum, quod sibi habeant, vt propria Ecclesiæ bona. 245,12
Odiosa in prælatis species, vel nomen dominatus. 263,5
Boni prælati tenentur prænoscere, & præuenire singulatim ouium balatus, & voces. 283,5
Homines infirmæ virtutis in ea viuent, si prælati voci percipiendæ incumbant. 284,6
Prælatis imputatur, quòd sint zizaniorum seminatores. 346,7
Prælati ne facilè, & sine exploratione credant delationibus. ibid.
Prælatorum peccata licèt minima appareant, maxima esse solent. 378.4
Prælatis, quàm subditis terribilius iudicium. 380
Prælatus sæpiùs lenitate, quàm rigore corripiat subditos. 387,8
Prælati Deum imitentur in medendo subditis. 397,6
Prælati subditorum vulneribus ita medeantur, vt ab aliis nesciantur. 418,30
Prælati mansuetudine subditos regant, si fructificare velint. 419, 33
Ne nimio rigore eos obruant. 432

Index Rerum,

Prælati inter omnes gubernandi curas calamitoso cuique prospiciant. 412,2
Prælati ne venelationibus fidant, vt subditos gubernent. 409,8
Prælatus per se ipsum inquirat subditorum actiones. 513,6
Prælati, & temporalia in hoc sæculo, & æterna in futuro prouideant omnibus suis. 285,9
in Prælatia Ecclesiæ non tam otium contemplationis, quam negotium pro subditorum salute emicere debet. 295,4
Recentes Prælati in prælaturæ infantia sub aliorum præceptis viuant. 296,7
Semper timendum in prælatura periculum. 317,12

Præmium.

Præmium operis in particulari visum vehementer trahit. 163,26
Præmium virtutis est apud cæteros prædicari. 318,15
Bona omnia digno præmio afficiuntur. 20,8
Pro difficultate operum tribuit Deus præmia. 50,6
Præmium æquale esse debet operibus. 96
Pro præmio dat Deus filios Principibus, qui humilitatem sectantur. 485,5
Præmij vicinitas vel tollit, vel saltem minuit labores. 459,14
Præmium gloriosius, quod meritorum pretio adquiritur. 370,13
Præmia magnarum virtutum in futuris bonis sunt posita. 616,3

Præsentia.

Præsentia Dei facit virtutum incrementa. 229,7
Illa est excellentissima virtus, quæ non in sola præsentia præceptoris, vindicisque existit. 230,10
Præsentia Saluatoris omnibus nos donis cumulat. 432,28
Præsentia Dei periculosissimè ignoratur. 455,6

Præsul.

Vide *Prælatus*.
Præsul à Deo electus gregem suum non tam iudicat, quàm pascit. 350,16
Præsul non adeò fidat ministris, vt per se subditorum actiones non vestiget. 513,6

Preces.

Precibus assiduis extorquenda sunt dona Dei. 534,9
Precibus assiduis vel obduratissimi homines emolliuntur. 446
Preces Sanctorum non frustrantur pro defensione sua. 451,11
Plus exercitibus valent. ibid.
Preces adhibendæ pro his, quæ magis vnicuique oportet assequi. 527,19

Pretium.

Pretium rerum debet esse intrinseci valoris, vt regnum stabiliat. 142,2

Primitiæ.

Primitiæ omnium rerum Deo offerendæ. 33,17

Primus.

Primis in aliqua virtute fauet Deus. 428,31
Primi in aliqua virtute, primi in Ecclesia censentur. ibid.

Princeps.

Vide *Rex*.
Principis beneficia largiora, supplicia verò penè nulla debent esse. 18,4
Principis maxima laus est ipsis inimicis vitam præstare. ibid.
Mundialium principum ingenium despectos, & afflictos affligere. ibid.5
Principes, qui à Deo designantur, pastores sunt, non lupi. ibid.
In lasciuo principe omnia humana & diuina iura perduntur. 25,1
Principi exitialis est mollis cultus corporis. 31,12
Princeps non purpura, sed virtute cognosci debet. ibid.13
Sæcularis principis ministri quantum vtiles sunt, in regimine populorum, tantum sunt infensi in imponendis tributis. 38,1
Bonus princeps magis æstimat laudes, quàm tributa. ibid 2
Caueat ne bonam famam amittat. ibid.
Principum vita inde tenetur purior esse, quia nequit esse non patentissima omnium oculis. 39,4
In mundialium principum curia mendacium præualet. ibid 5
Magis apud illos femineæ nugæ, quam virorum oracula valent. ibid.
Principis mores, & verba eius familiares sequuntur. ibid.
Principibus occultanda sunt, quæ iram moueant. 40,6
Quot fauores à principe in suos profitentur, tot obices sunt ne ad illum defæcata veritas perueniat. 41,7
Principis laus in retribuendo est sita. 44,15
Eius misericordia ad omnes. 10,8
in Principe à Deo electo non debet præualere carnalis affectus. 45,17
Non sit princeps acceptor personarum. ibid.
Princeps propria doctrina luceat. 48,2
Indignum principe est alienam scientiam indagare. ibid.
Christianorum principum cura, non tam in eo ponatur, quod vitia castigentur, quam in eo quòd non fiant peccata. 58,2
Principes multo sunt honore prosequendi. 61,7
Clades principum homines commonent de humana infirmitate. ibid 8
Nihil durius principi viro, quam ad inferiorum pedes obuolui. 62,10
Princeps vt subditorum saluti prospiciat propriis necessitatibus parcat. 63,18
Princeps nullo magis reddit prouinciam inexpugnabilem, quam certæ inuigilans prouentibus. ibid.12
Principum serui leges omnes impleant. 60,6
Princeps pessimis fauendo suum imperium durissimum efficit. 109,39
Princeps, nec suæ vitæ parcat, vt subditorũ saluti prospiciat. 139,2
Princeps præstantissimos ea sapientia gerat omnia, vt videatur Propheta. 181,34
Principum ministri, vel ipsius faciei iudicio ostendant indolem electæ vitæ. 197,15
Princeps nihil nouum subitò producat, nisi præmissa fama, cuius auditu assuescant populares 208,12
Princeps huius mundi tempore mortis instaurat grauiora certamina aduersùs iustos. ibid 13
Quem Deus elegit in principem aliquorum, solet illi potiora tribuere. 211,17
Princeps cæteris præeminens difficilè se continet intra humanæ rationis terminos 255,15
In aulis principum nihil citius occurrit, quam dissidia, quam prælia. 274.6
Gaudeant principes in eo quod audiunt non à coniunctis, sed ab absentibus, & remotis. 319,16
Principum cœlestium natalis à cruce Domini. 325,18
Principum cupiditas infinita. 330,2
Princeps, & munificus idem. 338,3
Princeps ne solis auribus credat, sed exploret subditorum negotia 342,7
Principes vtcumque florentes, vel minimo subdito periclitanti medium adhibeat. 412,2
Princeps bonus etiam post mortem suum regnum possidebit. 434,3
Ministrorum crimina examinet, nec accusatoribus irascatur. 435,6
Principes discant nihil nimium robori suo fidere. 436,7
Principum fortitudo nulla est, vbi Deus illis irascitur. ibid.
Princeps ex subditorum leuamine augmentum suum quærat. 440,15
Principum mensas consumunt serui otiosi. 441,8
Principes viri sine pudore, aut fræno raptantur à concupiscentiis suis. 447 2
Principum iniustitia meritò popularibus subditis imputatur 448,5
Princeps quis nobilis, quisve ignobilis. 464
Principes pauci viam salutis gradiuntur. ibid.2
Principes altissimo sopore immersi ad nullam Dei vocem excitantur. ibid.
Principis præstantia resplendet magis in potentium, quàm in vilium hominum damnatione. 479,14
Principes huius sæculi, vt plurimum turpiter viuunt. 484,2
Nihil curæ illis de æternitate. ibid.
Nulla in proximos commiseratio. ibid.
Gloriantur de peccatis commissis. ibid.
Nulla fides in illorum promissis. ibid.
Humanitas principum propria. ibid.
Princeps, qui iuxta Dei præcepta mores componit, regnum stabilit. 485 3
Bonus princeps tempore restaurandæ reipublicæ nihil deliciosum debet præmeditari sibi. ibid.
Princeps non adeò credat ministris negotia, vt per se actiones subditorum non inquirat. 513,6
Veri principes à Deo habere solent spiritum ad annuntiandum quo videantur Prophetæ. 529,8
Principes terreni personarum acceptatores. 360,2
Principibus nulla dignior habitatio, quàm Ecclesia. 359,7
Principes gloriantur muliercułis seruire. 42 ,12
Caueant à vino, ne fiant crudeles in suos. 475.12
Principum aulicorum vanissima ambitio, qua simulans se omnia callere secreta regalia. 541,2
Principum prima virtus est misericordia. 552,8
Principes mundiales, vt in famulos tenent discrimina. 581,14
Principes mundi, vt dissimiles à Iesu. 585.22
à Principibus defectio non patitur à vera fide. 622

Principatus.

Principatus amor sibi ditissimus animarum carnifex. 545,18

Procrastinatio.

Procrastinatio obest saluti. 191.7
Nescit procrastinare mortem, qui Deum amat. 208,14

Productio.

Productio rerum ab initio perfecta propria, & diuinæ virtutis. 355,8

Proficere. Profectus.

Quod in Deo paternum est proficit hominibus. 196,13
Deum qui habet suorum profectuum authorem, nil amplius requirat. 198,18

Promissio.

Promissiones diuinas autem prohibet. 49,3
Ingentia promissa explentur Christi opibus. 199,20
Promissiones in pretiosis factas non meminit reprobus. 257,8

Propheta,

Propheta, Prophetia.

In rerum futurarum præuisione, & prouisione Princeps populo Propheta videatur. 182,34
Plusquam Propheta est, quisquis inter mundiales caligines viam salutis pertingit. 70,3
Propheticus futurorum halitus vitam felicem facit. 188

Propinquus.

Propinquis in primis prouide. 271,7. 301,17

Prosperitas.

in Prosperitate plauditur modestia, sicut in calamitate animositas. 466,3

Protectio.

Protectio Sanctorum non nisi à Christi cruce. 471,5
Protectio præstantissima est homini, colere nomen Dei. 470,3

Prouentus.

Prouentibus suæ prouinciæ inuigilet Princeps. 63,12

Prouidentia.

Prouidit Deus homini suo requiem. 207,12
Prouidere propinquis præstantior Dei pietas. 271,9
Prouident prælati ouibus suis, & temporalia, & æterna. 283,2

Proximus.

in Proximorum infirmitatibus se quisque nouerit. 60,6
Iniquissimum est in te solas virtutes videre: in proximo solos defectus. 307,5
Ille verè proximus est, qui sic proximo succurrit, vt in se illius exprimat infirmitatem. 188,41
Eam debemus proximis præstare charitatem, quam Deus nobis exhibet. 214,1
Multus est Iesus in dignoscendis operibus charitatis in proximos. ibid.2
Proximis amicum te præbeas vt Dei amicitiam assequaris. 217,7
Charitas erga proximum diuina sibi mysteria manifesta experitur. ibid.8
Etiam in patentissimis proximorum culpis non sunt præsumenda maxima scelera. 213,13
Vel totius nostri corporis dispendio comparare debemus, quod proximorum amor putet ad Deum ascendat. 228,5
Illa oratio proficua, quæ Dei, & proximorum negotia agit. 270,8
Proximos iudicare periculosum. 348,11
Proximorum vitia virtutum contemplatione obumbranda. ibid.
Proximorum errores simpliciter deferendi, nec amplificandi. 349,13
Proximos premere, seruilis est vtilitatis affectus. 350,16
Proximis adesse, efficacissimum filialis erga Deum amoris argumentum. 351
Proximo qui subuenit, quasi æqualis est Deo. ibid.
Proximorum errores non facilè credendi. 347,10
Proximis, qui ignoscere nescit, indignus diuina clementia. 376,8
Proximorum errores strictè castigamus, in nostros leuiter afficimur. 377,2
Proximorum causa, quia festinatò damnatis, diabolo agitur. 381,12
Proximo qui subuenit, à Deo Patre ad id impellitur. 379,6
Proximorum errores subtegere, diuinum quid est, non humanum. 428,30
Proximorum vitia carpunt, qui se ipsos ignorant. 431,36
Proximorum errores, qui nimium carpunt, in peiores incidunt. 431.37
Proximorum salus non est desperanda. 470,2
Proximos adiuuare, laude dignum. 471,4
Vix donum Dei apparet in illo esse, in quo nullus extenditur ad proximos fructus. 514,11
Cœleste conuiuium non admittit proximorum detractores. 491,15

Pudicitia.

Vide *Castitas.*
Pudicitiæ nemo iudex esse potest. 348,11
Pudicitia rara virtus in terris. 367,8
Pudicitia cœlestibus flammis custodienda. ibid 9
Nulla pudicitia sine charitate. ibid.
Pudicitia Deo pretiosa, nihil præter Deum in se admittit. 368,10
Pudicitia vendibilis, quæ lasciuos oculos non vitat. ibid.
Corporis pudicitia, cœlestis gloriæ est imago. 493,1
Designat homines ad cœleste regnum. 494,4
Pudicitiæ amatores aptissimi sunt ad Eucharistiam sumendam. 495,5
Pudicitia magnum humanæ naturæ decus. 504,13

Pudor.

Inter prima virtutum auspicia est pudor. 290,4
Pudor ingenuo animo grauissimum malum est. 438,8
Pudoris affectus signum est consequendæ salutis. 477,19

Pueri.

Pueri virtutem sequentes diuinis commendantur elogiis. 30,10
Aliquid diuinitatis ostendunt. ibid 11
Imò & totam Dei manum habere. 31,12

Laudabilis fidelium mos in pueris religioso amiculo induendis. 32,13
Deo gratias agant. 52,12

Pueritia.

à Pueritia virtutem capessentes fortiores in ea sunt, quàm senes. 460,17

Pulchritudo.

Pulchritudo lasciuis oculis patens nundinatitia est. 368,10

Purgatio.

Purgatione, & scissione indigent sancti viri, dum hîc sunt. 211,3

Q

Quies.

QVies tunc solùm perfecta, cùm homo cœperit præsentiam Deum Patrem. 195,11
Nec Deus quiescit, dum homo stat seruus, & non sedet in sinu Dei Patris. ibid.
Quietem imperturbabilem, & tranquillitatem prouidit Deus homini suo. 207,12

R

Rapina.

RApinis acquisita bona satisfactionem non afferunt, sed famem. 410,14

Ratio.

Ratio habenda in disciplinis tradendis. 168,9

Rebecca.

Rebecca Deo plena, quia benefica. 332,6

Recordatio.

Recordatio futuri iudicij maximam homini felicitatem affert. 378,4

Regius.

Regius affectus est cœlestibus solùm inhærere. 464
Regius animus benefacere. 331,3. 333,7
Regium est, beneficia non in vnum, sed in plures effundere. 331,4
Regij animi virtus, imò diuinissimi est, plus subditorum, quàm diuitiarum probare augmentum. 439,14
Regia messis subditi sunt. ibid.
Regius animus est, vel minimorum remedium procurare. 415,2
Regiæ dignitatis digna sedes Ecclesia. 359,7

Regnum.

Regnum erit omnino inexpugnabile, si rex terræ prouentibus inuigilet. 63,12
ad Regnum cœlorum aptior, qui pauperior est. 107,34
In solo Christi Iesu regno verè magni sunt viri. 133,2
In Deo ex virtute, & non ex clarissimorum nominum hæreditate magnates censentur. 134,4
Temporalis, & spiritualis regni stabilitas sita est in hoc quod pretium rerum intrinseci valoris sit. 143,3
Nullum mundiale regnum stare potest, cui Iesus occidit. 188
Væ regno, cui Iesus deest. ibid.
Regnum, vt perdatur, validiores sunt tributorum exactores, quàm milites. 275,7
Nescit Iesus vni claudere regnum cœlorum quin illud aperiat alteri. 170,18
in Regno cœlorum etiam peccatores conuersi suam sedem habebunt. 191,4
Regnis periculosior est pacifica prosperitas diu prolongata, quàm bella. 417
Regno Christiano suspectus debet esse affectus ad pecuniam. 466,6
Regna traduntur his, qui sunt liberales erga ciues. 467,8
Regnum sibi stabilit ille solus, qui viuit secundùm legem Dei. 485,3
Regnum nullum adeò est magnificum, quòd non possit à castitate decorem accipere. 494,3
Regni cœlestis notitia virtutis pulsat fastidium. 355,1
Nostra studia ad virtutem accedit. 356,2
Regnum cœleste cur fermento simile. 360,1
Regna, quæ ab hominibus teguntur, partialitatibus constant. ibid.2
à Regno cœlorum alienissimus, qui aliorum peccata negotiatur. 361,4
Regnum cœleste magnis laboribus acquiritur. 371,17
Regnandi ars nobilissima, calamitosis quicumque remedium admodum adhibere. 412,1
Regnum boni Principis longæuum est. 434,3
Regnorum interitus, legum violatio. 448,4
Regnum sine castitate vilescit. 494,4

Religio, Religiosus.

Quàm custoditus. 39
Nullum inter mundiales habebunt amicum, qui pro illis stet in aduersis. 138,11
Superior est omni contumeliæ 152,6
Illi iniuriæ inferendæ author diabolus. 253,12

Saltem in vltimis constitutus ad Deum confugit. 309,8
Religio officina virtutis. 374,4
in Religione omnes viuunt: nemo mortuus in ea durabit. ibid.
Qui in religione decesserit, non confundetur in resurrectione iustorum. ibid.
Religionem deserentes in mundo peribunt. 384,1
ad Religionem, qui è mundo migrat, felix. 397,6
Religiosi ordines neutiquam impediunt regnorum augmentum. 440,15
Religioso animo semper nocent quæcumque negotia. 430,34
Religiosi viri possunt in deuotione à mundanis superari. 405,17
Religiosi nisi ardenter spiritualibus inhiant, superantur à peccatoribus, & infidelibus in asperitate. 402,10
Religioso Deum deserente nihil crudelius. 386,6
Religiosorum in forum egressiones omninò vitandæ. 384,2
Religiosum malum pes superbiæ extrahit à religione. 374,4
Religiosi status summa perfectio, qui diu non patitur peccatores. ibid.
Religiosi voluntaria paupertate minimè impares sunt liberalissimis eleemosynarum largitoribus. 524,11
Religiosis solùm licet concupiscere, quæ necessaria sunt ad vitam sustentandam. 522,7
Viliora debent optare. ibid.
Religiosam vitam importabilem reddunt, dum bona sæcularia desiderant. ibid.
Religiosa disciplina suauissima redditur assiduo virtutum exercitio. 499,13
Fit incomportabilis, quando adest remissio. ibid.
Religiosi homines, vbi passione inficiuntur, vt pessimi sunt. 562,2
Religio vera sola trahit studium circa licitas actiones noscendas. 624,3

Reliquiæ.

Reliquiæ Sanctorum permanentem felicitatem hominibus acquirunt. 441.18

Remedium.

Remedia non statim difficillima peccatoribus proponenda, sed per leuiora ad pœnitentiam ducendi. 438,11
Remedia suauia priùs adhibenda, quàm austera. 408,5
Remedia morbis non nisi opportunè applicanda. 351,18
Remedia mitia austeris efficaciora. 387,8
Remedia mitia sæpiùs ante rigorem adhibenda. ibid.
Rerum humanarum consideratio præsentissimum hominis remedium est. 523,10

Remissio.

Quæuis remissio in malis æstimanda est. 76,1
Remissio in virtute, illius disciplinam intolerabilem reddit. 499,13
Qui remissione virtutem intendunt, non assequentur illam. 511,3

Remuneratio.

Diuina remuneratio molestiarum omnia vestigia delet. 21,10
Excedit merita. 37,23
Remuneratio pro acceptis non fit ab hominibus huius mundi. 44,15

Renouatio.

Vbi aliquid vetusti hominis manet in renouatione vitæ, non potest non ruina non timeri. 311,11
Noua meditanda. 310,10
In nouitate vitæ ambulandum ministris Euangelij. 311,12

Reprobus.

Fœmineus reproborum animus inde noscitur, quod vota in pressuris concepta nôn meminerit post acceptam salutem. 237,8
Reprobi rabidissima concupiscentia visionis Dei cruciabuntur. 509,33
Reprobi sola extrema iustorum desiderant. 524,13
Reprobi plurimum dolebunt videre Angelos sibi infensos in die iudicij. 374,5
Reprobi vel sub ipsa morte, temporalium fame premuntur. 399,4

Requies.

Requiem imperturbabilem prouidit Deus homini suo. 207,11
Requies virginum in extremo vitæ, coniugatorum non item. 500,16

Res.

Abiectas res mundi ad ingentes glorias scit Deus eligere. 481,27
Rerum humanarum consideratio præsentissimum hominis remedium est. 523,10
Rebus terrenis solùm immorantes, bruta sunt animalia. 356,8
Rebus finem habituris fidere, stultitia. 394,9
Res affectu carnali partæ sui despectum subinde generant. 411,11

Responsum.

Caueat Christianus homo fidere corporum responsis, ne in errorem Gentilium incidat. 528,22

Respublica.

Dum restauranda respublica, fugiendæ deliciæ à bono Principe. 485,3
Perfectissima respublica est, in qua nocentibus supplicia, iustisque præmia decernuntur. 374,3
Maxima reipublicæ laus, puniri nocentes. ibid.
Rempublicam præclarè gerentes, non vel à morte eo munere priuabuntur. 434,4
Respublica non diu stabit, in qua magistratus legibus non pa[illegible] nt. 448,4

Resurrectio.

Resurrectionis gloria omnes iustos expectat. 191,5
Euacuat horrorem mortis. 323,8
Vbi corporum resurrectio suadetur, gratiùs in virginitatem currimt. 500,15
Resurrectionis fides coniugiis proponit modum. 627,9

Reuelatio.

Per reuelationes gregem velle gubernare, periculosum. 380,9

Reus.

Reum inauditum, inexaminatúmque damnare, Paganorum, Barbarorúmque feritas est. 349.435,5

Rex.

Vide *Princeps.*
Optima Regis forma est, quod in suppliciis contractior, in beneficiis largior debito appareat. 18,4
Optimi Regis est omnibus semper benefacere. ibid.
Rex à Deo regnum, & misericordiam in afflictos accipiat. 19,5
Nihil magis proprium est Regum, quàm egenis prospicere. 20,8
Caueant Reges à luxuriæ turpitudine, quæ sapientiam regnandi prorsus euertit. 26,2
Mollis cultus corporis Regibus fatalis est. 31,12
Regis domus vestiarium est mundialis comœdiæ ex prophanorum hominum coruptela. ibid.13
Regem opera demonstrent, non vestes. ibid.
Regum ministri proficui omnibus debent esse. 38,1
Optimo Regi gratiosiora esse debent præconia quàm tributa. ibid.2
Regis vita omnium oculis patentissima. 39,4
In mundialium Regum curia mendacium est. ibid 5
Plus apud illos valent femineæ næniæ, quàm virorum oracula. ibid.
Regis mores induunt eius familiares. ibid.
Non sunt regibus dicenda, quæ iram mouere possint. 40,6
Quot fauores à Rege in suos proficiscuntur, tot obices sunt ne ad illum veritas perueniat. 41,7
Regis laus non solum in dando, sed in retribuendo etiam est sita. 44,15
Diuini semper præualent affectus in Rege à Deo electo. 46,10
Rex non sit acceptor personarum. ibid.
Regnare incipit, qui pro Iesu vulnera perfert. 56,18
Christiani Regis cura in eo sit, quod non fiant peccata. 58,1
Reges semper honorandi sunt. 61,7
Regum casus humanam infirmitatem homines commonent. ibid 8
Durissimum est Regi alios se superiores habere. 62,10
Rex prouinciam inexpugnabilem reddet, si terræ inuigilet prouentibus. 63,12
Regis errores patentissimi. 64,14
Regum familia leges omnes obseruet. 86,8
Rex pro meritorum dignitate præmia largiatur. 96,12
Rex ad dandum pronus debet esse, & non ad recipiendum. 142,8
Regum ministri, vel à fronte ostendant compositam vitam. 147,15
Regalium tributorum exactores validiores ad perdendum, quàm milites. 275,7
Rex optimus tempore recuperandæ reipublicæ nihil deliciosum debet meditari sibi. 485,4
Reges timeant pacem, quæ diu perseuerat. 465,4
Reges liberales futuri erga seruos. 466,6
Reges tantam accipiunt potestatem à Deo, quantam in ciues liberalitatem exercent. 467,8
Reges pessimi eligunt sceleratos homines in præmium. 480,25
Nihil decet Regem priùs quàm humanitas. 483.1
Reges qui benè viuunt, regnum sibi stabiliunt. 485,3
Regum humilitatem præmiat Deus fœcunditate filiorum. ibid. 5
Reges non adeò fidant ministris, vt per se non inquirant subditorum actiones. 513,6
Reges veri à Deo habere solent eum spiritum ad bonum annunciandum, quo videantur Prophetæ. 529,1
Reges, qui dicuntur pueri. 464
Regibus nihil est grauius, & fœdius, quàm subditos timere, vel ab eis misericordiam expectare. 451,10
Reges terreni aliquibus tantùm benefaciunt, sed cœlestis omnibus. 360,2
Regum peccata licèt parua videantur, tamen acerbissima Deo sunt. 378,5
Regibus aureus animus. 404,15

Regis

Regis cœlestis thesaurus,& diuitiæ,non ciuitates,& bona temporalia, sed peccatoris pœnitentia. 407,4
Reges boni post mortem suam coronam non amittunt. 435,5
Reges mundi facilè prætereunt crimina suorum familiarium, & in accusatores sæuiunt. ibid.
Regum negotia ad subditorum augmentum spectent. 440,15
Reges augmentum suum ex subditorum leuamine quærant. ibid.
Regum antiquorum pulcherrima historia. 441,18
Reges etiam legibus pareant, si duraturo regno florere velint. 448,4
Regum vitia subditis populis imputantur. ibid 5

Rigor, Rigidus.

Rigor nullus in Eucharistiæ Sacramento. 468,10
Rigor nimius lenitate temperandus. 337,3
Rigor Dei in præsenti vita castiget homines, sed non consumit. 397,6
Non rigore, sed mansuetudine fructificabis in proximis ad cœlestia horrea complenda. 414,3
Rigore nimio qui castigat peccata, in eadem, vel maiora ruit.
Ante rigorem præmittenda legis castigatio. ibid.
Nimis rigidi in proximos operibus misericordiæ suos errores redimant. 438,12

Robur.

Sanctorum robur totum est à cruce Christiana. 461,6
Robur, & perseuerantia in virtute à Christi cruce proueniunt. 396,3

Romani.

Romani corporum suorum vmbra hostes debellant. 342,23
Romana Ecclesia à cruce Christi. 621,8

Ruben.

Ruben à patre maledictus, cur à Moyse benedicatur. 383,15

Ruina.

Non potest timeri ruina, vbi aliquid vetusti hominis manet. 311,31
Ruinæ proximus, qui solùm excelsa prospicit. 401,9
Quod superfluum est, non tam ad splendorem, quàm ad ruinam deseruit. 510,2
Ecclesiasticorum auaritia est animarum ruina. 508,30
Inueterata in aliquo viro consuetudo facilè trahit hominem ad ruinam. ibid.31
Sceleratis hominibus adest ruina inter maiores felicitatum progressus. 509,32
Extremam timeat ruinam, qui in religiosæ vitæ professione suis operibus vanam quærit ex hominibus laudem. 505,25
Vbi confessio non adest, ibi ineuitabilis ruina timenda est. 492,17

Rusticitas.

Rusticitas,& impudentia propria libidinosorum. 403,13

Ruth.

Ruth castitatis amantissima. 418,10

S

Sabbathum.

Sabbathum prædicationi dicat Christus,vt doceat,Prædicatori vacandum esse à reliquis negotiis. 329

Sacerdos.

Sacerdotis munus in Caypha vicit hominis malitiam in annuntianda veritate. 165,2
Sacerdote vitioso nihil crudelius in proximos. 386,6
Sacerdotes molles adamante duriores in proximos. ibid.
Sacerdotum auaritia est perditio animarum. 479,25
Vide *Ministri Euangely.*

Sæculum, Sæcularis.

Sæculares peccatores, nec in vltimis solent ad se redire. 309,8
in Sæculo possunt inueniri sanctiores Religiosis. 405,17
Sæcularium rerum frequentia omnino vitanda. 384,2
Sæcularia bona nihil præter figuram habent. 361,5
Sæculares illecebras qui sequitur, peribit. 406,1

Saluator.

Saluatori odiosus,qui acceptam virtutem deserit. 58,2
Saluatorem videre,qui non curat deploratæ salutis est. 337,16
Saluator ab eum quærentibus facillimè inuenitur. 333,7
Vide *Christus.*

Salus, salutaris.

Saluti omnium inuigilent Prælati etiam cum dispendio propriæ commoditatis. 63,11
Ad salutem via compendiosa est inimicos diligere. 79,7
Salus propria non omnino commendanda alteri. 117,1
A Solo Deo est. ibid.
in Salutis negotio etiam minima æstimanda. 131
Salus peccatoris leui correptori tribui potest. 141,8
Saluti subditorum prospiciat superior. ibid.2
Salus ex memoria æternæ flammæ. 156,18
Non differendum salutis negotium. 192,7
Salus non esset, nisi à Deo Patre. 195,12
Salutis negotium qui tractant,minimè à Deo separentur. 212,5
Salutis negotium maius opus,quàm mortuorum suscitatio. 234,2
Regalissimum opus saluti instare animarum. 277,20
Qui saluti instat animarum, se vel in habitu hominibus conformet. ibid.21
Quandiu salutem præ oculis habes, ferè inexpugnabiles es. 262,3
Felix qui in salutis negotio non pendet ab alio. 268,2
Salus in omni ratione requirenda. 270,8
Bona quæ in Christo acquirimus halant salutem. 284,11
Exteriores corporis afflictiones fideles indices sunt salutis. 291,6
Illud in primis Dei beneficium, quo quis in salutem erigitur innumeris aliis pereuntibus. 281,16
Diuinæ doctrinæ sedes salutaris. 312,1
Salutaris sapientia est,quæ fulcrum habet Scripturarum. 281,33
Salus animarum ab importunitate medicinæ petit. 351,18
Saluti peccatorum facilibus primùm remediis consulatur. ibid.
Salus hominum per aquas denuociatur. 372
Salus magnis laboribus comparanda. 388,10
Salutis flammæ suscitandæ multæ sunt impendendæ lacrymæ. ibid.
Salus animæ vulnera Christi. 396,3
Salus animæ præmium boni pastoris. 407,4
Salus vnius animæ, etiam à detrimento substantiæ procuranda. ibid.
Saluti aliorum non per vaticinia, sed per labores consulendum. 409,8
Salutis opera qui exercent, salutares Dei oculos sentiunt. 425,24
Salutis negotia quamprimùm peragenda. 425,23
Saluti proximorum qui incumbunt, spiritu cœlestis Patris aguntur. 428,29
Salus proximorum non est desperanda. 470,2
Salutem habent in passione Dominica, qui eam in intimo cordis figunt. 473,8
Tota salus in Iesu inuenitur. 477,17
Salutis augmenta maxima in Iesu. 549,16
in Salutis negotio non finiendum. 311,3
Salutis æternæ thesauri non eripitur voluntariis. 611,9

Sancti, sanctitas.

Sancti etiam Dei iudicium suspectum habent. 7,13
In peccatorum pœnis timeant. ibid.
Gloriosè de tyrannis triumphant. 13,11
Ex remotissimis regionibus à Christo congregantur. 18,3
Mala omnia despiciunt, vt luxuriam effugiant. 26,3
Dum hic sunt, scissione indigent. 211,3
Sanctitatis argumentum, vel minimam aliorum virtutem sibi superiorem agnoscere. 34,18
Per imitationem plurium sanctorum Iesus perfectè habetur. 41,8.156
Non omnibus sanctis correspondet in cœlo diadema regni. 506
Sanctus vir terræ condimentum. 59,3
Sanctitatis fontem perdunt luxuriosi. 104,29
Sanctitas in veritate. 231,12
In lingua conspicitur. 253,19
Sanctorum patrocinia vtilissima in tempore angustiæ. 440,16
Tunc maximè prosunt, cùm piis nostris operibus sollicitantur. ibid.17
in Sanctorum suorum gratiam multa Deus dissimulat. ibid 16
Sanctorum orationes parum prosunt peccatis vacantibus. ibid. 17
Permanentem felicitatem hominibus afferunt. 441,18
Sanctorum munitio non nisi à Christi cruce. 472,2
Sancti inimicis conferunt beneficia. 478,21
Sanctorum facinora non permittunt contemni Deum ab aliis sine supplicio. 486,6
Qui sanctos Dei offendit, statim punitur. 487,8
Sanctis hominibus in morte celebrantur nuptiæ. 501,18
Sancti in Dei verbo habent quidquid desiderant. 507,28
Sancti spe æternorum redduntur pleni solatio. 525,55
Sanctorum verba efficacissima sunt ad salutem. 528,22
Sanctorum patrocinium non iuuat, vbi deficit misericordia in pauperes. 507,58
Sanctitati contrarius pecuniæ affectus. 462,6
Sanctitatis augmentum tribuendum Deo, vt illius benedictione impleamur. ibid.7
Sanctitas non pensanda antiquitate temporis. 476,16
Nulla sanctitas æstimatur ab aulicis, nisi quæ Regi placet. 581,13

Sanguis.

Sanguis Christi mansuetudinem docet. 81,55

Sapientia, sapiens.

Sapientia non communicata, nulla est. 54,13
Sapientiæ mondiali occulta diuina. 41,9
Sapientia sæculi stultitia est. ibid.
Aliena sapientia nixus, propriam ostendit ignorantiam. 48,1
Sapientia tunc salutaris est, cùm diuinis Scripturis roboratur. 185,33

Sapientia in præsulibus prænotionem sapiat. 182,34
Summa in eo est, qui scit mundo valedicere. 242,8
Sapientia omnigena floreat magister Christianus. ibid.9
Diuinæ sapientiæ vniuersæ deseruiant facultates. ibid.
Sapiens non in se solo videt virtutes, sed & in alio. 290,3
Sapiens mundialis inefficax ad persuadendum, si eum Iesu comparetur. 205,7
Sapientes maiorem curam habeant in Deo quærendo. 26,4
Sapiens non præmittit occasionem salutis. ibid.
Iesum inter peccatorum greges cognoscit. 32,15
Proprios non sequitur affectus. 44 14
Sapientis vita magis timenda. 137,10
Sapientia mari similis. 375,7
Sapientiam cuiusque labores ostendunt. 388,10
Sapiens deficientibus bonis non credit. 394,8
Sapientia Christiana in hora mortis omnes virtutum diuitias explicat. 398,1
Sapientis est, neminem iudicare velle. 375,7
Sapientia sine charitate vana est. ibid.
Singulare Dei beneficium est, quòd in multitudine hominum sapientes aliqui inueniantur. 497,10
à Sapientia longissimè absunt luxuriosi. 416,5
Sapientiam nulli acceptam referre, diabolicum est. 577,3
In te sapientiæ, vt periculosum est propriis niti, sic gloriosum de alienis splendescere. 577,4
Sapientia terrenis inhærens suspecta sit saluti æternæ. 620,5
Non tam sapientes, quàm simplices Deo probantur. 631,18

Satisfactio.

Satisfactio peccatorum nostris operibus adimplenda, si facilè veniam exorare velimus. 358

Scelera, sceleratus.

Ab sceleratorum grege nos separat Deus. 218,9
Maxima scelera nunquam sunt præsumenda. 220,13
Impiorum supplicium, quod videant propria scelera in sua fœditate.
Vide *Peccatum. Peccator.*

Scientia.

Scientiam alienam emendicare alienum est à Principe. 48,1
Scientia de mysteriis Iesu supra omnia. 545,11
Vide *Sapientia.*

Scriptores.

Scriptor librorum Dei gratia afflatur. 183,35
Societatis Iesu scriptores vniuersas hæresis iugulant. 265

Scriptura sacra.

Fulcire debet sapientiam. 181,33
Illius lectio spem nostram roborat. ibid.
Sacra Scriptura non nisi fracta, & lacera ad insitata dogmata trahitur. 87,12

Scrupulosus.

Nimij scrupulosi erga parua solent magna deuorare. 186,37

Secretum.

Secretum nihil in terris. 453,3
Secretum quàm difficulter homines custodiunt. ibid.
Secretum alteri seruare generosi animi est. ibid.

Securitas.

Nulla, vbi Dei gratia deest. 25,15
Ad securitatem doctrinæ maximè conducit vnitas pastoris. 147,12
Securitas rerum rationali naturæ consistit in eo, quòd non sint vicinæ terræ. 512,5
Securitas apud Deum maior est in illo, qui fidit operibus de præsenti, non de futuro. 514,8
Securitatis propriæ prætextus non deterreat hominem ab animarum cura. 575,11

Sedes.

Qui Principatus sedes occupant, multo sunt honore prosequendi. 61,7

Senectus.

in Senectute maxima virtutum copia apparere debet. 398,1
Periculosissima est perseuerantia in virtute ad senectutem capessita. 460.17
Senectus non tam apta est ad perseuerandum in virtute, quàm iuuentus. ibid.
Senes consuetudo peccandi instabiles facit. ibid.

Sensus.

Qui ad sensuum externorum viuit conditionem, semper aberrabit à vera sapientia. 497,11

Sententia.

Sententia non priùs ferenda, quàm accusatus audiatur. 349,13
Vana sententia, quæ euidenti probatione non innititur. ibid.
Sententia, quæ profertur iuridicè, vix creditur iniusta. 479,22
Humana sententia seueriùs exardescit in pauperes, quàm in diuites. ibid.
Sententia præceps rarò non iniusta. 381,12
Sententia in vnum peccatorem lata similes omnes fecit. 550,21

Sermo.

Sermones facti circa turpia periculosissimi. 420,13
Sermo Dei facile respuitur à terrenis cordibus. 475,13
Sermones adulatores lethales. 506,28

Spes.

Firmissimum spei fulcrum lectio sacra. 181,33
Spes bonorum permanentium, quasi possessio est illorum. 304,6
Spes totum hominem facit. 136,8
Non ponenda in alienis laboribus. 124,31
Spes bonorum temporalium præscindenda, vt Dei verbum corda hominum moueat. 337,14
Spes Sanctorum Christi in cruce sita est. 471,6
In suis spem debet excitare, quòd Deus alienis, & indignis videatur fauere. 514,10
Spes præmij, & supplicij metus continent homines. 627,8

Seruus, seruitus.

Seruitutis humanæ oblationem omnes meditantur creaturæ. 6
Serui notamur in aliis, in oratione liberi. 512,3
Seruitus non est in solis diuinis bonis. 172,16
Solus Iesus facit, quòd pluribus inseruientes placeamus. 258,22
Summa seruitus peccati videre malum, nec desistere. 260,26
Seruus Dei omnium dominatur. 266,9
Dei seruus vel à manifestis criminibus nullum iudicat. 347,10
Seruus Dei non respicit proximorum vitia, nisi virtutibus obumbrata. 348,12
Serui nequam nihil in aliis præter vitia vident. ibid.
Seruili Deum amore colunt, qui non eum misericordem, sed strictè iustum in proximos cupiunt. 350,16
Seruorum proprium seueritatem in alios exercere. ibid.
Seruitus vitiorum, & crudelitas inseparabiles in Ecclesiastico. 386,6
Seruus Dei aliquid supererogationis addat supra præcepta. 441,19
Serui otiosi consumunt mensas dominorum. 442,1
Serui sedlui omnia augent. ibid.
Seruorum multitudo iners Deo displicet. 443,2
Seruorum turba vanitati deseruit. ibid.
Seruis qui non eget, Angelus est. ibid.
Serui Dei omnia mandata diligentissimè debent exequi. ibid.
Seruitus est, adhærere rebus temporalibus. 463,23

Seueritas.

Indulgentia seueritati paternæ iuncta salutaris. 308,7
Seueritatem non sibi, sed aliis cupiunt homines. 377,2
Seueritas in proximos maledicta. 383,16
Seueritas in puniendis delictis maximè necessaria iudicibus. 447.2
Seueritas, & iustitia constituunt iudicem. ibid.
Seueritas Dei nescit homines consumere, sed medicinam extrinsecus applicat. 390,13
Seueritas in malos non potest diuino spiritui non esse. 553,6

Signa.

Quæ à Deo homini salutaria. 4,5
Et quæ à lacrymis. ibid.

Simplicitas.

Simplicitas naturalis Deum maximè tenet. 365,5

Simplex.

Simplices Deus maximis benedictionibus implet. 365,5
Simplices, quàm docti, aptiores sunt ad diuina mysteria credenda. ibid.

Simulatio.

Omnis simulatio aliena ab spiritu Christi. 200,21

Singularitas.

Maxima virtus hominis iusti fugere à singularitate. 255,16

Sitis.

Sitis auidissima virtutis suboritur homini verè contrito. 357,2

Societas.

Peccatoris societas etiam in cœlo timenda. 97,14
Magis timenda, quæ peccatoris, & sapientis est. 133,10
Societas hominum fuit Christo amabilis præ omnibus rebus. 462,21
Societas iustorum peccatoribus vtilissima. 351,17
Societati hominum te subtrahe, si salutaribus auris frui velis. 406,2
Nulla est in terris adeò sancta societas, vbi non inueniantur reprobandi. 409,12
in Societate iustorum peccare periculosissimum est. 413,4

Sol.

Solem iustitiæ sibi accedentem habet, qui in via virtutum non hæret. 267,1

Solicitudo.

Solicitudo acquirendi bona temporalia in viro Ecclesiastico turpissima. 263,6
Solicitudo, & cura dominorum erga seruos gratissima Deo. 444,4
Solicitudo animarum salutis, ingens argumentum virtutis. 470
Solicitudines coniugatorum plurimæ sunt in morte. 500,16

Sonus.

Instar soni vani habentur Dei verba ab impiis. 204,5

Sopor.

Sopor omnis ad virtutem citissimè excutiendus. 425,23

Speculum.

Princeps non sit speculum. 46,18

Speculum

Speculum propinquiores præsentat. ibid.

Spiritus.

Spiritu diuino ille agitur, quorum virtus inter aliorum virtutes eminet. 229,7
Et linguæ lapsum cauet. 211,13
Iesus ipse per Spiritum sanctum claruit. ibid. 14
Spiritus Dei omnibus benefacere docet. 332,6
Spiritus Dei est, non hominis, aliorum defectus tegere. 428,30
Spiritus sanctus de sua diuinitate securus, tertius in Trinitate appellari facilè patitur. 366
Spiritus diuinus eò tendit, vt facili, leuique diligentia possimus comparare salutem. 549,19
Spiritus Dei illum æstimat honorem, qui operibus exhibetur. 565,8
Spiritus Christi facit occultissimam etiam malitiam cognosci. 592,12

Spiritualis.

Spiritualis est, qui carnalia facilè despicit. 593,7
Spiritualia faciunt hominem nobilem. 463,1
Spiritualium filiorum multitudo ornamentum est continentium statui. 504,24

Splendor.

Regius splendor à vitæ integritate. 51,15
Nominis splendor maximè æstimatur à celsis animis. 38,2
Mundialis splendor in cineres redactus confringit animos. 61,8
Splendidior iustus post peccatum castigatum, quàm ante ipsum peccatum. 64,13
Tantum splendoris, quantum castitatis. 251,8
Splendor, & dignitas, quæ à diabolo casum affert. 343,4
Qui in aliquo splendet, difficilè se continet. 255,15

Status Religionis.

Status religiosus perfectissimus, qui diu non patitur peccatores. 374,4
Timeat perditionem, qui in perfectionis statu vitam componit, vt ex hominibus plausus accipiat. 505,15
Qui statum religiosum profitentur, viliora solùm necessaria ad vitam sustentandam debent concupiscere. 522,7
Nullus status hominum adeò perfectus, qui malos non contineat. 489,12

Statutum.

Statutum humanum nunquam non defenditur ab hominibus, sine magna segete criminum. 523,6

Sterilitas.

Vnde sterilitas vitiorum, inde fructus gloriæ ex Iesu gladio. 210,2
Sterilitas virtutum siccitatem in anima parit aptam igni. 585,4
Sterilitas in lege antiqua sub Christi cruce fertilitas. 596,3
Sterile beneficium, quod vni duntaxat confertur. 332,5
Sterilitas terræ quale venturum iudicium Dei designat. 589,5

Studiosus.

Studiosus virtutis vel volens Deo pro mille est. 415,5

Studium.

Studium literarum sacrarum necessarium est, ad populorum salutem. 169,11
Qui studia sua non Deo dirigit, perditionis viam terit. 282,2
Scribendorum librorum studium à Deo. 183,55

Stultitia.

Stultitia maxima bona sua cum meretricibus insumere. 569,12
Stultitia maxima cupiditatibus non ponere finem. 330,2
Stultitia est, post semel liberatam vitiorum acerbitatem, ad eam degustandam iterum prosilire. 854,3
Stultitia est, caducis rebus fidere. 544,9
Stultitia est, libenter non offerre Deo, quæ inuitè potest auferre. ibid.
Stultitia maxima, ab antiquitate solùm temporis gloriari. 412,2
Stultus, qui non ea Deo bona quærit. 411,11

Subditus.

Subditorum negotium plus ament Prælati, quam otium contemplationis. 595,4
Subditorum remedium qualiter à Principibus procurandũ. 412,1
Subditi amorem potiùs impendunt. 631,10

Sublimitas.

Sublimitatis appetitus non dat signum salutis. 567,1

Superbus, superbia.

Superbia contra naturam peccat. 167,5
In casu nescit non funditus perire. 278,5
Contexetur. 316,10
Superbia exturbat malos religiosos à Religione. 574,4
Superbia cauenda in prosperitate. 466,5
Superbia dæmoniacum quid. 604,38
Vide *Iactantia, Gloria vana.*

Superior.

Vide *Princeps, Rex, Prælatus.*
Superior diuinum aliquid habere debet. 39
Per seipsos immediatè subditis prouideat. 48,1
Sapientia floreat. ibid.
Caueat ne fiant peccata. 57,2
Propriis necessitatibus parcat, vt de suorum salute curet. 63,11. 141,2
Superior multo honore prosequendus est. 61,7
Perfecti superioris est mala ventura prævidere. 144,5
Largus in beneficiis, parcus vero sis superior in suppliciis. 18,4
Superior à Deo designatus pastor est, non lupus. ibid.
Non tam officij dignitate, quam virtutis operatione cognoscatur superior. 32,14
Caueat ne bonam famam amittat. 38,2
Debet virtutibus florere, quia eius vita patentissima est omnium oculis. 39,4
Non sit acceptor personarum. 36,18
Superiores si fructificare velint, subditos mansuetudine regant. 429,33
à Superiore non est desperandum de salute inferiorum. 470
Superior non adeò fidat ministris, vt per se subditorum actiones non inquirat. 513,6

Supplicium.

Maximum est à Iesu separari. 261,20
Videre propria scelera in sua fœditate. 228,6
Supplicium in peccatores citissimum adest. 14
In Suppliciis inferendis Deus alienum habitum sumit. 10
Acerbissimum supplicium est ne impij videant gloriam Dei. 25
Quo magis supplicium peccatorum differtur, eò grauius puniuntur peccatores. 206,8
Suppliciis suis tolerantiæ commonitores Deus adhibet. 136,7
Maximis criminibus, quàm citissimè inferendum est supplicium. 141,6
Singulari supplicio puniuntur, qui beneficos sibi homines persequuntur. 410,16
Supplicia sceleratorum reipublicæ laus. 574,3
Supplicia malis in bona republica infliguntur. ibid.
Supplicia in proximorum errores moderata esse debent. 431,37
Vt Deus supplicia in peccatores exerceat, omnes deseruiunt creaturæ. 487,9
Vbi deficit confessio, ibi timeri debet ineuitabile supplicium. 495,17
Supplicium vni exhibitum peccatori plures alios expectat. ibid. 18
Supplicium de reis sumptum nunquam penitus malitiam exterminat. 546,10
Supplicium meretur, qui Deum ignorat. 582,15

Suspicio.

Suspiciones de proximis omnino vitandæ. 547,10

Susurro.

Susurrones Deo maximè odibiles. 545,6
Susurrorum efficax malum ad nocendum. 546,7
Susurronum mos, proximorum defectus amplificare. 349,14

T

Talio.

Talione Deus homines punit. 552,19

Telum.

Telum grauissimum ad perdendas animas fames est. 52,11

Templum.

Ædificatores templorum Deo acceptissimi. 175,20
Homo non est, quem vel templi locus ad Deum non conuersat. 188
Templorum reuerentia quanta. 576,2
Irreuerentia cauenda. 609,4
Miserum est, quòd vel sub templi maiestate non abscedat à vitiis. ibid.

Temporalis.

Temporalia bona pauperiem secum afferunt. 591,3
Omnem Dei memoriam in hominibus delent. 592,4
Temporalia bona qui facilè despicit spiritualis est. 593,7
Temporalibus bonis inhærere, vt Deum non sequamur, inexcusabile malum. 403,9
Temporalibus hominibus annexa semper mendacia. 403,12
Temporalia omnia aliena sunt, non hominis. 461,21
Temporalibus adhærere seruitus est. 463,13
Temporalibus adhærentes viam cœlestem fastidiunt. ibid.
Temporalia bona non tam ornant, quàm designant perditioni homines impios. 512
Dum sibi temporalia seruet peccator, mallet Deum perire. 478,20
Temporalia bona pro cœlestibus amittere, summa prudentia.
Temporalis hominis manus remotissima loca pertingit. 572,5

Tempus.

Breuissimum apparebit in Iesu conspectu. 302,14
Quoduis, etiam postremum potest esse primum. 256
Tempore mortis omnis virtutum abundantia ostendenda. 398,1
Temporis damna facilè recuperat virtus. 460,17
Temporis tarditas nihil obest, si adsit diligentia. 463,25
Tempore aduerso animositas laudabilis. 466,5
Quoduis tempus breuissimum reputat impius timore supplicij. 513,7

Tenebræ.

Nullæ horribiliores, quàm quæ à Deo non separant. 15,13

Inter mundi tenebras Deum cognoscere summa sapientia est. 32,15

Tentatio.

Tentationes vilescunt animo ad illas præparato. 30,10
Tentatio æmulatione quadam gratiæ se opponit. 347
Tentatio nunquam hominis vires excedit. 348,12
Tentationes non superātur, nisi adsit confidēria, & alacritas. 511,3
Tentatio ferire nequit hominem virtutū operibus intentū 385,4
Tentationes in virtutum initiis salutares. 580,10

Terra.

Terra fructifera, & fœcunda datur miti, & mansueto viro. 51,8
Omnem terram, vel vnus iustus condire valet. 59,3
Terræ prouentibus inuigilet rex, & totum regnum inexpugnabile faciat. 63,12
Dum in terra sunt, etiam sanctissimi indigēt purgatione. 211,3
in Terris nullum secretum. 413,3
Terrena quisquis despicis, Deum extollis. 429,32
Terrenæ voluptates horrori sunt diuinam suauitatem expertis. 436,9
Terræ supplicium est stabilitas sua. 457,10
Terrena omnia nihil omnino sunt. ibid. 11
Qui terrenis incumbunt, tantò miserabiliores sunt, quantò diutius viuunt. ibid 10
Terrenis bonis deseruienti sepulturæ requies negatur. 523,9
à Terrenis abscedat, qui vitalissimi Dei spiritus vult in se sentire virtutem. 542,6
Terræ sterilitas triste Dei iudicium annunciat. 589,5

Theresia.

Beatæ Theresiæ præstantia. 366,7

Thesaurus.

Thesaurus Christi est super omnem fidem præstitam. 199,20

Timor.

Non timet mortem, qui Deum amat. 208,14
Timores omnes abigit oratio ad Deum. 269,4
Timor ipsa morte grauior est. 5,10
Iudicij timor colligit iustos, & asserit in tuto. 11,7
Futuri mali timor nos solicitet in malis præsentibus. 6,11
Thesaurus Dei in humanitate absc͠oditus omnibus patet. 363,1
Thesaurum diuini amoris mors in nobis demetat in mortalia horrea. 398
Thesaurus salutis æternæ non eripitur nisi voluntariis. 611,9

Timor.

Timor futuri iudicij maximum animæ supplicium. 378,4
Timor mortis ipsa morte peior. ibid.
Timoris plenus, pecuniæ affectus. 466,5
Qui omnem timorē excludunt à se, pessimi solent esse. 483,32
Timor, & amor militant spiritui diuino. 553,6
Timor supplicij, & spes præmij continent homines. 627,8

Tolerantia.

Laborum tolerantia omnia impetrat. 27,5
Omni alio miraculoso opere præstantior. 28,7
Ipsissima Dei natura exhibetur, quasi visibilis in ea. ibid.
Solet Deus suppliciis suis, tolerantiæ commonitores adhibere. 136,7
Tolerantiæ tenor exprimebat in Christo paternæ patientiæ Infinitudinem. 388

Tormentum.

Minus affligit longum huius vitæ tormentum, quàm delectat etiam breuissima consolatio diuina. 21,10
Tormentum est iusto comparari cum brutesecentibus hominibus. 63,12

Torpor.

Torpor nullus ad virtutem, vbi cœlestia gustauerimus. 356,2

Tribulatio.

Patienter tolerata facilè omnia impetrat. 27,5
Diuinum auxilium ad se trahunt. ibid.
Animo præparato nullæ. 30,10
Reddunt hominem Angelis superiorem. 33,16
Felices quas Deus consolatur. 51,9
Omnis vtilis viro iusto. 227
Tribulationes lucem afferunt hominibus, qua sibi necessaria clariùs videant. 532,6
Vide *Labor, Afflictio*, &c.

Tribunal.

Tunc iudicij tribunalia perfecta, cùm nec vilissimæ reculæ sinuntur sub iniuria viuere. 231,11
Tribunalia prædones implent. 410,8
Humanum tribunal seueriùs exardescit in pauperes, quàm in diuites. 479,23
In humano tribunali sæpe mali triumphant. 480,25

Tributum.

Tributorum exactores nequiores, quàm milites. 275,7
Tributa moderata regium splendorem ornant. 625,5

Trinitas.

Diuinissimæ Trinitatis, vel adumbratio fundamentum est humanæ felicitatis 140,4
in Trinitatis beatissimæ notitia omnium rerum abundantia. 599,7

Tristitia.

Tristitia in virtute infirmam fidem denotat. 91,4
A creaturis oritur. ibid.

Triumphus.

Electorum nomina nunquam sine re triumphi. 318,13
Triumphus Christianorum inimicis benefacere. 78,4

Turris.

Munitissima fit de laboribus nostris aduersùs hostes. 212,2

Turtur.

Turturem imitetur pretiosa Deo castitas. 368,10

Tyrannus.

Defatigabitur potius torquendo iustos, quàm eorum patientia. 13,11
Tyrannus est, quisquis inauditum reum damnat. 435,5. 599,9

V

Vacca.

Vacca lasciuum animal. 418
Non vaticiniis, sed laboribus gubernandæ animæ. 409,8

Valentinus.

Valentini sæculo barbaro Christiani inaudiri plectebantur. 349

Vana gloria.

Vana gloria omnium est vitiorum mater. 166,4
Vide *Gloria vana, Iactantia, Superbia.*

Vanitas.

Vanitas, & mendacium affectæ bonorum temporalium. 403,12

Varietas, Variare.

Virtutis res variari debet, vt ab infirmis ametur. 140,4
Iustus studeat virtutum varietati. 256,16

Velamen.

Velamen pulchritudinis obiiciatur. 568,11

Velocitas.

Velocitas in conuertendo ad Deum, primas apud ipsum promeretur. 463,23

Venia.

Venia peccatorum facillimè propriis meritis conceditur, alienis difficilè. 358,5

Verax, Verus.

Verax est, qui solum Deum respicit. 614,2
Verum, & solidum non est in mundialibus. 626,7

Verbum.

Verbum Christi asperum grauius gehenna. 22,12
Verba detractoris sagittæ. 39,4
Verba blanda adulatoris. 41,7
Verbis addenda opera. 67,21
Verborum lapsum prorsus cauere à solo Deo venit. 231,13
Verba gratiosa, & suauia. 285,8
Verbi diuini seminator nihil aliud curet. 329,1
Omnium mundialium curarum solicitudinem deponat. ibid.
Caueat alio diuerti, aut alibi, quàm inter sata reperiri. ibid.
Verbi diuini excellentia. ibid.
Verbo Dei seminando omnis doctrinæ, scientiæque talentum insumatur. ibid.
Verbi Dei efficacia. 332,5
Verbum Dei fluuio Indo simile. ibid.
Vel lapides in riuos aquarum conuertit. ibid.
Verbum Dei in corde admissum otia nescit. 336,12
Verbum Dei nequit intrare corda diuitiarum cupiditatibus possessa. 337,14
Verbum Dei efficax monstrare præstantiam Dei. 339,18
Verbis simplicibus referendi proximorum errores. 349,14
Verba aucta, & iocosa circa res turpes cor obdurant. 410,13
Verba hominis de se loquentis mendacia. 446,7
Verba vrbana, & examinata in concionatoribus repugnant cruci Christi. 455,7
Verbum Dei difficillimè amplectuntur mundani homines. 475,13
Verba adulatoria perditionem inducunt. 506,26
Dei verbum validissimum ad conuertendas animas. 528,21
à Verbo Dei præstantissimum ornatum excipimus. 503,22
Semper cum verbo Dei audito stat aliquod signum salutis. ibid. 21
Verbum Dei fructuosum est in iis, qui Dei ductum sequuntur. 601,35
Verba contumeliosa non parua pars Christi passionis. ibid. 36
Verba Dei in animis impiorum instar soni vacui. 204,5
Vel Dei verbulum penè inamissibilem causat gratiam. 203,3

Verecundia.

Inter prima virtutum auspicia. 290,3
Verecundiæ affectus vbi est, ibi & sanitas est. 477,19
Verecundia ingenuo animo maximum supplicium. 436,8

Veritas.

A palatiis, & aulis exulat. 39,5. & seq. Eius excellentia. ibid.
Defœcata fugit regem, à quo fauores veniunt. 41,7
Caueat proprium cerebrum, qui veritatem cupit pertingere. 44,13. Simplicissima propria Christi. 200,21
Etiam in Dæmone muneratur à Deo. ibid.

Vbi

Vbi veritas, nil non sanctum,& diuinum. 231,12
Veritatis præco malè audit apud mundiales. 252,11
Veritatis ministerium corrumpitur cupiditate bonorum temporalium. 299,13
Differentia doctorum placita valde conducunt ad veritatem fidei propagandam. 293,2
Veritatis vis validissima, vt homines trahat. 602,34
Veritatem inter verisimilia inuenire difficillimum. 262,5
Veritas mundi larua, vel somnium. ibid.
Veritatis iacturam faciunt, qui ex instituto doctrinas aliorum iniquo lacessunt odio. 374,6
Veritas in temporalium hominum ore obnubilata. 403,12
Veritas in hominibus de se loquentibus contraria est verbis. 446,6
Veritate nutritur iustitia, eatet partialitate. 578,7
Veritas, & Deus inseparabiles. ibid.

Vestis.

Sacræ vestes plurimum valent ad benedictionem cœlestem impetrandam. 14,14

Vetus.

Quidquid veteris hominis maneat in renouatione vitæ periculosum est. 311,11

Vetustas.

Vetustati non nimis adhærendum. 569,4

Via.

Via est Iesus. 193,9
Via perditionis teritur ab eo, qui studia sua non Deo, sed tempori dirigit. 382,2
Viæ adolescentum omninò ignorantur. 416,4
Vias cœli angustas deserentes in mundi latitudine pereunt. 284,2
Per viam mandatorum paucissimi nobilium gradiuntur. 464
Viam salutis ingredientes amœnissimo vultu Deus respicit. 425,24

Victima.

Victima præcox Deo acceptissima. 406,1

Victoria.

Adolescentum victoriæ apud Deum gloriosæ. 259,23
Perfecta mundi victoria non sine magno labore. 272
Ad consequendam tentationum victoriam pugnandum est cum animositate. 511,3
Victoriæ carnis voluptatibus reportatæ maximè viros commendant 426,26
Victoria inueterati criminis primas tenet in triumpho de peccatis. 458,12

Vidua.

Deum curatorem suum habet. 171,14

Vigilans, Vigilantia.

Vigilantis animi mors, non dicenda mors. 261,1
Vigilans nunquam vllus læsus est. 344,4
Vigilantes oculos fugit inimicus. ibid.
Vigilantia efficax armatura contra diabolum. ibid.

Vilitas.

Vilitas personæ nihil obest gratiæ Dei, quominus magna operetur in ea. 404,15
Vilissimus est, qui terrenis adhæret. 464,2

Villicus.

Villicus iniquitatis imitandus peccatoribus proponitur. 432,1.16

Vincula.

Faciunt Christianos innoxios à voluptate. 26,3
Eorum tolerantia præstantissimum opus. 28,7
Christi Deitas in vinculis magis apparet. ibid.
Reddunt homines Angelis superiores. 33,

Vindicans, Vindicta.

Vindicta præceps iustitiæ leges calcat. 281,12
Vindicta iniuriarum maledicta. 383,16
Vindicans iniurias suas, iniurius est in Deum. ibid.
in Vindicta peccatorum propria incommoda respicere, proprium est hominis, non Dei. 395,2
Ad vindictam Dei in peccatores vniuersæ militant creaturæ. 487,9
Lenta vindicta correctionem patit. 382,13

Vinum.

Parit iras, & crudelitates. 266,10
Vino deditì crudeles sunt. 475,12

Vir.

Viri fortis facinus, quòd sciat etiam fugere. 149,1
Eius fuga etiam gloriosa. 150,2
Viri religiosi contumeliis superiores. 152,6
Viros etiam præstantes inficiunt laudum blandimenta. 306,2
Vir perfectus non tam curet de verbis, quàm de operibus. 487,7
Viris iustis in morte nuptiæ celebrantur. 501,18
Viri spirituales instruere debent peccatores in via virtutum 470,3
Viri spirituales resurgunt validiores à peccato. ibid 2
Spirituales viri hostibus benefaciunt. 478,21

Virgo, Virginitas:

Vbi est nullum pondus. 251
Lucidissimis fœcunda partubus. 252,10
Vide *Castitas*
Per beatam Virginem nihil non salutare. 11,7
Ex beata Virgine traxit Iesus etiam, quod benefaciat inimicis. 78,5
Virgo Maria originalis iustitiæ tessera. 360,3
Virginitas exterior sine interna nihil apud Deum valet. 365,4
Virginitas rara virtus in terra, rarisque concessa. 367,8
Virginitatis singularis excellentia. ibid.
Virginitatis typus phœnix ob singularitatem. ibid.
Virginitas cœlestibus flammis custodienda. ibid.
Virginitas nulla est, quam charitas non incingit. ibid.9
Virginitas Deo pretiosa nihil præter Deum in se admittit. 368,10
Omnia mundialia abiicit. ibid.
Virginitas gloriæ cœlestis imago est. 493,1
Virginitatis comes esse solet cõstans animus fidei seruandæ. ibid. 2
à Virginitate splendorem accipit regnum, licèt magnificum. 494,3
Virginitas designat homines ad cœlestem gloriam approximari. ibid 4
Qui in virginitate conformis est Christo, hic aptus est ad sumendam Eucharistiam. 495,5
Secus lasciui. ibid.
De Virginis Mariæ consortiò apparet Iesus beneficus hominibus. 496,8
De Virgine Maria, vt de Matre prosiliunt virginũ chori. ibid. 9
Gratiùs in virginitatem curritur, vbi corporum resurrectio suadetur. 500,15
Virginum requies in morte plurima est. ibid. 16
Virginitas magnum ornamentum est humanæ naturæ. 504,23
Virgo Maria mater est prædestinatorum. ibid. 24
Virginum statui splendidissimus ornatus est multitudo filiorum spiritualium. idid.
Virgineus venter speculo comparatur. 359
Virginitas quæ non venditur, velet pulchritudinem suam. 568,11
Promptissima est ad omnia Dei obsequia percurrenda. 629,13
Ipsa sibi, & aliis tutela est. ibid. 14

Virtus.

in Virtututum progressu non qui destruit, sed qui ædificat Deum allicit. 93,6
Christianæ virtutis fulgor sub cinerea aspergine claret. 94,8
Ad fortia virtutum opera imbecilles, qui mammonæ seruiunt. 99,19
Nisi quis in virtute deficiat, nõ illi deficiet Dei largitas. 115,10
Ex intimis virtutum operibus, quis est censendus. 118,17
Virtutes paulatim amplectendæ. 123,28
Labores pro virtute obtinenda Deo gratissimi. 127,2
Quod virtuti postponis non perdis, sed ad salutem animæ inueniendum apud Deum reponis. 129,5
Ex virtute verus honor apud Deum. 134,4
Pœna coactè ob virtutem suscepta feralis lanienæ speciem habet. 143,4
in Virtutis via semper progrediendum. 12,9 41,8
Virtutes omnes pugnant, sola misericordia trophæa erigit. 21,9
Sine ea omnes aliæ virtutes, quasi sine gloria videntur. ibid.
Virtutis via arripienda non quam occasio offert, sed quam seriæ electionis, & affectus pondus patit. 29,9
Virtutum initia præstantia diuinis elogiis commendantur. 30,11
in Virtute à pueritia habita aliquid diuinitatis ostenditur. ibid.
Minimam aliorum virtutem sibi superiorem cognoscere summæ argumentum sanctitatis est. 31,13
Virtutis via ab omnibus terrenis vitiis maledictis impetitur. 39,3
Iustus omnibus virtutibus adquirendis studeat. 41,8. 256,17
Præstantes virtute filij maximam parentibus gloriam accumulant. 43,12
Summum virtutis attigit beneficiorum memor. 45,16
Virtus quæ à Deo laudatur vera, & permanens. 47,20
Nec virtutum minima despicienda sunt. 54,13
Semel acceptus virtutis sapor conseruandus est, ni velis saluatori odiosus esse. 58,2
Virtus non est, quæ nullis externis operibus non probabitur. 65, 17.224
in Virtute amplectenda aliorum vestigia sequi oportet. 72
Ille triumphat in virtute, qui vltra debitum semper addit. 77,2
in Virtute nullus sit terminus. 81
Virtutum coronas humanæ laudes furantur. 83,1
Dum te virtutes tuæ lateant, omnibus manifestæ esse possunt. 83,3
Verus virtutis cultor, quæ in illa sunt tristitia dissimulat. 91,3
Tristitia in virtutis opere infirmitatem fidei arguit. 91,4
Virtus ficta hospitatorem sui exugit, ditat vera. 95,10
Qui perfecto corde virtutem colunt, temporali alimento carere non possunt. 171,14
Intimis animi virtutibus plus fidere, quam externis ceremoniis Christianum est. 177,25
Nec Deus, nec virtus exaltantur, & glorificantur vbi opera non sunt. 198,18
In quo virtus Christiana non regnat, habentur verba Dei instar soni vani. 204,5
Difficultas in virtutis opere non ex Deo nascitur, sed ex affectu nostro. 205,6
Vera animæ virtus præ omnibus aliis æstimanda. 212,7
Virtuosi operis præstantia inde maximè sumitur, quod fiat propter Iesum

Iesum, pro Deo, & virtute incurrimus odium mundi. 228,18

Virtutis opera, sine quibus nemo bonus, ostendunt qualis quis sit. Ille diuino spiritu agitur, cuius virtus non solum inter vitia, sed & inter aliorum virtutes excellere nititur. 229,7. Ea est excellentissima virtus, quæ non solum in oculis præceptoris, verum discisque existit. 230,10. Cætera virtutis opera nos seruos notant, oratio ostendit liberos. 238,1

Virtutis res variari debet, vt ab infirmis ametur. 240,4

Virtutis præmium est ab cæteris prædicari. 318,13

Virtus diuina euidens fit in dignoscendis hominum præcordiis. 244,10

Virtus maxima hominis Iusti, quod in nullo velit à communitatis multitudine eximi. 255,16. Multiplici virtutum varietati studeat iustus. 256,17. Infirmus non statim in fortissimis exercendus. 309,9. Regalissima, diuinissimáque virtus est pascendis occurrere animabus. 257,20. Qui in virtutis via non stat, sed ambulat, accedentem sibi habet iustitiæ Solem. 267,1. Præstantior virtus propinquis prius prouidet. 271,9. Religiosi magis vident virtutes aliorum. 327,5

Virtus animi constantis trahit ad se omnium corda 277,2. Homines infimæ virtutis in hoc viuunt, si pastoris voci percipiendæ incumbant 284,6. Non qui felix stat, sed qui pressus iacet, potest suas virtutes publicare. 289,2. Qui sapit, non in se solo videt virtutes, sed in alio 290,3. Inter prima virtutum auspicia, verecundia est, & modestus pudor, quo Deo sistitur homo. ibid.

Virtus opus quò præstantius, eo magis debet occultari 290,5. vbi charitas deest, cæteræ virtutes abeunt in corruptionem. 291,7. Qui pro virtute mille conflictus sustinuerit, bene tractat hominum culturam 296,6. Locus in quo primi virtutis progressus inceperunt, non facile dimittendus. 297,8. Qui fructus metere cupit, vnam æstimet virtutem, quæ ex fide 303,3. Alienum est à virtute virili, Dei inspirationes operibus exhibere. ibid. 4

Virtutes præstantissimorum sociantur reproborum gregibus, vbi eos tangit inuidia. 305,1

Plus incumbendum interioribus virtutibus, vt securioribus ab ambitione, quam exterioribus. 306,3

Religiosi instituti, quæ apparent imperfectiones non mordendæ, vt quæ possunt esse virtutis præstantioris facinora. 307,4

Iniquissimum est in te solas virtutes videre, in proximo solos defectus. ibid 5

Virtus multiplex exprimit Deum. 628,11

Virtutes occultandæ. 333,7

Virtus vulgata perit. ibid.

Vitia virtutem produnt. ibid

Vitiositas cordis à virtutis manifestatione publicatur. ibid

Virtus occultata decor, & fortitudo animæ. ibid. Quisquis virtutem amas, vel communes mundi vias fuge. 334,9

Virtutem deserere, extremæ obstinationis signum. 335,10

Virtutis præmia perpetua. 336,12

Virtutis opera miraculis præstantiora. 337,15

Virtus non aliter clariùs emicat, quàm præsentaneo bonorum operum fructu. ibid

Virtus laboribus firmata tentationum impetum facilè sustinet. 339,19

Virtus florido splendori innixa facilè corruit. ibid.

Durioribus assueta virtus victorias adipiscitur. ibid.

Virtus duratura multo animi cõsilio, & examine tuenda. 340,20

Virtus, quò maior, eò validiùs ab hoste impugnatur. 346,9

Vitia virtutibus callidè admista, nocentissima. ibid.

Vitia aliorum non respicienda, sed virtutes. 348,11

Virtutes sociorum impios velut vincula ligant. 351,17

Virtutis viam quisquis ingreditur, infantiæ suæ meminerit. 354,4

Virtus non subitò perficitur; sed suam quoque habet infantiam. ibid. In virtute assiduè crescamus. ibid.

Virtutis fastidia mortem generant. 355,1

Deum ad iras concitant. ibid.

Virtutis fastidia pellit rerum cœlestium notitia. ibid.

Virtutis Insuauitatem si lenire velis, cœlestia contemplare. ibid.

Virtutis famem excitat Christus in cruce contritus. 357,4

Virtutibus propriis Deum promereamur nobis. ibid.

Vulnera Christi incitamentum ad virtutem. ibid.

Virtus duratura in Christi cruce sibi sedem statuat. 359,8

Virtutis amator familiares suos sibi similes reddere cupit ibid.

Quidquid libidini subiicere potest, subiiciat. 368,11. Nouitius virtutum splendor perpetuò seruandus. 376,8

In virtute viriditas seruanda, vetustas fugienda. ibid.

Virtus olim exercita peccatorem iuuat ad mouendum Deum ad misericordiam. 380,10

Virtutem semel amplexam qui deserit, timeat sibi. 384

Virtus hominem contra hostium iacula munit. 385,4

Virtus in quocunque imitanda est 289,12

Virtus Gentilium efficacissima est ad excitandum ad eam Christianos. ibid.

Virtus parentum in filios transmittitur. 395,1

Virtutis fructus Christi crux maturat 396,3

Virtutibus in tempore mortis maximè abundandum. 398,1

Virtus nõ solùm in claustro, sed etiam in ipso mundo elucet. 405,17. In virtutis negotio nunquam finias. 600,29. 607,1

Virtutes parentum præ oculis habendæ. 611,8

Virtutibus solis nititur Dei spiritus. 611

Virtutis opera faciunt gratiam nostram perpetuam. 417,6

Inter virtutum opera nulla nuditas erubescenda. 379,6

Virtus primaria præcipuis fauoribus a Deo amatur. 428,31

Virtutem sero capessentes difficillimè salutem cõsequuntur. 457,11. Ad perseuerantiam in virtute senectus inutilis est. 461

Ab adolescentia virtus capessenda. ibid.

Virtutis præstantissimæ argumentum est ardores voluptatum superare. ibid. In futura vita id solùm inueniemus, quod in hac virtutum operibus emerimus. ibid 10

Virtutis sectatoribus suspectus esse debet pecuniæ affectus 466,6

Virtutis augmentum in Eucharistia. 468,11

Virtutis amatores vicinorum languentium fugiunt augmentum. ibid.

Virtutis augmentum solet prouenire à peccato spiritualibus vitiis. 470,2

Virtutis facinora in nobis exprimit crux Christi. 472,7

Virtus Christi crucis ad ferendos homines in salutem ingens est. 474,10

Virtus non pensanda vetustate temporum 476

Operibus virtutum, illarum exercitium redditur facilius. 499,13 Fit insolerabilis remissione. ibid.

Qui non alacriter virtutem amplectuntur, vix sciunt placere Deo. ibid. 14

Quæ ad virtutem spectant suscipienda sunt alacritate, vt prodesse possint. 511,3

Virtuti plurimum obest abundantia rerum. 520,4

Virtus apparenter solum reperitur in peccatore. 317,14

Ad virtutis augmentum assequendum oportet aggredi illustriora virtutum opera. 511,4

Vnus virtutis studiosus Deo est pro ingenti multitudine. 413,5

Inter virtutis amatores peccare periculosissimum. ibid.

Virtutum propugnatores fortissimi sunt, qui necessitati, non voluptati indulgent. 336,3

In re virtutis necessariora curanda. 563,4

Virtutes internæ æstimandæ præ aliis. 565,9

Virtutis doctrinam fugit per domesticos gloriosum. 378,6

Euidentes proximi virtutes qui non videt, hostis est. 612

Vis.

Vis meditationis tanta, vt sibi faciat esse quod meditatur. 191,6

Visio. Visibile.

Visibilia Dei dona pretiosioribus internis abundant. 364,3

Damnati rabidissima concupiscentia visionis Dei cruciabuntur. 309,33

Visus.

Vel solo visu aduersarios debellant viri iusti. 210,1

Vita.

in Vitam præsentem insanire proprium est prudentiæ iustorum. 184

Vel in hoc vita humana misera est, quod non præsentiat damna futura 188,4

Qui à Christo Iesu deuiat verè, nec est, nec viuit. 193,9

Vera vita non est, nisi in Iesu via. ibid.

Omnia sunt insufficientia, vt homo viuere possit, nisi paternum, quid in Deo experiatur. 195,12

Ministri Principum, vel ipsius frontis iudicio ostendant indolem electæ vitæ. 197,15

Vt possis viuere in futuro, nihil sit tibi magis voluntarium in præsenti quam mortificatio. 501,23

In exitu vitæ etiam feruentissimos Dei amatores remoratur contemptus diuinorum præceptorum. 209,15

Dum in hac vita sunt, etiam sanctissimi indigent purgatione, & scissione. 211,3

Dum vita cœlestis non perditur, parua, & minima quæuis alia detrimenta. 233,1

Ab exitu huius vitæ, & ingressu futuræ claret vera nobilitas, & gloria hominis. 281,1

Vitæ duritiies, & asperitas hominem suauiter confirmat. 304,5

Vbi aliquid vetusti hominis manet in renouatione vitæ, non potest non ruina timeri. 311,11

In nouitate vitæ ambulandum ei, qui vult homines trahere ad vitam. ibid 12

Non est vita sine luctu, vbi Deus abest. 52,10

Familiæ Principum legalissimam vitam agunt. 67,10

Vitæ ratio per notos virtutum calles. 72,8

Vita ex oculis censetur. 98

Res inanimatæ à Iesu vitam halant. 117,13

A cœlesti cibo vita. 113,27

in Vita salutis negotium perage. 142,8

Vita hominum illa solum numeratur, quam sub gratia viuimus. 353,2

Vita peccatorum non existit. ibid.

Vita peccatorum argumentum diuinæ potentiæ, non minùs quàm vita mortuorum. 397,5

In vltima vita diuini amoris præcipuæ diuitiæ ostendendæ. 398,1

In vita latiore aliquando Deus magis quàm in stricta colitur. 405,17

In præsenti vita prouideamus abundantiæ in alia futuræ. 441,19

Vitæ præsenti qui solùm studens, immemores futuræ, inutiles omnino sunt, imò bruta sunt. 456,9

Vita terrenis curis immersa eò miserabilior, quo longior. 457,10

Vitæ diuturnitas pro supplicio datur terrenis hominibus. ibid.
Vita longæua inferno similis est. ibid.
In futura vita id solum inueniemus, quod in hac virtutum operibus emerimus. 461,10
In hac vita non nisi in tua ibis. ibid.
Migraturus ex hac vita, ne in alia dona, seu beneficia expectes, sed solùm tibi debita. ibid.
In futura vita homo est quasi in propriis, in hac quasi in alienis. 462,12
Spiritualis hominum vita de lethali vulnere fructuosius solet resurgere. 470,2
in Vitam æternam ingentem multitudinem traxit passio Dominica. 474,10
Vita est, & sanitas hominum Christus. 477,18
Vitæ finis efficax est ad trahendos homines ad Deum. 489,11
Vitæ tempus breuissimum reputant impij metu supplicij. 513,6
Qui paupertatem vouerunt, vilissima solùm, necessariáque ad vitam sustentandam debent optare. 522,7
Vita Christiani mortem qualem venturam designat. 584
Suauior vita, quæ à terrenis separatur. 618,12

Vitia.

Sæuissima sunt. 97,15
Quæ sapientum sunt, magis fugienda. 137,10
Curandum magis ne fiant. 58,1
Ad illorum expugnationem Ecclesiasticus fias, non ad lucrum. 64,15
Felicia omnia in eo, qui aduersatur vitiis. 74,4
Rari in vitiis non patrissant. 117,16
Vitia hominum fouet, & alit vana gloria. 166,4
Vitia dominorum à subditis ebibuntur. 172,17
Vitiorum extrinsecus splendor, despiciendus. 178,16
Vitia penetret intrinsecus, qui velit lucrum reportare. ibid.
Vbi regnat vitium, habentur verba Dei instar vani soni. 204,5
Vnde vitiorum sterilitas oriebatur, inde gloriæ fructus suis parat diuinus gladius. 184
Vitia virtutem produnt. 333,7
Vitia qui fugit, omnes occasiones vitet. 334,9
Vitia virtutibus callidè admixta nocentissima. 346,9
Vitia aliorum non respicienda, sed virtutes. 348,11
Vitia in proximis aliquando dissimulanda. 350,15
Vitia non semper ad exactam legum seueritatem punienda. ibid.
in Vitia vltrò prouehere turpissimum. 354,3
Vitia fratrum non nisi cum ipsorum virtutibus consideranda. 386,5
Vitia nequeunt suis sectatoribus nisi mortem præstare. 392,5
Vitia deserere, quàm sepulchrum, difficilius est. 397,5
Vitia spinis suis homines ad virtutes compellunt. 404
Vitia inueterata vincere proprium est omnipotentiæ Dei. 458,12
Vitia augeri solent pace diuturna.
Inueterata in aliquo vitio consuetudo facile trahit hominem in perditionem. 508,31
Vitiis seruire, & laboribus angi miserrimum. 609

Vitrum.

Vitrum flexibile sub Tyberio factum. 417,6
Vitro ludibria oculorum multiplicanti similia bona terrena. 411

Vltio.

Grauissima vltio est, quæ ad mensuram hominis fit. 103,16

Vltor.

Vltor iniuriarum nostrarum Deus. 383,16

Vmbra.

Qui Deum sub vmbris colit, eum manifestum videbit. 320,3

Vnitas. vnio.

Vbi vnitas, & concordia, ibi claritas. 232,15
Vnionis fraternæ amator, qui Deo propinquus est. 71,6
Vni collocata beneficia pereunt, pluribus congesta perenant. 312
Vnitas quidquid vult, assequitur. 414,8

Vocatio.

Vocationi Dei pulsanti illicò assurgamus, neque enim semper adest. 454,5
Vocationes Dei momento præeunt. ibid.
Vocem Dei diligentissimè audi. ibid.

Voluntas.

Voluntates humanas, vel minima Iesu bona possunt explere. 190,20

Voluptas.

Voluptatum simulacra caueant pij homines. 26,3
Inter voluptatum lenocinia viam saluti tenere excellentissimum. 32,15
Sapientes mundi ad voluptates. 42,9
Voluptas nil non grauat. 110,1
vt Voluptas expugnetur, omnibus virtutum armis indiges. 315,8
In quibus voluptatem capiebamus, in eisdem torquebimur. 252
Voluptatum amor Ionem indigna subire coëgit. 369,12
Voluptas carnalis omnem pudorem ab animo excludit. 403,13
Voluptas nulla in rebus carnali affectu partis. 411,11
Voluptas ex rebus cœlestibus diutissime durat. ibid.
Voluptates mundi laboriosæ sunt diuinam suauitatem expertis. 436,9
Voluptatum victores gloriosissimum triumphum agent. 460,18
Voluptates carnis faciliùs superantur, vbi corporum resurrectio memoriæ commendatur. 499,14
Voluptates peccatorum non minori pœna punientur. 524
Voluptates humanæ non valent implere humana corda. 531,5
Virtutis præstantissimæ augmentum, ardores voluptatum superare. 460,18
Voluptati non seruiendum, sed necessitati. 136,3

Votum.

Vota in pressura concepta non amplius meminit fœmineus reproborum animus. 200
Impiorum vota non differunt ab homicidiis. 179,18
Vota Deo odiosa, quæ partialitatem olent 294
Vota hominum ipsa adimpletione puniuntur. 392

Vox.

Voces contumeliosæ nihil faciendæ, vt spurcissimæ. 98,17
Vox salutaris facit sentiri proximum. 281,8
Otia Christi ad solam vocem exsurgit 281,7
Vox sine operibus proxima occasui. 385

Vtilitas.

Vtilitas summa homini, de Deo cogitare. 384,1
Magna vtilitas hominum est, Deum præ oculis habere. 474,11

Vulnus.

Vulnera à Deo infliguntur ad fructus. 210,2
Iesu vulnera sunt nobis refugia. 219,13
Tot ciuæ, & gloriosæ palmæ, quot vulnera pro Iesu. ibid.
Vulnera Christi fossa, in qua à Dei ira abscondimur. 396,3
Per vulnera Christi ad omnia eius bona introducimur. 420,9
Qui vulneribus Christi adhæret, nullius eget. ibid.
Vulnera Christi foramina, per quæ in cœlum ingredimur. ibid.

Vultus.

Vel ipsius vultus iudicio ostenditur innocentia vitæ. 197,15

Vxor.

Vxoris bona ab omni spoliatione leges liberant. 379,8

FINIS TOTIVS OPERIS.

Iesum, pro Deo, & virtute incurrimus odium mundi. 222,18

Virtutis opera, sine quibus nemo bonus, ostendunt qualis quis sit. Ille diuino spiritu agitur, cuius virtus non solum inter viros, sed & inter aliorum virtutes excellere nititur. 229,7. Ea est excellentissima virtus, quæ non solum in oculis præceptoris, viridisque existit. 230,10. Cætera virtutis opera nos sanos notant, orat monstendit liberos. 238,1

Virtutis res variari debet, vt ab infirmis ametur. 240,4

Virtutis præmium est ab exteris prædicari. 318,13

Virtus diuina euidens sit in dignoscendis hominum præcordiis. 244,10

Virtus maxima hominis iusti, quod in nullo velit à communitaris multitudine eximi. 255,16. Multiplici virtutum varietati studeat iustus. 256,17. Infirmus non statim in fortissimis exercendus. 309,9. Regalissima, diuinissimáque virtus est parendis occurrere animabus. 257,20. Qui in virtutis via non stat, sed ambulat, accedentem sibi habet iustitiæ Solem. 267,1. Præstantiae virtus propinquiv prius prouidet. 271,9. Religiosi magis vident virtutes aliorum. 327,5

Virtus animi constantis trahit ad se omnium corda 277,2. Homines infirmæ virtutis in hoc viuunt, si pastoris voci percipiendæ incumbant 284,6. Non qui felix stat, sed qui pressus iacet, potest suas virtutes publicare. 289,2. Qui sapit, non in se solo videt virtutes, sed in alio 290,3. Inter prima virtutum auspicia, verecundia est, & modestus pudor, quo Deo sistitur homo. ibid.

Virtus opus quò præstantius, eo magis debet occultari 290,5. vbi charitas deest, cæteræ virtutes abeunt in corruptionem. 291,7. Qui pro virtute mille conflictus sustinuerit, bene tractat hominum culturam 296,6. Locus in quo primi virtutis progressus inceperunt, non facile dimittendus. 297,8. Qui fructus metere cupit, vnam æstimet virtutem, quæ ex fide 303,3. Alienum est à virtute virili, Dei inspirationes operibus exhibere. ibid. 4

Virtutes præstantissimorum sociantur reproborum gregibus, vbi eos tangit inuidia. 303,1

Plus incumbendum interioribus virtutibus, vt securioribus ab ambitione, quam exterioribus. 306,3

Religiosi instituti, quæ apparent imperfectiones non mundandæ, vt quæ possunt esse virtutis præstantioris facinora. 307,4

Iniquissimum est in te solas virtutes videre, in proximo solos defectus. ibid 5

Virtus multiplex exprimit Deum. 628,11

Virtutes occultandæ. 333,7

Virtus vulgata perit. ibid.

Vitia virtutem produnt. ibid.

Vitiositas cordis à virtutis manifestatione publicatur. ibid

Virtus occultata decor, & fortitudo animæ. ibid. Quisquis virtutem amas, vel communes mundi vias fuge. 334,9

Virtutem deserere, extremæ obstinationis signum. 335,0

Virtutis præmia perpetua. 336,12

Virtutis opera miraculis præstantiora. 337,15

Virtus non aliter clarius emicat, quàm præsentaneo bonorum operum fructu. ibid

Virtus laboribus firmata tentationum impetum facilè sustinet 339,19

Virtus florido splendori innixa facilè corruit. ibid.

Durioribus assueta virtus victorias adipiscitur. ibid.

Virtus duratura multo animi cõsilio, & examine sumenda. 340,10

Virtus, quò maior, eò validiùs ab hoste impugnatur. 346,9

Vitia virtutibus callidè admixta, nocentissima. ibid.

Vitia aliorum non respicienda, sed virtutes. 348,11

Virtutes sociorum impios velut vincula ligant. 351,17

Virtutis viam quisquis ingreditur, infantiæ suæ meminerit. 354,4

Virtus non subitò perficitur; sed suam quoque habet infantiam. ibid. In virtute assiduè crescamus. ibid.

Virtutis fastidia mortem generant. 355,1

Deum ad iras concitant. ibid.

Virtutis fastidia pellit rerum cœlestium notitia. ibid.

Virtutis insuauitatem si lenire velis, cœlestia contemplare. ibid.

Virtutis famem excitat Christus in cruce contritus. 357,4

Virtutibus propriis Deum promereamur nobis. ibid.

Vulnera Christi incitamentum ad virtutem. ibid.

Virtus duratura in Christi cruce sibi sedem statuat. 319,8

Virtutis amator familiares suos sibi similes reddere cupit. ibid. Quidquid libidini subiicere potest, subiiciat. 368,12. Nouitius virtutum splendor perpetuò seruandus. 376,8

In virtute viriditas seruanda, vetustas fugienda. ibid.

Virtus olim exercita peccatorem iuuat ad mouendum Deum ad misericordiam. 380,10

Virtutem semel amplexam qui deserit, timeat sibi. 384

Virtus hominum contra hostium iacula munit. 385,4

Virtus in quocunque imitanda est 289,12

Virtus Gentilium efficacissima est ad excitandum ad eam Christianos. ibid.

Virtus parentum in filios transmittitur. 395,1

Virtutis fructus Christi crux mactat 396,3

Virtutibus in tempore mortis maximè abundandum. 398,1

Virtus nõ solùm in claustro, sed etiam in ipso mundo elucet. 405, 17. In virtutis negotio nunquam finias. 600,29. 607,1

Virtutes paternæ præ oculis habendæ. 611,8

Virtutibus solis nititur Dei spiritus. 621

Virtutis opera faciunt gratiam nostram perpetuam. 417,6

Inter virtutum opera nulla nuditas erubescenda. 379,6

Virtus primaria præcipuis fauoribus à Deo amatur. 428,31

Virtutem sero capessentes difficillimè salutem cõsequuntur. 457, 11. Ad perseuerantiam in virtute senectus inutilis est. 461

Ab adolescentia virtus capessenda. ibid.

Virtutis præstantissimæ argumentum est ardores voluptatum superare. ibid. In futura vita id solùm inueniemus, quod in hac virtutum operibus emerimus. ibid 10

Virtutis sectatoribus suspectus esse debet pecuniæ affectus 466,6

Virtutis augmentum in Eucharistia. 468,12

Virtutis amatores vicinorum languentium sugunt augmentum. ibid.

Virtutis augmentum solet prouenire à peccato spiritualibus vitiis. 470,2

Virtutis facinora in nobis exprimit crux Christi. 472,7

Virtus Christi crucis ad ferendos homines in salutem ingens est. 474,10

Virtus non pensanda vetustate temporum. 476

Operibus virtutum, illarum executionem redditur facilius. 499, 13 Fit intolerabilis remissione. ibid.

Qui non alacriter virtutem amplectuntur, vix sciunt placere Deo. ibid. 14

Quæ ad virtutem spectant suscipienda sunt alacritate, vt prodesse possint. 511,3

Virtuti plurimum obest abundantia rerum. 520,4

Virtus apparenter solum reperitur in peccatore. 517,14

Ad virtutis augmentum assequendum oportet aggredi illustriora virtutum opera. 511,4

Vnus virtutis studiosus Deo est pro ingenti multitudine. 413,5

Inter virtutis amatores peccare periculosissimum. ibid.

Virtutum propugnatores fortissimi sunt, qui necessitati, non voluptati indulgent. 536,3

In re virtutis necessaria tantùm curanda. 563,4

Virtutes internæ æstimandæ præ aliis. 565,9

Virtutis doctrinam fugi per domesticos gloriosum. 578,6

Euidentes proximi virtutes qui non videt, hostis est. 612

Vis.

Vis meditationis tanta, vt sibi faciat esse quod meditatur. 192,6

Visio, Visibile.

Visibilia Dei dona pretiosioribus meritis abundant. 364,3

Damnati rabidissima concupiscentia visionis Deo cruciabuntur. 509,33

Visus.

Vel solo visu aduersarios debellant viri iusti. 210,1

Vita.

in Vitam præsentem insanire proprium est prudentiæ iustorum. 184

Vel in hoc vita humana misera est, quod non præsentiat damna futura 188,4

Qui à Christo Iesu deuiat verè, nec est, nec viuit. 193,9

Vera vita non est, nisi in Iesu via. ibid.

Omnis sunt insufficientia, vt homo viuere possit, nisi paternum, quid in Deo experiatur. 195,12

Ministri Principum, vel ipsius frontis iudicio ostendant indolem electæ vitæ. 197,13

Vt possis viuere in futuro, nihil sit tibi magis voluntarium in præsenti quam mortificatio. 501,23

In exitu vitæ etiam feruentissimos Dei amatores remoratur contemptus diuinorum præceptorum. 209,15

Dum in hac vita sunt, etiam sanctissimi indigent purgatione, & scissione. 211,3

Dum vita cœlestis non perditur, parua, & minima quæuis alia detrimenta. 233,1

Ab exitu huius vitæ, & ingressu futuræ alatet vera nobilitas, & gloria hominis. 281,1

Vitæ duritiès, & asperitas hominem suauiter confirmat. 304,5

Vbi aliquid vetusti hominis manet in renouatione vitæ, non potest non ruinas timeri. 311,11

In nouitate vitæ ambulandum ei, qui vult homines trahere ad vitam. ibid 12

Non est vita sine luctu, vbi Deus abest. 52,10

Familiæ Principum legalissimam vitam agunt. 67,20

Vitæ ratio per nudos virtutum calles. 72,8

Vita ex oculis censetur. 98

Res inanimatæ à Iesu vitam halant. 117,13

A cœlesti cibo vita. 123,27

in Vita salutis negotium perage. 142,8

Vita hominum illa solùm numeratur, quam sub gratia viuimus. 353,2

Vita peccatorum non existit. ibid.

Vita peccatorum argumentum diuinæ potentiæ, non minùs quàm vita mortuorum. 397,5

In vltima vita diuini amoris præcipuæ diuitiæ ostendendæ. 398,1

In vita latiore aliquando Deus magis quàm in stricta colitur. 405,17

In præsenti vita prouideamus abundantiæ in alia futuræ. 441,19

Vitæ præsenti qui solùm studeat, immemores futuræ, inutiles omnino sunt, imò bruta sunt. 456,9

Vita terrenis curis immersa eò miserabilior, quo longior. 457,10

Vitæ

Vitæ diuturnitas pro supplicio datur terrenis hominibus. ibid.
Vita longæua inferno similis est. ibid.
In futura vita id solùm inueniemus, quod in hac virtutum operibus emerimus. 461,20
In hac vita non nisi in tua ibis. ibid.
Migraturus ex hac vita, ne in alia dona, seu beneficia expectes, sed solùm tibi debita. ibid.
In futura vita homo est quasi in propriis, in hac quasi in alienis. 462,21
Spiritualis hominum vita de lethali vulnere fructuosior solet resurgere. 470,2
in Vitam æternam ingentem multitudinem traxit passio Dominica. 474,10
Vita est, & sanitas hominum Christus. 477,18
Vitæ finis efficax est ad trahendos homines ad Deum. 489,11
Vitæ tempus breuissimum reputant impij metu supplicij. 513,6
Qui paupertatem vouerunt, vilitta solùm, necessariáque ad vitam sustentandam debent optare. 522,7
Vita Christiani mortem qualem venturam designat. 584
Suauior vita, quæ à terrenis separatur. 618,12

Vitia.

Sæuissima sunt. 97,15
Quæ sapientum sunt, magis fugienda. 137,10
Curandum magis ne fiant. 38,1
Ad illorum expugnationem Ecclesiasticos fias, non ad lucrum. 64,15
Felicia omnia in eo, qui aduersatur vitiis. 74.4
Rari in vitiis non patrissant. 117,16
Vitia hominum fouet, & alit vana gloria. 166,4
Vitia dominorum à subditis ebibuntur. 172,17
Vitiorum extrinsecus splendor despiciendus. 178,26
Vitia penetret intrinsecus, qui velit lucrum reportare. ibid.
Vbi regnat vitium, habentur verba Dei instar vani soni. 204,5
Vnde vitiorum sterilitas oriebatur, inde gloriæ fructus suis parat diuinus gladios. 284
Vitia virtutem produnt. 333,7
Vitia qui fugit, omnes occasiones vitet. 334,9
Vitia virtutibus callidè admixta nocentissima. 346,9
Vitia aliorum non respicienda, sed virtutes. 348,11
Vitia in proximis aliquando dissimulanda. 350,15
Vitia non semper ad exactam legum seueritatem punienda. ibid.
in Vitia vltrò proruere turpissimum. 354,3
Vitia fratrum non nisi cum ipsorum virtutibus consideranda. 386,5
Vitia nequeunt suis sectatoribus nisi mortem præstare. 392,5
Vitia detegere, quàm sepulchrum, difficilius est. 397,5
Vitia spinia suis homines ad virtutes compellunt. 404
Vitia inueterata vincere proprium est omnipotentiæ Dei. 458,12
Vitia augeri solent pace diuturna.
Inueterata in aliquo vitio consuetudo facile trahit hominem in perditionem. 508,31
Vitiis seruire, & laboribus angi miserrimum. 609

Vitrum.

Vitrum flexibile sub Tyberio factum. 417,6
Vitro industria oculorum multiplicanti similia bona terrena. 411

Vltio.

Grauissima vltio est, quæ ad mensuram hominis fit. 503,26

Vltor.

Vltor iniuriarum nostrarum Deus. 383,16

Vmbra.

Qui Deum sub vmbris colit, eum manifestum videbit. 320,3

Vnitas. vnio.

Vbi vnitas, & concordia, ibi claritas. 232,25
Vnitatis fraternæ amator, qui Deo propinquus est. 71,6
Vni collocata beneficia pereunt, pluribus congesta perennant. 332
Vnitas quidquid vult, assequitur. 414,2

Vocatio.

Vocationi Dei pulsanti illicò assurgamus, neque enim semper adest. 454.5
Vocationes Dei momento prætereunt. ibid
Vocem Dei diligentissimè audi. ibid.

Voluntas.

Voluntates humanas, vel minima Iesu bona possunt explere. 194,20

Voluptas.

Voluptatum simulacra caueant pij homines. 26,3
Inter voluptatum lenocinia viam saluti tenere excellentissimum. 32,15
Sapientes mundi ad voluptates. 42,9
Voluptas nil non graue. 210,1
vt Voluptas expugnetur, omnibus virtutum armis indiges. 315,8
In quibus voluptatem capiebamus, in eisdem torquebimur. 352
Voluptatum amor Iouem indigna subire coëgit. 369,12
Voluptas carnalis omnem pudorem ab animo excludit. 403,13
Voluptas nulla in rebus carnalis affectu partis. 411.11
Voluptas ex rebus cœlestibus diutissimè durat. ibid.
Voluptates mundi laboriosæ sunt diuinam suauitatem expertis. 436,9
Voluptatum victores gloriosissimum triomphum agunt. 460,18
Voluptates carnis faciliùs superantur, vbi corporum resurrectio memoriæ commendatur. 499,14
Voluptates peccatorum non minori pœna punientur. 524
Voluptates humanæ non valent implere humana corda. 531,5
Virtutis præstantissimæ augmentum, ardores voluptatum superare. 460,18
Voluptati non seruiendum, sed necessitati. 536,3

Votum.

Vota in pressu[illegible] concepta non amplius meminit fœmineus reproborum animus. 200
Impiorum vota non differunt ab homicidiis. 179,28
Vota Deo odiosa, quæ partialitatem olent. 294
Vota hominum ipsa adimpletione puniuntur. 392

Vox.

Voces contumeliosæ nihil faciendæ, vt spurcissimæ. 98,17
Vox salutaris facit sentiri proximum. 28,8
Ouis Christi ad solam vocem exsurgit. 285,7
Vox sine operibus proxima occasus. 385

Vtilitas.

Vtilitas summa homini, de Deo cogitare. 384,1
Magna vtilitas hominum est, Deum præ oculis habere. 474,11

Vulnus.

Vulnera à Deo infliguntur ad fructus. 210,8
Iesu vulnera sunt nobis refugia. 219.12
Tot citæ, & gloriosæ palmæ, quot vulnera pro Iesu. ibid.
Vulnera Christi fossa, in qua à Dei ira absconditur. 396,3
Per vulnera Christi ad omnia eius bona introducimus. 410,9
Qui vulneribus Christi adhæret, nullius eget. ibid.
Vulnera Christi foramina, per quæ in cœlum ingredimur. ibid.

Vultus.

Vel ipsius vultus indicio ostendatur innocentia vitæ. 197,15

Vxor.

Vxoris bona ab omni spoliatione leges liberant. 379,8

FINIS TOTIVS OPERIS.